VI
2.

Digitized by Google

NAZIONALE
8
15

Digitized by Google

P. F. ELIGII

BASSÆI,

ORDINIS FF. MINORVM
S. FRANCISCI CAPVCINORVM
PROVINCIÆ GALLO-BELGICÆ,

SVPPLEMENTVM
AD
FLORES
THEOLOGIÆ PRACTICÆ
TVM
SACRAMENTALIS.
TVM
MORALIS.
SIVE
TOMVS SECVNDVS.

Bibliothecæ
Scholarum
S. Pantaleonis
Piarum

ANTVERPIÆ,
Apud HIERONYMVM & IOAN. BAPT. VERDVSSEN,
Anno M. DC. LIX.

Cum Gratia, & Privilegio Regis Hiſpaniarum.

Digitized by Google

BIBLIOTECA

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO

D. GASPARI NEMIO,

ARCHIEPISCOPO
ET
DVCI CAMERACENSI,
S. ROMANI IMPERII PRINCIPI;
COMITI CAMERACESII,
Sacræ Theologiæ Doctori.

VENIO iterum, ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE, de vastissima & profundissima, tum vetustorum, tum recentiorum Theologorum Moralium Sylva, aptiùs dicam, de opaco, & tenebroso illorum nemore; nam

Nemius à dicto nemore, nomen habet.

in quo diu latitans, undique per loca millenis anfractibus obsita, per lucos tædiosa Resolutionum Moralium obscuritate detentos, perque devios diversarum opinionum recessus, vagabundâ mente pererrans, hinc inde Flores, qui in primo Tomo deerant, inenarrabili studio & labore collegi, calathoque pleno fasciculum floribus ob raritatem exquisitissimis, ob varietatem gratissimis, ob suaveolentiam pretiosissimis, compositum, pauper & inops Hortulanus Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dom. vestræ benedictionem humiliter efflagitans, ac vestris obvolutus, ut possum, pedibus, obnixè deprecans, ut munusculum hocce meum acceptare dignetur. Quod si prius oblatum minùs placuerit, placeat posterius & sub luce Illustrissimi nominis tui, lucem hanc communem in Belgij nostri ditionibus aspiciat, & per totum terrarum orbem, quintuplicata ut primus editione, suavissimos diffundat odores Tomus hic secundus. Cùm enim viginti abhinc annis, primum Theologiæ nostræ Practicæ volumen, Bibliopolæ cujusdam

Digitized by Google

aſtutiâ & calliditate, neſcio quo pacto è parturientis gremio furtivè ſublatum, in lucem ſub Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dom. veſtræ auſpicijs, imperpolitè licet, editum fuerit, (cui nempe deerat ultima manus artificis) inde mihi ſumma ſpes affulget, ex benigniſsima ſua humanitate concepta, alterum hunc ingenioli mei fœtum, quem inter bellici furoris voragines, Provincijs circumquaque bellorum tumultuantium incendijs conflagrantibus, non ſine dolore peperi, te eâdem benignitate & benevolentiâ ſuſcepturum, cùm & hic eâdem ſubmiſſione & reverentiâ, eodemque animo præſentetur, dedicetur, conſecretur. Quòd ſi ex ungue Leo, ſi ex pollice gigas, ſi ex umbra corpus agnoſci poſſit, ex æris minutis duobus, quæ in Illuſtr. & Reverendiſſ. Dom. veſtræ Gazophilacio lubens depoſui, quæ & quanta ſit in te animi noſtri propenſio, ſatis ſuperque delineari & quaſi levis cuiuſdam penicilli veſtigio demonſtrari poteſt. Primum qui ſuſcepiſti, non potes non ſuſcipere ſecundum; imò tibi jure debitum, poſſes vel non oblatum, ab invito repetere. Hinc eſt, quòd ſicut diverſi rivuli in unum redeunt mare, diverſæ ſagittæ ad unum ſcopum; ſic diverſa hæc operis noſtri bipartitio ad unum *Nemium* dirigatur.

Marc. 11. d. 41.

Privatas autem cauſas, quarum impulſu opus hoc meum Ampliſſimo nomini Tuo inſcripſerim, & humillima cum animi obſervantia dedicarim, duas ab inſignium Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dom. veſtræ ſymbolica deſcriptione, quæ ſic habet, *ATTENDE TIBI ET DOCTRINÆ.* derivatas, mihique propoſitas in numeratis habeo; quarum Prima eſt, ut Authoris pauperies & vilitas Dignitate Ducali ſuffulta, ac ut ita dicam circumvallata, à latrantium linguis, & mordentium dentibus vendicetur: Altera, ut libri materies, Archiepiſcopali haud incongrua dignitati, eidem inſcriptâ tutiſſimè promulgetur. Et certè quoad primam attinet, Si *Attendo mihi* mortalium omnium viliſſimo; *Mihi* nulla virtutum laude commendato; *Mihi* abjectiſsimo: Si *Attendo tibi*, Tibi inquam, qui non tantùm Epiſcopali mitrâ, ſed Archiepiſcopali pallio decoraris; *Tibi*, non ampliùs Antuerpienſium Patri, ſed Cameracenſium & Patri, & Duci: ſi denique (nam contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt) attendo non tantùm *Mihi*, ſed & etiam *Tibi*; *Mihi*, qui nullius ſum conditionis; *Tibi*, qui ſummæ es eruditionis: *Mihi* minimo minori, *Tibi* maximo poſt Purpuratos maiori. Quid mirum, ſi Solem ſua ſydera venerentur, & tantæ dignitatis fulgore attractus & illectus quæram protegi ſub umbra alarum benignitatis tuæ? Sed ad aliam dedicationis operis noſtri cauſam tranſeamus; non enim tantùm *Attenditibi*, ſed etiam *& Doctrinæ.*

1. ad Tim 4. d. 16.

Nam cui meliùs doctrinam hanc, aut cui potiùs huius ſupplementi ſelectos Theologiæ Practicæ flores aſcriberem, quàm ei, qui pro tot, tantiſque animarum pretioſo Chriſti Sanguine redemptarum millibus, ſua ſub authoritate ditioneque conſtitutis, in diſtricto Dei judicio rationem eſt redditurus? Cui meliùs methodicam farraginem conſcientias charitativè judicioſeque dirigendi regulas præſcribentem convenire

Digitized by Google

nire exiſtimarem, quàm ei, qui beneficio Domini meritiſque ſuis inter eos annumeratur, quibus & Divinæ Majeſtatis authoritas, & innumerorum penè fidelium ſalus innititur? Cui convenientiùs antidotum præſentarem deguſtandum, quo à criminum ſordibus & immunditijs oves præſervantur, vel ſi letiferâ hac labe contractæ fuerint, expurgantur; quàm ovium ſpiritualium Summo Curatori, & Paſtori vigilantiſsimo; quàm ei, quem poſuit Dominus *in monte ſancto ſuo*; quem poſuit *lucernam ſuper candelabrum*; quem poſuit *Cuſtodem in vineis*; quem denique poſuit *paſcere gregem populi ſui*?

Ezech. 28 d. 14. Luc. 8. b. 16. Cant. 1. b. 5.

Excipiat ergo benigniſsimè Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dom. tua vilis hujus Hortuli *Attendentis tibi & Doctrinæ* faſciculum, varijs te pro-Summa quantum poteſt dignitate atque amplitudine floribus non ſenio intereuntibus, non calore marceſcentibus, non algore flacceſcentibus, ſed honoris & honeſtatis ubertate vernantibus exornantis. Flores illos fateor *apparuiſſe in terra noſtra*, ſed heu! tam ſerò apparuerunt, ut etiam jam ſeptuagenario paulò minor, putationis, reſolutioniſque vitæ meæ tempus inſtare perſentiens, omnibus me negotijs, ſtudiorumque meorum ſolicitudinibus, expedire ſit in votis: ſic Liber à curis expectabo Deum Salvatorem meum, donec *revertatur à nuptijs*, & inter florum meorum ſuaviſſimos odores, in anguſtiſsimæ cellulæ *nidulo* & angello *moriar*, ut ſicut palma valeam in fœliciſsimis domus Patris mei manſionibus multiplicare dies meos. Vtinam dum me ad exitum vitæ natura ipſa ſenio confecta perduxerit, & mea mens mortali ſoluta corpore, jam jamque æternis beanda gaudijs, occinet lætabundo cantu *Terra Vale*; poſsit fœlix illa Illuſtriſſ. & Reverendiſsimæ Dom. veſtræ anima extremæ ſenectutis onere depoſito, alterna modulari voce, *Salve cælum*. Hæc ſunt vota, &c.

1. Petr. 5. a. 2. Cant. 2. c. 12. Luc. 12. c. 36. Iob 29. c. 18.

Illuſtriſsimæ & Reverendiſsimæ Dom. V.

Pauperculus Cliens

F. ELIGIVS BASSÆVS Capucinus.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

NOn minùs negotij, quàm otij rationem reddendam, graviter adseverabat Summus Senator, Summus ille Orator, denique Imperator maximus *Cato*, Lector benevole. Hinc viridarium Florum nostrorum Theologiæ Præticæ jam quinta vice editorum tanquam Hortulanus ingressus, num in illo, ad perfectionem operis, flores quidam deficerent, perspecturus: tantus mihi visus est defectus, ut ad laborem *Supplementi* cujusdam conatus meos convertere necessarium foret. Cùm enim natura ipsa canem ad venatum, equum ad cursum, avem ad volatum instituerit; hominem autem ipsum, tanquam Divinum animal in lucem ediderit, ad laborem; ideò ad communem omnium utilitatem, ex laboribus senectutis nostræ, *Supplementum* hoc in lucem edo, quod ex varijs Doctorum, tum Theologorum, tum Canonistarum & Legistarum campis fideliter desumptum, ijsdem titulis, quibus antea notatum & nonnullis additis, pro uberioris doctrinæ amplitudine & ornatu, tibi poterit deservire.

Ceterùm in hoc, sicut & in alijs lucubrationibus nostris hucusque editis, doctrinam mihi creditam, non à me inventam, quam accepi, non quam excogitavi, ut tibi dixi aliàs, trado. Benigniores quandoque opiniones aut amplector, aut earum probabilitatem non reijcio, ne pluribus claudam cœlum, sed omnibus viam Domini faciliorem demonstrem. Non enim laxat habenas conscientiæ, sed viam Domini suavem reddit, qui docet opiniones benignas, dummodò sint probabiles: multi nempe damnarentur, quos probabilitas opinionum salvat. Quis reum declaret, quem probabilitas asserere potest innocentem? Sublevanda igitur est humana imbecillitas, & Christo præeunte, oneris levitate invitanda, ut prompta jugum portet. Non sunt animæ (ut quidam modernus ait) vinculis illaqueandæ, sed potiùs scelera, quando fieri potest, arcenda & eliminanda. Sed, dicet aliquis, multi doctrinâ celebres hoc ipsum dilucidè & solidè præstiterunt, & consimilia conscripserũt; ideò satius fuisset labori pepercisse? Verum quidem est, sed magna nunc inter nostrates est operariorum raritas: quare messe quotidie accrescente, necesse est multos hujusmodi aut similibus compendijs instructos esse, cùm eis aut non vacabit, aut non lubebit, aut ex alijs causis importunum erit, ad Scholasticorum, aut moralis Theologiæ scriptorum libros inquirendæ veritatis causâ recurrere; cùm præsertim *laborent homines in discendo, & brevia non valeant intelligere, & prolixa non ament legere*, ut notat *Augustinus*. In hoc Supplemento, doctrina copiosa est & compendiosa, moderatè laxa & benignè rigorosa, ut doctis & indoctis, imbecillibus & fortioribus fiat satis. Non simili, quâ in primo Tomo formâ quoad citationes Authorum, in hoc secundo, utor, ne legentis animus in inquirendis Doctorum adductorum ad marginem locis perturbetur, vel retardetur. Difficultatem enim peperit apud Italos hæc Doctorum remissio in margine: nam in editione Veneta 1654. inconsulto Authore omnes citationes textui libri conjunxerunt: & utinam appositè & concinnè id factum sit! plurimi enim errores & ex ijs non pauci graviores irrepserunt. Accipe igitur, Benigne Lector, totum hujus Supplementi laborem in solamen tuum, & futurum tibi gratum tua illa mihi pollicetur benignitas, quâ olim primum florum nostrorum Tomum excepisti, eodemque animi affectu, quo primum, hunc secundum, precor, aspicias. Sed quia *in multiloquio non deest peccatum*, Proverb. 10. si quid in hujus operis decursu inerudite & inordinatè dictum inveneris, Christianâ charitate excusare digneris. Ceterùm (ut tibi aliàs iterum atque iterum dixi) in hujus operis doctrina, ut & in ceteris scriptis ac lucubrationibus nostris, erectâ semper mente ad Ecclesiæ Romanæ lucidissimum Solem aspicimus, ad illius infallibiles radios tenebras nostras devotissimè revocamus, expandimus, excutimus, nusquam aliò ire, quam quò ducit; nihil sapere, quàm quod sapit; nihil amare, quàm quod ipsa diligit: ita hæret, ita fixum est, ut nobis semper sit futurum in delicijs, potiùs emori, quàm non per omnia parere & conformiter sentire tam Sanctæ & Divinæ Matri. Vale & apud Altissimum mihi senescenti tuis precibus fave.

AD

Digitized by Google

Ad Supplementum Authoris.

TESTANTVR *Chronica Ordinis Minorũ,*
Franciſcum ſpecimen, decuſque morum,
Hyemis tempore, de ſpinis cadentes
Summo Pontifici obtuliſſe flores;
Partim purpureo pares colori,
Partim virgineo pares nitori.
Turbatus Papa, ſæpè tentat, utrum
Naturâne opus, aut ab arte factum?
Et adſtantibus undecumque turbis,
Cardinalibus, hinc & inde ſparſis,
Quæ ſpectacula, clamat, ô amici!
Flores cernere, menſe Ianuari?
Aſt quæ commemoro nimis vetuſta;
Vultis commemorem recentiora?
Hortulane veni, veni Hortulane,
Hortulique tui fores reſolue,
Vt, quæ rara tuo latent in horto,
Orbi fiſtula cantet univerſo.
Tunc deſipis? ecquis Hortulanum
In ſua dabit arte tam peritum,
Qui, quando gemit arbor abſque fronde,
Et tellus jacet obvoluta nive,
Flores excoluit, novoſque fructus
Brumæ tempore, vidit ante tempus?
Tu ipſe es, pande fores, amice pande;
Turba plurima poſcit introire,
Ad fores vigilat, licet repulſa,
Ab ijs non abeat, niſi intromiſſa:
Vult excerpere nam Caſuiſta flores,
Vt diſcat pius ordinare mores.
Senectutis hyems roſas abundè
Dedit, non ſine maximo labore
Cultas, aſſidua evolutione
Librorum, caſuumque lectione;
Sic, ut undique floreat virenti
Hortus germine, menſe Ianuari.
Notum, quas dederit roſas juventus;
Ignotum tamen, an daret ſenectus:
Sed ignota, ſatis ſuperque nota,
In lucem nova proferendo ſcripta;
Supplementa tui recentis horti,
Sunt miracula, menſe Ianuari.
Eligi, Patris æmulator eſſe
Videris mihi, pauper Hortulane;
Nam quod prodigium parens patravit
Noſtro tempore, natus ipſe fecit.
Num miracula, ſub favore Nami
Flores cernere, menſe Ianuarii?
Quanto, dic precor, admodum tolende
Nami, mens tua fluctuat ſtupore?
Syncerè loquor, Archiepiſcoporum
Lux prafulgida, ſanctitate morum.
Videns munera dedicata, totum
E ſenſu puto demigraſſe ſenſum.
Eloqui eſt animus; ſed & ſilere:
Silere eſt animus; ſed en repentè,
Admirantibus obſtupenda cunctis
Acclamantibus undequâque ſervus,
Quæ ſpectacula, dicis, ô amici!
Flores cernere, menſe Ianuari!
Huc, huc, qui ſupéras tenetis ædes,
Huc deſcendite cælitum Phalanges;
Flores carminibus ſonate veſtris,
Votiſque addite vota veſtra noſtris;
Quanta, dicite, voce perſonanti,
Sunt miracula, menſe Ianuari!
Adeſte hîc dubij Caſuiſta, adeſte,
Huc accurrite Iuris utriuſque
Alumni; ſit enim recentiorum
Hîc deciſio docta quæſtionum;
Novos offero floſculos, decenti
Textos ordine, menſe Ianuari.
Et qui Pontificum loco ſedetis,
Et quos purpura ſacra, Cardinalis,
Et quos pileus, unctio, tiara,
Paſtorale pedum, atque chirotheca,
Inſignit titulo eminentiori;
Flores capite menſe Ianuari.
Et cui data Regia eſt poteſtas,
Et qui munevis æquitate præſtas,
Sive Cauſidici, explicando leges,
Sive Iudicis, enodando lites,
Baſſæus nova ſerta dat volenti
Caput cingere menſe Ianuari.
Ite denuò floſculi novelli,
Ite, pignora chara Baſſeani,
Hoc volumine, curioſe Lector,
Novis floribus, anxioſe Paſtor,
(Si languetis amore) amore veſtri,
Rurſum fulcio, menſe Ianuari.

APPROBATIONES THEOLOGORVM
Qui de mandato R. Adm. P. Generalis totius Ordinis FF. Capucinorum hoc opus examinarunt.

EX commiſſione Adm. R. P. Fortunati à Cadoro Ordinis noſtri Generali mihi facta, legi tomum ſecundum R P. Eligij Baſſæi Capucini, quem *Supplementum ad Flores Theologiæ Practicæ* intitulat: Supplet enim ſi quid in priori tomo deſideretur; Suffulcit, ſi quid nutet. Flores ſunt ſeu dogmata ſelecta, ex ampliſſimis campis Theologiæ ac utriuſque juris ſumma diligentia ac labore collecta. Cùm verò in ijs nihil fidei ac bonis moribus contrarium repererim; ſed doctrinam ſolidam ac facilem; copioſam ſimul & compendioſam; moderatè laxam & benignè rigoroſam, cenſeo quod hic Secundus Tomus ad uberem fructum ac magnam Confeſſariorum, Canoniſtarum & Legiſtarum commoditatem, in lucem evulgabitur. Datum Brugis 13. Novembris 1654.

F. MARCELLINUS HELMONDANUS, *Capucinorum Brug. Guardianus, quondam Theologiæ Lector, & Diffinitor.*

Ego

EGo infraſcriptus ex commiſſione Adm. R.P. Fortunati à Cadoro Ordinis noſtri Miniſtro Generali, cum magna diligentia perlegi librum (cui titulus *Supplementum ad Flores Theologiæ, ſive Tomus Secundus*) compoſitum à R.P. Eligio Baſſæo Capucino Presbytero Ex-Guardiano, & non ſolum non inveni aliquid in eo Sacro-Sanctæ Orthodoxæ fidei aut bonis moribus contrarium, ſed & etjam reperi inſigni doctrina refertum, unde & cupio & rogo ut citiùs, tanquam omnibus non ſolùm Theologis utiliſſimus, ſed & Juriſtis non parùm, prælo detur. Datum Bruxellis 27. Novembris 1654.

F. PATRITIUS HASEBROCANUS, *Capucinus Diffinitor & Guardianus indig. & Exlector Philoſophiæ ac Theologiæ.*

Facultas Adm. R. Patris Generalis.

NOs Frater Fortunatus à Cadoro Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum Miniſter Generalis, licet immeritus, Tenore præſentium facultatem concedimus, ut ſervatis ſervandis, liber, cui titulus eſt, *Supplementum totius Theologiæ Practicæ & Moralis*, compoſitus à Patre Eligio Baſſæo Sacerdote Capucino, & à doctis noſtræ Religionis Patribus, quibus id commiſimus, recognitus, & approbatus, typis mandari valeat. Datum in Conventu noſtro Alonenſi 18. Januarij 1655.

F. FORTUNATUS, *Miniſter Generalis.*

Locus † Sigilli.

CENSURA.

INfraſcriptus accuratè perlegi hoc *Supplementum ad Flores totius Theologiæ practicæ, tum Sacramentalis, tum Moralis*, Auctore R.P.F. Eligio Baſſæo Provinciæ Gallo-belgicæ Capucino, qui florilegæ apis inſtar, hos ſuccidaneos Flores acri cum judicio & magno labore collegit variis ex Doctorum hortis, & in unum faſcem redegit, quem omninò dignum judico ut publici juris fiat, neque dubito quin ex eodem, tum Theologi, tum Canoniſtæ, uberrimos cum voluptate fructus ſint percepturi. Datum Duaci 5. Maij 1655.

MARTINUS DENYS, *S. Theologiæ Doctor, ejuſdemque Regius & Ordinarius Profeſſor.*

ET ego infraſcriptus Supplementum hoc totius Theologiæ Practicæ accurato labore & ſtudio concinnatum, omninò dignum cenſeo quod in lucem edatur & ſtudioſorum, potiſſimùm Theologorum manibus aſſiduè teratur. Datum Duaci 8. Maij 1656.

NICOLAUS LE LONG, *S. Theolog. Doctor, ejuſdemque Regius Ordinariuſque Profeſſor.*

VIsa Approbatione Doctorum hujus *Supplementi ad Flores Theologiæ Practicæ*, editioni libenter annuimus. Lugduni die 3. Novembris 1657.

DE NEUFVILLE, *Vic. Generalis.*

EGo infraſcriptus ratas habeo cenſuras ſeu Approbationes datas tam à Doctoribus Theologiæ, quàm à Reverendo admodum Patre Capucinorum Generali, & eorumdem Definitore in librum (cui titulus *Supplementum ad Flores Theologiæ Practicæ*, ſive Tomus Secundus) compoſitum à R.P. Eligio Baſſæo, Capucino Presbytero, eumque dignum cenſeo ut in Belgio recudatur hoc 12. Maij 1658.

CHRISTIANUS VOOCHTS, *Archidiaconus S. T. L. & lib. cenſor Antverpiæ.*

SUMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum, Indiarum &c. Regis Catholici, & Belgarum Principis Diplomate ſancitum eſt, ne quis *P. F. Eligij Baſſæi Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capucinorum Supplementum ad Flores Theologiæ practicæ tum Sacramentalis, tum Moralis, ſive Tomum ſecundum*, præter CORNELII WOONS voluntatem, intra decem abhinc annos ullo modo imprimat, aut alibi impreſſum in has inferioris Germaniæ regiones importet, venalevé habeat : qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, alijſque gravibus pœnis mulctabitur, ut latiùs patet in literis datis Bruxellis, 26. Martij 1658.

Signat.

LOYENS.

Dictus Cornelius Woons ceſſit mediam partem juris ſui ſupradicti Privilegij Hieronymo & Ioan. Bapt. Verduſſen.

SVPPLE-

Digitized by Google

R. P. ELIGII
BASSÆI
SVPPLEMENTVM
AD
FLORES THEOLOGIÆ
PRACTICÆ,
SIVE
TOMVS SECVNDVS.

ABBAS.

SVMMARIVM.

1 *Abbatis nomen quid significet? Et an omnes Abbates habeant dignitatem.*

2 *Inter Abbates alij sunt Regulares, alij seculares.*

3 *An nomine Ordinarij, vel Episcopi, vel Pontificis veniat Abbas? Et an nomine Abbatis veniant alij Prælati Religionum.*

4 *An in Abbate regulari sit potestas dominativa, & iurisdictionis.*

5 *An potestas iurisdictionis in foro exteriori Abbatibus & Prælatis Religionum iure diuino competat?* Refertur duplex sententia.

6 *An debeat esse Sacerdos Abbas, vt validè possit Ordines Minores conferre? Et an benedictus.*

7 *An Abbas electus & confirmatus in Episcopum, ante consecrationem possit tonsuram & Minores Ordines subditis ullius Episcopatus conferre.*

8 *In casu quo Abbates ordinarent sibi non subditos, an talis ordinatio sit valida.*

9 *An Abbates Conuentuales Regulares, & alij Prælati seculares teneantur personaliter residere in Monasterio & locis suorum beneficiorum.*

10 *An habentes Abbatias, vel Prioratus, vel alias Ecclesias in commendam perpetuam, teneantur in eis residere? Et an Prælati regulares & Abbates non residentes in suis Ecclesijs, incurrant pœnas à Concilio Tridentino statutis contra Episcopos non residentes.*

11 *An Abbates & Prælati Conuentuales inferiores possint condere statuta perpetua, quæ habeant vim legis? Et an id possint Generales sine Capitulo.*

12 *An aliquis Prælatus Romano Pontifice inferior, possit aliqua statuta condere, quæ sint contra eius commune.*

13 *An Abbates & Prælati seculares exempti habentes iurisdictionem Episcopalem possint statuta condere? Et quid de Abbatibus regularibus habentibus territorium & subditos seculares.*

14 *An Abbates & Prælati regulares inferiores, possint pro solo arbitratu à Superioribus suo munere priuari? Et quæ sint causæ, ab quas Abbas iure deponi potest.*

15 *An Abbates, Priores, Guardiani & alij huiusmodi Prælati possint eorum Prælaturis renunciare, & ob quas causas, & coram quo.*

16 *An Abbates & Prælati inferiores exempti Episcopalem quasi iurisdictionem habentes possint beneficiorum resignationes recipere, & permutationes probare.*

17 *Ratio cur Abbatiæ antiquitus commendari ad tempus consueuerint.*

18 *An solus Summus Pontifex possit Abbatias in commendam tradere.*

19 *An Abbatiæ idoneis tantùm commendandæ sint.*

20 *Abbatiæ commendantur ad tempus, & in perpetuum.*
An Commendatarius titulum Ecclesiæ commendatæ habeat? Remissiuè.

21 *An liceat Episcopo Abbatiam à Summo Pontifice commendatam, rursus commendare.*

22 *An Abbatialem dignitatem possit Religiosus expetere.*

23 *An Abbatialis dignitas ex consuetudine potius perpetua sit, quàm temporalis.*

24 *An magis expediat Abbatem & alios Prælatos Religionum esse perpetuos, quàm ad tempus.*
Refertur duplex sententia

25 *An ratione dignitatis, aut ex priuilegio Abbatibus exercitium & vsus Pontificalium insignium competat.*

26 *An vsus Pontificalium de iure communi denotet exercitium iurisdictionis in eo loco, in quo quis eis vtitur.*

27 *An liceat Abbati mitram & cætera Pontificalia insignia deferre extra loca suæ iurisdictionis & dignitatis.*

28 *An Abbates licitè possint in locis ab Ordinariorum iurisdictione exemptis, Pontificalia exercere, si à Prælatis eorum inuitentur.*

Digitized by Google

29 *An Abbates possint benedictionem solemnem fidelibus elargiri? Et quando & vbi.*

30 *An præsentibus Episcopis, vel maioribus Ecclesiæ Prælatis, possint Abbates hanc benedictionem dare.*

1. BBAS quoad ipsius significatum idem nobis significat, quod Pater: & hoc nomen secum importat & honorem & dignitatem, atque onus & solicitudinem: nam huic eidem nomini regulariter est annexa cura, simul cum iurisdictione. Abbas nempe regularis in suo Monasterio Rectoris munus exercet & cuncta administrat. Non tamen omnes qui appellantur Abbates habent dignitatem, nisi in eis concurrat aliquod ex tribus signis requisitis ad dignitatem constituendam. *Primò*, administratio rerum Ecclesiasticarum cum iurisdictione. *Secundò*, nomen dignitatis & intimul prærogatiuæ in Ecclesia, tam in choro, quàm in capitulo, licet non adsit vera administratio, vel iurisdictio. *Tertiò*, consuetudo Ecclesiæ, quòd quid reputetur pro dignitate. Proinde, vbi non concurrit aliquod ex dictis tribus signis non dicitur dignitas, sicut resolutum fuit per Rotam *in vna Aquinsi. Monasterij* 31. *Maij* 1568. *coram D. Cardinali Lancellotto seniore*, nempe, Abbatiam, quæ caret cura & conuentu non esse dignitatem, nec requirere ætatem 25. annorum. Ex quibus sequitur, quod licet nomen Abbatis regulariter præferat dignitatem, & Abbatia dignitas vocetur, tamen nudum nomen non sufficit, nisi etiam concurrant prærogatiuæ. Ita Hostiensis *in cap. De multa, numer.* 11. *vers. sed nec est*, *de prabendis*, Ancharanus *in Clement. 1. num. 1. eodem titulo*, Tamburinus *de iur. Abbat. tom. 1. disp. 1. quæst. 2.* & alij penes ipsos.

Rota.

Hostiens. Ancharan. Tamburin.

2. Abbates, alij regulares sunt, alij autem sæculares, sæcularium quidam sunt, qui non solùm in Clericos, verùm etiam in laicos sibi subiectos, quasi Pontificalem, siue Episcopalem iurisdictionem exercent; ac pariter Pontificalia insignia gestant, nam vtuntur anulo, mitra & baculo pastorali, & illorum dignitas est Episcopali proxima.

Alij sunt Abbates prædictis longè inferiores, qui nec Episcopalem iurisdictionem habent, nec Pontificalibus insignis vtuntur, quorum Abbatiæ, quamuis etiam dignitates sint, non tamen Episcopi dignitatem proximè sequuntur.

Alij sunt denique Abbates sæculares, qui in quibusdam Cathedralibus Ecclesijs inter dignitates locum habent, qui nulli Canonicorum Collegio præsunt, sed tantùm in choro & Comitijs prærogatiuam, seu primum locum obtinent.

Alij vocantur Abbates Commendatarij, cùm enim per sacros Canones non possent Clerici sæculares Monasticorum Conuentuum esse Rectores; vt Abbatiæ illis perpetuò commendarentur, compertum fuit, vt ij, quibus prohibitum erat Regulares Abbatias in titulum obtinere, earum retentionem per viam perpetuæ commendæ licitam efficerent.

Abbates regulares, alij actu sub se regulares subditos habent, quorum regimini & gubernationi præfecti sunt, iuxta *cap. cùm ad Monasterium*, & *cap. in singulis*, *de statu Monachorum*. Et hi dicuntur verè Prælati, omnibusque Abbatum præeminentijs ac prærogatiuis gaudent. Ex his alij sunt inferiores, alij verò supremi. Abbates inferiores sunt illi, qui Conuentuales, seu locales appellantur, quorum singuli singulis præsunt Monasterijs, ita vt sub illis nullus alius Prælatus existat, & hi etiam verè Prælati sunt.

Alij sunt Abbates Generales, quibus inferiores cæterorum Monachorum Abbates locales, siue Conuentuales subduntur, & hi dicuntur supremi Prælati, respectiuè ad suam Religionem.

Alij denium sunt Abbates solo nomine, qui regulares sub se subditos non habent, vel quia fortassis Monachi locum reliquerunt, vel quia Monasterium est alio translatum, vel alicui sæculari Clerico commendatum: & hi titulares Abbates vocantur, ac Pontificalibus insignijs vtuntur de licentia tamen Abbatum localium, in quorum Ecclesijs ea exercere voluerint: gestant etiam insignia Prælatorum & habent suffragia & liberam vocem in Capitulis, quamuis in alio Monasterio sub obedientia alterius Abbatis existant. Sunt & alij Abbates, qui Abbatiam renunciarunt, & hi nullam dignitatem obtinent, sed tantùm ob honorem quemdam Patres Abbates appellantur.

3. Cùm Abbas habeat iurisdictionem quasi Episcopalem, & eam habeat ex vi sui officij, quod est eam ordinariam habere, meritò venit appellatione Ordinarij: quia hoc nomine comprehenditur quicumque superior, siue inferior Prælatus, qui ordinariam iurisdictionem, siue ex priuilegio, vel ex præscriptione, aut ex Canone habet; vt docent Panormitanus *in cap. vt famæ*, *num. 6. de sent. excomm.* Mintinger. *in cap. post cessionem, num. 2. de probat.* Vnde cùm in aliquo iuris decreto aliquid Ordinarijs committitur, vel de Ordinarijs mentio fit, nisi subiecta materia aliud exposcat, non ad Episcopos tantùm, sed etiam ad Abbates & Prælatos omnes ordinariam iurisdictionem habentes commissio dirigitur, modò proprium territorium habeant. Ita Glossa *in cap. Ordinarij*, *verb. locorum*, *de offic. ordinar. in 6.* Gutierrez *quæst. Canonic. lib. 1. cap. 10. num. 15.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 29. numer. 5.* & alij.

Panormit. Minsing. Glossa. Gutierez. Sanchez.

Nomen autem Episcopi nullo modo Abbatibus conuenire potest, quia auctoritas & potestas Episcoporum plena & multiplex est ac maior, quàm Abbatum, & ideò eorum iurisdictio non simpliciter Episcopalis, sed cum diminutione, addita particula, *quasi*, appellatur.

Nomine autem Pontificis, veniunt Abbas & omnes Prælati inferiores habentes vsum, Pontificalium, scilicet, anuli, mitræ, Baculi Pastoralis, & cæterorum Pontificalium insignium. Aliàs Pontificale Romanum pro omnibus Ecclesiæ Prælatis à Clemente VIII. ordinatum quodque ab eisdem Prælatis obseruari præcipit, Abbatibus non conueniret; quia ferè semper Pontificis nomine appellatur in Rubricis Pontificalis Prælatus ille, ad quem functiones in eodem Pontificali præscriptas exercere pertinet.

Clem. VIII.

Sub nomine Abbatum, veniunt etiam alij regularium, tam mendicantium, quàm non mendicantium Superiores, quo ad ea, quæ spectant ad potestatem iurisdictionis, quia reuera omnes sunt Prælati. Sed quoad ea, quæ spectant ad potestatem Ordinis & dignitatis Episcopalis, quam Abbates participant, alij Regulares Prælati Abbatum nomine non veniunt, cùm ipsi neque mitra, neque Baculo Pastorali, aut aliis Pontificalibus insignijs vti possint; nec ex consequenti ordinare, vel alia, quæ sine huiusmodi insignijs perfici nequeunt, exercere, vt docent Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8 lib. 2. cap. 29. num. vlt.* & alij, de quibus vide Tamburinum *loco citato quæst. 5. & 8.*

Suarez. Tamburin.

4. In Abbate regulari duplex potestas reperitur, dominatiua, scilicet, seu œconomica, altera politica,

Digitized by Google

litica, seu iurisdictionis. Per potestatem dominatiuam intelligitur ius acquisitum Religioni, atque eius Prælatis ad imperandum Religiosis, eorumque operibus vtendum, prout conueniens iudicauerint. Hæc potestas non pertinet ad claues, neque à Christo deriuatur per specialem donationem Ecclesiæ factam, sed manat radicaliter à voluntate eorum, qui Religionem professi sunt, & illi se tradiderunt cum promissione & obligatione obediendi secundùm regulam talis Religionis. Homo enim non se priuat dominio in seipsum, nisi quatenus illud in alium transfert, ergo per hanc abdicationem, seu oblationem propriæ voluntatis, & translationem dominij proprij in seipsum, in Prælatos Religionis, oritur in eis potestas dominatiua singulorum Religiosorum ita se tradentium, quæ est distincta à potestate iurisdictionis, & ab ea separabilis.

Per potestatem iurisdictionis, intelligitur potestas spiritualis, ad claues Ecclesiæ pertinens, & consequentes à Christo Domino tradita, vel deriuata medio eius Vicario Summo Pontifice, vel aliis Episcopis. Supposito enim, quòd Religiones exemptæ sint, tota iurisdictio, quam Episcopi in ipsos Religiosos habebant, translata est in Abbates & Prælatos Regulares. Eo enim ipso quòd Religio ab Episcoporum iurisdictione eximitur, remanet immediatè subiecta solius Summi Pontificis iurisdictioni; at non poterat conuenienter immediatè regi per Summum Pontificem, aut per eius delegatos, ergo necessarium fuit vt proximè cura propriis vnuicuiusque Religionis Prælatis incumberet, qui dicerentur proprij Pastores. De his vide Suarez *de Relig tom. 4. lib 2. cap. 18. num. 6. & sequent. & tom. 4. tract 8. lib. 2. cap 1 n. 6.* Suarez.

5. Quorumdam peritissimorum Theologorum sententia est, potestatem iurisdictionis in foro exteriori Prælatis Religiosorum & Abbatibus iure diuino competere. Prob. *Primò*, quia Prælati Ecclesiæ illam habent iurisdictionem, de qua Matth 18. *Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Vbi nomine *Ecclesiæ* Prælati intelliguntur: vt inter alios interpretatus est S. Ioannes Chrysostomus. At Abbates & Superiores Religiosorum sunt verè Prælati, ergo iure diuino habent iurisdictionem & potestatem. *Secundò*, Episcopi habent potestatem iurisdictionis extra Sacramentum immediatè à iure diuino, ex multorum sententia, vt probant Victoria *de potest Eccles. quæst 2. num. 28.* Sotus *lib. 10. de iustit. quæst. 1. art. 4.* Castro *lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 24.* & alij. Victoria. Sotus. Castro. Sed Abbates & Præfecti Religionum Generales & Prouinciales sunt similes quo ad iurisdictionem ipsis Episcopis. Ergo Prælati Religionum habent suam potestatem immediatè à Christo, sicut Episcopi. Ita Medina *lib. de indulgent. cap 24.* Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. quæst. 17. art. 2.* Miranda *in Man. Prælat. tom. 1. quæst. 13. art 4.* & alij probabiliter. Sed quia vt probabilius amplexi sumus contrarium *tom. 1. verb. Confessarius 1. num. 8.* cum Doctoribus ibi citatis, quantum attinet ad iurisdictionem Episcoporum, nempe illam non dari Episcopis immediatè à Christo, sed per Summum Pontificem, & hoc sensu non habere illam diuino, sed humano iure; ideò idem dicendum est, de Abbatibus & Prælatis Religionum. Probatur, quia quod ab Ecclesia non semper fuit obseruatum, non est de iure diuino. Sed non fuit semper in Ecclesia obseruatum Abbates & Prælatos Religionum hac iurisdictione potiri, non enim semper illam habuerunt, ergo non est de iure diuino, vt patet exemplo SS. Antonij, Hilarionis, Pachomij & Benedicti, qui talem iurisdictionem non habuerunt, quia non erant Clerici. Accedit quòd talis modus Prælationis, scilicet Abbatis, vel cuiuscunque Prælati Regularis, immediatè est institutus ab Ecclesia, & non à Christo Domino, nec talis institutio fuit ex aliquo præcepto diuino, sed ex prudenti Summorum Pontificum arbitrio, ergo hæc iurisdictio non diuino, sed humano iure his Prælatis concessa est, vt pluribus rationibus probat Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap 1. num. 7.* An autem iurisdictio Prælatorum regularium sit ordinaria; diximus *tom. 1. verb Prælatus. num 3.* Suarez.

6. Vt Abbas possit Ordines Minores conferre, debet esse Sacerdos, vt colligitur *ex cap. 1. dist. 69. & ex cap. cùm contingat, de ætat. & qualit.* vbi habetur expressè in vtroque textu, *Et constet illum esse Sacerdotem.* Ratio est, tum quia collatio Ordinum est actus Ordinis; actus autem Ordinis non potest exerceri eo, qui caret Ordine; quia nemo dat quod non habet, *l. si vniuersa, C. de legat. cap. quod autem. de iur. patron* Tum etiam quia potestas conferendi Ordines supponit potestatem supra Corpus Christi verum, *cap. ex literis, de excess. Prælat.* sed solus Sacerdos habet potestatem supra Corpus Christi verum, ergo solus Sacerdos potest Ordines conferre. Ex quo patet, Abbatem, qui non est Sacerdos, non posse validè Ordines Minores conferre.

Sed pete, an Abbates non benedicti possint Minores Ordines conferre. Respondeo, quod secundùm ius commune antiquum Abbates ante benedictionis susceptionem, non poterant Ordinis actus exercere, vt videre est *in cap. cùm contingat, de ætat. & qualit.* vbi Innocentius III. concedens Abbatibus vt possint suis Monachis Lectoratum conferre, ait, *Dummodò ipsis ab Episcopo (* secundùm morem præficiendum *) manus impositio fiat noscatur.* vbi per manus impositionem nihil aliud, nisi benedictio intelligitur, vt notant communiter Doctores. Postea hoc ius ex arte ampliatum est, ex concessione Alexandri Papæ III. facta Cistercientibus vt habetur *in cap. 1. de suppland. neglig. Prælat.* vt si Episcopus tertio cum humilitate ac deuotione, sicut conuenit, requisitus, Abbates benedicere renuerit; liceat Abbatibus, proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad huiusmodi officium pertinent, exercere. Demum ex speciali priuilegio Eugenij IV. concesso anno Domini 1457. eisdem Cistercientibus possunt Abbates hoc munus exercere non solum benedicti, sed etiam non benedicti, imò nec benedicendi, vt sunt Abbates triennales & alij, qui ad tempus creantur. Hæc sunt verba priuilegij. Vt Abbates triennales, licet eis benedictionis munus non impendatur, omnibus & singulis honoribus, præeminentiis, priuilegiis, prærogatiuis, iuribus & inlignis Abbatialibus fungi possint. Ita docent Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. quæst. 28 art. 9. conclus 3.* Rodriguez *tom 1. quæst. reg. quæst. 18. art. 1. & 2. & tom 3. quæst. 23. art. 2.* Hieronymus Rodriguez *in compend resol. 1. num. 19* Suarez *de Relig. tom. 4. tract 1. lib. 2. cap. 29.* & alij penes ipsos. Innoc. III. Miranda. Rodriguez. Hieronym. Rodrig. Suarez.

7. Abbas electus & confirmatus in Episcopum, etiam ante consecrationem; potest tonsuram & Minores Ordines subditis illius Episcopatus conferre. Ratio, quia reperitur in eo tunc vtraque potestas Ordinis, scilicet & iurisdictionis, quæ est necessaria ad Ordinum collationem: nam vt Abbas habet potestatem Ordinis, & per electionem & confirmationem acquisiuit in subditos illius Episcopatus iurisdictionem. Idem dicendum est de Abbate, qui datus est administrator alicuius Ca-

thedralis Eccleſiæ, poteſt enim ordinare ſubditos illius Epiſcopatus: quia per dationem adminiſtrationis, tribuitur ei iuriſdictio, quâ ad id indigebat.

8. Si Abbates ordinarent ſibi non ſubditos, ſiue regulares ſint, ſiue ſeculares, etiam ſine dimiſſoris & licentia Epiſcopi loci, huiuſmodi ordinatio valida eſſet, ſed taliter ordinati indigent diſpenſatione ob ſuſpenſionem ab eorum Ordinum exequutione. Ratio eſt, quia per huiuſmodi ordinationem character imprimitur, & licet Concilium Tridentinum prohibeat Abbatibus ordinare illos, qui ſibi ſubditi non ſunt, non tamen, decernit ipſos Abbates ordinando non ſibi ſubditos, illis characterem non conferre. Tum quia actus factus contra formam traditam à lege ſine clauſula annullatiua valet licet contrafaciens veniat puniendus. Sic Gloſſa ſequuta Archidiaconum *in cap. Abbates, de priuil. in 6. verb. tonſura* Rota *1. part. deciſ. in nouiſſ. de cſ.* 570. Tum quia quoad ſæculares, in quos ipſi Abbates Eccleſiaſticam, vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem non obtinent, adeſt reſponſum Sacræ Congregationis Concilij Tridentini circa *c.10. ſeſſ. 23. de reformat.* quòd taliter ordinati non indigeant iterum tonſura, vel aliis Minoribus Ordinibus iam receptis, initiari, ſed tantùm indigeant diſpenſatione ob incurſam ſuſpenſionem, vt refert Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 1. cap. 29 num. 10.* ſed de his plura *infra v Ordo.*

Gloſſa. Archidiac. Rota.

9. Cùm omnes habentes beneficium, cui animarum cura, ſiue in foro interiori tantùm, ſiue in exteriori tantùm, ſiue in interiori & exteriori ſimul, annexa eſt, ad reſidendum in ſuis Eccleſiis & Monaſteriis, vel locis ſui beneficij adſtricti ſint, ex *cap. licet, de elect. in 6. cap. nonnulli, de Cleric. non reſident.* quos Canones innouauit & confirmauit Concilium Trident. *ſeſſ. 6. cap. 1. de reformat. & ſeſſ. 23. cap. 1. de reformat.* Hinc Abbates Conuentuales regulares, qui verè & propriè Prælati ſunt, atque animarum curam ſimul cum iuriſdictione in ſuos Monachos habent, tenentur perſonaliter reſidere, & adeſſe in Monaſteriis & locis; quorum adminiſtratio & cura ipſis tradita eſt. Idem dicendum eſt de Abbatibus ſæcularibus & Prælatis Epiſcopo inferioribus: nam ipſi ad reſidendum quoque perſonaliter in locis ſuorum beneficiorum adſtringuntur, prout præter citata iura, voluit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* vnde hæc obligatio reſidendi in Abatibus eſt etiam de iure diuino, vt habet vera & communis ſententia Theologorum, Caietani *2-2 qu. 185. art. 5.* Dom. Soti *de iuſtit. & iur. lib. 10. quæſt. 3. art. 1.* Azorij *part. 2. lib. 7. cap. 4. quæſt. 1.* Reginaldi *lib. 30. tract. 3. num. 52.* Nauarri *in Man. cap. 23. num. 121.* & aliorum plurium apud Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſco. part. 3. alleg. 53.* Et hæc ſententia probatur ex Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.* vbi dicitur, *Cùm præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exempio paſcere,* &c. Et eſt rationi conſentanea: nam Chriſtus non mercenarius, ſed propriis Paſtoribus commendauit animas ſuo pretioſo ſanguine redemptas, quando dixit Petro, & in eius perſona omnibus animarum cuſtodibus, *Paſce oues meas*, Ioan. 21. & D. Petrus Epiſt. 1. cap. 5. *Paſcite eum qui in vobis eſt gregem Dei.* Ex quibus locis colligitur Abbates perſonaliter ſuo gregi inſtrui debere, illum præire, pecoris ſui vultum agnoſcere, inuiſere, aſpicere, oues ſuas tanquam veros Paſtores nominatim

Conc. Trid. Caietanus. Sotus. Azorius. Reginald. Nauarrus. Barboſa Conc. Trid.

vocare, eaſque præſentia ſua conſolari, & conſequenter illos de iure diuino ad reſidendum obligari.

10. Ex Conſtitutione Pij Papæ IV. quæ incipit, *In ſupremo militantis Eccleſiæ ſpecula*, publicata die 14. Decembris 1564. habentes Abbatias, vel Prioratus, vel alias huiuſmodi Eccleſias & Monaſteria in commendam, vel perpetuam adminiſtrationem, etiam quoad ſpiritualia, tenentur in eis reſidere: quia habent eandem obligationem, & idem onus, quod haberent, qui in titulum huiuſmodi beneficia & Eccleſias obtinerent. Si tamen Monaſterium non habeat curam animarum ſæcularium, non ſemper Abbas teneretur ad perſonalem in eo reſidentiam: quia ſæcularis habens Monaſterium in commendam, non habet curam Conuentus, nec Monachorum; ſed ea tota eſt penes Priorem Conuentualem, ſeu Vicarium à Superiore conſtitutum: & Commendatarij Abbatiarum curam iuriſdictionalem tantùm, non autem ſacramentalem habentes, nullo Concilij decreto ad reſidendum adſtringuntur, neque ſi non reſideant, pœnis ab eodem Concilio in non reſidentes conſtitutis arctantur: vt à Sacra Congregatione deciſum fuiſſe, refert Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. Allegat. 53. num. 112.*

Sac. Congr. Barboſa.

Aduertendum tamen eſt hic, Abbates & Prælatos regulares non reſidentes in ſuis Eccleſiis & Monaſteriis non ligari pœnis à Concilio Tridentino contra Epiſcopos & Prælatos non reſidentes poſitis, niſi habeant curam animarum ſæcularium per ipſoſmet adminiſtrandam: quia de huiuſmodi cura loquitur Concilium, vt reſpondit Sacra Congregatio Eminentiſſ. Cardinal. teſte Leſſio *de iuſtit. lib. 2. cap. 34. dub. 29. numero 161.* At Regulares Prælatos in adminiſtratione & cura ſuorum ſubditorum regularium, relinquit propriis ſtatutis, & Superiorum Regularium ordinationibus.

S. Congreg. Leſſius.

De cauſis excuſantibus à reſidentia, tum ad breue, tum ad longum tempus, diximus *tom. 1. verb. Reſidentia, num. 5 & ſequentibus.* Quibus addo quando quis ob corporis neceſſitatem impeditur à reſidentia, *cap. 1. § qui vero, de Cleric. non reſident. in 6.* Appellatione corporalis neceſſitatis intelligitur omne iuſtum impedimentum corporale, per quod Prælatus, vel beneficiatus, etiamſi velit, non poſſit ire ad reſidendum, vel ſaltem non ſine periculo læſionis corporis, vel amiſſionis rerum ſuarum, vt notat Tamburinus *de iur. Abbat. tom. 1. diſp. 14. qu. 4. n. 3.* ex Archidiacono & Geminiano.

Tamburin.

11. Abbates & Prælati Conuentuales inferiores non poſſunt condere ſtatuta perpetua, quæ habeant vim & rationem legis. Ratio eſt, quia tota Religio ſe habet tanquam vnum corpus politicum, quod ſeruare debet vnitatem, quo ad fieri poſſit: & ideò regulariter expedit, vt non ſolùm ſubſtantialia regulæ, verum etiam ſtatuta perpetua & leges, ſiue conſtitutiones eædem in tota Religione ſint: propterea hæc poteſtas reperitur in iis, qui publicam iuriſdictionem & poteſtatem in tota Religione habent.

Si dicas, quod Abbates habent iuriſdictionem Epiſcopalem, ſeu quaſi, ergo poterunt ſicut Epiſcopi ſtatuta facere? Reſpondeo, quod non in omnibus Abbates parem habet, aut ſimilem cum Epiſcopo poteſtatem, & ideò quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habere dicuntur: Epiſcopi enim habent per ſe, ac immediatè iuriſdictionem à Summo Pontifice, cui etiam immediatè ſubiecti ſunt: ideoque per ſe iuriſdictionem ad ſtatuta condenda habent. Abbates autem inferiores non immediatè à Papa, ſed vel

à Ge-

Digitized by Google

à Generali, vel à ſua Religione habent iuriſdictionem dependentem tamen à Generali, & ideò non conceditur illis iuriſdictio ſine Generali, vel Religione ad condenda ſtatuta, quia eſt res grauiſſima & quæ concernit totum corpus Religionis.

Suarez. Ita Suarez *tom. 4 de Relig. tractat. 8. lib. 2. cap. 8. num. 4.* Igitur facultas ſtatuta condendi eſt penes Generales cum conſenſu maioris partis Capituli: vnde Generales niſi cum vniuerſali Congregatione eiuſmodi auctoritate non fruuntur. Nam Generalis non eſt ſimpliciter totius Religionis ſupremum tribunal: Capitulum enim Generale ſuperius eſt illo: & ideò regulariter Capitulo hæc poteſtas condendi ſtatuta reſeruatur, quæ meri & mixti imperij iuriſdictio vocatur à Iuriſconſultis, Baldus *in l. 1. ff. de iuſtit. & iur.* & communiter Canoniſtæ *in cap. cùm acceſſiſſent, de conſtitut.* ita quod alter ſine altero ſtatuere nequit. Cum enim Generalis ſit factus caput Capituli, ſine illo geſta firmitatem non obtinent, vt habetur *in cap. Cùm non liceat, de reſcript.* Ratio eſt, quia ſtatutum fieri debet in vtilitatem publicam & totius Religionis bonum: ideò ex conſenſu eorum quorum intereſt condi debet; imò nec ſtatutum vlterius extendetur, niſi hi, quorum intereſt, conſentiant vel ad minus ſint præſentes, ſecundùm Innoc. *in cap. A nobis el 1. de ſent. excomm.* & *cap. Finali, de his, quæ fiunt à Prælatis.*

Baldus.

Innoc.

12. Nullus Prælatus Romano Pontifice inferior, abſque ſpeciali eius auctoritate ſibi tradita, poteſt aliqua ſtatuta condere, quæ ſint contra ius commune, patet per *cap. Quod ſuper his, de maiorit. & obedient.* & ibi Doctores; quia lex ſuperioris per inferiorem tolli nequit, *Clement. ne Romani, de elect.* Quia inferior nullam habet iuriſdictionem contra ſuperiorem. Ex quo fit, quod non ſufficiat generalis licentia ad ſtatuta condenda; ſed requiritur vt Generalis cum Capitulo obtineat ſpecialem facultatem vt derogari poſſit iuri communi; aliàs nullius momenti erunt ſtatuta condita: nam quando Summus Pontifex dat licentiam generalem condendi ſtatuta aliqua in communi, at denique in generali illa confirmat, intelligitur, dummodò ſint licita & honeſta, ac ſacris Canonibus non aduerſentur. Secus dicendum eſſet, ſi ſtatuta contra ius commune ſancita à Capitulo, confirmata eſſent à Summo Pontifice in forma ſpeciali, nempe ex certa ſcientia, tunc illa confirmatio validat Conſtitutionem aliàs inualidam contrariam Canoni. Ratio autem principalis aſſertionis eſt, quia ius Canonicum principaliter intendit hominem dirigere ad Deum, & venit ad bonum publicum Eccleſiaſticum: vnde ſtatutum contrarium editum ab inferioribus præſumitur temerarium & ambitioſum, & fini æterno contrarium. Ita Rodriguez *tom. 1. quæſt. reg. qu. 69. art. 4.* Suarez *lib. 6. de leg. cap. 26.* Portel. *in dub. regular. verb. Statutum, num. 9. & 11.* vide à nobis dicta *to. 1. verb. Priuilegium IV. n 11.*

Sac. Congr. Barboſa.

S. Congr. Leſſius.

Tambur.

Rodriguez. Suarez. Portel.

13. Abbates & Prælati ſæculares exempti habentes iuriſdictionem Epiſcopalem poſſunt ſtatuta condere. Ratio eſt, quia ſe habent tanquam Epiſcopi; & iure ordinario habent in ſuo territorio poteſtatem excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi & ſimilia quæ Epiſcopis competunt.

Facultas autem condendi ſtatuta eſt annexa poteſtati & iuriſdictioni Epiſcopali; cum Epiſcopis liceat ferre leges Eccleſiaſticas; quia habent auctoritatem publicam, iuriſdictionem & vim coactiuam. Ita communiter Canoniſtæ & Summiſtæ, teſte Suarez *de leg. lib. 4. cap. 4.*

Summa.

Idem dicendum eſt de Abbatibus regularibus habentibus territorium & ſubditos ſæculares, in quos iuriſdictionem Epiſcopalem exercent: hi enim, licet quoad Monachos & Religioſos ſibi ſubditos nequeant leges & ſtatuta ferre; tamen reſpectu ſubditorum ſæcularium id poſſunt: hæc enim poteſtas eis competit, quatenus Epiſcopali iuriſdictione potiuntur, & habent ſubditos, in quos illam exerceant; cùm talis poteſtas Epiſcopali, vel quaſi Epiſcopali iuriſdictioni annexa ſit. Nec requiritur ad hoc conſenſus Capituli, vel Synodi Parochorum; quia ſicut Epiſcopis non confertur poteſtas hæc dependenter à Clero, ita nec his Prælatis. De quibus vide Vaſquez *1. 2. diſp. 154. c. 2.* Suarez *de leg. lib. 4. c. 5. num. 2.* Layman *lib. 1 tract 4. c. 7. §. 4. num. 9.* Sanchez *l. b. 5. Moral. cap. 4. num. 64.* Bonacinam *de leg. diſp. 1. q. 2. punct 3 n. 24.*

Vaſquez. Suarez. Layman. Sanchez. Bonacina.

Excipiuntur tamen cauſæ quæ ad Capitulum quoque attinent, vel in eius damnum cedere poſſunt, in his enim etiam cõſenſus Capituli tanquam collegarum, ſeu conſortium in tali cauſa exigitur, vt notant Suarez & alij præcitati Doctores.

14. Abbates olim ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi Monaſterium ſitum erat, deponebantur, vt colligitur ex Concilio Turonen. 11. *cap. 1. §. 7.* nunc autem poſtquam Religiones ab Epiſcoporum imperio ſolutæ ſunt, Abbates & Prælati regulares inferiores, qui ad vitam, vel etiam ad certum tempus creantur, nequeunt intra illud tempus licitè, ſine iuſta & legitima cauſa, & pro ſolo arbitratu à Superioribus ſuo munere priuari. Ex *cap. nullam 18. qu. 2.* & *cap. Monachi de ſtatu Monachorum*, vbi dicitur, *Priores autem cùm in Eccleſiis Conuentualibus per electionem Capitulorum ſuorum canonicè fuerint inſtituti, niſi pro manifeſta & rationabili cauſa non mutentur.* Ratio eſt, quia electus & confirmatus acquirit aliquod ius in Abbatia & Prælatura ad quam electus fuit. Ita Panormit. *in dict cap. num. 8.* & Gloſſa, Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 2. numero 25.* Idem dicendum de prouiſo à Generali, vel aliis Superioribus Religionis Prælatis, ad quos id ſpectat, cùm prouiſio facta ab eo qui habet poteſtatem eligendi ſimul & confirmandi, eodem iure habeat vim electionis & confirmationis: quia priuare Religioſum Abbatia ſine cauſa, eſſet illi pœnam ſine culpa imponere, quod illicitum eſſet.

Concil. Turonen.

In iure autem enumerantur quædam cauſæ, ob quas Abbas ab Abbatia deponi poteſt, quarum *prima* eſt, ſi Abbas eſſet dilapidator bonorum Monaſterij & negligens in eorum adminiſtratione, ex *cap. ſi quis Abbas 18. quæſt. 2. cap. Cùm ad Monaſterium, §. final. de ſtatu Monachorum*, vbi Gloſſa *verb. negligens.* Intellige, quando negligentia eſſet magna & ſupina. Dilapidatio autem bonorum Monaſterij non probaretur ex eo, quòd Monaſterium ære alieno grauatum reperiatur de tempore adminiſtrationis Prælati, de cuius depoſitione agitur, quia poteſt contigiſſe quod illud æs alienum fuerit contractum ex iuſta cauſa.

Secunda cauſa eſt, ſi Abbas incontinenter viueret: nam ſola incontinentia abſque alia delicti qualitate eſt ſufficiens cauſa ad deponendum Abbatem, vt habetur *in cap. Monachi, de ſtatu Monachor. in fine*, ibi, *ſi incontinenter vixerint.*

Tertia cauſa ſufficiens eſt, ſi Abbas inuentus eſſet Regulæ præuaricator, ex *cap. cùm ad Monaſterium, de ſtat. Monachor. §. final.* ibi: *Quod ſi præuaricator ordinis fuerit.* Præuaricator autem dicitur, qui regulam prædicat, & eam non obſeruat, vel qui exterius videtur Religioſus in habitu, intrinſecus autem eſt lupus rapax, vel qui fundit is falſas culpas imponit.

Quarta cauſa remouendi Abbatem à ſua Abbatia, eſt aliqua vrgens ratio maioris boni communis: in hoc enim caſu ſuprem Religionis Prælati ſufficientem habent cauſam faciendi huiuſmodi mutationem, & remouendi Abbates ab eorum muneribus, iuxta *c. Monachi, de ſtatu Monachorum in fine*, vbi dicitur, *aut ſi etiam pro neceſſitate maioris officij de conſilio fratrum fuerint transferendi.*

Quinta cauſa ſufficiens deponendi Abbatem eſt, illiteratura, ſiue ineruditio, ex *cap. Quamuis multa, de etat. & qualit.* toleratur tamen ſi ſciat bene legere & loqui Latinè, vt dicunt Gloſſa & Doctores *in Clement. 1. de conceſſ. prabend.* & Panorm. *in c. cùm in cunctis, num. 4. de elect.*

15. Abbates, Priores, Guardiani, aliique huiuſmodi Prælati poſſunt eorum Prælaturis renunciare; talis tamen renunciatio fieri debet in manibus illius, qui habet poteſtatem inſtituendi & deſtituendi ſimul inuitum iuſtis de cauſis; adeò vt fieri nequeat in manibus illius, qui ius conferendi tantùm habet, inuitum autem deſtituere nequit. Ita Gloſſa *in Clement. 1. de renunciat. in verb. in manibus in Clement. 1. de rerum permutat.* Innocentius *in cap. quod in dubiis, infin.*, & ibi Panormitanus *numero 3. de renunciat.* & alij communiter iuriſperiti. Proinde renunciatio facta in manibus non habentis poteſtatem inſtituendi & deſtituendi, nulla eſt, nullúmque renuncianti præiudicium infert, etiam quoad poſſeſſionem, Rebuff. *de pacifis. poſſeſſ. num. 311.*

Gloſſa. Innocent. Panormit. Rebuffus.

Cauſæ autem legitimæ, ob quas Prælatus ad ſui officij renunciationem admitti poteſt ſine culpa, nonnullæ colligi poſſunt ex *cap. niſi cùm pridem*, & ex *cap. poſt tranſlationem, de renunciationis*, & ibi notatis per Doctores.

Prima cauſa legitima ad cedendum Prælaturæ, eſt conſcientia criminis, quod tale eſſe debet, vt Ordinis executionem poſt peractam pœnitentiam impediat, quæ autem ſint huiuſmodi crimina, vide Panorm. *in d. cap Niſi cùm pridem.*

Panormit.

Secunda cauſa legitima ad dandum licentiam cedendi, eſt quando Abbas, vel Prælatus eſt ſenex & adeò corpore debilis, vt nequeat rectè ſuo muneri ſatisfacere, conſiderata perſonæ qualitate, & conſideratis oneribus Abbatiæ. Et in hoc iudex erit ille ſuperior, in cuius manibus & de cuius licentia renunciatio facienda eſt, *cap. Niſi cum pridem*, §. *alia vero*, Barboſa, *de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 69. n. 32.*

Barboſa.

Tertia cauſa, eſt infirmitas corporis adeo frequens, vt volens renunciare non poſſit rectè ſuum munus exercere. Quis autem ſit dicendus valetudinarius, remittitur arbitrio Iudicis iuxta Menochium *de arbitrar. caſu 60.*

Menoch.

Quarta eſt defectus ſcientiæ. *Quinta* eſt graue ſcandalum, quod aliter ſedari non poſſit. *Sexta* cauſa eſt, quando Prælatus eſt corpore impeditus, ita vt non poſſit præſtare id, ad quod tenetur. De his videndus Tamburinius *tom. 1. de iur. Abbat. diſp. 13. quæſt. 1.*

Tamburin.

16. Abbates & Prælati inferiores exempti Epiſcopalem quaſi iuriſdictionem habentes poſſunt beneficiorum reſignationes recipere. Probatur, quia qui poſſunt deſtituere, poſſunt etiam beneficiorum reſignationes recipere; ſed Abbates & Prælati exempti poſſunt deſtituere; & hoc importat iuriſdictio Epiſcopalis, quam habent. Accedit quod huiuſmodi Abbates & Prælati dicuntur Ordinarij, vt dictum eſt *ſuprà num. 3.* & habent Eccleſias ſibi pleno iure ſubiectas, adeò quòd in illis Epiſcopus ſe intromittere nequit. At habere Eccleſias pleno iure ſubiectas, idem eſt, ac habere in eis poteſtatem inſtituendi & deſtituendi, viſitandi & corrigendi. Sed hoc intelligendum eſt, de reſignatione pura & ſimplici: nam reſignationes conditionales & in fauorem certæ perſonæ coram Ordinario admitti nequeunt, ſed fieri debent coram Papa, niſi vbi contrarium introductum eſt. Ita Cardinal. Pariſ. *conſil. 22. num. 14. volum. 4.* Garzias *de benefic. part. 11. cap. 3. num. 152.* Hieronymus Rodriguez *in compend. reſolut. 1. num. 16.* Similiter Abbates & Prælati Epiſcopo inferiores exempti iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, poſſunt beneficiorum permutationes facere & probare. Quia hæc facultas competit Epiſcopis ratione iuriſdictionis, non verò ratione dignitatis aut Ordinis: & ideò cùm hi Prælati Epiſcopalem iuriſdictionem habeant, non videtur, cur illis deneganda ſit facultas permutationibus beneficiorum auctoritatem interponendi. Ita Bonacina *de ſimonia quæſt. 4. §. 12. numero 7.* Reginaldus *lib. 23. num. 261.* & alij communiter.

Card. Pariſ. Garciaz. Hier. Rodr. Bonacina. Reginald.

Cæteri autem Prælati Epiſcopalem iuriſdictionem non habentes, non poſſunt permutationibus beneficiorum auctoritatem interponere, niſi hanc facultatem præſcriptione acquiſierint, Leſſius *de iuſtit. lib. 2. cap. 34. num. 196.* Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 29. q. 4. in fine*, & alij.

Leſſius. Azorius.

17. Abbatiæ antiquitus ad tempus commendari conſueuerunt, quoad vſque illarum Rector eligeretur. Ratio illas commendandi fuit: tum quia ſæpe Rectorum & Prælatorum electio ob lites & controuerſias eligentium differebatur, ne Monaſteria diu abſque Superiore exiſtentia aliquod paterentur detrimentum, & tunc Summi Pontifices illa ad ſex menſes commendare cœperunt. Tum quia cùm decreſcente Monachorum numero, & propterea Cœnobiis pene deſtitutis, vix idonei regulares, qui ipſis præfici poſſint reperirentur, Romani Pontifices Regulares Eccleſias & Abbatias ſæcularibus Clericis, nullo voto, aut Monaſtica regula adſtrictis, ad tempus in commendâ concedere cœperunt, ne dictæ Eccleſiæ ſine cuſtode remanerent. Proinde modus prouidendi per viam commendationis fuit à Summis Pontificibus introductus, vt qui non eſt habilis ad retinendum beneficium in titulum, ſit habilis ad retinendum illud in commendam; vel vt beneficium cum alio incompatibili poſſit per viam commendæ retinere. Ita Garciaz *de benefic. part. 4. cap. 4. num. 24 & 25.* & alij.

Garciaz.

18. Solus Summus Pontifex poteſt Abbatias in commendam tradere, vt definiuit Leo Papa X. *in Conſtitut. 7. §. 9.* apud Laertium Cherubinum *in Bullario tom. 1.* Ratio eſt, quia poteſtas commendandi regulatur à poteſtate conferendi, argum. *cap. cùm per ſingula, §. prohibemus, de prabend. in 6.* vbi beneficia per Monachos vnius Monaſterij regi conſueta, non poſſunt committi per inferiorem à Papa Monachis alterius Monaſterij, & loquitur ibi textus de quibuſcumque Eccleſiis, vel adminiſtrationibus. Ita Azorius *part. 2. lib. 6. cap. 31. quæſt 15.* Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. part. 3. alleg. 68. num. 16.*

Laert. Cherubinus. Azorius. Barboſa.

Aliæ etiam Eccleſiæ & beneficia non poſſunt commendari in perpetuum, ab alio, quàm à Summo Pontifice ad vtilitatem commendatarij: vnde nec Legatus à latere poteſt iſto modo commendare abſque ſpeciali Papæ facultate. Secus dicendum de commenda temporali, quæ fit in vtilitatem Eccleſiæ, hæc enim non ſolùm ab Epiſcopis, & aliis Prælatis Superioribus fieri poteſt, verum etiam ab aliis Epiſcopo inferioribus habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem; proinde Eccleſia Parochialis

Digitized by Google

ehialis & alia beneficia, quibus ineſt animarum cura, poſſunt ab Epiſcopo ad ſex menſes commendari, Azorius *loco citato*, Garciaz *de benefic. part. 4. cap. 4. num. 13.*

Azorius. Garciaz.

19. Abbatiæ idoneis commendandæ ſunt, vt definitur in Bulla Leonis X. ſupra. Idoneus autem cenſetur ad hunc effectum habens ætatem & alias qualitates legitimas requiſitas ad obtinendum verum beneficium. Et quamuis Monaſteria & dignitates commendari non poſſint Minoribus 25. annis, ex *cap. Nemo deinceps, de elect. in 6.* Hoc tamen procedit in commendis, quæ fiunt per Ordinarios ad ſex menſes in fauorem Eccleſiarum. Secus eſt de commendis noſtri temporis ad vtilitatem commendatariorum, quæ fiunt paſſim etiam Minoribus 25. annorum, vt docet Garciaz *loc. cit. 4. num. 32.*

Card. Paul Garnier. Hieronym.

Garciaz.

20. Abbatiæ duobus modis commendantur, nimirum ad tempus, & in perpetuum. Primus modus commendæ dicitur factus in vtilitatem Eccleſiæ, quando ſcilicet mortuo Abbate committitur Monaſterium ad tempus fidei alicuius veluti depoſitarij & curæ, in quo loco ſe habet ille veluti tutor, curator ſiue cuſtos, non autem vt beneficiarius, vel titularis. Commendare enim nihil aliud eſt, niſi deponere, *l. commendare, ff. de verb. ſignificat.* & *cap. 1. de depoſito.* Secundus modus dicitur in vtilitatem Commendatarij, quando alicui in perpetuum, eius vita durante Abbatia committitur, vt eam gubernet & regat, cum facultate diſponendi de fructibus illius, ſicut verus beneficiatus. Ita Azorius *part. 2. lib. 6. q. 1.* Garciaz *de benefic. part. 4. cap. 4. n. 7.*

Bonacina. Reginald.

Azorius. Garciaz.

Difficultas eſt, inter Iuris Pontificij conſultos, an Commendatarius titulum Eccleſiæ commendatæ habeat? ſed de hac difficultate vide infra *verb. Commendationes Eccleſiarum n. 4.*

21. Non licet Epiſcopo Abbatiam, ſiue ad tempus, ſiue in perpetuum à Summo Pontifice commendatam rurſus commendare. Quia eo ipſo quòd Papa in ea manum apposuit, manet affecta & habetur pro reſeruata, Sediſque Apoſtolicæ poteſtati ſubiecta, ita vt in poſterum nemo abſque eius auctoritate illam poſſit conferre, argum. *c. vt noſtram, de appellat.* Et quia ceſſante commendâ, non inducitur noua vacatio per obitum Commendatarij, ſed beneficium vacat ſemper vt priùs & quodammodo reſurgit prima vacatio, adeò quòd non eſt attendendus menſis in quo Commendatarius obierit. Et hoc dictum ſit ſecundùm praxim Romanæ Eccleſiæ, nam in Gallia, Eccleſia commendata vacare dicitur per mortem Commendatarij, Garciaz *loco cit. cap. 4. n. 64. & 68.* Azorius *p. 2. lib. 6. cap. 31. qu. 5.* & alij. Sed de his plura infra *verb. Commendationes Eccleſiarum*, & apud Tamburinium *tom. 1. de iur. Abbatum, diſp. 4.* apud Azorium *loco citato cap. 31.* & alios hic citatos.

Garciaz. Azorius. Tamburin. Azorius.

22. Abbatialem dignitatem non debet Religioſus expetere, ne incidat in ambitionem, quæ eſt peſtis Religionis, *cap. quorundam, de elect. in 6.* vnde nihil Monacho eſt in hac vita periculoſius, quàm officium vel Prælaturam expetere; nam qui ambitioſè exquirendo tale onus deſiderat, non Religioſus Monachus, ſed mundanus homo eſt appellandus.

Hinc qui ſe ambitioſè ad dignitatem ingerit, eſt ab ea repellendus: ſicut inuitatus renuens eſt promouendus, ita *cap. Sicut ii, 1. q. 6.* cuius textus verba ſunt hæc. *Sicut ii qui inuitatus renuit, quæſitum refugit, ſacris altaribus eſt admouendus: ſic qui vltro ambit, vel importunè ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid aliud agit niſi vt deſcendo deteriora, & aſcendendo exterius, interius in profundum deſcendat?* Et D. Gregorius in epiſt. 126. lib. 7. ait, *Va qui culmen regiminis, non ad officium portandi oneris ſuſcepti, ſed ad appetitum gloriæ & tranſitorij honoris aſſeritur.* Et D. Bernardus ad Epiſcopum London. epiſt. 24. clamat contra hos ambientes. *Curritur ad Eccleſiaſticas curas tanquam ſine curis iam quiſque vilius ſit, cùm ad curas peruenerit. Et qui nondum has curas experti ſunt, videntes alios, qui iam humeros ſubmiſerunt huic ſarcinæ, non ſolùm non gemere, tanquam ſub onere, ſed inſuper appetere plus onerari, non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæca, non vident. Quæ iſta inſania eſt? vbi timor Dei? vbi mortis memoria? vbi gehennæ metus? & terribilis expectatio illa iudicij? Quo aſcendis miſer? vt ab altiori gradu ſit caſus grauior? neque enim paulatim decidis, ſed tanquam fulgur in impetu vehementi, quaſi alter Satanas ſubito deficiens. Non cum tanta alacritate currerent ad honores, ſi eſſe ſentirent & onera, grauari profectò meruerent; nec cum tanto labore & periculo dignitates affectarent; affectant autem, quia ſola attenditur gloria, non pœna.*

D. Bern.

Et idem Sanctus in ſerm. ſup. Cantica loquens contra illos, qui abſque virtute & debitis qualitatibus ſe ingerunt Prælaturis, ait: *Miror audaciam plurimorum, quos videmus de ſuis vineis non colligere niſi ſpinas & tribulos; vinctis tamen Dominicis etiam ſe ingerere non vereri, fures ſunt & latrones, non cuſtodes, nec caſtores.*

Ex his patet, non poſſe, nec debere Religioſos Abbatiam vel alias dignitates & officia Religionis procurare & maximè per externos fauores: quia nihil magis Religioſorum fatùm perturbat, quàm fauorum & ſuffragiorum ſæcularium conquiſitio & procuratio. nam ex his Superiores coguntur, digniores prætermittendo, indignos nonnunquam ad munera & dignitates Religionis aſſumere, in non paruum ipſius Religionis prætudicium. Contra hoc ambitionis peſſimum vitium committentes & procurantes externos fauores, dignitates & officia in Religione, Summi Pontifices varias Bullas ediderunt, quibus præcipitur Superioribus, ne vllum omninò ad dignitates, Prælaturas vel officia Ordinis promoueant ad fauorem cuiuſuis Principis, aut Prælati extra Congregationem: vbi etiam adiicitur variæ pœnæ tranſgreſſoribus. Quas refert Tamburinius *tom. 1. de iur. Abbat. diſp. 10. quæſt. 1. nu. 10. & ſequent.* & pro Ordine Minorum Bullas adduximus *tom. 1. verb. Electio, n. 14. & 15.*

Tamburin.

23. Abbatialis dignitas ex conſuetudine ipſarum Religionum potiùs perpetua eſt, quàm temporalis. Mos enim & conſuetudo Religionum Monaſticarum ferè omnium eſt, vt quem in Abbatem ſemel aſſumpſerunt, nunquam, niſi grauibus de cauſis, Abbatiali dignitate priuent. Ex quo fit Abbatialem dignitatem de iure communi perpetuam eſſe: de iure verò ſpeciali à Summo Pontifice confirmato, in temporalem in multis Religionibus conuerſa eſt: vnde de iure ſpeciali particularium vniuſcuiuſque Religionis Conſtitutionum, aliqua eſt ſuper hoc in Monachorum Congregationibus varietas & diſſimilitudo: nam in aliquibus Generalis perpetuus eſt & ad vitam durat, vt in Congregatione Ciſtercienſium. Similiter reliqui Abbates inferiores eiuſdem Ordinis in Gallia & Belgio. In Italia autem & Hiſpania eiuſdem Ordinis Abbates, tam Prouinciales, ſiue nationales, quàm inferiores, ſiue locales ad tempus creantur, ſicut & in aliis Monachalibus Religionibus: & in hoc modo creandi Abbates ad tempus, eſt etiam inter eaſdem Religiones nonnulla varietas: nam aliquæ ipſarum conſueuerunt per biennium, aliæ per triennium, aliæ per quadriennium Abbates creare, deinde Abbatias ab illis auferre & aliis tradere.

Digitized by Google

24. Varij & diſcordes ſunt Doctores in iudicando, an magis expediat Abbatem & alios Prælatos Religionum eſſe perpetuos, quàm ad tempus? Et quidem pro affirmatiua multa poſſunt adduci. *Primò*, per Prælatorum regularium mutationem, ac temporale gubernium, multum ipſorum auctoritatem eneruari, atque diminui, circa regendos & gubernandos ſibi ſubditos, cùm in ſuis officiis & adminiſtrationibus, ab eorum ſuffragiis dependeant, ipſorúmque gratiam & beneuolentiam mendicare cogantur, vt iterum eligantur. Minuitur præterea eorumdem ſubditorum reuerentia & obedientia, cùm propter hoc iidem minus timeant, quia eiſdem indigent. Quod probari poteſt, ex *cap. viſis 16. quæſt. 2.* vbi continetur illud celebre ac ſolenne dictum, nempe, *Humani eſſe moris illum temere, cuius iudicio, quis nunc erigitur, nunc deprimitur.*

Secundò, ex temporanea præfectura, innumera exoriuntur in Religionibus ſpiritualia vitia, & imprimis truculenta quædam ambitio, quæ Religionis peſtis eſt, ac Religioſorum oculos ſic excæcat; vt quaſi ſuæ profeſſionis immemores, qui contemptis honoribus, abiectis diuitiis, ſpretiſque delicijs, alterius ditioni proprium ſubiugarunt arbitrium, retroaſpicientes ad aratrum manu miſſa, dum præcipitanter ruunt, in litigiorum anfractus, multis cauſarum ſtrepitibus ſemetipſos inuoluunt, vt habetur *in cap. Quorundam, de elect. in 6.* Ex qua ambitione Religioſæ diſciplinæ neruus & rigor relaxatur; dum eligi cupientes plura diſſimulant, vt gratos habeant ſuffragatores, quibus animi gratitudinem declarare cupientes maiora, quàm conuenit, pollicentur.

Tertiò, exoriuntur ſubornationes, ſimulationes, diſſidia, factiones & colluſiones, quæ fraternam pacem & concordiam mirum in modum impediunt ac perturbant, & alia huiuſmodi, quæ latè proſequitur Nauarrus *Commen. 4. de regular. num. 3.* Miranda *in Manual. Prælat tom. 2. quæſt. 6. art. 6.* Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 7. à num. 5.* Ex quibus colligitur magis expedire Prælaturas perpetuas eſſe quàm temporales, non ſolùm, quia ex iſtis incommoda veniunt; verum etiam quia ex perpetua duratione vnius perſonæ in eodem officio vtilitates & commoda ſequuntur: tum quia ex maiori conſuetudine, & quaſi perpetuo vinculo maior affectus generatur; tum quia homo maiori cura ſuſcipit munus, in quo perpetuò eſt duraturus. Tum etiam quia longa experientia valdè confert ad bene & cum prudentia gubernandum. Non ſic autem in temporalibus Prælatis, qui quando incipiunt ſui muneris experientiam habere, tunc deficiunt, nec de rebus perpetuis nimium curant.

Nauarrus. Miranda. Suarez.

His tamen non obſtantibus, non deſunt rationes & coniecturæ, quibus contrarium ſuaderi poſſit. Nam plus mouere debet muratio antiquæ illius conſuetudinis, quàm ipſa antiqua conſuetudo, cùm enim non in vno, aut altero loco, ſed in omnibus ferè Religionibus, etiam iis, in quibus antiquus ac primarius feruor, ac regularis diſciplinæ rigor obſeruatur, hæc mutatio facta ſit, indicat eam non ex priuato errore, aut imperfectione contigiſſe; ſed quia experientiâ rerum magiſtrâ, compertum eſt, tale regimen eſſe magis Religioſo ſtatui accommodatum. Præterea Summi Pontifices ſemper in hanc partem magis inclinarunt, vt Religionum Prælati temporales ſint: ergo eſt ſignum Apoſtolicæ Sedi hunc regendi modum Religioſo ſtatui magis conuenientem videri, vt pluribus firmat Suarez *loco cit. num. 6.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. reg. qu. 16. art. 1.*

Suarez. Rodriguez.

vide Pellizzarium *in Man. reg. tract 9. c. 1. nu. 15. & ſequentibus.* Pellizzarius.

Penes alios ſit in hac re iudicium, quorum prudenti exiſtimationi me remitto; nam res arbitraria eſt, & ſine imprudentia alterutra pars eligi poteſt: dummodo incommoda, quæ in vnaquaque illarum contingere poſſunt, quantùm fieri poſſit, euitentur.

25. Abbatibus exercitium & vſus Pontificalium inſignium competit ex iure priuilegiario, non autem ratione dignitatis. Probatur, quia Prælati Epiſcopis inferiores, regulariter loquendo, his Pontificalibus inſignijs vti non poſſunt, niſi ſpeciali Apoſtolicæ Sedis priuilegio muniti ſint, aut ex conſuetudine, vel præſcriptione longi temporis, cuius non ſit memoria in contrarium illa acquiſiuerint: alàs nulla daretur differentia inter ipſos & Epiſcopos. Tum quia ſic habetur *in c. vt Apoſtolica, de priuil. in 6.* vnde prouenit, vt non omnes Abbates eadem habeant inſignia, ſed alij plura, alij verò pauciora, iuxta tenorem priuilegiorum, & prout à Sede Apoſtolica eis indultum fuerit: ideò, ſi vnumquodque priuilegium percurramus, quo Pontificalia hæc Monachorum, Religionibus conceſſa ſunt, inueniemus aliquibus ſolius Baculi vſum; aliis verò maiora conceſſa fuiſſe.

26. De iure communi vſus Pontificalium denotat exercitium iuriſdictionis in eo loco in quo quis eis vtitur, vt *in cap. Cùm ſis, de auct. & vſu pallij*, vbi probatur, quod Archiepiſcopus in ſua Prouincia tantùm habet vſum Pallij, & inſignium Pontificalium, qui extra illam ei denegatur, vt *in cap. ex tuarum eadem tit.* Sed cùm Abbas circa Pontificalium vſum procedat à pari cum Epiſcopis, & cum omnibus, quibus talis vſus permiſſus eſt, & ſicut Epiſcopis & Archiepiſcopis de iure conceditur talis vſus non ſolùm in Eccleſia Metropolitana & Cathedrali, ſed etiam in qualibet Eccleſia ſuæ Diœceſis, vel Prouinciæ, ita & Abbati etiam in aliis Eccleſijs & beneficijs vnitis eſt permiſſus talis vſus, cùm in ipſis locis etiam habeat iuriſdictionem: vnde cùm militet eadem ratio in Abbate, quæ militat in Epiſcopo, idem ius in eo militare debet, *iuxta l. illud, ff. ad l. Aquiliam & l. à Titio, ff. de verb. oblig.* quia poteſtas exercendi Pontificalia non ſolùm in Eccleſia propria, ſed etiam in aliis ſibi pleno iure ſubiectis competere noſcitur Abbatibus, per text. *c. Abbates, & c. vt Apoſtolica, de priuilegijs in 6.* ac per priuilegia ſpecialia ſuper hoc eis conceſſa à Sede Apoſtolica.

27. Abbati non licet mitram & cætera Pontificalia inſignia deferre præterquam in locis ſuæ iuriſdictionis & dignitatis: quia Archiepiſcopo prohibetur, vt faciat Crucem in aliena Prouincia ante ſe deferre. Item non licet Archiepiſcopo in aliena Prouincia Pallium geſtare, *cap. Ad honorem, cap. Ex tuarum, de auctorit. & vſu Pallij.* Non pateretur enim Rex Diadema Regium ab alio in ſuo regno deferri. Denique conſuetudine Eccleſiæ receptum eſt, vt inferior, accedente Superiore, inſignia ſua deponere debeat, *c. volentes, de offic. Legati. l. final. de offic. Proconſul.* Ita pariter dum adeſt Epiſcopus, Abbas tanquam eius inferior, mitram, aliaque inſignia ſibi ex priuilegio competentia, dimittere debet.

Ex quibus infertur *primò*, minimè licere Abbatibus & aliis Prælatis Epiſcopo inferioribus mitrâ & baculum Paſtoralem geſtare extra proprias Eccleſias, quod probat expreſsè textus *c. vt Apoſtolica, de priuil. in 6.* quatenus expreſsè concedit Abbatibus & aliis Prælatis inferioribus, ſi ſint exempti, in Prouincialibus & Epiſcopalibus Conciliis vti poſſe mitris aurifrigiatis non habentibus laminas aureas, vel argenteas, aut gemmas; in aliis verò locis exem-

Digitized by Google

exemptis & non exemptis, mitris vti licere illis, provt conceſſa eis à Sede Apoſtolica indulta permittunt; ergo ſi talia indulta id non permitterent; minimè liceret eis mitris vti extra ſuas Eccleſias, præterquam in Conciliis Prouincialibus & Synodis Epiſcopalibus, quæ exceptio in aliis firmat regulam in contrarium; idem dicendum de Baculo Paſtorali, vt notat Durandus, *de ritib. Eccleſ. lib. 2. c. 9. nu. 38.*

Durand.

Secundò quando vſus Pontificalium fuit ſimpliciter conceſſus, poteſt Abbas deferre inſignia Pontificalia in Eccleſia exempta, licet priuilegium dicat; vt deferat in ſuo Monaſterio, Barboſa *lib. 1. de iur. Eccleſ. cap. 17. num. 58.*

Barboſa.

Tertiò, Abbates & alij Prælati Epiſcopis inferiores non ſolùm mitræ vſum non poſſunt exercere, & Baculum Paſtoralem geſtare, ſed neque etiam quæcunque Pontificalia exercere extra ſuas Eccleſias. Nomine autem actuum Pontificalium, intelligitur Ordinum Minorum collatio, Eccleſiarum, Altarium, vaſorum & campanarum conſecratio, aut reconciliatio; populi ſolemnis benedictio, cemeterij & ſecundùm quoſdam etiam corporalium, aliorúmque Altaris paramentorum benedictio, vt colligitur ex *Gloſſ. verb. Pontificalibus, in Extrauag. ſuſcepti regiminis, de elect.* & docent Alterius *de cenſur. tom. 2. diſp. 16. de ſuſpenſion. cap. 3.* Layman *in quæſt. Canon. cap. 17. num. 224.*

Gloſſa. Alterius. Layman.

28. Abbates licitè poſſunt in locis ab Ordinariorum iuriſdictione exemptis Pontificalia exercere, ſi ab eorum Prælatis inuitentur. Quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. vlt. de reform.* prohibens Epiſcopis, ne in alterius Diœceſi Pontificalia exerceant, requirit Ordinarij loci licentiam. At Abbates & alij Prælati exempti habent iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem, ſeu Ordinariam, & proinde Ordinarij etiam appellantur. Inuitati igitur Abbates à Prælatis extraneis exemptis, quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus poterunt in eorum Eccleſiis Pontificalia exercere. Proinde Abbas inuitatus ab alio Abbate, vt in ſua Eccleſia Minores Ordines conferat, poteſt illos conferre, ſicut Epiſcopus ab alio Antiſtite inuitatus hoc facere poteſt. Ita Gloſſa *in cap. quoniam, diſt. 69. verb. Monaſterio*, quod probat ex 6. *Lugdunenſis* 9. *qu. 3.* Eandem gloſſam ſecuti ſunt *Hoſtienſis* & *Ioannes Andreas* quos refert & ſequitur Dominic de S. Gemin. *in cap. Abbates, verſ. quid ſi Abbas, de priuileg. in 6.* Mayolus *de irregul. lib. 3. cap. 23. num. 12.* Sayrus *de cenſur. lib. 4. cap. 13. num. 5.* Graffius *part. 2. lib. 1. cap. 10. n. 2.* & alij.

Gloſſa. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Dominicus. Maiolus. Sayrus. Graffius.

29. Abbates benedictionem ſolemnem poſſunt fidelibus intra eorum Eccleſias exiſtentibus poſt Miſſarum ſolemnia, Veſpertinas ac Matutinas Horas elargiri, vt patet ex *cap. Abbates, de priuileg. in 6.* vbi habetur, quòd Abbates, quos Apoſtolica Sedes in exhibitione benedictionis ſuper populum, ſpeciali priuilegio inſignuit, in Eccleſiis, quæ ad eos pertinent pleno iure, quàndo in eis diuina officia celebrant, poſſunt poſt Miſſarum ſolemnia & Veſpertinas, ac Matutinas Laudes benedictionem ſolemnem ſupra populum elargiri. Eccleſiæ autem dicuntur Abbatibus pleno iure ſubiectæ, quæ tam in his, quæ ad ſpiritualium, quàm in his quæ ad temporalium rerum adminiſtrationem pertinent, ſunt in cura & poteſtate ipſorum Abbatum & Monachorum. Ita Gloſſa *in d. cap. Abbates, verb. pleno iure*, & ibi communiter Doctores.

Gloſſa.

Ex priuilegio autem poſſunt Abbates huiuſmodi ſolemnem benedictionem populo dare, non ſolùm in Eccleſiis ſibi pleno iure ſubiectis, verùm etiam in Eccleſiis, quæ ſibi ſubſunt, quamuis non pleno iure. Sic habet indultum Bonifacij Papæ IX. ſub datum Romæ Pontificatus ſui anno 12. apud Tamburinium *de iur. Abbatum, tom. 1. diſput. 21. quæſt. 8.* Imò Abbas celebrans in Eccleſia aliena in Pontificalibus, poteſt vti benedictione Pontificali, cum verbis, *Sit nomen Domini benedictum*, &c. quia illa eſt potius Ordinis quàm iuriſdictionis: nam ſi poteſt in aliena Eccleſia abſque Ordinarij licentia, celebrare, poterit etiam benedictionem Pontificalem dare, cùm ſit acceſſorium & conſequens ad illam celebrationem, per *cap. cui licet, de regul. mixt. in 6.*

Tamburin.

30. De iure communi nequeunt Abbates præſentibus Epiſcopis, vel aliis maioribus Eccleſiæ Prælatis, benedictionem ſolemnem populo elargiri, *cap. miniſtrare 16. qu. 6.* quia minor non debet maiorem benedicere, ex *cap. Denique, diſtinct. 11.* Iuri etiam communi conſona ſunt quamplurima priuilegia per Sedem Apoſtolicam Abbatibus conceſſa, vt poſſint ſolemniter in Eccleſiis ſibi pleno iure ſubiectis populum benedicere, & in his addita eſt clauſula, *Dummodò in benedictione huiuſmodi aliquis Antiſtes, vel Sedis Apoſtolicæ Legatus præſens non fuerit, vel ſi præſens fuerit, eius ad hoc accedat conſenſus.* Ita habetur in priuilegio Vrbani VIII. ſub Dat. Romæ anno 1624. 17. Iulij Abbati Cyſonienſi in Belgio conceſſo.

Vide v. Baptiſmus 4 *num. 13.* Benedictio *num. 6. 9. 10. & ſequent.* Beneficium 3. *numer. 7.* Beneficium 5. *numer. 13.* Beneficium 4. *numer. 11.* Dignitas *numer. 7.* Excommunicatio 1. *numer. 7.* Fides 2. *numer. 9.* Nouitius *numer. 21.* Votum 2. *numer. 11.*

ABBATISSA.

SVMMARIVM

1 *Conditiones & qualitates eligenda in Abbatiſſam, iuxta Concilium Cabilonenſe 11. can. 52. & ex lib. 2. Concilij Aquiſgranenſis can. 7.*

2 *Qualitates requiſita ex Concilio Tridentino.*

3 *Circa ætatem eligenda in Abbatiſſam varia decreta diuerſis temporibus emanarunt.*
In ætate requiſita ex Concilio Trident. non poteſt Epiſcopus vel alius Superior diſpenſare.

4 *Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, &c. electio ſpectat ad Monaſterium, ſiu Conuentum.*

5 *Vt Abbatiſſæ electio ſit Canonica, debet fieri per vota ſecreta, aliàs eſt irrita: & in hoc non poteſt Epiſcopus diſpenſare.*

6 *Iure antiquo Moniales, quæ ad minus 12. ætatis annum attingebant, vocem actiuam habebant in electione Abbatiſſarum: hodie per Tridentinum requiritur ætas 16. annorum completorum: quamuis maior ætas in aliquibus Religionibus ſecundùm earum ſtatuta requiratur.*

7 *In iure lata eſt excommunicatio contra eos, qui vocati ad dirigendas Moniales in electionibus, non abſtinent ſe ab iis, ex quibus diſcordia oriri, vel exorta nutriri poſſunt circa electiones.*

8 *Electionem Abbatiſſæ vel Prioriſſæ Monialis vnanimi conſenſu poſſunt compromittere in Epiſcopum vel alium Prælatum.*

9 *Moniales deſcendentes ex maculato genere, poſſunt eligi & præfici in Abbatiſſas.*

10 *Veriùs*

10 *Verius eſt Monialem bigamam poſſe eligi in Abbatiſſam.*

11 *Monialis infamis non poteſt eligi in Abbatiſſam.*

12 *Monialis, quæ per vim aliquam virginem tuitam ſcienter admiſerit, &c. incurrit excommunicationem ipſo facto, & ſit inhabilis ad officium Abbatiſſatus.*

Inobſervantia propriæ regulæ reddit indignam Monialem, vt in Abbatiſſam eligatur.

13 *Abbatiſſa electa debet confirmationem accipere à ſuo Superiore.*

14 *Abbatiſſa electa & nondum confirmata, nullam habet auctoritatem: in aliquibus tamen caſibus ante confirmationem permiſſa eſt illi adminiſtratio.*

15 *Abbatiſſa in Italia per triennium tantùm in ſuo officio durare poſſunt.*

16 *Prima fundatrix alicuius Conuentus S. Clarę poteſt continuare in officio Abbatiſſatus per viginti annos.*

Extra Italiam Abbatiſſę præter Clariſsas poſſunt ſinito triennio reeligi & continuari.

17 *Abbatiſſa completo triennio ſui officij poteſt ad breue tempus in præſidentem Monaſterij aſſumi, donec Abbatiſſa eligatur.*

18 *Abbatiſſa non eſt verè Prælata.*

19 *Abbatiſſa deligari non poteſt poteſtas ferendi leges ſpirituales & Eccleſiaſticas.*

20 *Summus Pontifex deligare poteſt ſpiritualem poteſtatem Abbatiſſę, aliiſque fœminis ad ferendas leges, etiam quæ à iure diuino emanant.*

21 *Abbatiſſa ratione dignitatis poteſt habere beneficiorum collationem, ſicut & quæuis fœmina.*

22 *Abbatiſſa habet liberam bonorum ſui Monaſterij adminiſtrationem, ſicuti Abbas.*

23 *Abbatiſſa cum maiori parte Monialium, nouitiam profiteri cupientem, ad profeſſionem admittere debet.*

Profeſſio Monialium fieri ſolet coram Epiſcopo vel alio ab ipſo facultatem habente: in Monaſteriis exemptis regularibus ſubditis fit coram Superiore.

An ſolus Abbatiſſa ſit nouitium ad profeſſionem admittere, vel totus Conuentus? refertur duplex ſententia.

24 *Abbatiſſa ſeu Prioriſſa Canoniſſarum tenentur aliæ Canoniſſæ obtemperare & reuerentiam impendere.*

25 *Abbatiſſa eandem licentiam largiendi concedere poteſt ſuis Monialibus, quam poteſt Abbas ſuis Monachis.*

1. ANte omnia in Moniali, vt Abbatiſſa eligatur, deſiderantur conditiones & qualitates, quæ in Concilio Cabilonenſi 11. Canon. 52. ſub his verbis referuntur. *Puellarum Monaſteriis tales præeſſe debent fœmina & Abbatiſſa creari, quæ & ſe, & ſubditum gregem cum magna Religione & ſanctitate norint cuſtodire, & his quibus præſunt, prodeſſe non deſinant; ſed & ſe & illas ita obſeruent, vipote vaſa ſancta in miniſterio Domini præparata, talem enim ſe debet Abbatiſſa ſubditis exhibere in habitu, in veſte, in omni conuictu, vt eas ad cœleſtia regna pergentibus, ducatum præbeat, ſciat etiam ſe pro his, quas in regimine accepit, in conſpectu Domini rationem reddi turam.* Proinde S. Cæſarius in epiſtola ad Oratoriam Abbatiſſam, vt refertur *lib.* 2. *Conc. Aquiſgranenſis can.* 7. docet, quales eſſe debeant ductrices animarum.

Concil. Cabilonen.

D. Cæſar.

Audi ergo me, dulciſſima ſoror & filia. Curandum tibi ſummopere eſt, vt ſi temporalia, quali pro tempore agas; at ſemper tenaciùs in ſpirituali deuotione & amore inhæreas: vt cùm temporalia citiùs diſpenſaueris, ad orationem illicò, vel lectionem, quaſi ad matris ſinum recurras. Cùm verò ad annunciandum Verbum Dei te ſororibus affectaueris, priùs cautâ conſideratione penſa, vt quod ore promis, factis impleas, & quod aliis prædicas, operibus præbeas. Prior in Eccleſia inueniaris, poſtrema exeas. Par ſis in communi cibo, cum quibus pari veteris menſa conſeſſu. Abſtinentiam, quam lingua prædicat, proximę tauces, vel vicinus ſtomachus ſentiat; ne forſitan ſubditę audiętes, tacitis cogitationibus dicant. O quàm pulchrè nobis abſtinentiam prædicat plenus venter! Et in omnibus his, cæteriſque hoc tibi noueris conuenire, vt anguſti callis itinera, per quæ ſocias admones gradiendum, prior ipſa gradiaris, &c.

His ergo ſuppoſitis & tanquam fundamentis veræ Prælationis præiactis, ad alias conditiones deueniamus. Conc. Trid.

2. Ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 7. Abbatiſſa debet eſſe profeſſa expreſsè, non verò tacitè illius Monaſterij, cui præficitur, & quæ per aliquot annorum ſpatium ibi laudabiliter vixerit; ſecus autem dicendum eſt de Moniali ad hoc vt poſſit eligere, quia tunc ſufficit profeſſio tacita. Ita Geminianus *in cap. nullus, de elect. in* 6. Suarez *de Relig. tom.* 4. *tra.* 8 *lib.* 2. *cap.* 4. & alij. Geminian. Suarez.

3. Circa ætatem eligendæ in Abbatiſſam varia decreta, diuerſis temporibus emanarunt. Leo enim primus *in cap. nemo* 78. *diſt.* 40. annos poſtulat in tali electione. Gregorius Papa primus ſexaginta *in cap. Inuenculas* 20. *quæſt.* 1. Innocentius quartus triginta completos *in cap. Indemnitatibus, de elect. in* 6.

Iure autem nouo Tridentini *loco citato*, Abbatiſſa non debet eligi *minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præeſt, videatur; ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerunt, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem vellè vixerunt, Epiſcopo, vel Superiore conſentiente eligatur.* Conc. Trid.

In hac ætate non poteſt Epiſcopus, vel alius Superior diſpenſare, ſecundùm omnes: quare ſi Abbatiſſa, quæ 40. annorum ætatem non attingit, eligatur, & in Monaſterio non deſint aliæ Moniales quadragenariæ & habiles, licet non adeò idoneæ, ſicut Abbatiſſa electa, tunc talis electio nulla erit, vt declarauit S. Congregatio 16. Maij 1623. teſte Barboſa *de iur. Eccleſ lib.* 1. *cap.* 45. *num.* 19. Quia in dicto Concilio datur forma, & vbi verba dant formam, ſi actus fiat non ſeruata illa forma, actus eſt ipſo iure nullus, vide Mirandam *tract. de fauor. Monial. qu.* 6. *art.* 4. Azorium *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *quæſt.* 9. Sigiſmundum à Bononia *de elect. dub.* 61. *num.* 6. Quibus addo Pellizzarium *in Man. reg. tract* 10. *cap.* 10. *n.* 90. Barboſa. Miranda. Azorius. Sigiſmund. à Bonon. Pellizzarius.

4. Abbatiſſarum omnium, ac Prioriſſarum, cæterarumque Monialium Præfectarum electio, de iure communi, ad Conuentum ſpectat, ex *cap. Indemnitatibus, de elect. in* 6. Quia ratio ſuadet vt ipſum Monaſterium, ſeu Conuentus in Superiore ſibi eligenda conſentiat; vt & ipſa electa à ſuis ſubditis publicum habeat ſuæ ſufficientiæ & dignitatis teſtimonium; & ita cum maiori amore & fiducia à toto Monaſterio ſuſcipiatur. Ita communiter Doctores.

5. Vt Abbatiſſæ electio Canonica cenſeatur, debet fieri per vota ſecreta, prout ſtatuit Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 6. vnde ſi electio Abbatiſſæ Conc. Trid.

tiſſæ non fiat per vota ſecreta ex ignorantia dicti Concilij non valet, nec Epiſcopus poteſt diſpenſare vt valeat, ſicut decreuit Sacra Congregatio, vt refert Riccius *in deciſ. cur. Archiepiſ. Neap. olim. p. 4. deciſ. 197. num. 7.* Dicetur autem ſecreta & bona electio, quamuis vota, ſeu ſuffragia voce exprimantur, ſi ſecretò audiantur, vt docent Emán. Rodrig. *tom 3. Summ. in addit. c. 3. num. 12* & Hieron. Rodrig. *in compend. reſol. 2. num. 22.* vnde S. Congreg. Cardin. decreuit in electione Abbatiſſarum poſſe Epiſcopum cum ſuo Vicario, ſeu Secretario, vel alio abipſo aſſumpto, vota ſingularum Monialium oretenus expreſſa, audire, vt refert Garciaz *de benefic. part. 5. cap. 4. num. 190* Non tamen poterit Superior in caſu diſcordiæ inter Moniales, dare votum in electione: ex Sacra Congreg. Cardin. 23. Maij 1621. relata per Caſtellinum.

Riccius.

Emanuel Rodriguez. Hier. Rodr. Sac. Congr.

Garciaz.

Notandum tamen eſt; quòd electio Abbatiſſarum S. Claræ per ſcedulas & vota ſecreta celebranda ſit, & ſecus facta omninò irrita ſit, ex præcepto Sixti V. vt refert Hieron. Rodrig *loco cit. n. 22.*

Conc. Trid.

Hier. Rodr.

6. Quamuis de iure communi antiquo illæ ſolæ Moniales habeant vocem actiuam in electione Abbatiſſarum, quæ ad minus duodecimum ætatis annum attingunt, & ſunt velatæ, tacitè vel expreſsè profeſſæ, *c. Indemnitatibus, de elect. in 6.* Hodie tamen per Concil. Trid *ſeſſ. 25. de regul. c. 15.* correctum eſt hoc ius in hoc, quòd Monialis poſt ſexdecim annos completos & non prius profeſſionem emittat. Si verò Monialis 16. annos excellerit & perſeuerauerit per annum in Religione, & non emiſerit profeſſionem expreſſam, cùm iam cenſeatur tacitè profeſſa, ex *cap. perſuloſo, de ſtatu regul.* tunc poterit darę votum: quia Concilium Trident. non derogauit iuri antiquo.

Conc. Trid.

Geminian. Suarez.

In ſtatutis generalibus Franciſcanis Romæ editis anno 1612. prohibetur ne ſuffragium dare poſſit Monialis in electione Abbatiſſæ, niſi quæ habuerit quatuor annos profeſſionis, Portel. *in dub. regul. verb. Abbatiſſa, num. 5.*

Portel.

Et in Ordine Prædicatorum Moniales non habent vocem actiuam in electione Prioriſſæ, niſi poſt annos 12. à profeſſione, Caſtellinus *de elect. c. 17. n. 15.*

Caſtellin.

7. *In c. Indemnitatibus, de el. &. in 6.* habetur excommunicatio contra eos, qui vocati ad dirigendas Moniales in electionibus, non abſtinent ſe ab iis, ex quibus diſcordię oriri vel exortę nutriri poſſunt circa electiones; ſiue vocati ſint Religioſi, aut Clerici, ſiue laici, aut fœminæ. Hac tamen cenſura non ligatur ille, qui intereſt electioni præfatæ, & non fuit vocatus ad dirigendas Moniales, Bonacina *tom. 3. de cenſur. diſp. 2. qu. 2. punct. 5. num. 4* Sayrus *de cenſur. lib. 3. c. 37.* Item, hæc excommunicatio non habet locum in electionibus, quæ fiunt in Congregationibus fœminarum, quæ non ſunt verè Religioſæ, licet in communi viuant. Ita Filliucius *tract. 14 cap. 14. quæſt. 5. num. 57.*

Bonacina. Sayrus. Filliucius.

8. Moniales vnanimi conſenſu poſſunt compromittere electionem Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ in Epiſcopum, vel alium Prælatum, patet ex *c. cauſam, de elect.* Et ex Panormitano *ibidem.* Quod ſi Epiſcopo data ſit poteſtas à Monialibus eligendi Abbatiſſam, non poterit Epiſcopus, ſi elegerit malam, aliam eligere, quia functus eſt officio ſuo, ſiue malè, ſiue bene *cap. in cauſis, cap. Innotuit, de elect.*

9. Quamuis deſcendentes ex maculato genere in multis Religionibus excludantur à Prælaturis & dignitatibus, vt in Ordine Minorum ex Conſtitutionibus Summorum Pontificum Pauli IV. Clementis VII. & aliorum; & in Ordine Fratrum Ordinis ſancti Hieronymi ex Conſtitutione Alexandri VI. tales tamen Conſtitutiones non ſibi locum vendicant in Monialibus; vnde ex hac parte, cætera ſi adſint, nihil obſtat quominus Moniales deſcendentes ex maculato genere eligi & præfici poſſint in Abbatiſſas. Ratio, quia in dictis Conſtitutionibus nulla mentio fit de fœminis, ſed tantùm de maſculis: lex autem quæ loquitur de viris, in odioſis non extenditur ad fœminas, vt tenet communis ſchola iuriſperitorum, ac proinde Bullæ Pontificiæ loquentes de fratribus Religioſis non debent extendi ad fœminas Moniales. Ita Miranda *de fact Monial. qu. 6. a. 2.* Imò Hieronymus Rodriguez *in compend. reſolut. 2 num 8.* addit, quòd Moniales deſcendentes ex maculato genere, etiam pœna combuſtionis olim punito, eligi poſſunt in Abbatiſſas. Idem docet Emanuel Rodriguez *tom. 1. quæſt. reg. qu. 14. art. 13.* Ratio eſt, quia Abbatiſſatus & Prioriſſatus nō ſunt prælationes habentes iuriſdictionem ordinariam, ſicut ſunt officia Generalatus, Commiſſariatus, Prouincialatus, quæ in dictis Conſtitutionibus Pauli Quarti & Clementis Septimi denegantur deſcendentibus ex maculato genere. Ita etiam Miranda *loco citato.*

Miranda. Hier. Rodr. Eman. Rodriguez. Miranda.

10. Quidam Doctores negant Monialem Bigamam eligi poſſe in Abbatiſſam; quia ſicut viri Bigami ſunt Prælationum incapaces, ita & mulieres Bigamæ. Quid autem intelligatur nomine Bigamæ, dicendum eſt quod intelligitur mulier, quæ etiam poſt caſtitatis votum præuaricata eſt, quatenus ſermo ſit de muliere tranſeunte ad nuptias poſt ſolemne votum caſtitatis. Ita Sanchez *lib. 6 Moral. cap. 1. num. 23.* Mayolus *lib. 1. de irregul. cap. 29.* Viualdus *in candelab. part. 3. cap. 5. num. 8. in 2. edit.* Ab hac tamen ſententia meritò recedit Hieronymus Rodrigúez *reſolut. 2. num. 23.* quia lex pœnalis loquens de viris, non extenditur ad fœminas *cap Generali, de elect. in 6.* Tum quia Bigamiæ irregularitas eſt indicta à iure ad arcendos Bigamos à ſuſceptione Ordinum ſacrorum primò & directè; vnde ex vi huius prohibitionis illi indirectè tantùm incapaces videntur prælationum & dignitatum, quatenus ſcilicet illis eſt annexa iuriſdictio & poteſtas clauium. Cùm ergo fœminæ ſint incapaces ſacrorum Ordinum, conſequenter fiunt incapaces Bigamiæ & huiuſmodi inhabilitatis, ac proinde illis non videtur repugnare habere officium Abbatiſſatus, quatenus eſt adminiſtratio quædam ſine iuriſdictione ſpirituali, & ſine poteſtate clauium, quæ adminiſtratio earum ſtatui non repugnat, idque abſque diſpenſatione fieri poſſe conſequenter eſt dicendum. Ita ille Verum quidquid ſit, in hac re obſeruandum eſt quod habet legitima conſuetudo.

Sayrus. Sanchez. Mayolus. Viualdus. Hier. Rodr.

11. Monialis infamis non poteſt eligi in Abbatiſſam, ſiue infamia ſit iuris, ſiue facti: quia infames non poſſunt eligi ad dignitates & honores: nam neutra infamia per profeſſionem deletur, ſicut docent Nauarrus *Comment. 2. de regular. num. 60.* Sanchez *lib 5 Moral cap 5 n 24.* & alij.

Nauarrus. Sanchez.

12. Monialis, quæ per vim virginem aliquam, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam ad Religionem admiſerit, vel auctoritatem præſtiterit cogenti, vel auxilium, præſentiam, ſiue conſenſum, conſilium, vel fauorem, incurrit excommunicationem ipſo facto, & conſequenter ſit inhabilis ad officium Abbatiſſatus, ſi ſcienter hæc præſtiterit. Hæc tamen cenſura non habet locum in coactione à iure permiſſa: puta quando mulier cogitur, vt in pœnam ſuorum criminum Monialis fiat, ex *c. Impud cas 27 qu. 1.* Ita Mayolus *de irregul. lib. 1. cap. 29. nu. 20* quod probat ex Concil. Trident, *ſeſſ. 25. cap. 18. de regular.*

Mayolus.

Deni-

Denique inobſeruatio propriæ regulæ indignam, reddit Monialem, vt in Abbatiſſam eligatur, ſicut & tranſgreſſio Conſtitutionum Monaſterij, quòd ſi fortaſſe electa eſſet Monialis inobſeruatrix regulæ & Conſtitutionum, tunc tenetur illas obſeruare, & ſi contrà fecerit ſcienter, contumax efficitur, ex *cap. ſi quis Abbas*, 18. *qu.* 2. Imò Abbatiſſa electa impediri poteſt, vt non permaneat, ſi ſit ſuperba, indiſcreta, non caſta, inmiſericors, non ſobria; propter enim huiuſmodi crimina deponi poteſt, ex *dict. cap. ſi quis Abbas*, & licet ibi ſermo ſit de Abbate, tamen idem dicendum eſt de Abbatiſſa, ex eodem Mayolo *loco citato num.* 21.

13. Abbatiſſa electa debet confirmationem accipere, nam *in Clement. Attendentes, de ſtatu Monachor.* videtur tanquam certum poni, eam confirmari ſolitam, cùm dicitur, Abbatiſſam benedici debere intra annum à ſuæ confirmationis tempore computandum. Debet ergo Abbatiſſa confirmari ab Ordinario loci, ſi Monaſterium illi ſubdatur; ſi verò immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubiiciatur, confirmatio à Summo Pontifice per Procuratorem, vel ab illius Prouinciæ Legato, peti debet. Electio verò Abbatiſſæ Monaſterij regularibus ſubiecti, à ſuo Prælato Regulari confirmanda eſt; nam per confirmationem iuriſdictio confertur, ergo exempta ab Epiſcopo confirmari nequit. Ita Miranda *tom.* 2. *qu.* 25. *art.* 32. *concl.* 2. Azorius *part* 2. *lib* 6. *cap.* 16. *qu.* 7. Nulla determinatur Confirmationis forma, ſufficit enim quòd confirmatio fiat per quodcumque dictum, vel factum, aut ſcriptum, quo Prælatus declaret ſuam voluntatem. Debebit tamen Prælatus Monialium confirmationem facere, non in Camera, ſed in Eccleſia, & in loco, vbi habita fuit & publicata electio. Vnde extra ſuam Diœceſim, aut iuriſdictionem confirmare nequaquam poteſt, ex *cap. quia fronte de appellat.*

Miranda. Azorius.

14. Abbatiſſa Canonicè electa & nondum confirmata nullam habet auctoritatem, & ideo ab exercitio omnino abſtinebit, ex *cap. noſti, cap. qualiter, de elect. & cap. ad audita, de elect. in* 6. & communiter Doctores, quia electio dat habitum, confirmatio exercitium, niſi iuſta & rationabilis cauſa ſubſit illam non confirmandi, quod ſi ſuperior noluerit eam confirmare, aliamque eligens, coegerit Moniales per metum, vt mutent ſuffragia, grauiter peccabit & poſterior electio erit irrita, ex Hieron. Rodriguez *in compend. reſolut.* 2. *num.* 11. ac per conſequens Abbatiſſa ante confirmationem prohibetur ſuum officium adminiſtrare; vnde quidquid interim ante confirmationem ab Abbatiſſa ageretur, irritum eſſet. In aliquibus tamen caſibus ante confirmationem permiſſa eſt adminiſtratio, *Primò*, ſi à confirmante tam longè diſtat, vt non ſine periculo differri poſſit adminiſtratio, tunc enim poterit adminiſtrare ante confirmationem, ex *cap. nihil, §. finali, de elect. Secundò*, in conſeruatione rerum quæ tempore conſeruari non poſſunt, licet cautius agat abſtinendo, ſi aliæ Moniales poſſint adminiſtrare. *Tertiò*, ſi à maiori parte electa eſt, & pendet cognitio obiectorum contra ipſam, tunc impunè poteſt adminiſtrare, ex *cap. indemnitatibus de elect. in 6. verſ. ſi vero. Quartò*, quando per compromiſſum eſt electa ſi opponentes non fuerint duplo maiori numero quam conſentientes.

15. Nullæ Abbatiſſæ, aliæve Præfectæ Monaſteriorum Monialium in vniuerſa Italia & præſertim in vtriuſque regni Siciliæ exiſtentium vltra triennium in ſuo officio & miniſterio durare poſſunt, vt patet ex Bulla Gregorij XIII. *Expoſcit debitum Paſtoralis officij.* Et triennio finito tenentur renunciare ſub pœna excommunicationis. Ex qua Conſtitutione colligitur *primò*, Abbatiſſam eligendam eſſe per triennium tantum, non autem ad vitam, aliàs electio nullius roboris erit, vt tenent Nauarrus *conſil.* 3. *de regul.* & Nouarius *in Summ. Bullarij verb Abbatiſſa num.* 1.

Nauarrus. Nouarius.

Colligitur *Secundò*, ſi Abbatiſſa fuerit electa contra formam dictæ conſtitutionis & vltra triennium, non poterit exercere officium Abbatiſſatus, nec etiam per triennium. Ratio eſt, quia Conſtitutio Pontificia dat formam electionis, propter quam redditur actus induiduus & ſic ſequeretur regula vtile per inutile vitiari, *cap. non debet, de regul. iuris in* 6.

Colligitur *Tertiò*, quod ſi Abbatiſſa electa fuerit ad beneplacitum Monialium, non cenſetur bene electa, quia Officiales non poſſunt eligi ad beneplacitum, aliàs dicerentur perpetui, quæ perpetuitas ab hac Bulla reprobatur. Non tamen prohibetur, quin ſingulis annis mutari poſſint Abbatiſſæ, ſicut declarauit Sacra Congregatio Cardinalium *in vna Arminen.* 18. *Nouemb.* 1595.

Abbatiſſæ S. Claræ ex Bulla Nicolai V. quæ incipit, *Digna reddimur attentione ſolicit.* Nonis Martij anni 1447. in partibus Italiæ poterant tantum durare per annum, quod confirmatum fuit à Leone X. vt habetur *in compend. verb. Abbatiſſa, §.* 9. vbi ſtatuit & mandauit vt dum annis ſingulis Abbatiſſæ & illorum Monaſteria à Prouincialibus, ſiue viſitatoribus circa ipſarum officium viſitantur, Abbatiſſæ, iuxta Vrbani IV. Conſtitutionem in regula, abſolutionem ſui Miniſterij & Officij à dictis Viſitatoribus petere teneantur, & quod ſi iiſdem Viſitatoribus videbitur, & ipſa neceſſitas, ac Monaſterij exegerit reformatio, acceptare illam cum effectu debeant, & quod huiuſmodi Abbatiſſa officium in ipſius viſitatoris manibus dimittere teneatur, ita quod mera & libera eidem viſitatori remaneat facultas eiſdem ſororibus, ſeu Monialibus ſub excommunicationis ſententia, & aliis ſibi viſis ſententiis, cenſuris & pœnis, præcipiendi, vt circa alterius Abbatiſſæ electionem intendere debeant.

Nicol. V.

Alia eſt Bulla, ſeu Conſtitutio Sixti V. quæ incipit, *Et communis cura Paſtoralis*, edita 27. Iulij 1587. quæ prohibet ſimiliter Abbatiſſis Ordini Minorum ſubiectis, vt vltra triennium in Officio Abbatiſſatus non perdurent, & per aliud triennium debere vacare. In ordine verò Prædicatorum per quatuor annos ad minus, niſi eſſet Monaſterium nouum, vel nouiter reformatum. Sed in Portugalia Abbatiſſæ S. Claræ præſertim in Prouincia Algarbiarum non poſſunt reeligi intra triennium, ex ſpeciali Conſtit. Pauli V. vt refert Portel, *verb. Abbatiſſa num.* 4.

Sixtus V.

Paulus V. Portell.

16. Conſtitutiones præfatæ Sixti V. & Gregorij XIII. prohibentes Abbatiſſas perpetuas, non habent locum in illis, quæ fiunt per præſentationem & inſtitutionem, quia talis inſtitutio & confirmatio eſt perpetua, vnde Portel. *loc. cit. num.* 10. ſubdit primam fundatricem alicuius Conuentus S. Claræ poſſe continuare in officio Abbatiſſæ per 20. annos in vim ſtatutorum eiuſdem Ordinis imò reſoluit Hieronym. Rodriguez *in compend. reſolut.* 2. *num.* 7. poſt expletos 20. annos Abbatiſſatus, poſſe præfatam fundatricem iterum eligi in Abbatiſſam.

Hier. Rodr.

Notandum tamen quòd omnes Abbatiſſæ præter Clariſſas extra Italiam, poſſunt finito triennio reeligi & continuari, vt docent Eman. Rodriguez *tom.* 1. *qq. reg. qu.* 16. *art.* 1. & 3. & eius compendiator Hieronymus *reſol.* 2. *num.* 6.

Emanuel Rodriguez.

Digitized by Google

17. Abbatiſſa completo triennio ſui officij poteſt ad breue tempus in præſidentem Monaſterij aſſumi, donec Abbatiſſa eligatur. Probat hoc Miranda *de Monial. qu. 7. art. 9. concl. 2.* hoc pertinere ad bonum regimen Monaſterij, vt ſcilicet, pro paruo tempore eadem Abbatiſſa, non verò alia Monialis Præſidens conſtituatur ad euitanda innumera mala, damna atque incommoda, quæ ex contrario facto, vt plurimum oriuntur, aut ſaltem poſſent euenire. In Bulla enim Sixti V. prędicta prohibentur tantummodo Abbatiſſæ ſubiectæ Ordini Minorum expleto triennio, habere in dictis Monaſteriis aliud Officium, quocumque nomine nuncupetur per triennium, ſicut eſt Officium Vicariæ, ſeu alicuius ſimilis, hoc enim eſt in Officiis perpetuari: non vero Abbatiſſam eſſe Præſidentem finito ſuo Abbatiſſatu pro paruo tempore, donec alia eligatur Abbatiſſa. Miranda.

18. Iuriſdictio ſpiritualis & poteſtas Eccleſiaſtica clauium dignitati Prælatitiæ annexa eſt, ex qua poſtea emanat ordinaria iuriſdictio, qua cùm careat Abbatiſſa (vt diximus *tom. 1. verb. Abbatiſſa, num. 3.* cum Doctoribus ibi citatis) nec erit verè Prælata, nec habebit iuriſdictionem ad inſtar Prælatorum etiamſi habeat poteſtatem quandam maternam, domeſticam & ciuilem, qualem habet mater familias in filios, & Magiſtratus in ciues, ac proinde poſſit ſuis Monialibus præcipere, & eius præcepta obligabunt illas iuxta qualitatem rei; quæ ſi ſit grauis, obligabit ſub mortali, ſi ſit leuis, ſub veniali; talis tamen poteſtas domeſtica præcipiendi non conſtituit in proprio eſſe Prælaturæ Abbatiſſam. Dicitur, *in proprio eſſe*; quia ſub latiori ſignificatione, & impropriè poteſt appellari Prælata in virtute dictæ poteſtatis domeſticæ, non verò iuriſdictionis ſpiritualis, vel poteſtatis Ordinis, quę propriè & formaliter veram prælaturam inſtituunt.

19. Poteſtas ferendi leges ſpirituales & Eccleſiaſticas Abbatiſſæ delegari non poteſt: quia talis poteſtas à iure diuino orta, ordinatur ad gubernationem populi & directionem in finem ſpiritualem: directio autem huiuſmodi interdicta eſt ipſo iure mulieribus 1. *Corinth. 14.* per illa verba: *Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe.* Et in epiſt. 1. ad Timoth. 2. *Mulier in ſilentio diſcat, cum omni ſubiectione, docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio.* Probatur etiam ex *cap. Mulier diſtinct. 23.* in quo ſancitum eſt, ne mulier, quamuis docta & ſancta viros in Conuentu docere præſumat.

20. Summus Pontifex delegare poteſt ſpiritualem poteſtatem Abbatiſſis, aliiſque fœminis ad ferendas leges, etiam quæ à iure diuino emanant, quod probatur ex *cap. Dilecta, de maiorit. & obedient.* vbi Honorius III. videtur definire Abbatiſſam habere ſpiritualem hanc iuriſdictionem præcipiendi & leges in Clericos condendi, eoſque puniendi, propter inobedientiam & eorum culpas; talis autem poteſtas, ſpiritualis & Eccleſiaſtica eſt. Tum quia nullo iure diuino prohibitum videtur, vt Summus Pontifex pro ſua ſuprema poteſtate poſſit mulieri delegare poteſtatem ferendi leges, ſicut non videtur prohibitum poſſe committi poteſtatem excommunicandi habenti iuriſdictionem Eccleſiaſticam, licet non habeat claues. Imò ex S. Gregorio *lib. 2. Epiſtolarum 45.* habetur, laico delegari poſſe facultatem ſuſpendendi, excommunicandi, &c. Et hæc dicta ſunt propter amplitudinem poteſtatis Summi Pontificis, vt docent *Suarez, Filliucius, Sylueſt, Miranda* citati *tom. 1. verb. Abbatiſſa, num. 3.* in fine. Honor. III.

21. Si Monaſteria Monialium habeant beneficium Curatum vnitum, Abbatiſſa poteſt de conſenſu ſui Capituli Clericos inſtituere, & benficia, ac Capellas conferre, ad inſtar aliorum Prælatorum præſentando, ſcilicet Epiſcopo Vicarium perpetuum, vel amouibilem, iuxta tradita *in cap. noſtra, & cap. noſcit, de his quæ fiunt à Prælatis.* Poteſt enim fœmina, ratione dignitatis habere beneficiorum collationem. Rebuff. *tract. nominat. qu. 8. num. 9.* Rebuffus.
In dictis autem beneficiis inſtituit ea inſtitutione, quæ dat poſſeſſionem & titulum, non autem inſtitutione auctorizabili, per quam datur poteſtas exercendi curam animarum, ligandi atque ſoluendi, Rodriguez *tom. 1. qq. reg. qu. 17. art. 12.* Miranda *de fact. Monial. q. 6. art. 5. concl. 4.* Pellizzarius *In Man. reg. tract. 10. c. 10. n. 131* Rodriguez, Miranda.

22. Abbatiſſa habet liberam bonorum ſui Monaſterij adminiſtrationem, ſicuti Abbas, & ideo pro ſuo Monaſterio poteſt eſſe procuratrix: imò non obſtante fœmineo ſexu diſponuntur res Monaſterij per Abbatiſſam & Moniales; ſicut per Abbatem & ſuos Religioſos. Idem tradunt ferè omnes Doctores *in cap. dilecta iuxta Gloſſ. verb. iuriſdictionem, de maior. & obedient.* vniuerſalem adminiſtrationem, tam temporalem, quàm ſpiritualem Monaſterij pertinere ad Abbatiſſam, quoad omnia, quorum fœmina eſt capax. Hodie tamen dicta adminiſtratio non videtur abſoluta, ſed ferè in omnibus Monaſteriis habet relationem ad alias Moniales & in rebus magni momenti ad Epiſcopos, ſeu ſuperiores earum. Gloſſa.

Sed rogabis, an Abbatiſſa iure ſuo poſſit applicare bona opera Monialium ſubditarum perſonis extraneis, iis tribuendo litteras communicationis? Reſpondeo poſſe, & probatur, quia eo ipſo quòd habet curam Congregationis, habet auctoritatem diſpenſatiuam bonorum communium eiuſdem Congregationis, iuxta *c. quanto, de tranſlat.* Colligitur ex Nauarro *de inbileo not. ab. 3. nu. 18.* quem citat & ſequitur Lexana *tom. 1. c. 18. nu. 67.* Conſentit Sorbus noſter *in compend. v. Indulgentiæ quoad ſeculares 4.* Ex quo fit, quòd Abbatiſſa poſſit indicere ſuis Monialibus certas preces pro benefactoribus, & quidem etiam ſub peccato, ſi occurrat iuſta cauſa (verbi gratia, ad implendam obligationem impoſitam Monaſterio ex iuſtitia) aut aliàs quo ad hoc ſe ſufficienter declaret, idque ratione obedientiæ, quam vouent in manibus Abbatiſſæ ſe obligando ad obediendum illi in omnibus rebus licitis pertinentibus ad eius ſuperioritatem & alioqui non excedentibus regulam propriæ profeſſionis. Vnde cùm iniunctio talium precum ſit res licita, & non excedens regulam, ſine dubio poterit indici ab Abbatiſſa, & debebit impleri à Monialibus. Ita Pellizzarius *in Man. reg tract. 10. cap. 10. num 144.* *Addit. ad n. 12.* Nauarrus. Lezana. Sorbus. Pellizzarius.

23. Abbatiſſa cum maiori parte Monialium, nouitiam profiteri volentem, ad profeſſionem admittere debet. Ratio eſt, quia cùm de notabili Conuentus commodo & vtilitate agatur, admittendo ad Religionem opus eſt, vt admiſſio ab eo fiat, cui ex officio incumbit onus conſulendi bono Conuentus; ille autem cui tale opus incumbit eſt immediatè Superior cum maiori parte Capituli; & ſic Abbatiſſa in ſuo Monaſterio poteſt Monialium profeſſionem acceptare, nam talis acceptatio eſt actus ſuperioritatis pertinentis ad poteſtatem œconomicam, quam re vera Abbatiſſa erga Moniales exercet. Ita Hoſtienſis *in cap conſuluit, qui Clerici vel vouentes*, Azorius *part. 1. lib. 12. cap. 5. q. 6* & alij. Pellizzarius *In Man. reg. tract. 10. c. 3. n. 7.* Hoſtienſ. Azorius.

Profeſſio tamen Monialium in Monaſteriis Epiſcopo ſubiectis fieri ſolet coram Epiſcopo, vel alio ab ipſo facultatem habente, vel ab eius Vicario, præuio tamen aſſenſu maioris partis Capituli nouitiam

tiam ad profeſſionem admitti conſentientis.

Idem etiam dicendum erit de Monaſteriis exemptis & regularibus ſubiectis, reſpectu Superiorum. Imò iubente Epiſcopo, vel alio Prælato Monialium, recipi nouitiam in Monaſterio ſibi ſubiecto, contradicente maiori parte Monialium, non debet admitti, quia admiſſio ad profeſſionem pertinet ad Abbatiſſam cum conſenſu maioris partis Conuentus, quod ſi Epiſcopus in tali caſu compelleret Moniales poterunt ad Superiorem appellare. Ita Archidiacon. *cap final. 16. quæſtione 7. numero ſecundo.* Archidiac.

Nec etiam totus Conuentus repugnante præfectâ, nec Præfecta repugnante maiori parte, admittere poſſunt nouitiam ad profeſſionem; dum facultas admittendi pertineat ad Prælatum, ſiue ad Præfectam, & ad Conuentum, Rodriguez *tom. 3. q. 17. art 7.* Rodrig.

A fortiori Epiſcopus non poterit in Monaſteriis exemptis auctoritate propriâ admittere nouitiam ad profeſſionem, quia non eſt illius ſuperior; tum quia ad ipſum non ſpectat, quemquam Religioni exemptæ incorporare. Ita Rodriguez *loc. cit. art. 11.* Rodriguez.

An autem ſolius Abbatiſſæ ſit nouitiam ad profeſſionem admittere, vel totius Conuentus? in hac re à ſimili procedere debemus de Abbate reſpectu profeſſionis Nouitiorum. In qua difficultate, prima ſententia tenet, poſſe Abbatem in admiſſione profeſſionis Nouitij audire conſilium Conuentus, non tamen teneri illud ſequi. Ita Abbas in *c. ad Apoſtolicam de regul. num. 11.* Rodrig *tom. 2. ſumm. c. 8. nu. 8. conc. 7.* Secunda ſententia docet, debere Abbatem ſequi conſilium Conuentus in admiſſione Nouitij ad profeſſionem & non tantùm audire, quia talis eſt vſus & praxis Religionum, vt Superior ſequatur conſenſum ſuorum Monachorum; quos tanquam collegas ad conſilium adhibet, vt ſui officij participes; non requiritur tamen conſenſus totius Capituli, ſed maioris partis: quia quæ à maiori parte decernuntur, à toto Capitulo fieri cenſentur. Verum in hac re ſtandum eſt conſuetudini Religionum & Monaſteriorum, nec non priuilegiis & Conſtitutionibus à Sede Apoſtolica approbatis, ſi quæ extent. Vide Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. num. 64. 65. & ſequent.* Abbas. Rodriguez. Sanchez.

24. Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ Canoniſſarum tenentur aliæ Canoniſſæ obtemperare & reuerentiam impendere, eiuſque ſalubria mandata obſeruare: imò talis Abbatiſſa ſeu Prioriſſa non ſolùm habet iuriſdictionem in Canoniſſas, verùm etiam aliquando in Clericos, eo quod huiuſmodi Clerici ſint ipſius auctoritate Eccleſiis, ſiue Capellis Canonicarum Collegio ſubiectis præfecti, vt colligitur ex *cap Dilecta, de maiorit. & obedient.*

Si quæras, an dictæ Canoniſſæ habeant ſimul cum earum Abbatiſſa collationem beneficiorum? Reſpondeo, hoc non eſſe in iure clarum; in hac re Hoſtienſis *in cap. Dilecta*, negat Abbatiſſam habere collationem beneficiorum & officiorum priuatiuè ad ſuas Canoniſſas.

25 Abbatiſſa habet eandem poteſtatem concedendi licentiam ſuis Monialibus largiendi, poſſidendi, accipiendi vel expendendi, quam poteſt Abbas ſuis Monachis. Ratio eſt, quia Abbatiſſa habet adminiſtrationem ſui Monaſterij & bonorum illius, ad inſtar Abbatis, vt docet Nauarrus *Comment. 3. de regular. num. 4.* Nauarrus.

Vide v. Benedictio *num. 9.* Beneficium 3. *num. 18.* Votum 2. *num. 11.*

ABORSVS.

SVMMARIVM.

1 *Regulares procurantes aborſum fœtus animati, dantes auxilium, vel conſulentes comprehenduntur in Bulla Clementis VIII. de caſuum reſeruatione.*

Quando autem fœtus animatur? varia referuntur ſententia.

An in caſum reſeruatum incidat, qui procurauit, auxilium dedit, vel conſuluit abortum, ſi effectus non ſequatur.

2 *Procurans aborſum fœtus animati ſecuto effectu incurrit excommunicationem, ſed non reſeruatam Papæ.*

Si autem fœtus ſit inanimatus non incurrit excommunicationem, nec ſit irregularis.

Clericus vel regularis bodie procurans aborſum fœtus animati, ſecuto effectu, manet priuatus officio, beneficio vel alia dignitate, &c. & ſit inhabilis ad alia in poſterum, ſed hæc inhabilitas non eſt reſeruata.

Ratum habens abortum antequam fieret, incurrit pœnas Bullæ Sixti V. & ſit irregularis, ſi fœtus ſit animatus.

Incurrit irregularitatem & cæteras pœnas, qui ante animationem fœtus conſuluit aborſum, mulier verò procurauit poſt animationem.

Qui dubitat, an conſilium à ſe datum fuerit cauſa homicidij vel non, in vtroque foro debet ſe reputare irregularem.

3 *Pœnâ mortis punitur, qui dolo aliquid facit, vt aborſus fœtus animati ſequatur.*

4 *Similiter pœnâ mortis punitur, qui prægnantem percutit, ſi illa percuſſio cenſeatur dolo facta vt aborſus vel interfectio fœtus animati ſequatur, ſi autem ſit culpa lata, punitur pœna mitiori.*

5 *Quid iudices Chriſtiani attendere debeant in puniendo crimine aborſus fœtus animati vel homicidij pueri iam nati, antequam baptizatur.*

6 *Quando aborſus fœtus nondum animati animâ rationali factus fuit in odium mariti, ne ex ipſo mulier filios haberet, tunc qui ita effecit cauſa aborſus, non punitur mortis pœna, ſed aliâ exilij arbitraria. Si autem mulier pecuniâ acceptâ, eiuſmodi aborſum efficiat, vt loco partus ſuccedat ſubſtitutus, tunc punitur pœnâ mortis.*

Si aliquis vel aliqua poculum alicui dedit, vt aborſum faceret, quando fœtus nondum erat animatus, aut dedit alicui amatorium poculum ad libidinem, tunc ſecutâ morte eius, qui aut qua poculum ſumpſit, is qui poculum dedit pœnâ mortis punitur.

Si cauſâ conceptionis datum eſt alicui fœmina poculum, aut aliud medicamentum, illaque præter datum intentionem mortua eſt, non punitur pœnâ mortis, ſed arbitrariâ relegationis.

7 *Clericus, qui habet beneficium Eccleſiaſticum, & conſilium dedit, vt fieret aborſus, tempore quo fœtus nondum erat animatus, ſed culpâ mandatarij, vel conſilium petentis, factus eſt aborſus fœtu iam animato eſt irregularis, ob id tamen beneficium non amittit, nec fructus eius.*

8 *Epiſcopus iſtius Clerici poteſt cum illo diſpenſare in iſta irregularitate, quia homicidium non fuit voluntarium, ſed caſuale.*

9 *Procurare aborſum quid ſit? & ſit tribus modis.*

Digitized by

de cenſur. diſp. 40. *ſect.* 2. *à num.* 14. Ratio eſt, quia irregularitas ex ſua natura & intrinſecè non priuat, niſi receptione ſacrorum Ordinum & vſu illorum, vt patet ex definitione irregularitatis: at beneficium Eccleſiaſticum, neque eſt ordo ſacer, neque vſus illorum; imò haberi poteſt à Clerico non habente Ordines ſacros. Cùm ergo irregularitas non priuet beneficio, poterit licitè hic Clericus ſuum beneficium retinere, ac proinde illius fructus poſſidere & inſumere. Aduertit bene tamen Suarez Suarez. *cit. diſp.* 40. *num.* 19 hæc ſequentia. Primum, quod ſi beneficium eſt ſimplex, cum ſola obligatione recitandi horas Canonicas, vel eſt beneficium, quod habet ſimplex miniſterium, quod poteſt miniſtrari per alium, talis beneficiarius exiſtens irregularis, non tenetur dimittere beneficium, quia poteſt ſeruire dicto beneficio per ſe ſolum, dicendo horas Canonicas, vel per alium, non celebrando Miſſam, vel vtendo Ordinibus ſacris. Si vero beneficium habet curam animarum, vel requirit perſonalem reſidẽtiam cum vſu Ordinum ſacrorum, tunc non poteſt retinere, nec inſeruire dicto beneficio, quia irregularis exiſtens non poteſt ſacros Ordines exercere: ſed debet vel beneficium dimittere, vel quanta poterit diligentia procurare diſpenſationem irregularitatis. Interea temporis ſi talis irregularis timet quod ex eo quod abſtineat à Miſſa, vel ab exercitio Ordinum, delictum ſuum manifeſtabitur, & incidet in notabilem populi infamiam, poterit priùs ſacramentali Confeſſione delicti Miſſam celebrare ad euitandam infamiam, vel Ordines ſacros ad eundem finem exercere, ſed hoc ſolum illis vicibus, in quibus neceſſarium ſit vitare infamiam. Et celebrans tum iſto moderamine non peccabit, nec pœnam aliquam incurret, & hoc dummodò in diſpenſatione procuranda negligens non ſit, ſuæ verò conſcientiæ remittitur arbitrari an non celebrans incurrat infamiam, & vtrum in procuranda diſpenſatione negligens ſit. Ratio prædictorum eſt communis Doctorum, quia præceptum naturale de conſeruanda fama præponderat præcepto poſitiuo Eccleſiæ, quo iubet ne irregularis ſacros Ordines exerceat: hoc enim præceptum non obligat cum damno notabili infamiæ. Sic tenet Rodriguez *in ſumma cap.* 178. *num.* 11. *conc.* 6. citans Nauar. Caſtro, Gutierrez & tenet Suarez *loc. cit. num.* 19. Rodriguez, Suarez.

8. Epiſcopus iſtius Clerici poteſt cum illo diſpenſare in iſta irregularitate. Probatur, quia licet Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 6. *de reform.* concedens Epiſcopis amplam diſpenſandi facultatem in irregularitatibus excipiat, dummodo non ſit homicidij voluntarij, irregularitas iſtius Clerici non fuit homicidij voluntarij, dans enim conſilium aborſus ante fœtus animationem clarè videtur quòd homicidium non intenderit, ſed ſolùm voluit quod aborſus fieret tempore, quo non fiebat homicidium. Cùm ergo homicidium iſtius Clerici ſolùm fuerit caſuale, poterit Epiſcopus ex commiſſione Tridentini cum illo diſpenſare. Homicidium enim voluntarium iuxta Suarez *de cenſur. diſp.* 44. *ſect.* 1. *n* 3. eſt illud quod fit ex propoſito, & illud fit ex propoſito quod fit cum animo occidendi, & ius ciuile, vt aliquod homicidium ſit voluntarium, requirit doſum; quæ duo defuiſſe videntur in hoc aborſu. Sed in hoc ſtandum eſt conſcientiæ ipſius Clerici informantis de animo quem habuit dando conſilium. Cùm ergo, vt ſupponitur, hoc homicidium fuerit ſolùm caſuale & occultum, non deductum ad forum contentioſum, poterit Epiſcopus diſpẽſare iuxta conceſſionem Trid. Suarez.

9. Procurare aborſum nihil aliud eſt, niſi ſtudioſè quærere, ſiue per ſe, ſiue per alium, vt fœtus immaturè ex vtero matris eiiciatur. Tribus autem modis procuratio hæc contingere poteſt. *Primò*, impediendo ne fœmina concipiat, *v.g.* ſi vir ante concubitum potionem aliquam fœminæ præbeat, per quam ea ſterilis euadat; verum hæc non dicitur procuratio abortus, vt patebit. *Secundò* procurando, vt fœtus conceptus quidem, ſed nondum animatus eiiciatur. *Tertiò*, procurando, vt fœtus iam conceptus & animatus abigatur. Quare procurator aborſus propriè dicitur ille qui ſtudioſè ad agit, vt fœtus, ſiue ille animatus ſit, ſiue inanimatus, ex vtero abigatur: & hæc procuratio multis modis fieri poteſt, puta potionibus, percuſſionibus, magnis itineribus, laboribus, oneribus magnis prægnantibus mulieribus impoſitis, aliiſque modis, quos idem perditarum mulierum excogitat audacia, vel libido, vt obiter tangit Bulla Sixti V. *Effrænatam.* Quibus adde vſitatum illum faſcinantium vetularum modum, vt per maleficia abortum procurent.

10. Cooperantes ad aborſum ope, conſilio, fauore, potione, vel alio cuiuſuis generis medicamento, aut iuuantes ſcribendo litteras priuatas, vel apochas, aut alia ratione verbis aut ſignis, excuſantur à cenſura, ſi in illis adſit ignorantia iuris vel facti, etiamſi ſit craſſa, ſupina & affectata. Ratio, quia Sixtus V. in ſua Bulla appoſuit particulam *ſcienter* quæ omnem excludit ignorantiam, niſi ſit coniuncta cum ingenti temeritate, qualis intercedit cùm quis vehementem habet ſuſpicionem delicti prohibiti. Quando autem adeſt ingens temeritas, tunc ignorantia nullo modo excuſaret, licet cenſura vel alia pœna fuiſſet impoſita contra ſcienter aliquid facientes, ſeu contra præſumentes, vel certè audentes facere; quia hæc ignorantia importaret latiſſimam culpam & dolo æquipararetur. Ita Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 38. in ſimili *& de matrim. lib.* 9. *diſp.* 32. *n.* 46. *&* 39. & etiam annotauimus in primo tomo Summæ *verb. Ignorantia, n.* 19. ex Bonacina & aliis ibi citatis. Sanchez.

11. Qui propinat remedia ſterilitatis mulieri, vt impotens fiat ad generandum, non incurrit cenſuram Sixti V. quia in hoc Gregorius XIV. correxit Bullam Sixti V. Sed dubium eſt, an in terminis Bullæ Sixti V. ante correctionem Gregorianam incidebat in cenſuram, ſi quis porrigebat remedium ſterilitatis alicui viro? Affirmant aliqui, ſed prorſus negatiua ſententia tenenda eſt, quia Sixtus V. in Bulla expreſsè dicit, *Prægnantes mulieres.* Sed pœnæ non ſunt extendendæ extra caſum: ergo. Ita Sayrus *de cenſur. lib.* 3. *cap.* 35. *numer.* 27. Damnatur tamen hic caſus *in cap. ſi aliquis extra de homicid. vol.* vbi ex Concilio Warmatienſi dicitur teneri, vt homicidam, qui homini & mulieri aliquid fecerit, vel dederit ad potandum, vt non poſſit generare, aut concipere, aut naſci ſoboles. Sayrus.

12. Vir vel fœmina, qui in actu carnali retrahunt ſe à ſeminis emiſſione vel receptione in vaſe deb. to, cauſa generationem impediendi, non incidunt in pœnas Bullæ Sixti V. quia mens Pontificis eſt agere de abortu fœtus, vbi autem ſeminis receptio non eſt, non fit fœtus & conſequenter, nec aborſus. Tum quia ſi id admittatur, neceſſarium eſt idem in multis aliis admitti, vt quiſque per ſe videre poteſt, & denique non ſunt extendendæ pœnæ. Ita Portel. *in dub regul. verb. Abortus, num.* 4. Bonacina *tom.* 3. *de cenſur. in particulari, diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 10. *n.* 14. Portel. Bonacina.

Hinc in caſu Epiſcopali reſeruato aborſus excipitur ille, qui ne liberos ſuſcipiat, vel alia de cauſa, puta ex odio mulieri potionem præbet, quominus concipiat: quia iſte non dicitur propriè aborſum procurare, ſed tantùm impedire conceptionem, ſiue

Digitized by Google

agere vt ſemen non ſit prolificum, quæ duo diſtincta ſunt, vt patet. Mortaliter tamen ille peccabit, quia dicitur priuare naturam effectu ſuo, cum priuet ſemen vitâ, ad quam directè tendebat.

13. Quidam docent pœnam priuationis priuilegij clericalis & omnium dignitatum & officiorum, & beneficiorum impoſitam in Bulla Sixti V. contra procurantes aborſum ſequuto effectu afficere reum in conſcientia ante omnem Iudicis declarationem. Ratio, quia hæ pœnæ priuant ipſo iure publicis officiis, &c. & cenſentur obligare in foro conſcientiæ reum ad dimittenda officia, etiam in caſibus occultis, quia hæc bona magis pendent à poteſtate publica legiſlatoris. Ita Clauis regia *lib. 3. c. 9. n. 35.* vbi ait, quod reus tenetur, vel diſpenſationem, ſeu rehabilitationem procurare cum omni diligentia & ſollicitudine, vel dimittere officium, ſeu renunciare; ſi tamen poſſit renunciare ſine manifeſtatione proprij criminis, aliàs enim non teneretur cum ſui infamia dimittere. Sed contrariam ſententiam docent communiter Doctores: quia nullus tenetur eſſe reus & iudex, ergo requiritur ſententia declaratoria etiam in foro conſcientiæ, antequam quis obligetur imponere ſibi pœnam à iure ſtatutam. Et lex humana non cenſetur obligare cum tanto rigore, ſaltem niſi exprimat, vt in conſcientia ante omnem declaratoriam dimittere teneatur: tum quia hæc pœna exigit factum hominis poſitiuum ad ſui executionem. Ita Marchinus *de Sacram. Ordinu, tract. 1. part. 8. cap. 4.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 2. Allegat. 44. num. 29.* & alij ab ipſis citati. In praxi tamen paſſim recepta præſertim ex ſtylo curiæ admittitur prior ſententia, quando caſus eſt manifeſtus; quia tunc ſuperioris acta incipiunt eſſe nulla, ceſſante titulo colorato ob priuationis notoreitatem. Quamdiu autem priuatio eſt occulta, non videtur obligari in conſcientia, quia eius acta ratione publici officij ſunt valida manente titulo colorato.

Clauis reg.

Marchinus. Barboſa.

Idem dicendum de pœna inhabilitatis appoſita in Bulla Sixti V. hæc enim probabiliter non obligat ante declaratoriam, cum hac tamen limitatione, quod ſi inhabilitatis pœna ſit lata ſolùm quoad illud numero beneficium, obligat in conſcientia ante omnem declaratoriam. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 26.* Sanchez *lib. 2. moral cap. 39. num. vlt.* Suarez *tom. 1. de Relig. tract. vltim. de Simonia cap. 58. num. 9.* Certum eſt autem quod inhabilitas conſurgens ex cenſura vel irregularitate, obligat in conſcientia ante omnem ſententiam & tali ratione ligat inhabilitas, quam ſacra Pœnitentiaria diſpenſando ſuper irregularitate ex homicidio, vel aborſu, relinquere ſolet in eodem diſpenſato. Ita Diana *part. 7. tract. 5. reſol. 18.* Sed de his vide à nobis dicta *tom. 1. noſtræ ſummæ verb. Pœna, num. 7. in edit. tertia.*

Leſſius. Sanchez. Suarez.

Diana.

14. Aborſus caſualis non præuiſus à Religioſo, non inducit reſeruationem: quia applicatio cuiuſcumque rei ſit, non dicitur procuratio abortus, ſed alterius rei: tum quia iſte caſus intelligi debet iuxta Conſtitutionem Sixti V. vbi facit mentionem de abortu voluntario, non caſuali. Abortus autem caſualis eſt ille, qui ſequitur ex aliqua actione, quam Religioſus fecit non ex intentione & animo aborziendi; ſed alio fine, ſiue malo, vt ex odio: vel vt ex morte ſuccederet in hæreditate; ſiue bono, ne ſequeretur infamia, &c. Ita Bordonus *in conſil. regular. tom. 1 reſol. 45 quæſt. 3. n. 3.*

Bordonus.

Hinc non incidit in caſum reſeruatum aborſus, qui interrogatus de cauſis abortiendi, remedium aliquod bonâ fide aperiret, quo poſtea fœminæ aliquæ ad abortum procurandum vterentur: in eo enim ſi bona fides adfuit, defuit voluntas aborſum procurandi, proindeque in nullam reſeruationem dicendus eſt incidiſſe.

Item excuſatur medicus ille à reſeruatione, qui vt matrem morte liberet, illi in partu laboranti potiones præbet, vel quid aliud exhibet, vt facilius partus iam maturus naſcatur: licet enim partus mortuus naſceretur, adhuc tamen non eſſet hoc medico imputandum ad peccatum: quia ille non habebat intentionem procurandi aborſum, ſed partum naturalem. Si autem medicus neſciens an mulier ſit grauida, idque nec animaduertens, nec animaduertere valens medicinam præberet, ex qua aborſus ſequeretur, non incidit quidem in caſum, licet fortè mortaliter peccet ob inaduertentiam culpabilem: quia ad caſum hunc incurrendum, non ſufficit vt aborſus poſſit alicui imputari, ſed debet eſſe deditâ operâ & ex induſtria quæſitus.

Item non incidit in caſum reſeruatum maritus, vel pater, qui vxorem, vel filiam leuiter caſtigat, vel verbum aliquod profert, vnde mulier ira & furore percita abortum patitur: quia hoc modo non dicitur procurare aborſum, neque in ſe, neque in ſua cauſa; quod verum eſt, etiamſi percuſſio grauis eſſet, ita vt percutiendo, vel obiurgando ad mortalem culpam peruenerit; ita tamen vt aborſus non fuiſſet intentus. Ita Capeauilla *caſu 9. de procurat. abortu, quæſt. 2. in princip.* Capeauilla

Item, mulier, quæ ex repentina aliqua animi paſſione, puta lætitia, metu, appetitu, ſibi natura repugnante, vel terribili, & formidabili alicuius aſpectu, vel terrore ex armatorum, vel rixantium hominum viſione, aborſum patitur, non incidit in caſum: quia ipſa non dicitur procurare, ſed effectus per accidens & contingenter ſequitur. Imò excuſatur ille, qui huiuſmodi metum mulieri grauidæ incutit, ſi probabiliter ignorabat periculum aborſus. Secus vero, ſi ſciens illius facilitatem in abortiendo, alicuius monſtri figuram & imaginem deditâ opera repræſentauit ad finem aborſus: quia tunc verè dicitur procurator aborſus.

Similiter mulier excuſatur, quæ aliàs experta ſe paſſam eſſe aborſum graue aliquod onus portando, vel ſcalas conſcendendo, illud defert, aut ſcalas conſcendit, ſed tamen præter intentionem faciendi aborſum. Ratio eſt, quia non dicitur deditâ operâ & ſtudioſè illum procuraſſe: quod verum eſt, etiamſi caſu contingeret vt ea ob id aborſum pateretur.

Item medicus non incidit in caſum reſeruatum, qui medicinam ordinauit ad aborſum faciendum, vt ea Caiæ grauidæ porrigeretur, & ea per aromatarij, aut ancillæ imprudentiam fuit porrecta Semproniæ item grauidæ. Ratio eſt, quia abortus ille caſualis eſt, proindéque nec medico imputandus.

15. Si maritus habens copulam cum vxore nimiâ vtatur libidine eâ intentione, vt ex magna corporis agitatione aborſus ſequatur, tunc incidit in caſum & cenſuras, ſi fœtus ſit animatus & effectus ſequatur. Secus verò ſi abortum non intendat, ſed tantùm explere libidinem: tunc enim licet ex magna illa corporis agitatione aborſus fuerit ſecutus, & illum aliquo modo coniuges præuidiſſent, adhuc tamen excuſantur ab hac reſeruatione. Ratio, quia licet ij peccaſſent mortaliter, & eſſent in culpa: non tamen dicerentur procuraſſe abortum, quia non ſtudioſè, nec ex induſtria ille fuiſſet quæſitus. Non tamen liberaretur à pœnis impoſitis contra procurantes abortum, ille, qui, in præſentia mulieris cum qua rem habuiſſet diceret, nollem te

eſſe

num. 16. dicunt, cum debitis circumstantiis id licitum esse: hoc est, suadere minus malum, ad euitandum maius: nempe, quando ille cui id consulitur, firmum animum habebat vtrumque, vel certè grauius malum faciendi, nec aliter potes illum auertere à grauiori malo. Ratio est, quia consilium illud non est absolutum; sed conditionatum explicitè, vel implicitè, scilicet si vnum ex his facturus es, fac hoc minus & non illud grauius, quod quidem verissimè & rationabiliter consulitur: quia ex duobus malis minus malum est eligendum. Imò in hoc euentu non tantùm licet consulere, sed etiam inducere ad minus malum perpetrandum: vt etiam diximus *in tom. 1. nostræ Summæ verb. Restitutio 111. § 11. num. 4.*

21. An procurans abortum fœtus animati secuto effectu, gaudeat Ecclesiarum immunitate? Quidam negant, alij autem probabilius affirmant, vt dicetur infra v. Immunitas Ecclesiarum *n. 16.*

De aborsu vide v. Excommunicatio 5. *num.* 17. Irregularitas 2. *num.* 13.

ABSOLVTIO.

SVMMARIVM

1 *Sacerdos non absoluit auctoritate Pontificiâ, sed Christi.*

2 *Plures absolutiones validæ possunt simul cadere supra eandem Confessionem, à pluribus ministris prolatæ, sed non erunt licitæ.*

3 *Quoties facultas absoluendi à casibus reseruatis cadit in peccata iam commissa, non habet locum onus comparendi.*

An hæc facultas pro peccatis committendis dari possit cum illo onere.

4 *Iuxta quosdam Superior potest concedere facultatem absoluendi à reseruatis, sub ea conditione, quod ipse Sacerdos teneatur pœnitenti talem pœnitentiam imponere. Sed alij contrarium docent.*

5 *Absolutio à censuris reseruatis simpliciter & generaliter, omnes comprehendit, etiam oblitas.*

6 *Censuræ oblitæ tolluntur per se per absolutionem generalem, ita vt non sit necessaria alia absolutio earum, licet in memoriam redeant: secus dicendum de peccatis oblitis.*

7 *Qui ab alieno Episcopo excommunicatus fuit ratione delicti patrati in sua Diœcesi, ius rediens in propriam Diœcesim non potest à proprio Episcopo absolui ab illa excommunicatione.*

8 *Absolutio à censura, non solùm absolutè, sed etiam sub conditione in futurum pendente, validè confertur potest.*

9 *Omnes Sacerdotes, etiam excommunicati, Schismatici & Hæretici absoluere possunt in articulo mortis.*

10 *Qui virtute Bullæ absoluitur in articulo mortis à casibus Bullæ Cœnæ Domini, non tenetur, si conualescat, ad comparendum.*

11 *Post septennium completum absoluendus est puer sub conditione, nisi constet non habere vsum rationis, maximè in articulo mortis.*

12 *An absolutio danda sit Hæretico negatiuo iam destinato ad comburendum.*

13 *Potest Episcopus absoluere ab excommunicatione publica Papæ reseruata, quando est impedimentum adeundi Papam: Et quæ sint illa impedimenta.*

14 *Quid faciendum à Confessario, quando à reseruatis sine facultate absoluit.*

15 *Confessarius sine facultate absoluens scienter & ex malitia à reseruatis, incurrit excommunicationem Papæ reseruatam: Aliqui tamen casus dantur in quibus non incurrit.*

16 *Absolutio data à censuris absolutè per Iubilæum & Priuilegia regularium, in vtroque foro habet locum.*

17 *Qui Religionem ingreditur potest absolui à Superiore Religionis à censuræ latæ per suum Episcopum per sententiam generalem, aut per statutum, non verò per sententiam propriam & specialem.*

18 *Obtentâ facultate absoluendi à casibus reseruatis, potest quis absolui etiamsi in casus reseruatos denuò inciderit post obtentam facultatem antequam confiteatur.*

19 *Confessarius, qui petiit à Superiore facultatem absoluendi aliquam personam à casu reseruato, quando possit vti illa facultate pro se.*

20 *Episcopus potest reseruare excommunicationem Summo Pontifici, in quo casu, ipse non potest illam absoluere, potest tamen Archiepiscopus.*

21 *Verius est simplices Sacerdotes non habere potestatem absoluendi à peccatis venialibus ex iure diuino, sed immediatè ab Ecclesia.*

22 *Quæ sit dicenda occasio propinqua peccandi, quam debet pœnitens relinquere, vt absolui possit à Confessario.*

Periculum peccandi, vt censeatur proximum, debet esse euidens physicè, aut moraliter; si enim tantùm sit probabile, periculum morale non est, nam probabiliter etiam censere potest periculum nullum subesse.

1. SAcerdos non absoluit auctoritate Pontificis, sed Christi. Ratio est, quia licet potestas iurisdictionis per Pontificem conferatur, tamen principaliter manat à Christo; à Pontifice verò solùm vt à Vicario Christi; & ideò etiam simpliciter in Christi auctoritate fit hoc iudicium. Tum quia dum Sacerdos profert hanc sententiam absolutionis, non solùm profert illa verba vt declaratiua iuris, quod commune est aliis sententiis; sed vt efficacia eius effectus, quem significant, quod habent, ex potestate Ordinis quatenus est virtus Christi, cuius personam gerit Sacerdos: & propterea dicere potius debet se absoluere auctoritate Christi. Ita Suarez *in 3. part. tom. 4. disput. 16. sect. 3. num. 33.* Suarez.

2. Plures absolutiones validæ possunt simul cadere supra eandem Confessionem, à pluribus ministris prolatæ, sed non erunt licitæ, quia est contra morem vniuersalis Ecclesiæ, & contra conuenientem vsum Sacramenti pœnitentiæ: si tamen fiat, & aliud non obstet, validum erit Sacramentum. Non tamen erit multiplex, sed vnum Sacramentum: quia materia proxima est vna, & absolutiones illæ, licet materialiter sint plures; concurrunt per modum vnius. Vnde, etiamsi fingamus vnam absolutionem cadere in plures Confessiones eorumdem peccatorum successiuè factas, simul enim fieri non possunt, erit vnum Sacramentum; quia illæ Confessiones licet materialiter sint plures, moraliter verò est vna accusatio, Ita Suarez *cit. disp. 18. sect. 4. num. 4.* Suarez, & alij.

3. Quoties facultas absoluendi à casibus reseruatis cadit in peccata iam commissa, non habet locum onus comparendi: quia ad hoc petitur facultas, vt ab onere comparendi subditus liberetur. At verò pro peccatis committendis, potest, iuxta Suarez &

Digitized by Google

ram ipso, contigit excommunicari; is rediens in propriam Diœcesim, non potest à proprio Episcopo absolvi, quia in his casibus factus est subditus alterius Episcopi, qui in illum ratione delicti, vel litis, ius acquisivit, vt habetur *in cap. proposuisti, de foro competenti*. Et docet Philippus Faber *de censur. in 4. sententi. distinct. 21. quæst. 1. disp. 4. cap. 8. num. 243.* & Doctores citati *tom. 1 nostræ summæ verb censura, n 19.*

Faber.

8. Absolutio à censura, non solùm absolutè, sed etiam sub conditione in futurum pendente, valide conferri potest. Probatur ex *cap. Præterea 2. de appellationibus*, vbi tantùm valida censetur hæc excommunicatio, si quis Iudex protulerit. Si intra viginti dies non resipiscens, te excommunicamus. Ergo à simili posset ferri absolutio conditionalis. Imò talis absolutio data sub conditione non solùm valida est, sed licita: quia absolutio sic facta nullo iure irritatur, ac proinde impletâ conditione, sub qua fuit facta, habebit effectum tollendi excommunicationem; & quod potest licitè fieri probatur, quia nullo iure prohibetur, non positivo, cùm nullum extet, nec naturali, quia tic absoluere, non est contra rationem, sicut nec excommunicare sub conditione. Ita Turrianus *de censur. lib. 2. disp. 24. dub. 1.* Faber citatus *cap. 9. num. 266.* Diana *part. 5. tract. 9. resol. 14.* contra D. Antoninum, Angelum, Syluestrum, docentes absolutionem sic factam esse illicitam & nullam; quia absolutio sacramentalis à peccatis cui datur æquiparanda facta sub conditione est illicita & nulla. Sed nostram sententiam amplectitur etiam Emanuel Sà *verb. Absolutio ab excommunicatione n 2.*

Turrianus. Faber. Diana.

Eman. Sà.

9. Post Tridentinum facultas absoluendi in articulo mortis, seu periculo compatit omnibus Sacerdotibus, etiam nominatim excommunicatis, vel publicis Clericis percussoribus, hæreticis, vel Schismaticis: quia particula *omnes* hunc sensum recipit, & proinde in eâ amplitudine potest intelligi. Confirmatur, per particulam *quoslibet*, & *quibuscumque*, quilibet fideles absolui possunt ab omnibus prorsus peccatis, ergo similiter per particulam *Omnes*, quilibet Sacerdos, nullo excepto, potest absoluere. Deinde id aliquo modo potuerat motivum Concilij, vt scilicet, animarum saluti in tali necessitate consulatur. Ecclesia ergo voluit in hoc casu summum fauorem fidelibus præstare, & concedere iurisdictionem omnibus, qui ex suo gradu illius sunt capaces, quales sunt omnes Sacerdotes. Et quidem de hæretico dicendum est, quod ratione Sacerdotij habeat tradi autem iurisdictionem in peccata, proximè autem in est concessa vel à Pontifice immediatè, vel alia ratione vt in eo articulo possit pœnitens absolui. Nec enim potestas data est Ecclesiæ in perniciem animarum, sed in salutem: at tunc iurisdictionis ademptio esset in animarum perniciem, & grauissimè peccaret Papa, qui eam conaretur adimere. Ex parte autem pœnitentis ipsâ necessitas se purgandi Sacramento est satis excusationis, hæreticus enim tenetur Sanctè Sancta tractare, si aliter agit, est eius vitio, quod pœnitens cum tantò discrimine suo non tenetur vitare. Obseruandum tamen est esse fugiendum periculum deceptionis: quapropter ego monerem pœnitentem, ne hæretico permitteret verba facere de fide, aut errore, sed eum cogat ad audienda & absoluenda crimina. Si verò ille nolit pœnitentem absoluere, nil prius verbis de suis erroribus factis, illum audiat, qui potuerat distractione. Quod si prudenter timeat imminere sibi periculum deceptionis, tenetur illum non audire, nec adhibere, nisi certus ab hæretico, nulla de fide verba facienda. Tunc autem det operam contritioni, aderit enim præstò Deus fugienti Sacramentum, eo dumtaxat animo, ne Deum offendat. At periculum deceptionis debet cadere in virum constantem; alioquin facienda est Confessio, ob imminens vitæ discrimen. Si autem Sacerdos erret in forma, aut intentione Sacramenti, non est adhibendus ad Confessionem, nisi prius contestetur se vsurum intentione & forma legitimâ, de quo debet ægro esse prudens persuatio. Ita Hurtadus de Mendoza *tom. 1 de fide, disp. 84. sect. 8. §. 149 & 140.*

Hurtadus de Mendoza.

10. Qui virtute Bullæ absolutus in mortis articulo à casibus in Bul'a Cœnæ reseruatis, non tenetur ad comparendum, nec potest illi id onus imponi: quia Bulla aliquod ei priuilegium donat distinctum ab his, quæ habet in ipso mortis articulo, alioquin quæ gratia donatur per Bullam? sed in eo articulo nulla aliâ gratia donari potest, nisi obligatione comparendi solui; quia absolutio directam ei erat licita ipso mortis articulo, ergo soluitur onere comparendi; quod si in mortis articulo fuit absolutus cum onere comparendi, quia non habebat Bullam, potest eâ habitâ iterum absolui in eodem, vel alio mortis articulo, & eo onere solui. Ita Sanchez *lib. 1. moral cap. 13. num. 31. & 32.* Henriquez *lib 6 de pœnit. cap. 10. num 5. in comment. lit G in fine.*

Sanchez. Henriq.

11. Post septennium completum absolendus est puer saltem sub conditione, nisi constet non habere vsum rationis, maximè in articulo mortis; quia stat pro illo iuris præsumptio de vsu rationis: quod si æqua sit pro vtraque parte probabilitas, qua Confessarius æquè sentit puerum habere vsum rationis, & non habere; si tamen talis puer fateatur peccatum veniale, vel mortale, absoluendus est necessario sub conditione in articulo mortis, quia hæc pars est tutior, dum certum sit damnandum esse puerum, si in peccato mortali discedat, in quo potest esse, licet illud non agnoscat & irreuerentia Sacramenti tollitur conditione apposita.

12. Absolutio impertienda est hæretico negatiuo iam destinato ad comburendum, quando Sacerdoti constat euidenter de innocentia negatiui, vel quia testes confessi sunt crimen falsi testimonij, vel quia decepti sunt in persona accusata, vel aliâ ob causam. Ratio est, quia omnia argumenta videt veræ pœnitentiæ, & alioquin exponeretur periculo damnationis: imò videtur ad id Sacerdotem teneri, quia priuatim leges fori non præiudicant legibus conscientiæ: potest enim quis innocens in conscientia esse, reus in foro. Idem dicendum etiamsi Sacerdos non sit certus de falso crimine, quia in foro sacramentali standum est Confessioni ipsius pœnitentis, dum non conuincitur mendacij à ministro Sacramenti, tunc autem non conuincitur; ergò tenetur stare illius Cõfessioni. Igitur dum prudenter credit negatiuum esse verè pœnitentem, tenetur illi dare Sacramentum pœnitentiæ, priuatim tamen & occultè, iudice vt iudice inconsulto, quia vt iudex id tenetur prohibere. Tum quia collatio Sacramenti nulli periculo exponitur tunc, negatio autem Sacramenti est expositæ damnationis æternæ negatiui; ergo est admittrandum id Sacramentum. Ita Hurtadus de Mendoza *de fide disp. 86. sect. 2. §. 19.* Portel. *in addit. ad dub. regular. verb. Sollicitare fœminas, num. 24.* qui nouissimus docet, hæreticum à publica Confessione excusari, sicut cæteri rei qui negatiui moriuntur. Imò magis, quantò maiorem infamiam affert hæresis, quàm cætera crimina, Sanchez verò *lib. 3. moral. cap. 7. num. 10.* docet talem non esse absoluendum propter scandalum, quia præsumitur mori hæreticus, & ideo si vere

Hurtadus de Mendoza. Portel.

Digitized by Google

ſi verè reus eſt, crimen ſuum fateri tenetur, vt ex hoc ſcandalum ceſſet. At Portel. ait, ſcandalum ceſſare, quia omnes ſciunt, ſolere reos negare, & nihilominus verum ſacramentaliter confiteri. Et hanc opinionem teſtatur in praxi ſeruari à viris doctis, hæreticos ad patibulum comitantibus.

13. Poteſt Epiſcopus abſoluere ab excommunicatione publica reſeruata Papæ, quando excommunicatus non poteſt recurrere ad Papam, vt habetur *in cap. de cætero, de ſentent. excommunicat.* Ita autem impedimenta ſunt. Primò, periculum mortis in itinere, *cap. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4. cap. ea noſcitur, de ſentent. excommunicat.*

Hurtado. Mendoza.

Secundò: Infirmitas longa, etiamſi periculoſa non ſit, *cap. de his & cap. quamuis, de ſentent. excommunicat.*

Tertiò: Paupertas, nam niſi mendicare ſoleat, non tenetur Romam ire mendicando, *cap. ea noſcitur, eodem tit.* Ad pauperes tamen reducitur obligatio alendi vxorem, filios ac familiam proprio labore.

Quartò ætas, ſiue puerilis, ſiue in puberibus, ſiue ſenilis *cap. quamuis, de ſentent excommunic.* licet petat poſt pubertatem abſolutionem ab excommunicatione reſeruata, quam ante pubertatem incurrerat ex *cap. final. de ſent. excomm.*

Sanchez. Henriq.

Quintò ſexus fragilitas, vt fœmina cuiuſcumque conditionis, *cap. mulieres, cap. quamuis, cap. de Monialibus, de ſentent. excomm.*

Sextò alteri adſtrictus, qui ſui iuris non eſt, vt filiusfamilias & ſimiliter ſeruus quando Papam adire non poteſt ſine præiudicio parentis vel domini, *cap. relatum, de ſent. excomm.*

Septimò cura animarum, vel temporale dominium, quando timetur quòd per abſentiam oues, vel Vaſſalli detrimentum patiantur, *cap. ne pro dilatione, de pœnit. & remiſſ.*

Octauò, debilitas in viris delicatis, qui labores itineris ſuſtinere minimè poſſunt, *cap. mulieres*, & *cap. quamuis citati*, ſiue etiam debilitas in membris in cæco & claudo, *cap. ea noſcitur, de ſent. excommunic.*

Vltimò, quodlibet aliud impedimentum, quod arbitrio prudentis viri iudicetur legitimum.

Circa prædicta nota primò, quod ſi in tali caſu poteſt excommunicatus impetrare abſolutionem à Papa per procuratorem vel epiſtolam, docet Bonacina *de cenſur. quæſt. 3. diſp 1. punct. 2.* teneri hoc facere & non poſſe abſolui ab Epiſcopo; ſed contrarium tenendum eſt, quia ad id non obligatur à iure. Ita Gaſpar Hurtado *de excommunic. diſp. 15. diffic. 3. num. 20.* Diana *p. 4. tract. 4. reſol. 38.*

Gaſp. Hurt. Diana.

Nota ſecundò, quod ſi non valens Papam adire, poſſit adire Nuncium Summi Pontificis, vel alium habentem priuilegium abſoluendi, non tenetur illum adire, ſed poteſt nihilominus abſoluere ab Epiſcopo: quia exiſtente impedimento recurrendi ad Papam, reſtituitur Epiſcopo ordinaria poteſtas, quam per reſeruationem amiſerat; ergo non eſt, cur ſit recurrendum ad Nuncium. Adde, quod reſeruatio eſt odioſa & ſtrictè interpretanda, vnde explicari debet de recurſu ad ſolum Papam. Tamen excommunicatus ſic abſolutus ab Epiſcopo, tenetur poſt impedimentum ſe præſentare Pontifici, ſaltem per Procuratorem, ſub pœna reincidentiæ. Quam obligationem tenetur illi iniungere Epiſcopus, ſi non ſit impuber. Ita Hurtado *loco citato.*

Hurtado de Mendoza. Portel.

14. Confeſſarius qui non habens iuriſdictionem à reſeruatis abſoluit, tenetur facultatem petere à Superiore, & ſi ſcandalum abſit, admonere pœnitentem ad iterum confitendum, vel ſi ille inſcius veniat iterum ad confitendum, petat Confeſſarius ab eo, an doleat etiam de peccatis præcedente Confeſſione dictis, & cupiat, ſi qua ratione neceſſe ſit etiam ab iis abſolui: & ſi dicat quod ſic, illum abſoluat, nihil de defectu primæ Confeſſionis dicendo. Ita ex communi Syluius *in ſuppleм. 3 part. qu. 9. art. 4 quæſtiunc. 8. concl. 1. & 2.* Coninck *de Sacram. diſput. 8. dub. 17. num. 141. & 143.* licet quidam Doctores ſentiant in caſu quo pœnitens eſt ignarus, nihil à Confeſſario faciendum eſſe, nec à ſuperiore licentiam abſoluendi impetrandam eſſe, quia talliter abſolutus eſt ab omnibus, ſcilicet directè à non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis per infuſionem gratiæ, & pro hac ſententia citantur Valerus, Corduba, Henriquez à Diana *p. 1. tract 1c. reſol. 60.* ex argum. *cap. quia circa, de conſang. & affinit.* Sed primam ſententiam tene.

Syluius. Coninck. Diana.

15. Confeſſarius non admiſſus pro reſeruatis, nihilominus abſoluens ſcienter & ex malitia, peccat mortaliter, & incurrit ipſo facto excommunicationem Papalem Clementis VIII. vt patet ex decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum & regularium edito die 9. Ianuarij 1601. apud Quarantam *in Summ. Bullarij verb. Caſus reſeruati*, pro Italia, & ex alio decreto, Vrbani VIII. mandato edito die 17. Nouembris 1628. etiam extra Italiam, quod decretum recenſemus *tom. 1. noſtræ ſummæ verb. Caſus reſeruatus, num. 38.*

Quarant.

Sed circa prædicta decreta aduerte *primò*, quòd excommunicationem prædictam & alias pœnas non incurrit Confeſſarius regularis abſoluens à caſibus reſeruatis in Religione; quia decreta loquuntur tantùm de caſibus Bullæ Cœnæ & Epiſcopis reſeruatis, hoc eſt, quos ipſi ſibi ſpecialiter reſeruant non de aliis. Ita Floronus *de reſerv. part. 1. cap. 5. §. 4.*

Floronus.

Secundò, nec incurrit abſoluens ab Epiſcopalibus vel Papalibus ſine prætextu priuilegij, quia in decreto primo dicitur *prætextu priuilegiorum.* Ita Gambarupta *de reſerv. c. 3. n. 12.*

Gambarupt.

Tertiò, non incurrit Confeſſarius abſoluens ſine facultate, ſed ſub ſpe ratihabitionis, vel ex inconſideratione, aut ignorantia non craſſa, quia dictæ pœnæ latæ ſunt contra præſumentem.

Quartò, non incurrit Confeſſarius abſoluens Epiſcopales caſus reſeruatos à iure, quales ſunt etiam poſt Tridentinum Papales occulti, vt tradunt *Sanchez* & noſter *Crouſers* citati tom. 1. noſtræ Summæ *verb. Caſus reſeruatus. num 39.* quos ſequuntur *Marullus* & *Diana* ibidem citati.

Sanchez. Crouſers. Marullus, Diana.

Quintò, non incurrit abſoluens cenſuras Epiſcopales, quia decreta loquuntur tantùm de caſibus, non habent ergo locum in cenſuris, nam à diuerſis non fit illatio, ex *l. Papinianus, ff. de minor. Cap. ad audientiam, de decimis*, quamuis contrarium ſit etiam probabile, quod tenet Marullus apud Dianam *p. 3. tract. 2. reſol. 13.*

Marullus, Diana.

Sextò, ab hac excommunicatione poſſunt abſoluere Epiſcopus, modò ſit occulta, ex Tridentino. Deinde Regulares priuilegiati tam intra quam extra Italiam, nam pro Italia à iuriſdictione regularium videntur ſolùm excepti caſus Bullæ Cœnæ, & ſex alij caſus ſecundi decreti, inter quos non videtur comprehenſa præſens excommunicatio, caſus illos ſex vide *to. 1. noſtra ſumma v. Caſus reſeruatus nu. 36. § Regulares approbati edit. 3.*

16. Abſolutio data à cenſuris abſolutè per priuilegia aut iubilæum, in vtroque foro habet locum; quia cùm verba ſint abſoluta & gratiam contineant, ampliandæ ſunt, potiùs quam reſtringenda. At verò quando priuilegium datur cum limitatione, v. g. pro foro conſcientiæ, non amplius valet: quia Pontifex pro ſuo arbitrio poteſt non plus concedere, & ideò

ideò ſi priuilegium reſtringit, non plus valet, quàm ſonat. Hinc quando poteſtas conceditur abſoluendi à cenſura pro foro conſcientiæ tantùm, illa limitatio operatur duo, id eſt, vt non obſtante tali abſolutione & pœnitentiâ impoſita in foro pœnitentiæ, poſſit Eccleſiaſticus Iudex de illo delicto cognoſcere, & ſatisfactionem accommodatam foro publico imponere. *Secundò* neceſſe eſt, vt licet non iteretur illa abſolutio, ſaltem declaretur, ac comprobetur in foro exteriori. Vt autem talis abſolutio nota ſit in foro exteriori, ſufficit, vt ille, qui abſoluit, de ea fidem faciat, & ſi neceſſe ſit, poteſt illius iuramentum poſtulari. Plura verò teſtimonia, ſunt aliena ab omni ratione exigere: & quando Confeſſor fidem hanc præbet per ſeipſum, debet tale ſcriptum dare pœnitenti, coram teſtibus & tabellione, qui in altera ſcripturæ facie, fidem faciat illud ſcriptum eſſe talis Sacerdotis: vnde Iudex contra ita abſolutum, non tenetur procedere, & ſi velit eſſe benignus, poteſt hanc abſolutionem etiam pro foro exteriori acceptare & repellere accuſationem fiſcalis accuſantis crimen, vel in ferenda ſententia contra reum temperare rigorem & pœnam. Vide Suarez *de cenſur. diſp. 7. ſect 5.* Coninck *de Sacram. diſp. 14 dub. 16 nu. 227.* Henriquez *lib. 13. c. 27. nu. 5.* circa finem, Dianam *p. 2. tract. 11. reſol. 26. & p. 5. tract. 9. reſol. 13.*

Suarez. Coninck. Henriq. Diana.

17. Qui Religionem ingreditur, poteſt abſolui à Superiori Religionis à cenſura lata, per ſuum Epiſcopum, per ſententiam generalem, aut per ſtatutum. Ratio eſt, quia ſuperior Religionis eſt tunc eius Ordinarius: ſecus dicendum de abſolutione cenſuræ latæ per ſententiam propriam & ſpecialem: tunc enim ratione litis, ſeu cauſæ inchoatæ, iuriſdictio permanet apud priorem Iudicem: at verò aliquæ Religiones poſſunt ex priuilegio abſoluere ab omni cenſura ab homine lata contracta ante ingreſſum Religionis, dummodò talis cenſura generaliter lata ſit: quod priuilegium datum fuit Fratribus Minoribus à Clemente IV. poſtea ab aliis Pontificibus confirmatum; vel de nouo aliis Religionibus conceſſum, & multæ aliæ fruuntur illo per viam communicationis. Quod intellige de ſententia generali, & non ſpeciali: quia nunquam comprehenditur ſub his priuilegiis. At verò cenſura lata pro particulari delicto, occulto tamen quoad perſonas, poteſt abſolui ratione horum priuilegiorum; in quas confusè tantùm & ſub ratione delinquentium lata ſit, poſt ſatisfactionem exhibitam parti. Ita Suarez *de cenſur. diſp. 7. ſect. 2. §. ad tertium dubium, num. 28.*

Suarez.

18. Si Parocho petenti per litteras poteſtatem abſoluendi aliquem à caſibus reſeruatis in quos inciderat, ea facultas concedatur, & pœnitens rurſus incidat in ſimilem caſum antequam confiteatur, poteſt etiam ab illo abſolui: quia petitio & conceſſio tacitè intelliguntur de ſimilibus caſibus, qui poſt illam conceſſionem claubus bonâ fide ſubiicientur, quod etiam videtur verum, licet Parochus ſcripſiſſet non eſſe periculum relapſus; quia eo non obſtante conceſſio eſt abſolutè facta, & independenter ab eo quod non relaberetur, neque id adiiciendo Parochus bonâ fide decepit Epiſcopum. Ita Præpoſitus *in 3. part. quæſt 9. de reſeruatione caſuum dub. 5 num. 22.*

Præpoſitus.

19. Confeſſarius petens à Prælato facultatem abſoluendi à reſeruatis pro vna vice in hac forma, *Eſt pœnitens qui indiget veſtrâ auctoritate, placetne vobis illam mihi dare?* poteſt illâ vti pro ſeipſo. Secus verò ſi dicat, Rogo te, vt des mihi facultatem tuam pro vna perſona. Ratio eſt, quia in generali ſermone comprehenditur etiam perſona ſua, quando loquês concipit verba in perſona alterius. Ita Floronus *de caſ. reſerv. part. 1. cap. 3. §. 1. nu. 3.* Vnde Villalobos *tom. 1. tract. 9. diſſ. 64. num. 4.* aſſerit, quòd cum ſuperior facultatem non limitat, intelligitur illam concedere tam actiuam, quàm paſſiuam.

Floronus. Villalob.

20. Epiſcopus reſeruare poteſt excommunicationem Summo Pontifici, in quo caſu ipſe non poteſt illam abſoluere. Poteſt tamen Archiepiſcopus. Ratio eſt, quia licet reſeruatio facta per Ordinarium Papæ, tollat ipſo iure poteſtatem abſoluendi vigore renunciationis factæ, tamen hoc non poteſt præiudicare Metropolitano, quin in caſibus in iure permiſſis non valeat abſoluere. Tum quia licet quis poſſit renunciare fauori ſuo, non tamen in alterius præiudicium. Sic Vaſſallus non poteſt in præiudicium domini abſque eius conſenſu alterius iuriſdictioni conſentire. Sic Clerici non poſſunt renunciare eorum priuilegio. Sic Pater non poteſt renunciare donationi inofficioſæ. Sic iuramentum non firmat contractum in præiudicium tertij. Ita Nouarius *in quæſt. Forenſibus p. 2. q. 66. per totam.*

Nouarius.

21. Quidam Doctores contendunt quemlibet Sacerdotem habere de iure diuino facultatem abſoluendi à peccatis venialibus, adeoque non poſſe ab Eccleſia illam auferri: & ideò non poſſe peccata venialia, ac ſimiliter mortalia aliàs ritè abſoluta, amplius ab Eccleſia reſeruari. Ita Capreolus, Paludanus, Sotus, Caietanus, Vaſquez apud Dianam *part. 8. tract. 1. reſol. 55.* Bordonus *in conſil. regul. tom. 1. reſol 36. quæſt. 20. num. 57.* putat ſimplices Sacerdotes non habere poteſtatem abſoluendi à venialibus, niſi ſint ab Epiſcopo approbati: quia ad abſoluendum à peccatis etiam venialibus requiritur poteſtas iuriſdictionis: hanc autem nemo habet, niſi ex præuia approbatione Epiſcopi, vnde ſine approbatione non tenet abſolutio, ergo ad abſoluendum à venialibus requiritur approbatio. Hæc ſententia eſt contra communem. Dicendum eſt ergo. Contra primam ſententiam, ſimplices Sacerdotes non habere poteſtatem abſoluendi à venialibus ex iure diuino, ſed immediatè ab Eccleſia; quia hoc Sacramentum, ſiue verſetur circa mortalia, ſiue circa pœnalia, ſemper exercetur per modum iudicij, atque adeo, in miniſtro ad valorem abſolutionis requiritur iuriſdictio ordinaria vel delegata, vt vult Tridentinum *ſeſſ. 14 cap. 7.* ſed in Sacerdote ſimplici, non eſt iuriſdictio ordinaria, cùm ipſe non ſit Paſtor, nec Prælatus; ergo ſolum habet iuriſdictionem delegatam ab eo, qui habet Ordinariam, nempe, à Summo Pontifice, qui eam poteſt pro libito validè auferre, & aliquando licitè, & prudenter aufert ab excommunicato vitando ac degradato: quod non poſſet facere, ſi haberent eam iuriſdictionem iure diuino: quia etſi poſſet tunc efficere vt illicitè abſoluerent; non tamen poſſet efficere, vt inualidè abſoluerent pœnitentem bene diſpoſitum. Ex quo plane apparet hanc facultatem & iuriſdictionem pendere ab Eccleſia, poſſeque iuſtè auferri. Sed quia iam ab vniuerſali Eccleſia omnibus Sacerdotibus collata eſt, non poteſt ab vllo Prælato Papâ inferiore cuiquam auferri, aut limitari, niſi infligendo & publicè denunciando excommunicationem, iuxta ſuas regulas & ſimiliter ſuſpenſionem; aliàs ſolus Papa poteſt illam auferre. Ita ex communi Lugo *de pœnit. diſp. 18. ſect. 3.* Caſpenſis *tom. 2. tract. 14. diſp 5. ſect. 3.* Suarez *de pœnit. diſp. 26. ſect. 5.* & alij.

Diana. Bordonus. Conc. Trid. Lugo. Caſpenſis. Suarez.

22. Occaſio propinqua, à qua neceſſario ſe debet abſtinere pœnitens, & ſtatuere in animo nunquam ſe ea vſurum, vt abſolui poſſit, eſt omnis illa, quæ eſt peccatum mortale: aut eſt talis occaſio peculia-

culiaris, quâ credit, vel credere debet Confessarius, vel pœnitens, nunquam vel rarò se vsurum ea sine peccato mortali bene perpensis eius circumstantiis. Dixi, *quod in se est peccatum mortale*, ad includendam officium & artem Necromantiæ, & fœneratoris, & alias artes, quæ exerceri nequeunt sine peccato mortali. Dixi, *paulla ut cessatio*, ad excludendam generalem occasionem, quam præbet officium, ars, aut exercitium: quo pertinuit dicere vt: credibile tamen nos aliquando in eo peccaturos mortaliter: hæc non impedit, ab absolutione. Dixi, *Confessarius aut pœnitens*, quia tutis est, quòd alter eorum credat, aut debeat credere quòd est talis occasio. Dixi, *nunquam aut raro*, ad includendum eas occasiones, quibus tur sime vtimur sine mortali. Dixi, *perpensis circumstantiis*, vt hinc inde arcemus, quòd hæ possint esse causæ, vt eadem occasio sit talis vni pœnitenti & non alteri. Ratio horum est, quod nemo possit absolui, nisi statuat, nunquam se in posterum peccaturum mortaliter & consequenter vitaturum occasionem, quæ ex tali merito aut peculiaris huiusmodi, quam credat probabiliter peccati mortalis causam tibi fore.

Sed circa hæc est aduertendum, quòd occasio, seu periculum, vt conflatur proximum, debet esse eundem physice aut moraliter; si enim tantum sit probabile, periculum morale non est, nam probabiliter etiam censere poteris periculum nullum subesse. Rationes euidentes allegatam præterminantes sint merè probabiles, mentem non cogunt, sed opinio eligenda committitur optimo voluntatis.

Si ueris ad talem damnum decies, & quinquies peccaueris & quinquies non peccaueris, est probabile, si reuertaris te peccaturum esse, & æquè probabile te non peccaturum esse. Ergo non est periculum proximum. Si octies ueris & septies peccaueris, & semel non peccaueris, est probabilius te peccaturum esse; est tamen probabile te non peccaturum esse. Ratio est, quia octaua pars est grauis, & si septem lapsus te condemnant, constantiùs quam semel habuisti, contra septem lapsus dat grauem auctoritatem, facitque opinionem probabilem. Si nouies ueris & octies fueris lapsus, fcias te exponi periculo proximo, si reuertaris, quia nona pars non est grauis auctoritatis, & ideo improbabile est te, data occasione relapsurum esse: ac per consequens est moraliter eundem hoc est certum, te, si eò redeas, miserrimè peccaturum. Ergo est periculum proximum in tali casu. Ita Caramuel *in reg. D. Benedicti d. sp. 70. n. 1066.*

Caramuel

Periculum cognoscitur ab experientia; quod & optimè notauit Suarez *de charit. d. sp. 9. sect. 1. nu. 8.* vbi sic ait: 'Periculum est in determinata materia, in qua aliquis fragilem se expertus est. Examinare enim, vtrum periculum sit proximum, nihil est aliud, quàm consulere experientiam, & videre vtrum tuæ futuræ conditiones faueat grauis experientia: illa dicenda est grauis, quam non vincit alia plusquam septuplo maior: & hoc cæteris paribus. Quid si mutentur circumstantiæ? tollitur periculum proximum, si non possis iudicium sumi ab experientia. Hinc lux obscuritatibus difficultatibus.

Suarez.

Denique iuxta eundem Suarez, vt aliqua sit moralis occasio proxima peccandi, requiritur, vel vt ex suo genere talis sit, quæ frequenter inducat homines simulis conditionis ad tale peccatum, vel certè vt experimento constet in hoc homine habere talem effectum. Item necesse est, vt illa occasio voluntaria sit, alias enim, quod ex illa nascitur, non erit voluntarium, vnde nec culpabile, & sic quando moraliter euitari non potest, illam non censeri voluntariam, nec assumptam, sed illatam, & ideo non esse aliquid mortale. Id necessitatem quandam vel impotentiam, propter quam non sit homo absolutione indignus. Ita *tom. 4. disp. 31. sect. 3. §. Sed est specialis.* Suarez.

Vide v. Debitor n. 3. Excommunicatio v. n. 4. 5. Excomm. n. nu. 18. & seq. Locum n. 6. Interdictum n. 19. Legatus num. 1. & sequent. Reus n. 3. 6. 7.

ACCEPTIO PERSONARVM.

SVMMARIVM

1 *Quædam notanda recensentur de acceptione personarum in distribuendis publicis officiis in secularibus.*

2 *Quando peccatum acceptionis personarum committatur à Prætoribus, Præsidibus consistorii regiorum, & aliis, quibus commissa est potestas dispensandi officia secularia.*

3 *Quamuis de vigore iuris naturalis secularia officia vendi possint, id tamen non expedit extra casum grauis necessitatis.*

4 *Acceptio personarum in iudiciis damnabilis est & peccatum grauissimum, nec tuti sunt ex conditione pessima pauperes.*

5 *Acceptio personarum habet etiam locum in iudicio, quæ relinquuntur iudicis arbitrio, seu de quibus lex nihil statuit.*

6 *Honores dupliciter considerantur; tum vt aliis exhibeantur huic vel illi personæ: tum vt possint huic vel illi exhiberi.*

7 *Ex peccato acceptionis personarum grauissima oriuntur mala, quæ bonos simul & malos offendunt, & insuper communem vtilitatem enormiter lædunt.*

1. AD iudicandum de acceptione personarum committa in distribuendis publicis officiis secularibus sequentia notare oportet.

Primum est. Conferre indignis eiusmodi officia, non solum peccatum est mortale, sed etiam vt plurimum obligare, tum collatorem ad deponendum constitutum à se in tali officio; tum eundem constitutum ad renunciandum aliquam officium. Ratio est, quia Reip. in eo lædituir, dando ei officialem indignum, cum dignum ex iustitia deberetur: vt ergo tali iniuriæ, prout debet, satisfiat, amoto indigno dandus est dignus. Accedit quod extra collationem nascatur multorum malorum occasio, quæ tollenda est per remotionem causæ ex qua nascitur. Itaque mortaliter peccant non modo conferentes indignis magistratuum officia, sed etiam indigni ipsi, qui suæ indignitatis sibi conscij, talia munera petant, siue retinent: propter iustitiæ numerum distributiuæ violationem, in quam consentiunt: ac propter periculum cui exponuntur agendi contra iustitiam commutatiuam, quando officia annexam habuerint iurisdictionem, vt Gubernatorum, Iudicum, Prætorum & cæterorum ad genus magistratuum. Nihilominus, si quis esset de meritis de Principe probeque fieret nolle fieri iniustitiam in exercitio alicuius officij, posset talis in eo tolerari, diligenter prius adhibito, qui suppleat defectum doctrinæ eius: vel certe dari ei Vicarius, qui officio illi congruam stipendiorum portionem.

Lugo. Caspensis. Suarez.

Secundum est. In electione ad officia secularia maiorem rationem habendam esse vtilitatis reipublicæ quod spectat ad iustitiam commutatiuam; quam meriti

meriti perſonarum, quod ſpectat ad diſtributiuam: ita vt ille alijs ad officium obtinendum habendus ſit dignior, qui cum maiore vtilitate Reipub. illud obiturus cognoſcitur. Ratio eſt, quia talia ſunt principaliter inſtituta ad vtilitatem Reip. eaque de cauſa, in hac honores ac ſtipendia attributa ſunt ſuſcipientibus illa.

Tertium eſt. Ex collatione publici officij facta indigno præter peccatum, oriri obligationem damna inde ſecuta reſarciendi, tam ab eo qui officium cõtulit, quàm ab ipſo indigno qui damnum intulit. Limita niſi Reſpub. contulerit officium indigno: quia ſi ipſa damnum inde patiatur, debet illud ſibi imputare quæ tali periculo ſe ſponte expoſuerit; cùm non fiat volenti iniuria. Secus verò eſſet, ſi indignus per vim curaſſet officium ſibi à Repub. conferri: aut eam per malitiam læderet in aliquo: in quo læſurum eſſe, ea non potuit probabiliter exiſtimare; in vtroque enim hoc caſu is tenetur reſarcire damnum ipſi Reipub. illatum. Præterea tenetur reſarcire damnum per iniuſtitiam illatum ciuibus, quantumcunque reſpub. ei officium ſponte contulerit. Non enim ea de cauſa excuſatur, vt nec ſi Princeps contuliſſet.

2. Peccatum acceptionis perſonarum ratione infidelitatis committitur à Proregibus, Prætidibus conſiliorum regiorum & aliis, quibus à Regibus aliiſve Principibus non agnoſcentibus ſuperiorem in terris ſuis, commiſſa eſt poteſtas & cura diſpenſandi officia ipſa ſæcularia, quando dignioribus præferunt minus dignos. Nam non eſſe eam mentem illorum quorum vices gerunt, debent probabiliter præſumere, cùm contrarium ſit melius, ac magis deceat bonum Principem: moraliter enim certum eſt, quòd Princeps ipſe ad id teneatur, quia ſcilicet aliàqui negligerentur ſtudia & alia exercitia, quibus ciues redduntur idonei ad publica munia obeunda. Etenim Rex etiam ex iuſtitia tenetur vitare damnum reipub. vtpote qui ab ea poteſtatem & imperium accepit in vtilitatem illius, non in detrimentum.

3. Quamuis de rigore iuris naturalis, ſæcularia ipſa officia vendi poſſint, id tamen, non expedit extra caſum grauis neceſſitatis. Ratio prioris eſt, quia reſpublica libera, poteſt ſeipſam vendere in caſu grauis neceſſitatis, vt patet ex eo quod Geneſis 47. Ægyptij ſe & ſuam terram vniuerſam graui neceſſitate famis preſſi, vendiderunt Pharaoni, mente Sancto Ioſeph. Multo magis igitur poteſt officia ſua vendere, quæ ſunt bona quædam publica pretio æſtimabilia, vtpote lucroſa, nec ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa. Malis autem quæ poſſunt inde oriri, prouideri poteſt curando, vt non niſi dignioribus magiſque idoneis idque moderato pretio vendantur. Ratio poſterioris eſt, quia vix poteſt impediri, quin ille qui emit conetur lucrum quærere, non ſolùm ad ſuſtentationem ſuam, ſed etiam ad recuperationem pecuniarum, quas pro officio ſoluit: quin item plerumque ambitioſis, nec ſatis dignis eadem officia iſto modo dentur: ac quin ea de cauſa langueant ſtudia virtutis ac literarum: ita vt meritò iure ciuili prohibita ſit huiuſmodi venditio *in Authent. collat. 2. tit. 2. cap. 1.*

4. Acceptio perſonarum in Iudicijs damnabilis eſt, vt habetur Prouerb. *cap.* 18. illis verbis: *Accipere perſonam in iudicio non eſt bonum.* Neque iuſtificatur ex conditione perſonæ pauperis, cum dicatur Exodi 23. *Pauperi quoque non miſereberis in iudicio.* Hinc de regulis iuris in 6. abſolutè dicitur. *In iudicio non eſt perſonarum acceptio habenda.* Peccatum autem eſſe grauiſſimum, patet: quia monſtro ſimile eſt, vt iudex, qui peculiariter eſt iuſtitiæ cuſtos, iuſtitiam labefactet: prout ei contingit cùm in iudicijs ferendis non procedit ſecundùm Ordinem iuſtitiæ diſtributiuæ exigentis vt quanto quis dignior eſt fauorabiliori ſententiâ, tanto magis faueatur ei in iudicio: ita vt iudex contra eiuſmodi Ordinem faciat (ideoque perſonarum acceptor ſit) qui alicui indigno patrocinatur ſententia fauorabili, quæ alteri digniori debebatur. Hæc autem dignitas penſanda eſt ſecundùm cauſæ æquitatem vniuſcuiuſque perſonæ.

Reg iur.

5. Acceptio perſonarum habet locum in iis etiam iudicijs, quæ relinquuntur Iudicis arbitrio, ſeu de quibus lex nihil ſtatuit. Ratio eſt, quia non minus teneretur Iudex ſeruare Ordinem iuſtitiæ diſtributiuæ in iudicijs, ſi nullę eſſent ei præſcriptæ leges, quàm nunc tenetur conſtitutis legibus. Nam auctoritas ipſi conceſſa eſt ad exercenda iudicia, ea diſpenſando tanquam communia bona, ac vindicando ab iniurijs illos de communitate, qui eaſdem patiuntur.

6. Honores, qui in republ. ſingulis pro dignitate exhiberi poſſunt & debent, dupliciter conſiderantur: tum vt actu exhibentur huic vel illi perſonæ: tum vt poſſunt huic vel illi exhiberi: priore modo non ſunt bona communia, in quibus acceptio perſonarum habet locum, cùm ſint particularia ac propria ſingularum perſonarum quibus exhibentur. Poſteriore modo vero bona ſunt communia morali æſtimatione; ex qua prouenit vt debeant pro cuiuſque dignitate diſtribui; quod ſi fiat, violatâ iuſtitiæ diſtributiuæ regulâ, committitur peccatum acceptionis perſonarum.

7. Ex peccato acceptionis perſonarum grauiſſima ſæpius oriuntur mala, quę bonos ſimul & malos offendunt; bonos quidem, dum ipſi videntes iniquos defendi, vel tolerari ab his, qui eos punire debuerant, exaſperantur, exulcerantur & ad malum quandoque prouocantur. Malos, quia vel rigidius quàm par eſt tractantur à Prælato, & tunc contingit, quod contigit Lamech cæco ſagittario, qui intendens occidere feram, occidit hominem; ſic incauti Prælati, dum peccati feram volunt interimere, animam ſubditi pèrdunt.

Neque hoc vitium acceptionis perſonarum bonos & malos tantùm offendit in particulari, ſed inſuper communem vtilitatem adeo enormiter lædit, vt meritò Antiſthenes interrogatus, quæ res potiſſimum ciuitatibus exitium protenderet? *Cùm ea*, inquit, *inter bonos & malos nullum fuerit diſcrimen.* Sentiebat quidem vir prudens, rempublicam eſſe non poſſe in qua leges, quæ flagitioſis pœnas decernunt, locum non habent. Antiſthen.

ACCVSATIO.

SVMMARIVM.

1 *Qui in accuſatione tergiuerſatur, incidit in pœnam quinque librarum auri, fiſco applicandarum quando crimen eſt publicum; ſecus ſi ſit priuatum.*

2 *Licet quiuis de populo admittatur ad accuſandum de delicto publico: excipitur tamen perſona accuſare prohibita.*

3 *Perſonæ legibus prohibitæ accuſare, admittuntur ad accuſandum, quando proſequuntur ſuam aut ſuorum iniuriam.*

4 *Quando accuſatio pertinet ad aliquos præciſè qua-*

rum

tem actio quam habebat defunctus, tranſit ad hæredes.

5. *Conſanguinei omnes vſque ad quartum gradum computandum iuxta ius Canonicum, dicuntur proſequi ſuorum iniuriam: vnde cogi non poſſunt ferre teſtimonium contra illos: ſicut nec vxor reſpectu mariti, ac maritus reſpectu vxoris.*

6. *Clerici non poſſunt criminaliter accuſare, etiam ſuorum iniuriam proſequendo, ſiue pœna ſanguinis ſit imponenda, ſiue non, aliàs ſi regulares ſunt: conqueri tamen poſſunt apud iudicem: modò proteſtentur ſe non intendere pœnam ſanguinis.*

7. *De iure communi ſolùm admittuntur proximiores in gradu, quando ipſi accuſare volunt.*

8. *Si vxor defuncti concurrat ad accuſandum cum alio conſanguineo mariti, aut cum hæredibus extraneis, hæredes mariti admittendi ſunt cum illa ad accuſandum.*

9. *Quando pater vxorem interfeciſſet ex quâ filius communis remaneret: niſi filius in eo euentu patrem accuſare non teneatur, admitti tamen poteſt ad accuſandum, ſi velit.*

10. *Si filius defuncti aut alius conſanguineus interfectori remiſſionem concedat, aut illum accuſet, non cenſetur eo ipſo adire hæreditatem defuncti.*

11. *Filius ſpurius, aut aliter illegitimus licet admittatur iure ſanguinis ad accuſandum mortem patris: titulo tamen hæredis non admittitur, niſi legitimetur.*

12. *Si Religioſus patrem habens iniuſtè interficiatur, non ad patrem, niſi in defectum Monaſterij, ſed ad Monaſterium pertinet accuſare eam mortem, eam remittere atque circa illam tranſigere. Quando autem filios legitimos hæredes in ſæculo reliquit, ad ipſos ſimul cum Monaſterio pertinet accuſare, &c.*

13. *An Prælati regulares poſſint abolere actuſationem coram ipſis factam aduerſus Religioſum ſubditum.*

14. *An Regulares poſſint accuſari à laicis vel à Religioſis alterius Ordinis.*

15. *Accuſatore mortuo, quando aliquis alius poſſit proſequi accuſationem, quando non.*

1. QVI accuſationem criminalem intentauit, & poſt litem conteſtatam omninò propoſuit acculationem non proſequi, non interueniente abolitione eius criminis, vel priuata iudicis videlicet auctoritate factâ, vel publicâ, facta Principis, aut legis auctoritate, quod iura tergiuerſari in accuſatione appellant, in Turpillianum incidit, hoc eſt, in pœnam quinque librarum auri, fiſco applicandarum, ſi crimen, de quo accuſabat, erat publicum, vt habetur *l. 4. §. vlt. ff de prauaric. & l. 1. C. ad ſenat. conſul. Turpill.* Si verò crimen, de quo accuſabat, erat priuatum, non incidit in eam Turpilliani pœnam, ſed punitur pœnâ iudicis arbitrariâ pro criminis qualitate, vt habetur *l. ſi quis repetere § ſi Stellionatus, ff. ad ſenat. conſult. Turpill.* & conſentit communis Doctorum ſententia.

2. Licet quiuis de populo admittatur ad accuſandum de delicto publico; excipitur tamen, niſi ſit perſona accuſare prohibita: talis quippe non admittitur. Eiuſmodi ſunt mulier, minor, infamis & alij. Notandum tamen eſt, quod in locis, in quibus iudices ex ſuo officio procedunt ad cognoſcendum de omnibus criminibus, quamuis eiuſmodi prohibiti accuſare non admittantur ad accuſandum, iudices tamen habitâ notitiâ eorum criminum ex horum oblata accuſatione, delatione, aut querimonia, procedere poſſunt viâ inquiſitionis ad illa detegenda ac puniendo, & proinde in praxi quo ad effectum punitionis perinde res ſe habet ac ſi prædicti etiam ad accuſandum admitterentur. Ita Iul. Clarus *lib. 5. ſentent. §. vlt. q. 14.* Clarus.

3. Perſonæ legibus prohibitæ accuſare, admittuntur nihilominus ad accuſandum, quando proſequuntur ſuam, aut ſuorum iniuriam, idque ſiue crimen ſit publicum, ſiue priuatum. Vnde ſi iniuria facta ſit mulieri, minori, aut infami, admittuntur ad accuſandum proſequendo eam ſuam iniuriam. Si item delictum eſt publicum, vt homicidium, aut eſt quoduis aliud, & is, qui iniuria fuit illo affectus, ſit mortuus, permittitur vxori & conſanguineis, aut hæredibus, tam maſculis, quàm fœminis, eſto minores ſint, aut infames, accuſare proſequendo eam ſuorum iniuriam. Item, quando actio iniuriarum ad hæredes tranſit, tunc hæredes, ſiue maſculi ſint, ſiue fœminæ, & ſiue minores ſint, aut infames, permittuntur accuſare eam ſuorum defunctorum iniuriam proſequendo. Quando itaque lege prohibentur aliqui accuſare, id non intelligitur ſuam aut ſuorum iniuriam proſequendo, ſed aliorum ac boni communis iniuriâ ac læſionem proſequendo. Ita habetur *l. hi tamen omnes, ff. de accuſat. l. non prohibentur, & duabus ſequentibus, Cod. de iis, qui accuſare non poſſunt.* Affirmatque communis Doctorum ſententia, quam referunt & ſequuntur Clarus *quæſt. 14 citata, num. 2.* Anton. Gomez *tom. 3. variar. reſolutionum cap. 1. numero trigeſimo ſecundo.* Clarus. Ant. Gomez.

4. Quando accuſatio pertinet ad aliquos præciſè quatenus actio, quam habebat defunctus, tranſit ad hæredes; tunc actio, proſequutione eius actionis, ſolùm pertinet ad hæredes, quicumque illi ſint, maximè ſi acculatio ſit ciuilis ad pœnam pecuniariam parti applicandam. Ratio autem eſt, quoniam ſolo titulo hæredum, repræſentantium perſonam defuncti ea actio in eos deriuatur. Quando tamen partem aliquam eius pœnæ habiturus eſſet aliquis alius, propter ius quod ad illam habebat, tunc ad eum etiam ſpectaret proſequutio eius actionis, aut certè ſine conſenſu illius remitti ab hæredibus non poſſet pœna, quoad portionem ex ea pœna quæ illum contingeret.

Quando autem accuſatio eſſet ad pœnam pro delicto in defunctum commiſſo, non quidem, quæ ideirco ad aliquos deriuaretur, quod defunctus litem eſſet conteſtatus antequam ex hac vita decederet, ſed quia delictum eſſet publicum, vt in homicidio cernitur, aut quia priuilegium id crimen haberet, vt quiuis de populo accuſare de illo poſſet; tunc licet quiuis de populo de eo poſſet accuſare, nihilominus quibuſdam peculiariter incumbit accuſare de eo crimine tanquam proſequentibus ſuorum iniuriam: atque hi non ſolùm præferuntur cæteris, ſed etiam condonantibus his veniam, nullus alius de populo poteſt accuſare, ſaltem de iure Caſtellæ & Lusitaniæ regnorum: tametſi iudex ex ſuo officio proſequi accuſationem poſſit.

5. Conſanguinei omnes vſque ad quartum gradum computandum iuxta ius Canonicum, atque adeo vſque ad octauum gradum computandum iuxta ius Ciuile, dicuntur proſequi ſuorum iniuriam. Item cauſam ſuorum proſequi dicuntur, neque cogi poſſunt ferre teſtimonium aduerſus illos in cauſa criminali ſocer, aut ſocrus comparatione generi, aut nurus, & è contra; vitricus ac nouerca

nonerca comparatione priuigni, & è contrario; libertus comparatione patroni & vxoris patroni, & filiorum patroni, & è contra hi comparatione ſuorum libertorum. Ita habetur *l. lex Iulia, ff de teſtibus.* Et communis Doctorum ſententia Vxor etiam comparatione mariti, & maritus comparatione vxoris, non coguntur ferre teſtimonium.

Quando item aliquis carens deſcendentibus & aſcendentibus, hæredem inſtituit aliquem extraneum, aut aliquos extraneos, tunc tales hæredes proſequi dicuntur homicidium defuncti: imò præponuntur in accuſatione conſanguineis defuncti: non verò vxori aut marito, quando vxor fuit iniuſtè interfecta. Ratio autem cur huiuſmodi hæredes præponantur in accuſatione conſanguineis defuncti, eſt: Tum quia de iure communi tenentur accuſare mortem defuncti, alioquin hæreditatem fiſco amittunt: Tum quia defuncti perſonam repræſentant, quod non conuenit iis conſanguineis, qui hæredes interfecti non
Gomez. ſunt. Ita Anton. Gomez *3. tom. variar. reſol. cap. 3. num. 64.*

6. Clerici accuſare non poſſunt criminaliter, etiam ſuorum iniuriam proſequendo, ſiue pœna ſanguinis veniat imponenda, ſiue non, *cap. Sacerdotes 2. queſtione 7.* Gomez *citatus cap. 1. numero trigeſimotertio.* Quòd ſi accuſent & ſequatur interfectio, aut mutilatio accuſati in pœnam, irregularitatem incurrunt. Conqueri tamen coram iudicibus ſæcularibus poſſunt, & petere coram illis competentem emendam, & vt prouideatur ne quid ſimile in poſterum ipſis fiat, de iniuriis ipſis factis, aut quæ in ipſos redundant, & damnis ipſis & ſuis Eccleſiis illatis, eſto videant procedendum eſſe vſque ad pœnam mortis, modò proteſtentur, non intendere ac velle, vt pœna ſanguinis infligatur. Ita habetur *cap. 2. de homicid. in 6.* & docent Auctores citati *in tomo 1. noſtræ ſummæ verb. Irregularitas V. numer. 12.*

7. De iure communi ſolùm admittuntur ad accuſandum proximiores in gradu, quando ipſi accuſare volunt, alioquin admittuntur, qui poſt illos ſunt proximiores, ſatisque eſt ſolos proximiores in gradu condonare remittereve delictum. Quod ſi multi ſint æquè propinqui in eo gradu, vt ſi ſint multi filij defuncti, aut multi fratres, tunc omnes æqualiter admittunt ad accuſandum, neceſſariumque eſt, vt omnes condonent, ſeu remittant delictum. Ita Iul Clarus *lib. 5. ſententi. §. vlt. queſt. 14. num. 6. & qu. 58. num. 21.* Couarruuias *2. var. reſol. cap. 10. num. 5.*
Clarus. Couarr.

8. Si vxor mariti defuncti concurrat ad accuſandum cum aliis conſanguineis, aut cum hæredibus illius extraneis, quando illa ſola non eſſet hæres mariti; hæredes marito ex teſtamento, aut ab inteſtato admittendi ſunt vna cum illa ad accuſandum, neque ſufficit remiſſio talis vxoris, ſine remiſſione hæredum, neque remiſſio hæredum abſque remiſſione vxoris. Ratio eſt, quia vxor, qua vxor, non repræſentat perſonam mariti, vt illam repræſentant hæredes, eaque de cauſa hæredes vicem perſonæ mariti ſubeunt in accuſando, & in remittendo poſt mortem illius. Tam ergo vxor, quàm hæredes mariti, admittendi immediatè ſunt ad accuſandum: vxor quidem tanquam perſona magis coniuncta marito, quàm cæteri: hæredes verò tanquam repræſentantes defunctum, & vicem illius poſt eius mortem ad omnia ſubeuntes: eaque de cauſa, tam vxoris, quàm hæredum, neceſſaria eſt remiſſio.

9. Quidam contendunt, quando pater vxorem interfeciſſet, ex qua filius cõmunis remaneret, tunc filium admittendum non eſſe ad accuſandum patrem, ſed admittendos eſſe cõſanguineos alios vxoris interfectæ: ſufficere nihilominus remiſſionem filij, qua patri remittat mortem matris, neque neceſſariam eſſe tunc remiſſionem conſanguineorum talis mulieris interfectæ. Cæterum quamuis non teneatur filius in eo eõentu patrem accuſare; non tamen videtur, cur admitti non poſſit ad accuſandum ſi accuſare patrem velit. Æquitas verò poſtularet, vt ad remittendam vxoris mortem non ſufficeret remiſſio filij, qui ex affectu ad patrem minimo negotio illi remittet mortem matris, ſed ſimul neceſſaria eſſet remiſſio conſanguineorum aſcendentium aut collateralium talis vxoris, qui proximiores tali vxori eſſent in gradu: & vt illi ad accuſandum admitterentur, eſto filius accuſare etiam vellet. Vide Iul. Clarum *lib. 5. ſentent. §. vlt. q. 58. num. 31.*
Clarus.

10. Si filius defuncti aut alius, cui Iure ſanguinis competebat accuſare interfectorem, remiſſionem illi cõcedat, aut illum accuſet, non cenſetur eo ipſo adire hæreditatem defuncti, ſiue is hæres eſſet defuncti ex teſtamento, ſiue ab inteſtato. Ratio eſt, quia cùm accuſare ac remittere poſſit ſolo iure ſanguinis, ex eo capite cenſetur id efficere, quando aliud non conſtat aliunde, ac proinde non cenſetur exercere actum hæredis, quo tacitè cenſeatur adire hæreditatem. Ita communis Doctorum ſententia, quam refert & ſequitur Clarus *cit. q. 58. num. 33.*
Clarus.

11. Filius ſpurius, aut aliter illegitimus admittitur iure ſanguinis ad accuſandam mortem patris, neceſſariaque eſt eius remiſſio, quatenus aliorum conſanguineorum, qui in eodem gradu fuerit cum defuncto, fuerit ſolo iure ſanguinis neceſſaria. Quatenus autem hæres non fuerit defuncto, quia incapax hæreditatis, neque priuilegio legitimationis fuerit hæres, non admittitur ad accuſandum titulo hæredis, neque eo titulo neceſſaria aut valida eſt illius remiſſio.

De iure autem communi, niſi hæredes exiſtant interfecto, vel priuilegio legitimationis, vel alia ratione, vt quia ſuccedit illegitimus matri interfectæ, non competit illi accuſare, neque neceſſaria, aut valida erit illius remiſſio, niſi in defectum hæredum, qui accuſent, & niſi proximiores in gradu & æquè proximi ſint defuncto, ac alius, qui ſolo iure ſanguinis ad accuſandum admittitur. Atque iuxta hæc accipienda ſunt, quæ Antonius Gomez
Gomez, & Iulius Clarus *queſt. 58. citata, num. 26.* hac de re Clarus. affirmant.

12. Religioſus, eſto patrem habeat, ſi tamen interficiatur iniuſtè, non ad patrem, niſi in defectum Monaſterij, ſed ad Monaſterium in quo erat Religioſus pertinet accuſare eam mortem, eam remittere, atque circa illam tranſigere: quia ius totum eius Religioſi tranſiuit in Monaſterium, & per profeſſionem egreſſus eſt patriam poteſtatem. Quando verò interfectus filios legitimos in ſæculo reliquit, qui nihil impediente profeſſione illius, verè ſunt hæredes illius, videtur ſimul pertinere accuſare circa eam mortem ad Monaſterium & ad filios, atque vtrorumque neceſſariam eſſe remiſſionem. Pertinet id quidem ad Monaſterium propter ea, quæ proximè dicta ſunt: ad filios verò, non ſolùm propter arctum ius ſanguinis, ſed etiam quia verè hæredes exiſtunt patri, ipſumque repræſentant. Ita Iulius Clarus *q. 58. citata, n. 25.*

13. Prælati regulares ſupremi, quales ſunt Generales, Prouinciales, &c. abolere poſſunt accuſationem

nem eorum ipſis factam aduerſus Religioſum ſubditum, aut impedire accuſatorem, ne illam proſequatur, modò id faciant ex iuſta cauſa, nec non citra ſcandalum & accuſatio facta ſit à Religioſo ipſis reſpectiuè ſubdito. Ratio eſt, quia ſupremus Princeps poteſt iuſta de cauſa, & modò citra ſcandalum fiat, tum à principio abolere accuſationem, tum impedire accuſatorem, ne illam proſequatur: & hoc, ſiue accuſatio ſit de iniuria publica, ſiue de priuata, dummodò alia via reſtituantur damna, quæ fortè illata ſunt accuſatori. Tum quia Princeps ſupremus poteſt diſpenſare in lege, & poteſt euenire caſus, in quo expediat, quòd diſpenſet, verbi gratia, ſi qui petitur damnandus ſit morte, & ſit valde vtilis bono communi. Quæ doctrina ſine dubio poteſt applicari proportionaliter ad præſentem caſum, & colligitur ex Sanchez *lib. 6. conſil. cap. 4. dub. 1. num. 6.* Rodriguez *tom 2. qq. regul. quæſt. 7. art. 4.* Pellizzario *in Man. regular. tract. 9. cap. 4. num. 88.*

Sanchez. Rodriguez. Pellizzarius.

14. Regulares accuſari non poſſunt à laicis, niſi in caſu, quo ſuam, aut ſuorum iniuriam proſequantur. Ratio eſt, quia accuſator & accuſatus debent eſſe eiuſdem fori; cùm accuſator iuxta ſacros Canones teneatur ad pœnam talionis caſu quo defecerit in probatione criminis delati, & aliàs talis pœna à iudice regulari infligi non poſſit in laicos, aut Clericos ſæculares modo dicto deficientes contra Religioſum ab ipſis accuſatum. Propter hanc rationem Religioſus vnius Religionis accuſare non poteſt Religioſum alterius Ordinis, niſi ſuam, aut ſuorum iniuriam proſequatur: in quo caſu ſi Religioſus accuſator deficeret in probatione, puniendus eſſet, ſiue à proprio ſuperiore, ſiue à Prælato Religioſi accuſati, cui Prælato Religioſus accuſator fieret ſubditus ratione delicti: ſicque inter dictos Superiores daretur locus præuentioni: vt euenit in delictis mixti fori. Ita Lezana *tom. 1. cap. 27. num. 25.* referens excommunicationem latæ ſententiæ à Leone X. in fauorem Ordinis Prædicatorum prolatam contra Religioſos, qui alios eſuſdem ſui Ordinis, ex quauis cauſa conueniant coram iudice externo, imò & contra ipſum Iudicem, ſi admittat talem conuentionem. Vide Rodriguez *loco citato, art. 7.* Pellizzarium *loco cit. num. 87.*

Clarus. Rodriguez. Pellizzarius.

15. Accuſatore mortuo poteſt aliquis alius proſequi accuſationem, ſi compareat intra 30. dies; imò & poſt 30. dies, ſi velit de nouo accuſare principaliter, & per ſe admitti intra tempus à iure accuſationi præfixum. Ita Bartolus *in l. libellorum, §. final. num. 6. ff. de accuſat.* Clarus *lib. 5. practic. §. fin. quæſt. 51.* vbi monet, accuſatore deſiſtente poſſe iudicem procedere, ac proceſſum finire, iis tamen ſolùm in cauſis, in quibus iudex ab initio potuiſſet procedere ex officio. Quòd ſi probetur delinquentem obiiſſe, iudex non debet ad vlteriora procedere, cùm crimen & pœna morte extinguantur, *l. defuncto, ff. de publ. iud.* nec mortuo accuſato tranſeat accuſatio in hæredes, *l. 1. Cod. Si reus, vel accuſator mortuus fuerit.* Dantur tamen delicta, in quibus etiam poſt mortem delinquentis procedi poteſt; eiuſmodi ſunt hæreſis, læſa Maieſtas, &c. & alia in quibus impoſita eſt à iure pœna amiſſionis bonorum; tunc enim procedi poteſt contra hæredes ad effectum confiſcationis bonorum. Ita Iulius Clarus *ſupra.*

Bartolus.

Vide v. Parentes *num.* 4. Regulares *num. 21. verſ. Quintus.*

ACTIO.

SVMMARIVM.

1 *Quamuis actio furti ad duplum, aut ad quadruplum, & actio ad recuperandam rem furto ablatam, aut æſtimationem eius, diſtincta ſint; vtraque tamen actio intentari poteſt eodem libello.*

2 *Ille à quo aliquid eſt furto ablatum, poteſt, ſi velit aduerſus furem agere criminaliter & ciuiliter.*

3 *Actio arborum cæſarum, licet pœnalis ſit, eſt tamen perpetua.*

4 *Actio arborum cæſarum competit domino earum aduerſus eum qui damnum dedit; & competit etiam Emphyteutæ.*

5 *Venditor agri in quo arbores erant, ſi antequam eum alienaret, damnum datum fuit in arboribus, poterit aduerſus damnificatorem agere actione arborum cæſarum.*

6 *Actio de damno dato competit domino rei & hæredibus illius poſt eius mortem: competit item vſufructuario, nec non poſſeſſori rei bona fide & cum titulo, &c.*

7 *Actio aduerſus furem, quocumque furti genere, ad rem furto ablatam, ad fructus illius, ad damna omnia, etiam lucri ceſſantis ex furto ſubſequuta, competit ei à quo res furto eſt ablata, tum hæredibus illius.*

8 *Actio furti ad pœnam, ſolum competit aduerſus furem, non verò aduerſus illius hæredes: Excipitur tamen crimen peculatus & de reſiduis.*

9 *Vt competat actio furti, non ſatis eſt interuenire furtum formaliter, ſed neceſſarium etiam eſt, vt interueniat furtum materialiter.*

10 *Si res commodata abſque vlla culpa commodatarij furto fuit ex illo erepta: ad ſolum commodantem attinet agere condictione furtiua & furti actione ad pœnam ſibi applicandam.*

Quando commodatarius tenetur commodanti de re furto ablata; tunc integrum eſt commodanti, vel agere aduerſus commodatarium actione commodati, vel aduerſus furem condictione furtiua & actione furti.

11 *Depoſitario non competit ordinariè actio furti ob rem depoſitam furto ex ipſo ablatam, ita vt agere poſſit ad commodum pœnæ ſibi applicandam, ſed ea actio competit domino talis rei.*

12 *Quando aliquid domini eſt furto ablatum ex œconomo, aut ex tutore, aut curatore aliquid minoris, tunc his competit actio furti, non nomine proprio, ſed domini, aut minoris.*

13 *Qualiter competat vſufructuario actio furti aduerſus furem, qui rem mobilem ab ipſo abſtulit.*

14 *Quibus competat actio furti, ſi auferantur fructus ex agro locato colono pro certa penſione.*

15 *Quando res eſt vendita & nondum emptori tradita, ſi furto auferatur abſque culpa vel cum culpa venditoris, qualis actio competat venditori.*

16 *Quid ſi res eſſet ſolùm promiſſa & antequam eſſet tradita furto ſit ablata.*

17 *Quid, quando res eſſet alicui legata, & poſt mortem teſtatoris, eſt furto ablata.*

18 *Facilius concedenda eſt vna poſſeſſio actio bonorum raptorum, quàm concedatur actio furti.*

1. QVamuis actio furti ad duplum, aut ad quadruplum & actio ad recuperandam rem furto ablatam, aut æſtimationem eius, diſtinctæ ſint,

ſint, vt patet §. *ex maleficiis, inſtitut. de actionibus* & §. *vltim. inſtitut. de oblig. quæ ex delict.* ſeorſimque poſſint intentari: actio enim ad pœnam ſolùm competit aduerſus furem, & non aduerſus hæredes illius, quaſi poſt mortem furis poſſit aduerſus eos intentari, nec debetur, niſi poſt latam ſententiam. Ad rem verò furto ablatam, ſi illa exiſtat, agi poteſt rei vendicatione, etiam aduerſus quemcunque illius poſſeſſorem, ad quem tranſierit: & ſiue exiſtat, ſiue non, agi poteſt condictione furtiuâ ad illius æſtimationem, & ad intereſſe lucri ceſſantis, aut damni emergentis, tam aduerſus furē, quàm aduerſus illius hæredes, agereque poſſunt etiam hæredes eius, à quo furto eſt ablata, eo quòd petatur verū debitum, quod fur hæredeſque ipſius de bonis illius tenentur ſoluere in foro conſcientiæ, nullâ expectatâ ſententiâ. Quamuis, inquam, hæc ita ſint, vtraque tamen actio intentari poteſt eodem libello, aut certè poteſt res, aut æſtimatio illius & intereſſe peti incidenter in eodem libello, in quo intentatur actio furti ad pœnam, iuxta Bartolum *l. interdum, §. qui furem, ff. de furtis*, conſentaneè ad eam legem, quæ habet, ſimul condemnari poſſe furem, vt reſtituat rem furto ablatam, & vt ſubeat aliquam pœnam ob furti delictum, vbi innuitur incidenter poſſe peti pœnam, & ad eam condemnari, intendendo recuperationem rei furto ablatæ: & eadem ratione agendo ad pœnam furti, poteſt ſimul incidenter peti reſtitutio rei furto ablatæ.

Bartolus.

2. De iure communi Cæſareo, ſi is, à quo aliquid furto eſt ablatum, velit agere criminaliter, ad pœnam corporalem, punitur fur pœnâ corporali, iudicis arbitrio, pro criminis qualitate, & quantitate, & pro qualitate perſonę imponenda, attentiſque circumſtantiis omnibus concurrentibus: atque Vlpianus *l. vlt. ff. de furtis*, ſuo tempore plerumque conſueuiſſe agi aduerſus fures criminaliter; id tamen non impedire quominus, qui velit, poſſit aduerſus furem ciuiliter agere, ad pœnam ſcilicet dupli, aut quadrupli. Et quando agitur criminaliter, accuſantem teneri ſe ſubſcribere, ad talionis pœnam ſe obligando, non quaſi crimen furti ſit publicum, cuius accuſatio ad quemcunque de populo ſpectet, ſed vt temeritas, ita ſine cauſa accuſantium, ea extraordinaria pœna coërceatur.

Vlpianus.

3. Quamuis actio arborum cæſarum pœnalis ſit quoad incrementum ſupra damnum datum, actioneſque pœnales regulariter non ſint perpetuæ, ſed ſolùm concedantur intra annum vtilem, vt habetur *inſtit. de perpet. & temp. act. in princip.* hæc tamen actio perpetua eſt, vt habetur *l. furtum in fine, ff. arb. furt. cæſar.* quæ proinde non minori tempore præſcribetur, quam præſcribantur actiones debitorum proſequutione. Quando autem aliquis clam alienas arbores cædit, aut euellit, lucrifaciendi cauſa, hoc eſt, gratia vſurpandi, furandine ligna, tunc non ſolùm competit actio legis Aquiliæ, & actio arborum cæſarum, comparatione damni dati in arboribus, ſed etiam ſimul competit actio furti comparatione lignorum, atque actio ad ligna exhibenda. Ita habetur *l. faciendæ, ff. arb. furt. cæſar.* & *l. verum eſt, 1. §. eorum, ff de furt.*

4 Actio arborum cæſarum competit domino earum aduerſus eum, qui damnum dedit. Et competit etiam emphyteutæ, qui dominium vtile habet perpetuum; ſed pro æſtimatione damni, quod reſpondet præcisè dominio vtili, vt illi adiudicetur duplum damni illius: quoad reliquum verò æſtimationis damni proprietatis, competit domino directo, vt ipſi duplum æſtimationis etiam adiudicetur. Atque hoc eſt quod intenditur *l. cadere ff. arb. furt. cæſar.* Ea verò lex denegat hanc actionem vſufructuario. Id tamen Gloſſa ibi intelligit de actione arborum cæſarum directa: ſecus verò de vtili. Gloſſa.

5. Qui agrum in quo arbores erant, vendidit, aut quouis alio titulo in alium tranſtulit, ſi, antequam eum alienaret, damnum datum fuit in arboribus, poterit, poſt illud alienatum, agere aduerſus eum, qui damnum dedit, actione arborum cæſarum, ad ipſumque pertinet duplum eius damni, & non ad nouum agri dominum. Ita habetur *l. vlt. arb. furt. cæſar.*

6. Actio de damno dato competit domino rei & hæredibus illius poſt eius mortem, præcisè quoad damnum, atque etiam quoad pœnam, ſi eis fuerat à defuncto conteſtata, aut præparata. Competit etiam vſufructuario atque vſuario, ſed præcisè quoad damnum in vſufructu, aut in vſu ſuſcepto. Ita habetur *l. item Mela. §. vltim. & l. ſequenti, ff. ad leg. Aquil.* Item poſſeſſori rei bona fide, in qua damnum eſt datum, competit hæc actio, ita vt repelli non poſſit exceptione, quod ad ipſum non attineat. Ita habetur *l. item Mela. §. ſed ſi ſirum bona fide, ff ad leg. Aquil.* Quod Gloſſa intelligit, modò cum titulo poſſideat. Depoſitarius item agit loco domini, ſi ſit abſens. Et idem videtur eſſe de commodatario & de quocumque alio legitimo rei detentore, quando dominus rei eſt abſens. Gloſſa.

7. Actio aduerſus furem, quocumque furti genere, ad rem furto ablatam, ad fructus illius, etiam qui percipi potuerunt, & non ſunt percepti, aut ad æſtimationem cuiuſcumque horum, ſi non exiſtant, aut deteriori ſint reddita, itemque ad damna omnia, etiam lucri ceſſantis, ex furto ſubſequuta, competit, tum ei, à quo res furto eſt ablata, tum etiam hæredibus illius, & competit, tum aduerſus furem, tum etiam aduerſus hæredes illius de bonis, quæ ex fure ad ipſos deuenerunt: atque actio ad hæc omnia, conditio furtiua nuncupatur, quæ in odium furti comprehendit etiam vendicationem rei furto ablatæ, ac proinde condictio furtiua realem & perſonalem actionem comprehendit. Ita *l. ſi pro fure, §. 1. ff. de condict. furt.* Ratio autem cur actio ad hæc omnia tranſeat ad hæredes eius, qui id damnum iniuſtè à fure eſt paſſus & aduerſus hæredes furis, hæc eſt: quia fur horum omnium eſt debitor, non in pœnam, ſed in conſcientiæ foro, nulla expectatâ ſententiâ, ratione iniuſtæ acceptionis, damnique iniuſtè dati, ac proinde rationem ſortiuntur verorum debitorum furis, comparatione eius, à quo furatus eſt, & cui iniuſtè id damnum dedit: vera autem debita & tranſeunt ad hæredes eius, cui debentur, & aduerſus hæredes eius qui illa debebat. Quod autem ad hæc omnia competat actio, ex ſe eſt notiſſimum & conſtat ex *l. 3.* & ex *l. in re furtiua, ex legibus ſequent. ff. de condict. furt.*

8. Actio furti ad pœnam, in omnibus furti ſpeciebus, ſolùm competit aduerſus furem: non verò aduerſus illius hæredes, niſi pœna ſit pecuniaria, & actio litis conteſtatione fuerit aduerſus furem ante illius mortem intentata: nam tunc hæredes illius tenentur de bonis furis ad pœnam pecuniariam, in qua fur condemnatus fuerit. Ita habetur *Inſtit. de perpetuis actionib. §. non autem.* Excipe crimen peculatus & de reſiduis, in quibus ex peculiari priuilegio agi poteſt ad pœnam aduerſus hæredes, etiamſi lis conteſtata ante mortem aduerſus delinquentem non fuerit, vt habetur *l. vlt. ff. ad leg. Iul. peculatus.* (Peculatus autem nuncupatur, quando furto accipitur res publica, ad fiſcum Regis, aut ad bona illius, attinens, vel ad ciuitatem Romanam. Cum crimine peculatus eſt coniunctum crimen legis Iuliæ de reſiduis. Nempe quando aliquis pecuniam

Digitized by Google

cuniam aliquam publicam apud ſe habet, neque illam in eo expendit, ad quod eſt deſtinata, vt inſumatur, ſed eam conuertit in ſuum vſum ac commodum, defraudando Principem, aut communitatem, cuius eſt aut alios, quibus ex præſcripto Principis, aut communitatis, eſt tradenda, vſu illius ac emolumento) Gloſſa verò Accurſij §. *non autem citato verb. conteſtata*, ait, ſatis eſſe actionem fuiſſe præparatam à defuncto, etiamſi conteſtata non fuerit; vt hæredi concedatur ea actio aduerſus furem: quin, ſubiungit, hodie concedi ei querelam, etiamſi defunctus actionem non præparauerit.

Gloſſa.

9. Vt competat actio furti, non ſatis eſt interuenire furtum formaliter, ſed neceſſarium etiam eſt, vt interueniat furtum materialiter, hoc eſt, rei verè alienæ, quatenus furto accipitur, ac verè inuito eo, cuius eſt, alioquin actio non datur. Quando tamen quis induxiſſet alienum mancipium, vt furaretur proprio domino, furtumque illud ad ſe afferret, aut ſimiliter induceret, vt furaretur à patre, atque ad ſe furtum adduceret, tunc ſi ſciente id domino, aut patre, conſentirent, vt id efficeret, gratia puniendi pœnâ furti, qui id ita conſuleret, competeret aduerſus eum, qui id ita conſuleret, actio furti domino ac patri. Ita habetur *l. ſi quis ſeruo, C. de furt.* quæ etiam de filio idem diſponit.

10. Si res commodata abſque vlla culpa commodatarij furto fuit ex illo erepta, ita vt de re commodata non teneatur commodanti, tunc ad ſolum commodantem attinet agere conditione furtiua; itemque furti actione ad pœnam ſibi applicandam, aduerſus furem, non verò ad commodatarium: niſi quando commodans eſſet abſens, neque agere poſſet aduerſus furem: nam tunc ad commodatarium attineret actione in factum repetere rem & damna; quatenus vi commodati, teneretur curare, ne res ille commodanti periret, aut in deteriorem ſtatum tranſiret, interim dum ei non eſſet reddita. Imò ſi commodatarius iacturam aliquam ex eo furto eſt paſſus, ſaltem lucri ceſſantis, quia ſcilicet ob id furtum priuatus fuit vſu rei ſibi commodatæ emolumentoque ex eo vſu, quod, perſeuerante contractu, erat percepturus, tunc ad id etiam poterit agere.

Quando commodatarius tenetur commodanti de re furto ablata, vel quia culpa commodatarij fuit ablata à fure, vel quia ex pacto appoſito tenetur illam ſoluere commodanti: tunc integrum eſt commodanti, vel agere aduerſus commodatarium actione commodati, vel aduerſus furem conditione furtiua & actione furti, & quodcunque elegerit, ſciens rem furto eſſe ablatam, non poteſt poſtea pœnitere, relictaque vna actione, intẽtare alteram. Si tamen ignorans aut dubitans rem eſſe furto ablatam, egerit aduerſus commodatarium actione commodati; tunc ſi comperiat rem furto eſſe ablatam, necdumque æſtimationem rei commodatæ acceperit à commodatario, deſiſtere poterit ab actione commodati, quam aduerſus commodatarium intentare cœperat poteritque intentare conditionem furtiuam, actionemque furti, aduerſus furem, totaque pœna furti ad ipſum tunc attinebit. Secus autem, ſi iam à commodatario acceperat æſtimationem rei commodatæ: quoniam tunc non poterit intentare actionem aduerſus furem, ſed ad ſolum commodatarium ſpectabit, repetere rem furto ablatam, aut æſtimationem illius & damna omnia etiam lucri ceſſantis ſubſequuta, atque agere actione furti ad integram pœnam ſibi accipiendam. Hæc omnia habentur *l. vlt. C. de furt* §. *quadi fullons inſtitut. de oblig. quæ ex delict.*

11. Depoſitario regulariter non competit actio furti ob rem depoſitam furto ex ipſo ablatam, quaſi agere poſſit ad commodum pœnæ ipſi applicandum, ſed ea actio competit domino talis rei. Ratio eſt, quia regulariter ad ipſum non ſpectat periculum, ſed ad dominum rei illius, ſi dolus depoſitarij non interueniat: quando autem dolus interuenit, non debet ex illo reportare commodum, vt ad pœnam ſibi applicandam agere poſſit. Poteſt tamen agere ad rem recuperandam, vbicumque illam repererit: intellige actione in factum, & interim dum dominus non agit conditione furtiua, *l. eum qui* §. *is autem, ff. de furt. & inſtit. de action. quæ ex delict.* §. *ſed is.* Quia tamen depoſitarius tenetur de lata culpa, vt à dolo preſsè ſumpto diſtinguitur, affirmant Bartolus & alij, tunc competere illi actionem de furto, intellige, ſi ſoluendo integrè ſit deponenti, aut ſi, quando integrè non ſit ſoluendo, deponens eligat agere potiùs actione depoſiti aduerſus eum quam aduerſus furem conditione furtiua, furtique actione, & quando deponens non eſt præſens vt agere poſſit.

12. Quando ex œconomo aliquid domini eſſet furto ablatum, aut ex tutore, vel curatore, aliquid minoris, tunc competit his actio furti, non nomine proprio, ſed domini, aut minoris, neque in commodum proprium, ſed domini, aut minoris: quoniam *l. qui iniuria* §. *qui in alienis, & l. is tuias, ff. de furt.* eiuſmodi hominibus, etiamſi ex ipſis res eorum, quorum negotia gerunt, culpâ ipſorum furto ſint ablatæ, non conceditur actio furti nomine proprio: bene tamen eis conceditur furti actio nomine eorum; quorum ſunt tales res, vt habetur *l. interdum* §. *qui tutelam, ff. de furt.* Quando tamen dominus rei exigeret rem ſuam à tutore, curatore, aut negotiorum geſtore, cuius culpâ eſſet furto ablata, non priùs teneretur eam ei ſoluere, quàm ipſi cederet actiones ſuas aduerſus furem, atque ex eo puncto agere tutor, curator, aut negotiorum geſtor poſſet actione vtili furtiua aduerſus furem agere, atque item furti actione in ſuum commodum proprium, vt habetur *l. qui iniuria* §. *qui alienis, ff. de furt.*

13. Si res mobilis furto auferatur ex vſufructuario, agit vſusfructuarius aduerſus furem quoad valorem præcisè vſusfructus, & proprietarius quoad valorem præcisè proprietatis. Similiter agere poterit proprietarius aduerſus fructuarium furti actione præcisè quoad valorem rei deducto valore talis vſusfructus, ſi vſusfructuarius furetur proprietatem, aut ſi proprietarius rem quoad vſumfructum ex vſufructuario furetur, vt habetur *l. inter omnes* §. *ſi ſerum, & ſequent.* §. *hæc actio. in fine, ff. de furt.* fructus autem ſi auferantur furto à re immobili, cuius vſusfructus ad aliquem ſpectat, actio aduerſus furem ſoli vſufructuario conuenit.

14. Furto ſi auferantur fructus ex agro locato colono pro certa penſione, quam colonus ſoluat, ad ſolum colonum pertinet actio aduerſus furem. Si pro quota fructuum, quam ſoluit domino agri, illum colat, actio pertinet ad vtrumque pro rata. Si colonus ſolùm accipiat quotam in mercedem, actio competit ſoli domino agri: ſed colonus cogere eum poteſt vt illam intentet, vt ipſe accipiat ſuam partem fructuum & partem pœnæ deductis expenſis. Hæc habentur *in l eum qui, § præterea, & l. apes,* §. *vlt. & l. fullo,* §. *frugibus, & l. cùm in plures,* §. *meſſem, ff. de furt. locati.*

15. Quando res erat vendita, & nondum tradita emptori, ſi furto auferatur, abſque culpa venditoris, tenetur venditor vel agere conditione furtiua aduerſus furem, furtique actione, vt emptori reſtituatrem & damna, & inſuper emolumentum pœ-

næ furti, quod fuerit conſequutus à fure, vel cedere emptori actiones ad hæc omnia, vt venditor maluerit. Ita habetur *l. cum qui, in princip. l. ſi vendidero, ff. de furtis.* Si autem culpa venditoris res fuiſſet furto ablata, nec recuperaretur, teneretur emptori ad damna. Quando verò res venditori periret, ageret venditor in ſuum commodum aduerſus furem.

16. Quando ſolùm res aliqua eſſet alicui promiſſa, etiamſi promiſſio eſſet ſtipulatione vallata, & antea quam ei traderetur, furto eſſet ablata ex poteſtate promiſſoris, tunc ad promiſſorem ſpectaret agere aduerſus furem condictione furtiua, & actione furti: ſatisfaceretque ei, cui illam promiſerat, tradendo illi rem promiſſam, aut æſtimationem illius: non tamen teneretur tradere ei aliquid de pœna furti etiamſi per promiſſorem ſtetiſſet, quominus eam illi traderet tempore congruo. Ita habetur *l. is cui ex ſtipulatu*, & *l. in cuius intereſt verſ. vlt. ff. de furtis.*

17. Quando res alicui eſt legata, & poſt mortem teſtatoris eſt furto ablata: competit legatario actio furti aduerſus furem ad commodum pœnæ: nam eo ipſo, quòd legatarius legatum rei determinatæ in ſingulari ſibi relictum acceptat, cenſetur comparaſſe dominium illius à puncto mortis teſtatoris, ac proinde tale furtum commiſſum eſt aduerſus ipſum, quando iam dominium eius rei comparauerat. Et quod tunc actio furti ad ipſum ſpectet, habetur expreſsè *l. ſi dominium, ff. de furtis.* Si verò ante mortem teſtatoris ſit ablata, legatario ſolùm competit rei vendicatio illius, aut actio ad æſtimationem: hæredibus verò conditio furtiua.

18. Quamuis actio bonorum raptorum regulariter ſolùm concedatur iis, quibus furti actio concederetur, ſi in ea iniuſta vſurpatione vis non interueniret, nihilominus facilius eſt concedenda vim paſſis actio bonorum raptorum, quando aliquo modo ſua refert rem ex ipſis non eſſe ereptam, quam concedatur actio furti, ita vt minus intereſſe eorum ſufficiat ad actionem bonorum raptorum eis concedendam, quàm requiratur ad concedendam actionem furti preſsè ſumpti, vt à rapina diſtinguitur. Ita habetur *l. 2. §. & generaliter, ff. de vi bonor. rapt.* & *§. vltim. inſtitut. eodem titulo.* Plura de actione furti, vide apud Molinam *tract. 2. diſp. 696.*

De actione vide v. Adulterium *numer. 4. & ſeq.* Compromiſſum *num. 14.* Contractus *n 14.* Pignus *num. 13.* Depoſitum *n. 8.* Locatio *n. 14.* Mandatum *n. 11.* Emphyteuſis *n. 21.* Iniuria *n. 8.* Iuramentum *n. 19.* Legatum. *n. 21.*

ACTOR.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus non poteſt eſſe actor in iudicio, niſi in cauſa propriæ excommunicationis.*

2 *Actor ſiue ſit publicè, ſiue occultè excommunicatus agere in iudicio non poteſt.*

3 *Si actor fateatur in ſe fuiſſe ſententiam excommunicationis latam, in actione ſua non admittitur, donec nullitatem excommunicationis oſtendat: at extra iudicia non eſt vitandus.*

4 *Actor ex vi ſolius excommunicationis non peccat mortaliter ius ſuum in iudicio petens bona fide procedendo; ſecus, ſi interueniat iniuſtitia ex parte cauſæ, &c.*

1. VT actor admittitur excommunicatus in cauſa propriæ excommunicationis, intendens probare, vel non eſſe excommunicatum, vel eſſe abſoluendum iuxta *cap. de reſcriptis in 6.* Excommunicatus autem extra cauſam ſuæ excommunicationis, non poteſt eſſe actor, ſiue in iudicio ſeculari, ſiue Eccleſiaſtico, vt habetur *in cap. determinamus, de ſentent. excommunic. in 6.* Item non poteſt ſuum actorem conuenire, quia hoc iam eſt agere, ſeu potius reagere. Item nec poteſt per ſe, nec per alium agere, quia moraliter loquendo, qui per alium agit, ipſe agere cenſetur: ſed in neganda conuentione, non negatur ei beneficium defenſionis: nam hoc maximè naturale eſt, quia reconuentio alterius non eſt propria defenſio, ſed noua accuſatio; quod intellige de reconuentione quæ eſt omnino extra cauſam conuentionis, nam ſi eſt de eadem, magis habebit rationem defenſionis. Vt ſi à reo excommunicato Actor debitum petat, & ille reſpondeat iam ſoluiſſe, & cautionem ab ipſo de ſolutione facta acceptiſſe, incuria tamen eius fuiſſe combuſtam, vel furto ſublatam; hoc, & quidquid ſimile fuerit, non habet vim reconuentionis, ſed defenſionis. Ita Suarez *de cenſur. diſp. 16. ſect. 3.* Sylueſter *verb. Procurator.*

2. Actor ſiue ſit publicè, ſiue occultè excommunicatus agere non poteſt in iudicio: quia ipſe ſemper tenetur, quantum in ſe eſt, alios vitare, nequo illi conceſſum eſt vllum priuilegium per *Extrauag. ad euitanda.* Reus verò, quamuis poſſit non vitare illum, tamen retinet ſuum ius, ad vitandum, ſi velit, & conſequenter poteſt illi exceptionem excommunicationis obicere, etiamſi denuntiatus non ſit, imò etiamſi excommunicatio non ſit publica, dummodo ad illam probandam ſe offerat.

3. Exceptio excommunicationis tantam vim habet, vt ſi actor fateatur in ſe fuiſſe ſententiam excommunicationis latam, nullam tamen fuiſſe, vel iniuſtam reſpondeat, id ſatis ſit, vt ſtatim ad progrediendum in actione ſua admittatur, donec nullitatem excommunicationis ſufficienter oſtendat. Statuitur *in cap. 3. de ſentent. excommunic. in 6.* huiuſmodi actorem, pendente probationis articulo, in iudiciis vitandum eſſe; at verò extra iudicia in officiis, poſtulationibus, electionibus, & aliis legitimis actibus, non eſſe vitandum. Ratio differentiæ eſt: quia cùm actor in iudicio ſit veluti aggreſſor, oportet vt prius oſtendat ſe non eſſe impeditum per iura ad agendum contra alium, qui exceptionem obiicit. At verò in aliis actionibus extraiudicialibus, vbi non agitur contra alium, vtitur iure ſuo.

4. Non peccat mortaliter ex vi ſolius excommunicationis, ius ſuum in iudicio petens excommunicatus, donec per exceptionem repellatur, petendo rem iuſtam & alioqui ſibi debitam; & bona fide procedendo, & abſque contemptu Eccleſiaſticæ cenſuræ: ſecus dicendum eſt, ſi interueniat iniuſtitia ex parte cauſæ quæ proponitur, vel dolus, & fraus in repellenda exceptione, vel quippiam ſimile, quia ex hoc capite poterit eſſe mortale. Item non peccabit, ſi graue damnum, aut præiudicium immineat ex dilatione & mora, ſi prius procuranda ſit abſolutio, quàm in iudicio audiatur, v. g. ſi moraliter timeatur fuga debitoris, niſi à iudice capiatur, quia in his euentibus, non tam poteſt dici agere, quàm defendere ſe & tueri. Ita Suarez *cap. 5. Ex his autem, n. 9.* Suarez.

Vide v. Excommunicatio 2. *nu. 15.* Gabella *n. 13.* Regulares *num. 10. & ſeq.*

ADIVRATIO.

SVMMARIVM.

1 *Adiuratio in quo conueniat & differat à iuramento & oratione.*
2 *Adiuratio eſt actus Religionis quando fit per Deum.*
3 *Adiurationis non datur præceptum diuinum : bene tamen aliquando Eccleſiaſticum.*
4 *Adiuratio ad ſui honeſtatem requirit veritatem, iuſtitiam & iudicium.*
5 *Quando quis dicatur dæmonium habere.*
Per quam corporis partem poſſit dæmon ingredi & egredi.
Dæmonis poteſtas eſt poteſtiſſimum in corpus.
Quandoque vnus, quandoque multi dæmones poſſunt obſidere idem corpus.
Non ſemper eſt adhibenda fides obſeſſis, nec exorciſtis.
Nulla res corporalis habet vim expellendi dæmonem.
Nulla vis eſt hominibus alligandi dæmonem alicui rei.
6 *Adiuratio imperatiua ſolis ſuperioribus licet erga ſubditos in iis, in quibus illi ſubduntur.*
7 *Verum eſt exorciſmos Eccleſiæ non habere efficaciam infallibiliter expellendi à corporibus hominum dæmonem.*
8 *An ſit ſuperſtitioſum dæmoniacum flagellis percutere, vel fumo rutæ & cornuum defatigare ?* refertur duplex ſententia.
9 *Adiuratio ex parte modi illicita eſt mortaliter, tripliciter.*
10 *Ex tribus habentur exorciſtæ ſuſpecti de ſuperſtitione & pacto cum dæmone.*
11 *In Chriſtianiſmo dæmonia à corporibus hominum expelluntur quinque modis : & primo per inuocationem Nominis IESV.*
12 *Secundus modus eſt per vſum reliquiarum Sanctorum.*
13 *Tertius modus per Sanctæ Crucis impreſſionem.*
Quare ad ſignum Crucis dæmones fugiant.
14 *Quartus modus eſt, per vſum rerum conſecratarum.*
15 *Quintus eſt, per exorciſmos adiuratiõ.*
In exorciſmo reperiuntur Res *&* verba.

D. Thom. 1. CVm adiuratio teſte D. Thoma 2.2. *qu.* 90. *artic.* 1. ſit aliquam perſonam imperando aut obſecrando inducere ad aliquid faciendum, omittendumve, inuocatione alicuius rei ſacræ, conuenit cum iuramento : quia ſicut hoc adhibetur ad veritatis affirmatæ confirmationem, aut maiorem promiſſionis factæ firmitatem ; ita adiuratio fit vt poſtulatio, aut iuſſio, ſint efficaciora. Differt autem ab illo, quod in iuramento adducatur Deus ac teſtis veritatis, aut quaſi fideiuſſor promiſſionis : in adiuratione autem vt obiectum amoris, vel timoris, eius quem adiuramus, vt inde eius timore, vel amore ducatur ad rem petitam concedendam. Differt etiam adiuratio ab oratione : quia per orationem aliquid à Deo petitur : at per adiurationem, vt ſic, non petitur aliquid à Deo, ſed propter Deum, & ita poteſt id peti à Deo, & tunc coniunguntur adiuratio & oratio, aut ab hominibus, & tunc non eſt oratio aliqua, & aliquando nil petitur, ſed imperatur.

Suarez. 2. Adiuratio eſt actus Religionis, quando fit per Deum, ſiue expreſsè, ſiue tacitè. Quia in hoc adiurans tribuit Deo honorem, quòd eius auctoritatem tanquam plurimum apud omnes valentem interponat ad aliquid obtinendum : vnde ſpecialis eſt actus Religionis, diſtinctus à cæteris : quia ſi cum aliquo coincidere deberet, eſſent iuramentum & oratio, at ab illis differt, vt diximus ſupra. Quando autem adiuratio fit per Sanctos abſque tacito ad Deum reſpectu, non eſt actus Religionis ; ſed eius cultus, qui ſancto illi debetur, vt hyperduliæ, ſi fiat per Beatam Virginem, duliæ autem, ſi per alios Sanctos. Et ſi fiat per aliam rationalem creaturam, vt per vitam tuam, vel patris, non eſt propriè adiuratio, ſed quædam moralis, & humana. Vide Sotum *lib.* 8. *de iuſtit. q.* 3. *art.* 1. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de adiuratione, cap.* 1. *à num.* 4. *vſque ad* 7. & *cap.* 3. *num* 6. Sotus. Suarez.

3. Quamuis adiurationis non ſit præceptum aliquod, naturale & diuinum : quia quidquid per adiurationem petitur, poteſt ſimplici oratione obtineri : at cadit quandoque ſub præcepto Eccleſiaſtico. Quia publicæ orationes Eccleſiæ horarum Canonicarum & Miſſæ continent adiurationes per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & per Sanctos : & in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione etiam ſunt exorciſmi ; & quædam aliæ adiurationes. Quare præceptum hoc non eſt peculiare, ſed coincidit cum præcepto horarum Canonicarum & ritè Sacramenta & Miſſam adminiſtrandi. Poteſt etiam adiuratio aliquando cadere ſub officij obligatione, nempe, ſuppoſitâ hominis obſeſſi neceſſitate. Quippe tenentur miniſtri Eccleſiæ ex officio ſubuenire neceſſitatibus ſuorum fidelium per remedia conuenientia, & iuxta ritum ab Eccleſia inſtitutum, vnum autem eſt adiuratio per exorciſmos. Ita Suarez *cit. lib* 4. *c.* 4. *n.* 2. 3. *&* 4. Suarez.

4. Adiuratio ad ſui honeſtatem exigit eoſdem tres Comites, quos iuramentum, nempe, *veritatem, iuſtitiam & iudicium*. In adiuratione poteſt defectus veritatis tripliciter inueniri. *Primò*, quando adiuratio fit per falſum Deum, vt per Iouem, & tunc eſt mortale idololatriæ crimen. *Secundò*, quando eſt fictio ex parte petendæ rei, nempe, quando in adiuratione interpoſita petendo aliquid per Dei nomen, deeſt animus illius rei impetrandæ. Et hæc falſitas eſt venialis : quia non eſt grauis irreuerentia Dei, cùm Deus non adducatur vt teſtis. *Tertiò*, poteſt eſſe fictio ex parte cauſæ inducentis ad obtinendam rem petitam, vt ſi quis fictâ paupertate petat ob Deum eleemoſynas, & tunc videtur eſſe ſolum culpa venialis contra adiurationis Religionem : quia cùm actus ille eleemoſynæ, vt ab operante procedit, ſit optimus, non eſt grauis irreuerentia contra Deum, inducere ad illum ob Dei amorem, quamus aliunde ex parte petentis ſit iniquitas & iniuſtitia mortalis.

Iuſtitia in eo conſiſtit, vt res petita ſit licita : ſi enim res mala petatur, eſt grauis Dei irreuerentia, cùm Deus interponatur vt interceſſor illius peccati. Et ideo de hac adiuratione dicendum eſt, ſicut de iuramento & voto rei malæ dicunt communiter Doctores.

Ad iudicium autem pertinet vt cum neceſſitate & debita reuerentia fiat adiuratio, & non temerè in quauis occaſione : ſicut idem iudicium petitur in iuramento ; quia in vtroque nomen Dei aſſumitur ; at ſicut in iuramento, hic defectus eſt venialis, quare aut rectè Sotus exigit adiurationes proportionem cum re petita habere, & Religioni dilonare interponere adiurationem diuini nominis pro re leui. Ita ille *lib.* 8. *de iuſtit. qu.* 3. *art.* 1. *ad fin corpor.* Sotus. Syluester *v. Adiuratio in fin.* Valentia 2. 2. *diſp* 6. *q.* 8. *punct* 2. *q.* 1. Syluest. Valentia.

5. Circa

5. Circa adiurationem factam cum dæmoniacis ſequentia ſunt notanda. *Primum*, vt quis dæmonium habere dicatur duo exiguntur, prius eſt, vt in homine ipſo dæmon ſit, dum enim exterius tantùm à Dæmone affligitur, ſicut Iob ac D. Antonius non dicitur habere Dæmonium. Poſterius eſt, vt quandam vexandi poteſtatem in eo, in quo eſt, acceperit, atque ſit in eo corpore dæmon, vt motor in corpore moto. *Secundum*. Hæc dæmonis poteſtas in dæmoniacum eſt potiſſimum in corpus, & ea certo limite præſcribitur, alioqui dæmon ex ſeipſo ob ingens odium in hominem, dæmoniacum neci daret. In animam autem minus poteſtatis habet quamuis ex corporis cruciatu & afflictione, valde retardetur, ne ita liberè & feruidè in ſpiritualibus vacet. Præterea motus quoſdam prauos in corpore excitat, ad praua ſentibus externis & internis obiicit, quibus quodam quaſi pondere voluntatem ad malum pertrahit, etſi cogere nequeat.

Tertium, Dæmon cùm ſpiritus ſit, per quamcunque corporis partem poteſt in ipſum ingredi & egredi, etſi quandoque per os intret, at communiter per os egreditur & quandoque per fluxum ventris. Eſt autem Dæmon in corpore, ſicut anima totus in toto, & totus in qualibet parte illius; plerumque tamen ſedes illius eſt cor hominis.

Quartum. Quandoque vnus, quandoque multi dæmones obtinent idem corpus. Item ex eo egredi vnus poteſt, aliis remanentibus, vt plurimum tamen vno egreſſo, etiam reliqui exeunt: quia cum ea, quibus Dæmon expellitur, ſint omnibus illis æquè exoſa, verſimile eſt, vt ſicut vnus eis fugatur, ita quoque cæteri fugentur.

Quintum. Obſeſſis à dæmone non ſemper habenda eſt fides, quod ita reuera ſint, nec etiam ipſis exorciſtis: quia vtrique ſæpe decipiuntur, vel impoſtores ſunt. illud eſt ſignum efficax, ſi energumenus loquatur lingua antea ſibi ignota & peregrina! & ad hoc ſignum refertur ſcientia legendi, aut ſcribendi, aut cantandi, aut rerum naturalium nullo ſtudio comparata.

Sextum. Nulla res corporalis habet vim expellendi dæmones, quia hi ſpirituales ſunt, & res corporalis non habet vim in ſpiritum. Hinc eſt vt ſi herba aliqua id poſſit, ſignum ſit ſuperſtitionis. Poteſt tamen ſedari vexatio energumeni admotis rebus naturalibus nonnullis, quia impediunt diſpoſitionem corporis, qua dæmon vtitur ad nocendum.

Septimum. Nulla vis ineſt hominibus alligandi dæmonem alicui rei, illumque in illam includendi, vt in annulum, in vas, &c. Quare dum aliqui ſic dæmonem quem familiarem vocant, alligatum, aut incluſum dicuntur habere, intelligitur, vel ex pacto, quo dæmon ipſe ſe obſtringit, cùm primùm certa carmina, aut incantamenta intellexerit, vel imperio ſuperioris dæmonis. Plura de his vide apud San-
Sanchez. chez *lib. 2. moral. c. 42. à n. 6. ad 11.*

6. Adiuratio imperatiua, ſeu coactiua ſolis ſuperioribus licet erga ſubditos in iis, in quibus illi ſubduntur, exiſtente cauſa iuſta ſic adiurandi. Ratio eſt, quia ſoli illi erga ſubditos poteſtate eis imperandi, eoſque cogendi gaudent, vt diuini nominis reuerentiâ per adiurationem interpoſitâ, impellantur magis ſubditi ad præceptum implendum. Ita
D. Thom. D. Thomas *2. 2. quæſt 90. art. 1* & alij communiter. Subditus verò contraueniens ſuperioris præcepto ſibi per adiurationem impoſito, non periurus, ſed ſolùm tranſgreſſor præcepti ſuperioris eſt: vnde ex ſola illa adiuratione non inducitur aliqua Religionis obligatio, ſed ſola eſt malitia tranſgreſſionis præcepti ſuperioris. Quia ſecluſo iuramento nequit ſuperior ſuâ adiuratione nouam neceſſitatem Religionis imponere ſubdito, ſed eam ſolam imponere poteſt, quam vis ſui præcepti imponit: quare erit mortale contra præceptum, tunc non obedire, quando præceptum eſt de re graui, & verba ſuperioris ſatis ſignificant voluntatem imponendi præceptum. Ita Suarez *tit. cap. 4. in fine*. Suarez.

7. Quidam credunt exorciſmos Eccleſiæ habere efficaciam infallibiliter expellendi è corporibus hominum dæmonem, ſecundùm Ordinariam Dei legem; impediri tamen quandoque ob modicam miniſtri fidem; ſicut & gratia eſt infallibilis Sacramentorum effectus, niſi recipientis obex obſtet. Quod dicit eſſe valde probabile Valen- Valentia.
tia *2. 2. diſp. 6 qu. 8. punct. 2. qu. 2.* At verius eſt non eſſe infallibilem hunc effectum, ſed ex congruitate quadam. Atque ita verba Chriſti Marci vltimo, *In nomine meo dæmonia eicient*, non tam ſignificant abſolutam ea de re promiſſionem, quam id plerumque eſſe futurum, quando expediret. Non enim ob ſolam miniſtri, aut dæmoniaci culpam, quandoque dæmones non expelluntur, ſed etiam ex occulto Dei iudicio propter maiorem animæ vtilitatem, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud Eccleſiæ commodum. Nec ſolent exorciſmis omnes moleſtiæ repelli, quas dæmones hominibus inferunt: ſed eæ ſolæ, ad quas repellendas ab Eccleſia ordinantur. Vt ſunt moleſtiæ, quas inferunt manendo in corporibus, & illa vexando: ſiue dum interius manent, ſiue dum exteriùs obſident: & illas regulariter ſanant. At maleficia & alia damna, quæ nobis inferunt, contra quæ non ordinantur directè exorciſmi, non tolluntur per eos, niſi rarò. Ita Delrius *lib. 6. diſquiſit. magic. cap. 2. quæſt. 3. ſect. 3. remedio 4.* Victoria *de magia, quæſtione 6. num 24.* Delrius. Victoria.

8. Damnatur à quibuſdam Doctoribus tanquam ſuperſtitioſum, ſi exorciſta dæmoniacum flagellis & alapis percutiat, vel fumo rutæ & cornuum, ſtercoriſque caprini defatiget, quaſi horum virtute poſſit dæmon pelli. Ita Simanchas *de Cathol. inſtitut. tit. 63. num. 32.* Delrius *lib. 2. diſquiſit. magic. quæſt. 30. ſect. 3.* Hæc ſententia vera eſt & certa, ſi Simanchas. Delrius.
hæc adhibeantur tanquam virtutem aliquam habentia directè ad dæmones expellendos, aut affligendos: quia nulla res corporalis id efficere poteſt. At ſi non ea exiſtimatione adhibeantur, ſed quaſi dæmonem confundentia & in ipſius contemptum & contumeliam, vt vel ſic ſe contemni in eo domicilio minimè patiens tanquam ſuperbiſſimus, illud deſerat, non ſunt ſuperſtitioſa, ſed ex ſe licita; vnde multi Sancti dæmonem expulerunt expuendo in eum. Ratio eſt, quia dæmon ſe contemni videns torquetur, & ideo aliquando recedit. Poſſet tamen exorciſta aliquando alia ratione peccare, ſi imprudenter ſe gereret percutiendo grauiter, aut nimis eo fumo moleſtando dæmoniacum: cum enim ea in ſolam dæmonis contumeliam eiuſque contemptum, fiant, & non quaſi corporaliter affligentia, ſatis eſt, ſi moderata ſint, ita vt corpus dæmoniaci minimè torqueant, ſed ſolam dæmonis ſuperbiam, eum contumelia illa afficiendo. Ita Thyræus *de dæ-* Thyræus.
moniacis, cap. 46. num. 31. Philiarcus *de offic. Sacerdotu. tom. 1. p. 2. cap. 11.* & alij. Philiarcus.

9. Adiuratio ex parte modi illicita eſt mortaliter, *Primò*, quando ſuperiores, aut æquales adiurantur per modum coactionis; quia id fit vſurpando ſibi in alterum poteſtatem contra iuſtitiam, in quo contra charitatem notabiliter læditur: niſi fortè id fictè fiat ad explorandum illius animum: vel ipſum in re leui decipiendum per iocum: tunc enim ex leuitate materiæ cenſebitur peccatum ſolummodo

veniale,

veniale. *Secundò*, cùm dæmones adiurantur per modũ deprecationis, seu petitionis beneuolæ. Id enim est amicitia iungere cum eis seque disponere ad ineundum fœdus cum eis: quod notabiliter iniuriosum est Deo, & eius amicitiæ repugnat, & ideò peccatum est mortale. *Tertiò*, cùm dæmones per modum coactionis adiurantur, vt discatur aliquid ab eis, vel aliquid obsequij accipiatur. Ratio est, quòd talis recursus ad dæmonem maximopere diuinæ maiestati displiceat, & ab ea puniatur grauissimè: prout satis indicant verba illa Leuitici 20. *Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam & interficiam illam de medio populi sui.* Vide Suarez c. cap. 4. num 7.

Valent.

Suarez.

10. Quædam exorcistas valde suspectos reddunt de superstitione ac pacto cum dæmone. *Primum* est, si laici, aut Clerici sola prima tonsura insigniti, exorcizand. munus quasi ex officio, aut peculiari Dei priuilegio sibi vsurpent. Quia cùm id priuilegium non ostendant, & certum sit id munus ex officio illis non competere, suspecti valde sunt. *Secundum* est, si quis Clericus, aut Religiosus quasi peculiare sibi vendicet plus virtutis ad dæmones exorcismis expellendos sibi inesse, quàm cæteris eiusdem Ordinis. Quia cum contrarium sit verum, in sunt eare mendaces, nili peculiare Dei priuilegium ostendam. At bene concedendum est aliquos maiori dexteritate præditos esse, ad exorcismos cõtra dæmones adhibendum; meliusque nosse, quo pacto dæmones in energumenis tractandi sunt. *Tertium* est, si peculiaribus exorcizandi formulis, & ritibus, diuersis à communibus Ecclesiæ vtantur. *Quartum* est, si vocibus ignotis vtantur, quas solis dæmoniacis ad aures dicunt: quia abhibere nomina ignota & modus clam dicendi, eos meritò suspectos reddunt. Ita Delrius *in disquisit. magic. post lib 6. in Anacephalæosi, monit 10.*

Delrius.

11. In Christianismo, siue apud Catholicos, dæmonia ex hominum corporibus eiciuntur quinque modis. *Primus* est, per inuocationem nominis Domini nostri Iesu Christi, de hac Iustinus disp. cum Triphon. in hunc modum: *Per nomen* (inquit) *ipsius filij Dei & primogeniti creatura omnis Dæmoniam omne adiuratum vincitur, & in ditionem redigitur.* Et paulo ante: *Eius nominis* (IESV) *potentiam dæmones tremunt & formidant: & hodie quoque ipsi per nomen Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, qui Iudæa procurationem egit, adiurati nobis parent.* Hanc formam dæmonia eiiciendi per *Nomen Domini nostri* & Dominus videtur præscripsisse & Apostoli obseruasse & viri sancti vsurpasse. Dominus præscripsit cum dixit Marc. vlt. *In nomine meo Dæmonia eiicient.* Apostoli sibi gratulantur Luc. 10. quòd *in nomine Christi ipsi subiicerentur dæmonia.* D. Paulus *in Nomine Iesu* præcipit Dæmonio, vt à puella exeat, Act. 16. Id probant varia exempla Sanctorum qui inuocato Christi nomine dæmonia eiecerunt ex hominum corporibus, teste & referente Petro Thyræo *de dæmoniacis disp. 42.*

Thyræus.

Obseruandum autem est, quod quamuis & Christi imperio & Christi meritis; & Christi auctoritate dici possit Dæmonia eiici, quando ad nominis eius inuocationem pelluntur, propriè tamen *virtutem eius* intelligimus; vt idem sit in Christi nomine: atque in virtute Christi dæmonibus exitum imperare: quia dæmonum electio opus diuinum est, humanas longissimè superans, ergo diuinam virtutem requirit; qua dæmones vt expelli demonstremus, Christi nomen, hoc est, virtutem, quæ diuina est, inuocamus. Itaque in hac dæmones eiiciendi ratione duo videntur concurrere. *Primum* est, Christi nominis vsurpatio; *Alterum* eiusdem virtus & potestas. Illud voce profertur, hoc animo concipitur & verbo insinuatur.

Sed & ratio egregiè pro hac sententia militat. Finis enim qui in dæmonum electione propositus fuit, hoc potius, quàm quodcunque aliud nomen requirebat; quia cùm hic propositum esset, vt Christi gloria atque diuinitas innotesceret; ipseque pro vero Deo susciperetur & haberetur, illud nomen assumere oportebat, quod Christo erat maximè proprium, quo ab omnibus passim compellebatur. Atque hoc esse dulcissimum IESV nomen, si non alia, certè Titulus Triumphalis, vt vocamus, satis superque declarat.

12. Secundus modus, seu ratio eiiciendi Dæmones est per vsum Reliquiarum Sanctorum. *Ea est Sanctorum potestas*, inquit Chrysostomus orat. de Babil. *Vt illorum superstitum ne vmbras quidem, aut vestes ferre possint Dæmones: vita autem functorum & locatos quoque reformident.* Chrysostomo adiungimus semicinctia & sudaria Apostoli Pauli: de quibus ita S. Lucas, Act 16. *Virtutes*, inquit, *non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia; & recedebant ab iis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Addi potest quoque vmbra Petri, qua dæmonibus vim allatam esse haud obscurè insinuatur cap. 5. Act. Apostolorum. Verùm quia hæc exorcizadi ratio magnos & multos habet aduersarios, pluribus tamen exemplis Sanctorum illustrat & explicat Thyræus *part. 3. disp. de dæmoniacis, cap. 43.* Nec mirum est Dæmones, aut profligari, aut cruciari reliquiis: cùm vel maiora, vel certè æqualia Reliquiarum attactu & virtute perfecta esse sciamus. Per has alius est restitutus vsus: alius redditus vsus pedum: aliis data vita: alij ab incurabilibus morbis liberati.

D. Chrysost.

Thyræus.

13. Tertius modus est, per Sanctæ Crucis impressionem. Aduerte tamen, quod aliud Crucis Christi, aliud signi Crucis Christi nomine intelligimus. Crucem dicimus illud ipsum lignum, in quo Dominus salutem nostram operatus est. Signum Crucis, quidquid illud sensibus offert. Hoc signum potest duplex distingui, Alterum est permanens, alterum transiens. Permanens aut ex ligno, aliaue solida materia fit; aut colore in plano effigiatur. Transiens mox vbi formatum est, esse desinit.

Huius transeuntis duplex vsus est. Quoddam homines sibi imprimunt, vt cùm pietatis studio cruce, vel frontem, vel pectus, vel os muniunt: quoddam aliis à se; vt fit in Sacramentorum maximè verò Baptismi, Confirmationis & Extremæ-Vnctionis administratione: & quando fideli populo, in Ecclesia, ab Episcopis & Sacerdotibus benedicitur. Vterque modus antiquissimus est, & non cum patuo fidelium fructu frequentatus: quod, vt in aliis multis, ita in dæmonum electione & profligatione licet deprehendere; cùm nouum non sit ex humanis corporibus, virtute crucis, ipsos eiici, quemadmodum grauissimus testis est Lactantius lib. 4. cap. 27. *Sicut ipse Christus*, inquit, *cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emollibat & malis incursibus feritates, in sensus pristinos reponebat; ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus, & nomine Magistri sui, & signo Passionis excludunt.* Exempla habes apud Thyræum *de dæmoniacis, cap. 44. num. 5.* & testimonia Sanctorum Patrum *num. 8.*

Lactant.

Thyræus.

Sed quæret aliquis, cur ad signum Crucis dæmones

mones fugiant, & an aliqua virtus in Cruce ſit, quæ dæmones torqueat, aut potius odium ipſius Crucis in ipſis tantum ſit, vt potiùs cum dedecore malint cedere, quam cum lætitia Crucem ſuſtinere? Reſpondeo, quod virtus hunc lignum duobus modis intelligi poteſt. Vnus eſt, vt quemadmodum cæteris rebus virtus impreſſa eſt, quæ agant; ita quoque ligno Crucis ſit impreſſa. Poſterior, vt non quidem ipſi virtus ſit impreſſa; ſed tanquam inſtrumento Deo aſſumenti, quod Deus exerceat, atque ex opere operato, vt ita loquamur, valere velit ad dæmones expellendos.

Dici nullo modo poteſt Cruci, quæ in aëre formatur, aut fronti imprimitur, vim ea ratione ineſſe; quia ſua rebus naturalibus dicitur ineſſe. Quod Deus Cruce, tanquam inſtrumento, ex opere operato damona profligari velit, admodum eſt verſimile: & quidem ſi non alunde, certè ex illo, quòd ſæpe homines Iudæi & Ethnici, ſine vera fide, aut deuotione, ſigno Crucis adiuti ſint. Hoc de Iuliano teſtatur Nazianzenus, *Orat. in Iulian.* De Iolepho Hebræo Epiphanius *Hæreſ.* 30. Hominum pietas, vt ad alia omnia Apoſtolo teſte, etiam hic vtilis eſt, & valet. Quando enim hoc ſignum precatis fructo aſſumunt, Chriſti merita, Crucis ſigno quaſi expreſſa, poſtulant & inuocant: ideo dæmonibus ſignum Crucis opponere, eſt Chriſti Paſſionem opponere, & Deum per Chriſti merita inuocare. Sed odium dæmonum maximè hic valet. Incredibile eſt, quantum ſit illud erga Chriſti Crucem. Odij huius cauſæ duæ ſunt, præcipua eſt, quia ſigno hoc, vires eorum fractæ, & regnum diſſolutum. Altera cauſa odij ex fructu, quem ex ligno hoc fideles carpere poſſunt, oritur: quia ſignum hoc explicat totam perfectionem Chriſtianam. Profundum enim Crucis intimat fidem; ſublimitas ſpem; latitudo charitatem; longitudo perſeuerantiam: quæ ſi in Chriſtiano inueniuntur, perfectum conſtituunt.

Nazian. Epiphan.

14. Quartus modus eſt, per vſum rerum conſecratarum. Antiquiſſima in Chriſti Eccleſia cõſuetudo eſt, vt res quædam conſecrentur & benedicantur; quibus deinde fideles, tum ad dæmones profligandos; tum ad morbos pellendos, aliaque mala arcenda, vterentur. Hic modus à præcedentibus tribus hoc videtur differre; quod quamcunque in dæmonia poteſtatem habet, illam accipiat, per orationem & verbum Dei; cum priores illæ, non ab Eccleſiæ oratione; ſed à nunc vim ſuam habeant.

In Eccleſia Dei benedicitur aqua; benedicitur ſal; benedicuntur herbæ; benedicuntur imagines cereæ, quas ab effigie cereæ impreſſa, Agnus Dei dicimus; & quidem benedicuntur hæ res, non ob eum finem, vt à dæmonum inteſtationibus ſint liberæ (quomodo aliæ quædam benedicuntur) ſed vt iis contra dæmonum inteſtationes & meleitias vtamur.

Thyræus. D. Auguſt.

Nouæ res in Chriſti Eccleſia non eſt creaturarum benedictio: magnam habet auctoritatem à veneranda antiquitate. Olim quo Apoſtoli infirmos curabant, benedictione mixta ea hanc virtutem habebat. Benedictionis oleum meminerunt, Clemens, Dionyſius & Tertullianus apud Thyræum *de dæmoniacis cap.* 15. *num.* 10. Benedictionis panis extra Euchariſtiam D. Auguſtinus *lib.* 2. *de peccatorum meritis cap.* 26. Benedictionis cereæ Palmitas Strabo *cap.* 30. & Patres in Concilio Toletano 4. *can.* 8. Benedictionis Palmarum & Cinerum D. Maximus, cuius extant Homiliæ inſcriptæ in die cinerum & in Dominica Palmarum.

Strabo. Conc. Tolet. D. Maxim.

His ergo rebus ſenſibilibus bene dictis dæmones abiguntur, nec deſunt exempla, & primum ſe offert S. Eligius Nouiomenſis Epiſcopus, qui ad ſe adductos dæmoniacos, erant autẽ plures quinquaginta, Aquæ benedictæ aſperſione à ſpiritibus liberat. Hæc Audoenus Rhotomagenſis Epiſcopus in vita eius, *lib.* 2. *cap* 20. Quod autem hæ res ſenſibiles benedictæ maximam vim habeant contra maleficia & alia opera magica diſſoluenda quotidie noſtris hiſce temporibus plaſquam periſcipuum eſt, & infinitis exemplis probari poſſet. Audoenus.

15. Quintus eſt, dæmonum per exorciſmos adiuratio. Exorciſmi nomine, hoc loco, illam rationem intelligimus, qua per Deum Spiritus nequam adiurantur, vt ab humanis corporibus diſcedant, deoque creaturam ſuam, quam poſſident, reſtituant & vexare deſinant. Non paruas eſſe huius adiurationis vires probant clamores, gemitus, eiulatus quos in obſeſſis hominibus ſæpiſſime dæmones dederunt de quibus ita Cyprianus, de idolorum vanitate loquens: *Adiurati*, inquit, *per Deum virum à nobis, flatum cadunt & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire cogũtur. Videat illos noſtra voce & operatione mãibus flatu occulta flagris cadi & igne torreri, incrementa pœnæ propugnantis extendi, eiulari, gemere, deprecari; vnde veniant & quando diſcedant confiteri.* Verum non vna ſemper eademque huius rationis dæmonia eiiciendi, fuit forma. Olim ferè paucioribus rebus videtur conſtitiſſe, nunc quandoque plura adhibentur: quod non tam facilè modò quàm olim à dæmonis corpora videantur liberati. Hinc eſſe dixero, vt hæretici, qui vniuerſa propemodum Catholicorum pietatis exercitia ad examen reuocant, nunc quoque plura habeant, quæ carpant, ac damnent in noſtro, quam in illo prioribus temporibus recepto exorciſmo: Iniqua tamen eſt ipſorum cenſura; iudicium temerarium & falſum. Varia autem ſunt, quæ in exorciſmo reperiuntur, ſed ad duo præcipuè genera reuocari poſſunt, *Res & verba.* Verba partim ad Deum diriguntur: partim ad Sanctos, Dei amicos: partim ad odientes dæmones. Ad Deum diriguntur per orationem, & ſacrificium Miſſæ. Ad Sanctos per Litaniam: Ad dæmones, per adiurationem.

D. Cyprian.

Petitur à Deo peccatorum venia. Petitur, vt miniſtris ſuis, in tam arduo & difficili negotio velit adeſſe: velit enim miſereri obſeſſi hominis, & eundem à Dæmonum poteſtate eripere. Inuocantur Sancti vt pro nobis & energumeno velint orare. Dæmones durioribus verbis increpantur: imperatur iidem quandoque, vt ſe prodant: nomen dicant: prodant ſocios, explicent cauſas, cur homines ingreſſi, ex hominibus diſcedant, infernum petant; diſceſſum ſuum aliquo ſigno declarent.

Res ſimiliter in exorciſmo variæ ſunt & multiplices: quædam ſacræ ſunt, vt Sanctiſſimum Chriſti corpus, quod ſub viſibilibus ſpecierum offertur; Sanctorum reliquiæ quæ aliquando adhibentur: Aqua benedicta, qua obſeſſi aſpergũtur. Quædam res ſunt ſigna ſacrarum, vt crux maximè, quæ nunc fronti, nunc pectori, nunc alis obſeſſorum membris imprimitur.

His addo locum vbi exorciſmus peragitur; qui plerumque templum eſt: veſtes item ſacræ, quibus exorciſta induitur: ſtolam, quæ aliquando obſeſſis imponitur: Impoſitionem manuum Sacerdotum; Cæreos ardentes; quæ interdum adhibentur. Flagella: atque digitorum exercitæ in os obſeſſi immiſſio.

Hæc ferè ſunt, quæ in exorciſmo reperiuntur: tamen nec omnia hæc neceſſaria ſunt, nec ſemper adhibentur: nunc plura, nunc paucíora adhibentur. Verum enumerò ſiue adhibeantur, ſiue omittantur,

tantur, ſuperſtitione vacant omnia. Sed de his plura apud Petrum Thyræum *de dæmoniacis c. 46. num. 14. & ſeqq.* Ex dictis clarum eſt nihil in exorciſmo criminis eſſe, nihil eſſe ſuperſtitionis, etiamſi hæc omnia conjungantur. Chriſtus nobis huius auctor videtur. Potuit ille verbo, ne dicam nutu dæmonia eiicere, ſed tamen ſigna, quæ exorciſmi quandam ſpeciem referrent, adhibuit. Cùm enim dæmoniacum quemdam ſanaturus eſſet; primum ipſum apprehendit de turba ſeorſum: tum miſit digitos in auriculam eius: poſt expuens tetigit linguam eius: denique ſuſpiciens in cœlum ingemuit; & poſtquam Ephetha dixiſſet, ſanitatem contulit. Et de hac materia ſatis.

Thyræus.

ADORATIO.

SVMMARIVM.

1 *Actus adorationis ad virtutem iuſtitiæ pertinet: & adoratio eſt actus voluntatis, ſupponentis actum intellectus*

2 *Adorationis nomen interdum vſurpatur latiſſimè; interdum ſtrictè.*

3 *Diuiſio adorationis in latriam, duliam, & hyperduliam defenditur contra Caluinum.*

4 *Verius eſt latriam differre ſpecie à dulia & hyperdulia: licet dulia & hyperdulia ad vnam & eandem planè ſpeciem adorationis pertineat.*

5 *An actus interni & externi quibus colitur Deus, ſint ex ſe & natura ſua determinati.*

6 *Non eſt adoratio latriæ abſoluta, ſed reſpectiua, quando obiectum materiale adorationis noſtræ eſt ſola imago Chriſti, & ratio adorandi ſolus Chriſtus per imaginem repræſentatus.*

7 *Adoratio propriè eſt latriæ, quando adoratur totus Chriſtus & imago eiuſdem ſimul, ita vt hæc duo ſint obiectum materiale adorationis.*

8 *Hæc propoſitio, Iſtæ reliquiæ Sanctorum, ſunt adorandæ. Non eſt tenenda tanquam de fide.*

9 *Non eſt ſuperſtitioſus Eccleſiæ ritus cereos, aut lampades accendendi ad ſepulchra Sanctorum.*

10 *Nihil ſuperſtitionis habet, deferre reliquias Sanctorum collo dependentes.*

Qui aliquod peccatum committit deferendo reliquias, modò non ſit cùm reliquiarum cultum, grauius non delinquit, nec eſt illa circumſtantia in Confeſſione aperienda.

11 *Honor & veneratio debetur, ſicut imaginibus, nominibus Ieſu Chriſti & trium perſonarum diuinarum & Sanctorum cœli ciuium.*

12 *Certis imaginibus, quas, Agnos Dei nominamus, honos & veneratio debetur.*

13 *Abſolutè non debet honorari imago ſacra, per quam nos alloquitur Damon, ſi dubium ſit, an ſit dæmon.*

Si autem ſit probabile, quod ſit dæmon, poteſt honorari ſub conditione, ſi non ſit, ſed Chriſtus, Deipara, vel Sanctus.

1. ACtus adorationis ad virtutem iuſtitiæ pertinet, nomine iuſtitiæ vtendo, prout ſub illa comprehenduntur virtutes omnes, quæ ad alterum ordinantur, ſiue ſit ipſi propria iuſtitia commutatiua aut diſtributiua, ſiue Religio, pietas, obſeruantia, aut aliæ ſimiles, quæ dicuntur partes potentiales iuſtitiæ. Cùm enim adoratio ad alterum tendat, neceſſe eſt, vt ad illud virtutis genus cuius munus eſt, operationes circa alterum moderari. Sicut ergo inter prædictas virtutes iuſtitiæ, quædam verſantur circa homines, quæ variæ ſunt ſecundùm diuerſas rationes debiti, quę inter homines eſſe poſſunt, aliæ circa Deum, quæ dicitur Religio, ita adoratio debita eſſe poteſt & Deo & homini, propter aliquam excellentiam quæ in eis reperitur.

Et quamuis aliqui adorationem actum intellectus eſſe velint, vt Toletus *in Summ. lib. 4. cap. 12.* & alij, rectiùs tamen Suarez *in 3. part. diſput. 52. ſect. 1.* docet eſſe actum voluntatis, ſupponentis actum intellectus. Qui enim aliquem adorat, præſupponitur cognitionem habere excellentiæ illius, cui adoratio exhibenda eſt. Talis enim bona exiſtimatio & cognitio excellentiæ ſupponitur adorationi. Non ergo poteſt adoratio in illa intellectuali exiſtimatione conſiſtere: vnde fieri poteſt, vt aliquis veram habeat cognitionem de alterius excellentia, quem tamen nec debito modo colat, nec adoret. Et ideo D. Thomas 2. 2. *qu.* 84. *art.* 2. dicit adorationem Dei maximè conſiſtere in interiori affectu & deuotione: at verò *quæſt.* 82. *artic.* 1. docet deuotionem eſſe actum voluntatis. Idipſum oſtendi poteſt hac ratione, quia in dæmonibus eſt cognitio excellentiæ diuinæ, & tamen, quoniam eis deeſt hæc voluntaria ſubmiſſio & affectus, non adorant, ſed blaſphemant Deum.

Toletus, Suarez.

2. Adorationis nomen tam in ſacris literis, quàm apud Patres, vſurpatur interdum latiſſimè, aliàs verò ſtrictè: poſteriori modo ſumitur Ioannis 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*, & Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, quo loco obſeruant aliqui Patres, particulam excluſiuam (ſoli) non eſſe additam primæ parti iſtius propoſitionis, ſed poſtremæ tantùm; idque quod inculpatè poſſit quilibet noſtrùm res alias à Deo adorare: nullus tamen noſtrùm eſt, qui cultum Deo debitum poſſit alicui alteri impendere abſque vitio idololatriæ, ac proinde dicitur: *Illi ſoli ſeruies*, ſeruitute, ſcilicet, Deo debita. In priori autem parte dicitur; *Dominum Deum tuum adorabis.* In prima autem ſignificatione ſumitur nomen Adoratio, ſeu Verbum adorare Geneſis 18. legimus enim illic Abrahamum adoraſſe Angelos, & quidem cùm eſſet pronus in terram: idem dicitur de Loth, *cap.* 19. reſpectu Angelorum, qui venerant vt Sodomam perderent.

Neque refert, quod capite vltimo Apocalypſis dicatur D. Ioannem fuiſſe prohibitum ab Angelo, ne eum adoraret: nam Sancti Patres communiter docent Angelum id præſtitiſſe, non quod non potuerit hic adorari à Ioanne, ſed quia voluit Angelus indicare dignitatem debitam humanæ naturæ propter Chriſti incarnationem, imò reſpontio iſta videtur colligi ex verbis ſubſequentibus Angeli; *conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum.* Deinde voluit Angelus vitare occaſionem idololatriæ, vt obſeruant recentiores.

3. Caluinus, *lib. 1. ſuarum inſtitutionum* turpiſſimè lapſus eſt, damnans Theologos Scholaſticos eo quòd doceant diuiſionem adorationis in latriam, duliam & hyperduliam, eſſe meritò retinendam: ſubiungit autem cauſam, quia, inquit, nomina latriæ & duliæ, eandem planè ſeruitutem ſignificant; imò dulia maiorem dicit ſeruitutem quàm latria. Cæterum temeritas & inſolentia iſtius hominis ex eo innotuit, quòd Hieronymus & Damaſcenus, itemque alij Patres diuiſionem iſtam admiſerunt, tanquam maximè accommodatam ad exprimendam ſeruitutem debitam Deo & Sanctis: præſertim cùm notiſſimum ſit Hieronymum, itemque Damaſcenum in litteris Græcis, quàm maximè fuiſſe exercitatos.

Caluinus. D. Hieron. D. Damaſc.

4. Quidam putant latriam & duliam, itemque hyperduliam ad vnam eandemque planè ſpeciem adorationis

rationis pertinere : quia ſicut Deus & proximus amantur à nobis per vnam & eandem ſpecie qualitatem. Vtque oratio quâ Deum & Sanctos inuocamus vniuocè eadem eſt & rurſus creata reuelata à Deo, per vnam ſpecie fidem diuinam creduntur: ſic Deus & Sancti omnes per vnam & eandem ſpecie adorationem adorabuntur à nobis Ita Suarez *diſp.* 51. *ſect.* 2. & alij recentiores. Opinio tamen contraria videtur verior ; conuenit enim inter omnes vnitatem ſpecificam cuiuſlibet actus aut habitus, petendam eſſe à ſuo obiecto, vel à modo tendendi in illud : atqui obiectum adorationis latriæ cenſetur eſſe excellentia, ſeu quod idem eſt, ſanctitas increata, vt tradit D. Thomas *in* 2.2. *queſt.* 81. *art.* 3. obiectum autem duliæ & hyperduliæ eſt ſanctitas, ſeu excellentia creata : ergo differunt ſpecie. Denique nihil eſt commune Deo & creaturis ſynonimè, ex veriori opinione : ita multi recentiores.

Suarez.

D. Thom.

Concedendum tamen eſt duliam & hyperduliam ad vnam & eandem planè ſpeciem adorationis pertinere : obiectum enim duliæ eſt ſanctitas, quæ datur communiter in omnibus Sanctis; hyperduliæ verò obiectum eſt ſanctitas excellentior, quæ reperitur in certis quibuſdam Sanctis : vnde duo iſta ſe habent tanquam magis & minus ſancta, ſeu excellentia : magis autem & minus non variant ſpeciem, ex communi doctrina Philoſophorum & Theologorum.

5. Actus interni, quibus colitur Deus à nobis, aut etiam Sancti, definiuntur ex motiuo propter quod eliciuntur à nobis: actus autem externi quibus colitur Deus & Sancti, non ſunt ex ſe & ſua natura determinati : notiſſimum eſt nos genua flectere ante Deum & Sanctos, attollere, iungereque manus, tondere item pectora, aperire etiam caput, & ſic de aliis : vnica tamen eſt actio externa, definita & determinata, quâ adoramus Deum, & nulla ratione creaturam aliquam, nempe ſacrificium Miſſæ ; hoc enim ſoli Deo offerri poteſt.

6. Quando obiectum materiale adorationis noſtræ eſt ſola imago Chriſti, & ratio adorandi ſolus Chriſtus, per imaginem iſtam repræſentatus, adoratio hæc non eſt propriè adoratio latriæ, aut vt alij loquuntur, non eſt adoratio latriæ abſoluta. Probatur, quia in 2. Synodo Nicæna actione 2. 3. & 7. dicitur ſolum Deum eſſe colendum latriâ : at imago Chriſti in data hypotheſi, nec eſt Deus, neque aliquid Dei, vt eſt per ſe notum. Tum quia Adoratio latriæ abſoluta, ſeu quod idem eſt, propriè dicta, cõſequitur increatam excellentiam, omnium conſenſu; at excellentia iſta non datur in imagine Chriſti: ſupponimus enim ſolam imaginem eſſe rem adoratam, & rationem adorandi eſſe Chriſtum repræſentatum per imaginem iſtam: ergo vt ſic, nequit adorari latriâ. Tum quia aliter ſe habet increata excellentia ad Chriſtum, & aliter ad eius imaginem: nam ad Chriſtum ſe habet increata iſta excellentia intrinſecè, ad imaginem verò tantùm reſpectiuè: ergo imago iſta nequit adorari adoratione abſoluta latriæ, aut vt alij dicunt, adoratione latriæ propriè dictâ. Ita ſentiunt multi interpretes D. Thomæ.

Synodus Nicæna II.

Sed petes, qua ratione nuncupanda ſit iſta adoratio, quæ dicitur de imagine Chriſti in data hypotheſi ? Reſpondeo, non eſſe hyperduliam, neque duliam; erit ergo adoratio latriæ, reſpectiua tamen, non autem abſoluta : quoniam adoratio conſequitur rationem adorandi, ſeu quod idem eſt, principium formale adorationis ; at ratio adorandi imaginem Chriſti in data hypotheſi, eſt Chriſtus, ac proinde deitas eiuſdem: ergo cùm adoratio deitatis dicatur latriæ, imago Chriſti in data hypotheſi adorabitur latria : quia tamen imago huiuſmodi non continet deitatem Chriſti verè & realiter, ſed repræſentatiuè tantùm; ideo adoratio iſta dicitur relatiua, non autem abſolutæ latriæ.

7. Quando adoratur totus Chriſtus, & imago eiuſdem ſimul, ita vt hæc duo ſint obiectum materiale adorationis, adoratio hæc cenſetur eſſe propriè latriæ adoratio. Probatur, quia hæc eſt mens 7. Synodi, *act* ent 4, dicitur enim illic, eum qui adorat imaginem Regis & Regem, adorare non imaginem, ſed Regem : ſubiungitur ibidem, non eſſe duas adorationes imaginis & prototypi, ſed vnam & eandem, & qui colit imaginem, exiſtimare ſe non imaginem, ſed prototypum eiuſdem ſibi videri adorare & tenere.

Synod. VII.

Deinde, Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. quod eſt de inuocatione, veneratione, & de reliquiis Sanctorum & ſacris imaginibus, ita dicit; ***Sed quoniam honor qui eis***, ſcilicet, ***imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræſentant, vt per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus & Sanctos, quorum illa ſimilitudinem gerunt, veneremur.*** Denique eadem eſt adoratio prototypi & imaginis quandocumque prototypum & imago ſimul adorantur, propter excellentiam, quæ datur in prototypo. Idem enim eſt motus in imaginem & in rem repræſentatam per imaginem, quando imago & exemplar eiuſdem ſimul & ſemel intenduntur. Ita ſentiunt D. Thomas 3. *part. q.* 25 *art.* 3. & alij communiter.

Conc. Trid.

D. Thom.

8. Quamuis de fide ſit reliquias Sanctorum eſſe venerandas & adorandas ; hæc tamen propoſitio, ***Iſta vel hæc numero Reliquiæ Sanctorum, ſunt adorandæ***, non eſt tenenda tanquam de fide. Probatur, quia apud Theologos certiſſima regula eſt, ea tantùm eſſe de fide Catholica, quæ fuerunt expreſsè à Deo reuelata, & quæ auctoritate Eccleſiæ vniuerſalis proponuntur credenda : at quis dicat Deum reuelaſſe in particulari de reliquiis quorumcunque Martyrum & Sanctorum, quòd ita ſint huius, vt nullius alterius exiſtant ? & licet dáremus Deum de quibuſuis Sanctorũ Martyrum reliquiis in particulari reuelaſſe, quòd iſtæ reliquiæ ita ſint huius, vt nullius alterius exiſtant : non tamen propterea prædicta propoſitio eſſet inter documenta fidei orthodoxæ computanda, quia quælibet reuelatio diuina non ſufficit ad rem aliquam de fide conſtituendam, ſed deſideratur præterea, vt hæc reuelatio vniuerſæ Eccleſiæ fuerit facta, & quod hæc eadem auctoritate Eccleſiæ proponatur credenda; quorum tamen neutrum de prædicta propoſitione poteſt dici. Si ergo fidei Chriſtianæ nequeat ſubeſſe falſum, vt habet axioma Theologorum omnium ex D. Thoma 2. 2. *queſt.* 1. *art* 3. ſi fides ad falſum & adulterinum cultum nec moueat, nec mouere poſſit, non poterit propoſitio hæc pertinere ad documenta fidei Catholicæ. Vide Puteanum *in* 3. *part. q.* 25. *art.* 6. *dub.* 2.

D. Thom.

Puteanus.

9. Hæretici pugnaciter contendunt Eccleſiæ ritum cereos, aut lampades accendendi ad ſepulchra Sanctorum eſſe ſuperſtitioſum & è medio tollendum, propterea quod in Concilio Eliberti-uo Canon 34. ſancitum ſit: Cereos per diem placuit in Cœmeterio non incendi. Inquietandi enim Sanctorum ſpiritus non ſunt. Qui hoc non obſeruauerint, arceantur ab Eccleſiæ communione. Et Auguſtinus improbat ſepulchrorum adoratores, *lib.* 1. *de moribus Eccleſiæ*, *cap.* 34. Verùm eum ritum cereos, aut lampades incendendi ad monumenta Martyrum, more eſſe antiquiſſimo in Eccleſia receptum

D. Auguſt.

D.Auguſt. receptum, manifeſtum eſt ex Auguſtino *lib. 8. de ciuitate, cap. vltim. & in lib. 6. Confeſſ. in cap. 2.* Et ex Gregor. *lib. 3. dialog. cap. 24.* Quòd autem Auguſtinus improbat & reprehendit ſepulchrorum & picturarum adoratores, ad eos pertinet, qui more gentilium picturas colebant, & cereos vel lampades in ſepulchris quorumuis mortuorum, vel etiam in ſepulchris Martyrum accendebant, eis thura adolebant, ſuper ea luxuriosè edebant & bibebant: eis offerebant ſacrificia, quia arbitrabantur eiuſmodi luminibus Martyres illuſtrari. Elibertina Synodus prohibet, quo minus cerei accendantur videlicet ritu & more gentilium, qui putabant, defunctorum corpora aliquid ſenſure & clauſa in tenebris & ſepulchris illuminari. Et cùm dicit, inquietandi enim ſpiritus Sanctorum non ſunt, perinde eſt ac ſi diceret, Sanctos ipſos vitâ functos gratum & acceptum non habere eiuſmodi ſuperſtitioſum ritum ex errore gentilium profectum: vel ſanctos Spiritus videlicet fidelium hominum adhuc in terris viuentium inquietari, hoc eſt, perturbari.

Quæres cuius rei gratia apud Catholicos lumina accendantur; Reſpondeo ad ſignificandum lumine fidei illuſtratos Sanctos deceſſiſſe & modò in ſuperna patria gloriæ lumine ſplendere. Et vt nos item perfuſi lumine diuino delectemur, & noſtri animi lætitiam ſignificemus.

10. Pij & Religioſi hominis officium eſt, Sanctorum reliquias collo dependentes deferre, nihilque ſuperſtitionis habet is fidelium ritus & mos, dummodò tamen honorificè, & piè ac religioſè deferantur. Ita D. Thomas *2.2. qu. 96. art. 4. ad 3.* Et in Concil. Bracharen. *3. cap. 5.* ſolùm reprehenduntur Epiſcopi, quia in celebritatibus Martyrum Reliquias ad collum alligabant & ſinebant ſe in celluls à Diaconis portari.

Si quæras, an qui eas deferendo, aliquod peccatum, at non contra reliquiarum cultum, committit, grauius delinquat quàm ſi non deferret? Reſpondeo, ſi peccando quippiam contra honorem eis debitum admiſerit, grauius profectò delinquet; vt ſi eas turpiter & obſcœnè contrectet: At ſi eas deferendo peieret, mentiatur, furetur, detrahat alteri, in quempiam maledicta conijciat, imò fornicetur, non ob id grauiori ſe ſcelere obſtringit, nec committitur ſacrilegium, nec talis eſt circumſtantia in Confeſſione explicanda: quia non agitur ſpecialiter contra rem illam ſacram vt ſacra eſt, ſed tantùm concomitanter ſe habet ad actum venereum. Ita Diana, *part. 1. tract. 7. reſol. 18.* Sanchez *lib. 2. moral. c. 40. n. 28.* Syluius *2.2. q. 154. art. 10.* quidquid in contrarium videatur aſſerere Philiarcus *de offic. Sacerdot. tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 9. ad finem.*

11. Nominibus Ieſu Chriſti Domini noſtri, ſiue trium perſonarum diuinarum, & Sanctorum cœli ciuium, etiam ſcriptis, aut pronũnciatis, ſiue auditis honor & veneratio debetur, ſicut ſacris imaginibus: vnde ad Sanctiſſimum Ieſu nomẽ de more corpus inclinamus, vel caput aperimus, aut etiam genuflectimus: & in ſacrificiis, Sanctum quoque Mariæ Dei genitricis nomen pio ac Religioſo cultu & honore dignamur. Non quod hæc nomina propter ipſa venerẽtur, non quòd litteras & ſyllabas, quæ atramento deſcribuntur, vel depinguntur, vel ſono proferuntur, cultu & veneratione proſequamur, vt res ſunt ſenſus, animæ & vitæ expertes, ſed quòd totus honor & cultus ad rem ſignificatam referatur: Quare audito, vel prolato nomine Ieſu caput denudamus, genuflectimus, aut ſcriptum nomen piè & religioſè oſculamur, perinde ac ſi perſona, quam illud ſignificat, præſens adeſſet, & oſculo, aut corporis inclinatione, aut capitis ſubmiſſione, honoraretur à nobis: ſicut ſacram imaginem veneramur, quia refert exemplar, ſic ſacrum nomen honoramus & colimus, quia rem ſanctam deſignat.

12. Cereis formis atque imaginibus, quas *Agnos Dei* à figura agni, ſcilicet impreſſa nominamus, honos & veneratio debetur. Quia vetere Eccleſiæ inſtituto à Summo Pontifice, Chriſti in terris vices gerente, ſolemni precationum ritu, multiſque cæremonijs imrè pietatem redolentibus, non ſolùm primo, ſed ſeptimo quoque Pontificatus anno, de more conſecrantur: quo in conſecrationis munere, ſicut ipſe Romanus Pontifex, cuius precatio tanto maioris eſt momenti, quantò eius officium in Eccleſia ſublimius, & cum Chriſto Domino, cuius locum & vices tenet in terra, coniunctus, multa ſanctè precatur à Deo vt illis concedat, qui animo pio religioſoque eos ſacros Agnos, ſecum habuerint; ita à pijs quoque hominibus pari Religionis ſtudio iidem geſtandi ſunt; ad eoſque vſus dumtaxat adhibendi, ad quos ſacræ preces antiquo Eccleſiæ inſtituto referuntur. Teſtatur Durandus in Rationali diuinorum officiorum *lib. 6. cap. 79.* hos Agnos cereos auctoritate Pontificia ſacros vim habere contra fulgura, fulmina, grandinem, incendia, & tempeſtates ventorum, vel imbrium. Dutand.

An autem ſit ſimonia hos Agnos Dei venales exponere & vendere? Vide *in tom. 1. noſtræ Summæ, verb. Simonia III. numer 4. §. Notandum tamen eſt.*

13. Abſolutè non debet honorari imago ſacra, per quam nos alloquitur Dæmon, ſe in bonum Angelum transformans: videlicet, ſi in ea appareat quidam lucis ſplendor & radius, aut ſpecies, ſeu effigies hominis è cruce pendentis; quoties ambigimus, ſit dæmon necne, qui per imaginem loquitur. Ratio eſt, quia dum ambigimus, id, quòd certius & tutius eſt, ſequi debemus, eique adhærere, ne periculo erroris nos exponamus, ne ſcilicet dæmoni, tanquam Chriſto, Deiparæ vel Sancto honorem cultumque deferamus. Verum cum probabiliter credimus Chriſtum eſſe, vel Deiparam, vel Sanctum, qui nos per imaginem alloquitur, non licet etiam hoc facere, niſi conditione expreſsè appoſitâ, ſi tu es Chriſtus, vel Deipara, vel Sanctus, colo & veneror, ſin ſecus, minimè: quia nouum fermè eſt & inſolitum, Chriſtum, vel Deiparam, vel Sanctos in imaginibus loqui: quod autem præter communem morem eſt, abſolutè & ſimpliciter non tanquam verum, aut bonum ſtatim leuiter amplectendum, cùm falli ac decipi facilè poſſimus. Non tamen condemnandus eſſet rudis & ruſticus homo, qui bona fide nihil dubitans in hac parte erraret. Ita D. Bonauentura *in 3. diſt 9. art. 1. q. 6.* Gabriel *de Canon. Miſſæ, lect. 30.* Alexander *part. 3. qu. 30. membr. 3. art. 1. §. 3.* D. Bonau. Gabriel. Alexander.

Diana. Sanchez. Syluius. Philiarc.

D.Thom. Conc. Bracharenſe.

D.Thom.

Purpur.

D.Augul.

ADVLTERIVM.

SVMMARIVM.

1 *Concubitus cum ſponſa alterius de futuro non eſt adulterium.*

2 *Verius eſt, circumſtantiam ſponſalitorum in pradicto concubitu eſſe explicandam in Confeſſione, quando ſe tenet ex parte fœmina.*

3 *Probabilius eſt adulterum occultum, dum alterum adulterium latet, non peccare ius exigendi debitum, ſed poſſe ab eo exigere.*

4 *Primus caſus in quo ob adulterium locum non*

habet actio tam ciuilis, quàm criminalis: quando sciuerit, coniugata passa est se cognosci ab alio, arbitrata eum esse suum virum.

5 *Secundus casus: quando coniux matrimonium cum alio celebrauit arbitrans alterum esse defunctum.*

6 *Tertius. Si maritus libellum repudij vxori dederit dum ambo infideles erant, illaque alteri nubat: tunc ad fidem conuersi, tenetur maritus eam admittere.*

7 *Quartus. Quando coniugata vi fuit oppressa; imò iuxta quosdam etiam quando metu cadente in constantem feminam.*

8 *Quintus. Si à puncto adulterij commissi elapsum est quinquennium.*

9 *Sextus. Si adulterium commissum est de voluntate & consensu mariti.*

10 *Septimus. Si maritus cœpit accusare adulterum vel adulteram & desistit postea animo non prosequendi.*

11 *Octauus. Quando aliquis fuit de adulterio accusatus & in iudicio fuit absolutus.*

12 *Nonus. Quando mulier adultera mortuo marito transiuit ad secundas nuptias.*

13 *Probabilius est, posse mulieres coniugatas retinere sibi lucrum ex adulterio acquisitum.*

14 *Criminalis actio non datur vxori aduersus maritum adulterum ob adulterij iniuriam in eam commissam: licet ei possit negare debitum & petere diuortium.*

15 *Vna integra pœna adulterij puniuntur multa adulteria ex intervallo commissa ab eodem adultero cum eadem aliena vxore.*

16 *Adulterium cum coniugata si adiunctam habeat circumstantiam incestus, punitur duplici pœna.*

Adulter, qui cum duabus vxoribus alienis deliquit, punitur distinctis pœnis.

Si duo adulterati sint cum eadem aliena vxore & maritus vtrumque accuset, vterque punietur: adultera autem vnica tantùm pœna punietur.

17 *Quamodo adulterium probetur per indicia probata per testes duos.*

18 *In dubio, num indicia certam moraliter præsumptionem adulterij efficiant, illi de quibus non est certa præsumptio, non sunt condemnandi ad pœnam ordinariam adulterij, sed ad arbitrariam pro quantitate culpæ.*

19 *Vt innocens coniux possit in foro conscientiæ ab adultero diuertere, sufficit certando moraliter de eius adulterio.*

20 *Oscula, amplexus & alij tactus impudici, quando non fiunt à cubantibus, certam adulterij præsumptionem non faciunt, nisi alia circumstantiæ adiungantur loci, temporis vel personarum.*

21 *Per Xenia missa ab adultero vxori alienæ, aut per verba amatoria non probatur adulterium: de litteris verò amatoriis, id iudicio arbitrio remittendum est pro litterarum tenore.*

Confessio adulterij in iudicio, probatum confertur: extra iudicium autem non probat: sed tantùm inducit sufficiens indicium ad torturam.

22 *Præsumptio est iuris & de iure commissi adulterij ab vxore, si ter admonito viro sibi suspecto à marito, ne cum illa colloqueretur, postea illos maritus inueniret simul in aliquo loco.*

Licitum est viro suspicanti adulterium vxoris, illam obseruare cum testibus idoneis, vt eam de adulterio possit conuincere.

23 *Quamuis indicia cap. ex litteris de præsumpt. certam moraliter efficiant præsumptionem adulterij: tales tamen possunt habere adiunctas alias circumstantias, quæ in contrarium suadeant, vt nequaquam efficiant certam moraliter præsumptionem adulterij.*

24 *Adulterans cum aliqua, quæ prius meretrix fuit, sed iam non est, incurrit pœnas adulterij ordinarias. Si post matrimonium meretrix fiat coniuncta marito, adulterantes cum illa non sunt puniendi pœna adulterij, &c.*

1. CEnsent aliqui concubitum cum sponsa alterius de futuro esse adulterium, ad hunc saltem effectum, vt sponsus fornicantem sponsam possit de adulterio accusare. Ita tenent Glossa *in cap. Quemadmodum, verb. Sponsam, de iureiurando.* Paludan. 4. *distinctione vigesimaseptima, quæstione prima, articulo tertio, numero decimoseptimo.* Glossa. Paludanus.

Dicendum tamen est non esse adulterium. Probatur ex adulterij definitione, quam tradit D. Thomas 2. 2. *quæstione* 154. *articulo octauo*, est alieni tori violatio. Sed accedens ad sponsam de futuro, minimè violat alienum torum, cùm hic ante matrimonium de præsenti non concedatur sponsis: ergo adulterium non committit. Ita communiter Theologi. D. Thom.

2. Esto accessus ad sponsam alterius de futuro non sit adulterium; controuertitur tamen inter Doctores, an hæc circumstantia sponsalium sit necessariò explicanda in Confessione? Prima sententia docet minimè esse explicandam: quia solæ circumstantiæ mutantes speciem sunt necessariò confitendæ, hæc autem non mutat speciem, cùm adulterium non sit: ergo. Tum quia per sponsalia tantùm contrahitur obligatio mutua tradendi corpus per matrimonium, non autem obligantur sponsi ad abstinendum ab alieno concubitu, ante matrimonij contractum: ergo hic concubitus non continet circumstantiam sponsalibus aduersam, nec confitendam. Probabilem hanc opinionem esse docuit Petrus Ledesma *de matrim. quæstione* 43. *artic. 3. dub. vltim.* Et absolutè tenent Couarruuias & Viualdus. P. Ledesm. Couar. Viualdus.

Secunda sententia docet eam circumstantiam esse necessariò fatendam, tam ex parte sponsæ de futuro, quàm ex parte sponsi: quia duplex est malitia, altera fornicationis, altera fractorum sponsalium, quæ ob id diriminant possunt ex *cap. Quemadmodum de iureiur.* Ita Syluius *in tertia parte, supplement. quæstione* 43. *articulo primo, quæritur* 2, & alij multi. Et hæc sententia est valde probabilis. Verior tamen est tertia sententia docens hanc circumstantiam esse fatendam, quando se tenet ex parte fœminæ, id est, dum aliquis fornicatur cum sponsa alterius de futuro: tunc enim tenetur fornicans & ipsa sponsa fateri hanc circumstantiam sponsalium: at quando se tenet ex parte viri, quia sponsus de futuro fornicatur, hæc circumstantia non est de necessitate detegenda in Confessione. Probatur non esse in sponso circumstantiam necessariò fatendam: quia quamuis etiam contineat ea fornicatio iniuriam ac circumstantiam diuersam specie iniustitiæ aduersus ius acquisitum sponsæ per sponsalia; verum cùm ea iniuria reputetur prudentum arbitrio, leuis in fornicatione sponsi de futuro, non excedit limites culpæ venialis, Syluius.

ac proinde non est necessariò fatenda: quod secus est in sponsæ fornicatione, quæ atrox est sponsi iniuria, propter periculum, si postea matrimonium cum sponsa contrahatur, supponendi sibi alienum fœtum, quando ex alieno concubitu conceptio prolis fortasse sequuta est. Hanc sententiam tenent Rodriguez. Rodriguez *in Summ tom. 1. cap.* 109. Sanchez. Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 2. num. 6.* Fagundez. Fagund. *præc. 2. Eccles. lib. 4. cap 4. n.* 21. & alij.

3. Quidam probabiliter docent adulterum occultum eo ipso priuatum esse iure exigendi debitum ab vxore, sed tantùm posse humiliter petere. Ratio est, tum quia reddere ex obligatione & exigere sunt correlatiua, sed vxor talis adulteri non tenetur re vera reddere, sed tantùm ex conscientia erronea, ergo vir adulter non potest exigere. Tum quia statim ac coniux adulterium admittit, innocens re vera & coram Deo est absolutus à debito reddendo, ergo adulter non potest petere tanquam debitum cùm re vera debitum nõ sit. Ita Tabiena. Tabiena *verb Matrimonium 4 quæst. 6. num. 7.* Armilla. Armilla *v. Matrimonium numer* 77. Sylvester. Sylvest. *v. Adulterium quæst 6. num. 8. in fine.* Probabilior tamen sententia asserit coniugem adulterum, dum alterum adulterium latet, non perdere ius exigendi debitum, sed posse ab eo exigere. Probatur. Adulterum non posse exigere est in pœnam sui delicti, dignus est enim cùm fidem matrimonij fregerit, vt ei fides minimè seruetur: sed reus non tenetur prodere suum delictum, vt à iudice, vel ab vxore priuetur, in illius pœnam, iure exigendi: ergo quamdiu delictum non constat vxori, vt adulterum per exceptionem elidat, non priuatur iure exigendi debitum, nec ipse adulter tenetur suæ pœnæ esse executor. Ita Sotus. Sotus 4 *distinct 6. quæst vnic. art. 4. §. verum verò vxor.* Sanchez. Sanchez *de matrim. lib. 1. disp 68. num. 4.* Petrus Soto. Petr. Soto, *lib 16. de matrim §. penult.* Idem dicendum licet coniux innocens suspicaretur alterum adulteratum esse, leuibus tamen indicijs quæ non sunt sufficientia ad ipsum in foro conscientiæ excusandum.

4. Quando coniugata passa est se ab alio cognosci, arbitrata eum esse suum virum: tunc, sicut ex parte ipsius non interuenit culpa adulterij, excusante illam ignorantia, quòd ille non esset suus vir, solumque proinde ex parte illius fuit adulterium materiale, illa neque digna est vllâ pœna, ac proinde nec ciuiliter nec criminaliter agi potest aduersus eam ex adulterio, argumento *cap. in lectum 34. quæst. 1.* Aduersus adulterum verò, qui in vera culpa adulterij fuit, constat integram manere criminalem actionem, actiuisque esse puniendum ob dolum ac fraudem, quàm si sciente & consentiente aliena illa vxore id adulterium esset patratum: Et hic est primus casus in quo ob adulterium locum non habet actio, tam ciuilis, quàm criminalis.

5. Secundus casus est, Quando arbitrante vno coniuge alterum esse defunctum, matrimonium cum alio celebrauit, *cap. cum per bilicam 34. qu. 1.* Atque licet in hoc & præcedente euentu aliqua interuenisset temeritas, quæ non careret aliqua culpâ, non propterea concedenda esset actio, quando de malitia non constaret.

6 Tertius est. Si maritus libellum repudij vxori dederat dum ambo infideles erant nondum ad fidem conuerti, illaque alteri nupserat, tunc enim si ambo ad fidem conuertantur, tenetur maritus eam iterum admittere ad matrimoniale consortium tanquam suam adhuc legitimam vxorem, quę bona fide alteri nupsit, solumque materialiter cum illo altero est adulterata.

7. Quartus est. Quando coniugata vi fuit oppressa, inuitaque est passa adulterium. Sicut enim ignorantia excusat à culpâ: ita & vis illata, ac proinde excusare debet à pœna: maximè quando coniugata adulterium pateretur per violentiam, absolutamve ac præcisam vim, ita vt ipsa nihil sua sponte cooperaretur ac vellet circa id adulterium. Quando autem metu mortis, aut grauissimi alterius mali, consentiret, constat eam peccare lethaliter adulterij peccato, ac proinde non excusari à culpa circa id obiectum intrinsecè malum, esto inuoluntariè mixtè consenserit. Vtrum autem tunc locum habeat actio ciuilis ac criminalis aduersus eam, est dubium. Couarruuias *in 4. decret. part. 1. cap. 5.* arbitratur, illam esse sufficientem causam, vt maritus possit ei denegare debitum, facereque ab ea diuortium. Et hæc est communissima sententia, quam sequitur Sanchez *de matrim. lib. 10. cap. 5. num 16.* Verum contraria sententia non est improbabilis, sustinens non solùm excusari mulierem à pœna diuortij, quando vi præcisa oppressa est, sed etiam quando metu cadente in fœminam constantem. Ratio est, quia vbi lex dolum requirit, non sufficit culpa, *l. 1 ff. de iuscur.* & notatur *l. In actionibus, ff. de in litem iur.* Adulterium autem quoad pœnam requirit dolum, *l. penult. ff. ad l. Iuliam de adulterio.* Ita Sylvester *verb. Adulterium quæst. vlt.* Rosella, Armilla, Tabiena apud Sanchez *loco cit n.* 15.

8. Quintus est. Si à puncto adulterij commissi elapsum est quinquennium: eo enim tempore præscribitur actio adulterij, vt deinceps intentari non possit, nisi in adulterio interuenerit vis: nam tunc actio est perpetua, hoc est, quæ minori spatio, quàm triginta annorum præscribi non potest. Hæc habentur *l. mariti à §. sex mensium*, iuncta *l. miles, §. quidam*, & *l. quæsitum est in princip. ff ad leg. Iuliam de adult.* Hoc tamen intelligendum est, quod attinet ad pœnas iure humano statutas: secus autem quoad debiti denegationem & quoad diuortium, quando vnus coniugum delictum alterius ignorauit: quocumque enim tempore in notitiam certam illius deuenerit, vti potest iure illo suo denegandi alteri ea de causa debitum, diuino ac naturali iure sibi concesso.

6. Sextus est. Si adulterium commissum est de voluntate, aut consensu mariti, quia id illi suasit, vel quia id illi permisit sciens ac potens id impedire, nec impediuit. De quorum numero est is maritus, qui homines in domum suam inducebat illosque cum vxore sua relinquens, recedebat, admonitusque ab vxore, quod ab illis sollicitaretur ad peccandum, id non curabat. Ita habetur *c. discretionem, de eo qui cognouit consang. vxor.* Ex eo autem, quòd maritus illi occasionem adulterij præbeat, non tribuendo illi necessaria, aut illam malè tractando, vel expellendo illam domo ob iram, vel alia simili ratione, non censetur velle ac consentire in illius adulterium. Vt tamen maritus, qui consensit in vxoris adulterio, si velit illam accusare, repellatur, eaque adultera à tali accusatione absoluatur, necesse est, vt vxor id illi opponat ante litem contestatam, atque tunc si illi id probet, punitur maritus de lenocinio vxoris, & tam adultera, quàm adulter, ab accusatione mariti absoluuntur. Vide Sanchez *de matrim. lib. 10. disp. 5. num. 3. 4 5.* Sanchez.

10. Septimus est. Si maritus cœpit accusare adulterum, vel adulteram, & destitit animo deinceps non prosequendi accusationem: vel si maritus dixit coram iudice, se non velle accusare: posteaque vel prosequi accusationem velit, aut eam incipere ac intentare, repellitur exceptione, quod iam

ab accusatione desistiterat, vel quod coram iudice dixerit, se non velle accusare. Ita habetur *l. 2. §. marito iure, l. si marius 2. §. si negauerit, ff. ad leg. Iul. de adult.*

11. Octauus est. Quando aliquis de adulterio cum particulari aliqua muliere fuerat accusatus, & absolutus in eo iudicio fuit: tunc si vxor de eodem adulterio cum illo accusaretur, habet exceptionem peremptoriam, quòd is, cum quo adulterasse accusatur, iam erat de eo crimine absolutus in iudicio.

12. Nonus est. Quando mulier aliqua adulterata fuit, mortuoque marito transiuit ad secundas nuptias: tunc si maritus secundus accusare eam vellet de adulterio commisso constante priori matrimonio, haberet illa exceptionem peremptoriam aduersus illum, quòd contrahendo cum ipsa postea matrimonium, ipse mores illius approbauit, vt non possit de eo crimine eam accusare. Plura de his apud Molinam *de iustit. tract. 3. disp. 96.* & Sanchez *de matrim. lib. 10. disp. 5 per totam.* Molina. Sanchez.

13. Quidam putant mulierem adulteram teneri lucrum ex adulterio acquisitum marito restituere, ac si aliter laborando illud acquisiuisset; volunt tamen occultè esse reddendū, vt propriæ famæ consulatur, & alia mala vitentur: nisi tamen tale lucrum ab iis acceperint, qui potestatem alienandi non habent: vt Religiosi, filifamilias, &c. Ratio est, quia maritus est dominus corporis vxoris suæ quo ad actus coniugales. Ita Molina *de iust. tract. 2. disp. 94.* Reginaldus *tom. 1. lib. 10. num. 191.* & alij. Alij volunt acceptum pro opere quod leges puniunt, esse restituendum, si non marito, saltem pauperibus, vel ei qui dedit, sed adulterium à lege punitur, ergo. Ita Couar. *ad reg. peccatum p. 2. §. 2.* & alij multi apud illum. Molina. Reginald. Couar.

Hæ duæ sententiæ sunt probabiles, quia tantorum virorum auctoritate sunt fultæ. Probabilior tamen sententia asserit, posse mulieres coniugatas retinere sibi lucrum ex adulterio acceptum, neque restitutioni marito vel alijs obnoxias esse. Ratio est, quia leges, quas aduersarij citant, licet pacta turpia rescindant, & tollant obligationem ciuilem, ob quam possit in iudicio peti promissum; non tamen reddunt irritam acquisitionem pecuniarum ex tali causa, nec faciunt inhabilem accipientem ad comparandum earum dominium. Ita Bonacina *de contract. disp 1 quæst. 3. punct. 3. num. 11.* Graffis *tom. 1. consil. lib. 5. de furt. consil. 2.* Diana *part. 2. tract. 17. resol 7.* Bonacina. Graffis. Diana.

14. Quando adulterium à marito committitur, siue cum non coniugata, siue etiam cum coniugata, tunc de iure cæsareo criminalis actio non datur vxori talis mariti aduersus eum ob adulterij iniuriam in ipsam commissam. Ita habetur *l. 1. Cod. ad leg Iul. de adulter.* Ratio est, quia longè grauius est crimen adulterij vxoris, quàm mariti, & ex quo grauiora mala ac damna nata sunt oriri, quàm ex mariti adulterio. Tum quia si coniugata ex eo, qui non est suus maritus concipiat, id adulterium in grauissimum dedecus mariti talis coniugatæ cedit, vnde vlteriùs cædes natæ sunt sequi, grauissimaque odia, familiarumque euersiones; inde effectum est, vt pro adulterio cum coniugata, vtrique adulterorum grauissimæ pœnæ, cæsareo præsertim iure, sint statutæ, non verò pro adulterio coniugati cum soluta. Quare quæ de pœnis pro adulterio, tam adulteræ, quàm adulteri, dicuntur, intelligenda solùm sunt de adulterio cum coniugata, siue, qui cum ea adulteratur, coniugatus etiam sit, siue non. Pares tamen sunt vir & vxor iure diuino, vt si vnus alteri fidem fregerit, adulterium aduersus eum committendo, innocens non tenetur debitum illi deinceps reddere, idque propria sua auctoritate: eo quòd adulter eo ipso ius, vt sibi reddatur, amiserit, potestque ab eo quoad habitationem etiam recedere, diuortium ab illo efficiendo, vt Christus *Matth. 5. & 19.* docuit, idque iudicio ac sententia Ecclesiæ, maximè si adulterium alterius notorium sit.

15. Vna integra pœna adulterij puniuntur multa adulteria ex interuallo commissa ab eodem adultero cum eadem aliena vxore. Idem intellige de multis adulteriis eiusdem alienæ vxoris commissis, etiam cum distinctis adulteris, quando in adultera ipsa omnia illa adulteria veniunt punienda, siue ciuiliter agatur ad amissionem dotis, siue agatur criminaliter, non solùm quando pœna mortis est illi imponenda, quæ iterari non potest, sed etiam quando pœna iterari possit, vt de iure communi est pœna flagellorum adulteræ statuta, vna cum reclusione in Monasterio, & de iure aut consuetudine quorundam regnorum, pœna infra mortem & mutilationem imponitur, siue pecuniaria, siue corporalis, aut mixta ex vtraque. Ita, cum Glossa *l. vulgaris in princip. verb. fuerit, ff. de furtis.* Couarruuias *2. variar. cap. 10. in calce num. 8.* Iulius Clarus *lib. 5. sent. § adulterium, num. 10.* & alij quos citant. Tamen quando vnum adulterium punitum esset in iudicio, tunc aliud, quod in iudicium deducitur, integra alia pœna est puniendum. Et hæc omnia similiter sunt intelligenda quo ad pœnas concubinarijs impositas. Glossa. Couarr. Clarus.

16. Quando concubitus duplici de causa punitur, vt, v. g. adulterium cum coniugata, si adiunctam habeat circumstantiam incestus, aut circumstantiam, quod sit commissum cum infideli, punitur vna pœna quatenus adulterium & alia quatenus incestus, aut quatenus concubitus cum infideli, tunc id delictum distinctis eis pœnis simul punitur, etiamsi semel commissum sit: quod tamen intelligo, quatenus id patitur qualitas pœnarum, quæ non ita communicant inter se, quasi implicet multiplicari, aut augeri. Si enim adulter, aut adultera mortis pœna essent puniendi, non relinqueretur locus pœnæ adulteri corporali. Si item bona eorum omnia amitterentur marito, non relinqueretur locus, vt in pœnam incestus fisco applicarentur; vel è contrario, vt quod ob incestum applicatur fisco, applicaretur etiam marito.

Quando autem crimen concubitus redundat in iniuriam tertiæ personæ, eaque de causa punitur, vt redundat adulterium coniugatæ & cum coniugata, in iniuriam mariti illius, eaque de causa punitur; tunc, quicumque delinquentium punitur distincta pœna: atque si vnus aduersus duos maritos deliquit, vt quia cum duabus vxoribus alienis deliquit, punitur etiam distinctis pœnis adulterij, quatenus vna cum alia non communicauerit.

Si verò duo adulterati sint cum eadem aliena vxore & maritus vtrumque accuset, vterque punietur. Vxor tamen adultera vnica pœna punietur, non solùm pro multis adulteriis cum eodem commissis, sed etiam pro multis commissis cum diuersis: vt de iure communi, semel flagellata, detrudetur in Monasterium: quia est vnica delinquens, licet pluribus delictis adulterij: & quia ea omnia delicta redundant in iniuriam vnius dumtaxat mariti, & non plurium.

17. Adulterium probatur sufficienter, seu planè ad effectum, vt pro eo imponi possit pœna adulterij ordinaria, siue agatur ciuiliter, siue criminaliter, ad pœnam pro adulterio statutam imponendam, si testes duo fide digni omni exceptione

maiores

maiores deponant, ſe vidiſſe eodem loco & tempore adulteros ſe commiſcentes ac adulterantes. Sic damnata fuit Suſanna de adulterio ad mortem Daniel. 13. teſtimonio illorum duorum ſenum. Probatur inſuper adulterium ſufficienter per vehementem coniecturam ac præſumptionem, puta ſi teſtes deponant ſe vidiſſe eos nudos & ſolos in eodem lecto iacentes, licet non viderint eos commiſcentes. Denique quando arbitrio prudentis iudicis indicia ac præſumptio adulterij, quæ duobus ſaltem teſtibus omni exceptione maioribus probantur, adeo ſunt vehementia ac vrgentia, vt omninò adulterium perſuadeant, ita vt moraliter dubium nullum relinquatur, quin ab illis adulterium ſit commiſſum, tunc talis adulterij probatio eſt ſufficiens. Talia autem indicia ſunt, quæ *in cap. ex literis de præſumpt.* deſumuntur, cuius capitis verba ſunt. *Produxerunt teſtes firmiter aſſerentes, quod poſtquam mulier cum prædicto viro contraxerat matrimonium, conſanguineum viri eiuſdem, ſolum cum ſola, nudam cum nuda & in eodem lecto iacentem* (vt credebatur) *intentione, vt tam cognoſceret carnaliter, viderunt multis locis* (id eſt è multis locis) *ſecretis & latebris ad hoc commodis* (videlicet inde viderentur) *& horis electis.* Et infrà: *Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod ex eiuſmodi violenta & certa ſuſpicione fornicationis poteſt ſententia diuortij promulgari.*

Hoc loco obſeruandum eſt quòd indicia illa, quæ talia in eo textu meritò iudicata ſunt, velut exemplum habere debet iudex ante oculos, vt manuducatur ad iudicandum, quando indicia violentam ac certam moraliter faciant præſumptionem adulterij, aut non. Si autem mulier, de qua ſufficienter probarentur eiuſmodi indicia, ſolùm eſſet deſponſata per verba de præſenti, & ante conſummatum matrimonium id illi ita contigiſſet, tunc probare poſſet aduerſus eam certam moraliter præſumptionem, ſe non commiſiſſe adulterium, integram ſe eſſe oſtendendo exploratione grauium fideque dignarum matronarum, vt euaderet pœnam adulterij ordinariam, ſolumque puniretur pœnâ arbitrariâ pro culpæ quantitate.

18. In quocumque dubio, num indicia certam omninò moraliter præſumptionem adulterij efficiant, ſanè illi, de quibus eſt ea non plenè certa præſumptio, condemnandi non ſunt de adulterio, nec proinde eſt illis imponenda ordinaria pœna pro adulterio ſtatuta, ſiue ciuiliter ſiue criminaliter aduerſus eos agatur; ſed ſolùm erit eis imponenda pœna arbitraria, pro quantitate præſumptionis eius criminis ac culpæ: aut etiam torturæ erunt ſubiiciendi, ſi vrgentia ſint indicia, & id petat maritus adulteræ.

19. In foro conſcientiæ, vt innocens poſſit ab adultero diuertere, eique debitum negare, non deſideratur certitudo de alterius adulterio metaphyſica, ſed ſatis eſt moralis, qualis habetur per ea indicia, quæ in foro externo probata conuinterent coniugem de adulterio: iuxta *cap. Dixit Dominus 32. quæſt. 1.* ibi: *Vbicumque eſt fornicatio, vel fornicationis ſuſpicio, liberè dimittitur vxor.* Et ratio eſt, quia cùm adulterium ſit ex illis criminibus, quæ in abdito loco & omninò occultè admittuntur *l. conſenſu, Cod. de repudiis*, eſt difficillimum probatu: nec verè probari poteſt; ſed ex probationibus petitis ex præſumptionibus concluditur. Quod adeò verum eſt, vt ſi quiſpiam nudus ſupra nudam fœminam in ipſo actu reperiatur, non verò & metaphyſica certitudine conſtet adulterium conſummatum, quale ad pœnam diuortij exigitur; vt multis citatis aduertit Menochius *de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 41.* quia fieri poteſt vt fœmina ſit arcta, vel vir impotens, aut minimè ſeminauerit intra vas. Vnde fit vt non tam exactè probationes petendæ ſint, ac in aliis criminibus, quæ oculis patent, palamque perpetrantur.

20. Oſcula, amplexus & alij tactus impudici, quando non fiunt à cubantibus ſimul, ſed à ſtantibus, vel ſedentibus, indicia non ſunt ſufficientia, quæ violentam ac certam moraliter efficiant præſumptionem adulterij, ac proinde ob talem præſumptionem illi non poſſunt condemnari adulterij neque ad diuortium & pœnam ciuilem neque ad criminalem, niſi aliæ circumſtantiæ adiiciantur loci, temporis, vel perſonarum, vt bene docuit Nauarrus *rubric. de iudiciis num. 10.* Et licet multi, quos ibi refert, dicant ſufficere ſi in loco ſecreto deprehendantur ſe amplexantes & oſculantes. At ipſe cum aliis ait, id non ſatis eſſe, niſi probetur tanto temporis ſpatio, in eo loco ſecreto eos fuiſſe, vt poſſent adulterium committere. Tum quia oſcula & amplexus, nec à natura, nec à lege pro vrgenti coniectura admittuntur; nec etiam ab homine recipi debent: cùm nulla vrgens ratio id ſuadeat. Nec obſtat *quod ait lex 23 ff. ad leg. Iul. de adulter.* quia ſolùm probat licere patri, iuxta illum textum, impunè occidere filiam repertam in iis actibus impudicis, ſicut inuentam in adulterio, non tamen probat inde conuinci adulterium. Similiter nec obſtat *cap. nec aliqua 27. quæſt. 1.* quia ex eo tantùm probatur illa eſſe indicia deprauatæ voluntatis adulterandi. Ita Iulius Clarus *lib. 5. recept. §. adulterium num. 16. verſ. & ſitæ.* Menochius *de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 41. n. 28. & ſequent.* Nauarrus. Clarus. Menoch.

21. Per Xenia miſſa ab adultero vxori alienæ, aut per verba amatoria, non probatur adulterium: quia minora indicia ſunt amplexibus & oſculis. Nec ſimiliter ſatis erit, ſi quis glorietur ſe cum vxore alterius concubuiſſe. Quoniam non valet Confeſſio in alterius præiudicium, *cap. 1 de confeſſis. cap. Significaſti, de adulter.* De literis verò amatoriis, non concordant Doctores. Nam quando repertæ ſunt literæ amatoriæ ipſius mulieris, probari adulterium aſſerunt Pariſius *conſil 54. in fine, vol. 4.* Maſcardus *de probat. concl. 64. num. 10.* Sed Menochius *de præſumpt. lib. 5 præſumpt. 41. in fine*, cenſet id iudicis arbitrio remittendum pro literarum tenore: vnde dicit, ſi mulier in eis præteritum concubitum fateretur, rem eſſe manifeſtam contra eam: ſi verò eſſent literæ quibus virum induceret ad acceſſum, arguere adulterium committendum, non tamen commiſſum. Cæterum videtur non ſufficienter probari adulterium, licet in eis mulier proprium fateatur adulterium. Quia Confeſſio extraiudicialis, qualis eſt hæc, non plenè probat, ſed conſtituit indicium ſufficiens ad torturam, vt docent Abbas *in cap. Quam ſit graue num. 2 de exceſſ. Prælat.* Maſcardus *de probat. concl. 350.* Satis autem eſt Confeſſio coniugis in iudicio aſſerentis proprium adulterium, vt illud probatum cenſeatur. Habetur expreſsè *cap. penult. de adulter.* quia hæc facit notorium iudiciale: extra iudicium autem facta non plenè probat, ſed inducit ſufficiens indicium ad torturam, vt dictum eſt. Pariſius. Maſcard. Abbas. Maſcard.

22. Quando maritus ſuſpectum haberet aliquem machinari adulterium cum ſua vxore, terque illum in ſcriptis admoniſſet, ne cum illa loqueretur, poſteaque illos inueniret ſimul in aliquo loco, tunc illa eſt præſumptio iuris & de iure, illos adulterium commiſiſſe, ac proinde puniri tunc poſſent pœna adulterij ordinaria. Ita habetur *in authentica vt liceat matri & auiæ, §. vlt. & in authent. ſi quis ei, Cod. ad leg. Iuliam de adulter.* Imò viro ſuſpicanti

canti adulterium vxoris, licet illam obſcuare cum teſtibus idoneis, vt eam poſſit de adulterio conuincere. Ratio eſt, quia non eſt eius peccato connuere, ſed vti eius malitia ad proprium commodum. Tum quia aliud eſt rogare, conſulere vel iubere malum, quod nunquam licet: & aliud permittere, ſeu non auferre malioccalionem, quod aliquando licet ob aliquod maius bonum. Sicut Deus mala permittit ob maius bonum. Ita D. Thomas *in 4. diſtinct. 35. quæſt. vnic. art. 3. ad 4.* Sotus *4. diſt. 36. quæſt vnic. art. 3. in fine.* Sanchez *de matrim. lib. 10. diſp 12. num. 52.*

D. Thom. Sotus Sanchez.

23. Quamuis indicia illa *capitis ex literis de præſumpt.* quantum eſt ex ſe, ſecluſiſque aliis circumſtantiis, quæ ea temperent ac extenuent; certam moraliter efficiant præſumptionem adulterij, tales tamen poſſunt habere adiunctas alias circumſtantias, quæ in contrarium ſuadeant, vt nequaquam efficiant certam moraliter præſumptionem adulterij. Finge enim mulierem coniugatam proficiſci terra, aut mari ad ſuum maritum longè diſtantem, cum conſanguineo, aut amico mariti, vel ſuo, aut cum aliquo alio, idque vel ex præſcripto mariti, vel ſine illius præſcripto; & in hoſpitiis mulierem illam cubare cum illo Comite, vel veſtitam, vel nudam, idque vel ob defectum alterius lecti, aut cubiculi, vel quoid in alio cubiculo erit fortè, minus tuta, vel per imprudentiam, aut metum talis mulieris, aliquave alia de cauſa: aut in naui cubare cum eodem Comite, veſtitam, aut nudam, quod alibi cubando non ſit magis ſecura ab eodem Comite & ab aliis, qui ſunt in eadem naui; certè ita cubare veſtitam, aut nudam integris noctibus cum alio à viro ſuo, licet non ſit tutum, ſed periculoſum valde, nonnullaque ſit præſumptio non leuis adulterij inter illos: iudicari tamen id non poteſt certa præſumptio adulterij, niſi aliunde adulterium conſtet, neque proinde puniri illi poterant adulterij pœnâ. Quare, iudicare quando indicia vehemens certaque moralis præſumptio ſint adulterij, prudentis iudicis arbitrio eſt relinquendum, attentis & expenſis diligenter circumſtantiis omnibus concurrentibus.

24 Quicumque cum aliqua adulteratur, quæ priùs meretrix fuit, at poſtea ad bonam frugem ſe recepit, incurrit pœnas adulterij ordinarias. Si autem poſt matrimonium in conſpectu mariti illa meretrix fiat, neque eam maritus coërcere ac punire curauit, non eſt cur pœnâ adulterij ſint illi puniendi, qui cum ea fornicati ſunt, non ſolùm ſi ignorarunt, illam eſſe coniugatâ, quod præſumendum eſt, niſi apertè conſtet, illos coniugatam eſſe ſciuiſſe, ſed etiamſi id ſciebant. Maritus quippe, dum illam non coërcuit, nec punire curauit, quaſi conſenſiſſe videtur: durumque valde eſſet, tam multos de adulterio punire: neque poſtquam illa publica fuit meretrix, tantam iniuriam vnuſquiſque eorum, qui cum illa adulterati ſunt, marito fecit, quantam ei feciſſet, ſi meretrix non eſſet. Quando autem maritus eſt abſens à loco, in quo illa eſt meretrix, & ſuperuenit, poteſt agere aduerſus illam ciuiliter ad diuortium, & ad amiſſionem dotis, & criminaliter ad pœnam pro adulterio ordinariam, quando non eſſet cenſendus conſenſiſſe in adulteriis illius. Ratio eſt, quia longè maiorem iniuriam marito intulit meretricando, totque adulteria, & cum tot hominibus, in illius iniuriam multiplicando, ipſo omnino inuito, quàm ſi vnum, aut alterum tantùm adulterium commiſiſſet cum vno, aut altero homine. Sed in hoc poſteriori euentu puniretur integris eis pœnis; ergo & in illo priori integris adulterij pœnis puniri debet, in quo plus deliquit, & cum longè maiori iniuria mariti peccauit: aliàs ex multiplicatione & fœditate maiori ſuorum delictorum, ipſa commodum excuſationemque à pœna reportaret, quod eſt abſurdum. Vide Iulium Clarum *lib. 5. ſentent. §. adulterium, num. 4.* & Molinam *de iuſtit. tract. 3. diſp. 62.* Et hæc de adulterio ſatis.

Clarus. Molina.

Vide matrim. 2. num. 26. Nouitiatus n. 13.

ADVOCATVS.

SVMMARIVM.

1 *Clerici Minorum Ordinum non beneficiati, in cauſis ciuilibus, imò & in criminalibus patrocinari poſſunt ſicut laicus, modò non deferant publicè tonſuram clericalem.*

2 *Debet iudex dare pauperi Aduocatum, ſi in eo loco non ſint qui defendant cauſas pauperum, & ad hoc poteſt cogere Aduocatum. Et quid de iudice regulari.*

3 *Aduocatus, qui cauſam iniuſtam ſuſcipit ſcienter, prabendo auxilium actori vt vincat, an teneatur ad reſtitutionem.*

4 *Quoties Aduocatus ex ignorantia antecedente tuetur cauſam iniuſtam, nec peccat, nec ad reſtitutionem tenetur: Si vero ex ignorantia concomitante, nihil certi ſtatui poteſt, quoad rationem peccati: Si ex ignorantia conſequenti, peccat mortaliter & ad reſtitutionem tenetur.*

5 *Aduocatus, qui ita diſpoſitus eſt, vt quamcumque cauſam defenderet, ſiue iuſtam, ſiue iniuſtam, quando peccet.*

6 *Quomodo ſe debeat gerere Aduocatus, erga clientem ſuum antequam eius patrocinium ſuſcipiat.*

7 *Aduocatus, qui in principio litis cauſam iudicabat iuſtam, ſed poſtea deprehendit iniuſtam, illam ſtatim deſerere tenetur.*

8 *In cauſa ſanguinis vel alterius rei grauiſſima Aduocatus cauſam eſſe iniuſtam agnoſcens, tenetur ſecreta ſui clientis actoris reuelare: modò quatuor concurrant.*

9 *Index Aduocato patrocinanti in cauſis pauperum, debet ex erario publico mercedem conſtituere, ſi pauperes ſoluere nequeant, & Aduocatus gratis patrocinari recuſet.*

10 *Aduocatus, cui certa quantitas pecuniæ promiſſa fuit pro lite defendenda, ſi poſtea appelletur à ſententia definitiua extra Prouinciam, non tenetur proſequi pro eodem ſalario.*

11 *Aduocatus conductus à litigantibus ad annum ſub certa annua mercede ad omnes cauſas, ſi nullas cauſas illo anno partes habuerint, an poſſit licitè petere ſalarium.*

12 *Aduocatus excommunicatus licitè patrocinari non poteſt, ſi tamen faciat, factum tenet, modò ſis vitandus & denuntiatus.*

13 *Aduocatus excommunicatus poteſt condignum ſtipendium accipere, modò illius miniſterium in iudicio admiſſum ſit in eius vtilitatem, qui ſtipendium ſoluit.*

1. CLerici Ordinum Minorum, non beneficiati, in cauſis ciuilibus, ſicut laici patrocinari poſſunt. An verò in criminalibus idem poſſint, non ita certum eſt: nam Panormitanus *in c. 1. num. 4. & 5. de poſtulando*, indubitanter affirmat non poſſe, cum vult eſſe ex parte actoris, quia, cùm agat in cauſa ſanguinis, & petat reum puniri, non poteſt eſſe Aduocatus ex parte actoris ſine

Panormit.

metu

nem interrogare debet clientulum an habeat probationes legitimas, si sit actor? qui enim accusare, vel agere vult, probationes paratas habere debet. Sin autem reus sit, interrogare eum debet, an habeat legitimas probationes ad defensionem & exceptiones probandas *l. in exceptionibus, ff. de except.* *Quartò*, demum niti debet iudicio, legibus & doctrina, non conuiciis; neque falsa instrumenta, testes fallos vel corruptos, aut falsas leges & probationes producat. Ita D. Antoninus *part. 3. tit. 6. cap. 2. §. 1.* Syluester *verb. Aduocatus quæst. 6.* D. Antonin. Syluest.

7. Aduocatus qui in principio litis causam iudicabat iustam, quam postea in progressu deprehendit esse iniustam, illam statim deserere tenetur, & manifestare etiam punctum iniustitiæ clienti, eumque inducere debet ad cedendum liti, vel ad componendum cum parte sine damno aduersarij: in componendo autem cum parte cauere omninò debet ne eam decipiat, aut ad consentiendum per vim aut metum compellat. Facilè enim potest Aduocatus causæ iniustitiam deprehendere post testium apparitionem & depositiones, quam in principio iustè & inculpabiliter ignorare potuit: in quæstionibus autem de iure, si in principio eius iniustitiam non nouerat, & postea maiori vsus diligentia & studio eam intelligat, causam deserere debet & clientem de illius iniustitia admonere. Quando autem Aduocatus causam iniustam deserit, non debet meritò causæ contrariæ parti manifestare, nec aduersæ partis patrocinium suscipere, sic enim teneretur de fallo & præuaricator esset: vt habetur *cap. si quem, conuenerit, §. præuaricator 2. quæst. 3.* & docent D. Thomas *2. 2. quæst. 71. art. 3. ad 2.* & eius loci interpretes, Nauarrus *in Man. cap. 25. num. 18.* D. Thom. Nauarrus.

8. In causa sanguinis vel alterius rei grauissimæ, Aduocatus actoris euidenter causam esse iniustam cognoscens, secreta sui clientis reuelare, & iudicem admonere de causæ iniustitia tenetur, si admonito prius cliente vt desistat, non vellet is desistere. Est enim de iure naturali defendere innocentem in tali casu, ne mortem iniustè, aut tam graue damnum patiatur. Vt autem Aduocatus hoc rectè & iure faciat, quædam debent concurrere. *Primò* quod non sub dubio, sed ex certissima scientia id cognoscat. *Secundò*, quod id facere possit absque scandalo. *Tertiò*, quod faciat id præmissâ correptione fraterna, vt desistat. Si autem ille monitus nollet resipiscere, tunc cum illius periculo facere illud tenebitur Aduocatus, melior est enim innocentis & iniuriam patientis in hoc casu conditio, quàm iniuriam inferentis. *Quartò*, quòd iudicet alias innocentem condemnandum iri, & speret se sua auctoritate & testimonio aliquid ad eius liberationem profuturum. His concurrentibus, Aduocatus præuaricator, aut proditor causæ sui clientis dici nequit, quia non agit contra iustitiam, quin potius innocentem ab iniusta morte & graui damno liberat, prout de iure naturali obligatur.

9. Quamuis iura nonnunquam præcipiant Aduocatos pauperibus à iudice dari, nò tamen iubent, vt gratis seruiant, sed mercedem & stipendium illis de erario publico dare debet, si pauper soluere nequeat, & Aduocatus gratis patrocinari recusat. Ita Caietanus *2. 2. quæst. 11. art. 7.* Neque obstat veritatem vendi non posse, vnde nec iudex pro vero iudicio, neque testis pro vero testimonio suo in iudicio aliquid accipere possunt, quasi exinde inferre liceat, nec Aduocatum patrocinium iustum vendere posse: quia maximum est quo ad hoc inter Caietan.

Aduocatum, testem & iudicem discrimen: siquidem finis & scopus proprius & immediatus, tam iudicis, quàm testis vtrique litiganti communis est secundùm iustitiam, scilicet, iustum simpliciter, & veritas in communi adeo in neutram partem, actoris, videlicet, aut rei inclinent, sed tantùm vt ille secundùm veritatem indifferenter iudicet, & iste similiter veritatem indifferenter dicat, siue pro actore, aut reo, siue contrà illos: Quò fit, vt neuter istorum pro veritate pronuncianda, vel testificanda, quidquam accipere possit, cum hac tamen differentia, quòd iudex à neutro litigantium etiam pro labore & studio suo aliquid accipere possit, quia legibus ciuilibus id prohibitum est; Testis verò pro labore suo, non pro veritate dicenda, ab eo à quo citatus & productus est, aliquid accipere potest.

At verò finis proximus Aduocati non est vtrique parti communis, hoc est, non est iustum simpliciter, sed iustum tale, id est, iustum patrocinium. Hinc Aduocatus non solùm pro labore suo, sed etiam pro patrocinio & defensa veritate mercedem recipere potest, sicut & Doctor pro veritate docenda, quam dilucidat & expleat. Et quamuis patrocinium sicut & scientia iuris sint res spirituales secundùm se consideratæ, non sunt tamen illius generis spiritualium, quæ gratis accipiuntur & gratis dari debent, sed nostro studio, labore & vigiliis acquiruntur, ac proinde saltem ratione istorum potest Aduocatus iustum suum patrocinium vendere. Et licet iudex similiter laboret, quia tamen prouisus est de publico, ideo pretium pro laboribus iudicij accipere non potest. Ita D. Thomas *2. 2. quæst. 71. art. 4. ad 2.* Sotus *lib. 5. de iustit. qu. 8. art. 4. ad 2.* Arragon *2. 2. qu. 71. art. 4. ante finem*, & alij communiter. D. Thom. Sotus. Arragon.

10. Aduocatus, cui certa quantitas pecuniæ promissa fuit pro lite defendenda, si postea appelletur, non tenetur prosequi in causa talis appellationis pro eodem salario constituto. Ratio est, quia licet sit eadem causa, & idem negotium, aliud tamen est iudicium, cùm sint alij iudices. Et hoc procedit, quando appellatio fit extra locum, vel Prouinciam, vel quando appellatio fit à sententia definitiua. Si enim causa tractetur eo loco, vel saltem prope, vbi fuerit quæstio principalis agitata, vel ante sententiam appellaretur, vel in integrum restitutio petatur, tenetur in illa causa pro eodem salario patrocinari. Ita D. Antoninus *part. 3. tit. 6. cap. 2. §. 2. ante finem*, & alij apud ipsum. D. Antonin.

11. Aduocatus conductus à litigantibus ad annum vel annos, sub certa annua mercede, seu salario ad omnes causas, quas habent, vel habituri sunt, si nullas causas in illo anno partes habuerint, videtur posse licitè petere salarium, quia per eum non stetit: ille enim paratus erat ex sua parte adimplere promissum, & aduocare omnes causas clientis sui: quare si illas non habuit, Aduocato non erit imputandum. Deinde, quia in illo anno habuit obligationem ad aduocandum in habitu, quæ obligatio est pretio æstimabilis; maximè, quia non potest contra suum clientem aduocare, & sic amittit salarium, quod recipere potuisset ex parte contraria. Denique, quia si in illo anno cliens plures causas habuisset, respectu quarum salarium esset exiguum, non posset Aduocatus petere maius. Hæc sententia est valde probabilis, quam docet Gutierrez *in pract. quæst. lib. 1. quæst. 32. num. 1. & 2.* In foro tamen conscientiæ mihi dicendum videtur tali Aduocato non esse salarium denegandum, neque integrè soluendum, sed diminuendum iuxta prudentiam & arbitrium boni viri. Quia si pro suo cliente in illo anno Gutierrez.

Digitized by Google

anno aduocasset, multas occupationes & labores sustinuisset, quibus non adhibitis, non sustinuit. Verùm, si talis Aduocatus eius foret ingenij, vt mallet laborare, quàm otiari, in hoc casu, nihil de salario minuendum esset, nisi alia diminuendi causa subesset. Ita Rebellus *de oblig. iustit. part. 2. lib. 14. q. 14. num. 7. & 8.* Rebellus.

12. Aduocatus excommunicatus, licet non possit, patrocinari licitè, vt est prohibitum *in cap. decernimus de sentent. excommunic. in 6.* si tamen faciat, factum tenet: quia valor talium actuum, non tam in iure, quàm in facto consistit: nam præcipuum munus Aduocati, est præbere consilium, & secundùm iura & rationes causam tueri. Quod autem consilium rectum sit & sapiens, & allegatio iuridica, in facto & in reipsa consistit: nec propterea erit minus docta, aut sapiens, quod ab excommunicato fiat. Quod intellige de excommunicato vitando & denuntiato; nam toleratus repelli quidem potest, tamen licitè potest admitti, si partes & iudex consentiant: Et eius rescriptum non debet in iudicio admitti, factum tamen tenet: quia nullum decretum irritans inuenitur. Ex quo etiam fit, quòd Aduocatus excommunicatus patrocinium ferens, peccat tantùm venialiter, quia actio ista per se sumpta vt procedit ab ipso Aduocato, priuata est, & personalis, non à potestate aliqua, seu ministerio publico. Ita Suarez *de censur. disp. 16. sect. 7.* Suarez.

13. Aduocatus excommunicatus potest condignum stipendium accipere. Ratio est, quia hæc circumstantia impertinens est ad iustitiam stipendij, quod pro æquiualente labore datur: quod vero illi adiungatur aliqua circumstantia mala contra obedientiam Ecclesiæ, iustitiam non lædit: & ideò non impedit quo minus stipendium iustè accipiatur, nec ad eius restitutionem obligat, dummodò Aduocati ministerium in iudicio admissum sit, & in eius vtilitatem cedat, qui stipendium soluit: quia si tale patrocinium inutile reddatur propter excommunicationem patrocinantis, non potest à parte ignorante excommunicationem accipere stipendium iustè, cùm ad eius vtilitatem nihil contulerit: secus dicendum quando pars sciebat eius excommunicationem, & nihilominus ab illo patrocinium postulauit, eumque ad ministerium præstandum induxit, tunc licitè potest recipere stipendium, & alter tenetur dare quia illi periculo voluntariè sese expoluit. Ita Suarez *supra.* Suarez.

Vide v. Cœcus *num. 5.*

ALIENATIO.

SVMMARIVM.

1. *Licentia obtenta à Summo Pont. alienandi vtis Ecclesia operatur vt non requirantur alia solemnitates.*
2. *Alienatio bonorum immobilium Ecclesia prohibita est iure ciuili, Canonico, imò & naturali diuino.*
3. *Inter bona immobilia alienari prohibita absque solemnitatibus, reputantur animalia ad culturam Monasterij deputata. Item copiosa Bibliotheca: non autem serui fugitiui.*
4. *Posse Prælatum validè repudiare legatum, seu hæreditatem sua Ecclesia vel illam absque solemnitate, alij affirmant, alij negant probabiliter.*
5. *Res Monasterij, seu Ecclesia non possunt à Prælato oppignorari, seu hypothecari.*
6. *Prælati sine consensu sui Capituli, possunt arbores suarum Ecclesiarum incidi facere, quando vmbrâ suâ ac nimia densitate nocent: Item quando sunt infructuosæ & earum locù reponuntur arbores fructiferæ.*
7. *Idem potest Prælatus quando arbores sunt vetustæ ac corruptæ, si earum locù alias nouas & magis vtiles substituat.*
8. *Idem dicendum quando arbores sunt caduæ: tales autem sunt, quæ vtiles tantùm sunt ad lignandum.*
9. *Prælatus non potest absque solemnitatibus arbores fructuosas prædiorum Ecclesiæ suæ, vel etiam infructuosas in magna quantitate incidere: & contrarium secundo, non euaderet pœnas malè alienantium bona Ecclesiastica.*
10. *Episcopi vel Prælati non possunt sine consensu Summi Pontificis alienare particulas reliquiarum insignium, aut in muro clausarum.*
11. *Non possunt Prælatis lampades argenteas & alia similia alienare, secluså consuetudine in contrarium, vt earum pretium conuertatur in fabricam necessariam Eccl-siæ, vel in alium vsum.*
12. *Bona Ecclesiarum eidem Prælato subiectarum inter regulares possunt alienari de vna Monasterio ad aliud eiusdem Congregationis, sine consensu Apostolico.*
    Dismembratio fructuum fieri non potest absque debita solemnitate.
13. *In retrouendutione vti empta ab Ecclesia, cum pacto retrouendi, requiritur solemnitas iuris: quamuis contrarium non videatur improbabile.*
14. *Bona de nouo acquisita Ecclesia vel Monasterio non possunt absque assensu Sedis Apostolica à Prælato alienari, nisi Monasterium gaudeat aliquo priuilegio, quo id possit.*
15. *Extat priuilegium in Ordine S. Hieronymi, quo Conuentus cum Priore possint vendere hæreditates, &c. modò pretium in bona vtiliora & immobilia commutetur.*
16. *S. Augustini Fratres, ac Moniales habent priuilegium absque assensu Apostolico vendendi & in Emphyteusim dandi: modò emphyteusis non fiat vltra duas generationes, & adsit assensus Generalis.*
    Monialis S. Clara & Tertiaria S. Francisci habent idem priuilegium, modò adsit duarum partium Conuentus assensus.
17. *Quomodo fieri possit alienatio in Ordine Minorum & à quo.*
18. *Alienationes dicuntur fieri in vtilitatem Monasterij, si pretium conuertatur in emptionem rei stabilis.*
19. *Hodie extat Decretum Eminentiss. Cardin. Concilij Tridentini interpretum, pro rebus regularium non alienandis, absque S. Congreg. licentia.*
20. *Qualibet alienatio, etiam in casu licito & seruatis iuris solemnitatibus est Romano Pontifici reseruata, per Extranag. Pauli II.* Ambitiosæ.
    Vltra casus in ea Extranag. expressos, in quibus non est necessarius consensus Apostolicus ad alienationem, dantur & alij casus, in quibus hæc extranagans locum non habet, & enumerantur nouem.
21. *Alienatio bonorum Ecclesia pauperis, nulla est, nisi*

niſi Eccleſia habeat deſinſertum legitimè conſtitutum.

1. Licentia obtenta à Summo Pontifice alienandi res Eccleſiæ operatur, vt non requirantur aliæ ſolemnitates. Ratio eſt, quia Papa dicitur eſſe dominus & diſpenſator bonorum Eccleſiæ, & ob id ad libitum poteſt de eis diſponere. Quod intelligendum eſt *primò*, quando Papæ auctoritas legitimè & validè interponitur, ac ſecus ſi fuerit ſubreptitia & conſequenter nulla; eſſet enim talis, quando aliquid narratum non fuiſſet, quod ſi Papa ſcuiſſet, verſimiliter licentiam non conceſſiſſet, vel ad concedendum difficilior redditus fuiſſet. *Secundò*, intellige quando dicta auctoritas ſimpliciter & abſolutè obtinetur, & conſtat confirmationem factam fuiſſe de certa eius ſcientia, ſcilicet, quod Papa habuerit notitiam tenoris rei confirmatæ. Secus verò in eius mãdato dato ad confirmandum, cum clauſula quatenus per diligentem informationem, &c. conditionaliter reſcribendo, fuit à eſt, referendo ſe ad ſupplicata. *Tertiò* intellige; quod & ſi Papæ auctoritas interueniens ſolemnitates ſuppleat, non tamen ſupplet defectum cauſæ. *Quartò* intellige, vt valeat alienatio ſine ſolemnitatibus facta etiam per Papæ Commiſſarium, ſeruatâ tamen formâ ſuæ commiſſionis, cuius eſt executor; vt innuunt Doctores aliegati à Quaranta *in Summ. Bullarij verb. Alienatio, n.* 7. Quaranta.

2. Iure ciuili interdictum eſt Prælatis Eccleſiæ bona immobilia ſuarum Eccleſiarum alienare, vt habetur. *in Authent. de non alien. aut permut. reb. Eccleſ. & in l. Inbemus & in Authent. ob ius portectum. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Et licet leges Principis ſæcularis non ligent circa res Eccleſiaſticas; nihilominus ligant ſimul & obligant, quatenus recipiuntur ab Eccleſia, & confirmatur iure Canonico.

In iure autem Canonico antiquo & nouo prohibetur bona immobilia Eccleſiæ alienari, vt habetur ex Conſtitut. 1. Leonis I. quæ incipit. *Occaſio.* Et ex Conſtit. Pauli II. quæ incipit *Ambitioſa* habetur etiam ex Conc. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 11.* Et ex Bulla Pauli IV. quæ incipit, *inuunctum.* Imo alienatio bonorum Eccleſiæ vetita eſt iure naturali diuino, annexo iuramento, ſi fermo eſſet de Summo Pontifice & de Cardinalibus reſpectu bonorum Sedis Apoſtolicæ, & de Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque Prælatis inferioribus reſpectu bonorum ſuarum Eccleſiarum: iuramentum enim inducit obligationem iuris naturalis & diuini. Ratio autem ea videtur eſſe, quia talia bona ſunt quaſi fundamenta Monaſterij, ex quibus ſubminiſtrantur, quæ ad vſum & conſeruationem corporum pertinent, ſine quibus non poſſunt ſpiritualia ſubſiſtere. Vnde non poſſunt ita alienare, vt Monaſterium illis omninò priuetur, abſque æquali, vel meliori compenſatione, quæ ſit in euidentem ipſius vtilitatem. Aliter enim Prælatus non dicerctur adminiſtrator, ſed diſſipator bonorum ſuæ Eccleſiæ, Pellizzarius *in Man. reg. tract. 6 cap. 8 n.* 1. Leo I. Paulus II. Conc. Trid. Paulus IV.

3. Inter bona immobilia alienari prohibita abſque ſolemnitatibus, reputantur animalia ad opus & culturam Monaſterij deputata: quia, licet ſingula ex ipſis non ſint mobilia pretioſa, tamen vt coniuncta prædio, & ad eius culturam deputata, veluti quid immobile dici poſſunt & partes prædiorum, & conſequenter intra bona immobilia computantur, *argum. l. vltim. C. de adminiſtr. tut.* Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 27. n.* 19. Secùs ſi non ſint affixa prædiis & tanquam illorum partes; ſed liberè ibi ſint poſita: hæc enim non cenſentur bona immobilia, neque mobilia pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, ſaltem in ſpecie: & hoc neceſſitas prædiorum exigit. Ita Molina *de contract tract. 2. diſp. 465. num. 4.* Bonacina *tract. de alien. quæſt. vnic punct. 2. num. 4.* Pellizzarius *loco citato num. 96.* Suarez. Molina. Bonacina. Pellizzarius. Suarez.

Item copioſa Bibliotheca Monaſterio competens cenſetur mobile pretioſum: & ideò non poteſt ſine ſolemnitatibus alienarj, Suarez *cit. num.* 18. Pellizzarius *cit. num.* 93. Serui autem fugitiui quando ſoliti ſunt fugere, & reuocari non poſſunt, abſque fugæ timore, alienari poſſunt & vendi à Prælato: quia tunc vendendo proſpicit meliora: habetur *in cap. fugitiui 12. quæſt. 2.* Et eadem ratio erit ſi ſint ebrioſi, latrones, inhoneſti, & proinde curret eadem diſpoſitio iuris. Oneroſum enim eſt Monaſterio, imò indecorum talem ſeruum poſſidere. Ita Portel. *in dub. reg. verb. Alienatio, in addit. num.* 3. Pellizzarius. Portel.

4. Probabile eſt poſſe Prælatum validè repudiare legatum, ſeu hæreditatem ſuæ Eccleſiæ relictam abſque debita ſolemnitate. Ratio eſt; quia talis repudiatio, ſeu renunciatio non eſt alienatio rei Eccleſiæ: illa enim res non pertinet ad Eccleſiam ante Prælati acceptationem. Vnde ſi Prælatus non poteſt res Eccleſiæ alienare abſque dicta ſolemnitate & forma iuris; in tali tamen repudiatione nõ videtur talis forma obſeruanda. Ita Sanchez *de matrim. lib. 6. diſput. 4.* Bonacina *cit. punct. 2. num. 33.* Syluester *verb Alienatio, quæſt. 19.* Oppoſita ſententia affirmat talem repudiationem non valere, quamuis Eccleſia nondum acquiſierit dominium, nec habeat ius in re: acquiſiuit tamen ius ad rem, cui iuri Prælatus cedere non poteſt in Eccleſiæ damnum, illam priuando tali iure: & hæc ſententia eſt etiam probabilis, quam ſuſtinent Molina *de contr. diſp. 468.* Quaranta *in Summ. Bullar. v. Alienatio, num. 23.* Certum eſt autem iuxta omnes Prælatum peccare contra iuſtitiam repudiando & non acquirendo, & agere contra proprium officium, quo tenetur vtilitatibus propriæ Eccleſiæ & Monaſterio conſulere. Ex quo fit, quod in caſu ſequuto huius repudiationis Monaſterium & Eccleſia poſſunt implorare beneficium reſtitutionis in integrum, quod illis conceditur, quando negligentiâ Prælati, vel nimia facilitate læduntur, non ſolùm damno accepto, ſed etiam lucro amiſſo, vt docet Gloſſa *in cap. Auditis, verb. reſtituimus, de in integ. reſtitut.* vel etiam poteſt agere contra Prælatum, quia tenebatur ex officio rem Eccleſiæ agere eiuſque vtilitati conſulere. Ita Hieron. Rodriguez *in compend. qq. reg. tr. 1. 7. num. 22.* Leſſius *de iuſtit. lib. 2. cap. 23. dub. 11. n. 65.* Sanchez. Bonacina. Syluest. Quaranta. Gloſſa. Hier. Rodr. Leſſius.

5. Res Monaſterij, ſeu Eccleſiæ non poſſunt à Prælato oppignorari, ſeu hypothecari; atque ita elicitur ex Bulla Pauli II. vbi habetur, verbum illud, *hypotheca*: & licet nomine alienationis propriè ſignificetur actus, quo dominium directum tranſfertur: nihilominus venit etiam nomine alienationis actus, quo dominium vtile transfertur & ſimiliter actus, quo res traditur in pignus, vel hypothecam, & definiri videtur *cap. ea enim §. hoc ius 10. quæſt. 2.* quod ius licet ſit deſumptum ex legibus imperialibus; canonizatum tamen iam extat ab Eccleſia, ac ideo iam ſuſtinet vim legis Eccleſiaſticæ. Ita Quaranta *in Summ. Bullarij verb. Alienatio, num. 16.* Leſſius *lib. 2. cap. 24. num. 62.* Quidquid dicant Portel. *in dub. reg. verb. Alienatio in addit. num. 4.* Pellizzarius *in Man. reg. tract. 6. cap. 8. num. 23.* Ratio eſt, quia cùm hæc materia ſit fauorabilis pro Eccleſia, verba ſunt latè accipienda, conſequenter faciendà eſt extenſio alienationis ad Quaranta. Leſſius. Portel. Pellizzarius.

oppignera

oppignerationem & hypothecam, non ſolùm ſpecialem, verum etiam generalem.

6. Prælati ſine conſenſu ſui Capituli, ſeu Conuentus, poſſunt arbores ſuorum Monaſteriorum, vel Eccleſiarum incidi facere, quando vmbram ſummam efficiunt, ac minùs denſitate nocent, atque impedimento ſunt, ne aliæ arbores prædij vberiorem fructum reddant. Imò neque in hoc Apoſtolicæ Sedis aſſenſus requiri debet: Quod ſi poſſunt licitè huiuſmodi arbores incidere, poterunt etiam per conſequens eas cæſas vendere abſque ſolemnitate iuris: quia ſunt res mobiles, & quæ ſeruando ſeruari non poſſunt. Sic docent Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 27. art. 4.* Nauarrus *lib. 3. conſil. tit. de reb. Eccleſ. non alien. conſil. 6.* Peirynus *tom. 1. priuileg. in annot. ad Conſtitut. 9. Iulij 11. num. 28.* Quando autem arbores ſunt infructuoſæ & vmbratiles, & earum locis reponuntur arbores fructiferæ, ſi Prælatus id recta cum intentione agat, vt nemus illud fructiferum reddat, & fiant, ea quæ ſecundùm agriculturæ leges ſunt neceſſaria; poſſet tunc Capituli, ſeu Conuentus conſenſu minimè requiſito, id facere. huiuſmodi enim incitio ad vtilitatem, non ad detrimentum Eccleſiæ cederet: nam inde illius reditus augerentur, & ſicetiam conditio melior redderetur vt patet. Ita Doctores citati: licet contrarium ſentiant Bonacina *tract. de alienat. quæſt. vnic. punct. 2 num. 8. §. ego verò*, & Filliucius *de alienat. tract. 44. cap. 4. num. 17.* quia beneficiarius non poteſt propria auctoritate bona beneficij, vt ſyluam cum oliueto permutare: ergo multò minus poteſt præſentem ſyluam incidere, & in oliuetum futurum incertum conuertere, niſi cenſuras extrauág. *Ambitioſa*, contrahendo. Hæc ſententia non eſt improbabilis.

Rodrig. Nauarrus. Peirynus. Bonacina. Filliucius.

7. Poteſt Prælatus arbores vetuſtas ac corruptas incidi facere, atque earum locis alias nouas & magis vtiles ſubſtituere. Ratio eſt, tum quia vtiliter geritur negotium Eccleſiæ: tum quia huiuſmodi arbores non videntur reducendæ ad bona pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſint. Ita communiter Doctores. Si autem Prælatus vnam vel duas arbores fructiferas incidi faceret in prædio, in quo plures aliæ huiuſmodi arbores extarent; non exinde putandus eſſet incidiſſe in pœnas contra malè alienantes: materiæ enim paruitate excuſaretur: nam de minimis non curat Prætor, *l. Stas, ff. de in integr. reſtitut.* Verum, ſi arbores illæ maximæ forent æſtimationis, vel quia nullæ ſimiles, vel non adeò grandes reperiantur, ſiue alia de cauſa arbitrio boni viri, non poſſet vtique Prælatus eas incidere: quia non eſt dominus, ſed potiùs vſufructuarius, ſeu cuſtos bonorum ſuæ Eccleſiæ. Ita Nauarrus *loco ſitato conſil. 7.* Peirynus *cit. num. 22.*

Quarant. Leſſius Peirynus. Bonacina.

8. Quando arbores ſunt cæduæ, poteſt Prælatus illas aduenient tempore cædi facere, vel integrè, vel in parte in vſum, in quem impendi conſueuerunt: arbores autem cæduæ illæ dicuntur, quæ vtiles ſunt tantùm ad lignandum, nec fructus ex eis percipi poteſt, niſi incidendo & alienando, & ſi incidantur, renaſcuntur, & hæ arbores ſpectant ad illum, ad quem ſpectare debet commodum fructuum ipſius prædij, & dicuntur eſſe in fructu, vt habetur *in l. ſi abſentes, §. ſyluam, ff. de vſufruct.* & *l. ſyluæ cæduæ, ff. de verb. ſignificat.* Ita Filliucius, Quaranta, Peirynus, Bonacina, *locis citatis.* Quando autem beneficiarius incidit arbores ad reparationem ſuæ Eccleſiæ, abſque iuris ſolemnitate: tunc non videtur affici pœnis à iure conſtitutis contra alienantes bona Eccleſiaſtica, ſaltem quando beneficiarius non habet fructus, quibus Eccleſiam reparet & neceſſitas vrget. Ratio eſt, tum quia hæc non videtur alienatio, ſed potius localis mutatio: tum quia hic caſus per Epicheiam exceptus videtur.

9. Prælatus non poteſt abſque ſolemnitatibus arbores fructuoſas prædiorum Monaſterij, ſeu Eccleſiæ, vel etiam infructuoſas in magna quantitate incidere, ſine conſenſu Conuentus, ſeu Capituli, ac Sedis Apoſtolicæ: & contrarium faciendo non euaderet pœnas malè alienantium bona Eccleſiaſtica. Ratio eſt, tum quia arbores cedunt ſolo, & inter bona pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt, enumerantur. Tum quia incitio arborum eſt actus dominij, *l. diuortio, § ſi fundum. ff. ſoluto matrimonio*, & *l. ſyluæ cæduæ ff. de verb. ſignificat.* Prælatus autem, ſeu beneficiarius non eſt dominus bonorum ſuæ Eccleſiæ, ſed cuſtos, ſeu vſufructuarius. Ita communiter Doctores. Aduerte tamen, quod ad hoc, vt Prælati & beneficiarij ob huiuſmodi incitionem priuari poſſint beneficijs & dignitatibus, quæ ipſi obtinent, iuxta diſpoſitionem *Extrauag. Ambitioſa*, & Decreti Sacræ Congregationis Concilij ſuper hoc ſpecialiter editi, quod referemus infra, neceſſarium eſt, conſtare de notabili deterioratione: prout in emphyteuta, feudatario, vſufructuario & ſimilibus tradunt Baldus *in Authent. Quarum, num. 2. verſ. Secundò nota, Cod. de Sacroſ Eccleſiis*; & alij Probabile tamen videtur Bonacinæ *tract. de alien. q vnic. punct. 2. num. 7.* non ligari excommunicatione extrauagantis *Ambitioſa*, quia incitio arborum non eſt propriè alienatio, ſed potiùs affici excommunicatione Concil. Trid. edita contra vſurpantem bona Eccleſiarum & locorum piorum, & contra impedientem, ne prædicta bona capiantur ab ijs, ad quos de iure pertinent. De his vide Pellizzarium *in Man. regul. tract. 6. cap. 8 q. 36.*

Baldus. Bonacina. Pellizzarius.

10. Epiſcopi vel Prælati non poſſunt ſine conſenſu Summi Pontificis alienare particulas reliquiarum inſignium, aut in muro clauſarum: quia ſunt res mobiles pretioſæ, quæ ſeruando ſeruari poſſunt. Tum quia talis eſt ſtylus curiæ Romanæ, qui facit legem. Hoc tamen intelligendum putat Bonacina *c. punct. 2. num. 31.* modò non adſit alicubi conſuetudo in contrarium; ſed hæc limitatio quibuſdam non placet, cùm non poſſit introduci talis conſuetudo in re tanti momenti, maximè cùm ſermo ſit de reliquijs inſignibus, aliàs fatendum eſſet, poſſe introduci conſuetudinem alienandi prædia, & omnes alias res pretioſas Eccleſiaſticas. Cæterum praxis in hoc poteſt tolerari, quæ in locis ab vrbe remotis fortè ſciente Pontifice inualuit, alienandi partes etiam notabiles reliquiarum, maximè ſi hoc fiat cum conſenſu Capituli, ſeu Conuentus. Hinc probabile putat Bonacina *loco citato*, non puniri alienantes excommunicatione lata in dicta extrauagante, in qua eſt tantùm ſermo de bonis temporalibus, pretio æſtimabilibus, quibus reguntur & illuſtrantur Eccleſiæ & loca pia, & quibus Miniſtri aluntur. Sed hoc merito alij non admittunt: quia communi Doctorum conſenſu in ſupradicta *Extrauág. Ambitioſa*, continentur res pretioſæ Eccleſiaſticæ cuiuſcunque generis ſint quæ ſeruando ſeruari poſſunt. Sententiæ tamen Bonacinæ adhæret Pellizzarius *cit. num. 91.*

Bonacina. Pellizzarius.

11. Non poſſunt Prælati lampades argenteas, & alia ſimilia alienare, ſecluſa conſuetudine in contrarium, vt earum pretium conuertatur in fabricam neceſſariam Eccleſiæ, vel in alium vſum. Ratio eſt, quia, ſicut eſt prohibitus contractus, per quem dominium directum, vel vtile transfertur, etiam inter Eccleſias: ita à fortiori erit inualida alienatio dictarum lampadarum, & ſimilium, quia illarum dominium transfertur in extraneum: idem dicendum

dicendum de vasis aureis, argenteis, gemmis, ornamentis pretiosis Ecclesiarum, tapetibus, & similibus ornamentis pretiosis, & alijs rebus, quæ triennio non corrumpuntur. Ita Quaranta *verb. Alienatio numero vigesimoquarto*, Hieronym. Rodriguez *in compend. resolut. 7. num. 19.* & alij communiter.

Quaranta. Hier. Rodr.

12. Alienatio ab vna Ecclesia, ad aliam potest fieri sine assensu Apostolico, maximè si loquamur de Ecclesijs eidem Prælato subiectis, & maximè inter regulares: quia, cùm omnes Religiones in congregationem redactæ sint, non videtur translatum dominium, si res vnius Monasterij transferatur ad aliud Monasterium eiusdem Congregationis. Ita Riccius *decis. 48.* Quamuis contrarium doceat Bonacina *loco citato punct. 2. num. 14.* quia iura simpliciter & absolutè loquuntur. Certum est tamen dismembrationem fructuum fieri non posse absque debita solemnitate: hæc enim est alienatio, & magis rationem alienationis habet, quàm locatio, consequenter ex fructibus Ecclesiæ Parochialis non possunt erigi canonicatus, quando maior numerus Sacerdotum non est necessarius ad Sacramentorum administrationem, vt ex decisionibus Rotæ tradit Genuensis *in praxi Neapolit. c. 60. num. 17.* & Riccius *decis. 47. & 95.*

Riccius. Bonacina. Genuens. Riccius.

13. In retrouenditione rei emptæ ab Ecclesia, cum pacto retrouendendi, requiritur solemnitas iuris: quia retrouenditio est quædam alienatio, cùm per ipsam transferatur dominium, vt dicunt Menochius *tom. 1. consil. 13. num. 6.* & Riccius *decis. 52.* & alij. Quamuis contrarium non videatur etiam improbabile, cùm retrouenditio non videatur contractus à primo distinctus; sed potius rescissio superioris contractus; consequenter non videtur improbabile retrouenditionem fieri posse absque prædicta solemnitate. Propterea aliqui Doctores aduertunt laudemium non deberi pro retrouenditione; quia laudemium soluitur pro alienatione propriè accepta: retrouenditio autem non videtur alienatio, sed rescissio prioris contractus. Ita Redoanus *de reb. Eccl. non alien. quæst. 66. num. 9.*

Menoch. Riccius. Redoanus.

14. Bona acquisita Ecclesiæ vel Monasterio de nouo non possunt absque assensu Sedis Apostolicæ à Prælato alienari, nisi Monasterium gaudeat aliquo priuilegio, quo id possit. Ita Riccius *decis. 101.* & Bonacina *loco citato num. 17.* & alij apud eundem. Qui Doctores vt puto, non loquuntur de his, quæ sunt solita locari, vel stante contractu emphyteutico & consimili ad Monasterium redeunt: talia enim bona retinent suam naturam; vnde si sint ab antiquo solita locari ad lineam, vel ad vnam, seu plures vitas, vt quotidie practicatur, absque alia noua solemnitate possunt respectiuè alienari, modò bona non sint Monasterio incorporata.

iccius. Bonacina.

15. In Ordine Sancti Hieronymi, vt habetur in eius compendio *verb. Alienatio*, §. 4. extat priuilegium, quo Conuentus cum Priore possint vendere hæreditates, possessiones, & iura in testamentis legata, & alia similia inutilia Monasterio, dummodò pretium eorum in alia bona vtiliora, & immobilia commutetur. Quo priuilegio gaudent aliæ Religiones communicantes, nisi in eis sit aliqua consuetudo, vel statutum in contrarium: & extenditur concessio ad alios contractus, & alienationes vltra venditiones; imò etiam ad hypothecam: & quando spes certa adest, quod res pignori data redimatur, tenent viri docti, posse prælatos Prælatos per se solos res suas hypothecare, alias sine consensu suorum fratrum facere non licet. Ita Rodriguez *tom. 1. qq reg. qu. 27. art. 2. §. ex hu infertur.*

Rodriguez.

16. Item ex concessione Gregorij XIII. Fratres, Monales Eremitarum Sancti Augustini possunt vendere, alienare, & permutare, ac etiam in emphyteusim concedere, dummodo emphyteusis non fiat vltra duas generationes, vel nominationes absque licentia Apostolica, vel loco illius, de consensu & approbatione Generalis Ordinis. Item dictæ locationes possunt fieri in perpetuum, dummodo duæ partes Conuentus consentiant, & fiant in ipsius Conuentus vtilitatem, & commoditatem: secus tam ipsæ locationes, quàm alij supradicti contractus irriti sunt & inanes. Quæ concessio & aliæ similes obseruentur à Religionibus, quibus factæ sunt, aliæ obseruent sibi ipsis indulta, iuxta suas laudabiles constitutiones, Rodriguez *ibidem in fine.* Aliud simile priuilegium Leonis X. apud Bullarium Rodriguez Bulla 26. inuenies, quo datur facultas Monialibus S. Claræ & Tertiarijs subiectis Ordini Minorum, ad alienandum de consensu duarum partium Conuentus.

Greg. XIII.

17. In Ordine Minorum regularis obseruantiæ nullus contractus potest fieri absque expressa licentia Generalis, vel Prouincialis, aliter irritus iudicatur. Ex Alexandro IV. Bulla 26. & Honorio IV. Bulla 1. apud Bullarium Rodriguez, quòd confirmatum & reualidatum est per Sixtum IV. Clementem VIII. & alios Pontifices. Prælati autem nullam habent facultatem ad alienandum, sed tota hæc auctoritas residet penes Syndicum, qui nomine Papæ & Sedis Apostolicæ (ad quos pertinet dominium omnium rerum vsui fratrum deputarum) de consensu Prouincialis, ac Conuentus habet eandem potestatem alienandi, quam habent Prælati aliarum Religionum possidentium in communi nomine suorum Conuentuum. Vnde dictus Syndicus cum licentia Generalis, vel Prouincialis potest facere facultatem Religioso Minoritæ ad donandum aliquid extra Ordinem intuitu remunerationis, vel eleemosynæ, vel ratione vtilitatis, quæ prouenire potest ipsi Ordini, ex huiusmodi donatione. Ita Rodriguez *cit. art. 3 & 6.*

Alexand. IV. Honor. IV. Sixtus IV. Clem. VIII.

18. Alienationes dicentur fieri in vtilitatem Monasterij, si pretium conuertatur in rem duraturam, puta in emptionem rei stabilis, seu ædificium, vel aliud simile, etiamsi vtilitas proueniens ex tali alienatione non sit perpetua, sed temporalis, vtpote pro colendis agris, colligendis fructibus & similibus, & sufficit, quod tempore contractus dicatur vtilis, licet postea efficiatur deterior. Quando autem fit causa necessitatis, sufficit, quod ex alienatione Ecclesia non patiatur damnum; sed non sufficit, quòd in instrumento dicatur fieri dictam alienationem causâ necessitatis, aut vtilitatis, nisi talis necessitas & vtilitas probetur. Tandem iudicare de huiusmodi vtilitate relinquitur arbitrio boni & prudentis viri pensatis circumstantijs qualitatis & quantitatis rei, personæ, loci, temporis, finis, &c. Ita Rodriguez *cit. art. 2.* de quo vide Rebuffum *de alien. res. Eccles. num. 27.* Nauarrum *in cap. non dicatis, num. 25.* & alios.

Rodrig. Rodrig. Rebuffus. Nauarrus.

19. Hodie de iure nouissimo ex decreto Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum S. D. N. Vrbani VIII. iussu edito, hæc facultas alienandi sublata fuit à prædictis Generalibus, & Capitulis etiam Generalibus, vel Prouincialibus, vel Congregationibus, nec possunt amplius, absque ipsius Sacræ Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, res & bona immobilia, & mobilia pretiosa alienare, hypothecare, locare & conducere vltra triennium, concedere

Sac. Congr.

cedere in feudum, vel emphyteuſim (niſi in caſibus à iure permiſſis) imponere, ſeu vendere cenſus perpetuos, ſeu vitalitios: & prohibitum eſt omne pactum per quod eorum dominium transfertur, ſub pœnis in eo contentis, quod decretum publicè circumfertur ſub datum Romæ die 7. Septembris 1624. impreſſum in Typographia Cameræ Apoſtolicæ, cuius tenor talis eſt.

Decretum Sacræ Congregationis Concilij Sanctiſſimi D.N. Vrbani Papæ VIII. iuſſu editum pro rebus regularium non alienandis.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium & pretioſorum mobilium detractionibus, quas crebrò faciunt Regulares Apoſtolicis priuilegijs innixi, ac proinde opera pretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione compeſcere: ſpeciali Sanctiſſimi D. N. iuſſu Generalibus & Prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuſcumque alijs ſuperioribus regularibus, cuiuſuis Ordinis, Congregationis, Societatis vel inſtituti intra fines Europæ exiſtentibus, omnium rerum & bonorum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, cenſus perpetuos, ſeu vitalitios, hypothecam, locationem & conductionem vltra triennium, conceſſionem in feudum, vel emphyteuſim, præterquam in caſibus à iure permiſſis, fieri perpetuò prohibet, atque interdixit, abſque illius Congregationis Concilij expreſſa licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, ſub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebant, vocisque activæ, & paſſiuæ, ac perpetua inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, quam ipſo facto, abſque alia declaratione incurrant: ſublata etiam Generali & Protectori, illam moderandi: aut relaxandi facultate pœnis nihilominus Apoſtolicarum Conſtitut. & præſertim ſuæ felicis record. Pauli II. quæ incipit, Ambitioſæ in ſuo robore permanſuris. Alienationes verò, pacta, cenſus hypothecas, locationes, conductiones & conceſſiones quaſcumque contra huiuſmodi prohibitionem faciendas, ſanctitatis ſuæ auctoritate, ipſo iure nullas atque irritas decernit. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum, tam mendicantium, quàm non mendicantium, militiarum etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuſuis alterius inſtituti, etiam neceſſariò, & in indiuiduo exprimendi, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, domorum, ac locorum regularium quorumcumque, nec non illorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis & priuilegijs, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, & cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ac formis, ſpecialis & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quauis alia expreſſio habenda, & aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet; tenores huiuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, quibus, quo ad ea, quæ præſenti decreto ac prohibitioni aduerſantur, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſè ſanctitatis ſuæ auctoritate derogat; cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ die 7. Septembris 1624.

COSMVS, CARD. DE TORRES.

Locus † ſigilli.

PROSPER FAGNANVS S. Congreg. Secretarius.

Verum, quia in hoc decreto non prohibetur acceptio pecuniæ ad cambium, vel mutuò, cum ſolutione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, ideo ab eadem Sacra Congregat. fuit declaratum, non licere Regularibus, pecunias modo prædicto accipere; & ſi acceperint, in pœnas in dicto decreto contentas ipſo facto incidant; vt fuit declaratum 1. Martij 1626. cuius declarationis tenor extat *in tom. 1. noſtræ Summæ, verb. Alienatio, num. 3. edit. tertia.*

In hac tamen pecuniæ conuerſione in euidentem vtilitatem, notandum eſt, ſolam Confeſſionem Prælati non probare, nullis concurrentibus adminiculis, vt dicunt Cardinal. *in Clement. 1. de reb. Eccleſ. quæſtione trigeſima*, & Baldus *in Authent. Hoc ſin correctum, Cod. de ſacroſanct. Eccleſ.* ſed per teſtes coram iudice, vt conſuetum eſt, oſtendi debet. Ex quibus ſequitur, emptorem rei Eccleſiaſticæ, quæ alienatur, non teneri probare pecuniam veram in vtilitatem Eccleſiæ, niſi in caſibus mutui & depoſiti; & quando Eccleſia vendit, & alienat pro ſoluendis debitis. Ita probat Genuenſ. *in prax. Neapolit. cap. 107.* & fatetur de communi. Cardinalis. Baldus. Genuenſ.

2o. Quælibet alienatio, etiam in caſu licito, & ſeruatis iuris ſolemnitatibus, regulariter hodie eſt Romano Pontifici reſeruata per Extrauag. Pauli II. *Ambitioſa, de reb. Eccleſ. non alien.* Tamen præter caſus in ea Extrauag. expreſſos, in quibus non eſt neceſſarius conſenſus Apoſtolicus ad alienationem, de quibus ſupra, dantur, & alij, in quibus eadem extrauagans locum non habet, & poſſunt Prælati bona Monaſteriorum inconſulto Summo Pontifice alienare. Paulus II.

Primus eſt, res immobilis parua poteſt alienari à Prælato abſque ſolemnitatibus, & aſſenſu Apoſtolico, vt habetur *in cap. Terrulas 12. quæſt. 2.* in quo caſu tria copulatiuè requiruntur; nempe, quòd res ſit exigua, quòd non ſit vtilis Eccleſiæ, & quòd alienatio fiat ex cauſa neceſſitatis. Ita Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Alienatio, num. 41.* vbi addit, Sacram Congregationem Concilij cenſuiſſe, nec Conſtitutionem Pauli II. nec Concilium Tridentinum derogaſſe diſpoſitioni *cap. Terrulas 12. q. 2.* Et addit iuramentum Prælati de non alienando, &c. non extendi ad hanc rem exiguam. Quænam autem dicatur res exigua & modica, Doctores aiunt hoc eſſe relinquendum arbitrio iudicis. Qui iudex inſpicere debet, an Monaſterium ſit pauper & tenues reditus habens: vel diues & ſatis abundans; ac etiam conſuetudinem terræ, & temporum, locorumque & rerum qualitatem, Franciſcus autem Leo *in theſaur. fori Eccl. ſ. p. 1. num. 6.* putat quod pro iudicanda huiuſmodi re minima attendenda ſint decreta prouincialia & ſynodalia cuiuſcunque patriæ, in quibus attenditur loci conſuetudo. Vide Pelizzarium *in Man. regul. tract. 6. c. 8. num. 139.* Quaranta. Franciſc. Leo.

Secundus caſus eſt, ſi immineret ſumma neceſſitas alienandi, & tantam celeritatem requireret, quod ſuperiorem conſuli non patiatur, tunc poteſt alienatio fieri ſine conſenſu Papæ, vel alterius Superioris,

perioris, cui fuit iuramentum præſtitum de non alienando. Puta pro redemptione captiuorum & alimonia pauperum quando periculum eſſet in mora, *cap aurum, & cap. gloria Epiſcopi* 12.q.2. Quaranta. Quaranta *verb. Alienatio. n.*42. & alij apud ipſum.

Tertius, in quo non habet locum diſpoſitio *d. Extrauagantis* eſt in repudiatione, ſeu remiſſione legati vel hæreditatis Monaſterio præſcriptæ, nondum autem acquiſitæ, ſeu incorporatæ, *de qua ſupra nu* 4. Pro confirmanda autem hac ſententia adeſt priuilegium Iulij III. conceſſum Societati IESV, vt habetur *in compend. priuil. g. eiuſdem Societatis tit. Alienatio* §.1. & aliud Gregorij XIII. §.2 qui conceſſerunt quòd *Præpoſitus Generalis eiuſdem Societatis pro tempore exiſtens, vel ipſa ſocietas generaliter congregata, poſſint, actionem etiam in non poſſeſſorem cedere & repudiare.* Nec dicta priuilegia, quoad hanc partem videntur derogata per Decretum Sacræ Congregationis Concilij num. præcedenti relatum: ibi enim prohibetur alienatio. Sed repudiatio non dicitur alienatio, *l. Alienationis, ff. de verb. ſignific.* Ergo, &c. Iulius III.

Quartus caſus eſt in permutatione bonorum Eccleſiæ, vel Monaſterij cum alijs Prælatis, vel Rectoribus Eccleſiarum, quæ licitè abſque ſolemnitatibus fieri poteſt, per *cap. Hoc ius porrectum*, §. *ſibi inuicem*, 10. *quæſt.*2. Diana *p.*4. *tract.* 4. *reſol.*233. Barboſa tamen *de offic. & poteſt. Epiſcop. p.*3. *allegat.* 95. *numer.*57. docet in praxi contrarium obſeruari, nempe, quod in permutatione quoque requiratur aſſenſus Summi Pontificis, Pellizzarius *loco citato num.*22. Diana. Barboſa. Pellizzarius.

Quintus caſus eſt, vt poſſit Prælatus tranſigere abſque ſolemnitatibus, quando Eccleſia, vel Monaſterium non eſſent in poſſeſſione illius rei, ſuper qua fieret tranſactio: alias non valeret, vt aiunt Quaranta *verb. Alienatio, num.*43 *verſ. Duodecimò*, Rebuffus *in compend. alienat. ver. Eccleſ. num.*21. Pellizzarius *cit. num.*26. & 27. Quaranta. Pellizzarius.

Sextus caſus eſt, in reſtitutione rei reſtitutioni ſubiectæ, puta, ſi aliquis reliquit bona ſua Monaſterio; cum conditione tamen, vt poſt certum tempus alteri reſtituerentur, in quo caſu poteſt Prælatus poſt lapſum dicti temporis, abſque alijs requiſitis ſolemnitatibus, bona ipſa reſtituere adimpleta conditione. Ita Quaranta *cit. num.* 45. Rebuffus *cit. num.*29. & 30. Quaranta. Rebuffus.

Septimus eſt, pro remuneratione meritorum, ad quam faciendam poteſt Abbas Monaſterij bona alienare: nam donatio antidoralis, ſeu quæ fit cauſa remunerationis, non eſt vera donatio: quia eſt potius quædam permutatio, ſiue compenſatio ſeruitij recepti: quod intelligendum eſt, dummodò donentur mobilia & Prælatus donationis metas non excedat.

Octauus caſus eſt, in re mobili minùs pretioſa, Rebuffus *in dict. compend. num.*24. Rebuffus.

Nonus; poteſt Abbas ſolus remittere caducitatem Emphyteutæ Eccleſiæ, vel Monaſterij ſibi ſubiecti: hoc enim dependet ex voluntate beneficiati, Iulius Clarus *in §. emphyteuſis, quæſt.*9, 10. & 11. Plura de his apud Quarantam. Clarus.

21. Alienatio bonorum Eccleſiæ vacantis, pro quantumuis iuſta cauſa perpetuò facta, nulla eſt, niſi Eccleſia habeat defenſorem legitimè conſtitutum, Gloſſa *in cap. u, cui de elect. in* 6. Gloſſa.

In Monaſterijs verò regularium, cùm nunquam deſit legitimus defenſor, quippe, quia, mortuo Abbate, remanet Prior clauſtralis, habens omnem poteſtatem, quam habebat Abbas; nec non etiam Abbates & Prælati Generales, & Superiores, qui non modò eadem, ſed etiam maiori auctoritate pollent; idcireo tales Eccleſiæ nunquam carent defenſore legitimo, qui habet facultatem alienandi id, quod permiſſum erat defuncto Abbati.

Plura de alienatione habes apud Pellizzarium *in Man. regul. tract.*6. *cap.* 8. per totum.

Vide v. Debitor *num.*11. 12. & 13. Emptio *nu.* 31. Mutuum *num.*27.

ALIMENTA.

SVMMARIA.

1 *Quando Religioſus relegatur in aliud Monaſterium ob aliquod delictum, quis teneatur illi alimenta ſubminiſtrare.*

2 *Monachis recedentibus à proprio Monaſterio ad aliud, debentur alimenta à priori Monaſterio.*

3 *Profeſſus iniuſtè expulſus poteſt compellere Monaſterium, vt ab eo alimenta percipiat.*

4 *Si Monachus apoſtata vel fugitiuus ab aliquo caperetur in Monaſterium reuocandus, Monaſterium tenebitur ad alimenta & expenſas.*

5 *Monaſterium in Monachi bona ſuccedens tenetur alimenta præſtare ijs, quibus tenebatur Monachus.*

Verum eſt Monaſterium ſuccedens in bona coniugis non teneri alere coniugem eius inopem in ſæculo relictum, qui ingreſſus eſt ipſo conſentiente Religionem.

6 *Monacho exiſtenti in ſchola, vel in alio negotio ex licentia ſuperioris, tenetur Monaſterium ad expenſas alimentorum.*

7 *Alimenta legata Monacho ad decennium extinguuntur morte legatarij alendi antea contingenti.*

8 *Filius renuncians hæreditati parentum, poſtea factus Monachus poteſt petere alimenta, ſi ita pauper efficiatur, vt ea aliunde habere nequeat.*

Si nouitius decedat inteſtatus nulla renunciatione paterna hæreditatis factâ, non ſuccedet Monaſterium in expenſas alimentorum ipſius nouitij: niſi pactum eſſet largiendi Monaſterio expenſas nouitij.

9 *Alimenta tenetur Pater præſtare filio abſque eius conſenſu ducenti vxorem, ſi aliunde non habeat.*

10 *Pendente lite de valore matrimonij, tenetur vir alimenta præſtare vxori.*

11 *Vir tenetur vxorem alere, quando ipſi cohabitat.*

12 *Vxor à viro recedens ob nimiam caſtigationem, à viro alenda eſt, ſecus ſi moderata ſit.*

13 *Si vir culpa ſua bannitus, inops ſit, tenetur vxor eum alere: ſi vxor ob propriam culpam in carcerem perpetuum includatur, non eximitur vir ab obligatione eam alendi.*

14 *Maritus inops non tenetur vxorem alere, ſicut nec filios: vxor autem dines tenetur viro inopi alimenta præſtare.*

15 *Verum eſt, quando ſoluto matrimonio nulla viri bona ſuperſunt, non teneri vxorem ex bonis datalibus ſolucre debita à viro contracta, ad ipſam alendam.*

16 *Non tenetur maritus vxori alimenta præſtare, dote promiſſa & non ſoluta. Si autem pars dotis ſoluta ſit, tenetur pro rata ad alimenta.*

17 *Maritus*

Digitized by Google

27. *Maritus tenetur alere vxorem, quam absque dotis promissione duxit: si tamen vxor dotes esset, & nolit datem constituere, non teneretur vir tam alere.*

28. *An vxor alenda sit à viro, quando dos ipsum publicata est, ob eius crimen?* Referuntur variæ sententiæ.

29 *Alimenta debita vidua ab heredibus viri, non debentur, si intra annum luctus nubat: nisi secundum vir ita egerat, vt vxori alenda non sit.*

1. REligioso relegato in aliud Monasterium, ob aliquod delictum tenetur alimenta subministrare Monasterium, cui acquisita est illius hæreditas, vel artulit bona. At si nihil horum ad illud peruenit, Prælatus, cui subditus erat cùm deliquit, ad id tenebitur. Quòd si prius Monasterium non habuerit vnde eum alat, ministrabit alimenta posterius. Quod si vtrumque Monasterium habuit bona huius, quodlibet modicum contribuere tenetur. Ita Sylvester *verb. Apostasia, quæst. vlt.* Azorius Sylvest. Azorius. *1 part. lib. 12. cap. 17. q. 3.* At in Religione Minorum, cùm neque in communi, nec in particulari fratres aliquid habeant, vsu receptum est, vt Monasterium in quod mittitur, eum alat. Ita Rodriguez Rodrig. *tom. 2. qq. reg quæst. 24. art. 2.* Quòd si neutrum Monasterium ad alimenta sufficiat, quidam dicunt teneri Episcopum contribuere, cuius est omnibus indigentibus prouidere. Alij dicunt teneri tunc Capitulum generale prospicere. Sic Hostiensis, Ioannes Andreas, D. Antoninus & alij. Quod si nec Capitulum possit, dicunt isti teneri Episcopum. Sed verius est quod docet Sanchez *lib. 6. moral. cap. 9. num. 14.* nullam esse specialem obligationem Episcopi subministrandi hæc alimenta, sed solam generalem, qua tenetur alijs pauperibus: quia nulla est ratio specialis huius obligationis, eò vel maximè quòd Religiosis ignominiosum non sit mendicare. Sanchez.

2. Quando Monasterium, post eius disciplinam collapsam, ad pristinam regulæ obseruantiam reuocatur, datâ optione Monachis in eo remanendi, aut ad aliud commigrandi, ipsis ad aliud recedentibus, debentur alimenta à priori Monasterio, quia non est cur posterius grauetur ad ea subministranda: intellige, quando hi Religiosi sunt posteriori Monasterio inutiles, si enim ei vtiles sint, ipsa ratio suadet vt ab eo alantur. Ita Sylvester, Azorius *supra citati.* Sylvest. Azorius. Intellige etiam quando prius Monasterium fruitur hæreditate, vel bonis, quæ Monachus secum detulerat, si enim nihil commodi ad illud peruenit, iniustum videtur ab eo extorquere alimenta, iuxta illam iuris regulam à contrario sensu, *qui non sentit commodum, nec onus sentire debet.*

3. Professus iniustè expulsus potest compellere Monasterium, vt ipsum admittat, & ab eo alimenta percipiat, quia iniustè eo iure spoliatus est: quod intelligendum venit de alimentis futuris, non tamen præteritis, nisi mutuò illa accepisset, vel quibus illa pararet, vt tradit Nauarrus *Comment. 2. de regul. num. 65. vers. Addo septimò.* Ratio est, quia pecunias quibus se aluit, tenebatur dare Monasterio, & ad ipsum Monasterium petinebant: quare in rigore loquendo aluit se sumptibus Monasterij. Ita Surdus *de aliment. tit. 5. quæst. 1. num. 48.* Vnde fit, vt si Monachus quasi iniustè expulsus conueniat Monasterium, debeat ab illo accipere alimenta, cùm sit in possessione Monachatus, & percipiendi alimenta à Monasterio: imò sufficeret aliqua Monachatus præsumptio, vt ait Surdus *de aliment. tit. 1. quæst. 121. num 2.* Similiter tenetur Monasterium expensas ad lites necessarias ei contribuere. Nauarrus. Surdus. Surius.

Ita Sanchez *lib 6. moral. cap. 9. num. 8.* Ex quo fit, vt alens Monachum hunc, possit à Monasterio alimenta repetere, si animo donandi caruerit: quia cùm Monasterium teneatur eum Monachum alere & admittere, qui ipsum aluit dicitur vtiliter Monasterij negotium fecisse, vt docet Surdus *de aliment. tit. 6. q. 19. in fin.* Sanchez. Surdus.

4 Quamuis Monasterium non teneatur ad alimenta Apostatæ vel fugitiui, quamdiu ille in fuga fuerit: tamen si Monachus ab aliquo caperetur in Monasterium reuocandus, ex tunc tenebitur Monasterium ad alimenta & expensas: quia ex tunc vtiliter eius negotium geritur, atque id quod Monasterium efficere tenebatur, vt contingit in seruo fugitiuo, cuius alimenta repetit, qui captum reuocat ad dominum. Tandem tenetur Monasterium ad alimenta & expensas Monachi licitè ex iusta causa fugientis, vt se præsentet superiori, quia vt dictum est, Monasterium tenetur dare Monacho expensas necessarias ad litem, & Monacho accusanti Abbatem debentur alimenta, vt constat ex *cap. Ex parte, de accusation.* Ita Sanchez *cap. 9. num. 22.* Sanchez.

5. Monasterium in Monachi bona succedens tenetur alimẽta præstare ijs, quibus tenebatur Monachus, cùm id sit commune vnicuique bonorum successori, vt astringatur ære alieno eius, cui succedit. Vnde cùm Monasterium teneatur ad omnia ingressi, cui succedit, onera, consequenter tenetur alere eos, quibus tenebatur ingressus alimenta præstare. Ita Couar. 4 *decret. 2. p. c. 28 § 6. num. 14.* Hinc deducet aliquis Monasterium succedens in bona coniugis, teneri alere coniugem eius inopem in sæculo relictum, qui ingressus est ipso consentiente Religionem: quia Monasterium succedens in bona Monachi, tenetur ad omnia ingressi onera, illisque oneribus affecta ea capit: at onus alendi coniugis inopis competit alteri habenti bona, ergo tenetur ad hoc onus. Ita Ioannes Andræas *in addit. ad speculat. tit. qui filij sint legit. § 1 num. 14.* Verius tamen est, ad id non teneri. Ratio est, quia professione Religionis transferuntur bona professi in Monasterium, ac proinde coniux consentiens alterum in Religionem transire, subinde consentit huic alienationi, ac ex bonis per coniugem alienatis altero coniuge consentiente non sunt ab illorum possessore præstanda alimenta: quippe consentiens alienationi, præiudicat sibi. Ita Surdus *de aliment. tit 1. q 37. à num. 3. vsque in fin.* Tempore tamen nouitiatus tenetur coniux ex eis bonis alterum inopem alere, quia tunc non sunt alimenta nec matrimonium ratum est dissolutum, & proinde non est cur id onus cesset. Couar. Ioan. Andr. Surdus.

6. Quando Monachus existit in scholis studiorum causâ, vel in alio negotio extra claustrum ex legitima superioris licentia, tenetur Monasterium ad expensas pro alimentis, & alijs necessarijs ibi factas: nisi expensæ illæ sint excedentes quantitatem Religioso illi quotannis destinatam, tunc enim non tenebitur Monasterium, modò excessus ille in expensis, non sit contractus morbi curandi causâ, vel ex aliqua vrgenti causa rectè, & iuxta debitam administrationem factus. Si autem ille religiosus esset in studio expensis patris, vel alterius, tunc enim pater vel ille alter tenebitur, non Monasterium. Ita Sanchez *lib 7. moral. cap. 31. à num. 15. ad 20.* & alij multi apud ipsum. Sanchez.

7. Alimenta legata Monacho ad certum tempus, v. g. ad decennium, extinguuntur morte legatarij alendi antea contingente. Ratio est, quia alimenta habent ex sui natura determinationem ex illius persona, cui debentur. Atque ideò relictum etiam temporale habet tacitam conditionem dum-

modo legatarius toto eo tempore viuat. Accedit quòd omnis diſpoſitio intelligitur iuxta ſubiectam materiam, ita vt conueniat naturæ actus, qui celebratur, vt tradunt iuriſperiti. Cùm ergo alimenta ſuapte naturâ alendi morte expirent, præfinitio temporis eſt intelligenda, niſi prius obeat. Ita docent Bartol. & Iaſon quos refert & ſequitur Surdus *de aliment. tit* 13 *queſt.* 1 *num.* 3. *&* 4. per textum *l. ſi cum præfinitione in p incip. ff. quando dies legati cedat.*

Bartolus. Iaſon. Surdus.

8. Filius renuncians hæreditati parentum, poſtea factus Monachus poteſt petere alimenta, ſi ita pauper efficiatur, vt aliunde ea habere nequeat, quamuis iureiurando iuri alimentorum renunciauerit: quia tale pactum aduerſaretur iuri naturali, quo pater filium egentem alere tenetur. Ita Couar. *in cap Quamuis pactum, de pactis, lib* 6 *2. part.* §. 6. *num.* 8 *conſil.* 17. *in fine*, dicens in hoc caſu neceſſariam eſſe relaxationem iuramenti. Et idem docet Rodriguez *tom.* 1. *Summ. cap* 10 *num.* 4

Couar. Rodrig.

Ex quibus idem videtur dicendum, quando præfatus filius renuncians paternæ hæreditati profeſſus eſt in Religione capaci bonorum: nam ſi ille ante ingreſſum Religionis poterat petere alimenta iure naturæ debita filio egenti, pari ratione poterit Monaſterium ea petere poſt eius profeſſionem: tum quia in omnia iura profeſſi ſuccedit: tum quia ſi ſentit onus eum alendi tanquam filium Religionis, ſentire etiam debet commodum exigendi alimenta naturæ debita, cui ipſe Monachus per profeſſionem non cenſetur renunciare. Ita videtur tenere Sanchez *lib* 7. *moral. cap.* 7. *num* 55.

Sanchez.

Sed quid dicendum, ſi nouitius decedat inteſtatus nulla renunciatione paternæ hæreditatis factâ, ſuccedetne Monaſterium in expenſas alimentorum ipſius nouitij? Reſpondet idem Sanchez *lib.* 7. *moral. cap* 3. *n.* 95. cum alijs à ſe citatis non ſuccedere, quia nouitius non tenetur has expenſas alimentorum ſoluere ſi mutato animo exeat à Religione: limita, niſi pactum eſſet largiendi Monaſterio expenſas nouitij, vt in Monaſterijs Monialium contingit: tunc enim, ſiue nouitia perſeueret, ſiue reſiliat, expenſæ debentur, ex vi contractus de ſoluendo expenſas initi, vt idem Auctor reſoluit *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 4 *&* 5.

Sanchez.

9. Pater tenetur alimenta præſtare filio abſque eius conſenſu ducenti vxorem, ſi aliunde non habeat: nam filium diuitem nunquam tenetur pater alere. Quando autem ducit vxorem indignam & alimentis careret, tenetur pater dotare in modica quantitate conuenienti ad alimenta vitæ neceſſaria: & hoc propter æquitatem naturalem, ne fame pereant. Ita Rodriguez *tom.* 1 *Summ. c.* 14. Sanchez *de matrim. l b.* 4 *diſp.* 26. *num.* 19. *&* 20. qui etiam addit non tantùm teneri patrem præſtare tali filio pauperi alimenta, ſed etiam vxori eius: quia non tantùm alimenta, ſed cætera liberorum onera tenetur pater præbere, vt habetur *l ſi quis à liberis*, §. §. *ſi vel parens, verſ. non tan ùm. ff. de liberis agnoſc.* onus enim filij & obligatio eſt, quando vxorem ſine dote duxit, ipſam alere; ergo tenetur pater tali vxori alimenta præſtare.

Rodriguez. Sanchez.

10. Tenetur vir lite pendente de matrimonij valore, alimenta vxori præſtare, quæ ante litem tenebatur; arg. *l ſi. mget. ff de lib agnoſc.* Angel. *v. Matrimonium* 3. *imped.* 4. *num.* 9 qui limitat, niſi vir certus ſit non eſſe matrimonium. Et addit Innoc *in c. Per veſtras, de donat. inter virum & vxor.* fortè teneri virum ad prædicta alimenta, quamuis vxor indotata ſit; per *cap. ex parte. de accuſation.* vbi habetur Monachum, cùm proprio careat, alendum eſſe lite pendenti; de bonis Monaſterij.

Angelus. Innocent.

12. Vir tenetur vxorem alere: quia ideò dotem vxoris recipit, vt matrimonij onera ſuſtineat, ipſi & familiæ alimenta præſtans. Conſtat ex *l. pro oneribus Cod. de iure dotium*, & *l. Dotis fructus, ff. eodem.* Ita Surdus *de aliment. tit.* 1. *tota queſt.* 32. Hoc tamen intelligendum eſt, quando vxor viro cohabitat, ſi enim abſque viri culpa; propriâ temeritate, ab eius conſortio recedat, alenda minimè eſt à viro. Quia vxor debet eſſe in viri obſequio, ac proinde ſi obſequium debitum minimè præſtare velit, receptura non eſt alimenta ſibi debita. Qui enim non facit quod debet, non recipit, quod oportet. Si autem viri culpa, vt ob eius ſæuitiam, recedat vxor, alenda eſt Nam cùm ipſi non imputetur in viri obſequio non eſſe, ſed culpæ viri id tribuendum ſit, perinde cenſendum eſt, ac ſi in viri obſequio eſſet. Ita Surdus *de aliment. tit. 1. q. 32. num.* 17. *& ſeq. & tit* 7. 9. 16. *à num.* 1.

Surdus. Surdus.

12. Vxor à viro recedens ob nimiam caſtigationem, alenda eſt à viro, ſecus ſi moderata ſit: quia in priori caſu, culpa viri eſt, in poſteriori autem, vxoris. Permiſſum eſt enim viro vxorem corrigere, moderateque punire, *l. Res iudicata, ff ſolut. matrim.* at cautè & comiter oportet eam tractare. Talis namque eſt inter illos ſocietas, qualis inter patrem & filium, non cuiuſmodi inter mancipium & dominum. Exigitur autem nimius caſtigationis exceſſus, quo fuga hæc vxoris culpa vacet, ac proinde extra viri domum ea non obſtante ipſi debeantur alimenta: quamuis enim vir aliquantulum rationis limites in corrigenda vxore excedat, non continuò licet vxori ab eius conſortio aufugere. Ita Surdus *de aliment. tit. 7. q. 16. num.* 5.

Surdus.

13. Si vir culpa ſua bannitus, inops ſit, tenetur vxor eum alere, *l. matrem*, §. *manente, ff. de iure dot.* Hæc autem obligatio alendi eſt fructibus dotis, ſi hi ſatis ſint, ſin autem bonis paraphernis. Ita Iul. Clarus *lib. 5. recept. in practic. crimin.* §. *fin q.* 82. *ſtatuto* 2. *verſ. Item quæro.* An autem vir teneatur vxorem alere, ſi ob propriam culpam in carcerem perpetuum includatur? videtur enim virum ab alendi obligatione eximi: quia culpâ ſuâ extra viri conſortium eſt: nec vir, quamuis ob hæreſim non celebret diuortium, tenetur in eo carcere illi cohabitare. Cæterum ex hoc capite vir minimè excuſatur: quare eſto dos maneat apud virum, tenetur alere, ſi diuortium non celebretur ob illud crimen, puta hæreſim: & ſimiliter ſi indotatam duxerat. Ratio eſt, quia culpa illa vxoris non tendit directò ad ſeparationem habitationis, ſicuti contingit quãdo propria temeritate aufugit: vnde in ſeparatione illa, nulla vxoris culpa verſatur, ſed tantùm in cauſa. Tum quia coniux ſua culpa recedens, ius alimentorum recuperat, ſi pœnitentia ductus velit cohabitare: at vxor in carcerem perpetuum incluſa, ſui delicti pœnitentiam agit, parataque eſt viro cohabitare, vbi ſibi permiſſum fuerit, non ergo ex cohabitationis defectu priuanda eſt alimentis. Ita Simanchas *in Cathol inſtitut. in 2. edit tit.* 16. *num.* 18. & 19. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 4. *num.* 23. & Surdus *de aliment. tit.* 7. *queſt.* 16. *num.* 14. quamuis in ea ſit ſententia vt vir non teneatur in hoc caſu alere vxorem, niſi per modum eleemoſynæ, ne fame pereat.

Clarus. Simanchas. Sanchez. Surdus.

14. Maritus inops non tenetur vxorem alere: ſicut nec tenetur filios, iuxta *l. ſi quis liberis*, §. *penult. ff. de liberis agnoſc.* Et ratio eſt, quia non tenetur vxori vltra quam facere poſſit, *l. etiam*, & *l. maritum, ff. ſolut. matrim.* Imò ſi vxor dives ſit, tenetur viro inopi alimenta præſtare, vt probat *l. ſi cùm dotem*, 23 §. *ſi maritus, ff. ſolut. matrim.* & Surdus *de aliment. tit. 1. queſt.* 35. *&* 36. docet cum multis per

cum

ęum relatis, ſi bona dotalia minimè ſufficiant, teneri vxorem ex bonis paraphernalibus ea alimenta tribuere.

15. Quando ſoluto matrimonio nulla viri bona ſuperſunt, multi Doctores, & ſatis probabiliter opinantur, teneri vxorem bonis dotalibus ſoluere debita à viro contracta, ad ipſam & familiam alendam, poſſeque conueniri filios, & teneri mutuum à patre inope acceptum pro ipſorum alimentis, ſoluere. Ducuntur, quia vbi res aliena in vtilitatem alicuius conuerſa eſt, quamuis eam minimè acceperit, tenetur ſaltem in ſubſidium accipientis, qui non eſt ſoluendo: ſed quando maritus, aut pater inops mutuò accepit pecunias ad vxorem & filios alendos, pecuniæ illę ceſſere in vtilitatem vxoris & filiorum, habentque eas ex cauſa lucratiua, non autem onerosa: ergo viro, aut patre impotente ad ſoluendum, tenentur in ſubſidium. Ita multi iuriſperiti apud Sanchez. Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 4. num.* 18 Contrariam tamen ſententiam & meritò amplectitur, nempe nec vxorem, nec filios teneri illa debita, per patrem, aut maritum contracta, ſoluere ex ſuis bonis. Ratio eſt, quia maritus inops, quamuis ratione impotentiæ eximatur, ſeu potius excuſetur pro tunc ab onere alendi vxorem & filios, nec teneatur ære ſe alieno grauare, quo huic obligationi reſpondeat: at ſi verè ſe grauauit, & ſic aluit, veram obligationem ratione impotentiæ ſuſpenſam adimpleuit, nec dicetur pecunia illa conuerſa in vtilitatem vxoris & filiorum, ad quam pater verè non tenebatur: neq; vxor & filij verè dicentur effecti locupletiores, & ex cauſa lucratiua recipientes, ſed potius ex cauſa onerosa, cùm verè ipſi debitum receperint: ac proinde illud mutuum minimè aſtringentur ſoluere. Deinde vxor ſoluto matrimonio poteſt integram dotem recuperare, licet vir prodigè expenderit ipſam vltra debitum alens, vt docet Nauarrus. Nauarrus *in Man. cap. 17. num.* 155. In vno tamen euentu dicendum eſt vxorem teneri de ſuo ſoluere, nempe, ſi iuſſa à viro tradere viri creditoribus centum, quæ ipſi ad hoc dedit, vxor expenderet in familiæ ſuſtentationem, & vir non eſſet poſtea ſoluendo; quia cauſam dedit ne creditores debitum recuperarent. Ita Sanchez. Sanchez *cit. num. 29. & 30.*

16. Non tenetur maritus vxori alimenta præſtare, dote promiſsâ & non ſolutâ. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia dos quaſi in pretium datur, vt ex eius fructibus maritus onera matrimonij ſuſtineat, vxoremque alat, *l. pro oneribus, C. de iure dotium*, quare dote minimè ſolutâ, non tenetur maritus ſtare contractui, eaque onera ſuſtinere: intelligo autem, quando ſoluens eſt in mora, ſi enim tempus conceſſum à viro ad dotem ſoluendam nondum acceſſerit, non poteſt ob ſolutionis defectum negare alimenta: quia alter non eſt in mora, ſibique imputare debet vir, qui ea dilatione conceſsâ, ſe ad matrimonij onera ſubeunda aſtrinxit. Si autem pars dotis ſit tantùm ſoluta, tenetur vir ad alimentorum partem pro rata, cùm eadem ſit ratio partis quoad partem, quæ eſt totius quoad totum, *l. qua de iure. ff. de rei vendicat.* ſicut totâ dote recepta, tenetur ad integra alimenta, ita recepta parte, tenetur ad partem. Ita multi quos refert & ſequitur Surdus *de alimentis, tit. 7. queſt. 17. num.* 3. Surdus. Notandum tamen ſi extraneus, qui non habet mulierem ſub ſua poteſtate, promiſerit dotem, & nondum ſoluerit, indiſtinctè maritus non tenetur alere vxorem quamuis ſit in eius obſequio: ſi autem vxor ipſa, aut ipſius pater, quando ratione impotentiæ non ſoluunt, non eximitur vir ab alimentandi onere, niſi dolosè promiſiſſent dotem, quam nouerant ſe ſoluendo minimè eſſe. Ratio eſt, quia vxor eiuſque pater gaudent beneficio, vt conueniri nequeant pro dote ſoluenda, vltra quam facere poſſunt. Ita Surdus *loco citato num.* 27. 30. & 36. Si ta- Surdus. men vir alat vxorem nondum ſoluta dote, nihilque proteſtetur, minimè poteſt petere alimenta ab ipſa vxore, vel à dotis promiſſore, videtur enim affectu coniugali facta donatio. Quod colligitur ex *l. ſi quis à liberu. 9. ſi mater, ff. de liber. agnoſc.* iuncta Gloſſa, *verb. Materno.*

17. Maritus tenetur alere vxorem, quam abſque dotis promiſſione duxit: quia ſibi imputare debet, quòd nullam dotem exegerit, videturque ipſam vxoris perſonam pro dote accipere. Ita communiter Doctores. Et licet aliqui cenſeant hoc tenere verum, licet vxor dues ſit: verius tamen eſt non teneri virum ad hæc alimenta, dum vxor illa dues dotem conſtituere renuit: quia dum mulier dues abſque dotis promiſſione ducitur, videtur tacitè actum de dote conſtituenda: quare dum dos tacitè promiſſa non ſoluitur, iuſtam cauſam vir habet denegandi alimenta. Ita Baldus, Iaſon, Ioannes Lupus & alij quos refert & ſequitur Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 5 num.* 9. Si autem non ipſa vxor, ſed eius pater dues eſſet, dotemque conſtituere nollet, teneretur maritus, qui nil de dote pactus eſt, ipſam alere liberumque illi eſſet à patre dotem petere, vt docet Molina *tom. 2. de iuſtit. diſp. 425. §. Si mari. o dot.* Baldus. Iaſon. Sanchez. Molina.

18. Quidam exiſtimant vxorem alendam eſſe à viro, poſtquam ad eius conſortium coniugale admiſſa eſt, ſi illa dotata ducta ſit, at ob eius delictum publicata dos eſt, vt ob hæreſim vel aliud crimen. Ratio illorum eſt, quia in defectum dotis & patrimonij tenetur vir ex debito coniugali vxorem alere. Alij verò putant non teneri virum alere. Sanchez verò *loco citato num.* 10. exiſtimat indiſtinctè vxorem alendam eſſe à viro, quando dos fortuito caſu perit; At quando culpâ vxoris publicata fuit, docet, quòd ſi parentes in facultatibus ſint, vt ipſam alere valeant tenentur quidem, virque ab eo onere eximitur: ſi autem parentes pauperes ſint, tenebitur vir. Probatur, quia vir ratione dotis ſolutæ tenetur vxorem alere, & dum non ſoluitur, liber eſt ab ea obligatione: at quando culpa vxoris publicatur, perinde eſt ac ſi ſoluta non eſſet, ſiquidem vxoris culpa pretium ſuſtentationis autertur. Quòd autem tunc pater dues teneatur, probatur, quia quamuis culpa mulieris deperdita ſit dos, tenetur adhuc pater illam alere; vt multis citatis probat Molina *de primogenij lib. 2. cap. 16 num.* 24. Et vbi parentes ſunt pauperes, teneri virum. Ratio eſt, quia in eius obſequio & conſortio cùm ſit, nec parentes ei ſubuenire poſſint, amor coniugalis, & nexus tam arctus petit, vt à viro alatur, ne fame pereat. Sanchez. Molina.

19. Alimenta debita viduæ ab hæredibus viri, primo anno à morte viri, quo dotem conſiſtentem in pecunia, aut alijs rebus mobilibus non reſtituunt, prout poſſunt, non debentur, ſi intra eum annum luctus nubat. Ratio eſt, quia hæredes mariti ſolùm tenentur ad alimenta eo tempore viduæ præſtanda, quando vidua ita pauper eſt, vt aliunde alimenta non habeat. At vbi ſecundo nupſit, adeſt vir, cui eam alere incumbit; ac proinde ceſſat obligatio hæredum viri. Ex qua ratione colligitur, ſi vir ſecundus ita egeat, vt vxori alendæ non ſit, minimè eximi hæredes viri ab ea obligatione, vel dotem prædictam ſtatim reſtituendi, vel præſtandi alimenta eo priori anno, quo dotem reſtituere non tenentur. Quòd ratio, ob quam ea obligatio extinguenda erat, non deficiat. Ita Surdus *de aliment. ital. 7. queſtione vigeſimaſecunda, numero nono,* Surdus.

Molina *tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 322. verſ. Interim dum vxori.*

Vide v. Filius *num. 9.* Fiſcus *num. 5. & ſeq.* Legatum *num. 7.* Parentes *num 3.*

ALTARE.

SVMMARIVM.

1 *Altare amittit conſecrationem, ſi ipſa menſa enormiter frangatur, ſeu quando deperditur forma altaris.*

2 *Altare non amittit conſecrationem, ſi menſa frangatur in cornibus, dummodò non ſit in illis ſigillum ſepulchri.*
Si menſa altaris in duas partes ſcindatur, non amittit conſecrationem, modo partes non ſeparentur ad inuicem localiter.

3 *Quando in conſecratione altaris non ponuntur reliquiæ, non debet poni corpus Chriſti ſub Euchariſtia.*

4 *Altare non poteſt conſecrari in quolibet die etiam non in feſto: non tamen in tribus vltimis feriis hebdomadæ maioris; nec in maximis ſolemnitatibus.*

5 *Probabile eſt altare portatile poſſe conſtare ex duobus lapidibus, vel ſeparabilibus, vel qui claudi poſſint & aperiri ad inſtar lib i.*

6 *Altare portatile amittit conſecrationem, quando frangitur ſepulchrum, aut quando enormiter frangitur: ita vt amittat formam.*

7 *Verius eſt altare portatile non execrari, ſi frangatur in quatuor cornibus, in quibus conſecratur, modò lapis qui remanet, poſſit commodè capere calicem & hoſtiam.*

8 *Regulares Miſſionarij poſſunt vti altari portatili in quolibet decenti loco: nec poſſunt prohiberi ab Epiſcopis.*

9 *Epiſcopi de iure communi poſſunt ex rationabili cauſa vti altari portatili.*

10 *Probabilius eſt Epiſcopos etiam extra Dioceſim poſſe vti altari portatili, aut coram ſe facere in ipſo celebrare, ſine licentia Ordinarij loci.*

1. COnueniunt omnes Doctores, quod altare amittat conſecrationem, ſi ipſa menſa enormiter fracta fuerit: vt traditur in cap. *Quod in dubijs*, & in cap. *Ligneis, de conſecrat. Eccleſ. vel altar.* Difficultas autem eſt, quanta debeat eſſe fractura iſta, vt cenſeatur enormis? Aliqui cenſent tunc eſſe enormem fracturam, quando apparet deformitas. Hoſtienſ. Quod ſecundùm Hoſtienſem, apud Sylueſt. *v. Altare quæſt. 8.* Epiſcopi arbitrio determinandum eſt. Sylueſt. Hier. Rodr. Quod etiam docet Hieron. Rodriguez *in compend. reſol. 9 num. 10.* Alij, ſi fracta fuerit in cornibus, in quibus ſolet fieri conſecratio, vt refert idem Sylueſter. Alij, ſi ſit vltra medietatem, Suarez autem *in 3. p. tom. 3. diſp. 81. ſect. 5 verſ. Tertiò additur*, ait, tunc ſolùm deperdere conſecrationem, quando in neutra parte confracti lapidis poteſt commodè hoſtia & calix collocari. Suarez. Hanc ſententiam ſequuntur Fauſtus *lib. 2. de ſacrific. Miſſæ, quæſt. 21 2.* Fauſtus. Marchinus *de de Sacram. Ordin. tract. 3. de ſacrifi. Miſſæ cap. 12. num 2.* Marchinus.

Nihilominus poteſt tradi regula vniuerſalis, quòd tunc ſolùm fractura ſit enormis, quando deperditur forma altaris & tunc non ſit enormis, quando remanet. Quando autem permaneat forma altaris, vel deperdatur, morali æſtimatione penſandum eſt. Ratio eſt, quia remanente forma remanet altare; & pereunte perit: manente autem altari in ſuo eſſe, non poteſt fractura eſſe enormis, nec perire conſecratio, quæ annexa eſt altari, ſeu illi materiæ cum forma altaris.

2. Hinc iuxta hanc ſententiam, altare non amittit conſecrationem, ſi menſa frangatur in cornibus, etiamſi in ipſis fieri ſoleat conſecratio, dummodò non ſit in ipſis ſigillum ſepulchri: quia licet in ipſis fiat conſecratio, totum tamen altare conſecratur, & ipſis fractis adhuc forma altaris permanere poteſt. Ita Lugo *de Euchariſt. diſp. 20. ſect. 2. num. 74.* Lugo.

Inſuper colligitur, quòd ſi talis ſit fractura, vt altare appareat veluti dirutum, amittit conſecrationem, quia cum eſſe diruto non ſtat forma ipſius.

Non amitteret autem conſecrationem, ſi menſa in duas partes ſcindatur: dummodò tamen partes non ſeparentur ab inuicem localiter, & adhuc innitantur eidem inferiori ſtructuræ; quia tunc adhuc ſalua manet forma altaris: vnde poterit ſciſſura conglutinari aliquo lapideo glutine. Secus ſi ambæ partes, aut altera tantùm localiter moueatur, etiamſi quæ manet fixa, poſſit capere Calicem & Hoſtiam: quia tunc cenſetur altare ſemidirutum, & pars menſæ, quæ manet, non cenſetur amplius altare quod erat, ſed pars ipſius; pars autem non cenſetur moraliter eſſe totum, nec habere formam, quam prius habebat; licet enim altare non requirat formam; quando tamen cum ſpeciali fuit conſecratum, ea ablata, deſinit altare. Ita Paſqualigus *in deciſ. moral deciſ. 44.* Paſqualigus.

3. Quorumdam antiquorum Doctorum ſententia fuit, in conſecratione Altaris, quando non ponuntur reliquiæ, debere poni Corpus Chriſti ſub Euchariſtia. Ita Gloſſa *in c. Placuit, verb. Reliquia, de conſecrat. diſtinct. 1.* Durandus *lib. 1. Rational. cap. 7. num. 23.* & alij. Negatiua tamen ſententia tenenda eſt. Ratio eſt, quia peruerteretur vſus Sacramenti: eſt enim ordinatum per modum cibi, vt ſcilicet ſit noſter cibus ſpiritualis: vnde Chriſtus dixit, *Accipite & edite ex hoc omnes*, vt refert etiam *in cap. Panis 2. de conſecrat. diſt. 2.* Quòd ſi conſeruatur ſolùm conſeruari debet pro infirmis, aut alia de cauſa neceſſaria ex *cap. vnico de conſecr. Euchar.* & proinde non debet verti in alios vſus, cùm debeamus vti rebus & præſertim Sacramentis ad vſum deſtinatum. Deinde eſſet exponere manifeſtæ corruptioni ipſum Sacramentum, quod eſt contra reuerentiam ipſi debitam. Conſuetudo autem antiquorum, ſi quæ fuit, abolita eſt, & ideò hodie non liceret ponere Corpus Chriſti in conſecratione altaris, etiamſi reliquiæ deficerent. Et Hoſtienſis *in Summ. de conſecrat. Eccleſ. vel Altar. §. Et qualiter 1. verb. Dicunt etiam*, ait Innocent. Papam de hoc conſultum, adhibuiſſe peritos, & reſpondiſſe, non licere. Ita etiam ſentiunt Sylueſter *verb. Altare, num. 4.* Suarez *3. part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 5. verſ. Tertio additur ſine.* Lugo *diſp. 20. de Euchar. ſect. 2. num. 75.* Gloſſa. Durand. Hoſtienſ. Sylueſt. Suarez. Lugo.

4 Altare poteſt conſecrari in quolibet die etiam non feſto, argum. ex *cap. Tua, de conſecrat. Eccleſ. vel Altar.* vbi dicitur, quod in quolibet die poteſt conſecrari Eccleſia etiam non feſto. Si igitur Eccleſia poteſt conſecrari in die non feſto, multò magis poterit Altare. Ratio eſt, quia opus bonum & ordinatum in cultum Dei eſt licitum quocumque tempore, niſi per ius politiuum determinetur ex rationabili cauſa ad certum tempus. Conſecratio autem altaris eſt operatio bona ordinata ad cultum Dei, & non adeſt aliquod ius politiuum, quod ipſam limitet ad certos dies: ergo.

Sed petes, an poſſit conſecrari altare etiam in tribus

tribus vltimis ferijs hebdomadæ maioris? Reſpondeo negatiuè, quia licet non adſit expreſſa prohibitio; implicitè tamen prohibetur: quatenus Eccleſia taxatiuè ſe habet in præſcribendis functionibus & officio illorum dierum; vnde ex vi taxationis excluduntur omnia alia quæ non ſunt neceſſaria. Imò peccaret mortaliter, qui conſecraret in illis diebus: quia in re graui faceret contra prohibitionem implicitam Eccleſiæ.

Similiter dicendum eſt non eſſe licitam talem conſecrationem in maximis ſolemnitatibus, nempe Paſchatis, Pentecoſtes, ipſo primo die Natalis Domini & Epiphaniæ, quia licet non adſit aliqua prohibitio expreſſa, magnitudo tamen ſolemnitatis exigit, vt ſoli ipſi Eccleſia incumbat, nec abſque neceſſitate aliud admittat: & conſuetudo ita hanc exigentiam interpretatur: nam cætera differri ſolent in alium diem.

5. Quidam Doctores arbitrantur altare portatile non poſſe conſtare ex duobus lapidibus vel ſeparabilibus, vel qui claudi poſſint & aperiri ad inſtar libri, ſecluſa licentia ſummi Pontificis Ratio eſt, quia eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ. Ita Sylueſter *citatus in tom. 1. noſtræ Summa verb. Altare num. 1. §. Aliud dubium*, cum Lezana, quibus adde Vaſquez *3. p diſp. 233. num. 16.* Fagundez *lib. 3. de 1. præcept. Eccleſ. cap. 22 num. 9.* Lugo *diſp. 20. de Euchar. ſect. 2. num 67. in fine.* Sylueſt. Lezana. Vaſquez. Eagund. Lugo.

Non deſunt nihilominus rationes, quibus id fieri poſſe probetur. *Primò*, quia vnitas quæ requiritur in altari, non eſt neceſſe quòd ſit vnitas naturalis lapidis; ſed ſufficit quod ſit vnitas artificialis, & quod moraliter cẽſeatur vnum, quia altare eſt quid artificiatum. Vnde non requirit aliam vnitatem, quàm artificialem; ſaluatur autem vnitas artificialis, etiamſi conſtet ex duobus lapidibus quocumque modo ad inuicem connexis; nam connexio facit, quod ſe habeant per modum vnius. Et cum nulla adſit prohibitio non eſt cenſendùm illicitum: quia in ijs, quæ natura ſua mala non ſunt, non eſt illicitum, niſi quod eſt prohibitum.

Hinc fit, quod poſſit altare portatile confici ex duobus lapidibus inſertis in duabus tabulis ligneis quæ claudi & aperiri poſſint inſtar libri: ſi tamen, quando aperiuntur, remaneant lapides contigui: quia tunc lapides illi coniunguntur in capſula lignea: quod ſufficit, vt ſe habeant per modum vnius, & conſtituant vnicum altare: ſiue coniungantur per ſeipſos aliquo nexu, ſiue ferreo, ſiue ex alia materia.

Secundò. Quòd poſſit confici altare ex duobus lapidibus, qui ita coniungantur, vt poſſint inuicem ſeparari ad libitum, Ratio eſt, quia adhuc ratione coniunctionis ſunt vnum, nec amittunt per ſeparationem, conſecrationem: quia altare conſecratur cum illa mobilitate & ſeparabilitate partium, quæ includitur in ipſa forma altaris. Sic etiam calix poteſt conſtare ex duplici parte, ſuperiori & inferiori: ita vt vna ſit ſeparabilis ab alia, & coniungantur opere tornatili, aut aliquo alio modo: nec tamen per hoc tollitur, quin ſit vnus.

Ad rationes autem contrariæ ſententiæ poſſet reſponderi *Primò*. Non obſtare conſuetudinem conficiendi altare portatile ex vnico tantùm lapide: quia non eſt conſuetudo obligatiua. Nec ſemper facere contra conſuetudinem eſt illicitum: ſed tunc ſolùm, quando conſuetudo habet vim legis, ſecus autem quando eſt mera conſuetudo, qualis eſt iſta; non enim eſt fundata in aliquo dictamine rationis, quòd ſit neceſſarium ita facere.

Secundò poteſt dici non eſſe contra myſterium: quia cùm adhuc altare ſit vnum, etiamſi lapides ſint plures, adhuc ſignificat Chriſtum, vt vnam perſonam. Non enim oportet, vt in ſignificatiuo ſit illa vnitas, quæ eſt in ſignificato; ſed ſufficit, quod ſignificatiuum ſit vnum in ſignificando; quod erit cum quacumque vnitate in eſſe materiali. Vnde falſum eſt, quòd idem ſit, ac ſi conſecraretur corpus Chriſti in vna Eccleſia, & in alia ſanguis, Saluo, &c.

6. Altare portatile amittit conſecrationem, quando aut mouetur, vel frangitur ſepulchrum: aut quando ipſum enormiter frangitur, ita vt amittat formam, vt eſſet, ſi non poſſet quod ſupereſt commodè capere hoſtiam & calicem. Ita tradunt communiter Doctores. Item amittit conſecrationem, ſi lapis remoueatur à ligno, quando ſepulchrum non eſt in lapide ſed in ligno.

Difficultas eſt, an quando ſepulchrum non eſt in ligno, ſed in lapide? Affirmatiuè reſpondent plures Doctores, cum hac tamen limitatione, quando ſcilicet lapis eſt ita paruus, vt non poſſit capere commodè calicem cum hoſtia. Ratio illorum eſt, quia lapis non conſecratur, niſi vt affixus alicui tabulæ in qua eſt vt in proprio loco; vnde hoc altare accipit formam à ligno, & remoto lapide à ligno, perit forma altaris.

Negatiua tamen ſententia omninò tenenda eſt, Ratio eſt, quia execratio altaris eſt de iure politiuo; vnde non eſt aſſerenda, quando ius ipſam non tradit; nullum autem ius tradit, quòd altare portatile execretur, quando lapis remouetur à ligno: imò apertè colligitur ex iure politiuo non execrari. Quia ex *cap. Altaria de conſecrat. diſt. 1.* habetur, quòd altaria non poſſunt conſtare ex ligno, vnde in altari portatili pars lignea non eſt pars illius altaris: atque adeò remoto lapide à ligno, non tollitur aliquid quod ſit de ſubſtantia altaris: vnde etiam quando conſecratur, ſolus lapis conſecratur, ita vt tota conſecratio ſit in ipſo. Hinc patet reſponſio ad rationem oppoſitæ ſententiæ. Ita Sylueſter *verb. Altare q. 9.* Suarez *cap. diſp 81. ſect. 5.* Lugo *diſp. 20. de Euchar. ſect. 2. num. 70.* Hieron. Rodriquez *in compend. reſol. 9. num. 10.* Sylueſter. Suarez. Lugo. Hier. Rodr.

7. Veterum Canoniſtarum ſententia fuit altare portatile amittere conſecrationem, ſi frangatur in quatuor cornibus in quibus conſecratur: quia cenſebant talem fracturam eſſe enormem: eo quòd eſſet in illis partibus, in quibus fit conſecratio. Huius ſententiæ eſt etiam Bonacina *diſp 4. de Euchariſt. queſt. vlt. punct. 9. num. 15.* Verior tamen eſt ſententia negatiua, dummodo lapis, qui remanet, ſit tantæ quantitatis, vt poſſit commodè capere Calicem & Hoſtiam. Ratio eſt, quia in conſecratione totus lapis conſecratur, quamuis vnctiones fiant tantùm in angulis: vnde tam vna pars, quam alia eodem modo manet conſecrata. Deinde hoc altare non requirit certam formam, ſed ſolùm quòd lapis ſit planus, ita vt poſſit capere Calicem & Hoſtiam: ſi igitur frangatur in cornibus, adhuc lapis ille erit ſacer: & cùm poſſit capere Calicem & Hoſtiam, poterit adhiberi in vſu ſacrificij. Ita Suarez *cit. diſp. 81. ſect. 5. verſ. Tertiò additur.* Portel. *in dub. regul. verb. Altare num. 4.* Bonacina. Suarez. Portel.

8. Regulares miſſionarij poſſunt vti altari portatili in quolibet decenti loco. Vnde poſſunt vti in caſtris militum, in publicis vijs, plateis, &c dummodo tamen locus ſit totus, nec adſit vllum periculum irreuerentiæ. Ita Hieronym. Rodriquez *in compend. reſolut. 9. num. 5.* Lezana *in ſum. tom. 1. cap. 21. num. 14.* Peirynus *tom. 1. Priuileg in Conſtit. Pyrrhi num. 28.* & alij citati *tom 1 noſtra Summa verb. Miſſa IV. num. 1. verſ. Ad tollendum.* Id etiam valet quoad regulares, qui participant priuilegia aliorum Hieronym. Rodrig. Lezana. Peirynus.

aliorum regularium: id enim conceſſum fuit à
Paulus III. Paulo III. Societati IESV 15. Kalend. Nouemb. 1549 & innouatum à Gregorio XIII. Non obſtante Concil. Trid.
Conc. Trid. *ſeſſ. 22. Decret. de obſeruand. & vitand. in celebrat. Miſſæ.* Anno ſui Pontificatus octauo die 1. Octobris anno 1573. Speciali diplomate quod incipit *vſus Altaris portatilis.* Ex quo fit, quòd in ordine ad hoc ceſſet Authoritas Epiſcoporum, quam habent excitato Decreto Concil. Trident. quo tribuitur facultas impediendi regulares, ne celebrent in altari portatili: cùm enim Pontifex tali decreto deroget in ordine ad miſſionarios, ceſſat etiam auctoritas collata per Decretum.

9. Epiſcopi vti poſſunt altari portatili *ex cap. Quoniam Epiſcopi, de priuileg. in 6.* Debet tamen talis vſus in aliqua rationabili cauſa fundari, vt ex eodem textu colligitur: quia ſupponit Pontifex, quòd non poſſint commodè Eccleſiam adire. Et hoc habet locum non ſolùm quando ipſe Epiſcopus celebrat, ſed etiam quando coram ſe facit celebrare. Tridentinum autem non ſolùm intendit tollere abuſus; reſpectu autem Epiſcoporum non eſt abuſus talis vſus. Deinde cùm hoc priuilegium Epiſcoporum ſit inſertum in corpore iuris, debuiſſet de ipſo fieri ſpecialis mentio, vt reuocaretur. Imò poteſt Epiſcopus deputare Capellam in proprio palatio, vbi celebret, vel celebrare faciat ad libitum; quia prohibentur tantùm oratoria priuatarum domorum à Tridentino & Paulo V. Palatium autem Epiſcopi non eſt priuata domus. Ita
Marchinus. Lugo. Azorius. Marchinus *de Ordine part. 3. tract. 3, c. 9. num. 11.* Lugo *diſp. 20. de Euchar. ſect. 9. num. 49.* Azorius *tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæſt. 4.* aſſerens Sacram Congregationem ita declaraſſe anno 1586. & alij communiter.

10. Dubium eſt inter Doctores, an Epiſcopi extra propriam diœceſim vti poſſint altari portatili, aut coram ſe facere in ipſo celebrare abſque licentia Ordinarij illius loci? Negatiuam ſententiam quidam amplectuntur pro locis in quibus receptum eſt Concilium Tridentinum, quia in illo quilibet Epiſcopus in propria Diœceſi conſtituitur Delegatus Apoſtolicæ ſedis quò ad corrigenda ea, quæ ſunt contra decentiam celebrationis: quorum vnum cenſetur ab ipſo Concilio celebrare extra loca deputata, vnde ſi hoc prohibuit Epiſcopus, vt ſemper cenſetur prohibitum in executionem Tridentini, non poterit alius Epiſcopus ſine licentia
Nauarrus. Eman. Sá. ipſius vti altari portatili. Ita Nauarrus *lib. 5. conſil. 16. de priuileg. nu. 1. verſ. Secundò quod verius.* Sá, *verb. Epiſcopus num. 24.* Oppoſita tamen ſententia eſt tenenda. Quia priuilegium Epiſcoporum celebrandi in altari portatili, abſolutè, atque adeo tam in propria, quàm in aliena Diœceſi, eſt inſertum in corpore iuris: vnde habet vim legis ſtatuentis, quod conuenit Epiſcopis ratione ſtatus & dignitatis; & Decretum Tridentini poteſt habere ſuum effectum abſque derogatione huius priuilegij. Vnde cum de ipſo non fiat ſpecialis mentio, non cenſetur derogatum. Imò attendendo etiam mentem Concilij Tridentini, & finem, qui eſt tollere abuſus celebrandi in priuatis domibus, ita tenendum eſt. Vnde ablatio priuilegij ipſorum eſt extra menſuram finis Concilij, & proinde non admittenda.
Portel. Barboſa. Diana. Ita Portel. *part. 3. reſponſ. moral. caſu 20.* Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſcop. part. 2. allegat. 23.* Diana *part. 4 tract. 4. reſol. 15.* vide v. Indulgentia 2. *num. 7.* Miſſa 2. *num. 13. 14. 15.*

APPELLARE.

SVMMARIVM.

1 *Inter ſupplicationem & appellationem eſt differentia.*

2 *Appellare licet in vno tantùm caſu à ſententia Iudicis arbitrarij.*

3 *Grauatus iniuſtè licitè & ſine peccato ad iudicem ſuperiorem appellare poteſt.*

4 *Hodie decem dierum ſpatium damnato conceditur, à ſententia lata, ad appellandum, & ter tantum appellari poteſt.*

5 *Appellans cauſâ differenda vel repellenda iuſta ſententia, peccat mortaliter.*

6 *Quando ſententia eſt dubia, licitum eſt reo ad ſuperiorem appellare.*

7 *Appellatio debet fieri ad iudicem competentem & ſuo ordine.*

8 *Quando cauſa deciſa fuit per duos iudices, vnum laicum & alterum Eccleſiaſticum, appellatio debet fieri ad iudicem Eccleſiaſticum.*

9 *Non datur appellatio à ſententia Inquiſitorum contra hæreticos lata diffinitiuè: bene tamen à grauamine illato ante ſententiam; imò admitti debet appellatio à ſententia tortura.*

10 *Appellatio generalis ad iudicem competentem, intelligitur facta ad proximum ſuperiorem.*

11 *Verius eſt appellationem alternatiuè factam ad plures iudices, non eſſe vitioſam & inutilem.*

12 *Appellatio ab interlocutoria debet fieri in ſcriptis & continere debet grauamen & cauſam grauaminis; ſi regularis à Superiore grauatus timet Apoſtolos petere, poteſt ad Superiorem maiorem ſe transferre, etiam relicto habitu regulari.*

13 *Per appellationem ſubſequentem, ſuſpenſio ab officio & ingreſſu Eccleſiæ non ſuſpenditur; ſecus eſt de ſuſpenſione à beneficio.*
Verius eſt appellationem interpoſitam ſuſpendere ſententiam de reincidentia.

14 *Suſpenſio à voce actiua & paſſiua ſuſpenditur per appellationem ſubſequentem.*

15 *A lege generali emanata à legitimo conditore non appellatur; quamuis poſſit ab illa ſupplicari vt reuocetur, aut moderetur.*

16 *Attentis religionum priuilegijs non licet religioſis à ſententijs ſuorum ſuperiorum appellare, & maximè ad externos Prælatos extra ordinem.*

17 *Priuilegia denegantia religioſis appellationem vltra ius commune, hoc amplius continent, quod ea appellatio non ſuſpendat ita, quando exceſſus Prælatorum manifeſtus non fuerit.*

18 *Regula obſeruanda à religioſis, vt licitè poſſint recuſare Prælatum iudicem tanquam ſuſpectum.*

1. INter appellationem & ſupplicationem eſt differentia; quòd appellatio eſt ad iudicem Superiorem. Supplicatio autem eſt ad eundem iudicem, qui ſententiam tulit: quâ reus fatetur ſententiam contra ſe ſaltem iuſtam eſſe, ſupplicat tamen vt iterum videatur cauſa, ſi forte ſit locus miſericordiæ, aut moderationis ſententiæ.

2. In vno caſu licitum eſt à ſententia iudicis arbitrarij appellare, mirum quando eſſent plures iudices, puta tres electi, & duo eorum ferrent ſententiam renuente vel abſente tertio; tunc enim poſſet pars litigans ab illis duobus, ad alium iudicem ordinarium appellare, vt in *cap. ſane ex conſenſu 2. quæſt. 6.*

Digitized by Goog

quæſt. 6. habetur. Ceſſat enim tunc illa nota inconſtantiæ ex parte litigantis, quandoquidem non aliter cenſetur illis collata poteſtas ferendi ſententiam valide; à qua receſſi non poſſit, niſi in ea omnes conſentiant, & ad eam ferendam adſint. Quod intelligendum eſt, niſi litigantes ita inter ſe conſtituerint, vt ſententiam quoque à maiori parte illorum iudicum latam, ratam & validam haberent. In alijs autem caſibus ab arbitris appellari non poteſt, ſi partium conſenſu delecti fuerint, vt habetur in *cap. à iudicibus 2. quæſt.* 6. Cum enim arbiter authoritatem non habeat, niſi ex conſenſu litigantium, qui cùm eum elegerunt, compromiſerunt omnino ſententiæ eius ſtare iuſtæ, ad tollendum malum inconſtantiæ, & leuitatis animi in ipſis litigantibus, iure cautum eſt, ne poſſint à ſententia iudicis arbitri, cuius iudicio & iuſtitiæ confidentes
D. Thom. ſe priùs ſubiecerunt, appellare. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 69 *art.* 3. *ad ſecundum.*

3. Quotieſcumque quis ſe à iudice grauatum iniuſtè intelligit, licitè & abſque peccato ad iudicem ſuperiorem appellare poteſt: vt colligitur ex *cap. Omnis oppreſſus 2. quæſt.* 6. Id quod exemplo Apoſtoli Pauli confirmatur, qui *Cæſarem appellauit.* Act. 25. Ratio eſt, quia cùm ius naturale ſuadeat, vt vnuſquiſque ſeipſum meliori modo quo poſſit, defendat, conſequenter reus iniuſtè à iudice grauatus, cauſæque ſuæ iuſtæ confidens, ad iudicem ſuperiorem legitimum appellare poteſt, vt ſe hac via ab iniuſto grauamine ſaluet. Nec ſic appellando alicui facit iniuriam, cùm vtatur iure ſuo; & ſibi ipſi imputet iudex, à quo appellatur, cùm ei in hoc caſu obedire non teneatur. Vnde appellatio meritò defenſio & præſidium innocentiæ eſt, quòd etiam excommunicatis non negatur. *cap. cùm inter de except.*

4. Quamuis olim cùm maior eſſet inter homines charitas, reo tantum conceſſum eſſet biduum aut triduum, vt ſi vellet, appellare poſſet; *cap. Antiquorum, & cap. biduum 2. quæſt.* 6. Poſtea tamen conceſſum eſt tempus decem dierum ad appellandum. Quod ſanè tempus rationabiliter conſtitutum eſt, vt hoc temporis ſpatio reus ſecum deliberet, an appellare expediat, poſt quod tempus appellare non licet. Niſi enim tempus præfixum eſſet, numquam vlla ſententia iuſta executioni mandaretur, & in magnum detrimentum boni communis cederet, quod altera pars diutius ſuſpenſa maneret. Et quidem olim interdictum fuit ſuper eodem articulo tertio appellare *cap. directæ & cap. Tua nobis, de appellat.* Nunc autem vſus obtinuit, vt ter appellare liceat, treſque ſententiæ concordes expectentur, & non ſæpius: id quod optima ratione conceſſum eſt, vt ſi fortè reus nouam iuris aut facti probationem adinuenire poſſit, quam non potuit in tempore coram iudice inferiore proponere, hac ratione ſe defendat. Ita Sotus *lib. 5. de*
Sotus. *iuſtit. quæſt. 6. art. 3. ad tertium*, Salon 2. 2. *quæſt. 69.*
Salon. *art. 3.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt* 13. *punct. 3.* Quæ
Valentia. tres appellationes admittuntur ſolùm in articulo & cauſa præcipua, circa acceſſoria verò & minutiores partes litis, quas legiſtæ intermedia vocant, licet quidem ab eodem iudice poſtulare vt iterum videat, attentiuſque conſideret, non tamen appellare, quia aliter numquam vel vnus litis terminus haberetur.

5. Quando quis appellat cauſâ vel differendæ, vel repellendæ iuſtæ ſententiæ, calumnioſe ſe defendens, peccat mortaliter. Colligitur ex *cap. Quicumque & cap. omnino 2. quæſt.* 6. vbi ſtatuitur, vt tales appellationes non admittantur, & vt ſic ap-
D. Thom. pellantes puniuntur. Ita docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 3. communiter receptus. Ratio eſt, quia violat obedientiam iudici debitam, imò iniuriam ei facit, quaſi in hac re falſam tulerit ſententiam: teſtibus etiam falſum imponit, & denique iniuriam facit aduerſario perturbando illius iuſtitiam, & proinde ad reſtitutionem totius damni, quod patitur & ipſe iudex & pars contraria, nec non expenſarum litis tenetur, vt in *cap. omninò citato* habetur & tradunt communiter Doctores poſt D. Thomam. Quod intelligendum eſt quando appellat à ſententia, quæ omni ex parte ſcitur eſſe iuſta.

6. Quando ſententia eſt dubia iudicio prudentum, id eſt, iudicis & patronorum, & partium, in cauſa criminali & capitali, licitum eſt reo ad ſuperiorem iudicem appellare. Ratio eſt, quia ex ſtante opinionum varietate, dummodo probabiles ſint, debet iudex in rei fauorem inclinare, *arg. Reg. cùm ſunt, de reg. iur. in 6.* Quòd ſi non fecerit, iam eſt in tali iudice aliqua impietas, & iuſtam cauſam habet Reus ad appellandum.

In cauſa verò ciuili, ſi opinio quam ſecutus eſt iudex inferior ſit minus probabilis, licitum eſt appellare. Quia licet iudex licitè ſequi poſſit opinionem probabilem relicta probabiliori circa ius, in re tamen facti ſequi tenetur probabiliorem. Vnde reus in tali caſu non appellat ex confidentia iuſtæ cauſæ neque imponit falſum crimen iudici inferiori, ſed tantùm obijcit ſe quòd ſecutus eſt opinionem minus probabilem circa ius, & quòd hoc examinare intendit in ſuperiori tribunali.

Si opiniones ſint æquè probabiles circa ius, & nullus ſit in poſſeſſione poterit etiam condemnatus ſuperiorem iudicem appellare, quia neque in hoc caſu imponit iudici falſum, ſed vtitur priuilegio iuris in ſuum fauorem, cùm res ſit dubia, & iudex ſuperior iuſte ſibi fauere poſſit. Quinimò allegare poteſt aliam opinionem eſſe probabilem, & cùm in tali caſu res ex æquo diuidenda ſit, allegare pro ſe poteſt, ſibi aliquo modo factam eſſe iniuriam, ſi aliter iudicatum fuerit

Si iudex inferior iudicauit ſecundum opinionem communem & probabiliorem & ſuperior amplectitur minus probabilem, & hoc contra reo, videtur non eſſe licitum appellare. Ratio eſt, quia in dubijs probabilior opinio videtur æquior, vnde ſic appellans iniuriam facit iudici, qui rectè munus ſuum exercuit, alteriuſque partis iuſtitiam abſque cauſa iuſta perturbat. De his vide Sotum *lib. 5. de* Sotus.
iuſtit. quæſt. 6 art. 3. Salon. 2. 2. *quæſt 69. art. 3.* Ar- Salon.
ragon, Banes *eadem.* Clauem Regiam *lib. 12. c. 17.* Arragon.
num 35. Dianam *part. 3. tract. 5. reſol.* 104. qui do- Banes.
cet iuſtam eſſe appellationem ad ſuperiorem qui Clauis Re-
iudicaturus eſt ſecundum opinionem minus pro- gia.
babilem, nam iudex appellationis ferre poteſt ſen- Diana.
tentiam & quidem iuſte ſecundum opinionem minus probabilem. Et hanc ſententiam ampiexati ſumus in *tom. 1 noſtræ Summæ verb. Appellare num. 7.*

7. Appellatio debet fieri ad iudicem competentem & ſuo ordine: vnde omnis appellatio à iudice Eccleſiaſtico ad iudicem laicum eſt illicita, quia is non eſt competens. Quod intelligendum eſt etiam de rescripto ſeu Apoſtolis teſtificatibus de appellatione facta coram iudice Eccleſiaſtico ad Papam, & impedientibus ne interim reus moleſtetur, quæ appellatur tuitiua appellatio, in regno Portugalliæ concedi ſolita. Nam huiuſmodi appellatio offendit libertatem Eccleſiaſticam, & illam reprobare videtur Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 5 de reform.* Et praxis Curiæ Romanæ, quæ Candelabrum aureum Vitaldi, quod eum alijs hanc appellationem defenderet, ſuſpendit: Et in caſu, in quo conceduntur

ſupradictæ

ſupradictæ appellationes, poteſt clericus vel laicus oppreſſus recurrere pro remedio obtinendo ad Iudicem Eccleſiaſticum competentem, vt Canones iubent, & non ad iudices ſæculares incompetentes, quod prohibent. Ita Diana *part.1.tracta.2.reſol.* 103. Diana.

8 Quando cauſa deciſa fuit per duos iudices, vnum laicum & alium Eccleſiaſticum, appellatio facienda eſt coram Iudice Eccleſiaſtico, quia dignior trahit ad ſe minus dignum, & cùm in dicta appellatione agatur de actu ipſorum iudicum arbitrorum, quorum Iudex non poteſt eſſe laicus, dicendum eſt appellationem interponendam eſſe coram Eccleſiaſtico. Ita Felinus *cap. 1. de præſcript. num.6.* Bonacina *in Bulla cœnæ diſp.1. queſt. 16 ſect. 1. punct.5. num.2* & alij apud ipſum citati. Quidquid in contrarium aſſerat Couar. 2. *Variar. cap. 12. in principio.* Felinus, Bonacina, Couar.

9. Appellatio à ſententia Inquiſitorum lata contra hæreticos eorumque credentes, fautores, defenſores & receptatores non datur, vt patet ex *cap. vt inquiſitionis de hæret. in 6.* & ſicut hæreticus à ſententia contra ſe lata appellare non poteſt, ita nec etiam appellare poſſunt eius hæredes. Vnde hæc ſententia definitiua poteſt executioni demandari, etiam pendente termino decem dierum à iure communi ad appellandum dato. Verum licet hæreticus non poſſit appellare à ſententia diffinitiua, poteſt tamen appellare à grauamine illato ante diffinitiuam ſententiam, & ſic ab interlocutoria. Imò admitti debet appellatio rei à ſententia torturæ ex *l. 2. Cod. de appellat. recipiend.* & *l. penult. C. quorum appellat. non recipiuntur.* Niſi appellatio eſſet friuola & calumnioſa: nam in tali caſu poteſt reijci & ea non obſtante ad vlteriora procedi abſque attentatorum vitio. Appellationem autem friuolam & calumnioſam iudex arbitrabitur, quando videbit in proceſſu apparere legitima ad torquendum indicia, & ea non fuiſſe purgata in termino conceſſo ad defendum: quæ omnia procedunt, quando conſtat clarè de calumnia appellationis: Secus autem quando eſt dubium tam iuris quàm facti, nam tunc iudex debet ſuperſedere in tortura & expectare quid ſuper appellatione pronuntiet iudex ad quem appellatum eſt. Ita Sanchez *in opuſc. tom.2. lib.6 cap.3. dub.15.* Miranda *in ordine iudic tom.1. queſt 16. art.15.conc.2.* Menochius *de arbitr. l.b.2. cap.197.* Sanchez, Miranda, Menoch.

Quando autem hæreticis licitum eſt appellare, appellatio defertur ad Papam: In tribunali verò S. Inquiſitionis Hiſpan. vbi ex priuilegio Apoſtolico, appellatio defertur ad ſupremum Inquiſitorem, & ſi grauamen ſit illatum ab Epiſcopo, poſſunt laici appellare ad Metropolitanum, non autem exempti. Nam in cauſis exemptorum quoad hæreſes Epiſcopus procedit non tanquam iudex ordinarius, ſed delegatus, & ideò appellatio deferenda eſt Summo Pontifici. Vide *cap. ad abolendam*, §. *ſi qui verò. de hæret. in 6.* Simancham *in Catholic. inſtitut tit. 25.* Dianam *part.4. tract 6. reſol.20.* & *tract.8. reſ.20.* & 32. apud quem plura. Simanchas, Diana.

10. In vſu iuris Pontificij non eſt inutilis appellatio generalis facta ſimpliciter ad iudicem competentem: nam quamuis omiſſo medio ad Papam, eiuſve legatum appellari poſſit, voluntas appellantis in dubio eſſe non cenſetur, ſed potius præſumendum eſt appellationem ad proximum ſuperiorem iudicem factam fuiſſe, in dubio enim iure communi potius, quàm priuilegio vti præſumitur. *L. eius §. militia, ff. de milit. teſtament. L. in teſtamento, C. de teſtam. milit.* Vnde qui appellat verbis generalibus ad iudicem competentem, proximè ſuperiorem debet adire, non verò maiorem omiſſo medio, etiamſi ad illum prouocare poſſet. Ita Decius *in cap. conſulvit, numero 4. & 5. de appellat.* Diana *parte quinta, tractatu 10. reſolutione* 18. Decius. Diana.

11. Appellatio alternatiuè facta ad plures iudices competentes, verbi gratia, Appello ad Archiepiſcopum, vel ad Papam; aut appello ad quem iure poſſum & debeo, aut coniunctiua oratione, Appello ad hunc & ad illum, multi eo caſu incertam & ſimul vitioſam appellationem eſſe exiſtimant. Panormitanus autem ait, quòd ſi iudici competenti alius incompetens per alternationem adijcitur, appellatio non eſt vitioſa. Si vero vterque iudex appellatus æquè competens ſit, aliqui dicunt appellationem eſſe inutilem ex incertitudine orta inter iudices. *L. prætor §. quod autem, ff. de teſtamentaria tutela.* Verius tamen eſt, huiuſmodi alternatiuam appellationem non adeò eſſe inutilem, vt pro non ſcripta habeatur, nam vitium incertitudinis, quod in alternatione latet, poterit ab appellante ſequente declaratione purgari: verbi gratia, ſi appellans vnum ex alternatis iudicibus elegerit, dum tamen talis declaratio, aut electio facta fuerit durante termino ad appellandum deſignato, videlicet intra 10. aut 5. dies à tempore ſententiæ. *L. final. C. de tempor. appellat.* Ita Diana *part.5. tract.10. reſolution.10* citans pro hac ſententia Magrouiejo *tom. 1. in cap. cùm conſulut. num. 9. & 10. de appellation.* Diana. Magrouiejo.

12. Appellatio ab interlocutoria, ſiue à grauamine, quo reus ſe grauari dicit, debet fieri in ſcriptis, & continere debet duo, id eſt, grauamen à quo appellatur, ex *cap. cùm ſit Romana, extra de appellat.* alterum eſt cauſa grauaminis & non ſufficit illa in genere, ſed ſpecificè erit explicanda: aliter appellatio non valeret. Ita Pegna *in director. Inquiſit. part. 3. comment.31. num. 121.* Intellige niſi iuſta cauſa hæc impediat, vt ſi regularis à ſuperiore grauatus timeret Apoſtolos petere & literas appellationis præſentare. Nam non eſt petendus conſenſus ab eo qui vexat iniquè, vel de cuius culpa corrigenda & emendanda curatur. Igitur poteſt ſe ad ſuperiorem transferre, quæ appellatio dicitur arrepto itinere & ſine ſcripto; neque hoc intendit prohibere Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 4. de regular.* vt docent Doctores citati *tom.1. noſtræ Summæ verb. Appellare num 9. §. Dubitare*, & *verb. Religio VI. num.* 15. Imò in tali caſu ſi religioſus ferendo habitum Religionis timeret detegi & comprehendi à Prælato iniuſtè grauante, poſſet habitum dimittere donec tutò accedat ad Prælatum, ad quem appellauit; quia portare habitum Ordinis eſt præceptum humanum, at præceptum humanum non obligat cum tanto periculo famæ, carceris, & iniuſti grauaminis certò moraliter ſperati. Tum quia neceſſitas, quæ talem religioſum facit iuſtè, id eſt, ſine peccato exire à conuentu abſque licentia Prælati localis, eadem ſufficit vt poſſit deponere habitum Ordinis vrgente eodem periculo & neceſſitate. Ita Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Habitus num.3.* Pegna. Conc. Trid. Portel.

13. Per appellationem ſubſequentem, ſuſpenſio ab officio & ingreſſu Eccleſiæ non ſuſpenditur: quia ſecum executionem defert, vt patet ex *cap. in cauſ. de ſentent. excomm. in 6.* ſecus eſt de ſuſpenſione à beneficio, quod ex eodem cap. colligitur: nam cùm ibidem ſingulariter dicatur ſuſpenſionem ab officio & ingreſſu Eccleſiæ non ſuſpendi per appellationem ſubſequentem, contrarium innuitur de alijs ſuſpenſionibus. Ita Coninck. *de Sacram. diſp.4. dub 4. num.29.* Auila *part.3. diſp.3. dub.4.* Imò appellatio nequit impedire denunciationem cenſuræ iam latæ & in- Coninck. Auila.

& incurſæ, vt definitur *in cap. Paſtoralis, de appellat.* quia denunciatio eſt quid acceſſorium cenſuræ, ac proinde eam ſequitur. Ita Hurtadus *de cenſur. in communi, diſſic. 25. num. 110.* An autem ſublata ab Epiſcopo ſuſpenſione vel interdicto ad reincidentiam; ſi detur interim appellatio, ſuſpendat ſententiam ne poſtea dictæ cenſuræ contrahantur, dicendum eſt probabile eſſe appellationem interpoſitam non ſuſpendere ſententiam de reincidentia: verius tamen eſſe contrarium. Ratio eſt, quia Epiſcopus nunquam poteſt tollere ſuam cenſuram, niſi illam penitus tollat: quare ſi appelletur, & iuſta ſit appellatio, cenſura remanebit ſuſpenſa. Quare ſi ſuſpendat ſententiam, illam prorſus extinguit. Vnde ſi poſtea ſuſpenſus appellet, talis appellatio habet vim, ne ſuperior poſſit iterum ferre cenſuram, niſi antea cognoſcatur de appellatione. Ita Alterius *de cenſur. tom. 2. diſp. 3, cap. 2.* Bonacina *de cenſur. diſp. 3 punct. 1. num. 4.* Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 17.*

Gaſp. Hurt.

Alterius. Bonacina. Diana.

14. Suſpenſio à voce actiua & paſſiua ſuſpenditur per appellationem ſubſequentem: vnde ſi poſt appellationem ſuſpenſus eligat, vel eligatur, electio erit valida. Quod maximè debent aduertere regulares in ſimilibus appellationibus à priuatione vocis actiuæ & paſſiuæ, quæ apud illos aliquando ſolet fieri in Capitulis & Congregationibus. Hæc autem appellatio non ſolùm poteſt interponi contra ſententiam latam à iudice præcedente proceſſu iuridico: ſed etiam poterit interponi contra mandatum quoduis Superioris iniuſtum & grauans, non præcedente proceſſu. Poteſt etiam quis appellare contra electionem ne fiat indebitè ſi ſit de corpore Capituli: vt ſi præſes electionis omiſit vocare illos, quos vocare tenebatur, vel ſi omittat aliquam ſolemnitatem ſubſtantialem iuris, poterit tunc appellari vel à nocumento proprio ſibi ſperato vel inferendo contra bonum commune. Prima appellatio contra ſententiam latam in iudicio, dicitur appellatio iudicialis. Secunda appellatio facta à mandato grauante, dicitur appellatio extraiudicialis. Vide de Rodriguez *tomo primo, quæſtionum regularium, quæſtione 29. artic. 5.* Mirandam *de ordin. iudic. quæſt. 30. artic. 2.* Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. Appellare, num. 1.*

Diana Magnus

Pegna

Rodrig. Miranda. Portell.

15. A lege generali emanata à legitimo conditore in bonum publicum, ſeu commune, non licet appellare, quamuis poſſit ab illa ſupplicari, vt reuocetur, aut moderetur: interim tamen non poteſt ſuſpendi eius executio ab inferiore interpoſita appellatione: nam reuera hoc appellatio eſt, & ſuſpenſio executionis in hoc caſu eſt effectus ipſius appellationis, quæ non permittitur, niſi ob grauamen, grauamen autem legis vniuerſalis non eſt grauamen. Secus dicendum in reſcripto, cuius executio ſuſpenditur interpoſita ſupplicatione, quia tangit ius priuatum. Ita Rodriguez *tomo primo, quæſtionum regul. quæſt. 6. artic. 7. §. dico ſecundo*, Robuſſus *in l. Scaeuola. §. ſi qua pœna, ff. de verb. ſignificat.*

Conc. Ili

Rodrig. Rebuffus.

Portel.

16. Attentis Religionum priuilegijs non licet religioſis à ſententijs ſuorum Prælatorum & correctionibus appellare. Bonifacius enim VIII. ſtatuit non licere Fratribus Minoribus à correctionibus Prælatorum eiuſdem Ordinis aliquatenus appellare. Sixtus IV. conceſſit Auguſtinianis, & Carmelitanis, vt Generalis eorum poſſit ſuum munus obire, reiecta quauis appellatione ab eius præceptis, monitionibus, ordinationibus & mandatis, ac decretis: vt refert Sorbus *in Compend. priuileg. mendic. verb. Appellare, numero primo*, & *verb. Generalis, numero vndecimo & duodecimo.* Iulius II. prohibuit ſub pœna excommunicationis Fratribus & Sororibus Ordinis Prædicatorum appellare à mandatis & ordinationibus Prælatorum dicti Ordinis, Sorbus *ibid. verb. Appellare, numero tertio.* Paulus III. conceſſit Societati IESV, vt non liceat à correctione regulæ ſecundùm ordinationes eius factæ appellare, nec poſſe per quemuis Iudicem appellationem admitti. Ita habetur *in Compend. priuileg. Societatis, verb. Appellatio, §. 1. & §. 2.* habetur, per priuilegium conceſſum Canonicis Sancti Saluatoris, nullos è Societate IESV poſſe appellare ad quemcumque, etiam ad Pontificem, niſi de ſpeciali eius licentia, ab inſtitutis, ordinationibus, correctionibus & mandatis Congregationis Generalis, aut Præpoſiti Generalis, aut aliorum Superiorum, & appellationes & inde ſequuta fore irrita. Item per priuilegium Ciſtercienſibus conceſſum non licere appellare in Societate IESV ſub excommunicatione lata ipſi Pontifici reſeruata, à reformationibus, ſeu correctionibus Præpoſiti Generalis, aut viſitatorum quos ipſe deputauerit, niſi à Generali Congregatione, & in caſu denegatæ iuſtitiæ, aut pro notoria iniuria.

Iulius II.

Paulus III.

Compend. Soc. IESV.

Quæ quidem priuilegia meritò ac iure optimo Religionibus conceſſa ſunt, vt ab eis appellandi vſus excludatur, maximè ad externos Prælatos, vt ad Nuncium & Pontificem. Ratio eſt, ob bonum & tranquillitatem, ac honorem Religionum, quæ in ſimplici quadam obedientia conſiſtunt, nec modicum hæc detrimentum patiuntur, quando religioſorum cauſæ extra priuatos parietes tractantur, ad Iudiceſque externos deferuntur. Ita Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 6. art. 3* Clauis Regia *lib. 12. cap. 17. num. 41. & 42.* Rodriguez *de ordine iudiciali, c. 13. num. vltim. & tom. 1. 99. regul. 29. artic. 3.* & alij. Quare ſolam appellationem ad Prælatos externos videntur prædicti Doctores reprobare: neque enim Religionum decus, ac tranquillitas tantum detrimenti patitur, cauſis ad eiuſdem Religionis ſuperiores delatis. Imò appellatio hæc ad ſuperiores eiuſdem Ordinis religioſis permiſſa eſt, ac ipſis non auferentibus grauamen, ad ſuperiores externos: vt diximus *tom. 1. noſtra ſum. v. Appellare, num. 9.*

Sotus. Clauis Regia. Rodrig.

17. Quamuis priuilegia & conſtitutiones denegantia religioſis appellationem, intelligenda ſint eo modo quo ius commune eam denegans, intelligendum venit: quia eodem tenore, eademque verborum forma, & eadem vitandæ Religionum perturbationis ratione, ius commune & Conſtitutiones priuilegiaque appellationem hanc interdixerunt: vt docent Nauarrus, Azorius, Rodriguez, & Clauis regia: Nihilominus Sanchez *lib. 6. moral. cap. 8. num. 110.* exiſtimat aliquid amplius continere priuilegia hæc & Conſtitutiones: nam attento iure communi, non ſolùm conceditur appellatio, quando grauamen eſt certum, ſed etiam quãdo eſt dubium, & ſolùm denegatur quando apertè conſtat nullum eſſe grauamen, vt conſtat ex *c. Cùm ſpeciali, § porrò, de appellat.* & ibi tradunt Doctores ex Syluestro *verb. Appellatio, qu. 12, num. 15.* At priuilegia Religionum ipſarumque Conſtitutiones à Pontifice approbatæ, dum religioſis appellare interdicunt, hoc amplius continent, nempe vt ipſis appellare non permittatur, nec ea appellatio ſuſpendat ius, quando exceſſus Prælatorum manifeſtus non fuerit: hoc enim pax, ſimplicitas, & obedientia religioſorum poſtulat; quæ bona dicta priuilegia & Conſtitutiones ſpectant. Quando autem non eſt locus appellationi, poteſt ille religioſus

Sanchez.

Syluest.

cauſa querelæ ad ſuperiorem accedere. At hæc querela non ſuſpendit iuriſdictionem Prælati inferioris donec inhibeatur, vt bene docent Clauis regia *lib.*1 2. *cap.*1 7.*num.* 38. Rodriguez *tom.* 1.*qq. reg q.*29.*art.*2. Pellizzarius *in Man.reg.tract.*6.*cap* 7. *num.*43.

Clauis Regia. Rodrig. Pellizzarius.

Sed petes, quale tempus iure concedatur ad proſequendam appellationem? Reſpondeo, iure ciuili concedi duos menſes. *Authentic. de iudic.* §. *appellat. collat.*7. & *l.* 1. *Cod. de tem. appellat.* Iure verò Canonico dari vnum annum, imò & duos ex cauſa neceſſaria ac euidenti, *cap. Cùm ſit Romana, de appellat.* eſto iudex à quo appellatum fuit, iuxta locorum diſtantiam, & qualitatem perſonarum ac negotij, tale tempus moderari poſſit: vnde ſi appellans intra tale tempus non eſt proſecutus appellationem, ſi appellatum eſt à ſententia, ea tranſit in rem iudicatam: ſi verò ante ſententiam incepta lite, tenetur ſtare iudicio illius, ac ſi non appellaſſet: quòd ſi appellatio ſit à grauamine ante litis ingreſſum audietur appellatio, ſiue appellatione extraiudiciali, ſiue per viam querelæ.

Inſuper appellans tenetur de iure petere Apoſtolos infra 30 dies, iuxta *cap. Ab eo, de appellat. in* 6. idque à die ſcientiæ ſententiæ latæ, à quo die habuit facultatem appellandi: & ſi iudex requiſitus renuat eos dare, appellans debet id proteſtari, nec non redire pro illis infra terminum, quem iudex de ipſis expreſsè non reſpondendo dederit: alioqui ſi appellans non compareat infra terminum ſtatutum, appellatio manet deſerta: & hoc, licet iudex ea die non venerit ad locum; ſiquidem non curatur de præſentia Iudicis; ſed ſolùm attenditur diligentia appellantis.

Apoſtoli autem, de quibus hîc eſt ſermo, ſunt literæ teſtimoniales, teſtificantes, de facta appellatione: dicuntur enim Apoſtoli à verbo Græco, ἀφίεμαι, quod eſt, remitto. Ex Apoſtolis verò alij ſunt conuentionales, alij dimiſſorij, alij refutatorij: alij reuerentiales, ſeu reuerendi, & alij teſtimoniales. Ita Lexicùs *iuris ciuilis, v. Apoſtoli.* De quibus vide Sanchez *lib.*3.*conſil. cap. vnic.num.*118. *& ſequentibus.*

Sanchez.

18. Cùm recuſatio & appellatio in hoc æquiparentur, vt neutra abſque cauſa liceat apud regulares, quatenus recuſatio iudicis Prælati ſibi viti ſuſpecti impediret eorum correctionem, iuxta regularia inſtituta, pro regula ſit in hoc caſu obſeruanda.

Recuſans Prælatum vt ſuſpectum debet coram eodem Prælato allegare cauſas exceptionis, qui Prælatus ſi viderit cauſas eſſe friuolas & inanes, poterit per ſeiptum illas repellere & in cauſa procedere; habetur expreſsè *in cap. cum ſpeciali, de appellat.* iuncta ibi Gloſſa *verb. iuſta ſuſpicionis.* Si cauſa recuſationis ſit apparens & probabilis, & Prælatus ſit Ordinarius, vt Epiſcopus, Prouincialis, &c. poteſt talis Prælatus committere cauſam alicui perſonæ non ſuſpectæ, vel aliquibus iudicibus arbitris, qui cauſam illam iudicent. Si verò ſit iudex delegatus, non poteſt hæc duo facere ex ſuo imperio: ſed ex conſenſu partium litigantium aſſignante quaq; parte ſuum arbitrum, & ſic poterit iudicari an ſit cauſa ſufficiens recuſationis, qui ſi iudicent non eſſe ſufficientem; procedet iudex delegatus in cauſa commiſſa: ſi verò iudicent eſſe cauſam ſufficientem, ceſſabit delegatio. Et ratio diuerſitatis eſt, quia iudex ordinarius habet magis radicatam iuriſdictionem quàm delegatus. Habentur hæc duo *in cap. cum ſpeciali, de appellat.* & in Gloſſa, & quòd Prælatus ordinarius ſi ſit ſuſpectus, poſſit aſſignare alium iudicem non ſuſpectum, habetur *cap. ſi quis, de foro competent.* vel ipſa pars poteſt petere, vt aliquem ſibi aſſociet, per textus quos citat Gloſſa *in cap. cùm contingat, de foro competent. verb. vel conſuetudine.*

Gloſſa.

Aduertendum tamen eſt, quòd ſi ſubditus acceptauit litigare, vel fieri proceſſum aliquem iuridicum coram Prælato ordinario vel delegato, & poſt incœptum proceſſum, vult recuſare illum iudicem tanquam ſuſpectum, non poterit ad hoc allegare cauſas ſuſpicionis, quæ iam exiſtebant ante litem incœptam. Cùm enim iam has cauſas ille ſciuerit, & nihilominus coram illo litigare conſenſit, iam videtur illius cauſis renuntiaſſe. Si verò hæ cauſæ, vel aliqua illarum orta fuit poſt litem incœptam, tunc poterit illam allegare, & ſi fuerit ſufficiens, recuſabitur iudex. Si denique iam ante litem incœptam erat orta cauſa ſuſpicionis, vel recuſationis, & ipſe recuſans illam ignorabat: poterit, ſi id iurauerit, poſt litem incœptam illam allegare, priùs iurans quòd illam ignorabat ante litem incœptam, *cap. inſinuante, de offic. delegat.* & Felinus *in cap. Paſtoral.* Felinus. *n.*17.*de except.* & ibi Decius *n.*9. Couarruuias *in practic. cap.*16.*num.*2. *verſ. Sic & poſt concluſum.* Hæc omnia habet Portel. *in addit. ad Addit. verb. Appellare, num.*13.14.*&* 15. Decius. Couar.

Cæterum quando Prælatus valde ſuſpectus crederetur, ac exceſſurus ob paſſionem, poſſe tunc recuſari, ſicut & ab eo in hoc caſu poſſe appellari certum eſt. Dicta tamen recuſatio concedenda non eſt, niſi quando manifeſta eſt cauſa ſuſpicionis Prælati, cùm recuſatio & appellatio in iure æquiparentur, *cap. ſuper eo, tit* 2. *de appellat.* Sanchez *lib* 6. *moral. cap.* 8.*num.*111. Molina *tract.*5. *de inſtit. diſp.*23. apud quem plura. Sanchez. Molina. Portell.

Vide v. Legatus *num.*7. Viſitatio *nu.*12. Archiepiſcopus *num.*1.

APOSTASIA.

SVMMARIVM.

1 *Apoſtata Græcè idem eſt, qui Latinè deſertor, vel tranſfuga.*

2 *Tribus modis à fide poteſt quis eſſe Apoſtata: nempe, mente ſolâ; facto ſolo; & mente & facto ſimul.*

3 *Verius eſt Apoſtatam exteriorem, ſi verbis tantùm à fide deficiat non mente, in foro conſcientiæ non affici excommunicatione, licet in foro externo cenſeatur Apoſtata.*

4 *Recedens ab Ordine ſacro ex diſpenſatione Papæ; vel à Minoribus Ordinibus, non eſt Apoſtata ab ordine.*

5 *Nouitij à Religione fugientes non ſunt Apoſtatæ; neque mulieres, quæ vocantur Beatæ habitum deferentes; etiamſi bi omnes vota ſimplicia caſtitatis, obedientiæ & paupertatis emiſiſſent: In Societate tamen IESV poſt biennij vota, & ſi ſimplicia, appellantur Apoſtatæ.*

6 *Apoſtata non eſt religioſus, perpetuò carceri damnatus, ſi fugiat, quando illa pœna nullo iuris ordine ſeruato impoſita fuit, vel quando ſententia fundata eſſet in falſa præſumptione.*

7 *Prælati habent poteſtatem capiendi & incarcerandi ſuos Apoſtatas & fugitiuos, vbicumque ſint.*

8 *Apoſtata non eſt religioſus, qui ex licentia Prælati,*

Digitized by Google

lati, inſta exiſtente cauſâ, viuit extra Monaſterium.

9 *Bona acquiſita ab Apoſtatis extra clauſtrum degentibus & decedentibus, inuenta tempore mortis eorum, ſunt Cameræ Apoſtolicæ, deducto ære alieno & ſolutis debitis: non autem bona illorum, qui ad ſua Monaſteria reuertuntur, & quæ acquiſita ſunt contra virtutem ſpecialem iuſtitiæ.*

1. APoſtatæ nomen eſt Græcum, quo ſignificatur is, qui recedit ab inſtituto vitæ prioris, quod tuendum publica & ſolemni profeſſione ſuſceperat. Vnde Apoſtata Græcis idem eſt, qui Latinis deſertor, vel transfuga: is nimirum, qui à Principe, vel Duce ſuo ad hoſtes transfugit, qui à Chriſtianis ad Ethnicos, Iudæos, vel Saracenos ſe confert.

2. Tribus modis poteſt quis eſſe Apoſtata à fide. *Primò*, quando quis mente ſola recedit à fide Catholica: & hic iuris pœnas non contrahit, quia eſt peccatum internè tantùm patratum. *Secundò*, quando quis externè verbis & factis fidem Catholicam deſerit. Et hic poteſt eſſe penitùs occultus, ita vt crimen eius nemo nouerit: vel manifeſtus, quia id plures alij compertum habent.

Quomodocumque autem crimen ſit, ſiue occultum, ſiue manifeſtum, excommunicatione, iure ipſo, auctorem ſuum afficit, vt habetur *in cap. ad abolendam, de hæreticis in 6.* & reſeruatur hæc excommunicatio Papæ in Bulla Cœnæ. *Tertiò*, poteſt quis eſſe ſolùm Apoſtata exterior, qualis eſt, qui verbis, vel factis, non tamen animo deſciſcit à fide Catholica. Hic in foro exteriori Apoſtata cenſebitur, & proinde tanquam talis punietur. In foro tamen interiori ſiue conſcientiæ, non erit propriè Apoſtata, quia voluntate & animo non recedit à fide Catholica. Hæc autem Apoſtaſia eſt peccatum mortale, quamuis metu mortis fidem quis abneget: quia eſt per ſe malum fidem & Religionem Chriſtianam verbo, aut facto deſerere. Vnde hoc peccatum non quidem eſt contra fidem, ſed contra Confeſſionem fidei; nam & animo credere & ore confiteri fidem Catholicam debemus. Ita communiter Doctores.

3. Quorumdam ſententia eſt, Apoſtatam exteriorem, ſi verbo tantùm, vel facto, non animo metu pœnarum, & mortis à fide deficiat, excommunicationem contrahere Apoſtatis, ſiue hæreticis à iure irrogatam. Ratio illorum eſt, tum quia Eccleſia eum tanquam Apoſtatam punire conſueuit. Tum quia Eccleſia pœnas conſtituit ob exteriora crimina, quoniam habet ius cognoſcendi, condemnandi, & vindicandi huiuſmodi delicta. Tum quia ſi Eccleſia excommunicationem ferret in fures, homicidas, adulteros, ſatis eſſet ad eam contrahendam opus exteriùs ſcienter factum. Verior tamen opinio communi conſenſu recepta eſt, eum in foro conſcientiæ non affici excommunicatione, quam contrahunt hæretici & Apoſtatæ: in foro tamen externo conferi Apoſtatam; & proinde meritò tanquam hæreticum & Apoſtatam puniri. Ratio eſt, quoniam hæreticus, aut Apoſtata nemo eſt, niſi ſcienter & ſponte animo à fide & Religione Catholica diſcedat. Punit verò Eccleſia eum tanquam hæreticum vel Apoſtatam, quia probabiliter credit eum mente, atque animo à fide receſſiſſe. Eadem ratione delicta exteriora condemnat & plectit, vel quia ſunt peccata, quæ opere, & facto externo complentur, qualia ſunt homicidium, adulterium, ſacrilegium, cuiuſmodi non eſt hæreſis vel Apoſtaſia: vel quia probabiliter iudicat Eccleſia voluntate & animo delinquere eos, qui ſcienter exteriùs aliquid admittunt, quod cùm fidei Catholicæ Confeſſione pugnat. Ita Simanchas *de Cathol. inſtitut. tit. 1. num. 36.* Sylueſter *verb. Apoſtata, quæſt. 1.* Angelus *verb. Apoſtata, quæſt. 9.* Tabiena *v. Apoſtaſia, q. 3.* & alij Summiſtæ. Et hæc ſatis de Apoſtaſia à fide. Simanchas. Sylueſt. Angelus. Tabiena.

4. Non omnis qui deſerit Clericatum eſt Apoſtata ab ordine: talis enim ſolùm cenſendus eſt, qui à ſtatu ordinis ſacri propriâ auctoritate recedit ad ſtatum ſæcularem. Si quis ergo non auctoritate propriâ, ſed ex diſpenſatione Pontificia rationabiliter obtenta deſerat ſtatum clericalem ſacris Ordinibus coniunctum. Item, ſi quis propria auctoritate recedat à Minoribus Ordinibus vel tonſura, non propriè eſt Apoſtata. Neque enim à Deo retrocedit, qui vel ex auctoritate diuinitus Eccleſiæ conceſſa deſerit certum quempiam coniunctionis modum, retento alio; vel deſerit ſtatum in quo necdum erat niſi initiatiuè & quaſi præparatoriè. Vnde talis, neque mortaliter peccat, imò nec venialiter, ſi abſint contemptus, ſcandalum, leuitas, & ſimilia. Probatur, quia nullum eſt Eccleſiæ præceptum quo talibus prohibetur vel tractare cauſas criminales, vel vxorem etiam viduam ducere. Tum quia Canones non aliam pœnam ſtatuunt huiuſmodi Clericis, quàm priuationem beneficij Clericalis, ſi quod habuerint. Ita communiter Theologi & Canoniſtæ.

5. Nouitij, qui à Religione fugiunt, non ſunt Apoſtatæ, etiamſi vota ſimplicia caſtitatis, obedientiæ & paupertatis emiſiſſent. Ratio eſt, quia non ſunt facti verè religioſi, & conſequenter non comprehenduntur in diffinitione Apoſtaſiæ, quæ eſt crimino ſa & mortifera receſſio à religioſi Ordinis inſtituto, ſine reuertendi propoſito. Similiter ſequitur ex eadem diffinitione, mulieres, quas Beatas alicubi vocant, & alibi Vrſulinas, vel Tertiarias, non eſſe Apoſtatas, ſi habitum relinquant, etiamſi ſimplicia vota ſupradicta emiſiſſent: quia non ſunt verè religioſæ, imò ſi matrimonium contrahant, validum erit, quamuis illicitè: quia non quodlibet votum caſtitatis irritum facit ſubſequens matrimonium, ſed tantùm votum ſolemne emiſſum in approbata Religione. Ita Sanchez *libro ſexto, moral. capite 8. numero ſexto*, Bañez *ſecunda ſecundæ, quæſtione duodecima, articulo primo, de Apoſtaſia à Relig.* quod fertur etiam diffinitum in ſacra Rota Romana. In Societate IESV poſt biennij vota ſimplicia recedentes, Apoſtatæ appellantur. Sanchez. Bañez.

6. Apoſtaſiæ crimen non committit religioſus perpetuo carceri ob aliquod delictum damnatus, ſi fugiat, quando illa perpetui carceris pœna nullo iuris Ordine ſeruato impoſita fuit: quod etiam habet locum, quando ſecundùm allegata & probata iuſtè condemnatus eſſet, at ſententia fundata eſſet in falſa præſumptione, aut falſis probationibus contra rei veritatem. Ratio eſt, quia huiuſmodi ſententia non obligat in conſcientia, quamuis ſecundùm Ordinem iuris lata ſit, nam ſententia eſt veluti lex quædam priuata: lex autem non obligat ad id, quod eſt contrarium fini legis. Sed cùm finis ſententiæ ſit, cuique quod ſuum eſt tribuere; ſi ex eius obſeruatione contrarium eueniret, non obligat. Ita Leſſius *de iuſtit. libro ſecundo, cap. 31. dub. 4. numero vigeſimoquarto*, qui teſtatur de communi, vt etiam notauimus *tom. 1. noſtræ ſumm. verb. Lex IV. num. 11. §. Aduertendum, edit. 3.* cum Doctoribus ibi citatis. Leſſius.

7. Prælati habent poteſtatem capiendi, cogendi

& in vincula conijciendi huiuſmodi Apoſtatas, eoſdemque condignè puniendi, etiam corporaliter, iuxta proprias conſtitutiones, vel iuxta prudentis viri arbitrium religioſo ſtatui conſentaneum, & non ſolùm verè Apoſtatas, ſed etiam fugitiuos hoc modo coërcere poſſunt: de qua poteſtate futiùs tradit Nauarrus *Commentar. 3. de regular. numero quinquageſimo*, eam confirmans non ſolùm ex vi iuriſdictionis, ſed etiam ex titulo dominij, ratione cuius poteſt dominus ſeruum fugientem capere, vel rem propriam recuperare, vbicumque illam repererit. Præterea hoc confirmatur ex nonnullis conceſſionibus factis Religionibus à Summis Pontificibus, vt patet *in Compendio priuilegiorum, verb. Apoſtata, & verb. Fugitiui*, quæ ibi videri poterunt, in quibus non ſolùm id permittitur; ſed etiam quod poſſint eos vbicumque ſint, ſiue in ſæculo, ſiue in alia Religione inuocato auxilio brachij ſæcularis, ſummariè & ſine figura iudicij reuocare, capere, & in carceres conijcere, ac in eos debito modo animaduertere, vt in ſpecie conceſſit Pius V. Societati IESV, & refertur in eius compendio, *verb Apoſtata, §. 5.* & ex alio priuilegio Fratribus Carmelitis conceſſo, licet eiſdem Prælatis regularibus religioſos Apoſtatas & fugitiuos comprehendere, etiam ſi in vrbe reperiantur Hac poteſtate ſuppoſitâ, dicendum eſt, eoſdem Prælatos teneri, ſi commodè poſſint, ad Apoſtatas & fugitiuos reuocandos, vt diximus aliàs *tom 1. verb. Apoſtata. num. 10.* & *verb. Religio VI. num. 3.* iuxta *cap. Ne Religioſi, de regular.* & Decretum Sacræ Congregat. *die 21. Septembris anni 1624.*

Nauarrus. Pius V.

8. Apoſtata non eſt religioſus, qui ex licentia Prælati iuſta exiſtente cauſa viuit extra Monaſterium: quia poteſt Prælatus Papa inferior concedere facultatem hanc regulari ſibi ſubdito, nempe, pro vrgenti aliqua neceſſitate, vel vtilitate Monaſterij. Sed abſque iuſta cauſa nullus Prælatus poteſt concedere ſuo religioſo, vt extra clauſtrum maneat. Ratio eſt, quia iure communi poteſtas ſupra religioſum eſt penes Prælatum *cap. Nullam 18. quæſtione 2.* tum quia de iure communi poteſt quis profiteri aliquam regulam alicuius Religionis, manens in propria domo de licentia Prælati, & ad eius nutum *cap. Inſinuante. Qui Clerici, vel vouent.* cuius antiqui iuris determinatio à nullo poſteriori ſublata eſt, vt probat Nauarrus *in Commentar. 2. de regular. num. 16.* Ergo liberum eſt Prælato huiuſmodi licentiam concedere. Tum quia talis facultatis conceſſio non eſt diſpenſatio in aliquo voto; ſed ad ſummum in Regula, ſuper quam Prælatus habet poteſtatem diſpenſandi, ergo poteſt huiuſmodi licentiam concedere. Ita Suarez *de Relig. tomo quarto, tractatu 8. libro tertio, capite ſeptimo, numero tertio*, Fauſtus *in theſaur. Relig. lib 6. quæſtione 160.* & communis. Peccat tamen grauiter Prælatus abſque iuſta cauſa hanc licentiam concedens: quælibet enim diſpenſatio in lege, abſque iuſta cauſa facta iniqua eſt ex parte concedentis, vt tradunt communiter Doctores: imò talis licentia nulla eſt; quia diſpenſatio in lege ſuperioris ab inferiore ſine iuſta cauſa conceſſa, non ſolùm illicita eſt, verùm etiam inualida, vt alibi probauimus.

Suarez. Fauſtus.

Paulus IV.

9. Conſtitutio Pauli IV. determinans omnia acquiſita per negotiationem illicitam Clericorum, aut religioſorum, quæ tempore mortis eorum fuerint inuenta, eſſe Cameræ Apoſtolicæ, eſt intelligenda de bonis acquiſitis ab Apoſtatis extra clauſtrum degentibus, & decedentibus, inuentis tempore mortis eorumdem, quæ veniunt nomine ſpoliorum, non verò de acquiſitis ab illis; qui ad ſua Monaſteria reuertuntur iuxta quem ſenſum debet intelligi alia ſimilis Conſtitutio Gregorij XIII. Sed hæ, & aliæ ſimiles Conſtitutiones determinantes dicta bona Apoſtatarum applicanda eſſe Cameræ Apoſtolicæ ſemper debent intelligi, deducto ære alieno, & ſolutis debitis. Ita Miranda *tomo primo, quæſtione quinquageſimaprima, articulo ſeptimo*, Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 30. art. 12.* Nomine autem ſpoliorum dictæ Cameræ Apoſtolicæ applicandorum non veniunt acquiſita à dictis Apoſtatis extra clauſtrum decedentibus per negotiationem illicitam, quæ obnoxia erant reſtitutioni, vtpote contra virtutem ſpecialem iuſtitiæ acquiſita: quia hæc reſtituenda ſunt proprijs dominis, à quibus ablata fuerunt, ſed tantùm veniunt acquiſita contra ſacros Canones eis negotiari, vel aliquid aliud agere prohibentes, vt ſunt, quæ lucrantur per artes Medicinæ, vel Chirurgiæ, per officia publica, & obſequia in Curijs Principum exhibita, ac alia prohibita Eccleſiaſticis in iure. Ita Hieron. Rodrig. *in Compend. reſol. 11. num. 11. & 12.* poſt Emanuelem Rodriguez & Nauarrum.

Greg. XIII. Miranda. Rodriguez. Hier. Rodr.

Vide v. Beneficium 2. *num.* 2. Irregularitas 2. *num.* 22.

ARBITER. ARBITRIVM.

SVMMARIVM.

1 *Religioſus non poteſt eſſe arbiter, niſi concurrant licentia Superioris & vtilitas Monaſterij.*
2 *Arbiter eſſe poteſt religioſus factus Epiſcopus, vel ſi aliquam adminiſtrationem habeat, vt Prioratum, abſque alia licentia Superioris.*
3 *Verùm eſt etiam ad officium arbitratoris exigi licentiam Superioris.*
4 *Satis probabile eſt Fratribus Minoribus non interdici officium arbitratoris ex Superioris licentia, ſed tantum arbitri.*
5 *Communis ſententia eſt non valere arbitrium Monachi abſque licentia Superioris præſitum.*
6 *Arbiter non poteſt cogi in cauſa progredi, ſi partes ea de re contenderunt, poſt munus acceptum, coram iudice ordinario vel delegato.*
7 *Item quando partes arbitrum infamauerunt non leuiter.*
8 *Item quando graues inimicitiæ oriuntur inter arbitrum vel arbitratorem & vtrumque vel alterum litigantium.*
9 *Item, ſi rationabile ac iuſtum impedimentum arbitro vel arbitratori ſuperueniat, quod id impediat.*
10 *Item, quando comperiretur arbitrum vel arbitratorem munere corruptum eſſe vel ſuſpectum.*
11 *Arbitri, alij ſunt compromiſſarij, alij iuris.*
12 *Inter arbitros iuris computantur arbitratores, qui ex præcepto iudicis eligantur, vt iuxta ipſorum artem ac peritiam, quid de aliqua re ſentiant dicant.*

1. RElegioſus non poteſt eſſe arbiter, niſi concurrant licentia ſuperioris, & vtilitas Monaſterij, His autem concurrentibus poteſt. Quia arbiter eſt verè iudex; at religioſus non debet eſſe acceptator forenſium negotiorum *cap. Monachi, l. 2. & cap. De præſentium, 16. q. 1.*

Item

Item, quia eo *cap. Monachi, & c. 2. de poſtulando* dicitur, ne Monachi ſint ſuſceptores & executores abſque licentia Abbatis, & vtilitate Monaſterij. Nomine autem executorum & ſuſceptorum, Doctores dicunt intelligi, omnia officia iudicialia. Cùm ergo officium arbitri iudiciale ſit, non licebit Religioſis, niſi ea duplici conditione concurrente. Ita communiter Iuriſperiti. Hanc autem licentiam poteſt concedere ſuperior immediatus Religionis: nec exigitur licentia Conuentus, quia ex nullo iure petitur, ſed ſolius ſuperioris: nec eſt neceſſaria licentia Epiſcopi, niſi Monaſterium ipſi ſubeſſet; quia eſſet verus ſuperior: at in eo caſu ſufficeret quoque licentia obtenta, & non ſolùm petita, immediati ſuperioris Conuentus, quia eſt verus ſuperior, non obſtante quòd ſubeſſet Epiſcopo, ſicut huic veræ ſuperioritati non obſtat ipſum eſſe ſubditum Prouinciali, & Generali. Quod intelligendum eſt, niſi in aliqua Religione interdictum eſſet ſuperiori immediato licentiam hanc concedere. Nomine autem vtilitatis Monaſterij, quidam intelligunt eam vtilitatem debere eſſe directam, vtpote, ſi tractetur de rebus Monaſterij conſeruandis, aut defendendis; cæterum quamuis hoc ſit ſatis probabile, probabilius tamen eſt ſufficere vtilitatem eam indirectam Monaſterij indigentis ad magnam pauperiem ſubleuandam, & æs alienum ſoluendum, vt Religioſus id munus obeat: quia id non ſolius vtilitatis, ſed maximæ Monaſterij neceſſitatis iure optimo nomen mereatur. Imò ſatis eſſet vtilitas, quæ ſequitur ex eo quòd id officium præſtetur pro amico Monaſterij, eique valde vtili. Ita Roſella *verb. Arbiter, num. 2.* Angelus *ibid. num. 5.* Tabiena *q. 7. num. 10.* Armilla *num. 11.* & alij multi quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 6 moral. cap. 13. numero quinquageſimoquinto & quinquageſimoſexto.* Porrò Nouitij non comprehenduntur in hac prohibitione, quia non ſunt verè religioſi.

Roſella. Angelus. Tabiena. Armilla. Sanchez.

2. Arbiter eſſe poteſt religioſus factus Epiſcopus, eo quod à Religionis regulis eximatur, nec ea omnia ſibi interdicantur, quæ religioſis intra clauſtrum degentibus interdicta ſunt: imò & Monachi ſimplices habentes aliquam adminiſtrationem, aut aliquem Prioratum, poſſunt eſſe arbitri & arbitratores abſque Abbatis licentia; quia tunc ſunt quaſi emancipati ab Abbate. Similiter ſuperior Religionis nulla indiget licentia, vt arbiter ſit, quia cùm ipſe ſuis ſubditis eam licentiam dare poſſit, poteſt quoque eâ vti: quod intelligendum eſt cum duplici limitatione, prior eſt, vt concurrat vtilitas Monaſterij; poſterior eſt, vt non ſit Religio, in qua exigatur licentia ſupremi Religionis Prælati. Vide Sanchez *cit. numer. 57. & 58.*

Sanchez.

3. Quidam cenſent officium arbitratoris, non interdici religioſo, atque adeò nullam licentiam ſuperioris requiri, vt arbitrator ſit, quia id munus abſque iudicij ſtrepitu exercetur, ac opus pietatis maximè religioſos decens ſit, lites componere. Dicendum nihilominus eſt, exigi licentiam ſuperioris: quia eſſe teſtamenti executorem eſt opus pietatis, & tamen exigitur licentia ſuperioris, eo quòd religioſus non habeat velle, aut nolle. Ergo cùm eadem militet ratio in arbitratore, exigitur quoque eadem licentia. Ad hoc tamen munus obeundum non exigitur vtilitas Monaſterij, quia ad concernentia pietatem abſque iudicij ſtrepitu, quale eſt iudicium arbitratoris, ſatis eſt ſuperioris licentia. Ita docent Roſella *verb. Arbiter, numero ſecundo*, & ibi Angelus *numero quarto*, Sylueſter *queſtione decimaſexta,*

Roſella. Angelus. Sylueſt.

num. 14. Tabiena *quæſt. 7. num. 10.* Armilia *num. 11.* & alij. Notandum tamen, quod licentia ad munus arbitri & arbitratoris non exigitur, vt religioſus creetur arbiter, vel arbitrator, poteſt enim ante licentiam aliquam creari, ſed exigitur, vt ea munera acceptet.

Tabiena. Armilla.

4. Quorumdam ſententia eſt, Fratribus Minoribus omninò interdici munera arbitri & arbitratoris, quantumuis licentia ſuperioris adhit; ſicut nec executores teſtamenti eſſe poſſunt de licentia ſuperioris: puritas enim ſui inſtituti, & omnium ſæcularium negotiorum abdicatio, quæ ipſos prohibet munus executoris teſtamenti quod valde pium eſt, acceptare, iuxta *Clement. Exiui, de verbor. ſignificat.* prohibet quoque munus arbitri, aut arbitratoris de cuiuſcumque Superioris licentia ſuſcipere. Ita Decius *conſil. 94. numero nono & deſimo, & conſil. 499. numero tertio & quinto, volum 4.* Rodriguez *tom. 1. qq. reg. quæſtione 65. artic. 3.* & alij. Quorum opinioni meritò ſubſcribit Sanchez cum alijs à ſe citatis *libro 6. moral. cap. 13. numero ſexageſimoſexto*, quantum ad officium arbitri: at officium arbitratoris putat licere Fratribus Minoribus ex Superioris licentia, ſicut alijs religioſis licet, quòd nihil contra ſui inſtituti puritatem ſit in arbitratoris officio, imò valde conforme illis ſit inter partes diſſidentes pacem conciliare; nec huic inſtituto derogat ipſas compromiſſum feciſſe de ſequendo Fratris Minoris iudicio in ea re, cùm hæc omnia abſque iudicij ſtrepitu, & per quandam prudentem & amicabilem compoſitionem fiant.

Decius. Rodrig. Sanchez.

5. Dubium eſt, an ſi Religioſus contra iuris prohibitionem fiat arbiter aut arbitrator, nempe abſque licentia Prælati, ſit irritum factum? Et videtur non eſſe irritum, quia textus *cap. Monachi, el 2. & cap. De præſentium 16. quæſt. 1.* non habet verbum denotans factum irritari, ſed ſolam ſimplicem prohibitionem continens. Sed communis ſententia eſt, non valere arbitrium Monachi abſque licentia Superioris præſtitum à Religioſo, quia æquiparatur ſeruo, ſerui autem arbitrium nullum eſt. *L. Padius 7. §. in ſeruum, ff. de arbitris.* Idem tenet loquens tam de arbitrio, quàm de arbitramento Fratris Minoris Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 65. art. 3.* cum alijs. Sanchez verò *citatum num. 70.* exiſtimat valere arbitramentum à quocumque Religioſo, etiam Fratre Minore, præſtitum abſque licentia Superioris: quia ſeruus hoc arbitramentum præſtare poteſt, vt docet Gloſſa *in d. §. § in ſeruum, verb Nullum ſit, in 2. ſolutione* & ibi Baldus, quia eſt res merè facti, quod bene cadit in ſeruum. Et ideò nulla eſt ratio; quâ probetur tale arbitramentum non valere: quamuis peccet Religioſus ſic arbitrando abſque Superioris licentia.

Rodrig. Sanchez. Baldus. Gloſſa.

6. Arbiter non poteſt cogi in cauſa progredi. *Prima* ſi poſt id munus ab arbitro acceptatum, partes ea de re contenderunt coram iudice ordinario vel delegato, vel ſi alium arbitrum circa eandem cauſam ſibi elegerunt. Ita habetur *L. eſi in ſeruum. §. vlt.* & duabus legibus ſequent. *ff. de recept. arbit.* Si tamen vna tantùm pars vocaret alteram inuitam coram iudice ordinario circa eandem cauſam, atque in compromiſſo pœna fuiſſet appoſita non ſtanti compromiſſo, tunc ea pars, quæ alteram inuitam vocaret coram iudice ordinario aut delegato, incideret in pœnam illam eo quod compromiſſo non ſteterit: & nihilominus cauſa integra manet, vt coram eo iudice ordinario peragatur. Ita habetur *l. ſi quis rem, ff. de recept. arbit.*

Digitized by Google

Hæc autem non ſolùm habent locum in arbitro, ſed etiam in arbitratore.

7. Secundò, quando partes arbitrum infamarunt, non leuiter ſcilicet. Vnde ſi arbiter vel arbitrator, accepta infamiâ; non velit in cauſa progredi ac ferre ſententiam, & partes à iudice ordinario petant, vt illum cogat ad id, non priùs ordinarius excuſare illum debet, quàm cauſa cognitâ, videat, num iniuria tanta ac talis ſit, ſpectatis circumſtantijs concurrentibus, quæ illum excuſet. Ita habetur *l. ſed etſi in ſeruum*, §. *vlt.* iuncta Gloſſa ibi & *l. licet*, *ff. de recept. arbitr.* Gloſſa.

8. Tertiò, quando graues inimicitiæ oriuntur inter arbitrum, vel arbitratorem & vtrumque, aut alterum litigantium, aut antecedentes poſt munus acceptum detectæ ſunt: tunc enim vno litigantium id petente, præcipere iudex ordinarius cauſa priùs cognita debet arbitro, ne in ea cauſa vlterius progrediatur, ſatiſque eſſet proteſtatio partis tali arbitro facta, ne in cauſa progrederetur, quoniam ſibi ob eas inimicitias eſt ſuſpectus, vt ſi arbiter ſententiam nihilominus proferret ſe ab illa tueri poſſet doli exceptione, & vt excuſaretur à pœna compromiſſo ei ſtatuta, qui ſententiæ non pareret, eadem exceptione doli. Ita habetur *l. licet*, *l. non diſtinguamus*, §. *cum quidam*, *ff. de recept. arbitr.*

9. Quartò, ſi rationabile ac iuſtum impedimentum arbitro vel arbitratori ſuperueniat, vt progredi in cauſa non poſſit, eamque ad finem perducere, vt morbi, ingreſſus Religionis, proprium aliquod negotium, quod id impediat, munus ei iniunctum, neceſſaria, aut valde vtilis profectio & ſimilia alia, quæ id rationabiliter ac meritò impediant. Tunc enim excuſatur à iudice ordinario cauſa cognita & ſufficienter ab eo iudicata. Atque interdum dilatio temporis ei conceditur, intra quod cauſam expediat, ſi circumſtantiæ id efflagitent, & litigantes velint. Ita habetur, *l. licet*, iuncta *l. ibi ſequenti*, *ff. de recept. arbitr.*

10. Quintò, Quando poſt munus acceptatum comperiretur, arbitrum vel arbitratorem, munere, aut alia re corruptum eſſe, vel ante munus acceptatum, vel poſt illud, vt alteri parti faueret: tunc enim iudex ordinarius præcipere illi deberet, ne in cauſa progrederetur: quin eſtò nihil illi fuiſſet præceptum & ſententiam tuliſſet, competeret aduerſus executionem illius, & aduerſus pœnæ executionem ſtatutæ in compromiſſo ſententiæ non parenti, doli exceptio. Ita habetur *l. etſi ſeruum*, §. *vlt. ff. de recept. arbitr.* Nota tamen, prohibitum non eſſe arbitris & arbitratoribus pretium ab vtraque parte litigante accipere pro munere, quod exercent, & labore ac induſtria, quæ in examinanda ac definienda cauſa apponunt, vt habetur *l.* 3. §. *ait prætor*, iuncta Gloſſa ibi *ff. de recept. arbitr.* Gloſſa.

11. Arbitri dicuntur vel compromiſſarij, vel arbitri iuris. Arbitri compromiſſarij ſunt, in quos partes compromittunt eorum ſententiæ, ſeu definitioni ſtare, nulla lege, aut ſtatuto ad id eos cogente. Atque hi nullam habent iuriſdictionem. Iuriſdictio enim à lege eſt, aut à Principe mediatè vel immediatè, & non à partibus priuatis: vnde definitio horum, arbitrium potiùs, aut arbitramentum eſt dicenda, quàm ſententia. Arbitri iuris illi dicuntur, qui diſponente ac obligante ad id lege, aut ſtatuto, ſeu Principis iuſſu, eliguntur ac ſententiam proferũt, ſiue ex diſpoſitione legis, ſtatuti aut Principis, eligantur à partibus, ſiue ab arbitris à partibus iam electis, quando non concordant, & vnà cum arbitris à partibus electis ſententiam proferant, ſiue lex illa talem arbitrum, aut arbitros deſignet, vel aliquem alium eos deſignare præſcribat. Huiuſmodi arbitri iuriſdictionem habent, non ſolùm ad iudicandum, ſed etiam ad ea, quæ ad ita iudicandum neceſſaria ſunt, vt ad teſtes vocandum, & ad eos cogendum, vt teſtimonium dicant, & ad ſimilia alia: eo quod legis, aut Principis auctoritate ſunt conſtituti: cogique eiuſmodi arbitri poſſunt munus ſuſcipere, vt habetur *cap. ſufficiens de offic. deleg.* Sententia horum arbitrorum vim habet, vt & cæterorum iudicum habentium iuriſdictionem: poteſtque ab ea appellari ex rationabili cauſa, & à quocumque alio grauamine horum arbitrorum, vt ſi terminum minùs competentem partibus præſcribant, intra quod cauſas recuſationis probent, aut ſi in aliquo alio aliquam earum grauent. Ita habetur *cap. arbitri*, *de offic. delegat. in 6.*

12. Cum arbitris iuris computantur arbitratores, qui non à partibus, ſed à iudice eliguntur, vt iuxta ipſorum artem ac peritiam, qui de aliqua re ſentiant, dicant, ac ſtatuant, vt quoad dimenſionem & menſuram, quoad valorem rei alicuius, quoad vulnus an fuerit lethale, vel ex illo, aut aliunde vulneratus obierit, &c. Sic etiam deputantur obſtetrices, quæ iudicent, an mulier grauida ſit, vel non. Et in alijs multis euentibus deputantur à iudice arbitratores, qui de aliquibus ad ipſorum artem ac peritiam attinentibus iudicent. Cum autem hi iuxta legum præſcriptum publica auctoritate iudicis in ſimilibus euentibus arbitramenta proferant, quibus, ſi irrationabilia & iniqua non deprehendantur, in iudicio ſtatur, neque id efficiant ſola electione compromiſſo in illis ac pacto partium, vtique ad arbitros, ſeu ad arbitratores iuris pertinent, & non ad compromiſſarios arbitratores. Ita Molina *tract. 5. diſputatione 31. num. 3.* Plura de arbitris vide infra *verb. Compromiſſum*, & v. Appellare *num. 2.* Molina.

ARCHIEPISCOPVS.

SVMMARIVM.

1 *Decretum Sacræ Congregationis obſeruandum in appellatione ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum.*
2 *Archiepiſcopus poteſt intra quemlibet Eccleſiam ſuæ Prouinciæ vti pallio.*
3 *Archiepiſcopus qui renunciauit Archiepiſcopatui non poteſt exercere Pontificalia cum pallio in Diœceſi & Prouincia renunciata etiam cum conſenſu Archiepiſcopi ſucceſſoris & ſuffraganeorum.*
4 *Archiepiſcopus hodie non poteſt viſitare Prouinciam, niſi cauſâ cognitâ & probatâ in Concilio Prouinciali.*
5 *Archiepiſcopus quando poſſit deputare Vicarium in Eccleſia ſuffraganea poſt mortem Epiſcopi.*
6 *Archiepiſcopus vt poſſit compellere Prælatos regulares, vt in Eccleſijs Parochialibus eis ſubiectis, fiat prædicatio Euangelij.*
7 *Propter negligentiam ſolam Epiſcopi, non deuoluitur iuriſdictio ad Archiepiſcopum.*
8 *Archiepiſcopus de iure communi poteſt ante ſe deferri facere Crucem per totam ſuam Prouinciam, etiam in locis exemptis.*
9 *Archiepiſcopus poteſt exercere iuriſdictionem in Prouincia conſuetudine ſibi permittente.*

1. QVia de iure ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum datur appellatio, vt habetur *cap. duo ſimul*, *de offic. Ordin.* *cap. 1 de offic. legati*, *cap. Significaſti*,

Decretum Sac. Congr.

ſtaſti, de for. competent. ſciendum eſt in hac materia appellationum extare Decretum Sacræ Congregationis tenoris ſequentis.

Ad tollendas ambiguitates & controuerſias iuriſdictionales, quæ inter appellationem & prioris inſtantiæ iudices, non ſine partium ſuſpenſione, curſuſque iuſtitiæ impedimento & ſæpe cum ſcandalo oriuntur; Sacra Congregatio cauſis Epiſcoporum præpoſita, factâ priùs relatione Sanctiſſimo D. N. Clementi Papæ VIII. ac de Sanctitatis ſuæ mandato viuæ vocis oraculo deſuper habito, in hunc qui ſequitur modum, ab omnibus ad quos ſpectat in poſterum fieri, ac ſeruari debere mandauit, & mandat.

Metropolitani, Archiepiſcopi, Primates, aut Patriarcha in ſuffraganeos eorum, ne ſubditos iudicent, niſi in caſibus à iure expreſſis.

Item, nec alij ſuperiores etiam Nuncij, vel Legati de latere ſpecificam facultatem maiorem non habentes, cauſas in curijs Ordinariorum, vel aliorum inferiorum Iudicum pendentes ad ſe non aduocent, niſi per viam legitimam appellationis ad ipſorum Tribunalia deferantur, tuncque appellantes ab inferiorum iuriſdictionibus quo ad alias cauſas eximere non poſſint.

Appellationes nunquam recipiantur, niſi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, priùs conſtiterit appellationem à ſententia diffinitiua, vel habente vim diffinitiuæ, aut à grauamine, quod per diffinitiuam ſententiam reparari non poſſit, in caſibus à iure non prohibitis per legitimam perſonam, & intra debita tempora fuiſſe interpoſitam ac proſequutam.

Nec dum cauſa coram inferioribus iudicibus pendens, ante diffinitiuam ſententiam, vel vim diffinitiuæ habentem, de grauamine illato ſuperiores cognoſcere valeant, licet citra præiudicium curſus cauſarum ſe id facere conteſtentur, nec ad buius effectum liceat eis inhibere, aut ſimpliciter mandare, vt ipſis copia proceſſus tranſmittatur, etiam expenſis appellantis.

Inhibitiones poſt appellationem, ſicut præmittitur, receptam non concedantur, niſi cum inſcriptione tenoris ſententiæ, aut decreti diffinitiui, aut vim diffinitiui habentis, vel damnum diffinitiuum irreparabile continentis, aliàs inhibitiones & proceſſus & inde ſequuta quæcumque ſint ipſo iure nulla eiſque impune non pareri liceat.

Si appellans aſſerat ſententiæ, aut appellationis exemplum culpa iudicis à quo vel actuarij habere non poſſe, non ideò recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitio concedenda, ſed eis tantùm ad quos pertinet, iungi poterit, vt ſoluta condigna mercede, actorum exemplum authenticum, appellanti intra breuem aliquem competentem terminum tradatur. Caueat tamen iudex à quo, ne ſi verè appellatum fuerit, in caſu appellanili, interim aliquid in præiudicium appellantis attentet, & ſi per actum publicum, aut per teſtium depoſitiones conſtiterit acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta poſſit iudex appellationis adigere, ne interim aliquid noui contra appellantem attentetur.

Ab executione decretorum Sacri Concilij Tridentini, aut viſitationis Apoſtolicæ appellationes à Metropolitanis non recipiantur, nec ſi Epiſcopi virtute eiuſdem Sacri Concilij procedant vti Sedis Apoſtolicæ delegati in cauſis quæ ſub eorum iuriſdictione ordinaria non comprehenduntur, ſalua tamen in hoc caſu Legatorum & Nunciorum Apoſtolicorum auctoritate.

In cauſis verò viſitationis ordinariorum, aut correctionis morum, quo ad effectum deuolutiuum tantùm admittantur, niſi de grauamine per diffinit. irreparabili agatur, vel cùm viſitator citata parte, & adhibita cauſa cognitione iudicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit etiam quo ad effectum ſuſpenſiuum.

Cùm à grauamine, quod per diffinitiuam reparari nequit, vt indebita carceratione vel tortura, aut excommunicationis etiam comminatæ appellatur, non niſi viſis actis, ex quibus euidenter appareat de grauamine, appellatio admittatur, aut inhibitio vel prouiſio aliqua concedatur.

Cauſa appellationis pendente, appellans in eodem quo reperitur carcere permanebit, quo ad iudex ad quem appellatum eſt, viſis actis & cognita cauſa aliter decreuerit, & tunc ſi à iudicio ad quem decreto vim diffinitiuæ habente fuerit appellatum, nihil mandare, aut pro ſui decreti executione attentare poterit, donec per Iudicem ſuperiorem aliud fuerit ordinatum.

Acta originalia proceſſuum prima inſtantia ad Iudicem appellationis Notarius omittere non cogatur, niſi probabilis aliqua falſitatis cauſa & ſuſpicio inſidat, qua iudicialiter obijciatur & tunc terminata cauſa remittenda ſunt ad Ordinarium, vt in ſuo Archiuo conſeruentur.

Cenſura Eccleſiaſtica in appellantem prolata relaxari, aut nulla declarari per Iudicem appellationis non poſſit niſi auditis partibus & cauſa cognita, tuncque ſi conſtiterit eam iuſtam eſſe, ad iudicem, qui excommunicauit, appellans remittendus eſt, vt ab ipſo iuxta ſacros Canones beneficium abſolutionis, ſi humiliter petierit, debitamque emendationem præſtiterit, obtineat: ſi verò iniuſtam eſſe clarè appareat, ſuperior abſolutionem impendat, ſi dubitetur, bonitas eſt vt ad excommunicatorem intra breuem aliquem competentem terminum eidem præfigendum abſoluendus remittatur, licet etiam ſuperior hoc caſu idipſum per ſe præſtare iure poſſit.

Abſolutio ad cautelam non niſi parte citata & viſis actis, cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolata, vel à iure ſi occurrat dubium facti, vel probabile dubium iuris, concedenda erit, tuncque ad tempus breue cum reincidentia & præſtita per excommunicatum cautione de ſtando iuri, & parendo mandatis Eccleſiæ tantùm, & ſi iuxta formam à iure præſcriptam apparebit, quem ob manifeſtam offenſam excommunicatum fuiſſe, debitam etiam ſatisfactionem præſtare, & ſi ob contumaciam manifeſtam, expenſas pariter ſatisfacere, & cauere de iudicio iſtis coram excommunicatore quis tenebitur priuſquam ad cautelam abſoluatur.

A ſententia etiam diffinitiua contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quæuis prouiſio, quamdiu appellans in huiuſmodi vera contumacia perſtiterit, concedatur.

Romæ in Sacra Congregatione die 16. Octobris 1600.

ALEX. CARD. FLORENT.

HIERON. AQVCCHIVS Secr.

2. Archiepiſcopus intra quamlibet Eccleſiam Prouinciæ ſuæ poteſt vti pallio, iuxta *c. 1. de auctor. & vſu pallij*, etiam in loco exempto, Gloſſ. *in Clement. Archiepiſcopo de priuileg.* Et quia Pontificalis officij plenitudo confertur per pallium, antequam illud obtinuerit, licet ſit conſecratus, non ſortitur nomen Archiepiſcopi, vel Primatis, aut Patriarchæ, & non poterit Epiſcopos conſecrare, nec conuocare ad Concilium, nec Chriſma conficere, nec Eccleſias dedicare, nec clericos ordinare etiamſi pallium in alio Archiepiſcopatu habuiſſet, cùm oporteat petere nouum pallium. Licet enim Epiſcopus poſſit miniſtrare illa, quæ ſunt Gloſſa.

Digitized by Google

ordinis, tamen poſtquam fuerit in Archiepiſcopum promotus, & nondum pallium conſequutus, non poteſt ordines conferre, vt Epiſcopus, nec Archiepiſcopus: & iſtud eſt verum de clericis ſui Archiepiſcopatus, quia tunc videtur conferre ordines iure ſuo, & tanquam Archiepiſcopus in ſubditum ſuum, & in collatione ordinum in ſua Diœceſi & Prouincia vtitur pallio, quod adhuc non habuit. Ita intelligitur textus *cap. quod ſi. ut §. præterea, in fine, de elect.* Poteſt tamen ante acceptum pallium alteri committere, Gloſſa *in cap. 1. de tranſlat. Epiſcop.* Alios tamen clericos poteſt ordinare ſi ſit inuitatus ab alio Epiſcopo, & nomine illius alia Epiſcopalia exercere. Ratio eſt, quia in illud non videtur facere iura ſua & tanquam Archiepiſcopus, ſed vt ſimplex Epiſcopus: tum quia etſi habuiſſet pallium, non poſſet eo extra Prouinciam ſuam vti.

Gloſſa.

3. Archiepiſcopus, qui renunciauit Archiepiſcopatui, & ſic loco, & non dignitati, non poteſt exercere Pontificalia cum Pallio in Diœceſi, & Prouincia renunciata etiam cum conſenſu Archiepiſcopi ſucceſſoris, & ſuffraganeorum, ſed tantùm exercere Pontificalia ſine pallio cum conſenſu prædictorum, quemadmodum in alijs Diœceſibus de conſenſu Diœceſanorum; quia illo pallio amplius vti non poteſt, ſed debet retinere penes ſe & cum eo ſepeliri. Facit textus in *cap. ad ſupplicationem, de renunciat.* Item Archiepiſcopus factus Epiſcopus non poteſt vti pallio niſi ex priuilegio Sum. Pontificis: Imò Archiepiſcopus tranſlatus de vno Archiepiſcopatu ad alium non poteſt vti pallio priori. Vide Dianam *parte 3. tractatu 6 reſolutione 37.*

Diana.

4. Archiepiſcopus, iuxta ius antiquum, poteſt viſitare prouinciam, & procurationem à ſubditis ſuffraganeorum ſuorum exigere, *Cap. cum Apoſtolus*, ibi Gloſſa in *verb. Archiepiſcopi. Cap. ſopita, & cap. nuper de cenſibus, cap. cum ex officijs de præſcript. cap. 1. & cap. final. de cenſibus in 6.* vbi dicitur quòd Archiepiſcopus dum viſitat Prouinciam, poteſt confeſſiones ſubditorum ſuffraganeorum audire, & abſoluere pœnitentes, & ipſis pœnitentias iniungere ſalutares, & poterit abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis & cenſuris, & diſpenſare in foro conſcientiæ. Abbas *in cap. ad extirpanda, de fil. preſbyter.* Non poteſt ordinare, neque concedere literas dimiſſoriales, quia non reperitur à iure ei permiſſum. Non poterit exercere iuriſdictionem fori contentioſi in ſubditos Epiſcopi ſuffraganei, niſi in duobus caſibus in criminibus notorijs, nempe, & contra impedientes eius iuriſdictionem, *cap 1. §. notoria, de cenſibus in 6. cap. 1. de offic. Delegat.* & ibi Gloſſ. Hodie verò per Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 3. de reform* non poteſt viſitare Diœceſes ſuffraganeorum niſi cauſa cognita & probata in Concilio Prouinciali, & tunc viſitando habebit eaſdem facultates, quas ante Concilium de iure communi habebat: nec non alia quæ à Concil. Prouinciali, in ſpecie ei committerentur, iuxta facultatem, quam habet à iure Concilium Prouinciale.

Conc. Trid.

5. Archiepiſcopus poteſt deputare Vicarium, ſeu officialem in Eccleſia ſuffraganea, ſi infra octo dies poſt mortem Epiſcopi, Capitulum non prouiderit, ex decreto Concil. Tridentini *ſeſſ 24. c. 16. de reform.* & emolumenta ſede vacante erunt ſucceſſoris, & non capituli, *Clement. ſtatutum, de elect.* niſi alia fuerit conſuetudo. Electio tamen Vicarij debet de Capitulari perſona, ſi idonea ibi reperiatur, *cap. ne pro defectu*, & ibi Gloſſa *de elect.* Sed non de neceſſitate.

Conc. Trid.

6. Archiepiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus, poteſt compellere Abbates & Regulares Prælatos negligentes, vt prædicatio Euangelij fiat in Eccleſijs Parochialibus ſubiectis monaſterijs in nulla Diœceſi exiſtentibus, in cuius Prouincia Diœceſes ipſæ ſitæ ſunt, ex decreto eiuſdem Conc. Trident *ſeſſ. 5 de reform. cap. 2.* Item Archiepiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus poteſt conuocare Regulares in cuius Prouincia monaſteria ſub immediata ſedis Apoſtolicæ protectione ſita ſunt, negligentes exequi Decretum eiuſdem Concil. *ſeſſ. 25. de reform. capite 8. de regularibus.*

Conc. Trid.

Conc. Trid.

7. Propter negligentiam ſolam Epiſcopi non deuoluitur iuriſdictio ad Archiepiſcopum niſi poſt terminum aſſignatum per Archiepiſcopum, quando tamen crimina non ſunt notoria. Item ſi Epiſcopus non vult exhibere auxilium iudici ſæculari, poteſt adire Metropolitanum, vt illum cogat auxilium præſtare ad exequutionem ſententiæ, vt eſt communis opinio. Couarr. *in pract. quæſt. c. 10. ſub n. 10.* An autem Epiſcopus poſſit cogi ab Archiepiſcopo ad pronunciandum: Dicendum eſt, quod ſi cauſa eſt in expeditione, vel retardat expeditionem, tunc ad inſtantiam partis poteſt moneri ab Archiepiſcopo cum termino, aliàs eo elapſo, & nulla ſubſiſtentiæ cauſa rationabili poterit ipſe Archiepiſcopus procedere. Nec poteſt Epiſcopus ſe tueri termino biennij dato per Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap 20.* quia in eodem cap. t. *in §. legati*, quoque expreſsè cauetur, quòd negligente Epiſcopo, eoque prius requiſito, iudex ſuperior poteſt procedere: & ratio eſt, quia illa retardatio expeditionis, præſertim ſi reus detinetur in carcere continet grauamen irreparabile à quo poteſt appellari, carcer enim ſemper grauat. Item per negligentiam Epiſcopi in collatione beneficij deuoluitur collatio ad Archiepiſcopum poſt ſex menſes *c. 2. de conceſſ. prebenda.* Limita in beneficio Curato, ad quod ſi patroni præſentauerint, & præſentatus per examen fuerit approbatus, tenetur Epiſcopus infra duos menſes inſtituere; aliàs poterit Archiepiſcopus ex Bulla Pij V. quæ incipit *In Conſtrendis 16.* Maij 1567. apud Quarantam in Sum. Bullar. verb. *Beneficiorum Parochialium Collatio.* Qui tamen Auctor conſulit eo caſu, vt prius certioretur Ordinarius ad dicendum cauſam quare non debeat fieri inſtitutio ab Archiepiſcopo, vt ipſe tutius procedere poſſit.

Couar.

Conc. Trid.

Pij V. Quarant.

8. Archiepiſcopus de iure communi poteſt ante ſe deferri facere Crucem per totam ſuam Prouinciam, etiamſi locus eſſet exemptus vigore conſtitutionis editæ in Concilio Viennenſi relato in *Clement. Archiepiſcopo, de priuileg.* Delatio enim Crucis, licet non ſit contentioſæ iuriſdictionis, eſt tamen inſigne ſapiens ſuperioritatem; vnde poteſt in loco exempto vti inſignijs voluntariæ iuriſdictionis & honoris. Et Doctores dicunt hoc ei concedi propter reliquias præcedentis ſubiectionis, cùm per exemptionem talia loca non deſinant eſſe in Prouincia vel Diœceſi, ius namque reuerentiæ numquam tollitur per exemptionem, & ideò Eccleſia exempta ſeu liberata tenetur nihilominus exhibere reuerentiam Epiſcopo & ire ei obuiam proceſſionaliter more aliorum. Felinus in *cap. cum non liceat, ſub num. 2. de præſcript.* Amplia vt poſſit id Archiepiſcopus etiam quando non viſitat, multa magis quando viſitat locum exemptum in ſua Diœceſi vel Prouincia vti ſedis Apoſtolicæ delegatus, nam dicta Clementina generaliter loquitur. Limita niſi eſſet præſens Legatus Papæ, quia tunc nec Patriarcha, *cap. antiqua, de priuileg.* vel præſens

Felinus.

præſens Cardinalis non Legatus vel nuncius cum facultate legati de latere. Vt præſcribit *Ceremon. Epiſcopor. cap.* 3.

Ceremonia-le Epiſcop.

9. Archiepiſcopus poteſt exercere iuriſdictionem in Prouincia, conſuetudine ſibi permittente. Vnde licet Archiepiſcopus regulariter non poſſit exercere iuriſdictionem in Prouincia erga ſubditos Epiſcopi ſuffraganei. *Cap.* 1. *de foro competent. in* 6. niſi in caſibus iure expreſſis per Gloſſam in *cap. Paſtoralis, de offic. ordinar.* inter quos eſt quando conſuetudo hoc ſibi tribueret, *dict. cap.* 1. *de foro compet.* & *cap.* 1. *de pœnis, in* 6. Ex quo enim quis eſt in poſſeſſione per aliquod tempus ſine controuerſia, dicitur poſſidere pacificè, ita quod ſit in ea conſeruandus, & ex hoc inducitur conſuetudo, quæ conſuetudo tribuit iuriſdictionem, *cap. conqueſtus* 9. *qu.* 3. *cap. cùm contingat, de foro compet.* Tamen Archiepiſcopus vel alius Prælatus non poteſt conſuetudine acquirere illa quæ tendunt ad honorem, quæ communiter non conceduntur Eccleſiis ſine priuilegio Apoſtolico, vt probatur in *cap. contra morem, diſt.* 100. De Archiepiſcopi authoritate plura vide apud Quarantam *verb. Archiepiſcopi Authoritas.*

Gloſſa.

Quaranta.

Vide v. Beneficium 3. *num.* 6. Diſpenſatio *nu.* 8. Lex 2. *num.* 7.

ASSECVRATIO.

SVMMARIVM.

1 *Aſſecurationis contractus poſt fieri vel per modum ſalui conductus, vel ſponſionis, vel fideiuſſionis.*

2 *Qui nihil habet in bonis actu, hac in ſpe, non poteſt ſtipendium aſſecurationis recipere ſine obligatione reſtituendi: & talis contractus eſt nullus. Verius eſt habentem in bonis ſolùm quingenta non poſſe aſſecurare mille, ſed ſolùm quingenta.*

3 *Qui aſſecurauit merces per mare tranſferendas cum pacto vt nauigatio fieret menſe Maij, ſed Dominus nauis nauigauit menſe Nouembris vbi caſu periit, non tenetur aſſecurans ad reſtituendum valorem mercium: Dominus autem nauis tenetur ad pretium aſſecurationis ſi fuerit in culpa.*

Qui aſſecurauit merces licitas per mare vehendas ſed Dominus nauis tranſuexit prohibitas ob quod fuerunt à fiſco comprehenſa, non tenetur ſoluere pretium mercium.

4 *Si quis nauiganti mutuet mille aureos cum obligatione vt mutuatarius cum eo faciat contractum aſſecurationis, per quem teneatur illi certum quid ſoluere pro quolibet centenario numero illorum aureorum, vſuram committit.*

5 *Quid dicendum de ſecures facientibus mercatores in nundinis tantùm vel tantum lucraturos.*

1. COntractus aſſecurationis poteſt fieri quatuor modis. *Primò*, fit per modum ſalui conductus, quem Principes mercatoribus merces per loca ſuæ iuriſdictionis deferentibus concedunt. Ex quo fit, vt Principes dando mercatoribus ſaluum conductum, explicitè vel implicitè periculum mercium ſubeant, ſaltem de conſuetudine, adeò quòd ſi per latrones auferantur merces, tenentur earum æſtimationem ſoluere: quia ex iuſtitia tenentur viam publicam à latronibus purgare. Limita niſi damnum paſſus ſuâ culpâ inciderit in diſcrimen, eundo ſine iuſta cauſa per loca inſolita & inuſitata.

Secundo. Aſſecuratio fit per modum ſponſionis, v. g. ſi Petrus promiſerit Paulo 100. Si Titius fuerit Epiſcopus, & Paulus promiſerit Petro ſe ſoluturum decem, ſi Titius non fuerit factus Epiſcopus, tunc aſſecuratio eſt, & ſpondens ſeu aſſecurans licitè poteſt aliquid accipere ratione periculi, cui ſeipſum exponit.

Tertiò, aſſecuratio fit per modum fideiuſſionis, vt do tibi centum ſi cras pluet, vel ſi talis infra annum morietur. Et ſicut fideiuſſor poteſt recipere pretium pro obligatione, qua ſe adſtringit, debitore principali non ſoluente debitum, ſoluere; ita & aſſecurator pro ſua aſſecuratione, ratione periculi cui ſe ſubijcit.

Quartò fit, quando quis ſuſcipit in ſe periculum mercium per mare vehendarum, & quia timet ſubmerſionem nauis petit ab altero vt ſaluam eam faciat vſque ad portum deſtinatum, cum pacto dandi ei quinque aut ſex pro centenario.

2. Qui actu nihil de ſuo habet, nec prudenter ſperat breui ſe habiturum bona, vnde perſoluat, ſi merces aſſecuratæ perierint, non poteſt ſtipendium aſſecurationis recipere, ſi nauis ſalua applicauerit ad portum; & ſi recipit, tenetur illud reſtituere danti. Ratio eſt, quia hic reuera nulli ſe exponit periculo, cùm ſi perierit nauis, abdere ſe, aut bonis cedere parat. Tum quia de facto iſte nullam præſtat ſecuritatem, cùm non habeat vnde ſoluat pretium rei, ſi forte perierit, ſed potius totum periculum imminet negotiatori. Vnde ſicut ludens, qui nihil poteſt perdere, nihil ſubinde ex ludo poteſt lucrari; ſic prorſus aſſecurans nauem pro mercede, cùm nihil habeat in bonis, quod poſſit perdere, neque illam mercedem poteſt lucrari. Imò talis contractus non eſt validus, quia dolus dat cauſam contractui; mercator enim contractum aſſecurationis non celebraſſet, ſi cognouiſſet aſſecuratorem non habere bona ad ſoluendum re pereunte. Proterea aſſecurator tenetur ad reſtitutionem damnorum inde prouenientium mercatori, cùm illorum ſit cauſa iniuſta. Ita Molina *de contract. tract.* 2. *diſput.* 107. *num.* 10. & communis. Molina.

Sed dubiæ quæſtionis eſt, an ſi iſte aſſecurator habeat tantùm in bonis quingentos aureos, poſſit aſſecurare quantitatem vt mille, accepto pretio iuſto aſſecurationis illorum mille?

In hac quæſtione non ſunt concordes Doctores. Quidam enim putant, ſi illa mille in multis nauibus erant per mare deferenda, poſſe aſſecuratorem, eſto habeat in bonis tantùm quingenta, aſſecurare illa mille hic diuiſa, accipere integram mercedem aſſecurationis illorum mille, quia non eſt veriſimile, quod omnia illa nauigia ſint naufragium paſſura. Quòd ſi illa mille in vna & eadem naui erant tranſferenda, poſſe ſolùm aſſecurare quingenta, & mercedem quingentorum accipere.

Alij cenſent hunc aſſecuratorem nihil poſſe recipere. Ratio, quia talis aſſecurator non alio titulo poteſt totum vel medietatem pretij aſſecurationis recipere, niſi ex vi contractus aſſecurationis: ſed ille contractus fuit nullus, vtpote per dolum & deceptionem celebratus, nam ſi mercator cognouiſſet impotentiam aſſecuratoris ad ſoluendum, non celebraſſet cum eo contractum, ſed potius cum alio, ergo rationabiliter eſt inuoluntarius, & per conſequens contractus eſt nullus. Ita Bañes 2. 2. *qu.* 78. *art.* 4. & alij. Hæc ſententia eſt probabiliſſima. Bañes.

Sed

Sed magis placet ſententia aſſerentium habentem in bonis ſolùm quingenta, non poſſe illa mille aſſecurare, ſed ſolum quingenta. Ratio eſt: Tum quia non cenſetur præſtitiſſe ſecuritatem mille, ſed quingentorum tantùm, quingentis autem reſpondet pretium quingentorum. Tum quia ſicut aſſecurator, qui non erat omninò certus de rei ſecuritate, & mercator, qui non erat omninò certus de rei interitu, poteſt aliquid recipere non ratione contractus præcisè, ſed ratione periculi, cui ſe expoſuit: ita qui non habet ſufficientia ad ſoluendum re pereunte, poteſt re ſalua retinere pretium reſpondens ſuis bonis, quamuis per ſuum deceptionem ſe exponat periculo reſarciendi omnia damna mercatoris poſtquam ad pinguiorem fortunam venerit. Ita Rebellus *part. 2. de obligat. iuſtit. lib. 16. quæſt. vnic. num. 11.* Bonacina *de contract. diſput. 3. quæſt 9. punct. 3. numero 4.* Lopez *de contract. libro 2. capite 16.*

Rebellus. Bonacina. Lopez.

3. Qui aſſecurauit merces per mare transferendas cum hoc pacto, vt nauigatio fieret menſe Maij, ſed Dominus nauis nauigauit menſe Nouembris, vbi caſu perit, non tenetur aſſecurans ad reſtituendum valorem mercium; imò Dominus nauis tenetur ad pretium aſſecurationis. Secus dicendum eſſet, ſi non fuit in culpa, ſed caſu fortuito, vel ex aliqua iuſta cauſa nauigationem diſtulit; tunc enim non tenetur ſoluere pretium aſſecurationis. Hinc qui conuenit cum alio de deferendis mercibus in vna naui magna & firmâ, ille autem detulit merces in alia minùs bona, quæ tamen perijt, non tenetur aſſecurans ſoluere valorem mercium, imò debetur ei pretium aſſecurationis, niſi in eodem itinere perijſſet vtraque nauis firma & minus bona. Hinc qui aſſecurauit merces licitas per mare vehendas, ſed Dominus nauis tranſuexit illicitas & prohibitas, ob quod fuerunt à fiſco comprehenſæ, non tenetur ſoluere pretium mercium, cùm Dominus nauis fuerit in culpa & dolo variando merces; vnde hoc ſibi debet imputari: quia inter alia quæ deſiderantur ad contractum aſſecurationis eſt, vt ille cuius merces aſſecurantur, ſeruet fideliter omnes conditiones & pacta appoſita in contractu, verbi gratia, vt nauis quæ aſſecurata eſt, non recipiat alia onera, quibus illa magis grauetur ac periclitetur, præter ea, quæ tempore contractus fuerunt expreſſa; non teneat aliam viam, nec dirigatur in alium portum, quàm fuit promiſſum aſſecuratori. Vide Sotum *lib. 6. de iuſtit. & iur. quæſt. 7. art. vnic.*

Sotus.

4. Si quis nauiganti mutuet mille aureos cum pacto & obligatione, vt mutuatarius cum eo faciat contractum aſſecurationis, per quem teneatur illi certum quid ſoluere pro quolibet centenario numero illorum aureorum, vſuram committit: quia obligatio quâ mutuatarius ſic adſtringitur, eſt quid pecuniâ æſtimabile: vnde fit, vt ſine vſura imponi nequeat ratione mutui. Nec refert quòd mutuans non niſi iuſtum pretium pro aſſecuratione accipiat; quia non ideò ipſe in tali caſu vſurarius dicitur, quòd ſupra iuſtum pretium aliquid accipiat, ſed quòd ex mutuo obligationem acquirat pretio æſtimabilem. Ita Nauarrus *in man. cap. 17. num 185.* Couarruuias 3 *variar cap. 2.* & alij communiter.

Nauarrus. Couar.

Quando autem contractus aſſecurationis non exigitur tanquam conditio ſine qua mutuans non vult mutuare, ſed mutuatarius ſua ſponte illum init cum mutuante, tunc nulla interuenit in eo vſura, quod mutuans aliquid vltra ſortem accipiat ratione periculi, eſto ſe ad eum contractum inuitet, modo præcisè id accipiat ratione periculi, quod in ſe ſuſcipit, & non ratione mutui. Imò in eo nullum interuenit peccatum, ſi pretium moderatum ſit, neque adſit ſcandalum, vt regulariter non aderit. Ratio eſt, quia ſuſcipere in ſe illud periculum, eſt pretio æſtimabile; poſſetque quicumque tertius, qui eumdem aſſecurationis contractum cum mutuatario celebraret, accipere competens pretium pro periculo illo ſubeundo; cùm ergo mutuans ex eo quòd cum mutuatario vtatur beneficio mutui, non ſit deterioris conditionis erga illum, quàm eſſet quicumque extraneus, conſequens eſt, vt ſi ſimul cum eo ineat contractum aſſecurationis, poſſit ratione periculi, quod in ſe ſuſcipit, accipere competens pretium vltra ſortem.

5. Hic contractus ex ſe licitus eſt: largire mihi tantum, & ego ſecurum te facio, quod in his nundinis, in quibus es aut ad quas proficiſceris, tantùm vel tantum lucraberis, ita vt, ſi minus lucreris, incrementum tibi ſoluam: Eſt enim contractus aſſecurationis, ac ſuſcepti periculi pro eo pretio. Ita Sotus *lib. 6. de iuſtit. q. 7. art. 1.*

Sotus.

ATTRITIO.

SVMMARIVM.

1 *Attritio vel contritio non eſt formaliter dolor de peccatis commiſſis, ſed eſt eſſentialiter actus deteſtationis & odij, quo quis nollet peccare.*

2 *Deteſtatio peccati prop. et gehennam pertinet ad virtutem ſpei.*

3 *Attritio ob fœditatem peccati quatenus ſit ſupernaturalis.*

4 *Ad remiſſionem peccati non ſufficit voluntas confitendi & recipiendi abſolutionem, ſed requiritur proprius dolor pœnitentiæ, etiam cum Sacramento.*

5 *Qualis & quanta eſſe debeat hæc pœnitentia, ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, referuntur variæ ſententiæ: vera tamen eſt illa, qua docet ſupernaturalem & integram attritionem ſufficere, ſiue illa cognita ſit, ſiue non.*

6 *In lege gratiæ non eſt diſpenſatum vel omnino ſublatum præceptum contritionis, ex eo quòd attritio cum Sacramento ſufficiat ad gratiam.*

7 *In attritione ſupernaturali non requiritur quòd habeat certam intentionem quoad gradum.*

8 *Vt attritio ſit ſupernaturalis & vera diſpoſitio ad Sacramentum, debet ipſum motiuum deteſtationis eſſe ſupernaturale, ſi non in ſe, ſaltem obiectiuè.*

9 *Attritio de mortalibus ex iuſta cauſa in confeſſione omiſſis, non eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, licet ſit diſpoſitio ad eius effectum.*

10 *Quando deeſt attritio peccati obliti ex ignorantia culpabili mortaliter, confeſſio eſt nulla; ſecus ſi ignorantia ſit inculpabilis.*

11 *In confeſſione venialium requiritur etiam attritio vera & ſupernaturalis.*

1. QVamuis à Theologis attritio & contritio dolor modò de peccatis commiſſis appelletur, modò deteſtatio ac fuga illorum; dicendum eſt tamen non eſſe formaliter dolorem de commiſſis peccatis, nec enim eſſentia contritionis aut attritionis in dolore, aut triſtitia conſiſtit, ſed eſſe eſſentialiter actum deteſtationis & odij, quo quis nollet peccare: quatenus peccatum eſt Dei offenſio & iniuria, & tunc eſt contritio: vel quatenus eſt malum quoddam quod nobis multa incommoda afferre poteſt & priuare beatitudine, & tunc eſt attritio: ex hac autem deteſtatione ſemper ſequitur dolor & triſtitia in peccatore, & ideò quia dolor ipſe indiuiduus

triduus comes est ipsius contritionis, vel attritionis seu potiùs ipsius actus detestationis, attritio & contritio dolor aliquando appellatur; ex eo enim quod intellectus fide illustratus consideret peccatum, vt Dei offensionem, & vt malum quod non potest non esse factum, sequitur dolor & tristitia in voluntate, eo quòd Deum immeritò offenderimus, qui dolor & tristitia sæpe mouet sensum, & hinc prorumpimus in lachrymas & gemitus. Ita Toletus *lib.3.Sum.cap.4. num.3.* Toletus.

2. Detestatio peccati propter gehennam pertinet ad virtutem spei. Nam eiusdem priuilegij est amare aliquod bonum, & odio habere contrarium malum. Cùm ergo hic actus fundetur potissimè in timore gehennæ, quæ directè opponitur vitæ æternæ, quam spes intendit, fit, vt huiusmodi actus ad eandem virtutem pertineat, & eandem supernaturalitatem habeat. Et ita etiam obiter intelligitur quo modo in peccatoribus maneat sufficiens principium huius actus, quia cum fide spes etiam in illis permanet, licet aliqui censeant non esse necessarium vt ab aliqua virtute hic actus procedat: quia est, inquiunt, imperfectus talis actus: virtutes autem sunt propter actus perfectos. Sed hoc non rectè dicitur: tum quia ille actus non est imperfectus priuatiuè, sed negatiuè tantùm, id est, non tam perfectus sicut contritio: virtutes autem etiam sunt ad huiusmodi actus imperfectos: alioquin vna sola charitas esset nobis infundenda: tum etiam quia ille actus supernaturalis est, cùm sit sufficiens dispositio ad gratiam cum Sacramento, vt sensit Concilium Tridentinum: quod propterea dixit talem actum esse ex motione Spiritus Sancti, actus autem supernaturalis, vt debito modo fiat, requirit habitum, & consequenter virtutem à qua eliciatur. Ita Suarez *tom.4.in 3.parte disputatione 5.sect. 2. num.10.* Suarez.

3. Attritio ob fœditatem peccati ideò supernaturalis est, quia procedit ex illo motiuo, quod in vnaquaque virtute morali per se infusa reperitur: huiusmodi autem motiuum in vnaquaque virtute sumendum est, per conformitatem ad regulam & rationem supernaturalem in propria materia: nam in vniuersum ratio virtutis moralis consistit in hoc, vt in materia morali operetur secundùm conformitatem ad rectam rationem. Vnde, quando illa conformitas sumitur per comparationem ad meram rationem naturalem, virtus est acquisita, cuius actus tam in prosecutione boni honesti in tali materia, quàm in detestatione mali oppositi, naturalis est. Quando verò illa conformitas sumitur per comparationem ad reuelatam regulam, & ad rectam rationem vt eleuatam ad supernaturalem ordinem, tunc virtus est infusa, & actus eius tam in prosecutione boni, quàm in fuga mali supernaturalis est. Et hæc est attritio de qua loquitur Concilium Tridentinum *sess. 14. cap.4. de Sacram. pœnit.* quod ponit diuisionem contritionis imperfectæ seu attritionis, in eam quæ est ex metu gehennæ, vel quæ est ob fœditatem peccati; & hæc diuisio no solùm congrua est, sed etiam adæquata. Conc.Trid.

4. Quorumdam sententia fuit, nullam formalem pœnitentiam requiri ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, sed sufficere voluntatem confitendi, & recipiendi absolutionem, dummodo pœnitens nullum actum habeat, quo formaliter vel virtualiter peccato adhæreat: nam ipsa voluntas confitendi est quædam virtualis pœnitentia, quia est voluntas abijciendi peccatum & recuperandi diuinam gratiam. Ita sentit Syluester, *verb. Confessio. 1.q.21.* & tribuit Soto, qui in 4. *d.14. quæst.4. art.3.* id clarè affirmauit de Baptismo: de pœnitentia verò solum ait, quod *licet homo accedat parum attritus, iustificabitur.* Hæc sententia hoc tempore improbabilis est & temeraria: nam apertè videtur damnata in Concilio Trident. quod *sess.6. cap. 7. & 14.* requirit ad remissionem peccati proprium dolorem pœnitentis; etiam cum Sacramento. Et *sess.14.cap.4.* concludit. *Ecclesiam numquam docuisse, aut sensisse Sacramentum hoc pœnitentiæ dare gratiam sine proprio motu pœnitentis.* Tum quia necessitas interioris pœnitentiæ, non est ablata in lege noua, cùm in illa etiam prædicata sit, & ad Baptismum in adultis etiam requisita. Nec etiam satis est, vt quidam aiunt, quòd pœnitens displicentiam habeat quòd de peccato non dolet; quòd significauit Nauarrus *in man. cap. 10. num.4.* quia si illa displicentia est efficax, non erit sola, sed secum afferet dolorem de peccato; si verò solùm sit velleitas, non sufficit ad mutandam voluntatem, & consequenter, neque ad veram pœnitentiam. Conc.Trid. Nauarrus.

5. Posito quòd aliquis formalis actus pœnitentiæ sit necessarius ad effectum Sacramenti, grauis est difficultas, inter Theologos, qualis & quanta esse debeat hæc pœnitentia, vt sit sufficiens ad effectum Sacramenti pœnitentiæ. Quorumdam sententia est, requiri verum & perfectum motum contritionis; & hunc motum ita esse necessarium, vt si in re ipsa non habeatur, etiamsi pœnitens bonâ fide accedat, putans se esse contritum, nihilominus non iustificetur, quamuis in eius susceptione non peccet. Sic tenent Magister Sentent. *in 4. dist.18.* & ibi D. Bonauentura *art.2. quæst.1.* Gabriel, Maior, Medina, Adrianus, Petr. Soto. Ratio illorum est, quia contritio ex lege connaturali gratiæ, est medium necessarium ad salutem: Lex autem gratiæ non destruit naturam, sed perficit; ergo non abstulit medium necessarium, & consequenter post institutum pœnitentiæ, non potest auferri peccatum, sine vera contritione. Tum quia non obstante institutione Sacramenti, pœnitentia interior est necessaria ad remissionem peccati, quia Scriptura Sacra hanc pœnitentiam postulat, vt necessariam; sed pœnitentia interior, quam Scriptura petit, est vera contritio, quia attritio numquam per se fuit necessaria, ergo. Alij requirunt etiam contritionem vt necessarium, per se loquendo, ideoque semper esse necessariam, vt homo bona fide accedat putans se esse contritum, ad hoc saltem, vt excusetur ab actuali peccato, accidere tamen posse existente hac bona fide, vt homo cũ sola attritione iustificetur atque ita fiat ex attrito contritus, non per mutationem ipsius actus, sed per solam habituum infusionem: vnde iuxta hanc sententiam sola attritio in re est sufficiens dispositio ad effectum Sacramenti; homo verò ipse habet præceptum accedendi cum contritione, vel ex naturali præcepto contritionis, quod non est sublatum per institutionem Sacramenti, saltem per se loquendo: vel ex naturali præcepto, quo tenemur Sancta Sanctè tractare, ac propterea non accedere scienter ad Sacramentum suscipiendum in statu peccati mortalis, vel quia in Sacramento pœnitentiæ debet fieri accusatio exterior quæ procedat ab interiori proportionata: sed exterior confessio debet esse de peccato, quatenus offensa Dei est, ergo per se loquendo, requirit contritionem ex proprio & speciali præcepto. Et ideò qui scienter & videns sine illa confitetur, indignè confitetur, & non potest effectum Sacramenti consequi: si autem propter ignorantiam à peccato excusetur, iam non ponit obicem Sacramento ideoque obtinebit effectum. Hanc opinionem tenuit Victoria, Sotus, Vega, Nauarrus, *in man. capite 1. numero 36. & 42.* & alij. Magister. Sentent. D Bonau. Gabriel. Maior. Medina. Adrianus. Petr. Soto. Victoria. Sotus. Vega. Nauarrus.

Verior

Digitized by Google

Verior tamen ſententia hoc tempore poſt Concilium Tridentinum aſſerit, vt Sacramentum pœnitentiæ conferat ſuum effectum, ſufficere veram, ſupernaturalem & integram attritionem peccatorum, ſiue illa cognita ſit, ſiue non, & in hoc ſenſu efficaciam habere ad efficiendum hominem ex attrito contritum, & non requiri inſuper, quòd huiuſmodi attritio putetur contritio, vt peccatores per eam fructum gratiæ accipiant. Ita ante Concilium D. Thomas *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art 5 quæſt. 1.* & *d. 18. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1.* Scotus *in 4. d. 14. quæſt. 4. art. 1.* Paludanus, Adrianus, D. Antoninus, Sylueſter. Poſt Concilium Suarez *de pœnitent. diſp. 20. ſect. 1. num. 10.* Henriquez *lib. 1. de pœnit. cap. 26.* Vaſquez *in 3. p. tom. 4. quæſt. 91. a. 1. dub. 2.* Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 193.* Syluius *in ſupplem. 3. part. quæſt. 1. art. 3.* Fagundez *præcept. 2. Eccleſ. lib. 1. cap. 5. num. 11.* & alij communiter. Probatur hæc ſententia ex Tridentino *ſeſſ 14. c. 4. de pœnit.* ibi. *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, declarat Sancta Synodus eſſe donum Dei non adhuc inhabitantis, ſed mouentis*, & infrà: *& diſponere peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam, licet per ſe ſine Sacramento ad iuſtificationem illum perducere nequeat.*

D. Thom. Scotus. Paludanus. Adrianus. D. Antonin. Sylueſt. Suarez. Henriq. Vaſquez. Diana. Syluius. Fagundez. Conc. Trid.

Vidę quæ diximus *tom. 1. v. Attritio num. 4. verſ. Cæterum.*

6. Cùm attritio ſupernaturalis ſufficiat cum Sacramento pœnitentiæ ad iuſtificationem peccatorum; quæres, an propter hoc in lege noua diſpenſatum ſit, vel omninò ſublatum præceptum contritionis, & ideò non neceſſarium? Videtur enim omninò eſſe ſublatum, vel diſpenſatum, quia præceptum contritionis inſtitutum fuit à Chriſto Domino tanquam medium neceſſarium lapſis ad ſalutem; ergo ſi extra hoc medium per attritionem & Sacramentum poteſt peccator conſequi ſalutem, ſequitur quòd præceptum contritionis neceſſarium non ſit, ac proinde ſublatum? Dicendum tamen eſt in lege gratiæ non ideò diſpenſatum eſſe, aut omninò ſublatum præceptum contritionis, quòd poſſit homo alia via gratiam conſequi. Probatur prima pars, quia multis medijs inſtitutis à Chriſto Domino poteſt homo gratiam comparare, & tamen quando vno medio comparatur, non ideò diſpenſatur in alijs, ſed ſtante vno medio non obligat aliud. Probatur ſecunda pars, quia quando medium confeſſionis ex defectu confeſſarij applicari non poteſt, obligat præceptum contritionis: ergo non eſt omninò ſublatum. Deinde quia quamuis præceptum contritionis non obliget hominem iam iuſtificatum per Sacramentum pœnitentiæ & attritionem, obligat tamen illum in ea temporis differentia, qua Sacramentum pœnitentiæ in re ſuſcipi non poteſt. Ita docent communiter Doctores.

7. Vt ſit digna ac neceſſaria diſpoſitio ad impetrationem gratiæ in Sacramento pœnitentiæ ſufficit quòd dolor & attritio ſit ſupernaturalis; & non requiritur quòd habeat certam intenſionem quoad gradum, vna enim attritio cum Sacramento pœnitentiæ & vnica contritio, vel remiſſa extra illud poteſt delere quodcumque peccatum etiam grauiſſimum. Ratio à priori, ob quam quælibet vera contritio, ſeu attritio etiamſi remiſſa admodum ſit cum Sacramento pœnitentiæ quodlibet peccatum quantumuis grauiſſimum auferat, eſt, quia ex attrito cum Sacramento fit homo contritus, & vbi datur contritio datur gratia: minimus autem gradus gratiæ ſufficit ad expellenda omnia peccata, & ad reddendos peccatores ex inimicis amicos Dei, vt paſſim Doctores atteſtantur.

8. Ex motiuo naturali non poteſt haberi actus contritionis vel attritionis ſupernaturalis, qui ſit ſufficiens diſpoſitio ad Sacramentum confeſſionis: quia debet ſemper ipſum motiuum deteſtationis eſſe ſupernaturale, ſi non in ſe, ſaltem obiectiuè, vt attritio ſit ſupernaturalis & vera diſpoſitio ad Sacramentum. Si dicas, voluntatem pœnitentis ferri immediatè in actum deteſtationis, ſeu attritionis ob motiuum naturale, atque ex motiuo naturali, ex metu ſcilicet infamiæ temporalis reſultantis ex peccato mortali aut ex metu gehennæ & aliarum pœnarum inferni, qui metus naturalis eſt? Reſpondeo talem metum tunc non eſſe ſimpliciter naturalem, ſed eſſe obiectiuè ſupernaturalem, nam quamuis voluntas immediatè feratur in ipſum actum deteſtationis peccati, ſeu attritionis ex metu pœnæ temporalis, aut pœnæ inferni: tamen non in illum fertur, vt hæc pœna inferenda eſt à Deo, vt eſt Auctor naturæ, ſed vt Auctor gratiæ, quam per peccatum amiſimus, in quem actum neceſſariò fertur ipſa voluntas, niſi expreſsè velimus iſtere in præciſa deteſtatione ob meram pœnam temporalem: vnde licet ex metu pœnarum temporalium conſurgat & moueatur voluntas ad actum attritionis eliciendum, tamen cùm de facto & actu elicit, elicit illum immediatè ob expreſſum motiuum, quo timet offenſam Dei ob pœnas inferni, vel alias temporales, atque adeò ex motiuo ſupernaturali. Ita Doctores citati *tom. 1. noſtra Sum. verb. Attritio num. 3. edit. 3. §. Tamen.*

9. Attritio de mortalibus ex iuſta cauſa in confeſſione omiſſis non eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, licèt ſit diſpoſitio ad effectum. Ratio eſt, quia neque informat confeſſionem, nec fit ſenſibilis per illam, ſed merè interior manet; eſt tamen neceſſaria ad eius valorem: quia ille, qui confitetur, ex generali lege Sacramentorum, tenetur non ponere obicem effectui Sacramentali: ille autem, ſi habet conſcientiam peccati, tenetur agere pœnitentiam illius proportionatam Sacramento, & ex illo capite tenetur dolere de peccato illo, quod in confeſſione tacet: quia licet tunc non requiratur dolor ad accuſationem eius, eo quod non ſit futura: eſt tamen neceſſarius ad tollendum obicem & dignè ſuſcipiendum Sacramentum: ac proinde, ſi voluntariè omittatur, in ipſa confeſſione actuale peccatum cõmittitur, quod repugnat valori Sacramenti. Ita Suarez *tom. 4. de pœnit. diſp. 20. ſect. 4. num. 24.* Suarez.

10. Si ex ignorantia culpabili mortaliter deſit attritio peccati mortalis etiam in confeſſione obliti quod eſt materia neceſſaria talis confeſſionis, tunc confeſſio erit nulla. Ratio eſt, quia deficit vniuerſalis attritio, vera & efficax; ſi tamen ignorantia eſt inculpabilis, confeſſio erit valida, cum obligatione confitendi peccatum illud, cuius veram attritionem non habuit, ſi poſtea defectum commiſſum recognoſcat: quia carentia attritionis circa illud peccatum, ſolùm eſt defectus materialis integritatis qui non eſt contra ſubſtantiam Sacramenti. Vnde ita iudicandum eſt de vniuerſitate attritionis & eius defectu, ſicut de integritate confeſſionis, eiuſque defectu. Nam attritio, quatenus eſt pars Sacramenti, confeſſioni copulatur, quia & per illam ſenſibilis fit, & propter eius veritatem requiritur. Sicut ergo confeſſio illa, in qua peccatum aliquod omninò tacetur ob inculpabilem obliuionem, valida eſt, licet materialiter non ſit integra, eadem ratione illa attritio eſt tunc ſufficiens ad veritatem Sacramenti, quia eſt vera & ſupernaturalis & de omnibus peccatis ritè confeſſis, ſeu quæ pœnitens hic & nunc potuit ita confiteri, vt ex ſola confeſſione illorum Sacramentalem confeſſionem

&

Digitized by Google

& formaliter integram faciat. Ita Suarez *proximè citatus num. 26.* Suarez.

11. Attritio vera & ſupernaturalis eſt neceſſaria in Sacramento pœnitentiæ, etiamſi tantùm peccata venialia quis confiteatur. Ratio eſt, quia ad hoc, vt confeſſio ſit formaliter vera & valida, requiruntur eius partes eſſentiales, & integrales, inter quas in Sacramento ad minus vna eſt attritio vera, ergo. Confirmatur, quia licet pœnitens non teneatur confiteri peccata venialia; tamen dum ſponte vult illa ſubijcere clauibus Eccleſiæ tenetur debito modo ea ſubijcere, & ſic ad minus habere attritionem, vt communiter tradunt Theologi.

AVARITIA.

SVMMARIVM.

1 *Auaritia conſiſtens in appetendo, tribus modis ſit peccatum mortale.*
2 *Auaritia in acquirendo de ſe eſt peccatum mortale, niſi paruitas materiæ excuſet.*
3 *Auaritia in retinendo, in tribus caſibus, eſt peccatum mortale.*

1. AVaritia conſiſtit in tribus, ſcilicet, in appetendo, in acquirendo, in retinendo inordinatè diuitias.

Auaritia conſiſtens in appetendo, tribus modis poteſt eſſe peccatum mortale; *Primò*, appetendo habere animo deliberato aliquid notabile alienum illicito modo puta non dato pretio, vel re non petita; quia eſt contra illud præceptum. *Non concupiſces, &c.* Si tamen res eſſet parui valoris, vel non eſſet aliena, vel non eſſet concupita haberi modo illicito, non eſſet mortale ſed veniale, vel nullum. *Secundò*, appetendo aliquid illicitum appetenti, puta beneficium Eccleſiaſticum, cum ſit indignus. *Tertiò*, appetendo ſuperflua appetitu, qui præponderet appetitui charitatis Dei vel proximi, puta, quia propter amorem diuitiarum quis non veretur facere contra Dei & proximi charitatem: ſed iſte appetitus non eſt peccatum actuale, niſi quando quis actu de hoc cogitat; volens potius peccare mortaliter quàm non conſequi aliquid diuitiarum, vel quãdo ex iſto appetitu ſit aliqua actualis tranſgreſſio.

2. Auaritia in acquirendo eſt peccatum mortale, quantum eſt ex ſua ratione, niſi res ſit modica. Ratio eſt, quia omnis illicita acquiſitio eſt contra iuſtitiam, & omne quod eſt contra iuſtitiam, ex ſuo genere eſt mortale, vt tradunt communiter Doctores, quod dupliciter fieri poteſt, *Primò*, quando acquiſitio fit per iniuſtitiam, vt furando, fœnerando & huiuſmodi. *Secundò*, quando fit per actus, qui etiam ſine acquiſitione eſſent peccata mortalia, vt cùm quis turpiter agit cum muliere diuite, vt inde ditetur, vel lucretur & huiuſmodi: & tunc eſt quidem peccatum vnum, ſed duas habet deformitates.

3. Auaritia in retinendo eſt peccatum mortale in tribus caſibus. *Primò*, quando quis retinet ea quæ reſtituere tenetur, & poteſt, & hoc eſt mortale toties quoties, hoc deliberat *cap. ſepe de reſtitut. ſpol.* imò & ſi non deliberat, ſed omittit reſtituere, quando occurrit tempus, locus & caſus in quo reſtituere tenetur: vt diximus *tom. 1. noſtræ Summæ verb. Reſtitutio. Secundò*, quando quis retinet ea quæ ſunt ſuperflua neceſſitati ſuæ & ſuorum, videns aliquem in extrema neceſſitate: quia tenetur ei de tali ſuperfluo, etiamſi illud eſſet neceſſarium

ad decentiam ſtatus, ſubuenire. Ita communiter Doctores citati *tom. 1. verb. Eleemoſyna num. 4.* Tertiò, quando quis retinet ſuperflua non ſolùm neceſſitati ſuæ & ſuorum, ſed etiam decentiæ, & videt alium indigentem ad neceſſitatem, vel ad decentiam ſtatus: quia de ipſis tenetur erogare eleemoſynam, etiam non exiſtentibus in extrema neceſſitate. Vt habet quorumdam ſententia valde probabilis, qui à nobis citantur, *dicto loco num. 5.*

AVOCATIO CAVSARVM.

SVMMARIVM.

1 *Generales regularium poſſunt auocare ad ſe cauſas pendentes coram inferioribus Prælatis.*
2 *Idem poſſunt Prouinciales, dummodò hoc non prohibeatur à conſtitutionibus ordinis vel à Generali.*
3 *Superior Maior non poteſt abſque cauſa auocare ad ſe cauſas; alias peccat contra charitatem; imò etiam contra iuſtitiam.*
4 *Probabilius eſt auocationem cauſa factam ſine cauſa ſemper eſſe nullam.*
5 *Prælatus Superior regularis non tenetur exprimere rationem, ob quam cauſam auocet.*
6 *Auocata cauſa cum decreto irritante, alia inferioris iudicia ſunt nulla, etiam auocatione ignorata.*
7 *Si auocatio cauſæ fiat ad inſtantiam partis cum decreto irritante, ante intimationem actæ inferioris iudicia ſunt etiam nulla: valida tamen ſunt, ſi pars nolit auctatione vti.*

1. CVm ex decreto Sacræ Congregationis Eminent. DD. Cardinalium relato ſupra *verb. Archiepiſcopus numero primo*, prohibitum ſit, ne Superiores, vt Metropolitani, Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, etiam Nuntij, vel Legati à latere ſpecificam facultatem maiorem non habentes, cauſas in curijs Ordinariorum, vel aliorum iudicum pendentes ad ſe aduocent, niſi per viam appellationis legitimæ ad ipſorum tribunalia deferantur; & cùm Generalis alicuius Religionis æquiparetur Archiepiſcopis, vel Patriarchis, vt notant Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 12. art. 5 poſt medium.* Hieronymus Rodriguez *in compendio reſolut. 68. numero 7.* Miranda *in manual parte 2. quæſtione 7. articulo primo, concluſione prima*, qui vltimus docet licere Generalibus Ordinum, quod licet Archiepiſcopis, & prohiberi, quæ ipſis prohibita ſunt; ex hoc videtur ſequi, quòd non poſſit Generalis ad ſe auocare cauſas inferiorum Iudicum. Decretum Sac. Congr. Rodriguez. Hier. Rodr. Miranda.

Oppoſitum tamen eſt certum, ob differentiam, quæ eſt inter Generales, & Patriarchas, ſeu Archiepiſcopos: Et fundatur in voto obedientiæ, quo omnes religioſi Generali Ordinis obſtringuntur: & ideò ratione maioris obligationis & ſubiectionis in ſubditos, poſſunt ad ſe auocare cauſas. Ratio eſt. Ideò non poſſunt Archiepiſcopi auocare cauſas Epiſcoporum ſuffraganeorum, quia non habent iuriſdictionem, ſeclusâ appellatione, ſuper ſubditos Epiſcopi: At è contrario Generales ſibi ipſis immediatè ſubijciunt ſubditos omnes aliorum ſuperiorum, vt conſtat ex conſuetudine; nam Generalis exercet immediatam iuriſdictionem in ipſos, concedendo & prohibendo aliqua, ipſos transferendo de loco ad locum, &c. & ratione voti obedientiæ,

Digitized by Google

quo quiſque immediatè ſe obligat toti Religioni, atque adeò Capiti ipſius; Et ideò vt immediatus ſuperior & maioris authoritatis poteſt ſibi aſſumere cauſam pendentem coram iudice inferiori; quia non eſt magis iudicis inferioris, quàm ſui ipſius. Tum quia voluntas Prælati inferioris ſubijcitur voluntati Superioris ratione voti obedientiæ, vnde non poteſt eſſe efficax contra voluntatem Superioris, imò nec iuſta: quia ratione voti ex iuſtitiâ obligatur ſe conformare cum voluntate Superioris. Ergo ob huiuſmodi ſubordinationem & dependentiam eſt in poteſtate Generalis, quòd Prælatus inferior proſequatur cauſam coram ſe pendentem, vel non proſequatur. Hoc tamen limitandum eſt, niſi aliter per ſpeciales conſtitutiones alicuius Religionis ſtatuatur, aut in ſpeciali, aut in generali. Ita docet Suarez *tom. 4. de relig. tractat. 8. lib. 2. de religioſis prælat. &c. numero 15. & 16.* Lezana *part. 1. Sum. capite 18. numero 87.* Suarez. Lezana.

2. Prouinciales poſſunt ad ſe auocare cauſas Prælatorum inferiorum ſibi ſubditorum, dummodo hoc non prohibeatur à Conſtitutionibus Ordinis, nec Generalis hoc ſibi reſeruet. Ratio eſt, quia Prouinciales ſunt Prælati Generales totius Prouinciæ, quibus omnes de illa Prouincia ſubijciuntur: & cùm hæc ſubiectio ſit fundata in voto Obedientiæ, ratione cuius tenentur inferiores in omnibus obedire, trahit ſecum conditiones talis voti: atque facit quod voluntas Prælatorum inferiorum ſit ſubiecta voluntati ipſorum, ne poſſit eſſe efficax & iuſta, ſi ſit contra ipſam; & quod iuriſdictio illorum ſit ſubordinata iuriſdictioni Prouincialium, & ſub iure ipſorum. Vnde ob eaſdem rationes quibus poteſt Generalis auocare ad ſe cauſas inferiorum Superiorum, poſſunt etiam Prouinciales. Ita Suarez *tom. 4. de relig. tractatu 8. libro ſecundo, capite ſecundo, numer. 16.* Suarez.

3. Non poteſt Superior Maior abſque cauſa auocare ad ſe cauſas pendentes coram ſuperioribus minoribus. Ratio eſt, quia licet Superior inferior habeat totam ſuam iuriſdictionem ſubordinatam Superiori Prælato, adhuc tamen eſt propria ipſius, & debet ab ipſo adminiſtrari. Ergo ſi illa priuetur abſque rationabili cauſa, fit illi iniuria grauis: quia priuatur illa facultate, quæ ipſi conuenit ratione muneris. Quòd enim Prælati ſuperiores habeant ſibi ſubordinatos inferiores, non dicit, quòd poſſint de ipſis atque ipſorum iuriſdictione ad libitum diſponere, ſed tantùm ſecundùm exigentiam rationis, & in ordine ad bonum communitatis. Ergo non poſſunt ſine rationabili cauſa reſtringere authoritatem & iuriſdictionem inferiorum Prælatorum. Ex quo patet, quod Prælatus auocans ad ſe ab inferiori cauſas abſque rationabili cauſa, peccet contra charitatem: quia non ſe gerit cum proximo iuxta illam primam regulam operandi, *Quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Facit etiam contra iuſtitiam legalem; peruertit enim irrationabiliter ordinem inſtitutum ad dirigendam communitatem; vnde perturbatur communitatis bonum quod conſiſtit in illa menſura & modo debitæ regulationis ſecundùm præſcriptam normam rectæ rationis. Regulæ autem rectæ rationis exigunt, quòd Prælatus inferior abſque rationabili cauſa non priuetur ſuâ iuriſdictione, aut in illa impediatur. Ita Suarez *tom. 4. de relig. tractat. 8. lib. 2. cap. 2. numero 23.* Lezana *part. 1. Sum. cap. 18. numero 87.* An autem Prælatus peccet tunc contra iuſtitiam? Reſpondet Suarez hoc eſſe incertum, Suarez. Lezana.

quia non videntur religioſi habere tam proprium dominium circa hæc iura, vel officia: Dicendum tamen eſt, peccare contra iuſtitiam: quia ipſa quoque intercedere poteſt inter religioſos quoad ea, quæ regula facit propria ſingulorum, & concernunt ſtatum regularem, vt ſunt adminiſtrationes, officia, Prælaturæ & alia huiuſmodi. Ita Paſqualigus *in deciſione moral. deciſione 62.* Paſqualig.

4 Dubium eſt; an auocatio cauſæ ſine cauſa ſit valida? Videtur affirmatiuè reſpondendum, ex eo quòd voluntas Superioris Prælati potentior ſit abſolutè, & nulla lex factum irritet, nec ex rei natura irritatur, quia multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent. Deinde maior ratio habenda eſt in his actibus boni communis, quàm priuatæ iniuriæ: ad bonum autem commune ſpectat, vt talis reſtrictio timeatur & ſeruetur, etiamſi inualida appareat. Hæc ſententia eſt probabilis; quam ſuſtinet Suarez *citat. capite 1. numero 25.* qui tamen addit, quòd ſi huiuſmodi reſtrictio contineret intolerabilem errorem contra bonos mores clarè & euidenter, non eſſet valida, ſed omninò nulla. Dicendum tamen eſt, ſemper eſſe nullam quotieſcumque fit abſque legitima cauſa, quæ talis eſt & cenſetur, quando expediens eſt reſtringi iuriſdictionem inferioris Prælati ad vitandum malum, quod alioquin ſequeretur. Ratio eſt, quia omnis actus, qui fit abſque ſufficienti iuriſdictione & poteſtate, eſt nullus ex natura rei. Superiores autem maiores, etiam Generales, non habent facultatem, ſeu iuriſdictionem cauſas ad ſe auocandi abſque rationabili cauſa: quia ita ſunt Superiores vt non ſint Domini, ſed adminiſtratores Religionis: vnde eam debent adminiſtrare ſecundùm præſcriptum regulæ: regula autem non permittit auocationes cauſarum abſque rationabili cauſa. Quamuis enim de hoc nihil ſpecialiter decernat: quia tamen præſcribit ordinem inſtitutum pro regimine, & ſecundùm hanc præſcriptionem dat ſuam ſpecialem iuriſdictionem Prælatis minoribus, & obligat Prælatos maiores ad adminiſtrandam Religionem ſecundùm ordinem præſcriptum; ideò ipſos quoque obligat, vt non poſſint ipſum peruertere, niſi bonum commune id exigat peruerti: Vnde ſi fiat auocatio, erit nulla defectu poteſtatis Ita Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ. 63.* Paſqualig.

5. Quando Prælatus Superior auocat ad ſe cauſas ab inferiori, non eſt neceſſe, quòd in auocatione exprimatur motiuum, ob quod fiat auocatio cauſæ, nec obligatur auocans ad reddendam cauſam. Colligitur ex *cap. Ceterum &* *cap. Paſtoralis §. vltim. de reſcriptis*, & ex *cap. ſane 2. de offic. Delegati.* Ratio autem eſt, quia Prælatus Superior auocans ad ſe cauſas ab inferioribus, agit tanquam Superior vtens ſua poteſtate in inferiores, per quam poteſt eorumdem iuriſdictionem reſtringere; cùm autem Superior non teneatur reddere rationem inferioribus ſuarum operationum, quia non eſt ab ipſis iudicandus, ideò neque tenetur ipſis aſſignare cauſam, ob quam cauſas ad ſe auocet.

6. Acta iudicis inferioris facta poſt auocationem cum decreto irritante eadem acta, non ſunt valida, ſed omnino vt nulla reijcienda, etiamſi ab illo ignoretur auocatio. Ratio eſt, quia decretum irritans reprobat ipſa acta; vnde quando fiunt, non ſinit recipi tanquam acta publica, & tanquam acta illius iuriſdictionis, à qua proueniunt, vt deſumitur ex cap. *ſi poſtquam*, & *cap.*

Dubium

Digitized by Google

Dubium 5. conſiderantes, & cap. *Quidam per literas de prabend. in 6.* Ita Couarruuias *in pract. quæſt. cap. 9. num. 7. verſ. Prima concluſio.* Qui citat Felinum, Imolam & alios. Hinc quando ponitur clauſula irritans, ſtatim ſortitur effectum & afficit prohibitione etiam ignorantes, ſeu inſcios: vt notant communiter Doctores in *cap ſi beneficia, de prabend. in 6.* & in *cap. 2. de conſtitut.* Nec refert quòd lex non obligat ignorantes & inſcios: ad quod reſpondetur, aliud eſſe obligare inſcios, & aliud irritare facta inſciorum, ſeu ignorantium decretum. Decretum irritans in hoc comparatur legi, quod neque ipſum obligat inſcios ad non facienda aliqua acta: & proinde non poſſunt puniri, ſi illa faciant; ſupra tamen legem hoc habet, quòd reddit nulla quæ fiunt contra ipſum.

Couar.

7. Si auocatio cauſæ fiat ad inſtantiam partis cum decreto irritante, ante intimationem acta inferioris iudicis adhuc ſunt nulla: quia adeſt decretum irritans; quod ſemper habet eamdem vim annullandi: cùm innitatur eidem poteſtati, & iuriſdictioni, ſiue fiat ad inſtantiam partis, ſiue non: Tamen cùm fit auocatio ad inſtantiam partis, valent quæ fiunt à iudice inferiori, ſi pars nolit vti auocatione ſibi conceſſa, non obſtante decreto irritante. Sicut enim quis poteſt proprio iuri renunciare; ita etiam ijs, quæ in eiuſdem fauorem fiunt, non obſtante decreto irritante, quia etiam tali decreto renunciat: vnde poſitâ renunciatione perinde ſe habet, ac ſi non fuiſſet factum. Ita Couarruuias *in pract. quæſt. c. 9. nu. 7.* Felinus *in cap. Caterum num. 18. de reſcriptis* & alij. Plura de hac materia cernere licebit apud Paſqualigum *in deciſ. moral. deciſ. 67. & ſequent.* & apud Couarruuiam *loco citato cap. 9. num. 8.*

Couar. Felinus.

B.

BAPTISMVS I.

Quoad eius nomen, iuſtitutionem & neceſsitatem.

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmi Sacramentum variis nominibus inſignitur.*

2 *Baptiſmus non fuit inſtitutus Matthæi 28. nec Ioannis 3. Sed Matthæi 3. cùm à Ioanne baptizatus in Iordane fuit Chriſtus.*

3 *Inſtitutio Baptiſmi inchoatiuè & in myſterio facta fuit in Baptiſmo Chriſti.*

4 *Baptiſmus ante Chriſti mortem non aperuit ianuam regni.*

5 *Baptiſmus eſt vnicum Sacramentum in eſſentia & ſpecie vltima: at verò multiplicatur numericè pro diuerſitate ſubiectorum in quibus recipitur.*

6 *Baptiſmus Chriſti non fuit neceſſarius neceſſitate medij aut præcepti, ante Chriſti mortem.*

1. INTER Sacramenta nouæ legis, primum locum obtinet Baptiſmus; nam eſt veluti ianua quædam, quâ in Eccleſiam Dei ingredimur, & mundati à peccatis, in filios Dei regeneramur, hæredes regni inſtituimur, & ius ad reliqua Sacramenta, gratiaſque ſpirituales acquirimus.

Hoc Sacramentum Baptiſmi varijs nominibus inſignitur: nam *Primò* vocatur regeneratio: quia quamuis quælibet hominis iuſtificatio, poſſit hoc nomine notari, peculiariter tamen conuenit Baptiſmo, quia per illum fit ſanctificatio ſimpliciter & abſolutè prima & funditus deſtruitur peccatum, & ex membro Adæ, fit homo membrum Chriſti & filius Dei. *Secundò*, ſignaculum, ſeu ſigillum, propter characterem, quo ſignatur homo, vt ouis Chriſti. *Tertiò* cuſtodia ſeu præſidium, quia cuſtodit animam in bono conſerendo auxilium ſpeciale & comprimendo vires Dæmonis. *Quartò*, Illuminatio ex Apoſtolo ad Hebræos 6. & 10. quia Baptiſmus eſt Sacramentum fidei quâ illuminantur fideles, & hæc vox frequens eſt apud antiquos Patres. *Quintò*, ſigillum fidei, quia in eo fit prima ac ſolemnis fidei profeſſio. *Sextò*, vocatur donum, ſeu gratia, quia confert liberaliſſimam culpæ & pœnæ remiſſionem, primamque gratiam, ſine vllo præcedenti merito. *Septimò*, vnctio, vel ab externa vnctione, quæ in Baptiſmo adhibetur, vel ab interiori vnguento, quo efficimur participes regni & Sacerdotij Chriſti. *Octauò*, principium & ianua Sacramentorum, quia per illum acquirit homo ius ad cætera Sacramenta recipienda, & fit capax gratiæ Sacramentalis. Vide D. Thomam *3. p. q. 66. art. 1. ad 1.* Et Suarez *ibidem*, Syluium *ibid. art. 1.*

D. Thom. Suarez. Syluius.

2. Baptiſmus non fuit inſtitutus Matth. 28. cum Dominus aſcenſurus in cœlum, dixit Apoſtolis, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*: nec Ioannis 3. cùm dixit Nicodemo, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.*

Sed Matthæi 3. cùm à Ioanne baptizatus fuit in Iordane. Probatur prima pars, quia diſcipuli baptizabant Baptiſmo Chriſti initio prædicationis eius, vt patet Ioannis 4. ergo tunc iam inſtitutum erat hoc Sacramentum: quia vſus Sacramenti ſupponit aut continet inſtitutionem eius. Probatur ſecunda pars, quia Sacramentum eſt cæremonia quædam perpetua, in vtilitatem multorum inſtituta, ergo non debuit inſtitui in priuato colloquio, præſertim nocturno, ſed neceſſaria fuit præſentia aliquorum quibus innoteſceret inſtitutio tanti Sacramenti. Tertia pars eſt ſententia communis, & ſumitur ex antiquis Patribus & ex ratione: nam tunc Chriſtus deſignauit materiam Baptiſmatis, & forma ſatis apertè fuit indicata, cùm tota Trinitas peculiariter ibi ſe oſtendit. Itaque D. Hieronymus in cap. 3. Matthæi dicit Chriſtum contactu ſuo, tunc aquas ſanctificaſſe, & Theologi communiter dicunt, illo contactu, virtutem regeneratiuam aquis eſſe collatam; quòd, cùm de virtute phyſica intelligi non poſſit, intelligendum eſt, fuiſſe deputationem quandam illius materiæ ad vſum & effectum Baptiſmi.

3. Inſtitutio Baptiſmi inchoatiuè & in myſterio facta fuit in Baptiſmo Chriſti: quia ipſe tunc habuit efficacem voluntatem promulgandi hanc cæremoniam, poſtea autem pro temporis oportunitate, coram Apoſtolis iam collectis, hanc ſuam voluntatem declarauit, fortaſſis eo tempore, quo baptizauit ſanctum Petrum, qui futurus erat caput Eccleſiæ. Ex his colligere licet, Baptiſmum, non tantùm inſtitutum fuiſſe ante Paſſionem Chriſti, verum etiam habuiſſe eandem formam & efficaciam, quam poſtea habuit, & nunc habet: nam iam tum erat Sacramentum nouæ legis, & cùm poſtea monuit Apoſtolos Matth. 28. vt baptizarent in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, non mutauit formam priorem, vt quidam putant, ſed præceptum Baptiſmi ſolemniter promulgauit, vt publicè omnibus proponeret ianuam, per quam in Eccleſiam eſſent

eſſent ingreſſuri, quam oportebat omnibus eſſe notiſſimam.

Dices, Baptiſmus habet efficaciam ex paſſione Chriſti, ergo ante illam non potuit valere ad ſalutem; vnde & Ioannis 7. dicitur, *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus*. Reſpondeo negando conſequentiam. *Primò*, quia paſſio Chriſti præuiſa promeruit gratiam antiquis Patribus, potuit ergo ſimiliter dare vim & efficaciam Baptiſmo. *Secundò*, quia paſſio Chriſti iam erat quodammodo inchoata, quatenus tota Chriſti vita, fuit quaſi quoddam continuum ſacrificium, quod licet in morte fuerit conſummatum, tamen antea habuit infinitum meritum ad hunc effectum, & ad plures & maiores alios, ſufficientiſſimum.

4. Baptiſmus ante Chriſti mortem non aperuit ianuam regni; quo ſenſu dici poteſt tunc non habuiſſe effectum perfectum in re, ſed in ſpe, vt docet D. Thomas 3. *parte quæſtione 69. art. 7. ad 2.* tamen hoc non proueniebat ex eo, quod Baptiſmus tunc minorem gratiam daret, aut quæ de ſe minus efficax eſſet, ſed quia Chriſtus nondum plenè ſatisfecerat & debitum totius naturæ perſoluerat: & ideò nondum erat ablatum impedimentum totius naturæ, nec dabatur gratia, quæ ſtatim perduceret ad regnum, ſed ſuo tempore, quæ dilatio non oriebatur ex parte Baptiſmi, ſed aliunde: & ideò dici poteſt non caruiſſe Baptiſmum ſuo proprio & intrinſeco effectu, ſed veluti extrinſeca perfectione ſua. Et quoad hoc poteſt dici efficaciam & inſtitutionem Baptiſmi fuiſſe completam poſt reſurrectionem: Baptiſmus enim ſignificat Chriſti paſſionem & reſurrectionem, vt præteritam, & non vt futuram; vnde antequam paſſio & reſurrectio Chriſti conſummaretur, erat Baptiſmi ſignificatio incompleta: cœpit autem eſſe conſummata & completa poſt Chriſti mortem. Ita Suarez 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 19. *ſect.* 1. & alij.

D. Thom.

Suarez

5. Baptiſmus, qui eſt vnum è Sacramentis nouæ legis, eſt vnicum in eſſentia, & ſpecie vltima. Concluſio eſt communis & certa ex illo Pauli ad Epheſ. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma.* Probari poteſt concluſio ex ſpeciali doctrina & ratione huius Sacramenti, habet enim vnam formam ſpecificam, quæ omninò neceſſaria eſt, vt hoc Sacramentum conficiatur. Habet etiám eamdem materiam remotam, ſcilicet, aquam naturalem, & proximam, ſcilicet, ablutionem. Illæ enim ablutionum differentiæ accidentales ſunt tam phyſicè, quia omnes fiunt per motum localem ſolùm accidentaliter diuerſum; quàm moraliter ſeu Sacramentaliter, quia omnes ordinantur ad eumdem finem ablutionis. Denique hic Baptiſmus ſemper ordinatur ad eumdem primarium effectum ſpiritualis regenerationis, & remiſſionis peccati originalis: vnde eandem ſignificationem habet, & eundem characterem in ſpecie imprimit: ergo ſemper idem ſecundùm ſpeciem. At in diuerſis ſubiectis ſeu hominibus Baptiſmata multiplicantur ſecundùm numerum, & in vnoquoque habet ſuam numericam vnitatem, quia in diuerſis hominibus neceſſe eſt diuerſas fieri ablutiones.

6. Baptiſmus Chriſti non fuit neceſſarius neceſſitate medij aut præcepti, ante Chriſti mortem. Probatur quia vſque ad Chriſti mortem lex antiqua vim ſuam retinuit; vt patet, quia Chriſtus eam ſeruauit vſque ad mortem. Nam pridie quam pateretur, ſeruauit cæremoniam agni Paſchalis: & monebat homines vt ſeruarent & facerent, quæ Scribæ & Phariſæi docebant ex cathedra Moyſis. Quare illud Chriſti verbum: Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Non ſignificat ab eo die, quo Dominus cum Nicodemo loquebatur, fuiſſe Baptiſmum neceſſarium; ſed ſignificat neceſſarium futurum fuiſſe in lege noua, poſtquam ceſſarent cæremoniæ legales, vt rectè exponit D. Bernardus *epiſt. 77. ad Hugonem.* Ita Bellarminus *de Baptiſmo 6. 5.*

D. Bernard. Bellarmin.

BAPTISMVS II.

De materia & forma Baptiſmi.

SVMMARIVM.

1 *Quod aqua vera & naturalis ſit materia Baptiſmi probatur ex ſcripturis.*

2 *Aqua roſacea, aut alij humores aquei expreſſi ex floribus, herbis, frondibus & huiuſmodi, etiam in caſu extremæ neceſſitatis, iuxta veriorem ſententiam non poſſunt adhiberi in Baptiſmo.*

3 *Non eſt improbabile poſſe conferri Baptiſmum ſub conditione in extrema neceſſitate cum humore aqueo ſtillante ex vitibus & alijs arboribus.*

4 *Baptiſmus validè confici poteſt in aqua iurulenta decoctionis carnium & aliorum elixatorum, niſi ſit tanta reſolutio corporum elixatorum, vt aqua plus habeat de aliena ſubſtantia, quàm de propria.*

5 *Aqua quæ colligitur ex vaporibus denſatis, cùm ex alia ore euaporantur: & qua è parietibus fluit, ſufficiens eſt ad Baptiſmum.*

6 *In extrema neceſſitate non inuentâ aquâ certa, ſed liquore aliquo, de quo dubium eſſet, an eſſet aqua, poſſet quis baptizari ſub conditione.*

7 *Quando finitur forma Baptiſmi, perficitur Baptiſmus antequam finiatur ablutio, modò ſit inchoata.*

8 *Tempore neceſſitatis, poteſt ſine vllo peccato in manu, pede, digito, capillis, vnguibus, vmbilico quis baptizari ſub conditione.*

9 *In forma Baptiſmi*, Ego, in, &, amen, *non ſunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſed tantùm præcepti vel conſuetudinis.*

In neceſſitate poteſt quis baptizari cum forma dubia ſi nemo ſciat certam.

10 *Ex vi inſtitutionis Chriſti nullus eſt Baptiſmus datus in nomine Dei: vel in nomine cuiuſcumque perſonæ Trinitatis, ſine nominatione aliarum; vel in nomine Trinitatis.*

11 *Forma Græcorum*, Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, *eſt valida: non poteſt tamen vſurpari à Latino, nec relinqui à Græco.*

1. DE materia Baptiſmi non pauci aliquando extiterunt errores, contra quos ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. can.* 2. aquam veram & naturalem requiri ad Baptiſmum. Ex quo intelligimus duo. *Primò*, nullum liquorem eſſe materiam Baptiſmi, qui non ſit vera & naturalis aqua. *Secundò*, omnem veram & naturalem aquam, quantumuis accidentaliter alteratam, & mutatam, eſſe materiam idoneam ad Baptiſmum. Id patet ex Scripturis varijs in locis: nam Ioannis 3. dicitur. *Ex aqua & Spiritu Sancto.* Item ibidem orta eſt æmulatio diſcipulorum Ioannis, qui videbant Chriſtum baptizare per diſcipulos ſuos in aqua, vt etiam ipſe Ioannes baptizabat. Et Actor. 8. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Et Epheſ. 5. Lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et Paulus 1. *Corinth.* 10. comparat Baptiſmum mari rubro. Petrus

1. Petr. 3.

1. *Petr.* 3. quoque comparat. Baptiſmum diluuio. Denique etiam Prophetæ expreſsè prædixerunt Baptiſmum aquæ, vt Ezechiel 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam.*

2. Quidam aſſerunt, in caſu extremæ neceſſitatis, quando aqua non ſuppetit, poſſe adhiberi aquam roſaceam, aut alios humores aqueos expreſſos ex floribus, herbis, frondibus vel huiuſmodi, conferendo Baptiſmum ſub conditione. Ratio illorum eſt, quia licet Concilia ad validitatem Baptiſmi requirant aquam naturalem, non tamen Eccleſia definiuit, quod alia aqua in nullo alio caſu ſufficiat ad validitatem Baptiſmi. Et cùm Baptiſmus ſit Sacramentum maximæ neceſſitatis, poteſt ſub conditione conferri in materia dubia, deficiente indubitata: quia fieri poteſt, vt per remedium dubium ſuccurratur proximo, & nulla ſit iniuria Sacramento; & charitas obligat vt adhibeatur omne medium. Ita Puteanus *in tertia parte quæſtione 66. artic. 4. numero* 5. Præpolitus *ibidem numero* 22. Tannerus *tom. 4. diſputatione 4. quæſtione 1. dub. 2. numero* 41. Hæc doctrina nullo modo tenenda eſt: quia cùm Concilia definiant, quòd aqua naturalis ſit materia neceſſaria ad validitatem Sacramenti Baptiſmi, certum manet, quòd ſine ipſa non poteſt confici in quocumque caſu. Quia vbi deeſt materia Sacramenti, nullo modo fit Sacramentum. Et per hoc ſufficienter eſt ab Eccleſia definitum, quòd in nullo alio caſu alia aqua ſufficiat ad validitatem Baptiſmi; nam definiendo, quòd aqua naturalis ſit materia neceſſaria, ſimul etiam definiuit, quòd in nullo caſu poſſit ſine ipſa fieri Sacramentum; cùm certum ſit, quòd non poſſit fieri vnquam ſine vera materia eſſentiali. Certum eſt etiam, quòd huiuſmodi liquores non ſint aqua naturalis, licet eam referant: ſunt enim ſucci quidam habentes ſinguli propriam ſubſtantiam.

Puteanus. Præpoſitus. Tannerus.

Ad rationem autem in contrarium poſſet reſponderi, quod quamuis Baptiſmus ſit remedium omninò neceſſarium, & charitas obliget ad adhibendum omne medium; non tamen obligat ad illud medium, de quo certum eſt, non eſſe medium; nec poteſt adhiberi ſine iniuria Eccleſiæ & Sacramenti. Et cùm ex ipſius vſu non poſſit ſperari aliquod remedium pro baptizando, irrationabiliter adhiberetur. Ita docent communiter Doctores D. Thomas 3. *p. q. 66. a. 4. dd* 5. Peſantius, Nugnus, Syluius, Mercerus *ibid.* vide Dianam *p. 8. tr. 1 reſol.* 49.

D. Thom. Peſantius. Nugnus. Syluius. Mercerus. Diana.

3. Communiter negant Doctores poſſe conferri Baptiſmum ſub conditione in extrema neceſſitate cum humore aqueo ſtillante ex vitibus & alijs arboribus. Ratio eſt, quia talis humor non eſt aqua, ſed ſubſtantialiter eſt ſuccus: quamuis propter perſpicuitatem & ſimilitudinem appelletur aqua. Nihilominus non eſt improbabile, quòd ille humor ſtillans ex arboribus ſit ſubſtantialiter aqua; quia nihil aliud eſt, quam humor, qui attrahitur è terra, & ab arbore ſeu vite concoqui non poteſt; vnde effluit per poros ipſius. Quod ex eo patet, quia id præſertim contingit tempore veris, quo virtus concoctiua arborum eſt debilitata à præcedenti frigore & traditur plurimus humor ob indigentiam reſtaurationis, qui poſtea effluit, cum non poſſit concoqui. Vnde, cum probabile ſit eſſe aquam ſubſtantialiter: in extrema neceſſitate, non ſuppetente alia aqua, poterit adhiberi: quia baptizans poterit amplecti opinionem probabilem quòd ſit aqua & illam aſſumere vt aquam iam determinatam per opinionem probabilem & baptizare ſaltem ſub conditione. Nec in hoc vlla fiet iniuria Sacramento. Ita De la Crux *part. 2. Director. q. 1. de Baptiſm. dub. 1. concl. 2.* Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ.* 78. quia cùm Eccleſia ſit benigna mater & deſideret omnium ſalutem, quantum fieri poteſt, non eſt cenſendum, quòd nolit prouideri de remedio pro baptizando, niſi omninò certi ſimus de materia Sacramenti: ſed potiùs, quòd velit, vt quocumque modo prouideamus, quo probabiliter iudicamus valiturum remedium.

De la Crux. Paſqualig.

4 Baptiſmus validè confici poteſt in aqua iurulenta decoctionis carnium & aliorum elixatorum, niſi ſit tanta reſolutio corporum elixatorum, vt aqua plus habeat de aliena ſubſtantia, quàm de propria. Ratio eſt, quia quando aqua plus habet de propria ſubſtantia, quàm de aliena, adhuc cenſetur aqua & ideò pro aqua adhiberi poteſt. Ita D. Thomas *3. p. q. 66. art. 4. ad* 2. Suarez *3. p. tom. 3. d ſp. 20. ſect. 1. concl.* 2. Sylueſter *verb. Baptiſmus* 2. *num.* 3. & alij communiter.

D. Thom. Suarez. Sylueſter.

Tamen eſt difficultas, quando aqua concoctionis carnium & aliorum eſculentorũ eſt adeò commixta cum ſubſtantia rerum concoctarum, quæ ex vi concoctionis effluit, vt non amplius habeatur pro aqua: certè non eſſet tutum huiuſmodi aquam adhibere etiam in caſu extremæ neceſſitatis, niſi conferatur Baptiſmus ſub conditione: quamuis enim cõſeruetur ſubſtantia aquæ, adhuc tamen ſubſtantia elixatorum effluens ita in minutiſſimas partes diuiditur, & cum ipſa commiſcetur vt efficiatur ſaltem quoddam mixtum imperfectum; quòd ex eo patet, quia inſeruit pluribus vſibus, quibus non inſeruit aqua: acquirit diuerſum ſaporem, & habet alia accidentia diuerſa ab accidentibus aquæ: & potiùs imitatur in effectibus ſubſtantiam rerum concoctarum, quàm aquæ. Deinde huiuſmodi aqua concoctionis non videtur apta, vt ſupra ipſam verificentur verba *Ego te baptizo.* Non enim eſt apta ad lauandum, imò moraliter cenſetur inepta; quia præſtat effectum cõtrarium, cùm polluat. Ablutio enim eſt ordinata ex intrinſeca ſua ratione ad detergendas ſordes, non ad polluendum, & ideò quæ polluit, nõ poteſt dici ablutio. Et proinde cùm in Baptiſmo materia proxima ſit ablutio, quæ ſignificat internã ablutionem animæ, debet fundari in ea materia, quæ ſit apta abluere: alioquin nec verba verificarentur, nec haberetur ſignificatio internæ ablutionis. Ita tenet Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ.* 80.

Paſqualig.

5. Aqua elementaris eſt & ſufficiens pro Baptiſmo conficiendo, quæ colligitur ex vaporibus denſatis, cum ex ollæ ore euaporantur, & teſtaceo tegumento repercutiuntur. Item quæ hyemali tempore à parietibus, lapidibuſve, velut è fonte fluit; nam vapores eſſentialiter aqua ſunt. Aqua verò quę è parietibus manet, aqua eſt ex aëre humido in aquam verſo. Ita Fernandez *part. 3. c. 2. §. 3. n. 3.*

Fernandez.

6. In neceſſitate extrema, non inuentâ aqua certa, ſed liquore aliquo, de quo dubium eſſet, an eſſet aqua, nec poſſet id examinari, num ſit aqua, vel aliud ex odore vel guſtu, in tali caſu exiſtens in periculo mortis poſſet ſub conditione baptizari. Quia cùm præceptum illud non baptizandi abſque tali materia oriatur ex reuerentia Sacramenti, ſequitur, vt in prædicto caſu non obliget tale præceptum, eo quòd ſumma indigentia proximi, cui aliter ſubuenire non poſſumus, præponderet illi reuerentiæ, & reddit licitam talem operationem propter neceſſitatem. Aduertunt tamen communiter Doctores quod hoc modo baptizatus, rebaptizandus ſit ſub conditione cum materia certa & conſuetâ ſi ſuperuiuat, vt diximus *tom. 1. verb. Baptiſmus 2. numero tertio*, cum Doctoribus ibi citatis: quibus Adde Ioannem de Lugo, *de Sacram. d ſp. 8. ſect. 9. nu. 140.* & Dianam *part. 5. tract. 5 reſol. 2.* in fine.

Lugo. Diana.

7 Iuxta quoſdam ablutio in Baptiſmo debet eſſe determi-

determinata & finita: vnde ſi finitâ formâ, antequam finiatur ablutio, infans moriatur, non habetur Sacramentum: quia ad miniſtrum pertinet determinare quantitatem materiæ, & illi applicare formam; ergo quamdiu ipſe continuat ablutionem, cenſetur nondum applicuiſſe formam, ſed adhuc intendere illam applicare vlteriori ablutioni; ergo donec perficiatur ablutio non eſt integer
Paludanus. Baptiſmus, nec proinde ſortitur effectum. Ita Paludanus *in* 4. *diſtinct.* 3. *quæſt* 3. *ad fin.* Nihilominus contrarium eſt dicendum, nam eo ipſo quòd finitur forma Baptiſmi, perficitur Baptiſmus, antequam finiatur ablutio, ſi quando finitur forma, ſit ablutio inchoata, quamuis poſt finitam formam perſeueret, quia quæcumque pars ablutionis, vtpote homogeneæ, eſt vera ablutio: poſitis autem forma & ſufficienti materia, ſtatim perficitur Sacramentum, ita vt non ſit in poteſtate miniſtri perfectionem
Gaſp Hurt. Granadus. Sacramenti, ſeu Sacramentalem ſignificationem differre. Ita Hurtadus *de Baptiſmo*, *diſp* 1. *diffic.* 6. Granadus *in* 3. *p. contr.* 4. *tract.* 1. *diſp* 4. *num.* 14. vbi citat Suarez, Caietanum, Sotum & alios.

8. Tempore neceſſitatis, quando maior pars corporis aqua tingi non poteſt, eſtque periculum, ne infans aliàs decedat abſque Baptiſmo, poteſt ſine vllo peccato in manu, pede, ſimilique parte minori baptizari, imò & debet: quia nulla irreuerentia erga Sacramentum cenſebitur committi, quòd proximo alioquin perituro conſulatur per medium probabile, quamuis incertum, cùm melius ſit puero tale medium adhibere, quod fortè poterit prodeſſe, quàm nullum. Idem dicendum de digito, licet de ea parte maius ſit dubium, & aliqui aſſerentes de manu, negent de digito, ſi ſolus appareret. Idem dicendum de capillis & vnguibus, non quia hæc viuant, ſed quia reputantur vt partes hominis, & abluens capillos, vel vngues, dicitur abluere corpus. Imò cum aliqua probabilitate idem dici poteſt de vmbilico per quem infans ſugit à matre alimentum, & illi coniungitur; quia non minus dici poteſt infans ablui per vmbilicum, tanquam per aliquid ſui, quàm per capillos, quia etiam per illum aqua ad corpus infantis cenſeri poteſt pertingere; quamuis, quia excrementum præſcindatur à corpore. Et hæc omnia dicta ſint pro caſu neceſſitatis, & de collatione Baptiſmi valida & licita in neceſſitate, qui tamen poſtea iterari debet ſub conditione. De his caſibus vide Sotum
Sotus. Vaſquez. Præpoſitus. Iacob Marchantius. *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt. vnic. art.* 7. §. 3. *argum.* Vaſquez *in* 3. *p diſp.* 146. Præpoſitum *in* 3. *p. q.* 66. *art.* 8. *dub* 3. *num.* 90. Iacobum Marchantium *in reſol. Paſtoral. tract.* 2. *cap.* 1. *q.* 2. *caſ.* 2.

9. In forma Baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, illa omnia & ſola verba ſunt præcisè de eſſentia formæ, quæ ſignificant interiorem ablutionem, ſub inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis. Itaque in rigore ad effectum ſacramentalem, ſufficeret dicere, *Baptizo te nomine Patris, Filij, Spiritus ſancti*: nam, *Ego*, *in*, *&*, *amen*, non videntur neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſed tantùm præcepti, vel conſuetudinis: *Ego*, enim includitur in Baptizo; *in*, videtur habraiſmus: nam perinde eſt, ac ſi dicas, Baptizo te auctoritate vel virtute Patris, &c. aut potiùs nominando & ipſa voce inuocando tres perſonas. De vocula (&) maius dubium eſt. Nam quidam putant eſſe de eſſentia ad ſignificandam diſtinctionem perſonarum, vt Maior & Gabriel; ſed ea ſufficienter indicatur, ſingulatim nominando tres perſonas. Si quis tamen omitteret, *Et*, ad confundendas perſonas, quaſi tantùm ſit vna perſona in Deo habens varias facultates, vt aſſerebant Sabelliani, nihil efficeret, quia corrumperet veritatem formæ. *Amen* non eſt neceſſarium; colligitur *Matth* 28. & eſt ſententia communis. Porrò cum puer eſt in periculo mortis & nemo eſt qui ſciat formam certam, baptizari poteſt cum forma dubia.

10. Ex vi inſtitutionis nullus eſt Baptiſmus datus in nomine Dei. Patet, quia ſicut fides de Deo abſolutè & ſimpliciter non eſt fides explicita Trinitatis, ita inuocatio Dei abſoluta non eſt inuocatio Trinitatis explicita, prout ad Baptiſmum eſt neceſſaria. Similiter Baptiſmus datus in nomine Patris & Filij, non nominato Spiritu ſancto, vel in nomine Patris & Spiritus ſancti, tacito filio, vel denique in nomine cuiuſcumque perſonæ, ſine nominatione aliarum, nullus eſt. Ratio eſt, quia non continet hæc forma expreſſam profeſſionem totius Trinitatis, quæ neceſſaria eſt ex inſtitutione Chriſti. Imò neque implicitè tota Trinitas ſatis indicatur, vna tantùm vel duabus perſonis nominatis. Denique non ſufficit dicere, Baptizo te in nomine Trinitatis, ſed perſonæ ſingulatim exprimi debent: quia hic fit quædam fidei profeſſio in Deum trinum & vnum, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum: nam prolato nomine Trinitatis, non ſatis manifeſtum eſt, vtrum illi tres ſint Fratres, aut amici, aut alio modo ſe habeant. Vide Suarez *tom.* Suarez. 3. *in* 3. *p diſp.* 21. *ſect.* 3. *&* 4.

11. Græci ad vitandam reprehenſionem Apoſtoli primæ ad Corinth. 1. *Ego ſum Pauli, ego autem Apollo, &c.* vti ſolent hac formâ in conferendo Baptiſmo. *Baptizatur ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* De qua dicendum eſt *Primò*, formam illam eſſe validam. Ratio eſt, quia forma illa ſufficienter ſignificat ablutionem interiorem, & exprimit miniſtrum principalem eumque qui baptizatur, & actum baptizandi: vnde in Concilio Florent. non mandatum fuit Græcis, vt illam relinquerent. *Secundo*, non poſſe vſurpari à Latino. Ratio eſt, quia forma Latinorum eſt expreſſior & commodior: vnde qui eam mutaret, ſuſpectus eſſet de Schiſmate, vel ſcandalizaret adſtantes, & proculdubio peccaret mortaliter, niſi fortè quibuſdam circumſtantijs, ſuum factum iuſtificaret. *Tertiò*, non poſſe relinqui à Græco. Ratio eſt, quia tenetur ſequi conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ, neque eius ritum propria auctoritate mutare; quemadmodum debet etiam conficere in fermentato, vt docet D. Thomas 3. *part. q.* 74. *art.* 4. D. Thom.

Vide v. Hæreſis *num.* 3.

BAPTISMVS III.

De ſubiecto Baptiſmi & eius miniſtro.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia Catholica ſemper docuit infantes eſſe baptizandos, contra Anabaptiſtas.*

2 *Catholicorum ſententia eſt infantes non habere fidem actualem, ſed habitualem, & præterea credere fide aliena & ipſa Baptiſmi ſuſcipiunt, contra Lutherum & Caluinum.*

3 *Non habent infantes dum baptizantur, vllos motus nouos & inclinationes ſimiles actibus fidei & dilectionis.*

4 *Infantibus in Baptiſmo infunduntur habitus fidei, ſpei & charitatis.*

5 *Paruuli actu credunt, partim ritu, dum baptizantur,*

Digitized by Google

zantur, partim alienâ fide.

6 *Omnes tenentur ad Baptiſmum; adulti neceſſitate præcepti; paruuli autem neceſſitate medij.*

7 *Refutatur error Caluini docentis paruulos fidelium etiam ſine Baptiſmo eſſe Sanctos & membra Eccleſiæ, & ſaluari ſi moriantur.*

In hoc erranit etiam Caietanus, exiſtimans in caſu neceſſitatis, ſufficere Baptiſmum in voto parentum, accedente aliquo exteriori ſigno.

8 *In adultis requiritur & neceſſaria eſt intentio ſaltem habitualis ſuſcipiendi Sacramentum ad eius validitatem.*

9 *In periculo mortis infidelis petens Baptiſmum eſt baptizandus, ſi vtcumque expoſita fide, affirmatur.*

10. *Adultus, qui Baptiſmum petijt ante amentiam, poſtea in furiam verſus, poteſt ligari, vt ſic baptizari valeat.*

11 *Qui poteſt peccare mortaliter, poteſt baptizari inuitis parentibus, ſi Baptiſmum petat.*

12 *Quando puer baptizandus periculosè ægrotat aſperſione aqua aliquantulum calida, baptizari debet in ea parte corporis, in qua minus nocere poſſit.*

13 *Baptiſmi miniſtratio omni tempore nunc conceditur.*

Eccleſia autem non poteſt directè hominibus non baptizatis determinare tempus, quo ad ſuſcipiendum Baptiſmum obligentur; ſed tantum indirectè.

14 *Quid de miniſtro Baptiſmi Catholici Doctores ſentiant.*

15 *Error Caluini refutatur, qui docet nec in extrema neceſſitate licere baptizare eis, qui non ſunt Ordinarij Eccleſiæ miniſtri ad hoc ipſum vocati & ordinati.*

16 *Vnus poteſt ſimul plures baptizare: ſed plures non poſſunt vnum baptizare, vt cauſa partiales, bene tamen vt cauſa totales.*

17 *Præſente Sacerdote poteſt laicus baptizare, ſi ille nolit Baptiſmum prabere: Si autem Sacerdos cedat iuri ſuo tantùm ex vrbanitate, non poteſt tunc laicus.*

18 *Præferre peccatorem iuſto, in miniſterio Baptiſmi ſolemnis, cæteris paribus mortale eſt, ſi vterque æquale ius habeat; ſecus ſi non ſit æqualitas.*

19 *An baptizatus ab obſtetrice ſit poſtea ſub conditione rebaptizandus, varia eſt praxis Epiſcoporum.*

20 *In articulo mortis, Sacerdos etiam excommunicatus præferri debet cuilibet non Sacerdoti.*

21 *Laicus ex commiſſione Summi Pontificis poteſt in neceſſitate ſolemniter Sacramentum Baptiſmi miniſtrare.*

An autem tunc laicus peccet mortaliter, ſi in peccato mortali Baptiſmum miniſtret? videtur affirmatiuè reſpondendum.

1. COntrouerſia eſt inter Catholicos & Anabaptiſtas huius temporis, de Baptiſmo paruulorum, an liceat infantes baptizare? hi enim contendunt non licere Baptiſmum tradere, niſi adultis, qui Baptiſmum per ſe flagitant: & in hoc errore conueniunt omnes Anabaptiſtæ, licet alioqui in multis rebus inter ſe diſſideant. Eccleſia tamen Catholica ſemper docuit infantes baptizandos: quod etiam Concilium Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 12. 13. & 14. de Baptiſmo*, iterum cum anathematis denunciatione definiuit. Probatur primò, ex Conc. Trid.

Scripturis. Primum argumentum ſumitur à figura Veteris Teſtamenti. Nam Circumciſio erat figura Baptiſmi adeò manifeſta, vt Baptiſmus à Paulo dicatur Circumciſio, *Coloſſ. 2.* At Circumciſio dabatur infantibus, *Geneſis 17.* cur ergo non etiam Baptiſmus? Secundum argumentum colligitur ex duobus locis Euangelij ſimul iunctis, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Hic locus probat infantes ſine Baptiſmo in æternum perire, eſt enim generalis Domini comminatio. At quòd paruuli non pereant, Dominus docet, Matth. 19. Marci 10. & Lucæ 18. *Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum.* Vbi etiam Marcus dicit Dominum complexum fuiſſe paruulos, eiſque benedixiſſe. Tertium argumentum colligitur ex locis illis, vbi dicuntur baptizatæ integræ familiæ, vt in Act. 16. dicitur Lydia baptizata & domus eius tota. Et ibidem de cuſtode carceris, *Baptizatus eſt ipſe & domus eius continuò.* Et *baptizaui*, inquit Paulus, *Stephana domum.* 1. Corinth. 1. At certè in integris domibus rarum eſt, vt non ſint infantes aliqui. Probatur ſecundò, ex teſtimonijs Eccleſiæ, quæ tanquam traditionem Apoſtolorum id ſemper docuit, & ſeruauit. Probatur tertiò, ex rationibus Prima eſt, Paruuli ſalui eſſe poſſunt: ſed extra Eccleſiam non eſt ſalus: igitur intrent Eccleſiam neceſſe eſt: at in Eccleſiam intrare non poſſunt, niſi per Baptiſmum: ergo baptizentur neceſſe eſt. Deinde id probatur exemplo Sanctorum Innocentium, quos ſaluos eſſe Eccleſia ſemper docuit; tum etiam, quia ſi poſſunt paruuli participes eſſe peccati Adami, cur non etiam gratiæ Chriſti? Alioquin plus poſſet culpa, quàm gratia, cuius contrarium docet Apoſtolus, *Roman. 6.* Plura apud Bellarminum *de Baptiſmo, lib. 1. cap. 8.* Bellarmin.

2. Secunda Controuerſia eſt de fide paruulorum, quæ requiritur in Baptiſmo, & hæc eſt cum Lutheranis, & Caluiniſtis. Lutherani enim fidem actualem, aut aliquid ſimile actuali fidei paruulis tribuunt. Primus Lutherus *in lib. de captiuit. Babylonica, cap. de Baptiſmo.* Caluiniſtæ dicunt infantes non intelligere, neque credere, & tamen rectè baptizari, quia iam antea ſanctificati ſunt, & membra Eccleſiæ effecti per donum electionis diuinæ, & promiſſionem parentibus factam, Ita Petrus Martyr, *in cap. 1. & 7. prioris ad Corinth.* Theodor. Beza *in ſua Confeſſ. cap. 4. artic. 48.* Catholicorum tamen ſententia eſt, infantes non habere fidem actualem, nec tamen omni fide carere, ſed habere fidem habitualem, & præterea credere fide aliena, & ipſa Baptiſmi ſuſceptione. Probatur primo, quòd infantes non habeant actualem fidem, quia Scriptura Deuteron. 1. & Ioan. vltim. affirmat, infantes non cognoſcere diſtantiam boni & mali, nec vſquam excipit tempus Baptiſmi; quare ſine Scripturæ teſtimonio id Lutherus affirmat. Ita etiam Sancti Patres ſentiunt. Secundo probatur ratione: nam fides non poteſt operari in mente, niſi ex diuina reuelatione, quæ quidem aut immediatè fit à ſolo Deo; aut per organum verbi Dei prædicati, aut lecti. Primus modus non eſt ordinarius, ſed rariſſimus, ac ſolis fetè Prophetis & Apoſtolis conceſſus. Non etiam ſecundo modo gignitur fides in paruulis: nam ſi verbum exorciſmi gigneret fidem, certè audiretur, & intelligeretur ab infantibus: proinde attentè auſcultarent infantes; cuius contrarium videmus. Deinde exorciſmus non refertur ad fidem docendam, ſed ad Dæmones coërcendos. Luther. Petr. Mart. Theodor. Beza.

3. Non habent infantes, dum baptizantur, vllos motus nouos, & inclinationes ſimiles actibus fidei, & dilectionis. Hæc propoſitio eſt contra figmen-

tum Conciliabuli Wittembergenſis, & Philippi Kemnitij & aliorum Lutheranorum. Probatur primò, quia repugnat verbo Dei. Volunt enim Lutherani hos ipſos motus infantium ſine cognitione eſſe, & dici fidem, licet impropriè, & eo modo infantes non iuſtificari ſine aliqua fide. At in tota Scriptura nuſquam habetur nomen fidei in ea ſignificatione, vt denotet motum quendam ſine ſenſu, & ſine cognitione: ſed potius in contraria, vt patet Roman. 10. *Fides ex auditu.* Secundò, repugnat rationi: quia non poteſt fieri, vt motus & inclinatio ad credendum Deo & diligendum Deum, ſint corporales, cùm Deus ſit obiectum ſpirituale & altiſſimum, quod vix mente attingi aliquo modo poteſt. Si autem ſint in animo, eſt implicatio contradictionis, quòd ſint abſque cognitione. Quid enim eſt motus intellectus, niſi intelligere? Et quomodo poteſt voluntas inclinari, niſi præcedente cognitione? cùm obiectum voluntatis non ſit aliud, niſi bonum cognitum.

4. Infantes non iuſtificantur ſine vlla fide: quia Scriptura affirmat fidem eſſe medium ad ſalutem neceſſarium, Ioan. 3. *Qui non credit, iam iudicatus eſt.* Ex quo loco Auguſtinus probat infantes baptizatos habere fidem aliquam. Proinde dicendum eſt, infantibus in Baptiſmo infundi habitus fidei, ſpei & charitatis. Et hoc eſt certum Catholicis ex auctoritate Conciliorum & Doctorum. Nam licet aliquando diſputatum fuerit, an infantes reciperent cum gratia iuſtificante habitus harum virtutum, tamen ſemper fuit communior ſententia, infundi paruulis per Baptiſmum hos habitus. Ita D. Thomas *3. part. queſt. 69. art. 6.* item Scotus, Durandus, Gabriel & cæteri ferè omnes *in 3. ſent. diſtinct. 23.* Conſtat etiam ex Scripturis iuſtificationem nullam eſſe ſine fide: igitur conſtare debet infantes habere ſaltem habitualem fidem. Denique probatur ratione: nam paruuli baptizati verè dicuntur, & ſunt fideles, vt Auguſtinus docet *lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. 33.* & Concil. Trident. *ſeſſ. 7. can. 13. de Baptiſmo.* At fideles non dicuntur ab actu, ſed ab habitu fidei: alioqui, cùm dormimus, aut etiam cùm vigilamus, ſed de fide non cogitamus, non eſſemus fideles.

D. Auguſt.

D. Auguſt.

D. Thom. Scotus. Durand. Gabriel.

D. Auguſt. Conc. Trid.

5. Paruuli actu credunt, partim reipſâ, dum baptizantur, partim aliena fide. Prior pars eſt S. Auguſtini *lib. 1. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 27.* vbi dicit, infantibus ipſum baptizari eſſe credere, quia nimirum ipſa actio eſt fidei profeſſio. Vnde Eccleſia canit Sanctos Innocentes non loquendo, ſed moriendo confeſſos eſſe. Poſterior pars eſt contra temeritatem Illyrici, Kemniti & aliorum, qui errorem Papiſticum eſſe volunt, baptizari paruulos in fide Eccleſiæ. Sufficit autem ad hanc aſſertionem probandam, conſenſus Patrum, Iuſtini, Dionyſij, Ambroſij, Auguſtini, Proſperi, Bernardi apud Bellarminum *lib. 1. de Baptiſmo, cap. 11.* & denique Concil. Trident. *ſeſſ. 7. can. 13.* Nota duplicem fidem requiri in Baptiſmo: vnam actualem, quæ præcedit Baptiſmum, vt diſpoſitio quædam: & ea eſt, quæ exigitur à baptizandis, cùm iubentur recitare Symbolum, & interrogantur an credant. Quæ quidem, vt plurimum, iudicio grauium Doctorum non eſt ex habitu fidei, ſed ex auxilio ſpeciali Dei. Altera eſt, quæ ſequitur Baptiſmum, quæque eſt pars eſſentialis iuſtificationis, & non eſt actus, ſed habitus: & hanc intelligunt baptizandi, cùm interrogati, quid petant, reſpondent. *Fidem vitam æternam præſtantem*, vt habemus in Concil. Trident. *ſeſſ. 6. cap. 7.* Iam igitur cùm Patres dicunt paruulos baptizari in fide parentum, aut Eccleſiæ, non loquuntur de fide poſteriore, ſed de priore. Vnde

DD Iuſtin. Dionyſius. Ambroſius. Auguſtin. Proſper. Bernardus. Bellarmin. Conc. Trid.

Conc. Trid.

ſenſus eſt fidem actualem, quæ requiritur, vt diſpoſitio ad Sacramentum, non haberi à paruulis propriam, ſed alienam.

6. Omnes tenentur ad Baptiſmum ſuſcipiendum, neceſſitate præcepti, paruuli autem neceſſitate medij. Prima pars probatur Matth. 28. *Baptizate omnes gentes*, quæ verba licet dirigantur ad Apoſtolos, indirectè tamen obligant omnes gentes: alioquin poteſtas Apoſtolorum fuiſſet ſuperuacanea & inefficax. Ratio eſt, quia omnes arctiſſimo præcepto tenentur ſuſcipere legem Chriſti, cuius initiatio & veluti ianua, eſt Baptiſmus. Probatur ſecunda pars, quia adulti ſunt capaces præceptorum, & alia via, nempe voto Baptiſmi poſſunt ſaluari. Probatur tertia pars, Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Ratio eſt, quia nemo poteſt ſaluari, niſi ei meritum Paſſionis Chriſti communicatur, vt docet Concil. Trident. *ſeſſ. 6. cap. 3.* ſed paruulis non poteſt communicari, niſi per Sacramentum Baptiſmi, ergo. Tribus enim modis applicatur nobis meritum Chriſti, per Sacramenta, per ſacrificium Miſſæ, per opera bona: ſed ſacrificium Miſſæ non confert immediatè gratiam ſanctificantem: opera autem bona ſunt perſonalia, nec vllus poteſt alteri obtinere primam gratiam, quia hoc Chriſti proprium eſt: reſtant ergo Sacramenta, quæ omnia ſupponunt Baptiſmum, adeo vt vel irrita ſint, vel ſine fructu, ſi conferantur non baptizato.

Conc. Trid.

7. Contra prædictam veritatem Catholicam errat Calumus *in Antidoto Concilij ad ſeſſ. 6. cap. 5.* & *lib. 4. inſtitut. cap. 16. §. 24. & 25.* dum docet, paruulos fidelium etiam ſine Baptiſmo eſſe Sanctos, & membra Eccleſiæ, & ſi moriantur ſaluari: quia, inquit, non imputatur illis peccatum originale, idque ex vi fœderis Dei facti cum Abraham, Geneſ. 17. *Ero Deus tuus, & ſemini tui.* Nos enim ſucceſſimus per Chriſtum in Abrahæ poſteritatem. Sed hæc eſt hæreſis manifeſta, contra verbum Chriſti Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Contra ſenſum Sanctorum, qui dicunt nos non naſci, ſed fieri Chriſtianos, contra definitionem Conc. Trid. *ſeſſ. 7. can. 5. de Baptiſmo.* Argumentum autem Caluini, ſoluitur ab Apoſtolo, *ad Romanos 4. & 9. ad Galat. 3. & 4.* non enim omnes qui ex Iſraël, ij ſunt Iſraëlitæ, neque qui ſemen ſunt Abrahæ omnes filij, &c. vbi aperte docet eos eſſe veros Abrahæ filios & veros Iſraëlitas, qui imitantur fidem patrum ſuorum: tunc ergo ſecundùm Apoſtolum incipimus eſſe filij Abrahæ, cùm incipimus eſſe fideles, quod paruuli non faciunt, niſi cùm baptizantur: illis enim baptizari eſt credere, vt dicit D. Auguſtinus *ſupra.*

Caluinus

Conc. Trid.

Auguſt.

Errauit etiam Caietanus *in 3. p. quæſt. 68. art. 1. & 2.* exiſtimans in caſu neceſſitatis, ſufficere Baptiſmum in voto parentum, præſertim accedente aliquo exteriori ſigno: nam in lege naturæ ſufficiebat fides parentum ad iuſtificandum paruulum; ſimiliter in lege Moyſis ante octauum diem; neque enim maſculi erant deterioris conditionis, quàm fœminæ, ergo etiam in lege noua erit aliquod tale remedium, ad iuuandos eos qui ſunt editi in lucem, & qui adhuc in maternis vteris concluduntur.

Caietan.

Sed hæc ſententia nullo modo ſuſtineri poteſt, & à quibuſdam habetur hæretica, ab alijs erronea. Certè à nota temeritatis vindicari non poteſt; quia eſt contra communem ſenſum Eccleſiæ, quæ paruulos non baptizatos ſemper iudicauit perire, vt conſtat ex Concilio Mileuitano & Carthaginenſi apud D. Auguſt. *Epiſt. 90. & 92.* Præterquam quod ſtatueretur Octauum Sacramentum, cùm in illam

Conc. Mil. Carthag. D. Auguſt.

illam cæremoniam Caietani tota ratio Sacramenti videatur conuenire. Dicendum itaque eſt, quòd lex Euangelica eſt vniuerſalis, obligatque totum mundum, cùm lex Moſaica ſolos Iudæos obligaret; ergo oportebat vt in lege Euangelica, omnia remedia legis naturæ abrogarentur, licet ea adhuc in lege Moyſis vigerent.

8. In adultis requiritur & neceſſaria eſt intentio ſaltem habitualis ſuſcipiendi Sacramentum ad eius validitatem: quia licet in miniſtro requiratur vt minimum virtualis, in eo tamen qui ſuſcipit Sacramentum, habitualis ſufficit, vt videlicet aliquando petierit Baptiſmum, nec mutarit voluntatem, etiamſi dormiat, aut amens ſit dum baptizatur. Ratio eſt, quia miniſter eſt agens in Sacramentum, ſuſcipiens eſt patiens: plus autem requiritur ad actionem, quàm ad paſſionem vnde maior voluntas & intentio requiritur in miniſtro ad Baptiſmum, quàm in ſuſcipiente. Ita Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 12.* Diana.

9. Infideles adulti debent inſtrui, & probari per aliquot menſes ante Baptiſmum: ſi tamen vrgeat neceſſitas obſidionis, vel naufragij, vel ſimilis periculi mortis, tunc expoſita fide vtcumque, ſi petens Baptiſmum aſſentiatur, eſt baptizandus: quia eſtò neceſſaria ſit fides explicita myſteriorum Trinitatis & Incarnationis: non incumbit tamen baptizanti in articulo mortis, de illa rogare, quando infirmus reſpondere non poteſt, & præſumi debet explicitè actum credendi hæc myſteria habuiſſe, cùm auidè Baptiſmum petijt. Et cùm opinionum varietas verſetur, an ſufficiat implicita vel explicita fides, ſub conditione ſaltem baptizari debet: quia conſtat manifeſtè in Chriſtum implicitè credere, qui ipſi incorporari per Baptiſmum exoptat. Ita Toletus *in Summ. lib. 2. cap. 21. nu. 5.* Sanctius *in Selectis diſp. 44. nu. 41.* Toletus. Sanctius.

10. Adultus, qui antequam in amentiam incideret, Baptiſmum petijt, poſtea tamen furia accenſus ſe baptizari non patitur, poteſt ligari, vt ſic baptizari valeat. Ratio eſt, quia præcedens voluntas non retractata ſufficit vt Baptiſmus dicatur voluntarius. Ita Syluester *verb. Baptiſmus 4. num. 3.* Imò ſi contingat adultum illum qui Baptiſmum petijt, publico concubinatu viuere tempore poſtulati Baptiſmi, adhuc baptizandus eſt: quia etſi ſcandaloſam vitam ageret, eo ipſo quòd baptizari popoſcit, credendum eſt vitam in melius mutare deſideraſſe, & conſequenter ſufficientem habere diſpoſitionem, vt baptizari poſſit. Si verò ante infirmitatis tempus, vel amentiæ, Baptiſmum adultus poſtulaſſet, nec huius voluntatis mutationem vnquam habuiſſet, nec oſtendiſſet, poſtea tamen concubinariam publicè vitam ageret, non poſtulans de nouo Baptiſmum, & in illo ſtatu in amentiam ſit verſus, vel infirmitate correptus, ita vt ſigna pœnitentiæ oſtendere nequeat, non erit baptizandus quantumcumque ſe deſideraſſe Baptiſmum oſtendiſſet ante amentiam & ante concubinatum. Ratio eſt, quia publicis peccatoribus miniſtranda non eſſe Sacramenta, niſi ſaltem coram vno teſte ſigna pœnitentiæ oſtenderint, docet communis ſententia Theologorum. Cùm ergo adultus ille poſt petitionem Baptiſmi, in publico peccato elegerit viuere, & ante tempus amentiæ, vel infirmitatis, ſigna doloris non expreſſerit, in ſtatu publici peccati perſeueraſſe erit iudicandum, cùm poſt incurſam amentiam mutare voluntatem non valuerit. Aduerte tamen, ſi occultum ſit peccatum, & publicè poſtulauerit ante amentiam Baptiſmum, debet baptizari, eo quòd peccatori occulto publicè Sacramenta poſtulanti, deneganda non ſunt, ratione vitandæ infamiæ in peccatoribus. Si autem occultum ſit peccatum & ſolùm coram miniſtro Baptiſmi poſtulet Baptiſmum, & poſt petitionem in concubinatu perſeuerauit, & in ſtatu tali eſſet ab infirmitate, vel amentia detentus, non debet baptizari. De his vide Sanctium *in Selectis diſp 44. nu. 45. & ſeq.* Sanctius.

11. Cùm primùm homo peruenit ad eum ſtatum vſus rationis, in quo eſt capax peccati mortalis, iam tunc baptizari poteſt per proprium conſenſum, parentibus etiam inuitis: antea verò non poteſt. Ratio prioris eſt, quia qui habet poteſtatem peccandi mortaliter, iam eſt dominus ſuarum actionum, & perfectè liber. Item, poteſt ſe à Deo auertere, ergo etiam poteſt ſe ad illum conuertere. Nam ſi non eſſet capax habitus, ſeu poſitiuæ conuerſionis, neque etiam eſſet capax priuationis, ſeu auerſionis: qui autem poteſt ſe in Deum conuertere, poterit etiam libere in Baptiſmum conſentire. Et hinc etiam ſumitur ratio poſterioris partis, nam qui non eſt doli capax & mortalis culpæ, non eſt etiam capax ad ſuſcipiendam fidem per proprium ac liberum conſenſum: ergo nec ad recipiendum Baptiſmum propriâ voluntate. Ad cognoſcendum autem, an peruenerit paruulus ad eum ſtatum & facultatem vſus rationis, viendum eſt ſignis & coniecturis ex experientia deſumptis, & hominis prudentis arbitrio iudicium ferendum eſt. In dubio autem an paruulus vtatur vſu rationis, ſi neceſſitas vrgeat, inclinandum eſt, in fauorem Religionis & fidei Chriſtianæ, & ſpiritualis ſalutis ipſius paruuli, qui magis poſſidere cenſetur ius ſe tuendi & animam ſuam, quàm parentes poſſideant ius in ipſum; in caſu autem dubio melius ius poſſidentis præferendum eſt. Vide Suarez *tom. 3. diſputatione 25. ſect. 3.* Suarez.

12. Quando puer baptizandus periculosè ægrotat, & ablutio magnum illi detrimentum eſt allatura, omnis diligentia adhibenda eſt, vt caueatur omne corporis damnum, & ſalutis detrimentum, v.g. vt fiat aſperſione, quantitate modicæ ſufficiente, & in ea parte corporis, in qua minus nocere poſſit: & ſi oportuerit, vt aqua etiam modico calore temperetur, & ſtatim poſt aſperſionem abſtergatur, quæ omnia, ſi obſeruentur, vt ſeruari facilè poſſunt, moraliter loquendo vix poteſt cogitari, aut fingi, quod ex huiuſmodi Baptiſmo augeatur mortis periculum, vel vitæ deſperatio, quantumuis infans ſit debilis, & in vltimis conſtitutus. Ratio huius obligationis eſt, quia tenemur non inferre damnum proximo, nec cooperari morti eius. Tamen vix poteſt accidere caſus, in quo propter mortis periculum omittendus ſit Baptiſmus: quia detrimentum ſalutis, quod ex Baptiſmo prudenter applicato orifi poteſt, nullus ferè eſt momenti, & conſiderationis, licet ſi eſt ſpes vitæ, & nullum ſubitaneæ mortis periculum differri poſſit; quia tunc non vrget neceſſitas, nec præceptum diuinum, nec humanum. At verò, quando iam eſt morale periculum mortis æternæ, pro nihilo habendum eſt illud detrimentũ corporis, quod ex Baptiſmo accidere poteſt: quia reuera nec mors inde caſtatur, nec mortis acceleratio notabilis, aut conſideratione digna.

13. Quamuis olim certa tempora deſtinata fuerint, videlicet vigilia Paſchatis, ac Pentecoſtes, quibus ſolis ſacrum baptiſma conferri oportebat, niſi mortis periculum vrgeret. Poſtea tamen cùm Chriſtianus populus valde auctus eſſet, & variæ occaſiones mortis contingerent, viſum fuit Prælatis Eccleſiæ Baptiſmi miniſtrationem omni tempore concedere: quamuis adhuc hodie ſolemnitas Baptiſmi Paſchali tempore vel in paucis adultis Ron æ celebrari ſolet, vt notauit Rupertus *l. 4. de mirum* Rupertus. *officior.*

*officior. cap.*18. Sed petes, vtrum Eccleſia hominibus non baptizatis, vel Catechumenis determinare poſſit tempus, quo ad ſuſcipiendum Baptiſmum obligentur: Reſpondeo: Directè non poſſe eos obligari aliquo Eccleſiæ præcepto: quia Eccleſia iudicium in neminem exercet, qui non priùs in ipſam, per Baptiſmi ianuam, fuerit ingreſſus: vt ait Conc. Trid. Trid *ſeſſ.*14. *cap.*2. Sed tantùm indirectè, quando cognita diſpoſitione baptizandorum, certum tempus deſignat, quo ritè ac decenter baptizari poſſint; adeò, vt ſi illi neglecta hac opportunitate Baptiſmum differant, contra diuinum præceptum delinquant. Ita Suarez *diſp.*31. *ſect.*2. Diana *part.*8. *tract.* Suarez. Diana. *1. reſol.*2.

14. De miniſtro Baptiſmi Catholici Doctores communi conſenſu ſex pronunciata affirmant. *Primò* docent, ius baptizandi ex officio ordinario conuenire ſolis Sacerdotibus, id eſt, Epiſcopis & Presbyteris; ſic tamen vt Presbyteris conueniat cum ſubordinatione & dependentia ab Epiſcopis. Quemadmodum enim poteſtas abſoluendi à peccatis datur Præsbyteris in ſua ordinatione, & tamen, quia abſoluere à peccatis eſt actus iuriſdictionis, quæ eſt Epiſcoporum propria, ideò Presbyteri non poſſunt vti ea poteſtate, niſi quantum eis Epiſcopi concedunt: ita quoque de poteſtate baptizandi ſentiendum eſt. *Secundò* docent, Diaconis quoque ex officio conuenire baptizare, ſed in abſentia Sacerdotum, aut eorum iuſſu. *Tertiò*, nunquam licere laicis ſolemniter baptizare, neque etiam priuatim præſente Sacerdote, aut Diacono, aut eis etiam abſentibus extra caſum neceſſitatis. *Quartò*, laicis baptizatis licere in caſu neceſſitatis baptizare. *Quintò* docent, etiam non baptizatis in caſu neceſſitatis licere Baptiſmum dare, ſi ſciant ritum. De hoc veteres dubij fuiſſe videntur, ſed Conc. Flor. D. Auguſt. res definita eſt in Concilio generali Florentino, vt Auguſtinus volebat, *lib.*2. *contra epiſt. Parmeniani, cap.*13. & *lib.*7. *de Baptiſmo, cap.*53. Et idem multò antea ſtatuerat Nicolaus Papa, vt habetur *Can.* Nicol. Papa. *A quodam Iudæo, de conſecrat. diſtinct.*4. Ratio eſt, quia cùm non requiratur de miniſtro Baptiſmi fides, aut probitas, aut ordinatio, vt notum eſt, nulla eſt ratio, cur non ſit verum baptiſma, quod à Pagano, aut Iudæo confertur, ſi adhibeatur ea quæ neceſſaria ſunt ad Baptiſmi eſſentiam. *Sextò* docent, non Conc. Flor. Conc. Carthag. IV. modo viros, ſed etiam fœminas in extrema neceſſitate poſſe baptizare. Ex Conc. Florent. & Carthagin. IV. *Can.*100.

15. Caluinus nouam hæreſim excogitauit *lib.*4. Caluinus. *inſtitut. cap.*15. §.10. 21. & 22. vbi docet, nec in extrema neceſſitate licere baptizare ijs, qui non ſunt ordinarij Eccleſiæ miniſtri ad hoc ipſum vocati, & ordinati: quod etiam repetit in Antidoto Concilij Tridentini *ſeſſ.*7. *can.*10. *de Sacrament. in genere.* Verum licere in caſu neceſſitatis baptizare ijs, qui miniſtri Eccleſiaſtici non ſunt. Probatur *primò* exemplo Teſtamenti Veteris. Nam Exodi 4. Sephora vxor Moyſis filium ſuum circumcidit, & eo modo virum ſuum à mortis periculo liberauit. At circumciſio figura erat Baptiſmi. *Secundò* probatur ex eo loco vnde Caluinus ſumpſit præcipuum argumentum, Matth. vltim. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Nam nos ex eo loco argumentamur. Licet miniſterium verbi ſit proprium Apoſtolorum, & Epiſcoporum, qui eis ſuccedunt, tamen omnibus licet; imò omnes tenentur in articulo neceſſitatis docere & inſtruere ignorantes, præſertim in periculo æternæ ſalutis. Exemplum habemus de Aquila & vxore eius Priſcilla, *Act.*18. quæ videntes Apollinem quendam prædicare, cùm non beneteneret fidem Domini, inſtruxerunt eum diligenter. Ergo eodem modo, licet munus baptizandi ſit proprium Sacerdotum, tamen in neceſſitate licebit etiam laicis & fœminis baptizare: imò maiori ratione id licebit, cùm ſit magis proprium Apoſtolorum, & Epiſcoporum prædicare, quàm baptizare. *Tertiò*, probatur exemplis Scripturæ. Nam Philippus Diaconus baptizauit: qui quidem licet non fuerit laicus, tamen non erat Apoſtolus, nec Epiſcopus, aut Sacerdos. *Act.*8. Ananias etiam Paulum baptizauit: qui neque Apoſtolus erat, neque Diaconus; ſed planè laicus. Id enim factum eſt primo anno à Paſſione Domini, quo tempore nondum erant ordinati vlli Epiſcopi, aut Sacerdotes, præter Apoſtolos; neque erant vlli Diaconi præter ſeptem. *Act.*6. *Quartò* probatur idem teſtimonijs & exemplis Patrum & Concilio Florentino, apud Bellarminum *de Baptiſm. lib.*1. *cap.*7. Bellarmin.

16. Vnus poteſt ſimul plures baptizare, dicendo ego vos baptizo. Probatur, quia Apoſtoli videntur ſic baptizaſſe, *Act.*2. cùm tria millia confluxerunt vno die ad Baptiſmum: & in neceſſitate fieri poteſt, cùm morte imminente, plures ſingulatim baptizari non poſſent. Dices, plures non poſſunt vno Baptiſmo baptizari, hic autem eſt tantum vnus Baptiſmus, nempe vna ablutio & vna prolatio formæ, ergo, &c. Reſpondeo, negando minorem; nam ſunt hic plures ablutiones proximæ & plures formæ: nam, *Vos*, expreſſa & formali ſignificatione continet plures: vnde perinde eſt ac ſi dicatur, baptizo te & te.

Plures tamen non poſſunt vnum baptizare, vt cauſæ partiales, poſſunt autem vt cauſæ totales. Ratio prioris eſt, quia quacumque formâ vtantur, dicent mendacium? Reſpondet Caietanus *in* 3. Caietan. *part. quæſt.*67. *art.*6. *ſub finem*, poſſe illos vti formâ Græcorum ad euitandum mendacium. Sed contra, quia forma illa, ſic intelligenda eſt, vt comprehendat miniſtrum, nempe baptizetur à me, & ſic in idem recidit. Idem dicendum eſt, ſi vnus dicat, *ego te baptizo*, & alter adijciat, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, quia non eſſet vna & eadem forma, nec inuocatio Trinitatis determinaret verbum baptizandi & ſignificationem eius. Ratio poſterioris eſt, quia plures cauſæ totales poſſunt concurrere ad vnum numero effectum, vt patet in pluribus conſecrantibus vnam & eandem hoſtiam, & multi Philoſophi putant in rebus naturalibus idem poſſe fieri. Hinc intelligitur illa quæſtio, an valeat Baptiſmus his verbis collatus, *Nos te baptizamus*: nam ſi nos accipiatur pro ego, certum eſt valere: ſi autem comprehendat duos, v.g. Petrum & Paulum tunc vel ſumitur diuiſim vel coniunctim; ſi diuiſim, nempe hoc ſenſu, ego te integrè baptizo, & Paulus te integrè baptizat, valebit Sacramentum; quia licet ſit falſum, non vitiat tamen eſſentiam formæ, cùm non proferatur vt neceſſarium ad validitatem Sacramenti: ſi coniunctim de dependentia vnius ab altero, ſicut cùm duo trahunt currum vel nauem, nihil efficietur; quia falſo vterque ſeparatim affirmaret, ego traho nauem. Ad rationem enim Sacramentorum, excepto matrimonio, requiritur vnus miniſter tantùm, ita vt vnum Sacramentum à pluribus partialiter concurrentibus conferri non poſſit. Ita D. Thomas 3. *p. quæſt.*66. *art.* D. Thom. 4. *ad* 4. & *q.*67. *art.*6. communiter receptus.

17. Si Sacerdos præſens omninò nolit Baptiſmum dare, in neceſſitate poteſt laicus illum præbere: quia iam eſt caſus neceſſitatis: quid enim refert, quod adſit Sacerdos, ſi non vult neceſſitati proximi ſubuenire? Ergo ita poteſt tunc laicus illum dare, ac ſi Sacerdos non eſſet ibi: peccabit tamen

Digitized by Google

men tunc Sacerdos miniſterium ſuum negando contra reuerentiam Sacramenti, & contra debitum ſui muneris & officij. At verò, ſi Sacerdos non omninò neget miniſterium ſuum, ſed tantum cedat iuri ſuo, concedens alteri facultatem dandi, vel ex indiſcreta quadam verecundia, tunc non poteſt laicus, nec quiuis alius non Sacerdos vſurpare tale munus ſine grauì cauſa, quæ neceſſitati æquiualeat; quia Sacerdos non poteſt illam licentiam dare & inuertere inſtitutionem per ſe intentam à Chriſto contra reuerentiam Sacramento debitam, quæ in hoc negotio magis eſt penſanda, quàm ius ipſius Sacerdotis. Excuſari tamen poteſt laicus à peccato mortali, tunc conferens Baptiſmum, ratione ignorantiæ, quæ in hoc negotio facilè interuenire poteſt tam facti, quàm iuris: facti quidem, quia ſæpe poteſt ſine culpa timeri periculum, vbi non eſt, & accelerari Baptiſmus non expectato conueniente miniſtro, ſine vera neceſſitate, bonâ tamen fide exiſtimata, ex zelo charitatis: iuris autem, quia licet hoc ius diuinum ſit, non eſt tamen tam clarum, quin facilè poſſit à communi plebe inuincibiliter ignorari. Ita Suarez *tom. 3. diſp. 31. ſect. 4.* Bellen. Suarez.

18. Præferre peccatorem iuſto, in miniſterio Baptiſmi ſolemnis cæteris paribus, mortale eſt, ſi vterque habeat æquale ius, ſeu eandem facultatem: quia eſſet ad malum inducere, & ad grauem irreuerentiam Sacramenti. At verò, ſi non ſit æqualitas, verbi gratia, ſi peccator eſt Sacerdos, & iuſtus Diaconus, vel ſi peccator eſt Sacerdos proprius, & iuſtus ſimplex tantùm, tunc ab eo eſt petendus Baptiſmus ſolemnis, ad quem ex officio ſpectat dare, nam quod ab illo petitur, iuſtum eſt, & iure petitur, quandoquidem ille ſolus habet ius dandi, quod autem ille iniquè ſit daturus, eſt per accidens ex mala voluntate eius, quæ alteri non imputatur. Vide Dianam *p. 5. tract. 5. reſol. 18.* Cam. Diana.

19. Valde pia & conſulenda eſt opinio D. Antonini *3. part. cap. 13. §. 4.* & Nauarri *in Man. c. 22. num. 6.* teneri fœminas, quæ ex officio ſunt obſtetrices, ad ſcienda ea, quæ ſunt ſubſtantialia ad Baptiſmum, ſcilicet materiam & formam, ſaltem vernacula lingua. Vnde præſtaret eas, antequam illud officium exerceant, diligenter examinari à viris doctis, & interrogari indiuidualiter de omnibus neceſſarijs ad conficiendum Baptiſmum, videlicet de verbis formæ, de quantitate aquæ & de parte corporis, vbi infans debet baptizari, ne error aliquis contingat. Sed quia pleriſque in locis ſupradictum examen non practicatur, ideò quando obſtetrices domi baptizarunt, poteſt dubitari de Baptiſmo ab eis ritè collato; ne vel ſubitò neceſſitatis caſu turbatæ, aliter quàm referant dixerint vel fecerint, aut ſemel & iterum deprehenſæ, quòd bene baptizarint, deinceps malitiosè errent, ac nihilominus aſſerant, ſe more ſolito baptizaſſe. Experientia enim notum eſt multas in materia, vel forma errare, interdum per ignorantiam, vel turbationem, interdum verò per malitiam, quia ſunt ſortilegæ, ſiue vb aliud. Proinde vt paruulorum ſaluti conſulatur, in quibuſdam Diœceſibus huius Belgij ſtatutum eſt, vt baptizatus ab obſtetrice domi, poſtea cum in templum defertur, ſub conditione baptizetur. Vt docent Syluius *3. p. quæſt. 66. art. 9. dub. 2.* Molanus *in ſua practica tract. 4. cap. 3.* Verùm, ſi diligenter examinata obſtetrice & mulieribus præſentibus in partu, inueniatur eam rectè formam ſcire, & ſi mulieres præſentes firmiter aſſerant nihil tumultuariè factum, ſed formam ritè cum ipſa aqua abluente, pronuntiatam fuiſſe, in alijs Diœceſibus non rebaptizatur. Nec refert quòd aliquæ obſtetrices reperiæ fuerint fagæ ſine intentione baptizantes, ſed Dæmoni potius vouentes pueros. Reſpondeo, hoc non eſſe ſufficiens fundamentum ad rebaptizandum vniuerſim baptizatos à mulieribus. Nam etiam inuenti ſunt Sacerdotes ſimiles, magiæque addicti, de quorum poſſit intentione dubitari. Nec tamen ideò Baptiſmus ordinariè repetitur, etiam à flagitioſiſſimis datus. Vnde ſufficit morali quadam certitudine de Baptiſmo ritè collato iudicare. Hinc in Italia, Sicilia & alibi non repetitur Baptiſmus obſtetricum. Vt teſtatur Diana *part. 5. tract. 13. reſol. 86.* Propterea cùm in hoc caſu diuerſæ opiniones inter recentiores Theologos reperiantur, & in Diœceſibus Manualia diuerſimodè ordinent, rectè quilibet faciet, qui ſe ſui Epiſcopi ordinationi conformabit. Vt rectè monet Iacobus Marchantius *in reſol. Paſtoral. tract 2. cap. 5.* Diana. Iac. March.

20. In articulo mortis, Sacerdos etiam excommunicatus præferri debet cuilibet non Sacerdoti. Ratio eſt, quia quando pluribus conceditur priuilegium, ſeruandum eſt inter ipſos ius commune, *l. aſſiduo, C. qui potiores in pignore habeantur*, ſed iure communi ratione ſuæ conſecrationis munus baptizandi competit ſolis Sacerdotibus, *cap. Diaconos, diſt. 93. cap. Conſtat, de conſecrat. diſtinct. 4.* ergo cum in extrema neceſſitate concedatur vniuerſis facultas licitè baptizandi, ſiue excommunicati ſint, ſiue non, ſeruandum eſt ius commune. Ita Diana *part. 5. tract. 9. reſol. 87.* citans pro hac ſententia Cornejo *in 3. part. tract. 5. de excommunicat. §. 1. dub. 2. quæſt. 4.* Quamuis Suarez doceat contrarium *tom. 5. de cenſur. diſp. 11. ſect. 1. num. 11. & 12.* qui cum alijs exiſtimat, duo debere concurrere ad externam neceſſitatem, quæ habilitat excommunicatum ad licitum miniſterium Sacramenti Baptiſmi; alterum quod ſe tenet ex parte ipſius baptizandi, nempe quòd ſit in articulo mortis: alterum ex parte ipſius miniſtri, videlicet, quòd non ſit alius, qui poſſit, & velit illud Sacramentum conferre: nam ſi alius adiit, iam baptizandus non eſt in neceſſitate ſuſcipiendi Baptiſmum ab excommunicato, cùm habeat alium à quo poſſit baptizari. Ad quod poſſet reſponderi negando neceſſitatem extremam, in qua datur libera facultas baptizandi etiam excommunicatis integrari ex illis duobus, nam ſufficit alterum ex parte ipſius baptizandi, quòd ratione mortis imminentis ſit in neceſſitate recipiendi Baptiſmum, quamuis non ſit in neceſſitate recipiendi illum præcisè ab iſto excommunicato potiùs, quàm à quocumque alio. Diana. Cornejo. Suarez.

21. Summus Pontifex poteſt committere laico, vt in caſu neceſſitatis ſolemniter Sacramentum Baptiſmi miniſtret. Ratio eſt, quia cùm munus ſolemniter baptizandi non ſit de iure diuino, ſed Eccleſiaſtico, poteſt Pontifex, qui ſupra totum ius Eccleſiaſticum poteſtatem habet, illud cuicumque committere. Ita Amicus *tom. 9. diſp. 11. ſect. 3. num. 52.* cui adde Hurtadum *de Sacrament. Baptiſmi, diſp. 2. diffic. 4.* vbi ex communi Doctorum ſententia, ſupponit, ex diſpenſatione Pontificis laicum poſſe ſolemniter baptizare in caſibus, in quibus iure diuino poteſt baptizare. Amicus. Gaſp. Hurt.

Sed petes, an laicus exiſtens in peccato mortali, ſi miniſtret Sacramentum Baptiſmi ſolemniter ex diſpenſatione Pontificia, peccet mortaliter? Videtur affirmatiuè reſpondendum, quia ſic confert Sacramentum, idque tanquam miniſter aliquo modo ex officio, vt in caſu ſimili dicunt Doctores Diaconum baptizantem ſolemniter ex commiſſione Sacerdotis in ſtatu peccati mortalis, peccare mortaliter: quia & ipſe tunc Sacramentum miniſtrat ratione ordinationis ſuæ quippe per quam habilis redditur,

redditur, vt tale ſacrum miniſterium ipſi à Sacerdote committatur: cumque Diaconus in hoc ſuppleat vicem Sacerdotis, conuenit eum ſimilem quoque obligationem dignè miniſtrandi in ſe ſuſcipere. Sed quia hic caſus à nullo, quem viderim, Doctore pertractatur, cogita Lector, an currat par ratio in caſu noſtro de Diacono ad laicum.

Vide v. Excommunicatio 2. num. 6. Parochia num. 5.

BAPTISMVS IV.

De effectibus & ritibus Baptiſmi.

SVMMARIVM.

1 *Per Baptiſmum tollitur reipſa id omne quod habet in homine rationem peccati. Contra hæreticos.*
2 *Omnes infantes recipiunt æqualem gratiam baptiſmalem.*
3 *Per Baptiſmum incorporamur Chriſto, illuminamur ac fœcundamur.*
4 *Gratia, quæ confertur infantibus per Baptiſmum, excedit tam, quæ dabatur per Sacramentum legis naturæ, aut per Circumciſionem.*
5 *Ex defectu diſpoſitionis fieri poteſt, vt adulti nullum effectum gratiæ per Baptiſmum recipiant.*
Qui ponit obicem gratiæ ſanctificanti, præter charactérem poteſt recipere fidem & ſpem ſine charitate.
6 *Ablatâ fictione, datur totus effectus Baptiſmi cum tota extenſione & intenſione, cum qua in principio daretur, ſi fictio non interfuiſſet.*
7 *Recedente fictione, redit gratia minima, quæ ex opere operato dari poteſt per Baptiſmum.*
8 *Quando tollitur fictio per Sacramentum Pœnitentiæ, vtrumque Sacramentum per modum vnius agentis integri concurrit ad dandam gratiam.*
9 *Peccata ante Baptiſmum commiſſa remittuntur vi Baptiſmi; reliqua per pœnitentiam ſubſequentem.*
10 *Peccatores ad Baptiſmum accedentes, non tenentur ſua peccata confiteri.*
11 *Ex inſtitutione Eccleſiæ in Baptiſmo ſolemni, perſona adhibetur, quæ baptizatum ſuſcipiat de ſacro fonte.*
12 *Suſceptor tenetur baptizatum inſtruere in rebus fidei & morum, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria.*
13 *Suſceptor eſſe non poteſt hæreticus, vel non baptizatus, Abbas, vel Monachus.*
14 *Ex Concilio Tridentino vnus tantùm ſive vir, ſive fœmina vel ad ſummum vnus & vna baptizatum de Baptiſmo ſuſcipere debent.*
Duo viri vel duæ fœminæ non poſſunt baptizatum de ſacro fonte leuare.
15 *Conuenientiſſimum fuit, vt Baptiſmus ſolemni ritu aliquo in Eccleſia traderetur. Eſt de fide.*
16 *Inſtructio, ſignificatio, efficacia, decentia, aut reuerentia Sacramenti, ſunt cauſæ cæremoniarum Baptiſmi.*
17 *Olim in fluuiis, fontibus ac priuatis domibus & alijs locis baptizabantur fideles: nunc verò in ſingulis Parochialibus Eccleſiis ſunt baptiſteria deſignata.*
18 *Qui ritus obſeruandi ſint circa formam & materiam Baptiſmi.*
19 *Catechiſmus ante Baptiſmum, alius eſt adultorum alius parulorum.*
20 *Cæremoniæ, quæ ſpecialiter in Catechiſmo adultorum fiebant.*
21 *Catechiſmus parulorum etiam eſt antiquiſſimus.*
22 *Exorciſmus qui præcedit Baptiſmum, variis cæremonijs perficitur.*
23 *Cæremoniæ ſequentes Baptiſmum, quæ ſint?*
24 *Patrinus qui aduocatur ad cæremonias ſolùm, cognationem non contrahit.*
Tolerabilius eſt differre cæremonias ſubſequentes baptiſmum, donec Patrinus aduenerit, quàm præcedentes.
In aliquibus Diœceſibus Paſtoribus inhibetur, Patrinorum officium ſuſcipere.
Suſceptor in Baptiſmo talis ætatis eſſe debet, vt ſit doli capax.

1. FVit hæreſis antiquiſſima Origeniſtarum, peccata non tolli per Baptiſmum, ſed ſolùm tegi: tolli autem peccata tandem per mortem. Hoc idem docent omnes Lutherani. Nam Lutherus ipſe *art.* 2. ex ijs, quos anno 1520. Leo X. damnauit, ſic ait: *In puero poſt Baptiſmum negare remanens eſſe peccatum, eſt Paulum, & Chriſtum ſimul conculcare.* Deinde in aſſertione eiuſdem articuli: *Aliud eſt*, inquit, *omnia peccata remitti, aliud omnia tolli; Baptiſmus omnia remittit, ſed nullam penitus tollit, ſed incipit tollere.* Idem docet Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini *ſeſſ.* 5. vbi refellit decretum de peccato originis: *Manet*, inquit, *verè peccatum in nobis, neque per Baptiſmum ſtatim vno die extinguitur, ſed quia deletur reatu, imputatione nullum eſt.* Idem habet *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 15. §. 10. & 11. Fundamentum illorum eſt, quia putant ipſam concupiſcentiam, quam certum eſt manere etiam in baptizatis vſque ad mortem, eſſe verè, & proprie peccatum, licet ei non conſentiamus, ſed repugnemus. Contra hunc errorem grauiſſimum ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 5. decretum, quo affirmat per Baptiſmum tolli reipſa id omne, quod habet in homine rationem peccati. Probatur ex Scripturis Baptiſmo realiter tolli omnia peccata, ita vt non ſolùm non imputentur, ſed nec ſit, quod imputari poſſit ad culpam. Et quidem primò ſunt Scripturæ, quæ habent vocabula mundandi, lauandi, tollendi, delendi, auferendi, & ſimilia; quæ non poſſunt niſi ineptiſſimè exponi per non imputari. Non enim rectè dicitur quis tollere ignorantiam, vel malitiam ab alio, quia ignoſcit illi, quod aliquid ignoranter, vel malitioſè fecerit. Loca autem ſunt hæc, Pſalm. 50. *Dele iniquitatem. Amplius lauame.* Micheæ 7. *Auferes iniquitatem.* Ioannis 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ.*

Lutherus, Leo. X.

Caluinus.

Conc. Trid.

2. Omnes infantes recipiunt æqualem gratiam baptiſmalem. Ratio eſt, quia ſicut non poſſunt ad gratiam ſe diſponere per proprium actum, ita non poſſunt ratione diſpoſitionis maiorem, aut minorem gratiam accipere. Adulti verò inæqualiter diſpoſiti inæqualem gratiam accipiunt: quod commune eſt omnibus Sacramentis, quæ operantur inſtar cauſæ naturalis, ideoque iuxta diſpoſitionem ſubiecti. Ita D. Thomas 3. *part. queſt.* 69. *artic.* 8. Nugnus, Syluius *ibidem.* Quòd verò nonnulli opinantur quibuſdam paruulis in Baptiſmo dari maiorem gratiam, vel ratione prædeſtinationis, vel ex deuotione miniſtrorum, nullo fundamento niti videtur. Probatur, quia Deus eum quem prædeſtinauit

D. Thom. Nugnus. Syluius.

naut ad maiorem gloriam, etiam, regulariter loquendo, prædeſtinauit ad maiorem gratiam, per ordinaria media conſequendam: Baptiſmus autem non eſt medium ordinarium ad maiorem gratiam illi, qui non eſt magis diſpoſitus. Tum quia effectus Baptiſmi eſt vi operis operati: ergo vbi eſt idem opus neque nulla eſt varietas diſpoſitionum ſubiecti, eſt idem effectus.

3. Per Baptiſmum incorporamur Chriſto, illuminamur, ac fœcundamur. *Primò* ratione gratiæ, & charitatis, per quam homo vnitur ſpiritualiter Chriſto. Item ratione characteris, per quem ſpeciali modo conſignatur, vt ſi membrum Chriſti, & Eccleſiæ *Secundò*, ratione fidei, eſt enim fidei Sacramentum, & ſpecialis eius profeſſio. *Tertiò* aliarum virtutum ratione, & bonorum operum ab eis procedentium. Ita D. Thomas 3. *p. q.* 69. *art.* 5. Syluius *ibid.* D.Thom. Syluius.

4. Gratia, quæ confertur per Baptiſmum infantibus, licet ſit minima inter baptiſmales; tamen excedit eam, quæ dabatur per Sacramentum legis naturæ, aut per Circumciſionem: quia hoc pertinet ad plenitudinem legis gratiæ; in qua & homines aſſumuntur, & per Baptiſmum conſecrantur ad perfectiorem ſtatum, magiſque ſpiritualem, quàm in lege veteri, & Chriſti merita re ipſa iam exhibita copioſius operantur. Item non eſt improbabile excedere minimam gratiam quæ datur per Sacramentum pœnitentiæ, Extremam Vnctionem & ſimilia Sacramenta: quamuis omnis hæc comparatio incerta ſit, ſicut etiam incertum eſt, quot gradus gratiæ per Baptiſmum paruulis conferantur. Vide Suarez *tertia parte*, *tom.* 3. *diſputat.* 28. *ſect.* 3. Suarez.

5. Ex defectu diſpoſitionis interdum fieri poteſt, vt adulti nullum effectum gratiæ per Baptiſmum recipiant. Ratio eſt, quia Sacramenta non dant gratiam ponenti obicem.

Item, ex imperfectione diſpoſitionis, poteſt effectus Baptiſmi minui, aut ex perfectione diſpoſitionis augeri: quod intellige quoad ea quæ reſpondent diſpoſitioni ſubiecti, & ſic adultus maiorem gratiam recipit in Baptiſmo, quàm infans: quia melius eſt diſpoſitus.

Sed dubium eſt, an is qui ponit obicem gratiæ ſanctificanti, nihil recipere poſſit per Baptiſmum præter characterem? videtur enim non poſſe recipere fidem: quia fides nunquam infunditur extra Baptiſmum ſine charitate; ergo nec in Baptiſmo. Antecedens probatur, quia Catechumenus neque eſt Chriſtianus, neque fidelis, ergo non habet fidem. Dicendum tamen eſt, eum, qui in Baptiſmo ponit obicem gratiæ ſanctificanti, poſſe recipere fidem, & ſpem ſine charitate. Ratio eſt, tum quia accedens ad Baptiſmum poteſt non ponere obicem fidei & ſpei, ſed habere diſpoſitionem ſufficientem ad illas credendo, & ſperando. Tum quia, ſicut fides & ſpes in ſui conſeruatione non pendent à charitate, ita nec in infuſione; vnde D. Thomas 2.2. *quæſtione* 6. *articulo* 2. *ad* 3. ponit aliquem recipere poſſe à Deo fidem ſine charitate. Ad argumentum autem in contrarium negatur antecedens: ad eius confirmationem negatur conſequentia: ordinariè enim non fit aliquis Chriſtianus & de numero membrorum Eccleſiæ per ſolam fidem, niſi fidei Sacramentum accipiat. Ita Suarez *diſputatione* 28. *ſectione* 3 § *vna ſupererat*, Syluius *tertia parte*, *quæſtione* 69. *art.* 9. & alij. D.Thom. Suarez, Syluius.

6. Datur effectus totus Baptiſmi, ablatâ fictione, cùm tota extenſione & intenſione cum qua in principio daretur, ſi fictio non interfuiſſet. Nam in primis datur gratia ſanctificans ex opere operato, & omnes virtutes, & dona: deinde datur remiſſio peccati originalis, & omnium mortalium quæ cum illo coniuncta ſunt: non tamen omnia eodem titulo, & ratione: nam quæ commiſſa fuerunt ante Baptiſmum, per ſe tolluntur virtute illius: quæ verò commiſſa ſunt poſt Baptiſmum, tolluntur concomitanter, & per accidens reſpectu Baptiſmi, & per ſe reſpectu pœnitentiæ, ſeu in voto eius. Denique datur remiſſio recedente fictione peccatorum venialium, quæ commiſſa ſunt ante Baptiſmum, & pœnæ, quæ his reſpondet, ſi tamen fictio tollatur reſpectu illorum, ita vt non perſeueret homo in complacentia eorum. Ratio eſt, quia ſicut poteſt peccatum mortale remitti ſine venali, ita poteſt tolli fictio vt impedit remiſſionem mortalium, & non vt impedit remiſſionem venialium. At verò venialia commiſſa poſt Baptiſmum, nec per ſe, nec per accidens recedente fictione tolluntur: quia Baptiſmus non habet efficaciam circa peccata commiſſa poſt illum, & nec remiſſio peccatorum venialium habet neceſſariam connexionem cum remiſſione mortalium: vnde tolluntur iuxta diſpoſitionem, per quam tollitur fictio. Ita D.Thomas 3. *p.* 9. 69. *artic.* 10. Syluius *ibidem*. Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 4. & alij communiter. D.Thom. Syluius. Suarez.

7 Recedente fictione redit gratia minima, quæ ex opere operato dari poteſt per Baptiſmum, quæ eſt illa, quæ datur infantibus, & cuicunque nec obicem contrarium, nec diſpoſitum diſpoſitionem ad gratiam habenti. Ratio eſſe poteſt; quia in huiuſmodi homine, nulla eſt diſpoſitio ad Baptiſmum ratione cuius excedat illum minimum gradum effectus gratiæ: quia diſpoſitio ad Baptiſmum dignè ſuſcipiendum, ſolum eſt quando ipſe Baptiſmus ſuſcipitur: tunc autem nulla fuit talis diſpoſitio, vt ſupponitur, ergo non eſt vnde effectus gratiæ excedat dictum intentionis gradum. Dici autem poteſt dari iuxta qualitatem actus, quo fictio remouetur. Ratio eſt quia Baptiſmus ſemel ſuſceptus, tam efficax eſt ad operandum recedente fictione, quàm in principio actu exiſtens; ergo tantam gratiam dat, recedente fictione cum tali diſpoſitione, verbi gratia, contritione vt quatuor, quantam in principio daret, ſi cum eadem ſuſceptus fuiſſet: quia eſt eadem cauſa & eadem virtus, in qua perinde eſt manere in acceptatione diuina, ac ſi actu exiſteret. Vide Suarez 3. *part. tom.* 3. *diſp* 28. *ſect.* 4. Suarez.

8. Quando tollitur fictio per Sacramentum pœnitentiæ vtrumque Sacramentum per modum vnius agentis integri concurrit ad dandam gratiam, ita vt mutuo ſe iuuent & totus effectus ſit à ſingulis, & neutro tamen independenter ab alio: ſed cum neceſſaria dependentia ab vtroque ſimul, ſiue illa dependentia tota ſit phyſica ſiue moralis, ſiue ex vtraque mixta. Neque hoc erit contra vel præter inſtitutionem talium Sacramentorum: nam ſingula Sacramenta habent ex inſtitutione ſua virtutem ad præſtandum ſuum effectum gratiæ, vel per ſe ſolum, ſi nullum adſit impedimentum, vel ſimul cum alio Sacramento, ſi occaſio vel neceſſitas ſubiecti id requirat: & tunc conſequenter habent alia Sacramenta ex inſtitutione ſua, vt ſeſe poſſint iuuare & cooperari ad ſuos effectus, iuxta ſubiecti capacitatem & neceſſitatem. Et hæc videtur eſſe communis ſententia Theologorum.

9. Peccata ante Baptiſmum commiſſa, remittuntur vi Baptiſmi, reliqua per pœnitentiam ſubſequentem. Probatur prior pars, quia Eccleſia non habet poteſtatem in non baptizatum, vnde peccata ipſius, non ſubduntur clauibus Eccleſiæ. Probatur

poſterior pars, quia Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum eſt neceſſarium ad remiſſionem peccatorum. Vnde talis debet poſtea confiteri, ſe indignè ſuſcepiſſe Baptiſmum, non tamen eſt neceſſe vt exprimat cauſam fictionis ſeu voluntatem permanendi in peccato: nam hæc voluntas eſt prior Baptiſmo: ſuſceptio ſacrilega eſt poſterior: quod quo modo verum ſit, fuſe tractat Suarez *diſp. 28. ſect 5 concl 3.*

Suarez.

10. Dubium eſt, an peccatores ad Baptiſmum accedentes, teneantur ſua peccata confiteri? Ratio dubij ſumitur ex conſuetudine primitiuæ Eccleſiæ, de qua ſæpe apud veteres Patres, vt Tertullian. lib. de Baptiſmo, cap 20. *Ingreſſurus*, inquit, *baptiſmum, orationibus, ieiunijs, & Confeſſione omnium retro delictorum, &c.* Similia ſunt apud Nazianzenum, Baſilium, Chryſoſtomum *in 3. cap. Matth.* vbi accedentes ad Baptiſmum Ioannis confitebantur peccata ſua, & ratio eſſe poteſt, quia Confeſſio videtur neceſſaria ad medicinam faciendam præteritis peccatis, & vt Eccleſiæ conſtet de bona diſpoſitione baptizandi. Nihilominus dicendum eſt hanc Confeſſionem eſſe quidem vtilem, non tamen neceſſariam, nec ſacramentalem. Probatur prima pars, quia ad multa poteſt valere hæc Confeſſio, ad humilitatem, ad curationem peccatorum, ad ſpiritualem inſtructionem, ad augmentum veræ pœnitentiæ, &c. Probatur ſecunda pars, quia medicina curatiua in hoc negotio non eſt neceſſaria, cùm ſufficiat Baptiſmus, & Eccleſia poſſit aliunde certior fieri de bona voluntate baptizandi. Probatur tertia pars, quia nemo ante Baptiſmum capax eſt Sacramenti pœnitentiæ: imò peccata ante Baptiſmum commiſſa, non ſunt ſufficiens materia abſolutionis ſacramentalis, quia ſunt commiſſa extra forum Eccleſiæ. Illa itaque conſuetudo antiqua habuit rationem conſilij & cuiuſdam actus humilitatis, & fortè non erat exacta Confeſſio, ſed quædam manifeſtatio conſcientiæ ad inſtructionem & directionem. Atque hinc intelligere licet, quid ſentiendum ſit de pœnitentijs & ſatisfactionibus, quæ ante Baptiſmum præmitti in Eccleſia primitiua ſolebant; non enim erant ſatisfactiones ſacramentales; ſed præparatoriæ ad gratiam & ad iuſtitiam in Sacramento obtinendam. Vide D. Thomam *3. p. q. 68. art. 5. & 6.* Syluium *ibidem.*

Tertull. DD. Naz. Baſil. Chryſoſt. D. Thom. Syluius.

11. Ex inſtitutione & præcepto Eccleſiæ præter baptizantem & baptizatum in Baptiſmo ſolemni, perſona adhibetur, quæ baptizatum ſuſcipiat de ſacro fonte. Conſtat ex conſuetudine antiquiſſima Eccleſiæ. Munus huius ſuſceptoris eſt præcipuum, vt puerum baptizatum, de manu baptizantis, veluti ſub tutela & cura ſua ſuſcipiat, vt colligitur ex Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 2. de reformat.* Et ideò ſolet hic ſuſceptor vocari, fideiuſſor, vt patet ex *cap. Vos ante. de conſecrat. diſtinct. 4.* Item vocatur ſponſor, quia quando baptizatum ſuſcipit, virtualiter fideiubet & promittit ſe habiturum curam ſalutis ſpiritualis illius. Ratio huius inſtitutionis eſt, quia homo recens baptizatus, eſt veluti paruulus nuper genitus, qui pædagogo indiget, à quo inſtruatur: ad hoc ergo munus aſſumitur ſuſceptor Baptiſmi, eo quòd ſpiritualis pater, qui hominem in Chriſto regenerat baptizando illum, non ſemper poteſt per ſeipſum hoc munus exercere, & ideò ſuſceptor conuenienter, vt fideiuſſor adhibetur, quo Eccleſia ſecurior ſit, de fide hominis regenerati. Ita D. Thomas *3. p. q. 67. art. 7.* & alij communiter.

Conc. Trid. D. Thom.

12. Suſceptor tenetur inſtruere baptizatum in rebus fidei & morum, quæ ad ſalutem ſunt neceſſariæ, quia vnuſquiſque tenetur munus explere quod aſſumpſit, quæ obligatio vrget, quando baptizatus indiget, verbi gratia, ſi infideles habeat parentes, vel ita negligentes vt filium non inſtruant: at verò ſi puer eſt inter Catholicos natus & enutritus, & à parentibus, vel tutoribus, vel dominis, ſi ſeruus ſit, vel alijs huiuſmodi ſufficienter inſtrui credatur, facilè poſſunt ſuſceptores ab huiuſmodi obligatione excuſari. Quo fit, vt inter Catholicos rarò vrgeat hæc obligatio, quamuis cauendum ſit, ne hoc munus iam ita ſuſcipiatur & negligenter ſeruetur, vt ſit pura cæremonia exterior ſine vllo fructu. Denique obligatio hæc non eſt perpetua exiſtimanda, ſed tantùm durare cenſenda eſt, donec baptizatus in rebus fidei ad ipſum pertinentibus ſit ſufficienter inſtructus: quòd ſi ſemel fiat, ceſſabit ſuſceptoris obligatio: quia iam baptizatus cenſetur eſſe extra ſtatum infantiæ, in quo pædagogo indigebat. Atque in hunc modum explicanda ſunt, quæ traduntur *in cap. Vos autem, de conſecrat. diſt. 4.*

13. Suſceptor ſeu Patrinus eſſe non poteſt hæreticus, vel non baptizatus: quia eſt omninò ineptus ad huiuſmodi miniſterium, vt habetur *in cap. in Baptiſmate, de conſecrat. diſt. 4.* Item Monachi & Abbates hoc munus ſuſcipere non poſſunt, quia hæc cura & ſolicitudo ab eorum ſtatu eſt aliena, vt habetur *in cap. Non licet, de conſecrat. diſt. 4.* De fœminis quidam dubitant, an poſſint ſuſceptoris munus obire: ſed certum eſt poſſe, vt conſtat ex vſu & antiqua traditione, *cap. Vos ante, de conſecrat. diſt 4.* & cap. *Quod autem 30. q. 4.* vbi Vrbanus Papa dicit, maritum & vxorem non debere eumdem de fonte ſuſcipere, hoc tamen vſu receptum non eſt.

14. Olim ſtatutum erat, vt in Baptiſmo vnus tantùm ſit vnius baptizati ſuſceptor, ſeu Patrinus, vt conſtat ex *cap. in Catechiſmo, & cap. non plures, de conſecrat. diſtinctione quarta.* Poſtea conſuetudo introduxit, vt plures ad eundem baptizatum admitterentur ex *cap. Quamuis, de cognat. ſpirit. in 6.* Hodie verò in Concilio Tridentino *ſeſſione vigeſimaquarta, capite ſecundo, de reformatione matrimon.* ſtatuitur, vt vnus tantùm, ſiue vir, ſiue fœmina, vel ad ſummum vnus & vna baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, & Parocho præcipit, vt diligenter de illis inquirat, & eos tantùm admittat, & in libro nomina eorum deſcribat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint: cuius cognationis ſolùm ſunt capaces illæ perſonæ numeratæ in dicto Concilio: vnde ſi contigerit plures alias tangere, vel ſuſcipere baptizatum, reuera non ſunt ſuſceptores, nec contrahunt cognationem ſpiritualem.

Conc. Trid.

Sed petes, quando duæ perſonæ admittuntur, iuxta permiſſionem Concilij, an poſſint eſſe duo viri, vel duæ fœminæ? Reſpondeo, non poſſe, quia verba Concilij ſunt clara, & hoc tantùm pendet ex iure poſitiuo, quod voluit reſtringere impedimenta matrimonium dirimentia. Si autem de facto contra ſus duo viri, vel duæ fœminæ baptizatum ſuſcipiant; vel ſi plures viri, vel fœminæ admittantur, ſolùm illi, vel illæ perſonæ, quæ ſunt deſignatæ ſpecialiter, per quem ſpectat deſignare, contrahent hanc cognationem. Sed plura de his *tomo primo, verb. Matrimonium VII. numero trigeſimo*, diximus, & dicemus infra, cùm de impedimentis matrim. dirimentibus agemus.

15. Cùm hæretici omnes Eccleſiæ cæremonias generatim contemnant, multò tamen magis has irrident, quas in Baptiſmo ſeruat Eccleſia, maximè propter earum multitudinem, quæ videtur valde

valde onerosa & inutilis. Dicendum tamen est, conuenientissimum fuisse, vt Baptismus solemni ritu aliquo in Ecclesia traderetur. Est de fide. Probatur, quia cæremoniæ, quibus in Baptismo vtimur, antiquissimæ sunt vel ex Apostolorum traditione manarunt, vel à Sanctissimis Patribus institutæ sunt: quorum auctoritas, præsertim tot sæculis iam confirmata, plus apud nos valere debet, quàm Nouatorum clamores: vt bene docet Cardinalis Bellarminus *lib. 1 de Baptismo, cap. 24.* Bellarmin.

16. Causæ, ob quas hic vsus cæremoniarum magis quodammodo in Baptismo, quàm in alijs Sacramentis obseruatus & auctus est, possunt ad quatuor capita reduci, quæ sunt instructio, significatio, efficacia, ornatus, seu decentia aut reuerentia Sacramenti. *Primò* enim per hoc Sacramentum regeneratur homo, & à dæmonis potestate ad Dei cultum traducitur, & ab infidelitate ad fidem, & in Ecclesiæ gremium recipitur: oportet ergo, vt priùs instruatur & disponatur, quod fit per Catechismum. *Secundò*, oportuit non solùm doctrina & verbis, sed etiam rebus ipsis & actionibus significari mysteria, quæ in Baptismo continentur, vel propter ipsum baptizatum, si sit adultus, vel saltem propter alios fideles, qui sensibilibus signis indigent, quibus excitentur ad intelligenda supernaturalia mysteria, vt ea possint facilius memoria retinere. *Tertiò*, nonnullæ ex his cæremonijs creduntur adhibitæ propter efficaciam alicuius spiritualis effectus, qui duplex excogitari potest, scilicet, ablatio alicuius mali, seu impedimentorum, quæ vel Sacramentum, vel effectum eius impedire possunt: vel collatio, seu impetratio alicuius boni. Propter priorem effectum censetur institutus exorcismus. Alter effectus quasi positiuus per collationem alicuius doni, fundatur in impetratione totius Ecclesiæ, cuius nomine & auctoritate hæc omnia fiunt; fieri ergo potest, vt Ecclesia per hæc sacramentalia impetret bonum animæ motum ad resistendum potestati dæmonis & gratiam conseruandam; qui motus, vel statim detur, si homo fuerit capax, & illo indigeat, vel postea tempore opportuno. *Quarta* causa, seu ratio harum cæremoniarum est, propter decentiam & ornatum tanto Sacramento debitum: cùm enim hoc Sacramentum sit Ecclesiæ ianua, & prima solemnis fidei professio, decuit maiori pompa & celebritate fieri. Deinde, quia substantialis ritus huius Sacramenti est simplicissimus & paucissimis rebus & vulgaribus perficitur; quia ita fieri oportuit propter eius necessitatem, & ne apud rudiores homines vilesceret, oportuit debito cæremoniarum cultu celebrari. Plura vide apud Suarez *disput. 30. sect. 1.* Suarez,

17. Olim in fluuijs, fontibus, ac priuatis domibus & alijs locis similibus baptizabantur fideles, vt ex Actor. 2. 8. 10. & 16. colligi potest. Postea designata fuere certa loca, vt in eis Baptismus celebraretur, quæ appellabantur baptisteria, vt constat ex Concil. Antiocheni *sub Deusdedit, cap. 14.* Quæ loca erant separata ab Ecclesia. Imò & in singulis ciuitatibus, seu oppidis vnus tantùm locus existebat. Nunc verò in singulis Parochialibus Ecclesijs sunt propria baptisteria designata, vt obseruat Ecclesia vniuersalis, & sic non licet nisi in necessitate extra Ecclesiam Baptismum celebrare, vt constat ex *Clement. vnic. de Baptismo*, vbi filios Regum, vel Principum ab hoc præcepto excepit. Nomine verò Regum vel Principum veniunt tantùm Reges, vel alij supremi potentatus, qui ferè Regibus æquiparantur.

18. Forma Baptismi debet exprimi verbis ab Ecclesia vsitatis, & in eo idiomate, quo ipsa in publicis officijs ac cæremonijs vtitur. Ablutio item debet fieri per immersionem vnam, vel trinam, aut per aspersionem. Item aqua debet benedici priusquam ad vsum baptismatis assumatur, quæ consuetudo est antiquissima, quamuis necessitate vrgente possit fieri Baptismus in quacumque aqua naturali: benedicitur tamen, vel ad conciliandam maiorem reuerentiam circa hoc Sacramentum Baptismi, vel ad significandum Spiritus sancti gratiam, quæ per ablutionem huius aquæ & virtutem Passionis Christi mirabiliter & ineffabiliter ex opere operato baptizatis confertur. Hæc enim videntur significari in infusione olei cum benedictione & crucis signo.

19. Catechismus, qui debet præcedere ante Baptismum, alius est adultorum, alius paruulorum. Catechismus adultorum, alius substantialis, alius cæremonialis. Substantialis est ille, qui per se, & ex natura rei, suppolita institutione & fine Baptismi, necessarius est ad conuenientem vsum huius Sacramenti, licet non sit simpliciter de essentia eius. Consistit in sufficiente instructione & doctrina rerum fidei ac morum, iuxta Matth. vltim. verba. *Docete omnes gentes baptizantes eas, &c.* Catechismus cæremonialis consistit in quodam speciali modo & ordine ab Ecclesia instituto & obseruato in Catechumenorum instructione & præparatione ad Baptismum. *Primò*, scilicet quòd animum ad Christianam fidem applicabant, ad res fidei audiendas admittebantur prius quàm Baptismum peterent, & hi generali nomine solent vocari Catechumeni, specialiter autem dicuntur audientes vt distinguantur ab alijs, qui competentes vocantur. *Secundò*, quòd qui iam decreuerant fieri Christiani, Baptismum petebant, & sua nomina dabant, quæ futura erant non gentilium, sed Sanctorum. Vnde nunc vt obseruat Ecclesia, statim in foribus Ecclesiæ in initio Catechismi interrogat Minister, quo nomine vocari vis? Respondent Patrini: Petrus vel Ioannes.

20. Cæremoniæ, quæ specialiter in Catechismo fiebant sunt hæ. *Prima* erat scrutinium, vt certiùs exploraretur an vera esset Catechumenorum conuersio ad fidem. *Secunda*, quòd Catechumeni sæpiùs signabantur signo crucis, per quod sacrosanctum signum in vtero Sanctæ Matris Ecclesiæ Catechumenus concipitur, fiebatque hoc signum in fronte.

Tertiò. Est abrenunciatio Satanæ, & solebat Catechumenus conuerti ad Occidentem; facta verò renunciatione conuertebatur ad Orientem, ad significandum hominem baptizandum debere spreto Dæmone, Christum intueri. *Quartò*, erat fidei professio, quæ sæpius fiebat in Catechismi diebus & ipso etiam baptismatis die, per publicam symboli Confessionem. Ratio autem harum cæremoniarum est, vt per eas Catechumeni in fide confirmarentur, & perfectè ad Deum conuertantur, & de vtroque satis Ecclesiæ constet.

21. Catechismus paruulorum etiam est antiquissimus, quem nunc ferè eisdem cæremonijs Ecclesia obseruat. Fit autem *Primò*, in paruulis, vt in eis perficiantur ea, quorum ipsi sunt capaces, & tunc eis nomen imponitur & signo crucis signantur. *Secundò*, vt susceptores admoneantur de obligatione, qua tenentur ad instruendos infantes, & ideò manus suas imponunt capiti baptizandi, & nomine eius symbolum profitentur, & orationem Dominicam recitant. *Tertiò*, vt quasi solemni professione constet non minus

manere obligatum paruulum baptizatum ad fidem & Religionem Chriſtianam, quam ſi propria voluntate Baptiſmum ſuſcepiſſet.

22. Exorciſmus qui debet præcedere Baptiſmum, eſt increpatio contra immundum ſpiritum, qua eius virtus & violenta incurſio arcetur ac fugatur, variſque cæremonijs perficitur. *Prima* eſt inſufflatio dæmonis facta per miniſtros Eccleſiæ, ad ſignificandum effectum exorciſmi, qui eſt dæmonis expulſio. *Secunda* eſt manus impoſitio cum benedictione Sacerdotis, quâ imperatur vt dæmoni præcludatur via, ne iterum redeat. *Tertia* eſt ſal in os baptizandi miſſum, qua cæremonia, aut diuinæ ſapientiæ infuſio, aut fidei Confeſſio ſignificatur, quòd priùs benedicitur, antequam detur, vt modò obſeruat Eccleſia. *Quarta*, eſt ſputo nares & aures baptizandi linire in ſignum receptionis & approbationis doctrinæ fidei, quæ eſt antiquiſſima, accepta ex Chriſti exemplo, qui os & aures hominis ſurdi & muti tetigit, vt ei ſermonem & auditum reſtitueret. *Quinta*, eſt inunctio olei ſanctificati, ad ſignificandam aptitudinem hominis, ad pugnandum contra dæmones, quæ inunctio eſt duplex, altera in pectore, qua ſignificatur fides recta in anima ſuſcepta; altera inter ſcapulas ad ſignificandum exercitium bonæ operationis: quia fides ſine operibus mortua eſt, vel per priorem ſignificatur munditia cogitationum in pectore; per poſteriorem verò fortitudo laborum in ſcapulis.

23. Cæremoniæ ſequentes Baptiſmum ſunt hæ. *Prima*, eſt inunctio Chriſmatis, quæ fit in vertice baptizati, quæ vnctio valde diuerſa eſt ab illa, quæ fit in Confirmatione: nam illa eſt cæremonialis & fit in vertice, iſta verò fit in fronte, & eſt ſubſtantialis Sacramenti Confirmationis; vnde illa poteſt fieri à ſimplici Sacerdote, hæc verò tantùm ab Epiſcopo; quæ cæremonia facienda eſt cum nouo Chriſmate, & non cum veteri, niſi adſit mortis periculum. *Secunda* cæremonia eſt, quòd poſt Baptiſmum baptizatus induebatur veſtimentis albis, ad ſignificandam nouitatem vitæ; quibus veſtibus vtebantur per totam Octauam Paſchæ, & ideò dies Octaua Dominica in albis dicitur: quia eo die deponebant baptizati alba veſtimenta; & huius cæremoniæ veſtigia adhuc manent in Baptiſmis adultorum, qui temporibus Paſchæ & Pentecoſtes fiunt in Romana Eccleſia. In Baptiſmo verò paruulorum Sacerdos operit caput infantis candida veſte. *Tertia* cæremonia eſt, dare cereum accenſum homini iam baptizato, ad ſignificandam fidem viuam, quam baptizatus ſemper habere debet vſque in finem vitæ. Item olim hominibus baptizatis lac & mel præguſtanda dabantur, ad infantiæ ſpiritualis ſignificationem. Vnde in Dominica in albis canitur. *Quaſi modò geniti infantes lac concupiſcite, &c.* Quæ iam non eſt in vſu nec alia de lotione pedum, nec alia de oſculo pacis. Plura de his cæremonijs apud Bellarminum *lib. 1. de Baptiſmo, cap. 25. 26. & 27.* Suarez *tom. 3. quæſt. 71. artic. 1. 2. & 3.* Syluium *ibidem*, & alios commentatores huius quæſtionis.

Bellarmin. Suarez. Syluius.

24. Circa prædicta quædam notanda veniunt. *Primum.* Quòd is qui aduocatur Patrinus ad cæremonias ſolùm, non fit verè Patrinus, nec cognationem ſpiritualem contrahat: quia talis cognatio oritur ex tenentia in Baptiſmo, ſiue in adminiſtratione ipſius Sacramenti, non verò ex aſſiſtentia ad ſolas cæremonias.

Secundum. Quòd ſi Parochus baptizet, præmiſſis exorciſmis & alijs cæremonijs Baptiſmum præcedentibus, ſed eas quæ ſequuntur differat ad aliquot dies, donec Patrinus aduocatus aduenerit, hoc non tam facilè condemnandum eſt quàm ſi omnes cæremoniæ omitterentur: quia inuerſio ordinis, quâ cæremoniæ Baptiſmum præcedentes poſtponuntur & differuntur, grauior eſt quàm dilatio aliquot cæremoniarum, quæ naturâ ſuâ & inſtitutione Baptiſmum ſequuntur: & ideò occurrente rationabili cauſâ iudicari poſſit iſtud licitum. Hoc tamen facilè in praxim non debet deduci: quia Eccleſiæ conſuetudo non admittit diſcontinuationem cæremoniarum, niſi grauibus de cauſis.

Tertium. Quòd non ſolùm Abbates vel Monachi excludantur à munere ſuſcipiendi proles in Baptiſmo: verum etiam quibuſdam in locis per ſtatuta Synodalia decernitur, vel ſaltem monentur Sacerdotes, maximè Paſtores, vt patrinorum officium non ſuſcipiant. Ratio horum decretorum eſt, quia eadem cauſa quæ militat in religioſis, ob quam arcentur ab hoc munere per Canones, etiam locum habet in Sacerdotibus maximè Paſtoribus, vt inſinuat Catechiſmus Romanus agens de Patrinis: cùm enim, inquit, Paſtores publicæ Parochiarum curationi præpoſiti ſint ſufficere illis debet hoc onus, nec opus eſt, quòd Patrinorum particulari oneri ſe immiſceant, nam & generaliter Patres ſunt omnium, & maximè eorum quos baptizant. Adde id iure ſtatui, vt omnis ſuſpicio tollatur & omnis occaſio conuerſationis cum mulieribus; orin enim ſolet quædam familiaritas ex compaternitate, quæ nonnunquam in fumum caliginoſum libidinis poteſt exardeſcere, aut certè ſuſpicionem alijs mouere.

Quartum. Quòd ſuſceptor in Baptiſmo talis ætatis eſſe debet, vt ſit doli capax, & habeat ſufficiens iudicium ad peccandum mortaliter: ſufficit enim quòd aliquo modo percipere poſſit quid agat, & quænam hic obligatio imponatur. Quòd ſi infra ætatem octo vel ſeptem annorum admittatur puer ad ſuſcipiendum, non contrahit cognationem, vt docet Sanchez *de matrimon. lib. 7. diſput. 61 num. 4.* Sed ordinariè non debent admitti niſi qui eam ætatem ſuperant, puta circa duodecimum annum, aut vndecimum, cùm ſolent pueri communicare: quia tunc cenſentur capaces ad obligationem illam plenius intelligendam, ſi inſtruantur. Sed quia iuxta Concilium Tridentinum ſufficit, quòd vnus vel vna ſuſcipiat, ſic fatis erit quòd vnus adultus ſuſceptor ſit, licet adiungatur ex altera parte puellula necdum ætatis ſufficientis; aut contra, quòd mulier aliqua matrina adhibeatur, licet ex altera parte puer ſeptennio inferior aſſiſtat. Cauendum tamen ne hæc nimis facilè in praxim deducantur, conſuetum Eccleſiæ morem temerando.

Sanchez.

Sed plura de his ſuo loco, cùm de cognatione ſpirituali matrimonium dirimente agemus.

Vide v. Irregularitas 3. *num.* 1.

BELLVM.

SVMMARIVM.

1 *Bellum quid, & vnde dicatur. Aliquando repugnat charitati formaliter, aliquando materialiter. Bellum aliud eſt defenſiuum, aliud aggreſſiuum.*

2 *Bellum non eſt intrinſecè malum, nec Chriſtianis prohibitum, vt volunt hæretici.*

3 *Licitum*

3 *Licitum eſt Chriſtianis contra Turcas bellum gerere, contra Lutherum.*

4 *Bellum defenſiuum non ſolùm eſt licitum, ſed interdum etiam præceptum.*

5 *Reſpublica perfecta vel Princeps illius poteſt ſuſcipere contra hoſtes bellum aggreſſiuum.*

6 *Bellum quod ſine legitima auctoritate indicitur, non ſolum eſt contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, etiamſi adſit legitima cauſa.*

7 *In bello iuſto poteſt Princeps ab alijs adiuuari.*

8 *In auxilium belli iuſti licitum eſt per ſe aduocare milites extraneos etiam infideles, modò non adſit ſcandalum.*

9 *Poſita iuſta cauſa non ſemper poteſt Princeps bellum indicere, ſed priùs petenda eſt ab aduerſario ſatisfactio.*

10 *Recta intentio Principis in bello, non ad iniſtitiam, ſed ad honeſtatem belli pertinet.*

11 *Princeps laſus non poteſt bellum ſuſcipere, niſi probabiliter credat ſe fore ſuperiorem.*

12 *Suſcepto bello poteſt Princeps ea omnia media adhibere, quæ neceſſaria vel vtilia ſunt ad finem ſuum conſequendum.*

13 *Iure naturali talis modus in toto belli progreſſu ſeruandus eſt, vt nihil committatur contra leges vel iuſtitiæ, vel fortitudinis.*

14 *In aliquibus caſibus licitum eſt bellare contra infideles, ob aliquam circumſtantiam infidelitati annexam.*

15 *Poteſt Summus Pontifex ad Chriſtianæ fidei & Euangelij propagationem, Prouincias & Regna infidelium cuilibet concedere, vt ſua faciat.*

16 *In quibus caſibus hæreſis ſit cauſa ſufficiens belli.*

17 *Princeps, qui ſua culpa ſtatuto tempore non ſoluit militi ſtipendium, tenetur reſarcire omnia damna, quæ inde fuerunt ſubſequuta.*

18 *Quæ ſint peccata officialium in exercitu.*

19 *Milites ad quæ teneantur ex iuſtitia, ratione ſtipendij quod accipiunt.*

20 *In bello iuſto inter Chriſtianos captus ab inimicis tenetur pretium redemptionis ſuæ perſoluere.*

21 *Iure naturali non eſt prohibitum Clericis propria manu pugnare, ſed tantùm Eccleſiaſticis.*

22 *Licitum eſt Clericis in Minoribus Ordinibus conſtitutis pugnare in bello propria manu. Et quid dicendum de beneficiatis.*

23 *Clerici bello iuſto intereſſe poſſunt, vt ſubſidia ſpiritualia miniſtrent & ad pugnam excitent, &c.*

An autem ad hoc requiratur licentia Epiſcopi, refertur duplex ſententia.

24 *Clerici licitè bello aſſiſtentes, ex tacita Principis voluntate, poſſunt ſpolia inimicorum accipere & retinere, ſicut alij milites.*

Verùm eſt Clericos aſſiſtentes, bello iuſto & præliantes contra prohibitionem Eccleſiæ, non teneri ad reſtitutionem, ſi quid de ſpolijs accipiant.

25 *Omni tempore licet bellum defenſiuum: ſimiliter & aggreſſiuum, quando tunc victoria ſperatur: non eſt peccatum mortale diebus Feſtis fieri neceſſitate præſſari, modò audiatur Miſſa. An autem ſit veniale, alij affirmant, alij negant.*

1. NOtandum *Primò* bellum vocari non tantùm ipſum armorum conflictum, ſeu prælium, verum etiam voluntatem illam durabilem, & quaſi profeſſionem, vi & armis nocendi contrariæ parti; cuius voluntatis quaſi effectus eſt conflictus ipſe, ſeu prælium. Dicitur autem vel à belluis, eo quod homines in eo plerumque ferocitatem belluarum imitentur; vel vt placet Diuo Hieronymo *epiſtola* 127. *manſione* 31. quia bellum nihil habet bellum, ſed plenum eſt acerbitate. D. Hieron.

Secundò. Bellum aliquando repugnat charitati formaliter, aliquando tantùm materialiter: formaliter quidem quando bellum eſt iniuſtum, vel illicitum, idque vel ex obiecto, vel ex modo: materialiter quando iuſtum eſt, & debito modo adminiſtratur: tunc enim eſt veluti iudicium quoddam armatum & actus iuſtitiæ vindicatiuæ, qui non magis repugnat charitati, quàm condemnatio & punitio nocentis, quæ debito modo fit à Iudice, propter bonum communitatis.

Tertiò. Bellum eſt duplex: aut enim eſt defenſiuum, aut aggreſſiuum: defenſiuum eſt, quando propulſatur iniuria & vis vi repellitur: aggreſſiuum, quando hoſtis inuaditur, vel ad obtinendam iuſtam rei ablatæ compenſationem, vel ad iniuriam iuſtè vindicandam, nempe ſecundùm culpæ proportionem, vel ad ſtabiliendam & firmandam pacem: hi enim ſunt tres fines, quos omnes, vel eorum aliquem, bellatores ſpectare tenentur. Interdum tamen in apparentia videri poteſt aggreſſio, quæ tantùm eſt defenſio: nam ſi hoſtes, verbi gratiâ, occupent domos, vel res aliorum, alij verò eos inuaſerint non aggreſſio eſt, ſed defenſio. Quo modo leges ciuiles dicentes, ſi quis velit me expellere à poſſeſſione, licere vim vi repellere, etiam in conſcientia, veræ ſunt, vt *in l. 1. Cod. vnde vi, & l 1 & 3. ff de vi & vi armata*, quia illa non eſt aggreſſio, ſed defenſio, quam etiam licet aggredi propriâ auctoritate: vt habetur *in cap. Solum extra. de reſt. ſpoliatorum*.

2. Circa materiam belli variæ fuerunt hæreſes: nam Manichæi, teſte D. Auguſtino *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 74. in vniuerſum omnia bella damnabant, ac propterea reijciebant vetus teſtamentum, in quo amici Dei, plurima bella geſſiſſe narrantur. Cornelius autem Agrippa, Eraſmus, & Anabaptiſtæ putant Chriſtianis bella eſſe prohibita, & præcipuè contra Chriſtianos: quia dictum eſt Petro Matth. 26. *Omnes qui acceperit gladium, gladio peribit*. At verò Lutherus, licèt non reijciat bella contra Chriſtianos, maximè contra Papam & Epiſtas, damnat tamen bellum contra Turcas, vt patet ex *articulo* 34. in Bulla Leonis damnato. Sed hæc ſententia tantam abſurditatem & impietatem continet, vt ipſe idem Lutherus poſtea, cùm ille ardor nonnihil deferbuiſſet, planè contrarium ſcripſerit in libro de Viſitatione Saxonica. Eccleſia tamen Catholica tota ſemper docuit, Bellum ſimpliciter nec eſſe intrinſecè malum, nec Chriſtianis prohibitum. Eſt de fide, atque expreſſum in Scriptura, in veteri namque teſtamento laudantur bella facta à Sanctiſſimis viris. Geneſis 14. *Benedictus Abraham, & benedictus Deus qui protegit, hoſtes in manibus tuis ſunt.* D. Auguſt.

Idem legitur de Moyſe, Ioſuë, Samſone, Gedeone, Dauide, Machabæis, & alijs quibus ſæpè iuſſerat Deus inferre bellum hoſtibus Hebræorum: & Paulus ad Hebræos 11. dicit Sanctos in fide viciſſe regna, idem confirmatur aliis teſtimonijs Patrum apud Gratianum 23. *quæſt* 1. & 2. Ratio eſt, quia lege ipſa naturali, competit hominibus ius propulſandi à ſe iniurias aliorum, vel defendendo, & prohibendo, ne inferantur, vel aliquo modo Gratian.

vlciſcendo, vel amouendo illatas: hoc autem aliquando ſine bello fieri nequit, cum ſcilicet nullus eſt vtrique parti communis ſuperior, ad quem recurri poſſit, pro obtinenda compenſatione & vindicta iniuriæ, Molina *tom. 1. diſp. 99.* & alij communiter. Neque dicas Imperatorem eſſe ſupremum ſuperiorem omnium Principum Chriſtianorum, qui & ipſe ſubiectus eſt Pontifici, atque ideò omnes controuerſias ſine bello ipſorum auctoritate poſſe decidi. Quia licet Imperator habeat quandam Superioritatem in Reges, quia poteſt illos conuocare in commune Eccleſiæ bonum, hæc tamen auctoritas eſt valde exigua, & ſecundùm quid. Imo Reges Franciæ & Hiſpaniæ, ſunt prorſus immunes à ſubiectione Imperatoris, vt oſtendit Couarruuias *ad reg. peccatum*, §. 9. *num.* 9. Pontifex autem, etſi ſit omnium ſupremus Princeps in ſpiritualibus, non tamen in temporalibus, niſi quatenus hoc neceſſarium eſt, aut valde expediens ad finem Eccleſiæ ſpiritualem. Negandum tamen non eſt quin Principes Chriſtiani optimè facerent, ſi controuerſias ſuas Imperatori & Pontifici, vel tanquam Iudicibus, vel tanquam arbitris committerent decidendas: ſed quia hoc ſemper commodè fieri non poteſt, dicunus hoc non eſſe neceſſarium, ſed poſſe Principem bello ſuum ius perſequi, modo debitas conditiones obſeruet.

Molina. Couar.

3. Licitum eſt Chriſtianis contra Turcas bellum gerere. Probatur, quia ſi vnquam bellum eſt licitum maximè contra Turcas, qui ſunt inmaniſſimi Chriſtianorum hoſtes, grauiſſimas & contumelioſiſſimas iniurias per vim, rapinas & direptiones multorum regnorum & Prouinciarum ſæpe intulerunt, & adhuc quotidie inferre conantur. Itaque Deus clariſſimis victorijs aliquando huius belli cauſam approbauit, & præter multos Summos Pontifices, etiam Concilia generalia promouerunt, vt Lateranenſe ſub Innocentio III. Lugdunenſe & Viennenſe. Quin etiam Diuus Bernardus ad id bellum exhortatus eſt, vt ex ipſo intelligi poteſt *libro ſecundo, de conſideratione ad Eugenium.*

D. Bernard.

Dices cum Luthero, pugnare contra Turcas eſt repugnare Deo, qui per illos iuſtè peccata noſtra punit, ergo eſt illicitum, ſicut non licet reo repugnare miniſtro iuſtitiæ, per quem punitur à magiſtratu. Reſpondeo, non magis nos repugnare Deo cùm Turcas bello aggredimur, quàm ſi morbum, famem, & alia huiuſmodi mala, quibus Deus peccata punire conſueuit, depellere ſtudeamus: non enim Deus, ita nos per Turcas & huiuſmodi mala affligit, vt velit nos à Turcis interimi, & expoliari, & per alia incommoda conſumi, ſicut magiſtratus vult occidi reum per Carnificem, cui idcirco nefas eſt reſiſtere, ſed intentat tantum diſcrimen mortis, & aliorum malorum incommodum, relicta nobis poteſtate, vt remedia conuenientia adhibeamus, & mala repellamus. Adde, quod non ſemper conſtat, Deum nos per hæc velle punire, quapropter retinemus ſemper ius ad nos & noſtra tuenda, in quorum poſſeſſione ſumus.

4. Bellum defenſiuum non ſolùm eſt licitum, ſed interdum etiam præceptum. Prior pars habet locum non ſolùm in publicis magiſtratibus, ſed etiam in priuatis perſonis, nam vim vi repellere, omnia iura permittunt *cap. ſi verò extra. de ſent. excommunicat.* Ratio eſt, quia ius propriæ defenſionis eſt naturale & neceſſarium. Poſterior ſuadetur: nam propria defenſio interdum eſſe poteſt in præcepto, ſaltem ex ordine charitatis. Item defenſio Reipublicæ, præcipuè ſi ex officio incumbat. Bellum etiam aggreſſiuum non eſt per ſe malum, ſed poteſt eſſe honeſtum & neceſſarium. Ratio eſt, quia tale bellum ſæpe eſt Reipublicæ neceſſarium ad propulſandas iniurias & coërcendos hoſtes, neque aliter poſſent Reipublicæ in pace conſeruari. D. Thomas *2. 2. quæſt. 40. artic. 1.* Syluius *eadem.*

D. Thom. Syluius.

5. Reſpublica perfecta, vel Princeps illius poteſt ſuſcipere contra hoſtes bellum aggreſſiuum, eſt ſententia communis ex D. Auguſt. D. Thom. *eit quæſtione quadrageſima, articulo primo*, & alijs. Et probatur, quia in communitate perfecta, debent eſſe omnia neceſſaria ad bonam eius gubernationem & conſeruationem, qualis eſt vel maximè iuſtitia vindicatiua, quæ exerceri debet, non tantùm contra inteſtinos pacis perturbatores, verum etiam contra externos: hi enim ratione delicti, conſtituuntur ſubditi reipublicæ offenſæ & pertinent ad eius tribunal. Itaque vt rectè notat Caietanus in Summa, qui ſuſcipit bellum iuſtum, gerit perſonam iudicis, criminaliter procedentis, nempe vſque ad cædem, ſpiritutemque perſonarum, damna rerum, euerſiones vrbium, &c. quemadmodum conſenſus & vſus omnium nationum comprobauit: quod fieri non poſſet, niſi reſpublica læſa, eo ipſo iudex & ſuperior lædentis conſtitueretur. Hæc autem poteſtas neceſſaria fuit ad pacem & tranquillitatem generis humani fouendam & conſeruandam; quia alioquin daretur cauſa & occaſio infinitis latrocinijs, homicidijs, graſſationibus, &c. ſi homines nefarij intelligerent ſe peti non poſſe bello aggreſſiuo.

D. Thom.

6. Bellum quòd ſine legitima auctoritate indicitur, non ſolùm eſt contra charitatem ſed etiam contra iuſtitiam, etſamſi adſit legitima cauſa. Ratio eſt, quia actus ille ſit tunc ſine iuriſdictione legitima, eſt ergo illegitimus. Et hinc prouenit, vt ex tali bello oriatur obligatio reſtituendi omnia damna. Verum quidem eſt, quòd ſi quis per huiuſmodi bellum recuperet tantùm res ſuas, non tenetur reſtituere illas, tenebitur tamen ad damna omnia, & expenſas aliorum. Ratio eſt, quia in his fecit inæqualitatem, cùm eſſet cauſa iniuſta omnium illorum; in accipiendo autem res ſuas, proprè non fecit iniuriam, niſi fortaſsè in modo, ex quo tamen præcisè ſumpto, non oritur obligatio reſtituendi. Imò iuxta Syluestrum *verb. Bellum primo quæſtione decima*, ille, qui ſine legitima auctoritate bellum facit, etſi aliàs habeat legitimum titulum, incurrit pœnas iniuſtè bellantium, atque adeò, ſi incendiarius ſit, incurrit excommunicationem latam contra incendiarios. Ita Suarez *de charitate diſput. 13. ſect. 2. num. 6.*

Syluest. Suarez.

7. Quando iuſta belli cauſa ſubeſt, non modò poteſt illud licitè ſuſcipi ab ijs quorum intereſt, hoc eſt, qui iniuriam acceperunt, ſed etiam adiuuari & promoueri ab alijs, qui velint eſſe iuſti belli ſocij. Sic enim Abraham Geneſis 14 iuſtè pugnauit contra quatuor reges, in gratiam nepotis Loth, quem illi expoliarum in captiuitatem ducebant, atque ea de cauſa laudatus fuit à Melchiſedech: vt enim rectè ait Caietanus *2. 2. quæſt. 40. artic 1.* charitas facit vt ſocij pro vno & eodem reputentur, & ſicut exercere opus bonum non poteſt niſi bonum eſſe, ita etiam alium adiuuare in opere bono. Eadem ratione licitum eſt alios quoque in ſubſidium belli iuſti aduocare & accerſere, quia quod alij poſſunt ſua ſponte rectè facere, licitè quoque ab eis peti poteſt, Ita communiter Doctores.

Caietan.

8. Licitum

8. Licitum eſt per ſe & abſolutè aduocare milites extraneos etiam infideles in auxilium belli iuſti. Probatur ex Scripturis 1. Machab. 8, Iudas iniit fœdus cum Romanis, vt alter populus ſit alteri ſocius belli, quod capite 12. Confirmatur à Ionatha, & cap. 14 à Simone. Ratio eſt, quia licet Principi ſuum ius bello perſequenti, vti omnibus medijs conuenientibus ad ſuum finem. Vnde & opera beſtiarum, v.g. Elephantum, Leonum, Equorum, &c. vtiliſſima eſt in bello; ergo multo magis licebit vti hominum auxilio etiam infidelium; quia fides eorum non requiritur ad bellum iuſtè adminiſtrandum. Itaque Carolus V. Imperator, vt conſtat ex hiſtorijs vſus eſt in bello militibus Lutheranis, idque ex Concilio Theologorum, cùm tamen pugnaret contra Gallos Catholicos.

Imò non eſt illicitum mittere copias auxiliares infidelibus, & cum ijs ſocietatem belli inire. Probatur ex Scripturis 2. nam 4. *Reg.* 3. Rex Ioſaphat venit in auxilium regi Ioram ac regi Edom & quidem conſulto ante prælium Domino. Similiter Ionatas 1. *Machab.* 11. mittit ad Demetrium regem infidelem tria millia virorum fortium. Ratio eſt, quia bonum eſt eos promouere & iuuare, qui ius ſuum iuſtè proſequuntur; neque enim infidelitas reddit eorum cauſam iniuſtam, ſi nihil aliud obſtet. Per accidens tamen ratione ſcandali, aut incommodorum quæ ſequuntur, fieri poteſt vt ſit grauiſſimum peccatum ſocietatem belli inire cum hoſtibus Religionis Chriſtianæ. Probatur ex Scripturis ſupra allatis, vbi Aza & Ioſaphat, reges alioqui boni, acriter obiurgantur, quòd impijs præberent auxilium; & ijs qui oderunt Dominum, amicitiâ iungerentur, quamquam Aza ideo magis videatur reprehendi, quòd maiorem fiduciam in auxiliaribus infidelium copijs, quàm in diuino auxilio collocaſſet. Sic ratione ſcandali Franciſcus primus Galliæ Rex malè audiuit apud Catholicos, quòd Turcas in auxilium aduocaſſet propter inſigne detrimentum quod Reſpublica Chriſtiana ex belli huius ſocietate incurrit, ita Rodriguez 1. *part. Sum. cap.* 126. Alterius *can* 7. *cap.* 5. *in Bulla cœnæ*, Regnaldus *lib.* 21. *num.* 100.

Rodrig. Alterius. Reginald.

9. Princeps potitâ iuſtâ cauſâ non ſemper poteſt bellum indicere, ſed priùs petenda eſt ab aduerſario condigna ſatisfactio, qua obtata non licet indicere bellum: nam oblata ſufficienti ſatisfactione, ceſſat iniuria præterita, & cauſa iuſta ſuſcipiendi bellum, vel proſequendi iam inceptum. Ita Molina *diſput.* 103. Banes 2. 2. *queſt.* 40. *art.* 1. *dub* 8. Aduerte tamen ſub debita ſatisfactione comprehendi, vt non ſolùm tibi reddantur omnia illa quæ tua ſunt; ſed etiam ſoluantur expenſæ in bello factæ, & pericula & moleſtiæ quibus te & tuos expoſuiſti, & iniuriæ factæ compenſentur. Quia, cùm ad hæc omnia ius habeas, omnia hæc compenſari debent, priuſquam teneatis à bello ceſſare. Et inſuper petere potes, quidquid in poſterum tibi neceſſarium eſt, vt ſecure viuas & pacem obtineas, quia hic eſt præcipuus belli ſcopus.

Molina, Bañez. Sylu. Sum.

Similiter bellum debet ex charitate intermitti, quando ex eo ſecutura ſunt ſcandala, & damna longè maiora toti reipublicæ, quamuis inimicus nolit condignam ſatisfactionem exhibere: charitas enim dictat, maius damnum præcauendum eſſe.

10. Principes, ſecundùm aliquos, debent rectam in bello intentionem habere, proponere nimirum ſibi tanquam finem bonum commune, pacem &c. vt patet ex *cap. quid culpatur* 23. *queſt.* 1. Sed hæc intentio non ad iuſtitiam, ſed ad honeſtatem belli pertinet: nam ſi iudex ſecundùm leges reum punit animo vindictæ, non peccat contra iuſtitiam, ſed ſolùm contra charitatem, vnde non tenetur ad reſtitutionem. Ita Bonacina *de reſtitut. diſp.* 2. *queſt. vlt. punct. vlt. ſect.* 1. § 2 *num.* 6. Vbi citat Molinam, Banem, Clauem regiam & alios. Tenerentur autem Principes ad reſtitutionem ſuis ſubditis, quoties eum maximo ipſorum incommodo & detrimento, bellum alioquin iuſtum ſuſcipiunt: hoc enim bellum non vndique iuſtum eſt; quia Principes tenentur ex iuſtitia non ſolùm habere iuſtam cauſam bellandi erga inimicos, ſed etiã erga ſubditos, aſſumendo nimirum bellum, cuius ſumptus tolerabiles & emolumentum periculis, expenſis & calamitatibus ferendis præponderet: Ita Molina *diſp.* 102. Quæ vtinam à Conſiliarijs Principum perpenderentur: nam licet à principio ex aliqua iuſta cauſa forſitan bellum fuiſſet licitè indictum; tamen poſt multos annos ad pacem res redactæ, populi & regna exhauſta & euerſa penitus inueniuntur: vnde magis expediens fuiſſet pro republica bellum non incipere, quàm cum Victoria illud terminare.

Bonacina. Molina.

11. Modus belli potiſſimum in eo conſiſtit, vt non lædantur innocentes, ſiue in vita, ſiue in libertate, ſiue in fortunis, iuxta præceptum Ioannis Baptiſtæ Luc. 3 *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris.* Multa tamen alia ſunt obſeruanda, tum initio belli, tum in medio, tum in fine, ne vel contra charitatem vel etiam contra iuſtitiam peccetur, propterea

Dico *Primò*. Princeps lætus non poteſt bellum ſuſcipere, niſi probabiliter confidat ſe fore ſuperiorem & maiorem ſperet reip. vtilitatem ex victoria, quàm incommodum ex adminiſtratione belli. Prior pars eleganter inſinuatur à Chriſto Domino Lucæ 14.

Quis rex iturus committere bellum aduerſus alium regem, non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe: alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis ſunt. Rationem reddit Caietanus, quia indicens bellum, gerit perſonam iudicis vt poteſtatem habens publico gladio, contra extraneos impugnatores reipublicæ, eadem ratione quâ vtitur contra internos perturbatores: huiuſmodi autem iudex & vindex fungitur perſona & officio agentis, agens autem debet ſuperexcedere patiens, vt poſſit illud ſibi ſubijcere, & propterea bellum non debet indici, niſi à potentiori iudice, vt, licet ſit varius euentus belli, humana tamen ratione, quaſi certa ſit victoria, aut ſaltem non ſuccumbere, quemadmodum iudex contra internos perturbatores pacis non procedit, niſi habens tot ſaltem ſatellites, vt ſit quaſi certus, quod capiet malefactores. Quod non tantùm in bello ſuſcipiendo verùm etiam in prælio diligenter eſt obſeruandum, ſi præſertim ex eius euentu ſalus reip. pendeat. Hucuſque Caietanus in 2. 2 *quæſtione* 96. *articulo* 4. Vnde Coninck *diſput.* 31. *de bello dub* 4. *num.* 43. & alij docent illicite moueri bellum, ſi minima ſubſit ſpes victoriæ. Palaus autem *tom.* 3. *tract* 6. *diſput.* 5 *punct* 5. *num.* 17. dicit ſufficere certitudinem probabilem. Suarez verò *diſput.* 13. *de charitate ſect.* 3. *in fine* putat omnia penſanda eſſe, & videndum an ſpes victoriæ præualeat damnis quæ timentur: nam ſi ſpes præualeat, tentari bellum poteſt, ſin minus ceſſandum à bello. Poſterior pars probatur, quia bellum geri debet ob commune reip. bonum, eoque omnia quæ in bello fiunt, ſunt dirigenda, ergo ſi finis ille ceſſet, ceſſare debent & media, quæ ad illum finem ordinantur.

Caietan. Coninck. Palaus. Suarez.

12. Dico *Secundò*, ſuſcepto bello poteſt Princeps, tum in ipſo conflictu & præparatione ad illum,

tum etiam parta victoria, ea omnia media adhibere, quæ neceſſaria vel valde vtilia ſunt ad finem ſuum conſequendum. Finis autem belli, vt alias diximus triplex eſt, reparatio damni, vindicatio iniuriæ, pax & tranquillitas reip. hæc propoſitio eſt tanquam regula & norma, ad quam reſoluendi ſunt plurimi caſus particulares, qui in decurſu belli occurrunt: nam finis eſt menſura mediorum, ac propterea ex proportione mediorum ad finem prudens iudicare debet, quid liceat in bello, quid non liceat. Hinc ſequitur quòd ſi in bello excedatur in inferendis damnis, vltra quam iuſtitia poſtulat, ita vt bellum reddatur iniuſtum, Principem & milites teneri ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia ſecundùm rectam iuſtitiam modus plagarum debet eſſe ſecundùm menſuram delicti, ergo cum excedituſ modus, iam fit hoſtibus iniuria & ex conſequenti naſcitur obligatio reſtitutionis. Hæc tamen omnia, magna ex parte pendent ex approbata conſuetudine Principum Chriſtianorum, quæ in particularibus caſibus diiudicandis, ſemper erit adhibenda. Vide Doctores citatos *tom. 1. verb. Bellum num. 10.*

13. Dico *Tertiò*, iure naturali talis modus in toto belli progreſſu ſeruandus eſt, vt neque à Ducibus, neque ab inferioribus militibus quidquam committatur contra leges, vel iuſtitiæ, vel fortitudinis. Contra iuſtitiam peccant Duces, qui militibus non ſoluunt ſtipendia cùm poſſunt, & milites ſi non contenti ſtipendijs ſuis, rapiunt bona ruſticorum & aliorum, aut ſine facultate expreſſa, vel rationabiliter præſumpta, aliqua damna hoſtibus inferant, & multò magis ſi alios petulanter lædant, qui nō ſint hoſtes, quæ omnia colliguntur ex præſcripto Ioannis Baptiſtæ, *Luca 3.* Contra fortitudinem peccant, qui vel nimis temerè, vel nimis timidè ſe gerunt: peccant enim mortaliter, qui ſtationem deſerunt, etiam metu mortis, ſi reſpublica aut exercitus ex eo notabile periculum incurrat. Similiter, qui per alterum extremum temerariè abſque vlla vtilitate ſe exponunt euidenti periculo, vt ſi vnus ſolus fruſtra irruat in hoſtes, ſine vlla probabili ſpe, quod vel ſuo exemplo, vel per notabile damnum aut cædem alicuius vel aliquorum ex hoſtibus, eſſet operæ pretium facturus, & quaſi viam ſtraturus ad victoriam. Idque maximè in Principe & Ducibus locum habet. Sed quando aliqua huiuſmodi ſpes probabiliter affulgeret, non tantùm licitè, ſed etiam laudabiliter poſſet ſe quis exponere mortis periculo etiam euidenti, ſicut fecit Eleazarus primi Machab. 6. qui dedit ſe vt liberaret populum ſuum & acquireret ſibi nomen æternum, ſuffodiendo nimirum Elephantem loricatum loricis regis, à quo tamen erat ſuffocandus.

14. In aliquibus caſibus licitum eſt inferre bellum infidelibus, non quidem ob ſolam infidelitatem, ſed ob aliquam circumſtantiam ei annexam. *Primus* quando infideles impediunt liberam prædicationem Euangelij. Poteſt enim tunc illis inferri bellum auctoritate Eccleſiæ, quæ cùm à Chriſto poteſtatem acceperit prædicandi Euangelium per totum Orbem Terrarum, Matthæi vltim. & Marc. vltim. is qui prædicationem huiuſmodi impedit, infert Eccleſiæ iniuriam, quam bello propulſare poteſt, vt docet Victoria *Relect. de Indis ſect. 3. num. 9. & ſequent.* Victoria. *Secundus*, quando infideles, qui Principi Chriſtiano ſubſunt, leges ipſis ab eo præſcriptas legi naturæ conſentaneas obſeruare nolunt. *Tertius*, quando Princeps infidelis, nulli fideli ſubditus committit peccata, quæ non tantùm ſunt contra Deum, ſed etiam contra proximum; tunc enim Princeps Chriſtianus poteſt ei bellum indicere, ſi admonitus nolit deſiſtere. *Quartus*, quando infideles poſſident terras, quæ olim erant Chriſtianorum; quo titulo Chriſtiani inferunt bellum Turcis. *Quintus*, quando infideles inferunt iniurias Chriſtianis, vt ipſi Turcæ ſolent. *Sextus*, quando abducunt Chriſtianos à vera Religione. Ex quo patet, Chriſtianos nauigantes, qui bona Turcarum capiunt, non peccare, nec teneri ad reſtitutionem, ſi facultatem habent generalem à Principibus capiendi illorum bona. Idem dicendum de illis, qui piratas ad littora accedentes expellunt, feriunt, vel occidunt: nam piratæ ſunt iniuſti aggreſſores, contra quos abſque moderamine poſſumus defenſiuum bellum gerere, eoſque titulo belli iuſti occidere & deprædari. Vide Azorium *part. 3. lib. 2. cap. 7. quæſtione 30.* Reginaldum *lib. 21. cap. 8. numero 94.* Bonacinam *de reſtit. diſp. 2. q. vlt. ſect. 1. punct. vlt. §. 2. num. 12.* Azorius. Reginald. Bonacina.

15. Summus Pontifex, non modò ciuitates, Prouincias & Regna, quæ antèà Chriſtianam Religionem profitebantur & deinde fuerunt ab infidelibus vſurpata, poteſt, cui libuerit indubitanter concedere, vt recuperet, ſuaque faciat; ſed ea etiam addicere poteſt, quæ Chriſtianorum nunquam fuerunt ad Chriſtianæ fidei & Euangelij propagationem, & idololatriæ extirpationem. Vnde his rationibus motus Alexander VI. Papa iſtas amplas Indiarum Occidentalium regiones Catholicis Regibus, Ferdinando & Iſabellæ, eorumque ſucceſſoribus addixit: qui ex illa acquiſitione omnem omnino iuriſdictionem ac omne imperium earumdem Prouinciarum ſibi iure vendicant; non ipſo iure; nec iure belli; ſed Romani Pontificis auctoritate; quare iuſtè dicuntur poſſidere argumento *leg. iuſtè poſſidet ff. de acquiren. poſſeſſ.* Authores huius ſententiæ vide apud Dianam *part. 6. tract. 4. reſol. 18.* Alexand. VI. Diana.

16. Hæreſis, quatenus turbat pacem Eccleſiæ & reip. eſt ſufficiens cauſa belli. *Primò*, ſi ſubditi alicuius regis aut Principis deficiant à fide Catholica, & alios ſecum trahunt in eamdem hæreſim, & ſic diſſenſionem faciant in Regno vel Prouincia, poteſt Rex aut Princeps Catholicus bello eos coërcere, ſi alius coërcendi modus nō ſuppetit. Sic fecit Moyſes, quando pars populi commiſit idololatriam in adoratione vituli. Nam bello eos aggreſſus eſt, & interfecit quaſi vigiuti tria millia hominum. *Secundò*, ſi Rex, vel ſubditi vnius regni deficiant à fide Catholica, & conentur ſubditos vicini Regni in eamdem defectionem pertrahere; poteſt vicinus Rex bello ſe defendere, & iniuriam ſibi illatam vindicare. Cæterum quamuis hæreſis ſit iuſta cauſa inferendi bellum, quia grauiſſima damna toti Reipublicæ adfert; in hoc tamen eſt obſeruandus ordo iuris: non enim poteſt hæreticis bellum inferri, niſi ab Eccleſia declarentur hæretici, ex *cap. cùm ſecundùm leges, de hæreſi. in 6.* Poſt declarationem autem poteſt quiuis Princeps Catholicus ſuis ſubditis, pro iuriſdictione, quam in eos habet, inferre bellum, & bona ipſorum occupare. Vide Becanum *2. 2. cap. 25. quæſt. 5.* Reginaldum *lib. 21. num. 95.* Becanus. Reginald.

17. Princeps, qui ſua culpâ ſtatuto tempore non ſoluit militi ſtipendium, tenetur reſarcire omnia damna quæ inde fuerunt ſequuta. *Primò* ipſi militi, ſi oppreſſus inedia, ſua vili pretio debuerit vendere: aut ſi grauem morbum ideo incurrerit, & multa fuerit coactus expendere in Medicos, contrahendo debita, aut membrum aliquod amiſerit, aliàve ratione inutilis ad aliquid lucrandum factus fuerit. *Secundò*, alijs ſubditis ſuis, aut etiam extraneis non hoſtibus, quos milites coacti inopia ſpoliarunt; quia ipſe huic damno cauſam dedit, militem ad id inferendum per ſubtractionem ſtipendij compellendo; præſertim cùm ipſe ex officio teneatur quantū poteſt,

poteſt, talia impedire. *Tertiò*, ipſi Reip. ſimiliter, ſi ob defectum ſolutionis rebellauerint, aut ſuo officio fungi non potuerint; atque ea ratione aut Victoria fuerit amiſſa, aut bellum diutius cum maioribus Reip. impenſis, aut incommodo protractum; aut ſi clades, aliaue incommoda accepta fuerint, quia Princeps tunc horum omnium ſua culpa eſt cauſa. Ita Coninck *diſputatione 31. de bello dubio 7. num. 94.* Palaus *tom. 1. tractat. 6. diſp. 5. punct. 5.* Coninck. Palaus.

Aduerte tamen, ſi Princeps neceſſitate coactus, bellum præſertim defenſiuum gerat, tunc interdum accidere poſſe vt ſine culpa Ducis aut Principis diuturnum bellum gerentis, ſtipendia militibus tardiùs, aut tenuiùs proueniant, quàm ipſi mercantur; quo neceſſitatis caſu ſi ſumptus, quamuis omni poſſibili ſtudio quæſiti & collecti non ſufficiant, partim ipſos milites, partim verò incolas boni publici cauſa, aliqua incommoda tolerare neceſſe eſt. Contingere etiam poteſt, vt etſi maximè belli Dux ſupremus diſciplinam militarem ſeruare cupiat, non tamen poſſit: quia milites, eorumque capitanei ſeceſſionem ad aduerſarios apertè cogitant, ſi cum ſupplicij ſeueritate à prædis omnino arceantur: quo caſu interdum minora eiuſmodi mala permittit, & ab incolis æquanimiter perferri debent, vt grauiora vitentur incommoda; modò talia pericula reuera ſubſint, & non vana excuſatione prætendantur.

Deinde quòd ad ſtipendij ſolutionē attinet, conſuetudo ſpectanda eſt. Nam in quibuſdam regionibus mos eſt, vt milites in partem ſtipendij ſui pannum accipere cogantur eo pretio auctiore, quo mercatores fœneratores Principi vendiderunt. Pleriſque verò in locis conſuetum eſt, vt etiam vel quatuor mentium plerumque ſtipendia militibus ſeruentur, fortaſſe ob eam cauſam; vt dum hanc debitam ſibi pecuniam apud Ducem quaſi depoſitam habent, à fuga & ſeceſſione retrahantur: quòd ſi autem ex militibus aliqui moriantur, hæredibus eorum nihil ſoluitur. Sin autem dimiſſio militum fiat, aliquid debiti ipſis ſtipendij detrahitur, tanquam in pœnam, quia multas contra Ducis voluntatem rapinas abegerint: eſtò multi eorum hac in re innocentes ſint. Hæc & ſimilia interdum probabiliter excuſantur; vt ſaltem à confeſſarijs tanquam manifeſtò iniuſta damnari non poſſint; partim ob neceſſitatis rationem, quia pecuniæ non ſufficiunt ad bellum neceſſarium gerendum, vel continuandum: quare priuata militum iactura poſthabetur bono publico: partim quia milites dum militiæ nomen dant ſcientes huiuſmodi conſuetudinem, ſponte in eam conſentire videntur. Ita Layman *lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 18.* Layman.

18. Peccata officialium in exercitu, ſunt: *Primò*, quando qui ex officio debent victualia ad exercitum comportare, non diligenter id faciunt, ſed per auaritiam, aut negligentiam dant militibus corruptum cibum, aut potum, ex quo morbi oriuntur. *Secundò*, quando lucri cauſâ pulueri tormentario admiſcent aliquid extraneum, vt non ſit aptus ad victoriam comparandam. *Tertiò*, quando plus pecuniæ exigunt à militibus pro cibo, potu, veſtibus, armis & alijs neceſſarijs, quàm præſcriptum eſt. *Quartò*, quando in deſignandis hoſpitijs, alicui militi dant tria aut quatuor Chyrographa ad tres vel quatuor diſtinctas domos, vt in vnaquaque hoſpitio recipiatur: tunc enim in vna habet hoſpitium, ab alijs autem accipit pecuniam pro ſubleuato onere. Ita Becanus *in 2. 2. 4. 15. q. 25. vn. 3.* Molina *tom. 1. tract. 2. diſp. 116.* Becanus. Molina.

19. Milites omnes ratione ſtipendij, quod accipiunt, ex iuſtitia, adeoque ſub culpa mortali obligati ſunt *Primò*, vt Duci, ac præſidi militiæ obtemperent, in acie & pugna conſiſtant; & non facilè fugiant, alijſque timorem injiciant; iuxta *l. omnes delictum, ff. de re militari. Secundò*, vt ſtationem ſeruent, arcem ſibi commiſſam defendant, etiam cum vitæ periculo, quamdiu ſpes defendendi ſupereſt, alioquin capite plectuntur, iuxta *l. 3. ff. ad l. Iuliam maieſt. Tertiò*, vt ſine Ducis ſui conſenſu à caſtris, vel exercitu non diſcedant: quandoquidem tali pacto à belli Duce milites conducti cenſentur, vt illi liberum ſit, eos cùm voluerit, perſoluto ſtipendio dimittere: ijs verò liberum non ſit, cùm voluerint, diſcedere. Qua in re aduertere etiam debet miles, quantum damnum ex diſceſſione aut fuga ſua ſequatur, ſeu quòd alius miles non niſi longo tempore, magniſque expenſis adduci poſſit: ſeu quod periculum ſit, ne paucorum exemplum alij plures ſecuti, caſtra, vel aciem aduerſus impetus hoſtiles non ſatis inſtructam deſerant: vt meritò eiuſmodi delicto capitis ſupplicium decretum ſit in *l. omnes, § qui in facie, ff. de re militari.*

20. In bello iuſto inter Chriſtianos captus ab inimicis; licet non efficiatur ſeruus capientis, tenetur tamen pretium redemptionis, ſeu relaxationis ſuæ perſoluere, & vſque ad perfectam ſolutionem retineri poteſt. Ratio eſt, quia in pœnam iniuſti periculi, in quod victorem iniecit, poteſt ab eo exigi vis argenti: at dum debitor non ſoluit, licitè retinetur in vinculis à creditore authoritate Iudicis. Item poterat licita morte puniri, quam pretio redimendam vult Victor. Et ſic conſuetudine ſeruari in Flandria, Gallia, Italia, Germania, aliiſque Chriſtianorum regionibus, quando inter eos bella geruntur, & quando bellum eſt iuſtum, teſtatur Aluarus Valaſcus *tom. 1. conſult. 30. num. 4. & 5.* Rebuffus *in l. hoſtes pag. 641.* qui nouiſſimus ait, huiuſmodi pretium redemptionis cedere lucro capientis, vel capientium inter eos diuidendum: & in hoc caſu regulandum eſſe pretium redemptionis ex qualitate & diuitiis perſonæ captæ. Ex quo colligitur milites capientes poſſe cogi à iudicibus exercitus pro pretio ſic regulato captum relaxare. Et huius ſententiæ eſt etiam Hurtadus de Mendoza *de fide volum 2. diſp. 169. ſect. 11.* Ægidius Trullench, *in præcept. decalog. tom. 1. lib. 5. cap. 2.* Diana *part. 6. tract. 7 reſol. 16.* Valaſcus. Rebuffus. Hurtad. de Mendoza. Trullench. Diana.

21. Quamuis iure Eccleſiaſtico clericis prohibitum ſit pugnare propria manu extra neceſſitatis caſum, vt conſtat ex *cap clericum, cap. de hiis clericis, cap. eos qui 20. quæſt. 3.* & docet D. Thomas *2. 2. quæſt 40. art. 2.* quia ordines clericorum ordinantur ad miniſterium altaris, in quo repræſentatur paſſio & mors Chriſti: ergo non oportuit clericos alienum ſanguinem fundere; ſed potius paratos eſſe ad ſanguinis ſui pro Chriſto effuſionem, vt imitentur opere, quod gerunt miniſterio. Tamen iure naturali non eſt prohibitum clericis pugnare: quia Papa in hac re diſpenſare poteſt cum clerico, ipſique facultatem dare manu propria pugnandi in bello iuſto; quâ quidem licentia obtenta & conceſſa omne etiam irregularitatis incurrendæ periculum à tali clerico auferre præſumitur Ita Bañes *2. 2. quæſt 40. art. 2.* Molina *tract. 2. diſp. 108. & tract. 3. diſp. 8.* Syluester *verb Homicidium 3. quæſt. 6.* & alij communiter. D. Thom. Bañez. Molina. Syluest.

22. Licitum eſt clericis in minoribus ordinibus conſtitutis pugnare in bello propria manu. Quamuis autem hinc excipi debeant beneficiati, non tamen peccati mortalis ſemper damnandi ſunt, ſi eorum beneficia reſidentiam non poſtulent, & nihil obligationis, quod beneficijs eorum incumbit, negligatur: maximè ſi bellum contra infideles, aut hæreticos,

Digitized by Google

hæreticos, inſtitutum ſit. Quia in quibuſdam Germaniæ Diœceſibus vſitatum eſt, vt canonicis nondum Capitularibus, neque reditus Capitularium habentibus interim permittatur, quocumque ipſis libitum eſt, etiam ad bellum proficiſci. Si tamen accidat beneficiarium propria manu in bello aliquem occidere, vel mutilare, beneficium reſignare debet, vel diſpenſationem ſuper irregularitate impetrare. Ita Couar. *Clement ſi furioſus, part.* 2. §. 3. Layman *lib.* 2. *tract.* 3 *cap.* 12. *num.* 19. & alij. Couar. Layman.

23. Clerici poſſunt bello iuſto intereſſe, vt ſubſidia ſpiritualia miniſtrent, milites conſolentur, & ad pugnam excitent: modo non excitent ſpecialiter & expreſſe ad occiſionem & mutilationem inimicorum, quia hæc officia non ſunt aliena à clericorum ſtatu. Et Innocentius III. in *cap. quod in dubijs, de pœnit.* Prohibens Sacerdotibus ne ad pugnandum incitent, intelligendus eſt de bello iniuſto. Si enim bellum iuſtum ſit, licitum eſt clerico milites hortari ad pugnandum fortiter pro patria, pro iuſtitia, Religione: dummodò non dicant, occide, macta, ſicuti monent Nauarrus, *cap* 27. *num.* 215. & Molina *tract.* 2. *diſp.* 108. §. *his non obſtantibus* & alij. Innoc. III. Nauarrus. Molina.

Dubium tamen eſt, an poſſint clerici bello intereſſe ſine licentia Epiſcopi, & hic ſine licentia Summi Pontificis? Negatiuam ſententiam apertè inſinuat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 2. *ad* 2. & probari poteſt ex *cap. reprehenſibile*, & *cap. quo caſu* 23. *quæſt.* 8. D. Thom.

Nihilominus non eſt improbabile poſſe ſupradictos in dictis caſibus bello intereſſe ſine licentia Epiſcopi vel Pontificis. Nam in citato *cap. reprehenſibile* reprehenduntur Epiſcopi, non quia ad bellum ob conſolandos milites, eoſque ad pugnam hortandos ſine licentia profecti fuerint, ſed quia ibi ſicut reliqui milites pugnauerint. Ita Coninck *diſp.* 31. *de bello dub.* 6. *num.* 6. Palaus *tom.* 2. *tr.* 6. *diſp.* 5. *punct.* 6. Religioſi tamen ſubditi non poſſunt ſe conferre ad exercitum, ſine venia ſaltem tacita ſui ſuperioris, quia in omnibus ab huius voluntate pendent. Coninck. Palaus.

24. Clerici licitè bello aſſiſtentes, quando aliud non conſtat de voluntate expreſſa vel tacita Ducis aut Principis exercitus, poſſunt ſpolia aduerſariorum accipere & retinere, non ſecus ac ſi eſſent milites. Ratio eſt, quia tales clerici ſunt vtiles exercitui, imò & pars exercitus, non minùs quàm milites, atque adeò gaudere debent commodis belli, ſicut milites: præſertim cùm aduerſarij non minùs clericorum ſint hoſtes, quàm aliorum, qui in exercitu pugnant. Quando autem conſtaret contrariam eſſe Ducis voluntatem, illi reſtitutio eorum bonorum eſſet facienda, cui Princeps aut Dux vellet. Ita Molina *cit. diſp.* 108. *prope finem*. Layman *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 12. *num.* 20. Molina. Layman.

Sed petes, an clerici aſſiſtentes in bello iuſto ſine licentia Pontificis, & etiam contra prohibitionem Eccleſiæ præliantes teneantur reſtituere ſi quid de ſpolijs accipiant; vel reſarcire, ſi quod nocumentum inferant? Quidam eos obligant ad reſtitutionem, vt Sylueſter *verb. Bellum* 1. *quæſt.* 9. Angelus *ibidem*. Sed contrarium eſt dicendum: quia clerici ita bellantes non agunt contra iuſtitiam, ſed contra obedientiam Eccleſiæ & decentiam ſtatus, & ideò non peccant, quatenus nocumenta inferunt, neque reſtituere debent Ita Lorca in 2 2. *ſect.* 3. *diſp.* 53. *num.* 7. cui adhæret Diana *part.* 6. *tract.* 4. *reſolutione* 40. Sylueſt. Angelus. Lorca. Diana.

25. Quo tempore poſſit iniri prælium, dubium eſſe poteſt, tum propter magnas ſolemnitates, v. g. Paſchæ, Natalis Domini, &c. tum propter conſtitutionem Alexandri III. qui *cap.* 1. *de treuga & pace*, certa tempora ſtatuit, quibus à prælio ſit abſtinendum, & grauibus pœnis in violatores animaduertit. Nihilominus dicendum eſt *Primò*, omni tempore licere inire prælium defenſiuum. Probatur 1. Machab. 2. vbi Iudæi prudenter ſtatuunt ſe defendere: *Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnamus aduerſus illum.* Ratio eſt, quia leges poſitiuæ cedunt legibus naturalibus; qualis eſt imprimis de tuenda vita, & de vi per vim repellenda. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 4. Syluius ibidem. *Secundò*, Omni tempore licet hoſtes prælio aggredi, quando id neceſſarium eſt aùt valde oportunum ad victoriam conſequendam. Ratio eſt, quia Eccleſia ſuis præceptis, non intendit impedire magnum alicuius & valde notabile bonum: nam permittit piſcationem aliquorum piſcium die Feſto, *cap. licet, de feriis*, & excuſamus mercatores, qui propter inſigne aliquod & inuſitatum lucrum, cuius occaſio non facile offeretur, omittunt ſacrum &c. ergo multò minùs impediet bonum aliquod totius communitatis. Ita Lorca in 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 4. Syluius *ibidem*, Molina *t. diſp.* 111. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 229. & *part.* 6. *tract.* 4. *reſol.* 32. Quod ad conſtitutionem Alexandri III. Gloſſa aſſerit cum multis Doctoribus, vel non fuiſſe receptam, vel contraria conſuetudine eſſe abrogatam. *Tertiò*, Non eſt peccatum mortale diebus Feſtis præliari ſine neceſſitate, aut peculiari vtilitate, modò non negligatur Miſſa; quia in die Feſto ſolùm prohibentur opera ſeruilia, id eſt, quæ ſeruorum propria ſunt: at bellare non eſt opus ſeruile, iuxta multorum ſententiam, quia non minùs pertinet ad Dominos ac Principes, quàm ad ſeruos. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 40. *art* 4. Bañes *ibi*, *dub.* 4. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 3. *quæſt.* 16. *punct.* 5. & alij. An ſaltem ſit veniale? affirmant Bañes & Syluius, quia bellum affert magnas diſtractiones, quæ impediunt pietatem ac deuotionem, cui diebus Feſtis vacandum eſt. Alij tamen putant nullum eſſe peccatum, ſi Miſſa audiatur: vnde nulla eſt circumſtantia temporis ad bellandum obſeruanda Ita Granado in 2. 2. *contr.* 3. *tract.* 12. *diſput.* 4. *ſect.* 7. *num.* 65. *Lorca* loco citato & *Diana* ſupra. D. Thom. Syluius. Lorca. Syluius. Molina. Diana. Caietan. Bañez. Valentia. Granado. Lorca. Diana.

Vide v. Dubium *num.* 10. Reliquiæ Sanctorum *num.* 10. Seruus *num.* 6.

BENEDICTIO.

SVMMARIVM.

1 *Benedicere creaturas non eſt ſuperſtitioſum nec contrarium diuinis legibus.*

2 *Recte benedicuntur in Eccleſia, aqua, oleum, panis, cerei, cineres, rami & ſimilia.*

3 *Vtimur aqua, oleo, aliiſque rebus benedictis ad effectus ſupernaturales efficiendos & ſignificandos.*

4 *Benedicere eſt alicui bonum precari: & à meliore benedictio dari debet.*

5 *Benedictiones ſolemnes quam vim habeant?*

6 *Ex conſuetudine licet Abbatibus ſacras veſtes & pallas Altaris benedicere.*

7 *Quando veſtes ſacræ benedictionem amittant.*

8 *Benedictio Monialium de iure ſolis Epiſcopis competit. Ex priuilegio autem Abbates benedicere poſſunt moniales in quas habent ordinariam iuriſdictionem.*

9 *Abbatiſſæ ſubiecta Abbatibus, ab eiſdem ſunt benedicenda, non autem ab Epiſcopis.*

10 *Benedicere ſolemniter populo non poſſunt Abbates, niſi id ab Apoſtolica ſede concedatur.*

11 *Abbates*

11 *Abbates non poſſunt conſecrare calices, altaria, campanas & alia vaſa Eccleſiaſtica, in quibus Chriſmatis vnctio requiritur, niſi ex priuilegio Apoſtolico.*

12 *Reſeruntur quædam priuilegia Summorum Pontificum quibus licet Abbatibus calices, &c. conſecrare.*

13 *Si Epiſcopus Diœceſanus à religioſis exemptis ter requiſitus eorum Eccleſias conſecrare noluerit; quilibet alius Epiſcopus idipſum facere poterit.*

1. CReaturas benedicere ſuperſtitioſum non eſt, nec diuinis contrarium legibus: quia quod ſuperſtitioſum eſt, omnibus ſuperſtitioſum eſt: & quod diuinis legibus repugnat, nec ipſe Deus vult ſibi eſſe permiſſum. Sed cum certiſſimum ſit Deum creaturas benedixiſſe, ideò ſuperſtitione vacat creaturarum benedictio, nec repugnat diuinis legibus. Si dicas, quàndoquidem creaturæ à Deo benedictæ ſint, cauendum eſt ne ſecundò benedicantur. Reſpondeo, quod ſemel bene factum eſt, ſecundò fieri poteſt vbi nulla lex eſt, quæ, ne factum repetatur, prohibet. Deinde non eo, quo Deus, fine nunc creaturas benedicimus: nam nos benedictione petimus ad morbos pellendos, Dæmoneſque eijciendos valere. Hoc in prima rerum conditione, quando ipſis Deus benedixit, propoſitum non fuit. Adde, quod nec Saluator culpa careret, ſi creaturarum benedictio eſſet ſuperſtitioſa. Neque enim ſemel hac benedictione ille vſus eſt. Vſus eſt antequam ex hac vita diſcederet, & poſtquam glorioſus à morte reſurrexit vſus eſt in deſerto, & in Emaüs. An fortè, quam initio conditi orbis rebus omnibus Deus benedictionem contulit; illa ad panes quibus Dominus IESVS Chriſtus benedixit, non pertinet? Vnde concludendum eſt, quas res poſſumus maledicere, eaſdem nos benedicere poſſe. At creaturas maledicere poſſumus, poterimus igitur & benedicere. Aſſumptio eſt certa, quia in noua lege maledixit Dominus ficum. *Marci* 11. Et in veteri, ſi quando occultum crimen adulterij prodi debuit, id aquis à Sacerdote maledictis, Deus fieri voluit, *num.* 5.

2. Primi inter hæreticos, qui benedictiones aquæ, ſalis, cinerum, cerei &c. quæ fiunt in Eccleſia irridere cæperunt, Waldenſes ſunt: poſt eos flagellantes exorti ſunt, qui quod omnem pietatem conſtituerent in Baptiſmo ſanguinis per flagellationem ſponte effuſi, ſimul aſſerebant finem iam accepiſſe Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & cæteta omnia, & cum eis omnes benedictiones aquæ, cinerum, ſalis &c. Poſt eos Wicleſiſtæ aſſerebant benedictiones aquæ, ſalis, vini, panis, olei, cereorum & ſimilium eſſe veram practicam necromantiæ. Martinus Lutherus *in lib. de viſione Danielis contra Ambroſium Catharinum*, damnat etiam has omnes benedictiones. Caluinus *lib. 4. cap. 10. §. 20. inſtitut.* tria dicit contra aquam benedictam. *Primò*, Catholicos pugnare ſecum, dum dicunt, aquæ benedictionem eſſe Apoſtolicam traditionem, & tamen referunt eius inſtitutionem in Alexandrum Papam, qui fuit VI. à Petro. *Secundò*, dicit inſtitutionem hanc eſſe recentiorem multò, quàm vt Apoſtolis vel Alexandro tribui poſſit. *Tertiò*, dicit, aquæ luſtralis inſtitutionem nullo modo à Spiritu Apoſtolico proficiſci potuiſſe, quando quidem nihil eſt aliud, quàm quædam Baptiſmi profanatio & quaſi repetitio. Hæc illi.

Luther.

Caluinus.

His tamen non obſtantibus, dicendum eſt *Primò*, quòd rectè benedicantur in Eccleſia, aqua, oleum, panis, cerei, cineres, rami & ſimilia. Probatur *Primò* ex Scripturis, quæ continent exemplum & documentum. Exemplum eſt Domini Matth. 14. & Luc. 9. qui panes multiplicaturus aſpexit in cœlum & benedixit eos. Documentum eſt Pauli, qui dicit 1. Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt, nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per Verbum Dei & orationem.* Probatur *Secundò* ex traditione veterum, ac primum de aqua quòd ſolet benedici ab ipſo tempore Apoſtolorum, ſunt innumerabilia teſtimonia. Clementis, Dionyſij, Cyrilli, Cypriani, Ambroſij, Baſilij, Epiphanij, Theodoreti, Auguſtini, apud Bellarminum *de cultu Sanct. lib. 3. c. 7.* Bellarmin.

3. Rectè ad effectus ſupernaturales efficiendos & ſignificandos vtimur aqua, oleo aliiſque rebus benedictione conſecratis. Nam illa omnia benedicuntur in Eccleſia propter tres fines. *Primò*, ad ſignificandos ſpirituales effectus. Cineris enim aſperſio ſignificat pœnitentiam; Palmæ, Victoriam; cerei Paſchalis, gloriam reſurrectionis. *Secundò*, ad deletionem venialium peccatorum: de qua re vide D. Thomam 3. *parte quæſt.* 87. *art.* 3. *Tertiò*, ad fugandos Dæmones, & curandos morbos, vt ex precibus patet, quibus benedicuntur. Verum eſt tamen, quòd non operantur infallibiliter, ſicut operantur Sacramenta: & ratio eſt, tum quia vim habent eiuſmodi res non ex pacto Dei expreſſo, quomodo Sacramenta, ſed ex precibus Eccleſiæ, & deuotione vtentium: tum etiam, quia aliquando non expedit nobis vt liberemur vel à morbo, vel à Dæmonis vexatione. Probat Bellarminus *cap.* 7. ſupra iſtum tertium effectum exemplis Scripturæ & Sanctorum Patrum. D. Thom. Bellarmin.

4. Benedicere eſt alicui bonum precari, videlicet à Deo omnis boni largitore: ſicut maledicere eſt alicui malum imprecari. Et cum priuata benedictio cuilibet fideli vtriuſque ſexus erga alterum fieri poſſit; Decet tamen etiam in ea obſeruari, quod ait D. Paulus ad Hebræos 7. *Sine vlla contradictione quod minus eſt, à meliore benedicitur*: vt perſonæ eæ, quæ vel ratione ſtatus, vel ratione ſanctimoniæ in Eccleſia excellentiores ſunt, alijs benedicere debeant: imò in priuata benedictione maior etiam ratio ſanctitatis propriæ haberi debet, cùm Deus deprecationem peccatoris pro alio fuſam, non ita exaudiat, ſicut deprecationem iuſti. Erat autem olim frequentiſſimum, vt à viris ſanctitate conſpicuis benedictio daretur: ſeu ſuper perſonas abeuntes, aut redeuntes: ſeu ſuper alias res, puta panem, vinum, aquam oleum, habitationem.

5. Benedictiones ſolemnes ſeu publicæ ſunt ritus quidam, ſeu formulæ orationum à Miniſtris Eccleſiæ ex eiuſdem inſtitutione, ſuper perſonis, aut alijs rebus ſenſibilibus pronunciari ſolitæ, ad impetrandum hominibus diuinæ gratiæ auxilium & alia Dei dona: ſed quia eiuſmodi orationes nomine Eccleſiæ fiunt quæ ſemper Deo grata & accepta eſt: pie credendum, imò pro certo habendum, eiuſmodi Eccleſiæ benedictionibus, atque rebus benedictis magnam vim ineſſe ad conciliandum hominibus, per miſericordiam Dei, bonos motus diuinæ gratiæ quibus à peccatis mundentur, virtutibus augeantur, à corporalibus periculis cuſtodiantur, vel eripiantur, &c. ſicut Deo expedire viſum fuerit ſuo loco & tempore. De qua re videri poteſt Suarez *part.* 3. *tom.* 3 *diſp.* 15. *ſect.* 4. Suarez.

6. Communiter aſſerunt Doctores, quòd Abbatibus ex conſuetudine liceat ſacras veſtes, & Pallas Altaris benedicere. Ita Sylueſter *verb. Benedictio, num.* 5. Suarez *de relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 30. quamuis enim ea, quæ conueniunt Epiſcopis ratione ſuæ conſecrationis, ex iure diuino (vt Syluest. Suarez.

Chriſma

Chrisma conficere & similia) non possint consuetudine acquiri, *cap. quanto, de consuetud.* quia consuetudo ius diuinum mutare nequit: tamen alia quæ ipsis Episcopis competunt & reseruantur ex Ecclesiæ institutione, vt benedictio ornamentorum Ecclesiasticorum: possunt per consuetudinem acquiri à simplici Sacerdote, vt bene notat Suarez hic citatus. Hæc autem consuetudo potiùs est signum concessionis à Summo Pontifice super hoc eis factæ, quàm quòd per eam huiusmodi potestas tribuatur, cùm nullum sit expressum ius, in quo dicatur, illam posse consuetudine acquiri. Notat tamen Barbosa *de iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 17. num. 62.* non esse necessarium in specie Abbatibus concedendam esse facultatem benedicendi paramenta Ecclesiastica, sed sufficere in genere concessionem à sede Apostolica emanantem pro exercitio Pontificalium; quod ex quadam declaratione Sacræ Congregationis Conc. Trident. supra decretum *sess 25. cap. 10 de reform.* desumpsit; verba autem eiusdem Sacræ Congreg. sunt. *Abbas, qui est benedictus, vel qui ex priuilegio Sedis Apostolicæ habet, vt Pontificalia exercere possit ac si esset benedictus, potest omnia sacra benedicere illa excepta, in quibus vnctio requiritur.* Vt refert Suarez *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap 30.*

Barbosa. Sac. Congr. Suarez.

7. Vestes Sacræ benedictionem amittunt, & iterum benedicendæ sunt, quando ita scinduntur, aut franguntur, vt amplius ad vsum ad quem destinatæ fuerunt, aptæ non sint, aut amplius priorem figuram non retineant: alias formam benedictionis non amittunt; etiamsi aliqua pars, quæ benedicta non est, vnà cum filo prophano non benedicto, assuatur. Angelus *verb. Benedictio n. 3.* Armilla *verb. Benedicere, n. 3.* Azorius *part. 1. lib. 10. cap. 28. quæst. 9.* Vnde stola facta de planeta benedicta, debet iterum benedici: quia est mutata forma, quæ dabat esse rei; & datur ad ipsam stolam particularis benedictio alia à benedictione, quæ data erat Planetæ. Ita Vgolinus *de potest. Episcop. cap. 32. § 1. num. 6.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part. 2. allegat. 27. num. 45.* subdentes quòd si tales vestes breuiores fiant, dummodò formam non mutent, noua benedictione non indigent. Si autem ex stola manipulus fiat, non erit iterum benedicendus; nam harum vestium benedictiones non differunt, & longitudo & breuitas vestis formam non mutat, si vestis apta sit ad eos vsus, ad quos benedicta est. Si autem ea ex vetustate deducta sit, vt amplius diuinis vsibus inseruire nequeat, igne erit comburenda: quia non licet ea quæ in sacrario fuerint malè tractari, sed incendio vniuersa tradantur; cineres quoque eorum in baptisterium inferantur vbi nullius transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pauimentorum iactentur, ne introëuntium pedibus inquinentur: ita habetur, *can. Altaris, de consecrat. distinctione prima.*

Angelus. Armilla. Azorius. Vgolin. Barbosa.

8. Benedictio monialium de iure solis Episcopis competit, ex *cap. perlectis, distinct. 25.* & *cap. quamuis, distinct. 68.* Rationem assignat D. Thomas *in 4. distinct. 38. quæst. 1. art. 4.* quia hæc benedictio est spiritualis quædam desponsatio cum Christo, per quam repræsentatur desponsatio ipsius Christi cum Ecclesia, quoad illius incorruptionem: ideo solus Episcopus cui Ecclesiæ cura committitur, Virgines disponsat velando non sibi, sed Christo, quasi sponsi paranymphus. Cum D. Thoma sentit communis sententia, teste Suarez *de relig. tom. 4. tractat. 9. lib. 1. cap. 11. num. 12.* Ex priuilegio autem Abbates benedicere possunt moniales, in quas ordinariam iurisdictionem habent: quia multi Abbates in pacifica possessione benedicendi Moniales sibi subditas hactenus perstiterunt & persistunt: quod autem hæc potestas ipsis ex vi iurisdictionis proueniat, non satis probatur: hæc namque consecratio est actus Ordinis Episcopalis, & non tantùm iurisdictionis, quia consistit in quadam forma per Ecclesiam tradita: & in Pontificali Romano semper supponitur Episcopus tanquam ordinarius huius consecrationis minister: quod si aliqui Abbates & Prælati hanc potestatem obtineant, ac tales consecrationes efficiant, id eis ex speciali sedis Apostolicæ priuilegio concessum fuisse oportet, sicut nonnullis Abbatibus datum esse testatur Suarez supra.

D. Thom. Suarez.

9. Abbatissæ exemptæ & Abbatibus subiectæ, quæ per consuetudinem solitæ sunt benedictionem accipere, ab eisdem Abbatibus erunt benedicendæ. Nec obstat quod quidam Doctores dicant, ad Episcopum pertinere benedictionem Abbatissarum; quoniam respondetur esse intelligendum de Abbatissis non exemptis, quæ sub Episcopi potestate & iurisdictione sunt positæ, non autem de alijs; aliàs enim frustra essent exemptæ. Et hoc habetur ex priuilegio expresso Innocentij VIII. dato Generali Cistertij, cuius bulla extat apud Rodriguez in Bullario 5. inter bullas eiusdem Pontificis. Ac etiam ex alio priuilegio Clementis etiam VIII. sub datum Romæ die 24. Iulij anno 1599. vt diximus *tom. 1. verb. Abbas num. 2.* Aduerte autem quòd Abbatissæ temporales, illæ nempe, quæ non nisi ad triennium eliguntur ex constitutione Gregorij XIII. de anno 1583. Kalend. Ianuarij, non sunt de iure benedicendæ, nisi Apostolica Sedes aliud expresse decernat, vel seruet contrarium, vt docet Quaranta *verb. Abbatissa, in fine.*

Innoc. VIII. Clem. VIII. Greg. XIII. Quaranta.

10. Abbates non possunt solemniter populo benedicere, regulariter loquendo, nisi id eis Apostolicæ Sedis priuilegio specialiter concedatur. Benedictio enim solemnis simplici Sacerdoti non competit *Cap. Eccles. dist. 95.* Exceptis S.R.E. Cardinalibus, qui ex antiquissima consuetudine solemniter benedicere possunt. Item benedictio per vias, & ciuitates & Castra fieri non potest ab Abbate, nisi hoc ei expresso Sedis Apostolicæ priuilegio concedatur. *Cap. Abbates, de priuileg. in 6.* & non potest acquiri talis benedictio ex consuetudine, vt testatur Geminianus *in dict. cap. Abbates n. 5.* Vnde priuilegium concessum simpliciter Abbatibus solemniter benedicendi debet restringi & communiter restringitur ad proprias Ecclesias sibi subiectas, ex *cap. de Monachis de excess. Prælat. in 6.* Præterea Sacra Rituum Congregatio in vna nullius Prouinciæ Burgen. anno 1609. die 24. Augusti, declarauit, quòd licet Abbas habeat vsum mitræ & baculi, & solemniter populo benedicere possit: priuatam tamen benedictionem, more Episcoporum, per vias minimè dare possit.

Geminian. Sac. Congr.

Duo hic sunt notanda. *Primò*, Abbates coram Episcopo non posse benedictionem solemniter elargiri. *Cap. cùm Minister, 26. q. 6. cap. denique dist. 21.* vt diximus supra *verb. Abbas, n. 31. Secundò*, facultatem benedicendi solemniter populo, non solere concedi à Sede Apostolica, nisi Abbatibus habentibus vsum mitræ & aliorum Pontificalium.

11. Absque speciali priuilegio Abbates non possunt consecrare Calices, patenas, Pixides & alia similia vasa Ecclesiastica, nec non Altaria, & lapides deseruientes ipsis Altaribus, & Campanas, ac omnia alia, in quorum consecratione requiritur vnctio Chrismatis. Ratio est, quia talis consecratio est Ordinis Episcopalis, non iurisdictionis. At ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, non possunt alijs competere, etiam ex consuetudine, vel præscriptione, vt tenent Gemin. Franc. Anchar. & Gloss. *in cap. Abbates,*

Geminian. Francus. Ancharan.

Digitized by Google

Abbates, de priuileg. in 6. Idem etiam videtur prohiberi per Sacram Congregationem Cardinalium, in quodam reſponſo ſuper Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 10.* quod retulimus ſupra *num. 6.* Nihilominus Abbates, qui vtuntur Epiſcopalibus intignijs nonnullis conſecrationes, in quibus Vnctionis Chriſma neceſſarium eſt, efficere poſſunt: quia hoc illis ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ conceditur, vt patebit ex infra dicend s. Nec obſtat, quòd huiuſmodi conſecratio ſit Ordinis Epiſcopalis, & propterea non poſſit alijs competere, etiam præſcriptione vel conſuetudine, vt dicunt Gemin. & alij ſupra, quia, vt ipſimet aiunt, poteſt Abbatibus conuenire ex priuilegio Romani Pontificis. Vnde eadem Sacra Congregatio poſtea declarauit, non impediri eoſdem Abbates, qui ſpecialibus ad id Summorum Pontificum priuilegijs gaudent, vti poſſe: Extat Decretum eiuſdem Sacr. Congreg. In fauorem Monachorum Caſſinenſium emanatum, tenoris ſequentis. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, declarauit, decisionem à ſe aliàs editam, quòd Abbates vtcumque benedicti, benedicere non poſſunt ea, in quibus vnctio requiritur, non obſtare quominùs iidem munus prædicta benedictionis quoad ea, in quibus vnctio requiritur, impendere queant, ſi ſpecialibus Sedis Apoſtolicæ priuilegijs, quibus idem Concilium nequaquam derogat, muniti fuerint. Datum die 10. Septembris 1614.*

P. Cardin. Arigon.

Hoc decretum extat apud Tamburinum *tom. 1. de iure Abbatum diſp. 23. quæſt. 3.*

12. Quibuſdam Abbatibus conceſſum eſt à Sede Apoſtolica priuilegium conſecrandi Calices, Patenas, Pixides & alia ſimilia vaſa Eccleſiaſtica, in quorum conſecratione requiritur Vnctio Chriſmatis. Quod patet ex conceſſione Vrbani Papæ II. facta Abbati Monaſterij Sanctiſſimæ Trinitatis Cauenſis Ordinis S. Benedicti, vt poſſit per Terras & Caſtra ſua Eccleſias ædificare; cum cruce ſignare & omnia alia Pontificalia exercere, quæ Epiſcopi in ſuis Diœceſibus facere poſſunt (ſacrorum Ordinum collatione, Baſilicarum & Altarium conſecratione ac Chriſmatis confectione, dumtaxat exceptis) vt plenius continetur in Bulla dicta apud Laërtium Cherubinum *tom. 1. Bullarij noui.* Sub Datum Salerni 18. Kalend. Octobris, anno 1092.

Innocentius VIII. anno 1489. ad petitionem Ioannis Abbatis Ciſtercij conceſſit illi & quatuor alijs Coabbatibus tunc, & pro tempore exiſtentibus, vt de cætero perpetuis futuris temporibus, quæcumque veſtimenta & ornamenta Eccleſiaſtica, Corporalia, vaſculaque ad reponendam Sacram Euchariſtiam in locis & domibus dicti Ordinis benedicere & Calices conſecrare, tam de dicto Ordine, quàm ſi ad eos aliunde nonnunquam deferantur, valeant & poſſint. Refertur Bulla à Rodriquez in Bullario, Bulla 5. dicti Pontificis.

His & nonnullis priuilegijs gaudent regulares Abbates, qui tùm directè per ſpeciales Summorum Pontificum conceſſiones, tum indirectè per Communicationem, prædictum munus conſecrationis exercere poſſunt.

Et Sacra Congregatio Eminentiſſimum DD. Card. Concilij Trident. interpretum die 5. Aprilis 1620. pro Abbatibus Caſinenſibus cenſuit eos vigore ſuorum priuilegiorum, poſſe in locis eorum iuriſdictioni ſubiectis, Campanas & Calices conſecrare; cuius Decretum refert Tamburinus *tom. 1. de iur. Abbatum diſp. 23. quæſt. 2.*

13. Si Epiſcopus Diœceſanus à religioſis exemptis ter requiſitus, eorum Eccleſias conſecrare noluerit, quilibet alius Epiſcopus idipſum facere poterit per ſpeciale priuilegium conceſſum ab Honorio IV. Fratribus Minoribus, vt refertur *in compendio Mendic. verb. Altare*, §. 2. & à Sixto IV. Carmelitis *bulla 37. num. 77.* apud Rodriquez. Nec videntur huiuſmodi priuilegia abrogata per Concilium Trident. *ſeſſ. 6. de reform. cap. vlt.* vbi præcipitur, quòd nullus Epiſcopus in alterius Diœceſi, ſine ipſius licentia, Pontificalia poſſit exercere, cuiuſuis priuilegij prætextu &c. quia quoad hoc ſupradicta priuilegia non cenſentur eſſe priuilegia, ſed continere ius commune, dummodò ſit petita licentia, iuxta *caput primum, de ſuppleud. neglig. Prælat. & cap. nihil eſt*, §. *vlt. de elect.* Ita ait Miranda *in man. Prælat. tomo ſecundo, quæſtione trigeſima nona, articulo primo, concluſione tertia*, quem refert & ſequitur Barboſa *citata allegat. 27. numero vndecimo.* Ex priuilegio autem Pauli III. pro Societate IESV apud Bullarium Rodriguez *Bulla 8. num. 27.* poſſunt dicti Prælati Eccleſias ſuas & cœmeteria benedici, aut conſecrari facere à quocumque Epiſcopo, ſi Diœceſanus vltra quatuor menſes id facere diſtulerit.

Sac Congr. Tamburin. Vrban. II. Cherubin. Sac. Congr. Tamburin. Honor. IV. Sixtus IV. Conc. Trid. Miranda. Barboſa. Paulus III. Rodrig.

Vide v. Abbas *num.* 29. 30. Eccleſia *num.* 16. & 17.

BENEFICIVM I.

De Beneficio regulari, vel regularibus concedendo.

SVMMARIVM,

1 *Omnia beneficia præſumuntur eſſe ſecularia.*
2 *Duobus modis contingit beneficium eſſe regulare.*
3 *Vt beneficium fiat ex ſæculari regulare vel è contra, ſex conditiones deſiderantur.*
4 *Beneficium regulare poteſt nondum profeſſis conferri.*
5 *Religioſus vnius Religionis non eſt capax beneficij regularis alterius Religionis; imò nec beneficiorum regularium alterius Monaſterij eiuſdem ordinis.*
6 *Beneficia regularia, alia ſunt duplicia, alia ſimplicia.*
7 *Prior claſtralis, quis dicatur.*
8 *Quibus modis beneficia regularia conferantur.*
9 *Beneficia Eccleſiarum Ordinum regularium, quamuis manualia ſint, verè tamen beneficia Eccleſiaſtica dicuntur.*
10 *Regulares tenentur, præcipiente Prælato, acceptare beneficia, quæ pleno iure ad ipſum Monaſterij Prælatum ſpectant, quamuis manualia ſint.*
11 *Quando beneficia non ſubſunt pleno iure Monaſterio, conferri nequeunt per ſolam Prælati voluntatem.*
12 *Iuxta veriorem ſententiam, attento iure communi, nulla habenda eſt diſpenſatio, vt regularis poſſit habere beneficium ſæculare curatum.*
13 *Conditiones requiſitæ, vt regularis capax ſit beneficij curati ſæcularis.*
14 *Canonici regulares de iure communi antiquo & nouo poſſunt ad beneficia curata ſæcularia promoueri, obtentâ ſuorum Prælatorum licentiâ.*
15 *Regularis poteſt præſici Eccleſiæ collegiatæ. Beneficia autem ſimplicia non poſſunt à regularibus poſſideri; nec in hoc poteſt Epiſcopus diſpenſare*

ſæt. Regularis eſt incapax penſionis ſuper beneficio.

1. OMnia beneficia præſumuntur eſſe ex ſua inſtitutione ſecularia; ex quo fit vt dicenti beneficium eſſe regulare, incumbat onus id probandi, cùm iuris præſumptio ei aduerſetur, vt docet Rebuffus ex communi Canoniſtarum ſententia, in *praxi benefic. tum in proœmio, tit. quotuplex ſit beneficium, num.* 3. Nec vt beneficium regulare dicatur, ſatis eſt, vt eius collatio aut præſentatio ad regulares ſpectet; aliquando enim beneficium ſæculare vtrumque ius præſcriptione, aut alio titulo poteſt acquirere; ſicut etiam contingere poteſt, vt neutrum ius in regularia habeant. Ita Felinus *in cap. in noſtra, corollar.* 40. *nu.* 44. *notab.* 7. *de reſcript.* Selua *de benefic.* 3. *p.* 9. 11. *num.* 129. Nec item ſufficit vt ſit regulare, quod vnitum ſit Religioni, niſi per litteras vnionis, vel conſuetudinem præſcriptam factum ſit regulare. Sic Nauarrus *lib.* 3. *conſ.* 11. *nu.* 4. *de ſtatu Monachor. in* 1. *edit.* Zerola *in prax. Epiſcop.* 2. *p. verſ. Beneficium, dub.* 12.

Rebuffus. Felinus. Selua. Nauarrus. Zerola.

2. Duobus modis contingit beneficium eſſe regulare. *Primò*, quando in eius fundatione id inſtitutum eſt per Regulares adminiſtrandum, authoritate Epiſcopi, vel Abbatis iuriſdictione quaſi Epiſcopali præditi. Ita Dominicus, Francus in *cap. Cùm de beneficio, de prabend. in* 6. Rebuffus *loco citato* & alij omnes. *Secundò* dicitur beneficium regulare, quod tempore ad legitimam præſcriptionem ſufficienti ab vno, vel pluribus regularibus pacificè & continuò gubernatum eſt, inſtitutis in eo Rectoribus, etiamſi antea vel poſt, ſæculares quandoque in eodem miniſtrauerint: ſicut ſæculare dicitur id, quod iuxta eumdem modum per ſæculares gubernatum eſt, vt expreſsè vtrumque deciditur in *cap. Cùm de beneficio, de prabend. in* 6. Notandum tamen, dum dicitur huius præſcriptioni non obſtare etiamſi antea vel poſt, religioſi, aut ſæculares in eo beneficio miniſtrarint: intelligi debet ante incœptam præſcriptionem: nam ſi poſt incœptam id contigerit, interrumperet vtique præſcriptionem: Textus enim petit tempus continuum ibi, *continuò*, & *pacifice*, ſicut Gloſſa *ibidem, verb. ante.* Dum autem textus dicit, *vel poſt*, intelligitur, dum tamen adminiſtratio illa poſt completam præſcriptionem non durarit alio quadragenario tempore, quippe præcedentis temporis adminiſtratio præſcriptione illa quadragenaria ſequenti extinguitur: adminiſtratio autem præfatam præſcriptionem ſubſequens, non aufert ius ex ea præſcriptione acquſitum, niſi tanti temporis ſit, quantum ſufficiat ad aliam nouam inducendam præſcriptionem. Sic Gloſſa *ibidem v. Poſt*, Felinus *cap. in noſtra, corollar.* 40. *num.* 41. *de reſcripto*, Selua *de benefic.* 3. *p. q.* 11. *num.* 123.

Dominic. Francus. Rebuffus. Gloſſa. Gloſſa. Felinus. Selua.

3. Vt beneficium fiat ex ſæculari regulare, vel ex regulari ſæculare, ſex conditiones deſiderantur. *Prima* eſt vt tempore ad legitimam præſcriptionem à iure perito adminiſtratum ſit per ſæculares, vt fiat ſæculare, vel per regulares, vt fiat regulare. Quod tempus dicunt omnes eſſe quadragenarium, quia præſcriptio legitima aduerſus Eccleſiam eſt regulariter quadragenaria, vt habetur in *cap. Ad aures & cap. De quarta, de præſcription. ſecunda*, vt poſſidentes beneficium ſint in eo inſtituti, ex dict. *cap. Cùm de beneficio*, ibi, *quod tanto tempore ab vno vel pluribus inſtitutis in eo Rectoribus.* Accipitur autem largè inſtitutio pro collatione, aut alia prouiſione vt docet Rebuffus *in concordat. titul. de collation.* §. *volumus verb. Regularia, in requiſito* 1. *Tertia*, vt ſint inſtituti in beneficio tanquam Rectores, non verò tanquam Vicarij, vel conductitij clerici adminiſtrantes, vt conſtat ex Verbis textus *cap. cùm de beneficio. Quarta*, quòd adminiſtretur beneficium à regularibus tanquam regulare: ſecus ſi gubernetur tanquam ſæculare ad inſtar clericorum ſæcularium, vt ſi præficiatur Regularis Eccleſiæ curatæ ſæculari, non tranſibit in regularem adminiſtratione quadragenaria; quia præficitur illi non vt regularis, ſed inſtar cuiuſlibet clerici ſæcularis. Vel etiamſi beneficium regulare ſæculari, aut ſæculare regulari ex diſpenſatione conferatur, etſi poſſideatur per tempus quadragenarium; quia cùm ſpeciali indulto ea poſſeſſio ſit, non iuuat præſcriptionem. *Quinta*, vt conferantur beneficia animo mutandi ſtatum eorum: & ideò conferens in collatione debet dicere regulari, confero tibi beneficium ſæculare; & ſæculari, confero tibi regulare. *Vltima* conditio eſt, quod bona fide poſſideatur beneficium regulare à ſæculari, & è conuerſo; nam poſſeſſor malæ fidei nullo tempore præſcribit. *Reg. Poſſeſſor, de regulis iuris in* 6. Tandem aduertendum eſt, ſi capellæ ſint fundatæ in Monaſterio, præſumuntur regularia beneficia. Plura de his apud Rebuffum in *praxi benefic. in proœmio, tit. Quotuplex ſit beneficium num.* 5. & 6. & alios citatos, niſi per ſæculares teneri ſolitæ ſint.

Rebuffus.

4. Quamuis ſtando in iure antiquiori, *Clementin. Quia regulares, de ſuppland. negligent. Prælat.* & *Clement. ne in agro*, §. *Sanè Prioratus, de ſtatu Monachor.* nouitius beneficij regularis ſit incapax, vtpote quod ſolis profeſſis eſt conferendum: at iuxta decretum Concilij Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 10. *de reform.* poteſt dari beneficium regulare nondum profeſſis, imò his qui habitum nondum ſuſceperunt, modò habitum ſuſcipere & profeſſionem emittere teneantur. Et ita Congregatio Cardinalium declarauit, clericis ſæcularibus poſſe conferri dicta beneficia regularia per ordinarios collatores inconſulto Papa, dummodo habitum ſuſcipere & profeſſionem emittere omninò teneantur: quam declarationem refert Gonzalez *in regul.* 8. *Cancellar. Gloſſa* 8. *num.* 78. Quod quidem videtur intelligendum non quando ratione ſolius voti tenetur quis ingredi, aut in Religione perſeuerare: hæc enim obligatio voti ſolum Deum reſpicit, & non forum externum, quod videtur petere Concilium; & ita intelligi debet, vt dentur eiuſmodi beneficia conuentione factâ, vt beneficiarij illi teneantur intra certum tempus ad Religionem tranſire: ſicut & beneficia curata habent eam conditionem tacitam, quando dantur non ſacerdotibus, vt intra annum teneantur ad ſacerdotium promoueri, *cap. licet canon. de elect. in* 6.

Conc. Trid. Gonzalez.

5. Religioſus vnius Religionis non eſt capax beneficij regularis alterius Religionis; imò nec beneficiorum regularium alterius Monaſterij eiuſdem Ordinis: quia id grauiter interdicitur, *cap. Cùm ſingula*, §. *prohibemus de prabendis, in* 6. adeò vt acceptans fiat per illum textum ineligibilis, & inhabilis vt ei aliàs conferatur. Ita Rebuffus *in praxi benefic. titul. de diſpenſatione cum regular. numero* 2. & *ſequent.* Rodriquez *tom.* 1. *quæſtionum reg. quæſtione* 34. *artic.* 8. & alij. Nomine autem electionis in eo textu comprehenditur quicumque modus collationis illius beneficij. Et licet regulariter nomine electionis non veniat collatio, fallit, niſi ſit eadem ratio, vt contingit in hoc caſu: mentio autem electionis facta eſt, quia frequentius fiebant electiones in Monaſterijs: Nec poterit in hoc legatus Pontificis diſpenſare abſque ſpeciali commiſſione; quia textus ille dicit, *Abſque Sedis Apoſtolicæ licentia*, vt bene docet Rebuffus *ibid. num.* 2. Imò nec Pontifex ſolitus

Rebuffus. Rodrig. Rebuffus.

ſolitus eſt concedere regularibus gratiam aſſequendi beneficij alterius Ordinis, niſi transferendo illos ad id monaſterium, ad cuius collationem beneficium aſſequuntur. Hinc deducitur, non licere duobus religioſis diuerſorum Ordinum permutare beneficia regularia de licentia ſuorum Prælatorum, quia neuter eſt beneficij alterius capax.

6. Regularia beneficia, alia ſunt duplicia, alia ſimplicia. Duplicia, vt Abbatia regularis: Abbas enim duplici onere fungi debet, tam circa perſonas, quàm circa res Monaſterij, *cap. cùm ad monaſterium & cap. In ſingulis, de ſtatu monachor.* Prioratus eſt duplex, alter conuentualis, alter Clauſtralis. Prior conuentualis eſt ille, qui Conuentui Monachorum, ſiue aliorum religioſorum præficitur, nempe, in monaſterijs, in quibus non adeſt Abbas. *Clement. ne in agro, §. Cæterum, de ſtatu monachor.* Huiuſmodi Priores Conuentuales dicuntur habere Conuentum vel Collegium, *cap. Scriptum, de elect.* in tantum, quòd appellatione Prioratus Conuentualis ex propria ſignificatione venit Eccleſia collegiata regularis, non autem ſecularis. Tamen magis propriè Priores Conuentuales ſunt, qui Conuentui religioſorum præficiuntur cum bonorum, iurium adminiſtratione, & iuriſdictione in ijs, quæ Regulam concernunt & ſtatum regularem: ac curam vniuerſalem, tam ſpiritualem, quàm temporalem habent Monaſterij, de quibus agit textus in *cap nullam 18. q. 2.* vbi Nauarrus *num. 4. & in cap. niſi eſſent, de prabend. & in Clemens. dicta* Huiuſmodi Prioratus non ſunt collatiui, ſed electiui ex *Clement. 2. de reſcript.* Hinc eſt, quòd Priores Conuentuales, quos aliqui in quibuſdam Religionibus vocant Præpoſitos, aut Superiores locales, habent eandem facultatem erga Monachos & adminiſtrationem Monaſterij, quam habent Abbates, & ijſdem priuilegijs ſpectantibus ad eandem poteſtatem & adminiſtrationem potiuntur. Imò in aliquibus Religionibus gaudent prærogatiuis & præeminentijs, quibus pollent Abbates, & vtuntur mitra, annulo, baculo, ſandalijs, & exercent Pontificalia ad inſtar Abbatum, ideò dicuntur dignitatem habere. *Ex Clementina. Eſſi principalis, de reſcript.*

Nauarrus.

7. Prior Clauſtralis dicitur, qui religioſis in Clauſtro & Monaſterio præfectus eſt, & Abbati ſubijcitur: ſed poſt eum præ cæteris potens eſſe debet in opere & Sermone, & exemplo vitæ, verboque doctrinæ ſuos Monachos inſtruere poſſit in bono, & à malo reuocare, *cap. Cùm ad Monaſterium, §. Prior. de ſtat. Monachor.* Hinc Priores Clauſtrales poſt Abbatem Monaſterio præficiuntur cum adminiſtratione iuriſdictionis tantùm circa ea, quæ ad Clauſtrum, & Regulam Monachalem ſpectant, qui ſolent etiam appellari Vicarij. Horum Priorum Clauſtralium aliqui ponuntur ab Abbatibus in Parochiis & Eccleſijs curatis Monaſteriorum: quæ Parochiæ, ſiue Eccleſiæ curatæ cùm habeant Conuentum ſuppoſitum, vocantur obedientiæ, *ex cap. cum ad Monaſterium, §. Iales, de ſtat. Monachor.* Et cùm iſti ponantur ad beneplacitum Abbatis, ab eodem amoueri poſſint ad nutum ipſius, vt docet Federicus de Senis *conſil. 133. in fine verſ. Ad ſecundum.*

Federic. de Senis.

Porrò beneficia regularia ſimplicia ſunt, Prioratus ſimplex, Monachatus & Canonicatus regularis, qui ſuo ſimplici onere funguntur, *cap. Quòd Dei timorem, & cap. final. de ſtat. Monachor.*

8. Huiuſmodi beneficia regularia conferuntur. *Primò*, per electionem Canonicam, hoc eſt, ſuffragijs Canonicorum ſeu Monachorum & confirmatione, Superioris authoritate accedente, vt colligitur, ex *cap. Monachi, §. Priores, de ſtatu Monachor. Secundò*, conferuntur authoritate Superioris regularis, videlicet, Abbatis, Præpoſiti, vel Prioris: hæc dicuntur aut dici poſſunt Beneficia regularia collatiua, illa electiua: quia electiua inſtar Beneficiorum ſæcularium, quæ electiua dicuntur, dantur per electionem Canonicorum & confirmationem Superioris. Collatiua verò in modum ſæcularium beneficiorum, quæ vocantur collatiua, ſimpliciter dantur vel committuntur Superioris authoritate.

Tertiò, dari ſolent per Canonicam inſtitutionem: cum videlicet Patronus nominat, & offert Canonicum, quem vult, & Superior eum inſtituit; hoc eſt, dat beneficium ei, quem patronus nominat & offert. *Quartò*, conferuntur auctoritate Romani Pontificis, qui in regula 3. Cancellariæ reſeruat ſibi Prioratus, Præpoſituras ac alias Dignitates Conuentuales, & Præceptorias generales quorumlibet Ordinum præterquàm Militarium: non autem Prioratus Clauſtrales: quia Conuentuales ſunt beneficia perpetua, & electiua; cætera verò Beneficia non ſunt electiua, nec dantur in perpetuum, ſed ad nutum Abbatis, ac manualia vocantur in quibus non habet locum regula reſeruationis.

9. Beneficia Eccleſiarum Ordinum regularium quæ cum certa portione redituum Eccleſiaſticorum pro miniſterio ſpirituali & adminiſtratione Sacramentorum in eiſdem Eccleſijs exercenda, dantur quamuis manualia ſint, verè tamen & propriè beneficia Eccleſiaſtica dicuntur: quia habent alia omnia beneficio conuenientia, præter id, quòd talia ſint, vt poſſint ad nutum reuocari: & licet aliquando de facto perpetuitatem non habeant, aptitudinaliter tamen eam habent: nam licet conferantur à Superiore, ita vt prouiſi de illis reuocari poſſint: poſſunt etiam conferri abſque hoc, quod vnquam amoueantur. Ita Barboſa *de iur. Eccleſiaſt. lib. 3. cap. 4. num. 70.* & alij ab ipſo citati. Non eſt tamen improbabile non eſſe propriè & ſimpliciter beneficia: nam beneficium propriè & ſimpliciter tale requirit perpetuitatem, vt docent Rodriguez *tomo 1. quæſt. 34. artic. 2.* Gomez *tit de grat. expectat. num. 94.* qui vltimus addit in reſeruationibus beneficiorum, quas facit Pontifex, non claudi manualia eo quòd illa ſola reſeruari dicuntur, quæ verè & propriè beneficia ſunt.

Barboſa.

10. Prouiſio beneficiorum pleno iure alicui Monaſterio ſubiectorum, ad ipſius Monaſterij Prælatum ſpectat, ipſorumque adminiſtratio ad eiuſdem Monaſterij regimen & commodum attinet, argum. *cap. Quorundam, de elect. in 6.* propterea eorum receptio comprehenditur ſub materia obedientiæ religioſæ, quia ordinatur ad commune bonum illius Monaſterij: vnde regulares non ſolùm poſſunt, verum etiam tenentur acceptare huiuſmodi beneficia, cùm ratione voti obedientiæ ſint plenè ipſimet Prælato ſubiecti, ac teneantur ei obedire in omnibus, quæ ſunt ſecundùm regulam & quæ ad ipſam & ad Monaſterium ſpectant, iuxta D. Thomam 2. 2. *quæſt. 104. art. 5.* Quare ſi Prælatus eis præcipiat, tenentur talia beneficia ſuſcipere: quia tale præceptum iuſtum eſt, & intra limites religioſæ obedientiæ. Quod intelligendum eſt, modò beneficium non ſit adeò tenue, vt religioſus nequeat ex illius fructibus abſque penuria ſuſtentari: nam tunc non poſſet cogi, vt reinquens Monaſterium in tali beneficio retineat: & ſi voluerit Prælatus ſubditum aſtringere ad reſi-

D. Thom.

dendum in tali beneficio, tenebitur ibi eidem neceſſaria alimenta ſubminiſtrare. Quæ omnia docent Nauarrus *comment. 4. de regul. num. 23.* Rodriguez *tom. 1. qq. reg. quæſt. 34.* Suarez *de relig. tom. 4. tract. 8. cap. 8. cap. vlt.* qui addunt poſſe cogi religioſum acceptare id beneficium, quamuis ſit manuale & ad nutum amouibile, niſi iuſta excuſationis cauſa adeſſet: quia crederetur malitioſe ſibi conferri, eò quòd litigioſum eſt vt litem terminet, & eâ terminatâ ſibi auferatur. Non poteſt tamen Prælatus regularis ſuos religioſos cogere ad acceptanda beneficia ſecularia, vel etiam regularia alterius Ordinis, quamuis vtrumque ex Pontificia diſpenſatione liceret: quia id non eſt ſecundùm regulam, ſed præter illam, nec ordinatur ad commune bonum ſuæ Religionis, aut Monaſterij. Imò neque ad regularia eiuſdem Ordinis, ſed alterius Monaſterij: quia id ſub grauibus pœnis prohibetur in *cap. Cùm ſingula §. Prohibeamus, de præbend. in 6.* De his vide Sanchez *lib. 6. moral. capite ſecundo, numero 51.*

Nauarrus. Rodrig. Suarez. Sanchez.

11. Quando beneficia non ſubſunt pleno iure Monaſterio, conferri nequeunt religioſis per ſolam Prælati regularis voluntatem: quia, ſi eius voluntas ſufficeret, haberet plenum ius in collatione talis beneficij: ſi ergo plenum ius non habet, ex eo eſt, quia beneficium eſt ſubiectum Epiſcopo, vel alteri Prælato quoad inſtitutionem & deſtitutionem, vt notat Nauarrus *comment. 2. de regular. num. 6. verſ. 7.*

Nauarrus.

12. Quidam negant regulares eſſe capaces beneficij curati ſecularis: nam textus prohibentes beneficia ſæcularia regularibus, loquuntur vniuerſaliter, & ſolus Epiſcopatus reperitur exceptus: ac ratio cui innituntur, nempe, ne homines diuerſæ profeſſionis ſint ſimul, militat quoque in beneficijs curatis. Poteſt inſuper probari, quia Paulus IV. edidit Bullam, quâ omnes regulares priuauit beneficijs ſæcularibus quibuſcumque per ipſos acquiſitis. Ita Suarez *de religione tom. 4. tractat 8. libro 3. capite 19. numero 27* & alij multi apud Sanchez *libro ſeptimo, capite 29. numero 34.* His tamen non obſtantibus, dicendum eſt, attento iure communi, nullam habendam eſſe diſpenſationem, vt regularis poſſit habere beneficium curatum, etiam ſæculare. Probatur ex *cap. Quod Dei timorem, de ſtat. Monachor.* Et probari poteſt per antiquos canones, in quibus ſatis conſtat, Monachos poſſe ad Eccleſias Parochiales admitti, ex quo prædicationis officium debent exercere. Quod colligitur præſertim ex *cap. In Parochia 16. quæſtione 1.* Vbi Gelaſius Papa iubet Monachum ad Parochiam præſentatum admitti ab Epiſcopo, nullo facto verbo diſpenſationis: & ideò ius commune videtur explicare, quòd hoc in fauorem curæ animarum inductum ſit. Nec obſtant in contrarium adducta, quia iam oſtenſum eſt, eſſe textum excipientem beneficia curata ab ea generali prohibitione, quod beneficia ſæcularia tint ſæcularibus conferenda. Nec obſtat etiam Bulla Pauli IV. quæ videbatur prædictum ius commune aliquo modo tollere, quia redacta eſt ad ius commune per Pium IV. Ita Nauuarrus *lib. 3. conſil. in 2. edit. tit. de ſtatu Monachor. conſil. 11. & 12.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 11. num. 98.* Sanchez *loco citato num. 35.* & alij multi apud ipſum. Quòd ſi Monachi, qui ex inſtituto vacant tantùm contemplationi, poſſunt ad talia beneficia promoueri; etiam poſſunt Mendicantes, & alij regulares, quorum functiones iſti officio ſunt magis affines, niſi aliquod particulare ſtatutum Ordinis obſtet. Religioſi enim Societatis IESV, ad nullum beneficium promoueri poſſunt: ſicuti nec Fratres Minores, qui ad beneficia curata, & dignitates inferiores Epiſcopatu, niſi ex diſpenſatione Papæ non aſſumuntur.

Paulus IV. Suarez. Sanchez.

Nauarrus. Leſſius. Sanchez.

13. Quod diximus de facultate regularibus conceſſa in fauorem curæ animarum, multipliciter temperandum eſt. *Primò*, vt concurrat neceſſitas, aut vtilitas Eccleſiæ curatæ ſæcularis, cui regulares ſunt præficiendi. Ratio eſt, quia talis conceſſio iuris dimanauit ad fauorem boni animarum, cui proſpicere munus eſt Monachorum, ergo exigitur ſaltem vtilitas animarum, vt illarum regimini regulares præficiantur. Ita habetur in Gloſſa *cap. Quod Dei timorem, verb. Regimen, de ſtatu Monachor.* Gloſſa.

Secundò, dummodò Eccleſia illa, cui regularis præficitur, ſit actu curata, & non ſolo habitu: hoc enim priuilegium conceſſum eſt regularibus in fauorem curæ animarum: quod tunc ceſſaret, niſi eſſet actualiter curata. Ita Ancharan. *in cap. Quòd Dei timorem num. 11. de ſtatu Monachor.* Ancharan.

Tertiò, dummodò non ſit præſcriptio quadragenaria, vt regatur Eccleſia illa per ſæculares cum excluſione regularium expreſſa: ſi tamen regulares excluſi non ſint, poterit ei præfici regularis. Ita Selua *de benefic. 3. parte quæſtione 11. numero 133.* Selua.

Quartò, vt regulares ſint capaces beneficij ſæcularis Parochialis, debent habere licentiam ſui Superioris, vt habetur ex *cap. Religioſum, de elect. in 6.*

14. Canonici regulares de iure communi antiquo & nouo, abſque ſpeciali Apoſtolicæ ſedis diſpenſatione Superiorum ſuorum regularium licentia obtenta, poſſunt ad beneficia ſæcularia animarum curam & regimen annexum habentia promoueri: quod probatur ex Concilio Tridentino, dum *ſeſſ. 14. de reformat. cap. 11.* prohibet, Canonicum regularem ad alium Ordinem tranſlatum, ad ſæculare beneficium etiam curatum aſſumi: nam tacitè videtur innuere, non tranſlatum aſſumi poſſe. Ita tenuit Rota *in vna Papien. iuris ſpatronatus,* die 6. Martij 1598. coram Cardin. Seraphino. Vnde Sacra Congregatio anno 1602. declarauit, his verbis, *Congregatio Concilij cenſuit decretu eiuſdem Concilij Canonicum regularem non prohiberi obtinere beneficia curata ſæcularia, niſi fuerint ex iis tranſlatis, de quibus habetur in dicto decreto, cap. 11. ſeſſ. 14. de reformat.* pro confirmatione huius propoſitionis vide Conſilium D. Vincentij Parenti I. V. D. apud Tamburinium *tom. 3. de iur. Abbat. diſputatione 9. quæſt. 8. numero decimo tertio.* Conc. Trid. Rota. Sac. Congr. Tamburin.

15. Verius eſt, poſſe regularem præfici Eccleſiæ collegiatæ, abſque diſpenſatione aliqua: quia eadem videtur eſſe ratio, ac de Epiſcopo, cùm eligatur ad curam eorum, qui ad collegium pertinent: & ſicut Epiſcopus cum ſuo capitulo conſtituit vnum corpus, ita hic cum ſuo. Ita Rodriguez *tomo primo, quæſtionum reg. quæſtione trigeſima quarta, articulo quarto,* Selua *de benefic. tertia parte quæſtione 70. numero quarto,* Leſſius *libro ſecundo, capite 40. dub. 12. numero 99.* & alij. Et licet Ioan. Andreas in *cap. Quòd Dei timorem, numero 16. de ſtat. Monachor.* oppoſitum teneat, hoc procedit ex eo, quia exiſtimant huiuſmodi beneficium eſſe ſimplex. Rodrig. Selua. Leſſius. Ioan. Andr.

De beneficijs autem ſimplicibus, dicendum eſt ea non poſſe à regularibus poſſideri propter eorum incapacitatem deſumptam ex natura regularis obſeruantiæ, & ex ſacris Canonibus, qui negant

poſſe

posse Regularem sæculare beneficium simplex obtinere & affirmant illum posse præfici beneficio curato in fauorem curæ animarum. Quod probatur ex *cap. in nona actione 16. quæst. 7.* & ex *cap. Monachus 16. quæst. 1.* Rodrigues *tom. 1. qq. reg. q. 34. a. 4.* Syluester *v. Religio 7. quæst. 5.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 19. num. 74.* Nec potest Episcopus in hoc dispensare, quia nullibi id illi conceditur, vt affirmant Rosella *verb. Monachus. num. 4.* & Tabiena *num. 4. quæst. 3.* Et minùs potest Episcopus dispensare, vt religiosus promotus ad beneficium Parochiale habeat simul beneficium simplex; quia vltra inhabilitatem, quam habet ad beneficium simplex, concurrit aliud impedimentum, scilicet, pluralitas beneficiorum: Hinc deducitur non posse Prælatum facere habilem suum Monachum ad duo sui Ordinis beneficia, vt constat ex *cap. Cùm singula, de præbend. in 6.* Religiosus enim etsi possit vnum beneficium regulare habere, at nequit duo: imò nec cum vno beneficio potest simul habere Capellam aut pensionem, vel portionem regularem; quia quodlibet beneficium est incompatibile Monacho cum primo: tum quia regularis est incapax pensionis super beneficio sæculari, siue simplici, siue curato obtinendæ, absque dispensatione Summi Pontificis: qui enim est incapax beneficij, est etiam incapax pensionis. Sed regularis est incapax beneficij sæcularis simplicis, nisi Pontifex dispenset, ergo erit quoque pensionis super illo constitutæ. Ita Zerola *in praxi Episcopali, part. 1, verb. Beneficium.* Et quamuis sit capax beneficij curati sæcularis, id tamen contingit ex indulgentia iuris fauore curæ animarum; qui cùm non reperiatur in pensione constituenda, non erit capax pensionis super beneficio curato. Denique nec etiam est capax pensionis super beneficio regulari sui Monasterij constitutæ absque Pontificis dispensatione. Ex *Clementin. vnic. de supplend. negligent. Prælatorum.*

Rodrig. Sylueſt. Sanchez. Roſella. Tabiena. Zerola.

Vide v. Abbatissa *num. 21.* Beneficium 2. *num. 6.* Nouitius *num. 22.* Pensio *num. 12. & 13.*

BENEFICIVM II.

Qui de iure ad beneficia inhabiles reddantur.

SVMMARIVM.

1 *Hæretici sunt inhabiles ad beneficia Ecclesiastica, eorumque fautores & receptatores, defensores, eorumque filij vsque ad secundam generationem.*
2 *Inhabiles sunt etiam Apostatæ ad beneficia.*
3 *Excommunicati maiori excommunicatione sunt inhabiles ad quæcumque beneficia Ecclesiastica.*
4 *Similiter & suspensi ab officio vel beneficio.*
5 *Interdicti personaliter non possunt beneficia consequi, nec irregulares, nec Sodomitæ notorij; nec Bigami; nec aleatores; nec simoniaci; nec clerici vsurpantes bona & iura locorum piorum; nec clerici concubinarij incorrigibiles; nec coniugati nisi seruata regula canonum.*
6 *Multi alij recensentur inhabiles ad beneficia obtinenda.*

1. INhabiles sunt ad beneficia, Hæretici, eorumque fautores & receptatores, defensores, eorumque filij, vsque ad secundam generationem: & si admittantur ad beneficia, esset irrita & nulla talis admissio. Ex *cap. Quicumque, §. Hæretici. Cap. statutum el 2. de Hæret. in 6.* Secus dicendum est de superueniente crimine, hoc enim non reddit inhabilem ad beneficium iam obtentum, vt docent communiter Doctores. De filijs verò & nepotibus prædictorum intelligendum est, qui tales esse aut tales decessisse probentur, non autem illorum, quos emendatos esse constiterit & pœnitentiam egerint; quamuis ante peractam pœnitentiam obierint, dummodò tamen ad eam recipiendam parati essent. Sicut docent Surdus Consil. 360. *numero* 14. & Rota *in Collibricen. Canonicatus 13. Iunij 1616.* coram Card. Sacrato. Vbi etiam decisum fuit, non esse faciendam distinctionem inter sponte confessum & condemnatum. Nota tamen quod hæc pœna tantùm extendatur ad primam generationem in linea materna, *ex dict. cap. statutum.* Præterea, quod hæresis patrui non impedit quominus nepos ad beneficia obtinenda habilis existat, vt decreuit Sacr. Congregatio Eminent. Card. teste Barbosa *de iure Eccles. lib. 3. cap. 13. num. 135.* Surdus. Rota. Sac. Congr. Barbosa.

2. *Secundò*, inhabiles sunt ad beneficia Ecclesiastica Apostatæ; tam si habitum suæ Religionis non dimiserint, quàm si illo iam spoliati sint: quia possunt etiam esse regulares verè Apostatæ, licèt habitum propriæ Religionis retineant; vt diximus aliàs. Et docent Valentia 2. 2 *disp. 1. q 12. punct. 1. not 2.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 7. nu. 18.* qui ibi loquitur de Apostata à fide. Valentia. Sanchez.

3. *Tertiò*, excommunicati maiori excommunicatione sunt inhabiles ad quæcumque beneficia consequenda, siue sint maiora beneficia, siue minora, siue sint beneficia sæcularia, siue regularia: & hoc valet in foro conscientiæ, tam de excommunicatione lata à iure, quàm ab homine, siue per sententiam generalem, siue particularem; etiamsi excommunicatio iniusta sit, dummodò ritè lata fuerit; siue excommunicatio sit occulta, siue publica; siue excommunicati sint denunciati, siue non: imò quamuis excommunicati reputentur communi opinione pro absolutis: vel post collationem sequeretur absolutio: quia talis absolutio sequens non tollit præcedentem incapacitatem, cùm in istis spectetur initium: similiter si excommunicati essent absoluti cum reincidentia post aliquod tempus: quia, si post præfixum tempus & reincidentiam fiat illis collatio, erit nulla, non obstante, quòd iudicis declaratio non adfuerit. Hæc tamen inhabilitas, non procedit, si excommunicatio sit nulla; vel si superuenerit post collationem: vel si prouisus esset possessor triennalis: vel quando excommunicatio fuit lata post appellationem interpositam; modò appellatio fuerit valida & hoc pro certo constaret: secus si notorium esset eam non valere. De his plura apud Barbosam *de iur. Eccles. lib. 3. cap. 13. num. 137.* & alios ab eo citatos. *Ex cap. Pitulastis, de cleric. excomm. ministrant.* Barbosa.

4. Suspensi ab officio vel beneficio sunt inhabiles ad beneficia obtinenda & consequenda, & prouisio eis facta nulla est, ex *cap. cùm dilectus, vers. Quia nobis, de consuet.* & *cap. per inquisitionem, de elect.* Sed hoc intelligendum est de suspensis ab omnibus Ordinibus: secus enim dicendum esset, si suspensio esset ab vno Ordine sacro tantùm: quia ratione alterius Ordinis, quem habent sine suspensione, possunt obtinere beneficium, ex *cap. vel non est compos de tempor. Ordinand.* Suspensus enim ab Ordine Presbyterali tantùm, licet non possit habere Sacerdotalem præbendam; poterit tamen habere diaconalem. Qui verò per annum contumax steterit in suspensione, non solùm nequit amplius beneficium consequi; sed ea, quæ interim acquisiuit

& prius habebat, amittit vt habetur *in cap. cùm bona, de erat. & qualit.*

5. *Interdicti* perſonaliter non poſſunt beneficia conſequi Nauarrus *in Man. cap. 25. num. 144.*

Nauarrus.

Irregulares non poſſunt beneficia obtinere & collatio illis facta, ipſo iure nulla eſt, ex *cap. 2. de Cler. non ordin. minist.* Leſſius *lib. 2. cap. 32. num. 120*

Leſſius.

Sodomitæ notorij ad beneficia ſunt inhabiles, & collatio his facta nulla eſt. Ita Barboſa *de offic. & poteſtat. Epiſc. part. 2. alleg. 44 num. 28.*

Barboſa.

Bigami prohibentur beneficia habere, cùm etiam prohibeantur ordinari. Propterea beneficij collationem factam bigamo nullam eſſe, affirmat Nauarrus *conſil. 3. de bigamis.*

Nauarrus.

Aleatores beneficia conſequi non poſſunt, & collatio eis facta, ſi publici ſint, ipſo iure fit nulla; ſi occulti, erit irritanda. Ita diffiniuit Rota Romana *deciſ. 426. part. 1. diuerſ.* & multi ibi allegati.

Rota.

Simoniaci in aſſequendo beneficio poſt eius priuationem fiunt inhabiles ad omnia alia beneficia obtinenda per Bullam Pij V. quæ incipit, *cùm primùm Calend. Aprilis 1566.*

Pius V.

Clericus quæcumque iura Eccleſiarum, vel piorum locorum vſurpans, vel alijs conſenſum, aut auxilium præſtans, priuatur beneficio, & fit inhabilis ad quæcumque alia beneficia conſequenda. Ex Concilio Tridentino *ſeſſione 22. cap. 11. de reformat.*

Conc. Trid.

Clerici concubinarij incorrigibiles poſt multas pœnas & priuationem beneficiorum, redduntur inhabiles ad conſequenda beneficia vſque ad emendationem arbitrio Ordinariorum ſuorum. Ex Conc. Trid. *ſeſſ. 25. c. 14. de reform.*

Coniugatus, qui aliquem de Ordinibus ſacris præſumit ſuſcipere, matrimonio durante, etiam nondum conſummato, niſi ſeruatâ regulâ Canonum, etiam ad beneficium quodcumque, vel officium Eccleſiaſticum prohibetur promoueri, per *Extrauag. Antiquæ, de voto.* Ioan. 22. Et ſi promoueatur ad Ordinem ſacrum, efficitur irregularis, vt docet Couarruuias *de ſponſal. part. 2. cap. 6.*

Ioan. XXII.

Couarr.

6. Secularis & non profeſſus prohibetur beneficia regularia in titulum regularibus conferri conſueta obtinere, niſi eiuſdem Ordinis habitum ſuſcipiat, & profeſſionem emittat. Ex Concil. Trid. *ſeſſ. 14. cap. 10. de reform.*

Conc. Trid.

Filij Clericorum procreati ex non legitimo matrimonio, in Eccleſijs, vbi patres eorum aliquod habent, vel habuerunt beneficium, conſequi non poſſunt beneficia. Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 15. de reform.*

Conc. Trid.

Filij & nepotes offendentium Cardinalem, inhabiles ſunt in poſterum ad obtinenda beneficia. Ex *cap. felicis, verſ. Quod ſi quis, de pœnis in 6.*

Non dimittentes beneficia incompatibilia poſt priuationem eorum, quæ obtinebant, redduntur inhabiles penitus ad alia beneficia obtinenda. *Extrauag. Execrabilis, de prabend.*

Denique habens beneficium vnum curatum, non poteſt aliud curatum, vel alias incompatibile obtinere. Ex *cap. vnico, §. penult. 10. quæſtione tertia.* Et ſiquidem auctoritate Sedis Apoſtolicæ id egerit, ipſo iure vacat primum, ex *cap. Quanto, de tranſlat. Epiſcop.* & *cap. De multa, de prabend.* Quòd ſi ablque Pontificis auctoritate id faciat, amittet vtrumque, nulla ſuffragante conſuetudine in contrarium. Ex Concil. Tridentin. *ſeſſione ſeptima, cap. 2. de reformat.* Plura de his *tom. 1. verb. Beneficium III.* & apud Auctores ibi citatos.

Conc. Trid.

Vide v. Nouitius *num. 21.*

BENEFICIVM III.

De Beneficiorum vnionibus.

SVMMARIVM.

1 *Vnio eſt plurium beneficiorum, ſeu Eccleſiarum à legitimo Superiori facta annexio.*

2 *Vnio beneficiorum tripliciter fieri poteſt.*

3 *Epiſcopus iure communi antiquo, poteſt vnire beneficia & Eccleſias ſuæ Diœceſis.*

4 *Generalis Vicarius Epiſcopi non poteſt beneficia vnire, niſi ſpecialiter ſibi ab Epiſcopo committatur.*

5 *Capitulum ſede vacante poteſt ea beneficia vnire, quæ poteſt Epiſcopus.*

6 *Archiepiſcopus nequit vnire beneficia in Diœceſi ſuffraganeorum.*
Verùm eſt id poſſe Legatum à latere, abſque præiudicio tamen Epiſcopi.

7 *Abbates & Prælati Epiſcopo inferiores habentes iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem poſſunt huiuſmodi vnionem facere. Aly verò non, niſi hoc ex priuilegio, vel conſuetudine, vel præſcriptione illis competat.*

8 *Ad hanc vnionem faciendam requiritur iuſta cauſa, quæ eſt neceſſitas, aut vtilitas Eccleſiæ*

9 *Forma & ſolemnitates requiſita in Eccleſiarum & beneficiorum vnione recenſentur.*

10 *Quando Eccleſia aliqua annectitur Abbatiæ, ſortitur naturam, iura & priuilegia ipſius Abbatiæ.*

11 *In tribus caſibus vnio eſt ipſo iure irrita defectu ſolemnitatum petitarum.*

12 *Decreta Concilij Tridentini circa vniones beneficiorum.*
An Epiſcopus poſſit examinare vniones, ac illarum effectum impedire, non obſtante præſcriptione.

13 *Ex Tridentino integrum non eſt Epiſcopis vnire beneficia diuerſarum Diœceſium.*

14 *Epiſcopus poteſt vnire beneficia non ſola poteſtate ordinaria, ſed etiam delegata per Trident.*

15 *Attento Tridentino beneficia curata non poſſunt ab Epiſcopo vniri Monaſterijs, aut pijs locis, aut beneficijs ſimplicibus.*

16 *Tridentinum concedens Epiſcopis vnionem abſque conſenſu patroni Eccleſiaſtici, derogauit iuri communi.*

17 *Poteſtas Epiſcoporum in vniendis beneficijs ſæcularibus Religioni non derogauit Tridentinum: modò non ſint curata, vel extra Diœceſim.*
Beneficium ſæculare ſic vnitum, ſtatuto Epiſcopi poteſt deſeruiri per regularem.
Poteſt Epiſcopus ex ijs beneficijs, quæ vnire poteſt reddere aliquod manuale, & ad nutum amouibile, quod erat perpetuum.

18 *Monaſterio Monialium poteſt vniri beneficium Parochiale in temporalibus & ſpiritualibus per Pontificem.*

19 *Prælati Epiſcopo inferiores habentes iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem in Eccleſijs ſibi pleno iure ſubiectis, poſſunt vniones Eccleſiarum, Monaſteriorum vel beneficiorum diſſoluere.*

Cauſa,

Cauſæ, ob quas vniones beneficiorum, &c. diſſolui poſſint.

In diſſolutione vnionum, vocandi ſunt, quorum intereſſe poteſt, talem communionem non diſſolui.

1. VNio eſt plurium beneficiorum, ſeu Eccleſiarum à legitimo ſuperiori facta annexio. Dicitur beneficiorum, ſeu Eccleſiarum, vt nomine Eccleſiarum comprehendantur Epiſcopatus; nomine autem beneficiorum quæcumque alia beneficia maiora, vel minora, regularia vel ſæcularia & Dignitates. Hæc autem vnio quandoque eſt perpetua, quandoque autem temporalis. Perpetua eſt, quando exprimitur, vt perpetuò duret; vel quando dicitur, ad perpetuam rei memoriam, vel ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, *cap. ſi gratioſè, de reſcript. in 6.* vel ſi concedatur contemplatione Eccleſiæ, *cap. 1 Ne ſede vacante,* & quando eſt perpetua, ſolet in ea dici, *in perpetuum vnimus.* Temporalis autem eſt, quando conceditur ad tempus, vt ad vitam eius, in cuius fauorem fit, & tunc dicitur fauore perſonæ fieri, morteque eius expirat. Ita Rebuffus *in prax. beneficiorum, tit. de vnion. benefic. num. 1. & ſequent.* Rebuffus.

2. Vnio beneficiorum tripliciter fieri poteſt. *Primò* modo vt ex duobus beneficijs vnum fiat: aut ſi ex duabus Parochijs fiat vnica. *Secundò,* vt Eccleſia vna alteri ſubijciatur, & tunc vnita erit acceſſoria, frueturque priuilegijs principalis cui vnitur, *cap. Recolentes, in fin. de ſtatu Monachor. Tertio* modo fit vnio duarum Eccleſiarum, vtraque manente Epiſcopatu, vel Parochiali, vt prius erat, & tunc vtraque Eccleſia erit principalis, frueturque quælibet ſuis priuilegijs, & habebit ſua ſtatuta, idque operabitur vnio, vt idem ſit Epiſcopus, aut Parochus vtriuſque.

3. Epiſcopus ſtando in iure communi antiquo, poteſt vnire beneficia & Eccleſias ſuæ Diœceſis. Ex *cap. Sicut vnire, de exceſſ. Prælat.* Quod non tantùm eſt verum, ſi velit vnire Eccleſiam ſæcularem ſæculari; ſed etiam poteſt vnire Religioni alicui Eccleſiam, ſeu beneficium ſuæ Diœceſis. Ex *Clementin. 2. de rebus Eccleſ. non alienand.* & ex *cap. Conſtitutionibus, de donat.* vbi expreſsè deciditur, Eccleſias, ſeu beneficia nondum vacantia poſſe donari ab Epiſcopo Eccleſijs, aut religioſis locis, quamuis antequam vacent, non poſſint dari priuatis perſonis. Quod quidem verum habet, quamuis Monaſterium illud exemptum ſit, vel collatio illius beneficij ob Epiſcopi negligentiam deuoluta eſſet ad Papam, quòd alio iure deuoluatur, alio autem vniatur. Deuolutio enim concernit titulum impeditque ne illud Epiſcopus in titulum dare valeat; vnio autem reſpicit proprietatatem. Ita Azorius *p. 2. lib. 6. cap. 28. quæſt. 15.* Nota tamen ſi beneficia illa eſſent exempta à iuriſdictione Epiſcopi, tunc nequiret Epiſcopus ea vnire, vtpote quæ ſuæ diſpoſitioni ſubiecta non ſunt: & ideò tunc vnio pertinebit ad Pontificem, vt ait Rebuffus *ſupra, num.* 22. Deinde, ſi vnio ſit temporalis, eſt interdicta Epiſcopo, quia vniones ad vitam beneficiarij ſunt odioſæ, tanquam introductæ contra formam iuris communis, aut ſaltem præter illam. Per vnionem enim temporalem fit, vt duo beneficia concedantur vni, abſitque ille ab altera Eccleſia toto tempore vitæ. Præterea, quia per talem vnionem non Eccleſijs, ſed perſonis prouidetur. Ita Dominicus *conſil. 38.* Azorius *cit. quæſt. 17.* Azorius. Dominicus. Azorius.

4. Generalis Vicarius Epiſcopi non poteſt beneficia vnire, niſi ſpecialiter ſibi ab Epiſcopo committatur: quia nec beneficia conferre valet, quod minus eſt. Imò ſi Vicario illi data eſſet poteſtas conferendi beneficia cum generali clauſula, adhuc non poſſet vnire, quia clauſula generalis ſecuta poſt ſpecialia in mandato expreſſa, includit conſimilia, non autem maiora. At vnire beneficia eſt quid maius, quàm conferre, cùm illud nequeat Epiſcopus abſque Capituli conſenſu; at hoc regulariter poteſt ipſe ſolus. Ita Rebuffus *in praxi benefic. tit. de forma vicariatus, num. 102.* contra Azorium *p. 2. lib. 6. cap. 28. quæſt. 10.* Rebuffus. Azorius.

5. Capitulum ſede vacante poteſt vnire ea beneficia, quæ poteſt Epiſcopus, dummodo per eam vnionem iuriſdictionem Epiſcopali nihil detrahatur: quia ea, quæ ſunt iuriſdictionis in Capitulum tranſeunt, *cap. vnic de maiorit & obedient. in 6.* Hæc autem vnio eſt iuriſdictionis. Si dicas Capitulum non habere poteſtatem conferendi beneficia; ergo nec vniendi, cùm duo beneficia connectere nequeat, niſi vnum conferens ei Eccleſiæ cui connectit. Reſpondeo non bene id ſequi, quia beneficium nondum vacans conferri nequit, cùm tamen valeat vniri *Clement. 2. de rebus Eccleſ. non alienand.* Tum quia non idem iuris de conferendo, quod de coniungendo; quia conferre eſt voluntatis & libertatis: at vnire eſt neceſſitatis, cùm vnio fieri non debeat, niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem aut vtilitatem. Ita docent Rebuffus *tit. de vnionibus benefic num. 36.* Azorius *cit. c. 29. quæſt. 9.* Imola *Clement. 1. num. 31. de ſtatu Monachor.* & alij. Rebuffus. Azorius. Imola.

6. Archiepiſcopus nequit vnire beneficia in Diœceſi ſuffraganeorum: quia non habet iuriſdictionem aliquam in Diœceſi ſuffraganeorum, præter eam, quæ in aliquibus caſibus in iure expreſſa eſt, inter quos hic non numeratur Rebuff. *cit. n. 29. & 30.* & conſtat ex *cap. Sicut vnire, in fine, de exceſſ. Prælator.* Controuerſia tamen eſt inter Doctores, an Legatus à latere poſſit vnire beneficia Prouinciæ ſuæ legationis? Quidam negant, ex *cap. fin. de confirmat. vtili.* vbi non approbatur vnio facta per Legatum de latere: tum quia legatus hic nequit iuri Epiſcoporum derogare, at hæc vnio fieri nequit abſque prædicta derogatione; aufertur enim Epiſcopo in perpetuum ius illius beneficij conferendi. Nihilominus dicendum eſt poſſe, abſque præiudicio tamen Epiſcopi: quia poteſt in ſua Prouincia quidquid Epiſcopi in ſuis Diœceſibus: cùm ergo poſſit Epiſcopus vnire, poterit & Legatus à latere. At Legatus qui non eſt à latere, nequit vnire, & in hoc eſt vera præcedens opinio; quia nequit conferre beneficia *cap. 1. de offic. legati, in 6.* At per vnionem magis præiudicatur Epiſcopo, quàm per vnicam collationem. Ita docent Rebuffus *cit. tit. de vnionib. à nu. 24.* Azorius *cit. cap. 28. q. 8.* & alij penes ipſos. Rebuffus. Azorius.

7. Abbates & Prælati Epiſcopo inferiores nequeunt huiuſmodi vnionem facere, niſi hoc ex priuilegio, vel conſuetudine præſcripta, aut præſcriptione immemorabili, vel quadragenaria cum titulo illis competat. Ratio eſt, quia facultas vniendi, ſicut etiam conferendi beneficia, eſt iuriſdictionis, non autem Ordinis: at Prælati Epiſcopo inferiores poſſunt præſcribere ea, quæ ſunt iuriſdictionis Epiſcopalis, *cap. Auditis, de præſcriptionibus.* Ergo poſſunt præſcribere facultatem vniendi beneficia, Eccleſiarum ſibi ſubiectarum. Ita habetur *in cap ſicut vnire, de exceſſ. Prælat.* & *Clement. 1. §. Ad hæc, de ſtat. Monachor.* Rebuffus *in praxi benefic. tit de vnion. benefic. num. 32 & 33.* Azorius *part. 2. lib 6. cap. 28. quæſt. 11.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 19. num. 160.* Hoc autem intelligi debet de Abbatibus non habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem, ſeu quaſi: quia Abbates, qui Epiſcopali iuriſ- Rebuffus. Azorius. Sanchez.

dictione potiuntur, bene possunt Ecclesias, ac beneficia necnon etiam Monasteria sibi subiecta ex iusta causa vnire: nam vbi Ecclesiæ sunt Abbatibus pleno iure subiectæ, Abbates dicuntur ibi habere iurisdictionem quasi Episcopalem, textus *in cap. Quoniam, de priuileg. & in cap. vnic. de Capell. Monach. in 6.* Rodriguez *tomo 3. qq. reg quæst. vlt. artic. 1.*

Rodrig.

8. Ad hanc vnionem per Episcopos & alios Prælatos dictos faciendam, requiritur causa iusta, quæ in hac parte est necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ, vt expressè habetur *cap. Exposuisti, de prebendis, & cap. 1. de rebus Eccles. non alienand. in 6.* Necessitas est quando præbenda, cui vnio facienda est, caret sufficientibus reditibus ad alendum ministrum Ita docent Doctores probantque ex *cap. Exposuisti*, ibi: *De reditibus prebendarum suarum nequeunt sustentari*, & Tridentino *sess 21 cap. 1. de reform.* ibi: *propter eorum paupertatem.* Similis erit causa iusta vniendi loco religioso, quòd ille indigens sit reditibus ad ministrorum sustentationem. Si Ecclesia sit destructa ab hostibus, vel desolata, vel propter populi decrementum. Item, quando Ecclesiæ sunt vicinæ, & restant pauci de populo, alijs mortuis. Vtilitas autem est, quando propter fructuum tenuitatem non inueniuntur Clerici idonei ad deseruiendum. Insuper est causa iusta, vt diuinus cultus augeatur. Hinc in huiusmodi vnione facienda, exigitur causæ cognitio: & sic Ordinarius vnionem faciens, debet prius inquirere & cognoscere de causa vnionis, argum. text, *Clement. final. de rebus Eccles. non alienand.* Et si Papa illam facit, exigitur, vt etiam de causa inquiratur in partibus: alias vnio reuocabitur, vt disponitur *in reg. Cancell. 21.* iussu Pauli V. & docent Rebuffus *in prax. benefic. tit. de vnion. benefic. numero 43. & 44.* & alij.

Conc. Trid.

Rebuffus. †

9. Forma & solemnitates requisitæ in Ecclesiarum & beneficiorum vnione, sunt; *Primò*, vt citentur illi omnes quorum interest in vnione facienda, vt probatur ex *Clement. 1. §. ad hæc, de statu Monachor. Secundo*, vt accedat consensus Capituli Ecclesiæ Cathedralis, si vnio per Episcopum facienda sit, vt deciditur *Clement. 1. de rebus Eccles. non alienand.* Et si Abbas beneficia, Ecclesias, vel Abbatias regulares vnire velit, requiritur assensus Conuentus, quamuis non requiratur tractatus, ex *cap. Pastoralis, de donat.* Qui consensus potest etiam post vnionem interuenire, vt docet Rebuffus *in praxi, super regul. Cancell. de vnion. gloss. 2. num. 20.* Si autem fiat vnio à Legato de latere, ex Pontificia commissione, in qua consensus Capituli mentio non fiat, non exigetur is consensus; quia tunc non vnit vt ordinarius, sed vt Pontificis delegatus. Quare sicut Pontifex potest absque Capituli consensu vnire, ita & ipse Legatus. Si autem id faciat ex potestate sua ordinaria, indiget consensu Capituli; quia tunc non amplius potest in hac vnione facienda, quàm Episcopus. Denique quando Ecclesia est iuris patronatus, exigitur consensus patroni, vt Episcopus eam vnire possit: quippe præiudicium fit iuri præsentandi competenti patrono per vnionem illam: & ideò vt illa rata sit, exigitur patronum consentire, vt constat ex *cap. Suggestum, de iure patronatus.* Vnio enim de beneficijs iurispatronatus facta absque patronorum consensu non valet, ex dispositione Concilij Tridentini *sess. 24. c. 15. de reformat.* Vidè de his Couarruuiam *in quæst. practic. cap. 36. num. 11.* Flaminium *de resignat. beneficior. lib. 2. q. 4. num. 11.* Rebuffum *in prax. benefic. regula 21. Cancellar. de vnionibus, Gloss. 11. num. 6.*

Rebuffus.

Conc. Trid.

Couar.

Flamin.

Rebuffus.

10. Quando Ecclesia aliqua annectitur Abbatiæ, sortitur naturam, iura, & priuilegia ipsius Abbatiæ: quia vnitum assumit naturam consuetudinis, & priuilegia principalis, cui est annexum, & amittit propriam prærogatiuam, ita vt si Ecclesia exempta esset incorporata Ecclesiæ non exemptæ, amitteret exemptionem, & è contra, Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 34. num. 148.* Azorius *part. 2. lib. 6. cap. 28. q. 20.* Notandum tamen est, non posse magis dignum minùs digno vniri, sed è conuerso *cap. Exposuisti, de prebend. cap. Super, eodem tit. in 6.* Si tamen talis vnio fieret auctoritate Sedis Apostolicæ, valeret, per *c. 1. de prebend. in 6.* Rebuffus *dict. tit. de vnion. num. 17.*

Lessius.

Azorius.

Rebuffus.

11. In triplici casu defectu solemnitatum petitarum vnio est ipso iure irrita. Primus est, quando non citantur ij, quorum interest. Secundus est, quando non præmissa causæ cognitione vnio fit. Tertius, cùm non exprimitur verus valor beneficij vniendi, & eius cui vnio fit, vt expressè habetur *in reg. 21. Cancell. de vnionibus*; & tradit ibi Rebuffus *à Glossa 5. vsque ad 9.*

Reg. Canc.

Rebuffus.

Dubium autem est, an si in cæteris seruetur debita forma, sit vnio irrita, eo quòd ex falsa causa sit impetrata? Affirmant quidam, cùm per errorem & deceptionem concessa sit, & deficiat manifestè concedentis voluntas & intentio. Sed verius est non esse ipso iure irritam, sed irritandam ope exceptionis. Quia cùm vnio concedatur ex causa necessaria, magis concernit iustitiam, quàm gratiam: rescripta autem iustitiæ valida sunt etiam per subreptionem obtenta, donec ope exceptionis elidantur, id est, donec aduersarius contra quem impetrata sunt, excipiat, allegans ea esse subreptitia. Et sic fertur variis vicibus decisum esse in Rota. Ita Rebuffus *in praxi benefic. regul. Cancellar. 21. Glossa 5. & 9.* Azorius *part. 2 lib. 6. cap. 28. quæst. 14.* Hoc autem intelligendum est de vnionibus factis per inferiores Pontifice: nam facta à Pontifice ex falsa causa allegata est ipso iure irrita: quia in rescriptis Pontificijs intelligitur semper clausula, si preces veritate nitantur, *cap. 2. de rescriptis.* Et in hoc casu est vera sententia contraria allegata.

Rebuffus.

Azorius.

12. Circa vniones beneficiorum Concilium Tridentinum multa decreuit, & in aliquibus antiquiora iura correxit. Decreta noua videri possunt apud Sanchez *lib. 7. moral. cap. 29. num. 178.* quæ hic breuitatis causâ omittimus; præcipua autem decreta sunt, *sess. 7. cap. 6. de reformat.* ibi: *Vniones perpetuæ, &c.* Eadem sess. 7. cap. 7. de reformat. ibi: *Beneficia Ecclesiastica, &c.* & sess. 14. cap. 7. de reform. ibi: *Beneficia vnius Diœcesis, &c.* Et sess. 21. cap. 5. de reform. ibi: *Possint Episcopi, &c.* Et sess. 24 cap. 13. de reform. ibi: *Ecclesiæ Parochiales, &c.* Et eadem sess. 24. cap. 15. de reform. ibi: *In Ecclesijs Cathedralibus, &c.*

Conc. Trid.

Sanchez.

Ex quibus deducitur quòd hodie attento decreto Trident. *sess. 7. cap. 6. de reformat.* possessor beneficij vniti non potest se tueri præscriptione illa quadragenaria, quò minùs liceat Episcopo vnionem perpetuam à quadraginta annis citra factam examinare, imò & impedire, si nondum integrum effectum sortita sit, nisi constet ex legitimis causis factam esse: quo casu possessor ad solum Pontificem appellare poterit; quia in eo decreto conceditur Episcopo, vt tanquam delegatus à Sede Apostolica procedat in ea causa. Et à delegato ad solum delegantem est appellandum, *cap. Super quæstionem, §. porrò, de officio delegati.* Hinc in omnibus casibus, in quibus Tridentinum concedit Episcopis, vt tanquam delegati Sedis Apostolicæ procedant, ad solum Pontificem appellari posse, docet

Conc. Trid.

Henriq. Rodriguez. docet Henriquez *lib.10. de Sacrament. Ordinis c.28. in fine*, & Rodriguez *tom. 3. addit. ſumma cap.31. num.20.*

Conc. Trid. 13. Per Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 9. de reform.* prohibetur beneficia vnius Diœceſis quacumque de cauſâ alterius Diœceſis beneficio, aut Monaſterio, aut Collegio, ſeu loco pio perpetuò vniri, quo correctum eſt ius antiquum id permittens.

Conc. Trid. 14. Statuitur item in eodem Concilio ſeſſ. 25. cap. 1 de reformat. *Vt poſſint Epiſcopi, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati iuxta formam iuris, ſine tamen præiudicio obtinentium, facere vniones perpetuas quorumcumque beneficiorum, etiamſi illa reſeruata ſint.*

Per quod confirmatur, ac etiam augetur poteſtas ordinaria Epiſcoporum, poſſunt enim non ſolùm auctoritate ordinaria, ſed etiam delegata, attento dicto Trident. Concil. decreto id exequi: ac ideò licebit ipſis Epiſcopis vtraque poteſtate, vel etiam alterutra, quam elegerint, procedere, vt conſtat ex *cap. niſi, de prabend.* aut etiam partim poteſtate delegata vti. Quod ſi ſemel elegerint vna via procedere, non poſſunt eligere alteram. Si verò non conſtet, quâ poteſtate procedant, delegatâ vti præſumitur, iuxta veriorem ſententiam, quia in dubio præſumitur actus fieri iuxta facultatem, quæ maiorem firmitatem præbet actui: ex qua doctrina colligitur cenſeri actum factum ordinaria poteſtate, quando hoc eſſet vtilius & firmius valori actus, vt docet Molina *tom. 3. de inſt. diſp. 582. nu. 1.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 29. num. 181.*

Molina. Sanchez. Conc. Trid. 15. Correctum eſt ius commune per Trident. *ſeſſ. 24. cap. 13. de reform.* nam attento iure communi non erat reſtricta facultas Epiſcopi ad vnienda beneficia curata Monaſterijs, aut alijs beneficijs. At Tridentinum eo loco interdicit vnionem cuiuſcumque beneficij curati Monaſterio, aut cuicumque operi pio, aut beneficiis ſimplicibus.

16. Tandem eadem *ſeſſ. 24. cap. 15. de reformat.* conceditur ſupprimi aliquas præbendas Eccleſiæ Cathedralis, ipſiſque aliqua beneficia vniri per Epiſcopum cum patronorum conſenſu, ſi de iure patronatus laicorum ſint. Quare à contrario ſenſu videtur concedere, vt poſſit id efficere abſque patroni Eccleſiaſtici conſenſu: nam attento iure communi, in vnione facienda per Epiſcopum Eccleſiæ iuris patronatus, exigebatur conſenſus patroni, ſiue ſæcularis, ſiue Eccleſiaſtici, vt dictum eſt *ſupra num. 9.* Ex *cap. Suggeſtum, de iure patronatus.*

Conc. Trid. 17. Stantibus præfatis decretis Tridentini, integrum eſt Epiſcopo vnire Monaſterio, aut Religioni beneficium aliquod, ſicut iure communi id licebat, per *cap. 2. de reb. Eccleſ. non alienand.* cum duplici tamen limitatione. Prior eſt, vt beneficium non ſit extra Diœceſim in qua eſt Monaſterium, quia, vt diximus *num. 13.* interdicit Tridentinum vnire beneficia alterius Diœceſis. Poſterior eſt, ne beneficium vniendum ſit curatum, quia vt diximus *num. 15.* interdicit Tridentinum vnire beneficia curata loco religioſo. Cùm ergo excipiat hos duos caſus tantùm, & exceptio firmet regulam in contrarium, *l. neque liquidò, §. final. ff. de pœna legat.* manebit vtique quoad reliqua ſalua Epiſcoporum poteſtas in hac facienda vnione. Ita Sanchez *lib. 7. moral. cap. 29. num. 187.*

Sanchez. Ex quo ſequitur id beneficium ſæculare ab Epiſcopo Religioni vnitum poſſe regi per religioſos, ipſo Epiſcopo ſic ſtatuente, idque ſtatutum operari diſpenſatiuè cum Monacho præficiendo illi beneficio, quamuis aliter Epiſcopus ſuper hanc tranſlationem diſpenſare nequeat. Sic Selua *de benef. 3. part. queſt. 11. num. 126.* referens ad id quandam Rotæ deciſionem. Poteſt item Epiſcopus ex ijs beneficijs & capellanijs vnitis reddere aliquod manuale, & ad nutum amouibile quod erat perpetuum de conſenſu patroni, ſi iuris patronatus ſit, ex iuſta cauſa: quia poteſt vnire & diuidere, & de nouo creare & extinguere beneficia inferiora ſui Epiſcopatus, vt conſtat ex *cap ſicut vnire, de exceſſib. Prælat. cap. 1. de reb. Eccleſ. non alienand. in 6.* quo caſu patrono libertas erit præſentandi Capellanum, & amouendi quoties voluerit, quia iam non erit beneficium, ac per conſequens ceſſabit in Epiſcopo ius inſtituendi in ea Capellania. Ita Nauarrus *lib. 1. conſil. 6. à num. 1. vſque ad 3. de offic. Ordin. in 1. edit. & poſterior. conſil. 9.*

Selua. Nauarrus.

18. Beneficium curatum poteſt vniri in temporalibus & ſpiritualibus per Pontificem Monaſterio Monialium, ita vt Abbatiſſa exerceat curam animarum per Vicarium. Ratio eſt, quia etſi fœmina ſit incapax iuriſdictionis ſpiritualis quoad actum illam exercendi per ſeipſam; quoad habitum tamen & poteſtatem nominandi Vicarios, per quos exerceatur, capax eſt, vt latè probat Flores de Mena *in ſuis variis quæſtionibus queſt. 10 à num. 4. vſque ad 7.*

Flores de Mena.

19. Summus Pontifex, Legatus à latere, & Epiſcopi, ſicut iure ſuo poſſunt Eccleſias vnire: ſic etiam eodem iure poſſunt eas diſvnire. Cæteri verò Prælati Epiſcopo inferiores, etſi conſuetudine, priuilegio, aut præſcriptione Eccleſias & beneficia vnire poſſint; nequeunt tamen coniunctas diſiungere, niſi etiam hanc facultatem præſcripſerint: vel niſi habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Probatur, quia vnionem diſſoluere, & vnionem facere ſpectat ad poteſtatem iuriſdictionis, non autem Ordinis. Igitur, ſicut Prælati habentes Eccleſias ſibi pleno iure ſubiectas, in quibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercent, habent poteſtatem vniendi, ſic etiam diſiungendi. Ita Rebuffus *in praxi, tit. de vnion. reuocand. numero 20. & 15.*

Rebuffus.

Cauſæ, propter quas iſta diſiunctio fieri poteſt, ſunt plures: puta, ſi eſſent vnitæ Eccleſiæ vel beneficia propter fructuum tenuitatem, cùm venerint ad augmentum, poterunt diſiungi. *Clement. ne in agro. §. ad hæc, de ſtat. Monachor.* Si vnio facta fuerit ob populi deficientiam, propter peſtem, bellum, vel aëris intemperiem, aut terræ ſterilitatem; ſi denique populus reuerteretur, poterit vnio diſſolui, *cap. Quia, de Relig. Domibus, cap. vltim. de Paroch.* Si propter vnionem cœperit Eccleſia detrimentum percipere, vt ſi tollatur hoſpitalitas, aut ſi relaxetur religio; poterit iure ipſa vnio reuocari, *cap. 1. Ne ſede vacante, cap. de Monach. de prabend.* Denique, cùm in vnione reuocanda requiratur cauſæ cognitio, ſicut in facienda, *cap. 1. in fin. Ne ſede vacante.* Hinc ſunt vocandi, quorum intereſſe poteſt talem coniunctionem non diſſolui. Quòd ſi beneficium ad duas Diœceſes ſpectet, vtriuſque Epiſcopos vocare neceſſe erit, *cap. Sicut vnire, de exceſſ. Prælator.* Item vocandus erit patronus, ad quem intereſt, vt iuſpatronatus redeat, *cap. Piæ mentis, & cap. Filij 16. queſt. 1.* Similiter is, qui Eccleſiam coniunctam poſſidet, ac eius Vicarius qui in ea moratur; vtriuſque enim intereſt. Ita Rebuffus *tit. de vnion. reuocand. num. 15.* Azorius *p. 2. lib. 6. cap. 29. in fine.*

Rebuffus. Azorius.

BENE-

BENEFICIVM IV.

De Beneficiorum reſeruationibus ac Deuolutionibus.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium quando reſeruari dicatur.*
In prima regula Cancellariæ reſeruantur Papæ omnia beneficia Curialia.
2 *In ſecunda regula fit reſeruatio Cathedralium Eccleſiarum & Monaſteriorum, ac tempore vacation. Epiſcopatuum, vacaturorum beneficiorum.*
3 *In tertia fit reſeruatio Dignitatum & beneficiorum familiarium Papæ & S. R. E. Cardinalium.*
4 *In quarta fit reſeruatio beneficiorum Collectorum & Subcollectorum.*
5 *In quinta reſeruantur beneficia Curialium, dum curia tranſfertur.*
6 *In ſexta fit reſeruatio beneficiorum Cubicullariorum & Curſorum Papæ.*
7 *In ſeptima reſeruauit Papa Beneficia Eccleſiarum S. Ioannis Lateranenſ. & S. Petri, ac B. Mariæ Maioris de vrbe & Beneficia titularium Cardin. à Curia abſentium.*
8 *In Octaua fit reſeruatio Menſium Apoſtolicorum & de alternatiua pro Epiſcopis reſidentibus.*
De concordatis cum Germanis & Gallis inter Sedem Apoſtolicam pro beneficijs conferendis.
9 *Hæ reſeruationes Papales reſtringi debent in aliquibus caſibus.*
10 *Deuolutio Beneficij quid ſit? & quando fieri poſſit? & ad quem.*
11 *Quando Prælatus eſt immediatè ſubiectus Papæ, beneficiorum collatio, quæ ad ipſum pertinebat, in caſu negligentiæ deuoluitur ad Papam vel ad eius Legatum de latere. Aliàs quando patronus eſt negligens, deuoluitur beneficij collatio ad inſtituentem.*
12 *Si Epiſcopus negligentiam committat in conferendis beneficijs, quæ ad ipſum ſpectant iure proprio, tunc ius collationis ad Capitulum deuoluitur.*

1. BEneficium reſeruatum eſſe dicitur, cuius collationem Superior, videlicet Papa, ſibi propriam vendicat, vt ab alijs Ordinarijs conferri non poſſit.

Reg. Canc. Bened. XII. Ex regula 1. Cancellariæ Apoſtolicæ & *Extrauag. Ad regimen, de prabend.* Benedicti XII. reſeruat Summus Pontifex ſibi omnia beneficia eorum, qui vel per mortem, vel quacumque alia ratione ea amittunt in Curia: hoc eſt, reſeruantur beneficia curialia, & aliorum ad curiam accedentium, vel inde recedentium ſi moriantur in locis non diſtantibus à Curia vltra duas dietas legales, id eſt, 40. milliaria; vel ratione delicti: vt illa quæ vacare contigerit, per Extrauag. Ioannis XXII. *Execrabilis*, & ſunt ob delictum retinendi plura duobus, vno cum cura, & alio ſine cura: vel plura iniuſtè, & ſine diſpenſatione: item illa, de quibus ordinaria diſpoſitio erit contra Tridentini decreta.

Ioan. XXII.

Circa hanc regulam eſt notandum *Primò*, non comprehendi hac reſeruatione beneficia iuris patronatus laicorum, ſed bene iuris patronatus Eccleſiaſticorum: quia ijs Papa non ſolet derogare, ne retrahantur à fundationibus illorum, at alijs Eccleſiaſticorum ſolet. *Secundò*, ad effectum huius reſeruationis in beneficijs, quæ officiales obtinebant, ſufficere ius in re, etiamſi alter de facto poſſideat; vnde ſi per mortem eius, qui habet ius in re, vacarent, etiamſi ſuperſtes eſſet qui de facto poſſidet, ſpectarent ad collationem Papæ, & quiſquis poſſet ea adipiſci. Vide Mendoſam *in prim. reg. Cancellar. quæſt.* 8. Garziam *de benef. part. 5. cap. 1. §. 3. num.* 198. Mendoſa. Garzias.

Tertiò. Circa reſeruationem de beneficiis, de quibus Ordinarii contra Concilij Tridentini decreta diſpoſuerunt & diſponent in futurum, poſſe exemplum afferri in beneficiis collatis iis, qui non habebant ætatem requiſitam, ex *ſeſſ. 23. cap. 6.* & *ſeſſ. 24. cap. 12.* aut qualitates requiſitas, ex *ſeſſ. 14. cap. 10.* & *ſeſſ. 22. cap 4.* & *ſeſſ. 23. cap. 18.* aut non ſeruata forma à Concilio præſcripta, ex *ſeſſ 7. c. 18.* & *ſeſſ. 24. cap. 18.* aut contra diſpoſitionem *ſeſſ. 25. cap. 15. de reformat.* eademque ratione, cùm loquatur regula de beneficus, de quibus Ordinarij diſponunt; non videtur locum habere in beneficiis, de quibus patroni diſponunt contra Tridentinum, etiamſi per ordinarium ſit ſecuta inſtitutio; regula enim eſt inducta in odium Ordinariorum, non patronorum. Ita Garzias *ſupra*, *num.* 210. Conc. Trid. Garzias.

2. Per ſecundam regulam Cancellariæ reſeruauit Papa generaliter omnes Eccleſias Patriarchales, Primatiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, nec non omnia Monaſteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æſtimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, & in poſterum vacatura. Et voluit quòd exceſſus huiuſmodi in litteris exprimatur: ac etiam reſeruauit dignitates & beneficia omnia, ad collationem, præſentationem, electionem, & quamcumque aliam diſpoſitionem Patriarcharum, Primatuum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, nec non Abbatum & aliorum quorumcumque Collatorum, & Collatricum ſæcularium & regularium, quomodolibet, non tamen ad collationem cum alio, vel alijs, aut etiam ad alterius præſentationem, vel electionem pertinentia, quæ poſt illorum obitum, aut Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum, vel aliarum dignitatum ſuarum dimiſſionem, ſeu amiſſionem vel priuationem, vſque ad promotionem ſucceſſorum, ad eaſdem Eccleſias, aut Monaſteria, vel dignitates, Apoſtolica auctoritate faciendam, & adeptam ab eiſdem ſucceſſoribus pacificam illorum poſſeſſionem, quomodocumque vacent & vacabunt in futurum.

Circa hanc ſecundam regulam notandum *Primò*, olim prouiſionem Epiſcopatuum ſpectaſſe ad Capitula, vt nunc etiam in Germania, licet confirmatio fiat à Papa, iam verò electio etiam ad Papam pertinet, exceptis Eccleſijs Hiſpaniæ, quarum præſentatio ad Regem pertinet ex priuilegio Apoſtolico, cui non cenſetur derogari per hanc reſeruationem; exceptis item Eccleſijs Galliæ quarum præſentatio ad Regem ſpectat etiam ex priuilegio; prouiſio tamen facienda eſt à Papa, Garzias *cit. cap. 1. §. 4. num.* 219. Reg. Canc. Garzias.

Secundò, Monaſteria virorum, quæ reſeruantur, eſſe illa, quæ ſunt deſtituta Monachis, vel ſunt ſolita commendari, & hæc dicuntur Monaſteria conſiſtorialia, quia de eis conſiſtorialiter prouideri ſolet per viam ſchedulæ. Ita Azorius *2. p. lib. 6. quæſt. 10. in reg. 2.* ex Mendoſa *in reg. 2. quæſt. 1. & 3.* Azorius. Mendoſa.

Tertiò, non comprehendi beneficia ſpectantia ad

ad collationem Episcopi, & Capituli simul, vt patet ex ijs verbis, *non tamen ad collationem cum alio, vel alijs*, Garzias *cit. num.* 113. Idem dicendum in beneficijs, quæ cùm pertinerent ad collationem Episcopi & Capituli simul, postea ex concordia vna vice pertinent ad Episcopum, altera ad Capitulum: retinent enim semper pristinam rationem & naturam, à qua habent, vt ad vtriusque simul collationem spectent, & ita practicari in nonnullis Ecclesijs Hispaniæ, testatur Garzias *à num.* 140. Garzias. Garzias.

Reg. Canc. 3. In tertia regula reseruauit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates maiores, post Pontificales in Cathedralibus, etiam Metropolitanis & Patriarchalibus, nec non valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes principales in Collegiatis Ecclesijs. Reseruauit etiam Prioratus, Præposituras, Præpositatus, ac alias dignitates Conuentuales, & Præceptorias generales Ordinum quorumcumque, sed non militarium, ac quæcumque beneficia quæ sui, etiam, dum Cardinalatus fungebantur honore, existentes, ac S.R.Ec. viuentium nunc, & qui erunt suo tempore Cardinalium familiares, continui commensales obtinent, & in posterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ, ius eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem, vel aliàs recesserint. Declarans dignitates, quæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificales non maiores existunt, & quæ ex Apostolicæ Sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel alias quouis modo in Collegiatis Ecclesijs principalem præeminentiam habere noscuntur, sub reseruatione prædicta comprehendi debere.

Circa hanc regulam est notandum *Primò*, per Dignitates maiores in Cathedralibus, vel principales in Collegiatis, intelligi eas, quæ consuetudine Prouinciarum semper tales habentur, siue iure communi non essent, siue essent. *Secundò*, clausulam illam, *valorem decem florenorum auri excedentes, &c.* posse referri ad præcedentia & ad subsequentia, ita vt sensus sit, reseruari maiores in Cathedralibus & principales in Collegijs, dummodo valorem decem florenorum auri excedant. *Tertiò*, non intelligi reseruari Prioratus, &c. & alias dignitates temporales, vt Ordinum mendicantium: quia hæ non sunt perpetuæ, sed ad nutum Superiorum. *Quærò*, vt familiaris & continuus commensalis Papæ dicatur, licet requiratur, vt per quatuor menses ad minimum fuerit familiaris constitutus, tamen ad effectum reseruationis sufficit, quòd durante familiaritate beneficia obtinuerit, seu in illis vel ad illa ius ei competierit. Ex Garzia *cit. num.* 168. 272. & 276. Garzias.

Reg. Canc. 4. Item reseruauit generaliter omnia beneficia Ecclesiastica quorumcumque Collectorum & vnicorum in quacumque ciuitate, vel Diœcesi, qui suo tempore officia exercuerint, Sub collectorum fructuum & prouentuum Cameræ Apostolicæ debitorum, illa videlicet beneficia dumtaxat, quæ durante officio locum obtinebant, & in quibus, seu ad quæ ius tunc eis competebat.

Circa hanc quartam regulam notandum est *Primò* debere esse vnicos subcollectores, vt patet ex verbis regulæ: stante tamen subcollectore generali in Prouincia, beneficia subcollectoris particularis in vna ciuitate sunt reseruata, quia est vnicus, non obstante generali subcollectore in Prouincia; & à fortiori beneficia subcollectoris vnici in vna ciuitate vel Diœcesi erunt reseruata, licet ibi sit Collector generalis. *Secundò*, si Collector successiuè plures subcollectores deputauerit in vna ciuitate vel Diœcesi, eorum omnium beneficia sunt reseruata; satis enim est, quòd eodem tempore vnus tantùm fuerit subcollector: si autem fuerint plures eodem tempore, neutrius beneficia erunt reseruata: quia non est maior ratio de vno, quàm de altero, Garzias §. 6. *num.* 357. & 367. apud quem plura. Garzias.

Reg. Canc. 5. In quinta regula reseruauit omnia & singula beneficia Ecclesiastica quorumcumque Curialium, quos dum curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo, decedere contigerit in quouis loco, quantumcumque etiam à dicta Curia remoto.

Circa hanc regulam nota *Primò*, Curialem dici eum, qui est de curia. Curia autem dicitur, vbi est Audientia Rotæ cameræ, contradictarum & cancellaria, quæ ibi consistere solet, vbi Papa moratur ordinariè; quamuis possit aliquando Papa abesse à curia: vt cum Clemens VIII. adiuit Ferrariam, relicta curia Romæ. *Secundò*, ad effectum reseruationis in hac regula, beneficia eorum, qui Papam sequentes vltra duas diætas decederent, non tamen translata curia, non esse reseruata: curia autem translatâ si eam sequerentur, beneficia illorum, vbicumque decedere contingeret, esse reseruata, Garzias §. 2. *num.* 387. & 394. Clem. VIII. Garzias.

Reg. Canc. 6. Item reseruauit generaliter idem S. D. N. Papa dispositioni suæ omnia beneficia Cubiculariorum, Cursorum suorum.

Nota *Primò*, per Cubicularios in hac regula intelligi tantùm Cubicularios officiales, quorum Collegium erectum est per Leonem X. Alij præter illos non dicuntur Cubicularij, nec etiam Camerarij secreti. Nota *Secundò*, per Cursores intelligi officiales quosdam Papæ, qui habent locum instar Tribunalis, & ferè omnes sunt Clerici, & in Clericali habitu incedunt; habent suam mansionem in Palatio, & alternatis vicibus comedunt in Tinello, affigunt Bullas Pontificum in locis consuetis valuarum Apostolicarum, & in acie campi floræ.

Reg. Canc. 7. Item reseruauit dispositioni suæ generaliter quoscumque Canonicatus & Præbendas, ac dignitates, personatus & officia, in S. Ioannis Lateranens. & Principis Apostolorum, ac Beatæ Mariæ Maioris de Vrbe Ecclesijs; necnon ad collationem, prouisionem, & præsentationem, seu quamuis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium à Rom. Cur. absentium, ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titulorum & Diaconiarum spectantia, quamdiu absentia sua duraverit, Canonicatus & præbendas, dignitates, personatus, administrationes & officia, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura vacantia, & in antea vacatura, tam in eadem vrbe, quàm in Ecclesijs, Ciuitatibus & Diœcesibus dictorum Episcopatuum contistentia, ac decreuit irritum, &c.

Circa hanc septimam regulam notandum *Primò*, etiamsi Papa sit Episcopus Romæ, & consequenter iure ordinario competere illi videatur potestas conferendi beneficia vrbis, præsertim Patriarchalium, attamen expressa fuerunt beneficia harum trium, tum quia fortè olim Archipresbyteri harum Ecclesiarum, quia sunt Cardinales, sumpserant sibi ius illa conferendi; tum quia potuissent existimare hoc ipso, quòd Cardinales sunt, ad eos pertinere collationem eorum beneficiorum, sicut alia Ecclesiarum, quarum habent titulum in vrbe. *Secundò*, Cardinales in suis titulis, hoc est, Ecclesijs attributis

attributis illis in titulum, habere ius Episcopale, non quidem quo ad causarum audientiam; sed quo ad concessionem & potestatem fulminandi censuras Ecclesiasticas, & collationem beneficiorum, nti Ecclesiæ, quarum habent titulos, attributæ sint Regularibus, vt sunt tit. S. Crucis in Hierusalem, S. Eusebij. S. Petri ad vincula. S. Gregorij & aliorum. *Tertio*, per Episcopatus, quorum beneficia reseruantur per absentiam à Curia Cardinalium, non intelliguntur Episcopatus non adnexi Cardinalatui, sed Episcopatus sex Cardinalibus adnexi, Hostiensis, Portuensis, Sabinensis, Prænestinus, Tusculanus, Albanus, qui sunt propè vrbem, & propterea residendo in vrbe, censentur in ijs residere; horum igitur beneficiorum collatio ad Cardinales pertinet, si non sunt absentes à Curia. *Quartò*, Decretum irritans, quod est in fine regulæ, referri etiam ad omnes regulas præcedentes, vt notat Garzias §. 9. n. 406. & 407.

Garzias.

8. In regula Octaua ponitur reseruatio Mensium Apostolicorum, & alternatiua pro Episcopis residentibus. Circa quam regulam multa adducit & congerit Garzias *cit.* §. 10. *num.* 510. *& sequentibus*, quæ videri possunt apud ipsum: nos autem solùm aduertemus ex eodem Auctore *num.* 639. quod per hanc regulam excipiuntur Cardinales ordinarij collatores, respectu enim illorum nulli menses sunt reseruati: sic etiam intelliguntur excepti Reges & Principes collatores ex priuilegio Apostolico, & hoc propter altitudinem & excellentiam eorum.

Garzias.

De concordatis cum Germanis inter Sedem Apostolicam & Fridericum Imperatorem, videnda est Bulla Nicolai V. *Ad Sacram Petri Sedem, &c.* in qua breuiter sancitur, vt *Primò*, in Cathedralibus & Ecclesijs etiam immediatè non subiectis, & Monasterijs immediatè subiectis fiant Canonicæ electiones, quas deferant ad Sedem Apostolicam pro obtinenda confirmatione intra tempus constitutum in Bulla Nicolai III. *Cupientes*: alioquin ad eandem Sedem electiones deuoluantur. *Secundò* reseruantur Sedi Apostolicæ Monasteria Monialium exempta. *Tertiò*, in cæteris beneficijs (exceptis majoribus post Pontificalem, de quibus iure ordinario erit prouidendum per illos, ad quos pertinet) Papa reseruat sibi vacatura in Mensibus Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septembris & Nouembris, dummodo infra tres menses à die notæ vacationis, in loco beneficiorum non apparuerit, quòd de illo ab Apostolica auctoritate prouisum sit; tali enim casu Ordinarius, vel is ad quem pertinet liberè disponat. *Quartò*, in alijs sex mensibus nulla adest reseruatio.

Nicol. V.

Nicol. III.

De concordatis verò cum Gallis, extat Bulla Leonis X. *In eminenti.* In qua statuitur *Primò*, vt Rex Franciæ faciat nominare ad Episcopatus, Abbatias, Prioratus & Monasteria, & Papa conferat. *Secundò* in inferioribus conceditur Ordinarijs libera collatio in omnibus mensibus iuxta dispositionem iuris communis; ita tamen, quòd conferre teneatur in vnaquaque Cathedrali vnum Canonicatum & Præbendam vni Magistro, Licentiato, aut Baccalaureo formato in Theologia, qui per decennium studuerit cum onere prædicationis & lectionis Sacræ Scripturæ, & præterea tertiam partem Dignitatum & aliorum quorumcumque beneficiorum vacantium in quatuor mensibus 1. 4 7. & 10. viris literatis, graduatis, & per vniuersitates nominatis conferre debeat. *Tertiò*, vt nullæ gratiæ expectatiuæ, nec reseruationes ad beneficia dicti regni emanare possint à Sede Apostolica, neque lites, aut causæ beneficiales tractari in Romana Curia. De his concordatis librum edidit Petrus Rebuffus, referens concordatorum ipsorum textum cum interpretationibus; apud quem plura.

Leo X.

Rebuffus.

9. Hæ reseruationes Papales quatenus derogatiuæ sunt, ordinariæ collationis Episcoporum restringi debent. *Primò*, vt locum tantùm habeant in beneficijs perpetuis, non in manualibus, seu ad nutum amobilibus. *Secundò*, vt locum non habeant in beneficijs Ecclesiæ non numeratæ, sed receptiuæ, id est, in qua non est certus numerus beneficiorum: siquidem talia beneficia nunquam censentur vacare. *Tertiò*, sub reseruatione non comprehenduntur beneficia resignata causâ permutationis: quia non censentur propriè vacare: ideoque in quolibet mense possunt permutari beneficia coram Ordinario. Imò aliqui existimant, neque ea semper sub reseruatione comprehendi quæ vacant causa resignationis. Si tamen vacent per obitum, aut per affectionem secundi incompatibilis, per priuationem, vel per matrimonium contractum, vel per ingressum Religionis post professionem, reseruantur. Ita Layman *lib.* 4 *tract.* 2. *c.* 11. *num.* 1. *&* 2. Filliucius *tract.* 41. *cap.* 3. *num.* 63. apud quem plura de reseruatione beneficiorum: sed hæc satis; nunc ad deuolutionem procedamus.

Layman. Filliucius.

10. Deuolutio beneficij est, cùm ius conferendi vel instituendi in beneficio transfertur in alium, ex eo quòd intra tempus iure præscriptum non est à proprio collatum: introducit autem Ecclesia hoc ius deuolutum, ne beneficia diutiùs, quàm par esset, vacarent, & ne Ecclesiæ ob diutinam vacationem damna & incommoda paterentur, *cap. quàm sit, de elect. in 6.*

Quando ij ad quos spectat non prouident de beneficijs intra tempus iure præfixum, fit deuolutio ad Superiorem gradatim, *cap. Licet, de suppl. neglig. Prælat.* & *cap.* 2. *de concess. prabend.* Si collator beneficium indigno scienter conferat, vel electores scienter eligant indignum, id est, incapacem, seu impedimento Canonico laborantem, talis collatio, seu electio ipso iure irrita est, & collator, vel electores priuantur ea vice potestate conferendi, eligendi, & deuoluitur potestas ad alium, plerumque ad proximum superiorem, *c. cum in cunctis, §. final. de elect. cap. si compromissarius, cap. quamquam de elect. in 6.* Quod habet locum etiam in patronis laicis, si non præsentent ei, qui habet ius instituendi: Dixi fieri deuolutionem ad superiorem gradatim, vt à patrono laico vel Ecclesia inferiore ad Episcopum, deinde ad Archiepiscopum, tum ad Primatem vel Patriarcham, ab hoc denique ad Papam.

Tempus iure præscriptum hoc est, vt patronus laicus habeat quatuor menses ad præsentandum, Ecclesiasticus sex, *cap.* 2. *de concess. prabend.* & *cap. Licet, de suppleud. neglig. Prælat.* quod semestre habet locum in omnibus beneficijs, tam constitutis in Ecclesijs sæcularibus, quàm regularibus: & idem tempus regulariter currit pro quibuslibet beneficijs, & alijs dignitatibus inferioribus. Ita tenent Innocent. Ioannes Andræas, & Abbas *in cap. Ne pro defectu, de elect.* Rebuffus *tit. de deuolut. num.* 4.

Ioan Andr. Abbas. Rebuffus.

11. Quando Abbas vel Prælatus est immediatè Papæ subiectus, beneficiorum collatio, quæ ad ipsum pertinebat, in casu negligentiæ deuoluitur ad Sedem Apostolicam, vel ad Legatum de latere. Ratio est, quia proximus Superior talium exemptorum est Papa, *cap Nulla, dist.* 49. Ex negligentia verò Abbatum regularium inferiorum, ad Episcopum & Ordinarium fit deuolutio, qui Apostolica auctoritate confert, *Clement. vnic. de suppleud. neglig.*

negl. Prælat. Si verò patronus, tam regularis, quàm sæcularis, neglexerit præsentare intra tempus sibi præfixum, tunc ius conferendi ad instituentem, tanquam ad proximum superiorem deuoluetur, ex *cap.* 3. & *cap. Propter, de iur. patronat.* quod etiam docent Rebuffus *in prax. benefic. tit. de deuolut. numero quinquagesimoquarto*, Azorius *parte secunda, libro sexto, cap.* 27. *quæstione quinta*, qui obseruant, hoc idem esse tenendum, etiamsi instituens fuerit inferior Episcopo, & cui ex aliquo titulo spectauerit potestas instituendi. Et hoc procedit etiam in Prælatis inferioribus Episcopo, licet sint regulares: illis enim negligentibus fit deuolutio ad instituentem, vt colligitur ex Gloss. *verb. Distinctionem, in Clement. vnic. de supplend. negl. Prælat.* Porrò facta sic prædicta deuolutione ad instituentem ex negligentia patroni non præsentantis; instituenti reseruantur ad conferendum sex menses à die deuolutionis & notitiæ, etiamsi patronus esset laicus, cui tantùm quatuor menses competerent ad præsentandum, vt habetur *in cap.* 1. *de iur. patron. in sexto.*

Rebuffus. Azorius.

12. Si autem Episcopus negligentiam, vel delictum committat in conferendis beneficijs, quæ ad ipsum spectant iure proprio & non deuoluto: tunc ius collationis ad Capitulum deuoluitur, iuxta *cap. Cùm in cunctis, de elect.* & *cap.* 2. *de concess. prebenda.* Ratio diuersitatis notanda est inter beneficia spectantia ad Episcopum iure proprio & iure deuoluto; quia non est tanta communio inter Episcopum & Capitulum in beneficijs deuolutis; sicuti in beneficijs spectantibus iure proprio. Nam in deuolutis Episcopus vtitur potestate, tanquam superior illius, à quo est facta deuolutio: ideò Capitulum non habet in ijs communionem, & meritò ad alium superiorem fit deuolutio. Sed in beneficijs proprijs est communio inter eos, cùm Episcopus vnum corpus faciat cum Capitulo suo.

BENEFICIVM V.

De Beneficijs Patronatis.

SVMMARIVM.

1 *Ius patronatus quid sit? & tribus ex causis acquiritur, fundatione, ædificatione, & dotatione.*
2 *Quomodo acquiratur hoc ius ex præcitis.*
3 *Ius patronatus est duplex, Ecclesiasticum & laicum.*
4 *Patronus laicus tenetur præsentare instituendum intra quatuor menses; Ecclesiasticus intra sex.*
5 *Patroni laici possunt variare & alium successiuè præsentare: Ecclesiastici autem non possunt.*
6 *Ius patronatus laicorum potest in Monasterium transmitti, per hereditariam successionem, per donationem, permutationem & venditionem.*
7 *Patrono competit primum ius præsentandi Episcopo instituendos ad beneficia, tum simplicia, tum curata, modò non sint collegiata.*
8 *Patronus tanquam principalis, primus in processionibus incedit: & est defensor præcipuus Ecclesiæ.*
9 *Si Patronus, eiusve filij ad inopiam vergant, ab Ecclesia, alendus est, ex reditibus superfluis.*
10 *Quid requiratur quando præsentatio fit à pluribus patronis, qui inter se non conueniunt.*
11 *Patronus non potest præsentare seipsum: licet quando sunt plures patroni, vnus ex illis possit ab aliis præsentari.*
12 *Probabile est patronum laicum non teneri præsentare dignioremi.*
13 *Episcopus, Vicarius eius generalis, Capitulum sede vacante, iure communi habent ius instituendi præsentatos à Patronis; sicut & Abbates in Ecclesijs & Capellis sibi plene iure subiectis.*
14 *Institutio est ipso iure irrita, si fiat neglecto patrono: & quali consensus requiratur.*
15 *Summus Pontifex potest derogare cuicumque iuri patronatus.*
16 *Ius patronatus extinguitur quinque modis.*

1. IVs patronatus, est ius nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans. Hoc ius ex tribus causis acquiritur, nempe Ecclesiæ fundatione, ædificatione, & dotatione. Glossa *in cap. Pia mentis 16 quæstione septima.* Fundare dicitur is, qui fundum dat, in quo Ecclesia construatur, ex *cap. decernimus. 16. quæstione septima.* Ædificare, qui Ecclesiam construit, *cap. Monasterium eadem quæst.* Dotare dicitur, qui annuos reditus sufficientes assignat arbitrio Ordinarij; alioquin si insufficientes sint, dicetur tantùm benefactor: quòd si plures concurrant dando simul dotem competentem, etiamsi singuli non dent competentem, omnes æqualiter erunt patroni. Ecclesia autem sine dote consecrari non debet; *cap. Cum sicut, de consecrat. Ecclesia.* Alioquin Episcopus eam dotare debebit in patroni defectum, si sine Ecclesiæ detrimento possit. Ita Azorius *parte secunda, libro 6, cap.* 19. *quæstione sexta*, Garzias *parte quinta, cap.* 9. *numero quinquagesimosecundo, & sequent.* Exinde sequitur, quòd & vnus possit esse Ecclesiæ patronus, si idem eam fundauit, construxit & sufficienter dotauit; & plures patroni esse possint, si alius fundauit, alius ædificauit, alius dotauit: imò si plures concurrant ad Ecclesiam fundandam, construendam, dotandam, licet inæqualiter, omnes acquirunt ius patronatus in solidum: dummodò Ecclesiæ detur dos competens, quæ sufficiat ad necessaria ministrorum & luminaria, ex *cap. Nemo, de consecrat. distinct.* 1. Aduertendum autem est, eum, qui Ecclesiæ, cui dos constituta non est, etiam post consecrationem, dotem assignat, iuxta *cap. Cùm sicut, de consecrat. Ecclesia vel altaris*, effici eius patronum, & fauore Ecclesiæ quasi retrotrahi patronatum, perinde ac si ab initio constitutus fuisset. Denique si Ecclesia omninò destruatur vel corruat amittitur ius patronatus, si ex sola constructione ortum habuit; & qui illam reædificat, efficitur nouus patronus. Ita Abbas *in cap. Quoniam, num.* 11. *de iure patronatus.* Tamen qui ab initio Ecclesiæ aliquid confert, ius patronatus non acquirit, nisi id faciat animo construendi, dotandi, non præcisè donandi.

Glossa. Azorius. Garzias.

2. Si vnus materiam in construenda Ecclesia, alius gratis operas ponit, vt faber aut solutor ponenti; ambo erunt patroni, si de hoc cum auctoritate Episcopi conuenerunt, alias non: sed erit solus ille qui materiam posuit.

Si tutor nomine pupilli, vel de eius pecunia, aut in eius fundo Ecclesiam fundet, construat, vel dotet, ius patronatus acquiritur pupillo, & non tutori: quia omnia acquisita per tutorem ex rebus pupilli, acquiruntur pupillo.

Si Clericus de pecunia propria Ecclesiam construat in fundo Ecclesiæ, vtrique, id est, Clerico & Ecclesiæ acquiritur hoc ius: quia Ecclesiæ suæ conditionem deteriorem facere non potuit, *cap. 2. de donat.* Et idem si in fundo proprio ex pecunia Ecclesiæ. Sed si ex pecunia Ecclesiæ emptus est fundus, & facta constructio, licet non eius nomine, Ecclesiæ tantùm acquiritur hoc ius. Et ex his patet, quòd si laicus Capellam in Ecclesia construat & dotet, non acquiritur hoc ius illi soli, sed etiam Ecclesiæ simul; quia Ecclesia fundum ponit. Ita Panormitanus *in cap. ad audientiam, de Eccles. ædificand.* Sylvester *verb. Ius patronatus, num. 2.* Panormit. Sylvester.

3. Ius patronatus est duplex, Ecclesiasticum & laicum. Ius patronatus Ecclesiastici dicitur, quod Ecclesiasticæ personæ competit; vel ratione dignitatis, aut beneficij sui, puta quia est Ecclesiæ Episcopus, Præpositus, Decanus: vel ratione fundationis, constructionis, dotationis à se factæ ex bonis Ecclesiasticis. Ius patronatus laici est, quod conuenit alicui, seu laicæ, seu Ecclesiasticæ personæ, aut communitati, ratione fundationis, constructionis, vel dotationis ex bonis proprijs siue patrimonialibus. Ita Couarruuias *in practic. quæst. cap. 36.* & alij communiter. Cæterum sicut patronatus, tametsi ab initio fuerit laicus, vel Clerico ex patrimonialibus bonis acquisitus: Ecclesiasticus tamen efficitur, si donatione, testamento, aliaue ratione in Ecclesiam vel Monasterium transferatur, vel alicui beneficio, verbi gratia, Decanatui, Præposituræ annectatur, vt habetur *in cap. vnic. §. verùm, de iure patronat. in sexto*, vt notauit Couarru. *loco citato num. 8.* Ita etiam patronatus, licet ex reditibus Ecclesiasticis acquisitus sit ab aliquo beneficiato, si tamen is, ex consuetudine regionis potestatem habeat de superfluis suis reditibus ad causas prophanas testandi, & consanguineis relinquendi, tunc pari ratione ad eosdem ius quoque patronatus transmittere poterit, sicuti notauit Garzias *part. 5. cap. 1. num. 594.* Couar. Garzias.

4. Patronus si est laicus, præsentare tenetur Episcopo rectorem instituendum in Ecclesia, cuius est patronus, intra quatuor menses à tempore vacationis cognitæ, & si neminem præsentet, amittit eo vice ius præsentandi, & collatio beneficij libera efficitur, ordinabitque de Ecclesia Episcopus, iuxta *cap. quoniam*, & *cap. cùm propter, de iure patronat.* Si verò est Ecclesia Monasterium, vel Clericus, conceduntur sex menses, vti habetur *in cap. vnic. de iur. patronat. in sexto.* Quod intelligendum est, si patronus scienter omittat præsentare: quia ei ignoranti non currit dictum tempus, secundùm Ioannem Andræam *in capite secundo, de suppleud. neglig. Prælat.* Si autem patroni sint simul laicus & Clericus, vel Ecclesia, seu Monasterium, habebunt similiter tempus sex mensium ad præsentandum, & ratione societatis priuilegium Ecclesiæ tranibit ad laicum, ad instar eius quod dicitur de eo qui habet rem communem cum pupillo, quæ vsucapi non potest vel præscribi propter pupillum. Sed intellige de patrono Ecclesiastico habente hoc ius ratione Ecclesiæ; quia si haberet ratione patrimonij, esset idem per omnia sicut in laico. Ioan. Andr.

5. Quamuis patroni laici possint variare, antequam Ordinarius præsentatum instituat, & alium succesiuè cumulando præsentare; non licet tamen id facere patronis Ecclesiasticis. Ratio est, quia præsentatio Ecclesiasticorum habet vim electionis, vbi non cadit variatio: electus enim statim acquirit ius in re, *cap. Publicato*, vbi Glossa & *cap. Quod sicut, de elect.* Idcirco patronis laicis conceditur quadrimestre; Ecclesiasticis verò semestre; quia isti variare nequeunt. Ita Garzias *parte quinta, cap. 9. numero ducentesimonono decimo, & sequent.* Reginaldus *libro trigesimo, tractatu tertio, numero* 223. Quæ omnia prædicta procedunt quoad præsentationem ad beneficia simplicia, & sine cura: secus autem dicendum erit de beneficijs Curatis ac Parochialibus patronatis. Circa quod est obseruandum, quòd omnes patroni & patronæ, tam Clerici, quàm sæculares & regulares habentes ius præsentandi ad Parochias patronatas, tenentur ad eas vacantes intra viginti dies à die verisimilis notitiæ vacationis Capellanos præsentare, iuxta Constitutionem Pij V. editam super collatione Parochialium Ecclesiarum, quæ incipit. *In conferendis beneficijs.* Vbi prohibetur expresè Ordinarijs, ne tempus decem dierum eisdem Ordinarijs & Patronis à Concilio Tridentino ad nominandum idoneos ad Ecclesiam regendam coram deputatis examinatoribus præfixum, vltra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant; ac præsentati, examinati & approbati per examen debent intra duos menses à die præsentationis, & confecti examinis ab Ordinario institui, aliàs beneficium deuoluitur ad Papam. Hæc Bulla habetur apud Quarantam *in Summ. Bullarij, verb. Beneficiorum Parochialium collatio.* Garzias. Reginald. Pius V. Quaranta.

6. Ius patronatus laicorum potest in Monasterium transmitti, *Primò* per hæreditariam successionem, *cap. Considerandum 16. quæstione septima, Clementin. 2. de iure patronat.* quando, scilicet, Monasterium à patrono laico hæres institueretur: quia tunc accessoriè cum vniuersitate bonorum hæreditatis veniret etiam ius patronatus: vel si patronus laicus efficiatur Religiosus, ius patronatus ad ipsum spectans transfertur in Monasterium. Ratio est, quia per talem ingressum omnia illius bona acquiruntur Monasterio. *Authentic. Ingressi, Cod. de sacrosanct. Eccles.* Notandum tamen, quòd quando ius patronatus delatum fuit iure sanguinis ad ipsum patronum, qui Religionem ingressus est, Monasterium habebit ius præsentandi durante vita Monachi tantùm: quia post eius obitum defertur in posteros, Garzias *de benefic. part. 5. cap. 1. num. 555.* Garzias.

Secundò, ius patronatus laicorum transit in Monasterium titulo donationis, permutationis & venditionis, cum vniuersitate bonorum, in qua sit ius patronatus, *cap. Ex insinuatione de iur. patron.* Glossa *in cap. Pia mentis, 16. quæstione septima.* Glossa. Circa quod est notandum, quòd etti in translatione iuris patronatus per donationem necessarius sit Episcopi assensus; hoc tamen est intelligendum, si fiat de laico in laicum, vel etiam Clericum causâ ipsius, non Ecclesiæ, ne ius patronatus Ecclesiæ transeat ad hominem suspectum, vel minus Ecclesiæ gratum. Quia si fiat Religiosis etiam per patronum laicum, non requireretur huiusmodi assensus. Ita communiter Doctores *in cap. Nullus, cap. Ex insinuatione, de iur. patronat.* Azorius *p. 2. lib. 6. cap. 20. quæst 5.* Azorius.

Tertiò transfertur ius patronatus à laico in Monasterium per permutationem, *cap. Nimini, 16. quæstione septima*, in qua nec etiam requiritur Episcopi assensus. Permutatio autem ita permissa est, si fiat cum alia re spirituali, puta cum alio iure patronatus, aut alio iure similiter rei spirituali annexo, & non aliter, per *cap. Ad quæstionis & c. vlt. de rerum permutat.*

Quartò transmittitur ius patronatus à laicis in Religiosos

Digitized by Google

Religioſos per venditionem veræ vniuerſitatis bonorum, in qua eſt conſtitutum, puta; cùm villa, Caſtro, hæreditate, fundo dotali, vel alia re, quæ non ſingula corpora, ſed corporum vniuerſitatem, id eſt, aliqua iura contineat, *cap. Ex literis & cap. cùm ſæculùm, de iur. patronat.* Couarruuias *lib. 2. variar. cap. 18. num. 8.* Suarez *tom. 1. de Relig lib. 4. de ſimon. cap. 28. num. 2.* Couar. Suarez.

7. Quatuor potiſſimum iura competunt patrono ſiue Eccleſiaſtico, ſiue laico, vt docent Canoniſtæ *in cap. nobis, de iure patronat.* Primum eſt, præſentare Epiſcopo inſtituendos ad beneficia, tum ſimplicia; tum curata, poſtquam vacauerint. In collegiatis autem Eccleſijs Prælatus ſiue Rector non ad Patroni præſentationem inſtituitur, ſed à Capitulo eligitur; eique electioni Patronus, præſertim laicus, intereſſe non debet: vel etſi ex ſpeciali conſuetudine, aut fundationis lege interſit, libertatem tamen eligentium impedire non poteſt, neque ius ſuffragij ferendi, aut conſenſum præſtandi habet; niſi in ipſa fundatione conditio appoſita fuiſſet de conſenſu eius requirendo: cuiuſmodi conditionem admittere poteſt Epiſcopus, ſi patronus Eccleſiaſticus eſt: ſed patrono laico ſolus Papa talem facultatem concedit. Poſt factam autem electionem Prælati, nihil prohibet patroni conſenſum requirere, iuxta *cap cùm terra*, & *cap. Sacroſancta de elect.* Quem tamen is negare non poteſt, niſi iuſta de cauſa; puta ſi electum idoneum non eſſe, oſtendat. Ita Sylueſter *verb. Ius patronatus, quæſt. 2.* Sylueſt.

8. Secundum ius eſt, quod habet hunc honorem, vt quaſi principalis & primus in proceſſionibus & ſeſſionibus incedit. Tertium eſt, quod habet hoc onus, quod ſit defenſor præcipuus Eccleſiæ, ideo quod tenetur eam defendere ab omnibus oppreſſoribus, *cap. Filij, 16. quæſt. 7.* & in cap. decernimus eadem quæſt. dicitur, *vt quamdiu fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint, pro eiſdem locis curam permittantur habere ſolicitam*, verbi gratia, vt reditus Eccleſiæ patronatæ ad alios vſus non conuertantur, quàm ſecundùm fundationis præſcriptum, & vt officia diuina celebrentur, quæ in fundatione conſtituta fuerunt. Item vt ædes ſacræ & Parochiales conſeruentur, reparentur, non quidem ſuis ſumptibus, ſed vel Parochianorum, vel beneficiatorum, ſi proprij reditus pro Eccleſiæ fabrica deputati non ſint, vel loci conſuetudo aliud non obtineat.

9. Quartum ius eſt, ſi patronus, eiuſque filij ad inopiam vergant, ab Eccleſia, eiuſve beneficiatis alendus eſt ex reditibus ſuperfluis, ſecundùm Eccleſiæ facultates & ſtatum ſiue qualitatem patroni, ex *cap. quicumque*, & *cap. nobis, in fin. de iur. patronat.* Imò competit patrono actio ad petenda alimenta in ſtatu inopiæ. Tamen extra hunc caſum, prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis ferendæ, ne patronus Eccleſiæ ſeruitium imponat, vel exactionibus quibuſcumque grauet, *cap. 1. de cenſibus*, præterquam ſi Patronus in fundatione, cum Epiſcopi conſenſu, præſtationem aliquam moderatam alteri reſeruauit, v. g. alicui Capellæ, iuxta *cap. præterea 2. de iur. patron.* Porrò hæc iura duobus verſibus ſatis exprimuntur.

Patrono debetur honor, onus, emolumentum,
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.

10. Cùm præſentatio ad beneficium vacans ſit à pluribus patronis tanquam à Collegio, requiritur vt maior pars Collegij conueniat in præſentatione eius, qui inſtituendus eſt: nempe ſi fuerint decem, conuenerint ſex. Cùm verò ſit à pluribus tanquam ſingularibus perſonis, tale quid non requiritur, ſed ſufficit vt quis plura ſuffragia habeat, velut quatuor, cùm alij habeant tantùm duo, aut tria. Si autem plures patroni diſſentiant in præſentando; Ordinarium decet curare, vt conſentiant. Modus verò aptus inter ſe conueniendi eſſe poteſt, ſi, ipſi alternatiuam habeant, id eſt, vnus hoc anno præſentet, alter ſequenti, & ita deinceps, iuxta *Clement. final. de iure patronat.* Quòd ſi nolint conuenire, Ordinarius optionem habet inſtituendi, quem maluerit ex præſentatis, ſi abſque ſcandalo id facere poſſit. Si autem ſcandalum gigni videatur; auctoritatem habet promouendi ad beneficium aliquem alium, quem iudicauerit dignum. Ratio eſt, quia propter diſcordiam patronorum, Eccleſia non debet priuari miniſtro ſibi debito: aut ſaltem dum patroni diſſentiunt, Ordinarius habet ius commendandi Eccleſiam alicui idoneo. Hinc ſi pupillus patronus ſeptennium egreſſus & habens vſum rationis præſentando diſſentiat à ſuo tutore præſentante alium æquè idoneum, præferri debet præſentatus ab ipſo pupillo: quia Dominus eſt rei cui connunctum eſt ius patronatus. Idem dicendum de præſentato ab vxore, quæ in dotem accipit rem in qua eſt ius patronatus; nempe præfertur præſentato à marito, ſi ab illa diſſentiat: quia vxor eſt naturalis & vera dotis domina, *l. in rebus, Cod. de iure dotium*, vide Layman *lib 4. tract. 2. cap. 13. num. 18.* Sylueſt. *verb. Ius patronatus, quæſt. 8. 12. & 13.* Layman. Sylueſter.

11. Patronus non poteſt præſentare ſeipſum, ex *cap. Per noſtras, de iur. patron.* etſi quando ſunt plures patroni poſſint præſentare vnum ex ſuo numero: quia tunc ceſſat ratio in illo Capitulo allata: quòd nullus debeat ſe ingerere Eccleſiaſticis officijs. Item patronus qui ſcienter præſentat indignum, ſeu habentem impedimentum aliquod Canonicum, peccat mortaliter. Ratio eſt, quia infideliter facit officium ſibi impoſitum: & quantum eſt ex ſua parte, infert Eccleſiæ detrimentum, eſtque inualida præſentatio, ſi talis præſentetur; qui ſit ſecundùm Canones inhabilis. Hinc vt patronus rectè officio ſuo fungi poſſit, debet de Clerico præſentando inquirere, num ſit idoneus, maximè ſi ignotus ſit, alioquin periculum eſſet ne præſentaret indignum. Et certè magnæ imprudentiæ eſſet, ignotum nobis, ſine inquiſitione, iudicare conditiones habere ad beneficium acquirendum requiſitas, puta ætatem, ſcientiam, morum probitatem, ordinem, & ſi quæ ſint alia in eo, qui præſentandus eſt, requiſita, quæ in omnibus non inueniuntur. Et licet nemo exiſtimandus ſit malus, niſi probetur, cùm agitur de malitia morum: non habet tamen hæc regula locum, cùm agitur de conditionibus ſecundùm leges ad aliquod munus requiſitis. Difficultas eſt, an patronus poſſit præſentare dignum, relicto digniore, de qua videntur dicenda quæ numero ſequenti dicentur.

12. Si præſentatio facienda ſit de Clerico alicuius determinati Collegij, aut Monaſterij vel ciuitatis, aut loci, vel familiæ, ſufficit, ſi patronus, præſentet idoneum de tali Collegio, Monaſterio, &c. etiamſi extra ſint alij magis idonei. Nam iuſtæ ſunt leges ſtatuentes vt ad aliqua beneficia promoueantur ſolùm Clerici ex tali loco, aut Collegio, aut familia, cùm ad bonum commune tale quid ſpectet. Quod ſi in tali Collegio, ciuitate, &c. duo ſint, vnus idoneus, alter magis idoneus, patronus debet præſentare magis idoneum: alioquin non videretur fidelis erga Eccleſiam, nec in officio ſibi commiſſo vtiliter agere negotium Eccleſiæ; quæ ipſi illùd commiſit. Quod idem pari

ratione iudicandum eſt, ſi præſentatio ſit libera, nec ſtrictè facienda de Clerico certi Collegij, ciuitatis, &c. Nihilominus non eſt improbabile patronum laicum non teneri præſentare digniorem etiam quoad beneficia curata. Nam Conc. Trid. Tridentinum *ſeſſione vigeſimaquarta, cap. 18. de reformatione*, mandat præſentatos à Patrono laico examinandos & approbandos eſſe ab examinatoribus ſynodalibus: vnde cùm non arctet Patronum ad præſentandum digniorem, neque nos arctare debemus. Igitur quoniam Tridentinum non irritat præſentationem digni factam à Patrono laico, & illa eſt valida etiam in conſcientia, tenetur Epiſcopus illam confirmare, & ſi nollet, poſſet cogi à Superiore. Ita Garzias *de benef. tom. 2. part. 7. cap. 16. num. 19.* Petr. Nauar. quos citat & ſequitur Diana *part. 2. tract. 15. reſol. 37.* & alij ab ipſo citati. Garzias. P. Nauar. Diana.

13. Epiſcopus de iure communi habet ius inſtituendi omnes præſentatos à patronis ad quæcumque beneficia intra ſuam Diœceſim exiſtentia, *cap. Ex frequentibus, de inſtitut. in 6.* Id autem ius habet Epiſcopus, etiamſi nondum ſit conſecratus: quia inſtituere eſt actus iuriſdictionis, non Ordinis, quam ille acquirit dum confirmatur à Papa ſubijciente illi populum. Vicarius item generalis Epiſcopi poteſtatem habet inſtituendi iuxta citatum caput: etiamſi non habeat ius conferendi ſine ſpeciali mandato eiuſdem Epiſcopi, ex *cap. final. de officio Vicar. in ſexto.* Idem ius competit Capitulo, ſede vacante. Alijs autem Clericis Epiſcopo inferioribus ius inſtituendi poteſt etiam conuenire, vel ex priuilegio, vel ex præſcriptione, vel ex conſuetudine, vel ex ſtatuto, vel ex fundatione beneficij: vt verbi gratia, ſi Capellania fundetur à laico eà conditione appoſita de conſenſu Epiſcopi, vt Decanus, vel Archidiaconus, vel Præpoſitus certæ Eccleſiæ, vel alius Presbyter ius habeat inſtituendi præſentatum à patrono, non autem Ordinarius. Similiter in Eccleſijs & Capellis pleno iure Abbatibus ſubiectis inſtitutio ſpectat ad ipſos Abbates, per textum *in Clement. 1. verſ. Quidam preterea & verſ. Quidam etiam, de exceſſ. Prælat.* Eccleſiæ autem & Capellæ dicuntur Abbatibus pleno iure ſubiectæ, quando Epiſcopi in eis nullum ius Epiſcopale exercent: ſed tota iuriſdictio ad eos Abbates pertinet, & poſſunt in eis beneficiarios inſtituere, aç deſtituere. Gloſſa *in cap. Abbates, verb. pleno iure, de priuileg. in ſexto.* Notandum tamen, ſi ius patronatus ad Monaſterium tranſiret cum aliqua vniuerſitate bonorum, non tranſibit ad Abbatem inſtitutio; ſed manebit illius, ad quem antea pertinebat: quia per illum tranſitum non poteſt plus iuris transferri, quàm erat penes transferentem, *cap. Cùm ſæculum, de iure patron.* Gloſſa.

14. Inſtitutio non eſt tantummodo irritanda, ſed etiam irrita ipſo iure, ſi fiat neglecto patrono. Valida autem redditur iam facta, ſi patronus poſtea in eam conſentiat. Item valida eſt inſtitutio, ſi patronus vocatus ad præſentandum non præſentet, & Epiſcopus ipſo præſente, & tacente aliquem inſtituat. Item ſi toto tempore intra quod patronus præſentare poteſt, ſcienter taceat, & Epiſcopus inſtituat, valida quoque eſt inſtitutio. Similiter ſi Epiſcopus iubeat vt patroni præſentent, nec faciant, atque ipſis ſcientibus & tacentibus ille inſtituat, valida adhuc erit inſtitutio. Vera enim eſt regula, quòd ſciens, & tacens conſentire videatur. Ita Lambertus *lib. 2. parte tertia, queſtione ſecunda, articulo ſecundo*, Ioannes Andræas *in cap. 2. de offic. Vicarij in ſexto.* Si autem patronus ius præſentandi ad Epiſcopum ſponte ſua tranſtulerit, tunc, ſi inſtitutio ad alios pertineat Epiſcopo inferiores, ad Epiſcopum præſentatio tantùm, ad eoſdem inſtitutio pertinebit: ſi ad Epiſcopum pertinebat inſtitutio, tunc confundetur cum collatione, ſi Epiſcopus ſolus ſit patronus, ſi autem ſint alij etiam, tunc Epiſcopus vt patronus ſimul cum alijs præſentabit, vt Epiſcopus verò inſtituet. Lambertus. Ioan. Andr.

15. Summus Pontifex poteſt derogare cuicunque iuri patronatus, eſt communis ſententia: Ratio eſt, quia iure tantùm Canonico, cui Papa derogare poteſt, patronis conuenit, & interdum in ſuis litteris de facto derogat: vnde cùm in illis dicitur, *beneficium hoc, vel illi prouideatur, ad cuiuſcumque diſpoſitionem pertineat*, certum eſt ex communi ſententia, per ea verba derogari iuri patronatus Clericorum; non autem iuri patronatus laicorum: quia non cenſetur Papa præiudicare laicis, niſi facta expreſſa mentione illorum, ne auertantur à fundandis, ædificandis, ac dotandis Eccleſijs. Quod etiam procedit etiamſi in literis Apoſtolicis fuerint hæc verba, *Ad cuiuſcumque præſentationem pertinet*, quia locutio illa generalis comprehendit omnes ſpecies Clericorum ad quos ius præſentandi pertinet: vnde per hanc clauſulam non præſumitur Papa velle derogare iuri patronatus pertinenti ad Reges, Duces, Marchiones & alios Principes niſi expreſsè de illis faciat mentionem. Ita enim habetur in regula 41. Cancellariæ, de derogatione iuris patronatus. Imò quando ius patronatus pertinet ſimul ad Clericum & laicum, ei non derogatur per clauſulam dictam generalem: quia tale ius licet quo ad commoda & fauorabilia, iudicetur Clericorum; quo ad damna tamen & odia, cenſetur laicorum, ne his ſocietas cum Clericis cenſeatur damnoſa. Ita Couarruuias *in practic. quæſt. cap. 36.* Rebuffus *in præx. Benefic. parte prima, in tertia parte, ſignatur. verb. Ius patronatus numero ſexageſimoſecundo*, apud quos plura de hac materia. Couar. Rebuffus.

16. Ius patronatus extinguitur *Primò*, per ceſſionem, verbi gratia, cùm quis ius patronatus, quod habet, renunciat ei Eccleſiæ, in qua illud habet. Nam tunc talis Eccleſia manet libera, ex *cap. vnic. de iur. patron. in ſexto. Secundò*, cùm quis Eccleſiam, cuius eſt patronus, ſcienter patitur fieri collegiatam ſine iuris ſui reſeruatione: nam tunc de rectore eiuſdem Eccleſiæ vacantis non prouidebitur ex illius præſentatione ſed ex Collegij electione, iuxta *cap. Nobis, de iur. patronatus, iuncta Gloſſa, verb. in Capella. Tertiò*, ſi Eccleſia incendio conſumpta fuerit, vel vitio aliquo corruerit, vel capta, detentaque ſit ab hoſtibus; quia ſublatâ ſubſtantia rei, conſequenter accidens illius perit. *Quartò*, ſi patronus Rectorem, aut Clericum ipſius Eccleſiæ per ſe, vel alium occiderit, aut mutilauerit, iuxta *cap. In quibuſdam, de panis.* Panormitanus ibi. *Quintò*, ſi patronus efficiatur hæreticus, aut incidat in aliud crimen, propter quod omnia bona ipſius confiſcata ſint, tanquam pereunte, ſcilicet accidente, dum ſubſtantia perit. Plura de his apud Canoniſtas.

Vide v. Legatus *num. 3.*

BENEFICIVM VI.

De forma ſeruanda in prouiſione Beneficiorum.

SVMMARIVM.

1. *In prouiſione beneficiorum ſeruanda eſt forma, quam ius, ſtatutum, conſuetudo vel fundatio præſcripſerit.*
2. *Forma ſeruanda in prouiſione Eccleſiarum Parochialium, iuxta Concilium Tridentinum.*
3. *Capitulum ſede vacante: Vicarius generalis Epiſcopi: Prælati inferiores Epiſcopo, qui nullum ſunt Diœceſis, & habent proprium territorium, & omnimodam & quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem & ius congregandi Synodum, poſſunt concurſum beneficiorum Curatorum facere.*
4. *In concurſu omnes ad examen ſunt admittendi, etiam poſt terminos edicti re integra.*
5. *Quid faciendum, ſi poſt terminum edicti nullus examinandus compareat.*
6. *In prouiſione beneficiorum ſimplicium, nulla eſt ſpecialis forma præſcripta in iure.*
7. *Beneficium debet conferri vacans, non antea: quamuis Papa poſſit tribuere ius vacaturo beneficij.*
8. *Tempus intra quod debeat prouideri de beneficijs vacantibus, eſt ſemeſtre: & in quibus habeat locum.*
9. *In prouiſionibus neceſſarijs, non eſt à iure præfinitum tempus, intra quod neceſſariò debeat fieri inſtitutio, confirmatio & collatio.*

1. IN prouiſione beneficiorum ſeruanda eſt forma, quam ius, ſtatutum, conſuetudo, vel fundatio præſcripſerit. Ratio eſt, quia formâ non ſeruata, actus corruit, vt ex multis docet Garzias *de benef p. 9. c. 1. nu. 1.* quod etiam verum eſt in foro conſcientiæ, in quo beneficium abſque forma neceſſaria, nec acceptari nec retineri poteſt, vt docet Couaruuias *reg. peccatum 2. p. § 5. num. 9* Nec obſtat, quòd etiam non ſeruata ſolemnitate actus nullus de iure poſitiuo, validus ſit in foro conſcientiæ, vt multi Doctores aſſerunt: nam quando ius etiam poſitiuum annullat actum, & irritum reddit, etiam in conſcientia eſt irritus, vt communis ſententia hodie recepta tenet, teſte Garzia *cit. nu. 13.* vnde in hac materia de prouiſionibus beneficiorum forma præſcripta à iure Canonico ſeruanda eſt, alioqui actus eſt nullus, ſi ſermo ſit de forma intrinſeca. Tamen Pariſius *de conſid. q. 24. à nu. 54.* aſſerit, ſecluſo dolo, validam eſſe prouiſionem in foro conſcientiæ, etiam non ſeruatâ formâ, vt ſi non emittatur profeſſio fidei, iuxta Conſtitutionem Gregorij XIII. non ſit approbatus ab examinatoribus ſynodalibus, iuxta Trid. & ſimilia, contra quem Garzias *loc. cit. n. 3. & 4.* verùm ſententiâ Pariſij poſſet habere locum in locis vbi ſtatuta quædam à Conc. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.* circa prouiſionem Eccleſiarum Parochialium, non ſunt recepta: vnde ibi nõ eſſent irritæ collationes, quæ ſecundùm formã Tridentini non ſunt factæ, vt monuimus ex Leſſio *tom. 1 huius Summæ verb. Beneficium VI. in fine.*

Garzias. Couar. Garzias. Pariſius. Greg. XIII. Conc. Trid.

2. Igitur forma ſeruanda in prouiſione Eccleſiarum Parochialium traditur à Trident. *ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.* ea autem eſt, *Primò*, vt Epiſcopus, habita notitia vacationis, ſtatim idoneum Vicarium conſtituat, ſi opus ſit, cum congrua portione ex fructibus. *Secundò*, vt præuio concurſu & examine coram examinatoribus in Synodo deputatis & approbatis, illum eligat Epiſcopus, quem iudicauerint digniorem. *Tertiò*, prouiſiones præter formam dictam irritæ ſunt & ſubreptitiæ. Idem Pius V. *in Bulla. In conferendis.* Pius V.

Si Parochia vacet per obitum vel delictum, & ius patronatus ſit Eccleſiaſticum, Epiſcopus & patronus intra certum tempus ab Epiſcopo præſcribendum, debent aliquos Clericos idoneos nominare. Poteſt etiam Epiſcopus per edictum conuocare quotquot ſe voluerint offerre, qui ſunt deſcribendi, & examinandi; patronus autem Eccleſiaſticus ex renunciatis ab examinatoribus eligere debet digniorem, & præſentare: Epiſcopus verò eum inſtituet, vel alius ad quem ſpectat. Si verò ſit laicum, examen non fit per concurſum, ſed præſentatus ab eo debet examinari à deputatis examinatoribus, & ſi fuerit idoneus repertus, admitti.

Si Parochia vacet per reſignationem factam in manibus Papæ, in fauorem certæ perſonæ, & Papa admittat, non eſt faciendus concurſus, ſed ſatis eſt examinari à deputatis examinatoribus cum Epiſcopo, & iudicari dignum. Sic fertur reſpondiſſe Sacram Congregationem Concilij: tunc enim Papa cenſetur diſpenſare in decreto Concilij: ſi verò ſit inferior Papa admittens reſignationem liberam, debet fieri examen per concurſum; quia inferior non poteſt in decretis Concilij œcumenici diſpenſare.

Si Parochia vacet per permutationem, ſiquidem permutatio fiat cum alia Parochiali eiuſdem conditionis, non requintur examen, vt declarauit S. Congregatio, prius enim ſatis eſt: ſi verò fiat permutatio cum ſimplici, vel cum alia Parochiali, vbi maior induſtria requiritur, debet fieri examen per concurſum, vt colligitur ex Concilio, & docet Leſſius *lib. 2. cap. 34. num. 85.* Quamuis Garzias *de benef. cap. 2. p. 9. num. 161.* neque in his faciendum eſſe affirmet, ex Pariſio & alijs. Conc. Trid. Leſſius. Garzias.

3. Capitulum ſede vacante, vel eius Vicarius poteſt facere concurſum beneficiorum Curatorum; quia ſuccedit in his, quæ ſunt iuriſdictionis ordinariæ, exceptis caſibus iure expreſſis; hæc autem iuriſdictio data Epiſcopis à Concilio eſt ordinaria. Vicarius autem Generalis Epiſcopi abſque ſpeciali mandato poteſt facere concurſum, quia id eſt iuriſdictionis ordinariæ. Prælati verò inferiores Epiſcopis non poſſunt concurſum ad Eccleſias Parochiales vacantes, quarum collatio ad eos ſpectat, habere, vt colligitur ex decreto Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.* per quod patet Epiſcopis vel eorum Vicarijs, non autem alijs collatoribus facultatem concurſum habendi committi. Idem habetur ex Conſtitut. Pij V. quæ incipit, *In conferendis beneficijs.* Et teſtatur Garzias *de benefic. part. 9. cap. 2. num. 121. & ſequent.* ita fuiſſe pluries declaratum à Sacra Congregatione Concilij. Verùm dictæ declarationes & reſolutiones limitantur, vt non procedant, quando Prælati Epiſcopo inferiores ſunt nullius Diœceſis & habent proprium territorium, & omnimodam & quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem, & ius congregandi Synodum, vt ait Pariſius *de reſignat. benefic. lib. 8. quæſtione 9. numero 98.* dicens, ita fuiſſe declaratum per Sacram Congregationem Concilij. Et Garzias *cit. n. 130.* refert idem tenuiſſe Rotam. Idem procedit de Abbatibus exemptis, qui etſi non ſint nullius Diœceſis, tamen habent propriũ & diſtinctum territorium, & Epiſcopalem iuriſdictionem priuatiuè, & ius congregandi Synodum, & qui cùm effectu illam congregarunt, ac examinatores deputarunt, Conc. Trid. Pius V. Garzias. Pariſius. Garzias.

bi poſſunt concurſum habere ad Eccleſias Parochiales, quarum collatio ad ipſos ſpectat, & in eis magis idoneus inſtituere. Garziat. Vide Garziam *cit. n.* 137. & 140. vbi aduertit, quòd, quamuis Abbates ius Synodum congregandi obtinerent, ſi nondum illam congregarunt, aut examinatores non deputarunt; concurſum habere ſpectabit ad Epiſcopum, intra cuius Diœceſim Parochialis Eccleſia exiſtit, vel ad vicinorem. Si autem ſemel Synodum congregaſſent, & in ea examinatores deputaſſent; quamuis examinatores extincti fuerint, ſupradicta non habent locum, ſed deuolutio fiet ad Sedem Apoſtolicam, iuxta prædictam Conſtitutionem Pij V.

4 In concurſu omnes ad examen ſunt admittendi, etiam poſt terminos edicti, re integra, hoc eſt, antequam examen ſit abſolutum: quod verum eſt, licet habeant aliud Curatum: conſanguinei tamen Epiſcopi ad concurſum non poſſunt admitti, quando vacaret Parochialis per reſignationem in ſuis manibus; ſecus ſi vacaret per obitum. Si autem vnus tantùm appareat ad concurſum, examinari debet, ejque danda Parochialis, ſi idoneus ſit: validaque erit collatio ei facta, quamuis fraude illius & artificio alij non comparuiſſent; tamen prouiſus in hoc caſu tenetur ad reſtitutionem iniuriæ, & damni facti illis, qui fortè ſi digniores fuiſſent electi, & qui non acceſſerunt ipſius fraude, vel minis: ſecùs ſi tantùm precibus deſtituiſſent. Garzias Ita Garzias *cit. num.* 206. 208. 211. & 215.

5. Quando poſt terminum edicti nullus examinandus comparet, ex declarationibus Sacræ Congregationis Concilij decretum eſt, vt refert Garzias *cit. num.* 219. & 220. Garzias. *Primò*, aliud edictum debere proponi, & ſi nemo concurrat idoneus, tunc conferatur alicui præuio examine ſine concurſu. *Secundò*, in collatione Parochialium, quæ ſunt tenues, vt quia non excedunt 24. ducatos de Camera, ſi propoſito primo edicto nemo compareat, fiat tunc edictum examinis, ſed ſine concurſu. *Tertiò*, beneficia curata, quorum redditus adeò exigui ſunt, vt ea aut nullus idoneus requirat, aut compareat in concurſu ita rudis, vt neque vulgarem linguam calleat, conferenda ſunt iis quos inter omnes, maiores literaturæ eſſe cognouerit Epiſcopus, eoſdemque amplius eruditi curabit. *Quartò*, vbi non eſſet liber concurſus ob dominos temporales, vel aliam iuſtam cauſam, & fructus eſſent pingues, ponendi ſunt Vicarij, donec conferri poſſint magis idoneis, ſeruata forma Concilij. *Quintò*, quando nullus eſſet idoneus, conferatur vni ex comparentibus minùs inſufficienti, quem poſtea inſtrui curare debet Epiſcopus, vt idoneus euadat.

6. In prouiſione beneficiorum ſimplicium nulla eſt ſpecialis forma iure præſcripta, ſi conferantur per liberam collationem Ordinarij, etiam inferioris Epiſcopo. Vnde nec requiritur vocatio per edictum, neque concurſus, ſed ſatis eſt prouiſum eſſe idoneum. Gloſſa. Ita Gloſſa *cap. Monaſterium* 16. *quæſt. vltim. cap.* 3. *de iur. patron.* Tamen in beneficijs ſimplicibus electi, ſeu præſentati à perſonis Eccleſiaſticis quibuſcumque non debent prouideri, nisi examinati fuerint ab Ordinarijs, & reperti idonei Concil. Tridentin. Conc. Trid. *ſeſſione ſeptima, capite decimoterrio, de reformatione.* Quòd ſi inſtitutio pertineat ad inferiores Epiſcopo, debent præſentati priùs ab Epiſcopo examinari & approbari; aliàs inſtitutio ab inferioribus facta nulla eſt. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 9. *de reformat.* At verò quando inſtitutio pertinet ad Epiſcopum in præſentatis à patronis laicis, hos Epiſcopus, ſi velit, examinare poteſt, non tamen examen neceſſariò requiritur, ex Trident. *ſeſſ.* 7. *cap.* 13. *de reformat.* quod ſolùm loquitur de præſentatis à perſonis Eccleſiaſticis.

7. Beneficium debet conferri poſt vacationem, non antea nec etiam promitti, *cap.* 1. & 3. *de conceſſ. prabend.* Ratio eſt, ne quis alienæ mortis deſiderium & procurationem habeat. Papa autem poteſt ius tribuere vacaturis ex plenitudine ſuæ poteſtatis, *cap. propoſuit, de conceſſ. prabend.* Hinc patronus non poteſt præſentare ad vacaturum, nec permittere de facienda præſentatione, *cap. final. de conceſſ prabend.* Poteſt tamen fieri vnio de beneficio viuentis, non ſolùm Collegio vel Capitulo, ſed etiam dignitati, aut beneficio alicuius perſonæ particularis. Ratio eſt, quia licet videatur dari occaſio voti captandæ mortis, tamen, quia non fit particulariter perſonæ, ſed eius dignitati, vel beneficio, non conſideratur iſta ratio. Ita Garzias *de benefic. part.* 10. Garzias. *cap.* 1. *num.* 29. ex multis.

8. Tempus, intra quod debet prouideri de beneficijs vacantibus, eſt; ad quos prouiſio ſpectat, infra ſex menſes prouidere debent, *cap. nulla* 2. *de conceſſ. prabenda, cap. licet, de ſupplend. neglig. Prælat.* quod habet locum. *Primò* in electione, niſi ſit Eccleſia Cathedralis, vel regularis. quæ ob maius periculum imminens requirit prouiſionem infra tres menſes. *Secundò*, in præſentatione, niſi ſit ius patronatus laicale tantùm, quod ſolùm habet quatuor menſes, *cap. vnic. de iur. patron. in* 6. *Tertiò*, in prouiſione Parochialium etiam iuxta Tridentin. *ſeſſione vigeſimaquarta, cap.* 18. *de reformatione*, quando collatio ſpectat ad Epiſcopum; nam ſi ad Papam vel alios, aſſignatur quadrimeſtre ex Conſtitutione Pij V. *in conferendis. Quartò*, in Hoſpitalibus, quæ conferuntur in titulum. *Quintò*, in habente indultum à Papa conferente beneficia reſeruata. Ita Azorius *part.* 2 *lib.* 6. *cap.* 26. *quæſt.* 20. Azorius. Nota tamen dictos menſes computari ſecundùm Calendarium, & ſecundùm quod occurrunt, ita vt quod deficit de primo menſe, accipiendum ſit de vltimo.

9. In prouiſione neceſſaria, quales ſunt enumeratæ, non eſt à iure præfinitum tempus, intra quod neceſſariò debet fieri inſtitutio, confirmatio & collatio, vt docet Garzias *citat. cap.* 4. *num.* 1. nec textus *in cap.* 2. *de conceſſ. prabend.* habet locum in collatione neceſſaria, ſed libera. Quòd ſi is, qui debet inſtituere, confirmare, &c. ſit negligens, ſeu recuſet, recurrendum erit ad Superiorem, qui præſcribat tempus, infra quod id faciat, quo elapſo, ipſe ſupplebit: vel etiam poteſt fieri appellatio à grauamine ſibi illato, vt docet Garzias *cit. num.* 9. Garzias.

Quibus autem beneficia ſint conferenda, vide *in tom.* 1. *verb. Beneficium VI.*

Vide v. Vicarius *num.* 10. 11. *& ſequent.*

BENEFICIVM VII.

De permutatione & reſignatione Beneficiorum.

SVMMARIVM.

1 *Permutatio beneficiorum priuatis perſonis iure Eccleſiaſtico prohibita eſt.*

1 *Permutatio facienda eſt authoritate Ordinarij v.g. Papæ, vel Epiſcopi, vel Legati, vel Prælati inferioris, cui competit.*

2 *Quædam permutationes beneficiorum prohibentur fieri coram Ordinarijs locorum.*

3 *Quædam obſeruanda vt permutatio beneficiorum rectè & validè fiat.*

4 *Permutantes poſſunt inter ſe tractare & agere de beneficijs permutandis & concludere in Ordine ad conſenſum Superioris: & conſtituere Procuratores.*

5 *Non eſt certum tempus in iure conſtitutum, intra quod Ordinarius debeat conferre beneficia reſignata ex permutatione.*

6 *Permutatio debet fieri ex cauſa, qua ſit neceſſitas vel vtilitas Eccleſiæ, vel perſonarum permutantium.*

7 *Reſignatio beneficij ſimplex differt à reſignatione conditionali.*

8 *Super reſignationibus beneficiorum extant bullæ Pij V. quarum ſummarium recenſetur: non comprehenduntur ibi beneficia iuris patronatus.*

9 *Omnes qui habent beneficia poſſunt illa reſignare exceptis Minoribus 14. annis, & priuatis ipſo iure ob crimen commiſſum.*

10 *Clericus poteſt per procuratorem beneficium ſuum reſignare.*

11 *Reſignatio cum reſeruatione fructuum fieri non poteſt, niſi ex diſpenſatione Papæ.*

1. PErmutatio habet in ventre reſignationem in fauorem permutantium, includit enim reſignationem & addit nouam collationem eorumdem beneficiorum ſic reſignatorum, expreſſam vel tacitam, inter permutantes: vnde priuatis perſonis prohibita eſt permutatio, *cap. cum vniuerſorum de rer. permutat.* ob vitanda multa inconuenientia, ſi priuatorum arbitrio id relinqueretur: & præcipuè, vt omnis occaſio auaritiæ & ambitionis clericis præcidatur, & ne clerici de beneficijs tanquam de rebus profanis ſtatuere videantur: denique ne putent idem ius ſe habere in beneficijs, quod in patrimonio. Ratio autem præcipua prohibitionis eſt, quia is qui permutat, eo ipſo ſuum beneficium dimittit & reſignat in manibus ſuperioris, & acquirit aliud; nemo autem poteſt aliud acquirere, niſi ei conferatur à legitimo ſuperiore. Hæc autem permutatio priuata authoritate facta, iure tantùm Eccleſiaſtico eſt prohibita, vt habet communis Doctorum ſententia; quia iure naturali & diuino prohibita tantùm eſt ea permutatio, in qua res ſacræ & ſpirituales permutantur cum temporalibus: at in permutatione beneficiorum commutantur res adnexæ ſpiritualibus, conſequenter inter ſe, quarum permutatio tantùm iure canonico prohibita eſt fieri propria authoritate. Ita Suarez *lib. 4. de Simon, cap. 30. num. 8.* Sotus *lib. 9. de inſtit. quæſt. 1, art. 2.* Azorius *parte 2. lib. 7. cap. 24. quæſt. 2.* Suarez. Sotus. Azorius.

2. Permutatio beneficiorum facienda eſt authoritate Ordinarij, qualis eſt. *Primò* Papa, qui non modò permutationem beneficiorum ſimplicem, ſed etiam illam, quæ eſſet cum adiecto onere penſionis, vel reciproca, vel triangularis, admittere poteſt, & approbare. *Secundò*, Legatus à latere, quia huc etiam connumeratur inter Ordinarios reſpectu Prouinciæ cui præeſt, & habet ex priuilegio Epiſcopalem iuriſdictionem, & multò maiorem. *Tertiò*, Epiſcopus proprius, vt teſtatur ordinaria & communis praxis, ex recepta ſententia Doctorum, probari poteſt, *ex cap. quæſitum de rer. permutat. & cap. vnic. eod. in 6. Quartò*, vel alius inferior habens Epiſcopalem iuriſdictionem; quia Epiſcopo competit eiuſmodi poteſtas ſolùm ratione iuriſdictionis; ſi ergo alius inferior eam habeat, & illi competat collatio beneficiorum permutandorum, poterit etiam approbare permutationem. Vicarius autem Epiſcopi etiam poteſt, ſi habeat ad id ſpeciale mandatum. Vide Azorium *cit. cap. 24 quæſt. 4.* Sylueſtrum *verb. Permutatio 2. num 2.* Azorius. Sylueſter.

3. Quædam ſunt permutationes quæ prohibentur fieri coram Ordinarijs locorum. *Primò*, ſi ſint beneficiorum Papæ reſeruatorum, cùm enim ea conferre Ordinarij non poſſint & in permutatione includatur collatio, non poſſunt ea permutari coram Ordinario. *Secundò*, ſi permutetur vnum cum pluribus, quæ iure communi ſimul haberi non poſſunt, etiam ex licentia Ordinarij. *Tertiò*, ſi ſint exempta ab authoritate Ordinarij. *Quartò*, ſi ſint inæqualia quoad fructus, & minus debeat compenſari in poſitione penſionis, id enim ad Papam pertinet. *Quintò*, ſi beneficium obtentum ſit à Papa relaxante ius commune; non enim tranſit relaxatio Pontificia ad aliud cum quo permutat. *Sextò*, ſi ficta eſſet permutatio, vt ſi permutaret quis cum beneficio quod non extat, vel quod non habet is cum quo permutat.

4. Vt validè ac rectè beneficia inter ſe permutentur. *Primò*, curandum ne ſit vnum ex ijs litigioſum; res enim litigioſa quamdiu lis pendet, nequit alienari, nec pignori tradi; limita, niſi liberè permutans cum litigioſo cederet iuri ſuo. *Secundò*, ſi alterum eſſet iuris patronatus, citra patroni conſenſum permutari non poteſt, *cap. 1. de rer. permutat. in 6.* Quòd ſi authoritate Epiſcopi inſcio patrono permutetur, reſcindenda erit permutatio, ſi patronus voluerit, modò intra tempus præfixum reclamet, & offerat clericum quem voluerit. *Tertiò*, ne beneficia ſint vnita monaſterio, v. g. quia permutatio impediret effectum vnionis, & ſic noceret Monaſterio. *Quartò*, ne ſint in diuerſis Diœceſibus; ſic enim requireretur authoritas vtriuſque Epiſcopi, in permutatione enim vtrumque dimittitur, & confertur. *Quintò*, ne ſint reſeruata; reſeruatio enim tollit iuriſdictionem ad ea conferenda neceſſariam in permutatione.

Quòd ſi ſcienter reſignent in manibus Ordinarij, hoc eſt, ſcientes eſſe reſeruata, valida eſt reſignatio, ſed permutatio deinde fieri debet auctoritate Papæ, & ſi hic nolit non poſſunt permutantes redire ad ſua beneficia: ſecus ſi neſcientes eſſe reſeruata renunciaſſent; tunc enim inualida eſt renunciatio & reuerti poſſunt ad ſua beneficia. *Sexto*, commendatum beneficium poteſt permutari, ſi ſit commendatum in perpetuum; ſi ad tempus, requiritur authoritas eius qui commendauit. Ita Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 29. quæſt. 5. 6. 7. 8. 10. & 11.* apud quem plurà de his. Azorius.

5. Permutantes poſſunt inter ſe tractare & agere de beneficijs permutandis, concludere etiam tractationem, & promittere ſe permutationem perfecturos in Ordine ad conſenſum Superioris, non autem abſolutè paciſci; alioqui, niſi pactum tollant, & conſtituantur in priori libertate, nec perficiant niſi in ordine ad conſenſum Superioris, Simoniam committerent, & tantùm coram Papa purgari poſſet, exprimendo pactum initum, *cap. vlt. de pactis.* Poſſunt etiam permutantes conſtituere Procuratores, per quos ſua beneficia permutent: nec eſt neceſſe Procuratorem eſſe clericum, etſi melius ſit, vt iudicatum eſt in Rota. Debet autem Procurator habere ad hoc ſpeciale mandatum. Duo item clerici poſſunt conſtituere vnum & eumdem Procuratorem, cum vnus & idem fungi poſſit

Azorius. possit duorum officio. Ita Azorius *citata quæstione* 18.

6. Non est certum tempus in iure constitutum, intra quod Ordinarius debeat conferre beneficia resignata ex permutatione: Superior tamen Ordinarij, potest illi præcipere, vt intra determinatum tempus permutationem absoluat; alioquin eo transacto ipse perficere poterit. Securius tamen fiet citra vllum temporis interuallum, vt admonent Doctores, si autem aliter fiat, valet permutatio, quod contingit cùm permutantur beneficia existentia in diuersa Diœceti. Tunc enim debent resignari coram diuersis Episcopis, à quibus postea debent etiam conferri. Vnde sequitur, si Petrus & Paulus permutent sua beneficia, & Paulus resignet prior, factaque resignatione & collatione moriatur antequam Petrus resignationem sui beneficij faciat, Petrus habebit vtrumque. Tutius est, vel vt alter alterum conueniat, & authotitate suorum Episcoporum permutationem expediat; vel vnus vices suas in hac parte alteri committat; vel denique vterque committat tertio, qui nomine amborum beneficia permutet. Ita Lessius *lib. 2. cap. 54. num. 197.* Azorius *tit. cap. 30. quæst. 2.* Rebuffus, § *de permutat.* Lessius. Azorius. Rebuffus.

7. Permutatio debet fieri ex causa, *cap. quæsitum, de rer. permutat.* Ratio est, quia permutatio res est odiosa, quia contra ius commune, *cap. maioribus de præbend.* ideoque restringenda, & non facienda sine iusta causa, ex qua Episcopus dispenset.

Duplex est autem iusta causa, prima, *Necessitas*; secunda, *vtilitas Ecclesiæ*, probatur ex *cap. quæsitum, vers. Si autem Episcopus, de rer. permutat.* Sed circa hæc est notandum *Primò*, teneri Ordinarium admittere permutationes quæ ex aliqua ex dictis causis fiunt. *Secundò*, iustam causam etiam esse quamlibet spiritualem, vt puta, maius Dei seruitium, vt meliùs vterque permutantium, vel alter Deo seruiat. *Tertiò*, sufficit etiam vtilitas personarum, & quod sic ijs expediat. *Quartò*, si sola intercedat commoditas temporalis absque vllo respectu ad diuinum cultum, peccatum esset suo genere graue, non tamen simonia; nisi latè sumpta; & probabile est fore nullam factam coram Ordinarijs: quia dispensatio in iure communi absque iusta causa, nulla existimatur; præsertim accedente Bulla Pij V. 58. *vers. ad hæc.* Vbi solùm conceditur Ordinarijs admittere permutationes, quæ canonicis sanctionibus permittuntur, cum decreto irritanti, si secus. Ita Garzias *de benefic. p. 11. cap. 4. num. 44. & sequent.* Syluester *verb. Permutatio 2. nu 3.* Garzias. Sylues.

8. Cùm duplex sit resignatio, vna simplex seu pura, altera conditionalis, sicut diximus *tom. 1. verb. Beneficium 11. num. 8.* differt tamen simplex à conditionali in duobus. *Primò*, quia simplex fieri potest coram Ordinario, conditionalis autem tantùm coram Papa excipitur ea quæ fit causa permutationis; nam et etiam coram Ordinario fieri potest. *Secundò*, quia in simplici statim resignans abdicat ius, & manet sine titulo etiam colorato, vnde vt vacans potest liberè conferri & impetrari: in conditionali verò non abdicatur ius nisi impleta conditione, hoc est, nisi beneficium resignatum acquiratur resignatario, in cuius fauorem dimissio facta est, & si resignatarius absens sit, antequam acceptet. Hinc resignans per resignationem amittit omne ius quod habet in beneficio postquam admissa est à Superiore, etsi retineat possessionem de facto, & naturalem quodammodo. Et in simplici quidem admissa resignatione per Superiorem & præstito consensu, resignans non percipit amplius fructus qui ei debentur vsque ad illud tempus: in conditionali autem debentur resignanti vel vsque ad tempus expeditionis literarum, in fauorem resignatarij, vel vt habet praxis vsque ad diem præstiti consensus à resignatario: nam vsque ad illud resignans potest pœnitere: fructus verò pendentes diuidendi sunt pro rata temporis inter resignantem & resignatarium. Ita Couarruuias *1. variar. cap. 15.* Parisius *lib. 1. quæst. 3. & 6.* Couar. Parisius.

9. Super resignationibus beneficiorum emanarunt à Pio V. duæ bullæ, quæ habentur apud Quarantam *in Sum. Bullarij verb. Beneficiorum resignationes. Prima* data est anno 1567. Sexto Idus Augusti: quæ incipit, *Officium credita nobis, &c.* vbi prohibet resignationes admitti, donec de modo earum sit aliquid certi determinatum. Altera data est anno 1568. Kalend. Aprilis, quæ incipit, *Quanta Ecclesia Dei, &c.* Vbi ponit conditiones, sub quibus possunt resignationes beneficiorum acceptari. Et *Primò* quidem ex parte personæ resignantis requirit has causas, nimirum, vt resignantes sint, aut senio confecti; valetudinarij; aut corpore impediti, vel vitiati, aut criminis obnoxij, censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeant, aut non debeant Ecclesiæ aut beneficio inseruire, seu qui vnum, aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoueri. Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id reipsà exequantur: denique cùm quis ex alijs casibus acciderit, qui constitutione felic. recordat. Innocentij Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesijs edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeant, vel non audeant in loco beneficij residere securi. Pius V. Quaranta. Innoc. IV.

Secundò ex parte beneficij requirit, vt non sit datum in titulum ordinationis, vel non sit omninò necessarium ad resignantis sustentationem.

Tertiò, ex parte eorum, in quorum manibus resignationes fiunt, siue ad quos spectat resignatorum beneficiorum prouisio, quales sunt Episcopi, Electores, Præsentatores & Patroni tam Ecclesiastici, quàm laici, requirit, ne verbo quidem aut nutu, vel signo, futuri in huiusmodi beneficijs & Officijs successores, ab ipsis resignantibus, aut alijs eorum significatione vel hortatu designentur, aut de ijs assumendis promissio inter eos vel etiam intentio qualiscumque intercedat.

Quartò. Ne ipsi Episcopi, aut alij collatores de beneficijs & officijs resignandis prædictis, aut suis aut admittentium consanguineis, affinibus vel familiaribus etiam per fallacē circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant prouidere.

Quintò. Annullat omnem resignationem contra prædictorum obseruantiam factam, superadditis pœnis in facientes.

Hæc constitutio latissimè declaratur per Parisium *in tract. de resignat. benefic. part. 1. lib. 5. q. 6.* Sed aduertendum ex Quaranta derogatum esse quartæ conditioni per Gregorium XIII. vt non comprehendat beneficia iuris patronatus, de quibus consanguineis & affinibus, &c. prouideri potest. Et refert testimonium authenticum Cardinalis Matthæi de hac derogatione, quod in libris Sacræ Congregationis Concilij, asseruatur. Parisius. Greg. XIII.

Circa tertiam conditionem, vt scilicet in huiusmodi renunciatione coram Ordinario facienda nec etiam nutu designari possit successor in beneficio, aliàs collatio sit inualida, est aduertendum, per decisionem Rotæ declaratum esse referente Cassadoro *decis. 2. de simon.* non obstante hac constitutione, posse resignantem nutu non præcedente dimissione facta Rota. Cassador.

Digitized by Google

facta in foro conſcientiæ rogare collatorem abſque labe ſimoniæ vt conferat reſignatum beneficium à ſe nominato, imò renunciare ea intentione & ſpe concepta, quòd conferetur beneficium cui reſignans volet, modo nihil horum ſit in pactum vel conuentionem deductum. Ratio eſt, quia non cenſetur Pontifex voluiſſe injicere conſcientijs laqueum communiter ineuitabilem contra text. in *cap. de viduis. 27. quæſt. 1.* Laqueus autem ineuitabilis eſſet, cùm vix reſignantes reperiantur, qui non habeant reſpectum ad aliquem, & vix Collatores vel Epiſcopi ſoleant conferre beneficia reſignata abſque aliqua commendatione. Ita Quaranta. Seclusâ ergo promiſſione, pacto, vel obligatione non eſt contra Bullam, ſi reſignans aliquem commendet, & Patronus vel collator etiam inclinationem & beneuolentiam erga eum oſtendat. Et hæc deciſio Rotæ eſt communi praxi recepta, cui fauet Nauarrus *in man. cap. 23. num. 107. & 109. & conſil. 36. & 38. de ſimon. in antiquis*, Diana *part. 5. tractat. 14. reſolut. 26.* Quaranta. Nauarrus. Diana.

10. Generatim reſignare poſſunt omnes, qui habent beneficia. Ratio eſt, quia quiſque poteſt renunciare rebus ſuis & iuribus dummodo non cedat in alterius præiudicium, & legitimè reſignetur beneficium in manibus Superioris, & reſignans ſi ſit in ſacris, habeat vnde aliunde viuere poſſit. Ita Parisius *lib. 3. quæſt. 1.* Garzias 11. *part. cap. 3. num. 44.* In Curia tamen non admittuntur abſolutè omnes reſignationes Parochiarum & aliorum requirentium reſidentiam præſertim cum penſione: ſed exprimendum eſt tempus, in quo reſignans poſſedit, & ſi breue eſt, vt minus 5. annis in circa, hoc eſt 4. cum dimidio; vel ſaltem tribus, reſignatio reijcitur; cœpit autem hic ſtylus anno 1590. ſub Gregor. XIV. Limitatur tamen concluſio in Minore 14. annis, qui ex diſpenſatione poſt Trident. *ſeſſ. 23. cap. 6. de reform.* beneficium obtinuit, hic enim non poteſt reſignare, niſi authoritate tutoris, & cum cauſæ cognitione: ſecus dicendum de Minore 25. & Maiore 14. talis enim poteſt ſine curatore; quia in beneficialibus habetur pro Maiore ex *cap. vlt. de indic.* Etſi læſus non ſit, non gaudet beneficio reſtitutionis ex ſola ætate: ſi verò læſus fuerit & adhuc res eſt integra, gaudet beneficio reſtitutionis, ſi non eſt integra non eſt reſtituendus iuxta deciſionem Rotæ, niſi probetur dolus vel fraus in reſignatario vel in altero tertio. Deinde limitatur in priuato ipſo iure beneficio ob crimen commiſſum: hic non poteſt reſignare, quia caret titulo à die commiſſi criminis, etiamſi poſſeſſione non careat: ſecus de eo qui priuandus eſſet, etiam ſi accuſatus fuiſſet: quia adhuc habet ius & titulum in beneficio, vnde validè reſignare poteſt. Ita Garzias *cit. num. 59. & ſequent.* Parisius. Garzias. Greg. XIV. Conc. Trid. Garzias.

11. Clericus poteſt per Procuratorem beneficium ſuum reſignare: vt habet communis praxis beneficiatorum. Laicus autem poteſt eſſe Procurator, quia non ſuo, ſed alterius nomine beneficio cedit: Religioſus verò prohibitus eſt iure canonico *cap. Monachi 2. 16. quæſt. 1.* ne vagandi occaſionem accipiat: intelligè, niſi Superioris conſenſus acceſſerit. Multi item Procuratores eſſe poſſunt, vel ita vt ſinguli ſint in ſolidum, vel ita vt omnes ſimul. Imò vnus & idem reſignantis & reſignatarij Procurator eſſe poteſt, illius nomine dimittendo & huius recipiendo. Requiritur ad hoc ſcriptura à publico Tabellione confecta, in qua abſens mandatum id tradat Procuratori ſuo ſigno publico iudicis ordinarij vel communitatis, à Tabellione ſubſcriptum. Facultas expreſſa ad id dari debet, beneficium nominati, & locus in quo ſitum eſt. Ita Parisius *lib. 8. quæſt. 4.* Rebuffus *in prax. part. 3. tit. de procurat. ad reſign.* Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 20. & 22.* Parisius. Rebuffus. Azorius.

12. Reſignatio cum reſeruatione fructuum iure communi fieri non poteſt, quia beneficium diuidi nequit, *cap. maioribus, de prabendis*: tamen ex diſpenſatione Papæ ſolet admitti iuſtis de cauſis, vel vt reſignans habeat vnde commodè ſuſtentari poſſit, vel vt ſoluantur debita in Eccleſiæ vtilitatem contracta, *cap. ſi tibi conceſſo, de prabend.* vel ad gratificandum beneficiario, qui ratione laboris & munerum egregiè geſtorum, vel ratione prærogatiuæ perſonæ, id iudicio Papæ meretur: reſignatio tamen cum reſignatione omnium fructuum, inualida eſt, ſi Procurator reſignet, nullis fructibus reſeruatis; at ſi Papa nolit admittere reſeruationem omnium, ſed tantùm pro medietate, valet, quia cenſetur Procurator vtiliter geſſiſſe negotium ſui principalis. Ita Parisius *lib. 9. quæſt. 17.* Azorius *cit. cap. 22. quæſt. 12.* Et hæc de permutatione & reſignatione ſatis. Parisius. Azorius.

Vide v. Abbas *num. 16.* Excommunicatio 2. *num. 10. & 11.* Nouitius *num. 24.*

BENEFICIVM VIII.

De certis quibuſdam modis quibus beneficia amittantur.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia non amittuntur per ſponſalia de futuro.*

2 *Verum eſt per contractum Matrimonij validum vacare ſtatim ipſo iure beneficium.*

3 *Item per Matrimonium validum vacant acceſſus, regreſſus & quælibet alia iura ad beneficium.*

4 *Clericus contrahens matrimonium tenetur dimittere priora beneficia; & poſſunt impetrari tanquam vacantia.*

5 *Probabilius eſt, quando matrimonium eſt irritum non amitti ipſo iure beneficia, niſi ſententia iudicis fiat priuatiua.*

Ordinatus in ſacris contrahens matrimon. non amittit ipſo iure beneficia.

6 *Si Parochus intra annum Sacerdos non fiat, poſt annum elapſum vacat ipſo iure eius beneficium: hoc autem non habet locum in Epiſcopis, Prapoſitis, Decanis, &c.*

7 *Epiſcopus tranſlatus ab vna Eccleſia in aliam, prima vacat per ſecundæ poſſeſſionem pacificam; ſicut etiam omnia illius beneficia quamuis ſimplicia.*

8 *Per profeſſionem tacitam vel expreſſam Religionis approbatæ vacant quæcumque beneficia ante habita.*

9 *Quando ipſo facto tantùm & non iure vacare dicuntur beneficia.*

10 *Manualia beneficia vacant per collationis reuocationem & per mortem poſſidentis.*

Poteſt Prælatus ad libitum & abſque cauſa Priorem manualem à ſuo Prioratu remouere, quamuis promiſerit ſe non reuocaturum.

Item, etiamſi promiſſionem iuramento confirmaſſet: vel alias numquam reuocauerit; vel etiam ſi Prælatus cum conuentu promiſerit, ſe non reuocaturum, niſi de ipſius conuentus conſenſu.

11 *Regularis inuari non poteſt in pacifica poſſeſſione ſui beneficij manualis* reg. de triennali. Imò

ſpoliatus

ſpoliatus non poteſt contra Prælatum de poſſeſſorio agere, petendo ſe ad priſtinam poſſeſſionem reſtitui, niſi ſpoliatus ſit ex Prælati malitia.

12 *Prælatus quando poſſit à ſubdito Prioratum manualem is à Papa collatum auferre.*

13. *Quando Papa beneficium manuale à Prælato collatum ex certa ſcientia confirmat, non poteſt Prælatus illud à religioſo abſque ipſius Papæ licentia auferre, niſi crimen priuatione dignum commiſerit.*

Beneficium manuale per Papæ collationem aut confirmationem non mutat naturam ſuam, ſed mortuo poſſidente poterit ad Superioris nutum conferri & reuocari.

1. CErtum eſt apud omnes, beneficia nequaquam amitti per ſponſalia de futuro. Ratio eſt, quia ſicut per adeptionem poſteriorjs beneficij incompatibilis priùs minimè vacat, dum plenè non eſt poſterioris obtenta poſſeſſio, *cap. commiſſa, de elect. in 6.* ita per ſponſalia, quæ ſtatum plenè incompatibilem non inducunt, ſed ſolùm via ſunt ad illum comparandum, non vacant beneficia. Ita Rebuffus *in praxi benefic. reg. de public. reſignat. gloſſ. 18. num. 40.* & communiter Canoniſtæ. Eman. Sà, *verb. Beneficium, num. 24.*

Rebuffus. Eman. Sà.

2. Quidam cenſent per contractum matrimonij validum non vacare ipſo iure beneficia, ſed expectandam eſſe iudicis ſententiam, quod probant, quia communis ſententia habet non vacare beneficium ante ſententiam, quamuis Canon ſtatuat ipſo iure amitti, addatque abſque alia declaratione: Deinde in *cap. 1. de cler. coniugat.* dicitur, *Si quis clericorum infra ſubdiaconatum acceperit vxores, ipſos ad relinquenda beneficia Eccleſiaſtica, & retinendas vxores, diſtrictione Eccleſiaſtica compellatis*: & *cap. quod à te, eodem titul.* ibi, *Beneficijs ſunt priuandi.* Quibus in textibus videtur apertè decidi, hunc clericum non eſſe per matrimonium beneficijs ipſo iure priuatum, ſed priuandum. Ita Rodriguez. *tom. 1. Sum. c. 224.* Nihilominus certiſſimum eſt, per contractum matrimonij validum vacare ſtatim ipſo iure beneficia illius clerici in minoribus ordinibus conſtituti contrahentis. Ratio eſt, quia talis ſe vinculo incompatibili cum beneficio ſponte ſua innodat, ac proinde eo ipſo per ſpontaneam dimiſſionem illud videtur repudiare: & hoc minimè ſtatutum eſt in pœnam delicti, vt ſic ſententia iudicis deſideretur; nullum enim delictum eſt hos matrim. inire. Tum quia ea tacita conditione cenſetur clericus obtinere beneficium, ne ſtatum incompatibilem eo retento aſſumat: quare eo aſſumpto deperditur ſtatim beneficium tanquam conditione deficienti. Ita Gloſſa *cap. vnic. verb. clericalo, de cleric. coniugat. in 6.* & ibi Ioannes Andræas, Ancharanus & communis. Nauar. *in man. cap. 25 num. 120.* vbi docet talem clericum peccare mortaliter, qui poſt matrimonium contractum per verba de præſenti, retinet beneficium: ideò vt non recuperet illud, quamuis vxor ante conſummatum matrimonium Religionem ingrediatur: quia cùm ipſum ſemel vacarit, non poteſt ad id abſque noua collatione redire. Ius enim ſemel extinctum non reuiuiſcit amplius, licet cauſa extinguens ceſſarit, *cap. Quam periculoſum 7. q. 1.* Ita etiam Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 42. num. 6.* & alij *ab ipſo citati.*

Rodriguez.

Gloſſa. Ioan. Andr. Nauarrus.

Sanchez.

3. Inſuper per matrimonium validum, acceſſus, regreſſus ac quælibet alia iura ad beneficium Eccleſiaſticum ipſi contrahenti competentia, amittuntur: vacant enim ipſo iure ſtatim, inſtar beneficiorum. Vt ſi quiſpiam impetraret reſcriptum ad præbendam vacaturam, & antequam vacaret, inijt matrimonium, ac defuncta vxore vacauit, non poteſt eam petere. Quia cùm matrimonium ſit ſtatus incompatibilis cum beneficio, per ipſius contractum, non ſola beneficia, ſed omnia iura ad illa tanquam derelicta habentur. Ita Clarus *lib. 5. recept. in pract. crimin. §. final. quæſt. 73. num. 5.* Couarruuias *4. decret. 2. p cap. 6. §. 3.* & alij communiter.

Clarus. Couar.

4 Clericus iuxta dicta contrahens matrimonium tenetur dimittere priora beneficia: & poſſunt ſtatim tanquam vacantia impetrari, ac alteri conferri: quia inito matrimonio, non iure, ſed ſolo facto poſſidet. Vnde tenetur hic, ſi beneficium retineat, ad reſtituendos omnes fructus à ſe poſt matrimonium initum, perceptos: quia iniuſtè occupat beneficium, quod non eſt ſuum. Ita Toletus *lib. 5. Sum. cap. 82.* Sanchez *cit. num. 10.* Inſuper non poteſt hic matrimonio iam contracto, reſignare beneficium in fauorem tertij, quia nullum ius in id beneficium ipſi ſupereſt vt docet Flamin. *lib. 3. de reſign. benef. quæſtione 1. numero 28. & ſequentibus.*

Flamin.

5. Probabilius eſt, quomodocumque & ex quacumque cauſa matrimonium ſit irritum, non amitti beneficia ipſo iure, ſed in delicti pœnam, ſententia iudicis accedente, contrahentem priuandum eſſe. Ratio eſt, quia non præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum, *de regul. iur. in 6.* Et quod nullum eſt, nullum poteſt producere effectum, nec eſt conſiderabile. Cùm ergo id matrimonium irritum ſit, non inducet iuris effectum, nec ad id erit in conſideratione. Hæc enim pœnalia non ſunt extendenda, maximè cùm in contrarium extent omnia iuris principia clamantia quòd irritum eſt, nullum producere effectum. Et huius ſententiæ ſunt Ioannes de Lignano *cap. 1. de ſponſal. in 6.* cui adhæret Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 43. num. 3.* Ex qua ſententia deducitur, poſſe clericum reſignare beneficium in fauorem cuiuſcumque, poſt matrimonium à ſe contractum, quod ex quauis cauſa eſt irritum, antequam eo priuetur per iudicis ſententiam; quia non vacat ipſo facto. At qui ſuſtinent vacare, dicturi ſunt eum non poſſe reſignare in fauorem tertij, quod eſt etiam probabile. Vt docet Sanchez, *cit. num. 11.*

Ioan. de Lignano. Sanchez.

Ex dictis infertur Ordinatum in ſacris contrahentem matrimonium non amittere ipſo iure beneficia, ex *cap. 1. de cleric. coniug.* vbi loquens de clericis in minoribus ducentibus vxores, decidit vxores retinendas, beneficia dimittenda; de clericis in ſacris, tranſeuntibus ad nuptias ſolùm dicitur vxores eſſe dimittendas, vt ſentiunt multi Canoniſtæ. Item beneficiarium contrahentem matrimonium irritum, vel ob conſanguinitatem vel affinitatem, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter, vel quando eſt irritum defectu ætatis, vel conſenſus, non amittere ipſo iure beneficia.

6. Quando Parochus intra annum Sacerdotio non ordinatur, vacat ipſius beneficium ipſo iure poſt integrum annum elapſum, & non quando tantùm pars eius elapſa eſſet, vt non poſſet is intra ipſum ordinari, habetur *cap. licet canon cap. commiſſa, de elect. in 6.* Computatur autem annus à die poſſeſſionis pacificæ, ſi per eum ſteterit: ſi tamen legitimè fuiſſet impeditus, non computatur annus, vt ſi Epiſcopum intra annum non inuenit, vel infirmus fuit in lecto, vel ſi poſt impetrationem beneficij factus eſſet irregularis ſine ſua culpa, vt quia oculum amiſit, vel aliam partem neceſſariam, ex *cap. commiſſa & Gloſſa ibid.* Hæc autem pœna etiam in Vicario perpetuo habet locum, *Clement. 1. de offic. vicar.* Item in Priore Conuentuali, ſeu Clauſtrali,

Digitized by Google

ſtrali, ſiue in titulum, ſiue in commendam habeat Eccleſiam, *Clement. ne in agro, de ſtat. Monachor.* Non autem habet locum in Præpoſitis, Decanis & alijs, de quibus ſermo eſt, in *cap. cùm in cunctis*, §. *inſertura, de elect.* Neque in Epiſcopis, aut alijs dignitatibus habentibus curam animarum in fòro externo, neque in Eccleſijs Collegiatis: etiamſi Parochiales ſint, Gloſſa *cap. licet Canon, verb. Parochiales, de elect. in 6.* & *cap. ſtatutum eodem.*

Gloſſa.

7 Si Epiſcopus legitima authoritate ab vna Eccleſia transferatur ad aliam, prima vacat per ſecundæ poſſeſſionem pacificam, *cap. ſi quis iam translatus, 22. quæſt. 2.* Gloſſa *ibid.* ſi non legitima authoritate, vtramque amittit ipſo iure, *cap. quanto, de tranſlat.* Sed circa hoc eſt notandum *Primò*, per promotionem ad Epiſcopatum, poſt pacificam eius poſſeſſionem vacare omnia beneficia, etiam ſimplicia, *Secundò*, ſi intra tres menſes confirmationem non petat, aut per ipſum ſtet, quominus intra id tempus confirmetur, amittit omne ius acquiſitum per electionem, *cap. quæſit, de elect. in 6. Tertiò*, Confirmatus, ſi infra tres Menſes non conſecretur, aut per ipſum ſtet, amittit ius quæſitum, *cap. cùm in cunctis*, §. *cùm verò, de elect. Quartò*, ſi electus non præſtet conſenſum electioni infra Menſem aut tempus ſibi conſtitutum, amittit ius, *cap. quam ſit, de elect. in 6. Quintò*, ſtylus Curiæ Romanæ habet, vt, etiamſi poſſeſſionem Epiſcopus non cœperit, beneficia eius tanquam vacantia conferantur, in quo potuit conſuetudo à Papa ſcita & tolerata prævalere, contra *cap. cùm in cunctis, &c. Sextò*, in Epiſcopis qui titulares dicuntur, non vacant beneficia, quia poſſeſſionem Eccleſiarum non apprehendunt, nec fructus percipiunt. Vt Mendoſa *reg. 26. Cancell. quæſt. 4.*

Mendoſa.

8 Certum eſt quæcumque beneficia ante habita vacare profeſſione Religionis approbatæ tacitâ, vel expreſſa. Conſtat. ex *cap. Beneficium, de regular. in 6.* vbi deciditur, beneficia ingredientis Religionem conferenda non eſſe ante profeſſionem tacitam, vel expreſſam. Ergo à contrario ſenſu poſſunt conferri ſtatim ac nouitius profitetur. Ratio eſt, tum quia beneficium dicitur proprium habentis illud, ab illoque poſſideri, *cap. ſi tibi abſenti, de prabend. in 6.* at religioſus nihil poſſidere, nilque proprium habere poteſt. Tum quia per profeſſionem religioſus moritur mundo: quare ſicut morte naturali vacant beneficia, ita etiam hac morte ciuili: Hinc fit, ingredientis Monaſterium, non vt hat religioſus, ſed ſolùm Monaſterij Conuerſus, non vacare beneficia, ſed ab illo retineri, donec mutato animo verè profiteatur; quia interim non eſt verus religioſus nec mundo mortuus. Item nec vacare beneficia profeſſione equitum militarium D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, qui vulgò Commendatores appellantur, & ſimilium, quia profeſſionem ſolemnem non emittunt, per quam fiant incapaces: ſecus autem dicendum de equitibus militaribus D. Ioannis, quippe cùm illi ſolemnem profeſſionem emittant, eſt conſequenter dicendum, eorum profeſſione beneficia vacare. Item nec vacare beneficia Nouitij toto nouitiatus biennio in Societate Iesv: quia Trident. *ſeſſ. 25. de regular. cap. 16.* confirmat inſtitutum Societatis Iesv, quod biennium nouitiatus præſcribit: quare cùm ex iuris conceſſione nouitiatus prorogetur, prorogari quoque cenſetur tempus vacationis beneficiorum. Imò arbitratur Sanchez, *lib. 7. moral. cap. 4. num. 7.* nec vacare ante ſolemnem profeſſionem, vel vota coadiutorum formatorum, per quæ religioſi Societatis redduntur omninò incapaces retinendi bona, quia textus *cap. Beneficium, de regular. in* 6. per ſolam profeſſionem tacitam vel expreſſam, per quam redditur profeſſus incapax retinendi bona, decidit vacare beneficia. At per vota biennij non redduntur hi religioſi incapaces, iuxta Societatis Conſtitutiones, ergo non vacant beneficia. Cæterùm quamuis ea non vacent, in Congregatione tamen quinta generali eiuſdem Societatis can. 5. ſtatutum eſt, vt ea ante biennij vota reſignentur: Quare non vacarent, ſi ea reſignatio non fieret.

Conc. Trid.

Sanchez.

Hinc deducitur, ſi beneficia nouitij conferantur abſque eius conſenſu ante profeſſionem, collationem fore irritam, nec confirmari ſecuta profeſſione: quia non vacabat tempore collationis, nec vacatio ſubſequens per profeſſionem, reddit validam collationem, quæ initio irrita fuerat, ſed nouâ collatione opus eſt. Ita Sanchez *ut. num. 8.*

Sanchez.

9. Ipſo facto tantùm & non iure vacare dicuntur beneficia. *Primò*, ſi poſſeſſor titularis beneficij, à corporali poſſeſſione deijciatur vi, vel alio modo illegitimo: nam non deſinit eſſe titularis, ideoque beneficium non vacat iure: Sed quia ille non habet poſſeſſionem, beneficium dicitur de facto vacare, donec ſpoliatus reſtituatur in integrum, *cap. Accepta, de reſtitut. ſpoliat. Secundò*, ſi quis metu, aut vi cogatur eiurare beneficium, non ideò minus dicitur titularis, vnde beneficium de facto tantùm vacat, ex *cap. Ad audientiam & cap. Ad audientiam, de his quæ vi. Tertiò*, ſi clericus per longum tempus abſens ſit à ſua Eccleſia, cenſetur habere beneficium ſuum pro derelicto: quod ideò vacat ipſo facto: ſed quia conferri alteri non poteſt, niſi poſt legitimam admonitionem abſentis iuxta *cap. Et tua*, & *cap. Clericos, de cleric. non reſid.* non cenſetur vacare de iure. *Quartò*, ſi beneficium collatum ſit abſenti, & ignoranti collationem: ipſum, vtpote nondum acceptatum à prouiſo, vacat de facto, non autem de iure, quia Ordinarius non poteſt illud alteri conferre, ex *cap. ſi tibi abſenti, de prabend. in 6.*

10. Vacant beneficia manualia, quoties Superior reuocat collationem: item per mortem poſſidentis, vt docet Gloſſa *Clementin. 1. verb. Per electionem, de reſcriptis.*

Gloſſa.

Pro quo ſupponendum eſt, beneficia regularia eſſe duplicia, quædam collatiua, quædam electiua. Collatiua dicuntur, quæ inſtar ſæcularium conferuntur authoritate Superioris: electiua autem, quæ per electionem Canonicam ſuffragijs electorum conferuntur, accedente Prælati confirmatione.

Poteſt Prælatus ad libitum, & abſque vlla cauſa Priorem manualem, & adminiſtratorem, ſeu beneficiarium Monachum à ſuo Prioratu, adminiſtratione, vel beneficio remouere, per textum *in cap. cùm ad Monaſterium* ibi: *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò poſſidenda.* At, quod non poteſt abſque legitima cauſa auferri, dicitur omninò perpetuum: læcularia enim beneficia, quæ perpetua ſunt, poſſunt etiam legitima de cauſa auferri. Probatur ex *Clement. vnic. §. Præmiſſa, de ſuppleud. neglig. Prælat.* ibi: *Liberè poſſint ad Claſtrum, cùm oportuerit, reuocari.* Non poteſt autem quid liberè fieri, cùm cauſa legitima neceſſaria eſt. Ita Nauarrus *commentar. 4. de regular. num. 22. & 25.* Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 12. num. 98.* Quod eſt verum. *Primò*, vt procedat, licet Prælatus talem Prioratum, adminiſtrationem vel beneficium religioſo contuliſſet, vt eo per totum vitæ ſuæ tempus fruatur, vel promittens ſe illud numquam reuocaturum: quia ſicut Dominus ſeruo obligari non poteſt, *l. Interpoſitas, ff. de tranſaction* ita nec Prælatus ſuo Monacho: tum etiam, quia huiuſmodi promiſſio tanquam contraria iuri communi diſponenti, nihil concedendum eſſe Monacho, quod ad

Nauarrus.

Leſſius.

Superioris

Superioris nutum reuocari nequeat, est omninò irrita, vt habet communis sententia apud Sanchez *lib. 7. moral. cap. 29. num. 125.* Sanchez.

Secundò habet locum conclusio, etiamsi Prælatus huiusmodi promissionem iuramento firmasset: incideret tamen hoc casu in periurium reuocando absque iusta causa: quia licet peccauerit, promittendo contra iuris dispositionem; non tamen peccat, non reuocando postea concessionem: quia nullo iure iubetur reuocare, & sic obligat iuramentum, iuxta regulam vulgarem, quoties impleri potest absque dispendio salutis æternæ. Ita Rebuffus *de pacific. possessor. num. 274.* Sanchez *can. cit. num. 126.* Rebuffus. Sanchez.

Tertiò, ampliatur conclusio, quamuis non esset memoria hominum in contrarium, quod Superior beneficium illud regulari collatum numquam reuocauerit: quia vel Superior numquam reuocauit, quia noluit: & ob id non potest dici inducta consuetudo: nam ex actibus meræ facultatis, seu ex non vsu non habente in se actum tacitum dispositioni iuris contrarium, non inducitur consuetudo, vt notatur *cap. Ioannes, de clericis coniug.* vel Superior voluit remouere, & ob possidentis potentiam non potuit: & hoc casu nequit dici inducta consuetudo, cùm sit contra votum obedientiæ. Ita Rebuffus *cit. num. 277.* Panormit. *in cap. ad nostram, num. penult. de confirm. vtil.* Sanchez *cuat. cap. 29. num. 117.* Rebuffus. Panormit. Sanchez.

Quartò, ampliatur, vt procedat, etiamsi Prælatus cum conuentu statuerit, vt ea beneficij collatio Monachis facta reuocari nequeat, absque consensu conuentus, vel etiam cum illo: quo statuto non obstante poterit Prælatus beneficiarium ad sui libitum remouere: quia id statutum fieri non potuit in præiudicium Prælati successoris, neque Prælatus ipsemet potuit sibi legem imponere, à qua non sit ei integrum recedere; etiamsi id statutum iureiurando confirmatum sit: quia nihilominus reuocatio tenet, licet reuocans incidat in periurium: tamen si id statutum authoritate Superioris confirmatum sit, nequiret Prælatus beneficiatum reuocare; sed id spectabit ad Superiorem, à quo statutum confirmatum est: quia Superior confirmando manum apposuit, ac videtur id sibi voluisse reseruare. Ita Rodriguez *tom. 3. qq. reg. quæst. 23. art. 9.* Sylvester *verb. Abbas quæst. 4 num. 7.* Panormit. *in cap. cùm ad Monasterium, num. 11. de stat. Monachor.* Rodrig. Sylvest. Panormit.

11. Regularis iuuari non potest pacifica possessione triennali talis beneficij manualis, ne molestari possit, iuxta regulam 35. Cancellariæ, de triennali: quia ea est talium beneficiorum natura, vt possint ad Superioris nutum auferri. Imò regularis spoliatus huiusmodi beneficijs à Prælato absque iusta causa, non potest contra illum de possessorio agere, petendo se ad pristinam possessionem restitui: quia Prælatus spoliando vsus est iure suo, & ideò nullam ei fecit iniuriam. Si tamen Prælatus reuocaret ex malitia, vt ratione mali animi, & odij; vt quando accusatus ab eo, vel ad eius instantiam inquisitus spoliaret; posset quidem Regularis beneficiarius reuocatus officium Superioris implorare, ne remoueatur: quia præsumitur id efficere animo vlciscendi, vt & malo: potest autem regularis conqueri de tertio, si eum spoliauit, petendo se restitui. Ita Rebuffus *de pacific. possessor, num. 274. & 275.* Nauarrus *comment. 2 de regular. num 65.* Azorius *p. 1 lib. 12. cap. 11. quæst. 9.* Sanchez *cit. cap. 29. nu. 114. & 115.* qui ex Nauarro docet malum animum præsumi, quando Prælatus accusatus à regulari, vel dum contra eum inquiritur ad instantiam illius regularis, spoliaret eum beneficio. Vnde concludit ferè semper Galliæ Parlamenta restituere regulares spoliatos, quia rarò accidit, vt spolientur, nisi ob indignationem. Rebuffus. Nauarrus. Sanchez.

Sed quid dicendum de beneficio electiuo, vel Parochiali, vel quando regularis præficitur beneficio sæculari, non vt religiosus, vide à nobis dicta *in tom. 1. verb. Religio 1. num 9.*

12. Quando Summus Pontifex contulit regulari Prioratum manualem, vel beneficium, potestate ad ipsum deuolutâ, ob Prælati negligentiam; tunc non alteratur natura beneficij manualis, sed sicut ante Papæ collationem poterat Prælatus ad suum libitum beneficiatum remouere; ita etiam post collationem: quia non præsumitur in hoc casu voluisse Pontificem mutare naturam beneficij, vt colligitur *ex Clementin. vnic. de supplend. neglig. Prælat.* Quia nec plus, nec aliter confert supplens negligentiam, quàm negligens debebat conferre, cùm non tanquàm principalis, sed tanquam ipsius subrogatus conferat. Ita Glossa in dict. *Clement. vnic. verb. Reuocari*, Selua *de benefic. p 3. q. 69. num. vlt.* & alij apud Sanchez *cit. c. 29. nu. 133.* Glossa. Selua. Sanchez. Quando autem Summus Pontifex, cessante omni negligentia Prælati, contulit talem Prioratum aut beneficium religioso expresè, vt debeat quoad vixerit, possidere; tunc non poterit Prælatus eum remouere, iuxta textum in *cap. cum inter doctes.* Rebuffus *de pacific. possessor. nu. 281.* Si verò contulit simpliciter, tunc poterit à Prælato amoueri ad suum nutum, sicut potuisset, si ipsemet illud contulisset. Ratio est, quia, cùm Papa concurrat in collatione beneficiorum cum omnibus Ordinarijs, simpliciter conferendo non videtur beneficij naturam alterare voluisse, & regulare manuale facere perpetuum. Si autem non simpliciter, sed ex certa scientia illud contulisset, nequiret Prælatus reuocare: quia tunc Papa censetur manum imponere, volens id negotium sibi reseruari. Ita Rebuffus *cit. n. 279. & sequent.* Nauarrus *Comment. 2. de regul. n. 6. vers. septimò.* Rebuffus. Nauarrus.

13. Quando Prælatus beneficium aliquod manuale contulit alicui religioso, qui deinde eius confirmationem à Summo Pontifice obtinuit ex certa scientia, quamuis illud fuerit ad nutum Prælati amouibile, tamen non poterit religiosus ab eo remoueri, absque ipsius Summi Pontificis licentia; sed sicut priùs erat Abbatis seu Prælati obedientiarius; postea vigore confirmationis efficitur obedientiarius Papæ, quoad confirmationem tantum, nempe, vt non possit ad libitum remoueri, & vt nemo, nisi Summ. Pontifex, possit de iure confirmationis cognoscere; in reliquis autem omnibus remanebit Prælato, sicuti antea, subiectus, & ita renunciatio, & permutatio illius beneficij, ipsius Prælati authoritate fieri debet. Nauarrus *comment. 2, de regular. sub num. 65.* Rebuffus *de pacific. possessor. num. 279. 280.* Rodriguez *tom. 1. qq. reg. quæst. 34. art. 2.* Nauarrus. Rebuffus. Rodrig. Notandum tamen est *Primò*, si religiosus ille crimen aliquod priuatione dignum committat, licet beneficium sit ei in perpetuum à Papa collatum, vel ex certa scientia confirmatum, poterit nihilominus à Prælato illo priuari. *Secundò*, quod licet beneficium regulare manuale per talem Papæ collationem aut confirmationem fiat perpetuum; non exinde dicatur omninò mutasse naturam suam: sed obeunte illo, cui collatum, vel confirmatum est, redibit ad naturam suam, & sic deinceps poterit ad Superioris nutum auferri. Ita Sanchez *cit. cap. 29. num 139. & 141.* & alij ab ipso citati. Et hæc de beneficijs satis; vide Canonistas, ista enim nostram professionem excedunt. Sanchez.

Vide v. Excommunicatio 2, *num. 22.* Pœna *num. 3.*

BLASPHEMIA.

SVMMARIVM.

1 *Blaſphemia prohibetur primo & ſecundo Decalogi præcepto.*

2 *Poteſt aliquid falſi dici de Deo variis modis.*

3 *Nefandiſſima blaſphemia eſt, iurare per falſos gentilium Deos. Item blaſphemum eſt iurare per creaturam ſiſtendo in ea.*

4 *Quæ ſint dicenda verba Blaſphema?*

5 *Admittitur materia paruitas in blaſphemijs contra Sanctos, excuſans à mortali.*

6 *Blaſphemia non hæreticalis minus peccatum eſt, quàm infidelitas. Odium Dei grauius peccatum eſt blaſphemia. Hæc autem grauior eſt, quàm periurium & homicidium.*

7 *Catholicus blaſphemans grauiùs peccat, quàm hæreticus, ſi ſolùm ratio blaſphemiæ conſideretur.*

8 *Blaſphemia publica quæ ſit? Et an ſit Epiſcopo iure communi reſeruata?*

9 *Audiens blaſphemantem tenetur ad fraternè corripiendum præcepto naturali diuino, quando ſperatur emenda.*

10 *Licet blaſphemum publicum iudici denunciare, etiam non præmiſſa correptione fraterna; imò & poſt emendationem.*

11 *Si quis incaute quippiam in Deum, in Sanctos aut in fidem dixerit; vel dormiens, vel in ebrietate, vel delirans blaſphemauerit, qui pœna plectendus ſit?*

1. BLaſphemia prohibetur primo decalogi præcepto. Cùm enim opponatur cõfeſſioni fidei, eius prohibitio reducitur ad infidelitatem, quæ primo præcepto interdicitur. Vel cùm opponatur Religioni debitum Deo honorem exhibenti, interdicitur primo præcepto, quod debitè Deum colendum præſcribit. Poteſt etiam dici interdici ſecundo decalogi præcepto. Quòd magis in vanum nomen Dei aſſumat, qui aliquid falſum de Deo aſſerit, quàm qui confirmat falſum per Dei nomen. Ita D. Thom. 2. 2. *quæſtione* 13. *articulo* 2. *ad* 2. Nota tamen quando D. Thomas & alij Theologi dicunt blaſphemiam opponi confeſſioni fidei, eo ſenſu exponendi ſunt, vel quod magnam ſimilitudinem & affinitatem habet cum infidelitate, hoc ipſo quod etiam verſatur circa aliquod falſum de Deo, ſaltem ex intentione blaſphemantis, qui intendit aliquam imperfectionem Deo tribuere, id quod falſum eſt, cùm Deus omni imperfectione careat; vel quod proficiſci poteſt, ac interdum ſolet ex infidelitate; Ad infidelitatis autem genus ſpectat, nõn ſolùm ſentire falſum de Deo, ſed etiam falſum de eo dicere. Non ita vt blaſphemia ſit infidelitatis ſpecies; ſed quia eſt ſpecies illi cognata. Ita Baſiez 2. 2. *quæſt.* 13. *art.* 1. *notab.* 3. Sylueſter *ibidem.*

D. Thom.

Baſiez. Sylueſter.

2. Peccatum blaſphemiæ variis modis contingere poteſt, id eſt, poteſt aliquid falſi dici de Deo variis modis: *Primò*, non ſolùm verbo externo voeis, ſed etiam verbo interno mentis, concipiendo videlicet, per ſimplicem quandam apprehentionem Deum eſſe quod non eſt, aut non eſſe quod eſt: nam hoc etiam modo intellectus mentaliter ſignificat & dicit, eſto, non affirmet, aut neget; & hæc ſignificatio & dictio eſt mala & blaſphema, quando fit cum quadam iniurioſa propenſione voluntatis in eiuſmodi aliquam falſitatem de Deo. *Secundò*, poteſt hæc ſignificatio interna aut externa fieri enunciatiuè, ſeu affirmando, vel negando, vt ſi dicas, Deus eſt mendax, aut iniuſtus, & etiam optatiuè, ſeu imperatiuè, vt ſi quis interiùs aut exteriùs dicat, ſit miſer Deus, opto vt non ſit Beatus, &c. *Tertiò* eadem ſignificatio poteſt fieri non modò in actu ſignato, ſeu expreſsè ſignificando aliquid falſi de Deo, ſed etiam in actu exercito, vt cùm quis ſignificat quidem aliquid verè de Deo, vel Chriſto, ſed tamen ipſo modo ſignificandi irriſorio vel contemptiuo, iudicat ſimul Deum vel Chriſtum eſſe deſpicabilem, quòd eſt falſum, vt cùm nominantur indignè certa membra. *Quartò*, poteſt quis ſignificare aliquid falſi de Deo, atque adeò blaſphemare, etiamſi mentionem Dei non faciat, ſed tantùm creaturæ aliquid tribuat, quod eſt Dei proprium; vt omnipotentiam &c. nam hoc ipſo etiam in actu exercito iudicat eiuſmodi attributa non eſſe Dei propria, quod eſt blaſphemum. *Quintò*, poſſum aliquid falſi de Deo proferre, non tantùm ſignificando aliquam falſitatem immediatè de Deo, vt fit, quando Deo tribuo quod ei non conuenit, vel nego quod ei conuenit; ſed etiam ſignificando aliquid falſi de Sanctis, aut alia creatura, quatenus ea ad Deum pertinet; vt ſi quis indignè loquatur de Sanctis, vel maledicat alicui creaturæ, quia eſt opus Dei, vel inſtrumentum quo Deus nos caſtigat: Hæc enim & ſimilia verba ſunt blaſphemiæ, non quatenus tendunt ad creaturas, ſed quatenus in ipſum Deum redundant: ſecus ſi quis maledicat creaturæ, quiã ea fuit occaſio peccati, vel aliarum plurimarum calamitatum; tunc enim non committitur blaſphemia, aut vllum peccatum, ſi modò abſit ira, impatientia, &c. Sic Iob maledixit diei natiuitatis ſuæ, & Dauid Montibus Gelboe. Si autem quis maledicat creaturæ ob leuem aliquam moleſtiam ſine iuſta ratione, eſt peccatum veniale, quomodo ruſtici maledicunt ſuis beſtijs De his modis latiùs tractant Sylueſter *verb. Blaſphemia q.* 2. Nauarrus *in man. c. 12. num* 84. *& ſiq.* Couarruuias *in cap. quamuis pactum de pact. in 6. p.* 1. §. 7. *num.* 7. Toletus *lib* 4. *Sum. cap.* 13. Azorius *part* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæſt* 3.

Sylueſt. Nauarrus, Couar. Toletus. Azorius.

3. In primo gradu tanquam omnium nefandiſſima eſt blaſphemia, qua iuratur verè, vel falsò per falſos gentilium Deos, vt per Iouem, aut Mercurium &c. Quia eſt idololatriæ genus, honorem vero Deo debitum tribuere falſis Dijs. Profitetur enim per illos iurans eos eſſe ſummam veritatem, ac infallibilem. Si autem cauſa ioci, & irridendi falſos Deos & non iurandi per illos, id iuramentum præſtaretur, tunc nulla eſſet culpa. Ita Suarez *tom.* 1. *de relig lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 14. Imò blaſphemum eſſet iurare per quamcumque creaturam, intendo in ea, & non vt in ea Deus relucet. Ratio eſt, quia iurare eſt Deũ in teſtem adducere tanquam ſummam veritatem, quæ nec fallere, nec falli poteſt. Ergo qui iurat per creaturam in ea ſiſtendo, honorem Dei proprium illi tribuit, ac proinde blaſphemat Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 89 *art.* 6. & omnes communiter.

Suarez. D. Thom.

4. Verba blaſphemiæ ſunt, non Credo in Deum, nego, vel renego Deum. Similiter renego Crucem, vel Chriſma, vel intemeratam Deiparæ Virginitatem: quia hæc omnia implicant fidei Deò debitæ abnegationem.

Blaſphemum eſt etiam hoc verbum, *malum Deo contingat* quia Deo attribuitur id, quod eſt omnino alienum ab ipſo, vtpote cui nullum malum contingere valet.

Similiter blaſphemia eſt, *Deum tædeat*, *Deo diſpliceat*, quia etſi illa propoſitio non ſit indicatiui modi, vt poſſit formaliter falſum ſignificare, at ex intentione proferentis eſt tribuere Deo, quod ei conuenire nequit, & ita falſum ſignificat. Verùm ſpectandus eſt omninò dicendi modus; ſi enim is redundet in Dei contumeliam, & eius

honoris diminutionem, verba erunt blaſphema, alias non. Vnde aduertendum ſuper quo facto proferantur hæc verba; nam ſi factum eſt illicitum, non eſt blaſphemia, vt tædeat Deum hunc blaſphemare: quia cùm id tanquam peccatum Deo diſpliceat, nil tribuitur Deo, quod ei non conueniat. Vt docet Methochius *de arbitr. lib. 2 centuria 4. caſu 375. num. 11.* Henoch.

Verba blaſphemiæ ſunt, *velit, nolit Deus, hoc ſum facturus*, quia etſi peccatum diuinæ repugnet voluntati; at hæc verba diminutionem diuinæ potentiæ important, quaſi Deus non poſſit impedire. At ſi quis diceret, quamuis hoc ſit peccatum, vel offenſa Dei, ſum facturus, non eſſet blaſphemus: quia id ſolum iniquam peccandi voluntatem ſignificat; non autem diminutionem aliquam potentiæ, aut alicuius attributi diuini.

Sunt etiam verba blaſphemia, Deus eſt iniuſtus, crudelis, malè prouidus, non curat noſtra & ſimilia: quia attribuitur clarè Deo quod non habet, vel negatur quod habet, quæ eſt ratio blaſphemiæ.

Nominare quodcumque verum Dei attributum, vt potentiam, ſapientiam &c. conuitiando, vel irridendo, eſt blaſphemia: quia eſt falſitas in actu exercito, ſeu modo ſignificandi: nam illa conueniunt Deo, non vt conuitio, aut irriſoriè, ſed vt ſumma laude digna. Inſuper vituperia in quaſcumque res ſacras dicta, diuinum cultum, & in alia, quæ ad Deum referuntur, ſunt blaſphemiæ: quia omnia hæc in Deum horum Authorem redundant.

Si ſub conditione hæc verba blaſphemiæ proferantur, vt non Credo in Deum, vel renego Deum, vel Deus eſt iniuſtus ſi res hæc non eſt vera, vel niſi te occidero, huiſmodi verba ſunt blaſphema: quia fidei diuinæ denegatur omnimoda firmitas; cùm ſignificetur quaſi pendens ex conditione contingenti: & includitur tacita affirmatiua propoſitio, negandæ fidei, vel iuſtitiæ diuinæ, in eo euentu, in quo non ſequatur vindicta illa occiſionis, vel veritas illius rei, quam hic affirmat.

Iurare per Dei vitam, eſt blaſphemia: quia non adducitur vita Dei tanquam teſtis, vt in hoc iuramento, Viuit Deus. Sed eſt iuramentum execratorium, cuius eſt ſenſus, amittat Deus vitam, ſi non eſt ita: Eadem ratione eſt blaſphemia, iurare per Sanctorum vitam: quia ex modo iuramenti execratorij falsò tribuitur Sanctis poſſe vitam amittere.

Item blaſphemiæ ſunt verba, iuramenta per pudenda Chriſti aut Sanctorum membra, illaue inhoneſtè nominare: quia etſi reuera ea membra habuerint, non tamen tanquam quid ignominioſum & vituperabile, ſed tanquam partes naturales corporis, & ita ex modo loquendi eſt falſitas.

Quando autem iuratur per membra honeſta Chriſti vel Sanctorum, vt per caput & ſanguinem Chriſti, vel Sanctorum aut alia membra honeſta, verius eſt non eſſe blaſphemiam; quia nil Deo vel Sanctis tribuitur, quod verè non habeant; & cùm membra hæc honeſta nominantur, nulla eſt inhoneſtas & indecentia, qualis eſt cùm inhoneſta nominantur; & ideò non cedit in ignominiam & deriſionem Chriſti & Sanctorum. Nec ſenſus iuramenti per hæc membra eſt execratorius, ſed ſimplex, ſicut quando iuratur per Deum, per ſacroſanctum Sacramentum, per Euangelia, per Sanctos. Imò ſi hoc iuramentum reuerenter emittatur, nec erit culpa venialis, ſicut nec alia iuramenta emittere. Imò nec erunt blaſphema hæc verba, quibus membra honeſta Chriſti nominantur, quando id fit cum indignatione quadam & ira erga illum, cum quo contenditur. Si autem indignatio & ira ſit aduerſus Deum, blaſphema erunt illa verba: quia in actu exercito falsè ſignificant Deum mereri indignationem.

Quidam condemnant hæc verba tanquam blaſphema, dum quis dicit, ſicut Deus eſt veritas, ſicut natus eſt ex Virgine, hoc ita eſt. Sed diſtinguendum eſt, quia ſi animus proferentis ſit, tantam eſſe certitudinem in eo dicto quanta eſt in ea fidei veritate, ſunt blaſphema. Secus autem eſt, quando ſenſus eſt ſimilitudinem quandam ſignificare, nimirum, hoc ſuo modo eſt verum ſicut ea fidei veritas.

Porrò eſt aperta blaſphemia, quando creaturæ tribuitur aliquid quod eſt proprium Dei. Vt ſi quis Diabolum dicat eſſe omnipotentem; aut fatum regere omnia: quia tribuens id attributum creaturæ dicit eo ipſo non eſſe Dei proprium, ſed commune cum creatura: atque proinde blaſphemus eſt, vtpote qui de Deo negat, quod ei proprium eſt. Crimen hoc ſolent admittere laſciui fœminarum amatores, quas ita ardenter amant, & immodicè laudant, vt blaſphemantes nominibus Dei proprijs eas appellent. De prædictis blaſphemiæ formis videndi ſunt Azorius *part. 1. lib. 11. cap. 3. quæſt. 1.* Caietanus *2. 2. quæſt. 13. art. 1.* Couarruuias *de pactis 1. part. §. 7. num. 9.* Nauarrus *in man. cap. 12. num. 85.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 32. num. 11. & ſequent.* Ludouic. Lopez *1. part. Inſtructor. c. 51.* Toletus *lib. 4. Sum. cap. 13.* & alij. Non eſſet autem blaſphemus qui vocaret Amaſiam Deam vel Idolum ſuum: quia verba hæc nec proferuntur, nec accipiuntur in ſignificatione propria, ſed in hyperbolica. Ita Lorca in *2. 2. quæſt. 13. artic. 3.* quem ſequitur Diana *part. 5. tractatu 13. reſolutione 20.* Azorius. Caietan. Couar. Nauarrus. Sanchez. Lopez. Toletus. Lorca. Diana.

5. Quamuis in blaſphemijs in Deum non detur paruitas materiæ excuſans à mortali, vt diximus *tomo primo, verb. Blaſphemia numero ſexto.* Admittitur tamen paruitas materiæ in blaſphemijs in Sanctos, non vt Sancti ſunt, directè & formaliter; ſed materialiter, & per accidens & vt quidam homines ſunt: tunc enim ratione paruitatis materiæ eſſet blaſphemia venialis: quia ſanctitas tunc ſe habet per accidens: Exemplum huius eſt; ſi quis ioco diceret Sanctum Criſpinum fuiſſe ſutorem; aut Sanctos Ioannem & Paulum Fratres fuiſſe Eunuchos. Ita Syluius *2. 2. quæſt. 13 art. 2.* & ibi Bañes, Arragon, Clauis Regia *lib 6. cap. 13. num. 5.* Contumelia enim quæ irrogatur Sanctis, non vt habent reſpectum ad Deum, ſed vt homines quidam ſunt excellentes, non opponitur Religioni, ſed ſingulari cuidam obſeruantiæ, quæ eſt peculiaris quædam virtus. Syluius. Bañez. Arragon. Reg. Clau.

6. Blaſphemia ſimpliciter & propriè loquendo, minus peccatum eſt, quàm infidelitas. Ratio eſt, quia peccata eo maiora ſunt, quo virtutibus maioribus opponuntur. Maior autem virtus eſt fides, vtpote virtus Theologica, cui opponitur infidelitas, quàm Religio, quæ eſt virtus moralis cui opponitur blaſphemia. Hoc tamen intelligendum eſt de blaſphemia, quæ non eſt cum hæreſi & infidelitate coniuncta, hoc eſt, quando blaſphemans rectè interius ſentit & credit, exterius verba blaſphemiæ profert.

Odium Dei grauius peccatum eſt blaſphemia: quia odium Dei grauius peccatum eſt quàm infidelitas; quia opponitur Charitati, quæ eſt maxima virtus. Infidelitas autem grauius eſt peccatum quàm blaſphemia, vt dictum eſt.

Blaſphemia grauius peccatum eſt, quàm periu-

rium,

tium, qui enim peierat non dicit, aut ſentit aliquid falſum de Deo, ſicut blaſphemus; ſed Deum ſolum adhibet teſtem falſitatis, non tanquam æſtimans Deum eſſe falſum teſtem, ſed tanquam ſperans quod Deus ſuper hoc non teſtificetur per aliquod euidens ſignum.

Item grauius peccatum eſt blaſphemia, quàm homicidium quoad obiectum; quia blaſphemia directè eſt contra Deum, homicidium autem contra proximum. In ratione autem nocendi, ſic grauius eſt homicidium, quàm blaſphemia plus enim nocet homicidium proximo, quàm blaſphemia Deo. Sed quia in grauitate culpæ magis attenditur intentio voluntatis peruerſæ, quàm effectus operis, ideò cùm blaſphemus intendat nocumentum diuino honori inferre, ſimpliciter loquendo grauiùs peccat quàm homicida; quod enim manibus efficere nequit, verbis ſaltem iniurioſis facere intendit. Ita D. Thomas 2.2. *q.* 13. *a.* 3. Caietan. Bañes, Syluius ibidem, Sotus *lib.* 8. *de iuſtit. q.* 2. *art.* 3. & alij communiter. D. Thom. Caietan. Bañes. Syluius Sotus.

7. Si ratio ſolùm blaſphemiæ conſideretur, Catholicus blaſphemans grauius peccat quàm hæreticus. Ratio eſt, quia blaſphemia quæ eſt cum cognitione talì, hoc eſt, quod credat Catholicus imagines Chriſti & Sanctorum eſſe colendas, plus habet de malitia in intentione ſua, quàm illa hæretici ignorantis & conculcantis eas imagines, quia iudicat eas colendas non eſſe: nam plus habet de voluntario circa illud obiectum; Cæterum quia hæreticus in talì conculcatione imaginis habet etiam hæreſim, credendo imagines, non eſſe colendas, conſequenter ex circumſtantia hæreſis & infidelitatis, vnde procedit conculcatio, grauiùs peccat quàm Catholicus, qui tantùm committit peccatum blaſphemiæ eſt enim infidelitas peccatum grauius quàm blaſphemia: Ita Caietanus, Bañes 2.2. *q.* 13. *art.* 3. Caietan. Bañes.

8. Blaſphemia non eſt iure communi Epiſcopo reſeruata, quamuis ſit publica; ſed quia in nonnullis locis ſolent Epiſcopi abſolutionem blaſphemiæ publicæ ſibi reſeruare, dicendum eſt quando blaſphemia publica cenſeatur. Tunc autem publicè dicitur, quando eſt notoria, vel notitia iuris, ſcilicet, quando conſtat in actu iudicij, ad quod ſufficiunt tres perſonæ, vel notitia facti. Ad hoc autem vt factum ſit notorium tres conditiones neceſſariæ ſunt, ſcilicet, *notitia multorum hominum*, *loci qualitas* & *Temporis*. Notitia multorum ea accipienda eſt iuxta numerum loci in quo fit blaſphemia, quamuis enim decem homines in ciuitate dicantur pauci, in villa tamen erunt multi. Vnde qui in publica platea, in mercato, in nundinis coram nouem aut decem audientibus blaſphemaret, dicetur publicè blaſphemaſſe: quia talis locus non requirit minorem numerum, ad faciendum notorium facti. Si verò blaſphemat in foro villæ, ſufficit ſi ſint ſeptem, ſi in vicinio, vel taberna, vel ſimili, ſufficit quòd ſint quatuor vel quinque; & ſic de ſimilibus iudicandum erit, quia reſpectu horum locorum iſti dicuntur multi: vnde publicus blaſphemus dicetur, qui indifferenter, vbicumque inuenitur, ſiue in foro, ſiue in villa, aut alio loco publico, ſine reſpectu circumſtantium, in blaſphemiam prorumpit Quantùm ad qualitatem temporis, oportet, vt fiat in die, concurrentibus prædictis circumſtantijs; ſi enim fieret in nocte, non diceretur notorius: quæ omnia prudens confeſſarius conſiderare debet, ad iudicandum de caſus reſeruatione. Vt colligitur ex Panormit. in *cap. veſtra nun.* 6. *de Cohabit. cleric. & mulier.* Chapeauilla *de caſib. reſerv. c.* 19. *q.* 1. & alijs communiter. Panormit. Chapeauill.

9. Quid am affirmant audientem blaſphemantem tenere eam grauiter increpare, etiamſi nulla emendæ ſpes adſit, ſi tamen poſſit abſque proprio periculo, ſic increpare, quia in Concilio Lateran. *ſeſſ* 9. §. *Ad abolendam*, id videtur præcipi, ſic enim ait: *Quicumque blaſphemantem audierint, tum acriter verbis obiurgare teneantur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe contingat.* Ita Nauarrus *in man. cap.* 12. *num.* 83. Ludouicus Lopez 1. *part. inſtructor. cap.* 51. Hoc decretum videtur continere nouum ius, ac proinde obligare: quia id apertè indicant ea verba Concilij: *Acriter obiurgare teneantur.* Fraternè autem corrigere, ad quod præceptum naturale diuinum obligat, eſt admonitio quædam ſuauis & fraterna; obiurgatio verò acris eſt, aſpera & grauis reprehenſio: vnde Concilium in hac obiurgatione non tam attendit ad blaſphemantis emendam; quàm ad quoddam eius ſupplicium, & ad tuendum honorem diuinum, obiurgatione illa: qui blaſphemiâ detrimentum patitur. Cæterùm eſtò id ius nouum ſit, non eſt tamen vſu receptum: quare ſolùm obligantur audientes ad fraternè corrigendum præcepto naturali diuino, quando ſperatur emenda. Ita Sanchez *lib.* 2. *moral. capite* 52. *numero* 46. Azorius *parte* 1. *lib.* 9. *cap.* 18. *quæſt.* 7. & alij apud Clauem Regnum *lib.* 6. *cap.* 13. *numer.* 18. Conc. Lat. Sanchez. Azorius. Clau. Reg.

10. Poteſt quis ante omnem priuatam admonitionem & correptionem, imò etiam poſt emendationem, blaſphemum publicum iudici denunciare: quia denunciatio iudicialis, cuius in Concil. Lateranenſi ſupra fit mentio, priuatam admonitionem non poſtulat, eo quòd ad emendationem eius, qui blaſphemauit, refertur, ſed ad publica crimina pœnis debitis punienda. Atque adeò etiamſi quis in foro pœnitentiæ interiori abſolutus à blaſphemia fuerit & pœnitentiam ei iniunctam egerit, poterit nihilominus in foro exteriori à iudice puniri. Ita Couarruuias *lib.* 2. *variar. cap.* 10. *num.* 3. Azorius *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæſt.* 13. Couar. Azorius.

11. Licet regulariter dictum, vel factum iocoſum pœnam non mereatur, *l. ſicut ſemel*, *Cod. de liberali cauſa*. In crimini tamen hæreſis aliter iudicandum eſt. Vnde ſi quis iocosè quippiam in Deum, in Sanctos, aut in fidem dixerit, pœnâ condignâ plectendus eſt. Quia verò in iure definitum non eſt, quâ pœnâ huius criminis rei plectendi ſint, ideò arbitraria pœna infungenda erit, habita ratione perſonarum ea proferentium, loci item & ſcandali, ſi aliquod inde exortum fuit; Modi, etiam proferendi eiuſmodi dicteria, nec non perſonarum audientium, atque ita pœna augenda vel minuenda erit. Non tamen vt hæretici ſunt puniendi, quia non interueniunt ea, quæ ad hæreſim conſtituendam ſunt neceſſaria, puta error in intellectu & pertinacia in voluntate, ſed leuiùs ac mitiùs. Idem dicendum de eo, qui per lubricum linguæ, ſeu animo indeliberato in blaſphemiam vel hæreſim prorumpit; non enim inultum relinquendum eſt hoc crimen, quamuis mitiùs puniendum & aliquando remittendum, maximè quando qui ea verba dixit, ſtatim palinodiam recantauit, & pœnituit, ſed reprehendendus eſt grauiter & admonendus, vt præcaueat in futurum. Si autem puniendus ſit, pœnæ pecuniaria in pios vſus eroganda, vel alia arbitrari caſtigandus erit, conſideratis audientium & proferentium perſonis & loci & ſcandali circumſtantijs. Secus dicendum de eo, qui blaſphemiam vel hæreticalia verba in ebrietate profert dummodò omninò mente priuatus fuerit, nam perinde de eo, ac de furioſo & mente capto cenſendum eſt, ac proinde à pœna excuſandus erit. Item ſi dormientes, pueri & ſenes, qui propter ætatem decrepitam delirant,

lirant, vel propter ætatem præmaturam & teneram blaſphemarent, ab omni pœna exculantur, cùm iudicij & rationis expertes ſint. De his videndi ſunt Simanchas *de Catholic. inſtitut. tit.* 17. *num.* 22. & 23. Pegna *p.* 3. *ad Directot. Inquiſit. comment.* 17. & alij. Atque de Blaſphemia hæc dicta ſufficiant.

Simanchas. Pegna.

C.

CAMBIVM

SVMMARIVM.

1 *Cambium non eſt emptio & venditio: neque depoſitum: neque commodatum: neque locatio: neque mutuum: ſed refertur ad contractum permutationis.*

2 *Verius eſt artem campſoriam ſecundùm ſe eſſe de genere earum rerum, quæ habent ſpeciem mali, vel de genere malè ſonantium: tamen iuſtis de cauſis poteſt honeſtari.*

3 *Cambiorum negotiatio circa pecunias verſatur, ſicut mercaturæ circa merces.*

4 *Pecunia ſecundùm vſum eius minùs principalem & ſecundarium, poteſt commutari aut vendi pluris, quàm eius æſtimatio legalis valeat.*

Pecunia ratione materiæ ſecundùm metalli naturam & quoad vſum per accidens, poteſt pluris vendi & commutari quàm valeat iuxta legis præſcriptum.

5 *Quando pecunia tanquam res quædam venditur, locatur & commodatur, variis ex cauſis pluris minorisve æſtimatur.*

6 *Conſtitutio pretij in cambijs, & pecuniarum quæ commutantur, æſtimatio iuſtè & licitè fieri poteſt à mercatoribus artem campſoriam exercentibus.*

7 *Vt iuſtè pretia cambijs conſtituantur, æſtimatio pecuniarum in locis, inter quæ cambia celebrantur, facienda eſt, iuxta eandem temporis articulum, quo fiunt cambia.*

8 *Non poteſt campſor à principio contractus cambij paciſci de lucro ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis, ſi ſuſpicetur campſarium nullam habere pecuniam vel creditum in loco ſolutioni deſignato.*

Item non licet campſori conuenire cum campſario de aliquo lucro certo perſoluendo literis non ſolutis, vbi facienda eſt pecuniarum ſolutio.

9 *Cambium ſiccum ſit multis modis.*

1. CAMBIVM non eſt emptio & venditio; quia in emptione & venditione, propriè loquendo, oportet alterum extremum eſſe pecuniam, alterum verò mercem aliam à pecunia differentem. In cambio autem vtrumque extremum eſt pecunia; quia non eſt maior ratio cur vna ſit pretium alterius, quàm altera, niſi quando valor vnius pecuniæ eſt maior vel minor, quàm valor legalis ratione ſuæ bonitatis aut defectus, vt quia vna pecunia eſt defectiua.

Cambium non eſt depoſitum: quia in depoſito eadem res numero, quæ deponitur, reſtituitur; in Cambio verò alia diuerſa. Item Cambium non eſt accommodatum; quia in Cambio dominium transfertur, quod non contingit in accommodato.

Item Cambium non eſt locatio, quia in locatione redditur pretium pro vſu rei locatæ vel conductæ: in Cambio autem nihil recipitur, neque poteſt recipi pro vſu alicuius rei, ſed vna res cum alia commutatur: deinde in contractu locationis res locata non tranſit in dominium eius, cuius operæ locantur: At in Cambio pecuniæ quæ traduntur campſori, tranſeunt in dominium ipſius, cum obligatione tamen ad reſtituendas ſimiles & æquiualentes in alio loco.

Denique Cambium non eſt mutuum: quia in mutuo transfertur dominium ſimpliciter, hoc eſt ſine lucro aliquo ex vi mutui principaliter: At in Cambio non transfertur dominium ſic ſimpliciter, hoc eſt, vt ſors ſimpliciter reſtituatur, ſed cum aliquo incremento. Plures differentias vide in *tom.* 1. *verb. Cambium num.* 1.

Dicendum eſt ergo Cambium referri ad contractum permutationis ſecundùm communem ſententiam: quia Cambium eſt vnius pecuniæ cum alia permutatio, & proinde quædam permutationis ſpecies. Ita Azorius *part.* 3. *lib.* 10. *de Cambijs cap.* 1. ex communi: quamuis Nauarrus *in man. c.* 17. *num.* 294. reducat ad contractum innominatum *Do vt Des.* Azorius. Nauarrus.

2. Artem campſoriam quidam damnant abſolutè vt illicitam & vſurariam: quia ars quæ contra naturam rerum eſt excogitata, turpis eſt & iniqua; ſed hæc nummularia eſt huiuſmodi, ergo &c. Maior eſt certa: nam ars non deſtruit naturam, nec pugnat cum ea, quin potius illam imitatur & perficit. Minor verò probatur; quia pecunia ſterilis eſt, nec parit pecuniam; at per artem campſoriam parit pecuniam; ergo ars campſoria eſt excogitata contra rerum naturam, ergo eſt iniqua & turpis. Ita Ariſtot. 5. *Polit. cap.* 6. & 7. Hoſtienſis *in Sum. tit. de vſuris*, & multi alij. Ariſtot. Hoſtienſ.

Sed verius eſt artem campſoriam ſecundùm ſe eſſe de genere earum rerum, quæ habent ſpeciem mali vel de genere malè ſonantium; quia negotiatio ſecundùm ſe habet ſpeciem mali, importat enim quoddam fomentum cupiditatis, cui nullus eſt terminus, ſiquidem exercetur lucri gratia, vt docet D. Thomas 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *in corpore.* ſed ars campſoria eſt quædam ſpecies negotiationis, ergo ſecundùm ſe habet quandam ſpeciem mali. Tamen iuſtis de cauſis poteſt honeſtari: nam ars Reip. neceſſaria, quæ non eſt eſſentialiter mala, ſi debitus finis ac circumſtantiæ non deſint, poteſt ex illis honeſtari; atqui ars campſoria eſt res Reip. neceſſaria, vt conſtat, nec eſſentialiter mala, poteſtque fieri propter honeſtum finem, ad habendum, ſcilicet ex cambio lucrum, quo familia honeſtè alatur, ergo poteſt ex fine & circumſtantijs honeſtari. Sic Caietanus *tom.* 2. *opuſc. de camb. tract.* 7. *cap.* 5. Sotus *de iuſtit. lib* 6. *q.* 8. *a.* 1. Azorius *cit. cap.* 3. *quæſt.* 1. Et eſt concluſio definita à Pio Papa V. in ſua conſtitut. quæ incipit. *In eam pro noſtro*, edita anno 1571. Kalend. Februar. apud Nauarrum *in man. cap.* 17. *num.* 83. D. Thom. Caietan. Sotus Azorius. Pius V.

Ad rationes autem contrariæ opinionis poſſet reſponderi artem campſoriam non deſtruere naturam; & pecuniam quidem non parere pecuniam ratione ſui & præcisè ſecundùm ſe, ſed bene ratione laborum, induſtriarum & expenſarum campſoris, tanquam ſtipendium illius.

3. Cambiorum negotiatio circa pecunias verſatur, ſicut mercaturæ circa merces. Pecunia autem primò eſt introducta tanquam pretium rerum venalium; qui fuit primus vſus pecuniæ. Sed deinde homines vti pecuniâ cœperunt, non tanquam pretio mercium, ſed tanquam re quadam æſtimabili;

Digitized by Google

bili, quoniam omnis pecunia conſtat materia, figura, & ſigno publico impreſſo: vnde dicta eſt pecunia ſignata, ac propterea ratione materiæ & ſigni, eſt res quædam quæ conducit plurimum ad humanos vſus. Pecunia item aliquando abſens eſt, tum loco, tum tempore: & quia longè abeſt, ſi cum alia pecunia præſente commutetur, minoris æſtimatur, quemadmodum cæteræ res, quæ procul abſunt. Nam vt ex remoto loco in præſentem, vbi nos ſumus, importentur, periculis, laboribus & impenſis expoſitæ ſunt. Et quia aliquando neceſſe eſt, vt pecuniæ, quas hîc habemus, aliò transferantur; quia illis alibi, non hîc indigemus: vel vt aliunde huc inuehantur, quia eas alibi, non hic habemus; Ex his cauſis introduci cœpit ſecundus pecuniæ vſus, quo vna pecunia cum alia commutatur, & inuenta eſt cambiorum ars. Pecunia enim arte commutatur, non natura; quamuis aliæ quælibet res natura potiùs, quàm arte permutentur: imò pecuniæ ipſæ tanquam res quædam venduntur, locantur, commodantur ratione materiæ vel ſigni ſiue figuræ, vel quia loco abſunt, vel periculo obiectæ ſunt. Vide Salon *tom. 1. tract. de Cambijs quæſt. 1. artic. 1.* Salon.

4. Quamuis pecunia ſecundùm ſuum vſum primarium & principalem, vt pretium rerum venalium eſt, non poſſit commutari, aut vendi pluris, quàm eius æſtimatio legalis valeat: quia valor eius, vt ſic, conſiſtit in indiuiſibili, & non poteſt augeri vel minui niſi Principis, vel Reip. auctoritate: bene tamen poteſt ſecundùm eius vſum minùs principalem, & ſecundarium, & ſic poterit numiſma commutari maiori pretio, quàm ſit legale: quia determinatio valoris monetarum per legem reſpicit numiſma quoad vſum formalem, primarium, & per ſe, vt ſcilicet eſt pretium rerum omnium venalium; non autem æſtimatio eius eſt taxata quoad vſum eius ſecundarium, quatenus ſcilicet deſeruit ad commutationem vnius pecuniæ pro alia, Ita Caietanus *in opuſcul. tract. 7. de Cambijs cap. 6. verſ. Nec obſtat.* Sotus *lib. 6. quæſt. 9. art. vnic.* Nauarrus *cap. 17. num* 294. Bañes 2. 2. *quæſt.* 78. *art* 4. Contra Ioann. Medinam *Cod. de reb. per vſur. acquiſit. quæſt.* 7. Valentiam *tom. 3. diſp. 5. quæſt* 23. *punct.* 2. Caietan. Sotus. Nauarrus. Bañes. Ioan Med. Valentia.

Similiter pecunia ratione materiæ ſecundùm metalli naturam & quoad vſum, per accidens poteſt pluris vendi & commutari, quam valeat iuxta legis præſcriptum: vt ſi quis auro indigeat, vel ad ornamentum, vel ad alios vſus poteſt alter ei ducatum aureum vltra valorem, quo numiſma æſtimatur, vendere: quia ſicut poteſt rude aurum non impreſſum vendi egenti, ſic & illud quod eſt ſignatum publico ſigillo commutari & vendi maiori pretio, quàm ſit legale; quia pretium monetæ auctoritate publica non taxatur, niſi vt moneta eſt formaliter, & vt pretium rerum venalium eſt quoad effectum ſuum primarium, non autem ratione materiæ, & ſecundùm metalli naturam & quoad vſum per accidens. Ita Sylueſter *verb. Vſura 4. num. 3.* Sylueſt.

5. Quando pecunia tanquam res quædam venditur, locatur & commodatur, variis ex cauſis pluris minoriſve æſtimatur. *Primò*, ratione materiæ, quia eſt pecunia aurea vel argentea, vel ærea: & ad plures vſus prodeſt aurea, quàm argentea, item ratione materiæ melioris vel pretioſioris. *Secundò*, ratione formæ, ſiue ſigni vel figuræ; in vno enim loco pecunia ſic vel aliter ſignata nihil æſtimatur, eùm tamen alibi pluris valeat. *Tertiò*, Ex Principis vel Reip. ſtatuto valorem pecuniæ augentis vel minuentis: nam penes Principem & Remp. eſt ius pecuniæ æſtimationem taxandi. *Quartò*, Ratione loci, quia pecunia loco remota minoris æſtimatur, quàm præſens, & in vno loco pecunia eiuſdem materiæ pluris valet, quàm in alio. *Quintò*, ratione temporis; quia pecuniæ valor temporis decurſu creſcit aut minuitur. *Sexto*, Pecunia pluris minoriſve æſtimatur, provt maior vel minor ipſius copia vel penuria eſt. *Septimò*, Ratione eorum, qui pecunias permutant; quando enim plures vel pauciores ſunt, qui pecunias petunt à campſoribus, tunc ipſi negotiatores cambiorum pretia augent vel diminuunt. Ita Nauarrus *in man. cap.* 17. *num.* 294. Nauarrus.

Quibus cautis has addo. *Octauò*, Ex multitudine vel paucitate dantium ad cambium, aſſignatur maior vel minor pecuniæ æſtimatio: quo enim ſunt pauciores, qui velint dare ad cambium eò pecunia campſoris pluris æſtimatur, & quo plures ſunt campſores, eò pecunia minoris æſtimatur, quia ſicut quò pauciores ſunt mercium venditores, eò mercimonia pluris æſtimantur, & quò plures eò minoris. Ita Lopez *lib. 2. de contract. c. 9. verſ. Principaliter. Nonò*, deſumitur ex pecuniarum neceſſitate, vt ſi dantibus ad cambium, mercium ingens copia offeratur venalis, vnde ſperant illas emendo habere maximum lucrum, tunc pecunia maioris æſtimaretur quoad extrinſecam æſtimationem, & minoris ex hoc capite, ſi nulla ſit talis neceſſitas. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 23. num. 35. in fine. Decimò*, Ratione minoris periculi amiſſionis, cui in aliquo loco exiſtens eſt coniuncta, hîc pecunia magis valet, quàm in loco, vbi ſummo in periculo eſt conſtituta; & econtra hîc minus valet, vbi maximum amiſſionis periculum ſubit; & ſic tempore belli pecunia exiſtens in Flandria minoris æſtimationis habetur in Ordine ad cambia, ratione ſcilicet magni periculi amiſſionis illius; etiamſi aliæ cauſæ extenuantes æſtimationem pecuniæ ibi deficerent: periculum enim, cui res ſubiacet, facit rem illam vileſcere. Ita Caietanus *tom. 2. opuſc. tract. 7. cap. 7. de Cambijs*, Leſſius *ſuprà*. Lopez. Leſſius. Caietan. Leſſius.

6. Pretij conſtitutio in cambijs & pecuniarum, quæ commutantur, æſtimatio, iuſtè & licitè fieri poteſt à mercatoribus artem campſoriam exercentibus: quia iuſtum & licitum pretium in quacumque negotiatione illud cenſetur quod periti illius negotiationis bonâ fide omnibus conſideratis, imponunt, demptâ omni fraude, ſi pretium à lege non ſit taxatum. Neque obſtat, quod campſores videantur rem ſuam agere pretia cambij conſtituendo, quoniam non omnes, qui ad huiuſmodi pretiorum conſtitutionem conueniunt, ſunt campſores creditores, quorum refert pretia eſſe cariora, ſed etiam conueniunt debitores, quorum intereſt pretia eſſe minora, & hac mutua concertatione, qua ſinguli ſuis commodis proſpiciunt, ſumitur medium pretium ad ſingula loca, in quibus, & ad quæ fiunt cambia, omnibus accommodatum. Ita Salon 1. 2. q. 4. *de Cambijs, controu.* 15. *art.* 2. Salon.

Pretium verò cambiorum in nundinis proximè futuris taxandum, illud dicitur, quod campſores in futuris illis nundinis exiſtentes conſtituunt, tam in primo cambiorum contractu, quando recipiuntur pecuniæ reſtituendæ in nundinis aduenientè ſolutionis termino, quàm in remiſſione ſolutionis ad priorem locum: quia campſores tunc in vnum congregati in loco nundinarum proſpecta diligenter vera & reali copiâ, vel inopiâ pecuniarum, tam in loco, vbi cambium primò recipitur & exercetur, quàm in loco, vbi faciendâ eſt illius ſolutio, ſicque omnibus penſatis ritè ac rectè pretia cambij conſtituunt, & hæc pretia ſic conſtituta cenſentur inter eos eſſe communis vſus fori.

7. Vt rectè ac iuſtè pretia cambijs conſtituantur, æſtimatio pecuniarũ in locis, inter quæ cambia celebrantur,

celebrantur, faciendâ eſt iuxta eundem temporis articulum, quo fiunt cambia, proinde ac ſi in eodem inſtanti pecuniæ illæ inter ſe commutarentur in illis locis. Nam vſus campſorum ita habet, vt ipſo tempore contractus conueniant campſor & campſarius de pretio cambij quod exercent. Probatur, quia quoad pretij conſtitutionem, cambium aſſimulari debet contractui venditionis, ſed in venditione pretium ſumendum eſt in eo tempore, in quo res actu traditur, & fit contractus, eſto ſolutio illius differatur in aliud tempus. Ergo ſimiliter in cambio, eſto ſolutio & reſtitutio pecuniæ, quæ cambitur, differatur in nundinas vel ad alium terminum: pretium tamen conſtituendum eſt & definiendum eo tempore, quo traditur pecunia, & celebratur contractus, & conſequenter ſumenda eſt æſtimatio, quam habent tunc pecuniæ in vtroque loco, ſimul & eodem tempore, nec curandum quam æſtimationem ſint deinde habituræ vel habebunt tempore ſolutionis. Ita Salon 2. 2. *tom. 2. q. 4. art. 2. de Cambijs controu. 16. conc'. vlt.* Salon.

8. Non poteſt campſor paciſci cum campſario à principio contractus cambij de lucro capiendo ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis, ſi certò cognoſcit, aut ſaltem ſuſpicatur campſarium nullam habere pecuniam, vel creditum in loco ſolutioni deſignato, & ex conſequenti literas eò miſſas non eſſe ab aliquo recipiendas nec perſoluendas, ſed remittendas inde inanes & vacuas. Ratio eſt, quia vbi campſor intelligit, vel ſaltem probabiliter ſuſpicatur literas campſarij futuras inutiles, eo ipſo celebrat cambium ſiccum damnatum tanquam iniuſtum & vſurarium à Pio V. in ſua conſtitut. quæ incipit, *In eam pro noſtro*. Vt docet Salon *cit. controuerſ.* 14. Pius V. Salon. Poteſt tamen campſor, qui bonâ fide tradidit pecuniam ſuam campſario certò vel probabiliter credens illum habere pecuniam vel creditum in loco ſolutionis, conuenire cum illo de lucro, quod verè illi ceſſauerit, & de damno, quod illi verè fuerit ſubſequutum ex non ſolutis literis in termino & loco ſolutioni deſignato. Probatur, quia iure naturæ licet vnicuique in contractibus quos exercet, maximè in his, qui cedunt in aliorum vtilitatem, ſeipſum ſeruare indemnem & paciſci talem indemnitatem. Ita Caietanus *tom. 2. opuſc. tract. 7. de cambijs, c. 1. § Iniuſta*, Lopez *lib. 2. de contract. cap. 13. verſ. Quarò dicimus.* Caietan. Lopez.

Illicitum autem eſſet in principio contractus Cambij conuenire cum campſario de aliquo certo lucro perſoluendo literis non ſolutis, vbi facienda eſt pecuniarum ſolutio, & ratione futuri damni emergentis, vel lucri ceſſantis. Ratio eſt, tum quia damnum emergens & lucrum ceſſans futurum arbitrio prudentum omnibus penſatis ſunt taxanda; ergo ipſe campſor non poteſt à principio contractus cum campſario conuenire de certo aliquo lucro capiendo, ratione damni emergentis vel lucri ceſſantis. Tum quia nemo in ſua cauſa debet eſſe Iudex, ne campſor dans pecuniam lucri ſtudio & cupiditate decipiat campſarium accipientem pecunias. Hæc aſſertio habetur expreſsè in Conſt. adducta Pij V. Non tamen prohibet Pontifex, ne in principio pactum fiat de lucro ceſſante ſoluendo, taxando arbitrio alterius viri prudentis, ratione eius quod intereſt nummularij; quia hoc licitè campſor poteſt paciſci cum campſario, vt ſeipſum ſeruet indemnem, vt diximus. Ita Nauarrus *in man. cap. 17. num. 301. verſ. Nota quartò*, Azorius *part. 3. lib. 10. cap. 11. quæſt. 1. in ſolut. ad 3.* Nauarrus. Azorius.

9. Cùm Cambium ſiccum reuera ſit mutuum, tametſi cambij nomen habeat, ideò ſpeciatim dicenda ſunt eſſe hæc cambia ſicca. *Primò*, Quando nullæ literæ ex loco ad locum mittuntur, ſed nummularius fingit ſe literas miſiſſe.

Secundò, Quando literæ reipſa mittuntur ad locum, vbi pecuniæ ſoluendæ ſunt, ſed reuera inanes remittuntur & redeunt. Atque hæc duo Cambia tanquam vſuraria Pij V. conſtitutione damnantur.

Tertiò, Quando nummularius dat pecunias alteri, quem ſcit nullam pecuniam actu, vel poteſtate habere in loco, vel in nundinis, vbi ſoluturus eſſet: quia tunc pecunia præſens commutatur cum ea, quæ nuſquam eſt, aut eſſe poteſt.

Quartò, Cùm pecunia datur alicui, & qui dat ſcit, vel credit ibidem, non alibi eſſe ſibi ſoluendam.

Quintò, Cùm Titius dat Caio mille aureos, vt ad finem Menſis reſtituat, eo tamen pretio, quod certò vel probabiliter creditur eſſe maius futurum: quia dat, vt tantumdem cum lucro recipiat.

Sextò, Cùm pecuniæ dantur in nundinis, vt ſoluantur ad alias proximas nundinas, & pactum fit de certo & determinato lucro ſoluendo, niſi pecuniæ fuerint ſolutæ.

Septimò, Cùm nummularius dat pecunias vt ſibi ſoluantur, non in proximis, ſed in remotioribus nundinis, & ideò plus lucri exigit, quia in longioris temporis moram differt ſolutionem.

Octauò, Cùm eſt cambium ſimul & recambium, v. g. dat nummularius pecunias Caio, vt eas ſibi habeat, donec reuertatur in patriam, vbi nummos habet: interim nummularius fingit ſe illas pecunias dare in nundinis, vt ſibi in alijs nundinis ſoluantur: vnde toto eo tempore creſcit lucrum pecuniarum. Hæc cambia & recambia in Pij V. conſtitut. damnantur.

Item ſuſpecta ſunt cambia, cùm nummularius dat pecunias Caio, & quærit ab eo, vbi eas ſoluturus ſit. Reſpondet Caius, ſoluam tibi vbi volueris; tunc enim ſolùm videtur Cajus pecunias mutuas petere, vt ſuis commodis proſpiciat. Item cùm nummularius certò & probabiliter ſcit, eum qui pecunias petit & accipit, id facere neceſſitate, compulſum, eſſeque ibi ſoluturum vbi nummos accipit. De his vide Nauarrum *in man. cap. 17. nu.* 301. Toletum *lib. 5. cap. 52.* Plura de Cambijs poſſent adduci, quæ paſſim in Orbe practicantur, ſed hæc pauca addita pro confeſſarijs ſufficiant. Nauarrus. Toletus.

CANONICVS.

SVMMARIVM.

1 *Canonicus eſt clericus, qui canoniam in Eccleſia Cathedrali vel Collegiata poſſidet.*

2 *Canonici tenentur officium diuinum canendo & alta voce recitando perſoluere. Nec poteſt Canonicus alium in ſui locum ſubſtituere præciſa conſuetudine vel priuilegio.*

3 *Quando numerus Canonicorum determinatus non eſt, an poſſit ille augeri vel minui?*

4 *Canonicorum collegium non poteſt conſuetudine, qua in negotijs arduis verſantur, inducere, ſine Epiſcopi conſenſu.*

1. CAnonicus eſt clericus, qui Canoniam in Eccleſia Collegiata vel Cathedrali actu poſſidet. Dicitur, *clericus*, non enim Canonicus eſſe poteſt, qui clericali tonſura inſignitus non ſit. Dicitur, *qui Canoniam*, id eſt beneficium regulatum iuxta præſcriptionem Canonum poſſidet. Canon enim regula eſt, & Canonici dicti ſunt ex eo, quòd clerici Eccleſiæ in Diuinis Officijs ſeruientibus ſiue

siue mancipatis certum vectigal ab Episcopo penderetur, quod *Canon* dicebatur, quia certum & definitum erat. Sic in iure Canon dicitur omnis præstatio, quæ perpetuò & eodem modo exigitur. Ex eo itaque quòd certa portio ex bonis Ecclesiasticis Clericis Ecclesiæ distribuebatur portio illa Canonia siue Canonica dicta est, & qui illam accipiebant, Canonici sunt dicti, quia huiusmodi Canonem siue Canoniam & Canonicam præstationem ab Episcopo accipiebant. Dicitur, *in Ecclesia Collegiata vel Cathedrali*, quia Clerici Canoniam siue præstationem accipientes, ob multa incommoda singulas præstationes non poterant accipere, ideò quarta pars bonorum Ecclesiæ generaliter illis in communi cessit, & deinceps sub vno superiore, & certis regulis in communi cœperunt viuere, & collegialiter habitare in locis circa Ecclesias per modum Claustri siue Monasterij ædificatis, ex quarta illa bonorum Ecclesiasticorum parte communiter viuentes. Vnde & à quadam regulari secundùm Canones vita, dicti sunt Canonici, & si quidem apud Ecclesias Cathedrales habitabant, vocabantur Canonici Cathedrales, sin minùs, Collegiales. Quod bene exprimitur *in cap. in omnibus de consecrat. dist. 5.*

2. Canonici tenentur diuinum officium canendo & alta voce recitando persoluere, iuxta Ecclesiæ vsum. Ratio est, tum quia *cap vltim. 92. distinct.* habetur, Clericos choro deputatos debere in Ecclesia conuenire ad quotidianum psallendi officium: is autem psallere non dicitur, qui diuinum officium submissa voce recitat: tum quia quilibet tenetur munus suum obire, munus autem Canonici est canere, & alta voce recitare. Ita Graffijs *part. 1. lib. 2. cap. 52. num. 22.* Graffijs. Imò Canonicus non potest alium in sui locum substituere, saltem præcisa consuetudine, vel priuilegio. Ratio est, quia recitatio diuini officij in choro persoluendi est personalis; obligatio autem personalis non potest ab alio adimpleri, in ieiunio, vel oratione debita ex præcepto Confessarij. Tum quia *in cap. vnic. de Cleric. non resident.* reprobatur consuetudo conferendi distributiones absentibus, quod confirmatur & innouatur in Trident. *sess. 24. cap. 12. de reform.* & præscribitur, vt omnes compellantur diuina per se, & non per substitutos obire officia. Dixi *præcisâ consuetudine*, quia legitima consuetudo, præsertim immemorabilis inducere potest, vt quis per alium choro assistat: sicut enim consuetudine inductum est, vt quis priuatim cum socio diuinum officium recitando satisfaciat, ita etiam induci potest vt per alium assistat: quia data hac consuetudine damnum diuino cultui non infertur, nec Ecclesiæ: tum quia ex consuetudine immemorabili præsumitur titulus & priuilegium, vt omnes fatentur, idemque passim admittitur à Rota in suis decisionibus, & sic vsu receptum est in nonnullis Almæ vrbis Ecclesijs. Conc. Trid. Ita Petrus Nauarra *lib. 2. de reddit. c. 2. num. 217.* P. Nauarra. Lessius *lib. 2. cap. 34. n. 185.* Lessius. Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 7. quæst. 6. num. 6.* Layman.

3. Si numerus Canonicorum alicubi determinatus non est tot in Ecclesia institui debent, quot ex reditibus commodè sustentari possunt; habitò respectu ad alia etiam Ecclesiæ onera, & impendia in fabricam, eleemosynas, hospitalitatis officium. Si autem numerus Canonicorum statuto determinatus est, non debet is ob modicum reditum augmentum augeri; sed reditus accrescunt mensæ Capitulari, si bona communiter possidentur, in fine anni inter Canonicos diuidendi: vel accrescunt propijs beneficiatis, si præbendæ, siue reditus beneficiorum distincti sint. Sin verò Ecclesiæ reditus multum augeantur, tunc etiam numerus augeri debet tametsi à Papa confirmatus sit: quia talis confirmatio facta censetur in fauorem Capituli, seu Canonicorum, cui ipsi renunciare possunt: & in tali casu, antiquis præbendis in sua integritate remanentibus, ex nouis reditibus nouæ præbendæ constituendæ sunt. E contra, si reditus Ecclesiæ nimis decrescant, vt non sufficiant tanto Canonicorum numero sustentando, imminui poterit, non obstante confirmatione Papæ, quæ intelligi debet, si res in eodem statu permaneant. Ita habetur *in cap. Cùm M. de constitut.* & *cap. 1. de institut.* Glossa *ibidem* & Abbas. Glossa. Abbas.

4. Canonicorum Collegium non potest consuetudines nouas inducere, nec veteres mutare sine Episcopi consensu, vt decernitur *in cap. Cùm consuetudinis, de consuetud.* quod locum habet in consuetudinibus, quæ in negotijs magnis & arduis versantur, qualia sunt in ijs rebus, quæ pertinent ad communem Ecclesiæ, cuius sunt Canonici, statum, vel ad ipsius Episcopi iura. In negotijs tamen exiguis, qualia sunt, quæ ad ipsum Collegium spectant, potest, quia in his etiam sine Episcopo solet quippiam statuto decernere, nimirum quando, quo loco, & quomodo debeant Canonici congregari, quo pacto quisque suffragium ferat, quo loco & ordine sedere debeat, quemadmodum distributiones quotidianæ sint distribuendæ & diuidendæ. Ita Abbas *in dictum cap. Cùm consuetudinis, n. 4.* Glossa *cap. 2. de verbor. Signification. in 6.* Abbas. Glossa.

Vide Beneficium 2. *num.* 14. Charitatiuum Subsidium *num.* 2. Cœcus *num.* 1. Delegatus *num.* 16. Fides 2. *num.* 10. Residentia *num.* 14. 15.

CAPITVLVM.

SVMMARIVM.

1 *Capituli potestas quoad iurisdictionem procedit in aliis casibus præter mortem Episcopi.*

2 *Capitulum sede vacante potest dispensare cum illegitimis, quoad Ordines Minores & beneficium simplex.*

3 *Verum est posse Capitulum sede vacante dispensare super omnibus irregularitatibus, suspensionibus, &c. quibus potest Episcopus per Tridentinum.*

4 *Potest Capitulum sede vacante dispensare in legibus Pontificijs, quando non est facilis recursus ad Papam.*

5 *Capitulum sede vacante potest ferre censuras & ab illis absoluere: visitare diœcesim; non tamen Monasteria Monialium exemptarum: licet possit eisdem exemptis dare licentiam egrediendi è Monasterio in casibus permissis.*

6 *Potest Capitulum in beneficijs vacantibus præfigere œconomum vt in eis administret, donec fuerit per Superiorem prouisum, &c.*

7 *Probabilius est non posse Capitulum sede vacante conferre beneficij, si iure deuolutionis alias spectarent ad Episcopum.*

8 *Iuxta probabiliorem sententiam Capitulum sede vacante potest admittere beneficiorum resignationes: etiam causa permutationis, non tamen conferre beneficia permutata, nisi ius conferendi ad ipsum pertinet.*

9 *Non potest Capitulum sede vacante concedere literas dimissoriales intra annum pro prima tonsura.*

10 *Potest Capitulum sede vacante dispensare in voto*

& iuramentis : absolutre à casibus reseruatis : dispensare in petitione debiti, sicut potest Episcopus, &c.

11 *Capitulum regularium quid sit, & quotuplex.*
An Capitulis regularium competat tota illa potestas iurisdictionis, quæ respectiuè competit Prælatis ipsis regularibus.

12 *An Capituli auctoritas consistat in maiori parte eorum, qui conuocati sunt.*

13 *Gesta in Capitulo, an sint valida, si quis Capitularium vocandus contemnatur.*

14 *An religiosi Capitulares possint à Capitulo locali abesse absque iusta causa, renunciando voci activa aliàs ipsis competenti?* Refertur duplex sententia.

1. CApituli potestas quoad iurisdictionem procedit, siue vacet Sedes morte naturali Episcopi, siue depositione, vel translatione ad aliam Ecclesiam, vel si Episcopus captus esset à Paganis, vel Schismaticis, vel Hæreticis, quoúsque captiuitas perseuerat. Ita Glossa *in cap. si Episcopus, de supplend. negligent. Prælat.* Si autem Episcopo existente in remotis, moriatur Vicarius, succedit in tali casu Capitulum in eius iurisdictione: & ratio est, quia longa absentia æquiparatur morti, vt docet Cardinal. *in Clement. vnic. quæst. 18. in fin. de offic. Vicar.* Et ille dicitur esse in remotis, cuius præsentia in breui haberi non potest, *cap. vnic. §. fin. ne Sede vacante in 6.* Ita sentit Stephanus Quaranta *in Summa Bullarij, verb. Archiepiscopi Auctoritas, num. 22.* qui in facti contingentia refert hoc Neapoli fuisse seruatum.

Glossa. Cardinalis. Quaranta.

2. Quidam putant Capitulum sede vacante non posse dispensare, cum illegitimis quoad Ordines Minores & quoad beneficium simplex; quia dispensare tantùm potest quando dispensatio est debita, secus autem, quando est mera gratia: verùm contrariam sententiam tenent communiter Doctores, iuxta *cap. 1. de filijs Presbyter in 6.* & maximè si Vicarius capitularis habeat ad hoc speciale mandatum, vt docet Rodriguez *in Summa tom. 1. cap. 71. num. 5.* quem sequitur Diana *p. 8. tract. 4. resol. 6.*

Rodrig. Diana.

3. Dubium est inter Doctores, an Capitulum sede vacante possit dispensare super omnibus irregularitatibus, suspensionibus, &c. quibus potest Episcopus vigore Concilij Tridentini *sess. 24. c. 6. de reform.* Quidam enim negant hoc priuilegium competere Capitulo sede vacante, quia Sacra Congregatio, vt refert Garzias *de benefic. part. 7. cap. 11. num. 13.* declarauit prædictam facultatem concedi solis Episcopis priuatiuè quoad omnes alios, ergo in dicto cap. Concilij excluditur Capitulum sede vacante. Tum quia Capitulum succedit tantùm in his, quæ sunt iurisdictionis Ordinariæ iure communi generali Episcopum spectantis, non verò in ijs, quæ competunt Episcopo iure speciali. Sed huiusmodi facultas conuenit Episcopo, non iure generali & ordinario, sed speciali & extraordinario ipsis Episcopis concesso, ergo. Hanc sententiam sustinent Suarez, Filliucius, Bonacina & alij probabiliter, vt diximus *tom. 1. verb. Irregularitas XI. num. 6.* Nihilominus contrariæ sententiæ adhæsi & iterum adhæreo. Ratio est, quia Capitulum sede vacante, non solùm succedit in his, quæ competunt Episcopo iure communi generali, *cap. Cùm olim, de maioris. & obedient.* sed etiam in his, quæ iure speciali competunt Episcopo tanquam ordinario & Episcopo & ex iurisdictione ordinaria: at prædicta facultas licet competat Episcopo iure speciali dicti Tridentini, tamen competit ei iure communi, & ex iurisdictione ordinaria ei tributa per dictum decretum, cùm sit potestas competens non personæ, sed dignitati, vel officio in perpetuum & consequenter ordinaria; ergo Capitulum sede vacante, succedit in prædicta iurisdictione dispensandi & absoluendi. Præterea Concilium non limitat hanc potestatem, vt intelligatur concessa Episcopis tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, quod alijs locis facere solet, sed simpliciter eam facultatem Episcopis concedit, vt ex vi illius decreti videatur hæc facultas iam annexa muneri Episcopali, quasi iure ordinario. Huius sententiæ sunt Gauantus *in Man. Episcop. verb. Capitulum, num.* 48. Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 2. num. 10.* Caspensis *tom. 2. tract. 25. disp. 5. sect. 17. num. 118.* Barbosa *de potest. Episc. part. 2. Allegat. 39. num. 16.* & alij quos refert & sequitur Diana *p. 7. tract. 2. resol. 3.* & *part. 8. tract. 4. resol. 7.* De declaratione autem Cardinalium allegata pro contraria sententia, dicendum est non constare Authenticè, neque promulgatam esse tanquam iuridicam & habentem vim legis.

Gauant. Sanchez. Caspensis. Barbosa. Diana.

4. Capitulum sede vacante succedit in iurisdictione, quam habet Episcopus ex præsumpta voluntate Pontificis, vt dispensandi in legibus Pontificijs, in casu necessitatis, quando non facilè potest adiri Pontifex, vel Nuntius Apostolicus, si ad eam dispensationem concedendam potestatem habeat. Ratio est; quia Capitulum succedit in totam iurisdictionem ordinariam Episcopi: at verò iurisdictio quam habet Episcopus ad dispensandum in legibus Pontificijs in casu necessitatis, est ordinaria; ergo in ea succedit Capitulum. Ita Merolla *tom. 3. disp. 7. cap. 7. dub. 1. num. 12.* & post illum Diana *part. 8. tract. 4. resol. 9.*

Merolla. Diana.

5. Cùm Capitulum sede vacante succedat in iurisdictionem ordinariam Episcopi, vt dictum est, ideò potest ferre censuras, & à diuinis cessationem. Item absoluere ab excommunicatione lata, tam à iure, quàm ab homine, etiam propter percussionem Clerici, quando ab illa potest Episcopus absoluere: imò potest Capitulum deputare pœnitentiarios cum potestate absoluendi ab huiusmodi excommunicationibus & alijs casibus Episcopo reseruatis & censuris. Ita habetur expressè *cap. vnic. de maior. & obedient. in 6.*

Item potest Capitulum sede vacante visitare generaliter Diœcesim, sicut eam visitare potest ac tenetur Episcopus, cùm enim id ad iurisdictionem Episcopi spectet, competit etiam Capitulo, sede vacante, non solùm quoad crimina particularia, de quibus sit infamia, sed etiam generaliter: quia id est executio iurisdictionis Episcopalis. Ita Molina *tract. 5. disp. 11. num. 7.* An autem possit visitare Monasteria Monialium exemptarum? Affirmat Molina *loco proximè citato num. 8.* Sed negatiua sententia est tenenda: quia hæc visitat Episcopus, non ex potestate ordinaria, sed tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, vt dicitur in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 9. de regular.* Idem dicendum est de alijs casibus, in quibus per Concilium Tridentinum datur Episcopo facultas, quod procedat tanquam Sedis Apostolicæ delegatus; in his enim non succedit Capitulum, nisi adderetur à Concilio illa particula, *Etiam.* Hanc opinionem tenuit Rota 10. Martij 1597. vbi fuit resolutum Capitulum sede vacante, posse visitare etiam Monasteria Monialium non exempta, Garzias *de benefic. tom. 1. part. 5. cap. 7. num. 45.* Barbosa *de potestat. Episcop. allegat. 73. num. 25.* & alij. Potest tamen Capitulum sede vacante concedere licentiam Monialibus immediatè subiectis Sedi Apostolicæ egrediendi à

Molina. Molina. Conc. Trid. Rota. Garzias. Barbosa.

Monasterio

Monaſterio in caſibus permiſſis in Bulla Pij V. quæ incipit, *Decori*, quamuis id pertineat ad Epiſcopum tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatum: quia Monaſteria hæc non debent eſſe abſque Præſato, ad quem in caſu neceſſitatis confugiant, vt docet Suarez *lib. 6. moral. cap. 15 nu. 30.*

6. Quamuis Capitulum ſede vacante non ſuccedat Epiſcopo in collatione beneficiorum libera & gratioſa, ſed tantùm neceſſaria & debita, poteſt tamen in illis præfigere œconomum, vt in eis adminiſtret, donec fuerit per Superiorem prouiſum, *cap. cùm vos, de offic. ordinar.* vbi Panormitanus. Item quando collatio beneficij pertineret ſimul ad Epiſcopum & Capitulum; tunc ſede vacante Capitulum poteſt illud conferre: ſic habetur *in cap. 1. ne ſede vacante, in 6.* Imò quando electio ad aliquam dignitatem vel beneficium ſpectaret ad Capitulum & confirmatio ad Epiſcopum, Capitulum ſede vacante duplici iure fungetur, argum. text. *in l. ſi conſul. de adoption.* nam eliget iure capitulari, & confirmabit iure Epiſcopali.

7. Probabile eſt poſſe Capitulum ſede vacante conferre beneficia, ſi iure deuolutionis aliàs ſpectarent ad Epiſcopum: quia hæc deuolutio pertinet ad Epiſcopum ratione iuriſdictionis Epiſcopalis, in qua ſuccedit Capitulum ſede vacante, exceptis caſibus in iure expreſſis. At verò hic caſus nullibi reperitur in iure exceptus. Tum quia id ius pertinet ad iuriſdictionem Epiſcopalem ratione vtilis adminiſtrationis ſuæ Diœceſis in bonum & fauorem non Epiſcopi, ſed beneficiorum ac animarum: in eiuſmodi autem iuriſdictione ſuccedit Capitulum ſede vacante. Ita Ioan. Andræas *in cap. quamquam, de elect. in 6.* Molina *tract. 5. diſp. 11. num. 12.* & alij. Nihilominus negatiua ſententia eſt probabilior: quia cùm hæc deuolutio ad Prælatum Superiorem inducta ob negligentiam Prælati inferioris, non deducatur immediatè ex natura rei, nec ex aliqua ratione concludente, ſed immediatè procedat ex diſpoſitione iuris Canonici, ſequitur, eam non eſſe inducendam extra caſus ab eodem iure expreſſos. At nullibi in iure Canonico expreſſum eſt, vt deuolutio, quæ de Prælatis Epiſcopo inferioribus, ex eorum negligentia, facienda eſt, fiat ad Capitulum. Ita Rebuffus *in praxi benefic. tit. de deuolut. num. 93.* Garzias *de benefic. part. 5. cap. 7. num. 53.* Azorius *part. 1. lib. 3. cap. 38. quæſt. 6.* & alij quos refert & ſequitur Diana *part. 8. tract. 4. reſol. 27.*

8. Probabilius eſt Capitulum ſede vacante poſſe admittere beneficiorum reſignationes, cùm fungatur vice Epiſcopi & ſuccedat in eius iuriſdictione ordinaria, exceptis caſibus in iure expreſſis, ſed recipere reſignationes huiuſmodi beneficiorum, pertinet ad iuriſdictionem ordinariam Epiſcopi, vt ex ſe conſtat, & nullibi reperitur hoc denegatum Capitulo: ergo, &c. Ita Grazias *tom. 2. de benefic. part. 11. cap. 3. num. 255.* & alij ab ipſo citati. Imò poteſt Capitulum ſede vacante admittere reſignationes beneficiorum cauſa permutationis factas, ſed non conferre beneficia permutata, niſi ius conferendi ad ipſum pertineat, vel communiter ad Epiſcopum & ad ipſum Capitulum. Sicut in ſimili poteſt Epiſcopus admittere reſignationem beneficij, quod eſt Romano Pontifici reſeruatum, ſed nequit illud conferre, vt docent Rebuffus *in praxi benefic. tit. de deuolut. num. 94.* Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 38. quæſt. 8.* Quamuis hoc quibuſdam non placeat; nam ſi Capitulum haberet facultatem recipiendi reſignationes ex cauſa permutationis, poſſet etiam dicta beneficia reſignata conferre ipſis compermutantibus; nam hæc collatio non eſt amplius libera, ſed neceſſaria: quia beneficia ita reſignata, ſunt debita compermutantibus, & Capitulum ſuccedit Epiſcopo in collatione beneficiorum neceſſaria; vnde exiſtimant non poſſe Capitulum reſignationes dictas recipere, ſede vacante. Ita Merolla *tom. 3. d ſpnt. 7. cap. 7. dub. 11. num. 135.* & alij. Merolla.

9. Capitulum ſede vacante non poteſt litteras dimiſſoriales concedere intra annum pro prima tonſura: nam Concilium Tridentinum *ſeſſ 7. c. 10. de reformat.* generaliter dicit, quod non liceat Capitulo infra annum ordinandi licentiam, aut dimiſſorias concedere; ergo, quamuis prima tonſura non ſit propriè ordo, tamen litteræ, quæ ad eam ſuſcipiendam conferuntur, dicuntur propriè litteræ dimiſſoriæ, & per conſequens in verbis Concilij videtur comprehenſa prima tonſura. Accedit, quòd conſuetudo ſic interpretata eſt hoc decretum Concilij, & ita communiter intelligitur & practicatur: eo quod Canoniſtæ negent primam tonſuram non eſſe Ordinem; nam *in cap. cùm contingat, de ætate & qualitat. ordinand.* prima tonſura vocatur ordo clericalis: & eodem nomine vocat Gloſſa *in cap. Nullus, de tempor. ordin. in 6. in verb: tonſura.* Ita Diana *part. 8. tract. 4. reſol. 43.* Gloſſa. Diana.

10. Capitulum ſede vacante poteſt diſpenſare in omnibus votis & iuramentis, quibus poteſt Epiſcopus iure ordinario. Item approbare Confeſſarios. Item diſpenſare in petitione debiti, & concedere facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis. Item dare facultatem ingrediendi Monaſteria Monialium: quia ſub nomine Epiſcopi in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 5. de regular.* venit etiam Capitulum ſede vacante, & conſequenter Vicarius Capitularis, cùm ſuccedat in ordinaria iuriſdictione Epiſcopali. Item poteſt dare licentiam Nouitijs, vt intra duos menſes ante profeſſionem de ſuis bonis temporalibus diſponant, iuxta Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 16. de regular.* quia hoc poteſt Epiſcopus iure ordinario. Conc Trid.

11. Capitulum regularium eſt adunatio regularium pro negotijs ſpectantibus ad ſtatum Religionis ipſorum; vnde talis adunatio interdum vocatur Congregatio, in quibuſdam Religionibus. Hoc autem Capitulum eſt triplex: nimirum generale, in quo agitur de negotijs totius Religionis. Prouinciale, in quo tractantur negotia vnius tantùm Prouinciæ; & locale, in quo geruntur ſolùm negotia proprij Monaſterij.

Capitulis regularium competit tota illa poteſtas iuriſdictionis, quæ reſpectiuè competit Prælatis ipſis regularibus: vnde Capitulum generale poteſt exercere omnes illos actus iuriſdictionis, quos poteſt exercere Generalis Ordinis, ſiue iure Ordinario, ſiue ex priuilegio; Capitulum Prouinciale, quos Prouincialis; & Capitulum locale, quos Superior localis, iuxta tamen ſtatuta, ac iura cuiuſque Religionis. Ratio eſt, quia in iſtis Capitulis comprehenduntur dicti Prælati, aut alij eorum vices gerentes: tum quia ſi illi non aſſiſterent, de ijs ſententiendum, ac de Capitulis Eccleſiarum ſæcularium ſede vacante, quæ ſuccedunt Epiſcopis in concernentibus iuriſdictionem, exceptis tamen aliquibus caſibus in iure expreſſis, quos affert Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 3. num. 13. & ſeqq.* Ita Lezana *tom. 3. v. Capitulum n. 5.* Layman. Lezana.

12. Capituli auctoritas & poteſtas conſiſtit in maiori, ac ſaniori parte eorum, qui conuocati ſunt; vnde dicitur fieri à toto Capitulo, quod fit à maiori & ſaniori parte illius ex *cap. cum in cunctis, de his quæ fiunt à maior. part.* Ita Sylueſter *v. Capitulum, num. 1.* qui aduertit id non habere locum, & Syluest.

verum

verum in casu, quo maior pars Capituli delinquat, ideoque priuetur potestate ipsi competente, vt *in cap. Bona memoriæ el 1. & cap. cùm nobis, de elect.* Siquidem tunc tota potestas Capituli residet in minori parte, quæ non deliquit, vt notat etiam Abbas *in cap. 1. de his, quæ fiunt à maior. part. num. 11.* Abbas.

13. Gesta in Capitulo sunt valida & legitimâ, etiamsi quis capitularium vocandus contemnatur; possunt tamen & debent irritari ad petitionem capitularis contempti, hoc est, non sunt irrita ipso iure, sed possunt irritari, quamuis contemptus, si velit, ea possit rata habere, ex *cap. Quod sicut, de elect.* & tradunt communiter Doctores. Is contemptus habet ius petendi; vt cassentur acta in Capitulo, etiamsi non malitiosè, sed per inaduertentiam, quæ etiam in foro exteriori probari possit, fuerit contemptus, id est non vocatus. Ratio est, quia tale ius propriè non est inductum in pœnam, ita vt necessariò debeat præsupponi culpa, sed potiùs vt alteri resarciatur ius suum ablatum, nempe ius accedendi ad Capitulum, quod in præsenti casu fuit ablatum capitulari contempto, esto in tali ablatione non interuenerit iniuria formalis, & consequenter nec vlla culpa saltem Theologica.

14. Religiosi capitulares licitè possunt abesse à Capitulo locali absque iusta ac rationabili causa, renunciando iuri vocalitatis, id est, voci actiuæ aliàs ipsis competenti. Ratio est, quia cùm ius vocalitatis ipsis competat proprio, ac priuato iure, potest vnusquisque illi renunciare, ex *cap. Cùm accessissent, de Constitut.* Non item quoad Capitula Generalia ac Prouincialia: quia tunc ius vocalitatis ipsis competit, siue ex electione, siue ex officio & regula, & non potest renunciari statutis pro bono communi inductis. Hæc sententia est probabilis, dummodo talis renunciatio non redundet in præiudicium Religionis, vt sustinent Panormitanus, Miranda & noster Sigismundus à Bononia, cum alijs à nobis citatis *tom. 1. v. Electio, num. 8. vers. Sicco tertio.* Panormit. Miranda. A. Bononia. Nihilominus contrarium non est improbabile: quia licet onus assistendi Capitulo, incumbat vocalibus capitularibus, non vt singulis, sed vt vniuersis, id est, vt pertinent ad vniuersitatem Capituli, & sunt pars illius, tamen vt parti Capituli manet vnicuique prædicta obligatio. Aliàs si quilibet in particulari non teneretur assistere Capitulis, sed posset ad libitum abesse, alij etiam possent id facere, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de altero, & sic posset deficere bonum regimen Monasterij & Religionis. Et hæc opinio placet Dianæ *p. 3. tract. 2. resol. 6.* Diana. Quia ius cui cederent vocales interueniendi Capitulis, vergeret in detrimentum Religionis, pro cuius seruitio vocales effecti sunt; ergo non possunt dicto iuri eorum cedere, quia continet ius alterius.

Vide v. Beneficium 3. *num.* 5. Beneficium 5. *n.* 13. Beneficium 6. *num.* 3. Visitatio *num.* 2.

CARDINALIS.

SVMMARIVM.

1 *Cardinalis vnde dicatur? Et vt nulla dignitas post Pontificatum maior est in Ecclesia, quàm Cardinalatus.*

2 *Cardinales in Ecclesia sui tituli ordinariam quasi Episcopalem habent iurisdictionem.*

3 *Cardinalis non Episcopus potest de causa criminali suorum Clericorum cognoscere: censuras ferre: solemniter benedicere: vltimas voluntates commutare: in votis dispensare, &c.*

4 *Cardinales in suis Ecclesijs possunt dispensare & absoluere subditos in casibus Episcopis concessis à Tridentino* sess. 24. cap. 6. de reform.

5 *Cardinales existentes Romæ habent ius conferendi beneficia in suis Ecclesijs titularibus & resignationes beneficiorum recipere.*

6 *Cardinales ad Episcopatum assumpti, conferre possunt beneficia etiam ante captam Episcopatus possessionem.*

7 *Cardinales Episcopi existentes in Curia possunt conferre Ecclesiam Parochialem suæ Diœcesis sine concursu.*

8 *Vt declarationes Cardinalium obligent in conscientia quatuor conditiones desiderantur.*

9 *Probabile est religiosum creatum Cardinalem, etsi mi à voto paupertatis: quamuis contrarium sit probabilius.*

10 *Cardinales religiosi non tenentur ad vota, quæ præter tria subsistentialia emittuntur in religionibus, iuxta eorum statuta.*

11 *Cardinales religiosi dimittentes habitum suæ Religionis incidunt in excommunicationem iuris.*

12 *Cardinales habent priuilegium testandi iure militari: & semper durat hæc facultas, nec expirat morte Pontificis, qui eam concessit.*

1. CArdinalis dicitur à cardine, super quo quiescit ostium aperiendum & claudendum. Et dicuntur Cardinales, qui Papæ, sicut Apostoli Christo, assistunt, in quorum Collegio manet potestas Papæ eo mortuo dupliciter. *Primò* quidem quantum ad radicem proximam, in quantum scilicet, eligunt & constituunt Papam: & *Secundò* quantum ad materiale in Papatu, in quantum per electionem personam determinant; non autem manet quantùm ad actualem administrationem. Hinc Cardinalitia dignitate nulla maior est in Ecclesia Dei post Pontificatum maximum. Nam si gradum Cardinalatus spectes, non datur propinquior ipsi Papæ; cùm sint Cardinales membra & pars corporis illius: dicitur enim Cardinalis specialis filius Ecclesiæ Catholicæ, *cap Fœlicis, §. vlt. de pœn. in 6.*

Et cum ipso Summo Pontifice vnum corpus mysticum Cardinales conficiunt: quamuis enim Papa quatenus repræsentat Christum, cuius vices gerit, sit caput vniuersalis Ecclesiæ & singuli fideles membra in genere, est tamen speciale caput Cardinalium, & ipsi eius membra specialia respectu aliorum: quod corpus sic adeò est compactum, vt Papa, qui est caput, nullatenus ab his exigat iuramentum obedientiæ & fidelitatis, cùm sint sibi inuiscerati: iurant enim dumtaxat se honorem & auctoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ipsiusque Papæ conseruaturos, auctoros & promoturos. Ita Hostiensis *in cap. antiqua sub num. 5.* quem sequitur Præpositus *in cap. quamquam 1. quæst. 7.* Hostiens. Præpositus.

2. Cardinales Romanæ Ecclesiæ ordinariam & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent in Ecclesia sui tituli, sicuti constat ex *cap. querelam, de elect. cap. his quæ de maior. & obedient.* Et si Presbyteri sint, possunt conferre primam tonsuram & Minores Ordines suis familiaribus. Et hoc ex consuetudine, quæ cùm non possit in hoc dare iurisdictionem, signum est eam habuisse à Papa. Ita Barbosa *de potest. Episc. p. 2. allegat. num. 19.* vbi testatur ita sensisse Rotam *in vna Cremon 3. Decemb. 1582.* Lorichius *in Thesau. verb. Cardinalis, §. 7.* Fornarius *de Sacram. Ordin. cap 5. num. 2.* Barbosa. Rota. Lorichius. Fornarius.

3. Cardinales

3 Cardinales in ſuis titulis cùm habeant iuriſdictionem Eccleſiaſticam, quam habent Epiſcopi; Cardinalis non Epiſcopus poteſt de cauſa criminali ſuorum Clericorum cognoſcere, & ſi Clericus erit depoſitione dignus, ſententiam ferre actum tamen degradationis Epiſcopo committere debet, cùm hoc ſit Ordinis. Hinc etiam Cardinales poſſunt in ſuis titulis excommunicare, ſuſpendere & interdicere, & vt Pontificijs inſignibus, & benedicendi ſolemnem ritum more Epiſcoporum exercere, etiamſi Epiſcopi non ſint. Imò Vicarij Cardinalium poſſunt etiam fulminare cenſuras & reliqua facere, quæ ſunt iuriſdictionis Epiſcopalis. Ex qua ratione poſſunt Cardinales in ſuis titulis commutare vltimas voluntates in his, in quibus poſſunt Epiſcopi cum ſuis ſubditis. Item diſpenſare in votis: quia hoc pertinet ad iuriſdictionem ſpiritualem Epiſcopalem. De his vide Laymann *lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 7. nu. 24.* Dianam *part. 5. tract. 2. reſol. 7. 12 57 58.*

4. Cùm Prælati Epiſcopo inferiores habentes quaſi Diœceſim etiam intra fines Diœceſis Epiſcopi, atque adeò iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poſſint diſpenſare & abſoluere ſuos ſubditos in caſibus à Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6. de reformatione*, Epiſcopis conceſſis, non eſt deneganda hæc poteſtas Cardinalibus, qui eandem poteſtatem habent in ſuis Eccleſijs. Atque in hanc ſententiam inclinat Diana *part. 5. tract. 2. reſol 59* citans *Monetam.*

5. Cardinales, quando ſunt in vrbe, habent ius conferendi beneficia in ſuis Eccleſijs titularibus: in eorum autem abſentia ſolus Papa confert: licet enim tituli in vrbe ſint, & eorum beneficia iure ordinario ad Pontificis maximi, veluti ad proprij Epiſcopi collationem & prouiſionem ſpectent: tamen Pontifices ipſi, vt oſtenderent Cardinales ſibi verè filios & fratres eſſe, & vt eos ſuorum titulorum ſtudioſos per reſidentiam magis allicerent, pleniorem eiſdem dederunt conferendi facultatem *cap. his qua, de maioritate & obedient.* Ita Gonzales, Chokier Barboſa apud Dianam *part. 5. tract. 2. reſol. 13.*

Item poſſunt in ſuis titulis reſignationem beneficiorum recipere, quia poſſunt illa conferre, imò & deſtituere beneficiatos; quod ius competit ijs ratione titulorum. Ita Pariſius *de reſignat. benefic. lib. 7. quæſt. 12.*

6. Cardinales ad Epiſcopatum aſſumpti, conferre poſſunt beneficia, etiam ante adeptam Epiſcopatus poſſeſſionem: quia Epiſcopus electus & confirmatus poteſt exercere ea, quæ ſunt iuriſdictionis, vt eſt beneficiorum collatio, etiam extra Diœceſim, etſi nondum in eam ſe contulerit, & naturaliter & corporaliter poſſeſſionem nondum cœperit, ſic Eccleſia dicitur vacare vſque ad confirmationem: quia poſſeſſionis apprehenſio eſt vtique neceſſaria quoad ſolemnitatem, vt poſſit prouiſus oſtendere ſe eſſe in poſſeſſione, ſicque illatam moleſtiam repellere, inferendamve præcauere; non tamen ſequitur, quin ante adeptam poſſeſſionem poſſit adminiſtrare & exercere ea, quæ ſunt iuriſdictionis, dummodo tertio non præiudicet. Ergo non opus erit poſſeſſione vt Epiſcopus Cardinalis virtute indulti beneficia conferat. Et quamuis iure communi, vbi quis eſt Canonica inſtitutione confirmatus, habeat ea, quæ ſunt iuriſdictionis, dignitatis, &c. Nihilominus per *Extravag. iniuncta. de elect.* inter communes, ſi velit prædicta exercere, debet obtinere literas, aliàs poſſeſſionem conſequi non poteſt. Dicta tamen Extrauagans non habet locum in Cardinalibus Epiſcopis, qui ante poſſeſſionem adeptam & oſtenſionem literarum iuriſdictionem exercere poſſunt. Ita Barboſa *de poteſt. Epiſcop. p. 3. allegat. 111. num. 35.* Gonzales *in reg. 8. Cancellar. gloſſ. 4. n. 7.* Innocentius, Hoſtienſis, Abbas *in cap. tranſmiſſi, de elect.* Barboſa. Gonzalez. Innocent. Hoſtienſ. Abbas.

7. Cardinales Epiſcopi exiſtentes in Curia, poſſunt conferre Eccleſiam Parochialem ſuæ Diœceſis ſine concurſu, dummodo ille, cui confertur, ſit examinatus ab Examinatoribus deputatis à Papa, vel eius Vicario. Et huic indulto non derogat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.* ibi, *etiamſi ipſa Parochialis reſeruata, &c.* quia loquitur tantùm de indultis extraordinarijs, vel de alijs quo ad ea beneficia, quorum collationes ſpectant ad Cardinales, ratione alicuius Abbatiæ, vel dignitatis, quas poſſident in aliena Diœceſi, non autem circa indulta ordinaria locum habet. Ita docet Germonius, Maſſobrius citati à Diana *part. 5. tract. 2. reſol. 42.* Conc. Trid. Diana.

8. Multæ conditiones requiruntur vt declarationes Eminentiſſ. Cardinalium vim habeant obligandi in conſcientia, ita vt vna deficiente non obligent, *Prima* ſit certa & indubitata, vt conſtet ſufficienti auctoritate eſſe eas declarationes Sacræ Congregationis: ſufficienter autem conſtabit, ſi exhibeantur in authentica forma ſolito ſigillo & ſubſcriptione Eminentiſſ. Cardinalis Prætecti ac Secretarij eiuſdem Congregationis. *Secunda* conditio eſt, vt in ipſa declaratione referatur eam fuiſſe pronuntiatam conſulto Pontifice, quia Sixtus V. quando huic Congregationi conceſſit facultatem interpretandi Concilium, dixit requirens conditionem neceſſariam, nobis tamen conſultis. *Tertia* eſt, vt ſolùm Cardinales declarent & interpretentur, non verò diſpenſent, reſtringant aliquid, aut amplient vltra vim verborum & regulas iuris. Hanc formam Congregationi præſcripſerunt in ſuis Bullis Gregorius XIII. Sixtus V. & Vrbanus VIII. quòd ſi aliquid vltra limites prædictos præſtet Congregatio, neceſſum eſt in ea explicari id ortum habuiſſe ex peculiari commiſſione, aut voluntate Pontificis. *Quarta* conditio eſt, vt declarationes obligent in foro interiori & exteriori, debet de illis conſtare notitia publicâ, qualis eſt illa, quam Epiſcopus poteſt præbere in ſuo Epiſcopatu, declarando illas forma iuridica, & quæ oriri poteſt ex fama publica & certa, deriuata ex principio authentico. Ita Petrus Ochagauia *de Sacram. tract. 2 de pœnitent. quæſt. 40. num. 12.* Torreblanca *in pract. iur. Eccleſ. lib. 14. cap 4. num. 19.* Coriolanus *de caſib. reſerua. part 1 ſect. 1. art. 21.* Sanctius *in ſelectu diſp. 48. num. 1.* De his vide Dianam *part. 5. tract. 2. reſol. 96.* & dicta *tom. 1. huius ſum. v. Lex IV. num. 12.* Sixtus V. Greg. XIII. Vrban. VIII. Ochagauia. Torreblanca. Coriolanus. Sanctius. Diana.

9. Religioſus creatus Cardinalis, iuxta probabilem quorumdam ſententiam, eximitur à voto paupertatis & efficitur verus Dominus redituum Eccleſiaſticorum inſtar Cardinalium ſæcularium, & ideò ſuperuacaneè conſumpta & in vſus illicitos non tenetur reſtituere, atque ab ipſo accipientes, neque ad reſtitutionem aſtringuntur. Ratio illorum eſt, quia etiam Regulares Epiſcopi non tenentur amplius ad votum paupertatis, ergo neque etiam effecti Cardinales, quod autem Religioſi ad Epiſcopatum aſſumpti ſoluantur paupertatis voto, docent *Sotus, Vaſquez, Hurtadus de Mendoza, Alphonſus de Leone*, & alij quos refert & ſequitur Diana *part. 3. tract. 2. reſol. 50.* & *part 5. tract. 2. reſol. 64.* & *tract. 8. reſol. 31.* Probatur autem hæc ſententia ex *cap. Statutum 18. quæſt. 1.* quod ſic habet. *Statutum eſt, & rationabiliter ſecundùm Sanctos Patres à Synodo confirmatum, vt Monachus, quem Canonicè.* Sotus. Vaſquez. Hurtadus. Alphonſ. de Leone. Diana.

Digitized by Google

Canonica electio à iugo Monaſtica profeſſionis abſoluit, & ſacra ordinatio de Monacho Epiſcopum facit, vt legitimus hæres paternam ſibi hæreditatem poſtea iure vendicandi poteſtatem habeat: ſed quid acquiſierat, vel habere viſus fuerit, Monaſterio relinquat, & Abbatu ſui, qui fuerat ſecundùm regulam S. Benedicti, arbitrio. Poſtquam enim Epiſcopus ordinatur, ad altare, ad quod ſanctificatur & titulatur, ſecundùm ſacros Canones quidquid acquirere poterit, reſtituat.

Circa hunc textum nonnulla ſunt ponderanda. Et *Primò*, quòd Monachus factus Epiſcopus abſoluitur à iugo regulæ Monaſticæ profeſſionis; ergo etiam à voto paupertatis: quia iugum Monaſticæ profeſſionis non conſiſtit in regularibus obſeruantijs; quia hæ non pertinent ad ſubſtantiam profeſſionis Monaſticæ, ſed tantùm ſunt quid acceſſorium ſubſtantiæ & integrale; ſubſtantia vero conſiſtit in votis; vnde non poſſet dici abſolutus à iugo, niſi abſolueretur ab eo in quo conſiſtit ſubſtantialiter iugum. *Secundò*, ponderanda ſunt verba illa, *Legitimus hæres*; & *ſibi vendicandi*. Quæ denotant proprietatem dominij: *eſſe* enim *legitimum hæredem*, dicit ius proprium ad hæreditatem: & *ſibi vendicari* dicit capacitatem acquirendi dominium: ius autem & capacitas dominij non ſtant cum voto paupertatis. Confirmatur: non poteſt dici de Monacho quòd ſit legitimus hæres; nam ſecundùm ius non ipſe eſt verus hæres, ſed Monaſterium; nec quòd ſibi acquirat, cùm quidquid acquirit, Monaſterio acquirat: ergo cùm hæc de Epiſcopo regulari dicantur, oportet, vt ab eo ſit ſublatum illud impedimentum, ob quod de Monacho dici non poſſunt. Probatur inſuper hæc ſententia ratione hac præcipua. Si regularis incapax hæreditatis ex eo quòd profeſſus eſt in Religione incapaci, aſſumatur ad Epiſcopatum, fit capax hæreditatis, & recuperat ius ſuccedendi: quia tranſit ad Eccleſiam, quæ eſt capax; vt communiter docent Doctores, quos citant & ſequuntur Sanchez *lib. 7. moral. cap 32. num. 26.* & Hieronym. Rodriguez *in compend. reſol. 60. num. 8.* ergo etiam recuperat capacitatem dominij: atque adeò abſolvitur voto paupertatis. Tum quia, ſi acquirat hanc capacitatem quia Eccleſia eſt capax, fit quòd ſequatur conditionem Eccleſiæ tanquam ſponſus, & caput illius; vnde tota capacitas Eccleſiæ debeat transfundi in ipſum: atque adeò etiam capacitas dominij. Hanc ſententiam pluribus rationibus firmat, quia omninò veram cenſet Paſqualigus *in deciſion. moral. deciſ.* 267. contra D. Thomam & 66. Doctores, quos ibi refert, affirmantes Epiſcopos regulares non abſolui voto paupertatis: quia nulla eſt neceſſitas diſpenſandi in hoc voto, ſicut nec in alijs; cùm non ſit incompoſſibile cum ſtatu Epiſcopali, nec ipſum dedeceat, imò iuuet ad perfectionem. Eccleſia autem non diſpenſat ſine cauſa. Et hanc ſententiam tenui *tom. 1. loco infra citando.* An autem Cardinales religioſi abſoluantur à voto obedientiæ, vide à nobis dicta *tom. 1. verb. Religio 1. num. 8.* de regulari facto Epiſcopo, *§. Quoad votum*, habent enim locum in Cardinalibus.

Sanchez. Hieron. Rodrig.

Paſqualig.

10. Probabile eſt Cardinales Religioſos non teneri ad vota, quæ præter tria ſubſtantialia emittuntur in Religionibus, iuxta eorum ſtatuta. Ratio eſt, tum quia ad iſta vota non tenentur religioſi ad Epiſcopatum aſſumpti, ergo neque ad Cardinalatum promoti. Vnde Fratres Minimi S. Franciſci de Paula aſſumpti ad Epiſcopatum vel Cardinalatum abſoluuntur à voto quadrageſimalis vitæ: huiuſmodi enim votum non eſt votum perſonæ, ſed regulæ, quam perſona profitetur, nam ordinatur per ſe primò ad conſeruationem regulæ, quæ permittit tantùm cibos quadrageſimales: vide præſcriptio huiuſmodi ciborum per ſe primò, & directè habetur à Regula, quæ tales cibos tantùm permittit; votum autem ſuperaddítur, vt det robur obligationi regulæ; & ideò qui regulam profitetur, non ſuſcipit per ſe primò votum, ſed illud ſuſcipit ratione regulæ cui ſe obligat. Ex hoc autem fit quòd materia voti immediata non ſit vſus ciborum tantùm quadrageſimalium; ſed obſeruantia regulæ quo ad illam partem, quæ præſcribit de cibis; & cibi ſunt tantùm materia mediata, quatenus ſtant ſub obſeruantia regulæ. Hinc cùm in Cardinali vel Epiſcopo aſſumpto ex his Minimis ceſſet obligatio ad regulam, quia conſtituitur in alio ſtatu ſuperiori, in quo ſecundùm aliam regulam dirigi debet: ceſſat etiam obligatio regulæ, quò ad illam partem, quæ præſcribit de cibis; & ideò ceſſat etiam votum, quia ceſſat materia immediata voti. Hæc ſunt fundamenta, quibus fulcitur probabilitas huius ſententiæ, quàm ſuſtinent Sanchez *lib 6. moral. cap. 6. num. 10.* Barboſa *in collect. in ius Canonicum, tom. 2. in cap. vlt. num. 4. De obſeruat. Ieiunij.* Syluius 2. 2. *quæſt. 185. art. 8. concl. 2.* Diana *p. 3. tract. 2. reſol. 50. verſ. Hinc infertur*, & *p. 5. tract. 2. reſol. 6.*, Palaus *part. 3. tract. 16. d ſp. 4. punct. 24. num. 6.* & alij. Contra Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 4. cap. 17. num. 8.* qui probat votum non ceſſare, quia eſt ſpeciale & proprium, & obligatio voti eſt perſonalis, quæ ſequitur perſonam quocumque tendat. Ad quod argumentum poſſet reſponderi, quòd tale votum non eſt ſimpliciter perſonale; ſed perſonale regulare, hoc eſt non perſonæ quomodocumque, ſed perſonæ ſubiectæ tali regulæ; ſolùm enim emittitur à perſona, vt membro Religionis. Quando autem aſſumitur ad Cardinalatum vel Epiſcopatum, definit hoc membrum Religionis, & perſona ſubiecta tali regulæ: & ideò votum non ſequitur perſonam, quia non eſt illius perſonæ quocumque modo, ſed vt ſubiectæ regulæ, & vt eſt membrum illius Religionis.

Sanchez. Barboſa. Syluius. Diana. Palaus.

Suarez.

Ex dictis colligitur, iuxta hanc ſententiam, ex natura rei, abſque alia diſpenſatione ſolui vota regularium, quando fiunt Cardinales vel Epiſcopi. Probatur, quia vota emittuntur à profitente pro ſtatu religioſo, ſub illa certa regula, atque ex electione illius modi viuendi, quem Religio præſcribit: vnde non ſunt ſimpliciter emiſſa, ſed pro electione ſtatus: & electio ſtatus eſt motiuum vouendi: ita vt non eſſet emiſſurus vota, ſi non ingrederetur illum ſtatum. Et hoc eſt iuxta naturam votorum, quia ordinantur ad ſtatum conſtituendum; & ideò ille modus viuendi ſecundùm certas regulas, quas præſcribit Religio, eſt ratio, cur regularis ſe obliget per vota. Ergo vota cenſentur emiſſa, ſub virtuali conditione durationis ſtatus ſecundùm modum regularem viuendi; ita vt ceſſante tali ſtatu per mutationem in meliorem, ceſſent vota tanquam dependentia à conditione ſtatus. De his vide Paſqualigum *in deciſ. moral. deciſ. 270.* qui ad firmandam hanc ſententiam plures affert rationes probabiles. Ob quas conſequenter docet, votum de redemptione captiuorum, non permanere in Epiſcopo aſſumpto ex Ordine S. Mariæ de Mercede, *deciſ. 272.* Item votum Patrum Societatis IESV, quo ſe obligant obedire Pontifici circa miſſiones, non permanere in Epiſcopis aſſumptis ex ipſis Patribus. *Deciſ. 294.* Item, votum Societatis de non laxanda paupertate, ſed potius reſtringenda, non permanere in Epiſcopo aſſumpto ex tali Societate. *Deciſ. 275.* Item, votum de non procuranda & ambienda

Paſqualig.

ambienda dignitate, quod emittunt Patres Societatis, non obligare Episcopos assumptos ex ipsis. *Decis.*176. Item, votum de non acceptanda dignitate extra Religionem, nisi ex præcepto obedientiæ, non obligare Episcopos, qui semel ex obedientia assumpti sunt ad Episcopatum ex Societate IESV ad non acceptandas alias dignitates, nisi accedat simile præceptum. *Decis.* 278. Item, votum de denunciadis ambientibus dignitates, quod emittunt Patres Societatis, non manere in Episcopis assumptis ex ipsis. *Decis.* 177. Item, votum quod emittunt Patres Societatis, de audiendis consilijs P. Generalis, si eligantur in Præsidem alicuius Ecclesiæ non obligare Episcopos ex ipsis assumptos. Lezana. *Decis.*279. Dictis consentit Lezana *tom.*1. *Summ.* c. 17. *num* 10.

11. Cardinales religiosi tenentur portare habitum suæ Religionis, si tamen illum dimittant, verius est non incurrere excommunicationem latam *in cap. vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6.* quia religiosi Episcopi id facientes non incurrunt excommunicationem; ergo neque Cardinales. Probatur maior; quia nullo iure est excommunicatio indicta Monacho, qui prætextu Episcopalis dignitatis habitum dimittit, & Episcopalem induit; quia textus ille clarè loquitur de religioso sub Abbatis obedientia manente, eiusque regulis astricto, atque ita eam rationem reddit, ne detur Monachis materia vagandi dimisso habitu, eo quòd à nemine cognoscentur, quæ in Episcopo deficiunt, vtpote qui non est sub regulæ obedientia, & induens Episcopalem habitum minus aptus erit ad euagandum. Sanchez. Barbosa. Lezana. Diana. Ita Sanchez *lib.6. moral. cap.6.num.34. iuncto num.* 23. Barbosa *de iur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 25. Lezana *tom.*1. *Summ. cap.*17. *num.*9. Diana *p.*3. *tract.* 2. *resol.*50.

12. Cardinales habent priuilegium testandi iure militari. *Primò*, vt sufficiant duo testes. *Secundò*, vt possint decedere pro parte testati, & pro parte intestati. *Tertiò*, vt possint instituere hæredem personam incapacem. Ita Albanus *de Cardinal. q.* 42. §. *Secundò principaliter*, vbi pro hac sententia citat Baldum: facultas autem testandi ipsis concessa non restringitur ad vnicum testamentum, sed semper durat: non enim est idem iuris de testamento, quod de alijs rebus, nam testamentum non nisi morte testatoris confirmatur, & hominis voluntas vltima non est ante mortem, vt cætera primo actu perficiuntur, Azorius *tom.*2 *lib.*4. *cap.*3. *quæst.*10. Neque expirat hæc facultas morte Pontificis, qui eam concessit: quia cùm testamentum vim non habeat, nisi post mortem testatoris, illi, cui testandi licentia concessa est, imputari nequit concedente superstite eum testatum non fuisse, siquidem longiorem vitam adeptus est, quàm is, qui facultatem concessit, & ea facultas pro tempore mortuis, à quo debet testamentum vim habere, deseruit potissimum. Ita Sanchez *de matrim. lib.*8 *disp.*28.*num.*81. Gutierrez *in qq. pract.lib.*2.*q.* 75. Molina *de iustit. tract.*2. *disp.*141. & alij.

Albanus. Azorius. Sanchez. Gutierrez. Molina.

Vide v. Beneficium 4.n.7. & 8. Regulares n.9. Residentia n.3.

CENSVS.

SVMMARIVM.

1 *Census & Emphyteusis in tribus distinguuntur.*

2 *Census est contractus emptionis & venditionis in quo res ab vno empta & ab alio vendita est in illud*

percipiendi annuam pensionem.

3 *Census potest creari in diuersis prædijs separatis alienis.*

4 *Quando dicatur res censualis reddita infructifera.*

5 *Census potest collocari in alio censu, modo sit irredimibilis.*

6 *Census non potest constitui in re aliena, nisi ex consensu domini rei. Et quid agendum, si quis in re aliena, vel alijs vinculis obstricta censum constituat.*

7 *Si census vilius minoris iusto pretio emantur, quando pretium est taxatum cum clausula irritante contractum, pensiones sunt restitutioni obnoxiæ, qua parte superant iustum pretium.*

Si autem pretium non est taxatum, verius est excessum pensionum non esse restituendum, sed tantùm pretium.

8 *Ex Constitutione Pij V. multæ conditiones requiruntur in Constitutione census; quarum prima est vt constituatur in re immobili, aut qua pro immobili habeatur.*

Probabilius est, ex natura rei, sublatâ humanâ prohibitione, censum posse constitui super sola, nudáque persona, modo sit vtilis & fructifera.

Item verius est, stando in solo iure naturali & diuino posse censum constitui in re mobili se mouente & quæ primo vsu non consumitur, modo census minus vendatur quam supra immobilem.

9 *Secunda conditio est, vt res sit naturâ fructifera, id est, apta ferre fructus. Et quid nomine fructus intelligatur.*

10 *Tertia conditio est, vt census super re nominatim certis finibus designata, constituatur.*

11 *Quarta conditio est, vt pretium census verè soluatur in pecunia numerata. Et an hoc requiratur ex parte rei.*

12 *Quinta conditio, vt pretij solutio & numeratio fiat coram testibus & notario, & in actu celebrationis instrumenti, & non aliter.*

Vbi Constitutio Pij V. non est recepta, potest census constitui in foro animæ ex debitu præcedentibus, modo seruentur duæ conditiones.

Probabilius est in pecunia credita non posse censum constitui.

13 *Sexta conditio est, vt pretium in numerata pecunia sit iustum & in totum solutum.*

14 *Septima conditio est, vt non fiat, nec in pactum deducatur ancipata solutio.*

15 *Octaua conditio est, vt conuentiones directè vel indirectè obligantes ad casus fortuitos non valeant, ad quos ex natura contractus non tenetur.*

Censuarius tenetur soluere pensionem, quando res supposita censui, vno, duobus, tribusve annis nullum fructum reddit ob bellum, pestem aliumve similem casum.

16 *Nona conditio, ne vlla pacta, aut conuentiones adiungantur, quibus aliter contrahentium obligetur ad aliqua onera, ad quæ alias ex natura contractus non tenetur.*

17 *Decima conditio, vt non fiat pactum restringens libertatem censuarij, ne alienet rem censui subiectam.*

18 *Vndecima conditio est, vt dominus rei censuariæ, si illam vendere velit, indicet domino census pretium & conditiones, quibus res est vendenda, vt si ei libuerit tantidem rem illam emat, ita vt sit ille alijs præferendus, & per triennium expectetur illius deliberatio.*

19 *Duodecima est, vt non fiat pactum, quo venditer census cogatur emptori censum soluere laudemium. Et quid sit laudemium.*

20 *Decimatertia conditio est, vt re in totum, vel in*

partem peremptâ, vel effectâ infructuosâ in perpetuum pro rata pereat census

Si res censui subiecta in plures heredes dividatur vel pluribus vendatur per partes, verum est censualistam debere à singulis emptoribus exigere pensionem ad ratam, non verò à singulis in solidum modo venditio facta fuerit admonito censualista.

Si domus vel molendinum omninò destruatur, & in eodem loco ex eadem materia de novo exigatur, census extinctus non renovatur.

Censuarius tenetur ad restitutionem, si res censita pereat ipsius culpâ.

Communis Doctorum sententia habet, pereunte re censui subiecta, absque culpa censuarij, venditorem omni obligatione esse solutum.

21 *Decimaquarta est, ne fiat pactum, quo censuarius existens in mora solvendi pensionem, teneatur ad interesse lucri cessantis, aut ad aliquam pœnam, aut ad amittendam rem censui subiectam, aut ad expensas.*

Pactum, quo venditor census se adstringit resarcire damnum, quod ex sua mora contingit, cum Constitutione Pij V. non pugnat.

22 *Decimaquinta est, ne census antea constitutus augeatur ex pensionibus debitis & non solutis.*

23 *Decimasexta conditio est, vt semper liberum sit censuario redimere censum quoties voluerit, reddito eodem pretio quo vendiderat.*

Census perpetuus per Constitut. Pij V. non improbatur, si multo plurio ematur, quàm census redimibilis æstimatur.

Census potest extingui per compensationem, modò debitum sit liquidum. Similiter licet censum extinguere in alijs rebus à pecunia numerata.

24 *Decimaseptima conditio est, vt emptor non possit ab inuito venditore pretium repetere.*

25 *Vltima conditio est, vt pretium census semel constitutum, non possit augeri vel minui ob temporis vel contrahentium qualitatem, aut ob aliud accidens.*

Hæ conditiones vbique sunt seruandæ, quatenus continent id quod iuris naturalis vel diuini est. Aliàs tantùm vbi Constitutio Pij V. recepta est.

26 *Census vitalitius secundùm ius naturale & diuinum, ad emendu vel vendendu vitam, aut ad alium annorum numerum incertum, licitus est, si iusto pretio constituatur.*

In constituendo pretio census vitalitij spectanda est locorum consuetudo.

Ex mutuo contrahentium consensu census vitalitius potest redimi à censuario, modo iustum intercedat pretium.

1. CEnsus & Emphyteusis in tribus distinguuntur. *Primò*, quia per contractum emphyteuticum solùm transfertur in emphyteutam dominium vtile, & directum manet apud concedentem: per hunc verò censualem contractum, tam directum, quàm vtile transfertur in censuarium, solumque manet apud priorem & antiquum dominum ius percipiendi annuam pensionem.

Secundò, si in emphyteuti non soluatur pensio per triennium priuatis, aut per biennium Ecclesiæ, iuxta ius commune, Emphyteuta incidit in commissum, id est, amittit vtile dominium illius rei. Hoc autem non contingit in censu, etiamsi mille annis census non soluatur, nisi de hoc expressè sit pactum inter contrahentes. Ratio diuersitatis est, quia in contractu emphyteutico res non desinit esse domini & videtur concessa quasi sub conditione, si pensionem soluerit. Sed in contractu censuali transfertur dominium in totum, ita quòd recipiens obligatur solùm ad censum soluendum.

Tertiò, Emphyteuta non potest rem emphyteuticam vendere, aut alienare sine facultate domini directi, alioquin caderet in commissum, & præterea ex pretio tenetur soluere proprietario laudemium. Ratio, quia cùm Emphyteuta solùm habeat vtile rei dominium, absolutum vero remaneat penes dominum directum, recta ratio postulat, ne res quæ sub alieno dominio existit, inconsulto illius domino alienare queat: censuarius verò cùm habeat plenum, perfectum & absolutum rei traditæ dominium, iure illud potest. Ita Lessius *de iust. lib. 2. c. 22. n. 5.* Molina *de contract. disp. 381. num. 3. & sequent.* Lessius. Molina.

2. Cùm census sit ius exigendi annuam pensionem ex re vtili & fructifera alterius, materia est diuersorum contractuum: nam ius hoc potest emi & vendi, donari, locari, commodari & cum alio iure vel re commutari. Propriè tamen census est contractus emptionis & venditionis non rei, quæ censui supponitur; non pecuniæ alicuius; nec partis fructuum illius rei, cui census imponitur. Sed est contractus emptionis & venditionis, in quo res ab vno empta, & ab alio vendita, est ius illud percipiendi annuam pensionem, vt expressè in Constitutionibus Pontificijs Martini V. & Calixti III. quibus censualis contractus approbatur, habetur. Hinc deducitur censum esse contractum nominatum, non solùm, quia habet nomen specificum, sed etiam formam contractus habet, non minus quàm cæteri nominati contractus. Ita Lessius *cit. n. 2. & 3.* Lessius.

3. Census potest creari in diuersis prædijs separatis alicuius, etiam vbi Constitutio Pij V. est vsu recepta. Probatur, quia Papa non prohibuit in sua Constitutione, dum dicit, *super re immobili*; & sic in numero singulari non intendit excludere pluralitatem rerum immobilium, sed res mobiles tantùm; & quia lex loquens de vno habet locum in pluribus, vbi militat eadem ratio in illis. Tum quia vna ex conditionibus assignatis à Martino V. & Calixto III. in suis Extrauagantibus est, vt venditores censuum assignent prædia vel possessiones, in quibus census constituunt. Ita Nauarrus *de vsur. n. 113.* Molina *de contract. disp. 389.* Martin. V. Calixt. III. Nauarrus. Molina.

4. Res censualis non dicitur reddita infructifera ex eo quod vno, vel pluribus annis fructus consuetos non producat, sed ex eo, quòd in perpetuum impotens facta sit ad fructus in futurum reddendos, vt quia prædium non ad tempus propter grandinem, vel pruinam vel siccitatem, bellum & similia, sed simpliciter absque remedij spe à mari, vel à Turcis occupatum est, vel domus in qua census erat fundatus corruit tota, aut exusta est. Tum quia minor census passim imponitur, quàm sit fructus rei, ac proinde si in vno anno res non fructificat, alio anno vberiores & pleniores fructus facit. Et in Pij V. Constitutione non dicitur, censum in totum vel ex parte extingui, si res fructum non reddat, sed si facta sit infructifera ex toto vel ex parte. Ita Nauarrus *in Comment. de vsur. n. 117.* Medina *de vsur. quæst. vlt.* Sotus *de iustit. lib. 6. q. 5. art. 1.* & alij communiter. Nauarrus. Medina. Lessius.

5. Census potest collocari in alio censu. Ratio, quia census verè est quoddam bonum vtile & fructiferum, quippe quod parit pensionem annuam, ergo potest ex eo vendi ius & facultas accipiendi ex illo aliquam pensionis partem. Tum quia census inter bona immobilia numeratur *in Clem. 1. §. Cumque annui reditus, de verb. signific.* Sed constat posse vendi census ex bonis immobilibus; ergo etiam vendi

Nauarrus. Molina. Leſſius.

vendi poteſt ex alio cenſu Ita Nauarrus *cit. ſupra* n. 87. Molina *cit. diſp.* 389 Leſſ. *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 12. *n.* 77. Nota tamen cenſum in quo alius poteſt collocari, debere eſſe irredimibilem; alioquin cenſu redempto periret cenſus in eo collocatus, aut tranſiret in perſonalem, ſi venditor ſecundi cenſus teneretur adhuc illum ſoluere. Limita, niſi venditor, qui ſecundum in primo fundauit, paratus eſſet eum in alia re fructifera collocare. tunc non eſſet illicitum in cenſu redimibili alium cenſum fundare, vt aduertit Leſſius *ſupra*.

6. Certum eſt cenſum non poſſe conſtitui in re aliena, niſi dominus rei conſentiat: quia res illa eſt, quæ obligata manet cenſui, licet is in cuius commodum cenſus fundatur, ſoluere teneatur annuam penſionem.

Sed dubium eſt, quid agendum ſit, ſi quis in re aliena, vel alijs vinculis obſtricta cenſum conſtituat? Reſpondeo, quòd ſi emptor cenſus ſciebat vel ſuſpicabatur à principio, rem eſſe alienam, vel alijs vinculis obſtrictam, non poteſt penſiones exigere, & ſi exigit, tenetur eas computare in partem pretij. Ratio, quia talis cenſus reuera non ſubſiſtit; eius autem quod non ſubſiſtit, non poſſunt eſſe fructus, ac proinde nec percipi iuſtè ab illo poſſunt, qui conſcius erat, cenſum non exiſtere; quòd ſi accipiantur, obnoxij erunt reſtitutioni: imò ſi in foro fori conſtet eo modo eſſe perceptos, pœnis vſurariorum plectetur, qui illos acceperit; quandoquidem tunc nullus alius titulus erit, quo accipiantur, quam vi mutui. Si tamen emptor ignorabat à principio, verbi gratia, domum eſſe incapacem illius cenſus, licitè poſſet exigere penſiones à venditore per totum tempus quo iuſta ignorantia laborauit: quia ignorans ignorantia probabili non tenetur de damno. Poſtquam autem ſciuerit non poteſt in poſterum eas exigere, quia cenſus re non ſubſiſtit: poteſt tamen venditorem cogere, vt cenſum in alia re æquè bona conſtituat, vel vt pretium reſtituat.

Si autem venditor cenſus ſciebat fundum eſſe alienum, vel alijs obligatum, tunc cùm dolus in contractu intercedat, & dolus nulli debeat patrocinari, iuſtè emptor cenſus exigit penſiones à venditore, qui lege & iure compellitur iterum collocare cenſum in re ſecura, vt cenſus ex illa ſoluatur, vel domini conſenſum obtinere, dummodo res illa ſit capax vtriuſque cenſus vel contractum reſcindere. De his vide Nauarrum *de vſur. num.* 119. Molina *diſp* 394. *num.* 4.

Nauarrus. Molina.

7 Conuenit inter omnes, ſi cenſus vilius minoris iuſto pretio emantur, quando pretium cenſus eſt lege principis, vel vſu fori taxatum cum clauſula irritante contractum, penſiones eſſe reſtitutioni obnoxias, quâ parte ſuperant iuſtum pretium. Ratio, quia contractus, quâ parte cenſus ſuperat pretium, eſt irritus, ergo nullus ſubeſt titulus, quo recipiatur ille exceſſus penſionum: vnde qui cenſum valentem centum, emit quinquaginta, debet reſtituere dimidiam penſionum partem.

Dubium tamen eſt, quando pretium nullum eſt lege vel vſu fori taxatum, vel cum clauſula irritante contractum? Quidam cenſent exceſſum illum penſionum eſſe reſtituendum. Alij verò negant, & meritò quidem; quia qui emit agrum minoris iuſto pretio, non tenetur fructus agri reſtituere, ſed pretium ſupplere & reſarcire damnum, ſi quod ex carentia iuſti pretij obuenit venditori: atqui penſiones ſunt veluti fructus cenſus: ergo ex penſionibus nihil eſt reſtituendum, ſed tantùm pretium. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22 *dub.* 15 *num.* 107. poſt Ioannem Medinam *Cod. de rebus per vſuras acquiſitis q.* 15.

Leſſius. Medina.

§. *Sed pone.* Tum quia venditor non eſt fraudatus ex eo, quòd emptor penſiones percepere, ſed quòd iuſtum pretium non fuerit perſolutum.

8. Pius V. in Conſtitutione quæ incipit, *Cùm onus Apoſtolicæ*, quam ad verbum refert Nauarrus *in Man. cap.* 17. *nu.* 234. multas conditiones requirit & iubet ſeruari in contractu cenſuario, ſine quibus decernit ipſum contractum irritum & fœneratitium habendum. Pius V.

Prima conditio eſt, vt cenſus conſtituatur in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur. Eadem conditio continebatur in Conſtitutionibus Martini V. & Calliſti III. *tit. de Empt. & vendit. inter Extrauag. communes.* Res immobiles cenſentur agri, domus, flumina, ſyluæ, montes, portus, ripæ, fodinæ metallicæ & ſimiles: imò cenſus irredimibilis habetur pro re immobili, vt diximus *ſupra num.* 5. Martin V. Calliſt. III.

Hinc patet per hanc conditionem excludi omnes cenſus perſonales & etiam mixtos, ſiue hypothecam habeant, ſiue non, quia obligatur implicitè perſona. Vide Nauarrum *in Comment. de vſur. à num.* 85. *& deinceps.* Nauarrus.

Difficultas tamen eſt inter Doctores, an ex natura rei ſublatâ humanâ prohibitione cenſus rectè inſtitui poſſit ſuper ſola, nudaque perſona? Multi exiſtimant id fieri non poſſe, & hoc probant, quia perinde eſt, ac ſi me tibi obligaſſem ad reddendum quotannis ſeptem, eo quòd mutua mihi centum dediſti. Tum quia emptio non eſt niſi rei alicuius, *l. nec emptio, ff. de contrab. empt.* Ita Molina *tom.* 2. *de contr. diſp.* 389. Roſella, Gutierrez, Nauarrus *in Comment. de vſur. n.* 82. vbi dicit hanc ſententiam eſſe ferè omnium. Molina. Roſella. Gutierrez. Nauarrus.

Alij docent ſtando in ſolo iure naturæ, talem cenſum in ſola perſona poſſe conſtitui, dummodo perſona ſuper qua conſtituitur cenſus, ſit vtilis & fructifera, id eſt, talis, vt aliquem fructum ſuâ operâ vel induſtriâ pariat, vnde annuum reditum ſibi impoſitum ſoluat, quia alioquin ius illud nullius eſſe momenti, & ita non eſſet pretio æſtimabile. Ita Conradus *de contract. quæſt.* 74. *&* 75. Medina *Cod. de rebus per vſur. acquiſitis quæſt.* 11. §. *Sed quæres aliquis*, Couarruuias *lib.* 3. *variar. cap.* 7. *num* 5. vbi etti oppoſitam ſententiam fateatur communiorem, hanc tamen vt veriorem amplectitur. Conrad. Medina. Couar.

Cæterùm quamuis prima opinio probabilis ſit, longè tamen probabilior, imò omninò certa videtur ſecunda hæc ſententia magiſque Canonicis Sanctionibus conſentanea. Probatur, quia poteſt quis ſeipſum obligare gratis ad reddendum alteri annuum aliquem reditum, obligatione illâ ſuæ perſonæ impoſitâ, hanc autem obligationem, cùm temporalis ſit, ac ciuilis, & pretio æſtimabilis, poteſt ex conſequenti vendere, cenſus autem perſonalis nihil aliud eſt, quàm emptio & venditio huiuſmodi obligationis, ergo ſecundùm ſe & attentâ ſolâ natura contractus, poteſt inſtitui cenſus ſuper nuda, ſolaque perſona.

Simile dubium eſt, an in re mobili, ſtando in ſolo iure naturali & diuino, poſſit cenſus conſtitui? Reſpondeo, certum eſſe apud omnes non poſſe conſtitui in his rebus, quæ ſtatim primo earum vſu conſumuntur, puta in vino, oleo, pane & ſimilibus; quia harum rerum pretia ſingulis annis variantur, ita vt certum pretium non ſit; ergo nequit certa annua penſio in hiſce rebus conſtitui. Sed controuerſia eſt de alijs rebus ſe non mouentibus, vel mobilibus, quæ primo vſu non conſumuntur? Multi exiſtimant non poſſe cõſtitui; contrarium tamen eſt probabilius dummodo cenſus minus vendatur, quàm

supra rem immobilem; quia cùm mobile citiùs pereat, census citiùs extinguetur, quàm si supra rem immobilem imponeretur. Tum quia huiusmodi res, cùm primo ipso vsu non pereant, seruata earum rerum substantiâ sunt vtiles & fructiferæ. Ita Conradus *de contract. q.72. concl. 1.* Azorius *p.3. lib.10. cap.5 quæst.4.* Conrad. Azorius.

Ex quo fit censum posse vendi in rebus vsu consumptibilibus, si sint in statu fructificandi, vt in pecunijs expositis negotiationi, quia ex his verè habet quis ius percipiendi vtilitatem; ergo verè habet quod vendat, quando vendit censum ex illis.

9. Secunda conditio census in Constitut. Pij V. quæ est ordine octaua in Constitut. Martini V & Calliſti III. est vt res sit naturâ fructifera: talis verò dicitur esse, quæ apta est ferre fructus, *l. frugem, ff. de verb. significat.* & fructus, vel frugis nomine intelligitur, quod non solùm in fundo nascitur, vel quod ex frumentis vel leguminibus in alimoniam vertimus; sed generaliter omnis reditus, siue prouentus: imò omnis vtilitas, etiam amœnitas, quæ solet & potest ex re aliqua prouenire. Vnde arbores dicuntur frugiferæ, tum propter fructus, tum propter amœnitatem. Syluæ quoque cæduæ, lapicidinæ & similia loca, ex quibus arena, creta & alia eius generis solent emi vel effodi. Pius V. Martin. V. Callist. III.

Hinc census potest fundari super re, quæ non fructificat, quamuis fructificare possit, vt sunt aliquæ turres, palatia, quæ locari non solent, quæ si locarentur, fructificarent. Ratio, quia apta est fructum reddere de sui natura, cùm sit pretio æstimabilis. Secus si res non sit apta nata ferre fructum, vt sunt montes saxei, arenosi, ripæ maris, fluminum & paludum, & in quibus non patet tutus accessus. Ita Nauarrus *de vsuris, num.113.* Nauarrus.

Item in re multum fructifera potest institui census longè minor quàm sit fructus, quem illa res in singulos reddit annos. Ratio, quia non emitur totum ius quod est in re, nec emuntur omnes fructus, quorum ferax est res, sed emitur pars illorum tantummodo. Tum quia in Constitutionibus Martini V. Calliſti III. & Pij V. solùm habetur, rem suppositam censui, vt minimum debere tantum fructum reddere, quantus est census, non verò fructum maiorem esse non posse, quàm sit census. Deinde id habet consuetudo recepta, quam nemo condemnat. Martin. V. Callist III. Pius V.

In constituendo censu non est habenda ratio æstimationis & pretij quod res valet, sed potiùs fructuum, quos res in singulos annos reddit. Ratio, quia in contractu censuali non emitur res censui subiecta, sed ius percipiendi annuam pensionem ex fructibus rei. Tum quia Constitutiones Pontificiæ fructum rei, non pretium expendunt, definientes fructum rei minorem esse non posse, quàm sit annuus census, & re in totum vel ex parte reddita inutili, censum extingui vel minui pro rata portione, vbi semper haberi videtur ratio fructus non pretij. Ita Azorius *part.3. lib.10. cap.6. quæst.3.* Filliucius *tract.35. p.2. num.290.* Contra Sotum & Couarruuiam. Azorius. Filliucius.

De hac conditione vide dicta *supra n.4. & 5.*

10. Tertia conditio ex Constitutione Pij V. est, vt census super re nominatim certis finibus designata constituatur: & finium appellatione intelliguntur limites, quibus fundi vel agri vel domus terminari & distingui solent. Vnde vbi constitutio hæc est in viridi obseruantia, non potest constitui census generatim super omnia bona alterius præsentia & futura. An autem hoc iure naturali & diuino prohibeatur? Negant Toletus *lib. 5. cap.45. num.3.* Couarruuias *lib.3. variar. cap.7.* Conradus *de contract. quæst.74. & 75.* & alij. Tum quia verè habet quis ius percipiendi vtilitatem ex omnibus suis bonis indeterminatè, ergo potest illud ius vendere. Tum quia hoc permittitur Siculis & Neapolitanis ex Constitut. Nicolai V. quod non permitteretur, si ius naturale vel diuinum prohiberet. Toletus. Couar. Conradus. Nicol. V.

Cæterum mihi dicendum videtur. Cùm census in omnibus bonis alicuius ponitur, si ita ponatur, vt pereuntibus ex parte nobis, ipse quoque census ex parte pereat, non est contra ius naturale vel diuinum, vt in omnibus bonis constituatur, quia hoc requirit natura huius contractus, vt sublata ex toto vel ex parte re supposita censui, census quoque vel in totum, vel ex parte extinguatur. Si autem sit constitutus super omnia bona, vt pereuntibus quibusdam, census integer adhuc maneat in alijs rebus, quæ supersunt, tunc contra naturam contractus videtur esse, vt in omnibus bonis constituatur: quia tunc censuarius multùm oneris sustinere cogeretur; quia eo ipso quòd omnia bona sua censui supponit, non potest alium in suis bonis constituere. Ita Azorius *p.3. lib.10. cap.5. q.5.* & alij. Azorius.

Quarta conditio census in Constitut. Pij V. est, vt pretium census verè soluatur in pecunia numerata: quia censualis contractus verè est emptio & venditio census & reditus annui: at in contractu emptionis necesse est, vt verè pretium soluatur numeratâ pecuniâ, *l. 1. ff. de contrab. emption.* An autem ex natura rei prohibeatur census aliter institui, quàm in propria pecunia? Affirmant quidam satis probabiliter. Tamen probabilior sententia sustinet contrarium. Ratio, quia pecunia est, quidquid pecunia æstimari potest, ergo qui reddit merces, quibus tunc venditor census eget, perinde est, ac si pecuniam numeratam illi traderet. Debent tamen merces illæ quæ traduntur in pretium census, exhiberi in pretio iusto, moderato & honesto; deinde citra omnem fraudem & dolum esse vtiliores, aut æquè vtiles venditori census, sicut pecunia numerata, quia eas aliunde erat quæsiturus & empturus, si pecuniam numeratam ab emptore census accepisset. Ita Nauarrus *in Comment. de vsur. num.88. & 121.* Salon *controuers. 8. de censibus*, Lessius *cit. cap.22. dub.12.* Syluius *secunda secundæ, quæst.78. articulo 4. quæsit. 2. concl.3.* & alij. Pius V. Nauarrus. Salon. Lessius. Syluius.

12. Quinta conditio est, vt pretij solutio & numeratio fiat coram testibus & tabellione, siue notario, & in actu celebrationis instrumenti & non aliter. Sed petes, an ex natura rei talis conditio sit necessaria? Affirmant Filliucius *tract. 35. part. 2. num.306.* Salas *de censib. dub.8.* & multi alij apud ipsos. Sed negatiua sententia saltem quoad forum interius ab alijs reputatur probabilior, & meritò. Ratio, quia solemnes iuris formulæ ad euitandas fraudes & dolos seruari iubentur; ac proinde vbi nulla est fraus, seruato iure naturali & diuino, satis est, si secundùm conscientiam contractus fiat; si reuera solutum sit pretium census, quamuis non coram testibus & notario, contractus secundùm conscientiam valet, quia nihil fit in fraudem legis, cum posita sit lex ad euitandas fraudes. Ita Malderus, De la Crux, Lessius, Nauarrus & alij apud Dianam *p.1. tract.8. resol.44.* Itaque cùm Pontifex damnet census celebratos non numerata pecuniâ tempore celebrationis ad obuiandum fraudibus, quæ contingere solent in contractibus aliter celebratis; si probetur fraudem nullam interueniſſe, sed antea pretium iustum debitum fuisse, ratione pecuniæ mutuò acceptæ, vel alterius rei æquiua- Filliucius. Salas. Malderus. De la Crux. Lessius. Nauarrus. Diana.

Cardo, dicitur quoque Cardo, Cardinis, Cardinalis, Cardinalitius, Cardinalitia, Cardinalitium, Cardinalitiorum, Cardinalitiis, Cardinalitiorum, Cardinalitiis, Cardinalitiorum, Cardinalitiis

tentia habet, pereunte re cenſui ſubiecta, venditorem omni obligatione eſſe ſolutum & liberum. Ratio, quia contra naturam & rationem venditionis & emptionis eſt, venditorem ſeſe ſuaque bona perpetuâ obligatione aſtringere ad aſſecurationem rei venditæ, etiamſi ipſam perire contingat. Natura enim contractus exigit vt res empta poſt traditionem non venditori, ſed emptori pereat. Nec conſuetudo eſt in contrarium, quia quando venditor emptori ſe cum bonis ſuis obligat, non id facit, quaſi ſuam perſonam cenſui ſubiiciat, ſed vt cenſus quem vendit tutus & ſaluus perſeueret, hoc eſt, ſi res cenſualis euicta fuerit tanquam aliena, vel alijs oneribus obſtricta, cogatur venditor aliam rem ſubrogare vel pretium reſtituere: hoc autem intelligi debet, ſi abſque culpa cenſuarij res pereat, vt dictum eſt. Ita Molina *de contract. diſp.* 389. & 391. Toletus *lib.* 5. *Sum. cap.* 45. & communis. Nauarrus, Molina, Lefſius. Molina. Toletus.

21. Decima quarta conditio eſt, ne fiat pactum quo cenſuarius exiſtens in mora, ſeu non ſoluens cenſum conſtituto tempore, teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis, aut ad aliquam pœnam, aut ad amittendam rem cenſui ſubiectam, aut ad expenſas.

Conuenit inter omnes attento iure naturali & diuino poſſe venditorem cenſus cum emptore paciſci, vt ſi fuerit in mora ad ſoluendum, eo ipſo lucra, quæ ob moram ſolutionis ipſi ceſſant reſarcire teneatur.

An autem huiuſmodi pactum cum Pij V. Conſtitutione pugnet? Et quomodo Pontifex corrigat, aut tollat id quod eſt iuris communis? Pro reſponſione dicendum eſt, mirum non eſſe, in hac parte ius commune corrigi, vel ei derogari; vult enim Pontifex vt debitor cenſus quoad fieri poteſt, oneribus ſit immunis ac liber; præſertim cùm inde nulla iniuria vel damnum emptori ſeu Domino cenſus ſequatur; ſufficit enim vt poſſit conuenire in iudicio debitorem ſuum in ſoluendo cenſum, & iudicis ſententia cogetur debitor non ſolùm cenſum ſoluere, ſed etiam omne id quod intereſt creditoris. Sed Pontifex non vult hoc deduci in pactum in contractu cenſuario, ad euitandas fraudes & præcidendam omnem occaſionem vſuræ, ne debitor cogeretur ſoluere tantùm lucri quantùm arbitrio creditoris taxaretur, ſed tantùm, quantùm iudicis arbitrio & ſententia decerneretur. Ita Nauarrus *de vſur. n.* 83. Molina *diſp.* 390. Conar. Azorius Fachs Filliucius. Nauarrus. Molina.

Pactum, quo venditor cenſus ſe adſtringit reſarcire damnum emergens, quod ex ſua mora contingit, ſecundùm veriorem ſententiam Nauarri *loco proximè citato*, Emanuelis Sà *verb. Cenſus num.* 3. Filliucij *tract.* 35. *num.* 333. & aliorum cum conſtitut. Pij V. non pugnat: quia huiuſmodi damnum iure naturæ reſarciendum eſt. Tum quia ſolùm Pontifex meminit lucri ceſſantis, non damni emergentis. Nauarr. Molina. Eman. Sà. Filliucius.

Item venditor cenſus non poteſt obligari ad aliquam pœnam, ſi in ſoluendo fuerit in mora, vbi conſtitutio Pij V. eſt recepta, etſi ab emptore cenſus aliquid exactum fuerit à debitore ob non ſolutum cenſum, tenetur in conſcientia id remittere. Huiuſmodi tamen pactum cum iure naturali & iure ſcripto communi non pugnat: quia quando debitor ex malitia vel ex negligentia penſionem ſoluere negligit, ipſam pœnam meretur. Ad pœnam autem rectè & iuſtè imponendam exiguntur duæ conditiones. *Primò*, vt culpa venditoris intercedat, *Secundò*, vt ſit pœna proportionata culpæ, non enim licitum eſt pro minima culpa grauem imponere pœnam, nec iuſtè exigitur poſt culpam. Hinc pactum de pœna, quam vocant commiſſi, luenda, eo quod debitor cenſum non ſoluerit, pugnat cum natura & ſubſtantia contractus cenſualis. Ratio quia hæc pœna commiſſi, id eſt, vt amittat rem cenſui ſubiectam, propria eſt emphyteuſis & cenſus reſeruatiui, in quibus is qui rem dat, retinet ſibi directum dominium; at cum cenſus eſt conſignatiuus, emptor non acquirit dominium rei cenſuariæ, ſed ſolum ius annuam penſionem exigendi. Tum quia hæc pœna non eſt rationabiliter proportionata culpæ, ſed immoderata & exceſſiua. Quamuis huiuſmodi pactum poſſet eſſe iuſtum, ſi ratione huius pœnæ appoſitæ ad ſeruandam æqualitatem inter pretium & cenſum, pretium cenſus augeatur. Ita Nauarrus *de vſur. n.* 93. Couarruuias *lib.* 3. *variar. cap.* 7. & alij. Nauarrus, Couar.

Vbi conſtitutio Pij V. eſt in vſu, non poteſt in contractu cenſus apponi pactum, vt ſi per biennium non ſoluerit penſionem, contractus reſoluatur & cenſuarius cogatur reſtituere pretium. An autem hoc pactum iure naturali, vel iure communi ſcripto damnetur? Dicendum eſt iuxta veriorem ſententiam, quòd non: quia ſi mora & culpa debitoris intercedat in ſoluendo annuam penſionem, repetetur ex pacto ab eo pretium, quod ab initio accepit, & ad id ſe ſponte Domino cenſus obligauit: quia pactum legiſcommiſſoriæ tali modo in contractibus eſt licitum. Ita Ioannes Medina *de vſuris quæſtione* 15. Leſſius *lib.* 2. *capite* 22. *dub.* 11. *num.* 69. Medina. Leſſius.

22. Decima quinta Conditio eſt, ne cenſus antea conſtitutus augeatur ex penſionibus debitis & non ſolutis: quamuis augeri poſſit ex penſionibus iam ſolutis, ſi cenſitor eas de nouo numeret cenſuario. Ratio huius conditionis eſt, ne cenſuarius cenſibus cenſuum opprimatur: & ſicut vſuræ vſurarum à debitoribus non exiguntur; ſic etiam cenſus annui omiſſi, hoc eſt, non ſoluti, non debent vel augere cenſum antiquum, vel nouum inducere. Nam Dominus cenſus poteſt facilè coram iudice conuenire debitorem, vt iudicis ſententiâ penſiones prætermiſſas ſoluere cogatur. Ita Azorius *tit.* 6. 14. Nauarrus *de vſur. n.* 94. & alij. Azorius. Nauarrus.

An autem huiuſmodi pactum damnetur iure naturali, diximus ſupra *n.* 12. §. *Ex dicto*.

23. Decima ſexta Conditio eſt, vt ſemper liberum ſit cenſuario redimere cenſum, quoties voluerit, reddito eodem pretio quo vendiderat, non obſtante quauis præſcriptione aut pacto. Hæc conditio non eſt neceſſaria ex natura rei, alias omnis cenſus irredimibilis & perpetuus, qui aucto pretio celebratur, negata tali facultate redimendi eſſet ſua natura reprobatus, quem tamen vſus acceptat & comprobat: quia ſicut licitum eſt emere fundum in perpetuum, ita etiam licitum videtur emere cenſum in perpetuum, iuſto interueniente pretio. Tum quia alioquin damnandi eſſent innumeri Prælati Eccleſiaſtici, qui percipiunt cenſus perpetuos, in quibus conſtituti & fundati ſunt tituli beneficiorum. In Belgio autem noſtro cenſus irredimibiles non poſſunt de nouo creari, obſtante Conſtitutione Caroli V. Regis Catholici.

An autem cenſus perpetuus per Conſtitutionem Pij V. improbetur? Reſp. non improbari, ſi multò pluris æmatur, quàm cenſus redimibilis æſtimatur: quia huiuſmodi cenſus in Germania, Gallia, Hiſpania & in magna parte Italiæ ſunt vſitati & frequentes, nec eſt credibile Pontificem tam generalibus verbis, tam obiter cenſus receptos velle tollere, præſertim cùm in illis ceſſet omnis præſumptio vſuræ. Ita Nauarrus *de vſur. num.* 98. Molina *cit. diſput.* 391. Bonacina *de contract. diſput.* 3. *quæſt.* 4. *punct. vnic. num.* 41. & alij ab ipſo citati. Contra Azorium, Rebellum, Virginium. Quodnam verò Nauarrus, Molina. Bonacina.

sit iustum pretium census perpetui, diximus *num. 1. verb. census, num. 27.*

Ex hac conditione sequitur censum posse extingui per compensationem modò debitum sit liquidum, quod est verum etiam Domino census renuente & extraiudicialiter admonendo eum, vt desinceps censum pro extincto habeat ratione talis debiti æqualis.

Similiter iuxta Pij V Const tut. licet census extinguere in alijs rebus à pecunia numerata: quia idem Pontifex solùm loquitur de emptione census; nam in extinctione non est periculum eâ viâ pallandi vsuras, atque iniustitiam committendi, sicut in illius emptione. Ita Nauarrus *de vsur. num. 113.* Molina *disp. 394.* Nauarrus. Molina.

24. Decima septima conditio est, vt emptor non possit ab inuito venditore pretium repetere: vnde census est irredimibilis ex parte censitoris; semper verò redimibilis est ex parte censuarij, quamuis cogi non possit ad redimendum. Nota tamen censuarium, qui vult redimere censum, debere duobus mensibus antequam redimat, denunciare censitori se velle redimere: quâ denunciatione facta, censitor potest intra annum repetere pretium census à censuario, licet inuito; elapso verò anno, non potest pretium exigere. Vide Molinam *citat. disputat. 391. num. 12.* Filliucium *tractat. 35. numer. 318.* Molina. Filliucius.

25. Decima octaua & vltima conditio est, vt pretium census semel constitutum, non possit augeri vel minui ob temporis vel contrahentium qualitatem, aut ob aliud accidens. Censuarius tamen potest redempto censu, censum alteri vendere maiori pretio, quàm vendiderit primo censitori, si pretium census latitudinem habeat: hoc enim non est vetitum ipsi venditori. Census verò qui non est liquidus, vel qui non potest exigi absque laboribus, potest minori pretio emi, etiam si lex pretium census taxauerit. Ita Molina *disp. 392.* Rebellus *de obligat. iustit. lib. 10. quæst. 5.* Molina. Rebellus.

Hæ conditiones vbique sunt seruandæ in contractu censuali, quatenus continent id quod iuris naturalis vel diuini est: quia quod iure naturali vel diuino iustum est, vbique & ab omnibus seruandum. At quatenus nouo iure scripto aliquid prohibent, seruari debent in foro conscientiæ in terris subiectis Papæ quoad temporalia, & in Prouincijs vbi constitutio ista simpliciter & omninò non solùm est promulgata, verum etiam omni ex parte recepta & posita in consuetudine. Ita Nauarrus *de vsur numero 106.* Couarruuias *lib. 2. variar. cap. 16. num. 6.* Nauarrus. Couar.

26. Census vitalitius ex natura rei, id est, secundùm ius naturale diuinum, ad ementis, aut vendentis vitam, vel ad alium annorum numerum incertum, licitus est, si iusto pretio constituatur. Ratio, quia contractus cum pari incertitudine lucri & damni censetur in iure maximè iustus *l. si ea lege Cod. de vsuris.* Sed in hoc contractu intercedit ex parte vtriusque contrahentis par & æqua incertitudo, cùm possit ille, in cuius vita census fundatur, diutiùs viuere & celeriùs mori, ergo iste contractus est iustus & honestus. Nec leges generatim condemnant pacta, ex quibus potest accipi occasio captandæ, vel optandæ mortis alterius, quando talia pacta ex communi contrahentium consensu fiunt. Ita Ioannes Medina *Cod. de acquisitis per vsur. q. 14.* Couarruuias *lib. 3. variar. cap. 7.* Nauar. *de vsur. num. 71.* & alij communiter, contra Angelum & Syluestrum, qui tenent census constitutum ad vitam venditoris licitum esse, sed non ad vitam emptoris. Medina. Couar. Nauarrus.

Quomodo autem taxandum sit pretium census vitalitij, varij variè sentiunt; quidam enim arbitrantur apud Couarruuiam *3. variar. cap. 9.* taxari posse ad rationem vnius pro sex. Garzias *de contract. part. 2. cap. 29. num. 9.* putat regulariter taxari posse ad vnum pro septem. Alij ad rationem vnius pro decem. Alij denique existimant pretium taxandum esse attendendo ad vltimum terminum, ad quem moraliter peruenire potest vita eius, in qua fundatur census, sumendo medietatem illorum annorum, ita vt pretium census adæquet pensiones totius medietatis illorum annorum. Ita Molina *disp. 388.* & alij. Sed mihi dicendum videtur spectandam esse locorum consuetudinem, quæ pro diuersitate Prouinciarum admodum varia est. Couar. Garzias. Molina.

Ex mutuo contrahentium consensu census vitalitius potest redimi à censuario, modò iustum intercedat pretium. Ratio, quia res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, sicut ergo census vitalitius nascitur ex mutuo contrahentium consensu, ita etiam per mutuum consensum dissolui potest. Hic tamen census minùs valet, quo plures pensiones solutæ sunt, & quo plus vitæ transactum est, minus temporis superest ad soluendas pensiones; & ideò huiusmodi contractus non potest dissolui tradito pretio accepto, nisi fortè ex mutuo contrahentium consensu dissoluatur, computatâ cum aliqua proportione pensionum iam solutarum parte, sed diminuto pretio habita ratione temporis transacti, iudicio prudentis viri. Ita Molina *disputat. 389.* Garzias *cit. num. 12.* Verum hæc collegisse de censibus sit satis. Molina. Garzias.

Vide v. Emphyteusis *num. 2.*

CESSIO BONORVM.

SVMMARIVM.

1 *Cessio bonorum quid sit?*
2 *Debitor ex delicto non gaudet beneficio cessionis.*
3 *De bonis post cessionem acquisitis debentur debitori necessaria, tam in foro exteriori, quàm conscientiæ.*
4 *Non gaudet priuilegio cessionis, qui aliquid agit in fraudem creditorum.*
5 *Cessio bonorum solùm liberat debitores, non autem fideiussores.*
6 *Theologorum sententia est cessionem ignominiosam, quæ fit in aliquibus Prouincijs, non excusare à restitutione, si debitores ad pinguiorem fortunam deuenerint.*
7 *Potest Princeps ex graui causa temporales inducias moratorias concedere: sicut & habentes iura territorialia.*
8 *Non potest Princeps concedere tales inducias nisi ad quinquennium: & illis solùm qui aduersa fortunâ absque dolo & culpa ad inopiam deuenerunt.*
9 *Ex quibus contractibus dilatio quinquennalis à Principe concedi non debeat.*
10 *Dilatio moratoria potest concedi à creditoribus debitori: & quomodo.*
11 *Quando dilationes moratoriæ prosint etiam fideiussoribus.*

1. CEssio bonorum est actus quo debitor, qui non est ad soluendum sufficiens omnia sua bona creditoribus dimittit, vt carceris situm & squalorem, aliasque molestias euitet. Inuentum est autem potissimum cessionis beneficium, ne præter humanitatem paruo creditorum commodo & magno

magno ſuo incommodo debitores qui ad ſoluendum non ſufficiunt, iudicati, capiantur & perpetuo detineantur in carcere, *l.1.Cod. qui bonis cedere poſſunt.* Et *l. qui bonis, ff. de ceſſione bonorum.* Et *inſtitut. de Actionibus §. vltimo.* Ita Malderus *de inſtit. tract. 4. cap. 7. dub. 3.* Lugo *de iuſtit. tom. 2. diſp. 21. ſect 3. num. 35.* & alij. In bonorum ceſſione nullus exigitur ritus, aut ſolemnitas, ſed ſufficit ſola voluntatis expreſſio, qua profiteatur quis bona ſua omnia, ſi quæ ſint, conditoribus ſe relinquere, ac concedere, ſiue hoc fiat per nuncium, aut per Epiſtolam, *l. vlt. ff. de ceſſione bonorum,* Molina *tr. 2. diſp. 572. num. 3.*

Malderus Lugo.

Molina.

2. Qui debet ex delicto, non gaudebit beneficio ceſſionis: ſiue delictum ſit commiſſum in contractu, ſiue extra contractum, ſiue debeatur tanquam pœna, ſiue pro reparatione damni & intereſſe: nam iure beneficium ceſſionis illis ſolis conceditur, qui merè ciuiliter debent: & quando agitur de publica vtilitate, excluditur bonorum ceſſio. Intereſt autem publicæ vtilitatis, ne delicta maneãt impunita. Solùm igitur ceſſio bonorum habebit locum in debitis ciuilibus, ſcilicet ex contractu, vel quaſi contractu. Ita Malderus, Molina *citat. num.* 18. Nota, quòd ſecundùm aliquos, nomine debiti ex delicto intelliguntur illa etiam quæ licet ex contractu deſcenderint, poſteà verò vel propter moram culpabilem, vel propter aliud delictum admixtum facta fuerunt iam debita ex delicto, de quibus aliqui volunt poſſe etiam pro illis fieri ceſſionem bonorum, ſicut pro alijs. Veriùs tamen eſt de iure communi non eſſe id conceſſum, niſi debitoribus, qui merè ciuiliter debent. His enim ſolùm tribuunt iura communia eiuſmodi priuilegia, non verò debitoribus, qui circa illa delictum miſcent. Ita Molina *diſput. 572. num.* 18. Lugo *citat. num.* 43. Hinc communiter Doctores cenſent, eos, qui partim ex ſuo dolo, faſtu, vel luxuria, partim fortunæ vitio, inſufficientes ad ſoluendum facti ſunt, ad ceſſionis bonorum beneficium non eſſe admittendos. Ex *l. fin. §. fin. ff. quæ in fraud. credit.*

Molinã.

Molina. Lugo.

3. Si is qui ceſſit bonis poſtea bona aliqua acquiſierit non poteſt conueniri in iudicio niſi in quantum commodè poſſit, hoc eſt, non poteſt ſpoliari per iudicem omnibus bonis illis acquiſitis, ſed iudicis prudentis arbitrio eſt illi relinquere quod ſatis ei ſit ad ſuam parcam ſuſtentationem congruam. Ita habetur expreſsè *l. 4. §. 6. ff. de ceſſ. bonorum*, pro foro exteriori. An autem hæ leges habeant locum etiam in foro conſcientiæ? Negant Adrianus, Ioannes Medina, Nauarrus, Azorius, Valentia & alij, quia ſunt contra legem naturalem & diuinam non furandi, ſeu non retinendi alienum inuito Domino; ſaltem quando debitores ſunt infimæ ſortis, qui mendicare poſſunt, aut laborare vt putat Nauarrus *in man. cap. 17. num.* 86. Nihilominus contrarium eſt etiam probabile: quia Reſp. propter commune bonum habet poteſtatem diſponendi de bonis ſubditorum, & illi tenentur conſentire. Tum quia hoc priuilegium ſancitum eſt in commune bonum, ne debitores ſine creditorum emolumento, imò cum ipſorum, & cum proprio damno detineantur in carcere, atque in eo pereant, nec poſſint lucrari. Cùm autem qui contractus celebrant, ſciant debitores hoc priuilegio gaudere eoque præſuppoſito contrahant, iam in id conſentiunt, ac proinde vim habet in foro conſcientiæ tale priuilegium. Hanc ſententiam ſuſtinent Molina *tract. 2. diſp. 572. num.* 9. Malderus *de inſtit. tract. 4. cap. 7. dub. 3.* Lugo *cit. ſect. 3. n. 36.*

Nauarrus.

Molina. Malderus. Lugo.

4. Non gaudet priuilegio ceſſionis, qui bonis ceſſit, ſi aliquid in fraudem creditorum egerit; ideò in ceſſione bonorum requiritur, quòd ceſſurus in fraudem creditorum nihil alienauerit, *l. vltim. §. vlt. ff. qui in fraud. credit.* Requiritur etiam, quòd bonis ceſſurus, non alio modo fuerit fraudulentus, aut doloſus; veluti, ſi ſciens, ſe non eſſe ad ſoluendum ſufficientem contraxit, is enim non poteſt gaudere hoc beneficio, *l. penult. ff. de ceſſ. bonor.* Quod tamen intelligendum eſt, ſi dolo malo induxit ad contrahendum creditorem, prætendendo ſe eſſe ad ſoluendum ſufficientem, cùm iam inopia laboraret: aut verò hoc fraudulenter egerit, vt pecuniâ à creditore acceptâ, poſtea bonis cederet. Præſumitur autem debitor de induſtria ac dolo malo deſiſſe eſſe ad ſoluendum ſufficientem quoad hunc ſcilicet effectum, vt à beneficio ceſſionis bonorum excludatur, quando bona ſua luxuriosè viuendo conſumpſit, & vel ludendo, vel in meretrices ea expendendo, dilapidauit. De his vide Anton. Gomez *2. reſol. cap. 11. num.* 52. Rebuffum *conſil.* 184. Dianam *part. 7. tract. 8. reſol. 11.*

Gomez. Rebuffus. Diana.

5. Ex eo, quod debitor principalis bonis ceſſit, fideiuſſores ipſius non liberantur ab onere ſoluendi integrè loco illius debita, pro quibus fideiuſſores extiterunt: ſed perinde cogi poſſunt ea integrè ſoluere, ac ſi principalis debitor bonis non ceſſiſſet: quia exceptio ceſſionis, ſolùm competit perſonæ debitoris; non verò fideiuſſoribus, qui idcirco adhibentur, vt ſi debitor principalis ſoluendo non ſit, ipſi loco illius ſoluant. Ita habetur *§. vltim. Inſtitut. de replicationib. l. hæres à debitore, §. quod ſi ſtipulator, ff. de ſolut.* & docet Amicus *tom. 5. de iuſtit. diſp. 32. ſect. 4. num. 44.*

Amicus.

6. Quamuis iure communi in ceſſione bonorum nullus requiratur ritus, & nulla deſideretur ſolemnitas, vt diximus ſupra, ſed ſola ſufficiat voluntatis profeſſio, ita vt nihil intereſſit, vbi nã ceſſio fiat in iure, an verò extra ius; an à præſente vel abſente; ſed quia ea res decretoribus nimiam fraudandi anſam præbebat, ideò in aliquibus Prouincijs quædam ſolemnitates introductæ ſunt, & *Primò* in Gallia ſancitum fuit Ludouici XIII. Conſtitutione 20. vt nemo niſi præſens iudicio diſcinctuſque ac nuda ceruice bonis cederet, quo huius ignominiæ ac dedecoris metu pauciores in perniciem creditorum ad tam fœdum & miſerabile ſubſidium confugiant. *Secundò*, In Italiæ quibuſdam locis cedens bonis, in publico & notorio loco nudus vadere, & poſteriora ter ad lapidem vel columnam percutere cogitur clamando, cedo bonis. *Tertiò*, Romæ bonis cedere volens, leonem marmoreum in ſcalis capitolij aſcendit, & ibi nates percutiens dicit, cedo bonis.

Difficultas eſt, an vbi ſimilis ceſſio ignominioſa eſt in vſu, liberet à reſtitutione? Affirmant quidam iuriſperiti apud Dianam *part. 4. tract. 4. reſol 78.* & *part. 7. tract. 8. reſol. 21.* Theologi tamen communiter contrariæ ſententiæ adhærent; vnde qui taliter bonis ſuis cedunt, ſi poſtea ad pinguiorem fortunam aduenerint, tenentur integrè ſatisfacere; nam idem ius, quod priuilegium ceſſionis induxit, id ſtatuit. Vt apertè *l. cùm & filij familiàs, Cod. qui bonis cedere poſſint*, quia per ceſſionem debitum non fuit extinctum, ſed conſopitum, donec ad pinguiorem fortunam peruenerint. Tum quia ignominiâ illa non extinguit obligationem naturalem ſoluendi debita, ſed eſt pœna propter culpam præſumptam contrahentis debita ſupra ſuas vires, & ad deterrendos alios ne prodigalitate & negligentia ad ſimilem ſtatum deueniant. Ita tenent præter Doctores citatos *tom. 1. verb. Ceſſio bonorum num. 5.* Lugo *de iuſtit. tom. 2. diſp. 21. ſect. 3. num.* 40. Amicus *tom. 5. de iuſtit. diſp. 41. dub. 6. num.* 24. Trullench in

Diana.

Lugo. Amicus. Trullench.

Digitized by Google

in decalog. tom.2. lib.7. cap. 15. dub. 5. num. 4. & alij communiter.

7. Potest Princeps ex graui causa per rescriptum suum alicui subdito concedere inducias moratorias, exceptionem seu dilationem temporalem ad eum effectum, vt intra tempus indultum, debitores à creditoribus nequeant molestari. At verò exceptionem peremptoriam, quæ ius alterius partis omnino tollit, & infringit, concedere nequit, per textum *l.1. Cod. de precib. Imper. offerend.* Probatur prima pars, quia dilationes illæ absque graui aduersæ partis dispendio conceduntur: cùm in mora modici temporis non soleat magnum esse damnum, & quod differtur, non auferatur, argument. *lege si debitori, ff. de iudic.* Probatur posterior pars, quia Princeps non potest ius vel dominium alicui priuato auferre, nisi ex iusta causa & propter vtilitatem publicam: in quo casu illi instum & solitum pretium rependere tenetur, *Item si verberatum 15. §. 1. ff. de rei vindicat.* Aduerte etiam hic, quòd iura territorialia habentes possunt concedere has dilationes moratorias, alij non nisi concedantur consentiente maiori parte creditorum, in quo casu talis dilatio potest per quemcumque iudicem dari & concedi, *l. final. C. qui bon. ced. possunt.*

8. Non potest Princeps concedere dilationem debitoribus ad soluendum, nisi pro modico temporis spatio, id est, vltra quinquennium, Glossa *in l. quoties, C. de precib. Imper. offer.* etsi excedatur modicum tempus, dilationis concessio non valet. Item non debet Princeps concedere dilationes moratorias quibusuis debitoribus in præiudicium creditorum, sed illis solùm qui aduersa fortuna, absque suo dolo & culpa ad inopiam redacti sunt: Non autem decoctoribus, qui culpa sua eiusmodi calamitatem & inopiam procurarunt. Hi enim furibus comparandi, eorumdemque loco habendi sunt; vnde tales non habentes in ære, luere debent in corpore; & nulla sunt commiseratione digni. Ita Menochius *de arbitr. quæst. casu* 203. *num.* 16. *& sequent.* & alij multi citati à Diana *p.7. tract.* 8. *resol.* 26. Menoch. Diana.

9. Dilatio quinquennalis à Principe concedi non debet contra debitum ex contractu depositi descendens: quia hoc natura depositi non patitur, siquidem res deposita, sine omni mora & dilatione, remotis & exclusis omnibus exceptionibus, restitui debet deponenti, *l.1. Cod. Depositi.* Imò hoc procedit etsi pecunia numerata esset depositi. Vnde Clericus debitor ratione depositi, non gaudet beneficio *cap. Odoardus, de solut.* Idem dicendum de debito ex contractu locationis seu conductionis descendente, Menochius *de arbitra. casu* 203. *num.* 18. Menoch. Item contra debitum pupillare & alimentorum: contra debitum opificum, mercenariorum & famulorum, quo scilicet debitor ipsis pro labore obligatus est. Nec hoc debitum Ecclesiasticum Princeps secularis debitori Ecclesiæ dilationes quinquennales indulgere potest, quia circa res Ecclesiasticas non potest aliquid disponere. Nec contra debitum fiscale valet dilatio quinquennalis. Imò nullum sortitur locum in debito quod cum extero & transeunte contractum est; & cessant dilationes nec dandæ sunt in debito dotis. Creditor tamen dotis debitori suo inducias istas indulgere non prohibetur. In his igitur casibus dilationes moratoriæ à Principibus concessæ non extenduntur, nec intelliguntur de debito iurato, & alijs hic expressis, nisi aliud in rescripto sit dictum: neque facilè in debito pupillari, viduæ, Ecclesiæ & priuilegiatarum personarum dari solent. De his plura apud Carolum *de Grassis exceptione trigesima secunda, numero trigesimoprimo*, Menochium *dict. casu* 203. *num.* 20. *& sequent.* Dianam *part.7. tract.8. resol.27. 28. & 29.* & alios ab ipso citatos. Grassis. Menoch. Diana.

10. An dilatio moratoria possit à creditoribus concedi debitori? pro praxi hæc veniunt dicenda. Is qui vult cedere bonis, potest à creditore, aut à creditoribus petere vt sibi inducias quinquennij ad soluendum tribuant, ne cedat bonis. Quod si sit vnus tantùm creditor, & is illas ei concedat, aut si sint multi & ij eas illi concedant, tunc, elapso eo quinquennio, non potest debitor cedere bonis, neque etiam intra quinquennium, sed si quinquennio elapso debitum aut debita, non soluat, detrudi in carcerem potest, quousque integrè soluat. Ita *Gloss. vlt. l. vlt. Cod. qui bon. ced. possunt.* & communis Doctorum sententia. Quando verò sunt multi creditores, omnes interrogandi sunt, an velint eas inducias concedere, & maior pars vocare potest minorem, vt in vnum locum conueniant, eaque de re ibi tractent ac deliberent, idque parabit minori parti præiudiciuin ea in re, nisi conueniat: & satis est citare absentes. Si creditores, quibus maior pars summæ debetur, consentiant, vt inducie quinquennij debitori concedantur, etiamsi illi pauciores numero sint, & alij plures, imò etiamsi is vnus tantùm sit & alij multi, & etiamsi reliqui habeant hypothecas, & præponendi sint in solutione, obtinet debitor eas inducias, etiam quoad reliquorum debita. Si autem æqualis sit pars summæ, quæ debetur ijs, qui concedere volunt inducias, cum parte summæ, quæ debetur alijs, qui nolunt eas concedere, tunc prævalet ea pars, quæ vincit numero creditorum, estò similiter reliqui habeant hypothecas præferendique sint in solutione. Quod si creditores vtrinque æquales numero sint, & pars summæ, quæ vtrinque debetur, æqualis etiam sit, prævalet pars, quæ inducias concedit, tanquam magis pia. Ita sancitum est *l. vlt. Cod. qui bon. ced. possunt*, & docet Molina *de iustit. tract.2. disput. 572. numer. 11.* Gloss. Molina.

11. Dilationes moratoriæ prosunt fideiussoribus, si in concessione expressa mentio fideiussoris est facta, quod nimirum is etiam intra tempus concessum non debeat conueniri. Sed si nulla est facta mentio fideiussoris, & concessæ sint inducie istæ ab Imperatore vel à Principe, & fideiussor renunciauit *Authent. presente, Cod. de fideiuss.* hæ inducie fideiussori non prosunt, in tantum etiam vt fideiussor conuentus, non possit debitori litem denunciare ad suscipiendum iudicium, & opponendam moratoriæ dilationis exceptionem. Si autem fideiussor non renunciauit prædictæ Authenticæ, prosunt etiam fideiussori, quia fideiussor conueniri non potest, nisi debitor sit excussus & impotens ad soluendum repertus, debitor verò ob impetratas inducias excuti nequit. Si autem inducie istæ sunt concessæ à creditoribus ipsis, indistinctè prosunt fideiussori etiam quando fideiussor renunciauit dictæ Authenticæ: quia inter creditores & debitorem, datis inducijs, actum intelligitur vt fideiussori interim parcatur, & ne contra fideiussorem interea procedatur. Ita Thomas Maulius *tract. de cessione bonor. titul 7. num.41.* & alij quos refert & sequitur Diana *part. 7. tractat. 8. resolutione trigesima secunda.* Aduertendum est hic eum qui dilationem à creditoribus vel à Principe obtinuit, teneri creditoribus suis idoneos fideiussores dare de solutione post elapsum tempus. Ita communiter Doctores, qui etiam asserunt istam cautionem ab ipso Principe remitti non posse, quando cautio hæc à creditoribus petita est, alioquin valent inducie à Principe concessæ. Quod si propter inopiam, nec fideiussoribus, nec pignoribus cauere Maulius. Diana.

potest,

Diana. potest, ad juratoriam cautionem admitti debet. Ita Diana *citat. resolut.* 34. apud quem plura de hac materia.

CHARITAS.

SVMMARIVM.

1 *Qua sint causa charitatis.*
2 *De fide est charitatem posse augeri.*
3 *Charitas potest amitti & de facto amittitur quouis peccato mortali.*
4 *Charitas potest minui extensiuè & appretiatiuè, non intensiuè, nisi per potentiam Dei absolutam.*
5 *Charitas potest in hac vita crescere in infinitum.*
6 *Obiectum materiale charitatis præcipuum est Deus; secundarium sunt omnes creaturæ, maximè tamen quæ sunt capaces beatitudinis.*
7 *Angeli boni possunt & debent à nobis diligi: non autem mali & homines damnati, nisi vores & possessio Dei amici nostri.*
Viatores certò reprobi non sunt diligendi ad beatitudinem, sed tantùm ad alia quædam bona, quæ non repugnant reprobationi.
8 *Creatura irrationalis secundùm esse naturale, potest diligi amore naturali propter Deum: quatenus autem est suo modo capax gloriæ & remunerationis, quam in fine sæculi est accepturæ, potest diligi ex charitate.*
9 *Peccatores ex charitate sunt diligendi, si secundùm naturam considerentur: quatenus autem peccatores non sunt diligendi.*
10 *In charitate constituendus est aliquis ordo secundùm quem vnum plus, alterum minus diligamus.*
Tripliciter magis amicus vnus diligi potest, quàm alter. Obiectiuè, Appretiatiuè, Intensiuè.
11 *Non solùm inter obiectum primarium & secundarium charitatis, sed etiam inter obiecta secundaria est ordo constituendus.*
Charitas post Deum maximè inclinatur ad ipsum diligentem.
Inter cæteros proximos ad illum magis inclinat charitas qui secundùm rectam rationem magis est amabilis.
12 *Qui sint effectus charitatis.*

1. CAusa materialis, seu subiectum charitatis est voluntas, tum viatoris, tum comprehensoris. Probatur prior pars, quia habitus subiectatur in ea potentia, in qua est ipsius actus, dilectio autem est in voluntate, nam attingit Deum sub ratione nobilissima, ad quam sensus ascendere non potest. Probatur: Posterior pars 1. ad Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit.* Et ratio est, quia est amicitia quædam cum Deo, quæ in via inchoatur, vt consummetur in patria.

Causa charitatis efficiens est solus Deus, dispositiuè tamen viator concurrere potest. Probatur prior pars 1. Ioan. 4. *Charitas ex Deo est.* Ratio, quia est habitus supernaturalis, qui supernaturaliter recipitur in subiecto, ergo viribus creatis produci non potest.

Secunda pars eleganter explicatur à Concilio Tridentino Conc. Trid. *sess. 6 cap. 6. & 7.* nam viator per auxilium gratiæ speciale, excitatur à Deo, & præparatur ad recipiendum donum iustificationis, quæ potissimum in charitate consistit.

Causa instrumentaliter producens charitatem, sæpe est Sacramentum. Probatur ex Concil. Trident. *sess. 6. cap. 6.* & patet in Baptismo ac pœnitentia, cùm ab attrito suscipiuntur, similiter in parvulis qui baptizantur.

Finis charitatis est gloria Dei, & beatitudo nostra. Probatur prior pars Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est dominus*, & Ratio est, quia est donum creatum, quod vltimo referri debet in creatorem. Posterior pars patet, quia omnis habitus est propter suam operationem, tanquam propter finem intrinsecum, operatio autem charitatis, est pars quædam cœlestis beatitudinis.

2. Charitas potest augeri. Est de fide, ad Philip. 1. *Hoc oro vt charitas vestra magis abundet.* Sic Ecclesia orat, Da nobis Domine fidei, spei & charitatis augmentum. Ratio est, quia charitas est via ad Cœlestem patriam 1. ad Corinth. 13. Ad viatorem autem pertinet semper vlterius progredi, donec perueniat ad vltimum viæ terminum. *Clement. ad nostrum, de hæret.* Charitas autem potest augeri extensiuè, intensiuè, appretiatiuè. Extensiuè, cùm se extendit ad plura obiecta, vt si quis solitus homines diligere, incipiat diligere & Angelos. Intensiuè, vt cùm habitus intrinsecè augetur, additis nouis gradibus charitatis: nam alius diligit vt quinque, alius vt decem, &c. Appretiatiuè, cùm quis tanti facit amicum suum, vt in gratiam ipsius non tantùm vitet omnia peccata mortalia, sed etiam omnia venialia quantùm potest, ac toto conatu tendit ad perfectionem. Hinc intelligere licet quo modo alia sit charitas incipientium, alia proficientium, alia perfectorum. Item alia in patria, quæ continenter inhæret Deo, alia in religiosis & viatoribus perfectis, qui quantùm patitur humana fragilitas, toto conatu tendunt in Deum; alia in sæcularibus qui contenti sunt iustitia communi, vt seruent mandata obligantia sub peccato mortali.

3. Charitas potest amitti, & de facto amittitur quouis peccato mortali. Probatur prior pars Ezechiel. 18. *Cùm auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, &c. morietur in ea.* Apocalyp. 2. *Habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti.* Posterior pars est definita in Concil. Trident. *sess. 6. cap. 15. & can. 27.* Contra Iouinianum, Calumnum & similes hæreticos. Probatur exemplo Dauidis, Petri & similium, quos satis constat habuisse veram charitatem, & postea per peccatum mortale amisisse. Ratio est, quia viatores quantumuis Sancti, non immobiliter adhærent Deo, cùm videant eum per speculum in ænigmate, ac propterea vento tentationis impelli possunt, ad relinquendam amicitiam diuinam. D. Th. 2. 2. q. 24. *art.* 11. & 12. Conc. Trid. D. Thom.

4. Charitas potest minui extensiuè & appretiatiuè, non intensiuè, nisi per potentiam Dei absolutam. Probatur prima pars, quia fieri potest, vt qui antè charitatem exercebat in multos, verbi gratia, orando pro Ethnicis, hæreticis, malis Christianis, pro defunctis, &c. desinat tam latè se extendere, contentus orare pro suis amicis. Probatur secunda pars, quia frequenter qui feruebant spiritu, paulatim refrigescunt, & cùm antea tanti facerent amicum suum, vt vitarent omnem eius offensam, nunc sint contenti vitare peccata mortalia, qui quidem versantur in statu periculosissimo, & audire debent illud Apost. ad Philippens. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini; Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Probatur tertia pars, quia si charitas minueretur in suis gradibus, id fieret maximè per peccata venialia, sed hoc non, quia nec physicè possunt hoc

hæc facere nec meritoriè, non physicè, quia nulla talis pugna est inter peccatum & habitum supernaturalem: non meritoriè, quia hic peccata venialia minuerent præmium essentiale, atque adeò tandem tollerent totam charitatem & constituerent hominem extra gratiam Dei. Probatur quarta pars, quia charitas est forma capax intentionis, ergo & remissionis, nec aliunde apparet vlla repugnantia. Vide D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 10. Sylvium ibidem.

1) Thom. 2) Iulius.

5. Charitas potest in hac vita crescere in infinitum, id est, potest semper magis ac magis augeri sine vllo termino, eò quod nullus sit terminus præfixus vltra quem crescere non possit, neque vllus sit modus dilectionis vltra quem non sit pergrediendum. Probatur Apocalyp. vltim. *Qui iustus est, iustificetur adhuc. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua.* Ecclesiastici 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Ratio est, quia quando aliqua forma non potest vlterius progredi, hoc est propter terminum ei præfixum vel ex parte agentis, vel ex parte ipsius formæ, vel ex parte subiecti: Charitas non habet terminum præfixum ex parte agentis, quia augetur effectiuè à solo Deo qui est infinitus. Neque ex parte formæ, quia charitas secundùm rationem suæ speciei non habet terminum augmenti. Neque ex parte subiecti; quia charitate crescente subiectum fit magis habile ad eam perfectiùs recipiendam: ergo non est cur ei dicatur præfixus terminus, vltra quem non possit crescere. Ita D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 7. & alij communiter.

D. Thom.

6. Obiectum materiale charitatis præcipuum est Deus. Ratio, quia est summè amabilis amore amicitiæ, ac propterea primum & maximum mandatum, quo amor ille præcipitur.

Obiectum charitatis secundarium, possunt esse omnes creaturæ, maximè tamen quæ sunt capaces beatitudinis. Probatur prior pars, quia charitas est amicitia cum Deo, ad perfectam autem amicitiam pertinet, non solùm diligere amicum primarium, sed etiam ratione illius, omnes ipsius filios, domesticos, amicos, denique omnia quæ ad ipsum pertinent, vnumquodque pro sua capacitate, & modo. Vnde patet secunda pars: nam creaturæ rationales & propinquiores Deo sunt & peculiari ratione amabiles. Ratio formalis diligendi Deum & proximum ex charitate, est diuina bonitas in se. Ratio est, quia amor amicitiæ, cum sit actus voluntatis, tendit in bonum sub ratione boni: bonitas autem Dei dupliciter considerari potest. *Primò*, vt ipse bonus est sibi & sufficiens, habens omnem perfectionem possibilem. *Secundò*, vt est nobis bonus, communicans nobiscum suas diuitias, quantum fas est & sicut decet diuinam maiestatem. Primo modo est obiectum charitatis. Secundo est obiectum spei.

Proximus non tantùm potest diligi propter bonitatem Dei increatam, verum etiam propter dona supernaturalia à Deo communicata, siue sint actus, siue habitus. Probatur: proximus potest à nobis dupliciter amari. *Primò*, vt res & possessio Dei, sicut amantur cæteræ creaturæ, quatenus pertinent ad Deum, vt auctorem gratiarum. *Secundò*, vt amicus noster secundarius, cùm videlicet consideratur vt filius Dei, particeps diuinitatis, &c. Si primo modo diligatur, sola bonitas Dei increata, est ratio formalis diligendi: nam tota nostra beneuolentia terminatur in Deum, nec necesse est in proximo considerare aliquam dignitatem supernaturalem, aut similitudinem nobiscum. Si secundo modo, dona creata possunt esse ratio, cur proximum diligamus, terminando nostram beneuolentiam in proximum, vt quia iustus, quia destinatus ad gloriam, &c.

7. Angeli boni possunt & debent à nobis diligi, tum vt res & possessio Dei, tum etiam vt fratres nostri & amici secundarij. Ratio, quia sunt proximi nostri: is enim est proximus, vel cui præbendum à nobis est, vel à quo nobis præbendum est officium misericordiæ. Tum quia sunt participes illius beatitudinis, quam nos expectamus, Matt. 18. *Angeli eorum in cœlis; semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.*

Angeli mali & homines damnati, non sunt diligendi, vt amici & proximi. Probatur, quia non sunt amplius capaces beatitudinis, aut alterius boni, & neque à nobis iuuari possunt, nec volunt ipsi nos iuuare, sed potiùs omnibus modis nocere. Actu tamen imperfecto, & conditionato, nempe velleitate quadam possumus eis bene velle. De quo vide D. Basilium Homelia nona, quòd Deus non sit Auctor malorum.

Angeli & homines damnati possunt diligi vt res & possessio Dei amici nostri, quatenus in eis relucet diuina ipsius bonitas & iustitia: bonitas quidem, quòd illos ad æternam quoque salutem condiderit, & sufficientibus gratiæ præsidijs instruxerit, quamuis sciret eos fore ingratos & inimicos. Iustitia verò, quòd eos tam seuerè puniat, quæ pœna in commendationem misericordiæ diuinæ, quam experiuntur electi & in ipsorum electorum gloriam redundat.

Petes, quid sentiendum de viatoribus reprobis? Respondeo; ordinariè non constare quinam sint reprobi, ac propterea omnes viatores ex charitate esse diligendos, optando eis beatitudinem, mediaque ad illam, & ad hoc cooperando, quando fraterna charitas exigit: si tamen alicui reuelaretur certi cuiusdam reprobatio, non posset illum diligere ad beatitudinem, quia esset actus vanus, sed tantùm ad alia quædam bona, quæ non repugnant reprobationi, vt ad auxilia quædam gratiæ, quæ impediant multitudinem peccatorum, quo modo D. Thomas 1. *part. quæst.* 113. *artic.* 4. *ad* 3. dicit Antichristum habiturum Angelum custodem, qui etsi sciat ipsum esse reprobum, conabitur tamen retrahere à multis peccatis. Simile iudicium est de reprobis in genere, nam non possumus illis absolutè desiderare beatitudinem, sed tantum minorem damnationem.

D. Thom.

8. Creatura irrationalis, secundùm esse naturale, quatenus repræsentat potentiam, sapientiam & bonitatem Dei, vt auctoris perfectionum naturalium, quas habet, potest diligi amore naturali propter Deum. Probatur, quia sic maiestatem Dei, vt auctoris naturæ manifestat & ad eius amorem allicit, vt constat hymno trium puerorum, & Psalm. 148.

Creatura irrationalis, quatenus capax est suo modo gloriæ & renouationis, quam in fine sæculi est acceptura, potest diligi ex charitate. Ratio est, quia hoc modo allicit ad amandum Deum, prout est auctor gratiarum, & status supernaturalis. Si autem creatura irrationalis consideretur, vt res & possessio Dei amici nostri, est obiectum charitatis, quæ non tantùm fertur in amicum, sed etiam in ea omnia quæ amici sunt, & aliquo modo eum attingunt: hoc autem non ita intelligendum est, quasi charitas nostra terminetur in ipsam creaturam (cùm enim amicitia sit mutua beneuolentia, non potest esse nisi inter naturas intellectuales, sed quod bene velimus ipsis creaturis propter Deum amicum nostrum, cuius perfectio & maiestas ex ipsarum contemplatio

templatione innotescit. Excelluit verò in hoc genere charitatis Beatus Pater noster Franciscus, vt in ipsius vita docet S. Bonauentura Doctor Seraphicus *cap.* 8. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 25. *art.* 3. & alij. D. Bonau. D. Thom.

9. Peccatores sunt diligendi ex charitate, si secundùm naturam considerentur, quia sunt nostri proximi, & possunt esse participes beatitudinis. Cùm ergo charitas fundetur in communicatione beatitudinis, ipsi sunt ex charitate diligendi: quatenus autem peccatores, non sunt diligendi. Tum quia hoc esset culpam & peccatum diligere, vnde Propheta Psalm. 118. Iniquos odio habebat. Tum quia culpa, secundùm quam dicuntur peccatores, contrariatur Deo, & est impedimentum beatitudinis. Et hoc ipsum odisse peccatorem vt peccatorem, id est, odisse peccatum eius, ac nobis displicere quod peccet, est charitatis; quia eiusdem rationis est odisse malum alicuius, & diligere bonum eius, vt docet D. Thomas 2 2. *q* 34. *art.* 3. *corp.* vide eundem *quæst.* 25. *art.* 6. D. Thom.

Petes, vtrum peccatores diligant seipsos? Respondeo, diligunt se affectu, non effectu: vnde secundùm prudentem æstimationem, potiùs sese oderunt, iuxta illud Prophetæ Psalm. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Ratio est, quia diligunt tantùm bona corporis, quæ minima pars est nostri, & per illum amorem priuantur bonis internis, ac præcipitantur in exitium sempiternum.

10. In charitate constituendum esse aliquem ordinem secundùm quem vnum plus, alterum minùs diligamus, manifestè docemur Matth. 22. *Hoc est primum & maximum mandatum, secundum autem simile huic.* Item Canticor. 2. *Ordinauit in me charitatem.* Ratio est, quia obiecta amoris sunt inæqualis dignitatis, ac propterea amor noster secundùm illam inæqualitatem temperandus est, vt vnamquamque rem tanti faciamus, quanti secundùm rectam rationem facienda est.

Tripliciter itaque magis amicum vnum diligere possumus quàm alterum. *Obiectiuè, Appretiatiuè. Intensiuè.* Obiectiuè, quando volumus alicui maius bonum, quàm alteri, v.g. Regi, quàm Patri: nam huic desideramus mediocria bona, quæ statui ipsius conueniunt, illi verò maxima & præstantissima, quæ deceant regiam maiestatem. Appretiatiuè, cùm amicus vnus pluris æstimatur quàm alius, v.g. pro vno parati sumus profundere pecunias, pro secundo honorem & famam, pro tertio sanguinem & vitam. Sic Dominus Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Intensiuè, quando est maior amoris feruor, circa vnum, quàm circa alium, aut plures gradus dilectionis, verbi gratia, cùm Deum diligimus vt tria, proximum vt sex. Porrò has amoris quantitates esse distinctas, perspicuè patet experientiâ & ratione: experientiâ, quia subditus magis diligit seipsum appretiatiuè quàm regem, non tamen obiectiuè: Pater magis intensè diligit paruulum filium, quàm adultum, non tamen appretiatiuè. Ratio est, quia habent diuersas origines: nam quantitas obiectiua oritur ex præstantia obiecti, quod pluribus & maioribus bonis dignum est: quantitas appretiationis ex obligatione, quâ mutuò colligati sumus: quantitas intensionis ex familiaritate & maiore cognitione obiecti: quæ quidem cognitio sit accommodata nostro modo intelligendi.

11. Non solùm inter obiectum primarium & secundarium charitatis, sed etiam inter obiecta secundaria est ordo constituendus, & patet exemplo. Nam charitas magis fertur in amorem Beatissimæ Virginis Mariæ, quàm inferioris Sancti. Ratio est, quia hæc obiecta secundaria non æquè participant rationem diligibilis ex charitate, neque æquè sunt coniuncta cum primario obiecto.

Charitas post Deum maximè inclinatur ad ipsum diligentem. Ratio est, quia res omnes post inclinationem ad Deum naturale bonum, maximè inclinantur ad proprium; ergo charitas post Deum maximè inclinatur ad dilectionem sui; ergo ad dilectionem eius in quo est, quia non potest ipsa aliter se diligere; cùm totum esse charitatis sit in ordine ad subiectum.

Inter cæteros proximos ad illum magis inclinat charitas, qui secundum rectam rationem magis est amabilis: tum quia inclinatio charitatis est recta & honesta; tum quia qui secundùm rectam rationem est diligibilior, est simpliciter diligibilior; charitas autem cùm se accommodet obiectis, eo modo ea diligit, quo diligibilia sunt; quæ autem sunt magis, aut minus diligibilia, diximus *tom.* 1. *verb. Charitas, num.* 11. *& sequent.* De his vide Suarez *de charitate. disp.* 1. *sect.* 4. Suarez.

12. Effectus charitatis sunt septem, tres interni, gaudium, pax, misericordia; tres externi, beneficentia, eleemosyna, correptio fraterna, sed primarius effectus est dilectio, quæ est actus immediatè à charitate elicitus, tendens in Deum propter Deum, & in proximum propter Deum. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 28. *& sequent.* D. Thom.

Vide v. Filius *num.* 15. Homicidium *num.* 5. Parentes *num.* 5.

CHARITATIVVM *subsidium.*

SVMMARIVM.

1 *Charitatiuum subsidium dicitur, quasi charitatiuum auxilium: & petitur quando propria Ecclesiæ reditus non sufficiunt.*

2 *Charitatiuum subsidium exigendum est ratione beneficiorum à Clero & ab Ecclesiis propria Diœcesis.*

Charitatiuum subsidium soluere tenentur Canonici, & Pensionarius, pro rata sua pensionis, & Rector beneficij.

Clericus, qui vltra victum & vestitum nihil habet de fructibus sui beneficij, soluere non tenetur: item hoc subsidium non debet solui de quotidianis distributionibus.

3 *Prælati habentes Ecclesias sibi pleno iure subiectas, possunt charitatiuum subsidium ab eis exigere: sicut & Prælati habentes Territorium, & Diœcesim. Idem potest Commendatarius perpetuus ab Ecclesiis sibi subiecta exigere.*

4 *Septem enumerantur causæ à DD. propter quas possit exigi hoc charitatiuum subsidium. Quantitas huius subsidij non est in iure determinata: quamuis decima pars annui reditus iusta reputanda sit.*

5 *Monasteria exempta non tenentur præstare Episcopo subsidium charitatiuum, ex multis priuilegijs Summorum Pontificum: nisi habeant Ecclesias seculares sibi subiectas, quæ ante subiectionem illud soluere consueuerant.*

6 *Ecclesiæ exemptæ non tenentur præstare Episcopo tale subsidium, si exemptio fit data cum plena libertate: limitatur tamen in duobus casibus.*

Monasteria exempta non tenentur illud soluere: sicut & non exempta habentes reditus vltra summam

Digitized by Google

14. *Ducatorum aureorum pro victu cuiuſlibet Monialis.*

7 *Reges Hiſpaniæ habent priuilegium à Pio V. & Gregorio XI. ſumendi quoddam ſubſidium ſoluendum de reditibus Eccleſiaſticis, pro expeditione belli contra infideles.*

1. CHaritatiuum ſubſidium dicitur, quaſi charitatis auxilium, quia à principio ex charitate peti debet, non per vim extorqueri, *c. Ex parte, de cenſibus.* Dicitur huiuſmodi charitatiuum ſubſidium, aliquando ſubſidium: quia, ſicut ſubſidium datur, quando deficit proprium; ita etiam charitatiuum ſubſidium petitur, quando reditus propriæ Eccleſiæ non ſufficiunt Epiſcopis & alijs Prælatis, quibus competit ius, ſeu priuilegium, aut conſuetudo petendi charitatiuum ſubſidium. Deinde charitatiuum dicitur, non ex eo, quod Epiſcopus & alij Prælati, quibus incumbit ius poſtulandi dictum ſubſidium, non poſſint compellere, exiſtente manifeſtâ & rationabili causâ, ſuos Clericos ad tale ſubſidium ſoluendum: poſſunt equidem illos compellere, imò edictum affigere, vt vbicumque Clericus beneficium habens, non ſoluerit charitatiuum ſubſidium infra certum tempus excommunicetur. Ita deciſum fuiſſe à Sacra Rota Romana, affirmant Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 87.* Azorius *part. 2. lib. 9. cap. 14. queſt 2. & 3.* Non poſſunt tamen loco pignoris capi calices, vel libri, vel alia diuinis miniſterijs deputata. Vide Layman *lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 3. §. vnic. n. 10.*

Rota. Barboſa. Azorius. Layman.

2. Hoc ſubſidium exigendum eſt, ratione beneficiorum, à Clero, & ab Eccleſijs ſuæ propriæ Diœceſis & ſibi ſubiectis, ex *cap. Competenti, de offic. Ordin.* & debet eſſe de fructibus & reditibus beneficiorum, vt dicunt citati Doctores, quibus adde Nauarrum *conſil. 5. in nouis, tit de cenſibus.* Proinde Canonici, ſeu Capitulum Eccleſiæ Cathedralis; Penſionarius etiam pro rata penſionis, niſi penſio auctoritate Papæ ſit aſſignata; Rector beneficij, ſicut etiam ſucceſſor in beneficio aliquo, quando ſuus anteceſſor vel alius beneficiatus non ſoluerit, tenentur ſoluere dictum charitatiuum ſubſidium, vt docent Barboſa *de iur. Eccleſ. lib. 3. c. 21.* Azorius *cit. quæſt. 6.*

Nauarrus. Barboſa. Azorius.

Clericus, qui vltra victum & amictum & proprium commodum nihil habet de fructibus & reditibus ſui beneficij, non tenetur ad ſubſidium charitatiuum, vt ſuſtinent Doctores citati. De quotidianis autem diſtributionibus non debet ſolui charitatiuum ſubſidium: quia quotidianæ diſtributiones non poſſunt dici fructus & reditus proprij beneficij, vt docet Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 7. num. 174.* Rector verò habens Eccleſiam in vna Diœceſi, prædia autem in alia, tenetur ſoluere charitatiuum ſubſidium Ordinario, in cuius Diœceſi ſita eſt Eccleſia, Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. allegat. 87. num. 15.* & alij.

Gonzalez. Barboſa.

3. Prælati Epiſcopo inferiores habentes Eccleſias ſibi pleno iure ſubiectas, tam regulares, quàm ſæculares, poſſunt ab eiſdem ſubſidium charitatiuum exigere. Item, Abbates & Prælati habentes territorium & Diœceſim, datâ manifeſtâ & rationabili causâ licitè poſſunt cogere ſuos ſubditos ad huiuſmodi charitatiuum ſubſidium præſtandum, cùm in his Prælatis militent omnes rationes, & exigentiæ, & opportunitates, quæ militant in Epiſcopis: quia in his, quæ ad charitatem ſpectant, ideò ſubditi ex parte ſua obnoxij tenentur ſuis Prælatis, quia ab illis beneficia recipiunt, & pari ratione tenentur illis exhibere charitatiuum ſubſidium, ac ſi eſſent Epiſcopi: quia ſpectat huiuſmodi ſubſidium ad legem diœceſanam, quæ lex competit etiam ſupradictis Prælatis. Debent tamen huiuſmodi Prælati, ſicut & Epiſcopus, quando charitatiuum ſubſidium poſtulare cupiunt, hoc facere cum conſilio ſui Capituli, & Clericorum, ex *cap. Quanto, de ijs, quæ fiunt à Prælatis.* Ita Barboſa *de iur. Eccleſ. lib. 3. cap. 21. num. 15. & de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 87. num. 17. 18.* qui *num. 20.* docet, quòd Commendatarius perpetuus poteſt ab Eccleſijs ſibi ſubiectis charitatiuum ſubſidium exigere, perinde ac titularis: quia licet titulo careat; habet nihilominus legitimam adminiſtrationem, ac exercere poteſt ea, quæ ſunt iuriſdictionis, æquè ac ſi titulum habuiſſent. Imò Commendatarij perpetui in omnibus, vt titulares cenſentur. Vide Layman *loco cit. num. 9.*

Barboſa.

4. Cauſa ad tale ſubſidium exigendum euidens & rationabilis eſſe debet, ne vltra debitum ſubditis grauamen inferatur. Quæ autem circa hoc negotium manifeſta, & rationabilis cauſa dicatur, nihil certi in iure habetur: propterea iudicis arbitrio relinquendum arbitrantur Gloſſa *in cap. Cùm Apoſtolus, de cenſibus, §. Prohibemus, verbo Rationabilis*, Menochius *de arbitrar. caſ. 178. num. 2.* & Barboſa *de iur. Eccleſ. lib. 3 cap. 21. num. 22.* Enumerantur tamen cauſæ ſeptem à Doctoribus, quarum *Prima* eſt, ſolutio debitorum, quæ contraxit Prælatus pro ſuæ Eccleſiæ iure tuendo, verbi gratia, quando multa & magna ſunt debita, & aliunde ex bonis Eccleſiæ ſolui commodè nequeunt. *Secunda.* Si Prælatus magnas fecerit impenſas in negotijs Religionis communibus pertractandis, vel ſi lites magnas pro bono Eccleſiæ habuerit. *Tertia.* Si Prælatus rem aliquam magni momenti emerit neceſſariam ad ſuam Eccleſiam conſeruandam. *Quarta.* Si Prælatus iter facturus ſit ad Papam, vel Imperatorem, vel Regem, ob ſuæ Eccleſiæ, vel etiam totius Religionis commune bonum. *Quinta.* Si Prælatus ad generale Concilium vocatus iter ſuſceperit, iuxta id, quod habetur *in cap. Placuit, diſt. 18. Sexta.* Si vocatus iturus ſit ad Prouinciale Concilium. *Septima.* Si Prælatus impenſas neceſſarias & alicuius momenti fecerit in aduentu Imperatoris, Regis, vel Principis; præſertim ſi ab eo habeant Regalia. De his vid. Azorium *part. 2. lib. 9. cap. 14. queſt. 4.* Barboſam *de iur. Eccleſ. loco citato*, Menochium *loco citato, caſu 178.* & alios apud ipſos.

Gloſſa. Menoch. Barboſa. Azorius. Barboſa. Menoch.

In quanam autem quantitate hoc charitatiuum ſubſidium exigi debeat, nihil pro certo ſtatui poteſt: Arbitratur tamen Barboſa *loco citato num. 6.* decimam annui reditus partem iuſtam eſſe ſubſidij quantitatem. Vnde in omni euentu nullus debet cogi ad maiorem ſolito contributionem, vt cenſuit S. Congregatio ſub die 17. Ianuarij, 1589. apud Barboſam *loco cit. num. 7.*

Sac Congr. Barboſa.

5. Monaſteria exempta non tenentur præſtare Epiſcopo ſubſidium charitatiuum, vt tenent Ioannes Andræas, Imola *in cap. Dilectus de offi. Ordinar.* Rodriguez *tom. 2. qq. regul. q. 67. art. 1. & 2.* qui refert Greg. XI. Pontificatus ſui anno quarto, Idibus Octobris Ordinem D. Hieron. in Hiſpania exemptum feciſſe à ſolutione charitatiui ſubſidij, ita vt neque Legatis, ſiue Nuntijs Apoſtolicæ Sedis, aut locorum Metropolitanorum, ſiue Diœceſanorum procurationes aliquas, vel iura alia, aut ſubſidia, quocumque nomine nuncupata, Monaſteria, aut Fratres ſoluere teneantur. Item Fratres, ſeu Milites Hieroſolymitani, vulgò Maltenſes nuncupati ſunt exempti à ſolutione quarumcumque decimarum, exactionum, & aliorum quorumcumque onerum, etiam

Ioan Andr. Imola. Rodriguez. Greg. XI.

etiam charitatiui ſubſidij, &c. per plura priuilegia confirmata per Sixtum V. in Bulla. *Etſi ex noſtri paſtoralis officij.*

Sixtus V.

Ratio autem quare Monaſteria & Religiones ad charitatiuum ſubſidium ſoluendum non tenentur, eſt; quia eius exactio eſt de lege Diœceſana, non autem iuriſdictionis: at Monaſteria etiam non exempta à lege Diœceſana immunia ſunt de iure communi, vt probatur per text. *in cap. Ne pro cuiuſlibet*, 16. *q.* 1. Monaſteria tamen habentia Eccleſias ſæculares ſibi ſubiectas, quæ, antequam Monaſterio ſubderentur, Epiſcopo tale ſubſidium, & alia iura ſoluere conſueuerant, tenentur adhuc ſoluere, quia cenſentur aggregatæ Monaſterio cum ſuo onere, vt habetur *in Clem.* 1. *& 2. de cenſibus*, & docet Barboſa *de iur. Eccleſ. lib.* 3. *c.* 21. *num* 51. Cochier *de iuriſd. & ordin in exemptos, p.* 1. *q.* 25. *n.* 8. *&* 9. Layman *loco cit. num.* 13.

Barboſa. Cochier.

6. Eccleſiæ exemptæ non tenentur præſtare Epiſcopo tale ſubſidium charitatiuum: quod maximè procedit, ſi exemptio ſit data cum plena libertate quia hoc importat exemptionem non modo à iuriſdictione; ſed etiam ab omnibus, quæ ſunt de lege diœceſana. Si tamen in priuilegio exemptionis appoſita eſſet clauſula, *volumus autem, quòd Eccleſia huiuſmodi exempta cum charitate priori cum Epiſcopo ſuo remaneat*: ſecus dicendum eſſet: vel ſi Eccleſiæ exemptæ haberent populum non exemptum; reſpectu populi non exempti deberetur charitatiuum ſubſidium; ſi autem Eccleſiæ eſſent vnitæ Monaſterijs priuilegiatis & exemptis, vt ſunt hodie multa beneficia curata de menſa Prælatorum, quæ licet populum exemptum non habeant, cùm ſint vnitæ Monaſterijs & Abbatijs, charitatiuum ſubſidium præſtare non tenentur, vt bene aduertit Tamburinus *tom.* 3. *de iur. Abbatum, diſp.* 10. *quæſit.* 4 *num.* 6.

Tamburin.

Porrò Moniales exemptæ, quæ gaudent priuilegijs ſuarum religionum non tenentur ſoluere charitatiuum ſubſidium, ſicut non tenentur viri regulares exempti: Moniales autem non exemptæ, non habentes reditus vltra ſummam 14. ducatorum auri de Camera pro victu cuiuſlibet Monialis, & vltra non habentes alios reditus, non tenentur ad huiuſmodi ſubſidia, prout decreuit Pius IV. in ſua Conſtitut. quæ incipit. *De ſtatu Eccleſiarum*, apud Tamburinum *loco citato num.* 6.

Pius IV.

Pius V. Greg. XIII.

7. Reges Hiſpaniæ habent à Pio V. Greg. XIII. & alijs Pontificibus pro expeditione belli contra infideles quoddam ſubſidium ſoluendum de reditibus Eccleſiaſticis, ad quod tribuendum tenentur omnes Eccleſiaſtici, & Regulares, exceptis S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, militibus S. Ioannis Hieroſolymitani, Religioſis apud Indias conſiſtentibus, hoſpitalibus actu hoſpitalitatem ſeruantibus, & Regibus Hiſpaniæ ratione menſarum Magiſtralium Ordinum Militarium, quæ ipſorum ſunt perpetui adminiſtratores, vt conſtat ex tenore Bullæ Pij V. vnde Monaſteria exempta à ſolutione charitatiui ſubſidij tenentur hodie ad illud ſoluendum, quia dicta priuilegia ſunt ſufficienter reuocata per Bullas Pij V. & Greg. XIII. ad inſtantiam Regis Philippi II. Hoc autem ſubſidium originem trahit ab antiquo, quo Summi Pontifices decimam partem fructuum de beneficijs Eccleſiaſticis reſeruare ſolebant ad neceſſitates Eccleſiæ ſubleuandas, & ad expeditionem belli contra infideles, quæ vocabatur Decima Papalis ad inſtar doni ſolui ſoliti à Leuitis ſummo Sacerdoti, vt ex Numeris *c.* 10. *&* 2. Eſdræ *c.* 10. conſtat & refertur *c.* 1. *de decimis*. Ad huius igitur decimæ Papalis imitationem Summi Pontifices certam partem, ſeu quottàm de beneficijs Eccleſiaſticis in ſubſidium contra infideles conceſſerunt Regibus Hiſpaniæ. De quo ſubſidio plura apud Rodrig. *tom.* 3. *q. reg. l. q.* 74 & *tom.* 4. *ſum. c.* 141. Suar. *lib.* 5. *de legib. c.* 14. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 1. *c.* 3. *§. vnic.*

Rodrig.

CIRCVMCISIO.

SVMMARIVM.

1 *Circumciſio fuit verum Sacramentum, & enumerantur ſex cauſæ eius inſtitutionis.*
2 *Circumciſio inſtituta fuit pro ſolis maſculis populi Iudaici & non pro fœminis.*
3 *Quos comprehenderit lex Circumciſionis.*
4 *Quare Circumciſio præcepta fuerit fieri in membro hominis pudendo.*
Culter lapideus non erat de neceſſitate præcepti nec Sacramenti, ſed ferreus erat ſufficiens.
Circumciſio non habebat locum deſignatum in quo fieri debebat. Et data erat octauo die.
5 *Nullus miniſter Circumciſionis fuit in lege deſignatus, ſed poterat eſſe quandoque vir, quandoque fœmina.*
Ritus imponendi nomen per ſe pertinebat ad patrem, vel etiam ad matrem ex conſenſu patris.

1. Circumciſio fuit verum Sacramentum: vt dicitur apertè Rom. 4 fuit ſignaculum iuſtitiæ fidei, quod eſt dicere, fuit ſignum rei ſacræ atque adeò præfiguratiuum gratiæ futuræ: fuit etiam ſecundariò demonſtratiuum gratiæ præſentis, ſaltem in paruulis. Circumciſio autem appellatur carnalis, non quia nullum bonum ſpirituale in ea daretur; ſed quia carnali ac viſibili charactere conſignabat homines. Inter cauſas autem inſtitutæ carnalis Circumciſionis, vna fuit, vt eſſet figura Baptiſmi & ſpiritualis Circumciſionis. *Secundò*, vt eſſet proteſtatio & ſignum fidei, quam Abraham habebat. *Tertiò*, vt eſſet ſignum rememoratiuum fœderis Dei cùm Abraham. Hoc autem fœdus tria continebat, promiſſionem nempe ſeminis multiplicandi. Poſſeſſionis terræ Chanaam. Et meſſiæ de ipſius ſemine naſciturj. *Quartò*, vt populus Dei conſignaretur, eiuſque cultui deputaretur. *Quintò*, vt eſſet ſignum diſtinguens Iudæos à gentibus, eoſque quaſi frænum quoddam cohibens ne cum eis commiſcerentur, ſed ſua gente contenti eſſent. *Sextò*, vt eſſet indicium aliquod peccati originalis: reſecans enim Circumciſio aliquid de illa parte corporis, quæ generationi deſeruit, non obſcurè ſignificauit vitium aliquod generatione tranſmitti, quod curatione indigeret. De quibus D. Thomas 3. *part. quæſt.* 70. *artic.* 1. Syluius *ibidem*, & Suarez, cum alijs communiter.

D. Thom. Syluius. Suarez.

2. Circumciſio conuenienter fuit inſtituta pro ſolis maſculis populi Iudaici, & non pro fœminis. Ratio eſt, quia data fuit in ſignum fidei Abrahæ, qui futurus erat pater credentium. Tum quia peccatum originale à patre, & non à matre contrahitur. Denique quia illud ſignum dabatur præcipuè ad congregandum Dei populum, ſed in vnoquoque populo, ſeu republica, viri ſunt capita, ergo ſufficiebat dari talibus viris, vt populus eſſet congregatus. Ita D. Thomas *loco citato*, *art.* 2. *in ſolut. ad* 4.

D. Thom.

3. Lex Circumciſionis communiter non obligauit niſi Abraham & eius poſteros per Iſaac & Iacob oriundos, quia erat pactum, ſeu ſignum pacti, quod Deus pepigit cum Abraham & eius ſemine. Atqui ſemen Abrahæ & ſemen Iſaac, non vocantur in Scriptura quicumque ex illis deſcendunt ſecundùm carnem; ſed Abrahæ quidem, Iſaac, Iſaac autem Iacob. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Gen. 21.

& Rom.9. *Et qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine.* Vnde illud, *Dabo tibi & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ*, non continet promiſſionem terræ Chanaan pro Iſmaëlitis & Idumæis, ſed pro ſolis Iſraëlitis. Nec refert, quòd Iſmaël & Eſaü fuerunt circumciſi, ergo ad idem obligabantur eorum filij? Negandum eſt conſequens, quia ex præcepto Dei, Iſmaël ſeparatus eſt à familia Abrahæ. Geneſ. 21. ideoque lex Circumciſionis deinceps, neque ad eum, neque ad eius poſteros pertinuit; tametſi Abraham circumciſiſſet ipſum; ſiue vt filium de ſua adhuc familia exiſtentem, ſiue etiam ſponte conſentientem: quo modo circumcidit famulos & mancipia domus ſuæ, quos ſi contradixiſſent, probabile eſt, quòd non potuiſſet ad Circumciſionem cogere: quia Circumciſio fuit ſolemnis fidei proteſtatio: fides autem eſſe debet voluntaria; & ideò nemo adultus ad eam rectè cogitur, niſi ratione alicuius Sacramenti, ſeu characteris priùs ſit ad illam obligatus: in qua re eadem certè ratio eſt de Circumciſione: quapropter debuit etiam in hoc figura figurato conformari. Dicendum, eſt ergo ſolùm obligaſſe hoc præceptum ad circumcidendos adultos domeſticos Abrahæ, ſeu alterius Iudaicæ familiæ, ſi ipſi id peterent, vel conſentirent. De Eſaü ſimiliter eſt dicendum, quòd licet Iſaac eum tanquam filium paruulum ſibi ſubiectum circumcidere debuerit, ipſe tamen non fuerit obligatus circumcidere ſuos, quandoquidem iudicio Dei, Malach. 1. & Rom.9. fuerit ſeparatus à familia Iſaac. Ita ferè difficultatem hanc explicant D. Thom. *in 4. diſt.1.q.2.artic. 2. quæſtiunc.1.* Hugo Victorinus *lib. 1.de Sacram p.12.* Suarez *3.p.q.70. art.2.* & alij.

D. Thom. Victorin. Suarez.

4. Circumciſio præcepta erat fieri in occulto, & pudendo corporis membro. Ratio eſt, quia Circumciſio fuit ſignum fidei Abrahæ, qua credidit Chriſtum ex ipſo naſciturum, & ideò poſita fuit in generationis organo, quoniam Chriſtus ex Abraham ſecundùm carnem producendus erat. Et hoc eſt quod dicitur Gen. 17. *Circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit ſignum fœderis inter me & vos.* Fœdus enim præcipuum inter Abraham & Deum fuit, quod Deus illi promiſit Meſſiam ex eius ſemine venturum: ipſe autem, *credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Cur autem Deus voluerit partem humani corporis abſcindi, cùm in ea nullum ſit vitium, cum per ſe ſit ex inſtitutione naturæ; & non ſit excrementum? Dicendum eſt, vt ſignificaretur concupiſcentia, quæ in illo membro maximè exoritur. eſſe amputanda & refrænanda ab his, qui populo Dei aſcribuntur, & cum ipſo perpetuum fœdus ineunt; partim vt ſic ſugillarentur ſacra Veneris & Priapi, in quibus ea pars honorabatur, vt docet D. Thom. 1.2 *q.102.art.5.ad 1.*

D. Thom.

Culter lapideus non erat de neceſſitate præcepti, nec Sacramenti, ſed ferreus erat ſufficiens. Ita tenent communiter Doctores *in 4. diſtinct.1.* Ratio eſt, quia Geneſ. 17. vbi & eſſentia & præceptum traduntur, nulla fit mentio lapidei cultri; ergo non cadebat huiuſmodi inſtrumentum ſub præcepto. Et non obſtat Exodi locus 4. vbi Sephora vſa eſt petra acutiſſima ad circumcidendum filium, non ob præceptum, ait Hugo, nec fortaſſe ob myſterium, ſed ob feſtinationem & timorem fecit: quia fortaſſe cultellum ferreum ad manum non habuit. Item non obſtat locus Ioſuë 5. vbi Deus dixit ad Ioſuë *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſraël*, quia ſolùm in iſto caſu ſeruatum eſt, & poſtea minimè, quia præceptum illud tantùm pro illo caſu obligauit.

Circumciſio non habebat locum, nec templum deſignatum in quo fieret, vt conſtat ex Gen. 17. vnde Abraham primam Circumciſionē in domo ſua celebrauit. Sephora circumcidit filium ſuum in diuerſorio. Ioſuë circumcidit populum in Galgalis. Ioannes Baptiſta in domo patris Zachariæ circūciſus eſt. Et Chriſtus Dominus in ciuitate Bethleem. Deniq; circa hoc nihil peculiare inuenitur ſcriptū.

Circumciſio danda erat octauo die, & antea data nō erat Sacramentum. Ratio eſt, quia octauus dies non ſolùm erat de neceſſitate præcepti, ſed etiam Sacramenti: vnde octauus dies nō poterat præueniri etiam imminenti periculo mortis. Quamuis probabiliter poſſit dici præuentionem octaui diei fuiſſe tantùm de præcepto, & non fuiſſe de neceſſitate Sacramenti, ita vt ſi præueniretur, non eſſet validum, etiamſi miniſter peccaret illud dando. Octauus tamen dies nō ita fuit de neceſſitate Sacramenti, quin Circumciſio data poſt illum diem eſſet verum Sacramentum, quod eſt certum ex omnium Theologorum ſententia. Vnde Abraham ſenex, & Iſmaël tredecim annorum & omnes viri domus eius, infantes & adulti, cuiuſcumque ætatis eſſent, dummodo octauum diem attigiſſent, circumciſi ſunt. Item nec ita fuit de neceſſitate præcepti, quin ex legitima cauſa poſſet abſque peccato differri, v.g. propter ægritudinem, vel aliud periculum. Vnde populus Iſraël in deſerto multo tempore fuit ſine vſu Circumciſionis, quia propter continuum iter, non poterat communiter fieri ſine multorum periculo, vt colligitur ex Ioſuë 5. Tamen non erat cauſa ſufficiēs ad differendam Circumciſionē, quod dies octauus in Sabbatum incideret; quia vna lex cum altera nō pugnabat, nec per Sacramenti vſum poterat Sabbatū violari. Porrò diem octauum deſignauit Dominus ad Circumciſionem: quia ante illum diem propter ætatis teneritudinem, non poſſent infantes ſine periculo circumcidi. Tamen non debebat vltra differri, ne nimium obduraretur caro & dolor eſſet vehementior. Item, quia per octauum diem ſignificatur dies reſurrectionis, in quo omni vetuſtate exutâ, natura noſtra perfectè renouabitur, & mortalitate prorſus expoliabitur. Et ſic Chriſtus die Dominica, quæ eſt octaua poſt hebdomadam completam reſurrexit, & omnes homines poſt ſeptimam mundi ætatem, in octaua reſurrecturi ſunt, quia per octauam diem perfectio gratiæ & gloriæ deſignatur. Ita D. Thomas *3.part.q.70.art.3.ad 1.2. &* Suarez, Syluius *ibidem*, & alij.

D. Thom. Suarez. Syluius.

5. Nullus miniſter Circumciſionis deſignatus fuit in lege, ſed poterat eſſe quandoque vir, quandoque fœmina, nam Gen. 17. ſolùm dicitur, *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum & circumcidetis carnem præputij veſtri.* Vnde legimus Abraham interdum feciſſe Circumciſionem, & interdum Sephoram, vt conſtat ex Exod. 4. Item probabile eſt fieri poſſe adultum circumcidere ſeipſum; & ſic Abraham ſeipſum circumcidit, vt conſtat ex Geneſ. 17. quamuis de nullo alio id legatur. Item poterat dari non ſolùm à iuſto, ſed etiam à prauo miniſtro, nec ſolùm à fideli, ſed etiam ab infideli, etiam quoad veram rationem Sacramenti, dummodo fuerit cum intentione conſecrandi puerum, ſeu hominem circumciſum Deo, ſeu faciendi quod Deus inſtituit, vel quod faciebant Iudæi.

Ritus imponendi nomē in Circumciſione per ſe pertinebat ad patrē, cùm ſit caput mulieris & præcipuus in generatione filiorum, ſicut enim ad eum præcipuè ſpectat eorum gubernatio, ita & nominis impoſitio. Tamen interdum poterat mater nomen eligere, ſeu imponere, patre non repugnante, ſed potius conſentiente, vt conſtat de Rebecca, & Lia. Geneſ. 29. & 30.

An autem Circumciſio cōferebat gratiam iuſtificantem?

Digitized by Google

ficantem ; diximus *tom. 1. verb. Sacramentum, n. num. 7.*

CIRCVMSTANTIA.

SVMMARIVM.

1 *Omnis circumſtantia mala volita ab operante aliquem actum bonum ex ſe, ſeu indifferentem, reddit illum actum malum.*
Omnis circumſtantia bona volita ab operante actum bonum, reddit illum meliorem & magis meritorium.
Omnis circumſtantia mala, volita ab operante aliquem actum ex ſe malum, immutat eum quoad malitiam vno ex tribus modis.

2 *Quamuis de fide ſit circumſtantias mutantes ſpeciem peccati eſſe de neceſſitate aperiendas in Confeſſione: ex accidenti tamen poſſunt aliquando reticeri.*

3 *Circumſtantiæ mutantes ſpeciem peccati externæ & internæ, ſunt neceſſariò in Confeſſione aperiendæ: & hoc eſt etiam de fide, vt vult Tridentinum.*

4 *Quomodo circumſtantiæ peccatorum mutantes ſpeciem ſint confitendæ.*

5 *Qui indiguè adminiſtrauit Sacramentum aliquod, non tenetur dictum Sacramentum explicare: nec peccata cum quibus miniſtrauit.*

6 *In ignorantia aliquorum præceptorum Decalogi, explicari debet, cuius præcepti fuerit ignorantia: ſecùs verò in ignorantia myſteriorum fidei.*

7 *Quando ignorantia ſit confitenda.*

8 *Circumſtantia finis malè mortaliter, habentis diuerſam malitiam ab obiecto, explicari debet in Confeſſione: ſecus ſi finis ſit tantum peccatum veniale, vel nullum.*

9 *Diuturnitas voluntariæ retentionis rei alienæ, non eſt neceſſariò in Confeſſione aperienda, modò adſit propoſitum reſtituendi.*

1. CIrcumſtantiæ, quædam bonæ, quædam malæ ſunt, & quidem poteſt circumſtantia mala circumſtare actum bonum, & circumſtantia bona actum malum ex ſuo obiecto & genere, & ſimiliter circumſtantia bona circumſtare actum bonum illumque reddere meliorem.

Omnis circumſtantia mala volita ab operante aliquem actum bonum ex ſe & obiecto ſuo, ſeu indifferentem, reddit illum actum malum: quia bonum non niſi ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu. Nulla autem circumſtantia ex ſe bona, volita ab operante actum malum ex ſuo obiecto, reddit illum actum bonum ſimpliciter; quamuis enim minuat malitiam actus, aliquando parum, aliquando multum; nunquam tamen ex obiecto reddit illum actum bonum, quia alioqui eſſet & non eſſet bonus ex obiecto, quod implicat: & ſimiliter nunquam ita reddit illum actum bonum, vt excuſet omninò à culpa mortali, vel veniali, iuxta grauitatem, aut leuitatem materiæ ipſius actus.

Omnis circumſtantia bona volita ab operante actum ex ſe & ex obiecto bonum, reddit illum meliorem, & magis meritorium, v. g. dare eleemoſynam pauperi, eſt actus bonus & charitatis: dare autem Clerico pauperi, eſt actus melior cæteris paribus, ratione circumſtantiæ perſonæ.

Omnis circumſtantia mala, volita ab operante aliquem actum ex ſe malum immutat eum quoad malitiam aliquo ex his tribus modis. *Primò*, vel addendo aliquam malitiam ſpecie diſtinctam à priori malitia manente in eodem actu : vt cùm quis vult occidere Clericum, vel furari rem ſacram, vel fornicari cum coniugata ; occiſio iniuſta & furtum, ſunt peccata contra iuſtitiam, & fornicatio contra temperantiam, & tamen circumſtantia rei ſacræ in furto, & perſonæ ſacræ in homicidio, & circumſtantia matrimonij in fornicatione, manente priori malitiâ in actu furti, homicidij & intemperantiæ, addit aliam malitiam ſpecie diſtinctam, nempe ſacrilegij aduerſus virtutem Religionis ratione rei ſacræ & perſonæ ſacræ, & malitiam adulterij in fornicatione cum coniugata, ratione matrimonij, quæ diſtinguitur ſpecie à malitia intemperantiæ cum ſoluta. *Secundò*, vel mutando priorem malitiam in aliam ſpeciem grauiorem: vt cùm ſolutus peccat ſemel cum ſoluta, iterum cum coniugata, iterum cum habente votum caſtitatis: in ſecundo & tertio caſu circumſtantia matrimonij & voti mutant peccatum intemperantiæ in alias ſpecies grauiores adulterij & ſacrilegij. *Tertiò*, vel ſolum augendo priorem malitiam, aliquando parum, aliquando multum, ſemper tamen intra eandem ſpeciem, vt cùm quis furatur ſemel decem, iterũ quindecim, iterum mille; maior enim quantitas reſpectu minoris auget peccatum, & minor reſpectu maioris minuit, ſemper tamen intra eandem ſpeciem furti. Ita communiter Doctores.

2. Licet de fide ſit circumſtantias mutantes ſpeciem peccati eſſe neceſſariò confitendas in ſacramentali Confeſſione, vt definitur in Conc. Trident. *ſeſſ. 14. can. 7. de Sacram. pœnit.* Sæpe tamen fit ex accidenti, non eſſe neceſſarium has omnes circumſtantias dicere. Nam quando pœnitens eſt Sacerdos, vel religioſus, vel ſacris ordinibus initiatus, licet committat ſacrilegium fornicando ratione voti quod violat, ſi Confeſſor optimè eum agnoſcit eſſe Sacerdotem, aut religioſum, vel ſacris ordinibus initiatum, non opus eſt dicere in Confeſſione, ſe ſacrilegium commiſiſſe fornicando, ſed ſatis eſt dicere, ſe fornicatum fuiſſe toties vel toties. Ita Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4. concl. 7. in octauo argumento propè finem.* Conc. Trid. Sotus.

Similiter, ſi quis occidit Clericum, putans eſſe laicum, aut cognouit fœminam ignorans eſſe coniugatam, & bonâ fide putans eſſe ſolutam, ſatis eſt, ſi confiteatur ſe hominem occidiſſe, & ſolutam cognouiſſe, tacendo circumſtantiam Clerici, & circumſtantiam coniugij; quia bona fides & ignorantia excuſauit ab adulterio & à ſacrilegio, non tamen excuſauit à peccato abſolutè.

3. Concilium Tridentinum in dicta *ſeſſione 14. cap. 5. & Canone 7.* voluit definire non ſolùm circumſtantias externas, ſed etiam internas diuerſas ſpecie neceſſariò eſſe in Confeſſione explicandas: nam dicto capite quinto de pœnitentia ita ait: *Verùm cum omnia mortalia etiam cogitationis conſitenda ſint*, &c. & cùm in canone 7. vbi rem de fide definiuit, loquatur abſolutè de mortalibus, & de circumſtantijs mutantibus ſpeciem peccati, & non addat illud verbum, *etiam cogitationis*; tamen doctrina Canonis tota deſumpta eſt ex hoc capite quinto: vnde ſatis colligitur mens Concilij ex ſententia omnium Theologorum, quatenus affirmant abſolutè omnes circumſtantias mutantes ſpeciem peccati, eſſe de neceſſitate Confeſſionis, & non diſtinguunt de circumſtantijs internis, aut externis. Ratio autem ob quam Concilium definiuit has circumſtantias eſſe de neceſſitate Confeſſionis, æquè militat in circumſtantijs internis atque externis: nam Confeſſarius eſt iudex, qui in cauſa pœnitentis non poteſt æquam ferre ſententiam abſque manifeſtatione circumſtantiæ, quæ mutat ſpeciem peccati, quæ quidem ratio æquè militat in omnibus circumſtantijs internis, & externis.

Tum quia peccatum externum & internum habent eandem malitiam participatam ab eodem obiecto; propterea videtur eadem ratio de vno atque de alio neceſſario eſſe confitendum, vt definitum eſt de fide.

4. Quia difficultas eſt in dignoſcendis peccatis circumſtantijs diuerſæ ſpeciei, & plerumque nec docti homines illas diſtinguere poſſunt, ſufficit confiteri eas, quæ communiter notæ ſunt, vel per ſe, vel per diuerſitatem præceptorum, aut virtutum, quæ notæ ſunt, & ſæpe non opus erit, quòd pœnitentes dicant peccata quæ commiſerunt, eſſe talis vel talis ſpeciei, ſed ſatis erit actum clarè enarrare, provt factus eſt, & deinde Confeſſoris erit iudicare quale peccatum ſit, quòd ſi Confeſſarius diſtinctionem tunc ignorauerit, ipſi ſoli imputabitur ad culpam, ſi eius ignorantia fuerit craſſa: nam ſi id accidat ob rei perplexitatem, poterit eſſe error inculpabilis, ſed quacumque ratione id accidat, pœnitens ſuæ obligationi ſatisfecit. Ita Suarez *tom. 4. de pœnitent. diſp. 22. ſect. 2 num. 5.* Suarez. Denique hac regula dignoſcitur circumſtantia ſpeciem mutans, ſi tranſfert peccatum ex materia vnius virtutis in materiam alterius, facitque vt actus non ſolùm opponatur vni, ſed & alteri virtuti, tunc mutat ſpeciem: ſi verò relinquit actum intra materiam eiuſdem virtutis, non mutat; quamuis peccatum in eadem ſpecie aggrauet.

5. Poſitâ probabilitate ſententiæ affirmantis circumſtantias aggrauantes, atque augentes peccatum intra eandem ſpeciem, in Confeſſione neceſſariò non eſſe explicandas, provt tenent Doctores *tomo primò, huius ſummæ citati verb. circumſtantia, num. 3.* ſequentes propoſitiones ponimus ibi prætermiſſas.

Qui indignè cum conſcientiæ peccati mortalis adminiſtrauit Sacramentum aliquod, non tenetur dictum Sacramentũ in Confeſſione explicare, verbi gratia, ſi fuerit Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, &c. ſed ſufficit dicere, ſe miniſtraſſe Sacramentum in peccato mortali. Ratio eſt, quia illæ indignæ adminiſtrationes Sacramentorum diuerſorum non differunt ſpecie, ſed opponuntur eidem virtuti, nempe Religioni. Idem dicendum eſt, quando miniſter eſſet multis & grauibus irretitus peccatis. Non enim in tali caſu ſpeciem & numerum peccatorum, cum quibus Sacramentum miniſtrauit opus eſt explicare, ſed ſufficit dicere, ſe Sacramentum cum lethali peccato ſemel vel toties miniſtraſſe. Ita Diana *part. 1. tract. 7 reſol. 59. & part. 5. tract. 14. reſol. 56.* contra Ioan. de la Cruz *in direct. p. 2. q. 4. dub. 3. concl. 3.* Diana. De la Cruz.

6. Ignorantia myſteriorum fidei eſt ſpeciale peccatum oppoſitum illi veritati, quæ in tali rerum cognitione conſiſtit. Ignorantia verò eorum, quorum cognitio in ordine ad opus præcipitur, vt ſcire Decalogi præcepta, & an ſit dies ieiunij, aut Feſti; non conſtituit ſpeciale peccatum, ſed multiplex, & multiplici præcepto, & virtuti oppoſitum: nimirum, illi præcepto cuius eſt tranſgreſſio, aut tranſgreſſionis periculum ex illa ignorantia: & illi virtuti, ad quam obſeruatio illius præcepti pertinet. Vt culpabilis ignorantia diei ieiunij, præcepto ieiunij, & virtuti abſtinentiæ.

Hinc deducitur in ordine ad Confeſſionem eſſe neceſſarium explicare cuius præcepti Decalogi fuerit ignorantia, ſecus verò in ignorantia myſteriorum fidei. Ratio eſt ex diuerſitate præceptorum Decalogi, vel Eccleſiæ, eò quòd ita vincibiliter ignorans exponit ſe periculo admittendi peccata ſpecie diuerſa ſecundùm præceptorum diuerſitatem, etiamſi peccata illa non admittat. At verò ignorans vincibiliter myſteria fidei, non ſe exponit periculo committendi peccata ſpecie diuerſa, iuxta diuerſitatem myſteriorum, ſed ſemper peccatum eſt eiuſdem ſpeciei, cuiuſcumque myſterij ſit ignorantia: quia opponitur eidem præcepto, ac virtuti: vnde infertur ignorantem vincibiliter plures articulos fidei, non committere plura peccata ſpecie diſtincta, ſecus verò ſi ignoret plura præcepta Decalogi, vel Eccleſiæ. Ita Vaſquez 1. 2. *diſp. 119. cap. 2. & 3.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 12 q. 5.* Sanchez *lib. 1. moral. cap. 17. num. 11 & 12.* Vaſquez. Azorius. Sanchez.

7. Non eſt neceſſarium in Confeſſione explicare, ſi quis peccauit ſcienter, an ignorantiâ culpabili: quia eiuſdem rationis ſunt peccata, ſiue interna, ſiue externa, cum ignorantia culpabili commiſſa, cum peccatis ſcienter admiſſis, licet ſcientia illa aggrauet: explicanda eſt tamen aliquando circumſtantia ignorantiæ vincibilis in ordine ad cenſuras; quia ab illis excuſat. Idem dicendum eſt, quando ea ignorantia mortaliter vincibilis excuſaret à mortali tranſgreſſione humani præcepti; nam in tali caſu neceſſe erit ignorantiam explicare, quia quamlibet circumſtantiam ita minuentem, quæ ex mortali efficiat veniale, neceſſarium eſt explicare. Quando autem ignorantia eſt affectata, & ignorans ille exponitur periculo admittendi alia peccata, ratione illius, ſiue affectetur ad finem liberiùs peccandi, ſiue ad alios fines, & aduertit ad id periculum, tenetur eam ignorantiæ circumſtantiam fateri; quia mutat ſpeciem: tot enim peccata illo committit quot committendi periculo ſe exponit. Vt ſi v. g. velit fœminam cognoſcere, affectet ignorare, quænam ſit illa, vel vt liberiùs peccet, vel ne eius culpa ita grauis ſit: hic enim in tali caſu exponitur periculo inceſtus, adulterij, ſacrilegij, &c. Si autem ei periculo non exponatur, quia nouit fœminam alio ſtatu præter coniugæ carere, & an hunc habeat, affectat ignorare: vel affectat ignorare aliam rem, in qua non eſt aliud præter peccati determinati periculum; tunc ſi ignorantia non affectetur ad liberiùs peccandum, non eſt neceſſe illam explicare, quia non aggrauat, ſed minuit culpam; ſi verò ſit ad finem liberiùs peccandi, notabiliter aggrauat. Et ita in ſententia eorum, qui tenent circumſtantias notabiliter aggrauantes eſſe neceſſariò explicandas, dicendum eſt hanc circumſtantiam fatendam eſſe; qui verò contrarium cenſent, dicunt illam fatendam non eſſe; quia intra eandem ſpeciem tantùm notabiliter aggrauat. Ita Sanchez *lib. 1. moral. cap. 17. num. 23.* Suarez *tom. 4. de pœnitent. diſp. 22. ſect. 4. num. 14.* Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 35.* Sanchez. Suarez. Diana.

8. Circumſtantia finis mali, habentis diuerſam malitiam ab obiecto actus, explicari debet in Confeſſione: quòd addit actui nouam malitiam. Vnde qui furatur propter fornicandum, non ſolùm tenetur confiteri furtum, ſed etiam circumſtantiam praui finis. In Confeſſione autem ſufficit, ſi pœnitens dicat, Furatus ſum; & poſtea ſubiungat, habui intentionem fornicandi. Ratio eſt, quia malitia, quæ in furto deſumitur, à fornicatione, ad quam ordinatur, non eſt alia ab ea, quæ reperitur in intentione fornicationis: ſimiliter malitia furti, quæ reperitur in intentione fornicationis, non eſt diuerſa à malitia ipſius furti ſecundùm ſe. Ergo qui confitetur furtum & fornicationem, etiamſi non explicet ſe ordinaſſe vnum ad aliud, ſufficienter explicat ſuum ſtatum, ergo ad aliud non tenetur. Notandum eſt tamen, quòd circumſtantia finis tunc eſt explicanda, quando quis peccando, intendit finem aliquem qui continet malitiam mortalem: ſecus ſi finis ſit tantum veniale peccatum, vel nul-

lum.

Nauarrus, Pagund. Coninck, Angelus.

lum. Ita Nauarrus *in Man. cap. 6. num. 4.* Fagundez *præcept. 2. lib. 4. cap. 5 num. 10.* Coninck *de Sacrament. diſp. 7. dub. 4. num. 14.* Angelus *verb. Interrogatio. §. 6.*

9. Diuturnitas voluntariæ retentionis de re aliena, non eſt neceſſariò in Confeſſione aperienda: quia eſt tantùm circumſtantia aggrauans intra eandem ſpeciem. Vnde pœnitens in Confeſſione ſatisfacit tantum ſe accuſando non reſtituiſſe rem alienam; nec interrogandus eſt de tempore & diuturnitate retentionis, vel de numero peccatorum, quæ aliqui in tali diuturnitate committi putant, dummodo rem propoſuerit reſtituere; at ſi poſtea mutato animo determinauerit amplius reſtitutionem non facere, teneretur hanc circumſtantiam explicare, quia eſt nouum peccatum. Ita Diana *p. . tract. 7. reſol. 58.* ex parte. Apud quem plura de circumſtantijs toto tractatu ſeptimo.

Diana.

Vide v. Debitum coniugale 1. *num.* 8. Furtum *num.* 19. Iactantia *num.* 2. Reliquiæ Sanctorum *num.* 14. Sacrilegium *num.* 1. 2. & 3.

CLAVIS.

SVMMARIVM.

1 *Clauis materialis & clauis ſpiritualis quid ſint.*

2 *Poteſtas remittendi peccata dicitur clauis regni cœlorum & non inferni.*

3 *De fide eſt Chriſtum Dominum reliquiſſe paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem ſupernaturalem ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa.*

4 *Actus clauium in ordine ad forum conſcientiæ, ſunt aperire & claudere, ſoluere & ligare, remittere & retinere: & hi actus ſunt iudiciales.*

5 *Clauis, ſeu poteſtas ordinis & iuriſdictionis ſunt reipſa diſtincta.*

6 *Primarius effectus clauium eſt remittere peccatum quoad culpam & quoad pœnam æternam, & præterea quoad temporalem iuxta diſpoſitionem pœnitentis.*

7 *Clauium poteſtas ad ligandum duobus modis retinet peccata, proximè ſcilicet & remotè: & non ſolùm mortalia, ſed etiam venialia, licet diuerſo modo. Et non ſolum confeſſa, ſed etiam oblita, ſiue ordine ad voluntatem pœnitentis.*

1. CLauis materialis eſt inſtrumentum per quod quis poteſt oſtium clauſum reſerare, & reſeratum claudere. Spiritualiter autem & tranſſumptiuè inde dicitur clauis Eccleſiæ, quæ ſecundùm communem doctrinam Theologorum *in 3. ſentent. diſtinct.* 18. ſic diffinitur. Clauis Eccleſiæ *eſt poteſtas ligandi atque ſoluendi, quâ Iudex Eccleſiaſticus dignos recipere, & indignos excludere debet à regno.* Eſt enim hæc clauis veluti facultas quædam ad aperiendum & claudendum; & inde tranſlata eſt hæc vox ad ſignificandam poteſtatem Eccleſiaſticam ordinatam ad regendas & diſponendas animas, vt regnum cœlorum conſequantur: & ſic dicitur ipſe Chriſtus *Apocalyp.* 3. habere clauem Dauid. Pro quo ſciendum eſt, quòd triplex eſt clauis. *Prima* eſt auctoritatis, quam ſolus Deus habet, qui ſolus actoritatiuè aperit cœlum relaxando peccata. *Secunda* excellentiæ, quam habet ſolus Chriſtus, in quantum homo, qui ſolus ſua paſſione cœlum aperuit, tollens impedimentum naturæ. *Tertia* eſt miniſterialis, quam habet ſolus Sacerdos, qui ſolus miniſterialiter & diſpoſitiuè peccatum remittit, & gratiam tribuit. Hinc per claues ſignificatur poteſtas remittendi peccata fidelium per Sacramentum Baptiſmi renatorum in foro conſcientiæ. Dicitur, renatorum, ad diſtinctionem poteſtatis remittendi peccata per Baptiſmum, per quam peccata ante regenerationem commiſſa remittuntur; per hanc autem illa quæ poſt regenerationem commiſſa ſunt.

2. Poteſtas ad remittenda peccata dicitur clauis regni cœlorum, & non inferni: quia quod per ſe intenditur per hanc poteſtatem eſt apertio regni cœlorum: vnde hoc tantùm fit directè per ſe, ac poſitiuè per illam: claudere autem regnum cœlorum, ſolùm fit priuatiuè non aperiendo, idque quaſi præter intentionem, ad hoc cogente malitia ipſâ peccatoris. Et ſicut poteſtas Eccleſiaſtica multiplex eſt, ita etiam metaphora clauis variè accipi poteſt: quia verò hæc dicitur eſſe, non quæcumque, ſed regni cœlorum, ideò ex varia ſignificatione, vel acceptione regni cœlorum, etiam metaphora clauis, diuerſam ſignificationem habet. Sed clauis verò alijs ſignificationibus, Regnum cœlorum, in omni proprietate & rigore ſignificat Eccleſiam triumphantem, ſeu æternam beatitudinem; quæ clauditur homini per peccatum mortale; aperitur autem per remiſſionem eiuſdem peccati, & ideò poteſtas retinendi vel remittendi hæc peccata, optimè per metaphoram clauis regni cœlorum ſignificatur: quia clauis eſt poteſtas, ſeu facultas quædam, cuius actus ſunt aperire & claudere.

3. De fide eſt Chriſtum Dominum reliquiſſe paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem ſupernaturalem ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa. Probatur ex Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Et Ioan. 20. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et 2. Corinth. 5. vbi Paulus: *Poſuit*, inquit, *in nobis miniſterium reconciliationis.* Ex quibus Scripturæ locis, niſi vim literæ inferrent hæretici, euidentiſſimè colligere poſſent Eccleſiæ datam eſſe poteſtatem aliquam miniſterialem, ad ſoluenda animæ vincula, adeoque ad remittenda peccata, præter illam quæ eſt ad baptizandum & baptiſmo ſoluenda remittendaque peccata, vel illam, quæ eſt ad prædicandum Euangelium, remiſſionemque peccatorum. Si enim poteſtas ſoluendi & remittendi peccata his locis illa tantùm intelligenda eſt, quâ per Baptiſmi miniſtrationem peccata ſoluuntur & remittuntur, vt volunt hæretici, quomodo per eiuſmodi poteſtatem dicit Chriſtus, Quæcumque ſolui vincula, & quorumuis remitti peccata; cùm certum ſit, per Baptiſmum non ſolui niſi peccata ante Baptiſmum commiſſa, nec committi niſi ea quæ necdum renati perpetrarunt? Aliàs ſi per Baptiſmum horum etiam peccatorum daretur remiſſio, ſequeretur quòd peccata priùs eſſent remiſſa, quàm commiſſa, quod eſt abſurdiſſimum. Ergo eſt in Eccleſia aliqua alia poteſtas miniſterialis remittendi peccata poſt regenerationem baptiſmalem commiſſa, ad hoc vt verba Chriſti omninò vera ſint, dicentis vniuerſaliter. *Quæcumque ſolueritis, & quorumcumque remiſeritis, &c.*

Confirmatur hæc veritas Catholica ex 2. *Cor.* 5. vbi Apoſtolus manifeſtè docet, ſibi miniſterium aliquod reconciliationis commiſſum ad reconci-

landos eos, qui post Baptismum Deum offenderunt, quos ibidem, non autem necdum Baptizatos, hortatur ad reconciliationem. Hoc autem ministerium constare aliqua potestate, præter potestatem prædicandi remissionem peccatorum ex allegatis luce meridiana clarius est. Quia potestas prædicandi non est potestas iudiciaria, sed potestas de qua fit mentio in prælegatis scripturæ locis, est iudiciaria, ergo est alia à potestate prædicandi: quia potestas prædicandi quatenus est speciale quoddam ius datum Ecclesiæ à Christo Domino ad propagandum Euangelium, propriis & distinctis verbis data est ab illo Matth. vltim. & Marci vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Denique hæc assertio est de fide definita in Concilio Constantiens. *sess.* 8. & 15. & in Lateranenti *in cap. Firmiter. de Summa Trinitate*, & in Florent. in literis vnionis sub nomine clauium: expressiùs verò in Tridentino *sess.* 14 *cap.* 1. *can.* 1. Si quis *dixerit, verba illa Saluatoris: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt; non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hunc Sacramenti, ad authoritatem prædicandi Euangelium; anathema sit.* Conc. Const. Lateran. Florentin. Trident.

4. Actus istarum clauium in ordine ad forum conscientiæ, sunt aperire & claudere, soluere & ligare, remittere & retinere: quibus verbis non tam diuersi actus exprimuntur, quàm diuersæ rationes eorundem actuum, imò eiusdem actus explicantur; eodem enim actu soluitur quis & ligatur; soluitur quidem, dum culpa cum pœna æterna potestate clauium tollitur; & ligatur, dum pœna temporalis pro peccato relinquitur; quamuis dum pœna aliqua satisfactoria pro peccato in foro pœnitentiali imponitur, diuersò actu tunc soluatur & ligetur. Clauibus etiam in ordine ad forum seu regimen externum, similes actus portionaliter attribuuntur & conueniunt. Qui omnes actus clauium, tam in foro interno, quàm externo certum est esse iudiciales ex ipsa natura, ipsoque nomine actuum. Et quidem de clauium actibus, quoad forum Sacramentale pœnitentiæ, definitur in Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *can.* 9. esse iudiciales actus. *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi, remissa esse peccata confitenti; modò tantùm credat se esse absolutum; aut Sacerdos non seriò, & ieco absoluat; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, vt Sacerdos eum absoluere possit; anathema sit.* Et hoc constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ semper intellexit Christum Dominum constituisse in Ecclesia sua quoddam tribunal, & reliquisse iudices, apud quos peccatorum & conscientiarum causæ tractarentur: Ita Suarez *tom.* 4. *disp.* 16. *sect.* 1. & alij. Conc. Trid. Suarez.

5. Clauis seu potestas ordinis & iurisdictionis, sunt reipsâ distinctæ. Ratio est, quia potestas ordinis potest dari sine iurisdictione, & vice versâ: hoc autem est signum realis distinctionis, ergo. Item potestas iurisdictionis datur ab homine, quatenus est in omnibus inferioribus Summo Pontifice: nam in illo non est per iniunctionem hominis, sed immediatè à Christo; quamuis enim Summus Pontifex eligatur ab hominibus, & ante illam electionem iurisdictionem non habeat, nihilominus illam non recipit ab electoribus, sed à Christo facta legitima electione. Apostoli verò illam acceperunt etiam immediatè à Christo Domino, non iure ordinario, quod fuit proprium Petri, sed iure quasi delegationis & Apostolatus. De quo vide Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 16. *sect.* 3. & quæ diximus *tom.* 1. *verb. Confessarius* 1. *n.* 4. & 5. Suarez.

6. Proprius, primarius ac per se effectus clauium est remittere peccatum quoad culpam, & cõsequenter etiam quoad pœnam æternam, & præterea quoad temporalem, iuxta dispositionem pœnitentis. Primam partem tenent communiter Theologi *in* 4. *dist.* 18. Fundamentum primum & præcipuum est Verbum Christi Domini, Ioann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Quæ verba intelligenda sunt de remissione peccati quoad culpam; nam remissio peccati, simpliciter & absolutè dicta, sonat remissionem culpæ; nam remissio solius pœnæ solum est remissio peccati secundùm quid. Probatur insuper ex traditione Ecclesiæ & doctrina Conciliorum, præsertim Florentini in literis vnionis, & Constantiensis in bulla Martini V. contra errores Ioannis Hus: maximè vero Tridentini *sess.* 14. *cap.* 1. vbi ait, ex illo tam insigni facto, & perspicuis verbis constare Christum *dedisse Apostolis potestatem reconciliandi homines cum Deo.* Secunda pars etiam probatur; quia pœna æterna numquam remittitur per se primò ipsa sola, sed simul cum culpa, tanquam necessariò cum illa coniuncta & ab illa dependens, quantùm ad æternitatem: quod manifestè docuit Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 14. Tertia denique pars non indiget probatione, quia circa illam nulla est dissentio inter Doctores. Conc. Trid.

7. Clauium potestas ad ligandum duobus modis retinet peccata, vno modo proximè & iudicialiter; alio modo remotè & per solam negationem remissionis, qualis est circa peccata etiam non confessa; & vterque modus est verus, & virtute contentus in verbis Christi, maximè propter potestatem retinendi.

Hæc autem potestas clauium non solùm mortalia, sed etiam venialia, licet diuerso modo retinere potest: mortalia quidem propriè, venialia verò consecutione tantùm. Ratio est, quia potestas per se primò data est, propter peccata mortalia, extenditur verò ad venialia veluti consecutione quadam, & vtrisque accommodatur modo illis proportionato.

Item non solùm peccata confessa, sed etiam oblita, sine ordine ad voluntatem pœnitentis retinere potest. Contrarium enim est contra vim Verborum Christi; quia non dixit, accipite potestatem remittendi vel retinendi peccata, quæ ipsi peccatores voluerint, sed simpliciter remittendi & retinendi peccata, ergo addendo illam limitationem derogatur verbis Christi, & potestati ministrorum eius, quorum iudicio & arbitrio res commissa est, non liberæ voluntati peccantium. De his plura apud Suarez *tom.* 4. *disp.* 17. *sect.* 2. Suarez.

CLAVSVLA.

SVMMARIVM.

1 *Quid dicendum de clausula generali posita post casus requirentes speciale mandatum.*
2 *De clausula posita in principio, in medio seu fine dispositionis quid operetur.*
3 *Effectus clausula*, supplices omnes & singulos defectus.
4 *Quid sentiendum de clausula*, prorsus eximimus ac totaliter liberamus.
5 *Quid de clausula*, Nobis & successoribus nostris canonicè intrantibus.

6 *Clausula*

6 *Clauſula*, ſublata, &c. *claudit os Iudici, & illi tollit facultatem aliter iudicandi. Maiora expreſſis non comprehendit. Non obſtat dicenti gratiam comprehendere caſum de quo agitur.*

7 *Clauſula* in foro conſcientiæ, *appoſita in priuilegijs, non operatur ſuos effectus in foro exteriori.*

8 *Clauſula* motu proprio, *vim habet ſpecialis expreſſionis. Vitium ſubreptionis tollit. Iuri tertij non præiudicat.*

9 *Clauſulâ* ex certa ſcientia, *contraria omnia cenſentur ſublata. Nihil operatur in graue præiudicium tertij, ſubreptionis præiudicium non tollit, niſi quando Princeps informatus proceſſerit.*

10 *Clauſula* De plenitudine poteſtatis, *nihil oppoſui poteſt contra priuilegium, quod gratiam annullet.*

Tollit omnes ſolemnitatis defectus non prouenientes à natura, &c.

11 *Clauſula* non obſtantibus, &c. *tollit omnia, quæ diſpoſitionis obſtare poſſunt. Non auget pluſquam gratia conferat, &c.*

12 *Clauſula*, Pro expreſſis, &c. *vim habet expreſſionis individuæ cum omnibus ſuis qualitatibus, &c.*

13 *Clauſula* Decernens irritum & inane, &c. *formam inducit. Etiamſi non extendatur, ſuos operatur effectus.*

14 *Clauſula* Ex tunc, provt ex nunc. *Vis & effectus.*

15 *Clauſula* Contradictores, &c. *intelligitur de eo, qui de facto & iniuſtè contradicit.*

16 *Clauſula* Appellatione remotâ, *non ſolùm frinolas verum etiam legitimas tollit appellationes. Non impedit, quin poſſit iudex ex legitima cauſa recuſari.*

Tertij reſpectu comparentis pro ſuo intereſſe, nihil operatur. Appellationem ab interlocutoria non tollit.

17 *Per clauſulas generales in priuilegio communicationis appoſitas, non communicantur ea priuilegia, quorum communicatio à Papa concedente, prohibita fuit: quamuis contrarium ſit etiam probabile.*

18 *Non cenſetur derogatum decretis Concilij Generalis niſi expreſſa mentio fiat: his verbis*, Non obſtante aliqua lege aut conſtitutione in Concilio Generali editâ.

19 *Quomodo intelligenda Clauſula in diſpenſationibus poſita in forma pauperis, his verbis*, Qui vt ipſi aſſerunt, pauperes & miſerabiles exiſtunt, & ex ſuis laboribus & induſtria tantùm viuunt.

20 *De Clauſula*, in primis ab inuicem ſepares.

21 De pœnitentia publica, *quam Datæria præſcribit debere imponi diſpenſandis.*

22 *De Clauſula*, Quâ pœnitentiâ publicâ peractâ.

23 *De Clauſula, vt iurent ſe inceſtum non commiſiſſe ſub ſpe facilius habendæ diſpenſationem.*

24 *Quid faciendum quando diſpenſandus habet duplex impedimentum, vnum publicum, & alterum occultum infamatorium?*

25 *Quomodo examinatio veritatis precum diſpenſationis fori externi & interni fieri debeat.*

26 *Clauſula*, ad cuitanda ſcandala, *quomodo verificetur?*

1. QVia in bullis & reſcriptis Pontificijs reperiuntur quamplures Clauſulæ apponi ſolitæ, ex quibus genuina pendet eorum interpretatio, ideò de principalium Clauſularum vi & effectibus aliqua dicenda ſunt in gratiam Confeſſariorum.

Clauſula generalis poſita poſt caſus requirentes ſpeciale mandatum, continet alios ſimiles, non autem longè maiores expreſſis, *cap. Qui ad agendum, de procurat. in 6. Clementin. non poteſt, de procurat.* Sanchez *de matr. lib 2. diſp. 11 n 3.* Sanchez.

2. Clauſula in fine poſita refertur ad omnia præcedentia. Clauſula verò poſita in vna parte diſpoſitionis ſiue ponatur in principio, ſiue in medio, ſiue in fine, cenſetur referri ad omnia contenta in illa, quando omnium præcedentium eſt eadem ratio. Menochius *de præſumpt. lib. 4 præſumpt. 181. num. 2.* Menoch.

3. Clauſula, *ſupplentes omnes, & ſingulos defectus* quamuis ſuppleat omnes defectus iuris politiui: non tamen ſupplet defectus iuris naturalis: nec etiam tollit defectus ſubſtantiales; ſicut nec ſupplet defectus, qui concernunt perſonam ſupplicantis, vel contrahentis: provt nec ſupplet defectum cauſæ. Auguſt. Barboſa *de clauſul. vſufrequent. clauſul. 177.* Rodriguez *tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 8. art. 15.* Barboſa. Rodriguez.

4. Clauſula, *Prorſus eximimus, ac totaliter liberamus*, propter ſuam generalitatem, non ſolùm derogat priuilegijs priuatæ perſonæ conceſſis, ſed etiam vniuerſitati in genere vel in ſpecie, ſub quibuſcumque tenoribus, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, vel de plenitudine poteſtatis, aut per viam generalis legis, & ſtatuti perpetui: quia huiuſmodi clauſula ſic geminata excludit omnem interpretationem in contrarium; eſt enim de natura illius dictionis *prorſus*, excludere omnia & ſingula, quæ in contrarium excogitari poſſunt, *cap. ſtatutum, §. prouiſurus, de reſcript. in 6.* & docent Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 27. num. 4. in comment. lit. F.* Barboſa *de diction. vſufrequent. dict. 294.* Henriq. Barboſa.

5. Clauſula, *Nobis & ſucceſſoribus noſtris canonicè intrantibus*: tendit ad hoc, quòd licèt omnis, qui erit verus ſucceſſor talis Pontificis canonicè in Pontificatum introire dicatur: additur tamen illa particula, *canonicè intrantibus*, ad innuendum nos non debere obedire, nec ſubijci illi, qui non per oſtium, ſed aliunde intrudetur in ouile Domini. Ita Peirynus *in priuileg. Ordin. Minimor. Conſtitut. 2. Sixti IV. §. 9. num. 11.* Peirynus.

6. Clauſula *ſublata, &c.* claudit os Iudici, & illi tollit facultatem aliter iudicandi; ita vt pars, quæ venit contra literalem bullæ vel reſcripti intellectũ audiri non valeat, niſi obtentâ ab ipſomet Summo Pontifice, in ſignatura gratiæ, oris apertione. In tantum vt ſi iudex contrarium faciat, vlteriùs procedendo, proceſſus exinde factus eſt ipſo iure nullus. Intellige hanc clauſulam prædictum ſuum effectum operari, poſtquam fuerit cognitum intrare, diſpoſitionem, vt ait Rota *deciſ. 423. num 5 part. 2. recent.* quia aliàs nihil operatur, quando & in quibus priuilegium, eâ munitum, non intrat. Eſt enim hæc clauſula tantæ efficaciæ, tamque parti præiudicialis, vt non ſe extendat vltra limites principalis diſpoſitionis, nec compregendat maiora expreſſis. Et ideò non obſtat dicenti, gratiam non comprehendere caſum de quo agitur; nam per huiuſmodi clauſulam minimè impediri poterit, quominùs iudex poſſit videre de comprehentione. Ita Barboſa *de Clauſul. vſufrequent. clauſul. 195.* Garzias *de benef. p. 6. cap. 3. num. 84. & ſequent.* Rota. Barboſa. Garzias.

7. Clauſula *in foro conſcientiæ*, ſecundùm aliquos Doctores grauiſſimos poſita in conceſſionibus & priuilegijs concedentibus abſolutionem cenſurarum & diſpenſationem irregularitatum, operatur

ſuos

ſuos effectus in exteriori etiam foro, ita vt ſic abſoluti virtute priuilegij à benigno iudice admittendi ſint, vt benignè abſoluti etiam pro foro exteriori. Henriq. Ita Henriquez *lib. 7. cap. 13. §. 2. lit. V. & lib. 14. cap. 20. §. 1.* & alij. Verùm contraria ſententia meritò ſuſtinetur ab aliis: vnde abſolutus quoad forum conſcientiæ, licet de abſolutione conſtet, indiget alia abſolutione pro foro exteriori, vt ſcilicet ab alijs pro abſoluto, ſeu diſpenſato habeatur: ac proinde priuilegium ſeu conceſſio pro foro conſcientiæ, minimè prodeſt in foro exteriori: vnde ſemper remanet ſaluum ius apud Superiorem cognoſcendi de illo delicto in foro exteriori, & de eo pœnam & ſatisfactionem imponendi, & talis abſolutio in foro conſcientiæ non tollit ius tertij: poteſt tamen iudex ratam habere talem abſolutionem in ſuo foro, & nouam non concedere modò probetur ſufficienter fuiſſe datam ab eo qui poterat dare virtute priuilegij Apoſtolici pro foro conſcientiæ. Et ſic intelligendi ſunt Doctores primæ ſententiæ, quos citauimus *tom. 1. verb. Abſolutio, n. 24.*

8. Clauſula *motu proprio* habet vim ſpecialis expreſſionis: & ideò tollit vitium ſubreptionis; *cap. ſi motu proprio, de præbend. in 6. Clementin. ſi Romanus, eod. tit.* niſi ſubreptio huiuſmodi procedat ex re ipſa; vel contingat in falſæ cauſæ expreſſione; vel ſit in tacenda inhabilitate perſonæ; vel præiudicet iuri tertij, non ſolùm in re, ſed etiam ad rem: in ſupradictis enim caſibus, clauſula hæc motus proprij, non tollit vitium ſubreptionis Quod autem in præiudicium tertij non operetur hæc clauſula maximè quando non præceſſit cauſæ cognitio fuit concluſum in Rota: & ideò minimè firmat priuilegium contra ius alterius obtentum: nec operatur, vt priuilegium lite pendente habitum cum hac clauſula, nulla de lite pendente in eo facta mentione, validum ſit: De his vide Sanchez *de matr. lib. 8. diſp. 21. num. 47. & ſequent.* Sanchez. Suarez *de leg. lib. 8. cap. 12. num. 11. & ſequent.* Suarez. Barboſam *de clauſul. vſufrequent. clauſul. 79. num. 16. & ſequentibus.* Barboſa.

9. Clauſulæ, *ex certa ſcientia*, vis & effectus eſt, vt ſtante hac clauſula, contraria omnia cenſeantur ſublata, abſque alia derogatione, vel clauſula *Non obſtante*: Hæc clauſula pariter operatur, vt id, quod confirmatur, ſi non eſt ſolemne, reddatur ſolemne, ita vt det robur quoad ſolemnitatem, ſicut quoad validitatem; tollitque omne iuris obſtaculum & omnem erroris præſumptionem. In tertij graue præiudicium nihil operatur, licet in modico aliter ſe res habeat. Subreptionis etiam præiudicium non tollit hæc clauſula, niſi quando Princeps informatus proceſſerit. Nec etiam operatur in ijs, quæ in facto conſiſtunt & de quibus Princeps non præſumitur habuiſſe notitiam: & ideò nihil pariter operatur, quando opponitur ſuper negotio, de quo Princeps non habet notitiam. Ita Barboſa *de clauſul. vſufrequent. clauſul. 59. num. 12. & ſequent.* vide dicta *tom. 1. verb. Priuilegium IV. num. 1. 2. 3. & 4.* Barboſa.

10. Clauſula *de plenitudine poteſtatis*, multos & ſingulares effectus operatur; nam vbi Princeps ſcribit de plenitudine poteſtatis, nihil opponi poteſt contra priuilegium, vel quod gratiam annullet. Tollit hæc clauſula omnes defectus ſolemnitatis non prouenientes à natura, ac etiam obreptionem & ſubreptionem. In tertij verò præiudicium nihil operatur; nec derogat regulæ de iure quæſito non tollendo: nec etiam operatur, quando eâ vtens de negotio, ob quod illa vtitur, informatus non eſt. In dubio autem, vbi Princeps aliquid facit, aut concedit de plenitudine poteſtatis, præſumitur actum feciſſe cum cauſæ cognitione, & ideò ſi opponatur ſuper illicito, intelligitur de poteſtate bona & laudabili: ſicut etiam intelligitur appoſita ex iuſta cauſa: quia quæ ſine cauſa fiunt de plenitudine poteſtatis, dicuntur per illuſionem fieri de plenitudine tempeſtatis; vt tradunt Henriquez *in Summ. lib. 14. cap. 17. num. 5. lit. Z.* Barboſa *de clauſul. vſufrequent. clauſul. 41. num. 21. & ſequentibus.* Henriquez. Barboſa.

11. Clauſula *Non obſtantibus, &c.* tollit omnia, quæ diſpoſitioni, in qua eſt appoſita, obſtare poſſint: Non auget tamen, nec ampliat pluſquam gratia conferat; quia ad limites illius appoſita cenſetur; vnde prouenit illam nihil operari, ſi diſpoſitio, ſuper qua eſt appoſita, nulla exiſteret: ſubreptionis vitium non tollit.

Non ſufficit clauſula generalis, *Non obſtantibus, &c.* ad derogandum clauſulis derogatorijs derogatoriarum, niſi adderentur ſequentia verba, *Etiamſi de illo illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio, ac de verbo ad verbum facta fuiſſet.* Similiter quotieſcumque ſecundum priuilegium habet clauſulam derogatoriam cum illis verbis, *Etiamſi talia forent, de quibus mentio fieri oporteret de verbo ad verbum*, cenſeretur per illud, primum reuocatum, habens clauſulam derogatoriam derogatoriarum, ſicuti docent Menochius *de præſumptionibus lib. 6. præſumpt. 41. num. 22.* Gonzales *ad reg. 8. Cancellar. gloſſ. 26. num. 23.* Menoch. Gonzalez. Notandum autem eſt, quod Clauſula *Non obſtantibus priuilegijs, &c.* non derogat priuilegium ad pias cauſas, nec illa, quæ commiſerationis cauſa, vel publicæ vtilitatis gratia conceſſa ſunt. De his vide Barboſam *de clauſul. vſufrequent. clauſul 43. 82. & 83.* Barboſa.

12. Clauſula, *Pro expreſſis, &c.* habet vim ſpecialis & individuæ expreſſionis cum omnibus ſuis qualitatibus: eamdem vim habet clauſula *Quorum tenores, &c.* & continet inſertionem tenoris: ac proinde habet vim ſpecialis derogationis, tollitque derogatorias derogatoriarum. Non operatur tamen in præiudicium tertij de quo Princeps non intellexit: nec tollit defectum intentionis, nec operatur in ijs, quæ conſiſtunt in facto ignorato: nec tollit defectus per quos gratia eſt ſubreptitia, maximè quando appoſita eſt limitatè. Plura de his clauſulis apud Barboſam *de clauſul. vſufrequent. clauſul. 102. clauſul. 117.* Barboſa.

13. Clauſula *Decernens irritum & inane, &c.* appoſita in priuilegijs, ſeu alibi, irritat omnia, quæ in contrarium fiunt: vnde actus contra decretum irritans factus, eſt ipſo iure nullus, etiam parte non opponente, niſi actus ante illius decreti interpoſitionem plenè perfectus ſit: ligat etiam hæc clauſula ignorantes, non ſolùm ſi adſint eà verba, *vel ignoranter contigerit attentari.* Verum etiam ſi non adſint: intellige reſpectu nullitatis, non verò aliarum pœnarum. Operatur etiam hæc clauſula effectum inficiandi titulum & poſſeſſionem, quando intrat conſtitutionem, cui adhæret tanquam acceſſorium, formam inducit hæc clauſula, adeò, vt illâ non ſeruata, actus ipſo iure corruat: tollit præſcriptionem & conſuetudinem, nedum in præteritum, ſed etiam in futurum: vt docet Barboſa *de clauſul. vſufrequent. clauſul. 40.* Barboſa.

14. Clauſula *ex tunc, prout ex nunc*, operatur in priuilegijs & reſcriptis Apoſtolicis, quod vnum tempus videatur alteri ineſſe: habet enim hunc effectum, vt actus poſtea factus cenſeatur iam à principio factus: non eſt tamen retrotractiua ad diem datæ in præiudicium iuris alteri quæſiti medio tempore. Ita Barboſa *de clauſul. vſufrequent. clauſul. 61.* Barboſa.

15. Clauſula

Digitized by Google

15. Clauſula *Contradictores, &c.* intelligenda eſt de contradictore; qui de facto ſolùm, atque iniuſtè contradicit, ſecus autem ſi contradicat de iure. Per eamdem autem clauſulam datur iuriſdictio compeſcendi, non ſolùm partes moleſtantes, verùm & extraneos contradicentes de facto: nam dicta clauſula etiam extraneos comprehendit. Ita Gloſſa *in cap. pro illorum, verb. Contradictores, de prabend.* Barboſa *clauſul. 33.* Rodriguez *tom. 1. qq. regul. q. 8. art. 13.* & alij.

Barboſa. Rodrig.

16. Clauſula *Appellatione remotâ* plures effectus operatur: & *Primò*, per eam non ſolùm friuolæ, verum etiam legitimæ appellationes tolluntur: quia iura ita friuolas appellationes odio habent, quòd temerè & calumniosè appellantes puniant, *l. à Proconſulib. C. de appellat.* Cum igitur ex iuris diſpoſitione friuola appellatio remoueatur, non eſt cenſendum Summos Pontifices, volentes religionibus aliquod priuilegium concedere, nempe quod ad ſuorum indultorum & exemptionum executionem, appellatione remota procedatur friuolam, ac temerariam, ſeu calumnioſam tantùm appellationem iuribus nimis exoſam repellere voluerint, cùm priuilegium ſemper aliquid operari debeat. Ita Rodriquez *tom. 1. qq. reg. quæſt. 8. art. 14.* Peirynus *in expoſit. 7. conſtitut. Iuly 11. de priuileg. Ordin. Minimor.*

Rodrig. Peirynus.

Secundò, per eam clauſulam non impeditur, quin poſſit Iudex ex legitima cauſa recuſari. Nam non eſt præſumendum Principem voluiſſe, vt quis litiget coram iudice ſuſpecto. Et quod per remotionem appellationis, ſiue de iure, ſiue per reſcriptum, non cenſeatur remota recuſatio, docet Gloſſa *in cap. ſi autem, §. ſi quis in quacumque 2. quæſt. 6.* quam probat Panormitan. *in cap. nouit. illa, num. 3. in fine, de appellat.*

Gloſſa.

Tertiò, hæc clauſula operatur vires ſuas reſpectu partium, non autem reſpectu tertij comparentis pro ſuo intereſſe. Panormitanus *in cap. ſuper eo, de offic. delegat.*

Panormit.

Quartò, licet hæc clauſula tollat appellationem à diffinitiua; non tamen tollit ab interlocutoria: imò dicta clauſula non prohibet quin pars poſſit appellare, ſed facit, quòd Iudex nequeat talem appellationem admittere. Addit ad Panormit. *ad cap. ſuper eo, lit. B.*

Panormit.

17. Per clauſulas generales à ſede Apoſtolica in priuilegio communicationis appoſitas, non communicantur ea priuilegia, quorum communicatio à Summo Pontifice concedente prohibita fuit, ſed erit neceſſaria clauſula ſpecialis. Vt docet Suarez *de leg. l. b. 8. cap. 17. num. 8.* quamuis non improbabiliter contrarium ſentiat Rodriguez *tom. 1. qq. reg quæſt. 55. art. 17.*

Suarez. Rodrig.

18. Non cenſetur derogatum Concilij Generalis decretis, niſi expreſſa mentio fiat, his verbis. *Non obſtante aliquâ lege aut conſtitutione in Concilio Generali editâ.* Ita Nauarrus *in man. cap. 27. num. 265.* Couarruuias *4. variar. cap. 16. num. 6.* dicens totum mundum hoc amplecti. Ratio eſt, quia cùm decreta Concilij ita matura deliberatione ſancita ſint, videntur continere vim clauſulæ derogatoriæ ad alia decreta poſteriora contraria niſi de illis ſpecificam faciant mentionem. Imò ſi Concilium Generale modernum ſit, quale eſt Tridentinum, oportet etiam illius mentionem facere, nec ſufficiet generalis derogatio decretorum cuiuſcumque Concilij. Ita Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 26. n. 3.* Vualdus *in Candelab. 3. p. cap. 12. n. 22.*

Nauarrus, Couar. Henriq. Vualdus.

19. Vt promptiùs expediri poſſint difficultates quæ circa diſpenſationes per breue obtentas à Dataria in ordine ad Matrimonium contrahendum, occurrant, ſequentia notanda ſunt.

Primum. Si detur diſpenſatio in forma pauperis, his verbis, *Qui, vt ipſi aſſerunt pauperes & miſerabiles exiſtunt & ex ſuis laboribus & induſtria tantùm viuunt.* Quamuis paupertas alioqui ex qualitate perſonarum æſtimari debeat, vt tradunt Doctores in *l. Conſtante, ff. ſolut. matrim.* quòmodo nobilis habens ducenta, vel quadringenta non dicetur diues, quæ tamen ſi haberet ruſticus, cenſeretur diues, vt aiunt Maſcardus *de probat. concl. 1159. num. 14.* & Menochius *de arbitrar. caſu 65*: In noſtro tamen caſu ex æquitate ac benigna interpretatione mentis Superioris diſpenſantis piè credi poteſt diſpenſationem ſubſiſtere, etſi diſpenſandi tenuem reditum habeat, ſed inſufficientem ad victum: quia æquitas non ſcripta præfertur rigori ſcripto, ſi pro ea extet præſumptio. Gloſſa penult. in *cap. ſi ſuſcitata, de in integr. reſtitut.* & æquitas eſt attendere potiùs ſenſus, quàm verba, *l. 4. §. ſi quis, ff. de condit. cauſ. data.* Nomen autem *Miſerabilis perſonæ*, ſumitur arbitrio iudicis; hoc enim ipſo quòd in literis diſpenſationis dicitur, *& ex ſuis laboribus & induſtria tantùm viuunt*, excluduntur opulenti.

Maſcard. Menoch.

20. Secundum. Clauſula, *in primis ab inuicem ſepares*, intelligi non debet eo modo quo ſimilis clauſula quoad diſpenſationes obtentas à Sacra Pœnitentiaria, nam hoc ipſo quòd diſpenſatio Datariæ ſpectat ad forum externum, ſeruari debent clauſulæ in ea contentæ: & alioqui Dataria abſolutè diſponit dictam ſeparationem fieri debere. Probabile tamen eſt hanc Datariæ obligationem ceſſaturam, ſi ſeparatio fieri non poſſet abſque notabili infamia ſeparandorum: cùm lex humana non obliget tanto cum diſpendio, vt tradunt communiter Doctores.

21. Tertium. Pœnitentia publica, quam Dataria præſcribit debere imponi diſpenſandis, & quidem talis, vt alios deterreat à ſimilibus committendis, ea circumſpectione debet iniungi, vt conſulatur famæ perſonæ, cui ea imponitur. Talis pœnitentia eſſet, ſi diſpenſandi coram Vicario genibus flexis in præſentia grauium aliquot Virorum acriter reprehendantur de exceſſu patrato, & coram illis certas preces recitent, aliquoties terram deoſculantes & quidem etiam fune collo appenſo, ſi iudicetur expediens. Neque hinc timeri poteſt infamia diſpenſandorum; cùm Dataria ſupponat illorum delictum eſſe ſatis publicum, ſicque ex tali genere pœnitentiæ publicæ non immineat periculum nouæ infamiæ.

22. Clauſula in breui diſpenſationis, cùm dicat, *Quâ pœnitentiâ publica peractâ*, & ablatiuus abſolutus importet conditionem, & conditio formam; omiſſio namque formæ in quacumque minima parte vitiet actum, vt aduertit Sanchez *lib. 3. de matr. diſp. 5. num. 2.* conſequens eſt, vt dicta pœnitentia impleatur ante ipſam diſpenſationem quæ enim ſunt de eſſentia, cùm forma det eſſe rei, *l. Iulianus, §. ſi quis, ff. ad exhibend.* quæ autem ſunt de eſſentia, debent præcedere. Quamquam, ſi imponantur aliqua ieiunia obſeruanda certis diebus, & adſit iuſta cauſa anticipandi diſpenſationem, ſaltem de conſenſu Ordinarij, ea poſſint præueniri; cùm deſignatio diei non ſupponatur principaliter facta in cultum temporis & ieiunium ipſum principaliter intendatur, ſicque non interueniat in tali caſu mutatio ſubſtantialis.

Sanchez.

23. Si in literis Datariæ imponatur diſpenſandis, vt iurent ſe inceſtum non commiſiſſe ſub ſpe faciliùs habendi diſpenſationem, tenentur iurare veritatem, nec poſſunt adhibitâ æquiuocatione negare, ſi vterque ſpem illam concepit & ex ea patrauit

uit inceſtum: cùm ſic non adſit iuſta cauſa, æquiuocè negatâ eâ ſpe diſpenſatio eſt ſubreptitia ac inualida. Spes tamen illa non eſſet exprimenda, ſi vnus ſolus diſpenſandorum ſub ea ſpe inceſtum commiſiſſet, & proinde illa ab vtroque negari poſſet cum aliqua æquiuocatione etiam ab eo, qui verè habuit dictam ſpem: quia tunc iuſtam habet cauſam æquiuocandi videlicet, ne ſibi negotium faceſſat Ordinarius in ipſa expeditione diſpenſationis ſibi debitæ. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 25. *n.*38. *& diſp* 35. *num.*8. Sanchez.

24. Si diſpenſandus ad matrimonium habeat duplex impedimentum, vnum publicum & alterum occultum, hocque infamatorium; tunc Datariæ proponitur ſolum delictum publicum, occultum verò Sacræ Pœnitentiariæ, idque ad vitandam infamiam. Ita Sanchez ſupra *diſp.* 23. *num.* 7. Debet tamen explicari Sacræ Pœnitentiariæ impedimentum publicum ſuper quo Papa diſpenſauit. Ratio eſt, quòd piè & meritò præſumitur Papa ſic & non aliter velle, ne aliàs talis caſus deſtituatur remedio diſpenſationis, aut diſpenſandi cogantur detegere propriam turpitudinem manifeſtando in foro externo ſuum delictum infamatorium cum periculo infamiæ, & quod tale crimen ſic detectum deferatur ad iudicium, pœniſque iure ſtatutis puniatur.

25. Hoc diſtat inter examinationem veritatis precum diſpenſationis fori interni & diſpenſationis fori externi: quòd in illa debet accipi ſola partis informatio; quippe quæ omninò occultè fieri debet, ac ſequitur leges ſolius fori interni: In hac autem, vtpote publica & ſequente leges fori externi, quo conceſſa eſt, ex teſtimonio aliorum certior fieri debet. Quamquam ſi notoria ſit veritas precum, aut aliunde iudici de ea conſtet, nulla ſit opus informatione; cùm iam conſcientiæ iudicis ſit ſatisfactum. Quòd ſi ignarus veritatis precum diſpenſet, non valet diſpenſatio, etſi preces in ſe ſint veræ. Ita Sanchez *ſuprà diſp.* 33. *n.*16. Sanchez.

25. Clauſula Datariæ in diſpenſationibus apponi ſolita, *ad euitanda ſcandala*, vt verificetur, ſufficit probabilis timor inimicitiarum inter vtriuſque conſanguineos, ſi matrimonium diſſoluatur; quæ etiam ſolet allegari matrimonio nondum inito, quando mulier famæ iacturam paſſa eſt ex copula habita cum conſanguineo, cui nuptura eſt, vel ex frequenti, ac ſuſpecta conuerſatione cum eo. Sufficit etiam probabilis timor incontinentiæ ex eo quòd ij ſint iuuenes; & cùm ſæpe non conſtet in foro externo impedimentum occultum quod irritat prius matrimonium, neutri conceduntur aliæ nuptiæ, & ita in periculo incontinentiæ verſabitur, vel concubinatus inter ſe. Vide Sanchez *loco citato diſp.* 19. *num.* 9. *&* 10. Sanchez.

Vide v. Compromiſſum *numero* 4. Confeſſio *numero* 11. *&* 12. Matrimonium 3. *num* 18. *& ſequentibus.*

CLERICVS.

SVMMARIVM.

1 *Clericorum nomine in odioſis religioſi non veniunt, ſecus in fauorabilibus.*
2 *Tonſura clericalis quid ſit.*
3 *Prima conditio in ſuſcipiente tonſuram clericalem eſt ætas ſeptennij.*
4 *Secunda, vt Sacramentum confirmationis ſuſceperit: Non confirmatus ſuſcipiens primam tonſuram non peccat mortaliter iuxta veriorem ſententiam.*
5 *Tertia conditio, vt fidei rudimenta norit, v. g. Orationem Dominicam, Articulos fidei, Præcepta Decalogi, &c.*
6 *Quarta, vt legere & ſcribere ſciat.*
7 *Quinta conditio, vt tonſuram non ſuſcipiat iudicij ſæcularis fugiendi cauſa.*
8 *Denique requiritur in tonſurando vita honeſta & Chriſtiana.*
9 *Omnes clerici à prima tonſura ſuſcepta gaudent priuilegijs Canonis & Fori & exemptionis à Gabellis Principum, ſi obſeruent conditiones à ſacris canonibus & Concilio Tridentino præſcriptas.*
Tonſuratus gaudet priuilegijs fori & alijs ſi notoriè beneficiatus ſit: etſi tonſuram & veſtes clericales non deferat.
Tonſuratus non beneficiatus tonſuram & veſtes non deferens non gaudet priuilegijs clericalibus, & ſi alicui Eccleſiæ deſeruiat.
Clericus habitum clericalem & tonſuram portans, gaudet priuilegio fori & alijs, ſi in aliqua vniuerſitate ſtudeat, &c.
Vt hi priuilegijs gaudeat clericus, debet perſeuerantèr inſeruire alicui Eccleſiæ.
Quid intelligatur per mandatum Epiſcopi in Concilio Tridentino.
10 *Clericus in minoribus conſtitutus iniens matrimonium duplici ſolo priuilegio gaudet, nimirum* Canonis *& Fori, modo reliqua obſeruet requiſita à iure.*
11 *Vt clericus coniugatus amittat priuilegium fori propter bigamiam, deſideratur vt tempore delicti commiſſi illam contraxerit.*
12 *Vt clericus coniugatus priuilegijs gaudeat, debent veſtes omnes, quas defert, exterius eſſe clericales & honeſtæ.*
13 *Clericus coniugatus non amittit priuilegia per vnam aut alteram habitus dimiſſionem, dummodò aliàs continuò habitum deferat.*
14 *Clericus per contractum matrimonij eo ipſo amittit priuilegia ante omnem iudicis declarationem, & ſi non obſeruentur ab eo conditiones requiſitæ in Tridentino, amittit etiam priuilegium* Canonis *&* Fori.
15 *Verius eſt clericum coniugatum veſtes clericales & tonſuram deponentem, recuperare priuilegia clericalia, reſumptis veſtibus & tonſura.*

1. NOmine clericorum in odioſis religioſi non veniunt: quia odia reſtringenda ſunt, fauores autem ampliandi, *cap. odia, de regul. iur. in* 6. & ideò interdictis clericis, non cenſentur interdicti religioſi, vt ſuſtinent Vgolinus *de cenſur. tab.* 5. §. 5. *num.* 3. Sayrus *de cenſur. lib.* 5. *cap.* 4. *num.*29. & alij, qui huius rei hanc aſſignant rationem, dantes regulam; quòd infauoribus nomine clericorum veniunt etiam regulares & moniales, quamuis ſint Nouitij; in pœnis autem & materia odioſa clericorum appellatione ſoli ſæculares clerici comprehenduntur, non autem clauſtrales nec conuerſi, nec Nouitij. Nihilominus licet prædicta ita ſe habeant quantum ad alia, præſertim quantùm ad ea quæ vel concernunt clericos tantùm, vel religioſos tantùm: tamen quando agitur de materia vtrumque æqualiter reſpiciente, nulla prorſus inter ipſos differentia cognoſci poteſt. Vt in materia Ordinum recipiendorum, & vt non recipiantur extra tempora; ante legitimam ætatem; vel abſque dimiſſorialibus literis, Pius II. in extrauagant, *cùm ex Sacrorum* vſus eſt clerici nomine, quod in hoc ſenſu vniuocum eſt, & nomine ac definitione conuenit, ac comprehendit clericos tam ſæculares, quàm regulares. Vgolinus. Sayrus.

Portel. Barbosa.

lares. Vt docent Portel *in dub. regal. verb. Ordines Sacri, num.* 13. Barbosa *de offic. & potestat. Episcop. allegat.* 16. *num.* 24. *part.* 2. & alij.

2. Tonsura clericalis est leuis detonsio capitis ab Episcopo ceremonijs Ecclesijs facta, quâ masculus tyrocinio ministeriorum Dei initiatur. Dicitur, *leuis detonsio capitis* vt distinguatur prima tonsura à ratione ampliori, quàm alij Sacri Ordinis Ministri gerunt in regalis officij signum: leuiter enim depilantur, quasi hoc Symbolo vocati ad militarem & regiam coronam Sacerdotalem, si velint ad eam per gradus ascendere. Dicitur, *ab Episcopo ceremonijs Ecclesiasticis facta*, vt distinguatur à Monachali & alia quacumque. Dicitur, *quâ masculus*, fœmina enim tonsuram suscipere non potest; imò secundum Apostolum 1. ad Corinth. 11. *turpe est mulieri tondere.* Dicitur, *tyrocinio Ministeriorum Dei initiatur*, quia clericatus primæ tonsuræ est velut ianua ad Ecclesiæ ministeria, quam qui ingressus non est, legitimè ad Ordines & Ecclesiastica beneficia & officia assumi non potest. Et ab hoc fine potissimùm distinguitur Tonsura Clericalis à Monachali.

3. Quædam conditiones requiruntur in suscipiente tonsuram clericalem, quarum prima est, ætas septennij. Nam ante vsum rationis infantem tonsurari non tantùm est incongruum, sed etiam Ecclesiæ iniuriosum: cùm enim quis Tonsurâ non initietur, nisi vt ad sacra Ministeria, Ordines vel beneficia promoueatur, quo iudicio infans ante rationis vsum tonsura initiari legitimè

Conc. Mog. poterit. Vnde Concilium Moguntinum *can.* 23. *Nullus tondeatur sine legitimâ ætate & spontanea voluntate.* Et textus *cap. final.* de tempore Ordinat. *Nullus*, inquit, *Episcopus, vel quivis alius infanti, &c. Clericalem præsumat conferre tonsuram, &c.* Irrogaturque conferenti suspensio à tonsuræ collatione ad annum.

4. Secunda conditio est, vt Sacramentum Confirmationis receperit: quia antiquissima est Ecclesiæ traditio, vt qui clericus initiatur, Sacramento Confirmationis sit ornatus: Incongruum enim maximè & inconueniens esset, si quis ante susceptum Confirmationis Sacramentum, tonsuram

Conc. Trid. reciperet. Ratio est, quia præterquam quòd antiquum Ecclesiæ ritum & vsum nouissimè in Concilio Tridentino *sess.* 23. *cap.* 4. *de reform.* renouatum transgrediatur, inconueniens est, vt quis ad statum clericalem & Ordinis Tyrocinium initietur qui necdum perfectus Christianus est, & militiam Ecclesiasticam adeat, qui militiæ Christianæ Sacramentum nondum percepit. Hinc & non Confirmatis prohibetur Religionis ingressus & professio, & antiquæ Virgines & Monachæ velari prohibebantur, nisi prius Confirmationis Sacramento insignitæ essent.

Sotus. Nauarrus. Victoria. Coninck.

Sed petes, an non confirmatus suscipiens primam tonsuram peccet mortaliter? Negant Sotus, Nauarrus, Victoria, Coninck, & alij citati *tom.* 1. *huius Summ. verb. Ordo. 111 num.* 4. *vers. Secundò requiritur, edit.* 3. & meritò, ob rationes ibi enarratas. Affirmatiua nihilominus sententia non est improbabilis quam tenent Nugnus, Fornarius, Toletus, Bonacina & alij apud Dianam, *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 4. quia etsi Concilium Trident. nullum verbum præcepti addat: Ipsâ tamen præscriptio & decretum præceptum est, & verba præcepto æquipolient, cùm prohibitiua sint, & absolutè dicant, quod *primâ tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Tum quia adest hic virtualis contemptus Sacramenti Confirmationis,

Nugnus. Fornar. Toletus. Bonacina. Diana.

quod, habitâ copia Episcopi scientis & volentis & in ætate adulta & competenti, quis priùs non suscipit, cùm supponatur scire debere Confirmationem priùs accipere, quàm tonsuram.

5. Tertia conditio est, vt fidei rudimenta noverit, quæ Christianus quilibet adultus scire tenetur; vt Orationem Dominicam, Articulos fidei, Professionem Trinitatis, Præcepta Decalogi & huiusmodi, quæ in Catechismo proponuntur. Ratio est, quia in hoc magna inuritur macula Clericali statui, ex natura rei, si à tonsuratis hæc ignorentur: Cùm enim per tonsuram primam designentur apti ad Ordinum Ministeria & beneficia Ecclesiastica: Quomodo apti dicendi erunt, qui in ætate perfecta & competenti rudimenta necessaria & primaria suæ fidei discere, aut non voluerunt, aut neglexerunt. Notandum tamen si clericus adhuc ætatis minoris sit, in qua ignorantiâ rudimentorum fidei excusaretur, esset verò spes moralis, quòd postea illa opportunè disceret, ex vi susceptionis Tonsuræ non peccabit, cùm nullis adhuc legibus Ecclesiasticis per se obligetur, sed tantùm ratione negligentiæ discendi rudimenta fidei, iuxta ætatem in qua reperitur.

6. Quarta conditio est, vt legere & scribere sciat: Ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 4. *de reform.* vnde Conc. Trid. hæc conditio obligat Episcopum Tonsurantem ex natura rei & fine ad peccatum mortale, nisi aliunde excusetur. Ratio est, quia cùm per tonsuram designet eum, cui tonsuram confert, aptum ad Ministeria, Ordines & beneficia in Ecclesia Dei, quomodo illis seruire potest, qui legere non nouit? Tonsura enim etsi Sacramentum non sit? Sacramentale tamen grauis momenti in Ecclesia est, & illud ad personam plane illius incapacem applicare cum precibus sanctis, est Deum & Ecclesiam ex natura rei irridere. Et confirmatur hæc propositio ex *cap. final. de tempor. Ordinat. in* 6. in quo suspenditur Episcopus per annum à conferendâ tonsurâ qui illiterato eam dederit: quæ pœna grauis culpæ est indicium. Posset tamen Episcopus à peccato excusari, si de puero bonæ indolis certò sibi constaret quòd breui literaturam sufficientem

Conc. Trid. assecutus, aut si statim à tonsura bonis magistris literis imbuendus tradatur.

7. Quinta conditio in tonsurando est, vt tonsuram non suscipiat iudicij sæcularis fugiendi causâ, vt habetur in Tridentino *loco citato supra.* Conc. Trid. Aliàs peccaret mortaliter non habens verè animum Deo cultum fidelem in clericatu exhibendi. Ratio est, quia in re graui iniustitiam committit, contra Principum & Magistratuum protestatem à Deo datam, eximens se iniuriosè ab eorum gladio & iurisdictione. Vnde est mendacium perniciosum in eo, qui taliter tonsuram suscipit, si id sciat vel scire debeat. Imò vbi id postea aduertit, vel animum formare aut renouare debet ad clericatum, vel clericatum deponere tenetur. Aduerte tamen duo requiri vt talis peccatum mortale incurrat. *Primò*, vt in susceptione tonsuræ animum contrarium habeat, vel totaliter auersum, ita vt voluntatem ad clericatum non habeat. *Secundò*, vt potiùs animum habeat priuilegijs fori gaudendi, beneficium Ecclesiasticum sibi quærendi, non obstante auersione à statu clericali. Hinc patet quibus periculis se & proles exponant parentes, qui filios suos ad tonsuram adigunt, solùm vt possint beneficijs & præbendis Ecclesiasticis frui. Vide de his Nauarrum *de orat. & hor.* Nauarrus. *canon. cap.* 7. *num.* 15.

8. Denique in tonsurando requiritur vita honesta & Christiana: nam infames aut illegitimos,

ſiue quolibet inhoneſto toro natos, aut eos, qui turpis & laſciuæ conuerſationis ſunt, ad tonſuram clericalem promouere, omninò ſcandaloſum & indecens eſt. Vnde omne impedimentum, quod à ſuſceptione Ordinum quorumcumque, & poſſeſſione beneficiorum, & Eccleſiaſticis miniſterijs arcet, ſimiliter arcet à tonſura clericali: quia ex natura ſua tonſura clericalis dirigitur ad illa; & per tonſuram homo deſignatur in ſortem Domini, ad Eccleſiaſticos ordines aſſumendus. Ita verior & communior ſententia Bonacinæ, Suarez, Sayri & aliorum, quam ſecuti ſumus *tom. 1. verb. Irregularitas 1. num. 2.*

Bonacina. Suarez. Sayrus.

9. Omnes clerici à prima tonſura ſuſcepta gaudent priuilegijs Canonis, Fori & Exemptionis à Gabellis Principum ſæcularium, ſi obſeruent conditiones à ſacris Canonibus, & à Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 6. de reform.* requiſitas, nempe, *aut beneficium Eccleſiaſticum habeant, aut clericalem habitum & tonſuram deferentes alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiant, vel in ſeminario clericorum; aut aliqua ſchola vel vniuerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad ſuſcipiendos Maiores Ordines verſentur.* Ex quibus Concilij verbis quædam notanda veniunt. *Primò*, quòd tonſuratus gaudet priuilegio fori & alijs, ſi notoriè beneficiatus eſt, etſi clericalem habitum & tonſuram non geſtet: quia notoriè beneficiatus ratione tituli ſcitur & noſcitur Clericus & beneficij titulo alicuius Eccleſiæ ſeruitio adſtrictus: ſecus dicendum ſi non ſit notorius: de illo enim ſine culpa iudex ſæcularis cognoſcit, donec probet ſe beneficiatum, & alicui Eccleſiæ inſcriptum: imò ſi habitum clericalem & tonſuram non geſtet; impunè contra priuilegium canonis percutitur. Vide Rodriguez *in Sum. part. 1. cap. 155. concl. 2.* Clarum §. *final. quæſt. 36. num. 19.*

Conc. Trid.

Rodrig. Clarus.

Secundum notabile eſt, quod tonſuratus non beneficiatus, qui non defert habitum clericalem & tonſuram, etſi Eccleſiæ alicui inſeruiat, non gaudet priuilegio fori, imò nec Canonis aut alijs. Quia Eccleſia in hoc Tridentini decreto, in pœnam eorum, qui habitum & tonſuram non geſtant, cenſetur priuilegijs illis renuntiaſſe & illos ciuili iuſtitiæ remiſiſſe. Nec refert, quòd Eccleſiæ deſeruiat; multi enim hoc tempore Eccleſijs in varijs officijs deſeruiunt, qui clerici non ſunt: & Concilium vtrumque requirit copulatiuè, nimirum vt quis habitum clericalem cum tonſura deferens alicui Eccleſiæ deſeruiat. Hinc infertur, quòd ſi quis habitum clericalem & tonſuram deferat, nulli autem Eccleſiæ de Epiſcopi mandato deſeruiat, priuilegio fori non gaudeat, nec exemtionibus Principum; gaudet tamen priuilegio Canonis. Prior pars probatur, quia priuilegium fori & exemptionum in fauorem Eccleſiarum, quibus deſeruiunt, datum eſt, & Concilium, nonniſi pro iſtis acceptat, & pro illis, de quibus infra. Probatur poſterior pars, quia omnis clericus pro clerico agnitus, priuilegio Canonis *ſi quis ſuadente 17. quæſtione 4.* gaudet, qui autem patenter habitum clericalem & tonſuram defert, notoriè clericus eſt. Vide Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 4.* & alios apud ipſum citatos.

Layman.

Tertium notabile eſt, quod omnis clericus, qui habitum & tonſuram clericalem portat iuxta mentem Concilij, modò de licentia Epiſcopi viuat in ſeminario aut aliqua ſchola, aut vniuerſitate ſtudeat, etiam gaudet priuilegio Fori & alijs. Rationem innuit Concilium: quia etſi Eccleſiæ actualiter non ſeruiat, in ordine tamen ad Eccleſiæ ſeruitium ibi ſtudet, ſiue in illis locis & ſtudijs quaſi in via ad ſuſcipiendos Maiores Ordines verſatur.

Quartum notabile eſt, quod in primis requiratur ſeruitium aliquod perſeuerans; non enim ſufficit vt aliquoties ſeruierit, ſed debet ſeruitio eſſe addictus, quia verba illa, *Alicui Eccleſiæ inſeruiat*, ſunt ſignificantia actum perſeueratiuum, vnde requiritur frequentia & perſeuerantia in ſeruitij præſtatione. Non requiritur tamen, vt abſque aliqua interpolatione, vel abſentia inſeruiat, ſed ſufficit vt communiter & ordinariè cenſeatur inſeruire.

Quintum notabile eſt, quòd per mandatum Epiſcopi, intelligitur ipſius ordinatio vel conſenſus, ſiue vt de conſenſu & authoritate Epiſcopi dictum ſeruitium procedat. An autem expreſſum mandatum requiratur? Affirmat Menochius *lib. 6. de præſumpt. quæſt. 76. num. 41.* Sed verius eſt, conſenſum non debere eſſe neceſſariò explicitum, ſed ſufficere interpretatiuum, vbi eſt conſuetudo, quod tales per rectorem Eccleſiæ aſſumantur, vel admittantur. De his videndus eſt Auguſtinus Barboſa *in remiſſionib. ſuper ſeſſ. 23. cap. 6. Concilij Tridentini, de reform.* Diana *part. 1. tractat. 2. reſolut. 35. & part. 4. tractat. 1. reſolutione 88. & 89.*

Menoch.

Barboſa.

Diana.

10. Clericus in minoribus conſtitutus, iniens matrimonium, duplici ſolo priuilegio poteſt gaudere; nimirum Canonis, *ſi quis ſuadente 17. quæſtione 4.* vt violentas manus in ipſum injiciens incurrat excommunicationem: & Fori, nempe, vt non pertineat ad forum iudicis ſæcularis, in cauſis criminalibus, ſiue criminaliter, ſiue ciuiliter agatur. Ita *cap. vnic. de cleric. coniug. in 6.* provt clericis conceſſum eſt *cap. 2. de foro competent.* Et petitur ibi duplex conditio, vt his priuilegijs gaudeat. Altera, vt vnicam & Virginem duxerit: altera verò, vt tonſuram & veſtes clericales deferat. Quòd ſi vtramque conditionem non ſeruet, decernitur ibi eum nullo priuilegio gaudere. Hoc decretum confirmatum eſt in Trident. *ſeſſ. 23. cap. 6. de reform.* quod addidit tertiam conditionem vt ijs priuilegijs gaudeat clericus coniugatus, nempe, vt alicui Eccleſiæ deputatus ab Epiſcopo inſeruiat.

11. Vt clericus coniugatus amittat priuilegium fori propter bigamiam, deſideratur vt tempore delicti commiſſi illam contraxerit, ſi enim antea habens omnia requiſita vt fori priuilegio gaudeat, delictum perpetret, fruetur fori priuilegio quoad id delictum, quamuis poſtea effectus ſit bigamus iniens aliud matrimonium priori vxore defuncta. Ratio eſt, quia ad gaudendum foro, ſpectatur ſemper tempus delicti admiſſi. Vt docent Clarus *lib. 5. receptarum, §. final. in pract. crimin. quæſt. 36. num. 11.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſput. 46. num. 4.* & alij apud ipſum.

Clarus.

Sanchez.

12. Vt clericus coniugatus priuilegio aliquo gaudeat; non ſatis eſt illi vna aut altera veſte clericali indui, ſed omnes veſtes extrinſecus apparentes debent clericales & honeſtæ eſſe: quia in *cap. vnic. de cleric. Coniugat. in 6.* non petitur veſtis in ſingulari, ſed in plurali veſtes petuntur, ibi, *Veſtes deferant clericales.* Vnde ſi veſtis non clericalis lateat, quod exterior ita longa ſit vt illam contegat, gaudebit priuilegio clericali. Ita Couarruuias *in pract. quæſt. cap. 31. num. 7.* Farinacius *in practic. criminal. tit. de inquiſit. quæſt. 8. num. 65.* Azorius *part. 1. lib. 13. cap. vltim. quæſtione final.*

Couar. Farinacius. Azorius.

13. Non amittit clericus coniugatus priuilegia per vnam aut alteram habitus dimiſſionem, dummodò

modò aliàs continuò habitum deferat: quia non videtur habitum deferre, qui ſtatim eſt reſumpturus *l. 3. ff. de diuort.* Nec ſimiliter amittit, ſi tonſuram non deferat, eo quod caput raſum ſit præ morbo Gallico aut calutie: nemo enim ad impoſſibile tenetur. Ita Farinacius — Farinacius. *tit. de inquiſit. queſt. 8. num. 67. & 68.* Debet tamen clericus coniugatus tonſuram & veſtes clericales deferre tempore delicti commiſſi; vt quoad illud gaudeat fori priuilegio, nec ſatis erit poſtea aſſumere: quia, vt diximus ſupra, ad gaudendum fori priuilegio non attenditur niſi tempus commiſſi delicti, nec refert tempore capturæ relictas eſſe veſtes clericales, modò tempore delicti delatæ ſint. Et ita declaraſſe Sacram Congregationem Cardinalium anno — Sac. Congr. 1586. notauit Marius Antoninus — Marius Ant. Diana. *in ſuis variis reſolut. lib. 3. reſol. 48. num. 7.* quem refert & ſequitur Diana *part. 1. tr. 2. reſol. 53. ex l. 1. ff. de pœnis.* Imò etiamſi tempore delicti illum deſeruiſſet, iuxta — Layman. Suarez. Bonacina. Layman, Suarez, Bonacinam *de leg. diſput. 10. queſt. 2. punct. 1. §. 4. num. 14.* apud Dianam *loco citato reſol. 34.* non amittet priuilegium fori; quia ad illud amittendum, opus eſt tanta perſeuerantia in dimiſſione habitus, vt publicè æſtimetur vt laicus: quia non præſumitur dimiſiſſe habitum animo illum deſerendi, ſed vt commodiùs delictum perpetraret. Vide præterea Dianam *part. 4. tract. 1. reſol. 18.* — Diana.

14. Clericus per contractum matrimonij eo ipſo amittit priuilegia ante omnem Iudicis declarationem, & ſi non obſeruentur ab eo conditiones requiſitæ in Tridentino, amittit etiam priuilegium Canonis & fori. Probatur ex eo quod priuatio hæc non imponatur vt delicti pœna, ſed ob defectum conditionis requiſitæ ad gaudendum priuilegio clericali. Quod & praxis ipſa demonſtrat, & ex eo conſtat, quòd nullius culpæ reus ſit clericus in minoribus conſtitutus non deferens veſtes clericales: duas vxores ducens, aut viduam vnicam. Deficiente ergo conditione ceſſabunt eo ipſo priuilegia. Tum quia contrario ſtatu aſſumpto amittuntur hæc priuilegia, ſicut & beneficia. Sicut ergo hæc perduntur per contractum matrimonij abſque alia ſententia, ita & illa. Ita Abbas — Abbas. Clarus. *in cap. Ioannes, num. 4. de cleric. coniugat.* Clarus *lib. 5. recept. practic. crimin. §. final. queſtione 36. numero 19.* Nec deſideratur ad hanc amiſſionem conſummatio matrimonij; quia tunc verè aſſumptus eſt ſtatus contrarius clericatui. Non ſufficeret tamen ad hoc contractus ſponſalium de futuro: quia non eſt ille verè clericus coniugatus. Sic Ancharanus *in cap. vnic. de cleric. coniugat. in 6. notab. 1.*

15. Quidam ſentiunt clericum coniugatum cum vnica & Virgine, veſtes clericales & tonſuram deponentem, ita amittere priuilegia clericalia, vt ea nequaquam recuperet reſumptis veſtibus & tonſura: Ratio illorum eſt, quia cùm ſemel vitam laici elegerit, reſipiſcere nequit. Tum quia, cùm facto proprio priuilegium clericale amiſerit, ad illud ſolo proprio facto ſe habilem reddere nequit, *l. 1. §. fuit quæſitum, ff. ad ſenatuſconſult. Trebillian.* Sic tenuere communiter Doctores Paduæ, vt refert Ioannes Andræas *in cap. Ioannes, queſtione 4. numero 19.* Verior tamen ſententia ait recuperari priuilegia ab huiuſmodi clerico reſumente veſtes clericales & tonſuram. Probatur, quia iura non omninò huiuſmodi clericum deponentem veſtes clericali priuilegio denudant, ſicut bigamum, ſed ſolo priuilegiorum exercitio: vt indicant ea verba *cap. vnics de cleric. coniugat. in 6. in fine.* Vbi, *eos gaudere nolumus* — Ioan. Andr.

priuilegio clericali. Quæ verba ſolum exercitium reſpiciunt: ergo recuperant ſeruando conditiones requiſitas ad gaudendum. Tum quia non eſt abſurdum ad id quempiam proprio facto reſtitui, quod proprio facto amiſerat, *cap. quia ſæpe, de elect. in 6.* omnis enim res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, *cap. 1. de regul. iuris.* Ita Clarus *lib. 15. ſentent. §. final. queſtione 36. numero 15.* Couarruuias *in queſt. pract. cap. 31. num. 8.* Sylueſter, Angelus, Tabiena & alij quos citat & ſequitur Sanchez *de matrim. lib. 7. diſputatione 46. numero 29.* Vnde clericus coniugatus, qui vnicam vxorem & eam Virginem, hoc eſt ab alio non cognitam, accepit, conſequitur eâ mortuâ, omnia priuilegia, quæ clerici non coniugati primæ tonſuræ iure habent, ſi redeat ad propria clericorum miniſteria; quia ea extincta non erant, ſed tantùm ſuſpenſa. — Clarus. Couar. Syluest. Angelus. Tabiena. Sanchez.

Vide verb. Accuſatio *numero 6.* Aduocatus *numero 1.* Bellum *numero 21. & ſequentibus* Beneficium *2. numero 5.* Concubinarius *numero 5.* Debitor *numero 16. & 17.* Dominium *num. 10.* Emptio *numero 44.* Excommunicatio *1. num. 7.* Excommunicatio *6.* Fideiuſſio *numero 2.* Homicidium *numero 15. & 16.* Horæ canonicæ *1. numero 9.* Immunitas Eccleſiarum *numero 15.* Irregularitas *1. numero 21. 23. & ſequentibus.* Ludus *numero 3. 17.* Teſtamentum *numero 20.* Tutela *num. 3.*

C OE C V S.

S V M M A R I V M.

1. *Cæcum cæcus diſtributiones quotidianas lucrari poteſt, licet in choro non aſſiſtat.*
2. *Sacerdos cæcus validè conſecrare poteſt panem ſibi præſentem, ſed non licitè, niſi ex Pontificia diſpenſatione.*
3. *Viſitator alicuius religionis cæcus factus, non poteſt viſitationem continuare cum ſocio ſano.*
4. *Cæcus poteſt donare cauſâ mortis ſine iuris ſolemnitatibus, dummodo ſit præſens donatarius.*
   Cæcus poteſt teſtamentum condere cum certis quibuſdam conditionibus iure requiſitis.
5. *Cæcus non poteſt eſſe aduocatus: ſed bene fideiuſſor. Eſt immunis à muneribus publicis & perſonalibus.*

1. CAnonicus, qui lumen oculorum amiſit, & propterea Miſſas & diuina officia celebrare non poteſt, diſtributiones quotidianas & cætera emolumenta lucrari, perinde ac ſi diuinis intereſſet, ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij ſub die 20. Iulij 1629. poteſt, vt refert & teſtatur Barboſa *de canon. capite vigeſimo quarto, numero 30.* Vbi antea fuerat reſolutum ſub die 11. Auguſti 1618. prouiſum de canonicatu, ſi capta poſſeſſione lumine orbetur, & non poſſit promoueri ad Ordinem requiſitum, reputari præſentem quoad fructus, ſed non teneri aſſiſtere in choro. — Sac. Congr. Barboſa.

2. Cœcus, qui ex relatione alterius nouit panem ſibi eſſe præſentem, eumque poteſt facilè tangere, validè conſecrat etiamſi non tangat, vel alio ſenſu actu percipiat. Grauiter tamen peccaret Sacerdos cœcus, qui ſine Pontificia diſpenſatione conſecraret. Ita Præpoſitus *3 part. D. Thom. q. 74. art. 2. dub. 2. num. 12.* Coninck *ibidem dub. 1. num. 9.* Vnde refert Sotus *in 4. diſtinct. 9. queſt. 1. artic. 2.* — Præpoſitus. Coninck. Sotus.

diſpenſatum fuiſſe aliquando cum Sacerdote cœco vt celebraret: & teſtatur ſe vidiſſe Tridenti quemdam Epiſcopum cœcum ex diſpenſatione Summi Pontificis miſſam celebrantem.

3. Si Prælatus aliquis in Viſitatorem alicuius religionis electus ſit, ſi poſtea factus ſit cœcus, non poteſt cœcitate perſeuerante viſitationem continuare cum viſitatore ſano & ſocio? Ratio eſt, quia cœcus non poteſt eſſe teſtis in teſtamento, quia teſtatorem videre debet. Sed viſitatores debent de actibus qui viſu percipiuntur teſtimonium ferre Generali, & Capitulo Generali, ergo, &c. Ita Megala *tom. 2. variar. reſolut. 183.* quem ſequitur Diana *part. 5. tract. 6. reſol. 20.* Megala. Diana.

4. Cœcus poteſt donare cauſa mortis ſine ſolemnitatibus dummodò ſit præſens donatarius, vel alius qui pro eo ſtipuletur. Ratio eſt, quia donatio cauſa mortis magis accedit contractui, quàm vltimæ voluntati, & hæc videtur communis opinio. Teſtamentum autem poteſt cœcus condere, cum conditionibus tamen appoſitis in *l. hac conſultiſſima, Cod. de teſtam.* & ideò *Primò* requiruntur ſeptem teſtes. *Secundò*, requiritur tabellio. *Tertiò*, Teſtes rogati eſſe debent, & ipſe debet dicere teſtator coram ipſis, quod ad hoc ſunt vocati. *Quartò* requiritur quòd exprimatur hæredis nomen. *Quintò*, quòd vno eodemque tempore & contextu fiat. *Sextò*, Tabellio ſe debet ſubſcribere & teſtes; imò ſignare tenentur omnes ſcripturam teſtamenti. *Septimò*, requiritur, quòd inſtitutio hæredis præcedat legata. *Octauò*, quòd ſi tabellio non adſit, octauus adhibeatur teſtis. Demum quòd teſtamentum cœci ſemper ſit nuncupatiuum, id eſt apertum, nunquam in ſcriptis, id eſt clauſum. Ita Vaſquez *in opuſc. de teſtam. cap. 1. §. 5. num. 32.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 4. cap. 1 dub. 4.* & alij. Ratio horum eſt, nam licet nimia ſubtilitas in aliorum teſtamentis requiratur & iuſtus numerus teſtium, ne quid admittatur falſitatis: in cœcorum tamen teſtamentis, quia magis timetur periculum fraudis, cautiùs agendum erit, & eſt expreſſa ratio in *dict. l. hac conſultiſſima, Cod. qui teſtam. fac. poſſ.* Nota tamen quòd in teſtamento cœci ad cauſas pias ſufficiant duo teſtes cùm ius ciuile pietatis opera impedire nequeat. Idem valet in teſtamento cœci condito inter liberos: nam ceſſat ſuſpicio fraudis, & falſitatis, inſtituendo ſuccedentes ab inteſtato. Ita Clarus *§. teſtamentum queſt. 17.* Molfeſius *in Sum part. 2. tract. 13. cap. 2. num. 94.* & alij. Vaſquez. Sanchez. Clarus. Molfeſius.

5. Cœcus vtroque orbatus oculo, non poteſt munus aduocationis exercere, niſi eſſet in cauſa propria. Poteſt tamen cœcus eſſe fideiuſſor: nam licet ille corporis vitio laboret, tamen quoniam ratione intellectus, loquelæ, & auditionis ipſi nihil deficiat, ideò ipſe fideiubere poteſt: Notum eſt enim illorum intellectum aliquando in tantum ſe extendere, vt in artibus liberalibus & Mœchanicis, nec non in literis ad miraculum & ſtuporem vſque excellant. Porrò cœci vtriuſque oculi luce carentes excuſationem merentur à muneribus publicis & perſonalibus: in realibus extraordinarijs, putat Syluester *verb. Gabella 5. numero 5.* ſtandum eſſe arbitrio iudicis: quia ita poſſent eſſe diuites, quòd facilè ſoluere poſſent: De his vide Dianam *part. 5. tractat. 6. reſolut. 27. 29. & 33.* apud quem plura de cœcis. Syluest. Diana.

COMMODATVM.

SVMMARIVM.

1 *Quæ pertineant ad ſubſtantiam commodati.*
2 *Poteſt quiſque commodare rem ſuam.*
3 *Res omnes quæ vſu non conſumuntur, ſunt materia commodati & poſſunt commodari.*
4 *Vtens re commodata in alium vſum, quàm ad quem fuit commodata, peccat peccato furti.*
5 *Commodans ſcienter rem vitioſam & non patefaciens commodatario vitium, tenetur ei de damno.*
6 *Commodatarius, qui factus eſt impotens ad reſtituendam rem commodato acceptam, quia ipſius culpa periit, tenetur ad omne intereſſe commodanti.*
7 *Ob ires cauſas tenetur quis ex caſu fortuito, ob commodatum acceptum.*
8 *Quando contractus eſt talis, vt in eo æſtimatio rei venditionem non faciat, vt in commodato & locato, tunc quamuis res æſtimata detur, is qui accipit, non manet arctiùs obligatus, quàm ſubſtantia & natura contractus requirat.*
Caſus fortuitus eſt inopinata rei euentus, qui præuideri non poteſt.
9 *Commodatarius, qui abſque ſua culpa non potuit vti re ſibi commodata intra tempus conuentum, non poteſt finito illo tempore eo vti, niſi ſub ratihabitione commodantis.*
10 *Qui rem commodatam per nuncium fidelem ad Dominum remiſit, ſi res caſu, aut malitia portatoris pereat, mittens ad nullam reſtitutionem tenetur, &c.*
11 *Quo in loco commodatum ſit reſtituendum?*
12 *Commodatum retineri poteſt in foro conſcientiæ titulo compenſationis, dum commodatarius alia ratione nequit ſatisfactionem obtinere: in externo autem foro id non licet.*
13 *Ex commodato duæ actiones naſcuntur, vna directa, altera contraria.*

1. AD ſubſtantiam commodati hæc pertinent. *Primò*, vt qui commodat rem alteri, etiam tradat. *Secundò*, vt ſit conſenſus contrahentium. *Tertiò*, vt dominium rei commodatæ maneat penes eum qui dedit. *Quartò*, vt reddatur res eadem in ſpecie vel numero. *Quintò*, vt commodetur gratis. *Sextò*, vt detur ad aliquem vſum ſpecialem, & ad aliquod tempus certum expreſsè vel tacitè.

2. Vnuſquiſque poteſt commodare rem ſuam, ſiue habeat eius proprietatem, ſiue vſumfructum, vel ius habitandi. Religioſus autem ſi non ſit Superior, vel officialis, non poteſt, niſi de conſenſu Superioris. Tum quia nullum ius habet, ſed nudum vſum. Tum quia ob votum paupertatis ab eo emiſſum, ſe rebus omnibus abdicauit, & voluntatem ſuam tranſtulit in Prælati voluntatem. Denique qui non poſſunt contrahere, neque etiam poſſunt commodare, vt pupilli, impuberes, furioſi. Cuicumque verò poteſt commodari etiam pupillo, impuberi, furioſo, vt colligitur *ex l. 1. & 2. ff. commodati*, & docet ex communi Syluester. *verb. Commodatum num. 2.* Syluest.

3. Res omnes tam mobiles, quàm immobiles, illæ præſertim quæ vſu non conſumuntur poſſunt commodari & ſunt materia commodati. Poſſunt etiam commodari iura & ſeruitutes. Res etiam ſa-

cræ

cræ ad vſus ſacros tántùm. Res autem quæ vſu ipſo ſtatim conſumuntur, commodari nequeunt, niſi fortè ad pompam, vel oſtentationem. Res aliena à bonæ fidei poſſeſſore commodari poteſt: ſi autem ſit malæ fidei poſſeſſor, quamuis leges permittant poſſe commodare, & agere actione commodati, at ſecundùm conſcientiam commodare nequit, quia eam Domino reſtituere naturali iure compellitur. Ita Sylueſter *loco citato* Azorius *part. 3. lib. 7. cap. 4. de commodato.* Sylueſt. Azorius.

4. Vtens re commodata in alium vſum, quàm ad quem fuit commodata, peccat peccato furti, quod eſt ex ſuo genere mortale: licet ex paruitate materiæ à mortali excuſetur. Paruitas autem materiæ hoc in loco non eſt accipienda ex ſolo valore rei commodatæ, ſed potiùs ex valore non conceſſi vſus, aut ex detrimento ipſius rei ſubſecuto. Aduertendum tamen eſt, quòd ſi commodatarius probabiliter credebat Dominum rei illius contentum fore, vt ipſe vltra tempus rem illam detineret, aut alio vſu, quàm ad id ad quod commodata fuit vteretur, & reuera ita erat, non committit furtum, nec ad aliquam reſtitutionem illi faciendam tenetur, eſto id occaſio fuerit, quòd res illa periret. Ratio eſt, quia hic non eſt transgreſſus Domini voluntatem. Si tamen conſtaret commodatarium fuiſſe deceptum, eamque moram aut vſum rei commodatæ fuiſſe contra Domini voluntatem: tunc ſi id occaſio fuit obitus illius, licet non peccauerit, excuſante illum bonâ ſuâ fide, in foro tamen conſcientiæ teneretur reſtituere valorem illius. Si verò dubitabat, quia non ſuberat probabilis cauſa id credendi, furtum committit, quia in dubio Dominus præſumitur inuitus. Ita Molina *de contract. diſp. 93.* Lopez *lib. 2. de contract. cap. 47.* Molina. Lopez.

5. Commodans ſcienter rem vitioſam & non patefaciens commodatario vitium, tenetur ei de damno. Ratio eſt, quia huius damni fuit cauſa iniuſta; ſecus autem ſi dixit vitium vel ignoranter fecit. Tamen in caſu quo commodans tenetur de damno, quia ſciens & prudens rem vitioſam commodauit, non tenetur ad id damni in infinitum, ſicut qui vendit ſcienter tignum violatum, nihil dicens, tenetur de ruina domus, & de penſione quam ex ea Dominus percipere omiſit, quod eſt intereſſe extrinſecum, non tamen in infinitum, ſed pro prima vice tantùm. Ita Sylueſter *verb. Commodatum num. 5.* Rodriguez *part. 1. Summ. cap. 111.* Lopez *lib. 2. de contract. cap. 35.* Sylueſt. Rodriguez. Lopez.

6. Quando commodatarius ob culpam præcedentem, aut ſubſequentem factus eſt impotens ad reſtituendum in ſpecie rem commodatam, quia perijt eius culpâ; tenetur non ſolùm reſtituere rem, ſi pereat, ſed etiam damnum vel intereſſe lucri ceſſantis, quòd commodanti inde euenit reſarcire, iuxta *cap. vnic. de commodato.* Ratio eſt, quia talis impotentia eſt culpabilis & voluntaria in ſua cauſa. Quando autem commodatarius in illam impotentiam incidit ſine ſua culpa, vt quia iuſto impedimento impeditus reſtituere v. g. equum commodatum non potuit: ſi non fuerit pactum ſoluendi, non tenetur ad tale intereſſe damni, aut lucri ceſſantis reſtituendum: tenebitur tamen poſtea ad ſtipendia locationis equi commodati, ſi, quia erat abſens, & præpeditus eſt eum tempore taxato reddere ſuo Domino, eo vſus eſt ad aliqua conficienda itinera. Ita Sylueſter *verb. Mora, quæſt. 4.* & alij. Sylueſt.

7. Tres ſunt cauſæ, ob quas ex caſu fortuito tenetur, qui accepit commodatum. Prima eſt, ſi ita ab initio pactum ſit, *cap. 1. de commodato & l. 1. Cod. eod. tit.* Secunda, quando præceſſit mora caſum fortuitum, hoc eſt, ſi tempore conſtituto commodatum non eſt redditum, & deinde fortuito perijt apud moroſum debitorem. Tertia, ſi culpa fuit etiam ante caſum, verbi gratia, Commodaui tibi equum, vt equitares per vrbem, tu verò duxiſti in villam tuam, quò dum ducebas, fortè perijt, debes damnum integrum compenſare.

Tamen vbi mora vel culpa caſum anteceſſit, ſi res commodata eſſet pariter paritura apud Dominum, quemadmodum perijt apud eum, qui commodatam accepit, ſecundùm conſcientiam minimè debet damnum reſarciri, vt docent Nauarrus *in man. cap. 17. num. 183.* Angelus *verb. Commodatum numero 14.* & Sylueſter *eod. verb. quæſtione 9. ad finem.* Nauarrus. Angelus. Sylueſt.

Ex his perſpicitur pactum, quo commodatarius rem commodatam ſuo periculo ſuſcipit, ita vt in omnem euentum reſtituere cogatur tantumdem, quanti æſtimabatur, ſi res caſu fortuito apud ipſum perierit, non eſſe contra, ſed præter naturam commodati Ratio eſt, quia cætera, quæ ad commodati ſubſtantiam pertinent; in eo ſeruantur. Nam res gratis datur ad ſpecialem vſum & certum tempus expreſſum vel implicitum & tacitum, eaque conditione, vt eadem in ſpecie, ſi exiterit, reddatur.

8. Quidam aſſerunt, quando res commodata datur æſtimata, tunc qui commodatum accipit, eo ipſo ſe obligare, vt ſi fortuitò perierit, debeat tantumdem reddere, quantum valebat: & ponunt hanc regulam generalem, quando contractus talis eſt, vt qui rem accipit, obligetur ex leuiſſima culpa, vt in commodata, qui accipit, tenetur ex caſu fortuito Quando verò talis eſt contractus, vt qui rem accipit, obligetur ſolùm ex leui culpa, vt in locato & conducto; tunc æſtimatio facit, vt conductor teneatur ex leuiſſima culpa, non ex caſu fortuito. Ita Bartolus cum Gloſſa *in l. ſi vt certò, §. nunc videndum, ff. Commodati* Gomez *tom. 2. variar. reſol. cap. 7.* Bartolus. Gomez.

Alij verò veriorem aliam in hac re regulam conſtituerunt, nempe, quando contractus eſt talis, vt in eo æſtimatio rei venditionem non faciat, vt in commodato & locato, tunc quamuis res æſtimata detur, is qui accipit, non manet arctiùs obligatus quàm ſubſtantia & natura contractus requirat: æſtimatio verò rei ſolùm prodeſt, vt verum pretium ſciatur & tantumdem reſtituatur, ſi res ipſa perierit dolo aut latâ vel leui culpâ accipientis, ne Dominus rei cogatur probare æſtimationem & pretium ſuæ rei, poſtquam perempta ſit. Quando verò talis eſt contractus, vt in eo æſtimatio rei venditionem faciat, tunc qui rem accipit, tenetur ex caſu fortuito, in fundo, qui loco dotis datur æſtimatus, *l. Quoties, Cod. de iure dot. & l. Plerumque ff. eodem tit.* Ita Molina *diſput. 295.* Lopez *lib. 2. de contr. cap. 33.* Sylueſter *verb. Commodatum quæſt. 7.* & alij. Caſus autem fortuitus ſecundùm Panormitan. *in cap. vnic. de commodato* & vt colligitur *ex l. in rebus commodatis, ff. commodati*, eſt inopinatæ rei euentus, qui præuideri non poteſt, vt mors ſeruorum ſine culpa, hoſtium incurſus, ſeu piratarum, naufragium, incendium & huiuſmodi, vbi tamen diligentiſſimus præuidiſſet, non eſt caſus fortuitus, ſicut ſi perijt equus commodatus dimiſſus in domo, quæ ruinam minabatur: vnde furtum, quo per violentiam aliquid ſubtrahitur, eſt caſus fortuitus; niſi fuerit quis in culpa tranſeundo per loca periculoſa. Si verò clandeſtinè, tunc ſi ab ea perſona à qua diligentiſſimus præcauiſſet, puta à vili famulo, non eſt caſus fortuitus, aliàs autem ſic, & facit quod notat in *l. quæ fortuita Cod. de pignorat. action.* Molina. Sylueſt. Panormit.

9. Commodatarius, qui absque sua culpa non potuit vti re sibi commodata intra tempus tacitè vel expressè conuentum, non potest finito illo tempore eo vti, nisi sub ratihabitione probabili commodantis, vt quia commodans amicus est, & absens, & creditur quod habebit acceptum vt alio tempore commodato vtatur. Ita Lopez *cit. cap.* 35. Lopez. Syluester *cit. num.* 4. & alij multi. Syluest.

10. Qui rem commodatam per nuncium fidelem habitum ad Dominum remisit, si res pereat, aut casu fortuito, aut malitiâ portatoris absque culpa mittentis, ad nullam restitutionem tenetur; quia eam diligentiam adhibuit, ad quam tenebatur. Si verò negligens fuit in nuncio fideli inquirendo, ita vt eam culpam commiserit, ad quam cauendam ratione contractus tenebatur, tunc mittens ad rem ita missam pereuntem restituendam manet obligatus. Ratio est, quia ex eadem negligentia culpaque tenetur, quoad rem mittendam, quâ tenebatur, quoad rem conseruandam. Vnde si commodatarius rem per famulum remisit, quem sæpe expertus fuerat fidelem, tunc, si perit, Domino suo perit, quando ex parte commodantis nullum interuenit pactum, vt commodatario periret; dominium enim rei ad commodantem pertinet. Si tamen nuncius erat infidelis, & communiter habebatur bonus, tunc si culpâ istius latoris res commodata per ipsum missa, perijt, non tenebitur mittens ad aliquam restitutionem, quia non fuit in culpa. Ita Nauarrus *in man. cap.* 17. *num.* 185. Azorius *part.* 3. *lib.* 7. *cap.* 8 *quæst.* 1. Rebellus *de obligat. iustit. part.* 2. *lib.* 16. *quæst. vnica.* Nauarrus. Azorius. Rebellus.

11. Commodatum, quod solùm datur gratiâ eius, qui accipit, vt plerumque fit, est reddendum eo in loco, de quo fuit facta pactio inter dantem & accipientem. Si verò de loco pactum expressum non fuit, restituendum est eo in loco, vbi quis accepit, quamuis accipiens commodatum ab eo loco recesserit: quia commodatum est in gratiam ipsius, ergo eius impensis debet ad creditorem referri.

Quando commodatum solùm est causâ eius, qui dat, reddendum est eo in loco, vbi res est, non vbi data & accepta est: & propterea debet restitui eius qui dedit, non eius qui accepit impensis.

Quando commodatum est ad vtilitatem vtriusque, dantis & accipientis, debet restitui in loco, vbi res accepta est, si nihil de loco pactum sit, & impensæ in restituendo commodato tunc debent esse communes: quia commodatum est gratiâ vtriusque; & qui lucrum percipit, debet & oneris particeps esse, *l. si vt certò, ff. commodati.*

12. In foro conscientiæ commodatum retineri potest titulo compensationis, dum commodatarius alia ratione nequit satisfactionem obtinere: nam iure naturæ & gentium potest quis sibi consulere; in foro tamen externo id non licet: quia commodatum est priuilegium, sicut & depositum *l. vlt. Cod. de commodato.* Vnde parcè & necessitate tantùm valde vrgente vtendum est tali compensatione; cùm naturalis ratio dictet, vt in depositio, sic in commodato ex vi contractus, seruandam esse fidem & conuentionem de restituenda re Domino à quo accepta est. Vide Nauarrum *in man. cap.* 17. *n.* 186. Syluestrum *verb. commodatum quæst.* 3. Nauarrus. Syluest.

13. Ex commodato duæ actiones nascuntur, vna dicitur directa, altera contraria. Directa competit commodanti & eius hæredibus in eum, qui commodatum accepit & in eius hæredes: is enim qui commodatum dat, iure petit ab eo, qui accipit vt restituat rem commodatam eamdem in specie, vel in substantia & numero: vnde si res commodata sit facta deterior dolo, vel culpa eius, cui est commodata, ius habet qui cõmodauit, repetendi ab eo, quod sua interest. Contraria actio competit ei, qui commodatum accepit, in eum, qui dedit. Nam primò iure petit, vt damnum resarciat, quo affectus est, ablata ei re ante tempus constitutum & vsum expletum, *l. in commodato, §. sicut, ff. commodati.* Secundò iure agit in commodantem, vt sibi soluat impensas necessarias & maiores, quàm res ipsa iure naturali postulabat, ob eam nempe causam, quòd rem commodatam refecerit, *l. in rebus, §. possunt, ff. commodati*, vel quia scienter rem vitiosam commodauit, vel vasa vitiosa, ex quibus commodatario fuit secutum damnum, &c. *l. in commodato, §. sicut, ff. commodati.*

Vide v. Actio *num.* 10. Dubium *num.* 15. Paupertas *num.* 12.

COMMENDATARII.

SVMMARIVM.

1 *Commendatarij milites gaudent priuilegijs Canonis & fori.*

2 *Verum est Commendatarios, qui possunt contrahere matrimonium, esse veros Dominos quorumcumque bonorum ante vel post professionem acquisitorum.*

3 *Hi Commendatarij possunt de suis bonis ita liberè disponere, vt seculares.*

4 *Ludentes cum hu Commendatarijs non tenentur parta in ludo restituere.*

5 *Hi Commendatarij satisfaciunt voto paupertatis si singulis annis præbeant Superiori fidele inuentarium omnium suorum bonorum.*

6 *Commendatarij milites D. Ioannis solemniter professi, quamuis matrim. contrahere non possint, ex licentia tamen Superioris testari possunt.*

7 *Commendatarij Equites, qui matrim. contrahere possunt, succedunt in maioratum qualemcumque: & secundùm veriorem sententiam, succedunt etiam Commendatarij D. Ioannis nisi constitutiones eorum obstent.*

1. COmmendatarij milites tanquam personæ Ecclesiasticæ gaudent priuilegio Canonis & fori ex Pio IV. pro ordine S. Ioannis Baptistæ, & Gregorio XIII. pro Ordine Sancti Iacobi. Vnde non licet iudicibus sæcularibus cognoscere de eorum causis, eo quòd sint exempti à iurisdictione sæculari. Et Principes in dictos iurisdictionem exercentes contraueniunt. Bullæ cœnæ & incurrunt in excommunicationem. Ita Barbosa *de potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 12. *num.* 45. & alij quos citat & sequitur Diana *part.* 4. *tractat.* 1. *resolut.* 86. An autem idem dicendum sit de Equitibus Sancti Stephani & sancti Lazari? Negant quidam: Sed affirmatiua sententia est tenenda. Ita Bonacina *de censur. disputat.* 2. *quæstione* 4. *punct.* 3. *num.* 9. Sancius *in selectis disputat.* 29. *num.* 13. Vbi sic ait. Verè religiosos esse Equites Christi & Auis in Lusitania & Montesæ in Aragonia & Sancti Stephani in magno Ducatu Florentiæ, probabiliter arbitror, cùm hi etiam milites professionem trium votorum in manibus Prælatorum emittant, non aliter ac milites Sancti Iacobi Alcantaræ & Calatrauæ, præter Equites Sancti Stephani, qui votum castitatis, obedientiæ & charitatis emittunt, & non paupertatis, vt ex Bulla Pij IV. ad fundationem concessa anno 1560. Constat. Et idem Pius IV. Greg. XIII. Barbosa. Diana. Bonacina. Sancius. Pius IV.

iudico

iudico de quibuſlibet alijs religionibus militaribus tria vota emittentibus in manibus Prælati, & à Sede Apoſtolica approbatis. Ita Sancius. Hinc etiam eſt dicendum excommunicationem *Can. Si quis ſuadente* contra Clerici, vel religioſi percuſſorem, incurrere percutientem religioſum militem approbatæ religionis vt S. Ioannis, Alcantaræ & Calatrauæ, etiam nouitium, quia hi gaudent priuilegio Canonis. Ita Diana *part. 5. tract. 13. reſol. 44.* Priuilegia autem horum Equitum non ſunt tantùm localia, ſed perſonalia & abſoluta, & eis gaudere debent vt religioſi in omnibus mundi partibus, & extra loca commendarum: vt reſoluit Diana *p. 4 tract. 1 reſol. 86.* Secus dicendum eſt de Equitibus aurei velleris, S. Michaëlis, Annunciationis B. Virginis, & de Militibus Garreriorum, De la Danda, & de omnibus alijs abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate erectis. Idem Diana *loco citato reſol. 56.* De his videndus eſt Rodriguez *tom. 1. qq. regul. q. 13. art. 2. & tom. 2. q. 63. art. 13.*

Diana.

Diana.

Diana. Rodrig.

2. Quidam cenſent hos commendatarios milites non eſſe veros dominos ſiue bonorum patrimonialium quocumque tempore acquiſitorum, ſiue etiam reddituum commendarum: quia voto ſolemni paupertatis, quod emittunt, ſe dominio vſque tunc acquiſitorum priuant, reddunturque incapaces dominij in poſterum compatandi: vnde his Commendatarijs integrum non eſt teſtari ſecluſo priuilegio Apoſtolico; quia priuilegia, quæ olim habebant ad teſtandum, cæſata ſunt per motum proprium Pij V. qui incipit. *Romani.* Sic docent Nauarrus *Comment. 2. de regul. num. 56.* Azorius *part. 1. lib. 13. cap. 4. quæſt. 8.* & *cap. 5. quæſt. 2.* probabiliter. Verius tamen eſt Commendatarios, quibus eſt permiſſum contrahere matrimonium, quales ſunt in Hiſpania Commendatarij D. Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ, & in Luſitania Commendatarij Chriſti, Diui Iacobi & de Auis, eſſe veros dominos quorumcumque bonorum ante & poſt profeſſionem acquiſitorum, ſiue ex reditibus commendarum, ſiue aliunde. Ratio eſt, quia ſicut nec omnimodam & perfectam caſtitatem profitentur, ita nec perfectam paupertatem, ſed illam ſolùm, quæ hodie eſt conſueta ab eis ſeruari. Vnde non plus hodie ſuperiores eorum exigunt, quàm quod ſeruari eſt conſuetum; vſuſque tam longæuus explicuiſſe videtur qualiter obliget illa paupertas. Ita Molina *de iuſtit. diſp. 141. verſ. Eſt verò rigida.* Rodriguez *tom. 3. qq. reg. quæſt. 29. art. 7.* & *q. 69. artic. 7.*

Pius V. Nauarrus. Azorius.

Molina. Rodrig.

3. Hinc deducitur hos Commendatarios poſſe de ſuis bonis omnibus ita liberè diſponere, ac poſſunt cæteri ſæculares: quia antiquiſſima conſuetudo ita paupertatem eorum interpretata eſt ſuperioribus ſcientibus & non contradicentibus: & reditus commendarum titulo ſæculari his dantur, nempe titulo militari. Tum quia præbendæ iſtæ militares, licet annexæ ſint Religioni, non annectuntur tamen ratione officij ſpiritualis, ſed militaris. Hinc illi, quibus titulo ſæculari aſſignantur Eccleſiaſtici reditus, manent liberi à ſtricta conuertendi ſuperfluos in opera pia obligatione. Vnde hi Commendatarij qui ſupra, poſſunt liberè teſtari, non minùs, quàm alij ſæculares, tam de bonis patrimonialibus, quàm etiam de reditibus commendarum. Sic enim receptiſſima conſuetudo apud eos obtinuit: & quamuis olim teſtari non potuerint: at Innocentius VIII, & Clemens VII. in hoc diſpenſarunt. Nec obſtat Pium V. reuocaſſe licentias his conceſſas ad teſtandum, quia eius motus proprius receptus non eſt quoad alios Commendatarios præterquam D. Ioannis. Nec Pius V. reuocauit ſimpliciter facultatem teſtandi, ſed eam dumtaxat, quæ à priuilegijs Apoſtolicis dimanabat, quare permanet facultas, quam ex conſuetudine antiquiſſima teſtandi habent. Et inſuper ad maiorem ſecuritatem Gregorius XIII. reuocauit motum proprium Pij V. concedens illis facultatem teſtandi, iuxta priſtinam eorum conſuetudinem. Ita docent Molina, Rodriguez *num. precedent. allegati*, quamuis Rodriguez *tom. 2. ſumma cap. 33.* dubitet de reditibus commendarum. Vide Sanchez *lib. 7. moral. cap. 8. numero 19 & 30.*

Innoc. VIII. Clem. VII. Pius V.

Greg. XIII.

Molina. Rodrig.

Sanchez.

4. Ludentes cum his Commendatarijs non tenentur parta in ludo reſtituere; quia cùm hi ſint verè domini omnium illorum bonorum, poſſintque de illis diſponere inſtar cuiuſcumque ſecularis, verè transferunt illorum dominium perdendo in ludo. Ita Alcozer *de ludo cap. 39.* Sanchez *cit. num. 32.* vnde tales quocumque ludo ludentes non aliter peccant, quàm ſi eſſent meri ſæculares.

Alcozer. Sanchez.

5. Hi Commendatarij ſatisfaciunt ſuo paupertatis voto, ſi quotannis triginta diebus ante Domini natale, aut totidem poſt illud præſentent ſuperiori inuentarium fidele omnium bonorum, quæ poſſident, nihil occultando, vt ex illius licentia poſſideant illa: quia, cùm ea profeſſio ſecundùm earumdem Religionum ſtatuta & conſuetudinem ita illis receptam emittatur, non poteſt in plus obligare illos, quàm ſtatuta & conſuetudo illos aſtringunt; hæc autem ita intelligunt hanc paupertatem. Ita Alcozer & alij apud Sanchez *cit. num. 33.* qui docet in hoc inuentario conficiendo ſeruandam eſſe conſuetudinem; in aliquibus enim horũ ordinibus vſus habet, vt inuentarium ſtatim præſentetur, in alijs verò, vt ſeruetur præſentandum viſitatoribus, quando ad viſitandum venerint. Quare ſupradicti peccarent mortaliter contra votum paupertatis, ſi id inuentarium tempore præfixo non præſentarent, aut in eo conficiendo infideliter ſe haberent, quando ſcilicet, notabilis eſſet mora; vel ſi occultatio eſſet rei notabilis reſpectu bonorum Commendatarij.

Alcozer. Sanchez.

6. Commendatarij milites D. Ioannis, qui ſolemniter profitentur, & ſic incapaces ſunt matrimonij incundi, poſſunt ſtando in iure communi & vi ſui voti teſtari: quia non eam religioſorum clauſtralium rigidam paupertatem vouent, ſed bona ſua retinent, & de illis diſponunt. At ſuis Conſtitutionibus illis interdicitur teſtari abſque ſuperioris licentia, tanquam quid paupertatis voto conſonum. Ita Sanchez *cit. num. 36.*

Sanchez.

7 Commendatarij equites qui matrimonium contrahere poſſunt, ſuccedunt in maioratum qualemcumque, quamuis adſit clauſula excludens religioſos, quòd ij non cenſeantur religioſorum nomine in hac excluſione comprehendi, vtpo e qui familiam conſeruant & ſucceſſionem poſſunt habere. Ita Molina *de iuſtit. tom. 3 d ſpat. 623. num. 5.* Rodriguez *tom. 2. qq. reg. q. 79. artic. 12.* Sed maior eſt difficultas de Commendatarijs D. Ioannis, qui vulgò Malthenſes nuncupantur, qui matrimonium inire non poſſunt. Et quidem multi negant eos ſuccedere, quia ſunt veri religioſi tria vota eſſentialia profitentes, & per eorum profeſſionem dirimitur matrimonium ratum non conſummatum. Ita Menochius *conſil 54. vol. 1. & de arbitrar. lib. 2 centur. 3. caſu 231.* & alij penes ipſum. Verior tamen eſt contraria ſententia, nempe hos ſuccedere in quoſcumque maioratus, niſi Conſtitutiones obſtent. Ratio eſt, tum quia, etſi ſint proprijſſimè & omninò religioſi, ceſſant tamen in ijs omnes rationes, quæ in reliquis religioſis locum habebat, & paupertas,

Molina. Rodrig.

Menoch.

pertas, quam profitentur eſt ampliſſima, cùm multas diuitias poſſideant, & ſplendidiſſimè viuant. Tum quia hi conſeruant decus & honorem familiæ & agnationem, quod non contingit in alijs religioſis, & ideò excludi ſolent. Ita Sanchez *lib. 7. moral. cap. 15. num. 48 49 & 50.* & alij ab ipſo citati.

COMMENDATIONES *Eccleſiarum.*

SVMMARIVM.

1 *Commendantur Eccleſia vel beneficia in perpetuum vel ad tempus.*
2 *Eccleſia Parochialis iurè commendari poteſt ad ſex menſes.*
Quando poſſit Capitulum ſede vacante Eccleſiam Parochialem commendare etiam poſt ſex menſes.
3 *Quæ beneficia ſoleant commendari.*
4 *An Commendatarius poſſit coram Ordinario Eccleſia ſibi commendata cedere.*
An Commendatarius titulum Eccleſiæ commendatæ habeat? Negant Itali; affirmant Galli.
5 *An qui ius habet conferendi beneficium, habeat quoque auctoritatem commendandi.*
6 *Summus Pontifex multis de cauſis ſolet beneficia commendare.*
7 *Commendatarius habet ius nominandi, eligendi, conferendi, locandi, &c. ratione Eccleſiæ ſibi commendatæ.*

1. QVidam modus extat in iure acquirendi beneficium quo Eccleſia commendatur alicui, vt eam non tituli, ſed commendationis iure in perpetuum, vel ad tempus ſua cura & diligentia adminiſtret. Et quidem ad tempus alicui commendatur Eccleſia, cùm Paſtore, vel debito ſibi miniſtro deſtituta, vel viduata, alterius fidei & curæ committitur, donec idoneum Rectorem acceperit: ac proinde is, cui Eccleſia commendatur, veluti depoſitarius cenſetur, apud quem eſt depoſita Eccleſia; habetur item tanquà cuſtos, tutor, ſiue curator. Cõmendatur verò Eccleſia in perpetuum, cùm committitur alicui vt eam adminiſtret & regat, dum viuit: & hoc modo commendatur Eccleſia ob bonum eius cui gubernanda committitur: at verò primo modo commendatur, ob bonum ipſius Eccleſiæ commendatæ.

2. Eccleſia Parochialis iure commendari poteſt tantummodo ad ſex menſes, *cap. Nemo, de elect. in 6.* Et non poteſt Epiſcopus ſex menſibus elapſis, ad alios ſex menſes commendare, ſecundùm Gloſſam *in dict. cap. Nemo*, nam eſſet in fraudem legis quæ continetur *in cap. Commiſſa, de elect. in 6.* Non tamen hoc habet locum, cùm Epiſcopus Eccleſiam Parochialem commendat eo quòd rector eius ſit, vel mente captus, vel abſens nullo relicto Vicario: in hoc enim caſu Epiſcopus ius habet Eccleſiam commendandi, quamdiu durat Rectoris amentia, vel abſentia, etiam finito ſemeſtri. Gloſſa.

Capitulum ſede vacante poteſt etiam Eccleſiam Parochialem commendare etiam poſt ſex menſes elapſos, ſi poſt ſemeſtre finitum, nondum fuerit creatus Antiſtes: & quando Eccleſia Parochialis commendatur, debet ab Epiſcopo commendari Clerico ætatem legitimam habenti, videlicet, annum vigeſimumquintum agenti, & non niſi ad Sacerdotium promoto, vt interim poſſit Sacerdotis munus & officium obire. Deinde non poteſt Epiſcopus, niſi vni vnam tantùm Eccleſiam Parochialem commendare, nec niſi euidenti neceſſitate, & vtilitate ipſius Eccleſiæ cogente. Ita Gloſſa *in dict. cap. Nemo.* Gloſſa.

3. Epiſcopus poteſt etiam alia beneficia commendare, quibus ineſt animarum cura. Simplicia autem beneficia commendari non ſolent. Abbatias verò, Prioratus, Præpoſituras ſolus Papa commendat: ſolus item ipſe ius habet commendandi beneficia regularia, quoniam exempta ſunt. Vide quæ diximus *ſupra verb. Abbas, num. 17. & ſeqq.*

4. Quando Eccleſia eſt ad tempus ob bonum ipſius Commendatarij commendata, iuxta id quod habetur *in cap. Nemo, de elect. in 6.* poteſt hac Commendatarius coram Ordinario abſolutè & ſimpliciter cedere, non tamen gratia & fauore alterius; quia ius & titulum in beneficio non habet: & intra ſex menſes poteſt Epiſcopus quandocumque voluerit, Eccleſiam commendatam repetere. Quando autem Eccleſia commendatur in perpetuum, hoc eſt, ad vitam Commendatarij, hanc poteſt Commendatarius coram Romano Pontifice, non autem coram Ordinario deponere ob fauorem & gratiam alterius, quia quaſi ius & titulum habet in ea: & habet liberam poteſtatem ſtatuendi, tum de temporalibus, tum de ſpiritualibus. Abbas *in cap. Cùm nobis olim, de elect.* Abbas.

An autem Commendatarius titulum Eccleſiæ commendatæ habeat? Dicendum eſt, iuris Pontificij conſultos Italos communi conſenſu docere, Commendatarium non habere titulum: Gallos verò oppoſitum docere, nempe, ratione commendationis Eccleſiam iure & loco tituli obtineri; quia genus quoddam tituli eſt, Eccleſiam commendatam habere: vnde apud Gallos Commendatarius pro beneficiario habetur: & ſi fuerit Epiſcopus, vel Abbas, ſimpliciter Prælatus cenſetur. Apud Italos non. Deinde in Gallia, cùm Commendatarius è viuis excedit, Eccleſia commendata vacare dicitur; in Italia verò non item. Ex ſententia Italorum, commendata Eccleſia nequit commutari cum alia, quæ iure tituli habeatur: at ſecundùm Gallos, ea Eccleſia commutari poteſt, quia commendatio ſecundùm eos eſt verus titulus Canonicus.

5. Qui iure communi habet ius conferendi beneficium, habet quoque auctoritatem commendandi ad tempus, vt eſt Epiſcopus: qui autem habet iure ſpeciali, ſcilicet, priuilegio, præſcriptione, vel conſuetudine, hic eo ipſo commendare non poteſt. quales ſunt Ordinarij multi Epiſcopo inferiores. È contrario verò aliquando, qui conferre non poteſt, commendare poteſt: vt ſi ius conferendi ſit ad Papam deuolutum, iuxta id quod habet *cap. 2. de conceſſ. prabend.* Similiter quoque ſi ad Collegium Canonicorum poteſtas conferendi ſede vacante deuoluatur, eo quòd Ordinarius inferior beneficium conferre neglexerit, iuxta id quod dicitur *cap. 1. de inſtitut. in 6.*

6. Summus Pontifex multis de cauſis ſolet beneficia commendare. *Primò*, Clerico legitimam ætatem nondum habenti, vel nondum ad Sacerdotium promoto, quod ad beneficium requiritur, dat Eccleſiam, vt commendatam interim habeat: & poſtea legitimam ætatem conſecutus, iure tituli obtinet.

Clerico itidem vnum beneficium habenti, dat aliud beneficium, quod cùm priori ſimul iure haberi non poteſt, vt ſecundum habeat commendatum ad certum tempus; & poſtea dimiſſo primo iure tituli obtineat ſecundum. Præterea ſæculari Clerico commendat, non confert beneficium regulare,

Digitized by Google

lare, donec ad certum tempus profiteatur eam Religionem, cuius eſt beneficium: vel commendat in perpetuum, vt ad vitam habeat, non emiſſa Religionis profeſſione. Et hac ratione Cardinales commendatas ſolent habere Abbatias & Prioratus Regulares. Item, Religioſo certi Ordinis & Inſtituti regulam profeſſo, commendat beneficium alterius Ordinis. Præterea Regularibus commendat, non confert beneficia ſæcularia.

7. Commendatarius ratione Eccleſiæ ſibi commendatæ habet ius nominandi, eligendi, conferendi, vel inſtituendi: quia hæc omnia in fructibus beneficij computantur. Pari ratione, poteſt locare poſſeſſiones & fructus, quos percipit, vel habet ratione Eccleſiæ commendatæ nam habet liberam adminiſtrationem, vt conſtat ex *cap. Relatio, & cap. Qui plures 21. quæſt. 1. & cap. Cùm nobis olim, de elect.* & docet Rebuffus *in prax. benefic. part. 1. n. 62.* Apud quem plura de hac materia, apud Azorium *part. 2. lib. 6 cap. 31.*

Rebuffus. Azorius.

Vide v. Abbas *num. 17. 18. & ſequent.*

COMMVNIO SACRA.

SVMMARIVM.

1 *Qui communicauit in Paſchate, eodem anno ex præcepto diuino tenetur communicare iterum in articulo mortis.*

2 *Olim fuerunt diuerſa ſtatuta tempora, quibus Chriſti fideles tenebantur communicare.*

3 *Ex tacita licentia Parochi, ſiue ſub ratihabitione ipſius de futuro, licet in Paſchate communicare extra Parochiam.*

4 *Præcepto Eccleſiaſtico ſatisfacit excommunicatus, aut interdictus, qui ad ſacram Communionem tempore Paſchatis accedit.*

5 *Excuſantur à præcepto ſacræ Communionis excommunicati & interdicti, modò per eos non ſtet, quin abſoluantur.*

6 *Summus Pontifex tenetur ſub lethali culpa ad præceptum Communionis quoad vim directiuam, non verò quoad vim coactiuam & pœnas.*
Tenentur etiam hac lege Sacerdotes.

7 *Quamuis illicitum ſit etiam in extrema neceſſitate ſacram Communionem recipere ab excommunicatis, Hæreticis, Schiſmaticis, degradatis nominatim denunciatis; poſſit tamen quibuſdam conditionibus hoc poteſt eſſe licitum.*

8 *Hodie poſt Extranag. Ad euitanda, licet recipere ſacram Communionem à publico peccatore, modò de cenſura non ſit nominatim denunciatum, vel notorium Clerici percuſſor.*

9 *Nulla creatura præter hominem poteſt recipere ſacram Communionem.*

10 *Nullus homo ante Baptiſmum capax eſt ſacræ Communionis.*

11 *Omnes homines baptizati poſſunt ſacram Communionem recipere, vt Sacramentum eſt.*

12 *Præceptum diuinum Communionis per ſe obligat aliquoties in vita.*

13 *Præceptum Communionis nunquam obligat per accidens ratione alterius præcepti tunc occurrentis.*

14 *Nulla actualis diſpoſitio in rigore neceſſaria eſt ad fructum Euchariſtiæ conſequendum, licet ſit neceſſaria, vt quis magnum fructum conſequatur.*

15 *Qui communicauit non confeſſus habens conſcientiam peccati mortalis, iure diuino non tenetur ſtatim confiteri. Quamuis Sacerdos præcepto Eccleſiaſtico ad id tenetur, ſi in tali ſtatu celebret.*

16 *Qualis diſpoſitio requiratur corporis in communicaturo.*

17 *Corporalis fœditas per ſe ex neceſſitate non impedit ſacram Communionem.*

18 *Corporalis macula poteſt impedire aliquando ſacram Communionem non ex præcepto, ſed ex conſilio.*

19 *Non eſt prohibitum iure diuino ſumere ſacram Communionem poſt cibum & potum, ſed tantùm Eccleſiaſtico.*

20 *An ſumere terram & trajicere in ſtomachum, ob delectationem, vel ob minuendum colorem, ſoluat ieiunium naturale?* Refertur duplex ſententia.

21 *Non ſoluit ieiunium naturale, ſi quis reſpirando caſu trajiciat aliquid, quod poſſit eſſe cibus, ſiue attrahatur per os ſiue per nares.*
Si aliquid trajiciatur in ſtomachum ex intentione per os, ſoluit ieiunium, ſcienter per nares: niſi affectum ſit aliquid liquoris per nares attrahere & in ſtomachum trajicere.

22 *Deglutiens caſu bonam quantitatem aquæ vel vini, ſoluit ieiunium naturale: niſi ſtatim tonaliter è ſtomacho ejiciatur.*

23 *Non ſoluitur ieiunium naturale, ſi aliquid cibi vel potus intret in conductum reſpirationis & ejiciatur.*

24 *Non impeditur ſacra Communionis ſumptio, ſi dum præguſtatur vinum vel aliquid aliud ad percipiendum ſaporem & expuitur, ſi remaneat aliquid ſaliuæ permixtum & deſcendat in ſtomachum.*

25 *Ante Communionem licet aromata ori imponere & dentibus conterere ad confortandum caput, vel in alium finem, quamuis aliquid præter intentionem per modum ſaliuæ deglutiatur.*

26 *Quando ſumptio tabachi ſoluat ieiunium naturale quando non.*

27 *Ignorantia poteſt aliquando excuſare à peccato non ieiunos accedentes ad ſacram Communionem, etiamſi ſint Sacerdotes.*

28 *Quando perturbatio mentis orta ex indigeſtione vel vigilia noctis, impediat celebrationem, aut ſumptionem Euchariſtiæ.*

1. QVidam putant, eos, qui in anno communicauerunt in Paſchate, ſatis impleuiſſe præceptum diuinum de communicando in articulo mortis, & non teneri ex eodem præcepto diuino in eo anno amplius in morte communicare; vt docent Emanuel Sà *verb. Euchariſtia, num. 1.* Syluester *verb. Euchariſt. 3. num. 1.* & alij. Sed hoc non eſt verum, quia reuera iterum tenentur accipere in articulo mortis per modum viatici, & id probat Concil. Tridentinum *ſeſſione 13. cap. 6.* & Nicænum *can. 13.* & *cap. de his verò 26. quæſt. 6.* & *cap. infirmitas, de pœnit. & remiſſ.* probat etiam conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſolet eos communicare in articulo mortis per modum viatici, qui in eodem anno in Paſchate communicarunt: & fideles, niſi tunc infirmi communicent, meritò quidem ſcandalizantur. Probatur inſuper, quia per Communionem annualem ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ, non diuino: & per conſequens debent iſti negare, vt de facto negant præceptum diuinum de ſumenda Euchariſtia ſaltem pro articulo mortis etiam iuſtos obligare, ſed

Eman. Sà. Syluest. Conc. Trid. Nicænum.

Digitized by

ſed affirmant eſſe ſolum præceptum humanum: quia Euchariſtia nullum habet effectum per ſe neceſſarium ad ſalutem; non enim obligat iuſtum, quia hic iam eſt dignus vitâ æternâ; ad quam omnis obligatio ordinatur: non peccatorem; quia hoc Sacramentum non eſt per ſe inſtitutum ad conferendam primam gratiam peccati remiſſiuam. Ad quæ poſſet reſponderi, quòd vt Sacramentum ſit in præcepto, non eſt neceſſarium, vt contineat effectum neceſſarium: imò nullum ferè præceptum, præter ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, continet effectum per ſe neceſſarium, ſed ſit neceſſarium hoc ipſo, quod præcipitur. Deinde ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum obligatur iuſtus, vti ad reliqua præcepta, ſine quorum obſeruantia non poſſet ſe in gratia conſeruare, cùm ipſius iuſtitia in conſeruari pendeat à præceptorum obſeruantia. Ita docent D. Thomas 3. *part. queſt.* 80 *art.* 11. mutans ſententiam, quam tenuerat *in* 4 *diſtinct.* 9. *q. vnic. artic.* 1. *ad quæſt.* 2. Suarez *tom.* 3. *diſp* 69. *ſect.* 1. & eſt communis hodie iſta opinio, ita vt dixerit Valentia *tom.* 4. *diſp.* 6. *queſt.* 8. *punct* 4. Nullum Catholicum hoc tempor[illegible]poſitum docere. Sed de hoc vide à nobis dicta [illegible] *verb. Communio, n.* 4.

D. Thom. Suarez. Valentia.

Tamen ſi quis c[illegible]municau.t per modum viatici feria ſecundâ hebdomadæ Sanctæ, ſi iudicio medicorum ſit moriturus intra tempus præſcriptum ad Communionem Paſchalem, ſed ſuperuiuat pluribus diebus poſt ſumptum viaticum, non tenetur iterum communicare ad implendum præceptum Communionis Paſchalis. Ratio eſt, quia vno ac eodem actu ſatisfieri poteſt pluribus præceptis, vt communiter tradunt Doctores. Tum quia hæc videtur eſſe mens interpretatiua Eccleſiæ, quatenus hoc ipſo, quod ſupponit Communionem factam per modum viatici eſſe vltimam; non cenſetur velle in iſto caſu obligare ad aliam Communionem, nempe ad Paſchalem, dummodò communicauerit intra tempus præſcriptum ad Paſchalem Communionem. Secus ſi non communicaſſet intra tale tempus, tunc iterum deberet communicare, etiamſi viaticum ſumpſiſſet vna die tantùm ante præfatum tempus: & in hoc non videtur admittenda paruitas materiæ: cùm ab inſtanti indiuiſibili incipiat dictum tempus, & inſtans indiuiſibile terminetur. Ita Pellizzarius *in Man. reg. tract.* 5. *cap.* 3. *num.* 87. Tamburinus *opuſc. de Communione*, c. 5. §. 3. *num.* 7. & probat Diana *p.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 39.

Pellizzarius. Tamburin. Diana.

2. Olim in primitiua Eccleſia ſinguli Chriſtiani quotidie ſacrum Chriſti corpus ſumebant ex præcepto Apoſtolorum, vt refertur *cap. Epiſcopus, de conſecrat. diſtinct.* 1. Poſtea Fabianus Papa præcepit, vt ſinguli ſaltem ſacram Communionem reciperent ter in anno, videlicet, in Natali Domini, in Paſchate, in Pentecoſte, vt habetur *in cap. eſi non frequentius, de conſecr. diſt.* 2. Deinde verò Soter *in c. in Cœna Domini, de conſecr. diſt.* 2. videtur ſtatuiſſe, vt ſinguli corpus Domini ſuſciperent in Cœna Domini. Denique tandem Eccleſia ſtatuit, vt ſinguli cùm ad annos diſcretionis peruenerint, ſemel in anno à proprio Sacerdote, ſeu Parocho in Paſchate Communionem, ſacramque Synaxim accipiant, vt conſtat ex *cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſionib.*

3. Quamuis de iure quiſque teneatur in propria Parochia à proprio Parocho ſacram Communionem ſumere: in Paſchate tamen qui hoc Sacramentum acciperent & conferrent, quando eiuſmodi eſſent perſonæ, tempus & cauſæ, vt arbitrio prudentis viri credatur fore contentus Parochus, ſi è contra fieret, tunc videtur tacitam facultatem concedere; ita vt non ſit peccatum mortale in tali caſu eam recipere extra Parochiam. Ratio eſt, quia tunc non miniſtratur ſine iuriſdictione, quando tacita licentia Parochorum fit, quæ licentia, ſeu ratihabitio in Sacramento Euchariſtiæ & Extremæ-Vnctionis ſufficit, quod habeatur de futuro: in Sacramento verò Confeſſionis & matrimonij, ſemper opus eſt vt antecedat & habeatur de præſenti Ratio eſt, quia in iſtis Sacramentis ſubſtantia & validitas actus pendet ex tali iuriſdictione, & ſine illa validè non fiunt: at verò ſubſtantia & validitas Euchariſtiæ & Extremæ-Vnctionis non pendet ab huiuſmodi iuriſdictione; quia quamuis ſine illa cum peccato fiant, validè tamen fiunt: à peccato autem excuſat tacita licentia & voluntas Parochi. Ita Rodriguez *tom.* 1. *qq. reg. q* 56. *art.* 3. Nauarrus *in Man. cap.* 21. *n.* 52. Syluester *verb. Euchar.* 3. §. 4. & alij communiter.

Rodrig. Nauarrus, Syluest.

4 Qui ad ſacram Communionem tempore Paſchatis excommunicatus, aut interdictus accedit, præcepto Eccleſiaſtico ſatisfacit. Ratio eſt, quia licet excommunicatio ipſos excommunicatos à ſuſceptione Sacramentorum arceat, ac prohibeat, at factum non ſemper irritum reddit; ac proinde licet huiuſmodi excommunicati contra ius diuinum & naturale peccent, quia ius diuinum præcipit, vt ſanctè ſancta tractentur, & ne indignè quis accedat ad Sacramentorum ſuſceptionem; & licet etiam contra ius Eccleſiaſticum faciant, cùm ius Canonicum ſpecialiter excommunicatos & interdictos à Sacramentorum perceptione excludat; tamen Sacramentum hoc ab eis ſuſceptum eſt ratum & validum: vnde licet ſacrilegium committant, tamen præceptum implent. Ita Nauarrus *in Man. cap.* 21. *num.* 48. Azorius *tom.* 1. *lib.* 7 *cap.* 30 *queſt.* 12. Sicut in ſimili docuimus de eo, qui tempore Paſchatis Euchariſtiam ſumit in peccato mortali; *tom.* 1. *verb. Communio ſacra, n.* 14. ob rationes ibi dictas.

Nauarrus. Azorius.

5. Excommunicati & interdicti à præcepto Euchariſtiæ excuſantur, modò per eos non ſtet abſolutio à prædicta excommunicatione & interdicto. Non eſt tamen eadem ratio de excommunicatis interdictiſque, atque de ſuſpenſis: nam excommunicati & interdicti generatim, à ſuſceptione Sacramentorum prohibentur; ſuſpenſi verò non prohibentur, niſi ſit ſuſpenſio ab ipſa Communione ſpecialiter, aut generaliter à perceptione omnium Sacramentorum, tunc enim eadem ratio de illa erit, atque de excommunicatione & interdicto. Ita Nauarrus *in Man. cap.* 21. *num.* 45. Azorius *cit. lib.* 7. *cap.* 30. *queſt.* 3.

Nauarrus, Azorius.

6. Summus Pontifex obligatur ſub lethali culpa ad præceptum Communionis, quoad vim directiuam, non verò quoad pœnas & vim coactiuam, & ideò peccat mortaliter ſi illud non ſeruet: non tamen incurrit excommunicationem, nec poteſt declarari, aut Eccleſiaſtica ſepultura priuari, nec contra eum ſententia ferri de incurſione delicti: Ratio eſt, quia iſta lex annuæ perceptionis Euchariſtiæ, eſt lex quædam generalis, & quando Principes legem ferunt generalem totum populum comprehendentem, ad eandem legem obligantur, quamuis non obligentur ad pœnas illius: nam quando materia legis eſt generalis comprehendens totum populum, comprehendit etiam caput populi: quando verò materia legis non eſt ita generalis, ſed ſpecialis, vt non totum populum: ſed partem illius comprehendat & obliget, tunc quidem ad eam non tenetur Princeps, neque quoad vim directiuam, neque quoad vim coercitiuam. Hinc cùm materia legis Euchariſtiæ comprehendat omnem populum Chriſtianum, ex iure quodam naturali videtur etiam comprehendere Summum Pontificem,

Digitized by Google

D.Thom. tificem, qui eſt caput illius. Ita D. Thomas 1.2. *quæſt. 96. artic. 5. ad 3.* & alij citati *tom. 1. verb. Lex III. num. 2.*

Si Pontifex hac lege tenetur, etiam tenentur Sacerdotes; ſed ſufficiet, ſi in aliqua miſſa earum, quas dicunt pro intentione & impletione huius præcepti formali vel virtuali communicent, iuxta conſuetudinem communem, quæ ſic in Sacerdotibus obligationē huius præcepti interpretatur: ad habendam autem virtualem applicationem ſufficit, quòd non habeant contrariam non applicandi. Ita Fagundez *præcept. 3. lib. 1. cap. 6. n. 12.* Fagundez.

7. Ex communi Doctorum ſententia illicitum eſt, etiam in caſu extremæ neceſſitatis, ſacram Communionem ſuſcipere à Sacerdotibus hæreticis, ſchiſmaticis, degradatis & excommunicatis denunciatis. Ita D. Thomas *3. part. quæſt. 82. art. 9. in corpore.* Probatur id ex *cap. ſuperueniente 1. q. 1. & cap. vlt. 24. quæſt. 1.* vbi laudat D. Gregor. Papa factum S. Hermenigildi Principis Hiſpaniarum, eo quòd nec in extremo mortis articulo voluit ab hæretico Euchariſtiam ſuſcipere, & ob eam rem Martyrio coronatus fuerit. Probatur deinde ratione, quia Sacramentum Euchariſtiæ, non eſt Sacramentum neceſſitatis, & quamuis ſit Sacramentum magnæ vtilitatis, nunquam tamen ab huiuſmodi hæreticis & nominatim de excommunicatione denunciatis decenter & reuerenter ſuſcipi poteſt; ſuſceptio autem & præceptum illius non obligat, niſi cùm decenter & reuerenter ſuſcipi poteſt. Hanc ſententiam ſuſtinent Durandus, Paludanus & alij *in 4. diſtinct. 13.* & expreſsè id docet Sylueſter *verb. Euchariſtia 3. num. 5.* Nihilominus contrarium docet Suarez *tom. 3. in 3. p. diſp. 72. ſect. 4. § vltimo ex dictis*, nempe poſſe Euchariſtiam recipi in articulo mortis à quocumque miniſtro, à quo poſſet recipi abſolutio, modò non detur ſcandalum præſentium: modò exinde non animetur hæreticus, excommunicatus, ac ſchiſmaticus ad permanendum in peccato, errore, aut excommunicatione ſua: & modò non ſequatur infamia Religionis: Non opus eſt autem, vt omnes hæ circumſtantiæ ſimul concurrant, ſed ſufficit quod quælibet illarum interſit, vt id nullo modo liceat. Hanc ſententiam cum illis limitationibus amplexi ſumus *tom. 1. verb. Euchariſtia II. num. 3. §. Imò* quia ſæpiſſimè & regulariter hoc fieri non poteſt, quin concurrat vna ſaltem ex prædictis circumſtantijs. Si autem abſint omnes, probabilis eſt ſententia Suarez, maximè in caſu, quo non poteſt ſuſcipi aliud Sacramentum; ob rationes ibi expreſſas, vt docet etiam Zambranus *de Sacrament. Euchariſt. cap. 3. dub. 7.* de hoc caſu vide Dianam *part. 5. tract. 3. reſolut. 49.* Durand. Paludanus. Sylueſt. Suarez. Zambran. Diana.

8. Quidam negant licere Sacramentum Euchariſtiæ accipere à Sacerdote concubinario publico, vel alio publico peccatore. Ratio eſt, quia illi lethaliter peccant miniſtrando, ergo ſi hoc Sacramentum abeis petitur, aut recipiatur, neceſſariò cum illorum peccato concurritur. Ita Nauarrus *in Man. cap. 25. num. 80.* ex *cap. Nullus, diſtinct. 32.* vbi etiam Miſſa prohibetur audiri ab huiuſmodi Sacerdotibus. Si autem hoc Sacramentum ab eis non licet accipere, multò minus licebit id ab eis petere. Id ipſum tenet expreſsè D. Thomas *3. part. quæſt. 82. art. 9.* Hodie tamen, ſi qua erat in iure ſimilis prohibitio, ceſſauit, imò & reuocata fuit per Concilium Conſtantienſe, nam regula ibi ſtatuta, quæ in fauorem fidelium præſcribit, vt non vitentur niſi qui nominatim fuerint de cenſurà denunciati, ac declarati, vel notorij Clerici percuſſores, generalis eſt; ad omnes cenſuras & ſuſpenſiones; & illa ſola eſt ſeruanda: quia exceptio firmat regulam in contrarium, vnde cùm ſolùm excipiantur in prædicto Concilio & Extrauaganti Martini V. *Ad euitanda*, excommunicati nominatim denunciati & notorij Clerici percuſſores, cæteri non ſunt vitandi. Ita Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 72. ſect. 4. §. vltimò*, & alij quos citauimus *tom. 1. verb. Scandalum, n. 9. §. 11.* Nauarrus. D.Thom. Concil. Conſtant. Martin. V. Suarez.

9. Nulla creatura præter hominem, poteſt ſuſcipere hoc Sacramentum. Probatur, quia vel eſſet Angelus, vel beſtia, Angelus non, quia eſt purè ſpiritualis, & in corpore aſſumpto non poteſt verè manducare per actionem vitalem, vt teſtatur Raphaël *Tobiæ 12. num. 19.* Non beſtia, quia neque cognoſcit Sacramentum, neque poteſt illi dari in ordine ad inſtitutionem Chriſti: matèrialiter tamen verè comedit Sacramentum, & conſequentes corpus Chriſti, ſi fortè deglutiat ſpecies; in qua nulla eſt indecentia ex parte Chriſti: nam multò honorificentius eſt in ventre muris vel canis, quàm in ventre peccatoris. Itaque corrigenda, vel piè exponenda eſt, quorumdam Catholicorum opinio, qui putabant ſpecies comedi ſine corpore Chriſti: hoc enim principijs fidei non concordat.

Nota ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 8.* & D. Thoma *3. part. quæſt. 80. art. 1, 2. & 3.* Scoti *in 4. diſtinct 8. quæſt. 3.* eſſe tres rationes accipiendi ſacram Communionem. Vna eſt manducatio ſacramentalis tantùm, per quam Sacramentum accipitur: non tamen eius effectus, quæ eſt gratia ſanctificans, & hic ſumendi modus in peccatoribus locum habet. Conc. Trid. D. Thom. Scotus.

Altera manducatio eſt ſpiritualis tantùm, per quam Sacramentum non accipitur, ſed res ſiue effectus eius: vt cùm homo iuſtus, quamuis Catechumenus, in fide viua votum, ſeu deſiderium habet manducandi hoc Sacramentum.

Tertia eſt ſacramentalis & ſpiritualis ſimul; per quam vnà cum Sacramento, etiam effectus eius accipitur.

10. Nullus homo ante Baptiſmum capax eſt ſacræ Communionis. Eſt contra Marcilium, cui fauere videtur Innocent. *cap. Veniens de Baptiſmo*, qui putat Catechumenum iuſtum poſſe cum fructu recipere hoc Sacramentum: ſed hoc eſt improbabile, quia baptiſmus eſt ianua omnium Sacramentorum, & qui eius characterem non habet, incapax eſt omnis effectus ſacramentalis: ſicut enim qui nondum corporaliter genitus eſt, nutrimentum corporale capere non poteſt, ita qui nondum ſpiritualiter genitus eſt, ad cibum hunc ſpiritualem admitti non poteſt. Imò Catechumenus videtur peccaturus mortaliter, ſi ante Baptiſmum vellet communicare; quia nullum ius habet ad Communionem, & faceret iniuriam Sacramentis Eccleſiæ, iuxta illud Exodi 12. n. 48. *Si quis circumciſus non fuerit, non veſcetur ex eo.*

11. Omnes homines baptizati poſſunt ſacram Communionem percipere, vt Sacramentum eſt. Probatur, quia per Baptiſmum acceperunt ius ad omnia remedia à Chriſto inſtituta: neque requiritur character Confirmationis, niſi ex quadam decentia. Dubium eſſe poſſet de peccatoribus & Infantibus? Sed de fide eſt, peccatores recipere corpus Domini in hoc Sacramento, vt conſtat 1. ad Corinth. 11. num. 29. *Qui enim manducat & bibit indigné, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Infantes autem & paruuli innocentes, olim vel communicabantur vel conſumebant reliquias Sacramenti, vt conſtat ex Sanctis Patribus, Clemente, Dionyſio, Cypriano, Auguſtino & fatetur Concil. Trident. *ſeſſ. 21. cap. 4.* Sed Conc. Trid.

an

an receperint fructum Sacramenti proprium? Negant multi, quia hoc Sacramentum eſt cibus ſpiritualis, ac proinde ijs tantùm conueniens, qui opera vitæ ſpiritualis exercere poſſunt. Nihilominus probabilius eſt infantes eſſe capaces totius fructus ſacramentalis, nam valide & cum effectu confirmantur & ordinantur, cur non etiam ſimiliter communicantur. Tum quia Sancti Patres ſui facti probabilem cauſam habuerunt, vt dicit Concilium Tridentinum vbi ſupra, ergo non ſine fructu paruulos communicarunt. Neque dicas fuiſſe illis datam Euchariſtiam, vt eius contactu ſanctificarentur, vel à Dæmonio præſeruarentur, quia ad hoc ſuffeciſſet contactus exterior, & alioquin eadem de cauſa potuiſſet dari Catechumenis, quod tamen nunquam factum eſt. Hoc autem tempore non datur ſacra Communio infantibus ob decentiam & reuerentiam, quæ præferenda eſt alicui vtilitati infantium: licet olim, quia minor fidelium erat numerus, facilius vitari poterant incommoda, nunc eo aucto contraria conſuetudine prouiſum eſt. Ita Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 4. num. 2.* Filliucius *tract. 4. cap. 7. n. 184. & 185.* & alij. Layman. Filliucius.

12. Præceptum diuinum Communionis per ſe obligat aliquoties in vita: eſt contra Caietanum & alios: quia ſi tantùm ſemel obligaret, vel hoc eſſet ob generalem rationem præcepti affirmatiui, vel ob ſpecialem huius præcepti, neutrum, ergo Non primum, quia præceptum affirmatiuum, tametſi per ſe non determinet tempus obligationis, tamen pro ſubiecta materia, ratiùs aut frequentiùs occurrit, & non ſemel in vita tantùm: quis enim dixerit eum qui ſemel Deum dilexit ex toto corde, liberum eſſe in poſterum ab illo magno mandato? Qui ſemel Deo gratias egit, non amplius tenetur, &c. Non ſecundum, quia hoc Sacramentum datur per modum cibi & potus: ſicut ergo non ſatis eſt ſemel tantùm corporalem cibum ſumere in vita, ita neque ſpiritualem: quia calor concupiſcentiæ & fomes peccati non minùs debilitant animæ vires, quàm naturalis calor humidum radicale. Non eſt ſimile de Baptiſmo & Confeſſione: nam hæc tantùm præcipiuntur, vt media neceſſaria ad tollendam culpam, quæ vnico actu perfectè tollitur: Sacramentum autem Euchariſtiæ datur ad fouendam, augendam & perficiendam charitatem. Præterea baptiſmus datur per modum generationis, quæ nunquam iteratur, Sacramentum Pœnitentiæ per modum iudicij, & Deus non iudicat bis in idipſum: at Euchariſtia datur ad nutritionem, quæ multos actus requirit. Ita Doctores citati *tom. 1. verb. Communio, n. 1.*

13. Præceptum Communionis nunquam obligat per accidens ratione alterius præcepti tunc occurrentis, ad quod implendum neceſſaria ſit ſacra Communio, v.g. cùm vrget grauis tentatio, vel cùm quis poſt ſumptum viaticum mortaliter peccat, vel cùm quis aſſiſtit Miſſæ ſacrificio, vt hæretici noſtri temporis. Probatur oſtendendo tres illos caſus nunquam inducere hanc obligationem. Nam *Primò*, quæuis tentatio etiam grauiſſima poteſt alijs remedijs coherceri, oratione, ieiunio, vitatione occaſionum, &c. quamquam conſultiſſimum ſit adhibere etiam præſidium Euchariſtiæ. *Secundò*, qui ſumpſit viaticum, etiamſi poſtea mortaliter peccet non tenetur rurſum communicare, alioquin & ſæpius eodem die hoc facere deberet, & infamaret ſe, cùm viaticum detur publicè & peccata illa ferè ſecretò committantur. *Tertiò*, damnantur hæretici in Concil. Trident. *ſeſſ. 22. cap. 6.* & *can. 8.* qui reprehendunt Miſſas in quibus populus non communicat: nam, quamuis laudabilis ſit conſuetudo, vt communicantes ſint frequentiſſimi (quod & Canones Apoſtolorum & decreta Pontificum præſertim Anacleti *cap. Epiſcopus, de conſecr. diſtinct. 1.* & Sancti Patres ſæpè inculcant) nullum tamen proferri poteſt præceptum diuinum, quo populus ad hoc ſub peccato teneatur. Conc. Trid.

14. Nulla actualis diſpoſitio in rigore neceſſaria eſt ad fructum Euchariſtiæ conſequendum, eſt tamen neceſſaria, vt quis magnum fructum conſequatur. Poſterior pars probatur: nam meliori diſpoſitioni reſpondet maior fructus etiam ex opere operato, quod nuſquam iuſtiùs locum habet, quàm in hoc Sacramento, vbi ipſe gratiarum auctor præſens adeſt, ac propterea actualem reuerentiam & deuotionem exigit, vt Sancti Patres ſæpe inculcant. Prior pars probatur, quia hæc diſpoſitio, vel eſſet priuatiua, vel poſitiua: priuatiua, vt in ipſa Communione non peccetur venialiter, & hanc requirit Marſilius, quia alioqui homo, inquit, per vnum & eundem actum creſceret in gratia & venialiter peccaret; ſi ponamus ſumptionem ipſam vitiari per aliquam circumſtantiam. Poſitiua, vt adſit deuotio, ſeu reuerentia actualis. D. Thomas Halenſis, D. Bonauentura, Durandus, Paludanus, Caietanus *3. part. quæſt. 79. art. 1.* quia cibus non nutrit niſi mediante actu viuentis, ergo nec hoc Sacramentum niſi mediante actu communicantis. Sed quod peccatum veniale etiam in ipſa ſumptione commiſſum non impediat fructum eius. Probatur, quia peccatum veniale conſiſtit cum gratia, neque habet formalem repugnantiam cum illa, ergo non impedit illius augmentum. Confirmatur, quia ſi peccatum veniale impediret effectum ſacramentalem eſſet peccatum mortale, communicare in peccato veniali, quod eſt abſurdum & inauditum. Ad argumenta Marſilij dicendum eſt, quòd ſumptio Sacramenti, quæ eſt peccatum veniale, dupliciter poteſt conſiderari. *Primò*, vt eſt actus hominis, & ſic eſt vitioſa, nec quicquam meretur niſi pœnam. *Secundò*, vt eſt applicatio quædam Sacramenti & conditio ſine qua Sacramentum gratiam non conferret, & ſic eſt bona, manans ex inſtitutione Chriſti, ac propterea diſpoſitiuè concurrere poteſt ad gratiam augendam. D. Thom. Halenſis. D Bonau. Durand. Paludanus. Caietanus.

Quod verò non ſit neceſſaria actualis deuotio. Probatur in infantibus, amentibus, phreneticis, naturali obliuione diſtractis, &c. cur enim priuabuntur fructu Sacramenti? quod ſi in his non eſt neceſſaria, ergo nec in diſtractis culpabiliter, quia peccatum veniale quod carentiæ deuotionis ſuperadditur, non eſt obex gratiæ ſacramentalis. Ratio ſumenda eſt ex inſtitutione Chriſti (nam ex natura rei non poteſt hoc ſatis definiri) qui voluit dignè communicantem frui beneficio Sacramenti: dignè autem communicat teſte Apoſtolo, qui ſeipſum probat, quam probationem declarat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 7.* & in eo conſiſtit, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quamuis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Conc. Trid.

Ad argumentum Caietani eſt diſpar ratio: nam in nutritione corporali, viuens agit in alimentum, vt illud in ſe conuertat; in ſpirituali alimentum agit in viuens, ac propterea ſufficit diſpoſitio viuentis per gratiam habitualem, vt recipiat in ſe actionem cœleſtis illius alimenti.

15. Qui communicauit non confeſſus, habens conſcientiam peccati mortalis, iure diuino non tenetur ſtatim confiteri, ſed poteſt differre in annuam Confeſſionem. Probatur, quia hoc præceptum quàtenus eſt affirmatiuum, non obligat pro ſemper, ſed tempore opportuno, quod videlicet antecedit

Communio

Communionem, ac proinde tranſacta Communione, definit obligare: quatenus autem eſt negatiuum, tantùm habet locum cùm rurſus eſt communicandum, vt patet ex tenore præcepti, *ne communices ſine Confeſſione*: ſiue igitur quis iuſta de cauſa diſtulerit Confeſſionem, ſiue non, extinguitur obligatio.

Sacerdos tamen celebrans ſine præuia Confeſſione lege Eccleſiaſtica tenetur quamprimùm confiteri: patet ex Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 7.* nam lex illa de nouo lata eſt à Concilio, vt eius Confeſſio qui ob vrgentem neceſſitatem celebraſſet, non diu differretur, vt diximus *tom. 1. verb. Communio, n. 39.* cum Doctoribus ibi citatis. Conc Trid.

16. Diſpoſitio corporis in communicaturo poteſt eſſe vel poſitiua, vel priuatiua: poſitiua, vt in veſtitu, corporis compoſitione, geſtu & ſitu, &c. priuatiua, vt carentia maculæ, abſtinentia cibi & potus, &c. Quo poſito dicendum eſt, primò quòd laico neceſſaria eſt honeſta corporis compoſitio & veſtitus, ac reuerentialis ſumptio, prout præſcribit ius naturale, præſuppoſita inſtitutione, tam excellentis Sacramenti. Probatur, quia à Chriſto & Eccleſia nihil eſt in hac re præſcriptum, ergo recurrendum eſt ad ius naturale, quod dictat cum magna reuerentia per modum adorationis hoc Sacramentum eſſe ſumendum, ita tamen, vt nullæ extraordinariæ deuotiones introducantur, ſed quiſque vtatur modo in Eccleſia ſua recepto; ſecluſo tamen ſcandalo & contemptu, non videtur in hac re graue peccatum poſſe interuenire.

Secundò, Sacerdoti extra Sacrificium communicanti, neceſſaria eſt ſtola. Ita præſcribitur *cap. Eccleſiaſtica, diſtinctione vigeſimatertia.* Ex Concil. Bracarenſ. quod quamuis Nauarrus *in Manual. cap. 21. numero quinquageſimoquarto*, intelligat de Sacerdote ſacrificante, tamen Concilium manifeſtè loquitur ſub diſiunctione, ſiue ſacrificet, ſiue communicet, & ita vſus videtur obtinuiſſe: non tamen cenſetur peccatum mortale, ſi quis vel ob infirmitatem, vel aliam cauſam etiam leuem id omittat; quod etiam ex vſu Eccleſiæ colligitur: nam neque Epiſcopi puniunt aliter facientes, & viri pij facilè id omittunt, quando commodè ſeruari non poteſt. Non temerè tamen negligendum eſt, & iuxta Concil. ſtola in formam crucis complicari debet. Ita Suarez *in 3. p. tom 3. diſp. 68. ſect. 1.* Regi-naldus *lib. 29. num. 112.* & alij. Nauarrus. Suarez. Reginald.

17. Corporalis fœditas per ſe non impedit ex neceſſitate ſacram Communionem. Ratio eſt, quia talis defectus corporis, nili coniunctus ſit cum peccato tanquam cum cauſa, vel cum effectu ipſum comitante, nihil refert ad honeſtatem morum, nec pertinet ad bonitatem, vel malitiam moralem, ideoque non debet de ſe cenſeri obex Sacramenti, tanquam repugnans illius ſanctitati, aut diuinæ gratiæ, quæ eſt effectus illius primarius. Et certè durum eſſet, eum, qui perpetuam haberet maculam, ſemper, aut longo tempore priuare hoc Sacramento ſalutis, exiſtentem alioquin puræ mentis ac vitæ inculpabilis. Præterea vel huiuſmodi macula iam eſt omninò præterita, vel adhuc durat, ſi præterita eſt, nec impedire poterit ſacram Communionem, nec indecentiam afferre, cùm iam non ſit. Si enim peccatum mortale & macula eius, quæ ſunt iàm omninò præterita & ablata, non impediunt ex neceſſitate, multò minùs impediet corporalis fœditas, ſeu macula præterita, quæ iam omninò extincta eſt, ſeu ablata. Quod ſi macula temporalis ſit quæ breui auferenda ſperetur, eaque videatur aliquam indecentiam afferre, ad reuerentiam huius Sacramenti pertinebit, priùs illam auferre, aut per breue tempus expectare, donec auferatur: & interdum eſſe poterit culpa venialis hoc negligere, mortalis verò non erit ſecluſo ſcandalo & contemptu: & in hoc ſenſu intelligendi ſunt Sancti Patres, qui docent, tam corporis, quàm mentis puritatem requiri ad huius Sacramenti ſuſceptionem. Ita D. Thomas *3. p. quæſt. 80. art. 7. ad 3.* & communiter Summiſtæ *verb. Euchariſtia, & verb. Communio.* D. Thom.

18. Corporalis macula propter effectus aliquos ex illa reſultantes, poteſt aliquando impedire ſacram Communionem, non ex neceſſitate & præcepto, ſed ex congruitate, & de conſilio, ſecluſo ſcandalo & contemptu: ad cuius probationem facit *cap. Tua nos, de Cleric. ægrot.* in quo præcipitur, vt Sacerdos leproſus abſtineat ab altaris miniſterio, propter ſcandalum & horrorem populi. Accedit ratio, quia interdum propter corporis defectum, aut maculam homo impeditur ne poſſit ita ſe diſponere, vt cum debita deuotione & reuerentia ad Euchariſtiam accedat: nimirum quia reddit illum ad res diuinas & ſpirituales tractandas ineptum, vel magnam mentis diſtractionem generat, variaſque cogitationes ſuggerit. Quod quando contingit, conſultum eſt tantiſper Euchariſtiam differre, aliàs ſæpe erit peccatum veniale non facere. Ita ex D. Thoma & alijs Suarez *cit. ſect. 2.* Reginaldus *cit. num. 113.* Suarez. Reginald.

19. Iure diuino prohibitum non eſt ſacram Communionem ſumere poſt cibum & potum: conuenienter tamen ab Eccleſia præceptum eſt, vt tantùm à ieiunis ſumeretur. Prior pars patet ex eo quòd tale ius diuinum, nec ſcriptum nec traditum habeatur; nec ex Chriſti inſtitutione colligatur, aut ex natura rei: quia Chriſtus illam porrexit diſcipulis poſtquam cœnatum eſt: nec tale quid eſt res de ſe mala. Poſterior pars conſtat ex Eccleſiæ vſu ab Apoſtolis accepto, vt traditur *in cap. Liquido, de conſecrat. diſtinctione ſecunda*, & plurium Patrum & Conciliorum auctoritate. Nec obſtat prædictum Chriſti factum: quia non fuit, vt ipſum in eo imitaremur, ſicut nec cùm circumcidi aliaque legalia ſeruare voluit. Tum etiam ex reuerentia huic Sacramento debita: quæ inde inſtruuntur fideles corpus Domini diiudicare, ſeu diſcernere à communibus cibis: & ſic vitatur periculum vomitus, menſque ſit liberior & expeditior ad res diuinas cum deuotione tractandas. Vide Suarez *diſputatione 68. ſect. 3. dicto 1.* Suarez.

20. Dubium eſt inter Doctores an ſumere terram & traijcere in ſtomachum, vel ob delectationem, vel ob minuendum colorem, vt faciunt fœminæ, ſoluat naturale ieiunium neceſſarium pro ſumenda Euchariſtia? Affirmant quidam, quando fit ob delectationem, vel ob minuendum colorem. Ita De la Crux *in director. part. 2. de Euchariſt. quæſt. 9. dub. 4. concluſ. 2.* Diana *part. 2. tract. 14. reſolut. 52.* Ioannes autem de Lugo *de Euchariſt. diſp. 15. ſect. 2. num. 32.* ait ſe de hoc dubitare. Cæterum dicendum eſt quod ſpectat ad ſumptionem terræ, quando fit cum delectatione, non frangere ieiunium naturale. Ratio eſt, quia cùm nullo modo ſit cibus ex natura ſua, nec etiam eiuſdem ſumptio opponi poteſt cum ieiunio naturali, cum quo ſolum quod habet rationem cibi opponitur. Nec obſtat, quòd fiat cum delectatione: quia delectatio non facit, quòd ſit cibus: quia cibus primò & per ſe dicit quòd ordinetur ad conuerſionem in ſubſtantiam viuentis, ſine quo non poteſt aliquid habere rationem cibi. Si dicas, ex eo, quòd ſumitur cum delectatione De la Crux. Diana. Lugo.

argui, quod habeat rationem cibi: quia cùm ſit delectatio pertinens ad guſtum, eſt proprietas cibi. Sed hoc non rectè procedit, quia non omnia quæ ſapida ſunt, habent rationem cibi, vt patet in ſulphure; guſtus enim habet vim perceptiuam ſaporis, vt ſciat diſcernere quæ noxia & quæ non noxia ſunt: vnde non ſtatim quòd aliquid eſt ſapidum, eſt etiam cibus, præſertim ſi ſit ſapidum ex mala affectione palati; vt contingit, quando terra ipſa eſt ſapida. Quando autem ſumitur terra ob minuendum colorem, & ſic videtur ſe habere per modum medicinæ & ideirco ſoluere ieiunium. Sed neque tunc ſoluit ieiunium; quia nec eſt cibus, nec propriè medicina: ſemper enim eſt elementum primum, quod non eſt alterabile à ſtomacho, quamuis ſecundùm aliquas tenues particulas diffundatur cum ſanguine per totum corpus. Medicina enim ſemper continet aliquas partes, quæ ex natura ſua poſſunt habere rationem cibi, & conuerti in ſubſtantiam viuentis: & ideò ſoluit naturale ieiunium. Ita probabiliter Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ.* 315. Paſqualig.

21. Communis ſententia eſt, ſi quis reſpirando traijciat aliquid, quod poſſit eſſe cibus, vt culicem, non ſoluere naturale ieiunium, nec impedire ſacræ Communionis ſumptionem, ſiue attrahatur per os, ſiue per nares. Ratio eſt, quia ad ſoluendum ieiunium naturale requiritur comeſtio, aut potatio: vt autem interueniat comeſtio, aut potatio, debet interuenire nedum materia comeſtibilis, aut potabilis, ſed etiam actio comeſtiua, aut potatiua. Quando autem attrahitur aliquid per reſpirationem, ſiue per os, ſiue per nares, non interuenit actio comeſtiua, aut potatiua, ſed reſpiratiua; & ideò non ſoluitur ieiunium, quia non adeſt comeſtio, aut potatio. Ita Nauarrus *in Manual. cap.* 21. *num.* 53. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *reſolut.* 37. & *part.* 5. *tract.* 13. *reſolut.* 1. Lugo *diſp.* 15. *de Euchariſt. ſect.* 2. *num.* 34. & alij communiter. Nauarrus. Diana. Lugo.

Sed dubium eſt, ſi non caſu, ſed ex intentione aliquid attrahatur per reſpirationem? Tabiena enim *verb. Communicare, quæſt.* 45. *num.* 51. videtur ſentire, quòd neque adhuc ſoluatur ieiunium. Sed mihi dicendum videtur diuerſam eſſe rationem ſi attrahatur per os, vel per nares. Si enim attrahitur per os, violat ieiunium naturale: quia licet actio & motus reſpirationis non ſit actio manducatiua, aut potatiua (quia non eſt ordinata à natura ad tranſmittendum cibum, aut potum in ſtomachum) ordinatur tamen in hunc finem ab ipſo reſpirante; & ideò vt ſtat ſub intentione ipſius induit rationem talis actionis: vnde moraliter cenſetur actio manducatiua, vel potatiua; & ideò cùm materia interueniat & actio debita, interuenit etiam manducatio, aut potatio. Si verò attrahatur per nares, non violatur ieiunium: quia nares non ordinantur ad tranſmittendum aliquid in ſtomachum, ſicut ordinatur os, ſed per accidens eſt, ſi quid per ipſas ingreſſum deſcendat ad ſtomachum: vnde neque intentio, quæ facit vt aliquid attrahatur per nares, poteſt eſſe intentio per ſe aliquid tranſmittendi in ſtomachum: quia intentio per ſe eligit media per ſe ordinata ad finem, vnde ſi talis intentio eſſet per ſe, eligeret os, & non nares. Dum autem intentio non eſt per ſe, nec actio eſt ex natura ſua manducatiua, aut potatiua, nec interueniet comeſtio, aut potatio, atque adeò nec violatio ieiunij naturalis. Hinc aqua hauſta per nares non ſoluit naturale ieiunium, vt tenent Suarez 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 68. *ſect.* 4. Fagundez *de præcept.* 3. *Eccleſ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 11. *verſ. Hoc ſuppoſito*, Bonacina *de Sacrament. diſp.* 4. *q.* 6. *punct.* 2. *num.* 6. & alij. Tabiena. Suarez. Fagundez. Diana. Bonacina.

Hoc tamen limitandum eſt, niſi fortè quis aſſuetus ſit per nares attrahere, & in ſtomachum traijcere liquores: quia tunc, ſi deditâ operâ id faciat, ſoluet ieiunium: quia licet illa actio non ſit ex natura ſua potatiua, eſt tamen talis ex inſtitutione & conſuetudine attrahentis: nam naribus vtitur loco oris, & ideò cenſetur moraliter potum ſumere.

22. Quidam cenſent ieiunum deglutientem caſu & præter intentionem bonam quantitatem aquæ, non ſoluere ieiunium naturale, & ſic poſſe ſacram Communionem ſumere; & idem dicendum eſſe de cæteris liquoribus, vt ſi quis caderet in dolium vini, aut olei: fundatur hæc ſententia in eo, quòd, vt aliquid ſumatur per modum cibi, ſumi debet ex intentione, & non caſu. Ita Tabiena *verb. Communicare, quæſtione* 45. *num.* 51. Communis tamen ſententia oppoſitum ſentit, & ideò tenenda. Ratio eſt, quia cùm magna quantitas deglutiatur, non poteſt illa actio induere rationem alterius actionis, quàm potationis; quantumuis violentæ & præter intentionem: eſt enim motus quo per ſe primo aqua, vel alius liquor traijcitur in ſtomachum. Nec poteſt dici quòd ſit reſpiratio, aut deglutio ſaliuæ: quia in his actionibus quod per ſe primò deſcendit ad ſtomachum non eſt materia potabilis, ſed aut aër, aut ſaliua. Cùm ergo hîc interueniat actio potatiua, meritò ſoluitur ieiunium. Ita Nauarrus *in Manual. cap.* 21. *num.* 53. Toletus *lib.* 2. *cap.* 1. *num* 3. Sylueſter *verb. Euchariſt.* 3. *quæſt.* 6. *num.* 8. Suarez *tertia parte, tom.* 3. *diſput.* 68. *ſectione* 4. §. *Tertiò infertur*, Vaſquez *tertia parte, diſp.* 211. *cap.* 3. *num.* 29. & alij communiter. Tabiena. Nauarrus. Toletus. Sylueſt. Suarez. Vaſquez.

Sed petes, an cenſendum ſit ſeruari ieiunium naturale, ſi aqua, aut alius liquor ſic hauſtus ejiciatur è ſtomacho? Reſpondet Reginaldus *libro* 29. *num.* 118. *in fine*, negatiuè, quia ex hoc non ceſſat ratio potus ſumpti. Dicendum tamen videtur, ſi probabiliter iudicetur eſſe eiectum totaliter illum liquorem, poſſe cenſeri adeſſe naturale ieiunium: quia non violatur, niſi per cibum & potum; tunc autem ille liquor, cùm ingrediatur in ſtomachum præter intentionem & ab ipſo ejiciatur, non habet rationem potus, ſed potiùs cuiuſdam lauationis, quâ ſtomachus lauetur. In hoc tamen cautè procedendum eſt & conſiderandæ circumſtantiæ, vt poſſit iudicari, an totus liquor ſit eiectus: ſi enim aliquo tempore permanſerit in ſtomacho, aut ſit facilè alterabilis, non poterit cenſeri totus eiectus, ſed ſemper aliquam particulam alteratam fuiſſe: & ideò tutius eſt tunc à ſacra Communione abſtinere. Reginald.

23. Non ſoluitur ieiunium naturale, ſi aliquid cibi, vel potus intret in conductum reſpirationis, & ejiciatur, & hoc verum, etiamſi fiat per actionem manducatiuam & ex animo manducandi, aut potandi. Ratio eſt, quia dum deſcendit non in ſtomachum, ſed in canalem reſpirationis, non completur manducatio, aut potatio; quia non eſt in termino, niſi fiat tranſmiſſio in ſtomachum: vnde deſcenſus cibi, aut potus in ſtomachum eſt pars manducationis, quâ ſublatâ, non frangitur ieiunium, cùm ſoluatur ſolùm per completam manducationem, aut potationem. Ita Paludanus *in* 4. *d. ſimct.* 8. *quæſt.* 2. *artic.* 2. *concluſ.* 3. *in fine*, Perſicus *lib.* 2. *de offic. Sacerdotis, cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 53. Paludanus. Perſicus.

24. Non impeditur ſumptio ſacræ Cõmunionis

nec

nec ſoluitur ieiunium naturale, ſi dum præguſtatur vinum, cibus aliquis, aut aliquid aliud ad percipiendum ſaporem & expuitur, ſi remaneat aliquid ſaliuæ permixtum & deſcendat in ſtomachum. Ratio eſt, quia in hoc caſu non interuenit nec comeſtio, nec potatio; ſed fit quoddam experimentum ſaporis, & per accidens eſt, quòd aliquæ reliquiæ rei præguſtatæ deſcendant in ſtomachum: deſcendunt enim non per modum cibi, aut potus, ſed per modum reſpirationis, aut ſaliuæ, nempe, per actiones, aut reſpiratiuam, aut tranſmiſſiuam ſaliuæ ad ſtomachum. Ita D. Thomas 3. *part. quæſt.* 80. *artic.* 8. *ad* 4. quem ſequuntur *Nauarrus, Tabiena, Sylueſter, Rodriguez, Suarez, Vaſquez*, & communiter Doctores. Nec eſt neceſſe quòd huiſmodi reliquiæ præconuertantur in ſaliuam, ſed etiamſi maneant in ſua ſubſtantia: quia non eſt neceſſaria iſta præconuerſio, vt tollatur ratio manducationis, aut potationis, quæ ſufficienter tollitur per id, quod non adſit actio manducatiua, aut potatiua; & ideò non adeſt, quia fit tranſmiſſio in ſtomachum per actionem tranſmiſſiuam ſaliuæ. Ita ſentiunt Gaſpar Hurtado *diſp. 9. de Euchariſt. diſſic. 5. verſ. Obſeruandum*, Sylueſter *verb. Euchar. 3. quæſt. 6. num. 8. in fine*, Suarez 3. *p. tom. 3. diſp. 68. ſect. 4. §. Tertiò infertur*, & alij.

D. Thom. Nauarrus. Tabiena. Syluest. Rodriguez. Suarez. Vasquez.

Gasp Hurt. Sylvest. Suarez.

25. Ante ſumptionem ſacræ Communionis licet aromata ori imponere & dentibus conterere ad confortandum caput, vel in alium finem. Ratio eſt, quia etiamſi dentibus conteratur: non habetur completa comeſtio, ſed tantùm inchoatio quædam: tunc enim ſolùm comeſtio completur, quando cibus tranſmittitur in ſtomachum; nam comeſtio eſt actio ordinata ad communicandum ſubſtantiam nutritiuam viuenti, vt poſſit nutriri; & ideò debet conſtituere cibum in ſtatu proximo, vt poſſit conuerti in ſubſtantiam viuentis; quod non fit, niſi traducatur in ſtomachum. Ita Bonacina *de Sacrament. diſput. 4. quæſt. 6. punct. 2. num. 9.* Coninck 3. *part. de Sacram. quæſt. 80. art. 8. num. 48.* Mercerus *ibid. notab. 1.* Si autem aliquid de his aromatibus præter intentionem deſcendat cum ſaliua in ſtomachum, adhuc licet Euchariſtiam ſumere: quia quod deſcendit in ſtomachum, non deſcendit per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ: tum quia eſt ipſi immixtum, & veluti ab ipſa abſorbetur, atque adeò moraliter cenſetur ſaliua: tum quia non ſtat ſub actione manducatiua, ſed tranſmiſſiua ſaliuæ in ſtomachum. Ita Fauſtus *lib. 1. de Sacram. Euchariſt. quæſt. 381.*

Bonacina. Coninck. Mercerus.

Fauſtus.

26. Quidam putant ſumptionem tabachi in puluere, aut in folio ſoluere ieiunium naturale. Ratio illorum eſt, quia ad ſoluendum ieiunium naturale non requiritur quòd ſumatur aliquid verè comeſtibile, aut potabile; ſed ſufficit, quòd aliquid mittatur in ſtomachum; ſemper autem aliquid tabachi deſcendit in ſtomachum, ergo. Hæc ſententia non eſt vera, vt ex dictis in præcedentibus patet: quia ieiunium naturale non ſoluitur, niſi per ſui oppoſitum; non opponitur autem niſi cum comeſtione & potatione, quæ requirunt cibum, aut potum, & actionem comeſtiuam, aut potatiuam. Et ita videtur eſſe communis ſenſus Doctorum; cùm nemo de hoc ſcrupulum ſibi faciat, neque etiam cæteri, qui tabacho non vtuntur, aliis ſcrupulum injiciant. Ratio eſt, quia ſiue ſumatur in folio ſiue in puluere, ſemper per nares attrahitur & ordinatur ad caput: vnde nec interuenit actio comeſtiua, nec quidquam ordinatur ad ſtomachum. Et ſi quid in ſtomachum deſcendit, id eſt per accidens, & non deſcendit per modum cibi; cùm deſcendat, aut ratione reſpirationis, aut ratione alterius rationis, quæ non eſt comeſtio. Si autem ſumatur in folio per os, & aliquid in ſtomachum deſcendat, certum eſt, quod ſoluat ieiunium; quia deſcendit in ſtomachum per modum cibi, aut medicinæ. Si verò ſumatur, vt tantùm dentibus conteratur, aut vt permaneat per aliquod tempus in ore, non ſoluit ieiunium. Et ſi caſu quid minimum deſcendat in ſtomachum præter intentionem, eadem eſt ratio & idem dicendum, quod diximus numero præcedenti de aromatibus, dum dentibus conteruntur.

Si autem ſumatur in fumo, nec ſoluet ieiunium, nec impediet ſumptionem ſacræ Communionis: quia fumus non eſt cibus, nec potus: vnde nec actione comeſtiua, aut potatiua aſſumi poteſt, ſed tantùm per attractionem reſpirationis, & non per modum cibi, & proinde non frangit ieiunium. Nec refert quòd fumus nutrire poſſit; ex hoc enim non licet inferre, quòd ſoluat ieiunium: quia etiam humores, qui ex capite deſcendunt in ſtomachum, nutrire poſſunt, nec tamen ſoluunt ieiunium; quia non deſcendunt in ſtomachum per actionem ordinatam ad comeſtionem. Ita multi apud Dianam *part. 5. tract. 13. reſolut. 1.* citati, quibus adde Præpoſitum *tertia parte, quæſtione 80. artic. 8. dub. 1. num. 39.* Paſqualigum *in deciſ. moral. deciſ. 333. & 334.* Cardin. Lugo *in reſponſ. moral. lib. 1. dub. 9.*

Diana. Præpoſitus. Paſqualig. Lugo.

Cæterum quamuis ſumptio tabachi, vt dictum eſt, non frangat ieiunium naturale, niſi quando per os ſumitur & in ſtomachum tranſmittitur in folio, tamen id non parum indecens eſt, & conſuetudo illa planè ableganda eſt à Sacerdotibus & Miniſtris altaris, tum ob periculum illud traijciendi in ſtomachum, tum ob irreuerentiam & prauam conſuetudinem, quæ etiam plebeis ſcandalum & malum exemplum ingenerare ſolet: vnde in nonnullis diœceſibus id prohibitum eſſe audio; & tunc obſeruanda eſt Sacerdotibus Conſtitutio Epiſcoporum diœceſana. Vide Dianam iterum *part. 10. tract. 16. reſolut. 24.* vbi docet ſumptionem tabachi in Eccleſia Diui Petri Romæ & eius portico; item in Ciuitate & Diœceſi Hiſpalenſi in Hiſpania, eſſe peccatum mortale, ſtantibus prohibitionibus S. D. N. Innocentij X. & Vrbani VIII. An autem hæc prohibitio, tam rigoroſa extendi debeat etiam ad alias Eccleſias orbis? Affirmat Paſqualigus *in queſtionibus Canonicis centur. 2. quæſt. 175.* Negat Card. Lugo *loco citato num. 7.* quem ſequitur ipſe Diana: qui tamen monent ſine irreuerentia aliqua loci ſacri id fieri non poſſe.

Diana. Paſqualig. Lugo. Diana.

27. Ignorantia poteſt aliquando excuſare accedentes non ieiunos ad ſacram Communionem, etiamſi ſint Sacerdotes: contingere enim poteſt, quòd perſonæ ſimplices, etiamſi ſint Sacerdotes, putent, quòd ea, quæ non ſoluunt ieiunium Eccleſiaſticum, neque etiam ſoluant ieiunium neceſſarium pro ſumenda Euchariſtia: & proinde ante ſumptionem Euchariſtiæ ſumant aliquid aromaticum, vel ad confortandum ſtomachum, vel ob aliam cauſam. Et hi excuſantur à peccato. Ratio eſt, quia vbi non eſt voluntarium, ibi non eſt peccatum: & vbi eſt ignorantia, ibi non poteſt eſſe voluntarium: in iſto autem caſu ſupponitur ignorantia quod ſumptio harum rerum ſoluat ieiunium ſeruandum ante ſumptionem Euchariſtiæ; & proinde is non accedit voluntariè cum impedimento ad ſumendam Euchariſtiam. Atque ignorantia, quamuis videatur craſſa, quia poteſt facilè expelli, non eſt tamen culpabilis; quia iſte talis putat ſe ſcire omnia, quæ debet ſcire in ordine ad

ad sumptionem Eucharistiæ: & quod sufficiat ieiunium, quale ipse seruat, nec de oppositio habet aliquod dubium. Idem dicendum est de inaduertentia: quia eadem est ratio, cùm vtraque reddat actum inuoluntarium. Ita Armilla *verb. Communio, num.* 2. Armilla. Caietanus *in Summ. verb. Communio*, & alij. Caietanus.

28. Dubium est, an perturbatio mentis orta ex indigestione, vel vigilia noctis, impediat celebrationem, aut sumptionem Eucharistiæ? Videtur affirmare Diuus Thomas *tertia parte, quæstione* 80. *articulo* 8. *ad* 5. D. Thom. Alij autem volunt ex consilio tantùm esse abstinendum. Ita Nauarrus *in Manual. cap.* 21. *numero quinquagesimotertio*, ita interpretans Diuum Thomam. Nauarrus. Alij denique volunt esse peccatum mortale, si adsit periculum vomitus, aut alterius irreuerentiæ. Mihi tamen dicendum videtur, diuersàm esse rationem de sumptione Eucharistiæ, ac de celebratione: si enim perturbatio mentis non sit talis, vt probabiliter timeatur irreuerentia aliqua notabilis, & quæ redundet in Sacramentum, non adest ratio, cur impediat sacram Communionem: secus autem si adsit periculum. Ad celebrationem autem non solùm debet attendi periculum irreuerentiæ, sed etiam debet considerari, an perturbatio sit talis, vt possit impedire, ne Sacerdos debito modo celebret: quia si perturbatio sit talis, vt probabiliter timeatur graue impedimentum, aut circa attentionem, aut circa prosecutionem, peccabit mortaliter qui se exponet tali periculo. Secus si absit tale periculum.

Vide v. Concubinarius *n.* 7. Confessio *n.* 1. 2. & 3. Debitum coniugale 1. *n.* 9. Interdictum *n.* 24. Iubilæus *n.* 7. Parochia *n.* 7.

COMPENSATIO.

SVMMARIVM.

1 *In quibus casibus exceptio compensationis habeat locũ.*
2 *In quibus non.*
3 *An in iuramento implendo liceat vti compensatione?* Refertur duplex sententia.
4 *Qui iurauit cum intentione compensandi, potest recompensare, etiamsi in verbis nihil expressérit præter promissionem.*
5 *In foro externo admittitur etiam compensatio pro solutione debiti, seu promissi iurati, vti manifestè constat non fuisse per iuramentum exclusam compensationem.*

1. COmpensatio non est actio, sed acceptio, qua is qui pro debito aliquo conuenitur ab alio, illi excipit & opponit debere tantumdem, aut plus, aut partem. Hinc exceptio compensationis habet locum in sequentibus casibus. *Primò*, quando id quod actor debet reo conuento, est debitum naturale, & non ciuile; actor enim tenetur illud compensare cum debito ciuili & naturali, quod ipse exigit, *l etiam, ff. de compensat.* quia licet ex debito solùm naturali non detur actio, conceditur tamen exceptio, & ideò compensatio. *Secundò*, habet vim contra executionem sententiæ, quæ transit in rem iudicatam, si enim condemnatus soluere cogatur ea executione, quod iudicatum est, hoc ipso quod opponitur exceptio compensationis, habet vim liberandi eum, qui illam opponit ab obligatione soluendi creditori, æqualem quantitatem alterius debiti quam petit. *Tertiò*, quando vtrimque debetur id quod consistit in pondere, numero, & mensura, & est eiusdem rationis & speciei, æqualis tamen bonitatis & valoris: *Quartò*, socius debitor societati ob damnum aliquod suâ culpa subsecutum, compensare potest cum debito, quod ipsi societas deberet, *l. Ambo, ff. de compensat. Quintò*, fideiussor alicuius compulsus soluere pro eo, compensare potest, si quid creditor ei debebat, hoc est principali: nam exceptio quæ competit debitori principali aduersus creditorem, competit etiam fideiussori. Præterea compensare potest, si quid creditor debeat ipsi fideiussori, *l. verum, l. si quid, ff. de compens.* vide Molinam *tract. 2. disp.* 560. *num.* 17 *& sequent.* Molina.

2. In sequentibus euentibus locum non habet compensatio. *Primus*, si aliquid debeatur fisco, vel Principi, vel communitati ad reparationem murorum, fontium, pontium, vel similium, vel ad victualia & stipendia militum, vel ad aliud quodcumque tributum, *l. in ea, iunct. Glossa. Cod. de compensat. Secundus*, quando aliquis condemnatur, vt aliquid reddat alicui ob vim illatam, furtum, aut aliud maleficium; quamuis enim hic illi debeat, locum non habet compensatio, idque in odium delicti commissi. Ita habetur *c. vlt. in fine, iunct. Glossa, Cod. de compensat.* Excipitur nisi debitum esset ex simili maleficio: nam tunc locum haberet compensatio quoad ipsa huiusmodi debita tantum inter se collata. *Tertius*, in depositio, iuxta dicta *tom. 1. hoc verb. n.* 2. *Quartus*, quando debentur alimenta, id enim debitum non compensatur. Ita Molina *supra n.* 25. Layman *lib. 3. tract. 2. cap. 9. n. 9.* Molina. Laymã.

3. In iuramento implendo non licet vti compensatione, verbi gratia, quis iurauit realiter soluere & ita intendit. Ratio est, quia hoc exigit veritas iuramenti, & licitè impleri potest, ergo seruandum est. Tum quia quoad forum conscientiæ, totum hoc pendet ex intentione iurantis. Tum quia *in cap. ad nostram 1. de iureiurando* dicitur, vt qui pecuniam mutuò accepit dato pignore, cum iuramento non recipiendi pignus, donec pecuniam solueret, obligatur ex vi iuramenti ad soluendam pecuniam priusquam pignus exigat, nulla facta compensatione, nec in totum, nec in parte fructuum ex pignore perceptorum à mutuatario. Cuius responsi non potest alia esse ratio, nisi quia iuramentum est implendum in forma, qua factum est absque compensatione. Et in hoc casu maximè locum habet communis Canonistarum opinio apud Gutierrez *parte tertia, de iurament. confirmatorio, cap.* 6. Quamuis Bartolus *in leg. Amplius, ff. Rem ratam haberi*, sustineat posse iuramentum adimpleri per æquiualentem compensationem: & hanc opinionem sequuntur frequentiùs Legistæ: quam esse in conscientia securam docet Syluester *verb. Iuramentum 4. quæst. 27.* sequitur Azorius *tomo primo, libro vndecimo, cap. 8. quæstione decima.* Ratio illorum est, quia qui promittit alteri decem, videtur subintelligere conditionem. Si tu mihi altera decem solueris, quæ debes. Hæc sententia non est improbabilis. Gutierrez. Bartol. Sylueſt. Azorius.

4. Qui iurauit cum intentione compensandi, non tenetur realiter exhibere, quod promisit, sed potest recompensare, etiamsi in verbis nihil expressérit præter formalem promissionem: imò neque etiam peccauit cum tali intentione promittendo. Ratio est, quia iuramentum non obligat, nisi iuxta intentionem sub qua fit, sed in eo casu promittens non intendit iurare præcisam solutionem, sed extendendo illam ad compensationem, vel remissionem æqualis debiti, ergo non amplius obligatur. Et licet non declarauerit id verbis, tamen ea recipiunt declarationem ex intentione, & præterea in verbis dandi, vel soluendi, est capacitas ad hanc declarationem: nullum autem

autem peccatum eſt iurare cum hac intentione; quia nec continet iniuſtitiam, quia compenſatio ſupponitur iuſta, nec continet mendacium, quia verba ſunt capacia illius ſignificationis, & eſt iuri conformis; cùm compenſatio ſecundùm ius pro ſolutione habeatur, vt conſtat ex *leg.* 4. §. *ſoluiſſe*, *de re iudic.* Sed qui iurat promittendo, poteſt ſine peccato vti verbis iuxta ſenſum iurium: ergo. Ita Suarez *de iurament. libro* 2. *cap.*37. *num.*10. Filliucius *tract.* 25. *cap.* 8. *queſt.*12. & alij. Suarez. Filliucius.

5. In foro externo admittitur etiam compenſatio pro ſolutione debiti, ſeu promiſſi iurati, vbi manifeſtè conſtiterit non fuiſſe per iuramentum excluſam compenſationem, neque hanc fuiſſe intentionem iurantis. Probatur ex *cap. ad noſtram* 1. *de iureiur.* illis verbis: *Licet autem de poſſeſſionibus illis & reddit ibus nondum ſortem, deductis expenſis, receperis.* Nam per hæc ſignificatur iniuſtè fuiſſe mutuantem excommunicatum, quia nondum ſortem receperat, quare à contrario ſenſu, ſi conſtitiſſet recepiſſe ſortem, potuiſſet meritò excommunicari, niſi pignora redderet, ſorte contentus; ergo ſupponitur in eo caſu admittendam fuiſſe compenſationem. Ratione item probatur, quia hoc eſt conſonum naturali iuſtitiæ, & nullibi prohibetur, nec in reipſa eſt contra iuramentum: cur ergo non admittetur in externo foro Eccleſiaſtico, ſi veritas ſufficienter probari poſſit. Ita Suarez *cit. num.*17. Suarez.

Vide v, Commodatum *n.* 12. Depoſitum *num.* 5. Furtum *n.*19. Sponſalia *num.*16.

COMPROMISSVM.

SVMMARIVM.

1 *Compromiſſum quid ſit? & qualis contractus.*
2 *Quando compromiſſum tranſeat in contractum nominatum.*
3 *In compromiſſo ea exprimi debent, ad quæ arbitrandum ac definiendum à compromittentibus in arbitris, aut arbitratoribus, facultas eis conceditur.*
4 *Clauſula, quæ apponi conſueuerunt in compromiſſis.*
5 *De obligatione compromiſſi celebrati ſolo pacto nudo.*
6 *Compromiſſum pactum eſt nudum interim dum à neutra parte quiſquam eſt tributum, ac traditum alteri, ratione eius pacti.*
7 *Arbitri iure ciuili communi cogi non poſſunt vlterius progredi in cauſa ſibi commiſſa, niſi pœna apposita ſit partibus non ſtantibus arbitrio.*
8 *Vt ſententia arbitri cenſeatur omologata, iure ciuili neceſſe eſt vt partes ſeſe illi ſubſcribant: iure autem Canonico ſatis ad id eſſet, ſi verbo, aut quouis alio modo in eam conſentiant.*
9 *De obligatione compromiſſi firmati ſtipulatione.*
10 *A ſententia arbitrorum iure communi non admittitur appellatio.*
11 *De compromiſſo ſtipulatione firmato, vbi ſimul pœna contrauenienti fuit apposita.*
12 *Quid iuris de compromiſſo firmato iuramento.*
13 *Licet arbitri ſententia iniuſtè partes grauaret, ſi iuramento compromiſſum fuit confirmatum, tenetur pars iniuſtè granata illi ſtare ſub peccato mortali, niſi prius iuramentum relaxetur*
14 *An detur actio iure ciuili & Canonico, quando compromiſſum eſt in aliquem arbitratorem, vt aliquid definiat in complementum alicuius contractus.*
15 *Quid iuris de compromiſſo facto in aliquem, quantum pro iniuria accepta, aut pro damno dato eſſet ſoluendum.*
16 *An ab arbitramento poſſit reclamari, quando in arbitratorem eſt compromiſſum, pœnâ ei appoſitâ, qui arbitramento non ſteterit.*

1. COmpromiſſum *eſt contractus quidam, quo aliqui mutuo conſenſu in ſententiam arbitri, aut arbitratoris reijciunt controuerſiam aliquam dirimendam, ſpondentes ſe illis paritoros.* Ex qua definitione patet, quod compromiſſum ſit contractus innominatus; quòd voluntarium & liberum vt fiat, aut non fiat; poſtquam autem factum eſt, adſtringit compromiſſarios ad ſtandum arbitrio. Hic contractus eſt oneroſus, quia vnuſquiſque compromittentium ſe adſtringit ſtare definitioni arbitrorum, aut arbitratorum; vt alter viciſſim ſimiliter ſibi adſtringat eidem definitioni ſtare. Quòd ſit innominatus patet, quia compromittere eſt ſimul ac mutuò ſibi promittere, quod conuenit etiam alijs contractibus, & proinde hic contractus non habet proprium & peculiare nomen, vt habent venditio, locatio & alij nominati contractus, ſed ſolùm per accommodationem & appropriationem. Reducitur autem ad facio vt facias, hoc eſt adſtringo me ſtare ei definitioni, vt tu ſimiliter te mihi adſtringas eidem ſtare: vel recedo à lite, meumque ius arbitrio talis, aut talium committo, vt tu idem facias. Ita Molina *tract.* 2. *diſp.* 556. *num.* 7. *&* 8. *&* *tract.*5. *diſp.* 32. Filliucius *tract.*39. *num.*71. *&* 72. Syluester *v. Arbiter.* Molina. Filliucius. Syluest.

2. Compromiſſum tranſit in contractum nominatum additâ ſtipulatione ex vtraque parte; tamen vt in contractum nominatum adiectione ſtipulationis tranſeat, neceſſe eſt, vt vterque compromittentium præſens ſit, vt dicetur infra *verb. Stipulatio.* Cùm autem contractus compromiſſi, ex parte arbitrorum, aut arbitratorum, ita vt partes audire & ferre arbitrium, ſeu arbitramentum ac definitionem teneantur, conſenſu & acceptatione eorum compleatur, quia vt habetur *l.*3. §. 1. *ff. de recept. arbitr.* Prætor neminem ad id cogit, eo quòd id liberum & abſque vlla neceſſitate ex parte illorum ſit; attamen poſtquam ſemel conſentiunt, munuſque acceptant, Prætor ſuam interponit auctoritatem, eoſque cogit, vt officium, quod in ſe receperunt, impletant. Cùm, inquam, ad eum effectum acceptatione, ſeu conſenſu arbitrorum, ſeu arbitratorum exteriùs expreſſo is contractus compleatur, ſanè arbitrorum præſentia ex eo capite idem contractus non indiget, vt ex eo pacto nudo ad id arbitri, aut arbitratores teneantur, eo modo quo id pactum nudum poteſt eos ad id obligare; ſed ſatis eſt, ſi per Epiſtolam, aut per internuncium in id conſentiant, aut alio modo abſentes ac diſtantes à compromittentibus in ipſis. Si tamen ſtipulatione ad id ſe eſſent obligaturi, neceſſaria eſſet eorum præſentia. Ita Ioannes Baptiſta *de arbitris*, *cap.*11. & poſt illum Molina *tract.*5. *diſp.*32. *num.* 4. *&* 5. Ioan. Bapt. Molina.

3. In compromiſſo ea exprimi debent, ad quæ arbitrandum ac definiendum à compromittentibus in arbitris, aut arbitratoribus, facultas eis conceditur: quia arbitrium ac definitio excedere non poteſt facultatem à compromittentibus conceſſam &

in compromiſſo contentam: ſi autem excedat, eſt nullum quoad id arbitrium ac definitio. Ita habetur *l. non diſtinguamus. §. de officio, ff. de recept. arbitr.* Poſſunt tamen clauſulâ multa comprehendente, exprimi ea multa in eo compromiſſo, vt ſi dicatur compromittimus in talem, aut in tales quæſtiones omnes, quæ inter nos ſunt, aut ſimilis alia clauſula multa comprehendens apponatur, *l. ſi cum dies, §. plenum, ff de recept. arbitr.*

4. In compromiſſis *Primò* apponi conſueuerunt clauſulæ, quòd arbitri procedant non ſeruatâ formâ & ſolemnitatibus iudicij, ſed ſummariè & de plano, ſine figura iudicij, ſeruatâ tantùm æquitate: quæ clauſulæ validæ ſunt & vim habent; quia arbitri à partibus habent totam poteſtatem inter ipſas eo modo iudicandi, & modum, quem ſeruare in iudicando inter eas poſſint, aut debeant, præſcribere poſſunt, remittendo illis de forma iudicandi, quod voluerint.

Secundò, quando aliqui dicerent ſe compromittere in aliquem, vt in arbitrum & in arbitratorem, nihil aliud adijciendo, nec exprimendo modum, quem in procedendo ſeruare deberet, niſi ex circumſtantijs concurrentibus perſpicuè intelligeretur partes eis verbis aliud intendiſſe, relicta eſt ei optio, vt ſeruatâ iudicij formâ vel non ſeruatâ procederet, provt veliet: talis enim modus loquendi ortum habuit ex frequenti opinione Doctorum, quod id ſit diſcrimen inter arbitrum & arbitratorem, quòd arbiter ſeruare debeat formam & ſolemnitates iudicij, non autem arbitrator.

Tertiò, quando in aliquem vt in arbitrum compromitteretur, nihilque exprimeretur vnde intelligeretur vt procederet non ſeruatâ iuris formâ, illam omnino ſeruare teneretur in procedendo & arbitrando, iuxta *l. 1. ff. de recept. arbitr.* & communem Doctorum ſententiam: alioquin inualida eſſent, quæ talis arbiter ageret, eâ integrè non ſeruatâ.

Quartò, quando verò partes compromittunt in aliquem cum facultate vt procedat non ſeruatâ formâ iuris, ſed tantùm æquitate & ſine ſtrepitu iudicij, tunc talis arbiter debet ſeruare ea quæ ſunt iuris naturalis, quale eſt, vt audiat partes, quæ proponere velint, eaque debet expendere & examinare quantùm ſatis eſt, vt veritatem humano more aſſequi valeat.

Quintò; quando autem partes non concederent ſolùm facultatem arbitris, vt procederent non ſeruatâ formâ iudicij, ſed etiam compromiſſo eis præſcriberent, vt eam formam non ſeruarent, tunc ſeruare non poſſent, partibus aut earum altera inuitis, formam, quam ex forma compromiſſi intelligeretur partes intendiſſe, vt non ſeruaretur.

Sextò, neque arbitri, neque arbitratores quidquam ſcienter, aut ex ignorantia craſſa & lata culpa in examinandis meritis & iure vtriuſque partis, tollere poſſunt de iure vnius partis & tradere alteri, niſi id eis à partibus ipſis efficere concedatur. Quod ſi vna pars conſentiret, vt, ad vitandos ſumptus litium, arbiter, aut arbitrator aliquid tolleret de iure ſuo & traderet alteri, tunc vtique poſſet abſque obligatione vlla ad reſtitutionem illi parti, à qua ius aliquod abſtulit, id enim egit ipſa conſentiente.

Septimò, inualidum eſt compromiſſum, quo aliquid in aliquem compromittitur, cum aſtringendo, vt in iudicando aliquem conſulat, eiuſque conſilium ſequatur. Arbiter enim liber relinqui debet, vt id iudicet quod ſibi iuſtum & æquum viſum fuerit, *l. item ſi vnus, §. item Pomponius, ff. de recept. arbitr.* Non tamen prohibentur arbitri conſulere peritiores. De his Molina *tract. 5. diſp. 33.* Filliucius *tract. 39. num. 77.* Molina. Filliucius.

5. Quando compromiſſum ſolo pacto nudo fuit celebratum, neque pœna appoſita, neque ſtipulatione, ex iure communi ciuili ex illo non oritur obligatio ciuilis illud ſeruandi, niſi ex altera parte traditione ſit impletum, atque adeo ea traditione ac impletione tranſeat ex parte illius in pactum veſtitum: ſi enim alter impleuit, habet actionem contra alterum, vt vel cogat illum implere ex parte ſua, vel ſoluere intereſſe, quod ex hoc qui impleuit paſſus eſſet, vel vt repetat quod dedit, optioque eſt ex parte eius, qui pactum impleuit, agere aduerſus alterum ad quod ex illis tribus maluerit. Tamen iure ciuili communi conceditur nihilominus retinere, quod ex tali pacto nudo ſolutum acceptumque eſt, ita quod ius ciuile actionem non concedit ad illud repetendum, cùm ex eo oriatur obligatio naturalis & in foro conſcientiæ. Præterea eodem iure communi eidem conceditur, vt ſi aliquid ex pacto nudo iuſtè teneat, quod ex debito ciuili contendatur ad ipſum non pertinere, liteque ab eo exigatur, poſſit excipere ac opponere ex pacto nudo illud ſe iuſtè retinere, neque locum iam eam litem circa id habere. Vnde naturale debitum ex ſolo pacto nudo, quamuis non pariat actionem ciuilem, parit tamen exceptionem de iure ciuili & in foro ſæculari. Ita Molina *tract. 2. diſp. 255. & 257. & tract. 5. diſp. 34. n. 1. & 2.* Molina.

6. Compromiſſum, quo aliqui in arbitros, aut in arbitratores compromittunt, atque ſe adſtringunt ſtare illorum ſententiæ, ſeu arbitrio, aut arbitramento, pactum eſt nudum interim dum à neutra parte quidquam eſt tributum ac traditum alteri ratione eius pacti. Id quod verum habet etiam poſt ſententiam ab ipſis prolatam, eſtò partes in illam conſenſerint; modò tamen nondum à partibus aliquid ſit tributum ad impletionem contractus.

Sententia autem arbitri, arbitramentumque arbitratoris, quia non procedunt ab habente iuriſdictionem, ſed ſolùm vi pacti & compromiſſi partium, nullam vim habent obligandi, quàm illam, quæ ex pacto & compromiſſo oritur, aut quam ius temporis progreſſu tribuere voluit pacto & compromiſſo conſentientibus partibus in ſententia, aut reducto iam arbitrio ad æqualitatem, in cuentibus, in quibus id locum habet, Molina *tract. 5. diſp. 34. num. 3. & 4.* Molina.

7. Arbitri, licet conſentiant in compromiſſo facto ſolo pacto nudo, iure ciuili communi cogi non poſſunt vlterius progredi in cauſa ſibi commiſſa. At ſi pœna appoſita ſit partibus non ſtantibus arbitrio, cogi à iudice ordinario, ad partium, aut ad partis petitionem poſſunt in cauſa progredi, arbitriumque proferre. Atque idem eſt, ſi partes pignora dederint, quod arbitrio ſtabunt: nam tunc illa in pœnam amittent, niſi arbitrio ſtent. Idem eſt, ſi fideiuſſores dederint, quo arbitrio & compromiſſo ſtarent: quamuis enim ex pacto nudo non detur actio de iure ciuili aduerſus paciſcentes ipſos, datur tamen aduerſus fideiuſſores datos, quod partes id pactum implebunt. Prædicta habentur *l. litigatoris, §. arbitrium, iuncta Gloſſa ibi & §§. ſeqq.* Et *l. non diſtinguamus, §. non cogetur, ff. de recept. arbitr.*

8. Quamuis de iure ciuili, vt, ſententia arbitri cenſeatur expreſsè emologata, neceſſe ſit partes ſeſe illi ſubſcribere, vt conſtat ex *l. ne in arbitris, § vlt. Cod. de recept. arbitr.* De iure tamen Canonico ſatis ad id eſſet, ſi verbo, aut quouis alio modo in eam ſententiam conſentiant, *cap. per tuas. de arbitr.* Imò eſto ſententia aliàs eſſet nulla, quia

procura-

procurator ſine ſufficiente ad id commiſſione celebraſſet compromiſſum, nihilominus ſi ſententia approbaretur à parte, cuius ille erat procurator, cenſeretur emologata: quia eo ipſo ea pars cenſeretur ratum habere antecedens compromiſſum. Ex his patet compromiſſum ex nudo pacto obligare partes ad parendum præceptis arbitrorum rationabilibus concernentibus expeditionem cauſæ, niſi iuſta cauſa ſuperueniat impedimenti ſufficientis, quæ partem id non adimplentem excuſet. Ratio huius eſt, quoniam præterquam quòd in compromiſſo ſolet exprimi, quòd ſtabitur arbitrio & ſententiæ arbitrorum, & quòd compromittentes parebunt præceptis eorum quoad neceſſaria ad cauſæ expeditionem, idipſum ſane habet natura compromiſſi in arbitros, & munus quod eo compromiſſo illis tribuitur & ab ipſis acceptatur. Hæc ex ſe conſtant *ex l. diem proferre, §. ſi quis litigatorum, ff. de recept. arbitr.*

9. Quando compromiſſum in arbitrum ſtipulatione fuit vallatum ſeu firmatum, arbiter cogitur progredi in cauſa, & arbitrium ſeu ſententiam congruo tempore ferre, latâ autem ſententia iure communi ciuili, parti quæ vult illi ſtare, conceditur actio contra alterum nolentem ei parere, vt ſoluat quantum ſua eius, in cuius fauorem lata eſt, intererat eam alteram partem illi paruiſſe. Ita habetur *l. idem proferre §. vlt. ff. de recept. arbitr.* Ratio eſt, quia ſtipulatio eſt legitimus contractus nominatus, ex quo de iure ciuili communi reſultat ciuilis obligatio, debitumve ciuile ad id omne, ad quod quis ſe eo obligauit, daturque ex eo actio ad illius integram impletionem, & in defectum impletionis ad intereſſe: eo autem compromiſſo ſtipulatione vallato partes ſe aſtrinxerunt ſententiæ arbitri ſtare, modò ſententia non contineat manifeſtam iniquitatem ac iniuſtitiam.

10. Iure communi à ſententia arbitrorum non admittitur appellatio, ſiue in compromiſſo pœna fuerit appoſita parti, quæ illorum ſententiæ non ſteterit, ſiue non vt conſtat *l. 1. Cod. de recept. arbitr.* quia illa, quatenus ſententia vim non habet obligandi, ſed ſolùm vis obligandi, vt illi ſtetur, prouenit ex compromiſſo, ac pœna in illo appoſita. Quando autem poſt ſententiam ab arbitro latam appellandum eſt, appellatur ad iudicem rei, qui ab arbitri ſententia appellat, ille enim futurus eſt executor ſententiæ arbitri. Poſtquam autem à ſententia arbitri appellatum eſt ad iudicem ordinarium, pars grauata eâ appellatione & ſententia lata ab eo iudice ordinario, poteſt vlterius appellare ad iudicem alium Superiorem, ad quem appellári ſolet à tali iudice. Ita Molina *tract. 5. diſput. 35. num. 4. & ſequentibus.* Molina.

11. Quando compromiſſum ſtipulatione fuit firmatum & ſimul appoſita fuit pœna contrauenienti ſententiæ, tunc ſi appoſita non fuit clauſula, rata manente ſententia; de iure communi, ſris, qui ea fuit damnatus, expreſsè illam emologauit, victor agit ad ſententiæ exequutionem, ſi victus eam implere moretur: quia damnatus eâ ſententiâ iam elegit potiùs illi parere, quàm ſoluere pœnam *l. diem proferre, §. vlt. ff. de recept. arbitr.*

In compromiſſo firmato ſtipulatione, appoſitâ pœnâ non ſtanti compromiſſo ac ſententiæ, ſi addita ſit clauſula, *rato nihilominus manente compromiſſo*; tunc ſecutâ ſententiâ & emologatâ expreſsè de iure communi ciuili agitur ſolùm ad ſententiæ exequutionem, ſi damnatus ſit in mora eam adimplendi, & non ad pœnam: eo quod pœna incuria non ſit? quandoquidem ſententiæ ſtetur non repugnando ac contradicendo. Si tamen minor vel Eccleſia ſe læſam eâ ſententiâ inueniret, peteretque in eo euentu beneficium reſtitutionis in integrum aduerſus eam ſententiam, tunc pœnam nullam incurreret: quia nihil impediente tali compromiſſo & clauſulâ illâ in eo appoſitâ vteretur iure ſuo ac priuilegio ciuili iure conceſſo, quod impunè ac licitè efficere poteſt.

12. Etſi compromiſſum iuramento confirmatum pareret olim obligationem ad illud ſeruandum, etiam in foro ciuili, tamen ob frequentiam periurij vetitum eſt iure Authenticorum in *Authent. decernit. Cod. de recept. arbitr.* & latiùs in *Authent. de inducibus, § quia verò.* Hinc ſecundùm Bartolum in Authent. decernit, citata. Non tenentur partes, quæ iuramento id confirmarunt, illud ſeruare. Meritò tamen Panormitanus in *cap. non ſane, de arbitr. num. 8.* & alij eam Bartoli ſententiam reijciunt. Quando enim, quod fieri cum iuramento promittitur, non eſt malum in ſe, ſed ex parte iurantis, ſeruari poteſt ſine diſpendio ſalutis æternæ, ſane prohibitio, ne id iuramento confirmetur, non tollit à iuramento vinculum, vimque obligandi, vt ſub reatu periurij ſeruetur, ac proinde ea prohibitio in cauſa non eſt, vt qui id iurauit, non teneatur ſeruare rem licitam ad quam ſeruandam iuramento ſe obligauit: ſed ſolùm efficit, vt peccauerit id ita iuramento confirmando contra legis prohibitionem. Quò fit, vt talis perinde in foro conſcientiæ ſub reatu periurij teneatur id compromiſſum ſeruare, ac ſi ea lex lata non fuiſſet. De iure autem canonico actio datur ad ſtandum compromiſſo iuramento firmato, *vt cap. non ſanè & cap. cum tempore de arbitr.* liquet. Neque de iure canonico eſt prohibitum confirmare iuramento compromiſſum, ſed potiùs id approbatur: eaque de cauſa perſonæ Eccleſiaſticæ, imò & laicæ in cauſis Eccleſiaſticis licitè id poſſunt efficere: in cauſis verò ſæcularibus laicæ peccabunt ſaltem venialiter, vt bene probat Molina *tract. 5. diſput. 35.* Bartol. Panormit. Molina.

13. Si compromiſſum fuit iuramento confirmatum, atque adeò etiam iuratum illi ſtare, eſtò arbitri ſententia iniuſtè partes grauaret, quæcumque ea eſſet; tenetur pars iniuſtè grauata illi ſtare ſub peccato mortali, niſi priùs iuramentum relaxetur: quia ſtare illi poteſt ex ſua parte ſine vllo diſpendio ſalutis æternæ. De iure tamen ciuili non datur actio ad agendum ſtare tali ſententiæ. De iure canonico in compromiſſo iurato, ſiue interuenerit ſtipulatio, ſiue non, datur actio, vt ſtetur ſententiæ arbitri. Quòd ſi adiuncta fuit pœna ei compromiſſo & arbitri ſententiæ non ſtanti, ſatis eſt partem, quæ ſtare non vult ſententiæ arbitri, ſoluere pœnam, eâque ſolutione pœnæ electâ, non tenetur ſtare ſententiæ, nihil impediente iuramento. Denique ſi compromiſſum iuramento confirmatum eſt, & promiſſum ſub eodem iuramento, quò ſtabitur ſententiæ arbitri, tunc eo ipſo cenſetur ſub eodem iuramento virtute renunciatum ſub periurij reatu petitioni reductionis talis ſententiæ ad æqualitatem, arbitrio prudentis. De his plura apud Molinam *tr. 5. d ſput. 36.* Molina. Molina.

14. Quando compromiſſum eſt in aliquem arbitratorem vt aliquid definiat in complementum alicuius cõtractus, ex quo actio de iure ciuili detur, vt quam portionẽ lucri quilque ſociorum ex contractu ſocietatis debeat accipere, quantum pretium ſolui debeat ex re vendita, ex re locata, &c. tunc eſtò compromiſſum celebratum ſit pacto nudo, non ſolùm de iure canonico, ſed etiam de iure ciuili datur actio, vt id arbitramentum executioni mandetur, nihil impediente, quòd nulla pœna fuerit ſtatuta ei, qui tali arbitramento ſtare non vellet. Si tamen

pars se iniustè grauatam eo arbitramento reperiat, tunc ei conceditur petere vt arbitrio prudentis ad æqualitatem, ad iustitiæve limites reducatur. Ita Bartolus *in l. si societatem, §. arbitrorum, ff. pro Socio num.* 14. & Doctores communiter. Secus tamen esset, si compromissum factum esset simul cum contractu modo dicto, vel firmatum esset stipulatione, iure enim ciuili non daretur actio ad illius executionem. Ita Innocentius *in cap. Quintauallis, de iureiurand.*

15. Si compromissum esset factum in aliquem, quantùm pro iniuria accepta, aut pro damno dato, esset soluendum, tunc secuto arbitramento, quod reducendum non sit ad limites iustitiæ arbitrio prudentis, datur actio de iure ciuili communi ad executionem talis arbitramenti: Quod si intra decem dies non reclametur & expresè esset emologatum & receptum à partibus, non est amplius locus reclamationi, sed executioni mandari debet: reclamatio autem quando facienda esset, fieri debet ad iudicem ordinarium, qui de ea causa cogniturus esset, si partes non compromisissent in arbitratorem, quique arbitramentum mandare debet executioni, si non reperiatur apertè iniustum, aut postquam ad iustitiæ limites fuerit reductum.

16. Quando in arbitratorem est compromissum, pœnâ ei appositâ, qui arbitramento non steterit, tunc id non impedit quo minùs ab arbitramento possit reclamari, ac peti vt ad iustitiæ limites reducatur. Atque si comperiatur culpâ caruisse eam reclamationem, quia arbitramentum iudicatur fuisse iniustum, tunc locum non habet pœna: quia vbi non interuenit culpa, locum non habet conuentionalis pœna, quæ ob culpam imponitur. Si verò arbitramentum antea latum approbetur & per consequens reclamatio ab illo reprobetur, tunc pœna incurritur. Arbitratores autem iurare possunt se verum arbitramentum laturos & partes confirmare compromissum in arbitratorem; præsertim si arbitratores ministri publici sint. Qua de re plurjbus Molina *tract. 5. disput.* 38. Hæc satis de compromisso. Vide Dicta supra *verb. Arbiter, Arbitrator, Arbitrium*, Electio *num.* 24. & 25. verb. Transactio *num.* 3. Molina.

CONCILIVM.

SVMMARIVM.

1 *Concilium quid in genere & specialim.*
2 *Tria sunt Genera Conciliorum.*
3 *Necessitas & vtilitas Conciliorum ostenditur.*
4 *Qui Concilijs generalibus interesse debeant?*
5 *Concilium generale à Papa confirmatum, non potest errare in fide, neque in moribus.*
6 *Concilia generalia ante Papæ confirmationem, possunt errare: multo magis particularia.*
7 *Concilij generalis authoritas non præponderat authoritati Scripturæ sacræ.*
8 *Concilium generale non est supra Papam, sed contra, ipse est supra illud.*
9 *Non potest Papa se subijcere sententiæ coactiuæ vllius Concilij generalis, nedum particularium.*
10 *Quænam Concilia generalia sint approbata à Sede Apostolica & à tota Ecclesia Catholica recepta?*
11 *Quæ sint reprobata, quia sauerunt hæresibus.*
12 *Concilia generalia quæ sint partim confirmata, partim reprobata.*
13 *Concilia nec manifestè probata, neque manifestè reprobata, quæ sint?*
14 *Quid iuris, de obseruatione Conciliorum.*

1. COncilium, ex nomine significat Conuentum virorum conuocatorum, vt de summa rerum deliberent. Et licet hæc vox olim omnibus huiusmodi conuentibus, etiam laicorum communis fuerit, vsus tamen loquentium Christianorum hactenus obtinuit, vt Concilium tantùm appelletur Conuentus Ecclesiasticorum Prælatorum penes quos summa in Ecclesia potestas est, vt videre est *cap. Canonus generales §. Synodum autem, Dist.* 15.

Principum verò laicorum Conuentus, ab eisdem Christianis hactenus dicuntur vna voce Comitia: & apud Romanos olim eadem voce appellati sunt Conuentus populi ad ferenda suffragia in electione Magistratuum: & in alijs grauibus negotijs. Ita Calepinus *verb. Concilium*, Bellarminus *tom.* 1. *controuers. general.* 4 *dib.* 1. *c.* 3. Apud Christianos Concilium est conuocatus conuentus Episcoporum, tanquam Præpositorum, Rectorumque Ecclesiæ Dei, ad definiendas causas difficiles, quæ ad Ecclesiæ eiusdem fidem aut mores pertinent. Synodus autem in sacris Canonibus vsurpatur etiam pro Concilio: quia significat cœtum collectum. Nonnulli tamen inter vtramque vocem distinguunt, accipientes Concilium pro generalibus: Synodum verò pro Concilijs Prouincialibus, & sic modo est in vsu. Syluester *verb. Concilium num.* 1. Bellarminus *loco citato.* Calepinus. Bellarmin. Syluest. Bellarmin.

2. Tria sunt genera Conciliorum, Primum vniuersale dicitur. Alterum Prouinciale. Tertium Diœcesanum. Vniuersale vel generale Concilium est, quod solius Papæ authoritate conuocatur: in quo ipse aut eius Legatus ad hoc specialiter deputatus præsidet; congregatis Episcopis & Prælatis, iuxta ipsius ordinationem. Hinc omne generale Concilium absque Summi Pontificis authoritate congregatum & celebratum caret authoritate, dicturque Conciliabulum, & Synagoga Satanæ. Iuxta sacros Canones, *tota Dist.* 17.

Prouinciale Concilium est, quod celebrat Archiepiscopus, conuocatis Episcopis & Prælatis suæ Prouinciæ. Quandoque hoc celebratur à Patriarcha vel Primate, aut Legato ad hoc specialiter deputato. In talibus Concilijs tantùm tractatur de ijs, quæ ad salutem animarum pertinent: & fiunt quoque vt decreta Generalium Conciliorum in ijsdem publicentur. Et Decretis illis obligantur omnes subditi illius Prouinciæ, clerici & laici, non exempti.

Episcopale Concilium, seu Synodus Diœcesana est, quam celebrat Episcopus in sua Diœcesi, conuocatis Abbatibus, Præpositis, Decanis, alijsque Ecclesiarum Curatis, quot & quibus opus fuerit; non exemptis ab eius iurisdictione. Ad huius Synodi constitutiones obligantur omnes subditi Diœcesis, exceptis exemptis. Vide Syluestrum *verb. Concilium num.* 1. Melchiorem Canum, *locor. Theologic. lib.* 5. *cap.* 3. Addit Bellarminus *loco citato cap.* 4. quartum genus Conciliorum, quod vocat Nationale; & celebratur à Patriarcha vel Primate, conuocatis Archiepiscopis & Episcopis alicuius Nationis, aut Regni. Syluest. Canus Bellarmin.

3. Necessitatem & vtilitatem Conciliorũ ostenderunt nobis Sancti Apostoli Christi: qui orta difficili quæstione conuenerunt, & collatis sententijs definiuerunt quid de ea re fideles credere, quidve obseruare deberent. *Act.* 15. Vnde ad imitationem horum, Rectores Ecclesiæ Dei, tanquam eorumdem Apostolorum successores, quoties nouæ ac difficiles quęstiones de fide ac Religione Catholica

Lici ab hæreticis hominibus doceri cœperunt, ſimiles conuentus Apoſtolicos celebrarunt; in quibus hæreticorum falſis dogmatibus condemnatis, Catholicæ fidei integritas & inconcuſſa veritas firmius ſtabilita & illuſtrior reddita eſt. Vide *cap. de quib. diſt.* 10. Deinde ad Sancta Concilia pertinet vniuerſale regimen Eccleſiæ, vt omnia ordinatè fiant in vniuerſo populo Chriſtiano, præſertim in vniuerſo clero in his quæ ad Dei cultum & vitæ innocentiam, ſanctitatemque pertinent. Vt videre eſt in omnibus reformationibus Sacri Concilij Tridentini. Porrò Concilia generalia conuocantur alijs de cauſis, quarum Prima eſt, vt Schiſma inter Romanos Pontifices. Secunda Bellum contra communem hoſtem totius Eccleſiæ. Tertia ſuſpicio hæreſis & Tyrannis incorrigibilis in Romano Pontifice. Quarta Dubitatio de electione Summi Pontificis, dijudicari poſſint. De quibus Bellarminus *citata controuerſ. general. 4. lib. 1. cap. 9. 10. & 11.* Bellarmin.

4. Vſque modò in Eccleſia Dei obſeruatum fuit, vt ſoli Epiſcopi vocarentur ad Concilia generalia, in ijſque pro ſententijs ferendis conſederent, vt patet ex actis & ſubſcriptionibus Sacrorum Conciliorum omnium. Ratio eſt, tum quia Eccleſiaſticis congruit de rebus Eccleſiaſticis iudicare & definire. Tum quia Epiſcopi in Concilio Generali congregati repræſentant Eccleſiam totam, non vt legati, aut Vicarij totius populi Chriſtiani, ſed vt Rectores & Gubernatores eiuſdem in his quæ ſunt ad Deum. Nec refert, quòd aliquando ad Concilia vocati ſint Imperatores & Reges; hoc enim factum fuit, non vt iudicarent ac definirent, ſed vt defenderent congregatos in Concilio ab inimicorum inſidijs, ac incurſionibus. Reliquis autem tum clericis tum laicis licuit ad Concilia venire, vt cum Patribus conuocatis, ſi docti eſſent, colloquerentur & diſputarent. Vide Bellarmin. loco citato *cap. 15. 16. & 18.* Bellarmin.

5. Concilium generale à Summo Pontifice confirmatum non poteſt errare in fide, neque in moribus. Ratio eſt, tum quia regitur à Spiritu Sancto, iuxta illud *Act. 15.* viſum eſt Spiritui Sancto & nobis. Tum quia habet promiſſionem præſentiæ Chriſti, iuxta illud Matth. 18. *Vbi ſunt duo vel tres Congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Tum quia tale Concilium repræſentat totam Eccleſiam, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, 1. *Ad Timoth.* 3. Negandum tamen non eſt Epiſcopos ſingulos, cùm ſoli ſunt, poſſe in aliquibus offendere, & errare: Collecti autem in tali Concilio errare non poſſunt. Vt bene Bellarminus loco citato *lib. 2. cap. 1. 2. & 4.* Imò Concilia particularia à Summo Pontifice approbata, errare non poſſunt. Ratio ſumitur ab authoritate ac priuilegio Summi Pontificis, qui in iudicio de rebus fidei & moribus Eccleſiæ, errare non poteſt. Vide Bellarminum *eod. lib. 2. cap. 5. 6. & ſequentibus.* Bellarmin.

6. Concilia generalia poſſunt errare ante Summi Pontificis confirmationem; niſi Patres in ijſdem congregati in definiendo eiuſdem ſequantur inſtructionem. Ratio eſt, quia ſunt corpora ſine capite; imò capiti repugnantia: tum quia nonnulla talia Concilia apertè errarunt: & ob id à Summis Pontificibus ſunt reprobata. Vide *cap. Regula veſtra, diſt. 17.*

Concilium generale, in quo Legati Apoſtolicæ Sedis conſentiunt cum Patribus congregatis in definiendo, ſed abſque certa inſtructione Summi Pontificis, poteſt errare. Tum quia necdum habet conſenſum capitis, qui omninò neceſſarius eſt ad firmitatem Concilij. Tum quia Concilium Baſileenſe, vna cum Legato Summi Pontificis, communi conſenſu apertè errauit, ſtatuendo Concilium eſſe ſupra Papam, *ſeſſ. 2.* Poſſunt tamen hæc Concilia definire, & ſtatuere, & anathema dicere contrariùm ſentientibus ſed cum hac intentione, niſi Summus Pontifex aliter voluerit: ſiue quatenus fuerint ab ipſo confirmata. Vide Sylueſt. *verb. Concilium num. 3.*

Concilium generale conſentientibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, habentibus & ſequentibus inſtructionem Summi Pontificis, non poteſt errare: nec opus habet Pontificis confirmatione, niſi ad maiorem firmitatem ac dignitatem. Ratio eſt, quia in tali Concilio eſt conſenſus capitis & corporis, ideoque in tali Concilio fiunt omnia Decreta abſolutè. Si tamen Concilium tale in aliquibus iudicaret ab inſtructione Summi Pontificis, diſcedendum, non debet formare decreta, ipſo inconſulto. Bellarminus *cit. lib. 2. cap. 11.* Bellarmin.

Concilia autem particularia non approbata à Summo Pontifice non faciunt omninò certam fidem. Tum quia multa huiuſmodi apertè errarunt: & nonnulla petiuerunt confirmationem ſuorum decretorum à Summo Pontifice: & nonnullorum decreta non ſunt habita pro valentibus, donec à Sede Apoſtolica probarentur. Subditis tamen eſt temerarium alijſque priuatis, de talium Synodorum decretis dubitare, & impium ijſdem contradicere. Quia iudicium in ijſdem congregatorum perfectius eſt, quàm quorumuis priuatorum. Tum quia multa huiuſmodi Concilia vſu Eccleſiæ quodammodo probata & roborata ſunt; nullam habentia confirmationem à Summo Pontifice. Tum quia Chriſtus iuſſit obedire ſedentibus in Cathedra. *Matth. 23.* & Apoſtolus Præpoſitis. *Hebr. 13.* vide Bellarmin. *cit. lib. 2. cap. 10.* Bellarmin.

7. Authoritas Concilij generalis non præponderat authoritati Sacræ Scripturæ. Probatur *Primò*, quia Scriptura ſacra immediatè reuelata & dictata eſt à Spiritu Sancto eiuſdem ſanctis Scriptoribus. Vel ſi ea antea viderunt, audierunt, aliove modo cognouerunt; Spiritus Sanctus ita eos direxit, vt ne in vnica quidem voce à veritate aberrarent. Et ſic tota Scriptura dicitur reuelante & dictante Deo ſcripta eſſe. Conciliorum autem decreta, non ſunt immediatè à Deo reuelata, neque dictata: ſed ſunt Scripturæ Sacræ declarationes, & ex eadem per ratiocinationem deductæ concluſiones; inſpiratione quidem Spiritus Sancti, ſed accedente hominum induſtria, ſtudio ac diligentiâ.

Secundò, quia Scriptores ſacri ſine labore multo ingeniorum ſuorum, libros Sacræ Scripturæ ediderunt. At in edendis Conciliorum Decretis, ſæpe multa eruditione & diſquiſitione opus eſt, priuſquam conſcribantur & publicentur.

Tertiò, Scriptura Sacra nullum planè continet errorem in omnibus, ſiue ad fidem, ſeu ad mores, etiam ſpeciales ſingularium hominum pertineant. Concilium autem generale poteſt errare in his quæ ad mores quorundam ſingularium hominum pertinent; tum præcipiendo, tum iudicando, propter malè narrata.

Quartò, In Scriptura Sacra non ſolùm ſententiæ, ſed & verba omnia ac ſingula ad fidem pertinent: vnde credimus nullum eſſe Verbum in ipſa Scriptura Sacra fruſtra, aut non rectè poſitum. In Conciliorum Actis multa leguntur, quæ nihil ad fidem pertinent. Sed nec omnes Canones ſeu Decreta eorum ſunt de fide: quia definiuntur in ijs quandoque aliqua probabilia, non vt planè certa. Nec hæreticum eſt dicere, in Conciliorum decretis, etiam de fide, aliquando Verbum aliquod

ſuperfluum

ſuperfluè appoſitum, aut minùs aptè collocatum. Nam in ijs non ſpectantur verba ſcripta, ſed ſenſus. Maior ergo multis modis eſt authoritas Scripturæ ſacræ in ſeipſa conſideratæ, quam Generalis Concilij: tametſi hoc illam nobis manifeſtet, & falsò inſcriptos ſacros libros, à veris diſcernat. Propterea dixit D. Auguſtinus Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ moueret authoritas. Ita Bellarminus *cit. lib. 2. cap. 12.* Bellarmin.

8. Concilium generale non eſt ſupra Papam, ſed contra, ipſe eſt ſupra illud. Probatur, quia Papa eſt caput Eccleſiæ. *Matth. 16.* At caput præſidet, regitque corpus, non contra. *Secundò*, Papa eſt Paſtor totius Eccleſiæ, Ioann. vltim. *Paſce oues meas.* At paſtor præeſt ouibus, non contra. *Tertiò*, Probatur authoritate ſacrorum Conciliorum & Summorum Pontificum: qui hanc ſupremam poteſtatem Papæ ſupra Concilium liberè profeſſi ſunt. *Quartò*, Quia in dubijs Appellatio fit à Concilio generali ad Papam. Hic ergo maiorem poteſtatem, authoritatemque habet illo: quia in poteſtate Papæ ſolius eſt, Concilia generalia conuocare, approbare, reuocare, reprobare. Notandum tamen eſt, Papam cum Concilio extenſiuè quidem habere maiorem authoritatem, quàm ſolus ipſemet habeat: ſed intenſiuè non habet maiorem. Quæ enim Papa poteſt cum Concilio, poteſt etiam ſolus, quoad poteſtatem definiendi. Plura apud Bellarminum *cit. lib. 2. c. 13. & ſequent.* Bellarmin.

9. Non poteſt Papa ſe ſubijcere ſententiæ coactiuæ vllius Concilij generalis, nedum particularium: Probatur, quia Papa non poteſt ſupra ſe Iudicem conſtituere, cùm ſit eius poteſtas ſupra & in omnes homines, ac iuris diuini. Ideò non poteſt in ea diſpenſare, vt aliùs eam habeat, atque in ipſum exerceat. Iudicium enim de Papa eſt reſeruatum Deo, quia prima Sedes à nemine iudicatur. Licet enim nonnulli Summi Pontifices, ſuas cauſas de quibus fuerunt accuſati, in Concilio Epiſcoporum diſcuti voluerint, iuxta *cap. Mandatis & cap. Auditum 2. quæſt. 5.* Tamen Epiſcopi noluerunt eos iudicare, ſed totum iudicium Deo reliquerunt, atteſtantibus ipſorum ſubſcriptionibus. Poteſt autem Summus Pontifex cauſam ob quam accuſatur, quibuſdam Epiſcopis, vt arbitris committere, eorumque monitis parere. Quod ſi nolit, non rectè facit; cogi verò non poteſt. Bellarminus *cit. lib. 2 cap. 18. & 19.* Bellarmin.

10. Quædam Concilia ſunt approbata à Sede Apoſtolica & à tota Eccleſia Catholica recepta: & inter hæc primum locum habet magnum illud & toto orbe celebratiſſimum Nicænum primum, celebratum in ciuitate Nicæa, Metropoli Bithyniæ, quæ eſt Prouincia Aſiæ, Anno Chriſti 325. vbi interfuerunt 318. Epiſcopi ex toto terrarum orbe. De quo Baronius *eodem anno tom. 3.* Baronius.

Secundum generale Concilium eſt Conſtantinopolitanum primum celebratum à 150. Epiſcopis, anno Chriſti 383. vt refert Baronius *eodem anno tom. 4.* Baronius.

Tertium Concilium generale eſt Epheſinum primum, celebratum anno Chriſti 431. à 200. Epiſcopis iuxta Baronium *eodem anno tom. 5.* Baronius.

Quartum fuit Calchedonenſe, à ciuitate huius nominis in Aſia celebratum Anno 451. à 630. Epiſcopis. Baronius *eodem anno tom. 6.* Et hæc quatuor prima Concilia dixit D. Gregorius *Epiſt. 24. lib. 1.* ſe venerari ſicut quatuor Euangelia. Baronius. D. Gregor.

Quintum celebratum fuit Conſtantinopoli anno 553. ab Epiſcopis 165. Baronius *eodem anno & ſequent. tom. 7.* & dicitur ſecundum. Baronius.

Sextum Concilium generale, celebratum tertiò Conſtantinopoli in Trullo, anno 680. ab Epiſcopis 289. aut paucioribus. Vt notat Baronius *eodem. anno tom. 8.* Baronius.

Septimum eſt celebratum Nicææ in Bithynia. Vnde & Nicænum ſecundum dictum. Anno Chriſti 787. ab Epiſcopis 350. Baronius *eodem anno tom. 9.* Baronius.

Octauum Concilium generale celebratum quartò Conſtantinopoli, Anno Domini 869. iuxta Baronium *eodem anno, tom. 10.* vel iuxta Bellarminum *lib. 1. cap. 5.* Anno 870. ab Epiſcopis 383. Baronius. Bellarmin.

Nonum Concilium generale fuit Lateranenſe primum, celebratum Romæ anno 1123. ab Epiſcopis amplius 900. vt notat Bellarminus *eodem lib. 1. cap. 5.* Bellarmin.

Decimum fuit Lateranenſe ſecundum. Anno 1139. ab Epiſcopis mille celebratum. Bellarminus *lib. 1. cap. 5.* Bellarmin.

Vndecimum Concilium generale Lateranenſe tertium, celebratum Anno 1180. ab Epiſcopis ferè 300. Bellarminus *loco citato.* Bellarmin.

Duodecimum Concilium generale Lateranenſe quartum celebratum anno 1215. à Patribus 1283. inter quos fuerunt Epiſcopi quadringenti ſeptuaginta tres. Bellarminus *ibidem.* Bellarmin.

Decimumtertium fuit Lugdunenſe primum celebratum Lugduni in Gallia, Anno 1245. Bellarm. *ibidem.* Bellarmin.

Decimumquartum Concilium generale eſt Lugdunenſe ſecundum, celebratum Anno 1274. à Patribus ferè mille inter quos erant Epiſcopi quingenti. Bellarm. *ibidem.* Bellarmin.

Decimumquintum Concilium generale, fuit Viennenſe celebratum Anno 1311. ab Epiſcopis 300. tempore Clementis Papæ V. Bellarminus *ibidem.* Bellarmin.

Decimumſextum fuit Concilium Florentinum, celebratum Anno 1439. Florentiæ in Italia à Patribus 141. qui ſubſcripſerunt, & alijs multis, qui ante ſubſcriptionem diſceſſerant. Bellarminus *citato.* Bellarmin.

Decimumſeptimum fuit Lateranenſe quintum, celebratum Anno 1512. vſque ad ſequent. 17. à Patribus 114. Bellarminus *cit. lib. 1. cap. 5.* Bellarmin.

Decimumoctauum Concilium generale eſt Tridentinum in ea ciuitate celebratum, cœpit Anno 1545. & finitur Anno 1563. Interfuerunt Cardinales ſex, Legati Papæ quatuor, Patriarchæ tres, Archiepiſcopi triginta duo, Epiſcopi, ducenti viginti octo, Abbates quinque, Generales Ordinum Miniſtri ſeptem, Epiſcoporum procuratores plurimi. Bellarminus *loco citato.* Bellarmin.

11. Concilia generalia reprobata, quia fauerunt hæreſibus, ſunt 1. *Antiochenum*, celebratum anno 345. contra D. Athanaſium, & Nicænum Concil. 1. *Mediolanenſe*, anno 354. operâ Imperat. Conſtantij Ariani, contra Catholicam fidem. *Ariminenſe*, anno 363. operâ eiuſdem Imperatoris Conſtantij, contra vocem ὁμοούσιον. *Epheſinum* ſecundum anno 449. opera Imperat. Theodoſij iunioris, pro hæreſi Eutychiana. *Conſtantinopolitanum*, anno 730. opera Leonis Iſauri Imperat. contra cultum Sanctarum Imaginum. *Conſtantinopolitanum* aliud ſub Conſtantino Copronymo, anno 755. contra vſum earumdum SS. Imaginum. *Piſanum*, anno 1512. opera Imperat. & Regis Galliæ & aliquot Cardinalium contra Iulium Papam II. Refutatum per ſubſequens Lateranenſe ſub eodem Iulio II. Omnes denique congregationes, ſiue conciliabula hæreticorum, pro defenſione & propagatione ſuarum hæreſum & Catholicæ Fidei extirpatione celebrata. Vide Bellarmin. *eod. lib. 1. cap. 6.* Bellarmin.

12. Concilia

12. Concilia partim confirmata, partim reprobata sunt, Primum Sardicense celebratum anno 351. In quo Episcopi Occidentales 300. Catholicam fidem confirmarunt. Alij 76. Orientales verò scripserunt pro Ariana perfidia ac hæresi.

Secundum est Syrmiense, in quo duæ formulæ fidei: altera Catholica, quæ probata est; altera hæretica, quæ est reprobata, celebratum est Anno 356.

Tertium est Quinisextum, quasi ex duobus vnum, Constantinopoli diuersis annis celebratis & coniunctis. In hoc plerique Canones sunt reprobati, pauci recepti. Celebratum est temporibus Iustiniani Imperat. & Sergij Papæ.

Quartum est Francofurtense celebratum anno 794. In quo quædam sana sunt tradita, quæ Summus Pontifex confirmauit: quædam autem contra Nicænum secundum sunt inserta, pro Iconomachis: quæ idem Pontifex reprobauit.

Quintum est, Constantiense Concilium, anno 1414. inchoatum & sequent. 18. finitum. Interfuerunt Patres mille, inter quos Episcopi 300. Reprobantur in eo sessiones, quibus actum & definitum est, Concilium esse supra Papam. Reliqua omnia probata & recepta sunt in tota Ecclesia Catholica.

Sextum est Basileense cœptum celebrari anno 1431. continuatum Basileæ: indeque translatum Lausannam, durauit vsque ad Annum Domini 1439. Nihil huius Concilij probatum atque receptum est, sed omnia reprobata, præterquam ordinationes quædam circa beneficia Ecclesiastica. Et hoc Concilium reprobatur in vltimo Lateranensi *sess.* 11. vide Bellarmin *eodem lib.* 1. *cap.* 7. Bellarmin.

13. Concilia nec manifestè probata, neque manifestè reprobata sunt, Concilia particularia pleraque à Summo Pontifice nec confirmata, nec reprobata: quia eorum confirmatio non solet peti. Huius etiam conditionis fuit generale Concilium Pisanum congregatum Anno 1460. in quo Gregorius duodecimus & Benedictus Tertius ob Schisma depositi sunt, & electus Alexander Papa V. vide Bellarminum *eodem lib.* 1. *cap.* 8. Bellarmin.

14. Contra eos, qui contra Sanctos Canones Patrum Spiritus Sancti instinctu dictatos, libenter aliquid aut loqui præsumunt aut facere volentibus consentiunt, extat Decretum Imperatorum Valentiniani & Martiani, *l. Nemo clericum, Cod. de Summ. Trinit. & Fide Catholica*? Cesset igitur, aiunt, iam prophana contentio. Nam verè impius atque sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ tractandum aliquid relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio atque perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam, aliquid vlterius discutit, mendacium quærit. Nemo itaque vel clericus vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de Fide Christiana publicè turbis adunatis & aduenientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio Reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita, reuoluere & publicè disputare contendit: cùm ea quæ nunc de Fide Christiana à Sacerdotibus qui Chalcedone conuenerunt statuta sunt; iuxta Apostolicas expositiones & instituta Sanctorum Patrum trecentorum decem & octo in Nicæa, & centum quinquaginta in hac regia vrbe, definita esse nescuntur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit: quia non solùm contra fidem verè expositam veniunt, sed etiam cum Iudæis & Paganis huiusmodi certamine prophanant veneranda mysteria. Vide eorumdem Imperatorum *l. Quicumque Cod. de hæretic. & Manich.* Et Iustinianum in *Authent. de Ecclesiast. Titul. & Primil.* §. *Sancimus.* Vbi iecerint Conciliorum decreta seu regulas aut Canones, pro legibus habenda. Accedit quod Apostolus Paulus, *Act.* 15. præcepit Ecclesijs, custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. Vide v. Indulgentia 1. *num.* 8.

CONCVBINARIVS.

SVMMARIVM.

1 *Concubinarius quis dicatur? Et quis publicus?*
2 *Nulli licet habere concubinam.*
3 *Concubinatus crimen est fori Ecclesiastici: non est tamen prohibitum magistratui seculari punire laicum concubinarium.*
4 *Quibus pœnis sint plectenda mulieres concubinæ? Concubina autem clerici licet sequatur forum eius, non tamen gaudet priuilegio clericorum.*
5 *Clericus sacrorum ordinum concubinarius est transgressor voti: grauiùs peccat quàm laicus adulter vel homicida.*
6 *Ex publico crimine Sacerdotis concubinarij tria mala oriuntur. Et de turpi ac miserabili statu concubinariorum.*
7 *Concubinario publico Eucharistiam publicè petenti, neganda est, si concubinam domi adhuc retinet.*
8 *Iure nouo Concil. Constant. non est prohibitum audire Missam Sacerdotis publici concubinarij, nisi denunciatus sit vt vitandus.*
9 *Concubinarijs cum varia pœna imponantur à iure, iudex quam vult imponere potest.*
Pœna quando diuersæ imponuntur, in quatuor casibus vna non tollitur per aliam impositam.
10 *Clericus perseuerans in concubinatu vsque ad mortem non est sepeliendus in loco sacro.*

1. COncubinarius dicitur, qui mulierem solutam & corruptam, nulloque sibi spiritualis vel carnalis cognationis vinculo coniunctam domi retinet, & cum ea consueuit carnaliter, sicut cum vxore commisceri.

Publicus autem concubinarius dicitur, non solùm qui per Iudicis sententiam talis est declaratus; vel qui in iudicio id crimen confessus est, vel tam euidenter prodit se talem esse, vt nulla tergiuersatione celare possit, vt proles ex ea suscipiens, &c. sed & is, qui mulierem de incontinentia suspectam & diffamatam à suo Superiore monitus, non dimittit.

2. Nulli hominum licet habere concubinam, cùm sit contra legem naturæ: quia coniunctio maris & fœminæ non est eo ordinata, vt soli libidini indulgeatur. Similiter contra legem naturæ est, vt hoc modo prolis generatio quæratur: quia periclitatur eius educatio, quòd inter tales facilè fiat separatio. Denique est contra legem Dei, quæ vetat fornicationem tamquam peccatum mortale, quod damnationem meretur. *Genes.* 38. *Tobiæ* 4. *Galat.* 6. *Ephes.* 5. Nec vmquam licitum fuit habere concubinam. Quæ enim in Scriptura Sacra leguntur concubinæ Patriarcharum & Dauidis, fuerunt etiam veræ vxores; sed dicebantur concubinæ, quia non admittebantur ad familiæ administrationem. Ita D. Thomas *in supplement. quæst.* 65. *artic.* 3. 4. & 5. D. Thom.

3. Quamuis crimen concubinatus sit merè Ecclesiasticum, tam in laicis, quàm in clericis, ita vt à solo

ſolo Eccleſiaſtico Iudice puniri debeat: non tamen prohibitum eſt ſæcularibus Magiſtratibus, quin pro amouendo ſcandalo, poſſint concubinarios laicos poſt factam admonitionem vnam atque alteram punire: præſertim ſi Eccleſiaſticus Iudex negligens ſit in corrigendo: vnde concubinæ clericorum in notorio concubinatu deprehenſæ, ab vtroque Magiſtratu tam Eccleſiaſtico, quàm ciuili puniri poſſunt pro arbitrio. Ita Bernardus, Diaz *cum ſuo Schol. cap. 79. & alij ab ipſo citati.*

Bernard. Diaz.

4. Mulieres, quæ trina monitione præmiſſa non abſtinent à conſortio eorum, qui cum adulteris ſeu concubinarijs publicè viuunt, præter pœnitentiam pro modo culpæ, extra oppidum ab ordinario eijci poſſunt. Qui quidem ordinarius ex officio, etiamſi à marito, vel ab alio non fuerit acculata, poteſt procedere; imò etiamſi maritus ſibi parcat. Adulterium enim eſt de caſibus, in quibus proceditur ex officio abſque accuſatore: quod tamen intelligendum eſt de adulterio notorio. Imò Ordinarius ſi opus fuerit, poteſt vti brachio ſæculari ad illas eijciendas extra oppidum. Ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reformat. matrimonij cap. 8.* Et è conuerſo Iudex laicus quandoque iudicis Eccleſiaſtici implorat auxilium, verbi gratia, vbi condemnauit aliquam adulteram detrudendam in monaſterium, ſecundùm *Authent. ſed hodie Cod. de adult.* Nam cùm iudex laicus non habeat monaſteria, debet implorare officium Epiſcopi, qui ea concedet. Eſt tamen differentia inter iſtos Iudices, quia Eccleſiaſticus poteſt ſæcularem etiam per cenſuras cogere, vt ſibi præſtet auxilium *cap. 2. de maled.* Sæcularis autem non poteſt cogere Eccleſiaſticum, vt docet Innocent. *in cap. pernicioſam, de offic. ordinar.* & ſequuntur omnes. Notandum tamen eſt, quòd non debet Eccleſiaſticus implorare tale brachium, niſi clericus ſit incorrigibilis, *cap. cùm non ab homine de iudic.* quod ſecus eſſet, ſi imploraret non ad puniendum, ſed forte, quia eius timet potentiam, vt per Abbat. *in cap. quoniam in fine de offic. ordinar.*

Conc. Trid.

Abbas.

Aduerte autem quod concubina clerici, licet ſequatur forum Eccleſiæ: & ſit ſub foro Eccleſiæ, cùm delinquat in perſona Eccleſiæ, quia ratione delicti, quis ſit de foro alterius, *cap placuit 6. queſt. 3.* ideo eſt ſub foro eius, vt ab Epiſcopo puniatur non tamen gaudet priuilegio clericorum. Ita Felinus *in cap. 2. num. 2. de foro competent.*

Felinus.

5. Clericus ſacrorum Ordinum concubinarius eſt tranſgreſſor voti: quia per ſuſceptionem ſacri Ordinis, ſolemniter vouet perpetuam caſtitatem eidem annexam: & grauiùs peccat, quàm laicus adulter. Quia ſanctior eſt promiſſio quæ fit Deo, quàm quæ fit coniugi alteri ab altero. Vide *cap. Meliore 27. queſtione 1. cum Gloſſa & cap. Preſbyter ſi fornicationem fecerit, diſtinct. 81.* vbi grauior pœna ei decernitur, quàm laico adultero.

Porrò peccatum concubinatus in clerico ſacrorum Ordinum eſt grauius homicidio. Quia eſt periurium, quod eſt contra præceptum primæ tabulæ Decalogi: homicidium autem eſt contra præceptum ſecundæ tabulæ. Nam illud eſt contra reuerentiam Maieſtatis diuinæ; hoc contra hominem. Neque obſtat quòd homicidium grauiùs puniatur apud homines quàm periurium: quia id fit propter maius damnum exterius in homicidio. Ita D. Thomas. *Quodlib 1. art. 18.*

D. Thom.

6. Ex publico crimine Sacerdotis concubinarij tria mala oriuntur. *Primum*, aliorum maximè laicorum corda ſcandalizantur. *Secundùm*, vituperatur officium Eccleſiaſticum. *Tertiùm*, præſtatur alijs licentia & materia peccandi; *cap. ſi mala 11. queſtione 3. cap. ſignificaſti, de adult. cap. magna de voto.*

Deinde, omnis concubinarius turpiter corrumpit ſuam naturalem integritatem: corpus inquinat, vires debilitat: mentem excæcat, rationiſque iudicium peruertit: ita vt ſuam ipſius turpitudinem difficulter agnoſcere & difficilius emendare poſſit. Quod omnibus luxurioſis accidere ſolet. Porrò reddit ſe Deo, Angelis & hominibus deſpicatiſſimum & abominabilem: fitque iumentum Diaboli, & concubinæ ſuæ velut mancipium. Indeque vt infamis iudicatur indignus ſacro miniſterio; omniquc Sacramentorum participatione, dignitate, Beneficio & officio. Vnde concubinarius laicus ordinari non poteſt, niſi dimiſſa concubinâ legitimè egerit pœnitentiam, *cap. ſi quis & cap. laici diſtinctione 33.* Inſuper turpitudinem, infamiæque ſuæ notam diuturno deſpectui & maledictioni obnoxiam reddunt concubinarij cleri ſacri in ſpurijs ſuis dum viuunt. Ita Syluester *verb. Filius num. 4.*

Syluest.

7. Concubinario notorio tam clerico, quàm laico Euchariſtiam publicè petenti, neganda eſt, ſi concubina adhuc in domo detinetur, *cap. pro dilectione de conſecrat. diſtinctione 2.* quia omnis talis concubinarius eſt infamis, *cap. infames, cap. illi, cap. omnes 6. queſtione 1.* Et docent Nauarrus *in man. cap. 21. numero 55.* D. Thomas *parte 3. queſtione 80. articulo 6.* & alij communiter. Hinc Parochus potius mortem pati debet quàm impœnitenti, Euchariſtiam dare.

Nauarrus. D. Thom.

8. Sacerdotis Concubinarij notorij Miſſam audire iure antiquo vetitum fuit, *cap. Nullus & ſequent. diſtinctione 32. cap. ſi qui ſunt, diſtinctione 81.* Ex decreto tamen Concilij Conſtantienſis de non vitandis excommunicatis alijſque prohibitis donec ſpecialiter denuncientur tamquam vitandi, ſubditi non peccant audiendo Miſſam ſui Parochi concubinarij notorij, donec ab Epiſcopo denuncietur eſſe vitandus. Et melius illi facient, ſi interea eius Miſſam audiant, quàm nullam. Si autem commodè poſſint aliam audire, conſultiùs eſt vt eam audiant, relictâ alterâ: vt exinde Parochus ipſorum concubinarius citiùs ad pœnitentiam ac emendationem moueatur. Cæterum quamuis ſubditi licitè poſſint à ſuo Parocho concubinario Miſſas debitas & Sacramenta neceſſaria petere, ſi non ſit denunciatus vt vitetur: ipſe tamen miniſtrando, toties mortaliter peccat. Nec excuſat eum contritio cordis ſi ſit notorius, non habens propoſitum ſe emendandi præſertim propter ſcandalum quod præbet. Si autem eſſet occultus, haberetque propoſitum ſe emendandi, ſufficeret ei contritio interior cum propoſito confitendi, ad vitandum peccatum mortale in miniſtrando. Decretum enim Concilij Conſtant. factum eſt pro conſolatione ſubditorum, non in patrocinium excommunicatorum, aut ſuſpenſorum, aut interdictorum aliorumque infamium. Vide Nauarrum *in man. capite vigeſimo ſeptimo, num. 55.* & infra vide Miſſa *3. num. 15.*

Nauarrus.

9. Cùm in iure variæ pœnæ concubinarijs vel adulteris impoſitæ ſint, vt habetur per totum titulum *de cohabit. cleric. & mulier.* ideò eſt in arbitrio iudicis quam pœnam debeat imponere: nam quandocumque iura varias pœnas imponunt, optio datur iudici. Panormitanus in *cap. ſicut, de cohabit. cleric. & mulier.* impoſita tamen

tamen vna pœna, non poteſt ad aliam pœnam tranſire, niſi contumacia creſcente, *l. præter edixit, ff. de iniur.* Et hoc procedit, cùm pœnæ imponuntur diſiunctiuè; ſecus ſi conſtet plures pœnas ſimul pro eodem delicto eſſe impoſitas per diuerſa iura: quia tunc neutra per alteram tollitur. Quod eſt verum, quando vna eſt præparatoria, altera autem vt terminus pœnæ, quia in ordinatis ad inuicem, vnum includit alterum, *Authent. clericus, Cod. de Epiſcop. & cler.* Idem quando vtraque pœna imponitur à iure & altera per hominem, quia tunc concurrant, *l. nemo, Cod. de Sacroſanct Eccleſ.* Idem, quando vtraque pœna imponitur copulatiuè, nam vtraque poteſt imponi, *l. placet Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Idem, quando pœnæ eſſent imponendæ per diuerſos iudices diuerſi fori, vna per iudicem Eccleſiaſticum, altera per iudicem ſæcularem v.g. in ſacrilegio, aut alio delicto mixto: quia condemnatus in vna, poteſt accuſari pro alia in alio foro, *cap. 2. de maled. cap. fulicis, §. per hoc quoque, de pœnis in 6.* quia punitus criminaliter per iudicem Eccleſiaſticum, poteſt puniri & criminaliter per iudicem ciuilem, ex quo crimen eſt mixti fori.

10. Clericus notoriè concubinarius viuens, & ſic perſeuerans vſque ad mortem ſine pœnitentia, non eſt cum aliis fidelibus ſepeliendus in loco ſacro. Ratio eſt, quia indignus abſolutione à peccatis & communione Euchariſtiæ, etiam indignus eſt Eccleſiaſtica ſepultura. Ita colligitur ex *cap. pro obeuntibus, cap. non exiſtimemus, cap. quæſitum* 13. *queſt.* 2. In quibus omnis notorius in peccato mortali decedens prohibetur in cœmeterio ſepeliri: & talis notoriè in concubinatu perſeuerans vſque ad mortem, non videtur adimpleuiſſe præceptum illud Eccleſiæ de ſaltem ſemel in anno confitendo: vnde pro tali concubinario notorio mortuo non ſunt publicæ exequiæ celebrandæ, quia ei non proſunt. Ita Nauarrus *in manual. capit. 17. numero 64.* & *cap. 25. numer. 80.* Sotus *in 4. diſtinctione 45. quæſtione 2. artic. 2.* & alij communiter. Nauarrus. Sotus.

Vide verb. Communio. *num.* 8.

CONFESSIO

Sacramentalis.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum confeſſionis præmittendæ ante ſumptionem Euchariſtiæ, ab eo, qui ſibi peccati mortalis conſcius eſt, non eſt purè Eccleſiaſticum, ſed etiam diuinum.*

An autem opinio aſſerens hoc præceptum eſſe tantùm de iure Eccleſiaſtico, ſit probabilis? Refertur duplex ſententia.

2 *Qui ante communionem fecit confeſſionem formaliter integram, & poſtea antequam celebret, aut ad communionem accedat, recordatur alicuius peccati mortalis non confeſſi, tenetur illud confiteri, ante Miſſam vel communionem: Etiamſi certò ſciret ex reuelatione ſe eſſe iuſtificatum.*

3 *Habens conſcientiam peccati mortalis & confiteri non poteſt ante communionem, tenetur ad habendum contritionem priùs quàm ad hoc Sacramentum accedat, in caſibus in quibus poteſt communicare non præmiſſa confeſſione.*

4 *Qui habuit motiuum generale dolendi de decem peccatis mortalibus, ſi confiteatur tantùm nouem & obliuiſcatur decimi, quando confitetur illud vnum oblitum, non tenetur elicere nouum actum contritionis, ſed ſufficit prior non retractatus.*

Qui nouâ confeſſione repetit peccatum à quo directè abſolutus eſt, iuxta probabiliorem ſententiam, habere debet nouum eiuſdem peccati dolorem.

5 *Qui acceſſit ad limina ſacra Menſæ, vt communicet, ſi recordetur alicuius peccati mortalis non confeſſi, poteſt communicare propter ſcandalum non confeſſus. Si tamen ſolus ſit cum Sacerdote confeſſore, teneretur confiteri.*

6 *An Sacerdos conſcius ſibi peccati mortalis poſsit & teneatur perficere ſacrificium ab alio inchoatum non præmiſſa confeſſione, ſi poſt conſecrationem vnius ſpeciei alter deficiat.*

7 *Præceptum confitendi quamprimùm poſitum in Tridentino, quando quis celebrauit in neceſſitate ſine præuia confeſſione, non eſt diuinum, ſed Eccleſiaſticum.*

8 *Si Sacerdos in die Paraſceues vrgente neceſſitate, faciat officium non præmiſſa confeſſione, tenetur quamprimùm confiteri.*

9 *Non poteſt Eccleſia immediatè præcipere totum Sacramentum Pœnitentiæ, prout de facto à Chriſto inſtitutum eſt.*

Poteſt Eccleſia directè & per ſe ſolùm præcipere confeſſionem de peccatis externis.

10 *Summus Pontifex non poteſt tollere & abrogare omninò præceptum confeſſionis, ita vt numquam obliget, quamuis poſsit ex cauſa diſpenſare, vt præceptum non obliget pro ſingulis annis: vel reſtringere vt pluries in anno obliget.*

11 *Probabile eſt licentiam audiendi confeſſiones conceſſam* Ad beneplacitum, *non expirare morte concedentis.*

12 *Epiſcopus, in approbatione regularium pro confeſſionibus, poteſt adhibere clauſulam limitatiuam* Ad beneplacitum, *etiamſi regularis ſit vndequaque ſufficiens.*

13 *Epiſcopi non poſſunt limitare regularibus iuriſdictionem, niſi in ordine ad caſus, quos ſibi reſeruant, non autem in ordine ad perſonas, loca, &c.*

14 *Regularis, qui non eſt ſufficiens & idoneus pro omnibus perſonis & locis, poteſt limitatè quoad perſonas & loca ab Epiſcopo approbari.*

15 *Qui non eſt aptus ſimpliciter pro omnibus locis & perſonis, poteſt abſolutè ab Epiſcopo reprobari.*

16 *Qui in confeſſione Paſchali omiſit aliqua peccata mortalia per obliuionem, non tenetur ea confiteri niſi in confeſſione ſequentis anni.*

1. COnſtans fuit antiquorum Doctorum ſententia, exceptis Caietano 3. *parte queſt.* 80. *artic.* 4. & *in Summ. verb. communio*, Armilla *in Summ. verb. Communio*, & Panormitano *in cap. de Homine, de celebrat. Miſſar.* confeſſionem Sacramentalem præmittendam eſſe ante ſumptionem Euchariſtiæ, ab eo, qui ſibi pecati mortalis conſcius eſt, nec ſufficere ſolam contritionem, vt modò definitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 7.* & docet Communis Theologorum ſententia ſemper in Eccleſia Dei fuiſſe hoc præceptum: vnde dicendum eſt, non eſſe purè Eccleſiaſticum, ſed etiam Diuinum poſitiuum: quia iuxta regulam D. Auguſtini *lib. 4.* Caietano. Armilla. Panormit. Conc. Trid. D. Auguſt.

lib. 4. de Baptismo, cap. 14. Præceptum illud coniicitur esse diuinum, cuius non agnoscitur initium, si aliunde non conniciatur non fuisse latum à Deo.

An autem opinio asserens, hoc præceptum esse de iure Ecclesiastico, sit probabilis? Affirmant Suarez *3. part tom. 3. disput. 66. sect. 3. circa finem*, Lessius *3. part. quæst. 80. art. 4. dub. 1. num. 8.* Amicus *tom. 7 disputat. 26. sect. 1. numer. 8.* Coninck *3. parte quæst. 80. artic. 4 dub. 1. num. 13. & dub. 2. numer. 17.* Negat Nugnus *in 3. part. quæst. 80. art. 4. difficult. 2. conclus. 2.* & meritò, quia ex ea sequeretur posse Pontificem dispensare, vt absolutè aliquis in particulari sumeret Eucharistiam cum solo actu contritionis, sine præuia confessione mortalium: quod non videtur admittendum. Tum quia hoc præceptum est à Christo Domino institutum & Apostolis, ac per eos Ecclesiæ traditum, vt patet ex illo Pauli 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo*, quod Tridentinum intelligit de confessionis præcepto. Præmiserat enim Apostolus. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Ergo sentit esse præceptum Dei & non suum: quæ enim de Eucharistia tradit, accepit à Domino: non potest autem solidè dici accepisse alia, non verò istud. Deinde numquam Apostolus insinuat se illam legem condere, cùm tamen communiter id indicet, quando legem condit. Non est ergo hoc præceptum Apostoli Pauli vt condentis legem, sed vt promulgantis. Ità etiam Sotus *in 4. distinct. 12. quæst. 2. art. 4.* Valentia *tom. 4 disput. 6. quæst. 8. punct. 3.* & alij apud Dianam *part. 8. tractat. 1 resolutione 51.*

Suarez. Lessius. Amicus. Coninck. Nugnus. Sotus. Valentia. Diana.

2. Qui ante communionem præmiserit confessionem formaliter integram omnium mortalium peccatorum, quæ memoriæ occurrerunt, & postea, antequam Missam dicat, aut ad communionem accedat, recordatur alicuius peccati mortalis non confessi, tenetur per se loquendo, & seclusis circumstantiis, quæ excusare possunt, illud confiteri antequam communicet vel Missam celebret. Ratio est, quia præceptum præmittendi confessionem ante communionem, non est confitendi vtcumque, sed confitendi omnia peccata ante communionem & faciendi confessionem, non solùm formaliter, sed etiam materialiter integram, nisi aliqua necessitas vrgens obstet, & desit copia confessarij. Hoc autem præceptum non impletur, nisi illud peccatum subiiciatur clauibus ante communionem. Et hoc probat praxis & consuetudo omnium fidelium, qui etiam post legitimam confessionem nullo modo audent accedere ad Eucharistiam, nisi priùs confiteantur illa peccata, quorum de nouo recordantur. Nec refert quòd tale peccatum oblitum iam sit remissum in confessione legitimè facta; quia non obstat remissio, quin debeat supponi clauibus; nam Concilium Tridentinum vult etiam contritum obligari ad confessionem faciendam, antequam ad sacram Communionem accedat, & per consequens consequutum remissionem suorum peccatorum mortalium. Licet enim quis de suis peccatis fuerit confessus, ac proinde etiam de oblitis indirectè saltem absolutus & iustificatus, adhuc tenebitur de peccatis postea in memoriam occurrentibus confiteri, & directè absolui antequam communicet, vel Missam celebret. Dicendum est ergo, illum grauari conscientia peccati mortiferi iuxta Concilium, qui scit se illud commisisse, & nondum subiecisse clauibus Ecclesiæ, vt ab illo directè absoluatur. Ita Caspensis noster *tom. 2. tractat. 22. disputat. 9. sect. 2. numer. 25.* Syluius *part. 2. resolut. moral. verb. Confessio 3.* Lessius *3. part. quæst. 80. artic. 4 dub. 2. numer. 8.* Koninck *ibidem*, Suarez *disputat. 66. sect. 4. tom. 3. in 3. part.* Contra Reginaldum *lib. 29. numer. 105.* qui post Henriquez, *lib. 8. cap. 46. §. 3. in margine litera i.* videtur contrariæ sententiæ adhærere tamquam probabili. Vnde hæc sententia fuit deleta in indice expurgatorio Hispano ex operibus Patris Cornejo *in 3. parte D. Thom. tractat. 4. quæstione 80. disputat. vnica, dub. 3.* quia illam vt probabilem admittebat, vt testatur Diana *part. 9. tractat. 3. resolut. 4.*

Caspensis. Syluius. Lessius. Coninck. Suarez. Reginald. Henriquez. Cornejo. Diana.

Tenetur item ad confessionem Sacramentalem præmittendam ante sumptionem Eucharistiæ, ille, qui certâ reuelatione sciret se per contritionem esse à peccato iustificatum: sicut teneretur ad Baptismum suscipiendum, qui certò nouisset se in ventre matris fuisse sanctificatum. Ratio est, quia præceptum est tantùm de medio, non de fine: vnde quamdiu tale medium præceptum non est adhibitum, adhibendum est, etiamsi finis propter quem medium est præceptum, supponatur acquisitus. Ita Amicus *tom. 7. disputatione vigesimo sexto, sectione 1.*

Amicus.

3. Qui habet conscientiam peccati mortalis & confiteri non potest, in casibus, in quibus licitum est sumere Eucharistiam ante confessionem, tenetur ad habendam priùs contritionem, quàm ad hoc Sacramentum accedat: & talis numquam dignè accedet, nisi probabiliter & inculpabiliter existimet sibi peccatum per contritionem remissum. Et hoc tam certum est, vt contrarium nec probabile sit, nec sine temeritate defendi posse videatur: vnde qui solam attritionem habet cognitam, cum conscientia peccati mortalis accedit, quia conscientia non dicit affectum, sed scientiam talis status: ille autem, qui sic est dispositus, scit se adhuc esse in peccato mortali. Ergo indignè accedit. Ita Suarez *tom. 3. in tertia parte disputat. 66. sect. 5.* & alij communiter. Notandum tamen est, quòd si talis bona fide putet se contritum, posse hoc Sacramentum sumere, neque peccaturum, si subdubitet, num fortè sufficientem habeat contritionem: nam morale iudicium, quod de nostris actibus formare possumus, non necessariò excludit omnes motus dubitationis. Vt bene aduertit Præpositus *in tertia parte quæst. 80. artic. 5. dubitat. 3.* Vide dicta *tom. 1. verb. Communio numer. 37.*

Suarez. Præpositus.

4. Qui habuit motiuum generale dolendi de decem peccatis mortalibus, si confiteatur tantùm nomen & obliuiscatur decimi & Sacramentum recipit, quando iterum confitetur illud vnum oblitum, non tenetur elicere nouum actum contritionis, sed sufficit prior non retractatus: quia vna & eadem contritio potest pertinere ad duo Sacramenta, vt pars ipsorum, vt cùm qui semel absolutus, iterata mox noua confessione, explicat præteritum dolorem & peccatum oblitum: hic enim nouum effectum gratiæ auctæ videtur recipere, dum absque nouo dolore recipit absolutionem: quia adsunt requisita omnia, scilicet, noua confessio, vt signum peccati & doloris: nam dolor prior, vt in virtute extensus est ad peccata oblita, perinde valet ac si esset nouus dolor de peccatis oblitis. Ita Henriquez *in Summæ libro quarto, de pœnitent. capite vigesimo sexto, §. septimo*, Lugo *de pœnitent. disputatione duodecimo, sectione secunda, à numero vigesimo-septimo.* Qui autem noua confessione repetit peccatum de quo directè absolutus est, habere debet nouum eiusdem peccati dolorem, qui subiiciatur formæ nouæ absolutionis, sicut & nouam con-

Henriquez. Lugo.

cõfeſſionem peccati, vt probat piorum hominum vſus, & conſuetudo. Sicut diximus *tom. 1. verb. Abſolutio, num. 4.* Ex probabiliori ſententia.

5. Quidam ſentiunt eum, qui acceſſit ad linteum Sacræ menſæ, vt communicet, ſi recordetur alicuius peccati mortalis, teneri ſurgere & confeſſarium adire, vt de illo confeſſionem faciat. Ratio illorum eſt, quia putant in tali caſu non eſſe ſcandalum, eo quòd hic receſſus à Sacra Menſa causâ alicuius peccati obliti cõfitendi, non gignit vllam mali nominis leuem ſuſpicionem, ſed potiùs timoratæ conſcientiæ opinionem. Nec leuis aliquorum admiratio eſt præferenda diuino atque expreſſo præcepto præmittendæ poſt mortale confeſſionis ante communionem in habente copiam confeſſarij, aliàs daretur occaſio, ſeu via nimis ampla aperiretur res diuinas indignè pertractandi. His tamen non obſtantibus, contrariæ ſententiæ adhærendum eſt, quia difficile moraliter videtur in tali caſu ſcandalum vitari poſſe apud vulgus & leues homines, vt diximus cum Doctoribus citatis *tom. 1. verb. communio Sacra num. 31.* Si tamen communicare volens ſolus eſſet cum Sacerdote, & Sacerdos poſſet eum abſoluere, tunc tenebitur eidem priùs confiteri; quia & ſine periculo infamiæ poteſt, neque eſt notabilis indecentia in eo quòd Sacerdos vel non nihil ab altari recedat, vel in ipſo Altari confeſſionem eius excipiat: præſertim cum ſoleat cõmunio adminiſtrari ante ſacrum aut ſacrificio iam quaſi peracto. Ita Wigers *in tertia parte quæſtione 80. art. 5. dub. 2.* Leſſius *ibidem art. 4. dub. 2.* Præpoſitus *ibidem artic. 5. dubit. 4.* & alij. VVigers. Leſſius. Præpoſitus.

6. Si poſt conſecrationem etiam vnius ſpeciei celebrans moriatur, vel deficiat, nec adſit alius, qui ſacrificium perficiat, præter Sacerdotem peccatorem conſcium ſibi peccati mortalis: hic poteſt & tenetur etiam non præmiſſa confeſſione, ſi eam facere non poteſt, ſacrificium perficere & communicare: nam maior eſt obligatio ſacrificij perficiendi, quàm præmittendi confeſſionem communioni, & abſolutè cenſetur graue, quòd ſacrificium imperfectum remaneat. Tamen ſepoſito ſcandalo talis Sacerdos poſſet excuſari à ſacrificio alterius perficiendo, ſi moraliter vix poſſet contritionem elicere: nam quamuis homini non deſit diuinum auxilium ad huiuſmodi cõtritionem mortalis eliciendam, interdum tamen poteſt ita multis implicari, & tam diuturna peccandi conſuetudine, vt ſit illi difficillimum & moraliter impoſſibile perfectam contritionem elicere: quo caſu, cùm non offerat imperfectum Sacrificium, ſed ab alio inchoatum relinquat imperfectum, ad quod perficiendum non tenetur, ſi non poſſit cum diſpoſitione neceſſariò requiſita; videtur quòd non teneatur ſacrificium ab alio inchoatum perficere, ſi moraliter loquendo, vix poſſit adferre congruam diſpoſitionem, ſed quod poſſit relinquere imperfectum, circa quam imperfectionem ſolùm permiſſiuè ſe habet. Ita Præpoſitus *in 3. parte D. Thom. quæſtione 80. artic. 5. dub. 3.* qui citat Sotum & Toletum. Præpoſitus. Sotus. Toletus.

7. Præceptum confitendi quamprimum poſitum in Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 7.* quando quis in neceſſitate celebrauit ſine præuia confeſſione, non eſt diuinum ſed humanum Eccleſiaſticum. Vnde intra limites iuris naturæ vel diuini, nemo qui conſcius peccati mortalis communicauit abſque præuia confeſſione celebrando vel non celebrando, tenetur poſtmodum prima data opportunitate confiteri, ſiue peccauerit, ſiue non: quia diſpoſitio ad aliquid requiſita non eſt iure naturæ poſtmodum ponenda, ſi priùs non fuerit poſita: neque vllo fundamento ſolido dici poteſt, quod diuino Præcepto, quo tenemur confeſſionem communioni præmittere, ne indignè communicemus, teneamur confiteri, ſi forte non præmiſerimus. Reſtat ergo, vt obligatio ſit præcepti Eccleſiaſtici. Ita Mercerus *de Sacrament. quæſtione 80. articulo 4. dub. 3.* Præpoſitus *ibidem articulo 5. dub. 4. numero 20.* Nugnus *ibidem artic. 4. difficult. 4. concluſ. 1.* & alij. Conc. Trid. Mercerus. Præpoſitus. Nugnus.

8. Sacerdos, qui in die Paraſceues officium facit, ſi vrgente neceſſitate, vel non habens copiam confeſſarij hoc faciat abſque præuia confeſſione, tenetur quamprimum confiteri. Ratio eſt, quia etiam hæc actio ab Eccleſiaſticis Authoribus dicitur celebratio, & Sacerdos, qui illam exercet, abſolutè dicitur celebrare; & in Rubricis Miſſalis huius diei dicitur celebrans. Nec refert, quòd Sacerdos iſte propriè non ſacrificet; nam ſufficit vt exerceat actionem, quæ dicatur celebratio, ſub cuius nomine, Concilium ſuum decretum exprimit. Ita ex communi ſententia Mercerus *de Sacram. quæſtione 80. artic. 4. dub. 2.* Caſpenſis *tom. 2. tract. 22. diſput. 9. ſect. 3. num. 27.* Præpoſitus *in 3. parte quæſtione 80. art. 5. dub. 4. num. 20.* Suarez, Filliucius & alij. Mercerus. Caſpenſis. Præpoſitus. Suarez. Filliucius.

9. Non poteſt Eccleſia immediatè præcipere totum Sacramentum Pœnitentiæ, prout de facto à Chriſto inſtitutum eſt. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum, prout de facto à Chriſto inſtitutum eſt, eſſentialiter includit internum dolorem & confeſſionem omnium peccatorum mortalium, etiam internorum: ſed Eccleſia non habet poteſtatem ſupra actus merè internos; igitur non poteſt hoc Sacramentum, prout de facto à Chriſto inſtitutum eſt, præcipere. Maior eſt de fide diffinita à Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 3. 4. & 5. & Can. 4. & 7.* Conc. Trid.

Minor ſupponitur ex communi Doctorum ſententia: nam licet Eccleſia poteſtatem habeat in actus internos, quatenus principia ſunt externorum, non tamen poteſtatem habet in actus purè internos, qui nullo pacto principia ſunt externorum. Ratio prioris eſt, quia hi actus tantùm poſſunt humano modo, hoc eſt, ſenſibili aliqua notitia dignoſci, & ab Eccleſia regulari. Poſterioris autem ratio eſt, quia actus purè interni, cùm per ſe non cadant in notitiam aliquam ſenſibilem, non poſſunt eſſe intra ſphæram humanæ gubernationis, cùm non poſſint homines vel ad eos eliciendos, vel ad eos elicitos externo aliquo ſigno manifeſtandos cogi, niſi ab eo, qui omnia hominum ſecreta nouit.

Eccleſia autem poteſt directè & per ſe ſolùm præcipere confeſſionem de peccatis externis, quo præcepto poſito, obligaretur pœnitens iure diuino propter reuerentiam, quam debet huic Sacramento, ne illud irritum reddat, vnà cum peccatis externis confiteri aliqua peccata mortalia interna, actumque doloris ad hoc Sacramentum neceſſarium elicere. Probatur prior pars, nam in tali præcepto nihil eſt, quod Eccleſiæ poteſtatem excedat; nam totum id quod præciperet, eſſet actus externus conducens ad externum regimen, & gubernationem Eccleſiaſticam, propter quam Eccleſia poteſtatem habet ad omnes actus externos fidelium. Ita Amicus *tom. 8. diſputatione 17. ſect. 2. num. 12.* De his vide Suarez *in 3. parte tom. 4. diſput. 35. ſect. 1. num. 16. & ſequentibus,* Vaſquez *tom. 4. quæſtione 90. artic. 1. dub. 4.* Hurtadum *de Sacrament. diſput. 7. difficult. 4.* & alios. Amicus. Suarez. Vaſquez. Caſp. Hurt.

10. Summus Pontifex non poteſt tollere & abrogare omninò præceptum confeſſionis, ita vt numquam obliget. Eſt communis ſententia Doctorum. Probatur, quia præceptum confitendi abſolutè & in articulo mortis, & aliquando extra talem articulum, diuinum eſt, ergo Eccleſia authoritate ſua humana non poteſt illud abrogare aut in eo diſpenſare, quia inferior diſpenſare, aut abrogare nequit legem à Superiore latam.

Poteſt Summus Pontifex ex vrgenti & rationabili cauſa, quæ tunc offeratur, diſpenſare in præcepto confeſſionis, vt non pro ſingulis annis obliget, ſed pro tribus, duobuſve quibuſque: quia præceptum confeſſionis annuæ eſt purè Eccleſiaſticum quoad temporis determinationem ad ſingulos annos, quod poteſt Pontifex in partem, ſeu cum aliquo, aut in totum, ſeu cum omnibus auferre, & non ſolùm validè, ſed etiam licitè, ſi cauſa rationabilis ſubſiſtat.

Poteſt item Summus Pontifex reſtringere tempus confeſſionis, itavt teneantur plures fideles, quàm ſemel in anno confiteri, v. g. ter, quaterve in anno: & quamuis nulla alia ſubeſſet cauſa, præter fidelium fructum, id quidem ſatis eſſet, modò ea frequentia in contemptum non cederet. Ita Suarez *tom. 4. de pœnit. diſput. 36 ſect. 1.* Sotus *in 4. diſt. 18 quæſt. 1. art. 1.* Hurtadus *de Sacram. diſp. 7. de pœnit. diffic. 6.* Fagundez *de præcept. Eccleſ. præcept. 2. lib. 1 cap. 3. num. 8.*

Suarez. Sotus. Hurtad. Fagundez.

11. Licentia audiendi confeſſiones conceſſa ad beneplacitum expirat morte concedentis. Ratio eſt, quia beneplacitum finitur morte concedentis, *l. 4. ff locati, l. centeſimus, §. final. de verbor. obligat. cap. ſi gratioſè, de reſcript in 6.* vbi Ancharan. *n. 6.* Francus *num 9.* Geminianus *num. 3.* & diximus *tom. 1. verb. Priuilegium III. num. 11.* Nihilominus ſatis probabile eſt huiuſmodi licentias non expirare: & praxis hoc confirmat; ſiquidem confeſſarij approbati ad beneplacitum continuant vbique exercitium audiendi confeſſiones mortuo Epiſcopo. Ratio eſt, quia gratia iam facta, quæ eſt perfectè conceſſa ei, cui fit, independenter ab alio, cui facienda committatur, durat etiam poſt mortem concedentis, quamuis res ſit integra, *cap. ſi cui nulla, de præbend. in 6.* quia nimirum non indiget aliquo alio ad ſui perfectionem. Licentia autem audiendi confeſſiones eſt gratia facta & perfecta: quia ſortitur totum ſuum effectum iuriſdictionis conceſſæ confeſſario ſtatim ac tribuitur. Si dicas hoc eſſe verum de gratia, quæ abſolutè conceditur, non autem de illa, quæ conceditur ad beneplacitum; quia tunc licet perfecta ſit, ſequitur naturam beneplaciti. Sed hoc nihil obſtat: quia, cùm gratia perfecta ſit, atque tranſierit in poſſeſſionem illius, cui eſt conceſſa, non requirit beneplacitum vt cauſam conſeruantem: ita vt debeat ceſſare ipſo ceſſante, ſicut requirit quando eſt gratia facienda, ſed iam ex ſe ſubſiſtit, nec requirit aliquem influxum à voluntate concedentis. Vnde particula *Ad beneplacitum*, appoſita conceſſioni nil aliud facit, niſi quod ſeruat concedenti dominium ſupra gratiam conceſſam, ita vt poſſit ad libitum reuocari; atque adeò ſeruat locum, vt ſuccedere poſſit actus poſitiuus reuocationis; quia autem mors non eſt poſitiua reuocatio, ideò non expirat morte concedentis. Vnde in iis, quæ non pendent in conſeruari à beneplacito concedentis, particula *Ad beneplacitum* appoſita conceſſioni reſolui debet in clauſulam, *Donec reuocauero*: vt ſit conformis iuri communi. Alias quod ius commune facit durare poſt mortem, ipſa deſtrueret, & contrariaretur iuri communi, vt notant Gloſſa in *cap. ſi delegatus, verb.* Morte, *de offic. delegati in 6.* & alij. Hanc ſententiam probabilem vocat Suarez *de pœnitent. diſput. 26. ſect. 3. num. 9.* Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 28. num. 60.* Sancius *in ſelect. diſp. 48. num. 19.* & alij: & docet Marcus Vidal *tit. de iuriſdictione Inquiſit. 1. n. 52. & ſequent.*

Ancharan. Francus, Gemin.

Suarez. Sanchez. Sancius. Vidal.

12. In approbatione regularium pro confeſſionibus, poteſt Epiſcopus adhibere clauſulam limitatiuam, *Ad beneplacitum*, ita vt approbatio cenſeatur non abſolutè facta, ſed iuxta beneplacitum, non obſtante quòd regularis ſit vndequaque ſufficiens. Ratio eſt, quia approbatio debet reſpicere idoneitatem confeſſarij in ordine ad tale munus: quæ non ſolùm conſiſtit in doctrina ſufficienti, ſed etiam in bonis moribus; vnde qui eſſet vitæ ſcandaloſæ, non deberet approbari. Cùm ergo, qui ratione morum modò eſt habilis, fieri poteſt quòd fiat inhabilis, poteſt Epiſcopus ſibi reſeruare locum in approbatione ad ſuſpendendam dictam approbationem, quod fit adhibendo clauſulam limitatiuam, *Ad beneplacitum*. Hinc fit, quòd approbatio conceſſa ad beneplacitum, non poſſit reuocari, aut ſuſpendi, niſi approbatus fiat talis, vt non deberet approbari, ſi de nouo eſſet approbandus; vnde neceſſe eſt quòd in ipſo fiat talis mutatio, aut ſecundum mores, aut ſecundùm doctrinam, vt euadat inhabilis ad audiendas confeſſiones. Approbatio enim eſt per modum ſententiæ; quia Epiſcopus debet vt iudex iudicare de habilitate regularis in ordine ad audiendas confeſſiones, vnde licet ſit facta ad beneplacitum, non poteſt retractari, niſi ea ſuccedant, quæ reddant ſententiam iniuſtam: alioquin manente ſententia iuſta, retractatio eſſet actus iniuſtitiæ. Ita Petrynus *de priuil. tom. 1. conſtit. 1. Sixti IV. §. 2. n. 44.*

Petrynus.

13. Epiſcopi non poſſunt adhibere aliquam limitationem regularibus quoad iuriſdictionem, niſi in ordine ad caſus quos ſibi reſeruant, non autem in ordine ad perſonas, loca, &c. & ſi adhibeant, faciunt contra iuſtitiam. Regulares enim gaudentes priuilegiis mendicantium non accipiunt iuriſdictionem ab Epiſcopo, ſed illam habent à Summo Pontifice, vt conſtat ex priuilegiis ipſis conceſſis præſertim à Sixto IV. Ordini Prædicatorum in Bulla quæ incipit: *Sedis Apoſtolicæ. Anno 1477. quinto Id. Iunij*, & à Paulo III. Societati IESV, *die 3. Iulij* 1545. in bulla, *cùm inter cunctas*, & à Paulo IV. in Bulla, *Exclementi, die 1. Iulij anno* 1556. Eſt ſolùm per Concil. Trident. dependent ab Epiſcopo quoad approbationem. Ergo non poteſt Epiſcopus limitare iuriſdictionem; alioquin iniuſte ageret cum regularibus, priuando illos iuriſdictione aliqua, quam iam habent; & conſequenter priuaret iure ſuo. Si dicas, Epiſcopum non limitare iuriſdictionem, ſed approbationem, quia approbat tantùm pro viris v. g. ex eo, quòd non iudicet idoneum pro mulieribus ratione ætatis. Sed hoc ſuſtineri non poteſt; quia regularis habet iuriſdictionem in ordine ad omnia genera perſonarum, & conſequenter ius petendi approbationem in ordine ad omnia genera perſonarū, modò idoneus ſit, quæ conſequenter negari non poteſt, niſi ex iuſta cauſa, quæ ſcilicet ſit talis, vt reddat non idoneum: ætas autem non eſt ſufficiens, nec rationabilis cauſa, propter quam non poſſit approbari in ordine ad omnia genera perſonarum: nam eo ipſo, quòd quis habet viginti quatuor annos, ſecundùm Concil. Trident. eſt capax beneficij Parochialis, & ſi cætera concurrant, eſt idoneus pro audiendis confeſſionibus quarumcumque perſonarum. Vnde Epiſcopus, qui ratione ætatis non iudicat aliquem idoneum, facit contra Trident. quia nō putat idoneum

Sixtus IV. Paulus III. Paulus IV.

cum,

eum, quem approbat ius, & ex irrationabili causa non approbat regulares, qui iam secundùm ius quoad hanc partem sunt approbati. Vide à nobis dicta *tom. 1. verb. Confessarius III. num. 12.* vbi adduximus super his quandam Declarationem Eminentiss.DD.Cardinalium.

14. Quando regularis non habet talem scientiam, vt sufficiens sit pro audiendis confessionibus cuiuscumque generis personarũ,potest Episcopus concedere licentiam limitatam ad loca & personas pro quibus solùm est sufficienter instructus. Imò non potest absolutè approbare.Ratio est,quia Episcopus fert iudicium de sufficientia & idoneitate regularis pro audiendis confessionibus:ergo cùm non possit iudicare, nisi provt res se habet & ipsi innotescit, non potest absolutè approbare eum, quem non cognoscit sufficientem pro omnibus locis & personis, alioquin peccaret grauiter: quia faceret contra Decretum Concilij Trident. *sess. 23. cap. 15. De reform.* vbi approbatio committitur Episcopo, ne qui idonei non sunt audiant confessiones in perniciem animarum. Vide Portel *in dub. regul. verb. Confessor regularis num. 3.* Lugo *de pœnit. d. 20. sect. 3. §. 1. num. 60.* Peirynum *tom. 1. de relig. q. 1. cap.21.§.2.*

Conc.Trid.

Portel. Lugo. Peirynus.

15. Qui non est simpliciter aptus pro omnibus locis & personis, potest ab Episcopo absolutè reprobari: quia non tenetur Episcopus approbare cum limitatione: nam in approbando debet respicere munus, pro quo approbat, & considerare an qui præsentatur sit aptus pro ipso exercendo, vnde si non est absolutè aptus, potest reiici, quia Tridentinum loquitur de approbatione absoluta. Vnde censenda est gratia quando Episcopi concedunt approbationem limitatam iis, qui absolutè non sunt apti, quia concedunt respicientes potiùs ad mentem, quàm ad verba Concilij Tridentini. Proinde ob insufficientiam doctrinæ potest Episcopus approbare ad tempus determinatum: quando scilicet dubitatur,quòd regularis non sit permansurus in illo statu scientiæ,in quo est de præsenti,quia nimirum non benè illam possidet.Aut quia censeatur cum scientia illa quam habet, posse quidem incipere exercere munus audiendi confessiones,indigeat tamen continuatione studij ad munus prosequendum:vt post illud tempus sumatur nouum experimentum de doctrina ipsius.

16. Qui in confessione tempore Paschalis facta omisit aliqua peccata mortalia per obliuionem, potest talia peccata non confiteri, vsque ad confessionem sequentis anni. Ratio est,quia Ecclesia obligat tantùm ad confitenda omnia peccata commissa illo anno, quantùm memoriæ occurrunt, adhibitâ sufficienti diligentia: sed qui taliter confessus est, satisfecit præcepto; ergo non tenetur iterum confiteri. Ita Nauarrus *in man. c.2. n. 10.* Sylutus *in suppl. 3. p. quæst. 6. art. 5 quæst. 3.* Toletus *lib. 3. c.8. num.1.* Victoria *in Summ. n. 137.* & alij citati *tom 1. verb.Confessio 1. num.17.*

Nauarrus. Syluius. Toletus. Victoria.

Vide v. Baptismus 4. *num.* 10. Circumstantia *num. 2. & seq.* Iactantia *n. 2.* Iubilæus *n. 2. 3.10.* Legatus *n. 11. & seq.* Matrim.3. *n.19.* Parochia *num.9.* Vicarius *num.6.*

CONFIRMATIONIS *Sacramentum.*

SVMMARIVM.

1 *Potest Summus Pontifex electus nondum in Episcopum consecratus, delegare simplici Sacerdoti potestatem ministrandi Sacramentum Confirmationis.*

2 *Solus Summus Pontifex potest hanc potestatem Sacerdotibus delegare, non autem Episcopus.*

3 *An forma Græcorum,* Signaculum doni Spiritus Sancti *sit sufficiens ad valorem Sacramenti?*

4 *Vnctio in hoc Sacramento debet fieri ab Episcopo in fronte,aliàs Sacramentum est nullum.*

5 *Vnctio debet fieri manu Episcopi immediatè, non autem medio aliquo instrumento.*

1. SVmmus Pontifex legitimè electus, nondum tamen in Episcopum consecratus, potest delegare potestatem ministrandi Sacramentum confirmationis simplici Sacerdoti.Ratio est,quia ei cõpetit ratione plenitudinis potestatis,quam habet in Christi Ecclesiam,quam plenitudinem habet etiam ante consecrationem. Tum quia præcisè per consecrationem Episcopalem non est eminentior cæteris Episcopis,sed per legitimam electionem.

Vnde hæc facultas,si nõ sit expresè limitata, vel ipsius verba iuxta communem Doctorum interpretationem non restringant ad vitam concedentis non expirat mortuo Pontifice, quia hæc concessio est gratia & fauor;fauor autem absolutè concessus ex communi Doctorum sententia, non expirat per mortem cõcedentis, vel causæ desitionem,cùm non necessariò ab his pendeat, vt conseruentur.Ita Præpositus *in 3. p quæst.72.art.11. dub.2.n.49.* & alij. Præpositus.

2. Ministerium conferendi hoc Sacramentum à Summo Pontifice solùm potest Sacerdotibus delegari,non autem ab Episcopo: quia nullum fundamentum,nullum exemplum,aut iudicium adest, ad hanc facultatem vlteriùs extendendam. Probatur hoc ex communi Doctorum sententia qui affirmãt id oriri ex diuina institutione: alioqui non potest Summus Pontifex dispensare in iis, quæ sunt de substantia Sacramentorum. Vnde dicendum est, quod Christus ipse instituit vt ordinarius quidem minister Confirmationis esset Episcopus, per extraordinariam verò delegationem sui Vicarij possit etiam esse Sacerdos. Non solent tamen Pontifices hanc facultatem facilè sacerdotibus concedere, sed solùm pro regionibus infidelium,in quibus rari sunt Episcopi. Ita Azorius *tom. 2. lib. 5. cap. 1. quæst. 6.* Hurtadus *de Sacrament.confirm.d fficult.13.* Præpositus *loco citato.* Azorius. Gasp.Hure. Præpositus.

3. Communis Theologorum sententia est, verba formæ Sacramenti Confirmationis hæc esse. *Signo te Signo Crucis & Confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris & filij & Spiritus Sancti, Amen.* Et omnia dicta verba esse requisita, quia omnibus illis semper via est Ecclesia, & omnia illa assignantur ab Eugenio IV. pro forma Græcorum autem formam illam, *Signaculum doni Spiritus Sancti*, non videri sufficientem, eo quòd multa non exprimit, quæ continẽtur in forma Latinorum necessaria ad valorem Sacramenti. Nihilominus quidam Doctores huius temporis contra communem sententiam opinantur hanc formam esse validam. Probatur *Primò* ex ipsius antiquitate, nam ea traditur à Sexta Synodo Generali *Canon* 95. quæ multò antiquior est Concilio Florentino, vtpote quæ celebrata est 750.circiter annis ante ipsum Concilium Florentinum:vnde hæc forma tanquam valida,approbata & recepta fuit in prædicta Sexta Synodo. *Secundò* neque Innocentius IV. neque Clemens VIII. in peculiaribus Bullis vnionis inter Græcos & Latinos vllam mentionem faciunt de hac forma Græcorum, sed illam potiùs, vt validam supponentes, prohibent solùm, ne hoc Sacramentum administretur à simplicibus Presbyteris, vti mos erat Eugen.IV. Sexta Synod. Innoc.IV. Clem.VIII.

Digitized by Google

apud Græcos, ſed tantùm ab Epiſcopis, ad quos tanquam ad ordinarios miniſtros huius Sacramenti adminiſtratio ſpectat. Imò Clemens ipſe VIII. ſpecialiter in prædicta Bulla huius formæ Græcorum meminit, eamque vt validam ſupponit & approbat, dum illam appellat formam huius Sacramenti: nam ſi illam ſaltem vt dubiam iudicaſſet, debuiſſet præſcribere, vt per illam confirmati, iterum eſſent ſaltem ſub conditione confirmandi: vti ibidem præſcribit eſſe ſub conditione reconfirmandos infantes Græcos, à Græcis Presbyteris baptizatos, eò quòd hi ſoleant vna cum Baptiſmo etiam Sacramentum Confirmationis conferre. Ita Amicus *tom. 7. diſputatione 13. ſect. 3.* Baſilius Pontius *de Sacrament. Confirmat. part. 2. cap. 7.* apud quos plura.

Amicus. Pontius.

4 Vnctio in Confirmatione debet fieri ab Epiſcopo in fronte: vnde Epiſcopus, non ſolùm peccaret mortaliter, ſed efficeret Sacramentum nullum, ſi frontem Confirmandi non vngeret. Probatur ex vſu Eccleſiæ ab antiquis Patribus comprobato præcipuè Dionyſio *de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 2. part. 2.* Cyrill. Hieroſolymit. *Catechеſi 3. & 4. Myſtagogica*, & aliis. Conſtat etiam id ex Innocentio III. *in cap. vnico de Sacra Vnctione*, & ex Concilio Florent. decreto de Armenis, declarante huius inſtitutionis rationem.

Ideò in fronte, inquit Concilium, vbi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat & præcipuè Crucem eius, quæ Iudæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, ſecundùm Apoſtolum: propter quod Crucis ſigno ſignatur. Præterea ex fine huius Sacramenti, qui eſt ad confitendum Chriſtum abſque vlla erubeſcentia & timore, non leue argumentum deſumitur ad probandum vnctionem in fronte neceſſariam eſſe valori huius Sacramenti. Ita D. Thomas *3. part. quæſt. 72. art. 9.* Suarez *diſput. 33. ſect. 3.* Layman *lib. 5. tract. 3. cap. 2. num. 4.* & alij.

D. Thom. Suarez. Layman.

Aduertendum tamen eſt, quòd licet ſit eſſentiale, vt ea vnctio fiat in fronte, at non eſt eſſentiale vt fiat in ſola fronte, ſed poſſunt etiam vngi Chriſmate aliæ partes & ſenſus corporis iuxta diuerſas Eccleſiarum conſuetudines: vt conſtat ex recepta conſuetudine Eccleſiæ Græcæ à primis temporibus & approbata ab Eccleſia Romana, vt videre eſt in Concilio 2. generali, quod eſt Conſtantinopolitanum 1. *Canon. 7.*

5. Quidam cenſent de neceſſitate Sacramenti non eſſe, vt adhibeatur vnctio in fronte immediatè manu propria Epiſcopi, nullo medio inſtrumento. Ratio illorum eſt, quia facta vnctione medio aliquo inſtrumento, vtpotè penicillo, ſeu calamo, forma huius Sacramenti verificatur. Ergo neceſſarium non eſt, vt fiat manu Pontificis immediatè. Neque ex vſu & conſuetudine Eccleſiæ ea neceſſitas colligi poteſt. Aliàs fieri pollice manus dexteræ neceſſarium eſſet. Citantur pro hac opinione Leander, Hurtadus & alij. Nihilominus dicendum eſt neceſſarium eſſe fieri Vnctionem manu Epiſcopi immediatè: quia impoſitione manus hoc Sacramentum à primis Eccleſiæ exordiis conficitur, vt conſtat ex Apoſtolorum vſu. Ita Reginaldus *lib. 28. c. 2. n. 10.* & alij citati *tom. 1. verb. Confirmatio n. 6.* Vide v. Clericus *num. 4.*

Reginald.

CONSILIVM.

SVMMARIVM.

1 *Conuenienter proponuntur aliqua conſilia in lege noua ſiu Euangelica.*

In quibus differat Conſilium à præceptis.

2 *Conſiliorum Euangelicorum duplex eſt vſus.*

3 *Omnis Chriſtianus ad duo obligatur erga hæc conſilia.*

4 *Ratione ſubiectæ materiæ quandoque verba importantia conſilium, ſumuntur pro præcepti verbis, & è contra hæc pro verbis conſilij.*

5 *An conſilium in materia Theologica datum accepto pretio ſit Simonia?*

6 *An imperiti & idiotæ homines dantes conſilium bona fide, teneantur ad reſtitutionem damni ex eo conſilio ſubſecuti.*

1. CAtholicorum doctrina eſt, eſſe aliqua conſilia determinata, quæ in lege noua ſeu Euangelica conuenienter proponuntur: Pro quo obſeruandum eſt, quòd cùm agitur de his conſiliis Euangelicis aut alioquin perfectionis, Conſilium deſcribi poſſit, eſſe opus bonum, à Deo non imperatum ſed demonſtratum & commendatum, cui, ſi fiat, magna debetur remuneratio, ſi non fiat, nulla pœna.

Differt conſilium à præceptis, *Primò*, quòd præcepta inducunt quandam neceſſitatem, ſcilicet obligationis; non item conſilia cùm liberum ſit hæc amplecti, vel non. *Secundò*, quòd non ſeruanti præceptum debetur pœna, non debetur autem non ſeruanti conſilia. *Tertiò*, quòd in eodem genere materia præcepti eſt facilior, materia autem conſilij difficilior; ſicut difficilius eſt ſeruare virginitatem, quàm ſolam caſtitatem coniugalem. *Quartò*, quòd ſeruanti conſilia (ſimul ſcilicet cùm præceptis) maius redditur præmium, quàm ſeruanti ſolùm præcepta.

Tria ſunt principalia conſilia, quæ in lege Euangelica rectè conſuluntur: ad quæ omnia alia particularia referuntur, ſcilicet paupertatis voluntariæ, caſtitatis & obedientiæ. Bona enim huius mundi, quæ ad vſum vitæ humanæ pertinent, conſiſtunt in tribus, ſcilicet in diuitiis, in voluptatibus, & in honoribus. Hæc autem omnia relinquere, conſilium eſt Domini Saluatoris, conſulentis paupertatem, Matthæi 19. *vade, vende quæ habes, & da pauperibus*; & perpetuam continentiam ibidem, *Qui poteſt capere capiat*: ac rurſùm, *qui reliquerit Patrem aut matrem, aut vxorem*, &c. *centuplum accipiet*: & Obedientiam etiam ibi, illis verbis, *Sequere me.*

2. Conſiliorum Euangelicorum vſus duplex eſt, alter vt his inſtructi & adiuti, diuina præcepta, ad quæ omnes obligantur, puriùs perfectiuſque præſtare poſſint: cùm alij hæc conſilia non ſectantes, per crebriora peccata, perque alia huius mundi impedimenta, à præceptorum etiam Dei neceſſaria obſeruatione plurimùm impediantur atque deficiant. Alter vſus eſt, vt communi ac neceſſariæ obſeruationi præceptorum Dei, aliquem gradum eminentiorem addant, ex multiplicatis magnarum virtutum actibus. Ita D. Thomas *2. 2. quæſt. 186. art. 1.* D. Thom.

3. Omnis Chriſtianus ad duo obligatur erga hæc conſilia. *Alterum*, vt proponat animo ea ſeruare, quoties ad aliquod ſe ex neceſſitate ſalutis ſuæ obligari intelligit. Vt benefacere inimico in extrema neceſſitate conſtituto. Vt Martyrium ſubire pro Chriſti nomine, aut pro fide Catholica; ſi ea debeat confiteri, & non negare, &c. *Alterum*, vt conſilia iſta numquam contemnat. Nam ſi ſecus fecerit, aut dixerit ea conſilia non eſſe de ſe & abſolutè meliora, quàm eorum contraria: vel non licere ea vouere: vel vota ſeruare, grauiſſimè peccat & hæreſis ſit reus. Cæterùm non omnis qui ea non obſeruat, præſumitur

contemnere

contemnere, ſed tantùm is, qui ea principaliter ob id non obſeruat, quòd parui faciat. Vt is, qui dicit coniugalem vitam eſſe meliorem cœlibatu, vel æquè bonam. Aut ſæcularem ſtatum, regulari. Talia enim dicens non ſolùm peccat, ſed & hæreticus eſt. Licitum tamen eſt dicere, coniugalem ſtatum huic, aut illi eſſe commodiorem cœlibatu: & vitam ſæcularem, regulari, &c. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *artic.* 2. Caietanus *ibidem* Nauarrus *in Man. cap.* 20. *num.* 20 *& ſequent.* Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de Sacram matrimonij. Can.* 10.

D. Thom. Caietan. Nauarrus. Conc. Trid.

4. Ratione ſubiectæ materiæ quandoque verba importantia conſilium, ſumuntur pro præcepti verbis, & è contra hæc pro verbis conſilij, vt verbum *Rogo*, exponitur pro *Præcipio*, *cap. rogo* 11. *quæſt.* 3. vt docet ibi Gloſſa *verb. Rogo.* Et Præcipio ſumitur pro Moneo *cap.* 2. *cauſ.* 12. *quæſt.* 1. vt ibi notat Gloſſa final. & Sylueſter *verb. Præceptum*, *quæſt.* 2. quamuis poſſit dici tunc non ſumi verbum *Rogo* impropriè: quia quamuis res illa ſit alio iure præcepta, poteſt quoque in alio iure rogari. Tunc autè contingit verba ſic ſumi impropriè, quando conſtat materiam eſſe præcepti; tunc quibuſcumque verbis conſilium importantibus textus vtatur, ea impropriè vſurpantur, vt præceptum importent. Et è contra, quando conſtat materiam eſſe ſolius conſilij, quæcumque verba apponantur præceptum ſignificantia, vſurpantur impropriè pro verbis conſilij. Quando autem neutrum conſtat, ſpectandus eſt verborum rigor, iſque ſeruandus.

Gloſſa. Sylueſt.

5. Qui conſilium in materia Theologica ſpeculatiua, vel practica, pretio accepto præbet, non peccat peccato ſimoniæ: etiamſi huiuſmodi conſilium detur à Theologo; vel ad pacandam alterius conſcientiam; vel etiam detur pro foro externo, ſiue pro foro conſcientiæ, ſiue pro ſola inſtructione intellectus. Probatur prima pars: quia vſus doctrinæ Theologicæ in actibus merè naturalibus pretio æſtimabilis eſt, nam eſt inſtructio intellectus naturali & humano modo facta. Probatur ſecunda pars: quia circumſtantia perſonæ non mutat naturam actionis, & conditio vel ſcientia perſonæ accidentaria eſt; conſilium enim eſt eiuſdem rationis, ſiue detur à Theologo, ſiue ab alio. Probatur tertia pars: quia intentio, ſeu finis pacandæ conſcientiæ extrinſecus eſt à conſilio, nec mutat naturam actionis ſecundùm ſe ſpectatæ. Tum quia huiuſmodi conſilium non eſt ſpirituale, ſed potiùs doctrinale, nec à Theologo datur vt peculiari inſtrumento Dei, ſed tanquam à Magiſtro & Doctore humano, non ad immutandum & promouendum affectum, ſed ad remouendam ignorantiam, & ad inſtruendum intellectum in re morali. Ex his probatur quarta pars, quia militant adhuc præfatæ rationes. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 100. *artic.* 3. *ad* 3. Caietanus *ibidem.* Nauarrus *in Man. cap.* 23. *n.* 100. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 4. *num.* 31. Quando autem conſilium eſſet exhortatiuum & ordinaretur proximè ad animæ correctionem; vel eſſet conſilium potius pendens ex dono Spiritus ſancti, quàm ex ſola doctrina & humano ſtudio, vt cùm datur conſilium ad iudicandum, an aliqua vocatio ſit à Deo, vel quo pacto orandum, vel qua ratione tentationibus reſiſtendum ſit, &c. Contraria ſententia eſt probabilis, vt docet Suarez *lib.* 4. *de ſimon. cap.* 18. *num.* 20. *&* 21. quia nullus vir timoratæ conſcientiæ audet quicquam pro huiuſmodi conſiliis capere.

D. Thom. Caietanus. Nauarrus. Filliucius. Suarez.

6. Idiotæ & imperiti homines dantes conſilium bona fide non tenentur ad reſtitutionem damni ex eo conſilio ſubſecuti. Ratio eſt, quia capiens conſilium debet ſibi damnum imputare, cùm ſequi voluerit conſilium hominis, quem imperitum eſſe non ignorabat; conſequenter volens & ſciens patitur damnum: volenti autem & ſcienti non fit iniuria. *Dixi bonâ fide*: nam qui fraude vel ſe peritum fingendo conſilium damnoſum alteri dedit, tenetur ad reſtitutionem, cenſetur enim cauſa damni per fraudem. Ita Petrus Nauarra *de reſtit. lib.* 3. *cap.* 4. *p.* 1 *num.* 25. Rebellus *lib.* 1. *de contractibus, quæſt.* 14. *ſect.* 4. *num.* 25. Si tamen prædicti conſilium præbeant ſe ingerentes ad conſulendum; quidam dicunt teneri ad reſtitutionem damni ſecuti, quia ſibi imputare debent, eo quod cùm rudes & imperiti erant, ſe ingeſſerint, & conſilium nociuum præbuerint, & alienum officium vſurpauerint, nec in tali caſu excuſantur per bonam fidem, quæ vbi culpa, vel imperitia, vel negligentia culpabilis adeſt, damnificantem non excuſat, iuxta *cap. Si culpa tua, de iniuriis & damno dato.* Hæc ſententia eſt ſecurior, quam tenent Ioan. Medina *Cod. de reſtituend. quæſt.* 7. *ad* 2. Arragon 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. *ad* 3. & alij. Quamuis contraria *Petri Nauarræ* & aliorum ſatis probabilis ſit.

P. Nauarra. Rebellus. Medina. Arragon.

Vide v. Aborſus *num.* 17. *&* 20. Excommunicatio 5. *num.* 8. *&* 9. Matrimonium 1. *num.* 25. Religio *n.* 3. Reſtitutio *n.* 19. *&* 20. Votum 1. *n.* 40. Irregularitas 11. *num.* 5. *& ſequent.*

CONSVETVDO.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo conſuetudo ſit fida legum interpres.*
2 *Prima principia iuris naturalis per conſuetudinem mutari non poſſunt.*
3 *Nulla conſuetudo poteſt eximere religioſos à votis eſſentialibus Religionis.*
4 *Facultas teſtandi competere poteſt Monachis per conſuetudinem.*
5 *Virum in dubio conſuetudo contraria legi ſit præſumenda rationabilis.*
6 *Conſuetudo quæ iuri diuino, aut naturali non aduerſatur, eſt rationabilis.*
7 *Quando conſuetudo cenſeatur legitimè præſcripta,* referuntur variæ ſententiæ.
8 *Ad ſtabiliendam conſuetudinem non requiruntur actus iudiciales, ſed ſufficiunt vulgares.*
9 *Conſuetudo obligat ſolùm ſubditos in territorio, in quo introducta eſt.*
10 *Conſuetudo poteſt facere, quòd aliqua lex recipiatur in aliqua ſui parte, & non in alia.*
11 *Quomodo conſuetudo generalis abrogetur per legem.*
12 *Vna conſuetudo poteſt abrogari per aliam conſuetudinem ſuperuenientem contrariam.*
13 *An merus non vſus conſuetudinem inducere poſſit & legem abrogare.*

1. VT conſuetudo ſit fida legum interpres, requiritur *Primò*, vt ſit publica, & neminem lateat, ſi enim aliquid à multis ſeruaretur, ſed in occulto, ita vt ad notitiam Principis non perueniat, talis conſuetudo non poteſt eſſe legum interpres, vt ergo legem conſuetudo interpretari poſſit, debet eſſe publicis moribus recepta, ſciente & conſentiente Principe. *Secundò* requiritur, vt non ſolùm ſciat Princeps, ſed etiam approbet, & non puniat, etiamſi res in iudicium deducantur. Si enim ſciat aliquid fieri, & vel ex negligentia, vel ex impotentia non potens delinquentes corripere & abuſum tollere, oculata diſſimulatione talem abuſum permittat, talis conſuetudo legem interpretari non

potest Exemplum primi est, in lege ieiunij, quæ olim hora nona & semel in die tantùm comedere permittebat, consuetudine tamen introductum est, quod aliquid noctu sumamus, quæ consuetudo optimè legem hanc ieiunij interpretata est. Inde Doctores communiter excusant fideles, qui iuxta morem & consuetudinem patriæ in die ieiunij longiores collationes faciunt, siue sumant olera, siue electuaria, siue etiam aliquos fructus, aut etiam panem, vel solum, vel simul cum aliquo fructu arboris alicuius, vt cum pluribus diximus *tom. 1. verb. Ieiunium*, l. n. 8. Exemplum secundi est, quòd consuetudo introducta à tabellionibus, aut à stabularijs & huiusmodi, exigendi vltra taxatum pretium, nec legitima legum interpres est, nec à peccato excusat, quia licet id frequentissimè fiat & ita fieri Princeps cognoscat, huiusmodi tamen transgressores in iudicio accusatos grauiter punit, quod probat, velle Principem, vt lex statuta seruetur, adeo vt occulta consuetudo & abusus multorum in contrarium, vigori legis præiudicare non possit. De his vide Medinam *in 1. 2. quæst. 97. art. 3.* Et Ioannem Medinam *cap. de ieiunio, quæst. 8.* Valentiam *tom. 2. disp. 7. quæst. 5. punct. 8.* & alios *in 1. 2. quæst. 67. artic. 3.*

Medina. Ioan Med. Valentia.

2. Prima principia iuris naturalis nullo modo per consuetud.nem mutari possunt. Ratio est, quia quantò consuetudo contra hæc fuerit inueteratior, tantò grauioris est causa peccati; tantum abest, vt consuetudo aliquid vigoris detrahat talibus principijs. Notandum autem est, in lege naturali tria considerari posse, iuxta D. Thomam *1. 2. quæst 94. art. 4* & *quæst. 95. art. 2.* Primum, scilicet, prima principia, quæ nunquam deficiunt à rectitudine, *vt nulli faciendum est malum.* Secundum, sunt conclusiones primæ rarò deficientes ex illis principijs communibus deductæ, sicut hoc *non esse occidendum* deducitur vt conclusio quædam ab eo, quod est *nulli esse faciendum malum.* Tertium, sunt quædam determinationes quorumdam principiorum communium à dicta lege deriuatæ, sicut lex naturæ habet, quòd *peccans puniatur*, sed quod tali, vel tali pœna puniatur, est determinatio legis naturæ, quæ ex sola lege humana vigorem habet. Licet igitur prima illa principia mutari non possint, per consuetudinem tamen ea, quæ vt conclusiones inde deducuntur, verbi gratia, *non occides, non furaberis*, Limitari & declarari possunt. Quæ verò remotius tanquam determinationes ex illis principijs deducuntur, vt sunt leges humanæ, possunt etiam per consuetudinem tolli, declarari & limitari, prout ratio naturalis suadet, aliàs non. Hinc infertur, quòd consuetudo facere non potest, vt licitè exigantur vsuræ: vt licitum sit violare sigillum sacramentale Confessionis: vt iuramentum falsum non sit peccatum, &c. quia hæc iure diuino & naturali sunt prohibita.

D. Thom.

3. Nulla consuetudo potest eximere religiosos à præceptis essentialibus regulæ, paupertatis scilicet, castitatis & obedientiæ: quia hoc esset contra votum solemne ius diuinum concernens. Benè tamen potest, si non omninò, tollere obligationem præceptorum regulæ, ad minus interpretari regulam circa eius præcepta etiam ad mortale obligantia. Vnde consuetudine toleratâ dicta præcepta non solùm possunt mitigari, sed etiam quantùm ad aliqua tolli cum consensu saltem tacito & interpretatiuo Papæ, non autem Superiorum regularium. Sed videant religiosi, ne consuetudo sit corruptela, si enim aliquid eorum per statuta Ordinis sæpe sæpius expressè prohibeatur, consuetudinem interrumpit, ac proinde præscriptionem.

Vide Sanchez *lib. 6. moral. cap. 2. num. 19. & 30.* Nauarrum *in Man. cap. 12. num. 50.* Rodriguez *tom. 1. qq reg. quæst. 63. artic. 2.* Mirandam *tom. 2. Manual. quæst. 18. artic. 6.* Hinc consuetudo facere non potest, vt regularis professus aliquo modo sit Dominus eorum, quæ lucratur prædicando, legendo, & eorum quæ sibi donantur: quia esset contra ius naturæ, vt Monachus qui est mortuus mundo, & nec velle, nec nolle habet, dominium habeat: valet tamen illa consuetudo habendi, expendendi & recipiendi ex licentia suorum Superiorum, quidquid ei donatum fuerit & acquisierit ad vsum tantum: quia religiosis prohibita est proprietas, non rerum vsus. Imo vbi est consuetudo, ad hoc sufficit licentia tacita, quia voluntas Superiorum satis explicatur per consuetudinem illam in ea Religione receptam, vt docet Sanchez *lib. 7. moral. cap. 19. num. 7.*

Sanchez. Nauarrus. Rodriguez. Miranda. Sanchez.

4. Negant multi Iurisperiti apud Sanchez citatum infra, consuetudinem non valere, vt Monachus testetur: eo quòd repugnet regulæ Monasticæ. Hanc sententiam amplectitur etiam Graffius *1. part. decis. lib. 3. cap. 5. num. 59.* & *part. 2. lib. 3. cap. 18. num. 86.* Nihilominus cùm hæc facultas testandi competere possit Monachis per Pontificis priuilegium, dicendum quoque est posse per consuetudinem, quia quæ per priuilegium fieri possunt, valent quoque consuetudine legitimè præscripta induci, vt docet Felinus *in cap. quia in Ecclesiarum, num. 17. de Constitutionibus.* Tum quia consuetudo hæc vim habet & iuris noui condendi, & abolendi antiqui *cap final. de consuetud.* Tum quia prohibitio facta regularibus testandi, iuxta veriorem sententiam, est solo iure humano inducta, at id ius potest consuetudine aboleri, ergo. Ita Nauarrus *Comment. 2. n. 44. de regul.* Cui subscribit Sanchez *lib. 7. moral. cap. 8. num 63.*

Graffius. Felinus. Nauarrus. Sanchez.

5. In dubio an consuetudo contraria legi sit rationabilis, id est, expediens communi bono, præsumenda est rationabilis, & communi bono expediens: quia in dubio in fauorem consuetudinis iam introductæ formandum est. Verùm si consuetudo non solùm sit contraria legi, sed etiam à lege prohibita, aut reprobata; tunc in dubio pro lege firmandum est, & iudicandum consuetudinem esse irrationalem. Ratio est, quia reprobatio consuetudinis facta à lege est certa, ergo non potest ab honestate dubia vinci. Ita Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 4. num. 14.* Et probatur ex *cap. 1. de eo, qui mittitur in possessionem*, ibi: *Si laudabilem esse constiterit.*

Sanchez.

6. Omnis consuetudo, quæ iuri diuino, aut naturali non aduersatur, est rationabilis: quia non propterea consuetudo dici debet irrationabilis, quia euertit legem aliquam positiuam, si aliàs seclusâ lege quam euertit, nullam contra legem naturalem, aut rationis æquitatem, deformitatem contineat: alioqui enim omnis consuetudo legem euertens esset irrationabilis. Propterea in introducenda consuetudine non requiritur, vt concurrat principium rationabile: quia non attenditur principium consuetudinis, quod quamuis sit irrationabile, & actus primi consuetudinem introducentes, iniqui, consuetudo tamen legitimè per illos actus præscripta, honesta esse potest, ac vim legis nouæ statuendæ, & antiquæ abrogandæ habere. Ita Caietanus *1. 2. quæst. 97. artic. 3.* & communis Theologorum sententia. Tum quia sæpe ignorari necesse est in vetustis rebus principium, quo introductæ sunt, *l. si arbiter 28. ff. de probat.* Quamuis sine fundamento oppositum dicat Suarez *lib. 7. de leg. cap. 6.* vt putat Pontius *de matrim. lib. 6. cap. 5.*

Caietan. Suarez. Pontius.

7. Varij

7. Varij variè sentiunt, quando censeatur consuetudo legitimè præscripta. Quidam enim docent, ad inducendam obligationem, vel ad abrogandas leges ciuiles per modum præscriptionis, sufficere, si consuetudo contraria seruata fuerit spatio decem annorum; quia tale spatium in iure longæuum tempus censetur, vt patet *l. vltim. Cod. de præscript. long. tempor.* Ita Suarez, Molina, Azorius & alij apud Salas *disp.* 19. *sect.* 4. & 8. Ad abrogandam autem legem Canonicam, tunc quadraginta anni necessarij sunt: quia Doctores ferè communiter putant ad præscribendam consuetudinem tantùm temporis requiri, quantum requiritur ad præscriptionem aliarum rerum, sed ad præscribendas res Ecclesiasticas requiritur saltem spatium quadraginta annorum, ergo. Probatur ex *Authentic. quas actiones, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & illam sententiam tenet Diana *part. 6. tract. 5. resolut. 2.* ex auctoritate Sacræ Rotæ Romanæ, quæ semper illam canonizauit, & aliorum Doctorum, quos ipse citat, scilicet, Suarez, Layman, Wigers, Reginaldi, Cordubæ, &c.

Suarez. Molina. Azorius. Salas.

Diana. Rota.

Alij putant hoc negotium relinqui debere arbitrio prudentis & docti viri, qui perspectis omnibus circumstantiis iudicet, quando consuetudo tantùm temporis viguerit, vt merito credatur adesse rationabilem & tacitum consensum Principis, seu legislatoris nolentis vlteriùs obligare suam legem. Idemque censendum de tempore ad hoc requisito, vt consuetudo vim legis obtineat, atque adeò obliget illud nimirum sufficere, quod prudentum iudicio satis est, vt meritò credatur legislator consentire vt obliget. Quod mihi maximè probatur cum Syluio 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *concl.* 8. Soto *lib. 1. de iust. t. quæst. 7. art* 2. Granado *in par. 2 contr. 7. tract. 3. disp. 26. sect.* 1. & aliis.

Syluius. Sotus. Granadus.

8. Ad stabiliendam consuetudinem non requiruntur actiones iudiciales; ita vt decreto & sententia iudicis in aliqua causa, vel causis, iuxta consuetudinem pronuncietur ius: sed sufficiunt actiones vulgares & extraiudiciales; modo sint voluntariæ, & consequenter non ex errore & ignorantia factæ. Ratio prioris est, quia vera causa consuetudinis est Principis, aut populi consensus, qui non minus animum suum actibus extraiudicialibus, quàm iudicialibus declarare possunt. Imò multò maioris auctoritatis videtur esse longo tempore, & sine dubitatione confirmatus vsus, quàm quod in contradictorio iudicio fuerit obtentum. Tum quia rerum iudicatarum auctoritas non inducit consuetudinem, sed probat. Ita Suarez *de leg. lib. 7. cap. 11.* Salas *disp.* 19. *sect.* 11. *num.* 93. & alij quos refert & sequitur Diana *part. 6. tract. 5. resol.* 8. Ratio posterioris est, quia obligatio consuetudinis oriri debet ex libera voluntate eorum, qui se obligare voluerunt: vbi autem est deceptio, seu error, non est libera voluntas se obligandi, error enim impedit liberum consensum. Vide Præpositum 1. 2. *quæst.* 97. *dub.* 1. *num.* 6. Suarez *cit. lib. 7. cap.* 12

Suarez. Salas. Diana.

Præpositus. Suarez.

9. Consuetudo æquiparatur legi; & sicut lex, obligat subditos solùm in territorio, in quo introducta est. Vnde si consuetudo sit vniuersalis totus Ecclesiæ, omnes Christianos indistinctè obligabit: si solius regni alicuius, aut Episcopatus, omnes illorũ districtuum respectiuè incolas obstringet. Hinc dicendum est consuetudinem non extendi de loco ad locum: eò quòd consuetudo vnius communitatis, non obliget alteram distinctam, cùm vna non habeat potestatem imponendi alteri legem. Nec etiam extendi de persona ad personam; vnde si consuetudo sit in materia ciuili, quæ vim suam sortiri debeat ex consensu Principis sæcularis, non obligabit Clericos per se loquendo. Quòd si materia sit mixta, pertinens, nempe, ad politiam ciuilem & Ecclesiasticam, & in vtraque seruetur per vtrumque status homines consuetudo communis, obligabit etiam Clericos ex vi consensus Superioris Ecclesiastici. Denique si materia sit spiritualis & ad bonum animæ tendat, vt ieiunium, festiuitas alicuius Sancti, obligabit Clericos & laicos, quatenus talis consuetudo vim accipit ex consensu & potestate Superioris Ecclesiastici, qui in vtrosque, tanquam Christianos, habet suam iurisdictionem spiritualem. Ita Wigers *i. 2. q. 97. art. 3. n. 30. & 32.* Syluius *ibidem concl.* 10. Suarez *de leg. lib. 7. c. 16. num. 9. & sequent.* & alij.

VVigers. Syluius. Suarez.

10. Consuetudo potest facere, quòd aliqua lex recipiatur in aliqua sui parte, & non in alia; vel recipiatur secundum principalem suam dispositionem, & non quoad pœnam ei adiunctam; vel quoad vnam partem pœnæ & non quoad aliam. Ratio est, quia nihil vetat legem sic ab initio ferri: consuetudinis autem & legis eadem est ratio: Tum quia rationabiliter tolli potest per Principem obligatio ad pœnam huius sæculi, remanente obligatione ad culpam: ergo idem fieri potest per consuetudinem: & ideò per consuetudinem contrariam excusantur à censura lata per *Extrau. 1. de Simonia*, dantes vel accipientes aliquid ob ingressum in aliquod Monasterium, non autem à peccato mortali. Item Extrauagans *Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alienand.* quibusdam in locis in nihilo est recepta; alibi quoad solam irritationem contractus; vix vsquam quoad pœnam excommunicationis, vt testantur Nauarrus *in Man. cap. 27. n. 149. & 150.* Caietanus *in Sum. v. Excommunicatio*, Suarez *de leg. lib. 7. cap. 19* Præpositus 1. 2. *quæst. 97. dub. 2.* & alij.

Nauarrus. Caietan. Suarez. Præpositus.

E contra consuetudo potest abrogare legem quoad culpam, manente obligatione quoad pœnam, vt patet ipso vsu in plurimis. Quod intelligendum est, quando pœna non supponit intrinsecè culpam: quia quando est talis pœna, non potest lex abrogari quoad obligationem directionis, quin etiam derogetur quoad huiusmodi pœnam, tales sunt Ecclesiasticæ censuræ. Ita Wigers 1. 2. *q. 97. art. 3. n. 37. & 38.* Salas *disp. 19. cap. 9. n. 77.* Suarez *cit. num. 11. & 12.*

VVigers. Salas. Suarez.

11. Consuetudo generalis totius Prouinciæ, aut regni abrogatur per legem subsequentem, quamuis illius non fiat mentio: si autem sit specialis, non potest abrogari per legem subsequentem, nisi expresè fiat mentio consuetudinis per verba abrogatiua: vt habetur *in cap. 1. de Constitution.* Ratio huius differentiæ est, quia vt legislator abroget priorem consuetudinem per legem subsequentem, opus est, vt nouerit consuetudinem, & quando est consuetudo generalis præsumitur iure nota à legislatore: quando autem est specialis, potest ignorari, imò & præsumitur, si eius non fiat mentio in lege subsequenti; ergo consuetudo specialis in hoc casu non abrogatur. Si autem lex improbet consuetudinem per verba generalia, secundùm Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 4. num. 13.* & alios ibi citatos, non solùm de consuetudine præterita, sed etiam de futura intelligitur: sed iuxta Suarez *de leg. lib. 7. cap. 7.* verba illa generalia, *non obstante contraria consuetudine*, solùm ad præteritam consuetudinem se extendunt, non autem futuram respiciunt; quia improbare consuetudinem est quid odiosum, ergo non est extendendum, sed limitandum. Tum quia illis verbis solùm intendit legislator tollere consuetudinem contrariam suæ legi: consuetudo autem quæ nondum est, non est legi contraria: ergo de illa lex non loquitur. Obseruat tamen

Sanchez. Suarez.

Digitized by Google

Villalobos. tamen Villalobos *tom. 1. tract. 2. diffic. 39. num. 8.* quòd ſi lex aliquam conſuetudinem reprobaret tanquam iniquam, & corruptelam, tunc etiam de futura interpretanda foret, quia eſt eadem ratio de vtraque.

12. Vna conſuetudo derogari poteſt per aliam contrariam ſuperuenientem: ſeruatâ tamen proportione, vt generalis per generalem, particularis abrogetur per particularem in eodem loco, vniuerſalis per particularem vnius loci, pro eodem loco, & particularis per generalem. Ratio eſt, quia ita comparantur conſuetudines inter ſe, ſicut leges, vel vt conſuetudo ſeruatâ proportione. An autem in Eccleſiaſticis conſuetudinibus requiratur tempus 40. annorum, vt poſterior reuocet priorem? Dicendum eſt quòd ſi prior conſuetudo non fuit contra, ſed præter ius, poſterior erit ſimpliciter contra ius, & ideò poſtulabit tempus Canonicæ præſcriptionis: quia prior conſuetudo induxit ius, cui eſt contraria poſterior, quæ non eſt conformis alicui iuri. At ſi prior conſuetudo fuit contra ius commune, quod non fuit omninò ſublatum illa conſuetudine, quia non fuit vniuerſalis, ſed particularis, quæ illi derogauit: tunc probabile eſt poſteriorem conſuetudinem decem annis præſcriptam ſufficere: quia non eſt ſimpliciter contra ius: quia ius commune ſemper manet ad quod per illam conſuetudinem fit regreſſus. Ita Suarez *de leg. lib. 7. cap. 20. num. 21.* Suarez. Licet contrariam ſententiam doceat Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 3 diſp. 3 punct. 5. num. 5.* Palaus. Diana autem *part. 6. tract. 5. reſolut. 27.* ſententiæ Suarez eſſe adhærendum docet. Diana.

13. Merus non vſus conſuetudinem inducere non poteſt, quæ vim legis habeat, quia nec actus nec actuum frequentiam importat, ac per conſequens nec communitatis nec Principis conſenſum: eſt enim merus non vſus, quando lex non ſeruatur, non occurrente vlla obſeruationis eius occaſione. Si autem occaſio legem ſeruandi occurrat & prætermittatur; talis non vſus vel deſuetudo poterit legem abrogare, ſi tamdiu duret, vt prudentibus videatur quod legislatore tolerante, vim ſuam perdiderit, neque erit merus non vſus. Si autem non vſus, non æquiualeat contrario vſui, atque illum inuoluat, nulla temporis diuturnitate ſufficiens eſt, vt legi deroget: quia conſuetudo vſus eſt, & in non vſu conſiſtere non poteſt. Ita Sylueſter *verb. Conſuetudo, q. 8.* Sylueſt. Lorca *in 1. 2. tom. 2. diſp. 29. numb. 3.* Lorca. Diana *part. 6. tract. 5. reſol. 18.* Diana. Bonacina *de leg. diſp. 1. q. 1 punct. vlt. §. 3. nu. 27.* Bonacina.

Vide v. Archiepiſcopus *num. 9.* Canonicus *n. 4.* Decimæ *num. 2.* Electio *num. 14.* Feſtum *1. num. 3. & ſeq.* Feſtum *2. num. 4.* Gabella *num. 7.* Horæ Canonicæ *4. num. 14* Immunitas Eccleſiarum *num. 9.* Paupertas *num. 10.* Pœna *num. 4.* Priuilegium *n. 7.*

CONTENTIO.

SVMMARIVM.

1 *Contentio quid ſit, & quale peccatum.*
2 *Contentio ex parte materiæ de qua contenditur, eſt triplex.*
3 *Contentio eſt filia inanis gloriæ.*

1. COntentio *eſt diſceptatio, ſiue altercatio verborum ad veritatem impugnandam*, dicitur *verborum*, quia ſicut diſcordia importat contrarietatem in voluntate, ita contentio in locutione. Dicitur, *ad veritatem impugnandam*: nam veritas tripliciter impugnari poteſt. *Primò* formaliter, id eſt, ex intentione ipſam bene cognitam impugnandi, & ipſi contradicendi. *Secundò*, virtualiter, vt cùm quis impugnat veritatem, quam licet falſitatem eſſe exiſtimet, poteſt tamen ac debet ſcire eſſe veritatem: & hoc modo hæretici doctrinam Catholicam frequenter impugnant. *Tertiò* materialiter, vt cùm aliquis exercitij vel examinis causâ veritatem oppugnat. Primis duobus modis contendere contra veritatem fidei, aut morum, eſt peccatum mortale. Tertio modo nullum eſt peccatum, ſicut nec impugnatio falſitatis, niſi ſit exceſſus in modo: qui exceſſus ſi tantus eſt, vt cuipiam magna fiat iniuria, vel generetur graue ſcandalum, erit peccatum mortale, alioquin eſt ſolum veniale. Impugnatio autem veritatis ſpeculatiuæ, quæ nec ad fidem, nec ad mores pertinet, etiam ex intentione, non eſt peccatum mortale, ſi ſimiliter abſit exceſſus notabilis. Ita D. Thomas *2. 2. quæſt. 38. artic. 1.* D. Thom. Syluius *ibidem*, Toletus *in Summ lib. 8. cap. 10.* Syluius. Sylueſter *verb. Contentio*, Nauarrus *in Man. cap. 23 num. 34.* Toletus. Sylueſt. Nauarrus.

2. Contentio ex parte materiæ de qua contenditur, eſt triplex, prima ſcilicet, *æmulationis*; vt quæ eſt efferentium diuerſos Prædicatores, vel Doctores & huiuſmodi. Secunda *diſputationis* in ſcholis. Tertia *litigationis* in foro. Contentio æmulationis de ſe non eſt peccatum mortale: frequenter tamen eſt occaſio mortalium, vt detractionum & odiorum, quæ ſequuntur inter religioſos. Contentio diſputationis poteſt eſſe laudabilis ad exercitium cum moderamine & reuerentia: licet hoc fiat rarò, niſi inter condiſcipulos. Poteſt tamen eſſe illicita quadruplici ex capite, nempe ex fine, ex parte diſputantis; ex parte auditorum; & ex diſputandi modo, vt diximus *tom. 1. verb. Fides 1. num. 9.* Contentio litigationis poteſt eſſe peccatum mortale tripliciter. *Primò*, ratione iuſtitiæ; puta, quia eſt contra iuſtitiam: & de hoc non eſt dubium, ſi fiat ſcienter, vel ex ignorantia non excuſante. *Secundò*, ſi ſit pro iuſtitia: ſed nimis prolongetur ad exhauriendas facultates clientulorum. *Tertiò*, Ratione ſcandali actiui, ſiue puſillorum, de qua *verb. Scandalum.*

Porrò eſt notandum quòd Conſtitutiones Religionum punientes contentiones, non loquuntur de ea, quæ de ſe eſt mortalis, quia illæ non prohibent prohibita diuino, aut naturali iure; ſed de ea, quæ eſt ſolùm peccatum veniale: quia intendunt tanquam finem reuerentiam & ſubiectionem debitam ad Prælatos, quæ eſſe non poſſet, ſi etiam veritas clamosè, aut deſpectiuè, ſeu deriſoriè defenderetur, vt benè obſeruat Sylueſter *verb. Contentio, quæſt. 5.* Sylueſt.

3. Contentio eſt filia inanis gloriæ, ſicut eſt diſcordia. Sicut enim aliqui ex hoc ſunt diſcordantes, quòd ſtant corde in propriis, nec volunt alter alteri acquieſcere, ſed vnuſquiſque ea quæ ſua ſunt præfert his quæ ſunt alterius, quod cùm inordinatè fit, pertinet ad ſuperbiam, vel inanem gloriam; ita ex hoc aliqui ſunt contendentes; quòd vnuſquiſque defendit verbo id quod ſibi videtur, nec vult alterius verbis acquieſcere, quod etiam ad ſuperbiam vel inanem gloriam pertinet. Poteſt tamen contentio oriri aliunde, ac ſpecialiter ex inuidia, cum qua habet affinitatem, quantum ad receſſum ab ea perſona à qua diſſentit. Ita D. Thomas *2. 2. q. 38. art. 2.* D. Thom.

CONTINENTIA.

SVMMARIVM.

1 *Continentia in materia morali, dupliciter accipitur.*

2 *Conti-*

2 *Continentia vt distinguatur à temperantia.*
3 *Quæ sint vtilitates continentiæ, seu castitatis.*
4 *Incitamenta ad continentiæ cultum multa sunt.*

1. COntinentia, in materia morali, dupliciter accipitur. *Primò*, vt significat virtutem quandam quâ quis sese ab omni delectatione venerea cohibet: quomodo passim accipitur in Scriptura sacra, & apud Sanctos Patres: nec differt à castitate. *Secundò*, vt significet firmitatem animi contra impetus passionum. Et hoc modo, nihil est aliud quàm firmum propositum animi, quo quis se continet in bono rationis contra impulsus concupiscentiæ, quibus ad voluptates tactus, & præsertim venereas impellitur. Vnde continentia simpliciter & absolutè dicta, versatur circa concupiscentias delectationum tactus, tanquam circa suum obiectum. Ratio est, quia cùm continentia quandam refrænationem importet, ea simpliciter est continentia, per quam refrænantur illæ passiones, quæ maximè impellunt ad aliquid prosequendum, & quæ propterea sunt superatu difficillimæ, tales autem sunt concupiscentiæ alimentorum & venereorum, quæ ad delectationes tactus pertinent. Ita D. Thom. D. Thomas 2.2. *quæst.* 155 *art.* 1. & 2.

Circa autem concupiscentias prauas aliarum rerum, non absolutè dicitur continentia, sed cum addita expressione certæ materiæ, veluti continentia iræ, continentia auaritiæ, continentia honoris, vt docuit Aristoteles 7. *Ethic cap.* 4. Aristot.

2. Continentia absolutè dicta non distinguitur à temperantia, nisi vt imperfectum & inchoatum à perfecto & completo; & sicut dispositio distinguitur ab habitu. Ratio est, quia temperantia consistit in firmo proposito continendi se in bono rationis, per quod passiones iam sunt domitæ & rationi subiectæ. Continentia verò est propositum simile, sed quod nondum eò peruenit, vt passiones edomuerit & rationi subiecerit. Hoc tamen non sic intelligendum est, quasi temperans nullos amplius concupiscentiæ motus patiatur, sed quòd rarius patiatur, & ordinariè non tam vehementes; tum quia habitus voluntatis est firmior, tum quia præter hunc includit habitum appetitus inferioris, per quem compressis passionibus, appetitus iste rationi subiicitur. Ita D. Thomas *cit. art.* 4. Syluius *& alij ibidem.* D. Thom. Syluius.

3. Vtilitates continentiæ, seu castitatis sunt. *Prima* est, reddere hominem similem Angelis & Deo: quia inter Angelos non sunt nuptiæ, *Matthæi* 22. Nemo miretur, ait D. Ambrosius *lib.* 1. *de Virginibus*, si Angelis comparentur, quæ Angelorum copulantur Domino. *Secunda*. Sanctificat corpus, vel sanctificatum à contaminatione custodit: nam mulier innupta & Virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu 1. *Corinth.* 7. Hoc prodit pudor qui omnibus hominibus innascitur, vt propter actus venereos verecundentur, etiam in coniugio honesto. *Tertia*, præbet occasionem Deum liberiùs & puriùs orandi. *Quarta*, habet excellentius ac præstantius præmium in cœlis, quàm coniugium. *Quinta*. Conseruat atque confortat corporis vires & integritatem: custodit illud à lepra, podagra, caluitie, oculorum hebetudine, aliisque morbis, si tamen sobrietatem sibi iunctam habeat. *Sexta*, hominem aptum reddit, ad faciliùs hauriendam scientiam, studiumque omnis Sapientiæ. *Septima*, reddit hominem placidum, benignum, humilem, pium, deuotum & Sanctum: nam qui grauissimas omnium carnis tentationes & luxuriæ vincitis non patitur se facilè superari à tentationibus aliorum leuiorum vitiorum. D. Ambros.

4. Multa sunt, quæ ad continentiæ cultum possunt nos incitare: vt exempla Christi Domini, Beatissimæ Virginis, multorumque aliorum Sanctorum & Sanctarum, qui continentiæ fuerunt cultores eximij. *Secundò*. Exempla eorum quibus voluptas maximè nocuit, vt generis humani, quod diluuio perit octo animabus exceptis. Sodomitarum, qui cœlesti igne propter voluptates consumpti. Salomonis, qui per voluptates infatuatus secutus est Deos alienos: denique, quia maior pars mundi per voluptates perit. *Tertiò*. Consideratio quòd voluptates breues sunt: *Momentum enim quod delectat, æternum quod cruciat.* Quòd viles sint. Vilitas autem earum ex eo conspicitur, quòd in eis nihil sit magnificum, nihil generosum, nihil masculum, & brutis nos similes efficiant, carni dumtaxat & sensibus externis lenocinantes. Quòd sint permixtæ doloribus, relinquunt enim quâdam amaritudinem & veluti aculeum in animo, ac tacitum quoddam conscientiæ flagellum. Quòd sint inutiles & vanæ; quia desiderium non satiant, sed magis accendunt & animi inquietudinem relinquunt. *Quartò*. Consideratio malorum, quæ voluptates secum trahunt, corpus enim eneruant, spiritum carni subiiciunt, salutis obliuionem inducunt, ac tandem homines mergunt in interitum. De quibus plura videri possunt apud D. Antoninum *p.* 4. *tit.* 4. *cap.* 2. § 4. D. Antonin.

Vide v. Legatum *num.* 6. & 8.

CONTRACTVS.

SVMMARIVM.

1 *Contractus alij sunt gratiâ accipientis; alij gratiâ solùm dantis; alij gratiâ vtriusque.*
2 *Contractus bonæ fidei & stricti iuris inter se distinguuntur.*
3 *Contractus ad pias causas, cui deest solemnitas iuris ciuilis, validus est in vtroque foro, modò existat id quod est iuris naturalis & diuini.*
4 *Contractus ad causam profanam, quibus deficit aliqua solemnitas iuris, possunt leges ciuiles in vtroque foro statim ipso facto irritare.*
5 *Contractus simulatus est in vtroque foro nullus.*
6 *Metus reuerentialis, si inuoluntarium mixtum efficiat, sufficit in foro conscientiæ ad reddendum contractum inualidum, secus in foro externo.*
7 *Contractus contra bones mores non est validus, nec iuramento confirmatur: secus si sit de re quæ sine peccato seruari potest.*
In duobus casibus iuramentum etiam de re bona, non est validum, nec obligatorium.
8 *Quando contractus iure naturæ est inualidus, vel inualidari potest, non confirmatur iuramento, si autem contractus inducat obligationem naturalem, confirmatur iuramento, modò vis vel fraus non intercedat.*
9 *Si contractus turpitudinem aliquam habeat ex parte eius, cui fit, non tamen ex parte eius, qui iurat, non confirmatur iuramento, quatenus attinet ad eum, cui iuratur, quamuis iuramentum sit validum & obligatorium.*
Quando lex non solùm inualidat contractum, sed etiam illum prohibet, si iuramentum adhibeatur, contractus non confirmatur.
10 *Quando contractus vetatur à iure principaliter ob commune bonum, iuramentum non valet, nec contractum confirmat. Si autem iuramentum adhibitum in contractu est contra substantiam ipsius, illum*

illum tamen non confirmat, quamuis sit obligatorium.

11 *Quoties iuramentum est contrarium alteri iuramento priùs facto, contractus non firmatur iuramento.*

12 *Plures effectus tribuit iuramentum contractui quem confirmat, quorum primus est, vt pariat duas obligationes, vnam erga Deum, alteram erga hominem.*

13 *De Secundo effectu.*

14 *De Tertio effectu.*

15 *De Quarto effectu.*

16 *Potest minor petere ab Episcopo relaxationem iuramenti, quo contractum initum validauit, relaxatio tamen iuramenti non irritat contractum.*

17 *Verius est statutum Laicorum annullans contractum, iuramentum non annullare.*

18 *Contractus aliquando fit purè & simpliciter: aliquando in diem: aliquando sub conditione: aliquando alternatiuè, hoc est, sub disiunctione.*

1. COntractus, alij sunt gratiâ accipientis tantùm, cuius generis sunt mutuum, commodatum, precarium. Alij gratiâ solùm dantis, veluti depositum & mandatum. Alij gratiâ vtriusque, dantis & accipientis, vt emptio, locatio, permutatio, pignus, Societas. Aliquando verò commodatum, mandatum, depositum sunt gratiâ dantis & accipientis, vt suis locis *tom.* 1. dictum est.

2. Contractus bonæ fidei & stricti iuris inter se distinguuntur. *Primò*, quia contractus bonæ fidei, in quibus intercedit dolus dans causam contractui, sunt ipso iure irriti & nulli, non tamen ij, qui sunt stricti iuris, quamuis per acceptionem doli rescindi possint. *Secundò*, quia obligatio contractuum bonæ fidei post moram extenditur ad omnia damna secuta, ad quæ tamen non extenditur obligatio contractuum stricti iuris, nisi id sit inter partes conuentum. Hoc autem procedit quoad dandi obligationes ex liberalitate susceptas, quæ stricti iuris sunt: nam obligationes tradendi, faciendi ac restituendi, aliquando extendi possunt ad damna subsecuta, licet stricti iuris sint. *Tertiò*, quia contractus stricti iuris regulariter non extenduntur ad ea, quæ tempore contractus præcogitata non sunt, vt si postquam rem aliquam liberaliter promisisti, superueniat aliquid, quòd si præcogitasses, non promisisses, fas est, non stare promissis, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 3. *ad* 5. D. Thom. Secus de bonæ fidei contractibus dicendum: vnde si postquam rem iusto pretio vendidisti, vel domum locasti, similesque iustos contractus fecisti, non licebit ab illis recedere propter inopinatum euentum, de quo si præcogitasses, non contraxisses. Dixi, *regulariter*, quia interdum etiam in stricti iuris contractibus, non est licitum ab illis resilire, vt diximus in materia promissionis *tom.* 1. *verb. Promissio*, *num.* 9. Qui autem sint dicendi contractus bonæ fidei & stricti iuris? Vide *tom.* 1. *verb. Contractus*, *num.* 3.

3. Omnes Doctores conueniunt contractum ad pias causas, cui deest solemnis formula iuris ciuilis, modò existat id, quod est iuris naturalis, validum esse in vtroque foro, tum in fauorem causæ piæ, tum etiam quia eo ipso quod contractus ille pius est, libera voluntate contrahentis, & non per aliquam fraudem iudicatur celebratus. Vt colligitur expressè ex *cap. Relatum* 1. *de testament.* vbi Alexander Papa III. præcipit, vt iudex causas, in quibus agitur de iis, quæ relicta sunt Ecclesiis, tractet, non secundùm leges ciuiles, sed secundùm Canones. Quod etiam in foro ciuili seruandum esse, docent Iulius Clarus §. *Testamentum*, *quæst.* 6. Couarruuias *de testament. cap.* 11. Imò vt talis contractus ad pias causas valeat in foro conscientiæ, non sunt necessarij duo testes; satis enim est in hoc cõtractu, id quod iure naturali & diuino est sufficiens, nempe vt contrahentes sint habiles ad celebrandos contractus, & libertas in contractu. Ratio est, quia nulla solemnitas iuris ciuilis in his contractibus ad pias causas est necessaria, vt patet ex *cap. Relatum supra*. Neque etiam necessarij sunt duo testes iure Canonico, quia vt ex dicto cap. colligitur, ius Canonicum non requirit eos, vt contractus vim habeant in foro conscientiæ, sed vt probari possit in iudicio. Sed de his plura *tom.* 1. *verb. Testamentum*, *num.* 4 & 5. Clarus. Couarr.

4. Leges ciuiles possunt contractus ad causam profanam, quibus deficit aliqua solemnitas iuris in vtroque foro statim ipso facto irritare. Ratio est, quia in Republica est plena potestas ad occurrendum fraudibus & dolis qui in contractibus accidere possunt, tam in iudicio, quàm extra iudicium; sicut de facto irritos decernit contractus pupillorum celebratos sine auctoritate tutorum, & alienationes factas à Minoribus, sine consensu Curatorum vel decreto iudicis.

Controuertitur tamen inter Doctores, an de facto leges ciuiles id definiant & statuant? Syluester *verb. Alienatio*, *quæst.* 13. & *verb. Testamentum*, 1. *quæst.* 5. Medina *Cod. de restit. quæst.* 23. negant Sõtus *de iustit. lib.* 4. *quæst.* 5. *artic.* 3. Bañez 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. & alij tenent id definire tantùm in foro exteriori. Verior tamen sententia & tenenda docet id definire tam in iudicio, quàm extra. Ratio est, quia leges, quæ solemnem formulam in contractibus requirunt, apertè docent, contractus aliter factos esse irritos. In *leg.* enim, *Consultissima*, C. *de testament.* habetur, vbi testamentum non fuerit subscriptum, illud pro infecto haberi conuenit. Et Iustinianus Imperator *Iustinian. quibus modis testamenta infirmentur*, §. *in eo*, ait, Imperfectum testamentum sine dubio nullum est. Et D. Thomas docet 1. 2. *qu.* 46. *artic* 4. leges ciuiles iustè obligare etiam in conscientia: quia huiusmodi leges sunt iustæ, vtpote latæ vt fraudes deuitentur, lites & controuersiæ perimantur, & commune Reip. bonum conseruetur, ergo conscientiam obligant. Ita etiam Couarruuias *in cap. quamuis pactum*, *part.* 2. §. 4. Suarez *de leg. lib.* 5. *cap.* 24. Lessius *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 35. & alij. Syluest. Medina. Sotus. Bañez. D. Thom. Couarruu. Suarez. Lessius.

Si dicas, quod vbi nulla est fraus vel dolus, contractus in conscientia valet, dummodo in eo contractu non desit id quod iuris naturalis ratio postulat. Respondeo, leges formam contractibus tribuere, ac proinde latas non esse solùm ad tollendas fraudes, sed ad formandos contractus, vt sic & non aliter fiant. Et hoc Reipub. est necessarium, vt contractus, qui ex iure naturali & diuino certam & definitam formam non habent, ex iure scripto obtineant.

5. Contractus simulatus est in vtroque foro nullus. Ratio est, quia vbi non interuenit verus contrahendi consensus, non potest esse contractus: est enim consensus non solùm causa efficiens, sed etiam veluti forma essentialis contractus. Vnde rectè contractus simulatus corpus sine spiritu appellatur. Contractus autem dici non potest simulatus propter pretij inæqualitatem: nam *in leg. Imaginaria de reg. iurì* habetur. Non dari imaginariam, hoc est,

eſt,ſimulatam venditionem, vbi reuera pretium interuenit. Quod eſt verum,etiamſi pretium vltra vel infra dimidium iuſti pretij detur;modò tamen non ſit adeò parum collatione rei venditæ, vt, moraliter loquendo pretium dici nequeat ; vt ſi pro gemma pretioſa, vnus nummus daretur : nam tunc potiùs eſſet pretij ſimulatio , quàm pretium ſimpliciter,ac proinde eſſet ſimulata venditio.

6. Quamuis metus reuerentialis in foro externo non ſufficiat ad inualidandum contractum;at in foro conſcientiæ;ſi inuoluntarium mixtum efficiat, quia quis ſua ſponte non contrahit , ſed eo motu reuerentiæ ductus, ſufficit ad reddendum contractum inualidum & ad obligandum in foro conſcientiæ ad reſtitutionem. Ratio eſt , quia hic metus,etſi non ſit grauis, eſt tamen iniuriosus, & cauſa principalis actus, vel contractus , ita vt eo non intercedente , nullo modo actus vel contractus fieret. Hinc ſi filiusfamilias non audens contradicere patri , aliquid promittat animo renitente ; vel vxor conſentiat in aliquem contractum mariti, quia non audet contradicere, timens eius indignationem, non tenetur in foro animæ : quia,quamuis in foro iudiciali minimè audientur , eo quod ille motus non concurrentibus minis leuis ſit , in foro tamen conſcientiæ ſatis eſt,vt non teneantur ex his contractibus.

Similiter quæ per preces importunas & longo tempore iteratas obtinentur animo dantis repugnante , obnoxia ſunt reſtitutioni. Ratio eſt, quia preces importunæ æquipollent violentiæ , ac proinde iniuriam facit , qui tali modo aliquem affligit. Quod verum eſt in caſu , quo is, qui huiuſmodi precibus ita vrgetur , non poſſit moleſtiam illam alia ratione , minore incommodo repellere. Si enim poſſet , non cenſeretur inuitus conſenſiſſe : vt cùm officia à Principibus vel beneficia à Prælatis importunis precibus obtinentur, non enim inuiti concedunt , quia ſi vellent , facilè petentes coërcerent. Item in caſu, quo is , à quo ſic conſenſus extorquetur , poſt factum velit , vt ſibi fiat reſtitutio : multi enim , etſi coacti concedant , vbi tamen ſemel conceſſerunt , non curant ſibi fieri reſtitutionem , vel facillimè condonant. Ita Petrus Nauarra *lib. 3. de reſtit. cap. 1. numer.* 332. Sanchez *de matrim. lib 4. diſputat. 9. & 10.* Leſſius *de iuſtit. lib. 2. cap. 17. dub. 6.* Bonacina *de contract. diſputat. 3. queſt. 1. punct. 2. § 3. numer. 10.* & alij.

P. Nauarra. Sanchez. Leſſius. Bonacina.

7. Contractus non eſt validus , nec iuramento confirmatur , quando eſt contra bonos mores , id eſt , de re quæ turpitudinem continet ex parte materiæ , & abſque vllo iurantis peccato fieri nequit. Ratio eſt , quia nemo obligari poteſt ad peccatum committendum , id enim contradictionem implicat. Quare non erit opus in hoc euentu relaxationem iuramenti petere à Prælato , vt agatur contra talem contractum,niſi fortè ratione ſcandali, quod interdum contingit , vel niſi res ſit dubia. Quando autem contractus eſt de re quæ ſine peccato contrahentis ſeruari poteſt , tunc & iuramentum, quod in tali contractu interponitur eſt validum,& contractus ex eo confirmatur.Ratio eſt,quia honor & reuerentia diuinæ maieſtatis, quam iureiurando in teſtem adduximus, poſtulat vt efficiamus verum eſſe quod promiſimus.

In duobus tamen caſibus iuramentum etiam de re bona non eſt validum,nec obligatorium. *Primus* eſt , quando lex inualidat non ſolùm contractum, ſed etiam iuramentum annexum. Sic Pontifex in Conc. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 6. de regular.* inualidat omnem renunciationem & diſpoſitionem Nouitij etiam iuratam , niſi facta ſit de licentia Epiſcopi vel eius Vicarij intra duos menſes proximos ante ſolemnem profeſſionem , quæ etiam nullum habet effectum,niſi facta profeſſione. *Secundus* eſt,quando iuramentum factum eſt in fauorem tertij,ſed nemo acceptauit.Ratio eſt,quia iuramentum ſequitur naturam contractus , cui eſt annexum ; acceſſorium enim ſequitur naturam principalis. Vnde quando contractus aliquam tacitam conditionem includit, eandem quoque includit iuramentum contractui annexum. Ita ex communi Sanchez *de matr. lib. 1. diſp. 32.* Conc. Trid. Sanchez.

8. Quando contractus iure naturæ eſt inualidus, vel inualidari poteſt , non confirmatur iuramento, quamuis iuramentum aliàs ſit validum & obligatorium, ſi id quod promittitur,nullam turpitudinem continet , vt quando vi vel dolo extortus eſt : tunc enim ratione iniuriæ tenetur extortor ad reſtituendum quod accepit , & qui iurauit ratione iniuriæ poteſt petere iuramenti relaxationem & poſtea non ſoluere.

Quando autem contractus talis eſt , vt inducat obligationem naturalem , confirmatur iuramento, quamuis aliàs iure ciuili ſit nullus,vel annullari poſſit,modò vis vel fraus non intercedat :ſi verò contractus non inducit obligationem , vel ſi vis , aut fraus interuenerit, non confirmatur iuramento, eſt tamen hoc iuramentum ſeruandum , niſi relaxetur. Ratio eſt , quia iuramentum aufert omnia remedia iuris & facti , quibus illa obligatio poterat elidi, & ſic manet omninò firma & irreuocabilis.

Hinc donatio inter Patrem & filiumfamilias iure ciuili non valet , *l. Donationes quas parentes Cod. de donation.* ſed iurata confirmatur ac valet. Similiter donatio inter virum & vxorem iure ciuili eſt nulla ; at iureiurando firmata vim habet. Item , ſi minor contractum abſque Curatoris auctoritate celebratum iuramento confirmauit , ciuili etiam foro obligatus eſt. *Authentic. Sacramenta puberum , Cod. ſi aduerſus venditionem,* vbi generatim dicitur. *Iuramenta puberum ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractanda , inuiolabiliter cuſtodiantur.* Hæc Conſtitutio locum etiam habet in alienatione rerum immobilium , ſicut apertè colligitur ex *leg 1. Cod. eodem titul.* & docent Gomez *2. reſolut. cap. 14. numer.* 18. Couarruuias *in cap. quamuis pactum , part. 3. § 4. numer. 6.* Sanchez *de matrim. lib. 6. diſput. 38. num. 13.* Ex quibus conſtat contractum minoris iuramento confirmari , & ipſum fieri inſtar maioris. Debet autem iurans in his caſibus ſe ſemper contractum ratum habiturum promittere , nec vnquam reuocaturum. Gomez. Couarr. Sanchez.

9. Quando contractus turpitudinem aliquam habet ex parte eius cui fit , non tamen ex parte eius , qui iurat, non confirmatur iuramento , quatenus attinet ad eum , cui iuratur , quamuis iuramentum ſit validum & obligatorium , v.g. promiſiſti ſimpliciter te vſuram ſoluturum vſurario , non cogeris ſoluere : at ſi iuraſti te ſoluturum , eam ſoluere teneris ratione iuramenti quod adhibuiſti; vſurarius tamen debet reſtituere quod accepit;quia is turpiter & iniquè accepit. Aduerte autem quòd ſi is qui in contractu iuramentum interpoſuit, iuriſiurandi Religione & vinculo ſoluatur , ipſa promiſſio vel contractus amplius non ſubſiſtit , vt docent Couarruuias *in cap. quamuis pactum, in 6. part. 2. §. 1.* Sanchez *lib. 3. moral. cap. 12. num. 51.* & alij ab ipſo ibi citati. Couar. Sanchez.

Quando lex non ſolùm inualidat contractum, ſed etiam illum prohibet , quia nimirum eſt contra bonos mores, tunc non licet iuramentum adhibere

ad contractus confirmationem, etſi adhibeatur, nec iuramentum tenet, nec contractus cõfirmatur: quia prohibitio contractus per legem iuſtam facta, obligat ſub peccato, vt communior Doctorum ſententia tenet, ergo ſi contra prohibitionem iuramentum adhibitum ſit, nullum erit iuramentum, cùm iuramentum de actu illicito, vt puta contra obedientiam ſuperiori debitam non obliget. Quando verò lex non prohibet contractum, ſed tantùm illum inualidat præcipuè in fauorem contrahentis, tunc non ſolùm iuramentum obligat iurantem, ſed facit etiam vt ipſe contractus ſubſiſtat: quia iuramentum non eſt de re prohibita, ſed licita, & in vtilitatem alterius vergente, ergo eſt obligatorium: Ita Rebellus *de obligat. iuſtit. part. 2. lib. 1. queſt. 9.* ſi autem contractus principaliter vetetur vel irritus decernatur iure ciuili in fauorem contrahentis, niſi vis vel dolus intercedat, tunc ſi ab eo iuretur, ita confirmatur, vt ablato etiam iuramento per relaxationem, ipſe contractus vim habeat.

10. Quando contractus vetatur à iure primò & principaliter ob commune bonum, non confirmatur iuramento; imò tale iuramentum eſt nullius valoris: quia ius publicum nequit facto priuatorum tolli: ſi enim per actum iuratum non poteſt tolli ius tertij priuati hominis, à fortiori nec reipublicæ. Hinc donatio à milite facta concubinæ non valet, quia eſt contra publicam vtilitatem, vnde talis donatio iureiurando non confirmatur, *l. Miles ff. de reiudic.* Ita Sanchez *lib. 3. moral. c. 12. num. 43.* & alij ab ipſo citati. Sanchez.

Quando autem iuramentum quod in contractu exhibetur eſt contra naturam & ſubſtantiam ipſius contractus, tunc, quamuis ſit obligatorium, non confirmat tamen contractum, ſed potiùs ſequitur ipſius naturam & ſubſtantiam v. g. iuraui me non reuocaturum teſtamentum, at nihilominus poſtea reuocaui, facto ſecundo teſtamento, valet ſecundum, non primum: quia teſtamentum ſua natura eſt reuocabile vſque ad mortem. Qui iurauit tibi conferre beneficium, validè poſtea alteri confert. Ita Couarruuias *in cap. quamuis pactum part. 2. §. 2. & 4.* Leſſius *de iuſtit. lib. 2. cap. 17. dub. 7. num. 57.* Couarr. Leſſius.

11. Contractus non firmatur iuramento, quoties iuramentum eſt contrarium alteri iuramento priùs facto: vt ſi vxor vendat fundum dotalem cum iuramento non contraueniendi, ſed priùs iurauerat non vendere. Ratio eſt, quia cùm iuramentum nequeat eſſe vinculum iniquitatis, non poteſt contractus iure inualidus eſſe validus ac confirmari periurio commiſſo per iuramentum poſterius: quamuis enim videatur non continere periurium nec eſſe contrarium priori iuramento, at reuera illud continet, eſtque priori contrarium. Quia licet in priori iuramento non iurauerit expreſsè, ſe non reuocaturam, tacitè tamen id iurauit, quia cùm ille contractus præciſo iuramento ſit inualidus & fiat validus ob iuramentum non contraueniendi, ſequitur illam quæ iurauit, non celebrare talem contractum tacitè etiam iuraſſe non habituram ratum talem contractum, iuramentum enim non reuocandi eſt iuramentum illius habendi rati, ac proinde eſt periurium contra prius iuramentum, nec poteſt ſine peccato obſeruari, & ideo non obligat. Ita Sanchez *lib. 3. moral. cap. 12. num. 38.* Leſſius *lib. 2. cap. 17. dub. 7. n. 58. & ſeq.* Rebellus *de obligat. iuſtit. part. 2. lib. 1. queſt. 9. n. 13.* & alij. Sanchez. Leſſius. Rebellus.

12. Plures effectus tribuit iuramentum contractui quem confirmat. *Primus eſt*, vt duas pariat obligationes vnam erga Deum, quâ iurans curare debet, ne Deus adductus ſit in teſtem falſi: alteram erga hominem, qui acquiſiuit ius erga iurantem ob validitatem contractus: quando verò iuramentum non firmat contractum, vna tantùm oritur obligatio erga Deum, ſtandum enim eſt promiſſis ſolùm ratione iuramenti: & cum contractus ſit erga hominem manet immutatus in ſua priſtina natura, vtpote qui nullum ius homini ex iuramento tribuit. Ita Molina *tom. 1. diſp. 150.* Suarez *tom. 2. de relig. tract. de iuram. lib. 2. cap. 25.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 7. queſt. 5.* Molina. Suarez. Azorius.

13. Secundus effectus eſt. Quando iuramentum non confirmat contractum, ſed tantùm obligat, impletur momentanea ſolutione, & ſtatim poteſt iurans repetere rem ſolutam. Ratio eſt, quia cùm ſtatim ac ſolutio facta eſt ſit iurans vinculo iuramenti ſolutus, remanet illa res apud alium ſine cauſa, cùm ratione ſolius iuramenti implendi ſit debita: ſecus dicendum, quando confirmat contractum. Ratio eſt, quia cùm tunc contractus ſit omnino firmus, non ſatisfit momentanea ſolutione, nec datur rei ſolutæ repetitio. Ita Couarruuias *de pactis 2. part. §. 3.* Gomez *tom. 2. variar. cap. 14. n. 24.* Couarr. Gomez.

14. Tertius effectus eſt. Quando iuramentum non confirmat contractum, nulla datur actio parti in foro externo aduerſus iurantem, quia pars non acquiſiuit ius contra illum; quando autem confirmat, datur actio parti; quia tunc acquiritur ius tertio. Vnde ſequitur, non dari actionem vſurario ad repetendas vſuras, quas mutuatarius promiſit cum iuramento: quia vſurarius non acquiſiuit ius: mutuatarius tamen tenetur illas ſoluere ob Dei reuerentiam ne videatur Deum in teſtem falſi adduxiſſe poſſitque iuramentum ſeruare ſine peccato. Ita Suarez *tit. cap. 25. num. 7.* Azorius *3. part. lib. 11. cap. 17. queſt. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 18. dub. 3. num. 17.* & alij communiter. Suarez. Leſſius. Azorius.

15. Quartus effectus eſt. Vt obligatio iurata tranſeat ad hæredes, dum contractus firmatur iuramento, ſecus quando contractus non firmatur iuramento. Notandum tamen hic eſt. *Primò*, quòd iuramentum homini præſtitum, eſt ita perſonale ex parte iurantis; vt eius obligatio ex iuramenti ac religionis vinculo minimè ad hæredes tranſeat, ac ſucceſſores ipſius iurantis: quare hi non adimplentes iuramentum defuncti, non erunt periuri. Sed ſolum tenentur hæredes adeuntes hæreditatem, in quantùm eius vires ſufficiunt, ratione contractus defuncti, ſicut ad cætera eius debita reliquoſque eius cõtractus tenentur. Ratio eſt, qua iuramentum eſt perſonæ vinculum, & obligatio voluntariè aſſumpta ex virtute religionis. Ergo ex vi iuramenti nequit eius obligtio ad aliam perſonam transferri. Vt docet D. Thomas 1. 2. q. 98. *art. 3. ad 4.* Caietanus *ibidem.* Secundò. Quòd iuramentum non eſt perſonale ex parte eius, cui præſtatur: & ſic tranſit in eius hæredem. Vt iurans dare centum Petro, tenetur ex iuramenti religione, defuncto ante ſolutionem Petro, ſoluere ea centum hæredibus Petri. Ratio, eſt, quia actiones defuncti tranſeunt ad hæredem. Cùm ergo defunctus habebat actionem, vt ex vi iuramenti illa centum ſibi darentur, eamet actio ad hæredem tranſibit. Ita Couar. *in c. Requiſiti n. 2. de iuſt.* Sylu. *v. Iuramentum 4. q. 2.* Angel. *v. Iuramentũ 5. n. 40.* D. Thom. Caietanus. Couarr. Sylueſt. Angelus.

Ex dictis ſequitur, iurantem ſe ſoluturum vſuras vſurario quas viuens non ſoluit, non teneri eius hæredes ad eas ſoluendas, nã ille tenebatur vſuras ſoluere ſolùm ex vi iuramẽti, cuius obligatio non trãſmittitur ad hæredes: quia Deus non acceptat eam obligationẽ in fauorẽ vſurarij, ſicut eam acceptat in iuramento, aut in voto eleemoſynæ facto in fauorẽ pauperis. Ita Molina *diſp. 149. & diſp. 150* Couar. *in cap. quamuis pactum part. 2. §. 1. n. 7.* & alij. Molina. Couarr.

16. Minor

16. Minor non potest petere ab Episcopo relaxationem iuramenti, quo contractum alioqui de iure irritum, validauit: at si contractus per iuramentum adhibitum ratus & firmus permansit, talis relatio iuramenti non irritat contractum, sed tantùm reddit contrahentem immunem à periurio. Ratio est, quia per tale iuramentum ius parti acquisitum est, ergo non potest per Episcopum tolli. Secus si contractus suaptè natura talis sit, vt non fiat validus per iuramentum, tunc ablato iuramento, nullus remanebit contractus: vt si quis curet soluere pecuniam vsurario, non fiet per iuramentum validus contractus, sed semper manebit secundùm se iniustus, ac nullus, vnde obtenta relaxatione à vinculo iuramenti, non amplius obligabitur. Ita Couarruias *in cap. Quamuis pactum. §. 1. part. 2.* Couar.

17. Controuertitur inter iuristas, an laici statuere queant, vt si minor, v. g. contrahat sine decreto iudicis etiam cum iuramento, talis contractus habeatur pro contractu facto metu vel dolo? Affirmant Baldus *in Authent. Sacramenta puberum, C. Si aduersus vendit.* Bartolus *in l. Omnes populi, ff. de iustit.* Ratio illorum est, quia statutum potest præsumere dolum vel metum in contractibus factis sine solemni formula iuris. At iuramentum dolo extortum etiam iure Canonico contractum huiusmodi confirmat, *cap. cum contingat, de iureiurando, cap. 2. de pactis, in 6.* Verior tamen est sententia Abbatis *in consil. 71. quod incipit, Quinque dubia*, vbi ait, statutum laicorum annullans contractum, iuramentum non annullat: quia non spectat ad laicos quidquam decernere de iureiurando, sicut nec de re alia spirituali. Tum quia laicus non potest cognoscere de vi & firmitate iuramenti, vel alterius rei spiritualis, *cap. si iudex laicus de sentent. excomm. in 6.* Tum quia statutum sumit vires ab auctoritate & potestate eius, qui statuit, *cap. A nobis, de sent. excomm.* at laicus auctoritatem in iureiurando non habet, ergo. Hinc secundùm veriorem sententiam, non potest legibus vel statutis ciuilibus prohiberi, ne contractus vel pacta, vel conuentiones iurentur, vel ne iuramentum in illis adhibitum seruetur, vel ne contractus rati & firmi habeantur, tametsi iureiurando confirmentur. Quòd si tales leges ferantur erunt irritæ, quia penes laicos non est potestas condendi leges de iureiurando prohibendo, vel non seruando. Laicus enim nequit cognoscere & iudicare, iusiurandum valeatne, an secus, *cap. tua, de ordine cognit.* & *cap. Latores, qui filii sint legitimi.* Item Ecclesiasticæ auctoritatis est iuramenti vinculo absoluere, ergo penes laicos, non est facultas remittendi iurisiurandi obligationem & vinculum. Porrò tales ciuiles leges feruntur in fraudem eius, quod est statutum *in cap. vltim. de foro compet.* ne ratione iurisiurandi laicorum causæ ad iudices Ecclesiasticos deducantur. Ita Hostiensis *in cap. Quanto, & cap. Quemadmodum, de iureiurand.* Ioannes Andræas & Panormitanus *in cap. Tua 1. de decimis.* Atque hæc opinio magis cum iure communi consentit & magis ad veritatem accedit, & ideò tenenda, quidquid in contrarium doceant nonnulli iurisperiti. Baldus. Bartolus. Abbas. Hostiens. Ioan. Andr. Panormit.

18. Contractus aliquando fit purè & simpliciter: aliquando in diem: aliquando sub conditione: aliquando alternatiuè, hoc est, sub disiunctione.

Si contractus purè & simpliciter fiat, statim actionem & obligationem producit, ita vt statim debitum peti possit, *l. eum qui Calendis, §. quoties, ff. de verb. signific.*

Quando contractus fit in diem certum, vt si quis promittat alteri certam pecuniam in diem Natalis Domini, statim oritur obligatio, verum creditor non potest agere ante diem constitutum, sed ei obstat exceptio: vnde in tali casu, seu contractu cõtrahentes obligationem non reiiciunt in diem præfixum, sed tantùm solutionem, & ideò statim nascitur obligatio, quâ vnus alteri tenetur, vel quâ incipit debere: sed debitor non cogitur ante statutam diem soluere, & creditor nequit ante diem constitutam petere, *l. Cedere diem, ff. de verb. signific.* & *l. Centesimis, ff. eod. titulo.* Si autem dies incerta constituatur, puta, si quis promittat se daturum aliquid alteri, quando certum quid acciderit, vel cùm aliquid factum erit, tunc nec oritur obligatio, nec actio antequam illud contingat: quia talis dies incerta æquiparatur conditioni, & differt omnia, vsque dum veniat, quod est in conditione appositum, *l. Stipulatio ista, §. inter certam, ff. de verb. obligat.*

Ex contractu vel quasi contractu sub conditione, vt si promittas centum alicui, si nauis ex India venerit, dum conditio pendet, nulla actio vel obligatio oritur, *l. Cedere diem, ff. de verb. signif.* & *l. Sub conditione ff. de solut.* Sciendum tamen est, aliquando tacitam subesse conditionem non expressam, vt si promittas fructus ex tuo fundo vel partum ancillæ tuæ, vel fructus tui pecoris, intelligitur, si hæc nascantur. Item, si quis promittat dotem, interpretandum est, si nuptiæ sequantur, *l. Interdum, ff de condit. & demonstrat.* Vnde verè & proprie debitor non dicitur ante conditionem impletam, quia debitor intelligitur is, à quo inuito exigi potest debitum, *l. Debitor, ff. de verb. signific.* Quare si testator leget alicui id quod Titius sibi debet; intelligendus est legare debitum, quod est purum & simplex, non quod est sub conditione, *l. Si ita scripsisset, ff. de legat.* Item, si creditor transferret ad alterum per contractum vel quasi contractum iura sibi competentia contra alium, non veniunt debita, quæ sunt sub conditione, sed debita tantùm pura & absoluta, Bartolus *in leg. si ita proximè citata.*

Ex his perspicuum est, contractum sub conditione factum fieri purum & simplicem, conditione impletâ: quare adueniente conditione contractus ad effectum perducitur, ac si esset purus & simplex: & ita valet contractus, vt retrotrahatur ad tempus, quo est sub conditione factus, *l. potior, vers. vlt. C. qui potiores in pignore habeant.* Porrò quando contractus continet conditionẽ & diem, requiritur vt vtrũque existat, vt si quis promittat alteri centum soluenda intra annum, si nauis ex India venerit, necesse est, vt existente conditione labatur annus, *l. si ita legatum sit ff. de condit. & demonstrat.*

De contractu alternatiuo dicendum est, quòd quando alternatiua est in pecunia vel tempore, tunc non obligari debitorem, nisi ad minorem summam & ad maiorem temporis moram, vt si Titius promittat se daturum Caio decem, aut quindecim, non tenetur nec cogitur soluere nisi decem: si promittat se daturum infra annum vel biennium, non debet nisi infra biennium, *l. si ita stipulatus, ff. de verb. oblig.* Si verò alternatiua ponatur inter res inter quas cadit affectio, tunc electio est debitoris, *l. plerumque, §. vlt. ff. de iur. dot.* Quòd si vna res perierit remanet altera obligata, *l. Stychum, aut Pamphilum, ff. de solut.* Et hoc locum habet, quando melior & pretiosior res peremptа est & vilior remansit: secus enim est, si meliori & pretiosiori extante vilior extincta sit, & tunc debitor liberatur soluendo æstimationem rei peremptæ, *l. cùm res legata, vers. Qua ratione, ff. de legat.* dummodo tamen aliqua ex rebus alternatiuè debitis pereat sine culpa vel mora creditoris: nam si ipsi fuerit oblata & noluerit recipere, eâ postea peremptâ, liber est debitor, nec cogitur aliam, quæ remansit soluere, *l. Stipulatus sum, ff. de verb. obligat.*

Vide v. Alienatio n.17. Excommunicatio 2 n.19. Reſtitutio in integ. num. 2. Reſtrictio mentalis n.6. Seruus num.14.

CONTRITIO.

SVMMARIVM.

1 *Contritio & Attritio quid ſint ſecundùm nomen.*
2 *Contritionis tria inſunt neceſſariò.*
3 *Contritionis dolor alius eſt intellectualis, qui quoad æſtimationem debet eſſe maximus: alius eſt ſenſibilis, qui debet eſſe moderatus.*
4 *Dolor de peccato mortali ſecundùm habitum debet eſſe continuus, ſecundùm actum minimè.*
5 *Actus contritionis vt ſit contritio, nulla indiget temporali duratione, ſed fit in inſtanti.*
6 *De peccato alieno non eſt contritio, niſi quatenus illud peccatum efficeretur proprium.*
7 *Contritio in lege veteri neceſſaria fuit neceſſitate medij ad tollendum peccatum actuale.*
8 *Quomodo peccatum futurum non ſit obiectum directum contritionis.*
9 *Mortaliter vt peccet, qui magis deteſtatur peccatum leuius quam grauius.*
10 *De effectu contritionis.*

1. COntritio à con & tero, ſecundùm nomen, importat confractionem, vel comminutionem alicuius frangibilis vſque ad minima: quaſi ſimul ex toto tritio, & metaphoricè ſignificat deſtructionem perfectam malæ voluntatis appetentis peccata: quæ conteri dicitur, quando ab eis perfectè totaliter reſilit per diſplicentiam. Attritio verò, ſecundùm nomen importat comminutionem aliqualem alicuius frangibilis, & metaphoricè ſignificat deſtructionem imperfectam malæ voluntatis, vt cùm dolet de peccatis, ſed imperfectè, id eſt, non tantùm quantùm requiritur ad gratiam diuinam acquirendam. Contritio non eſt quæcumque deteſtatio & diſplicentia, ſed eſt deteſtatio cauſatiua doloris triſtitiæ & afflictionis, qualis deteſtatio non poteſt eſſe in Deo, in Angelis, & in Beatis.

2. In contritione ſunt tria. *Primum* illud, quod conteritur, & hoc eſt cor hominis, quod quaſi ad literam ſcinditur præ nimia anguſtia & indignatione, quam concepit contra peccata. Vnde *de pœnit. diſt.* 1. Scindite, inquit, corda veſtra Deo, vel etiam illud, quod conteritur, ſunt peccata, quæ dolore illo conterantur in corde, id eſt, ſimul & totaliter teruntur. *Secundum* eſt, quo conteritur. Et hoc eſt duplex mola: vna ſuperius ſurſum eleuans, ſcilicet ſpes veniæ veniens ex conſideratione materiæ: altera eſt deorſum deprimens, ſcilicet timor pœnæ veniens ex conſideratione diuinæ iuſtitiæ. *Tertium*, ad quod conteritur eſt, vt peccati delectatio totaliter teratur: ideò dicitur contritio, non fractio, quia fractio dicitur in magnas partes, & tunc remanet ſapor, ſed contritio eſt in minimas, & tunc non remanet nec ſapor, nec virtus; peccata verò ad hoc conteruntur, vt ſimul & totaliter deſtruantur. Ita D. Bonauentura *in 4. diſt. 16 part. 1. art. 1.* D. Bonauen.

3. Dolor contritionis eſt duplex: vnus ſcilicet intellectualis, qui eſt diſplicentia voluntatis: & alius ſenſualis, qui cauſatur à primo. *Primus* eſt eſſentialiter contritio: & ipſe ſolus tanquam exiſtens in noſtra facultate, cùm gratia Dei requiritur & ſufficit ad contritionem: ſicut complacentia voluntatis requiritur & ſufficit ad peccatum: quia vnumquodque per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. Et Deus à nobis exigit, vt ſit tantus iſte dolor & iſta diſplicentia, quanta debet eſſe complacentia Dei, quem perdimus per peccatum, id eſt, vt peccatum ſuper omnia diſpliceat. *Secundus* verò ſenſibilis non eſt eſſentialiter contritio, ſed effectus eius conſequens dolorem voluntatis, ex neceſſitate naturæ, eo modo, quo vires ſuperiores redundantes in inferiores mouent illas, vel ex electione voluntatis illum dolorem excitantis. Hic dolor non requiritur neceſſariò, ſed ſolùm de bene eſſe, quia non eſt in noſtra facultate, vt docent communiter Theologi. Dolor qui eſt in intellectu, debet eſſe ſummus, id eſt maximus, non quoad intenſionem, ſed quoad æſtimationem & comparationem ad alias creaturas, ad hunc ſcilicet ſenſum, quòd quando homo dolet & conteritur, potiùs eligat quoduis corporis, fortunæ, ſiue honoris malum, quàm Deum offendiſſe, ita vt odio habeat malum culpæ, pluſquam cætera mala odio digna. Dolor autem ſenſibilis debet eſſe moderatus & ornatus prudentia: poſſet autem homo ſe tanto dolore & mœrore affligere, vt mortem ſibi, aut morbum aſciſceret, quod eſſet homicidij genus. Vnde ad Roman. inquit Apoſt. cap. 12. *Rationabile ſit obſequium veſtrum.* Vide D. Thomam *3. part. quæſt. 84. artic. 9. ad 3.* vnde quando aſſidua peccatorum meditatio atque execratio noxium dolorem gignit, ceſſandum eſt ab illa, non quod ipſa per ſe ſit mala, ſed ea ratione qua cauſa eſt detrimenti. Ita Sotus *in 4. diſtinct. 17. q. 2. art. 4. concl. 4.* Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 4. ſect. 4. in fine.* D. Thom. Sotus. Suarez.

4. Dolor de peccato mortali ſecundùm habitum, debet eſſe continuus, etiam poſt remiſſionem peccati, id eſt, cùm memoria peccati venerit, debet habere homo diſplicentiam negatiuam, quod nunquam peccata illa placeant. Ratio eſt, quia ſi aliquando placerent, nouum peccatum mortale committeret: gloriaretur enim tunc cùm malè faceret. Secundùm actum autem, non debet nec poteſt eſſe perpetuus, quia obligaretur homo ad impoſſibile.

5. Actus contritionis vt ſit contritio, nulla indiget temporali duratione, ſed ſimul ac fit, eſt vera contritio. Probatur ex Scriptura, quæ promittit homini iuſtitiam & remiſſionem peccati ratione ſuæ conuerſionis, abſque vlla mora vel dilatione. Quod declarat illis verbis, *in quacumque die, in quacumque hora.* Ezechiel 18. & 33. nam ibi definitum tempus ſumitur pro indefinito: & idem valet, ac in quocumque tempore, vel momento. Sicut ergo conſenſus in peccatum mortale ſtatim ac fit, eſt peccatum mortale & deſtruit gratiam, ita è conuerſo actus contritionis ſtatim ac fit, habet eſſe contritionis, ſeu vltimæ diſpoſitionis ad gratiam. Probatur etiam ratione, quia actus pœnitentiæ, qui eſt ſufficiès diſpoſitio ad remiſſionem peccati, & habet gratiam infallibiliter coniunctam, eſt vera contritio: ſed actus pœnitentiæ, qui ex ſua eſſentia & motiuo eſt perfecta conuerſio in Deum, & auerſio à peccato, & illius deteſtatio ſuper omnia, infallibiliter & ſine vlla mora habet adiunctam gratiam & remiſſionem peccati, ergo talis actus ſimul ac eſt, eſt vera contritio. Tum quia ſi duratio temporis eſſet neceſſaria ad contritionem, vt ſic, peruenire poſſet homo in hac vita ad eum ſtatum, in quo, eliciendo verum pœnitentiæ actum non poſſet conſequi remiſſionem peccati: conſequens autem vt erroneum damnatur *in lib. de Eccleſiaſtic. dogmat. cap.* 80. Idemque refert ex Concilio Moguntino *cap.* 2. Sequela declaratur, quia in fine vitæ poteſt homo elicere illum Cong. Mog.

illum actum, quando ei non ſupereſt tanta vitæ duratio, quanta neceſſaria eſt, vt ille actus ſit contritio. Sumitur hæc aſſertio ex doctrina, quam tradit Diuus Thomas 1. 2. *quæſtione* 113. *articulo* 1. & 7. *in corpore*, & *tertia parte*, *quæſt.* 89. *artic.* 2. Cui ſubſcribunt Gabriel *in* 4. *diſtinct.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 2. *concl.* 5. Medina *tract.* 1. *de pœnitent. quæſt.* 5. *ad finem*, & alij apud Henriquez *lib.* 4. *cap.* 27. *num* 4.

D. Thom. Gabriel. Medina. Henriquez.

6. De peccato alieno debet quis dolere, non tamen ille dolor eſt contritio, niſi quatenus illud peccatum efficeretur proprium, quod fit quatuor modis, ſecundùm D. Thomam Pſalm. 18. Primò per imitationem, Eccleſ. 13. *Quit tetigerit picem, inquinabitur ab ea*, vel per ſuaſionem, vel conſenſum, Prouerb. 1. *Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, non acquieſcas eis*, quod fit, vel ad faciendà malablanditiis alliciendo, aut facta iam fauoribus, quaſi laudabiliter acta extollendo: vel fit alienum proprium per diſſimulationem, Roman. 1. *Non ſolùm, qui faciunt ea, digni ſunt morte, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*, quod contingit in his, qui non reprehendunt ſuos ſubditos, cùm debeant ex officio, vt ſunt Prælati, vel Patres. Vnde peccata filiorum fuerunt imputata Heli, vt patet 1. *Reg. cap.* 4. vel alij, de quibus Nauarrus *in Manual. cap.* 17. *num.* 136. Vide D. Thom. *in ſupplement. quæſt.* 2. *art.* 5.

D. Thom. Nauarrus. D. Thom.

7. Contritio in veteri lege neceſſaria fuit neceſſitate medij ad tollendum peccatum actuale. Ratio eſt, quia cùm Sacramenta in veteri lege non conferrent ipſo facto gratiam, nec aliud eſſet remedium, quo ſe poſſent homines in gratia Dei conſtituere præter contritionem, ſequitur cõtritionem in veteri lege fuiſſe neceſſariam ad tollendum peccatum actuale neceſſitate medij. Iuxta illud Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis, vita viuet & non morietur.* Ita communiter Theologi.

8. Peccatum futurum non eſt obiectum directum cotritionis, ſed tantùm ex conſequenti, quatenus in contritione includitur propoſitum non peccandi in futurum. Ratio eſt, quia obiectum contritionis eſt peccatum commiſſum; contritio enim eſt deteſtatio offenſæ factæ Deo, cum propoſito non amplius offendendi, peccatum autem futurum non eſt offenſa facta, ergo. Ita D. Thom. *in ſupplem. q.* 2. *art.* 4. Graffis *lib.* 1 *cap.* 3. *n.* 1.

D. Thom. Graffis.

9. Peccat mortaliter qui explicitè magis deteſtatur peccatum leuius, quàm grauius, ſi inter illa duo peccata ſit notabilis exceſſus, vt ſi quis malit commiſiſſe adulterium, quàm ſimplicem fornicationem. Ratio eſt, quia qui vult potius commiſiſſe duo peccata mortalia quàm vnum, peccat mortaliter, ergo etiam mortaliter peccat, qui potiùs cupit commiſiſſe peccatum grauius quàm longè leuius; peccatum enim longè grauius videtur æquiualere duplici peccato leuiori. Ita Coninck *de pœnitent. diſp.* 2. *dub.* 9. *n.* 82. & alij.

Coninck.

10. Cùm in peccato ſint duo, videlicet, auerſio ab incommutabili bono, & peruerſa conuerſio ad bonum commutabile. Hinc duplex debetur pœna, pœna damni, id eſt carentiæ viſionis Dei ex parte auerſionis, & hæc eſt æterna, vt qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur. Et pœna ſenſus, ex parte conuerſionis ad creaturam, quæ cùm non ſit infinita ex genere ſuo, talis pœna non eſt æterna. Ex quo fit, vt ſi huiuſmodi conuerſio non eſſet auerſio à Deo, non deberetur ei pœna infinita: quare peccatis venialibus non debetur niſi temporalis. Hinc colligitur, quòd cùm per cõtritionem homo conuertatur ad Deum & tollatur auerſio & recuperet amicitiam Dei, tollitur etiam illa æterna pœna damni: remanet tamen pœna ſenſus in hoc ſæculo perſoluenda, vel per pœnas ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptas, vel Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitas, vel etiam per temporalia flagella à Deo inflicta; & à nobis patienter tolerata. Ex his concludendum eſt, quòd effectus contritionis eſt remiſſio peccati quoad totam culpam, imò poſſet eſſe conuerſio mentis in Deum, & in deteſtationem peccati, tam vehemens, quòd perfectè remiſſionem peccati homo cõſequeretur, non ſolùm quantùm ad culpam, ſed etiam quantùm ad remiſſionem totius pœnæ. Ita D. Thomas *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 2. *art.* 3. & alij communiter.

D. Thom

Vide v. Attritio, Confeſſio *n.* 3. & 4. Iubilæus *num.* 10.

CONTVMELIA.

SVMMARIVM.

1 *Contumelia propriè in verbis conſiſtit, impropriè autem etiam in factis.*

2 *Confitentes & diuulgantes libellos famoſos, grauiter peccant, & tenentur ad reſtitutionem famæ & honoris: & ſeuerè puniuntur per leges, tam Eccleſiaſticas, quàm ciuiles.*

3 *Ladens alterius honorem, excuſatur à ſatisfactione facienda, per laſa partis remiſſionem.*

1. COntumelia, quâ excellentia & honor alicuius aufertur, vel diminuitur, propiè in verbis conſiſtit. In factis autem impropriè & ſecundariò etiam conſiſtere poteſt contumelia, quatenus ſcilicet, facta ſignificant intentionem noſtram de lædendo honorem alterius, illiſque tanquam ſignis vtimur, ad ſignificandum aliquem honore & reuerentia indignum eſſe, tunc facta illa pro verbis reputantur. Vt tamen factis contumelia fiat, neceſſarium eſt, ea intentione fieri, vt alterius honor auferatur. Poſſunt namque huiuſmodi facta duobus modis conſiderari. *Primò*, vt ſunt actiones quædam in ſuis propriis ſpeciebus conſtitutæ. *Secundò*, vt ſunt tanquam media ad honorem alterius auferendum. Priori modo pertinent facta iſta ad ſuas priuatas ſpecies vitiorum. Secundo autem modo pertinent ad peccatum contumeliæ, cùm ad proximum dehonorãdum fiant. Exemplum ſit, ſi quis vxorem alterius ſolicitaret tantùm libidinis gratia, adulter tantùm erit; ſi verò ſolicitaret, non ſolùm vt rem habeat cum ea, ſed etiam vt eo facto honori mariti officiat, talis & adulter & contumelioſus erit; vnoque actu duplex committit peccatum neceſſariò cõfitendum; ſicut quando quis furatur, vt fornicetur, actus ille accipiendi alienum in duplici ſpecie eſt, furti ſcilicet & fornicationis, quorum Confeſſio facienda eſt neceſſariò. Quæ autem de contumelia dicta ſunt, procedunt etiam de conuitio & improperio: hæc enim tria quamuis materialiter inter ſe differant, formaliter tamen & ſpecie non differunt inter ſe, cùm hæc omnia ad idem referantur, videlicet, ad ſignificandum defectum alicuius in detrimentum honoris eius, vt docèt D. Thom. 2. 2. *q.* 72. *art.* 1. *ad* 3. Caietanus, Syluius *ibid.* Atque adeo voces iſtæ promiſcuè, & pro eodem accipi ſolent, vt conſtat apud vulgus, & notat Sylueſter *verb. Contumelia, n* 1.

D. Thom. Caietan. Syluius. Syluest.

2. Qui libellos famoſos conficiunt, diuulgantes aliorum peccata, quibus exinde fama & honor eorum læditur, grauiter peccant, tantoque grauis eſt

hoc peccatum, quantò ſcripta hæc magis euulgantur & memoriæ hærent, quàm verba. Et huiuſmodi libelli aliquando pertinent ad detractionem ſolam, aliquando verò ad cõtumeliam. Quando enim libelli auctor nomen ſuum occultat, ad detractionis crimen ſpectat: ſi verò ſeipſum nominet, ad contumeliæ nequitiam pertinet: teneturque ad famæ vel honoris reſtitutionem, ac damna, quæ exinde ſecuta ſunt, reſarcire. Præterea auctores talium libellorum per leges ciuiles pœnà capitis puniri iubentur, *l. 1. Cod. de libellis famoſis.* Per leges autem Eccleſiaſticas, ſi libelli ſint contra ſæculares, verberantur, *cap. qui in alterius, 5. quæſt. 1.* Si contra Eccleſiaſticos, excommunicari iubentur, *cap. quidam maligni*, & *cap. qui inuenti, 5. quæſt. 1.* niſi famam & honorem reſtituant. Quas pœnas renouant Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Romani Pontificis*. Anno 1572. & Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Ea eſt rerum* eodem anno. Inuenientes autem huiuſmodi libellos, ſcientes eſſe infamatorios, peccant etiam grauiſſimè, niſi eos ſtatim, antequam eos aliis manifeſtent, corruperint, aut igni tradiderint, haberique debent tanquam cooperatores, & eiſdem pœnis ſubiiciuntur, vt *in cap. Qui in alterius*, & *in cap. ſi quis famoſum, 5. quæſt. 1.* & prædictis Bullis Pij V. & Gregorij XIII. habetur. Conficientes autem libellos famoſos contra ſtatum Religionis in communi, meritò de hæreſi ſuſpecti ſunt. Vide dicta *tom. 1. verb. Detractio, 1. num. 7.*

Greg. XIII.

3. Quamuis honor alicui iniuſtè ablatus ex iuſtitia reſtituendus ſit: quia vnuſquiſque habet ius, vt exhibeatur ei honor ab aliis iuxta locum, ſtatum & officium quod tenet in Republica vbi viuit, quem honorem ſi quis ei non exhibeat, expoliat illum iure ſuo. Tamen ſicut in remiſſione famæ cadit remiſſio, ita etiam in honore. Vnde factâ tali remiſſione à parte affectâ contumelia, non tenetur lædens ad aliquam aliam ſatisfactionem faciendam. Ratio eſt, quia homo non minus eſt dominus honoris, quam pecuniæ: at ſi læſus eſſet in pecunia, & condonaret pecuniam illam, lædens eſſet tutus in conſcientia. Ergo etiam in honore cùm vtriuſque læſus ſit Dominus, & vtrumque bonum ſit temporale. Aduertendum tamen eſt, remiſſionem reſtitutionis honoris regulariter non cenſeri factam per familiarem conſuetudinem, ſeu conuerſationem cum eo, qui contumeliam intulit. Ratio eſt, tum quia familiaris conuerſatio non ſufficienter indicat remiſſionem debiti pecuniarij; ergo neque ſufficienter indicat remiſſionem honoris qui maioris eſt momenti & æſtimationis; niſi fortè adſint expreſſa indicia, ex quibus remiſſio contumeliæ colligatur. Tum quia multi, vel quia ſimul viuunt cum iniuriatore; vel quia eo indigent; vel certè vt noram vel ſcandalum vitent, diſſimulant. Ita P. Nauarra *lib. 2. cap. 4. 1. part. dub. 6. numer. 74.* Clauis Regia *lib. 11. cap. 8. num. 13.* Reginald. *lib. 10. num. 356.*

P. Nauarra. Clauis Reg. Reginald.

CRIMEN.

SVMMARIVM.

1 *Crimen aliud eſt Eccleſiaſticum, aliud ciuile, aliud mixtum.*

2 *Crimina in iure, quædam dicuntur enormia, quædam mediocria, quædam minora.*

3 *Rurſus quædam dicuntur publica, quædam priuata.*

4 *Quando crimen dicatur capitale.*

5 *Iuxta Bullam Gregorij XIV. reus de crimine læſæ maieſtatis non gaudet immunitate Eccleſiæ, quando in perſonam Principis aliquid machinatus fuerit.*

6 *Quando in criminibus mixti fori punitus in foro Eccleſiæ, poſſit iterum pro eodem crimine à iudice ſæculari puniri? & quando non.*

1. CRimen, aliud eſt Eccleſiaſticum, aliud ciuile, & aliud mixtum. Crimen Eccleſiaſticum eſt, quod pertinet ad Eccleſiæ iuriſdictionem, & ſolùm coram Eccleſiaſtico iudice habet cognoſci: laicus autem de eo ſe intromittere non poteſt, vt crimen hæreſis, periurij, vſuræ, &c. Crimen verò merè ciuile eſt delictum ciuile lege prohibitum, aliàs in ſe non peccatum: vt ciuitatem noctu poſt ſignum peragrare. Crimen verò mixtum eſt, quod ſpectat ad vtrumque forum, tam Eccleſiaſticum, quàm ad Laicum, & in cuius cognitione datur locus præuentioni: vt eſt ſacrilegium, de cuius pœna etiam ſæcularis iudex cognoſcere poteſt, illudque punire: ſicut & Eccleſiaſticus procedere poteſt contra laicum inuaſorem rerum Eccleſiaſticarum, quando per vim illas occupat; & contra eos, qui in negotiis cum Eccleſia geſtis per fraudem, vel alia via illi præiudicant. Ita Barboſa *in ſuis Collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 23. cap. 2. num. 54.* Diana *parte prima, tractat. 2. reſolut. 82.* Sylueſter *verb. Crimen, num. 2.*

Barboſa. Diana. Syluest.

2. Crimina diuiduntur iuxta Iuriſtas in enormia, mediocria & minora. Inter enormia computantur, homicidium voluntarium, & caſuale præcedente culpâ. Simonia in ordine & beneficio Hæreſis. Et hæc etiam poſt pœnitentiam impediunt promouendum, & iam promotum deiiciunt, etiamſi ſint occulta. Idem eſt de omni crimine inducente irregularitatem: alia verò enormia occulta poſt pœnitentiam non impediunt promouendum, nec promotum deiiciunt, *cap. Quæſitum de ſimon.* Mediocria dicuntur adulterium, furtum, ſacrilegium, periurium, fraus cum dolo, inceſtus, Sodomia & ſimilia adulterio maiora. Item fornicatio notoria cum incorrigibilitate poſt monitionem, *cap. ſicut, de cohabitat. Cleric. & mulier.* Aduertendum tamen eſt, quòd ſi prædicta crimina ſint manifeſta per ſententiam, vel Confeſſionem in iure, aut euidentiam facti, impediunt promouendum & promotum deiiciunt: quòd ſi ſunt manifeſta ſolùm per famam, indicitur purgatio; quâ præſtitâ quis abſoluetur; & ſi in ea defecerit, deponetur, *cap. Significaſti, de adulter.* & *cap. ex tuarum, de purgat. Canon.* Si verò huiuſmodi crimina ſunt occulta, poſſunt tales poſt pœnitentiam manere in ſuſceptis & ad Superiores Ordines promoueri, *cap. ex tenore*, & *cap. quæſitum, de tempor. ordinand.* Minora verò crimina dicuntur reſpectu grauium, vt venatio in Clerico, ludus aleæ & ebrietas, &c. Huiuſmodi autem crimina etiamſi ſint manifeſta non impediunt promouendum, nec deiiciũt iam promotum. Tamen ſi poſt monitionem ſequitur incorrigibilitas, efficientur grauiora.

3. Crimina, quædam dicuntur publica, quædam verò priuata. Publica appellantur illa, circa quorum accuſationem quiuis de populo iuris diſpoſitione admittitur: vnde in hac acceptatione dicitur crimen publicum quaſi populicum, quia ad quemuis de populo ſpectat accuſare de illo. Ita habetur *l. 1. ff. de public. iudic. & inſtitut. tod. tit. in princip. verſ. publica.* Crimina autem publica ſequentia commemorantur: Crimen læſæ maieſtatis, Adulterium, crimen legis Corneliæ de ſicariis, & per conſequens homicidium, paricidium, peculatus, falſi teſtamenti,

menti, vis publica & priuata, ambitus, crimen repetundarum & annonæ, crimen plagiarij & legis Iuliæ. Inter publica crimina etiam computantur, quæ sunt in Dei offensam principaliter, atque in foro sæculari puniuntur, vt sunt crimen hæresis & apostasiæ à fide, crimen blasphemiæ, & alia quæ sunt contra Religionem Christianam, vt deturbatio Ecclesiarum aut imaginum. Adde sortilegia, veneficia & his similia, quæ cum Religione pugnant. Ita communis Doctorum sententia, quam referunt ac sequuntur Anton. Gomez 3. *tom. variar. resol. cap. 1. num. 1.* Iul. Clarus *lib. 5. sentent. §. Blasphemia num. 2.* Cuius rei duplex est ratio, prima est, quam reddit *lex Manicheos Cod. de hæret.* cur crimen hæresis publicum sit, quia scilicet, *quod in Religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam.* Secunda verò, quia si quiuis de populo accusare non posset, eiusmodi delicta remanerent impunita; quandoquidem nulla particularis persona eis principaliter offenditur.

Gomez. Clarus.

Crimina priuata sunt, de quibus is tantùm potest accusare, qui iniuriam eis est passus. Eiusmodi sunt furtum, iniuria & alia, de quibus non est expressum, vt sint crimina publica. Quando autem dicitur in crimine priuato eum solum accusare posse, qui passus est iniuriam, non excludi illos in quos iniuria redundat; vnde hi possunt etiam agere vel nomine proprio, vel nomine eorum, qui principaliter passi sunt iniuriam. Item non excluduntur hæredes eius, qui iniuriam est passus, quique defunctum repræsentant, vt prosequi possint accusationem de crimine priuato à defuncto ante mortem suam cum delinquente contestatam. Vide Anton. Gomez *loco citat. cap. 1. num. 9.* Et Clarum *citatum num. 9.*

Gomez. Clarus.

4. Nomine criminis capitalis, hoc est, pro quo imponenda venit pœna sanguinis, non solùm intelligitur crimen, pro quo imponenda veniat pœna mortis naturalis, sed etiam pro quo veniat imponenda pœna mutilationis: hæc enim sanguinis pœna propriè dicitur; & quamuis de iure antiquo mentio de ea non fiat inter pœnas capitales, id ex eo fuit, quòd non fuerit eo tempore in vsu, sed de iure Codicis fuerit introducta. Ita Communis Doctorum sententia, quam refert & sequitur Iul. Clarus *lib. 5. sentent. §. vlt. quæst. 58. num. 7.*

Clarus.

5. Licet multis modis committatur crimen læsæ Maiestatis, hodie tamen per Constitutionem Gregorij XIV. *Cùm aliàs nonnulli*, statutum est, reum de crimine læsæ Maiestatis tunc non gaudere immunitate Ecclesiæ, si in personam Principis aliquid machinatus fuerit: ergo secus si non in personam Principis: vt dicetur infra, verbo Immunitas, *num. 6.*

Greg. XIV.

6. Dubium est inter Doctores an in criminibus mixti fori punitus in foro Ecclesiæ, possit iterum pro eadem culpa à iudice sæculari puniri? Sed pro resolutione dicendum est *Primò*, Si reus ab vno iudice absolutus fuerit, alter nihilominus causam cognoscere, & si secundum allegata nocens reperiatur, punire eum potest. Ratio est, quia iurisdictio Ecclesiastica & sæcularis sunt omninò separatæ ac distinctæ; ergo absolutio in vno iudicio non parit exceptionem rei iudicatæ in altero iudicio. Ita Couarruuias 2. *resol. cap. 10.* Clarus *in §. final. quæst. 57.* & alij. *Secundò.* Iudex sæcularis potest afficere reum pœna sui fori propria, videlicet, corporali, aut mulcta pecuniariâ, quando pœna inflicta à iudice Ecclesiastico fuit spiritualis, v. g. excommunicationis, Ita Farinacius in *pract. criminal. titul. 4. quæst. 20. numer. 39.* Nauarr. *lib. 2. consil. 1. de iudic.* Tertiò, si iudex Ecclesiasticus reum in suo foro puniuit leuius quàm merebatur; an possit in foro sæculari pro excessu pœnæ puniri? diuersimodè loquuntur Doctores, quibusdam affirmantibus apud Dianam *part. 1. tractat. 2. resol. 108.* & *part. 4. tract. 1. resol. 61.* ex auctoritate *cap. Felicis, §. per hoc, de pœnis, in 6.* Aliis autem negantibus: verius tamen est in causa mixti fori punitum mitiori pœna ab Ecclesiastico non posse iterùm in sæculari foro puniri ad integrandam pœnam diuersam: Tunc autem potest quis ad diuersa fora trahi super eodem crimine, quando ob varios respectus crimen est vtriusque fori, & quando punitio tendit ad diuersa, diuersis respectibus. Auctores huius sententiæ vide apud Dianam locis citatis. Certum est tamen reum in vno foro de crimine totaliter iudicatum & punitum, non posse deinde in altero foro iudicari aut puniri: quia æquitas non patitur, vt idem de eodem crimine bis iudicetur ac puniatur.

Diana.

Vide v. Concubinarius *num. 5.* Immunitas Ecclesiar. *num. 6. & 17.* Iudex *num. 14.* Legitima *num. 8.* Missa 3. *num. 11.* Mutuum *num. 34.*

CVSTOS.

SVMMARIVM.

1. *Ad quid teneatur Custos armentorum, si animalia damnum dederint?*
2. *Potest aliquando Custos sine peccato & obligatione ad restituendum dissimulare & non accusare.*
3. *Custodes, qui inuigilant circa aliquid iniustum aut iniquum non peccant dissimulando.*
4. *Quid iuris de custodibus, qui solùm ea permittunt, ex quibus nullum damnum sequitur, nec debetur aliquod tributum, sed solùm ea facientes subiacent pœnæ.*
5. *Custodes, qui in regnorum confiniis donationes extorquent ne transeuntes indefinitè vexent, restituere tenentur quæ ita à transeuntibus accipiunt.*

1. CVstos armentorum tenetur soluere damnum, si animalia absque domini culpa damnum dederint de industria custodis. In defectum verò Custodis, dominus animalium solùm tenetur soluere damnum, vel tradere pro illo animalia noxæ: Ad idem tenetur, si culpa leui Custodis sit datum. Si verò nulla aut sanè leuissima Custodis culpa sit datum, Custos ad nihil tenetur, dominus verò ad alterum duorum, quæ dicta sunt, tenetur. Ita Molina *tract. 2. disput. 697. num. 21.* Nota autem quando integrum damnum est soluendum, æstimari debet damnum per arbitratores ad id deputatos; nisi is, qui illud est passus, & qui soluere illud debet, conueniant in illius pretio ac valore. Æstimari verò debent fata & similia alia, quorum fructus sunt adhuc in spe, iuxta statum præsentem, quantum emerentur & venderentur, si quis spontaneè vellet ea vendere; nihil impediente, quod dominus nollet ea vendere: quia mallet expectare rei euentum, & apponere reliquum expensarum, industriæ, & laboris.

Molina.

2. Quamuis Custos peccet & perinde sit, regulariter loquendo, qui sub iuramento astrictus officium suum exercere, non manifestat venantes, piscantes, aut ligna cædentes in locis prohibitis; nihilominus non obstante tali iuramento & prohibitione legitimâ, possunt custodes cum cædentibus, piscentibus, &c. sine peccato & obligatione ad restituendum dissimulare his tribus concurrentibus. *Primò*, Quando sciunt auferentes id

feciſſe ex neceſſitate. Si enim ignorarent, aut dubitarent de capientium neceſſitate, non excuſanturi in dubio enim tutiora eligenda ſunt. *Secundò*, quando neceſſitas capientium tanta eſt, quæ eos à peccato excuſat, vt ſi ſit extrema, vel quaſi, ita vt vix poſſint aliter vitam ſuam & ſuorum conſeruare, nec illi capiendo, nec iſti tacendo peccant, quia tunc dominus in ipſa rerum ſuarum captura conſentire debet. *Tertiò*, ſi non permittant eos plura capere, quàm neceſſitas eorum exigit: ſi enim vltra quam eorum indigentia poſtulat accipiant, non erunt à crimine furti immunes, nec cuſtodes tuta conſcientia cum eis diſſimulare poſſunt.

3. Cuſtodes, qui inuigilant circa aliquid iniuſtũ, aut iniquum, vt ſi cuſtodirent Syluam, aut vigilarent circa venationem, quæ iniuſtè, aut aliter cum peccato, prohibereutur, vel ſi vigilarent circa exactionem tributi iniuſti, aut circa aliam rem iniuſtã vel iniquam, eſto iureiurando ſe aſtrinxiſſent ad cuſtodiam ac vigiliam, non peccarent diſſimulando cum cædentibus ligna, cum venantibus, cum tranſeuntibus, aut vendentibus aliqua, ſine ſolutione eius tributi. Ratio eſt, quia iuramentum in eo caſu eos non obligat, eo quòd non ſit vinculum iniquitatis: imò ſi contrarium facerent, peccarent, tenerenturque reſtituere, quantum ſua volentium ligna cædere, aut venari, intereſſet, non prohiberi ac impediri, aut quantum eſſet tributum, quod iniuſtè acciperent, & inſuper reſtituere tenerentur alia damna, ſi quæ vlteriùs ex ea iniqua impeditione ſequerentur, niſi ignorantiâ inuincibili iniuſtitiæ excuſentur, aut parendo in dubio, quod expellere non poſſint, Superioribus. Quia tamen cauſæ ſunt minùs principales comparatione eorum, qui id eis præcipiunt, ſolùm tenentur reſtituere ea damna in defectum cauſarum principalium, niſi fortè portio aliqua iniuſtè acceptorum ipſis ſit deputata; tunc enim illam acceptam reſtituere ipſi tenerentur. Ita Clauis Regia *lib.11.cap.11.num.5.* Clauis Reg.

4. Quando cuſtodes & alij miniſtri publici ſolùm ea permittunt, ex quibus nullum ſequitur damnum, & quæ nullum habent tributum annexum, ſed ſolùm eſt pœna impoſita iis, qui illa efficiunt, tunc, qui leges tranſgrediuntur illa efficiendo, ad nullam tenentur reſtitutionem, peccant tamen lethaliter, aut venialiter tranſgrediendo illo modo leges, pro materiæ qualitate ac quantitate, & pro neceſſitate, vt tales leges obſeruentur, habita ſimul ratione pœnæ eas tranſgredientibus ſtatutæ, maximè ſi ſeuerè ac integrè talis pœna exigatur, exequutionique mandetur. Exempla ſint, vt ſi quis venetur, aut piſcetur, cuſtode diſſimulante, in menſibus ad id faciendum prohibitis. Aut ſi contra prohibitionem tranſportet triticum, pecuniam, equos aut aliquid aliud ab vno regno in aliud. Aut ſi veſtes ſericas, vel aliquid aliud geſtet contra præſcriptum legum. Prior pars huius concluſionis probatur, quoniam, qui eo modo leges tranſgrediuntur, non tenentur ad pœnam ante latam ſententiam, & nullum damnum inferunt legem tranſgrediendo, vt ſupponitur, licèt id in reip. incommodum aliqua ex parte cedat: ergo ad nullam reſtitutionem tenentur ante latam ſententiam. Quando autem ita legem tranſgrediendo, ſolùm defraudarent Principem aut aliquem alium, tributo iuſto, ſolùm tenerentur reſtituere id tributum, non verò pœnam, niſi ad eam ſoluendam eſſent condemnati, ab eiſque exigeretur. Ita Ioannes Medina *de reſtitut. quæſt.12.§. penult. & vlt. & quæſt. 15.§. penult.* Medina.

5. Cuſtodes, qui in regnorum confiniis donationes extorquent, ne tranſeuntes indebitè vexent, reſtituere tenentur, quæ ita à tranſeuntibus accipiunt. Idem eſt dicendum de quibuſcumque alijs cuſtodibus, qui ſimili modo aliquid extorquẽt. Ratio eſt, quia nullus alius iuſtus eſt titulus, quo ſimilia poſſint accipere, quàm donationis titulus; quod autem donatione nec dominium, nec ius acquirant ad ea, quæ ita accipiunt, ex eo ſatis liquet, quod dantes inuoluntariè mixtè id dant ad redimendam ſuam vexationem, id quod non ſufficit ad transferendum dominium, aut ius titulo donationis: hocque perſpicuum eſt ſatis in vſurario, qui eâ ſolâ de causâ nec dominium nec ius comparat eorum, quæ per vſuram acquirit. Ita Molina *tract.2.diſput.739.num. ſeptimo.* Molina.

D.

DEBITOR. DEBITVM.

SVMMARIVM.

1 *Creditor non poteſt priùs procedere ad vendendum pignus, quàm debitor ſit in mora ſoluendi debitum.*

2 *Debitor non habens firmum propoſitum ſoluendi debita quamprimum poterit, non poteſt abſolui à confeſſario.*

3 *An quando creditor & debitor ſunt in extrema neceſſitate, debitor teneatur ſoluere creditori quod debet?*

4 *Probabile eſt debitorem debere priùs ſubuenire patri, matri, vxori, liberis & fratribus extremè laborantibus, quàm creditori.*

5 *Si debitor præfixo tempore non ſoluat, ob impotentiam, incurret excommunicationem, quando fiat potens, ſi feratur excommunicatio contra eos, qui obligati ſunt in forma cameræ ad ſoluendum debitum.*

6 *Quando liceat debitori vim inferre, ad recuperandam rem propriam?*

7 *An poſſit debitor renunciare legato vel hæreditati, ne ſoluat debita, ſi aliàs ſit impotens ad ſoluendum?*

8 *Qui acceptat hæreditatem vel legatum à debitore repudiatum non tenetur ad reſtitutionem creditoribus debitoris, modò ipſe non induxerit debitorem ad non acceptandum.*

9 *Debitum ſtatuto tempore ſolui poteſt ante diem, inuito creditore.*

10 *Quando debitor ex delicto vel ex contractu liberetur; qui reſtitutionem debiti commiſit confeſſario ſuo vel Parocho, ſi accidat confeſſarium reſtitutionem intermittere.*

11 *Qui aliquid bona fide contractu oneroſo accepit à debitore, neſciens alienationem eſſe in fraudem creditorum, non tenetur ad reſtitutionem, poſtquam cognouit alienationem factam eſſe in fraudem creditorum à debitore: ſecus ſi acceperit ſciens vel dubitans.*

12 *Qui aliquid accepit à debitore titulo gratuito, ignorans acceptionem eſſe in fraudem creditorum, tenetur reſtituere id in quo factus eſt ditior, modò repetatur à creditoribus intra annum à die ſcientiæ. Si verò accepit ſciens vel dubitans, tenetur ad reſtitutionem creditoribus etiam anno elapſo.*

13 *Debitum ſoluendum eſt in valore eius monetæ, quem habebat, quando fuit expreſſum ac conſtitutum, ſine poſtea valor eiuſdem monetæ accreuerit, ſiue decreuerit.*

14 *Quid agendum quando debitum eſt conſtitutum*

vt in certis nummis ſoluatur, ſi earum valor augeatur vel minuatur.

15 *Quando debitor ex contractu vel quaſi exiſtens in mora ſoluendi, poſſit detrudi in carcerem.*

Quid iuris de debitore fiſci, de milite, de muliere, de clerico, ſi ſint debitores ex contractu, vel delicto.

16 *Quando clericus debitor poſſit in carcerem detrudi.*

1. CREDITOR non poteſt prius procedere ad pignus vendendum, quàm debitor ſit in mora ſoluendi debitũ. Ratio eſt, quia facultas per pactum ei conceſſa ad vendendum, intelligitur à die moræ. Quod ſi dies fuit præfixus ad debitum ſoluendum, non priùs debitor cenſetur eſſe in mora, quàm dies ille ſit elapſus, debito non ſatisfacto, ac proinde ante eum diem elapſum procedere non poteſt creditor ad pignus vendendum, vt habetur *leg. cùm ſol. uenda, de diſtract. pignor.* Elapſo autem eo die cenſetur eſſe in mora, eſto debitum non petatur, *leg. magnam Cod. de contrahend. & commit. ſtipulat.* quoniam dies interpellat pro creditore. Si autem dies præfixus non fuit ſolutioni, non priùs debitor cenſetur eſſe in mora, accedente tempore in quo ratio poſtulat, vt ſoluat, quàm ſit per creditorem interpellatus, hoc eſt admonitus vt ſoluat, *leg. ſi ex legati cauſa, ff. de verb. obligat.* & affirmat communis Doctorum ſententia.

2. Debitor pœnitens non habens firmum propoſitum ſoluendi debitum quamprimùm poterit data opportunitate, non poteſt abſolui à confeſſario. Ratio eſt, tum quia pœnitens quamdiu poteſt ſoluere & non ſoluit debitum, exiſtit in ſtatu peccati mortalis. Tum quia ad effectum & fructum Sacramenti pœnitentiæ recipiendum requiritur propoſitum vitandi peccata in futurum: qui autem non habet propoſitum ſoluendi ſua debita, quamprimùm poterit, data opportunitate, non dicitur habere propoſitum vitandi peccata in futurum, ergo. Ita communiter Doctores.

3. Dubium eſt inter Doctores quando debitor & creditor ſunt in extrema neceſſitate, an debitor teneatur creditori ſoluere quod debet? Quidam enim ſentiunt teneri: quia melior eſt creditoris conditio; nam res illa ſua eſt, & in his, quæ propria ſunt, plus iuris habet dominus, quàm alter, penes quam res inuenitur, & neceſſitas æqualis eſt, in qua cùm omnia ſint communia, ille præferendus eſt, qui præoccupauit, præoccupaſſe autem videtur, qui verus eſt dominus, ergo, &c. Ita Scotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 4.* quem ſequuntur *Richardus, Gabriel, Medina, Sylueſter*, & alij. Hæc ſententia eſt tenenda in caſu quo creditor ſubtractione illius rei coniectus eſt in anguſtias: quia ſubtrahere alicui rem, quâ ille extremè indiget, eſt perinde atque occidere: tum quia ſicut debitor fuit in auferendo, ſic etiam fur eſt in retinendo, eſt enim violentus non legitimus rei poſſeſſor: vt diximus *tom. 1. verb. Reſtitutio V. num. 3. in fine*, cum Doctoribus ibi citatis. Si verò creditor ſubtractione illius rei non eſt coniectus in extremum illud diſcrimen, ſed aliunde incidit, probabile eſt debitorem non teneri in pari diſcrimine, idque non ſolùm quando res eſt ſub dominio debitoris, ſed etiam quando in ſpecie eſt debita creditori. Ita Toletus *lib. 8. cap. 39. num. 3.* Sotus *de iuſtit. lib. 4. quæſt. 7. art. 1.* Caietanus *in 2. 2. q. 62. art. 5.* & alij apud Dianam *part. 5. tr. 8. reſ. 11.* Ratio eſt, quia etſi dominium rei maneat apud creditorem quaſi in habitu, tamen actu eius impeditur perinde ac ſi non eſſet, quia quiſque poteſt ſibi conſulere ex re quam occupat & poſſidet, & in eo caſu non tenetur eam reſtituere domino. Vnde ſi ante occupaui tuam ſarcinam aut tabulam in naufragio, non teneor tibi tunc reſtituere; etiamſi ſimul in extremum periculum inciderimus, quia per hanc ſubtractionem non incidiſti in periculum: neque in periculo conſtitutus, hanc rem occupaueras, vt per eam te ſaluares. Certum eſt tamen apud omnes debitorem non teneri ſoluere, quando ipſe eſt in extrema neceſſitate conſtitutus, ſi creditor eandem neceſſitatem non patiatur.

Scotus. Richard. Gabriel. Medina. Sylueſt.

Toletus. Sotus. Caietanus. Diana.

4. Probabile eſt debitorem debere priùs ſubuenire patri & matri extremè laboranti, quàm creditori: imò idem poteſt facere & debet cum vxore & liberis, adde etiam & cum fratre. Ratio eſt, quia debitum quod ex virtute pietatis debetur eſt maius & antiquius eo quod debetur ex particulari iuſtitia: talibus autem perſonis debetur ex pietate. Si dicas, illis quidem ſic deberi, non tamen de bonis alienis, ſed de propriis debitori. Reſpondeo, quod ea quæ extra neceſſitatem erant aliena, in neceſſitate eſſe communia quantùm ad vſum eorum qui neceſſitatem patiuntur. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 14.* Toletus *de ſeptem peccat. mortalibus cap. 39. num. 5.* reuocans quod dixerat *lib. 5. inſtruct. cap. 24.* Hurtadus de Mendoſa *in 2. 2. quæſt. 31. art. 3.* Quamuis Vaſquez *opuſc. de eleemoſyna cap. 1. dub. 9. n. 74.* neget quoad fratrem, cui creditorem putat eſſe præferendum.

Leſſius. Toletus. Hurtad de Mendoſa. Vaſquez.

5. Si debitor præfixo tempore non ſoluat ob impotentiam, incurret nihilominus excommunicationem, quando fiet potens, ſi feratur excommunicatio contra eos, qui obligati ſunt in forma Cameræ ad ſoluendam penſionem vel aliud debitum, *Ex cap. Odoardus, de ſolutionibus.* Ratio eſt, quia terminus, qui aſſignatur, non eſt ad finiendam obligationem, ſed ad differendam executionem vſque ad illum, & non vltra. Ideoque ſi in illo termino non ſatis fit obligationi, non extinguitur obligatio, ſed ſemper durat & obligat ad non differendam ſolutionem ſi fieri poſſit: Intellige, modò cenſura retineat ſuam vim, ſi enim morte iudicis, in cenſura ab homine, vel alia de cauſa, vim ſuam cenſura amiſiſſet, peccaret quidem talis non ſoluendo, at non incurreret cenſuram. Adde ſi quis malitiosè fiat impotens, non excuſaretur ab excommunicatione, poſſet tamen impedire ſuperuenturam excommunicationem in termino præſtituto, conueniendo iudicem & probando ſuam impotentiam: vt docet Suarez *de cenſur. diſp. 20. ſect. 2. n. 16.*

6. Debitori licet vim afferre, ſi non poſſit aliter res propria recuperari, quando illa extat in propria ſpecie apud alterum, vt veſtis, torques, equus, &c. vnde poſſet furripi vel occultè, vel apertè etiam, & ſi quis reſiſtat, poterit ſe armis defendere: quia habet dominus ius recuperandi rem ſuam. Si verò non extet ſed tantùm ſit debita, tunc non poteſt aliquid aliud furripi violenter, quia verè illius debitor eſt dominus & poſſet defendere rem ſuam armis: & ſicut in priori caſu ipſe aggreſſor eſſet, ita in hoc defenſoris vicem ageret; conſequenter in primo caſu creditor eſſet defenſor rei ſuæ, in ſecundo verò aggreſſor rei alienæ. Ita Leſſius *lib. 2. capite 12. dub. 11.* qui citat D. Antoninum & Sylueſtrum.

Suarez. Leſſius. D Antonin. Sylueſt.

7. Debitor qui non eſt creditoribus ſoluendo, peccat contra iuſtitiam in foro conſcientiæ, & tenetur ad reſtitutionem damni, quod paſſi ſunt creditores, eo quod repudiauerit legatum vel hæreditatem, quâ non repudiata ſatisfeciſſet creditoribus. Ratio eſt, tum quia ea lege, quia quis tenetur ad

finem,

finem, tenetur etiam ad media, quoties illa poteſt aſſumere abſque graui incommodo: ſed debitor tenetur ex iuſtitia ſatisfacere creditoribus: ergo tenetur etiam aſſumere media ad ſatisfaciendum, quale medium eſt acceptatio legati, vel hæreditatis. Tum quia ſi quis videret proximum fame perire, & extremum iam agentem ſpiritum, vel grauiter indigentem, & aliquis afferret illi bona quibus poſſet illi indigentiæ ſubuenire, quis negaret hunc mortaliter delinquere contra legem charitatis non acceptando, cùm tam facilè illi extremè indigenti poſſet ſuccurrere; Ergo à fortiori peccabit non acceptando, acquirendo cùm facilè poſſit, vt ſoluat creditoribus quibus fortiori vinculo, ſcilicet, iuſtitiæ aſtrictus eſt. Hinc fit hunc debitorem licet aliàs ratione impotentiæ excuſaretur à reſtitutione damni emergentis & lucri ceſſantis, ob dilatam ſolutionem; at caſu quo repudiat hæreditatem, ne ſoluat, teneri deinceps ad lucrum ceſſans, & damnum emergens: cùm iam culpâ ſuâ minimè reſtituat: & quamuis ſemel repudiata hæreditate maneat verè impotens ad reſtituendum, nec ei deinceps imputetur culpa: at prouenit ex culpa, quam repudiando contraxit. Similiter cauſidici & alij conſulentes debitoribus vt repudient, & ſic efficiantur impotentes ad ſoluendum, tenebuntur reſtituere creditoribus ea debita, quia iniuſto conſilio fuerunt cauſa illius damni. Sæpe tamen tam debitores quàm conſulentes excuſantur, quia bona fide & iuſta ignorantia procedunt, ducti prauo legum intellectu, iuſtè tamen ignorato, cùm multi grauiſſimi Doctores Iuriſperiti *Couarruuias*, *Molinas*, *Antonius Gomez*, & alij abſolutè doceant poſſe debitorem renunciare hæreditati, ne ſoluat debita. Ita Sanchez *de matrim. lib. 6. diſputat. 4. num. 9.* Petr. Nauarra *lib. 3. de reſtit. cap. 1. num. 112.* Filliucius *tract. 31. cap. 5. num. 139.* Molina *tract. 2. diſp. 435. ad finem.*

Sanchez. P. Nauarra. Filliucius. Molina.

Neque dictis obſtat lex, *qui autem*, *ff. qua in fraudem creditorum*, & regula, *non fraudantur*, *ff. de regulis iuris.* Nam ibi tantummodò decernitur, repudiationem eſſe validam, & in foro externo non dari actionem creditoribus ad eam reuocandam; ſed non deciditur, hoc licitè fieri à debitore.

8. Qui acceptat hæreditatem, vel legatum à debitore repudiatum non tenetur ad reſtitutionem iis, quibus tenetur ille, qui legatum, vel hæreditatem repudiauit, modò ipſe nõ induxerit debitorem ad non acceptandum. Ratio eſt, quia repudiatio ex parte debitoris non dicitur alienatio in fraudem creditorum, ſed non acquiſitio: tum quia acceptans nullam exercet actionem cum debitore, nec eſt particeps illius iniuſtitiæ. Ita Sanchez *loco citato.*

Sanchez.

9. Debitum ſtatuto tempore, ſolui poteſt ante diem inuito creditore. Nam in *l. ſtipulatio iſta* 38. *§. inter* 16. *ff. de verbor. obligation.* & *in l. quod certa* 70. *ff. de ſolutionibus*, traditur, in obligationibus in diem, totum medium tempus ad ſoluendum promiſſori liberum relinqui: atqui liberum non eſſet debitori tempus ad ſoluendum, ſi ei non liceret ſoluere inuito creditore, aut ſi creditor ſolutionem recuſare ante diem iure poſſet. Deinde dies adiectio eſt pro reo, ſiue debitore, non pro ſtipulatore, ſeu creditore. Si ergo dies pro debitore eſt, licet ei vti die ſi velit: ſi nolit, eique videatur commodum ſtatim ſoluere, licet die non vti: ita vt nihil magis ei dies noceat, quàm ſi omninò adiectus non eſſet.

Porrò cuique licitum eſt, beneficio pro ſe tantùm introducto renunciare, idque contemnere. Atqui verò dies beneficio debitoris ſeu promiſſoris tantùm in dubio adiectus intelligitur, ergo, illi debitor renunciare, illudque contemnere, & conſequenter etiam ante diem creditori repugnanti ſoluere poterit. Hanc ſententiam tenent Bartolus, Iaſon *in leg. ſtipulatio*, *§. inter*, *ff. de verb. obligat.* Gomez *tom. 2. variar. reſol. cap. 11. num. 22.* Peckius *lib. 5. de teſtam. coniug. cap. 28.* & alij penes ipſos.

Bartol. Iaſon. Gomez. Peckius.

10. Si, debitor ex delicto reſtitutionem debiti indeterminatè, ſeu in genere, v. g. decem florenorum ex iniuſta venditione aut emptione, committat Confeſſario vel Parocho, & præter opinionem accidat, eiuſmodi confeſſarium defraudare, reſtitutionemque intermittere, tunc debitor non liberatur ſed debet aliorum decem reſtitutionem facere. Ratio eſt, quia res quælibet, ſi caſu pereat, domino ſuo perit: debitor autem rei debitæ indeterminatæ adhuc Dominus eſt: ergo etſi ſine eius culpa, adeoque caſu per malitiam confeſſarij pereat, ipſius id damno accidit. Nec refert, quod debitor, qui alio modo reſtituere non poterat ſine periculo famæ, fecit quod debuit, ideoque creditor contentus eſſe tenetur, vt per talem perſonam intermediam reſtitutio ipſi fiat. Reſpondeo, quòd debitor fecit quidem, quod hactenus facere debebat, remanente tamen obligatione, vt ſi reſtitutio efficaciter facta non fuerit, alius modus reſtitutionis efficax iniretur. Ita Nauarrus *cap. 17. numer. 67.* D. Antoninus *part. 2. titul. 2. capite 4. §. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 16. num 65.*

Nauarrus. D. Antonin. Leſſius.

Si res aliqua in ſpecie debita fuit, ſed iuſtè, puta, inuenta vel bona fide poſſeſſa, intereſt tamen debitoris, vt non ſciatur, reſtitutionem ab ipſo prouenire, tunc confeſſario non reſtituente, debitor omni iure liberatus eſt: quia in tali caſu neque obligatur ratione rei acceptæ, neque ratione iniuſtæ acceptionis; vnde ſi res pereat, domino ſuo perire debet. Si verò res in ſpecie debita, per iniuſtitiam acquiſita ſit, vt torques aureus furto ablatus, debitor non liberatur, ſi in tali caſu Parochus, vel Confeſſarius alioquin fidelis exiſtimatus defraudet. Ratio eſt, quia interceſſit culpa debitoris, per quam dedit occaſionem damni domino obuenientis: ſi enim non furtipuiſſet, creditor rem ſuam non amiſiſſet. Ita Leſſius *cit. num. 66.*

Leſſius.

11. Qui aliquid bona fide contractu oneroſo accepit à debitore, neſciens alienationem eſſe in fraudem creditorum, non tenetur ad reſtitutionem, poſtquam cognouit alienationem factam eſſe in fraudem creditorum à debitore. Ratio eſt, quia nullo titulo tenetur, neque ratione iniuſtæ acceptionis, quia bona fide accepit; neque ratione rei acceptæ; quia accepit rem ipſius debitoris, quæ non erat alteri realiter obligata, vt ſupponitur; neque tenetur ex contractu; quia nullum iniit contractum, quo ſe obligauerit ad reſtitutionem: Secus dicendum, ſi acceperit ſciens, vel dubitans cõtractum eſſe in fraudem creditorum; tunc enim teneretur ad reſtitutionem, quatenus ex eo contractu læſi ſunt creditores, nam cooperatus eſt actioni iniuſtæ cum damno creditorum. Ita Salon 1. 2. *quæſt. 78. art. 3. controuerſ. 2.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 21. punct. 3* Molina *de contract. tractat. 2. diſputatione 328.* Tunc autem aliquid in fraudem creditorum cenſetur alienatum, quando debitor aliquid alienat, videns per eam alienationem non remanere ſibi ſufficientia bona ad ſoluenda debita: talis quippe alienatio quoad quantitatem, quoad quam impotens manet ad ſoluenda debita, cenſetur facta in fraudem creditorum: & regulariter neceſſaria non eſt intentio & animus defraudandi ea via creditores, ſed ſufficit ſola ſcientia: eiuſmodi quippe ſcientiam appellant iura cõtilium fraudandi creditores, atque adeò

Salon. Valentia. Molina.

Digitized by Google

adeò fraudem, vt innuitur *l. ſi quis cùm haberet, ff. quæ in fraud. creditor.*

12. Qui aliquid accepit à debitore titulo gratuito, ignorans acceptionem eſſe in fraudem creditorum, tenetur reſtituere id, in quo factus eſt ditior, modò repetatur à creditoribus intra annum à die ſcientiæ. Ita ex *l. ignoti, Cod. de reuocandis iis, quæ in fraudem creditorum.* Si verò accepit ſciens, vel dubitans probabiliter, rem alienari in fraudem creditorum, tenetur ad reſtitutionem creditoribus, iuxta veriorem ſententiam, non ſolùm intra annum, ſed etiam anno elapſo, quantum ex eo contractu læſi ſunt creditores. Ratio eſt, quia accipiendo cooperatus eſt actioni iniuſtæ damnificatiuæ creditoribus; qui autem culpabiliter cooperatur actioni iniuſtæ cum damno alterius, tenetur ad reſtitutionem. Nihilominus ſententia aſſerens eum, qui aliquid accepit titulo gratuito, vel oneroſo, non teneri in foro conſcientiæ ad reſtitutionem, etiamſi nouerit tradentem fieri impotentem ad ſoluendum cæteris, eſt ſatis probabilis, modò ipſum non induxerit ad donandum vel tradēdum, ſed ipſe donauerit, aut vendiderit, &c. nam accipiens videtur vti iure ſuo, quamuis ex illa acceptione per accidens ſequatur alteri damnum, vt ſuſtinent Molina *tractat. 2. diſputatione 328. numer. 10.* Leſſius *libro 2. capite 20. dub. 19. numer. 168.* Petrus Nauarra *lib. 3. cap. 4. num. 218.* & alij.

Molina. Leſſius. P. Nauarra.

13. Debitum, ſi expreſſum fuit moneta aliqua, ſoluendum eſt in valore eius monetæ, quem habebat quando fuit expreſſum ac conſtitutū, ſiue poſtea valor eiuſdem monetæ accreuerit, ſiue decreuerit. Ratio eſt, quoniam pecunia, quando expreſſum aliud non eſt in contractu, ſententia vel lege pœnali attenditur ac conſideratur ſecundùm valorem: ergo tantus valor eſt reddendus, quantus tempore contractus, legis, aut ſententiæ fuit conſtitutum iuxta valorem, quem tunc pecunia habebat, qua fuit expreſſus, ſiue poſtea pecunia illa accreſcat, ſiue decreſcat in valore: vtrumque enim æquè cedere poteſt in detrimentum, aut commodum tam debitoris, quàm creditoris, atque adeò æqua ex natura rei eſt vtriuſque conditio. Ita Sotus *de iuſtit. lib. 6. quæſt. 1. art. 2.* Couarruuias *de collatione numiſmatum, cap. 7. §. vlt. num. 3.*

Sotus. Couarruu.

14. Debitum ſi conſtitutum ſit, vt in certis monetis ſoluatur, valorque earum augeatur, aut minuatur, ſolui quidem debet in eis monetis, ſed detractis, aut auctis, quod fuerit neceſſarium, vt debitum ad æqualitatem valoris ſoluatur, niſi aliud fuerit expreſſum in contractu, nempe in quemcumque variationis euentum, numerum illum monetarum illius rationis eſſe ſoluendum, neque plus, neque minùs: quod interdum fieri ſolet timore variationis monetarum quoad valorem. Prior pars huius reſolutionis ex eo probatur, quod in contractibus, ac diſpoſitionibus, potiſſimum habetur ratio quantitatis valoris: appoſitio autem illa, vt pecunia talis qualitatis ſoluatur; fieri ſolet, ne in viliori moneta ſoluatur debitum, & quæ multum onerat. Ita Molina *tract. 2. diſp. 312.*

Molina.

15. Debitor ex contractu, aut quaſi contractu, exiſtens in mora ſoluendi debitum, non priùs ob illud detrudi poteſt in carcerem, quàm condemnetur, ac pronuncietur à iudice illud debere ſententiâ, quæ in rem tranſeat iudicatam, aut quàm ille in iudicio confiteatur debitum, ſoluereque illud præcipiatur. Neque tunc poteſt ſtatim detrudi in carcerem, ſed priùs fieri debet exequutio in bonis illius, vendendo illa in publica ſubhaſtatione: compertoque eum non habere ſufficientia bona ad id debitum ſoluendum, detrudi debet ob illud in carcerem, ſi id à iudice creditor, aut creditores illius, petant, donec integrè illud ſoluat. Vide Couarruuiam *2. variar. reſol. cap. 1.* & Anton. Gomez *tom. 2. var. reſol. cap. 11. num. 51.*

Couarru. Gomez.

Ab hac regula iure communi excipiuntur, Primò, debitor Principis, ſeu fiſci, hic enim poteſt ſtatim, ac exequutio intentatur, detrudi in carcerem, quouſque integrum debitum ſoluat. Ita colligitur ex *l. cum eo, ff. ad leg. Iul. pecul.* & *l. nemo, Cod. de coll. trib. lib. 10.* habetur, quod ſi debitor tributi contumax ſit in illius ſolutione, tunc in carcerem mittatur, & exequutio fiat in bonis illius. *Secundò*, mulier, modò non inhoneſtè viuat, detrudi non poteſt in carcerem pro debito ciuili, ſeu ex contractu vel quaſi contractu proueniente, etiamſi ſit debitrix fiſco Regis, ſed exequutio tantùm fit in bonis illius, ſi quæ habeat. Ita habetur *in Authent. ſed nouo iure, Cod. de cuſtod. reor.* *Tertiò*, miles, qui in militia verſatur, eo priuilegio gaudet, vt conueniri non poſſit pro debitis vltra id quod commodè facere poſſit, vt habetur *l. Miles in princip.* & *l. item Miles, ff. de re iud.* *Quartò*, clericus priuilegium habet, vt ſolùm poſſit conueniri quantum commodè facere poſſit, atque adeò vt propter debita, quæ commodè non poteſt ſoluere, detrudi non poſſit in carcerem, eſto bonis non cedat. Ita apertè colligitur ex *cap. Odoardus, de ſolutionibus.* Ratio autem eſt, tum quia clericus eſt Chriſti miles, & proinde gaudere debet priuilegio militis ſæculi: tum quia non decet Chriſti miniſtrum abiectè viuere, & in carcerem trudi ob ciuile debitum, ſed relinqui ei debet, vnde parcè viuat & reliquum tradendum eſt creditori. Notandum tamen eſt, vt clericus gaudeat dicto priuilegio, debet prius recognoſcere debitum & præbere cautionem: & poſt Concilium Trident. *ſeſſ. 23. cap. 6. de reform.* eis ſolis clericis hoc priuilegium competit, qui iuxta id decretum priuilegio fori hodie gaudent, non verò reliquis, qui eodem decreto ab eo priuilegio fori meritò fuerunt excluſi, vt rectè docent Couarruuias *2. variar. cap. 1. num. 9.* Gutierrez *de iur. confirm. cap. 16. à num. 10.*

Conc. Trid. Couarr. Gutierrez.

16. Si clericus tempore contractus ſe finxit non eſſe clericum altero contrahente id ignorante, aut abſcondit de bonis, ne ſolueretur debitum creditori, vel ſi debitum ex delicto deſcendat, tunc ratione criminum, quæ ita commiſit, detrudi poterit in carcerem propter debitum: quia clerici delicta, nihil impediente *cap. Odoardus*: puniri poſſunt carcere, meritoque propter eiuſmodi delicta amittit clericus priuilegium ibi & alibi, ea in parte ipſi conceſſum. Item ſi clericus debitor ſuſpectus eſſet de fuga, detrudi poſſet in carcerem, donec integrè ſolueret, aut ſufficientem pignoratitiam vel fideiuſſoriam præberet cautionem: ab ipſo tamen creditore capi non poſſet, niſi quando debitor actu fugam intentaret, neque adeſſet Miniſter publicus, qui illum caperet: ac tunc in continenti deducendus eſſet ad ſuum iudicem carceremque publicum. Ita Couarruuias *citatus ſupra*, Gutierrez, *ſit. num. 19.* & alij.

Couarr. Gutierrez.

Vide verb. Ceſſio bonorum. Excommunicatio *2. num. 21.* Filius *num. 11.* & *12.* Gabella *num. 8.* Pignus *num. 7.* Solutio. Reſtitutis *nu. 30.* & *ſequent.* Tutela *num. 3.*

DEBITVM

Coniugale I.

SVMMARIVM.

1 *In ipſo actu coniugali confertur gratia ex opere operantis, non autem ex opere operato.*

2 *Debiti coniugalis petitio proprie loquendo, numquam eſt in præcepto.*

3 *Ius ad petendum, obligatioque ad reddendum debitum, ſunt paſſiones, quæ neceſſariò ſequuntur ex natura ipſa matrimonij.*

4 *Coniux impeditus ad debitum petendum, quomodo poſſit aliquando ſe offerre vxori ad vſum coniugalem.*

5 *Si ambo coniuges voniſſent ſe non debitum petituros, poſſent tamen ambo copulari, quando quilibet agnoſceret in altero periculum incontinentiæ.*

6 *Licet coniugi ita impedito exigere debitum ab altero, vbi in ipſo periculum incontinentiæ ſentiret.*

7 *Periculum incontinentiæ coniugis inceſtuoſi non præbet cauſam iuſtam debitum petendi nondum obtentâ diſpenſatione.*

8 *Verius eſt diebus feriatis, rogationum, aut ieiunij, ſolùm eſſe conſilium à copula coniugali abſtinere.*

9 *Conueniens eſt poſt copulam coniugalem, ſiue petendo, ſiue reddendo, exercitam, ea die à communione abſtinere, niſi aliqua iuſta cauſa oppoſitum ſuadeat.*

10 *Debitum petere aut reddere in loco publico, culpa mortalis eſt: imò tactus inter coniuges factis aliis videntibus reddunturilliciti, ſi ad venerem excitent afficientes.*

1. IN ipſo actu coniugali confertur gratia ex opere operantis, vt in aliis actibus bonis, non autem ex opere operato, cùm non ſit Sacramentum, nec pars eius neceſſaria. Gratia autem Sacramentalis confertur ex opere operato dum Sacramẽtum ipſum matrimonij per verba de præſenti celebratur. Olim ante Concilium Tridentinum cùm matrimonia clandeſtina erant valida, & dum ſponſalia de futuro tranſibant per copulam in matrimonium, dabatur gratia ex opere operato in ea priori copula, quia vicem formæ Sacramentalis gerebat; explicabat enim conſenſum de præſenti, vt docet Bellarminus *lib. vnic. de matrim. cap. 5.* Imò hodie copula ipſa poteſt aliquando perficere matrimonium, quod priùs per verba de futuro erat initum, & tunc confert gratiam ex opere operato, tamquam forma perficiens Sacramentum: vt quando tam ſponſalia de futuro, quàm copula ſunt coram eodem Parocho & teſtibus. Ita Sanchez *de matrim lib. 3. diſp. 40. numer. 7.* Ratio eſt, quia mutuus conſenſus de præſenti, ſufficienti ſigno externo manifeſtatus, coram Parocho & teſtibus, conſtituit matrimonium: ſed illa copula poſt ſponſalia eſt ſufficiens ſignum externum conſenſus de præſenti, vt conſtat *ex cap. ex qui, de ſponſalibus.*

Bellarmin.

Sanchez.

2. Debiti coniugalis petitio, propriè loquendo de petitione, numquam eſt ſub præcepto. Probatur, quia nullus tenetur vti iure ſuo, quod pro ſe tantùm introductum eſt, ſed poteſt illi cedere, *cap. Ad Apoſtolicam, de regul.* Nec tenetur quiſquam nondum exactus, id debitum creditori offerre, quod eius naturæ eſt, vt non debeatur niſi exactum, huiuſmodi autem eſt debitum coniugale. Aliquando tamen altero coniuge minimè petente, tenetur alter ob periculum incontinentiæ præuenire: verum id non eſt propriè petere, ſed quodammodo reddere moraliter loquendo: ſicut dum aliquis inimicum, qui habet ipſum incluſum ad eum occidendum, præuenit, ipſum interficiens, metaphyſicè eſt aggreſſio, moraliter autem defenſio. Ita communiter Doctores.

3. Ius ad petendum, obligatioque ad reddendum debitum, ſunt paſſiones quæ neceſſariò ſequuntur ex natura ipſa matrimonij. Ratio eſt, tum quia vinculum coniugale ſuaptè natura eo tendit, vt proles generetur, ſpecieſque conſeruetur, quod obtineri nequit abſque iure petendi, & obligatione reddendi. Tum quia matrimonium tranſfert dominium mutuum corporum coniugum, ex dominio autem conſurgit ius vtendi re ſua, & obligatio ipſam reddendi Domino petenti. Tum quia id probatur ex ſecundario matrimonij fine; cùm enim ſit inconcupiſcentiæ remedium, inefficax & minùs ſufficiens eſſet abſque iure petendi, & obligatione reddendi, vt habet communis Doctorum ſententia.

4. Qui non poteſt petere debitum coniugale ob prohibitionem, ſi prohibitio oriatur ex voto caſtitatis vel affinitatis ex inceſtu, poteſt aliquando ſe offerre vxori ad vſum coniugalem eo fine, vt non reddat ei oneroſum matrimonium, non tamen in gratiam ſui, nempe vt ſuo appetitui morem gerat. Ratio eſt, quia hoc petendi genus eſt quodammodo reddere; cùm in ſolius vxoris gratiam ſit, quæ verecundia ſolet ab exactione debiti id optans arceri. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 38. queſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 4.* Sylueſter *verb. Matrimonium 7. q. 5. dict. 4.* & alij. Si petas, quoties id liceat? Quidam putant id licitè fieri quater vel aliquoties in Menſe. Sed melius alij docent id remittendum arbitrio prudentis, quoties ſcilicet marito viſum fuerit honeſtum: quia cùm quædam fœminæ aliis in venerem propenſiores ſint, atque ita frequentiùs concubitum appetant viri: ab aliis ſæpius quàm quater, ab aliis verò rariùs in menſe exigere licebit: vnde ad hoc liberandum, attendenda eſt conditio natiua vxoris, ac eius in venerem propenſio, vt bene docet Victoria *in Sum. de matrim. num. 193.* Quando autem vxori petitio debiti interdicta eſt, ob caſtitatis votum, affinitatem, vel cognationem cum viro, regulariter non eſt idem iudicium, quia ceſſat omninò ratio propoſita, non enim viro indecens eſt, nec ipſum pudet debitum exigere, & ſic non redditur ipſi oneroſum matrimonium, ſi ſemper dum appetit, cogatur petere: quare ſi ipſi non petenti mulier ſe offerat, cenſebitur petitio, ac proinde ratione impedimenti ſibi interdicta. Si tamen maritus talis eſſet, vt more fœminæ non audeat petere, tunc idem dicendum eſt de fœmina, quod dictum eſt de viro. Ita Nauarrus *in Man. cap. 16. num. 30.*

D. Thom. Syluester. Victoria. Nauarrus.

5. Si ambo coniuges promiſiſſent Deo, ſe minimè debitum petituros, poſſent tamen ambo copulari, quando quilibet agnoſceret alium indigere, vt propter periculum incontinentiæ. Ratio eſt, quia tunc neuter verè petit, ac proinde neuter peccat aduerſus votum; & ex alia parte eſt quodammodo redditio; cùm neuter gratia ſibi ſatisfaciendi, ſed annuendi voluntati alterius coniugis, cui reddere tenetur, accedat. Idem dicendum quando vterque coniux nouit alterum affectare copulam & petiturum, ſi poſſet: quia eſt quodammodo redditio, & in gratiam alterius. Ita Angelus *verb. matrim. 3. impedim. 5. num. 5.* Nauarrus *cit. num. 31.* Emanuel Sà *verb. debitum coniugale, num. 3* & alij. Cauendum tamen eſt, ne intemperantia decipiat, & in dubio potius eſt abſtinendum, quia ſic ſecurè procedet:

Angelus. Nauarrus. Eman Sa.

procedet: si autem coniuges non mutuo consensu castitatem vouerint, alterque signa petitionis ostendat, reus erit culpæ hic quia ea est petitio interpretatiua & tacita; alter verò annuens vacabit culpa; verè enim reddit, ad quod tenetur.

6. Licet coniugi ita impedito exigere debitum ab altero, vbi in ipso periculum incontinentiæ sentiret: quia hoc est quodammodo reddere: tum quia impedimentum voti, affinitatis, vel cognationis, non obligat ad non petendum cum dispendio ruinæ alterius coniugis. Imò teneri coniugem sic impeditum petere, meritò docent Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 15. num. 9.* Petrus de Soto *lib. 14. de matrim. ad finem.* Ratio est, quia quicumque proximus tenetur lege saltem charitatis opem ferre proximo, periculo ruinæ spiritualis expositio, si commodè potest, nedum ipsimet coniuges, qui tam arcto amoris & amicitiæ vinculo astricti sunt, tenebuntur sibi mutuò in hoc casu subuenire, dum patiuntur idem periculum. Notandum tamè est, quod vir ita impeditus non posset exigere debitum, si solùm timeret lapsum vxoris in incontinentiam, eo quòd sit ipse diu abfuturus; nisi voluntatem vxoris petendi conijceret: quia tali copula non subuenitur illi incontinentiæ. Porro in hoc casu nullum discrimen est, siue vir sit cui debitum petere est interdictum, siue sit fœmina: quamuis cessante incontinentiæ periculo latum sit discrimen, vt dictum est supra *num. 4.*

Henriquez. P. Soto.

7. Incontinentiæ periculum coniugis incestuosi, qui affinitatem cum vxore contraxit, causam quidem secum dispensandi iustam præbet, non tamen petendi debitum nondum obtenta dispensatione: quia id nullo solido fundamento aut iure licere probari potest: quia hoc suauitati iugi Christi nō aduersatur, vt volunt quidam, sicut nec votum castitatis impedire matrimonium contrahendum absque dispensatione, non obstantibus carnis tentationibus, illi repugnat. Si dicas matrimonium post lapsum institutum esse, vt huic incontinentiæ subueniatur. Resp. quòd ea se medicina destituit quoad facultatem petendi, qui castitatem vouit, licet matrimonio ligatus sit: & eadem quoad eundem effectum primatus est propter affinitatem aut cognationem iniquè contractam post matrimonium. Ita Couarruuias *4. decret. 2. parte cap. 7. §. 2. num. 5.* Gutierrez *lib. 1. quæstionum canonic. cap. 23. numer. 6.* & alij.

Couarr. Gutierrez.

8. Controuersum est inter Doctores, An actus coniugalis possit esse malus ratione circumstantiæ temporis? quidam enim dicunt esse peccatum mortale diebus feriatis, rogationum, aut ieiunij debitum exigere, & præcipuè ob libidinem satiandam. Ita Glossa, Abulensis & alij. Hæc sententia est improbabilis. Alij volunt culpam esse venialem debiti exactionem his diebus. Ratio est, tum quia dies festi principaliter ad vacandum Deo orationique instituti sunt, carnalis autem delectatio mentem absorbet, & ad spiritualia ineptam reddit. Tum quia ieunia præcipiuntur, vt caro maceretur, & sicut illicitas voluptates admittens delinquit, ita à licitis abstineat: ergo præceptum est in iis abstinendi à vehementi delectatione, qualis in actu coniugali inuenitur. Ita Magister in *4. dist. 32. c. 3.* vbi D. Thom. Albertus, Durandus, & hæc est frequentior sententia & satis probabilis. Alij volunt in præcipuis solemnitatibus, culpam esse venialem exigere, quia actus coniugalis habet nonnihil indecentiæ & ineptitudis ad orationem, cui illis diebus vacandum est: in cæteris autem festis, publicis supplicationibus & ieuniis, dicunt solum esse consilium abstinere. Ita Sotus *in 4. d. 32. quæst. vnic. art. 3. concl. 2.* Henriquez

Magister. D. Thom. Albertus. Durandus.

Sotus. Henriquez.

lib. 11. de matrim: cap. 16. num 5. Et hæc sententia est satis probabilis. Verius tamen est, solum esse consilium quibusuis diebus à copula coniugali abstinere, ac proinde omni culpa vacare tunc exigere. Ratio est; tum quia præceptum de colendis Festis prohibet solas operationes externas seruiles, qualis non est debitum petere; & finis præcepti, nempe, vt liberiùs vacetur Deo, non cadit sub præceptor: Tum quia, in diebus ieiunij nemo tenetur ad aliam carnis macerationem, quàm ad eam, quæ ab Ecclesia præscripta est, quæ est abstinentia à pluribus comestionibus & cibis ventis. Tum quia, culpa non est, vbi nullius præcepti adest prohibitio, quod hic contingit. Deinde omnia testimonia Sanctorum Patrum inserta in Decreto, ad probandum non esse petendum debitum diebus feriatis aut ieiuniorum, loquuntur de consilio solo: vnde vim canonis minimè habent, quæ in decreto continentur, nisi ex Pontificis aut Concilij Generalis decreto desumpta sint. Ita D. Bonauent. *in 4. dist. 32. art. 3. q. 2.* Scotus *ead. dist. 32 quæst. vnic. in solut. ad 3.* Caietanus, Rosella, Angelus, Rodriguez cum Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 12. num. 5.* Quoad redditionem autem multò probabilior est sententia asserens nullum esse peccatum: quia circumstantia illa temporis non est tanti momenti, vt debitum ex iustitia soluere impediat.

D Bonau. Scotus. Caietan. Rosella. Angelus. Rodriguez. Sanchez.

9. Debitum exigens die qua Eucharistiam sumpturus est, aliqui existimant absolutè culpam esse venialem. Ratio illorum est, quia actus meritorius, & sub lethali obligans, arcet quandoque ab altaris ministerio propter indecentiam, vt si iudex homicidam suspendat. Nil ergo mirum, si actus licitus debitum exigendi, ac meritorius, obstet propter indecentiam sumptioni Eucharistiæ. Hanc sententiam tuentur plerique Theologi, Alensis, Abulensis, Sotus, Caietanus, Victoria; Petrus de Ledesma, Sà & alij.

Alensis. Abulensis. Sotus. Caietanus. P. de Ledes.

Nonnulli censent nullam esse culpam: quia actus ille cum licitus ex se sit, non impedit, nec si in eo interfit deordinatio aliqua venialis, latis est ad impediendum. Ita Couarruuias *clement. si furiosus, de homicid. p. 3. num. 7.* Cæterum conuenientissimum est post copulam coniugalem, siue petendo, siue reddendo exercitam, abstinere ea die à communione, idque consulendum est, nisi iusta aliqua causa oppositum suadeat. Imò si debitum petitum sit recto fine, vt causa prolis, nulla est culpa ad Eucharistiam ea die accedere, sed solum est consilium abstinere; suoque iudicio is coniux est relinquendus, vt pro ratione impedimenti, aut spiritualis affectus, quem in se senserit, aut communicet, aut abstineat. Iuxta *cap. vt cum propria 35. quæst 4.* Ratio est, quia licet in copula coniugali intercedat voluptas & corporalis immunditia, cùm hæc accidant ob bonum prolis, quod est rectus finis & voluntas à Deo, rationi illi indecentiæ præponderat, vel certè illam adæquat, compensatque bonum ac honestas prolis. Ita D. Thomas *3. parte quæst. 80 art. 7. ad 2.* D. Bonau. *in 4. dist. 12. art. 2. quæst. 3. ad fin.* Suarez *3 p. disp. 68. sect. 2. ad fin.* Idem dicendum vbi finis concubitus non esset proles, nec voluptas, sed incontinentiæ periculum euitare, ob eamdem rationem. Debitum tamen exigens ex nimia carnis concupiscentia & voluptatis capiendæ gratia, regulariter culpam venialem admittit accedens post eam copulam ad Eucharistiam. Quia oritur magna distractio, mentisque hebetudo, deficienti bono præponderante aut compensante. Sic tenent D. Thomas, Bonauentura, Antoninus & alij quos refert & sequitur Sanchez *de matrimon. libro 9. disputatione 13.*

Couarruu.

D Thom. D. Bonau. Suarez.

D Thom. D. Bonau. Sanchez D. Antonin.

10. Debitum petere aut reddere in loco publico, culpa mortalis est: quia aduersatur decentiæ & honestati humanæ, essentque sic coëuntes maximarum occasio aspicientibus. Atque adeo natura abhorret publicum hunc concubitum, vt nulla necessitate excusari valeat. Imò tactus inter coniuges aliàs liciti redduntur illiciti, quando aliis aspicientibus habentur: quia ad venerem excitant aspicientes. Qualitas autem culpæ pensanda erit ex tactuum qualitate & astantium fragilitate, si enim tales essent tactus, vt valde astantes inducerent ad venerem, attentaeorum fragilitate, esset culpa lethalis, quia coram aliis efficere id, quod suapte natura ad mortale inducit, mortale peccatum est. Ita ex communi sententia Emanuel Sà *verb. Peccatum n.* 10. Eman Sd.

Vide Adulterium *num* 19. Priuilegium *num.* 8. *vers. Quintum.*

DEBITVM

Coniugale II.

SVMMARIVM.

1 *Verius est coniugem teneri reddere debitum alteri petenti cum peccato veniali quoad situm.*

2 *Quando ambo coniuges sunt amentes, sunt separandi, ne carnaliter coniungantur.*

3 *Cessante periculo, licitus est concubitus vbi vxor amens est, & vir mentis compos.*

4 *Ob bonum commune tenentur coniuges aliquando copulâ vti etiam cum vitæ discrimine.*

5 *Coniux sanus reddens debitum leproso & illi cohabitans opus meritorium exercet si ex amore matrimonij id efficiat.*

6 *Debitum reddere tenetur coniux sublato periculo infectionis lepræ vel morbi Gallici, quamuis sit periculum infectionis in prole nascitura.*

7 *An coniux sanus teneatur cum leproso cohabitare?* Refertur triplex sententia.

8 *Quando vterque coniux cognationis vel affinitatis impedimento innodatur, vterque priuatur iure debitum petendi. Et quid dicendum de redditione.*

9 *Qui matrimonio inito ante illius consummationem, affinitatem cum suo coniuge contraxit, iuxta veriorem sententiam, non tenetur Religionem ingredi, sed potest matrimonium consummare reddendo debitum.*

10 *Quamuis coniux voti castitatis alterius conscius delinquat cum ipso contrahendi matrim. adhuc potest ab eo debitum exigere, & tenetur alter sibi reddere.*

11 *Astrictus voto Religionis mortaliter peccat matrim. prima vice consummans, sine debitum petendo, sine reddendo. Semel tamen consummato matrimonio potest debitum petere & reddere: licet defuncto coniuge, teneatur Religionem ingredi.*

12 *Probabilius est habentem votum non ineundi matrimonij, eo inito, posse debitum petere & reddere: nisi ita vouens voluerit se ad omnimodam castitatem obligare.*

13 *Astrictus voto castitatis, iuxta probabiliorem sententiam, non tenetur Religionem ingredi vt votum seruet, sed potest matrimonium consummare debitum reddendo: modo transactum sit bimestre post initum matrim. vel non habeat iustam causam perpetui diuortij.*

1. QVidam putant coniugem non teneri reddere debitum alteri petenti cum peccato veniali quoad situm, nisi adsit iusta causa, ob quam excusetur à petendo tali modo: nam petitio licitè ex circumstantia actus. Ita Armilla *verb. Debitum, n.* 6. Armilla. Bonacina *de matrim. q.* 4. *n.* 10. *punct.* 3. Contrarium Bonacina. tamen meritò docent alij: quia peccatum veniale petentis sic debitum in hoc casu nascitur ex ipso affectu petentis, & vehementi appetitu voluptatis, cui appetitui & affectui non cooperatur alter cõiux reddens, sed exercet actum licitum coniugibus, & ordinatum ad generationẽ: adhuc enim & ille modus posset exerceri sine eo appetitu & affectu. Tum quia semper adest iusta causa, excusans redditionẽ, qualis causa est, ne displiceat petenti, & ne oriantur lites & discordiæ. Ita Sanchez *de matr. lib.* 9. *disp.* Sanchez. *16. n.* 8. Pontius *de matr. lib.* 10 *c.* 11. *n.* 4. & alij. Pontius.

2. Quando ambo coniuges sunt amentes, sunt separandi, ne carnaliter coniungantur, & peccant mortaliter, qui eos ad copulam incitarent. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia tametsi eiusmodi amentes non peccent defectu libertatis; at qui eos copularet, concurreret ad euidens periculum malæ educationis prolis, & ad illius damnum, cùm careret parentibus, qui eam educare possent, ac instruere: ergo grauiter peccarent. Hinc colligitur peccare mortaliter eos, qui duos amentes non coniugatos ad copulam incitarent, quia grauius esset prolis damnum, quàm si mentis compotes essent. Quare illi, quibus amentium custodia demandata est, tenentur niti ne congrediantur; sicut tenentur curare, vt abstineant ab alijs malis & damnis inferendis.

Secus dicendum quando vterque coniux ebrius esset, nam inter illos concubitus liceret. Ratio disparitatis est manifesta: nam in amentibus id non licet propter damnum prolis educandæ, quod damnum cessat in ebrijs; hi enim breui ad se redeunt, & ideò proles non destituitur parentibus, qui de eius curent educatione. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 9. Sanchez. *disp.* 23. *num* 5. & 12.

3. Quamuis regulariter illicitus sit concubitus, vbi vxor amens est, & vir mentis compos, quia periculum subest, forte vt mulier insaniæ furore correpta, fœtum in vtero necet: cessante tamen tali periculo siue quia ita sterilis est, vt nulla subsit spes concipiendi: siue quia mitis admodum est, nec furiosa, licitus est congressus; quoniam ex se licitus est, ratione autem solius periculi reddebatur illicitus, quod in hoc euentu cessat. Ita Sanchez Sanchez. *cit. num.* 8.

4. Quando bonum cõmmune totius vniuersi, siue regni, siue communitatis ad sui conseruationem copula coniugum indiget, tunc, postposito priuato notabilis damni aut vitæ iacturæ discrimine, tenentur coniuges ad eam. De bono vniuersi exemplum est, si casus accideret, quo species humana deficeret, nisi coniuges matrimonio vterentur. De bono regni, si ad pacem regnique tranquillitatem desideraretur proles habenda ex Rege, cuius saluti notabiliter copula obesset. Ratio esse potest, quia bonum vniuersale priuato præponderat. Ita Petrus à Ledesma *de matrim. q.* 64. *art.* 1. *dub.* 2. *concl.* 4. apud Sanchez *de matrim. lib* 9 *disp.* 24. *num.* 11. P. de Ledes. Sanchez.

5. Quamuis coniux sanus non teneatur leproso debitũ reddere cum periculo notabilis infectionis: at si nõ curans de propria infectione ex contagione leprę aut morbi Gallici, vtatur matrimonio, cohabiteque cum illo, opus meritorium exeret, si ex amore matrimonij id efficiat. Quia in morbis diuturnis & quasi habitualibus, nec ad mortem tendentibus, præponderat coniugalis amor, & vitatio periculi incontinẽtiæ in vtroque, aut saltẽ in altero coniuge ferẽ sẽper contingens, illi infectionis periculo. Nec refert petentẽ cũ notabili propriæ salutis dispendio,

peccare

peccare mortaliter, & similiter ei reddentem. Illud enim in morbis communibus non ita diuturnis, ad mortemque tendentibus accipiendum est. Potest enim mutuus amor vitaque coniugalis conseruari, atque periculum illud caueri, dilata copula breui tempore, donec salus pristina coniugi restituatur: vel si tempus opportunum copulæ nec nocens expectetur. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 1. *in solut. ad* 4. Graffis 1. *part. lib.* 2. *cap.* 83. *num.* 6.

Caietanus, Graffis.

6. Coniux, sublato periculo infectionis leprę, vel morbi Gallici, tenetur reddere debitum, quamuis sit periculum infectionis in prole nascitura. Ratio est, tum quia non adest iusta causa negandi debitum. Tum quia proli tantùm abest vt irrogetur iniuria, quin potius maximo afficiatur beneficio, consequitur enim vitam ex eo concubitu, ac melius est illi leprosam existere, quàm omninò non esse. Ita D. Thomas *in* 4. *dist.* 32. *quæst. vnic. a.* 1. *ad* 4. D. Bonauentura *ibid. art.* 2. *quæst.* 1. *in solut. ad* 2. Scotus & alij apud Sanchez *cit. disp.* 24. *n.* 25.

D. Thom. D. Bonau. Scotus. Sanchez.

7. Quorumdam sententia est, coniugem sanum non teneri cum leproso cohabitare: quia ex assidua cohabitatione graue infectionis periculum imminet sano coniugi; & multò minus in eodem lecto dormire. Ita Syluester *verb. Lepra quæst.* 3. Rosella *verb. Leprosus num.* 1. Tabiena *verb. Matrimonium* 3. *quæst.* 6. §. 7. Alij verò sentiunt non teneri in eodem lecto, bene tamen in eadem domo habitare. Denique si coniux leprosus cohabitet cum aliis leprosis, quidam sustinent, non teneri coniugem sanum ad cohabitationem, secus si seorsùm habitet in domo propria. Cæterum probabilior sententia ait attendendum esse num ex cohabitatione immineat probabile notabilis infectionis periculũ, nec ne, & illo imminenti non teneri sanum cohabitare, secus verò teneri. Ratio est, quia per contractum matrimonij obligant se coniuges ad debitum reddendum & cohabitandum, à qua obligatione eximit periculum grauis contagionis ex morbo alterius coniugis: ergo vbi id periculum non subest, obligatio non cessat. Quare cùm ex cohabitatione in eodem lecto semper sequatur id periculum, numquam ad id tenetur coniux sanus. Ita Nauarrus *in man. cap.* 16. *num.* 25. Sà *verb. Debitum coniugale num.* 15. Sylueſter *verb. Debitum, quæst.* 1.

Sylueſter. Rosella. Tabiena. Nauarrus, Sà Sylueſt.

8. Quando vterque coniux affinis effectus est per copulam cum alterius consanguineis mutuam, vel si vterque cognationem spiritualem contraxit, quidam cẽsent vtrique licere debitum petere, facta hinc inde compensatione, sicut quando vterque coniux est adulter, iuxta *cap. penult. & fin. de adult.* Hanc tamen compensationem iure optimo improbant alij. Ratio est, quia vbi de vtilitate delinquentium agitur, paria delicta mutua compensatione abolentur, vt in adulterio contingit: secus vbi non de eorum fauore agitur, vt contingit in præsenti. Quare dicendum est vtrique coniugi cognationis affinitatisve impedimento innodato, interdici debiti petitionem. Ergo si vterque coniux idem impedimentum habeat, vterque priuabitur, nec delictum alterius coniugis alterum releuabit. Ita Glossa *in cap. nosse* 30. *quæst.* 1. *verb. non fraudentur.* Nauarrus *in man. cap.* 16. *num.* 34. Rodriguez *tom.* 1. *Sum. latin. cap.* 242. *num.* 10. Petr. Soto *lect.* 11. *de matrim.* §. *Secundum de hac cognatione.* & alij. Idem dicendum est, si alter solus id cognationis aut affinitatis impedimentum incurrerit, aut interuenienti culpa alterius, qui consensum præstitit; prior enim ratione impedimenti suo facto contracti, posterior autem ratione culpæ consensus, carebit iure petendi.

Nauarrus. Rodriguez. P. Soto.

Quoad redditionem autem in hoc euentu dicendum est, *Primò* quod si non ex malitia, atque animo defraudandi coniugem, vterque in id impedimentum cognationis, aut affinitatis, culpâ tamen vtriusque, inciderit, neuter tenetur nec licitè potest alteri reddere: quia quando vterque coniux de valore matrimonij dubius est, neuter potest reddere alteri petenti, eo quod manente dubio neuter ius petendi habet. At in hoc euentu vterque coniux ius petendi amisit; neuter ergo poterit reddere. *Secundò*, Si vterque coniux malitiosè fecit, animo alterum debito coniugali defraudandi, quamuis vterque ius petendi iure petendi cadat, & petendo delinquat, at alteri petenti tenetur reddere. Ratio est, quia malitia & fraus non debent eis patrocinari: at valde patrocinarentur, si ex ea coniuges immunitatem, ac reddendi debiti sibi inuicem libertatem acquirerent, vt constat ex *cap. si vir, de cognat. spirit.* Et quamuis textus & Doctores citandi loquantur de impedimento cognationis, meritò extendi debent ad impedimentum affinitatis, in quo eadem est ratio: Ita Hostiens. D. Antonin. Rosella, Sylueſter, Nauarrus & alij quos citat & sequitur Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disput.* 28.

Hostiens. D. Antonin. Rosella, Sylueſt. Nauarrus, Sanchez.

Cæterum nonnulli Doctores putant probabile esse hoc impedimentum nõ incurri propter cognationem spiritualem ortam inter coniuges, eo quòd alter alterius, aut communem filium baptizarit, aut tenuerit in Baptismo, vel confirmatione; etiamsi supradicta fiant extra necessitatem, imò malitiosè, ac in fraudem matrimonij. Probant, quia tale impedimentum est pœna, quæ non debet induci, nisi expressa sit in iure; constat autem illud impedimentum in hoc casu nullibi esse expressum in iure: quoniam *cap. si vir, de cognat. spirituali*, cui innititur opposita sententia, potiùs fauet huic opinioni, cùm dicat *sine ex ignorantia, sine ex malitia id fecerint, non sunt ab inuicem separandi, nec alter alteri debet debitum subtrahere*, quæ verba non possunt explicari, quod ibi solùm statuatur coniugem nocentem non debere negare debitum innocenti, aliàs priuatum iure petendi; si enim id intendisset Papa, expressisset, vt expressi in *cap. final. de eo, qui consanguineam cognouit.* agens de coniuge incestuoso cum consanguineo alterius coniugis: vnde cùm non expresserit, signum est ipsum id nullatenus intendisse; ergo non est extendendum hoc impedimentum ad casum non expressum, cùm pœnæ restringi debeant. Dictum est, *imo & malitiosè*, quia dolus & fraus non possunt inducere impedimentum pendens à iure politiuo, si reuera in iure non extet. Vide Dianam *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 25. vbi pro hac opinione citat Zambranum, Iacobum, Granado, Præpositum 3. *parte quæst.* 67. *art.* 5. *dub.* 2. *num.* 7. Quibus addo Gaspar. Hurtadum *de matrimon. disputatione* 10. *difficult.* 6.

Diana. Zambran. Granado. Præpositus. Gaſp. Hurt.

9. Iuxta quosdam, coniux, qui matrimonio inito ante illius consummationem, affinitatem cum suo coniuge contraxit, peccat mortaliter dum prima vice reddit: atque ita nisi dispensationem illius impedimenti impetret, tenetur Religionem ingredi, vt euitet debiti redditionem. Ratio illorum est, quia talis accessus ad coniugem est incestus, cùm sit ad affinem, atque ita si fieri potest est necessariò vitandus, cùm ergo possit vitari hoc coniuge Religionem profitente, nisi dispensationem impetret, ad id tenebitur. Ita Sylueſter *verb. Matrim.* 8. *quæst.* 15. *dict.* 7. Viualdus *in candelab. Sacrament.* 1. *part. de matrim. num.* 21. *vbi de affinitate.* Hæc sententia non est improbabilis. Verùm communiter Neoterici meritò asserunt, non teneri Religionem ingredi, sed posse matrimonium consummare reddendo, quia per talem affinitatem non priuatur cõiux innocens suo iure, vt habetur in

Sylueſt. Viualdus.

cap. Diſcretionem, & cap. penult. de eo qui cognou. conſanguin. Ergo tenetur hic illi reddere; nec textus obligant hunc reum ad Religionis ingreſſum. Ita Angelus, Petrus de Ledeſma cùm Sanchez *loco citato diſp.* 29.

Angelus. Ledeſm. Sanchez.

10. Quamuis coniux voti caſtitatis alterius conſcius delinquat cum ipſo contrahens matrimonium, adhuc poteſt ab eo debitum exigere, & tenetur alter ſibi reddere. Ratio eſt, quia verum ius ac dominium acquiſiuit in alterius corpus per ſacrilegum illud matrimonium, nec ipſe vouit, alteriuſve voto conſenſit. Coniux tamen voto caſtitatis aſtrictus, peccat mortaliter, quotieſcumque debitum petit: quia votum caſtitatis includit obligationem præcepti negatiui, per illud enim vouens aſtringitur ad abſtinendum ab omni actu venereo; ergo obligat ſemper & pro ſemper: ac proinde licet inito iam matrimonio tenetur vouens debitum reddere ratione vinculi fortioris, at non poterit petere, cùm id liberum ſibi ſit, nec ad id lex matrimonij conſtringat. Tum quia matrimonium non abſoluit à præcedentis voti obligatione, niſi quatenus matrimonium cogit contrauenire, vt habet textus *cap. Quanto, de iureiur.* vbi dicitur iuramentum obſeruandum eſſe, in quantum poteſt, ius autem matrimonij ſolum impedit ad reddendum. Ita D. Thomas 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. *ad* 4. & ibi D. Bonauent. *artic.* 2. *quæſt.* 1. Sylueſt. *verb. Debitum, quæſt.* 9. Nauarrus *in man. cap.* 16. *num.* 30. & alij communiter.

D Thom. D Bonau. Sylueſter. Nauarrus.

11. Mortaliter peccat aſtrictus voto Religionis matrimonium prima vice conſummans, ſiue petendo, ſiue reddendo debitum: quia poteſt adhuc ſuum votum implere Religionem ingrediens; & conſummans conſtituit ſe in eo ſtatu, vt implere nequeat. Vnde duo peccata mortalia committit, *Primò* dum matrimonium iniit, animo ipſum conſummandi: *Secundò* dum illud conſummauit. Semel tamen conſummato matrimonio poteſt talis coniux debitum petere & reddere: quia, qui vouit Religionem, non tenetur ad caſtitatem, ſicut nec ad paupertatem & obedientiam, donec profiteatur: & cùm iam conſummato matrimonio nequeat votum Religionis implere, tranſeundo ad ipſam nihil erit quod debiti redditionem ac petitionem impediat. Ita Nauarrus *in man. capit.* 12. *numer.* 80. Sotus *in* 4. *diſtinct.* 38. *quæſt.* 2. *artic.* 1. Sà *verb. Debitum coniugale, numer.* 4. Sylueſter *verb. Religio* 2. *quæſt.* 17. & alij. Defuncto autem altero coniuge, tenetur is, qui Religionem vouerat, illam ingredi: quia cùm iam impedimentum ceſſarit, poteſt & tenetur is votum ſuum implere, cùm eius obligatio non ceſſauerit, ſed tantùm fuerit ſuſpenſa, vt bene notant Doctores citati.

Nauarrus. Sotus. Sà Sylueſt.

12. Affirmant aliqui habentem votum non ineundi matrimonij, teneri eo inito abſtinere à debiti petitione, quia vouens taliter, cenſetur conſequenter vouere abſtinentiam ab vſu matrimonij, qui illud conſequitur. Hæc ſententia eſt probabilis, quam ſuſtinent Nauarrus *in man. cap.* 16. *numer.* 30. Caietanus *tom.* 2. *opuſcul. tractat.* 11. *de voto.* Probabilius tamen eſt licere ſic vouenti, petere & reddere. Ratio eſt, quia votum hoc tantùm habet pro obiecto non inire matrimonium, & ſi obliget ab actus matrimonij abſtinentia, non eſt per ſe & primario, ſed mediante & ſuppoſita abſtinentia ab ipſo matrimonio ineundo, quæ fuit primaria & immediata voti materia: vnde quando iam prima materia non eſt poſſibilis, quia initum eſt matrimonium, non obligabit ad ſecundariam, nempe ad abſtinentiam ab illius vſu; limita, niſi ita vouens voluerit ſe expreſſa intentione obligare ad omnimodam caſtitatem. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 34. *num.* 22. cum aliis ab illo citatis, qui aduertit talem mortuo altero coniuge teneri ab aliis nuptiis abſtinere: quia votum non erat extinctum, ſed ſuſpenſum durante matrimonij impedimento. Idem dicendum de eo qui habet votum ſuſcipiendi ſacros Ordines; ſi enim nubat, poteſt petere & reddere debitum, ob eandem rationem.

Nauarrus; Caietan.

Sanchez

13. Probabile eſt aſtrictum voto caſtitatis peccare moraliter, dum prima vice conſummat matrimonium ſiue petendo, ſiue reddendo debitum: quia ante conſummationem poteſt votum illud caſtitatis implere ingrediendo Religionem, quam poteſtatem ſibi adimit conſummando, ergo peccat. Ita D. Thomas *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. *artic.* 3. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3. & ibi Scotus, Richardus, Paludanus, Nauarrus *in man. cap.* 12. *num.* 80. Sylueſter *verb. Matrimonium* 7. *quæſt.* 5. *dict.* 2. & 3. & alij. Probabilius tamen eſt hunc non teneri Religionem ingredi, vt votum ſeruet ac proinde minimè delinquere matrimonium conſummando, debitum reddendo. Probatur, quia quando quis obligatur ad aliquam rem, non tenetur adhibere omnia media poſſibilia ſimpliciter, ſed quæ ſunt moraliter talia: at medium ingrediendi Religionem eſt difficillimum & longè excedens id, quod vouens promiſerat, ergo non tenetur ad illud. Nec eſt per ſe ordinatum ad ſeruandam caſtitatem; licet enim ſit optimum non eſt tamen neceſſarium. Ita Sotus, Corduba, Henriquez, Philiarcus, Emanuel Sà, & alii quos refert & ſequitur Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 34. Hoc tamen limitandum eſt *Primò*, modò tranſactum ſit bimeſtre poſt initum matrimonium, nam intra bimeſtre non poteſt obſtrictus voto caſtitatis conſummare, ſeu reddere debitum, ſi nondum antea conſummauit: nam coniuges habent ius non reddendi debitum in primo bimeſtri etiam præciſo voto, ergo eo poſito non tenebuntur reddere. *Secundò*, limitari poteſt modò obſtrictus voto non habeat iuſtam cauſam perpetui diuortij, tunc enim non tenetur reddere, quia ob cauſam diuortij habet ius non reddendi, & ratione voti tenetur non reddere: conſequenter non facit iniuriam alteri coniugi petenti, denegando debitum, vt ſeruet votum.

D. Thom. Scotus. Richard. Paludanus. Nauarrus. Sylueſt.

Sotus. Corduba. Henriquez. Philiarc. Eman. Sà. Sanchez.

Vide verb. Dubium *numer.* 21. 22. & 23. Matrimonium 1. *num.* 18.

DECIMÆ.

SVMMARIVM.

1 *Datur in Eccleſia præceptum de ſoluendis decimis.*

2 *Præceptum decimarum non poteſt auferri per conſuetudinem, quoad decimam ſuſtentationis.*

3 *Papa de poteſtate abſoluta poteſt obligationem decimarum tollere quoad quotam, non autem quoad decimas ſuſtentationis.*

4 *Exemptio à decimis facta à Papa etiam ſine cauſa, valida eſt, dummodo id fiat ſine præiudicio ſuſtentationi congruæ debitæ Eccleſiaſticis.*

5 *Decimæ ſunt ſoluendæ, iuxta ius, ex omnibus rebus, quæ nobis diuino munere proueniunt.*

1. DAtur præceptum in Eccleſia de decimis, cùm numeretur quinto loco inter præcepta Eccle-

Eccleſiæ. Et pertinet ad virtutem Religionis; vt docent communiter Theologi ex D. Thoma 2.2. *queſt.* 87. Hoc autem præceptum ſoluendi decimas non eſt de puro iure naturali: quia non conſtat iure naturali dandam eſſe decimam partem fructuum ad ſuſtentationem Sacerdotum: vnde ante legem ſcriptam nullum erat præceptum decimarum: quamuis Abraham decimas dederit ex gratitudine & deuotione *Geneſis* 14. & Iacob ex voto, *Geneſ.* 28. In lege autem veteri Exodi 22. & 23. & Leuit. 27. fuit datum diuinum præceptum de decimis ſolis prædialibus & mixtis, non de perſonalibus.

Denique in lege Gratiæ datum eſt præceptum ſoluendi decimas: quod ratione congruæ ſuſtentationis clericorum quæ dici poteſt decima ſuſtentationis, eſt de iure naturali & diuino Euangelico, ex 1. Corinth. 9. *Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam*, Et 1. Timoth. 5. *Qui bene præſunt*. Ratione autem determinationis tantæ partis, quæ vocatur decima quotę, eſt de traditione Eccleſiæ & iure Canonico, in multis decretis 16. *queſt.* 1. & *toto titul. de decimis* & nouiſſimè ex Trident. *ſeſſ* 25. *cap.* 13. *de reform.*

Conc. Trid.

2. Præceptum decimarum non poteſt auferri per conſuetudinem quoad decimam ſuſtentationis: quia hoc modo decimæ ſunt de iure naturali; quare debitum earum non poteſt ſolui per conſuetudinem. Conſuetudo autem poteſt præualere quoad decimam quotæ, ſi ad congruam ſuſtentationem tota illa non ſit neceſſaria: quia hæc eſt de iure humano, ergo poteſt diminui quoad omnem eam partem, quæ non repugnat congruæ ſuſtentationi. Ita Couar. *lib.* 1. *variar. cap.* 17. *num.* 8. Arragon 2. 2. *queſt.* 87. *art.* 1. *circa ſolutionem ad* 5. & alij. Conſuetudine itē induci poteſt, vt nulla pars fructuum, vel lucrorum ſoluatur clericis, ſi alia via ſufficienter prouiſum: numquam tamen poteſt ita præſcribi contra Eccleſiam eiuſmodi ius, vt priuetur Eccleſia poteſtate imperandi decimas, etiam quoad quotam, quoties Papa iudicaret id expedire ad bonum illius. Atque in hoc ſenſu verū eſt, præceptum decimarum non poſſe tolli aut diminui per conſuetudinem, niſi ſit à Pontifice approbata, vel ſaltem tolerata, eſt autem tolerata, quamdiu Pontifex illi non reſiſtit, maximè ſi illam non ignoret. Sed plura de his apud Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 1. *cap.* 11.

Couar. Arragon. Suarez.

3. Summus Pontifex de poteſtate abſoluta poteſt omninò obligationē decimarum tollere quoad quotam, non autem quoad decimas ſuſtentationis. Ita communiter Theologi & Canoniſtæ. Ratio eſt, quia decimæ quoad quotam ſunt de iure humano Eccleſiaſtico, ſupra quod Papa diſpēſare poteſt. At quoad decimas ſuſtentationis ſunt de iure naturali, ideò hoc modo eas auferre non poſſet. Simpliciter tamen loquendo, non poteſt Pontifex legem decimarum in totum abrogare, etiam quatenus Eccleſiaſtica eſt: nam talis abrogatio non poſſet licitè fieri, quia non eſſet diſpenſatio, ſed diſſipatio redituum Eccleſiaſticorum; & talis vſus ſupremæ poteſtatis à Chriſto datæ Pontifici ſine dubio cederet in grauiſſimum & generale damnum totius Eccleſiæ non ſolùm temporale, ſed etiam ſpirituale: tum quia neceſſariò fieret conſequens, vt diuinus cultus maxima ex parte minueretur, & ferè in vniuerſum indecenter, vel ſine conuenienti ornatu & honore fieret, & Eccleſiaſticæ perſonæ vileſcerent, eſſentque veluti mercenarij operarij laicorum. Certum verò eſt Summum Pontificem poſſe in particulari eximere aliquos à ſolutione decimarum, non tantùm cedendo iuri ſuo, ſed diſpenſando, vel in præcepto ipſo ſoluēdi decimas, vel in vſu & applicatione ipſorum fructuum decimarum. Hoc conſtat ex vſu ipſo & praxi Pontificum: nam frequenter eiuſmodi priuilegia conceduntur, ex *cap. A nobis*, *cap. ex parte*, *de decimis*. Poteſtas autem hæc colligitur ex *cap. Nuper eod. tit.* & variis priuilegiis conceſſis religionibus, de quibus Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 37. *queſt.* 6. 7. & 8. Ratio eſt, quia præceptum ſoluendi decimas Eccleſiaſticum eſt, & ideò per poteſtatem Eccleſiaſticam poſſunt aliqui eximi ab eius obligatione.

Azorius.

4. Exemptio à decimis facta à Summo Pontifice, etiam ſine cauſa, valida eſt, dummodo id fiat ſine præiudicio iuris naturalis ſuſtentationis congruæ Eccleſiaſticorum: Vnde Papa poteſt applicare partem decimarum non ſolùm Eccleſiaſticis perſonis, ſed etiam laicis validè & licitè iuſta intercedente cauſa, vt patet ex vſu tum in Hiſpania, in qua bona pars ex priuilegio applicatur Regi, tum alibi in Italia hoc tempore, hoc eſt anno 1620. in quo ſex decimæ fructuum & penſionum Eccleſiaſticarum Italiæ applicantur in ſubſidium Imperatoris Ferdinandi. Ratio eſt, quia licet laicus ſit incapax ſpiritualis iuris, non eſt tamen incapax fructuum decimarum, qui temporales ſunt. Pontifex autem eſt ſupremus diſpenſator horum fructuum, ergo poteſt illos applicare cuicumque perſonæ capaci, ſi ſecundùm rectam & conuenientem cauſam expedire iudicauerit. Ita Suarez *citat. cap.* 15. apud quem plura.

Suarez.

5. Secundùm ius ſcriptum, decimæ ſunt ſoluendæ ex omnibus rebus, quæ nobis diuino munere prouenium, vt de fructibus, & quaſi fructibus omnium rerum, quæ quodammodo nobis frugiferæ ſunt, vt agrorum, arborum, animalium, domorum elocatarum, molendinorum, piſcinarum, aucupiorum, omniumque negotiorum lucroſorum. Vt patet ex *cap. Non eſt* 22. *de decimis*. Ex *cap. Ex tranſmiſſa* 23. & *cap. Paſtoralis* 28. *eod. tit.* Ratio autem, cur Eccleſia in noua lege voluit dari decimas de omnibus, cùm in lege veteri ſolùm datæ fuerint de frugibus & pomis arborū, & animalibus, quæ trāſeunt ſub virga Paſtoris, eſt, quia in veteri teſtamento ſingulæ familiæ habebant ſuos agros vnde decimas ſoluere poſſent, & ita non erat neceſſe exigere perſonales decimas, ſecus tempore noui teſtamenti, vbi non ſolùm familiæ multæ, ſed etiā vrbes & Reſpublicæ quædam agris carent: vnde oportuit decimas perſonales imperare; alioquin plerique nihil contribuiſſent, & vbi nulla ſunt prædia, clerus ſuſtētari non potuiſſet. Vbi tamen ſuccreuerunt legata pia facta Eccleſiis prædiorum, vnde ſuſtentantur Paſtores & clerici earum, decimæ perſonales non ſoluuntur, ſed ſolæ prædiales & quædam mixtæ: vt diximus *tom.* 1. *verb. Decima, n.* 3. & 4. Multa tradunt Doctores de decimis innixi authoritate iuris Canonici, ſed quia in decimis ſoluendis ſpectanda eſt potiùs locorum conſuetudo, quàm ius ſcriptum, vt teſtantur Doctores *tom.* 1. *citati num.* 3. hoc titulo, ideò hæc pauca ſuperaddita ſufficiant: & quiſque ſtudeat agnoſcere, quid habeat vſus loci in quo degit, in illis ſoluendis, vt ſit tutus in conſcientia.

Vide verb. Parochia *num.* 13. & 14.

DELEGATVS.

Delegata poteſtas.

SVMMARIVM.

1 *Delegatus quis ſit? & in quo differat ab Ordinario.*

2 *Delegatus ad vniuerſitatem cauſarum quis dicatur?*

tur : & an poſſit eam poteſtatem delegare ?

3 *Verius eſt delegatum inferioris Principe, qui non eſt ad vniuerſitatem cauſarum, poſſe ſubdelegare, quando Ordinarius id conceſſit.*

4 *Nullus delegatus etiam Principis poteſt ſubdelegare cum facultate ſubdelegandi.*

5 *Delegatus inferioris Principe ad vnam cauſam non poteſt totam illam ſubdelegare, nec articulum iuriſdictionem continentem ; bene tamen articulum, qui nudi miniſterij eſt.*

6 *Poteſtas delegata ad lites iuſtitiæ exequendas expirat morte concedentis re integra, ſecus ſi res non ſit integra : Idem dicendum finito officio delegantis re integra.*

7 *Quando delegatus ſubdelegat, non perit poteſtas ſubdelegati morte ſubdelegantis re integra, ſi primus ordinarius delegans ſuperſtes ſit, &c.*

8 *Certum eſt poteſtatem delegatam expirare ipſo iure, mortuo delegante re integrâ. Tripliciter tamen temperatur hæc doctrina.*

9 *Poteſtas delegata ad diſpenſandum cum perſonis incertis & indeterminatis non expirat morte concedentis re integrâ. Similiter & illa quæ datur cum perſona determinata in fauorem diſpenſantis.*

10 *Poteſtas delegata poteſt tripliciter alicui committi. Et an commiſſio perſonalis & realis extinguatur morte delegati.*

11 *Poteſtas delegata ſeu commiſſio perſonalis non expirat finita delegati dignitate, ſecus ſi ſit realis.*

12 *Verius eſt poteſtatem conceſſam Epiſcopis in Tridentino* ſeſſ. 24. cap 6. de reformat. *competere etiam Capitulo Sede vacante & aliis Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem.*

13 *Delegatus iudex tenetur literas ſua delegationis oſtendere. Ordinarius verò pro tali habitus, ac receptus, ad id non tenetur.*

14 *Delegatus formam ſibi præſcriptam excedere non debet : nec poteſt ſuam iuriſdictionem extendere ad perſonas in reſcripto ſua delegationis minimè contentas.*

15 *Vt quis poſſit eſſe iudex delegatus, quam ætatem de iure habere debeat.*

16 *Delegatus Summi Pontificis, aut Legati illius debet eſſe in dignitate conſtitutus, aut Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.*

17 *Delegatus Summi Pontificis maior eſt in cauſa ſibi à Pontifice delegata, omnibus aliis.*

18 *Delegatus à Summo Pontifice poteſt, tum per ordinarium loci, tum per ſeipſum exequutioni mandare ſententiam à ſe latam.*

19 *Quando delegatus Papæ vel Principis ſubdelegare non poſſit.*

20 *Delegatus Papæ qui ſubdelegare poteſt, cogere quemcumque poteſt, vt ſuſcipiat munus ſubdelegati.*

21 *Ordinarius in euentibus in quibus poteſt delegare, cogere poteſt ſubditum, vt delegatus ipſius ſit.*

22 *Quid neceſſe ſit vt aliquis cauſam aliquam alteri valdè delegare poſſit.*

23 *Quando aliquis lege conſtituitur delegatus, durat iuriſdictio delegata, quamdiu ea lex perſeuerat.*

24 *Quid iuris, ſi tribus cauſa aliqua delegata ſit à Principe, & duo eorum ſubdelegent tertio.*

25 *Quid quando multi ad eandem cauſam, ſeu rem delegantur.*

26 *Poteſtas delegati expirat eo ipſo, quod ſententiam definitiuam à ſe latam per ſe vel per alium exequutioni mandauit.*

1. DElegatus à delego dicitur, quod eſt vices committo. Vnde quoad Eccleſiaſticos, delegatus eſt is, cui à Summo Pontifice vel ordinario cauſa committitur, aut etiam ab eo, qui extraordinaria iuriſdictione aliquid poteſt: Et ſimiliter eſt dicendum de Imperatore & aliis dominis quoad ſæculares. Hoc diſtat inter Ordinarium & delegatum: quòd ille, cùm iure proprio & in ſeipſo iuriſdictionem radicatam habeat, poteſt delegare : hic autem, cùm nihil proprium habeat, ſed alienæ iuriſdictionis vſum, non poteſt delegare excepto delegato ſupremi Principis. Quod Ordinarius poſſit delegare, habetur expreſsè, *cap. cum Epiſcopus, de offic. Ordin. in 6.* & *l. More, ff. de iuriſd. omn. iudic.* Quod delegatus non poſſit ſubdelegare habetur *l. final. de offic. eius* & *l. A iudice Cod. de iudiciis.* Niſi ſit delegatus ſupremi Principis, habetur *cap. final. de offic. deleg.* & *cap. cum cauſam, de appellat.*

2. Delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, reputatur quaſi ordinarius, & ſubinde delegare poteſt vnam vel alteram cauſam, non tamen vniuerſam ſuam delegationem : quia etiam ordinarius id non poſſet, inconſulto Principe, vt dicetur infra. Ita Couarruuias alios referens 3. *variar. cap. 20. numer. 11.* Syluester *verb. Delegatus quæſt. 8. diſt. 3.* & eſt communiſſima ſententia. Delegatus autem ad vniuerſitatem cauſarum dicitur, quando ei genus cauſarum committitur, ſub vno nomine collectiuo, quamuis non ſit generaliſſimum, ſed ſubalternum, licet ſit reſtrictum quoad tempus, vt ſi committantur cauſæ tali anno occurrentes, vel quoad quantitatem, vt cauſæ 20. librarum & infra, vel quoad locum, vt cauſæ talis loci vel territorij. Ita Bartolus in *l. legatus, numer. 4. ff. de offic. proconſ.* Idem dicendum eſt, quando delegatio eſt vniuerſalis reſpectu perſonarum, licet non quoad cauſas : vt ſi omnes cauſæ mutui talis territorij alicui delegentur : quia cauſa eſt genus, multas ſub ſe continens ſpecies. Idem dicendum, quando delegatio eſt vniuerſalis quoad cauſas & perſonas.

3. Verius eſt delegatum inferioris Principe, qui non eſt ad vniuerſitatem cauſarum, poſſe ſubdelegare, quando Ordinarius delegans conceſſit illi ſubdelegandi poteſtatem. Ratio eſt, quia tunc non videtur ipſe delegatus ſubdelegare, ſed ordinarius delegans, iuxta *l. vnum ex familia, §. ſi de falcidia, ff. de legat.* vbi habetur, eligentem iuſſu teſtatoris, nullum beneficium conferre, quia non ipſe, ſed teſtator iubens conferre cenſetur. Ita Nauarr. *cap. Placuit, num. 70.* Angelus, *verb. Delegatus num. 6.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 7. num. 6.* & alij. Sufficiet autem ad hoc, licentia tacita Ordinarij, v. g. cùm delegatus Ordinario ſciente & patiente delegat : vel quando ex vſu, aut coniecturis ſufficientibus appareret id velle Ordinarium. Non poterit tamen Ordinarius concedere poteſtatem ſubdelegandi nomine ipſius delegati : quia poteſtas ſubdelegandi non poteſt fundari in perſona delegati.

Nauarrus. Angelus. Henriquez.

4. Nullus delegatus etiam Principis poteſt ſubdelegare cum facultate ſubdelegandi: & in hoc differt ab Ordinario quod minimus ordinarius hoc poteſt, non autem ſupremus delegatus, qualis eſt Principis. Ratio eſt, quia delegatus non habet facultatem vltra ſibi commiſſam, ordinarius autem habet poteſtatem vniuerſalem: ergo cùm ſolùm delegato Principis & ad vniuerſitatem cauſarum, reperiatur in iure conceſſum, poſſe ſubdelegare, & nullibi concedatur poſſe dare facultatem ſubdelegandi,

Gloſſa. Tabiena, gandi, id non poterunt. Ita Gloſſa *cap. ſuper quæſtionum, §. porrò, verb. Tranſfert, de offic. delegat.* Tabiena *verb. delegare, quæſt. 1.* & alij.

5. Delegatus inferioris Principe ad vnam cauſam, non poteſt totam illam ſubdelegare, nec articulum iuriſdictionem continentem: poteſt tamen articulum, qui nudi miniſterij eſt, v.g. committitur alicui receptio teſtium, hic actus eſt iuriſdictionalis, cùm teſtes non ſunt approbati, ſeu interrogatoria non ſunt facta, tunc enim iudex deputatur ſuper receptione teſtium: & vbi omnia eſſent examinata, ita vt commiſſarius habeat nudam & ſimplicem teſtium receptionem, eſſet actus non iuriſdictionalis. Probatur ex *cap ſuper quæſtionum, in princip. de offic. delegat.* & docent *Gloſſa Clement. vnic. in fine, de offic. Delegat.* Nauarrus *in man. cap. 27. numer. 45.*

Gloſſa. Nauarrus.

6 Certiſſimum eſt poteſtatem delegatam ad literas iuſtitiæ exequendas, expirare morte concedentis re integra, id eſt, antequam delegatus cœperit iuriſdictione vti, ſecus ſi res non erat integra. Vt habetur expreſsè, *cap. Gratum, cap. Relatum, cap. licet vndique, de offic. delegat.* Ratio eſt, quòd tunc non eſt gratia vel fauor, ſed quoddam mandatum de iuſtitia facienda: mandatum autem expirat, morte mandantis re integra, *leg. mandatum Cod. mandati.* Tum quia per delegationis actum non transfertur efficaciter iuriſdictio in delegatum, donec ea vti cœperit, vt expreſsè habetur *cap. Quamuis, de offic. delegat. in 6.* Vnde cùm iuriſdictio re integra ſit cum effectu penes delegantem, & per ipſius mortem extinguatur iuriſdictio ſua, extinguetur quoque iuriſdictio delegata. At per iuriſdictionis exercitium ante delegantis mortem iuriſdictio radicatur in perſona delegati, ita vt efficaciter in eam tranſierit; & ideò morte ipſius delegantis non extinguitur iuriſdictio hęc delegata, quando res non erat integra, ſed ipſa vti cœptum eſt. Porrò ſicut morte delegantis re integra perit iuriſdictio delegata: ita etiam finito officio delegantis re integra. Ratio eſt, quia cùm finito officio perinde extinguatur iuriſdictio, ac morte naturali, iure optimo finiri officium ac naturaliter mori æquiparantur, quoad extinctionem poteſtatis delegatæ re integra. Ita tenent Gloſſa *cap. Licet vndique in fine, de offic. delegat.* & ibi Abbas *n. 7.* Baldus *num. 8.* & alij.

Gloſſa. Abbas. Baldus.

7. Quando delegatus ex ſpeciali poteſtate ſibi à delegante tradita ſubdelegat, non perit poteſtas ſubdelegati morte ſubdelegantis re integra, ſi primus ordinarius delegans ſuperſtes ſit, quaſi ipſe ſit prima radix & cenſeatur ſubſtituens. Secus delegato ſubdelegante iure proprio in caſu, in quo ſubdelegare poteſt: quia tunc non primus ordinarius, ſed ipſe delegatus cenſetur ſubſtituere.

Quando autem moritur primus ordinarius delegans, & res eſt integra quoad delegatum, non tamen quoad ſubdelegatum, quia delegatus iuriſdictione vti non cœperat, at ſubdelegatus cœperat: videtur expirare iuriſdictio ſubdelegati. Ratio eſt, quia morte expirarunt iuriſdictio primi delegantis & delegati ſubdelegantis, res enim erat integra quoad ipſum, expirabit ergo iuriſdictio ſubdelegati, vtpote cui deficit fundamentum, cui innitebatur. Dicendum eſt tamen, nullo modo eam expirare: quia cùm iam ſubdelegatus cœpiſſet vti, radicata eſt iuriſdictio in ſeipſo, ac proinde eius duratio iam non pendet à primo delegante, aut ſubdelegante, vt eſt textus apertus *cap. penult. de offic. delegat. in 6.* Porrò, quando obit primus delegans re exiſtente non integra quoad delegatum, integra verò quoad ſubdelegatum, ſimiliter non expirat ſubdelegata iuriſdictio: quia ne expiret, ſatis eſt ipſummet ſubdelegatum vel delegatum ſubdelegantem cœpiſſe vti iuriſdictione ante primi ordinarij delegantis obitum, vt conſtat ex *cap. penult. de offic. delegat in 6.* & tenent ibi Gloſſa *verb. Proceſſum.* Dominicus Francus, quos refert & ſequitur Sanchez *de matrim. l. 8. diſp. 28. n. 36. 37. & 38.*

Gloſſa. Francus. Sanchez.

8. Quidam volunt poteſtatem delegatam non expirare ipſo iure mortuo delegante re integra, ſed ope exceptionis, ac proinde ſi pars aduerſa non excipiat, valere geſta ab eo delegato. Sed contrarium tanquam veriſimum eſt tenendum, & probatur ex *cap. final. verſ. Officium, de offic. deleg. in 6. cap. Si cui nulla, de prabend. in 6.* & alia iura ſignificantia expirare iuriſdictionem ipſo facto, nullam de partis exceptione mentionem faciunt. Vnde mortuo delegante re integra, non poteſt delegatus in cauſa procedere, etſi partes conſentiant, nec valet proceſſus: quia cùm eius iuriſdictio omninò extincta ſit, nequit ex partium conſenſu prorogari: conſenſus enim hic nequit eum iudicem conſtituere, qui iudex non eſt. Temperatur tamen hæc concluſio. *Primò*, vt intelligatur, quando datur noua poteſtas ad actum per illam commiſſionem, ita vt in exercitio actus gerat mandatarius vicem mandantis: quando enim non datur noua poteſtas, ſed excitatur antiqua, non expirat. *Secundò* temperatur, niſi iuriſdictio delegata ſit acceſſoria gratiæ iam factæ. Sicut enim gratia facta non perit morte concedentis re integra, ita nec ea poteſtas acceſſoria, ſed principalis gratiæ naturam ſequitur. Ita definitur *cap. Si ſuper gratia, de offic. delegat. in 6.* Temperatur *Tertiò*, niſi ea poteſtas delegata ſit commiſſa nomine dignitatis committentis, vt ſi Pontifex dicat, *Sedes Apoſtolica tibi commiſit*, vel aliis verbis, quæ non à perſona, ſed à dignitate committentis delegationem proficiſci denotent: tunc enim non expirabit delegatio morte delegantis re integra. Ratio eſt, quia cùm dignitas nunquam pereat, nec eius iuriſdictio, *cap. ſi gratioſè de reſcript. in 6.* ſed eadem prorſus ſit in ſucceſſore, ceſſabit ratio ob quam poteſtas delegata perit morte delegantis re integra. Ita cum multis Sanchez *proximè citatus, num. 39. & ſequentibus.*

Sanchez.

9. Poteſtas delegata ad diſpenſandum cum perſonis incertis & indeterminatis non expirat morte concedentis re integra. Ratio eſt, quia cùm tunc in gratiam ipſius diſpenſaturi conceſſa ſit, eſt gratia facta, vt in ſimili de poteſtate conferendi beneficia perſonis incertis deciditur *in cap. ſi cui nulla, de prabend. in 6.* Tum quia cùm ſit poteſtas ad iuriſdictionem non contentioſam exercendam; minimè eſt inter mandata iuriſdictionis computanda, ſed inter gratias factas, quæ morte concedentis re integra non expirant. Similiter quando ea poteſtas delegata conceditur alicui ad diſpenſandum cum perſona determinata, non in fauorem ſolius perſonæ, cum qua diſpenſandum eſt, ſed in fauorem ipſius diſpenſantis, aut vtriuſque ſimul, tunc non expirat morte concedentis, aut amotione eius ab officio, etiam re integra: quia in hoc caſu eſt iam gratia facta, cùm ſit in ipſius diſpenſantis fauorem, & reſpectu ipſius iam totam ſuam perfectionem habet. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 253.* Angelus *verb. Gratis numer. 2.* & *verb. Diſpenſatio. num. 13.* Syluester *ibi, quæſt 6. num. 11.* & multi iuriſperiti apud Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 28. num. 80. & 81.*

Nauarrus. Angelus. Syluest. Sanchez.

10. Poteſtas delegata poteſt alicui tripliciter committi. Primo modo, expreſſo ſolo nomine pro-

prio delegati, vt committimus Petro. Secundo modo, expreſſo ſolo nomine dignitatis, vt committimus Archiepiſcopo Cameracenſi. Tertio expreſſo vtroque, vt committimus Petro Archiepiſcopo Cameracenſi. Hinc quando ex coniecturis verborum vel materiæ ſubiectæ certior regula deduci nequit, ſed omnibus penſatis eſt res dubia, hæc regula accipienda eſt. Si ſolum perſonæ delegati nomen exprimatur, erit commiſſio perſonalis, ac morte delegati extinguetur. Quando autem nomen dignitatis vel officij ſolum exprimitur, commiſſio erit realis, & eo delegato mortuo tranſibit ad ſucceſſorem in ea dignitate vel officio. Probatur hæc regula expreſsè ex *cap. Quoniam Abb. de offic. delegat.* Et ratio eſt, quod in priori caſu commiſſio fiat perſonæ, quæ moritur. At in poſteriori dignitati, quæ nunquam moritur, ſed eſt vna & eadem in ſucceſſore, *cap. Si gratioſè, de rescripto, in 6.* Et nihil refert in hoc euentu, an à priori habenti illam dignitatem res cœpta ſit, an potius re non incœpta, ſed integra obierit. Quia rem eſſe integram, aut cœptam, ne commiſſio expiret, ſolum attenditur quando delegans obiit, non autem quando delegatus obiit. Tum quia ratio vtriuſque partis, nimirum, perſonam mori, non autem dignitatem, militat, ſiue res ſit integra, ſiue non. Ita docent Innocentius *in dict. cap. Quoniam Abbas*, & ibi Hoſtienſis, Ioannes Andræas, Menochius *de arbitr. lib. 1. quæſt. 68. num. 22.* Quando autem commiſſio facta eſt expreſſo nomine dignitatis & perſonæ ſimul (omiſſis ſuper hoc variis ſententiis) verior aſſerit ſemper huiuſmodi commiſſionem eſſe perſonalem, vtrumuis nomen præponatur, ac proinde non tranſire ad ſucceſſorem. Ratio eſt, quia verba debent aliquid operari, quod adeò verum eſt, vt nec vlla ſyllaba in reſcriptis Pontificis ſuperflua eſſe debeat. At expreſſio nominis proprij ſuperflua prorſus eſſet, niſi operaretur commiſſionem eſſe perſonalem. Nil enim aliud operari valet. Cùm aliàs perſona ſit certa per expreſſionem certæ dignitatis. Ita tenent Ioannes Andræas *cap. ſtatutum, 17. de reſcript. in 6.* & ibi Archidiaconus *n. 3.* Flaminius *de reſign. beneficior. lib. 1. q. 11. n. 12.*

Innocent. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Menoch.

Ioan Andr. Archidiac. Flamin.

11. Si poteſtas delegata, ſeu commiſſio eſt perſonalis, non expirat finita delegati dignitate, ſed poteſt adhuc de illa cognoſcere: ſecus ſi ſit realis, vtpote dignitati facta; tranſit enim tunc ad ſucceſſorem. Ratio eſt, quòd in priori caſu, cùm ſolius perſonæ habita ſit conſideratio, ſequatur commiſſio perſonam, inſtar priuilegij perſonalis: At in poſteriori, cùm ſola dignitas ſpectata ſit, illam ſequitur, in quacumque perſona inueniatur. Hanc regulam tradunt Gloſſa *Clement. 1. verb. Principalis, de reſcript.* & ibi Imola *n. 11.* Abbas *cap. Quoniam Abbas, num 8. fin. de offic. delegat.* & ibi Felinus *num. 5.* Quod adeò verum eſt, vt quamuis res non ſit integra, ſed delegatus cœperit vti commiſſione dignitati facta, ceſſabit eo amittente dignitatem, aut ad aliam tranſlato, & ad ſucceſſorem tranſibit. Ratio eſt, quia cùm ſit præcisè dignitati conceſſa, pendet ab illa in conſeruatione. Imò quamuis non deponatur dignitate legatus, ſed ad aliam transferatur, ceſſat commiſſio realis illi facta, tranſitque ad ſucceſſorem in priori illa dignitate: quia cùm commiſſio priori illi dignitati facta ſit, ipſam ſemper ſequitur, quando dignitas, ad quam delegatus ille tranſit, non continet primam, ſed illam extinguit. Secus ſi per adiectam qualitatem non confundatur prior dignitas. Sic tenent Doctores citati cum Sanchez *lib. 8 diſp. 27. n. 22. 23. & 24.*

Gloſſa. Imola. Abbas. Felinus.

Sanchez.

12. Poteſtas delegata & conceſſa Epiſcopis ad abſoluendum & diſpenſandum circa omnes caſus occultos, nec deductos ad forum contentioſum, excepta irregularitate ex homicidio voluntario, in Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat.* iuxta veriorem ſententiam, competit etiam Capitulo Sede vacante, & aliis Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & Prælatis Religionum. Ratio eſt, quia quamuis hoc iure ſpeciali Tridentini competat Epiſcopis & Capitulum non ſuccedat in iis, quæ competunt Epiſcopo iure ſpeciali, vt communiter tradunt Doctores, id tamen eſt verum de iis, quæ competunt iure ſpeciali delegato, ſeu ex commiſſione Epiſcopo, ſecus ſi de iure ordinario ſpeciali. At hæc poteſtas competit Epiſcopis iure ordinario ſpeciali. Poteſtas enim competens non perſonæ, ſed dignitati perpetuo, vel officio eſt ordinaria, & poteſtatis ordinariæ iura habet & ſequitur. Quod hic contingit, eo vel maximè, quia Tridentinum in eo decreto non dicit, vt id competat Epiſcopis tanquam delegatis Sedis Apoſtolicæ, in quo euentu licet poteſtas competat officio in perpetuum, eſt delegata: quare tunc hæc poteſtas tanquam delegata non tranſit in Capitulum, niſi aliàs iure ordinario competeret Epiſcopo. Tunc enim ea poteſtas tranſibit ad Capitulum, non quatenus Epiſcopus poterat iure delegationis, ſed quatenus poterat iure ordinario. Ita Doctores citati *tom. 1. verb. Capitulum, num. 6.* quibus adde Rodriguez *tom. 1. quæſt. regul. quæſt. 61. art. 9.* Henriquez *lib. 14 de irregular. cap. 18. num. 2.* & *cap 20. n. 1.* & *lib. 6. de pœnitent. cap. 16. n. 1.* Dianam *part. 8. tract. 4. reſol. 1. & ſequent.* & alios apud ipſum, & *part. 7. tract. 2. reſol. 1. & ſequent.*

Conc. Trid.

Rodriguez. Henriquez. Diana.

13. Delegatus iudex tenetur oſtendere ſe habere eam delegatam iuriſdictionem, alioquin nullus tenetur ei parere, etiam in executione ſententiæ à ſe latæ. Ita habetur *cap. cùm in iure, de offic. delegat.* Vnde citare debet inſerto tenore ſuæ delegationis, aut aliter de eadem ſua delegatione certum citatum facere, vt teneatur coram ipſo comparere, *cap. præterea, de delegation.* Aliàs proceſſus factus à iudice delegato, antequam literas ſuæ delegationis oſtendat, eſt nullus, etiamſi eas literas habeat: Limita, dummodo pars opponat de reſcripto non præſentato: ſi enim id non opponeret, & ſub ſilentio pertranſiret, validus eſſet proceſſus. Iudex verò ordinarius pro tali habitus, ac receptus in ſuo munere, non tenetur oſtendere ſuam iuriſdictionem, literaſve illius, ſed citatus ſimpliciter ab eo, etiam ſolo verbo, iuxta *cap. cùm dilecti, de dolo & contum.* tenetur coram eo comparere: ſemper enim præſumitur pro iuriſdictione ordinaria, non verò ſic pro delegata: eſtque delegati iuriſdictio odioſa, atque idcirco reſtringenda: iuriſdictio verò ordinaria eſt fauorabilis, ac proinde ampliando, vt affirmat Gloſſa *cap. 1. de reſcriptis, in 6.* communiter approbata.

14. Delegatus formam ſibi præſcriptam excedere non debet: alioquin irritum erit, quod contra mandatum ſibi datum fecerit, fines illius tranſgrediendo. Id tamen non impedit, ipſum admittere debere rationabiles exceptiones ſibi propoſitas, niſi ei contrarium præciperetur, quod rarò fit. Ita habetur *in cap. ex parte tua, de offic. delegat. cap. cùm dilecta, de reſcript.* Item delegatus extendere non debet nec poteſt ſuam iuriſdictionem ad perſonas in reſcripto ſuæ delegationis, ſaltem per generalem clauſulam minimè contentas, etiamſi illæ conſentiant, quòd ſi eam ad illas extendat, irritum id erit & inane. Ita habetur *cap. Sedis Apoſtolicæ*, & *cap. paſtoralis, de reſcript.* & docet Nauarrus *cap. cum*

Gloſſa.

cùm contingat, de reſcript. Septima cauſa nullitatis, num. 1.

15. Vt aliquis eſſe poſſit iudex delegatus, habere debet impletum vigeſimum ſuæ ætatis annum. Is verò qui nondum eſſet viginti annorum, modò tamen excederet decimumoctauum ſuæ ætatis annum, de partium conſenſu, quæ id ſcirent, eſſe poteſt delegatus & non aliter. A principe verò minor decem & octo annis conſtitui poteſt iudex delegatus. Ita habetur *cap. cùm vigeſimum, de offic. deleg.* & *l. quidam conſulebat, ff. de re iudic.*

16. Delegatus Summi Pontificis, aut Legati illius eſſe non poteſt, niſi conſtitutus in dignitate; vel perſonatu, aut Canonicus Eccleſiæ Cathedralis. Ita habetur *cap ſtatutum, §. ſancimus, de reſcript. in 6.* & *Clement. 2. eod. titulo*, in qua exprimitur, Vicarium Generalem Epiſcopi & Priorem Conuentualem Religionis, etiamſi per electionem non promoueatur, ſed à ſuo Abbate, ſitque ab eo ad nutum amouibilis, conſtitui poſſe delegatos Sedis Apoſtolicæ & Legatorum illius. Non verò Vicarios foraneos Epiſcoporum, neque Priores Clauſtrales. Delegati autem aliorum Ordinariorum à Summo Pontifice & à Legatis Summi Pontificis, eſſe poſſunt quicumque, etiamſi Canonici non ſint Eccleſiæ Cathedralis, neque conſtituti in dignitate, vt affirmat Gloſſa *§. ſancimus citato*. Subdelegatus tamen à delegato Summi Pontificis habere debet qualitates requiſitas in delegatis Summi Pontificis: quia eſt mediatus delegatus Summi Pontificis. Ita habetur *cap. ſtatutum citato §. in nullo*, niſi ſubdelegaretur articulus aliquis cauſæ, vt Gloſſa ibi affirmat.

Gloſſa.

Gloſſa.

17. Delegatus Summi Pontificis maior eſt in cauſa ſibi à Summo Pontifice delegata omnibus aliis, vt habetur *cap. ſanè ſecundo, de offic. delegat.* quia ſubit in eo vices Summi Pontificis. Adeò autem in ea cauſa eſt omnibus aliis Superior, vt neque Legatus à latere poſſit eam cauſam ad ſe aduocare, neque impedire illius exequutionem, neque infirmare ſententiam ab eo delegato Summi Pontificis latam, niſi Legatus Summi Pontificis ſpecialem commiſſionem ad id habeat. Ita habetur *cap. 2. de offic. deleg.*

18. Delegatus à Sede Apoſtolica poteſt, tum per ordinarium loci, etiam ad id illum compellendo, tum etiam per ſe ipſum exequutioni mandare ſententiam à ſe latam, vt conſtat ex *cap. Significaſti, cap. in literis, cap. quærenti, & cap. paſtoralis, §. quia verò, de offic. delegat.* Imò dictus delegatus ad exequutionem ſuæ ſententiæ inuocare poteſt auxilium brachij ſæcularis. Sicut enim Epiſcopus ad ſuæ ſententiæ exequutionem brachium ſæculare inuocare poteſt, ita & delegatus Summi Pontificis qui vices Summi Pontificis ea in parte gerit, & qui Superior quo ad eam cauſam & exequutionem eius ſententiæ eſt ordinariis omnibus, qui infra Summum Pontificem ſunt. Ratio autem eſt, quia eo ipſo, quòd cauſa aliqua alicui committitur, ea omnia cenſentur ei conceſſa, quæ neceſſaria, aut expedientia iudicabuntur, ad illam ad integrum ac plenum effectum perducendum, de quorum numero eſt, vt aduerſus laicos reſiſtentes ac rebelles vſque ad brachij ſæcularis inuocationem, ſi ita opus ſit, procedatur.

19. Quando aliquis à Summo Pontifice delegatur, vt inquiſitionem circa aliquam rem faciat, vel ab alio Principe, vt Eccleſiam de Prælato, aut de miniſtro prouideat, talis delegatus ſubdelegare non poteſt, niſi expreſsè ſit ei conceſſum, vt per alium id exequi poſſit: quia tunc fidem ac induſtriam perſonæ quam ad id delegat, eligere videtur. Ita habetur *cap. quoniam Apoſtolica, §. ſi autem, verſ. præterquam, de offic. delegat. cap. ſi cui, eodem tit. in 6.*

20. Delegatus Summi Pontificis, qui ſubdelegare poteſt, cogere quemcumque poteſt vt ſuſcipiat munus ſubdelegati. Superiorem tamen, & præſertim in Pontificali dignitate conſtitutum, ſubdelegare non debet niſi vrgente neceſſitate. Quòd ſi cogendum illum duxerit ad eam ſubdelegationem ſuſcipiendam, gradatim procedere debet in adhibendis cenſuris, vt primùm ei interdicatur ingreſſus Eccleſiæ, aut miniſterium Sacerdotale, deinde ſuſpendatur ab officio & poſtea aggrauetur cenſura. Ita habetur *cap. paſtoralis in princ. de offic. delegat. iuncto cap. 2. eod. tit. in 6.* Quo in loco præcipitur, in cenſuris imponendis conſtitutis in dignitate, procedendum eſſe illo modo gradatim, niſi fortè aliter fieri perſuaſerit nimia contumaciæ proteruitas, ſeu culpa.

21. Ordinarius in euentibus, in quibus poteſt delegare, cogere poteſt ſibi ſubditum vt delegatus ipſius ſit. Secus autem eum, qui ſibi non eſt ſubditus. Tametſi non ſibi ſubditum poſſet etiam efficere ſuum delegatum, ſi is velit id accipere, & requiſita habeat, vt eſſe poſſit delegatus: qui enim delegatus eſſe non poteſt, cogi per conſequens non poteſt, vt delegatus ſit. Ita habetur *l. eum qui, iuncta Gloſſa*, & *l. vlt. ff. de iuriſd. omn. iud.* Conſentiunt *cap. paſtoralis, in princ. de offic. Ordin.* & *cap. paſtoralis, de offic. delegat.* affirmantque Doctores communiter. Si autem non ſubditus acceptet eſſe delegatum, poteſt poſt eam acceptationem cogi delegatum eſſe, & in cauſa procedere.

Gloſſa

22. Vt aliquis cauſam aliquam alteri validè delegare poſſit, neceſſe eſt *Primò*, vt cauſa ſit talis, de qua delegans ipſe cognoſcere poſſit, alioquin inualida eſſet talis delegatio. Ita habetur *l. vnic. Cod. qui pro ſua iuriſd.* Secundò neceſſe eſt, vt eam deleget, vt audiatur & expediatur in loco, in quo delegans ipſe eam audire & expedire poſſet: alioquin ſicut ipſe illam audire & expedire valide non poſſet extra eum locum, ita neque delegatus ſcùm nullus validè delegare poſſit iuriſdictionem, niſi præcisè quoad id, quoad quod illam habet. Ita conſentaneè ad *l. vlt. §. erit autem C. de re milit.* & *cap. vt litigantes, de offic. ordinar. in 6.* Valida tamen eſſet ſententia lata vel à iudice ordinario, vel à delegato, in loco non ſuæ, ſed alterius iuriſdictionis, modò duo concurrant, vnum eſt, vt feratur de conſenſu partium, quæ quoad id iuri ſuo cedere poſſunt in ipſarum fauorem eo *cap. vlt. litigantes latum.* Alterum verò eſt, vt ius ibi dicatur, etiam de conſenſu eius, ad quem iuriſdictio eius loci ſpectat. Ita Gloſſa *cap. vt litigantes citato, verb. expenſis.*

Gloſſa.

23. Quando aliquis lege conſtituitur delegatus, durat iuriſdictio delegata ea lege conceſſa, quamdiu ea lex perſeuerat. Ita Panormitanus & alij *in cap. irrefragabili, §. ceterum, de offic. ordinar.* Hinc quotieſcumque in Concilio Tridentino, aut alibi, Epiſcopis committitur, vt in aliquo procedant tãquam Sedis Apoſtolicæ delegati, perpetuò hæc poteſtas durat, cùm iuriſdictionem habeant eo ipſo, quòd Epiſcopi creati ſunt, eſto mortui ſint conditores eius legis, mortuuſque ſit Summus Pontifex, qui erat tempore, quo ea lex lata fuit, ipſique poſtea creentur Epiſcopi, neque diſpoſitio eius legis fuerit vnquam antea exequutioni mandata, quia non occurrit euentus, in quo id locum haberet.

Panormit.

24. Si tribus cauſa aliqua delegata ſit à Principe, & duo eorum ſubdelegent & committant vices ſuas tertio remanenti, is ſolus poteſt validè cauſam finire, nomine quidem proprio tanquam delegatus, & nomine aliorum duorum tanquam ſubdelegatus ab illis. Atque ſi ſubdelegauerint in totum, aut in partem, ita vt ſe non integra morte

ſub-

ſubdelegantium, non expiret iuriſdictio in ſubdelegato, eueniatque alterum ſubdelegantium, aut vtrũque mori re non integra, ſed poſtquã ſubdelegatus vſus eſt iuriſdictione ipſi ab illis ſubdelegatã, tunc ſanè poterit ſolus expedire cauſam, nihil impediente morte collegarum, qui ſimul cum ipſo ad eam cauſam à Principe delegati ſunt: ſecus autem ſi alter ſubdelegantium, aut vterque moriantur re integra: quippe cùm iuriſdictio expiret re integra morte, aut amiſſione iuriſdictionis ſubdelegantis quauis alia ratione. Hoc conſtat ex *cap. quamuis 1.* & ex *cap licet, §. vlt. de offic. deleg.*

25. Quando multi ad eandem cauſam, ſeu rem delegantur ſimul abſque alia declaratione; tunc neceſſe eſt vt ſimul omnes ad id delegati concurrant; alioquin ſi vel vno eorum deficiente, cæteri concurrant ac ſententiam ferant, ſiue definitiuam, ſiue interlocutoriam, totum eſt irritum & inane. Ita habetur *cap. cauſam matrimonij, de offic. delegat.*

Cùm multi iudices ad aliquam cauſam delegantur, v.g. tres, ſed cum clauſula, vt ſi omnes inter ſe nequiuerint, duo nihilominus de eo cognoſcant, eamque definiant: tunc ſi non conſtet de impedimento tertij, aut quod venire non velit, licet poſſit, & duo procedant in cauſa ſine illo, totum quod fecerint, irritum eſt & inane. Ita habetur *cap prudentiam, in princ. & §. adiicimus, & cap. cùm cauſa, de offic. deleg.* Quod ſi legitimè conſtet tertium vel habere impedimentum, vel eſto illud non habeat, venire non velle, quamuis malè faciat, ſitque reprehendendus quin & puniendus à delegante, duo tamen tunc procedere poſſunt in ea cauſa: quoniam ad effectum vt ſoli duo progredi in ea poſſint, perinde reputatur tertium venire non velle, atque non poſſe venire. Ita habetur *cap. prudentiam citato.*

Si multi ad aliquid delegentur cum clauſula, vt omnes, aut multi, vel vnus eorum id exequatur; tunc quilibet eorum ſolus poterit id exequi. Cæterum vno eorum negotium inchoante, alij non poſſunt vlterius ſe in illo intromittere, niſi ille morbo, aut malitioſè procedere recuſet, tunc enim quilibet eorum procedere poteſt. Item vno illorum perpetuante iuriſdictionem: quia in vita delegantis negotium inchoauit, nec res integra manſit, perpetuata iuriſdictio remanet quoad omnes, ita vt omnes per mortem delegantis progredi in cauſa poſſint. Hæc omnia habentur *cap. cum plures, de offic. deleg. in 6.*

26. Poteſtas vel iuriſdictio delegati expirat eo ipſo, quòd ſententiam definitiuam à ſe latam per ſe, vel per alium, cui exequutionem illius commiſerat, exequutioni mandauit. Ita habetur *cap. in literis, de offic. delegat.* Et *in cap. quaremi, eodem tit.* ſolum conceditur iudici à Summo Pontifice delegato annus à die latæ definitiuæ ſententiæ circa cauſam ſibi commiſſam ad eius ſententiæ exequutionem. Quare ſi delegatus ante annum elapſum ad finem ſuæ ſententiæ exequutionem perduxiſſet, tunc eo ipſo omnino expiraret iuriſdictio ipſius, adeo vt ſi poſtea non in continenti, ſed ex interuallo, iterum is turbaretur, in cuius fauorem lata ea ſententia eſſet, is delegatus non poſſet eum tueri, ſed qui ita turbaretur, neceſſe haberet recurrere ad ordinarium, aut ad alium, qui ad id iuriſdictionem haberet. Ita habetur *cap. in literis, de offic. deleg.*

Vide v. Diſpenſatio *n.* 19. Lex 2. *nu.* 8. Profeſſio *num.* 1. Vicarius *n.* 2. & 7.

DEPOSITVM.

SVMMARIVM.

1 *Depoſitum diſtinguitur à cæteris contractibus, qui nonniſi rei traditione perficiuntur.*
2 *Ad depoſitum quinque requiruntur.*
3 *Depoſitarius ex caſu fortuito tenetur quatuor de cauſis.*
4 *Si res depoſita, mortuo depoſitario, tranſeat ad heredes depoſitarij, heredes tenentur in ſolidum, modò res non fuerit inter heredes diuiſa.*
5 *In foro contentioſo locum non habet compenſatio in depoſito, ſecus in foro anima.*
6 *Quando deponens præferendus ſit aliis creditoribus depoſitarij.*
7 *Deponentis obligationes ſunt duæ.*
8 *Duæ actiones dantur in iure ciuili ratione depoſiti, vna dicitur directa, altera contraria.*
9 *Qui deponit pecuniam, &c. cum facultate vt eâ vtatur depoſitarius & pacto facto, vt aliquid lucri inde ei redeat, committit vſuram.*

1. DEpoſitum diſtinguitur à cæteris contractibus, qui nonniſi rei traditione perficiuntur. A mutuo videlicet, quia res mutuò data, fit accipientis: in depoſito autem nec dominium, nec vſus rei transfertur. A commodato, quia ad certum vſum datur, nimirum, vt ex re commodata, is qui accipit, certum commodum & vtilitatem accipiat. A precario, quia res alteri conceditur ad vtendum eâ, donec placuerit danti. A pignore, quia etſi pignoris vſus non detur, tamen datur pignus creditori causâ idoneæ & legitimæ cautionis ob debitum. Depoſitum autem non ad cauendum, ſed ad cuſtodiendum datur, niſi alius contractus admiſceatur. Ex quo fit, vt depoſitum ſit plerumque gratia eius, qui rem depoſuit, non eius, qui depoſitum recepit: cùm tamen commodatum & precarium ſint ad vtilitatem eius, qui accipit: licet aliquando commodatum ſit gratia eius, qui dat, & depoſitum interdum in fauorem eius, qui rem depoſitam ſuſcipit, vt colligitur ex *l. ſi quis*, & *l. rogaſti*, *ff. de rebus creditis.*

2. Ad depoſitum quinque requiruntur, *Primò*, depoſitum non contrahitur, niſi res tradita ſit: quia eſt contractus, cuius obligatio ipſa re perficitur: tum quia nullus ſuſcipit cuſtodiam rei, quæ in ſua poteſtate non exiſtit. *Inſtitut. quibus modu re contrahatur obligatio*, §. *Item is. Secundò*, Depoſitum requirit conſenſum, tum deponentis, tum eius, qui depoſitum ſuſcipit: quia nullus eſt contractus, qui contrahentium conſenſus non poſtulet. Propterea non ſufficit, vt quis deponat aliquid apud alterum, niſi alter ſignificet ſe illius rei cuſtodiam ſuſcipere. *Tertiò*, vt eadem res depoſita reddatur, *l. 1. ff. Depoſiti. Quartò*, vt reſtituatur in loco, in quo recipitur; nam par non eſt, vt depoſitarius, qui depoſiti curam in gratiam deponentis ſuſcepit, expenſas faciat in reſtitutione depoſiti, modò depoſitarius dolo vel latâ culpâ nõ tranſtulerit depoſitum ad aliũ locum; tunc enim reducere tenetur ad locum, in quo recepit, ſi deponens id exigat. *Quintò*, vt ſi depoſitum pereat, pereat deponenti, qui eſt dominus depoſiti; res autem domino perit, ſecluſa culpâ depoſitarij. Ita Azorius *part. 3. lib. 7. cap. 5. & cap. 8. quæſt. 2. de depoſito.* Leſſius *lib. 2. cap. 27. num. 2.* Filliucius *tract. 34. num. 12.* & alij. Azorius. Leſſius. Filliucius.

3. Depoſitarius ex caſu fortuito tenetur quatuor de

de causis. *Primò*, quando pactum interuenit; vt de casu fortuito teneatur. *Secundò*, quando mora restituendi casum fortuitum præcessit. *Tertiò*, quando dolum casus est subsequutus. *Quartò*, quando in casum fortuitum incidit ex culpa lata, quæ tunc contingit, quando non tantùm curæ præstat depositarius, quantum rebus suis, id est, quantum alij homines solent præstare rebus suis communiter, nisi certum sit quod eodem modo apud Dominum res deposita erat peritura, si fuisset in tempore restituta, quia tunc non minus haberet de eo, quod habiturus erat. Pactum autem vt ex dolo depositarius non teneatur non valet: quia est contra bonam fidem & bonos mores, propter quod occasionem delinquendi subministraret, quod non licet. Ita Nauarrus *in Man. cap. 17. n. 181.* Lopez *lib. 2. de contract. cap. 56.*

Nauarrus. Lopez.

4. Si res deposita, mortuo depositario, transeat ad hæredes depositarij, hæredes tenentur in solidum, modò res non fuerit inter hæredes diuisa, tunc enim vnusquisque tenetur solùm ad ratam partis acceptæ, *l. si duo, ff. Depositi.* Quando autem duo rem deposuerunt, & ambo agunt, siquidem ita deposuerunt, vt vel vnus tollat totum, poterit in solidum agere: si verò pro parte, pro qua eorum interest; tunc dicendum est, in partem condemnationem faciendam. Hinc etiam colligitur, si apud duos sit deposita res, aduersus vnumquemque eorum agi poterit, nec liberabitur alter, si cum altero agatur: nõ enim electione, sed solutione liberantur. Proinde si ambo dolo fecerint, & alter quod interest, præstiterit, alter non conuenietur, exemplo duorum tutorum. Quod si nihil alter, vel minus facere possit, ad alium peruenietur. Idemque etsi alter dolo non fecerit, & idcirco sit absolutus, non ad alium peruenietur. Ita Vlpianus *in l. 1. §. si apud*, & *§. Sed si duo ff. Depositi.*

Vlpianus.

5. Si ius commune Canonicum & ciuile attendantur, in deposito locum non habet compensatio, hoc est, non potest quis retinere rem sibi in custodiam traditam, puta equum pro recompensatione debiti. Sic enim definitur *in l. Si quis vel pecunias, Cod. Depositi.* Ratio huius redditur *in cap. Bona fides, de depositi*, ne contractus depositi, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur. Ita Molina *tom. 2. de contract. disp. 524.* Cuius sententia vera est de rigore iuris scripti. Contrarium tamen de æquitate & in foro animæ verius est, nimirum in deposito, quando debitum est liquidum, nec alia ratio suppetit rei sibi debitæ recuperandæ, locum habere compensationem indirectam: nam iure naturæ & gentium potest quis sibi ex qualibet re alterius satisfacere, quando viâ iuridica suum obtinere nequit: licet in foro contentioso, in quo citatis iura locum habent, talis compensatio improbetur. Compensatio autem indirecta est, quãdo res deposita aliena apud se detinetur, donec sibi debitum à deponente soluatur. Ita Petrus Nauarra, Tannerus, Lessius, Layman. Diana citati *tom. 1. verb. Compensatio, n. 2 §. Secundo probabiliter.*

Molina.

P. Nauarra. Tannerus. Lessius. Layman. Diana.

6. Quando depositum tale est, vt non transeat dominium depositi in depositarium, quod contingit in omni vero deposito & simplici, tunc præfertur deponens cæteris creditoribus personalibus: quia tunc deponens vendicat illud vt suum, *l. 1. in fine, Cod. Depositi.* Si verò trantiuit in mutuum, ac proinde comparauit depositarius dominium illius, & depositum factum est penes publicum depositarium, & deponens nullum interesse ob id accipiebat, præferendus est cæteris creditoribus Chirographarijs depositarij, qui scilicet, non habent tacitam vel expressam hypothecam in bonis eiusdem depositarij, *l. si hominem, §. quotiès, ff. Depositi.* Non esset autem necessario præferendus, si factum est depositum penes priuatum depositarium. In bonis autem depositarij publici, omnes deponentes æqualiter admittuntur, licet eorum quidam sint anteriores tempore, alij posteriores: si tamen eadem numero pecunia deposita apud depositarium extet, aut aliquid ex ea emptum sit, tunc præferretur in ea pecunia is, qui eam deposuit, etiamsi accipetet vsuram ex deposito, *l. si veteri, ff. de priuileg.* vide Azorium *part. 3. lib. 7. cap 8. q. 6. de depositi* Molinam *cit. disp. 525. vers. Quod attinet ad vltimum.* Reginaldum *lib. 25. n. 573.*

Azorius. Molina. Reginald.

7. Deponentis obligationes sunt, *Prima*, vt rem depositam, clam & furtiuè non tollat, ne depositario necessitas imponatur, aut rei reddendæ, aut probandæ suæ innocentiæ: quare istum ille, ab hoc grauamine liberum debet ac immunem reddere, nisi illam hic negasset, aut via ordinaria recuperare dominus non posset. D. Thom. 2. 2. *q. 66. art. 5 ad 3.*

D. Thom.

Secunda eius obligatio est, vt depositum non reuocet, si deportatus fuerit, ex *l bona fides ff. depositi.*

8. Duæ actiones dantur in iure ciuili ratione depositi & ambæ sunt personales, quia ex contractu descendunt: vna dicitur directa, altera contraria. Directa competit deponenti & eius hæredibus aduersus eum, qui depositum suscepit, & eius hæredes, vt si dolosè versatus sit in depositi custodiendo, aut si hæredes eius facti sunt locupletiores, & hæc actio est ad restituendum rem integram deponenti, *l. 1. § Qui depositi. ff. Depositi.*

Altera dicitur contraria, quæ conuenit depositario & hæredibus eius aduersus deponentem & hæredes illius, quà ratione repetit impensas vtiles & necessarias factas in re deposita. Compensationem itidem damni si quod passus est ex deposito, vt si quis sciens deponeret seruum, qui fur esset, vel equum calcitrosum vel mordacem *l. Actionem, ff. depositi.* Porro leges duodecim tabularum actionem dederunt furti contra eum, qui vteretur re deposita aliter, quam in eum finem, ob quem data est: quod iure facere potuerunt ob frequentiam talis delicti. Sic enim sæpe minora crimina grauius puniuntur ob frequentiam.

9. Qui deponit rem in numero, pondere, vel mensura consistentem, cum facultate vt eâ vtatur, pacto facto, aut intentione principali, vt aliquid lucri inde ei redeat, committit vsuram. Ratio est, tum quia facultas data depositario, vtendi re depositâ, facit illud migrare in mutuum, statum ac ea vti cæperit, sed mutuanti quidpiam à mutuatario exigere, pro vsu pecuniæ traditæ in mutuo, legibus charitatis ac iustitiæ est prohibitum, ergo & deponenti rem suam. Tum quia custodire rem alienam onus est; cùm custos eam præstare domino debeat, si culpa sua lata intereat, deponens autem nullum iustum titulum prætexere potest, quo fretus, lucrum pro obligatione seruandi rem incolumem postulet, est ergo hæc eius postulatio iniqua ac vsuraria. Ita Nauarrus *in Man. c. 17 num. 181. & tom. 1. consil lib 3. de depositi, consil. 1. 2. 3. & 4.* Bartolus *in l. certi conditio, §. final ff. de rebus creditis.*

Nauarrus. Bartolus.

Vide v. Actio *num. 11.* Dubium *num. 15.*

DEVOTIO.

SVMMARIVM.

1 *Deuotio vndedicta, & quid sit.*
2 *Deuotio nascitur ex contemplatione duplici.*

3 *De excellentia & effectibus virtutis deuotionis.*
4 *Quæ ſint impedimenta veræ deuotionis.*

1. DEuotio dicta eſt à verbo deuouere, quod eſt ſolenniter vouere. Hinc deuoti apud Gentiles olim dicebantur, qui ſe idolis deuouebant in mortem pro ſui exercitus ſalute. Et nos eos propriè deuotos dicimus, qui ſe diuino cultui totos dediderunt, vt regulares vtriuſque ſexus: ad quorum deinde imitationem etiam alij Chriſtiani dicuntur deuoti, qui frequentes ſunt in oratione & cæteris pietatis obſequijs. Vulgus deuotionem arbitratur eſſe gaudium vel dulcedinem animi ſpiritualem, quam homo pius haurit ex rerum cœleſtium contemplatione, aliiſque ſpiritualibus pietatis exercitijs.

Apud Theologos hoc nomen dupliciter accipitur. *Primò*, vt ſignificat ſpecialem actum Religionis, & ſic deuotio nihil eſt aliud, quàm interna quædam ſui ad cultum diuinum oblatio & traditio: vnde D. Thomas *ſecunda ſecundæ, quæſt. 82. art. 1. ad primum*, rectè dicit *deuotionem eſſe actum voluntatis hominis offerentis ſeipſum Deo ad ei ſeruiendum.* D. Thom.

Secundò accipitur non pro actu peculiari, ſed pro conditione quadam actus interni: ſic deuotio nihil eſt aliud, quàm promptitudo quædam & feruor affectus ad cultum diuinum, v. g. ad orationem, ad laudem, ad ſacrificium, ad adorationem ad ſoluenda vota, &c. vel affectus ad hæc promptus & feruens. Quo ſenſu in Exodo 35. 20. dicitur. *Multitudinem filiorum Iſraël obtuliſſe mente promptiſſima atque deuota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi teſtimonij.*

2. Deuotio ex parte noſtra naſcitur ex contemplatione duplici. *Primò*, ex conſideratione diuinæ excellentiæ & beneficiorum, quæ tanquam ex perenni fonte in nos aſſiduè ab illa promanant: hinc enim videmus ipſum omni cultu & obſequio eſſe dignißimum, ipſiuſque beneficia à nobis hæc aſſiduè flagitare: vnde meditatio diuinæ bonitatis excitat ac generat in animo Dei amorem, qui amor eſt cauſa deuotionis. De quo illud Dauidis Pſal. 38. *In meditatione mea exardeſcet ignis.*

Secundò, ex conſideratione inopiæ & miſeriæ quam ex nobis habemus, quæ aufert præſumptionem, impedientem hominem à ſubiectione erga Deum: & impellit eum ad ſolicitè ac deuotè petendum auxilium à Deo, vt culpas, ſeu peccata deleat: defectus autem ſuppleat. Vide D. Thomam *quæſt. 82. art. 3.*

3. Excellentia & dignitas virtutis deuotionis inde elucet, quod ſit actus virtutis Religionis, quam Theologi & Sancti Patres faciunt omnium moralium virtutum præſtantiſſimam. Vnde primus ac principalis effectus deuotionis eſt, mentis iucunditas, dulcedo, lætitia. Cùm enim deuotionis proprium munus ſit, dedere ſe Deo: contemplatio autem ac frequens memoria Dei, non poſſit non mentem exhilarare: ideò præcipuus effectus deuotionis eſt mentis lætitia.

Secundarius effectus eſt triſtitia ſecùndùm Deum: quando hi qui Deum contemplantur, eiuſque memoriâ lætitiam capiunt mentis; dolent ſe ea non poſſe perfectè perfrui in cœleſti patria. E contrariò, ſi quis in meditatione ſua conſideret ſuos multiplices defectus, habet occaſionem triſtandi directè: per accidens verò, aut ſecundariò, lætandi, propter ſpem diuini auxilij. Quod verò deuoti aliquando in lacrymas ſoluuntur, non accidit ex triſtitia, ſed ex teneritudine quadam affectus: cùm magnæ lætitiæ quiddam triſte miſcetur. Vt ſi is qui repentè eleuatur mente in contemplationem cœleſtis gaudij, aut ſummæ dilectionis ac miſericordiæ Dei, ſimul concipiat indignitatem atque miſeriam ſuam.

4. Impedimenta veræ deuotionis ſunt. *Primò*, procliuitas ad conſolationes terrenas huius ſæculi. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras, inquit Apoſtolus, iuſtitiæ cum iniquitate, mundo cum Deo, carni cum ſpiritu? Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur. *Secundò*, eſt immoderata ſolicitudo rerum temporalium, quod indicauit Chriſtus, cùm agens de cura rerum ad victum quotidianum neceſſarium, ait: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum. Tertiò*, nimia curioſitas. *Prima* in inquirendis & notandis alienis potius vitiis, quàm propriis. *Secunda* in indagandis plus æquo rerum tam naturalium, quàm ſupernaturalium arcanis. *Tertia* in perueſtigandis artibus propriè curioſis. *Quartò*, eſt occupatio immodica in laboribus externis, qualis eſt in agricolis, opificibus mechanicis, mercatoribus. *Quintò*, eſt immoderata affectio ad ſtudia literarum etiam Theologiæ ſacræ, quæ ſolet, etiam in religioſis hominibus, niſi temperetur, omnem deuotionis ſuccum ebibere, efficereque vt ſæpe ſtata orandi, ſacrum Miſſæ, diuinaque officia audiendi, libros ſpirituales legendi, & alia eiuſmodi tempora negligantur. Ex quo ſæpiſſimè apparent in ſimplicibus & mulieribus clariora ſigna deuotionis, quàm in doctis: quod fit propter ipſorum humilitatem & neglectum faſtus humani. Tamen qui ſcientiam & alia dona habet, & ea cum humilitate & contemptu humanarum vanitatum Deo ſubiicit ac conſecrat; huius deuotio poteſt eſſe maior ac præſtantior illa.

Porrò ex D. Bernardo *Serm. 1. in Aſcenſ. Domini* videre licet alia impedimenta deuotionis, *Vnde* inquit, *ſpiritualis gratiæ inopia tanta quibuſdam, cùm alijs tanta exuberet? Profectò nec auarus, nec inops eſt gratiæ diſtributor: ſed vbi vacua vaſa deſunt, flare oleum neceſſe eſt. Vndique ſe ingerit amor mundi, cum conſolationibus, imò deſolationibus ſuis, obſeruat aditus, per feneſtras irruit, mentem occupat; ſed non eius qui dixit:* Renuit conſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum. *Pſalm. 76. 4. Præoccupatum nempe ſæcularibus deſiderijs animum, delectatio ſancta declinat, nec miſceri poterunt vera vanis, æterna caducis, ſpiritualia corporalibus, ſumma imis: vt pariter ſapias quæ ſurſum ſunt, & quæ ſuper terram.* Cætera impedimenta petantur ex Theologis vel ſcriptoribus myſticæ Theologiæ. D. Bernard.

Vide v. Communio *num.* 14.

DIES.

SVMMARIVM.

1 *Dies quid ſit? Et eius diuiſio in naturalem & artificialem.*
2 *Diei ciuilis diuiſio.*
3 *Quomodo Eccleſia diſpoſuerit diem pro diuinis officijs.*
4 *Dies artificialis quomodo ab aſtronomis, Iureconſultis, Medicis diuidatur.*
5 *Dies hebdomada apud Gentiles ſumunt nomen à ſeptem Planetis.*
6 *Dies feriati, qui dicantur.*
7 *Quando dies Biſſextilis non ſit computandus tanquam vnus dies cum precedenti.*
8 *Dies vt adſcribi debeat inſtrumentis publicis.*

9 *Dierum*

9 *Dierum obſeruatio reducitur ad ſuperſtitionem vanæ obſeruantiæ.*

1. Dies à claritate vel luce nomen habet : vnde lucis ortum, diem vocamus, dicentes, Dieſcit. Significat ergo duo ; lucis claritatem, & temporis aliquam menſuram.

Dies pro menſura temporis, aliquando indeterminatam moram ſignificat. Frequentius autem certum tempus. A quo diuiditur Dies in naturalem & artificialem. Naturalis continet tempus viginti quatuor horarum, quo menſuratur motus, ſeu reuolutio Solis ab Oriente in Occidentem circum totam terram, donec redit ad Orientem. Artificialis, qui & vſualis Dies, continet tempus quo Sol mouetur ab Oriente in Occidentem ſuper noſtrum horizontem, ſeu hæmiſpherium, horis inæqualibus ſecundùm diuerſa anni tempora.

2. Dies qui ciuilis dici ſolet, à media nocte ſcilicet, in ſequentem, ita diuiditur. Primum diei tempus dicitur mediæ noctis inclinatio. Deinde gallicinium, ſiue galli cantus, quòd tum galli cantent. Inde conticinium, quum & galli conticeſcunt, & homines quieſcunt. Deinde diluculum, cùm incipit dignoſci dies. Inde mane, cùm dies eſt clarus. Inde meridies, diei medium. Inde iam ſupra vocatur occiduum tempus, quod & ſerum diei vocatur, & mox ſuprema tempeſtas, hoc eſt diei nouiſſimum tempus : ſicut eſt expreſſum in duodecim tabulis. In has partes diſtribuebant diem, qui conſtat ex viginti quatuor horis, & lucem tenebraſque continet, eumque diem ciuilem vocabant; quod in aliis atque aliis ciuitatibus & regionibus alio atque alio modo obſeruaretur. Athenienſes enim diem ciuilem auſpicabantur à Sole Occidente ad Solem iterum Occidentem. Babylonij ab ortu Solis ad Solem ſecundò exorientem : Vmbri à meridie ad meridiem ſubſequentem. Romani autem à media nocte ad mediam noctem : quorum à nobis quoque conſuetudo obſeruatur, adeò vt ſi quid ante mediam noctem geſtum ſit, id præcedenti diei aſcribatur, quod à media nocte, ſubſequenti diei annumeretur.

3. Eccleſia noſtra in ſuis officiis paulò aliter hunc diem diſpoſuit : nam ad celebrationem diuinorum officiorum ſupputat eum à Veſpera in Veſperam. Vnde primæ & ſecundæ Veſperæ publicorum Feſtorum. In pactis & contractibus initium ſumitur à Solis ortu, ſimiliter & in Iudiciis. Sed hi dies potius ad artificiales dies referri debent.

4. Dies artificialis ab aſtronomis in horas duodecim æquales diuiditur : ſed in humanis operibus tot habet horas, quot Solis lux noſtrum hæmiſpherium illuſtrat. Sortitur autem nomina à variis publicis negotiis, & euentis. Hinc Dies Feſti, aut feriati & negotioſi. Dies ſalutis, lætitiæ : Dies malæ Dies iræ, calamitatis, &c. Habent quoque Iureconſulti varia nomina diei in iudiciis, vt Dies certus, incertus : Dies legitimi, Dies ſtrati, Dies ſigillarij. Habent & Medici ſuos Dies in morborum mutationibus, vt dies Criticus, Decretorius, Iudiciarius, Prouocatorius, quos Calepinus explicat. Calepinus.

5. Gentilium antiquitas hebdomadæ dies appellauit ſecũdùm numerum & ordinem regiminis, aut influentiæ ſeptem Planetarum. Vnde primo diei nomen indiderunt à Sole, tanquam præcipuo ac lucidiſſimo Planetarum, & hunc appellant Diem Solis. Alteri nomen dederunt Lunæ. Tertio, Martis. Quarto, Mercurij. Quinto, Iouis. Sexto, Veneris. Septimo, Saturni. Quæ nomina etiam vulgus Chriſtianorum hactenus retinet in negotiis ciuilibus & aliis. Eccleſia autem Catholica nolens in hoc imitari Gentiles : neque etiam Iudæos, qui hebdomadæ dies nominarunt à Sabbato : vt prima Sabbati, ſecunda, tertia, quarta, &c. Sabbati, vnico feriarum nomine omnes dies appellauit, exceptis prima & vltima die. Primam enim, propter multiplicia ac præclariſſima opera in ea facta à Deo (vt ſunt Creatio Mundi, Annunciatio & Reſurrectio Chriſti, Miſſio Spiritus ſancti in die Pentecoſtes, &c.) Dominicam Diem Apoſtoli, & tota hactenus Eccleſia Chriſti appellarunt. Vltimam autem, quæ Iudæis erat prima, dixerunt Sabbatum, ad ſignificandum factos eſſe nouiſſimos, qui erant primi : aut quod Sabbatum ſignificet requiem : & nos omnibus diebus vitæ noſtræ, qui ſeptenario numero dierum hebdomadæ deſignantur, laboremus, vt ad æternam tandem requiem, Deo donante, perueniamus.

6. Dies feriati dicuntur, qui vel præcipuè ad Dei cultum à Summo Pontifice, aut alicuius Eccleſiæ conſuetudine, aut Epiſcopi ſtatuto inducuntur, *cap. 1. 2. & 3. & cap. fin. de feriis*, vel qui præcipuè hominis gratia inſtituuntur, vt eſt Dies Natalis Regis, creationis Papæ, & huiuſmodi, vel qui lætitiæ cauſa celebrantur, vt dies victoriæ ab hoſtibus reportatæ, & dies qui aliquibus in locis tempore meſſium & vindemiarum celebrantur, *l. 1. l. omnes, C. de feriis*, & Summiſtæ *in verb. Feria*.

7. Dies intercalaris, ſeu Biſſextilis non computandus eſt tanquam vnus dies cum præcedenti, ſed numerandus erit pro die diſtincto, ſiue ſtatuatur terminus per numerum dierum, ſiue per numerum annorum & menſium : quia dies ille eſt verus dies, ſicut quilibet alius dies anni & menſis : vnde ſuſpenſus per annum, elapſis 365. diebus, aut per menſem Februarij, elapſis 28. diebus, ſtatim ſine peccato, aut irregularitatis nota celebrare poteſt, etiamſi Biſſextilis, ſeu intercalaris ille dies adhuc ſupereſt cùm dies ille verè dies ſit 366. anni, & 29. menſis. Tum quia ſuſpenſio eſt pœna, vnde reſtringi potiùs, quàm ampliari debet, *cap. in pœnis, de reg. iur. in 6.* Ita docent Syluester *verb. Biſſextus, & v. Suſpenſio. q. 5. in fine*, Henriquez *lib. 13. cap. 35. §. 2.* Vgolinus *de cenſur. tab. 4. cap. 15. §. 1.* & alij. Syluest. Henriquez. Vgolinus.

8. Dies adſcribi debet inſtrumentis publicis, quo ipſe tabellio rogatus fuerit inſtrumentum conficere, *l. 1. §. editiones, & ibi gloſſ. ff. de edend.* Menſis autem mentio neceſſaria eſt, vt dies confecti inſtrumenti certa ſit : alioqui vbi dies certa foret abſque menſis expreſſa mentione, omitti menſis poſſet : vt dies ſancti Ioannis Baptiſtæ : dies Natiuitatis Dominicæ & his ſimiles. Ita Bartolus & alij *in l. ſi quis, § ſi initium, n. 23. ff. de edend.* Couarruuias *tom. 2. variar. cap. 20. n. 2.* Bartolus. Couarr.

9. Dierum obſeruatio reducitur ad ſuperſtitionem vanæ obſeruantiæ, ac ſi ex iis aliqui ſint fauſti, alij infauſti, vt dies Martis infauſtus eſt ad aliquod opus incipiendum, dies veneris ad præcidendos vngues, dies Sabbati ad nendum in honorem Beatæ Virginis, cùm tamen alia ſeruilia tunc fiant. Non eſt autem ſuperſtitioſè obſeruare menſes, dies & annos, quibus aptior ſit cœli diſpoſitio ad opera exercenda, ſicut etiam in aliis rebus naturalibus licitum eſt obſeruare tempora congruentiora aliquibus rebus agendis, vt purgandis corporibus in vere, colligendis herbis in ſolſtitio, &c. Prima obſeruatio dierum interdicitur tanquam vana & ſuperſtitioſa *in cap. Non obſeruetis & ſequent. 26. quæſt. 7.* Et docet D. Thomas communiter receptus 2. 2. *quæſt. 96. artic. 3. corpore*. Atque id eſſe mortale dicit Nauarrus *in Man. cap. 11. num. 38.* ſed hoc intelligendum eſt, quando hoc efficaciter, & certò creditur, nec excuſat ignorantia. Secus quando dies obſeruantur ex ſolo quodam timore, tunc enim eſt ſolùm veniale; D. Thom. Nauarrus.

Sanchez. & ita communiter contingit, vt rectè docet Sanchez *lib.1.moral. cap.* 40. *n.* 15. Sed de his plura infra dicentur ſuo loco.

Vide v.Debitor *num* 10.Profeſſio *n.* 14. Solutio *n.*7 *& ſequent.*Contractus *n.* 18. Teſtamentum *n.*7.

DIGNITAS.

SVMMARIVM.

1 *Dignitas quid ſit, & qua ad eam requirantur.*
2 *Dignitas eſt Archidiaconatus.*
3 *Item Archipresbyteratus.*
4 *Item Decanatus in multis Eccleſiis.*
5 *Item Præpoſitura ſi habeat curam & Conuentum.*
6 *Item Prioratus ſecularis.*
7 *Item Abbatia habens curam & Conuentum.*
8 *De dignitatis eſſentia non requiritur neceſſariò, vt quis in officio perpetuus eſſe debeat, ſed ſatis eſt, quòd poſſit eſſe perpetuus.*
9 *Dignitas non venit appellatione beneficij.*
10 *Dignitatis prærogatiuæ & priuilegia retinentur, dimiſſo officio cui eſt annexa dignitas amittuntur verò, quando quis priuatur dignitate propter delictum.*

1. DIgnitas,proprié loquendo,eſt præeminentia cum iuriſdictione in foro externo, vt docet Abbas *cap. de multa, de prabend.* vnde eſt beneficium duplex: imò inter duplicia præſtantius, excepto Epiſcopatu, & ſimilibus:hinc habere dignitatem quis dicitur,quando habet adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum iuriſdictione: dicitur etiam habere dignitatem,qui habet nomen dignitatis,& Prælationis,ſicut prærogatiuam in ſua Eccleſia,tam in choro, quàm in proceſſionibus & aliis Comitiis, & ſeſſionibus, quamuis non habeat adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, vel iuriſdictionem.Denique dicitur habere dignitatem,qui ex conſuetudine Eccleſiæ habetur in dignitate;quia conſuetudo eſt in Eccleſia,pro dignitate haberi debet, *cap. Conſuetudo* 12. *diſtinct.* 1ta Archidiac. *in cap.1.num.*2. *de conſuetud. in 6.* Archidiac.

2. Prima ſpecies dignitatis eſt *Archidiaconatus*, & quidem Apoſtolorum temporibus Archidiaconus erat Princeps Diaconorum, qui conſtituebatur in ſingulis vrbibus, quibus præficiebatur Epiſcopus: eius autem munus erat curare, vt cæteri Diaconi ſuum munus ritè exequerentur. Deinde progreſſu temporis eius poteſtas euaſit maior, nam etiam in Presbyteros habuit auctoritatem, vt conſtat ex *cap.* 1. *de offic. Archidiac.* An autem ratione ſui muneris & officij iure communi habeat curam animarum? Dicendum eſt, curam animarum dupliciter accipi. *Primò* pro poteſtate Ordinis cum iuriſdictione in foro conſcientiæ, vt habet Parochus: hoc modo Archidiaconus non habebat curam animarum, quia non erat Sacerdos. *Secundò*, pro iuriſdictione in foro externo ſententias ferendi in populum ſibi ſubiectum, excommuncandi, capiendi, &c. Et hoc modo habebat; poterat enim Clericos corripere, eorum cauſas audire, delicta ad Epiſcopum deferre, Eccleſias viſitare, &c. Et tanta auctoritas Archidiacono competebat ex delegatione Epiſcopi, erat enim ipſius Vicarius. Ita Innocentius *in cap. cùm ſatis, de offic. Archidiac.* vbi Gloſſa, Hoſtienſis, Ioan. Andreas, Abbas & alij. Vnde Archidiacono, tanquam in dignitate conſtituto,poſſunt demandari cauſæ à Romano Pontifice & eſſe conſeruator Apoſtolicus,ex *cap.* 1.2. *& vlt. de offic.mdic.delegat.in 6.* Innocent. Gloſſa. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Abbas.

3. Secunda quaſi ſpecies dignitatis eſt *Archipresbyteratus*, qui eſt dignitas inferior Archidiaconatu, & cedit illi in iuriſdictione, quamuis Ordinis poteſtate ſit Archidiacono maior. Archipresbyter duplex erat,vnus Vrbanus ſeu Ciuitatenſis,qui præfectus erat cæteris vrbis Presbyteris in qua erat Cathedralis,*cap. Officium,de offic. Archipresbyt.* Alter dicebatur Vicanus,ſeu Ruralis, qui iuriſdictionem habebat in Presbyteros in ſingulis pagis & oppidis. Archipresbyter habebat curam animarum, aliorum Presbyterorum Confeſſiones audiendo,& plebi Sacramenta miniſtrando.Et illius iuriſdictio ordinaria erat, quia ratione muneris illam habebat. Ita Gloſſ.*c.vt ſing.de offic.Archip.*Hodie tamen pleriſque in locis Archipresbyteratus eſt tantùm perſonatus. Gloſſa.

4. Tertia eſt *Decanatus*,cuius auctoritas potius eſt ex conſuetudine,quàm iure communi: vnde nullus erat in iure titulus de illo. Aliquando confunditur cum officio Archipresbyteri,vt *cap.* 1. *&* 2. *diſt.*60. in quibuſdam Eccleſiis Franciæ & Hiſpaniæ,quia præeſt toti Collegio Canonicorum:in cõſeſſu & Comitiis dicitur Decanus: quare dignitas eſt,cùm etiam in multis Eccleſiis habeat iuriſdictionem, ex *c.dilectus,de appell.* quamuis iam in multis Eccleſiis nomen eſt tantùm ſolius dignitatis abſque iuriſdictione.

5.Quarta eſt *Præpoſitura*, de qua etiam nullus extat titulus in iure; fuit autem abſque dubio dignitas vel perſonatus,habuit enim vna cum honorifico loco etiam iuriſdictionem, & curam animarum, & nunc etiam in Eccleſiis Germaniæ, Poloniæ,Belgij eandem iuriſdictionem retinet:vbi tamen Præpoſitura caret cura & Conuentu, non vocatur dignitas, ſicut reſolutum fuit in Rota Præpoſituras in Eccleſia Gerunden. nedum non eſſe dignitates;imò nec beneficia Eccleſiaſtica, ſed eſſe ſimplices tantùm adminiſtrationes temporales, nihil ſpiritualitatis habentes. Rota.

6.Quinta ſpecies dignitatis eſt *Prioratus ſecularis.* Dicebatur autem Prior, qui toti Collegio Canonicorũ præerat cum iuriſdictione & cura animarum: & nunc etiam in quibuſdam locis viget huiuſmodi dignitas,vt teſtatur Azorius *tom.*2 *lib.*6.*cap.*20. Azorius.

7. Sexta ſpecies eſt *Abbatia*;quia Abbatis nomen ſecum importat & honorem & dignitatem: quod probatur ex *c.vt Apoſtolicæ, de priuil. in 6.* vbi textus loquens de Abbatibus, ait, *quibus ex propria dignitate non competit.* Notandum tamẽ,quòd non omnes,qui appellantur Abbates,habent dignitatem, niſi in eis cõcurrat aliquod ex ſignis requiſitis ad dignitatem conſtituendam,de quibus diximus ſupra *n.*1.& *verb. Abbas n.*1. Ratio eſt, quia ſola nominatio non facit dignitatem,ſed effectus,qui colligitur ex exercitiis. In multis enim locis plures etiam Clerici vocantur Abbates,quos tamen certum eſt,nullam habere dignitatem: vnde fuit reſolutum in Rota, Abbatiam, quæ caret cura & Conuentu non eſſe dignitatem, nec requirere ætatem 25.annorum.

8. Dignitas, ſi conſideretur vt eſt beneficium Eccleſiaſticum, ſic ad vitam & in perpetuum eſt conferenda; ſi autem conſideretur provt eſt munus cum iuriſdictione & adminiſtratione coniunctum ſufficiens ad officium conſeruatoris, vel delegati Apoſtolici, tunc non eſt neceſſariò perpetua, quia iura non ſupponunt eam perpetuam, *c.1. & 2. & vltim. de offic. delegat. in 6.* & *cap. ſtatutum de reſcript. in 6.* Vnde de eſſentia dignitatis, non requiritur neceſſariò, vt quis in officio perpetuus eſſe debeat, ſed ſatis eſt, quòd poſſit eſſe perpetuus. Nam ex ſpeciali iure & priuilegio quidam Abbates,& Prælati Ordinum mendicantium qui ad tempus creantur & eliguntur,ſuccedũt in omnibus quæ de iure ad Prælatos perpetuos ſpectare noſcuntur,

cuntur, cùm in illorum locum ſubrogati ſint, conſequenter ſortiuntur iura & priuilegia eorum, in quorum locum ſubrogantur, & tamen ſecundùm communiter Doctores habent dignitatem, & ſunt in dignitate conſtituti. Ita Syluester *verb. Delegatus, n. 3.* & *verb. Dignitas, n. 1.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 13. num.* 78. & alij ab ipſo relati.

Syluest. Sanchez.

9. Dignitas non venit appellatione beneficij, *arg. cap. final. de prabend. in 6.* vnde fit vt diſpenſatus ad beneficia vel etiam dignitates, non poſſit promoueri ad dignitates, quibus animarum cura annexa eſt. Auguſt. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 2. allegat. 45. num. 13.* Item diſpenſatus ad dignitatem inferiorem, v. g. vt localis Prælatus eſſe valeat, non cenſetur diſpenſatus ad maiorem, nimirum quod ad Prouincialatum promoueri poſſit, niſi in diſpenſatione de hoc expreſſa mentio facta fuerit: quia permiſſa minori dignitate, non cenſetur permiſſa maior, ſed è contra, vt colligitur ex *cap. innotuit, de elect.* Panormitan. ibi, *numer. 4.* Sorbo *in annot. ad compend. priuil. verb. diſpenſatio, verſ. Et ideò fratres.* Manet ergo, quod ſi quis fuiſſet generaliter ad quæcumque beneficia diſpenſatus: abſque alia expreſſa diſpenſatione non poſſet ad dignitates promoueri. Ita Rebuffus *in praxi, tit. de diſpenſ. ſuper defect. natal. n. 52.* Azorius *part. 2. lib. 6. cap. 3. qu. 7.*

Barboſa. Panormit. Sorbus. Rebuffus. Azorius.

10. Regulariter dimiſſo officio, cui eſt annexa dignitas, retinet quis, quamdiu viuit, prærogatiuas & priuilegia, quibus dignitas: quia beneficium per dignitatem quæſitum durat, etiam deficiente dignitate, *l. maior dignitas, C. de dignit. lib. 12.* Et in memoriam priſtinæ dignitatis retinentur reliquiæ & veſtigia quædam, hoc eſt nomen, ſeu honor & prælatio honoris, cum priuilegiis immunitatis tertio non nociuis, ſine aliquo exercitio præcedentis dignitatis: vnde Abbati qui à ſuo munere ſine eius culpa abſolutus fuit, vel illi ſponte renunciauit, competit primus locus in choro & Conuentu poſt Abbatem, in memoriam priſtinæ dignitatis. Ita Ioann. de Lignano & Ioannes Imola, quos refert & ſequitur Felinus *in cap. qua Eccleſiarum, num. 81. de reſcript.* Hoc tamen non procedit, quando quis deponitur ab officio, vel priuatur dignitate propter aliquod delictum, *l. iudices, C. de dignit. lib. 12.*

Lignano. Imola. Felinus.

De dignitate vide v. Abbas *n. 1. & 2.* Delegatus *num. 16.* Epiſcopus *n. 17.* Excommunicatio *2. nu. 12. & 13.* Reſidentia *n. 14.*

DISPENSATIO.

SVMMARIVM.

1 *Diſpenſatio eſt ſtrictè interpretanda.*
2 *Diſpenſatio proprio motu Principis conceſſa, amplè intelligenda venit.*
3 *Diſpenſatio in corpore iuris clauſa, recipit omnem legis extenſionem.*
4 *Diſpenſatio in priuato ſtatuto, aut conſuetudine, quæ erant iuri contraria, amplè interpretanda eſt.*
5 *Priuilegia Religionum extendenda ſunt tanquam fauorabilia.*
6 *Diſpenſatio ad neceſſariò & inſeparabiliter annexa extenditur.*
7 *An in diſpenſatione valeat argumentum ab identitate rationis, vel à maiori ad minus.*
8 *Diſpenſandi poteſtas alicui conceſſa eſt latè interpretanda tanquam fauorabilis.*
9 *Quando ex facto Principis ſupremi præſumatur diſpenſatio in iure humano.*
10 *Non cenſetur Princeps diſpenſare inhabilem admittendo ignoranter.*
11 *An inferiores Principe cenſeantur diſpenſare, quando admittunt ſcienter impeditum ad actum, ad quem poſſunt diſpenſare?* Refertur duplex ſententia.
12 *An ſola patientia & taciturnitas ſuperioris, cenſeatur tacita diſpenſatio, ſi non contradicat cùm poſſit.*
13 *Quoties Canon aliquis permittit in eo diſpenſari, nec explicat à quo diſpenſatio dari queat, cenſetur poteſtas conceſſa Epiſcopo in eo diſpenſandi.*
14 *An Prælati inferiores poſſint in proprijs conſtitutionibus diſpenſare, ſi fuerint confirmata à Superiore.*
15 *Probabilius eſt diſpenſationem non ceſſare, ceſſante eius cauſa finali.*
16 *Legiſlator diſpenſans in lege propria ſine iuſta cauſa, quando peccet venialiter, quando mortaliter.*
17 *Diſpenſatio Epiſcopi vel Archiepiſcopi in Conſtitutionibus Synodi diœceſanæ facta ſine iuſta cauſa valida eſt.*
18 *Diſpenſatio Archiepiſcopi in decretis Concilij Prouincialis facta ſine cauſa legitima, irrita eſt & inualida.*
19 *Quando delegatus habens poteſtatem diſpenſandi, teneatur diſpenſare, quando non.*
20 *Quale peccatum ſit in ytentibus diſpenſationi à Superiore facta ſine cauſa? Et an peccet Superior ſecum diſpenſando ſine cauſa, & ytens tali diſpenſatione.*
21 *In multis caſibus poteſt Epiſcopus diſpenſare in legibus Pontificijs.*
22 *An forenſes & peregrini poſſint diſpenſari à Diœceſano in legibus, votis vel iuramentis?* Refertur triplex ſententia.
23 *An poſſit Epiſcopus diſpenſare in voto ſibi conceſſo, quando prior adiit eſt Pontifex, ac conceſſit diſpenſationem.*
24 *Quid, quando Pontifex in eo caſu denegauit diſpenſationem.*
25 *Diſpenſatio vitiatur tacita veritate, quæ eſt cauſa finalis conceſſionis, ſecus ſi tantùm ſit impulſiua.*
26 *Diſpenſatio irregularitatis ſubreptitia non eſt, ſi taceatur occiſum fuiſſe Presbyterum.*
27 *An valida ſit impetratio facultatis diſpenſandi in quodam caſu, eo non explicato, ſi credatur fore, vt eo declarato Prælatus denegaret.*
28 *Taciturnitas diſpenſationis priùs petitæ & non obtentæ, non vitiat ſequentem diſpenſationem.*
29 *An habens votum caſtitatis & Religionis poſſit diſpenſari in voto caſtitatis, etiamſi taceatur votum Religionis.*
30 *An committens plura homicidia, contrahat diuerſas irregularitates in diſpenſatione explicandas.*
31 *An diſpenſatio vitietur ſolùm cauſa finalis falſa expreſſione, vel etiam cauſa impulſiua falſa.*
32 *In dubio, an cenſeatur cauſa finalis tacita vel falsè expreſſa, an impulſiua tantum.*
33 *An diſpenſatio ſit ſubreptitia, quando erratur in nomine perſonæ.*
34 *Quid, ſi erretur in nomine Diœceſis.*
35 *Quid, ſi allegatâ ſolâ copulâ pro cauſa, & ea non ſit habita.*
36 *An ſubreptio contingens in vna reſcripti parte, vitiet totum reſcriptum, vel tantùm partem.*
37 *Quid, ſi ſubreptio contingat ex malitia Curialis vel ſolici-*

ſolicitatorꝭ, inſcio illo, in cuius fauorem impetratum eſt reſcriptum.

38 *An diſpenſatio per metum, dolum vel mendacia obtenta, ſit valida.*

39 *Quando debeat verificari cauſa finalis in diſpenſationibus.*

40 *An diſpenſatio valida ſit, ante expeditionem literarum.*

41 *An ignoranti poſſit impetrari diſpenſatio vel aliud priuilegium.*

1. DIſpenſatio eſt adeò ſtrictè interpretanda, vt ſi aliquid operetur, extendenda ampliùs non ſit. Ita habetur *cap.1. §. ille vero, de filiis preſbyt. in 6.* Ratio eſt, quia exorbitat à iure communi. Tum quia lex, quæ omnibus eſt æqua, ſi ius commune lædat, ipſum corrigens, eſt odiola, & valde reſtringenda. Nedum diſpenſatio particularis ius ipſum violans, erit odiola, & ſtrictiſſimè intelligenda. Sic communiter Doctores. Hæc tamen concluſio aliquibus modis à Doctoribus temperatur.

2. Diſpenſatio, quæ proprio Principis motu conceditur ob publicam vtilitatem, amplè intelligenda venit: eo quòd dicatur verè Principis Beneficium, ac omni ambitione vacans, *cap. Si motu proprio, de prebend. in 6.* Tunc autem dicitur gratia proprio motu conceſſa, quando Pontifex explicat ſe proprio motu in literis diſpenſationis concedere, quamuis conſtet eam ab impetrante petitam: quia hæc non repugnat, ſed ſignificat Pontifex illis verbis, ſe non illa petitione, ſed proprio motu ductum. Ita bene Menochius *de arbitr. lib.2. centur. 3. caſu 201. num.79.* vnde infertur tunc non admitti volentem probare, ad partis petitionem conceſſam eſſe gratiam; quia eſſet Pontificem mendacij redarguere velle, vt docet Rebuffus *in clauſula mandatorum, num.23.*

Menoch.

Rebuffus.

3. Diſpenſatio in iuris corpore clauſa, non ſtrictè interpretanda eſt, cùm cenſeatur lex, ſed recipit omnem ſimilis legis extenſionem, nempe ad omnes caſus, in quibus eadem vel maior ratio inuenitur. Ita Rodriguez *tom.2. quæſt.reg. qu.47. artic.11.* Imò quoties diſpenſatio verſatur circa iuris cõmunis materiam, iuxta illud intelligenda eſt. Ex quo fit quod diſpenſatio in tertio conſanguinitatis gradu facta extendatur ad ſecundum cum tertio; quia computari debet iuxta iuris communis diſpoſitionem, quod gradus computat iuxta eum, qui à ſtipite remotior eſt, *cap. final de conſanguinit.* Ita Syluester *verb. matrim. 8. q.6. in fin.* Angelus *verb. Matrim.3. imped.6. ad fin.*

Rodriguez.

Sylueſt. Angelus.

4. Diſpenſatio in priuato ſtatuto, aut conſuetudine populi quæ erant iuri communi contraria, amplè interpretanda eſt. Ratio eſt, quia reducit ad ius commune, quod fauorabile eſt: omnis enim intellectus & lex correctoria, per quæ reducimur ad ius commune, fauorem continent, & extendi debent, res autem facile ad ſuam naturam redit. Ita Henriquez *lib.7. de indulgent. cap.30. n.3.* & alij.

Henriquez.

5. Quamuis diſpenſatio quæ priuatis conceditur ſit ſtrictè interpretanda: at priuilegia toti Religioni conceſſa extendenda ſunt tanquam fauorabilia; quia cùm non vni vel alteri perſonæ concedantur, ſed toti Religioni, aut communitati in perpetuum, æquantur legi, ac proinde habentur ac ſi in iuris corpore inſerta eſſent: ſunt enim conſtitutiones perpetuæ. Ita Henriquez alios referens *lib. 7. de indulg. cap.22. n.3.* & *cap.24. num.4. fin.* Amicus *tom.5. diſp.6. ſect.2. n.16.*

Henriquez. Amicus.

6. Diſpenſatio non ita ſtrictè intelligi debet, quin ad neceſſariò & inſeparabiliter connexa extendatur, ne ſuo effectu fruſtretur: hinc diſpenſatio ad plura beneficia, extenditur ad licentiam non reſidendi in vtroque, ſed in ſolo altero, vt bene docet Gloſſa *cap. non poteſt, verb. Retinere, de prebend. in 6.* At quando acceſſoria ſunt à principali ſeparabilia, ita vt diſpenſatio ſuper principali imprimat ſuum effectum abſque ea extenſione, non extenditur ad ea acceſſoria, eo quod diſpenſatio ſtrictè ſit intelligenda. Vnde diſpenſatio ad non reſidendum, minimè extenditur ad fructuum conſequutionem, qui ab abſentibus percipiuntur, quia hæc poſſunt ſeparari: diſpenſatio autem prædicta deſeruiet, nè is priuetur beneficio, ob reſidentiæ defectum. Ita multi Iuriſperiti quos refert & ſequitur Sanchez *de matr. lib.8. diſp.1. n.19.* & 20. apud quem plura de hac materia. Vide Dianam *p.8. tr.3. reſol.32.*

Sanchez. Diana.

7. Quamuis probabile ſit in diſpenſationibus locum habere argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus, ita vt in iis extenſio fiat à caſu, in quo eſt par, aut minor ratio ad caſum, in quo eſt eadem, aut maior conceſſionis ratio, quia in re pœnali & ſic odioſa id argumentum locum habeat.

Communis tamen & receptiſſima ſententia negat id argumentum procedere in diſpenſationibus: atque adeò in iis fallere regulam iuris 53. *in 6.* ſic dicentem: *Cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus.* Probatur hæc ſententia per aliam *reg. iuris in 6.* vbi dicitur. *Quæ à iure communi exorbitant, minimè ſunt ad conſequentiam trahenda.* Cùm ergo diſpenſatio ſit huiuſmodi, non valet in ea argumentum à minori. Secundo probatur ex *cap. fin. de tranſlat. Epiſcop.* vbi diſpenſatio, vt quis ad Archiepiſcopatum promoueatur, non extenditur ad Epiſcopatum. Ita Couarruuias *4. decret. 2. p.c.8. §.8. n.11.* Gutierrez *quæſt. Canon. lib. 2. c. 15. num.124.* & 126. Molina *tom.3. de iuſtit. diſp.591.* & alij. Hæc tamen regula. *Primò*, procedit in diſpenſationibus odioſis, vt ad plura beneficia; ſecus in fauorabilibus & quæ non ſunt odioſæ, vt in diſpenſatione illegitimi ad ordines. *Secundò*, valet argumentum à maiori ad minus, quando caſus in quo diſpenſatur, rationem expreſſam cõceſſionis continet. Tunc enim extenditur ad caſum non expreſſum, vbi reperitur eadem ratio: quia hoc non eſt extenſio, ſed declaratio, qua declaratur includi eum caſum ex tacita diſpenſantis mente. Ita Rodriguez *tom.2. qq. regular. quæſt.47. artic.11. Tertiò*, quando minus eſt annexum vel incluſum in maiori tanquam pars eius, vel ab eo inſeparabile: tunc diſpenſatio in caſu maiori extenditur ad minorem: quia conceſſo toto partes conceſſæ videntur. Vt diſpenſatio ad ſacerdotium extenditur ad omnes ordines inferiores. Ita Sayrus *de cenſur. lib.7. cap.14. num.17.* Porrò licet non valeat argumentum à maiori in diſpenſationibus ab homine conceſſis, ſecus tamen dicendum in iis, quæ à Canone vel lege inducuntur: quia illæ ſtrictè, hæ verò largè interpretandæ ſunt, Couarruuias *4. decret. 2. p.cap.8. §.8. n.11.* Item quando maius & minus ſunt in eodem genere, tunc diſpenſatio in maiori verba prægnantia habens extenditur ad minus, Felinus *in cap. Poſtulaſti, n.13. limit.8. de reſcript.* vnde Monachus habens facultatem teſtandi, poteſt quoque codicillum facere, aut cauſa mortis donare. Ex *l. Marcellus, ff. de donat. cauſa mort.* Et docet Sanchez *loco citato à num.31. ad finem*, vide Sayrum *de cenſur. lib.7. c.14. nu.17.* Dianam *p.8. tract 3. reſol.41.*

Sanchez. Sayrus. Diana.

Couarruu.

Felinus.

8. Poteſtas diſpenſandi conceſſa alicui eſt latè interpretanda tanquam fauorabilis. Probatur, quia cùm diſpenſandi poteſtas conceditur, nulli fit præiudicium, niſi ſoli concedenti, qui poteſtatem ſuam totam vel eius partem communicat, nec ex parte eius, cui conceditur, reperitur aliquod odium, &

Anno 1 Eliz. cap. 1. Supremacy.

Anno 1 Eliz. cap. 2. Uniformity of Common Prayer.

Anno 1 Eliz. cap. 3. Ministers to take the Oath of Supremacy.

Anno 1 Eliz. cap. 4. Oath of Supremacy.

Anno 1 Eliz. cap. 5. Restoring to the Crown the ancient Jurisdiction over the State Ecclesiastical and Spiritual, and abolishing all Foreign Power repugnant to the same.

Anno 1 Eliz. cap. 6. Ecclesiastical Commissioners.

Anno 1 Eliz. cap. 7. Exercise of Ecclesiastical Jurisdiction.

Anno 1 Eliz. cap. 8. Punishment of Persons refusing to take the Oath of Supremacy.

Anno 1 Eliz. cap. 9. Assurance of the Queen's Power over the Estates of Bishoprics.

Anno 1 Eliz. cap. 10. Ecclesiastical Leases.

Anno 1 Eliz. cap. 11. Exchange of Bishoprics.

Anno 1 Eliz. cap. 12. Tenths and First Fruits.

Anno 1 Eliz. cap. 13. Recognizances for the First Fruits.

Anno 1 Eliz. cap. 14. Bishops to make Leases.

Anno 1 Eliz. cap. 15. Leases of Spiritualties.

Anno 1 Eliz. cap. 16. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 17. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 18. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 19. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 20. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 21. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 22. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 23. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 24. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 25. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 26. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 27. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 28. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 29. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 30. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 31. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 32. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 33. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 34. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 35. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 36. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 37. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 38. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 39. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 40. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 41. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 42. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 43. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 44. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 45. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 46. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 47. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 48. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 49. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 50. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 51. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 52. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 53. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 54. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 55. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 56. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 57. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 58. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 59. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 60. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 61. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 62. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 63. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 64. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 65. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 66. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 67. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 68. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 69. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 70. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 71. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 72. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 73. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 74. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 75. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 76. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 77. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 78. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 79. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 80. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 81. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 82. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 83. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 84. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 85. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 86. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 87. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 88. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 89. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 90. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 91. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 92. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 93. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 94. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 95. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 96. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 97. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 98. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 99. Leases of Benefices.

Anno 1 Eliz. cap. 100. Leases of Benefices.

Wikipedia is a free online encyclopedia, created and edited by volunteers around the world and hosted by the Wikimedia Foundation.

Text
Main page
Contents
Featured content
Current events
Random article
Donate to Wikipedia
Wikipedia store

Interaction
Help
About Wikipedia
Community portal
Recent changes
Contact page

Tools
What links here
Related changes
Upload file
Special pages
Permanent link
Page information
Wikidata item
Cite this page

Print/export
Create a book
Download as PDF
Printable version

Languages
Add links

Article
Talk

Read
Edit
View history

Search
Search Wikipedia

Go

Main page

Welcome to Wikipedia

The free encyclopedia that anyone can edit.

5,000,000+ articles in English

From Wikipedia, the free encyclopedia

Did you know...

- ... that the Wikipedia article about **Rosetta Stone** was created in 2001, before the Rosetta spacecraft was launched?
- ... that **Ptolemy V** was the first Egyptian king to be depicted wearing Egyptian clothing?
- ... that the Rosetta Stone was used to decipher **Egyptian hieroglyphs**?

In the news

- **Rosetta** spacecraft lands on comet 67P/Churyumov–Gerasimenko
- **Philae** lander becomes first spacecraft to land on a comet
- **Ptolemy V** dies, leaving the throne to his son Ptolemy VI

On this day

November 12: Feast day of Saint Rosetta

Featured picture

The Rosetta Stone, a granodiorite stele inscribed with three versions of a decree issued in Memphis, Egypt, in 196 BC during the reign of Ptolemy V Epiphanes.

Featured article

The Rosetta Stone is a granodiorite stele inscribed with three versions of a decree issued in Memphis, Egypt, in 196 BC during the reign of Ptolemy V Epiphanes. The decree is written in two languages, Egyptian and Greek, and three scripts, hieroglyphic, Demotic and Greek. The stone was carved by priests as a decree in honour of Ptolemy V, and was probably one of many copies displayed throughout Egypt. The Rosetta Stone was rediscovered in 1799 by French soldiers in the town of Rosetta (Rashid), and was transported to Alexandria. It was the first hieroglyphic text to be translated in modern times, and its decipherment by Jean-François Champollion in 1822 was a major breakthrough in the study of Egyptian hieroglyphs.

Selected anniversaries

November 12: Feast day of Saint Rosetta

Did you know...

- ... that the Wikipedia article about **Rosetta Stone** was created in 2001, before the Rosetta spacecraft was launched?
- ... that **Ptolemy V** was the first Egyptian king to be depicted wearing Egyptian clothing?
- ... that the Rosetta Stone was used to decipher **Egyptian hieroglyphs**?

In the news

- **Rosetta** spacecraft lands on comet 67P/Churyumov–Gerasimenko
- **Philae** lander becomes first spacecraft to land on a comet
- **Ptolemy V** dies, leaving the throne to his son Ptolemy VI

On this day

November 12: Feast day of Saint Rosetta

Featured picture

The Rosetta Stone, a granodiorite stele inscribed with three versions of a decree issued in Memphis, Egypt, in 196 BC during the reign of Ptolemy V Epiphanes.

Featured article

The Rosetta Stone is a granodiorite stele inscribed with three versions of a decree issued in Memphis, Egypt, in 196 BC during the reign of Ptolemy V Epiphanes. The decree is written in two languages, Egyptian and Greek, and three scripts, hieroglyphic, Demotic and Greek. The stone was carved by priests as a decree in honour of Ptolemy V, and was probably one of many copies displayed throughout Egypt. The Rosetta Stone was rediscovered in 1799 by French soldiers in the town of Rosetta (Rashid), and was transported to Alexandria. It was the first hieroglyphic text to be translated in modern times, and its decipherment by Jean-François Champollion in 1822 was a major breakthrough in the study of Egyptian hieroglyphs.

Selected anniversaries

November 12: Feast day of Saint Rosetta

Superior nunquam habuit animum non diſpenſandi in tali caſu, & alias poterat diſpenſare, valida eſt diſpenſatio: quia facta eſt ab eo, qui facultatem & voluntatem diſpenſandi habebat. Ita Sanchez *cit. diſp. 21. num. 24.* Bonacina *de legib. d. ſp. 1. quæſt. 2. pu. ct 5. num. 22.* Salas *de leg. d. ſp. 20. ſect. 15. num. 122.* & alij.

Sanchez. Bonacina. Salas.

28. Taciturnitas diſpenſationis prius petitæ & non obtentæ non vitiat ſequentem diſpenſationem poſtea ab eodem Superiore obtentam: nec obſtat quod veriſimile ſit, ſi Superior recordaretur antea ſe eandem diſpenſationem negaſſe, denuò requiſitus illam non eſſet conceſſurus: hæc præſumptio non ſolido nititur fundamento, cùm potiùs præſumi debeat Superiorem iterum rogatum negatam antea diſpenſationem conceſſurum, ob nouam ſubditi ſupplicationem, quæ diſpenſationis neceſſitatem magis oſtendit. Ita Sanchez *de matrim. lib. 8. d ſput. 22. num. 14.* Suarez *de leg. lib. 6. cap. 22.* Amicus *tom. 5 diſp 6 ſect. 8. num. 120.*

Sanchez. Suarez. Amicus.

29. Probabile eſt habentem votum caſtitatis & Religionis impetrare poſſe diſpenſationem in voto caſtitatis etiamſi taceat votum Religionis: quia votum Religionis non obligat ad perſeuerandum: ergo diſpenſatio pro voto caſtitatis vtilis eſſe poteſt toto tempore, caſu quo in Religione non perſeueret: & ex hac vtilitate dari poteſt ſufficiens cauſa diſpenſationis. Ita Pontius *de matrim. lib. 8. c. 17. n. 14.* Caſtrus Palaus *tom. 1 tract. 3 diſp. 6. punct. 16. §. 4. num. 13.* Contra Suarez docentem in eo caſu validam fore diſpenſationem voti Religionis, ſi ab eo inchoetur, nulla etiam facta mentione voti caſtitatis. Secus verò ſi priùs petatur diſpenſatio voti caſtitatis: tunc enim diſpenſatio illius erit ſubreptitia, ſi non explicetur etiam votum Religionis.

Pontius. Palaus. Suarez.

30. Qui plura homicidia committit, non videtur plures irregularitates incurrere in diſpenſatione neceſſariò manifeſtandas: quia vbi ad aliquem effectum concurrit vna cauſa totalis, non poteſt ſimul concurrere alia item totalis in eodem genere. Tum quia cùm irregularitas ſit inhabilitas per modum habitus, non poteſt quis ampliùs ex eadem cauſa inhabilitari; neque vna cauſa ſuper aliam operari: Et ſic copula inter conſanguineos ſæpiùs repetita, non inducit nouum impedimẽtum, neque eſt neceſſario facienda mentio omnium illorum delictorum in diſpenſatione, ſed ſufficit ſi vnius tantùm mẽtio fiat. Et qui tres, aut quatuor duxit vxores, non tenetur omnes manifeſtare, cùm petit diſpenſationem bigamiæ. Ita Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 24. num. 7.* Toletus *lib. 7. cap. 19. ad finem.* Diana *part. 4. tract. 1. reſol. 86.* & *part. 8. tract. 3. reſol. 58.* & alij. Verum ex vſu & ſtylo curiæ quidam arbitrantur exprimenda eſſe omnia homicidia.

Sanchez. Toletus. Diana.

31. Secundùm probabiliorem ſententiam, diſpenſatio vitiatur ſolùs cauſæ finalis falsæ expreſſione, nimirum, quando Princeps ea falſitate non expreſſa gratiam ſeu diſpenſationem minimè conceſſiſſet, non autem expreſſione cauſæ impulſiuæ falſæ. Ratio prioris eſt, quia error in cauſa finali impedit voluntarium ad conceſſionem gratiæ ſubſtantialiter requiſitum, ergo reddit illam inualidam: nam omnis gratiæ conceſſio requirit liberam Principis voluntatem, ergo vbi illa deeſt, deeſt ſubſtantiale principium, à quo illa pendet. Ratio poſterioris eſt, nam expreſſio falſi faciliùs tantùm impellentis, non tollit voluntarium ad conceſſionem gratiæ ſubſtantialiter requiſitum; vnde ſine expreſſione falſi tantùm impellentis conceſſa fuiſſet gratia ſimpliciter, licèt non cum ea facilitate. Ergo. Ita multis citatis Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 21. num. 32.* Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 20. num. 5.* Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 3. num. 7.* Contra quoſdam affirmantes diſpenſationem eſſe irritam, etiamſi cauſa falſo expreſſa ſit impulſiua: quia litteræ conceſſionis habent tacitam conditionem, ſi preces veritate nitantur, iuxta *cap. 1. de reſcriptis.* Sed hoc fundamentum intelligendum eſt, quod preces niti debeant veritate eorum dumtaxat, ex quibus conceſſio gratiæ ſubſtantialiter pendet, cuiuſmodi non eſt cauſa merè impulſiua, ſine qua adhuc conceſſa fuiſſet diſpenſatio.

Sanchez. Couarruu. Henriquez.

32. Controuertitur inter Doctores, quando attentis omnibus circumſtantiis dubium eſt, an cauſa in diſpenſatione tacita vel falsò expreſſa ſit finalis vel impulſiua? Quidam enim præſum. finalem affirmant. Ratio illorum eſt, quia Pontifex concedit ordinario vel confeſſario, vt diſpenſet, ſi preces veritate nitantur: at quando eſt dubium, non nituntur veritate. Tum quia cùm de impedimento conſtet & diſpenſatio dubia ſit, ſtat poſſeſſio pro impedimento. Ita Molina *tract. 2. diſput. 173.* Gutierrez *pract. quæſt. lib. 3. quæſt. 17. numer. 115.* Menochius & alij apud Sanchez infra. At verius eſt in dubio non præſumi cauſam finalem, ſed impulſiuam, ac proinde præſumi fore vt illa cauſa verè expreſſa Princeps concederet diſpenſationem, vt vel ſic illa valida ſit: quia in dubio, ſemper actus præſumendus eſt validus; vnde valori actus iura maximè fauent. Ideò hanc ſententiam ſuſtinent Sanch. *de matrim. lib. 8. diſput. 21. numer. 20.* Salas *de leg. diſput. 22. ſect. 15. num. 122.* Bonacina *diſput. 1. quæſt. 2. punct. 6. in fine.* Ad iudicandum autem, an cauſa ſit impulſiua vel finalis, recurrendum eſt ad iudicium viri prudentis, qui in iudicio ferendo inſpicere debet ſtylum curiæ, conſuetudinem diſpenſantis, & alias ſimiles circumſtantias. Ad rationes autem in contrarium dic, quod cum in eo dubio præſumatur pro valore diſpenſationis, præualet ea pars, vt preces veræ ſint. Ad ſecundam dic quod poſſeſſioni illi ſtanti pro impedimento, præponderat præſumptio valoris actus, qui in dubio, & quantum fieri poteſt, præſumendus eſt. Nam præſumptio faciens actum valere, reputatur reliquis firmior & potentior, vt probat Menochius *de præſumpt. lib. 6. præſumptione 4.*

Molina. Gutierrez. Menoch. Sanchez. Salas. Bonacina. Menochi

33. Certum eſt apud omnes diſpenſationem non fore ſubreptitiam, quando erratur in nomine perſonæ: quia error nominis proprij, quando conſtat de corpore, non vitiat reſcriptum, vt colligitur apertè ex *inſtitut. de legatis, §. ſi quis in nomine.* Et hoc verum, etiamſi diſpenſans noſſet perſonam, cui diſpenſatio petitur, errato nomine veri petẽtis. Ratio eſt, quia in gratiis concedendis præſumitur Princeps, ſi alſunde contrarium non conſtet, attendere ad merita cauſæ, propter quæ gratia petitur, cuiuſcumque tandem perſonæ ſint. Ita Sanchez *citat. diſp. 21. num. 37. & 38.* Gutierrez *de matr. cap. 89. n. 8.* Salas *diſp. 20. ſect. 20. n. 123.* & alij.

Sanchez. Gutierrez. Salas.

34. Dubium eſt, an diſpenſatio ſit ſubreptitia, quando erratur in nomine Diœceſis, vt ſi Titius, cum quo diſpẽſatur, dicatur eſſe Diœceſis Leodienſis, cùm ſit Attrebatenſis? Affirmant *Sanchez, Villalobos, Merolla*: quia neuter Epiſcopus poteſt cum eo diſpenſare, non enim poteſt Attrebatenſis, cùm mandatum diſpenſandi dirigi videatur ad Epiſcopum Leodienſem, & Attrebatenſis non acceperit mandatum diſpenſandi. Neque poteſt Leodienſis, quia Pontifex intendit mandatũ diſpenſandi committere Superiori impetrantis; Epiſcopus autem Leodienſis nõ eſt eius Superior. Nihilominus contrarium eſt probabilius. Ratio eſt, quia quando à Pontifice petitur diſpenſatio, ipſius intentio fertur ad Diœceſanum ipſius diſpenſandi propriũ. Quare

ſicut error in perſona diſpenſandi non tollit intentionem ſufficientem ad valorem diſpenſationis, eo quod diſpenſantis intentio fertur in merita cauſæ, quæ proponuntur, cuiuſcumque tandem perſonæ illa ſint: ita nec error in Diœceſi tollit intentionem ſufficientem ad valorem diſpenſationis, eo quòd Pontificis intētio fertur ad Diœceſanum ipſius diſpenſandi proprium quicumque tandem ille ſit, qui Pontificis diſpenſationem cum ipſo diſpenſando exequuturus ſit. Tum quia ſupponitur, quod ſi expreſſum fuiſſet nomen propriæ Diœcetis, adhuc gratia diſpenſationis conceſſa fuiſſet per proprium Diœceſanum exequendam: ſed quando expreſſio falſi eſt talis, quâ ſublatâ, adhuc maneret voluntas diſpenſantis, non vitiat diſpenſationem, ergo. Ex dictis igitur concludendum eſt, Epiſcopum Attrebatenſem, qui eſt legitimus diſpenſandi ordinarius, poſſe diſpenſationem exequi. Ita Salas *de legat. diſp. 20. ſect. 16. num. 123.* Diana *part. 1. tract. 10. reſol. 36.* & *part. 8. tract. 3. reſol 64.* Amicus *tom. 5. diſp. 6. ſect. 8. num. 145.* Bonacina *de leg diſput. 1. queſt 2. punct. 4. num. 6.* & alij penes ipſos.

Salas. Diana. Amicus. Bonacina.

35. Diſpenſatio foret ſubreptitia, ſi Pontifex diſpenſaret cum conſanguineis allegata ſola copula pro cauſa, & ea non eſſet habita. Ratio eſt aperta, quia Pontifex commiſit facultatem ordinario diſpenſandi ſub conditione, ſi preces veritate nitantur, at tunc non nituntur, cùm vnica & ea falſa allegetur cauſa. Sed quando allegatur copula, atque ob id mulierem iacturam famæ paſſam eſſe, & inde ſcandala ſubſequenda, diſpenſatio valida eſſet, ſi ſcandala illa & infamia vera ſint. Ratio eſt, tum quia quoties in reſcripto quocumque plures narrantur cauſæ copulatiuæ, quarum aliquæ veræ ſunt, altæ falſæ, ſpectanda eſt cauſa, qua nititur reſcriptum, atque ea exiſtente vera, non obſtat ceterarum falſitas. Tum quia copula cum conſanguinea, nequit recta iuſtitia Pontificem mouere ad diſpenſandum, imò difficiliorem reddit diſpenſationem: at infamia & ſcandala inde ſecuta & quod mulier ſit manſura innupta præbent iuſtam diſpenſandi cauſam. Cùm ergo hæ cauſæ veræ ſint, valebit diſpenſatio: quia Pontifex ſecluſa copula ob ſolam iacturam famæ fœminæ ac timorem vt ob id innupta maneat, ſolet diſpenſare. Ita Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 27. n. 9.* Diana *part. 8. tract. 3. reſol. 65.* Amicus *tom. 5. diſp. 6. ſect. 8. num. 150.* Bonacina *citat. punct. 4. num. 8.*

Suarez. Diana. Amicus. Bonacina.

36. Quando ſubreptitio tacendo verum, vel exprimendo falſum contingit in vna reſcripti parte, vitiat & irritum reddit reſcriptum quoad eam partem, in qua eſt ſubreptio, non verò quoad reliquas: Probatur prior pars, nam quæ ratio eſt totius ad totum, eadem eſt partis ad partem. Probatur ſecunda pars, tum quia vtile per inutile non vitiatur, *de reg. iuris in 6.* Tum quia ſic decernitur *in cap. Super literis, de reſcriptis.* Duobus tamen modis hoc limitandum eſt. *Primò*, modò partes in quibus non contingit ſubreptio ſeparabiles ſint quoad valorem, à parte, in qua fuit ſubreptio. Nam ſi ſeparabiles non ſint, ſed tanquam acceſſoriæ, reſcriptum corruit quoad omnes partes; acceſſorium enim corruit deſtructo principali. *Secundò*, modò ſubreptitio in vna reſcripti parte non contigerit per dolum: nam quoties per dolum, vel malitiam impetrantis, ſeu per ignorantiam cum ingenti temeritate, quæ comparatur malitiæ contingit ſubreptitio, licet reſcriptum quoad eam partem, in qua non fuit ſubreptio, non ſit irritum ipſo iure in foro conſcientiæ, irritandum tamen eſt, ſeu declarandum irritum in totum per iudicis ſententiam, vt patet ex *cap. ſuper literis* citato, in quo licet ſermo ſit de ſolis iuſtitiæ literis, tamen ex conſuetudine extenditur ad alia quælibet gratiarum reſcripta, vt teſtatur Sanchez *de matrim. lib. 8. cap. 21. num. 54.*

Sanchez.

37. Validum eſt reſcriptum, quoad illam partem in qua non contingit ſubreptio, etiamſi curialis vel ſollicitator ſcienter ſubreptionem in ea parte commiſerit, inſcio illo, in cuius fauorem reſcriptum obtinetur, qui verum Curiali propoſuerat. Probatur, quia ſubreptitio contingit ſolùm in vna reſcripti parte ſeparabili ab alia. Tum quia impetrans non dicitur obtinere reſcriptum per dolum, vel malitiam. Tum quia *cap. ſuper literis* decernitur, dum ſubreptio contingit, inualidum eſſe reſcriptum in pœnam peruerſitatis ipſius impetrantis. Hic autem non adeſt culpa, ſeu peruerſitas ipſius impetrantis ſed in ſolicitatore, qui iuxta motum Pij V. pœna falſarij plecti debet. Ita Portel. *tom. 2. reſponſ. moral. caſ. 49. numer. 6.* Bonacina *de leg. diſput. 1. queſt. 2. punct. 4. num. 17.* Sanchez *cit. diſp. 21. num. 58.*

Pius V. Portel. Bonacina. Sanchez.

38. Diſpenſatio obtenta per metum, licet incuſſum ad ipſam obtinendam, valida eſt: quia geſta per metum valida ſunt, exceptis caſibus in iure expreſſis. Ita Sanchez *de matrim. diſp. 39. numer. 13.* Secus dicendum ſi diſpēſatio extorta ſit per dolum & mendacia, quæ verſentur circa cauſam finalem. Ratio eſt, quia diſpenſatio vim habet à voluntate diſpenſantis: diſpenſans autem non habet voluntatem diſpenſandi, quoties dolus & mendacia verſantur circa cauſam finalem: præſumitur enim habere intentionem diſpenſandi ſolùm ſubſiſtente cauſa motiua & finali. Si autem dolus & mendacia verſentur ſolum circa cauſam impulſiuam, valida eſſet diſpenſatio, vt patet ex dictis ſupra.

Sanchez.

39. Ad valorem diſpenſationis non ſufficit, neque requiritur, vt cauſa finalis verificetur tempore petitionis diſpenſationis, ſed requiritur eam verificari eo tempore, quo Pontifex, vel alius Superior diſpenſationem concedit, vel committit alteri eam concedendam, *ſi preces veritate nitantur*. Quare ſubreptitia erit diſpenſatio, ſi tunc veræ non ſint, quamuis tempore præcedenti fuerint, vel tempore ſubſequenti veræ exiſtant: Vnde Ordinarij vel Confeſſarij, quibus hæ diſpenſationes committuntur, magna vti debent diligentia in indaganda rei veritate, vt videlicet reſpiciant, an preces verificentur, non ſolùm dum ipſi diſpenſationem vi facultatis ſibi conceſſæ exequi volunt; verum etiam tempore conceſſionis Romæ obtentæ: nam ſæpe contingit earum veritas poſt conceſſionem Romæ factam, v.g. allegatur fœminam iacturam famæ paſſam eſſe ex frequenti conuerſatione cum viro cui nuptura eſt, & ſæpe ea infamia poſt tempus datæ diſpenſationis ſuborta eſt. Ita Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 30. num. 4. & 5.* Bonacina *cit. punct. 10. §. 1. num. 4.*

Sanchez. Bonacina.

40. Diſpenſatio non prodeſt, neque vim habet in foro externo, ſi literæ nō expediantur, poſtquam tamen expeditæ ſunt, retrotrahuntur, & proſunt à puncto conceſſionis, & vim habet etiamſi ſuper eum literæ expediantur mortuo iam Summo Pontifice, qui eas conceſſit. Probatur prior pars, ex Regula Cancellariæ 56. vbi pronunciatur diſpenſationem non ſuffragari niſi literis expeditis; verbum enim ſuffragari ſignificat aliquid pertinens ad forum contentioſum. Probatur poſterior pars, quia Regulæ Cancellariæ, quæ petunt literarum expeditionem, non petunt literas eſſe expeditas à tempore quo iudicium incipit; ergo credendum eſt, cùm hęc res ſit fauorabilis, ſufficere etiam ad forū externum expeditionem quocumque tempore factam. In foro autem conſcientiæ valet diſpenſatio, etiamſi nondum ſcripta ſit, ſtatim ſcilicet, ac ſimplici verbo con-

Reg. Cancel.

conceſſa eſt, quia gratiæ ad ſuum valorem, ſeu ſubſtantiam non indigent literarum expeditione. Hinc ſi Summus Pontifex moriatur, antequam expediātur litteræ diſpenſationis, is, cum quo diſpenſatum eſt, poteſt in foro conſcientiæ illa vti. Ita Molina *de iuſtit. diſp.* 599. Henriquez *lib.* 12. *de matrim. c.* 3. *num.* 7. Præpoſitus *in* 3. *part. quæſt.* 8. *de matr. dub.* 7. *num.* 46. *& ſequent.* Sanchez *de matr. lib.* 8. *diſp.* 29. Aduerte tamen ex eodem Sanchez quòd literæ iuriſdictionem concedentes iudicibus, qui per eas deputantur, requirant neceſſariò ante iudicij initium eas expeditas eſſe: ita vt ſi iudicium inchoetur conceſſa ſupplicatione, nondum tamen literis expeditis & intimatis, eſt omninò nullum, nec valorem obtinebit, eo quòd in iudicij progreſſu literæ expediantur & præſententur. Vt conſtat *ex Reg. Cancellar. de non iudicando iuxta formam ſupplicationis.*

Molina. Henriquez. Præpoſitus. Sanchez. Reg. Cancel.

41. Ad diſpenſationem & quæuis alia priuilegia impetranda, nec ſpeciale, nec generale mandatum deſideratur, ſed poſſunt validè impetrari eo, cui impetrantur, ignorante. Probatur primo ex *l. vniuerſi 6. Cod. de precibus Imperat. offer.* quæ decidit non referre, à quo impetratum ſit priuilegium, dummodo à Principe conceſſum ſit. Huius ſententiæ videtur Gloſſa *cap. nonnulli*, §. *ſunt* & alij, *verb. ſine ſpeciali, ad fin. de reſcriptis*, vbi reddens rationem cur reſcriptum beneficij abſque mandato valeat: ait, quia ſuper nulla lite impetrantur, ſed de gratia tantùm conceditur. Ita etiam Emanuel Sà *verb. gratia num.* 23. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 156. *num.* 13. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 87. & alij quos refert & ſequitur Sanchez *loco citat. diſp.* 26. *num.* 4. Non prodeſt tamen diſpenſatio ignoranti donec ab ipſo acceptetur vel ab alio habente ſpeciale ius mandatum: quia diſpenſatio conceditur in fauorem priuatæ perſonæ, vt licitè poſſit contra legem communem operari, & ita nondum cenſetur ei prodeſſe, quouſque habeat notitiam illius.

Gloſſa. Eman Sá. Vaſquez. Diana. Sanchez.

Vide verb. Capitulum *numer.* 10. Irregularitas 3. *num.* 5. *&* 6. Matrimonium 3. *num.* 1. *& ſequent.* Priuilegium *num.* 8. *verſ. Quintum.* Simonia n. 18.

DIVINATIO.

SVMMARIVM.

1 *Vana occultorum inquiſitio per diuinationem, initiatur ſemper auxilio dæmonis.*
2 *Quid exigatur vt dicatur pactum tacitum cum Dæmone?*
3 *Diuinatio ſuperſtitioſa ex tribus dignoſcitur.*
4 *Sunt nouem ſpecies diuinationis, in qua eſt expreſſum pactum cum Dæmone.*
5 *Quomodo per præſtigium Dæmon variis apparitionibus oculos ſuperſtitioſorum perſtringat.*
6 *Quando diuinatio per ſomnia ſit ſuperſtitioſa? Quibus indiciis diuina ſomnia à Diabolicis ſecernantur.*
7 *Necromantia quid ſit, & quibus modis exerceri poſſit.*
8 *Diuinatio in qua eſt ſola tacita Dæmonis inuocatio, quotuplex ſit?*
9 *Aſtrologia iudiciaria quando ſit ſuperſtitioſa, & quando licita?*
10 *Diuinatio per Augurium vel Auſpicium, in quibus ſit licita vel illicita?*
11 *Quid de diuinatione per omina?*
12 *Quid de diuinatione Phyſionomica?*
13 *Sortes diuiſoria ſtando in ſolo iure naturali ſunt licita in caſibus, in quibus ius humanum eas non interdicit.*
14 *Sortes diuiſoria in quibus caſibus locum habeant.*
15 *Et quibus circumſtantiis ſortes diuiſoria poſſint eſſe illicita?*
16 *Sortes prohibentur fieri in electionibus Eccleſiaſticis ad dignitates & officia Eccleſiaſtica.*

1. VAna occultorum inquiſitio per diuinationem, initiatur ſemper auxilio Dæmonis, eiuſque pacto, ſiue expreſsè, ſiue tacitè imploratis. Probatur, quia intendens vanis mediis ſcire ſuperantia humanam cognitionem, id non curat viâ inuentionis, eo quòd inepta ei inuentioni media ſint; quærit ergo viâ diſciplinæ. At Magiſter illius non eſt Deus per ſe, vel per bonos Angelos, nec etiam eſt alius homo, cùm humanam cognitionem ſuperet iis mediis improportionatis eam ſcientiam habere, ergo Magiſter eſt Dæmon. Etſi hæc doctrina per modum artis inueniatur tradita in aliquibus libris, eſt tradita à Dæmone per aliquem eius miniſtrum, & ſubinde à Dæmone proficiſcitur. Ita Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. de ſuperſtit. cap. 9. à num.* 9. Suarez.

2. Vt dicatur pactum tacitum cum Dæmone, ſeu tacita eius inuocatio, non exigitur Dæmonem cum aliquo pactum iniiſſe ſeſe immiſcendi cum iis vanis à quocumque adhibitis, verbiſque à quouis dictis, ac concurrendi ad effectum intentum, ſed ſatis eſt quempiam vanis vti ad effectū adipiſcendum: quia eo ipſo Dæmon vanitatibus illis ſe immiſcet. Imò quamuis vtens his vanis, dicat explicitè ſe nolle pactum cum Dæmone, vult tamen illud implicitè: & quamuis nolit expreſſum pactum, vult de facto tacitum: quia interdum per craſſam ignorantiam, vel inaduertētiam vult homo contraria vnum in ſe & formaliter, aliud in alio, & virtute, & ſic contingit in hoc caſu. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 2. Victoria *de magia quæſt.* 6. *num.* 28. Suarez *cit. cap.* 9. *num.* 17. Caietanus. Victoria. Suarez.

3. Diuinatio ſuperſtitioſa & illicita, in qua eſt tacitum cum Dæmone pactum, dignoſcitur ex tribus. *Primum* eſt, proportio rei cognoſcendæ ad medium per quod eius cognitio procuratur. Proportio autem inter rem cognoſcendam & medium in eo conſiſtit, ne mala diuinatio, ſed coniectatio licita ſit; vt vnum ex alio ſufficienter cognoſci poſſit: quod contingit tripliciter. *Primò*, vt ex ſua cauſa, ſicut eclipſis ex motu cœli. *Secundò*, vt ex ſuo effectu, vt ex fumo ignis. *Tertiò*, vt ex effectu ſuæ cauſæ, à qua vterque effectus procedit; ſicut ex arcu cæleſti ſerenitas cognoſcitur, eo quod eadem arcus illius & ſerenitatis cauſa eſt. Vnde quoties ſapientium iudicio apparet aliquo ex tribus his modis vnum ex alio cognoſci poſſe, eſt licita coniectatio, aliàs erit vana & ſuperſtitioſa diuinatio, in qua inceſt tacita Dæmonis inuocatio.

Secundum eſt, natura, ſiue modus ipſius cognitionis, qui in eo conſiſtit, quando procuratur cognitio omnino certa, aut ſaltem certior, quàm haberi poſſit, conſiderata libertate arbitrij, & defectu cauſarum concurrentium poſſibili, tunc eſt ſuperſtitioſa & mala. Secus ſi non cognitio certa quæratur, ſed coniecturalis ſola, qualis deduci poteſt ex medio ad eam aſſumpto. *Tertium* eſt, intentio eam cognitionem quærentis. Si enim ſeriò per media illa vana cognitionem occultorum indaget, eſt mala & in ea eſt pactum tacitum cum Dæmone; ſecus autem, quando ioci ſolius & vanitatis cauſa, ſciens ea media vana eſſe & inutilia: quia vbi ſeria cognitio non quæritur ex re vana, non affectatur propria Dei cognitio. Tum quia indulgere vanis vt vanæ ſunt, tantùm ſpectat ad vanitatis crimen: ergo talis inquiſitor vanus, vtens inquiſitionibus vanis, vt vanæ ſunt, id eſt, non expectans ex ipſis notitiam

futurorum euentuum, niſi à caſu, tantùm peccat venialiter peccato vanitatis. Ita D. Thomas 2.2. q 95. art.1. Caietanus *ibidem* Delrius *lib.4. diſquiſit. magicar. cap.2. quæſt.4.* De la Torre *in 2.2.q.95.art.2. diſp.* 1. Valentia 2 2.d ſp 6.q.12 punct 3.

D Thom. Caietan. Delrius. De la Torre. Valentia.

4. Diuinationis, in qua eſt pactum expreſſum cum Dæmone, quæ generali nomine appellatur Necromantia, ſunt nouem ſpecies. *Prima* eſt, præſtigium, cùm nempe Dæmon variis apparitionibus ſuperſtitioſorum oculos perſtringit, ſe illorum aſpectibus obiiciens, & occulta docens. *Secunda*, dicitur diuinatio per ſomnia, cùm inſtructio Dęmonis per ſomnia ſperatur. *Tertia*, dicitur Necromantia, cum adhibitis ſanguine & certis carminibus videntur mortui reſurgere, loqui & docere. *Quarta*, dicitur diuinatio per Pythones, cùm Dæmon per homines arreptitios docet. *Quinta*, Geomantia, cum docet per ſigna in corporibus terreſtribus apparentia, vt in ligno, metallo, lapide. *Sexta*, Hydromantia, cum per ſigna in aqua apparentia: *Septima*, Aëromantia, cum per ſigna in aëre apparentia. *Octaua*, Pyromantia, cùm per ſigna apparentia in igne. *Vltima*, Auſpicium, cum per ſigna apparentia in extis animalium Sacrificatorum Dæmoni, docet. Ita Clauis Regia *lib.4.c.5.* Sanchez *lib.2.moral.c.38.n.12.*

Clauis Reg. Sanchez.

5. Circa præſtigium eſt notandum, quod huiuſmodi apparitiones variis modis fiant: aliquãdo enim obiicit Dæmon ſenſibus vera corpora vel occultè & celeriter aliunde importata vel à ſe facta & conflata applicando naturalia actiua & paſſiua, quomodo verè facti ſunt ſerpentes per magos Pharaonis Exodi 7. Aliquando autem obiicit ſenſibus nõ verũ aliquod corpus, ſed ſimilitudinem aliquã corporis, ex naturalium tamen operatione conſurgentẽ: quomodo S. Auguſt. *lib.18 de ciuitat.c.18.* intelligendum putat, quod de ſociis Vlyſſis in beſtias conuerſis perhibetur. Non enim putandum eſt, illos in vera corpora fuiſſe transformatos, ſed opera Dæmonum ſub huiuſmodi corporeis ſimilitudinibus apparuiſſe. Itẽ ſolent Dęmones ſæpe apparere in phialis aquæ, vel aliquo corpore polito, ſcilicet per quaſdam corporis ſimilitudines à Dæmone procuratas, cum inuocantur. Vnde cùm Dęmones in aſſumptis corporibus humanis apparent vigilantibus & cõuerſantur cum eis, familiariter colloquentes & cõcumbentes, non habent veras carnes, oſſa vera, nec membra, ſed carnis & membrorum ſimilitudinem, non ſolum viſibilem, ſed etiam palpabilem & ſolidam, ita vt ſentiantur tãquam humanæ perſonæ. Id quod duobus modis probatur eſſe certum. *Primò*, ex temperamento carnis. Nam cùm caro eius quaſi glacialis moleſta eſſet tactui humanæ carnis, cõfeſſus eſt ipſe Dæmon, ſe non poſſe melius facere. Non enim poteſt ſic commiſcere naturalia abſque vera generatione hominis, vt carnem humanam afficiat. *Secundò*, ex delectatione tactus & concubitus. Eſt enim tanto perſonarum humanarum commixtio naturalis delectabilior, quãto verum ſuper excedit veriſimili. Denique Dæmon facit exterius aliqua apparere, quæ nec in veritate corpora ſunt, nec corporũ habent ſimilitudinẽ, ſed ſolùm illudendo ſenſibus externis, quod facit cõmouendo ſpiritus & humores: vel cauſando apparitiones, ſecundùm ſenſus interiores, ad eũ modum, quo affici ſolent, quando ſenſus exteriores ligantur, vt ſolet contingere per aliquã alternationem corpoream, vt per varias vnctiones, & accidit iis, qui ire ſe credunt ad ludos Dianæ, & ad ſimilia Diabolica. Cuius rei varia exempla ponit Caiet. 2.2.q.95. a 3. quibus conſentiunt ea quæ S. Aug. *in lib. de ſpiritu & anima c.18. & lib.18. de ciu. Dei c.18.* adducit.

Caietanus. D. Auguſt.

6. Diuinatio per ſomnia tunc eſt ſuperſtitioſa quando extendit ſe ad ea, quæ per ipſa cognoſci nequeunt; vt ſunt velle per ea cognoſcere futura contingentia, vel quæ ex arbitrij libertate pendent certiùs quàm ex ſomnis cognoſci valent: quod interdicitur *Leuit.19. Deut.18.* & in iure canonico *cap. non obſeruetis 26.q.7.* Ratio eſt, quia ex ſomniis nequit haberi de futuris contingentibus, niſi leuiſſima coniectura ſuſpicionis limites non prętergrediens: cum enim ſomnium per ſe ipſum non producat effectus illos contingentes, nequit ex ipſo aliquid conijci, niſi causà eius cognita, quæ tamen eſt cognitu difficillima, eo quod nullum ſomniũ ita ab vna cauſa proficiſcatur, quin ab aliis multis proficiſci quoque poſſit. Ex quinque enim cauſis ſomnia poſſunt prouenire. *Primò*, ex ſingulari Dei prouidentia, quod ſi id conſtet vel probabile ſit, fas eſt homini ex eo capere futurorũ prænotionẽ: fit autem hoc ſomnium duobus modis vel apprehenſione verborũ, quãdo Deus per Angelũ facit, vt ſenſus communis concipiat per modũ auditus certa verba, quibus, quid fieri debeat ſignificetur; vel apprehenſione aliquarum rerũ, quæ vel ſimiles ſint rebus euenturis, vel ſaltem aliquam analogiã cum illis habeant. Si autẽ non ſit probabile ſomnium eſſe à Deo, non eſt licitũ ex eo capere prænotionem de eũctis liberis & ex genere ſuo eſt peccatũ mortale: poſſet tamen eſſe veniale ratione ſimplicitatis hominis; vel quia ſolùm tenuiter ipſis credit. *Secundò*, proueniunt ſomnia ex cõſtitutione cœli vel aëris, & ſic ſi putentur eſſe ex cauſa naturali, licet ex illis coniecturã de euentis, quæ ab illa cauſa prouenire ſolẽt, facere, vt de mutationibus aurę, &c. *Tertiò*, ex affectione corporis humani, & ſic certiùs ex ſomniis capiuntur coniecturæ de affectionibus corporis, quàm de mutationibus cœli: hoc modo ſomnians, quæ ad libidinem pertinẽt, ſignum eſt redundãtiæ ſpermatis. *Quartò*, ex præuiis cogitationibus vel curis, & ſic nihil de futuris ſignificant, ſed ſolùm inſinuãt ſuam cauſam. *Quintò*, ex procuratione Dæmonis. Vnde quinque genera ſomniorum diſtingui poſſunt, *Oraculum, viſio, ſomnium, inſomnium & phantaſma*. De his vide D. Tho. 2.2.q.95.a.6. Leſſium *de iuſtit. lib.2.c.43. dub.8.* Clau. Regiam *lib.4.c.5. n.7.8. & 9.* Valentiam 2.2. *diſp.6.q.12. punct.3.* Delrium *lib.4. cap.3. quæſt.6.* & alios penes ipſos citatos.

D. Thom. Leſſius. Clauis Reg. Valentia. Delrius.

Sed petes, quibus indiciis diuina ſomnia à Diabolicis ſecernantur? Reſp. ex duobus id coniectari poſſe. *Primum* eſt, conſiderare ad quid ſomnium impellat; ſi enim ad aliquid malum vel indiſcretũ, eſt à Dęmone; ſi autem ad bonum, poſſet aliquis non temere ſuſpicari eſſe à Deo, quamuis hoc humiliter & cum timore ſit faciendum: quia Dæmon ſolet ſe in Angelum lucis transfigurare, vt poſtmodum vana & falſa ex ſomniis ſuadeat. *Secundum* eſt, ſi poſt ſomnium animus maneat cõfuſus, & ad opera bona tardior, eſt indicium eſſe à Dęmone; at ſi promptior & alacrior maneat, eſt indicium eſſe à Deo. In dubio autem an ſit à Deo, vel à Dæmone, tutius eſt, vt à Diabolo immiſſum id contemni. Ita Delrius *lib.4. diſquiſ. magicar.c.3.q.6.p.ſt.concl.5.* Valentia 2.2.*diſp.6.q.12.punct.3.in fine.* Clau. Reg. *lib.4.cap.5.n.8.*

Delrius. Valentia. Clauis Reg.

7. Necromantiam vocat vulgus omnem artem inuocandi Dæmones, nos verò ſtrictiùs cũ D. Thom. 2.2.q 95.a.3. pro ſpecie diuinationis, quã per mortuos, aut aliquid ad eos pertinens occulta conantur ſcire, ac prædicere. Cõſonat Etymologia vocis, nam Necros, Græcè mortuus, Mantia verò diuinatio nũcupatur. Necromãtia tribus præcipuè modis poteſt exerceri. *Primò*, cùm quis certa verborum formã, aut certis carminibus, deſcriptiſque circulis & figuris, literarum, characterumque notis, quæ à Dæmone immediatè, aut mediatè accepit, ferè ſemper adhibito ſanguine, mortuos ſuſcitare conatur, & ab eis accipere reſponſa, quibus fortuitos euentus futuros prædicat,

D. Thom.

Digitized by Google

coniici. Quia vna, eademque causa cœlestis & constellatio mouet animalia, & inclinat homines ad effectum aliquem: vt illa quæ inclinat hominem ad rixam & iram, imprimit similem effectum animalibus, quem vocibus, mugitibus & garritibus ostentant. Ita D. Thom. 2.2.q 95.a.7. Lessius *lib.2.c.43. n 45.* Superstitiosa tamen erit diuinatio, quæ extenditur ad prædicendum ex his plus quàm illa indicent: Item si aliquid circa actus humanos per illa coniectet certius, quàm illa significant, secus si cum dubio & formidine.

D. Thom. Lessius.

Secundò, Superstitiosum est & vanum, ex quibusdam fortuitò homini contingentibus, cõiectare aliquid fœliciter, aut infœliciter illi euenturum. Vt ex certorum animalũ, aut fueris occursu, ex sternutatione, & aliis huiusmodi contingentibus: hæc enim omnia fortuitò accidunt, vnde nil boni vel mali ex illis coniici valet. Ex hominum autem vocibus, quatenus significant, nulla sumi potest coniectura effectuum contingentium; quia significant ad placitum & ex ratione prouenium: quare diuinatio per illas est semper superstitiosa, nisi cognitio tunc expectetur à Deo. Ita Azorius *tom.1.lib 9.cap 22.& 18.* Valentia 2.2.*disp.6.quæst.12.punct.3.* & alij.

Azorius. Valentia.

Tertiò. Omnis diuinatio per auguria & auspicia, quæ versatur circa euentus liberos, aut exemptos à causalitate rerũ corporalium, citra Dei reuelationem expressam, aut probabilẽ, peccatũ mortale est pertinens ad superstitionẽ & tacitã Dæmonis inuocationem. Tales erant ferè omnes diuinationes augurum Gentilium, & modò quorundam superstitiosorum fidelium. Similiter peccat mortaliter, qui obseruatis augurijs & auspicijs, ita se gerit in suis actionibus exercendis ac si plenam fidem illis tribueret.

11. Diuinatio per omina omnium diuinationum vanissima est: quia verba humana, quæ accipiuntur pro omine, neque possunt esse causa futurorũ euentuum (maximè cùm fortuitò & inopinatò, ac præter intentionem futuri euentus proferatur) neque possunt habere causam communem cum futuris euentibus, puta sideralem influxũ: vnde neque signa naturalia esse possunt futurorum euentuum, sed ineptè rapiuntur à diuinantibus vt talia signa; cùm non magis hoc quam illud designent. Hinc significatio ominũ non potest esse naturalis à causa naturali, sed necessariò esse debet diuina à Deo, vel eius Angelis, aut Diabolica à Dæmonibus. Quando autem certum aut probabile est ex circumstantiis omen esse diuinum, licitum est diuinare per illud, & ex ominatione ad opus moueri: maximè quia vna ex circumstantiis, quæ comitatur diuinum omen, est suasio ad bonum, dissuasio mali. Exempla diuinorum ominum nobis suppeditant sacræ Literæ. Eliezer seruus Abraham, omine diuino præsagiuit de vxore ducenda pro filio Domini sui *Genes.24.* Et Gedeon ex verbis cuiusdam Madianitæ, Deo disponente, accepit omen de victoria contra Madian. *Iud.7.*

Quando neque certum neque probabile est omina esse diuina, eis fidem adhibere, & ex eis diuinare, putantes esse diuina omina, quæ nõ sunt, peccatum temerarij iudicij ac leuitatis in credẽdo committitur: peccatum tamen erit tantũ veniale: nisi ignorantia diuinantiũ adeò crassa sit, vt reducat actum in naturam suæ formæ. Propterea non licet citra præceptũ & secluſa reuelatione aut afflatu diuino, à Deo absolutè petere omina ad aliquid agendum vel sciendum, etiamsi res quæ sciri desideratur sit vtilis, imò & necessaria ad salutem. Ratio est, quia illa petitio quòdam modo ad tentationem Dei pertinet, dum cognitionem, quæ multis viis præter omina à Deo edoceri potest, ad omina alligare volumus.

Porrò nulla est adhibenda fides ominibus citra Dei præceptum, illuminationem, aut impulsum; quia talia omina, quæ habentur sine Dei reuelatione aut præcepto, non sunt diuina, aut naturalia signa: ergo casualiter aut ex tacito fœdere cum Dæmonibus, verum aliquod ex eis captari potest, ac proinde nulla eis adhibenda fides. De hac diuinatione vide Azor. *tom.1.lib 9 c.18. De la Torre 2.1.q.95. a.7.d.sp.3.* & alios apud Delrium *disquisit. magic. p.2. q.4. sect.4.*

Azorius. De la Torre. Delrius.

12. Diuinatio Physiognomica, præcipuè ea quæ metoscopia dicitur: quia ex vultu hominũ prædicit corporis seu animæ sensitiuæ affectiones, & propẽsiones, si intra limites naturales contineatur & fundamentis dũtaxat naturalibus nitatur, probabilitatẽ aliquã habet, non tamẽ perfectam certitudinem, & ideò illa vti cum formidine aliqua veritatis, non est illicitũ. Physiognomia autẽ Astrologica est superstitiosa, & omni iure dãnata: non enim potest haberi prænotio, neque diuinatio Physiognomica circa ea quæ pendent ex libero arbitrio, aut casualia vel fortuita sunt. Talia sunt actus omnes humani liberi. Talia sunt dona Dei gratuita. Talia sunt externa hominis bona, vel mala, vt opes, honores, nuptiæ, officia, vitæ status, mors violenta & huiusmodi. Ratio est, quia omnia ista subtrahuntur, causalitati tẽperiei & cõstitutionis corporis humani, à quibus dimanãt huiusmodi dispositiones vultus, & aliorum membrorũ: ergo nequeũt significari per hæc signa. Hinc infertur peccatum esse mortale ex genere suo pertinens ad inuocationẽ tacitam Dæmoniorum, diuinationem harum rerum sumptã à vultu hominũ, vel à dispositionibus aliorum mẽbrorum; quia ea signa ad talem diuinationem nõ se valent extendere: & ideò Deo permittente, Dæmon se ingerit huiusmodi diuinationibus; vt veros euentus enunciet. Ita Azorius *tom.1.lib.9.c.16.* De rius *lib.4.c.3. q.4.* Lessius *lib.2. c.43.dub 7.* Quare per manuum lineas bonam vel malam fortunam indicare: & reliqua quæ non possunt per Physiognomiam cognosci est superstitiosum, atque omni iure damnatum; vt docent Nauarrus *in man.c 11.nu.31.* Lopez *p.1.instructorij c.41.* & alij. Hinc interrogare Ægyptianam de bona vel mala fortuna, in duplici casu esset mortale. *Primò*, quando interrogaretur animo firmiter credendi dictis eius; secus quando ob curiositatem & animo ridendi, vt communiter fit; tunc enim esset venialis vanitas. *Secundò*, quando interrogans ob curiositatem & animo ridendi, talis esset, vt videntibus graue scandalum generaret. *Ex Nauarro & Lopez* locis citatis. Chiromantia tamen seu diuinatio sumpta ex manuum humanarum dispositionibus, puta lineis & similibus; quæ de propensionibus & affectibus diuinat, licita est, vtpote pars Physiomiæ naturalis: Et eatenus vera ars est quatenus lineæ manus, siue aliæ dispositiones eiusdem nascuntur ab eadem temperie corporali, à qua ipsæ propensiones naturales dimanant.

Azorius. Delrius. Lessius. Nauarrus. Lopez.

13. Sortes diuisoriæ stando in solo iure naturali sunt licitæ in casibus, in quibus ius humanum eas non interdicit. Prob. quia nil aliud includunt, quàm quendam humanum cõtractum, quo ex communi consensu paciscentium ius ad aliquam rem habentiũ, ea inter ipsos forte diuiditur, vt illius sit, cui sors contigerit. Et ideò hic contractus nil superstitionis, aut mali ex se habet, in quo æqualis est vtriusque contrahentis conditio. Approbantur *c.1.26.q.2.* & multis in casibus etiam iure ciuili; vt ad dirimendas controuersias inter hæredes & legatarios, vt *l.si eum ambo, ff. de iudiciis, l.si duobus Cod. communia, de legatis.* Imò plurimi Doctores statim citandi negant in solis vetitis iure Ecclesiastico sortes has licere, & ideò eas admittunt in electionibus ad munia ciuilia,

ciuilia,eo quòd in illis non interdicuntur : quamuis enim textus *cap final. in fine de ſortileg.* videatur indiſtinctè eas in electionibus vetare,ibi, *Sortis vſum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* At ea verba intelligenda ſunt iuxta ſubiectam materiam, de qua ille textus tractabat,nempe,in electionibus Eccleſiaſticis. Ita D. Thom. 2. 2. *q* 95 *a.*8 Caietan. *ibid. dub.* 1. & *in Summ. verb. ſors.* Sylueſt. *verb Superſtitio.q.* 9. Clau Reg. *lib.* 4. *c* 5. *n.* 20 *&* 21. Leſſius *lib.* 2. *c* 43. *dub* 9 *n.* 8. Qui limitant hanc ſententiam, modò nõ peccetur contra iuſtitiã diſtributiuam;nam ſi in electionibus ad officia ſæcularia mittantur ſortes inter dignos & indignos;poterit ſors cadere indigno,cõtra bonum commune & rectam reip.adminiſtrationem:& ideò vt liceant hæ ſortes, debent mitti inter perſonas eo munere dignas:quia eſſet mortale, ſi inter dignos & indignos ſortes mitterẽtur:quare debẽt mitti inter æquè,aut ferè æquè idoneos,vt liceant.

D Thom. Caietan. Syluest. Clauis reg. Leſſius.

14. In ſequentibus caſibus ſortes diuiſoriæ locum habẽt. *Primò*,in functionibus, vbi de honore vel periculo agitur:vt quando oppidum inuadendum;ſorte inter milites diuerſarum nationum decidi ſolet, quæ natio prior inuadere debeat. *Secundò* tempore peſtis aut perſequutionis Eccleſiæ,quãdo diſceptatio fuerit,qui Parochi,aut clerici,aut religioſi manere debeant in loco perſequutionis,aut peſtẽ infecto, vt reliqui ſubueniant, nec aliter iis hæc commodè componi valeat,licet ſortibus diuiſoriis eligere. *Tertiò*,in dirimendis litibus maximè de rebus ſæcularibus,vt dictum eſt ſupra. *Quartò*,in pœnis, vt cùm duo vel plures ſunt rei mortis,& Princeps vt clemẽtiam in ſanctenda diſciplina adhibeat, vult aliquos punire,aliis ignoſcere:quod intelligendum eſt,quãdo par eſt tortientium culpa: quia aliàs iniqua eſſet ſortitio quoad minùs nocentes. *Quintò*,licet tempore tempeſtatis, quando gratia alleuiandæ nauis,ne omnes pereant,eſt neceſſe aliquos homines in mare proiicere,ſortiri ex omnium conſenſu, imò illis inuitis,quis proiiciendus ſit. Denique licent hæ ſortes quotieſcumque non apparet ratio cur alter alteri in aliquo commodo vel incommodo debeat præferri. De his caſibus vide Nauarr. *in man. c.* 11. *nu.* 38. Leſſium *lib. c.* 43. *n.* 38. Delrium *lib.* 4. *diſquiſ. magic. c.* 4. *qu.* 1. Suar. *tom.* 1. *de religione lib.* 2. *de ſuperſtit. c.* 11. *n.* 17. Sylueſt. *verb. ſuperſtit. qu.* 9. Clau. Reg. *l.* 4. *c.* 5. *num.* 20.

Nauarrus. Leſſius. Delrius. Suarez. Syluest. Clauis Reg.

15. Ex quibus circumſtantiis extrinſecis adiũctis ſortes diuiſoriæ quãuis ex ſe licitæ, poſſunt eſſe illicitæ. *Primò*, ratione falſæ exiſtimationis,aut malæ intentionis. Vt ſi quis ab aſtrorum influxu expectaret ſortem ſibi fœliciter caſuram; eſſet enim tũc ſuperſtitio,& quidem mortalis, ſi certò id expectaretur. ita D. Thom. 2. 2 *q.* 95. *a* 8. Suar. *loco citat. c.* 12. *n.* 16. *Secundò*, poſſunt vitiari eo quòd expectetur euentus à fortuna,& tunc nullum eſt peccatum,niſi fortè vanitatis,quando ſcilicet, ſine aliquali neceſſitate aut bono fine ſortes diuiſoriæ celebrantur. Si tamen ex errore intellectus ſortientes putarent fortunam cui ſe committũt,eſſe Deam, vt Gentiles arbitrati ſunt;aut non ſubdi diuinæ prouidentiæ,tunc eſſet mortalis ſuperſtitio, imò vtrũque eſt error cõtra fidem. Vt bene tradunt Suar. *citat.* Delrius *lib.* 4. *c.* 4. *q.* 1. De la Torre 2. 2. *q.* 95. *a* 8. *diſp.* 2. *Tertiò*, poſſunt eſſe illicitæ,ſi exinde violetur iuſtitia cõmutatiua. Vt ſi res in ſortem expoſita non ſit ſortientiũ, ſed aliena,nec adſit Domini conſenſus,vel cùm res, quæ in ſorte mittitur, vnius eſt, nec ad eam par ius habent alij, inter quos mittitur ſors,tunc enim iniuſtitia fieret Domino! Imò iniuſtitia eſſet inter habẽtes æquale ius ſortiri, inuitis habentibus inæquale,non ſatisfaciendo illorum iuri. Ita Toletus *lib.* 4. *Summ. c.* 15. *n* 9. *Quartò*, ſi ſint contra publicum bonum reſpub. vt cùm dignitates ſortiuntur inter homines etiam ineptos ad tales dignitates, vt dictum eſt ſupra. *Quintò*,ſi fiant cum irreuerentia rerum Sacrarum,ideo non licet adhibere librum Euangeliorum in mittendis ſortibus, quia fieret irreuerentia rei ſacræ,quæ tamen non eſt peccamino ſa mortaliter,niſi fuerit magna. Ita Suar. *cap.* 12. *n.* 16 & alij.

Suarez. Delrius. De la Torre. Toletus.

16. In electionibus Eccleſiaſticis ad dignitates, officia, adminiſtrationes & beneficia Eccleſiaſtica, ſortes iure canonico prohibentur, *cap. Eccleſia de ſortileg.* Ratio prohibitionis eſt, tum ne ineptus & minus idoneus cæca ſorte eligatur : tum ne ſors quæ cæca eſt,in Eccleſiis locum habere videatur : tum quia electio ad dignitates Eccleſiaſticas fieri debet inſpiratione Spiritus Sancti, & concordia electorum,nõ verò per ſortes. Ita communiter Doctores quos refert & ſequitur Sanch. *lib.* 2 *moral. c.* 38. *n.* 58. Licet tamen vti ſortibus ad terminandas lites beneficiales inter clericos, non propria authoritate bene tamen authoritate iudicis Eccleſiaſtici : nec hoc eſt contra deciſionem textus *cap Eccl. de ſortileg* quia cõponentes ſortibus litem,non eligunt,cùm is,cui ſors cedit,non recipiat beneficium ex vi ſortis, ſed ex vi iuris quod prætendebat, & per illas ſortes tantùm auferatur impedimentum. Ita Suar. *cit. c.* 12. *num.* 12. Bonac. *de leg. d ſp.* 3. *q.* 5. *punct.* 5. *n.* 13. Sanch. *loc. cit n.* 78 *&* 79 Iudex autem Eccleſiaſticus, cuius authoritate ſortes mittuntur, erit ille, cuius eſt conferre titulum eius beneficij litigioſi;quia ſi alius eſſet,non caueretur periculum vitioſi ingreſſus,& ſimoniæ.

Sanchez. Suarez. Bona In. Sanchez.

Vide verb. Magia,Superſtitio,Sortes.

DOMINIVM.

SVMMARIVM.

1 *Dominium formaliter non eſt idem quod ius.*
2 *Dominij titulus ab ipſo dominio diſtinguitur.*
3 *Creaturæ irrationales & inſenſibiles nullum habent dominium.*
4 *Solus Deus habet verum dominium vitæ & mortis hominis.*
5 *Verius eſt, quod Chriſtus, quatenus homo non fuerit propriè dominus,nec Rex totius mundi nec habuerit rerum dominium, niſi quatenus opus erat ad regnum ſpirituale quod inſtituebat*
6 *Princeps vel Reſpublica non habet dominium vitæ & membrorum ſubditorum.*
7 *An Papa ſit iure diuino Dominus vel Rex totius mundi vel aliquarum Prouinciarum ?*
8 *Dominium bonorum Eccleſiaſticorum immobilium, eſt non penes Eccleſiaſticos ſingulos, ſed penes Eccleſiam particularem cuius ſunt.*
9 *Eccleſiaſtici acquirunt dominium ſtipendiorum ſuorum pro miſſa,concione,&c.*
10 *Nullus clericorum alim habuit in particulari dominium vllorum reditnum in ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ deputatorum.*
11 *Licet beneficiarius portionem ſui beneficij redundantem reſeruare in ſuas futuras neceſſitates.*
12 *Opera pia,an debeant fieri à beneficiario in eo loco vbi beneficium eſt ſitum ?*
13 *Beneficiarij quando poſſint ex reditibus ſuorum beneficiorum donare conſanguineis.*
14 *Beneficiarius nobilis habens ſola bona Eccleſiaſtica, an poſſit plus in alimentis filiæ ſpuriæ largiri, quàm ſi eſſet ſpuria Sacerdotis pauperis.*
15 *Dominium rerum acquiritur,cùm quis ex aliena materia ſpeciem aliquam fecerit.*
16 *Dominium rei acquiritur per acceſſionem.*
17 *Item per materiarum confuſionem.*

18 *Item per commixtionem specierum.*
19 *Item per ædificationem.*
20 *Item per plantationem.*
21 *Item per traditionem rei, animo transferendi in accipientem dominium.*
22 *Dominium rei ex pluribus causis esse non potest.*
23 *Dominium rei non potest quis acquirere solo animo & voluntate, nisi possessionem rei ante acquirat & apprehendat.*
24 *In publicis fluminibus non licet ædificare molendinum absque principis consensu; secus in privatis, modò absit damnum alterius.*
25 *Potestas domini in seruum non se extendit in eius vitam, nec ad interiora animæ.*
26 *An seruus sibi acquirat ea, quæ furtè sibi subtrahit?*
27 *Serui à seruitute liberantur nouem modis.*

1. DOminium formaliter & essentialiter non est idem quod ius. Ratio est, quia vxor habet ius quoddã in virũ, vt tradit Apostolus 1. *Cor.* 7. Filius habet ius, vt à patre alatur, subditus vt à Prælato dirigatur, & doceatur, & seruus in dominũ, vt ab eo necessaria accipiat, & tamen nullus istorũ, quantumuis nomẽ dominij extendatur, dominus est, nec appellari potest vxor domina viri, nec filius dominus patris, &c. ergo non omne ius est dominiũ, atq; ex consequenti, dominiũ non est idem essentialiter, quod ius. Ita habet cõmunis tam Theologorũ, quàm Canonistarum sententia. Vnde Aristot. 5. *Ethic. c.* 6. Aristot. distinguit ius dominatiuũ à iure paterno & cõiugali: quia pater possidet filiũ, non sicut dominus seruũ, sed tanquã aliquid sui. Et ideò ius illud non est dominicũ: dominus autem possidet seruum tanquã instrumẽtum, quo vtitur. *Et* 1. *Polit. c.* 3. distinguens inter ius politicũ seu Regium & despoticum, quod est dominicũ; dicit animã habere in corpus dominicũ Principatũ, mentẽ verò in appetitum non nisi ciuile & Regnum, quod non est dominicũ. Denique vir est Superior vxoris, nõ tamen dominus, nec ipsa ancilla viri, sed socia, vt patet *Genes.* 1. Vnde ius viri in vxorẽ est innominatum, quia non est vt domini ad seruum, neque vt Patris ad Filium, neque vt Principis ad ciuem, sed præstantius cùm sit vna caro, sed etiam vt dignioris in eodem regimine domus, & in hoc sensũ dicitur Genes. 3. *Sub viri potestate eris & ipse dominabitur tui* quia in regimine domus vel quantum ad vsum coniugalem vxor debet parêre viro, vt dicit Sotus *de iustit. lib.* 4. *q.* 1. *a.* 1. Sotus.

2. Titulus dominij ab ipso dominio distinguitur tanquã causa ab effectu. Ratio est, quia dominiũ est facultas libera vsurpandi rẽ aliquã in suũ commodũ. At titulus est principiũ, basis, radix & veluti causa moralis & fundamentũ, quo nascitur hoc dominiũ, seu facultas tanquã effectus illius. Vnde dicenti alicui, se esse dominũ alicuius rei, solemus dicere, ostẽde titulũ, id est, fundamentum & basim huius dominij. Potest autem hic titulus esse duplex, scilicet verus & præsumptus: verus est, quando est vera radix & causa, vnde pullulat dominium, vt quando emitur res à vero domino: hic habet verũ titulum. Præsumptus verò est, quando præsumitur vera radix & causa, & tamen reipsa non est: vt si quis bona fide emit rem ab eo, cuius illa non est, hic non habet titulum verum, sed præsumptum. Ita Molina *de iustit. tom.* 1. *d. tr.* 4. Bañez, Arragon 2. 2 *quæst.* 62. *art.* 1. & 2. & alij apud Layman *l.* 3. *tract.* 1. *c.* 5. *n.* 7. Molinã. Bañez. Arragon. Layman.

3. Creaturæ irrationales & insensibiles nullum habent dominiũ. Ratio est, quia dominiũ est ius, seu facultas libera vtendi rebus in suum cõmodum, sed creaturę irrationales propriè nulla re vti possunt, ergo non habent dominium. Tum quia illi soli competit habere dominiũ, qui operatur liberè & ex electione, atqui creaturæ irrationales, necessario agũt, scilicet ex mero instinctu naturæ, ergo nullum possunt habere dominiũ. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 1. *a.* 1. Ex quo colligitur, quod sicut creaturæ intellectu & libero arbitrio præditæ agunt propter finẽ propriè, quia eæ solæ cognoscunt rationem finis, & mediorum, sic etiã solæ illæ verè & simpliciter vtuntur rebus in suum commodum, ac proinde solæ habent propriè dominium. Ita concors est omnium Theologorum sententia. Bruta enim dominiũ non habẽt super terræ gramina, quibus pascuntur: neque qui ea prohibet iniuriam ipsis infert, sed eorum domino: vnde dominiũ quod brutis & rebus insensibilibus attribuitur à quibusdã, impropriũ & æquiuocũ dicitur, propter vmbrã quandam dominij, quã habent. Vide D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *a.* 1. Caietanum *ibid.* Sylu. *ibid. quæst.* 3. *concl.* 1. Clau. Reg. *lib.* 4. *c.* 4. *n.* 3. D. Thom. Sylu. Clau. Reg.

4. Ex cõmuni omnium sententia solus Deus optimus maximus vitæ & mortis hominis habet verum & absolutum dominiũ, ita vt non solùm tanquã iudex puniẽdo vel tanquã iustus defendendo, sed etiã absolutè tanquã humanæ vitæ author possit omnes homines interficere. Hinc Abrahæ, tanquam vitæ dominus, potuit Deus præcipere, vt filium suũ Isaac in sacrificiũ immolaret, & Sauli vt interficeret omnes Amalechitas etiam innocẽtes? Sic etiam Sodomitarum omnes innocentes & paruulos occidit, & quando præcepit per Moysẽ vt vnusquisq; occideret fratrẽ suũ, nõ solùm id iussit, tanquã vindex conflati vituli, sed etiã tanquã vitæ ac mortis Dominus. Vide Sylu. 2. 2. *q.* 66. *a.* 1. *q.* 3. Clau. Reg. *l.* 9. *c.* 5. *n.* 6. Sylusius. Clau. Reg.

5. Quidam putant Christum Dominũ, quatenus homo, etiã adhuc mortalem vitã agentem, plenum atq; perfectum habuisse imperiũ totius orbis, ita vt absque cuiusquã iniuria vsurpare sibi potuerit omnes mũdi Reges deponere, & de rebus omnibus tẽporalibus ad libitum disponere ex iure & potestate quã super omnia habet. Probant suã sententiam ex multis S. Scripturæ locis, in quibus videtur affirmari, Christum saluatorẽ nostrum esse Regem tẽporalem vniuerti. Ita Arrag. 2. 2. *q.* 66. *art.* 1. Durand. *de orig. iurisdict. q.* 3. Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tr.* 1. *cap.* 5. *n.* 4. §. *Porrò*, & alij. Verior tamen & tenenda sententia est, quod Christus quatenus homo non fuit verè ac propriè Dominus, nec Rex totius vniuersi, & sic nõ habuit iurisdictionẽ temporalẽ, nec rerum dominiũ, nisi quatenus opus erat ad regnum spirituale & sẽpiternũ quod instituebat. Probat quia omne regnũ aliquo horũ modorũ acquiritur; vel hæreditate, vel populi electione, vel iure belli, vel dono Superioris: Atqui Christus nullũ terrenũ regnum possedit iure hæreditario, imò nec Iudaicũ; quia sceptrum iã erat ablatum à tribu & familia Dauid, quando Christus fuit natus. Quod nõ populi electione vel iure belli, satis manifestũ est, quia fugit quando volebant eum facere Regẽ. *Ioann.* 6. Tum quia nullum gessit tẽporale bellum cũ hominibus, sed solum spirituale cum Diabolo & Angelis eius. Quod nec Dei dono tale regnum habuerit, patet ex illo Ioann. 18. *Regnũ meũ non est de hoc mundo.* Et iterum, *Regnum meum non est hinc.* Quasi diceret, Regnum meum quod tanquã Messiæ ad me spectat, & de quo Iudæi me accusant, nõ est de hoc mũdo, hoc est, nõ est qualia sũt caduca & peritura terrarũ regna, sed spirituale & æternũ, atq; ad finẽ longè diuersũ à fine proprio terrenorũ principatuũ. Dicitur *nisi quatenus opus erat ad Regnũ spirituale, &c.* quia qui verè & propriè est Dominus in regno spirituali, necesse est, vt etiã sit dominus tẽporaliũ, in quantũ opus est ad gubernationẽ regni spiritualis: & quia sæpe molestari poterat Ecclesiastica gubernatio per tẽporalẽ potestatẽ, necesse

ceſſé erat, vt Chriſtus haberet conſequenter dominium temporalium,ita videlicet,vt mutare potuerit Reges vniuerſos cæteraque omnia in temporalibus diſponere,quæ ad ſuum finem ſupernaturalem Eccleſiæ viderit expedire.Ita ſentiunt Sotus *lib. 4. de inſtit.q 4.a. 1.* Victoria *Relect. 1. de poteſtat. Eccleſ.ſect.5.* Bellarm. *lib.5.de Roman. Pontifice cap.4.* Sylueius *2. 2. quæſt.66.art.1.quæſt.4.* & alij.

Sotus. Victoria. Bellarmin. Arragon. Salon. Clauis Reg.

6.Princeps vel Reſp. non habet dominium vitæ & membrorum ſubditorũ.Ratio eſt,tum quia Princeps vel Reſp. non habet poteſtatem niſi à ſingulis: ergo cùm nemo habeat vitę mortiſque ſuę poteſtatem,neque Reſpublica habere poteſt:tum quia,qui eſt verus dominus alicuius rei,poteſt re illa vti vſque ad eius interitũ:ſed Princeps vel Reſp.nõ poteſt pro ſuo libito de vita ſuorum ciuium diſponere, neque innocentes interficere aut mutilare,ergo nõ eſt dominus vitæ ſuorum ciuium.Tum quia ex communi omniũ ſententia in duobus tantùm caſibus Princeps vel Reſp.poteſt ſuum ſubditum occidere vel vitam eius manifeſto diſcrimini obiicere.*Primò*,ſi ciuis ille aliquod delictum,quod in iure punitur pœnà capitis,perpetrauit.*Secundò*, quando ſic exigit ratio boni communis.Vnde quando Princeps interficit malefactores,& exponit ſubditorum vitam in bello, id facit,non vt illorum Dominus, ſed vt cuſtos tranquillitatis & boni publici:ſicut homo vt cuſtos vitæ ſuę reſecat membrum putridum & exponit partem pro ſalute totius.Ita Sotus *lib 4.de inſtit.q.1.a.3.* Valent.*tom.3.diſp.5.q.10.punct.1.* Bañez,Arrag.& Salon *2.2.q 62.a.1.&* 2.Clauis Reg.*lib.9.cap.5.num.8.*

Sotus. Valentia. Bañez. Arragon. Salon. Clau.Reg.

7. Summus Pontifex nullam directè habet iuriſdictionẽ merè temporalem, iure diuino,quâ nimirum vel ſit Rex,vel Princeps,vel Dominus,ſiue totius mundi,ſiue orbis Chriſtiani, aut alicuius loci, quantum ad regimen temporale. Ratio eſt,tũ quia poteſtates Pontificalis & regia ſecundùm diuinam inſtitutionẽ ſunt diſtinctæ, & ſubiecto, & functione, ergo Põtifex Romanus nõ habet ex iuriſdictione Chriſti poteſtatem regiam; cùm ab eo acceperit Pontificalem.Tum quia Chriſtus vt homo non habuit temporale dominium alicuius loci,vt dictũ eſt ſupra:ergo neque Summus Pontifex illud habet ex traditione Chriſti ſeu iure diuino. Nõ pugnat tamẽ cum Verbo Dei eundẽ eſſe Principẽ Eccleſiaſticum & ſæcularem.Hinc Conſtantino, Ludouico Caroli Magni filio,& aliis Imperatoribus dominia ſæcularia donantibus B.Petri ſucceſſoribus,S.Sylueſt.aliique poſt eũ Pontifices illa acceptauerũt.Vide apud Gratian.*diſt.63. cap.Ego.Ludou* Romanus autẽ Pontifex indirectè & in ordine ad finem ſpiritualẽ habet ſummam poteſtatem diſponendi de temporalibus rebus omnium Chriſtianorum.Ratio eſt,quia poteſtas ciuilis comparatur ad ſpiritualem ſicut caro ad ſpiritum: Atqui ſpiritus debet gubernare carnem,eique,ſi quippiam moliatur contra ſpiritum, reſiſtere: ergo ſimiliter poteſtas ſpiritualis debet gubernare ciuilem, eamque coërcere quando molitur aliquid ſaluti contrarium: vnde Principem à fide apoſtatãtem,aut alioquin valde noxium Eccleſię poteſt Romanus Pontifex ſpoliare dominio & iuriſdictione quam habebat, eiuſque regnũ vel principatũ transferre in alium. Hinc Leo III. imperium à Græcis tranſtulit in Germanos:quodque ius & poteſtas eligẽdi Imperatorem,ad Principes electores peruenerit à Sede Apoſtolica *cap. Venerabilem,de electione.* De hoc vide plura apud Sylu. *2 2.q.66.a. 1.quæſit.5.* & quæ diximus *tom.1.verb Hæreſis n.19.§.ſed petes.*

Gratian.

Sylueius.

8.Dominium bonorum Eccleſiaſticorum immobilium eſt non penes Eccleſiaſticos ſingulos,ſed penes Eccleſiam particularem,cuius ſunt.Nomine *Eccleſia* intelligitur communitas ipſa cum ſuo capite: quatenus autẽ vnaquęque Eccleſiarũ particularium eſt pars vniuerſalis Eccleſiæ, dominium omniũ bonorum Eccleſiarum eſt penes Eccleſiam vniuerſalẽ, cuius caput vniuerſale eſt Summus Pontifex.Prob. quia hæc bona à fidelibus donata fuere Eccleſiæ in dotem,patet *ex cap. Expedit.12.q 1.* Vnde quando ſine iuſta cauſa bona vnius Eccleſiæ Pontifex tribueret alteri Eccleſiæ,altera Eccleſia, aut Summus Pontifex in eius defectum teneretur illa reſtituere Eccleſiæ,à qua ablata fuiſſent,non minùs, quam ſi alicui ſæculari eadem collata fuiſſent.Ratio eſt,quia cõtra iuſtitiam eſt,diſpenſatorem ſine iuſta cauſa, cõmunitatem aliquam,dominio rei quam poſſidet,priuare.*Dixi ſine iuſta cauſa*,quia ſi ſit neceſſarium,vel valde expediens ad bonum commune Eccleſiæ, poteſt Papa bona vnius Eccleſiæ ad alios vſus & etiam ad alias Diœceſes transferre, imo ſæcularibus concedere. Dices, hæc bona ſunt patrimonium Chriſti, ergo ſunt Chriſti,non Eccleſiæ. Reſp.negando cõſequentiam:quia quę à fidelibus collata ſunt Eccleſiis, eatenus dicũtur eſſe patrimonium Chriſti quatenus illis collata fuere Chriſti intuitu, in illiuſque obſequium,vt videlicet, diuinum obſequium in eis reſplendeſceret, Sacramenta adminiſtrarentur,verbum vitæ doceretur, fideles in vitam æternam gubernarentur, miniſtri ad hæc omnia neceſſarij decenter ſuſtentarentur, præmiſſque dignis afficerentur,& ſi quid ſupereſſet,pauperibus erogaretur, vel in aliis piis operibus in Dei obſequium, bonumque Eccleſiæ conſumeretur.

9 Eccleſiaſtici acquirunt dominium ſtipendiorũ, quæ pro ſuis peculiaribus miniſteriis eis dantur, vt pro miſſa,cõcione, Sacramentorũ adminiſtratione, &c.Ratio,quia illa conferũtur eis ex temporalibus, vel ſpiritualibus bonis,tanquam merces laborum & operum perſonalium eorum, idque ſine vllo onere expreſſo vel tacito diſtribuẽdi ſuperflua pauperibus, quod tamen onus, bona ſeu reditus beneficiorum habet annexum:vnde hæc bona ęquantur bonis patrimonialibus clericorum, ac proinde de illis poſſunt clerici liberè diſponere. Ita ex communi DD. Sententia Nauarrus *quæſt. 1. de reditibus Eccl ſi iuſtis. monito 19.* Diana *part.4.tr.4.reſol.171.*

Nauarrus, Diana.

10. Nullus clericorum olim habuit in particulari dominiũ vllorum reddituum in ſuſtentationẽ miniſtrorum Eccleſiæ deputatorum.Ratio eſt,quia ante tẽpora Simplicij Papæ, qui anno Chriſti 471.Eccleſiæ præfuit, omnia bona Eccleſiaſtica erant clericis cõmunia,ſolaq; adminiſtratio ac diſpẽſatio pertinebat ad Epiſcopum & miniſtros deputatos, & poſtea reditus Eccleſiarũ in quatuor partes diſtribui cœperunt:vna erat Epiſcopi,altera inter clericos pro meritorũ qualitate diſtribuebatur:tertia inter pauperes: quarta Eccleſiarũ fabricis deputabatur. Hæc tamen diuiſio varia fuit olim pro temporũ & locorum varietate, imò ſenſim temporum lapſu variis ſtatutis, conſuetudinibuſque diuerſis ſubintroductis eo tandem modo bonâ Eccleſiæ diſtributa, titulique beneficiorũ & ſacerdotiorũ ſunt applicata, quo hodie conſpiciuntur.Ita Molin.*tr. 2.diſp.142.à 13.& ſeq.*

Molina.

11.Licet beneficiario portionem ſui beneficij redundantẽ,reſeruare in ſuas,quaſi futurũ timens, neceſſitates,vel vt collegium fundet aut hoſpitale, aut aliud opus pium,quod non niſi magna pecuniarum longo tempore collectarum ſumma cõſtrui poteſt modò interim non occurrãt graues præſentes proximorum neceſſitates: modò etiam id prudenter fiat, quia videlicet ita ver.ſimiliter vicinas tales neceſſitates timet ſibi, vt non ſperet poſſe eis aliter commodè occurri: aut quia opus illud piũ vtile eſt, & veriſimile eſt, morte non præueniente, exitũ habiturum.Vide Nauarr. *de reditib.Eccleſ.monito 76.*

Nauarrus.

12. Opera pia,ad quæ beneficiarius de ſuperfluo reditu ſui beneficij tenetur,non eſt opus vt fiant in eo loco,vbi beneficium eſt ſitum: quando tamen aliud non poſtulat cõmune Diœceſis,regni, aut totius Eccleſiæ bonũ, ſane eiuſmodi opera pia potiùs fieri deberent in populi vtilitatem,qui reditus contribuit,quàm alteriùs:quia & recta ratio, & beneficiarij apud eos à quibus paſcitur, ædificatio id poſtulat:Opera autem pia,de quibus hîc, multa & varia ſunt,vt exigere aliud beneficium;Eccleſiæ fabricam & ornatum promouere,pauperes iuuare,inſtituere magiſtros iuuentutis: vſus enim Eccleſiæ habet,vt hæc omnia eiuſdem rationis cenſeantur.

13. Beneficiarij poſſunt conferre conſanguineis aliquid ex redditibus ſuorum beneficiorũ,alioquin expendendum in opera pia, ſi tales conſanguinei, pro ſui ſtatus ratione,non habeant,nec habere poſſint competentem ſuſtentationem,aut ſi nubiles fœminæ ſint,quæ pro qualitate ſui ſtatus non habeant, nec habere poſſint moderatam competentem dotem,poterit illis à beneficiario conferri, quantùm indiguerint ad competentem,moderatam ſuſtentationem,aut dotem. Ratio eſt, quia pauperes ſunt, non ſolùm qui egent cibo,potu aut veſte, quæ ſunt naturæ neceſſaria, ſed etiam qui egent opportunis ad conuenientiam ſui ſtatus,ac proinde beneficiarij poſſunt illis tribuere eleemoſynam, ſicut alijs pauperibus:hæc tamen intellige,modò non occurrant graues alię proximorum neceſſitates:licet enim beneficiarius de reditibus beneficij in opera pia inſumendis, ſubuenire potiùs debeat conſanguineis, quàm extraneis,æquum tamen non eſt, vt omittat ſubuenire extremis aut penè extremis naturæ neceſſitatibus proximorum extraneorum,vt ſubueniat conſanguineis,in iis quibus ſolùm indigent ad conuenientiam ſtatus. *Dixi ſi nec habeant, nec habere poſſint*,quia ſi illi, vel illæ conſanguineæ adhibita pro conditione ſui ſtatus induſtria & labore poſſint ſibi ad ſuſtentationem vel dotem competentem neceſſaria acquirere;vel ſi habeant parentes, qui illis poſſint, debeant & velint ſufficienter ſubuenire, non cenſebuntur egere,ſed potiùs eſſe diuites: ſimiliter ſi beneficiarius habeat alia bona ſua,vnde ſubuenire poſſet proprio filio ſpurio, non poſſet illi largiri cõgruam ſuſtentationem de ſuperfluo ſui beneficij. Ratio eſt,quia præterquam quod cum peccato, & contra id, quod ſtatus beneficij poſtulat, eum genuerit,filius eſſet ſimpliciter diues. Ita D.Thom.2. 2.q.185.*art.*7.*ad* 2.cum D.Ambroſio 1.*officior. c.*30. & Caietan.2.2.*q.*43.*art.*8. Nauarro *q.*1.*monito* 77. *num.*4.

D.Thom. D.Ambr. Caietanus. Nauarrus.

14. Beneficiarius nobilis, aut in magna aliqua dignitate conſtitutus,qui ſola habet bona Eccleſiaſtica ex beneficio manantia & in opera pia expendenda,poteſt plus in alimentis & moderatam dotem filiæ ſpuriæ largiri, quam ſi eſſet ſpuria Sacerdotis pauperis. Ratio, quia ex ſtatu & qualitate parentis, accreſcit ſtatus & conditio filiæ ſpuriæ:imò iure canonico talis beneficiarius tenetur eiuſmodi filiæ præſtare alimenta, qualitati parentis competentia, atque adeò dotem,quę ad eiuſmodi alimenta,in totam vitam ei ſufficiat. Ita Nauarr. *de ſpoliis cleric.* §. *vlt.n.*9. Beneficiarius tamen talis non poteſt de dictis ſuis bonis conferre tãtam dotem ſuæ filiæ ſpuriæ, quantam homo coniugatus æqualis conditionis conferret in competentem & moderatam dotem filiæ ſuæ legitimæ.Ratio, quia nec talis coniugatus ſolet æqualem dotem, ſed longè inferiorem, ſimili ſuæ filiæ ſpuriæ conferre,nec æquũ eſſet conferre;atqui non eſt melioris, ſed inferioris conditionis filia ſpuria clerici,quam ſuſcepta ex adulterio coniugati. Sed petes, an ſiquis humili loco natus, euehatur ad magnam alliquam dignitatem,vt ad Epiſcopatum,&c. ſtatim etiam eo ipſo cõſanguineorum eius,vt fratrum aut conſobrinorum ex fratribus,vel ſororibus,accreſcat conditio & ſtatus, ita vt plus egeant ad ſuam congruam & mediocrem ſuſtentationem & ad dotem competentem,poſſitque proinde beneficiarius de reditibus ſui beneficij, id quod ad id eis defuerit,eis licitè conferre, & maximè patri aut matri, quibus tenetur ſe gratum exhibere,debitumque honorem deferre?Reſp.accreſcere aliquãtulum eorum ſtatum, ac proinde poſſe beneficiarium licitè illis conferre, non quantum exigere ſolent,& quantum beneficiariorum inordinata ad illos affectio, facilè putat ſibi licere conferre, ſed moderatè ad arbitrium viri prudentis & boni, ſpectatis omnibus circũſtantiis, & ſaltem quantum par eſt vt dedecus & pudor meritò non ſit beneficiario, propinquos tam arctè ſibi coniunctos à ſe deferri & abiici.Ita Nauarr. *monito* 77.*n* 5. Nauarrus.

15. Dominium rerum acquiritur,cùm quis ex aliena materia ſpeciem aliquam fecerit,& hic modus dicitur *per ſpecificationem,ſeu formationẽ*,*l. Adeò*,§.*cùm quis*,*ff.de acquirend rer.domin.* Et tunc videndum eſt, vtrum ſpecies ad materiam reuerti poſſit, an non poſſit ? *Primò* caſu pertinebit ad dominum materiæ, v.g. ex tuo argento à me fabricatus ſcyphus, tuus erit.Altero caſu,ad eum ſpectabit,qui rem formauit, v.g.qui ex lana veſtem,ex uvis vinum, ex oliuis oleum confecit.Requiritur tamen; vt bonâ fide alienam rem adhibuerit,exiſtimans ſuam eſſe: ſi enim malâ fide egit,res à priſtino dominio vendicari poterit, *l. de eo*,§. *ſi quis*, *ff ad exhibendum* & Gloſſ. *in* §. *Cùm ex aliena*, *verb.ab aliquo*,*Inſtitut.de rerum diuiſione.*

16. *Per acceßionem* acquiritur dominium rei : quæ fit, quando res aliena rebus noſtris accedit per humanum laborem & induſtriam.*Inſtitut.de rer.diuiſ.*§. *ſi tamen alienam*,v.g.ſi purpura veſti meæ intexatur, aut Margaritæ auro inſerantur. Ratio eſt,quia acceſſorium ſequi congruit naturam principalis.Succurritur tamen domino gemmæ, v.g. conceſſa illi actione ad exhibẽdum annulũ, vt excludatur gemma. Alia vero ratio eſt de tigno alienis ædibus iuncto,quod eximi non debet,ne publicus ędificiorum deformetur aſpectus *Inſtit.*§.*cùm in ſuo*,*de rer.diuiſ.*& *l.gemmæ*,*ff. Ad exhibendum.*

17. Per *materiarum confuſionem* iure gentium ſiue naturali rerum dominium acquiritur : quoniam ſi duorum dominorum materiæ ſint confuſæ ſiue caſu fortuito,ſiue voluntate ipſorum;corpus,quod ex confuſione fit, commune eſt vtriuſque voluntato quidem ipſorum, ſi ità mutuo conſenſu facta eſt confuſio:ſi caſu fortuito,tunc nemini caſus imputatur.*Inſtit.de rer.diuiſ.*§ *ſi duorum*, veluti,ſi qui vina ſua confuderint aut maſſas argenti vel auri conflauerint.Verùm ſi quæ caſu confuſa ſunt, facilè ſeparari poſſunt,v.g.plumbum ab argento, in rem actio dabitur.*l.Idem Pomponius*,§. *ſi plumbum*,*ff.de rei vindicatione.*

18.*Per commixtionem* ſpecierum dominium etiam acquiritur, vt ſi duorum dominorum frumenta cõmiſceantur;tunc ſi amborum voluntate fiat, communicata cenſebuntur:ſi autem caſu aut ſine voluntate eorum, tunc ſingulis competet in rem actio, quatenus apparet,aut iudex re cognitâ arbitrari poterit in illo aceruo cuiuſque eſſe. Eadem eſt ratio,ſi greges ouium permiſceantur. *Inſtit. de rer. diuiſ* §. *Quod ſi frumentum.*

Commixtio autem differt à confuſione; nam ea dicuntur confundi,quæ poſtquam cõfuſa ſunt; nouam pariunt ſpeciem,vt vinum & mel propriè confunduntur;quia aliam liquoris ſpeciem gignunt,videlicet mulſum.Ea verò commiscere dicimur,quæ

ita

ità confunduntur, vt non transferantur in nouam ſpeciem, ſed retineant priorem. Et oritur ſecunda differentia, vt quæ confuſa ſunt, ſiue caſu, ſiue voluntate dominorum, communia fiant: at quæ commiſcentur caſu, communia non fiunt.

19. Per ædificationem, iure gentium acquiritur dominium. Ita habetur in *l. Adeò quidem, §. cùm in ſuo, ff. de acquirend. rer. domin.* Et *Inſtitut. de rerum diuiſ. §. cùm in ſuo.* Vnde ſi quis in ſuo ſolo ex aliena materia ædificauerit, dominus fit ædificii: quia omne quod ſolo inædificatur, ſolo cedit. Verumtamen diruto ædificio, materiæ dominus eam vindicare poterit, niſi antea ipſi pro materia ſatisfactum fuerit. Contra verò, ſi quis in alieno ſolo ſuâ materiâ ædificarit, illius erit ædificium, cuius & ſolum eſt: & ſi ſcit alienum ſolum eſſe, nihil repetere in externo foro poteſt, etſi domus diruatur; quia aut donaſſe, aut temerè ædificaſſe cenſetur: excepto, ſi ea re negotium abſentis vtiliter geſſit. Si autem ex ſua materia ædificauit bona fide, neſciens ſolum eſſe alienum, conſtitutus in poſſeſſione ædificij, habet exceptionem doli mali aduerſus dominum ſoli poſtulantem ædificium, ſi materiæ æſtimationem, & fabrorum mercedes ſoluere recuſet: quia nemo locupletari debet cum detrimento poſſeſſoris bonæ fidei: quamobrem pretium materiæ & mercedes fabrorum ſoluere cogetur. Ita *l. Adeò cit. §. Ex diuerſo.*

20. *Per Plantationem* dominium rei etiam comparatur: quia ſicut ædificia ſolo cedunt, ita multò magis plantæ & arbores, cùm à terra ſuſtententur, alimentum, vitam & incrementum trahant. Vnde qui alienam plantam in ſuo ſolo poſuerit, eaque radices egerit, ipſius fit planta, cuius & ſolum eſt. E contrariò ſi quis ſuam plantam in alterius ſolum tranſtulerit, poſteaquam ea radices egerit, ad alterius dominium ſpectabit, *l. Adeò ff. §. vlt. de acquir. rerum domin.* & *Inſtitut. §. ſi Titius, de rer. diuiſ.* Æſtimationem tamen plantæ, atque impenſi laboris mercedem repetere poteſt, qui in alieno agro, verbi gratia, frumenta conſeuit, præſertim ſi bonâ fide id factum ſit, *l. qua ratione, ff. de acquir. rerum domin.* Hinc infertur, quòd ſi arbor propè confinium poſita in duorum dominorum fundos radices egerit, communis erit. Si autem arbor in vnius fundo poſita, in alterius vicinum fundum radices aliquas miſerit, eius erit arbor, in cuius fundo origo & plantatio eſt, *l. ſi plures, §. vlt. ff. arborum furtim cæſarum.* Sed alter, ſi cognouerit impendentes ramos arboris alienæ ſuis ædibus, aut horto officere, denuntiare poterit, vt ſuccidantur: ſi dominus arboris neglexerit, ipſemet qui damnum ex arbore patitur, totam luccidere & ligna tollere non prohibetur.

21. Iure quoque gentium acquiritur dominium per traditionem rei, non quidem nudam, ſed talem, vt per eam, is qui tradit, in animo habeat transferre dominium in accipientem, *l. Adeò quidem, §. Hæc quoque res, ff. de acquir. rerum domin.* Aliquando tamen ſine traditione voluntas nuda domini ſufficit ad dominium rei transferendum: veluti, ſi rem quam commodaui, aut tibi locaui, aut apud te depoſui, vendidero tibi: licet enim ex ea cauſa tibi eam non tradiderim, eo tamen quòd patior eam ex cauſa emptionis apud te eſſe, tuam efficio. Item ſi quis merces in horreo repoſitas vendiderit, ſimul atque claues horrei emptori tradiderit, transfert proprietatem mercium ad emptorem, *Inſtitut. de rerum diuiſ. §. interdum etiam & §. Item ſi quis.*

22. Dominium rei ex pluribus cauſis eſſe non poteſt: quia ſi ex vna cauſa res cœpit eſſe noſtra, deinde ex alia cauſa non poteſt fieri noſtra, quia non incipit eſſe noſtrum, quod antea noſtrum fuerat. Ita *l. Poſſideri, §. ex pluribus cauſis. ff. de acquirend. rerum domin.* Nec refert quòd ſæpe contingat, vt poſſeſſor bonæ fidei rem ex emptione, vel permutatione, vel donatione, vel teſtamento, vel legato habeat & deinde curſu temporis legitimè vſucapiat: nam tunc proximè ex pluribus cauſis res non fit noſtra, ſed remotè in vſucapione: tamen ipſa vſucapio poteſt ex multis cauſis exiſtere. Poſſum enim bona fide rem alienam emere ab eo, qui dominus eius non eſt, vel bona fide donatam accipere: ſed tunc ex his cauſis non eſt mihi acquiſitum dominium, ſed tantùm ius vſucapiendi, & deinde lapſu temporis rem vſucapio legitimè & tunc dominium acquiro.

23. Dominium rei non poteſt quis acquirere ſolo animo & voluntate, niſi poſſeſſionem rei antè acquirat, & apprehendat. Ratio eſt, quia nequit quis res alioqui communes, vt ſunt aues in aëre, piſces in mari, beſtiæ in terra, lapilli & gemmæ in littore, ſuas facere, niſi occupatione vel inuentione. Occupatio verò apprehenſionem rei dicit, & inuentio rem non facit noſtram, niſi apprehendamus: apprehenſio autem poſſeſſionem continet. Deinde cùm quis deſinit eſſe dominus rei, eò quòd eam pro derelicta habeat, dominium non amittit, niſi deſinat etiam eam poſſidere. Poſſeſſio igitur, ſiue ad acquirendum dominium, ſiue ad amittendum neceſſariò debet interuenire. Hinc etiam eſt, vt nemo poſſit vſucapere, quin poſſit ciuiliter poſſidere: alioquin enim fures rem furtiuam poſſent vſucapere. Vide Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 1. cap. 5. num. 8.* Clauem Regiam *lib. 8. cap. 9. num. 5.* & alios. Layman? Clauis Reg.

24. Non eſt licitum ædificare molendinum, aut aliud ædificium in publicis fluminibus, ne videlicet impediatur vſus publicus nauigationis: ſicuti neque in via, aut alio loco publico ædificare fas eſt abſque Principis conſenſu, vt conſtat *l. 1. 2. §. ſi quis à Principe, ff. ne quis in loco publico.* In priuatis verò, aut propriis fluminibus quilibet poteſt molendinum conſtruere; cùm quilibet in proprio fundo, etiam cum alterius damno, ædificare poſſit: modò id faciat principaliter, vt ſibi proſit, non vt alteri noceat, *l. fluminum, §. vlt. iunct. l. ſequent. ff. de damno infecto.* Limitatur tamen hæc poteſtas. *Primò*, niſi per nouum molendinum auferatur priori & antiquiori commodum naturale ac neceſſarium molendi, quod eſt aqua: quia in aquæ ductu antiqua conſuetudo ſeruanda eſt, vt docet Bartolus *in l. ſi manifeſtè, C. de ſeruit. & aqua.* Incommodum autem illud, quod ex noui molendini conſtructione ſequetur, vt ad antiquiora molendina pauciores homines frumenta deferant, in æſtimatione eſſe non debet: cùm quilibet liber ſit, ſecluſa conſuetudine contraria, frumentum ſuum deferre ad quodcumque voluerit: & expedit plerumque communi bono plura eſſe molendina, ad vitandas fraudes & vexationes hominum malorum. *Secundò* limitatur, niſi conſuetudo regionis prohibeat, ne nouum molendinum cum præiudicio, ſeu damno aliorum ædificetur: tunc priſtini molitores prohibere poterunt ædificationem, ſi oſtendant exinde ſibi damnum euenturum. Verùm ſtante etiam conſuetudine non ædificandi nouum molendinum, poteſt tamen quilibet in ſuo ſolo extruere molendinum pro proprio tantùm frumento molendo, deriuatâ etiam aqua ex proprio flumine. Imò ſtante conſuetudine non ædificandi nouum molendinum cum præiudicio alterius, poteſt tamen priſtinum in locum commodiorem fluminis transferri, modò nouis riuis deriuatis, cum variis aquarum dilapſibus molendi-

lendinum non extruatur cum magno aliorum præiudicio: nam in hoc casu veluti noua forma molendini censeretur.

25. Quamuis ius dominij in seruos extendat se ad omnes eorum operas, fructus & reliqua emolumenta, vt quæcumque seruus acquirit, domino suo acquirat, sicut constat ex *Instituta. §. 1. de his qui sui vel alieni iuris sint.* Et licet iure antiquo Gentilium, domini in seruos suos vitæ, necisque potestatem habuerint, id tamen meritò correctum est *in Institut. supra*, vt qui sine iusta causa proprium seruum occiderit, perinde puniatur, ac si alienum occidisset. Multò minùs potestas domini in seruum extendit se ad interiora animæ, vel spiritualem eius salutem: quare seruo licitum esset à domino suo aufugere, si per eius malitiam in periculo mortaliter peccandi constitueretur: neque obligaretur ad reuertendum dum periculum tale perduraret. Ita Diana. Diana *part. 7. tract. 7. resol. 4. & 13.* Molina *tract. 2. disp. 38.* & alij communiter. Molina.

26. Seruus sibi acquirit ea, quæ parcè viuendo sibi subtrahit, vel si præter opera præscripta aliquid faciat, modo hoc fiat ex præsumpta domini voluntate, & quando distincta est illi certa portio ciborum; tunc enim præsumitur dominum velle, vt quod seruus sibi subtrahit, non deficiendo debito seruitio, nec notabiliter vires minuendo, sibi acquirat. At quando non destinatur illi certa portio, non potest seruus sibi retinere, quod ob defectum appetitus relinqueret. Si verò ex eo quod ipse appetebat, & re vera erat manducaturus, aliquid sibi detraheret, non minuendo notabiliter vires, posset sibi retinere: idem dicendum si non deficiendo debito seruitio domini, nec notabiliter vires diminuendo, seruus vigilaret tempore, quo somno vacaturus erat, & aliquid sibi acquireret. Ita Lessius *lib. 2. cap. 4. dub. 4. num. 16.* Sanchez *in opusc. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 1. num. 13.* Lugo *de iustit. tom. 1. disp. 3. sect. 3. num. 66.* Fagundez *in decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 12. num. 7.* & alij. Vnde ex his acquisitis possunt serui facere eleemosynam & quidquid voluerint etiam donationes faciendo. ta Diana *p. 7. tract 7. resol. 34.* Lessius. Sanchez. Lugo. Fagundez. Diana.

27. Serui à seruitute liberantur. *Primò*, per manumissionem, siue ea merè gratis fiat, siue aliquo interueniente pretio, alioque impositio grauamine, aut alia simili ratione. *Secundò*, si dominus, aut alius, eo sciente nec contradicente infantem exponat, aut expositionem, se inscio factam, postea approbet: eo ipso talis infans manet liber. Item, si seruum ægrotum exponat, aut illi deneget alimenta necessaria, habetur pro derelicto, consequiturque eo ipso libertatem; nam qui illum suscipit, curamque illius habet, ius in talem seruum acquirit. Ita habetur *in cap. vnico, de infant. & languidis expositis, l. 2. & 3. eodem titul. l. vlt. ff. pro derelicto, & l. vnica, Cod. de Latina libert. tollenda, §. sed dicimus.*

Tertiò, si dominus necessitatem fornicandi ancillæ imponat, ea, implorato Episcopi auxilio, per eum ab omni miseriarum necessitate absoluitur, *l. si lenones, C. de Episcopali audientia.*

Quartò, si Iudæus vel Paganus vel Hæreticus seruum iam Christianum quocumque titulo possideat: eo enim ipso seruus ille libertatem consequitur, nullo persoluto pretio: quòd si possideat seruum nondum Christianum, & seruus ille Baptismum suscipere voluerit, eo ipso, quòd Christianus fuerit effectus, consequitur similiter libertatem. Ita habetur *l. Deo nobis, §. His ita. Cod. de Episcop. & Cleric.* Sanctio tamen hæc & similes, quæ subiicientur, intelliguntur de infidelibus, qui Ecclesiæ membrisque illius, quoad iurisdictionem temporalem sunt subiecti, quia videlicet degunt in terris iurisdictionis Ecclesiæ.

Quintò, si seruus à domino Iudæo, vel infideli circumcidatur: eo enim ipso in delicti pœnam manet liber, ex *c. Multa 54. dist.* & *cap. plerique, de consecr. dist. 4.* & *l. vnica, Cod. ne Christianum mancipium.*

Sextò, si vir solutus, & nullo alio impedimento ligatus ancillam etiam solutam, quam posset in vxorem accipere, habuit vt concubinam vsque ad mortem: tunc enim morte domini, tam ancilla, quàm filij, si quos ex illa susceperit, manent ipso iure liberi, si nihil de ancilla & filiis ex ipsa habitis dixit. Intellige, modò non dimiserit ancillæ turpem vsum ante mortem, & quod filij nati non sint ex concubitu damnato, sed ex soluto & soluta. Ita *l. vlt. Cod. Communia de manumissionibus.*

Septimò, si persona libera contrahat cum serua ignorans seruitutem, & dominus vel illam ei tradat in matrimonium, non detegendo illi seruitutem, vel sciens illos ita contrahere, seruitutem non detegat, eo ipso persona illa serua, siue masculus sit, siue fœmina, consequitur libertatem. Ita habetur *in Authent. de nuptiis, § si verò ab initio.* Item, si quis in matrimonium tradat suam ancillam libero homini, qui illius seruitutem non ignorat, attamen dotis instrumentum ancillæ conficiat, eo ipso illa libertatem consequitur, vt constat ex *l. vnica, §. sed & si quis homini, iuncta Authentica ad hoc, Cod. de Latina libertate tollenda.*

Octauò, si quis suum seruum hæredem instituat, vel tutorem filio suo relinquat, non ignorans eum esse suum mancipium: eo ipso in vtroque euentu censetur libertatem illi concedere, *l. penul. in princ. C. de necessariis seruis hæredibus instituendis, §. idem quoque iuris.*

Nonò, si quis suum proprium mancipium adoptet in filium, eo enim ipso liber efficitur, vt habetur *Institut. lib. 1. tit. de Adoptionibus, §. vltimo.* Hos & alios modos quibus serui libertatem acquirant, inuenies apud Fagundez *de institut. lib. 2. cap. 6.* Hurtadum *disp. 1. difficult. 22.* & Dianam *part. 7. tract. 7. resol. 14. 15. 16.* & alios. Fagundez. Gasp. Hurt. Diana.

Vide v. Commendatarij *nu. 2.* Mons pietatis *num. 2. & 3.* Paupertas *num. 11.* Præscriptio *num. 1. & seq.* Religio *num. 28.*

DONATIO

& Promissio.

SVMMARIVM.

1 *Donatio inter viros quadruplex est.* Absoluta, Conditionalis, Modalis, & Causalis.
2 *Donatio remuneratoria, an sit propriè donatio.*
3 *Donatio remuneratoria est duplex.*
4 *Quid requiratur, vt dicatur donatio remuneratoria.*
5 *An donatio remuneratoria possit fieri à nouitio: inter patres & filios, & inter coniuges.*
6 *An donatio remuneratoria facta à Principe possit reuocari.*
7 *Super rebus à Principe donatis filiis defuncti benemeriti, nullum ius habent creditores patris.*
8 *An propriè sit donatio, debiti remissio vel solutio.*
9 *An donatio interna homini facta obliget?* Refertur duplex sententia.
10 *An donatio non acceptata in conscientia obliget? & quo iure dicatur non obligare.*
11 *An donatio nondum acceptata, iuramento tamen confirmata, sit obligatoria.*
12 *An donatio ad pias causas vel Ecclesiæ ante acceptationem sit valida?* Refertur duplex sententia.

Digitized by Google

Et quid de donatione vel promiſsione facta abſenti.

13 *An donatio facta præſenti & tacenti valida ſit.*

14 *Quæ conditiones requirantur, vt promiſsio ſimplex ſit valida & obligatoria.*

15 *An promiſsio differat à Donatione, Pollicitatione, pacto & ſtipulatione.*

16 *An promiſsio facti alteri iure ciuili & Canonico obligationem pariat.*

17 *Res promiſsa pluribus ſucceſsiuè, cui tradenda ſit.*

18 *Qui aliquid ſub diſiunctione promiſit, an poſsit promittens tradere quod voluerit.*

19 *Quando duo ſibi inuicem aliquid promiſerunt, & vnus non vult implere promiſsionem, an alter ſuam teneatur implere.*

20 *An ſtipulator poſsit promiſsionem nomine abſentis acceptatam, remittere & condonare.*

21 *An promittens teneatur adimplere promiſsionem acceptatam à tertio, antequam ratifi.etur ab eo, in cuius fauorem facta eſt.*

22 *An qui aliquid promiſit ad certam aliquam diem, poſsit ante illius dies aduentum ſoluere.*

23 *Promiſsio quo in loco adimplenda ſit.*

24 *An ex ſimplici promiſsione vtè acceptata, in foro iudiciali detur actio aduerſus promittentem.*

25 *An donatio remuneratoria propter donatarij ingratitudinem poſsit reſcindi.*

26 *An donatio remuneratoria poſsit reuocari per ſuperuenientem prolem.*

27 *An pactum de non reuocanda donatione, eſto donatarius in vitium ingratitudinis inciderit, ſit validum.*

28 *Vtrum donatarius ingratus teneatur donata reſtituere ante ſententiam iudicis? Et ad quem pertineant fructus percepti ex re donata ante reuocationem.*

29 *An conditio præſentis, præteriti vel futuri addita donationi, eam ſuſpendat.*

30 *An donationes facta cauſâ mortis ſub conditione impoſsibili, vel quæ ſine peccato adimpleri non poteſt vel matrimonij impeditiua, vel maioris boni ablatiua, ante conditionis adimpletionem, firmitatem habeant.*

31 *An donatio vel promiſsio facta mulieri ſub conditione nunquam nubendi valida ſit.*

32 *An donatio ob certum finem valida ſit, ſi finis non ſequatur.*

33 *An donatio ob cauſam ſit valida, quam ſubeſſe creditur donator, cùm verè falſa ſit.*

34 *Conditio poſsibilis diuiditur* in neceſſariam & in contingentem.
Conditio contingens diuiditur in poteſtatiuam, Caſualem, & Mixtam.

35 *Conditio quoad donationes, ſeu promiſsiones, legata & alias diſpoſitiones, duobus modis ſumitur.*

36 *Quomodo donatio modalis exprimatur.*

37 *An donatio modalis, modo non exſtente, ſit valida.*

38 *An quando aliquid ſub modo donatur & legatur, teneatur donatarius vel legatarius cauere de modo implendo, & de fructibus reſtituendis, niſi modum impleat.*

39 *An quando modus diſpoſitioni eſt appoſitus in vtilitatem tertij, valida ſit diſpoſitio ſine impletione talis modi.*

40 *An modus impoſsibilis habeatur pro non adiecto, in vltima voluntate.*

41 *An donatio omnium bonorum tam præſentium, quàm futurorum poſsit eſſe valida, ſi Principis auctoritate firmetur.*

42 *Quando donatio inter viuos omnium bonorum præſentium & futurorum in foro conſcientiæ poſsit eſſe valida.*

43 *An donatio omnium bonorum præſentium & futurorum ſit valida, reſeruato vſufructu.*

44 *An donatio abſoluta vltra Summam 500. ſolidorum in conſcientia ſit valida.*

45 *An donatio Epiſcopi regularis ad vſus profanos ſit inualida?* Refertur duplex ſententia.

46 *An accipiens in caſibus illicitis aliquid à religioſo beneficiario vel Epiſcopo, peccet etiam mortaliter?* Refertur duplex ſententia.

47 *An donatio facta à patre filio emancipato vel non emancipato, aſtimanda ſit, cùm patre mortuo, dividenda erit hæreditas.*

48 *An donatio ſit valida illius, qui ante commiſſum crimen dixit, propter quod bona illius confiſcanda venient.*

1. DOnatio inter viuos quadruplex eſt, ſcilicet, *Abſoluta, conditionalis, modalis & cauſalis.* Donatio abſoluta eſt, quando abſolutè aliquid datur, vt ſtatim fiat accipientis, vt ſi dicas, Ego dono tibi hanc rem. Conditionalis, quando particula (ſi) apponitur, vt dono tibi centum, ſi filius meus ex India ſaluus redierit. Modalis, quando dictio (vt) adhibetur. Vt do tibi mille, vt exinde domum emas. Donatio autem cauſalis eſt, in qua dictio (quia) præponitur, vt do tibi centum florenos, quia adiuuiſti me in neceſſitate poſitum.

2. Donatio remuneratoria non eſt propriè donatio ex *l. Aquilius, ff. de donat.* Ratio eſt, quia qui donat, gratis omninò & liberaliter donat, ſed remuneratiua donatio fit ob cauſam præcedentem, ſcilicet ob merita, & vt gratum erga illum animum oſtendamus. Hinc prohibitus donare donatione mera vel conditionali, vel modali, non prohibetur donare donatione remuneratoria; niſi prohibeatur donare, vel quia non habet liberam adminiſtrationem in rebus donandis, vel quia donando inde efficitur impotens ad ſoluenda debita ex iuſtitia.

Hinc etiam, licet donatio à patre facta filio non emancipato ſit ipſo iure nulla, quia pro vna eademque perſona reputantur, tamen donatio hæc remuneratoria facta filio pro meritis & ſeruitiis tenet, dummodo donatio hæc non excedat merita. Similiter talis donatio non prohibetur fieri à reis gioſis, quamuis omnis donatio per Conſtitut. Clementis VIII. *de Largit. munerum* regularibus interdicatur. Ita communiter Doctores, Azorius *part. 3. lib. 11. c. 3. quæſt. 3.* Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp.* 292. Menochius *conſil. 307. num. 4 lib. 4.* Diana *part. 8. tract. 6. reſol.* 115. Sanchez *de matrim. lib. 6 diſp. 6.* qui nouiſſimus docet, vt donatio remuneratoria ſit, hæc requiri. *Primò*, in donatione debet exprimi hanc ob bene merita fieri. *Secundò*, vt obſequia & merita non ſint aliàs debita, ſi enim debita eſſent, non eſſent remuneratione digna. *Tertiò*, vt obſequia & bene merita ſint inſignia. *Quartò*, vt donatio meritis æquipolleat. Cui ſubſcribit Fagundez *de contract. lib. 4. c. 3.* In dubio autem, an donatio ſit remuneratoria, an merè gratuita & liberalis, cenſendum eſt eſſe remuneratoriam: quia vt inquit Vlpianus *in l. nec adiecto, ff. pro ſocio*, longè frequentius eſt homines non donare, niſi ob merita.

Clem. VIII. Azorius. Molina. Menoch. Diana. Sanchez. Fagundez. Vlpianus.

3. Donatio remuneratoria duplex eſt, *Prima* eſt, quâ beneficium compenſatur ad æqualitatem

ex

ex gratitudine non ex debito: vt ſi famulo ob præſtita ſeruitia detur aliquid quaſi loco ſtipendij, non ex conuentione tacita vel expreſſa, ſed potiùs ex liberalitate, & hanc donationem facere poteſt quilibet habens liberam bonorum adminiſtrationem. Imò etiam Prælatus Monaſterij ex bonis Monaſterij, tutor de bonis pupilli, ſi obſequia præſtita fuerint pupillo. *Altera* verò donatio remuneratoria eſt, quæ debitum, ſi u obſequium compenſatur vltra æqualitatem, ita tamen, vt non adſit nimius exceſſus, ſed moderatè fiat, quantum animi gratitudo poſtulat: & in hac donatione exercenda, maior circumſpectio adhibenda eſt ab iis, qui ex alienis bonis, quorum adminiſtrationem habent, largitiones faciunt: nam quâ parte adeſt immoderatus exceſſus, non dicitur remuneratio, ſed donatio: ſecus ſi moderatè fiat, conſideratis conſiderandis. Ita Filliucius *tract 34. cap. 4. nu. 97.* Turrianus *de uſu. diſp 76. d. 6.* Filliucius. Turrianus.

4. Vt dicatur donatio remuneratoria, iuxta quorumdam ſententiam, oportet, vt omninò merita æqualia ſint rei, ob merita donatæ; ſed hæc ſententia communiter reiicitur: quia gratitudinis lex poſtulat, ſemper plus reddi quàm ſit acceptum. Ratio eſt, nam recompenſatio gratiæ, ſeu beneficij, reſpicit beneficium ſecundum voluntatem benefacientis. In quo quidem præcipuè hoc commẽdabile videtur, quod gratis beneficium contulit, ad quod non tenebatur: & ideò qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honeſtatis, vt ſimiliter aliquid gratis impendat. At non videtur gratis aliquid impendere, niſi excedat quantitatem accepti beneficij: quia quamdiu recompenſat minus, vel æquale, nõ videtur facere gratis, ſed reddere quod accepit: & ideò gratiæ recompenſatio ſemper tendit, vt pro ſuo poſſe aliquid maius retribuat. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 106. *art.* 6 ex Ariſtotele 5. *Ethicor. cap* 5. D. Thom. Ariſtot.

Alij ſuſtinent merita, ſeu obſequia dici æquiualentia, quando immodico excedit donatio meritorum valorem, nempe, in quarta parte; vt ſi merita valeant duodecim, vt donentur ſexdecim: tunc enim tota donatio cenſetur remuneratoria, ſecus verò ſi exceſſus ſit nimius, quia tunc in illo erit liberalis donatio. Ita Nauarrus *de reſtit. Eccleſ. quæſt* 1. *nu.* 91. Nauarrus.

Cæterum, quamuis hæc ſententia ſit probabilis, probabilius tamen eſt, hoc arbitrio prudentis relinquendum eſſe, attenta donantis qualitate: cùm ſoleant diuites, ac nobiles multò maiorem referre gratiam, *cap. 1. de donation.* Vnde tota donatio dicitur remuneratoria, quamuis merita excedat id, quod diuites ac nobiles in eo caſu remunerare ſolent. Ita Sanchez *de matrim. lib. 6. diſp. 6. num* 9. Clarus *lib. 4. ſent. recept. §. Donatio, quæſt.* 8. §. *ſed pone.* Garzias *de donation. remunerat. num.* 53. Menochius *de arbitr. lib. 2. centur. 2. caſu* 132. *numerõ* 7. & 9. Sanchez. Clarus. Garzias. Menoch.

5. Donatio remuneratoria poteſt fieri à nouitio etiamſi non ſit ſeruata forma præſcripta à Concil. Tridentino *cap. 16. ſeſſ 25. de reformat.* quia ſub verbis Concilij veniunt tantùm donationes liberales; ſed donatio remuneratoria dici non poteſt verè & propriè donatio liberalis, ergo. Ita Fagundez *de contract. lib. 4 cap. 1. num 1. & cap. 6. num 5.* Ex quo infertur donationes remuneratorias inter patres & filios, atque inter coniuges valere. Item in filium ſpurium facta donatio remuneratoria valet: ſicut & illa Clerici valet facta in concubinam. Denique Procurator Generalis cum libera adminiſtratione conſtitutus, de bonis adminiſtrationi ſuæ commiſſis donationem remuneratoriam facere poteſt ei, qui in dominum beneficus fuiſſe probatur, *l. filiusfamil. 8. in princip. ff. de procurat.* Ita Diana *part. 8. tract. 6. reſol.* 121. Fagundez *de contractibus, lib. 4. c. 3. num. 13. & ſequent.* Conc. Trid. Fagund. Diana. Fagund.

6. Donatio facta à Principe ex cauſa remunerationis, tanquam contractus oneroſus, liberè reuocari non poteſt, niſi expreſſa iuſta cauſa, & quæ publicam reſpiciat vtilitatem, per textum *in l. Titium puerum, ff. de obſeq. à liber. l. Lucius, C. de cuſtion.* Vnde reges poſſunt facere donationes iuxta ſeruitij meritum, moderatè tamen, ita vt non poſſint reuocari à ſucceſſoribus, ſi donent ſub nomine dignitatis: quia id, quod fit ſub nomine dignitatis, obligat ſucceſſores, teſte Decio *in cap. 1. de præbend.* per textum *in cap quoniam Abbas, de offic. delegati.* Verùm ſi donatio excedit merita & ſeruitium, vt immenſa, non valeret, iuxta quod notatur etiam Principi non licere magnas donationes facere, *cap. intellecto, de iurat.* vbi communiter Doctores. Vnde ex cauſa poteſt Princeps adhibere modum donationibus à ſe factis, imò & reuocare eas, ſicut etiam priuilegia à ſe conceſſa, vel à prædeceſſoribus, etiamſi iuramento firmata fuiſſent, præſertim, quando bona donata, ſeu priuilegia conceſſa nocent Regi, aut bono publico. Probatur, quia Princeps debet incumbere adminiſtrationi Regni, vt ex facto ſuo Regno non præiudicet, quòd ſi aliquid ordinet in eius præiudicium, talis ordinatio ruit: durum eſt enim donatarios exigere donationes immenſas à Rege ſibi factas, & ex eodem tempore Regna grauari immoderatis tributis & exactionibus. Ita multi quos refert & ſequitur Diana *p. 8. tract 6 reſol. 122 & 123.* Diana.

7. Quando Princeps aliquid filiis defuncti bene meriti donat, creditores patris nullum ius ſuper huiuſmodi rebus donatis habere poſſunt. Ratio eſt, quia filij non obtinent has largitiones, tanquam hæredes patris, quoniam nulla in hæreditate paterna remanſit actio ad petendum à Principe hanc remunerationem, cùm non teneatur Princeps ex obligatione iuſtitiæ illam facere, ſed ex obligatione antidotali, quæ actionem non parit, vt bene ait Bartolus *in l. ex hoc iure ff. de iuſtit & iur.* & docent Molina *tract 2. diſp 8.* Tum quia textus *in leg. cùm multa, C. de bonis quæ libera* indiſtinctè dicit, donata à Principe filiofamilias eſſe ad modum Caſtrenſium. Hinc infertur, in huiuſmodi bonis donatis filiofamilias à Principe contemplatione patris, non habere patrem vſumfructum. Bartolus. Molina.

8. Debiti remiſſio eſt propriè donatio, vt colligitur ex *l. Modeſtinus, ff. de donationib.* vnde ſicut donatio, vt ſit valida, exigit vt ſit gratuita & liberalis, ſic etiam debiti remiſſio debet fieri gratis & liberaliter, alioquin nulla erit remiſſio. Similiter renunciatio iuris propriè eſt donatio, vt colligitur expreſsè ex *l. magis puto, §. fundum de rebus eorum, qui ſub tutela ſunt.* Et ex *l. vero in princip. ff. de ſolut.* Ratio eſt, quia qui renunciat iuri, eo ipſo ſe abdicat, eo quod habet vel habere poteſt. Vnde pupillus, qui iure prohibetur donare, eo ipſo prohibitus eſt ius ad rem repudiare. Quando autem quis ſoluit quod promiſerat, non eſt propriè donatio: nam hæc ſolutio fit ob cauſam, id eſt, ob promiſſionem præcedentem & non intuitu ſolius liberalitatis. Donatio verò eſt illa, quæ fit, nullo cogente iure, ſiue naturali, ſiue ciuili, ſiue prætorio. Sed de his vide Azorium *part. 3. lib. 11. cap. 1. de donatione.* Azorius.

9. Communior tam Theologorum, quàm iuriſperitorum ſententia habet, donationem internam homini factam, nullam in conſcientia inducere obligationem: vnde qui actum internum & deliberationem voluntatis habet, dicendo apud ſe tacitus, *do tibi centum*, nullo iure ciuili, vel Eccleſiaſtico

ſiaſtico cogi poteſt ad talis actus interioris adimpletionem, quo ad vſque ſignit vel verbis exprimatur. Ratio eſt, vbi non eſt qui recipit, nec eſt qui donat, liquidem donare reſpectiuè ſe habet ad accipere, ſed ea quæ voluntate ſola dantur, nullus recipit; ergo nec donat ac tribuit. Tum quia donatio eſt ſignum quoddam practicum efficiens id ipſum, quod ſignificat: quare cùm actus interni non ſint idonea ſigna ad alteri ſignificandum, non ſunt etiam idonea inſtrumenta ad ſe alteri obligandum, nam hæc aptitudo fundatur in ſignificatione ad alterum. Tum quia in hoc caſu non transfertur dominium in alterum, ſed ſemper manet in eo, qui talem actum habuit vſque ad realem traditionem. Hinc nemo tenetur huiuſmodi ſuum actum internum alteri patefacere, ſed pro ſuo arbitratu poteſt illum celare, aut reuocare abſque vlla iuſta cauſa, & alter nullum ius ſibi acquirit, ergo nullam illi facit iniuriam, aut tacendo, aut reuocando ſententiam; quia vbi non eſt ius, ibi non eſt iniuſtitia. Ita Leſſius *lib. 2. de inſtit. cap. 18. dub. 5.* Baunius *de contract. lib. 2. tract. 4. quæſt. 4.* Scotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. litera E.* Tannerus *2. 1. diſt. 4. quæſt. 1. dub. 5. num. 59.* Pontius *de matrim. lib. 2. cap. 6. num. 9.* Non eſt tamen improbabilis ſententia Soti, Molinæ, Dianæ *part. 3. tract. 5. reſol. 116.* aſſerens talem donatorem obligari: quia à voluntate vt à cauſa certa & efficaci manat obligatio, ſi quis ergo quidpiam dare alteri interna voluntate conſtitutum habet, obligatur.

Leſſius. Baunius. Scotus. Tannerus. Pontius. Sotus. Molina. Diana.

10. Donatio antequam ritè acceptetur, nullam parit obligationem naturalem, aut ciuilem, ſed tutâ conſcientia pro libito poteſt eam reuocare ſine iniuria donatarij, imò etiam ſine mendacio. Ratio eſt, quia obligatio non naſcitur niſi mutuo duorum conſenſu, vt habetur ex *l. 1. ff. de pactis*, quare priuſquam alterius conſenſus accedat, prior poteſt pœnitere & ſuam externam donationem reuocare? Tum quia ſola donatio, aut promiſſio non habet vim transferendi dominium rei donatæ, aut promiſſæ in donatarium, aut promiſſarium, niſi accedente conſenſu donatarij, aut promiſſarij: ſicut nec ſola rei apprehenſio habet vim faciendi rem apprehenſam capientis, niſi accedat animus, & voluntas habendi illam vt ſuam, ex *l. abſenti, ff. de donat.* Ex his infertur quòd mortuo donante, aut donatario ante acceptationem inualida erit donatio: quia ampliùs acceptari non poteſt, & eò ipſo cenſetur mandatum reuocatum, vt expreſsè habetur *Inſtitut. §. retè, tit. mandati*, & *l. 26. inter cauſas, ff. mandati*, quod intellige quando ante mortem promittentis, vel promiſſarij res manet integra: alias promiſſio, aut donatio non extinguitur morte promiſſoris, vt habetur *l. 1 ff. de policitat.*

Si dicas, quòd ab hæredibus donatarij defuncti acceptari poterit donatio? Reſpondeo ex rigore iuris non poſſe, quia ad illos directa non fuit. Ex quadam tamen æquitate videtur poſſe, quia hæredes perſonam defuncti repræſentant, & præſumendum eſt eam eſſe mentem donantis, vt ſi donatarius beneficio eius frui non poſſit, eius hæredes fruerentur, præſertim, ſi illi hæredes ſint liberi, niſi de contrario conſtet. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 18. dub 6.* Diana *part. 8. tract. 6. reſolut. 108.* & alij communiter.

Leſſius. Diana.

Quo autem iure donatio externa ante acceptationem non obliget? Quidam affirmant eſſe iuris poſitiui: nam conſiſtendo intra limites iuris naturalis ſufficit conſenſus ad obligationem. Ita Couarruuias, Molina, Rebellus, Sylueſter apud Dianam *loco citato*. Hæc ſententia eſt probabilis. Verius tamen videtur, non tantùm ex iure ciuili, ſed etiam ex iure naturali, vel iure gentium id prouenire. Ratio eſt, quia in contractibus onerolis antequam acceptentur, licet reuocare ſuam obligationem; ergo etiam idem erit licitum in donationibus gratuitis, niſi lex poſitiua adimat hanc poteſtatem. Ita Leſſius, Diana *ſupra*.

11. Donatio nondum acceptata, iuramento tamen confirmata eſt valida & obligatoria, non quidem ratione donationis, ſed ratione vinculi Religionis ſuperadditi, ne videlicet in teſtem infidelis donationis Deus adducatur. Verùm ipſe homo in cuius gratiam facta fuit donatio, nullum inde ius acquirit in rem donatam, quia ei non fuit facta fides, aut ab eo acceptata, ideoque talis donatio inuito donatario poteſt in alia opera pia commutari à Prælato. Ita Molina *tract. 2. diſp. 263.* & alij.

Molina.

12. Controuertitur inter Doctores, an donatio facta Eccleſiæ vel ad pias cauſas, ante acceptationem ſit valida? Quidam putant eſſe inualidam, nec vllam in conſcientia inducere obligationem, & dicunt hanc opinionem eſſe communem Lopez *lib. 1. de contract. cap. 43.* Clarus *lib. 4. ſentent. §. Donatio, quæſt 12. num. 6.* Baunius *de contract. lib. 2. tract. 4. queſt. 16. dub 5.* Fernandez *in exam. Theolog. moral. part. 1. cap. 16. §. 1.* Contendunt eſſe validam Felinus *in cap. 1. de pactis, num. 7.*, citatque pro ſe Bartolum, Baldum, Panormitan. & alios, Sylueſter & Angelus *verb. Policitatio*, Molina *diſp. 263. §. Dubium*, Diana *part. 8. tract. 6. reſol. 106.* Et probant ex *l. 1. ff. de policit.* quæ decernit validam eſſe donationem factam ciuitati, abſque vllius acceptatione, qui fauor ad alias pias cauſas extendendus videtur. Hæ ſententiæ ſunt probabiles. Verius tamen eſt, talem donationem ad pias cauſas ante acceptationem reuocari poſſe, idque ex defectu potius conſenſus, quàm acceptationis, cùm regulariter nemo etiam per donationem vel promiſſionem ad pias cauſas, ſe ante alterius partis acceptationem irreuocabiliter obligare intendat, niſi per votum vel iuramentum ad id voluerit ſe obligare; vt definitur *in l. qui abſenti, ff. de acquir. poſſeſſ.* & docet Rebellus *p. 2. de obligat. inſtit. lib. 18. quæſt. 3.*

Lopez. Clarus. Baunius. Fernandez. Felinus. Bartolus. Baldus. Pontius. Sylueſt. Angelus. Molina. Diana. Rebellus.

Hinc reſoluitur donationem vel promiſſionem exteriùs quidem factam, ſed tamen abſenti & ignoranti, eſſe inualidam & reuocabilem: quia ſicut ad præſentes homo non ordinatur ad alterum, niſi per ſigna externa, quibus conceptus innoteſcunt; ita & ad abſentes non refertur, niſi per Scripturam vel per internuncium ſpecialiter ad id à ſe deputatum. Proinde vt donatio abſenti facta valida ſit, requiritur, vt conſenſus donantis vel promittentis per aliquem ab ipſo donante vel promittente deſtinatum inſinuetur donatario vel promiſſario: alioquin ſi per alium à donante vel promittente non deſtinatum ipſius conſenſus donatario inſinuetur, non erit valida donatio. Sicut nec erit valida donatio, ſi donatarius ſuum conſenſum ſignificet alteri, quàm nuncio ab ipſo donatore conſtituto; vt enim duorum conſenſus in pactum coaleſcant, debent mutuò ſibi correſpondere. Ex *l. 3. ff. de policitationi.* Ita Molina *tract. 2. diſp. 264.* Clarus *§. Donatio, q. 12.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 10 punct. 3.* Lopez *lib. 2. de contract. cap. 43.* Diana *part. 8. tract. 6. reſolut. 94.* & alij.

Molina. Clarus. Valentia. Lopez. Diana.

13. Donatio facta donatario præſenti & tacenti valida eſt & donator eam deinceps reuocare non poteſt. Ratio, quia qui tacet conſentire videtur, vt habet regula iuris. Quæ regula ſecundùm interpretationem Doctorum maximè locum habet in fauorabilibus, inter quæ computatur donatio. Tum quia licet in onerolis, qui tacet, nec fateatur, nec vtique negare cenſeatur: tamen in gratuitis, & quæ

fauorem

fauorem tacentis concernunt, conſentire cenſetur. Ergo ſi donatio eſt expreſſa, & acceptatio lege præſumpta cenſetur & donatio perfecta, adeò vt donans eam amplius reuocare non poſſit. Ita Couarruuias *in rubric. de teſtament poſt num.13. verſ. Si donatarius*, Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp 6 ſub num.* 11 Eman Sà *verb. Donatio, n.* 16, Menochius *de præſumpt. lib.3 præſumpt* 42. Diana *p.8 tract 6. reſol.* 106. *verſ. Eſt tamen*, & alij apud ipſos citati. Couar. Sanchez. Menoch, Sa Diana.

14 Vt promiſſio ſimplex ſit valida & in cõſcientia obliget, ſex conditiones requiruntur. *Prima eſt*, vt ſit vera, quia promiſſio ficta & ſimulata, verè promiſſio non eſt, nec obligatoria: nam omnis obligatio in promiſſione procedit ex fide data ei, cui facta eſt promiſſio: ſed in promiſſione ficta reuera nulla datur fides, ſed vox dumtaxat, quę ex ſe nullam vim habet obligandi; ſed tantùm eſt ſignum externum fidei, quæ datur promiſſario. Aduerte tamen quòd promiſſio ficta in re magni momenti ſit peccatum mortale, nempe, quando per illam grauis infertur iniuria proximo. Ratio eſt, quia illud eſt peccatum mortale per quod inter prudentes diſſoluitur amicitia, ſed quiuis prudens iuſtè repellit à ſua amicitia eum, qui in re graui ipſum decipit, ergo peccat mortaliter. Regulariter autem promiſſio ficta per ſe & ex obiecto ſolùm eſt peccatum veniale.

Secunda conditio eſt, vt ſit deliberata, id eſt, vt qui promittit, ſit ſciens & volens: vnde ad promiſſionem requiritur ea deliberatio, quæ ſufficit ad peccandum mortaliter. Vt ex communi docet Nauarrus *in cap. Non dicatis, num.*17. & *in Man. cap.* 18. *num.*7. Nauarrus.

Tertia eſt, vt ſit voluntaria, nam promiſſio dolo vel metu extorta, nullam obligationem inducit, iuxta probabiliorem ſententiam Doctorum: quod procedit etiam de metu leui vel reuerentiali, qui in virum conſtantem non cadit, dummodò ſit cauſa ſine qua non fieret promiſſio. Idem dicendum ſi per minas & importunas preces ſit extorta, cùm genus quoddam inuoluntariæ coactionis cenſeantur. Secus ſi per blanditias, cùm hæ neminem inuoluntarium faciant.

Quarta eſt, vt ſit de re licita, nam qui illicitum promittit peccat & ad præſtandum promiſſum nullo iure compellitur: vnde *in cap. in malis 22. qu.*4. habetur. *In malis promiſſio reſcinde fidem, in turpi voto, multa decretum, impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.*

Quinta eſt, vt ſit poſſibilis, nam impoſſibilium nulla eſt obligatio, *l. Impoſſibilium, ff. de reg. iuris.* Si autem promiſſum partim poſſibile ſit, partim impoſſibile, aut partim licitum & partim illicitum, tunc is qui promiſit, tenetur implere partem poſſibilem ac licitam, vtile namque per inutile non vitiatur.

Sexta conditio eſt, vt perſonæ & res ſint tempore præſtandi promiſſum in eodem ſtatu, in quo, quando fuit facta promiſſio erant. Quæ mutatio contingit in caſibus expreſſis *tom. 1. verb. Promiſſio, num.*10. Ita Nauarrus *in Man. cap.*18. *num.* 7. D. Thomas 2. 2. *qu* 110 *art.* 3. *ad* 5. Lopez *part.* 2. *inſtructor. cap.*30. Diana *p.* 8. *tract. 6. reſol.* 129. vide à nobis dicta *tom. 1. verb. Sponſalia* 1. & *verb. votum* 1. & Auctores ibi citatos. Nauarrus. D. Thom. Lopez. Diana.

15. Promiſſio differt à donatione, eo quòd promiſſio non transferat dominium rei promiſſæ in eum, cui res promittitur. Donatio verò facta cum reali traditione transfert dominium: ſi autem traditio non fiat, ſed ſolis verbis fiat donatio, non transfert dominium. Differt à Pollicitatione, quòd pollicitatio eſt ſolus offerentis promiſſum *l. 3. ff. de pollicit.* ſeu eſt nuda promiſſio, nondum ſecuta acceptatione expreſſa vel tacita. Promiſſio verò eſt datio fidei cùm acceptatione.

Differt etiam à pacto, quòd pactio, ſeu pactum eſt quid generalius promiſſione: pactum enim eſt duorum, vel plurium conſenſus & conuentio in idem, ex qua oritur obligatio, ſiue vtrimque, ſiue ex vna parte, *l 1. ff de Pactis*. Promiſſio verò gratuita obligationem tantummodo parit in promittente.

Differt à ſtipulatione, quod ſtipulatio eſt contractus verborum vel formula contrahendi, quæ celebratur præcedente interrogatione creditoris & ſecuta reſponſione debitoris, vt ſi quis dicat, promittis mihi dare centum, & alter reſpondeat, promitto, cenſetur ſtipulatio: huiuſmodi autem formula non ſemper contingit in promiſſione; *l. 1. §. verbis. ff. de actionib. & obligation.* vide Leſſium *lib.2 cap.* 18. *dubit.* Gomez *tom. 2. cap 9. num. 1. 2. 3.* Sylueſtrum *verb. Pollicitatio*, Reginaldum *lib.25. n.68.* Rebellum *de promiſſione quæſt.1.* Leſſius. Gomez. Sylueſt. Reginald. Rebellus.

16. Qui promittit factum alienum iure ciuili per talem promiſſionem non obligatur, *l. Stipulatio, ff. de verb. obligat.* niſi quis expreſsè promittat ſe curaturum & acturum, vt alter faciat, *l. Quoties, ff. de verb. obligat.* Iure autem Canonico & naturali talis promiſſio obligationem parit, & tenetur promittens debitam adhibere diligentiam, vt adimpleatur, quod promiſit. Ratio eſt, quia promittens opus alienum, quod non eſt in promittentis voluntate, videtur ſaltem ſe voluiſſe obligare ad curandum, quantum poteſt, vt opus promiſſum impleatur. Et hoc idem procedit, ſi promiſſioni additum fuerit iuramentum. Quare promittens ſatisfacit ſuæ obligationi, adhibendo prædictam diligentiam, nec tenetur ad pœnam ſoluendam, quam ſuæ promiſſioni adiecit, modò non ſe obligauerit in omnem euentum, ſeu in defectum alterius. Vnde qui ſuâ negligentiâ eſt in cauſa, cur ille, cui fuit facta promiſſio, non obtineat rem promiſſam, vel damnum patiatur ob culpam ipſius promittentis, qui non curauit promiſſionem adimpleri, tenetur ipſe ad reſtitutionem. Vide Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp.*24. *&* 25. Reginaldum *lib.*25. *nu.*92. Molinam *diſp.*268. *§. quoad ſecundum.* Sanchez. Reginald. Molina.

17. Res, quæ ſucceſſiuè promiſſa fuit pluribus, tradenda eſt illi, cui primò fuit promiſſa. Ratio, quia ſecunda promiſſio eſt inualida vtpote de re, quæ non poteſt mandari executioni abſque peccato: promiſſor enim non poteſt rem promiſſam tradere ſecundo abſque violatione primæ promiſſionis, per quam primus acquiſiuit ius: quod verum eſt etiamſi promiſſio facta ſit cùm iuramento; iuramentum enim non eſt vinculum iniquitatis. Tamen ſi res promiſſa pluribus tradatur ſecundo, traditio eſt valida & firma. Tum quia per traditionem rei factus eſt dominus: tum quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Ita Lopez *part. 2. inſtruct. cap.*30. *§. Inſuper*, Azorius *p.3. lib* 11. *c.*17. *q.*17. & alij communiter. Lopez Azorius.

18. Qui aliquid ſub diſiunctione promiſit, vt ſi dicat promitto tibi hanc vel illam rem, liberum eſt promittenti tradere quam voluerit, electio enim ſemper eſt promiſſoris, quod generale eſt etiam in omni promiſſione alternatiua, *regul. In alternatiuis, de reg. iur. in 6.* & *l. Stipulatus ſum, ff. de verbor. obligat.* niſi facultatem faciendæ electionis in alterum tranſtulerit, tunc electio eſſet promiſſarij *l. Stichum, ff. de ſolution.* Si autem vna res de illis ante impletam promiſſionem perierit, debetur altera illarum, quæ remanſit, ſi nondum facta erat electio, quia talis promiſſio aliter non poteſt impleri, quàm tradita ſuperſtite; ſi autem nulla ſuperſtes remanſit, promiſſor

promiſſor non tenetur quidquam tradere, quia deficit materia promiſſionis. Intellige, modò vtraque res perierit abſque dolo & culpa promittētis, ſi verò culpa ipſius perierit, tenetur damnum compenſare. Quando autem res perit, quæ iam electa erat, antequam perieret, promittens non tenetur ſuperſtitem dare, quia electio ſuperueniens idem operatur, ac ſi res illa à principio promiſſa fuiſſet, ſeu ac ſi ſola res illa in obligationem deducta fuiſſet. Et hæc omnia ex *l. Stichum citata.*

19. Si duo viciſſim ſibi aliquid promiſerint, & vnus non vult implere promiſſionem, Nauarrus *in Man. c* 18. *num.* 7. putat licere alteri tranſgredi ſuam, quādo poſterior promiſſio facta eſt intuitu prioris, veluti in remunerationem; tunc enim ſi is qui prior promiſit non impleat, alterum non teneri: non autem quando ſecunda promiſſio alio fine eſt facta. Sed probabilius eſt ſiue hoc reſpectu, ſiue alio facta ſit ſecunda promiſſio, ſi prior non impleat promiſſionem quam fecit, & quam adimplere tenetur, quòd poſſit alter licitè tranſgredi ſuam, vt eā ratione ſuum promiſſarium ad præſtandum ſuum promiſſum compellat, etiamſi fortè maiorem rem illi promiſerit: quia ſecundus promiſſor non cenſetur ſe voluiſſe obligare ad præſtandum quod promiſit, eo caſu quo contingeret promiſſarium, qui prior promiſerat, fieri ingratum & fidem violare. Ita Couar. *part. 1. relect cap. quamuis,* § 4. & alij. Couar.

20. Stipulator, qui promiſſionem validè acceptauit nomine abſentis, non poteſt eam remittere & condonare. Ratio eſt, quia per huiuſmodi ſtipulationem & acceptationem, acquiſitum eſt ius abſenti, iure ita diſponente: ſed ius acquiſitum abſenti non poteſt relaxari à ſtipulante: ergo, &c. Tamen ſi ille qui promiſſionem acceptauit pro tertio, aliquid viciſſim repromiſerit, tunc relaxare & condonare poteſt promiſſionem in fauorem tertij factam; quia poteſt ſe eximere ab obligatione de conſenſu illius, cui ſe obtrinxit: & ad hoc facit regula, *Nihil. ff de reg. iuris*, vbi habet: *Nihil tam naturale eſt, quàm eo genere quicquam diſſolvere quo colligatum eſt.* Itaque cùm hoc vinculum ortum ſit ex acceptatione ſtipulantis, poterit eiuſdem remiſſione diſſolui. Ita Leſſius *l. 2. cap. 18. num. 50.* Gomez *tom. 1. variar. cap. 4. n. 3. ex l ſi mandaſſ in ff Mandati.* Leſſius. Gomez.

21. Non tenetur promittens adimplere promiſſionem acceptatam à tertio, antequam ratificetur ab eo, in cuius fauorem facta eſt. Ratio, quia ſtipulans non acceptauit promiſſionem nomine proprio, ſed nomine abſentis: fieri autem poteſt, vt abſens illam reſpuat & nolit ratam habere; conſequenter promiſſor non tenetur illam adimplere, etiamſi hoc vergat in detrimentum acceptantis, quilibet enim cedere poteſt iuri ſuo. Accedit argumentum à ſimili ductum, ex eo, quod habetur *in cap ſi tibi abſenti, de præbend in ſexto*, vbi dicitur: *Si tibi abſenti per tuum Epiſcopum conferatur beneficium, licet per collationem huiuſmodi, donec eam ratam habueris, ius in ipſo beneficio, vt tuum dici valeat, non acquiras*, &c. Ita Azorius *part. 3. lib. 11. cap. 15. quæſt. 2.* Reginaldus *lib. 25. num. 79* Et colligi poteſt ex *l. 1 § ſi quis ita interroget, ff. de verbor. obligat.* & *l. Abſentis ff de donat.* Azorius. Reginald.

22. Qui aliquid promiſit ad certam aliquam diem, poteſt ante illius diei aduentum ſoluere, *l. quod in diem, ff. de ſolut.* Ratio, quia dilatio ad illum diem conceſſa, eſt in fauorem debitoris qui poteſt illi cedere & cogere creditorem ad recipiendam ſolutionem ante illum diem. Secus ſi dies præfixus fuit in fauorem creditoris, tunc enim creditor cogi non poteſt ad recipiendam ſolutionem ante illum diem, quia creditor vti poteſt iure ſuo. Ita habetur *in l. ſi ita relictum, §. Pegaſius ff de legat.*

23. Cùm promiſſio vires habeat à voluntate contrahentium qui potuerunt ſe obligare ad promiſſionem tali loco adimplendam, hinc promiſſio adimplenda eſt in loco conuento. Si verò nec expreſſè, nec tacitè conuentum ſit de loco, ſtandum eſt iudicio prudentis viri ſeruata iuſtitia & æqualitate inter contrahentes, quando promiſſio fuit mutua: quando autem promiſſio eſt ſimplex, aſſignandus eſt locus arbitrio promittentis: ita tamen, vt promiſſario nulla fiat iniuſtitia. Item militat in promiſſione iurata, quia hæc ſequitur naturam promiſſionis ſupra quam cadit. Ita Turrianus *de iuſtit. diſp. 68. dub. 2.* Bonacina *de contract diſp. 3. qu. 12. punct. 4. num. 8.* Turrianus. Bonacina.

24. Ex ſimplici promiſſione ritè acceptata in foro iudiciali, nulla actio iure ciuili oritur aduerſus promittentem, ita vt is, cui promiſſio facta eſt, poſſit in iudicio petere quod eſt ſibi promiſſum, vt habetur ex *l. iuris gentium*, § *Sed cum nulla, ff de pactis* quia leges præſumunt in ſimplici promiſſione, quæ facta eſt ſine cauſa, indeliberatum animum interueniſſe. Iure autem Canonico *cap. 1. de pactis*, datur actio ei, cui facta eſt promiſſio, aduerſus eum, qui promiſit. Ratio, cur iure Canonico ex promiſſione actio oriatur, & non iure ciuili, eſt quia ex ſimplici promiſſione ritè acceptata, promittens naturaliter obligatur ei, cui facta eſt promiſſio, & ideò peccat ſi fidem datam non ſeruat. Sed quia ius Canonicum curat, ne peccata committantur, dat actionem, vt promiſſarius poſſit in iudicio petere quod ſibi eſt promiſſum. At iuris ciuilis non eſt, niſi ea peccata prohibere, quæ pacem reipublicæ perturbant. Ita Couarruuias *p 2. c. quamuis, §. 4. n. 15.* Couarr.

25. Donatio remuneratoria non poteſt propter ſubſecutam donatarij ingratitudinem reſcindi, ſi remuneratio fit ſuo pacto aliquo oneroſo, vel propter merita de iuſtitia ſatisfactionem exigentia; quia non eſt donatio liberalis, ſed contractus vtrimque obligans. Si autem propriè remuneratoria ſit, eſt etiam longè probabilius reuocari non poſſe; quia licet non ſit facta ex debito iuſtitiæ, eſt tamen ſatisfactio pro debito honeſtatis contracto ob recepta priùs beneficia, ac proinde non eſt mera donatio. Tamen ſi exceſſus fuerit commiſſus ſupra merita in donatione, licet in hoc caſu tota donatio non poſſit reuocari, poteſt tamen quoad exceſſum qui ſolus fuit gratuitus, reliquum verò fuit datum ex cauſa & ex debito gratitudinis. Ita Lugo *tom. de iuſtit. d ſp. 25 ſect. 1. num. 175.* Fagundez *de contract. lib. 4. cap 3. num 7* Wadingus *de contract. diſp. 3. dub. 12 § 1 n. 5.* & alij quos refert & ſequitur Diana *part. 8 tract 6. reſol. 11.* Lugo. Fagundez. Vvadingus. Diana.

26. Donatio remuneratoria non poteſt reuocari per ſuperuenientem prolem. Ratio, quia quando non eſt merè & ſimpliciter donatio liberalis, reſpectu donantis, ſed habet cauſam annexam, ſiue gratitudinis, ſiue alterius rationis non reuocatur donatio, neque in totum, neque in partem. Quod tamen intelligendum eſt, quatenus cauſa donationi æqualens eſt; nam in eo quod excedit, non cenſetur donatio ob cauſam, ſed donatio merè ſimplex & liberalis, & ideò ob eam rationem diſpoſitio *legis, ſi vnquam 8. C. de reuocand. donat.* non habet locum in remuneratoria donatione. Ita Molina *tract. 2. diſput 282. §. dubium poſtremo*, Clarus *§. Donatio, q. 22.* Rebellus *de obligat iuſtit. l. b. 18. q. 1.* Dicaſtillus *lib. 2. tract 5. diſp. 1. d b. 7 n. 16.* & alij. Medina. Clarus. Rebellus. Dicaſtillus.

27 Pactum de non reuocanda donatione, eſto donatarius in vitium ingratitudinis inciderit, non eſt validum. Ratio, quia tale pactum & renunciatio iuris

iuris reuocandi donationes ex ingratitudine ſunt nulla,quia præbent occaſionem delinquendi, iuxta *l ſi vnus §. illud*, & *§. pacta. ff de pactis.* Imò hoc verum etiamſi donator iurauerit ſe non reuocaturum donationem, adhuc enim poteſt reuocare ortâ ingratitudine. Ratio, quia huiuſmodi donatio habet eam tacitam conditionem iure ſtatutam, niſi donatarius ingratus ſit. At iuramentum non excludit tacitas conditiones,quas actus ſuper quem cadit, habet ex ſe,aut ex iuris diſpoſitione.Tamen ſi donans expreſsè excludat illam conditionem, velitque donationem valere , etiam poſt vitium ingratitudinis, eamque iuramento confirmet , non poteſt in hoc caſu donationem reuocare.Ratio,quia donans non peccat, eſto donationem ſubortâ ingratitudine non reuocet,ſicut nec mutuatarius ſoluendo vſuras,nec is qui promiſit latroni centum ne ipſum interficeret, peccat ea ſoluendo , vt colligitur apertè ex *l. vltim. Cod. de reuocand. donat.* & ex *cap. vltim. de donationibus.* Sed iuramentum quod abſque peccato poteſt ſeruari , ſub reatu mortali eſt ſeruandum, nihil impediente, quòd donatarius ſumat occaſionem peccandi , ergo in hoc caſu non licet reuocare donationem propter donatarij ingratitudinem. Ita Molina *diſp.*281. Dicaſtillus *de iuſtit. lib. 2. tractat.* 5. *diſp.1.dub.7.n.*148. Lugo *de iuſtit.tom.2. diſp.*23. *ſect.* 11. *num.*174. Diana *part.8.tract.6.reſol.*57. Et hæc ſententia eſt probabilior : quamuis opinio aſſerens iuramentum illud eſſe inualidum , quia eſt contra bonos mores,dans occaſionem donatario ingratitudinis,non ſit improbabilis,quam ſuſtinent Wadingus & Molfeſius apud Dianam.

Molina. Dicaſtillus. Lugo. Diana.

28. Cùm donationis reuocatio ſit pœna ſtatuta à iure,donatarius ingratus non priùs tenetur donata reſtituere , quàm in iudicio ingratitudinis cauſa fuerit probata , etiamſi apertè conſtet de ingratitudine ; quia pœna non eſt ſubeunda ante ſententiam iudicis.Ita Molina *diſput.*282. Lugo, Ioannes Wigers,Fagundez apud Dianam *part.8.tract. 6.reſol.*58. Si petas , ad quem pertineant fructus ex re donata ante reuocationem percepti? Reſpondeo fructus perceptos ante litem intentatam, pertinere ad donatarium:quia ipſa donatio valida fuit & perfecta ab initio , & proinde donatarius bona fide percepit fructus vſque ad litis conteſtationem tanquam dominus, res autem domino fructificat. At poſt litem conteſtatam perceptos fructus reſtituere tenetur donatarius ingratus , *l. certum , Cod. de rei vindicat.* Bonacina *de donat. diſputat.* 3. *quæſt.*13. *punct.vlt.num.*14. Dicaſtillus *lib.2. tract.5. diſp.1. dub.* 7.*n.*159.

Molina, Lugo. VVigers. Fagundez. Diana.

Bonacina. Dicaſtillus.

29. Conditio præſentis vel præteriti,addita donationi vel alteri diſpoſitioni , non ſuſpendit eam, ſed ſi conditio exiſtit,valet diſpoſitio, ſi non exiſtit, non valet, etiamſi ignoretur,vt do tibi hanc rem,ſi es meus cognatus. Ita habetur *l. Conditio in præteritum . ff. de verbor.obligat.* & *l. Cùm ad præſens, ff. ſi certum petatur.* Idem dicendum,ſi conditio eſt de eo, quòd neceſſariò vel omninò certò futurum eſt;quia quod hoc futurum ſit,iam in præſenti eſt verum, ac proinde conditio cenſetur præſens; futuritio enim iam ineſt rei : vt promitto tibi,ſi es moriturus , *l. ſi pupillus, ff. de nouat.*

Conditio futuri incerti ſuſpendit donationem & alias diſpoſitiones vſque ad euentum conditionis, v.g. vt promitto tibi centum , ſi ſies Sacerdos: quia ante euentum conditionis non poteſt certò cõſtare an extabit:vnde qui ita donat, non intendit vt illud fiat donatarij niſi conditio euenerit. Hinc ex huiuſmodi promiſſione vel donatione acceptata , ſtatim naſcitur obligatio in donatore & ius in donatario, pendens tamen à futuro quoad ſui impletionem. Quòd ſi conditio , ſub qua donatio facta eſt , ſuo tempore impleta non fuerit, donatio non obligat, ſed in irritum recidit , quia donans non intendit ſe obligare conditione non impletâ. Ita communis Doctorum ſententia.

30. Donationes vel promiſſiones in teſtamento factæ causâ mortis ſub conditione impoſſibili , vel quæ ſine peccato adimpleri non poteſt , vel matrimonij impeditiua, vel maioris boni ablatiua, ſtatim & ante conditionis adimpletionem , ſtando in ſolo iure ciuili, firmitatem habent, conditioneſque illæ in iure pro non appoſitis habentur. Ratio , quia ius ciuile in fauorem vltimæ voluntatis præſumit,quòd teſtator ſic in teſtamẽto donans ex errore fecit,nihil volens contra ius tentare, ſed potiùs ſe iuri voluiſſe conformare,ſi illud ſciuiſſet , proinde in foro exteriori valida eſt per teſtamentum facta donatio ſub aliqua ex prædictis conditionibus,vt definitur *in l. 1.4.6.8.9. ff.de conditionibus inſtitutionum*,& *§. impoſſibilis,inſtit. de hæredibus inſtituendis.*

In foro tamen conſcientiæ donationes vel promiſſiones factę ſub aliqua conditione ex prędictis quatuor,conditione non impletâ,nullius ſunt valoris,quando colligitur voluntatem donantis,vel promittentis fuiſſe, vt conditio adimpleretur. Ratio, quia in hoc caſu deficiente conditione, deficit donantis vel promittentis conſenſus. Quando verò eius voluntas ignoratur, neque ſatis ex verbis eius colligitur,tunc donatio vel promiſſio ſecundùm regulas iuris interpretanda eſt,quia ſic voluiſſe iuri ſe conformare in dubio præſumendum eſt. Aliàs voluntas donantis vel promittentis , dum de ea conſtat, pro lege ſeruanda eſt.Ita Molina *diſp.* 285. Lopez *de contract.cap.*45. Leſſius *lib.2.cap.*18.*dub.*15.vide quæ ſupra diximus *verb.Contractus,num.*18.

Molina. Lopez. Leſſius.

31. Donatio vel promiſſio facta mulieri ſub conditione nunquam nubendi valida eſt in foro exteriori, etiamſi conditio non impleatur, idque in fauorem matrimonij , vt reſpub. tum augeatur, vt habetur *in l. Titia , ff. de condit. & demonſtrat.* valida tamen eſt conditio non contrahendi cum aliqua certa vel certis perſonis , vel non niſi ad certum tempus , & alia ſimiles , quæ matrimonium omninò non impediunt. Hinc ſi teſtator dicat puellæ , quòd relinquit ei in teſtamento centum ſi nupſerit , nihil addendo de ingreſſu Religionis , conſequitur legatum , etiamſi Religionem ingrediatur. Ratio , quia non cenſetur de Religione cogitaſſe , cùm id non expreſſerit ac proinde noluiſſe eam excludere. Ita habetur apertè *Authentic. de Sanctiſſimis Epiſcop. §. Sed & hac*, & *Authent. niſi rogati , Cod. ad S. C. Trebellian.* Si autem dicatur lego 200.ſi nupſeris, 100.ſi Religionem ingrediaris,multi tenent te habiturum 200. etiamſi Religionem ingrediaris. Ratio, quia in fauorem Eccleſiæ præſumitur donator non ita tenaciter voluiſſe adhærere conditioni,vt alioquin nulla redderetur diſpoſitio,quando aliud non conſtat. Tum quia illa conditio , ſi nupſeris , quatenus retrahere poteſt à Religione , habenda eſt pro non adiecta. Ita Roſella *verb. Legare, num.*27. Angelus *verb. Hæres, num.*21. Sylueſter *verb. Legatum 1.q.9.* & *Hæreditas 4. fin.* vbi Armilla *num.* 21. Tabiena *verb. Hæres, q.16.num.*17. & alij probabiliter. Non eſt tamen improbabilis opinio Sanchez *lib. 1.de matrim. diſp.* 34. *num.*13. Couarruuiæ *lib.1. variar. cap.* 19. *num.*8.9.& 10.& Molinæ *tract.2.diſp.*207. & aliorum , ſuſtinens ingredientem Religionem ſolùm 100. conſecuturum : quia conditio à Religione retrahens,non eſt inualida, nec contra expreſſam teſtatoris voluntatem reiicienda eſt , ergo vbi expreſsè teſtator diſpoſuit, quid ingrediens Religionem conſecu-

Roſella. Angelus. Syluest. Armilla. Tabiena. Sanchez. Couar. Molina.

conſecuturus ſit, quid autem vxorem ducens, id obſeruandum eſt.

32. Quandò aliquis donat ob certum finem, ſi non intendat ad illum finem obligare, ſed ſolum allicere animum, vel præbere media ad illum conſequendum ſi placuerit, quoad vtrumque forum valida erit talis donatio, etiamſi finis non ſequatur, v. g. Titius legauit centum vt nubat, nec aliud expreſſit, illa vero ante nuptias obiit, vel exiſtens in vita ſtatuit colere cœlibatum, vel ingredi Religionem, propter hoc non priuabitur legato, quia non cenſetur teſtator maius bonum voluiſſe impedire, niſi aliunde de contrario conſtet. Ita Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp. 33. nu. 29.* Couarruuias *1. variar. cap. 19. n. 10.* & alij. Sanchez. Couar.

Hinc valida eſt donatio, qua quis donat Epiſcopo ad alliciendum ipſius animum, vt beneficium conferat: vel puellæ ad eam turpiter prouocandam: vel mercatori, vt ad mutuandum inclinetur, quamuis finis non ſequatur. Ratio, quia iſta donatio non eſt conditionata, ſed abſoluta, facta non animo obligandi, ſed tantùm alliciendi ad liberum conſenſum; vnde poterit donum acceptari etiamſi non intendat præſtare quod donator exoptat. Ita colligitur apertè ex *l. repetendi, Cod. de conditione ob cauſam.* teſte Molina *diſp. 286.* & aliis. Si tamen is qui donat ad certum vſum vel finem intendat donatarium ad illum finem vel vſum obligare, ſi ille vſus vel finis non præſtetur, irrita erit donatio, ſi ille ſit principalis finis donationis; ſi verò ſit ſecundarius non erit irrita, poterit tamen in irritum reuocari, ſi donatarius nolit præſtare. Ita Ioannes Medina *Cod. de reſtitut. queſt. 24.* Leſſius *lib. 2. cap. 18. dub. 16. num. 126.* Diana *part. 8. tract. 6. reſol. 89. §. Sed ſi aliquis.* Medina. Leſſius. Diana.

33. Si quis donet aliquid ob cauſam, quam ſubeſſe credit, cùm verè hæc cauſa falſa ſit, talis donatio in vtroque foro inualida erit, niſi donator actu vel habitu ita ſit affectus, vt illam cenſeatur velle valere, quamuis cauſa non ſubſit. Ratio, quia talis donatio eſt inuoluntaria; procedit enim ex errore, qui ſi non eſſet, donatio non fieret: vt autem donatio valida ſit, debet eſſe plenè voluntaria, cùm ex liberalitate pendeat. Sed quia ſæpe fit quempiam ita eſſe affectum, vt ſi ſciret cauſam eſſe falſam, nollet donare; tamen quia dedit, non vult donationem eſſe irritam, ideò in tali caſu foret donatio valida, vt regulariter dicendum videtur de minutis eleemoſynis, quas ob fictam paupertatem, vel ſanctitatem Sycophantæ extorquent. Quando autem cauſa, ob quam quis ad dandum mouetur vera eſt, licet aliæ lateant, quæ ſi pro comperto haberes nullatenus dares, valida erit donatio, vt v. g. dono 100. Berthæ, quia conſanguinea eſt, vel verè pauper, cuius tamen peccata occulta ſi ſcirem, nullo modo darem. Ratio huius eſt, quia falſa credulitas de eius ſanctitate, non eſt cauſa donationis, ſed conſanguinitas vel paupertas, quæ verè ſubeſt. Ità Sanchez *lib. 4. moral. cap. 2. n. 6.* Fagundez *de contract. lib. 4. cap. 4.* Amicus *tom. 5. diſp. 18. ſect. 7. num. 94.* Diana *part. 8. tract. 6. reſol. 89.* & alij. Vide quæ diximus *tom. 1. verb. Reſtitutio 2. n. 8.* cui facienda ſit reſtitutio eorum, quæ ob fictam ſanctitatem vel paupertatem extorta ſunt. Sanchez. Fagundez. Amicus. Diana.

34. Poſſibilis conditio diuiditur in *neceſſariam*, ſeu ad alteram contradictionis partem determinatam, & *in contingentem*, qualis eſt ſola ea de futuro conditio, quæ in neutram contradictionis partem eſt determinata. Prioris conditionis exempla ſunt, vt ſi ſol cras oriatur, inſtituo te hæredem: ſi moriar, tantum Petro lego. Hæc conditio eſto de futuro ſit, diſpoſitionem vel donationem non ſuſpendit, quia impleta cenſetur, vt dictum eſt *ſupra.*

Conditio contingens, quæ ſola ſuſpendit diſpoſitionem, ſi ſub ea fiat, diuiditur *in poteſtatiuam, Caſualem & Mixtam.*

Poteſtatiua eſt *cuius impletio ſola voluntate eius, cui imponitur, pendet*, vt ſi teſtator quempiam inſtituerit ſub conditione, ſi hæres eſſe voluerit, ſi ſeruum, qui ipſius eſt hæredis manumittat, ſi decem det; aut adeat aliquem locum, quem facilè & ſine periculo, quod fortuito euentu impediatur, adire poteſt, *l. ſuus quoque, §. puto. ff. de hæredibus.*

Caſualis conditio eſt, *quæ omninò non eſt in poteſtate eius, cui imponitur*, vt ſi quis dicat, ſi naues ex India venerint, dono centum Petro, aut eum hæredem inſtituo.

Mixta autem eſt, *quæ partim aliunde, partim verò à poteſtate eius cui imponitur, pendet*, vt inſtituo Petrum, ſi Bertham duxerit in vxorem, aut ſi ex India venerit.

Conditiones caſuales, aut mixtæ, ſatis eſt, ſi poſt mortem teſtatoris, vel in vita eiuſdem; ſed poſt teſtamentum factum, impleantur, vt hæredis inſtitutio vel legatum ſub eis factum, valida ſint, *l. 2.* & *l. hac conditio 1. ff. de condit. & demonſtrat.*

Poteſtatiua verò conditio impleri debet poſt mortem teſtatoris, neque ſatis eſt, ſi in vita illius, etiam poſt confectum teſtamentum impleatur, *l. 2.* & *l. ſi iam facta, §. vlt. ff. de condit. & demonſtrat.* Excipitur, ſi conditio, non ſit iterabilis, qualis eſt ſerui manumiſſio: nam eo ipſo quòd ſemel viuente teſtatore eſt impleta, cenſetur impoſſibilis vt iterum impleatur, atque adeò habetur pro non adiecta, *l. quæ ſub conditione, §. quotiès. ff. de condit. & demonſtr.* Ita Antonius Gomez *tom. 1. variar. c. 12.* Gomez.

35. Conditio quoad donationes, ſeu promiſſiones, legata, hæredum inſtitutiones, contractus & alias diſpoſitiones attinet, duobus modis ſumitur: vno preciſè pro ſola conditione de futuro contingenti, quę proinde in vtramuis partem euenire poteſt. Altero latè, vt comprehendit non ſolùm hanc & quamcumque aliam de futuro, ſed etiam conditiones omnes de præſenti & de præterito, ſiue ſint contingentes, ſiue neceſſariæ, aut etiam impoſſibiles. Sumpta priori modo definitur, *eſt diſpoſitionis*, id eſt actus, quo quis donando, promittendo, legando, contrahendo, &c. *ſuſpenſio ex incerto futuro euentu appoſita*, vt ſi quis dicat, dono tibi centum ſi Bertham duxeris vxorē: talis nempe donatio ſuſpenditur, vt vim non habeat, neque naſcatur obligatio, niſi dependenter à conditione, euentuve illo incerto futuro.

Conditio poſteriori modo accepta, ſic poteſt definiri. *Eſt adiectio diſpoſitioni dependentia, vt ſit, obligare incipiat, ex aliquo præſenti, præterito, aut futuro*, vt ſi quis dicat, dono, aut lego tibi decem, ſi Rex modò viuit, aut ſi naues ex India anno præterito venerunt. Conditio exprimi ſolet per dictionem, *ſi*, aut per aliam æquiualentem. Dies præterea incertus conditionem efficit, vt habetur *l. dies incertus, ff. de condit. & demonſtr.*

Plura de conditionibus adduci poſſent, quæ teſtamentis & aliis diſpoſitionibus apponi ſolent, quæ videri poſſunt apud Molinam *tr. 2. de iuſt. diſp. 207.* & Gomez *tom. 1. var. cap. 12.* & alios Iuriſperuos. Molina. Gomez.

36. Donatio modalis per particulam, *vt*, & alias æquiualentes ſolet explicari: interdum tamen nomine conditionis ſignificatur modus. Conſueuit namque dici, dono, aut lego tibi hoc, ea conditione, vt illud non alienes, aut vt templum ædifices, quibus verbis, nomine conditionis, modus ſignificatur. Quando autem verbum, conditio, aut dummodo, vel æquiualens, appoſitum eſt, vt diſpoſitio vim habere incipiat, tunc potiùs habet rationē conditionis, quàm

quàm modiatque in dubio conditio præſumẽda eſt & non modus, *l. à teſtatore. ff. de condit. & demonſtr.*

Particulæ autem æquiualentes dictioni, *vt*, ſunt tales, *Ad vt. pro, in nomine*, vt ſi dicatur, *Dono tibi meam domum, ne inhabites præſentem*, vel, *Trado tibi hanc pecuniam pro reſtituenda Eccleſia*, vel, *Ad reſtituendam Eccleſiam* vel, *In reſtitutionem Eccleſiæ*, vel, *Nomine reſtitutionis Eccleſiam*. Ita Sylueſter *verb. Conditio, quæſt. 4.* Reginaldus *lib. 25. num. 57.* Gomez *1. variar. cap. 12. n. 72.* Sylueſt. Reginald. Gomez.

37. Donatio modalis, modo non exiſtente, eſt valida, quando talis modus non eſt cauſa principalis, vel finalis donationis vel alterius diſpoſitionis; ſed impulſiua, facit ad hoc *l. Manu, ff. de manumiſſ. teſtament.* vbi libertas legata ſunt tribus ſeruis, vt alternis vicibus luminaria accenderent ſuper teſtatoris ſepulchrum, & tamen ibi donatio libertatis cenſetur valida, quamuis non impleatur modus: quia lex non conſiderauit modum, vt cauſam finalem datæ libertatis, ſed vt cauſam impulſiuam. Secus autem eſt, ſi modus fuit cauſa finalis, vel principalis donationis, vel alterius contractus, quia tunc modo non exiſtente, donatio vel alius contractus non erit validus etiam in foro conſcientiæ. Modus enim eſt veluti lex quædam, ſeu grauamen, aut moderamen diſpoſitioni in futurum appoſitum minimè eam ſuſpendens. Eo tamen non ſeruato, reuocari interdum poteſt diſpoſitio. Inter modum & conditionem preſsè ſumptam, hoc eſt diſcrimen, Quod quamuis vtrumque ſit in futurum, conditio tamen ſuſpendit diſpoſitionem, vt vim non habeat quouſque conditio impleatur: modus autem diſpoſitionem non ſuſpendit, ſed vim habet antequam modus impleatur. Hinc etiam in legatis oritur aliud diſcrimen, quòd legatum ſub conditione, non tranſmittitur ad hæredes, ſi legatarius ante impletam conditionem è vita diſcedat. Legatum verò ſub modo tranſmittitur, quando modus per hæredem ſicut per legatarium impleri poteſt, teneturque hæres modum implere.

38. Quando aliquid ſub modo donatur, legatur, aut per quamuis aliam vltimam voluntatem alicui relinquitur, priuſquam donatarius vel legatarius id accipiat, tenetur cauere de modo implendo, & de re cum fructibus reſtituendis, niſi modum impleat, *l. quibus diebus, §. Termilius. ff. de condit. & demonſtr.* Ita Gomez *tom. 1. variar. c. 12. num. 60.* & communis. Si tamen legatarius ante cautionem præſtitam è vita diſcedat, non idcirco impeditur quo minus tranſmittat legatum: quia licet legatum ſub modo tacitam habeat conditionem, ſi cauerit, conditio tamen illa non eſt, vt legatum validum ac perfectum ſit, ſed vt legatarius poſſeſſionem illius aſſequatur. Quando tamen modus ſolùm reſpicit vtilitatem legatarij, ita quod arbitrio prudentis, ſpectatis circumſtantiis concurrentibus, legans nullo modo voluit inducere obligationem legatario; ſed ſolùm præbere illi medium quo talem modum aſſequatur, tunc neceſſaria non eſt cautio, vt ſi quis dicat, lego Titio 100. vt poſſit nubere. Ita habetur *l. Titio centum, in princ. ff. de condit. & demonſtr.* Gomez.

Si autem legans, etiam in ſolam legatarij vtilitatem, inducere illi intenderet obligationem ad modum, vt ad emendum fundum, vnde poſſit viuere, quia eſt parum induſtrius, facileque conſumet pecuniam, tunc exigenda eſſet cautio, tum vt fundum ex ea pecunia emeret, tum etiam vt eum non alienaret, prout de teſtatoris voluntate eſſet præſumendum. Ita etiam habetur *l. ſi tibi legatum, ff. de legat.* Sed quia huiuſmodi cautio ſolùm eſt in vtilitatem legatarij, non eſt intelligenda, de reſtituendo legato & de reſtituendis fructibus illius, ſi modum fuerit tranſgreſſus, ſed cogendus eſt ſolùm, vt quoad fieri poſſit, modum iuxta teſtatoris voluntatem ſeruet.

39. Quando modus diſpoſitioni eſt appoſitus in vtilitatem tertij, vt ſi donata, aut legata ſint centum alicui, vt ducat aliquam vxorem; tunc ſi per eum ſteterit, in cuius vtilitatem modus eſt appoſitus, aut ſi ille mortuus ſit, hoc alio non exiſtente in mora adimplendi modum, tunc modus habetur pro impleto, validaque eſt diſpoſitio ſine impletione talis modi, vt habetur expreſsè *l. 1. Cid. de in quæ ſub modo.* Ita Rebellus *lib. 18. quæſt. 13. num. 6.* Medina *C. de reſtit. quæſt. 24.* Eman. Sà. *verb. Legatum, n. 37.* Rebellus. Medina. Eman. Sà.

40. Modus impoſſibilis tam de facto, quàm de iure, hoc eſt, turpis, habetur pro non appoſito in vltima voluntate. Imò cùm modus diſpoſitionem non ſuſpendat, ſed eam præſupponat perfectam & validam, ſi modus impoſſibilis, aut turpis donationi, aut alteri contractui apponatur, illum non vitiat, ſed habetur pro non adiecto.

Hi ſunt modi, quibus aliquid donari, legari, aut alio pacto relinqui poteſt ſub modo, vt diiudicari poſſit, quando modo non ſubſecuto, non conſurgat obligatio, aut conſurgat rem reſtituendi & quouſque. Et quoniam hi modi à diſponentis voluntate pendent, ſanè quando diſponens ſufficienter verbis, aut ſcripto expreſſit, quænam in hac parte fuerit ipſius voluntas, illi ita expreſsè eſt ſtandum. Quando autem eam non ita expreſſit, coniecturis arbitrio prudentis, ſpectata rei natura & ſpectatis cæteris circumſtantiis concurrentibus eſt iudicanda; neque poteſt melior, certiorve alia regula ſtatui. De hoc contractu modali vide Bonacinam *de contract. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 4. numer. 4. & ſequentibus.* Sanchez *de matrim. lib. 5. diſp. 19.* Molinam *de iuſtit. tractat. 2. diſp. 208.* Azorium *p. 3. lib. 15. cap. 8.* Rebellum *de obligat. iuſtit. lib. 18. quæſt. 15.* & alios. Bonacina. Sanchez. Molina. Azorius. Rebellus.

41. Donatio omnium bonorum præſentium & futurorum poteſt eſſe valida, ſi Principis auctoritate firmetur. Ratio eſt, quia Principes ſunt ſupra ius, quod condunt, & quia non eſt hoc contra ius naturale, nec contra bonos mores naturales, atque adeò ſecluſo iure humano, hoc illicitum non eſt, nec contra aliquem iniuſtum; & licet per eam donationem reddantur homines inteſtabiles, & ſit contra ius gentium auferre libertatem teſtandi, tamen ius gentium habet ſuam latitudinem, & quoddam magis accedit ad ius naturale, quoddam minus, & præterea per confirmationem Principis ex cauſa iuſta in hoc, aut illo caſu non impeditur abſolutè libertas teſtandi, ſed in hoc, aut illo euentu ex iuſta cauſa: cauſa autem tam iuſta eſſe poteſt, vt inducat etiam ius gentium magis rigoroſum & magis proximum iuri naturali. Ita Couarruuias *de teſtament. ſecunda parte*, Molina *de iuſtit. diſp. 152. ad fin. verſ. Poſtremum dubium.* Couarr. Molina.

42. Quamuis iure communi donatio inter vinos omnium bonorum præſentium & futurorum ſit inualida, ex *l. Stipulatio hoc modo. ff. de verb. obligat.* In foro tamen conſcientiæ talis donatio valet, & tenet, ſi nulla concurrat vis, nec fraus, nec iniuria creditorum, nec aliquid aliud, per quod aliquod præiudicium fiat alicui, nec etiam donator remaneat in penuria & paupertate ad ſe alendum, his ceſſantibus non peccat mortaliter donator faciendo talem donationem, vel eam iurando, nec ſimiliter donatarius eam acceptando, &

conſe-

conſequenter non tenetur in conſcientia ad reſtituendum dicta bona, quamdiu donator in eadem voluntate perſtiterit: quia volenti ac conſentienti non fit iniuria. Si tamen accepta erigantur à donatore vel hæredibus illius, tenebitur donatarius reſtituere. Ita Dicaſtillus *de iuſtit. lib. 2. tractat. 5. diſp. 1. dub. 3. numer. 62.* Rebellius *de obligat. iuſtit. 2. part. lib. 18. quæſt. 8.* Caſpenſis *tom. 2. tract. 19. diſp. 2. ſect. 2. num. 19.* Valerus *in different. vtriuſque fori d. 9. differt. 9. ex parte*, nam arbitratur hic auctor & donatorem & donatarium peccare mortaliter contraueniendo legi prætatæ, quæ iuſtiſſima eſt & in re grauí diſponens.

Dicaſtillus. Rebellius. Caſpenſis. Valerus.

Aduertendum autem eſt donationem omnium bonorum præſentium & futurorum factam causâ mortis eſſe validam. Ratio, quia cùm donatio cauſa mortis pro ſolo donantis libito poſſit reuocari, per eam ſibi non adimit facultatem teſtandi, etiamſi ſit omnium bonorum, ac proinde ceſſat in ea ratio, ob quam ſimilis donatio inter viuos eſt inualida. Tum quia causâ mortis cuique fas eſt abſque vllo termino donare, vt habet communis ſententia Doctorum.

43. Valida eſt donatio omnium bonorum præſentium & futurorum reſeruato vſufructu *l. Stipulatio hoc modo accepta, ff de verb. obligation.* Ratio, quia in vſusfructus reſeruatione, fructus ratione eius iuris percipiendi, intelliguntur excepti: quo fit, vt donati non cenſeantur, ſed potius ab ea donatione excepti, de eiſque atque de eorum pretio, liberè donans poſſit diſponere, tum inter viuos, tum etiam per vltimam voluntatem. Imò ſi donans inteſtatus moriatur, eiuſmodi fructus ad hæredes ab inteſtato ſpectant & non ad donatarium, niſi ipſe hæres ſit ab inteſtato. Nota tamen quando vſusfructus reſeruatus tam modicus eſſet, vt vel ad ſolam competentem donantis ſuſtentationem non ſufficeret, vel expectaretur tam modicum ex fructibus, detractâ competente ſuſtentatione, remanſurum, vt id, habitâ ratione bonorum donantis, pro nihilo eſſet ducendum: tunc, quia teſtandi facultas non cenſeretur ei remanere, ratione habitâ bonorum illius, inualida eſſet donatio. Vnde licet donatio omnium bonorum præſentium & futurorum valida cenſeatur, quando donans aliquid ſibi reſeruat, de quo, vltra alimenta, integrum illi ſit teſtari, ſi velit: meritò id intelligunt Doctores, modò ſit competens ac ſufficiens quantitas, habita ratione bonorum donantis: parum enim pro nihilo debet reputari, vt relicta ſit ei cenſenda teſtandi facultas. Ita Clarus *lib. 4. ſentent. quæſt. 19. numer. vlt.* Couarruuias 3. *variar. cap. 12.* Hurtadus *de donat. diſp. 11. difficult. 4.* Wadingus *tract. de contract. diſp. 3. dub. 12. §. 1.* Diana *p. 8. tract. 6. reſol. 40.* & alij apud ipſum.

Clarus. Couar. Gaſp Hurt. Vvadingus. Diana.

44. Donatio abſoluta, vltra ſummam quingentorum ſolidorum à lege conceſſam donari, in conſcientia eſt valida. Ratio, quia nihil eſt tam naturale, quàm vt dominia in alios ex voluntate domini transferantur, præſertim quando huiuſmodi translatio dominij per legem in foro conſcientiæ non vetebatur, & leges ſolùm prohibent donationem excedentem ſummam prædictam in foro exteriori & non in foro conſcientiæ, vt patet ex conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres; ergo ille, cui vltra hanc ſummam donatum eſt, poteſt illud retinere, niſi à donatore, vel eius hæredibus repetatur: quia leges non reddunt donatarium inhabilem ad retinendum, ſed tribuunt donatori poteſtatem repetendi: quamdiu ergo non repetit, poteſt donatarius retinere: ſcienti enim & volenti non fit iniuria. Nec refert, quod donator ignoret ſe poſſe repetere: quia donatarius non tenetur id illi dicere cum ſuo incommodo, ſed poteſt rem retinere, donec aliunde reſciſcat & repetat. Ita Molina *diſp. 278.* Fagundez *de contract. 4. cap. 9. numer. 28.* Caſpenſis *tom. 2. tract. 19. diſp. 2. ſect. 2. numer. 14.* Caramuel *lib. 2. Theol. moral. n. 672.* Leſſius *lib. 2. cap. 18. dub. 13. num. 99.* & alij.

Molina. Fagundez. Caſpenſis. Caramuel. Leſſius.

45. Donatio Epiſcopi regularis ad vſus prophanos, iuxta communiorem & probabiliorem Doctorum ſententiam, non ſolùm eſt illicita, ſed etiam inualida; quia non eſt dominus rerum quas poſſidet, ratione voti paupertatis, vnde accipientes ab ea tenentur ad reſtitutionem Eccleſiæ, quia Epiſcopus alienando peccauit contra iuſtitiam. Nihilominus à multis contraria ſententia reputatur etiam probabilis & practicè ſecura, nempe Epiſcopum regularem liberari à voto paupertatis, ita vt de illo dicendum ſit quoad donationes, ſicut de aliis Epiſcopis ſæcularibus, qui habent dominium rerum Eccleſiaſticarum, ita vt illas expendendo & donando ad vſus prophanos peccent mortaliter, ſed non contra iuſtitiam, ita vt accipientes non teneantur ad reſtitutionem.

Hanc ſuſtinent, *Sotus, Angelus, Michaël Medina, Palacios, Vaſquez, Pontius, Paſqualigus, Cæleſtinus, Zambellus, Eſcobar, VVadingus*, Diana *parte tertia, tractatu ſecundo, reſolut. 50.* & *parte quinta, tractatu octauo, reſolut. 31.* & *part. 8. tractat. 6. reſolut. 132.* & alij ab ipſo citati. Fundamentum huius opinionis præcipuum eſt, *cap. ſtatutum 18. quæſt. 1.* vbi dicitur, Epiſcopum ex Monacho factum, velut legitimum hæredem habere poteſtatem ſibi vendicandi paternam hæreditatem. Deſumptus eſt Canon ex Concilio apud Althem celebrato præſidente Legato Sedis Apoſtolicæ, & ab Eccleſia longo vſu recepto. Si ergo talis Epiſcopus regularis dominium non haberet, ſibi non vendicaret, ſed Monaſterio, aut Eccleſiæ, cùm fatentibus Doctoribus prioris ſententiæ Religioſi carentes dominio non ſibi vendicent, ſed Monaſterio. Deinde inhabilitas ad acquirendum, vel transferendum dominium, eſt ex iure politiuo, nec fuit ſemper annexa ſtatui religioſo, vt probant Pontius *lib. 7. de matrimon. cap. 13.* & Suarez *tomo ſecundo, de relig. lib. 8. cap. 7.* potuit ergo ius relicta in tali Epiſcopo obligatione voti paupertatis reddere illi dominium: nec ex hoc deſinit eſſe verus Monachus. Nec obſtat *cap. cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachor.* quia Scholaſtici Societatis IESV habent dominium bonorum, tamen habent veram abdicationem proprietatis, quæ in illo capite requiritur ad conſtituendum Monachum. Abdicatio enim proprietatis, non eſt abdicatio dominij, ſed vſus independentia à voluntate Superioris. Vide quæ diximus *tom. 1. verb. Religio 1. num. 8. verſ. Attamen.*

Sotus. Angelus. Medina. Palacios. Vaſquez. Pontius. Paſqualig. Cæleſtinus. Zambellus. Eſcobar. Vvadingus. Diana.

46. Dubium eſt, an in caſibus illicitis accipiens donationem à beneficiario religioſo, vel Epiſcopo, vel à beneficiario & Epiſcopo ſæculari, peccet etiam ipſe mortaliter. Ratio dubitandi eſt, quia videtur cooperari peccato ſupradictorum dãtium & expendentium fructus Eccleſiaſticos contra præceptum Eccleſiæ; & ideò putat Sanchez in *opuſcul. tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 38. nu 14.* talem peccare mortaliter. A cuius tamen ſententia diſcedit Lugo *tom. 1. de iuſtit. diſp. 4. ſect. 3. numer. 48.* aſſerens, quòd quando tales non petunt, nec inducunt ad donandum, ſed oblata tantum accipiant, non peccare mortaliter. Probatur: nam in eo caſu accipiens, non dicitur propriè cooperari peccato malè donantis, quia

Sanchez. Lugo.

quia peccatum ex parte donantis consummatur per ipsam oblationem, quæ oblatio iam posita est: acceptatio autem quæ consequitur ex parte accipientis, non dat causam illi oblationi, sed perficit donationem, vt cum effectu transferatur dominium. Tum quia, qui accipit à fure, vel debitore non quidem res furtiuas in specie & quarum dominium non habet, sed alia, quorum dominium habet, non peccat contra iustitiam vel charitatem, etiamsi alter reddatur exinde impotens ad soluendum quod ex iustitia debet, quia non est causa, cur ille peccet, cùm accipiens illum non inducat ad hoc, sed supposito quòd velit sponte donare, acceptat vtens iure suo: neque enim iustitia vel charitas postulat, vt negligatur proprium commodum, etiamsi inde per accidens sequatur alteri tantumdem damni, vt docent Lessius *lib. 2. cap. 20. dub. 19. nu. 168.* Molina *de iust. tract. 2. disp. 328. nu. 10.* & P. Nauarra *lib. 3. de restitut. cap. 4. nu. 218.* Proinde vtraque sententia probabilis est, ad mentem Dianæ *part. 8. tract. 6. resol. 134.*

Lessius. Molina. P. Nauarra, Diana.

47. Donatio simplex facta à patre filio emancipato, cùm diuidenda erit hæreditas, æstimanda erit, eiusque pretium deducendum, vt inter hæredes ac bona illis debita ac danda, constituatur æqualitas, *l. vt liberis, Cod. de collationibus.* Quæ autem non emancipato præbentur à patre, hæc eo mortuo, non sunt ad hereditatis diuisionem conferenda; quia hæc à patre, prærogatiua quadam amoris in illum præcipui, censentur data, vt habetur *in l. penult. Cod de donationibus.* Excipiuntur duo casus, primus, cùm Pater, cui reuocandæ donationis ius erat, significauit, voluntatis suæ esse, eam computari debere filio in partem hæreditatis sibi debitæ. Alter est, cùm id eius Fratres ac sorores exigunt, eo quòd & ipsi donationes sibi factas, tam simplices, quàm ob causam, vt propter nuptias, vel dotem, conferre coguntur. Quæ autem à Patre filiofamilias dantur literis operam danti, quæ ituro ab bellum aut ad obsequium Principis in palatio, quæ peregrinaturo, quæ in sumptus vitæ, aut Doctoratus, quæ ad comparandum beneficium, aut dignitatem, non sunt hæc ab eo in bonorum partitione conferenda. Ratio est, quia hæc omnia aliquo modo pertinent ad decentem sustentationem & alimenta, quæ pater filio debet: & vni quidem filiorum copiosiùs subministrare potest, spectata facultate, aliisque circumstantiis, quàm reliquis liberis: adeò, vt non solùm illi condonare ac remittere permissum sit; sed neque in eam partem numerare cogatur, de qua liberè ante mortem disponere potest. Vide Molinam *tractat. 2 disp. 243:* Sylvest. *verb. Peculium 2.* Eman. Sà *verb. Hæreditas, numero 41.* Vasquez *de testament cap. 7. numer. 147.* Layman *lib. 3. sect. 5. tractat. 4. cap. 12. numer. 13.* & alios.

Molina. Sylvest. Eman. Sà. Vasquez. Layman.

48. Donatio, quâ quis donat alteri bona sua de quibus potest ad libitum disponere, ante commissum crimen, in cuius admissi pœnam, fisco debentur, est rata & valida. Ratio est, tum quia rata est eorum donatio, penes quos est dominium rei donatæ, eiusque administratio cum facultate alienandi non impedita. At quilibet, ante patratum crimen, quod proscriptione bonorum puniri solet, eorum dominus, nec est ante sententiam iure ea abalienandi priuatus, ergo qui ea donat, validè donat. Tum quia talis donans non prohibetur donare neque lege charitatis, neque iustitiæ. Probatur prima pars, quia rem fisci agere, eius commoda quærere, bonum promouere suo magno damno non tenetur, id illi permittente *lege, Non puto, ff. de iure fisci.* Probatur posterior pars, quia ante crimen contractum, bonaque eius fisco adiudicata per sententiam, nullum ius ad illa fiscus habet. Vt docetur expressè *in l. post contractum. ff. de donationibus*, vbi sic ait: *Post contractum capitalis crimen donationes facta valent à Constitutione diuorum Seueri & Antonini, nisi condemnatio secuta sit.* Nec obstat dictum Bartoli in hac lege, quod ea donatio damnosa sit ac fraudi fisco. Id enim non est verum: quia facturus capitale crimen, ob quod eius bona proscribentur auctoritate Iudicis, ante illud commissum bona sua donando, fiscum non lædit, cùm hic ad ea nullum ius habeat. Ita docent Nauarrus *lib. 4. consilior. consil. 1. de diuortiis*, Alphonsus à Castro *de potest. leg pœnal. cap. 2.* Comitolus *lib. 3. respons. moral. quæst. 40.* Baunius *de contract. lib. 2. tractat. 4. quæst. 16. diffic. 14.* Diana *part 8. tractat. 6. resol. 14.* Et hæc de donatione & promissione Theologo sufficiunt.

Nauarrus. Castro. Comitolus. Baunius. Diana.

Vide v. Actio *num. 16.* Cœcus *numer. 4.* Dominium *num. 13. & 14.* Dubium *num. 20.* Emphyteusis *num. 19.* Hæres *num. 12.* Iuramentum *n. 26. & 30.* Ludus *num. 12.* Matrim. *2. num 26.* Nouitius *nu. 25.* Paupertas *n. 13.* Restitutio in integr. *num. 1.* Reus *num. 13.* Votum *1. num. 11. & 22.*

DONATIO

inter Coniuges.

SVMMARIVM.

1 *Donatio inter coniuges quotuplex sit? Et quid sit sponsalitia largitas, donatio propter nuptias, & arra.*

2 *Donatio hæc dicitur nulla, quia ad libitum potest reuocari.*

3 *An donatio ante matrimonium facta sit inualida, si eius effectus differatur in matrimonij tempus? vel si fiat per interpositas personas. Et an cæteri contractus inter coniuges valeant.*

4 *An donatio inter coniuges putatiuos, qui veri non sunt, sit valida.*

5 *An donatio inter coniuges confirmetur morte ciuili donantis. Et quotuplex sit mors ciuilis? Et quid dicendum de professione Religionis.*

6 *An donatio causâ mortis inter coniuges valeat? Et an requiratur in illa traditio rei.*

7 *Qua sit dicenda mors naturalis, per quam donatio inter coniuges confirmatur.*

8 *Vt donatio inter coniuges morte confirmetur, debent adesse quatuor conditiones. Et de prima quæ est traditio rei donatæ vera vel ficta.*

9 *De secunda conditione, vt coniux donans prius moriatur? Et quid iuris quando non constat vter prius obierit.*

10 *De tertia, vt donatio non excedat 500. aureos absque insinuatione. Et an donatio excedens dictam summam in nihilo confirmetur morte.*

11 *De quarta conditione, vt donans in eadem voluntate perstiterit vsque ad mortem, nec tacitè nec expressè reuocans. Et quando tacitè censeatur reuocata donatio.*

12 *An donatio inter coniuges trahatur retro ad tempus donationis facta quoad dominium rei donatæ vel tantùm quoad fructus ex ea perceptos, dum morte confirmatur.*

1. DOnatio inter coniuges, vel sponsos, quædam est simplex, quædam verò ob causam.

Illa

Digitized by Google

Illa eſt, quæ ex meta donantis liberalitate proficiſcitur; hæc verò, quæ non merè liberaliter, ſed ob aliquam cauſam fit. Et eſt triplex. Quædam dicitur *ſponſalitia largitas*. Alia, *donatio propter nuptias, vel ante nuptias*. Et alia, *Arra*.

Sponſalitia largitas eſt, quæ fit inter ſponſos de futuro ob matrimonij incundi ſpem, eiuſque cauſam.

Donatio propter nuptias, ſeu ante nuptias, eſt id, quod confertur à viro vel ab alio ipſius loco pro matrimonij oneribus, ad ſimilitudinem dotis quæ confertur viro per vxorem, & ſic appellatur Dos. *Inſtitut. §. Eſt & aliud, de donation.* Et diſſoluto matrimonio etiam poſt conſummationem redit ad virum, vt dos data per vxorem viro redit ad ipſum ſoluto matrimonio, *cap. final. de donat. inter vir. & vxorem*. Hæc donatio modo abiit in deſuetudinem.

Arræ ſunt donatio facta ſponſæ per ſponſum in remunerationem pudicitiæ, vel nobilitatis, vel dotis ſponſæ: quas ſoluto matrimonio ſponſa lucratur. Ita Molina *de iuſtit. tractat. 2. diſp. 290. ad fin.* Sanchez *de matrim. lib. 6. diſp. 1. num. 1.* Gutierrez *3. practic. q. 43.* Molina. Sanchez. Gutierrez.

2. Donatio inter coniuges dicitur nulla & inualida, non quod omninò nulla ſit, ſed quia poteſt ad libitum à coniuge donante reuocari. Sicut donatio cauſa mortis appellatur imperfecta & inualida: eo quòd vſque ad mortem reuocari poteſt, licet à principio valida fuerit, dominiumque tranſtulerit. Vnde coniux cui alter aliquid tradit cauſa donationis, non tenetur illud reſtituere, ſed poteſt tuta conſcientia retinere, & expectare donec morte confirmetur, ſi donator præmoriatur. Probatur, quia iura concedunt, vt ea donatio inualida, morte confirmetur, traditione rei donatæ ſecuta, viuo ipſo donante, & non aliter. Quod ſi donatarius præmoriatur, donatio illa tanquam nulla redit ad ipſum donantem, & ei eſt reſtituenda. Ita Sanchez *loco citato*. Sanchez.

3. Donatio coniugis ante matrimonium facta, ſi eius effectus differatur in matrimonij contracti tempus etiam eſt inualida, vt habetur ex *l. Quod ſponſæ 4. Cod. de donat. ante nupt.* Ratio eſt, quia idem eſt rem fieri tempore inhabili, vel prohibito, & conferri ad tempus inhabile vel prohibitum, *l. in tempus: ff. de hæred. inſtitut.* Et Gloſſa *in dicta l. Quod ſponſæ, &c. verb. ſine effectu*, reddens rationem, quare donatio facta ante matrimonium à ſponſo, collata in matrimonij tempus, non valeat: ait, *quia ante matrimonium non tranſit dominium quia noluit; nec poſt, quia non potuit*. Præterea non valet donatio inter coniuges, facta etiam per interpoſitas perſonas, vt ſi vir det aliquid cuidam, vt donet vxori, vt expreſsè dicitur *in l. ſi ſponſus, & l 3. ff. de donat. inter vir. & vxor.* quia qui per alium facit, per ſeipſum facere cenſetur. Porrò cæteri contractus inter coniuges initi valent, vt venditio, permutatio, &c. vt habetur *in l. ſi ſponſus, verſ. Circa venditionem, ff. de donat. inter vir. & vxor.* dummodo pretium æquiualeat rei venditæ: ſi enim pretium minus iuſto ſit, remiſſio illa pretij, erit donatio inualida. Vt in illa lege expreſsè deciditur.

4. Donatio inter coniuges qui veri non ſunt, ſed putatiui, quando vtrique coniugi nota fuit matrimonij nullitas, eſt valida in foro conſcientiæ, donec petenti fiſco, ſibi per iudicem applicetur: & donatarius tuta conſcientia poteſt rem donatam ſibi retinere: quia tradens ex falſa cauſa falſitatis conſcius cenſetur donare, abdicatque à ſe dominium, transferens illud in donatarium, qui eſt capax illius accipiendi, licet in delicti pœnam, detur actio fiſco ad vendicandum & auferendum ab eo. Ita *lex. Cùm hic ſtatus 33. §. final ff de donat. inter. vir. & vxor.* & docent Angelus *verb. Donatio 3. num. 5.* Syluester *verb. Donatio 2. qu. 1.* Tabiena *Donatio 3. queſt. 3.* Angelus. Syluest. Tabiena.

Quando autem ſolus coniux donans fuit conſcius nullitatis matrimonij, valet legatum. Id enim expreſsè habetur *l. final. ff de legat.* Si autem coniux donatarius impedimentum nouit, at donator erat in bona fide conſtitutus, tunc legatum & donatio ſunt nullius momenti. Quia tam legatum quàm donatio ex errore procedunt, quia legans vel donans exiſtimat legitimum eſſe matrimonium, nihil autem magis contrarium conſenſui eſt, quàm error. Vnde ita legatum hæredibus legantis, donatio verò ipſi donanti & ipſo mortuo, hæredibus eius, reſtitui debet. Ita Molina *tract. 2 diſp. 200.* Molina.

Controuerſia tamen eſt inter Doctores, an donatio ſit valida, quando vterque coniux inſcius impedimenti putabat matrimonium valere? Affirmant *Angelus, Roſella, Syluester, Tabiena*, eſſe validam, poſſe tamen donantem reuocare. Negant *Couarruuias*, Sanchez loco citato, *diſp. 2. num. 9.* & alij. Angelus. Roſella. Syluest. Tabiena. Couarr. Sanchez.

Sed dicendum eſt, *Primò* omnia quæ remuneratoriè talis dedit vxori putatiuæ, & omnia quæ fundantur in aliquo debito iuſtitiæ & vrbanitatis, eſſe abſolutè vxoris, tametſi non veræ. *Secundò*, ſi puræ & gratuitæ donationes aliàs fuiſſent factæ, puta ſi vir illam fœminam ita amauerit, vt credendus ſit etiam illa eadè daturus fuiſſe concubinæ quæ vxori, validæ cenſendæ ſunt, quia non poſſunt argui de errore, datæ enim ſunt perſonæ, verbi gratia, propter qualitatem pulchritudinis, non propter matrimonij circumſtantiam. Si autem illæ donationes non fuiſſent factæ, ſi vir ſciuiſſet illam non eſſe vxorem ſuam, dicendæ ſunt prociſſiſſe ex errore, ac proinde nec fuiſſe liberas, neè validas. Igitur ſicut ille error non debet eſſe in cauſa quod vir patiatur damnum, ſic etiam ne mulier patiatur. Talis ergo donata ex errore recuperet, recepta ex errore reſtituat, detque pudoris pretium. Ita Caramuel *lib. 2. Theolog. moral. n. 655.* Cui faucre videtur Molina *diſp. 200.* dicens ex coniecturis deprehendendum eſſe, an valeat legatum. Vide Fagundez *de con. tract. lib. 4. cap. 11. n. 35. & ſequent.* Caramuel. Molina. Fagundez.

5. Sicut donatio inualida inter coniuges confirmatur morte naturali donantis, ita confirmatur morte ciuili: puta vel ſi coniux exulet, ita vt ciuitatem perdat; vel quia efficitur ſeruus pœnæ, vt ſi damnetur ad metallum; vel ſi Religionem profiteatur, quæ non ſit capax poſſidendi bona in communi: ſecus verò quando religio poteſt illa poſſidere.

Circa quæ eſt notandum. *Primò*, quod quidam aſſerunt profeſſione Religionis non confirmari donationem quando matrimonium eſt conſummatum, quia per illam profeſſionem non diſſoluitur matrimonium: ſecus ſi non fuerit conſummatum. Ita Lopez *lib. 2. de contract. cap. 47.* Syluester *verb. Donatio 2. queſt. 4.* & alij. Dicendum tamen eſt, parum referre ſiue matrimonium conſummatum ſit, ſiue non, vt confirmetur donatio per profeſſionem donantis, modò profeſſio fiat legitimè ex licentia alterius coniugis poſt conſummatum matrimonium. Ratio eſt, quia licet matrimonium conſummatum non diſſoluatur quoad vinculum per profeſſionem, at quoad effectum diſſoluitur: cùm non liceat iam matrimonio vti, *cap. Accedens, & cap. Significauit, de conuerſ. coniugat.* Lopez. Syluest.

Notandum *Secundò*, ſi religio in qua donans profeſſus eſt, capax ſit poſſidendi bona in communi,

quod donatio minimè confirmetur, sed exspectanda est naturalis donantis mors, & vt prius moriatur quàm donatarius: si autem Religio incapax fuerit sic possidendi, vt est Religio Fratrum Minorum de Obseruantia & Capucinorum, confirmatur donatio ea professione, sicut confirmaretur morte naturali donantis. Ratio est, quia mors ciuilis & naturalis æquiparantur, quando vtraque eundem habet effectum quoad bona: at quando Religio non habet bona in communi, eumdem effectum sortitur mors naturalis & ciuilis per professionem, cùm iam ea bona non possint possideri ab ipso Religioso, nec à Religione ipsum repræsentante, sicut nec à naturaliter mortuo. Quod non contingit, quando Religio possidet bona in communi: quamuis enim religiosus ipse possidere nequeat, potest tamen ipsa Religio, quæ religiosum repræsentat, eiusque loco habetur. Ita Molina *tractat. 2. de iustit. disp. 288.* Rosella *verb. Donatio 1 num. 35* Rodriguez *tom 1. Summ. cap. 93.* Lopez *de contract. lib. 2. cap. 43. §. Tertiò confirmatur.* Et ex parte Azorius *tom. 3. lib. 11. cap. 10. quæst. 8.* cui adhæret Diana *part. 8. tractat. 6. resol. 24.*

Molina. Rosella. Rodriguez. Lopez. Azorius. Diana.

6. Donatio causa mortis valet inter coniuges, vt habetur expressè, *l. si cum vxori 9. §. vlt ff. de donat. inter vir. & vxor.* Et in subsequenti *l. quis 10.* eius rationem Caius hanc assignat: quia in hoc tempus excurrit donationis euentus, quo vir & vxor esse desinunt. Coniux tamen donans, dum superstes est, potest eam donationem reuocare, vnde per eam non transfertur statim dominium in cõiugem, donec mors donantis sequatur; etiamsi antea alteri rem donatam tradiderit. Et hoc est speciale in donatione inter coniuges, vt non transferatur dominium per donationem causa mortis factam, etiam tradita re donata, vt habetur expressè *l. Sed interim 12. inu. ff. de donat. inter vir. & vxor.* Aduerte tamen si donatio causa mortis inter coniuges fieret ea conditione, vt irreuocabilis esset, non valeret: quia tranlit in donationem inter viuos. Vt habetur *l. vbi ita donatur, ff. de donat. causa mortis.* Si tamen iniretur pactum, vt non reuocari possit, nisi donatarius præmoriatur, valebit: quia est donatio causa mortis. Similiter si coniuges mutuo sibi donent ea lege, vt alterius obitu superstes ipsius bona habeat, dum vita fruetur, valebit donatio; quia est causa mortis. Imò hæc reciproca donatio præiudicabit legitimæ ascendentium. De his vide Molinam *de iustit. tract. 2. disp. 288. §. Dubium est vtrum donatio.* Couarruuiam *rubric. de testament. 3. part. numer. 4.* Sanchez *de matrim. lib. 6. disp. 10.* Dianam *part. 8. tractat. 6. resol. 30.* qui nouissimus docet quod in dubio, quando expressè non constat qualem donationem coniuges, vel alij facere voluere, præsumatur causa mortis non inter viuos, per text. *l. apud Celsum 4. §. Iulianus, ff. de dolo malo & met. except.* Ratio est, quia quilibet actus debet potius sustineri, quàm vt corruat, & si non potest eo modo valere quo debet, tamen valeat alio modo, quo potest, *l. quotiès 12. ff. de rebus dubiis.*

Molina. Conarr. Sanchez. Diana.

An autem ad valorem donationis causa mortis inter coniuges requiratur traditio rei? Affirmant aliqui, licet in legato nulla traditio requiratur. Ita Syluester, Rodriguez, Couarruuias *suprà*. Verius tamen est minimè desiderari: quia hæc donatio habetur instar legati, & ita ex ea, sicut ex legato detrahitur falcidia, quod valet inter coniuges absque traditione. Vt docent Molina, Sanchez & alij.

Molina. Sanchez.

7. Cùm donatio inter coniuges confirmetur morte naturali donantis. Vt habetur *cap. final. de donat. inter virum & vxorem*, quæritur, quid nomine mortis naturalis intelligatur? Resp. quòd comprehendatur etiam mors accidentalis, gladij vel alterius rei violentæ mortem inferentis, ex *l. si tibi, Cod. de donat. ante nupt.* vbi Baldus. Secus dicendum si donator mortem sibi ob sceleris conscientiam conciuerit, vel etiam post mortem memoria eius damnata sit; tunc enim reuocatur donatio. Ita *Lemma his status 33. §. si donator, vers. si maritus, ff. de donat. inter vir & vxor.* Baldus.

8. Vt donatio inter viuos inter coniuges morte confirmetur, quatuor conditiones adesse debent. *Prima* est, vt præcesserit in vita donantis traditio rei donatæ, vt habetur in *l. Papinianus, ff. de donat. inter vir. & vxorem*: non est tamen necesse vt traditio hęc fiat tempore donationis, sed satis est, quocumque tempore vitæ donantis. An autem requiratur vera traditio, aut sat sit ficta? Tenendum est sufficere fictam, ex *l. cùm hic status 33. §. Si maritus, ff. de donat. inter vir. & vxorem.* Hinc confessio dotis receptæ facta constante matrimonio à viro quando censetur animo donandi facta, habetur loco traditionis, & ita hæc præsumpta donatio absque alia traditione morte confirmatur. Ita Syluester *verb donatio 2. quæst 4.* Molina *tractat. 2. disput. 289. §. Idcirco.* Syluest. Molina.

Item, si donans retineat vsumfructum: quia talis reseruatio habet vim traditionis, *l. quisquis & l. si quis argentum Cod. de donat.*

Item, si vxor erat debitrix mariti, & hic animo donandi remittat, confirmatur hæc donatio morte: quia ea liberatio vim habet traditionis, *l. cùm hic status 33. §. oratio, vers. fiat autem, ff. de donat. inter vir. & vxor.*

Item, confirmatur morte, si donans tradat donatario rei donatæ instrumenta, per quæ eam habuit: quia hæc tradendo, videtur rem ipsam tradere, *l. 1. Cod. de donat.* Imò etiam quando coniux donans, alteri instrumentum donationis conficit: ex hoc enim videtur possessio tradita.

Item si vir rem sibi debitam faciat transferri per se, vel per alium, in vxorem, & illi describi in libro rationum, vbi debita describuntur: quia per descriptionem videtur donare & tradere vxori. In his ergo casibus habet locum ficta traditio, vt donatio morte censeatur confirmari.

9. Secunda conditio est vt coniux donans prius moriatur, si enim donatarius prius obeat, euanescit donatio. Vt habetur *cap. final. de donat. inter vir. & vxor.* Quando autem non constat, vter prius obierit, vt si ambo simul moriuntur, naufragio, incendio, &c. confirmatur donatio: quia præsumitur donatorem in eadem voluntate præmortuum esse. Habetur expressè, *l. cum hic status 33. §. si ambo ff. de donat. inter vir. & vxor.* Quando autem coniuges non simul eodem casu perierunt, sed diuersis in locis, nec vter prius obierit, constat; varij sunt doctores, verior tamen sententia est, præsumptionem esse pro ipso rei donatæ possessore, & ita incumbere onus probandi donatorem superuixisse ei, qui non possidet. Ita Molina *de iustit tract. 2. disp. 289.* Menochius *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 50. num. 16.* Couarruuias *2. variar. c. 7. §. 5.* Molina. Menoch. Couar.

10. Tertia conditio, vt donatio non excedat 500. aureos, absque insinuatione. Si enim hanc summam excedat, nec adhibeatur insinuatio requisita, *l. Sancimus, Cod. de donat.* non confirmabitur morte vt habetur expressè *l. Donationes quas parentes 25. Cod. de donat. inter vir. & vxor.* vbi subditur si tempore mortis donator confirmarit dictam donationem excedentem 500. aureos, absque insinuatione factam, valere tunc vt legatum, quod non indiget insinuatione.

Sed dubium est, an donatio hæc excedens summam

Digitized by Google

mam dictam, in nihilo confirmetur morte, sed penitus euanescat: an verò solus excessus corruat? Quidam volunt penitus euanescere: quia est defectus in re, cùm non fuerit insinuata: & in persona, cùm inter coniuges donatio non valeat. At verius est, solum excessum annullari, reliquam autem summã morte confirmari. Quia vtile per inutile non vitiatur; quando vtile ab inutili separari potest. Ergo cùm in hac donatione possit debita Summa, quæ est pars vtilis, separari ab excessu qui inutilis est, non debet vitiari. Ita Clarus *lib. 4 sentent. verb. Donatio, quæst. 17. vers. Sed hic incidenter*, Molina *tractat. 2. disput. 289. §. Quando non præcesit.* & alij communiter. Clarus. Molina.

11. Vltima conditio requisita vt donatio inualida inter coniuges morte confirmetur, est, vt donans in eadem voluntate persistat vsque ad mortem, nec tacitè, nec expresè reuocans. Habetur *cap. final. de donat. inter vir. & vxor.*

Hinc tacitè censeretur reuocata donatio, si coniux donans rem donatam postea alienauerit: vel pignori dederit, vel speciali hypothecæ subiecerit, vt habetur expresè, *l. si maritus. Cod. de donat. inter vir. & vxor.* Item per pignorationem generalem omnium bonorum, quando tanto pretio pignorantur, ac valent vna cum re donata. Item diuortio postea secuto ex displicentia, nisi donans voluerit expresè tunc valere. Secus si bona gratia diuortium fiat, vt causa Religionis. Item quando coniux donatarius mores mutat in præiudicium donantis: vt si vxor donataria committat adulteriũ, si pudicitiam luxurioso osculo violauerit, vel palpari mamillas permiserit: vel probaretur fuisse in balneo cum alio viro; si pernoctarit extra domũ absque causa. Portò videtur tacitè reuocata donatio hæc, si donatarius ingratus fuisset donanti. Imò ipso iure reuocatur donatio per graues inimicitias superuenientes, secus per leues; nisi post ortas inimicitias se reconciliauerint donans & donatarius: tunc enim censetur remissa inimicitia & instauratur donatio. Ita *l. cum hic status, §. Si diuortio, ff. de donat. inter vir. & vxor.* De his vide Sanchez *de matrim. lib. 6. disput. 15.* Molinam *de iustit. tract. 2. disp. 289.* Menochium *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 37.* Sanchez. Molina. Menoch.

12. Donatio inter coniuges inualida, dum morte confirmatur, non trahitur retro ad tempus donationis factę quoad dominium rei donatæ, sed tantùm quoad fructus ex ea perceptos. Quod trahatur retro, habetur expresè *l. Donationes quas parentes Cod. de donat. inter vir. & vxorem.* Sed non quoad dominium. Probatur, quia expressa coniugis voluntas nequit rei donatæ dominium in coniugem transferre, dum ambo superstites erant; ergo multò minùs id poterit tacita & præsumpta voluntas, ex qua ea donatio morte confirmatur. Quod autem retrotrahatur quoad fructus, Probatur, quia constat retrotrahi & non quoad dominium; ergo quoad fructus. Ratio est, quia coniux donatarius possidet rem donatam alio coniuge superstite, fructus autem possessionem sequuntur. §. *si quis à non domino, Institut. de rerum diuision. & l. Bona fidei, ff. de acquir. ver. domin.* Et docent Couarruuias *rubric. de testam. 3. part. num. 5.* Clarus §. *Donatio, quæst. 9.* & alij quos refert & sequitur Sanchez *cit. disp. 16.* apud quem plura de donationibus inter coniuges, de sponsalitia largitate & de Arris. Sed hæc pauca addita sufficiant. Couar. Clarus. Sanchez.

Vide verb. Donatio *num. 5.*

DOS.

SVMMARIVM.

1 *An ante matrimonium vel eo constante possit vxor dotem constituere viro? Et è contra.*

2 *Quando valeat constitutio dotis facta à viro vxori constante matrimonio.*

3 *An pater tentatur dotare filiam minorem, quæ absque consensu eius nupsit digno vel indigno?*

4 *An parentes teneantur filias dotare, quoties illas exhæredare possunt ob causas iure permissas.*

5 *An dos constituta per virum vxori, extrahenda sit de toto hæreditatis corpore, vel potius de ea parte, de qua potest maritus libere disponere?*

6 *An si viduus constituat dotem fœminæ, credens eam esse Virginem, teneatur ea, si Virgo non sit, restituere?*

7 *An dotis fructus pertineant ad maritum, sicut & administratio bonorum dotalium?*

1. VXor, non tantùm ante matrimonium, sed etiam eo constante potest dotem cõstituere viro. Probatur, quia mulier dotata à principio potest constante matrimonio augere dotem, *Institut. de donat. §. Est & aliud, vers. Et primis quidem,* ergo à fortiori dotem costituere poterit, quando dotata non est. Remunerat enim beneficium à viro acceptum, qui indotatam eam recepit, si post matrimonium initum, bona aliqua comparauit. Si tamen vir constante matrimonio dotet vxorem, non valet, ex *l. Si quis vxori, ff. de donat. inter vir. & vxor.* Ratio est, quia dotem constituere, est donare, *l. final. §. si à socero, ff. qua in fraud. cred.* Ita Syluester *verb. Dos, quæst. 6.* vbi Angelus *num. 6.* Armilla *num. 8.* Idem dicendum si fiat hæc dotis constitutio ante contractum matrimonium, quando datur hac lege, vt inito matrimonio, & non alias acquiratur: quia donatio inter sponsas relata in tempus matrimonij, nulla est. Si tamen vir ante initum matrimonium absolutè dotet vxorem non referendo se ad tempus contracti matrimonij, sed ita vt statim acquireret illius dominium, valet vt expresè habetur, *in l. 1. Cod. de donat. ante nuptias.* Sylvest. Angelus. Armilla.

2. In aliquibus casibus valet constitutio dotis vxori à viro constante matrimonio. *Primò*, quando vir exceditur ab vxore, nobilitate, vel ætate, vel diuitiis. Vt si ignobilis, aut senex, aut ditissimus, ducat nobilem, aut iuuenculam, aut nobilem pauperrimam. Ratio est: quia est donatio remuneratoria beneficij in virum collati per vxorem, quæ cùm nobilis vel iuuencula esset, non dedignata est ignobili, aut seni nubere. Ita Molina *de iustit. tr. 2. disp. 289. & 439.* Couarruuias *4. decret. 2. part. cap. 3. §. 3.* Amicus *tom. 5. disp. 18. sect. 8. num. 117.* Wadingus *de contract. disp. 3. dub. 11. §. 2.* & alij quos refert & sequitur Diana *part. 8. tract. 6. resol. 29.* Nota tamen quòd hæc donatio per virum facta vxori causa huius excessus, licet communiter dos appellari soleat, non est verè & propriè dos, nec priuilegiis dotis gaudet. Vt docet Lopez *2. part. de matrim. cap. 41. Secundò*, si quis Virginem violarit & ob hoc ducat & eam docet, valebit dotis constitutio: qui non est donatio, cum ad hoc teneatur, iuxta *cap. 1. de adulter. Tertiò*, quando Papa dispensaret cum duobus consanguineis ea lege, vt vir vxorem pauperem dotaret, valebit dotis constitutio: quia non est donatio, sed ex causa onerosa datur, vt

Pontifex

Pontifex dispenset. *Quartò*, quando vir constituerat dotem vxori, vt animi discordes concilientur consanguineorum vtriusque coniugis. *Quintò*, si esset consuetudo, vt vir dotaret vxorem, quia consuetudo vincit legem, & est altera lex. Ita Ioannes Lupus *rubric. de donat.* § 10. *numer.* 3. & 4. & § 32. *numer.* 9. quem sequitur Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disp.* 7. Lupus. Sanchez.

3. Si minor filia 25. annis nupsit sine consensu patris digno & promisit dotem, tenetur pater dotare. Ratio est, quia pater tenebatur eam maritare & dotare: & sic cum ipsa se maritauerit digno, rem ad quam tenebatur pater, vtiliter gessit: quia rem patris gessit. Ita communiter Doctores. Si autem absque patris consensu & dotis promissione nupsit digno, tenetur etiam pater dotare: quia rem ad quã tenebatur pater, vtiliter gessit, licet in modo nubendi deliquerit: limita tamen, nisi filia diues sit, possitque dotem promissam, aut non promissam soluere: tunc enim licet dignissimo nubat, non tenetur pater dotare: quia ratio ipsa naturalis postulat, vt filiam diuitem, spretoque patre nubentem non teneatur pater dotare. Quando autem vir vel fœmina indignum matrimonium inierunt, si ita diuites essent, vt alimenta haberent, non tenetur pater dotare: quia non videtur æquum compellere parentes ad dotandam filiam diuitem, quæ turpi matrimonio totum familiæ decus denigrauit. Si autem alimentis carerent, tenetur pater dotare in modica quantitate conuenienti ad alimenta vitæ necessaria. Et hoc propter æquitatem naturalem, ne fame pereant. Ita Couarruuias 4. *decret.* 2 *part. cap.* 3. § 8 *num.* 7. & 8. Gutierrez 2. *practic. quæst.* 1. Menochius *de præsumpt. lib* 4. *præsumpt.* 189. *num.* 60. Rodriguez *tom.* 1. *Summ. cap.* 14. & alij. Couar. Gutierrez. Menoch. Rodriguez.

4. Quoties parentibus licet filias exhæredare ob causas iure permissas, non tenentur illas dotare. Quia alimenta & dos in iure æquiparantur, valetque argumentum ab alimentis ad dotem, sed dum parentes possunt exhæredare, non tenentur ad alimenta, ergo nec ad dotem. Et sicut est probabile posse parentes in hoc casu negare alimenta etiam necessaria ad vitam, vt docent multi, ita etiam est probabile, posse omninò negare. Quia tamen verius est teneri præstare alimenta præcisè ad vitam necessaria; ita verius est teneri dotare in quantitate necessaria ad talia alimenta quando aliunde alimenta filiæ non supperterent. Ita Couarruuias *loco citato*, § 6. *cap.* 8. *num.* 17. Molina *tract.* 2. *disp.* 176. & alij quos refert & sequitur Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disp.* 26. *n.* 1. Couar. Molina. Sanchez.

5. Dos quam constituit vir ignobilis nobili, vel senex iuuenculæ, ante contractum matrimonium, vt effectum habeat, deducenda est ex totò hæreditatis cumulo, tanquam æs alienum, & ita minuet legitimam ascendentium vel descendentium. Si verò constante matrimonio constituatur, non minuit legitimam, sed extrahitur de ea parte, de qua vir potest liberè disponere, in præiudicium ascendentium vel descendentium. Ratio prioris est, quia ante contractum matrimonium datur ex causa onerosa & necessaria, & ita non est donatio, sed contractus onerosus, Do vt facias, vt sic compensetur disparitatem. Ratio posterioris est, quia est donatio remuneratoria ex causa lucratiua & voluntaria. At donatio remuneratoria quando non est debita ex iustitiæ lege non minuit legitimam, ergo. Quando vir dotat vxorem consanguineam, eo quod Pontifex ea lege in consanguinitate vel alio impedimento dispensauit, extrahitur ea dos ex toto hæreditatis cumulo. Si ratione consuetudinis id permittentis vir dotet vxorem non tamen cogentis dotare, dos extrahitur de ea parte, de qua potest vir disponere in præiudicium ascendentium & descendentium. Si propter bonum pacis inter vtriusque consanguineos, nullo inito concordiæ pacto, extrahitur dos de ea parte cuius libera dispositio conceditur viro seruatâ illæsâ legitimâ. Si verò pactum iustum iniretur, vt gratia cedendi lite iusta, tunc esset transactio, extraheturque de toto hæreditatis corpore. Porrò si dos sit constituta per virum vxori, eo quòd illam defloraret casu quo tenetur eam dotare, deducitur etiam ex toto hæreditatis corpore: quia tunc est debiti solutio. Ita Sanchez *de matrim lib.* 6. *disp.* 8. Sanchez.

6. Quidam asserunt, si viduus fœminæ, quam ducit, dotem constituat, credens esse Virginem, aliter nullatenus constituturus, nec cum ad ipsam accessit, nouit Virginitatis defectum, teneri eam fœminam quæ verè Virgo non est, dotem restituere: & similiter si cognito defectu dotasset, non tamen ita amplè teneri excessum illum restituere: si tamen tunc nouit, & vitam maritalem agat, censetur vir iniuriam remittere & denuò dotare. Ita Corduba *in sum quæst.* 135 Lopez 1 *part. instruct. cap.* 76. § *Præterea consequenter*, Rodriguez *tom.* 1. *Summ. cap.* 107. *num.* 12. A quorum tamen sententia recedit meritò Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disp.* 27. *num.* 5. Ratio est, quia vir non potest dotare vxorem, vt dictum est supra, nisi ob disparitatem inter ipsos; at quod vir sit viduus, & fœmina Virgo nullam disparitatem constituit, & ita hoc non est causa sufficiens dandi dotem, & proinde error huius causæ, cùm non sit legitima, nec substantialis, non vitiabit donationem: dicendum est ergo hanc constitutionem dotis, esse donationem prohibitam inter coniuges. Corduba. Lopez. Rodriguez. Sanchez.

7. Dotis fructus sibi traditæ lucratur maritus, quamdiu matrimonium consistit, iuxta *l.* 7. *ff. de donat. inter vir. & vxor.* vbi sic habetur. *Dotis fructum ad maritum pertinere debere, æquitas suggerit: cùm ipse onera matrimonij subeat, æquum est, cum etiam fructus percipere.* Vnde administrationem dotalium bonorum adeò plenam maritus habet; vt ea à quouis possessore reali etiam actione vendicare, & de iis in iudicio contendere iure possit, iuxta *l. docet ancillam*, *Cod. de rei vendicat.* Tamen maritus res dotales absque necessitatis casu alienare non potest, cùm earum dominus propriè non existat, *l. in rebus Cod. de iure dotium.* Imò neque cum vxoris consensu bonum immobile, siue dotalem fundum alienare, vel hypothecæ subiicere est marito concessum, & contractus irritus censetur, *l. vnic.* § *& cùm lex, Codice, de rei vxoriæ actione.* Vide Syluestrum *verb. Dos* apud quem plura. Syluest.

Vide verb. Dominium *num.* 14. Fiscus *num.* 12. Mutuum *num.* 24. Religio *num.* 29. Restitutio in integ. *num.* 4. Stuprum *num.* 5.

DVBIVM.

SVMMARIVM.

1 *An illa duæ regulæ*: In dubiis melior est conditio possidentis. *Et* in dubiis tutior pars est eligenda, *sint inter se contrariæ.*

2 *An quando ex vtraque parte concurrunt opiniones probabiles, teneamur sequi opinionem, quæ possessioni fauet?*

3 *Dubium quando superuenit bona fides possidenti an res sit aliena, ad quid teneatur?*

4 *An conditio possidentis in materia aliarum virtutum extra iustitiam sit melior?* Refertur duplex sententia.

5 *Possessor dubius ad quid teneatur?*

6 In

6 *In æquali dubio iuris partis vtriusque, ad quid teneatur Iudex?*

7 *In dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet: & quando factum in dubio præsumatur, si illud de iure faciendum erat.*

8 *Ex quibus dignosci valeat in dubio, quis possideat?*

9 *Dubium aliud est iuris, aliud facti.*

10 *In dubio de iustitia belli, an milites possint licitè bellare?* Refertur duplex sententia.

11 *Dubium quando est de legitima Prælati potestate, an liceat ei non obedire?*

12 *Dubius, an votum emiserit habens vsum rationis, teneatur voto?* Refertur duplex sententia.

13 *Dubium quando est, num præceptum sit derogatum alio præcepto, vel consuetudine, an liceat contra præceptum facere?* Refertur duplex sententia.

14 *An in dubiis sit locus Epichiæ, vel sint seruanda verba legis, vt sonant?* Refertur duplex sententia.

15 *Dubius depositarius vel commodatarius, num res sit culpa sua amissa, an teneatur restituere?*

16 *Dubius, num promiserit solùm ingredi Religionem aut profiteri, an teneatur perseuerare in Religione?*

17 *Dubius an vouerit castitatem independenter à Religione, an teneatur illam seruare?*

18 *In dubio de valore voti, an censeatur reseruatum?*

19 *Dubium quando est, an quis propositum solum aliquid faciendi habuerit, an potiùs votum ediderit? quatuor regula traduntur.*

20 *Ad quid teneatur vouens, quando res singularis vouetur, sed nescitur vtra ex duabus: aut periit altera?*

21 *An in dubio de valore matrimonij, liceat coniugibus deponere dubium speculatiuum, nec practicè dubitare, & ita debitum petere & reddere?* Refertur duplex sententia.

22 *Cùm vterque coniux dubitat de valore matrimonij bona fide contracti, an liceat vtrique petere & reddere?*

23 *An quando vterque coniux matrimon. contraxit dubius de morte prioris coniugis, possit matrimonio vti siue petendo siue reddendo?*

1. QVidam putant illas duas regulas: *In dubiis melior est conditio possidentis*, &, *In dubiis tutior pars est eligenda*, esse diuersas & contrarias taliter, quod dum vna intrat alia expellatur, seu extinguatur. Sed dicendum est non esse contrarias, sed potiùs quòd vna est explicatiua alterius & mutuò sese iuuant, tali ratione, quòd quoties adest regula *Melior est conditio possidentis*, adsit & alia, *Tutior pars est eligenda*. Nam quotiescumque quis possidenti fauet, partem sequitur tutiorem: & si tunc quis partem tutiorem sequitur quando ex sequela illius nullum generetur peccatum & ex contrario oriretur; certè fauendo possessioni possidentis, nullus peccabit; imò peccaret, si fauere desisteret. Ex quo fit, quòd si aliquando præceptum sit in possessione obligandi, cùm tunc melior sit conditio præcepti, & sit illi fauendum; tutior etiam pars erit sequi præceptum, quàm è contra. Ex hoc fuerunt decepti Doctores, dum putarent sequi quempiam partem tutiorem, quando adimpletur præceptum & possessio libertatis postponitur. At non considerarunt quod si præceptum est in possessione obligandi, libertas non erit in possessione. Et ita consequenter semper coincidunt: & mutuò se iuuant illæ regulæ, taliter quòd si quis velit cognoscere, quando sit seruanda Regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*, respicere etiam debeat ad aliam: *In dubiis melior est conditio possidentis*, Et hoc modo quem inuenerit aliquis possidentem, tueri debet: quo facto, tutiorem sequetur partem. Est enim regula illa, *Melior est conditio possidentis*, mensura seu regula alterius, *In dubiis tutior pars est eligenda*. Vide Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 41. nu. 9. & 32.* Sancium in selectis *disp 42. n. 13.* Reg. Iuris. Sanchez. Sancius.

2. Quando ex vtraque parte concurrunt opiniones probabiles, nulla adest obligatio sequendi opinionem, quæ fauet possessioni. Ratio est, quia cùm vtraque opinio sit probabilis, vtraque etiam est eligibilis vt recta regula operandi: neque possessio facit, vt teneamur eligere, quæ ipsi fauet: quia non obligamur ad eam manutenendam nisi in virtute opinionum, quòd sit regula operandi, & proinde possessio dependet ab opinione; non autem eligibilitas opinionis à possessione. Quando autem dicitur, quod melior est conditio possidentis: intelligitur in dubiis, vt habet regula iuris: quando autem hinc inde concurrunt opiniones probabiles, non sumus in dubiis, sed in probabilibus: vnde qui eligit vnam, aut alteram opinionem, non est dubius, sed probabiliter iudicat. Deinde, Melior est conditio possidentis in dubiis dubietate facti, non dubietate iuris: quia possessio est sufficiens titulus continuandi possessionem, quando sumus in dubiis, ad quemnam spectet res possessa. Ita Sanchez *de matrim. lib. 2. disput. 41. num. 30.* Villalobos *tom. 1. Sum. tract. 1. diffic. 9.* Sanchez. Villalobos.

3. Incipiens bona fine possidere, si dubium superueniat an res sit aliena, tenetur diligentiam adhibere, vt veritatem assequatur, eaque præmissa, nec veritate detecta, potest ratione possessionis retinere, & practicè non dubitare, non obstanti dubio speculatiuo, an res sit sua. Ratio est, tum quia in pari causa potior est possidentis conditio. *Reg. in pari 65. de reg. iur. in 6.* Tum quia in foro externo veritate cognita, protegetur hic in sua possessione, nec aliquid restituere compelletur; ergo & in foro interno: quia iudicia hæc, diuersa nō sunt; nisi quando externum præsumptione ducitur, internum autem veritatem nouit: in hoc autem casu in vtroque foro res est dubia. Ita tenent Victoria *de iure belli dub. 3. propos. 4. num. 3.* Couarruuias *reg. Possessor, 2. part. § 7. numer. 4.* Bañez *2. 2. quæst. 62. art. 6. dub. 5. concl. 4.* & alij communiter. Victoria. Couar. Bañez.

4. Quidam negant in materia aliarum virtutum extra iustitiam, meliorem esse in dubio cōditionem possidentis, atque ita ratione possessionis licitum esse practicè deponere dubium speculatiuum, & contra illud operari. Ratio illorum est, quia nihil prodest libertatis possessio dubitanti, an ratione temperantiæ, Religionis, vel aliarum virtutum, teneatur ad hoc, vel ad illud, quia aliàs in dubio nullum præceptum obligaret, cùm semper conditio possidentis libertatem potior esset. Et exinde inferunt, quod si quis dubitet, an emiserit votum, teneri eum adimplere: quia cùm conditio possidentis non sit melior in materia Religionis, & ex alia parte stet regula, *Quod in dubiis tutior pars sit eligenda*, tenebitur adimplere votum, ne se exponat periculo fractionis. Ita Vasquez *1. 2. disp. 65. & 66.* Hurtado *de matrim. disp. 10. diffic. 9 numer. 43.* & reputat probabile Filliucius *tract. 21. cap. 4. num. 164.* Verius tamen est in quacumque materia potiorem esse in dubio possidentis conditionem: quia possessio est titulus vniuersalis omnibus virtutibus, eo modo quo aliqua pars potentialis iustitiæ vt obedientia Dei transcendit omnes virtutes. Ita Suarez *tom. 2.* Vasquez. Gasp Hurt. Filliucius. Suarez.

Garcias. Filliucius. Sanchez. Malderus. Sanctius.

de rel g. lib.4. cap.5. numer. 7. Garſias *tom.2. de benefic. part.7. cap.2. numer.*14. Filliucius *tract.21.c.4. numer.*165. Sanchez *de matrim lib.1. diſp.9. num.*11. Malderus 1 2. *d ſp.* 87. Imò Ioannes Sanctius *in ſelectu diſp* 42 *num.*8. docet illum qui habet poſſeſſionem in materia aliarum virtutum, habere poſſeſſionem ex iuſtitia. Vnde coincidunt in vnum & idem poſſeſſio in aliis virtutibus & poſſeſſio in iuſtitia; ſolùm autem differunt, quod poſſeſſio in aliis virtutibus habet ſe vt materia, & res poſſeſſa reſpectu iuſtitiæ. de hac quæſt. Vide Dianam *part* 4. *tract.3.reſol.*2.

Diana.

5. Poſſeſſor omittens facere quod in ſe eſt, vt veritatem aſſequatur, ſi omiſſio cauſa ſit ne veritas poſſit in poſterum deprehendi, aut ſaltem non tam bene tenetur reſtituere prudentis arbitrio alteri, de quo dubitat, vel eo ignoto, pauperibus, quantum alterius intererat veritatem detegi, plus vel minus, iuxta qualitatem ſpei, quæ erat veritatem aſſequendi. Et ſi poſtquam culpa omiſit debitam diligentiam appareat rem eſſe alienam, tenetur ex tunc fructus reſtituere: quia ex tunc ob diligentiæ omiſſionem, fuit poſſeſſor malæ fidei. Tum quia ea omiſſio fuit iniuſta, & eſt veriſimile damnum intuliſſe, cùm probabile ſit diligentia adhibita fore, vt dominus compareret. Ita Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp.* 36. & alij.

Molina.

6. In æquali dubio iuris vtriuſque partis, tenetur iudex poſſidenti fauere, nec ipſum poteſt cogere vt partem reſtituat: quia in hoc dubio poſſidens habet ius retinendi: ſi neuter poſſideat, reſtituenda eſt res inter eos, de quibus dubitatur cuiuſnam ſit. Si autem dubium æquale non ſit inter eos, diuidenda eſt res iuxta dubij proportionem. Si verò res indiuidua ſit, vt ſeruus, ſorte eſt alteri applicanda, vel vni res, alteri verò æſtimatio, & hoc vtriuſque conſenſu definiendum eſt. Quia cùm ius vtriuſque æquale ſit, non eſt cur potius huic ſeruus, illi verò æſtimatio detur. Ita Salon 2. 2. *quæſt.* 61. *tract. de domino ad finem.* Petrus Nauarra *lib.4. de reſtitut. cap.* 2. *in* 2. *edit. dub.*8. *num.* 50. Arragon 2. 2 *q.*62 *art.*5. *in ſolut. ad* 3 Cajetanus *ibidem.* Vide quæ diximus de hac quæſtione *tom.* 1. *verb. Reſtitutio*, 2. *num.*4. *& ſequent.*

Salon. P. Nauarra. Arragon. Gratian.

7. Dubium aut quæſtio facti dicitur, quæ eſt circa facti aut cuiuſcumque operis naturam, conditionem aut modum. Factum in dubio non præſumitur, ſed demonſtrari debet, vt colligitur ex *l. in bello* §. *facta, ff. de captiuis.* Cui affine eſt quod dicitur in *l* 2. *ff. de probation.* Et incumbit probatio qui dicit, ſeu affirmat aliquid factum, non qui negat. Niſi præſumptio potiùs ſit pro affirmante, factum aliquid fuiſſe. Iuxta alteram regulam: ***Factum in dubio præſumitur ſi illud de iure faciendum erat.*** Quia magis eſt, vt exiſtimemus aliquem munus ſuum rectè obiiſſe; atque in eo quod egit nihil neceſſarium omiſiſſe: Delictum & defectus non præſumitur, ſed demonſtrari debet. Exinde reſoluuntur ſequentes caſus.

In dubio, num votum Deo feceris, vel homini aliquid promiſeris, non debes cenſeri obligatus: nam factum in dubio non præſumitur, ſed demonſtrari debet: & ſpeciatim in hoc caſu vinculum, ſiue obligatio voti & promiſſionis aſtruenda non eſt, niſi liquido cognoſcatur. Vnde regula fori externi, quod ***nemo ſoluere cogitur, antequam monſtretur eſſe debitor***, etiam in hoc animæ iudicio locum habere debet. Neque eſt omnino improbabile, non obligari voto neque promiſſione, etiamſi magis quis inclinaret in eam partem, quòd vouiſſet vel promiſiſſet, dum tamen incertus manet. Ita Sanchez *lib.* 1. *cap.*10. *num.*36. Eman. Sà *verb. Dubium, num.*2. Sotus *de iuſtit. lib.7. quæſt.3. art.*2 *document.*2. Tum quia in his caſibus nulla ſit poſſeſſio pro voto vel promiſſione, ſed tota pro voluntatis libertate.

Sanchez. Eman. Sà. Sotus.

Si dubium ſit, num pubes fuerit adoleſcens, cum Religionem vouit, à patre vel tutore votum irritari poteſt: nam hæc ætatis mutatio eſt quid facti quod non præſumitur, niſi probetur.

8 Regula, ex qua dignoſci valeat quis poſſideat, vt inde ſciri poſſit, cuius ſit potior conditio ad obligationem inducendam, eave liberandum, hæc eſt.

Attendendum eſt in hoc dubio, pro quo ſtet in foro externo præſumptio, & dum non conſtat de veritate, ea pars, pro qua eſt præſumptio, cenſebitur poſſidere & prævalebit in vtroque foro. Quare ſi præſumptio fori externi ſtet pro obligatione, tenebitur voluntas: ſi autem ſtet pro voluntatis libertate, non tenebitur. Probatur, quia iura nihil abſque iuſta cauſa præſumunt, ne præſumptio iniqua, ac temeraria ſit. At ſi in eo dubio obligatio, pro qua ſtat præſumptio, non præponderaret, temerariè & abſque iuſta cauſa præſumeretur. Tum quia præſumptio iuris eſt veriſimilitudo quædam ſufficiens ad rem dubiam credendam: vel eſt probabilis coniectura ex certo ſigno prouenies, quæ alio non adducto, pro veritate habetur, donec aduerſarius oppoſitum probet, in quem id probandi onus transfertur. Ergo dum ſtat hæc iuris præſumptio in eo dubio pro obligatione, nec dubitans poteſt contrarium aſſenſum habere, & ſic ſe exonerare, erit ſuſtinenda obligatio tanquàm vera. Exempla ſunt. Quando olim ſponſalia in matrimonium tranſibant copula habita animo coniugali iuxta *cap. Is qui fidem, de ſponſal.* ſi dubius erat ſponſus, an animo coniugali, an potiùs fornicario acceſſerit, ſtandum eſt in vtroque foro præſumptioni fori externi animum coniugalem præſumentis, & ita verum eſſe matrimonium.

Item, nemo dubitabit filium habitum ex coniugata habitanti cum viro, quantumuis adultera & alterius concubina ſit, cenſeri in dubio habitum ex viro, ac proinde legitimum in vtroque foro illius hæredem: eo quòd ius in eo euentu ita præſumit, niſi contrarium probetur.

Item quando dubia eſt teſtatoris voluntas, ſeruanda eſt in vtroque foro præſumptio fori externi: atque ita dum in eo valor legati præſumitur, nec id compenſari cum alio debito teſtatoris erga legatarium, poteſt tuta conſcientia legatarius capere id legatum, ac ſuum debitum recuperare. Hanc regulam tradunt Sotus *de iuſtit. lib.7. quæſt.3. art.*2. Arragon 2. 2. *quæſt.* 88. *art.*9. *notab.* 2. Menochius *de præſumpt. lib.4. præſumpt.*83. *num.* 62. Molina *de iuſtit. diſp.* 196. Sanchez variis in locis, *lib.*1. *de matrim. diſp.* 18 *num.*6. & *lib.*5. *diſp.*3. *num.*15. Et *lib.*1. *moral. cap.*10. *num.*13. & alij.

Sotus. Arragon. Menoch. Molina.

9. Dubium aliud eſt iuris, & aliud facti. Dubium iuris dicitur, quod eſt de obligatione, aut facultate legitima agendi, vel de legitimo actus valore. Diuiditur in merè ſpeculatiuum, ac practicum. Dubiũ iuris merè ſpeculatiuum cenſetur, in quo directè non quæritur de praxi, id eſt, humana actione, vtrum ea licita ſit nec ne, ſed de quodam alio legitimo: v.g. vtrum teſtamentum ſit legitimum? vtrum bellum ſit iuſtum, &c. Dubium iuris practicum, eſt, in quo directè quæritur de praxi, ſeu actione morali, num ea licita ſit: & hoc dubium quoddam eſt generale & abſtractum, vt cùm dubitatur, an liceat die Feſto bellare, piſcari, &c. Alterum eſt dubium practicè practicum, cùm in particulari dubitatur, an hic & nunc mihi liceat die Feſto bellare, piſcari, &c.

Dubium facti dicitur, in quo dubitatur, vtrum aliquid

aliquid factum sit, necne, v. g. vtrum votum editum? vtrum baptismus homini collatus, &c. Ex dubio facti plerumque oritur dubium iuris: v. g. dubitans an votum emiserit, mox dubitare incipit, an eo obligetur. Similiter ex dubio iuris mere speculatiuo sæpe oritur dubium practicum, vel bi grana, dubitans vtrum matrimonium à se contractum fuerit validum, mox dubitare incipit, num eius vsus licitus sit, nec ne. Huius distinctionis auctor primus Caietanus *opuscolo 17. responsionum, responſ. 13. dub. 7.* & *3. 2. quæſt. 57. art. 5. ad 3.* & postmodum multi Doctores eam amplexati sunt, vt Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 41. num. 4.* & *lib. 1. moral. c. 9. num. 3.* Nauarrus *in man. prælud. 9. num. 9.* Couarruuias *reg. poſſ. ſor part. 2. §. 7. num. 5.* & alij.

Caietan. Sanchez. Nauarrus. Couar.

10. Quidam sentiunt in dubio de iustitia belli posse militem bellare, siue sit subditus Principis bellum indicentis, siue non. Ratio est, quia dum de iustitia belli clarè non constat, nec de iniustitia, semper præsumendum est pro Principe bellum indicente. Tum quia aduocatus etiam in causa dubia vtrius parti patrocinari potest, & famulus seruire potest domino exercenti contractus speculatiuè dubios. Tum quia quamdiu miles etiam extraneus seu voluntarius certus non est de iustitia belli, non peccat, imò tenetur cogitare Regem illum iustitiam habere, aliàs peccato temerarij iudicij esset obnoxius, cùm condemnet eum, quem sine certis indicijs iniustè bellare existimat, in dubio enim peccato proximi, etiam mihi non Superioris, non licet certam ferre sententiam de malo, atque peccato. Vnde quamdiu dubitatio probabilis manet, de neutra exercitus parte possum iustè iudicare, sed cogitare teneor, vtrumque iustè bellare in sua mente, laborareque ignorantia probabili, quia scilicet vterque videtur ius habere & iustitiam. Ita probabiliter Petrus Nauarrus *de reſtitut. lib. 2. cap. 3. part. 2. dub. 12. numer. 260.* Salas *prima ſecundæ, quæſt. 21. tract 8. diſput. 1. ſect. 26. numer. 272.* Suarez *tract. de charitate, diſput. 13. ſect. 6. num. 11.* & *12.* Vbi pro firmanda hac opinione, sex validissimas rationes adduxit. Communior tamen sententia distinguit, nam si milites sint subditi Principis indicentis bellum, possunt in dubio de iustitia belli ad bellum procedere: secus autem si non sint subditi. Ratio est, quia in dubio, & vbi contrarium apertè non constat, subditi licitè acquiescunt sui Superioris iudicio: cæteri verò, qui non sunt subditi, communi lege tenentur ad examinandam honestatem actionum, quas aggrediuntur. Ita Syluius *2. 2. quæſt. 40. art. 1. quæſt. 4. concl. 5.* & *6.* Malderus *ibidem dub. 3.* Sanchez *lib. 6. moral cap. 4. num. 15.* Diana *part. 4. tract. 3. reſol. 7.* & alij multi penes ipsos.

P. Nauarra. Salas. Suarez. Syluius. Malderus. Sanchez. Diana.

11. Quando dubium est de legitima Prælati potestate, v. g. si dubitetur, an legitimè electus vel confirmatus sit, & nondum est talis in possessione superioritatis, tunc licet ei non obedire, donec certò id constet; quia cùm talis non possideat, standum est pro libertatis possessione: imò denegari posset possessio donec de legitima actione, aut confirmatione constaret.

Quando autem esset in possessione Superioritatis, non potest ob solum dubium spoliari legitima possessione, denegando ei obedientiã, donec certus sit defectus. Sicut coniux dubitans de valore sui matrimonij, dubitat etiam an alter habeat potestatem in suum corpus; & tamen quia alter habet legitimam possessionem, nequit ipsum ea spoliare denegando illi debitum ob id dubium, donec id sibi certum sit. Ita Sanchex probabiliter *lib. 6. moral. cap. 2. num. 29.* Non est tamen improbabilis contraria sententia asserens, quando dubitatur de legitimi Superioris potestate, non teneri subditum obedire: idem dicendum quando adsunt diuersæ opiniones probabiles: quia subditus tunc habet obligationem obediendi Prælato, quando Prælatus habet ius & potestatem præcipiendi, sed in casu est dubium de eius potestate legitima Ita Vasquez *1. 2. quæſt. 19. art. 6. diſp. 52. cap. 6.* Salas *1. 2. q. 21. tract. 8. diſput. vnic. ſect. 8. num. 78.*

Vasquez. Salas.

12. Qui dubius est, an votum emiserit habens vsum rationis, tenetur ad votum, quando dubium oritur ex deliberationis defectu ob aliquam animi perturbationẽ, vel ob metum mortis ex morbo aut ob iracundiæ calorem: Ratio est, quia in his casibus rarò contingit defectus deliberationis requisitæ, & ideò ex communiter accidentibus præsumitur deliberationem debitã adfuisse, & in dubiis tutior pars est eligenda, Ita Suar. *de relig. tom. 2. lib. 4. c. 6. n. 10.* & alij. Quando autem defectus deliberationis oritur ex tenera vouentis ætate, & vouens septennium expleuerat tempore voti emissi, iuxta quosdam præsumendus est in eo dubio vsus rationis, ac proinde obligabit votũ, seu iuramentum: si autem nõ expleuerat, præsumitur defectus vsus rationis, nisi de illo constet, ac proinde non obligabit. Quod si dubium sit an expleuerat, vel ne, in vtri fauorem præsumendum est: quia de illo constat, excusatio autem dubia est. Ita Sanchez *lib. 4. moral. c. 1. n. 14.* Quamuis contraria sententia Soti *de iuſtit. lib. 7. q. 3. art. 2. document. 1.* Diana *p. 4. tr. 3. reſol. 11.* & aliorum sit etiam probabilis, nempe dubitantem puerum de rationis vsu dum vouit, minimè voto teneri. Cæterum quamuis ex vi circumstantiæ ætatis votum factum post septennium præsumatur validum, quia præsumit ius tunc vsum rationis: Nihilominus tot esse possunt in contrarium coniecturæ, vt præualeant contra præsumptionem ætatis, & tunc votum non obligabit.

Suarez. Sanchez. Soto. Diana.

13. Quando dubitatur an præceptum sit derogatum alio præcepto vel consuetudine, vel sit dispensatum, non licet contra præceptum facere, quia lex possidet. Et idem dicendum quando constat de lege vel præcepto, dubium autem est, an in aliquo casu ratione necessitatis, aut alterius circũstantiæ occurrentis eximatur aliquis ab obligatione, illas tenetur lege vel præcepto, cùm lex possideat. Ita Sanchez *de matr lib. 2. diſp. 41. n. 37.* Suar. *de leg lib. 6. c. 8. nu. 7.* Medina *1. 2. q. 96. a. 6. propoſit. 3.* & alij communiter. Hanc tamen sententiam refert Salas *in 1. 2. tom. 2. tr. 8. diſp vnic. ſect. 25. n. 219.* dicens in hoc casu præceptum vel legem impropriissimè censeri posse dici. Voluntas enim suam libertatem antea possidebat, quã in dubio expoliari non debet, si ea indigeat ad damnum aliquod graue vitandum, & sic limitari debent Doctores, dicentes in dubio præceptẽ circa qualitatem materiæ ipsius orti, seruandum esse præceptum, vel intelligendi sunt in dubio completè practico & strictè sumpto. Hæc ille. Sed ne recedę à communi sententia.

Sanchez. Suarez. Medina. Salas.

14. Quorundam satis probabilis opinio est, in dubiis non esse locum Epicheiæ, sed seruanda esse verba legis, vt sonant: quia ipsa lex possidet, & propter dubium non debet sua possessione priuari. Epicheia namque cùm virtus sit, non debet iniustè possessorem sua possessione spoliare. Iniustum enim esset Epicheiam dictare ius dubium præferendum esse iuri certo. Et consequenter dictare non potest, legem aliquam certò positam existente dubietate, num se extendat ad aliquem casum, debere cessare, spoliando illam sua possessione, & introducendo hominem in possessionem libertatis. Ita Sancius *in ſelectis diſp. 43. num. 8.* Suar. *de legib. lib. 6. cap. 8. numer. 10.* Sanchez *de matrim. lib. 2.*

Sancius. Suarez. Sanchez.

Digitized by Google

Sotus. *lib. 2. diſp. 41. num. 37.* Sotus *de iuſtit. lib. 1. quæſt. 6. art. 8.* & alij. Vnde in hoc caſu, iuxta hanc ſententiam, recurrendum eſt ad ſuperiorem, vt declaret ſi voluerit ad illum caſum legem ſuam extendere. Nonnulli tamen arbitrantur non improbabiliter prædictos Doctores eſſe exponendos, quando nulla eſt neceſſitas operandi cum illo dubio, vel quando dubium eſt completè practicum & ſtrictè ſumptum: contra tale enim dubium non licet agere, ſecùs in dubio ſpeculatiuo & incompletè practico. Ratio eſt, quia quando dubito rationabiliter, an Superior velit me obligare, poſſum ſequi partē minus tutam ad vitandam notabilem incommoditatem: Æquitas enim & Epicheia ſuadet temperandum legis rigorem in dubio, iuxtā præſumptam intentionem legiſlatoris: quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis innocentiam ſuam. Ita Henriquez *lib. 14. cap. 3 num. 3. in gloſſ. lit. X.* & poſt illum Salas *in 1. 2. tom. 2. tract. 8 diſp. vnic. ſect. 25. num. 160.* Pro hac ſententia citatur etiam Sylueſter *verb. Papa. q. 16. dict. 2.* vbi ait. Interpretari præcepta in manifeſtis pertinet ad omnes: in dubiis verò ad Superiores, quod limita, ſi commodè poſſint haberi: aliàs ſecus: vt cùm in repentinis periculum eſt in mora. *Et verb. Diſpenſatio, quæſt. 4.* ait. Dico, quod in legibus diſpenſare, vel eas interpretari pertinet ad quemlibet in neceſſitate ſubitò occurrente: præcipuè cùm ad ſuperiorem recurſus haberi non poteſt, *cap. ſi ergo 1. quæſt. 1.* quia in obſeruatione legis, aut præcepti maximè ſeruanda eſt intentio ferentis: de qua ſi conſtet, & ſit contraria verbis, obediendum eſt omiſſa literā, *cap. humana 12. quæſt. 5.* Proinde manet hæc ſententia etiam probabilis, quamuis Doctores primæ ſententiæ dicant intelligendos hos poſteriores aſſerentes, in dubiis eſſe locum Epicheiæ, non de dubio æquilibri, ſed de formidine, quando ſcilicet eſt probabile iudicium, licet cum formidine oppoſita.

Henriquez, Salas, Syluest.

15. Quando depoſitarius vel commodatarius dubius eſt an res ſit ſuâ culpâ amiſſa, non tenetur reſtituere: quia cùm delictum non præſumatur, ipſe eſt in poſſeſſione ſuæ innocentiæ. In foro tamen externo, ſi res depoſitarij appareant incolumes, præſumetur in dolo, & ſic depoſitario incumbet onus probandi caſu periiſſe, vel non potuiſſe ſimul ſeruare res ſuas & depoſitas, ob imminens incendium vel ex alia ratione, maluiſſeque res ſuas ſeruare, quàm alienas, tunc enim ceſſaret dicta præſumptio de dolo, etiamſi res ſuæ viliores eſſent. Ita Sanchez *de matr. lib. 2. diſp. 41. n. 18.* Leſſius *lib. 2. c. 27. dub. 3. in fine*, Henriquez *lib. 14. c. 15. in fine* & alij.

Sanchez. Leſſius. Henriquez.

16. Dubius an promiſerit ſolùm ingredi Religionem, aut profiteri, non tenetur ex vi voti perſeuerare in Religione. Ratio eſt, quia quando poſſeſſio non ſtat pro verbis voti, tenetur vouens in dubio ad id quod minus eſt: vt v. g. ſi quis certus eſt ſe promiſiſſe caſtitatem, aut temporalem, aut perpetuam, & eſt omninò verborum immemor, ſed tātùm certus eſt ſe alteram promiſiſſe, ad ſolam temporalem, quæ minus eſt, tenetur. Similiter quis dubitat, an promiſerit omnimodam caſtitatem, an coniugalem ſolam, tenetur ad hanc, quæ minor eſt. Item quando quis eſt certus ſe vouiſſe caſtitatem, aut Religionem, vel inter duas Religiones, an ſtrictiorem, aut minus ſtrictam; dubitat autem vtram harum partium vouerit, tenetur ad minorem. Probatur, quia quod iuris eſt de toto quoad totum, idem iuris eſt & debet eſſe de parte quoad partem, *l. Qua de tota, in princip. ff. de rei vendicat.* Sed quando eſt dubium an totum votum emiſſum ſit, nec eſt poſſeſſio aliqua pro voto, iudicādus eſt à toto quis liber. Ergo quando dubitat de parte grauiori, cenſendus eſt ab ea liber. Prætereà, quia in hoc dubio reputatur votum quaſi rei indeterminatæ, in quo euentu ſola minor pars obligat. Tum quia voti interpretatio ſtrictè facienda eſt, vt in quantum fieri poteſt; minùs obliget. Ita Sanchez *lib. 4. Moral. cap. 13. num. 17.* & *cap. 16. num 86.* Diana *part. 4. tract. 3. reſol. 36.* Quamuis Nauarrus, Rodriguez, & Azorius apud eumdem Sanchez aſſerant abſolutè in dubio voti amplectendam eſſe partem tutiorem, ne ſe quis infringendi voti periculo exponat.

Sanchez. Diana. Nauarrus. Rodriguez, Azorius.

17. In dubio, ſi quis caſtitatem & Religionem vouerat; iuxta Nauarrum, tenetur eligere partem tutiorem & reputare ſe obligatum ad caſtitatem independenter à Religione. Ita docet *lib. 3. conſil. tit. de voto, conſil 13.* Sed melius eſt diſtinguendum. Si hic recordetur verborum, ſiue interiùs, ſiue exteriùs prolatorum, iudicandum eſt in dubio, iuxta communem illorum intellectum, quare ſi in eis expreſſa ſint caſtitas & Religio abſolutè, cenſebitur caſtitas promiſſa principaliter & per ſe, ac independenter à Religione. Ratio eſt, quia cùm in dubio intentionis ſint vota diiudicanda iuxta communem verborum ſenſum, hęc pars poſſidebit in hoc dubio. Si verò ſola Religio expreſſa ſit, & dubitat vouens, an ſe quoque voluerit ad caſtitatem obligare, tunc tenetur ad id quod minus eſt, & cenſendus non obligatus vllo modo ad caſtitatem. Ratio eſt, quia nulla eſt poſſeſſio pro illa, ſed tota pro voluntatis libertate. Si verò quamuis ſola Religio expreſſa ſit, meminit ſuæ intentionis fuiſſe ſe obligare quoque ad caſtitatem: dubitat tamen an dependenter à Religione, an independenter, iudicanda eſt obligatio dependenter à Religione: Quia non tenetur vouens ſequi ſemper quod tutius eſt: & in hoc dubio non videtur poſſeſſio pro voto caſtitatis independenter à Religione; imò cum hac dependentia: cùm ſola Religio expreſſa ſit, & quando quis intendit ſe ad vtrumque velle obligare principaliter, ſolet vtrumque exprimere. Si verò conſcius huius intentionis, nō meminit prorſus verborum, aut ea dubia eſſent, teneretur ad caſtitatem independenter à Religione, quia cùm intētio ſit certa, eſt quoque certa obligatio ad caſtitatem. At limitatio vt ſit dependenter, eſt dubia, & nulla eſt verborum poſſeſſio pro illa. Et ideò poſſidet obligatio abſque limitatione. Ita Sanchez *lib. 4. moral cap. 16. num. 114.* & poſt illum Diana *part. 4. tract. 3. reſol. 42.*

Nauarrus. Sanchez. Diana.

18. In dubio de valore voti, non cenſetur reſeruatum, quomodocumque dubium illud oriatur, ſiue quia non ſunt cōiecturæ ſufficientes, ſiue quia ſunt probabiles rationes ad dubitandum. Ratio eſt, quia cum reſeruatio ſit odioſa, reſtringenda eſt ad caſus certos. Vnde poteſt Epiſcopus diſpenſare, quando votum eſt emiſſum ex metu cadente in virum conſtantem. Idem dicendū quoties dubitatur an votum ſit reſeruatum. Item qui certus eſt ſe vouiſſe caſtitatem, ſed dubitat an habuerit animum ſe obligandi, etſi teneatur ſeruare votum, tamen illud non eſt reſeruatum. Item cùm dubium ſit an vota pœnalia & conditionalia ſint reſeruata, ſequitur ratione eius dubij poſſe in eis Epiſcopum diſpenſare, etiam purificata conditione & commiſſo delicto. Ita Pontius *de matrim. lib. 8. cap. 9. num. 14. 15. & 16.* Suarez *lib. 6. de voto cap. 26.* Sanchez *lib. 4. moral cap. 40. n. 26.*

Pontius. Suarez. Sanchez.

19. Quando dubitatur, an quis propoſitum ſolum aliquid faciendi habuerit, an potiùs votum ediderit, quatuor regulæ traduntur. *Prima* eſt, ſi paulò vel aliquantò poſtquam quis ſtatuit aliquid facere, dubitat, an voluerit ſe obligare, an tantùm proponere, poteſt probabiliter exiſtimare ſe non promiſiſſe: quia non ſolent homines tam citò obliuiſci huiuſmodi voluntatis, *Secunda*, Si hic habuit animum non exequēdę rei promiſſæ, poteſt probabiliter æſtimare

ſe

ſe non habuiſſe verum promittendi aut ſe obligandi animum: quia rarò contingit propoſitum, ſe obligandi ſimul cum propoſito non exequendi. Et ideò vbi de hoc conſtat, illud autem eſt dubium, poteſt in hoc dubio ex communiter contingentibus conijci defuiſſe animum quoque obligandi. *Tertia*, ſi verba, quæ quis mente aut ore protulit; non indicant ſuapte natura promiſſionem, ſed propoſitum; vt faciam hoc, iudicandum eſt in dubio intentionis ſolum propoſitum: quia cùm verba non indicent votum, nulla in hoc dubio eſt poſſeſſio pro voto: limita, niſi verba illa enunciarentur aut mente, aut ore per modum cuiuſdam pacti: vt, faciam hoc, ſi feceris illud, cùm pactum contineant, idem important, quod promitto me facturum, ſi feceris, *l. 1. de pactis, l. naturaliter, ff de præſcript. verb.* *Quarta*, Quando quis certus eſt de promiſſionis verbis, & omnibus circumſtantiis perpenſis eſt æquè dubium, an is animum ſe obligandi habuerit, vel an ſciret inde obligationem conſurgere, tenetur hic voto. Si autem rationes vtrimque ſint reddentes vtramque partem probabilem, etiamſi probabilior ſit, quæ ſuadet fuiſſe votum, integrum eſt parti minus probabili adhærere, reputando ſe voto non obligatum. Si autem non aſſenſus, ſed ſola ſuſpicio ſit non adfuiſſe animum ſe obligandi, præponderat præſumptio pro verbis promiſſionis exiſtens, vt ſic obliget. De his vide Valentiam *2.2. diſp. 6. q. 6. punct. 1. verſ. ſequitur tertiò*, Nauarr. *lib. 3 conſil. tit. de voto, conſil. 5. n. 3.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 1. num. 32. & ſequent.*

Valentia. Nauarrus. Sanchez.

20. Quando res determinata in ſingulari promittitur, at dubium oritur ex eo quod plures eiuſmodi res ſint, nec determinatur quæ danda ſit, datur electio vouenti: quia non eſt potior ratio de vna, quàm de alia. Atque in ſimili de promiſſione facta homini decernitur, *l. Qui ex pluribus, ff. de verb. obligat.* Quod ſi vouens ante voti executionem obeat, hæredis erit electio. Vnde altera ex illis rebus pereunte, diuidenda eſt remanens inter eum, cui promiſſio eſt facta & promiſſoris hæredes: quia obligatio promiſſionis non cadit in vtramque rem, ſed cadit ſuper vnam earum ſolam, ignoratur verò quæ illarum ſit. Et ideò quæ ſupereſt, venit diuidenda. Idem dicendum eſt de voto, ſi vouens in ſimili eſſet dubio: re enim altera ex illis perempta, teneretur illam diuidere. Ita Molina *tract. 2. de iuſtit. diſp. 270. verſ. Quando res vna.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 13. num. 19.*

Molina. Sanchez.

21. Controuertitur inter Doctores, an in dubio de valore matrimonij, liceat coniugibus deponere dubium ſpeculatiuum, nec practicè dubitare; ratione poſſeſſionis, quæ eſt pro matrimonio, & ita reddere & petere debitum. Quorumdam ſententia eſt, nec reddere, nec petere poſſe: quia agere contra conſcientiam dubium eſt illicitum. Tum quia hic exponit ſe manifeſto fornicationis periculo ſi non ſit ſua vxor. Ita *Adrianus, Medina, Petrus Soto* & alij. Secunda ſententia docet, dubitantem de matrimonij valore bona fide contracti, non poſſe petere, teneri tamen reddere. Ratio eſt, quia cum nullus poſſit eſſe perplexus vinculo peccati ad vtramque partem, ſi neceſſarium eſt alterum eligere, poteſt licitè id facere, ratio autem rectè dictat vt minus eligatur: Hinc dubitans tenetur reddere: quia periculum maioris mali eſt in non reddendo, quàm in reddendo: maius enim peccatum eſt contra matrimonij fidem, debitum negare, quod eſt iniuſtitia, ſi talis ſit verus coniux, quàm fornicatio quæ caſtitati aduerſatur, ſi non ſit verus coniux; ergo in hoc dubio eligendum eſt minus malum reddendo debitum. Eadem ratione probatur non poſſe petere: quia ex petitione debiti imminet fornicationis periculum; ſi non ſit verus coniux; ex non petitione autem nullum, cùm liberum ſit petere, ergo tenetur eligere non petere. Hæc ſententia eſt probabilis, quam ſuſtinent D. Thomas *in 4. diſt. 38. in fine*, D. Bonauentura, *ibidem*, D. Antoninus *3. part titul. 1. cap. 9.* & alij quamplurimi. Tertia ſententia, quæ eſt probabilior, ait ante diligentiam adhibitam ad allequendam veritatem, teneri coniugem dubitantem reddere, non tamen poſſe petere: ea tamen ſufficienter adhibita, poſſe reddere & petere. Prior pars probatur rationibus præcedentis ſententiæ: & inſuper, quia generaliter dubitans an res ſit ſua, quamuis eam retinere poſſit, non tamen poteſt ea vti, donec inquirat veritatem; ergo in hoc caſu non poterit coniux dubitans vti matrimonio, hoc eſt debitum petere donec diligentiam adhibeat. Poſterior pars probatur; quia poſſeſſor bonæ fidei ſi dubitat rem eſſe alienam & facto ſufficienti examine, nequit dubium vincere, poteſt non tantùm rem detinere, ſed etiam illa vti: Ergo coniux dubitans, ſi præmiſerit ſufficiens examen & adhuc dubius maneat, poterit vti matrimonio, petendo & reddendo. Authores huius opinionis vide *tom. 1. verb. Debitum coniugale 1. num. 17. & 18.*

D. Thom. D. Bonau. D. Antonin.

22. Cum vterque coniux dubitat de valore matrimonij bona fide à ſe contracti, illicitè petit, nec tenetur, nec poteſt alter reddere, quando nouit petentem eſſe dubium de valore matrimonij, & nondum adhibitam eſſe diligentiam ad illud vincendum. Ratio eſt, quia diligentia non præmiſſa, poſſeſſio in dubio non confert ius vtendi re; ergo coniux tunc petens, perit id, ad quod nullum ius habet & ad quod poſſeſſio non ſuffragatur; ergo alter nequit reddere: tota enim ratio ob quam tenetur reddere, eſt, quia alter petit ſibi debitum ratione poſſeſſionis, ne periculo iniuſtitiæ debitum negando exponatur; cùm ergo in hoc caſu non petat ſibi debitum, nec faueat poſſeſſio, & negando nulla ſit iniuſtitia, & ex altera parte reddendo ſit periculum incontinentiæ, tenetur non reddere ante adhibitam diligentiam. Diligentia autem adhibita poteſt vterque petere & reddere: quia iam poſſeſſio infert ius ad omnem vſum. Ita Sanchez *de matrim. lib. 2, cap. 41. num. 55.* Quamuis quidam affirment teneri alterum reddere illicitè petenti; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, vterque autem in hoc dubio poſſidet. Ita *Cordub. Henriquez*, vterque *Ledeſma, Lopez* & alij citati à Sanchez *num. 54.* qui *num. 57.* ad rationem in contrarium dicit, eſſe quidem meliorem conditionem poſſidentis in eo dubio, ne vxore ſpolietur, non tamen vt habeat ius vſus matrimonij, donec impendatur debita diligentia ad veritatem aſſequendam.

Sanchez. Corduba. Henriquez. Ledeſma. Sanchez. Lopez.

23. Quando vterque coniux contraxit matrimonium dubius de morte prioris coniugis, neuter poteſt vti matrimonio, nec petendo, nec reddendo. Ratio eſt, quia ſicut cum aperta prioris coniugis iniuria illi matrimonium contraxerunt, ſpoliando eum in dubio ſua poſſeſſione, quæ pro eo ſtabat (tam diù enim ſemel habita poſſeſſio pro eo ſtat, quamdiu non conſtat ipſum ea iure ſpoliatum) ita etiam cum eiuſdem iniuria eo vtuntur. Tum quia neutri ſuffragatur poſſeſſio mala fide incepta. Ita Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 11. numer. 5 fine & cap. 15. numer. 13.* Coninck *de Sacram. diſput. 34. dub. 10 num. 103.* Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp. 42. num. 8.*

Henriquez. Coninck. Sanchez.

Vide verb. Abuſus *num. 2.* Eleemoſyna *num. 5.* Excom. *6. num. 17, 18.* Horæ Canonicæ *1, num. 10.* Immunitas Eccleſiar. *numer. 19.* Irregularitas *1. num. 27.* Iudex *num. 5.* Lex *2. num. 19.* Matrim. *2. num. 38.*

num.38. Mutuum num.34. Peccatum num.8. Priuilegium num.16. Profeſſio num.12. Religio n.15. Reliquiæ Sanctorum num.12. Reſtitutio num.19. Reus num.4. Sacramentum num.11. Teſtis num.7.

E.

ECCLESIA.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſia noui teſtamenti quæ ſit?*
2 *Eccleſiæ proprietates fide credendæ ſunt quatuor.*
3 *Eccleſia vt differat à Synagoga Iudæorum.*
4 *Eccleſia nomen in ſcriptura Sacra, vt diuerſis conuocationibus tribuatur.*
5 *An Romana Eccleſia ſit Eccleſia vniuerſalis?*
6 *In Eccleſia Dei tria Chriſtianorum genera aſſignantur. Et Chriſtianorum ſtatus diuiditur in clericalem, religioſum & laicalem.*
7 *An Eccleſia authoritatem ſupremam habeat in terris?*
8 *An Eccleſia poſſit errare circa fidem & doctrinam morum?*
9 *An Eccleſia viſibilis poſſit deficere?*
10 *Quænam ſit poteſtas Eccleſiæ ſpiritualis & externa?*
11 *An Eccleſia iudicet de ſcriptura libris, qui veri ſunt, aut non veri.*
12 *Vt Eccleſia ædificetur, an requiratur licentia Epiſcopi.*
13 *An præter licentiam Epiſcopi requiratur etiam licentia Summi Pont. in erigendis Monaſteriis, & Eccleſiis regularium.*
14 *Varia priuilegia Summorum Pont. conceſſa regularibus circa conſtructionem nouorum Monaſteriorum referuntur.*
15 *Omnia priuilegia & conceſſiones erigendi nouos conuentus & Monaſteria reuocauit Sacra Congregat. Eminent. Cardin. & Vrbanus VIII. non ſeruata forma Bullæ Clementis VIII.*
An licentia ordinariorum ſit neceſſaria quando volunt regulares ampliare ſua Monaſteria?
An Eccleſia ſeu Monaſterium poſſit mutari de vno loco in alium, ſine licentia Papæ & Diœceſani?
An Bulla Clementis VIII. de non danda licentia mendicantibus ædificandi noua Monaſteria, comprehendat hoſpitia?
An Ordinarius concedere poſſit licentiam conſtruendi noua Monaſteria abſque cognitione cauſæ?
16 *Eccleſias conſecrare, an ſolus Epiſcopus de iure poſſit? An ſimplex Sacerdos ex commiſſione Summ. Pontificis?*
17 *Quis Epiſcopus conſecrare poſſit Eccleſias regularium exemptorum? Quando Eccleſia cenſeatur polluta, & quis poſſit eam reconciliare? Remiſſiuè.*
18 *Eccleſia, an poſſit agere contra ſuum Prælatum, malè adminiſtrantem?*

1. ECCLESIA eſt Cœtus vniuerſalis hominum baptizatorum, vna fidei profeſſione & Sacramentis ſenſibilibus Chriſto capiti adhærentium, & ſub Vicarij Chriſti & legitimorum Paſtorum ordinato regimine militantium. Dicitur **Cœtus vniuerſalis**, exinde enim vocatur Eccleſia Catholica. Dicitur, *Hominum baptizatorum*, quia baptiſmus eſt ianua Eccleſiæ, & per baptiſmum incipit homo Chriſto incorporari, vt in eo viuat: Hinc per hanc particulam excluduntur ab Eccleſia noui teſtamenti omnes qui non ſunt baptizati, vt Iudæi, Gentiles, Pagani, Turcæ & alij infideles, imò & Catechumeni, quamdiu baptizati non ſunt. Dicitur, *vna fidei profeſſione & Sacramentis ſenſibilibus*, ad excludendos omnes hæreticos, qui errore aliquo pertinaci ab vnitate veræ & vniuerſalis fidei ſe ſeparârunt. Etſi enim ratione Baptiſmi ad Eccleſiam aliquo modo pertineant, ita vt ab erroribus reſilire, ab Eccleſia cogi poſſint; illi tamen ſua malitia ſe ſeparauerunt, & tanquam mortua membra reſciſſi ſunt. Dicitur, *& Sacramentis ſenſibilibus*, iſtis enim tanquam ſymbolis diſtinctiuis & ſignis viſibilibus gratiæ, viſibilis Eccleſia noui teſtamenti inſignita eſt. Dicitur, *Chriſto capiti adhærentium*. etſi quoad perfectionem intelligatur de perfecta cum Chriſto vnione, tamen Chriſtiani, qui fidem retinent integram, quantumuis peccatores, quamdiu iuſtâ ſententiâ Eccleſiæ per excommunicationem non reſcinduntur, intra Eccleſiam permanere, & Eccleſiæ corpori adhuc adunati cenſentur. Dicitur, *ſub Vicarij Chriſti & legitimorum Paſtorum ordinato regimine militantium*. Per hanc particulam excluduntur ſchiſmatici, qui etſi in fidei vnitate videantur Eccleſiæ adhærere, quia tamen Chriſti Vicarium non agnoſcunt, conſequenter ſe à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia ſeparant, & tunicam inconſutilem ſcindunt.

2. Eccleſiæ proprietates fide credendæ ſunt quatuor, nimirum, quod ſit *Vna, Sancta, Catholica & Apoſtolica*. Vnitas Eccleſiæ in tribus potiſſimum conſiſtit. *Primò*, In vnitate capitis perpetuò & indefectibiliter in corpus totum & membra influentis. *Secundò*, In membrorum ſingulari connexione & harmonia conſonante, tam reſpectu capitis, quàm ad inuicem. *Tertiò*, In eo, quòd in vnum & eundem finem omnia membra conſpirent.

Eccleſia vocatur *Sancta* diuerſis titulis *Primò*, quia per baptiſmum Deo conſecrata. *Secundò*, quia velut corpus & ſponſa Chriſto coniuncta. *Tertiò*, quia in illa ſola datur remiſſio peccatorum, ſiue per baptiſmum, per quem omnes fideles ſanctificantur, ſiue per pœnitentiam, per quam peccatores ad ſanctitatem reuertuntur. *Quartò*, dicitur Sancta à doctrina fidei & morum, quia in doctrina fidei & morum errare non poteſt, cùm ſit *columna & firmamentum veritatis* iuxta Apoſtol. 1. ad Timoth. 3. Porrò ſancta vocatur, quia ſupremum ſanctitatis apicem, qui eſt in abnegatione creaturarum & ſuiipſius per ſequelam Chriſti docet.

Eccleſia noui teſtamenti dicitur *Catholica*, quia ex omni ſua conditione vniuerſalis eſt, & vniuerſalitatem habet: quæ à variis ſumitur. *Primò*, A loco, quia per vniuerſum orbem ſucceſſiuè diffuſa eſt. *Secundò*, ab omni hominum conditione, quia nullus ab illa excluditur. *Tertiò*, ab vniuerſalitate temporum. Illa enim provt cœpit ab Adam ſiue Abel iuſto, omnes mundi ætates percurrit: quæ autem eſt noui teſtamenti vſque ad conſummationem ſæculi in terris conſeruanda eſt. *Quartò*, ab vniuerſalitate doctrinæ fidei, & neceſſariorum ad ſalutem. Denique Eccleſia dicitur vniuerſalis, quia vniuerſæ naturæ humanæ ſanandæ congrua continet in ſe remedia Sacramentorum & aliorum auxiliorum & opitulationum.

Eccleſia dicitur *Apoſtolica* variis de cauſis. *Primò*, quia ſuper Petro & Apoſtolis fundata eſt

Secundò,

Secundò, quia per illos initiata est prædicatio Euangelij, & ipsi velut primitiæ Euangelij sunt facti, vel primos Christianos vt primitias Ecclesiæ acquisiuerunt. *Tertiò*, Quia tota dispositio, dispensatio, administratio, &c. Ecclesiæ Apostolis commendata fuit. Hæ omnes proprietates seu notæ Ecclesiæ exprimuntur expresse in symbolo Nicæno. Et *vnam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* De quibus vide Bellarminum de Ecclesia militante & de notis Ecclesiæ, & alios apud Lorichium *in Thesauro verb Ecclesia.*

Bellarmin. Lorichius.

3. Ecclesia est nomen Græcum & latinè sonat conuocatio: sicut synagoga est Hebraicum, & latinè sonat congregatio: vnde ecclesiare est conuocare. Et ideò Apostoli Christianum populum semper ecclesiam, & numquam synagogam appellari voluerunt, vt ipsis vocabulis Christianorum fidelitas & discretio, Iudæorumque infidelitas & bestialitas notaretur. Iudæi enim, quia duræ ceruicis populus erat, contineri debuerunt minis grauium pœnarum, & exemplis puniforum à Deo (instar pecudum quę virgis ac fustibus sunt congregandæ cùm opus est) ad cultum Dei adduci, in eoque conseruari. Et hanc velut coactionem sonat vox synagoga. Ecclesia autem significat conuocationem populi, ex amore Dei ac libertate spiritus conuenientis & vniti. Vide D. Augustin. *in Psal.* 81.

D. Augustin.

4. Ecclesiæ nomen in scriptura sacra diuersis conuocationibus seu congregationibus tribuitur. Quarum prima est cuiuslibet ciuitatis, in qua Episcopus & populus fidelis est: vel clerus & populus. Sic Paulus Apost. scripsit Ecclesiæ quæ erat Corinth. 1. *Corinth.* 1. Et Ecclesiis Galatiæ. *Galat.* 1.

Secunda est cuiuslibet Christianæ familiæ in vna domo. Sic D. Paulus salutat domesticam Ecclesiam Aquilæ & Priscæ. *Ad Roman.* 16.

Tertia est omnium credentium Deo, qui fuerunt ab origine mundi & qui erunt inde vsque ad mundi finem: quia omnium vna fides *ad Hebr.* 11.

Quarta est omnium fidelium à tempore Christi, vsque ad finem mundi, de qua Christus ad Petrum. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Matthæi.* 16.

Quinta est Congregatio Rectorum & Prælatorum populi fidelis, de qua Christus *Matthæi.* 18. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, id est Præpositis Ecclesiæ.

Sexta est solorum beatorum in cœlis; quam Apostolus ad Hebr. 12. vocat *Ecclesiam primitiuorum*, qui conscripti sunt in cœlis, & Dauid Psalm. 149. *Ecclesiam Sanctorum.*

Septima, est locus vbi fideles conueniunt, qui aliàs templum appellatur. De eo non solùm D. Paulus 1. Corinth. 11. *Conuenientibus vobis in Ecclesiam.* Sed & Moyses templum Domini vocauit Ecclesiam Domini. *Non intrabit Eunuchus attritis & amputatis testiculis, & abscisso veretro in Ecclesiam Domini.* Deuterou. 23.

5. Cùm Ecclesia vna & Catholica sit, necesse est eam & diffusam esse per vniuersum orbem & quodam vinculo vnitatis contineri. Hoc vinculum est obedientia erga Deum ac Christum, & hunc, quem ipse suo loco in terris, tanquam vicarium, Rectoremque constituit: qui est Summus Pontifex Romanus: Vnde Romana Ecclesia accipitur pro Ecclesia vniuersali & Catholica. Dicitur Romana ex eo, quòd S. Petrus, vt Ecclesiæ caput & Christi vicarius super vniuersum gregem Christi sibi commissum, Cathedram vniuersalem Romæ fixerit, suisque ibidem successoribus reliquerit: hinc Romana Ecclesia non à ciuitate Romana, sed à Petro, qui Romæ Cathedram vniuersalem fixit & reliquit, magis denominari debet iuxta *cap. Quamuis vniuersa, distinct.* 11. Igitur Romana Ecclesia non est nomen sectæ aut ciuitatis singularis, sed est nomen vniuersale, à capite & primatu vniuersali Romæ velut depositio, denominationem accipiens. Nulla est ergo in terris visibilis Ecclesia vniuersalis præter Romanam: quia sine regimine vnius Summi Pontificis Romani impossibile est vnitatem Ecclesiæ conseruari. Cuius assertí euidens demonstratio est, quòd omnes qui ab huius Pontificis regimine se subduxerunt, in varias sectas diuisi sint, & ab vnitate Ecclesiæ exclusi. Plurimum facit ad prædicta probanda, quod Apostolus Paulus de Romanis scripsit, *Ad Roman.* 1 *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* Et *cap.* 16. *Vestra enim obedientia in omnem locum diuulgata est.* Et hæc sufficiant; plura apud Authores cernere licebit qui de Ecclesia Catholica ex professo tractarunt.

6. In Ecclesia Dei tria Christianorum genera assignari possunt. Quidam enim sunt veri Christiani non solo charactere Christiano per Baptismum gaudentes, sed vnitatem fidei & Ecclesiæ sub eadem Sacramentorum & doctrinę communione seruantes; in obedientia Ecclesiæ sub capite vno & Pastorum legitimo regimine perseuerant; quamuis inter illos multi sint infirmi & peccatores. Alij Christiani quidem sunt, quia Baptismo insigniti, tamen ab vnitate fidei, vt hæretici, vel vnitate capitis, vt schismatici, recesserunt, vel gladio excommunicationis ab Ecclesia rescissi sunt.

Alij tandem Christiani participatiuè dici possunt, quia, etsi non verum Baptismum nec characterem susceperint, fide tamen Christo adhęserunt, vt Catechumeni, vel qui per Baptismum sanguinis, aut flaminis Christo coniuncti fuerunt.

Præterea status generalis Christianorum vniuersalis Ecclesiæ diuiditur in *Clericalem*: qui enim in Ecclesia Dei ministeriis & officiis spiritualibus Ecclesiæ sunt deputati & in sortem Domini electi, pertinent ad statum Clericorum. In *Religiosum*. Et est eorum, qui mundo valedicentes se iuxta Euangelica consilia tribus votis solemnibus, Obedientiæ, Paupertatis & castitatis astrinxerunt, & hi vocantur religiosi. In *Laicalem*. Et est eorum, qui temporalibus deputantur & temporalia curant; & hi pertinent ad statum laicorum. Ita S. Dionysius *de Ecclesiastica Hierarchia cap. 6. & 7.*

D. Dionys.

7. Ecclesia authoritatem supremam habet in terris. Probat. quia Christus Dominus noster ei vltimum iudicium tribuit contra quoscumque delinquentes: ita vt qui non audierit eam habendus sit tanquam Ethnicus & publicanus *Matth.* 18. Tum quia cùm Christus Petro Apostolo Ecclesiam suam commendaret; supremam quoque & vniuersalem authoritatem, potestatemque ei contulit, tradens ei claues regni cœlorum, vt quodcumque solueret super terram, solutum sit in cœlis, & quodcumque ligaret super terram, etiam ligatum sit in cœlis. *Matth.* 16. Iuxta *cap. Manet* 24. *quæst.* 1. vbi dicitur, *Manet ergo Petri priuilegium vbicumque ex ipsius æquitate sortitur iudicium, nec nimia sanctitas vel remissio est, vbi nihil erit ligatum vel solutum nisi quod Beatus Petrus aut ligauerit aut soluerit.* Quod caput desumptum est ex D. Augustino *tract.* 50. *ad cap.* 12. *super Ioannem.* Hanc autem authoritatem & potestatem Petri, hæreditauit eius in Romana Cathedra successor, & qui eum in hunc vsque diem legitimè secuti sunt: cùm ea non minus necessaria sit Ecclesiæ Dei quæ nunc est, atque ei quæ erat temporibus Apostoli Petri. Vide *cap. Cuncta per mundum* 9. *quæst.* 3.

D. Augustin.

Bellarmin. *cap. Quodcunque 24. quæst.1.* Bellarminum *tom.1. controuers. gener.3. lib. 2. cap.12. & seqq.*

8. Quandoquidem Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, vt habetur 1. *Timoth.3.* & omnis veritas nitatur auctoritate Ecclesiæ, vt solum verum sit, quod ipsa probet: falsum quod ipsa reprobet. Hinc Ecclesia, cùm sit sancta, non potest errare neque docere aliquid falsum in fide, neque in moribus aliquid iniustum. Probatur: quia Christus, vt caput Ecclesiæ continuè ei adest, eamque gubernat. *Matth.28.* eique dedit Spiritum sanctum, continuum Doctorem omnis veritatis: *Ioannis 16.* Proinde Apostoli in primo suo Concilio decernentes de proposito dubio fidei, concluserunt in hæc verba: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Act.15. Quam conclusionem etiam sequentia Concilia decretis suis meritò addiderunt.

Sed petes, quænam sit ista Ecclesia, quæ errare non potest, & cuius doctrinæ infallibiliter hærendum est? Respondeo. *Primò*, quod est ista quæ dicitur formaliter & verè Ecclesia, & est omnis populus fidelis per totum orbem maximè Deo vnitus per charitatis amorem. *Secundò*, quæ dicitur formaliter & repræsentatiuè: & est Concilium generale legitimè congregatum. *Tertiò* quæ dicitur virtualiter & formaliter simul, & est Ecclesia Romana, quæ est caput omnium Ecclesiarum, virtualiter continens auctoritatem totius Ecclesiæ. *Quartò*, quæ est virtualiter & repræsentatiuè simul, & est Collegium Cardinalium cum suo capite, id est, Summo Pontifice, siue Papa, vt est caput Ecclesiæ, vtens auxilio siue consilio membrorum suorum, quantum potest ad indagandam veritatem. Non autem est Papa, vt singularis persona & Doctor, qui in hæresim etiam notoriam incidere potest, ob quam dignus sit, vt ab Ecclesia deponatur, vel potiùs vt præcisus declaretur. Et hoc dictum sit iuxta probabiliorem sententiam Caietani. *opuscul. de auctoritat. Papæ, cap.18. & sequent.* Bañez *2.2. quæst. art. 10. dub.2.* Azorij *tom.2. lib.5 cap.5.* & aliorum quos refert & sequitur Layman *lib.2. tract.1. c.7. n.1.* De his vide Bellarminum de Romano Pontif. *lib.2. cap. 30. & lib.4. cap.2.4. & 6.* Et de Ecclesia militante *lib.3. cap.14.*

Caietanus. Bañez. Azorius. Layman. Bellarmin.

9. Ecclesia visibilis non potest deficere: & nomine Ecclesiæ non intelligimus vnum, aut alterum, sed multitudinem congregatam, in qua sint Prælati & subditi. Probatur *Primò* ex dicto Christi ad Petrum *Matth.16.* Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et ex illo Pauli 1.Timoth.3. *Vt scias, quomodo te oportet conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.* In vtroque loco agitur de Ecclesia visibili. Et Psal. *47. Deus fundauit eam in æternum*, id est, Ecclesiam suam, quæ est ciuitas eius, vt Augustinus exponit: nam totus Psalmus est de fundatione Ecclesiæ Christianæ tanquam notæ & visibilis ciuitatis. Probatur hoc idem naturali ratione. Nam si Ecclesia aliquando deficeret, Deus non satis prouidisset hominum saluti: quia tempore defectionis nullus esset vsus Sacramentorum, per quæ peccatores possent reconciliari Deo, & infideles, aut hæretici pœnitentes recipi in Ecclesiam. Non enim possunt saluari, nisi in Ecclesiam ingrediantur, quemadmodum tempore Noe peribant necessariò, qui non habebant aditum ad arcam: at non possent ingredi in Ecclesiam, quam ignorant, igitur non haberent remedium. Præterea, de ratione vnius veræ Ecclesiæ est, vt sit visibilis; ergo si Ecclesia visibilis perit, nulla vera Ecclesia remanet. Vide Bellarminum *de Ecclesia militante lib.3. cap.13.*

D. Augustin.

Bellarmin.

10. Christus Dominus Ecclesiæ suæ non solum dedit potestatem iudicandi de dubijs in fide ac Religione: sed & de omnium hominum vita ac moribus: & eos quidem qui pœnitentes veniam merentur, absoluendi à delictis suis: alios autem qui pœnitentiam agere, emendarique nolunt, ligandi & grauius corrigendi, vt dictum est supra *verb. Claues.* Hanc potestatem exercuit S. Petrus contra Ananiam & Sapphiram. *Act. 5.* & Apostolus Paulus contra incestuosum 1. *Corinth. 5.* Contraque Hymæneum & Alexandrum hæreticos, aut Pseudo-Doctores 1. *Timoth.1.* Propterea hi Apostoli apertè tradiderunt, non solùm spiritualem correptionem in Republica Christiana fore, sed & externam corporalem, per eos qui gladium portant. *Roman.13.* 1. *Petri 2.* Hi enim diuina ordinatione constituti sunt velut executores mandatorum Dei & Ecclesiæ, vt iidem Apostoli testificantur. Ex quibus sequitur omnem potestatem, tam spiritualem, quàm externam, esse apud Ecclesiam. Quemadmodum piè & verè D. Bernardus Epistol. 256. ad Eugenium scripsit his verbis: *Vterque gladius est Petri, alter suo nutu, alter sua manu, quoties necesse est, educendus.* Atque vtriusque huius correptionis præsagium præcessit, cùm Christus Dominus, iam proximus Passioni suæ, iuberet discipulis, vt emerent gladios: ipsisque respondentibus, Domino, ecce duo gladij hîc. Subiungeret, satis est. *Luca 22.*

D. Bernard.

11. Ecclesia, id est, Concilium generale à Sede Apostolica, siue Summo Pontifice legitimè congregatum & approbatum: vel ipse Summus Pontifex cum Collegio Episcoporum, iudicat de Scripturæ sacræ libris, qui veri sint, aut non veri. Iudicat quoque de versionibus eiusdem in alias linguas, quæ probæ sint, quæve adulterinæ. Iudicat denique de interpretatione eiusdem, quæ vera sit, quæ falsa, absurda, hæretica. Ratio horum omnium est, quia Scriptura sacra, vt libris inscripta, sibiipsi testimonium dare non potest, quòd in his & non in aliis libris contineatur: nec ex seipsa potest dicere, hanc aut illam versionem, vel interpretationem librorum Scripturæ sacræ esse veram, alteram falsam. Tum quia & apud Politicos in rebus dubijs, leges ipsæ non iudicant: sed iudex cum suis assessoribus secundùm legum præscripta. Cùm ergo in dubijs de fide ac Religione, plus quàm in dubijs negotiorum Politicorum, necessaria sit iudicijs alicuius auctoritas, atque iudicium: non possunt in orbe terrarũ meliores inueniri Iudices tales, quàm qui singulariter ad hoc munus, velut diuinitus vocati sunt & errare non possunt. Cumque Deus potestates in terris distinxerit: alienum est ab ordinatione eius, vt laici iudicent de rebus fidei ac Religionis. Vide *cap. Bene quidem, cap. cùm ad verum, cap. Si imperator. d. distinct. 96.* Prædicta confirmantur à sacro Concilio Trident. *sess. 4. Decret. 2.* his verbis: *Præterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo, sua prudentia innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus conuorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrauenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur.* Vide Bellarminum *tom.2. controuers. gener. 1. lib. 3. cap. 3. & sequent.*

Conc. Trid.

Bellarmin.

12. Antequam Ecclesia aliqua constituatur, fundamenti locus, & atrium Prælati iudicio designari debet,

debet, & pridie lignea Crux in loco, vbi Altare erigendum eſt, figi debet; ſequenti die primarius lapis, cui impreſſa ſit Crux, in fundamento ponendus eſt, *cap. Nemo Eccleſiam ædificet antequam Epiſcopus ciuitatis veniat & ibidem crucem figat: publicè atrium deſignet: & antè præſignat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria & ad cuſtodiam & ad ſtipendia cuſtodum ſuffiſiunt: & oſtenſa donatione ſic domum ædificet: & poſtquam conſecrata fuerit, atrium eiuſdem Eccleſiæ ſanctâ aquâ conſpergat.* Ita Concilium Bracarenſ. 2, *cap. 6.*

Conc. Bracar. II.

Præterea nulli licet Monaſterium, ſiue Eccleſiam, vel orationis domum ædificare, antequam ab Epiſcopo ſuo licentiam obtineat. Ita ſancitum fuit in Concil. Agathenſi, *cap. 58.* ſub his verbis: *De Monachis Monaſterium nouum (niſi Epiſcopo permittente, aut probante) nullus inciperet, aut fundare præſumat.* Refertur hic Canon in ſecunda parte Decretorum *cauſ. 18, quæſt. 2.* Cui accedit Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 3. de regular.* ſub his verbis, *Nec de cætero ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi, in cuius Diœceſi erigenda ſunt, licentia priùs obtenta.*

Concil. Agathenſ.

Conc. Trid.

13. Præter licentiam Epiſcopi requiritur etiam auctoritas Summi Pontificis in erigendis Monaſteriis & Eccleſiis regularium, vt habetur *in cap. 1. de exceſſibus Prælator. & in cap. vnic. de religioſ. Dombus in 6.* vbi prohibetur, ne Prælati Religiorum recipere poſſint Conuentum aliquem, ſeu locum, abſque ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, ſi de huiuſmodi prohibitione mentionem ſpecialem non fecerint. Nec Concil. Trident. *loco cit.* abrogauit diſpoſitionem iuris communis, ſed præterea ſtatuit, vt adhibeatur altera loci Ordinarij licentia, quod declarauit Sacra Congregatio, vt refert Campanil. *in diuerſ. iur. Canon. rubric. 12. cap. 13. numer. 80.* Quamuis contrarium teneat Sorbus noſter *in compend. Mendicant. verb. AEdificare, in annotat. circa §. 20.* dicens, quòd nunc ſufficit licentia Diœceſanorum, abſque alia Summi Pontificis auctoritate priùs requiſita *in cap. 1. de exceſſibus Prælat. in 6.* Sed prædictam ſententiam tenet etiam Hieronym. Rodriguez *in compend. quæſt. regul. reſol. 55.* Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. quæſt. 53. artic. 1. concluſ. 3.*

Sac. Congr.

Sorbus.

Hier. Rodr. Miranda.

14. Circa ædificationem nouorum Monaſteriorum, ſeu Eccleſiarum regularium multæ Religiones obtinuerunt à Sede Apoſtolica varia priuilegia, prout videre eſt *in compend. priuileg. Mendicant. verb. AEdificare.* Inter quæ vnum notabile & nuſquam aliàs conceſſum recenſetur, & eſt Iulij II. datum Fratribus Ordinis Minimorum ſub Bulla Authentica: vt, ſcilicet, domos, ſeu Eccleſias, loca & Oratoria quæcumque, pro eorum perpetuis vſu & habitatione poſſint conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere, abſque alia deſuper facienda noua conceſſione Apoſtolica: & quod prædicti Ordinis conſeruatores, quoties opus fuerit, eiſdem Fratribus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtant: ac ne Prælati Eccleſiaſtici quicumque, cuiuſcumque dignitatis exiſtant, illos in aliquo damnificare, molestare, perturbare, ac inquietare vllatenus audeant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna inhibere poſſint. Habetur hoc priuilegium *in ſupplement. conceſſ. 27.* & refertur *in compend. priuileg. Mendicant. verb. AEdificare, §. 20.*

Iulius II.

Comp. priuil. Mendic.

Ex conceſſione *Pauli V.* Conſtitut. 10. quæ incipit, *Ad Eccleſiæ*, anno 1605. poſſunt Fratres Ordinis Carmelitarum Diſcalceati de ſola licentia Ordinarij vbique noua Monaſteria ædificare. Idem obtinuerunt ab eodem Pontifice Monachi Beatæ Mariæ Fulienſ. 1608. ex Conſtitut. 51. quæ incipit, *Monaſterio, &c.*

Paulus V.

15. Omnia priuilegia & conceſſiones erigendi nouos Conuentus & Monaſteria; reuocauit ſacra Congregatio Eminentiſſ. Cardinalium negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſitorum, *Gregorio XV.* approbante ſub die 17. Auguſti 1621. & nouiſſimè *Vrbanus VIII.* in ſua Conſtitut. 25. quæ incipit, *Romanum Pontifex*, ſub die 28. Auguſti 1624. reuocauit & annullauit omnes licentias à prædeceſſoribus ſuis conceſſas, fundandi, erigendi, & inſtituendi vbique locorum Monaſteria, Domos, Conuentus, Collegia & alia loca regularia, ſeruata ſacrorum Canonum & Concilij Tridentini forma, de ſola Ordinarij licentia, ſeu etiam non ſeruata forma & abſque licentia huiuſmodi. Proinde modus hodie obſeruandus ab Epiſcopis in concedenda licentia pro Monaſteriis nouis ædificandis, deſumendus eſt, ex Conſtit. Clementis VIII. Gregorij XV. & Vrbani VIII. quarum tenores hic ponuntur.

Sac. Congr.

Greg. XV.

Vrban. VIII

BVLLA CLEMENTIS VIII. Clem. VIII.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

QVoniam ad inſtitutam regularium locorum & perſonarum reformationem promouendam & conſeruandam maximè pertinet, vt in quibuſcumque Domibus & Monaſterijs, in tantum numerus Religioſorum, qui commodè ibidem ali poſſit, contineatur, ac eò pariter ſpectat, vt in quibuſcumque ciuitatibus & locis nouæ domus & Monaſteria, præſertim mendicantium non eriganturs, niſi in eiſdem ciuitatibus & locis aliarum domorum & Monaſteriorum in eis exiſtentium habita ratione, commodè ſuſtentari poſſe dignoſcatur.

Hac igitur nos conſideratione ducti & in præmiſſis pro noſtro Paſtorali munere opportunè prouidere volentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac matura deliberatione, deque Apoſtolica poteſtatis plenitudine, ex voto, etiam venerabilium Fratrum noſtrorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſuper conſultationibus & negotijs Epiſcoporum & Regularium Præpoſitorum, harum ſerie declaramus, locorum ordinarios non poſſe licentiam ad nouos Conuentus eiuſmodi, eiſdem Mendicantium Ordinis, in ciuitatibus & locis eorum ordinariæ iuriſdictioni ſubiectis, erigendos impartiri, niſi vocatis & auditis aliorum in eiſdem ciuitatibus & locis exiſtentium Conuentuum Prioribus, ſeu Procuratoribus & alijs intereſſe habentibus, & cauſa, ſeruatis ſeruandis, cognita, conſtiterit in eiſdem ciuitatibus & locis, nouos huiuſmodi erigendos Conuentus, ſine aliorum detrimento, commodè ſuſtentari poſſe. Si verò ab eorum in huiuſmodi cauſis & ſententijs ad nos & Apoſtolicam Sedem prouocari & appellari contigerit, ipſos Ordinarios tamdiu erectionem nouorum Conuentuum ſuſpendere debere, quouſque à nobis & Apoſtolica Sede in eadem cauſa pronunciatum exiſterit: irritum nihilominus & inane decernentes, quidquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſciente, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca vniuerſis venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs per præſentes, in virtute Sanctæ Obedientiæ, diſtrictè præcipiendo mandamus, vt præſentes noſtras literas obſeruent, & obſeruari curent & faciant. Non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis,

ac Vniuerſalibus, Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, ac quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus, etiam iuramento & Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium premiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & approbatis. Quibus omnibus & ſingulis eorum, tenores preſentium pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, vt preſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis preſentibus, ſi forent exhibita vel oſtenſa. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Iulij, anno 1603. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Confirmatio & ampliatio Conſtitutionis Clementis VIII. circa nouorum Conuentuum Regularium erectiones.

CVm alias fel. rec. Clemens Papa Octauus decreuerit Ordinarijs locorum licentiam ad nouos Conuentus, cuiuſcumque, præſertim Mendicantium, Ordinis, in ciuitatibus & in locis eorum ordinaria iuriſdictioni ſubiectis; erigendos impertiri non poſſe, niſi vocatis & auditis aliorum in eiſdem ciuitatibus & locis exiſtentium Conuentuum Prioribus, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & cauſa, ſeruatis ſeruandis, cognita, in eiſdem ciuitatibus & locis nouos huiuſmodi erigendos Conuentus ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe conſiterit. Si verò ab eorum ſententijs ad Sedem Apoſtolicam prouocari, & appellari contigerit, ipſos Ordinarios tamdiu erectionem nouorum Conuentuum ſuſpendere debere, quamdiu à dicta Sede in ea cauſa pronunciatum extiterit, ac aliàs, prout in decreto huiuſmodi plenius continetur. Verùm per pia memoriæ Paulum Papam V. accepto, pleroſque ex Ordinarijs prædictis fauore, vel nimia expoſcentium importunitate ad noſtros Conuentus, ſeu domus, præter & contra tenorem prædicti decreti erigendos plerumque adduci: quo fit, vt, non habita debita eleemoſynarum, ſeu redituum cuiuſcumque Monaſterij, Conuentui, ſeu domui ratione, Monachi, ſeu Fratres, aut religioſi ibi degentes manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, vt cultus diuinus in eorum Eccleſijs deſtituatur, ibique regularis diſciplina, vt conuenit, conſeruari non valeat.

Sac. Congr. Sacra Congregatio DD. Cardinalium negotijs Regularium præpoſita, ad quam idem Paulus Papa V. negotium huiuſmodi reiecerat, tot incommodis obuiam ire, eiſque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, Decreti huiuſmodi veriores ac totos tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro plenè & ſufficienter expreſſis habens, vim vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papa XV. habito, decretum prædictum, quatenus opus ſit, innouat, & in vſum reducit. Volens, quòd de cætero Monaſterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium cuiuſcumque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis & Inſtituti, quocumque nomine nuncupentur, etiamſi de illis particularis, expreſſa & ſpecifica mentio habenda eſſet, in quacumque ciuitate vel oppido, ſeu quocumque alio loco non erigantur, niſi in eo ſaltem duodecim Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi inhabitare, ac ex reditibus & conſuetis eleemoſynis ſuſtentari valeant, ac Priores, ſeu Procuratores aliorum Monaſteriorum, Conuentuum, ſeu Domorum aliarum Religionum vel Congregationum, ſeu Societatum, aut Inſtitutionum huiuſmodi, non ſolùm in prædictis; ſed etiam in alijs per quatuor millia paſſuum circumuicinis loci ad id vocati & auditi fuerint, ac tali erectioni conſenſerint, vel aliàs Ordinarius locorum conſiterit, Religioſos Monaſterij, Conuentus, ſeu Domus regularis, ſic erigendi, ſeu erigenda abſque detrimento Religioſorum in Monaſterijs, ſeu domibus antea in ciuitatibus, ſeu locis huiuſmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè & congruè manuteneri & ali poſſe. Si verò noui Conuentus, Domus, Congregatio, Societas huiuſmodi inſtituende erunt, nullique alij regulares inibi reperiantur; Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ & habitatores, quorum & conſenſum requirant, ac adhibeant, huiuſmodi duodecim Religioſos in Conuentibus, vt præmittitur, inſtituendos, commodè alere & manutenere valeant. Si verò à Decreto, ſeu Decretis per Ordinarios prædictos in cauſis huiuſmodi ferendis legitimè appellari contigerit, ex nunc, prout ex eo die, quo appellatio interponitur, ea ad eandem Sacram Congregationem, vnà cum toto negotio principali deuoluta cenſeatur, appellationeque huiuſmodi pendente nihil innouandum eſſe, irritumque & inane, quidquid ſecùs his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernentes, quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtantibus. Romæ 17. Auguſti, 1622.

BVLLA VRBANI VIII.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex, cui Saluator & Dominus noſter, qui charitas eſt, & Deus pacis, vniuerſalis Eccleſiæ credidit principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de cauſis, à Sede Apoſtolica conceſſa ſunt, ipſa ſubinde rerum experientia ſuadente, & maioribus ex cauſis, quibus præſertim perſonarum ſub ſuaui Religionis iugo Altiſſimo famulantium, paci & quieti conſulitur, litibuſque ac controuerſijs inter eos obuiam itur, reuocat & immutat; in hiſque Paſtoralis ſollicitudinis & prouidentiæ ſuæ ſtudium interponit, prout verum & temporum qualitatibus debitè penſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Cùm itaque ſicuti nobis innotuit, complures licentiæ, ſiue facultates, à nonnullis Romanis Pontificibus, prædeceſſoribus noſtris, per diuerſos Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum & aliorum Regularium Inſtitutorum Superiores, ſeu alios eorum nomine, vbique locorum, Monaſteria, Domos, Collegia, Conuentus, & alia loca regularia, quouis nomine nuncupata, ſublata dumtaxat ſacrorum Canonum & Concilij Tridentini decretorum forma, de ſola Ordinarij licentia; ſeu etiam forſan non ſeruata forma, & abſque licentia huiuſmodi & contra decreta à Sede Apoſtolica ſuper præmiſſis edita, fundandi, erigendi & inſtituendi importunis precibus, ſeu etiam motu proprio, vel aliàs obtenta & extorta fuerint: Idcirco nos omnes & quaſcumque licentias, ac facultates huiuſmodi, literaſque deſuper, tam ſub plumbo, quàm in huiuſmodi forma Breuis deſuper expeditas, earumque tenores etiam veriores & dat. præſentibus, ac ſi ſpecificè & ſigillatim exprimerentur & inſererentur, pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, iuſtis de cauſis animum noſtrum mouentibus,

bus, motu proprio, non à nobis ſuper his oblata petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, ac matura deliberatione, noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & quaſcumque licentias & facultates huiuſmodi, litterasque deſuper, tam ſub plumbo, quàm in eadem forma Breuis expeditas, omnia quæ & ſingula in eis quomodolibet contenta & expreſſa, etiam quoad erectiones, fundationes & Inſtitutiones Monaſteriorum, Collegiorum, Domorum, Conuentuum & aliorum Regularium locorum huiuſmodi; quæ ſuum nondum fortita ſunt effectum, tenore præſentium perpetuò reuocamus, caſſamus, abrogamus, & annullamus, viribuſque & effectu prorſus priuamus. Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum & aliorum Inſtitutorum Regularium Superioribus quibuſcumque nominè nuncupatis, ceteriſque perſonis ad quas ſpectat, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub priuationis vocis activæ & paſſivæ, nec non officiorum quorumcumque, ac inhabilitatis ad illa & alia in futurum obtinenda, nec non etiam excommunicationis ipſo facto incurrendæ pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, ſeu facultatum prætextu, vt præfertur, reuocatarum & annullatarum, ſiue alio quouis prætextu vel cauſa, etiam quantumuis priuilegiata, noua Monaſteria, Collegia, Domos, Conuentus & alia loca regularia huiuſmodi, niſi de expreſſa Ordinariorum licentia, ac ſeruata in omnibus, & per omnia ſacrorum Canonum & Concilij Tridentini, nec non Conſtitutionibus ſel. rec. Clemen. VIII. quæ incipit: Quoniam ad inſtantiam, ſub dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 23. Iulij, ac Decretorum, de mandato eiuſdem Clementis, nec non immort. mem. Gregorij XV. Roman. Pontif. prædeceſſorum ſuper editorum forma recipere, erigere, fundare, ſeu aliàs quomodolibet inſtituere, ſeu incepta finire, & abſoluere audeant, ſeu præſumant.

Decernentes, præſentes literas, etiam ex eo, quòd cauſa, propter quam illæ emanarint, expreſſa & verificata, & iuſtificata, aut quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati & auditi non fuerint, neque illis conceſſerint, vel aliàs ex quibuſcumque capite, prætextu, colore, ingenio vel cauſa ſubreptionis vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ vel alio quouis defectu notari, impugnari, redargui, refringi, retractari; in ius, vel controuerſiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut contra eas quoduis gratia, vel iuſtitiæ remedium impetrari, ſeu concedi nullatenus poſſe, ſed eas, ac omnia & ſingula in eis contenta ſemper & perpetuò valida, firma & efficacia eſſe & fore, ſuoſque plenarios ac integros effectus ſortiri & obtinere, ac omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari; ſicque & non aliter per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, de latere Legatos & Nuncios quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate iudicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis & aliis locorum Ordinariis per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſolemniter publicari, illaſque ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, inuiolabiliter obſeruari faciant; rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac regula noſtra de iure quæſito non tollendo, & ſel. mem. Bonifacij Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad iudicium non trahatur; aliiſque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum & Inſtitutorum Regularium, etiam iuramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roborata, ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, etiam Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis derogatoriarum derogatorum, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu proprio & conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & ſæpiùs innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficiens derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quauis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum omnium tenores, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentes in valuis Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, vt moris eſt, affixæ, omnes, quos illa concernunt, ita arctent, & afficiant perinde ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Quodque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub annulo Piſcatoris, die 28. Auguſti, 1624. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Circa prædictas Conſtitutiones occurrit *dubium primum*, an licentia Ordinariorum ſit neceſſaria, quando regulares ampliare volunt Monaſteria, quæ habent? Reſpondeo, negatiuè. Ratio eſt, quia additamentum iudicatur, ſicut Monaſterium vetus & antiquum, cui additur, ſine addi poteſt noua fabricæ conſtructio abſque noua licentia. Quod colligitur ex *cap. final. de conceſſ. prabend. in 6.* Et docent Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæſt. 50. art. 9.* & eius compendiator Hieronymus Rodriguez *in compend. reſol. 55. num. 10.* Pellizzarius *in Man. reg. tract. 8. cap. 7. num. 91.* Eman. Rodr. Hier. Rodr. Pellizzarius.

Dubium ſecundum. An Eccleſia, ſeu Monaſterium poſſit mutari de vno loco in alium, ſine licentia Papæ & Dioceſani? Reſpondeo, quòd *in cap. ex eo de exceſſ. Prælator. in 6.* id prohibetur fieri ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, quia in textu habetur, *vel recepta mutare.* Concilium autem Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 3. de regular.* quoad hoc, prædictum ius antiquum non reuocauit, ſolùm enim ait, quòd nec de cætero ſimilia loca erigantur, ſine Epiſcopi, in cuius Dioceſi erigenda ſunt, licentia priùs obtenta, & nullam mentionem faciens de locorum mutatione, voluit vt illud remaneret in diſpoſitione iuris communis. Ad minus licentia Epiſcopi neceſſaria eſt ex iure communi, vt Monaſterium Conc. Trid.

sterium ad alium locum transferri possit, ex *cap. si quis vult*, 16. *quæst. vltim.* vbi habetur: *Si quis vult Monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum consilio Episcopi & Fratrum suorum, & dimittat Presbyterum in primi loco ad ministeria Ecclesiæ.* Vnde bene notat Rodriguez *cit. quæst. 50. art. 9.* quod excommunicatio lata in prædicto *cap ex eo*, &c. & *in Clement. cupientes, de pœn.*, non comprehendit eos, qui mutant in eodem loco eadem Monasteria, verbi gratia, existentia in valle, mutant ad colles propter sanitatem: quia illud verbum de nouo positum in dicta Clementina, & in aliis iuribus, non intelligitur nouum quod fuit & postea desiit esse, & iterum renouatur: solum ergo intelligitur in hoc loco nouum, quod denuò acquiritur, vel nouo quæritur titulo, non autem quod renouatur. Ita Barbosa *de iur. Eccles. lib. 2. cap. 12. num. 78.* Refertur à dicto Eman. Rodriguez *loco citato artic. 4.* magnum priuilegium & multum notandum concessum à *Sixto V. Papa* anno 1587. Septimo Kalendas Decemb. Pontificatus sui anno tertio, quòd *Abbas generalis Congregationis S. Benedicti Regnorum Portugalia, cum consilio & assensu Capituli generalis, Monasteria dicta Congregationis, quæ in locis incommodis, & minus populosis reperiuntur, ad commodiora loca possit transferre & mutare propria auctoritate Ordinariorum locorum, vel cuiusuis alterius licentiâ minimè requisitâ.* Quo priuilegio gaudent aliæ Religiones communicationem priuilegiorum habentes, Pellizzarius *loco citato numer. 104.*

Rodriguez. Barbosa. Rodriguez. Sixtus V. Pellizzarius.

Dubium tertium. An Bulla *Clementis VIII.* de non danda licentia Mendicantibus, ædificandi noua Monasteria, comprehendat hospitia? Videtur respondendum negatiuè: quia appellatione Monasteriorum non venit hospitium. Nihilominus, si in huiusmodi hospitiis cõgregetur talis numerus Religiosorum, qui indigeant ad victum quotidianum mendicare & eleemosynas in locis & oppidis vicinis prædicti hospitij quærere, non tam forsitan pro suis, quàm pro aliorum suorum confratrum alibi degentium, necessitatibus subleuandis, dicendum esset huiusmodi hospitia etiam esse prohibita ædificari non seruata forma Bullæ Clementis. Ratio est, quia hoc videtur fieri in fraudem aliorum regularium, interesse in hoc habentium; licet enim huiusmodi domus, hospitij nomine nuncupetur, in re tamen est Conuentus & Congregatio personarum Regularium Mendicantium, & sic contra mentem Pontificis similia loca ædificarentur, vel ædificata acceptarentur, non seruatis seruandis in prædicto motu proprio. Pleraque similia hospitia in nonnullis huius Belgij partibus cernere licet, quorum inhabitantes religiosi, non sine magno incommodo aliorum Regularium Mendicantium inibi Conuentus habentium, per vicos & plateas circumquaque ab ipsis rusticis, plerumque inuitis, magnam eleemosynarum copiam, sæpius cum magna improbitate extorquent.

Hinc Doctores dicentes appellatione Monasterij non venire hospitium, intelligendi sunt de hospitio Religiosorum, qui ex propriis bonis & censibus viuunt, non autem mendicantium.

Dubium quartum. An Ordinarius concedere possit licentiam construendi noua Monasteria absque cognitione causæ? Respondeo dispositionem Bullæ Clementis VIII. adeò inducere formam, & esse de substantia, vt eius omissio vitiet concessionem. Ratio est, quia in prædicta Bulla habetur clausula decreti irritantis, quæ nullitatem operatur, & in oppositum omnia destruit: ità vt per clausulam illam inficiatur omnis titulus & possessio, quæ prætenditur capta. Vide Tamburinum *tom. 3. de iur. Abbat. disputatione quinta, quæst. 1. numero 11.* Nihilominus ex eo quod Vrbanus VIII. Idibus Maij 1625. priuilegia Dominicanorum restituit, Pater Bruno Chassaing *de priuilegiis regul. cap. 6. propos. 12.* ponit hanc conclusionem. Regulares Prælati possunt erigere Monasteria, seu Conuentus, absque Episcopi Diœcesani licentia: & de illius consensu idem possunt, nullius alterius, siue regularis, siue sæcularis consensu requisito. Proinde infert idem Auctor posse regulares circa ædificationem Conuentuum, quod ante Clement. VIII. poterant: quod vsus in Gallia contrarius prædictis Constitutionibus Clementis, Gregorij & Vrbani ostendit, cùm huiusmodi Monasteria aliqua, solius Episcopi licentia, aliquando etiam ipso contradicente ædificentur. An autem hæc probabiliter dicta sint, tu Lector iudica.

Tamburin. Chassaing.

16. Ecclesias consecrare solus Episcopus de iure potest, vt habetur *in cap. Nemo, de consecrat. dist. 1.* Is Episcopus debet esse proprius, non autem, extraneus, nisi de licentia proprij, *cap. Tua fraternitas, de consecrat. Eccles. vel altar.* qui non potest Ecclesiæ consecrationem aliis, quàm Episcopis committere, vt habetur *cap. Aqua*, eodem titulo, his verbis: *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes. Non obstante consuetudine Prouinciæ Bracharens. (quæ dicenda est potiùs corruptela) quia licet Episcopus committere valeat quæ iurisdictionis existunt: quæ Ordinis Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Ita Gregorius Papa Nonus Astoricen. Episcopo. Ex quo colligitur nullam fore consecrationem Ecclesiæ factam à simplici Presbytero ex mandato & commissione Episcopi. Tamen ex delegatione Sedis Apostolicæ bene posset simplex Sacerdos Ecclesias consecrare, vt docent Glossa, Innocent. & Doctores *in dict. cap. Aqua*, Azorius *tom. 1 lib. 10. cap. 16. quæst. 10.* Multò magis hæc facultas, ex priuilegio speciali Romanorum Pontificum, posset Abbatibus competere, quamuis hactenus alicui id concessum non legatur.

Greg. IX. Glossa. Innocent. Azorius.

17. Licet extraneus Episcopus non possit Ecclesias consecrare quamuis exemptas, absque Diœcesani licentia, quia incideret in pœnam constitutam à Concil. Trident. *sess. 6. cap. vlt. de reformat.* quæ est suspensio ab exercitio Pontificalium. Tamen si Episcopus Diœcesanus à regularibus requisitus, eorum Ecclesias consecrare noluerit; quilibet alius Episcopus idipsum facere poterit, per speciale priuilegium concessum ab Honorio Papa IV. Fratribus Minoribus, vt refertur *in compendio priuileg. Mendicant. verb. Altare*, §. 2. & per aliud concessum Fratribus Carmelitanis à Ioanne Papa XXI. provt refertur *in eodem compendio verb. Benedicere Ecclesiasticæ*, §. 3. Nec videntur huiusmodi priuilegia abrogata per Concil. Tridentinum *sess. 6. cap. vltim. de reformat.* vbi præcipitur, quòd nullus Episcopus in alterius Diœceli, sine ipsius licentia Pontificalia possit exercere, cuiuscumque priuilegij prætextu, &c. quia quoad hoc supradicta priuilegia non censentur esse priuilegia, sed continere ius commune, dummodo sit petita licentia, iuxta *cap. 1. de suppleud. negleg. Prælat.* & *cap. nihil est*, §. *vltim. de elect.* vide Mirandam *in Manual. Prælat. tom. 2. quæst. 39. artic. 1. conclus. 3.* Barbosam *de offic. & potest. Episcop. part. 2. allegat. 27. num. 11.*

Conc. Trid. Honor. IV. Ioan. XXI. Conc. Trid. Miranda. Barbosa.

Quibus

Quibus modis Eccleſia cenſeatur polluta, diximus *tom. 1. verb. Sacrilegium 1. num. 6. 7. & 8.* Ea quis poſſit eam reconciliare? *ibidem.*

18. Eccleſia poteſt agere contra ſuum Prælatum, qui paſſus eſt res & iura eiuſdem Eccleſiæ præſcribi. Ita Gloſſa *in cap. final. 2. queſt. 4.* Felinus *in cap. Accepimus, de fid. inſtrum.* Imò iuxta Gloſſam *citat.* Si Prælatus neglexit acquirere Eccleſiæ, vbi potuit, tenetur ad intereſſe lucri ceſſantis. Nec refert Prælatos regulares nihil proprij habere, ex quo poſſunt huic lucri ceſſantis damno ſatisfacere, & ſic excuſantur à ſoluſtione æris alieni? Reſpondeo, excuſari quidem in foro exteriori, non tamen in conſcientia, quia arctiſſimam commiſſæ negligentiæ rationem coram Deo ſunt reddituri. Hinc Prælatis malè adminiſtrantibus & conſeruationem bonorum & iurium ſuæ Eccleſiæ, ſeu Monaſterij negligentibus, ſubditi reſiſtere debent, vt docet Abbas, *in cap. Per inquiſitionem, de elect.* Notandum tamen eſt, Prælatos Eccleſiaſticos non teneri rapientibus bona & iura ſuarum Eccleſiarum per vim, aut imperium reſiſtere vim vi repellendo, vt docet D. Ambroſius & refertur *in cap. Si tributum 11. queſt. 1.* ſub his verbis: *Si tributum petit Imperator, non ſi negamus; agri Eccleſiæ ſoluant tributum. Si agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vendicandorum, tollat eos, ſi libuerit: Imperatori non dono, ſed non nego.* Et ideò non debent hac ratione puniri, neque contra eos debet agere Monaſterium, cùm ſacri Canones in caſu dicto & ſimilibus Prælatos excuſent. Loquitur tamen dictum *cap. ſemper de Imperatore*, vt oſtendatur, quod præter maieſtatem Imperialem vel ſimilem, liceat vim vi repellere, defendendo iura, bona & priuilegia propriarum Eccleſiarum, ſicuti fecerunt multi Prælati, qui vſque ad ſanguinis effuſionem ad iura Eccleſiaſtica euenda deſudarunt.

Gloſſa. Felinus. Abbas. D. Ambr.

Vide v. Benedictio *numer. 13. & 14.* Confeſſio *num. 9. & 10.* Emphyteuſis *num. 4. & 6.* Exemptio *num. 7.* Matrimonium *1. num. 8.* Reſtitutio in integ. *num. 11. & ſequent.*

ELECTIO.

SVMMARIVM.

1 Ponitur textus cap. quia propter de elect. *quod eſt fundamentum electionis.*
Certus locus non eſt de ſubſtantia electionis, ſed ſufficit, ſi fiat in communi congregatione.
2 *An Miſſa celebratio cum inuocatione Spiritus ſancti, ſit de ſubſtantialibus ipſius electionis.*
3 *An ad formam Canonica electionis, vota electorum ſint ſecretò exquirenda.*
4 *An ad hoc vt electio ſit valida, hodie requiratur vt non ſolùm maior, ſed ſanior pars conſentiat.*
5 *Intra quod tempus debeant electores procedere ad nouam electionem poſt mortem Prælati.*
6 *An electio fieri poſſit, antequam Prælati defuncti corpus ſepulturæ traditum ſit.*
7 *An promotus ad Subdiaconatum ante legitimam ætatem, admitti debeat ad ſuffragia ferenda.*
8 *An eligendus in Prælatum regularem debeat eſſe profeſſus expreſsè in eadem Religione? An in poſtulato ſufficiat tacita profeſſio.*
9 *Qui ad Prælaturas eligi non poſſint.*
10
11
12 *An illius electio caſſanda ſit, qui ante electionem conſenſit electioni de ſe faciendæ.*
13 *An electiones debeant eſſe liberæ & non coarctatæ ad certas perſonas.*
14 *An conſuetudo reſtringens libertatem eligendi ſit valida.*
15 *An electio, in qua vnus electorum publicè ſuffragium ſuum manifeſtat, ſit irrita.*
16 *An electio per modum ſcrutinij facta, ſit irrita quando poſt votorum numerationem, ſchedulæ coram Capitulo non cremantur.*
17 *An electio valeat, in qua quis per errorem vel malitiam miſit in vnam ſchedulam albam.*
18 *An electio ad officia & dignitates Eccleſiaſticas facta per ſortes, ſit nulla?* Refertur duplex ſententia.
An in receptione nouitij, liceat vti ſortibus.
19 *A quo ſuperiore confirmanda ſit electio.*
An electus, poſtulatus, præſentatus, nominatus poſſit ſe ingerere adminiſtrationi, ante confirmationem.
20 *An confirmatio ſit neceſſaria, tam ex parte confirmatoris, quàm ex parte electi.*
An Generales Ordinum indigeant confirmatione Pontificis Romani.
21 *An electus idoneus repertus debeat ſtatim confirmari.*
22 *An ſuperior, electo inuito, poſſit eius electionem confirmare.*
23 *An vt compromiſſum valeat, debeant omnes expreſsè conſentire.*
24 *Quæ requirantur ad eſſentiam & ſubſtantiam electionis facta per compromiſſum.*
25 *An quando compromiſſarius eſt vnus ſolus, poſſit ſeipſum eligere? Et quid iuris, quando ſunt plures compromiſſarij.*
26 *An regulares in electionibus teneantur ſeruare apices electionis.*
27 *An Prælati regulares eligi poſſint per viam poſtulationis.*
28 *An per nominationem Prælati regulares eligi poſſint, ſi id ſtatuto vel conſuetudine non ſit prohibitum.*
29 *An per ſabam electio Prælatorum regularium fieri poſſit.*
30 *An regulares poſſint reprobare illum, quem iam concorditer in Prælatum elegerunt.*
31 *An regulares poſſint eligere in Prælatum illum, qui aliàs fuit reprobatus ob vitium aliquod perſonale, ſi illud aliàs fuit probatum vel ſolùm præſumptum.*

1. TOtale fundamentum electionis Prælatorum & ſubſtantialis illius forma continetur *in cap. quia propter de electione.* Et vt præ manibus habeatur, viſum eſt eius verba ad propoſitum facientia, hic apponere.

Quia propter diuerſas electionis formas, quas quidam inuenire conantur, & multa impedimenta prouenium & magna pericula immineant Eccleſiis viduatis. Statuimus, vt cùm electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus, qui debent, & volunt & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent, in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interiecto; vt in collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior & ſanior pars Capituli conſenſit, vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Eccleſia viduata prouideant de Paſtore; aliàs electio facta non valeat, niſi forte communiter eſſet ab omnibus quaſi per inſpirationem abſque vitio celebrata.

Ex quibus colligere licet, quod ad hoc, vt electio per modum ſcrutinij facienda, legitima ſit, debet fieri à maiori parte legitimorum electorum, qui vocati debent eſſe ſimul collegialiter congregati in aliquo honeſto & conuenienti Monaſterij loco. Electiones enim in cubiculis & clandeſtinis locis per occulta conuenticula factæ reprobantur à iure per dictum *cap. §. electiones*, ibi, *Electiones quoque clandeſtinas reprobamus*. Certus etamen locus non eſt de ſubſtantia electionis, nam quilibet locus, vbi Capitulum eſt congregatum, dicitur Capitularis, *cap. cum terra, de elect.* vbi Gloſſa *in verb. in quo*, ait, *in Capitulo ſecundùm conſuetudinem loci, aliàs vbi melius ſe obtulerit facultas*. Eſt ergo de ſubſtantia ipſius Canonicæ electionis, vt fiat in communi Congregatione, vbi præſentes ſint omnes electores; quia non valet, niſi ſit communiter celebrata, vt habetur *in cap. in Geneſi, de elect.* tunc autem dicitur communiter celebrari, cùm in vno loco omnes electores ad ſuffragia ferenda congregantur; ſingulariter autem fieri intelligerentur, quando ſinguli in ſuis Monaſteriis manentes ſuffragia mitterent. Ratio eſt, nam ea quæ fiunt ab aliqua vniuerſitate, nomine vniuerſitatis, debent fieri per congregatos in vnum; ad hoc enim vt actus dicatur geſtus ab vniuerſitate, oportet quod more ſolito congregetur Collegium, & vbi fiat concluſio de actus explicatione, vt ait Panormitanus *in cap. cùm omnes, numer. 7. de Conſtitut.* & *in cap. in Geneſi, de elect.* Gloſſa *in leg. Sicut, ff. quod cuiuſque vniuerſ.*

Panormit. Gloſſa.

2. Quidam volunt eſſe de ſubſtantialibus ipſius electionis, vt antequam electores ad eligendum conueniant, præcedat Miſſæ celebratio cum inuocatione Spiritus ſancti, cui omnes electores intereſſint. Ita Rodriguez *tom. 2. quæſt. regul. quæſt. 53. artic. 1.* Petrus de Biax *in director. de elect. part. 5. cap. 13.* Contrarium tamen eſt verius, nempe non eſſe de ſubſtantialibus ipſius electionis, vt præcedat auditio Miſſæ de Spiritu ſancto, ſed tantùm de ſolemnitate: vnde illam omittendo non vitiaretur electio. Ita noſter Sigiſmundus à Bononia *de elect. & poteſt. Prælat. regul. dub. 19. numer. 5.* Tamburinus *de iur. Abbat. tom. 1. diſp. 5 quæſt. 6. num. 34.* & alij pene ipſos.

Rodriguez. Biax. Sigiſmund. à Bonon. Tamburin.

3. Ad formam Canonicæ electionis requiritur, vt ſingulorum electorum vota ſecretè exquirantur. Quod dupliciter fieri poteſt. *Primò*, vt ſinguli electores viua voce proferant coram ſcrutatoribus, quem eligunt, & aliquis ipſorum ſcrutatorum ſcribat. *Secundò* vt quiſque eligentium in ſchedula votum ſuum ſcriptum deferat, adeò; vt neque ipſis ſcrutatoribus notum fiat. Vterque modus obſeruari poteſt, & electio cenſetur Canonica iuxta *cap. quia propter*, & ſecreta iuxta præceptum Concilij Tridentini, tam ſi ſuffragia ferantur in ſcriptis per ſchedulas, quàm ſi dentur viua voce; dummodò ſingulorum eligentium nomina ſeruentur ſub ſecreto, ſub quo recepta ſunt. Ita Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 5. numer. 10 & ſequent.* Sigiſmundus à Bononia *cit. dub. 27. à numer. 10.* Vnde generalis hodie videtur eſſe totius orbis conſuetudo, vt non ſolùm apud regulares & capitula Eccleſiarum, ſed etiam apud Senatus, ſiue collegia non niſi ſecretis ſuffragiis, id, quod proponitur definiatur. Hinc *Sixtus V.* in Bulla, *Cùm omnis curæ*, data Romæ apud D. Marcum die 29. Iulij, anno 1587. Pontificatus ſui anno tertio, ordinauit circa Fratres Minores de Obſeruantia, *vt electiones Superiorum, aut Officialium per ipſos faciendæ, ſemper fiant per ſchedulas obſignatas, ita vt ſuffragia, ſeu vota, ac ipſorum eligentium nomina omninò ſint ſecreta & occulta, & nunquam publicentur, ac peracto ſcrutinio ſchedulæ & omnia huiuſmodi ſcripta coram omnibus vocalibus illicò comburantur.* Et hoc idem ſtatuit Clemens VIII. in Bulla 33. quæ incipit, *Decet Romanum Pontif. §. 5.* in Bullario Cherubini.

Conc. Trid. Suarez. A Bononia. Sixtus V. Clem. VIII.

4. Ohm ad hoc vt electio valida eſſet, opus erat, non maiorem tantummodò, ſed etiam ſaniorem ſuffragiorum partem habere, vt conſtat ex pluribus locis tituli *de elect.* & præcipuè ex *cap. quia propter*, ibi, *vt is collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior & ſanior pars conſenſerit.* Verum quia inueſtigando, quænam eſſet maior & ſanior pars; plura inconuenientia oriebantur, oportebat enim, vt omnia vota publicè coram ſcrutatoribus ſcriberentur, & coram omnibus etiam publicarentur, non ſolùm quoad numerum, ſed quoad perſonas ipſas ſuffragia ferentes, vnde deinceps conſtare poterat, & in quem maior pars quoad numerum conſenſerat, necnon quæ fuiſſet cenſenda ſanior pars quantum ad meritum & zelum. Poſtmodum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de regular. cap. 6.* decreuit, electiones in poſterum per vota ſecreta eſſe faciendas, ita vt ſingulorum eligentium nomina nuſquam publicentur: ex quo factum eſt, vt ampliùs non inquiratur, quænam ſuffragiorum pars ſit ſanior, ſed tantummodò maior, ſeu minor ipſorum numerus reſpiciatur. Quapropter valida reputabitur electio à maiori votorum, ſeu ſuffragiorum numero facta, dummodò ipſa vota ſint legitima, nec vllam patiantur exceptionem, & perſona digna eligatur: ſemper enim maior pars ſanior præſumitur, ſi perſona electa indigna non ſit: at vbi vota ſunt paria, electio eſt nulla, quia debet fieri à maiori parte ſuffragiorum, eſt textus *in cap. in Geneſi*, & *cap. Eccleſia veſtra el 2. de elect.* non dicitur enim maior pars, niſi excedat medietatem. Hæc autem maior pars non eſt cenſenda ea tantùm, quæ maior dicitur reſpectu minoris, ſed reſpectu, & in ordine ad totum Capitulum; in quo numero illi ſolùm ſunt computandi, qui in eadem electione votum habuerunt. Si autem non appareat, maiorem partem vocalium in Capitulo Congregatorum in vnum conſenſiſſe, de iure communi iterandum eſt ſcrutinium, quouſque maior pars ſuffragiorum in vnum conſentiſſe reperiatur, argum. *cap. Cùm terra, cum ibi notat. de elect.* Ita Suarez *de Relig. tom. 4 lib. 2. cap. 5. numer. 21. & 22.* Sigiſmundus à Bononia *dub. 38.* & alij plures apud ipſum.

Conc. Trid. Suarez. Sigiſmund. à Bonon.

5. Poſtquam Prælatura vacauerit, electores tenentur, ceſſante legitimo impedimento intra tres menſes immediatè ſequentes, ſucceſſorem eligere; aliàs electio deuoluetur ad proximum ſuperiorem, qui ſi intra alios tres menſes non elegerit, poteſtas eligendi ad alium ſuperiorem, & ſic vſque ad Papam tranſfertur; per text. expreſſum *in cap. Ne pro defectu, de elect.* & vbi communiter Doctores. Poſt electionem factam tenentur electores electionem præſentare electo, & petere conſenſum eius intra octo dies, poſtquam commodè potuerint, alioquin negligentes excluduntur à proſequutione proceſſus, & per tres annos ſunt ſuſpenſi ab omnibus beneficiis ipſius Eccleſiæ, vt habetur *in cap. Cupientes, §. cæterùm, de elect. in 6.* Electus verò tenetur conſentire intra menſem à præſentatione, aliàs priuatus eſt iure electionis: niſi fortè ea ſit electi conditio, quòd non poſſit conſentire abſque licentia Superioris: quo caſu tenetur ipſe, vel electores licentiam petere cum ea celeritate, quam Superioris abſentia patitur: quod ſi dicta licen-

tia

tia non obtineatur, tenentur ex tunc ad aliam electionem electores procedere. Ita Syluester *verb. Electio 1. q 6.* Miranda *tom. 2. q. 23. art. 10.*

Sylueſt. Miranda.

Pro Fratribus tamen Minoribus adeſt priuilegium Clementis IV. quo *conceſſit, vt in electionibus Generalu & Prouincialium Miſtrorum, tempus ſuper hoc à iure ſtatutum non curraat, nec ipſi in hac parte ſuris huiuſmodi Regulis coarctentur*, & refertur in Compend. priuileg. Mendicant. *verb. Electio, §. 4.* Quod priuilegium etiam aliis Religionibus communicationem conceſſionum Fratrum Minorum habentibus ſuffragatur.

Clem. IV.

Comp. priuil. Mendic.

6. Electio fieri non debet antequam Prælati defuncti corpus ſepulturæ traditum ſit, vt habetur *in cap. bona memoriæ el. 2. de elect.* Si tamen electores, cadauere adhuc ſuper terram exiſtente, ſucceſſorem eligerent, valeret electio, vt docet ibi Gloſſa, quam ſequuntur communiter Doctores. Imò tales poſſunt eſſe circumſtantiæ quòd electio, etiam ipſa eadem die ſit facienda, & omnis cunctatio abiicienda & repellenda, non expectata corporis ſepultura, vt ſi timeatur aliqua magna vis & violentia alicuius magni Principis, aut aliquæ ipſius literæ, quæ valeant, aut poſſint iuſtam atque legitimam impedire electionem. Ita Miranda *cit. concl. 1.*

Miranda.

7. Promotus ad Subdiaconatum ante legitimam ætatem ex priuilegio vel diſpenſatione, ad ſuffragia ferenda admitti debet: quia ad id habet omnia à iure requiſita: tum etiam, quia non ſolùm ordinem, verùm etiam ordinis executionem recepit. Si autem ante legitimam ætatem illicitè, ac ſubreptitiè ad ſacros Ordines promotus fuit, tunc à ſuffragio ferendo prohibitus eſt: quia per Extrau. *Pij II.* quæ incipit, *Cùm ex Sacrorum*, eſt ipſo facto ab Ordinibus ſuſpenſus, ac propterea ad votum ferendum inhabilis: ſuſpenſione tamen ſublatâ, poſſet ſuffragium ferre; quia cum effectu habet conditionem Ordinis ſacri requiſitam, *in Clement. vt ij, de ætate & qualitat.* nec vllum impedimentum Canonicum habet; quamuis enim defectus ætatis Ordinis executionem impediat, non tamen eſt impedimentum ad electionem: cùm nihil quoad hoc circa ætatem in dicta Clementina ſit diſpoſitum. Ita Rodriguez *tom. 2. quæſt. regul. quæſt. 52. art. 5. verſ. 2.* Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 4. numer. 7.*

Pius II.

Rodriguez. Suarez.

8. Eligendus in Prælatum regularem, debet eſſe profeſſus, aliàs electio irrita eſt, non obſtante qualibet contraria conſuetudine: quia non debet in Magiſtrum aſſumi, qui nondum fuit diſcipulus, nec præeſſe debet, qui nondum ſubeſſe nouit, *cap. cùm cauſam, cap. cùm in Magiſtrum, extr. de elect.* Et quidem in eligendo non ſufficit tacita, ſed requiritur expreſſa profeſſio; aliàs electio irrita eſſet, ità habetur *in cap. Nullus, de elect. in 6.* his verbis, *Nullus religioſus ad Prælaturam ſuæ, vel alterius Religionis de cætero eligatur, niſi antea fuerit Ordinem regularem expreſſè profeſſus, quod ſi ſecus actum fuerit, eo ipſo irritum habeatur.* Notandum tamen eſt, quòd in prouiſione, quæ fit per viam collationis, vel poſtulationis, ſufficit profeſſio tacita, nec requiritur expreſſa. Ratio eſt, quia dictum *cap. Nullus*, loquens de electione, cùm ſit ius pœnale, non debet extendi ad prouiſionem, vel poſtulationem, vt docet poſt Ioannem Andræam, Panormitanus *in cap. quia ingredientibus, de teſtament. numer. 4.* Imò, vt quis in regularem Prælatum aſſumi poſſit, non ſufficit quod ſit expreſſè profeſſus tria vota Religionis; ſed requiritur, quòd in eadem Religione, in qua aſſumitur, profeſſionem emiſerit, vt cautum eſt *in Clement. 1. de elect.* vbi prohibetur, *ne religioſus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis; vel habitus de cætero eligatur, quòd ſi ſecus actum exiterit, ſit eo ipſo irritum & inane.* Ratio eſt, quia non congruit, vt homines diſparis profeſſionis, vel habitus ſimul in eiſdem Monaſteriis ſocientur, vt ait ibi Summus Pontifex. Ita etiam Rodriguez *tom. 2. quæſt. reg. quæſt. 53. artic. 9.* Sigiſmundus à Bonon. *tractat. de elect. dub. 60.* Idem decreuit ſacrum Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 21. de regular.* His verbis: *Primum quidem confidit, Sanctiſſimum Romanum Pontificem pro ſua pietate & prudentia curaturum, quantum hac tempora ferre poſſe viderit, vt iis, quæ nunc commendata reperiuntur & quæ ſuos Conuentus habent, regulares perſonæ, eiuſdem Ordinis exactè profeſſæ, & quæ gregi præire & præeſſe poſſint, præficiantur.*

Rodriguez. A Bononia. Conc. Trid.

9. Ad Prælaturas eligi non poſſunt: *Primò*, qui literas Apoſtolicas falſificauit, vel in eis etiam in modico manus appoſuit, niſi ſit officialis, Hoſtienſis *in Summ. de crimine falſi, §. qualiter.*

Hoſtienſ.

Secundò, tranſiens de mendicantibus ad non mendicantes, in Prælatum aſſumi non poteſt, *Clement. vt profeſſi, de regul.*

Tertiò, Religioſus qui exercuit Chirurgiam, ex qua ſecuta eſt mors, *cap. ſua, de homicidio.*

Quartò, Simoniacus religioſus, Paulus II. in Conſtitut. *Cùm deteſtabile ſcelus.*

Paulus II.

Quintò, Homicida, *c. ad aures, de ætat. & qualit.*

Sextò, Periurus declaratus, *c. querelam, de iureiur.*

Septimò, qui aliàs per ſæcularis poteſtatis abuſum electus fuit, *cap. quiſquis, de elect.*

Octauò, Regulares pœnitentiati ſemel à Sancto Officio, etiamſi pœnitentias compleuerint. Ex declaratione Vrbani Papæ VIII. apud Peirynum *tom. 2. priuil. in annotat. ad 9. Conſtitut. Pauls V.*

Vrban. VIII. Peirynus.

Nonò, Leproſi, *c. tua nos de Cler. ægrotant.* Laborans tamen ſcabie etiam Herculea, quæ oritur ex atra bile, ſi alias ſit idoneus, & periculoſum ſit ne eo neglecto minus dignus eligatur, poſſet eligi. Ita Sayrus *de cenſur. lib. 6. cap. 9. num. 9.*

Sayrus.

10. Laborantes morbo Gallico notoriè, & illi, quibus ex nimia Venere ceciderunt capilli & barba, Sayrus *loco citato n 5 & 6.*

Sayrus.

11. Rabidi, ſiue phthiſi infecti: Paralyſi laborantes: Podagroſi continui, vel quaſi continui: Morbo Comitiali, ſiue caduco laborantes; etiamſi eodem morbo ſemel ſint vexati: Furioſi & lunatici; Cæci: Dæmoniaci: muti: ſurdi: Hermaphrodi: gibboſi, qui omninò curui ſunt & oculos in cœlum eleuare non poſſunt ſine magna difficultate: Stulti, ſtolidi, fatui, ſeu ſimplices: Valetudinarij, qui malo corporis affectu ſæpè ſæpius malè valent, frequenterque ægrotant: Publicus alcator: vino dediti & inebriare ſe conſueti: Hæretici, & eorum receptatores, fautores, & defenſores: Neophyti: Abiurantes in Sancto Inquiſitionis officio, tam ſi abiurauerint de leui, quàm de graui: Bigami. Hi omnes ſunt ineligibiles ad Prælaturas. De quibus ſigillatim tractant Tamburinius de iure Abbatum *tom. 1. diſp. 5. quæſit. 21.* Sayrus *de cenſur. lib 6. cap. 8 & 9.* & alij.

Tamburin. Sayrus.

12. Electio illius caſſanda eſt, qui requiſitus, antequam eſſet electus, electioni de ſe faciendæ conſentit: quia vitio ambitionis notatur, *c. cùm poſt petitam, de el. 2* Fugientes enim & inuiti, non autem ambientes & ſe offerentes eligendi ſunt: & ſicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt; ita fugientibus offerendus eſt, *cap. In Scripturis 8. quæſt. 1.* Quapropter requiſitus, vt in vitium ambitionis non incidat, aſſentiri non debet, ſi eius conſenſus ante electionem petatur, ſed reſpondere debet, *Nolo quod me eligatis & ita rogo*, vel poteſt dicere, *Non intendo Dei vocationi reſiſtere.* Quòd ſi conſentiat, poſt

Ioan. Andr. Panormit.

Innocent. poſt electionem factã requiritur, reſpondere poteſt electus: *Nolens volo*, & *volens nolo*. Ita Innocent. *in c. cùm in iure, de elect.* Imò ſecundùm illum, honeſtum eſt, vt non ſtatim aſſenſum præbeat, ſed aliquantulũ reſiſtat, ne ambitionis vitio notetur. Ita etiã Sigiſm. à Bonon. *tract. de elect. dub.* 41. & alij apud ipſum.

Sigiſmund. à Bonon.

13. Electiones neceſſariò debent eſſe liberæ, & omnis electio metu cadente in conſtantem virum, facta, eſt ipſo iure nulla, *c. vbi periculum, §. cæterum, de elect. in 6.* vbi habetur, loquendo de electione Papæ, quòd neceſſariò requirit eligendi voluntatem liberam, ita quòd aliàs nullatenus erit valida. Ratio eſt, nam generaliter loquendo, omnis metus non iuſtus, reddit actum nullum, atque inualidum, etiam quoad forum conſcientiæ, ſi principaliter aliquid fiat ob metum. Tum quia eſt contra proprium ſignificatum & ſubſtantiale ipſius vocabuli; cùm eligere, ſit vnum ex pluribus voluntariè capere, vnde non eſt electio, vbi voluntas libera non eſt: metus enim libertatem conſenſus tollit, per textum *in cap. cum locum, de ſponſal.* Ita Nauarrus *lib. 1. conſil. tit. de elect. conſil. 5.* & *in Manual. cap. 22. num. 51.* Caſtellinus *in tract. de elect. cap. 4. num. 56.* Miranda *tom. 2. quæſt. 23. artic. 21. concl. 2.* & alij communiter. Quapropter ſi facultas eligendi ita coarctetur, vt certum genus perſonarum, imò vna perſona eligi poſſit, non dicitur electio libera, Gonzal. *ſuper regul. 8. Cancellar. gloſſa 53. num. 25.* Limita tamen vti infra.

Nauarrus. Caſtellin. Miranda.

Gonzalez.

Multis tamen modis poteſt reſtringi libertas electionis, dummodo maneat tanta, quanta eſt neceſſaria ad hoc, vt electio valeat, & nullatenus cenſeatur coacta: ſicut & in matrimonio carnali debita eſt libertas & tamen poteſt iure optimo aliquo modo reſtringi, remanente libertate ad id neceſſaria, & de facto reſtringitur ad certum genus perſonarum, id eſt, ad fideles tantùm, & vt non fiat intra talem, vel talem gradum. Hinc valida eſt Conſtitutio cuiuſdam Ordinis multarum nationum, qua cautum fuit, ne in Superiores Monaſteriorum eligerentur plures, quàm tres de vna natione. Ratio eſt, ne detur alius cauſa, ſeu occaſio ſuperbiendi, aliis verò murmurandi, aliis autem tribuendi nimium ſuæ genti, ſiue nationi. Ita Nauarrus *lib. 1. conſil. tit. de conſtitut. conſil. 7.*

Nauarrus.

14. Conſuetudo auferens libertatem eligendi, non valet: ſecus ſi reſtringit electores ad certum Collegium vel certum genus perſonarum. Vnde conſuetudine induci poteſt, vt mortuo Prælato Capitulum non prius ad electionem procedat, quàm Principi mors Prælati nuntietur & petatur ab eo poteſtas eligendi, quod quidem conſuetudine induci potuit propter intereſſe Principis, vt proponat aliquem ſibi fidelem, nam Princeps poſſet opponere contra electum exceptiones aliàs legitimas, maximè ſi dubitet de proditione patriæ, vel reuelatione ſecretorum, aut Conciliorum: hæc conſuetudo viget hic in Belgio, in electionibus Abbatum. Ita Syluester *verb. Electio 1. q. 23.*

Syluest.

An autem conſuetudo valeat aliquarum Religionum, quibus cautum eſt, vt tantùm prudentiores, ſenes & ætate prouectiores, vocem habeant in Capitulis, & admittantur in electionibus Superiorum? Reſpondeo, quòd dicta conſuetudo, quamuis boni aliqualem habeat apparentiam, non tamen eſt talis, quin verò eſſe videtur contra ius, aut ſaltem eſt præter ipſum, neque illi conformis, multiſque inconuenientibus plena. Quod ſit contra ius Canonicum probatur; nam iure communi Canonico, omnis religioſus profeſſus tria ſubſtantialia vota in Religione aliqua per Sedem Apoſtolicam approbata, ſimul ac profeſſus eſt, & in ſacris Ordinibus conſtitutus, vocem habet in Capitulo, & in omnibus electionibus Prælatorum. Ex *cap. ex eo, §. 1. de elect. in 6.* & Clementin. *vt hi qui, de etat. & qualit.* Inconuenientia talis conſuetudinis ſunt, quòd electiones videntur coarctari, ſaltem quantùm ad ſuffragia: & aliquam continere videtur rationem malitiæ, ac fieri in eum finem, vt cùm electores & ſuffragatores ſint pauciores, facilius ſubornari poſſint. Nec negare quis poteſt; vtile eſſe in rebus omnibus, quod multa ſint conſilia, plures conſultores, & plures vocem habentes in Capitulis. Hac enim ratione leges & plebiſcitæ Romanorum, in quibus condendis, maiores ſimul cum Minoribus concurrebant, firmiora diiudicabantur olim, prout ſacri Canones nobis ſcriptum reliquerunt, *in cap. Plebiſcita*, & *cap. lex, diſtinct. 2.* & experientia ſemper docuit electiones factas à pluribus, meliores ſemper fuiſſe, quàm factas à paucioribus. Ita Nauarrus *lib. 1. conſil. de conſuetud. conſil. 2.* Rodriguez *tom. 2. qq. reg. q. 52. art. 12.* & alij.

Nauarrus. Rodriguez.

15. Electio, in qua vnus electorum publicè, Capitulo permittente, ſuffragium ſuum manifeſtat, nulla eſt: cùm non poſſit dici celebrata per vota ſecreta, iuxta præſcriptum Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 6. de regular.* Secus autem ſi ſecretò alicui ſuam ſchedulam oſtenderet: quia per huiuſmodi ſimplicem oſtenſionem non inficitur electio: quia defectus clandeſtinus vnius de Capitulo non debet nocere Capitulo ignoranti, neque actui ab eo aliàs legitimè facto. Alioquin eſſet in poteſtate cuiuſlibet electoris, quam mallet, electionem vitiare, ac irritam & nullam reddere, quod eſſet graue inconueniens. Igitur oſtenſio vnius ſchedulæ, ſiue per malitiam, ſiue per errorem, dummodo non eſſet vel præſumeretur cauſa, ob quam talis electio ſequuta fuiſſet, non infirmat electionem. Ita Nauarrus *lib. 1. conſil. tit. de elect. conſil. 4.* Rodriguez *tom. 2. qq. reg. quæſt. 52. art. 9.* Miranda *in Manual. tom. 2. quæſt. 23. artic. 19.* Contra Paſqualigum *in deciſ. moral. deciſ. 264.*

Conc. Trid. Nauarrus. Rodriguez. Miranda. Paſqualig.

16. Electio per viam ſcrutinij celebrata, irrita eſt, in qua omnes ſchedulæ, poſt votorum numerationem, coram Capitulo non cremantur, per declarationem à Pio V. viuæ vocis oraculo Cardinali Cribello factam, quam refert Rodriguez in Bullario poſt Bullas eiuſdem Pontificis, ſub *num. 4.* his verbis: *Declarauit ad mentem Concilij* cap. 6. ſeſſ. 25. de regular. *& ad ſupplicationem multorum Religioſorum, vt omnes electionis fiant per vota ſecreta mediis ſchedulis, & nunquam publicentur eligentium nomina, & peracto ſcrutinio eorum qui plura habent ſuffragia vltra mediocritatem habeantur electi, quo facto coram Capitulo crementur ſchedulæ, & irritat electiones, qua non ſeruauerint prædictum modum.* Ita etiam Caſtellinus *tractat. de elect. cap. 4. num. 62.*

Plus V. Rodriguez. Caſtellin.

17. Electio valet, in qua quis per errorem, aut forſitan per malitiam, miſit in vrnam ſchedulam albam: tamen votum illius qui hoc fecit, non eſt computandum inter alia, nec de eo maior mentio facienda, quàm ſi nunquam in vrnam fuiſſet miſſum. Ratio eſt, quia per illud factũ, qui miſit ipſum, voci ſuæ renunciaſſe videtur, quod cuilibet licitum eſt facere, quando id non vergit in damnum atque præiudicium communitatis, ſed qui renunciat voto ſuo, non eſt magis de electorum numero, quàm ſit abſens non vocandus, vel vocandus, ſed nolens venire vocatus. Ita Nauarrus *lib. 1. conſil. de elect. conſil. 7.* Rodriguez *loco cit. quæſt. 52. artic. 13.*

Nauarrus. Rodriguez.

18. Electio ad officia & dignitates Eccleſiaſticas ipſo iure eſt nulla, quando in ea ſors interuenit: quia

quia est facta contra iuris dispositionem & contra formam *cap. quia propter, de elect.* Ita habetur expressè *in cap. Ecclesia vestra, de sortilegiis*, vbi sortium vsus ab Honorio III. in electionibus perpetua prohibitione damnatur. Ratio est, nam nihil ex se, atque ex sua ratione incertius sorte, nihil sine ratione minus, cæcius nihil ac prorsus rationis oculis carens. Nec refert quòd D. Matthias & alij electi fuerint per sortem, non tamen ipsorum exemplo per sortem est aliquis eligendus, quia priuilegia singulorum, communem legem facere non possunt. Habetur enim *in cap. hinc est, 16. quæst. 1. Non enim quod vni sigillatim conceditur, statim omnibus conuenit.* Et in cap. Priuilegia, distinctione 3. *Priuilegia sunt leges priuatorum, quasi priuata leges.* Nec per hoc reprobantur omnes in vniuersum sortes. Nam sors in se & natura sua considerata, non est aliquid mali, vt habetur *in cap. Sors, 26. quæst. 2.* sed nihilominus prohibetur ex causa, vt dicitur, quia propter assiduitatem, interdum labitur in idololatriam, & in aliqua, quæ nonnunquam existimantur mala, quorum est vnum, sortes mittere in electionibus. Possunt tamen sortes aliquando permitti propter dissentiones & ad dirimendas lites in iudiciis, at in electionibus id facere non licet, quamuis aliàs sit, aut timeatur discordia, vt tradit Glossa *in cap. Ecclesia vestra, de sortilegiis.* Et ideo hanc sententiam sustinent D. Thomas 2. 2. *quæst. 95. artic. 8.* Garzias *de benefic. part. 5. cap. 4. numer. 205. in addit.* Angelus *verb. Sors, quæst. 2.* Sigismundus à Bononia *de elect. dub. 27. num. 8.* Quamuis aliqui putent electionem ad officia Ecclesiastica per sortes diuisorias, non esse ipso iure irritas, ex vi *cap. Ecclesia* citati, quia etsi interdicat huiusmodi electionem, nullum tamen verbum irritans addit. Ita Bonacina *de leg. disp. 3 quæst. 5. punct. 3. num. 13.* qui pro se citat Suarez & Sanchez. Ad quorum tamen rationem posset responderi, quod licet in prædicto *cap. Ecclesia*, nullum adsit verbum irritans electionem. Innocentius tamen III. *in cap. quia propter, de elect.* tradens formam eligendi per viam scrutinij, subdit, *aliàs enim electio facta non valeat*, quæ verba inducunt nullitatem ipso facto.

Honor. III. Glossa. D. Thom. Garzias Angelus. Sigism und. à Bonon. Bonacina. Suarez. Sanchez. Innoc. III.

Addo, neque circa receptionem nouitij licere suffragium dare per sortes, est enim hæc electio cæca, & non discernit inter merita, vel demerita, sed quasi fortunæ committitur. Vnde Laurentius Portel. *in dub. regular. verb. Electio, numer. 4.* dicit, se vidisse iudicatum suffragium nullum, cuiusdam Religiosi, qui pro suffragio nouitij, clausis oculis, præ scrupulo, misit manum ad vrnam plenam fabis nigris, & albis: & clausis oculis primam obuiam sumens iniecit pro suffragio: hoc enim ferè fuit suffragari per sortes, absque discretione, & proinde inualidè, vt enim postea constitit, iniecit fabam nigram reprobatiuam; quam iniecisse illum mox pœnituit; idque constitit collatione facta ad alios suffragatores. Et sic electio repetita fuit.

Portel.

19. Electiones de iure communi necessariò confirmandæ sunt à superiore illius, qui est electus, *cap. qualiter, extra de elect.* vnde confirmatio plenum ius tribuit confirmato circa dignitatem ad quam electus fuerat: ita vt possit omnia, quæ sunt iurisdictionis, exercere, *cap. transmissam*, & *cap. Nolli, de elect.* Propterea electus ante confirmationem, nec directè, nec indirectè debet se administrationi ingerere: quod si fecerit, ipso facto priuatur omni iure quod per electionem in ipsa dignitate acquisierat, *cap. Auaritia, de elect. in 6.* Cuius textus dispositio habet etiam locum in postulato, præsentato, nominato & in eo qui post confirmationem, siue institutionem nullam & inualidam ex defectu iurisdictionis administrat, secus si sit nulla ex defectu citationis. Excusatur tamen à pœna electus, vel præsentatus administrans ante confirmationem vel institutionem, si errauit in facto, secus si errauit in iure, nisi fuerit ius dubium. Item si de rebus præiaturæ nihil attigit, nec immiscuit se administrationi: quia ad incurrendam dictam pœnam non sufficit sola possessio vel constitutio in œconomum vel Procuratorem, sed requiritur realis administratio in spiritualibus, vel temporalibus & perceptio fructuum. Ita Glossa *in dict. cap. Auaritia, verb. eo ipso.*

Glossa.

20. Confirmatio est necessaria, tam ex parte confirmaturi, respectu cuius confirmatio est necessitatis & debita, per *cap. final. de elect. in 6.* quàm ex parte electi, quatenus electus per electionem acquirit habitum administrationis, per confirmationem verò exercitium, Glossa *in cap. quanto, distinctione 63.* Et electus ante confirmationem habet solum ius ad rem, vel ipsam electionem prosequendam, *cap. si eo tempore, de elect.* vnde si electus ante confirmationem moriatur in curia Romana, beneficium per eius obitum non dicitur vacare in curia, nec extra curiam, sed per obitum primi. Ita Garzias *de benefic. part. 4. cap. 3. numer. 9.* Prædicta tamen non procedunt in electione, quæ fit ab habente simul potestatem confirmandi, non expectata alia Superioris confirmatione, quia tunc eligendo censetur confirmare, & confirmando eligere, adeò quod electo per solam electionem ius in re acquiritur. Ita Glossa *in cap. vnic. verb. collationem, de rerum permutat. in sexto.* Ex dictis colligitur confirmationem dare ius in re, & electum post confirmationem dicendum esse verè Prælatum, quando electio est valida, nam vbi electio non tenet, confirmatio superioris non prodest, Glossa *in cap. 1. verb. irritum, de postulat. Prælator. in 6.*

Glossa. Garzias. Glossa. Glossa.

A quibus verò electiones Prælatorum confirmandæ sint diximus *tom. 1. verb. Abbas, num. 4.* Et dictis addo, quòd hodie speciali Sedis Apostolicæ concessione, vt plurimum, Generales Ordinum statim ac sunt Canonicè electi, intelliguntur per Summum Pontificem confirmati: vt patet ex concessione Clementis IV. pro nobis, Fratribus Minoribus, & refertur *in compend. priuileg. Mendicant. verb. Electio, §. 3.* Idem priuilegium concessum est Fratribus Minimis à Iulio II. per Bullam, quæ incipit, *virtutis conspicuus*, apud Peirynum *tom. 1. priuileg. Constit. 3. eiusdem Pontificis.* Similiter Prælati locales, qui per electionem Conuentuum non creantur, sed à Generali, vel Prouinciali vnà cum diffinitorio prouidentur, non indigent confirmatione, quia eo ipso quod eligunt, confirmare videntur. Ita Glossa *in cap. vt circa, verb. Electiones & in cap. 1. verb. Prouisionem, de elect. in 6.*

Clem. IV. Comp. priuil. Mendic. Iulius II. Peirynus. Glossa.

21. Quando electus est idoneus, debet sine dilatione confirmari, si non exiterit aliquod legitimum impedimentum. Quod si is, ad quem spectat confirmatio, recusat electionem confirmare, nulla legitima causa in contrarium existente, recurrendum est ad Superiorem, qui poterit eidem confirmatori præfigere certum terminum ad confirmandum, intra quem terminum si non confirmauerit, potestas confirmandi ad Superiorem deuoluitur, argum. *cap. Nullus, de iur. patron.* & docet Castellinus *tractat. de elect. cap. 14. n. 18.* Nullum est tamen tempus à iure præfixum, intra quod confirmator teneatur electionem confirmare, vt docet Panormitanus *in cap. post quam in fin. de elect.*

Castellin. Panormit.

22. Superior, electo inuito, non potest eius electionem confirmare. Ratio est, quia cùm inter eligentes, qui repræsentant ipsam Ecclesiam, seu Congregationem, & electum cõtrahatur matrimonium spirituale, requiritur consensus, non solùm ipsorum eligentium, sed etiam electi, qui est futurus sponsus, Panormitanus *in cap. innotuit, de elect. n.* 13. Verùm religiosus electus & confirmatus potest compelli ad acceptandum officium, ad quod est confirmatus. dummodò non assignet causam rationabilem, iuxta dicta *tom.* 1. *verb. Electio, num.* 12. Panormit.

23. Compromissum non valet factum ab vno, nomine & vice omnium, aliis præsentibus tacentibus & non contradicentibus, quin verò omnes expressè debent consentire. Ratio est, quia cùm res ista non sit leuis, sed grauis, omnes ad quos pertinet, sigillatim debent inquiri & expressè consentire. Ita Innocentius & communiter Doctores *in cap. In causis, de elect.* Quod etiam obseruandum est in omni re ardua explicanda per vniuersitatem: quia in re onerosa & graui, taciturnias non habetur pro consensu, vt tenet Glossa *in reg. qui tacet, in* 7. Secus in re leui, maximè concupiscibili. Ita Syluester *verb. Electio*, 11. *quæst.* 12. & post illum Miranda *tom.* 2. *q.* 25. *art.* 35. Innocent. Glossa. Sylueſt. Miranda.

24. De essentia & substantia electionis compromissariæ, siue factæ per compromissum, requiritur *Primò*, quòd seruentur generaliter omnia quæ de electione in communi dicta sunt: quia quidquid conuenit electioni in genere, & in communi, necessariò conuenire debet eidem in specie, atque in particulari. *Secundò*, quod tenuerit compromissum, factumque fuerit in forma licita, iuxta dicta *tom* 1. *verb Electio, num.* 4. *Tertiò*, quòd non excedatur forma compromissi, per *cap cùm dilectus, de elect. Quartò*, quòd electio fiat per verba singularis numeri, etiamsi compromissarij sint plures, & aliter facta non valet, per *cap. Sicut cùm, de elect. in* 6.

Quando compromissum fuit factum limitatè, requiritur *Primò*, quòd compromittentes sint simul omnes congregati, qui volunt & debent interesse. *Secundò*, quòd omnes compromittant in vnum vel duos, tres, aut quot volunt, siue sint de Collegio, siue non, dummodò sint Clerici, & non laici. *Tertiò*, quòd compromissarius, siue compromissarij scrutentur vota singulorum secretè & sigillatim, siue viua voce; siue per schedulas si timeatur de aliqua fraude, in qua scribatur nomen eius in quẽ quisque elector consentit. *Quartò*, quòd eligant illum, in quem maior pars totius Capituli consenserit, dicendo, *Ego N. compromissarius de consensu & voluntate compromissariorum meorum*, scilicet si habeat alios, *virtute compromissi in me, vel in nos facti, eligo in Episcopum, siue Prælatum talis Ecclesiæ N. in quem maior pars Capituli consensit.* Et si in primo scrutinio non consensit in aliquem maior pars scrutinij, debet reiterari, & si opus fuerit, triplicari, quousque in aliquem maior pars Capituli consentiat, per *cap. cùm terra, de el. ct.*

Si verò compromissum fiat non limitatè, sed simpliciter & absolutè, requiruntur solùm duo prima: quibus stantibus, eligat dicendo. Ego N. compromissarius, &c. eligo in Episcopum, &c. excepto, quod non dicet, in quem maior pars Capituli consentit. Ita Syluester *verb. Electio* 2. *q.* 15. Sylueſt.

25. Certum est, quando compromissarius est vnus solus, non posse semetipsum eligere. Ratio est, quia nemo debet oriri à seipso, per *cap. in Scripturis*, 8. *quæst.* 1.

Quando autem compromissarij sunt plures, & in forma compromissi habetur, vt compromissarij possint eligere vnum ex seipsis, certum est etiam secundùm omnes id fieri posse, per *cap. cùm in iure, de elect.* vbi confirmatur electio facta ex tribus de septem compromissariis, de vno ipsorum, si ille electioni consentiat, quia scilicet, vt dicit Glossa *ibid.* tunc sua persona computatur inter eligentes, & sic quatuor intelliguntur, & ita maior pars Capituli. Potest autem in se consentire, postquam in alium consenserat, si eius consensus in alium non fecerit maiorẽ partem; quia talis consensus illi non prodest.

Sed petes, quare in hac electione compromissaria, in dicto casu possit quis suffragari pro se, vt electionem de se factam compleat & perficiat, cùm tamen in electione, quæ est per scrutinium, nullus possit sibi suffragari; Respondeo, cum Syluestro *v. Electio* 11. *q.* 18. quod vbi proceditur per viam compromissi, vox electi numerum auget, & suam electionem consentiendo perficit. Sed vbi proceditur per viam scrutinij, non computatur in numero, vt *in c. Cumana, de elect.* Ratio diuersitatis ista est, quia compromissum non debet compromissariis esse officium onerosum, esset autẽ onerosum, si propterea excluderentur ab electione passiua. Tum quia electio nõ incidit, siue inchoatur primò à prædicto compromissario, sed ab aliis, à se verò ipso tantùm perficitur & consummatur, quod non contingit in electione, quæ fit per scrutinium. Ita etiam Ioannes Andræas *in cap. per nostras, de iur. patronat.* Sylueſt. Ioan. Andr.

An autem quando sunt plures compromissarij, possint vnum de seipsis eligere, si id non habeatur expressè in forma cõpromissi? Duæ sunt opiniones extremæ apud Syluestrum *q.* 17. aliis affirmantibus, aliis negantibus. Sed placet affirmatiua, quam sustinent Panormitanus, Archidiaconus, Innocentius, Hostiensis & Ioannes Andræas *in cap. Qui Episcopatum*, 8. *quæst.* 1. Portel. *v. Electio, num.* 9. *in addit.* Diana *part.* 10. *tract.* 13. *resol.* 33. Marc. Vidal in arca vitali *tit. de elect. Inquisit. vnic. n.* 25. *& sequent.* & alij. Sylueſt. Panormit. Archidiac. Innocent. Hostiens. Portel. Diana. Marc. Vidal.

26. Quamuis electio semper sit ipso iure nulla, quando sine necessitate omittitur aliquid de substantialibus ac pertinentibus ad formam essentialem Canonicæ electionis: quia gesta contra formam sunt ipso iure nulla, *cap. cum dilect. de rescript.* & ex communi docent Panorm. *in cap. cùm post, de elect* & alij. Tamen in electionibus non tenentur regulares seruare apices electionis, sed sufficit, quòd seruetur formæ substantia, quando æquè bene fieri potest, Clement. *Exiui de parad. de verb. significat.* Portel. *in dub. reg. v. Electio, num.* 14. Vnde in electionibus regularium hic & nunc seruanda est forma suarum Constitutionum, etiamsi in omnibus non conformetur electio formæ præscriptæ *in cap. quia propter.* Panormit. Portel.

27. Prælati regulares eligi possunt per viam postulationis. Probatur, quia cùm talis modus eligendi sit iure communi permissus, vt constat ex *cap. vnic. de postulat. Prælat. in* 6. & consequenter sit licitus, illum seruare poterunt regulares in eligendis propriis Prælatis, dummodò non obstent Constitutiones approbatæ à Sede Apostolica, quæ talem modum instituendi Prælatos reprobent. Ita Lezana *tom.* 2. *cap.* 12. *n.* 51. Nota tamen quod ad electionem per postulationem requiratur, vt illa fiat ab iis, qui possint postulare, vt sunt illi soli, qui possunt eligere. Vt postulatio præsentetur ei, qui potest illam admittere, & vt postulatio sit concors, id est, facta ab omnibus electoribus, aut saltem à duabus partibus. Leſſius.

28. Eligi possunt Prælati regulares per nominationem, nisi ex peculiari aliquo statuto, aut ex legitima consuetudine id sit prohibitum: cùm enim id iure

iure communi sit permissum, vt colligitur ex *cap. sicut, de elect.* & notat ibi Panormitan: *in 1. notab.* non est, cur debeat denegari regularibus. Tunc autem propriè fit electio per nominationem, quando duo vel tres, qui sunt celebriores, ac digniores de Capitulo nominantur Superiori, & petitur, vt de aliquo illorum prouideat: & per talem nominationem, vel acquiritur ius nominatis, vel certè ad minus non possunt nominantes variare, postquam nominatio legitimè fuit præsentata Superiori. Ita Lezana *loco citato num.* 53. Sylvester *v. Nominatio*, & alii penes ipsos citati.

Panorm. Lezana. Sylvest.

29. Electio Prælatorum regularium non potest fieri per fabas. Probatur, quia *in cap. Ecclesia 2. de elect.* dicitur, in Prælato eligendo saniorem partem suffragiorum attendendam esse, quod tamen non seruaretur, si electio fieret per fabas, cùm taliter eligens non scribat nomen suum, nec verbum proferat, ex quo cognoscatur, num ipse conueniat cum parte saniori necne. Ita Sylvester *verb. Electio 2. quæst.* 6. Portel. *in dub. reg. verb. Electio in addit. num.* 7.

Sylvest. Portel.

30. Regulares non possunt reprobare illum quem iam concorditer elegerunt in Prælatum. Ratio est, tum quia nemo potest mutare consilium in alterius præiudicium, *l. Nemo, ff. de reg. iur.* tum quia iam res non est integra posità regulatione suffragiorum ac publicatione scrutinij, quæ præcedunt publicationem electionis, esto sit electo nondum sit acquisitum ius plenum. Ita Miranda *tom. 2. quæst. 23. art. 24.* Peirynus *in formular. lit. B. cap. 2. §. 8. vers. dico tamen*, Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæst. 52. artic. 7.* & alij. Addit Miranda, quod licet possint electores repetere suum suffragium, quamdiu res est integra, præsertim si per imperitiam, seu errorem illud dederint alicui inhabili; non possunt tamen illud repetere, postquam scrutatores recepta electorum suffragia simul permiscuerunt: idque etsi præfati scrutatores ea nondum cœperint recitare; quod etiam notauit Rodriguez ex Glossa, Ioanne Andræa & aliis.

Miranda. Peirynus. Rodriguez.

31. Non possunt regulares eligere in Prælatum, illum, qui aliàs fuit reprobatus ob vitium aliquod personale, si illud aliàs fuit probatum: quia tunc procedit regula 8. in 6. *Semel malus præsumitur semper malus, nisi probetur emendatus*, vt notat Abbas *in cap. Cùm inter Canonicos, de elect. num.* 7. Secus dicendum est, si illius vitium solùm fuit præsumptum; quia contra crimen præsumptum admittitur purgatio, vt *in c. Officij, de elect.* ita Peyrinus *supra §. 8.* Addens, quòd si prior electio fuit cassata ratione infirmitatis, non impeditur posterior electio, si electus possit se purgare, quod ab eo morbo conualuerit; nam infirmus non semper præsumitur infirmus, nisi morbus sit incurabilis.

Vide v. Abbatissa *n. 5. & sequent.* Diuinatio *n. 16.* Papa *num. 7. & 8.*

ELEEMOSYNA.

SVMMARIVM.

1 *Dubitans an proximus extremè indigeat, num teneatur ei subuenire.*
2 *An eleemosyna debeat dari abundanter.*
3 *An peccatum sit eleemosynam dare ad superfluitatem recipientis.*
4 *An in communibus necessitatibus laudabilius sit, pluribus subuenire parum dando, quàm multum paucis.*
5 *An peccet mortaliter locum eleemosynam denegans pluribus, quibus singulis tenebatur solùm sub veniali, modicam eleemosynam dare.*
6 *An possimus & teneamur cibum illi præbere, qui damnatus est, vt fame pereat.*
7 *An omnibus pauperibus facienda sit eleemosyna.*
8 *An excusentur Magistratus, qui solos pauperes indigenas mendicare permittunt, & extraneos expellunt a suis vrbibus.*
9 *An eleemosyna facienda sit illis, qui necessitatem patiuntur inuoluntariam ex humano defectu, vel voluntariam ex ignauia vel ex mera malitia.*
10 *An eleemosynarum distributor, cui commissa est electio pauperum, debeat eligere pauperiores? Et qui nomine pauperum intelligantur.*
11 *An detur præceptum diuinitus faciendi elgemosynam in communibus necessitatibus.*

1. QVi dubitat, an proximus extremè indigeat, ex charitate tenetur veritatem indigentiæ indagare, siue in dubium inciderit, quia pauper suam inopiam proposuit, siue alia via, ne si id omittat, periculo peccandi se subiiciat, eo modo quo dubitans, an aliquis dies sit ieiunij vel festiuus, perquirere veritatem erit coactus, ne de se verificetur illud Psalm. 35. *Noluit intelligere vt bene ageret.* Et consequenter veritatem non indagans exponeret se voluntariè periculo frangendi illa præcepta. Quod si sibi constet necessitatem extremam esse, elargiri eleemosynam tenebitur, at manente dubietate, facta sufficienti diligentia non erit compellendus eleemosynam erogare: quia tunc libertas non erogandæ eleemosynæ possidet, & non præceptum erogandi illam. Ita Sancius *in selectis, disp. 43. n. 20.* & post illum Diana *part. 5 tract. 8. resol. 39.*

Sancius. Diana.

2. Modus eleemosynæ est, vt detur ex recta intentione, promptè, hilariter, humiliter, abundanter. Quatuor priores conditiones, vide apud Bellarminum *lib. 3. de bonis operibus, cap.* 13. Circa abundantiam nota, illam esse æstimendam, tum ex facultate dantis, tum ex indigentia recipientis, iuxta illud Tobiæ 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Itaque abundans erit eleemosyna, quæ sufficit ad subleuandam proximi necessitatem: neque enim laudabile est, ita effundere suas opes, vt qui indigebant, incipiant habere superfluum, & fortè abundantium diutum liberalitate. Ita D. Thom. 2. 2. q. 32. *artic.* 10.

Bellarmin. D. Thom.

3. Eleemosynam dare ad superfluitatem recipientis, peccatum est, si superfluitas intendatur: quia finis eleemosynæ est subuentio proximi. Si autem ideò detur vt abundans det aliis eleemosynam, est minus bonum, & minus laudabile: nam melius esset, vt quis per seipsum bona sua pauperibus distribuat, nec aliorum dispensationi committat; tales sunt eorum eleemosynæ, qui Ecclesiis abundantissimè legarunt, vt ipsæ pauperibus benefacerent, quorum factum non vsque adeò probant Doctores, quia nimirum fundatorum intentioni sæpè non obtemperatur. Ita Caietanus 2. 2. q. 32. *art.* 10.

Caietan.

4. In communibus necessitatibus videtur longè laudabilius, pluribus subuenire, etiamsi parum accipiant, quàm multùm paucis dare, idque Scriptura multis locis insinuat. Psalm. 111. Dispersit dedit pauperibus. Isaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum.* Sic Tobias cap. 1. *Quotidie pergebat per omnem cognationem suam, diuidebátque singulis, prout poterat, ex facultatibus suis.* Ratio est, quia

pluribus hac ratione ſubuenitur; plures orant pro eo, qui eleemoſynam facit, & ipſe facilius inanem gloriam euadet. Ita *D. Thomas, Caietanus, & Bellarminus*, vbi ſupra. In graui tamen, aut extrema neceſſitate, aut ſi miſeria indiget magna pecuniæ ſummâ, verbi gratia, ſi virgo dotanda ſit, excitandum Xenodochium, redimendi captiui, ægroti pretioſo pharmaco iuuandi, &c. aliter euenire poteſt, quod in quibus particularibus pia charitas, cum vera prudentia facilè iudicabit: vnde in hoc non poteſt vna generalis regula dari, quandoque enim vnum eſt melius, quandoque alterum, vt docet Syluius 2. 2. q. 32 art. 10.

D. Thom. Caietan. Bellarmin. Syluius.

5. Qui leuem eleemoſynam denegat pluribus pauperibus, quibus ſingulis tenebatur ſolùm ſub veniali modicam illam eleemoſynam tradere, peccat mortaliter. Ratio eſt, quia leues illæ eleemoſynæ videntur vnam materiam notabilem conſtituere ſufficientem ad mortale peccatum, vt patet à ſimili de eo, qui modicam à pluribus pecuniæ quantitatem accipit, quæ ſimul ſumpta grauem & notabilem materiam conſtituit. Ita Turrianus *ſecunda ſecundæ, diſp* 81. *dub* 2. Quamuis multos à mortali excuſandos arbitretur ob inaduertentiam Bonacina *de charit. diſp* 3. *quæſt.* 6. *punct.* 6 *n.* 13.

Turrianus. Bonacina.

6. Poſſumus, ſed non tenemur, cibum illi præbere qui damnatus eſt, vt fame pereat. Ratio prioris eſt, quia damnatus vt fame pereat, poteſt oblatum ſibi cibum capere, ergo etiam alter poteſt illi cibum dare, modo hoc non ſit à iudice ſpecialiter interdictum, aut modo non ſit miniſter iuſtitiæ, hic enim faceret contra proprium officium, & impediret executionem iuſtitiæ, & ſic peccaret mortaliter cibum miniſtrando. Ita Toletus *in Summ lib.* 8. *cap.* 31. Reginaldus *lib.* 4. *cap.* 25. *numer.* 296. & alij. Ratio poſterioris eſt, quia damnatus poteſt non comedere, ergo neque alter tenetur illi dare, cùm non magis obligetur ad dandum illi cibum, quàm reus ipſe teneatur ad ſumendum. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 31. *artic.* 3. & in terminis ibidem Syluſtus.

Toletus. Reginald. D. Thom. Syluius.

7. Eleemoſyna facienda eſt pauperibus, ſiue iuſti ſint, ſiue iniuſti, ſiue infideles, ſiue fideles, ſiue ſint amici, ſiue inimici. Ratio eſt, quæ ex charitatis præcepto tenemur eos diligere: probatio autem dilectionis exhibitio eſt operis. Confirmatur ex Tobiæ 4. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere.* Lucæ 6. *Omni petenti te tribue.* Matth. 5. *Benefacite his qui oderunt vos.* Roman. 12. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum.* Ex quibus ſequitur quod etiam inimicis debeamus facere eleemoſynam, niſi ſint inimici Reip. contra quos geritur iuſtum bellum. Priuatos enim inimicos debemus ex charitate ſic diligere, vt etiam temporalia bona eis velimus, ac tribuamus, ſi opus fuerit: neque nobis licet eorum mortem procurare. Inimicos autem Reipublicæ debemus diligere in ordine ad ſalutem animæ, ſed non in ordine ad vitam corporalem, quando licet eos interficere. Si verò non ſit periculum, vt inimicus noceat Reipub. vt contingere poteſt tempore inducarum, teneremur in extrema neceſſitate ſubuenire: quia charitas poſtulat, vt inimici diligantur. Ita Bonacina *loco citato punct* 6 *num.* 10. Reginaldus *lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 295. Petrus de Lorca *diſp.* 37. *n.* 20. & alij.

D. Thom. Syluius. Bonacina. Reginald. Lorca.

8. Magiſtratus, qui ſolos pauperes indigenas mendicare permittunt, & extraneos omnes à ſuis vrbibus expellunt, non bene faciunt. Probatur, quia charitas charitatiſque actus extendunt ſe, non ſolùm ad ciues & indigenas, ſed etiam ad peregrinos & aduenas. Tum quia quædam vrbes & pagi ſunt vel incurſione hoſtium, vel incendio, vel aliis ex cauſis ita extenuati, vt vix ibi reperiantur, qui abundent: vnde ergo viuent pauperes talium locorum? Tum quia ſunt multi pauperes qui non poſſunt in locis ſuis habitare, ſiue quia ſunt exules; ſiue quia bonis ſuis ibi exciderunt, vel dedecus tale paſſi ſunt, vt melius eis ſit natale ſolum deſerere, quàm in eo manere, vel ob alias cauſas. Ita Syluius 2 2 *quæſt* 32. *art.* 9. *quæſt.* 3. Cui ſubſcribit Bonacina *loco citato num.* 19. dicens, quòd præciſa iuſta cauſa certum eſt pauperes peregrinos à ciuitatibus excludi non poſſe abſque peccato, non ſolùm contra charitatem, verùm etiam contra iuſtitiam, nam fit iniuria pauperibus habentibus ius comparandi ſibi neceſſaria per eleemoſynam. Proinde excuſari poſſunt Magiſtratus qui à ſuis vrbibus pauperes aduenas excludunt, ne otio torpeant, ne morbos vel corruptelas, aut proditiones afferant, vel vt pauperes domeſticos præferant cæteris, nam ordo charitatis ſeruari poteſt, nec Principes tenentur exteros pauperes admittere cum periculo boni communis. Ita Medina *Cod. de eleemoſyna, quæſt.* 7. Reginaldus *lib.* 4. *cap.* 23. *num.* 196. & 297. Diana *part.* 5. *tractat.* 8. *reſol.* 36. & alij ab ipſo citati. Quibus adde Tannerum *tom.* 3. *diſp.* 2. *quæſt.* 5 *dub.* 3.

Syluius. Bonacina. Medina. Reginald. Diana. Tannerus.

9. Eleemoſyna facienda eſt illis qui patiuntur paupertatem inuoluntariam ex naturali vel humano defectu prouenientem: quia in illis inuenitur obiectum miſericordiæ, nec poſſunt ſibi ſubuenire. Voluntariis autem pauperibus non voluntate virtutis, ſed ignauiæ & otioſitatis, cuiuſmodi ſunt validi mendicantes, qui cùm poſſent honeſtis artibus vel labore victum comparare, hoc nolunt, ſed otio vacant, non eſt neceſſe facere eleemoſynam: quia talibus eleemoſynam dare, eſt ipſorum ignauiam fouere; tum quia non licet eis viuere de eleemoſynis, cùm ſibiipſis ſufficientes ſint, ſi velint: quin potiùs meritò deberet à Chriſtianis Magiſtratibus contra illos agi, vel vt laborent, vel de vrbibus exeant. Cæterum cauere oportet ne nimis curioſè velit quis ſcrutari pauperes pauperumque conditiones: quia minus eſt incommodi dare cuilibet propter Deum petenti, quàm negare; nam qui dat mercede non carebit, ſiue is qui petit ſit verus pauper, ſiue ſimulatus. Qui autem negat, mercedem eleemoſynæ non habebit, poteſtque fieri quod neget illi, cui dare debuerat. Hinc Auguſtinus lib. de quinque hæreſibus cap. 4. *Diſcite Chriſtiani ſine diſcrimine hoſpites ſuſcipere, ne forte cui domum clauſeritis, cui humanitatem negaueritis, ipſe ſit Chriſtus.* Denique non eſt facienda eleemoſyna illis, qui neceſſitatem actu patiuntur ex mera malitia, vt ſunt auari, qui nolunt propriam pecuniam in ſuis neceſſitatibus inſumere: quia habent vnde ſibi ſubueniant, ideoque non reuera indigent, niſi quantum ſimulante auaritia cupiunt indigere. Si tamen illorum tanta eſſet neceſſitas & tam deprauatus animus, teneremur illis ſubuenire, ſed ex eorum bonis, non ex noſtris. Ita Diana *parte quinta, tract.* 8. *reſolut.* 29. Syluius *ſecunda ſecundæ, quæſt.* 32. *art.* 9. Medina *de eleemoſyna, quæſt.* 8. *dub.* 5. Turrianus 2 2. *diſput.* 85. Petrus de Lorca 2. 2. *diſp.* 37. *num.* 11. & alij.

D. Auguſt. Diana. Syluius. Medina. Turrianus. Lorca.

10. Eleemoſynarum diſtributor ex teſtamento, cui commiſſa eſt electio pauperum, non habet neceſſe eligere pauperiores, ſed poteſt omnium pauperum generi diſtribuere, nec peccat, qui vnum pauperem alteri præfert, nam locus eſt gratificationi. Sub nomine pauperum intelliguntur omnia loca pia, vt Hoſpitalia, Eccleſiæ indigentes luminaribus, ornamentis, ædificiis & Monaſteria Religioſorum præſertim Mendicantium. *Item* illi qui victum

victum quærunt ex labore ſuo. *Item* illi, qui non ſolùm habent vnde viuant, ſed etiam, qui non poſſunt commodè, & honeſtè viuere ſecundùm ſuam conditionem, vt ſunt multi artifices & perſonæ etiam altioris conditionis, quæ ægrè admodum vitam ſuſtentant. *Item* nobiles, quibus incumbit onus dotandi filias, & eas nuptui tradere non poſſunt ſine dote, licet habeant tantùm quantùm ſufficit ad alimenta. *Item* qui egent opportunis ad conuenientiam ſui ſtatus. Vide Molinam *de iuſtit. tract. 2. diſp. 747.* Reginaldum *lib. 10 nu. 197.* Filliucium *tract. 32. num. 95.* Nauarrum *cap. 17. num. 93.* Imò diſtributor, ſi eſt pauper, poteſt ſibi, ſicut aliis pauperibus eleemoſynam applicare, vt docent D. Thomas *2. 2. quæſt. 32. art. 9. ad 3.* & ibi Caietanus, Arragon, circà illam ſolutionem. Non ſolùm ſi in paupertatem incidiſſet poſt teſtamentum, vel cùm antea pauper fuerit, eius paupertas teſtatori non patuit, vt docet Sanchez *lib. 6. moral. cap. 11. num. 55.* Sed etiam, ſi teſtator ſciens illum eſſe pauperem, nullam ipſius mentionem feciſſet. Nam potuit id omittere per obliuionem, aut pudorem; & alioqui ſatis inter pauperes cenſendus eſt includi, dum non excluditur. Ita Sancius *in ſelectis diſp. 14. num. 18.* & poſt illum Diana *part. 5. tract. 8. reſol. 38.* Hæc dicta ſint, quando aliter non conſtaret clarè vel ex coniecturis de mente & intentione teſtatoris, aliàs diſtribuenda eſſet eleemoſyna inter pauperes quos ipſe in particulari declarauerit.

Molina. Reginald. Filliucius. Nauarrus. D. Thom. Caietanus. Arragon. Sanchez. Sancius. Diana.

11. In communibus neceſſitatibus nullum datur præceptum diuitibus faciendi eleemoſynam, etiamſi habuerint ſuperflua. Probatur, quia neceſſitas eſt communis, quia leuis, vel quia ab aliis ſubleuatur. Si primum, certè non tenemur hominem ab omni labore redimere, locupletare, & ad magnam fœlicitatem deducere, vt nec caput leuiter doleat. Si ſecundum, cùm alius ſuccurrat; nec periculum ſit in mora, non eſt cur teneamur noſtra bona erogare, etiam in graui vel extrema neceſſitate. Ita Malderus *2. 2. quæſt. 27 art. 6. dub. 4.* Toletus *in Sum. lib. 8. c. 35. concl. 2.* & communis. Timeant tamen diuites, qui ſuperflua habent, & ea non expendunt in pauperes, quia etſi Doctorum Scholaſticorum communis ſententia eos excuſet, tamen Doctores Sancti illos damnant, ita vt ſit profectò ſententia probabilis, illos obligari ſub præcepto. Hieronymus ait, *Aliena rapere conuincitur, qui vltra ſibi neceſſaria retinere probatur.* Refertur in Decret. *diſtinct. 42. cap. 1.* Item Ambroſius, *Neque enim minus eſt criminis habenti tollere, quàm cùm poſſis & abundans ſis, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt quem tu detines, nudorum indumentum eſt quod tu recludis, & miſerorum redemptio eſt, & abſolutio, pecunia quam tu in terram defodis. Tantorum te ergo inuadere ſciat bona, quantis ipſe poſſis præſtare ſi velis.* Refertur *in cap. Sicut, diſt. 47.* Auguſtinus ſuper Pſalm. 147. ait. *Superflua diuitis, neceſſaria ſunt pauperi, aliena rapis, qui ſibi detinet.* Ecce teſtimonia Sanctorum, qui damnant ſuperflui retentionem ſub mortali.

Malderus. Toletus. D. Hieron. D. Ambr. D. Auguſt.

Cæterum etiamſi eſſet vera opinio horum Sanctorum diuites teneri ſub mortali præbere eleemoſynam etiam in communibus neceſſitatibus pauperum, tamen non tenerentur inquirere pauperes (ſi Epiſcopi non ſint) ſed ſolùm miſereri occurrentibus, & non impedire nimia auſteritate, vel alio modo, ne occurrant. Neque etiam tenerentur omnibus communiter indigentibus ſubuenire, ſed aliquibus, nec in totum alicuius indigentiam ſubleuare, ſed ſatis eſt aliquid ei dare. Ita Lorca *in 2. 2. ſect. 3. diſp. 39. membr. 2. num. 30.* Bonacina *de legib. diſput. 3. quæſt. 4. punct 6. n. 10.* & alij.

Lorca. Bonacina.

Aduertendum tamen eſt, ſuperfluum magis inueniri in Eccleſiaſticis perſonis, quàm in ſæcularibus, hi enim cùm non habeant filios & filias, non ita indigent, ac ſæculares, & cùm ipſorum etiam victus & veſtitus maiorem requirat modum & modeſtiam, minùs expendere debent, quàm ſæculares. Proinde bona quæ à ſæcularibus conſeruantur ad acquirendum maiorem ſtatum pro ſe & ſuis conſanguineis, non dicuntur ſuperflua ſtatus; aſcenſus enim ad ſuperiorem ſtatum, ad neceſſitatem & cõuenientiã ſtatus reuocandus eſt, ita vt ea non cenſeantur ſuperflua, quæ licet excedant menſuram ſtatus præſentis, conducere tamen poſſunt & reſeruantur, vt homo altiorem ſtatum acquirat & acquiſitum conſeruet, & ideò in ſæcularibus, etiam in Regibus vix inueniuntur ſuperflua ſtatus, vt docent Nauarrus *in man. cap. 24. num. 6. in fine*, Malderus *in 2. 2. quæſt. 27. artic. 6. dub. 4.* & *dub. 6.* Vaſquez *opuſc. de reſtit. cap. 1. dub. 13. numer. 27.* & *32.* & *cap. 4. num. 14.* Cùm igitur ſæculares de neceſſariis ad ſtatum non teneantur erogare paupertibus, niſi extremam neceſſitatem patiantur; & neceſſitates illæ rarò eueniant, aut ſaltem manifeſtentur diuitibus, & ſtatus decentia magnam habeat latitudinem, difficileque inueniatur, qui ſuperfluitatis conuinci poſſit, difficile eſt damnare ad mortale, cùm tot viri docti vſque ad hodiernum diem nullum ius diuinum aut humanum, oppoſitum conuincens, afferre potuerit, ſignum eſt ergo rem hanc eſſe ſaltem dubiam, ac proinde præceptum non obligare, quia præcepta dubia non obligant, ſaltem ſub mortali. Ita Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 215.* & *part. 5. tract. 8. reſol. 15.*

Nauarrus. Malderus. Vaſquez. Diana.

Vide verb. Mutuum *num. 25, 26.* Nouitius *n. 28.* Paupertas *num. 8.*

EMPHYTEVSIS.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteuſis vnde dicta? & quando contractus emphyteuticus fieri cœpit.*
2 *An emphyteuſis diſtinguatur à locatione, à cenſu, & ab emprione.*
3 *Emphyteuſis alia eſt perpetua, alia temporalis: alia eſt Eccleſiaſtica, alia profana & ſæcularis: alia eſt hereditaria, alia non hereditaria.*
4 *Qui in emphyteuſim accipere poſſint, & qui non.*
5 *An res ſolùm immobiles poſſint in emphyteuſim dari.*
6 *An Eccleſia res ſuas in emphyteuſim poſſit dare, ſint ſuæ ſolemnitates ad alienationem requiſitæ.*
7 *Quæ dicatur pœna commiſſi.*
8 *An emphyteuſis, feudum & liuellum inter ſe differant.*
9 *An emphyteuta incidat in commiſſum, ſi res emphyteutica ſit magna & penſio ſoluenda parua, & illa termino præfixo non ſoluatur.*
10 *An emphyteuta cenſeatur cecidiſſe ab emphyteuſi ab eo tempore quo fuit in mora ſoluendi canonem.*
11 *An emphyteuta non ſoluens integram penſionem quæ pro tota re emphyteutica conſtituta erat, cadat in commiſſum.*
12 *Quando ſunt multi emphyteutæ, & omnes ſoluunt ſuas portiones præter vnum, an omnes incidant in commiſſum.*
13 *An emphyteuta perſona particularis, vel Eccleſia penſionem non ſoluens, poſſit moram ſoluendi purgare.*
14 *An cadat in commiſſum emphyteuta, qui obtulit penſionem*

ſionem opportuno loco & tempore, quam dominus directus noluit acceptare.

15 *An in caducitatem cadat emphyteuta, qui non ſoluit penſionem ob impedimentum vel ignorantiam emphyteuſis.*

16 *Quando dominus directus ſibi præiudicet, penſionem recipiendo.*

17 *An emphyteuta teneatur ſoluere penſionem, quando res emphyteutica ex toto periit, alſque ſpe recuperationis, ſine culpa emphyteutæ.*

18 *An penſio debeatur, quando res emphyteutica quæ caſu ex toto periit, denuò cum lapidibus conſtruitur domus reparatur.*

19 *An liceat emphyteutæ vtile dominium meliorationeſque illius alteri donare, domino directo non admonito.*

20 *An emphyteuta in commiſſum cadens, amittat ea omnia, quibus rem emphyteuticam meliorem fecit.*

21 *Quanam actio oriatur ex emphyteuſi.*

22 *Quænam ſit differentia inter bona emphyteutica & allodialia.*

23 *Quando emphyteuſis poſſit tranſmitti ad hæredes.*

24 *An qui emphyteuſim accepit ſibi & hæredibus ſuis, poſſit illam ad quem maluerit filium tranſferre.*

25 *Si emphyteuta Religionem profiteatur, ad quem pertineat eius emphyteuſis.*

26 *Quando emphyteuſis datur vſque in tertiam vel quartam generationem, an comprehendatur perſona quæ accipit in emphyteuſim.*

27 *Quid ſi detur, vt eam habeat ſibi & filiis ſuis ſimpliciter nulla facta mentione hæredum.*

28 *An filius naturalis ſuccedat in emphyteuſi Eccleſiaſtica & ſæculari? Et an legitimi facti priuilegio Principis.*

29 *Quot modis emphyteuſis extinguatur & finiatur.*

1. EMphyteuſis dicta eſt ab ἐμφυτεύω verbo Græco, quod latinè ſignificat inſero, vel planto, quaſi emphyteuſis idem ſit, quod plantatio, inſitio: duæ enim eæque præcipuè ſunt agriculturæ partes, aratio & plantatio, quibus fundus melior & cultior reddi poteſt: vnde qui rem in emphyteuſim datam ſuſcipit, ideò accipit, vt reddat eam meliorem, videlicet, ex ſterili fertilem & ex infructuoſa fructuoſam efficiat, ac proinde inſerat & plantet arbores, & ita colat, vt ex ea fructus percipiat. Hinc emphyteuticus contractus videtur cœpiſſe in publicis fundis & agris: nam res communes negligentiùs geruntur, & propterea citiùs ac facilius ſterriles fiunt. Poſtea verò priuati etiam homines ſua prædia in emphyteuſim dare cœperunt; vt arandi, ſeminandi & colligendi fructus, curam & ſollicitudinem deponerent. Et veriſimile eſt emphyteuſim cœpiſſe primò in agris ſterilibus: nam eos qui fertiles ſunt, domini non niſi ad paucos annos locare voluerunt: Tandem fertiles etiam agri in emphyteuſim dari cœperunt, quòd eorum domini minorem quidem, ſed certiorem ex eis reditum annuum habere maluerint. Molina *de contract. diſp. 444.* Molina.

2. Emphyteuſis differt à locatione, quòd penſio emphyteutica, id eſt, ſolita dari vi huius contractus, minor ſit quàm fructus rei emphyteuticæ, cùm in locatione eam æquari oporteat pretio quod eius cauſa datur; alias differentias adduximus *tom. 1. verb. Emphyteuſis num. 1.*

Differt à cenſu, quod venditor directum dominium & vtile, partiale aut totale rei, ſuper qua eſt ille conſtitutus, in ementem transferat: habet enim hic ius colligendæ penſionis annuæ, ex re cenſuali. In emphyteuſi nequaquam. Deinde res in cenſu non cadit in commiſſum, ſi penſio biennio aut triennio non ſoluatur, cuius oppoſitum in emphyteuſi accidit. Ratio huius eſt, quod per emphyteuſim ius abſolutè non transferatur, ſed ſub conditione, ſi tale quid præſtitum fuerit. Vt docet Sylueſter *verb. emphyteuſis num. 3.* Salon *tom. 2. de contract. diſp. de cenſ. art. 2.* Syluest. Salon.

Differt ab emptione, quòd hæc, res omnes etiam mobiles pro obiecto habeat; emphyteuſis immobiles tantùm. Per hanc, dominum tantùm vtile, remanente directo apud dominum; per emptionem autem vtrumque, id eſt, tam vtile, quàm directum à venditore in ementem tranſeat. Vt dicetur infra Fauſtus *de contract. diſp. 11. queſt. 2.* Barthol à S. Fauſto.

3. Emphyteuſis alia eſt *perpetua*, vt eſt illa, quæ conceditur abſque temporis præfinitione. Alia *temporalis*, vt eſt illa, quæ conceditur ad vnam vel duas, vel tres, vel plures generationes, id eſt, vitas emphyteutarum. Alia eſt *Eccleſiaſtica*, alia *profana & ſecularis*. Eccleſiaſtica eſt, conſtituta in re, cuius dominium directum & proprietatem habet aliqua Eccleſia, Monaſterium, Collegium Canonicarum, hoſpitalis domus, quæ ſit locus Religioſus; vtile verò dominium, laicus vel clericus. Profana & ſæcularis eſt in re, cuius dominium directum eſt penes laicos, vtile verò penes alium laicum, vel etiam clericum: vnde dicitur Eccleſiaſtica, vel ſæcularis, habita ratione perſonæ, ad quem ſpectat directum dominium rei emphyteuticæ.

Rurſus, alia eſt noua, quæ ſcilicet primò inſtituitur. Alia eſt vetus & antiqua, quæ non prima vice inſtituitur, ſed iam antea fuit conſtituta, quamuis nunc fortè innouetur inueſtitura pro ſucceſſoribus.

Denique alia eſt hæreditaria, quæ transfertur ad hæredes, ſiue neceſſarios & naturales, ſiue voluntarios & extraneos. Alia non hæreditaria, quæ habetur vel donatione, vel venditione, vel nominatione aut aliis modis.

4. In emphyteuſim accipere poſſunt omnes illi, qui legitimè in iudicio conueniri poſſunt, vt penſionem ſoluant, vel vt meliorem efficiant rem ſibi in emphyteuſim datam. Hinc clerici, mulieres, & qui egeſtate premuntur, & qui potentia nimia valent, non poſſunt emphyteuſim accipere; quia non poſſunt facilè in iudicium vocari. Hinc etiam curiales & milites non poſſunt res in emphyteuſim accipere, quia non poſſunt res conductas colere & meliores efficere, nec ita facilè poſſunt in iudicium vocari, & propterea deterior fieret domini conditio, *l. Curiales, Cod. locati, & l. Milites Cod. eod. titul.* Eccleſia autem, collegium vel ciuitas non poteſt in emphyteuſim accipere. Ratio eſt, quia Eccleſia & alia quælibet communitas non moritur, & ſic nunquàm res ad dominum rediret obitu emphyteutæ. Vſus tamen & conſuetudo contrarium induxit, vt poſſit dari ad duas vel tres generationes alicuius ex communitate nominandi à domino, vel communitate, & ſic iure etiam communitas poterit accipere in emphyteuſim.

5. Res ſolùm immobiles poſſunt in emphyteuſim dari, quæ meliores & fructuoſiores reddi poſſunt: vnde pecunia, vel etiam annui reditus non poſſunt in emphyteuſim dari. Idem dicendum eſt de arboribus à ſolo ſeparatis: ſecus ſi ſolo adhæreant, vt de oliueto, ſylua cædua, vinea & his ſimilibus, quia fructuoſiores reddi poſſunt, & res quodammodo immobiles exiſtimantur. Res aliena non poteſt in emphyteuſim dari à poſſeſſore malæ fidei, ſi tamen detur, tenetur dans emphyteuſi, ſicut, qui ſciens

vendit

vendit rem alienam, tenetur ex empto, ideoque tenebitur ad euictionem,

At bonæ fidei poſſeſſor, etſi non peccet neque transferat vtile dominium, cùm reuera non habeat, tamen transfert ius & facultatem vſucapiendi, vel præſcribendi dominium illud. Ita Azorius *part.* 3. *lib.* 10. *cap.* 3. *de emphyteuſi*, qui etiam docet Res Eccleſiæ pertinentes ad menſam Epiſcopi, non poſſe dari in emphyteuſim abſque conſenſu Papæ. Dicuntur autem ea bona pertinere ad menſam Epiſcopi, vel Abbatis, vel Monaſterij, quæ ſunt deſtinata ad ſuſtentandum Epiſcopum, vel Abbatem, vel alumnos eius Monaſterij: ea verò bona quæ dantur in feudum vel emphyteuſim, non pertinent regulariter ad menſam, quia vtilitas ad alium pertinet. Azorius.

6. Eccleſia res ſuas in emphyteuſim dari ſolitas, poteſt ſine alia iuris ſolemnitate, ad alienationem rei Eccleſiaſticæ requiſita, eaſdem emphyteucare, cum ad ſe reuertentur. Extrauagans *Ambitioſæ Pauli II.* Ratio eſt, quia quæ ſemel validè & licitè ſunt facta, hæc cum futuro perpetuari poſſe tempore eſt certum: at ex hypotheſi, Eccleſia bona ſua olim fructuosè & licitè, quoad vſum vtilem, ſæcularibus contractu emphyteutico prębuit, ergo eadem concedente, ius vtile hi in ea retinere poterunt. Tum quia id non cenſetur noua alienatio: quæ iure prohibetur, ſed continuatio alienationis antefactæ: modò tamen id fiat ad Eccleſiæ euidentem vtilitatem & antequam illius rei fructus Eccleſiæ incorporentur, id eſt, eius vſibus à Prælato applicentur. Eſt communis ſententia Doctorum, vt refert Clarus *de emphyteuſi quæſt.* 6. & Couarruuias *lib.* 2. *variar. cap.* 17. *n.* 4. Paulus II. Clarus. Couarruu.

Si tamen res Eccleſiæ antea non fuerint in emphyteuſim datæ, vel ſi poſt traditionem expirante contractu fuerint rurſus quoad fructus, Eccleſiæ incorporatæ, non poſſunt de nouo dari in feudum vel emphyteuſim, vel alia ratione alienari, niſi ex iuſta cauſa & ſeruatis ſolemnitatibus iure præſcriptis. Probatur, Ex *cap. Nulli, de reb. Eccleſ. non alienand.* vbi habetur, *Nulli liceat alienare rem Eccleſiæ ſuæ immobilem, ſiue agrum, ſiue ruſticum mancipium; neque ſpecialis hypotheca titulo obligare. Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteuticum perpetuum contractum. Secundò* Probatur Extrauag. *Ambitioſæ, tit. de empt. & vendit.* quem Pius V. confirmauit in conſtit. quæ incipit, *Etſi in ſingulis.* Anno 1569. Kalend. Ianuarij. Et iterum alia, cui initium. *Exegit.* anno 1573. die 11. Septemb. vbi irritas facit alienationes omnes, quæ auctoritate Roman. Pontificis non ſunt munitæ, aut iuris ſolemnitatibus carent, aut perſpicuam non habent Eccleſiæ vtilitatem. Pius V.

Circa prædicta eſt notandum *Primò* quod, ad effectum, vt bona cenſeantur ſolita emphyteuticari, requiritur, quod vel præcedat vna conceſſio ſolemnis & valida, vel ea deficiente, duæ conceſſiones cum ſpatio 40. annorum, vt docent Clarus §. *feudum quæſt.* 13. *num.* 4. Quaranta *verb. alienatio rer. Eccleſ. num.* 40. Filliucius *tract.* 36 *num.* 124. & fuit reſolutum in Rota *in Vlubonenſi pradij* 24. Ianuarij 1603. Coram Ortembergo, qui poſtea factus eſt Epiſcopus Attrebatenſis. Clarus. Quaranta. Filliucius. Rota.

Secundò, vt poſſint bona Monaſterij de nouo in emphyteuſim abſque ſolemnitate concedi, intelligendum eſt, dummodo prima cauſa cõceſſionis duraret: ſecus verò è contra, vtpote ſi res inculta fuit data in emphyteuſim, ad hoc vt reducatur ad culturam; aliàs Eccleſia non concederet: per lapſum temporis, illa res optimè culta reuerſa eſt, puta quia finitum eſt tempus, non poterit iterum abſque ſolemnitatibus deſideratis concedi & ſine cauſa, cùm ceſſet cauſa primæ conceſſionis, tenent Abbas in *cap. vt ſuper, de reb. Eccleſ. non alien.* & Filliucius *loco citato.* Abbas. Filliucius.

7. Pœna commiſſi dicitur illa, quâ quis res ſuas amittit ob certum crimen admiſſum: in emphyteuſi autem tunc dicitur, quâdo emphyteuta non ſoluit penſionem aut Canonem per tres annos, ſi quolibet anno res emphyteutica fructus ferat; vel per ſex, ſi tantùm ſecundo quoque anno fructificet; vel per nouem, ſi tertio quoque anno tantùm fructifera ſit, idque ſi emphyteuſis ſit ſæcularis: ſi verò Eccleſiaſtica, incurritur pœna commiſſi, quando per duos annos tantùm non ſolutur penſio, ſi quolibet anno fructus ferat, vel per quatuor vel per ſex, ſi ſecundo vel tertio anno tantùm fructificet, *l.* 2. *Cod. de iur. emphyteut.*

8. Inter feudum, emphyteuſim & libellum eſt differentia: quia quamuis feudum & emphyteuſis communiter appelletur libellum, ſiue liuellum; nihilominus propriè loquendo, libellum eſt contractus ſubfeudalis, vel ſubemphyteuticus, quo ſcilicet aliquis rem acceptam in emphyteuſim vel feudum tradit alteri pro penſione ſibi quoque ſoluenda: poteſt etenim res emphyteutica vel feudalis alteri tradi in emphyteuſim, aut locari, aut etiam vendi, modo hoc fiat ſine detrimento domini directi. Tum quia qui rem tradit in emphyteuſim, dominus illius eſt: qui autem rem tradit in libellum, emphyteuta & dominus eſt tantùm vtilitatis, non proprietatis. Tum quia emphyteuſis renouari non ſolet, niſi poſſeſſore mutato: at libellum renouatur 29. quoque anno vt plurimum poſſeſſore non mutato, datâ pecuniâ certa arbitrio boni viri. Tum quia libellaria locatio fieri ſolet in perpetuum, at emphyteuſis vt plurimum ſit ad tempus. Sed de his plura apud Azorium *part.* 3. *lib.* 10. *cap.* 1. *quæſt.* 5. Molinam *tract.* 2. *diſputat.* 10. Clarum *lib.* 4. *ſentent.* §. *emphyteuſis, quæſt.* 1. Azorius. Molina. Clarus.

Nota libellarium contractum dictum eſſe à libella, quæ inter alia ſignificabat minuti numeri Romani genus. Libellam igitur, id eſt minutum numerum Longobardi ſcriptores dixerunt libellum, & hinc dicta eſt libellaria, ſiue libellarius contractus, quando res in perpetuum locatur modica penſione in ſingulos annos ſoluenda.

9. Emphyteuta incidit in commiſſum ſi res emphyteutica ſit magna & penſio ſoluenda parua, vt vnius ſolidi vel nummi, & illa termino præfixo non ſoluatur. Ratio eſt, quia penſio præcipuè ſoluitur in recognitionem dominij directi: æquale autem damnum, quod attinet ad eam recognitionem, eſt, non ſolui paruam, ac non ſolui magnam penſionem ad id lege præſcriptam. Tum quia huiuſmodi pœna non eſt priuationis aliorum bonorum, quæ ſunt propria emphyteutæ, ſed dominij vtilis, quod erat proprietarij & illud conceſſit Emphyteutæ ſolum in tempus, quouſque ceſſaret à ſoluenda penſione. Quare cùm ſub illa conditione fuerit conceſſum, mirum non eſt, ſi deficiente conditione culpa emphyteutæ, dominium illud vtile ad proprietarium redeat. Ita Molina *diſp.* 453. Rebellus *de oblig. iuſtit. lib.* 13. *quæſt.* 8. Molina. Rebellus.

10. Emphyteuta, cenſetur cecidiſſe ab emphyteuſi ab ea die, qua dominus directus oſtendit ſe ita velle, non verò abeo tempore. quo fuit in mora ſoluendi canonem: quia ius expellendi ſpectat ad proprietarium, & in illius fauorem introductum eſt, ergo emphyteuta non videtur cadere ab emphyteuſi, niſi quatenus dominus directus vult illum expellere & indicat emphyteutam cecidiſſe. Tamen emphyteuta non tenetur rem emphyteuticam à ſe abdicare,

abdicare, antequam fuerit expulſus authoritate iudicis. Tum quia nemo tenetur pœnam ſubire ante iudicis ſententiam: quando pœna mandari non poteſt executioni abſque actione. Tum quia ſic vſu receptum videtur: imò aliquibus in locis vſu receptum eſt, vt non expellatur ob non ſolutum canonem. Ita Clarus §. *Emphyteuſis quæſt.* 11. Rebellus Clarus. Rebellus. *tit. lib.* 13. *quæſt.* 12. *& quæſt.* 17. & alij contra *Molinam* & *Liſium*, quod tamen intelligendum eſt, modò emphyteuſis non ſit finita ex iuſtitia, vt quia finitum fuit tempus, in quo fuerat conceſſa, tunc enim emphyteuta tenetur cedere ante ſententiam iudicis, cùm teneatur ſtare contractui: niſi fortè retineat in compenſationem melioramentorum, vel ob aliam iuſtam cauſam. Hinc fructus percepti ante litem intentatam, pertinent ad emphyteutam, quando emphyteuſis finitur in pœnam; nam ipſe habet vtile dominium. Poſt ſententiam verò pertinent ad proprietarium, qui eſt dominus directus, deductis expenſis ab emphyteuta factis. Vt bene docet Molina *diſp.* 455. Molina.

11. Emphyteuta non ſoluens integram penſionem, quæ pro tota re emphyteutica conſtituta erat, cadit in commiſſum; puta, ſi partem notabilem penſionis, dimidiam ſcilicet aut tertiam, ſiue iuſta cauſa ſiue ſoluit: ſecus autem ſi minimam partem non ſoluit, vt ſi vnius argentei ſolutionem omitteret ex integra penſione decem argentеorum; quia tunc ſolùm incideret in commiſſum partis proportionabilis rei emphyteuticæ. Si autem præſtabatur penſio pro rata partium rei emphyteuticæ, vt pro quinquaginta dictis terræ, quinquaginta argentei, ad rationem vnius argentei pro ſingula dicta, emphyteuta non amittit niſi illas dictas, pro quibus non perſoluit penſionem; quoniam reliquarum partium penſionem ſoluit. Vide Bonacinam *de contract. diſp.* 3. *quæſt* 8. *punct.* 2. *n.* 19. Azorium *part.* 3. *lib.* 10. *cap.* 7. *quæſt.* 5. Bonacina. Azorius.

12. Quando ſunt multi emphyteutæ & omnes ſoluunt ſuas portiones, ſeu penſiones præter vnum, concors eſt omnium Doctorum ſententia, omnes incidere in commiſſum. Ratio eſt, quia res traditur in emphyteuſim ab ipſo proprietario ſub conditione, ſi penſio ſoluatur; ergo vt pœnam euadant, debent ſinguli totam penſionem ſoluere, & deinde agere contra eum, qui ſuam partem non ſoluit. Ita Molina *diſp.* 453. Sylueſter. *verb Emphyteuſis*, q. 4. Clarus *lib.* 4. *ſenten.* §. *Emphyteuſis*, *quæſt.* 8. qui ait hanc ſententiam eſſe conſuetudine receptam. Hinc colligitur quando plures ſunt hæredes, ad quos res emphyteutica peruenit, & vnus eorum non ſoluit partem penſionis rei illius, quæ ad ipſum ſpectat, cæteris ſuas penſiones ſoluentibus, omnes in pœnam commiſſi incurrere. Ratio, quia emphyteuſis ex ſui natura eſt indiuidui, qua & emphyteuta in ſolidum tenebatur, ac proinde cum eo onere tranſtulit ius emphyteuticum in ſuos hæredes. Ità Lopez *libro ſecundo*, *de contract. capite trigeſimo*, & alij Molina. Sylueſt. Clarus. Lopez.

13. Emphyteuta alicuius perſonæ particularis, qui intra triennium penſionem non ſoluit, non poteſt moram ſoluendo purgare, ne incidat in commiſſum, ſed ſtatim à ſuo iure cadit, vt habetur ex *l.* 2. *Cod. de iur. emphyteut.* Emphyteuta verò Eccleſiæ qui biennio non ſoluit, poteſt ſuam moram purgare, ſi elapſo biennio citò ſatisfaciat Eccleſiæ, vt expreſsè habetur *in cap. potuit*, *de locato.* Ratio huius eſt, quia mitiùs agit Eccleſia, quàm priuatus cum ſuo emphyteuta: tum quia emphyteutæ priuati ſatis temporis videtur indultum ad purgandam moram, cùm longius tempus, id eſt triennium, ſit ſibi per ius ciuile indultum, quod non contingit in emphyteuta Eccleſiæ, cui breuius conceditur ſpatium, id eſt, biennium.

Duo tamen ſunt hic notanda. *Primum*, quòd emphyteuta in mora eſſe intelligitur, etiamſi proprietarius penſionem non exigat, quæ vt habet commune Iuriſtarum proloquium, dies ſtatuta pro domino interpellat. *Secundum*, quòd purgetur mora, ſi breuiter ſatisfiat ante iudicialem citationem, vel ſtatim poſt citationem abſque dilatione: quamuis alij magis communiter ſentiant, in hac re ſtandum eſſe arbitrio Iudicis in iudicando, an emphyteuta purgauerit moram celeritate ſolutionis. Vide Stephanum Bauny *tractatu* 10. *quæſt.* 4. *de contract.* Baunius.

14. In commiſſum non cadit emphyteuta, qui obtulit penſionem, quam dominus directus noluit acceptare, modò obtulerit opportuno loco & tempore. Ratio, quia par non eſt, vt pœnam caducitatis patiatur, qui non fuit in mora ſoluendi. Dominus tamen directus non tenetur recipere penſionem reſpondentem annis futuris, quia ſi ad id teneretur, pateretur damnum, quia ſingulis annis non recognoſceretur ab emphyteuta. Penſionem autem decurſi temporis opportunè oblatam tenetur dominus directus recipere, niſi eam velit remittere & condonare, poteſt enim cedere iuri ſuo. Ita Clarus *cit. quæſt.* 8. Sylueſt. *cit. n.* 14. *quæſt.* 8. Clarus. Sylueſt.

15. Emphyteuta qui non ſoluit penſionem ob impedimentum vel ignorantiam emphyteuſis, in caducitatem non cadit: quia legitimè impedito non currit tempus. Si verò omiſit propter ignorantiam, eo quòd neſciret rem eſſe emphyteuticam, reſtitui debet in integrum, etiamſi maior ſit quia par non eſt, vt pœnam ſubeat, qui culpam non admiſit. Ita communiter Doctores.

16. Dominus directus non ſibi præiudicat penſionem recipiendo, poſtquam emphyteuta fuit expulſus propter caducitatem: imò non videtur ſibi præiudicare, ſi ante expulſionem emphyteutæ recipiat penſionem correſpondentem tempori antecedenti caducitatem, quam dominus denuntiauit emphyteutæ: nam in dubio non præſumitur quis velle renunciare iuri ſuo, niſi aliter colligatur ex circumſtantiis & praxi. Secus dicendum eſt, ſi dominus recipiat penſionem reſpondentem tempori ſubſequenti caducitatem; tunc enim præſumitur ſibi præiudicare, etiamſi contrarium proteſtetur: quia fieri non poteſt, vt quis recipiat penſionem ab aliquo tanquam ab emphyteuta, & nolit ipſum eſſe emphyteutam, cùm proteſtatio videatur contraria facto. Ita Sylueſter *verb. Emphyteuſis*, *quæſtione* 9. Iulius Clarus *lib.* 4. *ſenten.* §. *Emphyteuſis*, *quæſt.* 10. Sylueſt. Clarus.

17. Si res emphyteutica per incendium, aut terræmotum, aut bellum, aut fluminis illuuionem, aut aliter ſine culpa emphyteutæ ex toto quoad ſubſtantiam pereat abſque ſpe recuperationis, non tenetur emphyteuta ſoluere ab eo puncto penſionem. Ratio, quia tota obligatio ſoluendi penſionem cum reipſa perit, *l.* 1. *Cod. de iur. emphyteut.* Imò in hoc caſu finitur contractus emphyteuticus, adeò vt ſi poſtea caſu recuperetur res, quæ perierat; neuter contrahentium, hoc eſt, proprietarius & antiquus emphyteuta teneatur ſtare contractui. Sed hoc intelligendum eſt, modò emphyteuta non ſe obligauerit ad caſus fortuitos. Ita Molina *diſputat.* 454. Sylueſter *cit. quæſt.* 7. Molina. Sylueſt.

Si autem non tota res emphyteutica pereat, ſed ſolùm quoad partem, ita vt maneat ſalua altera ipſius rei pars etiam minima; emphyteuta qui exiguam præſtabat penſionem magis ob recognitionem domini directi, quàm vt ſoluat fructus ab ea ſoluenda

ſoluenda non liberatur? quod intelligitur quando pars ſalua, etſi ratione aliarum partium ſit minima, eſt tamen in ſe notabilis, ac ad penſionis ſolutionem ſufficiens. Si tamen penſio eſt tam magna, quod aliquo modo æquatur fructibus, qui colliguntur ex dicta re, tunc pro rata debet fieri remiſſio, & quando quarta pars fructus qui ſolebat colligi, perit, quarta pars penſionis debet demi, vt docet Nauarrus ex communi *cap. 17. num. 190.*

Nauarrus.

Si domus emphyteutica ita pereat, vt area ſolùm maneat, non tenetur emphyteuta domum reædificare, nec antiquam penſionem ſoluere. Idem intelligendum eſt de vinea vel oliueto, vel alia re ſimili, cuius forma & ſubſtantia in ſola area ſalua non conſiſtit, ſed eſt talis, vt mutatâ formâ, tota rei ſubſtantia perire cenſeatur. Ratio eſt, quia in hoc videtur contractus emphyteuticus ceſſare, cùm tota rei emphyteuticæ ſubſtantia perit: eſto enim maneat area, non tamen manet actu pars rei emphyteuticæ; ea enim area non magis actu eſt pars domus, quàm vinea vel oliuetum, quod ibi plantari poteſt. In caſu autem quo pars emphyteutica per bellum vel caſu fortuito cum ſpe eam recuperandi perit, tunc à penſione exigua ſoluenda, quam emphyteuta in recognitionem dominij præſtabat, non liberatur: quia ſtante hac recuperationis ſpe, dominus directus non videtur directum amiſiſſe dominium. Filliucius *tract. 36. num. 134.*

Filliucius.

18. Quando res emphyteutica, quæ caſu fortuito ex toto periit, denuò cum lapidibus eiuſdemmet domus reparatur, penſio non debetur, niſi denuò in emphyteuſim detur. Ratio: quia omnis obligatio cum reipſa perit, nec reuiuiſcit, niſi res quoque pariter extincta eadem numero reparetur: at domus denuò reparata, non eſt eadem numero, quæ fuit antea. Si verò res periit non quidem ſimul & ſemel in totum, ſed paulatim & ſucceſſiuè reparetur, non tollitur penſionis ſoluendæ obligatio; quia non amittitur eius forma antiqua. At ſi conſtituta eſſet emphyteuſis in ipſa area domus, aut ſolo fundi vel vineæ, tunc etiamſi domus corrueret vel fundus aut vinea deſtructa eſſet, deberetur penſio. Ita Lopez *lib. 2. de contract. cap. 36.* Rodriguez *part. 1. Summ. cap. 113.* Azorius *part. 3. lib. 10. cap. 6. quæſt. 1.* & alij communiter.

Lopez. Rodrig. Azorius.

19. Licet emphyteutæ ius ſuum, id eſt, vtile dominium, meliorationeſque illius alteri donare causâ mortis, vel legare, domino non admonito, quia ea traditio non cenſetur propriè donatio, cùm emphyteuta à ſe ſuperſtite non alienet, ſicut nec alia bona, quæ per teſtamentum, ſiue ab inteſtato hæredibus relinquit. Idem licet emphyteutæ donare donatione inter viuos quando emphteuſis eſt ſæcularis: quia cum ibi non agatur de pretio, ob quod præferri debeat proprietarius, ſi illud dare velit, non eſt, curtunc neceſſe ſit illum admonere, ſicut admonendus eſt, quando res venditur. Debet tamen donatio fieri ſaluo iure domini, ei, in quem tranſire res emphyteutica poſſit, & donatarius poſſeſſionem rei apprehendere non poteſt citra voluntatem domini: ac proinde ante traditionem eſt dominus requirendus, vt in poſſeſſionem mittat nouum emphyteutam, ac bimeſtri reſponſum eius expectandum, alioquin iure ſuo donatarius excidet. Quando autem emphyteuſis eſt Eccleſiaſtica, iuxta veriorem Doctorum ſententiam, idem licet emphyteutæ, modò non donet vt rem propriam, ſed exprimat ſe donare ſaluo iure Eccleſiæ. Ita Syluester *verb. emphyteuſis quæſt. 16.* Molina *diſp. 459. & 461.* Baunius *de contract. tract. 10. quæſt. 5. dub. 8.* & alij communiter contra *Bartolum.*

Syluest. Molina. Baunius.

20. Si emphyteuta in commiſſum incidat, amittit ea omnia, quibus rem emphyteuticam meliorem fecit, vt colligitur ex *l. 2. Cod. de iure emphyteut.* Ratio, quia emphyteuta ex ipſo contractu cogitur rem meliorem facere: hæc eſt communis opinio & vera in melioramentis & ſumptibus communibus & ordinariis, ad quos vi contractus tacitè aut expreſsè tenetur; non autem de inſolitis & magnæ æſtimationis & pretij, vt ſi domum in prædio emphyteutico conſtruxiſſet, aut molendinum vel aliud ſimile extra ordinarium: hæc enim non amitteret emphyteuta in commiſſum cadens. Hinc colligitur emphyteutam non poſſe reſeterre expenſas modicas, quales ſunt, quæ ad ordinariam rei culturam pertinent pro percipiendis fructibus: aut quæ fiunt pro reparandis pontibus vel aggeribus prope rem emphyteuticam, nam iſtæ expenſæ cenſentur factæ in vtilitatem ipſiuſmet emphyteutæ. Idem dicendum de expenſis factis pro ſoluendis oneribus & tributis publicis: quia emphyteuta tenetur ſoluere onera non ſolùm perſonalia, verum etiam realia: nam hæc onera ſoluuntur pro dominio vtili.

Si verò expenſæ ſint magnæ & notabilis valoris & permaneant poſt finitam emphyteuſim, ſoluendæ ſunt finito tempore emphyteuſis, modò emphyteuta non cadat propter ſuam culpam, aut aliter conuentum non ſit in principio: par enim non eſt, vt cum iactura aliena locupletetur dominus. Vide Molinam *diſput. 455. & 456.* Rebellum *part. 2. de obligat. lib. 13. quæſt. 2.* Clarum *quæſt. 45.* Fagundez *in decal. lib. 4. cap. 23.* Baunium *de contract. tract. 10. quæſt. 5. dub. ſeptimo*, & alios ab ipſis citatos.

Molina. Rebellus. Clarus Fagundez. Baunius.

21. Ex emphyteuſi oritur actio, quæ dicitur condictio ex lege, nimirum Zenonis Imperatoris, *l. 1. Cod. de iur. emphyteut.* Vnde ante illam legem emphyteuticus contractus obligationem quidem naturalem producebat, ſed actionē minimè pariebat, quia omnis actio iuris ciuilis eſt; quamuis obligatio non ſolùm iuris ciuilis, ſed etiam naturalis ſit. Ante legem Zenoniam ex locatione ad longum tempus obligatio & actio naſcebatur, quæ dicitur ex locato & conducto. At ex emphyteutico contractu, obligatio quidem naturalis, ſed non actio oriebatur. Ita Filliucius *tract. 36. num. 155.* Azorius *p. 3. lib. 10. cap. 14. quæſt. 4.*

Filliucius. Azorius.

22. Differentia eſt inter bona emphyteutica & allodialia: quia allodialia bona propriè dicuntur iura, ſiue bona propria à nemine niſi à ſolo Deo data & recognita. Vnde bona emphyteutica, vel feudalia non ſunt allodialia, quia ea à ſolo domino rei emphyteuticæ vel feudalis tanquam ſua recognoſcuntur. Allaudium verò dicitur fundus, ager, ſiue prædium ad poſſeſſorem pleno iure pertinens: cuius nomine nullum laudatiuum, quod vulgò laudemiū vocatur, præſtatur & debetur alteri. Ita vt allaudiū ſiti nomen compoſitum à particula priuatiua & laudium, hoc eſt ſine laudatione. Bona igitur emphyteutica non ſunt allodialia, tum quia eorum bonorum dator eſt dominus, qui proprietatem habet & dominium directum, qui tanquam ſua ea bona recognoſcit: tum etiam quia ex re emphyteutica penſio domino ſoluitur, ſine cuius conſenſu res ipſa alienari non poteſt. Ita Clarus §. *emphyteuſis, q. 49.* Bonacina *de contract. diſputat. 3. quæſt. 8. punct. 1. num. 6.*

Clarus. Bonacina.

23. Emphyteuſis tranſmitti & transferri poteſt ad hæredes extraneos, quando in emphyteuſi ſimpliciter exprimuntur hæredes, aut quando emphyteuſis conceditur alicui ſimpliciter, vel vſque ad certum annorum numerum, puta viginti, vel triginta, quod etiam alicubi receptum eſt in emphyteuſi Eccleſiaſtica.

Si verò emphyteuſis concedatur alicui & eius filiis, ſeu filiis hæredibus, vſque ad tertiam vel quartam generationem, illa non transfertur ad extraneos, quia extranei non ſunt filij: imò in hoc caſu poſſunt etiam fœminæ ſuccedere; quia nomen filiorum etiam filias comprehendit *l. quiſquis, ff. de verb. ſignif.* Cùm igitur fœminæ capaces ſint emphyteuſeos, perinde ac maſculi, iuxta *Authent. de non alien. §. Emphyteuſis*: ideo nomine filiorum expreſſo in emphyteutico inſtrumento, etiam fœminæ comprehendi debent. Licet conſuetudine iam receptum ſit, vt non admittantur fœminæ, niſi deficientibus maſculis, vt docet Iulius Clarus *q.* 52. De his vide Molinam *d diſp.* 469. & 474. Azorium *p.* 3. *lib.* 10 *cap.* 10 *quæſt.* 8.

Clarus. Molina. Azorius.

24. Qui emphyteuſim accepit ſibi & hæredibus ſuis, poteſt illam, ad quem maluerit filium transferre, quando emphyteuſis eſt hæreditaria, hoc eſt, quando talis eſt, vt transferri poſſit ad extraneos, ſeu hæredes non neceſſarios, modò reliquis legitimam portionem relinquat: Filius tamen, qui rem illam emphyteuticam accepit, debet illam in portionem legitimam computare, quia ſpeciali iure ipſi non debebatur. Ita communiter Doctores & Gloſſa *in l. ſi patronus, verb. apud hæredem, ff. ad Senatuſconſultum Trebellianum.* Si verò emphyteuſis non ſit hæreditaria, pater non poteſt filium, quem maluerit, ad emphyteuſim deligere: nam tunc videtur acquiſitum ius filius, nec pater nocere poteſt iuri filij acquiſito. Couarruuias *lib.* 2. *variar. cap.* 18. Azorius *cit. cap.* 14. *quæſt.* 7. Etſi emphyteuſis hæreditaria ſit, ſeu conceſſa pro quibuſcunque hæredibus aut ſucceſſoribus, non poteſt transferri in perſonam potentiorem, magiſque priuilegiatam, cuiuſmodi eſt, v. g. Eccleſia, vel ciuitas. Ratio eſt, quia proprietarij conditio deterior redderetur tali alienatione, quandoquidem rariùs laudemium conſequetur; & difficiliùs ad ipſum emphyteuſis reuerſura eſt. Ita colligitur ex *l. vltim. Cod. de iur. emphyteut.* & docent Clarus *q.* 21. Molina *tract.* 2. *diſp.* 469.

Gloſſa. Couarruu. Azorius. Clarus. Molina.

25. Si emphyteuta Religionem profiteatur, quæ capax non eſt ſtabilium bonorum ac reditiuum, vti eſt ordo Minorum de Obſeruantia & Capucinorum, emphyteuſis pertinet ad legitimos hæredes aut ſucceſſores, videlicet, ſi hæreditaria eſt, ad proximum conſanguineum, quando religioſus ante profeſſionem nihil diſpoſuit: ſin verò ſit emphyteuſis ex pacto & prouidentia (quæ ſcilicet data eſt pro filiis ſeu deſcendentibus, vel abſolutè, vel in certas generationes) pertinet ad eos, qui ſecundùm inueſtituram vocantur; ſi nullus talis adſit, reuertitur ad proprietarium: quia profeſſio talis religioſi morti naturali æquiparatur. Ita Molina *diſp.* 482. Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 15. *num.* 52. Si emphyteuta profiteatur Religionem capacem bonorum immobilium, & emphyteuſis hæreditaria ſit, quæ ſcilicet in extraneos transferri poteſt, tranſit ad monaſterium, in quo religioſus profeſſionem fecit: quamquam monaſterium, dum ſuccedit, nominare debet aliquem, cuius obitu emphyteuſis finiatur, & dominium vtile redeat: quia alioquin omnem ſpem proprietarius amitteret laudemium accipiendi, cùm monaſterium ſit perpetuum.

Molina. Sanchez.

Si autem emphyteuſis non ſit hæreditaria, non tranſit in monaſterium, ſed viuente religioſo emphyteuta, commoditas illius emphyteuſis pertinet ad monaſterium: poſt vitam autem illius, ſuccedit, qui ex inueſtitura vocatur, alioquin ad dominum reuertitur emphyteuſis, non extantibus vocatis. Ita Panormitanus *in cap. in præſentia, de probat.* Azorius *part.* 3. *lib.* 10. *cap.* 11. *quæſt.* 5. Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 15. *num.* 59.

Panormit. Azorius. Sanchez.

Si tamen emphyteuſis alicui conceſſa eſſet pro ſe & pro ſuis hæredibus, emphyteuſis tranſiret perpetuò & irreuocabiliter in monaſterium, ſiue Eccleſiaſtica ſit, ſiue ſæcularis: quia monaſterium poteſt eſſe hæres: poſito quòd ſit ſuccedendi capax, intellige vbi ius commune Cæſareum ſeruatur. Ita Bartolus *in Authent. ingreſſi num.* 37. *de Sacroſanct. Eccleſ.* Sanchez *loco citat. num.* 61.

Bartolus. Sanchez.

26. Quando emphyteuſis datur vſque in tertiam vel quartam generationem, multi Doctores putant computandam eſſe perſonam, quæ accipit in emphyteuſim, ita vt ipſa conſtituat primam generationem, filius ſecundam, nepos tertiam, vt ſi in emphyteuſi dicatur, *Concedo emphyteuſim tibi vſque in tertiam generationem.* Secus ſi dicatur, Concedo Titio emphyteuſim vſque ad tertiam ipſius generationem: prima enim ipſius generatio eſt filius; ſecunda nepos; tertia pronepos. Ita Azorius *loco cit. c.* 11. *quæſt.* 1. Filliucius *tract.* 36. *num.* 141. Verius tamen eſt, per ſe loquendo, ipſammet perſonam non comprehendi in numero generationum: quia ipſa potiùs vocanda eſt principium generationum, quàm generatio, ſicut in computatione graduum affinitatis vel conſanguinitatis excluditur prima perſona, quia ipſa non facit gradum, ſed eſt ſtipes & principium graduum. Ita communiter Doctores teſte Iulio Claro *de emphyteuſi, quæſt.* 34. Tamburinio *de iur. Abbat. tom.* 3. *diſp.* 14. *quæſit.* 8. & aliis ab ipſo citatis.

Azorius. Filliucius. Clarus. Tamburin.

27. Quando emphyteuſis datur alicui, vt eam habeat ſibi & filiis ſuis ſimpliciter, nullâ facta mentione hæredum, illa tranſmittitur ad ipſos filios, etſi patris hæredes non ſint. Ita Clarus *cit. quæſt.* 37. Couarruuias *lib.* 2. *var. cap.* 18. Si autem dicatur: Do tibi emphyteuſim, vt eam habeas tibi & filiis tuis hæredibus, tunc non tranſit ad ipſos filios, niſi ſimul etiam ſint hæredes; quia talis qualitas filiorum eſt expreſſa in traditione emphyteuſis. Eſt communis ſententia. Vnde fit, vt in prædicto caſu non poſſint in emphyteuſim ſuccedere filij, ſi repudiauerint hæreditatem patris, aut ſi fuerint à patre iuſta de cauſa exhæredati. Quamuis Bonacinæ oppoſitum videatur probabilius inſpecta verborum proprietate: quia illa dictio, *&*, non apponitur ſuperfluè, neque poteſt apponi coniunctiuè, ſed diſiunctiuè. Ita ille *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 8. *punct.* 2. *num.* 34.

Clarus. Couarruu. Bonacina.

28. In emphyteuſi quam quis accipit pro ſe & filiis, ſi illa ſit Eccleſiaſtica, filius naturalis non ſuccedit, nec comprehenditur nomine filiorum. Ratio eſt, quia Eccleſia deteſtatur filios extra matrimonium legitimum ſuſceptos, vnde filios naturales excludit à ſuis bonis emphyteuticis. Ita Doctores communiter; vt ait Clarus, §. *Emphyteuſis, quæſtione* 30. Quamuis probabile ſit, naturales etiam ſuccedere, ſi fuerint nati, dum emphyteuſis facta fuit: quia verisimile eſt tradentem in emphyteuſim de illis cogitaſſe, & voluiſſe illos comprehendere, cùm illos poſitiuè non excluſerit. Si emphyteuſis ſit ſæcularis, filij naturales comprehenduntur: quia illi in vltimis voluntatibus nomine filiorum comprehenduntur, ergo etiam in contractibus aliis. Ita etiam ex communi Decius *in cap. in præſentia, de probat. num.* 136.

Clarus. Decius.

Similiter in hoc caſu, appellatione filiorum veniunt etiam facti legitimi priuilegio Principis; quia per legitimationem facti ſunt habiles ad ea iura. Si verò emphyteuſis ſit Eccleſiaſtica, tunc non ſatis eſt legitimatio Principis ſæcularis; quia non habet ad id poteſtatem, ſed requiritur poteſtas Principis Eccleſiaſtici nempe Papæ habilitantis illos ad ſuccedendum in huiuſmodi bonis. Filij autem facti

legitimi

legitimi per ſubſequens matrimonium admittuntur ad emphyteuſim tam ſæcularem, quàm Eccleſiaſticam, vt communis opinio habet in *cap. tanta, Qui filij ſint legitimi.* A fortiori natus ex matrimonio valido in foro Eccleſiæ, ſed nullo ob occultum impedimentum, cenſendus eſt comprehendi inter filios legitimos. Vt diximus *tom. 1. verb. Irregularitas* III. *num.* 2. Vide Azorium *part.* 3. *lib.* 10. *cap.* 10. Azorius.

29. Emphyteuſis extinguitur & finitur tribus modis. *Primò*, ob culpam emphyteutæ, quia videlicet malè verſatur in re emphyteutica, vel quia eam alienauit inſcio, vel inconſulto domino, vel quia non ſoluit annuam penſionem ad tempus præfinitum. *Secundò*, finitur lapſu temporis, videlicet quando res in emphyteuſim data eſt ad certum tempus, vtpote ad 30. 50. vel 100. annos. *Tertiò*, finitur & extinguitur finita generatione emphyteutæ, veluti ſi data eſt emphyteuſis ad tertiam vel quartam generationem eius. Vt ex dictis patet. Plura de emphyteuſi habentur apud Doctores toto hoc titulo citatos.

Vide verb. Cenſus *num.* 1.

EMPTIO ET venditio.

*SVMMARIVM.

1 *An contractus emptionis ac venditionis à rerum permutationibus ceperit? & quotuplex ſit permutatio.*

2 *Emptio & permutatio in quibus conueniant & differant.*

3 *An nomine emptionis vel venditionis comprehendatur etiam permutatio? An quando pro re datur res & ſimul aliqua pecunia, ſit permutatio, an verò venditio.*

4 *Emptio aut venditio quotupliciter fieri poſſit? Et an negotiatio ratione paupertatis, ſit clericis interdicta.*

5 *An liceat vendere aut emere rem vltra vel citrà dimidium iuſti pretij.*

6 *Quando emptor dans pretium exceſſiuum cenſeatur donare exceſſum, vel venditor vilius vendens condonare defectum pretij.*

7 *Quæ ſint obſeruanda circa pretium vulgare ſecundùm vſum fori.*

8 *Quæ ſint conditiones requiſitæ vt liceat in contractu venditionis pretium maius recipere, ratione damni emergentis.*

9 *An ratione lucri ceſſantis poſſit res carius vendi ob dilatam ſolutionem?* Refertur duplex ſententia.

10 *Quæ requirantur vt verè lucrum ceſſet venditori ob contractum venditionis credito pretio cum emptore tranſactum.*

11 *An liceat carius vendere, aut vilius emere rem quàm per ſe valeat, ratione ignorantiæ.*

12 *An licitum ſit vendere rem pluris creditò quàm iam valeat ex eo præciſè quòd ſit talis, vt communiter nequeat niſi ad terminum vendi?* Refertur duplex ſententia.

13 *An emere infra pretium infimum liceat præciſè ratione anticipatæ ſolutionis.*

14 *An ratione affectionis imaginariæ licitum ſit rem carius vendere, quàm ſecundùm ſe valeat.*

15 *Quod ſit iuſtum rerum pretium, quæ in auctionibus venduntur.*

16 *An peccet contra iuſtitiam mercator, qui non quam res ſuas venales exponit, niſi quando ſunt carriores.*

17 *An peccet contra iuſtitiam qui res ſuas ad forum detulit & venales expoſuit, & deinde eas ſuppreſſit, ex qua ſuppreſſione caritas ſecuta eſt.*

18 *An ſit iniquum impetrare à Principe priuilegium, vt ſibi ſoli liceat certum genus mercium vendere.*

19 *An venditor poſſit res ſuas pretio currenti vendere, ſi ſciat pretij futuram decretionem & emptor ignoret.*

20 *Qui per mendacium, fraudem ac dolum allicit emptores ad emendum, dicendo pretium breui augendum; an peccet contra iuſtitiam & teneatur ad reſtitutionem damni.*

21 *Reſoluuntur hîc multi caſus, in quibus res iuſtè poteſt vendi pretio currenti iuxta vſum fori, non admonito emptore de pretij futura decretione.*

22 *Venditor interrogatus an ſuperueniatura ſit copia mercis, & reſpondens non eſſe futuram, an peccet contra iuſtitiam vendendo pretio conſueto.*

23 *An ſimiliter emptor poſſit tempore abundantiæ tacere inopiam mercium futuram & emere pretio currente.*

24 *Qui eſt ſeruaturus ſuas merces in tempus futurum, in quo ſolent illæ magis valere, an poſſit eas maiori pretio vendere, quàm de præſenti valent.*

25 *An venditor qui eſt ſeruaturus triticum vſque ad aliquod tempus, poſſit nunc taxare pretium ſoluendum in futurum.*

26 *An ſit illicitum merces non ſeruandas in futurum carius vendi, quàm ſit pretium, quo æſtimantur tempore venditionis.*

27 *An contractus venditionis & emptionis celebratus bona fide propter ignorantiam vtriuſque partis circa valorem rei, validus ſit, etiamſi poſtea res comperiatur longè plus, ſiue longè minus valere.*

28 *An emens merces citra dimidium iuſti pretij faciat fructus ſuos, ſi in emptione interuenit dolus & fraus.*

29 *Qui abſolutè aliquid ad vendendum accipit, an pro ſuo labore poſſit aliquid ſibi retinere? vel illarum rem ſibi emere vt carius vendat.*

30 *An teneatur emptor etiam non rogatus valorem rei venditori reuelare, quando res ſuum pretium habet in communi vſu fori? Quid ſi vterque valorem ignoret? vel etiam ignoretur à peritiſſimis eius valor.*

31 *An venditori liceat minuere menſuram mercium, puta vini & olei, in caſu quo emptores nolent emere merces, quantum reuera valent? Et quando poſſit venditor vinum aquâ miſcere.*

32 *An licitum ſit venditori rebus ſuis præſtantibus ita miſcere viliores, vt non ſint minùs bonæ, quàm quæ ab aliis venduntur, & ſic illas vendere pretio currente?* Refertur duplex ſententia.

33 *Quantum poſſit iuſtè diminui de pretio ex contemplatione pacti redemptionis additi contractui venditionis?* Refertur duplex ſententia.

An emptor poſſit rem præſcribere, ſi intra tempus iure præſcriptum venditor non redemerit.

34 *Quando pactum, vt venditor maiori pretio redimat, poſſit eſſe licitum.*

35 *An in hoc contractu poſſit apponi pactum, vt ſi*

ſi venditor intra certum tempus non redemerit, res vendita remaneat irredimibilis.

36 *Quando venditio perfecta cenſeatur.*

37 *An res empta alienâ pecuniâ tranſeat in dominium emptoris.*

38 *Ob quas cauſas reſcindenda ſit venditio munere & officio iudicis.*

39 *An teneantur ad reſtitutionem qui impediunt ne merces ad ciuitatem conſluant, vt ſuas carius vendant.*

40 *Retractus gentilitius quid ſit? Et quæ requirantur vt valeat.*

41 *An negotiatio generatim ſumpta ſit res bona, vel mala, vel indifferens.*

42 *An negotiatio poſſit eſſe illicita ex parte rei, quæ venditur.*

43 *An negotiatio, quâ res indifferentes venduntur, quibus homines ſæpe vtuntur ad malum finem, ſit illicita & peccatum mortale.*

44 *Quando negotiatio reddatur illicita ex parte perſonæ negotiantis.*

45 *Quando ex parte emptoris ſeu perſonæ cui res venditur.*

46 *Quando ex parte loci.*

47 *Quando ex parte temporis.*

48 *Quando ex parte modi.*

49 *An mercator vel alius, qui non exercuit monopolium, poſſit iuſtè vendere ſuas merces pretio illo, quod per monopolium creuit?* Refertur duplex ſententia.

50 *An negotiatio reddatur illicita ex parte finis.*

51 *Quid iuris de alienatione bonorum facta in fraudem creditorum.*

52 *Quænam cenſeantur ſimul vendi cum venditione rei.*

53 *Quando venditio ad corpus dicatur, & quando ad menſuram.*

1. COntractus emptionis ac venditionis à rerum permutationibus cœpit: nam olim, cùm non erat nummus, neque merx & aliud pretium vocabatur, vnuſquiſque ſecundùm neceſſitatem temporum ac rerum, tum vtilibus inutilia permutabat: quoniam plerumque euenit, vt quod vni ſupereſt, alteri deſit: vnde emptio eſt iuris gentium quia omnes gentes & permutatione & venditione, vt cœperunt eſſe, vſæ ſunt, antequàm ius vllum ciuile apud homines conderetur, *l. 1. ff. de contrahend. emption.* Sed quia non ſemper concurrebat, vt cùm haberes quod deſiderarem, inuicem haberem quod tu accipere velles, & rerum permutandarum non æqualis eſſet valor, ideò electa eſt materia, cuius publica ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationem æqualitate quantitatis ſubueniret.

Pro quo nota triplicem eſſe permutationem. Prima eſt rei cum re: Secunda pretij cum pretio. Tertia rei cum pretio. Prima dicitur permutatio ſpecialis, quæ eſt vicaria præſtatio vnius rei cum alia. Secunda dicitur Cambium. Tertia emptio & venditio.

Permutatio ſpecialis conſiſtit in iis rebus, quæ vendi poſſunt, &. tunc perfecta eſt, quando ex vtraque parte facta eſt traditio, tunc enim neutra pars poteſt à contractu reſilire, niſi ex diſſenſu vtriuſque. Hinc ex ea duæ actiones oriuntur, vna quæ dicitur *præſcriptis verbis*, ex permutato, *l. rebus Cod. de rerum permutat.* & eſt contra eum, qui accepit rem ex permutatione, & teſtat dare rem ſuam. Altera, quæ dicitur *condictio ob cauſam*, quâ is qui dedit rem ſuam petit, vt ſibi reſtituatur, eo quòd tradita ſit ob cauſam, quæ non eſt ſecuta, quia ſcilicet alter non tradidit rem ſuam, vt erat conuentum, *l. 1. §. fin. ff. de rerum permutat.*

2. Emptio & permutatio in multis conueniunt. *Primò*, quia vtraque eſt contractus bonæ fidei. *Secundò*, ex vtraque oritur conditio vſucapiendi, *l. ſequitur. §. de illo, ff. de vſucapionibus. Tertiò*, ex vtraque datur actio redhibitoria, id eſt, emptionis diſſolutio, *l. ſciendum Cod. de adititio edicto. Quartò*, ex vtraque præſtatur euictio, *l. 1. Cod. de rerum permut. Quintò*, permutatio ſicut & emptio continens deceptionem vltra dimidium iuſti pretij, reſcinditur: vnde permutans ſcienter rem vitioſam, verbi gratia, equum calcitroſum, tenetur actione redhibitoriâ, ſicut & venditor.

Differunt verò permutatio & emptio in multis. *Primò* quia emptio eſt contractus, qui ſolo conſenſu fieri poteſt, vt dixi *tom. 1. verb. emptio n. 1. & 2.* at permutatio non fit, niſi interuentu rei traditæ. *Secundò* in emptione res datur pro pretio; in permutatione res datur pro re: vnde in emptione alius eſt emptor, alius venditor. *Tertiò*, in permutatione datur actio quæ dicitur *condictio ob cauſam*, vel actio quæ dicitur in iure *præſcriptis verbis*, vt dictum eſt, non autem in emptione. Baunius *de contract. lib. 1. tract. 2. cap. 3.* Baunius.

3. Canoniſtæ communiter docent nomine emptionis vel venditionis comprehendi etiam permutationem, ſi leges ſunt iuris communis. Si tamen ſint ſtatuta municipalia, qualia ſunt ſtatuta ciuitatum, locorum vel Principum; tunc nomine venditionis non intelligi permutationem in materia odioſa & pœnali, bene tamen in materia fauorabili, verbi gratia legatus eſt tibi fundus ea lege, ne venderes, licebit tibi eum permutare, quia eſt materia odioſa, ideò ſub venditione non comprehenditur permutatio. Item eſt ſtatutum alicuius ciuitatis, vt qui vendiderit rem aliquam, ſoluat gabellam, ſi permutauerit, non debet eam ſoluere. Legiſtæ tamen communiter aiunt, nomine emptionis vel alienationis intelligi permutationem.

Sed dubium eſt, an quando pro re datur res, & ſimul aliqua pecunia, ſit permutatio, an verò venditio? verbi gratia, ſi pro gladio, partim pretium numeretur, partim alia res. Reſpond. Abbas in *cap. Ad quæſtiones, de rerum permut.* Si data pecunia valore ſuperet, emptio cenſeri debet, ſin altera res ſuperet, potiùs permutatio erit. Quòd ſi quaſi æqualis valoris ſint, attendenda eſt mens contrahentium. Vide Gomez 2. *variar. capite 2. num. 10.* Gomez.

4. Emptio, aut contrahitur purè & ſimpliciter, aut ſub conditione. *Purè*, quando neque dies, neque conditio aut pactum vllum apponitur. *Sub conditione*, quando contrahitur pacto adiecto, vel conditione. Conditio eſt, cùm dubius vel incertus euentus adiicitur; vt vendo tibi tanti fundum meum, ſi nauis ex Aſia venerit.

Emptio ſub conditione vel pacto multiplex eſt: aut enim contrahitur cum adiectione in diem, vt vendo tibi tanti fundum meum, niſi intra talem diem proximum, alius mihi meliorem conditionem obtulerit, *l. in diem, ff. de in diem addictione.* Aut contrahitur cum pacto legis commiſſoriæ. Vt vendo tibi tanti domum meam, quod ſi pretium intra quatuor menſes mihi non ſolueris, pro non vendita habeatur, *l. cum venditor, Cod. de lege commiſſoria.* Aut fit cum pacto retrouendendi, v. g. quòd ſi intra quatuor annos pretium tibi reddidero, eam mihi reſtituas.

Emptio diuiditur etiam ex modo quo fit: aut enim palam

palam, aut non palam contrahitur, cùm fit ſub haſta in foro, vel alio loco publico poſita. Vel fit voce præconis in loco publico: non palam fit, cùm priuatim aliquid emitur.

Emptio itidem aut fit mercibus minutatim, id eſt, per partes minimas venditis; aut cumulo rerum venalium vendito. Denique emptio fit gratiâ quæſtus & lucri, aut causâ neceſſitatis. Et ea, quæ eſt cauſa lucri, duplex eſt, vna cùm res aliqua emitur, vt eadem prorſus abſque vlla ſui mutatione iterum vendatur: & hæc dicitur negotiatio, quæ eſt clericis iure canonico interdicta, *cap. multa, ne cler. vel monach.*

Altera, cùm res aliqua emitur, vt iterum vendatur, melior effecta ingenio, induſtriâ, curâ, & operâ emptoris, & hæc propriè non eſt negotiatio, nec ab ea clerici prohibentur: eſtque communis artificum & agricolarum, vnde ad hanc ſpeciem emptionis & venditionis pertinet, colere proprios agros, exercere opera ruſtica, vt fructus vendantur: alere greges, vt ex fœtu, lana & lacte pecuniæ acquirantur, vel vt ipſa animalia adulta pluris ſaginata vendantur.

Notandum hîc eſt, quod etſi regulariter prohibita ſit clericis negotiatio: tamen ex aliqua circumſtantia, vt paupertatis vel neceſſitatis, cui aliter nequeat commodè ſubueniri, non eſt prohibita: quia
Conc. Elib. illa neceſſitas excuſat: vnde Concilium Elibertinum *cap.* 19. concedit eis poſſe negotiari in neceſſitate per ſe intra prouinciam; per alios extra. Sic poſſet clericus ob paupertatem conducere alienum agrum & de eius fructibus partim veſcendo, partim vendendo ſuſtentari, *cap. Dilecti, de decim.*
Navarrus. *iuncta Gloſſ. ibid.* Nauarrus *lib.* 3. *conſil.* 3. *de*
Molina. *vita & honeſt. clericorum edit.* 2. Molina *tract.* 2.
Layman: *diſput.* 342. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 17. §. 7. *num.* 39.

5. Non licet vendere aut emere rem vltra dimidium iuſti pretij, nec in foro conſcientiæ, nec in foro externo. Eſt communis Doctorum ſententia. Vendere autem rem vltra dimidium iuſti pretij, non eſt vendere rem vltra duplum, vt quidam volunt, ſed vltra ſeſqui alteram, id eſt, vltra medietatem iuſti pretij, vt ſi res valens 10. vendatur 16. aut ematur 4. nam quinque ſunt medium iuſti pretij. In foro tamen exteriori non conceditur repetitio vendenti aut ementi citra dimidium iuſti pretij, vt ſi rem valentem 10. emeris 12. patet ex *l. rem. Cod. de reſcindend. vendit.* Ratio, quia alioqui innumeræ
Layman. lites & tumultus in rep. ſuborirentur. Vide Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 17. §. 1. *num.* 7.

In foro conſcientiæ non licet abſque peccato obligante ad reſtitutionem vendere cariùs aut emere viliùs citra dimidium iuſti pretij. Eſt communis. Ratio eſt, quia ius naturæ dictat in commutationibus ſeruandam eſſe æqualitatem, quæ ſanè non ſeruatur, quando res emuntur citra dimidium iuſti pretij. Tum quia qui ſic vendit aut emit, accipit rem alienam inuito domino, ergo peccat contra iuſtitiam ac proinde tenetur ad reſtitutionem. Leges autem ciuiles permittunt quidem oppoſitum in odium litis, non tamen approbant, ſed diuino iudicio reſer-
Leſſius. uant. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. & alij.

Si dicas, volenti & ſcienti non fit iniuria, ergo ſaltem ſecluſo dolo non fit iniuria emptori danti plùs quàm res valeat citra dimidium. Reſp. emptorem non velle reuera transferre dominium eius in quo defraudatur, ſed tantùm vult id exteriùs dare venditori, vt ita ſubueniat ſuæ neceſſitati: ſicut qui compulſus à latrone vult ei dare decem, vitæ conſeruandæ cauſa, ſolùm exteriùs dat, nec vult cedere iuri ſuo quod habet ad illa decem recuperanda; ita hic emptor à venditore defraudatus in pretio citra iuſti dimidium, vult ſolùm illud quod præcisè eſt neceſſarium ad ſubueniendum propriæ neceſſitati, non autem etiam dominium transferre. Nec eſt hîc facilè recurrendum ad donationem: quia emptores nihil minùs ſolent velle, quàm donare, cùm paſſim ſolùm intendant ſatisfacere propriæ neceſſitati, nec valde curent commodum venditoris vltra id quod poſtulat rigor æqualitatis iuſtitiæ.

Aliquando tamen titulo donationis poſſunt vendi res pretioſæ pluris quàm valeant, ſi non habeant pretium legitimum vel vulgare & quæ magis pertinent ad vitæ ſplendorem, quàm ad neceſſitatem: quia ſi emptor ſit amicus venditoris & cupidus aliàs ei benefaciendi, cenſebitur in rerum huiuſmodi ſuperfluarum emptione, exceſſum pretij, quem ſciens & prudens dat, liberè donare venditori. Vt rectè do-
Medina. cet Ioannes Medina *Cod. de reb. reſtituend. quæſt.* 32. *in fine.* Si etiam emptor ſit Princeps, vel vir clarus aut valde locuples, & putet ad ſuam dignitatem pertinere, res huiuſmodi magni coëmiſſe, præſumi poterit illum voluiſſe ſponte donare pretium abun-
Sotus. dans, vt vel eo nomine decus ſibi quoddam compararet, & ita intelligendi ſunt Sotus, Molina & alij
Molina. citati *tom.* 1. *verb. venditio num.* 8.

6. Emptor dans pretium exceſſiuum, cenſetur intendere donare exceſſum, vel venditor viliùs vendens condonare defectum pretij, his quinque concurrentibus. *Primò*, quando vterque contrahentium eſt perſona ſagax, ſcienſque valorem rei. *Secundò*, quòd non ex neceſſitate emendi aut vendendi det illud. *Tertiò*, quod inter contrahentes conjunctio aliqua ſanguinis, vel amicitia intercedat: nam inter extraneos non præſumitur donatio, niſi huius euidentia ſigna appareant. *Quartò*, quòd non interueniat vis, metus, fraus aut aliud ſimile. *Quintò*, quòd prædicta quatuor conſtent vtrique contrahentium, nam tunc præſumi poteſt donatio, ſi aliquis defectus aut exceſſus à latitudine iuſti pretij interueniat. Ita
Medina. Medina *Cod. de reſtit. quæſt.* 32. Conradus *de con-*
Contradus. *tract. quæſt.* 57. & 58. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4.
Leſſius. *num.* 37. Nauarrus *in cap. nouit. de iudicijs, notab.* 6.
Navarrus. *n.* 61. & alij apud Layman *loco cit. n.* 6.
Layman.

7. Cùm pretium vulgare ſecundùm vſum fori tres habeat gradus, infimum ſeu pium, medium ſeu moderatum, & ſupremum ſiue rigidum & rigoroſum, & omnia huiuſmodi pretia ſint iuſta, ſunt nonnulla circa hæc obſeruanda.

Primò, vſum fori non conſtitui à duobus vel paucioribus, ſed ab omnibus, vel pleriſque contrahentibus citra omnem fraudem vel dolum, deberique iudicari à peritis & prudentibus in ea arte, tali loco & tempore, aliiſque circumſtantiis inſpectis, iuſtum. Vnde ad vſum fori, & communem omnium æſtimationem in pretiis exiguntur hæc tria. *Primò*, vt pretio illo vtantur, non vnus aut alter, vel pauci, ſed omnes, aut ſaltem plerique tali loco & tempore. *Secundò*, vt vſus fori augeatur vel minuatur citra vllam fraudem & dolum. *Tertiò*, vt vſus fori non ita augeatur vel minuatur propter frequentiam vel paucitatem contrahentium, vel abundantiam aut inopiam mercium, aliaſque circumſtantias, vt iudicio prudentum pretium illud ſit reuera & omniò iniquum ſecundùm exceſſum vel defectum. Ratio huius eſt, quia quod euidenter iniuſtum eſt in aliquo genere, nullo vſu vel conſuetudine poteſt reddi iuſtum.

Secundò, vſum fori & communem omnium æſtimationem ex ipſa hora omninò currenti, in qua celebratur contractus ſumenda eſſe: ſunt enim quædam tempora, in quibus tam merces, quàm earum emptores & venditores ita deficiunt vel abundant

abundant, vt non ſolùm vſus fori vno die receptus, proximè ſequenti mutetur, verum etiam quandoque accidat, vt qui mane exiſtebat, poſt meridiem ſit mutatus propter mercium illarum & emptorum aut venditorum facilem mutatam abundantiam vel penuriam, vt contingit tempore nundinarum. Vnde ſi continuo poſt venditionem mercis, illa carior efficiatur, non poteſt venditor augere pretium, nec emptor illud minuere, ſi ſtatim poſt emptionem illam, viliùs incipiat vendi.

Tertiò, vſum fori, iuſtumque illius pretium, non eſſe ſumenda ex loco, in quo contrahentes inter ſe conueniunt de rei alicuius venditione, neque ex loco, in quo fit illius ſolutio; ſed ex loco, in quo res ipſa venalis actu, & reipſa traditur ementi illam. Ratio eſt, quia vſus fori & pretium iuſtum illius ex eo loco ſumenda ſunt, in quo verè & actu exercetur & perficitur contractus emptionis & venditionis; contractus autem huiuſmodi, tunc actu exercetur & perficitur, quando res traditur emptori & tranſit in illius dominium. De his vide Couarruuiam *tom. 2. variar. lib. 2. cap. 3.* Conradum *de contract. 3. parte queſtione 56. concluſ. 5.* Fauſtum *de contract. diſputat. 6. queſtione 5.* Layman *lib. 3. tractat 4. cap. 17. §. 1. num. 9. & 10.*

Couar. Conradus. Fauſtus. Layman.

8. Conditiones requiſitæ vt liceat in contractu venditionis ratione damni emergentis, pretium maius recipere, ſunt. *Primò*, vt damnum ſit in re tua, vel tibi debita, eaque habita, vel quam certò eras habiturus, aliàs non dicitur damnum emergens; ſed lucrum ceſſans. *Secundò*, vt hoc damnum emergat ex hac venditione ad terminum ſeu ex mutuo hic implicitè & tacitè interueniente, vt quia ſic vendendo, ſeu tacitè mutuando, redderis impetens tui damni auertendi. *Tertiò*, vt emptorem ſeu mutuatarium implicitum illius damni admoneas, alioquin eum deciperes, nam forte nollet cum tanto onere à te ſic emere, aut mutuum illud implicitum acceptare. *Quartò*, vt non cogas illum paciſci de periculo damni, ſed de damno tantùm ſi euenerit; licet enim illud periculum damni probabiliter euenturi, ſit pecuniâ æſtimabile (minori tamen, quàm ipſum damnum) non tamen potes alterum cogere, vt pro periculo damni aliquid paciſcatur, nam ſi emptor ſeu mutuarius paratus eſt ſarcire damnum quod euentus attulerit, non poteſt cogi ad alium contractum, nam ita tu ſeruaris indemnis; ſi tamen ipſe non cupiat pro damno, ſed pro periculo damni paciſci, potes acceptare pactum, & licet poſtea damnum non euenerit, poteris tamen conuentum exigere, nam periculum quod ſubiiſti, iuſto pretio erat æſtimabile. Ita Salon, Filliucius, Leſſius citati *tom. 1. verb. Vſura III. num. 2.*

Salon. Filliucius. Leſſius.

9. Quidam negant ratione lucri ceſſantis poſſe rem cariùs vendi ob dilatam ſolutionem: quia nemo poteſt vendere, quod ſuum nondum eſt, & poteſt multipliciter impediri. Ita D. Thomas 2. 2. *queſt. 78. art. 2. ad 4.* Scotus *in 4. diſtinct. 15. queſt. 2.* Sotus *de iuſtit. lib. 6. queſt. 1. art. 3.* communis tamen aliorum eſt opinio, eum qui vendit credito poſſe paciſci de lucro ceſſante ex dilata ſolutione pretij, atque adeò vendere creditò rem pluris quàm per ſe valeat. Vt viuit quis ex negotiatione, id eſt, pecunia comparata ex venditione vnius rei, alteram rem mercando, vt eam poſtea cum lucro vendat & ſperat emi ab alio pecunia numerata, quâ ille ad ſuum prædictum lucrum indigebat; vnde in cauſa tunc es, vt ceſſet illi lucrum futurum, quare meritò propterea accipiet à te plus pretij pro re quam ab eo ſic emis. Ratio huius ſententiæ eſt, quia pecunia, quâ fueras lucraturus pluris tibi valet, quàm ipſa per ſe conſiderata: erat enim veluti ſemen lucri, in quo virtute quodammodo continebatur: etſi enim pecunia ſit infœcunda & ſterilis, tamen quatenus ſubeſt humanæ induſtriæ, fit veluti ſemen fœcundum lucri, vnde plus æſtimatur, ac proinde plus pro ea exigi poteſt, ſicut plus exigi poteſt pro tritico deſtinato ſationi, quo ſi careas, carebis fructu, quàm pro eo quod conſumendum eſt; quia in eo virtute continetur fructus. Vnde ſi illud des, ſimul das fructum in eo latentem, quò fit vt tanti æſtimetur, quanti fructus in illo latens, ſeu illa ſpes fructus, ſi careas alio. Sicut poteſt artifex mutuans inſtrumentum ſuæ artis, deducere in pactum lucrum ei ceſſans, ergo ſimiliter mercator mutuans explicitè vel implicitè inſtrumentum negotiationis, id eſt pecuniam. Nec refert quòd ruſtico vel artifici lucrum erat certum, quia in noſtro caſu eſt etiam aliquo modo certum, & quantò minus fuerit certum, tantò minùs pro ceſſatione lucri petetur proportionaliter, & fiet iuſtè. Ita Navarrus *in man. cap. 17. n. 211.* Conradus *de contract. q. 59.* Caietanus, Salon 2. 2. *q. 78. art. 2.* Couarruuias *lib. 2. variar. cap. 3.* Sylveſter *verb. Vſura 1. §. 19.* & communis.

Nauarrus. Conradus. Caietan. Salon. Couar. Syluest.

10. Vt verè lucrum ceſſet mercatori ob contractum venditionis credito pretio cum emptore tranſactum requiritur *Primò*, vt pecunia à te jam (niſi venderes creditò) recipienda, vel actu fuerit expoſita negotiationi, vel certè negotiationi deſtinata, & illa quidem eadem, quæ alteri creditur aut mutuatur non enim ſatis eſt, vt potuerit exponi; quia pecunia cum potentia lucrandi remota, non plus valet, quàm pecunia abſolutè ſecundùm ſe ſpectata, quæ proinde per æqualem pecuniam compenſatur ſine aliquo alio auctuario: nam alioqui ſi potentia remota lucri pecuniæ ſemper annexa, poſſet licitè computari titulo lucri ceſſantis, infinita pene ſumma poſſet exigi pro lucro ceſſante, quatenus videlicet aliquâ ſummâ pecuniæ poteſt emi res, quæ fructificet aliquid, & illa res cum lucro rurſus vendi, & ſic deinceps in immenſum.

Secundò requiritur, vt emptoris voluntas & conſenſus in eiuſmodi pacto, ſit verè cauſa talis ceſſationis lucri ſaltem partialis, vnde neceſſe eſt vt emptor intelligat detrimentum lucri ceſſantis, quod in illius gratiam eſt incurſurus venditor, aliàs non conſentiet in pactum de compenſatione talis detrimenti. Qui autem mutuat alteri pecuniam cum detrimento lucri ceſſantis, non tenetur ipſi declarare; ſe ampliùs exigere ratione lucri ceſſantis ex ipſi mutuatione, ſatis enim eſt, vt abſolutè amplius petat, & de eo paciſcatur in ipſo contractu mutui. Ratio diſcriminis eſt, quia cùm vendo rem aliquam creditò pluris ratione lucri mihi ceſſantis ex dilatione ſolutionis, teneor declarare me ampliùs petere quàm res per ſe valeat, ratione mei incommodi, ne ipſe putet rem pluris valere, quàm per ſe valeat, & ita decipiatur: ſecus autem eſt in mutuo, quia etſi amplius petatur quàm ſors, non ideò circa æſtimationem ſortis mutuatarius decipitur.

Tertiò requiritur vt credens alteri pecuniam, non recipiat ſtatim lucri ceſſantis intereſſe, de quo paciſcitur, ſed expectet illud cum capitali ſoluendum. Ratio eſt; quia hoc ipſo quòd creditor aliquid mox reciperet ab altero, falſum eſſet quod ceſſaret illi lucrum illud pecuniæ creditæ pro qua aliquid exigit, & ita talis contractus eſſet iniquus, v.g. Petrus credit Paulo 15. & pro lucro ceſſante ex 15. exigit 5. jam ſi illa 5. ex vi talis pacti recipit, non erit verum ceſſare illi lucrum ex 15. pro quo quinque petierat, ſed tantùm ceſſabit illi ex decem, quandoquidē tantùm abdicat à ſe decem. Confirm. quia ſi Petrus exigat

exigat ſtatim. Atinque, jam in re non mutuat quindecim, ſed tantùm decem, Paulus enim tantùm retinet decem, atqui ratio mutui exigit, vt concedatur aliquod temporis ſpatium.

Quartò, requiritur vt venditor non exigat totum lucrum ſperatum, ſed minus; deducendi enim ſunt labores, expenſæ, & quantò maioris valet id quod certum eſt & præſens, quàm quod futurum & incertum. Unde tàntumdem ſolùm deducere debet in pactum, quanti valet illa ſpes lucri, deductis laboribus & expenſis, v. g. ſi paratus eſſes ſpem illam lucri vendere decem, & labores expenſaſque ad illud lucrum ſubeundas, redimere tribus, non poſſes exigere niſi ſeptem.

Porrò duobus modis poteſt lucrum ceſſans deduci in pactum, primò indeterminatè, videlicet, vt mutuatarius vel emptor teneatur mutuantem vel creditorem ſervare indemnem, juxta ea quæ poſtea evenerint, vt ſi poſtea deprehendatur lucrum futurum fuiſſe magnum, teneatur hoc totum compenſare, deductis laboribus & expenſis: ſi paruum, ſimiliter ex æquo; ſi nullum nihil. *Secundò*, paciſcendo aliquid determinati à principio, quidquid tandem acciderit, & hoc poterit creditor aut mutuans exigere, etſi poſtea deprehendatur nullum lucrum fuiſſe obtenturum; quia ſpem ſuam vendidit.

De hoc lucro ceſſante vide Auctores citatos *tom. 1. verbo vſura 111. num. 5. 6. & 7.* apud quos plura.

11. Licet cariùs vendere, aut viliùs emere rem quàm per ſe valeat, ratione ignorantiæ; quando videlicet vendens bona fide exiſtimat pretium quod recipit, vel emens pretium quod confert juſtum eſſe, nec culpâ ſuâ in eò decipiuntur, ſed laborant ignorantia invincibili juſti pretij. Verum eſt tamen quòd cognoſcens poſtea pretium verum, tenetur reſtituere exceſſum, niſi tanto tempore exceſſum illum venditor cum bona fide retineat, vt ſufficiat ad præſcribendum. Nam tunc, etiamſi completo tali tempore agnoſcat ſe emptorem defraudaſſe, ſive in multo, ſive in pauco facta fuerit defraudatio, nihil tenebitur reſtituere, juxta doctrinam traditam in materia de præſcriptione *tom. 1. verb. Præſcriptio n. 11.* Ex quo infertur, quòd ſi teſtator præcipiat, vt reſtituantur bona ab eo malè percepta, ſi inveniatur interea aliquid alienum præſcriptum titulo bonæ fidei, non debet hoc reſtitui. Ita Arragon 2. 2. *quæſt. 77. art. 1.* Medina *Cod. de reſtit. quæſt. 32.* & alij. Arragon. Medina.

12. Nullo modo licet vendere rem creditò pluris quàm jam valeat ex eo præcisè quòd ſit talis, vt communiter nequeat niſi ad terminum vendi, verbi gratia, non licet merces in magna copia adductas vendere pluris quàm jam valeant, ſi nequeant niſi creditâ pecuniâ vendi colligendâ videlicet à minutis mercatoribus ex iterata venditione eiuſmodi mercium. Ratio eſt, quia quòd res non poſſint niſi creditò vendi, non eſt ſignum donationis factæ ab emptore, vt patet, nec id per ſe continet aliquod peculiare damnum aut grauamen venditoris, cùm pecunia poſtea ſoluenda tantùm valeat, quàm præſens: ergo ceſſante alio peculiari venditoris intereſſe, aut gravamine aliunde proveniente, non rectè poſſunt eiuſmodi res idcirco cariùs æſtimari & vendi, quàm ſi ſtatim ſolueretur pretium. Confirm. quia venditio ad terminum, nihil addit venale venditioni, quæ fit præſenti pretio, nihil enim addit niſi dilationem ſolutionis, quæ eſt quædam tacita mutuatio, pro hac autem nullo modo licet pretium augere. Ita Navarrus *in man. cap. 23. num. 82.* & alij. Nihilominus apud quoſdam cenſetur contraria ſententia etiam probabilis. Ratio illorum eſt, quia cum iſtæ merces non poſſint ea copia, qua expedit reip. & emptores deſiderant, præſenti pecuniâ vendi; neceſſarium fuit inſtituere modum eas vendendi creditò ſeu ad terminum; qui modus facit vt mox plurimi emptores ſeſe offerant, quorum copia pretium intendit, facitque creſcere & ſic non venduntur præcisè pluris ob dilationem ſolutionis; ſed quia iſte modus vendendi, per accidens facit pretium creſcere, alliciendo copiam emptorum.

Accedit, quòd cùm pretium non conſiſtat in indiviſibili, ſæpe fit vt pretium, quo venduntur credito, non excedat pretium rigoroſum, quo numerato vendi poſſent. Denique ferè ſemper mercatoribus eſt incommoda illa dilatio ſolutionis: nam ſæpe videmus poſtquam credito vendiderunt, eos agere cum emptoribus de anticipando termino; remittendo 8. vel 9. in 100. per annum, vel plus minuſve, ſecundùm numerum menſium. Unde in taxando illo pretio potuit haberi etiam ratio illius incommodi. Ex quibus patet, non eſſe illa pretia, quibus merces credito pluris vendi conſueverunt facilè condemnanda; niſi aliunde conſtet eſſe injuſta. Ita Emanuel Sà *verb. venditio, num. 7.* Covarruvias *lib. 2. variar. cap. 3. num. 6.* citans Salicetum & Decium, Leſſius *lib. 2. cap. 21. dub. 56. & 57.* Diana *part. 1. tract. 8. reſol. 21.* & alij apud ipſum. Eman. Sà. Couar. Salicetus. Decius. Leſſius. Diana.

13. Similiter non licet infra pretium infimum emere præcisè ratione anticipatæ ſolutionis, v. g. non licet emere minoris lanam à Paſtoribus anticipata ſolutione, eo quòd res huiuſmodi nequeat aliter vendi. Ratio eſt, tum quia quòd res nequeat emi, niſi anticipatâ ſolutione, non minuit valorem rei alio tempore tradendæ, nec anticipata ſolutio ob id ſolùm quòd ſit anticipata, continet aliquod gravamen emptoris. Unde ceſſante alio intereſſe, non poteſt quis ideò viliùs emere, quàm valebunt res tempore traditionis. Tum quia hoc eſſet lucrari aliquid ſupra ſortem ex vi impliciti mutui: qui enim ſolutionem anticipat, implicitè mutuat; & poſtea dum ei res empta pluris valens traditur, implicitè fit ei reſtitutio cum uſura: nam illud incrementum, quo res pluris valet; quàm pretium, datur ex vi pacti præcedentis. Propter anticipatam ſolutionem, id eſt, propter uſum pecuniæ tanti temporis. Eſt communis ſententia Doctorum.

Per accidens tamen interdum licet minoris emere ratione anticipatæ ſolutionis, vt ſi per illam anticipationem emptor patiatur damnum vel lucri jacturam: vel ſi eſſet periculum fraudis in venditore, quod vel merces non traderet, vel non ſinceras, vel non ſtato tempore, vel non ſine lite & expenſis; hæc enim omnia æſtimabilia ſunt. Denique quia hic modus vendendi inducit raritatem emptorum & multitudinem venditorum, & proinde facit pretium decreſcere. Hinc ſequitur poſſe excuſari multis de cauſis emptores lanarum, qui eas minori pretio emunt anticipatâ pecuniâ. *Primò* ratione periculi, cui ſe exponunt non recipiendi lanas. *Secundò* ratione lucri ceſſantis, ſi eo tempore quo carent pecunia, potuiſſent ea uti ad cambia, aut alia ratione lucrari. *Tertiò*, quia magnam lanarum quantitatem ſimul emunt, quando autem magna mercium quantitas ſimul emitur, vileſcit earum pretium. *Quartò*, quia modus vendendi numerata pecunia inducit, raritatem emptorum & multitudinem venditorum raritas autem emptorum & multitudo venditorum minuit pretium. Ita Molina *tr. 2. diſp. 360.* Sotus *de iuſtit. lib. 6. q. 4. art. 1. ad 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 21. dub. 7.* Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 4. num. 20.* Diana *part. 1. tract. 8. reſol. 22.* Contra Navar. Valentiam & alios. Molina. Sotus. Leſſius. Bonacina. Diana.

14. Quamuis ratione peculiaris affectus, aut oblectationis, qua quis se priuat, possit rem illa cariùs vendere, quàm simpliciter & secundùm se valeat, iuxta æstimationem ipsius oblectationis vel affectus: quia hic non tantùm vendit rem illam nudam, sed etiam suum commodum & oblectationem vel affectum, vt diximus *tom. 1. verb. venditio, n. 5.* Dubium tamen est, si affectio illa sit solùm imaginaria, vel nullo nixa fundamento consentaneo rationi, vel ex nimia cupiditate, ex qua putat pluris valere rem suam; An possit tunc rem illam cariùs vendere, quàm secundùm se valeat; Quidam affirmant: contrarium tamen puto dicendum: quia affectus animi inordinatus, non est pretio soluendus, sed corrigendus: secus autem esset, si verè & non fictè affectus esset v. g. ad suum equum, quia mansuetissimum sibi eum expertus est, eiusque nouit placidas conditiones, sedatum gressum & incessum in itineribus, quia tunc hac ratione, si sit rogatus neque putat facilè alium similem inuenire, admonito emptore, poterit pluris, quàm in se valeat, diuendere. Ita Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 4. n. 27.* Rebell. *2. p. lib. 9. quæst. 1. sect. 7.* & alij.

Lessius, Rebellus

15. Datur etiam aliquod iustum pretium rerũ, quæ in auctionibus venduntur, vltra quod ascendere venditori non licet. Ratio, quia forum auctionarium habet etiam suas leges à legibus fori communis diuersas. Vnde licet in auctionibus res vilius emi possint, quàm in communi foro; tamen iniquum esset egredi latitudinem iusti pretij mercium huius fori auctionarij. Ita Medina *Cod. de reb. restituend. q. 31.* P. Nauar. *lib. 3. de restit. c. 2. n. 36.* Confirm. quia vt notat Angles *de contract. emptionis dub. 7.* in Hispania, si in auctione contingat deceptio vltra medium, lege regiâ datur actio ad pretium repetendum, aut venditionem rescindendam. Notat tamen *P. Nauarra* quòd cùm exceditur iustum pretium in auctionibus ex contentione licitatorum, tunc probabile esse non teneri venditorem ad restitutionem. Ratio: quia res non videntur ibi subesse certo, sed fortuito pretio, ita vt, sicut plerumque venduntur minoris, ita aliquando etiam venduntur pluris communi pretio, idque ex ementium contentione; quare hoc ad bonã ipsius fortunam pertinere censebitur. Tum quia censetur adesse iustum pretium, iustum enim pretium in huiusmodi euentu censetur illud, quod eo modo vendendi extorqueri potest absque fraude, vt vsus & praxis indicat etiam apud probos & doctos homines. Ita etiam Lessius *loc. cit. n. 35.* Reginald. *lib. 25. n. 319.* Valent. *tom. 3. disp. 5. q. 20. punct. 2.* & alij. Vide quæ diximus *tom. 1. verb. vendit. n. 5. §. sexta causa*, & præterea Dianam *p. 4. tract. 4. res. 12.* & *p. 9. tract. 8. res. 57.*

Medina, P. Nauarra, Angles.

Lessius. Reginald. Valentia.

Diana.

16. Quando mercator numquam merces suas exposuit, sed adduxit animo vendendi quando erunt cariores, non peccat contra iustitiam, licet aliquantulum augeatur pretium alioqui non augendum, si ille rem suam exposuisset. Ratio est, quia caritas illa mercatori non imputatur, cùm non fuerit proxima illius causa, sed tantùm prudenter conseruauit res suas. Confirm. quia jure gentium concessum videtur mercatoribus, maximè merces aliunde importantibus, vt non statim debeant eas exponere, quando adhuc est sufficiens copia, & moderato pretio possunt haberi. Secus si enormiter v. g. in duplum excrescere inciperet pretium, nisi exponerentur: tunc enim quia merces illæ sunt in republica, ipsa jus habet ad illas emendas justo pretio: quare reipublicæ injurius esset, qui diutius eas conditas teneret. Ex his colligo, eum, qui propè messem accumulat & vndique congerit ingentem copiam frumenti, vt ipse postea, caritate inuecta, pro libito illud vendat, peccare contra justitiam, & teneri ad restitutionem damni reipublicæ illati: injuriam enim facit reip. dum tantam copiam emit & reponit, vt notabilem inducat caritatem: quia quamdiu illa copia ibi manet respublica habet jus vt pretium non augeatur. Deinde reipublicæ facit injuriam, postea tam carè vendendo.

17. Si quis res suas ad forum detulerit, aut aliter venales exposuerit, & deinde eas suppresserit, donec pretium augeatur, non peccat contra justitiam, si ex ea suppressione non sequatur major caritas, secus verò si ex ea sequatur notabiliter major caritas. Prior pars patet, quia huiusmodi mercator, non est causa vllius damni, vt si paucas merces habeat, aut ingens sit copia in civitate. Altera pars probatur: quia quando merces illas exposuit venales reip. acquiritur jus ad eas coëmendas pretio justo, ergo ei fit iniuria à mercatore, si ille condendo suas merces, fecerit illas pluris æstimari: hinc sequitur talem mercatorem teneri ad restitutionem, non solùm ejus pretij quod ipse supra justum accepit, sed etiam ejus damni, quod cives passi sunt, dum coacti sunt ab aliis mercatoribus supra justum emere. Venditores tamen alij non tenentur ad restitutionem illius augmenti, quod fuit supra justum; quia justo pretio vendiderunt spectatâ copiâ quæ extabat venalis, & suppositâ alterius iniquâ suppressione, quæ non erat in illorum potestate. P. Nauar. *lib. 3. de restitut. c. 2. dub. 8. n. 82.* Non videtur tamen improbabile, eos, qui merces suas suppressere ante expositas, aut magnam vim congessere tritici, tota messe vndique corrasa & coëmpta tantùm peccasse contra charitatem proximorum & justitiam legalem, seu publicam vtilitatem, atque adeò non teneri ad restitutionem. Ratio est, quia probabile est, quòd ex justitia non tenebantur tunc vendere, sed poterant tunc eas in aliud tempus seruare: nec Resp. habebat jus justitiæ ad eas emendas, nisi ipsis vendere volentibus: & licet potuerint cogi à magistratu tunc vendere & postea possint grauiter ob talem suppressionem puniri, non ideò tamen ex justitia particulari tenebantur: nam multa crimina possint puniri, quæ non sunt contra justitiam; sufficit enim vt sint contra bonum publicum. Hæc sententia posset in aliquo casu teneri post factum, quando difficilis esset restitutio, numquam tamen ante factum: quia etsi non sit contra justitiam, tamen est grauissimum peccatum contra charitatem proximorum & justitiam legalem.

18. Dubium est, an sit iniquus mos vendendi aliquorum, qui à Principe impetrant privilegium, vt ipsis solis liceat tale genus mercium importare aut vendere. Respondeo, non esse iniquum si subsit aliqua legitima causa illius privilegij concedendi & impetrandi, & Princeps designet certum & æquum pretium illarum mercium: hoc addo, quia alioqui daretur illis occasio vendendi pro arbitrio cum magno reip. damno. Ita Navarrus *in man. cap. 23. num. 92.* Bonacina *de contr. disp. 3. quæst. 2. punct. 5. num. 9.* & alij.

P. Navarr. Bonacina.

Simile exemplum est de his, qui expensis suis libros imprimi faciunt, quibus privilegium concedi solet, vt nemo eosdem libros infra certum tempus valeat imprimere, contra voluntatem eorum, qui primò eos impresserunt. Hoc enim in publicam vtilitatem redundare constat, vt per hoc viri docti animentur impressioni operam dare: quatenus eorum doctrina multis valeat communicari.

In mercibus autem quibus vt plurimum homines indigere solent, tale privilegium mercatoribus concedere & concesso vti, non ita videtur excusibile, etiamsi pretium moderatum præfatis mercibus

tibus designetur. Quia quamuis per huiusmodi pretij taxationem, caritas alioqui inducenda impediatur; aliud tamen inconueniens non tollitur: quia scilicet impediuntur multi à beneficio multiplici, quod indigentibus facerent. Merces etiam pro minori pretio venderentur, si multi essent mercatores, qui liberè vendere possent, vt bene aduertit Ioannes Medina *Cod. de rebus restituend. quæst.* 30. Medina.

19. Licet emptor ignoret & venditor sciat pretij futuram decretionem, nihilominus potest venditor res suas vendere pretio iam currenti. Probatur quia pretium iustum metiendum est æstimatione communi hominum, attentâ rei ipsius naturâ & iis omnibus circumstantiis, quæ moraliter omnibus constare possunt, & facilè circa rem occurrere, sed in proposito casu, res tanti æstimatur communiter, etiam perpensis circumstantiis moraliter occurrentibus, quanti si in rei veritate abundantia rei non esset mox futura; ergo tanti iustè poterit vendi, quanti si non esset futura abundantia illius, nec mea priuata scientia hanc æstimationem, seu taxationem mutabit. Confirmatur, quia si res minus valeret ob rei futuram copiam, sequeretur, quòd si venditor ignorans etiam futuram rei copiam, vendidisset rem tanto pretio, quanti æstimabatur, deberet postea superueniente rei copia sibi nota pretij excessum emptoribus restituere, quod est absurdum & communi vsui contrarium. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 3. *ad* 4. Caietanus, Syluius *ibidem*, Sotus *lib.* 6. *quæst.* 3. *art.* 2. Couarruuias *ad reg. peccatum*, *part.* 2. §. 4. *num.* 5. & 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5. Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 40. Contra Ioannem Medinam *Cod. de reb. restituend. q.* 35. Conrad. *de contract. q.* 62. & 63. & alios asserentes debere venditorem rem manifestam facere emptori, vel minuere de pretio, non quidem tanti quantus futurus esset defectus pretij, si copia illa iam esset præsens, sed quanti minoris æstimaretur, si omnes prædictam mercium abundantiam cognoscerent. Sed prior sententia est tenenda vt probabilior & communior. D. Thom; Caietan. Siluius Sotus, Couar. Lessius, Diana,

20. Certum est eum, qui per mendacium, fraudem ac dolum allicit emptores ad emendum, dicendo, pretium breui augendum, peccare contra iustitiam cum obligatione restituendi damnum, inde illis subsequutum. Ratio est, quia habet vnusquisque ius commutatiuum, vt sibi ab alio damnum iniquè non inferatur.

Quod si vterque contrahentium ignoret tempore emptionis illam mercium copiam superuenturam, licita erit venditio pro pretio currente in foro, nec taliter vendens tenebitur ad aliquid restituendum, quamuis deinde illam sciat. Ratio, quia cùm neuter tunc alterum decipiat, æqua debet esse vtriusque conditio. Quod si vterque contrahentium sciat illam copiam mercium futuram, non tenetur venditor ad illam manifestandam, nec ad minuendum de pretio currente, sed iustè potest illud accipere, si ab emptore illi tradatur, quia vendidit iusto pretio, cùm vendat pretio tunc currente & sine vlla deceptione, cùm vtrique sit nota futura mercium copia. Certum est etiam quòd si is qui breui frumenti æstimationem minuendam nouit, non plus frumentum venderet, quàm seclusâ eâ scientiâ erat venditurus, non peccaret, nec ad aliquam restitutionem teneretur: quia per eam scientiam non manet deterioris conditionis, quàm alij, & quam ipse erat facturus, si eam scientiam non haberet, nec malitiosè quidquam in hoc casu facit. Ita Molina *de contract. disp.* 354. Lessius *loco citato num.* 43. Molina. Lessius.

21. Ex dictis resoluuntur sequentes casus. *Primus*, qui nouit ciuitatem fore ab inimicis obsidendam, propter quam obsidionem valor mercium minuetur; potest ante obsidionem merces quas habet in illa ciuitate vendere pretio currente, non monitis emptoribus de periculo impendente.

Secundus, qui nouit lege Principis vel reipub. frumenti mensuram vel aliam similem minoris valituram, potest vendere triticum suum pretio currente, etiamsi paucis deinde diebus sit res illa multò minus valitura.

Tertius, qui nouit curiam breui ab vrbe discessuram, ob cuius discessum domus valor minuetur, potest discessum illum celare domumque suam pretio tunc currente locare. Quorum omnium ea est ratio, quia res iustè vendi potest iuxta communem vsum fori pro tempore vigentem, nam iustum rei pretium est, quod vel Principis lege vel communi æstimatione constat.

Quartus, qui vendit rem bonam & sanam eo tempore quo vendit, esto sciat per astrologiam vel reuelationem statim post venditionem futuram inutilem, vel perituram, potest illam nihilominus vendere pretio currente eo tempore quo vendit, tacito illo secreto.

Quintus, qui nouit mox auctoritate publica Principis vel Reipubl. pecuniæ valorem fore minuendum, potest interim suam monetam distrahere pretio currente, etiamsi vt seipsum ditaret occasione huius legis plus pecuniarum distraheret, quàm alioquin erat distracturus: quia res valent, quanti in præsenti communiter æstimantur, etiamsi in ignorantia futuræ legis ea æstimatio fundetur: ergo absque peccato, & onere restituendi communi pretio currente eam expendere poterit, quidquid de futura lege sciat. Magistratus tamen & assessores iniustè agent, si eiusmodi decretum, quod ciuibus omnibus æqualiter promulgatum esse conuenit, alicui ante prodant, vel ipsimet eius scientia vtantur, cum reliquorum damno. Diuersa autem ratio est de aliis, qui non sunt ex Magistratu, aut Concilio: nam quibus nulla officij obligatione incumbit impedire, ne ciues occasione publicorum decretorum damnum aliquod patiantur, ij nulla lege iustitiæ, aut charitatis prohiberi videntur, quo minus priuata notitia eiusmodi decreti mox promulgandi in suam vtilitatem vtantur. De his casibus vide Salas *de contract. emption. dub* 32. Lessium *cit. c.* 21. *dub.* 5. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 17. §. 1. *num.* 9. Dianam *part.* 1. *tract.* 8. *resolut.* 42. & 45. Faustum *in specul. disp.* 6. *quæst* 18. & 19. Reginaldum *lib.* 25. *num.* 345. Salas Lessius. Layman Diana. Faustus. Reginald.

22. Venditor interrogatus an superuentura sit copia mercis & respondens non esse futuram, non peccat contra iustitiam, nec ad restitutionem tenetur, si vendat precio consueto. Ratio, quia iustum rerum pretium non sumitur ex ignorantia vel scientia copiæ vel egestatis futuræ, sed vel ex Principis lege, vel communi hominum æstimatione tali loco & tempore, ergo siue venditor sciat futuram copiam, siue ignoret illam, siue interrogatus aperiat siue occultet, vel neget, vel mentiatur, modò vendat rem absque aliquo vitio pro pretio currente, vendit pretio justo, & per consequens contractus est justus.

Secus si alius, cuius nihil interest, sic mentiretur: censeretur enim causa nocendi esse mentitus. Ita Arragon, Bañez. 2. 2. *quæst.* 77. *artic.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5. *num.* 43. Si tamen emptor exprimeret se propterea emere tali pretio, quia credit venditorem verum dicere circa futuram copiam, in tali casu teneretur venditor emptori Arragon, Bañez. Lessius,

aperire veritatem quam novit, alioqui venditio eſt nulla: quia conditio iſta ſic ab emptore appoſita eſt honeſta, ergo ea deficiente contractus eſt nullus. Salon. Ita Salon 2. 2 *q.* 77. *art.* 3.

23. Similiter poteſt etiam emptor tempore abundantiæ tacere inopiam mercium, quam ſcit futuram, & emere illas pretio currente tempore abundantiæ, & ſi mentiatur, non erit eius mendacium pernicioſum, ſed officioſum tantùm, atque ex conſequenti non obligans ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia in his par eſt & æqua vtriuſque partis conditio, & ita ſicut licet venditori ſilere futuram vbertatem & vendere pretio currente, ſimiliter licebit emptori ſilere caritatem futuram, & emere pretio currente.

Cæterum quamvis emptor, aut venditor regulariter non teneatur ex juſtitia in caſibus ſupradictis aperire copiam vel penuriam futuram mercium, D. Thom. vt apertè docet D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 77. *artic.* 3. *ad* 4. dicens, *abundantioris fore virtutis, ſi pretium minuat, vel futuram copiam exponat*, quia poteſt quis rebus ſuis conſulere, etiamſi inde par damnum proximo obueniat. Interdum tamen poteſt contingere, vt tam emptor, quàm venditor peccent contra charitatem, quâ tenemur bono proximi conſulere, quando ſine magno detrimento proprio fieri poteſt: vt ſi vni ingentem copiam talium mercium vendas, qui inde grave damnum incurret, ſtatu & fortunis evertendus, contra charitatem peccaret venditor, ſi non notificaret emptori futuram copiam, præſertim ſi venditor ſuas merces aliis ſine Leſſius. ſuo damno diviſim vendere poſſet. Ita Leſſius *lib.* 2. Rebellus *cap.* 21. *dub.* 5. *num.* 43. Rebellus *part.* 2. *de oblig. iuſtit. lib.* 9. *quæſt.* 6. Imò in hoc caſu arbitratur Sylvius. Sylvius 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 3. *in quæſito concl.* 2. quòd talis venditor mendacium committens non ſit excuſandus à reſtitutione facienda emptori, ſi inde patiatur notabilem jacturam: quia illud mendacium non eſt officioſum, quod eſt alteri cauſa magni damni; vel licet damnum proprium vitare per dolos & fraudes, ſed bene vtendo eo ad quod habemus jus. Ita ille.

Sa tamen venditor ex eo quòd non vendat ſuas merces Caio emptori, in par damnum incideret, tunc non tenebitur ex charitate illud notificare Caio, ſed poteſt tutâ conſcientia vendere illi quantum mercium poſtulauerit pretio currente: quia charitas bene ordinata incipit à ſeipſa & nullus tenetur, neque ex charitate, neque ex juſtitia alteri conſulere cum proprio damno in eodem genere bonorum, vt docent *Leſſius, Rebellus* ſupra.

24. Qui eſt ſeruaturus ſuas merces in tempus futurum in quo ſolent ille magis valere, poteſt eas maiori pretio vendere, quàm de præſenti tempore contractus valent. Ratio, quia res debent æſtimari ſecundùm quod vſui humano accommodantur, ſed merces non erant diſtrahendæ & vſui humano applicandæ, niſi pro tali tempore, ergo ſecundùm illud tempus, quo erant diſtrahendæ & vſui applicandæ, debent æſtimari; aliàs venditor pateretur damnum emergens, à quo ſe poteſt ſeruare indemnem. Ad juſtificationem tamen huius contractus, quædam conditiones exiguntur, juxta Doctores infra citandos. *Primò*, vt venditor verè habeat animum ſeruandi merces in tempus illud ſolutioni deſtinatum. *Secundò*, vt merces ſint talis naturæ, quòd poſſint ſeruari in tale tempus, ſine ſui corruptione. *Tertiò*, vt de pretio deducatur tantùm, quantum ſi ſeruarentur ob ariditatem, aut quacumque alia de cauſa diminutæ fuiſſent, juxta expertorum judicium. *Quartò*, vt deducantur ex pretio quo res illæ creduntur valituræ tempore illo, in quod ſeruantur, omnes labores, pericula & expenſæ neceſſariæ. *Quintò*, vt rogatus vendat, nec ſeipſum ingerat vt offerat, id eſt, vt nonniſi de conſenſu alterius contrahentis hoc faciat. *Sextò*, vt ne ſummum, quo illo tempore augendum eſt, pretium exigat, ſed medium; ita quod ſi in vna parte talis menſis valuit decem, & in alia quindecim & in alia viginti, non accipiat niſi quindecim. *Septimò*, vt à principio contractus & tempore venditionis emptor de augmento pretij tunc currentis, ratione damni quod patitur vendendo eo tempore merces, quas in aliud ſibi magis vtile ſeruabat, admoneatur. *Octauò*, vt taxatio pretij perinde fiat, ac ſi res illæ non eſſent antea venditæ, ſed ſeruatæ vſque ad illud tempus. Ita Molina *tractatu* 2. *diſp.* 355. De la Cruz *in Director. part.* 1. *præcept.* 7. *quæſt.* 5. *dub.* 7. *concluſ.* 2. Nauarrus *in Manual. cap.* 17. *num.* 239. Arragon 2. 2. *quæſt.* 77. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 2. & alij. Molina. De la Cruz. Nauarrus. Arragon. Diana.

25. Venditor qui eſt ſeruaturus triticum vſque ad aliquod tempus, poteſt taxare pretium de præſenti ſoluendum in futurum, ſi pro illo tempore, pro quo triticum vendendum deſtinabatur, creduntur futura plura pretia, dummodo vterque contrahentium ſe exponat æquali periculo damni vel commodi, id eſt maioris vel minoris pretij: & ſic poterit illud vendere eo pretio, quo plus minuſve illo tempore putatur valiturum, id eſt, pretio medio inter ſummum & pium illius temporis. Securius tamen eſſet, ſi non taxatur pretium, quando fit venditio & triticum actu traditur, ſed relicto eo incerto vſque ad tempus, in quo venditor res illas inſtituebat vendere, & tunc ſeruatis conditionibus ſupra poſitis, poterit exigere pretium mediocre; quia ſic nemini facit iniuriam, nec ſe ponit in tuto, ſed tantùm ſeruat indemnem. Ita Bañez 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 4. Molina *tract.* 2. *diſp.* 355. & alij. Bañez. Molina.

26. Ex communi Doctorum ſententia illicitum eſt merces non ſeruandas in futurum cariùs vendi, quàm ſit pretium, quo æſtimantur tempore venditionis. Ratio eſt, quia valor rei non eſt diuerſus per hoc, quod venditor vel de præſenti, vel ad terminum vendat; non enim res ad terminum vendita plus valet, quàm ſi in promptu venderetur: ergo propter hoc quod ad terminum venditur, non eſt licitum augere pretium magis ſi in præſenti venderetur. Tum quia vendens pecuniâ credita nullo alio titulo poteſt maius pretium accipere, quàm valet res de preſenti, vt ſeruet ſeipſum indemnem ab aliquo damno emergente, vel lucro ſibi ceſſante; atqui merces ſuas non inſtituerat ſeruare in futurum, recepto pretio quod currit tempore actualis traditionis, nullum patitur damnum, nullum illi ceſſat lucrum ex tali venditione; ergo hic nullo modo poteſt cariùs vendere vltra pretium, quo valet, quando actu traditur. Ita Molina *de contract.* *diſp.* 355. Covarruvias *lib.* 2. *variar. cap* 3. *num* 6. Sotus *lib.* 6. *quæſt.* 4. *art.* 2. & alij. Contra Caietanum 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. *& in ſumm. verb. vſura* arbitrantem, mercatorem, qui non erat merces ſeruaturus vſque ad tempus, in quo plus erant valituræ, poſſe illas cariùs vendere, quàm ſit pretium fori eo tempore, quo vendit; quia tempore ſolutionis dicitur perfecta venditio: ſed hæc ſententia non eſt ſuſtinenda, quia venditio perficitur quando res traditur emptori, tanquam domino illius, etiamſi differatur ſolutio in futurum: implicat enim contradictionem dicere, quòd venditio non eſt perfecta & quòd emptor maneat dominus rei, ita vt ſibi ſtet, aut pereat; ergo fictitium eſt dicere, quòd illa venditio ſit ex tunc; nam reuera perfi- Molina. Couar.

citur

citur nunc cùm res traditur, ſiue expectatâ, ſiue numeratâ pecuniâ.

27. Quando contractus venditionis & emptionis celebratur bonâ fide propter ignorantiam puræ negationis vtriuſque partis, ſcilicet, quia neutra pars ſcit valorem rei, ſed merè negatiuè ſe habet circa æſtimationem valoris, tunc talis contractus eſt validus, nec ad aliquam reſtitutionem tenetur, etiamſi poſtea res comperiatur longè plus, ſiue longè minus valere. Et quidem quòd contractus ſit validus, Probatur, quia liberè partes in contractum conſentiunt. Quod autem inde nulla oriatur obligatio reſtitutionis, patet, quia ambo pari periculo damni ac lucri ſe exponunt, liberéque in contractum conſentiunt ſub certo pretio, quaſi committentes ſe æquali fortunæ, ſiue plus, ſiue minus res valeat.

Si verò contractus celebretur bonâ fide cum ignorantia præuæ diſpoſitionis, quia vterque exiſtimat juſtum pretium eſſe tantum vel tantum & tamen re vera eſt maius vel minus, tunc talis contractus eſt nullus in foro conſcientiæ: quia ille qui decipitur, non alia ratione vult contrahere, niſi quia putat pretium eſſe juſtum, ergo non eſt voluntarius ille contractus, ſed nullus & per conſequens qui plus accepit, tenetur in conſcientia illud læſo reſtituere vel reſcindere contractum. Quando autem contractus mala fide celebratur, & pars læſa ignorat valorem rei, tunc inualidus eſt contractus in foro conſcientiæ: quia talis ignorantia tollit rationem voluntarij, quod neceſſariò requiritur ad verum, validumque contractum. Ita Bañez 2. 2. *queſt.* 77. *art.* 1. Molina *tract.* 2. *diſp.* 353. Bañez. Molina.

28. Emens merces citra dimidium juſti pretij non facit fructus ſuos, ſi in emptione interuenit dolus & deceptio, quia nimirum emens vi, dolo vel fraude inducit venditorem, qui aliàs non erat venditurus. Ratio, quia cùm talis contractus non ſit liber, non eſt validus, atque ex conſequenti non poteſt facere fructus ſuos, ſed vnà cum reſiduo pretij tenetur illos reſtituere, non tamen omnes, ſed ad ſummum pro rata, juxta quantitatem defectus pretij vſque ad latitudinem juſti. Ita Sotus *lib.* 6. *q.* 3. *art.* 1. communis. Sotus.

Si autem liberè & bona fide ſine vi, dolo, vel fraude contraxerunt, verùs eſt fructus non eſſe reſtituendos, quia tunc emptor dominium comparauit rei ita emptæ, & ſi ante contractus reſciſſionem periiſſet, vtique ipſi periiſſet: ergo interim dum contractus non eſt reſciſſus facit fructus ſuos. Ita Molina *tract.* 2. *diſput.* 349. Contra Couarruuiam *lib.* 2. *variar. cap.* 3. *num.* 9. aſſerentem fructus etiam eſſe reſtituendos, ea potiſſimum ratione, quòd cùm venditio ex cauſa de præterito, quæ jam inerat à tempore venditionis, reuocatur: fructuum ab ipſa re vendita pereceptorum reſtitutio fit. Sed venditio inſuſta ratione pretij reſcinditur ex cauſa, quæ tempore contractus inerat: igitur & cum ipſis fructibus reſtituenda eſt res ipſa, de cuius reſtitutione agitur. Et licet hic Auctor putet hanc ſententiam veriorem eſſe, fatetur tamen contrariam ſententiam eſſe vſu receptam, quia nunc iniquum appareret lege naturali, diuina & humana ex pecunia vſuram recipi. Molina. Couar.

29. Qui abſolutè aliquid ad vendendum accipit, nihil ſibi aſſignato pro ſua mercede, poteſt ſibi aliquid retinere, domino ſciente pro ſuo labore: dixi, *Domino ſciente*, quia dominus fortaſsè exiſtimauit gratis & tanquam beneficium id fieri, neque vellet operâ illius vti pro mercede, quia vel alium inueniret, qui gratis id faceret, vel per ſeipſum potiùs rem venderet. Qui autem gratis & ex ſola liberalitate vel charitate hoc officium præſtandum ſuſcepit, nihil poteſt ex pretio rei venditæ pro juſto ſui laboris ſtipendio ſibi appropriare. Ita Lopez *de contract. cap.* 53. Nauarrus *in Man. cap.* 23. *num.* 97. Is autem cui aliquid traditum eſt vendendum, ſi conuenit de ſuo labore, nihil poteſt de pretio ſibi vſurpare: quia non habet vllum legitimum titulum, quo poſſit ſibi aliquid de pretio retinere; non ratione rei venditæ, cùm hæc non ſit ipſius; nec ratione laboris, quia pro eo mercedem accepit. Ita Rodriguez *tom.* 2. *Summ. cap.* 78. Leſſius *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 18. Lopez. Nauarrus. Rodrig. Leſſius.

Qui pro certo pretio jam ſibi aſſignato aliquid vendendum accepit, puta decem, & ille vendit pro duodecim; ſi iſta duo quæ ſupra decem accepit, ſint vltra rei pretium rigoroſum, aut lege taxatum, tenetur illa reſtituere emptori, quem in pretio decepit. Si verò intra latitudinem juſti pretij contineantur, tenetur in conſcientia illa reſtituere domino rei, cuius negotium gerit & ſibi retinere ſalarium. Ratio eſt, quia ſunt pretium rei, ac proinde ad dominum rei ſpectant, cuius voluntas præſumpta erat, vt ſi plura, quàm decem inueniret, plura acciperet, ac ſibi traderet. Nec obſtat, quòd dominus rei vendendæ pretium præſcripſerit: quia id ſolùm videtur feciſſe, non quidem ne vltra aſcenderet vendendo, ſed ne ab eo deſcenderet; vnde eo ipſo quo pluris fuit vendita, totum illud ceſſit domino.

Tamen qui ſua induſtria & arte illud quod ſuſcepit vendendum reddidit pretioſius, cùm ad id nulla eſſet obligatione aſtrictus, propter quod illud plus vendidit, poteſt illud plus ſibi retinere, tunc enim fructus non rei ſecundùm ſe, ſed ſuæ induſtriæ indebitæ cenſetur illud lucrum carioris venditionis. Ita Rebellus *de obligat. iuſtit. lib.* 9. *queſt.* 18. *ſect* 5. Nauarrus *cap.* 23. *num.* 97. Lopez *lib.* 1. *de contract. cap.* 53. vt in ſimili annotauimus *tom.* 1. *verb. Cambium, num.* 9. Rebellus. Nauarrus. Lopez.

Aduerte autem quòd ſi proxeneta rem illam pretio à domino aſſignato ſibi emeret, & poſtea ſuo nomine pluris venderet; non peccaret, nec ad aliquam reſtitutionem teneretur: qui eam iuſto pretio à domino comparauit & poſtea iuſto pretio ſuo nomine vendidit. Niſi fortè dominus ei mandaſſet vt venderet quanti intra latitudinem iuſti pretij vendi poſſet; quo caſu tenetur illam diligentiam præſtare, quo facto, poſſet eam ſibi vendicare eo pretio, quod alij obtulerunt. Ita Leſſius *ſupra dub.* 18. Syluius 2. 2. *queſt.* 77. *artic.* 4. *queſit.* 4. *concluſ.* 3. Leſſius. Syluius.

30. Quando venditor ignorat valorem mercis quam vendit, & eſt illa communiter cognita ab hominibus illius artis, habetque res illa ſuum pretium in communi vſu fori, tunc emptor etiam non rogatus, non ſolùm lege charitatis, ſed etiam lege iuſtitiæ tenetur valorem illius rei venditori reuelare. Ratio, quia licet alij qui non parant rem emere, teneantur lege ſola charitatis, & ſub mortali venditorem inſcium valoris rei admonere, quando ex ignorantia valoris vendens paſſurus eſt graue damnum: tamen qui emere rem conſtituit, quia aliàs venditor rei neſciens, minoris rem ſuam vendat, inuoluntarius illo pretio diſtrahit, & ideò tenebitur vi iuſtitiæ & ſub culpæ reſtitutioniſque reatu valorem illius rei patefacere. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 77. *art.* 2. Nauarrus *in Man. c.* 23. *n.* 89. Conradus *de contract. q.* 54. & alij. D. Thom. Nauarrus. Conrad.

Quòd ſi tam venditor, quàm emptor rei virtutem ignorent, quia fortè putant eſſe aurichalcum, quod eſt aurum, aut vitrum, quod eſt gemma, tunc ignorantia excuſabit quidem à peccato emptorem,

non

non tamen à reſtitutione, quâ debet ſupplere pretij defectum quamprimùm ſciuerit rei valorem, vel ſaltem tenebitur contractum reſcindere, ſi pretij defectum ſupplere nolit. Ita Arragon 2. 2. *q.* 77. *art.* 2. & 3. Arragon.

Quando venditor ignorat virtutem rei quam vendit, nec communiter cognoſcitur ab hominibus etiam peritis in illa arte, non tenetur emptor peritiſſimus cognoſcens illam virtutem indicare venditori, quam ipſe ſolus ſuâ ſingulari peritiâ agnouit, ſed iuſtè poteſt illam emere exhibito pretio, quod communiter taxatur à peritis in illa arte. Ratio, quia iuſtum rei pretium, quando à lege non eſt præſcriptum, illud eſt, quod communiter æſtimatur ſecundùm communem vſum fori, ſed virtus illa occultiſſima in publico foro non æſtimatur, ſiquidem non agnoſcitur; ergo emptor non tenetur dare pretium pro illa virtute, quam ipſe ſpecialiter cognouit. Proinde faſcis herbarum, qui venditur ad pabulum animalium, poteſt emi pretio, quo talia vulgo vendi ſolent, etiamſi emptor ſciat ibi pretioſas quaſdam herbas contineri. Ratio eſt, quia tota illa res ad eum vſum, quo vendi ſolet non pluris æſtimatur. Ita Molina *diſp.* 353. *dum.* 13. Lopez *de contract. lib.* 1. *cap.* 49. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 85. Victorellus *ad cap.* 49. *lib.* 8. *Summ. Toleti.* Molina. Lopez. Leſſius. Victorellus.

31. Licet aliquando venditori minuere menſuram mercium, puta vini, vel olei, in caſu quo emptores nolent emere merces, quantùm reuera valent, aut quia factum eſt monopolium, aut quia Princeps noluit merces juſto & æquiualenti pretio taxare; tunc licitè poterit minoris vendere curtando menſuram, ita vt quantitas, quam iſte tradit, juſtiſſimè valeat illud pretium, quod recipitur. Injuſtitia tamen pretij debet eſſe manifeſta & patens, & de illa debent judicare homines prudentes bonæ vitæ & famæ: quia nemo præſumitur bonus judex in propria cauſa. Ita Valentia 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 20. *punct.* 4. Arragon. 2. 2. *q.* 77. *art.* 3. Valentia. Arragon.

Ob eandem rationem poterit venditor aquâ vinum miſcere, ſi nimia nempe eſſet vini caritas & nemo eſſet, qui vellet conuenienti pretio emere, tunc licitè poterit venditor aqua illud diluere vendendo menſuram minus, quæ reuera cum aqua tantùm valet: quod verum eſt quando venditor probabiliter crederet emptorem vinum emiſſe, vt ſtatim conſumeret, eſſetque ei vinum ſecundùm rationem pretij vtile, ſecus dicendum ſi illud emiſſet, ut ſeruet, quia vinum aqua mixtum notabiliter, non ita ſeruari poteſt, vt purum, & ſic emptor notabile damnum pateretur, illud ſeruando. Idem eſt dicendum de illo qui haberet vinum bonum alicuius generis virtutem aliquam medicinalem habens, quæ in alio vino, licet ita bono non inueniretur, injuſtè tunc aget venditor, ſi tale vinum pro alio venderet, quia ratione medicinæ quæreretur. Ita Arragon, Bañez 2. 2. *queſt.* 77. *art.* 3. Lopez *de contract. lib.* 1. *cap.* 15. Toletus *in Summ. lib.* 8. *cap.* 49. *num.* 5. Filliucius *tract.* 35. *c.* 6. *n.* 133. Arragon. Bañez. Lopez. Toletus. Filliucius.

32. Dubium tamen eſt inter Doctores de illis, qui rebus ſuis præſtantibus ita miſcent viliores, vt non ſint minus bonæ quàm quæ ab aliis venduntur, atque ita vendunt illas communi pretio currente, vel etiam taxato per Rempublic. Fit hoc non rarò circa purum triticum, cui admiſceens ſecale; circa vinum preſtans, cui miſcent vel aquam, vel aliud vinum tenue. Quidam prorſus negant hanc mixtionem fieri poſſe: quia lex taxat triticum, quale ex area adduci ſolet, non quale facit induſtria fraudulenta: vnde ſi tale triticum ex induſtria cum aliqua mixtione vendatur, minori pretio vendi debet, quàm ſit à taxa legis præſtriptum. Tum quia, qui vinum aquâ perfuſum vendit, eo ipſo vendit plus quàm habeat, nam ſi habeat tres amphoras, vendit plus quàm tres amphoras: ergo, &c. Hæc ſententia eſt valde probabilis, quam ſuſtinent *Petrus Ledeſma, Rebellus, Salas,* qui *tract. de empt. & vendit. dub.* 12. citat Medinam, Molinam, Navarrum & Rodriguez. Quibus addo Siluium 2. 2. *queſt.* 77. *artic.* 2. *concluſ.* 3. vbi ſic ait, Similiter peccant, qui vinum aqua miſcent, illudque tanti vendunt, ac ſi eſſet purum. Quòd ſi ſic dilutum, æquè vel meliùs ſapiat emptori, etiam tunc diminuendum eſt de pretio: per accidens enim eſt quod æquè ſit gratum, cùm alioqui non ſit reuera tanti æſtimabile. Sicut ergo caro porcina æquè ſapiens ruſtico atque ceruina, non idcirco poteſt & tanti vendi, ita in propoſito. *Hæc ille.* Nihilominus contraria ſententia non eſt improbabilis, ac proinde eiuſmodi mercatores non videntur obnoxij reſtitutioni, modò hæc duo ſeruentur; quòd iſtæ merces verè non fiant deteriores, quàm quæ eiuſdem generis paſſim venduntur, & quòd non excedatur vulgare earum pretium. Ratio eſt, quia talis venditor nullum damnum, vel injuriam infert emptori; non enim tenetur illi tradere res majoris perfectionis & integritatis, quàm ab aliis vendantur. Tum quia æſtimatio rei deſumitur per ordinem ad vſus humanos, cùm autem vinum per admiſtionem illam aquæ, ſit adhuc æquè vtile ad vſus humanos, ad quos emitur, vt ſupponitur, ergo aliquis ſic vendens non peccat contra juſtitiam, neque tenetur ad reſtitutionem, cùm nullius damni cauſa cenſeatur. Ita *Lopez, Iaunes de la Cruz, Leſſius, Bonacina,* quos refert & ſequitur Diana *p.* 1. *tract.* 8. *reſol.* 51. P. Ledeſma. Rebellus. Salas. Medina. Molina. Navarrus. Rodrig. Sylvius. Lopez. De la Cruz. Leſſius. Bonacina. Diana.

Contra juſtitiam tamen peccant, qui triticum ſiue caſu, ſiue arte madefactum vendunt pro ſicco; fallunt enim emptorem partim in eo quod triticum iſtud eſt corruptioni magis obnoxium, partim in eo quod per madefactionem turgeſcit, atque ita contingit emptorem decipi in menſura.

Item, qui merces ita permixtas vendunt velut puras, pretio nimirum majora, quàm vendantur aliæ, ſimiles quidem, ſed quæ meritò præſumuntur eſſe mixtæ & pro mixtis emuntur, manifeſta eſt injuſtitia. Ita peccant, qui frumentum venditurі, aliquam eius partem benè mundant, vel etiam abluunt, & cùm fuerit ſiccum ac mundum eiuſmodi frumentum ponunt in ſuperiori duntaxat parte ſacci & vendunt quaſi totum foret ſimile. Item, qui ſic artificioſè miſcent, ipſiuſque ſacci orificio probatius frumentum adhibent, vt credatur totum eſſe ſimile; atque ita vendunt, non quanti ſecundùm ſe valet, ſed quanti ſi foret totum tale, quale apparet. Ita Sylvius *ſupra citatus concl.* 3. Siluius

33. Cùm res quæ venditur adjecto pacto redemptionis minùs æſtimetur, quàm ſi per ſe nuda venderetur; quia venditor imponit emptori onus quoddam pretio æſtimabile, nempe vt ipſi volenti cogatur rem reuendere intra aliquod tempus. Dubium tamen eſt, quantum poſſit minui juſtè de pretio, ex contemplatione huius pacti? Quidam Juriſperiti aſſeruerunt id arbitrio boni viri eſſe definiendum, vt etiam diximus *tom.* 1. *verb. venditio, num.* 3. Alij autem putant poſſe juſtè minui vſque ad tertiam partem. Communis tamen ſententia affirmat pretium juſtè diminui vſque ad quartam partem, non citra, v. g. fundus qui ſimpliciter valet quadraginta, ſi eum hoc pacto vendatur valet triginta, ac propterea, ſi minoris venderetur, eſſet peccatum injuſtitiæ; vnde emens teneretur ad juſtum reducere pretium vt ſic contractus juſtificaretur.

Digitized by Google

Nauarrus. Lopez. retur. Ita Nauarrus *in Man. cap.* 23. *num.* 86. Lopez *lib.* 1. *de contract. cap,* 32. & alij.

Sed petes, an emptor possit rem sibi retinere jure præscriptionis, si intra tempus, quod lex præscriptionis requirit, venditor, non redemerit? Respondeo, certum esse, hanc legem præscriptionis non habere locum in emptione annuorum censuum, in quibus hoc pactum de redimendo nunquam præscribitur: sed difficultas est de contractu venditionis aliarum rerum cum pacto redimendi. In qua re duplex est sententia. Prima est, asserentium triginta annorum spatio hoc pactum præscribi, ne emptor maneat in infinitum obligatus ad iterum vendendum rem venditori. Hæc sententia est probabilis. Secunda sententia probabilior ait posse venditorem quandocumque voluerit redimere, etiam post triginta, vel quadraginta annorum spatium, non obstante jure præscriptionis. Ratio est, quia ex partium conuentione actio & obligatio extendi possunt in infinitum: in casu autem nostro, cùm in pacto expressè apponatur, vt quandocumque venditor voluerit, possit rem venditam redimere: censetur inter contrahentes conuentum esse, vt quocumque tempore in perpetuum vendens per se, vel per suos hæredes voluerit, possit rem redimere. Ita definitur *in l. quod si nolit, §. si quid ita, ff. de adil. edict.* vbi habetur, si inter emptorem & venditorem pactum fiat, vt quandocumque res emptori displiceret, redimeretur, posse redimi in perpetuum.

34. Quamuis de ratione huius contractus sit, vt tantumdem pretij reddatur, quantum acceptum est, etiamsi tempore redemptionis res vendita plus vel minus æstimetur, quàm eo tempore quo est vendita; nihilominus pactum vt venditor majori pretio redimat, potest aliquando esse licitum, puta, vt si res verè sit meliorata apud emptorem industria & expensis ipsius vel casu fortuito, ita tamen vt apud venditorem melior minimè redderetur, venditor debeat pluris redimere. Ratio, quia valde est rationi consonum, vt venditor, cùm eam redimit, emolumenta & commoda quæ facta sunt in reipsa soluat, si apud ipsum facta non fuissent. Hinc non est iniquum si venditor vendat cum pacto, vt minori pretio possit redimere, si res deterior euaserit apud emptorem, quod non accideret apud venditorem; quia etiam est rationi congruum vt venditor minori pretio redimat, si culpâ emptoris res sit effecta deterior, aut etiam casu fortuito, quod tamen minimè euenisset, si venditor rem suam penes se habuisset. De his vide Medinam *Cod. de restitut. quæst.* 15. Couarruuiam *lib.* 3. *variat. cap.* 9. *num.* 4. Conradum *de Contract. quæst.* 74. Lessium *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 14.

Medina. Couar. Conrad. Lessius.

35. In hoc contractu potest apponi pactum, vt si venditor intra certum tempus non redemerit, res vendita remaneat irredimibilis, dummodo hoc fiat bona fide, vt cogitet, & stimulum habeat venditor de redimendo: secus si ponatur tale pactum in fraudem venditoris; quia emptor cogitat venditoris talem impotentiam, vt non valeat infra tale tempus redimere; quia tunc esset fraus, & ideò illicitum, juxta Sotum *de iustit. lib.* 6. *quæst.* 5. *articulo* 3. & alios.

Sotus.

36. Venditio perfecta censetur, *Primò*, quando res vendita emptori propriè vel fictè tradita est, *Secundò*, quando pretium est solutum, vel habita fides emptori de pretio soluendo, & tunc fructus rei ad emptorem spectant, & quod per alluuionem fluminis accrescit, ad ipsum etiam spectat, sicut fructus arborum & animalium partus, *l. penult. Cod. de action. empti & venditi.*

37. Res empta alienâ pecuniâ transit in dominium emptoris, si nomine suo emat *l. si ex ea, Cod. de rei vendic.* Excipiuntur tamen aliqui casus. *Primò*, cùm est quid emptum pecuniâ Ecclesiæ, fit Ecclesiæ, *cap.* 1. & 2. 12. *quæst.* 3. & *cap. fixum*, 12. *quæst.* 5. *Secundò*, emptum pecunia pupilli vel minoris à matre vel curatore, fit ipsius pupilli vel minoris, Hostiensis *in Summ. de empt. & vendit.* §. *vlt.* *Tertiò*, emptum pecuniâ militis, fit eius, *l. si vt proponis, Cod. de rei vendic.* *Quartò*, emptum pecuniâ donatâ ab altero coniuge, fit eius, cuius est pecunia, *l. vxor marito, ff. de donat. inter vir. & vxor.*

Hostiens.

38. Ob multas causas rescindenda est venditio munere & officio Judicis. *Prima est*, si fuerit contracta venditio per errorem in pretio, vt si deceptus sit emptor, vel venditor vltra dimidium justi pretij, *l. Rem maioris, C. de rescindend. vendit.* vel in contractu, vel in corpore rei venditæ, vel in substantia & materia, vel in sexu, vel in quantitate, aut qualitate rei. *Secunda* quando per vim contracta est venditio: tunc autem non est rescindenda, sed ipso jure est etiam rescissa & irrita: quia vis tollit consensum & sine consensu venditio non subsistit. *Tertia*, quando venditio per metum illatum & cadentem in virum constantem facta est: tunc aduersus eum, qui metum incussit, datur actio, quam leges & jura, *Quod metus causa*, vocant. *Quarta*, rescindenda est venditio ratione ætatis, vt pupillis, minoribus, Ecclesiis & ciuitatibus solent bona alienata restitui. *Quinta*, ratione pacti violati. *Sexta*, ratione conditionis non impletæ. *Vltima*, ratione solemnis formulæ, quæ in venditionibus defuit, cùm tamen jure requireretur.

39. Qui vi, aut fraude impediunt, ne merces ad ciuitatem confluant, vt suas cariùs vendant, tenentur ad restitutionem, tum emptoribus, quibus iniusta causa sunt, vt cariùs emant, tum mercatoribus aliis, quos injustè impediunt à lucro. Ita Sylvester *verb. Emptio, quæst.* 13. Rodriguez *tom.* 2. *Summ. cap.* 84. *num.* 3. Qui autem absque vi, aut fraude impediunt alios ne merces emant ab iis, qui eas portant, sed eas ipsi anticipatè emunt, ita vt alij postea cogantur eas cariùs emere de manibus ipsorum, probabile est, ad nullam teneri restitutionem, etiamsi caritatem inducant. Ratio est, quia tales non peccarunt contra justitiam, quando emerunt, posito quod emerint pretio justo currenti: sed tantùm contra caritatem proximorum & contra justitiam legalem, seu publicam vtilitatem, ex cuius violatione non consurgit obligatio restituendi. Nec refert quod hac ratione inducatur caritas: quia etiam multitudo emptorum inducit caritatem, non tamen ideo illi emendo peccant contra justitiam: quia actio illa ex qua prouenit caritas non est contra justitiam commutatiuam. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 20. *num.* 151. Molina *disp.* 345. *in fine.* Filliucius *tract.* 35. *num.* 214. Juxta tamen communiorem sententiam tales obligandi sunt ad restitutionem, vt docent Bonacina *de contr. disp.* 3. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 5. Rebellus *lib.* 9. *q.* 18. *n.* 38.

Sylvest. Rodrig. Lessius. Molina. Filliucius. Bonacina. Rebellus.

40. Per retractum gentilitium, id est, per ius alicuius gentis, aut ciuitatis, statuto vel consuetudine datum, conceditur ius proximo venditoris consanguineo, intra certum tempus rescindendi & ad se reuocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore consanguineo empta fuerat. Huius juris mentio fit *in l. Duduni. Cod. de contrab. empt. & cap. constitutus, de in integr. restitut.* Ratio est, ne possessiones paternæ atque auitæ ad alienas manus deueniant.

Circa hoc ius notandum est *Primò*, quòd nomen venditionis extendi non debeat ad alias alienationes.

nes, puta donationem, legatum, permutationem; multòque minus ad locationem, emphyteusim, altumve contractum, quo vtile tantùm dominium transfertur, directo penes alienantem permanente, sicut testatur Couarruuias *lib. 3. variar. cap. 11. num. 3. & 4.* Covar.

Secundò, si consanguinei, post legitimam eis factam denunciationem & requisitionem, justo pretio emere nolint, post duorum mensium spatium alteri vendi potest. Sin autem irrequisito proximo consanguineo venditio facta fuerit, jus habet ille retrahendi intra annum & diem. communi jure, sicut docent & colligunt Doctores ex libro 2. Feudorum, *Si de feudo defuncti fuerit controuersia inter dominum & agnatos Vasalli. §. Titius filios.* Currit autem annus ille, post venditionem perfectam, etiam contra ignorantem: quamvis justa & probabilis ignorantia causam restituendi in integrum præbere possit. Itaque cùm nullum natura progeneret, qui patri sit, quàm liberi, propinquior, sunt hi in hac parte præferendi cæteris, sicut & vendentis hæres, modò ex eadem sit stirpe natus: quare retractui isti nullus est locus, cùm emptor & retrahens, æqualiter à vendente distant. Annus deinde non currit nisi à die contractus initi, seu post conditionem, pactum ac judicium finitum, rémque verè venditam non fictè, eiusque possessionem traditam.

Tertiò, necesse est vt retrahens pretium offerat illud ipsum quod extraneus vel remotior dedit, aut dare paratus est, modò nihil in fraudem committatur: insuper omnes expensas, quas prior emptor ratione contractus facere coactus fuit. Hinc optima cautela est, quod retrahere volens, quamprimùm denunciet emptori, ne vllos in re vendita sumptus faciat, eo quod tractatui subjecta sit.

Quartò, necesse est vt proximus agnatus sibi retrahet non in vtilitatem alterius & in fraudem emptoris, vel aliorum consanguineorum, quibus post ipsum jus retrahendi competit. Nam jus retractus alteri extraneo vendi vel cedi non potest. Jure autem præsumitur fictè vendita, quando relinquitur possidenda vendenti, fictè item retrahi, quando retrahens pecuniam mutuam accipit ab alio, cui & reuendit majori pretio quàm emit: cùm isto modo retrahens, non tam sibi, quàm alteri vi retractus, possessionem comparet, vt ex subita ejus in illum translatione patet, à quo pecuniam, ad hunc effectum mutuam accepit. Cùm enim auctoritas revocandi possessiones, quæ discesserunt à familia, in ejus favorem gratiámque sit concessa, non decuit ejus esse participes alios, quàm qui ex eadem nati sunt gente, quibus possessio vendita, revocanda autem ad stirpem, ejus redemptione per consanguineum propinquiorem est affecta.

Si tamen alius nemo supersit ex consanguineis qui retrahere possit & velit, extraneo vendere, aut cedere permissum est, dummodo id regionis consuetudo, vel lex municipalis permittat: nam jus istud retractus non tam jure communi, quàm particularibus regionum consuetudinibus, aut constitutionibus regitur. Plura de hoc retractu vide apud Molinam *de contract. disp.* 370. Minsyngerum *centur. 3. obseru.* 51. Tiraquellum *de vtroque retractu, in præfat.* Rebuffum *in proœmio Constitutionum regiar. glossa 5. num* 61. & alios juristas. Molina. Minsinger. Tiraquell. Rebuffus.

41. Negotiatio generatim sumpta & secundùm suam intrinsecam rationem non est bona vt charitas, nec mala vt mendacium, sed indifferens vt comedere, ambulare, &c. quæ ad bonum, malum vel indifferentem finem referri possunt: verùm licet negotiatio ex proximo suo fine, videlicet lucro sit quoddam indifferens secundum speciem suam; quia velle abundare rebus temporalibus, quod est finis negotiationis proximus, non est consentaneum immediatè dictamini alicuius virtutis, nec etiam immediatè aduersatur obligationi alicuius virtutis. Per accidens tamen, ob hominum cupiditatem ac malitiam, sæpè salutis periculum affert: partim quia animum temporalibus curis implicitum à rebus cœlestibus auocat, partim quia mendaciis ac fraudibus occasionem ministrat; vitia tamen illa, vt dicit Augustinus, sunt negotiantis, non negotij, D. Thomas 2. 2. *quæst.* 77. *artic.* 4. Siluius *ibid. concluf.* 3. D. Thom. Salvius.

Ex quo sequitur negotiationem posse ex circumstantiis reddi licitam & laudabilem, vt si quis referat lucrum ad sustentationem familiæ, vel pauperum vel ad vtilitatem & commoda Reipub.

Item ex multis circumstantiis reddi posse illicitam, *Primò*, ratione rei. *Secundò*, ex parte venditoris. *Tertiò*, ex parte emptoris. *Quartò*, ex parte loci. *Quintò*, ex parte temporis. *Sextò*, ex parte modi. *Septimò*, ex parte finis. Ioan. Medina *Cod. de reb.* Medina. *restituendis, quæst.* 30.

42. Negotiatio vitiatur ex parte rei, quæ venditur, quando nimirum venditur res, quæ non est vendibilis, vt sacramenta, beneficia Ecclesiastica, vel licet sit vendibilis, prohibetur tamen vendi, huiusmodi est venenum, quod ad nullum bonum vsum deseruire potest, vt patet ex *l. quod sæpè, ff. de contrab. empt.* Reginald. *lib. 25. num. 324.*

Item homo liber vendi ab alio non potest, *l. liber homo, ff. de contrab. empt.* quamvis pater possit vendere filium necessitate famis vrgente, *l. 1. & 2. Cod. de patribus qui filios distraxerunt*, quod licet patri concedatur, non tamen matri: sicut nec marito permittitur vxorem vendere, etiamsi famis necessitate prematur: quia non ita est vxor in potestate viri, & filius in potestate matris, sicut est filius in potestate patris, vt habetur *l. si filium, C. de patria potestat.*

Tamen fas est imagines, calices, cæteraque res sacras per infideles vel hæreticos ab Ecclesiis propriis sublatas, de manu eorum emere, animo reddendi ea alteri Ecclesiæ cuicumque pro eodem pretio, quando propria vel ignoratur, vel ei reddi non possunt, vt rectè docet Caietanus *in opusc. tract. 31. vltim. respons.* Caietan.

43. Quidam existimant negotiationem, quâ res indifferentes venduntur, quibus homines sæpe vtuntur ad malum finem non licere, sed esse peccatum mortale vendere has res iis, de quibus verisimiliter & prudenter creditur, quòd abutentur illis. Addúnteque tales venditores, qui parati sunt quibusuis emptoribus indifferenter & promiscuè illas vendere esse in malo statu, nec absoluendos, nisi vel officia deponant, vel statuant firmiter illis solùm eas vendere, quos probabiliter & prudenter iudicauerint rebus illis nec per se, nec per alios fore abusuros. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 23. num. 90.* Ioan. Medina *Cod. de restitut. quæst. 30.* Rebellus *de oblig. iustit. lib. 9. quæst. 18.* & alij. Hæc sententia est probabilis, sed contraria meritò ab aliis reputatur probabilior & communior, pro qua est dicendum, quòd qui vendit vel conficit rem, ex se tendentem in malum vsum, siue naturâ suâ tendat in illum, siue ex suo modo & forma vel circumstantia illud habeat, vt tendat in malum, peccat mortaliter. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst. 169. art. 2. ad 4.* & alij Thomistæ, apud Dianam *p. 5. tract. 7. resol. 6.* Nauarrus. Medina. Rebellus.

Item qui vendit rem indifferentem eo animo,

vt

vi homines ementes illi abutantur, pecuæ moralitet: quia qui tali animo vendit, contrahit & cooperatur peccato eorum, qui rem illam emunt. Ita Salon. 2. 2. 77. *art.* 3. & alij.

Similiter qui vendit rem indifferentem cuius abusus non tolerantur à Repub. & turpi in damnum tertij, peccat mortaliter: quia qui sic vendit committit idem peccatum, quod emptor, & incurrit eadem peenas: hinc qui vendit publæ impuræ & fœcundæ illi, quæ publicabitur fuit aut pere: vt faciat abortum, peccat mortaliter: sicut & qui vendit arma vel venenum ei, de quo prudenter creditur, quod velit fepium vel alium occidere. Ratio eſt, quia abusus emptoris cuius huiusmodi res non tolerantur à repub. quia cedit in damnum tertij, quod quisq; lege charitatis tenetur impedire.

Qui vendit res indifferentes, quarum abusus tolerantur à Republ. nec redit in damnum alterius, etiamſi venditor intelligat emptorem re illa abuturum ad peccatum mortale, non peccat qua venditor ille ſolum intendit vendere rem ſuam, peccato vero illi emptoris, nec directe, nec indirecte conſentit, ergo non peccat vendendo, modò adſit cauſa rationabilis & proportionata: cauſa autem rationabilis eſt neceſſitas vel vtilitas aliqua proportionata quitatti peccati: vel tenuitas grauis damni. Hinc concedunt Doctores poſſe vendi ſicos, moniliæ & veſtes lemenis abuſuris illis ad adulteria: item poſſe vendi taxillos aleas & chartas ludorias inutile luſuris; poſſidere deposita peccatum apud vſurarum, qui illis exercebit vſuras. Ratio eſt, quia talis abuſus culpa tantùm emptorum accidit. Ex hoc fundamento reſolumtur multi alij caſus, de quibus egimus *tom. 1. verb. Scandalum, num.* 8.

Quæ præterea non vendi non poſſunt, vide quæ diximus *tom. 1. verb. Emptio num* 5. *& ſequent.*

43. Secundò reddit illicita negotatio ex parte perſonæ negotantis, vt ſi Clericus in ſacris conſtitutus, vel beneficiarius, vel Monachus, quibus negotiari prohibitum eſt, *cap. Secundum, ne Clerici vel Monachi,* vt diximus *ſupra num.* 4. *& tom 2. verb. Clericus num.* 4. Quibus nunc addo probabiliter eſſe Clericos exercentes mercaturam (extra caſum neceſſitatis propriæ) per ſeipſos, etiam ſecluſo contempu, propter ſolum exercitium mercaturæ ex præcepti Eccleſiaſtici illud prohibentis, in pecuniis mercaliter. Ratio, quia Eccleſia nunquam conſuetuit grauiſſimas pœnas, quales ſunt excommunicatio & ſuſpenſio, imponere pro culpa veniali, ſed pro mortali tantùm.

At Clerici exercentes per ſeipſos mercaturam ſunt puniendi huiuſmodi pœnis, vt habetur *c. Conſuluit, ibi.* 88. *cap. Secundum,ne Clerici vel Monachi.* Lego pecuniis. Ita Nauarrus in *Man. cap.* 25. *num* 110. *Fernandez. p. 4. cap.* 5. *§.* 8. *num* 4. Armilla *verb. Emptio, num.* 27. & communis, contra Caietanum *in Summ. verb. Clericorum peccata*, tenentem non peccare mortaliter, niſi ex temeritate, contumacia vel contemptu & cum ſcandalo per ſeipſos mercaturam exercentes. Vide Diana *part.* 1. *tract.* 8. *reſol.* 72. & *part* 9. *tract.* 7. *reſol.* 69. Lugo *diſp.* 26. *num.* 345.

Clericus negotiator non ſolùm peccat mortaliter, ſed amittit etiam exemptionem pabellarum, quantum ad ipſas res, quas vendit occaſione negotiationis, pro quibus exigitur gabella & pedagium. Ita Maldera *in* 2. 2. *tract.* 5. *cap.* 6. *dub.* 9. Portel *in dub. regul. verb. Tributum,n.* 5. quamuis quidam requirant, vt prius ter admoneatur ab Epiſcopo, vt deſiſtat à negotiatione, vt hanc exemptionem amittat. Ita *Molfius, Leſius, Ioannes de la Cruz, Reginaldus* apud Dianam *part. 1. tract.* 2. *reſol.* 47.

Baſes Iuris Tom. II.

45. Tertiò, poteſt eſſe illicita negotiatio ex parte Reginald, Diana. emptoris, ſeu perſonæ cui res venditur: vt cùm quis vendit merces his, quos probabiliter credit eis abuſuros. Id quod præcipuè locum habet in rebus, quæ deſeruiunt ad delictus & homicidia per iniuſtam; cuiuſmodi ſunt ebi laſcivi, arma offenſiua, &c. Tunc enim cooperatur quis ad malum præbens materiam peccandi, Medina *Cod. de reſtitut. quæſt.* 30. Molina. Et hæc dicta ſint iuxta probabilem aliquorum ſententiam reſtantium *ſupra num.* 42. Sed ſententia probabilior, dicendum eſt ex parte emptoris non fieri illicitam negotiationem in venditore modò adſit cauſa rationabilis vendendi, puta neceſſitas vel vtilitas aliqua proportionata qualitati peccati, vel tenuitas grauis damni, vt diximus *ſupra*.

46. Quartò reddit vitioſa negotiatio ex parte locivel ſi in loco ſacro, puta, in Eccleſia, aut cœmeterio huiuſmodi negotiationes propiantur fiunt, vt patet *in cap. Decet domum Dei, de immunit. Eccleſ. in* 6. Negotiatio autem in Eccleſia, ſeu loco ſacro duobus modis fieri poteſt, vel adducitur res ipſis quæ venduntur & emuntur, in locum ſacrum, vel illis non adductis, ſed ſolùm verbis aut ſcriptis contrahendo, ſeu conuchendo,res tamen, quæ venduntur, abſit tenendo. Concors eſt Theologorum ſententia, vtrumque negotiationem in Eccleſia prohiberi. Ratio eſt, quia negotiatio propriè non res detentionem, ſed rei conventionem & contractum ſignificat. Tum quia Eccleſia non per res venales aliſe poſſeſſa, ſed per negotiationes ſæculares & peccata admiſcentur, profanatur. Negotiari tamen in Eccleſia, rebus ipſis abſentibus, ſolis verbis duntaxat, nil ratione ſcandali, vel quia in Eccleſia impeditur diuinum officium, eſt ſolum peccatum veniale, vt docent Arragon 2. 2. 77. *art.* 4. Molina. Arragon. Molina. *de contract. diſp.* 344. & alij.

Idem eſter quando aliquis in Eccleſia emere rem ſatis diu ſperauit, quam alius ad vendendum per cauſatem, deferet: quia non eſt grauis Eccleſiæ irreuerentia.

Vendi autem in Eccleſis candelæ & modica alia ad deuotionem cultum pertinentia ſine ſtrepitu & ferè cum nulla negotiatione, etiam veniali culpa poſſet vacare, ſi diuini cultus inuitui id fieret, melius tamen eſt vt hæc extra Eccleſiam habeantur. Ita Sylueſter *verbo Emptores.* Sylueſter.

Peccatum autem mortale eſſet negotiari in Eccleſia, aſportatis in eam, tanquam in forum publicum, rebus ipſis venalibus, præſertim illis, quæ ad vſus ſæculares deſeruiunt. Ratio quia eſt ingens Eccleſiæ irreuerentia & grauis ſcandalum, quæ duo ſemper peccatum mortale conſtituunt, etiamſi negotia fiant extra tempus, quo diuina celebrantur nam cauſa per ſe illicita, non affingunt, nunc emenites & vendentes de tempio exierent, ſolum erat irreuerentia loci: quia locus orationi dicatus, non debet negotiis deſeruire; quæ cauſa locum habet, quocumque tempore negotiatio in Eccleſia fiat, ſiue diuina officia impediantur, ſiue non. Porrò hoc peccatum negotiationis in Eccleſia, facrilegium eſt, contra virtutem Religioni, cuius eſt cultum & honorem Dei præſtare. Ita communis Doctorum ſententia.

47. Quintò, reddit rem negotiatio vitioſa ex parte temporis, vt ſi fiat in diebus feſtiuis, vt patet *cap. 1. extra de feriis.*

Habet tamen in his maximam vim conſuetudo, Prælatis videntibus & conſentientibus introducta. Et quòd conſuetudo ſufficiat huiuſmodi feſtiuitatibus derogare, ſtatuit, quia non ſunt niſi iure humano introductæ, & iis humanum per conſuetudinem oppoſitum abrogari poteſt. Vide dicta

Nauarrus. Fernandez. Armilla. Caietanus.

Diana. Reginald.

Molderus, Portel.

Molfius. Leſius. De la Cruz,

Digitized by Google

Reginald. *tom 1. verb. Feſtum 11. num. 15.* & Reginaldum *lib. 25. num. 326.*

48. *Sextò*, redditur illicita negotiatio ex modo, idque multipliciter: vt ſi mendacia, periuria, aliaue peccata commiſceantur, ſicut à negotiatoribus ſolent commiſceri; quæ quidem potius ſunt vitia negotiantis, quàm negotij. Et periuria, quæ commiſcentur, vt plurimùm ſunt mortalia, ſi ſcienter & deliberatè fiant. Mendacia verò ſimplicia, aliquando ſunt mortalia, vt ſi ad damnum ementium interponantur, ſcilicet ad rem plus iuſto vendendam. Aliquando verò ſunt venialia, vt ſi officioſa ſint & à vendente interpoſita, vt ſuam procuret indemnitatem; quia alioqui fortè non iuſtum pretium, ſed diminutum pro ſua merce illi traderetur.

Item negotiatio illicita redditur, ſi extraneis plus iuſto vendatur res, quàm naturalibus, ſi venditores excedant latitudinem iuſti pretij; alioquin intra latitudinem huiuſmodi, nil inconuenit cariùs rem vendere extraneis, quàm naturalibus.

Deinde ex monopolio fit negotiatio illicita, vt ſi quis contendat ſibi ſoli licere certas merces vendere; aut ſi certi mercatores inter ſe conueniant de non vendendo merces certas intra tale pretium: aut quod non emant merces vltra tale pretium, &c. Hæc & alia huiuſmodi monopolia conſtat eſſe iniqua & reipublicæ pernicioſa, vt annotauimus *tom. 1. verb. Venditio, num. 24. & ſeqq.*

49. Dubium eſt, an mercator ſiue quiuis alius horum monopoliorum expers, qui non exercuit monopolium, poſſit iuſtè ſuas merces vendere pretio illo, quod per monopolium creuit? videtur quòd ſic, quia mercator in tali caſu vendit eo pretio, quod eſt commune, ſed pretium commune iuſtum eſt, etiamſi ſit auctum per fraudes aliorum, ergo, &c. Ita ſentit Reginaldus *lib. 25. n. 330.* Turrianus *in 2.2. diſp. 57. dub. 8. n. 7.* & alij probabiliter. Nihilominus longè probabilius eſt, quod non poſſit. Probatur, tum quia vnum & idem pretium eiuſdem rei, non poteſt ſimul eſſe ſecundùm ſe iuſtum & iniuſtum, vel igitur omnes in hoc caſu iuſtè eodem pretio vendunt, vel nulli: cùm ergo monopolij auctores iniuſtè vendere certum ſit, vt omnes fatentur, reliqui quoque venditores ſiue conſcij ſint monopolij, ſiue inſcij, poſtquam reſciuerint fraudem, ſimiliter de iuſtitia ad reſtitutionem tenebuntur: quia pretium factum commune currens per fraudem, non eſt cenſendum iuſtum, ſed illud, quo merces venderentur, ſi talis fraus vendentium abeſſet? ergo ſi illud non fuit iuſtum pretium, tenetur venditor iſte pro ſuis mercibus in parte, quæ exceſſit, acceptum reſtituere, vel ſi bona fide illud conſumpſit, tenetur reſtituere id, in quo factus eſt ditior. Ita Syluelſter *verb. vſura 2. queſt. 1. dict. 2.* De la Cruz, Rebellus, Salas, Lopez, quos refert & ſequitur Diana *part. 1. tract. 8. reſol. 24.*

Reginald. Turrianus. Sylveſt. De la Cruz Rebellus. Salas. Lopez. Diana.

50. *Septimò*: redditur illicita negotiatio ex parte finis, vt ſi non ad debitum finem ordinetur, qui eſt neceſſitas vel vtilitas, ob id enim mercationes fieri debent, quia ſcilicet vel neceſſarium eſt ad publicas, ſeu priuatas indigentias relenandum vel ſaltem vtile. Qui enim ita affectat lucrum vt in eo conſtituat vltimum finem, negligendo eius cauſa Dei & Eccleſiæ præcepta, peccat mortaliter, ac de huiuſmodi iniqua negotiatione intelligi debent Sancti Patres, cùm ſeuerè negotiationem damnant. Quamuis enim licitum ſit diuitias plurimas à Deo datas, aut iuſtè acquiſitas, poſſidere; non tamen ita ſunt appetendæ, ac ſi per ſe & ſecundùm ſe expetibiles eſſent, cùm non niſi ob aliud expetendæ ſint, vt docet Pſalmiſta, *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere* Pſalm. 61. Ita Molina *tract. 2. diſp. 336.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 20. punct. 5.* Syluius 2.2. *q. 77. art. 4. concl. 4.* & Syluius, alij communiter.

Molina. Valentia. Syluius.

51. Quando fit alienatio bonorum in fraudem creditorum, ita vt debitori non remaneant ſufficientia bona ad ſoluenda debita; ſiquidem oneroſo titulo, verbi gratia, per venditionem facta ſit, ſi qui accepit eius rei conſcius erat, datur creditoribus Actio reſciſſoria intra annum à die quo ſciuerint alienationem factam, ad cogendum nimirum reddere quod accepit nullo reſtituto pretio, niſi quatenus fuerit repertum in bonis debitoris. Ita *l. penultim. Cod. quæ in fraud. credit.* Quòd ſi is aduerſus quem datur prædicta actio, alienauit iam rem illam, dabitur aduerſus eundem actio vt reſtituat valorem: idem ſi rem conſumpſiſſet, vel alia ratione effeciſſet, vt non exiſteret, *l. qui à debitore. ff. quæ in fraud.*

Si verò debitor alienauit titulo lucratiuo, tunc ſiue qui accipit conſcius fuerit fraudis, ſiue non, datur creditoribus actio aduerſus illum, vt id reddat, & ſi quidem conſcius fuerit fraudis, tenetur illud reddere, aut valorem ſi alienauit, uel conſumpſit. Si verò non fuit conſcius fraudis, ſolùm tenetur reddere illud ſi apud ſe extet; ſi non extet, ad nihil tenetur, niſi in quo factus eſſet ditior ex eo, *l. qui autem, §. ſimili modo, ff. quæ in fraud.*

Hinc colligitur ſi facta alienatio ſit cùm debitor non erat impotens ad ſoluenda debita, valida eſt, & ad nihil tenetur accipiens, etiamſi poſtea qui dedit, impotens fiat. Si item qui accepit, fraudis conſcius non fuit, tunc quocumque titulo rem acceperit, non modò acquiſiuit eius rei dominium, ſed nec tenetur ad reſtitutionem illius creditoribus in foro conſcientiæ, nec exteriori. Vtroque autem ſciente factam eſſe in fraudem, ſi quod alienatum eſt petatur intra annum à die ſcientiæ, tenetur ad reſtitutionem accipiens; ſi non petatur, vel non intra annum, ſed eo elapſo, ad nihil tenebitur neque in foro externo, nec in conſcientia. Vide Layman *lib. 3. ſect. 5. tractatu 4. cap. 17. num. 20.* Molinam *de contract. diſp. 328.* Leſſium *lib. 2. cap. 21. n. 142.* Petrum Nauarra *lib. 3. cap. 4. num. 218.*

Layman. Molina. Leſſius. P. Nauarra.

52. Quænam intelligantur ſimul vendi cum venditione rei? ſequentia ſunt notanda. Primùm vendito caſtro vel villa, venditum etiam cenſetur ius patronatus, quod eſt in illis. Secundum vendita hæreditate in qua ineſt ius patronatus., tranſit ad emptorem etiam Iuſpatronatus. Ita Doctores *in cap. ex literis, de iur. patronatus.* Tertium vendito fundo in quo ædificatum eſt oratorium, cenſetur etiam venditum Oratorium, ſi ad illud non eſt aliud iter quàm per fundum; ſecus ſi ad illud ſit tranſitus per viam publicam. Quartum vendito Caſtro vel villa, cenſetur etiam vendita iuriſdictio, ſi Caſtrum venditum ſit, vt eſt ius generale: ſicut etiam molendina cenſentur vendita, diuendito Caſtro modò ſint venditoris non autem communitatis vel aliorum priuatorum. Quintum vendito fundo, venditi etiam cenſentur fructus pendentes, ſunt enim pars fundi, non autem fructus ſeparati à ſolo vel arboribus, *l. Iulianus, ff. de action. empti.* Sextum venditis iumentis, aut nauibus, ſi quid ex vectura quæſitum ſit emptori præſtabitur. Septimum venditâ ſyluâ cæduâ, non intelligitur vendita glans, quæ ante deciderat, niſi aliud fuerit expreſſum, ſed tantùm ea quæ pendet ex arbore, *l. vltim. §. penult. ff. quæ in fraudem.* Octauum vendita vacca & Equa etiam venditus cenſetur pullus, ſi abſque periculo interitus ſeparari non poſſit à matre: at ſi pullus per ſe paſcit & alit ſeipſum, non tranſit ad emptorem

Digitized by Google

emptorem matris, *l. Sed addes, §. si quis mulierem, ff. locati.* Nouum. Vendita domo vel arca, non censetur vendita pecunia in ea deposita: secus si thesaurus esset reconditus, *l. A tutore, ff. de rei vendicat.* Plura de his apud Azorium *part* 3. *lib.* 8. *c.* 19. Antonium Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 2. *num.* 1. *& sequent.*

Azorius, Gomez.

53. Venditio ad corpus dicitur, quando fit simul mentio rei & quantitatis illius tamquam signi & demonstrationis; vt si quis dicat, vendo tale prædium, quod est decem iugerum, est venditio ad corpus. Venditio ad mensuram est, quãdo exprimitur quantitas rei, non tamquam demõstratio, sed tanquam restrictio venditionis; vt si dicatur vendo tibi ex tali prædio decem iugera: vnde quando in venditione incipitur à corpore, & postea additur mensura, venditio est ad corpus: quando autem incipitur à mensura & postea additur res, venditio est ad mensuram.

Quando venditio est ad corpus, res tota censetur vendita, etiamsi reperiatur mensuram esse maiorem; quando autem est ad mensuram, solùm censetur vendita quoad illam quantitatem: si tamen reperiretur maioris quantitatis, augendum esset pretium iuxta constitutum à principio, vt si prædium fuisset repertum plusquam decem iugerum, esset quidem totum emptoris, sed augendum esset pretium iuxta quod constitutum est pro singulis iugeris.

Hæc regula deseruiet ad cognoscendum an censeatur res tota vendita, necne.

Quando venditio est ad corpus & postea comperitur res maioris quantitatis, aut minoris, spectabit ad emptorem soluto incremento pretij pro ratione maioris quantitatis, vel diminuto eodem modo. Quando verò est ad mensuram & deinde reperitur maioris quantitatis, tenebitur emptor vel augere pretium, vel relinquere incrementum venditori: si minoris, detrahendum erit proportionaliter.

Et hæc regula sit ad cognoscendum, an res tota vendita censeatur pretio constituto à principio.

Vide plura de his apud Couarruuiam *tom.* 2. *practic. cap.* 3. Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 2. Molinam *de contract disp.* 367. & alios ab ipsis citatos.

Couar. Gomez. Molina.

Vide v. Actio *num.* 15. Alienatio *num.* 13. Emphyteusis *n.* 2. Locatio *n.* 11. Mutuum *num.* 25. 26. Pignus *num.* 8. Scandalum *n.* 5. Seruitus *n.* 9. 10. 16. Simonia *num.* 5.

EPISCOPVS

SVMMARIVM.

1 *Vnde dicti sint Episcopi apud Ethnicos & apud Iureconsultum: & quis modò sit Episcopus.*

2 *An status Episcoporum sit perfectior statu Religiosorum.*

3 *An eligendus in Episcopum debeat esse* irreprehensibilis *iuxta Apostolum.*

4 *An* vnius vxoris vir.

5 *An Episcopus debeat esse* castus, pudicus, sobrius *&* non vinolentus.

6 *An* prudens, Doctor & potens exhortari in doctrina sana.

7 *An Episcopus teneatur per se predicare.*

8 *An Episcopus debeat esse* iracundus, non superbus, non percussor, non litigiosus, *&c.*

9 *An* non cupidus, *siue* turpis lucri cupidus.

10 *An debeat esse* Ornatus.

11 *An* Iustus.

12 *An non Neophytus.*

13 *Ad quem pertineat electio Episcoporum.*

14 *Quid agendum iuxta Concil. Tridentinum & Lateranense, cùm primùm Ecclesia vacauerit.*

15 *An confirmatio electi in Episcopum sit Summo Pontifici reseruata.*

16 *An Episcopatus sit excellentior Presbyterio.*

17 *Dignitas Episcoporum in Ecclesia Dei est quadripartita.*

18 *An Episcopus teneatur sub mortali prouidere vt plebs sua instruatur in necessarijs ad salutem.*

19 *Episcopus ad multa tenetur ex Tridentino circa curam animarum.*

20 *Episcopi quos pastores instituere debeant, vt habeant curam animarum.*

21 *Ad Episcopum pertinent diiudicanda lites de beneficijs; causæ criminales Clericorum: causæ matrimoniales,* &c.

22 *An Episcopus sit manutenendus in quasi possessione cognoscendi causas matrimoniales ex inuisi assistentia.*

23 *An Episcopus possit visitare Hospitale, si fundator in fundatione ipsum excluserit à visitatione.*

24 *Episcopi subduntur regulares etiam exempti, quoad editionem librorum, quoad lectionem sacræ Scripturæ, & quoad prædicationem verbi Dei.*

25 *An regularis extra Monasterium degens & delictum committens, ab Episcopo puniri possit.*

Quando exempti conueniri possint coram Episcopis.

Quando censeantur regulares extra Monasterium degere.

Quæ personæ censeantur miserabiles.

26 *Episcopi subduntur exempti quoad ordines suscipiendos: quoad Sacramentum pœnitentiæ sæcularibus ministrandum: quoad Monasteriorum ædificationem: quoad colenda festa: & quoad interdicta seruanda.*

27 *Ab Ordinarijs locorum cogi possint exempti accedere ad processiones publicas.*

Nouitij omnes subiacent Episcopo quoad bonorum renunciationes faciendas.

Regularis prætendens suam professionem esse inualidam debet rationes suas coram Episcopo & suo Superiore proponere.

28 *Religiosi exempti executores vltimarum voluntatum constituti, debent coram Ordinarijs locorum rationem reddere.*

Episcopo subsunt regulares exempti in causa hæresis.

Coram Episcopis regulares conueniri possunt, quoties illi coram illis alios conuentunt.

29 *Episcopi procedunt contra regulares prædicantes B. Virginem esse conceptam in peccato originali.*

Episcopus subdantur exempti in causis matrimonialibus.

Exemptos excommunicatos potest Episcopus denunciare vt cuitentur.

Episcopo subduntur exempti in iis quæ ad Ordinem Episcopalem pertinent.

30 *Episcopus cognoscit crimina exemptorum quæ actualem degradationem merentur. Et habet auctoritatem in populum Ecclesiæ exempta.*

31 *An Episcopus transiens ad aliam Ecclesiam possit secum deferre acquisita ex reditibus prioris Ecclesiæ?* Refertur duplex sententia.

32 *Episcopi regularis Titularis bona, ad quem pertineant quoad proprietatem?* Refertur triplex sententia.

33 *A quo tempore religiosus factus Episcopus desinat acquirere Monasterio?* Refertur triplex sententia.

34 *An vota specialia Religionis cessent in Episcopo regulari?* Refertur duplex sententia.

An Episcopi regulares teneantur voto paupertatis, obedientiæ & castitatis? Remittitur.

35 *An Religiosi Beatæ Mariæ de mercede facti Episcopi teneantur adhuc voto de redimendis captiuis.*

An Fratres Minimi ad Episcopatum assumpti teneantur adhuc voto vitæ quadragesimalis.

36 *An vota specialia Patrum Societatis IESV, v. g. de obediendo Pontifici circa missiones : de non laxanda paupertate : de non procuranda dignitate : de denunciandis ambientibus : de non acceptanda dignitate extra Religionem, &c. permaneant in Episcopis assumptis ex eadem Societate.*

37 *An Episcopus regularis deposito Episcopatu sit adhuc exemptus à regula & votis ?* Refertur duplex sententia.

38 *An Episcopus regularis degradatus remaneat exemptus à votis.*

39 *Quando eximatur Episcopus regularis à Prælatorum suorum obedientia.*

40 *An habens votum Religionis possit acceptare Episcopatum antequam votum adimpleat ?* Refertur duplex sententia.

41 *An possint Episcopi vouere Religionem ingredi, inconsulto Romano Pontifice.*

42 *An Episcopus vouens longam peregrinationem, validum sit eius votum.*

43 *An Episcopi valide & obligatoriè possint emittere votum modica peregrinationis ; precum ; abstinentiarum, &c.*

1. APud Ethnicos dicti sunt Episcopi, Magistratus, ad quos delectus, provinciarumque referebantur negotia, tamquam ad constitutos arbitros rerum in singulis Prouinciis, vt colligitur ex Ciceron. *Epist. ad Atticum lib.* 7.

Apud Iureconsult. dicti sunt Episcopi qui præerant panibus, aliisque rebus venalibus ad quotidianum victum pertinentibus, *l. vltim. de muner. & honor.* vnde vox hæc translata est ad Antistites Ecclesiæ : quia ipsi veri sunt speculatores, qui subditorum sibi populorum mores & vitam prospiciunt, eorumque curam gerunt, *cap. Cleros, §. Episcopi, distinct.* 21. Et in hac significatione vsus est hoc nomine Apostolus Paulus Act. 20. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.*

Episcopus ergo Ecclesiæ Dei sic definiri potest, *Homo Clericus, ad munus dignitatémque Episcopalem legitimè electus, confirmatus & consecratus.* Licet enim Episcopus electus & à Sede Apostolica confirmatus, possit ea exercere munera, quæ iurisdictionis sunt, tamen non meretur nomen, titulúmque veri Episcopi, donec fuerit consecratus : nam tunc demum potest exercere officia, quæ Episcopis sunt propria.

2. Status Episcoporum perfectior est statu Religiosorum : quia teste Dionysio *in cælesti hierarchia, cap.* 5. Angeli alij aliis sunt perfectiores, quia nimirum alij alios illuminant, purgant & perficiunt : sic in Ecclesiastica hierarchia, Episcopi sunt cæteris perfectiores : quoniam eorum est illuminare reliquos, purgare, atque perficere. Deinde Religiosi id vitæ genus suscipiunt, quod perfectioni comparendæ, sedulò & diligenter studet : at verò Episcoporum munus est Christianæ vitæ perfectionem docere. Vnde Episcopi sunt perfectæ vitæ Magistri, Doctores & duces. At plus est perfectionem docere, quàm studere perfectioni acquirendæ, quod est Religiosi instituti proprium. Episcoporum igitur munus est quoddam vitæ perfectæ magisterium. Religiosorum Ordines sunt discendæ perfectionis scholæ. Status tamen Episcopalis non de necessitate requirit, quòd Episcopi sint omnino perfecti in charitate, sed importat, quod opera perfectionis exerceant, debeántque per illa ad vlteriorem perfectionem tendere & conari, vt statui suo, qui est Magistrorum & in militia spirituali principum, conuenienter viuant. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 184. *artic.* 7. Syluius *ibidem*, & communis. D. Dionys. D. Thom. Sylu.

3. De vita & moribus eligendi in Episcopum multa præscripsit Apostolus Paulus 1. *ad Timot.* 3. tum ad *Titum* 1. Quæ latè explicantur per sacros Canones *distinct.* 26. vsque *ad* 50. Oportet ergo vt eligendus in Episcopum primò sit *irreprehensibilis*, id est, non habeat vitium vel crimen foris notum, quod sit obiectum iustæ reprehensionis : pro crimine autem omninò occulto nemo reprehensibilis verè est in ordine ad conuersationem humanam. Et hæc irreprehensibilitas requiritur in Episcopo, non tantùm ex iure diuino naturali, siue ex natura ipsius status, sed etiam quouis iure positiuo. Probatur, quia crimina cognita quandam secum infamiam trahunt, & Ordinem tam excellentem à Deo institutum contemptibilem reddunt, & consequenter criminosum, Ordine & statu tali indignum, omni etiam lege positiua circumscripta. Confirmatur : Quomodo enim potest Præses Ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruit ? Aut qua libertate corripere peccantem, cùm tacitus ipse sibi respondeat, eadem se admisisse quæ corripit ? Proinde mortaliter peccant qui publicè criminosos ad Episcopatum eligunt vel promouent, nisi eminens pœnitentia & virtus maculam abstergat. Similiter, qui publicæ maculæ conscij Episcopatum acceptant. Ratio est, quia exinde Christo & Ecclesiæ fit iniuria, ministerium sacrum vilipenditur, & animæ infinitis periculis exponuntur : vnde *in cap. Tantis, dist.* 81. Ordinans deponendus & ordinatus priuandus honore Episcopali indicatur.

4. *Secundò*, eligendus in Episcopum oportet vt sit tantùm *vnius vxoris vir*, non bigamus, qui plures vxores habuerit, aut viduam vel corruptam ab alio duxerit. Cùm enim Episcopus Christum repræsentet, & matrimonium mysticè significet coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est vnica & virgo indiuisibiliter adhærens sponso : Bigamus videtur huic significationi contraiisse, quia & nimirum vel plures duxit vel viduam corruptam in vxorem accepit. Vide dicta à nobis *tom.* 1. *verb. Bigamia.*

Sed petes, si ille qui contrahit matrimonium cum multis fit irregularis, nec potest ordinari Episcopus vel Sacerdos ; quare similiter non repellitur ab ordinibus, qui diuisit carnem suam cum multis meretricibus, quia adeo diuidit carnem suam ibi, & quandoque magis quàm cum propria vxore ? Respondeo, quod non ordinatur Bigamus in Sacerdotem vel Episcopum, quia ibi est defectus Sacramenti. Vnde ad innuendum quod non sit nisi vnicus sponsus Ecclesiæ, oportet quod Episcopus non sit vel fuerit vir nisi vnius vxoris.

5. *Tertiò*, debet esse Episcopus *castus, pudicus, sobrius & non violentus.* Castitas enim & pudicitia summam & Angelicam puritatem, tam animi quàm corporis, contra carnis concupiscentias, voluptates venereas & quaslibet immunditias in Episcopis requirit. Et nota quod Sacerdos tempore vicis suæ non cohabitabat cum vxore sua, sicut tangitur in principio Lucæ. Et dicitur quod Oza à Domino percussus fuit cùm tetigit arcam 2. Reg. 6.

quia

Digitized by Google

quia nocte illa dormierat cum vxore sua. Quid ergo de nostris Sacerdotibus qui dormiunt cum fœminarum suis & in crastino celebrant?

Sobrium esse & non vinolentum, omnem cibi potusque intemperantiam & excessum prohibet, quæ sub ebrietatis & commessationum ac luxus terminum aliàs prohibentur. Quia venter ritum morbo obsequutus in libidinem.

6. *Quarta*, Episcopus debet esse *prudens, Doctor, & potens exhortari in doctrina sana* : vnde tria ad regimen populi in Episcopo, ex vi illatus positionis, ut, nimirum, Doctrina, Prudentia, & Doctrinæ exercitium, tam ad exhortandum, quàm in componendo & redarguendo. Quod probant Apostoli Paulus verba, qui in Epistolis ad Timoth. & Titum totum in eo est, vt excellentiam doctrinæ, prudentiæ & exercitium hortationis in Episcopis inculcet. Hinc Conc. Trid. *sess* 23. *cap.* 2. *de reform.* mandat vt promouendus ad Episcopatum & Magister vel licentiatus in Theologia vel in jure Canonico, vt autem Regularis fuerit, vt à Superioribus fuæ Religionis testimonium habeat huiusmodi fcientiæ & doctrinæ. Vnde Episcopus perfectam versiuque Testamenti debet habere cognitionem & perfectam assertionem fidei intelligentiam, vt licet etiam alii veritatem exponere & aliorum contra veritatem fallacias expellere, hæreticique expugnare. Vel eum eft Doctor in Ecclesia Catholica fidem, cui ex officio facras exponere populo Scripturas competit, Ipfi enim dictum eft 3. Petri. *Parati reddere rationem omni, poscenti eos, de ea, quæ in nobis fide.* Non teneatur tantum Episcopus totam Scripturam quoad omnia in ea contenta feire, aut memoria tenere ; quia multa funt in Scriptura, quæ nequeant fidelium inftructionem, neque ad officij Epifcopalis exercitium & executionem pertinent, fed fub mortali teneatur antequam conferetur, moraliter fcire omnia, quæ in Scriptura & legibus & Canonibus Ecclefiæ continentur, ad fui officij executionem neceffaria, vt fint mandata Dei & Ecclefiæ primaria decreta & præcepta, articuli omnes ad fidem pertinentes, eorumque principia & fundamenta, materia & forma Sacramentorum & ritus in adminiftrandi & alia huiufmodi, fine quibus munia Epifcopi vtè exercèri nequeunt. Præterea requiritur in eo diligentia & fedulitas, promptaque voluntas fe in illis formandi & inftituendi ftudio, impiigendo, confultationibus, &c. Et qui aliter fufcipit Epifcopatum, peccat mortaliter, & fi non contetur fe in officijs fcienter feriere, in periculo continuo peccandi mortaliter. Ratio eft, quia alias fe & fua commiffa exponit periculo grauium peccatorum & abufuum.

7. Quas præcipuas prout dictionem eloquentiam & mediocrem ex Cathedra dicit & coram auditorum cœtu fieri folet ; paucorum eft & naturale tantùm donum, adeò vt eam Epifcopum non tenear, fed fimilet fi doctrinalem & eloquentiæ credendi, agendi, eamque inftruendi poffit & oporteat docere, & rebelles conuincere. Tenetur tamen Prædicatores & Catechitas adhibere ad edocendam plebem, & inuigilare vt dicti veritatem Euangelicam teneant, quæ fides fit & nomen compreheuter animientes, & fi quid deficiunt, dubij vel diuerfæ notæ ac periculofæ occurrat, roloforo, dilcolere & mali fui doctrinâ & perina impedire.

8. *Quinta*, juxta Apoftolum fupra dictum, Epifcopum non debet effe *iracundum, non pœcuniæ, non lucri turpis, non litigiosum, sed modestum, benignum, sanctum*, &c. Omnia hæc dicunt irafcibilis mortificationem & fedatam paffionum illius cum officijcem. Ex his

patebit enim vt plurimum ira, litigium, clamor, pugilatus exoritur in irafcibili. Quibus aduerfatur, fedatus, benignitas, modeftia, quæ irafcibilem in fuis inordinatis motibus refrenant. Nota tamen quòd peccata illa fuperbiæ, ira, litigij, percuffionis, vel quæ ex iis oriuntur, debeant æftimari in Epifcopo non tantùm iuxta naturam illorum peccatorum, fed maxime iuxta circumftantias perfonarum, negotij, modi, confequentiæ, &c. nam quæ tantùm venialia funt in aliis inferioris gradus ; in Epifcopis plerumque mortalia funt, & eandalum paffiorum ob grauem inuriam fubditorum & curæ Epifcopalis hinc fubeuntem pufillanimitates, minor ad Epifcopos reuerentia, populorum odia & detractiones contra illos &c. quæ boue examinari debent.

9. *Sexta*, Epifcopus non debet effe *cupidus, sine turpi lucri Cupidine*, id eft,amator pecuniarum,morbo enim cupiditatis omnes pene laborantiedi, præcipue Apoft. Epifcopus non eft cupidus,qui fufficiè à talibus deuitare : manè enim Sacerdotum motò inuncte funt pice cupiditatis ad retinendum,quæ deberent effe munere vnctionis charitatis ad largiendum. Vnde inordinata cupidity, omnis auaritia & concupifcentia oculorum, quæ fuæ animæ tempofalium bonorum amor vel follicitudo ab Epifcopo propulfatur.

10. *Septimo* debet effe *sobrius*, fine hoftibus, fecundum Chryfoft. Omnia duplici interiori quantum ad virtutes, & exteriori quantum ad bonos mores, & ab ipfa fanctet, vt qui virtutibus emicare debent, conferuentur etiam, quæ hominem in exterioribus commendant, non contemnant. Vnde omnatus Epifcopis conftiffi in decoro & honefto moru, inceffu, habitu,fermone, &c. ita vt in exteriori homine, vanitatem, luxuriem, facultatem, fugere fuitatem fugiat. Infuper fupellex & domus Epifcopalis omatum aliquem habere debet non qui prætiofiatem, aut fuperfluitatem, fed qui dignitatem Epifcopalem & reuerentiam aliquo fenfu continet.

11. Octauo, Epifcopus debet effe *non litigiosus*. Epifcopus fpeciali ratione ad iuftitiam qua in alterum tenditobligatur. Ad diftributum quidem,vt beneficia, gradus, dignitates in perfonas bene meritas diftribuat. Ad reddendum autem vnicuique quod fuum eft, vt in fuis poteftatibus bonis, fiue acquirendis, fiue poffidendis, fiue adminiftrandis & in contractibus inire fe habeat. Denique ad iuftitiam, vt in iudicijs & cauíis quæ coram fe vel officiali fuo deducit, debet præjudicem & difcretionem feruet.

12. *Nono*, Epifcopus non debet effe *Neophytus*, id eft,nouiter renatus, nouiter conuerfus, nec Catechumenus ; quia *Neophytum* non fuit difcretionis regiter factus fuerit, cui fe ellimonem eleuabitur, fed fi antequam dictat fubito principetur, inflatur. Neophytus modo intelligitur qui nouitium in facris exercitatus eft, qui tempore in Religione laudabiliter tranfijt ad ambitiofos honores facros, irreprehenfibiliter. Ordinate ergo ad Ordines accendendum eft ; nam cuiufm appetitu quad fimulea loci fuftigia pofpeftus gradibus ardua ad quæ ftatim afcendum, D. Gregor. *lib.* 7. D. Gregor. *Epiſt.* 112. *ad Siagrium*.

Certum qualitates duas requirit Apoftolus Paulus in Epifcopo vide Expofitores in Epiftol. 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. quæ vide ibi.

13. In electione Epifcopi obferuandi funt ea quæ communia funt in electionibus Prælatorum de quibus dictum eft fupra & etiam *cap. 1. verbi. Electio*. Eft enim principio fufcipiat Ecclefiæ Summi Pontifices conftituerint Epifcopos in fedes vacantes : tamen poftea tribus temporibus, quando Ecclefiæ fuis careperunt habere Epifcopos & conceffum eft eis ad eligendum Pra lates

Digitized by Google

vt patet *cap. Nulla ratio, & cap. Nullus, distinct.* 62. In Gallia tamen ius commune non seruatur quoad electionem Episcoporum, & Abbatum: quia in concordia inita Bononiæ anno 1516. inter Leonem X. Summum Pontificem, & Franciscum I. Galliæ Regem conuentum fuit, vt Reges Galliæ haberent ius nominandi Prælatos, ad Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas, ad Abbatias & Prioratus Conuentuales electiuos. Quod etiam obseruatum est hucusque in hoc Belgio, ex concessione Sedis Apostolicæ facta Regi Hispaniæ.

Leo X.

Conc. Trid. 14. Iuxta Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 1. de reformat.* cùm primùm Ecclesia vacauerit, supplicationes, ac preces publicæ, priuatimque habendæ sunt, atque à Capitulo per ciuitatem & Diœcesim indicendæ sunt; quibus Clerus, populusque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare. Electio autem debet fieri intra tres menses à die vacantis Ecclesiæ: nam postmodum facta ab electoribus, est inualida, nisi legitimè impediti fuerint, *cap. Ne pro defectu, de elect.* vbi habetur, *Ne pro defectu Pastoris gregem Dominicum lupus rapax inuadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata graue dispendium patiatur: volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum & Ecclesiarum indemnitatibus prouidere, statuimus, vt vltra tres menses Cathedralis Ecclesia vel regularis Prælato non vacet. Intra quos (iusto impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice. Ac ipsa eligendi potestas ad eum qui proximo præesse dignoscitur, deuoluatur. Is verò, ad quem fuerit deuoluta potestas, Deum præ oculis habens non differat vltra tres menses cum consilio Capituli sui & aliorum virorum prudentium viduatum Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ vel alterius, si digna non reperiatur in illa, Canonicè ordinare: si Canonicam voluerit effugere vltionem.*

Innoc. III. Conc. Later. Ita Innocentius III. In concilio generali Lateranensi.

15. De sufficientia electi in Episcopum haberi debet examen vel inquisitio, iuxta formam Constitutionum Prouincialium à Summo Pontifice approbatarum: debétque examen, seu inquisitio de persona electi in publicum instrumentum redigi & cum toto testimonio, ac professione fidei ab eo facta quamprimùm ad Romanum Pontificem mitti: qui auditis saltem quatuor Cardinalium suffragiis, de Confirmatione electi decernet. Ita Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de reformat.* Quanquam olim Confirmatio & ordinatio Episcoporum fiebat à Metropolitanis, vt colligitur ex *cap. Nulla ratio, distinct. 62. & cap. Omnes, dist. 38.* Sed nouissimo iure reseruata est Summo Pontifici, iuxta *cap. Quamquam, de elect. in 6.* & Concil. Trident. *supra.*

Conc. Trid.

16. Episcopatus excellentior est Presbyterio. Probatur, tum ex verbis Apost. ad Timoth. 1. c. 5. cùm iubet illi, ne accipiat accusationem contra Presbyterum, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Et ad Titum *cap. 1.* cui præcipit, vt constituat per Ciuitates Presbyteros. Fuerunt ergo ambo Timotheus & Titus maiores Presbyteris dignitate ac potestate. Tum quia Christus Dominus noster distinctionem seruauit inter Apostolos & alios discipulos suos. Apostolorum autem successores tota hactenus Ecclesia censuit Episcopos: discipulorum autem reliquorum, Presbyteros, iuxta *cap. in nouo,* Conc. Trid. *distinct. 21. cap. Quorum vices, distinct. 68.* Concil. Trident. *sess. 23. cap. 4.* Tum quia Episcopi præ Sacerdotibus multis priuilegiis & facultatibus gaudent: eliguntur enim, electi confirmantur, confirmati consecrantur, etiamsi antea iam ordinati sint Sacerdotes: & proinde accipiunt nouam potestatem faciendi aliqua in & pro Ecclesia, quæ Sacerdos solus nunquam ausit attentare; vt Clericos Ordinare, Episcopos consecrare, Chrisma conficere, Confirmationis Sacramentum conferre, Ecclesias & altaria dedicare, &c. Et licet olim nomen fuerit commune, vt Episcopi etiam dicerentur Presbyteri: re tamen ipsa, id est, officiis semper fuerunt distincti, vt docet D. Thomas 2. 2. *q. 184. art. 6. ad 1.* Proinde contraria sententia est hæreseos damnata à Concil. Trident. *sess. 23. Canon. 7.* his verbis: *Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris Superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, &c. Anathema sit.* Quam hæresim dudum sepultam tempore Epiphanij *hæres. 75.* D. Augustini *lib. de hæres. cap. 53.* suscitauit Ioannes Wicleff hæreticus, quem secuti sunt Lutherus, Caluinus & cæteri horum temporum hæresiarchæ.

D. Thom. Conc. Trid.

17. Dignitas Episcoporum in Ecclesia Dei est quadripartita. Quidam enim præest toti Ecclesiæ, vt est solus Romanus Pontifex. Alij variis præsunt Prouinciis & Regnis, dicti Patriarchæ, seu Primates, quorum sunt quatuor præcipuè. *Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus.* Et *cap. Antiqua. de priuileg.* Ratio huius esse potest, quòd fides Christiana primò in illis partibus prædicata ac multiplicata fuerit, & distributio Patriarchatuum facta priusquam Regna Occidentis, Hispania, Gallia, Germania, Anglia & alia fidem susciperent. Alij Metropolitanis ciuitatibus præsunt, qui vocantur Archiepiscopi, eo quòd vniuersitati Episcoporum in aliqua regione præsident, siue regio illa plures Prouincias & diuersa etiam Regna contineat, siue vnam tantùm Prouinciam. Alij denique vni ciuitati principaliori, & oppidis circumuicinis præsunt, & dicuntur Episcopi. Inter hos autem quatuor Episcoporum gradus non est alia differentia, quàm iurisdictionis latioris: Ordinis enim sanctitate dignitatéque sunt pares: quia nullam nouam Ordinationem accipiunt post Episcopalem: sed dantur eis tantùm quædam insignia externa, per quæ significatur eminentior dignitas, ac potestas iurisdictionis. Ita communis Theologorum sententia.

18. Episcopus ex vi & natura Episcopatus tenetur sub peccato mortali prouidere vt per se vel per idoneos ministros plebs sua instruatur in necessariis ad salutem, & vnusquisque eorum iuxta vocationem suam. Probatur, quia cùm primum fundamentum nostræ salutis sit debita instructio in necessariis ad salutem: si necessariorum scientia ex negligentia Pastoris deficiat in aliquo etiam individuo, perditio eius in Pastorem redit, & ab illo anima exigetur. vnde Concilium Tridentinum *sess. 5. de reform. cap. 2.* grauissima animaduersione vtitur in eos, qui in instructione populi deficium & totum onus in Episcopos reuoluit, vt prouideant has instructiones fieri per *Pastores curam animarum habentes, vel Ministros idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus, qui plebes sibi commissas prò sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum breuitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat; vt pœnam æternam euadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.* Ex quibus manifestum Episcopos teneri in conscientia & sub pœna damnationis æternæ prouidere efficaciter, non perfunctoriè vt non tantùm Catechismi & conciones fiant, sed etiam

Conc. Trid.

etiam vi tali modo fiant, ut populus de facto instruatur & occasio ad salutem siat. Aliorum vero plus, si ex defectu doctrinæ & instructionis subjicti aliqui peccant.

Conc. Trid. 13. Ad multa tenetur Episcopus ex Tridentino circa curam animarum. *Etenim*, sollicite inquisitare debet ne cura animarum in sua tota Diœcesi, sub prætexto negligentiæ, *sess. 6. de reform. c. 1. &* 2. quod indicare debet vicario generali tum benefitiis, tum in Cathedralibus, Collegiatis, aut aliis Ecclesiis vel Monasteriis. Nominatio quidem horum vicariorum pertinet ad illos Patronos, apud quos vel certum jus nominandi est per Concordata, *sess. 7. de reform. cap. 9. & sess. 24. cap. 18. de reform.* Terna, Parochiis infirmis seu illiteratis, aut officio suo nequeunt satisfacere, conficiunt ex se consultores. *sess. 21. cap. 6. de reform.* Quare, In Parochiis vacantes vicarium instituet, donec legitimus Parochus canonice instituatur, *sess. 24. de reform. cap. 18. Quinto*, Approbabit confessarios omnes facularium, siue sint regulares, *sess. 23. de Regular. & sess. 24. cap. 6. de reform. Sexto*, debet eligere & approbare Summum Pœnitentiarium pro tua Diœcesi, *sess. 24. de reformat. cap. 8. Septimo*, debet Parochias dimittere, quæ pertinent ad Ecclesias Cathedrales, aut Collegiatas, ad alias transferre, atque Parochio pauperibus vnire. De quibus *sess. 24. de reform. cap. 13. sess. 21. cap. 6. de reformat. cap. 4. & 7. & 7. sess. 25. de reformat. cap. 13.*

20. Episcopi tenentur sub pœnis mortalis & restituitionis damnorum spiritualium, si iure requirantur, inducere Pastores & minoribus curam animarum habentes, quos constat de male administratione, juxta circumstantias locorum, temporum & personarum eisdem capaces & idoneos ad eruditionem plebem in fide & doctrina sua, ad Sacramenta frequentanda, & ad cætera omnia damnabilia. Vt colligitur ex Tridentino supra. Proinde tollendus est abusus quo iam non infrequenter, plerique in locis, ecclesiæ & magis idonei, sed qui sucobiles, amore primatis & vanitatis quandoque vitandi vel obligationis, imò & adulationibus prævalent. Non requiritur tamen eminnodis & Theologis certitudo de capacitate Pastorum, sed sufficit cum fiterinire ipsis ex moralis estimatio ex circumstantiis deprehendit: sese enim eloquentior & doctior in subtilitatibus Theologicis minus ad regimen animarum idoneus est, & sæpe non minus cautum a fabuli fugiendis, quam etiam illi Theologi, qui ab his abhorrent & indoctorum ecclesiæ cum inepta est. Deinde Episcopo incumbit videre qualibus personis præficiendi sunt Pastores: Alius enim requiritur pro curatis vbi populus rudis & peregrinus versatur, qualis pro locis in Alpes vbi hæretici, alius vbi mali Christiani versantur. Vide à nobis dicta *tom. 2. verb. Studium num. 20.* cum Auctoribus ibi citatis.

Conc. Trid. 21. Ad Episcopum pertinet diiudicare ac determinare omnes controversias de beneficiis, omnesque judicia in illiem. Concilium Trident. *sess. 24. cap. 20. de reform.* Item cause clericorum criminales ad ipsum pertinent, *sess. 14. cap. 4. & 5. de reform.* Item omnes cause matrimoniales *sess. 24. can. 12. & videndi de reform. cap. 20.* Item executio vltimarum voluntatum & vltratio quorumuis hofpitalium, aliorumque piorum usuumque testamentorum eorum ad laicos pertinentes, *sess. 22. cap. 8. de reform.* Item compositio controversiarum omnium de præcedentia, quæ persepe cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tum seculares, quam regulares; tum in processionibus publicis, tum in his quæ fiunt in cumulandis defunctorum corporibus & aliis similibus, *sess. 25. cap. 13. de*

regular. Item Episcopus debet sufficiens curare omnibus miserabilium personarum, etiam exules contra clericos quoscumque excessores, tam ecclesiares, quam regulares, *sess. 7. cap. 14. de reform.* Item Episcopus cum duobus de capitulo, cuius capitularium, extra visitationem iudicabit, *sess 25 cap. 6. de reformat.*

22. Episcopus eft manutenendus in quasi possessione cognoscendi regulares contra matrimoniales & criminales, ex his tum affinentia contra inferiores immemorabili fe iuuantes, donec per tres sententias conformes de hac re cognoscatur, etiamsi inferiores pofsidionem & quasi possessionem habeant, vt dictum fuit à Rota *in Terona Thezina inviolato-* Rota. *nio de Anfa 5. Decemb. 1614. coram D. Corrado Decano*, Referente Tamburino, *de iur. Abbat. tom. 3.* Tamburin. *dec. 60. Rota Romana.*

23. Episcopus non potest vrgere hospitale, si fundator in fundatione opium excluse à visitatione. Ratio est, quia licet Episcopus non possit confentire in præjudicium fundationis, tum acquisiti Episcopatui, potest tamen iuri quærendo præiudicare. Et ita declarauit Sacra Cardinalium Congre- Sac. Cong. gatio, in hac verba: *si in fundatione hospitalis fit dictum, quod ordinarius non possit se intromittere in visitatione, non potest id inducere.* Et hanc dictà declaratione in vna Abulensi in fuit decisum per Sacram Rotam Romanam, vt patet apud Pan- Rota. tachinum *tom. 3. pars 1. dec. 55.* Similiter Episcopus non potest vrgere Hospitalia & confraternitates, quæ exiftunt sub protectione Regum. Ita docent ex Concilio Tridentino *sess 22. cap. 8. & sess 25.* com- Conc. Trid. munitet Doctores, quos citat & fequitur Nicolaus Barbosa. *de potest. Episcop. part. 3. allegat. 75. num. 15.* Vide Diana *part. 1. tr. 2. resol. 83. & 100.* & dicenda Diana. *infra verb. visitatio, num. 7.*

24. In omnibus autem regulares etiam exempti subduntur Episcopis, partim de iure communi, partim ex Concilio Tridentino.

Primo, Episcopis subduntur quoad editionem librorum Doctorum, quos Concil. Tridentinus *sess. 4.* Conc. Trid. *decreto de vsu & editione Sacrorum librorum*, vbi ibi habetur. *Nulli libros imprimere, vel imprimi facere, quæsua libros de rebus sacris, nisi prius examinatis, & probatorum virorum approbatis, & licentiam concesserit.* Et *si regulares fuerint, vitra examinationem & probationem hujusmodi, licentiam quoque a suo Superiore ipsi urgentur obtinere.*

Secundo, quoad lectionem Sacræ Scripturæ habendam in monasteriis Monachorum & aliorum regularium conuentibus. Concil. Trident. *sess. 5.* Conc. Trid. *cap. 1.* per hæc verba. *In monasteriis quorum locorum, vbi monasteria non sunt, publica lectio Sacræ Scripturæ habeatur, quæ in re, si Abbates negligentes fuerint, Episcopi incertum, in hoc vt Sedis Apostolicæ delegati, vt ad id opportunus remedium constituant, &c.*

Tertio, quoad Prædicationem verbi Dei, & quoad Plebanos & parochos, vel quos curam animarum habentes, & per quos per alios, plebes sibi commissas pascere, diligentia præstare, Episcopis Dominicis & festis solemnibus; etsi ipsi Ecclesiæ eidem nullius Diœcesis Archiepiscopi, in quorum Provincia Diœcesim ipsæ tres sunt eiusdem quoad hoc, Sedis Apostolicæ delegati, si Abbates & regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint, compelli debent. Concil. Trident. *sess 5. cap. 2.* vbi non- Conc. Trid. dat Episcopis, quod si præcauisse errores, aut fecundat haereses in populo, aut in diœcesi nostra, vt contra eum fecundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem, etiamsi fe exemptum pretenderet, tamquam Sedis Apostol. delegati, procedant.

25. *Quartò*, Regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis priuilegij prætextu tutus non est, quominus, si delictum commiserit, à loci Ordinario tanquam à Sede Apostolica delegato secundùm canonicas sanctiones visitari, puniri & corrigi possit, iuxta Concil. Trident. *sess. 6. cap. 3. de reform.* Conc. Trid.

Clem. VIII. Extat præterea Constitutio Clementis VIII. publicata Romæ die 18. Martij anno 1596. quæ incipit, *Suscepti muneris*, super executione Concil. Tridentini *sess. 25. cap. 14. de regular.* contra regulares non subditos Episcopo, intra claustra degentes & extra ea ita notoriè delinquentes, vt populo scandalo sint, ac contra eorum Superiores illos punire negligentes, aut impunitos ad alia suorum Ordinum loca transmittentes, vel transmissos ad locum in quo deliquerunt, non reuocantes. Extat hæc bulla apud Rodriguez *tom. 2. quæstiuncula reg. quæst. 2. artic. 6.* Rodrigz

Quintò, clerici sæculares, vel Regulares extra monasterium degentes quomodolibet exempti, etiamsi certũ iudicem, à Sede Apostolica deputatum in partibus habeant; in aliis verò si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, conueniri possunt in ciuilibus causis mercedum & miserabilium personarum, & iure medio ad soluendum debitum cogi. Conc. Trid. Ita Concil. Tridentinum *sess. 7. cap. 14. de reform.*

Circa quod decretum & Superius hoc numero adductum est aduertendum, quod detur facultas Ordinariis locorum, vt possint contra exemptos procedere ratione delicti, vel contractus extra loca exempta factorum, vel rei sitæ extra illa. Et quod regulares degentes extra claustra possunt conueniri coram Ordinariis in ciuilibus causis mercedum & miserabilium personarum tantùm & non in aliis.

Censentur autem regulares extra monasterium degere, dum non viuunt sub Superiore conuentualiter: & qui habent domicilium extra Monasterium speciali licentia vel priuilegio. Non tamen si maneant de Superiorum licentia, sub regulari obseruantia in aliquo membra, vel Grangia sui Monasterij pro Religionis seruitio, vel inseruiant alicui beneficio, aut adiiciantur alicui Monasterio monialium; hi enim non comprehenduntur sub hoc decreto: quia non degunt extra illud ex speciali licentia, seu priuilegio, sed ex instituto & officio: & ideò si delinquant non ab Ordinario, sed à suo Superiore puniri debent secundùm formam Concilij Conc. Trid. Trident. *sess. 25. de regular. cap. 14.* vt obseruant Barbosa *de offic. & potest. Episcop. Allegat. 105. n. 17.* Barbosa. Petrynus. Petrynus *tom. 1. priuileg. Ordm. Minim. in annot. ad constitut. secundam Sixti IV. num. 29.* & alij.

Denique miserabiles personæ, de quibus fit mentio in dicto Concilij decreto, intelliguntur, viduæ, pauperes, orfani, nisi diuites sint. Item senes decrepiti, diuturno morbo fatigati & omnes, quibus natura mouemur ad miserandum propter fortunæ iniuriam. Item peregrini, publicè pœnitentes, infantes expositi, cæci & mutilati membris, atque leprosi, incarcerati, & qui recenter ad Christianam fidem conuersi sunt. Item puellæ nobiles, quæ sibi nobilitate paribus nubere non possunt. Hi omnes censẽdi sunt miserabiles personæ si diuitiis non affluant: secus si sint diuites. Vide Rodriguez *tom. 1. quæst. reg. quæst. 65. art. 3.* Petrynum *loc. cit. n. 31.* Rodriguez. Petrynus.

26. *Sextò*; vnusquisque regularis, vel aliter exemptus ordines suscipere debet à proprio Episcopo, Concil. Trident. *sess. 23. cap. 8. de reform.* & dictum est *tom. 1. verb. Ordo III. n. 2.* Conc. Trid.

Septimò; Regulares pœnitentiæ Sacramentum sæcularibus administrare non possunt, nisi ab Episcopis præuio examine, per approbationem idonei iudicati fuerint. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 15. de reform.* vt diximus *tom. 1. verb. Confessarius III. num. 4.* Conc. Trid.

Octauò, Nulli licet Monasterium, siue Ecclesiam; vel orationis domum ædificare, antequam ab Ordinario suo licentiam obtineat, priuilegiis & exemptionibus non obstantibus. Ita sancitum fuit in Concil Agaten. Calcedonen. & denique in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 3. de regular.* vt dictum est *supra verb. Ecclesia num. 12.* Conc. Agat. Calcedon. Triden.

Nonò, Regulares omnes etiam exempti subiacent Episcopis in colendis festis: nam dies festi, quos in Diœcesi sua obseruandos esse, Episcopus mandauerit, ab illis seruari debere, decreuit Concil. Trident. *sess. 25. cap. 12. de regularibus* & annotauimus *tom. 1. verb. Missa IV. num. 9.* vbi adducitur Declaratio Eminent. DD. Cardinalium. Conc. Trid.

Decimò, Interdicta & censuras ab Episcopo promulgatas ipsi regulares in eorum Ecclesiis publicare, si Episcopus præcipiat & seruare tenentur. Concil. Trident. *sess. 25. cap. 12. de regular.* Intellige de interdicto locali generali, vt diximus *Tom. 1. verb. Interdictum I. num. 8.*

27. *Vndecimò*, Exempti omnes, tam clerici sæculares, quàm regulares quicumque, etiam Monachi ad processiones publicas accedere, cogi possunt à locorum Ordinariis: exceptis illis tantùm, qui in strictiori clausura perpetuò viuunt. Item differentiæ & lites quæ ratione præcedentiæ inter Ecclesiasticas personas, in iisdem processionibus oriuntur, ab Episcopis breui manu, omni appellatione remota componantur, iuxta Concil. Trident. *sess. 25. cap. 13. de regular.* De qua re plura dicemus infra *verb. Processiones, num. 8.* Conc. Trid.

Duodecimò, Nouitij omnes subiacent Episcopo quoad renunciationes faciendas. Nam nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam iureiurando ad cuiuscumque fauorem etiam piæ causæ, valida est, nisi obtenta Episcopi licentia, siue eius vicarij, fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione. Ita Concil. Trident. *sess. 25. cap. 16. de regular.* de quo infra *verb. Nouitius num. 23. & sequent.* Conc. Trid.

Decimotertiò, Quicumque regularis prætendens per vim & metum ingressum esse Religionem, aut dicens ante ætatem debitam professionem emisisse, aut quid simile, volensque habitum demittere quacumque ex causa, aut cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non erit audiendus nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliàs, nisi rationes suas, quas prætenderit, proposuerit coram Superiore suo & Ordinario. Sic Concil. Tridentin. *sess. 25. cap. 19. de regular.* Circa hoc decretum, vide annotata à nobis *tom. 1. Religio IV. num. 7.* & infra *verb. Professio n. 14.*

28. Religiosi omnes etiam exempti vltimarum voluntatum executores ex licentia Superiorum constituti; suscepti muneris rationem reddere cogi possunt à locorum Ordinariis, à quibus debita eis pœna venit imponenda, si in muncre ipso deliquisse comprehendantur, *Clement. vnic. de testamentis*, vt etiam diximus *verb. Testamentum tom. 1. num. 13. vers. Porrò.*

Decimoquintò, Regulares omnes etiam exempti in causis hæresis Episcopo subsunt, *cap. vt officij, §. Denique de hæretic. in 6.* qui textus cùm loquatur de Inquisitoribus absque dubio comprehendit Episcopos: ipsi enim dicuntur Ordinarij inquisitores, vt docent Rodriguez *tom. 1. qq. reg. quæst. 20. art. 10.* Barbosa *de potest. Episc. Allegat. 105. n. 56.* & alij. Rodrig. Barbosa.

Non

Digitized by Google

Non enim subduntur in prædictis causis Prælatis
Paulus V. suis, sed Inquisitoribus. Provt decreuit Paulus V. constitut. sua 26. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, quamuis pro vltramontanis idem Pontifex aliud decreuerit, vt diximus *tom. 1. verb. Abbas num. 8. §. 2. vers. Porrò.*

Decimosexto, Regulares omnes coram Episcopis reconueniri possunt, quoties illi, aut ipsorum monasteria coram illis conueniunt alios: nam si persona Ecclesiastica prorsus exempta à foro laicali, sæculares conueniat coram illo, potest coram eodem reconueniri. Actor enim sequi debet forum rei. Vt docent communiter Canonistæ.

29. *Decimo septimò*, Episcopi & Inquisitores procedere possunt contra Regulares audentes in publicis concionibus & aliis actibus publicis asserere quod B. Virgo cum originali peccato concepta fuerit. Vt censuit Sacra Congregatio vniuersalis in-
Sac. Congr. quisitionis habita coram Paulo V. 31. August. 1617 & coram Gregorio XV. die 24. Maij 1622.

Decimo octauò, Episcopis subduntur exempti in
Conc. Trid. causis matrimonialibus, Conc. Trident. *sess. 24. de reform. cap. 20. § ad hæc*, nisi habeant iurisdictionem priuatiuè ad Episcopos, vel immemorabilem pro se consuetudinem, vt censuit Sacra Congregatio. Item Episcopo subduntur exempti ad hoc vt per eum possint denunciari & mandari, vt euitentur quando essent notoriè excommunicati à iure vel ab homine.

Decimo nonò. Exempti in omnibus illis subiiciuntur Episcopo, quæ ad ordinem Episcopalem pertinent, v.g. in consecratione Ecclesiarum, petizione Chrismatis & similium, *cap. veniens*, vbi Abbas *notab. 2. de præscript.*

Episcopus cognoscit contra exemptos in omni-
Abbas. bus criminibus actualem, seu solemnem degradationem requirentibus, Episcopi enim est degradare, non alterius inferioris, *cap. degradatio, de pœnis, in 6.*

Porrò Ordinarius habet authoritatem in populum Ecclesiæ exemptæ: quamuis enim Ecclesia exempta sit, tamen populus, nisi sit exemptus, subditur Episcopali iurisdictioni, *cap. per exemptionem, de priuileg. in 6.*

31. Episcopus regularis transiens ad aliam Ecclesiam non potest secum deferre acquisita ex reditibus prioris Ecclesiæ. Ratio est, quia cùm talia bona acquisita sint ex fructibus Ecclesiæ, sunt eiusdem Ecclesiæ ex intrinseco titulo; & Episcopo conceditur tantùm vsus & administratio: vnde debent relinqui eidem Ecclesiæ eo ipso quòd dimittitur Episcopatus, tanquam propria illius. Præterea si esset quantitas magna pecuniæ vel aliarum rerum, quæ usu consumuntur, posset ea secum deferre & in suum usum consumere: quod esset in magnum præiudicium Ecclesiæ: quod non debet operari trãslatio ad aliam Ecclesiam: quia Principis concessio non continet præiudicium tertij in dubio. Ita Suarez
Suarez. Barbosa. *de relig. tom. 4. lib. 3. cap. 16. num. 24.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 114. n. 16.* & alij. Hæc sententia nimis rigorosa ab aliis meritò existimatur, vnde censent posse secum asportare omnia illa bona, quæ acquisiuit ex fructibus suæ Ecclesiæ, & talis est praxis Prælatorum timoratæ conscientiæ. Probatur hoc ex eo, quòd fructus Ecclesiæ non ordinantur ad augenda bona ipsius, sed ad sustentationem Episcopi; & quæ supersunt liberæ ipsius administrationi; ergo quæ acquirit ex his fructibus, non pertinent ad Ecclesiam: quia ab Ecclesia transeunt ad Episcopum; & cùm Episcopus non subiiciatur illi Ecclesiæ, sed Pontifici: non possunt reuerti ad Ecclesiam, sed pertinent ad Pontificem. Præterea Episcopus regularis ratione seruitij, quod præstat Ecclesiæ, facit fructus suos, quantùm possibile est, & si non potest facere quoad dominium, facit saltem quoad plenam & liberam administrationem; & idcirco potest de ipsis disponere, & applicare iis vsibus, quos censuerit honestos, ergo eos & sibi in vsum proprium vsque ad mortem, non secus ac posset applicare alteri, cùm sit capax talis vsus perpetui. Aliàs possent alij magis participare de fructibus suæ Ecclesiæ, quàm ipse posset. Ita sentiunt Calderinus *de reb. Eccles. consil.* Calderin.
12. & alij quos citat & sequitur Pasqualigus *In de-* Pasqualig.
cis. moral. decis. 129.

32. Quidam sentiunt bona Episcopi regularis Titularis spectare ad monasterium etiamsi talis Epi-
Portel. scopus sit confirmatus; quia nec sedem habet, nec iurisdictionem acquisiuit. Ita Portel *in dub. Regul. verb. Episcopus num. 6.* Rodriguez *tom. 3. qq. reg.* Rman. Rod:
quæst. 69. art. 4. quæst. 4. quem sequitur Hieron. Ro- Hier. Rodr.
drig. *in compend. resol. 60. num. 7.* Verùm cùm talis Episcopus sit omninò exemptus à Religione, non secus ac cæteri, non apparet quòd bona, quæ ad ipsum pertinent possint pertinere ad monasterium, quia non communicat ampliùs cum communitate Religionis, atque adeò non est amplius membrum illius. Suarez verò *tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 17. num. 5.* Suarez.
putat acquirere suæ Ecclesiæ titulari iuxta ius commune: quia tamen non possunt cum effectu ipsi applicari talia bona, in pia opera dispensanda sunt; & hæc dispensatio eidem Episcopo est commissa. Sed non soluit difficultatem. Si enim sunt commissa Episcopo secundùm dispensationem, debent esse alicuius secundùm ius: & cùm non possint Ecclesiæ titulari cum effectu applicari: iam talis Ecclesia non acquirit ius; præsertim, quia reuera non adest talis Ecclesia secundùm substantiam, sed solùm secundùm titulum. Proinde verior & tenenda est illorum sententia, qui docent bona regularium Episcoporum Titularium pertinere ad Pontificem: & idem dicendum esse de bonis Episcoporum regularium, qui dimiserunt Episcopatum, & ad nullum alium translati sunt. Ratio prioris est, quia ratione dignitatis Episcopalis remanent omninò a quocumque exempti, & solùm Pontifici subiiciuntur: & quia bona sequuntur conditionem personarum, sequitur quod bona ipsorum subiiciantur Pontifici; quia ius quoque ipsorum Pontifici eidem subiicitur. Ratio posterioris est, quia dimisso Episcopatu retinent tantùm dignitatem & titulum. Ita Barbosa *de offic.* Barbosa.
& potest. Episcop. allegat. 114. num. 30. Azorius Azorius.
tom. 1. lib. 12. cap. 10. quæst. 7. in fine Sanchez *lib. 7.* Sanchez.
moral. c. 32. num. 67. & alij.

33. Varij variè sentiunt, à quonam tempore religiosus factus Episcopus desinat acquirere monasterio, incipiatque Ecclesiæ acquirere? Quidam enim censent à tempore consecrationis incipere acquirere Ecclesiæ & vsque tunc acquirere monasterio: quia per consecrationem fit verus Episcopus. Ita
Glossa *cap. 1. verb. Dedicanda, de religiosis domibus* Glossa.
Portel *in dub. reg. verb. Episcopus num. 12. in addit.* Bartol.
& alij.

Secunda sententia docet à die acceptationis corporalis possessionis Ecclesiæ: quia licet ante hanc acceptationem iurisdictione Episcopali potiatur, si est confirmatus; at non dicitur plenè in Ecclesiam translatus, donec corporalem eius possessionem nactus sit. Ita *Ancharanus*, *Imola* & alij iurisperiti Ancharan.
apud *Sanchez* infra. Probabilior tamen sententia & Imola.
sequenda sustinet, tunc desinere acquirere monasterio, quando à Pontifice confirmatur Episcopus. Ratio est, quia eo ipso, quòd eximitur à iure monasterij, desinit ipsi acquirere: cùm tunc ius ipsius non

sit

sit amplius jus monasterij ; eximitur autem statim ac post nominationem ad Episcopatum confirmatur à Pontifice : quia eximitur per id, quod transfertur ad statum Episcopalem ; transfertur autem per confirmationem;cùm per ipsam verè constituatur Episcopus. Ita Sanchez *lib.7. moral. cap.* 32. *num.* 67. Rodrigues *tom.* 2.*Summ. cap.* 72. & *tom.*3. *qq. regul. quæst.*69.*art.*4. *in fine* , Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 114. *num.* 29. Faustus *in thesaur. religios. lib.* 8. *quæst.* 46. & alij.

Sanchez. Rodrig. Barbosa. Faustus.

34 Dubium est , an vota specialia Religionis cessent in Episcopo regulari , si sint compossibilia cum statu Episcopali?Negant Caietanus 2.2.*q.*185. *art.* 8. *dub.* 2. Sotus *lib. vlt.de iustit. & iur. quæst. vlt. art.vlt.vers.Sed contra,* Suarez *de relig. tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 17. *num* 7. Ratio illorum est , quia status religiosus, quoad substantiam , est immutabilis : vnde semper manere debent , quæ pertinent ad substantiam , qualia sunt omnia vota. Quando autem regularis fit Episcopus , fit tantùm maxima mutatio accidentalis. Deinde obligatio voti est personalis, vnde sequitur personam quocumque tendat. Hæc sententia est valde probabilis , quam sequuntur plures recentiores. Nihilominus sententia affirmans huiusmodi vota cessare in regulari creato Episcopo non minus est probabilis & fortè probabilior. Probatur,tum quia intentio vouentis est mensura obligationis ex voto, nec votum plus obligat,quàm intendat se obligare vouens , vt docent communiter Theologi ex D. Thom. 2.2. *quæst.* 189. *art.* 4. in corpore. Cùm autem quis profitetur in illa Religione, & emittit specialia vota illius Religionis,intendit se obligare per illa , quatenus se obliget ad regulam Religionis, & in tantùm subsistat obligatio votorum,in quantùm subsistet obligatio ad regulam. Sed cùm regularis per assumptionem ad Episcopatum liberetur à iugo regulæ iuxta *cap. statutum* 18. *quæst.* 1. liberatur etiam ab iis omnibus, quæ habent fundamentum in regula & ad quæ regularis ratione regulæ se obligauit : ergo ablato fundamento tolluntur etiam quæ in ipso fundantur, Sic Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 6. *num.* 15. Lezana *part.* 1. *quæst. regul. cap.* 17. *num.* 10. Palaus *part.* 3. *tract.* 16.*disp.* 4. *punct.* 24. *num.* 5. Et hanc sententiam tenent etiam doctissimi recentiores.

Caietan. Sotus. Suarez. D. Thom. Sanchez. Lezana. Palaus.

An autem Episcopi regulares teneantur voto paupertatis , obedientiæ & castitatis. Vide *tom.* 1. *verb. Religio* 1. *num* 8.

35. Ex dictis probabile est , religiosos Sanctæ Mariæ de Mercede assumptos ad Episcopatum non amplius obligari voto de redimendis captiuis. Probatur, quia hoc votum est ordinatum ad confirmandam obligationem illius regulæ quæ habet pro obiecto, incumbere redemptioni captiuorum. In Episcopo autem cessat obligatio regulæ , quia eximitur ab ipsa, ergo etiam votum,quo confirmatur huiusmodi obligatio. Ita Palaus *loco citato punct.* 24.*n.* 6. & alij.

Palaus.

Item Fratres Minimi S. Francisci de Paula assumpti ad Episcopatum absoluuntur à voto quadragesimalis vitæ quod est ipsis solemne. Ratio est, quia huiusmodi votum non est simpliciter personale , sed personale regulare ; hoc est , non est personæ quomodocumque, sed personæ subiectæ tali regulæ ; solum enim emittitur à persona vt membro Religionis. Quando autem assumitur ad Episcopatum , desinit hoc membrum Religionis & persona subiecta tali Regulæ ; & ideò votum non sequitur personam , quia non est illius personæ quocunque modo , sed vt subiectæ regulæ , & vt est membrum illius Religionis. Ita Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.*6. *num.* 20. Diana *part.*3. *tract.* 2. *resol.* 50. Palaus *citat. num.*6. Barbosa, Cenedo & alij Contra Suarez & Sotum. Similiter religiosus Episcopus , si edat carnes Feria sexta in quam Natalis Domini incidit, contra id quod præcipitur in sua regula non peccabit, propter rationes supra , vt Sanchez & Diana animaduertunt cum Authoribus à se citatis.

Sanchez. Diana. Barbosa. Cenedo.

36. An votum solemne Patrum Societatis IESV, quo se obligant obedire Pontifici circa Missiones, permaneat in Episcopis assumptis ex eadem Societate ? affirmat Suarez *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.*3. *cap.* 18. *num.* 8. quia votum est immutabile,cùm sit solemne : & talis Episcopus est capax , vt possit à Pontifice obligari , vt transeat ad alium Episcopatum , etiam apud infideles. Sed probabile est cessare huiusmodi votum: quia Patres illi non intendunt se obligare voto , nisi in quantum se obligant instituto Religionis : Cessante ergo obligatione instituti , cessat etiam obligatio voti , vt pote quia cessat eius fundamentum.

Suarez.

Ad rationem Suarez posset responderi ; solemnitatem reddere votum immutabile secundùm capacitatem suæ naturæ : vnde quando votum est tantùm pro aliquo statu,reddit tantùm immutabile pro illo statu;non autem succedente alio statu : quia variatio status est essentialis , & ideò excludit ea, quæ sunt facta in ordine ad obligationem prioris status; & cessant obligationes assumptæ in ordine ad ipsum. In casu autem nostro votum est factum pro statu Religionis.ItaDoctores citati *num.* 34. pro affirmatiua , quibus adde Pasqualigum *in decis.moral. decis.* 274.qui idem dicendum putat de voto simplici solito emitti in eadem Societate,de non laxanda paupertate , sed potius restringenda : item de non procuranda & ambienda dignitate: Item de denunciandis ambientibus dignitates : Item de non acceptanda dignitate extra Religionem , nisi ex præcepto obedientiæ. Item de audiendis consiliis Patris Generalis , si eligantur in præsidem alicuius Ecclesiæ. Hæc enim vota non amplius obligant Episcopos ex Patribus Societatis assumptos , quia sunt vota regulæ seu Constitutionum eiusdem Societatis , ad quarum obseruantiam non tenentur Episcopi. Ita ille *decis.*275.276.277.278.*&* 279. Vide dicta supra verb. Cardinalis. *n.* 9. *&* 10.

Pasqualig.

37. Quorumdam sententia est Episcopum regularē depositō Episcopatu non esse ampliùs exemptum à regula & votis , sed teneri redire ad Monasterium. Ita Abulensis , Arragon , Azorius. Quia Monachus , si præficiatur alieno Monasterio redire tenetur, si præfecturam dimittat. Dicendum tamen est , manere Episcopum exemptum eodem prorsus modo, ac erat antea,quando dimittit Episcopatum, non solùm respectu regulæ , sed etiam respectu votorum.Ratio est,quòd ratione dignitatis Episcopalis cum eo legitimè dispensatum sit,exemptusque sit ab obligatione obediendi Prælatis Religionis & obseruantiarum regularium. At hæc non cessat deposito Episcopatu,ergo non extinguitur dispensatio, quia ad eius extinctionem oportet vt omnino eius causa cessarit. At totalis huius dispensationis causa est dignitas Episcopalis cum animarum cura. Quamuis ergo cessarit cura animarum, non cessat dignitas & perfectior status ratione Episcopatus adeptus; & sic causa partim manet,quod ad conseruandum dispensationis valorem satis est. Tum quia tota exemptio in Episcopis consequitur ad statum , vnde permanente statu Episcopali , permanet etiam exemptio : quia alioquin qui sunt in statu sublimiori subiicerentur iis , qui sunt in statu inferiori, quod esset quid inordinatum. Ita Nauar. *lib.* 3. *consil. consil.* 15. *de regular. n.* 11. *& sequent.* Henriquez *lib.*10. *de Sacram. Ordin. cap.* 32. *num.* 4. Emanuel Sà *verb.*

Abulensis. Arragon. Azorius. Nauarrus. Henriq. Eman.Sà

Layman. Sanchez.

Episcopus non. vi Layman *lib. 8. tract. 5. cap. 3. num. 9.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 6. num. 19.* Et hoc habet locum etiam in Episcopo, qui ob demeritum deponitur, nam deposito priuat tantum administratione, non autem dignitate & gradu, & adeo remanet in ipso eius *status* ingenitalis & ordinis, qualis est huiusmodi exemptio. 18.

Sanchez. Henrig. Layman.

Episcopus regularis degradatus non remanet exemptus à votuspoli per degradationem priuatur priuilegijs, ratione quorum exemptus, vnde subiicitur etiam huiusmodi exemptio. Ita *Sanchez. Henriquez*, *Layman* numero præcedenti citati. Sed quia degradatio non tollit confecrationem nec ipsum Episcopatum, atque adeo nec dignitatem illam, sed tantum eft quædam canonica inhabilitatio prohibens vsum Episcopalium, atque adeo auferens vsum priuilegiorum, qui conferuntur ftatum Epifcopalis & pertinent ad dignitatem eiusdem, non eft impossibile, quod manent ea, quæ fint intrinfeca ftatui: vnde cum exemptio à regula fit intrinfeca ftatui, quia ftatus ipfe liberat Monachum à regula *cap. ftatutum* 18. *quæſt.* 1. Ideò manente ftatu manet etiam exemptio. Epifcopus autem degradatus retinet ftatum Epifcopalem. Tum quia fenel liberatus à lege regulæ non potest amplius legi, nifi ipfe de legge nouo obedientiæ vote. Quomodo ergo Epifcopus degradatus non erit exemptus à regula, cum iam non habeat votum, quo ad illam obligetur? quia Epifcopus non retinet votum obedientiæ, falem refpectu Prælatorum regularium fed extinguitur. Ergo 3&c.

Sanchez. Palaus. Leffius.

Abbas. Antonius. Henrig. Sanchez *tract. de temp. disp. 18. n. 3.* Rodrig. *tom. 2. q. 88. art. 2.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 7. lib. 1. cap. 19.* Sanchez & alii.

Ad textum autem *cap. Per tuas*, de voto. Refpondetur, quòd Pontifex non poteft indè nouos Religionis non poffe commutari in ftatum Epifcopalem, fed folùm nolens confirmare electionem in Epifcopum illius electi refpondet, quòd eum iam fit factus vott tranfgreffor (quia infra prouifum tempus illud non impleuerat) confulit, vt implendo votum fuum confcientiam fanet, quam iam violauerat. Non enim fuit poteft commutatio talis voti in ftatum Epifcopalem, nifi habeatur talis ftatus : qui non habetur, nifi accedat confirmatio Pontificis ; vnde fi Pontifex nolit confirmare debet votum Religionis impleri ; quia commutatio non habet effectum.

Sanchez. Henrig. Layman.

Epifcopus non. vi Layman *lib. 8. tract. 5. cap. 3. num. 9.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 6. num. 19.* Et hoc habet locum etiam in Epifcopo, qui ob demeritum deponitur, non depofitio priuat tantum adminiftratione, non autem dignitate & gradu, & adeo remanet in ipfo eius *ftatus* ingenitalis & ordinis, qualis eft huiufmodi exemptio. 18.

Epifcopus regularis degradatus non remanet exemptus à votisipfa per degradationem priuatur priuilegijs, ratione quorum exemptus, vnde auferitur etiam huiufmodi exemptio. Ita *Sanchez. Henriquez*, *Layman* numero præcedenti citati. Sed quia degradatio non tollit confecrationem nec ipfum Epifcopatum, atque adeo nec dignitatem illam, fed tantum eft quædam canonica inhabilitatio prohibens vfum Epifcopalium, atque adeo auferens vfum priuilegiorum, qui conferuntur ftatum Epifcopalis & pertinent ad dignitatem eiusdem, non eft impossibile, quod manent ea, quæ fint intrinfeca ftatui : vnde cum exemptio à regula fit intrinfeca ftatui ; quia ftatus ipfe liberat Monachum à regula *cap. ftatutum* 18. *quæſt.* 1. Ideò manente ftatu manet etiam exemptio. Epifcopus autem degradatus retinet ftatum Epifcopalem. Tum quia fenel liberatus à lege regulæ non potest amplius legi, nifi ipfe de legge nouo obedientiæ vote. Quomodo ergo Epifcopus degradatus non erit exemptus à regula, cum iam non habeat votum, quo ad illam obligetur? quia Epifcopus non retinet votum obedientiæ, falem refpectu Prælatorum regularium fed extinguitur. Ergo 3&c.

Sanchez. Palaus. Leffius.

Abbas. Antonius. Henrig. Sanchez *tract. de temp. disp. 18. n. 3.* Rodrig. *tom. 2. q. 88. art. 2.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 7. lib. 1. cap. 19.* Sanchez & alii.

Ad textum autem *cap. Per tuas*, de voto. Refpondetur, quòd Pontifex non poteft indè nouos Religionis non poffe commutari in ftatum Epifcopalem, fed folùm nolens confirmare electionem in Epifcopum illius electi refpondet, quòd eum iam fit factus vott tranfgreffor (quia infra prouifum tempus illud non impleuerat) confulit, vt implendo votum fuum confcientiam fanet, quam iam violauerat. Non enim fuit poteft commutatio talis voti in ftatum Epifcopalem, nifi habeatur talis ftatus : qui non habetur, nifi accedat confirmatio Pontificis ; vnde fi Pontifex nolit confirmare debet votum Religionis impleri ; quia commutatio non habet effectum.

Sanchez. Palaus. Leffius.

Sanchez. Palaus. Leffius.

41. Epifcopi nequeunt vouere renunciare Epifcopatui aut Religionem ingredi, inconfulto Romano Pontifice, ex *cap. Nifi cum prædec. in fine*, *de renunciat.* & *cap. licet*, *de reſcript.* Quare ciuis id votum fit de re ipfa interdicta, quæ etiame interdicto eft materia conſilij, id votum non eft omnino irritum, fed includit conditionem affirmatiuam, fi Pontifex conſentiat : quare tenebuntur conſenſum Pontificium petere, quæ denegato liberi erunt. Ita Sanctus *verb. votum 3. quæſt 1.* Erlenſis. Claus Regia *lib. 6. cap. 5. num 24. in fine* ; Suarez *tom. 3. de relig. tract. 6. lib. 4. cap. 4. num. 8.* Suarez & alij. Non tamen tenebuntur votum explere, nifi ad id fe obligarint, vel vt id votum à Pontifice irritetur. At tenebuntur voto non peragendo, petere tantum licentiam, quando prudenti id dictauerit ; vt etiam diximus *tom. 1. verb. Religio. 11. num. 1.*

Claus Regia. Suarez. Suarez.

Sanchez. Palaus. Leffius.

42. Epifcopus vouens longam peregrinationem, vallum id eius votum, probatur, quia vota fubditorum de rebus fibi prohibitis, funt licita & valida, ratione conditionis affirmatiuæ in ipfis implebis, fi Superior conſentiat. Ergo idem eft de Epifcopis ftatibus, cum nulla fit differentia, quòd quam deberent effe irrita, nifi ratione prohibitionis materiæ. Quando tamen attenta circumftantijs indicarent mutas Dei obſequium refidere, nec petere eius abſentiæ facultatem : tunc votum eſſet id votum quia tamquam obſtans maiori bono non obligatet. Vt indicat Sanchez *lib. 4. moral. c. 35. n. 39. & 40.* cu fubfcribunt Tabiena *verb. votum 3. quæſt. 2. n. 1.* Suarez *tract. de temp. lib. 2. c. 4. num. 8. ſiue de legib.* in eo cafu nulla ſoluendi expenſas itineris remanet obligatione quòd ille non fint per fe promiſſe, fed tamquam accidentia vota perſonali & ideo ceſſante obligatione principali ceſſat accidentalis.

Sanchez. Tabiena. Suarez.

Iunior. 11.

43. Quando votum Epiſcoporum eſt modice peregrinationis vel precum, vel abſtinentiarum, quæ munus exequi non impediunt, eſt abſolutum & obligatorium, nulla Pontificis expectata licentia, probatur, quia nulla alia ratione eſt ea neceſſaria, vt ne impediatur munus, ad quod eſt inſtitu-

tencus

tenetur Epiſcopus: ac proinde exequutio votorum non impedientium, nulla indiget licentia, nec pendet à dominatiua alicuius poteſtate, ſed in his eſt ſui iuris Epiſcopus ad vouendum. Ex quo deducit Suarez *tom. 2. de relig. tract. de voto, lib. 3. cap. 4. num. 10.* ſi peregrinatio non exceedat tempus iure conceſſum Epiſcopo ad abſentiam, eſſe votum abſolutum & independens à Pontificia licentia: quia in illa non læditur Eccleſia. Vide Clauem Regiam *lib. 6. cap. 5. num. 24.* Azorium *tom. 1. lib. 11. c. 16, quæſt. 2.* Graffiis *part. deciſ. lib. 2 cap. 12. num. 23.* Sylueſtrum *verb. votum 3. quæſt. 1.*

Suarez. Clau. Reg. Azorius. Graffius. Syluest.

Vide verb. Abſolutio *num.* 13. 20. Beneficium 3. *num.* 3. *&* 17. 14. Vicarius *num.* 15. Beneficium 5. *num.* 13. Commendationes Eccleſ. *n.* 2. *&* 3. Diſpenſatio *num.* 13. 17. *&* 21. *cum ſequent.* Donatio *num.* 45. 46. Excommunicatio 1. *num.* 7. Excom. 2. *num.* 27. Excom. 3. *num.* 2. Excom. 6. *n.* 29. Exemptio *num.* 8. Legatum *num.* 24. Lex 2. *num.* 7. Matrim. 2. *num.* 6. Matrim. 3. *num.* 3. Oratorium, Pontificalium vſus. Prædicatio *num.* 1. *&* 7. Proceſſiones *num.* 5. *&* 6. Reſidentia. Teſtamentum *num.* 18. *&* 20. Viſitatio *num.* 2. *&* *ſequent.* Votum 1. *n.* 18. Votum 2. *num.* 15.

EVCHARISTIA.

SVMMARIVM.

1 *An Sacramentum Euchariſtiæ rectè vocetur cœna Dominica ab hæreticis.*
2 *In quonam conſiſtat eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ.*
3 *An ſumptio Euchariſtiæ ſit neceſſaria & per ſe inſtituta ad primam gratiam obtinendam.*
4 *An Euchariſtiæ ſit paruulis neceſſaria in re vel in voto.*
5 *An ſuſceptio realis Euchariſtiæ ſit adultis neceſſaria ad perſeuerandum in gratia, ſaltem in voto.*
6 *An Chriſtus realiter ſit præſens in Euchariſtia.*
7 *An remaneat aliquid de ſubſtantia panis & vini poſt conſecrationem in hoc Sacramento.*
8 *An ſit de fide in hoc Sacramento interuenire tranſubſtantiationem.*
9 *An ſubſtantia panis in Euchariſtia vniatur hypoſtaticè verbo diuino aut corpori Chriſti.*
10 *An ſit de fide totum Chriſtum eſſe ſub qualibet particula ſpecierum panis & vini, ante vel poſt diuiſionem ipſarum.*
11 *Vtrum in Euchariſtia ſit tota quantitas ſeu moles corporis Chriſti.*
12 *An de Chriſto poſſint verificarè ea, quæ dicuntur de ſubſtantia panis.*
13 *Quid contineatur in hoc Sacramento ex vi verborum formæ conſecrationis, & quid concomitanter.*
14 *An diuinitas ſit in Euchariſtia per concomitantiam, aut ex vi verborum.*
15 *An ſit de fide accidentia manere ſine ſubiecto in hoc Sacramento.*
16 *An in miraculoſis apparitionibus Euchariſtiæ ſit ibi Chriſtus realiter.*
17 *Vtrum vino conſecrato poſſit miſceri aliquis liquor non conſecratus & ſi talis mixtio fiat, an ſit totum conſecratum, vel pars, aut nihil, vel pars ſic, & pars non.*

1. HÆretici noſtri temporis malè vocant hoc Sacramentum Euchariſtiæ cœnam Dominicam, quaſi D. Paulus 1. ad Corinth. 11. *num.* 20. hoc nomine appellarit: nam tres fuerunt refectiones Chriſti Domini & Apoſtolorum in Feria quinta. *Prima*, ceremonialis, qua comedebatur Agnus Paſchalis. *Secunda* communis, qua quiſque ad famem ſedandam comedebat. *Tertia* Euchariſtica, qua Chriſtus corpus ſuum & ſanguinem diſcipulis dedit. Hanc ſecundam refectionem Scriptura cœnam vocat. Matth. 26. *num.* 26. *Cœnantibus autem eis*, Lucæ 22. *num.* 20. *Similiter & calicem poſtquam cœnauit, dicens*, Ioannis 13. *num.* 2. *Et cœnæ factâ.* &c. Tertiam nuſquam; quinimò diſertè dicit hoc myſterium factum eſſe poſt cœnam.

Apoſtolus autem Paulus ſupra cœnam Dominicam vocat, non adminiſtrationem Sacramenti Euchariſtiæ, ſed conuiuium quoddam quod in ſignum charitatis ante vel poſt ſuſceptam Euchariſtiam diuites pauperibus exhibebant. Quod patet *Primò*, quia dicit Apoſtolus Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum poſtquam cœnauit. *Secundò*, quia in cœna de qua loquitur, aliqui inebriabantur: at potus Euchariſticus pariſſimè ſumi ſolet. *Tertiò*, quia permittit, vt domi quiſque ſuæ priuatim cœnam iſtam ſumat, quod tamen in Sacramento nec Caluiniſtæ permitterent. *Quartò*, quia pauperes cœnam, de qua loquitur, parare ſibi non poterant, *Confundite*, inquit, *eos qui non habent.* At Euchariſtia datur gratis à Miniſtris Eccleſiæ & omnibus indifferenter.

2. Dubium eſt in quo conſiſtat eſſentia huius Sacramenti Euchariſtiæ: & quinque ſunt de quibus quæri poteſt, panis & vinum: verba conſecrationis; ſpecies panis & vini; corpus Chriſti; ſumptio ſeu manducatio.

Dico *Primò*, Panis & vinum neque ſunt Sacramentum Euchariſtiæ, neque de eſſentia Sacramenti. Prior pars eſt manifeſta; Poſterior pars Probatur, quia ſubſtantia vtriuſque definit, quando incipit Sacramentum, ergo non poſſunt illud intrinſecè conſtituere.

Dico *Secundò*, Verba conſecrationis phyſicè ſunt forma efficiens hoc Sacramentum, & moraliter ſunt de intrinſeca ratione ipſius. Probatur prior pars, quia concurrunt efficienter ad tranſſubſtantiationem: nam Concilium Florentinum dicit eſſe formam, quâ conficitur hoc Sacramentum, & Sancti Patres ſic ſæpe loquuntur. Præterea tranſeunt verba manente Sacramento, ergo non poſſunt illud intrinſecè conſtituere, niſi moraliter, quatenus nimirum verborum vis cenſetur manere in ſpeciebus, vt perfectè ſignificent corpus Chriſti, per modum cibi ſpiritualis: ſicut enim aliquid dicitur formaliter cognitum à cognitione quæ præteriit, ſic etiam ſpecies manent determinatæ ad hanc ſignificationem, quamdiu moraliter ſubſtant formæ conſecrationis, & ſic patet poſterior pars.

Dico *Tertiò*, ſumptio Euchariſtiæ non eſt Sacramentum: eſt contra quoſdam hæreticos, qui concedunt Chriſtum eſſe præſentem in vſu huius Sacramenti, aliàs non: primus auctor huius ſententiæ fuit Martinus Bucerus, quem ſecuti ſunt tum Lutherani, tum Zuingliani. Probatur propoſitio noſtra, quia nec habet formam, nec certum Miniſtrum, nec confert gratiam. Sumptio enim eſt tantùm conditio ſine qua Chriſtus nobis Sacramentaliter non coniungeretur, ac proinde ſicut applicatio ignis non adurit, ſed ignis applicatus; ita manducatio carnis Chriſti non ſanctificat, ſed caro Chriſti manducata, iuxta illud Ioannis 6. *num.* 58. *qui manducat me, & ipſe viuet propter me.*

Dico *Quartò*, Species panis & vini per ſe non ſunt

ſunt Sacramentum, ſicut nec corpus Chriſti per ſe. Probatur prior pars, quia Sacramento Euchariſtiæ debetur adoratio, atque adeò cultus latriæ, qui vero Deo debetur, vt docet Concil. Tridentſeſſ. 13. cap. 5. at ſpecies ſunt res creatæ, quibus per ſe nulla veneratio debetur. Probatur poſterior pars, quia Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, corpus autem Chriſti ſecundum ſe, non eſt ſenſibile in hoc Sacramento, vt experientia docet.

Conc. Trid.

Dico *Quintò*, Sacramentum Euchariſtiæ intrinſecè & eſſentialiter conſtituitur ex ſpeciebus panis & vini & corpore ac ſanguine Domini. Eſt communior ſententia Patrum & Doctorum. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum proponitur tanquam cibus animarum ex vi primæ inſtitutionis: talis autem cibus eſt corpus Chriſti velatum ſpeciebus panis, ergo &c. Ita D. Thomas *tertia parte quæſt. 78. artic. 1. ad 2. & in 4. diſtinct. 8. quæſt. 1. artic. 1. quæſt. 1. ad 2.* Victoria *de Sacrament. num. 52.* Bellarminus *lib. 4. de Euchariſt. cap. 1. & 6.* Filliucius *tractat. 4. cap. 1. quæſt. 5.* & alij apud Bonacinam *de Euchariſt. diſput 4. quæſt 1. punct. 1. num. 5. & 6.*

D. Thom. Victoria. Bellarmin. Filliucius. Bonacina.

3. Sumptio Euchariſtiæ, neque eſt neceſſaria, neque per ſe inſtituta ad primam gratiam. Probatur, quia ſic expelleret peccatum originale vel mortale ex propria inſtitutione, ſed hoc eſt falſum: nam ad hoc ſunt inſtituta duo Sacramenta mortuorum, Baptiſmus & Pœnitentia: ergo, &c. Confirmatur, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. Canonic. 5.* damnat eos anathemate, qui dicunt præcipuum huius Sacramenti fructum, eſſe remiſſionem peccatorum.

Conc. Trid.

Dices, hoc Sacramentum habet quandam generalem cauſalitatem in effectus omnium aliorum Sacramentorum, vnde & à S. Dionyſio *cap. 3. de Eccleſiaſtica Hierarchia* vocatur omnium Sacramentorum conſummatio & perfectio, ergo Baptiſmus & Pœnitentia non delent peccatum originale & mortale, niſi virtute Euchariſtiæ poſtea ſi commoditas ferat, ſuſcipiendæ. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: nam ſi intelligatur quaſi reliqua Sacramenta pendeant à Sacramento Euchariſtiæ in ſuis effectibus producendis, falſum eſt: quia vnumquodque Sacramentum habet propriam ſuam vim dependentem quidem à paſſione Chriſti, independentem tamen à Sacramentis aliis: ſi verò intelligatur tantùm eminentia quædam huius Sacramenti ſuper alia, conceditur antecedens, ſed negatur conſequentia. Hæc enim eminentia nihil præiudicat propriis effectibus aliorum Sacramentorum, quia tantùm ſignificat Euchariſtiam in proprio & ſpecifico effectu, qui eſt vnio cum Chriſto, & perficere quodammodo effectus omnium aliorum Sacramentorum, verbi gratia, Baptiſmus nos in Chriſto regenerat & facit ſimiles Chriſto: hoc verò Sacramentum nutrit & conſummat illam vnionem & ſpeciali modo nos Chriſto, vt optimo amico, Fratri & Patri coniungit. Pœnitentia delet peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, & ſanat vulnera animæ: hoc verò Sacramentum, & interdum id facit (vt diximus *tomo primo, verb. Euchariſtia II. num. 134.*) & illum effectum perficit eodem modo, quo effectum Baptiſmi, & amplius purificat animam tollendo peccata venialia, minuendo concupiſcentiam, & præſeruando à relapſu.

D. Dionyſ.

4. Euchariſtia non eſt paruulis neceſſaria, neque in re, neque in voto, niſi impropriè dicto. Prima pars eſt de fide ex Concil. Trident. ſeſſ. 21. canone 4. *Si quis dixerit paruulis antequam ad annos diſcretionis peruenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit*, & probatur, quia Eccleſia haberet præceptum miniſtrandi illis Euchariſtiam, ſicut tenetur illis prouidere de Baptiſmo: at nuſquam extat tale præceptum & praxis Eccleſiæ contrarium oſtendit, ergo. Secunda pars patet, quia votum eſt actus quidam humanus, quo deſideramus frui beneficio Chriſti & remediis ab ipſo inſtitutis: hic autem actus non conuenit paruulis, ergo. Tertia pars admittenda eſt propter Innocentium I. *Epiſtol. 26.* D. Cyprianum *lib. 2. ad Quirinum capite vigeſimo quinto*, D. Auguſtinum *Epiſtol. 16.* & alibi ſæpe: D. Thomam *tertia parte quæſt. 37. art. 3. & quæſt. 79. art. 1. ad 1.* Qui docent hoc Sacramentum eſſe neceſſarium, vel in re, vel in voto, ſed hoc votum eſſe in adulto formaliter, in paruulo autem interpretatiuè: quia Eccleſia in Baptiſmo ordinat illum ad Euchariſtiam poſtea ſumendam.

Innoc. I. D. Cypriant. D. Auguſt. D. Thom.

5. Euchariſtiæ realis ſuſceptio non eſt adultis neceſſaria ad perſeuerandum in gratia, ſeu ad gloriam obtinendam, inmò ne in voto quidem. Prior pars eſt contra Armenos, Iacobitas, & Neſtorianos, ex quorum errore videtur profectus abuſus eorum, qui mortuis dabant Euchariſtiam, qui condemnantur in Sexta Synodo & Concil. Antiſſiodonenſi & Carthaginenſi III. Probatur, quia alioquin multi viatores eſſent extra ſtatum ſalutis, qui nullo modo hoc Sacramentum percipere poſſunt. Tum quia ſufficiunt alia remedia; nam Baptiſmus confert veram iuſtitiam in qua qui perſeuerat, obtinet ſine dubio vitam æternam: qui autem labitur habet remedium pœnitentiæ. Poſterior pars probatur, quia Concilia & Patres paſſim docent neceſſitatem Baptiſmi & pœnitentiæ, quæ tamen ſupplerur per votum. De neceſſitate Euchariſtiæ non ita loquuntur, exceptis iis quos ſupra citauimus, ergo ſignum eſt nullum votum ipſius eſſe neceſſarium. Ratio eſt, quia quod Sacramentum in voto ſit neceſſarium, inde fit, quòd habeat proprium effectum neceſſarium ad iuſtitiam & ſalutem: nullus autem talis eſt effectus Euchariſtiæ, ſed ſolius Baptiſmi & Pœnitentiæ, ergo, &c. Ita communis ſententia ex D. Thoma *tertia parte quæſtione 73. articulo tertio*, Coninck *ibidem, numero 38. & 44.* Filliucio *tractat. 4. numero 37.* Bonacina *de Sacrament. diſput. 4. quæſt. 1. punct. 3. num. 1.* & aliis.

Sexta Synod Conc. Antiſ. Carthag. III.

D. Thom. Coninck. Bonacina.

Illud tamen omninò admittendum eſt, hoc Sacramentum eſſe medium valde efficax & quaſi moraliter neceſſarium ad perſeuerantiam finalem, quod Sancti Patres ſæpe inculcant: quia inſtitutum eſt, vt conferat homini ſingulare auxilium ad cauenda peccata & perſeuerandum in gratia: Vnde ſi homo illud contemnat, vel negligat, facilè cadet, & vt ait S. Cyprianus *ſeparatus à corpore Domini, procul remanebit à ſalute.*

D. Cyprian.

6. Chriſtus realiter eſt præſens in Euchariſtia: & eſt veritas fidei certiſſima & clariſſima ex Scripturis, Conciliis, Patribus, praxi Eccleſiæ, miraculis, ac denique euidenti demonſtratione: Nam Chriſtus potuit ac voluit dare ſe nobis in cibũ Sacramentalẽ, per realem ſuam præſentiam, ergo eſt præſens in hoc Sacramento: conſequentia eſt manifeſta: antecedentis prior pars conſtat ex Symbolo, Credo in Deum patrem omnipotentem; quæ quamuis diſertis verbis non negetur ab hæreticis, reuera tamen negatur: nam quotieſcumque premuntur argumentis

tenetur Episcopus: ac proinde exequutio votorum non impedientium, nulla indiget licentia, nec pendet à dominatiua alicuius potestate, sed in his est sui iuris Episcopus ad vouendum. Ex quo deducit Suarez tom. 2. *de relig. tract. de voto, lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 10. si peregrinatio non excedat tempus iure concessum Episcopo ad absentiam, esse votum absolutum & independens à Pontificia licentia: quia in illa non læditur Ecclesia. Vide Clauem Regiam *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 24. Azorium *tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 16, *quæst.* 2. Graffius *part. decis. lib.* 2 *cap.* 12. *num.* 23. Sylvestrum *verb. votum* 3. *quæst.* 1.

Suarez. Clau. Reg. Azorius. Graffius, Sylvest.

Vide verb. Absolutio *num.* 13. 20. Beneficium 3. *num.* 3. & 17. 14. Vicarius *num.* 15. Beneficium 5. *num.* 13. Commendationes Eccles. *n.* 2. & 3. Dispensatio *num.* 13. 17. & 21. *cum sequent.* Donatio *num.* 45. 46. Excommunicatio 1. *num.* 7. Excom. 2. *num.* 27. Excom. 3. *num.* 2. Excom. 6. *n.* 29. Exemptio *num.* 8. Legatum *num.* 24. Lex 2. *num.* 7. Matrim. 2. *num.* 6. Matrim. 3. *num.* 3. Oratorium, Pontificalium vsus. Prædicatio *num.* 1. & 7. Processiones *num.* 5. & 6. Residentia. Testamentum *num.* 18. & 20. Visitatio *num.* 2. & *sequent.* Votum 1. *n.* 18. Votum 2. *num.* 15.

EVCHARISTIA.

SVMMARIVM.

1 *An Sacramentum Eucharistiæ rectè vocetur cœna Dominica ab hæreticis.*

2 *In quonam consistat essentia Sacramenti Eucharistiæ.*

3 *An sumptio Eucharistiæ sit necessaria & per se instituta ad primam gratiam obtinendam.*

4 *An Eucharistia sit paruulis necessaria in re vel in voto.*

5 *An susceptio realis Eucharistiæ sit adultis necessaria ad perseuerandum in gratia, saltem in voto.*

6 *An Christus realiter sit præsens in Eucharistia.*

7 *An remaneat aliquid de substantia panis & vini post consecrationem in hoc Sacramento.*

8 *An sit de fide in hoc Sacramento interuenire transsubstantiationem.*

9 *An substantia panis in Eucharistia vniatur hypostaticè verbo diuino aut corpori Christi.*

10 *An sit de fide totum Christum esse sub qualibet particula specierum panis & vini, ante vel post diuisionem ipsarum.*

11 *Vtrum in Eucharistia sit tota quantitas seu moles corporis Christi.*

12 *An de Christo possint verificari ea, quæ dicuntur de substantia panis.*

13 *Quid contineatur in hoc Sacramento ex vi verborum formæ consecrationis, & quid concomitanter.*

14 *An diuinitas sit in Eucharistia per concomitantiam, aut ex vi verborum.*

15 *An sit de fide accidentia manere sine subiecto in hoc Sacramento.*

16 *An in miraculosis apparitionibus Eucharistiæ sit ibi Christus realiter.*

17 *Vtrum vino consecrato possit misceri aliquis liquor non consecratus & si talis mixtio fiat, an sit totum consecratum, vel pars, aut nihil, vel pars sic, & pars non.*

1. HÆretici nostri temporis malè vocant hoc Sacramentum Eucharistiæ cœnam Dominicam, quasi D. Paulus 1. ad Corinth. 11. *num.* 20. hoc nomine appellarit: nam tres fuerunt refectiones Christi Domini & Apostolorum in Feria quinta. *Prima*, ceremonialis, qua comedebatur Agnus Paschalis. *Secunda* communis, qua quisque ad famem sedandam comedebat. *Tertia* Eucharistica, qua Christus corpus suum & sanguinem discipulis dedit. Hanc secundam refectionem Scriptura cœnam vocat. Matth. 26. *num.* 26. *Cœnantibus autem eis*, Lucæ 22. *num.* 20. *Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens*, Ioannis 13. *num.* 2. *Et cœna factâ. &c.* Tertiam nusquam; quinimò diserte dicit hoc mysterium factum esse post cœnam.

Apostolus autem Paulus supra cœnam Dominicam vocat, non administrationem Sacramenti Eucharistiæ, sed conuiuium quoddam quod in signum charitatis ante vel post susceptam Eucharistiam diuites pauperibus exhibebant. Quod patet *Primò*, quia dicit Apostolus Christum instituisse hoc Sacramentum postquam cœnauit. *Secundò*, quia in cœna de qua loquitur, aliqui inebriabantur: at potus Eucharisticus parcissimè sumi solet. *Tertiò*, quia permittit, vt domi quisque suæ priuatim cœnam istam sumat, quod tamen in Sacramento nec Caluinistæ permitterent. *Quartò*, quia pauperes cœnam, de qua loquitur, parare sibi non poterant, *Confunditis*, inquit, *eos qui non habent*. At Eucharistia datur gratis à Ministris Ecclesiæ & omnibus indifferenter.

2. Dubium est in quo consistat essentia huius Sacramenti Eucharistiæ: & quinque sunt de quibus quæri potest, panis & vinum: verba consecrationis; species panis & vini; corpus Christi; sumptio seu manducatio.

Dico *Primò*, Panis & vinum neque sunt Sacramentum Eucharistiæ, neque de essentia Sacramenti. Prior pars est manifesta; Posterior pars Probatur, quia substantia vtriusque definit, quando incipit Sacramentum, ergo non possunt illud intrinsecè constituere.

Dico *Secundò*, Verba consecrationis physicè sunt forma efficiens hoc Sacramentum, & moraliter sunt de intrinseca ratione ipsius. Probatur prior pars, quia concurrunt efficienter ad transsubstantiationem: nam Concilium Florentinum dicit esse formam, quâ conficitur hoc Sacramentum, & Sancti Patres sic sæpe loquuntur. Præterea transeunt verba manente Sacramento, ergo non possunt illud intrinsecè constituere, nisi moraliter, quatenus nimirum verborum vis censetur manere in speciebus, vt perfectè significent corpus Christi, per modum cibi spiritualis: sicut enim aliquid dicitur formaliter cognitum à cognitione quæ præteriit, sic etiam species manent determinatæ ad hanc significationem, quamdiu moraliter subsistant formæ consecrationis, & sic patet posterior pars.

Dico *Tertiò*, sumptio Eucharistiæ non est Sacramentum: est contra quosdam hæreticos, qui concedunt Christum esse præsentem in vsu huius Sacramenti, aliàs non: primus auctor huius sententiæ fuit Martinus Bucerus, quem secuti sunt tum Lutherani, tum Zuuingliani. Probatur propositio nostra, quia nec habet formam, nec certum Ministrum, nec confert gratiam. Sumptio enim est tantùm conditio sine qua Christus nobis Sacramentaliter non coniungeretur, ac proinde sicut applicatio ignis non adurit, sed ignis applicatus; ita manducatio carnis Christi non sanctificat, sed caro Christi manducata, iuxta illud Ioannis 6. *num.* 58. *qui manducat me, & ipse viuet propter me.*

Dico *Quartò*, Species panis & vini per se non sunt

Digitized by Google

ſunt Sacramentum, ſicut nec corpus Chriſti per ſe. Probatur prior pars, quia Sacramento Euchariſtiæ debetur adoratio, atque adeò cultus latriæ, qui vero Deo debetur, vt docet Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. at ſpecies ſunt res creatæ, quibus per ſe nulla veneratio debetur. Probatur poſterior pars, quia Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, corpus autem Chriſti ſecundum ſe, non eſt ſenſibile in hoc Sacramento, vt experientia docet.

Conc. Trid.

Dico *Quintò*, Sacramentum Euchariſtiæ intrinſecè & eſſentialiter conſtituitur ex ſpeciebus panis & vini & corpore ac ſanguine Domini. Eſt communior ſententia Patrum & Doctorum. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum proponitur tanquam cibus animarum ex vi primæ inſtitutionis: talis autem cibus eſt corpus Chriſti velatum ſpeciebus panis, ergo &c. Ita D. Thomas *tertiâ parte quæſt.* 78. *artic.* 1. *ad* 2. & *in* 4. *diſtinct.* 8. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2. Victoria *de Sacrament. num.* 52. Bellarminus *lib.* 4. *de Euchariſt. cap.* 1. & 6. Filliucius *tractat.* 4. *cap.* 1. *quæſt.* 5. & alij apud Bonacinam *de Euchariſt. diſput* 4. *quæſt* 1. *punct.* 1. *num.* 5. & 6.

D. Thom. Victoria. Bellarmin. Filliucius. Bonacina.

3. Sumptio Euchariſtiæ, neque eſt neceſſaria, neque per ſe inſtituta ad primam gratiam. Probatur, quia ſic expelleret peccatum originale vel mortale ex propria inſtitutione, ſed hoc eſt falſum: nam ad hoc ſunt inſtituta duo Sacramenta mortuorum, Baptiſmus & Pœnitentia: ergo, &c. Confirmatur, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 13. *Canonic.* 5. damnat eos anathemate, qui dicunt præcipuum huius Sacramenti fructum, eſſe remiſſionem peccatorum.

Conc. Trid.

Dices, hoc Sacramentum habet quandam generalem cauſalitatem in effectus omnium aliorum Sacramentorum, vnde & à S. Dionyſio *cap.* 3. *de Eccleſiaſtica Hierarchia* vocatur omnium Sacramentorum conſummatio & perfectio, ergo Baptiſmus & Pœnitentia non delent peccatum originale & mortale, niſi virtute Euchariſtiæ poſtea ſi commoditas ferat, ſuſcipiendæ. Reſpondeo, diſtinguendo antecedens: nam ſi intelligatur quaſi reliqua Sacramenta pendeant à Sacramento Euchariſtiæ in ſuis effectibus producendis, falſum eſt: quia vnumquodque Sacramentum habet propriam ſuam vim dependentem quidem à paſſione Chriſti, independentem tamen à Sacramentis aliis: ſi verò intelligatur tantùm eminentia quædam huius Sacramenti ſuper alia, conceditur antecedens, ſed negatur conſequentia. Hæc enim eminentia nihil præiudicat propriis effectibus aliorum Sacramentorum, quia tantùm ſignificat Euchariſtiam in proprio & ſpecifico effectu, qui eſt vnio cum Chriſto, & perficere quodammodo effectus omnium aliorum Sacramentorum, verbi gratia, Baptiſmus nos in Chriſto regenerat & facit ſimiles Chriſto: hoc verò Sacramentum nutrit & conſummat illam vnionem & ſpeciali modo nos Chriſto, vt optimo amico, Fratri & Patri coniungit. Pœnitentia delet peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, & ſanat vulnera animæ: hoc verò Sacramentum, & interdum id facit (vt diximus *tomo primo, verb. Euchariſtia II. num.* 13.) & illum effectum perficit eodem modo, quo effectum Baptiſmi, & amplius purificat animam tollendo peccata venialia, minuendo concupiſcentiam, & præſeruando à relapſu.

D. Dionyſ.

4. Euchariſtia non eſt paruulis neceſſaria, neque in re, neque in voto, niſi impropriè dicto. Prima pars eſt de fide ex Concil. Trident. ſeſſ. 21. canone 4. *Si quis dixerit paruulis antequam ad annos diſcretionis peruenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit*, & probatur, quia Eccleſia haberet præceptum miniſtrandi illis Euchariſtiam, ſicut tenetur illis prouidere de Baptiſmo: at nuſquam extat tale præceptum & praxis Eccleſiæ contrarium oſtendit, ergo. Secunda pars patet, quia votum eſt actus quidam humanus, quo deſideramus frui beneficio Chriſti & remediis ab ipſo inſtitutis: hic autem actus non conuenit paruulis, ergo. Tertia pars admittenda eſt propter Innocentium I. *Epiſtol.* 26. D. Cyprianum *lib.* 2. *ad Quirinum capite vigeſimo quinto*, D. Auguſtinum *Epiſtol.* 16. & alibi ſæpe: D. Thomam *tertia parte quæſt.* 37. *art.* 3. & *quæſt.* 79. *art.* 1. *ad* 1. Qui docent hoc Sacramentum eſſe neceſſarium, vel in re, vel in voto, ſed hoc votum eſſe in adulto formaliter, in paruulo autem interpretatiuè: quia Eccleſia in Baptiſmo ordinat illum ad Euchariſtiam poſtea ſumendam.

Innoc. I. D. Cyprian. D. Auguſt. D. Thom.

5. Euchariſtiæ realis ſuſceptio non eſt adultis neceſſaria ad perſeuerandum in gratia, ſeu ad gloriam obtinendam, inmò ne in voto quidem. Prior pars eſt contra Armenos, Iacobitas, & Neſtorianos, ex quorum errore videtur profectus abuſus eorum, qui mortuis dabant Euchariſtiam, qui condemnantur in Sexta Synodo & Concil. Antiſſiodorenſi & Carthaginenſi III. Probatur, quia alioquin multi viatores eſſent extra ſtatum ſalutis, qui nullo modo hoc Sacramentum percipere poſſunt. Tum quia ſufficiunt alia remedia; nam Baptiſmus confert veram iuſtitiam in qua qui perſeuerat, obtinet ſine dubio vitam æternam: qui autem labitur habet remedium pœnitentiæ. Poſterior pars probatur, quia Concilia & Patres paſſim docent neceſſitatem Baptiſmi & pœnitentiæ, quæ tamen ſuppletur per votum. De neceſſitate Euchariſtiæ non ita loquuntur, exceptis iis quos ſupra citauimus, ergo ſignum eſt nullum votum ipſius eſſe neceſſarium. Ratio eſt, quia quod Sacramentum in voto ſit neceſſarium, inde fit, quòd habeat proprium effectum neceſſarium ad iuſtitiam & ſalutem: nullus autem talis eſt effectus Euchariſtiæ, ſed ſolius Baptiſmi & Pœnitentiæ, ergo, &c. Ita communis ſententia ex D. Thoma *tertia parte quæſtione* 73. *articulo tertio*, Coninck *ibidem, numero* 38. & 44. Filliucio *tractat.* 4. *numero* 37. Bonacina *de Sacrament. diſput.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 3. *num.* 1. & aliis.

Serta Synod Conc. Antiſ. Carthag. III.

D Thom. Coninck. Bonacina.

Illud tamen omninò admittendum eſt, hoc Sacramentum eſſe medium valde efficax & quaſi moraliter neceſſarium ad perſeuerantiam finalem, quod Sancti Patres ſæpe inculcant: quia inſtitutum eſt, vt conferat homini ſingulare auxilium ad cauenda peccata & perſeuerandum in gratia: Vnde ſi homo illud contemnat, vel negligat, facilè cadet, & vt ait S. Cyprianus *ſeparatus à corpore Domini, procul remanebit à ſalute.*

D. Cyprian.

6. Chriſtus realiter eſt præſens in Euchariſtia: & eſt veritas fidei certiſſima & clariſſima ex Scripturis, Conciliis, Patribus, praxi Eccleſiæ, miraculis, ac denique euidenti demonſtratione: Nam Chriſtus potuit ac voluit dare ſe nobis in cibũ Sacramentalẽ, per realem ſuam præſentiam, ergo eſt præſens in hoc Sacramento: conſequentia eſt manifeſta: antecedentis prior pars conſtat ex Symbolo, Credo in Deum patrem omnipotentem; quæ quamuis diſertis verbis non negetur ab hæreticis, reuera tamen negatur: nam quotieſcumque premuntur argumentis

Catholicorum, recurrunt statim ad illud Capharnaïticum, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Ioann. 6. num. 53. Posterior antecedentis pars est euidens ex Scripturis: nam Ioannis 6. perspicuis verbis Christus hoc promittit, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et Matth. 26. promissum exsoluit, *Accipite & comedite hoc est corpus meum:* ne verò hæsitaremus de quo corpore loqueretur adiicit Lucæ 22. *quod pro nobis datur*, seu vt habet Apostolus 1. ad Corinth. 11. *quod pro vobis frangitur, seu tradetur:* quæ verba tam perspicua sunt, vt meritò dixerit S. Hilarius lib. 8. de Trinitate, *De veritate corporis & sanguinis Domini non est relictus ambigendi locus: nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est.* Neque locus hic est vllis tropis aut figuris: nam testamenta propriissimis & minimè ambiguis verbis condi solent, ne hæredes aut legatarij habeant occasionem litigandi. Et sic Ecclesia semper in proprio sensu, hoc Christi testamentum intellexit, & contrarias hæreses statim refutauit. Vnde sumitur aliud argumentum in re morali plusquam demonstratiuum. Si Christus non est præsens in hoc Sacramento, ergo vniuersa Ecclesia per totos mille sexcentos quinquaginta annos, in horrendo crimine idolatriæ versata est. Hoc autem est contra promissum Christi Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi*, ergo, &c. Proinde hæc veritas confirmata est nouissimè à Concil. Trident. sess. 13. canon. 1. *Si quis negauerit in Sanctissima Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem vna cum anima & Diuinitate Domini nostri IESV Christi ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute, Anathema sit.*

Conc. Trid.

Vide Bellarminum *lib. 1. de Eucharist. cap. 2. & sequentibus.* Victoriam *de Sacrament. n. 65.* D. Thomam 3. *part quæst. 75. art. 1.* Syluius, Lessium & alios, ibidem.

Bellarmin. Victoria. D. Thom. Syluius. Lessius.

7. An remaneat aliquid de substantia panis & vini post consecrationem in hoc Sacramento? varij sunt errores hæreticorum nostrorum: *Primus est* Lutheranorum, qui dicunt corpus Christi esse in pane, sub pane, cum pane, & sic asserunt panis nihil periisse. Quod olim etiam tenuit Berengarius post primam suam palinodiam teste Guitmundo *lib. 1. de Eucharistia in principio*, Ioannes Hus à quibus nostri hæretici hauserunt.

Secundus error. Manere quidem substantiam panis, sed sine suppósito; nam assumi hypostaticè à Christo Domino, sicut Verbum diuinum assumpsit naturam humanam: ita vt propriè & verè panis sit Deus, & Deus sit panis: item panis sit corpus Dei; non quidem ex virgine, sed iam recens assumptum: & Deus habeat duo corpora sibi hypostaticè vnita; alterum carneum, quod est in cœlo, & alterum panaceum, quod est in altari: posse tamen hæc duo corpora dici vnum; quia sunt vnius suppositi. Hic error tribuitur Ruperto Abbati, quamuis non omnino sit certum, an Rupertus ita sentiat, nam in cap. 6. Ioannis habet alia verba, quibus videtur rectè sentire.

Tertius error, Durandi *in 4. distinctione 11. quæst. 3.* Manere materiam panis, sine forma substantiali. *Quartus*, quorumdam quos refert D. Thomas *tertia parte quæst. 75. art. 6.* manere formam panis sine materia. Præter hos errores sunt tres opiniones falsæ & improbabiles. *Primò*, manere substantiam panis. *Secundò*, manere eius existentiam. *Tertiò*, manere eandem entitatem quæ fuit panis.

Durand. D. Thom.

Dicendum autem est neque substantiam panis manere, neque vllam eius partem, aut modum substantialem: nam Concil. Tridentin. *sess. 13. canon. 2.* docet manere dumtaxat species panis & vini. Vnde manifestè sequitur, neque formam, neque materiam panis manere. Sequitur etiam non manere panis substantiam, nec existentiam, nec vllam entitatem metaphysicam: nam hæc omnia pertinent ad substantiam rei. De his vide Bellarminum *de Eucharist. lib 3. cap. 11. & sequentibus* vbi prædictos errores refert & refutat.

Conc. Trid. Bellarmin.

8. De fide est in hoc Sacramento intervenire transsubstantiationem, hoc est, quòd tota substantia panis conuertatur in corpus Christi & tota substantia vini in sanguinem; ita vt nihil eius remaneat. Probatur primò ex Scriptura, *Hoc est corpus meum*, vbi Dominus id, quod exhibet sub specie panis, dicit esse suum corpus. Ob quæ verba semper persuasum fuit in Ecclesia Dei, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius. Pro quo nota triplicem esse conuersionem vnius in aliud, formalem, materialem, substantialem: nam aut mutatur forma rei manente materia, vt fit in rebus naturalibus, v.g. cùm ex aqua generatur aër, vel contra: aut mutatur materia rei remanente formâ, vt fit in homine, qui tota vita nutritus, aut mutatur tota rei substantia, manentibus accidentibus, quæ naturaliter prorsus impossibilis est; fit tamen à Deo in hoc mysterio, vt definit Concilium Trident. *sess. 13. cap. 4.*

Conc. Trid.

Ex quo patet falsum esse dogma transsubstantiationis esse inuentum Consilij Lateranensis sub Innocentio III. circa annum Domini 1215. vt hæretici calumniantur. Etsi enim in hoc Concilio nomen *Transsubstantiationis* primò receptum fuerit à tota Ecclesia, tamquam commodissimum ad hanc conuersionem singularem explicandam, tamen dogma ipsum semper in Ecclesia fuit. Patres enim antiqui expressè docent substantiam panis conuerti & mutari in corpus, in carnem Christi. Proinde decepti sunt quidam Catholici, dum existimant ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. dogma transsubstantiationis, seu conuersionis panis in corpus Christi, non fuisse de fide. Nam hoc definitum fuit in Concil. Romano sub Gregorio VII. Et consensus omnium Patrum satis indicat hoc semper fuisse de fide. Quod etiam apertè insinuat Concil. Tridentinum *sess. 13. cap. 4.* his verbis. *Quoniam autem Christus redemptor noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò sancta hac Synodus declarat, &c.*

Conc. Rom. Conc. Trid.

9. Fide etiam tenendum est substantiam panis non vniri in Eucharistia hypostaticè verbo diuino, aut corpori Christi. Probatur *Primò*, quia fide tenendum est panem non manere, ergo non potest hypostaticè vniri: vnio enim supponit existentiam in propria substantia. *Secundò*, etiamsi substantia panis maneret & verbo vniretur, non tamen idcirco caro Christi esset præsens in Eucharistia. Nam verbum diuinum potest assumere aliam naturam in terris quamuis corpus, quod ex Virgine assumpsit, non sit in terris. Ergo hæc fictio est prorsus inutilis ad explicandum hoc mysterium. *Tertiò*, Ex hac sententia sequeretur, Deum tam propriè esse impanatum, quam incarnatum; & panem triticeum

triticeum, quàm hominem. Item quotidie nouam fieri vnionem hypostaticam, quæ ab initio non fuit; scilicet cum alio, & alio pane, & eandem quotidie desinere. *Quarto*, ex ea sententia sequeretur, corpus Christi paneum esse in Eucharistia, non carneum quod ex Virgine sumpsit: quod etsi Rupertus videatur concedere *lib. 2. de officiis, c. 2.* est tamen apertè contra Scripturas: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita.* Et 1. ad Corinth. 11. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Item contra omnes Patres, qui semper loquuntur de corpore carneo, quod ex Virgine assumpsit, & in mortem pro nobis est traditum. Vide Bellarminum *de Eucharist. lib. 3. cap. 15.* Lessium *in 3. part. quæst. 75. art. 2.* & alios *ibidem.*

Rupertus. Bellarmin. Lessius.

10. De fide est totum Christum esse sub qualibet particula spectierum panis & vini; saltem post fractionem seu diuisionem ipsarum. Probatur ex Concilio Florentino. *Sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecrati, separatione facta, totus est Christus.* Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. *Quapropter*, inquit, *verissimum est, tantumdem sub altera specie, atque sub vtraque contineri. Totus enim & integer Christus sub panis specie & sub quauis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.* Et Canon. 3. *Si quis negauerit, sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta totum Christum contineri, anathema sit.* Idem docent Sancti Patres. Ratio est, quia Christus est in hoc Sacramento per modum substantiæ spiritualis & inextensæ sicut anima in corpore: ac proinde necessario totus manet sub singulis portiunculis, præsertim cùm non desinat ibi esse, quamdiu species saluæ consistunt, seu quamdiu substantia panis non desisset. Ita docent D. Thomas 3. *part. 1. quæst. 76. art. 2. & 3.* Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 4. punct. 2.* Victoria *de Sacram. num. 64.* Vasquez 3. *part. disp. 88. cap. 3.* & alij communiter.

Conc. Flor. Conc. Trid. D. Thom. Valentia. Victoria. Vasquez.

Quamuis certum sit totum Christum esse sub quauis particula specierum quamtumuis exigua ante diuisionem, non est tamen de fide, quia non est expressè definitum. Licet contrarium censendum sit temerarium & errori proximum, & tenent omnes Doctores præter Albertum *distinct. 13. artic. 11.* Ratio est, tum quia si non est totus sub singulis partibus ante diuisionem, ergo neque post. Nam diuisio sola non potest eum constituere, vbi non erat; cùm sit actio, quæ etiam à bestia fieri potest. Tum quia ex vi conuersionis, corpus Christi est vbicumque fuit aliquid substantiæ panis: nam tota substantia panis conuertitur in corpus Christi: quare necesse est, vt corpus Christi succedat sub omnibus particulis specierum, sub quibus ante erat substantia panis. Atqui substantia panis erat sub minutissimis quibusque: ergo ibi iam est corpus Christi. Si dicas, ergo Christus infinities est in hoc Sacramento, & habet infinitas præsentias: nulla enim est pars panis tam parua coniuncta toti, quin sub minore existat forma panis? Concedo. Id enim quodammodò commune est omnibus rebus indiuisibiliter in aliquo loco diuisibili existentibus. Sed præsentiæ Christi, quibus præsens est singulis particulis speciei panis & vini, sunt diuisibiles in præsentias totales & adæquatas: nam facta diuisione hostiæ, totum corpus Christi habet adæquatam & perfectam præsentiam in vtrauis parte. Hæc tamen diuisio non potest naturaliter fieri in infinitas præsentias totales: quia deueniretur tandem ad partes tam exiles specierum, vt sub eis non posset substantia panis seorsim conseruari.

Albertus.

11. Sententia communior Doctorum est, in Eucharistia esse totam quantitatem seu molem corporis Christi, sed modo indiuisibili, sic vt Sacramentalibus speciebus non coextendatur, sed tota sit sub singulis partibus earum; siue hæc moles sit quid distinctum à re quanta, siue non. Probatur, quia Concil. Trident. *sess. 13. cap. 3. & canon. 2.* docet sub speciebus panis non solùm esse corpus Christi, sed etiam sanguinem, Animam & Diuinitatem, idque propter naturalem concomitantiam seu vnionem cum corpore: ergo cùm similiter quantitas molis naturalem habeat vnionem cum corpore Christi (nam vel est ipsum corpus, vel accidens eius inseparabile) necessariò debebit ibi esse. Tum quia corpus Christi in hoc Sacramento nunc est viuens & animatum; ergo suis organis & necessariis dispositionibus distinctum; quæ distinctio & dispositio sine quantitate esse nequit. Sed vt hoc melius mente concipiatur, dicendum est, molem corporis Christi existere in puncto, non per condensationem, neque proprie per penetrationem partium mutuam; sed per hoc, quod omnes partes, diuina virtute, quasi confluant in punctum, sine penetratione, aut condensatione; sed altiori modo. Sicut enim anima rationalis, etsi indiuisibiliter existat; tamen configurat se corpori humano per totum diffusa, & etiam in extremitatibus existens: tamen separata confluit in punctum, retinens eandem configurationem veluti in radice. Ita diuina virtute corpus humanum potest veluti confluere & se retrahere in punctum, manente tota mole seu quantitate, & partium distinctione. Potest igitur virtute diuinâ tota quantitas corporis Christi in punctum colligi; ita vt pedes & caput in eodem puncto sint. Rectè tamen dicuntur pedes esse extra caput; quia etsi simul sint in puncto, non tamen propriè se inuicem penetrant: nec sunt sibi immediata; nam medium corpus interuenit. Ita D. Thomas 3. *part. quæst. 76. art. 4.* Syluius, Nugnus *ibidem*, Coninck *ibid. num. 66.* Henriquez *lib. 8. cap. 25. num. 2. & cap. 27.* Reginaldus *lib. 29. num. 38.* Victoria *de Sacrament. num. 64.* Pesantius 3. *parte quæst. 76. art. 4. disput. 1. conclus. 1. & 2.* & alij.

Conc. Trid. D. Thom. Sylvius. Nugnus. Coninck. Henriq. Reginald. Victoria. Pesantius.

Si dicas, non possunt esse simul duæ quantitates in eodem loco: ergo non potest sub speciebus retinentibus quantitatem panis aut vini esse quantitas Christi. Respondeo, duas quantitates naturaliter simul esse non posse; supernaturaliter verò posse; sicut de facto constat, Christum exiisse de sepulchro sine fractione lapidis? & de ventre matris sine fractione signaculi Virginei, & consequenter duas quantitates fuisse simul supernaturaliter. Ita Suarez 3. *p. tom. 3. disp. 51. sect. 5.* Angles *de Euchar. quæst. 4. art. 8. concl. 1.* & alij communiter contra Durandum, *in 4. dist. 10. q. 2.*

Suarez. Angles. Durandus.

12. Quamuis Christus secundùm suam substantiam & accidentia sit in tota & qualibet parte specierum, in qua erat substantia panis; non tamen possunt de ipso verificari ea, quæ dicuntur de substantia panis. Proinde ne committatur error in loquendo de hoc augustissimo Sacramento, aduertendum est *Primo*, ea prædicata, quæ concernunt purum motum specierum & existentiam in loco, verificari de corpore Christi. Propterea corpus Christi dicitur esse in Sacrario, esse sursum, vel deorsum, deferri ad infirmum, eleuari, ore sumi, aut tradici in stomachum. Ratio est, quia corpus Christi est realiter connexum speciebus: ergo dum species transferuntur de

loco ad locum, simul transit corpus Christi de loco in locum: & sic movetur secundùm esse, quod habet in Sacramento: quamuis secundùm modum essendi, quem habet in cœlo, maneat immobilis. D. Thom, Sylvius, Coninc, Victoria. Ita D. Thomas 3. *p. quæst.* 76. *art.* 6. Sylvius *ibidem*, Coninck *ibid. num.* 80. 83. 85. Victoria *n.* 69. & alij communiter.

Secundo, prædicata, quæ sunt propria & absoluta specierum non prædicantur de corpore Christi. Proinde cùm species dicantur albæ, rotundæ, molles, liquidæ, vel calidæ, &c. non possunt hæc prædicata dici de corpore Christi: quia huiusmodi prædicata supponunt pro ipsamet quantitate panis relicta, quæ tanquam subiectum accidentium denominatur alba, rotunda, &c. non verò supponunt pro contento sub speciebus, seu pro Christi corpore. Henriq. Vt bene Henriquez *lib.* 7. *de Euchar. cap.* 20. *num.* 5.

Tertiò, Prædicata, quæ ostendunt actionem & passionem specierum, non possunt verificari de Christi corpore secundùm proprium loquendi modum. Probatur, quia vt huiusmodi prædicata dicantur de aliquo, requiritur extensio, nam vt agens corporeum agat, requirit extensionem in patiente: Christus autem non existit sub speciebus modo quantitativo & per extensionem. Possunt tamen huiusmodi prædicata verificari de corpore Christi secundùm denominationem extrinsecam ipsarum specierum: vnde dici potest corpus Christi tangi, frangi, oculis videri, trigeneri, &c. hoc nomine, quod species quibus continetur velatum, tanganD. Thom. Suarez. Reginald. Lessius. tur, frangantur, &c. Ita D. Thomas 3. *part. quæst.* 77. *art.* 7. Suarez 3. *part. tom.* 3. *disp.* 53. *sect.* 1. Reginald. *lib.* 29. *num.* 38. Lessius 3. *part. quæst.* 76. *art.* 7. & *quæst.* 77. *art.* 7. & alij communiter. Et sic intelligendi sunt Patres dicentes corpus ipsum Christi videri, tangi, dentibus atteri.

13. Ex communi Doctorum sententia & Concilio Tridentino *sess.* 13. *cap.* 3. dupliciter aliquid Conc. Trid. esse in hoc Sacramento dicitur. Primò *ex vi verborum*, seu *ex vi Sacramenti*: nempe id, cuius præsentia necessaria est ad verborum veritatem. Sic sub specie panis est solum corpus, non autem sanguis, quidquid dicat Scotus, corpus enim humanum præcisè consideratum, vt præscindit à viuo & mortuo, non includit sanguinem, & si viuum includat. Nomine autem corporis non intelligitur materia nuda, sed illud quod communiter dicitur corpus, quod scilicet constat partibus heterogeneis, id est, diuersæ rationis, vt carne, ossibus, nervis, brachijs, pedibus, &c. siue illud sit viuum, siue mortuum, cùm non solùm corpus viuum, verum etiam mortuum dicatur corpus. Sub specie autem vini est tantùm sanguis. Secundò, *concomitanter*, scilicet id, quod necessariam connexionem habet cum corpore vel sanguine. Sic sub specie panis est sanguis, Anima, & Diuinitas hypostaticè vnita; sub specie vini est corpus, Anima, Diuinitas: & vtrobique corporis & animi accidentia inseparabilia. Vnde sequitur, si Apostoli in triduo mortis Christi consecrassent sub specie panis non fore nisi corpus mortuum & Diuinitatem: sicut etiam si consecrassent sub specie vini, postquam Christus totum sanguinem effuderat, adfuisset sub speciebus vini totus sanguis Christi vnitus Verbo: corpus verò Christi non adfuisset: non enim adfuisset ex vi verborum, quia verba non significassent illud primariò, neque adfuisset concomitanter; quia corpus fuisset separatum à sanguine. Si verò quis consecrasset, antequam aperiretur Christi latus, ex quo sanguis effluxit, sub speciebus adfuisset, non solùm sanguis, verum etiam corpus Christi concomitanter, quia illa pars sanguinis fuisset adhuc vnita corpori, consequenter corpus concomitanter adfuisset. Ita D. Thomas 3. *part. quæst.* 76. *art.* 1. & 2. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 4. *punct.* 2. & alij communiter; telle Henriquez *lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 1. *littera* C. D. Thom, Valentia. Henriq.

Sed petes, quomodo dicuntur sanguis & anima esse sub specie panis per concomitantiam, cùm ex natura actionis qua ibi ponitur corpus non necessario comitentur? Respondeo, Ex ordinatione diuina quia statuit Deus, vt nullo unquam in loco post resurrectionem corpus à sanguine, vel anima, vel Diuinitate separetur; sed hæc semper & vbique sint coniuncta: id enim dignitati corporis Christi erat consentaneum, quod postulat, vt vbique sit viuum per animam; viuificum, per Diuinitatem vnitam: Perfectum omnibus suis partibus & ornamentis. Vnde vbicumque ponitur Christi corpus, ibi etiam ponitur simul per admirabilem illam actionem Anima, sanguis & vnio hypostatica; imò etiam spiritus vitales & animales, & alia intra Christi corpus in cœlo contenta, non solùm quæ ad eius perfectionem & operationes sunt necessaria, sed etiam quæ ad ornatum, vt sunt vngues, capilli, &c. Ita Coninck 3. *p. quæst.* 76. *art.* 2. Lessius 3. *p. q.* 76. *art.* 1. & 2. & alij. Coninck, Lessius.

14. Diuinitas seu Verbum diuinum est in Eucharistia per concomitantiam, non ex vi Verborum. Colligitur ex Concil. Tridentino. *sess.* 13. *cap.* 3. vbi insinuatur solum corpus esse sub specie panis; & solum sanguinem esse sub specie vini ex vi Verborum, cætera vi connexionis cum his. Aduerte tamen Diuinitatem in hoc Sacramento specialiori modo esse propter vnionem hypostaticam cum corpore, quam sit in reliquis rebus. Vnde si per impossibile Diuinitas non esset vbique, tamen necessariò esset sub hoc Sacramento: sicut etiam necessariò esset, vbicumque esset humanitas Christi.

Hinc colligitur etiam Patrem & Spiritum Sanctum esse in hoc Sacramento concomitanter, sed concomitantia mediata: quia ex vi connexionis cum diuinitate verbi, & ipso verbo. Sicut enim verbum diuinum est ibi peculiari modo ex vi connexionis cum corpore Christi, quæ est concomitantia immediata; ita Pater & Spiritus Sanctus sunt ibi peculiari modo ex connexione cum verbo in diuinitate, quæ est concomitantia mediata.

Item sequitur sub speciebus panis esse sanguinem Christi non ex vi verborum, sed concomitanter. Et sub speciebus vini adesse corpus Christi & animam concomitanter, non verò ex vi verborum. Ita communiter Doctores post D. Thomam *supra*. D. Thom.

15. Accidentia manent sine subiecto in hoc Sacramento, Et sic est fide tenendum. Probatur *Primò* ex Concilio Constantiensi *sess.* 8. vbi damConc. Const. natur iste articulus Wicleff. *Accidentia panis non manent sine subiecto.* Item ex Concil. Lateranensi Conc. Later. sub Innocentio III. *cap.* 1. Florentino, cui etiam Florent. Græci subscripserunt, & Tridentino *sess.* 13. *can.* 1. Trident. Et sic est etiam determinatum in *cap. Firmiter. de Summ. Trinit. & fide Cathol.* Ratio est, quia accidentia non sunt in pane, cùm ille iam desierit esse. Nec sunt in corpore Christi, quia accidens migrare non potest de subiecto in subiectum. Tum etiam quia Christus habet iam alia accidentia, nec ista conueniunt illi. Quantitas autem est sine subiecto miraculosè à Deo sustentata. Aliæ verò qualitates, vt albedo, caliditas, frigiditas, & aliæ similes sunt in quantitate sine miraculo, & sine speciali Dei concursu. Sicut enim in actibus naturalibus

naturalibus principale agens eſt ſubſtantia, tamen non mediante ſe, ſed mediante accidenti: ſic in cauſalitate cauſæ materialis, principale ſubiectum accidentium, eſt ſubſtantia corporea, ſed non immediatè, ſed quantitate mediante. Et tales qualitates ſine miraculo nouo, habent ſuas operationes, nam ſpecies vini conſecrati frigefaciunt naturaliter ſi vinum erat frigidum, nam frigefacere non conuenit ſubſtantiæ niſi frigiditatis tatione: cùm ergo ibi ſit frigiditas, naturaliter frigefacit. Sic igitur ſpecies conſecratæ faciunt & producunt, quidquid agere & producere poſſent, ſi manerent cum ſubſtantia panis & vini. Ita docet D. Thomas *tertia parte quæſt. 77. art.* Sotus *in 4. diſtinct. 10. q. 2. art. 1.* Sylueſter *verb. Euchariſtia 4. num. 1.* & alij.

D. Thom. Sotus. Sylueſt.

Quidam tamen exiſtimant omnia accidentia in Euchariſtia ſine ſubiecto exiſtere, neque quantitatem eſſe ſubiectum reliquorum. Ratio eſt, quia quantitas non eſt res aliqua diſtincta à ſubſtantia, & qualitatibus; ſed eſt duntaxat modus quidam illorum, per quem intrinſecè extenduntur: dicunt enim materiam & formam ſubſtantialem & qualitates corporales per ſe eſſe extenſas intrinſeco & proprio modo extenſionis; in qua extenſione poſſint diuinitus conſeruari, reliquis omnibus, quæ realiter ab ipſis diſtinguuntur abolitis: vnde nihil opus eſſe aliâ quantitate diſtincta. Ita Occam *in 4. quæſt. 7.* Gabriel *lect. 44 in canon. Miſſa* & aliqui alij. Quæ ſententia facilè defendi poſſet, & placet Leſſio *in 3. p. quæſt. 77. art. 2.*

Occam. Gabriel. Leſſius.

16. Quando fiunt apparitiones miraculoſæ in hoſtia, & in ſpeciebus manent accidentia neceſſaria ad conſeruationem ſubſtantiæ panis aut vini, manet ſub iis corpus Chriſti: ſtatim autem atque hæc corrupta ſunt, deſinit ibi eſſe corpus Chriſti. Ita communis omnium Doctorum ſententia. Notandum tamen *Primò*, nec ex eo quòd appareat eadem quantitas ſpecierum, ſufficienter colligitur manere alia accidentia neceſſaria ad conſeruationem panis aut vini, vt patet quando ſpecies vini omninò accreſcunt: Nec ex eo quòd hæc appareat notabiliter mutata, ſatis colligitur corruptio illorum accidentium. Notandum *Secundò*, Vtrum talis corruptio facta ſit, non tam ex mutatione coloris aut figuræ, quàm ex mutatione ſaporis ac odoris iudicandum eſt; nam idem ſpecie panis poteſt abſolutè loquendo naturaliter conſeruari ſub diuerſis coloribus ac figuris. Proinde quamdiu ſapor & odor manent incorrupti, omninò credibile eſt manere ibi corpus Chriſti. Ita communiter Doctores.

Sed difficultas eſt, quando hoſtia videtur verſa in carnem, vel ſpecies vini in ſanguinem, quod dupliciter fieri poteſt. *Primò*, ſine vlla intrinſeca mutatione ſpecierum, per ſolam immutationem oculorum, vel aëris & tunc ſine dubio manet Chriſti corpus ſub ſpeciebus quomodo credendum eſt fieri, quando hæc ſpecies parum durat. *Secundò*, ſi Deus mutet ipſas ſpecies Sacramentales, inductis quibuſdam qualitatibus ſenſibilibus carnis vel ſanguinis verbi gratia, colore vel ſpiſſitudine, conſeruata quantitate & aliis accidentibus occultioribus, quæ ſufficerent ad conſeruandam panis & vini ſubſtantiam; & tunc etiam ſub tali ſpecie carnis & ſanguinis, manet Chriſtus Sacramentaliter. Si tamen eſſet ſpecierum mutatio vt ſubſtantia panis aut vini nequiret conſeruari, vt ſi per miraculum mutentur in figuram carnis, ſanguinis, aut ſimilem, *Gabriel* & *Alexander Alenſis* exiſtimant verè poni ibi carnem Chriſti naturalem in ſpecie naturali. Verùm, etſi hic modus Deo ſit poſſibilis, credibile tamen non videtur, quòd eo vtatur, ſaltem ordinariè: quia interdum iſta ſpecies carnis & ſanguinis diu perſeuerat, & ſenſim nigreſcit, & corrumpitur, vt patet in multis locis: corpus autem Domini & ſanguis eſt incorruptibilis. Tum quia non eſt credibile quod ſanguis miraculosè manans ex hoſtia, ſit ſanguis Domini in propria ſpecie. Nam ſanguis Domini non poteſt eſſe extra venas, & manere extra corpus. Quare eſt ſolùm aliquis humor ſanguini ſimilis à Deo ſubitò vel creatus, vel ex materia adiacente productus, ad ſignificandum ibi latére corpus viuum habens ſanguinem.

Sed petes *Primò*, quando ſimilis mutatio accidit, an debeat ſumi Sacramentum ita mutatum an potiùs aſſeruari? Reſpondeo, quando eſt perpetua illa mutatio, non conuenit illud ſumi, ſed meliùs exiſtimatur, vt ad fidelium conſolationem, Chriſtique laudem conſeruetur, & patet ex vſu Eccleſiæ, & communiter Doctores teſtantur. Ratio eſt, quia eſt valde dubium, an ſit ibi verum corpus Chriſti. Aliqui tamen putant, ſi Sacerdos non abhorreret, poſſe illam ſpeciem quæ in carnem verſa videtur ſumere in ſacrificio; quia nullum eſt præceptum quod prohibeat, & pertinet illa ſumptio ad ſacrificij complementum.

Petes *Secundò*, An in hoc caſu teneatur Sacerdos nouam materiam conſecrare? Reſpondeo, ſi temporaria tantùm ſit mutatio, expectandum eſſe dum Sacramentum recipiat propriam ſpeciem, & tunc ſumendum. Quod ſi ſit perpetua, dubitant Auctores. Nam aliqui negant, quia illa ſumptio non eſt de eſſentia ſacrificij ſecundùm illos. Et cùm Chriſtus tunc conſtituat Sacramentum in eo ſtatu vt ſumi nequeat; videtur in lege qua præcipitur ſumptio diſpenſare. Ita Sotus *in 4. diſt. 13. quæſt. 1. art. 4. ad 3.* Sylueſter *verb. Euchariſtia 3. in fine* & Caietanus *tertia parte quæſt. 82. art 4.* & alij. Reliqui aſſerunt nouam materiam neceſſario conſecrandam, quia ex præcepto diuino Sacerdos tenetur conſumere Sacramentum. Vnde D. Thomas *3. parte quæſt. 82. art. 4. ad 3.* docet conſulendum tali Sacerdoti, vt denuò conſecret. Cui ſubſcribunt etiam alij. De his plura vide apud Suarez *tom. 3. in 3. diſp. 55. ſect. 3.* Fagundez *de præcep. Eccleſiæ præcep. 3. lib. 5. cap. 7.*

Sotus. Sylueſt. Caietan. D. Thom. Suarez. Fagundez.

17. Grauis eſt difficultas, an vino conſecrato poſſit miſceri aliquis liquor non conſecratus, & ſi talis mixtio fiat, an ſit totum conſecratum, vel pars, aut nihil, vel pars ſic, & pars non? pro quibus

Dico *Primò*, poſſe alios liquores ſpeciebus Sacramentalibus miſceri, vt experientia conſtat. Iſti tamen liquores non miſcentur propriè ipſi ſanguini: quia ad mixtionem requiritur interpoſitio, contactus & vnio. Sanguis autem Chriſti non poteſt per ſe tangi, aut diuidi ab alio liquore extèrno, cùm ſit intra ſua vaſa in corpore Domini. Ita D. Thomas *3. part. quæſt. 77. a. 8. ad 2.* & alij.

D. Thom.

Dico *Secundò*, Quando per admixtionem alterius liquoris ſpecie diſtincti corrumpuntur ſpecies vini, ita vt poſita tali mixtione ſubſtantia vini non remaneret, ſi vinum ſub illis ſpeciebus exiſteret, deſinet ibi eſſe ſanguis Chriſti.

Dico *Tertiò*, Quando poſita tali mixtione ſubſtantia vini ſub ſpeciebus adhuc remaneret, non deſinet ibi eſſe ſanguis ſub ſpeciebus: ex quo ſit vt ſi vino conſecrato infundatur vinum non conſecratum eiuſdem ſpeciei, non deſinet ibi eſſe ſanguis Chriſti etiãſi fiat mixtio per totũ: quia ſi duo vina conſecrata miſcerentur, ſub illis remaneret ſanguis Chriſti; ergo ſanguis Chriſti etiã remanet, quando vinũ conſecratum miſcetur

miſcetur cum non conſecrato eiuſdem ſpeciei. Eſt communior ſententia Doctorum *Valentiæ*, *Nugni*, *Coninck*, *Victoria*, *Soti*, & aliorum apud Suarez *diſp.* 57. *ſect.* 4. *concl.* 3. contra nonnullos alios.

Valentia. Nugnus. Coninck. Victoria. Suarez.

Dico *Quartò*, quando ſpecies vini miſcentur ita cum vino alterius ſpeciei, vt noua ſubſtantia producatur, ſiue vinum album ſpecie differat à nigro, ſiue non, ſanguis Chriſti ibi deſinet eſſe. Ita Bonacina *diſt.* 4. *q.* 3. *p.* 6. §. 3. *n.* 7.

Bonacina.

Dico *Quintò*, ſi liquor infuſus in calicem Sanctum vincatur à ſpeciebus Sacramentalibus, non vertetur in ſanguinem Domini: nam hæc conuerſio non fit, niſi per verba conſecrationis: ſed vertetur in ſubſtantiam vini, quia ſpecies vini ita agunt, ac ſi vini ſubſtantia adeſſet: atqui ſi vini ſubſtantia adfuiſſet, conuertiſſent liquorem effuſum in vinum; ergo ſimiliter modò, Leſſius *in* 3. *part. quæſt.* 77. *art.* 8.

Leſſius.

Dico *Sextò*, ſi gutta ſpecierum vini conſecratarum immiſſa ſit in dolium vini eiuſdem ſpeciei, huiuſmodi vinum ſeruandum eſt ad pios vſus, in reuerentiam ſpeciebus conſecratis debitam: nam totum quodammodo eſt benedictum, ratione contactus, quamuis non ſit conſecratum. Ita Suarez *diſp.* 57. *ſect.* 4. Coninck *quæſt.* 77. *art.* 8. *num.* 73. & ibidem Nugnus cum aliis, Contra *Sotum*, *Vivaldum*, *Eman. Sà*, *Henriquez*, qui volunt talo vinum habendum vt vinum commune, nec opus eſſe, vt ſeruetur pro miſſis celebrandis. Sed hoc probandum non eſt, niſi aliter cogat neceſſitas vel incommoditas.

Suarez. Coninck. Nugnus. Sotus. Vivaldus. Sà. Henriquez.

Vide v. Cæcus *num.* 2. Concubinarius *num.* 7. Miſſa 2. *num.* 7.

EXCOMMVNICATIO I.

Quoad Poteſtatem ferendi excommunicationem, pro contumacia: & quando illa non incurratur.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicationis vmbra an fuerit in ſtatu legis naturæ inter Iudæos & Gentiles.*

2 *An excommunicandi poteſtatem Apoſtoli exercuerint.*

3 *An poteſtas excommunicandi & forma ſint de iure diuino.*

4 *An in Summo Pontifice poteſtas excommunicandi ſit de iure diuino.*

5 *An inſtitutio excommunicationis ſit de iure humano: ſicut & impoſitio pro hoc vel illo delicto.*

6 *Diuiſio excommunicationis in iuſtam & iniuſtam.*

7 *An poteſtas excommunicandi pertineat ad poteſtatem Ordinis vel iuriſdictionis.*

An Clericus non Sacerdos; Epiſcopus electus & confirmatus; Clericus coniugatus, poſſint excommunicationem ferre.

8 *An excommunicatus occultus toleratus, & vitandus poſſint validè excommunicare.*

9 *Poteſtas excommunicandi multis modis poteſt acquiri.*

10 *An Vniuerſitas, Collegium, Capitulum, Conuentus, poſſit licitè & validè excommunicari.*

11 *An quis excommunicari poſſit ob peccatum mortale alienum.*

12 *Quale peccatum mortale requiratur ob quod poſſit & debeat excommunicatio ferri? Et quis dicitur contumax.*

13 *An quacumque contumacia ſatis ſit ad ferendam ratiònabiliter excommunicationem.*

14 *In quibus caſibus excommunicatio lata, ſit nulla.*

15 *An ſententia excommunicationis nulla, ſit timenda, quoad Deum & quoad Eccleſiam.*

16 *Ab excommunicationis pœna, an excuſet ignorantia craſſa vel affectata.*

An ignorantia inuincibilis facti vel iuris.

An ignorantia inuincibilis circumſtantiæ, quæ ſpeciem peccati conſtituit, aut grauius illud reddit.

17 *An ignorantia inuincibilis Canonis, aut ſtatuti excommunicationem inferentis, pro actu ſolo iure humano prohibito, excuſet ab hac pœna.*

An ignorans inuincibiliter ſtatuta Ordinariorum excommunicationem ponentia contra aliquid damnatum iure diuino & humano, excuſetur.

18 *An impotentia moralis faciendi quod præcipitur ſub excomm. excuſet.*

19 *Quando periculum mortis, metus grauis infamiæ, aut rei familiaris excuſet ab incurrenda excommunicatione.*

1. EXcommunicationis vmbra quædam & veſtigium fuit in ſtatu legis naturæ: nam Adam ad modum excommunicationis prohibitus eſt ab eſu ligni ſcientiæ, dum Dominus dixit, Geneſ. 3. *Videte, ne forte ſumatis de ligno vitæ; & de Paradiſo eiectus eſt.* Vnde & excommunicatus vocatur *in cap. Ad menſam* 11. *quæſt.* 3. Sed & apud Gentiles veſtigium huius fuit, maximè apud Romanos, cùm videlicet aliquis ob perpetratum nefandum aliquod facinus Diris deuouebatur; & hæ Diræ erant furiæ infernales: & talis poterat à quolibet impunè occidi. Apud Iudæos, in antiqua lege excommunicationis figura quædam fuit in leproſis, qui extra caſtra excludebantur. *Leuitic.* 14. & *num.* 5.

Cæterum apud Gentiles, aut Iudæos propria excommunicationis ratio & vis non fuit, vt docent D. Thom. *in addit.* 3. *part. quæſt.* 19. *artic.* 1. Sotus *in* 4. *diſtinct.* 22. *quæſt.* 1. *artic.* 1. cùm excommunicandi, à clauibus deſcendat poteſtas, quæ legi naturæ, aut veteris Sacerdotibus non inerat. Sed poteſtatem hanc Chriſtus Eccleſiæ ſuæ tradidit Matth. 18. dicens: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, quaſi diceret, ſi contumax & rebellis quis fuerit, ſi Eccleſiam non audierit, ſi Eccleſiæ Prælatis inobediens ſit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus; id eſt auctoritate Eccleſiæ, ſeu Prælati illum ex conſortio hominum eiectum, fuge. Hinc Doctores excommunicationis fundamentum trahunt ex illo Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit*, &c. Ita D. Thomas *in ſupplem. quæſt.* 21. *art.* 2. D. Bonauent. *in* 4. *diſt.* 18. *in vlt. part. diſtinct. quæſt.* 1. Adrianus *in* 4. *tract. de clauib. art.* 3. & alij.

D. Thom. Sotus. D. Thom. D. Bonau. Adrianus.

2. Iuxta poteſtatem Eccleſiæ traditam à Chriſto, prælati Eccleſiarum ab ipſis Apoſtolorum temporibus, pro occaſione oblata, excommunicatione vſi ſunt: nam D. Paulus dum illum fornicarium Sathanæ tradidit 1. *Corinth.* 5. illum excommunicauit, hoc enim eſt, tollere eum de medio, ſeu tradere Sathanæ. Cùm enim homo per excommunicationem abiiciatur à cœtu fidelium, quidquid eſt extra hunc cœtum, Sathanæ eſt, & ad Sathanam pertinet, vt habetur *in cap. Omnis Chriſtianus* 11. *quæſt.* 3. Idem docent Patres. Vnde apparet vſum excommu

excommunicandi nec nouum esse, nec inane inuentum esse Ecclesiæ, sed habere solidum & firmum fundamentum in doctrina Christi & Apostolorum vt pluribus contra hæreticos docent Ioan. Roffensis contra Lutherum *artic.* 23. Alphonsus à Castro *lib.* 7. *de hæres. in verb. Excommunicatio*, Couarruuias *in cap. Alma mater, de sentent. excommun. in* 6. *cap.* 1.

Roffensis. Castro. Couar.

3. Cùm in excommunicatione duo considerari possint, nimirum potestas excommunicandi, & modus, seu forma excommunicandi: illud primum est de iure diuino, quia potestas excommunicandi à Christo Ecclesiæ data est *Matth.* 18. *supra*, vbi subiicitur, *Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solueritis*, &c. quo loco apparet posse Ecclesiam ita se gerere erga eum, qui contumaciter peccat, sicut se gerit erga Ethnicum aliquem, seu publicanum, id est, erga infidelem non baptizatum: atqui Ecclesia erga huiusmodi Ethnicum ita se solet gerere, vt non illi communicet bona quædam spiritualia communium suffragiorum, ergo potest Ecclesia ex concessione Christi membrum aliquod suum, quod contumaciter peccauerit, eodem illo genere bonorum communium similiter priuare. Confirmatur, quia Ioannis 21. datur Petro plena potestas pascendi omnes oues Christi, cùm dicitur, *Pasce oues meas*, sed ad rectè pascendum opus est, vt oues morbidæ à grege separentur, ergo hæc potestas separandi iure diuino est in Ecclesia.

Secundum, id est, modus, seu forma excommunicandi est de iure humano. Probatur, quia licet Christus eam potestatem Ecclesiæ tribuerit, modum tamen & formam excommunicandi, & effectus hos & illos, scilicet priuandi quem Communione Sacramentorum & fidelium, bonis & suffragiis communibus Ecclesiæ non præscripsit, sed Ecclesia ipsa hos puniendi modos à Spiritu sancto edocta & potestate sibi diuinitus collata, iure humano à se constituto præscripsit. Excommunicatio igitur & de iure diuino & etiam de iure positiuo esse diuersa ratione dicitur.

Quod dictum est de excommunicatione, idem dicendum de aliis censuris. Hinc in Extrauag. *Vnam Sanctam, de maiorit. & obedient.* hæc potestas diuina dicitur, quia ore diuino Petro fuit data sibi suisque successoribus in ipso. De his plura apud Suarez *de censur. disp.* 1. *sect.* 2.

Suarez.

4. Potestas ferendi censuram excommunicationis, vt residet in Summo Pontifice diuina est, vt est in aliis Prælatis Ecclesiæ, est etiam suo modo diuina, sed mediante homine & dependenter ab illo accepta. Primum patet ex eo quod potestas spiritualis residens in Summo Pontifice immediatè est à Christo, non mediante aliquo homine. Homines enim tantùm habent potestatem illum eligendi, sed non dant electo potestatem: sed Christus legitimè electo illam immediatè confert. Secundum verò de aliis Prælatis constat ex eo quòd ipsi eam potestatem recipiunt verè ab homine, nempe à Papa medio iure, vel etiam aliquando per seipsum; sed quia originem traxit à Christo, & diuino iure sancitum est, vt esset in Ecclesia huiusmodi potestas, ideò dicitur suo modo diuina. Vide quæ diximus *tom.* 1. *verb. Confessarius* 1. *num.* 7. & 8. vbi inuenies quosdam Doctores probabiliter arbitrantes hanc potestatem absolutè etiam esse in Episcopis iure diuino.

5. Institutio excommunicationis & aliarum censurarum est de humano iure. Patet, quia Christus non dedit modum in particulari eas ferendi, sed Ecclesia præscripsit modum, qui seruari debet per excommunicationem, priuando bonis omnibus ferè spiritualibus actiuè & passiuè; per suspensionem, Sacramentorum participatione actiuè tantùm; per interdictum aliquibus tantùm Sacramentis actiuè & passiuè. At qui præscribit modum & rationem censuræ dicitur institutor eius.

Item impositio excommunicationis huic vel illi delicto, & inflictio eius in hanc vel illam personam delinquentem, est etiam de iure humano. Ratio est, quia huiusmodi impositio pendet ex institutione: nisi enim fuisset sic instituta, non posset imponi. At institutio est de humano iure, ergo etiam impositio. Similiter obligatio resultans ex excommunicatione vel alia censura non operandi contra ipsam, est simpliciter de humano iure, quamuis remotè trahat originem à diuino & naturali. Ratio est, quia obligatio consurgit ex Ecclesiæ prohibitione, hæc autem humano iure obligat: ergo. Ita D. Thomas *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 1. *art.* 4. *q.* 2. *ad* 3. Sotus *dist.* 22. *quæst.* 1. *artic.* 1., Nauarrus. *in cap. inter verba, prælud.* 3. *num.* 4. Suarez *disp.* 2. *sect.* 1. & alij.

D. Thom. Sotus. Nauarrus. Suarez.

6. Excommunicatio maior diuiditur in iustam & iniustam. Ad iustitiam excommunicationis requiruntur tria. Primum est, vt sit causa iusta & rationabilis, propter quam feratur. argument. *cap. Sacro, §. caueat etiam, de sentent. excomm.* Secundum est, vt debito modo feratur, *dict. cap. Sacro*, & *cap.* 1. *eodem tit. in* 6. Tertium est, vt animo recto ab habente potestatem, id est, à proprio iudice feratur. Et quia malum est ex defectu cuiuscumque circumstantiæ, hinc fit vt quolibet horum deficiente, excommunicatio sit iniusta. Et ita iniusta erit, aut ex causa, quia sine iusta causa lata est. Aut quia ordinem iudex non adhibuerit in iure traditum. Aut quia malo animo, ex odio, ira, amore, metu censuram tulit. Ita Nauarrus *in Manual. cap.* 27 *num.* 2. & 3. D. Thomas *in supplement. quæst.* 21. *artic.* 4. Vgolinus *de censur. tab.* 1. *cap.* 3. §. 1. & alij passim. Rursus excommunicatio alia est valida, & efficax. Alia inualida & nulla. Item excommunicatio diuiditur in reseruatam, & non reseruatam. De quibus egimus *tom.* 1.

Nauarrus. D. Thom. Vgolinus.

7. Cùm duplex potestas Apostolis tradita sit à Christo vna ligandi & soluendi in foro pœnitentiali, in quo agitur causa inter Deum & hominem. Altera ligandi & soluendi in foro iudiciali, in quo agitur causa hominis ad hominem; hinc excommunicandi potestas non ad primam potestatem, sed ad secundam spectat, id est, excommunicatio non ad potestatem Ordinis, sed ad potestatem iurisdictionis spiritualis & Ecclesiasticæ fori iudicialis exterioris pertinet. Propterea vt quis sit capax excommunicationis ferendæ & Ecclesiasticæ iurisdictionis, requiritur & sufficit vt sit Clericus, id est Clericali tonsura insignitus, etiamsi Ordinem sacrum non habeat, & insuper sit constitutus iudex Ecclesiasticus potestatem habens dicendi ius in foro contentioso Ecclesiastico, & quod visus iurisdictionis non sit impeditus, quia ad excommunicandum requiritur potestas libera & non ligata. Hæc communis regula ab omnibus Doctoribus assignatur.

Ex qua infertur *Primò* Clericum non Sacerdotem habentem iurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi posse excommunicationem ferre & ab ea absoluere, modò sine solemnitate fiat absolutio, aut excommunicatio, puta cum precibus & aliis cæremoniis adhibitis, de quibus *in cap. à nobis* 2. *de sentent. excommunic.* & *in cap. cùm aliquis* 11. *quæst.* 3. tunc enim Sacerdos esse debet, immò aliquando Episcopus. Ita Panormitanus *in cap. transmissam*,

Panormit.

missum, num 2. & *cap. cùm in cunctis, num.* 4. *de elect.* Felinus *in cap. dilecta filia, num.* 3. *de maiorit. & obedient.* Sylueſter *verb. Abſolutio* 1. *num* 3. & communis. Felinus Sylueſt.

Infertur *Secundò*, quòd Epiſcopus electus & confirmatus licet non ſit Sacerdos, poteſt excommunicare, vt habetur *in cap. tranſmiſſam, de elect.* Item electus in Abbatem & confirmatus, etiamſi non ſit Sacerdos, Monachos ſuos excommunicare poteſt. Item Vicarij Generales Epiſcoporum, quamuis Sacerdotes non ſint, excommunicare poſſunt, & abſoluere à cenſuris, dummodò Clerici ſint. Ratio horum eſt, quia poteſtas excommunicandi iure competit eis, qui habent iuriſdictionem Eccleſiaſticam ordinariam in foro exteriori, etiamſi ſint Epiſcopis inferiores. Arg. *cap. cùm ab Eccleſiarum, de offic. Ordinar.* & *cap. Sicut tuis, de Simon.*

Tertiò infertur, Clericos coniugatos excommunicationem ferre non poſſe, vt colligitur *ex cap.* 1. *de Cleric. coning. in* 6. *in fin.* niſi ex priuilegio Papæ. Item, nec laicus ſtando in iure communi: nec fœmina: nec qui non eſt baptizatus excommunicare poſſunt, niſi ex commiſſione Papæ. Licet enim facultas ferendi cenſuras iure Canonico ad Clericos pertineat: quia tamen ab ordine non pendet, ſed ſatis eſt, vt quis iuriſdictionem habeat, conſequenter Papa, qui huic iuriſdictioni & iuri præeſt, non autem inferiores Eccleſiæ Prælati, facultatem hanc prædictis concedere poteſt. Ita Vgolinus *de cenſur. tab.* 1. *cap.* 2. §. 7. 9. *&* 10. Sayrus *de cenſur. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 12. *& ſequent.* vide dicta *tom.* 1. *verb. Cenſura, num.* 8. Vgolinus. Sayrus.

8. Difficultas eſt inter Doctores, an excommunicatus occultus & toleratus validam & ratam excommunicationem ferre poſſit? Videtur quòd non; quia cùm ſit extra Eccleſiam, aliùm extra Eccleſiam ponere non poteſt, *cap. Audiuimus*, 24. *quæſt.* 1. vt docent ibi *Gloſſa* & *Archidiac.* Idem tenent *Imola, Hoſtienſis, Ioannes Andreas* & Couarruuias *in cap. Alma mater*, §. 11. *num.* 4. *de ſentent. excommun. in* 6. ait hanc ſententiam eſſe magis communem. Nihilominus dicendum eſt excommunicationem latam ab occulto excommunicato & tolerato validam eſſe, ſi aliàs illi hoc ex officio publico incumbat: ſicut etiam & alij actus iuriſdictionis ab eodem facti ratione publici officij valebunt, dummodo non ſit denunciatus excommunicatus, nec notorius Clerici percuſſor. Ratio eſt, tum quia excommunicatio ad iuriſdictionem & officium publicum ſpectat, vnde non cenſetur Eccleſia iudices vſu iuriſdictionis priuare, quouſque excommunicatos eſſe conſtet. Tum quia hoc videtur valde conforme Extrauagant. *Ad euitanda ſcandala*, Martini V. cùm præſertim valor huius ſententiæ non tam faueat excommunicatori, quàm bono publico. Ex dicta enim Conſtitutione habetur, quod in his quæ procedunt à publico officio, excommunicatus interim toleratus vitandus non eſt ante denunciationem, etiam ab his, qui ſciunt eſſe excommunicatum eſſe. Tum quia ex alia opinione ſequeretur in repub. Chriſtiana magna perturbatio, maximè ſi quis Prælatus detegeretur tandem per multos annos vixiſſe in excommunicatione, tunc reuocanda eſſent & declaranda omnia eius acta irrita, vnde multum læderetur bonum publicum. Ita Doctores citati *tom.* 1. *verb. Excommunicatio* III. *num.* 23. Quibus adde *Paludanum*, *Sotum*, *Couarruuiam*, *Vgolinum*, & alios, quos refert & ſequitur Sayrus *de cenſur. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 33. Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 135. Gloſſa. Archidiac. Imola. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Couar. Martin. V. Paludanus. Sotus. Couar. Vgolinus. Sayrus. Diana.

Secus dicendum de excommunicato non tolerato ſed vitando, ſeu denunciato, aut notorio Clerici percuſſore, hic enim cum priuatus ſit valore iuriſdictionis validè etiam excommunicare non poteſt, vt pluribus probaui *tom.* 1. *loc. cit. num.* 22. Ex quo colligitur Vicarium Epiſcopi excommunicati denunciati validè excommunicare non poſſe: quia cùm Vicarij iuriſdictio ab Epiſcopi ſui iuriſdictione dependeat, ceſſante iuriſdictione Epiſcopi, etiam & Vicarij iuriſdictio ceſſat, vt Innoc. III. *in cap.* 1. *de offic. Vicar. in* 6. ſtatuit. Innoc. III.

9. Cùm poteſtas excommunicandi ſit actus iuriſdictionis, dicendum eſt hanc iuriſdictionem multis modis acquiri. *Primò*, ipſa electione ad aliquam Prælaturam, cui annexa eſt iuriſdictio ſpiritualis in foro exteriori, ſeu contentioſo, & tunc communiter ſimul cum ipſa Prælatura acquiritur iuriſdictio ordinaria ſuprà ſubditos; & dicitur Ordinaria, quia nomine proprio à Prælato exercetur vnde iudices Ordinarij dicuntur, qui hanc iuriſdictionem habent. *Secundò*, per ſuperioris delegationem poteſtas excommunicandi, aliaſque cenſuras ferendi acquiritur: hæc autem iuriſdictio nec Ordinaria eſt, nec ita latè patet ſicut illa, ſed in ordine ad illos ſolum eſt, quos reſpicit ipſa delegatio. Eſt autem poteſtas delegata quantum ad præſens inſtitutum ſpectat, iuriſdictio Eccleſiaſtica fori contentioſi, quam quis ab Ordinario delegandi facultatem tempore delegationis non impeditam habente accipit, vt excommunicationem, aliaſque cenſuras vel cum cognitione cauſæ, vel ſine ea ferre poſſit. Colligitur ex *cap.* 1. & *cap. præterea*, & *cap. Significaſti. Inuctis Gloſſis, de offic. delegat.* Et eſt communis omnium opinio: *Tertiò*, iuriſdictio hæc acquiri poteſt, præſcriptione, vt colligitur ex *cap. duo ſimul, de offic. iudic. Ordin.* & *cap. cum contingat, de præſcript.* & Panormitanus *ibid. numero* 5. *&* 6. Panormit.

Quartò, acquiri poteſt hæc iuriſdictio conſuetudine, ex *cap. dudum*, § *ſed cum in iure, de elect.* quia cenſuras ferre ad iuriſdictionem pertinet, iuriſdictio autem conſuetudine acquiritur, *cap. cùm contingat, de for. competent.* Gloſſa & Panormitanus *ibid.* vnde ex conſuetudine præſcripta, per Pontificem, aut Epiſcopum approbata, quidam ſuper ſubditos, quibus præſunt, iuriſdictionem hanc in vtroque foro habent, quæ de iure illis non competebat. *Quartò*, facultas excommunicandi acquiritur etiam priuilegio, vt habetur *cap. cum contingat*, & ibi Panormitanus *num.* 5. *de foro competent. Sextò*, ratione etiam delicti in ſuo territorio commiſſi facultas excommunicandi delinquentem comparatur, *cap. Poſtulaſti, & ibi Gloſſ. in verb. deliquit*, & *cap. vlt. & gloſſ. in verb. ratione delicti*, & ibi Panormitanus *num.* 78. *& ſeq. de foro competent.* dummodò reus ibi ſit, aut antequam exierit, legitimè citatus fuerit. Gloſſa. Panormit.

Hoc tamen verum non eſt, ſi ille qui delictum commiſit, ſit excommunicantis ſuperior, tunc enim ab eo excommunicari nequit: vel ſi ſit exemptus ſimpliciter à iuriſdictione excommunicantis: vel priuilegium habeat ne ab Ordinario excommunicari, ſuſpendi, aut interdici poſſit. Quale priuilegium Regibus, Reginis eorúmque filiis, nec non religioſis exemptis concedi ſolet. *Septimò*, hæc poteſtas excommunicandi acquiri poteſt ſubiectione: quamuis enim quis ſibi parem, aut ipſo Superiorem excommunicare de iure communi nequeat, ſi quis tamen ſe alicui iuriſdictioni huiuſmodi Eccleſiaſticam habenti, de licentia ſui Superioris ſubiiciat, vtique ratione ſpontaneæ huius ſubiectionis, ab eo excommunicari valet. Argum. *cap. nos, ſi incompetenter* 2. *quæſt.* 7. & *in l. eſt receptum, ff. de iuriſdict. omn. iudic.* Dixi, *de licentia ſui Superioris*; quia

per

perturbatio iurisdictionis & scandala non parua quotidie nascerentur, si priuatis hominibus ac laicis, se quoad has pœnas Ecclesiasticas iudicibus non sustinè propriæ Prælati licentia, submittere liceret. Sayrus. de his plura apud Sayrum *lib. 1. cap. 16. de censur.* & alios.

10. Quamuis Vniuersitas, Collegium, Capitulum, Conventus collectiuè simul, id est, vt Vniuersitas, seu Collegium, seu Capitulum excommunicari non possit, vt colligitur ex *cap. Romano*, §. *in vniuersitatem*, *de sentent. excommun. in* 6. vbi Innocentius IV. ait: *In Vniuersitatem, vel Collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus.* Innoc. IV. Ratio est, quia excommunicatio non nisi ob peccatum mortale fertur, peccatum autem in actu personali consistit, actus enim & passiones, vt consistunt in facto, & ad factum referuntur, non sunt vniuersitatis, aut multitudinis; sed singularem personarum; & ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas: quia non est probabile, quod aliqua communitas tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes: Propterea Pontifex volens animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cùm nonnumquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri, statuit vt in illos dumtaxat de Collegio, vel Vniuersitate, quos culpabiles esse constiterit, sententia excommunicationis promulgetur.

Difficultas tamen est, an si feratur sententia excommunicationis in Vniuersitatem vel Collegium, valida sit & teneat? Ratio dubitandi est, quia Pontifex *in dict. cap. Romana* prohibet quidem vniuersitatem excommunicari, non tamen declarat excommunicationem esse nullam, & multa contra prohibitiones fiunt, quæ facta tenent. Proinde quidam Doctores arbitrantur talem sententiam valere ipso iure. Ita Sylueiter *verb. Excommunicatio 1. num.* 10. Henriquez *lib.* 13. *de excomm. cap.* 15. §. 4. Couarruuias *lib. secundo, variar. cap.* 8. *numero nono*, licet contra prohibitionem faciens grauiter peccet. Sylueſt. Henriquez. Couar.

Alij decent sententiam esse nullam, etiamsi omnes in vniuersitate contumaces & rebelles essent & culpabiles. Ratio est, quia sententia hæc intolerabilem contineret errorem, nam per eam contingeret aliquando innoxios aliquos excommunicari. Ita *D. Antonius, Sotus, Nauarrus, Vgolinus*, & alij. Verùm in hac re dubia mihi dicendum videtur, quòd si Communitas à Papa excommunicetur, sine dubio sententia erit valida, non tamen cadere super vniuersos, nisi omnes culpabiles essent, sed solùm super singulos qui sunt culpabiles. Si autem excommunicatio hæc feratur ab inferioribus Prælatis, tunc si facta informatione notum sit omnes illius vniuersitatis personas deliquisse, valida erit. Si verò hoc non constet, & tamen feratur, probabile valde est etiam in hoc casu validam esse sententiam & cadere super singulos, qui deliquerunt. Sed quia in rigore hæc sententia dubia est, præstaret seruare hunc modum. *Excommunico hos, aut illos de vniuersitate, qui in culpâ sunt*, vel *Excommunico omnes & singulos vniuersitatis, qui mandatis meis parere noluerunt, fœdale crimen commiserunt.* Et hâc ratione non continget innocentes excommunicari. Vide Vgolinum *de censur. tab. 2. cap. 26.* §. 1. 2. 3. & 4. Sylueſtrum, Henriquez *supra*, Sayrum *lib. 1. cap. 8. num.* 17. & 18. D. Antonin. Sotus, Nauarrus, Vgolinus. Vgolinus. Sylueſt. Henriq. Sayrus.

11. Excommunicari non valet quis ob peccatum mortale alienum: quamuis enim vnus pro alio pœna corporea affici possit, vt constat Genes. 19. vbi paruli Sodomitarum parentum, qui beneficio ætatis paterna flagitia nescirebant, cœlesti igne consumpti sunt: pœna tamen spirituli, quæ animam respicit, qualis est excommunicatio maior, vnus pro altero puniri non potest, vt habetur expressè, *cap. Si habes* 24. *quæst.* 3. Ratio est, quia potestas excommunicandi tantùm se extendit ad mortale peccatum tanquam ad obiectum pro quo fertur. Sed nullus propter crimen alterius incidit in mortale, cùm omne peccatum propria voluntate, non aliena committatur. Hinc vxor pro crimine mariti excommunicari non potest, nisi esset particeps criminis: & tunc non excommunicatur pro mariti peccato, sed pro suo. Item filius pro crimine patris, & seruus pro peccato domini excommunicandus non est; nec hæres ob delictum defuncti: nec familia pro domini contumacia; nec dominus pro peccatis suorum subditorum hac censura coërceri potest, nisi committendo vel omittendo sit particeps peccati populi: *cap. Si habes*, 24. *quæst.* 3. Ex D. Augustino. Item si quis dignitatis nomine excommunicetur, successor in dignitate in excommunicationem eius cui succedit, non cadit, vt colligitur ex *cap.* 1. & glossa *ibi verb. ipsius*, *de offic. Vicar. in* 6. vbi dicitur, quod excommunicato Vicario, qui ei succedit, excommunicatione sui antecessoris non ligatur. Ita Panormitanus *in cap. admissus, num.* 10. *de immunit. Eccles.* Vgolinus *de Eccles. censur. tab.* 1. *cap.* 17. §. 8. Richardus, Sotus & alij. D. Augusti. Glossa. Panormit. Vgolinus. Richard. Sotus.

12. Ex communi Doctorum sententia, causa, ob quam excommunicatio ferri potest & debet, est peccatum mortale proprium graue contumaciæ & inobedientiæ, quo quis Ecclesiæ obedire recusat. Ita D. Thomas *in supplement. quæst.* 21. *artic.* 3. D. Bonauentura *in* 4. *distinct.* 18. *in vlt. part. dist. quæst.* 2. & alij. Contumax autem duobus modis quis esse potest, nimirum manifestus, & præsumptus. De manifesta verò contumacia quis conuinci potest. *Primò*, vbi in iudicio monitus & citatus, vt ad talem diem compareat, aut creditori suo satisfaciat, ipse coram iudice respondet se id nolle facere, aut nolle comparere, nulla ratione probabili, aut legitima reddita. *Secundò*, si citatus & monitus ad aliquid faciendum, vel ad comparandum, vel ad desistendum, à re prohibita sibi à iudice, extra iudicium, se nolle venire, facere, aut desistere dixerit, dummodò de hac plena fides fieri possit. *Tertiò*, si constiterit ipsum fuisse & esse personaliter citatum, vt quia citatio ipsa apprehendit eum principaliter, & ille sic citatus noluerit venire, dummodò aliàs non appareat de legitimo impedimento. *Quartò*, si contra prohibitionem facit aliquid quod negare non potest: vt si prohibitum ei sit, ne concubinam intra domum teneat, eam tamen tenet, omnibus vel maiori parte vicinæ id scientibus. Hic omnibus modis verus contumax esse dicitur & excommunicari potest, vt ex *cap. Solet*, & *cap. venerabilibus*, §. *porro*, & *vbi Glossa de sentent. excommun. in* 6. *Ex cap. per tuas eod. tit. in antiq.* & *cap. ex part. 1. de verb. significat.* colligitur. D. Thom. D. Bonau. Glossa.

Contumax præsumptus dicitur *Primò*, si citatus extra iudicium & absente aduersario se comparere nolle dixit, talis etiamsi postea voluntate mutata venire voluerit, sed tamen aliquo impedimento detentus est, vt venire non possit, contumax esse præsumitur, Glossa *in dict.* §. *porro*, *in verb. impedimento. Secundò*, vbi nihil dixit, sed vel latitauit, vel alio modo curauit, ne ad eum citatio perueniret, vt habetur *in cap. quoniam frequenter*, §. *porro*, *vt lite non contestata. Tertiò*, vbi quis parere noluit, aut non potuit, sed tamen nullo ex prædictis modis id manifestè constat; quia enim non venit, aut quod præceptum ei fuit, non fecit, Ecclesia eum contumacem esse præsumit. De qua re plura apud Legistas

ſtas *in l. Diuus, ff. de in integ. reſtit.* & Canoniſtæ *in dict. §. porrò.*

13. Vt quis excommunicetur rationabiliter non ſatis eſt contumacia quæcumque, etiam mortalis, neque quodcumque mortale, ſed contumacia ob peccatum graue & enorme, quod alio modo curari nequeat. Vnde Doctores paſſim docent, quod licet pro damno temporali Eccleſia iuſtè aliquem excommunicare poſſit, rarò tamen & non niſi pro ſpoliatione bonorum Eccleſiæ, & pro decimis, vt habetur *cap. Omnes decimæ 16. quæſt. 7.* excommunicatio ferri debet: ſed neque pro his, aut aliis cauſis ſtatim ferenda eſt, ſed aliis omnibus priùs tentatis remediis, vt admonitionibus, & comminationibus, quæ ſi ad reuocandum hominem à malo non ſufficiant, ſed contumax & rebellis exiſtat, excommunicari debet à iudice iam non habente, quod contra ipſum amplius faciat. Ita D. Thom. *in ſupplement. quæſt. 21. art. 3.* D. Bonauent. *in 4. diſt. 18. in vlt. part. diſtinct. quæſt. 2.* & alij. Et colligitur *ex dict. cap. Omnes Decimæ 16. quæſt. 7.* & *cap. corripiantur 24. quæſt. 3.* Proinde Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 3. de reformat.* ſtatuit, omnibus Eccleſiaſticis iudicibus mandans, vt *in cauſis iudicialibus, quoties executio realis vel perſonalis in qualibet parte iudicij, propria auctoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo, quàm definenda à cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu interdicto: ſed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis ciuilibus, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcumque etiam laicos, per multas pecuniarias, per captiones pignorum, perſonarumque diſtrictiones, aut per priuationem beneficiorum procedere & cauſas definire. In cauſis quoque criminalibus, vbi executio realis vel perſonalis fieri poterit, erit à cenſuris abſtinendum: ſed ſi dicta executioni facilè locus eſſe non poſſit; licebit iudici hoc ſpirituali gladio in delinquentes vti, ſi tamen delicti qualitas precedente bina ſaltem monitione, etiam per edictum, id poſtulet.*

D. Thom. D. Bonau. Conc. Trid.

Pari modo de excommunicationibus, quæ pro rebus perditis, aut ſubtractis ferri ſolent, idem Concilium in prædicto capite duo ſtatuit. *Primum*, vt ſolus Epiſcopus (ſub quo intelligitur eius Vicarius Generalis; & Capitulum ſede vacante, vt declarauit ſacra Congregatio) vel Prælatus Superior poſſit pro his rebus excommunicare, non autem Archipresbyter, nec Viſitator Epiſcopi: vt docet Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 17. §. 4.* Henriq.

Secundum, & tunc *non alias, quàm ex re non vulgari, cauſaque diligenter, ac magna maturitate per Epiſcopum examinata, quæ eius animum moueat, nec ad eas concedendas cuiuſuis ſecularis, etiam Magiſtratus, auctoritate adducatur: ſed totum hoc in eius arbitrio & conſcientia ſit poſitum, quando ipſe pro re, loco, perſona, aut tempore excommunicationes eas decernendas eſſe iudicauerit.* Ita Concilium.

Circa excommunicationem factam ad finem reuelationis, vide quæ diximus *tom. 1. verb. Denunciatio, num. 11.*

14. In certis caſibus excommunicatio lata nulla eſt. *Primò*, quando patiens non eſt capax huius ſententiæ, v. g. ſi feratur in non baptizatum, ſcilicet Iudæum, Turcam, aut alium infidelem, qui nunquam per Baptiſmum Eccleſiam ſit ingreſſus. Ratio eſt, quia cùm iſti Baptiſmi ſuſceptione fidem Chriſti non ſint profeſſi, ſicut ſpiritualium Eccleſiæ participes non ſunt, ita nec vſu ſpiritualium Eccleſiæ per excommunicationem priuari poſſunt. Iuxta Apoſtolum 1. Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt iudicare?* Dixi *in non baptizatum*, quia ſi baptizatus ſit, licet à fide totaliter apoſtatauerit excommunicari poteſt.

Secundò, ſi excommunicetur infans, furioſus, aut mente captus: quia cùm excommunicatio ferri non poſſit, niſi contra eos qui peccare poſſunt, & iſti non poſſint peccare mortaliter, ſententia contra eos lata, nulla & irrita erit.

Tertiò, quando fertur à carente iudicio: vnde excommunicatio à furioſo lata, nulla erit, etiamſi eam ritè & legitimè tulerit, & hoc ob defectum iudicij, vſus rationis, & voluntarij. Secus autem ſi eam ante furorem tulit, vel poſtquam furere deſiit, tunc enim firma erit; furor enim interueniens rectè geſtum non tollit. Argum. *l. furioſum, Cod. qui teſtam. facere poſſ.* Idem ſentiendum eſt de aliis vſu rationis carentibus, vt ſtultis, vino obrutis, ſomno oppreſſis & ſimilibus. Item excommunicatio lata per vim & metum in virum conſtantem cadentem nulla eſt, argum. *cap. Vnica de his, quæ vi metuſue cauſa ſunt in 6.* vbi habetur, quod abſolutio excommunicationis per vim extorta, non tenet, ergo nec obligatio, par enim ius ligandi, ac ſoluendi eſt, *cap. Verbum, de pœnit. diſtinct. 1.*

Quartò, quando is, qui excommunicat, non eſt iudex, nec iuriſdictionem habet, *cap. ad noſtram, de conſuetud.* vbi dicitur, *Sententiam à non iudice latam, nullam firmitatem habere*, quod intelligitur, vel quia nullo modo ſit ſuus Iudex, vel ſi ſit, non tamen ſuper articulo, cuius occaſione lata eſt ſententia excommunicationis. Pari ratione excommunicatio nulla erit, ſi iudex vſu iuriſdictionis priuetur, puta ſi ſit excommunicatus vitandus, vel notorius Clerici percuſſor, vel intruſus, id eſt, ſi à maiori parte eligentium electus non fuerit; vel ſi is, in quem iudex excommunicationem fert, ipſum recuſauit: vel quando delegatus excommunicationem fert contra intentionem delegantis *cap. final. de prabend.* & ibi Gloſſa: vel quando iudex excommunicat exemptum, aut habentem priuilegium in contrarium, *cap. 1. §. ex parte, de conceſſ. prabend. in ſexto.*

Quintò, quando quis excommunicatur poſt legitimam appellationem, *cap. cum contingat, de Offic. deleg.* & *cap. per tuas, de ſentent. excommunic.* non ſolùm expreſſam, ſed etiamſi intendens appellare ſe ſuppoſuit protectioni ſuperioris ante latam excommunicationem, quo caſu perinde eſt, ac ſi antea appellaſſet, ex quo de mente conſtat, vt habetur *in cap. ad audientiam de appellat.*

Sextò, quando in ſententia excommunicationis expreſſus eſt error intolerabilis, tunc excommunicatio eſt nulla, vt habetur *in cap. Venerabilibus, §. penult.* & ibi Gloſſa *in verb. intolerabilem, de ſentent. excommun. in 6.* v. g. quando ſententia excommunicationis in ſe peccatum mortale manifeſtum continet, aut eſt contra ius diuinum, aut contra ius Conſtitutionis Papæ; aut quando exprimitur in ſententia cauſa impoſſibilis, vel notoriè iniuſta.

Alij caſus qui ab auctoribus referuntur, ad aliquem iſtorum ſex reuocari poſſunt. De his vide Toletum *in Summ. lib. 1. cap. 10.* Sayrum *de cenſur. lib. 1. cap. 16.* Nauarrum *in Man. cap. 27. n. 4.* & alios. Toletus. Sayrus. Nauarrus.

15. Quotieſcumque excommunicationis ſententia eſt nulla, non eſt timenda, nec quoad Deum, nec quoad Eccleſiam; non quoad Deum, quia nulla culpa; nec quoad Eccleſiam, quia ſecundùm veritatem, nullam pœnam iuris incurrit, qui ſententiam non cuſtodit, quæ nulla eſt: cùm enim ipſo iure nulla ſit, idem eſt, ac ſi non eſſet lata: vnde talis nec ſe pro excommunicato gerere tenetur, vitando Communionem Sacramentorum & hominum, nec

Digitized by Google

nec vſu ſpiritualium priuatur: quoniam quod non eſt, timere non oportet, nec præſtat impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum: nec celebrando peccat, aut vllam pœnam incurrit irregularitatis vel alterius cenſuræ. Ita Couarruuias *in cap. Alma mater, 1. part. §. 7. verſic. decimotertio, de ſent. excomm. in 6.* Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 3. in fine,* Vgolinus *de cenſur. tab. 1. cap. 14. §. 18.* & alij. Couar. Nauarrus. Vgolinus.

Hæc autem vera ſunt quando notoriè conſtat de nullitate ſententiæ, & quando ceſſat ſcandalum. Si enim ſcandalum eſſet, eo quòd alij non ſciunt ſententiam eſſe nullam, talis abſtinere debet à communione Sacramentorum & aliorum fidelium, ſi publicè fuit excommunicatus & denunciatus, nulliter tamen; quouſque ſcandalum rationabiliter ſedatum fuerit: & ex aduerſo publicet ſufficienter Excommunicatus nulliter cauſam propter quam ſententia ſit ipſo iure nulla: quo facto non pareat ſententiæ: ſi enim tunc quis ſcandalizatur, non eſt ſcandalum puſillorum, ſed Phariſæorum. Nota tamen quòd non teneatur talis antequam ſedatum fuerit ſcandalum, ſententiam nulliter latam in occulto obſeruare, neque etiam in publico coram eis, quibus nota eſt nullitas ſententiæ. Et quamuis peccaret mortaliter, qui coram ignorantibus nullitatem ſententiæ celebraret, aut diuinis ſe immiſceret; non tamen in hoc caſu celebrando irregularis eſſet, cùm irregularitas non ratione ſcandali, ſed excommunicationis inflicta ſit. Ita couarruuias *in cap. Alma, 1. part. §. 7. num. 7. verſ. caterum, vbi ſententia,* Henriquez *lib 13. de excommm. cap. 15. §. 4.* Plura apud Dianam *p. 5. tract. 9. reſol. 26. 27. 28. 29. & 72.* & *part. 9. tract. 9. reſol. 45.* Couar. Henriq. Diana.

16. Ab excommunicationis pœna pro culpa à iure vel homine impoſita, non excuſat ignorantia craſſa vel affectata, vt colligitur ex *cap. de conſtit.* & *cap. vt animarum eodem titul. in 6.* & habet communis ſententia Doctorum. Hinc qui Petrum Clericum percutit, quem ex ignorantia affectata vel craſſa ignorat eſſe Sacerdotem, non ſolùm peccatum ſacrilegij, ſed etiam excommunicationem incurrit, ſecundùm communem *in cap. ſi verò 2.* & ibi Gloſſa *de ſentent. excommun.*

Ignorantia inuincibilis, ſeu probabilis facti, aut iuris, ſicut à peccato, ita etiam ab excommunicatione incurrenda excuſat. Ratio eſt, quia ignorantia inuincibilis excuſat à peccato mortali, & conſequenter ab excommunicatione maiori, quæ non niſi ob peccatum mortale incurritur. In hac re nulla apud Auctores eſt difficultas.

Ignorantia inuincibilis, ſeu probabilis circumſtantiæ vel qualitatis eius, quæ ſpeciem peccati conſtituit, aut grauiorem reddit, ſicut excuſat à culpa, ſic etiam excuſat ab excommunicationis pœna lata contra tale peccatum ratione talis circumſtantiæ. Ratio eſt, quia talis ignorantia actum ex parte illius circumſtantiæ inuoluntarium facit: quia igitur ex parte malitia actus ex cauſa ignorantiæ & ratione inuoluntarij ceſſat, ea quidem & excuſabit ignorantia à culpa, & à pœna excommunicationis ob culpam impoſita. Ita Vgolinus *de cenſur. tab. 1. cap. 9. §. 8. num. 7.* Couarruuias *in cap. Alma, 1. part. §. 10. num. 13. verſ. tertio,* & alij communiter. Hinc qui percutit Clericum inuincibiliter ignorans eſſe Clericum, tametſi ſciat eſſe hominem, in excommunicationem latam contra percuſſores Clericorum non incidit: quia hæc pœna infligitur ſolùm percuſſoribus temerariis Clericorum, non autem percuſſoribus hominum: hic autem verè & formaliter non Clericum, ſed hominem tantùm percuſſit, cùm ſolum hominem percutere voluerit. Secus autem, ſi volens percutere Petrum Clericum, cui ſoli inimicus erat, percuſſerit Ioannem Clericum exiſtimans Petrum eſſe, tunc enim verè Clerici percuſſor eſt, & excommunicationem incurrit: quia licet errauerit in hoc particulari indiuiduo & ratione huius actus videatur Inuoluntarius; quia tamen voluntarius erat in obiecto & percuſſione Clerici; ignorantia hæc non excuſat ab excommunicatione, ſicut nec verè conſtituit percuſſorem Clerici inuoluntarium. Vgolinus, Couar.

17. Ignorantia inuincibilis Canonis, aut ſtatuti pœnam excommunicationis inferentis pro actu alioqui iure diuino minimè damnato, ſed ſolum iure poſitiuo, à peccato & à pœna excommunicationis excuſat; & hoc ſiue ſint Canones & ſtatuta Epiſcopi, ſiue Papæ. Ratio eſt, quia cùm talis ignorantia excuſet à peccato, etiam ab excommunicatione, quæ non niſi ob peccatum mortale incurritur, *cap. Nemo 11. quæſt. 3.* excuſabit.

Ignorans inuincibiliter ſtatuta & Canones Ordinariorum, ſeu inferiorum Romano Pontifice, quibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ aliquid iure diuino, naturali, aut humano communi damnatum prohibetur, ſi contra fecerit, excommunicationis vinculo non innodatur. Hæc eſt communis Doctorum ſententia. Secus autem ſi ignorantia ſuper huiuſcemodi ſtatutis fuerit craſſa & ſupina. Nam talis ignorantia facientem opus lege diuina, aut naturali, aut iure humano communi alioquin damnatum, ab excommunicatione, etiam per ſolum ſtatutum Ordinarij, inflicta, non excuſat. Quæ doctrina colligitur ex *cap. Vt animarum, de conſtitut.* vbi ſic habetur: *Vt animarum periculis obuietur, ſententias per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina.* Ita Bonifacius Papa VIII. Ita communis ſententia Doctorum, vt docent Sayrus *de cenſur. lib. 1. cap. 18. num. 24. & 25.* Victoria *de excommunicat. num. 8.* Vgolinus *de cenſur. tab. 1. cap. 9. §. 8. num. 9.* Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 16. & 274.* Bonif. VIII. Sayrus. Victoria. Vgolinus. Nauarrus.

Sed tota difficultas eſt, de ſententiis iuris latis à Papa, quibus eſt annexa excommunicatio, an cadens in factum & ignorans inuincibiliter ius, incurrat excommunicationem? Quæ ſunt de hoc diuerſæ ſententiæ inter Doctores: aliis affirmantibus, aliis negantibus. Sed negatiuæ adhæſi *tom. 1. verb. Ignorantia, num. 17.* cum Doctoribus ibi citatis.

18. Impotentia moralis excuſat etiam ab excommunicatione incurrenda, vt ſi excommunicatio feratur contra aliquem, niſi debitum intra tale tempus ſoluat, qui tempore excommunicationis non habet vnde ſoluat, vel qui tempore aſſignato reſtituere, aut ſoluere non poteſt ſine graui detrimento bonorum ſuperioris ordinis, vt famæ, aut vitæ, ab excommunicatione excuſatur. Ita Sotus *in 4. diſtinct. 22. quæſt. 1. art. 2. verſ. Secundò ſi feratur,* Henriquez *lib. 13. cap. 18. §. 4.* & *cap. 21. §. 2.* Nauarrus *in Manual. cap. 17. num. 56.* & alij. Nota tamen, quod excuſatur ad tempus, ſi poſtea habeat, vnde reſtituat, aut ſoluat, totum, aut partem debiti, ſoluere tenetur, aliàs incidit in excommunicationem, ſi modò iudex qui mandatum dedit, adhuc in officio durat: & debitor dum pecuniam habet, maneat ſub eius iuriſdictione, aliàs mandatum expirauit, ceſſante hominis iuriſdictione in iſtum. Qui verò tempore, quo excommunicatio lata eſt, habuit vnde ſolueret, & non ſoluit & proinde excommunicatus eſt, hic per ſuperuenientem impotentiam excommunicatione incurſa non liberatur, vt Sotus & Henriquez *ſupra* affirmant: Sotus, Henriq. Nauarrus.

affirmant : quos ſequitur Reginaldus *lib. nono, num.* 209.

19. Cùm lex humana, etiam Eccleſiaſtica de rebus quæ de ſe non ſunt intrinſecè malæ, ſed ſolum ideò malè ſunt, quia prohibitæ, non obliget, quando neceſſitas violentiæ, ſeu imminens periculum mortis, metus grauis infamiæ, aut rei familiaris occurrit ; ideò in his caſibus quis excuſatur à peccato & excommunicatione, ſi contra legem fecerit: quod verum eſt, niſi motus incutiatur ab extrinſeco in contemptum fidei Chriſtianæ, aut legum Eccleſiaſticarum & Eccleſiaſticæ cenſuræ. Secus, ſi incutiatur metus mortis alia de cauſa, verbi gratia, ex nequitia hominis ſcelerati, tunc legem Eccleſiaſticam cum tanto diſcrimine ſeruare non tenetur, vt colligitur ex his, quæ tradunt D. Thomas *in ſuppliment. quæſt.* 23. *art.* 3. *& quodlib.* 11. *artic.* 9. Sotus *in* 4. *deſtinct.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 4. *poſt concluſ.* 5. *verſ. Ad quæſtionem ergo*, Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 36. & alij. Negandum tamen non eſt poſſe aliquando leges humanas obligare cum periculo vitæ, vt diximus *tom.* 1. *verb.* Lex IV. *n.* 10. *verſ. An autem.*

D. Thom. Sotus. Nauarrus.

Vide v. Cardinalis *num.* 11. Furtum *num.* 10. Ignorantia *num.* 6. Regulares *n.* 4. 5. 6. *& ſequent.*

EXCOMMVNICATIO II.

Quoad illius quoſdam effectus.

S V M M A R I V M.

1 *Excommunicationis nomen quid propriè denotet.*
Et vt communio triplex inter fideles reperiatur.
2 *An vt excommunicatus hac triplici Communione priuetur, ſi contritus ſit, non tamen abſolutus.*
3 *Excommunicatus conferens vel recipiens Sacramentum, an verè & validè illud conferat, aut ſumat.*
4 *Quando abſolutio data excommunicato prius à peccato, quàm ab excommunicatione, ſit inualida.*
5 *Quando ſit valida.*
6 *An in neceſſitate petenda ſit adminiſtratio Sacramenti Baptiſmi à Sacerdote excommunicato, ſi adſint alij.*
7 *An excommunicatus maiori excommunicatione concionem publicam in Eccleſia audire poſſit? menſam benedicere.*
Signo crucis ſe munire? lectionem publicam, etiam ſacram audire, aut eam legere diſcipulis.
8 *An excommunicatus occultus vel denunciatus excuſetur ab audienda Miſſa in die Feſto.*
9 *Quando excommunicatus occultus vel irregularis poſſit Miſſæ & officijs intereſſe, & celebrare ſine culpa mortali & ſine incurſione irregularitatis.*
10 *An reſignatio beneficij in fauorem tertij facta ab excommunicato tolerato vel vitando, ſit valida.*
11 *Excommunicato conferens ſcienter beneficium, an ſit ſuſpenſus à collatione omnium beneficiorum.*
12 *An excommunicatus ſit incapax beneficiorum & cuiuſcunque alterius dignitatis Eccleſiaſticæ.*
13 *Excommunicatus an ſit inhabilis etiam dignitatis Laicalis.*
14 *Excommunicatus, an poſſit eſſe tutor, curator, &c.*
Et an contractus ab eo facti ſint validi? Refertur duplex ſententia.
15 *An exceptio excommunicationis in quacunque parte iudicij contra actorem obici poſſit.*
16 *An filij emancipati, naturales, & adoptiui poſſint cum patre excommunicato communicare.*
17 *An parentes eſſe poſſint cum filiis excommunicatis.*
18 *Participans cum excommunicato, an excuſetur, ſi veriſimile eſt ipſum eſſe abſolutum.*
19 *Contractus cum excommunicatis, quando ſint validi, & quando inualidi.*
20 *Excommunicatus, an validè poſſit teſtari? Et an quis excommunicatum hæredem inſtituere queat.*
21 *Excommunicatus vitandus an poſſit petere à ſuo debitore ſuum creditum, & is teneatur ſoluere?* Refertur duplex ſententia.
22 *Excommunicatus pro crimine hæreſis, vel alio ipſo iure priuante, perſeuerans per annum in excommunicatione, an ſit ipſo iure beneficijs priuatus.*
23 *Excommunicatus quacunque de cauſa, & in excommunicatione per annum perſeuerans, nec abſolutionem procurans, an preſumatur ſuſpectus de hæreſi? Et an idem dicendum ſit de aliis cenſuris.*
24 *Suſpectus de hæreſi citatus & vocatus vt ad iudicium accedat ſuper crimine hæreſis reſponſurus, venire contemnens, an de hæreſi conuictus cenſeatur.*
25 *An nominatim denunciatus excommunicatus vel publicus Clerici percuſſor in vno loco ſit vitandus in alio loco, vbi delictum eſt occultum?* Refertur triplex ſententia.
26 *Summus Pontifex ex certa ſcientia cum excommunicato denunciato participans in diuinis, aut humanis, an pœnas iuris incurrat.*
27 *An Epiſcopus communicans ſine cauſa cum excommunicatis à ſeipſo, ante formalem abſolutionem, in Excommunicationem minorem incidat.*
28 *Quis excommunicatus & quando iure antiquo erat vitandus? Et quis nouo iure Concilij Conſtantienſis.*
29 *An ſuſpenſum vel interdictum denunciatum vitare teneamur in iis, quæ per cenſuram eis prohibita ſunt.*
30 *Quæ ſint pœnæ iure ſtatutæ contra violantes excommunicationis cenſuram.*
31 *Excommunicatio maior in tribus caſibus incurritur per participationem cum excommunicato.*

1. CVm excommunicatio, vt nomen ipſum ſignificat, nihil aliud denotet, quàm ſeparationem, ſeu priuationem Communionis Chriſti fidelium : ſciendum eſt hanc Communionem fidelium eſſe triplicem.

Prima eſt omninò interna, quæ fit per charitatem vnientem Chriſti membra ſecundùm fidem formatam Chriſto capiti & reliquis Chriſti membris. Et hæc communio deſcribi poteſt, affectio animi, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum. De qua Communione dicitur in Symbolo Apoſtolorum, *Credo Sanctam Eccleſiam, Sanctorum Communionem.* De qua vnione loquens Apoſtolus Roman. 12. ait : *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto*, & ſecundùm hanc dicit Dauid Pſalm. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te.*

Cùm

Cùm ergo omnes fideles vnum corpus conſtituant in Chriſto, & vnuſquiſque fidelis membrum ſit corporis Chriſti myſtici, conſequenter eſt particeps omnium bonorum, quæ fiunt in Eccleſia ſine alia aliqua applicatione.

Secunda communio eſt exterior, quæ conſiſtit in eo quod fideles in bonis ſpiritualibus Eccleſiæ participant, quæ ſunt Sacrificium, Orationes publicæ, Sacramenta, quæ omnia in perſona Eccleſiæ à miniſtris ſuis conficiuntur.

Tertia eſt etiam exterior, quæ conſiſtit in Communione, qua fideles in actionibus ciuilibus participant, dum conuerſantur ſimul, loquela, ſalutatione, cibo & aliis huiuſmodi. Hac igitur triplici Communione priuat Eccleſia fidelem per excommunicationem maiorem. Et huius triplicis Communionis meminerunt Diuus Thomas *in ſuppleme. quæſt.* 21. *artic.* 1. D. Bonauent. *in 4. diſtinctione* 28. *in vltim. part. diſtinct. quæſt.* 1. Syluester *verb. Excommunicatio.* 1. Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 17. & alij.

D. Thom. D. Bonau. Syluest. Nauarrus.

2. Notandum tamen eſt, quod ſicut Communionem illam internam quis habere poteſt, ſi in charitate ſit antequam in Eccleſiam per Baptiſmum recipiatur: ita etiam extra Eccleſiam per excommunicationem maiorem eiectus, ſi contritus ſit, etiamſi ab excommunicatione non abſoluatur, Communione hac non priuatur. Ratio eſt, quia antequam quis excommunicetur, ſi peccet mortaliter, charitate priuatur, & proinde excommunicatio charitatem non tollit, ſed iam per peccatum mortale ſublatam, præſupponit. Igitur excommunicatio maior Communione illa interna, quæ in charitate fundatur non priuat, ſed tantùm ſecunda & tertia; quæ in ſpiritualium ac corporalium actionum vſu externo conſiſtit. Proinde etiamſi excommunicatus contumaciæ pœnituerit, & pœnitentia culpam deleuerit, excommunicationis tamen vinculum ab Eccleſia iniectum non tollit. Argument. *cap. cùm deſideras*, & *cap. à nobis* 2. & *cap. Sacris, de ſentent. excommunicat.* Quantumcumque igitur quis contritus ſit & paratus ſatisfacere, aut de facto ſatisfecerit & iurauerit parére mandatis Eccleſiæ, donec abſolutus fuerit, Communionis exterioris bonorum Eccleſiæ particeps eſſe non poterit, vt tradit Gloſſa *in Clement.* 1. *in verbo, donec de decimis*, Vgolinus *de cenſur. Eccleſ. tab.* 2. *cap* 6. *num.* 5. Sayrus *de cenſur. lib.* 2. *in pralud. num.* 5. & Nauarrus *loco cit. num.* 17.

Gloſſa. Vgolinus. Sayrus. Nauarrus.

3. Excommunicatus conferens vel recipiens Sacramentum, verè & validè illud confert, aut ſumit (excepto Sacramento Pœnitentiæ, vt diximus *tom.* 1. *verb. Excommunicatio* III. *num.* 6.) Baptiſmus enim verus eſt, ſi detur ab excommunicato etiam hæretico, obſeruata forma & aliis ad Baptiſmum neceſſariis, argum. *cap. ſine hæreticis*, & *cap. ſi quis apud hæreticos cum ſequent. de conſecr. diſtinct.* 4.

Excommunicatus dans vel recipiens Confirmationem, verè confirmat, & confirmatus eſt, nec iterare debet, modo confirmandus baptizatus ſit. Quamuis enim vſum actus Ordinis Epiſcopalis Eccleſia prohibere poſſit, non poteſt tamen facere, quin actus ſolius Ordinis, qualis eſt confirmatio, ab huiuſmodi miniſtro factus validus ſit, & verum Sacramentum conſtituat, dummodo cætera neceſſaria adhibeantur.

Excommunicatus verè conſecrat Euchariſtiam & ſumit. argument. *cap. de homine, de celebrat. Miſſarum*, & *cap. intra Catholicam* 1. *quæſt.* 1. quia conſecrandi poteſtas fundatur in charactere Sacerdotali, qui deleri nequit. Ita Diuus Thomas 3. *part. quæſt.* 82. *art.* 7. & eſt communis Theologorum ſententia. Manifeſtum eſt quoque hoc Sacramentum ab eodem ſumi, quamdiu enim manent ſpecies, corpus Chriſti ſub illis ſpeciebus manet, vt tradit D. Thom. *quæſt.* 80. *art.* 3.

D. Thom.

D. Thom.

Similiter Extrema Vnctio ſumi & miniſtrari poteſt ab excommunicato, cùm illius capax ſit quilibet Chriſtianus, ad eamque miniſtrandam Sacerdos etiam excommunicatus ſufficiens miniſter eſt: quamuis excommunicatus ſcienter eam ſumens peccet, nec fructum aliquem exinde reportet.

Certum eſt etiam Sacramentum Ordinis ab excommunicato conferri & ſuſcipi validè poſſe quoad characterem: quia etiam in excommunicato Epiſcopo remanet poteſtas per conſecrationem tributa, ſeu character indelebilis, vt habetur *cap.* 1. *de Ordin. ab Epiſcop. qui renunciauit Epiſcopatui*, quæ poteſtas ad Ordines conferendos ſufficit, ex communi omnium ſententia, Nauarrus *in Man. c.* 25. *n.* 69. Vgolinus *de cenſ. tab.* 1. *c.* 13. §. 16. *c.* 5. & *tab.* 2. *cap.* 7. §. 2. *n.* 2. & *cap.* 10. *n.* 5. Cæterum licet ordo collatus validus ſit, ſic tamen ordinatus ſuſcepti ordinis executionem non ſuſcipit, donec cum eo diſpenſetur: quæ diſpenſatio à Papa petenda erit, quoties quis ſcienter ordines à talibus excommunicatis ſuſceperit, vt ſuo loco dicetur.

Nauarrus. Vgolinus.

Matrimonium denique ab excommunicato contractum, verum eſt matrimonium & Sacramentum: quia eſt quidam contractus; at verò contractus ab excommunicato iniri valent, vt docent communiter Doctores. Item matrimonium contractum coram Parocho excommunicato, eſt validum vt diximus *tom.* 1. *verb. Matrimonium* §. *n.* 5.

4. Excommunicatione maiori vel minori ligatus, & ſciens, aut ſcire debens ſe non poſſe priùs à peccatis, quàm ab excommunicatione abſolui, abſolutionem tamen à peccatis petens præmiſſa Confeſſione, ſi abſoluatur, inualida eſt abſolutio & Confeſſio iteranda, præſertim ſi confeſſarium induxit, vt ita ageret. Ratio eſt, quia huiuſmodi pœnitentis Confeſſio non eſt integra, aut ſi integra ſit, indignum ſe reddit abſolutione ob ſacrilegium & peccatum quod committit; nam vel non confitetur hoc peccatum quod committit nolens abſolui ab excommunicatione, & eſſe particeps illius Sacramenti, à quo eſt excluſus interdicto Eccleſiæ, & proinde Confeſſio non eſt integra, & iteranda eſt, ex quo ſacrilegium illud tacet: vel confitetur illud peccatum, & vult abſolui, & ita caret debito dolore & propoſito abſtinendi à futuris peccatis, & id palam facit confeſſario, & indignum ſe reddit abſolutione. Tum quia dum confeſſarium ſcienter inducit ad abſoluendum, in ipſomet Confeſſionis actu peccat, & ita etiam non integrè confitetur & obicem ponit abſolutioni, & ideò ſi abſoluatur, abſolutio non valet. Ita Nauarrus *in cap. Fratres, de pœnitent. diſt.* 5. *num.* 48. & *in Man. cap.* 9. *n.* 5. *verſ. Secundo.* Ioannes Medina *Cod. de Confeſſ. quæſt.* 18. Couar. *in cap. Alma mater*, 1. *part.* §. 6. *num.* 7. *verſ. quarta concluſio*, & alij.

Nauarrus. Medina. Couar.

5. Excommunicatus maiori excommunicatione, eius tamen iuſtè ignarus, aut oblitus, ſi à peccatis abſoluatur, verè abſoluitur & verum Sacramentum ſuſcipit, ita vt non teneatur eam Confeſſionem iterare. Ratio eſt, quia illic eſt debita materia, debita forma, cum debita intentione & non ponitur obex, taliter enim excommunicatus non peccat, ex quo, aut ignorat probabiliter ſe excommunicatum eſſe, aut inculpabiliter eius oblitus eſt & proinde vera eſt abſolutio ſacramentalis, cùm per excommunicationem non redditur homo incapax Sacramenti.

menti. Nec impedit etiam interdictum Ecclesiæ, quo prohibetur quis in excommunicatione existens Sacramentum accipere. Iniusta enim videretur sententia Ecclesiæ, si vellet aut innocentem punire, aut ignorantiam inuincibilem condemnare. Ita Nauarrus *in Man. c. 9. n. 4.* Et *in cap. Fratres, n. 46. de panit. dist. 5.* Vgolinus *de censur. Eccles. tab. 2. c. 7. §. 2. n. 5. & 6.* Suarez *de censur. disp. 10. sect. 3. n. 9.* Nauarrus. Vgolinus, Suarez.

Item excommunicatus maiori excommunicatione, qui scit se excommunicatum esse, & id confitetur, sed iusto quodam iuris, vel facti errore, attenta eius qualitate, existimat se à peccatis absolui priùs posse, quàm ab excommunicatione absoluatur, valet absolutio, si absoluatur tantùm à peccatis, nec Confessionem iterare tenetur. Est hoc verum, quando tam pœnitens, quàm confessarius probabiliter putant impendi posse absolutionem à peccatis, non præmissa absolutione ab excommunicatione; imò etiamsi pœnitens solus hoc ignoret probabiliter, Sacerdos autem vincibiliter, aut non ignoret, sed aduertat excommunicationem etiam reseruatam in eo pœnitente ignorante, & tamen ex sua malitia illum absoluat. Ratio horum est, quia cum adsint omnia requisita & necessaria, scilicet, materia integra Confessionis, forma & intentio ministri & pœnitens per ignorantiam excusatus, non sit inhabilis, vt absolutionem recipiat, nihil est quod impedire possit validitatem Sacramenti. Tum quia peccatum confessarij non debet obesse peccatori pœnitenti & ignoranti. Secus autem dicendum esset, si ambo, id est, tam pœnitens, quàm confessarius scirent; quod excommunicatus non possit absolui à peccatis priùs quàm ab excommunicatione, tunc enim absolutio impensa irrita esset. Ita Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. prope finem, vers. Secundo*, ait Nauarrus *in cap. Fratres, n. 47. de panit. dist. 5.* Couar. *in cap. Alma mater, 1. part. §. 6. num. 7. vers. tertia conclusio*, Diana *part. 5. tract. 9. resol. 82.* qui pro hac sententia citat *Præpositum, Fulinicum*, & *Mercerum*, Sayrus *de censur. lib. 2. cap. 2.* & alij apud ipsum. Sotus. Nauarrus. Couar. Diana. Sayrus.

Vide dicta à nobis *tom. 1. verb. Excommunicatio III. num. 4. & 5.* de hac materia.

6. Dubium est, an in necessitate petenda sit administratio Sacramenti Baptismi à Sacerdote excommunicato, si adsint alij? Videtur quod non, quia duo debent concurrere ad extremam necessitatem, quæ habilitant excommunicatum ad licitum ministerium Sacramenti Baptismi, alterum quod se tenet ex parte ipsius baptizandi; nempe, quod sit in articulo mortis: alterum ex parte ipsius ministri, videlicet, quòd non sit alius, qui possit & velit illud Sacramentum conferre: nam si alius adsit, iam baptizandus non est in necessitate suscipiendi baptismum ab excommunicato, cùm habeat alium, à quo possit baptizari. Contrarium tamen tenendum est: quia quando pluribus conceditur priuilegium, seruandum est inter ipsos ius commune, sed iure communi ratione huius consecrationis munus baptizandi competit solis Sacerdotibus, *cap. Diaconos, distinctione 93. cap. constat, de consecrat. distinctione quarta*, ergo cùm in articulo mortis concedatur vniuersis facultas licitè baptizandi, siue excommunicati sint, siue non, seruandum est ius commune & eligendus Sacerdos. Ad rationem autem in contrarium posset responderi, negando illa duo debere concurrere ad extremam necessitatem, nam sufficit alterum ex parte ipsius baptizandi, videlicet quod ratione mortis imminentis sit in necessitate recipiendi Baptismum, quamuis non sit in necessitate recipiendi illum præcise ab isto excommunicato potiùs, quàm à quocumque alio. Ita Cornejo *in tertia parte, tract. 5. de excommunicat. §. 1. dub. 2. quæstione quarta*, Diana *part. 5. tract. 9. resolut. 87.* Cornej. Diana.

7. Excommunicatus maiori excommunicatione, cum aliis concionem publicam in Ecclesia audire potest, vt habetur *in cap. responsio, de sentent. excommunicat.* quia prædicare non est de numero officiorum diuinorum, quæ interdicuntur excommunicato: & quia id permittitur *in dict. cap. responso*, vt faciliùs inducatur ad contritionem & ad petendam absolutionem.

Item excommunicato licet priuatim orare: Oratio autem priuata dicitur, recitatio rosarij, & Salutationis Angelicæ, quæ communiter recitatur ter ad pulsum campanæ: Mos autem pulsandi ter ad precem Angelicam sumitur ex Psal. 54. versu 18. *Vespere, mane, & meridie narrabo.* Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis instituit, vt mane recitetur. Gaguinus in vita Ludouici XI. Regis Galliæ refert, quod hic Rex instituit recitari in meridie: quod confirmauit Callistus Papa III. vt refert Platina in vita eius. Et Ioannes Papa XXII. instituit dici vespere, in memoriam incarnationis Dominicæ, vt refert Sandoual *de officio Ecclesiast. 2. part. cap. 4.* Huic verò recitationi vespertinæ concessit Adrianus Papa VI. Indulgentiam plenariam, vt dicetur *infra verb. Indulgentia 1. num. 14.* Callist. III. Ioan. XXII. Adrian. VI.

Potest etiam excommunicatus laicorum more mensam benedicere. Item potest se signo crucis munire. Corpus item Christi venerari potest & debet, si ei obuium fieri contingat; imò comitari Eucharistiam delatam ad infirmos potest, si non recitentur Psalmi.

Potest etiam lectionem publicam, etiam sacram audire, aut eam legere discipulis suis, imò & discipulo excommunicato interroganti circa lectionem respondere, quod non solùm procedit in occultis & generaliter excommunicatis, sed etiam in denunciatis: quia nec concio, nec lectio sunt officium Ecclesiasticum, quod excommunicato prohibetur: & licet essent officia Ecclesiastica, nullo iure prohibentur & reseruntur in publicam vtilitatem, vt docent Henriquez *lib. 13. de Excommunicat. cap. 12. §. 4.* Sayrus *de censur. lib. 2. cap. 3. num. 12. 13. & 14.* & alij ab ipso citati.

8. Excommunicatus excusatur ab audienda Missa in die Festo: quia præceptum audiendi Missam in festis cedit alteri præcepto Ecclesiæ, quo sic excommunicatus interesse sacris, ad maiorem confusionem suam quousque absolutus sit, arctiùs prohibetur. Est hoc verum, quamuis negligens sit in obtinenda absolutione. Ratio est, quia obseruatio præcepti audiendi Missam, non est tanti momenti, vt obliget ad tam remotam dispositionem, nempe ad acquirendam capacitatem audiendi Missam: sicut etiam incarceratus ob debita excusatur ab audienda Missa, quamuis possit soluere & non soluendo peccet contra iustitiam: non tamen excusatur excommunicatus à præcepto Confessionis & Communionis annuæ, quia obseruatio horum præceptorum est magni momenti. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 21. num. 3.* Gaspar Hurtado *tract. de excommunicat. disp. 5. disc. 2. n. 4.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 88. sect. 6.* & communis. Et quæ dicta sunt, tam de excommunicato occulto, quàm denunciato accipi debent. Nauarrus. Gasp. Hurt. Suarez.

9. Excommunicatus occultus, vel irregularis secretus causa vitandi graue scandalum, aut infamiam, dummodò absit fraus & dolus, nec sit in mora petendæ

petendæ abſolutionis vel diſpenſationis, poteſt præuia contritione & confeſſione peccatorum, quamuis non abſoluatur à cenſura excommunicationis reſeruata ſuperiori abſenti, Miſſæ & Officiis intereſſe, & aliquando celebrare, tum ſine culpa mortali, tum etiam ſine incurſione aliqua irregularitatis. Ratio eſt, quia quotieſcumque concurrunt duo præcepta incompatibilia, ſeruandum eſt quod arctius & maius eſt: cùm igitur in caſu concurrant ſimul præceptum de abſtinentia à Communione fidelium, & præceptum negatiuum non ſcandalizandi, aut non infamandi ſe, quod eſt maius, hoc potius, quàm illud ſeruandum eſt. Quia ſicut iugum Chriſti ſuaue eſt, ita & mandata Eccleſiæ piè interpretanda ſunt, vt non nimis grauia ſint. Nec veriſimile eſt intentionem Eccleſiæ eſſe cum tam graui iactura & detrimento quempiam obligare velle. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 239.* Suarez *de Sacrament. diſp. 66. ſect. 4.* Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 2. de excom. dub. 8. num. 44.* Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 7. §. 2. in comm. lit. K.* & alij.

Nauarrus. Suarez. Præpoſitus. Henriq.

10. Probabile eſt reſignationem beneficij ab excommunicato tolerato factam in fauorem tertiæ perſonæ eſſe validam. Ratio eſt, quia neque eſt præſentatio, neque electio, neque inſtitutio beneficij, ergo. Non eſt electio, vt patet. Non præſentatio, quia ille non habet ius patronatus ad præſentandum, ſed ſolùm vult relinquere beneficium ſub conditione, vt detur alteri, vnde non apparet ius, ob quod nulla ſit reſignatio: quia fit in fauorem reſignatarij ab excommunicato qui vitandus non eſt; neque etiam eſt illicita, quando requiritur ab aliis; vt enim non eſt vitandus in aliis actionibus, ita neque in hac: & propterea ſeruatur id quod dicitur *in Extrauag. Ad euitanda*, vt non releuetur in aliquo ipſemet excommunicatus, ſed alij tantùm. Excommunicatus tamen vitandus, ſi reſignet ſimpliciter, valida eſt reſignatio, quia eſt merum factum, & res pendens à voluntate. Si in fauorem eſt inualida, quia pertinet ad iuriſdictionem. Ita Turrianus *de cenſur. lib. 2. diſp. 15. dub. 3.* Diana *p. 5. tract. 9. reſol. 106.*

Turrianus. Diana.

11. Beneficium excommunicato conferens ſcienter, non ſolùm mortaliter peccat, ſed etiam ipſo iure ſuſpenſus eſt à collatione eius beneficij quod tunc contulit, argum. *cap. cùm in cunctis, §. Clerici, de elect.* vt puniatur in eo, in quo peccauit. A collatione aliorum beneficiorum, non eſt ipſo iure ſuſpenſus, ſed ſolùm poſt binam monitionem ſuſpendi debet, donec veniam conſequi mereatur, vt habetur *in cap. Poſtulaſtis, de Cleric. excomm. miniſt.* Gloſſa *ibi in verb. mereantur*, ait ſuſpendi debere per ſuperiorem: vnde ſi collator beneficij Epiſcopo inferior fuerit, à ſuo Epiſcopo debet ſuſpendi, ſi verò Epiſcopus fuerit, à ſuo Archiepiſcopo. Si Archiepiſcopus à Legato Papæ, vel ab ipſomet Summo Pontifice, arg. *cap. graue, de prabend.* Secus autem dicendum eſſet, ſi probabiliter eum excommunicatum fuiſſe ignorauit. Præſumetur tamen, quod talis conferens ſcienter prouiderit, vt docet Rebuffus *in c. Poſtulaſtis, n. 156. de Cler. excom. miniſt.* cùm ex debito officij tenatur inquirere de moribus & vita beneficiarij: quamuis poſſit ignorantia probabilis publica voce, fama & aliis probationibus comprobari, vt bene Rebuffus *cit. num. 158.*

Gloſſa. Rebuffus. Rebuffus.

12. Excommunicatus non ſolùm incapax eſt beneficiorum, ſed etiam cuiuſcumque alterius dignitatis Eccleſiaſticæ, quales ſunt Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, Patriarchatus; quia hæ dignitates perpetuæ ſunt, & iuriſdictionem in vtroque foro, tam contentioſo, quàm pœnitentiæ in ſuos ſubditos habent. His adnumerari poſſunt Legati à latere, qui dantur ad tempus: & etiam Viſitatores & Adminiſtratores Eccleſiarum Cathedralium. Item Cardinales, habent enim & iſti iuriſdictionem in vtroque foro in Clericos Eccleſiæ titularis. Item Abbates regulares, Generales, Prouinciales & alij ordinum Superiores: Vicarij Epiſcoporum: & Vicarius à Capitulo ſede vacante conſtitutus. Item Inquiſitores hæreticæ prauitatis: Delegati. Parochi & eorum Vicarij perpetui, vel ad tempus. Præpoſiti, Archidiaconi & ſimiles, qui honore ſolùm alios antecellunt: vel ſolùm ius in beneficij fructibus obtinent, vt penſionarij & ſimplicia beneficia habentes, &c. Hi omnes, ſi excommunicati ſint, ad huiuſmodi dignitates Eccleſiaſticas eligi non poſſunt, cùm extra Eccleſiam ſint, & Communione fidelium priuati, vt proinde nec dignitatum Eccleſiaſticarum capaces ſint, nec earum iuriſdictione vti poſſint Et *cap. Poſtulaſtis, de Clerico excommun. miniſtr.* & docent Auctores *tom. 1. verb. Excommunic. III. n. 15.* citati.

13. Excommunicatus non ſolùm inhabilis eſt dignitatis Eccleſiaſticæ regularis & ſæcularis, ſed etiam dignitatis laicalis: ſiue perpetuæ ſint dignitates, ſiue ad tempus tributæ. Vnde nec Imperator, Rex, Dux, &c. qui excommunicatus eſt, eligi poteſt, & electio facta eſt nulla, vt habetur *in cap. Venerabilem, & ibi Gloſſa in verb. electus,* & Panormitanus *num. 7. & 11. & de elect.* Ratio eſt, quia excommunicatus iuriſdictionem talem exercere non poteſt, cùm hominum Communione priuatus ſit: qui enim functiones exercere non valet, huic illæ conferri non debent, cùm prohibito vno & omne id prohibitum eſſe cenſeatur, per quod ad illud peruenerit, *l. oratio, ff. de ſponſ.* & panormitan. *in cap. final. num. 3. de Cleric. excommunic. miniſtr.* Nota tamen prædicta ſolùm procedere in collatione & electione. Nam ſi quis ex teſtamento, aut ab inteſtato regnum conſequatur, aut dominium aliquod temporale ſibi comparet, cum quibus iuriſdictio & dignitas laica connexa eſt, non obſtante cenſura excommunicationis, iuriſdictionem & dignitatem illam conſequitur iure ſucceſſionis hæreditariæ, aut emptionis. Vnde filius Regis, Ducis, Marchionis, aut Comitis iure hæreditario & ratione ſucceſſionis patri ſuccedere poteſt, licet excommunicatus ſit, cum hoc tamen vſu iuriſdictionis carebit, quamdiu in excommunicatione manet, Baldus *in cap. Intelleximus, in fine, de iud.*

Gloſſa. Panormit. Panormit. Baldus.

14. Excommunicatus non poteſt eſſe tutor, nec curator, nec orphanotrophus, nec hoſpitalarius, nec ſimilia officia exercere; & hoc non ſolùm, quia priuatus eſt hominum Communione, quæ neceſſaria eſt ad officia huiuſmodi exercenda, ſed etiam, quia hæc officia auctoritate ſunt publica. Ita Panormitanus *in cap. Prudentiam, numero 14. de offic. iudic. delegat.* Ioannes Andreas *in cap. Pia, de except., in Sexto.* An autem validi ſint contractus ab eo facti? Canoniſtæ negant, quos ſequuntur Sylueſter *verb. Excommunicatio III. num. 2. & 3.* Sayrus *de cenſuris lib. 2. cap. 7. num. 2.* præſertim ſi ſit vitandus & ſi ita quid alienaret nomine tutelæ, alienatio non valeret, ſicut nec alienatio à Prælato excommunicato facta valet. Sed probabilis eſt ſententia affirmatiua: quia nullum datur ius eos irritans: quam ſententiam tenent *Suarez, Cornejo, Turrianus,* & alij quos refert & ſequitur Diana *parte quinta, tractatu 9. reſolut. 115.*

Panormit. Ioan. And. Syluest. Sayrus. Suarez Cornejo. Turrianus. Diana.

15 Exceptio excommunicationis in quacumque parte iudicij contra actorem obiici poteſt, vt habetur *in cap. exceptionem, de except.* Panormitan. & Felinus *ibid.* & ita opponi poteſt vel ante ſententiam, vel in ipſa ſententia & etiam poſt ſententiam, ita

Panormit. Felinus.

ita vt tunc impediat ſententiæ executionem, ex *cap. pia, de except. in 6.* Hæc tamen exceptio ſolum habet locum, quando opponeretur in vim dilatoriæ, non autem in vim peremptoriæ, ex Gloſſa *in cap. pia, in verbo. opponit, de except. in ſexto*, quia peremptoria exceptio litem non differt, ſed tollit, §. *appellantur autem exceptiones, inſtitut. de except.* Dilatoriè verò dicitur exceptio opponi ad effectum differendæ intentionis agentis, vel propter ipſius agentis excommunicationem, vel iudicis, aut procuratoris. Peremptoriè verò opponi dicitur, quando opponitur ad perimendam electionem vel alium ſimilem actum, propter excommunicationem eligentium, vel electi, vel alterius excommunicati, qui talem actum celebraſſet, vt tradit Gloſſa 2. *in Clem. 1. de except.* Porrò hæc exceptio excommunicationis contra actorem, non ſolum à reo, ſed etiam à quouis alio, ſiue maſculo, ſiue fœmina opponi poteſt. Arg. *cap. pia, & gloſſ. ibi in verb. ſi quis.*

Gloſſa. Gloſſa.

16. Communis ſententia eſt, filios etiam emancipatos, naturales, & adoptiuos non poſſe cum patre excommunicato communicare: quia talis filius iam non eſt ſub poteſtate parentis, eſtque quaſi extraneus, neque in illo habet locum ratio ſubiectionis actualis, quæ eſt in filio ſub poteſtate patris conſtituto. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4.* & communiter Theologi & Iuriſperiti. Non eſt tamen improbabile filium emancipatum poſſe cum patre excommunicato communicare, quia *in cap quoniam multos, 11. quæſt. 3.* priuilegiantur liberi abſque vlla reſtrictione. Ita Mercerus *in ſupplem. 3. part. quæſt. 21. dub. 11.* Præpoſitus *ibid. de excom. dub. 17. num. 6.* Paludanus *in 4. diſt. 18. quæſt. 6. artic. 2.* & alij. Imò ſecundùm *Hurtadum* nomine filiorum comprehenduntur etiam illegitimi & adoptiui, qui quamdiu non ſunt emancipati, verè dicuntur filij. Ita ille, *diſp. 9. de excommunicat. diffic. 4. num. 21.* cui ſubſcribit Diana *part. 5. tract. 9. reſolut. 118.* Quare nomine *patris* intelliguntur etiam mater, auus, abauus, & auia, & deinceps: ſicut etiam nomine filiorum veniunt nepotes, pronepotes, &c. vt dicitur *in l. filij appellatione*, & *in l. liberorum*, §. *& Papirius, ff. de verb. ſignificat.* Imò etiam comprehenduntur, qui affinitatis ratione filiorum loco ſunt, vt nurus, priuignus, priuigna, vt dicitur *in* §. *affinitatis, inſtitut. de nupt.* modò extra conuictum ſuorum correlatiuorum non ſint, tunc licita eſt inter eos communicatio; ſecus verò ſi iam quaſi emancipati ſint; quia non manet in illis naturalis illa obligatio, quæ in filiis naturalibus, ſed manet ſola affinitas, quæ non eſt radix tam ſtrictæ obligationis, vt cauſa ſit communicandi cum excommunicato. Idem dicendum eſt, de pupillo reſpectu tutoris, ſi ſit ſub eius cura in eadem domo, quia reſpectu eius parentis vicem gerit: aliàs verò ſolùm poterit communicare cum eo in his, quæ ad munus tutoris pertinent. Ita *Corneio, Hurtadus, Turrianus, Mercerus* citati à Diana *part. 5. tract. 9. reſol. 119.*

Mercerus. Præpoſitus. Paludanus. Gaſp. Hurt. Corneio. Hurtadus. Turrianus. Mercerus. Diana.

17. Sicut filij cum parentibus excommunicatis propter obſequia eis debita communicare poſſunt: ita etiam è conuerſo, cum filiis excommunicatis parentes eſſe poſſunt, cùm & ipſi etiam ad obſequia quædam filiis præſtanda obligati ſint, ſcilicet vt eis neceſſaria prouideant & bonis moribus imbuant. Ita D. Thomas *in ſupplem. quæſt. 23. artic. 1.* Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 27.* Vgolinus *tab. 2. cap. 23. §. 7. num. 12.* & communis. Peccabit tamen pater, niſi faciat quod in ſe eſt, vt filius abſolutionem procuret. Excipiuntur tamen aliqui caſus, in quibus hæc communicatio non licet. *Primò*, ſi filius cum patre excommunicato participet in crimine criminoſo, & è contra, ſi pater cum filio. *Secundò*, ſi excommunicatio ob hæreſim incurſa ſit, tunc ob infectionis periculum, nec pater cum filio excommunicato, nec filius cum patre excommunicato communicare poteſt. *Tertiò*, non permittitur vt ſimul ſint, quoties vnus conſilio & auctoritate alterius fultus in contumacia perſeuerare cenſetur. *Quartò*, in diuinis non licet inuicem communicare: vnde ſi filius patris Parochus ſit, non licebit ei Sacramenta miniſtrare, nec coram eo diuina facere, cùm communio hæc ei non competat, quatenus pater, aut filius ſit. Ita Durandus *in 4. diſt. 18. q. 5. n. 8.* Henriquez *lib. 13. de excom. cap. 22. §. 3.* Vgolinus *ſupra*, Diana *p. 5. tr. 9. reſol. 120.* & alij apud ipſum.

D. Thom. Nauarrus. Vgolinus. Durand. Henriq. Vgolinus. Diana.

18. Participans cum excommunicato, quem veriſimile eſt abſolutum eſſe, vtpote quando multum temporis abiit ex quo excommunicatus fuit & denunciatus, ſi hic aliàs homo ſit bonæ famæ & boni nominis, præſertim ſi initio ſeruabat excommunicationem & poſt annum illam non ſeruat, poteſt, & debet quis credere illum eſſe abſolutum, quia in alienis factis nimis curioſus quis eſſe non debet, argument. *cap. præſumitur, de reg. iur. in ſexto.* Sin autem è contra homo ſit malæ famæ & maximè ſi ab initio ſententiam non ſeruabat, tunc poteſt & debet quis credere illum eſſe adhuc excommunicatum, quouſque aliquo modo conſtet de eius abſolutione, & conſequenter eum vitare tenetur, ex Couarruuia *in cap. Alma mater, 1. parte, §. 2. num. 6. verſ. verum ſi conſtiterit, de ſentent. excomm. in ſexto*, Sylueſt. *verb. Excommunicatio 5. dub. 17.* Vgolino *de cenſur. Eccleſ. tab. 2. cap. 23. §. 10. n. 1.* & aliis.

Couar. Sylueſt. Vgolinus.

19. Quamuis contractus cum excommunicatis ſint illiciti, regulariter tamen ſunt validi, ex *cap. Felicis, §. verum, de pœnis in 6.* Probatur exemplis contractuum, qui non obſtante excommunicatione validi eſſe admittuntur, vt matrimonij, *cap. Significaſti, de eo qui duxit in matrim.* &c. Profeſſionis in Religione, iuxta Abbatem, *cap. cum illorum, de ſentent. excommun.* Donationis factæ ab excommunicato, *cap. Inter dilectos, de donationibus.* Ratio eſt, quia omnes ferè contractus ſunt de iure gentium inuenti, & non de iure Eccleſiæ; ſed iſta, quæ ſunt de iure gentium non prohibentur etiam deportatis, *l. quidam, ff. de pœnitent.* ergo multò minus debent prohiberi excommunicatis, cùm longè deterioris conditionis ſit deportatus, quàm excommunicatus, iuxta notata *in cap. Paſtoralis, de appellat.*

Abbas.

Ex tribus tamen cauſis fieri poteſt, vt contractus ab excommunicato initi, nulli ſint. *Primò*, ſi ſint initi virtute reſcripti ſupplentis conditionem aliquam ad valorem eius requiſitam, nam iuxta *cap. 1. de reſcript. in ſexto*, reſcriptum impetratum ab excommunicato ſuper alio quàm articulo excommunicationis, vel appellationis, nullum eſt. *Secundò*, ſi ſint initi ab eo vt à perſona publica, & vt à miniſtro per poteſtatem, quam habet ex vi ſui muneris, vel beneficij. Ratio eſt ex defectu iuriſdictionis ad contrahendum, quæ per excommunicationem ſuſpenſa eſt. *Tertiò*, ſi in contractu fiat promiſſio de alio contractu excommunicatione durante faciendo: nam talis promiſſio, vtpote de re illicita, nulla eſt. Ita docet Filliucius *tract. 12. num. 203.* Mercerus *in ſupplement. 3. part. quæſt. 21. dub. 13.* Diana *part. 5. tract. 9. reſol. 128.* Quartam cauſam addit Sayrus *de cenſur. lib. 2. c. 9. num. 14.* ſi excommunicatus eſſet ob crimen hæreſis, in eaque per annum perſeuerauerit, tunc inhabilis ad contrahendum eſſe videtur, cùm bonis

Filliucius. Mercerus. Diana. Sayrus.

iure

Digitized by Google

iure ipso priuatus sit, *cap. cùm secundùm leges, de hæretic. in sexto*, & contrahere prohibitus, argument. *cap. excommunicamus, 1. §. credentes, iuncta glossa in verbo, sit etiam intestabilis, de hæretic.* Glossa

20. Cùm excommunicatus validè contrahere possit, secundùm communem & veram opinionem, à fortiori validè testari poterit, cùm testamentum sit contractus longè magis priuilegiatus, quàm aliquis alius actus contrahendi, *reg. in testamentis, ff. de regul. iuris*, & *l. 1. de sacrosanct. Eccles. Codic.* Pro hoc facit, quia licet testamentum cum solemnitatibus de iure positiuo sit, testandi tamen voluntas de iure naturali est, quod quidem ius naturale non est prohibitum ipsi excommunicato. Regulariter ergo Excommunicatus validè testari potest, & consequenter codicillos facere, & hæredes instituere, & fideicommissa & legata relinquere potest, & facta valebunt, vt tradunt communiter Doctores.

An verò si quis instituat aliquem excommunicatum hæredem, validum sit testamentum, non est ita certum. Quidam enim negant, eo quòd excommunicatus sit incapax hæreditatis, testamentum autem tunc est nullum, cùm hæres tempore testamenti est inhabilis, & incapax hæreditatis, *l. sed si conditioni, §. solemne, ff. de hæredibus instituendis.* Ita Sylvester *verb. hæreditas 3. numero 2.* Armilla *verb. hæreditas, num. 26.* Sed hæc opinio supponit fundamentum falsum, quòd, scilicet excommunicatus propter excommunicationem sit incapax hæreditatis: nam excommunicatio per se, sicut non priuat excommunicatum dominio rerum suarum, ita non priuat potestate acquirendi dominium rerum aliorum, vnde si aliquando excommunicatus priuatur bonis suis, vt contingit in hæretico, hoc non prouenit ratione excommunicationis, ita quòd hic sit effectus eius proprius, sed ex accidenti in odium, & punitionem peccati hæresis. Ita rectè Suarez *de censur. disp 15. sect. 9.* Mercetus *in 3. part. de Sacrament. quæst. 11. dub. 13.* Filliucius *tract. 12. cap. 8. num. 207.* qui notant, quod si excommunicatus non sit vitandus, etiamsi ipsi non liceat condere testamentum, tamen si velit, licitum est aliis adesse, vt notario & testibus; quia ipsis non est prohibita communicatio. Ille etiam qui sperat se hæredem instituendum, potest testatorem inducere ad testamentum: quia id est in fauorem non excommunicati. Quod si vitandus sit, tunc neque aliis licebit communicare, nisi soli hæredi instituendo, excusatur enim propter vtilitatem, ob quam etiam fortè possunt excusari Tabellio & testes vocati ab hærede instituendo. Notant etiam quod hæres excommunicatus non vitandus non potest adire hæreditatem ob excommunicationem prohibitam, ex tamen actiones, quæ sine communicatione fieri possunt, vt tacita hæreditatis acceptatio, possessio realis per vsurpationem, &c. poterunt licitè fieri. De quibus plura apud Suarez *loco citato.* Sylvest. Armilla. Suarez, Mercerus, Filliucius.

21. Dubium est inter Auctores, an excommunicatus vitandus possit petere à suo debitore suum creditum, & is ad id teneatur? Quidam enim putant non posse, nec ad id debitorem teneri, donec Ecclesiæ reconcilietur. Et id probant ex *cap. nos Sanctorum, 15. quæst. 6.* vbi Gregorius VII. sic ait.: *Eos, qui excommunicatis fidelitate, aut Sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à iuramento absoluimus & ne sibi fidelitatem obseruent, omni ratione prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* Et cap. sequenti. *Iuratos milites* (inquit Vrbanus II. Episcopo Vapicensi) *Hugoni comiti ne ipsi quamdiu excommunicatus, ser-* Greg. VII. Vrban. II.

tiant, prohibeto. Qui Canones & si tantùm videantur intelligi de debito fidelitatis, quod subditus debet Principi, aut miles Duci, aut famulus domino; tamen videtur esse eadem ratio de debito pecuniario. Proinde excommunicato non tenetur quis soluere quod ante excommunicationem etiam cum iuramento promisit; quia communicare cum excommunicato non licet. Hæc sententia est probabilis, quam sustinent Adrianus *de claubus, quæst. 3. §. si petas*, Sayrus *de censur. lib. 2. cap. 9. n. 20. & 21.* Felinus *in cap. inter alia, de sentent. excommunicat.* & Panormitan. *ibid.* Verior tamen est affirmatiua sententia. Ratio est, quia neque iure diuino debitor liberatur à debito soluendo, cùm nullum tale ius reperiatur, & Ethnicis & publicanis debita soluenda sint, nisi fortè spes esset per dilationem excommunicatum conuersum iri & reconciliandum Ecclesiæ. Neque iure humano; quia citata iura non loquuntur de debito pecuniario, sed de debito fidelitatis & obsequij. Ita Couarruuias *ad reg: Peccatum, 1. part. num. 8.* Sylvester *verb. Excommunicatio, 5. quæst. 12.* Auila *de censur. p. 2. cap. 6. disp. 11. dub. 4.* Alterius *lib. 2. disp. 4. cap. 1.* & alij. Adrianus. Sayrus. Felinus. Panormit. Couar. Sylvest. Auila. Alterius.

22. Excommunicatus pro contumacia super crimine hæresis, vel alio ipso iure priuante, perseuerans per annum in excommunicatione, est ipso iure beneficiis priuatus, ex *cap. cum contumacia, de hæretic. in 6.* Ratio est, quia post annum habetur pro conuicto de crimine, & ita ex eo, quòd ob crimen, si probatum fuisset, beneficio foret priuatus ipso iure, tamquam de crimine conuictus, ita post annum in excommunicatione permanens beneficio absque vlla sententia priuatus est. Ita Couarruuias *in cap. Alma mater, 1. part. §. 7. n. 10. vers. primum hinc*, Rebuffus *in cap. Postulastis, num. 247. de Cler. excomm. ministr.* Vgolinus *de censur. tab. 1. cap. 14. §. 3. num. 5.* & alij. Couar. Rebuffus. Vgolinus.

Aduerte tamen *Primò* requiri, vt annus completus sit. *Secundò*, vt in ea per annum continuauerit: si enim in Excommunicatione steterit per sex menses semel, & postea fuerit absolutus, si postea iterum excommunicetur, & resideat per octo menses, non continuabitur tempus sex mensium elapsum ante, ad hoc vt censeatur remansisse per annum. *Tertiò*, vt steterit in ea per annum animo pertinaci: & ita qui intra annum instaret pro habenda absolutione, & si non obtineret vel malitia excommunicantis, vel partis tergiuersantis, pœna hæc priuationis non haberet locum. *Quartò*, requiritur post annum sententia declaratoria. Ante tamen declarationem poterit beneficium impetrari, & ita seruatur ex consuetudine & Romana Curia seruat, vt testatur Rebuff. *sup. n. 259.* Rebuffus.

23. Excommunicatus quacumque de causa criminali, vel ciuili, & in ea contumaciter per annum perseuerans, nec absolutionem procurans, præsumitur suspectus de hæresi, non solùm secundùm iura antiqua, sed etiam secundùm Concil. Trident. *sess. 25. cap. 3. de reform.* & contra eum, tanquam de hæresi suspectum procedi potest. Quæ suspicio probabilis est, & licet non sit sufficiens, vt de hæresi condemnetur, sufficit tamen, vt ei purgatio indicatur, in qua si defecerit, poterit vt conuictus de illo crimine, pro quo citatus fuit puniri, iuxta *c. inter, de purgat. Canon*, & *cap. excommunicamus, §. qui autem, de hæret.* Quod dictum est de excommunicatione, idem de aliis censuris intelligendum est, vt docet Concil. Trident. *supra*, his verbis: *Sed si obdurato animo censuris annexis in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de hæresi suspectum procedi possit.* Ratio est, quia manens per annum in censuris & non procurans absolutionem, Ecclesiæ claues contemnere, & malè de Sacramentis Conc. Trid.

Couar. Vgolinus. Rebuffus. & cenſuris Eccleſiæ ſentire præſumitur. Ita Couarruuias *in cap. Alma mater, 1. part. §. 7. num. 10. verſ. quarto eſt conſiderandum*, Vgolinus *de cenſur. Eccleſ. tab. 1. cap. 14. §. 3. num. 3. & tab. 2. cap. 24. §. 3.* Rebuffus *in cap. Poſtulaſti, n. 244. de Cleric. excom. miniſtr.* 3.

24. Suſpectus de hæreſi citatus & vocatus vt ad iudicium accedat ſuper rebus fidei, vel ſuper crimine hæreſis, de quo accuſatus, aut ſuſpectus eſt, reſponſurus, venire contemnens, & propterea iterum ob contumaciam excommunicatus, in qua per annum perſeuerat, tanquam de hæreſi conuictus & velut hæreticus elapſo anno condemnari poteſt, vt colligitur ex *cap. cum contumacia, de hæretic. in 6. & cap. excommunicamus, 1. §. qui autem, & ibi gloſſ. in verb. condemnentur, de hæreticis*, Panormitanus *in cap. Poſtulaſti, num. 4. de homicid.* Ratio eſt, quia ſufficiens eſt præſumptio & probatio eum eſſe hæreticum, tum ex ipſa ſuſpicione hæreſis, cuius cauſa expreſſim ad iudicium vocatus eſt; tum ex fuga & declinatione iudicij, tum ex animo rebelli perſiſtendi in excommunicatione per annum: in quo caſu ſufficit, quod in genere hæreſis crimen in hoc edicto exponatur, nec requiritur in ſpecie hæreſim ſignificari, vt docet Couarruuias *ſupra 1. part. §. 7. num. 11. verſ. quinto.* Quod dictum eſt, locum ſolùm habet in excommunicato, qui fuit nominatim excommunicatus & denunciatus, non autem in eo, qui ſolùm incurrit excommunicationem à iure, vel ab homine latam, ſine declaratione. Ratio eſt, quia licet ipſa excommunicatio à iure impoſita, affligat, & inhabilitet quoad omnes ſuas potentias illum, qui in eam incidit abſque aliqua declaratione, tamen quoad alios denunciatio illa videtur neceſſaria, maximè ad dictam hæreſis ſuſpicionem cauſandam, vt pluribus docet Sayrus *de cenſur. lib. 2. cap. 10. num. 12.* cum aliis.

Gloſſa. Panormit. Couar. Sayrus.

25. Excommunicatus denunciatus vbique cenſetur excommunicatus: quia excommunicatio animam afficit, & ſequitur excommunicatum, vt lepra leproſum, & in hoc conueniunt Doctores. An autem nominatim denunciatus vel publicus Clerici percuſſor in vno loco ſit vitandus in alio, vbi delictum eſt occultum. Dubium eſt inter Auctores. Quidam enim docent abſolutè eſſe vitandum vbique, etiamſi hoc ibi ignoretur. Ratio eſt, quia experientia conſtat delicta vnius publica in vno loco præſcribi ad alia loca: tum quia delinquens amiſit ius ad ſuam famam per publicitatem, ſeu notitiam publicam delicti. Tum quia tenemur obedire præcepto Eccleſiæ præcipientis vitandum eſſe excommunicatum non toleratum. Ita Bonacina *de cenſur. diſp. 2. quæſt. 2. punct. 6. §. 2. num. 48.* Vgolinus *de cenſur. tab. 1. cap. 13. §. 10.* Nauarrus *in cap. inter verba 11. quæſt. 3. coroll. 67.* & alij, qui docent eſſe communem ſententiam. Alij ſuſtinent talem in publico vitandum non eſſe, ſed in occulto. Ratio eſt, quia à iure antiquo recedendum non eſt, niſi quatenus in nouo exprimitur; ſed in Extrauag. Conſtantienſi nihil decretum eſt circa modum excommunicatum vitandi publicè, an occultè, ſed ſolùm circa qualitatem excommunicatorum, vtrum denunciati ſint, necne, ideò ſtandum eſt iuri antiquo *cap. cùm non ab homine, de ſentent. excommunicat.* vt excommunicati, nunc denunciati publicè vitentur, ſi eorum excommunicatio publicè nota ſit: occultè verò ſi publicè ignota ſit. Ita Sylueſter *verb. Excommunicatio 5. dub. 17.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 3.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 11. num. 20.* Vaſquez *de excommunicat. dub. 8. num. 2.* Verùm præpoſitus *in 3. part. quæſt. 2. de excommun. dub. 16. num. 114.* putat probabile, quòd ſi talis nominatim excommunicatus alio ſe transferat, vbi cenſura paſſim ignoretur, is, qui nouit cenſuram, non teneatur illum vitare, non ſolùm in publico, ſed neque in occulto, & conſentit Diana *p. 5. tract. 9. reſol. 134.*

Bonacina. Vgolinus. Nauarrus. Sylueſt. Layman. Sanchez. Vaſquez. Præpoſitus. Diana.

26. Summus Pontifex ex certa ſcientia cum excommunicato denunciato participans in diuinis, aut humanis, nullam iuris pœnam incurrit; quia eſt ſupra ius poſitiuum, & ita cùm excommunicatio omnis iuris poſitiui ſit, eam Papa ob participationem cum excommunicato denunciato non incurrit. Vix tamen Papa ſcienter cum excommunicato participat, quia de ſtylo curiæ tales, ſi negotij vel tractatus quidpiam habeant cum Papa, per ipſum vel per alios abſoluuntur durante tractatu ad cautelam, & eo finito reducuntur in eandem ſententiam inſtar teſtium excommunicatorum, argum. *cap. veniens, de teſtibus*, Couar. *in cap. Alma, §. 1. num. 3.* Vgolinus *tab. 2. cap. 23. num. 5.* qui auctores docent Papam non propterea abſoluere ſic excommunicatum, niſi expreſsè dixerit & voluerit per talem communicationem illum pro abſoluto haberi: tanta eſt enim poteſtas Papæ circa ius poſitiuum, vt pro ſola voluntate ſua libertatem concedat, nec alia opus ſit abſolutione, vt habet communis ſententia Doctorum.

Couar. Vgolinus.

27. Epiſcopus non poteſt communicare ſine cauſa cum excommunicatis à ſeipſo ante formalem abſolutionem ab excommunicatione, & ſi communicet incidit in excommunicationem minorem, ſicut & alij ipſo iure in communicantes latam. arg. *cap. cùm deſideres*, & *ibi* Panormitan. *num. 2.* & Doctores communiter, *de ſentent. excommunic.* immò etiam & maiorem excommunicationem incurrit, ſi in crimine criminoſo participet. Ratio eſt, quia pœna illa non ab excommunicatore per ſuam ſententiam, ſed à iure profertur, vt habetur *in cap. Nuper*, & ibi Doctores, *de ſentent. excomm.* Cum ergo ius communiter & indifferenter excommunicet participantes excommunicatis, cui omnes ſubiiciuntur, etiam Epiſcopus, aut alius excommunicator cum excommunicatis à ſe vel ab alio, ante abſolutionem communicando, excommunicationem minorem non ſecus ac alij, incurrit. Nec dici poteſt quòd Epiſcopus communicans cum excommunicato à ſe cenſetur illum abſoluere: quia hoc non eſt verum, neque poteſt, ſi velit: quia cùm forma iuris & conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ ſit, non abſoluere, nec ligare, niſi verbis idipſum ſignificantibus, Epiſcopus illam iuris formam obſeruare tenetur. Si tamen Epiſcopus illum excommunicatum aliis verbis abſoluat, peccat quidem, validè tamen abſoluit, & deinceps tam excommunicatus, quàm alij cum eo liberè, vt prius communicare poſſunt.

Panormit.

28. Iure antiquo vnuſquiſque non excommunicatus vitare tenebatur omnem & quemcumque excommunicatum, non ſolùm publicum, ſed etiam occultum, licet non eodem modo: nam publicum tam in occulto, quàm in publico: occultum verò ſolùm in occulto vitare tenebatur, dummodò de excommunicatione ei conſtaret, vt habetur *in cap. cùm non ab homine, de ſentent. excommunicat.* quod intelligi debet de ſcientia quæ habetur extra Confeſſionem: ſi enim quis, aut olim ſciret in Confeſſione ſacramentali aliquem fuiſſe excommunicatum, aut etiam modò aliquem eſſe denunciatum, neque tunc neque modò tenetur, debet, aut poteſt talem vitare, & hoc propter maximam ſigilli ſacramentalis obſeruationem: quod etiam cum ipſomet pœnitente obligat, vt tradunt communiter Doctores.

Qui

Qui excommunicatus eſt eodem modo nunc & de iure antiquo tenetur alios vitare, & quidem ſi occultus excommunicatus eſt, tenetur alios tam excommunicatos, quam non excommunicatos in occulto vitare, ſi publicus, tam in occulto, quam in publico. Exceptis certis caſibus de quibus hic egimus *ſupra num.* 9. nempe ad euitandum ſcandalum, infamiam, &c. Ius antiquum correctum fuit & nouum conſtitutum auctoritate Concilij Conſtantienſis & Martini V. in quo condita fuit Extrauagans quædam concedens participationem cum excommunicatis, quæ confirmata fuit poſtea per Concilium Baſileenſe antequam fieret ſciſſura & per Eugenium IV. Cuius Conſtitutionis exemplum & tenor eſt iſte, iuxta *Nauarrum* infra.

Conc. Conſt. Martin. V.

Conc Baſil. Eugen. IV.

Ad euitanda ſcandala & multa pericula, quæ conſcientiis timoratis contingere poſſunt, Chriſti fidelibus tenore præſentium miſericorditer indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicuius, Sacramentorum adminiſtratione & vel receptione, aut aliis quibuſcumque diuinis intus & extra pretextu cuiuſcumque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum obſeruare, niſi ſententia vel cenſura huiuſmodi fuerit promulgata, aut denunciata ſpecialiter & expreſsè à Iudice contra certam aliquam perſonam, collegium, vniuerſitatem, Eccleſiam, aut locum certum, aut certam: neque manifeſto conſtet incurriſſe in ſententiam excommunicationis, quod nullo modo poteſt occultari, aut per aliquod remedium iuris excuſari: quia à communione huius volumus, quod ſe ſeparent iuxta canonicas conſtitutiones. Per hoc tamen non intendimus releuare, neque iuuare ſic excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, aut prohibitos.

Circa quam Conſtitutionem eſt magna diſſenſio inter doctores de ſecundo caſu partis ſecundæ, in quo cum excommunicatis participare vetamur. Quidam enim volunt in ea prohiberi communicationem cum omni ita notoriè excommunicato, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari, aut aliquo iuris ſuffragio excuſari. Alij ſuſtinent, quod non omnis notoriè excommunicatus ante denunciationem vitandus ſit, ſed is ſolùm, qui ex cauſa iniectionis manuum in clericum omninò notoriè excommunicatus eſt.

Hæc controuerſia Doctorum orta eſt ex diuerſa lectione Concilij Conſtantienſis & Concilij Baſileenſis, quod fuit poſterius. Concilium enim Conſtantienſe, vt referunt quidam Doctores, ſtatuit quod ſecunda ſententia ſuſtinet: Baſileenſe autem quod prima: hinc diuerſimodè hæc conſtitutio ab Auctoribus refertur: nempe à Nauarro *in man. c.* 27. *num.* 35. & à Felino *in cap. Rodulphus. de reſcript.* D. Antonino 3. *part. tit* 25. *cap.* 2. Sayro *de cenſuris lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 16. Nam D. Antoninus, Felinus, Sayrus legunt, *aut certam à iudice publicata vel denunciata, ſpecialiter & expreſsè, conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Saluo ſi quem non ſacrilega manuum iniectione in clericum in ſententiam latam à Canone adeò notoriè conſtiterit incidiſſe, quod factum non poſsit aliqua tergiuerſatione celari, nec aliquo ſuffragio, excuſari, nam à communione illius licet denunciatus non fuerit, volumus abſtineri, iuxta canonicas ſanctiones.*

Nauarrus. Felinus, D. Antonin. Sayrus.

Sed quidquid ſit, certum eſt vniuerſalis Eccleſiæ vſu, non omnes notoriè excommunicatos vitandos eſſe, ſed tantùm denunciatos & notorios clericorum percuſſores, quamuis denunciati non ſint. Quia aliàs vel difficilè omninò, vel non ita facilè erit excuſare à multis peccatis omnes Catholicos in Germania, Gallia, Anglia, Polonia & aliquot aliis regnis, qui quotidie & ſingulis ferè horis & momentis communicant cum hæreticis, quos conſtat notoriè hæreticos eſſe, & conſequenter excommunicatos, *ex cap. excommunicamus* 1. *de hæretic.* & per Bullam cœnæ Domini.

Et licet Nauarrus referat hanc conſtitutionem prout hic iacet, fatetur tamen probabiliter dici poſſe, eſſe vſu receptam cum ſola illa limitatione de excommunicatione manifeſta percuſſionis clerici, iuxta tenorem antiquæ: vel quod multitudo hæreticorum & neceſſitas communicandi & negotiandi facit licitum quod aliàs non eſſet.

29. Sicut tenemur vitare excommunicatum poſtquam denunciatus eſt, ita etiam & ſuſpenſum & interdictum vitare tenemur, in eis, quæ per cenſuram eis prohibita ſunt, & talem non vitans in officiis diuinis, aut in actibus deputatis ſuis ordinibus, aut in Sacramentis, peccat mortaliter, ſi talis ſuſpenſus fuerit ab officiis diuinis, aut Sacramentorum adminiſtratione, vel perceptione, & ſic ſuſpenſus denunciatus. Ita Nauarrus *in man. cap.* 27. *num.* 163. *in fine, & in cap.* 1. §. *laboret, num.* 18. *de pœnitent, diſt.* 6. vbi probat grauius peccatum eſſe non vitare interdictum, vel ſuſpenſum, in quibus rebus ſuſpenſus eſt, aut interdictus, quam non vitare excommunicatum. Quia non vitare excommunicatum, regulariter eſt ſolum veniale peccatum, vt Theologi *in* 4. *diſt.* 18. & Canoniſtæ *in cap. ſacris, quod metus cauſa* communiter docent: non euitare autem interdictum, vel ſuſpenſum denunciatum, in quibus eſt interdictus, vel ſuſpenſus, nemo dixit non eſſe mortale. Fundamentum eſt, quia extrauagans *Ad euitanda ſcandala*, illud eodem modo de excommunicatis, ſuſpenſis, & interdictis vitandis poſt denunciationem diſpoſuiſſe videtur, vt verba ipſa ſatis manifeſtè oſtendunt.

Nauarrus.

30. Pœnæ contra violantes excommunicationis cenſuram à ſacris canonibus inflictæ, ſunt. *Primò*, Irregularitas, quæ ſtatim & ipſo facto incurritur, ex eo quòd excommunicatus maiori excommunicatione actum aliquem ordini ſacro deputatum exercet: cùm enim, ſic excommunicatus & ordine ſacro inſignitus, ab eius ordinis exceptione quoad ſe & quoad alios ſuſpenſus ſit, ideo, ſi eius Ordinis ſacri ratione, actum eidem competentem celebrauerit, irregularis efficitur. Ita communiter Doctores, qui id probant ex *cap. ſi quis Epiſcopus in Concilio* 11. *quæſt.* 3. *& cap. Apoſtolica, de cleric. excomm. miniſtr.* Quod verum eſt, etiamſi talis excommunicatus non fuerit denunciatus. Quia Extrauag. *Ad euitanda ſcandala*, nihil vtilitatis affert ipſis excommunicatis, nec quidquam in eorum fauorem ſtatuit. In certis tamen caſibus excuſatur ab hac pœna, vt diximus *ſupra num.* 9.

Item irregularis eſt Epiſcopus excommunicatus non ſolùm celebrans, ſed faciens alium celebrare auctoritatiuè coram ſe. *Ex cap. illud, de cleric. excomm. miniſtr.* Panormitan. *ibidem num.* 8. communiter recepto. Qui autem celebrat coram excommunicato denunciato, licet mortaliter peccet celebrando, aut alia diuina officia coram illo faciendo, irregularis tamen non eſt iuxta vetiorem & communiorem Doctorum ſententiam, ſed tantùm eſt ei interdictus ingreſſus Eccleſiæ propter talem celebrationem coram excommunicato, vt habetur in *cap. Epiſcoporum, de priuileg. in* 6. Si tamen taliter interdictus iterum abſque aliqua diſpenſatione intra Eccleſiam celebret, irregularis erit, vt habetur in *cap. is qui,* §. *is verò & ibi gloſſ. de ſent. excom. in* 6. & *cap. is cui eſt, eodem tit. in* 6. Ita Nauarrus *in man. cap.* 25. *num.* 93. Sayrus *de cenſur. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 6.

Panormit.

Nauarrus. Sayrus.

Couar. num. 6. Couarruuias *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 6. *num* 9. *verſ. qui verò.*

Septimo, depoſitio perpetua ab officio & beneficio, vt habetur in *cap. clerici, cap. latores, & cap. Fraternitati, de cleric. excomm. miniſtrant.* Ad hanc tamen pœnam incurrendam èx neceſſitate requiritur ſententia iudicis. Ex benignitate autem Eccleſiæ requiritur, vt non feratur hæc ſententia niſi poſt contumaciam.

Tertiò, eſt ineligibilitas, ſeu priuatio vocis actiuæ & paſſiuæ: vnde excommunicatus denunciatus, aut notorius clerici percuſſor, nec eligere poteſt validè, nec eligi: ſin autem occultè excommunicatus fuerit, tunc quidem eligere poteſt, & electio ab ipſo facta valebit: At verò eligi non poteſt ad beneficium aut dignitatem Eccleſiaſticam, vt habetur in *cap. Conſtitutus. 1. de appellat.*

Quartò, violans communicationem per participationem cum excommunicato maiori excommunic. eo ipſo incurrit excommunicationem minorem. vt colligitur *ex cap. à nobis, de except. & cap. ſuper de ſentent. excomm.* quod procedit, etiamſi excommunicans communicet cum excommunicatis à ſe, ante formalem abſolutionem ab excommunicatione, vt communiter tradunt Doctores. Cæterùm hæc excommunicatio minor in tertiam perſonam non tranſit, vt colligitur *ex cap. Quoniam* 11. *q.* 3.

31. In tribus caſibus per participationem cum excommunicato, excommunicatio maior incurritur.

Primus eſt, ſi quis communicet alicui excommunicato ſcienter in crimine criminoſo, hoc eſt, in crimine, ob quod alter denunciatus ſit excommunicatus, *cap. ſuper, cap. ſi concubina, de ſentent. excomm.* vt etiam diximus *tom.* 1. *verb. Excomm. III. n.* 31.

Secundus caſus eſt, ſi quis clericus, ſcienter, ſponte nullo ad id cogente metu, participet in diuinis ſeu Eccleſiaſticis officiis in Eccleſia vel extra Eccleſiam, cum excommunicato nominatim à Papa & denunciato, maiorem excommunicationem à ſolo Papa adimendam incurrit, vt habetur in *cap. ſignificauit. de ſentent. excommunic.* & communiter tradunt Doctores.

Tertius eſt, ſi quis participet cum excommunicato poſt ſententiam latam in participantes, tunc enim tales participantes incurrunt excommunicationem maiorem, vt habetur in *cap. ſtatuimus, & cap. Conſtitutionem, de ſentent. excomm. in 6.* Sed hodie hæc ſententia à ſolo Papa ferri poteſt, *Excommunico te cum omnibus participantibus tibi*, vt habetur in dicto, *cap. ſtatuimus*, ſed opus eſt, vt participantes priùs canoicè admoneantur, quàm excommunicentur, alioquin excommunicatio ipſo iure nulla erit. De his vide Nauarrum *in man. cap.* 27. *num.* 93. Cauarruuiam *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 3. *num* 4. & 6. Vgolinum *de cenſur. Eccleſ. tab.* 2. *cap.* 23. §. 13.

Nauarrus. Couar. Vgolinus.

Vide verb. Aduocatus *num.* 12. & 13. Beneficium 2. *num.* 3. Debitor *num.* 6. Immunitas Eccleſiarum *num.* 21. Indulgentia 1. *num.* 15. Mandatum *num.* 3. Miſſa 1. *num.* 12. & 13. Miſſa 3. *num.* 11. 12. & 16. Profeſſio *num.* 3. & 4. Sepultura *num.* 19.

EXCOMMVNICATIO III.

Quoad cæremonias in ſolemni excommunicatione & Abſolutione eius adhiberi ſolitas.

SVMMARIVM.

1 *Cæremoniæ ſolemnes in excommunicatione maiori ferenda, quando adhibendæ ſint.*

Papa excommunicaturus aliquem, quibus vtatur cæremonijs.

2 *Epiſcopus ſolemniter aliquem excommunicans, quas adhibere ſoleat cæremonias.*

3 *Cæremoniæ iſtæ ſolemnes quidnam ſignificent.*

4 *Epiſcopus ſolemniter excommunicatum abſoluens, quibus vti ſoleat & debeat cæremonijs.*

5 *Quæ ſint cæremoniæ obſeruandæ in foro exteriori, quando quis publicè excommunicatus publicè abſolutur.*

6 *An hæ cæremoniæ ſemper & cum omnibus ſint adhibendæ? & etiam cum mortuis excommunicatis.*

7 *Caſus, in quibus omittuntur hæ cæremoniæ ſolemnes in abſolutione excommunicationis maioris.*

1. QVamuis excommunicatio maior verbis ſimplicibus ferri poſſit; imò & in illa ferenda non ſint determinata verba, ſed ſufficiant ea, quibus intentio iudicis ſufficienter exprimatur, vt diximus *tom.* 1. *verb. Excommunicatio* II. *num.* 7. ſunt tamen in forma excommunicationis maioris ferendæ, quædam cæremoniæ ſolennes abhibendæ, maximè quando aliqua magna perſona, ob graue aliquod crimen ab ea commiſſum, v. g quia Cardinalem aut Epiſcopum inſecutus ſit, excommunicatur. Ex Gloſſa *cap. cùm aliquis* 11. *quæſt.* 3. & communis Doctorum ſententia teſtatur & praxis declarat. Gloſſa.

Hinc Summus Pontifex laturus excommunicationem ornatu Pontificio decoratus, duodecim Epiſcopis veſtibus Pontificiis indutis aſſiſtentibus; faceſque ardentes in manibus tenentibus hæc aut ſimilia verba dicere ſolet. Auctoritate omnipotentis Dei, atque Apoſtolorum Petri & Pauli excommunicamus Ludouicum, &c. quâ ſententia prolatâ, Epiſcopi faces illas in terram proiiciunt, & eas pedibus conculcant, nec poſtea ad aliquem vſum aſſumuntur, ſed foras tanquam ſal infatuatum proiiciuntur. *cap. non omnes* 2. *quæſt.* 7. vt ait Gloſſa *in cap. debent in verb. conculcare* 11. *quæſt.* 3. Quæ excommunicandi forma & cæremoniæ ſeruatæ ſunt ab Innocentio IV. vbi Fredericum Imperatorem excommunicauit. Vt teſtatur Gloſſa *in cap. Ad Apoſtolicæ dignitatis, de ſentent. & re iudicata in 6.* Innoc. IV. Gloſſa.

2. Epiſcopus autem cùm aliquem ſolemniter excommunicat, eaſdem cæremonias obſeruat, niſi quod duodecim Sacerdotes veſtibus Sacerdotalibus induti, eadem faciunt, quæ Epiſcopi in excommunicatione lata à Papa facere ſolent. Et hæc forma ſolemnis habetur *in cap. debent.* 11. *quæſt.* 3. his verbis. *Debent duodecim Sacerdotes, Epiſcopum circumſtare & lucernas ardentes in manibus tenere: quas in concluſione anathematis vel excommunicationis proiicere debent in terram & conculcare pedibus: Deinde Epiſtola per Parochias mittatur continens excommunicatorum nomina & cauſam excommunicationis.* Alicubi etiam paulatim campana pulſatur, vt teſtatur Panormitan. *in cap.* 1. *num.* 2, *de offic. cuſtod.* Panormit.

3. Hæ cæremoniæ ſuas habent ſignificationes, nam ex his effectus excommunicationis ante hominum oculos ponitur. Etenim Papa Duodecim Epiſcopis & Epiſcopus Duodecim Sacerdotibus circundati aliquem ſic excommunicantes, illum etiã à Chriſto circumdato cœleſtibus ſpiritibus excommunicari ſignificant, argum. *cap. omnis Chriſtianus, & cap. nihil ſic debet,* 11. *quæſt.* 3. his verbis. *Omnis Chriſtianus dilectiſſimi qui à Sacerdotibus excommunicatur,*

municatur, Satanæ traditur quomodo? quia scilicet extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus: ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur. Ita D. Augustinus de verbis Apostoli, sermone 68. & tract. 27. ad cap. 6. Ioannis. *Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi. Si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius, si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius.* D. Augustin.

Proiectio verò facium in terram, earumque extinctio excommunicatum quasi mortuum significat, vtpote à Christi corpore tanquam palmitem à vite præcisum. Quod verò pedibus faces illæ conculcantur, significat excommunicatum sic ex Ecclesia electum tradi Dæmonibus torquendum, & ab eisdem in inferno, nisi resipiscat, conculcandum iri, argum. *cap. absit. & cap. Audi denique* 11. *quæst.* 3.

Sonus autem campanæ significat vocem illam terribilem Christi in iudicio extremo, *Ite maledicti in ignem æternum*, quam excommunicatus, nisi à contumacia discesserit, cum maximo dolore & damno suo audiet.

Huiusmodi cæremoniis solemnibus alij Episcopo inferiores vti non solent, vt docet Nauarrus *in comment. de datis & promiss. notab.* 4. *num.* 10. Vnde excommunicatio hæc solemnis Episcopi mucro appellatur, *cap. visis literis, in fine* 16. *quæst.* 2. Nauarrus.

4. Quando Episcopus solemniter aliquem ab excommunicatione maiori absoluit, cæremonias illas adhibet quæ ponuntur *in cap. cum aliquis*, 11. *quæst.* 3. sub his verbis, *Cùm aliquis vel excommunicatus, vel anathematizatus pœnitentia ductus veniam postulat, & emendationem promittit: Episcopus qui eum excommunicauit, ante ianuas Ecclesiæ venire debet & duodecim presbyteri cum eo, qui eum hinc & inde circumstare debent: & si ille terræ prostratus veniam postulat, & de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus apprehensa manu eius dextra, in Ecclesiam illum introducat & communioni Christiana reddat.* Hic modus reconciliationis excommunicatorum & solemnitas desumitur ex Concilio Arausicano. Qua forma qui non sunt Episcopi, vti non possunt, talemque formam nec Episcopus, ipse adhibere debet, nisi quando solemniter absoluit.

5. Quando quis publicè excommunicatus publicè absoluitur, cæremoniæ quædam in foro exteriori adhibendæ sunt. *Primò*, vt iuret excommunicatus se velle obedire super eo mandatis Ecclesiæ. *Secundò*, quod parti satisfaciat, si offensa, aut debitum est notorium, aut impensas, si contumacia est notoria, & hoc si potest, sin minus præstet sufficientem cautionem, id est dando pignora, vel fideiussores: & si neque hanc potest, det iuratoriam. Quibus præmissis. *Tertio*, Absoluendus flexis genibus prostratus ad pedes absoluentis stantis. Absoluens indutus superpelliceo & stola vnum ex septem Psalmis Pœnitentialibus recitare debet. *Quartò*, dum absoluitur excommunicatus, scapulæ excommunicati nudatæ, virga, fune aut flagello, semel in quolibet versu percutiuntur, vel magis, vel minus, leuius vel acrius, secundùm quod causa contumaciæ maior vel minor requirit. Post Psalmum autem dicitur *Gloria patri*, &c. *Sicut erat*, &c. *Kyrie eleison; Christe eleison; Kyrie eleison & Pater noster*, &c. & cum his quatuor versiculis & suis Responsoriis, scilicet. Vers. *Saluum fac seruum tuum, vel ancillam tuam, vel seruos, vel ancillas*, si plures sint. Vers. *Nihil proficiat inimicus in eo, vel in ea, vel in eis.* Vers. *Esto ei, vel eis Domine turris fortitudinis.* Vers. *Domine exaudi orationem meam.* Deinde dicitur, *Dominus vobiscum*, Postea subiungitur hæc oratio: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum, quem, vel hos famulos tuos, quos excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tua pietatis absoluat, per Christum Dominum nostrum. Amen.* Et post absoluat in hæc verba.

Auctoritate omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Ecclesiæ sanctæ suæ, & nostra, vel mihi commissa, ego te absoluo à vinculo maioris excommunicationis, quam ob hanc, vel illam causam incurristi, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

6. Hæ cæremoniæ non tam iure, quàm consuetudine receptæ sunt, & ideò non sine causa omittendæ, cùm hac ratione homines magis perterrefiant & magis erubescant. Verberatio tamen & scapularum nudatio debent omitti pro ratione personarum, semper quidem in mulieribus, & etiam aliquando etsi in viris fiat verberatio, non tamen denudatio, vt benè monet Nauarrus *in man. c.* 26. *num.* 9. & *cap.* 1. *in princip. num.* 54. *de pœnit. distinct.* 6. Præterea non solùm hæ cæremoniæ in absolutione excommunicatorum, qui viuunt, adhiberi debent, sed etiam eorum, qui mortui sunt, *ex cap. à nobis* 2. *de sentent. excommunic.* verberabitur enim tunc cadauer mortuum, si non sit sepultum, nam eo iam humato verberabitur sepultura, vt docent Syluester *verb. Absolutio* 3. *num.* 15. *dub.* 11. Nauarrus *loco cit. num.* 55. *de pœnit. distinct.* 6. Nauarrus. Syluester. Nauarrus.

7. In aliquibus casibus omittuntur hæ cæremoniæ solemnes in absolutione excommunicationis maioris. *Primo*, quando absolutio datur ab eo, qui licet iurisdictionem in foro exteriori contentioso habeat, non tamen est Sacerdos. *Secundò*, quando temporis angustia non patitur, quia scilicet breui moriturus est excommunicatus, tunc enim satis erit dicere, Absoluo te à vinculo excommunicationis. *Tertiò*, Quando iniustè lata fuit excommunicatio, talis enim statim absoluendus est. *Quartò*, quando absolutio petitur ad cautelam. *Quintò*, quando quis absoluitur ad tempus, vt testimonium ferat. *Sextò*, quando excommunicatio lata est non seruata iuris forma. Denique quoties sine causa omittuntur, valet tamen absolutio, cùm hæ cæremoniæ de rei essentia non sint. Vide quæ diximus *tom.* 1. *verb. Absolutio, num.* 33.

De his ceremoniis latiùs agunt Hostiensis *in Summa lib.* 5. *tit. de sentent. excommunic. num.* 14. §. *& qualiter, vers. tertium*, S. Antoninus 3. *part. tit.* 24. *cap.* 77. Nauarrus *in man. cap.* 26. *num.* 9. *& in cap* 1. *in princip. num.* 54. *de pœnit. distinct.* 6. Vgolinus *de censur. Eccles. tab.* 2. *cap.* 31. & alij. quibus adde nouissimè Stephanum Baunium *de censur. disp.* 3. *q.* 29. Hostiens. D. Antonin. Nauarrus. Vgolinus. Baunius.

EXCOMMVNICATIO IV.

De minori excommunicatione.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio minor qualiter à peccato mortali distinguatur.*

2 *Excommunicatus minori excommunicatione communicare potest cum aliis sicut antea, tam in diuinis, quàm in humanis.*

3 *An Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato*

Digitized by Google

cato minori ſuſceptum ſit validum? Refertur duplex ſententia.

4 *An excommunicatus minoris excommunicat. peccet mortaliter, miniſtrando aliis Sacramenta.*

5 *Communicans cum excommunicato minori, an incidat in minorem excommunicationem.*

6 *Quis minorem excommunicationem ferre poſſit? Et quot ſint excommunicationes minores latæ à iure.*

7 *An ligatus minore excommunicatione peccet abſoluendo à maiori, vel minori, vel à peccatu.*

1. QVidam Doctores peccatum mortale adæquant excommunicationi minori, adeò vt velint omnem mortaliter peccantem in minorem excommunicationem incidere ex eo, quòd peccatum mortale priuet digna perceptione Sacramentorum, ſicut excommunicatio minor, ob quam cauſam, peccator latè dicitur excommunicatus, *cap. ad menſam. §. euidenter, 11. quæſt. 3.* Ita Panormitan. *in cap. ſi celebrat, num. 6. de cleric. excomm. miniſtr.* Sylueſt. *verb. excommunicatio 4. num. 2.* & alij. Panormit. Sylueſt.

Sed dicendum eſt in multis à peccato mortali differre. Tum quia excommunicatio minor eſt pœna, peccatum verò eſt culpa. Tum quia peccatum mortale per contritionem ante abſolutionem remittitur, excommunicatio minor non niſi abſolutione, quantumuis attritus aut contritus ſit, remittitur. Tum quia peccans mortaliter poſt contritionem, excepta Euchariſtia, Sacramentum aliud quodcumque dignè ante abſolutionem recipit, non ſic minori excommunicatione ligatus. Tum quia in peccato mortali exiſtens conferendo Sacramenta peccat mortaliter, non ſic minori excommunicatione ligatus. Vt latius probat Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 2 §. 1. in comment. litera D. & cap. 3. § 2.* Filliucius *tract. 13. cap. 1. num. 6.* Conuenit autem excommunitatio minor cum peccato mortali, quia vtrumque priuat digna perceptione Sacramentorum, etſi peccatum mortale priuet ratione ipſius culpæ, excommunicatio autem in pœnam. Henriq. Filliucius.

2. Excommunicatus minori excommunicatione communicare poteſt tam in diuinis, quàm in humanis cùm aliis, ſicut antea poterat: vnde Miſſam audire poteſt, licitè etiam oſculum pacis in Miſſa recipit, quamuis ſucceſſerit communioni: item officia diuina cum aliis in choro recitare. In humanis etiam licitè aliorum vtitur communione: vnde actor eſſe poteſt in iudicio, procurator pro alio, teſtis; multoque magis extra iudicium alios actus exercere valet, vt contractus inire, teſtamentum facere. Ratio horum omnium eſt, quia excommunicatio minor ſola participatione paſſiua Sacramentorum priuat, è quorum numero non ſunt hæc dicta. Ita communis Doctorum ſententia.

3. Difficultas eſt inter Doctores, an Sacramentum pœnitentiæ ſuſceptum ab excommunicato hac minori excommunicatione validum ſit, & verè mancat abſolutus à peccatis? Quidam enim ſemper valere putant vt Caietanus, & Sotus. Alij dicunt non poſſe abſolui in foro conſcientiæ, & abſolutionem Sacramentalem non valere, quia priuatus eſt perceptione Sacramentorum. Ita Paludanus *in 4. diſtinct. 18. quæſt. 6. art. 3. concl. 2.* Sylueſter *verb. excommunic. 4. §. 1.* & alij. Sed vt vera ſit hæc ſententia, debet excommunicatus noſſe ſe non poſſe abſolui à peccatis, niſi præmiſſa abſolutione ab excommunicatione: quia tunc verè Sacramentum non recipit nec à peccatis abſoluitur, eo quod ponat obicem peccati mortalis, ſcienter petens abſolui à peccatis antequam abſoluatur ab excommunicatione, contra præceptum Eccleſiæ. Vnde ſi confitetur hoc peccatum & tamen vult abſolui, non habet propoſitum à peccatis futuris abſtinendi ſi non confiteatur illud peccatum volens tamen abſolui, cùm ſit excluſus ab omnium Sacramentorum participatione, & tunc confeſſio eius non eſt formaliter integra & ita reiteranda. Quando autem talis excommunicatus mortaliter non peccat abſolutionem conſequens, quia vel iuſtè ignorat ſe excommunicatum eſſe, vel oblitus eſt excommunicationis, vel ſcit ſe excommunicatum eſſe, & id confitetur, ſed tamen ſiue iuſtè, ſiue iuris vel facti errore ductus, putat ſe poſſe à Confeſſario abſolui, tunc ſi ab eo priùs à peccatis abſoluatur, quàm ab excommunicatione, vere abſolutus eſt, nec ad confeſſionem iterandam obligatur, ſed ſolùm habita notitia excommunicationis vt ab ea abſoluatur, procurare tenetur. Ratio eſt, quia in his caſibus adeſt materia debita, cum debita forma, debitaque intentione & non ponitur obex ex parte pœnitentis: igitur eſt valida abſolutio; cùm per excommunicationem non reddatur homo incapax Sacramenti, ſed ſolum ei interdicatur, ne Sacramentum recipiat. Et ſic vera eſt ſententia Caietani & Soti. Ita Vgolinus *de cenſur. Eccleſ. tab. 2. cap. 7. §. 2. num. 6.* Nauarrus *in man. cap. 9. num. 3. & in cap. Conſideret. §. cautus, num. 30. de pœnit. diſtinct. 5.* Viualdus in candelab. *part. 2. tract. de excomm. num. 31. & tract. de excomm. minor. num. 6.* & alij. Caietan. Sotus. Vgolinus. Nauarrus. Viualdus.

4. Communior & verior opinio Doctorum eſt, excommunicatum minori excommunic. non peccare mortaliter miniſtrando aliis Sacramenta, ratione ſolius excommunicationis minoris. Ratio eſt, quia ex vi cenſuræ non eſt illi prohibita collatio Sacramentorum, ſed participatio ſola, vt habetur *in cap. ſi celebrat. de cleric. excomm. miniſtr.* Tamen ſi talis celebret Miſſam, mortaliter peccaret, eo quòd celebrando etiam Sacramentum ſumere debet & ſic faceret contra ſpeciale præceptum Eccleſiæ, quo prohibentur excommunicati minori excommunicatione Sacramenta percipere. Dans autem Sacramentum infirmo ſine Miſſæ celebratione non peccat, & pari ratione abſoluendo à peccatis & alia Sacramenta conferendo, quia illa non ſumit. Ita Nauarrus *in man. cap. 26. num. 24.* Henriq. *lib. 13. de excomm. cap. 3. §. 1.* Vgolinus *de cenſur. tab. 3. cap. 6. §. 2.* Nauarrus. Henriquez. Vgolinus.

5. Quamuis peccet venialiter communicans cum excommunicato minori excommunicatione adminiſtrando ei Sacramenta, vbi excommunicatus hic denunciatus eſt, locum enim habet in minore excommunic. *Extrauag. Ad euitanda ſcandala*, tamen in minorem excommunicationem non incidit: vnde commune dictum eſt, excommunicationem non tranſire tertiam perſonam. Hoc eſt, ſi quis excommunicatus ſit minori excommunicatione pro eo, quod participauit excommunicato maiori, ego qui ſum tertia perſona reſpectu excommunicati, non prohibeor ei, qui minori ligatus eſt, participare. Ita D. Thomas *in ſupplem. quæſt. 23. art. 2. ad 2.* Toletus *lib. 1. cap. 17. num. 5.* Gloſſa *in cap. Excellentiſſimus in verb. Qui communicant. 11. q. 3.* Victoria *tract. de excommunic. num. 16. in fine*, & communis. D. Thom. Toletus. Gloſſa. Victoria.

6. Quiſquis excommunicationem maiorem ferre poteſt, etiam minorem infligere poterit. Ratio eſſe poteſt, quia hæc etiam pœna pertinet ad bonam Eccleſiæ gubernationem, & debet ab eiſdem infligi, cùm ſit cenſura quædam, vt maior: imò eſt pars quædam maioris, priuat enim parte communicationis integræ, qua priuat maior, quare

Digitized by Google

quare pertinebit ad eumdem, ad quem pertinet maior. Vnde ad eam ferendam requiritur etiam iurisdictio fori contentiosi, cùm sit censura: Hinc excommunicatio minor non solum à iure, sed etiam ab homine, vt colligitur ex Glossâ *in cap. si inimicus* 11. *quæst.* 1. & tradunt communiter Doctores *in cap. si celebrat, de cleric. excomm. ministr.* Hodie tamen in vsu non est, vt excommunicatio minor ab homine feratur. Et quamuis Doctores referant octo casus & plures in quibus excommunicatio minor à iure antiquo lata fuit, quos enumerant Nauarrus *in Man. cap.* 27. *n.* 25. Syluester *verb. Excommunicatio* 4. *n.* 2. Hostiensis & alij, quia nunc consuetudine abrogati sunt: ideò de illis non agimus. Vnica tantùm modò est in vsu excommunicatio minor, nempe quando quis participat cum excommunicato maiori excommunicatione denuntiato aut cum notorio clerici percussore, in aliquo illorum quinque, de quibus egimus *tom.* 1. *verb. Excommunicatio* III. *mun.* 26. & continentur illo versu:

Glossa. Nauarrus. Sylvest. Hostiens.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Ab hac excommunicatione minori excusatur participans, quando occurrit aliquid ex contentis in eo versu:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

7. Ligatus excommunicatione minori non peccat absoluendo ab excommunicatione maiori, siue minori: quia in hoc nullum Sacramentum pertractat: secus autem iuxta aliquos Doctores, si à peccatis absoluat, hæc enim absolutio Sacramentalis est: peccatum tamen absoluentis in hoc casu vt plurimum est veniale, facit enim aliquam irreuerentiam Sacramento, qui sic ad Sacramentum conferendum & tractandum accedit, vt docent Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 3. Henriquez *lib.* 13. *de excomm. cap.* 3. §. 1. vnde priùs absolutionem ab excommunicatione petere debet, quàm Sacramentum ministret.

Sotus. Henriq.

Absolutio tamen tam à peccatis, quàm ab excommunicatione valida est, quia excommunicatio minor non aufert ea, quæ sunt iurisdictionis, *cap. si celebrat, de cler. excomm. ministr.* absoluere autem ab excommunicatione ad iurisdictionem spectat. In absoluendo autem ab hac excommunicatione non requiritur, vt satisfaciat alicui aut cautionem præstet, sed satis est, vt proponat obedire Ecclesiæ abstinendo à peccato, quod huiusmodi excommunicationem minorem annexam habet. Vt docet Syluester *verb. absolutio* 3. *num.* 5. *vers. Sciendum est quarto.*

Sylvest.

EXCOMMVNICATIO V.

De excommunicatione ob clerici Percussionem.

SVMMARIVM.

1 *Quæ sit materia canonis si quis suadente.*
2 *An clericus in minoribus constitutus, si non incedat in habitu & tonsura, gaudeat priuilegio huius canonis?* Refertur duplex sententia.
3 *Qui priuilegio gaudeant, vel non gaudeant priuilegio huius canonis.*
4 *Quæ requirantur vt clericus coniugatus gaudeat huius canonis priuilegio.*
5 *An non impedientes percussionem clerici affligentem excommunicationem, quando ad id tenentur.*
6 *An Pater causâ correctionis possit percutere filium in sacris constitutum?* Refertur duplex sententia.
7 *An ratam habens percussionem clerici suo nomine factam excommunicationem incurrat.*
8 *An mandans vel consulens percussionem clerici, incidat in hunc canonem, si ante percussionem pœnitcat?* Refertur duplex sententia.
9 *An qui notorio consulit vel mandauit, &c. percussionem clerici, sit vitandus, sicut notorius percussor.*
10 *An in hanc censuram incidat, qui in defensionem sui vel alieni corporis, honoris, famæ, & bonorum fortunæ, clericum aggressorem percutit.*
11 *An qui existimat se percutere Ioannem clericum, & percutit Iacobum clericum, censuram hanc incurrat.*
12 *An clericum capiens per capillos vel Barbam, & dicit nisi esses clericus, te percuterem, excommunicatus sit.*
13 *Si duo clerici vel religiosi iocando se inuicem percutiant, an incurrant censuram huius canonis.*
14 *An monialis procurans sibi abortum potione vel pugnis, excommunicationem incurrat? Et quid dicendum de extraneo id procurante.*
15 *An mandans afficiatur hac censurâ, quando mandatum non est expressim, sed tacitum.*
16 *Quando percussio dicenda sit leuis, grauis vel enormis.*
17 *In dubio an percussio sit leuis vel mediocris, iudicandum sit esse grauem.*
18 *Regularis alium eiusdem monasterij percutiens, an à suo Prælato absolui possit.*
19 *Prælatus suum subditum percutiens, à quo absoluendus sit.*
20 *Si religiosus vnius monasterij religiosum alterius, vel clericum secularem percutiat, à quo absolui possit.*
21 *An nouitius absolutus ab hac censura propter percussionem clerici ante ingressum Religionis, reincidat in eandem, si nondum facta professione à Religione egrediatur.*
22 *An in articulo mortis, quilibet possit excommunicatum absoluere.*
Mulieres ob percussionem clerici excommunicata absolui possint ab Episcopo.
Si quis miricitus capitales habeat, an ab alio, quàm à Papa absolui possit.
23 *An impuberes possint ab Episcopo absolui.*
Officialis; quando à Papa, aut ab Episcopo absoluendus.
24 *Nobiles ob clerici percussionem, quomodo ab Episcopo sint absoluendi.*
25 *Pauperes & mendicantes ob clerici percussionem excommunicati, quando ab Episcopo absoluendi sint.*
26 *Infirmi seu valetudinarij an absolui possint ab Episcopo.*
An senes.
27 *An clerici simul cohabitantes ab Episcopo possint absolui.*
An ostiarius, Famuli & alij qui aliorum potestati subditi sunt.
28 *Dubius, an ob clerici percussionem excommunicationem incurrerit, an ab Episcopo suo ad cautelam absolui possit.*
Causam iustam habens non adeundi Papam, qua ratione ab Episcopo absolui possit.

Leuiter

Leuiter clericum percutientes absolui possint ab Episcopo.

19 *An Episcopi ex Tridentino possint absolvere quoscumque percussores clericorum occultos.*

An regulares privilegiati possint absolvere ab excommunicatione ob enormem percussionem clericorum quando est occulta? Refertur duplex sententia,

1. MAteria canonis *si quis suadente Diabolo* 17. *quæst.* 4. est sacrilegium, quo manus violenta in clericum iniicitur, Et quoad personas est vniuersalis; quoad actiones verò non est principalis, nimirum, manus violentas in clericum iniicere suadente Diabolo. Accessoriæ sunt mandare, dare consilium, auxilium, vel fauorem, vt ex aliis canonibus habetur, *cap. ficut dignum, de homicid. cap. mulieres, cap. quanta, de sentent. excommunic.*

2. Dubium est, an clericus prima tonsura initiatus aut in minoribus constitutus, si non incedat in habitu & tonsura & non obseruet requisita Concilij Trident. *sess.* 23. *cap.* 6. *de reform.* priuilegio huius canonis gaudeat? Quidam probabiliter, negant, quia priuilegium fori difficilius amittitur, quam priuilegium Canonis; ergo si Concil. Trident. aufert illis clericis fori priuilegium, dicendum est etiam auferre priuilegium canonis, tanto magis, quia priuilegium Canonis ex humano iure indultum est, priuilegium verò fori ex diuino. Ita Suarez *de censur. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 11. Bañez *in* 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 1. *prope finem*, Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 3. *c.* 5. *n.* 4. Nihilominus affirmatiua sententia est tenenda, cum fulciatur declaratione Sacræ Congregationis apud Comitolum *in resp. moral. lib.* 6. *quæst.* 20. Probatur, quia iure communi clerico in minoribus constituto concessum erat priuilegium Canonis, tametsi alicui Ecclesiæ seruitio addictus non fuerit, neque in aliqua schola ex licentia Episcopi versaretur. At Tridentinum solùm restrinxit priuilegium fori; ergo priuilegium Canonis sub dispositione iuris communis relictum est, cùm sint hæc priuilegia omninò distincta; sed ius antiquum determinat clericum non deferentem habitum & tonsuram non amittere priuilegium Canonis, nisi trina monitione præmissa, vt in *cap. contingit el* 2. *de sentent. excommunic.* vel ex alio capite priuilegio clericali priuatus sit. Ergo Concilium Trident. tantùm clericis aufert priuilegium fori: Et casus non expressus habetur pro omisso, quando lex de aliquo disponit. Hanc sententiam sustinent Molina *de iustit. tract.* 3. *disp.* 54. Naturrus *lib.* 5. *consil.* 25. *de priuileg.* Palaus *tom.* 6. *disp.* 3. *punct.* 23. *num.* 3. Auila de censuris, *part.* 2. *cap.* 1. *disp.* 2. *dub.* 9. *conclus.* 3. & alij quos citat & sequitur Diana *part* 3. *tract.* 5. *resol.* 82. Vnde secundum hanc opinionem percutiens clericum qui non habet beneficium, neque requisita Concilij Tridentini incidit in censuram huius canonis.

Conc. Trid. Suarez, Bañez. Layman. Sac. Congr. Comitolus. Molina. Naturrus. Palaus. Auila. Diana.

3. Clerici, qui deserto habitu clericali grauibus criminibus, vt pote tyrannidi & seditioni, aliisque facinoribus se inuerecundè immiscent, excluduntur ab hoc priuilegio Canonis, *ex cap. perpendimus cap. cùm non ab homine, de sentent. excommunicat.* Idem dicendum à fortiori, si in crimen assassinij inciderint, iuxta *cap.* 1. *de homicid. in* 6. quia sunt spoliati tales omni priuilegio clericali, & sine alia degradatione occidi possunt aut verberari sine excommunicatione vel alia pœna, & tradit Sylvester *verb. Assassini quæst.* 3. Clarus §. *finali, quæst* 36. *num.* 30. & alij. Clerici verò excommunicati, suspendi, interdicti vel depositi verbaliter tantùm, aut irregulares gaudent priuilegio huius Canonis, vt patet ex *cap. intelleximus, de iudiciis.* Non autem clerici hæretici aut Schismatici, nam cùm hi delinquant in legem Ecclesiæ, non debent lege Ecclesiæ iuuari. Vt docent communiter Doctores *in cap. contingit* 1. *de sentent. excommun.* Gaudent etiam hoc priuilegio clerici ordinati per saltum, vel ab alieno Episcopo absque dimissoriis, vel cum dimissoriis fallis, nam tales verè recipiunt ordinem, quamuis maneant suspensi ab illius exequutione. Vt docet Marchinus *de ordin. tract.* 2. *part.* 1. *cap.* 15. *difficult.* 11. Contra Bonacinam negantem hoc priuilegium ordinato ab alieno Episcopo.

Sylvest. Clarus. Marchinus. Bonacina.

4. Vt clericus coniugatus gaudeat priuilegio fori & Canonis: Secundùm plurimorum sententiam tria copulatiuè requiruntur, scilicet habitus clericalis, tonsura & seruitium Ecclesiæ ex mandato Episcopi, quorum alterum si deficiat, absque alia monitione gaudere non potest prædictis priuilegiis, supposito etiam, quod contraxerit cum vnica & virgine, vnde hæc tria copulatiuè requiruntur. Ita Sanchez *de matr. lib.* 7. *disp.* 46. *num.* 1. Coninck *disp.* 14. *num.* 158. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Nihilominus alij existimant dictam conditionem seruitij Ecclesiæ esse additam à Tridentino ratione priuilegij fori, de quo ibi est sermo, & proinde quod illius dispositio minimè extendenda sit ad hoc priuilegium Canonis. Ita Auila de censur. *part.* 2. *cap.* 5. *dub.* 11. *concl.* 2. Megala *in* 3. *part. instruct. Confess. lib.* 4. *quæst.* 5. *num.* 37. etiam probabiliter.

Sanchez. Coninck. Layman. Auila. Megala.

5. Certum est apud omnes, quòd non solùm cooperans auxilio, vel consilio ad percussionem clerici, in hunc Canonem incidit, sed etiam prohibere debens & valens, si non obuiat & protegit ne verberetur, si ad id teneatur ex officio & iustitia. *ex cap. Quanta, de sentent. excommunic.* vt sunt officiales, Superiores, eorum ministri, patres, tutores, curatores, hæri; Pædagogi, Parochi & similes, & è contra eorum filij, pupilli, famuli, mancipia & Parochiani. Ratio est, quia ille consensus in percussionem clerici censendus est hac excommunicatione puniri, qui secundùm mortalem æstimationem consilium aut auxilium esse reputatur: vt constat ex illis verbis: *Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt obuiare.* Notandum tamen vt hæc censura incurratur non impediendo percussionem clerici, quatuor copulatiuè debent concurrere. *Primò*, vt teneatur quis ex officio. *Secundò*, vt possit impedire sine iactura & periculo vitæ, honoris aut bonorum. *Tertiò*, vt possit commodè impedire, nam non dicitur posse aliquid fieri, nisi commodè fieri potest. *Quartò*, vt offensio clerici sit manifestè iniusta, aliàs non teneretur. Sed quia textus supra absolutè & sine restrictione loquitur de iis omnibus, qui manifesto facinori desinunt obuiare, cùm possint, ideò quidam Doctores putant, omnes ad hoc teneri sub pœna huius censuræ, etiamsi teneantur tantùm impedire ex charitate, & maximè si non prohibent dolosè, hoc est, quando ex intentione nolunt obuiare, secus si hoc non faciunt dolosè, sed quia nolunt se immiscere rumoribus, vel ex timore, vel ex negligentia. Ita Sayrus *lib.* 3. *cap.* 26. *num.* 24. Suarez *disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 56. & alij penes ipsos.

Suarez. Sayrus.

6. Percutiens clericum causâ correctionis, excommunicationem non incurrit, *cap. cùm voluntate, de sentent. excommunicat.* modò percutiens ad id legitimam habeat facultatem & iurisdictionem. Dubitant tamen Doctores, an Pater correctionis causa possit percutere filium clericum in

Digitized by Google

in ſacris conſtitutum ? Et quidem pro parte negatiua poſſet dici, quod indecens eſſe videtur clericum in ſacris conſtitutum à Patre laico verberari & præſumendum non eſt iura huic rei patrocinari velle : Et cùm ius commune prohibens clerici percuſſionem fauorabile ſit Eccleſiaſtico Ordini, reſtringi non debet, niſi expreſſam in iure exceptionem reperiamus ; nullibi autem expreſſum eſt, quod Pater filios clericos in ſacris conſtitutos, abſque metu cenſuræ caſtigare poſſit : ſed ſolùm minoribus gradibus conſtitutos adoleſcentes conceditur in prædicto *cap. cum voluntate* Patri-familias poſſe punire correctionis gratia, ergo tacitè denegatur poteſtas puniendi cùm ſunt maioribus ordinibus inſigniti. Propter has rationes negatiuæ ſententiæ adhærent Layman *lib. 1. tractat. 5. parte 2. cap. 5. num. 8.* Molina *tractat. 2. diſp. 228. & tractat. 3. diſput. 56.* & alij probabiliter. Communior tamen ſententia ſuſtinet poſſe. Ratio eſt, quia Pater maiorem in filium poteſtatem habet, quàm magiſter in diſcipulum : atqui *in cap. 1. & cap. ex tenore, de ſentent. excommunic.* abſolutè & ſine reſtrictione ſignificatur, magiſtrum ab excommunicatione immunem eſſe, ſi diſcipulum correctionis cauſa percutiat, ergo idem de Patre ſentiendum eſt erga filium. Tum quia Patri quoad correctionem ſui ſubſunt liberi : Sacerdos filius eſt nec à charactere ius ſibi prætexere vllum poteſt vi cuius à patria poteſtate ſit liber. Ita Suarez *diſp. 22. ſect. 1. num. 49.* D. Antoninus, Syluester, Nauarrus, Filliucius, Coninck, & alij quos refert & ſequitur Diana *part. 9. tractat. 4. reſolutione 1.*

Layman. Molina. Suarez. D Antonin. Sylueſt. Nauarrus. Filliucius. Coninck. Diana.

7. Ratam habens percuſſionem clerici etiam poſt factum, cenſuram huius canonis incurrit, vt habetur *in cap. cùm quis, de ſentent. excommunic. in 6.* his verbis. *Cùm quis abſque tuo mandato manus iniicit in clericum tuo nomine violentas : ſi hoc ratum habueris, excommunicationem latam à Canone incunctanter incurris, cùm ratihabitio retrotrahatur & mandato debeat comparari. Si verò iniectio eadem tuo nomine non ſit facta, tunc licet pecces ratam habendo, non tamen propter hoc excommunicationis vllius vinculo innodaris ; cùm quis ratum habere nequeat, quod eius nomine non eſt geſtum.* Tamen vt ratum habens hac cenſura ligetur, tria requiruntur. *Primum* vt delictum ſit commiſſum nomine ſuo, alioquin illud ratificare non poteſt. *Secundum*, vt verè ratum habeat, id eſt vt approbet factum nomine ſuo ; nam ſi tantùm non doleret, vel gauderet quod ſit factum, non diceretur ratum habere. *Tertium*, vt tempore quo fuit commiſſum delictum, fuerit ipſe habilis ad committendum illud ; nam cùm ratihabitio retrotrahatur ad tempus priuſquam fuerat commiſſum delictum, neceſſariò requiritur, vt tunc temporis ratum habens fuerit habilis ad mandandum ; vnde ſi erat tunc infans vel amens ratum habere non poteſt. Vide Auilam *de cenſur. part. 2. cap. 5. diſp. 3. dub. 9.* Megalam *in 3. part. inſtit. Confeſſ. lib. 4. c. 1. queſt. 1.*

Auila. Megala.

8. Difficultas eſt, an mandans vel conſulens percuſſionem clerici, incidat in hunc canonem, ſi ante percuſſionem pœniteat & conteratur, poſito quod non poſſit reuocari mandatum nec conſilium ? Affirmant quidam, Ratio illorum eſt, quia iſte in eo caſu eſt abſolutè voluntarius percuſſor clerici ; quia adhuc non reuocato mandato, reuera influit moraliter in talem percuſſionem, nec talis influxus tollitur ex ſola interna contritione peccati : ergo quòd peccatum propter quod cenſura fertur remiſſum ei ſit, non ſequitur quominus in hoc caſu excommunicatio incurratur, Ita Sanchez *lib. 1. Summ. cap. 16. in fine*, Cornejo *in tertia parte D. Thom. tract. 5. de excommunic. diſput. 3. dub. vltim.* & alij. Secunda ſententia aſſerit cenſuram non incurri ab hoc in foro conſcientiæ. Ratio eſt, quia excommunicatio non poteſt contrahi abſque peccato vel contumacia, ſed ſtante hac pœnitentia, tempore quo percuſſio ſequitur, non adeſt nouum peccatum neque noua contumacia, ergo cenſura hæc non incurritur. Hæ duæ ſententiæ ſunt probabiles, vt de poſteriori teſtatur Bonacina *diſp. 1. de cenſur. in genere quæſt. 1. punct. 6. num. 6.* Auila *de cenſur. part. 2. cap. 5. diſp. 3. dub. 7. concluſ. 2.* Duardus *lib. 2. in Bullam cœnæ tanon. 9. queſt. 5. & can. 11 queſt. 13.* Cæterum quoad forum externum ſufficit cauſa libera data & effectus, vt vult prima ſententia : ſed pro foro interno non ſufficit, ſed requiritur peccatum, vel perſeuerantia in peccato, ſiue contumacia ; cùm omnis cenſura, vt cenſura, ſit pœna medicinalis, vel peccati, vel contumaciæ. Vide quæ diximus in ſimili *tom. 1. verſ. Caſus reſeruatus numero 40. §. X. verſ. maiùs Dubium.*

Sanchez. Cornejo. Bonacina. Auila. Duardus.

9. Qui notoriè conſuluit, vel mandauit, aut ratam habuit, vel non impediuit percuſſionem clerici, non eſt vitandus, ſicut notorius percuſſor, ſed priùs debet nominatim denunciari vt excommunicatus. Ratio eſt, quia ſicut conſulens, mandans, &c. non incurriſſent hanc cenſuram ex diſpoſitione Canonis *ſi quis ſuadente*, niſi Summi Pontifices per iura ſpecialia id expreſſiſſent ; ita etiam dum Concilium Conſtantienſe iubet nos debere cuitare duntaxat notorios percuſſores, in eius diſpoſitione non includuntur conſulens, mandans, ratum habens, &c. tum quia in odioſis verba ſunt ſtrictè ad litteram intelligenda, tum quia iſtæ cauſæ tunc incurrunt, quando efficaciter influunt in effectum ; & ideò licet poſſit eſſe notorium conſilium, mandatum, ratihabitio, &c. non poteſt tamen eſſe notorius ipſe influxus efficax, qui eſt cauſa immediata incurſus in ipſam excommunicationem, niſi præcedenti legitima probatione. Et hanc ſententiam ſuſtinet Leone *de cenſur. recollect. 5. num. 335*, cui adhæret Diana *part. 9. tract. 4. reſol. 18.*

Leone. Diana.

10. Cùm defenſio non ſolùm propria, ſed cuiuſuis innocentis licita ſit, hinc in cenſuram non incidunt qui in defenſionem ſui vel alieni corporis, honoris, famæ & bonorum fortunæ clericum aggreſſorem detinent, vel percutiunt : quia hæc non eſt vis & violentia, ſed defenſio. Vt dicitur in *cap. ſi verò cap. ex tenore de ſentent. excommunic.* quod tamen intelligendum eſt, dummodò moderamen inculpatæ tutelæ non excedatur. Dicitur autem moderamen inculpatæ tutelæ, quando quis agit illud, ſine quo aliter ſe, vel alios, vel res ſuas ; vel alienas defendere non poteſt. Prudentis autem viri arbitrio relinquitur iudicandum in quo conſiſtat dictum moderamen, ſeu quando in eo conſeatur factus excellus grauis ad finem incurrendi hanc excommunicationem, ſi conſideratis circumſtantiis loci, temporis, perſonarum, &c. quis contra aggreſſorem clericum modo faciliori vel benigniori defendere ſe non poſſe, rationabiliter exiſtimauerit.

11. Ignorantia aliquando excuſat ab incurſu huius cenſuræ, vt patet in eo qui clericum percutiens arbitratus eſt eſſe laicum, quia habitum & tonſuram non geſtabat. Cæterùm, ſi quis exiſtimet eſſe Ioannem Clericum, quem percutit, cùm ſit clericus Iacobus, cenſuram excommunicationis non effugiet. Contra verò dicendum, ſi quis

Digitized by Google

quis volens percutere hunc clericum, ab eo aberret, & casu, siue præter intentionem percutiat alterum clericum proximè adstantem, talis enim excommunicationem non incurrit. Ratio discriminis est, quia in priori casu voluntariè percutit hominem quem scit esse clericum, in quo tota ratio consistit ob quam Canonis excommunicatio lata est, in posteriori autem casu voluntariè non percutit hominem, quem scit esse clericum, siquidem à clerici volita percussione aberrauit: alium autem hominem, qui fortè adstabat & clericus erat præter intentionem ac inuoluntariè percussit. Ita Suarez *disputat. 22. sect. 1. numero* 54. Coninck *disputat. 14. dub. 15. num. 197.* Suarez. Coninck. Non est tamen improbabile in priori casu, quo quis existimat se percutere Ioannem clericum, & percutit Iacobum clericum, censuram hanc non incurri. Ratio est, quia sufficienti adhibitâ diligentiâ, ne percuteretur alia persona, nisi Ioannes, actio illa exterior respectu Iacobi non fuit voluntaria, sed merè casualis & inculpabilis, & proinde non inducit censuram, cùm non fuerit causa illius.

42. Clericum capiens per capillos seu Barbam, vel Monachum per Capucium, eique dicens, nisi esses Clericus vel Monachus te percuterem vel occiderem, censuram huius Canonis incurrit: quia ad hunc effectum non requiritur actio physicè tam releuans vt sit peccatum mortale: sed sufficit eam esse contra immunitatem corporis proprij, seu contra ius quod vnusquisque habet in corpus suum, vel vt sit grauis contra honorem, dummodò corpus attingatur. Ex quo fit, quamuis contactus physicè consideratus leuissimus sit, si tamen, secundùm moralem æstimationem, sufficiat ad grauem iniuriam contra honorem & reuerentiam clerico debitam, sit satis ad hanc censuram incurrendam. Ita Graffius *lib. 2. prima parte cap. 49. num. 17. & tom. 2 consil. 1. de sentent. excommunic. num. 8. & 13.* Graffius. Molina *tom. 4. de iustit. disput. 57.* Leone *de censur. recollect. 5. num. 145. & sequentib.* Molina. Leone. Contra Bordonum *in consil. regul. resol. 28.* qui talem excusat à censura. Bordonus.

13. Si duo clerici vel religiosi per iocum, siue iocando se inuicem percutiant, non incurrunt censuram huius Canonis, *cap. 1. de sentent. excommunic.* etiamsi in ioco sit excessus & pariter in percussione, modò excessus ille ad peccatum mortale non perueniat. Potest enim cum aliquo motu iræ non plenè considerato percussio incœpta à ioco, deuenire ad solum peccatum veniale, ex defectu plenæ aduertentiæ: Imò potest contingere aliquando actum eumdem numero materialiter in initio esse primò primum, ita vt nec sit peccatum veniale; deinde lucescente aliquantulum magis ratione, potest idem actus esse peccatum veniale adhuc deficiente plena consideratione: Deinde affulgente magis rationis radio potest idem actus esse mortale peccatum propter iam plenam aduertentiam. Et hæc omnia possunt contingere in percussione incipiente per iocum maximè si fiat excessus in percussione non consueta in ioco: & talis poterit inde oriri stimulus conscientiæ, vt pro foro conscientiæ ad cautelam petenda sit absolutio. Ita Portel *in dub. regular. verb. manus violenta, in addit. num. 4.* Portel.

14. Monialis procurans sibi abortum potione vel pugnis, hanc excommunicationem non incurrit: quia manus hæc, licet sit violenta naturæ, non tamen est violenta personæ consentienti, nec iniuriosa statui Ecclesiastico: quia non sibi, sed fœtui iniuriam irrogat. Ita Caiet. *verb. excomm. cap. 20. tab. 3.* Caietanus. Iacobus Gordonus *in Summ. tom. 2. lib. 7. q. 13. §. 3. n. 33.* Gordonus. & alij communiter. An autem idem dicendum sit de extraneo dante potionem moniali ad abortum faciendum, sequuto effectu? Resp. Probabilem esse affirmatiuam sententiam, iuxta dicta *tom. 1. verb. Excommunic. VII. §. vnic. num. 2. vers. Petes secundò.* Contrarium tamen non est improbabile, nempe extraneum dantem potionem moniali ad abortum, incidere in excommunicationem huius canonis, secuto effectu: quia fœtus est pars ventris & viscerum matris, quia fœtus mortuus cum matre sepelitur, ergo læditur tum fœtus, tum ipsa monialis. Quod confirm. ex eo quod tangens non solùm vestimentum quo clericus actu induitur, sed etiam equum vel inhærentia equo cui insidet, incidit in excommunicationem; ergo multò magis abortire faciens monialem; cùm non adhærentiæ moniali, sed partem naturalem ipsius lædat; & sic non naturæ sed personæ religiosæ fit violentia, & corporalis læsio. Ita Bordonus *in consil. regul. tom. 1. resol. 28. num. 10.* Bordonus.

15. Mandans, censuram huius canonis incurrit, etiamsi mandatum non sit expressum, sed tacitum, vt si quis offensus ab aliquo clerico, diceret coram amicis, vel familiaribus, se desiderare vindictam de tali iniuria, præuidens aut præuidere debens inde eos fore excitandos ad eum percutiendum. Ratio est, quia ille est causa mortalis talis percussionis, & excitat, & mouet, & virtualiter mandat. Ita Suarez *disp. 22. sect. 1. n. 55.* Carolus de Grassis, *de effect. cleric. effect. 9. n. 35.* Suarez. Grassis. vt autem hic esset liber ab excommunicatione, deberet affirmare se non dicere eo animo vt percutiant, & quod non desiderat, quod ipsi percutiant. Probatur argumento *cap. pennit. de homicidio in 6.*

16. Quandonam percussio dicenda sit leuis, grauis & enormis, sequentia notanda sunt. *Primò*, Percussio erit leuis, quæ fit pugno, id est, palma, baculo, vel lapide & vbi nullum membrum fœcatur, aut dens euellitur, nec multùm sanguinis effunditur. Ita Nauarrus *in man. c. 27. n. 91.* Nauarrus. Nihilominus hoc non est semper verum, nec circa hoc dari potest certa regula; proinde iudicio boni viri, seu prudentis iudicis, iudicanda est leuis percussio ex circumstantiis personarum, locorum, temporum & ex modo percutiendi ac lædendi. Si enim clerico solemniter ministranti in altari quis leuiter manus iniecerit, non erit leuis sed atrox percussio facta clerico etiam leuiter, vel in Ecclesia, vel in platea, ex quo fuit notoria. Notandum tamen in hac materia non intelligi per leuem percussionem, illam, quæ non pertenit ad peccatum mortale, cùm ob eam, quæ non est mortifera non incurratur hæc excommunicatio: Sed ea leuis in hac materia censetur, quæ licet mortifera sit, respectu tamen aliarum percussionum mortiferarum, nec enormis est, nec mediocris. Vnde communiter percussio quæ fit à Magistro, Prælato, Patre, Domino in discipulum, clericum, filium aut seruum, leuis censetur.

Mediocris seu grauis est illa, quæ media est inter leuem & enormem, & quæ ex variis etiam circumstantiis pensanda est, de qua cognoscit is, qui de enormi iudicare debet, vnde non est necesse recurrere ad Papam ad hoc iudicium habendum, sed Episcopus, vel Prælatus arbitrari debet & potest; quia ex quo eis conceditur certis casibus absolutio, cognoscere possunt, an eorum sit iurisdictio, *argument. cap. super litteris, de rescript. & in l. si quis ex aliena, ff. de iudic.* cauere tamen debent sibi in hac re, ne leuem dicant, vbi est enormis.

Enormis autem percussio illa dicitur, quæ peruenit

uenit ad occiſionem, aut mutilationem membri, aut ad effoſſionem oculi, aut alicuius læſionis exceſſum, quo quis inutilis reddatur ad munus ſuum obeundum, aut ſi multum ſanguinis effundatur, ita vt vulnus notabile illatum ſit, quod deſiderat remedium Chirurgiæ, aut aliorum Medicinalium, non tamen, vbi ſanguis è naribus ſolùm effluereat. Item ſi laicus officialis auctoritatiuè percutiat clericum. Aut ſi quis iniiciat manum in Epiſcopum, vel Abbatem, vel etiam Priorem, qui eſt caput Monaſterij, vel eſt eius vices gerens. Item ſi in Sacerdotem ſacris veſtibus indutum manus inferantur. Item ſi Monachus percutiat clericum ſæcularem, modo inde ſcandalum ſequatur. Item enormis erit ex irreuerentia, nempe ſi in conſpectu Prælati, aut Iudicis percutiatur clericus. *Inſtitut. de iniuriis, §. atrox.* Item ex loco, vt ſi in Eccleſia, cæmeterio, vel dormitorio, vel platea, *argument. cap. pro cauſa, de ſentent. excommunic. & cap. quiſquis*, 17. *quæſt.* 4. Item ex loco vulneris puta ſi ſit vulneratus in oculo, aut facie. Item ex facti notoreitate, præſertim ſi percutiatur clericus in magno aliquo concurſu, puta in foro, in magna feſtiuitate, aut in nundinis, vel mercatu celebri. Nauarrus tamen exiſtimat *in man. cap. 27. num. 92.* non eſſe dicendam ſemper percuſſionem enormem, quæ fit in locis publicis aut in Eccleſia, aut cæmeterio, vel dormitorio, aut in præſentia Iudicis, aut quæ fit in oculo, vel facie, niſi quando percuſſio eſt grauis, vel in ſe notabilis, vel quando ex ea magnum oritur ſcandalum. Cuius opinio quamuis ſatis probabilis ſit, contraria tamen eſt communior, & in conſcientia tutior. Vide Molinam *tract. 3. diſp. 57.* Sylueſtrum *verb. Abſolutio 4. in princip.* Sayrum *lib. 3. cap. 28. num. 42 & ſequent.* Palaum *tom. 6. diſp. 3. punct. 23. §. 4.* & alios penes ipſos.

Nauarrus.

Molina. Sylueſt. Sayrus. Palaus.

17. Difficultas eſt, quando dubium occurrit, an percuſſio ſit leuis vel mediocris, vel enormis, iudicandum ſit eſſe grauem? Videtur poſſe Prælatum iudicare illam leuem, ne ſe priuet ſua iuriſdictione, qua in dubio nemo tenetur ſe ſpoliare: ſicut dubitans an aliquis caſus ſit reſeruatus, poteſt reſoluere non eſſe reſeruatum. Ita Sanchez *lib. 1. moral. c. 10. num. 74.* quem ſequitur Bordonus *in conſil. regular. reſol. 28. num. 45.* Verùm quia contra illos ſtant communiter Doctores, ab affirmatiua ſententia non eſt diſcedendum, nempe Prælatum potiùs debere inclinare percuſſionem fuiſſe grauem & enormem, quàm leuem; ne præbeatur occaſio lædendi ſtatum Eccleſiaſticum, & ne iniuriantes, de vicina abſolutione confiſi de facili in atroces prorumpant percuſſiones. Ita Sayrus *lib. 3. cap. 28. num. 6.* Suarez *de cenſur. diſput. 22. ſect. 1.* Molina *tract. 3. diſp. 57.* Diana *part. 9. tract. 4. reſol. 46.* & alij communiter.

Sanchez, Bordonus.

Sayrus. Suarez. Molina. Diana.

18. Ab excommunicatione contracta ob grauem & à fortiori ob enormem clerici percuſſionem, iure communi nullus alius præter Pontificem, eiuſve Legatum abſoluere poteſt, vt *in cap. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4.* habetur. Exceptis aliquibus caſibus in iure expreſſis qui caſus & perſonæ in his verſibus continentur:

Regula, mors, ſexus, hoſtis, puer, officialis,
Delicioſus, inops, ager, ſeneſque, ſodalis,
Ianitor, aſtrictus, dubius, cauſe, leuis ictus,
Debilis, abſolui ſine Summa ſede merentur.

Primus caſus continetur in verbo *Regula*, hoc eſt, ſi regularis verberet regularem eiuſdem Monaſterij, abſolui poteſt à ſuo Prælato, modò percuſſio fuerit leuis & mediocris, nam enormis reſeruatur Papæ, *cap. Monachi, de ſentent. excommunic.* Et licet ibi non diſtinguatur de leui & enormi; tamen *cap. cùm illorum 32. & cap. canonica 50. eodem tit.* etiam de intellectu dicti capitis venit ſolùm leuis ac mediocris. Quia ſi eſſet enormis, nec Abbas ſuos Monachos, nec Epiſcopus ſuos clericos abſoluere poſſet, niſi in caſibus, in quibus Papam adire nequeunt, ſed tantùm à Papa abſolui poſſunt. Verùm hodie religioſi ferè omnes priuilegia habent, vt etiam ab enormi abſolui poſſint à Prælatis ſuis, ne alioquin, ſi ad Papam mittendi eſſent, occaſio vagandi illis tribueretur: & hoc ſiue in clauſtro, ſiue extra, ſiue religioſos proprij Monaſterij ſiue alieni percutiant. Vt patet ex conceſſione Clementis IV. apud Rodriguez *tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 20. art. 12.* Mirandam *tom. 2. q. 35. art. 24.*

Clem. IV. Rodrig. Miranda.

16. De iure communi Prælatus ſuum ſubditum percutiens niſi percuſſio ex alio capite enormis ſit, à Superiore ſuo intra Religionem abſolui poteſt: quia percuſſio ſubditi de ſe non eſt ita grauis, vt propter eam ſemper Apoſtolica Sedes adiri debeat. Quod ſi proprium Superiorem non habeat, ab Epiſcopo abſolui poterit. Vt habet textus *cap. Monachi, de ſent. excomm.* Si verò Abbas percutiat religioſum non ſibi ſubditum, abſoluendus eſſet à Prælato religioſi percuſſi, vt conſtat *cap. cùm illorum, de ſentent. excomm.* Virtute tamen priuilegiorum ipſi Prælati pro quantumuis enormi percuſſione religioſorum, vel etiam clericorum ſæcularium à Prælatis ſuæ Religionis abſolui poſſunt: non enim ſunt peioris conditionis, quàm ſubditi, cùm ſint principale membrũ Religionis. Imò non ſolùm à Superioribus Prælatis abſolui poterunt, verùm etiam licebit eis, etiamſi conuentuales Prælati ſint eligere ſibi confeſſarium, qui eos abſoluat ab omnibus cenſuris & caſibus, à quibus ipſi proprios ſubditos abſoluere poſſunt. Ita Suar. *de relig. tom. 4. tr. 8. lib. 2. c. 23.* Diana *p. 9. tr. 4. reſol. 49.* Rodriguez *loco cit.* Miranda *ſupra concl. 1. verſ. aduertendum eſt.* quia hi Prælati ex priuilegio *cap. vlt. de pœnitent. & remiſſ.* poſſunt ſibi confeſſarium eligere præter ſuorum Superiorum licentiam, vt diximus alibi.

Suarez, Diana. Rodrig. Miranda.

20. Si religioſus vnius Monaſterij religioſum alterius percutiat, iure communi non poteſt à proprio Prælato abſolui, ſed à Prælato illius religioſi, in quem manus violentas iniecit, *cap. cùm illorum, de ſent. excomm.* Et hoc procedere videtur, ſiue illa Monaſteria ſint diuerſorum Ordinum, ſiue eiuſdem, & ſatis eſt, vt percutiens & percuſſus diuerſos habeant Superiores: ſi tamen eſſent eiuſdem Ordinis, poſſent à prouinciali, vel Generali, aut alio communi Prælato abſolui. Ita Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5.* Sayrus *lib. 3. cap. 28. num. 11.*

Layman. Sayrus.

Sed quid ſi religioſus percutiat ſæcularem clericum? Reſp. quod ex vi *cap. Monachi*, non poteſt à proprio Prælato abſolui, ſed ad Sedem Apoſtolicam recurrere debet, vt declaratur *in cap. cùm illorum.* Ex diſpoſitione autem *cap. Religioſo, de ſent. excomm. in 6.* poteſt religioſus ab Epiſcopo abſolui, in eo caſu tantùm in quo clerici ſæculares, ſi aliquem clericum ſæcularem percuſſiſſent, abſolutionem obtinere poſſent, nempe quando percuſſio eſt leuis. Secus dicendum eſt, de iure priuilegiorum, quia vt diximus ſupra, Prælati regulares poſſunt abſoluere ſuos regulares ſubditos ab excommunicatione propter iniectionem manuum violentarum in clericum, etiamſi ſit Sedi Apoſtolicæ reſeruata, vt tradunt Bordonus *in conſil. regular. tom. 1. reſolut. 28. num. 50.* Caſtrus Palaus *tom. 6. diſputatione 3. punct. 23. §. 4. num. 10.* & alij.

Bordonus. Palaus.

21. Certum eſt apud omnes, Superiores Regulares poſſe abſoluere nouitium ab excommunicatione incurſa

incurſa propter percuſſionem clerici ante ingreſſum Religionis. Difficultas eſt, ſi contingat nouitium, qui in hunc Canonem incidit, egredi à Religione nondum facta profeſſione, an reincidat in eamdem excommunicationem? Reſp. ex communiori ſententia reincidere; niſi ſe præſentet ei, à quo fuiſſet abſoluendus. Nam propter fauorem Religionis, & ſic ob temporale impedimentum, ne ſcilicet vagaretur, quod in nouitio tanto periculoſius eſt, quanto eſt infirmior & minùs expertus, abſolutus fuit: vnde remanet onus ſe præſentandi. Ita Sayrus *lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 15. Caſtrus Palaus *loco citato*, Molina *tract.* 3. *diſp.* 60. Diana *part.* 9. *tractat.* 4. *reſol.* 51. & alij. Quamuis Bordonus *in conſil. regul. tom.* 1. *reſolut.* 28. *num.* 56. ſuſtineat non reincidere, quamuis non ſe præſentet Ordinario, cui erat ſubiectus: ſiue abſolutus fuerit virtute iuris *cap. cùm illorum, de ſentent. excomm.* ſiue iure priuilegiorum. Probat primum, quia ibidem ſimpliciter datur hæc facultas nullo reſpectu habito ad perſeuerantiam, aut retroceſſionem. Alterum probat, quia nouitij priuilegiis vtuntur more profeſſorum, quibus ſunt conceſſa ſimpliciter, & non ſub conditione ſi remanſerint. Tum quia priuilegia, in quibus fit mentio de ipſis nouitiis, non ponunt clauſulam reincidentiæ, niſi priuilegium Clementis IV. apud Rodriguez ſupra, vbi ponit reincidentiam ſolùm quando abſolutus fuit ante ingreſſum & receptionem habitus, & non intrauit mox Ordinem, proinde non reincidet ſi abſoluatur virtute priuilegij Clementis VII. conceſſi Prædicatoribus, vel Pauli III Societati IESV, Ita Bordonus. Sed tu Lector Iudica.

Sayrus. Palaus, Molina, Diana. Bordonus.

Clem. VII. Paulus. III.

22. Secundus caſus continetur in Verbo, *Mors*, quando ſcilicet, qui percuſſit, eſt in periculo mortis, quod accidit non ſolùm propter infirmitatem, ſed etiam ſi quis ſit in quocumque periculo vicino morti, quo caſu à quocumque Sacerdote abſolui poteſt. Vt pluribus in locis diximus tom. primo.

Tertius caſus continetur in Verbo, *Sexus*, Mulieres enim cuiuſcumque conditionis ſint percutientes clericos, ex quauis percuſſione, abſolui poſſunt ab Epiſcopo, ex *cap. Quamuis, cap. Mulieres, & cap. ea noſcitur, de ſentent. Excomm.* quia in ipſis ſemper periculoſum eſt vagari. Quod multò magis procedit in monialibus, non ſolùm vt mulieres ſunt, ſed etiam quia communiter profitentur perpetuam clauſuram.

Quartus caſus continetur in verb. *Hoſtia*, quando ſcilicet, quis inimicitias habet capitales, vel alias iuſtas excuſationes, propter quas non poteſt ſe Sedi Apoſtolicæ ſine periculo vitæ repræſentare; de quo periculo ſtabitur boni & prudentis viri arbitrio. *cap. de cætero, cap. quod de his, de ſentent. excommunic.*

23. Quintus caſus continetur in verbo, *Puer*. Impuberes enim pueri & ſic minores quatuordecim annis & puellæ puberes incidentes in hunc canonem, poſſunt abſolui ab Epiſcopo Diœceſano, dummodò ſint doli capaces: & hoc ſiue ante, ſiue poſt pubertatem abſolui poſtulent, nec tenentur ſe Sedi Apoſtolicæ poſtea preſentare: quia beneficium ſemel indultum minori, ex quo cœpit habere locum, non extinguitur per ætatem maiorem ſuperuenientem, iſtos enim excuſat ætas à labore itineris, vt habetur *in cap.* 1. *cap. quamuis & cap. fin. de ſentent. excommunic.*

Sextus caſus continetur in verbo, *Officialis*. Hinc Ianitor, ſeu Oſtiarius, qui prætextu ſui officij, percutit clericum etiam animo iniuriandi, abſolui poteſt ab Epiſcopo, quamuis percuſſio grauis ſit, modò enormitatem non attingat, colligitur ex *cap. ſi verò 1. de ſentent. excommunic.* Idem dicendum de Heluetiis arcentibus turbam dum Pontifex, vel alius Princeps egreditur, ſi animo maligno, & ex propoſito, non fortuito caſu, percutiant clericum.

Tamen, ſi officialis laicus arrogando ſibi iuriſdictionem, & quaſi id licitè præſtare poſſet, & non ad defenſionem Oſtij ſibi commiſſi Eccleſiaſticum percuteret, nequaquam abſolui poſſet ab Epiſcopo; eſto percuſſio quoad læſionem corporis leuis ſit. Ratio eſt, quia percuſſio clerici titulo iuriſdictionis & auctoritatiuè facta ab officiali laico, ſemper eſt grauis & atrox ex circumſtantia perſonæ lædentis, nempe quod, cùm ſit laicus officialis, auctoritatiuè percuſſit clericum, vnde talis ſemper eſt remittendus ad Papam pro abſolutione, exceptis caſibus legitimi impedimenti, vt colligitur *ex cap. ſi verò, §. Officialis, de ſentent. excommunic.* Ita Caietanus *in Summ. verb, Excommunicatio cap.* 10. *verſ. Demum circa.* Notant tamen Doctores, quod quando iſti Ianitores & officiales abſoluuntur ab Epiſcopo ob percuſſionem non enormem, vigore ſeu beneficio iuris in hoc textu contenti, non eſſe illis iniungendum onus ſe præſentandi poſtea Sedi Apoſtolicæ, quia talis fauor in prædictis iuribus conceditur prædictis perſonis, non ratione impedimenti temporalis, ſed ob rationem ſpecialem perſonæ tali modo viuentis, vel tale munus exercentis. Vt docent Suarez *diſputatione vigeſima ſecunda, ſect.* 4. *de cenſur.* Molina *tract.* 3. *diſputat.* 62. Gordonus *in Summ. tom.* 2. *lib.* 7. *quæſt.* 13. §. 5. *num.* 46. & alij penes ipſos.

Caietan.

Suarez. Molina. Gordonus.

24. Septimus caſus continetur in Verbo, *Delicioſus*. Delicioſi autem dicuntur nobiles & magnæ potentiæ viri & ita delicati, vt laborem eundi ad Romanam curiam ſuſtinere nequeant, vt decernitur *in cap. Mulieres, de ſentent. excommunic.* Hi tamen antequam ab Epiſcopo ſeu ab alio inferiori abſoluantur à reſeruatis Papæ, eſt informandus Summ. Pontifex explicando ei ſtatum perſonæ & veritatem negotij, & ſecundùm eiuſdem conſilium erunt de commiſſo crimine corrigendi. Ad arbitrium autem Epiſcopi pertinet diſcernere, quis ita ſit delicatus, vt non poſſit ad curiam ire, vbi id non conſtat per euidentiam facti, vel etiam iudicium cuiuſuis prudentis viri. Si periculum mortis ſit in mora, cautio ſufficiens ab eo eſt recipienda, quod Papæ conſilio, vel reſponſo patebit. Ita Suarez *de cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 1. *num.* 80. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 28. *n.* 22. & alij.

Suarez. Sayrus.

25. Octauus caſus continetur in Verbo *Impos.* Dicuntur autem pauperes quoad hoc priuilegium abſolutionis obtinendæ ab Epiſcopo, etiam non mendicantes, carentes patrimonio ex quo ſe alere poſſint, viuentes tantùm ex ſuo artificio, qui non tenentur oſtiatim & cum verecundia ſibi victum quærere in itinere: nam pauperes non ſolùm dicuntur mendicantes, ſed etiam habentes congruam ſuſtentationem, qui tamen attento ſtatu & dignitate, videntur indigere: Item qui tenentur alere vxorem & familiam aut parentes ſuo labore, vel exercitio, non potentes id agere itinerando, neque ex propriis bonis, quibus carent, neque alio modo; vel qui habet multas filias nubiles, quibus dotem dare debet. Vbi autem quis ſolitus eſt mendicare, ſi aliàs eſt ſanus & robuſtus quamuis pauper, volunt Doctores etiam mendicando ad curiam ire oportere, vt abſoluatur, niſi mendicando ſoleret ſibi & vxori prouidere, & iter agendo id præſtare nequeat. Cæterum quis dicendus pauper, quæve paupertas cenſenda ſit ſufficiens impedimentum eundi ad

ſedem

ſedem Apoſtolicam, relinquitur iudicio Epiſcopi, vel alterius viri prudentis, qui attenta perſonarum & circumſtantiarum qualitate arbitrabitur, *Cap. quod quamuis, & cap. ea noſcitur, de ſentent. excommunic.* Vide Farinacium *in praxi criminali q.* 57. *num.* 93. *& ſequent.* Sylueſtrum *verb. Abſolutio* 4. *num.* 3. §. 8.

Farinacius, Sylueſt.

26. Nonus caſus habetur in verbo *Æger*, Infirmi namque ſeu valetudinarij aut præpediti quacumque alia impotentia corporis, incidentes in hunc Canonem, poſſunt abſolui ab Epiſcopo, ſiue infirmitas incurrabilis ſit vel pernicioſa, ſiue temporalis ſit, nempe febris tertiana vel quartana, vel podagra. Infirmis accedunt membris deſtituti, vt ſunt cæci, claudi & alij multifariam membris impediti: & hi comprehenduntur in decimo ſeptimo caſu ſub verbo *Debilis*. Secundùm notata in *cap. ea noſcitur, de ſentent. excommunic.*

Decimus caſus continetur in verbo *Senex*. Senes enim excuſantur ab itinere in vrbem, & ideò per Epiſcopum poſſunt abſolui: quia ſenes dicuntur infirmi & ſenectus ipſa eſt morbus: Dubium tamen eſt inter Auctores, quiſnam dicatur ſenex? Quidam enim tenent ſenem eum, qui annum quinquageſimum attigit, vſque ad ſeptuageſimum, & pro hac opinione faciunt quædam leges, quibus probatur excedentes quinquageſimum quintum annum, vt ſenes & maiores, à muneribus perſonalibus excuſari. Alij exiſtimant ſenem dici ſeptuagenarium: Sed communis ſententia habet, id iudicio iudicis, ſeu boni viri relinquendum eſſe, qui arbitrari debet iuxta qualitatem perſonarum: nam alij aliis citius ſeneſcunt iuxta variam temperamenti qualitatem. Probabile tamen eſt ſenes ſexagenarios poſſe abſolui ab Epiſcopo pro graui vel enormi clericorum percuſſione: nam licet in huiuſmodi ætate nonnullis robur, & optima membrorum expeditio contingat; hæc tamen adeò laſſitudini & infirmitati exiſtit obnoxia, vt vix ſine labore & periculo, nedum viam perficere, verum neque proficiſci valeant. Vide Dianam *part. 9. tractat. 4. reſol.* 60.

Diana.

27. Vndecimus caſus habetur in verbo *Sodalis*, clerici namque in eadem domo commorantes, ſimul viuentes & ſub eodem tecto dormientes, ad Papam mittendi non ſunt pro abſolutione, ſed ab Epiſcopo abſolui poſſunt, modò percuſſio non ſit enormis, vt communiter tradunt Doctores, *ex cap. Quoniam, de vita & honeſt. clericor.*

Duodecimus caſus continetur in verbo *Ianitor*, de quo egimus ſupra in ſexto caſu, de officiali.

Decimus tertius caſus habetur in verbo *Aſtrictus*. Aſtricti enim alterius poteſtati, ita vt ſui iuris non ſint, quales ſunt ſerui & filij-familias & huiuſmodi, abſolui poſſunt ab Epiſcopo in duobus caſibus. *Primò*, ſi delinquant in fraudem Domini, vel Patris-familias, vt eant Romam & ſe ſubtrahant obſequio debito Domino, vel Patri, recurrendo ad ſedem Apoſtolicam pro beneficio abſolutionis. *Secundò*, ſi Dominus vel Pater graue damnum patiatur propter abſentiam: niſi exceſſus ſit tam grauis & enormis, vel propter ſcandalum vitandum & tollendum, aut exemplum aliorum, ad Sedem Apoſtolicam deſtinari debeant. Quando autem hi abſoluuntur ab Epiſcopo, iniungenda eſt illis ſatisfactio aliqua pro recompenſatione laboris in itinere, puta oratio, ieiunium, diſciplina pro aliquo tempore. Idem dicendum de viro, qui in fraudem vxoris clericum percuteret & de liberto, qui in fraudem patroni ſui in hunc Canonem incideret, vt Romam irent, quia non ſunt ſui iuris, & ex eorum abſentia vxor & Dominus graue dãnum incurrerent. *Ex cap. Relatum, de ſentent. excomm.* Hoſtienſi *ibidem* & Aſtenſi *in Summ. part. 2. lib. 7. tit. 23. argum. 3. §. vndecimus*, Angelo, *verb. excomm. 5. n. 55.* & aliis.

Hoſtienſ. Aſtenſis. Angelus.

29. Decimus quartus caſus continetur in Verbo *Dubius*, Is enim de quo fama publica eſt, quod clericum percuſſerit; etiam vitandus eſt, niſi ad arbitrium Epiſcopi ſe purgauerit, vel niſi ad cautelam abſoluatur ab Epiſcopo ſuo, à quo in tali dubio abſolui poteſt.

Decimus quintus caſus habetur in Verbo, *Cauſæ*, qui enim habet iuſtam aliquam cauſam, non eundi ad ſedem Apoſtolicam, vel eius Legatum à latere, abſolui poteſt ab Epiſcopo: modò ſatisfaciat clericis iniuriam paſſis; & iuret, quòd ceſſante temporali impedimento, præſentabit ſe Apoſtolicæ Sedi illius mandato pariturus. De huiuſmodi autem legitimo impedimento arbitrabitur vir bonus & prudens. *Argum. cap. de cauſis, de offic. delegat.*

Decimus ſextus caſus continetur in Verbo, *Leuis ictus*, Percutiens enim leuiter clericum, poteſt abſolui ab Epiſcopo iure communi, vt colligitur ex *cap. peruenit, de ſentent. excomm.* Et hi ſunt caſus in quibus Doctores tradunt excommunicatos ob clerici percuſſionem, poſſe ab Epiſcopo abſolui.

29. Epiſcopi virtute Concilij Trident. *ſeſſ. 24. cap. de reform.* abſoluere poſſunt percuſſores clericorum quoſcumque, etiamſi poſſint recurrere ad Summum Pontificem, & ab omni alia excommunicatione, modò delictum occultum ſit, neque ad forum contentioſum deductum.

Eadem poteſtas competit etiam omnibus iuriſdictionem Epiſcopalem habentibus.

An autem Regulares priuilegiati poſſint abſoluere à percuſſione enormi clericorum, quando eſt occulta? Affirmat Fagundez *de præcept. Eccleſ. præcep. 2. lib. 8. cap. 8. num.* 29. quem ſequitur Pellizzarius *in man. regular. tom. 2. tract. 8. c. 3. ſect. 2. n. 78.* A quorum tamen doctrina recedit Diana *part. 9. tract. 4. reſolut.* 65. cuius opinio habet locum pro Italia, non vero pro Vltramontanis: quia in his partibus regulares priuilegiati abſoluunt ab omnibus cenſuris etiam Papæ reſeruatis extra Bullam cœnæ, in vim conceſſionis factæ à Paulo III. Patribus Societatis IESV. Pro Italis autem facta eſt reſtrictio à Clemente VIII. in ſuo decreto, quod incipit *Sacra Congregatio* ſub dat. 26. Novemb. 1602. in quo prohibentur Confeſſarij Regulares abſoluere ſæculares à quinque caſibus contentis in ipſo decreto, inter quos eſt, iniicientium violentas manus in clericos iuxta Canonem *ſi quis ſuadente* 17. *quæſt.* 4. ac iuris diſpoſitionem. Vt diximus *tom. 1. verb. caſus reſeruatus d.* 36.

Fagundez. Pellizzarius. Diana. Paulus. Clem. VIII.

Vide verb. Legatus *num. 3. & 4.*

EXEMPTIO.

SVMMARIVM

1 *Epiſcopus in tota ſua Diœceſi ſuper omnimoda iuriſdictione contra omnes Eccleſiaſticos fundatam habet intentionem de iure communi: vnde regulares olim Epiſcoporum iuriſdictioni ſubiecti erant.*

2 *Exemptio regularium an iure communi vel priuilegiorum facta ſit.*

3 *Aſſerenti ſe exemptum, incumbit onus talem exemptionem probandi.*

4 *An exemptus à iuriſdictione Ordinarij, cenſeatur exemptus à iuriſdictione Legati Papæ.*

5 *Prælatus exemptus vt poſſit ab Ordinariorum*

molestiis iura sua tueri.

6 *An religiosi à legibus Episcopi sint exempti.*

7 *An Ecclesia regularis ad secularem statum redacta amittat exemptiones & priuilegia sua.*

8 *An possit Episcopus Ecclesias intra eius Diœcesim sitas, à sua potestate eximere.*

1. LIcet Episcopi in tota sua Diœcesi super omnimoda iurisdictione, tam contra Regulares, quàm contra sæculares, de iure fundatam habeant intentionem, *cap. cùm persona de priuileg. in 6. cap. cùm contingat, & ibi Doctores de foro competent.* quia omnes olim regulares Episcoporum iurisdictioni subiecti erant, vt patet in multis Con-
Conc. Calc. ciliis, & primo in Concilio Calcedonensi *Action 6. Can. 1. & Act. 15. Can. placuit*, vbi dicitur, *Placuit nullam quidem vsquequaque ædificare, aut constituere Monasterium vel Oratorij domum prater conscientiam Episcopi ciuitatis, Monachos verò per vnamquamque ciuitatem, aut regionem subiectos esse Episcopo*, Refertur à Gratiano *in cap. quidam Monachorum*
Conc. Aur. 18. *quæst.* 2. Item in Concilio Aurelianensi 3. c. 21. dicitur, *Abbates pro humilitate Religionis in Episcoporum potestate consistant: & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur, qui semel in anno in loco vbi Episcopus elegerit, accepta vocatione conueniant*, refertur *in cap. Abbates* 18. *q.* 2.
Conc. Arel. Item ex Concilio Arelatensi ibidem dicitur, *Monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cuius sunt territorio constituta.* Idem habetur *causa* 18. *quæst.* 2. *per totam.*

Verùm succesſu temporis, cùm ipsi Episcopi variis suorum munerum occupationibus distracti, atque impediti, regularium mores parum curarent, ac illos multoties defatigarent, effecerunt, vt Monasteria pleraque ipsorum excuterent iugum, ac Apostolicæ Sedis iurisdictioni sese immediatè subiicerent. Hinc prima exemptio Regularibus concessa fuit anno 509. die 21. Augusti Abbatiæ Diui
Renat. Germani Parisiensis, vt refert Renat. Choppin.
Choppin. *lib. 1. tit. 2. num. 19.* in margine, vbi refert aliud etiam priuilegium concessum Monasterio D. Me-
Ioan. III. dardi Suessionum à Ioanne III. quam exemptio-
D. Gregor. nem postea D. Gregorius Magnus pro Monasterio à Ioanne III. concessam confirmauit, & de
Tamburin. nouo concessit: quorum diplomata refert Tamburinius *tom. 1. de iur. Abbat. disp. 15. quæst. 4.*

2. Iure communi omnes religiosi Episcopis subsunt vt dictum est, quia cùm eodem iure tota potestas ordinaria in propria Diœcesi sit penes Episcopum *cap. Venerabilis, de Relig. domibus*, & *cap. Omnes Basilicæ*, & *cap. domus* 16. *quæst.* 7. non est ab illo auferenda & inferioribus contra ius trâdenda; nisi hoc per aliquam legem expressum habeatur. Nulla autem extat lex Canonica, per quam tota iurisdictio in Monachos Abbatibus tribuatur, & Episcopis eximatur. Tota ergo exemptio regularium ex priuilegiis prouenit, quam dare solus Papa potest vniuersaliter. Neque in hoc fit iniuria Episcopis, vt quidam falsò putant; Pontifex enim secundùm suæ potestatis plenitudinem, vt casus sibi grauiores reseruat, aut speciali priuilegio concedit, ita personas quasdam sibi immediatè subiicit, & illarum causas priuatiuè reseruat iudicio suo, & sic sibi subiicere & reseruare potest quosdam regulares, eo quòd sint sibi arctiùs subiecti, & illorum est generalis pater. Vnde hodie attentis Summorum Pontificum indultis, Religiosi ferè omnes ab Episcoporum & Ordinariorum iurisdictione exempti sunt, siue per priuilegia directè eis concessa, siue indirectè per communicationem. Causa verò finalis huius exemptionis est, tum fauor Sedis Apostolicæ, cuius interest multos sibi proximè subiectos habere, tum etiam, vt exempti cum maiori quiete sub vmbra eiusdem Sedis positi Religionis officiis & contemplationi operam dare valeant, *cap. quàm sit necessarium*, 18. *quæst.* 2. Ita Rodriguez *tom. 2.* Rodrig. *quæst. reg. quæst.* 64. *art.* 1. & 2. & alij.

3. Asserenti se exemptionis priuilegio gaudere, incumbit onus talem exemptionem probandi, Glossa *in cap. de Xenodochiis. verb. in quorum*, & ibi Glossa. Ancharan. *num.* 1. *de religios. domib.* Ad eius autem Ancharan. probationem scriptura necessaria est, ita vt probatio exemptionum pendeat ex priuilegiorum inspectione, iuxta quorum tenorem semper est iudicandum, *cap. porrò*, & *cap. recepimus, de priuileg.* & *cap. accepimus, de fide instrument.* Forma verò probandi exemptionem ab Episcoporum iurisdictione, præscripta est à Bonifacio VIII. & habetur *in* Bonif. VIII. *cap. cùm persona, de priuileg. in* 6. Sed quia modi verborum, quibus probari potest exemptionem fuisse concessam, non sunt in iure determinati, tamen extant aliqui, qui sunt in eodem iure communi magis in vsu, de quibus videri potest August. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 123. Barbosa.

4. De iure communi exemptis à iurisdictione cuiuslibet Ordinarij, non censetur exemptus à iurisdictione Legati ipsius Summi Pontificis, vt habetur *in cap. Si Abbatem, de elect. in* 6. Iure tamen priuilegij Clementis IV. prædictum ius limitatur, Clem. IV. vt tantùm locum habeat in Legato de latere Sedis Apostolicæ misso. Prohibuit enim Clemens IV. ne Fratres Minores ab aliquo Legato, nisi de latere Sedis Apostolicæ misso, vel delegato, aut subdelegato auctoritate litterarum Apostolicarum, excommunicari, suspendi, aut interdici possint, nisi litteræ ipsæ plenam & expressam de prædicto Ordine & indulto huiusmodi facerent mentionem. Ita habetur *in supplemento*: vt docet Rodriguez Rodrig. *tom. 2. q. 64. art.* 4.

5. Dupliciter Prælatus exemptus ab Ordinariorum molestiis potest iura sua tueri. *Primò*, per declinatoriam fori præsentando in iudicio exemptionis priuilegium; exempti enim ab Episcopo citati, si ad probandam suam exemptionem priuilegium tantùm allegant, tenentur illud in loco congruo & securo ipsis Ordinariis, vel aliquibus Iurisprudentibus, omni suspicione carentibus, ad id per eosdem Ordinarios deputatis, infra terminum competentem pro facti qualitate, arbitrio ipsorum Ordinariorum, vel suorum delegatorum moderandum, iusto impedimento cessante, ostendere, & ad legendum integrum exhibere, ac transsumptum articulorum super quibus erit controuersia, tradere, *cap. cùm persona, de priuileg. in* 6. Si priuilegium exhibitum non sufficit, ad huiusmodi exemptionem plenè probandam, tenetur, qui se tueri vult, quadraginta annorum præscriptionem probare, & lite pendente, licet Ordinariorum intentio de iure communi contra eum fundetur, tamen in libertatis vel exemptionis possessione, de qua fidem coram Ordinario fecerit, turbari nequit. Si verò non exhibet priuilegium, quod saltem causas præscriptionis tradat: licebit Diœcesano Episcopo in eundem liberè iurisdictione sua vti, donec de Canonica præscriptione plenam fidem faciat. Ita habetur *in cap. cùm persona, supra.*

Secundò, potest se tueri Prælatus, vt si exhibito priuilegio, Ordinarius de eius validitate vel inualiditate agit, & illo reiecto, sententiam contra eum ferat, ea sententia nullius est momenti: quia cùm de validitate priuilegiorum Regularium dubitatur, ad Summum Pontificem recurrendum est, qui sibi eorum

Digitized by Google

eorum interpretationem reseruauit, vt diximus *tom. 1. verb. Priuilegium VI.* quamuis enim regulariter ad iudicem pertineat inspicere, ac decernere, an ad ipsum iurisdictio competat, in materia tamen exemptionum Ordinarius de sua iurisdictione cognoscere non valet, vt expresè tenent communiter Doctores *in cap. super litteris. de rescriptis*, quia tunc Episcopus esset iudex in propria causa, quod non licet per textum *l. qui iurisdictio, ff. de iurisd. omn. iudic.* De his vide Rodriguez *tom. 2. quæst. regul. quæst. 64. art. 7.* Rodrig.

6. Prælati & Religiosi de iure communi à lege Episcopali Diœcesana sunt exempti, iuxta *cap. placuit, 17. quæst. 1.* & *cap. quam sit, 12. quæst. 2.* A lege autem Iurisdictionis, non sunt exempti, vt tenent Doctores, *in cap. dilectus, de offic. Ordinar.* De iure autem priuilegiorum per speciales Summorum Pontificum concessiones, ab vtraque lege immunes existunt: quamuis in aliquibus casibus subdantur etiam Episcopis, partim de iure communi, partim ex Concilio Tridentino, vt diximus *supra verb. Episcopus, num. 24. & seq.* Nota legem diœcesanam eam esse, per quam Episcopus Synodum cogit, ad exequias soluendas, & honorandos Clericos conuocat; ex iis, quæ pro funere offeruntur, quartam exigit, &c. Lex autem iurisdictionis est, per quam Episcopus curam animarum committit, delicta punit, Ecclesias moderatur & consecrat, Altaria quoque & alia vasa, vestes & Virgines consecrat, & Chrismia conficit, cæteráque ad Sacramenta spectantia præstat, & alia quæ numerantur *in cap. conquerente, de offic. Ordinar.*

7. Ecclesia regularis ad sæcularem statum redacta non amittit exemptiones & priuilegia sibi antea concessa nisi expresè sint sublata. Probatur, quia vbi duæ causæ concurrunt, vna tantùm cessante, non cessat dispositio, *l. si ventri, l. in bonis, ff. de priuileg. creditor.* Sed Summus Pontifex non videtur ad huiusmodi exemptiones concedendas impulsus ea tantùm causa, quòd personæ erant regulares, sed etiam propter Ecclesiæ & Religionis vtilitatem ac fauorem, quæ causa vtilitatis Ecclesiæ potentior & principalis fuisse præsumitur. Et ideò licet priùs in Ecclesia fuerint regulares, quia Ecclesiæ vtilitas permanet in sæcularibus, permanebit & priuilegium. Tum quia licet exemptio ab initio concessa fuerit religiosis; tamen quando Canonici sæculares subrogantur in locum regularium, in eorum quoque iura & priuilegia, subrogati esse censentur, facit textus *in Clement. 1. de supplend. neglig. Prælator.* & docent Innocentius *in cap. dilectus, sub num. 4. verb. Monialium*, & ibi Ioannes Andræas, Panormitanus & alij, *de capell. Monachorum*, Tamburinius *tom. 1. de iur. Abbat. disp. 15. quæst. 11.* Innocent. Ioan. Andr. Panormit. Tamburin.

8. Quamuis regulariter Episcopus possit Ecclesias intra eius Diœcesim sitas à sua potestate eximere; non potest tamen in totum eximere, sed tantùm concedere immunitatem & libertatem ab omnibus iuribus, quæ ipse in Ecclesia possidet, iis exceptis, quæ à se alienare, seu abdicare nequit, vt *cap. Pastores, de donationibus.* Vnde Episcopus potest Ecclesiam initio fundationis eximere: quia tunc nondum Episcopatui ius superioritatis quæsitum est. Item potest eximere saltem patiendo iura Episcopalia ab inferiori contra ipsum præscribi: vel omnia iura sua inferiori Prælato per modum vicariæ perpetuæ concedendo, exceptis tamen cathedratico, reuerentia & charitatiuo subsidio. Nota tamen quòd exemptio ab Ordinario concessa absque consensu Capituli non potest Ecclesiæ suæ iura donare, *cap. cum nos, & cap. tua, de his quæ fiunt à Præ-*

latis, & huiusmodi consensus præstari debet Collegialiter & à Capitulo ad id legitimè congregato. De his vide Erasmum Cokier *de iurisd. Ordinar. in exempt. part. 1. quæst. 3.* Cokier.

Quandonam Prælati & Religiosi ab Ordinariorum iurisdictione exempti sint à Summo Pontifice videri potest Tamburinius *tom. 1. disp. 15. quæst. 4. de iur. Abbatum.* Et hæc pauca addita sufficiant, de hac materia. Tamburin.

Vide v. Legatus *num.* 3. Episcopus *num. 24. & sequent.*

F.

FESTVM I.

Quoad potestatem Festum instituendi.

SVMMARIVM.

1 *An obseruatio diei Dominici & aliorum dierum festiuorum, sit de iure diuino, an Ecclesiastico.*

2 *An Episcopi possint sacrare dies Festos illorum, qui à Summo Pontifice sunt Beatificati.*

3 *An consuetudo Laicorum ab Episcopis non approbata, possit dies Festos introducere, aut abrogare.*

4 *An consuetudo totius populi & Cleri habeat vim introducendi; aut abrogandi diem Festum, sine consensu Episcopi.*

5 *An decem annorum consuetudo per Episcopum approbata sufficiat ad introductionem, aut abrogationem dierum Festorum.*

6 *An excusetur certum genus Mechanicorum, si consuetudo sit illos solum operari, cætero populo Festum obseruante.*

7 *Quisque debet illos Festos dies obseruare, quos lex, aut Constitutio Synodalis, aut consuetudo præscripta præcipit obseruari.*

8 *Quis sit finis ob quem Deus & Ecclesia Festos dies instituerint.*

9 *An, quando contigit Festum transferri, transferatur tantum quoad officium.*

1. NOnnulli Doctores existimarunt obseruationem diei Dominici esse de iure diuino, sicut & festiuitates sequentes, Natalitium Domini, Pascha, Pentecostem, Ascensionem, Epiphaniam, Assumptionem Beatæ Virginis & alias. Ita Syluester *verb. Dominica, quæst. 1. §. 7.* Angelus *verb. Feria, num. 3.* dicit esse quasi iuris diuini. Syluest. Angelus.

Supponunt enim hi Doctores dedicationem septimi cuiusque diei ad diuinum cultum esse de iure diuino & naturali, & putant mutationem ac translationem diei Sabbati in diem Dominicam esse in lege gratiæ ex diuina institutione, quia aliàs posset Festum hoc mutari & abrogari per legem humanam, aut consuetudinem, quod tamen de die Dominica non est concedendum, quia hactenus mutata non fuit, quod indicium est, esse iuris diuini. Nihilominus dicendum est obseruationem diei Dominici & quoad dedicationem temporis 24. horarum, & quoad electionem diei Dominici potiùs quàm alterius cuiuscumque diei esse iure humano & Canonico, non diuino & naturali. Ratio est, quia in lege gratiæ nulla sunt data specialia præcepta diuina de his accidentalibus obseruantiis ac

cæremoniis, quibus Deum colamus, sed tantùm de substantialibus, quæ sunt fides, Sacramenta, & sacrificium: reliqua enim dispositioni Pastorum relicta sunt, proinde ex solo præcepto & iure Canonico Ecclesiæ est determinatio diei Dominicæ ad diuinum cultum, & eodem iure mutata est obseruatio Sabbati in Dominicam. Ita Diuus Thomas 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 4. *ad* 4. Bonauentura *in* 3. *dist.* 37. *circa litteram*, Nauarrus *in Man. cap.* 13. *n.* 1. & alij communiter. Ex *cap.* 1. & *cap. Sabbato, de consecrat. dist.* 3.

D. Thom. Bonau. Nauarrus.

Ad rationem autem Syluestri respondendum est præceptum de die Dominico colendo habere aliquid iuris diuini & naturalis. Ratio enim naturalis dictat, vt aliquod in hebdomadæ tempus diuino cultui De ique colendo impendamus, licet non dictet quale tempus esse debeat, & determinatio illius ad Ecclesiam spectet.

2. Cùm ad solum Summum Pontificem ex speciali modo pertineat dies Festos instituere, qui colantur in vniuerso orbe sub mortali, & id possint etiam Concilium generale & vniuersalis consuetudo totius Ecclesiæ, ipso Summo Pontifice vel expressè vel tacitè approbante. Ad Episcopos autem spectet in suis tantùm Diœcesibus celebritates dierum Festorum dedicare in honorem illorum Sanctorum qui iam publica auctoritate Summi Pontificis canonizationem adepti sunt, vt diximus *tom.* 1. *verb. Festum*, 1. *num.* 3. Dubium tamen est, an possint Episcopi sacrare dies Festos in honorem ac venerationem illorum, qui sunt auctoritate Romani Pontificis tantùm Beatificati? Ratio dubitandi est, quia iura quæ hanc potestatem Episcopis concedunt, solùm loquuntur de illis, qui iam canonizati sunt, & in horum cultum ac honorem dicunt posse Episcopos dies Festos consecrare, vt videre est *in cap. Audiuimus*, & *cap. cum ex eo, de reliquiis & venerat. Sanctor.* Et *cap. Venerabili, de testibus & attestation.* Beatificatio autem non est canonizatio. Deinde omnes Doctores semper vtuntur hoc nomine canonizationis & non beatificationis, vt videre est apud Syluestrum *verb. Dominica*, Tabienam *verb. Canonizare*, & alios apud Sanchez *lib.* 2. *Moralium, cap.* 43. *num.* 3. *& seqq.*

Syluest. Tabiena. Sanchez. Suarez.

Nihilominus Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de diebus festis, cap.* 11. *num.* 4. *&* 5. hoc etiam extendit ad illos, qui auctoritate Summi Pontificis sunt beatificati. Fundamentum ipsius est, quia Beatificatio nihil aliud est, quàm quædam canonizatio minori apparatu celebrata: vnde si Episcopi possunt instituere dies Festos in honorem illorum Sanctorum qui iam sunt canonizati, poterunt etiam id efficere in honorem illorum qui iam sunt beatificati: per beatificationem enim consequuntur Sancti, vt auctoritate Summi Pontificis Sancti habeantur, si non in toto orbe, saltem in aliqua Prouincia, Regno, regione, aut Religione: ergo in his locis poterunt Episcopi in gloriam & honorem illorum dies Festos instituere: quia postquam viri sancti auctoritate Sedis Apostolicæ beati declarantur, publicum ac solemnem cultum consequuntur; hinc cùm publicum cultum ab Ecclesia consequantur, & dies Festi ad publicum cultum Sanctorum spectent, & nomine totius Ecclesiæ instituti sint in honorem Sanctorum, poterunt etiam Episcopi illis hunc cultum exhibendum dedicare ac statuere. Nec refert quod iura & Doctores frequentius vtantur nomine canonizationis, quàm beatificationis; quia vocabulum canonizationis honorificentius est, quàm beatificationis, & ideò illo frequentius vtuntur, quàm isto. Sed his non obstantibus sententia negatiua tenenda est, quia quando Pontifex concedit Sacerdotibus certæ Religionis, vt tali die possint dicere Missam de aliquo Beatificato, alij non possunt Missam de eodem dicere. Tum quia tempore Pauli V. humiliter petiit Respublica Veneta, vt Festum Beati Salonij in eadem ciuitate coleretur. Ita Azorius, Barbosa, Villalobos apud Dianam *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 9. & *p.* 2. *tract.* 15. *resol.* 55. Et *in addit.* 3. *part. resol.* 2.

Azorius. Barbosa. Villalobos. Diana.

3. Consuetudo laicorum separata à consuetudine Ecclesiasticorum, & ab Episcopis non approbata, non potest dies Festos introducere, aut abrogare. Ratio est, quia sola consuetudo laicorum absque approbatione Episcopi non potest introducere dies Festos; ergo neque abrogare illos, si iam sint introducti, cùm par sit potestas ad vtrumque, & eiusdem sit potestatis introductio & abrogatio. Tum quia consuetudo ideò obligat, quia habet vim legis, vt tradunt omnes de consuetudine scribentes & patet ex *l. Minimè, ff. de legibus*, & *cap. Consuetudo, distinctione* 4. Vnde fit, vt sicut irrationabilis esset lex, quam populus solùm, aut potestas laica ferret de obseruatione diei Festi & non valeret, sic irrationabilis etiam erit consuetudo laicorum, quæ vellet Clericos obligare absque approbatione Episcopi. Ita Syluius 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 2. *concluf.* 10. Diana *part.* 6. *tract.* 5. *resol.* 16. citans alios.

Syluius. Diana.

4. Consuetudo totius populi & Cleri non habet vim introducendi, aut abrogandi diem aliquem Festum, nisi expressus vel tacitus consensus Episcopi accedat. Ratio est, quia consuetudo non habet vim introducendi aliquem diem Festum, nisi quatenus habet vim legis; vnde non potest introducere obligationem legis, nisi includat consensum & voluntatem eius, qui potest talem legem ferre; atqui sine consensu & voluntate Episcopi vel Papæ non potest lex ferri, aut præceptum de die Festo aliquo obseruando; ergo nec consuetudine potest ea lex introduci, nisi accedat expressus vel tacitus consensus illius, qui eam legem potest ferre. Solùm ergo consuetudo totius populi & Cleri scita & tolerata ab Episcopis potest introducere, aut abrogare dies Festos, quia solùm ea habet vim legis. Vide Sotum *lib.* 1. *de iustit. quæst.* 7. *art.* 2. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 5.

Sotus. Suarez.

5. Consuetudo decem annorum approbata per Episcopum sufficit ad introductionem dierum Festorum. Ratio est, quia ad introductionem alicuius consuetudinis constringentis populum requirunt iura longum tempus, decem autem annorum tempus iuxta leges est longum tempus, Bartolus *in l. de quibus, ff. de legibus*, Syluester *verb. Consuetudo, n.* 6. & idem est de iure Canonico, vt docet Glossa *in cap. finali, de consuetud. in* 6. Ad abrogationem dierum Festorum opus est consuetudine quadraginta annorum, vt docent Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 38. *n.* 22. Molina *tom.* 1. *de iustit. disp.* 77. *vers. Consuetudo qua iuri.* ex communi. Vnde si ad derogandum præcepto & legi Summi Pontificis de obseruatione alicuius Festi, sufficit consuetudo quadraginta annorum, à fortiori eadem sufficiet ad derogandum præcepto & legi Episcopi de eadem obseruatione.

Bartolus. Syluester. Glossa. Sanchez. Molina.

6. Consuetudo certorum Mechanicorum, verbi gratia, sutorum, aut sartorum operandi die Festo, cætero populo illum feriante & obseruante, excusat, modò tacitè vel expressè approbata sit à locorum Ordinariis. Ratio est, quia cùm designatio diei Festi, vt de iure humano, potest consuetudine abrogari, minui & mutari, & quia in vno eodémque loco & vrbe possunt esse variæ leges iustæ & rationabiles pro variis diuersisque Mechanicorum, aut

mercato

mercatorum communitatibus, quibus illi gubernantur, quæ leges obseruandæ sunt : vnumquodque enim genus Mechanicorum constituit suam veluti rempublicam, quæ suis particularibus legibus gubernatur, & quod possint leges efficere potest consuetudo. Ita Sayrus *in Clave Regia, lib. 7. cap. 3. num.* 13. Azorius *tom. 2. lib. 1. cap. 26. quæstione.* 10. Sylvester *verb. Dominica, num. 3. vers. Quantum* & alij.

Sayrus. Azorius. Sylvest.

7. Cùm consuetudo hoc tempore multos dies Festos ex eis, qui *in cap. pronunciandum, de consecrat. distinct. 3.* & *cap. Conquestus, de feriis*, recensentur, abstulerit, & alios induxerit, ideò vnusquisque illos dies Festos obseruare debet, quos lex, aut Constitutio Synodalis recepta, & non abrogata, vel consuetudo præscripta ibi præcipit obseruari. Dies tamen Festi, qui sunt ex consuetudine, non seruantur eodem modo omnes, sed inæqualiter prout habet consuetudo. Quandoque enim consuetudo habet, vt totus dies seruetur ; aliquando autem solùm quod horas antemeridianas, quamdiu celebrari possunt Missæ. Aliquando consuetudo habet vt seruetur, tam in ciuitate, quàm extra : aliquando vt solum in ciuitate, non extra. Itaque seruandi sunt dies Festi eo modo, quo loci consuetudo seruat. De his vide Nauarrum *in Manual. cap. 13. num. 5.* Toletum *lib. 4. Summ. cap. 24.* Caietanum *in Summ. verb. Festum, in fin.* & alios.

Nauarrus. Toletus. Caietan.

8. Finis ob quem Deus & Ecclesia Catholica Festos dies instituerunt, est, vt his diebus saltem Christi fideles orationi & operibus pietatis vacent, quod maximè necessarium est ad vitam spiritualem ac gratiam conseruandam & acquirendam, nam cùm aliis hebdomadæ diebus perpetuò quasi negotiis externis distrahantur homines, ita vt vix modicum quid internis deuotionis & pietatis actibus impendant : voluit diuina Maiestas & Ecclesia, vt per huiusmodi quasi interualla, vires spirituales, ne negotiorum pondere succumbant, reficiantur, & aliorum dierum defectus & negligentiæ suppleantur. Et ideò Ecclesia sanctissimè dies Festos dicauit Martyribus & Confessoribus ac etiam aliis viris Sanctis, vt eorum exemplo nos prouocaret ad eandem gloriam comparandam, quam illi egregiis factis ac virtutum gestis gloriosissimè compararunt. Ad euitandum tamen peccatum mortale, sufficit cum abstinentia ab operibus seruilibus attentè Missam audire, absque eò quod interioribus aliis actibus orationis, deuotionis, dilectionis & contritionis quis vacet, vt pluribus tradunt Sancti Patres & Catechistæ.

9. Ex praxi totius ferè Ecclesiæ, quando contingit aliquod Festum transferri, puta si occurrant in Dominicis Aduentus vel Quadragesimæ, solùm transfertur quoad officia, non verò quoad cessationem operum seruilium. Ratio est, quia Ecclesia illos dies festiuos obseruandos solùm statuit, diebus quibus occurrunt, non autem aliis diebus, prout consuetudo obseruat, quamuis secus censendum sit quoad celebrationem officij. Ita D. Antoninus *part. 2. titulo 9. cap. 7.* Tabiena *verb. Feria, num. 15.* Sylvester *verb. Dominica, quæst. 2.* quos refert & sequitur Sayrus *in Clave Regia, lib. 7. cap. 3. num. 10.* Consuetudo tamen in hoc Belgio contrarium obseruat in Festo Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, quando occurrit à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in albis inclusiuè, tunc enim transfertur Festum in Feriam secundam post eandem Dominicam in Albis, & quoad officium & quoad cessationem operum seruilium in prouincia Cameracensi : at in Mechlinensi celebratur Feria tertia : & idem ibi obseruatur de Festo S. Marci.

D. Antonin. Tabiena. Sylvest. Clav. Reg.

FESTVM II.

Quoad opera seruilia quæ licita sunt in die Festo.

SVMMARIVM.

1 *Quodnam sit obiectum præcepti sanctificandi Festa.*
2 *Opera exteriora sunt triplicis generis.*
3 *An barbitonsores excusentur tondentes in die Festo ratione paruitatis materiæ : & quæ materia parua censenda sit.*
4 *An ratione consuetudinis barbitonsores excusentur.*
5 *An mulciones possint cum bestiis onustis & rhedis iter facere in die Festo.*
6 *Exercentes seruilia in die Festo, vt excusentur ob necessitatem sustentandi seipsos & familiam ? Et qualis debeat esse necessitas, vt hoc liceat.*
7 *Quando censendum sit adesse necessitatem, vt agricolæ possint laborare in die Festo.*
8 *Quomodo liceat puellis laborare in die Festo, ad vitandum otium.*
9 *An liceat seruilia exercere in die Festo, vt ex lucro fiat pauperibus eleemosyna.*

1. PRæceptum sanctificandi Festa non habet pro obiecto cessationem ab opere seruili; sed dedicationem diei cultui diuino : cessatio autem ab opere seruili consequitur ex sanctificatione. Illa enim sanctificari dicuntur, quæ cultui diuino applicantur ; & ideò præceptum de sanctificando die est de ipso die applicando diuino cultui : secundariò autem sequitur, quòd sit de cessatione ab opere seruili, quia hæc sunt prohibita, quatenus impediunt applicationem hominis ad diuina, vt notant D. Thomas 2. 2. *quæst. 122. art. 4. ad 3.* Quia autem vsus obtinuit, vt quilibet censeatur satisfacere præcepto sanctificandi Festa, si Missam audiat ; quia audiendo Missam exercet principalem actum cultus externi ; ideò cessatio ab opere seruili pro reliquo tempore diei non est necessaria simpliciter ad sanctificandum diem, quia iam censetur sanctificatus per cultum exhibitum Deo, sed solùm ad ostendendam integritatem sanctificationis diei. Hinc fit quòd minus requiratur vt opus seruile licitum sit in die Festo auditâ Missâ, quàm vt quis excusetur ab audienda Missa ; quia in hoc tollitur substantia sanctificationis diei : in illo autem solùm quædam integritas. Et proinde non multum requiritur vt quis excusetur, si auditâ Missâ, exerceat opera seruilia.

D. Thom.

2. Opera exteriora sunt triplicis generis ; quædam enim sunt ex suo genere libera, vt artium liberalium exercitia, & quæ potissimum ad animum ordinantur, vt docere, disserere, scribere litteras, pulsare instrumenta musica, &c. Quædam verò sunt communia liberis & seruis, vt militare, equitare, iter agere, venari, &c. Quædam autem sunt propria seruis & ordinata ad corpus, vt opera mechanica, arare, fodere, fucre, &c. Hæc postrema tantùm nomine operum seruilium sunt in Festis prohibita, reliqua autem sunt licita. Imò ipsa opera seruilia quando transeunt in communia, fiunt licita : transeunt autem in communia dupliciter, vel

ratione

Digitized by Google

ratione neceſſitatis meæ, vel proximi, vt ſunt opera Pharmacopolarum, Chirurgorum ægris ſeruientium, &c. vel ratione damni vitandi, vt opera agricolarum dum ſegetes periclitantur, aut hoſtes timentur, &c. quilibet enim ſiue ſeruus, ſiue liber poteſt ſuæ & proximi ſaluti conſulere & damnum euitare.

3. Certum eſt apud omnes, Barbitonſores tondentes in die Feſto accedentes ad Barbam vel capillos tondendos, non peccare mortaliter ſtante paruitate materiæ. Quæ autem dicenda ſit paruitas materiæ, diximus *tom. 1. verb. Feſtum III. num 4.* vbi retulimus varias Doctorum ſententias, nam aliqui putant laborem vnius horæ eſſe partem notabilem non excuſantem à mortali. Quidam autem excuſant laborantem per duas horas. Alij denique volunt tres horas eſſe paruam materiam: quia octaua pars reſpectu totius diei cenſetur exigua pars.

Nihilominus cuidam ex recentioribus videtur in hac difficultate poſſe reſponderi, ſaluo meliori iudicio, illam quantitatem cenſendam eſſe paruam, quæ inſumpta in opere ſeruili, non tollit, quin dies cenſeatur moraliter ſanctificatus quoad ceſſationem ab opere ſeruili. Ratio eſt, quia præceptum ſanctificandi Feſta per ceſſationem ab opere ſeruili, non reſpicit aliquid indiuiſibile, quod non admittat ſecum aliquod exercitium operis ſeruilis, ſed aliquid diuiſibile, quod poteſt ſtare cum tali exercitio. Ex quo ſit, quòd præceptum reſpiciat talem ſanctificationem quoad ſubſtantiam, non quoad omnimodam integritatem; & ideò ſi dies adhuc cenſetur moraliter ſanctificatus, non violatur grauiter præceptum: quia manet ſecundùm ſubſtantiam quod præcipitur. Si autem tertia pars diei inſumatur in opere ſeruili, adhuc dies cenſebitur moraliter ſanctificatus, quia ſi per medietatem ceſſaretur & per alteram medietatem non ceſſaretur, non eſſet magis ſanctificatus, quàm non ſanctificatus; ſi ergo fiat ceſſatio per duas partes cenſebitur moraliter ſanctificatus: quia vnumquodque æſtimari debet & determinari ſecundùm id quod præponderat. Sic etiam quis cenſetur audire Miſſam & ſatisfacere præcepto ſecundùm probabilem opinionem multorum, ſi ſolùm ab Euangelio incipiat audire, & tamen tunc omittitur ferè tertia pars. Aduertit autem iſte Auctor, quòd tertia pars, quæ cenſetur parua quantitas, non eſt accipienda reſpectu totius integri diei, vt nonnulli voluerunt, quorum ſententia communiter reiicitur; ſed reſpectu illius temporis, quod commodè & regulariter ſolet inſumi in opere ſeruili. Vnde ex viginti quatuor horis deputandum eſt totum illud tempus, quod in dormiendo, comedendo, ſeu alio modo inſumi ſolet, & reliquum diuidendum in tres partes. Ratio eſt, quia ſi ſumeretur tertia pars reſpectu totius diei, plus temporis inſumeretur in opere ſeruili, quàm in ceſſatione poſitiua ordinata ad ſanctificationem diei & propria Feſti diei; nam ceſſatio, quando quis dormit, aut comedit, non eſt propria diei Feſti. Verùm hæc relinquit alieno iudicio perpendenda, nec aliquid decernit, nec ego.

4 An autem ratione conſuetudinis iſti barbitonſores excuſentur. Negant Nauarrus *in Manual. cap.* 13. *num.* 9. Caietanus 2. 2. *quæſt.* 122. *artic.* 4. & alij, quia talis conſuetudo non eſt tolerata & recepta, cùm ſemper id agentes reprehendantur à Prælatis: quod quidem verum eſt, ſi conſuetudo non toleretur, quia tunc non eſt conſuetudo, ſed abuſus. Si tamen adſit vera conſuetudo, & non abuſus, vt bene poteſt adeſſe, tunc excuſari poſſe à conſuetudine docent Diana *part.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 34. *verſ. Quoad ſecundum.* Reginaldus *lib.* 19. *num.* 51. Clauis Regia *lib.* 7. *num.* 11. qui etiam alios referunt. Ratio eſt, tum quia cùm prohibita in die Feſto, ſint humano iure introducta, nihil obſtat ea tolli per contrariam conſuetudinem toleratam à Prælatis. Tum quia excuſari poſſunt ratione damni, quod ſubirent, ſi videlicet ex eo, quod nollent tondere, fieret vt ab accedentibus deſererentur, atque adeo notabile damnum paterentur in lucro: quia præceptum ceſſandi ab opere ſeruili in die Feſto non obligat cum tanto damno, vt conſtat ex aliis caſibus, in quibus certum eſt non obligare. Et eo ipſo quòd quis exercet talem artem, præſupponi debet quòd indigeat lucro ad ſui ſuſtentationem, atque adeo, quod non poſſit ipſum amittere. Ita Sanchez *tom. 2. opuſcul. lib. 5. cap. 2. dub. 21. num. 2.* Tum quia, cùm non ſoleant homines regulariter accedere in die Feſto ad tondendam barbam & capillos, ſed pauci & rarò, rationabiliter præſumi poteſt quòd cæteris diebus ita occupati ſint, vt non poſſint ſine notabili incommodo accedere: vndè ſtante hac neceſſitate præſumpta poſſunt tonſores ſuam operam exhibere.

Reginald. Sanchez.

5 Muliones poſſunt cum beſtiis onuſtis & rhedis iter facere in die Feſto. Ratio eſt, quia ſi deberent in diebus Feſtis interrumpere iter, eſſet huiuſmodi exercitium nimis diſpendioſum, quod redundaret in maximum damnum communitatis, nam longè maiores eſſent expenſæ in deuchendis rebus; vnde etiam merces multò pluris venderentur. Ita Syluester *verb. Dominica, quæſt.* 5. *concl.* 4. Nauarrus *in Man. cap.* 13. *num.* 7. Suarez *de Religione, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 27. Sà *verb. Feſtum, num.* 5.

Syluest. Nauarrus. Suarez. Sà.

Difficultas eſt, an prædictis liceat iter incipere? Negant multi etiam ratione conſuetudinis, quia non eſt conſuetudo, ſed abuſus, Diana autem *p.* 2. *tract.* 15. *reſol.* 36. exiſtimat rarò contingere, quòd Muliones peccent mortaliter incipiendo iter, ſi audiant Miſſam: quia nihil aliud faciunt, quàm itinerari: & opus ſeruile, quod eſt adiunctum, nempe leuare onera & imponere, eſt parua materia; quia non conſumitur in hoc notabile tempus. Cæterum mihi dicendum videtur hoc opus eſſe omninò ſeruile de ſe: nam non eſt tantùm iter habere, ſed in itinere ducere beſtias, aut currus non in commodum proprium, ſed in ſeruitutem alterius, quod ſanè eſt opus ſeruile & exercitium vile; vnde vt licitè exerceatur debet honeſtari, vel quia res, quæ deferuntur ſunt neceſſariæ, aut pro illa die, aut pro ſequenti. Vnde deferri poſſunt res omnes, quæ pertinent ad victum, & quæ diu conſeruari non poſſunt, vt piſces, olera, fructus qui diu non durant, vt ficus, pepones, uvæ & alia huiuſmodi. Item honeſtari poteſt tale exercitium, quia Muliones habent beſtias & currus deuchendis ſarcinis & oneribus deſtinatos, & niſi poſſent incipere iter in die Feſto, nec etiam poſſent continuare; cùm ſit eadem ratio & idem ſit opus; vnde ars eſſet nimis diſpendioſa, aut eſſet abſque lucro, ratione expenſarum. Ita Paſqualigus *in deciſ. Moral. deciſ.* 292.

Diana. Paſqualig.

6. Communis ſententia eſt excuſari à peccato exercentes ſeruilia in die Feſto ob neceſſitatem ſuſtentandi ſeipſos & familiam, dummodò audiant Miſſam & vitent ſcandalum, & eorum exercitium eo vſque protrahant, quouſque ſufficiat ad ſubleuandam neceſſitatem. Ratio eſt, quia cùm lex reſpiciat bonum, non obligat contra neceſſitatem, ſed ſubditur exigentiæ neceſſitatis, & proinde vrgente neceſſitate ceſſat obligatio legis, eo quod neceſſitas non habet legem *cap. Remißionem, §. final. 1. quæſt.* 1.

Sed petes pro praxi, quanta & quænam neceſſitas debeat

Nauarrus. Caietan.

Diana.

debeat esse & sufficiat ad excusandum ab observatione huius legis? Respondeo, quod debet in hoc considerari status personæ pauperis, seu familiæ, quatenus conseruatur per exercitium operis seruilis; quia si notabiliter læditur ex eo, quòd abstineatur ab opere seruili in die Festo, tunc lex abstinendi non obligat, quia non obligat cum detrimento notabili proprij status: vnde quotiescumque in victu, vestitu & congruenti supellectili domus notabile detrimentum quis pateretur, siue quoad se, siue quoad familiam, non tenetur cessare ab opere seruili. Hinc fit, quod Pater possit laborare in die Festo pro seponenda dote pro suis filiabus, quando aliter seponere non potest, nisi subtrahat familiæ necessaria intra statum proprium: quia dos pro filiabus est necessaria. Similiter filiafamilias, quæ diebus profestis laborare debet ad victum quærendum, ita vt de lucro nihil, aut parum supersit detractis impensis pro victu congruenti, potest in diebus Festis laborare circa suppellectilem, quæ solet pro dote dari: quia in tali casu excusatur ratione necessitatis, cùm huiusmodi suppellex sit necessaria & aliunde haberi non possit. Item famulæ, à quibus dominæ in diebus profestis exigunt totale seruitium, ita vt nihil temporis liberi ipsis relinquant, laborare possunt diebus Festis, in propriis vestibus resarciendis; quia necessitas excusat, cùm sit eorum, quæ pertinent ad proprium statum congruentem, & necessarium sit eas resarcire. Si tamen famulæ diebus profestis consueuerint longas orationes recitare, debent potius eas omittere, vt proprias vestes reficiant, quàm reducere tale opus in diem Festum, aliàs non excusantur ratione necessitatis.

7. Certum est ex communi sententia Doctorum licere agricolis laborare & exercere seruilia diebus Festis quando adest necessitas: Dubitare tamen potest, quando censendum sit adesse necessitatem laborandi in die Festo? Respondeo temp re messis, siue vindemiæ considerandam esse non solùm regionem, sed etiam qualitatem temporis, quæ tunc currit: rursus etiam commoditatem, vel incommoditatem recondendi fructus: quantitatem quoque messis & vindemiæ & alias circumstantias, quæ possint vel præseruare à damno vel ipsum augere; & habitâ ratione omnium, considerare, an probabiliter contineat aliquod damnum; quia si non immineat, non aderit necessitas laborandi in die Festo. Tempore verò sementis possunt eædem circumstantiæ considerari, maximè quando necessarij sunt plurimi dies pro serendis agris, eo quòd multi sunt.

8. Sententia asserens licere puellis laborare in die Festo, vt vitent otium, vel alias occasiones vagandi & peccandi, quam sustinent Sylvester *verb. Dominica, quæst.* 5. *concl.* 4. Marchantius *in resolut. pastoral. cap.* 3. *quæst.* 2. & alij citati *tom.* 1. *verb. Festum* 111. *num.* 4. *vers. Notandum*, vt habeat locum, debet opus seruile esse medium necessarium ad vitandum peccatum; ita vt non adsint alia media: quia tunc desinit esse prohibitum: cùm enim medium sequatur naturam finis, & finis nempe vitare peccatum sit necessarius, medium quoque nempe opus seruile euadet necessarium, atque adeò non prohibitum. Rarò tamen potest esse medium necessarium ad vitandum peccatum: cùm adsint plura alia media non prohibita ad vitandam otiositatem: puta honestæ recreationes non prohibitæ, quibus otium vitari potest. Proinde à plerisque Doctoribus meritò prædicta sententia non admittitur. Ratio illorum est, quia media, quæ sunt ex se mala & prohibita, non euadunt bona & licita ex eo, quòd ordinentur ad finem bonum. Vnde cùm exercere opus seruile in die Festo sit malum & prohibitum, non euadet licitum ex eo, quòd ordinetur ad fugiendam occasionem proximam peccati, pro vt docent Bonacina *in decalog. disp.* 5. *quæst. vnic. punct.* 3. *num.* 7. *in fine*, iunctis iis, quæ tradit *punct.* 2. *num.* 25. *in fine*, Sanchez *lib.* 5. *consil. moral. cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 12. Castrus Palaus *part.* 2. *tract. de Festor. obseruat. disp. vnic. punct.* 10. *num.* 3. *in fine*, Pasqualigus *in decis. moral. decis.* 299. Potest tamen contingere quod quis excusetur ex bona fide; quia videlicet existimat licita esse opera seruilia in die Festo ad vitandam occasionem peccati, seu etiam otiositatem: quia tunc eligit medium, quod putat non esse amplius malum ratione finis ad quem ordinatur.

Bonacina. Sanchez. Palaus. Pasqualig.

9. Qui exercet opus seruile in die Festo, vt ex lucro faciat eleemosynam pauperibus, rem illicitam facit nec votum ea de re factum valet. Ratio est, quia vt necessitas excusat ab exercitio operum seruilium, debet esse necessitas actu existens in aliquo paupere particulari, quæ moraliter nota sit & patens, ita vt si in eo die Festo ei per opus seruile non succurramus, quando aliter non possumus, absque remedio & subsidio relinqueretur, quia non inuenitur alius, qui gratis eo die succurrat. Vnde non sufficit necessitas illorum pauperum, in communi qui sese obtulerint, nec votum valebit, nec à peccato transgressionis præcepti de obseruandis Festis excusabuntur illi, qui propter hanc necessitatem in communi laborare voluerint: excusabuntur tamen in alio casu necessitatis certæ & indubitatæ & actu existentis, ita vt aliter succurri non possit, & votum valebit. Ita Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de diebus Festis, cap.* 21. *num.* 15. Toletus *lib.* 4. *Summ. cap.* 25. *n.* 4. §. *Tertius casus est*, Nauarrus *in Man. cap.* 13. *num.* 10. Notandum tamen quando necessitas non instat pro die Festo, moraliter loquendo, & miseriæ pauperis subueniri potest sequenti die non Festo, tunc necessaria erit dispensatio atque licentia Pastoris, vt licitè fiat, cùm ipsa necessitas non sit tam clara & patens, vt possit excusare à transgressione præcepti.

Suarez. Toletus. Nauarrus.

Vide v. Emptio *num.* 47. Missa 3. *num.* 10. Procurator *num.* 5.

FEVDVM.

SVMMARIVM.

1 *Feudum vnde dictum.*
2 *Variæ diuisiones feudi.*
3 *An omnes sint capaces accipiendi feudum ab omnibus Dominis.*
4 *Qui possint in feudis succedere & qui non.*
5 *Quæ sint obligationes feudatarij.*
6 *Ex quibus causis possit Vasallus feudum amittere.*
7 *An Vasallus ex consensu Domini tantùm possit de feudo nouo disponere.*
8 *Quid iuris de feudo antiquo vel hereditario.*
9 *Ad quem reuertatur feudum, quando amittitur.*
10 *Quando feudum deuoluatur ad fiscum.*
11 *Ad quem pertinent melioramenta quæ fecit Vasallus in re feudali, dum feudum reuertitur ad Dominum.*
12 *Fructus rei feudalis, an ad Vasallum pertineant? Et quando relevia debeant solui.*
13 *An hodie Episcopi vel alij Prælati Ecclesiastici bona suarum Ecclesiarum infeudare possint.*

1. FEudum est vocabulum Gothicum vel Longobardicum, deductum fortasse à faida Germanica

manica voce, quæ significat bellum, siue militiam. Cœperunt autem feuda ex eo tempore, quo Longobardi in Italia regnum tenuerunt. Et quia prædia quæ bello victores occupabant, ea lege suis militibus tradebant, vt eos perpetuò Dominos agnoscerent, seque tanquam Clientes & Vasallos, hoc est eius iurisdictioni subiectos, qui in feudum dabat, profiterentur, ideò dicta sunt feuda. Iuris ciuilis interpretes passim dicunt feudum deductum esse à fide, quia is qui accipit in feudum obligatur Domino. Feudum igitur est genus quotidiani clientelæ, quo vel dignitas, vel vectigal, vel prædium aliquod ea lege datur alicui, vt & ipse, & ipsius posteri atque hæredes beneficij auctorem perpetuò agnoscant, & quasi pro patrono colant & habeant, eiúsque caput, existimationem & fortunas tueantur.

2. Variæ diuisiones feudi afferuntur à Doctoribus, sed infra dicendis contenti erimus, doctrinæ causà.

Prima, feudum aliud est proprium, aliud improprium. Proprium est, quod simpliciter, purè & directè conceditur, nulla temporis, aut certi obsequij, officij, siue seruitij determinatione. Improprium dicitur illud, quod ex pacto, naturam feudi mutat, ob id vocatur feudum ex pacto, seu prouidentia, quia acquiritur vigore pacti, & conceditur ex pacto quoad certum officium vel obsequium.

Secunda, feudum aliud est regale, aliud non regale. Regale est, quod à Principe conceditur Superiorem non agnoscente, qualis est Papa, Imperator, Rex, &c. & præter simplicem iurisdictionem, habet etiam titulum & nomen dignitatis, vt Ducatus, Marchionatus, Comitatus, &c. non regale est, quod nihil dignitatis vel eminentiæ affert, siue à Principe ipso, siue ab inferioribus, vt plerumque fit, conferatur.

Tertia, feudum aliud est antiquum, aliud paternum, aliud nouum. Antiquum est, quod maiores habuerunt supra quartum gradum communis agnationis. Paternum est, quod parentes siue progenitores vsque ad quartum gradum tenuerunt, velut auus, proauus, abauus, atauus. Si enim Tritauus & reliqui Superiores, iam est antiquum. Nouum verò vocatur, quod cœpit in persona inuestiti, nec peruenit ad ipsum ex successione. Datur etiam feudum maternum, quod à fœmina descendit tanquam à capite cognationis.

Quarta, feudum aliud est nobile, aliud ignobile. Nobile est, quod suum possessorem, siue accipientis personam vel nobilem facit, vel si priùs fuerat, nobiliorem ostendit; vt cùm ab Imperatore, vel à Rege conceditur. Ignobile est, quod à plebe vel priuatis hominibus concedi solet, & non confert nobilitatem.

Quinta, feudum, aut est Ecclesiasticum, aut sæculare. Ecclesiasticum est, quod vel Ecclesia dat alteri, vel ipsa accipit ab alio, vel quod in Clericum confertur, vel quod Clericus vt Clericus concedit. Sæculare feudum est, quod à ciuili Principe, vel à quolibet alio laico accipitur.

Sexta, aliud est hæreditarium, aliud non hæreditarium: illud est quod conceditur accipienti pro se & hæredibus, licet extraneis. Hoc verò quod pro se & liberis, & dicitur prouenies ex facto & prouidentia concedentis. Illud habere non potest nisi sit hæres, vel ab eodem descendat. Hoc verò possunt etiam habere agnati, etiamsi non sint hæredes.

Septima, feudum aliud est reale, aliud personale. Reale est, quod ad hæredes iure transit, tum Domini, tum beneficiarij. Personale, quod non excedit personam accipientis.

Octaua, feudum, quod diuidi non potest, dicitur indiuiduum, vt sunt Regnum, Ducatus, Marchionatus, Comitatus & cætera, quæ dignitatem habent. Aliud est diuiduum, quod diuidi potest, vt sunt illa, quæ dignitatem non habent.

Nona, feudum, aut dicitur ligium, aut non ligium. Ligium est, cùm quis in feudo iurat se Domino futurum fidelem contra quemlibet nullo excepto. Non ligium est, quando in iuramento præstando excipitur supremus Dominus, vt si quis iuret Duci, se ei fidelem futurum, exceptis iis, quæ pertinent ad Imperatorem, vel Regem, seu supremum Principem.

Decima, aliud est francum, aliud non francum. Francum dicitur illud, quod est liberum à pœnalibus feudorum legibus & exemptum ab omnibus seruitiis & obsequiis, exceptis iis, quæ continentur in forma fidelitatis. Feudum verò non francum dicitur illud, quod non est liberum & exemptum à seruitiis.

Porrò feudum, aut est masculinum, quod tantùm ad mares pertinet, aut fœmininum, quod ex pacto etiam fœminis conceditur. Hæ sunt communiores diuisiones feudorum. Notandum est autem varias esse consuetudines in feudis: nam aliæ sunt in Germania, aliæ in Gallia, aliæ in Italia, Hispania, Belgio. Et hinc prouenit quod Auctores, qui de feudis agunt, in diuersas abierint sententias.

3. Omnes sunt capaces accipiendi feudum, sed non ab omnibus Dominis, si enim sunt Domini principales, & maiores, tunc ij possunt dare cuilibet personæ cui voluerint, siue sit liber, siue seruus, siue Clericus, siue laicus, siue Ecclesiasticus, siue Prælatus, siue ciuitas, siue Castrum, siue diues, siue pauper, siue masculus, siue fœmina.

Si autem Vasallus det in feudum, tunc aliqui prohibentur, accipere. *Primò*, qui non possunt seruitium facere. *Secundò*, fœmina. *Tertiò*, Ecclesia, Clericus, Monachus, sunt enim inhabiles ad pugnandum. *Quartò*, non seruus alienus. *Quintò*, non hæreticus, aut Iudæus, aut excommunicatus. *Sextò*, non is, qui est in banno sui Domini. *Septimò*, non deportatus, quia nec hæres is institui potest. *Octauò*, non is, qui eo sit potentior, vt Comes, Marchio, &c. *Nono*, non is, qui est de alio foro quàm Dominus principalis. *Decimò*, non is, qui propter talem concessionem sit vexaturus Dominum.

4. Illi in feudo succedunt, quos inuestitura comprehendit & quos ius vel consuetudo non excludit: ius enim succedendi pendet ab intentione inuestientis, de iure vel consuetudine valentis & volentis inuestire. Vnde filij illegitimi non succedunt in feudo, etiam non extantibus legitimis, nisi legitimi efficiantur per subsequens matrimonium: qui verò legitimantur à Principe, non succedunt etiam in feudo, sed tantùm in allodialibus. Si tamen exprimatur in inuestitura, vt in feudum succedant, poterunt succedere, feudum enim accipit vires à concedente. Filij verò adoptiui excluduntur à feudo, non tamen ab allodialibus. Masculi autem succedunt in feudo, cæteris exclusis etiamsi in infinitum descendant: quod habet locum etiam in filiis emancipatis, in mutis, cæcis, & aliis destitutis aliquo membro, si tamen muti sint & vsu rationis careant declarandi sunt inhabiles ad feudum paternum vel antiquum, *lib. 1. feud. tit. 6.*

Filius exhæredatus à patre amittit feudum. Imò filio repudianti hæreditatem non permittitur retinere feudum. Propinqui laterales, dum liberi deficiunt, succedunt in feudo paterno, vel antiquo, modò aliud in inuestitura, non habeatur; & modò descendentes sint agnati, nam si cognati tantùm sint,

non

Digitized by Google

non verò agnati, non ſuccedunt in feudo, ſicut enim fœminæ excluduntur à feudo, ita etiam deſcendentes ex eis: quia deſcendentes ex fœminis non ſunt agnati, ſed alterius familiæ diſtinctæ à familia illius, cui inueſtitura conceſſa fuerat: ob id etiam fratres vterini non ſuccedunt in feudo; quia collaterales non ſuccedunt niſi per agnationem; vterini autem vtpote diuerſo patre nati non ſunt eiuſdem agnationis. Germanus Frater non excludit alium Fratrem, aut conſanguineum. Quod ſi filij Fratrum ſimul concurrant cum patruo, admittuntur vnà cum ipſo in ſtirpes; vel ſi pater moriatur relicto filio, & duobus nepotibus ex altero filio, nepotes iure communi Cæſareo ſuccedunt in locum ſui patris immediatè per ſtirpes, non per capita; conſequenter filio debetur vna pars & altera nepotibus. Vſu tamen & moribus receptum eſt, vt primogeniti ſuccedant, & reliquis præferantur, præſertim in feudis habentibus adnexam dignitatem.

Pater vel mater feudum habens, ſi relinquat filios ex duobus matrimoniis, præferendus eſt primogenitus prioris matrimonij, niſi fortè feudum ſit liberum & hæreditarium; tunc enim cedere poteſt feudum, cui velit, relictâ filiis prioris matrimonij legitimâ.

Hæc omnia colliguntur ex *lib.* 1. *&* 2. *Feudorum*, de quibus legendi ſunt Filliucius *tractatu* 36. *cap.* 10. Bonacina *de contract. diſputatione tertia quæſtione octaua, punct.* 3. §. 3. Azorius *parte tertia, lib.* 10. *cap.* 8. *&* 9. *de feudo*, & alij Iuriſperiti apud Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 24.

Filliucius. Bonacina. Azorius. Layman.

5. Feudatarij obligationes ſunt. *Prima*, vt præſtet iuramentum fidelitatis, vel etiam obſequij, ſi Dominus obſequium imponat; iuramenti autem formula talis eſt, ex *l.* 2. *feud. tit.* 5.

Ego N. iuro ad hæc ſancta Dei Euangelia, quòd à modo vt antea ero fidelis Domino N. ſicut debet eſſe Vaſallus Domino; nec id quod mihi ſub nomine fidelitatis commiſerit Dominus, pandam alijs ad eius detrimentum, nec pandi permittam me ſciente.

Familiares verò eius iurant cuſtodire vitam, membrum, mentem & Domini rectum honorem.

Iuramentum tamen hoc non eſt de ſubſtantia feudi, ſed promiſſio fidelitatis; vnde ab initio non præſtabatur iuramentum. Quando ſunt plures feudatarij hæredes, omnes iurare debent. Si feudum committatur communitati, ſeu Collegio, tunc vnus qui feudum accipit, nomine illius debet iurare, quia communitas cenſetur vna perſona. Quando ſunt plures hæredes Domini, poteſt iuramentum præſtare illi cui maluerit, quia non cogitur habere plures Dominos. Si Dominus feudi ſit Reſpublica, vel ciuitas, ſeu communitas, ſeu Eccleſia, ſufficit præſtare iuramentum adminiſtratoribus Reip. ſeu Magiſtratus: quia communitates non ſunt Domini feudi, vnde ſingulis non eſt præſtandum iuramentum.

Secunda obligatio eſt, vt Vaſallus præſtet obſequium Domino promiſſum.

Tertia, vt Vaſallus non alienet feudum abſque Domini directi conſenſu in caſibus à iure non permiſſis. Ita *cap. qua in Eccleſiarum, de conſtit.* vbi habetur: *Volentes igitur Eccleſiarum indemnitati conſulere, conſtitutionem huiuſmodi & venditiones feudorum Eccleſiaſticorum factas ſine legitimo Eccleſiaſticarum perſonarum adſenſu, vires decernimus non habere.* Aliquibus tamen in locis aliter vſu receptum eſt.

Caſus autem in iure permiſſi nominatiores ſunt. *Primus*, Cùm Domini conſenſus interuenit. *Secundus*, cùm fœmina cui feudum liberalitate Principis, aut ſucceſſione obuenit, illud viro in dotem tribuit, cùm nubit, quod ei permiſſum eſſe docet Clarus *quæſtione* 32. & Boërius *in deciſ. Burdegalenſibus deciſ.* 202. Non tamen poteſt in præiudicium filiorum alienari citra eorum conſenſum, quia ad illud ius habent maximè ſi feudum eſt hæreditarium, ſi patri eſt eiuſque nepotibus datum: quamuis legibus Galliæ ſufficiat ſeruari legitimam filio. De quibus agit Stephanus Bauny *de contract. tract.* 8. *quæſt.* 4.

Clarus. Boërius. Baunius.

Quarta, cùm res, locus ac tempus feudi alienandi neceſſitatem inferunt, incumbit feudatario, Dominum feudi admonere maturè, deque eo vendendo, eiuſdem facultatem & conſenſum petere, quem negare non poſſe exiſtimat Rebuffus *in tract. de feudis*; imò & ad id eum cogi poſſe arbitrantur multi. Liberum tamen ei eſt, feudum pretio de quo inter venditorem & emptorem eſt conuentum, emere.

Rebuffus.

6. Triplici de cauſa Vaſallus poteſt feudum amittere, *Prima eſt*, ingratitudo, modò talis ſit, quæ ob ſui grauitatem feudi priuationem mereatur, *lib.* 2. *feud. tit.* 24. *&tit.* 28. vnde propter decem crimina Vaſallus priuandus eſt feudo. *Primò*, ſi intra annum & di m à morte Domini, ab eius ſucceſſore renouationem inueſtituræ non petierit, nec debitum fidelitatis iuramentum exhibuerit. Annus autem computandus eſt à die, quâ Vaſallus adeptus eſt feudum, ſciens, aut ſcire potens rem eſſe feudalem, & obitum Domini, niſi iuſta ſubſit cauſa ob quam excuſetur. *Secundò*, ſi Vaſallus periclitantem in acie Dominum deſeruerit, etiamſi Dominus à Vaſallo deſertus, incolumis poſtea euaſerit, vel b llum gereret contra Patrem, adhuc enim Vaſallus Domino ſeruire debet. Si tamen Vaſallus Dominum deſeruerit, dum aliter vitam ſuam ſeruare non poterat, graue ingratitudinis crimen non cenſeretur committere, præferendo vitam ſuam vitæ Domini. Idem dic quando conſtat bellum eſſe iniuſtum. *Tertiò*, ſi ſciens inſidias parari Domino, non faciat eum certiorem; & multò magis ſi cum Domini ſui hoſtibus fœdus faciat, ſi eos domi ſuæ excipiat, ſi tranſitum per loca ſuæ obnoxia poteſtati præbeat cùm poſſet obſiſtere. *Quartò*, ſi vxori Domini, filiæ, ſorori, nepti ex filio, vel nurui carnaliter ſe miſcuerit, vel alicuius ex eis pudicitiam tentauerit. Eſt hoc verum etiamſi vxor Domini tunc temporis vidua eſſet: ſi tamen ad alias nuptias tranſierit, pœna hæc non haberet locum. *Quintò*, ſi detulerit Dominum apud Iudicem, vel accuſauerit etiamſi ex iuſta cauſa, excepto crimine læſæ maieſtatis diuinæ & humanæ. *Sextò*, ſi feudum alienauerit abſque conſenſu Domini & tradiderit: intellige ſi Dominus velit. *Septimò*, ſi filius Vaſalli vel eius domeſticus, aut Vaſallus Dominum offendit, & admonitus feudatarius non adducat reum ad veniam petendam. *Octauò*, ſi contumax ſit in eum, hoc eſt, vocatus ad Curiam Domini, venire detrectet & contemnat. *Nonò*, ſi iure feudi abutatur. *Decimò*, ſi Domino exigenti obſequia, negat ſe Vaſallum ipſius eſſe.

Secunda cauſa propter quam feudatarius priuandus eſt feudo, eſt duplex culpa commiſſa in perſonam diuerſam à Domino directo. Prima eſt, fratricidium præſertim ob ſpem hæreditatis. Secunda eſt, homicidium proditorium. Requiritur autem in his criminibus ſententia condemnatoria criminis & priuatoria feudi, niſi quod cùm alienaret abſque conſenſu ipſo iure cadit à feudo, & tantùm eſt opus ſententia condemnatoria criminis, non autem priuatoria, vt docent Clarus §. *Feudum, q.* 62. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 24. *num.* 12. & alij.

Clarus. Layman.

Tertia causâ contingit absque culpa Vasalli, quinque modis. *Primò*: Morte eius, non relictis filiis legitimis, vel agnatis. *Secundò*: Renunciatione. *Tertiò*: Professione in Religione incapaci, aut etiam clericatu, dum in inuestitura cauebatur ne feudum ad Clericum transiret. *Quartò*: Lapsu temporis ad quod esset concessum. *Quinto*: Præscriptione triginta annorum: sicut enim feudum spatio triginta annorum ac quiri potest, ita etiam amitti. De his vide Azorium *part.* 3. *lib.* 10. *cap.* 13. 14. & 15. *de feudo.* Filiucium *tract.* 36. *cap.* 10 *quæst.* 9. Stephanum Bauny *de contract. tract.* 8. *quæst.* 7.

Azorius. Filiucius. Baunius.

7. Vasallus ex consensu Domini, tam donatione inter viuos, quàm mortis causa, aut per vltimam voluntatem, irrequisito filij primogeniti assensu, aut agnatorum, qui eum gradu proximè consequuntur, de feudo nouo disponere potest. Ratio est, quia in hoc feudo descendentibus vel agnatis nondum ius acquisitum fuit, & ideò primus acquirens de eo, tanquam de re sua, cum Domini consensu, pro arbitratu disponere potest. Tum quia, quæ in patris sunt ære & manu, hæc non sunt filij promogeniti, aut agnatorum, nisi eo mortuo: non habent ergo hi in quo se læsos esse conquerantur, cùm de bonis suis, inter quæ est feudum nouum, pater absque eorum consensu statuit, dummodo sua stet primogenito legitima integra, à qua necessaria accipiat vitæ subsidia. Secus dicendum, si feudum nouum concessum sit speciali fauore alicuius filij, vel fratris, in inuestitura nominati: tunc enim non potest ius successionis ipsis adimi. Idem dicendum, si feudum nouum alicui concessum fuerit, vt esset instar antiqui, auiti, proauiti, &c. tunc alienari non potest cum præiudicio filiorum, aut collateralium, qui à communi stipite descendunt. Ita Iulius Clarus *lib.* 4. §. *feudum*, *q.* 40. & 41. Mynsingerus *centur.* 4. *obseruat* 48. Andreas Gail. *lib.* 2. *obseruat.* 49. & 50.

Clarus. Mynsing. Gaillard.

8. Feudum antiquum, quod est cum pacto ac prouidentia concessum, vt ad hæredes, ac descendentes liberos peruenirent, non potest patris munere ac liberalitate ad extraneos transire, sine liberorum ac proximi agnati assensu, vt constat ex *lib.* 2. *feudor. tit.* 39. *de alienat. paterni feudi.* Ratio est, quia ex concessione Domini liberali ac gratuita, liberi ac agnati ad feudum eo modo datum ius habent, & à patre cum ea conditione fuit acceptatum: ergo ne sit facta à patre, extraneo feudi antiqui concessio irrita & nulla, liberi ac agnati iuri illis iam acquisito renunciare debent. Ita ex communi sententia docent Mynsingerus *centur.* 4. *obseruat.* 85. Clarus *loco citato quæst.* 41. & alij.

Mynsing. Clarus.

Feudum tamen quod per se & simpliciter est hæreditarium, tam nouum, quàm antiquum, Vasallus arbitratu suo alienare potest perinde ac de bonis propriis disponere, irrequisito Domini aut proximorum agnatorum consensu. Ratio est, quia eiusmodi feudum ratione primæ suæ inuestituræ, ad quoscumque etiam extraneos deuolui potest, reseruata Domino directo fidelitate, à feudi successore præstanda. Ita ex communi Clarus *loco cit. suprà.*

Clarus.

9. Quando feudum amittitur culpâ Vasalli in Dominum perpetratâ, reuertitur ad ipsum Dominum non solùm si feudum sit nouum, vt omnes tenent, sed etiam quamuis feudum sit paternum, siue antiquum, in quo aliàs agnati succedunt iure inuestituræ, licet alicui velint, si sit paternum, deferri ad agnatos exclusis filiis & descendentibus Vasalli delinquentis. Quam opinionem sequitur Iulius Clarus *quæst.* 66. & alicubi est vsu receptum.

Clarus.

Quando verò feudum amittitur culpâ Vasalli in alium, transfertur feudum, si paternum sit vel antiquum, ad agnatos remotos quarto gradu, exclusis filiis, descendentibus & agnatis vsque ad quartum. At si feudum sit nouum, redit ad Dominum.

Si feudum amittatur ob alienationem absque consensu Domini, redit ad Dominum, etiamsi paternum sit, quamuis non sit improbabile deferri ad agnatos exclusis filiis, vt volunt aliqui. Denique si morte Vasalli amittatur absque filiis & agnatis, redit ad Dominum, & vtile dominium cum proprietate consolidatur. Porrò si ob renunciationem, redit ad Dominum, si nouum sit; si paternum, defertur ad agnatos. Ita Iulius Clarus §. *feudum*, *q.* 34. Azorius *loco citato cap.* 16. *quæst.* 1.

Clarus. Azorius.

10. Feudum non deuoluitur ad fiscum, nisi quando culpa Vasalli in alium à Domino bona eius ipso iure confiscata essent, vt ob crimen hæresis vel læsæ maiestatis, & feudum tale est, vt de eo statuere liberum sit Vasallo absque voluntate Domini & consensu agnatorum, quale est quod datur eo pacto, vt possit trâsferre ad quos voluerit, etiam ad extraneos. Quando autem esset culpa cõtra Dominum, etiamsi feudum esset liberum, redit ad Dominum, non transit ad fiscum. Quod si feudum esset antiquum, de quo Vasallus non potest disponere absque voluntate Domini & consensu agnatorum, vel nouum, de quo etiam non posset disponere absque eadem Domini voluntate, quamuis bene absque consensu agnatorum, tunc ob delictum Vasalli tale feudum non transit ad fiscum. Ita Syluester *verb. Feudum*, *q.* 24. & 25. Clarus *loco cit. q.* 84. Azorius *suprà c.* 16. *q.* 2. & alij.

Sylueſt. Clarus. Azorius.

11. Melioramenta, quæ Vasallus fecit in re feudali dum feudum reuertitur ad Dominum, pertinent ad Vasallum, quoties ipsius industriâ facta sunt; vt si Vasallus ædificium constituxit, aut iurisdictionem, vel seruitutem emit. Ratio est, quia non tenetur Vasallus suis sumptibus Dominum locupletem facere. Est tamen liberum Domino soluere Vasallo æstimationem melioramentorum, vel permittere vt ædificium tollatur, si absque detrimento rei fieri queat. Æstimatio autem tanti facienda est, quanti valet ædificium, seu res alia, dum redit feudum ad Dominum, non autem ex sumptibus factis in ædificio constituendo, seu in re alia emenda. Ita ex *lib.* 2. *feudor. tit.* 28. Clarus *quæst.* 88.

Clarus.

12. Fructus rei feudalis ad Vasallum pertinent. In quibusdam casibus tenetur dare Domino dimidiam partem, si Dominus eat in aliquam expeditionem. Sic Vasalli Imperatoris in Italia & Germania. Cùm venditur feudum, aut in censeum datur, Domino debita est quinta pars pretij in Gallia, qui census vtriusque, id est dantis & accipientis voluntate potest redimi. Debent etiam relcuia solui in mutatione feudi qualibet, nisi cum à patre ad liberos, aut ab his ad ascendentes in directa linea immediatè transmittitur: vnde si transferatur feudum ad hæredem per lineam transuersam, soluuntur Domino fructus vnius anni vel quinta pars. Annus autem, à quo relcuia, annique feudi reditus Patrono, seu Domino debentur, incipit à die, quo Vasallus capite nudo, flexo è poplitibus altero, sine calcaribus, ac ense ei se fidelem fore iureiurando adhibito clarè ac diserè pronunciat. De his fusiùs Baldus *lib.* 2. *feudor. tit.* 55. Azorius *loco citato c.* 16. *quæst.* 6. Stephanus Bauny *de contract.* 8. *quæst.* 6. & alij penes ipsos.

Baldus. Azorius. Baunius.

Plura hîc possint adduci de feudo, sed quia ad forum externum plerique pertinent, ideò à nobis omittenda, quæ videri possint apud Iurisperitos, qui ex professo de feudo libros ediderunt. Sequentia tamen addam in gratiam Ecclesiasticorum.

13. Quamuis Episcopi, Abbates & alij Prælati Ecclesiastici potuerint iure antiquo absque solemnitatibus

nitatibus infeudare ea bona suæ Ecclesiæ, quæ in feudum concedi solita erant, si ad eandem Ecclesiam, ob lineam finitam, Canonem non solutum, delictum perpetratum, aut aliàs quomodolibet liberè reuersa fuissent, vt habetur *in cap. vlt. de feudis, & in Extrauag. Ambitiosè, De reb. Eccles. non alienand.* Hodie tamen per Constitutionem Vrbani Papæ VIII. editam anno Domini 1625. Kalend. Nouembris, Pontificatus sui anno 3. quæ incipit, *Humanæ salutis auctor.* nequeunt Ecclesiastici Prælati vel Superiores, quicumque illi sint, ciuitates, terras, castra, oppida, villas, arces, aut quæuis alia loca, vel bona iurisdictionalia, seu quouis modo habentia iurisdictionem temporalem, seu iurisdictionis partem etiam minimam, ad eorum Ecclesias vel Monasteria, aut loca spectantia, tam quæ ad præsens pleno iure per easdem Ecclesias, Monasteria vel loca possidentur, quàm quæ ad ea de iure vel de facto renessa & deuoluta sunt, vel in futurum quomodolibet deuoluentur, concedere in feudum, vel emphyteusim, aut vltra triennium locare; etiamsi ex immemorabili consuetudine, aut etiam priuilegio Apostolico, ob quamcumque causam concesso, & iteratis vicibus approbato, in feudum, vel emphyteusim concedi, vel vltra triennium locari, aut finita concessione vel locatione, huiusmodi feuda, inuestituræ, vel aliæ concessiones renouari consueuerint; irritas & inanes decernens omnes & singulas concessiones & inuestituras, vel locationes, aut illarum prorogationes & renouationes, contra dictæ Constitutionis tenorem quocumque modo, & quotis tempore factas, vel in futurum faciendas, cum derogatione omnium & singulorum priuilegiorum & indultorum, ad quorumcumque fauorem concessorum, etiamsi necessariò & in individuo exprimenda essent. Vrban. VIII

Vide v. Emphyteusis *num.* 8.

FIDEIVSSIO.

SVMMARIVM.

1 *An obligatio fideiussoris sit inualida, quando obligatio principalis debitoris est nulla.*

2 *An Clericus possit fideiubere pro laico, & gaudeat priuilegio*, cap. Odoardus, de solut.

3 *An fideiussor possit propria sponte satisfacere creditori, etiamsi à creditore extra iudicium interpelletur.*

4 *An pro qualibet re, qua obligationem annexam habet, dari, aut peti possit fideiussor.*

5 *An creditor possit sine labe vsuræ cum debitore conuenire, vt pretium, quod fuisset alioqui soluturus fideiussori, sibi reddat.*

6 *An obligatio fideiussoris transeat ad haredes.*

7 *An fideiussoria obligatio expiret, si inter debitorem & creditorem nouatio fiat principalis obligationis.*

8 *An successione fideiussoris debitori principali, aut è contra, expiret fideiussoria obligatio.*

9 *An fideiussor remaneat liber ab obligatione fideiussoria, si creditor terminum solutioni præfixum proroget.*

1. QVandocumque obligatio principalis debitoris est nulla, etiam fideiussoris obligatio ipso iure est inualida, quando fideiussor rogatus fidem suam obstrinxit: nam si creditorem ipse deceperit, asserendo debitorem posse cum eo contractum facere & esse soluendo, tunc obligatur fideiussor ad refarciendum damnum quod passus est creditor. Secus si creditor nouerit debitorem esse sub alterius potestate constitutum, & nihilominus suas ei pecunias credidерit, aut mutuauerit, tunc fideiussor non manet obligatus: nam sibi imputare debet creditor si tunc damni aliquid patiatur. Tamen si res credita, vel mutata debitori sub alterius potestate constituto, qualis est filius-familiàs, seruus, vxor, religiosus, pupillus, minor, conuersa fuerit in bonum eius, sub quo est, tunc indemnis debet seruari creditor, vt colligitur ex *cap. Quod quibusdam, de fideiussoribus*, & creditor, licet non possit in iudicio agere actione ex contractu fideiussionis, aget tamen actione de in rem verso, *l. si pro parte, ff. de in rem verso.* Ita sentiunt Molina *de contract. disp.* 541. Rebellus *de obligat. iustit. lib.* 16. *quæst. vnic. de fideiussione, n.* 15. Lessius *lib.* 2. *cap.* 28. *dub.* 1. *num.* 5. Casus principalis huius resolutionis est: Emit à Titio mercatore credità pecuniâ merces filius-familiàs, vel pupillus, vel minor sine facultate patris, tutoris, vel curatoris, & pro eo fideiussit Caius, an teneatur Caius soluere! Molina. Rebellus. Lessius.

Aduertunt tamen prædicti Auctores, quòd si ex contractu vel facto aliquo debitoris principalis nascebatur saltem obligatio naturalis, & accesserit fideiussor, tenebitur hic non solùm naturaliter, sicut pricipalis debitor, sed etiam ciuiliter; potestque conueniri hoc ipso, quo principalis non potest, vel non vult soluere. Ita etiam Filliucius *tract.* 38. *num.* 154. Filliucius.

Secus si minor vendat rem immobilem vel mobilem pretiosam absque decreto Iudicis & adhibeat fideiussorem; tunc fideiussor non tenetur: quia ex hoc contractu nulla obligatio oritur, nec ciuilis, nec naturalis, *l.* 2. *Cod. de fideiussor. minor.*

2. Iuxta communem Doctorum sententiam Clericus fideiubere non potest pro laico; est enim ei prohibitum *in cap. Te quidem*, 11. *quæst.* 1. & *in cap.* 1. *de fideiussor.* Intellige nisi pietas, aut necessitas secus exigant. Ratio est, quia non expedit eum, qui abiudicatis mundi curis Deo se totum tradidit, ad eas relabi, quod his implicatus animus, habenis se in Dei amorem, cultumque liberis, effundere nequeat. Fideiussio tamen tenet, vt habetur *in cap. Peruenit, de fideiussor.* ex eaque conueniri poterit, vt colligunt ferè omnes Canonistæ in dictum *cap.* Ex ea tamen fideiussione non teneretur, nisi quatenus commodè soluere potest, ne egeat, vt docent Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 29. *numero septimo*, Petrus Nauarrus *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 175. Vtrum tamen in ciuili foro id seruari soleat ac debeat, dubitant aliqui, licet probabile sit, Clericum de patrimonij aut beneficij sui fructibus iudicis auctoritate coactum iri tantum, præcipuo debitore non soluente, creditori soluere, quantum isti ab illo erat debitum. Layman. P. Nauarra.

An autem beneficium *cap. Odoardus, de solut.* proficiat laico fideiussori pro Clerico? Dicendum est quod non, quia priuilegium tale est personale, & propterea personam Clerici non excedit, vt natant Doctores. Quod si Clericus esset fideiussor laici, gauderet tali beneficio ex generali *dicto cap. Odoardus.* Vnde si talis Clericus in totum, vel pro parte non possit soluere, sufficit ab eo recipere idoneam cautionem, vt si ad pinguiorem fortunam deuenerit, debita persoluat, vt habetur *in dict. cap. Odoardus*, vt docet Diana *p.* 7. *tract.* 8. *resol.* 18. cum alijs. Diana.

3. Fedeiussor potest propria sponte satisfacere creditori, etiamsi à creditore extra iudicium interpelletur, modò id non faciat in fraudem debitoris.

bitoris principalis. Ratio est, quia vtiliter gerit negotium debitoris principalis, illum releuando ab obligatione, qua ergà creditorem tenebatur. Sic colligitur ex *l. idemque, §. fideiussores, ff. mandati* & *instit. de fideiussor. §. si quis autem.*

4. Pro qualibet re quæ obligationem annexam habet, dari, aut peti potest fideiussor, quare cùm hæc ex mutuo, emptione, locato, conducto nasci soleat, his & similibus aliis contractibus adhiberi potest fideiussio, siue hi re, siue verbis; siue consensu sint perfecti. Clarè habetur in Instit. lib. 3. tit. 15. de fideiussor. *In omnibus obligationibus fideiussores assumi possunt, id est, siue re, siue verbis, siue litteris, siue consensu contracta fuerint.* Potest & quilibet eius actionis quam est habiturus, capere fideiussorem, modò hæc non sit mala, quia rei malæ nulla est fideiussio, vt enim eam facere peccatum est, ita & probare, ita & ad illam operam suam spondere, *l. potest accipi, ff. de fideiussor.* Pro pœna item delicti pecuniaria, fideiuberi potest cùm id permittatur singulis *in l. Græcè, §. sed si ex delicto.* Pro pœna autem corporali reo debita dari non potest fideiussor; quia plecti debent nocentes, non alij, vt diximus *tom. 1. verb. Fideiussio, num.* 12. cum Doctoribus ibi citatis.

5. Creditor non potest sine labe vsuræ cum debitore conuenire ea lege, vt pretium, quod ipse debitor fuisset alioqui soluturus, v.g. Titio fideiussori, sibi reddat ex eo quòd liberet eum ab onere constituendi fideiussorem Titium. Ratio est, quia lucrum ex mutuo reportaret; nam creditor non potest esse fideiussor vel assecurator pro debito suo, nisi vsuram committat. Ita ex *cap. Nauiganti, de vsuris*, docet Azorius *part. 3. lib. 11. cap. 22. dub. 7.* Azorius.

6. Obligatio fideiussoris transit ad hæredes, *l. potest accipi, ff. de fideiussor.* Ratio est, quia obligatio ex contractu transmittitur ad hæredes. Hinc, si contingat fideiussorem è vita discedere, non finitur fideiussoria obligatio, sed transit ad ipsius hæredes, cum omnibus iuribus & defensionibus quæ fideiussori competebant. Soluto verò debito, siue à debitore principali, aut hæredibus illius, siue à fideiussoribus, siue à quocumque alio, aut remisso debito per creditorem, expirat omninò fideiussoria obligatio: quoniam eo ipso omninò expirat debitum comparatione creditoris, cui debito fideiussoria obligatio nititur, *Instit. quibus modis tollat. obligat. §. 1.*

7. Fideiussoria obligatio item expirat, si inter debitorem principalem & creditorem nouatio fiat principalis obligationis, nec fideiussor in illam consentiat, aut de nouo pro illa fideiussor existat. Ita habetur, *l. nouatione, Cod. de fideiuss.* Nouatio autem à verbo *Nouo* est dicta & à noua obligatione, quæ loco prioris succedit. Et ab Vlpiano *leg. 1. ff. de nouationibus*, sic definitur: *Est prioris debiti, seu obligationis in aliam obligationem vel ciuilem vel naturalem, transfusio, atque translatio, ita vt prior perimatur.* Neque interest, qualis obligatio præcesserit, num naturalis tantùm, an ciuilis, & num verbis, re aut consensu contracta; quia quæcumque nouari potest verbis, nempe stipulatione, modò sequens obligatio, in quam transfertur ac commutatur, valida sit saltem naturaliter. Quod si sequens obligatio ciuiliter, atque adeò omninò esset inualida, tunc non fieret nouatio, sed obligatio prior integra ac illæsa remaneret, *Instit. §. præterea, quibus mod. tollitur obligatio. iunct. glossa ibi.* Vlpianus.

8. Item expirat fideiussoria obligatio, successione fideiussoris debitori principali, aut è contra, debitoris principalis fideiussori: quia tunc coniunctione in eadem persona vtriusque obligationis, prævalet principalis, nempe debitoris, & expirat minus principalis & accessoria fideiussoris. Ita habetur *in l. generaliter, & l. cùm reus, ff. de fideiuss.* Quia semper est habenda ratio principalis ac validioris obligationis, quando alia nihil virium addit, neque vllam extensionem ad aliquid aliud.

Quando autem quis fideiussor extitisset alteri, qui solùm obligatione naturali & non ciuili tenebatur, tunc, quia fideiussor tenetur ciuiliter, vtique talis successor tenetur vtraque obligatione, siue fideiussor, succedat debitori principali, siue debitor principalis fideiussori: quia vtraque creditori inseruit, & habet vires particulares & effectum aliquem, vltra aliam, vt habetur expressè *in l. Hæres à debitore, §. quod si hic, ff. de fideiuss.* vide Anton. Gomez *tom. 2. variar. cap. 13.* Gomez.

9. Si creditor terminum solutioni præfixum proroget in fauorem debitoris, fideiussor iuxta Molinam *de contract. disp.* 546. non remanet liber ab obligatione fideiussoria: quia prorogato termino solutioni præfixo, non censetur facta nouatio obligationis, nisi contrahentes exprimant se recedere à priori obligatione, & secundam loco illius subrogare ac amplecti. Sed mihi dicendum videtur quod; quando fideiussor fidem suam deuinxit vsque ad certum tempus solutionis, eoque aduenient creditor negligens fuit in petendo suum debitum, sed longiorem terminum debitori prorogauit sine consensu, pouaque obligatione fideiussoris, & eo tempore debitor efficitur impotens ad soluendum, tunc fideiussor liber manet à debito soluendo, quia culpa creditoris, debitor effectus est non soluendo. Quando autem obligatio fuit pura & absoluta, licet solutio sit prorogata, non tamen liberatur fideiussor: quia nulla facta prorogatione termini, tenetur fideiussor etiam post terminum, sicut & debitor principalis. Arg. *cap. cùm dilecti, de dolo, & l. Celsus, ff. de arbit.* & docent Sylvester *verb. Fideiussor. q. 14.* Armilla *ibid. num. 14.* Sylvest. Armilla.

Vide v. Cessio bonorum *n.* 11. & 5. Cœcus *n.* 5. Regulares *n.* 23. Restitutio in integ. *n.* 10.

FIDES I.

De fide humana & Diuina.

SVMMARIVM.

1. *Fides quomodo vsurpetur pro habitu & pro actu.*
2. *Quid sit fides in genere.*
3. *Fides alia est humana, alia diuina.*
4. *Quomodo omnis fides sit obscura in obiecto, euidens in credibilitate, in attestante aliquando euidens, aliquando obscura.*
5. *An fides sit necessaria ad vsum vitæ humanæ.*
6. *Fides variè vsurpatur in Scripturis.*
7. *An ratio credendi sit sola testificatio diuina.*
8. *An ad eliciendum actum fidei, necessaria sit motio voluntatis.*
9. *An fides diuidatur in formatam & informem.*
10. *An primarius fidei actus interims sit credere, quia Deus dixit.*
11. *An fideles peccatores verè credant in Deum.*
12. *An fides sit fundamentum iustitiæ & iustitia inchoata.*
13. *Verbum Dei quomodo tripliciter diuidatur.*
14. *Actus fidei an sit meritorius.*
15. *An ratio minuat meritum fidei.*

1. FIdes vsurpatur pro habitu, & pro actu: habitus est promptitudo quædam credendi personis

ſonis aliquid rationabiliter aſſerentibus : Actus eſt aſſenſus intellectus in aliquam veritatem, propter alicuius aſſertionem. Quatuor ſunt aſſenſus intellectus. *Primus*, eſt in principia certa & euidentia, & vocatur intellectio. v. g. homo eſt animal rationale. *Secundus*, in concluſiones inde deductas, per euidentem conſequentiam, vt homo eſt capax diſciplinæ, beatitudinis, &c. & dicitur ſcientia. *Tertius*, in principia probabilia & concluſiones inde deductas, vt omnis mater diligit filium; homo tenetur confiteri circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eamdem ſpeciem &c. & vocatur opinio. *Quartus*, in principia & concluſiones aſſertas à perſonis, quibus credi poteſt ac debet, & vocatur fides, verbi gratia Ciceronem fuiſſe Conſulem : repertum eſſe nouum orbem, &c.

2. Fides eſt aſſenſus intellectus in aliquam veritatem, propter authoritatem dicentis. Prob. nam impoſſibile eſt intellectui, vt alicui propoſitioni aſſentiatur, niſi ſub ratione veri. Vera autem eſſe ſibi perſuadet vel quia clarè videt, vel quia probabiliter, vel quia alius, qui nec fallere, nec falli videtur, hoc affirmat. Duo priora ſunt intellectus ſcientiæ & opinionis, hoc poſtremum eſt fidei, vt patet ex communi vſu loquendi : nam dicimus habere alicui fidem, hoc meretur fidem.

3. Fides alia eſt humana, alia diuina. Prob. quia duo ſunt, qui aliquid credibiliter affirmare poſſunt, Deus & homo : nam Angelus bonus nihil affirmat niſi authoritate diuina, ac propterea meretur fidem diuinam : malus autem Angelus mendax eſt & pater eius *Ioannis* 8. ac propterea nullam meretur fidem, quod obſeruandum eſt ab iis, qui interſunt exorcizationi energumenorum; ne aliquid à diabolo inquirant ex curioſitate, ſed ea tantùm quæ faciant neceſſariò aut vtiliter ad eius expulſionem, vt monuimus *tom. 1. verb. admiratio num. 6.* cum Doctoribus ibi citatis.

4. Omnis fides eſt obſcura in obiecto, euidens in credibilitate, in atteſtante aliquando euidens, aliquando obſcura. Prob. prima pars, quia fides eſt credere quod non vides : nam fertur in obiectum prout aſſeritur ab alio, non prout videtur, ac proinde implicat contradictionem, aliquid clarè videri per fidem : Dico per fidem, quia non repugnat vt alia pia cognoſcam euidenter, id quod etiam credo verbi gratia ſi viderim Ioannem interfici, & hoc idem atteſtetur alius fide dignus, potero illam cædem & ſcire & credere, ſed diuerſa ratione. Prob. ſecunda pars, quia vt prudenter aliquid credam, debet mihi rationabiliter conſtare, ipſum eſſe credibile, atque adeò credendum firmius, aut formidoloſius, prout author videtur verax : alioquin ſi hoc iudicium non ſit euidens erit incertum, ſi incertum, non potero prudenter illi aſſentiri, ſed hærebo in medio & dubitabo, vt fit, quando homines leues temerè aliquid affirmant. Prob. tertia pars, quia aliquando videmus & audimus eum, qui aliquid affirmat : aliquando verò hoc ipſum credimus aliis affirmantibus, v. g. ſi ponamus viuere nunc D. Auguſtinum notæ ſanctitatis & veracitatis Epiſcopum, qui pro concione affirmat ſe vidiſſe euidens miraculum, tunc ſi interſim eius concioni, habebo iſtius miraculi euidentiam in atteſtante, quia euidens mihi eſt D. Auguſtinum hoc affirmare, ſed ſi abſim à concione & alius qui interfuit, mihi narret, tunc habebo duplicem fidem vnam miraculi obſcuram in atteſtante, quia non eſt mihi euidens D. Auguſtinum hoc aſſeruiſſe, alteram dicti D. Auguſt. euidentem in atteſtante, quia video & audio illum, qui affirmat, ex D. Auguſtino ſe hoc audiuiſſe. Quod ſi quis in tenebris conſtitutus, mihi diceret ſe eſſe Angelum & reuelaret aliquam veritatem mihi ignotam, data euidentia credibilitatis, tunc fides mea eſſet omninò obſcura, tum in obiecto, quia non video iſtam veritatem, tum in atteſtante, quia ſeipſum obſcurè reuelat.

5. Fides eſt neceſſaria ad vſum vitæ humanæ. Ratio eſt quia homo eſt animal politicum & ſociale, & propter variàs indigentias, alterius opera opus habet, ſed ſocietas illa & mutua bonorum & officiorum communicatio, ſine fide conſiſtere non poteſt, ergo &c. Prob. minor, quia nec amicus intuetur cor & affectum amici, neque adeò filij certò norunt parentes, quæ tamen ſocietas & ſanctiſſima eſt, & maximè naturalis; nam matri credimus nos eſſe genitos tali patre : hanc autem eſſe matrem credimus obſtetricibus, nutricibus, famulis, cognatis & vicinis. Quod ſi fides hæc tollatur, nec fœdera amicitiæ, nec officium liberorum erga parentes, nec familiæ, neque adeò reſpublica vlla conſiſtere poterit. Credimus igitur & ſine vlla dubitatione credimus quod ſcire non poſſe confitemur. Vt ait D. Auguſtinus *lib. de vtilitate credendi cap. 12.* vbi hanc materiam fusè perſequitur. D. Auguſt.

6. Fides variè vſurpatur in ſcripturis, vt *Primò* pro fide Catholica, ſiue ſit actus, ſiue habitus 1. ad Corint. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas.* Secundò pro eius obiecto. Ad Galat. 3. *Prius autem quam veniret fides*, id eſt, priuſquam prædicaretur Euangelium. *Tertio* pro conſcientia ad Roman. 14. *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Quartò pro fidelitate, ſeu conſtantia in promiſſis, ad Roman. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit.* & hinc dicitur fidelis ſeruus *Lucæ* 12. qui diligenter præſtat officium : nam dũ accipit officium, quaſi tacitè promittit ſe facturũ.

7. Cùm obiectum fidei Catholicæ ſit verbum Dei tum ſcriptum, tum traditum, materiale quidem propoſitio obiectiua, quæ ſignificatur verbo Dei, v. g. Chriſtus eſt Deus, ſeptem ſunt ſacramenta : formale verò ſit ipſa teſtificatio Dei, quam vbique ſcripturæ requirunt. Ioann. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit.* Ioann. 3. *quod ſcimus loquimur & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis.* Dices, multi fideles credunt, non ob authoritatem Diuinam, ſed quia Eccleſia ita docet, v. g. ruſticus, quia ita edoctus eſt à ſuo paſtore, puer, quia ita audiuit in catechiſmo, ergo ratio credendi, non eſt teſtificatio diuina. Reſp. 1. in fidelibus multos eſſe actus circa myſteria fidei, qui proficiſcuntur à fide humana, & non à diuina, præſertim in rudioribus, qui rarò tractant res ſpirituales Reſp. 2. non eſſe neceſſarium ad ſupernaturaliter credendũ vt expreſsè cogitemus de authoritate Dei, ſed ſatis eſt, vt hoc confusè apprehẽdamus & tam firmiter aſſentiamur; quam poſtulat veracitas diuina. Reſp. 3. quando fideles credunt, quia Eccleſia ita docet, fieri poteſt, vt ſit fides Chriſtiana & ſupernaturalis : nam in Eccleſia, ſicut & in ſcriptura, eſt duplex authoritas, humana & diuina : humana, quatenus oſtendit ſuas notas, & notas fidei, ex quibus accipitur euidentia credibilitatis. Diuina, quatenus eſt os & organum Spiritus ſancti, habetque Chriſtum aſſiſtentem uſque ad conſummationem ſæculi. Si primo modo credant, eſt fides humana, ſi ſecundo, diuina. Et hi duo aſſenſus ſæpe permiſcentur, imò euidentia credibilitatis ſemper debet præcedere actum fidei diuinę, alioquin imprudenter crederetur. Cùm enim contineat myſteria longè excedentia captum noſtrum,

noſtrum, & velit ea firmiſſimè teneri, debet nobis euidenter conſtare, hæc eſſe credibilia, atque adeò credenda, & credenda non quocumque modo, ſed propter auctoritatem diuinam. Porrò fidem noſtram ſufficientiſſimè eſſe propoſitam, vt tam firmiter teneamur credere, docet Bellarminus *lib. de notis Eccleſiæ*, & alij apud Syluium 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 4. *quæſit* 2. Bellarmin. Syluius.

Euidentiæ autem credibilitatis notæ ſunt, Prophetiæ, miracula, puritas, & efficacia doctrinæ, modus, quo Euangelium eſt propagatum, ſucceſſio Epiſcoporum & Doctorum, teſtimonia Martyrum, oracula Sybillina, &c. Ex quibus euidens ſit, hanc fidem eſſe recipiendam ſub auctoritate diuina, & omnia contraria eſſe damnanda & anathematizanda, neque ſine hac euidentia, quiſquam prudenter credere poteſt, nam vt ait Sapiens Eccleſiaſt. 19. *Qui credit cùtò, leuis eſt corde.*

8. Ad eliciendum actum fidei, neceſſaria eſt motio voluntatis. Ratio eſt, tum quia obiecta fidei, cùm ſint inuidentia, non conuincunt intellectum: ergo vt intellectus eis aſſentiatur, moueri debet ab aliquo ſupplente id quod deeſt euidentiæ. Tum quia Canon quintus Concilij Arauſic. habet, initium fidei, ipſum ſcilicet credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium, fieri per inſpirationem Spiritus S. corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem: conſequens igitur eſt voluntatis motionem eſſe neceſſariam, vt aliquis credat. Conc. Arauſ. Conc. etiam Trid. *ſeſſ. 6. c. 6.* docet homines diſponi ad iuſtitiam, *dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt.* Signum eſt ergo quod voluntariè credant. Sed quia voluntas non poteſt eleuari ad ea quæ naturam ſuperant, niſi diuinitus præparetur; ideo numquam mouet intellectum ad credendum, niſi ſit per auxilium gratiæ præuenientis excitata & mota, & conſequenter ad credendum opus eſt pio aliquo voluntatis affectu, non quidem qui ſit vera Dei, ſicut oportet, dilectio, ſed quo voluntas diuinæ auctoritati ſe ſubmittat, ac intellectui imperet aſſenſum vt rectè docet Syluius. 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. *quæſit.* 4. Conc. Trid. Syluius.

9. Fides eſſentialiter eſt ſimplex, accidentaliter diuiditur in formatam & informem. Probatur prior pars, quia habet vnicum obiectum formale, eodem modo applicatum nempe auctoritatem diuinam obſcurè reuelantem: vnde ſequitur non tantùm Adamum, ſed etiam Angelos in vita habuiſſe fidem eiuſdem ſpeciei nobiſcum: nam, quamuis habuerint euidentiam in atteſtante, hæc tamen erat naturalis, nec poterat fundare fidem ſupernaturalem, ſed opus erat aſſenſu ſupernaturali in reuelationem obſcuram. Hæc aſſertio eſt contra hæreticos, qui ſtatuunt triplicem fidem, vnam hiſtoricam, alteram miraculorum, tertiam promiſſionum Dei. Sed optimè refelluntur à Catholicis, vt à Bellarm. *lib. 1. de iuſtificat. c.* 4. Hoſio *in Confeſſione Polonica, c.* 62. Probatur ſecunda pars, quia charitas eſt forma fidei, ſicut & cæterarum virtutum, ſed forma accidentalis, ac propterea fides vna & eadem poteſt eſſe informis & formata ſucceſſiuè, vt patet in Catholico, qui aliquando labitur in peccatum mortale, aliquando reſurgit & labitur. Docet hoc D. Iacobus *c. 2. Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt*, nam ſpiritus ſiue anima licet ſit hominis forma eſſentialis; eſt tamen veluti accidens corporis, ac proinde abeſſe & adeſſe poteſt, ſalua corporis veritate. Item Conc. Trid. ſeſſ. 6. Canon. 18, *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem licet non ſit viua; aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit.* Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 4. *art.* 3. Bellarmin. Hoſius. Conc. Trid. D. Thom.

10. Primarius fidei actus internus eſt credere, quia Deus dixit, vt patet ex Scripturis, vbi toties Prophetæ, hæc dicit Dominus Deus. Ideo D. Auguſtinus *lib. de prædeſtination. Sanctor. cap.* 2. dixit, credere, eſſe cum aſſenſione cogitare: ſeu quod clarius eſt aſſentiri cum cogitatione; quia videlicet auditis rebus fidei, vlterius cogitamus, non quidem de ipſarum veritate, quæ nobis eſt compertiſſima, ſed de viſione ipſarum vt in illis conquieſcamus. Vide D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 1. Syluium *ibidem.* D. Thom. Syluius.

11. Fideles peccatores, quamuis imperfectè, verè tamen credunt in Deum. Ratio eſt, quia cùm habeant veram fidem, vt ex Concilij Tridentini *ſeſſ. 6. Canon.* 28. patet, habent voluntatem ex nonnulla obedientia propenſam in id quod credunt, atque adeò actus fidei ipſorum ſic à voluntate imperatur, vt credendo tendant in Deum ſicut in vltimum finem. Dictum eſt, *quamuis imperfectè*, Solus enim is perfectè credit in Deum, cuius credendi actus imperatur à voluntate tendente in Deum ſuper omnia dilectum, ſiue qui ſic credit, vt credendo ipſum amet, omnémque ſpem ſuam in Deum dirigat, vt etiam annotauimus *tom. 1. verb. Fides 1. num. 2. verſ. Sed petis primò.*

12. Fides eſt fundamentum iuſtitiæ, atque adeò iuſtitia inchoata. Probatur prior pars ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. *Fides*, inquit, *eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium peruenire.* Quæ verba reperiuntur apud D. Auguſt. in ſermone 38. de tempore, qui eſt in appendice trigeſimus. Ipſe autem Auguſt. Epiſtola 105. manifeſtè dixit, quòd *à fide omnis iuſtitia ſumit initium*, & epiſtola 157. quod *omnes iuſti ſine ante incarnationem Chriſti, ſiue poſt, nec vixerint, nec viuant niſi ex fide incarnationis Chriſti.* Atque hæc ſemper fuit Sanctorum Patrum concors ſententia. Secunda pars diligenter tuenda eſt & bene intelligenda contra hæreticos, qui docent ſola fide hominem iuſtificari, fidem tamen non eſſe iuſtitiam, ſed apprehendere iuſtitiam, quæ gratis offertur à Deo, perinde ac ſi pauper manu apprehendat eleemoſynam à diuite gratis oblatam. Sed quod fides ſit fundamentum iuſtitiæ probatur 1. Corinth. 3. ergo pars iuſtitiæ, ergo iuſtitia inchoata: quod oſtendit Apoſtolus ad Roman. 4 *Credenti in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam.* Ratio eſt, quia iuſtitia, nihil eſt aliud, quàm rectitudo quædam portionis rationalis & conformitas eius cum ſua regula, quæ eſt lex diuina: vnde iuſti ſæpiſſimè in Scripturis vocantur recti corde, vt *Pſalm.* 31. *in fine*, & *Pſalm.* 96. 11. Fides autem formaliter conformat noſtrum intellectum præcepto diuino, de credendo firmiſſimè ipſius reuelationi, ergo, &c. Libenter tamen admittimus fide nos iuſtificari, ſed non ſolâ, quia rectitudo intellectus non ſufficit vt perfectè coniungamur Deo, ſed requiritur etiam rectitudo voluntatis, quæ formaliter fit per ſpem & charitatem. Vide Bellarminum *lib. 1. de iuſtificatione, cap.* 12. & 17. D. Auguſt. Bellarmin.

13 Cùm materiale obiectum fidei diuinæ ſit Verbum Dei, ſeu quidquid diuinitùs viatoribus obſcurè reuelatum eſt, dicendum illud Verbum Dei tripliciter diuidi. *Primò*, Verbum Dei aliud eſt, quod Deus per ſeipſum, nullo alio tanquam nuntio, aut Legato interueniente reuelat. Tale erat Verbum, quod factum eſt à Domino ad prophetas. Talis erat vox de cœlo lapſa; hic eſt filius meus dilectus.

Digitized by Google

dilectus. Matthæi 3. & 2. Petri 1. Aliud est verbum Dei, quod Deus per alium tanquam legatum suum loquitur, ac reuelat, sicuti indicat S. Petrus Epist. 2. cap. 1. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines.* Postea verò locutus est nobis Deus per Apostolos & Euangelistas, iuxta illud Apost. 1. ad Thessalonicenses cap. 2. *Cùm accepisſetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed (sicuti est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.*

Secundò, verbum Dei aliud est scriptum, & aliud non scriptum sed traditum. Nam verbum, quod Deus ad Adamum & Patriarchas locutus erat, non statim litteris mandatum fuit; sed per traditionem profectum vsque ad Moysen qui Pentateuchum scripsit. Sic nouum testamentum, quod Christus condidit statim scriptum non fuit, sed annis aliquot post eius ascensum, nec omnia scripta sunt, quæ Christus docuit & Apostoli Ecclesiis tradiderunt.

Tertiò, verbum Dei aliud est, quod publicam authoritatem habet, vt ab omnibus fidelibus recipi debeat, vt est testamentum vetus ac nouum: Item Traditiones tum Diuinæ tum Apostolicæ; ac denique Ecclesiæ definitiones seu Canones, & quæcumque Ecclesia tamquam ad fidem vel mores generatim spectantia Christiano populo decernit ac proponit. Alterum est, quod publicam authoritatem non habet: sed priuatim alicui à Deo reuelatum, ac nondum Ecclesiæ satis contestatum est.

Ecclesia de nouis fidei mysteriis reuelationes iam non accipit, vt olim Prophetæ & Apostoli, sed assistente & dirigente Spiritu Sancto docet, quodnam sit verum, ac legitimum Dei verbum scriptum, vel traditum, & quod suppositicium. Deinde quis verus & legitimus verbi Dei sensus ac interpretatio, quæ autem illegitima, atque hæretica: denique quænam ex verbo Dei scripto, aut non scripto per bonam consequentiam deducantur. De his videri potest Vincentius Lirinensis *lib. contra hæreses*, 32. Lirinensis.

14. Actus fidei est meritorius dupliciter, primò secundùm se: nam habet excellentem quandam honestatem ex obiecto, nempe reuereri authoritatem diuinam, eique firmissimè assensum præbere, vnde Apostolus ad Roman. 4. *Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad iustitiam.* Secundò ex relatione in finem supernaturalem, vt si quis credat mysterio fidei ad eliciendam contritionem, dilectionem &c. Rursus actus fidei non tantùm est meritorius ratione exercitij, sed etiam ratione specificationis: nam cùm aliquis credit, sicut oportet, non tantùm habet peculiarem libertatem, honestatem ac laudem, quia exercet istum actum, sed etiam quia se determinat ad istam speciem actus, cùm posset ad contrariam: at qui exercet actum scientiæ verbi gratia contemplando materias mathematicas, non habet meritum, nisi referat illam contemplationem in finem bonum & supernaturalem. Secundò, ratione specificationis nihil meretur, quia non est illi liberum in alteram partem se determinare. Aliud est in opinionibus, quæ cùm non cogant intellectum, patiuntur liberam determinationem ad assensum, vel dissensum: vnde siquis ob bonum fidem opinetur B. Virginem conceptam esse sine peccato originali, poterit mereri, noc tantùm ratione exercitij, sed etiam ratione specificationis.

15. An ratio minuat meritum fidei? Resp. rationes antecedentes tollere, vel impedire fidem, sequentes augere. Ratio prioris est, quia rationes antecedentes vocantur, quibus homo principaliter innititur, vt credat, vt si quis teneat mysteria fidei ob magnitudinem miraculorum, excellentiam Sacræ scripturæ, non autem ob diuinam reuelationem.

Nota tamen rationes antecedentes esse duplicis generis, nam quædam sunt necessariæ ad euidentiam credibilitatis, & de his non loquimur, quia non tollunt, sed statuunt fidem, modò quis vlteriùs progrediatur, vt credat propter authoritatem diuinam. Aliæ sunt abundantes, & has requirere post sufficientem fidei propositionem, est peccatum infidelitatis, & sic intellige illud D. Gregorij. *Fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum.* Quando nempe aliquis credit ob experimentum aut alia argumenta euidentia, tanquam ob principalem rationem credendi. Posterioris ratio est, quia rationes sequentes hic dicuntur, quas fideles amore veritatis excogitant, vel ad fidem defendendam, vel meliùs apprehendendam, vel clarius explicandam, vel promptiùs exercendam: tales enim rationes sunt signa magnæ fidei, & efficiunt vt conditiones meriti fiant illustriores. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 10. Sylvius *ibidem.* D. Gregor. D. Thom. Sylvius.

FIDES II.

Quoad exteriorem actum fidei.

SVMMARIVM.

1 *An actus externus fidei sit professio fidei?*
2 *An contra externam fidei confessionem sit vti vestibus, quibus vtuntur infideles vel hæretici ex consuetudine?*
3 *An relinquere signum institutum ad manifestandam professionem fidei, sit contra exteriorem confessionem fidei?*
4 *An peccet contra externam confessionem fidei qui latens sub vestitu Turcarum, dicit se esse Turcam?*
5 *An liceat exploratoribus Christianis simulare se esse Turcas: ac vestibus eorum vti &c.*
6 *An transiens per loca infidelium aut hæreticorum possit vesci carnibus sibi oblatis, diebus vetitis, ad vitandum graue damnum?*
7 *An liceat Catholicis occultis sumere eunam hæreticorum, ob metum pœnarum?*
8 *An Prælati regulares, Lectores Philosophiæ ac sacræ Theologiæ regulares teneantur emittere professionem fidei, in religionibus, vbi Constitutio Pij IV. non est recepta?*
9 *An Abbates commendatarij perpetui teneantur ad hanc fidei professionem emittendam?*
10 *An prouisi de capellaniis, portionibus in Ecclesiis Cathedralibus, teneantur fidei professionem emittere?*
11 *Pœna, quam infligit Tridentinum contra non emittentes professionem fidei intra duos menses, à die captæ possessionis beneficij, canonicatus vel dignitatis, est, vt fructus non faciat suos, nec illi suffragetur beneficij possessio.*

1. ACtus fidei externus est professio fidei. Ratio est, quia actus virtutis exterior est

Digitized by Google

qui ad virtutis finem intrinſecum refertur, vt eleemoſyna & correctio fraterna, ſunt actus miſericordiæ externi, quia referuntur ad ſubleuandam proximi miſeriam tum corporalem, tum ſpiritualem &c. profeſſio autem fidei ſuapte natura refertur ad inhærendum primæ veritati, quæ eſt finis fidei intrinſecus. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 3. *art.* 1. & alij communiter. D. Thom.

Dices, profeſſio fidei videtur eſſe actus religionis: nam audiendo ſacrum, percipiendo ſacramentum, canendo ſymbolum fidei &c. profitemur fidem, qui tamen ſunt actus religionis? Reſp. actum externum, cùm in genere moris pendeat ab interno, poſſe aliquando referri ad varias virtutes: nam v.g. perpeſſio martyrij eſt profeſſio fidei, quatenus teſtatur doctrinam Catholicam eſſe à Deo reuelatam: Eſt actus ſpei, quatenus tendit ad obtinendum regnum cœlorum: Eſt actus charitatis, quatenus pluris æſtimat amicitiam diuinam quàm vitam propriam; eſt actus religionis, quatenus ſua morte honorat Deum &c. Cæterum ab ea virtute cenſetur actus externus elici moraliter, ad cuius finem ex ſua natura eſt accommodatior, ac propterea cùm fidei profeſſio ſit oratio ſignificatiua veritatis à Deo reuelatæ, aptiſſimè dicitur eſſe actus fidei externus, quamuis & ad alias virtutes pertinere poſſit.

2. Contra externam confeſſionem fidei non eſt, iuxta communem Doctorum ſententiam, veſtibus vti, quibus vtuntur infideles aut hæretici ex conſuetudine veſtiendi, quæ ſolent eſſe diuerſæ, ſicut ſunt inter Catholicos: & illa diuerſitas non ordinatur ad indicandam diuerſitatem religionis. Ratio eſt; quia cùm huiuſmodi veſtes non ſint vllo pacto ſigna religionis, induens illas non ſignificat aliquid contra ſuam veram religionem; vnde talis vſus eſt etiam apud viros timoratæ conſcientiæ. Neque hic vſus continet aliquod mendacium; quia veſtes non ſe habent per modum ſigni. Debet tamen hoc limitari ad caſum, in quo non vrget præceptum fidem confitendi: quia ſi vrgeret, eſſet peccatum mortale: non vſus illarum veſtium præcisè, ſed quia occulteretur non ſolùm fides, ceſſando à confeſſione, ſed etiam habitus, vnde fides dignoſci poſſet. Ita Sylueſter *verb. Apoſtaſ. quæſt.* 1. *n.* 4. *& verb. fides quæſt.* 5. *n.* 8. Toletus *lib.* 4. *cap.* 2. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 4. *n.* 17. & alij. Sylueſter. Toletus. Sanchez.

3. Relinquere ſignum inſtitutum ad manifeſtandam profeſſionem fidei eſt contra exteriorem confeſſionem fidei, ſecundùm Cáietanum, quando lex eſt in vigore, & ſignum non eſt inſtitutum ob finem politicum; ſed ad manifeſtandam profeſſionem fidei. Ratio ipſius eſt, quia tunc Catholicus per legem, atque adeò publica authoritate interrogatur de fide, imò pluſquam interrogatur: quia à lege exigitur confeſſio fidei, vnde tenetur reſpondere; alias ſubtrahit debitum honorem Deo. Ita ille 2. 2. *q.* 3. *art.* 1. Contraria tamen ſententia eſt tenenda, modò non vrgeat præceptum confeſſionis fidei. Ratio eſt, quia licet occultare fidem quando non vrget præceptum confeſſionis: quia tunc nõ ſubtrahitur debitus cultus Deo, cùm tunc non ſit obligatio exhibendi, & ſolùm occultatio eſt illicita, quando ſubtrahitur debitus cultus; omiſſio autem ſigni præſcripti eſt tantùm occultatio fidei, non autem negatio, etiam quoad apparentiam: quia negatio fidei debet eſſe determinata; omiſſio autem ſigni, cum de ſe ſit occultatiua, non eſt determinata vt ſit negatio fidei: & ſolùm poteſt determinari ex eo quòd vrgeat præceptum confeſſionis. Ita Bañes. Caietanus. Bañez.

Peſantius, Arragon 2. 2. *quæſt.* 3. *art.* 2. Sanchez *loco citato n.* 29. Suarez *de fide diſp.* 14. *ſect.* 5. Rodriguez *tom.* 1. *ſum. cap.* 119. & alij. Peſantius. Arragon. Sanchez. Suarez. Rodriguez.

4. Contra exteriorem Confeſſionem fidei non peccat, qui latens ſub veſtitu Turcarum, dicit ſe eſſe Turcam, intelligendo quò ad externam apparẽtiam, quando non vrget obligatio confeſſionis fidei. Ratio eſt, quia in tali caſu non interuenit vera negatio fidei, cùm dicat ſe eſſe Turcam quoad externam ſolum apparentiam, non autem quoad profeſſionem fidei, quam nullo modo intendit negare; vnde ſolùm poteſt peccare ratione externæ apparentiæ, quatenus appareret fidem negare. Sed neq; hoc pacto peccat, nec interuenit apparentia negationis fidei. Quia apparentia externa negationis fidei non habet locum niſi adſit etiam externa apparentia fidei, quæ negatur, & obligationis illam confitendi: nam ſicut negatio fidei eſt diſceſſio à fide; ita apparentia negationis eſt apparens diſceſſio à fide, non poteſt autem eſſe apparens, niſi appareat etiam fides cum obligatione retinendi illam, à qua fiat diſceſſus. Denique licet infideli dicere ſe eſſe infidelem; neque in hoc peccat: ergo indutus habitu Turcarum, poteſt dicere ſe eſſe Turcam intelligendo quoad externam apparentiam: quia cùm hoc dicat exiſtens in apparentia alienæ perſonæ, ſenſus eſt, quod perſona, quæ apparet, ſit Turca, quod omnino verum eſt. Nec Catholicus ſibi adſcribit confeſſionem ſectæ Mahumetanæ, ſed perſonæ, quæ reuera illam profitetur, & cuius apparentiam habet. Ita in terminis Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ.* 157. Paſqualig.

5. Dubium eſt, an liceat exploratoribus Chriſtianis miſſis ad infideles in commodum & vtilitatem Reipublicæ Chriſtianæ, quamdiu apud ipſos infideles commorantur, ſimulare ſe eſſe Turcas, ac veſtibus eorum vti, adire eorum templa, &c. Et quidem pro parte affirmatiua facit, quòd ſimulatio falſæ religionis extra illos caſus in quibus obligat præceptum affirmatiuum confitendi fidem, nec eſt contra id præceptum affirmatiuum, nec contra negatiuum, quia vt ſupponitur, tales non intendunt per verba aut cæremonias falſæ religionis fidem ſuam negare, tunc enim mentirentur, quod numquam licet, neque profiteri alienam, ſed tantùm in ea re ſpectant vtilitatem Reipublicæ Chriſtianæ & ſuam ne ab infidelibus occidantur. Neque etiam huiuſmodi ſimulatio eſt contra charitatem Dei aut proximi; quia abeſt ſcandalum infirmorum, & adeſt iuſta cauſa, propter quam meritò ſit negligenda deceptio infidelium, qui putent hos eſſe infideles. Propter has rationes, quidam Doctores admittunt hanc ſententiam vt probabilem, inter quos, ſunt Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 2. *verſus hæc ſententia*, *verſ. nihilominus.* Adrianus *in* 4. *quæſt.* 1. *de bapt. in reſp. ad* 5. *arg.* Ioannes Machadus *de perfect. confeſſ. tom.* 1. *lib.* 2. *tract.* 1. *document.* 5. *num.* 8. Imò pro hac ſententia citatur D. Hieronymus *comment. ſuper cap.* 2. *Epiſt. ad Galatas.* Nihilominus communior & probabilior ſententia aſſerit non licere prædictis exploratoribus Synagogas & Moſcheas adire, quo tempore Turcæ ad eas confluunt cauſa orandi, vel adorandi Mahometum, vel aliud idolum: ſecus autem ſi adeant Moſcheas ad negotium aliquod ciuile peragendum, vel ad inſeruiendum alicui Principi, vel animo inſpiciendi, aut inquirendi quid ibi agatur, abſque intentione non ſolùm interiùs, ſed etiam exteriùs Valentia. Adrianus. Machadus. D. Hieron.

colendi

colendi Mahometum, vel idolum. Ita citans multos Bonacina *de fide punct. 3. num. 27.* qui tamen concedit posse exploratores Principum Christianorum vti signis & vestibus, quæ iuxta regionis consuetudinem adhiberi consueuerint, modò Mahometus, vel aliquis falsus Deus, in ipsis non exprimatur. Nam vsus signorum ex sua natura indifferentium non videtur illicitus, modò iusta subsit causa, citra scandalum, aut animum significandæ falsæ fidei, hoc enim pacto fides non negatur; cùm huiusmodi signa non adhibeantur animo negandæ fidei, neque contrarium fidei nostræ sectam ex se significent. Non liceret tamen vti illis signis, quæ sunt falsæ fidei ex se protestatiua, vt idolum adorare, orare ad idolum, &c. etiamsi hæc signa non adhibeantur animo negandi fidem, sed intentione propriam fidem celandi ad vitandam mortem vel ad consulendum bono publico Religionis. Ratio est, quia vsus horum signorum est intrinsecè malus; sunt enim signa ex se ordinata ad negandam fidem; metus autem non excusat ab opere intrinsecè malo. Pro hac sententia adducit *Nauarrum, Sanchez, Bañem, Sylvestrum* & alios. Vide quæ diximus *tom. 1. verb. Fides 11. num. 6.*

Bonacina.

Nauarrus. Sanchez. Bañez. Sylvest.

6. Non peccat contra fidei confessionem fidelis & Catholicus transiens per loca infidelium aut hæreticorum; si celandæ religionis causâ, ad euitandum graue damnum, carnibus sibi oblatis, in diebus vetitis, vescatur, dummodò absit scandalum, & non teneretur illius Religio auctoritate publica, vel inde Religionis Catholicæ despectus non oriatur. Probatur, quia hic non delinquit contra legem Ecclesiasticam ieiunij, quæ in tali casu non obligat: neque contra legem diuinam non abnegandi veram fidem & non profitendi alienam. Quia carnium esus die interdicto secundùm se non est nota aut professio hæresis, cùm in Catholicos etiam reperiantur, qui diebus interdictis carnes comedunt, vel iusta causa excusati, vel interdum intemperantia superati.

Neque obstat, quod hæretici ex hoc signo colligere soleant aliquem suæ fidei sectatorem, aut à Romana Religione deficere: quia hanc ipsorum deceptionem ob grauem causam interdum permittere licet dummodo absit scandalum & Religionis orthodoxæ contemptus, vt dictum est: Ita Sanchez *lib. 2. moral. cap. 4. num. 25.* Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 29. quæst. 7. ad fin.* & *lib. 8. cap. 27. quæst. 3.* Coninck de fide *disp. 15. dub. 3. num. 50.* Castrus Palaus *tom. 4. tract. 4. disp. 1. punct. 17. num. 9.* & alij. Monet autem rectè Becanus in *2. 2. cap. 9. q. 5. dub. 5.* Si Catholicus sit apud Lutheranos, à quibus plerumque non graue periculum, sed solum irrisio aliqua timeri potest, si quis inter eos à carnibus abstineat; tali casu abstinendum esse, & legem Ecclesiasticam obseruandam.

Sanchez. Azorius. Coninck. Palaus. Becanus.

7. Ex communi Doctorum sententia non licet occultis Catholicis inter hæreticos ipsorum cœnam ob metum pœnarum sumere. Ratio est, quia talis cœna, si absolutè & præcisè spectetur, licet res indifferens sit, & famis sitisve sedandæ etiam naturalem vsum habeat: tamen per circumstantias personarum, loci, temporis, adiunctorum verborum &c. determinatur ad significandum cultum, ac professionem Religionis hæreticæ: ac proinde fideles eam sumere non possunt absque simulatione falsæ fidei. Et licet Catholicus cœnam hæreticorum sumere non prohibeatur cum protestatione publica, facta non coram solo Ministro, seu prædicante, sed toto populo, se tantùm sumere vt prophanum, & communem panem, &c. talis tamen protestatio plerumque nihil proderit ad pacem cum incolis retinendam, vel omne scandalum tollendum.

8. Quamuis Prælati regulares, iuxta constitutionem Pij IV. quæ incipit, *Iniunctum nobis*, editam idibus Nouembris 1564. ad fidei professionem emittendam adstringantur, vt docent Rodriguez *tom. 2. quæst. regular. 73. art. 1.* & eius compendiator Hieronymus Rodriguez *resol. 67.* cum aliis. Tamen in illis Religionibus in quibus prædicta constitutio Pij IV. non est vsu recepta, vel est contrario vsu abolita, Prælati regulares non tenentur ad fidei professionem emittendam. Ita Sorbus noster *in compend. privileg. mendicant. verb. Professio fidei*, vbi dicit Sacram Congregationem Eminent. Cardinalium, dictam constitutionem non esse in vsu quoad Prælatos regulares, respondisse; atque ita pariter consuluisse doctissimos viros aliàs, & ita obseruari in praxi. Quam sententiam sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap. 5. num. 3.* Diana *part. 3. tract. 2. resolut. 78.* & eadem praxi testatur noster Sigismundus à Bononia *tract. de elect. Prælat. dub. 50. in fine*, quidquid dicant alij, quia reuera hodie in quibusdam religionibus prædicta constitutio non obseruatur. Idem dicendum putat Diana de regularibus Lectoribus Philosophiæ ac sacræ Theologiæ professionem fidei non facientibus, in religionibus vbi dicta constitutio non est vsu recepta, vel per contrarium vsum abolita.

Pius. IV. Eman. Rod. Hier. Rodr. Sorbus. Sac. Congr. Sanchez. Diana. A Bononia. Diana.

9. Abbates Commendatarij perpetui, cùm facultate disponendi de fructibus, sicut veri beneficiati tenentur Fidei professionem emittere, quia cum huiusmodi commendæ censeantur habere vim & effectum tituli canonici, *cap. dudum el 2. de elect. cap. qui plures 21. quæst. 1.* meritò tenentur ad fidei professionem emittendam, vt docet Barbosa *de potest. Episcop. part. 3. allegat. 61. num. 12.* Idem dicendum est, de Abbatibus secularibus, qui sunt dignitates in Ecclesiis Cathedralibus, ex dispositione Concilij Trident. *sess. 24. cap. 12. de reform.* vbi voluit, quod prouisi de canonicatibus & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus idem facere teneantur.

Barbosa. Conc. Trid.

10. Ad hanc fidei professionem non tenentur prouisi de canonicatibus aut dignitatibus in Ecclesia Collegiali, nec prouisi de portionibus aut aliis capellaniis in Ecclesiis Cathedralibus. Nec illi qui de beneficiis Parochialibus non prouidentur; sed Episcopus eos Parochos constituit. Vt contingit in Diœcesibus, in quibus nulla sunt Parochialia beneficia. Probatur ex textu Tridentini certas personas ad hanc fidei professionem obligantis, sub quibus prædictæ non comprehenduntur.

11. Pœna illorum, qui secundum Tridentinum tenentur fidem profiteri, & non profitentur intra duos menses ad minus à die captæ possessionis beneficij, canonicatus vel dignitatis, est, vt fructus beneficij non faciant suos, nec eis suffragetur beneficij possessio. Hic notandum *Primò*, quòd per hoc decretum non amittatur titulus, quia id ibi non exprimitur, solùm enim vult Concilium, ne possessio suffragetur, quoad fructus beneficij acquirendos, dum ea fidei professio emissa non fuerit. An autem differens professionem fidei, ita fructus beneficij perdat, vt nulla iudicis expectata sententia teneatur eos restituere? Quidam affirmant, quia Tridentinum statuit possessionem huic non suffragari. At si non possideret, nullatenus acquireret fructus, ergo tenetur eos tamquam rem alienam restituere. Ita Azorius *tom. 2. lib. 7. cap. 2. quæst. 1.* & alij. Hæc sententia est probabilis. Contraria tamen meritò probabilior videtur, nempe non teneri restituere, donec

Azorius.

Digitized by Google

donec condemnetur. Ratio eſt, quia hoc decretum eſt pœnale, ac proinde, etiamſi pœnam ipſo iure irroget, non obligat in foro conſcientiæ. Tum quia quando Tridentinum vult obligare in foro conſciẽtiæ ad reſtituendum non expectatâ iudicis ſententiâ, non ſolis iis verbis, *Fructus non faciant ſuos*, id explicat; ſed vlteriùs progreditur vt conſtat ex *ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.* volens non reſidentem obligare ad fructus ſtatim reſtituendos, nullâ etiam aliâ declaratione ſecutâ. Ita Sanchez *lib. 2. moral. c. 5. n. 10.* citans Nauarrum & Rodriguez.

Sanchez. Nauarrus. Rodrig.

Nota *ſecundò*, quòd ſi intra bimeſtre fidei profeſſio non emittatur duobus menſibus elapſis beneficiarius, vel prouiſus non remanet ſolutus obligatione illam in poſterum emittendi, ſed ſemper ad illam faciendam tenetur: quia terminus duorum menſium à Concilio aſſignatus, non eſt præfixus ad remittendam ac terminandam obligationem, ſed ad differendam pœnam, vt colligitur à ſimili ex text. *cap. Cùm dilecti, §. præterea de dolo & contumac.* & docent Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 2. q. 5.* Rodriguez *tom. 1. Summ. cap. 119. n. 7.* & alij.

Azorius. Rodrig.

Nota *tertiò*, omittentem fidei profeſſionem non iuuari regulâ de triennali poſſeſſore, ne teneatur fructus reſtituere, vel ſtatim, vel ſecuta iudicis ſententia, quantumuis triennio poſſederit: quia ea regula Cancellariæ ſolùm agit de legitimando beneficij titulo, non de comparando fructuum dominio legitimo titulo perceptorum, quando deperduntur ob aliquam rationem. Ita Nauarrus, Rodriguez, Petrus Ledeſma, Azorius, quos refert & ſequitur Sanchez *loco citato num. 11.*

Nauarrus. Rodrig. P. Ledeſma. Azorius. Sanchez.

Imò nec iuuabitur hic omittens præſcriptione ratione poſſeſſionis triennio bona fide illorum fructuum: quia Tridentinum ſtatuit, ne huic ſuffragetur poſſeſſio ad fructus acquirendos; quamuis aliàs fructus beneficij tanquam res mobiles præſcribantur triennio. Excuſabitur tamen hic à fructuum reſtitutione, ſi ignarus dicti decreti hanc profeſſionem omiſerit: quia ſicut ignorantia illa liberabit culpâ omiſſionis, ſic quoque liberabit pœnâ; licet in foro externo hæc ignorantia, vtpote iuris clari, non admittatur. Ita Doctores proximè citati apud Sanchez *num. 13.* quibus adde Sorbum noſtrum *verb. Profeſſio Fidei, notab. 2. in compend. Priuileg. Mendicant.*

Sanchez. Sorbus.

Vide verb. Clericus *num. 5.* Hæreſis *num. 6.* Papa *num. 11.*

FILIVS. FILIA.

SVMMARIVM.

1 *Quando filius illegitimus per ſubſequens matrimonium fiat legitimus, & quando non.*
2 *Quando filius adoptiuus ſuccedat cum filiis legitimis? Et quid ſit emancipatio.*
3 *Filij emancipatio quando fieri poſſit? à quo? & an ad hanc poſſit compelli pater?*
4 *An filius inuitus emancipari poſſit.*
5 *An filius naturalis ſuccedat Patri vel Matri cum filiis legitimis.*
6 *Qui dicantur filij illegitimi ſecundùm ius Cæſareum? & an nothi ſuccedant matri.*
7 *Feſtus-familiàs impubes vel pubes, an ex contractu ciuiliter vel naturaliter obligetur.*
8 *An lucrum filij-familias in domo paterna exiſtentis, inter bona aduentitia numeretur.*
9 *An filius nolens alimenta à patre recipere, poſſit ab eo impediri, ne alio proficiſcatur.*
10 *Qui nomine filiorum veniant, in materia fauorabili, vel odioſa.*
11 *Filius, qui ex metu reuerentiali paterno, patri morienti promiſit ſoluere eius debita vel legata, an ad id teneatur.*
12 *Quando filius minor poſſit petere reſtitutionem in integrum, qui promiſit patri ſoluere eius debita.*
13 *An pater poſſit vota realia filij-familias irritare, in quacumque ætate illa emiſerit.*
14 *Filius quadruplex officium pietatis erga parentes mortuos præſtare debet.*
15 *An filius teneatur magis patrem quàm matrem deligere & ei ſuccurrere.*
16 *Quæ conditiones requirantur, vt filia initis parentibus nubens, poſſit exheredari.*
17 *An leges ciuiles, quæ exheredant filias inditis parentibus clandeſtinè matrimon. contrahentes, valida ſint & ſeruanda in foro canonico.*
18 *An leges ciuiles prædictæ corrigantur iure canonico, quando matrimon. contrahitur à filiabus ſeruatâ formâ Tridentini, inuitis parentibus.*

1. FIlius illegitimus natus ex ſoluto & ſoluta per ſubſequens matrimonium fit legitimus, ſi poterant parentes legitimè contrahere, etiamſi non immediatè contrahant, ſed vterque ad alias nuptias tranſeat, dummodo contrahant inter ſe dum ambo viuunt. *Ex cap. Tertia, qui filij ſint legitimi.* Similiter etſi tempore conceptûs fœtus non poterat inter eos matrimonium contrahi propter aliquod impedimentum dirimens, tamen ſi tempore partus, per diſpenſationem legitimè contrahant, fit legitimus: quia inter parentes poteſt tunc matrimonium legitimè contrahi. *Item* natus ex matrimonio clandeſtino, ſi illud ritè ac legitimè deinde contrahatur & ab Eccleſia comprobetur, fit legitimus. *cap. Quod nobis, qui filij ſint legit.* Item, cenſetur legitimus filius, ſi parentes in prohibito gradu cognationis vel affinitatis ignorantes impedimentum, in facie Eccleſiæ contraxerint, donec impedimento detecto per ſententiam iudicis ſeparari debeant, *cap. Cùm inter, eodem titul.* Item, quando quis contraxit cum aliqua matrimonium, cuius prior maritus credebatur mortuus, ſi generet filios, donec ſatis probetur prior maritus adhuc viuere, ſunt legitimi, & in hoc caſu & præcedenti, ſufficit ſi alter coniugum credat nullum eſſe inter eos impedimentum, *cap. Relatum, eod. tit.* Ex his ſequitur, filios natos ex his, qui contrahere matrimonium ſcienter tunc non poterant, non poſſe fieri legitimos per ſubſequens matrimonium, vt nati ex religioſis, aut clericis in ſacris, aut cognatis & affinibus, ex concubinis, vel aliis ſolutis, durante matrimonio cum legitima vxore, vel adulterio, alióve modo impeditis. Natus tamen ex adulterio ignorato, hoc eſt, cùm alter coniugum crederet alterum eſſe liberum, & non erat, per ſubſequens matrimonium fit legitimus, *cap. Conqueſtus, & cap. Tanta, qui filij ſint legit.* Denique filij tales in prædictis caſibus cenſentur legitimi, ipſis etiam parentibus tempore contractus coniugatis repugnantibus; cùm hanc legitimationem ius concedat in fauorem matrimonij, cui parentes renunciare non poſſunt, imò nec ipſi filij; intereſt enim Reipublicæ hanc legitimationem fieri. Ita Couarruuias *tom. 1. de matrimon. part. 2. cap. 8. §. 2.* Sayrus *de cenſur. lib. 6. cap. 10. num. 15. & ſequentib.* & alij ab ipſis citati.

Couar. Sayrus.

2. Filius adoptiuus, ſi à patre adoptante necdum eſt legitimè emancipatus, ſuccedit cum filiis legitimis patris ſui legitimi ac naturalis, eo mortuo. Si autem emancipatus eſt à patre legitimo, non ſuccedit,

cedit, *l. Final. Cod. de adopt. & Inſtitut. de hæred. quæ ab inteſtat. defert. §. etiam adoptivos.* Emancipatio autem dicta eſt quaſi à manu poſitio vel traditio: ſicut mancipare eſt manu capere, & in ſeruitutem redigere, vnde manicipium. Emancipare itaque ex nomine ſignificat mancipium libertate donare. Vſu tamen loquentium emancipatio dicitur relaxatio patriæ poteſtatis coram iudice competente, vtriuſque patris & filij conſenſu facta. Per hanc emancipationem filius dicitur emancipatus, hoc eſt ſui iuris factus, vt colligitur ex *l. non nudo, Cod. de emancip. liber.*

3. Emancipatio filij regulariter non fit ante annos pubertatis. Poteſt tamen antea fieri iubente principe, etiam filio non conſentiente: idque per patrem ipſum, aut per procuratorem, ſi filius abſens ſit. Pater tamen iuris ordine eò compelli non poteſt, nec debet, niſi commereatur; quia patria poteſtas eſt inæſtimabilis; *l. Filius-familias, ff. de leg.* 1. Commeretur autem id quadrifariam. *Primò*, ſi filium immoderatè verberibus cedit. *Secundò*, ſi eum compellit peccare in corpus ſuum. *Tertiò*, ſi filius eſt arrogatus impubes (hoc eſt, cùm ſui iuris eſſet, ab aliquo aſſumptus in filium) & pubes factus probat ſibi non expedire eſſe arrogatum. *Quartò*, ſi pater agnouit ſeu acceptauit relictum legatum, vt filium emanciparet.

4. Pater poteſt etiam emancipare filium abſentem, ſed conſentientem, ex mandato vel indulto Principis. Sed filius non poteſt compelli vt patiatur ſe emancipari inuitum. Quia in his quæ ſunt voluntariæ iuriſdictionis, non poteſt quid fieri altero inuito. Porrò ſi filius emancipatus patri neget, aut non præſtet alimenta neceſſaria, redigitur iterum in patris poteſtatem: & iuſtius quàm Libertus (hoc eſt ſeruus manumiſſus) non præſtans alimenta ſuo patrono, reuocatur in ſeruitutem. Hæc omnia ex Sylueſtro *verb. Emancipatio.* Sylueſt.

5. Filius concubinarij, qui propriè dicitur naturalis, numquam ſuccedit cum legitimis filiis, aut vxore legitima, patri defuncto: neque cum nepotibus legitimis. Succedit tamen patri ab inteſtato in duabus vnciis hæreditatis, id eſt, in ſexta parte, & vnà cum illo mater, æquali portione, ſi legitima vxor ſuperſtes non ſit. Teſtamento verò, vel donatione conceſſum eſt patri liberos legitimos habenti, naturalibus filiis, vnà cum matre eorum, vnicam vnciam relinquere; ſin verò mater abſque liberis ſuperſtes ſit, ſemiunciam. Si plus acceperint, ad reſtitutionem hæredibus faciendam ipſo iure obligantur. Si autem liberi legitimi non extent, permiſſum eſt patri illegitimos naturales ex aſſe hæredes inſtituere; vel quomodo ei placuerit, bona ſua eis donare, dummodò aſcendentes, ſi ſuperſint, legitima non priuentur. Ita habetur *in Authent. Quibus modis naturales efficiuntur ſui, & Authent. licet, Cod. de natural. liberis.* De quibus videri poteſt Sylueſter *verb. Filij, quæſt.* 3. Molina *de iuſtit. tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 169. At verò matri, ſpectato iure communi Cæſareo, naturales tam ab inteſtato, quàm ex teſtamento vnà cum legitimis ſuccedere ſolent, *l. ſi qua illuſtris. Cod. ad Senatuſconſ. Orfitianum & Inſtitut. eod. §. nouiſſimè.* Excepto tamen feudorum iure, ad quæ illegitimi non admittuntur, *lib.* 2. *de feudor. tit. ſi de feudo defuncti fuerit controuerſia, §. naturales.* Sylueſt. Molina.

6. Secundùm ius Cæſareum, illegitimi, alij dicuntur naturales, alij non naturales: ſed naturales ij ſolùm cenſebantur, qui nati erant ex concubina vnica domi retenta, cum qua matrimonium contrahi potuiſſet. *Authent. quibus modis naturales efficiuntur, §. ſi quis autem defunctus.* Non naturales verò, ſi cum eorum matre matrimonium contrahi non potuiſſet, nati ex coitu damnato cenſebantur, reliqui autem nothi dicebantur, qui à naturalibus, ſeu ex concubina domi retenta natis etiam hodie differunt, quòd illorum naturalium pater certus præſumitur, donec contrarium oſtendatur; Nothorum verò incertus, quouſque probationibus demonſtretur: quamobrem hi ſpurij, ſeu vulgò concepti appellari ſolent. Quibus poſitis dicendum eſt quod nothi ſeu vulgò concepti, ſpectato communi iure, matri & aliis parentibus maternis, vnà cum legitimis ſuccedent, *l.* 2. *&* 8. *ff. vn. de cognat.* Niſi mater illuſtris ſit: ab eius enim hæreditate, ſi liberi legitimi adſint, ſpurij, ſeu vulgò quæſiti excluduntur, *l. ſi qua illuſtris ſupra.* Ad ſucceſſionem verò patris eiuſmodi illegitimi non admittuntur, cùm eum vel omninò non, vel ſaltem honeſtè demonſtrare non poſſint. Qui verò ex coïtu damnato orti ſunt, ij omnis ſucceſſionis in bonis paternis, ac maternis, aliorumque aſcendentium, tam ab inteſtato, quàm ex teſtamento, fideicommiſſaria ſubſtitutione, &c. incapaces ſunt: ſicuti & vice verſa, parentes ſuccedere non poſſunt in bonis eiuſmodi filij ſpurij, vt colligitur *ex Authent. Ex complexu Cod. de inceſtis nuptiis, & Authent. Quibus modis naturales, ſupra.* Et ex communi docent Mynſingerus *centur.* 1. *obſeruat.* 35. Nauarrus *lib.* 3. *Conſil.* 2. *de ſucceſſ. ab inteſtato, edit.* 2. Molina *tract.* 2. *diſp.* 167. *concl.* 4. & alij. Quamuis quidam probabile exiſtiment, filium coniugati, vel Sacerdotis ex ſoluta poſſe ſuccedere matri; & verior ſit contraria opinio, quia ſunt coïtus lege damnati. Item poſſe ſpurium retinere quæ mater reliquit, donec per iudicem priuetur, modò non noceat notabiliter legitimis liberis. Excipe tamen mulierem illuſtrem, *ex l. ſi qua mulier, illuſtris, cit. ſupra.* De his vide Couarruuiam *tom.* 1. *de matrim. part.* 2. *c.* 8. §. 5. Filliucium *tract.* 34. *num.* 162. *& ſequent.* & alios citatos *tom.* 1. *verb. Teſtamentum, num.* 10. Mynſinger. *centur.* Nauarrus. Molina. Couar. Filliucius.

Notandum tamen hîc eſt, ex Abbat. *in cap. tanta, num.* 13. *Qui filij ſint legitimi*, & communiter obſeruatum eſſe teſtatur Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 89. quod pater filio ſpurio rectè donet, aut teſtamento relinquat, quod ſit inſtar alimentorum; ſicuti & filiæ dotem competentem eodem iure dare non prohibetur. Gaillard.

7. Filius-familiàs impubes, ne patre quidem auctore, ex contractu, quamuis circà caſtrenſia bona inſtituto, ciuiliter obligatur, vt conſtat *ex §. pupillus, inſtitut. de inutilib. ſtipulationib.* Obligatur tamen naturaliter, ſi pubertati proximus ſit. Filius autem pubes ex omni contractu etiam ſine patris auctoritate, tam ciuiliter, quàm naturaliter obligatur, *Inſtitut. §. inutilis, de inutilib. ſtipulationibus.* Niſi contractus cedat in præiudicium patris: quia filius ſine expreſſo vel tacito patris conſenſu, alienare non poteſt bona profectitia; imò neque aduentitia, quorum vſufructus & adminiſtratio ad patrem ſpectat, iuxta *l. vlt. §. filius, Cod. de bonis, quæ liberis, &c.*

Filius etiam ex delicto & damno dato per ſeipſum obligationem contrahit, non autem parens, ſi culpa eius non interuenit, ſicut habetur *Inſtitut. §. vlt. de noxalib. actionibus.* Quia filius cum ſit liber pro ſuis delictis conueniri poteſt, vt docet Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 17. *n.* 121. Leſſius.

8. Quæ lucratur filius-familiàs in domo paterna exiſtens ex operis artificialibus, v. g. ſi filius ſit faber, fiſtulator, muſicus, inter aduentitia bona numerantur: quæ proinde poſt patris mortem præcipua habere debet. Proinde filius operam ſuam patri locare, ab eoque ſalarium exigere iure poteſt,

deductis

deductis tamen expensis, quos pater eo alendo facit *ex l. pendt. ff. de obsequiis*, vbi dicitur *Pietatem liberi parentibus, non operas debent.* Et hæc est communis sententia apud Nauarrum *in man. cap.* 17. *num.* 144. Molinam *tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 234. Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disp.* 39. *num.* 5. Si tamen filius opificis operam suam patri præstet, nullo petito salario, censetur id patri remittere, pietatis & gratitudinis gratia, ita vt postea audiendus non sit si à patre vel eo mortuo à fratribus repetere velit. Nauarrus, Molina, Sanchez,

Ius tamen, secundùm communiorem sententiam non videtur permittere; neque consuetudo, vt si filius-familias lucretur ex bonis paternis, vt exinde salarium, vel partem lucri exigat, eo quòd ex gratitudine erga patrem, dum in eius domo degit, tamquam ad obsequiales operas, obligatus esse videatur. Contrarium tamen non est improbabile, quia cùm lucrum non tantùm ex bonis patris, sed etiam ex filij industria proueniat; ideò partim inter profectitia, partim verò inter aduentitia bona numerandum esse videtur: vnde si solus pater lucrum accipiat, obligatus est tantundem salarij ipsi dare, quantum extraneo daretur, saltem si filius petat.

Si autem ob metum reuerentialem non petat sciens se passurum repulsam, filius clam à patre accipere potest. Ita Angelus *verb. peculium num* 11. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 144. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 81. & alij citati *tom.* 1. *verb. furtum* II. *n.* 3. Hæc sententia inseruire poterit confessario, vt non facilè filium-familias ad restitutionem obliget; nisi vltra æstimationem laboris ac industriæ suæ acceperit. Certum est tamen apud omnes, quod si filius ex re patris non frugifera suo periculo negotietur, tunc omne lucrum ad filium pertinere, modò pater seruetur indemnis. Angelus, Nauarrus, Lessius.

9. Si filius nolit alimenta à patre recipere, velitque honestum vitæ genus quærere, non potest impediri à patre non indigente filij opera, quominus alio proficiscatur, vt artem aliquam addiscat, operam suam alicui locet, vel quoduis honestum vitæ genus amplectatur. Probatur, quia alioquin esset hominem liberum, seruilis conditionis efficere, contra *l.* 2. *ff. si quis à parente fuerit manumiss.* Item quia filiis in hoc conceditur libertas & voluntas, *l. final. ff. de liberis exhibend.* Ita ex communi Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disp.* 39. *num.* 6. Si tamen pater inops sit, sibique alendo non sufficiens, tunc filius naturali lege pietatis operam suam ipsi præstare tenebitur.

10. Filij-familias dicuntur, non solùm filius & filia, sed etiam qui ex illis nati sunt nepotes ac neptes, &c. quamdiu sub patris vel aui paterni potestate existunt, licet maiores natu sint, siue annum ætatis 25. excesserint. Ita habetur *Institut. de patria potestate*, §. *vlt.* Vnde in materia fauorabili & nemini præiudicante nomine filiorum etiam nepotes comprehenduntur. Plerumque tamen & secundùm visitatam acceptionem, nomine filiorum etiam filiæ veniunt; quia vox filiorum communi etiam & vulgari vsurpatione pro vtroque sexu accipitur; non tamen comprehendit nepotes, neque filios adoptatos. Si autem materia vel lex odiosa sit, vel iuris antiqui correctoria, aut exorbitans, & verba secundùm communem loquendi proprietatem, tam amplam, quàm restrictam acceptionem patiantur, nomen filiorum, quod interdum masculinum sexum duntaxat, interdum vtrumque comprehendit; tunc stricta interpretatio præferenda erit, vt nomen filiorum non censeatur comprehendere filias, nisi identitas rationis id persuadeat. De qua re vide Suarez *de leg. lib.* 6. *cap.* 2. & supra *verb. Emphyteus. num.* 28. Suarez.

11. Filius, qui metu reuerentiali paterno vel materno, patri morienti ad ipsius instantiam, timens eius indignationem, & ne eum molestia afficeret, promisit soluere eius debita, vel legata, aliàs nullo modo promissurus, non tenetur in foro conscientiæ: quia metu fecit. Si tamen absque eo metu promisit, nec ductus errore, quo credebat patrem detinendum in purgatorio, debitis non solutis, tenebitur. Ratio est, quia filius-familias ex omni contractu tenetur, si mutuum & votum excipias, & hoc naturaliter & ciuiliter, tanquam si esset pater-familias, *l. Tam ex contractibus, ff. de iudicis, & filius familias, ff. de act. & obligat.* Si autem minor sit 25. annis, cum obligatio illa soluendi debita sit fideiussoria, potest aduersus illam beneficio restitutionis in integrum vti: nam minor læsus generaliter potest hoc beneficium implorare: eo ipso quòd talis minor soluere cogendus sit pro debitore principali, censetur læsus ea fideiussione, *l.* 1. *Cod. de filio fam. minor. & l.* 3. §. *sed verum & l. ait prætor,* §. *non solum, ff. de minor.* Ita ex communi sententia Anton. Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 13. *num.* 19. Gutierrez 2. *pract. quæst.* 128. Molina *tract.* 2. *disp.* 540. Excipiunt tamen casum, quo minor fideiubeat pro parente in carcerem detruso. Nam quilibet prudens hoc faceret, quo patrem à vinculis liberaret. Gomez, Gutierrez, Molina.

12. Filius minor moderatè & prudenter se gerens promittendo soluere legata, quæ pater legauit, non potest restitutionem petere. Quia quilibet maior prudens hoc fecisset & donauit pro causa vtili & honesta: decet enim filium attenta bonorum quæ habet quantitate, obligare se ad aliquot legata pia pro parentis anima. Si verò excessit notabiliter, restitutio concederetur in illo excessu tantùm. Quia restitutio eo tantùm tendit, vt resarciat, læsionem: non verò id in quo non est minor læsus, *l. si res ff. de iur. dot.* licet enim non requiratur ad hanc restitutionem enormis læsio, aut quæ excedat dimidium iusti pretij, at requiritur vt sit talis, vt arbitrio prudentis sit notabilis, & quo contractus est maioris summæ, eo læsio, quæ pro nihilo reputatur, habet maiorem latitudinem. Vt in mille aureis, læsio in viginti pro nihilo reputabitur. At in centum aureis, læsio in decem reputabitur notabilis. Ita docent multi quos refert & sequitur Molina *tract.* 2. *disp.* 573. Molina.

13. Quamuis ex communi Doctorum sententia, pater solùm possit irritare vota realia filij-familias emissa ante 25. ætatis annum; quia vsque ad eam ætatem denegatur illi bonorum administratio; Probabile tamen est posse, in quacumque ætate filius-familias vota realia emiserit, ea patrem irritare. Ratio est, quia ratione ætatis non eximitur filius à patria potestate, licet senex sit: cùm nullo iure id cautum sit. Vt docent Glossa, *l. final.* §. *pupillus, ff. de verb. obligat.* & ibi omnes scribentes. Tum quia filius nullam habet bonorum administrationem aduentitiorum, dum est sub patris potestate constitutus, nec ea potest vllo modo inconsulto patre alienare, vel de eis disponere, ergo votum emissum à tali filio-familias cuiusque ætatis sit, circa ea aduentitia in quibus pater habet vsumfructum, potest ab ipso patre irritari. Tum quia *l.* 2. *ff. de pollicitat.* dicitur vniuersaliter filium-familias non obligari ex voto. Et Doctores solùm excipiunt quando talis filius habet peculium castrense, vel quasi: ergo cùm filius hoc peculio caret, potest pater eius vota realia irritare in quacumque ætate filius-familias sit: quia durat patria potestas in patre & defectus administrationis in filio. Ita Tabiena *verb. votum* 2. *quæst.* 5. *num* 6. Vialdus *in Candelab. Sacrament.* 3. *part. cap.* 14. *num.* 92. dicens sic tenere aliquos neotericos, quos sequitur Sanchez Glossa. Tabiena. Vialdus.

Sanchez *de matrim. lib. 6. cap. 39. num 10.* Quibuſdam tamen in locis conſuetum eſt, vt poſt contractum matrimonium à filio; aut filia, poteſtas patria adeò ſoluatur, vt omnium bonorum adminiſtratio & vſusfructus etiam aduentitiorum ad filium vel filiam transferatur. Vide Molinam *tom. 1. tr. 2. diſp. 229.* Molina.

14. Filius quadruplex officium pietatis erga parentes mortuos præſtare debet. *Primò*, funus cohoneſtare & debitæ ſepulturæ mandare. *Secundò*, pro more Chriſtiano preces & ſacrificia curare. *Tertiò*, ſoluere alienum æs quod parentes contraxerunt. *Quartò*, implere legata eorum teſtamento relicta; hæc duo autem poſtrema adimplere debet, ſuppoſito quòd relictus ſit hæres & hæreditatem occupauerit. Notandum tamen filium non cogi cum notabili ſui detrimento pati bonorum iacturam, vt parentes liberet à Purgatorij pœnis: ſed poteſt differre in aliud commodius tempus, quo habito iure pietatis debet illis ſuffidium ferre. Similiter ſi debita patris excedunt hæreditatis facultates, non tenetur filius in foro conſcientiæ ad debita ſoluenda, hæreditas enim eſt, deducto ære alieno, vt in ſimili diximus de quocumque hærede, qui non confecit inuentarium, *tom. 1. verb. Hæres, num 5.* cum Doctoribus ibi citatis. De his vide Nauarrum, *in man. cap. 14. num. 16.* Azorius *tom. 2. lib. 2. cap. 3. quæſt. 8.* Nauarrus. Azorius.

15. Filius abſolutè & per ſe magis tenetur amare Patrem & ei ſuccurrere, quàm matrem. Ratio eſt, quia cùm vterque parens amandus ſit tanquam principium quoddam noſtræ originis, excellentiorem Principij rationem habet pater, quàm mater. Eſt enim pater principium per modum agentis, mater verò potiùs per modum patientis & materiæ. Per accidens tamen euenire poteſt caſus, vbi filius magis teneatur ſubuenire matri, quàm patri, & maius bonum ei velle, quod eſt magis diligere, vt ſi mater ſit valde benefica erga filios in temporalibus & ſpiritualibus, pater verò ſit vitioſus & negligens circa curam filiorum. Id quod procedit quando vterque parens in æquali neceſſitate conſtituitus eſt. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 26. art. 10.* Syluius *ibidem.* Valentia *tom. 3. diſp. 3. quæſt. 4. punct. 4.* Rodriguez *part. 2. Summ. cap. 14. concl. 10.* D. Thom. Syluius. Valentia. Rodrig.

16. Vt filia inuitis parentibus nubens exhæredari poſſit tres conditiones requiruntur. *Prima* eſt, vt parentes velint eam matrimonio collocare, & dotem ſecundùm vires ſuæ ſubſtantiæ tradere. Semper autem præſumendum eſt velle parentes virum & dotem competentem filiæ, aut nepti dare: quando contrarium aliunde non conſtat: quia plus liberos, quàm ſeipſos diligunt. *Secunda* vt filia illi matrimonio repugnet; & ſimul vitam luxurioſam eligat, meretricando & luxurioſè viuendo. *Tertia* eſt, vt ſit minor 25. annis; quare poſt 25. annum completum non poterit filia exhæredari, ſi contingat eam in corpus ſuum peccare, aut ſine conſenſu parentum marito ſe, libero tamen coniungere; quia non ſua culpa, ſed parentum id commiſiſſe cognoſcitur. Hæ conditiones expreſsè habentur in *Authent. vt cum de appellat. cognoſ. §. aliud quoque.* Si autem filia ſit maior 25. annis, & contrahat inuitis parentibus cum marcipio, poterit exhæredari: A fortiori poterit exhæredari filia nubens mancipio abſque parentum conſenſu ante vigeſimum quintum annum, vt expreſsè colligitur à contrario ſenſu ex dicta Authentica, & docent Molina *tom. 1. tract. 2. diſp. 176.* Sanchez *de matr. lib. 4. diſp. 24.* & alij citati *tom. 1. verb. Exhæredatio n. 2.* Molina. Sanchez.

17. Leges ciuiles, quæ exhæredant filias inuitis parentibus clandeſtinè matrimonium contrahentes validæ ſunt & ſeruandæ etiam in foro canonico. Ratio eſt, tum quia, nullibi principibus ſæcularibus adimitur poteſtas leges condendi, pœnaſque ſtatuendi, in eos, qui contra iuris ordinem contrahunt matrimonia, quamuis iudicium de matrimonio quoad eius ſubſtantiam ſit fori Eccleſiaſtici. Tum quia hac ratione iuſtiſſimè principes ſæculares pœnas decernunt periuriis, vſuris, inceſtis nuptiis, quamuis iudicium horum delictorum pertineat etiam ad Eccleſiaſticum tribunal. Tum quia matrimonium ſicut eſt Sacramentum, ita etiam eſt contractus ciuilis, ergo ſicut qua ratione eſt Sacramentum pertinet ad forum Eccleſiaſticum: ita qua ratione eſt contractus ciuilis, nil prohibet, vt ſpectet ad forum principis ſæcularis, quoad poteſtatem debitis pœnis plectendi eos qui matrimonia contra ordinem iuris canonici contrahendo pacem Reipublicæ perturbant. Ita præter Iuriſperitos ſentiunt *Sotus, Corduba, Lopez, Henriquez, Rodriguez* & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 47. dum. 12.* Quamuis de illarum legum valore dubitent *Couarruuias* & alij. Sotus. Corduba. Lopez. Henriq. Rodrig. Sanchez.

18. Difficultas eſt inter Doctores, an leges, quæ exhæredant filias contrahentes inuitis parentibus non clandeſtinè; ſed ſeruata formâ Tridentini corrigantur iure canonico? Quidam enim negant, ratio illorum eſt, quia non tollitur iis legibus libertas ad matrimonium ineundum, ſed eam moderantur, ne in reip. diſpendium, ac perturbationem ea contrahentes abutantur, ſtatuentes pœnas in abutentes ineundo matrim. inuitis parentibus, vnde perturbationes & rixæ in republica oriri ſolent, ergo iuſtæ ſunt, nec iure canonico aduerſantur. Hæc ſententia eſt probabiliſſima quam ſuſtinent Molina *tom. 1. de iuſtit. tract. 2. diſp. 176.* Sotus *in 4. diſt. 29. quæſt. 1. art. 4. ad 4.* Salon 2. 2. *poſt quæſt. 61. tract. de dominio, quæſt. 5. art. 5.* & alij multi iuriſperiti. Probabilior tamen ſententia meritò aſſerit, huiuſmodi leges non eſſe validas, ſed iure canonico correctas eſſe. Prob. quia ius canonicum omnimodam in matrimonio libertatem exigit, & ideò ne minuatur contrahendi libertas, annullat pœnam in ſponſalibus appoſitam *cap. Gemma mulier. de ſponſal.* ſed per exhæredationem valde minuitur hæc libertas, ergo ius canonicum corrigit leges eam pœnam ſtatuentes. Ita Victoria *de matrim. num 269.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 6. num 2. in fine.* Sylueſter *verb. Lex quæſt. 15.* Rodriguez *tom. 1. Summ. cap. 14. n. 4.* quibus adhæret Sanchez *de matrim. lib. 4. diſp. 25.* Molina. Sotus. Salon. Victoria. Henriq. Syluest. Rodriguez. Sanchez.

Vide verb. Accuſatio *num. 10. & 11.* Fiſcus *num. 8.* Emphyteuſis *num. 27. & 28.* Excommunicatio 2. *num. 16. & 17.* Excommunicat. 6. *num. 27.* Feudum *num. 4.* Irregularitas 1. *num. 17.* Legitima *num. 5. & 4.* Legitimatio *num. 10.* Ludus. *num. 7. & 8.* Mandatum *num. 1.* Matrimon. 1. *num. 23. & ſequent.* Mutuum *num. 28. 29.* Parentes. Votum 1. *num. 20.*

FISCVS.

SVMMARIVM.

1. *Fiſcus apud Iuriſperitos, quid ſit.*
2. *An ij, quorum bona ob crimen confiſcantur, ipſo iure teneantur in foro conſcientiæ reddere ea bona fiſco, ante ſententiam iudicis declaratoriam criminis?* Refertur triplex ſententia.
3. *Quæ bona pertineant ad fiſcum, quando alicuius bona confiſcantur.*

4 *An reus poſſit licitè & validè repudiare hæreditatem in fraudem fiſci, ſi eam tacitè acceptauerit.*

5 *An publicatis bonis alicuius criminoſi, cenſeantur publicata alimenta.*

6 *An ob vſufructuarij delictum, publicatis eius bonis, cenſeatur etiam publicatus vſusfructus?* Refertur duplex ſententia.

7 *An publicatis bonis filij-familias, confiſcetur peculium eius caſtrenſe aut quaſi, aduentitium, profectitium, legitima, & alimenta.*

8 *An ob paternum crimen publicetur proprietas aduentitiorum filij & vſusfructus.*

9 *An publicatis bonis patris remaneant publicata bona filij caſtrenſia vel quaſi, & profectitia.*

10 *Quando reſeruentur filiis alimenta publicatis bonis ob patris delictum.*

11 *An bona vnius coniugis publicentur ob alterius delictum? Et quid de dote vxoris? quid de donatis vxori à marito vel eius conſanguineis? Quid de veſtibus vxoris.*

12 *Quænam bona cenſeantur publicata, quando publicantur bona vxoris criminoſæ.*

1. FIſcus apud Iuriſperitos ſignificat Ærarium vel Cameram Principis; vel burſam aut ſaccum Regis in quem mittuntur bona bannitorum & proſcriptorum, & ſic accipitur *in l. ſed ades §. Fiſcus ff. locati*, vel hodie eſt ſaccus imburſans ſine conſcientia omnia malè acquiſita, & turpia lucra etiam ab hæredibus extorquet, licet crimina ſint extincta *l. in hæredem, ff. de calum.* Vnde ad Fiſcum pertinent pœnæ pecuniariæ grauioribus delictis impoſitæ à legibus aut magiſtratibus locorum. Inde Fiſcales, qui ad illas pœnas exigendas & colligendas à Principibus ac magiſtratibus conſtituuntur. Vt patet toto Titulo iuris ciuilis de iure Fiſci.

2. Controuerſia eſt inter Doctores, an ij, qui ipſo iure ob delictum, bonorum dominio priuantur, debeant in foro conſcientiæ reddere bona ſua fiſco ante criminis condemnationem? Quidam enim ſentiunt in vniuerſum ad id eos lege compelli. Hanc ſententiam ſuſtinet Alphonſus Caſtro *lib. 2. de leg. pœnal. cap. 10. & 11.* vbi alios citat. Caſtro. Aliorum opinio eſt, quando crimen eſt notorium ob euidentiam facti, nulla opus eſſe declaratione criminis, vt reus adigatur ad ſua bona fiſco reddenda, ſed is ſtatim in foro conſcientiæ lege ipſa compellitur ad ea fiſco tradenda. Communis tamen & amplectenda ſententia docet generaliter ante condemnationem criminis nullam eſſe obligationem in foro conſcientiæ, qua reus cogatur reddere bona fiſco. Ratio eſt, quia conſuetudo eſt optima legum interpres: ſed vſu receptum eſt, vt leges pœnam huiuſmodi ſtatuentes in eum ſenſum accipiantur, vt ipſo facto, rei dominio bonorum ſuorum priuentur, non tamen poſſeſſione & adminiſtratione. Tum quia iuxta iuris regulam, Pœnæ & odia ſunt reſtringenda, ergo talis pœna legum benignius & mitius exponi debet: nimirum ipſo iure vel facto bona ſint publicata & addicta fiſco, eo quòd dominium & proprietas eorum, non autem poſſeſſio à die commiſſi criminis ad fiſcum pertineat. Ita *Sanchez, Emanuel Sà, Caietanus, Diana, Sylueſter, Molina* citati *tom. 1. verb. pœna n. 7.* & alij communiter, apud Azorium *tom. 1. lib. 5. c. 7. quæſt. 1.* Sanchez. Eman. Sà Caietanus. Diana. Sylueſter. Molina. Azorius.

3. Ad fiſcum pertinent ea bona, quæ pertinent ad criminoſum tunc temporis, quo bona ipſius publicantur, modò non ſint affixa perſonæ. Prob. quia fiſcus ſecuta publicatione ſuccedit in iura delinquentis; ergo ea bona pertinent ad fiſcum, quæ ſpectant ad delinquentem tunc temporis, quo bona ipſius publicantur. Hinc publicatis bonis alicuius cenſentur publicata omnia bona mobilia, immobilia & ſe mouentia, iura quoque & actiones, quia hæc veniunt nomine bonorum, quæ dicuntur incorporalia: item ſerui & ancillæ & animalia cum cæteris bonis fiſco deferuntur.

Non cenſentur tamen publicata bona, quæ poſt condemnationem reo obueniunt ex vltima voluntate, vt ex legato, teſtamento, vel fideicommiſſo; quia talia bona reputantur bona futura: fiſcus autem ſolùm ſuccedit in bona, quæ pertinent ad reum tempore publicationis, ſecus eſſet ſi criminoſus fuerit in poſſeſſione illorum bonorum ante condemnationem. Ita Leſſius, *lib. 2. cap. 6. numero 37. & 38.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 14. num. 2. & 15.* Simancas *de Catholicis inſtitut. titul. 9.* & alij. Leſſius. Sanchez. Simancas.

Hinc ſequitur, quod quando quis commiſit delictum propter quod ipſo facto bona publicantur, ſolùm publicari ea bona, quæ delinquens habebat tempore commiſſi criminis. Nam priuatio ipſo facto inducitur per legem, ſtatim ac quis commiſit delictum, non verò inducitur per ſententiam declaratoriam criminis, quæ poſtmodum fertur: cum ſententia declaratoria ſolùm indicet contractam eſſe pœnam per legem ſtatutam. Ita Sanchez *libro 2. moral. capite 14. numero decimo* & alij ab ipſo citati. Licet quidam affirment bona hæc futura computari à tempore ſententiæ criminis declaratoriæ per iudicem latæ, & proinde ſola poſt hanc ſententiam acquiſita non publicari. Sanchez.

4. Quamuis criminoſus poſſit licitè & validè repudiare hæreditatem nondum aditam in fraudem fiſci, hoc tamen non habet locum, ſi eam tacitè acceptauerit, nam tunc acquiſiuit ius, & Fiſcus ſuccedit in iura delinquentis: vnde in hoc caſu reus non poteſt cedere hæreditatem in fauorem alterius: nam eo ipſo quo cedit, cenſetur priùs natura tacitè adire & acceptare hæreditatem, vt ceſſio ſit efficax. Qui enim vult aliquid, cenſetur velle omne id quod ad eius efficaciam neceſſarium eſt: argument. *l. 2. ff. de iuriſdict. omn. iudic. & cap. Sanè, de offic. delegat.* Et quamuis illa aditio ſit tacita, idem operatur ac ſi eſſet expreſſa, quando enim duo actus concurrunt in vnum, alter tacitus, & alter expreſſus, idem operatur tacitus, ac ſi eſſet expreſſus. Ita Vaſquez *1. 2. diſp. 172. cap. 3. num. 18.* Sanchez *de matrim. lib. 6. diſp. 4. num. 17. & lib. 2. moral. cap. 14. n. 51.* & alij. Vaſquez. Sanchez.

5. Publicatis bonis alicuius criminoſi non cenſentur publicata iura perſonalia, vt alimenta; quia nequeunt egredi perſonam: tum quia cùm habent certam & determinatam cauſam, ei non applicantur, cui ea cauſa non conuenit. Denique, quia bona futura non veniunt in confiſcatione; at in alimentis relictis tot ſunt legata quot anni, & in principio cuiuſlibet anni cedit legatum, *l. ſi tum præſentione, ff. quando dies legati cedat.* Ergo confiſcatio non impedit legatarium capere alimenta poſt confiſcationem cedentia. Hæc tamen intelliguntur de alimentis, quæ in futurum debentur, pro tempore quod poſt ſententiam ceſſit; quæ enim tempore ſententiæ ceſſerant, & ſic tunc debita erant, publicabuntur inter alia bona, eo quod ſint iam bona præſentia. Ita Simancas *de inſtitut. Catholic. titul. 9. numero 63.* Iulius Clarus *lib. 5. recept. quæſt. 78. numero vigeſimo tertio*, Peregrinus *de iure fiſci, lib. 5. titul. 1. num. 123.* Surdus. Simancas. Clarus. Peregrinus. Surdus.

Digitized by Google

Surdus *de aliment. tit.* 8. *& priuilegio* 59. *num.* 14. 21. *&* 22.

6. Quidam negant publicatis bonis ob vſufructuarij delictum confiſcari vſumfructum & dicunt tunc cum proprietate conſolidari: quia bona futura non includuntur in confiſcatione: at fructus cedentes poſt confiſcationem, ſunt bona futura, ergo, Ita tenent Baldus *l.* 1. *num.* 4. *Cod. de bonis libertorum*, Bernardus Diaz *in ſua practic. in noua edit. cap.* 132. & alij. Dicendum tamen eſt, cenſeri publicatum vſumfructum, quem delinquens habebat, & quatenus ipſe eo frui & potiri poterat, vel debebat. Ratio eſt, quia vſusfructus computatur inter huius delinquentis bona: & quamuis ipſe vſusfructus formalis alienari nequeat, poteſt tamen eius commoditas, vt fatentur omnes. Ergo ob delictum alienari poterit, cum reliquis delinquentis bonis. Tum quia, ſicut annuus cenſus non computatur inter futura delinquentis bona, ſed inter præſentia & plenè confiſcatur, ita & ille. Ita Vaſquez 1. 2. *diſp.* 169. *cap.* 1. *num.* 10. Clauis Regia *lib.* 9. *c.* 7. *num.* 7. Molina *tom.* 1. *de iuſtit. diſp.* 9. *verſ. Ex dictis facilius*, Gomez 2. *variar cap.* 15. *num.* 18. & alij.

Baldus. Diaz. Vaſquez. Clau. Reg. Molina. Gomez.

Prima tamen ſententia poſſet habere locum, quando bona delinquentis publicatur ob capitis diminutionem, ſeu quando delinquens traditur in perpetuum ad carcerem vel ad triremes vel exilium, tunc enim non confiſcatur vſusfructus, ſed conſolidatur cum proprietate & erit habentis proprietatem, vt habetur *l. corruptionem Cod. de vſufruct.* Item habet locum quando prohibita eſt alienatio vſusfructus in fauorem aliorum tunc enim non confiſcatur vſusfructus: Secus ſi alienatio prohibita ſit in fauorem ipſius delinquentis, tunc publicatis bonis, publicatur etiam vſusfructus: quia ob eius delictum ille fauor amittitur. Ita Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 16. *num.* 7. *& cap.* 18. *num.* 5. Molina *tom.* 3. *de iuſtit. diſputatione* 656. *numero quinto*, Peregrinus *de iur. fiſci lib.* 5. *titul.* 1. *num.* 99. & alij.

Sanchez. Molina. Peregrinus.

7. Probabile eſt publicatis filij-familias bonis ob eius delictum, confiſcari caſtrenſe, aut quaſi caſtrenſe eius peculium. Ratio eſt, quia filius-familias habet liberam diſponendi & contrahendi in hoc peculio facultatem, inſtar patris-familias, ergo poteſt id peculium fiſco obligare & ſic confiſcabitur: cum fiſco enim quaſi contrahitur, & bona in eum quaſi ex contractu alienantur, *l. Imperatores, ff. de iure fiſci.* Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 8. *& tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 22. *q.* 8. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 169. *cap.* 1. Simancas *de inſtitut. cathol. tit.* 9. *num.* 13. *& ſequent.* Communis tamen & probabilior ſententia meritò aſſerit non publicari eiuſmodi peculium, ſed deferri tunc patri, in patriæ poteſtatis ſolatium. Probatur *ex l. ſi filius, Cod. de bonis proſcript.* ibi. *Si filius tuus cùm eſſet in poteſtate, in inſulam deportari meruit, peculium eius; neque quod in caſtris acquiſiuit, vel quod ei militaturo donaſti, auferri tibi debet.* Ad rationem autem in contrarium, reſponderi poſſet, non omnem potentem alienare ex contractu, poſſe quoque alienare ex delicto: quia obligatio ex delicto non habet conſenſum verum, ſed fictum, innitentem ei principio, qui vult antecedens, vult conſequens, cùm pœna delictum ſequatur: & ideò minùs debilis eſt, quàm obligatio ex contractu, quæ verum conſenſum habet. Ita Iulius Clarus *lib.* 5. *recept. ſentent. quæſt.* 78. *num.* 13. Couarruuias *lib.* 2. *variar. cap.* 8. *num.* 7. *verſ. Hinc apparet.* & alij communiter, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 15: *num.* 4.

Azorius. Vaſquez. Simancas. Clarus. Couar. Sanchez.

Ex his patet, nec peculium Aduentitium poſſe publicari, ob crimen filij-familiàs: nam in eo habet pater vſumfructum, & ſic maius ius, quàm in caſtrenſi, & tamen hoc non publicatur, ſed patri competit; ergo nec illud etiam quoad proprietatem. Probatur, *ex l. ſi filius, citata.* Sunt enim ea verba illius poneranda. *Neque quod in Caſtris.* Quippe particula, *neque*, caſus minùs dubitabiles implicat. Ratio eſt, quia alienatio eius proprietatis eſt interdicta filio, abſque patris conſenſu; ergo nec delinquendo poteſt eam alienare, iuxta regulam, qui nequit alienare contrahendo in alterius præiudicium, nequit etiam delinquendo. Ita Couarruias *loco citato*, Sanchez *ſupra num.* 9. cum aliis ibi citatis.

Couar. Sanchez.

A fortiori ob filij delictum non publicatur profectitium eius peculium: quia id eſt patris quoad proprietatem & vſumfructum, ſolaque adminiſtratio eſt filij; ergo id tanquam alienum publicari non debet, vt docent communiter Doctores apud Clarum *lib.* 5. *quæſt.* 78. *n.* 11. Peregrinum *de iure fiſci lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 125. & alios.

Clarus. Peregrinus.

Item non publicatur legitima filio debita in bonis parentum adhuc ſuperſtitium, ob eius delictum: quia non debetur filio, dum parentes viuunt. *l.* 1. *§. ſi impuberi, ff. de collat. bon.* vnde ius illud remotum filij ad parentum bona non transfertur in fiſcum. Ita ex communi, Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæſt.* 8. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 169. *cap.* 2. *num.* 18. Clarus *loco cit. num.* 468. ſi tamen Pater aſſignaſſet & tradidiſſet legitimam filio, tunc publicabitur; cùm ea traditione effectus ſit filius legitimus dominus.

Azorius. Vaſquez. Clarus.

Porrò nec alimenta debita filio à parentibus, publicantur, quia ea non ſunt in filij bonis.

8. Certum eſt proprietatem aduentitiorum non publicari ob paternum crimen, quia eſt filij; imò nec etiam quoad vſumfructum, quoties pater ante delictum cum remiſerit: quia tempore criminis iam extra paterna bona erat. Si tamen filius fiat ſui iuris & eximatur à patria poteſtate; tunc par eſt, vt vſusfructus ad ipſum redeat cum proprietate. Hinc filius, qui fit ſui iuris, non ſolùm acquirit vſumfructum bonorum aduentitiorum acquiſitorum poſt condemnationem patris, vt eſt communis Doctorum ſententia, verum etiam eorum, quæ filius ante delictum patris acquiſierat. Ita Menochius *de recuperanda poſſeſſione, remed.* 9. *num* 244. Peregrinus *de iur. fiſci lib.* 5. *titul.* 1. *num.* 129. Farinacius *in ſua pract. tom.* 1. *part.* 1. *tit. de delictis quæſt.* 24. *num.* 33. contra Sanchez *cap.* 16. *num.* 18. qui hoc ſolùm admittit quando bona patris confiſcantur ob hæreſim. Certum eſt tamen apud omnes, filium acquirere vſumfructum bonorum aduentitiorum ſtatim ac ipſius pater fit hæreticus: nam filius ob crimen hæreſis paternum, fit ſui iuris & omninò exit è patria poteſtate, conſequenter vſusfructus conſolidatur cum proprietate. Ita Simancas *de catholic. inſtitut. tit.* 9. *n.* 81. Molina *tom.* 1. *diſp.* 9. *verſ. Ab hac regula*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 23. *in fine*, & alij communiter, vt expreſsè habetur *capite ſecundo, de hæreticis in* 6.

Menoch. Peregrinus. Farinac. Sanchez. Simancas. Molina. Leſſius.

9. Certum eſt etiam publicatis bonis patris, non remanere publicata bona filij caſtrenſia vel quaſi; eo quod proprietas & adminiſtratio & vſusfructus iſtorum bonorum ad filium pertineat. Dubium tamen eſt, an ob crimen patris publicetur peculium profectitium filij-familias? Quidam affirmant publicari: quia illud eſt proprium patris & quoad dominium, & quoad vſumfructum, *l. Certum Cod. familiæ erciſcundæ*, ea autem publicantur, quæ pertinent ad delinquentem tunc temporis quo

Digitized by Google

Vaſquez. Simancas. Azorius. bona eius publicantur. Ita Vaſquez 1. 2. *diſp.* 169. *cap.* 1. *num.* 10. Simancas *de cathol. inſtitut. titul.* 9. Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæſt.* 8. & alij Hæc ſententia eſt probabilis; communior tamen opinio eſt, id peculium minimè publicari, ſed reſeruari filio. Probatur *ex l.* 3. §. *Sed verum, ad finem, ff. de minor.* Ratio eſt, quia cùm filius in dicto peculio habeat adminiſtrationem, non debet illa priuari ob patris delictum; priuatio enim illa eſt pœna.

Clarus. Peregrinus. Menoch. Couar. Sanchez. Hanc ſuſtinet Iulius Clarus *lib.* 5. *quæſt.* 78. *n.* 14. Peregrinus *lib.* 5. *titul.* 1. *num.* 126. Menochius *de recup. poſſeſſ. remedio* 9. *num.* 73. Couarruuias *lib.* 2. *variar. cap.* 8. *num.* 7. *verſ. Hinc apparet.* & alij citati à Sanchez *lib. ſecundo, moral. cap.* 16. *num.* 21.

10. Communis, ac verior ſententia eſt, publicatis bonis ob patris delictum reſeruari filiis ante bonorum publicationem natis, alimenta *r* modo crimen non ſit læſæ Maieſtatis diuinæ vel humanæ: nam quando ob hæreſim publicantur, omnia prorſus bona parentum confiſcantur nullis alimentis reſeruatis; & hoc fit iuſtiſſimè ob huius criminis atrocitatem, vt exinde parentes ab hoc delicto patrando arceantur: idem dicendum in crimine læſæ maieſtatis humanæ: licet aliquando ex quadam miſericordia paruulis horum filiis præſtentur alimenta.

Peregrinus. Clarus. Simancas. Ita Peregrinus *de iur. fiſci lib.* 5. *tit.* 1. *à n.* 34. *vſque ad* 44. Clarus *lib.* 5. *ſentent. quæſtione* 78. *num.* 26. Simancas *in cathol. inſtitut. titul.* 19. *n.* 12. & alij.

11. Neutrius coniugis bona publicantur ob alterius delictum, ſed ſola coniugis delinquentis, reſeruatis innocenti ſuis bonis. Ratio eſt, quia par non eſt innocentem ob alterius crimen puniri, vbi id non eſt iure expreſſum, ſicut eſt expreſſum in crimine hæreſis & læſæ maieſtatis patrato à patre, quod nocet filio. At in hoc caſu id non eſt expreſſum, imò contrarium. Hinc ſequitur non confiſcari ob qualecumque viri delictum, dotem vxoris, vt habetur *in cap. Decreuit, de hæret. in* 6. & *l. ſi marius ff. ſolut. matrim.* niſi ſcienter viro hæretico nupſerit, tunc enim in delicti pœnam publicatur eius dos: ſi tamen dos ei tradita fuerit cum onere, vt ſoluto matrimonio acquiratur alteri, in hoc caſu dos non publicatur, ne tertius innocens damnum patiatur, quamuis durante matrimonio fructus dotis pertineant ad fiſcum, cùm ſuccedat in bona loco vxoris. Ita Vaſquez, *in opuſc. de teſtament. c.* 9. §. 4. *dub.* 2. Simancas *tit.* 9. *num.* 61. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 17. *num.* 17. & 18. Item ſequitur donata vxori à marito, publicari ob delictum mariti: quia non ſortiuntur effectum ſuum donec mors viri ſequatur, computantur enim inter viri bona dum adhuc ſuperſtes eſt, & conſequenter publicantur ob ipſius delictum. Ita Vaſquez 1. 2. *diſp.* 169. *c.* 1. *num.* 4. Simancas *tit.* 9. *num.* 10. contra Sanchez *loco citato num.* 15. qui veriùs putat non publicari citans *Baldum.*

Vaſquez. Simancas. Sanchez. Baldus.

Item ſequitur ob viri crimen publicari veſtes pretioſas ſeu feſtiuas, ab ipſo viro datas vxori, non autem viles, ſeu quotidianas. Ratio eſt, quia veſtes pretioſæ ſunt viri, at quotidianæ vxoris.

Item ſequitur, donationes factas vxori intuitu ipſius vxoris non publicari ob delictum mariti, etiamſi factæ ſint à conſanguineis mariti. Secus ſi fiant vxori à conſanguineis mariti, intuitu ipſius mariti, tunc enim acquiruntur viro. Ita Sanchez *cap.* 17. *num.* 13. & 14. & alij apud ipſum.

Sanchez.

12. Quando ſoluto matrimonio vxor committit delictum confiſcatione dignum, confiſcabitur dos cum reliquis eius bonis paraphernalibus, nec non acceptis cauſa nuptiarum & aliis quæ ad ipſum pertinent: quando autem matrimonio conſtanti, confiſcantur reliqua bona, non autem dos exceptis quinque caſibus expreſſis *in l. Quinque legibus, ff. de bonis damnatorum.* Qui ſunt, *crimen læſæ maieſtatis, violentiæ, parricidij, veneficij* & homicidij, quam legem à fortiori extendunt ad crimen hæreſis, Iulius Clarus *lib.* 5. *quæſt.* 78. *num.* 14. & alij. Clarus. Quando in prædictis caſibus ob vxoris delictum aufertur viro tota dos aut pars eius, iuxta criminis qualitatem, confiſcatur non tantùm quoad proprietatem, ſed etiam quoad fructus. Ratio eſt, quia cùm hæc non ſit alienatio ex vxoris contractu, ſed ex delicto, mirum non eſt, ſi viro detrimentum afferat: Et hæc eſt communior ſententia: quamuis aliquibus non videatur improbabile marito non eſſe auferendos fructus: quia hi ad virum pro ſuſtinendis matrimonij oneribus pertinent: tum quia par non eſt, vt maritus damnum patiatur ob vxoris delictum, niſi aliter à iure decernatur, vel vſu receptum ſit. De his vide Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 17. *num.* 25. *& ſequentib.* apud quem plura de hac materia, & apud Boſſium *in ſua practica, tit. de bonorum publicatione.* Iulium Clarum *lib.* 5. *recept. ſentent. quæſt.* 78. Peregrinum *de iure fiſci lib.* 5. *tit.* 1. & alios. Atque hæc addita ſufficiant Theologo morali.

Sanchez. Boſſius. Clarus. Peregrinus.

Vide verb. Debitor *num.* 16. Donatio *num.* 48. Donatio in coniug. *num.* 4. Feudum *num.* 10. Hæres. *num.* 9. Legitima *num.* 8. Lex 2. *num.* 21. Mandatum *num.* 3. Pœna *num.* 2. 3. Præſcriptio *num.* 5. Solutio *num.* 6. Spolium, Subſtitutio *num.* 11.

FORNICATIO.

SVMMARIVM.

1 *Fornicatio vnde dicatur, & quomodo accipiatur in ſcriptis.*
2 *An fornicatio ſit iure naturali prohibita & illicita.*
3 *An poſſit dari ignorantia inuincibilis de fornicatione, quod ſit peccatum.*
4 *An fornicatio commiſſa cum aliena ſponſa vel ſponſo de futuro, contineat circumſtantiam neceſſariò explicandam in confeſſione?* Refertur triplex ſententia.
5 *Vter grauiùs peccet in fornicatione, vir aut mulier.*
6 *An fornicatio Chriſtiani hominis, ſit grauior, quam ethnici.*
7 *Ad quam ſpeciem luxuriæ ſit reducenda copula habita cum fœmina mortua.*
8 *An fornicatio ſit grauius peccatum, quàm illæ quæ ſunt contra Deum & proximum.*

1. FOrnicatio, ſi vocabuli notio conſideretur, à voce fornix deſcendere videtur, quæ loca quædam concamerata ad modum arcus ſignificat, in quibus meretrices ſeſe proſtituere ſolebant. Vnde fornicari nihil aliud eſt, quam rem cum meretricibus habere; apud Theologos omnem actum venereum illicitum ſignificat.

In ſcriptura ſacra omnis actus qui eſt peccatum mortale dicitur fornicatio, eo quòd quis per peccatum mortale recedit à Deo legitimo ſponſo animæ, *Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.* Pſalm. 72. Aliquando ſumitur fornicatio pro Idololatria, & infidelitate. *Fornicati ſunt à Deo ſuo* Oſe. 4. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Hierem. 3. Aliquando etiam omnis actus luxuriæ dicitur fornicatio. *Auditur inter vos fornicatio,*

Digitized by Google

& talis fornicatio, qualis nec inter gentes. 1. Corinth. 5. vbi Apoſtolus loquitur de inceſtu, ſubdit enim, *ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat* Item *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari.* Matth. 5.

2. Quidam ex Catholicis ſcriptoribus exiſtimant fornicationem ſimplicem non vagam, ſed inter perſonas certas, quæ citra matrimonium velint, ex pacto & obligatione gerere conuenientem curam prolis non eſſe peccatum mortale, nec iure naturali, ſed ſolùm iure diuino poſitiuo prohibitam. Ratio eſt, quia fornicatio ſimplex non meretur mortem æternam ſecundùm legem naturalem, quia lex naturalis nihil dicit, nec nominat aliquid de morte æterna: & ideò quod fornicatio ſimplex ſit peccatum mortale, hoc procedit ex iure diuino pluribus locis expreſſo. Ita Durandus *in 4. diſtinct. 33. quæſt. 2.* Eiuſdem ſententiæ eſt Martinus à Magiſtris *tract. de temperantia. quæſt. 2.* apud Caietanum 2. 2. *quæſt. 154. art. 2.* quia quando educationi prolis aliunde proſpicitur, non videtur grauis inordinatio. Confirm. quia neque eſt contra dilectionem Dei, neque proximi, neque ſui ipſius. Sed dicendum eſt fornicationem non ſolùm malam eſſe, quia iure diuino prohibitam, ſed etiam quia iure naturali illicitam. Ita communis Theologorum ſententia ex D. Thoma 2. 2. *quæſt. 154. art. 2.* Syluester *verb. Luxuria quæſt. 3.* Caietanus *ſupra* Nauarrus *in man. c. 16. n. 1.* Toletus *lib. 5. c. 10.* & alij apud Dianam *part. 9. tract. 9. reſol. 59.* Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia eſto prolis educationi prouideatur, hoc tamen non tollit inordinationem, quam actus per ſe habet, quatenus in eo prætermittitur illa conditio perſonarum, quam ipſa natura inſtituit & requirit in illo actu ad prolis ſuſpiciendæ perfectionem. Et ſanè ſi hæc inordinatio eſſet leuis iure naturæ, ius diuinum ſuperueniens non efficeret grauem, ſed relinqueret eam in ſuo gradu: nam Deus prohibens aliquid iuræ naturæ illicitum non facit illud peius ſed eius malitiam inculcat & expreſſius proponit, non enim eſt malum quia prohibetur, ſed quia malum ideò prohibetur vt patet in mendacio & ſimilibus, vt docet poſt alios Filliucius *tract. 30. num. 45.* Ex ratione autem Durandi ſequeretur, nec homicidium, nec adulterium, nec ſodomiam fore peccata mortalia, niſi iure diuino poſitiuo eſſent prohibita, quod omnino abſurdum eſt. Deinde huiuſmodi fornicatio reducitur ad peccata quæ ſunt contra charitatem proximi, cùm ſit contra bonum prolis naſcituræ, ſiue ex eo actu reipſa ſit ſecutura proles, ſiue non, eo quòd illi qui conueniunt ſunt ſteriles.

Durandus. A Magiſtris. Dianuel.

D. Thom. Sylueſt. Caietanus. Nauarrus. Toletus. Diana.

3. Probabile eſt poſſe dari ignorantiam inuincibilem de fornicatione, quod ſit peccatum in gentibus agreſtibus imperitis carentibus magiſtris, qui eas inſtruant. Prob. quia licet præcepta decalogi deducantur ex principiis per ſe notis, non omnia tamen illic prohibita tam clarè deducuntur, vt nulla poſſit de aliquibus eſſe ignorantia probabilis. Nam quod fornicatio inferat damnum proli naſcituræ, non facilè ab omnibus cognoſcitur. Si enim Durandus errauit non omnem fornicationem eſſe contra ius naturale, quantò magis id exiſtimare poſſunt homines planè rudes abſque culpa, ſi nullum habeant inſtructorem, cùm meretrices interdum publicè exponantur & permittantur, & homines agreſtes prudentiorum doctrina deſtituti non bene diſcernant inter ea quæ permittuntur tanquam minus mala, & ea quæ tanquam licita exercentur. Cæterum inter Chriſtianos vix poteſt ordinariè quis excuſari à fornicatione per ignorantiam, cùm iam ſatis prædicatum ſit, quod fornicatio ſit peccatum mortale. Tamen ſi quis inter Chriſtianos tam duro agreſtique ingenio ſit, & nullus eum inſtruxit, nec quiſquam eum reprehendit, poſt fornicationem ab eo commiſſam, fortè excuſari poſſet per ignorantiam, quod locum habet aliquando in ciuitatibus & pagis alioqui bene inſtitutis in fide & religione, vt ij qui confeſſiones excipiunt, animaduertunt. Ita ſentit D. Thomas *quæſt. 15. de malo articulo 2. ad 3.* & poſt eum Sotus *de iuſtit. libro 5. quæſt. 3. art. 3.* Azorius *tom. 1. lib. 1. cap. 13. quæſt. 1. & part. 3. lib. 3. cap. 4.* Filliucius *tract. 30. num. 50.* & alij.

D. Thom. Sotus. Azorius. Filliucius.

4. Difficultas eſt inter Doctores, an fornicatio commiſſa cum aliena ſponſa vel ſponſo de futuro, contineat circumſtantiam neceſſariò explicandam in confeſſione? Tres ſunt in hac difficultate ſententiæ. *Prima* docet eſſe aperiendam in confeſſione, tam à deſponſatis ipſis, quàm ab iis qui cum vno deſponſatorum ſunt fornicati. Ratio eſt, quia licet tale peccatum non ſit verum ac propriè dictum adulterium, ad illud tamen reducitur, ſicut imperfectum, ad perfectum ſui generis, & importat circumſtantiam iuſtitiæ repugnantem: ergo plus eſt quàm ſimplex fornicatio: quia magna iniuria irrogatur ſponſo, per hoc quod ſua ſponſa cognoſcatur ab alio. Hanc ſententiam tradunt *Homobonus, Naldus, Molfeſius, Lopez, Petrus Ledeſma, Syluius* & alij apud Dianam *infra.*

Homobon. Naldus. Molfeſius. Lopez. P. Ledeſma. Sylnius.

Secunda ſuſtinet minimè eſſe explicandam. Ratio eſt quia ſolæ circumſtantiæ mutantes ſpeciem, ſunt neceſſario explicandæ in confeſſione, hæc autem non mutat ſpeciem, cùm adulterium non ſit. Prob. quia per ſponſalia tantùm contrahitur obligatio mutua tradendi corpus per matrimonium, non autem obligantur ſponſi ad abſtinendum ab alieno concubitu ante matrimonij contractum; ergo alienus concubitus non continet circumſtantiam ſponſalibus aduerſam, nec confitendam. Ità *Couarruuias, Vinaldus Megala, Azorius* & alij quos refert & ſequitur Diana *part. 1. tract. 7. reſol. 5.* qui pro hac ſententia in *part. 3. tract. 4. reſol. 67.* adducit etiam *Baſilium Pontium* & *Laymann.* Hæ duæ opiniones ſunt probabiles.

Couar. Vinaldus. Megala. Azorius. Diana. Pontius. Laymann.

Tertia denique mediâ viâ incedit, & docet, tunc hanc circumſtantiam neceſſariè eſſe fatendam, quando aliquis fornicatur cum ſponſa alterius de futuro: at quando ſponſus de futuro fornicatur, hæc circumſtantia non eſt de neceſſitate in confeſſione aperienda. Probatur non eſſe in ſponſo circumſtantiam. Quia licet etiam contineat ea fornicatio iniuriam ac circumſtantiam diuerſam ſpecie, iniuſtitiæ commiſſæ aduerſus ius ſponſæ ab ea per ſponſalia acquiſitum in corpus ſponſi; tamen cùm prudentium arbitrio ea iniuria reputetur leuis in fornicatione ſponſi de futuro, non excedit limites culpæ venialis, ac proinde non eſt neceſſariò confitenda; quod ſecus eſt in fornicatione ſponſæ, cenſetur enim ea iniuria reſpectu ſponſi atrociſſima, maior enim requiritur honeſtas in fœminis, quam in viris. Ita Fagundez *præcept. 2. Eccleſ. lib. 4. cap. 3. n. 18. 19. & 20.* Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp. 2. n. 4. 5. & 6.* Filliucius *tract. 30. n. 53.* Hæc ſententia non eſt etiam improbabilis. Elige quam malueris.

Fagundez. Sanchez. Filliucius.

5. In fornicatione, cæteris paribus, grauiùs peccat vir quàm mulier: quia vir magis pollet ingenio & ratione, ideoque habet plus virium ad reſiſtendum concupiſcentiæ. In adulterio autem grauiùs peccat femina quàm vir, propter damnum quod infert ſemina adultera, dum ſupponit filios adulterij, & cauſa eſt incertitudinis prolis: atque ita magis aduerſatur bono matrimonij, quàm vir, ac per conſequens etiam grauiùs peccat. Ita D. Thomas *in 4. diſtinct. 35. art. 4.* Caietanus 2. 2. *q. 154. art. 8. circa reſponſ. ad 1.* Syluester *verb. Luxuria, queſt. 3. verſic. Tertium.* Toletus *in ſum. lib. 5. cap. 10.* & alij.

D. Thom. Caietanus. Syluest. Toletus.

6. Fornicatio in Chriſtianis habet peculiarem deformitatem, ratione Baptiſmi & Confirmationis, quibus corpora noſtra facta ſunt membra Chriſti & in templum Spiritui ſancto conſecrata, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 6. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? abſit* &c. Et infrà. *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt?* Ex quibus colligitur in hoc actu, dum à Chriſtianis fit, eſſe peculiarem ingratitudinem & irreuerentiam in Deum, & conſequenter ſpeciem quandam ſacrilegij, latiùs accepto hoc nomine: vnde eſt multò grauius peccatum in illis, quàm in ethnicis.

7. Dubium eſt, ad quam ſpeciem luxuriæ ſit reducenda copula habita cum muliere mortua? Quidam enim putant reducendam eſſe ſaltem ad fornicationem: quia licet femina mortua propriè non ſit femina, æquiuocè & analogicè dicitur femina. Ergo. Alij volunt talem copulam habere malitiam beſtialitatis, quia beſtialitas eſt peccatum luxuriæ contra naturam, mediante copula habita cum indiuiduo, ſiue ſuppoſito alterius ſpeciei, ſiue ſit beſtia, ſiue diabolus in corpore aſſumpto, ſiue cadauer. Ita Pellizzarius *in man. regul. tom. 1. tract. 4. cap. 3. ſect. 4. num. 70.* & noſter Geſualdus de Bononiis *tom. 3. oper. moral. tract. 12. cap. 1. num. 43.* Verùm hæc opinio non caret difficultate, quia Doctores communiter definientes vitium beſtialitatis, aſſerunt eſſe concubitum cum re animata non eiuſdem ſpeciei cum homine: Sed quando quis copulatur cum femina mortua, non concumbit cum re animata: ergo talis copula non poteſt ad beſtialitatem pertinere. Quod probatur ex Sanchez *de matrim. lib. 10. diſp. 4. numero 14.* qui docet beſtialitatem præbere cauſam diuortij: addit tamen hoc non procedere in concubitu intra vas cum femina, aut beſtia mortuis. Dicendum eſt ergo; talem copulam non includere per ſe aliam malitiam in genere luxuriæ, quàm malitiam pollutionis, ſicut qui concubitum haberet cum pictura vel ſtatua. Ratio eſt, quia inanimatum inſtrumentum, quo quis ſe polluit, non facit mutationem ſpeciei: Sed quando quis copulam habet cum muliere mortua, aliud non facit, niſi cum inanimato inſtrumento pollutionem procurare: ergo talis copula non inducit mutationem ſpeciei. Ergo nec vitium beſtialitatis, nec fornicationis, vt docet Sanchez *loco citato.* ſed tantùm continet malitiam pollutionis factæ adiutorio illius corporis mortui. Dixi *per ſe*; nam ſi copula cum femina mortua haberetur ab homine peccante cum alio affectu fornicario diuerſo à pollutione, tunc cum pollutione adeſſet aliud peccatum fornicationis, adulterij, inceſtus, &c. & hæc circumſtantia eſſet in confeſſione explicanda. Ita nouiſſimè Diana *part. 9. tract. 9. reſol. 1.* probabiliter.

Pellizzarius Geualdus.

Sanchez.

Diana.

8. Fornicatio non eſt grauius peccatum, quàm cætera quæ ſunt contra Deum, vel proximum: grauitas enim peccati per ſe ſpectatur ex magnitudine boni, cui ipſum opponitur; maius autem eſt bonum diuinum quàm humanum: vnde peccata, quibus bonum diuinum contemnitur, vt ea quę repugnant directè virtutibus theologicis, vel religioni, ſunt deteriora ſecundùm ſuam ſpeciem, quàm fornicatio, quæ bono humano repugnat. Cæterùm & ſi fornicatio non ſit ex maximis peccatis mortalibus, tamen quadam ratione poteſt dici maximum: quia hominem maximè detinet, & difficillimè ſuperatur propter concupiſcentiam homini congenitam, cuius motus ſunt maximè importuni. Vnde D. Auguſtinus de honeſtate mulierum cap. 2. *Inter omnia Chriſtianorum certamina, ſola dura ſunt prælia caſtitatis, vbi quotidiana pugna & rara victoria.* D. Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 39. dicit. *Magis per carnis luxuriam humanum genus ſubditur diabolo, quàm per aliquod aliud peccatum.* Hinc hominibus maximè elaborandum, præcipua eorum induſtria in hoc collocanda, vt huiuſmodi vitium ſuperetur, quod fiet per fugam occaſionum: iuxta illud Apoſtoli, *Fugite fornicationem.* Ita D. Thomas 2. 2. *queſt. 154. art. 3.* Syluius *ibid.* & alij commentatores.

D. Auguſt.

D. Iſidorus.

D. Thom. Syluius.

Vide verb. Furtum *numero 5.* Sponſalia *numero 15. 16. & 17.*

F O R V M.

S V M M A R I V M.

1 *Forum vnde dictum & quid.*
2 *Fori iudicialis diuiſio.*
3 *An forum externus & interius reis pœnas infligens, intendat Deo ſatisfacere, vel reipublicæ.*
4 *An forum externus ex natura rei poſſit obligare ad diſtinctam rem agendam, quam interius obligaret.*
An diſcordet aliquando forum externus ab interiori per errorem.
5 *An iudex ex lege poſſit non cogere ad ſoluendum id quod in conſcientia foro debitum eſt? & è contra poſſit cogere ad reſtitutionem, quod in foro conſcientiæ non debetur.*
6 *Quid importet abſolutio in foro pœnitentiæ, in foro conſcientiæ tantùm, & quid abſolutio in foro exteriori.*
7 *Quodnam forum quis ſortiatur.*

1. FOrum à ferendo nomen habet, quòd in eum locum res venales afferantur. Hinc forum piſcarium, olitorium, in quo olera venduntur, & ſic de cæteris.

Forum apud Iuriſconſultos & Theologos ſignificat locum in quo cauſæ ſeu lites exercentur: & videtur propter ſimilitudinem litigantium, ementium & vendentium in foro nundinario, & litigantium coram iudicis tribunali, à priori ſignificatione ad hanc poſteriorem tranſlatum. Præterea forum etiam vſurpatur pro iudiciali proceſſu ipſarum cauſarum, quæ in iudicio pertractantur.

2. Forum, acceptum pro ipſomet iudicio, diuiditur in ſæculare, & Eccleſiaſticum; ſicut & iudicium & poteſtas iuriſdictionis. Rurſus diuiditur in exterius & interius. Exterius conuenit prædictis duobus. Interius dicitur forum Conſcientiæ, vel pœnitentiæ. Denique forum aliud eſt noſtrum, aliud Dei iudicantis animas à cor-

pore

Digitized by Google

pore ſeparatas. Noſtrum eſt mite, quaſi Canonicum & ciuile, infligens pœnas correctionis ac emendationis; Dei autem forum ſeu Iudicium eſt rigoroſum, quale apud nos eſt criminale & ſanguinis.

3. Forum exterius dum pœnas infligit delinquentibus, non eo fine inducit, vt delinquentes ex illarum tolerantia Deo ſatisfaciant, ſed vt debita reddatur ſatisfactio Reipublicæ ſolùm, vel illi & perſonæ iniuria affectæ. Vnde forum exterius vt puniat delicta, non attendit, an punitio fiat obligando ad actiones poſitiuas exercendas à delinquentibus, vel an per priuationem, prohibendo videlicet aliquas actiones ab illis exerceri. At iudex fori interni verbi gratia Sacramenti pœnitentiæ, ex intentione directa, debet iniungere pœnam, vt ex illius tolerantia Deo ſatisfiat, & pœna debita remittatur.

4. Forum exterius, ex natura rei non ad diſtinctam rem agendam obligare poteſt, quàm interius obligaret. Et ad idem quod in foro animæ interuenit obligatio agendi, premere debet forum externum vt fiat: nam exterius forum conſtitutum non eſt à Deo & à Republica, ad nouas obligationes hominibus inducendas, ſed ſolùm ad cogendum implere ea quæ ſecundùm conſcientiam eis erat debitum efficere. Vnde ſi homines operarentur quæ in foro interiori agere tenentur, foro exteriori ſeu iudicum tribunalibus opus non eſſet. Sic quando forum exterius rei veritatem cognoſcit, non aliter debet iudicare quàm forum interius, ita vt non poſſit cogere hominem efficere illud, quod ex intimo foro operari conſtrictus minimè erat.

Diſcordat tamen aliquando forum exterius ab interiori per accidens ſeu per errorem; quia videlicet non ſatis probetur, obligationem, v. g. reſtituendi interuenire in foro exteriori, & tunc iudex ad reſtitutionis implectionem non premit, ne diſcordet à foro interiori. Porrò forum exterius & interius ſemper eodem modo debere iudicare cognitâ veritate, quòd ſolùm vnum ab altero deuiat quando exterius forum in falſa præſumptione fundatur ſeu in errore, docent communiter Doctores, Clauis regia *lib. 1. cap. 13. num. 24.* Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp. 5. num. 20. ad medium.* Couarruuias *in cap. Cùm eſſes, num. 7. de teſtament.* Suarez *de cenſur. diſp. 40. ſect. 5. num. 16.* Vaſquez, Sotus Layman & alij apud Sancium *in ſelectis diſp. 84. num. 55.*

Clauis. reg. Sanchez. Couar. Suarez. Vaſquez. Sotus. Layman. Sancius.

5. Quando per legem aliquam eſt decretum, quod iudex non cogat ſoluere illud quod in animæ foro debitum eſt, tunc forum exterius non iuuabit forum internum, nec propterea ab illo diſcordabit; vt qui amiſit aliquid in ludo ad creditum, tenetur in conſcientia reſtituere, vt docent plures, in pœnam tamen delicti forum exterius non vult cogere ad ſolutionem. E contra poterit iudex cogere ad reſtitutionem agendam, quamuis in foro conſcientiæ nulla reſtituendi obligatio intercedat: ſicut qui ludo alearum aliquid eſt lucratus, in conſcientia poteſt illud retinere & tamen ſi repetatur coram iudice, cogetur illud reddere: quia id legibus ſancitum eſt, *l. Alearum. C. de rel. & ſumpt. fun.* Nec propterea diſcordat forum interius ab exteriori propriè loquendo, ſed ſolùm datur actio repetendi coram iudice in pœnam ſeu in odium ludi, vt ſic homines compeſcantur à ludi vetiti exercitio; pœna autem in foro conſcientiæ ſuſtinenda eſt, quoties à iudice juſtè infligitur. Ita Doctores citati *tom. 1. verb. Ludus III. n. 1. lit. 6. in tertia edit.* quibus adde Sancium *ſuprà n. 61.* cum aliis multis ab ipſo citatis. Qui *n. 65.* ex dictis infert, quòd quamuis lex purè pœnalis ad ſolam pœnam ſubeundam obliget, & non ad incurrendam culpam; tamen ex ſuppoſitione quòd infligatur à iudice, aderit obligatio in foro conſcientiæ eam pœnam acceptandi: quia aliàs daretur per ſe bellum iuſtum ex vtraque parte; dum manifeſtè non conſtet illam irrationabilem eſſe. Quapropter tunc non obligat forum exterius acceptare pœnam quam in interiori non teneatur reus acceptare poſt latam ſententiam. Quò fit, minimè in hoc caſu diſcordare forum exterius ab interiori.

Sancius.

6. In foro pœnitentiæ tantùm abſolui à cenſura, eſt abſolui à cenſura, conſequendo cum illa ſimul etiam remiſſionem peccatorum per abſolutionem Sacerdotalem & ſacramentalem. Abſolui verò in foro conſcientiæ tantùm, eſt ab illa in reipſa ſeu coram Deo liberari, ſiue ſimul ſit iuncta abſolutio à peccatis, ſiue non. Dicitur forùm conſcientiæ tantùm, quia refertur merè & nudè ad bonum pœnitentis, vt ſit liber à cenſura coram Deo, quamuis coram Eccleſia, aut in foro exteriori talis cenſurâ ligatus adhuc habeatur vt non abſolutus, & contra illum ſiue à iudice, ſiue à parte tanquam contra non abſolutum, agi poſſit. Abſolutus autem à cenſura extra conſcientiæ forum, ſiue in foro exteriori, eſt ille, qui coram Eccleſia, ſeu coram Iudice eſt vel habetur liber à vinculo cenſuræ, qualis eſt qui per ſententiam, iudicis authoritate eſt abſolutus. Præterea abſolutio in foro conſcientiæ ſeu Pœnitentiæ tantùm, ſæpè cum inuicem confunditur, & pro eodem ſumitur; nihilominus tamen abſolutio in foro conſcientiæ latiùs patet, quam abſolutio in foro pœnitentiæ tantùm; quia poteſt quis abſolui in foro conſcientiæ, licet non abſoluatur ſacramentaliter; vt ſi vicarius Epiſcopi, vel alius ſimili poteſtate gaudens abſoluat à cenſuris extra pœnitentiæ ſacramentum, ſaluo tamen iure fori exterioris. Vide quæ diximus *tom. 1. verb. Abſolutio n. 22. 23. & 24.* de hac materia cum Doctoribus ibi citatis.

7. Iure quidem cautum eſt, ne quis reus extra ſuam prouinciam trahatur. In multis tamen caſibus contingit, vt quis alibi, quàm apud ſuum proprium iudicem iudicetur, quos Gloſſa *cap. 1. Cauſa 3. quæſt. 6.* his verſibus comprehendit:

Gloſſa.

Contractus, crimen, reus, res religioſque
Vir, ratio ſimilis, vel prouocat atque recuſat,
Excellit, iuſſus, vel ſi conſentit vterque.

Quorum omnium explicationem vide ibid. in Gloſſa: per quæ cernere licebit, quodnam forum quis ſortiatur. Vide verb. Clericus *n 9. & ſeq.* Commendatarij *n. 1.* Emptio n. 7. & 15. Excommunicatio 6. n. 4. Fructus *n 6.* Iudex *n. 1.* Mutuum *n. 34.* Priuilegium *n. 1.* Teſtamentum *n. 2.*

FRVCTVS.

SVMMARIVM.

1 *Fructus vnde dictus? & qui dicantur apud Iuriſperitos.*

2 *An lac, caſeus, lana, uua, vinum, oliua, oleum, ſegetes, & omnia quæ ſeminantur, inter fructus induſtriales reputentur.*

3 *Qui dicantur fructus ciuiles.*

4 *An fructus pendentes ſint poſſeſſoris bonæ fidei, ſi antè perceptionem ceſſet bona fides.*

5 *An fructus induſtriâ ex re aliena ſint poſſeſſoris bonæ vel malæ fidei.*

6 *An mala fidei poſſeſſor teneatur in foro conſcientiæ*

ſcientia ad reſtitutionem fructuum, qui ex re aliena percipi poterant, ſi dominus eos non erat percepturus.

7 *Et quid iuris ſi dominus erat percepturus ſua communi vel ſingulari diligentia?* Refertur duplex ſententia.

8 *An poſſeſſor mala fidei teneatur fructus à ſe perceptos ex re aliena frugifera reſtituere domino, quamuis hic non eſſet eos percepturus.*

9 *An poſſeſſor mala fidei teneatur ad reſtitutionem fructuum quos dominus potuiſſet percipere inhoneſtè? Et quid ſi talis ex re aliena acquiſiuit lucrum inhoneſtum.*

10 *An expenſas poſſit mala fidei poſſeſſor deducere ex iis fructibus reſtituendis? & quales.*

11 *An hic poſſit mercedem ſui laboris & induſtriæ deducere.*

12 *An poſſeſſor bonæ fidei & poſtea malæ, mutatis perſonis, fructus ſibi acquirat.*
Quid ſi idem poſſeſſor habuit initio bonam fidem & poſtea malam.

13 *Quid quando poſſeſſor eſt à principio malæ fidei & poſtea bonæ, & hoc contingit in diuerſis perſonis.*

14 *An fructus triennio poſſint præſcribi, quando conſumpti ſunt à poſſeſſore bonæ fidei ante lapſum triennium?* Refertur duplex ſententia.

1. FRuctus à fruendo nomen habet, quia eo fruimur. Et primò dicuntur fructus, quos fundus produxit. Per tranſlationem autem omne quod vtilitatem ac commodum aliquid habet & affert.

Fructus apud Iuriſperitos in *l. ſi à patre, ff. de petit. hæredit.* ſunt illi, qui ex re fructifera percepti ſuperſunt, deductis expenſis, quæ gratia illorum quærendorum, colligendorum & conſeruandorum fiunt, etiamſi poſſidens ſit prædo. Et cùm hi fructus, alij ſint naturales qui nempe ex re fructifera ſua ſponte naſcuntur: alij induſtriales, qui hominis induſtria acquiruntur ex re ſterili: alij naturales mixti, in quibus, vltra naturam operantem interuenit aliqua hominis induſtria: Circa hos eſt notandum, quòd à præualenti denominentur; ſi enim magis induſtria, quàm natura operetur, dicuntur ſimpliciter induſtriales; ſi autem è contra plus natura, dicuntur ſimpliciter naturales: quia à præualenti denominatio ſumitur. Vnde præualens conſideratur à iure vt principale, reliquum autem vt acceſſorium, & ſic à præualenti denominatio ſumitur. Vt conſtat ex *l. fructus percipiendo, ff. de vſuris.* Quando autem dubium fuerit, an natura, an induſtria plus operetur, & ſubinde, an naturales, an potius induſtriales fructus ſint appellandi, id iudicis arbitrio definiendum eſt: atque in foro conſcientiæ prudentis relinquendum Iudicio. Ita tradunt Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 3. n. 6.* Menochius *de recuperand. poſſeſſ. remed. 15. n. 592.* Rebellus *de oblig. iuſtit. part. 1. lib. 2. quæſt. 4.* Molina *tom. 3. de iuſtit. diſp. 719.* Angelus, Syluester *verb. Fructus.* Et alij. Aduerte tamen magis operari naturam, quàm induſtriam, aut è contra, eſſe diuerſimodè iudicandum in diuerſis prouinciis, iuxta illarum qualitatem, & vſum. Nam idem fructus alicubi ſponte naſcitur, alibi autem induſtria & labore, vt notant prædicti Authores.

Couar. Menoch. Rebellus. Molina. Angelus. Syluest.

2. Secundùm probabiliorem & veriorem ſententiam, Lac numeratur inter fructus induſtriales: quia non modica hominis induſtria & cura in ouibus paſcendis & cuſtodiendis verſantur ad lac producendum: Et à fortiori caſeus, qui ex lacte ipſo coagulatur, eſt fructus induſtrialis: Idem dicendum de lana ob rationem dictam. Vuæ autem ſunt etiam fructus induſtriales, quamuis quidam naturales appellent. Quia experientia eſt ſatis compertum nimia cultura vineas indigere vt vuas producant: & à fortiori vinum eſt fructus induſtrialis. Oliuæ ſimiliter & oleum ex ipſis expreſſum reputantur inter fructus induſtriales, ſicut & ſegetes & omnia quæ ſeminantur, quòd ingens labor in eis ſeminandis & colligendis, & terra excolenda impendatur. Et à fortiori farina ex fructibus ſeminatis confecta, eſt fructus induſtrialis, vt ex ſe conſtat. Circa animalium fœtus, certa regula præſcribi non poteſt: quia in aliquibus regionibus ſpontè prouenium & per montes & ſyluas producuntur abſque hominis induſtria, & tunc ſunt fructus naturales. In aliis verò, vt agni concipiantur, oportet mutare paſcua, ac oues hybernos & æſtiuos ſaltus & montes deſiderant, quò ducantur & reducantur, & tunc erunt induſtriales. De his plura apud Menochium *lib. 2. de arbitrariis centur. 3. caſu 210. num. 21. & ſequent.* Molinam *tom. 3. diſp. 719.* Sanchez *lib. 2. cap. 23. num. 54. & ſequent.*

Menoch. Molina. Sanchez.

3. Quidam Doctores vltra fructus naturales & induſtriales, admittunt alios, quos vocant ciuiles, eo quòd non verè ex reipſa naſcuntur; ſed hominis induſtria, propter rem, id eſt, rei vſum, iure ciuili percipiuntur. Huiuſmodi ſunt reditus domus, mercedes iumenti, operæ ſerui. Non appellantur autem naturales, aut induſtriales, eò quòd non ſunt verè, & propriè fructus, ſed fictè. Dicuntur autem ciuiles, quia ius ciuile hanc fictionem induxit, vt loco fructuum habeantur. Atque huiuſmodi fructus admittunt Angelus, Syluester, Tabiena *verb. Fructus.* Molina loco citato *diſp. 719.* & plurimi iuriſperiti. Magis tamen placet ſententia aſſerens, quòd omnes fructus, qui non ſolâ natura & ſua ſponte naſcuntur, proueniunt ex hominis induſtria, atque adeò omnes fructus reducuntur ad naturales, aut induſtriales, iuxta id quod præualet. Ita Menochius *de arbitrariis lib. 2. centur. 3. caſu 210. n. 29.* Gutierrez *de teſtis part 3. cap. 23. n. 5. & 6.* & alij. Reducuntur autem hi fructus ciuiles ad induſtriales: quamuis enim verè & propriè nequeant dici fructus, & ſic nec naturales, nec induſtriales: reducuntur tamen ad induſtriales: quòd magna induſtria in domibus ædificandis, reparandis, locandis, & cenſibus conſtituendis verſetur. Ita communis apud Sanchez *loco cit. n. 53.* Hinc patet differentia non in re, ſed in modo loquendi inter Theologos & Iureconſultos; quòd illi omnes fructus, qui ex reipſa proueniunt, quamuis concurrente hominis induſtria, *naturales* appellant. Iureconſulti autem eiuſmodi fructus *mixtos* vocant, vel ſimpliciter *induſtriales*, ſi magis induſtria, quàm natura operari videatur. Hæc, &c. Hæc annotata de fructibus maximè deſeruiunt in materia reſtitutionis fructuum à poſſeſſore bonæ vel malæ fidei rei alienæ.

Angelus. Syluester. Tabiena. Molina. Menoch. Gutierrez. Sanchez.

4. Fructus percipiendi, qui adhuc in arbore pendent nullius poſſeſſoris bonæ fidei ſunt, ſi ante eorum perceptionem ceſſet bona fides, nam tunc erunt domini fundi: quia dum percepti non ſunt, reputantur pars fundi, & ideò ad illius dominum pertinent, vt conſtat ex *l. fructus pendentes 45. ff. de rei vendicat. ibi: fructus pendentes pars fundi videntur*; Et hoc verum, quamuis fructus illi

Digitized by Google

illi ſiue maturi, & proximè colligendi; non enim quoad hunc effectum reputantur collecti, ſed ſunt adhuc pars fundi, vt probat *l. finalis, §. penult. ff. quæ in fraudem credit.* Dicuntur autem percepti ad eum effectum, vt bonæ fidei poſſeſſor illos acquirere valeat, quando ſunt à ſolo ſeparati, ſiue ab ipſo poſſeſſore percepti fuerint, ſiue ab alio nomine, aut non ſuo nomine, ſemper enim dicuntur ab ipſo percepti: imò etſi fructus illi caſu ex arbore deciderint, vt habet *l. qui ſcit 25. ff. de vſuris.*

5. Fructus vel potiùs lucra, quæ ſunt meræ induſtriæ, ad bonæ fidei, imò etiam malæ fidei poſſeſſorem pleno iure ſpectant. Ratio eſt, quia ſicuti fructus rei rem ſequitur eiúſque dominum: ita lucrum, ac veluti fructus induſtriæ ad eum pertinet, qui adhibuit. Hinc qui alieno inſtrumento opus elaborauit, ad artificem, non ad inſtrumenti dominum, arte factum pertinet: debet tamen artifex præter inſtrumentum, æſtimationem ſiue valorem vſus rei, ſeu inſtrumenti domino reſtituere. Ita ex communi Scotus *in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. art. 5.* Nauarrus *in Man. cap. 17. num. 25.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. num. 111.* Simile eſt, ſi fur pecuniam furtiuam negotiationi exponat, lucrum inde proueniens ad furem ſpectat, vt docent D. Thomas *2. 2. quæſt. 78. artic. 3.* Scotus *in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. art. 2.* Si tamen per detentionem pecuniæ alienæ, dominus damnificaretur, tunc damni iſtius compenſatio à fure facienda eſſet. Item, ſi quis alienum frumentum alio deportatum vendidit, vbi plus valet, lucrum ſibi, non domino acquirit: & ſatisfacit reſtituendo frumentum eiuſdem generis ac qualitatis, vel certè quanti intereſt domini frumentum ſuum abductum & alienatum non fuiſſe.

Scotus. Nauarrus. Leſſius. D. Thom.

6. In foro conſcientiæ nullus malæ fidei poſſeſſor tenetur ad reſtituendos fructus, qui ex re aliena percipi poterant, ſiue ab ipſo, ſiue à domino, ſiue à quocumque alio, ſi conſtet fore vt verus dominus eos non percepiſſet. Quare in hoc diſcrepat forum internum non obligans ad hos fructus reſtituendos, ab externo obliganti, quando is poſſeſſor titulo caret. Ratio eſt, quòd forum internum ſolam commutatiuæ iuſtitiæ æqualitatem attendat, quæ in eo conſiſtit, vt integrè id domino reſtituatur, quod ex re ſua, ſi ſibi non eſſet ablata, acquiſiturus erat: & ideò qualemcumque poſſeſſorem minimè obligat ad fructus poſſibiles reſtituendos, ſi à domino acquirendi non eſſent. At forum externum non ſolam æqualitatem prædictam reſpicit, ſed ſæpe culpam delinquentis punit, obligando illum ad aliquid amplius in pœnam. Et confirmatur, quia obligari hunc ad fructus poſſibiles, eſt iure ſtatutum in odium delicti poſſeſſoris iniqui. Sic tradunt Syluester *verb. Reſtitutio 3. q. 9.* Rebellus *de obligat. iuſtit. part. 1. lib. 2. quæſt. 5.* Lopez *1. part. inſtruction. cap. 238.* & alij.

Syluest. Rebellus. Lopez.

7. Quamuis poſſeſſor malæ fidei teneatur in foro conſcientiæ ad fructus reſtituendos, quo dominus rei ex illa apud ſe habita percepiſſet, quamuis poſſeſſor eos non perceperit, vt diximus *tom. 1. verb. Fructus. num. 5.* Hoc tamen intelligendum eſt de fructibus à Domino percipiendis communi diligentia: ſecus ſi ſingulari eius diligentia eſſent percipiendi. Ita Sayrus *in Claui Regia, lib. 10. tract. 2. cap. 3. num. 2. & 22.* Petr. Nauarra *lib. 4. de reſtit. cap. 1. in noua edit. dub. 5. num. 34. & 35.* Ab hac tamen limitatione recedit Sanchez lib. 2. *Moralium, cap. 23. num. 120.* dicens teneri ad eos fructus, quos dominus ſingulari ſua induſtria percepiſſet; quia in his eſt dominus verè læſus. Et hæc ſententia eſt probabilis, quam ſuſtinent Bartolus & alij apud eundem Sanchez *loco citato num. 114.* qui dicunt, ſingularem domini induſtriam ſpectandam eſſe in fructuum percipiendorum reſtitutione ſibi facienda. Fatentur tamen vniuerſi Doctores, agentes de fructibus, qui percipi poterant, vt intelligatur de fructibus, quos licitè & honeſtè, id eſt, ex vſu rei licito & honeſto dominus erat percepturus, quod probatur ex *l. Fructus non modo 34. ff. de rei vendic.* ibi: *Fructus non modo percepti, ſed qui honeſtè percipi potuerunt, æſtimandi ſunt.*

Clauis Reg. P. Nauarra. Sanchez. Bartolus.

8. Fructus tenetur poſſeſſor malæ fidei à ſe ex re aliena frugifera perceptos reſtituere vero rei domino, quamuis hic non eſſet eos percepturus. Ratio eſt, quia quilibet res ſuo domino fructificat, *Inſtitut. §. ſi Titus, de rerum diuiſ.* Ergo illi fructus percepti cedent domino rei. Nec abſurdum eſt, ſed neceſſariò dicendum, aliquando per accidens debere dominum rei, ex re ſibi reſtituta ditiorem euadere, quam ſi non ſubrepta eſſet, vt ſi equo ſpoliatus erat ſtatim eum venditurus viliori pretio, quod tunc valebat, & reſtituatur ſibi tempore quo longè plus valet, lucrabitur occaſione furti id augmentum. Ita Ioannes Medina *Cod. de reb. reſtituend. q. 6. verſ. Et ſecundùm hoc*, Syluester *verb. Furtum, q. 16. n. 20.* Nauarrus *in Man. cap. 17. n. 216.* Couarruuias *reg. Peccatum 2. p. §. 6. num. 4.* Clauis Regia *lib. 10. tract. 2. cap. 3. n. 24.* & alij.

Medina. Syluest. Nauarrus. Couar. Clauis Regi.

Quidam tamen ex his Doctoribus limitant concluſionem, vt procedat, quando fructus illi à malæ fidei poſſeſſore percepti extant, aut ſi conſumpti ſunt, euaſit ex illis locupletior; tunc enim tenetur eos extantes domino integrè reſtituere: at conſumptos, eatenus tantùm, quatenus locupletior euaſerit. Ratio eſt, quia fur nec tenetur causâ rei acceptæ, cum non extet, neque causâ iniquæ acceptionis, quia iniqua acceptio rei alienæ non obligat ad reſtitutionem, niſi quatenus efficaciter intulit damnum: atqui hic verè non intulit damnum ſecundùm æſtimationem moralem; quia etiamſi rem alterius non accepiſſet, vel detinuiſſet, dominus non ideò eſſet ditior, quia eos fructus non eſſet percepturus. Tum quia quando res apud Dominum non erat fructificatura, & induſtriâ alterius effectum eſt vt fructificaret, adſcribendum videtur induſtriæ, non rei. Hæc ſententia eſt probabilis: nititur enim quadam æquitate.

Dicendum tamen eſt teneri eos reſtituere integrè poſt conſumptionem, ex qua non manſit ditior, ac ſi extarent. Ratio eſt, quia ſolius poſſeſſoris bonæ fidei priuilegium eſt, vt ſit liber à reſtitutione, quando ex rei alienæ conſumptione non eſt redditus locupletior. Non ergo id extendi debet ad poſſeſſorem malæ fidei, qui & rem vſurpando & fructus conſumendo, deliquit; alioquin ex conſumptione iniuſta lucrum deobligationis à reſtitutione reportaret. Ita Molina *tom. 3. de iuſtit. diſp. 725. num. 4.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. n. 120.* Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 23. num. 130.* Rebellus *de oblig. iuſtit. part. 1. lib. 2. quæſt. 5.* Prædicta tamen limitatio poſſet habere locum in caſu quo hi fructus pereant fortuito, vel etiam culpâ leui poſſeſſoris, priuſquam commodè poſſent reſtitui, tunc enim non tenebitur, quia non cenſetur fuiſſe in mora: etſi enim rem iniquè detinuit, non tamen fructus, vt aduertit Leſſius *ſupra.*

Molina. Leſſius. Sanchez. Rebellus. Leſſius.

9. Cum poſſeſſor malæ fidei non teneatur reſtituere fructus, quos dominus ex re ſua potuiſſet percipere inhoneſtè & cum turpi vſu rei, quia iura non patrocinantur delinquentibus, vt diximus *ſupra num. 7.* ex communi. Ipſe tamen poſſeſſor malæ fidei obligatur ad reſtituendum lucrum inhoneſtum, quod ipſe acquiſiuit ex re aliena, modò non ſit

lucrum

lucrùm meræ induſtriæ, vt patet ex *l. Ancillarum, ff. de petitione hæreditatis.* Ratio eſt, quia poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere fructus mixtos perceptos ex re aliena, cùm res aliena domino fructificet. Vnde ſi talis domum alienam locauerit meretrici ad meretricandum, tenebitur domino pretium locationis reſtituere: quia in prædicta lege habetur in fine: *Sed & penſiones, quæ ex locatione prædiorum Vrbanorum percepta ſunt, venient, licet à lupanario percepta ſint*, & docent Menochius *de recuperand. poſſeſſ. remed.* 15. *n.* 604. Sanchez *loco citato n.* 102. & alij apud ipſos. Menoch. Sanchez.

10. An autem hic malæ fidei poſſeſſor poſſit ex iis fructibus reſtituendis, expenſas ac præmium laboris & induſtriæ deducere, ac proinde ſolos fructus, qui his deductis ſuperſunt; reſtituere teneatur? Pro reſponſione advertendum eſt, triplices eſſe expenſas. Quædam ſunt neceſſariæ, quæ ſcilicet niſi fierent, aut res periret, aut deterior fieret; vt reficere domum minantem ruinam. Aliæ dicuntur vtiles, quæ rem meliorem ac maioris æſtimationis reddunt, vt vineas & oliueta plantare. Aliæ vocantur voluntariæ, ſeu voluptuariæ, quæ ſuapte naturâ non fructus augent, ſed magis ad ornatum & voluptatem fiunt, vt viridaria, picturæ, &c. Sic habetur expreſsè *in cap. Impenſæ, de verbor. ſignificat.* quo ſupp. ſito.

Dico *Primò*, iuxta communiorem ſententiam expenſas neceſſarias poſſe deducere, & petere præter factas in alimentis ſerui furto ſurrepti, *l.* 1. *Cod. de infantibus expoſitis.* Expenſas vtiles, in foro externo, nec per actionem, nec per retentionem conſequi poteſt, ſed eas deducere poterit ſeparando ab ædificio, ſi deduci valeant abſque rei detrimento: voluntarias autem neutro modo poteſt deducere. Quæ omnia tradunt communiter Doctores *in l. Domum, C. de rei vendicat.*

Dico *Secundò*, in foro conſcientiæ deducendas eſſe non ſolùm expenſas neceſſarias, quas dominus feciſſet, dominus enim non cenſetur in his damnificatus, ſed etiam vtiles quatenus eas dominus feciſſet, & quatenus ſunt domino vtiles. Ratio eſt, tum quia his deductis dominus non dicitur pati damnum, cùm dictæ expenſæ cedant in vtilitatem domini, cuius res facta eſt melior & fructuoſior per illas expenſas. Tum quia dominus non debet ditior fieri expenſis alienis. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 111. Salon 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 6. *controuerſ.* 3. Molina *tom.* 3. *diſp.* 725. *ad finem*, Clauis Regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 4. & alij. Circa expenſas verò voluntarias non eſt idem ſenſus auctorum, Sayrus enim *in ſua Claui Regia loco proximè citato*, ait, dominum obligari in foro conſcientiæ ad has expenſas ſuri ſoluendas, quando ſeparari nequeunt. Idem tenet Leſſius *cit. num.* 13. ait enim ſi dominus id ornamentum retinere velit, deducendas eſſe expenſas; quod ſi nolit, integrum eſſe furi eas auferre, ſi abſque rei læſione auferri valeant; & ſi id fieri nequeat, rem eſſe arbitrio prudentis tranſigendam, Sanchez verò *num.* 139. placet non teneri dominum eas furi ſoluere, quando nequeunt ſeparari abſque priſtini ſtatus rei læſione. Idem tenet Rebellus. Ratio eſt quia fur ille ſibi imputare debet, quòd eas ſine domini conſenſu fecerit. Et hæc opinio eſt tenenda. Leſſius, Salon, Molina. Clau. Reg. Leſſius. Sanchez.

11. Poſſeſſor malæ fidei poteſt in fructibus reſtituendis mercedem ſui laboris & induſtriæ deducere. Ratio eſt, quia hic labor cedit in commodum & vtilitatem domini, dominus autem non debet ditior fieri labore alieno. Tum quia ſi per alios laborem illum, & induſtriam apponeret, ac eis mercedem ſoluiſſet, poſſet in foro conſcientiæ eam mercedem ex fructibus deducere. Ergo idem erit, ſi per ſeipſum eadem apponat. Cùm eiuſdem valoris ſint & æquè in domini vtilitatem redundent. Ita Emanuel Sà *verb. reſtitutio, num.* 15. Clauis Regia *loco cit. num.* 22. Bonacina *de reſtitut. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct. vlt.* §. 2. *num.* 9. Couarruuias *reg. Peccatum* 2. *p.* §. 6. *n.* 4. & alij communiter. Eman. Sà. Clau. Reg. Bonacina. Couar.

12. Qui initio bonâ fide & poſtea malâ poſſedit, ſi mala fides ſuperueniat, mutatis perſonis, vt quia defunctus habuit bonam & hæres malam, conſtat iudicari hunc hæredem inſtar malæ fidei poſſeſſoris, & inſtar illius teneri omnes fructus reſtituere. Quia cùm de ſolis fructibus ab eo quæſitis agatur, ſola ſuæ perſonæ fides ſpectanda eſt, vbi habetur expreſsè *in l. Quæſitum eſt, ff. de acquirend. rerum domin.*

Dubium tamen eſt, quando idemmet habuit initio bonam fidem, & poſtea malam, puta, ſi poſſeſſor initio exiſtimans rem eſſe ſuam, norit poſtea eſſe alienam; vel quando ſola ficta præſumptione iuris ſuperuenit, qualis eſt per litis conteſtationem? Reſpondeò omiſſis ſuper hoc variis ſententiis, ſpectanda ſingula momenta, ac proinde circa fructus perceptos, ac conſumptos tempore bonæ fidei iudicandum eſſe prorſus eodem modo, quo de poſſeſſore bonæ fidei: circa conſumptos autem tempore malæ fidei, ſicut de poſſeſſore malæ fidei. Quod probatur ex *cap. ſi virgo* 34. *quæſt.* 2. ibi: *Tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum; cum verò ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit: tunc mala fidei poſſeſſor probibetur: tunc injè iniuſtus poſſeſſor vocabitur.* Ex D. Auguſtino in libro de fide & operibus. Probatur etiam ex *l. qui bona fide, ff. de acquirend. rerum domin.* Et huius ſententiæ ſunt pro foro conſcientiæ Rebellus *de obligat iuſtit. part.* 1. *lib.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 9. *fine.* Clauis Regia *lib.* 10. *tr.* 2 *cap.* 2. *num.* 2. *verſ. Ratio eſt*, Petrus Nauarra *lib.* 3. *de reſtit. cap.* 4. *in noua edit. part.* 3. *dub.* 1. *n.* 144. & alij quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 23. *num.* 152. D. Auguſt. Rebellus. Clau. Reg. P. Nauarra. Sanchez.

13. Quando autem poſſeſſor eſt à principio malæ fidei, & poſtea bonæ: & hoc contingit in diuerſis perſonis, vt quia defunctus malâ fide poſſedit, hæres autem bonâ: tunc hic hæres non facit fructus ſuos, vt conſtat ex *l. cùm hæres, ff. de diuerſ. & temporal. præſcript.* modò ſit vniuerſalis: qui cenſetur eadem perſona cum defuncto. Secus autem de ſucceſſore ſingulari, qui non capit rem illam hæreditate. Ita Menochius *de recuperand. poſſeſſ. remed.* 15. *num.* 617. & 622. Cæterum hæres hic bona fide poſſidens, licet non conſequatur effectus poſſeſſionis bonæ fidei, conceſſos ſolo iure ciuili: at obtinebit indubitanter effectum iure naturali conceſſum poſſeſſori bonæ fidei, nempe, vt nec ex re, nec ex eius fructibus bona fide conſumptis teneatur reſtituere, niſi quatenus ditior euaſit. Vnde hæres latronis poſſidens bona fide, cenſendus eſt inſtar poſſeſſoris bonæ fidei, vt bene Sanchez *loco cit. num.* 155. Menoch. Sanchez.

14. Quidam ſuſtinent fructus triennio præſcribi, quos poſſeſſor bonæ fidei conſumpſit ante lapſum triennium, ita vt eo tranſacto poſſeſſor ille liberetur omninò reſtituendi vinculo: quia in hoc caſu actio perſonalis ſuccedit loco rei vendicationis, quæ competeret aduerſus eos fructus, ſi adhuc extarent: vnde ſicut hæc tolleretur triennio, ita & illa. Ita Sanchez *loco citato num.* 92. & alij apud ipſum probabiliter. Sed probabilius eſt tunc non præſcribi. Ratio eſt, tum quia ad præſcriptionem exigitur triennalis poſſeſſio, in hoc autem caſu non adeſt triennalis poſſeſſio, cùm fructus fuerint conſumpti Sanchez.

Digitized by Google

ſumpti antè triennium elapſum. Tum quia poſſeſſor bonæ fidei pro fructibus conſumptis tenetur ad reſtitutionem actione perſonalis conditionis, ad præſcribendum autem actionem perſonalem, requiritur ſpatium triginta annorum. Ita Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 3. num. 7. concluſ. 4.* Menochius *de recuperand. poſſeſſ. remedio 15. num. 589.* Bonacina *de reſtitut. diſp. 1. queſt. 3. punct. vlt. §. 1. num. 12.* & alij.

Couar. Menoch. Bonacina.

Vide v. Dos *num. 7.* Emptio *num. 28.* Feudum *num. 12.* Fides 2. *num. 11.* Horæ Canonicæ 1. *n. 8.* Miſſa 2. *num. 9. 10. 11.* Mutuum *num. 22. 23. 25.* Pignus *num. 3. 4. & 9.* Reſtitutio *num. 6. 9. 10.* Reſtitutio in integ. *num. 14.* Suſpenſio *num. 8.*

FVRTVM.

SVMMARIVM.

1 *Furtum vnde deriuetur.*

2 *An furtum dicatur ablatio filij, aut filiæ, vel vxoris alienæ, vt in ſeruitutem redigantur? Et quid ſi ad libidinem ablatio fiat.*

3 *Variæ ſpecies furti generaliter accepti enumerantur.*

4 *Rapina trifariam ſumi poteſt. Et quæ peccata ad rapinam pertineant.*

5 *An furtum grauius ſit peccatum, quàm fornicatio? Et an rapina maius peccatum ſit, quàm furtum, & ſpecie differat.*

6 *An furtum reipſa minimæ ex affectu nocendi proximo, aut ex cupiditate poſſidendi rem alienam, ſit mortale.*

7 *An peccet mortaliter, qui habet animum furandi, nihil cogitans de notabili, aut paruo?* Refertur duplex ſententia.

8 *In quibus caſibus furtum ex obiecto ſuo veniale, fiat mortale.*

9 *An qualibet quantitas, quæ ſufficit ad peccatum mortale furti, ſit ſufficiens, ad fulminandam licitè & validè pro eo excommunicationem.*

10 *An qui furatus eſt leuem materiam ligetur excommunicatione lata contra fures.*

11 *Qui furatus eſt acum à ſartore, ob cuius ablationem ſartor paſſus eſt notabile damnum, an afficiatur excommunicatione lata contra fures.*

12 *An cuique liceat Chriſtianos ſeruos in captiuitate detentos ab infidelibus furari.*

13 *An à peccato rapinæ excuſetur, qui per vim & coactionem rem ſuam ab altero aufert, quando eam iuridicè recuperare non potuit.*

14 *An liceat Chriſtianis furripere res Turcarum & Saracenorum.*

15 *An bona ſpoliari poſſint Pagani, qui nec de iure, nec de facto ſubiecti ſunt quoad iuriſdictionem temporalem Principibus Chriſtianis.*

16 *An infideles ſubditos Principibus Chriſtianis de facto & de iure, poſſit Princeps eorum bonis & vita priuare propter delicta, vel ob commune bonum.*

17 *An qui furatur rem ſacram ex loco ſacro teneatur in Confeſſione vtramque circumſtantiam explicare?* Refertur duplex ſententia.

18 *An licitum ſit occidere fures pro vno inſigni furto vel pluribus repetitis.*

19 *Quando ſartores poſſint ſibi retinere fragmenta, quæ ſuperſunt.*

1. FVrtum quidam putant deriuari à furuo, hoc eſt fuſco, ſeu nigro ob obſcuritatem, quia fures tenebras quærunt, vt furentur. Sed verius eſt furtum à ferendo, id eſt ab auferendo deduci, quia fur aufert ab alio, & ſibi affert, quod fit, contrectando rem alienam, eámque ferendo de loco ad locum. Hinc dicitur furtim fieri, quod occultè ac doloſè fit, quia furta clam fiunt & plerumque in nocte, vt furtiuæ litteræ, furtiua ſcripta, quæ obſcuris litteris ſcribuntur, quas nemo niſi ſcriptor legere poteſt. Et furtiuæ excurſiones, pro clandeſtinis. Inde aduerbium, furtim, id eſt, latenter, clam.

2. Cùm furtum communiter definiatur, *ablatio occulta rei alienæ domino rationabiliter inuito*, Hinc ablatio filij, aut filiæ, vel vxoris alienæ, vt in ſeruitutem redigantur, eſt verè & propriè furtum. Probatur, quia parentes priuantur vſibus licitis filij vel filiæ, & maritus vxoris, ad quos ius quoddam habebant, & perſonæ raptæ priuantur libertate ſua. Si quis tamen vel vxorem, vel filiam alienam auferret ad iis carnaliter vtendum, alterius ſpeciei peccatum committeret, nam ſi hoc fiat ipſis reclamantibus, erit raptus: ſi verò eis conſentientibus, eſt luxuria ſtupri, aut adulterij, aut ſimplicis fornicationis, iuxta qualitatem, tam perſonæ extrahentis, quàm extractæ.

3. Variæ recenſentur communiter à Doctoribus ſpecies furti generaliter accepti, *Prima* dicitur ſimplex furtum, cùm videlicet priuato alicui auferitur quidpiam iniuſtè & occultè. *Secunda* eſt Peculatus, quo ex bonis publicis aliquid furripitur. *Tertia*, vocatur Plagiatus, quando quis hominem ſiue liberum, ſiue ſeruum abducit, vel aliter furripit. *Quarta* eſt ſacrilegium, quo quis rem ſacram, aut aliquid ex loco ſacro furatur: quod ſex modis poteſt accidere. *Primò*, accipiendo rem ſacram ex loco ſacro. *Secundò*, accipiendo rem ſacram ex loco non ſacro. *Tertiò*, accipiendo rem non ſacram ex loco ſacro. *Quartò*, conuertendo res ſacras in vſus prophanos. *Quintò*, quando Religioſus contra votum clam vſurpat, aut detinet aliquid communium bonorum. *Sextò*, quando rem ſpiritualem, aut ſpirituali annexam pretio ſubiicit, & hoc peccatum ſimonia dicitur. *Quinta* furti ſpecies eſt, abigeatus, quo quis abducit & furatur pecora: hoc crimen legibus ciuilibus peculiariter punitur. *Sexta* ſpecies eſt rapina, de qua numero ſequenti.

4. Rapina trifariam ſumi poteſt, vno modo latiſſimè pro vſurpatione eius, quod ſibi non debetur, ſicut ſumpſit Apoſtolus ad Philipp. 2. *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Secundo modo ſumitur, provt comprehendit furtum, ac quamcumque iniuſtam acceptionem. Et in hac ſignificatione accepit nomen rapinæ D. Ambroſ. de bono mortis. *Si quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Tertiò ſumitur propriè, provt diſtinguitur contra furtum, & ſic dicitur, Rapina *eſt iniuſta ablatio rei alienæ manifeſta & violenta.* Vnde ad rapinam pertinent. *Primò*, latrocinium, id eſt ea rapina quam faciunt viarum obſeſſores viatores ſpoliando. *Secundò*, defraudatio mercedis operariorum vel in longum protractio. *Tertiò*, vectigalium, ſeu tributorum iuſtorum fraudatio. *Quartò*, in rapacitatis crimine includuntur iudices, qui iudicia pretio venalia habent, & muneribus deliniti cauſas inopum euertunt, vel in tempus longum producunt, vt pauperes fatigati & exhauſti, tantum cedant. *Quintò*, qui ſuos creditores defraudant, foro cedunt, vel cùm poſſint ſoluere, contra voluntatem creditorum, ſolutionem differunt. *Sextò*, fœneratores, qui ſuis rapinis miſeram plebem acerrimè trucidant. *Septimò*, raptores ſunt, qui in frugum inopia comprimunt frumentum, cupiúntque vt ſua culpa carior ac durior ſit annona. Quod etiam valet in rebus omnibus

omnibus ad victum neceſſariis. Notandum autem eſt hic quod violentia duplex ſit, vna abſoluta, quæ fit alio omninò inuito & diſſentiente: altera ſecundùm quid, ſeu conditionata, quæ accidit quando quis per vim & metum conſentit. Ad rapinam non requiritur violentia primo modo accepta, ſed ſufficit ſecundo modo, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 4. & alij communiter. D. Thom.

5. Furtum non eſt peccatum grauius fornicatione. Ratio eſt, quia fornicatio infert damnum homini naſcituro, qui eo ipſo, quod per fornicationem procreatur, ſolet vt plurimum malè educari, & ideò eſt grauius peccatum furto, quod ſolùm infert damnum in bonis temporalibus. Ita D. Thomas 2. 2. quæſt. 154 art. 3. communiter receptus. Interdum tamen in particulari & in indiuiduo dari poteſt aliquod furtum grauius fornicatione, ratione quantitatis furti, aut alicuius alterius circumſtantiæ, vt furari, v. g. mille aureos grauius peccatum eſſe poteſt, & eſt communiter, quàm accedere ad ſolutam, & furari rem ſacram grauius eſſe poteſt, quàm ſimplex aliqua fornicatio, vt bene docet Clauis Regia lib. 9. cap. 15. num. 30. D. Thom. Clau. Reg

Rapina etiam eſt maius peccatum quàm furtum. Ratio eſt, tum quia rapina non ſolùm infert detrimentum proximo in rebus ſuis, ſed etiam per violentiam iniuria afficit perſonam, cui aufertur res, ergo rapina eſt maius peccatum, quàm furtum. Tum quia violentia quæ reperitur in rapina directiùs contrariatur voluntati, quàm ignorantia, quæ inuenitur in furto, ergo, &c. Hinc deducitur, quod qui rapinam commiſit, non ſufficienter explicat in Confeſſione ſi ſe accuſet, quod hoc, aut illud fuerit furatus, ſed rapinam debet exprimere. Et qui actualiter furando, ſic erat animo affectus, vt quod occultè auferebat, fuiſſet violenter ablaturus, etiamſi dominus contradixiſſet, nouam ſpeciem peccati commiſit, quam neceſſe eſt etiam exprimere in Confeſſione. Notent confeſſarij, quia de his rariſſimè apud pœnitentes ſuos inquirunt. Ita D. Thomas 2. 2. q. 66. artic. 4. Syluius ibidem, & alij communiter: vnde vltra reſtitutionem rei per vim ſurreptæ facienda eſt diſtincta, ac propria ſatisfactio pro iniuria, violentia, & contemptu illato proximo, vt rectè docet D. Thomas. loco cit. art. 9. D Thom. Syluius. D. Thom.

6. Quidam tenent quodcumque furtum etiam rei minimæ, modò ex affectu nocendi proximo, aut ex cupiditate poſſidendi rem alienam fiat, eſſe peccatum mortale: ex quo inferunt nullum furtum ex ſola lenitate materiæ, ſed ſolùm ex defectu deliberationis vel iudicij idonei ad peccandum mortaliter poſſe fieri veniale. Et hanc opinionem dicunt eſſe D. Thomæ 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3. vbi docet *Si habeat animum furandi & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis poteſt eſſe peccatum mortale.* Communis tamen & vera ſententia aliorum, tum Theologorum, tum Canoniſtarum eſt, furtum rei paruæ, etiamſi ex affectu nocendi, aut rei alienæ cupiditate id fiat, dummodo ea cupiditas, animuſque nocendi ad materiam notabilem non ſe extendat, non eſſe peccatum mortale. Ratio eſt, quia cùm nocumentum in minimis, neque vocetur, neque æſtimetur nocumentum ſimpliciter & abſolutè, ſed tantùm ſecundùm quid, ideò qui habet animum inferendi nocumentum, uidelicet abſolutè & ſimpliciter, intelligi debet de nocumento notabili. Tum quia in omni materia præceptorum iuſtitiæ, modicitas rei excuſat à mortali etiam in ipſa corporis & famæ læſione, quæ maior eſt, quàm pecuniæ, vt omnes Doctores tradunt: ergo & in furto ſola modicitas materiæ eſt ſufficiens ad conſtituendum peccatũ veniale. Quod ad D. Thomam attinet, certum eſt eum non ſentire prout contraria ſententia arbitratur, vt patet ex iis, quæ in eadem reſponſione dicit, *illud quod modicum eſt, ratio apprehendit, quaſi nihil: & ideò in his quæ minima ſunt, homo non reputat ſibi nocumentum inferri. Et ille qui accipit, poteſt præſumere non eſſe contra voluntatem eius cuius eſt res. Et pro tanto, ſi quis furtiue huiuſmodi res minimas accipiat, poteſt excuſari à peccato mortali.* Quapropter ſenſus verborum huius reſponſionis D. Thomæ eſt, vt rectè notant Caietanus & Syluius *ibi*. Quod ſi quis haberet animum furandi multum & inferendi proximo nocumentum notabile; etiamſi de facto ſolùm auferret rem minimam, peccaturum mortaliter propter illam prauam voluntatem; ſicut & ſine vlla cuiuſpiam rei ablatione, crimen furti, vel quoduis aliud peccatum, ſolo conſenſu poteſt committi, & eiuſdem ſpeciei malitiæ ſunt voluntas faciendi peccatum, & ipſum factum. Caietan. Syluius.

7. Qui habet animum furandi nihil cogitans de notabili, aut paruo, niſi limitetur ad rem minimam, peccatum mortale committit. Ita videntur ſentire Caietanus 2. 2. q. 66. artic. 6. ad 3. Arragon ibidem. Contrarium aſtruit Petrus Nauarra lib. 3. de reſtitut. num. 40. ſcilicet nunquam in indiuiduo dari furtum aliquod in quo fur non habet voluntatem ſaltem tacitè accipiendi modicum vel magnum. Ratio eſt, quia cum quis ſe applicat ad furandum, vel ſolùm intendit rem minimam accipere, & tunc ſolùm erit veniale, vel ita furatur minimam, vt paratus ſit & optet multum furari, ſi detur occaſio, & ſic erit mortale, nec fingi poteſt alius caſus in quo quis habet animum furandi abſolutè. Et hæc opinio eſt ſequenda. Caietan. Arragon. P. Nauarra.

8. Furtum ex obiecto ſuo leue & veniale in multis caſibus efficitur mortale. *Primus eſt*, intentio furti notabilis, vt cùm quis accedit animo furandi notabilem quantitatem, ſed quia paruam inuenit, paruam furatur: hic peccat mortaliter non ratione furti, quia exiguum eſt, ſed ratione animi, quem habet accipiendi maiora. *Secundus eſt*, paupertas & indigentia Domini rei acceptæ: vnde qui furripit vnum panem mendico amplius non habenti pro ſuo victu illa die, peccat mortaliter, quia licet vnus panis per ſe ſumptus nullius momenti ſit, tamen reſpectu ſpoliati, quia ei victum vnius diei aufert, eſt quantitas notabilis. *Tertius eſt*, magna vtilitas, quam ex re furto ablata reportare ſolebat dominus ipſius, & damnum notabile, quod ob eius iacturam recipit, vt diximus *num. 1. verb. Furtum 1. num. 4. & 5.* Et tunc tenetur fur non tantùm rem furto ablatam, verùm etiam lucrum ceſſans & damnum emergens reſtituere: quia, vt diximus aliàs, licet ex obiecto res exiguà ſit, tamen ratione damni, quod ex eius ablatione ſequitur, eſt materia grauis. Tale furtum eſt, ſurreptio ſubulæ à ſutore, acus à ſartore, vel calami à ſcriba, propter quam, & quia alium non habet, deſinit in arte ſua victum quotidianum pro ſe & familia ſua lucrari. Quod tamen intelligendum eſt, quando ita inutilis effectus eſſet ex tali ablatione, vt alteri arti, vel negotio dare operam non poſſet, quia ſi potuit, tantùm diminuendum erit de æſtimatione lucri ceſſantis, quantùm in alia arte lucrari potuiſſet. Excuſaretur autem talis fur à peccato mortali & à reſtitutione damni, ſi bona fide crediderit alia inſtrumenta eum habere, quia tunc non fuit cauſa iniuſta damni: vt rectè annotarunt Molina *tom. 3. de iuſtit. diſp. 685.* Rebellus *de obligat. iuſtit. lib. 3. quæſt. 15. ſect. 11.* & alij. Molina. Rebellus.

Quartus eſt, rationabilis & iuſtus affectus, quem dominus habet ad rem ſubreptam: quia ſunt aliquæ res

res paruæ & nullius valoris, quas tamen dominus multum æſtimat ob iuſtam aliquam cauſam, & ſic eas furari cognito illo iuſto affectu domini, eſt peccatum mortale; ſecus ſi bona fide fur credebat domino nullam, aut leuiſſimam moleſtiam allaturum, acceptione illius rei paruæ tunc non erit mortale, vt docent Nauarrus *in Man. cap. 17. num. 2.* Molina *cit. diſp. 685.* Quintus eſt, notabilis violentia, ratione cuius furtum rei paruæ efficitur mortale. Vnde non ſatis eſt reſtituere rem furto ablatam, ſed etiam compenſari debet violentiæ iniuria. Ita communis ſententia, apud Fauſtum *in ſpeculo diſp. 2. q. 19. num. 8.*

Nauarrus. Molina. Fauſtus.

9. Quantitas quæ ſufficit ad furtum mortale, non eſt ſufficiens ad licitè fulminandam excommunicationem. Cùm enim excommunicatio ſit pœna ſpiritualis, eaque grauiſſima, non debet infligi niſi propter graue peccatum. Vnde Concilium Tridentinum *ſeſſione 25. cap. 3. de reformat.* ſtatuit vt pro rebus ſubſtractis à nemine prorſus præterquam ab Epiſcopo decernatur. *Et tunc non aliàs quàm ex re non vulgari; cauſaque diligenter ac magna maturitate per Epiſcoporum examinata, quæ eius animum moueat.* Vnde Epiſcopus qui pro rebus minimis concedit tales excommunicationes peccat mortaliter: quia facit contra grauiſſimum præceptum Tridentini. Tum quia furtum duorum, aut trium florenorum in foro fori, ſeu ſæculari vix puniretur pœna flagellorum, ergo indecens eſt, vt in foro Eccleſiaſtico pro eo excommunicatio feratur. Dixi, *ad licitè*, quia ſi Epiſcopus tales excommunicationes concedat, erunt validæ; quia neque Concilium Tridentinum, neque aliquod aliud ſtatutum Canonicum decernit, quòd eiuſmodi excommunicationes ſint irritæ. Ita Sayrus *de cenſur. lib. 1. cap. 9. num. 33.* Bañez *ſecunda ſecundæ. quæſt. 66. artic. 6.* Syluius *ibidem, quæſt. 2.* Nomine autem Epiſcopi comprehenditur etiam generalis eius Vicarius: quia habet generale mandatum, ac eandem Epiſcopi poteſtatem in iuriſdictionalibus, vt cenſuit ſacra Congregatio Eminentiſſ. D D. Cardinal. anno 1585. & teſtatur Gutierrez *lib. 1. Canon. quæſt. cap. 11.*

Conc. Trid. Sayrus. Bañez. Syluius. Sac. Congr. Gutierrez.

10. Ille qui furatus eſt leuem materiam, non ligatur excommunicatione lata contra fures. Ratio eſt, quia excommunicatio cùm ſit pœna grauis, ſupponit mortale peccatum. Si tamen hic commiſerit furtum cum aliis, quorum ſinguli abſtulerint rem leuem, quæ ſimul ſumpta conſtituat materiam grauem, tunc excommunicationem incurrit, eo quòd particeps fuerit mortalis peccati, & furti grauis. Similiter qui detinet rem alienam leuem ſubiacet excommunicationi generaliter latæ contra iniuſtos detentores, niſi reſtituat rem ablatam, poſtquam cognouit aliam rem ab eodem ab aliis ablatam eſſe, quæ ſimul ſumpta cum aliis conſtituit materiam notabilem & graue nocumentum alteri inferri. Ratio eſt, quia peccat mortaliter detinendo, & eſt cauſa iniuſta grauis damni. Cenſura autem incurritur ob mortalem aliquam detentionem, & ob graue damnum, quod alteri infertur detinendo. Et hoc ſit dictum ſecundùm ſententiam quæ aſſerit, eum, qui materiam leuem vni aufert, ſed neſciens eidem ablatam fuiſſe aliam materiam etiam leuem, poſtquam aduertit notabile damnum alteri inferendum eſſe ex illis minutis furtis, mortiferè peccare & ad reſtitutionem ſuæ partis teneri, vt diximus *tom: 1. v. Furtum 1. n. 9. edit. 3.* cum DD. ibi citatis.

11. Qui furatus eſt à ſartore acum, ob cuius ablationem ſartor paſſus eſt notabile damnum, non afficitur excommunicatione lata contra fures. Ratio eſt, quia excommunicatio in eo caſu ſolùm fertur pro furto, ſed non quodcumque damnum illatum habet rationem furti, ſed illud tantùm quod inuoluit occultam acceptionem rei alienæ notabilis inuito domino. Sed qui abſtulit acum ſartori non commiſit peccatum mortale furti, eo quòd abſtulerit rem exigui momenti, quamuis fuerit cauſa notabilis damni, ſeu lucri ceſſantis, & ex hoc capite mortaliter peccauerit ratione iniuſtæ damnificationis, non verò ratione furti, vt ſic. Vnde in noſtro caſu illatio damni, non eſt furtum, ſed iniuſtitia, atque ex conſequenti excommunicatio lata contra furantes, non comprehendit tales damnificantes, ſicut non comprehendit vſurarios, aut alios debitores, qui iniuſtè differunt ſatisfacere creditoribus: non enim appellantur fures, ſed potiùs iniuſti damnificatores. Si tamen cenſura hæc generaliter feratur contra iniuſtos detentores, aut damnificatores, talis qui ſurripuit acum ſartori cum graui ipſius damno, ſine dubio ligabitur excommunicatione, niſi quamprimùm poteſt, reſtituat; cùm peccet mortaliter detinendo & non reſtituendo ob damnum alteri iniuſtè illatum. Ita Arragon 2.2. *quæſt. 66. art. 6. dub. 4.* Fauſtus *in ſpeculo confeſſar. diſp. 2. quæſt. 27.* Suarez *de cenſur. diſp. 4. ſect. 6. num. 12.* Nauarrus *cap. 17. num. 4.* & alij.

Arragon. Fauſtus. Suarez. Nauarrus.

12. Licitum eſt cuique Chriſtianos ſeruos in captiuitate detentos ab infidelibus furari, & ad libertatem illorum adiuuare, ſiue occultè, ſiue manifeſtè per vim. Probatur, quia tales cùm ſint iniuſtè oppreſſi in libertate, habent iuſtum bellum contra dominos infideles, ergo vnicuique fas eſt, eos adiuuare, vt ſuam libertatem recuperent: nec oportet publicam auctoritatem aliter hic quærere, quàm quod vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt. 66. art. 8.* Arragon *ibidem*, Couarruuias *in reg. peccatum, part. 2. §. 11. num. 6.* Hanc ſententiam admittit etiam Nauarrus *in Man. cap. 17. num. 103.* tempore belli. Si verò eſt tempus treugæ dicit talem peccare cum obligatione reſtituendi infidelibus non hominem propter periculum animæ, ſed eius valorem. Alij verò indiſtinctè loquuntur, nulla facta mentione temporis belli, aut pacis.

Caietan. Couar. Arragon. Nauarrus.

13. Qui rem ſuam per vim & coactionem aufert ab altero, cùm aliter, ſeu iuridicè eam recuperare non potuit, à peccato rapinæ excuſatur. Ratio eſt, quia in tali caſu, non iniquè ſuum accipit, cùm alia via habere non potuerit: qui verò alia via, id eſt, iuridicè, citra vim res accipere potuit, per vim tamen eam recuperat, peccat quidem grauiter peccato vſurpati iudicij, cùm iniquè ſibi iudicis officium vſurpet, rapinam tamen non committit, nec tenetur ad rei ablatæ reſtitutionem, quia alienum non rapuit, ſed ſuum. Similiter Princeps, aut poteſtas publica accipiens etiam per vim rem ciuium ſuorum, aut exterorum iuxta leges iuſtitiæ, rapinam non committit, quia coactio, aut vis iniqua non eſt: ſicut iniuſtitiam non committit ſi in bello iuſto contra hoſtes pugnando, ſiue confiſcatione puniendo malefactores, aut etiam iuſta vectigalium impoſitione bona aliorum per violentiam accipiat. Secus ſi aliquid horum contra iuſtitiam fiat, tunc enim non ſolùm erit rapina, ſed etiam ablatum reſtitutioni obnoxium erit, vt ex communi docent D. Thomas 2. 2. *q. 66. art. 8.* Syluius, Salon, Arragon *ibidem.*

D. Thom. Syluius. Salon. Arragon.

14. Probabile eſt præceptum Decalogi ſeptimum, *Non furtum facies*, non habere locum in Chriſtianis ſurripientibus res ab infidelibus ex conſenſu Principum Chriſtianorum. Ratio eſt, quia quidquid poſſidet Turcæ, ſunt bona Chriſtianorum tyrannicè vſurpata, & ideò omnis Chriſtianus tanquam membrum Eccleſiæ poteſt ea in Eccleſiam deferre. Tum quia

cum Turcarum bellum aduersus nos ex eorum parte sit iniustum, licet iis, qui apud illos captiui iniustè detinentur, in recompensationem iniuriarum & damnorum, quæ acceperunt, nec non obsequiorum, quæ illis exhibuerunt, accipere non solùm ab his, à quibus iniuria sunt affecti, competentem compensationem damnorum & iniuriarum, sed etiam ab aliis iure belli accipere quæcumque voluerint ex præsumpta nostrorum Principum voluntate, quia perpetuò nostris cum illis bellum est: Hæc tamen intelligenda sunt: *Primò*, quando infideles de iure subduntur Christianis Principibus, sed non de facto; quales sunt illi, qui vi occupant terras, quæ aliquando fuerunt Christianorum, vt Afri, Sarraceni & Turcæ totam Græciam & alias terras & Prouincias iniquè & tyrannicè occupant. *Secundò*, vt actio illa sumendi bona Turcarum non sit annexa cum aliquo scandalo, vel cum damno aliorum Christianorum, vel mendacio; conscientia erronea, vel fractione fidelitatis, ad quam tenentur qui sub fide regia ibi adsunt, aut negotiantur. In quibus casibus Christiani furantes bona Turcarum peccarent, & si cum Turcis haberent fœdus, vel saluum conductum, tenerentur ad restitutionem; quia tunc non potest præsumi consensus Principum Christianorum. In aliis autem casibus multi excusant illos à restitutione, non tamen à peccato; quia restituendo augerent vires hostibus Ecclesiæ, & præsumitur consensus & licentia Principum Christianorum quoad substantiam, si non quoad modum. De his vide Lublinum *in Summ. verb. Seruus, num.* 1. Caietanum 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 8. Molinam *tract.* 2. *de iustit. disp.* 37. Dianam *part.* 5. *tract.* 13. *resolut.* 98. Albertinum *in rubric. de hæret. in* 6. *quæst.* 8.

Lublinus. Caietan. Molina. Diana. Albertinus.

15. Infideles, qui nec de iure, nec de facto subiecti sunt secundùm iurisdictionem temporalem Principibus Christianis; quales sunt Pagani, qui nunquam subditi fuerunt Imperio Romano, nec terras Christianorum inhabitant, neque à priuata persona, neque à potestate publica bonis spoliari possunt, nisi vel impedirent Euangelij prædicationem, aut aliorum conuersionem; aut conuersos fideles molestarent, & fideles eò pacificè euntes non admitterent, aut admissos iniuriis lacesserent, vel comederent innocentes, aut sine causa occiderent. Ratio est, quia extra hos casus Principes Christiani nullum habent ius, aut dominium super eos; vnde dicuntur neque de iure, neque de facto subiecti Christianis. Et quamuis priuari bonis possint ob supradicta & iustè bello expugnari, tamen extra casus præfatos non habent Christiani auctoritatem & ius puniendi eos, cùm non sint iudices eorum, & sola infidelitas non est sufficiens causa amittendi dominium bonorum suorum. Ita Caietan. 2. 2. *q.* 66. *artic.* 8. Arragon, Salon *ibidem*, Sotus *de iustit. & iur. lib.* 5. *quæst.* 3. *art.* 5. *in fine*, Victoria *in relect. de Indis*, & alij.

Caietan. Arragon. Salon. Sotus Victoria.

16. Infideles, qui sunt subditi Principibus Christianis de facto & de iure; vt Iudæos in Italia & in Germania, Hæreticos, vel Mauros, qui in terris Catholicorum degunt, potest Princeps bonis, imò etiam & vita priuare, vel propter delicta eorum, vel ob commune bonum, sicut & alios quoscumque sibi subditos. Ratio est, quia non minùs subiecti sunt, quàm alij ciues, nec propter infidelitatem melioris conditionis esse debent. Ita ex communi Clauis Regia *lib.* 9. *cap.* 14. *num.* 27.

Clauis Reg.

17. Qui furatur rem sacram ex loco sacro, iuxta probabiliorem sententiam, tenetur in Confessione vtramque circumstantiam explicare; quia sacrilegium communiter distinguitur specie erga rem sacram, ac erga locum sacrum, sicut & erga personam sacram. Ita Lugo *de pœnitent. disputatione* 6. *num.* 471. Diana *part.* 8. *tract.* 7. *resolut.* 76. & alij. Quamuis non sit improbabilis sententia asserens pœnitentem satisfacere dicendo se furatum fuisse rem sacram, licet non exprimat de loco sacro; quia vtraque illa circumstantia ad eandem rationem formalem virtutis Religionis spectat, & ille concursus rei sacræ & loci sacri, nec multum variat iudicium confessarij, nec notabiliter sacrilegium aggrauat. Hanc sustinet Fagundez *de præcept. Eccles. præcept.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 21. *in fine.*

Lugo. Diana. Fagund.

18. Iuxta communem & vsu receptam opinionem licitum est occidere fures pro vno insigni furto, vel pluribus repetitis, vt constat ex *l. Sed nouo iure, Cod de seruis fugitiuis.* Ratio est, quia lex aliqua iustè statui potest, vt interficiantur perturbatores Reipublicæ & pacis inter subditos: Sed multiplicantes furta, aut committentes furtum insigne, Rempublicam conturbant, & bono communi admodum pernicioſi sunt: Ergo iustè pro conseruatione boni communis ferun tur leges, quibus fures suspendantur. Sed quia tota ratio, cur fures punire & etiam suspendere liceat, est bonum commune & damnum proximo illatum, consequenter non nisi cum magna prudentia & maturitate in hac re procedendum erit. Hinc oportet iudices moderatè procedere, legúmque rigorem pro delicti & personæ qualitate nonnumquam temperare. Ob hanc rationem in locis aliquibus furta mediocria primâ vice verberibus, secundâ verò aurium perforatione, aut manuum, aut stigmatis adustione, tertiâ autem vel si sit insigne furtum, morte ipsâ puniuntur. Seruandæ sunt in hac re leges & consuetudines loci & Prouinciæ, & cum prudentia & maturitate executioni mandandæ: quia pro varietate temporum & locorum, variæ leges, crescente hominum malitiâ, in diuersis locis & Prouinciis, contra fures latæ sunt, variáque statuta & excogitata supplicia.

19. Quando sartoribus minus soluitur, quàm merentur facturæ, vt communiter fit, probabile est, illos posse sibi compensare & satisfacere fragmentis, quæ supersunt, & licitum est ea emere à sartoribus Magistris, non verò à famulis; quia hi pactum inierunt cum Magistro sub certa quantitate mercedis, & hic illis in integrum soluit, siue in integrum soluatur Magistro, vel non. Ita Sanchez *in opuscul. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 3. *num.* 4. qui dicit ita sibi respondisse quendam satis doctum recentiorem à se consultum. Dianæ autem *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 176. magis placet opinio Villalobos negatiuam sententiam sustinentis; tamen si aliqui sartores, vel confessarij opinionem Sanchez sequi vellent, eos non damnaret, nec ego.

Sanchez. Diana. Villalobos.

Vide v. Actio *num.* 7. *& sequent.* Immunitas Ecclesiarum *num.* 9. Reliquiæ Sanctorum *n.* 18. Restitutio *num.* 7. 8. 9. *& seq.* Sacrilegium *num.* 4.

G.

GABELLA.

SVMMARIVM.

1 *An ex dissolutione contractus venditionis & emptionis debeatur duplex gabella.*

2 *An, soluenda sit gabella Principibus infidelibus à Christianis transeuntibus per terras eorum.*

3 *An gabellam teneantur soluere deprehensi in fraude, si pœnam luant.*

4 *Quæ*

4 *Quæ ſint iuſtæ cauſæ imponendi gabellas.*
5 *Quæ forma ſeruanda in impoſitione gabellarum.*
6 *An peccent mortaliter & teneantur ad reſtitutionem Comites, Barones, Duces, &c. qui gabellas imponunt.*
7 *An conſuetudo poſſit alicui conferre ius imponendi gabellas.*
8 *An qui merces tranſfert, ex quibus gabellam debet, teneatur quantitatem mercium ſignificare, vbi publicanus relinquit conſcientiæ eius.*
9 *An peccet mortaliter Princeps gabellam imponens, haſitanſve an cauſa ſit iuſta? Et quid iuris de exactore. ſimiliter haſitante.*
10 *An poſſit Princeps ceſſante cauſâ in ſpecie vel in genere gabellæ, eam exigere titulo præſcriptionis.*
11 *Princeps exigens pedagia pro tutandis viis, quibus merito tranſeruntur, & non defendit, an teneatur de damnis? Et an viatores defraudantes pedagia peccent.*
12 *An exteri fraudantes gabellas peccent.*
13 *An actor mercatoris, qui tranſigit cum gabellario, poſſit ſibi retinere pretij exceſſum, quem ſoluiſſet, ſi non tranſegiſſet.*
14 *An poſita iuſta cauſa poſſit Princeps per vim & metum nouum tributum à ſubditis extorquere.*
15 *An peccent mortaliter & teneantur ad reſtitutionem qui abſque iuſta cauſa boni publici nouas gabellas imponunt.*
16 *Quid de illis, qui gabellas iuſtè inſtitutas, ceſſantibus neceſſitatibus, abſque iuſta cauſa in multos annos producunt.*
17 *Quomodo peccent Senatus, Magiſtratus & alij, quorum conſilio gabellæ & tributa imponuntur.*
18 *An mortaliter peccent, qui cum violentia, damnificatione & iniuria pauperum, gabellas exigunt, cùm non ſint ſoluendo.*
19 *De peccatis illorum, qui gabellas pro cauſa neceſſitatis publicæ exactas, in priuatos vſus, vel in largitiones prodigas, &c. expendunt & diſtrahunt.*

1. QVando diſſoluitur contractus venditionis & emptionis ex mutuo contrahentium diſſenſu, non debetur duplex gabella, vna ex prima emptione, altera ex diſſolutione: quia non cenſetur noua venditio diſſolutio prioris ante traditionem rei factam vel pretij. Imò ſi contractus incontinenti diſſoluatur antequam contrahentes ad alia diuertant, gabella non debetur: reputatur enim ac ſi non fuiſſet celebratus contractus. Si verò diſſoluatur ex interuallo, debetur gabella: quia iam eſt acquiſitum ius plenè ac perfectè fiſco ex emptione facta, nec poteſt tolli per diſſolutionem deinde celebratam; ea enim poteſt quidem præiudicare ipſis contrahentibus, ſed non tertio, qui comparauit ius ex contractu, qui diſſoluitur. Ita ex communi Gomez *tom. 2. variar. cap. 2. n. 31.* Molina *tr. 2. de iuſtit. diſp. 373.* Fauſtus *in ſpeculo confeſſar. diſp. 33. q. 39.*

Gomez. Molina. Fauſtus.

2. Gabella, ſeu tributum ſoluendum eſt à Chriſtianis tranſeuntibus, vel negotiantibus per regnum Principis infidelis, qui iuſto titulo poſſidet regnum. Ratio eſt, quia ille eſt verus & legitimus Princeps; quare ab omnibus iure naturæ debetur illi quidquid Principi debitum eſt: ergo ſicut Chriſtiani tranſeuntes per regnum alterius Principis Chriſtiani, debent ibi tributa iuſta ſoluere, ſic etiam debebunt tranſeuntes per regnum legitimi Principis infidelis. Si verò Princeps infidelis iniuſto titulo regnum poſſideat iniuſtè Chriſtianis ablatum, non debentur gabellæ, niſi præcedat pactum de illis ſoluendis. Ratio eſt, quia ille non eſt verus Rex, nec habet titulum; non ergo obligant illius leges, vtpote à poteſtatem non habente conditæ, & per conſequens gabellæ, ſeu tributi lex non obligat Chriſtianos illac tranſeuntes. Si tamen gabellæ tali Principi tyranno negari non poſſent ſine periuriis, ſcandalo, aut mendaciis, debent ſolui. Idem dicendum, ſi Princeps ille infidelis pacem feciſſet cum Rege Chriſtiano, ad quem regnum illud pertineret, ſoluendo ei pro regno tributum annuum: tunc enim iam ex voluntate veri domini, & non tyrannicè regnum poſſideret. Ita Cardinalis Lugo *de iuſtit. tom. 2. diſp. 36. ſect. 1. num. 16.* qui pro hac ſententia adducit Sanchez, Medinam & Cordubam. Quibus adde Filliucium *tract. 28. part. 2. num. 123.* ex parte, & Azorium apud ipſum.

Lugo. Sanchez. Medina. Corduba. Filliucius.

3. Gabellam non tenentur ſoluere deprehenſi in fraude, ſi pœnam ſoluant. Ratio eſt, quia tunc commutatur gabella in pœnam, quæ ſemper multò maior eſſe ſolet gabellâ ſoluendâ: nam ſi incurratur pœna commiſſi, merces omnes, pro quibus ſoluenda eſſet gabella, amittuntur. Si pœna dupli, tripli, vel quadrupli, iam patet multò maiorem eſſe pœnam gabellâ, quæ ſoluenda erat. Si tamen gabellæ procurator fiſcalis etiam exigat gabellam, & ſolâ pœnâ contentus non ſit, tunc velit nolit fraudator ad pœnam & gabellam tenebitur. Ita Azorius *tom. 3. libro quinto, cap. 22. quæſt. 4.* Filliucius *tract. 28. parte ſecunda num. 119.* & alij.

Azorius. Filliucius.

4. Iuſtæ cauſæ imponendi gabellas, vectigalia, ſeu tributa, variæ ſolent numerari, vt pro bello, pro redemptione Domini ab hoſtibus capti, pro conſtruendo ædificio publico, pro reparatione vrbium, pontium, itinerum eorúmque ſecuritate, pro liberatione Reipub. ab aliquo graui onere, pro ſuſtentatione Regis, aut Principis ſecundùm eius ſtatum; omnes tamen reducuntur ad vnam, ſcilicet ad bonum publicum, cuiuſmodi eſt neceſſitas vel vtilitas publica, quæ non poſſit aliter procurari. Publica neceſſitas dicitur etiam neceſſitas Regis; nam hæc quoque vergit in perniciem totius Regni, etiamſi in illam ſua culpa redactus ſit, vt propter ludum, largitiones immoderatas, bella iniuſta, vel quid ſimile. Publica etiam neceſſitas dicitur bellum, quod Rex patiatur in aliis regnis; nam ſi hæc debellantur, periclitabitur quoque noſtrum: quare bonum eſt nobis inimicos noſtris ſumptibus alibi profligari, aut ſaltem detineri, & nos interim pace gaudere, quàm illos domi infenſos habere. Item neceſſitas publica dicitur, ad ſatisfaciendum læſis in bello iniuſto; vt ſi aliqua Reſpublica iniuſtè aliquos damnificaſſet: quia ratio exigit vt Reſpublica quibus damnum intulit, ſatisfaciat. Item, compenſatio iuſta ſumptuum & damnorum acceptorum, & iuſta vindicta. Tale tributum ſolet imponi tum ſubditis, qui iniquè rebellarunt contra ſuum Pricipem, eíque cauſa multorum ſumptuum & damnorum fuerunt, idéque partim titulo iuſtæ punitionis, partim iure reſarciendorum damnorum: tum etiam hoſtibus externis iam deuictis, qui vel damnum intulerunt, vel iniquum bellum mouerunt. De his cauſis vide Malderum *in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 4.* Syluium *2. 2. quæſt. 66. artic. 8. concluſ. 2.* Leſſium *lib. 2. cap. 33. dub. 6.* Fauſtum *in ſpeculo confeſſar. diſp. 33. quæſt. 10. & 11.* Vaſquez *in opuſculis de reſtitut. cap. 6. §. 3. dub. 1.* Dianam *part. 1. tract. 3. reſolut. 2. 3. & 4.* & alios apud ipſos.

Malderus. Syluius. Leſſius. Fauſtus. Vaſquez. Diana.

Digitized by Google

5. Forma ſeruanda in impoſitione gabellarum, vectigalium, ſeu tributorum eſt, vt ſeruetur iuſtitia diſtributiua, hoc eſt, iuſta & æqua proportio, ne vnus magis grauetur, quàm alius, ſed vnuſquiſque iuxta ſuas facultates & vires in gabellam contribuat. Secunda eſt etiam proportio cum neceſſitate, propter quam imponitur, ita vt non ſit maior gabella, quàm iudicio prudentum videbitur deſiderari ad publicam illam neceſſitatem ſubleuandam. Vnde ſi cauſa eſt parua, & gabella eſt magna, erit iniuſta. Similiter exigitur proportio in ordine ad vires Regni & populorum: nam licet cauſa finalis gabellæ, vectigalis & tributi, nempe neceſſitas Regis, ſit iuſta; ſi tamen vires Regni non ſuppetant ad tributum ferendum, ſi imponatur, erit iniuſtum. Contingere enim poteſt ſingulas gabellas per ſe ſpectatas eſſe iuſtas, & multitudinem eſſe iniuſtam, quia excedit moralem facultatem ſubditorum. Non enim poteſt Princeps immoderatas gabellas, vectigalia, ſeu tributa ſubditis imponere, cùm non ſit dominus bonorum ipſorum, ſed illis tantùm vti poteſt & debet, ad ipſorummet ſubditorum vtilitatem. Ita Syluius 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 8. *concluſ.* 3. Salas *de leg. diſp.* 15. *ſect.* 10. *num.* 120. Salon *de iuſtit. in* 2. 2. *tom.* 2. *quæſt.* 77. *artic.* 3. *concluſ.* 6. Diana *parte prima, tract.* 3. *reſolut.* 5. qui ex dictis infert, donatiua, quæ fiunt Regi in Parlamento, debere eſſe in illa quantitate, vt poſſint vniuerſitates ea ſoluere; aliter donatiuum erit iniuſtum ex parte cauſæ formalis.

Syluius. Salas. Salon. Diana.

6. Comites, Marchiones, Duces & ſimiles Regi ſubiecti, qui gabellas imponunt, cùm ad id non habeant facultatem, peccant mortaliter contra iuſtitiam. Ratio eſt, quia accipiunt alienum, vel ſaltem nituntur accipere viâ iniuſtâ, quod ſpectat ad ſpeciem furti vel rapinæ. Tum quia vſurpant propriam auctoritatem Principis, quod eſt velut crimen læſæ maieſtatis, quod in regraui eſt lethale. Inſuper ſupradicti, qui non habentes merum & mixtum imperium, ſine debita licentia gabellas imponunt vel impoſitas exigunt, cenſuram excommunicationis Bullæ Cœnæ Domini incurrunt, & ad reſtitutionem eorum omnium tenentur, quæ per tales gabellas acceperunt, vt docent Toletus *lib.* 1. *Summ. cap.* 21. & Nauarrus *cap.* 27. *num.* 61. & alij communiter.

Toletus. Nauarrus.

7. Conſuetudo antiqua, de cuius initio non extat memoria, conferre poteſt alicui ius imponendi gabellas. Ratio eſt, quia ſicut ius meri & mixti imperij, quod dicitur quaſi regium, ſeu independentis adminiſtrationis, poteſt vſucapi abſque titulo tempore immemorabili, & cum titulo, tempore quadraginta annorum; ita etiam ius imponendi gabellas, quod ex illo ſequitur, eodem tempore vſucapi poteſt. Ita Couarruuias *ad reg. Poſſeſſor. part.* 2. §. 3. *n.* 3. Molina *tom.* 3. *de iuſtit. diſp.* 666. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 12. & *cap.* 33. *dub.* 2. *n.* 14. Medina *Cod. de reſtit. q.* 14. & alij. Conſuetudo autem dicitur immemorabilis, cuius initij non extat memoria; nimirum, quæ eſt centum annorum.

Couar. Molina. Leſſius. Medina.

8. Gabellarum debitor, qui merces tranſfert, ex quibus gabellam debet, regulariter tenetur in conſcientia quantitatem mercium ſignificare, ſolutionémque integram exhibere, vbi exactor, ſeu publicanus relinquit conſcientiæ, vel voluntati eius: quia ſuppoſito quòd verè habeat ſecum res gabellæ ſubiectas, iam exactor humaniter petit gabellam: at quando petitur, ſoluenda eſt: ergo. In aliquibus tamen caſibus poterit non pandere quantitatem mercium & non ſoluere integraliter. *Primò*, quando conductor probabiliter nouit exactorem gabellæ eſſe ſuum amicum vel cognatum, & ob amicitiam vel conſanguinitatis gradum remiſſionem gabellæ ex parte facturum. *Secundò*, quando conductor eſt mercator & frequenter tranſferre ſolet merces, & ob id frequenter gabellam ſoluit, & ne aliò diuertat, ſolitus eſt publicanus aliquid de iuſta gabella ei remittere, vt hac ratione alliciat mercatores ad tranſferendas illac ſuas merces. *Tertiò*, quando probabiliter creditur exactores fore contentos, ſi magna ex parte merces maioris momenti manifeſtentur, licet non ex omni. *Quartò*, quando in more poſitum eſt, vt exactores in rigore non compellant conductores mercium omnes propalare, nec in totum ab eis integram gabellam extorqueant, niſi iuxta ſimplicem depoſitionem, qua deponunt, vel ſoluunt. Ita Azorius *tom.* 3. *lib.* 5. *c.* 22. *q.* 5. Filliucius *tract.* 28. *p.* 2. *n.* 120. Rodriguez *tom.* 2. *Summ. cap.* 67. & alij.

Azorius. Filliucius. Rodrig.

9. Princeps hæſitans an cauſa ſit iuſta, & gabellam imponit cæco more progrediens, mortaliter peccat. Ratio eſt, quia ſe exponit periculo furripiendi alienum inuito domino. Exactor item qui nomine Principis eiuſmodi gabellam petit, ſi ſciat Principem de iuſtitia cauſæ dubitare, & dubitanter imperare; & ipſe etiam dubitet, mortaliter peccat eam exigendo, ac proinde tenetur ad reſtitutionem, nihil impediente, quod eidem Principi ſit ſubditus. Ratio eſt, quia exigendo cooperatur peccato Principis, cùm ſciat ſtante tali dubio practico Principem non habere ius imperandi. Ita Caietanus *in Summ. verb. Vectigal.* Quando autem ſubdito non conſtat Principem peccare in conſtitutione gabellæ, tunc eſto ipſe dubitet de iuſtitia eius, aliis affirmantibus, & aliis negantibus, tunc iuſſus à Principe, aut à poteſtate publica licitè poteſt eam exigere: quia parendo Principi in dubio non peccat, excuſante eum obedientia. Secus dicendum de illo, qui non eſt ſubditus, aut ſi eſt, non compellitur, ſed ſponte ad eiuſmodi gabellam exigendam ſe offert, ſi dubius de iuſtitia cauſæ exigit gabellam, peccat mortaliter, exponendo ſe periculo cooperandi iniuſtitiæ Principis, & tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia malâ fide exegit & latâ culpâ damnum intulit, ſicut is, qui à ſuo debitore exigit aliquid, de quo ambigit an debeatur. Ita Molina *diſp.* 672. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 6. *n.* 46. Caietanus *ſuprà*, & alij.

Caietan. Molina. Leſſius. Caietan.

10. Non poteſt Princeps ceſſante omninò cauſa in ſpecie vel in genere gabellæ, eam exigere titulo præſcriptionis. Ratio eſt, tum quia præſcriptio non currit ſine bona fide: Sed ceſſante omninò cauſa gabellæ, ampliùs in exigendo bona fides eſſe non poteſt: ergo non poteſt eſſe præſcriptio. Tum quia ſicut gabella non poteſt conſtitui ſine cauſa legitima, ſic conſtituta, ceſſante omninò cauſa eius inſtitutionis, definit, ita vt continuari non poſſit. Ita Petrus Nauarra *lib.* 3. *de reſtitut. cap.* 1. *nume-ro* 260. Azorius *parte tertia, lib.* 5. *cap.* 23. *quæſtione* 5. contra Ioannem Medinam *Cod. de reſtitut. quæſt.* 14. & alios.

P. Nauarra. Azorius. Medina.

11. Princeps pedagia exigens pro tutandis viis quibus merces tranſferuntur, ſi ſufficientem diligentiam in relegandis latronibus non adhibeat, tenetur in conſcientia reſtituere damna ſubſecuta ciuibus & viatoribus, quæ reuerà non accidiſſent, ſi Princeps præſtitiſſet quæ debebat ratione illius tributi. Ratio eſt, quia Princeps ratione tributi ex officio tenetur terras ſecuras facere, ne ratione ipſarum viatores vim, aut damna patiantur: ergo contra iuſtitiam peccat, ſi vias tutas non reddat, ac proinde viatoribus damna reſarcire tenetur. Vnde in hoc caſu negligentiæ Principis circa cuſtodiam viarum, viatores defraudantes pedagia, nec peccant, nec

Digitized by Google

nec ad restitutionem obligantur, quia cessante omninò causâ finali legis, cessat legis obligatio: in lege autem pedagiorum causa exprimitur v. g. pro tutandis viis, ergo si viæ latronibus abundant cessat obligatio pedagia soluendi. Ita D. Thomas *lib. 1. de regim. Princip. cap. 12.* Sylvester *verb. Gabella 3. quæst. 6. & verb. Dominium quæst. 4.* Lopez *part. 2. instructor. cap. 39.* & alij.

D. Thom. Sylvest. Lopez.

12. Exteri fraudantes gabellas seu vectigalia peccant. Ratio est, tum quia legitima consuetudine potuit introduci, vt gabellæ exigantur etiam ab exteris, & sub hac tacita conditione admittuntur exteri in Regno ad negotiandum, vt ibi soluant gabellam & vectigal, tum quia multi incolæ & indigenæ defraudarent tributa fingendo se extraneos, tum quia hoc onus compensatur per protectionem, qua mercatores proteguntur à superioribus illius loci, dum ibi existunt. Ita Ioannes Medina *cod. de restit. quæst. 15. ad finem.* Molina *tom. 3. disp. 688. & 689.* Suarez *lib. 3. de legibus cap. 33. n. 13.* & alij.

Medina. Molina. Suarez.

13 Actor mercatoris, qui transigit cum gabellariis non potest sibi retinere pretij excessum, quem soluisset, si non transegisset. Ratio est, quia debet vtiliter gerere negotia mercatoris. Idem dicendum de eo, qui habet mandatum vt transigat cum Gabellario pro mercibus: hic enim tenetur illud exequi si potest, alioquin tenebitur de damno, siue sibi retineat vectigal, siue non retineat, quia hoc ipso, quo mandatum acceptauit, se obligauit ad illud implendum. Secus dicendum est, si non est actor vel si non habet mandatum ad transigendum: in hoc enim casu videtur posse sibi retinere excessum quem soluisset, nisi hanc diligentiam transigendi adhibuisset. Ratio est, tum quia hoc videtur lucrum ipsius industriæ, tum quia mercator non videtur inuitus, & transigens cum gabellario ideò transegit, vt lucrum sibi acquireret, non verò vt acquireret domino mercium. Ita bene Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 11.* apud quem plura.

Lessius.

14. Concessio vectigalium, aut noui tributi, quæ comitiis coactis fieri solet, etiamsi extorqueatur metu reuerentiæ, aut quouis alio graui, valet quidem in conscientia, nec princeps obnoxius est restitutioni: illa enim concessio non pertinet ad liberalem donationem, atque ideò nec exigit plenum voluntarium. Ea enim tributa Regi conceduntur, quo & Regnum tueatur, & Regni hostes debellet, aliisque publicis necessitatiqus subueniat. Vnde neque etiam iure positiuo est ea concessio irrita. Imò, si causæ, quæ ad exigendum tributum requiruntur, sint verè iustæ, & aliter illis necessitatibus commodè subuenire non possit, nec peccat Princeps, vim inferendo Regnorum procuratoribus, nec enim ea vis, aut metus iniustus esse potest, si causæ iustæ sunt ad exigenda tributa. Ita Basilius Pontius *in tract. de impedimento matrimonij, causa 31. quæst. 2. §. 11.* Quæ quidem vt vera admittit Diana *part. 1. tract. 3. resol. 25.* modò sufficiant ad illud tributum soluendum vires Regni.

Pontius. Diana.

15. Peccata quæ oriuntur ex gabellarum iniusta vel incongrua impositione, enumerantur *primò*. Peccant mortaliter & tenentur ad restitutionem, qui absque causa iusta, nimirum necessitatis vel vtilitatis magnæ siue publici boni, nouas gabellas imponunt, & iis populum opprimunt. Vnde Ezechiel. 2. 2. *Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem & ad perdendas animas, & auarè ad sectanda lucra.* Tamen non sunt coarctandi Principes & Reges opinione vulgi, quod regalis administrationis dimensiones non considerat, nec attendit sumptus regalis familiæ, & quæ ad regimen & protectionem vniuersalis regni per personas idoneas impendi debent stipendia militiæ, liberalitates Regibus necessarias, vt hostes contineant, amicos concilient, vexationes redimant, & infinitas expensas, quæ conseruationi regni aut vtiles, aut necessariæ sunt. Restitutio autem in hoc casu, secundum D. Thomam *opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ in fine.* Facienda est à Principe vel Rege, si ad manus illorum dictæ gabellæ deuenerint, vel certis personis, si possibile sit, vel in pios vsus est expendenda, siue pro vtilitate communi, si personæ certæ non possint inueniri. Si autem pecunia sic iniustè collecta ad manus Regis siue Principis non peruenerit, sed inter manus Officialium, vt non rarò contingit, propriis vsibus applicanda remanserit, docet D. Thomas, debere compelli officiales ad consimilem restitutionem, ne à sua iniustitia commodum reportent: imò super hoc sunt grauiùs puniendi, vt cæteri à similibus abstineant in futurum. Quia sicut Salomon dicit; *Pestilente flagellato, stultus sapientior fit.*

D. Thom.

16. *Secundò*, peccant mortaliter & ad restitutionem obligantur, qui gabellas ob necessitates boni publici iustè institutas cessantibus necessitatibus, absque iusta causa in multos annos producunt & velut perpetuas perennare volunt solius lucri prætensione, vel sola thesauri augendi libidine. Si tamen æqualis aut similis necessitas uel vtilitas publica alterâ cessante, superueniat, cui ob insufficientiam publici ærarij non possit satisfieri, ideoque noua impositio populo facienda esset, prius vectigal posset continuari: quia á parte rei subest vera necessitas & causa nouum vectigal imponendi: ne autem populus apprehendat grauamen nouum, honestius est primas gabellas continuare, modò nulla fraus vel dolus interueniat.

17. *Tertiò* variis peccatis mortalibus se implicant senatus & magistratus & alij, quorum consilio & iudicio gabellæ & tributa imponuntur, si qualitatis & proportionis in gabellis imponendis singularem rationem non habeant vt dictum est supra *n. 5.* vnde benè imponuntur agris publicis, viis regiis, pontibus, fluminibus nauigabilibus, portubus, mercibus, metallis, vino, pascuis, &c. Melius & conuenientiùs imponerentur gabellæ auro, gemmis, byssо, serico, rhedis, equis phaleratis, pellibus Indicis & pretiosis; de quibus *l. Interdum, §. species, ff. de publicanis & vectigal.*

18. *Quartò*, mortaliter peccant iuxta rationem violentiæ, qui cum multa violentia, damnificatione & iniuria pauperum, tributa & gabellas exigunt, cùm non sint soluendo. Sæpè enim contingit, quod collectores illi per se & satellites domos pauperum inuadant, pauculam supellectilem arripiant, & inhumanè distrahant, vacculam aut capram, porcellum pauperis abducant, nullo aut pauco fructu suo, maximo verò pauperis detrimento. Ratio horum est, quia iure naturæ tributum, siue vectigal supponit capacitatem soluendi in eo, cui vectigal imponitur, alias enim iniustum est: quomodo autem pauper, qui vix necessaria ad simplicem victum habet, & cui Rex potiùs tenetur de alimento prouidere, iustè obligatus dici potest ad vectigal soluendum? Vide P. Nauarra *de restit. lib. 3. cap. 1. n. 236.*

19. Peccant mortaliter & ad restitutionem tenentur, qui gabellas & vectigalia pro causa necessitatis publicæ exacta, vel in priuatos vsus, vel in largitiones prodigas, aut in causas bono communi actu non necessarias expendunt & distrahunt. Quod

dupliciter fieri solet. 1. si directè in finem alium publico bono intento verè non necessarium pecunia distrahatur v. g. in effusas largitiones & dona, in mercedes non vrgentes aliquorum nobilium; in vsum & satisfactionem priuatorum ministrorum, dum titulo suorum stipendiorum particularium, magnam partem dictarum pecuniarum, sibi velut in solutionem arrogant. Vnde fit vt publicæ necessitati patriæ non possit satisfieri, quia militi non soluitur, quia exercitui non prouidetur, sed tota patria tam hostis quàm patrij militis prædæ exponitur, defectu pecuniarum. 2. Indirectè, quando siue in collectione, siue in receptione, siue in administratione pecuniarum tot & tam varij ministri planè inutiles concurrunt, vt inter eos, titulo ministerij & officij, quamuis verè inutilis & non necessarij, magna pars pecuniæ absorbeatur in iniuriam manifestam publicæ necessitatis pro qua & ad quam destinata erat. Sed de his plura apud Petrum Marchantium *tom. 3. tribunal. Sacrament. par. 3. tract. 2. tit. 6. quæst 4.* P. Matchã.

Vide v. Census *n.* 16. Præscriptio *n.* 7. Transactio *num. 6.*

H.

HÆRES. HÆREDITAS.

SVMMARIVM.

1 *Hæreditas & hæres vnde dicantur.*
2 *Quæ sit diuisio siue varietas hæredum.*
3 *Hæreditas quomodo in duodecim vncias diuidatur.*
4 *An qui ex parte aliquota hæres instituitur, ad onera hæreditatis teneatur.*
5 *Quæ sit legitima portio descendentium & ascendentium.*
6 *Ad quid teneatur hæres, cui testator mandauit in testamento, vt faciat quod sibi dictum fuerit à confessario.*
7 *An hæres constitutus in graui necessitate excusetur à solutione legati pro missis celebrandis pro animabus purgatorij.*
8 *An ad hæredes transmittatur obligatio iramenti quando factum hominis non cadit supra contractum validum.*
9 *An hæres grauatus committens delictum ratione cuius bona ipsius applicantur fisco, hæreditas sit restituenda fides commissario.*
10 *Quo ordine debeat hæres persoluere debita defuncti.*
11 *Heredes ab intestato qui dicantur & quo ordine succedant.*
12 *Hæreditas, alia dicitur delata, & alia adita.*
An attento iure naturali & canonico possit quis donare hæreditatem ad pias causas, si quæcunque illi ante mortem obuenerit.
13 *An iure communi religiosus post professionem succedat ex testamento & ab intestato, sicut si esset in sæculo.*
14 *An hæreditatis repudiatio in fraudem creditorum sit valida & licita in foro conscientiæ.*
15 *An hæreditatis paternæ renunciatio metu reuerentiali patris facta possit rescindi in foro externo & conscientiæ.*
16 *An renunciatio hæreditatis futuræ valeat, si iuramento firmata non sit.*

1. HÆreditas dicta est ab hærede: hæres autem ab hæreo, quia proximus est defuncto, cuius hæres constituitur. Alij deducunt tamen ab Hærus, quòd hæres fiat Dominus bonorum, quæ ad eum perueniunt. Hæreditas autem definitur successio in vniuersum ius quod habuit defunctus. Et hæres dicitur, qui succedit in vniuersum ius defuncti.

2. Hæredes, alij sunt sui ac legitimi, vt filij & omnes descendentes, alij legitimi tantum, qui deficientibus iam dictis, ab intestato succedunt in hæreditate: vt agnati ac propinqui.

Hæres ab intestato dicitur, qui sine testamento omni, hæres fit defuncti. Hæres autem testamentarius vocatur, qui ex testamento hæres est scriptus: idque vel in totum, vel in partem.

Hæres commissarius est, cui per fideicommissum relicta est hæreditas à defuncto, vt eam det cui ipse testator disposuit. Hæres substitutus est, qui hæredi legitimo instituto substituitur, si nolit aut non possit esse hæres. Hæres legatarius est, qui legatum accepit, vel cui legatum factum est. Hæres domesticus dicitur, qui est in potestate morientis, dum eum alius non præcedit. De his plura apud Syluestrum *verb. Hæreditas III. quæst.* 1. Syluest.

3. Hæreditas plerumque diuiditur in duodecim vncias, quæ *asis* appellatione continentur: habent autem & partes singulæ propria nomina; videlicet *vncia, sextans,* id est duæ vnciæ: *quadrans,* id est tres vnciæ: *triens,* id est, quatuor vnciæ: *quincunx,* id est, quinque vnciæ: *semis,* siue *semissis,* id est, sex vnciæ: *sextunx,* id est, septem vnciæ: *bes,* id est, octo vnciæ: *dodrans,* id est, nouem vnciæ: *dextans,* id est, decem vnciæ: *deunx,* id est, vndecim vnciæ. Vnde hæres vniuersalis dicitur hæres ex asse. Vt habetur *Institut. §. hæreditas, de hæredibus instituendis.* Syluester *verb. Hæreditas 2. quæst.* 1. Syluest.

4. Qui instituitur ex parte aliquota hæres, onera hæreditatis pro portione partis suæ sustinere cogitur: non item qui in certa aliqua re institutus est; talis enim potiùs legatarij loco habetur: ideoq; iura, actiones & debita defuncti ad eum non pertinent, sed ad hæredē propriè dictum, qui & defuncti personam, tam quoad iura, quàm speciales obligationes ac debita repræsentare debet. Ita *l. quotiens, Cod. de hæred. instituend.* Si autem nullus alius hæres, præter particularem, instituendus sit: tunc hæreditas reliqua illi, quamuis in certa tantùm re verbis directis instituto accrescere debet. Quod ipsum etiam locum habet, si reliqui instituti ante testatorem mortui sint, vel postea hæreditatem repudient. Vt constat ex *l.* 1. §. *si ex fundo, ff. de hæred. institut.* & docent Molina *tract. 2. disp.* 155. Gomez *t.* 1. *variar. c.* 10. & alij. Ratio est, quia vt dicitur regul. 7. ff. *Ius nostrum non patitur eundem in paganis & testato, & intestato decessisse.* Id est, non potest quis pro parte decedere intestatus & pro parte testatus. Limita tamen *primò*, modò testator dolosè non fit inductus ad instituendum eum in certa parte: puta quia persuasit, quòd non possit habere regressum ad alia bona. Limita *secundò*, modò non sit institutus cum ista additione, & volo, quòd de bonis meis plus petere non possit: quo casu licet videatur, quod possit adire arg. *dict.* §. *si ex fundo & dict. l. quotiens.* tamen verum est contrarium scilicet, quod non potest: vt in *l. quotiens.* §. *sed si duo. ff. de hæred. instituend.* vbi patet quod §. *si ex fundo & dict. l. quotiens* locum habet, quando voluntas testatoris est simplex non restricta, expressè, vt in casu isto. Et ideò venient succedentes ab intestato: quia testator non reperitur habere hæredem. Vt aduertit Syluester *verbo Hæreditas 3. quæst.* 3. Molina. Gomez. Syluester.

5. Legitima portio descendentium nouo iure est, triens hæreditatis, si non plures, quàm quatuor liberi masculi, vel fœminæ existant; semis autem si plures

plures, quàm quatuor vt habetur in *Authent. de triente & semisse. & Authent. nouissima Cod. de inofficioso testament.* Atque in numero hoc liberorum constituendus est etiam qui omninò renunciauit hæreditati, non item, qui exhæredatus, aut ob religionis professionem incapax factus est. Hæc tamen legitima portio omnibus liberis debita, locum tantùm habet in bonis priuatis: non autem in Regnis, Ducatibus & Comitatibus Magnatum: talia enim bona in plerisque prouinciis ad primogenitum spectant: eoque mortuo, quamuis adhuc viuente patre, ad nepotem masculum deuoluuntur: secluso filio secundò genito, aliisque masculis: non item habet locum ex bonis feudalibus quæ dicuntur ex pacto & prouidentia, secundùm gratiam & liberalitatem concedentis.

Legitima portio ascendentium est triens hæreditatis, quæ deficientibus descendentibus testatoris, debita est parenti vni, vel vtrique superstiti. Si autem neuter parens supersit, in locum patris succedunt auus & auia paterna: in locum matris auus & auia materna. Vt habetur expressiùs in *Authent. de hæredib. ab intestato. §. consequens autem & sequent.* Hæc autem legitima portio relinqui debet hæredibus necessariis titulo honorabili institutionis, sine vllo appositio grauamine, modo, conditione; alioquin pro non appositis habentur vt constat ex *l. quoniam Cod. de inoffic. testament.* Ita Sylueſter *verb. Legitima portio quæst. 1. & 17.* Vasquez *de testament. cap. 6.* & alij. Sylueſt. Vasquez.

6. Hæres, cui testator mandauit in testamento, vt faciat quod sic dictum fuerit à confessario, tenetur facere, quantùm verisimile est, testatorem confessario mandasse: hoc enim pacto videtur satisfacere voluntati testatoris; quando autem dubitatur quid testator mandauerit & voluerit, faciendum est id, quod verosimiliter creditur testatorem voluisse: cùm in obscuris præsumatur id quod verisimilius est; præsumitur autem testator id voluisse, quod ipse responderet interrogatus, si adesset: vel quod credibile est testatorem cogitasse. *l. cùm in testamento, ff. de rebus dubiis.* Ita Emanuel Sà *verb. Testamentum num. 32.* Mantica *de coniecturis vltimar. voluntatum lib. 3. tit. 2.* Hinc hæres in iis, quæ pertinent ad pias causas, tenetur in conscientia adimplere voluntatem testatoris, quam ipse testator expressit in cedula scripta vel subscripta propriâ manu, modò constet, talem fuisse testatoris voluntatem deliberatam, quia in iis, quæ pertinent ad pias causas, non est necessaria solemnitas iuris ciuilis, sed in foro conscientiæ sufficit nosse voluntatem testatoris. Ita Diana *part. 7. tract. 6. resol. 18.* Couarruuias *in cap. cùm esses, de testamentis n. 12.* & *cap. Relatum 1. n. 12.* Fagundez, Dicastillus, Layman apud Dianam supra & *resolut. 14. verf. Hinc plura.* Eman. Sà. Mantica. Diana. Couar. Fagundez. Dicastillus. Layman.

7. Hæres constitutus in graui necessitate non excusatur à solutione legati pro missis celebrandis pro animabus purgatorij. Ratio est, quia animæ existentes in purgatorio patiuntur grauissimam & extremam necessitatem & ideò hæres tenetur soluere legatum pro missis ad earum leuamen relictis, non obstante quòd ipse sit constitutus in graui necessitate victus, aut status mutationis. Ita docent Mazuchellus *tract. de casib. reseru. disput. 2. cap. 20. quæst. 2. n. 38.* quem refert & sequitur Diana *parte 7. tract. 10. resol. 14.* Hinc sacerdos beneficiarius omittens horas canonicas satisfacit si eleemosynam non distribuat pauperibus, sed celebret missas pro animabus purgatorij: quia hæ includuntur sub nomine pauperum, vt diximus *t. 1. verb. Bona incerta n. 2.* cum Doctoribus ibi citatis. Mazuchel. Diana.

8. Ad hæredes non transmittitur obligatio iuramenti quando factum homini non cadit supra contractum validum nec illum facit validum. Ratio est, quia iuramentum est vinculum personale, quod iurans sibi imponit, vinculum autem personale non transmittitur ad hæredes: & hoc verum, etiamsi iurans iurauerit pro se & pro suis successoribus; nam vinculum iuramenti adhuc ramanet personale. Hæredes tamen tenentur adimplere contractum, non solùm quando iuramentum cadit supra contractum validum, verum etiam quando cadit supra contractum inualidum, sed illum efficit validum. Ratio est, quia obligatio ex contractu, est obligatio realis, obligatio autem realis transmittitur ad hæredes. Tum quia obligatio contractus transmittitur ad hæredes, ergo hæredes tenentur adimplere contractum factum cum iuramento, sicut tenentur ad cæteros defuncti contractus & debita. Ita Vasquez *de testament. cap. 3. n. 17.* Molina *disp. 249.* & alij apud Bonacinam *de contract. disp. 3. quæst. 1. punct. 1. num. 11.* Vasquez. Molina. Bonacina.

9. Hæres grauatus si committat delictum, ratione cuius bona ipsius applicantur fisco, hæreditas non est restituenda fidei commissario, sed fiscus eâ vti potest, donec moriatur hæres grauatus, vel alia ratione adueniat tempus restitutionis, ex *l. Statius Florus, §. Cornelio, ff. de iure fisci.* Ratio est, quia fiscus succedit in bona criminosi vt diximus supra. Hoc tamen intelligendum est, nisi aliter constet de mente testatoris: nam si testator vetuit alienationem, aut indicauit, nolle hæreditatem transire ad alium, quàm ad fideicommissarium, fiscus non poterit ea frui; vt ex *l. Imperator* tradit Molina *disp. 186.* cum Bartolo & Lopez. Molina.

10. Hæres eo ordine persoluere debet debita, quo defunctus soluere debuit. Deinde debita contracta per defunctum præponi debent legatis etiam piis: quia non sunt omittenda præcepta propter consilia; sed legata pia, vel non debentur, vel si debentur, non tamen ex iustitia. Debita autem certæ personæ ex iustitia debentur. Ergo priùs soluenda hæc erunt, & deinde si quæ supersint solui debent legata pia; quia eleemosyna aut oblatio non ex alienis sed ex propriis est facienda. Ita D. Thomas *opusc. 37. de vsur. cap. 18.* Sylueſter *v. Hæreditas. 3. q. 9.* Petrus Nauarra *lib. 4. de restitut. c. 6. n. 7. q. 10. n. 47.* & alij. Idem dicendum de debitis etiam ab hærede contractis intuitu saltem defuncti, vt sunt impensæ funeris & impensæ factæ ad vindicandas vel conseruandas res ad testamentum & inuentarium & huiusmodi; prius enim sunt soluenda, quam legata etiam pia, ob eamdem rationem. D. Thom. Sylueſt. P. Nauarra.

11. Hæredes ab intestato succedunt nullo condito testamento, aut condito quidem, sed illegitimè, aut postea rupto, aut irrito facto. Ante omnes legitimi liberi, tum mares, tum fœminæ: in quorum mortuorum locum & in stirpes succedunt eorumdem nepotes, vt habetur in nouel. Iustiniani 118. collat. 9. c. 1. Deficientibus autem descendentibus, veniunt pater & mater defuncti, si superstites sint: in defectum verò eorum succedunt aui & auiæ. Si neque descendentes, neque ascendentes hæredes adsint, succedunt fratres & sorores, qui ex vtraque parte defuncto coniuncti sunt æquis portionibus; & excludunt eos, qui ex solo patre, vel sola matre coniuncti sunt *Authent. Itaque, Cod. communia successionibus.* Quod si vnus ex fratribus vel sororibus coniunctis mortuus liberos reliquerit, succedunt hi loco parentis sui cum patruis, non in capita, sed in stirpes. Si tamen fratres & sorores vtrinque coniuncti omnes mortui sunt, tunc eorum

liberi, exclusis patruis ex vna parte coniunctis, non in stirpes, sed in capita, adeoque æquis portionibus succedere debent. Iuxta constitut. Caroli V. Imperatoris, Anno 1529. Deficientibus tam fratribus & sororibus vtrinque coniunctis, quàm eorum legitimis liberis, veniunt fratres & sorores ex vna tantùm parte coniuncti. Si etiam fratres ac sorores eorumque filij deficiant, successio deuoluitur ad propinquiores collaterales vsque ad gradum decimum: deficientibus his succedit coniux defuncti. Denique si neque consanguinei, neque coniux extent, tunc fiscus sæcularis succedit in omnibus bonis laici ab intestato defuncti: Ecclesiasticus autem in bonis clerici. De his plura apud Couarruuiam *in epitome de successione ab intestato.* Molinam *disp.* 164. *& sequent.* Et hæc dicta sint iuxta ius commune Cæsareum. In aliquibus prouinciis sunt aliæ consuetudines iuri communi contrariæ, quibus nihilominus tum in foro conscientiæ, tum externo, standum est.

Carolus. V.

Couar. Molina.

12. Hæreditas alia dicitur delata, & alia adita. Hæreditas delata est ipsa morte eius, in cuius bonis succedendum ex testamento, vel ab intestato: tunc autem statim hæres comparat ius ad rem, seu actionem petendi hæreditatem; attamen cum potestate deliberandi, adeoque etiam repudiandi hæreditatem delatam, si sibi eam non expedire censeat. Adita autem hæreditas dicitur, cum primùm in eam hæres consensum dedit, tunc verò statim etiam ius in re, ipsumque dominium rerum hæreditariarum, ante earum apprehensionem acquirit. Hinc potest aliquis donare, saltem ad pias causas, hæreditatem, si quæcumque illi ante mortem obuenerit, & hoc spectato iure naturali, gentium & canonico. Non obstante *l. quoniam, cod. de iure deliberandi* vt habetur, *si quis ignorans mortis sororis suæ, adeóque non adita eius hæreditate è vitis discedat, non transmittere hæreditatem ad hæredes suos* Prob. quia constitutio illa ciuilis locum tantùm habet secundùm ius strictum, non secundùm humanitatem & æquitatem naturalem. Tum quia subtilitates ciuiles aduersus ius gentium & naturale (si præcisè spectentur) introductæ, non habent locum in causis piis: sicuti neque solemnitates testamentorum, in quibus, quod attinet ad causas pias, procedi debet secundùm ius gentium, naturale ac canonicum: cùm ciuiles magistratus potestatem suam ad causas pias & ecclesiasticas extendere non possint, ideoque eorum statuta in eiusmodi causis non obligent, nisi iure canonico recepta, atque approbata reperiantur. Tum quia ratio dictæ *l. quoniam*, cessat in casu donationis factæ, in qua donator expresè declarat voluntatem suam esse donandi omne ius sibi commodum, etiam hæreditatis si quæ delata sit, vel deferenda ante mortem naturalem vel spiritualem. Nam hoc ipso declarat, quod eiusmodi hæreditatem non repudiare velit, ob quam solam repudiandi facultatem ciuilis illa subtilitas de non transmittenda hæreditate ignoratæ, & excogitata est. Hanc sententiam certò sustinent & tuentur Doctores, qui aiunt donationem omnium bonorum, præsentium & futurorum factam Ecclesiæ, esse validam, vt *Hurtadus, Bannus, VVigers, Layman, Villalobos, Fernandes, Azorius, Gordenus, VVadingus, Caspensis* & alij quos refert & sequitur Diana *part.* 8. *tract.* 6. *resol.* 41.

Hurtadus. Bannus. Wigers. Layman. Caspensis. Diana.

13. Iure communi religiosus post professionem non minùs succedit ex testamento & ab intestato, quàm si esset in sæculo, nec possunt eum parentes legitimâ priuare, vt patet *l. Deo nobis*, §. *Hoc etiam, de Episcopis & clericis.* Religiosus autem in hoc casu non habet ius vt in suum commodum succedat aut sibi aliquid acquirat, hoc enim totum per professionem in monasterium translatum est: retinet tamen ius succedendi in commodum monasterij, vt illi acquirat. Hinc fit vt monasterium possit adire vel repudiare talem hæreditatem etiam ignorante vel inuito Religioso. Imò si hæreditas aliqua ante mortem religiosi delata sit & nondum adita, potest monasterium etiam post mortem illius eam adire. Ratio est, quia ius adeundi ante mortem ipsius monasterio erat acquisitum, quod proinde per mortem ipsius non amittit: Religiosus autem ipse sine consensu superioris validè illam adire non potest. Ita Couarruuias *cap.* 1. *de testamentis num.* 31. ex communi sententia. In ordinibus tamen, qui non habent ius succedendi, vt sunt ordines Minorum de obseruantia & Capucinorum, religiosi non possunt acquirere monasterio successione ab intestato: nam per professionem illorum omne tale ius amittitur & quodammodo extinguitur. Sed hæc dicta sint de iure communi; nam in aliquibus regnis hoc ius contraria consuetudine abrogatum est, vt ex Couarruuia annotauimus *tit.* 1. *verb. Paupertas religiosa n.* 16. *vers. verum licet.*

Couar.

14. Hæreditatis repudiatio in fraudem creditorum in vtroque foro valida est, & proinde successor tuta conscientia possidet. Ratio est, quia hæc non est alienatio, vel donatio vt possit reuocari tanquam facta in creditorum fraudem, sed tantum est non acquisitio: & succedens in ea hæreditate, nihil à repudiante capit: solùm enim repudians obstaculum tollit, quo alter à successione impediebatur, quo ablato succedit ille, qui aliàs successurus erat. Et hoc est quod propriè definit *l. Qui autem, ff. quæ in fraud. credit. & regul. Non fraudantur, ff. de reg. iur.*

An autem hic repudians peccet, eo legum beneficio vtens? videtur quòd non, quia idem in vtroque foro sentiendum est, vbi forum externum non innititur falsæ præsumptioni, nec est in delicti pœnam, sed in foro externo hic repudians hæreditatem absoluetur, nec forum externum seu sententia iudicis innititur falsæ præsumptioni, &c. ergo idem dicendum est in foro conscientiæ. Nihilominus dicendum est hunc repudiantem peccare mortaliter contra charitatem, imò iuxta aliquos, etiam contra iustitiam. Prob. prior pars, quia quilibet lege charitatis tenetur damno proximi obuiare si facilè potest, maximè si eius causa damnum illud patiatur, at creditor causa debitoris patitur sui debiti iacturam: ergo debitor potens facilè hoc damnum creditoris vitare, tenetur saltem charitatis lege. Ita Molina *de iustit. tract.* 2. *disp.* 435. *ad fin.* Prob. posterior pars, quia eadem lege iustitiæ qua debitor tenetur soluere debita, tenetur adhibere media vt soluat, quando media non sunt valde difficilia: at in hoc non potente aliàs soluere, est medium necessarium & facillimum acceptare eam hæreditatem, quando est lucrosa & expediens: ergo contra iustitiæ legem delinquit non acceptans. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disp.* 4. *num.* 9. Ad rationem autem in contrarium dicendum est maiorem esse veram, quando sententia iudicis innititur legi approbanti aliquid, tanquam iustum: secus quando legi deneganti actionem: tunc enim sententia illa non approbat actum, sed actionem denegat. Et ita contingit in præsenti casu, iudex enim sua sententia tantùm declarat repudiationem illam fuisse validam nec dari actionem creditoribus ad eam reuocandam.

Molina. Sanchez.

15. Hæreditatis paternæ renunciatio facta à filio metu reuerentiali patris, absque minis, non rescinditur in foro externo; eo quod is metus nõ cadit in virum constantẽ, vt multis relatis docet Anton. Gomez.

Gomez *tom. 2. variar. cap. 14. num. 27.* Tamen in foro conſcientiæ, ſi ea renunciatio vèrè fiat inuoluntariè metu ſolo reuerentiali, hoc eſt, quando omninò repugnanti voluntate & quaſi coactus conſentit, non audens præ pudore & reuerentia contradicere, tenetur pater reſtituere hæreditatem ſic renunciatam. Ratio eſt, quia is metus leuis, eſt ſufficiens ad reſcindendum actum in foro conſcientiæ: quare ſi ſibi non reſtituatur, poterit filius ſe compenſare occultè. Ita Nauarrus *in Man. cap. 17. num. 152.* Lopez *1. part. inſtructorij noui cap. 173. §. Reſpondetur in promptu, & lib. 2. de contract. cap. vltimo ad finem.* Si tamen filius cum iuramento renunciaſſet, debet priùs relaxationem iuramenti petere, quam Epiſcopus poteſt concedere, quando metus eſt leuis.

Nauarrus. Lopez.

16. Renunciatio hæreditatis futuræ nullius roboris eſt, niſi iuramento firmata ſit. Ita habetur *in l. vltim. ff. de ſuis & legitim. hæredib.* & *l. Si quando, §. Illud, Cod de inoffic. teſtament.* Et ita iure ciuili ſtatutum eſt propter bonum publicum, vt hæreditas pactis nec dari, nec auferri poſſit. Excipiuntur tamen aliqui caſus. *Primus* eſt, ſi quis in ipſo actu teſtandi renuntiet iuri ſucceſſionis ſuæ, vel poſt conditum teſtamentum, in quo præteritus eſt, præteritionem approbet & liberè in eam conſentiat, valida eſt renunciatio, vt colligitur ex *l. Non putauit, §. Sua manu, de bonor. poſſeſſione. Secundus*, ſi filius viuente adhuc patre integram portionem accipit, quæ ipſi iure debetur, reliquæ hæreditati validè renuntiat. Verùm ſi bona patris poſtea incrementum capiant, poterit filius petere legitimam portionem augmenti eius, tempore mortis apparentis, vt docent Couaruuias *in cap. Quamuis, p. 3. §. 1. n. 3.* Molina *tom. 3. diſp. 579.* & alij apud Gomez *tom. 1. variar. cap. 11. num. 14.*

Molina. Gomez.

Vide v. Contractus *num. 15.* Depoſitum *num. 4.* Emphyteuſis *num. 23. & ſequent.* Fructus *num. 12. & 13.* Nouitiatus *num. 23. & ſeq.* Legatum *num. 13. & 14. 15. 22.* Præſcriptio *num. 8.* Subſtitutio *num. 2. & ſeq.* Teſtamentum *num. 2. 19.* Votum *1. num. 23. & 24.* Accuſatio *num. 4. & 8.*

HÆRESIS.

Hæreticus.

SVMMARIVM.

1 *Hæreſis quid & vnde dicta.*
2 *An Catechumenus negans fidem dicendus ſit hæreticus?* Refertur duplex ſententia.
3 *An fidè vel inualidè baptizatus recedens à fide, ſit hæreticus dicendus.*
4 *Propter ſuperbiam, auaritiam, luxuriam, hæreſes euenire ſolent. Et hæc peccata ſunt cauſæ interiores hæreſum.*
5 *Quæ ſint cauſæ exteriores hæreſum.*
6 *An hæreſis natura conſiſtat in electione falſæ eorum, quæ credenda ſunt.*
7 *An hæreticus ſit, qui negat propoſitionem Theologicam, quæ euidenter infertur ex propoſitione de fide.*
8 *Quænam dicenda ſit pertinacia, ſine qua nullus eſt dicendus hæreticus?* Refertur duplex ſententia.
9 *An hæreticus pertinax ſit, qui falsò putans aliquid eſſe ab Eccleſia definitum, contrarium ſentit.*
10 *An infidelis & hæreticus ſit, qui diuinæ reuelationi priuatim ſibi factæ pertinaciter diſſentit.*
11 *An hæreſis ſufficienter probetur per teſtes ſingulares?* Refertur duplex ſententia.
12 *An ſufficienter probent hæreſim plures teſtes ſingulares deponentes de eadem ſpecie hæreſis.*
13 *An hæreſis ſufficienter probetur per teſtes diſcordes in verbis, concordes tamen in ſubſtantia.*
14 *An plures teſtes ſingulares abſque aliis indiciis, præſumptionibus & adminiculis ſufficiant pro tortura in crimine hæreſis?* Refertur duplex ſententia.
15 *An poſſit puniri vt hæreticus, contra quem teſtes ſingulares deponunt diuerſos actus & ſpecies hæreſis?* Refertur duplex ſententia.

1. HÆreſis, Græca dictio eſt, ſignificans electionem & ſectam. Et accipitur pro opinione tenaci ac confirmata de aliquo dogmate & ſententia, in qua perſiſtamus electa. Cicero *in paradox.* apud Calepinum. Hinc hæreſis nomen ſortitur opinio vel ſecta, vel peruerſum dogma, ſanctæ Fidei Catholicæ contrarium. Præterea hæreſis, ex qua quis hæreticus fit, definitur pertimax error, manifeſtæ veritati Catholicæ contrarius, in eo qui fidem profeſſus eſt. Nauarrus *in Manual. cap. 11. num. 22.* Syluester *verb. Hæreſis 1. in principio*, & alij communiter.

Calepinus. Nauarrus. Syluest.

2. Quibuſdam placet Catechumenum dicendum eſſe hæreticum negantem fidem, eò quòd fidem ſemel receptam deſerat, etſi illam nondum in Baptiſmo profeſſus ſit. Ita Suarez *de cenſur. diſp. 21. ſect. 2. num. 4.* Bañez *2. 2. queſt. 11. artic. 2.* At contrarium verius eſt; tum quia cùm ſolemniter in Baptiſmo fidem profeſſus non ſit, non eſt verè hæreticus per receſſum à fide; ſed infidelis: tum quia hæreticus propriè dicitur, qui ab Eccleſia, cuius membrum erat, diuerſum pertinaciter ſentiendo, ſe ſegregat: Catechumenus autem, licet per fidem inchoatiuè membrum Eccleſiæ factus ſit, non tamen formaliter & completiuè, cùm fidem in Baptiſmo profeſſus non ſit: Eccleſia enim ſpectabilis Chriſti Reſpublica, eſt congregatio fidelium ſolemniter profeſſorum. Ita Toletus *lib. 4. Summ. cap. 3. num. 5.* Arragon *2. 2. queſt. 11. art. 2. dub. 3.* Sayrus *de cenſur. lib. 3. cap. 4. num. 11.* & alij.

Suarez. Banez. Toletus. Arragon. Sayrus.

3. Ob eandem rationem hæreticus non eſt fictè baptizatus recedens à fide: quamuis Eccleſia fictionis ignara eum tanquam hæreticum puniat. Ratio eſt, quia cùm baptiſmus irritus fuerit, nec hæreſis, nec cenſuræ, nec ſubiectionis Eccleſiæ capax eſt, vt eius pœnis ſubiiciatur.

De eo autem qui baptizatur inualidè, hoc eſt, ſi Baptiſmus ex aliqua cauſa & defectu materiæ, formæ vel intentionis legitimæ miniſtri inualidus fuerit, & putans ſe verè baptizatum, ſe vt talem geſſit, eſt maior controuerſia, an ſi poſtea à fide recedat, ſit verè hæreticus & vt talis puniendus? Nonnulli affirmant: quia ad hoc ſatis eſt, vt ſe tanquam baptizatum geſſerit, ac fidem in Baptiſmo ex parte ſuæ intentionis valido profeſſus ſit. Ita Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 9. quæſt. 3.* Gabriel, Alphonſus à Caſtro, Simanchas apud eum citati. At verius eſt, non eſſe hæreticum, cùm verè baptizatus non ſit, licet Eccleſia præſumat eum hæreticum eſſe, donec de Baptiſmi nullitate conſtiterit; & certum eſt poſſe Eccleſiam cogere illum ad perſiſtendum in fide, ex quo ſemel, quantum ex parte ipſius fuit, Baptiſmo ſe ſubiecerit. Ita Vgolinus *de cenſur. Pontifici reſeruat. 2. p. c. 1. §. 1. n. 3. fine*, Sayrus *loco citato n. 11.* Henriquez *lib. 2. de Baptiſm. c. 25. n. 6.* Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 7. n. 35. & 36.*

Azorius. Gabriel. Caſtro. Simanchas. Vgolinus. Sayrus. Henriquez. Sanchez.

4. Cauſæ

4. Causæ hæresum, quædam sunt interiores, quædam exteriores. Interiores sunt peccata, quæ excæcant hominum mentes, vt veritatis lumen videre non possint: indeque facilè abducuntur in errores veritati contrarios. Sunt autem tria peccata, ex quibus hæreses prouenire solent: *Superbia*, *Auaritia*, *Luxuria*. Propter superbiam seu ambitionem, prima hæresis post Ascensionem Domini cœpit in Simone Mago, qui, vt Apostolis dignitate & potestate par esset, credidit licitè emi posse pecuniâ donum dandi Spiritum Sanctum, per impositionem manuum. *Act.* 8. Sic Aërius hæreticus, sic Ioannes Wiclef in hæresim lapsi sunt, propter ambitionem Episcopatuum, quos obtinere non potuerunt. Idem posset demonstrari de multis aliis hæreticis, qui studio ambitionis nouas hæreses, vt nouorum dogmatum salutarentur Magistri, effinxerunt. Vide Alphons. à Castro, *lib.* 3. *de iusta. punit. hæretic. cap.* 1. Castro.

Secundum peccatum, ex quo hæreses oriuntur, est Auarita; vt Apostolus innuit 1. Timoth. 6. *Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide & inseruerunt se doloribus multis.* Quò etiam facit illud ad Titum 1. *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui & seductores, maximè qui de Circumcisione sunt; quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.* Exempla nostris temporibus sunt nimium frequentia & manifesta: plurimæ enim ciuitates & Domini amplexi sunt hæreticorum errores, vt hoc prætextu inuadere ac rapere possent thesauros Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum.

Tertium peccatum, quod hæresibus occasionem præbet, est Luxuria. Et ideo nulla propemodum hæresis orta est sine femina adiutrice. Exempla satis multa ac manifesta hodierni hæretici præbent: quia multi ex Catholicis clericis ad hæreticos declinant propter permissam ab eis licentiam contrahendi matrimonij omnibus, cuiuscumque status ac ordinis sint. Ita plurimi inter ipsos hæreticos ministerium Ecclesiasticum, qualecumque sit, ambiunt, quia vxores liberè habere possunt, quod in Ecclesia Catholica Dei nullatenus permittitur.

5. Causæ exteriores hæresum sunt, *Prima*, defectus prædicationis verbi Dei. *Secunda*, est temeraria prædicatio quorumlibet sine legitima missione Superiorum. Et sunt duplices mali prædicatores; alij qui falsa & hæretica docent: alij autem qui vera quidem docent, sed non vt decet & oportet. *Tertia*, est negligentia Episcoporum & Pastorum Ecclesiæ. Quam innuit Christus Dominus noster per parabolam, de zizaniis per inimicum hominem seminatis, cùm homines dormirent. *Matth.* 13. *Quarta*, hæresum causa exterior est Episcoporum & Pastorum indignitas, quæ consistit in defectu scientiæ eorum, quæ ad officia ipsorum pertinent; & prudentiæ ad ea dignè ministranda: Itemque in vitæ morumque prauitate. *Quinta* est translatio Scripturæ Sacræ in vulgarem linguam. Nam cùm in eadem Scriptura Sacra plurima sint difficilia ac sublimia, quæ simpliciores intelligere nequeunt; fit vt ea potius in alienum, quàm verum sensum accipiant. *Sexta* & vltima causa est lectio inordinata seu frequentior librorum gentilium. Quam innuit Apostol. Colossens. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam.* Vide Alphonsum à Castro *lib.* 3. *de iusta hæretic. punit. cap.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. Lorichium *in thesaur. verb. Hæresis*, & alios. Castro. Lorichius.

6. Hæresis natura consistit in electione falsa eorum, quæ credenda sunt, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 1. *in corp.* seu in opinione falsa ectum, quæ pertinent ad fidem: vt habetur *art.* 2. *eiusdem quæstionis.* Et proinde est aliquid internum habituale & permanens, vnde quando quis punitur ratione hæresis, punitur ratione mali sensus, quo malè sentit de iis, quæ pertinent ad fidem, cum pertinacia, qua obstinatè persistit in falsa opinione. Vnde si quis proferret verba hæreticalia, & etiam malè sentiret de fide, sine tamen pertinacia, sed quæreret veritatem: is non esset hæreticus neque vt talis puniendus, *cap. Dixit Apostolus* 24. *quæst.* 3. ex D. August. Actus autem externi non sunt hæresis, sed quædam manifestationes ipsius. Vnde quando agitur de hæresi, non tam verba dicentis, quàm mens debet attendi. Imò non reseruatur aut subiicitur excommunicationi peccatum hæresis, nisi quod secundùm quantitatem operis externi, & non sola relaxatione ad consensum internum certò constet esse mortalem, dicitque esse multorum recentiorum Henriquez *lib.* 6. *Sum. cap.* 14. *n.* 6. *lit.* I. D. August. Henriq.

7. Hæreticus non est, qui negat propositionem Theologicam, quæ euidenter infertur ex propositione de fide. Vt si quis agnoscat, quod Christus verus homo est, neget tamen quòd sit risibilis. Ratio est, quia talis vel agnoscit veritatem præmissarum, nec non illationis euidentiam, & tunc impossibile est, vt conclusioni dissentiat. Vel non agnoscit principij naturalis veritatem, quòd scilicet omnis homo risibilis est: aut si agnoscat, tamen ingenio tam hebes, vt illationis necessitatem non percipiat: tunc hæreticus minimè censeri debet, cùm non sit pertinax circa aliquam fidei propositionem, sed paratus corrigi, si conclusionem ex fidei articulis necessariò colligi intellexerit. In foro tamen externo talis præsumitur hæreticus: quia non præsumitur errare in principio naturali, omnis homo est risibilis, sed in vera Christi humanitate. Ita Suarez *de fide disp.* 19. *sect. vlt. n.* 3. *& sequent.* Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 33. Arragon 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. Diana *part.* 4. *tract.* 8. *resol.* 79. & alij, contra Canum & Valentiam docentes talem saltem esse hæreticum, non directè & immediatè, sed indirectè & reductiuè; sicut & ipsa propositio non est secundùm se & immediatè de fide, sed mediatè. Quia hic eo ipso errat contra fidem; nam consequenter cogitur ex natura rei propter illationis euidentiam negare præmissam de fide. Quæ sententia videtur non improbabilis. Suarez. Sanchez. Arragon. Diana. Canus. Valentia.

8. Certum est, nullam esse hæresim sine pertinacia, vt patet ex difinitione ipsius hæresis, quæ est error voluntarius contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia assertus ab eo qui fidem recepit. Sed difficultas est in declarando quænam sit ista pertinacia, sine qua nullus est hæreticus? Quidam enim iurisperiti sustinent minimè esse hæreticum pertinacem, si quis priùs non fuerit admonitus. Sic Alciatus *in l.* 2. *Cod. de Summ. Trinit. & fide Cathol. n.* 3. Menochius *volum.* 2. *cons.* 149. *n.* 49. & alij. Theologi ferè omnes asserunt ad pertinaciam sufficere, quòd sciens quis aliquid esse de fide, deliberatè illud non credat, sed vt quis animaduertat suam opinionem esse contrariam sensui Ecclesiæ Catholicæ, & tamen neglecta auctoritate Ecclesiæ persistat in sua opinione. Ita Pesantius, Malderus, Syluius, Bañez, Arragon & Caietanus *in* 2. 2. *quæst.* 11. *a* 2. & alij penes ipsos. Nonnulli distinguunt dicentes, primam opinionem procedere in foro exteriori, secundam verò in foro interiori. Ita Tannerus *in* 2. 2 *disp.* 1. *quæst.* 8. *dub.* 5. *num.* 91. & 94. Sanctarellus *de hæret. cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 18. *in fine.* Verùm si hæc distinctio admittenda esset, pauci hæretici punirentur cum magno Reip. periculo; quia omnes hæretici Alciatus. Menoch. Pesantius. Malderus. Syluius. Bañez. Arragon. Caietanus. Tannerus. Sanctarell.

Digitized by Google

hæretici se defenderent, dicendo quòd non fuerint admoniti. Sententia Theologorum est amplectenda non solùm in foro interiori, sed etiam exteriori. Ratio est, quia sine speciali admonitione potest esse electio erroris contra Ecclesiam, & si quæ admonitio necessaria est, ipsa notorietate doctrinæ fit, quemadmodum in excommunicationibus à iure, lex ipsa sufficienter admonet, vt subsit contumacia, quæ ad excommunicationem requiritur. Ergo non solùm in foro animæ, sed etiam in foro externo potest decerni contumacia, sine aliqua monitione præuia, vt bene docet Lorca *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *disp.* 42. *n.* 8. Lorca.

9. Hæreticus pertinax est, qui falsò putans aliquid esse ab Ecclesia definitum, contrarium sentit. Ratio est, tum quia formaliter à fidei ratione recedit, credens non in vniuersum esse vera definita ab Ecclesia: tum quia verè aliquid fide negat, nempe, Ecclesiam esse certam fidei regulam, nec fallere, nec falli potentem. Nec obstat, credentem falsò se percutere clericum, cùm verè is laicus sit, non incurrere excommunicationem; quia hîc non est verus clericî percussor. At ille est verus hæreticus. Ita Sayrus *de censur. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 14. Henriquez *lib.* 13. *de excom. cap.* 17. *n.* 3. Bañez 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *corollar.* 3. & alij. Sayrus. Henriq. Bañes.

10. Qui diuinæ reuelationi priuatim sibi factæ pertinaciter dissentit, habens sufficientia indicia reuelationem à Deo esse, verè ac formaliter infidelis est: nam sicuti omnis ille, qui ob auctoritatem Dei reuelantis, tamquam vnicum formale credendi motiuum, reuelatam sibi propositionem prudenter ac piè credit, fidei diuinæ actum elicit: ita huic formaliter oppositum actum infidelitatis exercet, quicumque reuelationi sibi à Deo factæ imprudenter ac pertinaciter dissentit. Ita communiter Doctores. Sed dubium est, an talis sit dicendus hæreticus? Affirmant Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 32. Vega, Catharinus apud ipsum. Ratio est, quia etsi Ecclesia non proponat eam rem reuelatam illi, credendam omnibus, nec huic credendam: at proponit omnibus credendam summam Dei veritatem, quam hic negat, eius reuelationi fidem non habens. Azorius autem *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 4. dicit hunc coram Deo esse verè hæreticum, non tamen incurrere pœnas hæreticorum: quia Ecclesia suas pœnas solis hæreticis statuit, qui ea, quæ omnibus ipsa proponit credenda, negant: cuiusmodi non sunt specialiter alicui reuelata. Sed verius est, si propriè & vsitatè loquendum, talem nec hæreticum appellari, nec hæreticorum pœnis subiectum censeri debere: quia hæresis est error contra fidem Catholicam: siue hæreticus propriè dicitur, qui in sententiis siue dogmatibus fidei ab Ecclesia contumaciter recedit. Sed quia tres sunt tantùm infidelitatis species, secundùm communem sententiam, vt diximus *tom.* 1. *verb. Infidelitas, num.* 6. dicendum est eiusmodi infidelitatem ab hæresi essentialiter non differre, ideoque ad eandem speciem reducendam esse. Ita Corduba *lib.* 1. *quæst. q.* 17. §. 1. *dub.* 2. Layman *de fide tract.* 1. *cap.* 13. *num.* 6. Sanchez. Vega. Catharin. Corduba. Layman.

11. Quidam absolutè affirmant hæresim sufficienter probari per testes singulares. Probatur quia testes singulares plenè probant in crimine læsæ maiestatis: ergo etiam in crimine hæresis, cùm sit perniciosius quocumque alio. Tum quia indubitata indicia in criminibus occultis & difficilis probationis faciunt plenam probationem, *l. final. Cod. de probat.* Illa autem sunt indicia indubitata, quæ faciunt iudicem non dubitare, licet credat potuisse aliter contingere: quia hæc credulitas est dubitatio non practica; sed speculatiua. Crimen autem hæresis est occultum & difficilis probationis: vnde magnus numerus testium deponentium de hæresi, licet sint singulares, faciunt indicium vehementissimum & indubitatum. Alij docent duos testes singulares non probare hæresim; tres tamen aut plures, qui non sint singulares singularitate obstatiua, probare. Tertia sententia asserit testes singulares in tempore & loco tantùm, concordantes tamen in specie & secta hæresis, sufficienter probare. Hæc opinio est probabilis, quam sustinent Lessius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 4. *num.* 33. Miranda *de ordin. iudic. tom.* 1. *quæst.* 17. *art.* 8. *concl.* 5: Anton. Gomez *lib.* 3. *variar. cap.* 12. *num.* 12. & alij. Communior tamen & probabilior opinio est, testes singulares in nullo vnquam casu hæresim sufficienter probare, nec posse aliquem ex vi testificationis ipsorum iustè condemnari. Ratio est, quia testes singulares se habent, ac si omninò essent vnus tantùm testis, vt docent communiter Auctores; quia cùm non conueniant in eo, quod deponunt, reuerà vnus est tantùm qui deponit; nam plura à pluribus deponuntur. Testis autem vnicus non computatur, sed se habet ac si non esset, in ordine ad sententiam, *cap. In omni negotio, & cap. Veniens ad nos, de testibus,* & *l. Iurisiurandi, Cod. de iureiurando.* Vnde est illud, Dictum vnius, dictum nullius; quia videlicet illi contraponitur negatio rei. Quæ omnia debent habere locum in crimine hæresis, in quo præsertim debent probationes esse luce meridiana clariores; nam agitur de maximo præiudicio rei: & ideo non debet condemnari, nisi certò constet de crimine: & rigoresiores potiùs probationes sunt exquirendæ in hoc crimine, quàm minùs sufficientes admittendæ; præsertim quia in hoc crimine conceduntur reo defensiones valde diminutæ: vnde adest periculum ne innocens damnetur. Ita Farinacius *in pract. crimin. quæst.* 64. *de testibus, num.* 17. *& quæst.* 63. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 31. & *tract.* 8. *resol.* 57. *vers. Dico octauò*, Simancas *de cathol. instit. tit.* 50. *num.* 21. *& tit.* 51. *num.* 2. Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 6. *cap.* 4. *num.* 5. Sanctarellus *tract. de hæres. cap.* 39. *dub.* 1. *num.* 4. & alij plures penes ipsos. Lessius. Miranda. Gomez. Farinac. Diana. Simancas. Layman. Sanctarell.

12. Quando plures testes deponunt de eadem specie hæresis contra aliquem; quamuis sint singulares in loco, tempore & etiam in facto, seu propositione hæretica, dummodo tamen facta & propositiones pertineant ad eamdem speciem hæresis, non sunt singulares, sed omninò conformes; & ideò sufficienter probant in ordine ad condemnationem. Probatur: quia tunc testes deponunt de eodem sensu interno & opinione falsa circa fidem, & ideò de vna & eadem hæresi: Ergo sunt omnino conformes circa id, super quo articulatur processus; quia articulatur super ipsa hæresi, non autem super manifestatione: quia articulatur super eo, de quo est puniendus reus; punitur autem ratione falsæ opinionis circa fidem. Confirm. quia id, in quo diuersi sunt, non est id quod est probandum, sed est ratio dicti ipsorum testium; ideò enim vnus deponit, Petrum esse hæreticum, quia audiuit ab eo propositionem continentem talem hæresim, & alius idem deponit, quia audiuit ab eodem propositionem aliam continentem eamdem hæresim; vnde vtuntur propositione hæretica audita tanquam ratione sui dicti. Vt autem testes sint conformes, non requiritur quòd vtantur eadem ratione sui dicti: sed sufficit quòd conueniant in re testificata; nam ratio dicti est extra rem testificatam; & ideò, si sit diuersa, non tollit concordiam testium in re testificata. Hinc fit, quòd singularitas huiusmodi in hoc casu non tollat fidem testibus, quia tempus & locus, & alia huiusmodi non sunt

de

de substantia illius, de quo articulatur processus; & proinde non tollit, aut minuit contestationem per se requisitam. Vnde Lessius *lib. 2. cap. 30. num. 33. in fine*, ait, Quod si duo de eadem hæresi asserta deponant, & solùm in tempore discrepent, plenè probant: quia in substantia delicti conueniunt: & quamuis non sit idem numero actus, tamen quia est idem numero significatum, habetur pro eodem actu: imò discrepantia temporis interdum facit ad maiorem fidem. Ita ille. Cui adde Sousam *in Aphor. Inquisit. quæst. vnica append. sect. 2. num. 11.* Simancam *de cathol. instit. tit. 64. num. 75. & sequent.* Pasqualigum *in decis. moral. decis. 158.* Villalobos *in summ. tom. 2. tract. 17. diffic. 3. n. 6.* Et ità practicatur ab Inquisitoribus Lusitaniæ, vt asserit Sousa supra.

Lessius. Sousa. Simancas. Pasqualig. Villalobos.

13. Hæresis sufficienter probatur per testes discordes in verbis, concordes tamen in substantia. *Ex cap. Nihil obstat. de verbor. signific.* Vbi dicitur, *Nihil obstat narrandi diuersitas vbi eadem dicuntur.* Ratio est, quia in testimonio attenditur substantia rei, de qua articulatur processus: quia hanc intendit iudex ponere in claro, cùm sit id, circa quod ferenda est sententia; & ideò non est exigendum à testibus quod in alio sint concordes, quàm in ipsa substantia: cùm hæc tantùm sit probanda ex intentione fori. Hoc autem contingit, quando testes deponunt diuersis verbis de eadem hæresi: qui concordant in substantia criminis, nempe hæresis. Ideò D. Thomas *2. 2. quæst. 70. a. 2. ad 2.* docet. Si verò sit discordia testimonij in aliquibus circumstantiis non pertinentibus ad substantiam facti, &c. talis discordia non præiudicat testimonio &c. Quinimò aliqua discordia in talibus facit testimonium credibilius, vt Chrysostomus ait super Matthæum: quia si in omnibus concordarent, etiam in minimis viderentur ex condicto eumdem sermonem proferre. Ita Sanctus Doctor, & cum illo Diana *part. 4. tract. 8. resol. 57. vers. Dico decimò*, Mascardus *lib. 2. de probat. concl. 856. num. 18. & sequent.* Royas *tractat. de haret. p. 2. assert. 6. num. 131.* & alij.

D. Thom. D. Chrys. Diana. Mascardus. Royas.

14. Quidam sentiunt plures testes singulares absque aliis indiciis, præsumptionibus, & adminiculis, sufficere pro tortura in crimine hæresis. Fundatur hæc sententia *ex l. 2. Cod. de Hæreticis*, vbi habetur; quod ex leui argumento quis probatur hæreticus; quod cum non possit intelligi quoad condemnationem, debet intelligi quoad inquisitionem & torturam. Ita Mascardus *tom. 2. de probat. concl. 856. num. 17. & 25.* vbi asserit, hoc in praxi seruari Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. 13. num. 7.* qui dicit esse communem opinionem. Verùm vnicum testem non sufficere, vt deueniatur ad torturam, atque adeò nec plures singulares, qui vnico tantùm æquiualent, docet Eymericus *in Direct. Inquisit. part. 3. quæst. 61. num. 8.* Et hæc sententia tutior est. Ratio est, quia in tribunali Inquisitionis, non manifestantur testes, ex quo fit quod non possint à reo dari exceptiones contra ipsos, quæ fortasse eos inualidarent, & quòd facilè quis induci ex hoc possit ad accusandum de falso, & sic daretur locus calumniæ. Tum quia torqueri ratione criminis hæresis, etiamsi non sequatur damnatio, imponit infamiam, quæ, cùm sit in tali genere: grauissima est; & per hoc declaratur ipso facto suspectus de hæresi, quod est valde præiudiciale vnicuique. Tum quia testes singulares non faciunt vehemens & violentum indicium, nisi aliud concurrat; nam violentum indicium est illud, quod habetur pro manifesta veritate, *cap. is qui, de sponsal.* Vnde contra ipsum non admittitur regulariter probatio. Hoc autem non competit testibus singularibus. Propterea non sufficere vnicum testem, etiam omni exceptione maiorem, ad torquendum reum bonæ famæ docent Diana *part. 4. tract. 6. resol. 6. vers. sed quid.* Sanchez *lib. 6. consil. moral. cap. 3. dub. 15.* Simanca *in Enchirid. tit. 52. num. 13.* Sousa *in Aphoris. Inquisit. lib. 2. cap. 39. num. 17.* & alij plures penes ipsos.

Eymericus. Gomez. Mascardus. Diana. Sanchez. Simancas. Sousa.

15. Controuersia est inter Iurisperitos, an possit puniri vt hæreticus, contra quem testes singulares deponunt diuersos actus & species hæresis? Plurimi negant, quia iste de nulla hæresi plenè conuincitur: qui autem non conuincitur duobus legitimis testibus, non potest de hæresi comdemnari; quia in hoc crimine requiruntur vberiores probationes; cùm defensionis ordo sit quasi imperfectus & truncatus. Tum quia quod non est verum in specie, nec etiam potest dici quod sit verum in genere: & consequenter si quis non potest damnari, vt talis hæreticus, nec etiam potest damnari vt hæreticus: ex eo autem quòd singulares testes deponant de singularibus speciebus hæresis contra aliquem, non est verum quòd ille sit hæreticus in tali specie hæresis. Ergo nec quod simpliciter sit hæreticus. Hanc sententiam sustinent Simanca *tract. de haret. tit. 64. num. 70. & sequent.* Royas *tract. de hæresi part. 2. assert. 6. num. 142. & sequent.* Farinacius *quæst. 64. de testib. num. 207.* Diana *part. 4. tract. 8. resol. 57. vers. Dico vndecimo*, & alij. Verior tamen sententia asserit talem posse damnari, quia hæreses inuicem colligantur & ad vnum finem tendunt, & ideò testes singulares deponentes de diuersis hæresibus sufficienter probant; quia vnus implicitè deponit, quod deponit alter explicitè, ob colligationem hæresum. Vnde in hoc casu potest iudex formare processum contra reum, in quo articuletur ipsum esse hæreticum absolutè, hoc est, defeciisse à fide Catholica; & super hoc poterit interrogare testes; qui vtentur singularibus hæresibus, de quibus deponunt, tanquam ratione sui dicti. Et tunc testes non sunt singulares, sed concordes: concordant enim in principali puncto, de quo formatur processus, quòd videlicet reus deseruerit Catholicam fidem; & solùm sunt singulares in ratione sui dicti, quod non tollit quin sint contestes: nam non testificantur de ratione sui dicti, sed de ipso dicto. Ita Minsingerus *obseru. 76. 3. vers. Hanc Doctorum repugnantiam*, Pasqualigus *in decis. moral. decis. 161.* & alij multi apud ipsum, qui ad rationes prioris sententiæ rectè respondet.

Diana. Farinac. Simancas. Royas. Minsinger. Pasqualig.

Plura hic possent adduci de hæreticis, sed quia pertinent ad forum externum, ideò ab illis supersedemus, de quibus videri possunt Iurisperiti tractantes de hæreticis & præcipuè Sapientissimus Diana *part. 4. tract. 6. 7. & 8.* apud quem multa de hac materia.

Diana.

Vide verb. Absolutio *n. 12.* Bellum *n. 16.* Baptismus *4. n. 13.* Beneficium *2. n. 1.* Excommunicatio *2. num. 22. 23. & 24.* Papa *num. 10.* Sepultura *num. 15.* Spes *num. 4. & 13.*

HOMICIDIVM I.

De Homicidio voluntario & Casuali

SVMMARIVM.

1 *Homicidium quid significet? & de diuisione illius.*

2 *An homicidium voluntarium aggrauetur ex modo occidendi.*

3 *Quod*

3 *Quod homicidium prohibeatur in præcepto Decalogi* non occides.
4 *An qui seipsum occidit, peccet contra charitatem & iustitiam.*
5 *An sit licitum pro salute temporali hominis privati morti voluntariè se tradere.*
6 *An reus condemnari possit, vt ipse sumat venenum vel aperiat sibi venam, vt ex inde moriatur.*
7 *An homo teneatur ad prolongandam vitam suam vti cibis optimis & delicatioribus.*
8 *An peccet mortaliter vtens cibo nocuo, vel inedia abbreuians vitam suam.*
9 *An liceat aliquando se mutilare.*
10 *An parentibus liceat castrare filios ad conseruandam vocem in seruitium Ecclesiæ?* Refertur duplex sententia.
11 *An licitum sit occidere inuasorem etiamsi ille qui inuaditur, fuerit in culpa prius, vt alter ipsum aggrederetur.*
12 *An qui se defendat contra iniustum aggressorem, possit intendere mortem eius?* Refertur duplex sententia.
13 *An iustè condemnatus vt fame pereat, teneatur ad comedendum, si illi cibus clanculum submittretur?* Refertur duplex sententia.
14 *An peccatum mortale sit sumere venenum, ad experiendam virtutem theriacæ.*
15 *Quo iure prohibitum sit clericis malefactores per se occidere.*
16 *An clerici dominium temporale habentes possint per seipsos sententiam mortis in malefactores sibi subditos ferre.*
17 *An Princeps possit alicui facultatem concedere absolutè, vt quis ante iudicis sententiam malefactorem occidat.*
18 *An possit Princeps, vel Resp. in aliquibus casibus concedere facultatem priuatis occidendi malefactores?* Remittitur.
19 *An iudex occidere possit eum, qui modò innocens est, sed prudenter timetur quòd postea sit futurus Reip. nocium.*

1. HOmicidium ex nomine significat occisionem hominis, quomodolibet factam, iustè aut iniustè. Sed vsu loquentium propriè definitur occisio hominis ab homine iniusta. Ea autem fit sex modis: facto, præcepto, consilio, defensione, permissione, cooperatione.

Homicidium generatim aliud dicitur voluntariũ: aliud non voluntarium, quod appellatur casuale. Quod voluntate fit homicidium duplex est. Vel enim directè & expresè volitum est, diciturque homicidium ex proposito, ac plenè voluntarium: vel quod volitum est in causa admodum propinqua, vnde mors suapte natura consequi solet: vel si quis ex iustitia teneatur impedire homicidium, & cùm facilè possit, nullum tamen omninò impediendi conatum adhibeat; nam hoc casu dolus non omninò abesse censebitur, vt si nauta naufragium non impediat, cùm possit.

Vel volitum est homicidium indirectè & interpretatiuè, interueniente culpa, sed non dolo, quod duobus modis potest contingere. *Primò*, si quis actionem exerceat, ex qua hominis occisionem non rarò consequi nouit, & ob id actionem intermittere; vel aliter ac maiore cautione procedere deberet. *Secundò*, si quis euentum homicidij ex iustitiæ lege impedire teneatur, & tamen quantum posset ac deberet non conatur impedire: in his casibus homicidium prouenies indirectè atque imperfectè voluntarium censebitur: vide Nauarrum *in man. c.* 27. *num.* 240. Couarruuiam *Clement. si furiosus, p.* 2. §. 2. Molinam *tr.* 3. *disp.* 33. *membr.* 5. *num.* 3. Nauarrus. Couar. Molina.

Homicidium casuale dicitur, quando nec in se nec in causa est voluntarium, id est, quando causa non est efficax, ita vt ex ea non soleat vt plurimum talis effectus sequi: vt si alicui inflixisti vulnus non lethale, sed mors sequuta est, vel malitia medici, vel negligentia & temeritate læsi; hæc occisio censebitur tibi fortuita; vt pluribus dictum est *tom.* 1. *verb. Homicidium.* 2. *num.* 1.

2. Homicidium voluntarium aggrauatur ex modo occidendi. *Primò*, si quis ab altero pretio, vel præmio conductus hominem interficiat: partim quia ignoscitur illi, qui ira & inimicitia instigante hominem inuadit quàm qui pecuniæ cupiditate in alterius gratiam: partim quia inuasus plerumque ad sui defensionem imparatus est contra eum, quem nulla cum ipsò antecedente inimicitia, suspectum non habet. *Secundò*, si quis ex insidiis hominem occidat, vt cauere sibi non possit: adimitur enim illi ius naturale se defendendi *l. vltim. Cod. qui accusare non possunt.* *Tertiò*, si quis aliquem veneno interficiat, iuxta *l.* 1. *Cod. de maleſ. & mathem.* vbi dicitur, *plus est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio*, vide Gomez *lib.* 3. *variar. c.* 3. *n.* 10. Molinam *tract.* 2. *disp.* 25. Gomez. Molina.

3. In præcepto Decalogi *Non occides*, omne & solum illud homicidium prohibetur, quod intrinsecam deformitatem dicit ad rationem & quæ contra charitatem & iustitiam est. in casu autem, quo eadem ratio occisionem hominis aut iubet, aut permittit, non erit occisio quæ per hoc præceptum vetatur, & quæ communi vsu loquendi appellatur homicidium, quod intrinsecè & semper est illicitum. Et sic nec priuata occisio aggressoris in propriam tutelam, nec ea qua iudex occidit malefactorem, iuris ordine seruato, homicidia sunt, aut exceptiones huius præcepti, cùm vtramque dictet recta ratio. Hinc casus illi antiquæ legis quibus præcipiebatur occidi homicidas, adulteros & similes, non sunt exceptiones huius præcepti, nec merè legales, sed interpretationes quædam iuris naturalis, cùm illos dictaret recta ratio. Vnde sicut licebat interficere adulteram, aut homicidam, aut furem in lege Moysi, ita etiam & ante legem & nunc in Euangelio eosdem interficere licet. Lex enim naturalis numquam mutata fuit; aut abrogata, aut limitata, aut extensa, sed immutabilis semper manet, cùm sit lumen naturale supra nos à principio signatum. Vt demonstrat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 94. *art.* 4. *&* 5. D. Thom.

4. Qui seipsum occidit peccat & contra charitatem & contra iustitiam. Ratio prioris est, quia quod aliquis seipsum interficiat; est contra inclinationem naturalem, qua res vnaquæque seipsam & conseruat & aduersus noxia tuetur, ergo semper est malum. Cum quia regula diligendi proximum à semetipso dilector accepit? quandoquidem scriptum est, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Cùm ergo sit contra charitatem proximi, ipsum priuata auctoritate occidere, non dubium est, quin occidere seipsum, sit etiam contra charitatem sui. Ratio posterioris est, quia vnusquisque est pars reipublicæ, ergo qui seipsum interficit inuita Rep. facit ei iniuriam, eò maiorem quo ipse fuerit reipub. vtilior, vtpote amputans ei membrum sine legitima auctoritate. Neque refert, aut quod Resp. non habeat dominium vitæ ciuium, aut quod se ipsum accidens non teneatur ad restitutionem Reip. faciendam; habet enim Resp. saltem custodiam vitæ singulorum ciuium eaque

in publicam sui vtilitatem. Quòd autem occisus non teneatur ad restitutionem; quidam opinantur rationem esse, quia solùm peccauit contra iustitiam legalem: vel melius dic, licet etiam peccauerit contra commutatiuam, Respublica tamen nullam exigit restitutionem, contenta vt iustitiæ vindicatiuæ satisfiat per ignominiosam corporis illius sepulturam.

D. Thom. Sotus. Couar. Ita D. Thomas 2.2. *quæst.* 64. *art.* 5. *ad* 1. Sotus *lib.* 4. *de iustit. quæst.* 2. *art.* 3. *concl.* 1. Couarruuias *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *num.* 8. & alij. Quamuis quidam putent peccare solùm contra charitatem sui. Ita Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restitut. cap.* 3. *num.* 34. quem

P. Nauarra. Clau. Reg. sequitur Clauis Regia Sayri *lib.* 7. *cap.* 9. *n.* 2. quando nullum inde sequitur damnum Reip.

5. Quorumdam sententia est, non esse licitum pro salute temporali hominis priuati, morti voluntariè se tradere. Ratio est, quia ordo charitatis non tantùm est in consilio, sed etiam in præcepto, saltem respectu eorum quorum homo non est dominus, vt est vita proximi. Sed ordo charitatis est, vt quis sibi potiùs, quàm proximo teneatur. Ergo vitam proximi conseruare, cum periculo meæ, non est actus virtutis, sed prodigalitatis & contra charitatem sui. Ita Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 41. & alij. Dicendum tamen est, licitum esse & laudabile vitam corporalem in aliquo euentu ad seruandam vitam corporalem amici æqualis conditionis certo periculo exponere. Ratio est, Tum quia licet præferre bonum virtutis bono corporis, quando necessitas hoc postulat: si quis igitur ex amore virtutis exponat propriam vitam pro vita proximi, non est cur reprehendatur. Vnde sic exponendo se periculo mortis propter alium, magis diligit seipsum, quàm amicum, dum amico velit solùm conseruationem corporis, sibi verò bonum honestum, & actum virtutis, atque adeò non violat præceptum charitatis, vt vult ratio contraria. Tum quia vita corporalis Christi multò est dignior, quàm vita animarum nostrarum: cùm ergo ipse vitam sui corporis posuerit pro animabus nostris, consequens est, quod vitam nostram corporalem, pro proximi vita, etiam corporali, possimus ponere. Ex quo sequitur, quod si duo sint in extrema necessitate, potest alter alteri cedere panem quem vnicum & vni tantùm sufficientem habet. Si in fuga hostium, potest ei concedere equum, vt fugiat; etiamsi ipse pedibus effugere non possit. Si grassante peste, potest sanus ministrare infectis, etiamsi putet se inficien-

D. Thom. dum. Ita D. Thomas *in* 3. *disp.* 29. *q* 15. *a.* 5. *ad* 3. & alij citati *tom.* 1. *verb. charitas*, *n.* 19. Hæc tamen intelligenda sunt, quod non pro quolibet, & temerè vita exponenda est. Nam si quis valde vtilis Reip. sit & amicus non item, vitam pro amico exponere non debet. Item si habet familiam & filios, qui sine vita sua educari & nutriri non possunt, non potest vitam pro amico dare, quia illud in aliorum præiudicium vergeret. Alias limitationes vide loco citato, ne bis eadem repetantur.

6. Non potest reus condemnari vt ipse sumat venenum vel aperiat sibi venam ex qua per totius sanguinis effusionem sit moriturus, & propterea si quis ita condemnetur non tenetur, imò neque potest parère sententiæ. Quod non teneatur, patet, quia sententia est iniusta, non enim potest iudex condemnare aliquem vt seipsum occidat, cùm hoc sit contra ius naturæ. Quod neque liceat parère sententiæ, ex hoc sequitur, quia nemini licet occidere seipsum. Pro quorum intelligentia notandum est, actiones mortem violentam præcedentes, esse duplicis generis. Quædam enim sunt proximæ & immediatæ, ex quibus proximè & efficienter sequitur mors, vt seipsum præcipitem dare, se è furca proiicere cum fune collum stringente, potatio veneni mortiferi, abscissio venæ, qua totus sanguis effluat, &c. Aliæ verò non sunt causatiuæ mortis, sed quædam dispositiones ad facilius patiendam mortem, vt ascendere scalam patibuli, aut collum extendere. Actiones primi generis omnino illicitæ sunt reo, nec illas iudex reo præcipere potest, quia non potest condemnare vt se interficiat. Ad eas autem quæ posteriores sunt generis potest ipsum condemnare, vt faciat eas omnes, quæ non possunt commodè fieri à carnifice, modò non sint illicitæ. Tamen si ex iusta causa iudex condemnaret reum ad potationem veneni omnino violentam & inuoluntariam, vt quod eo ligato, & ore per vim aperto infunderetur ei venenum, tunc reus deglutiendo non peccaret, cùm actio illa esset ipsi omninò inuoluntaria & in ea haberet se tantùm passiuè. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *dub.* 7. Syluius *ibidem quæst* 4. Bañez *ibidem concl.* 6. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restit. c.* 3. *num.* 81. Clauis Regia *loco cit. num.* 26. contra Franciscum à Victoria & alios. Vide Dianam *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 31. & 39.

Caietanus. Syluius. Bañez. P. Nauarra. Clauis Reg. Diana.

7. Quamuis homo teneatur non abrumpere vitam suam, non tamè tenetur ad vitam prolongandam cibis optimis & delicatioribus vti, etiamsi possit, sed communibus naturaliter productis: quia Deus non voluit nos tam solicitos & anxios de longa vita. Vnde si quis vtatur alimentis, quibus homines communiter vtuntur, & quantitate, quæ sufficere solet ad valetudinem conseruandam, dato quod ex hoc abbreuietur vita etiam notabiliter, & hoc percipiatur, non peccat. Quædam enim sunt alimenta, quæ licet non sint ita salubria sicut alia, non tamè sunt contraria vitæ humanæ, vt pisces, lacticinia, potus aquæ & similia, quibus communiter vtuntur homines: Hinc si quis eis vescatur ad sufficientiam, etiamsi inde abbreuiari contingat vita, & à salubrioribus abstineat, non peccat: quia vitæ conseruandæ gratiâ non omnia media adhibenda sunt, sed illa tantùm quæ ad hoc sunt necessaria & congrua. Sed hoc dictum sit de sanis & bene habentibus: nam ægrotantibus non liceret vti cibis insalubribus & nociuis, qui sanis sunt salubres. Ex quibus sequitur, quòd nõ tenetur quis vti medicinis ad prolongandam vitam, etiam vbi esset probabile periculum mortis, puta, quotannis sumere pharmacum ad vitandas febres vel alium morbum. Si tamen quis haberet certitudinem moralem, quod per pharmacum reciperet salutem, sine pharmaco autem moreretur, tunc nisi adesset iusta causa abstinendi, vix videtur posse excusari à peccato mortali, si non sumat medicinam, cùm medicina per se etiam ordinata sit à natura ad salutem. Sed quia hoc vix potest esse certum, ideò facilè non sunt damnandi de mortali, qui in vniuersum decreuerunt abstinere à pharmacis. Ita Victoria *in relect. de temperantia concl.* 1. *n.* 1. *& sequent.* Arragon 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 5. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *num.* 86. *& sequent.* Lopez *part.* 1. *instruct. cap.* 64. Iacobus Granadus *in* 2.2. *controu.* 3. *tract.* 6. *disp.* 2. *sect.* 3. *num.* 12. & alij apud Clauem Regiam *lib.* 7. *c.* 9. *n.* 28. *& sequent.*

Victoria. Arragon. P. Nauarra. Lopez. Granados. Clau. Reg.

8. Si quis cibo nociuo vteretur vel singulari inedia scienter, vel ex aliorum bonorum & sapientum sententia, exinde breui abrumperetur eius vita, non excusaretur à mortali. Quia id non esset prolongare vitam, sed abrumpere, quod sine peccato mortali fieri non potest, nisi forte id faceret ex peculiari auxilio & reuelatione diuina. Ita Victoria *loco cit. n.* 15. *& relect. de homicid. n.* 33. Petr. Arragon, Lopez supra.

Victoria. Arragon. Lopez.

9. Aliquando licitum est se mutilare, quando scilicet, salus totius corporis abscissionem requirit, siue -

siue illa proueniat ex naturali causa; puta, quia cancer membrum inuasit, aut vipera momordit, siue ex violentia & voluntate alterius, aut alia causa extrinseca; puta, quia tyrannus te occidit, nisi manum tibi amputet. Similiter si quis iniquè detineatur ligatis manibus aut pedibus cum certo vel probabili vitæ periculo, nec illud euadere valeat nisi abscindendo sibi membrum, quo vinctus, aut ligatus tenetur, potest sibi illud abscindere, vt mortem fugiat. Imò in tali casu, si vinctus non possit se secare, aut non audet, posset alter illum ex eius consensu secare; quia quod licitum est vincto in se facere, ad vitandam mortem, potest alter facere ex eius consensu. Ratio horum omnium est, quia se positiuè mutilare, non habet intrinsecam malitiam, sicut se occidere: quia licet nullus sit dominus vitæ suæ, sicut nec membrorum; quia tamen se occidit, ideò peccat, quia iniuriam infert corpori, illud vita priuando. Sed qui sibi membrum amputat ob totius corporis salutem, nullam ei facit iniuriam, sed potius eius bonum procurat, & proinde nullam ex se habet deformitatem; sed laudem & honestatem, aut saltem vtilitatem. Ita D. Thomas 2.2.q.64. *art.* 5. *ad* 3. & *quæst.* 65. *art.* 1. *ad* 2. Syluius *ibidem concl.* 2. Malderus *in* 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 20. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9 *dub.* 14. *num.* 96. Diana, *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 32. & alij, apud Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 2. Vide dicta *tom.* 1. *verb. Homicidium* 1. *num.* 32.

D. Thom. Syluius. Malderus. Lessius, Diana. Layman.

10. Parentibus non licet castrare filium, vt cantu possit Ecclesiæ melius deseruire. Probatur, quia talis castratio est intrinsecè mala, cùm nemo sit dominus membrorum suorum. Tum quia bonum quod sequitur ex castratione, nempe, vt suauius canat in Ecclesia, non est tanti momenti, vt ob ipsum res à natura tam aliena suscipiatur: cùm neque pro salute spirituali, aut periculo animæ vitando id sit licitum. Tum quia varia animæ pericula hinc consequi solent, cùm tales ardentius libidine inflammantur & impatientissimè ad concubitum feruntur. Vnde qui seipsum castrat, est sui homicida, vt habetur, *ex cap. si quis abscideris. distinct.* 55. & *cap. si quis à medicis, eadem distinct.* damnatur, qui seipsum castrat. Item jure ciuili sub pœna capitali prohibetur castratio, *l.* 1. *Cod. de Eunuchis* & *l. Cornelia*, §. *Plenè*, *ff. ad legem Cornel. de sicar.* Hanc sententiam tuentur Layman *lib.* 3. *sect.* 5. *part.* 3. *cap.* 1. *assert.* 2. *in fine*, Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 38. & *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 35. & alij multi apud ipsum. Non desunt tamen Doctores contrarium sentientes, nempe, castrationem esse licitam pro conseruanda voce, dummodo fiat consentiente puero, & sine periculo vitæ, vt contingit his temporibus ob castrantium peritiam; eò quòd fiat ob conseruandum maius bonum corporis: quia cùm vtile sit bono communi Ecclesiarum, habere eunuchos cantantes, potest bonum particulare eunuchi postponi bono communi Ecclesiæ. Confirm. quia castratio est licita vrgente aliqua necessitate corporali vt colligitur *ex cap. Si quis à medicis, ex cap. Eunuchus* & *ex cap. Si quis pro agritudine, distinct.* 55. Vnde cùm castratio non sit intrinsecè mala & ex obiecto, erit ex iis, quæ possunt honestari, quando fiunt ex iusta, atque rationabili causa: nam si esset intrinsecè mala, numquam esset licita, etiam vrgente necessitate. Ita tradit Salon 2. 2. *quæst.* 65. *a.* 1. *contron.* 2. *vers. Hinc sequitur*, Pasqualigus *in decis. moral. decis.* 498. qui ad omnes rationes contrarias respondet. Et hanc opinionem vt probabilem videtur admittere Tannerus 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 5. *n.* 101. An autem ita sit, iudicent viri docti.

Layman. Diana.

Salon. Pasqualig.

Tannerus.

11. Licitum est occidere inuasorem, etiamsi ille qui inuaditur, fuerit in culpa prius, vt alter ipsum aggrederetur. Ratio est, quia ipse inuasor iniuriam & vim facit, etiamsi priùs fuerit lacessitus factis, aut verbis: ergo licitum est vim illam & iniuriam repellere, & ob iniuriam, quam fecit alteri, non amittit ius naturale defendendi propriam vitam. Tamen si lacessitor præuidit pericula mortis futura ex actione propria, peccat peccato homicidij in corde suo, quando tale periculum præuidens, nihilominus statuit se in illo constituere. At vero postea in ipso periculo positus, non amittit ius defendendi se, donec doleat de peccato, quod non est ita facilè in illo conflictu, & perturbatione animi. Ita Molina *tract.* 3. *disput.* 15. Bañez 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *concl.* 3. Salon *ibidem controuers.* 1. *concl.* 2. Rodriguez *in Summ. tom.* 1. *cap.* 176. & alij, quidquid in contrarium dicat Nauarrus *in man. cap.* 15. *num.* 7. Vnde si adulter occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ maritum inuasorem, non tenetur ad aliquam restitutionem, vt docet Lessius *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 137. vide Clauem Regiam *lib.* 7. *c.* 10. *num.* 24.

Molina. Salon. Rodriguez. Nauarrus. Lessius. Clau. Reg.

12. Dubium est inter Doctores, an qui se defendit contra iniustum aggressorem, possit intendere mortem eius? Quidam negant: quia datâ operâ, seu ex consilio & deliberata voluntate intendere mortem aggressoris excedit moderamen inculpatæ tutelæ; cùm is qui inuaditur, possit [illegible]ueri aliter quàm eiusmodi voluntatem concipiendo. Vnde qui iniustè inuaditur, non debet aliud agere vel intendere, quàm se tueri, & quidem moderatè, vt proinde nequaquam velit eum inuasorem occidere, modò possit aliter euadere: si autem videat se aliter non posse euadere, potest conari sic debilitare inuasorem, vt ipse inuasor nequeat eum occidere; non potest tamen eum datâ operâ interficere: debet enim seruare moderamen inculpatæ tutelæ: ac propterea, is qui inuaditur, si inuasorem debilitando potest euadere mortem; non licet ei plus velle aut agere: si non potest, licitum est ei ferire in locis etiam periculosis, quamuis inde secutura sit mors inuasoris. Hæc sententia sine dubio est vera, licet difficilis in praxi; nam etiam difficile est se defendendo contra inuasorem eum interficere; seruato per omnia moderamine, quod secundùm Dei legem necessarium est. Hanc sustinent Caietanus *secunda secundæ quæst.* 64. *art.* 7. Bañez *ibidem dub.* 5. Syluius *ibidem*, *quæsit.* 5. Victoria *in relect. de homicid. à. num.* 16. & alij. Sed quia hæc methaphysica ad illud non deseruit, quàm ad moralem doctrinam turbandam, ad erroneas conscientias in materia satis lubrica gignendas, lethalisque peccati scrupulos iniiciendos, plurimi docent non improbabiliter, eum, qui iustè ac licitè se defendit, posse velle ac intendere etiam mortem inuasoris in sui defensionem conseruationemque suæ propriæ vitæ, tanquam in finem vlteriorem, quando iudicat mortem, ad eum finem esse necessariam. Ita Molina *tractatu* 3. *disputatione* 11. *num.* 4. Philippus Faber, Rodriguez, Villalobos, Sotus, Petrus Binsfeldius apud Dianam *part.* 5. *tractatu* 4. *resolut.* 16. & alij apud Clauem Reg. *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 20.

Caietan. Bañez. Syluius. Victoria. Molina. Faber. Rodrig. Villalobos. Sotus. Binsfeld. Clau. Reg.

13. Qui iustè condemnatus est, vt fame moriatur, probabile est teneri ad comedendum, si illi cibus clanculum submini[illegible]retur. Ratio est, quia si nollet comedere, etiam ea intentione, vt locum haberet iusta sententia, peccaret, quia directè se occideret. Tum quia & si teneatur subire mortem iustè inflictam à iudice, non tamen debet ipse sibi illam infligere, sed tolerare à ministris iustitiæ illam sibi infligi. Ita

D. Thom. Comitolus, Couar. D. Thomas 2.2. *quæſt.* 69. *art* 4. *ad* 2. Comitolus *in reſp. moral. lib.* 4. *quæſt.* 10. *num.* 6. Couarruuias *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *num.* 10. & alij. Verùm contraria ſententia non eſt improbabilis, quia qui non comedit poſitiuè, nihil ſibi infert ad mortem, ſed ſolùm permittit calore interno vitam abſumi: itaque ſolùm non conſeruat vitam: ad quod ſatis grauem cauſam habet, nempe vt ſe iuſtæ ſententiæ conformet. Ita

Leſſius. Malderus. Azorius. Sotus. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 29. Malderus *ſecunda ſecundæ tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 19. Azorius, Sotus & alij.

14. Quidam mortale putant, aſſumere venenum, vel permittere ſe à ſcorpione vel vipera morderi, ad experiendam theriacam. Ita

Lopez. Nauarrus. Lopez *part.* 1. *inſtruct. cap.* 63. Idem docet Nauarrus *in man. cap.* 15. *num.* 8. ante factum: poſt factum autem ſic ſumentem peccati damnare non audit. At hoc ſine ratione dictum videtur, ſi enim eſt peccatum mortale ante factum, non minùs erit poſt factum. Vnde dicendum eſt, poſitis tribus conditionibus concurrentibus, licitum eſſe accipere. *Primò*, vt componens illam theriacam pro homine legali habeatur. *Secundò*, vt in bruto animali periculo facto, virtus eius comprobata ſit. *Tertiò*, quòd ſumens venenum credat nullum eſſe periculum: tunc enim eſt, ac ſi non acciperet quoad effectum moriendi, quia ſi in eius ſumptione poſtea appareret periculum, poſſet ſtatim adhiberi remedium. Ita Petrus

P. Nauarra. Nauarra *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3 *num.* 83. ſi verò talis probabilitas non adſit, nullo modo licitum erit ſumere, eſſet enim directè cooperari ad occiſionem ſui. Ita

Malderus. Rodrig. Malderus. 2. 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 19. Rodriguez *tom.* 1. *cap.* 136. *n.* 2.

15. Non eſt prohibitum clericis iure naturæ, vt malefactores occidant, quia nec iuri naturali, nec rectæ rationi repugnat, vt clericus malefactores ſibi ſubditos occidat, nec etiam iure diuino hoc eis eſt interdictum, cùm nullibi in Sacra Scriptura legatur talis prohibitio. Solo igitur humano iure poſitiuo ob ſtatus decentiam, clericis prohibetur ne malefactores occidant. Vt habetur *in cap. neminem*, & *cap. Epiſcopum*, *diſtinct.* 45. & *in cap. ſententiam*; *cap. clericis*; *Ne clerici vel Monachi*. Hæc prohibitio Eccleſiæ iuſtè facta eſt clericis, vt illi ab omni prorſus abſtineant percuſſione, tam priuata, quàm publica auctoritate facta tum ad meliorem repræſentationem Chriſti Domini, tum etiam ob maiorem decentiam ſtatus Eccleſiaſtici & conuenientiam miniſtrorum nouæ legis.

16. Clerici, qui iure hæreditario, vel ratione prælaturæ, dominium temporale habent, poſſunt ex Summi Pontificis priuilegio per ſeipſos ſententiam mortis in malefactores ſibi ſubditos ferre. Ratio eſt, quia cùm hæc prohibitio ex ſolo ſit iure poſitiuo Eccleſiaſtico, vt dictum eſt, poteſt Summus Pontifex, qui pleniſſimam poteſtatem in ius Pontificium habet, cum clericis in hac re diſpenſare. Si verò ſolùm habeant priuilegium habendi iuriſdictionem temporalem, ſiue ſint ſupremi Domini, nullum agnoſcentes in temporalibus Superiorem, ſiue ſint inferiores alicui Regi ſeu Principi, tunc quidem ſolùm conceditur illis iuriſdictio temporalis, iuxta iuris canonici decreta, hoc eſt, vt abſque peccato vel irregularitate ferre poſſint leges condemnantes in generali malefactores ad mortem, & eligere iudices, tribuendo eis auctoritatem iudicandi, etiam ad mortem, prout recta ratio & iuſtitia requirit, vt expreſsè habetur *in cap. final. Ne clerici vel Monachi*, *in* 6. Vbi dicitur. *Epiſcopus, ſeu quicumque alius Prælatus, vel clericus iuriſdictionem obtinens temporalem: ſi homicidio aut alio maleficio ab aliquibus in iuriſdictione ſua commiſſo, ballino ſuo, aut alij cuicumque iniungat, vt ſuper hoc veritatem inquirens iuſtitiæ debitum exequatur: irregularis cenſeri non debet: quamuis ipſe ballinus vel alius contra malefactores ad pœnam ſanguinis proceſſerit iuſtitia mediante. Nam licet clericis cauſas ſanguinis agitare non liceat, eas tamen (cùm iuriſdictionem obtinent temporalem) debent & poſſunt metu irregularitatis, ceſſante aliis delegare.* Ex quo patet clericos in hoc caſu, non tam priuilegio Papæ, quàm iure communi hanc poteſtatem habere. Vide dicta *tom.* 1. *verb. Irregularitas V. n.* 7. & Doctores ibi citatos. Quibus adde Syluium 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 4. Syluius.

17. Non poteſt Princeps, aut Reſpublica legem ſtatuere aut facultatem alicui concedere abſolutè, vt quis ante iudicis ſententiam malefactorem occidat. Ratio eſt, quia eſt contra ius naturæ, vt quis non auditus condemnetur. Vnde Act. 25. Feſtus iudex ait. *Non eſt conſuetudo Romanis condemnare aliquem hominem priuſquam is, qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina, quæ obiiciuntur.* Et hinc homicidij ſunt rei occidentes veneno, vel alias ſecreto de mandato Dominorum non citatos, non auditos, non damnatos, etiamſi rei læſæ maieſtatis dicerentur, vt rectè docet Cajetanus *in Sum. verb. Homicidium.* Limitatur tamen hæc doctrina, vt non procedat quando crimen eſt publicum & notorium: tunc enim ſine citatione, defenſione, & proceſſu condemnari & puniri poteſt, quia talis non poteſt ſe licitè defendere in iudicio, negando factum vel alia via licita. Vnde iudices excuſantur, qui repertos in flagranti crimine publico & notorio, vt latrones in viis & huiuſmodi, ſtatim ſuſpendi iubent. Interuenit enim ibi notorium facti, loco accuſatoris & teſtium faciens publicam ſcientiam. Similiter quando reus ita eſſet potens vt capi non poſſet: tunc enim non vocatus & non defenſus condemnari poſſet in abſentia, debet tamen iudex facere proceſſum, in quo allegari & probari curet pro abſente, quæcumque poſſunt. Ita Nauarrus *in man. cap.* 25. *num.* 10. Salon 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 3. *controu.* 4. *concl.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 14. *num.* 100. Alios caſus exceptos à Superiori doctrina vide *tom.* 1. *verb. Index n.* 8. Doctores ibi adductos.

Cajetan. Nauarrus. Salon. Leſſius.

18. Poteſt Princeps vel Reſpublica concedere facultatem hominibus priuatis occidendi malefactores in aliquibus caſibus poſt latam ſententiam & declaratoriam criminis, quâ quis iuſtè ad mortem damnatus eſt. De his egimus *tom.* 1. *verb. Banditus per totum.* Et ibi dicta habent etiam locum circa latrones publicos, aſſaſſinos & alios viarum inuaſores & perturbatores Reipublicæ, quia iſti ſunt aggreſſores, & hoſtes reip. Ideò poteſt concedi facultas occidendi iſtos cùm non poſſint alia via comprehendi. Vt colligitur ex *cap. pro humani, de homicid. in* 6. Monuerim tamen vbi tales damnati non eſſent inuaſores itinerum, nec aſſaſſini, nec perturbatores Reip. aut facilè capi poſſent, aut ſolùm eſſent priuati homicidæ ſuorum tantùm inimicorum, non eſt concedenda talis occidendi facultas: quia experientia teſte occidi ſolent atrociter & inhumaniter, & ſine confeſſione Sacramentali, cum tamen Iudex, quantum patitur bonum commune, reis locum & tempus ad recipienda Sacramenta, ſub peccato concedere teneatur.

19. Ex communi omnium ſententia non licet Principi, aut iudici occidere innocentem ob bonum priuatum alterius perſonæ. Eſtque hoc ita certum, vt ſuperuacaneum ſit rationibus probare. Sed difficultas eſt, de eo, qui modo innocens eſt, prudenter tamen & vehementer timetur de illo, quòd futurus ſit poſtea

postea Reipublicæ nocitus, multaque & grauia mala contra eam commissurus, an Iudex eum occidere possit? Videtur quod sic: quia bonum commune præferendum est bono particulari cuiuscumque. Cùm igitur iudex teneatur prouidere bono communi, & impedit mala omnia, non solùm præsentia, sed etiam quæ in posterum Reip. accidere possint, quantum in ipso est, ideo poterit & debet talem innocentem, sed postea noxium Reip. futurum occidere. His tamen non obstantibus dicendum est cum communi Theologorum sententia in hoc casu innocentem non posse occidi: quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, aut deuitentur alia mala, sed malum & peccatum est hominem iustum & innocentem occidere; ergo nulla ratione faciendum, aut ad malum aliquod vitandum, aut ad bonum aliquod obtinendum. Ita ex communi Petr. Arragon 2. 2. *q.* 64. *art.* 2. Salon *ibidem.* Tum quia iudicium & iustitia humana assimilari debet diuinæ, nullum autem punuit Deus vnquam aut punit pro peccato futuro, sed tantùm pro præterito; Ergo iudex, qui Dei minister est, innocentem iam actu, pro futuro delicto occidere non debet, nec potest. Bono autem communi & saluti Reip. multis aliis modis prouideri potest sine morte istius hominis, vel per exilium, vel per custodiam vel per bonam instructionem, vel per aliquod aliud medium licitum.

Arragon. Salon.

Vide verb. Furtum *n.* 18. Aborsus. Immunitas Ecclesiar. *n.* 5. *& sequent.* Irregularitas 2. *n.* 1. *& seq.* Mătrim. 2. *n.* 28. *&* 29. Parentes *num.* 4. Restitutio *n.* 19. Reus *n.* 9. Sepultura *n.* 16.

HOMICIDIVM. II.

Quoad restitutionem.

SVMMARIVM.

1 *Quot modis possit quis alium ledere in corpore? Et duo mala nascuntur ex huiusmodi læsionibus.*

2 *Ex qua culpa teneatur occidens aggressorem.*

3 *Quando ex vulnere nascitur damnum in temporalibus, an ledens teneatur illud compensare.*

4 *An occidens inuasorem rerum suarum peccat contra iustitiam & teneatur ad restitutionem si eas per iudicem recuperare possit?* Refertur duplex sententia. *Et an occidere liceat furem fugientem cum re furtiua.*

5 *An clerici, religiosi aut infimæ conditionis homines peccent contra iustitiam occidendo inuasorem, si commodè fugere possint?* Refertur duplex sententia.

1. QVatuor modis potest quis alterum ledere in corpore. 1. auferendo vitam. 2. mutilando membrum. 3. infligendo vulnus. 4. lædendo in aliquibus bonis corporalibus, à quibus vita non dependet, vt in pulchritudine, celeritate corporis &c. Duo mala possunt considerari in huiusmodi læsionibus. Vnum est ipsa læsio secundùm se, scilicet occisio, vel mutilatio membri &c. Alterum est, damnum temporale, quod consequitur ex huiusmodi læsione, scilicet expensæ faciendæ in curatione læsi: lucrum cessans & damnum emergens, vt quando opifici abscinditur manus, quâ se & familiam alebat. Sed quia obligatio restitutionis nulla est, nisi quando violatur iustitia, inde est, quòd solus ille teneatur ad restitutionem, qui alterum iniustè mutilat aut occidit, &c. Qui enim iustè occidit & licitè legem iustitiæ non violat, licet aliquando contra charitatem peccet, vt qui aggressorem etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ interficit, mutilat si ex odio & appetitu vindictæ hoc faciat: si iudex, qui iustitia exigente hominem occidi faciat ex odio, aut alia passione inordinata annexa. Vnde cùm in his & aliis similibus casibus solùm charitatis, non autem iustitiæ leges violentur, nulla exinde restitutionis obligatio consequitur. His prænotatis ad resolutionem dubiorum particularium, quæ desiderátur, procedamus.

2. Occidens aggressorem tenetur ex dolo & lata culpa: quia est regula generalis, quod quando quis tenetur restituere ex delicto, obligatur solùm ex dolo & lata culpa, non autem ex leui, vel leuissima. Ratio est, quia quisq; in actionibus periculosis tenetur præstare diligentiam, quam homines eiusdem conditionis communiter præstare solent: ergo si hanc non adhibuerit, censebitur damnum illi voluntarium, quia non fecit quod debuit & potuit. Hæc autem culpa lata obligans ad restitutionem debet esse mortifera: quia quando solùm culpa venialis commissa est, non est actus perfectus in ratione iniuriæ, sed imperfectus: ergo non inducit obligationem restitutionis, saltem perfectam, qua astringat sub peccato mortali: non enim potest obligatio maior esse in suo ordine, quàm fuerit iniuria ex qua nascitur, in suo. Nec refert quòd in foro externo, interdum punitur culpa leuissima præsertim in committendo posita; hoc fit partim ob præsumptionem fraudis, quæ locum habet in commissione, partim ne detur locus negligentiæ vel fraudi. Sed quod dictum est, intelligendum est in foro interiori, vbi præsumptio non habet locum. Ita communiter Doctores apud Syluester *v. culpa n.* 6. vbi citat Panormit. & alios *v. Restitutio* 2. §. 12. *&* 17. vt etiam annotauimus *tom.* 1. *v. Restitutio* 1. *n.* 7. cum Doctoribus ibi citatis.

Syluest.

3. Quando ex vulnere relinquitur signum in facie, vel alia deformitas, & ex ea nascitur damnum in temporalibus, tenetur lædens resarcire hoc damnum, vt si v. g. quis iniustè deformauit aliquam fœminam, ratione cuius deformitatis ipsa maiori dote indiget, vt æquè bene nubat, talis deformans tenetur recompensare dando pecuniam, aut augendo dotem, qua damnum illatum resarciatur. Ratio est, quia pulchritudo & decentia córporis est bonum quoddam corporale, & æstimari potest, vt alia bona corporalia. Ita Sayrus *in Clani Regia lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 22. citans Couarruuiam & Petrum Nauarra.

Clauis Reg. Couar. P. Nauarra.

4. Quorumdam sententia est, occidentem inuasorem rerum suarum, si eas recuperare iudicialiter posset, peccare contra iustitiam & teneri ad restitutionem: quia nemini ex officio licet inferre grauissimum damnum proximo pro euitando leui suo; sed leue damnum est breui tempore carere rebus suis; maximum verò malum vitæ orbitas. Ergo. Ita Petrus Nauarra *de restitut. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 413. Bartolus *in l. furem, ff. de sicariis.* Fernandez *part.* 1. *c.* 14. §. 1. *n.* 13. & alij apud ipsum. Secunda sententia docet licere occidere furem cùm difficillima sperarctur ablatarum rerum recuperatio per iudicem. Ita Malderus 2. 2. *tract.* 3. *c.* 1. *dub.* 13. Hæ duæ sententiæ sunt probabiles. Verior tamen sententia sustinet, non peccare contra iustitiam, ac proinde non teneri ad restitutionem. Ratio est, tum quia quisquis ius habet defendendæ suæ possessionis, etiam ciuilis quam retinet, quamdiu furem habet in conspectu. Vnde potest eam tueri. Tum quia inuasor nullum ius iustitiæ habet vt domino inuito res suas accipiat, sed iniustè eas inuadit: Ergo iustè eas defendere quis potest etiam cum detrimento ipsius inuasoris. Ita Caietan. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. Rebellus *de oblig. iustit. part.* 2. *lib.* 3. *quæst.*

P. Nauarra. Bartolus. Fernandez. Malderus. Caietan. Rebellus. Lessius.

quæst. 12. *n.* 10. Lessius *lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 11. *n.* 71. qui nouissimus admittit esse contra charitatem in hoc casu occidere, quia charitas postulat, vt cum quàm minimo malo proximi, res propria seruetur.

Ex dictis infertur, quòd si fur fugiat cum tuo equo, potes eum fugientem telo vel sagitta occidere, si admonitus non desistat, quia adhuc non est in tuto positus, nec pacificè possidet, & tunc censetur durare aggressio seu inuasio; si enim hoc non esset licitum, defensio rerum magna ex parte esset inutilis, cum statim re accepta fures essent securi, domino non potente vi impedire, ne cum ipsa abirent. Ita Cardinalis Lugo *de iustit. disp.* 10. *sect.* 9. *n.* 179. qui pro hac sententia citat Molinam & Lessium *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 11. *n.* 74. & etiam diximus *tom.* 1. *verb. Homicidium* 1. *n.* 20. Lugo. Molina. Lessius.

5. Dissentiunt auctores, an peccent mortaliter contra iustitiam, vel solùm contra charitatem clerici, religiosi, aut etiam infimæ conditionis homines, qui alapa percussi, vel fuste, aut quocùmque alio modo inuasi non sibi consulunt fuga, cùm possint fugere ante acceptam iniuriam, sed repercutiunt, & occidunt inuasorem. In qua difficultate duplex est sententia. Prima docet esse satis probabile tam Ecclesiasticum, quàm secularem, quem fugere oportebat si id non faciat, sed resistat, & sui defendendi causa mutilet, vel occidat, non obligari ad restitutionem, neque in externo, neque in interno foro: quia propriè non infert iniuriam aggressori, quia se vltrò in in tale periculum coniecit, & quantum in ipso est, potestatem fecit inuaso se defendendi. Et huic sententiæ adhæsi *tom.* 1. *verb Homicidium III. n.* 2. cum Doctoribus ibi citatis. Tamen quorundam recentiorum magni nominis opinio est, tales non solùm peccare contra charitatem, sed etiam contra iustitiam. Ratio est, tum quia solùm licita est occisio, quando necessaria est ad vitam tuendam, vel graue malum arcendum. Sed in nostro casu, clericis & Religiosis &c. non est graue malum fugere, aut patienter sustinere id quod viro seculari esset ignominiosum: ergo pro non graui malo comparatione sui inferentes mortem, aut grauem mutilationem proximo contra iustitiam peccant. Tum quia vnusquisque habet ius ne occidatur ab alio auctoritate priuata, nisi ob necessitatem defensionis, cui iuri ille non renunciauit, licet passione turbatus voluerit se ei periculo exponere: cùm ergo tunc non sit necessaria occisio ad propriam defensionem, necesse est, quòd retineat malitiam integram homicidij iniusti. Ita Emin. Cardinalis Lugo *t.* 1. *de iustit. & iur. disp.* 10. *sect.* 8. *num.* 170. Dicastillus *de iustit. lib.* 2. *tract.* 1. *disp.* 10. *dub.* 5. *n* 68. *& dub.* 7. *n.* 80. qui hanc sententiam probabiliorem dicunt. Lugo. Dicastillus.

HONOR.

SVMMARIVM.

1 *Honor quid sit.*
2 *Honor distinguitur à reuerentia, laude, & gloria.*
3 *Excellentia, quam respicit honor, in quibus consistat.*
4 *Differentia inter honorem & famam.*
5 *Honor & cultus etiam differunt.*
6 *An censeatur remissio restitutionis honoris, familiaris conuersatio cum contumelioso.*

1. HOnor est *exhibitio reuerentiæ in testimonium alicuius excellentiæ, sine relatione eius in alium finem*: vel *est testimonium de excellentia alterius.* Fit autem hæc testificatio aliter erga Deum & homines absentes: aliter erga homines præsentes. Nam erga Deum & homines absentes honore dignos, sufficit conscientiæ testimonium, seu interior motus animi, quo recogitat quis excellentiam Dei, vel alicuius hominis coram ipso Deo. Testificatio autem excellentiæ hominis præsentis potest multis modis fieri: nempè verbis eum honorificis compellando: aut gestibus corporibus reuerentiam exhibendo, puta capitis apertione, poplitis inflexione, corporis inclinatione, assurrectione, occursu, præsentiæ exhibitione, officiorum aut dignitatum collatione, quæ idcircò per tropum solent honores appellari; vel offerendo munera: vel denique cùm ei imagines eriguntur, & horum similia fiunt. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 103. *art.* 1. & communis. D. Thom.

2. Honor distinguitur à *reuerentia*, partim vt effectus à sua causa efficiente, quoniam reuerentia, quam habemus ad aliquem, mouet nos ad honorem ei exhibendũ; partim à fine: idcirco enim honoramus quẽpiam, vt ei tanquam digno conciliemus reuerentiam apud alios. Distinguitur à *laude*, nam laus non præstatur nisi verbo vel scripto, honor autem aut verbis aut factis seu actionibus honorificis, aut rebus ipsis exterioribus quæ offeruntur, vel instituuntur in honorem alicuius. Distinguitur etiam à *gloria*, quæ est laudis, honorisq; effectus. Nam ex laude & honore alicuius, bonitas seu virtus eius clara redditur in notitia plurimorum: & hæc dicitur gloria. Est enim Gloria, clara cũ laude notitia, seu frequens de aliquo fama cum laude. Ita D. Thom. *loco cit. in corp. & ad* 3. D. Thom.

3. Excellentia, quã respicit honor, potissimum consistit in sapientia & virtute quæ etiam sanctitas dicitur: hæc enim habent præcipuam excellentiam. Deinde etiam in aliis perfectionibus & dignitatibus vel mortalibus, vel realibus à Deo communicatis, siue mediante ratione naturali, siue supernaturaliter. Hinc potestas, quæ est in Principibus Ecclesiasticis & secularibus, & quæ in Sacerdotibus est honoranda, quia est communicatio quædam diuinæ potestatis: dignitas quoque principij, seu causæ quæ est in parentibus: denique omnis perfectio rationalis naturæ: quia est participatio quædam perfectionis diuinæ est, aliquo modo ratio honorandi, si nihil aliud impediat. Denique id quod singularem quendam ordinem, vel vt effectus, vel vt instrumentum ad hasce perfectiones habet, etiam est ratio honorandi. Sic nobilitas & diuitiæ honorantur: nobilitas quidem quia ex præclarè gestis orta est: diuitiæ autem quia ad opera præclara facultatem præbent suntque virtutis instrumentum. Hinc patet quòd iussu Dei honore debent coli omnes superiores: Omnes Dei ministri, & homines Sancti; Parentes à filiis; Maritus ab vxore: Magistri à discipulis, vt scriptura sacra passim testatur. Gradus autem honorum distinguuntur secundùm diuersitatem excellentiæ, quæ apparet in singulis hominibus ac statibus. Ita colligitur ex Doctrina D. Thomæ *loco citato, art.* 2. & Commentatorum ibi. D. Thom.

4. Inter honorem & famam est etiam differentia: nam fama est opinio virtutis, sapientiæ, & rerum præclarè gestarum alterius: honor autem, est testimonium excellentiæ. Fama consistit in interna opinione, & dum exit in opus externum dicitur laus, vel vituperatio. Honor autem consistit in externa significatione nostræ æstimationis de excellentia alterius & submissionis nostri: vnde supponit opinionem excellentiæ, & intentionem exteriùs per aliquod signum eam testandi, idque ideò, quia hoc excellentiæ est debitum. Hinc honor est quid excellentius, quàm fama: vnam includit famam seu opinionem excellentiæ, & præterea eius testificationem & manifestationem. Ita communiter Doctores.

5. Honor & cultus etiam differunt; quia cultus aliquid ampliùs importat, quàm honor simpliciter loquendo

Digitized by Google

loquendo: nam Deus Sanctos honorat, neque tamen eos colit: quia cultus significat honorem cum sui submissione alteri exhibitum. Vnde cultus & honor debitus est Deo. Cùm enim honor sit testimonium excellentiæ; Dei autem excellentia sit in omni genere perfectionis infinita, consequens est ipsum summo honore esse dignum: &, cùm in illius excellentiæ cognitionem aliquovsque veniat creatura rationalis, quæ simul ipsum cognoscit etiam esse primum principium, à quo omnia habent totum id quod sunt, & quod possunt, nascitur in ea obligatio & debitum illum honorem Deo deferēdi.

6. Remissio restitutionis honoris regulariter non censetur facta per familiarem consuetudinem, seu conuersationem cum eo, qui contumeliam intulit. Ratio est, tum quia familiaris conuersatio aliis de causis fieri potest, vt causa indigentiæ, vel scandali vitandi; vel consuetæ conuersationis. Tum quia familiaris conuersatio non sufficienter indicat remissionem debiti pecuniarij: ergo neque sufficienter indicat remissionem honoris, qui maioris est momenti & æstimationis: nisi forte adsint expressa indicia, ex quibus remissio contumeliæ colligatur. Aliud enim est iniuriam, id est, odium ex animo remittere, ad quod fidelis quisque tenetur; aliud honoris iniquè ablati restitutionem cupere, quod licitum est, etiam in iudicio, dummodo puro animo sine odio & desiderio vindictæ fiat. Ita Nauarrus *in Man. cap.* 18. *num.* 46. Clauis Regia *lib.* 11. *cap.* 8. *num.* 14. Reginaldus *lib.* 10. *num.* 356. & alij contra Syluestrum & alios. Nauarrus. Clauis Reg. Reginald.

Quomodo autem honor sit restituendus, vide *tom.* 1. *verb. Contumelia, num.* 6.

HORÆ CANONICÆ I.

Qui teneantur ad Horas.

SVMMARIVM.

1 *Horarum Canonicarum numerum quare septenarius.*
2 *Horæ Canonicæ an iure diuino sint institutæ.*
3 *Horæ Canonicæ conuenientissimè in varias partes ab Ecclesia sunt distributæ.*
4 *An beneficiarius satisfaciat suæ obligationi, si per alium horas Canonicas recitet.*
5 *An qui beneficium inualidè accepit teneatur ad horas.*
Et quid de illo qui obtinuit beneficium cum onere soluendi alteri omnes fructus in pensionem.
6 *An Canonicæ Montenses, Malbodienses & similes teneantur ad horas persoluendas.*
7 *An pensionarius obligatus ad horas B. V. satisfaciat suæ obligationi, dicendo horas Canonicas.*
8 *An ille, cui resignatum est beneficium, reseruatis omnibus fructibus, teneatur ad horas.*
9 *An religiosus, seu Clericus, qui mane antequam professionem, vel Subdiaconatum susciperet recitauit horas, teneatur postea iterum eas recitare.*
10 *An dubium ob tenuitatem beneficij an teneatur officium recitare, obligetur ad illud?* Refertur duplex sententia.

1. HOrarum Canonicarum septenarius numerus tribus de causis est potissimum institutus. *Primò*, quia septem tempora ex sacris literis Diuinis Laudibus & precationibus apta & accommodata colliguntur, iuxta illud Dauidis in Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi. Secundò*, vt beneficium, quo cuncta sunt à Deo procreata, in memoriam reuocemus, & pro tanto munere gratias debitas agamus: nam septem diebus Deus rerum vniuersitatem è nihilo condidit. *Tertiò*, vt redemptionis nostræ beneficium ad memoriam pariter reducamus: nam septem præcipua redemptionis nostræ mysteria hisce horis completa esse noscuntur. Media siquidem nocte, vt Græci Patres sentiunt, Christus à mortuis resurrexit, vel potiùs, vt Latini arbitrantur, sub auroram. Media nocte, aut certè paulò post natus est. Hora prima ductus est ad Pilatū, & ad Herodem. Horâ tertiâ flagellis cæsus est, & caput eius corona spinea confixum. Horâ ferè sexta est crucifixus. Horâ nonâ emisit spiritum, descendit ad inferos, & Satanæ imperium deleuit. Vespertina horâ, est è cruce depositus: cum discipulis cœnauit, eorum pedes lauit; Eucharistiæ Sacramentum instituit. Horâ Completorij, post orationem in horto, & sudorem sanguineum emissum, cōprehensus à Iudæis, ad Annam & Caïpham ductus, variis modis derisus & despectus est. Hinc Glossa *in c.* 1. *de celebr. Missar.* hæc mysteria significat quibusdam versibus. Glossa

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet spatis: causam dat tertia mortis.
Sexta Cruci nectit; latus eius nona bipartit.
Vespera deponit: tumulo completa deponit.

2. Quamuis horæ Canonicæ Officium diuinum dicantur; non ideò tamen iure diuino institutæ sunt, vt volunt quidam, sed tātùm Ecclesiastico. Probatur, tum quia neque ex Scriptura, neque ex Ecclesiæ traditione, neque ex Sanctorum Patrum testimonio colligi potest has preces iure diuino institutas esse. Tum quia appellantur communiter horæ Canonicæ, quia per sacros Canones præscriptæ & ab Ecclesia institutæ sunt ad laudandum Deum: & idcircò officium diuinum appellantur, quia diuinas Laudes continent. Vnde quatenus important diuinum Officium absolutè sumptum & quoad substantiam, iam à temporibus Apostolorū originem traxerunt, iuxta illud. Act. 3. *Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*, vt ex Clemente 1. Basilio, Tertulliano optimè probant Doctores. Si tamen considerentur quoad formam & numerum horarum, non constat quandonam fuerunt institutæ: licet certum sit illas ab initio aliquam formam habuisse, & postea in hunc, qui nunc existit, modū redactas fuisse. De his vide Suar. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 1. & *cap.* 6. Bellarminum *lib.* 1. *de bonis operib. c.* 19. Azorius 1. *p. lib.* 10. *cap.* 1. apud quos plura. Suarez. Bellarmin. Azorius.

3. Diuinum Officium conuenientissimè in varias partes ab Ecclesia distributum est, vt constat ex *c.* 1. *de celebrat. Missar.* & *cap. Presbyter. dist.* 91. Et quidem Matutinum & Laudes comprehenduntur sub Officio nocturno, ex *cap. dolentes de celebrat. Missar.* Reliquæ sex horæ pertinent ad diurnum: vt enim in nocte institutum est Matutinum cum tribus nocturnis & Laudibus ad quatuor Vigilias nocturnas: ita in die ad quatuor Vigilias diurnas institutæ sunt quatuor horæ, nempe, Prima, Tertia, Sexta, & Nona. De prima probabile est, eam ab Apostolis originem traxisse, ex Clemente lib. 8. *c.* 34. *Precationes facite mane.* Tertia, Sexta, Nona & Vesperæ atque ad Galli cantum, certè consuetudo vniuersalis transcendit annos mille, vt refertur in regula S. Benedicti *cap.* 16. & *cap.* 1. *de celebrat. Missar.* & *cap. Presbyter., dist.* 91. Denique Completorium; etsi quoad nomen, non sit admodum antiquum, tamen quoad rem probabile est in Ecclesia Romana numquam defuisse; quia significat non esse concludendum diem sine Psalmorum cantu. Ex D. Ambros. *lib.* 5. *exam. c.* 12. vt pluribus docet Suarez *loco citato cap.* 5. *à num.* 9. & alij. D. Clem. D. Ambr. Suarez.

4. Beneficiarius præcepto perſoluendi horas canonicas non ſatisfacit, ſi per alium recitet. Ratio eſt, quia officij diuini recitatio eſt onus perſonale, & per alterum impleri non poteſt, etiamſi iuſto impedimento ſit obſtrictus. Excuſabitur tamen talis beneficiarius à reſtitutione, ſi diuinum officium ab alio ex ſua intentione recitatum, pro elee-moſyna defunctis applicanda, ſeu applicita contribuat: quia reſtitutio hæc fieri poteſt in celebrandis miſſis vel aliis ſuffragiis pro defunctis offerendis: quia verè pauperes ſuffragio noſtro maximè indigentes. Ita Diana *part. 9. tract. 9. reſol.* 22. & alij apud ipſum. Diana.

5. Qui beneficium obtinuit per ſimoniam, vel dum erat excommunicatus, vèl irregularis, aut ſine legitima ætate aut per aliam cauſam, ob quam collatio beneficij fuit nulla, ad penſum diuini officij non tenetur: quia nullos fructus facit ſuos, & tenetur ad eorum reſtitutionem.

Qui beneficium accepit cum onere ſoluendi alteri omnes fructus in penſionem, tenętur horas canonicas recitare, quia ſponte ſua & voluntariè acceptauit beneficium cum onere ſoluendi omnes fructus, & proinde ex pacto tacito obligatus eſt ad illius beneficij adminiſtrationem, ergo etiam ad recitandum diuinũ officium. Sibi igitur imputet quòd ſolùm beneficij titulum habeat, nam perinde eſt, ac ſi ſponte ſua beneficij fructus ipſe in alterum tranſtuliſſet. Confirmatur; quia beneficiũ non debet defraudari recitatione officij, ſed in hoc caſu non tenetur recitare penſionarius; ergo habens titulum, cùm ipſe ſit beneficiarius. Ita Ioannes Medina *Cod. de orat. quæſt.* 7. Nauarrus *in man. cap.* 25. *n.* 104. Rodriguez *part.* 1. *ſum. cap.* 140. *n.* 4. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *de horis canon. cap.* 20. & alij. Medina. Nauarrus. Rodrig. Suarez.

6. Conuentus ſeu Capitulum Canonicarum Mõtenſium, Malbodienſium, Niuellenſium & ſimilium, ſingulæq; de capitulo obligantur ſub peccato mortali, vt quotidie in earum Eccleſiis officium diuinũ fiat: ita vt ſi quæ id impediret, vel præſentiæ ſuæ ad id neceſſariæ ſubtractione (vt ſi admodum eſſent paucæ) vel alio modo, illa eſſet peccatura mortaliter. Quia officiũ diuinum publicè obeundũ, eſt præcipua functio, ad quam & Canonicatus & Præbendæ illæ ſunt inſtitutæ. Abſentia tamen vnius, duorũ vel etiam trium dierum alicuius perſonæ non neceſſariæ choro, non eſſet cenſenda peccatum mortale, etiamſi commodè poſſet adeſſe; ſicet poſſet eſſe peccatum veniale, ſi abſque cauſa legitima abſit.

Canonicæ illæ omittentes officium vno vel altero die, dum chorum non frequentant, non videntur peccare mortaliter. Primò, quia non tenentur ratione veri beneficij, vel ordinis, cùm præbendæ illarũ, etſi ad imitationem Canonicatuum, qui ſunt beneficia inſtitutæ ſint, tamen non ſunt veri canonicatus, ſeu beneficia: quia verũ beneficium requirit ordinem vel certè primã tonſurã, & animum perpetuò ſe addicẽdi ſtatui Eccleſiaſtico; & habitum clericalẽ. *Secundò*, neq; etiã ratione ſuæ præbendæ, tam ſtrictè ſunt obligãdæ: quia hæ non ſunt potiſſimũ inſtitutæ vt orent pro Eccleſia ſicut præbendæ canonicorum; ſed vt ibi honeſtè alãtur & piè inſtruantur, & poſtea, vbi ſtatũ firmũ capeſſerint, ſciant viuere ſicut decet Chriſtianas &c. officij autem recitatio ſolùm videtur annexa tãquã piũ exercitium, quod iuuet illas ad pietatem. *Tertio*, parum videtur credibile Sanctas Fundatrices illarum præbendarũ, tam ſeuerè illas virgines nobiles intendiſſe obligare ad quotidianã recitationẽ, modò fieret officiũ publicũ. Si tamen ad longũ tẽpus omitterent, v. g. ad menſẽ integrũ, vel fortè etiã ad hebdomadam, vnam credibile eſt eas peccare mortaliter. Quia etſi non multùm ſit cõtra finẽ inſtitutionis & intentionem fundatricis ad paucos dies omittere hoc pietatis exercitium; tamen videtur multum repugnare, ſi ad longum tempus fiat.

An autem amittant fructus ſuarum præbendarum; pro eo tempore quo non recitarunt officium, videtur quòd non, ac proinde nec teneri ad reſtitutionem: quia conſtitutio Concilij Lateranenſis ad ipſas extendi non debet, cùm ſit pœnalis. Poteſt tamẽ ſtatui, vt ſi omittant præſertim per multos dies non poſſint accipere fructus, vel certè vt illis detrahantur, ſeu vt non dentur. Hæc omnia docet Leſſius *in reſol. variar. caſ. v. Horæ Canonicæ. caſ.* 16. quæ tamen non admittuntur vt probabilia à D'Aluin in *tract. de Epiſcop. Abbat. & Abbatiſſ. poteſtat. cap.* 4. *n.* 3. vt videre eſt *tom.* 1. *v. Beneficium III. n.* 2. Sed tu lector iudica. Leſſius. D'Aluin.

7. Penſionarius, qui vt clericus percipit penſionem, non ita tenetur ad recitandum officium beatiſſimæ Virginis, quin ſatisfacere poſſit recitando horas canonicas, quod officium magnum vulgò nuncupatur. Prob. quia probabile eſt Papam non iniunxiſſe hanc obligationem dicendi horas beatæ Virginis reſtrictiuè, excludendo preces canonicas, quibus muneri ſuo meliùs ſatisfaceret, ſed accumulatiuè, ne penſionarium ad tantùm oneris obligare videretur, quanto beneficiarius aſtrictus erat. Imò ſacris initiatus, vel habens beneficium, ſimulque penſionem ſatisfacit ſuæ obligationi vnica magni officij recitatione, etiamſi paruum officium B. Virginis non recitet; ſicut habens plura beneficia, aut plures penſiones vnicá diuini officij recitatione oneri ſuo ſatisfacit, Ita tradunt communiter Doctores. *Vaſquez, Reginaldus, Suarez, Filliucius* & alij. Nota tamen ſi penſionarius liberaliter ceſſerit penſioni in totum, immunis & exemptus erit ab obligatione dicendi officium: quia cùm non dicatur amplius penſionem habere, neque dicendus eſt onere penſionarij grauari, iuxta Pij V. Conſtitut. An autem idem dicendum ſit de penſionario, qui conſenſit penſionem redimi, anticipatâ nonnullorum annorum ſolutione, eſt dubium? Quidam affirmant, alij negant & fortè probabiliter. Vaſquez. Reginald. Suarez. Filliucius.

8. Ille, cui [illegible]gnatum eſt beneficium, reſeruatis omnibus fru[illegible]bus reſignati, tenetur ad horas canonicas perſoluendas. Ratio eſt, quia verum habet beneficij titulum, & per ipſum ſtat, ne fructus capiat, cùm voluntariè beneficium cum hoc onere acceptauerit. Tum quia ne fundatores beneficij ſua defraudentur intentione & ſuffragio ipſis debito, cùm enim reſignans non teneatur amplius officium recitare & beneficio inſeruire, eo quod per renunciationem ceſſet obligatio; ergo ſaltem tenetur reſignatarius, ob rationem dictam. Ita Flaminius Pariſ. *de reſignat. lib.* 1. *quæſt.* 10. *n.* 5. Garzias 3. *part. cap.* 1. *num.* 57. qui refert ita deciſum in Rota. Pariſius. Garzias. Rota.

9. Religioſus, ſeu clericus, qui mane antequam profeſſionem emitteret, vel ſubdiaconatum ſuſciperet, recitauit officium, tenetur hoc non obſtante, illud iterum recitare. Ratio eſt, tum quia adimpletio præcepti ſupponit obligationem: ſed qui officium ante ordinis, vel profeſſionis ſuſceptionem recitauit, non habebat onus & obligationem officij recitandi, ergo non ſatisfecit præcepto officij. Ita Bonacina *de horis canon. diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *numero* 11. Negatiuam tamen admittit ſententiam vt probabilem Trullench *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 13. quia potuit anticipatè ſoluere. Faciunt pro hac opinione Doctores aſſerentes, quòd qui mane cõmunicauit, non tenetur poſtea, ſi incidat eadẽ die Bonacina. Trullench.

in

in periculum mortis, viaticum ſumere: quia cùm mane ſacram ſumpſit Euchariſtiam moraliter obligatio præcepti aderat; ergo adimpleuit præceptum. Ita *Suarez, Fagundez, Fauſtus, Mercerus, Coninck*, & alij citati à Diana *parte quinta, tractatu 3. reſolut. 33.*

Suarez. Fagund. Fauſtus. Mercerus. Coninck. Diana.

10. Quando eſt dubium ob tenuitatem beneficij de onere recitandi horas Canonicas, ſecundùm Vaſquez *in 1. 2. diſp. 65. cap. 3. num. 11.* tenetur ad illas: nam quando eſt obligatio certa & excuſatio dubia, tenetur quis obedire: quòd obligatio ſit certa, patet, nam certum eſt hunc habere beneficium, & per conſequens onus diuini Officij illi annexum. Contrarium docet Salas 1. 2. *tract. 8. diſputat. vnic. ſect. 17. num. 154.* quia eſt dubium iuris, & præceptum oneroſum & moleſtum implendum ex obligatione non eſt in caſu dubij, ſed hoc accidit in hoc caſu, ergo, &c. vtraque ſententia eſt probabilis.

Vaſquez. Salas.

Vide v. Penſio *num. 14. & ſequent.*

HORÆ CANONICÆ II.

Quoad modum & formulam eas dicendi.

SVMMARIVM.

1 *Quali Breuiario debeat vti ille, qui duo beneficia poſſidet in duabus Eccleſijs, quæ diuerſis vtuntur officijs.*

2 *An liceat ex iuſta cauſa mutare officium in aliud.*

3 *An poſſit Clericus relinquere officium proprium ſuæ Eccleſiæ, vbi habet beneficium & reſidet, vt vtatur officio alterius Eccleſiæ.*

4 *Iuxta quem ritum debeant Scholaſtici Clerici diuinum officium perſoluere.*

5 *An ſatisfaciat obligationi, qui recitando horas, volvit multo tempore paginas vt quærat Pſalmos.*

6 *An ſit peccatum mortale mutare officium, quoties mutatio forma redundat in tranſgreſſionem præcepti, quoad ſubſtantiam illius.*

7 *An qui recitando horas Canonicas vacat alteri rei, quæ non impedit attentionem, ſatisfaciat.*

8 *Quæ ſeruare debeant Prælati in Ordinatione diuini Officij.*

9 *Mos antiquus eſt Eccleſiæ vt Laudes diuinæ alternatim à pſallentibus dicantur.*

10 *An ſatisfaciat præcepto, qui medietatem Matutini recitat, & aliam medietatem audit à ſocio? vel qui recitat integrum Matutinum & Laudes & poſtea reliquas horas audit à ſocio.*

11 *An peccet mortaliter, qui legit Matutinum de Dominica & reliquas horas de Sancto.*

12 *An nouitij publicè in choro poſſint ſatisfacere obligationi communi profeſſorum.*

13 *An Frater Minor recitans Officium cum Carmelitano ſatisfaciat, vtens Breuiario Carmelitarum.*

14 *An poſſint Prælati diſpenſare, vt Officium recitetur de Sancto, quando recitandum eſſet de Feria.*

15 *Quomodo ſe gerere debeant regulares exempti, in celebrandis diuinis Officijs propriæ Diœceſis.*

16 *An ſit peccatum mortale minimum addere vel diminuere de diuino Officio, vt in perpetuum ſic duret?* Refertur duplex ſententia.

Quomodo ſint recitanda horæ Canonicæ? Remittitur.

1. QVi duo beneficia poſſidet in duabus Eccleſijs, quæ diuerſis vtuntur officijs, adhibendum eſt Breuiarium, quod adhibetur in Eccleſia in qua beneficiarius reſidet. Ratio eſt, quia potentius eſt vinculum domicilij & reſidentiæ quàm beneficij, præſertim ex quo cùm abſit ab illo, non præſumatur obligare ad inſeruiendum Eccleſiæ illius beneficij. Non eſt tamen improbabilis ſententia ſuſtinens extra chorum adhibendum eſſe Breuiarium, quod in ea Eccleſia adhibetur, in qua quis habet beneficium dignius, etiamſi alibi habeat pinguius: quia obligatio diuini Officij eſt perſonalis, & ſequitur perſonam vbicumque ſit, & maior dignitas præualet minori. Si autem beneficia ſint æqualis dignitatis, poteſt beneficiarius extra chorum adhibere Breuiarium iuxta formulam alterius Eccleſiæ: quia non eſt maior ratio cur ad vnum potiùs ritum, quàm ad alterum obligetur: cùm Diœceſim in vtraque Eccleſia contraxerit. De his vide Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 23. num. 8.* Filliucium *tract. 23. num. 223.* Azorius 1. *part. 10. cap. 11. quæſt. 2.*

Suarez. Filliucius. Azorius.

2. Ex iuſta cauſa poteſt fieri mutatio officij in aliud etiam ſine vllo peccato: vt ſi iuuandus eſſet alius ex charitate, ſi non eſſet copia alterius Breuiarij, & poſtea graue eſſet repetere ob neceſſarium vel valde conueniens ſtudium, vel aliud opus pietatis, vel alia ſimili de cauſa. Imò quando deficit Breuiarium Romanum, obligatus ad illud, poteſt & debet recitare horas per aliud approbatum, quod præ manibus eſt, & qui potens non eſt totum officium recitare per Romanum, & poteſt recitare per aliud Breuiarium approbatum, quia eſt breuius, ſatius erit per hoc recitare, quam alterum omittere. Ratio eſt, quia talis primò obligatur ad Officium diuinum, deinde ad modum eius, quod poſterius, ſi non poſſit implere, prius autem ſic peccat, ſi non implet. Ita Crouſers noſter *in Reg. D. Franciſci cap. 3. lect. 1.* Eſcobar à Corro *tract. de hor. Canon. queſt. 3. §. 1. num. 3.* Filliucius *loco cit. num. 229.* & alij.

Crouſers. Eſcobar. Filliucius.

3. Non poteſt Clericus relinquere officium proprium ſuæ Eccleſiæ in qua habet beneficium & reſidet, vt vtatur officio alterius Eccleſiæ. Quod probatur apertè ex Conſtitutione Pij V. Miſſali Romano præfixa; vbi præcipitur, vt omnes capeſſant vſum Romanum; exceptis illis ſolis, quorum Eccleſiæ habent officium ducentos annos ſuperans. His enim, quia durum videbatur eos cogere, tam diuturnam conſuetudinem deſerere & nouum officium amplecti, permittitur vt ſuam conſuetudinem retineant. Quòd ſi eam cupiant deſerere, fit illis poteſtas commutandi eam in Officium Romanum: nullo autem modo in officium alterius Eccleſiæ. Nulla enim ſubeſt ratio talis commutationis, imò eſt directè contra intentionem Pontificis, qui vbique cupit introduci Romanum, nec permittit vllum aliud, niſi cauſa tam longinqui vſus in Eccleſia propria continuati. Idem dicendum de Breuiario, ſeu officio horarum Canonicarum, vt ex alia Conſtitutione Breuiario Romano præfixa perſpicuum eſt. Ita Leſſius *in reſolut. var. verb. Hora Canonica caſu VII.*

Pius V. Leſſius.

4. Clerici Scholaſtici, dum in ſtudio literarum verſantur ſecundùm ius commune Canonicum in Officio Eccleſiaſtico perſoluendo, vti debent formula, quæ vſu eſt recepta in ipſorum Diœceſi, à qua

Digitized by Google

à qua originem trahunt, vel in qua domicilium habent, vel in qua beneficium possident. Iure autem nouo, eis est tenenda noui Breuiarij Pij V. auctoritate editi formula. Ita Azorius *loco citato quæst.* 3. & alij. Azorius.

5. Qui recitando diuinum officium voluit multo tempore paginas vt quærat Psalmos, &c. satisfacit obligationi: quia quærere Psalmos, &c. est quid accessorium recitationi officij; vnde cùm accessorium sequatur naturam principalis, qui attendit accessorio in ordine ad principale, censetur attendere principali; tum quia non potest insumi tantum temporis, vt censeatur pars notabilis respectu totius recitationis.

6. Si quis recitando horas Canonicas, vacet alterè rei, quæ non impediat debitam attentionem, satisfacit obligationi recitandi. Ratio est, quia quando alius actus exercitus simul cũ recitatione diuini Officij non impedit debitam attentionem, non tollit aliquid, quod sit à præcepto præscriptum; quia iam habetur recitatio cum necessaria attentione, quod solùm exigitur à præcepto. Et quo fit, quòd omnia, quæ ex habitu fiunt, non impediunt satisfactionem recitandi officium, quia cùm habitualiter fiant, non requirunt specialem attentionem, vnde nec impediunt necessariam pro recitatione. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 83. *artic.* 13. *in resp. ad* 3. Syluius *ibidem concl.* 7. *vers. Si petas*, Nauarrus *in Man. cap.* 13. *num.* 49. & alij. Caietan. Syluius. Nauarrus. Ceterùm licet hæc sententia sit probabilis, non est tamen, nisi vrgente necessitate aliquâ, ad praxim deducenda: quia licet saluet adimpletionem præcepti, non tamen illam decentiam, quæ est debita, quando quis vacat seruitio Dei: & valde dissonum est loqui cum Deo mediante oratione, & alteri rei vacare.

7. Suppositâ probabilitate sententiæ asserentis non esse peccatum mortale recitare septem Canonicas horas non seruata forma præscripta in Breuiario, quo legitimè quis vtitur, sed tantùm veniale, cuius sententiæ auctores aliquos adduximus *tom.* 1. *verb. Horæ Canonicæ II. num.* 4. quia substantia huius præcepti est de recitandis septem horis Canonicis: quod verò fit hoc modo, vel illo, id est de feria vel Sancto, &c. pertinet ad modum accidentalem, & ideò in illius mutatione non est transgressio præcepti, saltem lethalis. Difficultas est, an hæc sententia sustineri possit in casu, quo mutatio formæ redundet in transgressionem præcepti quoad substantiam illius? Respondeo quòd non: quia tunc transgressio modi non sisteret in modo, sed transiret in transgressionem præcepti quantùm ad substantiam. Hoc autem ex duplici capite sumendum est, vel ab vtroque simul ex parte quantitatis defraudatæ, & ex parte finis cultus in celebritatibus colendis grauiter defraudati. Exemplum prioris sit: si quis in Dominica recitaret officium feriæ tertiæ vt citiùs pensum horarium persolueret, peccaret mortaliter, quia ex modo isto recitandi sequitur defraudatio Officij diuini in notabili quantitate. Item, qui in omnibus feriis diceret officium feriæ tertiæ. Secus dicendum de illo, qui quando recitandum est de feria, recitaret de Sancto, quia defraudatio est in parua quantitate. Item peccaret mortaliter, qui in die Natalis Domini recitaret de Sancto Petro, propter notabiliter defraudatum finem cultus Ecclesiastici in celebritatibus colendis, etiam peccaret mortaliter propter vtramque causam, scilicet, defraudatæ quantitatis & diuini cultus Ecclesiastici euersi, qui in quadragesima recitaret de Festo Resurrectionis. Ita Diana *part.* 7. *tract.* 11. *resolut.* 7. De la Torre *de horis Canon. controuers.* 8. *num* 6. contra Caramuelem *in reg. D. Benedicti, disp.* 109. *num.* 1387. qui docet illum adimplere præceptum quoad substantiam, & deficere quoad modum, qui officium totius Breuiarij breuissimum semper recitat. Diana. De la Torre Caramuel.

8. Prælati in Officij diuini ordinatione quinque præcipuè seruare debent. *Primum*, vt Officium distinctè, alta & clara voce recitetur. *Secundum*, vt Officium & horæ Canonicæ cum acta pausa & potissimum deuotè & attentè persoluantur; vt docent Sancti Patres. Celebre est illud Glossæ distichon super D. Pauli verba ad Ephes. 5. *Deo non voce, sed corde cantandum.* Glossa.

Non vox, sed votum: non chordula musica, sed cor:
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

Tertium, vt Officium & horæ Canonicæ statutis horis, non aliis, absque legitima & rationabili causa dicantur, vt præcipitur *in Clement.* 1. *de celebrat. Missar.* & *in cap. Presbyter. eod. tit.*

Quartum, vt in choro diuina Officia, prout temporis ratio postulat, alternatim canantur, vel recitentur, attentéque audiantur. Idque non cursim, non perturbatè, non syncopando, nec extranea, ac prophana vel inhonesta permiscendo, sedendo, stando, caput aperiendo, ac inclinando, antiquas sui Ordinis à Sanctis Patribus introductas cæremonias & consuetudines maximè seruandas curet.

Quintum, vt approbatos à Sede Apostolica ritus, & suorum Superiorum statuta, ac propriæ Ecclesiæ in diuino Officio celebrando laudabiles consuetudines summo studio, ac diligentia sequatur, ne boni Pastoris, & Ecclesiæ suæ sponsi onere & honore iure merito priuetur.

9. Mos vetustus Ecclesiæ est, vt laudes diuinæ alternatim à psallentibus dicantur, quibusdam concinentibus & aliis audientibus, & è conuerso canentibus qui audiebant, & audientibus qui canebant. Et ex isto more antiquo deriuatum est, vt recitationi septem horarum Canonicarum satis fiat per modum hunc laudabilem alternis versibus recitandi, siue in priuata recitatione, siue in publica, quæ fit in choro. Vnde ij qui tenentur recitare horas Canonicas, si assistant choro canenti, & nec recitent submissè partem sibi correspondentem, nec illam canant, non satisfaciunt obligationi recitandi horas Canonicas: quare si postea eas domi non recitent, transgressores sunt præcepti Ecclesiastici de Officio diuino recitando. Ratio est, quia præceptum Ecclesiasticum est de recitandis horis Canonicis modo ab Ecclesia approbato & recepto; sed isti non recitant, sed tantùm audiunt: non enim recitant versus suos, nec alios: ergo.

10. Non satisfacit præcepto, qui medietatem Matutini recitat, & aliam medietatem audit à socio; vel qui recitat integrum Matutinum & Laudes, & postea audit horas & reliqua à socio. Nam ex tali casu, nec physicè, nec moraliter videtur tali recitare illas medietates Officij, sed tantùm audire: ergo non satisfacit præcepto, quod imponit recitare, & non audire officium. Nec militat eadem ratio in recitatione, quæ alternatim more solito efficitur cum socio: nam tunc moraliter vnus socius dicitur recitare partem alterius socij; nam vnusquisque eorum participat in recitatione, v. g. vnius Psalmi, vnius horæ, &c. Idem dicendum si quis recitando Vesperas diceret vnum integrum Psalmum, & alius socius alterum Psalmum. Ratio horum omnium est, quia vti debemus priuilegio recitandi cum socio, prout concedit & admittit consuetudo Ecclesiæ, sed Ecclesia non habet vsum alternatim sic dicendi horas Canonicas: ergo, &c. Ita Diana *part.* 9. *tract.* 7. *resol.* 36. Quamuis Pellizzarius *in Manual.* Diana. Pellizzarius.

manual. Regular. tom. 1. *tractatu* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *num.* 91. putet satisfacere illum, qui per se solum recitat omnes Psalmos officij nouem lectionum, & postea ab alio ad hunc finem euocato, audit omnes nouem lectiones. Rationes huius opinionis videri possunt apud ipsum; an autem sint probabiles, tu Lector iudica.

11. Qui sentiunt dari octo præcepta de Officio diuino & omissionem eiusdem non vnum, sed octo esse peccata mortalia, consequenter dicere debent eum, qui legit horas aliquas de Dominica & reliquas de Sancto, non peccasse mortaliter: quia singulis præceptis satisfecit quoad substantiam; tot autem peccata venialia commisisse quot horas mutauit & legit contra Rubricas. Est autem mortale iuxta alteram sententiam, quia non legit Officium diuinum, sed duo semi officia, quæ non possunt ita connecti, vt vnum Officium diuinum constituant: quia ex aliquot horis de Dominica, & aliis de Sancto, si coniungantur non exurget Officium diuinum approbatum à Sede Apostolica. Ita Caramuel *in* Caramuel. *regul. D. Benedict. disp.* 110. *n.* 1403.

12. Dubium est, an Nouitij faciant corpus communitatis, nempe, an tres, vel plures publicè in choro possint communi diuino Officio satisfacere? Respondent nonnulli affirmatiuè, quia in fauorabilibus Nouitij censentur religiosi: negatiuè alij, eo quòd nondum incorporati sint. Cæterum adsunt pro vtraque parte probabiles rationes. Pro negatiua, quia obligatio persoluendi horas Canonicas in choro est imposita communitati professorum, sed Nouitij non sunt professi, nec pars communitatis, quoad hoc dici possunt, cùm non sint Monasterio incorporati. Pro parte affirmatiua facit, quod sicut Nouitij de facto gaudent priuilegiis professorum, ita dicendum est posse soluere onera ad quæ professi tenentur, licet ad illa non teneantur Nouitij. Vnde in affirmatiuam inclinare videtur Diana *part.* 7. *tract.* 11. *resolut.* 5. & ego. Licet Caramuel *loco citato disp.* 101. *dub.* 6. hoc dubium indecisum relinquat. Diana. Caramuel.

13. Difficultas est, an Frater Minor obligatus ex vi regulæ suæ ad Breuiarium Romanum, satisfaciat suæ obligationi recitans officium cum Carmelitano? videtur quòd sic, quia quidquid alteri relatiuo conceditur, necessariò conceditur correlatiuo: correlatiua enim sunt simul cognitione: tum quia non est intelligibile quòd duo debitè recitent vnum Officium diuinum, & vno satisfaciente, alter non satisfaciat. Ergo duo religiosi diuersorum Ordinum sine venialis culpæ scrupulo possunt simul recitare iuxta Rubricas alterutrius Breuiarij. Caramuel. Sic docet Caramuel *loco citato num.* 1366. qui pro Portel. hac sententia adducit Portel *in dub. regul. verb. Hora Canon. num.* 8. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 30. *num.* 4. Henriq. In contrarium facit, quòd vnusquisque tenetur recitare iuxta formam sui Breuiarij, vt patet ex Bullis Pontificiis appositis in principio Breuiarij Romani, & aliorum Breuiariorum Monasticorum & infligentibus grauissimas pœnas. Vnde Frater Minor si alternatim recitet horas Canonicas cum Carmelitano, relinquit suum Breuiarium, & recitat iuxta formam Breuiarij Carmelitani; ergo non videtur satisfacere præcepto, vt docet Castrus Palaus Palaus. *tom.* 1 *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 2. *num.* 2. Diana *part.* 7. Diana. *tract.* 11. *resolut.* 11. Sententia tamen Caramuelis posset admitti in casu quo Frater Minor careret Breuiario Romano, vt diximus *supra num.* 2. cum De la Torre Doctoribus ibi citatis. Licet Raphaël de la Torre *de horis Canon. controuers.* 8. *num.* 1. & alij admittant non esse mortale semel, aut iterum relinquere Breuiarium Romanum & alio vti sine causa, secus autem si crebriùs: quibus adhæret Diana *p.* 2. *tract.* 12. *resol.* 10. Diana.

Sed circa hoc dubium, est concessio Innocentij IV. facta Fratribus Minoribus per Bullam Authenticam, vt refert Calarubius *in Compend. privil. mendic. verb. Officium diuinum* 1. *num.* 4. vt quando ratione itineris, vel alterius rei causa, extra conuentus, seu loca sua, quemlibet, vel quoslibet eorum contigerit degere, possint diuinum Officium Fratres cum Fratribus, aut simul cum aliis regularibus personis, vel quilibet separatim facere alio, quàm Romano Ordine, placuerit. Et quod id sufficiat ad persoluendum debitum, ad quod ratione Regulæ tenentur, nec iterum proprium Officium dicere teneantur. Ex qua concessione, quæ adhùc durat, cum non constet de sufficienti reuocatione illius, possunt Fratres Minores & alij regulares per viam communicationis, siue itinerantes, siue extra Monasterium commorantes occasione studiorum, prædicationis, negotij, aut alterius similis causæ, si aliàs ex vi regulæ, aut ex consuetudine Officium diuinum recitant iuxta formam Breuiarij Romani, illud recitare, etiam ex alio Breuiario, tum separatim, tum vna cum religiosis eiusdem, aut alterius Ordinis. Ex quibus patet, istam concessionem non suffragari religiosis non recitantibus iuxta formam Breuiarij Romani. Ita Hieronymus Rodriguez *in* Hier. Rodr. *compend. quæst. regul. resol.* 24. *num.* 34. Miranda *in* Miranda. *Man. Prælat. tom.* 1. *quæst.* 37. *art.* 13. Diana *part.* 3. Diana. *tract.* 2. *resol.* 135. Pellizzarius *in Man. reg. tract.* 5. Pellizzarius *cap.* 8. *num.* 77. Innoc. IV. Calarubius.

14. Non potest Prælatus mutare aliquid de Breuiario absque licentia Summi Pontificis: nam hoc prohibet Pius V. in Bulla præfixa dicto Breuiario: Pius V. vnde non potest præcipere, vt recitetur Officium non contentum in tali Breuiario, nec concessum Ordini per aliquod Papæ priuilegium. Potest tamen dispensare cum subditis suis ex rationabili causa, vt aliquando, non tamen in perpetuum nec per modum constitutionis, recitent Officium de Sancto, die, qua essent recitaturi de feria, si præsertim mutatio fiat, secundùm rubricas illius Breuiarij, quo ipsis licet vti. Dari enim potest iusta causa semel, vel bis dispensandi in vno vel alio occurrente casu, non autem ad dandam dispensationem permanentem, vt quis possit semper & pro arbitrio suo id facere. Ita Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 11. Suarez. *num.* 6. & *cap.* 23. *num.* 17. Portel *in dub. regul. verb.* Portel. *Hora Canon. num.* 7. Filliucius *tract.* 23. *num.* 129. Filliucius. & alij. Non possent tamen Episcopi & Prælati Religionum dispensare cum suis subditis, vt non recitent Officium iuxta ritum Breuiarij Pij V. ad quod tenerentur, sed iuxta aliud Breuiarium approbatum. Ratio est, quia illa obligatio nascitur ex lege Summi Pontificis, in qua non potest inferior dispensare saltem sine causa; vnde si ita dispenset, non solùm iniusta, sed etiam inualida erit dispensatio. Ita Nauarrus *de oratione, cap.* 11. *num.* 30. Bonacina *de Hor. Canon. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 1. *num.* 19. Reginaldus *lib.* 18. *n.* 170. & alij. Nauarrus, Bonacina, Reginald.

In priuata autem recitatione posset dari dispensatio ad mutandum Officium propriæ Religionis cum Romano, etiam sine causa; nam hoc sine dispensatione fieri posset. Ad mutandum verò Officium vnius Religionis, cum Officio alterius semel, aut bis dispensatio concedi posset ex rationabili causa. Sed maior causa necessaria est, si detur licentia ad faciendas mutationes aliàs communi iuri & consuetudini repugnantes.

15. Regulares in celebrandis diuinis Officiis debent Ecclesiæ matrici illius ciuitatis & Diœcesis conformari. Probatur ex Constitutione Greg. XIII. Greg. XIII. sub

ſubdat. Romæ 30. Decembris 1573. quæ incipit, *Paſtoralis officij*. In qua Conſtitutione hæc verba leguntur. *Et quo die celebrabitur feſtiuitas Patroni vnius Diœceſis, Religiones omnes teneantur eodem die in ſuis Eccleſiis, intra limites illius Diœceſis exiſtentibus, eandem feſtiuitatem celebrare, & in hoc cum Eccleſia matrice ſe conforment.*

Conc. Trid. Ad hoc etiam facit id quod habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 12. de regular.* vbi hæc verba habentur. *Dies feſti quos in Diœceſi ſua Epiſcopus ſeruandos præceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus ſeruentur.* Circa quæ verba ſacra Sac. Congr. Congregatio Concil. Trident. ſtatuit intelligenda eſſe quoad conciones & lectiones quas iidem Regulares ad populum habuerint. Et huius declarationis tenorem retulimus *tom. 1. verb. Miſſa IV. n. 9.* Sed vt in vtroque tomo præ manibus habeatur, iterum apponimus.

Congregatio Concilij cenſuit decretum, cap. 12. verſ. dies etiam Feſti, *ſeſſ. 25. de regul. ita eſſe intelligendum, vt regularium ritus illis feſtis ſemper permaneat quoad Miſſas celebrandas, & cætera diuina officia tam publicè, quàm priuatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſiis perſoluenda, neq; circa hæc ab Epiſcopis quoquo modo quidquam in contrarium eiſdem Regularibus præcipi poſſe, quòd ſi de facto præceperint, Regulares ipſis Epiſcopis neutiquam obedire teneri. Verùm quoad conciones & Lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare Euangeliis, & Epiſtolis, quibus Clerus ſecularis vtitur illis diebus Feſtis.*

Aduertendum hic eſt, quod ſupradicta Conſtitutio Gregorij XIII. non contrariatur Decreto Sacræ Congregationis Concil. Trident. quia Conſtitutio Gregorij loquitur de patrono Eccleſiæ matricis, ſeu Diœceſis: Decretum verò loquitur de aliis Feſtis.

16. Quidam putant eſſe mortale, vel mininum addere vel diminuere de diuino Officio, animo vt in perpetuum ſic duret tamquam pars diuini Officij quod additum eſt. Ratio eſt, quia licet reſpectu diuini Officij illa ſit minima pars, & leuis additio vel diminutio, non eſt tamen leue, ſed graue illam minimam partem ritui Eccleſiæ quaſi perpetuò addere, vel diminuere, tum ob vſurpatam iuriſdictionem, tum ob introductionem noui ritus & cultus. Ita Suarez *lib. 4. de horis Canon. cap. 13. n. 15.* Filliucius *tract. 23. cap. 6. quæſt. 11.* Verùm licet hæc ſententia ſit probabiliſſima & tenenda: non eſt tamen improbabilis ſententia aſſerens eſſe tantùm peccatum veniale. Paruitas enim materiæ, præciſis aliis circumſtantiis, ſemper à mortali excuſat, vbi illa dari poteſt. Ita Bonacina *de horis Canon. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 1. n. 21.* Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 7. diſp. 2. punct. 2. num. 15.* & alij. Certum eſt autem apud omnes, quòd ſi aliquid addatur tanquam aliquid extrinſecum, ſeu concomitanter ad maiorem ſolemnitatem, non eſſe peccatum, vt ſi inter vnum & alterum Pſalmum aliquid canatur ad organum; quia hoc nullo iure prohibetur: tum quia moraliter loquendo, non eſt alia forma, nec cenſentur illa addi, vt pars diuini Officij, ſed quaſi per accidens.

Suarez. Filliucius. Bonacina. Palaus.

Quomodo autem ſint recitandæ horæ Canonicæ iuxta præceptum Innocentij III. *in cap. Dolentes de celebrat. Miſſar.* diximus ſatis ſuſè *tom. 1. verb. Horæ Canonicæ II. à num. 7. vſque in finem.* Illud hîc tantummodo addam, quòd Canonici, qui tempore diuini Officij ordinariè per notabile tempus & ad omnem occaſionem fabulantur, non excuſentur à graui peccato; tum propter ſcandalum, tum quia lege iuſtitiæ tenentur diuino Officio intereſſe. Et quamuis propter receptam conſuetudinem non teneantur per ſe canere, ſed poſſint id per cantores & Capellanos explere; tamen ipſi ſuâ præſentiâ debent omnia moderari, vt decore tranſigantur. Vnde tenentur exhibere præſentiam religioſam & decoram. Ideò enim tam ampli fructus conſtituti, vt ſaltem religioſâ & graui præſentiâ ſuâ diuinum Officium exornent, & decore peragi curent. Neque illos excuſat, quòd priuatim Officium recitent: quia etſi non teneantur in choro canere; tamen non poſſunt ſe liberè à choro abſentare, ſed tenentur ibi præſentiam debito modo exhibere. Non enim fructus recipiunt pro Officio quod domi priuatim legunt, ſed quod publicè exhibent. Tenentur ergo illud congruo modo & cum debitis circumſtantiis obire. Vt rectè monet Leſſius *in reſolut. var. verb. Horæ Canonicæ caſu. 13.*

Innoc. III.

HORÆ CANONICÆ III.

Quoad tempus & locum, vbi debeant recitari.

SVMMARIVM.

1 *An ſatisfaciat præcepto, qui pridie recitat officium pro ſequenti? Et quâ horâ poſit dici Matutinum.*
2 *An Matutinum poſſit diuidi à Laudibus? An Nocturna poſſint ſeparatim recitari.*
3 *An vſus cantandi horas Canonicas in Eccleſia laudabilis ſit? Et quid de vſu Organorum, &c.*
4 *An Eccleſiæ Cathedrales & Collegiatæ obligentur ad horas in choro canendas.*
5 *An Eccleſiæ regulares etiam ad id teneantur.*
6 *An Prælati Religionum teneantur ad chorum.*
7 *An Eccleſiæ Parochiales teneantur horas Canonicas in choro perſoluere.*

1. NOn ſatisfacit præcepto, qui pridie recitat Officium pro ſequenti die, excepto Matutino Officio. Probatur, quia non recitat intra tempus ab Eccleſia præſcriptum. Eſt enim obligatio recitandi Officium affixa diei, quæ non poteſt adimpleri ante Aduentum illius diei: cùm ante illum diem nondum abſit obligatio. Ita communiter Doctores.

Matutinum autem & Laudes recitari poſſunt ab horâ quarta poſt meridiem. Imò ab hora tertia, ſecundùm Gauantum *in Comment. Rubric. Miſſal. tom. 2. ſect. 1. cap. 5. tit. 6. num. 6.* Henriquez *lib. 9. cap. 24. n. 7. litera P.* Quod ſi quis legeret h ra ſecunda, probabiliter ſatisfaceret præcepto, nec peccaret mortaliter, licet quis nondum recitaſſet Veſperas & Completorium diei hodiernæ, quia illa peruerſio horæ nō videtur grauis, & horarum ordinem abſque cauſa peruertere, vnde tantùm eſt veniale, vt docet Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 7. c. 2. dub. 37.* qui notat hanc ſententiam tenere etiam aliquos recentiores. Quamuis doceant alij, neceſſe eſſe, vt poſſint recitari Matutinæ preces diei ſequentis, quod ſint iam recitatæ Veſperæ & Completorium diei præcedentis, quia non videtur incipere dies ſequens hodie Veſpere, niſi penſum horarum hodiernum ſit iam integrè perſolutum. Vide Bonacinam *de hor. Canon. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 3. num. 15.* qui ſententiæ Sanchez adhæret, citans pro ea *Nauarrum, Reginaldum, Vaſquez, Suarez.* & alios.

Gauantus. Henriq. Leſſius. Sancez. Bonacina. Nauarrus. Reginald. Vaſquez. Suarez.

Nonnulli recentiores ponunt hanc regulam generalem

neralem pro tempore recitandi Matutinum & Laudes sequentis diei, dicentes; *Hora congrua recitandi Matutinum cum Laudibus, est, cum sol magis distat à meridie, quàm ab occasu.* Vnde in hyeme, id est, Nouembri, Decembri, Ianuario & Februario, tempus recitandi Matutinum coincidit cum hora secunda & dimidia circiter horologij Solaris, in partibus eleuationis poli borealis, seu Arctici graduum 49. 50. & 51.

In æstate, id est, Maio, Iunio, Iulio & Augusto, cum hora quarta & dimidia. In Vere & Autumno cum hora tertia & dimidia circiter. Ad anticipandum autem Matutinum modo prædicto, quælibet causa sufficit, qualis est maior commoditas studij, lux diei, & maior securitas, anticipandi.

2. Vsu iam receptum est vt Matutinum simul cum Laudibus persolui possit in Vesperis antecedentis diei, cùm vnam horam constituant. Laudes verò differri possunt vsque in sequentem diem: quia olim vsu receptum erat vt propè auroram recitarentur separatim à nocturnis, vt colligitur ex *cap. 1. de celebrat. Missarum*, & docent Nauarrus *de oratione, cap. 3. num. 28. & 64.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 6. num. 9. & cap. 24. num. 9.* & alij communiter. Imò, probabiliter dici potest, nocturna posse separatim recitari, saltem intra spatium trium horarum præsertim iusta concurrente causa. Quia sic antiquitus fiebat, iuxta quorumdam Doctorum sententiam: tum quia interruptio Officij diuini iusta ex causa excusari potest à peccato. Ergo inter nocturna diuini Officij non videtur adesse tanta connexio, quin iusta aliqua de causa seorsim ab aliis licitè recitari queant: tunc autem oppositè recitanda esset oratio in fine nocturni: & in principio alterius *Pater & Aue.* Quando autem Matutinum separatur à Laudibus & fit quasi diuersa hora, dicenda est oratio in fine nocturni, & consequenter *Pater noster*, iuxta regulas Breuiarij & vsum Romanæ Ecclesiæ in nocte Natiuitatis, & consequenter quando inchoantur Laudes, præmittenda est oratio Dominica, & Angelica, vt in aliis horis. Ita Nauarrus *de oratione cap. 3. num .64.* Filliucius *tract. 23. num. 111.* Quamuis Azorius & alij asserant hoc non esse necessarium, licet laudabiliter fieri possit: quia de hac re nullum extat præceptum, licet in nocte Natiuitatis fiat. Tum quia idem dici posset, dum reliquæ Officij partes aliqua de causa interrumpuntur, quod nullus hactenus docuit, vt aduertit Bonacina *de hor. Canon. disputatione 1. quæstione 3. punct. 3. num. 14.* cum Gauanto *in rubric. Breuiar. sect. 4. cap. 2. num. 4.*

Nauarrus. Suarez.

Nauarrus. Filliucius. Azorius.

Bonacina. Gauantus.

3. Vsus recitandi horas Canonicas in Ecclesia cum cantu laudabilis est. Contra nonnullos hæreticos præcipuè Walldenses & Wiclefum, qui damnarunt cantum in publicis horis. Sed propositio colligitur ex Concilij Tridentini *sess. 23. cap. 18.* vbi præcipit, vt pueri in seminariis erigendis, *tonsura statim, atque habitu clericali vtantur: grammatices, cantus, computi Ecclesiastici, aliarúmque bonarum artium disciplinam discant.* Non alio sanè fine, nisi vt Ecclesiæ per cantum suum inseruire possint. Accedit traditio & consuetudo ab initio Apostolorum, & ratio confirmat. Quia talis orandi modus nil habet contra rationem, nec vlla extat de eo prohibitio: imo multas habet adiunctas vtilitates: nam *tristia corda consolatur, grauiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, peccatores ad lamenta inuitat*, vt bene Isidorus *lib. 3. sentent. cap. 7.* Tum quia facilius & libentius Deo persoluuntur Laudes, si quadam cantus suauitate officium condiatur. Tum quia nobis adest exemplum Sanctorum Angelorum, qui Christo nato laudabant Deum & dicebant, *Gloria in altissimis Deo.* Lucæ 2. Imò & ipsius Christi, qui Matthæi 26. *Hymno dicto exiit in montem*; hymnum enim non simpliciter fuisse recitatum, sed decantatum facilè colligi potest ex Augustino in Psal. 72. scribente quod *Hymni cantus sunt continentes Laudes Dei. Si sit Laus, & non sit Dei, non est Hymnus. Oportet ergo vt si sit Hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei & Canticum*, siue vt in laudem Dei dicatur & cantetur, vt habet Isidorus *lib. 6. Originum, cap. 19.* vide D. Thomam 2. 2. *q. 91. art. 3.* Syluium *ibidem*, & alios commentatores.

Conc. Trid.

Isidorus.

D. August.

Isidorus.

D. Thom. Syluius.

Ex quibus colligitur cantum Ecclesiasticum, neque esse per se malum, nec prohibitum iure Ecclesiastico. Quamuis magna cura habenda sit cantus Ecclesiastici, tum eius qui planus, seu Gregorianus dicitur; tum eius qui postea in Ecclesiam est introductus, & vocatur figuratus, siue harmonicus, ne quis siue cantans, siue cantantes audiens, cantu abutatur ad vanitatem, fastum, aut ad aliquam sæcularem delectationem suam, vel aliorum: quæ cura maximè ad Episcopos pertinet ex decreto Concilij Tridentini quod exstat *sess. 22. post Canones*, vbi dicitur, *Ab Ecclesiis verò musicas eas, vbi siue organo, siue cantu lasciuum, aut impurum aliquid miscetur, &c. arceant, vt domus Dei verè domus orationis esse videatur ac dici possit.* Ex quo patet quod Concilium non arcet ab Ecclesiis vel musicam, organa vel moderatum vsum instrumentorum musicorum, sed musicas eas, vbi lasciuum, aut impurum aliquid miscetur. Vide Caietanum *in Summ. verb. Organorum vsus*, Valentiam *tom. 3. disp. 6. q. 9.* Suarez *lib. 4. cap. 8.* Bonacinam *de horis Canon. disp. 2. q. 1. punct. 3. n. 1. & 2.*

Conc. Trid.

Caietanus. Valentia. Suarez. Bonacina.

4. Ecclesiæ Cathedrales, siue Collegiatæ obligantur, vt in choro quotidie Officium diuinum recitetur, cum solemnitate horas Canonicas cantando. Probatur ex *Clement. 1. de celebr. Missar.* vbi dicitur, *Nec non, vt in Cathedralibus, regularibus, & Collegiatis Ecclesiis horis debitis deuotè Psallatur.* Ratio est, quia hæ sunt principales Ecclesiæ institutæ in hunc finem, vt habet vniuersalis Ecclesiæ consuetudo. Tamen in Collegiatis, in quibus tenues reditus habentur, consuetudine immemorabili, vel saltem sufficienter præscripta, induci potuit, vt Canonici non teneantur singulis saltem diebus horas publicè canere: quia modo dictat, vt onus minuatur, vbi tenuissimum est stipendium: & quamuis iure naturæ seruanda sit beneficij institutio & voluntas testatoris, nihilominus legitima Superioris facultate in ea dispensari, & consuetudine sufficienter præscripta, quæ priuilegij præsumptionem inducit, ei derogari ex iusta causa potest, nam iusta causa turpitudinem contra ius naturæ auferre potest. Ita Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 10. num. 5. & 6.* & *cap. 12. num. 13.* Caietanus *verb. Hora*, Filliucius *tract. 23. num. 129.*

Suarez. Caietan. Filliucius.

5. Ecclesiæ regulares sunt etiam obligatæ ad officium canendum in choro, iuxta cuiusque consuetudinem & institutum: nam etiam Ecclesiæ regulares connumerantur cum Cathedralibus & Collegiatis *in Clement. 1. de celebr. Missar.* Dixi *iuxta cuiusque institutum*, quia religiosi non tenentur ad officium in choro cantandum ratione proprij beneficij, cùm id non habeant. Neque propterea quòd viuant ex eleemosynis, vel bonis Ecclesiasticis, quia non dantur cum hac conditione; ideò totà hæc religiosorum obligatio ex peculiari cuiusque Ecclesiæ instituto

inſtituto & conſuetudine pendet, cum nullum ſit ius Canonicum vniuerſaliter obligans ad id religioſos.

Hæc autem obligatio publicè in choro recitandi horas, præcipuè ſpectat ad Prælatos, & Superiores præfatarum Eccleſiarum reſpectiuè, ſecundariò verò ad eos, quibus ex officio incumbit. Prima pars nota eſt ex Clementina ſupradicta, vbi verbis grauiſſimis hoc onus iniungitur prædictis Prælatis, vt diligentem nauent curam, quod in ſuis communitatibus hoc penſum ſoluatur. Quapropter in his Prælatis vix poterit in hac parte reperiri negligentia leuis: quia in ordine ad communitatem ferè ſemper quæcumque eſt grauis. Secunda pars probatur ex eo, quod non poteſt conſiſtere obligatio in communitate, niſi aliquo modo perſonas eiuſdem communitatis tangat, vide dicta *tom. 1. verb. Horæ Canon. 1. n.* 8.

Nihilominus quidam recentiores exiſtimant obligationem recitandi horas Canonicas in choro non afficere per ſe & directè ſigillatim ſingulos religioſos, ſed totam communitatem. Ex quo inferunt, regulares non peccare mortaliter, qui ex conſuetudine non recitant horas in choro quando nullum chorus ex eorum abſentia patitur detrimentum.

Pellizzarius, Diana, Caietan. Ita Pellizzarius *in Manual. regul. tract. 5. cap. 8. num.* 15. Diana *part. 3. tract. 2. reſol.* 19. Caietanus *in Summ. verb. Horæ Canonicæ*, vbi ait, Quando contemptus deeſt, & propter meam abſentiam non notabiliter læditur diuini cultus officij, & Prælati diſſimulant, parum de iis, quæ Dei ſunt, curantes, non incurro mortale peccatum, ex hoc quod deſum horis Canonicis in Eccleſia mea, quia contra præceptum iuris poſitiui propriè non venio, nec notabile damnum infero diuino cultui. Grauiter tamen pecco, ſi ſine rationabili cauſa me debitis horis ſubtraho, quia grauis eſt ratio diuini debiti. Ita

Caramuel, Caietanus. Vnde Ioannes Caramuel *in Theolog. regulari. diſp.* 101. *num.* 1320. ſic ait, Communitates teneri ſub peccato graui legere diuinum Officium aſſerunt Auctores communiter, nullum legi qui aſſerat contrarium, nullum, qui hanc obligationem demonſtret, ne igitur ſingularis videar, ſupponam ex communi ſententia, non poſſe communitatem aliquam Benedictinam omittere Officium diuinum ſine culpa mortali. Ita ille.

Contra hanc communem ſententiam ſtat ſolus

Marc. Vidal. nouiſſimè Marcus Vidal in arca vitali, *tit. de horis Canon. Inquiſit.* 1. dicens Regulares ex profeſſione deputatos ad chorum non obligari quotidie recitare, aut canere publicè in choro horas Canonicas, neque ex vi generalis legis Pontificiæ, neque ex vi Canonici iuris, neque ex conſuetudine habente vim legis; neque ad vitandum ſcandalum. Sed quia eius opinio eſt ſingularis, ideò reiicitur & improbatur à Diana *part. 10. tract. 14. reſol. 3.* quia opiniones iſtæ ſingulares in rebus moralibus contra receptas Eccleſiæ conſuetudines, vel communes Doctorum ſententias, ferè ſemper male olent & paſſim naufragare videmus. Rectè itaque Baldus *conſil. 112. l. 2.* ait, quod qui contra omnes loquitur, non bene loquitur.

Diana, Baldus.

6. Prælati Religionum peculiari obligatione tenentur habere curam, vt chorus ſicut par eſt frequentetur, ſed ad ſui præſentiam perſonalem, non tenentur præcepto id directè præcipiente, ſed ob circumſtantiam perſonæ, & propter aliorum exemplum intra obligationem regulæ magis tenebuntur, quàm cæteri: quamuis ex alia parte propter plures & grauiores occupationes ſæpius à ſequela chori, etiam magis quàm cæteri excuſabuntur. Meminerint tamen Prælati Decreti Piæ memoriæ Clemen-

Clem. VIII. tis VIII. Pontificis Sanctiſſimi, quod edidit pro reformatione regularium anno 1599. die 25. Iulij, vbi habentur hæc verba §. 36. *Ad officia, gradus & Prælaturas illi præcipuè elegantur, qui poſſint & conſueuerint regulas Ordinis & Conſtitutiones obſeruare, præſertim quæ pertinent ad ſeruitium chori ac veſtitum & victum communem.* Negari enim non poteſt, quin præſentia Prælati multum conducat ad ritè perſoluendum diuinum Officium: qui defectus contingentes, abſentias ſubditorum obſeruare poteſt, &c.

7. Quamuis in Eccleſiis Parochialibus de iure communi *cap. 1. de celebrat. Miſſar.* videatur eſſe obligatio de recitando quotidie Officio diuino: hæc tamen obligatio, cùm ſit de iure Eccleſiaſtico, potuit contraria conſuetudine auferri, & introduci mos canendi tantùm Miſſam ante prandium & Veſperas poſt prandium, idque tantùm in diebus Feſtis, vt etiam diximus *tom. 1. v. Horæ Canon. IV. num.* 4. cum Doctoribus ibi citatis.

HORÆ CANONICÆ IV.

De reſtitutione facienda ob omiſsionem horarum & de diſtributionibus.

SVMMARIVM.

1 *An liberatur à reſtitutione beneficiarius, qui non recitauit Officium, ſi altero die defectum ſuppleat?* Refertur duplex ſententia.

2 *An beneficiarius qui primis ſex menſibus recitauit horas, ſed ſequentibus ſex omiſit, poſſit compenſare.*

3 *An beneficiarius qui Officium omiſit, poſſit ſibi retinere fructus, quos titulo donationis accepit à pauperibus, quibus traditi fuerunt.*

4 *An regulares non beneficiati obligati ad horas teneantur ad aliquam reſtitutionem, ſi illas omittant.*

5 *An Canonici qui choro interſunt, ſed ex conſuetudine Officium per alios recitant, diſtributiones lucrari poſſint?* Refertur duplex ſententia.

6 *Diſtributiones quid ſint? & an diſtinguantur à fructibus.*

7 *An vſus diſtributionum, ſit de iure naturali, diuino vel de iure poſitiuo Eccleſiaſtico inductus.*

8 *Quibuſnam Clericis diſtributiones debeantur.*

9 *An habenti dignitatem & Canonicatum in eadem Eccleſia, duplices debeantur diſtributiones?* Refertur duplex ſententia.

10 *An abſens cauſâ infirmitatis, poſſit diſtributiones lucrari, etiamſi propria culpa infirmitatem contraxerit.*

11 *An lucretur diſtributiones abſens à choro ex rationabili corporis neceſſitate.*

12 *An Clericus abſens propter euidentem propriæ ſuæ Eccleſiæ vtilitatem, diſtributiones capere poſſit.*

13 *An pœnitentiarius Eccleſiæ Cathedralis, dum in confeſſionibus excipiendis detinetur, diſtributionibus gaudere poſſit.*

14 *An conſuetudine poſſit induci, vt diſtributiones conferantur abſentibus.*

15 *Quibus accreſcant diſtributiones, quas abſentes perdunt.*

1. BEneficiarius qui non recitauit Officium; ſi altero die ſuppleat defectum commiſſum, non liberatur ab onere reſtituendi fructus. Ratio eſt, quia qui non recitat ſuo tempore Officium, non

non facit fructus suos; tum quia obligatio recitandi est alligata diei, & transit cum ipsa die, adeóque, non potest suppleri alio die, ita vt ex tali suppletione immunitas restitutionis obtineatur. Tum quia Beneficiarius, hoc ipso quod non recitat, statim absque alia Iudicis declaratione incurrit pœnam restitutionis fructuum: nemo autem potest se eximere à pœna modo dicto contracta per legem Superioris. Ita Henriquez *in Summ. lib. 13. cap. 13.* Diana *part. 2. tract. 12. resol. 24.* Arragon *2. 2. quæst. 83. art. 13.* & alij. Nonnulli tamen apud Henriquez scilicet, Maior, Paludanus, Ledesma, & Suarez, Molsesius, Filliucius, apud Bonacinam *disp. 1. q. 5. punct. 2. n. 5. de horis Canonicis*, asserunt non teneri ad restitutionem suppsendo alio die pensum horarum, aut compensando aliis piis operibus: tum quia rependit æquale, tum quia Capellanus, qui vno die tenetur ex onere Capellaniæ celebrare, si alio die celebret, non tenetur per se loquendo, restituere, ergo neque qui officium alio die recitat. Hanc opinionem probabilem vocat Bonacina: licet Diana vt talem non audeat admittere, sed viris doctis iudicandam relinquit, *part. 9. tract. 9. resol. 24.* Posità tamen probabilitate, non teneretur talis facere restitutionem in eadem specie actionis, id est, in recitatione eiusdem Officij omissi. Ratio est, quia quando creditor mortaliter & rationabiliter præsumitur acceptare, sufficit æquiualens compensatio, licet non sit in eadem materia, sed ita præsumitur in hoc casu, vt docet Suarez, *loco cit. cap. 29. num 12.* Vnde posset satisfacere per alias preces æquales, arbitrio prudentis: vt per Rosarium sæpius repetitum, vel per Missas, & similia vt docet etiam Filliucius *tract. 23. num. 307.*

Heuriq. Diana. Bonacina. Diana. Suarez. Filliucius.

2. Beneficium habens qui primis sex mensibus post obtentam beneficij pacificam possessionem recitauit horas Canonicas, sed sequentibus sex omisit, non potest compensare nec vti priuilegio post sex menses: quia priuilegium finitur post illos sex menses, vt patet expresè ex verbis Pij V. *Si post sex menses, quam illud obtinuerit.* Voluit enim Pontifex tantùm non ita punire nouos beneficiarios fortè, quia eo tempore solent esse plures occasiones omittendi, vel quia sæpissimè ab his ignoratur hoc onus recitandi, vel ob alias huiusmodi causas. Itaque qui elapsis sex mensibus, Officium omittit, tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum solùm post sex menses: quia beneficiarius eximitur per Pium V. & Concilium Lateranense à restitutione ob Officium primis sex mensibus omissum. Ita ex communi Suarez *citatus cap. 29. ad finem*, Nauarrus *de orat. cap. 21. num. 58.* Malderus *tract. 10. cap. 2. dub. 4.* & alij apud Dianam *part. 2. tract. 12. resol. 25.* Qui post Nauarrum & alios sustinet quod hæc obligatio restituendi non oritur ex iustitia commutatiua, sed ex obedientia vel Religione. Vnde qui impotens est ad restituendos fructus, non solet obligari ad restituendum in bonis spiritualibus.

Pius V. Conc. Later. Suarez. Nauarrus. Malderus. Diana.

3. Beneficiarius, qui officium omisit, potest sibi retinere fructus, quos titulo donationis accepit à pauperibus, seu piis locis, quibus traditi fuerunt, modò qui donarunt liberam de illis disponendi facultatem habuerint. Ratio est, quia hoc nullo iure prohibetur, & quilibet est rei suæ moderator & arbiter. Vnde iure communi possunt retineri distributiones, si postquam traditæ fuerunt Canonicis præsentibus, iterum absenti restituantur ab iisdem. Nec hoc est contra Concilium Tridentin. *sess. 24. c. 12. de reform.* vbi habetur. *Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui, quauis collusione, aut remissione excluſa, his carebunt.* Solùm enim ibi prohibetur remittere, seu condonare; non verò donare postquam res accepta fuit: vnde solùm interdicitur collusio & remissio. Hinc patet beneficiarium qui horas non recitauit, non posse sibi retinere fructus, si remissionem ab iis obtineat, quibus fructus nondum tradiderat: quia pauperes non possunt huiusmodi remissionem concedere; cum remissio fieri debeat ab eo, qui ius verum & proprium habet; quo iure illi carent. Similiter Canonicus qui non interfuit diuinis Officiis, non potest sibi retinere distributiones, quarum remissionem obtinuit à reliquis Canonicis, quibus de iure obueniunt, nisi postea sibi donatæ fuerint. Ita Suarez *cit. lib. 4. c. 30. num. 17.* Nauarrus *de orat. miscell. 19. num. 4 & 5.* Azorius *p. 2. lib. 7. cap. 7. quæst. 9.* Filliucius *tract. 23. num. 141.* & alij.

Conc. Trid. Suarez. Nauarrus. Azorius. Filliucius.

4. Regulares, siue Prælati sint, siue subditi, qui non respectu beneficij, sed alio iure ad horas Canonicas tenentur, eas recitare omittentes, non tenentur ad aliquid restituendum, sed tantùm mortaliter peccant. Quia agunt contra præceptum peculiare generalis Concilij, sub Innocentio III. in quo Ecclesiasticis in virtute Sanctæ obedientiæ præceptum fuit, vt diuinum Officium nocturnum pariter & Diurnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè & deuotè celebrent, quod præceptum, vt manifestum est, habet vim obligationis ad mortale, & confirmatur ex *cap. Clericus, distinct. 91.* vbi peccatum omittendi diuinum Officium est excommunicatione dignum; excommunicatio autem non imponitur nisi ob peccatum mortale, ex *cap. Nemo Episcoporum 11. q. 3.* Ita ex communi Nauarrus *de orat. cap. 7. n. 5.* Quod autem non teneantur ad aliquam restitutionem, patet ex Bulla Pij V. qui solos habentes beneficium Ecclesiasticum ad hanc restitutionem adstringit. Cuius Constitutionis tenor talis est.

Nauarrus. Pius. V.

PIVS EPISCOPVS. Seruus seruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

EX proximo Lateranensi Concilio, hæc salubris sanctio emanauit, vt quicumque habens beneficium Ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses, quàm illud obtinuerit, diuinum Officium, legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis Officij & temporis, suos non faciat, sed eos tanquam iniustè perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Veruntamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi rata predictæ ratio sit habenda. Nos huic rei euidentius, atque expressius prouidere volentes, statuimus, vt qui Horas omnes Canonicas, vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: qui verò Matutinum tantùm dimidiam, qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat: tametsi aliquis choro addictus non recitans, omnibus Horis Canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque & distributiones fortè aliter designatas, sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucri fecisse pretendat, is etiam fructuum & distributionum multetur amissione. Item ille, qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, grauè peccatum intelligat admisisse. Declarantes, præstimonia, præstimoniales portiones, & qualitercumque alia beneficia, etiam nullum

omninò ſeruitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter contemni. At quicumque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, vt Clericus percipit, cum modò prædicto ad dicendum Officium paruum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerúmque ipſarum amiſſioni obnoxium. Nulli ergo hominum liceat hanc, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1571. Kalend. Octob. Pontificatus noſtri anno ſexto.

Nauarrus. Hanc Conſtitutionem refert Nauarrus *in Man. cap. 25. n. 122.* circa quam quædam annotauimus *tom. 1. verb. Horæ Canonicæ V.* duæ ibi videnda ſunt nec hic repetenda.

5. Occaſione prædictæ Conſtitutionis, Difficultas inter Doctores orta eſt, an Canonici, qui choro quidem aſſiſtunt, ſed ex conſuetudine officium per ſeipſos in choro non recitant, ſed per manſionarios in Eccleſia exiſtentes muneri ſuo ſatisfaciunt, diſtributiones lucrari poſſint? Quidam enim negant: nam Summus Pontifex in hac Bulla reprobare videtur quamlibet conſuetudinem in contrarium. Tum quia diſtributiones dantur Canonicis, vt choro inſeruiant: qui autem non canunt; non inſeruiunt choro, ergo faciunt contra proprium officium & conſequenter peccant mortaliter contra iuſtitiam, diſtributiones recipiendo. Ita Graſſiis *lib. 2. deciſion. cap. 52. num. 22.* Rodriguez *in 1. part. Summ. cap. 145. num. 5.* Moneta *de diſtribut. 2. part. quæſt. 2. num. 31.* & alij. Hæc ſententia multum fauorabilis eſt cultui diuino, ergo ſuſtinenda eſt, quia ſumma ratio eſt, quæ pro Religione facit. Nihilominus nonnulli aſſerunt conſuetudine induci poſſe, vt Canonici interſint choro, & canant per alios, diſtributioneſque lucrentur. Ratio eſt, quia conſuetudo induci poteſt contra ius humanum, modo ſit legitimè præſcripta poſt Tridentinum, proinde vbi eſt conſuetudo vt Canonici per Vicarios Officium peragant, probabile eſt, eos poſſe diſtributiones lucrifacere, modò temporibus conſtitutis præſentes ſint, quæ conſuetudo non eſt omnino contra rationem, nam ſic diuinum Officium magnificentiùs & ſuauiùs canitur, cùm Canonici ſæpe voce, vel peritia canendi careant, & in multis locis vtantur cantu figurato, cui non expedit Canonicos ſe admiſcere. Ita Caietanus *in Summ. verb. Hora in fine*, Petrus Nauarra *lib. 2. cap. 2. n. 217.* Suárez *tom. 2. de Relig. lib. 4. c. 12. n. 13. & 20.* vbi tamen hæc conſuetudo nondum præſcripta eſt, tenentur Epiſcopi, Decani, Præpoſiti & alij Superiores curare, vt Canonici per ſe & non per ſubſtitutos diuina officia obeant, aliàs Canonici per alios canentes non ſunt tuti in conſcientia, vt colligitur ex Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12. de reformat.* vbi habetur. *Omnes verò diuina per ſe & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtere, & inſeruire; atque in choro ad Pſallendum inſtituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuotéque laudare.* Quod intelligit Leſſius *lib. 2. cap. 34. num. 186.* quando non adhibetur cantus figuratus, non enim illi cantui ſuas voces Canonici miſcere tenentur.

Graſſiis. Rodrig. Moneta. Caietan. P. Nauarra. Suarez. Conc. Trid. Leſſius.

6. Diſtributiones ſunt portiones Eccleſiaſticorum reditum quotidie diſtribui ſolitæ iis beneficiatis, qui ſtatis horis diuino Officio interſunt. De quibus mentio habetur *in cap. vnic. de Clericis non reſidentibus in 6. & cap. licet vobis, de prebendis*, & alibi.

Diſtributiones, per ſe & regulariter loquendo, diſtinguuntur à fructibus: quia fructus beneficij dicuntur annui reditus, qui ex certis Eccleſiæ bonis colligi ſolent. Diſtributiones verò ſunt portio conflata ex prouentibus beneficij, & conferenda aſſiſtentibus diuinis Officiis, iuxta quantitatem aſſiſtentiæ & ſeruitij præſtiti. Vnde qui ob crimen priuatur diſtributionibus, non ob id cenſetur priuatus fructibus, modò beneficium reddat fructus & diſtributiones: nam ſi ſolas habet diſtributiones non diſtinctas à fructibus, tunc priuatus fructibus, cenſetur priuatus diſtributionibus, ne ſententia ſit eluſoria. Ita Azorius *p. 2. lib. 7. cap. 7. quæſt. 7.* Rodriguez *tom. 3. quæſt. reg. quæſt. 74. art. 4.* Gonzales *ad reg. 8. Cancell. §. 7. n. 157.* & alij. Azorius. Rodrig. Gonzales.

7. Vſus diſtributionum non eſt inductus iure diuino, vel naturali, ſed poſitiuo Eccleſiaſtico. Prior pars probatur: quia ex nullo Scripturæ loco, vel Eccleſiæ traditione, vel Patrum teſtimonio diſtributionum vſum habemus: ergo diſtributionum vſus iure diuino inuentus non eſt. Tum quia ius naturale ſemper & vbique idem eſt; ſed ante Tridentinum non extabant diſtributiones in omnibus Eccleſiis, ergo. Poſterior pars probatur & apertè conſtat, ex *cap. licet, de prabend.* & nouiſſimè ex Conc. Trident. *ſeſſ. 21. cap. 3. de reform.* vbi habetur, *Statuit Sancta Synodus, in Eccleſiis, tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues, vt verſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque prouentuum & obuentionum, tam dignitatum, quàm Canonicatuum, perſonatuum, portionum & officiorum, ſeparari debere, & in diſtributiones quotidianas conuerti.* Vnde patet quod in omnibus Eccleſiis quotidianus diſtributionum vſus non extabat, ſed ex Concilij Tridentini decreto iure merito conſtitutus & vniuerſaliter introductus fuit, ad manutenendum & augendum honorem & cultum diuinum. Ita Nauarrus *de orat. cap. 18. n. 10.* Panormitanus *in cap. licet. de prabend.* & alij communiter. Quamuis ſalubris iſta Conſtitutio Tridentini non vbique in praxim deducta ſit. Conc. Trid. Nauarrus. Panormit.

8. Illis Clericis ius competit diſtributiones percipiendi, qui diuinis Officiis ad diſtributiones admiſſi in ſuis Eccleſiis interſunt & inſeruiunt iuxta legitimam ſui Capituli Conſtitutionem, aut Superioris diſpoſitionem, vel diſpenſationem: vt habetur in Conſtitutione Bonifacij VIII. *In cap. vnic. de Cleric. non reſident. in ſexto.* His verbis: *Statuimus, vt diſtributiones quotidianæ, in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis ac aliis beneficiatis, & Clericis Eccleſiarum ipſarum, qui eiſdem Officiis, in ipſis Eccleſiis adſuerint, tribuantur, iuxta Eccleſiæ cuiuſlibet ordinationem rationabilem iam factam, ſeu etiam faciendam. Qui verò aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu iuſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſaret) rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas imò ad omnium reſtitutionem, qua contra huiuſmodi noſtram Conſtitutionem receperit, teneatur: De diſtributionibus etiam pro defunctorum anniuerſariis largiendis, idem decernimus obſeruandum.* Idque renouauit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. c. 12. de reformat.* atque obſeruari voluit: quauis ipſorum beneficiatorum colluſione, aut remiſſione excluſa, vt diximus *ſupra.* Ratio eſt, quia diſtributiones quotidianæ propriè inſtitutæ ſunt diuini cultus augendi causâ, ob præſentiam & frequentiam miniſtrorum. Bonif. VIII. Conc. Trid.

9. Nonnulli ſuſtinent, habenti dignitatem & Canonicatū in eadem Eccleſia, duplices deberi diſtributiones; quia ſi aliquam dignitatē gerenti, quam ſimplicē Canonicatū habenti diſtributio debetur, modò

præſens

præsens sit, consequens esse videtur, vt si aliquis vtroque munere fungitur, duplices ei distributiones debeantur; cùm Officio diuino interfit non solùm vt Canonicus, sed vt dignitatem habens. Hæc sententia valdè probabilis est, vt docent Couarruuias *lib. 3. variar. cap. 13. num. 6.* Vasquez *de benefi. cap. 4. n. 229.* & alij. Communis tamen habet non posse. Tum quia iudicandum est in fauorem distributionum, dum faciunt ad augendum diuinum cultum. In hoc autem casu, si plures distributiones concedantur habenti dignitatem & canonicatum, potiùs faciunt ad diminuendum cultum, quàm ad augendum. Ergo. Tum quia Sacra Eminent. Cardinalium Congregatio bis declarauit, obtinentem legitimè duas dignitates debere in digniori residere, & posse fructus præbendæ alterius dignitati percipere, non tamen quotidianas distributiones, quæ illis responderent, vt testatur Garzias *de benefic. tertia parte, cap. 2. num. 185.* Tum quia non potest quis vnica residentia duplices distributiones percipere. Ita docent Azorius *secunda parte, lib. 7. cap. 7. quæst. 13.* Gomez *in tract. de expectat. tuus, num. 6.* & alij plurimi. Cæterum cuiusque Ecclesiæ consuetudo hac in re retinenda est, vbi enim iuxta decretum Concilij Tridentini supra tertia pars prouentuum ex omnibus beneficiis in quotidianas distributiones conuersa est, æquum omnino est, vt quibus duplex præbenda in eadem Ecclesia competit, ij duplices etiam distributiones accipiant, vt bene monet Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 7. num. 4.*

Couar. Vasquez. Sac. Congr. Garzias. Azorius. Gomez. Layman.

10. Certissimum est in iure absentem causâ grauis infirmitatis posse, etiam præcisa consuetudine, distributiones lucrari, etiamsi propria culpa infirmitatem contraxerit, ne in loco beneficij tempore infirmitatis existat. Probatur ex *cap. vnic. de Cleric. non resident. in sexto*, supra, & ex *cap. 1. de Cleric. ægrot.* vbi excipiuntur absentes ob infirmitatem, vt distributionibus frui possit. Leuis tamen morbus non excusaret, nam quilibet morbus non efficit, vt diuinis interesse non possit. Leuior tamen morbus, per se loquendo, excusaret ab onere interessendi choro, quàm ab onere diuini Officij recitandi: fieri enim potest, vt morbus, alioquin leuis, accedendo ad chorum facilius incrementum capiat, quàm domi priuatim Officium recitando. De leuitate, aut grauitate morbi vir prudens in arte peritus, aut medicus iudicare debent etiam extra iudicium. Ita Ioannes Andræas *in cap. vnic. de Cleric. non residen. in 6.* & ibi communiter Doctores. Hæc tamen dicta sint, modò in contrarium non extet consuetudo conferendi distributiones tantummodo præsentibus, non autem absentibus, etiam ex causa infirmitatis; hæc enim consuetudo improbanda non est, quia fauorabilis est cultui diuino. Tum quia *in cap. vnic. de Cleric. non residen. in 6.* non prohibetur, vel reprobatur huiusmodi consuetudo, nec præcipitur vt absens ex causa ibi expressa distributiones capiat, sed permittitur. Consuetudo autem induci potest contra id, quod est in iure permissum, & huiusmodi consuetudo non est contra ius, nec reprobatur à iure, sed est præter ius. Et quamuis hæc consuetudo dici possit contra ius ipsorum Canonicorum absentium ex causa; consuetudine tamen potest præscribi ius & priuilegium alteri concessum, si legitimum tempus intercedat: vt declarauit Sacra Eminentiss. Cardin. Congregatio in hoc casu infirmitatis, teste Garzia 3. *part. cap. 2. num. 360.* & docet Bonacina *de hor. Canon. disp. 2. quæst. 5. punct. 6. nun. 21.* adducens Vegam *in Summ. 1. part. cap. 128. casu 19.*

Ioan. Andr. Sac. Congr. Garzias. Bonacina. Vega.

11. Similiter absens ex rationabili corporis necessitate, lucrari potest distributiones, quamdiu necessitas durat, modò in contrarium non extet consuetudo, vt patet ex *cap. vnic. de Cleric. non residen. in sexto*, supra. Iusta autem & rationabilis necessitas corporalis censetur. *Primò*, quando quis de consilio Medici domo non egreditur ob valetudinis periculum. *Secundò*, cùm quis vrbe egreditur, vt salubriori cœlo perfruatur & viribus roboretur, postquam eum febris dereliquit. *Tertiò*, qui ob cantum nimium defatigatus aliquantisper se retrahit à choro, vt spiritus assumat & se recreet quantùm fert necessitas. *Quarto*, quando quis ita senio confectus est, vt diuinis Officiis commodè interesse non possit, quibus aliàs interesse consueuerat. Et hoc iudicandum relinquitur Iudicis arbitrio. *Quinto*, si Canonicus sit absens causâ pestis, dum ea in illo oppido grassatur, vel graue periculum est, vt inualescat cum periculo vitæ commorantium in eo loco. Secus dum graue & valdè probabile periculum non imminet illius contrahendæ, vel Canonicus curam animarum habet. *Sexto*, cùm quis residere, vel diuinis interesse non potest, ob grauem metum iniustè incussum: & hoc quamdiu durat metus, seu periculum. *Septimò*, quando quis vult ad vrbem redire & diuinis interesse, sed metu pestis, aut alterius morbi, quo cæteros infecturus timetur, tanquam morbo infectus repellitur, & abesse cogitur. Denique, qui priuata vi detinetur, aut qui ab hostibus capitur, quamdiu apud hostes commoratur, nec per ipsum stat, quin redeat. Item, qui ex iniusto Superioris præcepto abesse cogitur, vel pulsus in exilium iniustè, aut metu carceris iniustè à choro abesse coactus fuit. His omnibus debentur distributiones quotidianæ, quia ob corporis necessitatem abesse dicuntur à choro, de quibus fusius agunt Azorius 2. *part. lib. 7. cap. 7.* Graffiis 2. *part. decis. lib. 3. c. 15.* Bonacina *loco citato disputat. 2. quæst 5. punct. 2.* Filliucius *tract. 41. cap. 6. q. 9.* & alij ab ipsis citati.

Azorius. Graffiis. Bonacina.

12. Canonicus Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ vel alius Clericus, potest, iure sibi permittente distributiones capere, dum abest in euidentem propriæ suæ Ecclesiæ vtilitatem, modo aliàs interesse consueuerit; & præcisa consuetudine in contrarium: nam consuetudine induci potest, vt distributiones non conferantur absentibus, etiamsi absint ex causa, ob quam iura distributiones permittunt, vt dictum est *supra num. 10.* Hinc colligitur, Canonicos, qui tempore diuinorum Officiorum ex mandato Capituli detinentur in iis, quæ ad Capitulum faciunt, vt in subeundis rationibus, participes esse distributionum. Item, eum, qui ad subleuandam euidentem propriæ Ecclesiæ necessitatem, aliò se transfert, posse distributiones percipere. Item, qui à suo Capitulo mittitur ad iurisdictionem aliquam suæ Ecclesiæ adnexam exercendam vel ad Summum Pontificem, aliumve Principem legationis titulo, lucratur distributiones. Similiter Canonicus, qui tanquam Theologus vel Canonista ad Concilium Generale, vel tanquam Procurator ad Concilium Prouinciale à suo Capitulo mittitur, potest pro tempore absentiæ distributiones capere. Ratio est, quia hi abesse dicuntur in commodum & vtilitatem suæ Ecclesiæ. Secus dicendum de illis, qui tempore diuinorum officiorum in Confessione suorum peccatorum facienda detinentur; his enim distributiones non debentur, quia non absunt in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem: sicut nec illis qui absentes sunt causa adimplendi votum peregrinationis, vel alterius rationis, etiamsi votum emissum sit, vt à Deo aliquid in vtilitatem Ecclesiæ obtineatur. Vide

Garzias. Bonacina, de his Garziam *de benefic. 3. part. cap. 2.* Bonacinam *loco citato punct. 3.* apud quos plura.

13. Iure antiquo pœnitentiarius, Ecclesiæ Cathedralis non poterat distributiones capere, dum in confessionibus excipiendis detinebatur: quia non conficitur absens in euidentem Ecclesiæ suæ vtilitatem, sed in commodum ciuitatis, aut Diœcesis. Conc. Trid. Nouo autem iure sancitum est in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 8. de reform.* vt Pœnitentiarius dum in Ecclesia Confessiones audit præsens in choro censeatur, & consequenter distributiones, quæ choro interessentibus tribuuntur, percipere possit. Ex quo Concilij decreto patet, quòd si Pœnitentiarius tempore diuinorum Officiorum Confessiones domi, aut alibi excipiat, aut etiam celebret, aut consabu- Sac. Congr. Garzias, letur, non lucratur distributiones: vt facta Congregatio declarauit, apud Garziam *part. 5. de benefic. cap. 4. num. 124.* & alios. Simili priuilegio Pœnitentiarij gaudet ille Canonicus, qui de licentia Superioris Confessiones audit, sede Pœnitentiali vacante, seu in defectum Pœnitentiarij absentis; hic enim potest lucrari distributiones: quia subrogatus supplere debet naturam illius, in cuius locum subrogatur, & cùm hic vices Pœnitentiarij sustineat, consequenter par est, vt ipsius priuilegiis gaudeat.

14. Vt distributiones licitè conferantur absentibus, non potest sola consuetudine induci, nisi illa ex rationabili causa inducatur, aut nisi Papa con- Bonif. VIII. Conc. Trid. sentiat. Probatur ex Constitutione Bonifacij VIII. *in cap. vnic. de Cler. non resident. in 6.* & ex Trident. *sess. 24. cap. 12. de reform.* Quibus accedit ratio, quia non potest consuetudo induci contra naturam rei: sed natura distributionum est, vt non conferantur absentibus, sed præsentibus. Ergo non potest induci consuetudo, qua distributiones absentibus conferantur. Couar. Garzias. Ita Couarruuias 3. *variar. cap. 13. num. 2.* Garzias 3. *part. cap. 2. num. 197.* & alij communiter. Ex iusta tamen causa potest induci talis consuetudo: quamuis enim Summus Pontifex tres causas excipiat, *in dict. cap. vnic.* ex quibus distributiones absentibus tribui permittit, non tamen damnat tanquam irrationabilem consuetudinem aliis de causis inductam. Propterea illæ tres causæ excipiuntur à lege, quatenus prohibentur distributiones conferri absentibus, exceptis illis tribus casibus, scilicet, infirmitatis, necessitatis corporalis, & absentiæ in vtilitatem euidentem Ecclesiæ: non verò excipiuntur à lege, dum tuturam consuetudinem reprobat, cùm eam consuetudinem reprobare non præsumatur, quæ iusta de causa inducitur. Certum est etiam ex consensu Pontificis posse talem consuetudinem induci: nam sicut Summus Pontifex vsum distributionum induxit, ita etiam validè potest illum in totum, vel in partem dispensando auferre, vt bene Couar. docet Couarruuias *loco citato n. 5.* cum aliis.

15. Quotidianæ distributiones, quas quis ob absentiam perdit, accrescunt aliis interessentibus, præcisa consuetudine in contrarium. Quod proba- Conc. Trid. tur ex Tridentino *sess. 21. cap. 3. de reform.* in quo dicitur, distributiones inter ipsos interessentes diuidendas esse. Ratio est, quia æquitas postulare videtur, vt qui maiorem impendit operam & laborem, maiorem etiam mercedem & lucrum recipiat. Sed, Canonici interessentes, aliis absentibus, maiorem præstant operam, & laborem. Ergo. Hæc autem merces & lucrum sunt distributiones absentium. Ita Couarruuias 3. *var. cap. 13. n. 7.* Garzias *de benef. 3. part. cap. 2. n. 446. & 465.* Bonacina *de hor. Canon. disp. 2. q. 7. punct. 1.* Quando autem omnes à choro absunt sua culpa ob negligentiam, vel ob interdictum latum contra ipsum Capitulum, vel ob similem causam, distributiones applicari debent Ecclesiæ, quæ debito cultu fraudata est. Ex Couar- Couar. ruuia *loco cit. num. 7.* & aliis. Si verò Canonici absint absque sua culpa, vt quia Ecclesia repente diruta est, aut polluta, aut quia omnes infirmi, distributiones non cedunt Ecclesiæ, sed ipsismet Canonicis. Notandum tamen est, quòd hæ distributiones absentium non accrescant illis, qui fictione iuris censentur interessentes, vt si absint causa infirmitatis, vel in euidentem Ecclesiæ propriæ vtilitatem; sed solùm actu interessentibus & seruientibus, vt declarauit Sacra Eminentiss. Cardinal. Congregatio teste Garzia *de benefic. 3. part. cap. 2.* Sac. Congr. Garzias, *num. 465.*

Plura de hac materia, distributionum cernere licebit apud Auctores qui ex professo de illis scripserunt, & hæc pauca attigisse sufficiat nostro instituto.

HVMILITAS.

SVMMARIVM.

1 *Humilitas vnde dicta? & quid sit.*
2 *Qua ratione cognitio sui comparetur.*
3 *An virtus humilitatis sit in intellectu, an in voluntate? & quod eius obiectum.*
4 *An humilitatis virtus ad temperantiam pertineat.*
Humilitas vna est cognitionis, altera affectionis.
5 *Qui sint dicendi actus humilitatis.*
6 *De duodecim gradibus humilitatis.*
7 *An detur præceptum de humilitate obligans ad mortale.*
8 *De tribus inuitamentis ad humilitatem comparandam.*

1. HVmilitas ab humo dicitur, quia per illam ad ima & veluti ad humum vsque deprimitur: quod fieri potest dupliciter. *Primò*, si contra voluntatem ab alio depressus sit, & hoc modo humilitas est pœna. *Secundo*, si quis sua sponte ex consideratione suorum defectuum se deprimat: & hoc modo est virtus, quæ variis modis definiri potest.

Humilitas secundùm D. Thomam 2. 2. *q. 161.* D. Thom. *art. 1. ad 1. est virtus, quâ quis defectum suum considerans se in infimis secundum suum modum tenet.* Siue vt S. Bernardus initio tract. de gradibus hu- D. Bernard. militatis definit. *Humilitas est virtus, quâ homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit.* Cognitio enim proprij defectus, est directrix ac velut regula quædam humilitatis; ipsa autem humilitas essentialiter in appetitu consistit, tanquam directiua & moderatiua motuum ipsius, cùm sit virtus refrænans appetitum excellentiæ, proueniens ex hoc quod homo verè cognoscat proprios suos defectus & imperfectiones. De qua Reginaldus *lib. 17. num. 197.*

2. Cùm humilitas supponat cognitionem sui dicendum est hanc cognitionem comparari, dum quis se coram Deo & Angelis constituens, consideret qualis sit, tum animo, tum corpore: quàm ignorans, quàm ad malum promtus, ad bonum lentus & infirmus, quàm rebus infimis addictus, quàm leuis & instabilis: quantis peccatis obnoxius, quantis miseriis subiectus: quàm in Deum ingratus: deinde se ex se nihil boni habere, nihil posse, nihil esse: sua omnia assiduè a diuina bonitate pendere, sicut imago in speculo pendet ab obiecto, & sine continuo & assiduo Dei influxu se in nihilum ruere.

ruere. Quod bene demonſtratur *Apocalyp.* 3. dum Angelo ſeu Epiſcopo Laodiciæ, qui per cæcam ſuperbiam ſibi blandiebatur, dicens, *Dives ſum ego, & locupletatus & nullius egeo*, Reſpondet Chriſtus; *Neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus.* Vnde ex ignorantia vel inaduertentia, qua homo ſuam, quam à Deo habet dignitatem, ſiue naturalem, ſiue gratuitam, non intelligit vel non conſiderat; non oritur humilitas, ſed viliſſima ſui ipſius abiectio, ad ea quæ ſunt homine indigna, vt ad peccata, turpitudines, & vanitates. Et licet eiuſmodi abiectio, humilitatis nomine interdum palliatur: non eſt tamen vera humilitas, ſicut nec illa, de qua Eccleſiaſt. 19. *Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo.*

3. Hæc virtus humilitatis non eſt in intellectu ſed in voluntate: quia inclinat voluntatem vt ſe intra menſuram ſui ſuppoſiti contineat, nec ad aliquid per motum ſpei vel deſiderij ſupra illam feratur. Obiectum verò huius virtutis eſt id, quod congruit noſtræ vilitati: hoc enim eſt quod per humilitatem & interiùs appetitur, & exteriùs agitur. Et licet id quod vile eſt, non ſit quidem per ſe expetendum aut honeſtum, poteſt tamen ſub alia conſideratione honeſti rationem induere, nempe vt eſt profeſſio quædam ſeu teſtificatio noſtri nihili, qua profitemur nos ex nobis nihil boni habere, nihil poſſe, nihil eſſe: & conſequenter omne bonum noſtrum eſſe à Deo, ad ipſum veluti auctorem omnia referenda, in ipſum omnem laudem & honorem, qui nobis tribuitur, refundendum. Sub hac ergo ratione vilia & probroſa ſunt obiectum humilitatis, quatenus nimirum per illa noſtrum ſortem & tacitè diuinam in nos benignitatem teſtamur, quod ſanè honeſtum eſt, & valde laudabile.

4. Humilitas eſt virtus ad temperantiam (quæ & modeſtia vna ex quatuor Cardinalibus virtutibus) pertinens, tanquam pars eius, refrenans motum ſpei, ſeu ſpiritus in magna tendentis. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 161. *art.* 4. Eſt autem duplex humilitas iuxta D. Bernardum *Sermon.* 4. *de Aduentu Domini.* Altera cognitionis: altera affectionis, quæ cordis humilitas dicitur à Chriſto Matth. 11. Priore cognoſcimus quod nihil ſumus: idque diſcimus à nobis ipſis, & ab infirmitate propria. Poſteriore calcamus gloriam Mundi: quam ab illo diſcimus, qui ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens. Rurſus idem Sanctus *Sermon.* 42. *in Cantic.* diſtinguit duplicem humilitatem, alteram iudicij, quæ adhuc imperfecta eſt; alteram affectus, quæ perfecta iudicij humilitas eſt, quâ quis ſeipſum ad lumen veritatis intuens agnoſcit ſuam vilitatem, & ſe coram Deo demittit; non tamen vult ab aliis vilis haberi, ſed potiùs magni æſtimari & honorari; vnde potiſſimum hæc humilitas in iudicio remanet. Affectus humilitas eſt, quâ quis etiam ab aliis talem ſe haberi cupit, qualem ſe coram Deo cognoſcit. De priore humilitate iudicij audiamus Sanctum quomodo increpet eos qui hac ſola contenti ſunt. *Pondus*, inquit, *& pondus abominatio eſt apud Deum. Quid enim? Tu te depretiaris in ſecreto apud teipſum, veritatis trutina ponderatus: & foris alterius pretij mentiens, maiori te pondere vendis nobis quàm ab ipſa accepiſti? Time Deum; & noli hanc rem peſſimam facere, vt quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim eſt reſiſtere veritati, hoc pugnare contra Deum*, &c.

De vera autem humilitate affectus, ſic ait. *Eſt humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet ſalutem: & eſt humilitas, quam charitas format & inflammat: atque hæc quidem in affectu, illa in cogitatione conſiſtit. Etenim tu, ſi temetipſum intus ad lumen veritatis & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palpatione diiudices, non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui: quamuis necdum fortaſſe id eſſe patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, ſed de opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris infuſione. Nam ſi veritatis ipſius, quæ te tibi veraciter atque ſalubriter demonſtrauit, ſicut ſplendore illuminatus, ita amore affectus fuiſſes; voluiſſes procul dubio, quod in te eſt, eandem de te omnes tenere ſententiam, quam ipſam apud te veritatem habere cognoſcis.*

5. Actus humilitatis ſunt, *Primò*, vilipenſio & contemptus ſui, per quem ſe, quoad ea, quæ ex ſeipſo habet, nihil æſtimet. *Secundò*, Reputare ſe omnibus Dei donis indignum & ad omnia ineptum; idque ſine falſitate: quia talis reuera eſt ſecundùm ea, quæ ex ſeipſo habet. *Tertiò*, Talem cupere ſe ab aliis iudicari & æſtimari, qualem ſe veritatis ſententia & in oculis Dei nouit eſſe, quantùm in ipſo eſt: licet non ſit ſemper expediens vt alij noſtros defectus noſcant, aut nihili nos æſtiment, propter ædificationem & fructum aliorum. *Quartò*, cenſere ſe omnibus viliorem & deteriorem, iuxta ea, quæ ex ſeipſo quis habet. Exemplum habemus de B. P. Noſtro Franciſco vt narrat D. Bonauentura cap. 6. vitæ ipſius. *Cùm beatificaretur*, inquit, *à pluribus, ad ſe ſic dicebat: latroni ſi tanta contuliſſet Altiſſimus; gratior te foret Franciſce.* Et cùm Frater quidam ab eo quæreret quid de ſeipſo ſentiret? humilis Chriſti ſeruus Franciſcus ait. *Video mihi maximus peccatorum.* Cui cùm Frater diceret ex aduerſo, quod hoc non poſſet ſana conſcientia dicere nec ſentire, ſubiunxit: *Si quantuncumque ſceleratum hominem tanta ſuaſſet Chriſtus miſericordia proſecutus, arbitror ſanè quod multò magis quàm ego Deo gratior eſſet*: quia verè humilis, etſi defectus, coſque graues in aliis videat, cogitare poteſt, ac interdum etiam deberet, aliqua mala etiam notabilia ſiue nota ſiue ignota ſibi ineſſe, quæ non ſunt in aliis. Hoc enim eſt ingenium humilitatis, in ſe intueri ſua mala, in aliis, eorum bona. Sicut è contrario ſuperbiæ indoles eſt, intendere in ſua bona & in aliorum mala. *Quintò*, Actus humilitatis eſt ſubiicere ſe Deo vt opus ſuo factori, vt de ſe diſponat pro ſuo beneplacito in omnibus, præſertim quæ ad hanc vitam pertinent, v.g. quoad paupertatem vel diuitias, ſanitatem vel morbum, mortem vel vitam attinet. Denique verus humilis, quantum in ſe eſt, ſemper in externis rebus & functionibus amplectitur id, quod eſt abiectius & minus honoratum; debet tamen habere rationem officij quod gerit. Hæc dicta ſint ex mente D. Thomæ *in dicta q.* 161. & aliorum Doctorum *ibidem.*

6. Humilitas habet duodecim gradus, quorum *Primus* eſt, corde & corpore ſemper humilitatem oſtendere, defixis in terram aſpectibus. *Secundus*, pauca verba & rationabilia loqui moderata voce. *Tertius*, non eſſe promptum aut facilem ad riſum. *Quartus*, tacere donec interrogeris. *Quintus*, accommodare ſe communi regulæ, vitando ſingularitatem. *Sextus*, Omnibus ſe viliorem & inferiorem, non ſolum lingua pronuntiare, ſed etiam intimo cordis affectu credere. *Septimus*, credere & confiteri ſe ad omnia indignum & inutilem, ſecundùm conſiderationem propriæ fragilitatis. *Octauus*, confiteri peccata ſua. *Nonus*, in duris & aſperis non recedere ab obedientia, ſed amplecti patientiam. *Decimus*, Pro Dei amore omni obedientiæ ſe ſubdere maiori. *Vndecimus*, Delectari implere voluntatem non ſuam, ſed Dei. *Duodecimus* eſt, Dei timorem ſemper habere; & meminiſſe eorum quæ præcepit.

D. Thom. D. Bernard. D. Thom.

Hic gradus eſt ordine poſtremus & perfectiſſimus, ad quem cæteri omnes referuntur, & eſt fundamentum ac regula cæterorum graduum. Timor enim Domini initium Sapientiæ. *Proverb.* 1. de quibus vide D. Thomam *loco citato art.* 6. vbi hi gradus explicantur. D. Thom.

7. Datur præceptum de humilitate obligans ad mortale. Prob. hoc ex multis Scripturæ locis. *Diſcite à me,* ait Chriſtus Matth. 11. *quia mitis ſum & humilis corde,* & cap. 18. *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum.* Iſaiæ 66. dicit Dominus, *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum* (humilem dixerunt 70) *& contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Quibus auctoritatibus Scripturæ, cùm ſatis ſignificetur ad conſecutionem æternæ ſalutis neceſſariam eſſe humiliationem, actum proprium humilitatis, negari non poteſt, quin ea ſit in præcepto, quod ſub mortali obliget, tanquam datum de re ad ſalutem neceſſaria. Propterea notandum eſt, diſtingui tres gradus humiliationis. *Primus* eſt, ſubdere ſe maiori & non præferre ſe æquali: hic gradus eſt ſufficiens ad implerionem memorati præcepti. *Secundus* eſt, ſubdere ſe æquali, nec ſe præferre minori: & hic eſt abundans, tanquam opus ſupererogationis. *Tertius* eſt, ſubdere ſe minori: & in hoc eſt omnis iuſtitia.

Contra hoc præceptum peccatur per omiſſionem quando, ſcilicet, fit aliquod opus omninò exigens humiliationem ſui coram Deo aut quando offert ſe occaſio peccandi mortaliter, ad quam vitandam talis humiliatio eſt omninò neceſſaria, vt in vehementi tentatione, recurrendum eſt ad humilem implorationem diuini auxilij ad vincendum eam. Per Commiſſionem peccatur, ſuperbè efferendo ſe, vel imprudenter & indecorè deiiciendo ſe, non ſeruatis debitis circumſtantiis. Exemplum eſt, ſi Sacerdos ſubliciat ſe foro ſæculari, aut Epiſcopus præponat ſibi Sacerdotem, &c. De quibus vide Syluium *in 2. 2. quæſt.* 161. *art.* 5. *&* 6. Reginaldum *lib.* 17. *num.* 200. *& ſequent.* Syluius. Reginald.

8. Ad humilitatem tria præcipuè nos inuitant. *Primò*, Exemplum Chriſti, qui etſi omnium eſſet Summus, tamen in natura humana fuit humillimus. Quis enim ſatis ponderabit humilitatem eius? qui Dei filius, Rex regum & Dominus dominantium, vixit in hoc mundo ſine domo, agro, pratis, vineis propriis: in habitu parco: non habens vbi reclinaret caput ſuum *Luc.* 9. Et cùm innocentiſſimus eſſet, ab improbis ac nocentibus hominibus ſuſtinuit pro nobis opprobria, calumnias, deſpectus, inſidias, perſecutiones, flagra, cruciatus diriſſimos, tandemque ignominioſiſſimam ac crudeliſſimam mortem. *Ad Philipp.* 2. Vnde meritò Eccleſia in collecta dicit. *Deus, qui ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem noſtrum carnem ſumere & crucem ſubire feciſti, &c.* Imò ipſemet Chriſtus legiſer noſter nos ad hanc humilitatem inuitat, dicens Matth. 11. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.*

Secundum, eſt ratio veritatis, hæc enim ſi ad eius libellam nos appenderimus, quodammodo ad humilitatem nos cogit. Quis enim dum ſuam vtilitatem, prauitatem, imbecillitatem, ſuumque nihilum intuetur, ſe magni æſtimare queat.

Tertium, quia humilitas eſt fundamentum virtutum, non quidem directè & principaliter, ſed indirectè & diſpoſitiuè. Ratio prioris eſt, quia fides eſt directè prima virtutum, eo quòd per eam fiat primus acceſſus ad Deum, dicente Apoſtolo ad Hæbreos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt.* Poſterior pars probatur, quia humilitas eſt prima per modum remouentis impedimentum, quod eſt ſuperbia: & reddit hominem ſubditum ac veluti aptum ad influxum gratiæ recipiendum, in quantum euacuat inflationem ſuperbiæ. Vnde Iacob. 4. dicitur, quod *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Impedit enim ſuperbia influxum diuinæ gratiæ: & conſequenter, virtutum ſtudium, quod ſine auxilio gratiæ conſtare nequit. Ita D. Thomas *loco citato art.* 5. *in reſp. ad* 2. D. Thom.

HYPOCRISIS.

SVMMARIVM.

1 *Hypocriſis vnde dicta? & quæ eius definitio.*
2 *Hypocriſis duæ ſunt ſpecies.*
3 *Hypocriſis quando ſit peccatum mortale.*

1. HYpocriſis, Græca dictio latinè ſignificat ſimulationem: cùm quis aliam perſonam ſimulat, quam ipſe eſt: ſiue cùm vult alius videri, quàm eſt. Transfertur inde ad eos, qui aliud in pectore gerunt, aliud in ore: eumque ſe probos, pioſque haberi cupiunt, longiſſimè tamen abſunt ab ea perſona, quam ſimulant.

Definitur Hypocriſis ſimulatio alienæ perſonæ: vt cum peccator ſimulat perſonam iuſti. Hypocriſis tamen minus late patet, quam ſimulatio: omnis enim hypocriſis eſt ſimulatio, non tamen omnis ſimulatio eſt hypocriſis, ſed ſolùm ea qua quis ſimulat perſonam alterius. Et quamuis olim illi, qui perſonas alienas agere ſolent, tanquam viles & infames habebantur. Nihilominus in ſcripturis noui teſtamenti hypocrita pro ſimulatore viri ſancti ſeu ſanctitatis vſurpatur, id eſt, pro illo qui cùm ſanctitatem non habeat, vult tamen videri eam habere. Non tamen omnis qui ſua peccata occultat ne alios ſcandalizet, hypocrita eſt dicendus: ſed is ſolus, qui eo fine ſanctitatem ſimulat, vt quam non habet, videatur habere, Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 111. *art.* 2. & alij communiter. D. Thom.

2. Hypocriſis duæ ſunt ſpecies. Prima eſt, quando homo non vult virtutem quam ſimulat, ſed apparere habere eam. Altera eſt, cùm homo non habet quidem virtutem, tamen ſimulat ſe habere, quam non habet; illa peior eſt quam hæc: nam per illam non ſolùm vult homo apparere, ſed etiam vult contrarium virtutis; per hanc autem ſolùm vult virtute præditus videri, quam non habet. Vnde *Hypocrita Sanctus eſſe non appetit, ſed vocari: & cùm fortaſſe corripitur, quaſi in opinionis gloria detruncatur. Deprehenſum ſe in prauitate iraſcitur; loqui ſibi redarguentem prohibet; quia velut in occulto vulnere tactus dolet. Qualis imperitis innotuit, talis vult ab omnibus æſtimari: & paratior eſt mori, quàm corripi. Redargutione deterior redditur: quia quaſi diræ percuſſionis æſtimat iaculum, puritatis verbum. Vnde exaſperatus protinus in contumelias ſurgit, & quæ mala exaggeret contra vitum correptoris inquirit.* Ita D. Gregorius *in Iob lib.* 5. *cap.* 16. D. Gregor.

3. Hypocriſis per ſe eſt peccatum veniale: poteſt tamen eſſe peccatum mortale, in duobus caſibus. *Primò*, ratione finis; vt ſi quis ſimulet ſe iuſtum, Sanctum, Prophetam, Doctorem veritatis; vt falſam doctrinam ſeminet; ſicut faciunt hæretici præſertim miniſtri: hi ſunt veriſſimi hypocritæ, interiùs lupi, exteriùs oues quos cauendos Dominus monuit, Matth. 7. *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium; intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* Item cùm quis ſe caſtum ſimulat, vt ei committatur puella, quâ abuti ſtatuit. *Secundò*; cùm habet coniunctum notabile damnum proximi, vt cùm Medicus, vel Patronus ſe doctum ſimulat cum notabili damno eorum, qui operâ ipſorum

ipſorum vtuntur. Item ſi hoc nomen ſimul inuoluat contemptum ſanctitatis vel religionis internæ. Hoc modo multi policiti huius ætatis ſunt hypocritæ; ſolùm enim curant vt exteriùs videantur iuſti vel Catholici, cùm internam Religionem nihili faciant: talis hypocriſis eſt peccatum mortale, ratione illius contemptus, quem includit. Ita D. Thomas *loco citato, art.* 4. Syluius *ibidem*, Toletus *lib.* 8. *cap.* 9. Nauarrus *in man. cap.* 18. *n.*8. Reginaldus *lib.* 17. *num.* 213. & alij.

D. Thom. Syluius. Toletus. Nauarra. Reginald.

I.

IACTANTIA.

SVMMARIVM.

1 *Iactantia quid ſit? & quæ illius cauſa mouens.*

2 *An quando quis iactat ſe de malo quod fecit, propriè ſit iactantia.*

An iactantia de aliquo peccato eamdem habeat malitiam ac ipſum peccatum, ita vt ſit neceſſariò explicandum peccatum, de quo fuit iactantia? Refertur duplex ſententia.

3 *Quale peccatum ſit ſe de aliquo bono iactare? Et quid ſi falſa laus de aliquo bono ſit in damnum tertij.*

4 *In quibus caſibus iactantia ſit peccatum mortale.*

1. IACTANTIA eſt vitium in ſermone contra veritatem: cùm quis maiora de ſe prædicat, quàm inſint: aut cum quis effert ſe ſupra id, quod homines de ipſo opinantur. Indirectè vero iactantia illis virtutibus opponitur, quarum oppoſita vitia ſunt cauſa iactantiæ. Cauſa autem mouens iactantiæ plerumque eſt ſuperbia & arrogantia: vnde ponitur à D. Gregorio inter ſpeciem ſuperbiæ. Et quia vt plurimum iactator ad hoc tendit, vt gloriam conſequatur ex ſua iactantia; ideò eius cauſa finalis, eſt inanis gloria, interdum tamen cauſa mouens iactantiæ eſt auaritia: & finalis, lucrum. Communiter verò cauſa mouens eſt mera vanitas; & finis eius delectatio. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 112. *art.* 2. Syluius *ibidem*, & alij.

D. Thom. Syluius.

2. Si quis ſe iactet de malo, quod fecit, non eſt propriè iactantia, quia deeſt mendacium, ſed eſt vana gloriatio, ſimilis iactantia, eo prior, quo res de qua gloriatur, peior eſt. Si autem illud non fecit, eſt peccatum iactantiæ; quia eſt mendacium, quo de ſe maiora prædicat, quàm inſint. Nec obſtat, quòd illud, quod de ſe dicit malum ſit: quia accipit illud inſtar boni & laudabilis, & ita opinione ipſius bonum eſt.

Sed difficultas eſt, an iactantia de aliquo peccato eamdem habeat malitiam ac ipſum peccatum, ita vt in confeſſione teneatur explicare peccatum, de quo fuit iactantia? Reſp. cum diſtinctione. Aut ille iactans habet adhuc complacentiam de illo peccato, aut non: ſi primum, certum eſt apud omnes, fatendam ſpeciem & circumſtantiam peccati v. g. ſi quis iactauit ſe de peccato cum coniugata, tenetur fateri circumſtantiam coniugij, & non ſufficit ſe accuſare toties ſe iactaſſe de peccato mortali. Si ſecundum, hoc eſt, ſi iactantia non fuit cum complacentia ſeu gaudio de peccato commiſſo, Doctores non conueniunt; nam Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 3. *num.* 13. qui pro ſe adducit Ludouicum Lopez, ſuſtinet fatendas eſſe circumſtantias, ſiue quis verè, ſiue falsò ſe vel alium laudarit, & quamuis non adfuerit de peccato admiſſo gaudium. Ratio eſt, quia hoc peccatum, ad eam ſpeciem reducitur cuius eſt illud peccatum, de quo eſt iactantia. Virtus enim contraria non tantùm peccatum contrarium, ſed etiam delectationes moroſas & iactantiam, qua id peccatum tanquam bonum approbatur, cohibet. Hæc ſententia eſt probabilis. Verum probabilius dicendum puto contrarium, nempe talem non eſſe obligatum declarare peccatum, cuius fuit iactantia, ſed ſufficienter ſatisfacere dicendo ſe de mortali culpa iactaſſe. Quia tota iactantiæ malitia conſiſtit in captanda gloria & honore de malefactis, quod verò malefacta ſint latrocinia, homicidia, aut fornicationes, materiale quid eſt, & per accidens ad iactantiæ malitiam, vnde ratio offenſæ mortalis eiuſdem rationis eſt in omnibus mortalibus. Sicut in contumelia, quando obiiciuntur proximo defectus diuerſæ ſpeciei, non ſunt verba illa contumeliæ ſpecie diſtincta, quia aſſumuntur tantùm vt inſtrumentum ſeu medium ad honorem proximi læedendum; quòd verò ſint hæc, vel illa verba contumelioſa, materialiter ſe habet. Ita ſentiunt Nauarrus apud Sanchez *loco citato*, Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 161. & *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 44. Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 2. *punct.* 11. *num.* 5. Sententiam tamen Sanchez nouiſſimè amplexatus, eſt Candidus *tom.* 2. *diſquiſit.* 24. *art.* 22. *dub.* 31. Contrariam autem Leandrus *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 8. §. 3. *quæſt.* 12. apud Dianam *part.* 9. *tract.* 9. *reſol.* 20.

Nauarrus. Sanchez. Diana. Palaus. Candidus. Leandrus. Diana.

3. Quando iactantia & vana gloria de aliquo bono eſt, ſolùm eſt peccatum veniale. Ratio eſt, quia etſi debitus ordo peruertatur, ea tamen perueſio non tanti momenti eſt, nec adeò grauis iniuria rebus ſpiritualibus infertur, vt pœna æterna digna ſit, modò in tertij damnum hæc iactantia non cedat: ſi quis enim ſe falsò magnum Medicum, aut Aduocatum iactet, vnde aliis damnum conſurgat, eſt peccatum mortale, & ſimiliter ſic alium laudare, eadem culpa eſt, & tenetur ſic ſe, vel alium laudans reſtituere damnum illud; quòd per iniuſtitiam cauſa illius damni exiſtat. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 112. *art.* 2. Caietanus, Syluius *ibidem*, Nauarrus *in man. cap.* 23. *num.* 13. Qui nouiſſimus bene aduertit, illum, qui falsò laudatus ſciens aliquod notabile damnum inde oriturum, ſi non contradicat ſaltem quantùm oportet ad illi obuiandum, peccare mortaliter. Damno autem notabili non ſubſecuto, approbationem explicitam vel implicitam falſæ laudis de re bona, vel ſolum veniali, eſſe venialem, imò nec eſſe peccatum, ſed virtutis actum audire falſas laudes abſque contradictione, modò laudatus eis non delectetur eo reſpectu, quo ſunt falſæ, aut laudes propriæ, aut adulationes; ſed quia ſuo ſtatui neceſſariæ ſunt, vt prauum exemplum ac ſcandalum vitentur.

D. Thom. Caietan. Syluius. Nauarrus.

4. Quamuis iactantia per ſe, ſeu ex genere ſuo ſit tantùm peccatum veniale, continens malitiam mendacij & vanæ gloriæ: poteſt tamen eſſe peccatum mortale in aliquibus caſibus. *Primò*, Si quis ſe iactet cum iniuria Dei, ſibi tribuendo, quod Dei eſt. *Secundò*, Cum iniuria proximi, vt dictum eſt, modò illa iniuria ſit notabilis. *Tertiò*, Si procedat ex ſuperbia vel inani gloria mortifera: vt ſi quis glorietur de donis Dei, tanquam ſit illis dignus. *Quartò*, ſi iactet ſe cum intentione nocendi proximo, aut emungendi pecunias iniuſtè, aut exponendi ſe periculo nocumenti, vt dictum eſt de Medico & Aduocato, &c. *Quintò*, Si ita ſit addictus iactantiæ, vt paratus ſit peierare vel aliud peccatum mortale committere. *Sextò*, Quando quis iactat ſe

Sanchez. Lopez.

de

de opere, quod eſt peccatum mortale; nam videtur illud approbare. Notandum tamen eſt, aliquando ſe, vel alium laudantes de aliquo peccato, laudare non de opere abſoluto, quod eſt lethale, ſed tantùm de viribus naturalibus, arte, aut induſtria in eo peccato repertis, abſque approbatione vel affectu ipſius operis, & tunc non eſt mortale: quia in hoc euentu, non eſt iactantia de peccato, ſed de quodam bono naturali. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* 112. *art.* 2. ex D. Thoma, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 47. *num.* 42. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 3. *num.* 12. Toletus *in Summ. lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 4.

Caietan. Leſſius. Sanchez. Toletus.

IDOLOLATRIA.

SVMMARIVM.

1. *Idololatria vnde dicta? Et quæ ſit differentia inter imagines gentilium & Chriſtianorum.*
2. *Quæ fuerint cauſæ Idololatriæ.*
3. *Qui apud gentiles fuerint dij nominati & quare. Vbi de Saturno, Ioue, Neptuno, Plutone, Marte, Mercurio, Hercule, &c.*
4. *Quæ cognitio vnius veri Dei ſufficiens ſit, ad inducendam hominibus obligationem colendi Deum, & cauendi à peccato idololatriæ.*
5. *Idololatria, alia eſt perfecta; alia minùs perfecta; tertia eſt ſimulata.*
6. *An idololatria maximum ſit peccatum contra Religionem? & an grauior ſit odio Dei.*

1. IDololatria Græca vox eſt & compoſita ex dictionibus Idolum & latria. Idolum latinè ſignificat ſimulachrum aut imaginem alicuius rei: latria, cultum ac venerationem: vnde Idololatria ex nomine ſignificat ſimulachrorum venerationem ac cultum. Differentia duplex eſt inter imagines Gentilium & Chriſtianorum: vna in ſignificatione, altera in cultu. Nam gentilium imagines ſignificant falſa: quia ſignificant eſſe Deos, in quibus nihil vmquam diuinitatis fuit, eſſeque potuit. Chriſtianorum autem imagines vera ſignificant: ſcilicet eos, qui verè ſunt Sancti, & honore digni. Deinde Gentiles ſuas Imagines, vel eos homines, aut res alias quarum erant imagines, pro diis habuerunt ac coluerunt. Chriſtiani autem ſuas Imagines, & eos quorum ſunt Imagines, non aliter venerantur ac colunt, quàm vniuſcuiuſlibet in imagine repræſentati dignitas poſtulat.

2. Cauſæ Idololatriæ fuerunt duplices, homines ſcilicet & dæmones. In hominibus inueniuntur tres cauſæ Idololatriæ: *Prima* inordinatus amor erga charos defunctos: quidam enim inuenti ſunt, qui filiis, aliiſque charis Imagines erexerunt, quas nimium amando, tandem etiam vt Deos coluerunt, vt habetur in lib. Sapient. *cap.* 14. *Secunda* cauſa in hominibus, amor figurarum aut ſimulachrorum repræſentantium res abſentes vel præſentes. Hinc quidam pulchritudine ac venuſtate Imaginum permoti, paulatim in errorem prolapſi ſunt, vt eaſdem Imagines venerari, & vota iis nuncupare inciperent. *Tertia* cauſa in hominibus fuit ignorantia veri Dei. Nam cùm homines verum Deum ignorarent, cœperunt pro Deo habere & colere, quidquid in rebus aliquam excellentiam pulchritudinis, aut virtutis habet. Vt ignem, ventos, aërem, aquam nimiam, &c. vt dicitur *Sapient.* 17.

Cauſa altera principalis Idololatriæ fuerunt Dæmones, qui ſe ſtatuis ab hominibus fabrefactis immiſcebant, eiſque motum, vocem & quaſi vitam dabant, ac reſponſa per eas edebant: vnde ipſæ ſtatuæ per ſe tanquam numine plenæ & animatæ coli cœperunt. Et quia dæmones ſtatuis illis, mox vt dicatæ erant, ſe inſinuabant, putabant ethnici ſe poſſe deos facere, quam poteſtatem miratur & extollit Mercurius Triſmegiſtus, vt refert D. Auguſtin. *lib.* 8. *de ciuitat. cap.* 23. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 94. *art.* 4. Syluius *ibidem* & alij. D. Auguſt. D. Thom. Syluius.

3. Gentiles ſibi finxerunt plurimos Deos; ita vt non ſolùm quælibet gens aut natio, ſed & ſingulæ prope ciuitates ſuos peculiares Deos habuerint atque coluerint: quorum tamen præcipui fuerunt homines ſcelerati, & infames. Inter eos primus fuit Saturnus, quem ſtulti gentiles Deorum Optimum maximumque dixerunt; cùm fuerit homo impuriſſimus ac ſceleratiſſimus. Hic natus ex Vranio & Veſta, Fratrem habuit Titan: Sorores ei erant Ops & Ceres. Filios genuit ex ſorore Ops, Iouem, Neptunum, & Plutonem; qui patris. Regnum inter ſe ita diuiſerunt: vt Iupiter partes Orientis; Neptunus mare cum inſulis; Pluto partes Occidentis haberet. Filias genuit Iunonem & Glaucam. Tandem à Ioue filio regno expulſus, poſt longa itinera exul venit in Italiam ad Ianum, &c. Diciturque etiam Patri ſuo Vranio genitalia abſcidiſſe. De illo agunt D. Auguſt. *de ciuit. Dei lib.* 4. *c.* 10. Lactant. *lib.* 1. *c.* 11. 12. & 14. Saturnus. D. Auguſt. Lactantius.

Iupiter Saturni Regis & Opis ſeu Rheæ filius, ſeruatus clam à matre, & Auia Veſta, atque Sorores Iunone, ne à Patre vt prior filius occideretur. Adultior factus, cùm audiſſet patrem atque matrem à Titane patruo eiuſque filiis, cuſtodiis circumſeptos, cum magna Cretenſium multitudine venit, Titanemque & filios eius expugnans, parentes vinculis exemit; atque ita in Cretam remeauit. Et cum Saturnus inſidiaretur Ioui filio, vt eum necaret: At filius inſidiis cognitis, patre fugato, Regnum Orientis ſibi vendicat. Reliquam deinde vitam ſuam Iupiter in ſtupris & adulteriis conſumpſit. Poſteaquam autem Iupiter quinquies terram circuiuit, omnibuſque amicis ac cognatis ſuis Imperium diuiſit; &c. quibus memoriam & laudē velut immortalem conciliauit. Sed ætate peſſum acta, in Creta moritur, vbi & ſepulchrum eius oſtenditur. Lactant. *eod. lib. c.* 10. Iupiter. Lactantius.

Neptunus frater Iouis, regnauit in Inſulis Oceani & locis maritimis. Vnde Poëtæ finxerunt eum Deum Maris aut mare ipſum. Vxorem habuit Salaciam, ereede conductas à Laomedonte Rege Phrygiæ, iuuit eum in obſidione vrbis Troiæ, D. Auguſt. *de ciuit. Dei lib.* 3. *cap.* 2. & *lib.* 4. *cap.* 10. *cum Comment. Lud. Viuis.* Ex inceſtu cum matre Lybia genuit Buſirim Regem, vel potiùs Tyrannum: D. Auguſt. *de ciuit. lib.* 18. *cap.* 12. Neptunus. D. Auguſt. D. Auguſt.

Pluto Frater Iouis regnauit in Occidente. Vnde Poëtæ finxerunt eum Regem Orci, vel Inferorum. Vxor eius Proſerpina, Cereris ex Ioue fratre ipſius, filia, quam inuitis parentibus rapuit. D. Auguſt. *de ciuit. lib.* 4. *cap.* 10. D. Auguſt. Pluto.

Apollo natus eſt ex inceſtu Vulcani & Mineruæ liberorum Iouis. Fuit hic homo improbus qui ob amorem turpem quo flagrabat, alienum gregem deſpicaciſſimè pauit, & muros Laomedonti extruxit. Puerum famoſum & dum amauit, violauit, & dum ludit, occidit, Lactantius *lib.* 1. *cap.* 10. & de eodem agit D. Auguſt. *lib.* 1. *de Ordine cap.* 4. *& de ciuitat. lib.* 3. *cap.* 2. *Cum comment. Lud. Viuis.* Apollo. Lactantius. D. Auguſt.

Mars homicida fuit, & per gratiam, cædis crimine ab Athenienſibus liberatus; ne autem videretur nimis ferus & immanis, adulterium cum Venere commiſit D. Auguſt. *de ciuit. lib.* 18. *cap.* 10. & 13. Lactantius *lib.* 1. *cap.* 10. Mars. D. Auguſt. Lactantius.

Mercurius fuit fur & nebulo, ad famam ſuam nil reliquit, niſi memoriam fraudum ſuarum. Cœlo Mercurius.

ſcilicet dignus ; quia paleſtram docuit ; & lyram
Lactantius. primus inuenit. Lactantius *lib.* 1. *cap.* 10. D. Auguſtinus *de ciuit. lib.* 4. *cap.* 27. Putatur natus ex Nepote Atlantis & Maia ; Atlas autem erat frater Saturni.

Hercules. Hercules genitus eſt ex adultera Alcmenæ, Orbem terræ peragrauit;quem ſtupris,ſpoliis,adulteriis;rapinis quoque,latrociniis, homicidiis totum inquinauit : quin & ſuam vxorem cum liberis interemit. Stulti autem Gentiles arbitrantur ab ipſo
D. Auguſt. orbem purgatum eſſe. D. Auguſt. *de ciuit. lib.* 2. *c.* 14. *& lib.* 18. *cap.* 12.

Vulcanus. Vulcanus Iouis & Iunonis, aut Iunonis incerto patre filius fuit. Impuræ Veneris maritus: arte faber ferrarius qui in Lemno artem fabrilem inſtituit. Ex inceſtu cum Minerua ſorore genuit Apollinem illum, in cuius tutela hiſtorici antiqui Athenas eſſe
Lud. Viues. voluerunt. Ludouic. Viues *comment. in lib.* 4. *cap.* 11. *D. Auguſt. de ciuit.*

Omnes alij Gentilium falſi Dij aut ex prædictis nati ſunt aut eorum fuerunt ſimiles, vt ex Lactantio & libris D. Auguſt. de ciuitate Dei facile cognoſci poteſt.

Iuno. Iuno fuit filia Saturni, Soror & vxor Iouis : quæ pellices acerrimè perſecuta eſt, quia ipſa parere non potuit ex fratre. Genuit tamen Vulcanum ex patre incerto, hoc eſt, ex adultero, cuius nomen
Lud. Viues. reticetur, vt crimen tegatur. Lud. Viues *comment. in lib.* 4. *cap.* 11. *D. Auguſt. de ciuit.*

Minerua. Minerua Iouis & Themidos filia, à Poëtis ficta Virgo : ſed ex Vulcano fratre per inceſtum genuit
D. Auguſt. Apollinem & Erichthonium, D. Auguſt. *lib.* 18. *cap.* 12. *de ciuit.*

Venus. Venus fuit vxor Vulcani, non ſolùm Deorum, ſed & hominum libidinibus proſtituta. Hæc enim ex famoſo Martis ſtupro genuit Harmoniam. Ex Mercurio Hermaphroditum, qui eſt natus Androgynus. Ex Ioue Cupidinem. Ex Anchiſe Æneam. Ex Bute Fryzen. Quæ prima artem meretriciam inſtituit: auctorque mulieribus in Cypro fuit, vt vulgò corpore quæſtùm facerent. Quod idcirco impe-
Lactantius. rauit, ne ſola præter alias mulieres impudica & virorum appetens videretur, Lactantius *lib.* 1. *cap.* 17. apud quem plura de aliis, quas Poëtæ finxerunt Deas Virgines.

Ratio autem cur iſti perditi homines in deorum numerum, à Gentilibus faſcinatis, relati ſunt, id factum putatur ob nonnulla beneficia, quæ ſuis populis dum viuerent præſtiterunt. Inde namque amorem & veneration em ſibi conciliarunt, vt poſt vitam etiam ſui memoriam ac deſiderium reliquerint. Quamobrem populus & gratitudinis & memoriæ ergo conſtituit eis ſimulacra : in quibus ipſos quoque venerari ac colere paulatim cœperunt. Quod obſeruans Diabolus, auxit in populo ſuperſtitionem eiuſque deſideriis ſe accommodauit : reſponſa per ſimulachra dedit, & petita contulit. E quo deinde accidit, vt horum vicini, & poſt eos etiam alij remotiores, ſimilia ſibi ſimulachra fabricarent. Atque ita longè, lateéque propagata eſt Idololatria, Deo permittente & Diabolo operante. Deinde ad idololatriam hanc magnam occaſionem præbuerunt Poëtæ ſuis adulatoriis laudibus & fictionibus; quibus & virtutes iſtorum perditorum hominum plus æquo prædicarunt, & nefanda eorum ſcelera fictis fabulis occultarunt. Ita Lorichius *in theſaur.*
Lactantius. Lorichius. *verb. Idololatria* ex Lactantio *lib.* 1. *c.* 15. *&* 18.

4. Cognitio vnius veri Dei ſufficiens ad inducendam hominibus obligationem colendi Deum, & cauendi à peccato idololatriæ, non neceſſariò debet eſſe vndequaque perfecta, ſine vllo admixto errore, ſed ſat erit cognitio quædam generalis de Deo, quod ſit principium omnium rerum, excedens omnia, à quo omnia dependent & gubernantur : ſiue ea cognitio habeatur per Dei reuelationem, ſiue per ſapientum magiſterium, ſiue per demonſtrationem, ſiue per rationem probabilem : Imò ſatis eſt, ſi homo agnoſcat per ſyndereſis dictamen eſſe aliquem Superiorem legiſlatorem, cui ſe debeat ſubiicere. Hinc illi Philoſophi gentilium, qui agnouerunt Deum eſſe vnum duntaxat, nequeunt excuſari, tum à crimine idololatriæ, tum ab omiſſione colendi vnum verum Deum. Prob. quia habita ratione vnius veri Dei, puta quod ipſe eſſet primum principium, parens & gubernator omnium rerum: ſtatim lumen naturæ dictat nos eis debere ſubiici ipſumque honorare tanquam præcellens quid ſuper omnia, à quo pendent omnia eius effecta, in eſſe, fieri & conſeruari, & eodem lumine dictante, cognoſcitur honorem diuinum ei debitum nequaquam ad alios præterquam ad ipſum eſſe transferendum. Vnde Apoſtolus ad Roman. 1. loquens de illis Philoſophis, ait : *ita vt ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt* (ecce omiſſionem diuini cultus, à quo non excuſantur) *& mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & ſerpentium.* En crimen idololatriæ, à quo non excuſantur.

Idololatræ autem, qui non habuerunt notitiam veri Dei, non ſunt etiam excuſandi à crimine idololatriæ : quia res peruia eſt cuique intellectum habenti, non eſſe colendos vt Deos homines imbecilles, obſcœnos & flagitioſos, quos gentilitas colebat: quin potius lumen naturæ dictat eos eſſe dignos irriſione & vituperio. Si verò ſermo ſit de aliis ſubſtantiis, quæ ſupra hominem credebantur, vt aſtra, luminaria, aut intelligentiæ ſeu Angeli : probatur etiam dictum noſtrum : quia ex cognitione vnius veri Dei ſtatim promanat dictamen rationis naturalis, eum eſſe colendum, nullique alij honorem ſibi debitum eſſe exhibendum. Sed idololatræ non excuſantur per ignorantiam à cognitione vnius veri Dei, ergo neque à cultu eius, aut idololatriæ crimine erga creaturas quaſcumque : quia vt dicitur Sapient. 13. *A magnitudine ſpecici & creaturæ poterat creator horum cognoſcibiliter videri.* Et ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ita vt ſint inexcuſabiles.* Quod etiam Plato in ſympoſi. Naturali lumine rationis ductus intellexit, cùm dixit : *Ex pulchritudine omnium rerum creatarum, pulchritudinem quandam admirandam diuinæ naturæ repente conſpicio.*

5. Triplex idololatria diſtingui poteſt: prima eſt perfecta, cùm quis idolo diuinum honorem exhibere intendit, quia falsò exiſtimat Deum eſſe, & hæc idololatria cum infidelitate iuncta eſt. Altera eſt minus perfecta, cùm quis ſciens idolo diuinitatem nullam ineſſe ; tamen ex prauo affectu, id eſt, ex odio erga verum Deum, vel cupiditate aliquid à Diabolo obtinendi, ipſi Dæmoni vel alteri creaturæ externum cultum, tanquam Deo defert. Hæc idololatriæ ſpecies priorem ſuperare videtur in grauitate peccati : quia ex mera voluntatis malitia committitur : tum quia aliquam etiam ſimulationem & mendacium pernicioſum, Deoque iniurioſum continet. Prior autem ob ignorantiam aliquo modo excuſatur. Tertia deniq ; eſt idololatria ſimulata, cùm quis ſine exiſtimatione diuinitatis, & ſine interno affectu colendi ob Tyranni vel populi metum, exterius tantùm idolo exhibet cultùm latriæ Deo vero debitum : quod nunquam licet ; quia repugnat veræ fidei confeſſioni, & ſit perfectum mendacium in cultu Religionis, quod Deo iniurioſum eſt & apud homines

Digitized by Google

mines ſcandaloſum : proinde grauiſſimum peccatum eſt contra Religionis virtutem. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 94. *art.* 2. *&* *art.* 3. Syluius *ibidem art.* 1. *&* 2. *concl.* 4. & alij. D. Thom. Syluius.

6. Inter peccata Religioni contraria idololatria maximum eſt. Ratio eſt, quia idololatra quantum in ipſo eſt, aliud Deum huic mundo præficit, ac verò Deo ſuum detrahit principium ; ideoque committit crimen læſæ maieſtatis diuinæ. Imò idololatria quodammodo eſt maius peccatum, quàm odium Dei : quia ſi fiat idololatria ex perfecta notitia & libertate, includit odium & blaſphemiam : vt ſi quis noſcens verum Deum, vellet alium facere, eique diuinum honorem tribuere, id enim quodammodo eſſet odio habere Deum verum, & inſinuare non eſſe Deum quod eſſet blaſphemia. Idololatria tamen quæ fit abſque odio Dei expreſſo, videtur minus peccatum quàm Dei odium : quia minus eſt auferre Deo ſuum honorem & eum alteri deferre, quàm velle ipſam diuinitatem abſolutè è medio tollere. Cæterum, quamuis idololatria per ſe & ex ſuo genere ſit tam graue peccatum, tamen ex diſpoſitione peccantis accidit, quòd minus graue ſit, quàm vel hæreſis eorum, qui ſe Chriſtianos nominant, vel externa ipſorum ſiue idololatria, ſiue idololatriæ ſimulatio: vt quando gentiles per ignorantiam idola colunt ; Chriſtiani autem ſcientes & volentes à Chriſto vel Eccleſia deficiunt. Vide D. Thomam *ſecunda ſecundæ, quæſt.* 94. *art.* 3. Caietanum, Syluium & alios *ibidem*. D. Thom. Caietan. Syluius.

IEIVNIVM.

SVMMARIVM.

1 *Vox ieiunium vnde dictum ? & de quadruplici ieiunio.*
2 *An Ieiunium ſit actus virtutis.*
3 *An præceptum ieiunij Eccleſiaſtici obliget ad mortale.*
4 *Quæ ſint cauſæ inſtitutionis ieiunij Quadrageſimalis ? Et quare inſtitutum fuerit proximè ante Paſcha.*
5 *De ieiunio Feriæ Quartæ, Sextæ & Sabbathi.*
6 *De Ieiunio Aduentus.*
7 *De Ieiunio Rogationum.*
8 *An peccent mortaliter qui conducunt operarios ea conditione, vt eo die, quo laborant, non ieiunent.*
An conductor eos ſolos operarios teneatur vocare, qui cum moderato labore poſſint operari ſine fractione ieiunij ? Refertur duplex ſententia.
9 *Quæ paruitas materiæ excuſet à fractione Ieiunij.*
10 *Qui Doctores teneant non eſſe attendendam qualitatem cibi in refectiuncula Veſpertina, ſed quantitatem, modò non ſit prohibitus.*
11 *An in vigiliis Natiuitatis Domini & Paſchæ poſſit ſumi collatio ſeratina maior, quàm in aliis ieiunijs.*
12 *An obligatus ieiunare ex voto, toties peccet mortaliter, quoties carnes comedit ?* Refertur duplex ſententia.
13 *An diſtincta ſit malitia in confeſſione explicanda ſæpius in Quadrageſima per diem comedere, & comedere carnes, oua aut lacticinia.*
14 *An in diebus ieiuniorum liceat ſine fractione ieiunij ſumere uuas vel ſimiles fructus, quoties libuerit, ad ſedandam ſitim.*

1. VOx Ieiunium ſumpta eſt ab inteſtino quodam, quod Ieiunum dicitur, à vacuitate: quia cibum nullum continet, ſed tranſmittit eum ad partes inferiores. Et hinc Ieiunus dicitur, qui necdum cibum ſumpſit, quaſi adhuc vacuus à cibo.

Theologi quadruplex ieiunium ponunt. *Primum* eſt, Metaphoricum & ſpirituale, & eſt abſtinentia à quibuſlibet vitiis; iuxta Auguſtinum *tractat.* 17. *in Ioan.* Vbi ait, *Ieiunium magnum & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus ſæculi ; quod eſt perfectum ieiunium.* D. Auguſt.

Secundum vocatur ieiunium naturæ, omnimoda ſcilicet abſtinentia poſt mediam noctem, ab iis quæ guſtari poſſunt, ita vt taliter ieiunus, nihil à media nocte ſumpſerit cibi, potus, medicinæ, aut cuiuſuis alterius rei quæ ſumatur per modum cibi vel potus, & ad ſtomachum tranſmiſſum.

Tertium eſt ieiunium Philoſophicum ſeu morale, quod propter valetudinis curam & ſtudiorum profectum ſuſcipitur, iuxta dictamen naturalis rationis. Dicitur autem Philoſophicum, quia Ethnici meliore quadam indole præditi illud ſeruauerunt.

Quartum eſt Eccleſiaſticum, quod ab Eccleſia præceptum certis diebus ac temporibus ſeruatur. De his agimus etiam *tom.* 1. *verb. Ieiunium.* 1. *num.* 1. cum Doctoribus ibi citatis.

2. Ieiunium metaphoricum non eſt actus vnius tantum virtutis, ſed omnium virtutum ſimul iunctarum, ſiue charitatis non ſimpliciter, ſed quatenus omnes virtutes continet. Ieiunium naturæ nullius virtutis eſt actus, quia conſiſtit in pura negatione, ſcilicet, in priuatione cibi vel potus præſſumpti. Ieiunium Philoſophicum eſt actus virtutis ſaltem acquiſitæ, & pertinent ad temperantiam, vt minimum talem, qualis poteſt eſſe in infidelibus. Ieiunium Eccleſiaſticum eſt actus virtutis, quia verſatur circa obiectum bonum, cum relatione ad debitum finem. Vnde ieiunium hoc non eſt res indifferens, vt volunt hæretici, ſed opus naturæ ſua Deo gratum, ac Dei cultu. Vt bene nobis tradit Syluius *ſecunda ſecundæ, quæſt.* 147. *art.* 1. ex D. Thoma. Syluius.

3. Quorumdam Catholicorum Doctorum ſententia fuit præceptum ieiunij Eccleſiaſtici non obligare ad peccatum mortale, mortaliter tamen peccare eos, qui illud violant, ex vi conſuetudinis totius populi Chriſtiani exiſtimans ſe in hoc mortaliter peccare, & ex communi omnium Doctorum conſenſu. Ratio eſt, quia nullibi in iure canonico inuenitur tam grauis obligatio per præceptum ieiunij inducta, qualecumque ipſum ieiunium ſit, ſiue Quadrageſimæ, ſiue extra illam. Ita Caietanus *in Summ. verb. Ieiunium, §. hora competens cap.* 4. *&* 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 3. Vnde aſſerit idem Auctor ſe non audere affirmare ex vi ſolius iuris ſcripti in materia ieiunij, quia, inquit, neſcio an alicubi in iure ſanctum ſit præceptum ſub mortali obligans ad ieiunium.

Alij volunt ſolùm eos peccare mortaliter, qui præceptum ieiunij per contemptum non ſeruant, ſiue contemptus ſit expreſſus, ſiue tacitus : contemptum expreſſum appellant illum, quo quis ex formali intentione deſpiciendi præceptum Eccleſiæ, ieiunium violat. Tacitum putant quidam eſſe illum, quo quis aſſiduitate quadam & vſu frequenti ieiunium omittit. Ita Richardus *quodlib.* 1. *quæſt.* 19. Angelus *verb. Inobedientia, initio.* Richard. Angelus.

Communis

Communis tamen Theologorum & Canoniſtarum ſententia ſuſtinet Eccleſiaſtici ieiunij violationem ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, etiamſi non fiat ex conſuetudine vel contemptu. Ratio eſt, quoniam leges & præcepta obligant pro quantitate materiæ ad peccatum mortale, vel veniale: ieiunium autem quod Eccleſia ſuis legibus præcipit, eſt materia grauis. Tum quia Canones *tom. 1. verb. Ieiunium 1. n. 2. verſ. An autem*, citati, grauiorem pœnam ſtatuunt in violatores ieiunij, quàm ſtatui ſoleat in peccantes venialiter. Tum quia in Clementin. *Exiui, de verb. ſignificat.* Pontifex ait Fratres Minores propter ieiunia Regulæ non eſſe liberos à ieiuniis Eccleſiaſticis, quæ alij Chriſtiani obſeruare debent. Et in Clementina *ad noſtrum, de hæreticis*, damnatur error dicentium, viros perfectos ieiuniorum legibus non teneri. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 147. *a.* 4. *ad* 5. & *art.* 3. *ad* 2. quem ſequuntur omnes Theologi. Ex Canoniſtis Panormitanus *in rubric. de obſeruat. ieiuniorum num.* 11. Archidiac. *cap. vtinam, diſt.* 76. Couarruuias *lib.* 4. *variar. cap.* 20. *n.* 10. vbi docet ieiuniorum Canones & conſtitutiones conſcientias ita obligare, vt qui ieiunia indicta etiam ſine vllo contemptu, ſed ſolùm de facto abſque vlla legitima cauſa non ſeruant, cùm poſſunt, mortaliter delinquunt.

D. Thom. Panormit. Archidiac. Couar.

4. Multæ ſunt cauſæ inſtitutionis ieiunij quadrageſimalis quarum prima eſt, & præcipua, vt Chriſtum pro modulo noſtro imitemur. Secunda, vt pro peccatis totius anni communem pœnitentiam agamus, & communibus ſtudiis faciamus Deum nobis propitium: *ſeu vt ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia caſta decoquerent*, vt loquitur, S. Leo *Serm.* 4. *de Quadrageſ.* Tertiam cauſam adfert D. Gregor. *hom.* 16. *in Euangelia.* vt decimam partem totius anni Deò conferremus: A prima namque Dominica Quadrageſimæ, vſque ad Paſcha reperiuntur Quadraginta duo dies, è quibus ſi tollantur ſex dominicæ, in quibus non ieiunatur, reſtant triginta ſex dies ieiunij: triginta autem & ſex dies, ſunt decima pars anni, conſtantis trecentis ſexaginta quinque diebus.

D. Gregor.

Quare autem hoc ieiunium quadrageſimale inſtitutum fuerit proximè ante ſolemnitatem Paſchalem ſeruari? Reſpondent Sancti Patres, vt iſto ieiunio reddantur aptiores ad maxima redemptionis noſtræ myſteria, Paſſionis ſcilicet ac reſurrectionis dominicæ recolenda. Item vt per illud ieiunium fideles omnes præparentur ad communionem Paſchalem. Item quia nullum eſt anni tempus, in quo faciliùs poſſit ab omnibus ieiunari: & quia circa tempus vernum ſolent in humano corpore abundare humores, & ſanguis efferueſcere: vnde ſolent tunc temporis vehementius inſurgere motus libidinis, ad quos proinde refrenandos valde ſalubriter & vtiliter adhibetur ieiunium. De his plura apud Syluium *ſecundæ ſecundæ, quæſt.* 147. *artic.* 5. *quæſt.* 2.

Syluius.

5. Olim in quibuſdam locis fuit præceptum ieiunandi feriis quarta & ſexta: alibi verò feria ſexta & Sabbatho. Poſtea conſuetudo fecit, vt ieiunium quartæ feriæ omnino aboleretur, & vt in ſexta feria maneret tantùm ieiunium imperfectum quoad abſtinentiam tantum eſus carnium, non autem ab ouis & lacticiniis. Hinc iam vbique videtur vſu receptum vt in ſextis feriis totius anni ouа & lacticinia comedantur, & à carnibus tantùm abſtineamus. Si tamen alicubi contraria vigeret conſuetudo, ea obſeruanda eſt: quia conſuetudo vim legis habet, & ſicut conſuetudine leges & præcepta ac iura confirmantur, ita non vſu & diſſuetudine abrogantur.

Ieiunium in Sabbathis totius anni olim fuit in præcepto, vt conſtat *ex cap. Sabbatho, de conſecrat. diſtinct.* 3. ſicut & ieiunium feriæ ſextæ: vbi Innocentius I. ita ait, *Sicut Sexta feria cuiuſque hebdomada propter paſſionem Domini ieiunamus, nullum etiam Sabbathum prætermittere debemus, in quo triſtitiam Apoſtolorum ieiunio non iteremus.* Ex quo capite colligunt Doctores præceptum eſſe ieiunium & abſtinentiam à carnibus, quæ in Sabbathis obſeruatur: & licet olim obſeruaretur perfectè illud ieiunium; nunc tamen non eſt tam perfectum in vſu, ſed tantummodo abſtinentia à carnibus; lacticinia & ouа, & plures refectiones permittuntur. Imò vbi conſuetudo permittit eſum carnium in Sabbathis intra Natiuitatem Domini & Purificationem B. Virginis incluſiuè, licet ibi tunc veſci carnibus, etiam ipſa die Purificationis ſi cadat in Sabbathum cuius conſuetudinis ratio eſt lætitia natalis Domini Saluatoris: & ob eamdem lætitiam iure conceſſum eſt, quando contingit diem Natiuitatis Domini incidere in Feriam ſextam, carnibus veſci, *cap. Explicari, de obſeruat. ieiunior.* vbi Honorius III. Pragenſi Epiſcopo reſpondet. *Explicari per ſedem Apoſtolicam poſtulaſti: Reſpondemus, quod illi, qui nec voto nec regulari obſeruantia ſunt adſtricti, in Sexta Feria, ſi Feſtum Natiuitatis Dominicæ die ipſo venire contingit, carnibus propter Feſti excellentiam veſci poſſint ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi ſunt, qui ob deuotionem voluerint abſtinere.*

Ieiunium. Innocent. I. Honor. III.

6. In Eccleſia Romana olim in aduentu Domini ieiunium ſeruabatur, vt patet *in cap. conſilium, de obſeruat. ieiunior. Apud nos*, inquit Innocentius III. *in aduentu Domini ieiunium agitur.* Et quidem in aliquibus Eccleſiis totus aduentus ieiunio erat conſecratus, præter dies Dominicos. In aliis autem ſoli tres dies cuiuſque hebdomadis aut quatuor ieiunio dicati erant, vt ex Martiſconenſi Concilio his verbis conſtat: *A feria S. Martini vſque ad Natalem Domini, Secunda, Quarta, Sexta & Sabbatho ieiunatur.* Hodie tamen hoc ieiunium in diſſuetudinem abiit & ſolùm apud religioſos, licet non apud omnes, manſit: qui partim ex propriis ſtatutis, partim vſu & conſuetudine id retinuerunt. Apud tamen Fratres Minores ex Regula eorum ieiunium à Feſto omnium Sanctorum vſque ad Natiuitatem Domini eſt obligatorium ad culpam mortalem.

Innoc. III. Conc. Mart

7. Quamuis Eccleſia nullum ieiunium præcipiat inter Paſcha & pentecoſten propter lætitiam Reſurrectionis Chriſti Domini, iuxta *cap. ſcire debet, diſtinct.* 76. Licitum tamen eſt Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, quoties id euidens aliqua neceſſitas poſtulat, indicere extraordinarias ſupplicationes cum ieiunio. Vnde Mamertus Epiſcopus Viennenſis, cùm ea ciuitas luporum, vrſorumque incurſibus vehementer infeſtaretur, & terræ motibus illius ædificia periclitarentur; triduanas litanias cum ieiunio per illos tres dies ante Feſtum Aſcenſionis Domini, in ſuo Epiſcopatu præcepit, vt iis precibus & ieiuniis ira Dei placaretur. Hoc pium atque vtile opus paulatim aliæ atquæ aliæ Eccleſiæ imitatæ ſunt, ita vt tota Gallia, Anglia, Germania & Hiſpania eas Rogationes & ieiunia ſuſceperit, vnde Concilium Aurelianenſe primum omnibus fidelibus illud ieiunium indixit, iuxta *cap. Rogationes, de conſecrat. diſtinct.* 3. vbi habetur *Rogationes, id eſt, litanias, ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita vt præmiſſum triduanum ieiunium in Dominicæ Aſcenſionis ſolemni-*

Conc. Aurel

tate ſoluatur ; per quod triduum ſeruis & ancillis ab opere relaxentur, quo magis plebs vniuerſa conueniat quo triduo omnes abſtineant, & etiam quadrageſimalibus cibis vtantur. Hæc ieiunia abierunt in deſuetudinem, ita vt modò ſolùm ſit neceſſarium obſeruare ieiunium imperfectum, abſtinendo à cibis in ieiunio vetitis : imò abſque peccato poſſunt ſumi plures refectiones, ac etiam abſque peccato mortali poteſt præueniri hora in perfectis ieiuniis obſeruari debita. Vt docet Syluius 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 5. *in fine.* Fagundez *de præcept.* 4. *Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 8. & alij citati *tom.* 1. *verb. Ieiunium II. num.* 3. *verb ſed petes primò.*

Syluius. Fagund.

8. Quibuſdam placet peccare mortaliter eos, qui conducunt operarios, vt agricultores, meſſores, &c. eo pacto & conditione, vt eo die, quo ſuo labori incumbant, non ieiunent, quia eis impediunt obſeruationem vnius præcepti ad quam parati ſunt. Dicendum tamen eſt huiuſmodi conductores nullo modo peccare, nec venialiter quidem. Ratio eſt, tum quia operarij non tenentur ieiunare, ergo quamuis conductores prædicto pacto & conditione, illis impediant ieiunium, non tamen impediunt implectionem præcepti; cùm illi ad id non teneantur. Tum quia non peccat conductor ſi operarij mercedem minuat, ex eo quòd operarius ieiunium ſeruans minùs ſolito laborat; quia non debet maiorem mercedem promittere, aut ſoluere, quàm operarius mereatur, ergo etiam non peccabit in pactum & conditionem deducendo, ne ieiunet. Ita Fagundez *loco citato lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 16. An autem conductor eos ſolos operarios teneatur vocare, qui cum moderato labore poſſint operari ſine fractione ieiunij? Affirmant Toletus *in Summ. lib.* 6. *cap.* 5. *caſ.* 1. Paludanus, Gabriel apud ipſum citati; niſi labor ille non poſſit differri in alium diem, quin damnum alicuius momenti obueniat. Contraria tamen ſententia vera eſt, & ita obtinuit conſuetudo recepta ab omnibus timoratis & religioſis viris, non enim propter ieiunium ſubtrahent ſeruis de labore, neque operarios dimittunt. Ergo non tenetur Dominus ſeu conductor eum ſolum laborem ſeruis imponere, & eos ſolos operarios vocare, qui cum moderato labore poſſint ieiunare, ſed poteſt quoſcumque vocare, licet ieiunium non ſint ſeruaturi operando. Ita Fagundez *in examin. parte ſecunda, cap.* 8. §. 2. *num.* 15. cui adhæret Diana *part.* 1. *tractat.* 9. *reſol.* 13.

Toletus. Paludanus. Gabriel.

Fernandez. Diana.

9. Poſitâ ſententiâ afferente, licere ſumere pro refectiuncula veſpertina vncias octo panis cum fructibus, ſiue illa ſumantur coniunctim, vel ſeparatim in eadem quantitate : Difficultas eſt quænam paruitas materiæ excuſet ; Alibi ex auctoritate Turriani & Dianæ diximus quantitatem duarum vnciarum communis cibi non ſufficere ad conſtituendum peccatum mortale, ob rationem adductam *tom.* 1. *verb. Ieiunium I. num.* 8. *verſ. Sed petes primò.* Vnde ex hac ſententia ſequitur, quòd quis manè poſſit ſine mortali fractione ieiunij ſumere quantitatem cibi duarum vnciarum & poſtea hora conſueta comedere, & ſerò collatiunculam veſpertinam ſumere in quantitate vnciarum octo. Similiter ſi quis in collatione veſpertina ſumat vncias decem cibi communiter, peccaret ſolùm venialiter contra legem ieiunij.

Quod ſi probabile ſit multum iuuabit ad ſubleuandum ſummam difficultatem, quam plures fideles ſentiunt in obſeruandis Eccleſiæ ieiuniis. Ita Pellizzarius *in man. regul. tom.* 1. *tractat.* 5. *cap.* 5, *num.* 11. & nouiſſimè Diana *part.* 9. *tractatu* 6. *reſolut.* 15. vbi adducit Ioannem Henriquez *in practic. quæſt. ſect.* 16. *quæſt.* 4. docentem quòd ſi collatiuncula veſpertina ſumatur in fructibus, non debere eam intelligi de humidis, aut recentibus, ſed de ſiccis : & in illis maiorem quantitatem permitti ; eo quòd decem vnciæ fructuum humidorum æquiualeant octo vnciis ſiccorum. An autem hæc opinio ſit probabilis, tu lector iudica.

Pellizzarius Diana. Io. Henriq.

10. Qualitatem cibi, ſi in quantitate non excedatur, collatiunculam veſpertinam non vitiare, modò ex prohibitis in diebus ieiuniorum non ſit, diximus *tom.* 1. *verb. Ieiunium I. num.* 9. *verſ. Difficultas eſt, edit.* 3. docere Bonacinam, Caietanum, & Paſqualigum. Modo pro firmanda eorum ſententia, quàm improbabilem & falſam vocant nonnulli, opere pretium duxi adducere quorumdam ſententiam in idem conſentientem. Nam Petrus Marchantius *in tribunal. Sacram. tom.* 2. *tract.* 12. *tit.* 3. *quæſt.* 3. *dub.* 1. ſic ait. In collatiuncula veſpertina de qualitate cibi non eſſe altercandum, ſed de quantitate duntaxat : quia collatiuncula illa tolerata, permiſſa eſt ad aliquam confortationem naturæ, propter infirmitatem humanam. Quid igitur refert quo cibo confortatio illa fiat, modò non excedatur, & cibus abſtinentiæ ieiunij ſit accommodus.

P. Marchan.

Iacobus autem Marchantius huius Petri Frater *in reſol. Paſtoral. part.* 2. *cap.* 5. *quæſt.* 1. dicit, Bonacinæ ſententiam nonnulli ſequuntur & dicunt licere loco fructuum, vel piſciculum, vel piſcis grandioris particulam ſumere, vel aliquid cibi alterius cuiuſcumque liciti in diebus ieiuniorum, ſi modò non excedatur quantitas modica. Et quamuis non ſit ſuadendus ordinariè huius ſententiæ vſus, tamen cùm cauſa aliqua adeſt, poteſt fieri ſine peccato ; & ſi fiat ſine vlla cauſa excuſante ego exiſtimo non eſſe niſi veniale : & puto Antoninum Diana in cenſura excedere, dum aſſerit ſine dubio peccari mortaliter & frangi ieiunium.

Iac. March.

Hanc etiam ſententiam tenent Franciſcus Ghetius in theſauro animæ *tom.* 2. *verb. Ieiunium cap.* 1. *quæſt.* 4. In ientaculo ſerotino non refert quid quiſque ſumat, ſi modum non excedat, dummodò non ſit aliquis ex cibis vetitis, vnde poteſt comedi, caſeus piſciculi parui, vel pars exigua piſcis grandis, iuſculum etiam aliquod, & tandem quid magis vnuſquiſque putat prodeſſe ſuæ complexioni. Ita etiam Zambellus *in Vsper. moral. verb. Ieiunium, num.* 19. & illam probabilem eſſe fatetur Trullench *in Decalog. tom. primo, libro tertio, cap.* 6. *num.* 8. & alij.

Ghetius.

Zambell. Trullench.

Aliqui concedunt abſolutè in collatione ſerotina, ſumi poſſe iuſculum abſque peculiari indigentia ac neceſſitate, dummodo iuſculum non ſit coctum in aliquo cibo vetito, ſed tantùm in pane, vel cum fructibus, nec excedatur quantitas alioqui conceſſa. Ita Eſcobar *in theolog. moral. tractat.* 1. *examin.* 13. *cap. primo, num.* 102. Pellizzarius *in man. Regul. tom. primo, tractatu quinto, cap.* 5. *num.* 16. qui citat Azorium & Reginaldum. Et ideò Caramuel *in reg. D. Bened. diſp.* 128. *num.* 1613. docuit, non audere condemnare qualitatem collationis ſerotinæ quomodolibet paratam. Imò ipſemet Diana *part.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 29. non condemnat eum, qui in refectiuncula veſcitur pane cocto cum aqua, oleo & ſale, in quantitate aliàs licita, quamuis contrarium alibi aſſeruerit.

Eſcobar. Pellizzarius Azorius. Reginald. Caramuel.

Diana.

Prædicta ſententia, apud multos, maximam parit difficultatem quoad oua, quæ permittuntur diebus ieiuniorum extra quadrageſimam : quis enim non videt, ſumptionem ouorum in quantitate ſeptem

vel

vel octo vnciarum, debere dici non refectiunculam sed plenam & integram quasi refectionem? Tum quia oua plus afferunt nutrimenti quàm pisces, & tanquam maioris substantiæ post carnes apponuntur in medio prandij post ieiunium & ante finem: vnde oua inter meliora, imò & optima fercula numerari debent, & de facto ab omnibus enumerantur. Accedit, quod oua ex consuetudine immemoriali vbique in collatiuncula vespertina censentur prohibita; nec quisquam fidelium ea adhibere audet, quod est signum ouorum esum non esse cibum proportionatum pro refectiuncula in diebus ieiuniorum.

Nec obstat, quòd aliquando oua in ientaculis sumantur, nam ex hoc non infertur bene, quòd debeant inter bellaria numerari, vt vult Marcus Vidal *in Arca vitali titul. de ieiunio Inquisit.* 1. *num.* 140. & ideò in collatione sumi posse: quia, vt notum omnibus, multa alia, quæ habent rationem ferculi principalis, passim in ientaculis, tam matutinis, quam vespertinis apponuntur. Ita Diana *part.* 10. *tractat.* 14. *resolutione* 57. Leandrus apud ipsum citatus. Vbi solidè respondet ad argumenta Marci Vidal. Sed tu lector iudica.

Marc. Vidal. Diana. Leandrus.

11. In Diœcesibus & Prouinciis, vbi sic vsu receptum est, in collatione serotina vigiliæ Natiuitatis Domini, potest sumi duplo maior quantitas, quàm licitum est sumere in aliis ieiuniis: vnde si in aliis ieiuniis licitum est sumere vncias octo, erit in illa licitum sumere vncias sexdecim. Huiusmodi enim consuetudo excusabit à transgressione præcepti ieiunij in locis vbi Prælati non reclamant, neque per se, neque per suos Prædicatores, aut Confessores, sed potiùs ipsi rita faciunt, & consuetudinem sequuntur: cœpta est autem induci hæc consuetudo in Ecclesia, quia omnes ea nocte vigilabant, & in templo diuinis officiis intererant. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 8. *quæst.* 8. Fagundez *præcept.* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 19. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *resolutione trigesima quinta*, Idem dicendum putant de peruigilio Paschatis, vbi fuerit vsu communi receptum, vt refectiuncula tunc paulo maior solito sumatur. Nonnulli tamen hanc consuetudinem improbant, quia per illam fraudatur ieiunium & admittit veram cœnam nomine collationis tectam, seu palliatam. Tum quia hæc consuetudò, non est consuetudo populi Dei, sed populi cuius Deus venter est, & corruptela vitiosa dicenda est à gulosis introducta. Ita sentiunt Nauarrus *in man. cap.* 21. *num.* 14. Rodriguez *tom.* 1. *Summ. cap.* 23. *num.* 10. Angles *tractat. de ieiunio quæst.* 9. *art.* 2. *diffic.* 4. *dub.* 1. & alij. Cæterum hæc consuetudo non est ita vniuersalis, vt arbitrantur Doctores primæ sententiæ, cùm nusquam in hoc nostro Belgio hucusque inualuerit, sed potiùs contraria apud plebeios, quorum plerique illis diebus ieiuni manent vsque ad solis occasum ieiunio etiam naturali.

Azorius. Fagundez. Diana. Nauarrus. Rodrig. Angles

12. Certum est apud omnes comedentem carnes in die ieiunij Ecclesiastici, toties peccare mortaliter, quoties illas comedit, vt diximus ex communi *tom.* 1. *verb. Ieiunium l. num.* 10. Difficultas est tamen, an obligatus ieiunare ex voto, si secunda vice comedat carnes, peccet iterum contra votum? Videtur quòd sic: quia de ratione ieiunij Ecclesiastici est tantùm vnica comestio, & abstinentia à carnibus in omnibus horis illius diei. Ergo vouens ieiunium, vouet non comesturum amplius, quàm semel, & in nulla hora illius diei carnes: ergo quacumque hora illius diei carnes comedat, peccat; quia esto, violauerit ieiunium non violauit omni modo, quo potest. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 20. *quæst.* 6. Castrus Palaus *tom* 3. *disputat.* 1. *punct.* 12. *num.* 15. probabiliter. Non est tamen improbabile contrarium: quia in hoc voto non clauditur directè abstinentia à carnibus, sed indirectè, quatenus est pars essentialiter ad ieiunium requisita, & accessoriè ipsi ieiunio. Quare cùm semel violato ieiunio cesset obligatio circa principale, cessare videtur circa accessoriam abstinentiam à carnibus. Quare latum est discrimen inter obligatum ex præcepto Ecclesiastico ad ieiunium, & obligatum ex solo voto. Quippe ille prima vice comedens carnes, nec excusatus à ieiunio, duplex peccatum necessariò confitendum committit, alterum in ieiunij legem ea commestione violatam: alterum verò in legem aliam particularem obligantem ea die abstinere, independenter à ieiunij obligatione. At comedens carnes in die solius ieiunij promissi, vnicum peccatum admittit contra solum ieiunij votum quatenus ea comestione id violatur.

Azorius. Palaus.

Deinde hoc votum differt à præcepto Ecclesiastico ieiunij, quippe quòd etiam non ieiunantes separatim, atque distinctè obligat ad abstinentiam à carnibus, imò etiam à lacticiniis in Quadragesima. Votum autem ieiunandi tali die vtrumque eorum, videlicet à carnibus abstinentiam & vnicam comestionem per modum vnius comprehendit; quare si alterum violatum sit, iusta vel iniusta de causa, obseruatio voti omninò corruit. Ex quo sequitur, quòd talis de cætero continere se à cibis imò & à carnibus non teneatur, eo quod ieiunij formam ampliùs obseruare non possit. Ita Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 11. *num.* 42. Layman *lib.* 4. *tractat.* 4. *cap.* 37. *num.* 3. Diana *parte* 1. *tractat.* 9. *resolutione* 45. & 37. Faustus *in thesaur. Religion. lib.* 1. *quæst.* 140. & alij, vt iterum dixi *tom.* 1. *verb. votum.* 3. *num.* 3. *difficult. secunda.*

Sanchez. Layman. Diana. Faustus.

13. Ex dictis in præcedenti resolutione sequitur, quod in quadragesima comedere sæpius per diem, & comedere carnes & comedere oua, sunt singula particulariter & distinctis præceptis prohibita; vnde singula habent distinctam prohibitionem Ecclesiæ, eiusque fini repugnantiam, quod inde patet quod vnum sæpe sine altero permittatur, & consequenter continent distinctam malitiam in confessione explicandam. Ita Coninck *de Sacram. disput.* 7. *dub.* 5. *num.* 42. Sancius *in Selectis disp.* 51. *num.* 26. & 27. qui ultimus sic ait. Præceptum abstinendi à lacticiniis & ouis negatiuum est, & habet diuiduam materiam, vnde frangeretur à Sacerdotibus quoties in die oua & lacticinia ederent, eo modo quo toties delinquerent, quoties in die prohibito carnes comederent. Et duplici labe inquinaretur Sacerdos, edens carnes & oua in die Quadragesimali absque legitima causa, cùm sit distinctum præceptum, quo Sacerdotibus lacticinia & oua vetantur ab eo quo carnes: in quam duplicem fractionem etiam rueret laicus edens carnes in Quadragesima absque causa & oua, & lacticinia sine Bulla cruciatæ; & tenebitur confiteri, quoties se applicauerit esui carnium in die, & quoties comestioni ouorum. Ita ille.

Coninck. Sancius.

14. Dubium est, an in diebus ieiuniorum liceat sine fractione ieiunij sumere vuas ad sedandam sitim, quoties libuerit, vel similes fructus? videtur quod sit affirmatiuè respondendum; quia quando comedimus vuam, idem est in ordine ad cibationem & nutritionem, ac si sumeretur solùm succus ipsius, quia solus est aptus, vt digeratur: & quia cortex & vinacea egeruntur in propria substantia, non possunt

habere rationem cibi, atque adeò nec frangere ieiunium Eccleſiaſticum, per quod ſolus cibus nutritius prohibetur. Quare uva non poteſt frangere ieiunium ratione corticis aut vinaceorum, neque ratione ſucci, quia ſuccus in ſua ſubſtantia eſt vinum, & habet rationem potus: & quando uva dentibus conteritur, in ipſo ore acquirit rationem potabilis, atque adeò tranſmittitur ad ſtomachum per modum potus. Ita ſentit Paſqualigus *in praxi de ieiun. deciſ.* 135. & 136. & hanc ſuam opinionem viris doctis relinquit maturandam: quæ tamen penes Dianam *p.* 9. *tr.* 6. *reſ.* 14. ſemper acerba erit; & ideò in praxi numquam prorſus deducenda. Si quis enim vinacca uvarum in torculari preſſa ſumeret in magna quantitate, quis diceret eum illas comedendo non frangere ieiunium? Ergo quanto magis in caſu noſtro dicendum eſt, illum comedere & frangere ieiunium, qui ſuccum ſimul & vinacea dentibus preſſa deglutit. Aliàs non frangeret ieiunium ille, qui ad ſatietatem comederet pira, poma & ſimilia, cortices tantum expuendo, ſed ſuccum deglutiendo: ſed hoc dicere videtur abſurdum. Dicendum eſt ergo ſumentem vuam in quantitate notabili frangere ieiunium. Ratio eſt, qui uva & quidquid in ea eſt, cibus eſt, & moraliter habetur cibus: vnde liquor non includitur intra ipſa grana vuarum per modum potus, ſed potiùs per modum cibi, & non dicitur bibi, ſed manducari; hinc non habet ſtatum & modum potus, ſed potius materiam cibi, cùm reuera ſimul vt reliqua manducetur. Ita Dicaſtillus *de Sacram. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 2. *dub.* 5. *num.* 91. & 92. Et quod uvæ ſint cibus, tradunt Præpoſitus *in* 3. *part. quæſt* 74. *art.* 5. *n.* 44. Caſpenſis *tom.* 2. *tract.* 22. *diſp.* 2. *ſect.* 3. *n.* 18. Leſſius *in* 3. *p. quæſt.* 74. *art.* 5. & alij communiter. Et hæc addita ſufficiant de hac materia ieiunij.

Paſqualig. Diana. Dicaſtillus. Præpoſitus Caſpenſis. Leſſius.

Cæterum, quæ tomo primo & hîc de ieiunio produximus, ſecundùm probabilem opinionem Doctorum accipienda ſunt, quam ſcire debent Confeſſarij & Paſtores. Non enim propoſuimus iſta vt laxentur habenæ quibuſdam, qui curam carnis faciunt in deſideriis, & animo infrunito ſectantur concupiſcentias ventris. Confeſſariorum munus eſt & Concionatorum, ac Paſtorum, eos ſeriò hortari, monere, arguere; non verò nimia indulgentia & facilitate eis condeſcendere. Et certè Sancta Abſtinentia mœſta luget, quòd cùm olim tanta cum veneratione exciperetur & tot ſui aſſeclas cum gaudio intueretur, nunc penè ab omnibus diſeritur & eliminatur. Modò enim omnis ferè ſexus, ætas, ordo & generatio ſeſe à ieiunantium numero ſubducere nititur, varias prætexens excuſationes, quæ vtinam non ſint perizomata & folia filiorum Adæ ad cooperiendam nuditatem, quas ventus diuinæ æquitatis diſcutiet & excutiet, ac emandabit ad ignem. Vt fuſius proſequitur Iacobus Marchantius *in reſolutione paſtoral. part.* 2. *poſt cap.* 5. *in appendice.*

Iac. March.

Vide verb. Miſſa 2. *num.* 5. & 6.

IGNORANTIA.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia vnde dicta? Alia eſt negationis, alia priuationis, alia prauæ diſpoſitionis.*

2 *Quid requiratur vt ignorantia dicatur vincibilis.*

Quomodo intelligendi Doctores dicentes eſſe par ſcire & debere ſcire.

3 *Quando ignorantia ſit diſtinctum peccatum ab opere conſequenti? Et an ignorantia vincibilis conſtituat duo peccata.*

4 *Quibus modis dignoſcitur ignorantia probabilis ab improbabili.*

5 *An ſit differentia inter hæc, Lex non obligat ignorantes; vel illos obligat; excuſantur tamen à peccato & pœna.*

6 *An ignorantia iuris vel facti excuſans à mortali culpa, excuſet etiam à cenſuris & pœnis? Et an etiam excuſet ignorantia mortaliter culpabilis.*

7 *An ignorans inuincibiliter excommunicationem reſeruatam eſſe annexam caſibus Pontificiis, excuſetur à cenſuræ incurſu & à reſeruatione? Et quid iuris ſi ignorantia ſit vincibilis, non tamen craſſa.*

8 *An ignorantia craſſa & lata culpa excuſet à pœna impoſita ſcienter aliquid facienti? Et quid, ſi ignorantia fuerit affectata.*

9 *An ex ignorantia facti craſſa & ſupina conſurgat bona fides.*

10 *An ex ignorantia iuris naturalis & humani oriatur bona fides ad fructus acquirendos.*

11 *Qui cognoſceret conſanguineam vel affinem, inuincibiliter ignorans, an fornicationem committat, vel inceſtum.*

12 *An ignorantia inuincibilis iuris aut facti excuſet hominem à pœna iuris, quæ incurritur ſine peccato.*

Irregularis eſt, qui ignoranter contrahit & conſummat matrim, cum illa quæ ab alio corrupta fuit.

Item ille, qui vxorem, quam duxerat virginem, cognoſcit poſt eiuſdem vxoris adulterium.

13 *Alia eſt ignorantia, quæ coniungitur omni peccato, quæ cæcitas mentis ſeu bebetudo ſenſus dicitur.*

1. IGnorantia eſt dictio priuans, aut negans notitiæ rerum: à verbo ignoro, pro non noſco. Vnde ignorantia eſt neſcientia rerum aut factorum quorumcumque. Ignorantia alia eſt negationis, alia priuationis, alia prauæ diſpoſitionis. *Negationis* eſt partim in animalibus & rebus inanimatis, quæ ſcientiam non poſſunt habere: partim in hominibus & Angelis, reſpectu earum rerum quæ ſciri nequeunt. *Priuationis* ignorantia eſt, priuatio ſcientiæ quæ poteſt haberi: hæc eſt ſolorum hominum. *Prauæ diſpoſitionis* ignorantia eſt error ſiue habitus ſcientiæ contrarius ſcientiæ rectæ. Ita Sylueſter *verb. Ignorantia num.* 1. Alias partitiones ignorantiæ habes *tom.* 1. *eadem dictione.* Sylueſter.

2. Secundùm quorumdam ſententiam, ad peccatum mortale contrahendum, cognito obiecto, ſatis eſt cognitio malitiæ, quam vocant interpretatiuam, vt contingit, dum ratio actu non conſiderat malitiam, potuit tamen, & debuit conſiderare; & ita vt ignorantia dicatur vincibilis, ſufficit te eſſe obligatum aduertere. Ita Valentia *tom.* 2. *diſput.* 6. *quæſt.* 6. *punct.* 1. Gordonus *in Theolog. moral. tom.* 1. *lib.* 1. *q.* 8. *cap.* 10. *n.* 37. & alij probabiliter. Dicendum eſt tamen cum probabiliori ſententia, quòd vt ignorantia dicatur vincibilis, non ſufficere aliquem ex ſtatu & officio eſſe obligatum aduertere, niſi aliqua cognitio, dubitatio, vel ſcrupulus de malitia, aut obligatione adſit. Quare nullum peccatum mortale in voluntatis conſenſu eſt, niſi cogitatio aliqua præceſſerit & conſideratio expreſſa, quam actualem vocant malitiæ moralis, vel periculi, vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio, vel ſcrupulus. Itaque vt quis peccet mortaliter, debet conſiderare, vel opus illud eſſe malum, vel ibi eſſe malitiæ periculum, Valentia. Gordonus.

periculum, vel dubium, vel ſcrupulum ſaltem aliquem habere: quod ſi nihil horum præceſſerit, ignorantia, inaduertentia, ſeu obliuio cenſentur omninò naturalia & inuincibilia. Et ſic non ſatis eſt cognitio illa virtualis ſeu interpretatiua, quam ſufficere dicit prima ſententia. Ratio huius opinionis eſt, quia ſi nunquam in mentem venit cogitare, aut ſuſpicari de operis malitia, tunc homo non operatur malum deliberatè, cùm fieri non poſſit vt voluntas in malum peccati conſentiat, niſi intellectus illud cognoſcat. Vt ergo quiſpiam circa operis bonitatem aut malitiam conſultare poſſit, opus eſt vt occurrat primò aliqua cogitatio naturalis, quæ talis conſultationis poſſit eſſe principium. Nec erit in noſtra poteſtate primam hanc cogitationem excitare. Igitur quamdiu non occurrit intellectui cogitatio aliqua, aut ſcrupulus, aut dubitatio circa obiecti malitiam, & circa illius periculum, quamtumuis de illius commoditate conſultet intellectus, non eſt principium ſufficiens deliberandi de malitia ipſa morali, ergo non poteſt eſſe culpa quamdiu hæc cogitatio circa malitiam non ſe offert. Ita Sanchez *lib. 1. moral cap. 16. n. 21.* Vaſquez *1. 2. q. 74. art. 7. diſp. 107. cap. 3.* & *diſp. 123.* Portel *in dub. regul. v. Ignorantia. num. 11.* Layman *lib. 1. tract. 2. cap. 4. num. 6.* Salas *1. 2. tract. 13. diſp. 8. ſect. vltim. num. 87.* qui vltimus primam ſententiam vocat improbabilem. Tannerus *in 1. 2. diſp. 4. queſt. 9. dub. 1. num. 17.* & alij ferè communiter. Adde præterea quod non ſufficiat vt detur aliqua conſideratio malitiæ obiecti, niſi fuerit plena: nec ſufficiet ſemiplena & imperfecta deliberatio, ſeu aduertentia mali ad peccatum ſaltem mortale.

Sanchez. Vaſquez. Portel. Layman. Tannerus.

Quod ſi obiicias, Doctores æquiparare ſcire ac debere ſcire; ita vt is qui tenebatur ſcire, & non ſciuit, peccet, ac puniatur, ſicut qui tenebatur ſcire, neſciuit. Et ita dicunt de illo qui tenebatur aduertere, & non aduertit. Reſp. ſano modo intelligenda iura ac Doctores, dum dicunt eſſe par ſcire, & debere ſcire: nam intelligi debent, quando adfuit aliqua actualis plena & ſufficiens aduertentia ad malitiam peccati mortalis, eiuſque periculum, ſeu dubium, aut ſcrupulus: quia dum hæc actualis aduertentia non adfuit, non eſt in noſtra poteſtate proxima expellere eam ignorantiam, aut non eſt plenè, ita vt ad mortale peccatum ſufficiat. Ita Sanchez *loco cit. n. 24.* Hinc etiam intelligitur quomodo ſit exponenda illa Regula iuris in 6. *Ignorantia facti non iuris excuſat.* Eſt enim intelligenda de ſolo foro externo, in quo lex præſumit neminem ignorare legem latam à Principe. Nam in foro conſcientiæ, vtraque, ſi eſt inuincibilis modo prædicto, æquè excuſat, & neutra, ſi vincibilis ſit. Ita Sanchez *cit. num. 26.*

Sanchez. Reg. iuris. Sanchez.

3. Ignorantia eorum quæ ſolùm per accidens ſeu ex ſuppoſitione & in ordine ad ſubſequens factum, hìc & nunc ſciri debent, v. g. cognitio iuris alicuius, in caſu quo quis non ex officio, ſed ſponte velit cauſam aliquam controuerſam dirimere, vel cognitio particularis alicuius circumſtantiæ facti, ſolùm in ordine ad opus propoſitum rectè exequendum; v. g. an homo ſit, an fera in quam iaculor, non eſt peccatum diſtinctum ab opere conſequente; quia in his neceſſitas ſciendi oritur non ex virtute ſtudioſitatis per ſe, ſed ex præcepto eius virtutis, in cuius materia verſatur operans. Ignorantia verò eorum, quæ ſcire tenemur per ſe ex virtute ſtudioſitatis, v. g. articulos fidei, præcepta Decalogi & præcepta communia Eccleſiæ, quæ præterea ad cuiuſque ſtatum & officium pertinent, eſt peccatum per ſe diſtinctum ab opere conſequenti, quia aduerſatur virtuti diſtinctæ, nempe ſtudioſitati, quæ moderatur appetitum ſciendi, iuxta cuiuſque materiæ ac perſonæ conditionem. Ita Layman *lib. 1. tract. 2. c. 4. n. 10.* Vaſquez *1. 2. diſp. 126. cap. 5. & diſp. 119. c. 2. & 3.* Tannerus *1. 2. diſp. 4. queſt. 9. dub. 1. n. 12.* Notandum tamen eſt negligentiam cognoſcendi, ipſámque vincibilem, & culpatam, non cõſtituere duo peccata, ſed vnicum, ſicut actus internus & actus externus vnum peccatum in genere moris conſtituunt: quia ignorantia, cùm in intellectu exiſtat, non eſt peccatum, niſi quatenus volita: non autem volita eſt, niſi quia eam aliquis poſſet, ac deberet tollere, & negligit, vt docent Sanchez *lib. 1. moral. cap. 17. n. 13.* Valentia *tom. 2. diſp. 6. queſt. 6. punct. 2.*

Leyman. Vaſquez. Tannerus. Sanchez. Valentia.

4. Dignoſcitur ignorantia probabilis ab improbabili diuerſis modis: *Primò*, Si homo, quando incepit operari, nihil prorſus dubitet de eo, quod oportet fieri, vel nulla incurrat cogitatio, debeatnè ita facere necne, ſignum eſt talem ignorantiam eſſe inuoluntariam & propterea probabilem. *Secundò*, Quando aliquis facit totum id, ad quod tenetur, vt acquirat ſcientiam, & tamen eam acquirere non poteſt, ignorantia eſt probabilis & inuincibilis: quando verò non facit, eſt improbabilis & vincibilis. Sufficit autem moralis diligentia, quam homo prudens in re graui adhiberet. *Tertiò*, Si quis ſpecialiter ad obeundum certum munus & officium, ſtatuto, lege, mandatòve Superioris compulſus ſit, excuſari non poteſt ignorantia quin ſaltem dubitet, aut cogitet de his, quæ ad illud munus generaliter, aut ſpecialiter pertinere videntur: nam cuiuſcumque muneris & officij quædam ſunt obligationes communes, quædam verò ſpeciales. Communes, compertæ ſtatim debent eſſe ei cui munus & officium curæ committitur: ſpeciales licet non ſtatim notæ omnes ſint; cura tamen, ſtudio & diligentia diſci & ſciri debent. Propterea ignorantia communium obligationum in illo erit vincibilis; quia tenetur ſcire quæ ſunt officij & muneris. Particularium non item, ſi paratus ſit animus ad dubitandum de eo, quod fieri aut deuitari debet, & ad inquirendũ id, quod oportet quodque licitum eſt, aut ad conſulendum peritiores, ſeu exercitatos in eo munere & officio præſtando: tunc enim ſi qua erit ignorantia probabilis & iuſta ſeu inuoluntaria iure cenſebitur. Ita ex communi Azorius *tom. 1. lib. cap. 16. quæſt. 5.* & alij.

Sanchez. Sanchez. Azorius.

5. Differentia eſt inter hæc; Lex non obligat ignorantes: vel, illos obligat; excuſantur tamen à peccato & pœna. Si enim dicatur obligare, quamuis ignorans excuſetur à culpa tranſgreſſionis & pœna; at non excuſabitur ab aliis legis effectibus. Quod ſecus dicendum eſſet, vbi lex non obligaret ignorantes. Verbi gratia Decretum Tridentini obligaret ignorantes vbi legitimè promulgatum eſt, ita vt contrahentes clam matrimonium in eo oppido, ignari inuincibiliter decreti, minimè peccent, nec ſubdantur illius pœnis: at matrimonium eo decreto irritatum erit nullum. At vbi id decretum non obligat, matrim. eſt validum; & tale eſſet ſi decretur illud non obligare ignorantes. Propterea certum eſt, legem, vbi ſufficienter promulgata eſt, ita vt ſcientes liget, obligare etiam inuincibiliter ignorantes: quia talis lex habet iam completam legis rationem ac ſubinde perfectam obligandi vim: tum quia virtus obligandi ex ipſa legis natura & virtute, non ex ſubditi notitia proficiſcitur. Quare cùm aliqui dicunt, ignorantes minimè obligari lege, intelligendi ſunt, vt

vt velint ignorantes excusari à pœna & culpa transgressionis legis. Ita Sotus *lib. 1. de iustit. quæst. art. 4. conc. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 9. disput. 32. num. 2. & 3.* Medina *1.2. quæst. 90. art. 4. conc. 3. vers. Illud autem.*

Sotus. Sanchez. Medina.

6. Quoties ignorantia iuris vel facti est talis, vt Canonis transgressionem à culpa mortali excusset, excusabit ab excommunicatione, & aliis pœnis ob delictum impositis, vt irregularitate ob delictum, suspensione, interdicto. Non constat inter omnes, excommunicationem absque lethali culpa incurri non posse. Reliquæ autem censuræ sunt omnes pœnæ grauissimæ, & proinde minimè credendum est piam matrem Ecclesiam velle iis plectere ob culpam leuem, qualis est venialis. Ita de irregularitate sustinet Nauarrus *in man. cap. 27. num. 252. vers. Octauo.* Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 1. art 9. vers. Id autem.* Henriquez *lib. 14. de irreg. cap. 3.* Et de suspensione iure lata, Rodriguez *tom. 2. sum. cap. 77.* Emanuel Sà *verb. Suspensus ab officio.* Et de omnibus censuris docet Sanchez *loco citato n. 29.* & alij. Imò ignorantia etiam mortaliter culpabilis, siue iuris, siue facti, modò non sit crassa & supina, excusat à censuris & pœnis: & idem dicendum, licet adsit scientia legis, si adsit ignorantia non crassa excommunicationis seu censuræ vel irregularitatis. Quod probatur ex *cap. 2. de constitut. in 6.* vbi vniuersaliter dicitur excusare ab omnibus sententiis quorumcumque ordinariorum ignorantiam, quæ non est crassa nec supina. Ignorantia autem crassa & supina dicitur, quando ignorans aut nullam, aut valde modicam adhibuit diligentiam, vt sciret quod nosse tenetur. Vnde non omnis negligentia, sed summa est, quæ potest ignorantiam crassam efficere. Et iuxta Sotum, Graffis, ignorantia crassa est illa, quæ ex malitia, vel ex nimia negligentia procedit, vel quando est latissima culpa, quæ dolo æquiparatur, iuxta Anton. *cap. 2. de constitut. num. 9.* Hanc sententiam de ignorantia vincibili sustinent Portel *in dub. regular, verb. Ignorantia n. 27.* Diana *part. 3. tract. 5. resol. 13.* Tannerus *tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 3. n. 47.* Cælestinus *in compend. Theolog. moral. tract. 3. cap. 5.* Sanchez *loco citato num. 31.* contra Suarez & alios, qui putant omnem ignorantiam mortaliter culpabilem esse crassam, vt videre est *tom. 1. verb. Ignorantia, num 20.*

Nauar. Sotus. Henriq. Rodrig. Sanchez. Anton. Portel. Diana. Tannerus. Cælestinus. Sanchez.

7. Ex dictis numero præcedenti sequitur, quod si quis inuincibiliter ignoret excommunicationem, aut aliam censuram, quæ est annexa casibus Pontificiis, non solùm excusabitur ab incursu censuræ, verùm etiam casus non erit reseruatus reseruatione illa Pontificia: atque adeò poterit absolui à quocumque Confessario habente iurisdictionem in peccata mortalia huius rei, qui in tales casus est lapsus. Ratio est, quia reseruatio culpæ omnino dependet ab ipsa censura, idcirco non debet esse mirum, quod quando quis inuincibiliter censuram non aduertit, vel per ignorantiam, vel per obliuionem, casus, qui in reseruatione dependent ab ipsa censura, remaneant non reseruati. Nec obstat dicere, inde sequi, valde paucos incidere in censuras Pontifici reseruatas, vel etiam reseruatas Ordinariis, quia vel ignorant censuras prædictis criminibus annexas, vel naturali obliuione & consideratione illas non aduertunt. Hoc autem asserere videtur nimis durum. Resp. hoc non esse nimis durum, sed potius valde consonum suaui dispositioni, qua pia mater Ecclesia regit fideles, cùm nolit illos, dum nõ sunt contumaces contra ipsam, puniri pœnâ adeò graui, qualis est censura, & præsertim excommunicatione, quæ est pœna inter spirituales quæ ab Ecclesia imponuntur, omnium maxima: proinde quando fideles ignorant, vel naturali obliuione & inaduertentia non apprehendunt censuram, excusandi sunt ab eius incursu. Ita docent probabiliter Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8. num. 5. in fine.* Henriquez *in sum. lib. 6. cap. 13.* Coninck *de censur disp. 13. dub. 10. num. 91. & 92.* Præpositus in *3. p. quæst. 1. de censur. dub. 8. num. 59.* Qui nouissimus sic ait: Ex qua sententia sequitur innumeros non incurrere censuram excommunicationis, quamuis aduertant se in aliquo actu peccare mortaliter etiam contra legem Ecclesiasticam, vel crassâ eius ignorantia laborent: quia non obstante notitiâ legis, vt est præceptiua, vel crassa eius ignorantia, laborant ignorantia inuincibili eiusdem, vt est illatiua censuræ, eò quòd videlicet, nec quidquam de tali censura vnquam audiuerint; nec ex aliquo alio cognito facilè eius notitiam comparare potuerint. Quâ ratione plerumque non solùm rustici, sed etiam alij plebej à plurimis censuris possunt excusari, quamuis commiserint peccatum, cui est annexa censura. Quare prudens confessarius non debet statim iudicare tales incurrisse excommunicationem, sed quibusdam interrogationibus debet conari inuestigare, num eorum ignorantia respectu ipsius censuræ fuerit inuincibilis, quando factum perpetrabant: quod si deprehendat ignorantiam fuisse inuincibilem, potest iudicare tales non incurrisse excommunicationem; & si casus sit reseruatus propter excommunicationem, potest iudicare in ea circumstantia, casum non esse reseruatum, seque ab eo posse absoluere, quamuis alioquin non posset absoluere ab excommunicatione.

Sanchez. Henriq. Coninck. Præpositus.

Imò hîc dicta possunt habere locum in variis religiosis qui excommunicationes non ita facilè possunt cognoscere, qui proinde possunt ab iisdem excusari. Idem dicendum de variis suspensionibus, quarum ignorantia potest esse inuincibilis etiam respectu clericorum, & proinde si confessarius ex circumstantiis possit aduertere aliquem etiam sacerdotem laborasse ignorantia inuincibili, quòd suspensio esset annexa actui quem exercuit, poterit iudicare talem non incurrisse censuram.

Idem Ioannes Præpositus plus addit in *1. 2. quæst. 95. disp. 5. dub. 5. numero 18.* vbi docet, ignorantiam etiam vincibilem, dummodò non sit crassa, probabiliter excusare, ne aliquis incurrat pœnas legis; verbi gratia excommunicationem, irregularitatem, suspensionem, inhabilitatem ad officia ratione simoniæ, & alias graues pœnas. Cui subscribit Magister Serra in *1. 2. tom. 2. quæstio. 76. articulo 3. dubio 2.* dicens, ignorantiam etiam mortaliter culpabilem tam facti, quàm iuris communis Pontificij, quàm etiam censuræ, excusare non solùm à pœna excommunicationis, sed etiam à ceteris omnibus aliis censuris, suspensione, interdicto, irregularitate &c. si tamen ignorantia non sit crassa vel supina. Hanc sententiam tenent recentiores permulti. Ita ille. Ex horum Authorum doctrina, Confessarij in casibus occurrentibus multos scrupulos euanescere facient, & consolationem pœnitentibus afferent, vt bene aduertit Diana variis in locis, & nouissimè in *part. 9. tract. 6. resol. 13.*

Præpositus. Serra. Diana.

8. Ignorantia quantumcumque crassa & lata culpa, modò non sit ingens temeritas, excusat à pœna imposita scienter aliquid facienti. Ratio est, quia quando Canon expressè aut tacitè petit dolum, non satis est crassa ignorantia & lata culpa: at cùm Canon postulat scienter aliquid fieri, dolum manifestè petit. Tum quia

quia tunc intendit Ecclesia punire delictum expressè & formaliter volitum, præmissa illius notitia, quod non contingit, vbi adest ignorantia etiam crassa : quia tunc verè non adest notitia illius, & solum est virtute volitum. Idem dicendum, quando Canon dicit, *Si quis ausus fuerit* : quia audacia temeritatem importat. Idem, cùm lex pœnam inducit præsumenti aliquid facere : quia non verè dicitur præsumens, si quis aliquid ignorantia culpabili & crassa efficeret: præsumptio enim dolum importat & temeritatem. Ita Pontius *de matrim. lib.* 10. *cap.* 6. *n.* 10. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 32. *num.* 36. & *sequent.* Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 13. Molina *tract.* 5. *disp.* 71. *num.* 13. & alij penes ipsos. Imò Bonacina *de censur. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 11. contra Suarez docet hanc sententiam procedere, non solùm quando quis operatur cum ignorantia crassa, sed etiam cum ignorantia affectata : nam Superior illo modo loquendi non videtur requirere quamlibet temeritatem, præsumptionem vel contemptum; sed videtur exigere temeritatem & præsumptionem prouenientem ex certa scientia, aut saltem coniunctam cum ingenti temeritate. Quod videtur admittere etiam Sanchez *lib.* 2. *moralium cap.* 10. *num.* 38. Pellizzarius *in man. reg. tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 9.

Pontius. Sanchez. Diana. Molina. Bonacina. Sanchez. Pellizzarius

9. Ex ignorantia facti crassa aut supina, non consurgit bona fides : vt quoties quis hac ignorantia putat rem esse suam : quia tunc nulla adest probabilis ratio ad existimandam iustam possessionem ; ea enim existente non esset ignorantia crassa : vnde vt ignorantia bonam fidem producat debet esse inuincibilis, id est excusans à culpa lethali, in acceptione rei & omissione inquirendi cuius sit. Hæc autem ignorantia excusans à culpa Theologica iudicanda est attenta capacitate personæ accipientis, an scilicet accipiens sit timorata persona, quæ, si vitium in ea acceptione, aut emptione suspicaretur, abstineret se ab illis : quia in huiusmodi personis non est præsumenda ignorantia culpabilis crassa, sed potius inuincibilis, aut propter inaduertentiam, quæ sæpè non est in hominum potestate, aut ratione ignorantiæ subtilitatum iuris. Quando verò persona non est timorata, si nimia ruditas arbitrio prudentis eam non excusat à culpa, præsumitur ignorantia crassa eò facilius, aut difficilius, quò circumstantiæ concurrentes indicarent plus, aut minus, eam non esse tradentis, spectataque ruditate, simplicitate ac perspicacitate ingenij eam accipientis. Ita Molina *tomo* 3. *disp.* 720. & *disp.* 723. *n.* 2. & 7. & 8. Nauarrus *in man. cap.* 17. *num.* 84. Toletus *in sum. lib.* 5. *cap.* 26. *numero vlt.* Rebellus *de obligat. iustit. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 5. *numero* 5. Clauis Regia *libro.* 10. *tract.* 2. *cap.* 2. *numero* 2. & alij communiter.

Molina. Nauarrus. Toletus. Rebellus. Clau. Reg.

10. Quando ignorantia est iuris naturalis, vt si quis norit rem esse furtiuam, ignoret tamen sibi non licere eam emere, certum est apud omnes, hanc ignorantiam esse crassam, nec excusare, ac proinde non consurgere bonam fidem ad acquirendos fructus. Sed difficultas est de iuris humani ignorantia. Quidam enim negant hinc oriri bonam fidem ad fructus acquirendos, nisi ignorans sit rusticus, aut mulier, aut minor, aut ius sit ita dubium vt varias interpretationes patiatur : quia iura clamant, ignorantiam facti, non iuris excusare. *reg. Ignorantia, de reg. iur. in* 6. At dicendum est inuincibilem iuris ignorantiam satis esse ad producendam bonam fidem ad huiusmodi effectum : quia nullum est ius decidens hac ignorantia excludi bonam fidem ad acquirendos fructus ; imò eam satis esse deciditur expressè *l. Sed etsi*, §. *scire ff. de petit. hæredit.* ibi : *Et non puto hunc esse prædonem, qui dolo caret, etsi in iure erraut.* Vnde quando ius voluit hanc ignorantiam non prodesse, vt quoad vsucapionem, id explicauit, *l. si fur.* 32. §. *si quis id, ff. de vsucap.* ibi : *In iure errantis non procedat vsucapio.* Ita docent Angelus *in Sum. verb. Ignorantia, num.* 5. Syluester *ibid. quæst* 8. Toletus *lib.* 5. *cap.* 26. *numero vltimo*, & alij apud Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 23. *num.* 163.

Angelus. Sylvest. Toletus. Sanchez.

11. Si quis solutus cognosceret aliquam consanguineam vel affinem suam, inuincibiliter ignorans illam esse affinem aut consanguineam, prout accidit Iudæ coëunti cum Thamar *Genes.* 38. etsi fornicationem committeret, non tamen incestum, quia inuincibiliter ignorat esse affinem, aut consanguineam suam. Et proinde si ille vellet matrimonium contrahere, posset sine vlla dispensatione id licitè facere. *cap. si quis cum, & cap. si homo* 35. *quæst.* 2. & 3. quamuis incestuoso sit à iure pœna inflicta, vt matrimonium non contrahat in *cap. de incestis & in cap. nec eam* 35. *quæst.* 2. & 3. Posset etiam ab vxore debitum petere, si matrimonio alligatus aliquam cognouisset, quam inuincibiliter ignorabat esse vxoris suæ consanguineam ; quod tamen illi non liceret, si sciuisset illam esse sibi affinem, vt habetur in *cap. Transmissæ, De eo qui cognouit consang. vxor. suæ.* Ratio est, quia sicut in vtraque istorum casuum excusatur ille ab incestu propter inuincibilem consanguinitatis aut affinitatis ignorantiam ; ita etiam ex consequenti excusatur à pœna quæ propter incestum est à iure statuta. De primo casu vide quæ diximus *tom.* 1. *verb. Actus humanus* 11. *num.* 8. & de secundo *verb. Incestus, num.* 6. *cum Doctoribus* ibi citatis.

12. Ignorantia inuincibilis iuris aut facti non excusat hominem habentem vsum rationis à pœna iuris, quæ incurritur sine peccato. Ratio est, quia hæ pœnæ non infliguntur à iure ob peccatum, sed sunt tantùm operationes quædam, aut certæ personarum qualitates & conditiones, ergo sicut ignorantia non tollit causam harum pœnarum, ita neque tollit effectum, qui necessariò causatur ab illa causa. Hinc irregularis est ille, qui ignoranter contrahit & consummat matrimonium cum illa, quæ ab alio corrupta fuit, quamuis tanta ignorantia laboret, vt etiam postquam cum illa coiuit putet esse à se primo corruptam. Ratio est, quia cùm irregularitas hæc infligatur sine vllo peccato mortali præcedente, & solùm incurratur ob defectum perfectæ significationis, nulla ignorantia ab huiusmodi irregularitate illum excusare poterit. Vt communiter tradunt Doctores in *cap. Curandum, distinct.* 34. & omnes post D. Thomam *in supplem. quæstio* 66. *articulo* 3. *ad* 3.

D. Thom.

Similiter irregularitas ob homicidium etiam iustum, secluso peccato incurritur, vt constat in iudice iustè hominem occidi præcipiente, & etiam in eo qui occidit in bello iusto: vterque enim irregularis est, etsi non peccet, quia in vtroque deest significatio & repræsentatio mansuetudinis Christi. Quæ irregularitates à talibus operationibus causatæ cùm per nullam facti aut iuris ignorantiam tolli possint, ergo nec impedire potest quin tales irregularitates ab illis operationibus prodeant.

Item irregularis est ille, qui vxorem quam duxerat Virginem, cognoscit post eiusdem vxoris adulterium. Id quod procedit non solùm quando sciens,

ſed etiam ſi ignorans vxoris adulterium, illam poſtea cognouerit; vt docent omnes Canoniſtæ & Summiſtæ, & inter Theologos D. Thomas *in ſupplem. 3. p. quæſt. 66. art. 3. ad 4.* Sayrus *de cenſur. lib. 6. cap. 4. n. 19.* Toletus *lib. 1. Sum. cap. 66. n. 11.* & alij. Et certè, cùm hæc irregularitas ſine peccato contrahatur, qua ratione probatur irregularem eſſe eum qui ſciens vxoris adulterium, carnaliter illi poſtea miſcetur, eadem etiam conuincitur in irregularitatem incidere, quando id fecerit ignorans adulterium vxoris. Vnde ſecundùm Paludanum 4. *diſp. 27. quæſt. 4. art. 2. verſ. Tertius modus*, multi ſunt bigami, qui ſuam bigamiam ignorant. Et hæc irregularitas procedit ex bigamia interpretatiua, vt docent Sanchez, & Suarez citati *tom. 1. verſ. Bigamia, n. 5.*

D. Thom. Sayrus. Toletus. Paludanus. Sanchez. Suarez.

13. Præter ignorantias hîc & alibi recenſitas alia eſt quæ coniuncta eſt omni peccato, de qua Prouerb. 14. dicitur, *Errant qui operantur malum.* quæ cæcitas mentis, ſeu hebetudo ſenſus, ſeu error, ignorantia, inprudentia vel obſcuratio in Scripturis & Patribus appellatur, & eſt illa, qua principium aliquod non cogitatur, quod rectè expenſum & conſideratum attentè à peccato auerteret, vt quàm ſit ingratum Deo, quàm nobis noxium peccatum, quanta pœna dignum, & ſimilia. Hæc cæcitas mentis ſumitur pro omnimoda priuatione cognitionis diuinorum, quæ ſcilicet aliquis ita mentem voluntariè abſtrahit à conſideratione rerum ad ſalutem pertinentium, ſiue directè, ſicut ille de quo dicitur Pſal. 35. *Noluit intelligere vt bene ageret.* ſiue indirectè, ſicut cùm aliquis ſe immergit carnis voluptatibus aliiſque rebus terrenis, vt nequeat eas apprehendere. Vnde certum eſt, & conſtat experimento, multos agere contra id quod apertè ſciunt, eò quòd obliuiſcantur, vel minus attentè conſiderent rationes illas, quæ illos à peccatis retraherent. Propterea Scriptura ſæpius inculcat eos, qui peccant, non intelligere ea, quæ agunt, eoſque cæcos appellat. Et certè ipſa experientia hoc docet, quoties peccamus: nam quoties quis attrahitur ab obiecto delectabili, vel vtili, nec recta ratio impedit voluntatis affectum, ita ſe habet intellectus, vt rationem delectabilis, vel vtilis in peccato efficaciùs & attentiùs conſideret; rationes autem retrahentes à peccato leuiùs cogitet & expendat; qui ſanè defectus cæcitas mentis & hebetudo ſenſus appellatur, quamuis hebetudo ſit peccatum à cæcitate diuerſum: hebetudo enim eſt debilitas mentis, qua quis difficulter poteſt intelligere vel conſiderare res ſpirituales; & iſta debilitas eatenus eſt peccatum, quatenus prouenit ex voluntaria occupatione circa res terrenas & carnales; vnde fit quod quis de ſpiritualibus diſcutere negligit vel faſtidit. Oritur autem hebetudo ex gula. Cæcitas autem importat omnimodam priuationem cognitionis rerum ſpiritualium, & oritur ex luxuria: quamuis enim & aliunde poſſint oriri, maximè tamen oriuntur ex illis vitiis, quæ magis impediunt operationem intellectualem vt talem, cuiuſmodi ſunt peccata luxuriæ & gulæ; vt docent D. Thomas 2. 2. *quæſt. 15. art. 2. & 3.* Syluius *ibidem.* Vaſquez 1. 2. *diſp. 128. cap. 5.* Petrus Sotus *tract. de medendis peccatis ſect. 2.* & alij commentatores D. Thomæ.

D. Thom. Syluius. Vaſquez. P. Soto.

Vide verb. Aduocatus *num.* 4. Circumſtantia *num. 7. & 9.* Communio *num. 27.* Diſpenſatio *n. 41.* Emptio *num. 11.* Excommunicatio 1. *num. 16. 17.* Excom. 6. *num. 11.* Fornicatio *n. 3.* Irregularitas 2. *num. 15. & 16.* Lex 2 *num. 15.* Matrimon. 2. *num. 25.* Mendacium *num. 4.* Poſſeſſio *num. 3.* Priuilegium *num. 18.*

IMMVNITAS Eccleſiarum.

SVMMARIVM.

1 *Immunitas vnde dicta & quid.*
Bulla Gregorij Papæ XIV. ponitur.
2 *An hæc conſtitutio deroget iuri communi & conſuetudinibus?* Refertur duplex ſententia.
3 *An committentes in Eccleſia ſtupra, Sodomias, monetam falſam & ſimilia, gaudeant immunitate.*
4 *An delinquens prope Eccleſiam ſpe confugiendi ad illam, gaudeat immunitate.*
5 *An proditorie attentans aliquem occidere, vel per inſidias inimicum occidens, non tamen proditorie, priuetur immunitate.*
6 *An reus criminis læſæ maieſtatis ſemper immunitate priuetur.*
7 *An committens homicidium vel mutilans membrum non deliberatè, ſed calore iracundiæ in Eccleſia, gaudeat immunitate.*
An extrahens aliquem violenter ab Eccleſia, & poſtea extra illam occidens, gaudeat immunitate.
8 *An occidens vel mutilans aliquem in ſcalis, atrio, porticu vel tecto Eccleſiæ, gaudeat immunitate.*
9 *An fures immunitate gaudeant, ſi furtum commiſſum ſit in Eccleſia? Et quid dicendum de conſuetudine, qua fures priuantur immunitate.*
10 *An tentans committere Aſſaſinium, morte non ſecuta gaudeat immunitate.*
11 *Aſſaſini nomen vt tripliciter accipitur. Et quis ſit dicendus verè aſſaſinus, & quis non.*
12 *An raptores Virginum, vel deflorantes Moniales, gaudeant immunitate.*
13 *An incendiarij, vel decoctores immunitate priuentur.*
14 *An qui ſemel aut bis in via publica depradatur, ſit dicendus publicus latro & immunitate priuandus.*
15 *An clerici & religioſi gaudeant immunitate confugientes ad Eccleſiam pro criminibus non exceptis in Bulla?* Refertur duplex ſententia.
16 *An procurantes aborſum fœtus animati priuentur immunitate?* Refertur duplex ſententia.
17 *An omnia crimina præter excepta in Bulla gaudeant immunitate.*
18 *An ſacrilegium committat & excommunicationem incurrat iudex ſecularis, qui in caſibus etiam exceptis, extrahit reos ab Eccleſia ſine licentia Epiſcopi.*
19 *In dubio an reus debeat gaudere immunitate, ad quem pertineat cognitio cauſæ.*
20 *An Epiſcopus teneatur ſtare proceſſui facto à iudice laico, ſitne reus remittendus, necne.*
21 *An excommunicatio lata in conſtitutione prædicta Gregorij, ſit reſeruata Summo Pontifici?* Refertur duplex ſententia.

1. IMmunitas ex vi vocis ſignificat negationem, aut libertatem à muneribus ſeu officiis communibus: præſertim quæ cum oneribus coniuncta ſunt. Hinc Immunitas Eccleſiaſtica definitur libertas conceſſa Eccleſiis, Eccleſiaſticis perſonis & rebus ad eas pertinentibus. Atque ob id Immunitas & Libertas Eccleſiaſtica

ſtica idem ſunt. Sed quia præter & contra ius commune aliqua decreta ſunt in Conſtitutione Gregorij XIV. circa hanc materiam, ideò eam ponendam eſſe cenſuimus. Greg. XIV.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus ſeruorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm aliàs nonnulli prædeceſſores noſtri, & præſertim fel. recordat. Sixtus Papa V. necnon Pius etiam V. Sancto Zelo ducti, diuerſas facultates & indulta extrahendi etiam in caſibus quibuſdam à iure non permiſſis, ex Eccleſiis cruminoſos, & delinquentes, compluribus ſæcularibus Principibus, eorúmque Curiis, & Magiſtratibus, ſub variis modis & formis conceſſerint, pro vt in illis plenius continetur; Experientia poſtmodum docuit, tum ob diuerſitatem & differentiam huiuſmodi indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Miniſtri, ex hoc ipſo illa diuerſimodè, etiam latiùs, quàm par erat, & ad ſuum libitum interpretandi occaſionem arripuerunt, illiſque abuti cæperunt, ſubortam eſſe non mediocrem in aliquibus locis, libertatis & immunitatis Eccleſiaſticæ perturbationem & confuſionem: alibi verò ne ipſos quidem laicos indultis huiuſmodi vti voluiſſe, aut potuiſſe, quod populis, inueterata erga Eccleſias reuerentia, deuotis & aſſuetis, ſcandali potiùs, quàm quietis occaſionem præberent. Illud etiam abſurdum ſæpenumerò ſecutum eſt, vt infimæ interdum conditionis laici, non modò iuris, ſed etiam litterarum penitus ignari & imperiti, dum, quaſi poteſtates, aut Miniſtri curiæ ſecularis in aliquo Caſtro, aut Oppidulo iuriſdictionem exercebant, facultatum, & indultorum huiuſmodi limites longè exceſſerint, eaque ſuo arbitratu in ſenſus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos, detorſerint, & illorum prætextu, quidquid ſibi in mentem venit, attentare præſumpſerint, in grane iuriſdictionis, & immunitatis Eccleſiaſticæ præiudicium, locorum & perſonarum diuino cultui dicatarum contemptum, ipſius diuinæ maieſtatis offenſam, & ſcandalum plerumorum. Quare pro commiſſo nobis à Domino Paſtoralis Officij munere prædictis abſurdis, & ſcandalis obuiare, ac differentias huiuſmodi ad vniformem regulam reducere, omnémque dubitandi ac perperam interpretandi occaſionem dilucida declaratione ſubmouere, abuſus tollere, & ne Eccleſiaſtica iura planè conculcentur & negligantur, opportunè prouidere decreuimus, prout etiam dictus Sixtus prædeceſſor noſter iiſdem de cauſis motu ſtatuere decreuerat, licet morte præuentus hoc adimplere nequiuerit: ita tamen vt quando præſens temporum calamitas, & nimia, quæ iam inualuit peruerſorum hominum malitia, id expoſcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coërcenda illorum facinora, vltra id quod priſca illa maiorum noſtrorum diſciplina, & vetus ſecrorum Canonum norma præſcriberat in quibuſdam caſibus, congrua moderatione adhibita, permittamus. Hac itaque noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, omnia & quæcumque priuilegia, indulta & gratias, tam per prædictum Sixtum, ac Pium V. quàm alios quoſcumque noſtros prædeceſſores, aut noſmetipſos, Sedémque Apoſtolicam eiuſvè Legatos, ſuper abducendis, vel extrahendis ab Eccleſiis, Monaſteriis, Sacellis, domibus regularibus & ſæcularibus, locisvè ſacris, aut Religioſis, aliiſque in caſibus à iure permiſſis, hominibus certorum tunc expreſſorum, vel non expreſſorum criminum reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & *quiete publica, ex cauſis vrgentiſſimis ac neceſſariis, & æquipollentibus caſibus in iure expreſſis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extenſis, perpetuò vel ad certum nondum elapſum tempus, ſeu ad vitam alicuius Principis, aut beneplacitum, ſeu aliàs quomodolibet conceſſa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus, approbata & innouata, ac vſu recepta, literaſque Apoſtolicas, ſub plumbo, aut in forma Brevis, ſeu aliàs quomodocumque deſuper confectas, quarum tenores hîc haberi volumus pro expreſſis, ac ad verbum inſertis, ſublata penitus omni differentia, ita ad vnam tantùm formam reducimus & moderamur, vt laicis, ad Eccleſias, locáque ſacra, & Religioſa prædicta confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarúmque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis earumvè cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint, aut aſſaſſinij, vel hæreſis, aut læſæ maieſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei; immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur. Sed vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis cæteriſque Eccleſiarum & Monaſteriorum Prælatis, tam ſæcularibus, quàm cuiuſuis Ordinis Regularibus, diſtrictè precipiendo mandamus, & præcipimus, vt laicos in caſibus prædictis delinquentes, ad eorum Eccleſias, Monaſteria, domos & alia loca ſupradicta ſacra, ſeu Religioſa refugium confugientes, & in eis ſe recipientes atque morantes, qui prædicta delicta eorumve aliquod, iudicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando à Curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorum fuerit requiſitus, Miniſtris & Officialibus curiæ ſecularis abſque irregularitatis nota, aut alicuius cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu, tradi & conſignari curent & faciant, & quilibet eorum curet & faciat. Ne autem curia ſecularis prædicta Miniſtri facultate illos per ſe, & propria auctoritate extrahendi & abducendi ſibi olim, vt præfertur, attributa, & per præſentes reuocata, abutantur, volumus, dictáque auctoritate decernimus & declaramus, vt Curia ſecularis, eiuſque Iudices & Officiales, ab Eccleſiis, Monaſteriis, locisque ſacris prædictis, laicum aliquem, vt præfertur, delinquentem, in nullo ex caſibus ſupradictis ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel eius Officialis, & cum interuentu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos ſolos & non alios, Epiſcopis inferiores, etiamſi alij Ordinarij ſint, aut nullius Dioceſis, aut Conſeruatores ab hac ſede ſpecialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem caſu in loco exempto, & nullius Dioceſis, tunc ad Epiſcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios; capere, extrahere, aut incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcopus, & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ illos in delictis ſuperiùs expreſſis culpabiles tradere, aut captura & carcerationi interuenire, & aſſiſtere recuſauerint, túncque reuerentia Eccleſiæ, & locis ſacris debita memores, prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit cum ſcandalo & tumultu, extrahere curent. Quodque delinquentes laici prædicti, poſtquam, vt præfertur, ab Eccleſiis, locisvè extracti & capti fuerint, ad carceres Curiæ Eccleſiaſticæ reponi, & inibi ſub tuto, & firmo carcere, ac opportuna cuſtodia data, illis, ſi opus fuerit, per Curiam ſæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque ſæculari prædicta quomodolibet tradi poſſint, niſi cognito prius per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi vere crimina ſuperius expreſſa commiſe-*

commiſerint : tuncque demum de mandato Epiſcopi per Iudicem Eccleſiaſticum Curiæ ſæcularis, quacumque appellatione poſtpoſita, conſignentur. De crimine vero hæreſis, cognitio ad forum Eccleſiaſticum tota pertineat, neque in ea Curia ſæcularis ſe quoquo modo intromittat. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Eccleſiaſticas perſonas, ſæculares, aut cuiuſuis Ordinis, vel militiæ etiam S. Ioannis Hieroſolymitani regulares quoquo modo etiam vigore præditorum priuilegiorum, indultorum, aut conceſſionum, quæ omnia ad terminos iuris per præſentes reducimus, procedant, aut ſe intromittant, illaſve ab Eccleſiis, Monaſteriis, Domibus, locisque ſacris, aut religioſis, etiam in caſibus in hac Conſtitutione expreſſis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoſcere de criminibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, aliàs quàm de iure & per priuilegia eiſdem Ordinibus, aut Militiis conceſſa permittitur quomodolibet præſumant. Quòd ſi quis quacumque dignitate & auctoritate præditus, præmiſſorum, aut alio quouis prætextu, quidquam præter, aut contra huius noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus eum ipſo facto, cenſuras & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, iuris, & immunitatis Eccleſiaſticæ violatores per ſacros Canones, & Conciliorum generalium, noſtrorum prædeceſſorumque Conſtitutiones ſunt promulgatæ. Sicque per quoſcumque Iudices Ordinarios & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quauis cauſa & inſtantia iudicari & definiri debere, nec non irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his, per quoſcumque quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, tam Sixti, & Pij V. quàm aliorum quorumcumque prædeceſſorum noſtrorum literis Apoſtolicis, priuilegiis, indultis & facultatibus quibuſuis perſonis etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quauis dignitate & auctoritate fulgentibus, aut Rebuſpublicis, Dominis, Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, Terris & locis, eorumve Curiis, Parlamentis, Senatibus, Conſiliis, Communitatibus, Vniuerſitatibus, Collegiis, aut Præſidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, loca tenentibus, Vicarijs, Poteſtatibus, aliſque Magiſtratibus, Officialibus, Miniſtris, aut Conſiliarijs, ex prædictis, vel aliis etiam grauioribus & vrgentioribus cauſis, tam illorum intuitu & contemplatione, ſiue ad eorum preces & inſtantiam, quàm etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac per modum ſtatuti & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & Fratrum noſtrorum Conſilio, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & cum quibuſuis præſeruatiuis, reſtrictionis, inentis atteſtatiuis, derogatoriorum derogatoriis, aliſque validiſſimis, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiamſi inibi caueatur expreſsè, quod illis, niſi ſub certis modis & formis, & niſi de expreſſo eorum conſenſu ad quorum fauorem conceſſa fuerint, derogari poſſit, & aliter facta derogationes nullius ſint roboris vel momenti, & aliàs quomodolibet conceſſis etiam ſæpius approbatis, & innouatis. Quæ omnia & ſingula, ac illorum tenores pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo aduerſentur, aut plures quàm ſuperius expreſſos caſus contineant, auctoritate & tenore præmiſſis omninò ac perpetuò tollimus & abrogamus, ac ad terminos præſentis Conſtitutionis, quoad ſuperius deſcripta dumtaxat reduximus, & nolumus cuiquam de cætero ſuffragari, & qualibet alia dicta ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta effectus earum quomodolibet valeat impediri. Vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deducantur, mandamus illas in valuis Sancti Ioannis Lateranenſ. & Principis Apoſtolorum Baſilicarum de vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ de more affigi, & publicari: earum etiam exemplis inibi affixis & dimiſſis, ac poſt publicationem huiusmodi volumus & decernimus, vt omnes & ſingulos, quos concernunt & concernent in futurum, perinde arctent & afficiant, ac ſi illorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Earumdem verò præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, eandem fidem in iudicio & extra illud vbique gentium & locorum haberi volumus, quæ eiſdem originalibus literis haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo hominum omninò liceat hanc paginam noſtræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, ſublationis, abrogationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, Non. Kalend. Iunij, Pontificatus noſtri anno primo.

M. Vestrius Barbianus

2. Circa hanc Conſtitutionem eſt difficultas, an deroget iuri communi & conſuetudinibus? Videtur enim quod non, quia pleriſque in locis obſeruatur adhuc ius commune, imò & conſuetudines contrariæ huic Conſtitutioni ſunt in viridi obſeruantia in pleriſque Prouinciis & Regnis, ergo. Vnde nonnulli Doctores laicalis fori exiſtimantes conſuetudinem non abrogari per legem poſteriorem, niſi ipſius mentio fiat in lege poſteriori, arbitrantur, Iudices laicos in iis locis, in quibus ante Conſtitutionem ſupra poſitam extabat conſuetudo extrahendi laicos à loco ſacro, non ſeruata forma in hac Conſtitutione præſcripta, poſſe etiam nunc extrahere, cùm in dicta Conſtitutione non reuocetur conſuetudo contraria, ſed tantummodo priuilegia. Ita Clarus & alij apud Farinacium *de carceribus, quæſt.* 28. *num.* 71. apud Dianam *part.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 1. Verum hæc opinio non eſt admittenda. Probatur, quia Pontifex in dicta Bulla cum particula taxatiua reducit omnia ad vnicam formam, vt patet in illis verbis: *Ita ad vnam tantùm formam reducimus, & moderamur.* Ergo reuocat ius commune, & conſuetudines diuerſam aliam formam ab iſta introducentes. Tum quia licet Pontifex expreſsè non reuocet conſuetudinem, tacitè tamen reuocat, quatenus modum extrahendi è loco ſacro intendit ad vnicam formam reducere, & aliter definiendi & iudicandi quamlibet facultatem auferre & irritum reddere aliter factum. Tum quia in dicta Conſtitutione Pontifex pluries facit mentionem iuris communis, & quando voluit, quod in aliquo caſu illibatum permaneret, hoc expreſſit, vt patet, quando loquitur de Clericis, Monachis, Militibus, eorùmque priuilegiis. Vnde quoad reuocationem conſuetudinum, vide Ambroſinum *tract. de immunit. Eccleſ. cap.* 14. Farinacium *in appendic. cap.* 22. *num.* 359. Bonacinam *tract. de leg. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *punct.* 10. & alios penes ipſos. Et quod reuocet & corrigat ius commune, docent Filliucius *tract.* 15. *num.* 153. Duardus *in Bullam Cœnæ, lib.* 2. *Canon.* 15. *quæſt.* 16. *n.* 27. & plurimi Iuriſperiti apud Dianam *ſupra*. Ex hoc fundamento

Clarus. Farinac. Diana. Ambroſin. Farinac. Bonacina. Filliucius. Duardus.

Digitized by Google

fundamento deducuntur variæ reſolutiones multorum caſuum contra immunitatem ſacrorum locorum; ſed quia multi Doctores ſcripſerunt ante hanc Bullam Gregorianam, ideò in eorum ſcriptis non conueniunt cum illis qui poſt illam libros ediderunt de Eccleſiarum & locorum ſacrorum immunitate, ideò tanta diuerſitas opinionum penes Auctores in hac materia, vt ferè nihil certi Lector apprehendere poſſit. Imò multi ex his Auctoribus ſcripſerunt in loco vbi hæc Conſtitutio Gregoriana non eſt vſu recepta, ideò tu Lector, antequam de aliquo caſu iudices in particulari, primò ſcias, an hæc Bulla quoad omnes partes ſuas, ſit in praxi, vbi caſus euenerit. Et vt tutius in hac materia procedamus, ſtamus ſententiæ illorum, qui poſt Bullam hanc ſcripſerunt, & pro locis vbi communiter eſt vſu recepta.

3. Priuatio immunitatis non eſt extendenda ad caſus in Bulla non expreſſos. Hinc in Eccleſiis committentes ſtupra, ſodomias, monetam falſam & ſimilia, gaudent immunitate Eccleſiæ, licet tales delinquentes ſint à Iudice Eccleſiaſtico puniendi ratione loci delicti: ſeu conſulto priùs Romano Pontifice, poterunt etiam tradi Curiæ ſeculari, ſi delictum eſſet atrociſſimum. Ratio eſt, quia in dicta Bulla excipitur tantùm homicidium, & membrorum mutilatio, ergo non eſt trahenda ad alia, licet enormia & grauiora delicta: vnde per hanc Bullam correctum eſt *cap. final. de immunit. Eccleſiar.* Ita docent Farinacius *de immunit. Eccleſ. cap.* 16. *num.* 208. *&* 209. Bonacina *loco citato* §. IV. *num.* 12. Riccius *part.* 5. *collect.* 1792. Diana *part.* 1. *tract.* 1. *reſolut.* 2. & alij penes ipſos.

Farinac. Bonacina. Riccius. Diana.

4. Delinquens propè Eccleſiam, ſpe confugiendi ad illam gaudet immunitate, etiamſi poſtea patrato delicto ſtatim ſe cum armis in Eccleſiam recipiat. Ratio eſt, quia non eſt facienda extenſio ad caſus in Bulla non expreſſos: in Bulla autem exprimuntur ſolùm patrantes homicidia vel mutilationes membrorum in Eccleſiis, vel earum cœmeteriis. Tum quia, qui propè Eccleſiam ſine ſpe immunitatis patrat delicta, gaudet immunitate, ſi ad Eccleſiam confugiat: ergo eadem gaudere poteſt, etiamſi patret delicta ſpe immunitatis, cùm Summus Pontifex reſpexerit ad delicti qualitatem, & ad iniuriam Eccleſiæ, non verò ad ſpem. Ita Fagundez *præcept.* 2. *Eccleſ. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 45. Peregrin. *de immun. cap.* 6. *n.* 30. Diana *loco cit. reſol.* 3. & ante Bullam Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. Contra Couarruuiam, Menochium & alios.

Fagundez. Peregrinus Diana. Suarez.

5. Attentans aliquem occidere proditorie, non priuatur immunitate ob ſolam proditoriam vulnerationem, effectu homicidij non ſecuto. Ratio eſt, quia in verbis dictæ Bullæ expreſsè Pontifex loquitur de occidente proditorie, vnde lex præſertim in materia pœnali & odioſa explicanda eſt iuxta propriam verborum ſignificationem: ſed ex vi verborum requirit actum conſummatum cum effectu ſecuto: ergo. Ita Farinac. *de immun. c.* 9. *n.* 145. *&* 146. Suarez *loco cit. cap.* 11. *n.* 14. Diana *cit. reſol.* 4. Et hæc opinio poſt Bullam omni difficultate caret, vt aſſerit idem Diana *part.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 12.

Farinac. Suarez. Diana.

Similiter, qui occidit inimicum per inſidias, non tamen proditorie, non priuatur immunitate: quia eſt differentia inter homicidium proditorie commiſſum, & non proditorie. Sed Bulla ex immunitate ſolùm excipit homicidium proditorium: ergo non excludit non proditorium, ſeu inſidioſum. Per homicidium autem proditorium intelligitur illud, vbi nullus cum occiſo præcedebat rancor, ſed potiùs ſimulabatur amicitia. Vnde non dicitur proditor, qui inimicum ſuum occidit à tergo, aut dormientem, &c. quia verbum proditorie ſtrictè interpretandum eſt, cùm immunitas Eccleſiæ ſit fauorabilis, & exceptio ſit odioſa. Ita Bonacina *de leg. diſp.* 3. *q.* 7. §. 4. *n.* 14. Farinacius *de immun. c.* 9. *n.* 143. Ambroſinus *c.* 6. *n.* 3. *& ſeq.* & alij. Contra Fagundez & Portel qui ſcripſerunt in Hiſpania, vbi Bulla Gregorij non eſt vſu recepta.

Bonacina. Farinac. Ambroſin.

6. Licet multis modis committatur crimen læſæ maieſtatis, vt offendere ſtatuas, vel imagines Principum, cudere falſam monetam, offendere eum, qui habet ſaluum conductum, tractare de faciendo Rege, ipſo viuente, expoliare Nuncios Regis vel alterius Principis, vt arcana Regni detegantur, occidere fiſcalem Regis, aut Conſiliarium eius & ſimilia perpetrare, tamen rei horum criminum immunitate non priuantur, ſed tantum illi, qui perſonam Principis offendunt, modò ſint ei ſubditi ratione originis, ſeu domicilij; ſi verò non ſint ſubditi, ſed extranei, non dicuntur committere crimen læſæ maieſtatis, vt docent communiter Doctores, teſte Ambroſino *de immunit. cap.* 9. *num.* 6. Farinacio *de immunit. cap.* 13. *num.* 190. *&* 191. Rolando *lib.* 1. *conſil.* 4. *n.* 5. Claro §. *Læſæ maieſtatis, n.* 6. Scientes autem machinationem contra perſonam Principis, & non reuelantes, gaudent immunitate, quia crimen eſt omiſſionis, & non commiſſionis contra perſonam Principis, quia verbum *in*, poſitum in Bulla denotat *contra*, & per conſequens actionem, & non omiſſionem, vt notat Peregrinus *de immun. cap.* 10. *n.* 11. quamuis contrarium doceat Farinacius *cap.* 13. *num.* 186.

Ambroſin. Farinac. Roland. Clarus. Peregrin. Farinac.

7. Qui in Eccleſia homicidium committit, vel membrum mutilauit, non deliberatè, ſed accidentaliter, & calore iracundiæ, vel prouocatus, iuxta Peregrinum *de immunit. c.* 6. *num.* 15. & alios, non gaudet immunitate: quia Summus Pontifex in Bulla indiſtinctè excipit membrorum mutilationes & homicidia facta in Eccleſiis vel cœmeteriis; ergo indiſtinctè debet intelligi. Probabilior tamen ſententia meritò aſſerit gaudere, ſi tale homicidium fuiſſet in Eccleſia perpetratum, non ſolùm ex rixa ſubitanea, ſed & ad alterius prouocationem, & multò magis ad ſe defendendum. Ratio eſt, quia occidens vel mutilans in præfatis caſibus non videtur habere animum offendendi & violandi ipſam Eccleſiam. Ita ſuſtinent Farinacius *de immunit. cap.* 16. *num.* 240 Diana *part.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 11. & *parte quarta, tractatu primo, reſolut.* 107. Et ita fuiſſe deciſum Romæ anno 1639. occaſione cuiuſdam homicidij facti in Eccleſia Sancti Ioannis Lateranenſis teſtatur idem Diana *part.* 6. *tract.* 1. *reſolut.* 7. citans ibi pro hac ſententia *Nouarium, Zambellum*, & alios.

Peregrin. Farinac. Diana. Diana. Nouarius. Zambellus.

Sed petes, an extrahens aliquem ab Eccleſia violenter, & illum extra Eccleſiam occidens, vel mutilans gaudeat immunitate? Negant quidam, quia per talem extractionem violatur Eccleſia & in ipſa datur cauſa occiſionis. Sed dicendum eſt gaudere: quia illa cauſa mortis data in Eccleſia non fuit cauſa neceſſaria, cùm liberè poſtea occiſio facta eſt; ergo reus non eſt immunitate priuandus. Tum quia in Bulla excipitur homicidium & mutilatio in Eccleſia. Ita Bonacina *de leg. diſp.* 3. *queſt.* 7. §. 4. *num.* 8. Caſtrus Palaus. *tom.* 2. *tract.* 11. *diſp. vnic. punct.* 6. *n.* 18. Diana *part.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 107. Contra Farinacium, Azorium, & alios.

Bonacina. Palaus. Diana.

8. Occidens vel mutilans aliquem in ſcalis, atrio, ſeu porticu, vel tecto Eccleſiæ, gaudet immunitate, ſi poſt delictum in aliqua Eccleſia ſe abſcondat. Ratio eſt, tum quia ſic occidens, non occidit in Eccleſia, ſed in locis extra Eccleſiam. Tum quia nomen Eccleſiæ ſumitur aliquando

ſtrictè

ſtrictè & quandoque largè;& ideò quando tractatur de pollutione Eccleſiæ, ſumitur ſtrictè : vnde Campanile & Atrium & ſimilia loca non veniunt nomine Eccleſiæ in dicto caſu, quia non ſunt principaliter Deo dicata, ſed in quandam conſequentiam : vnde etiamſi ſanguis humanus effundatur in dictis locis, non polluitur Eccleſia. Quando verò tractatur de Priuilegio immunitatis, tunc ſupradicta loca veniunt nomine Eccleſiæ. Dicendum eſt igitur, quòd ſcala, porticus, tectum, &c. Eccleſiæ, in odioſis non includuntur ſub eius nomine, ſecus autem in fauorabilibus. Ita Peregrinus *de immunit. cap. 6. n.* 32. Aloyſius Riccius *p.* 3. *deciſ.* 250. Diana *p.* 3. *tract.* 1. *reſol* 39. & *p.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 7.

Peregrinus. Riccius. Diana.

9. Fures immunitate Eccleſiarum gaudent, etiamſi furtum commiſſum fuerit in Eccleſia : immò furantes in Eccleſia Pixidem Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ, gaudent eius immunitate. Ratio eſt ſæpè dicta, quia homicidia & mutilationes factæ in Eccleſia tantùm excipiuntur, non autem alia crimina: & in materia immunitatis caſus excepti non extenduntur etiam ex maioritate rationis. Vnde adeſt expreſſa determinatio Sacræ Congregationis immunitatis in vna Squillacenſi 18. Martij 1632. vbi decretum eſt immunitate Eccleſiaſtica gaudere furantes in Eccleſia. Ita docent Farinacius *de immun. cap. 6. n.* 94. *& ſeq.* Ambroſinus *cap.* 5. *n.* 6. Gauantus *in addit. ad man. Epiſcop. verb. Immunitas Eccleſiaſt. n.* 8. & alij, contra Decianum, Naldum & alios. Notandum tamen quod Reus non poteſt in Eccleſiis ſpoliari à iudice laico re furata, quam ſecum traxit : ſed recurrendum eſt ad iudicem Eccleſiaſticum : quia *in cap.* 1. *extra de immunit. Eccleſ.* & *cap.* 2. *eodem in* 6 expreſsè prohibetur iudicibus laicis aliquam iuriſdictionem in Eccleſia exercere: cùm Eccleſia ſit de territorio Epiſcopi, & extra territorium ius dicenti, etiam à ſubditis non paretur ex *cap.* 2. *de Conſtitut. in* 6. & *l. vltim. cum Gloſſ. ff. de iuriſdict. omn. Iudic.*

Sac. Congr. Farinac. Ambroſin. Gauantus. Gloſſa

Quibuſdam tamen in locis, vbi furum eſt maxima copia, conſuetudo viget, vt fures in furtis grauibus Eccleſiarum immunitate non gaudeant : quia fuit introducta videntibus Clericis & Epiſcopis in odium delicti, ac proinde quaſi renunciantibus tali immunitati, quoad fures. Et talem conſuetudinem extrahendi fures ab Eccleſia, ob rationem prædictam, iuſtificandam eſſe, docent Suares *de Relig. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 4. Raphaël de la Torre *tom.* 2. *in* 2. 2. *quæſt.* 99. *art.* 3. *diſp.* 7. *gradu* 8. ex Couarruuia *lib.* 2. *variar. cap.* 20. *n.* 13. *in fine.* Contra quam tamen conſuetudinem clamat & exurgit Diana *p.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 9. dicens immunitatem Eccleſiarum contraria conſuetudine tolli non poſſe : tum quia populus nihil ſtatuere poteſt ſuper immunitate Eccleſiarum ; ideo nec conſuetudinem inducere valet. Tum quia conſenſus Clericorum in aliquam conſuetudinem, quando adeſt libertatis Eccleſiaſticæ præiudicium, nihil operatur, Pontifice ignorante. Tum quia hoc priuilegium non delinquentibus ob ipſos, ſed ob reuerentiam loci ſacri eſt conceſſum, quapropter renunciari à nullo poteſt, ſicuti neque renunciari poteſt priuilegium fori Clericis conceſſum, quia non ipſis ob ipſos, ſed ob dignitatem Clericalem conceditur. Ita etiam Bonacina *de leg. diſp.* 3. *quæſt.* 7. §. 4. *n.* 5. *in fine.* Caſtrus Palaus *tom.* 2. *tract.* 11. *diſp. vnic. punct.* 11. *num.* 5. & alij.

Suarez. De la Torre Couar. Diana. Bonacina. Palaus.

Si dicas, quod tales fures indigni ſunt priuilegio immunitatis, aliàs Eccleſia Dei fiet ſpelunca latronum, eiuſque immunitas occaſionem præberet perditis hominibus liberiùs viuendi & delicta perpetrandi ? Reſpondeo : Indignos quidem eſſe immunitate taliter peccantes, ſi eorum delicta & perſonæ ſpectentur ; ſed immunitas non ipſis propter ipſos, ſed ipſis propter locum ſacrum conceditur, qui eſt omni priuilegio digniſſimus. Neque inde fit Eccleſiam fieri ſpeluncam & aſylum latronum : tum quia ibi exiſtentes corrigi & frænari à iudice Eccleſiaſtico poſſunt. Tum quia non eſt Eccleſiæ imputandus abuſus illuc confugientium ; cùm ipſa ſolùm prætendat fauere miſeris, eos à pœna liberando, non autem fouere eorum malitiâ & facinora.

10. Eccleſiæ immunitate gaudet tentans committere aſſaſſinium, etiamſi deuenerit ad actum proximum morti, ſi ſequuta non fuerit. Ratio eſt, quia immunitas neganda non eſt niſi propriè committentibus crimen aſſaſſinij : ſed qui accepta pecunia alium vulnerauit, ſi tamen non occidit, verè & propriè crimen aſſaſſinij non committit : ergo. Tum quia textus *cap.* 1. *de homicid. in* 6. ſolùm de mandante dicit puniendum eſſe iiſdem pœnis, ſiue mors ſequatur, ſiue non ; & nihil de mandatario dicit. Ergo mandatarius, qui mortem non intulit, relinquitur in hac parte diſpoſitioni iuris communis diſponentis neminem ob vulnerationem non gaudere immunitate. Tum quia in genere non punitur pœna ordinaria affectus, ſeu conatus non ſecuto effectu, ſeu delicto; ergo cùm hæc opinio ſit mitior, & fauorabilis immunitati Eccleſiarum, eſt tenenda. Ita Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *n.* 9. Suarez *apud ipſum.* Diana *part.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 11. Caſtrus Palaus *tom.* 2 *tract.* 11. *diſp. vnic. punct.* 9. *n.* 38.

Layman. Diana. Palaus.

11. Aſſaſſini nomen tripliciter accipitur. *Primò*, pro quodam infidelium Saracenorum genere, qui hoc proprio & communi vocabulo vocabantur : hi arbitrabantur licitum eſſe quoſcumque regis ſui inimicos, ipſo iubente, necare ; de quibus mentio eſt *in cap.* 1. *de homicid. in* 6. Sed huiuſmodi hominum genus non ampliùs reperitur, vnde de his non eſt nobis ſermo. *Secundò*, pro illis, qui homines in viis publicis obſident, & deprædantur. *Tertiò*, pro illis, qui pecunia, aut alio pretio accepto, vel promiſſo conducti præuio mandato occidunt homines incautos, ſeu nihil tale ab eis præcogitantes; & hæc eſt vulgaris intelligentia & interpretatio huius vocis aſſaſſini, qui iuxta prædictam Bullam immunitate priuantur. Ex quo patet illum non dici aſſaſſinum, qui ſine pretio, aut ſine præuia pretij promiſſione aliquem occidit, vt alteri rem gratam faceret. Item, nec illum, qui occidit alterum, præuia ſolùm promiſſione vaga, generali & incerta, vt ſi quis mandans homicidium dicat mandatario, ſe nunquam defuturum in ipſius neceſſitatibus. Item, nec illum, qui promiſſionem vel oblationem pro homicidio non acceptauit, licet poſtea ſequutum fuerit : nec qui alterum necat ſpe alicuius præmij à mandatore obtinendi, vel ſpe ſuccedendi in bona occiſi : nec qui aduerſarium, cum quo inimicitias gerebat, occidit, ſociis pecuniâ conductis. Ita Ambroſinus *de immunit. cap.* 7. *n.* 3. *& ſeqq.* & alij multi ab ipſo citati. Diana *p.* 6. *tract.* 1. *reſol.* 11. Menochius *de arbitrar. lib.* 2. *centur.* 4. *caſu* 360. Maſcardus *de probat. tom.* 1. *concl.* 138.

Ambroſin. Diana. Menoch. Maſcardus.

12. Quamuis lex ciuilis raptores Virginum ab Eccleſiarum immunitate excludat, vt habetur *in Authent. de Mandatis principum*, his verbis, *Neque homicidis, neque adulteris, neque Virginum raptoribus delinquentibus, Sanctorum terminorum tutelam concedendam eſſe.* Verum id iure Canonico correctum eſſe conſtat, non tantùm ex *cap. de raptoribus* 36. *quæſt.* 1. vbi illis conceditur immunitas. Sed etiam ex *cap. inter alia, de immunit. Eccleſ.* vbi dicitur, *Si liber quantumcumque grauia maleficia perpetrauit, non eſt violenter ab Eccleſia extrahendus.*

trahendus. Et paùlò pòſt: *Et hoc verum eſt, niſi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum.* Quæ exceptiones confirmant regulam in aliis. Conſtat idem ex Bulla Gregoriana ſuprà, quia raptus huiuſmodi Virginum non eſt inter crimina excepta in illa. Nec refert quod hoc crimen ſit pernicioſum non ſolùm perſonæ, cui infertur iniuria, ſed etiam Reipublicæ: ergo non debet illius criminis reus immunitate gaudere. Reſpondeo, textum *cap. Inter alia*, ex identitate, vel maioritate rationis non eſſe extendendum ad alios caſus non expreſſos; quia aliàs nihil firmum & ſtabile eſſet in iure conſtitutum: illud autem eſt abſurdum admittere. Ita docent Farinacius *de immunit. cap. 6. n. 88.* Farinac. Gutierrez *in pract. quæſt. lib. 3. q. 5.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. n. 9.* contra Suarez dicentem, raptores Virginum incluſos eſſe ſub nomine publicorum latronum *in dict. cap. Inter alia*, qui in hoc non eſt audiendus. Quæ autem dicta ſunt de raptoribus Virginum, habent etiam locum in deflorantes Moniales, etiamſi defloratio facta fuerit in Eccleſia Monaſterij; hi enim gaudere debent immunitate; quia hoc crimen non excipitur, de quo videndus Diana *part. 4. tract. 1. reſol. 43.* Gutierrez, Layman, Diana.

13. Incendiarij non ſunt priuandi Eccleſiarum immunitate: quia *in cap. Inter alia, de immunit.* & in Bulla Gregoriana omnibus delinquentibus conceditur immunitas, niſi in caſibus exceptis: Sed incendiarij in dictis iuribus non excipiuntur: ergo dicendum eſt illos immunitate gaudere. Nec obſtat hoc crimen eſſe ſimile depopulationi agrorum; quia cùm non ſit idem, ſed diuerſa exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis: & hoc verum etiamſi fores Eccleſiæ combuſtæ ſint ad eam prædandam. Ita Peregrinus *de immunit. cap. 12. n. 15.* Nouarius *in ſum. Bullar. tit. de immun. n. 9.* Farinacius *de immun. c. 60. n. 105.* & alij multi poſt Bullam Gregorij. Simile iudicium ferendum eſt de illis qui per fraudem decoxerunt creditores fraudando, vt iniuſtè ditari poſſint: tales enim decoctores nec ratione debiti, nec ratione delicti ſunt immunitate priuandi; quia hi non ſunt depopulatores agrorum & latrones publici: & licet à Pio V. publicis latronibus æquiparentur, non ſequitur ex hoc quòd in priuatione immunitatis debent æquiparari: quia pœnæ non ſunt extendendæ ad delicta ſimilia. Ita Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. c. 1. dub. 8, n. 24.* Caſtrus Palaus *tom. 2. tract. 11. diſp. vnic. punct. 8.* Ambroſinus *de immunit. c. 13. n. 14.* Bonacina *loco cit. §. 4. n. 2.* Diana *part. 1. tract. 1. reſol. 32.* & alij multi penes ipſum, contra nonnullos alios. Et hæc doctrina procedit etiam in debitore publico, vt eſt exactor tributorum: & de debitore ex cauſa adminiſtrationis & redditionis rationum & de obligato ad ratiocinia publica. Peregrinus. Nouarius. Farinac. Pius V. Sanchez. Palaus. Ambroſin. Bonacina. Diana.

14. Non eſt dicendus publicus latro, qui ſemel vel bis in via publica & cum violentia deprædatur, vt exinde Eccleſiarum immunitate priuandus ſit, vt patet ex *l. Capitalium, §. Et vt generaliter, ff. de pœn.* Et ideo mulier ex vnico actu fornicationis non dicitur publica meretrix; nec publicus vſurarius, qui ſemel tantùm commiſit vſuram, vt tradunt communiter Canoniſtæ, Ambroſinus *cap. 21. num. 4.* Farinacius *cap. 10. num. 154.* Peregrinus *cap. 6. n. 8.* Barboſa *de iur. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 3. n. 84.* & alij penes ipſos. Aduertendum autem hîc eſt, non dici latrones publicos & graſſatores viarum, niſi qui deprædantur in viis publicis, & itineribus frequentatis: at non ſufficit, quòd per inſidias furentur, etiamſi non fuerit in loco publico: quia textus expreſsè loquitur ibi: *Itinera frequentata & publicas ſtratas obſident.* Tum quia nomen, via, publicum iter denotat, vt notant Farinacius *capite duodecimo, numero 165.* Ambroſinus *cap. 3. num. 5.* & alij. Ambroſin. Ambrtſin. Farinac. Peregrinus. Barboſa. Iuliac.

15. Difficultas eſt magna inter Doctores, an Clerici & Religioſi gaudeant immunitate confugientes ad Eccleſiam pro criminibus non exceptis in Bulla? Prima opinio negat: vnde Prælatus Eccleſiaſticus poteſt Clericos à loco ſacro extrahere, etiam in illis caſibus, in quibus laici extrahi non poſſunt à iudice ſæculari. Ratio eſt, tum quia immunitas Eccleſiæ non præiudicat poteſtati Eccleſiæ: tum quia maior eſt immunitas perſonalis conceſſa Clericis ob ſtatum Eccleſiaſticum, quàm conceſſa fidelibus ratione loci ſacri. Sed immunitas perſonalis non obſtat, quominus Clericus delinquens capi poſſit ab Eccleſiaſtica poteſtate: ergo neque obſtat immunitas, quæ fidelibus conceſſa eſt ratione loci ſacri. Tum quia cùm hæc immunitas non ſit de iure diuino, ſed de iure Canonico & poſitiuo, ideò non ligat Iudices Eccleſiaſticos, vt patet ex praxi & conſuetudine. Tum quia Gregorius XIV. in ſupradicta Bulla ſolùm de laicis facit mentionem: ergo excludit Clericos ab iſta immunitate. Ita ſuſtinent Suarez *de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 3. c. 10. n. 6.* Portel *in dub. reg. verb. Eccleſiæ immunitas, n. 11.* Tannerus *in 2. 2. diſp. 5. q. 8. dub. 16. n. 17.* Nauarrus *in Man. c. 25. n. 22.* & alij multi probabiliter penes ipſos. Greg. XIV. Suarez. Portel. Tannerus. Nauarrus.

Secunda ſententia docet gaudere Clericos hac immunitate: quia non ſunt deterioris conditionis quàm laici, & iura abſolutè & indiſtinctè loquuntur; conſequenter intelligenda ſunt de quibuſcumque fidelibus baptizatis. Et ita fertur determinatum fuiſſe à Sacra Cardinalium Congregatione tam Concilij Trident. interpretum, quàm Epiſcoporum & Regularium, facto cuiuſdam Clerici in minoribus conſtituti, qui anno 1618. ob patratum homicidium ad Eccleſiam confugerat. Quam declarationem refert Diana *part. 3. tract. 1. reſol. 35.* pro Confirmatione huius ſententiæ, quam docuerat antea *p. 1. tract. 1. reſol. 24.* cum Ambroſino *de immunit. c. 12.* Zerola *in praxi Epiſc. p. 1. verb. Immunitas. verſ. 8.* Farinacio *tit. de carcer. q. 28. num. 7.* Quibus adde *Layman*, *Barboſam*, & alios penes ipſum adductos. Sac. Congr. Diana. Ambroſin. Zerola. Farinac. Layman. Barboſa.

Idem dicendum eſſet de religioſis ac de Clericis, ſtando in rigore Canonum & Conſtitutionis Gregorianæ; ex recepta tamen conſuetudine à Summis Pontificibus approbata, contrarium dicendum videtur, quia aliàs nullus religioſus puniretur pro delictis in Monaſteriis commiſſis, & ſic obſeruantia & diſciplina regularis corrueret.

16. Quidam negant procurantes abortum fœtus animati gaudere Eccleſiarum immunitate: quia tales occidunt proditoriè illum, qui nullo pacto præuidit, nec præcauere potuit talem mortem. Ex Bulla autem Gregorij prædicta proditorium homicidium perpetrantes, immunitatis Eccleſiaſticæ ius, ſeu ſacri aſyli amittunt: ergo. Sic tenent Farinacius *de immunitate Eccleſ. c. 8. n. 138.* Peregrinus *de immunit. c. 3. n. 8.* Probabilior tamen ſententia meritò docet contrarium; quia huiuſmodi delinquentes iuxta communem vſum loquendi non dicuntur proditoriè occidere; quia proditoriè occidunt, qui per dolum ſimulando amicitiam aliquem id non præuidentem necant; infans autem in hoc caſu non dicitur dolosè occidi, cùm ipſe nullius rationis capax ſit, nec dolus in ipſum committatur. Ita Bonacina *tom. 3. diſp. 2. q. 3. punct. 16. §. 8. n. 8.* Diana *part. 3. tract. 1. reſol. 72.* & alij. Secus dicendum de illo, qui aliquem veneno occidit: hic enim immunitatis priuilegio non gaudet, ſecundùm omnes ferè Doctores, prout declarauit Sacra Eminent. DD. Cardin. Congregatio Concilij die 3. Decembris anno 1632. teſte Diana *part 6. tract. 1. reſol. 12.* quia in hoc caſu homici- Farinac. Peregrinus. Bonacina. Diana. Sac. Congr. Diana.

homicidium dicitur & cum ratione proditorium, cùm interficiatur homo, nihil tale præcauens, cùm nulla esset præcauendi causa. Verùm hæc ratio non militat cùm quis veneno occidit inimicum, quia non dicitur illum occidere proditoriè : nam stante inimicitia habebat causam præcauendi, & poterat & debebat sibi præcauere. Et ideò maximè post Constitutionem Gregorianam quantumcumque per insidias inimicum quis occidat, gaudebit immunitate, siue occidat veneno, siue dormientem, siue cum sclopo è fenestra, siue á tergo, &c. quia Gregoriana solum excludit ab immunitate occidentes proditoriè : sed stante inimicitia insidiæ non constituunt proditionem. Et ita fertur definiuisse Clementem VIII. per Breue ad Archiepiscopum Panormitanum die 6. Februarij anno 1597. Et docent Ambrosinus, Peregrinus, Bonacina, Farinacius & alij, quos citat & sequitur *p. 1. tract. 1. resol. 5.*

Clem. VIII.

Ambrosin. Peregrinus. Bonacina. Farinac. Diana.

17. In summa, quæuis crimina præter excepta in Bulla gaudent immunitate : vnde & filius occidens patrem ; & periuri & adulteri, & simoniaci & blasphemi, & Sodomitæ ; & falsi monetarij, & fraudantes regia tributa ; & Apostatæ à Religione præterquam in Ecclesiis eiusdem Religionis, & qui carcerem effregerunt, vel qui sub iuramento redeundi ex eo ossent dimissi ; & qui vulnerat actu confitentem sacramentaliter peccata sua, vel aliud Sacramentum suscipientem, modò id non faciat animo hæretico. Item, qui alium occidit in duello ; denique etiam infideles, Sarraceni, & Iudæi : quia hoc priuilegium concessum est non intuitu personarum, sed loci. Hæretici in criminibus non exceptis à Bulla gaudent eadem immunitate quâ ceteri. Item bannitus etiam capitaliter, modò non ob delictum exceptum in Bulla. Item capite damnatus, qui per Ecclesiam ducitur ad supplicium, iuxta probabilem sententiam Nauarri. Idem dicendum de damnatis ad triremes, si ad Ecclesiam confugiant. De his & similibus casibus videndus est Diana *par. 1. tract. 1. resol. 21. 23. 32. 17. & 22. & part. 3. tract. 1. resol. 37. & 40. & part. 4 tract. 1. resol. 43. 45. 46. 50. & 51. & p. 6. tract. 1. resol. 25. 26. 19. 20. 21. 22. 23. &c.*

Diana.

18. Graue sacrilegium committit & excommunicationem incurrit aliasque poenas Iudex secularis, qui in casibus etiam exceptis, extrahit reos ab Ecclesia sine licentia Episcopi. Probatur : quia captura reorum, vt patet, est actus iurisdictionis, qui in alieno territorio exerceri non potest, ex *l. Extra territorium, ff. de iurisdict. & in cap. 2. de constitut. in 6.* Ergo iudex laicus non potest exercere iurisdictionem in Ecclesia, quia non est de districta Principis secularis, sed de territorio iudicis Ecclesiastici, vt sustinent communiter Canonistæ, Farinacius *de immunitate, cap. vltim. num. 356. consil. 214. num. 3.* & alij. Tum quia sic statuitur in Bulla Gregorij XIV. Qua stante non sunt audiendi quidam iurisperiti, qui contrarium obseruari in praxi testantur, & inter illos Iulius Clarus *lib 5. quæst. 36. §. final. num 20.* Ratio est, quia in dicta Bulla adest decretum irritans, contra quod allegari non potest contrarius vsus : tum, quia in dicta Constitutione reducuntur omnia ad vnam formam, quæ de sui natura opus est vt seruetur ad vnguem. Tum quia consuetudo derogans immunitati, corruptela à Summo Pontifice vocatur. Tum denique, quia expressè derogat cuilibet facultati, quomodocumque emanauerit à Sede Apostolica, contrarium iudicandi : sub qua tam statutum, quàm lex & consuetudo videntur comprehendi. Et in specie statuit iudices etiam in casibus exceptis non posse auctoritate propria delinquentes ab Ecclesia extrahere. Qua doctrina suppositâ, consuetudines contra immunitatem Ecclesiarum non possunt defendi, cùm non fuerint introductæ cum scientia & expresso consensu Pontificis : imò contra dictas consuetudines Concilium Tridentinum & Constitutio Gregorij innitur & illas reuocat, & Summi Pontifices quotidie aduersus tales consuetudines, seu potius abusus reclamant, & in Bulla Cœnæ singulis annis improbant & damnant : vnde Vrbanus VIII. Pont. Maxim. nouissimè edidit Bullam, quæ incipit *Romanus Pontifex*, dat. Romæ 5. Iunij 1641. vbi annullat & reprobat omnes consuetudines contra immunitatem Ecclesiarum. Ita Ambrosinus *de immunit. cap. 11.* Peregrinus *cap. 14. n. 5.* Filliucius *tract. 15. n. 154.* Zypæus *in sua Anal. iur. Canon. lib. 3. de immunit. num. 12.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 14.* & *part. 4. tract. 1. resolut. 42. & parte quinta, tract. 1. resolut. 21.* & *part. 6. tract. 1. resol. 28.* & *29.* apud quem plura.

Vrban. VIII

Ambrosin. Peregrinus. Filliucius. Zypæus. Diana.

19. In dubio ; an reus gaudere debeat immunitate, necnè, cognitio causæ pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum. Ratio est, quia causa Ecclesiastica ab Ecclesiasticis iudicibus tractari debet, per textum *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constitut.* Sed causa immunitatis, vt de se patet, est causa Ecclesiastica : ergo, &c. Tum quia agere de immunitate Ecclesiastica pertinet ad honorem & reuerentiam Dei : Sed huiusmodi cura ad Ecclesiasticos Superiores pertinet : ergo. De hoc hodie non est dubitandum, stante Bulla Gregoriana supradicta : in qua apparet solum iudicem Ecclesiasticum esse competentem in hac materia : quod etiam priùs patebat ex *cap. final. de immunit. Eccles.* & ex *c. Ad Episcopos 17. q. 4.* Imò ex iure ciuili *in l. pateant, §. hos verò, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* & *in l. præsenti, eod.* Et ita docent Farinacius *in append. de immunit. cas. vlt. n. 366.* Barbosa *de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 155.* & *seq.* Diana *p. 4. tract. 1. resol. 49.* & *part. 6. tract. 1. resol. 30.* & alij ab ipsis citati.

Farinac. Barbosa. Diana.

20. Episcopus non tenetur stare processui facto à iudice laico, si reus remittendus sit, necnè : & hoc probatur apertè ex Bulla Gregorij supra, ibi : *Curiæque seculari nec tradi, nec consignari possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu per deputatum ab eo, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint.* In quibus verbis cognitio istius articuli specialiter demandatur Episcopis, seu aliis ab ipsis deputatis. Sed quando delegatur cognitio alicuius articuli, vel causæ, censetur delegata potestas sumendi probationes super illo articulo & causa, iuxta *cap. Præterea, de offic. delegat.* & ibi Glossa *verb. Delegatus.* Ergo Episcopi debent recipere probationes de prætenso delicto, & non stare processui exhibito per iudicem secularem, cùm agatur de proprio interesse. Ratio est, quia acta instructorij vnius iudicij in alio non probant, nisi inter easdem personas, & in eisdem causis, ex *cap. Inter dilectos, §. In omnibus, de fide instrument.* Et hoc maximè procedit, si processus fuerit formatus à iudice laico postquam reus ad Ecclesiam confugit ; tunc enim suspicionem non leuem haberet fallitatis, eò quòd defensionem proprij iuris & diminutionem Ecclesiasticæ iurisdictionis formatus esse censeretur. Si autem processus formatus est antecedenter, esto obligatus non sit Episcopus illi stare ; debet quàm breuissimè poterit testes illos apud se examinare, & reum iudici seculari remittere, si nulla appareat suspicio falsi in dicto processu. Ita Farinacius *in append. de immunit. Eccles. cap. 22. n. 357.* Castrus Palaus *tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 13. num. 8.* & *9.*

Greg. XIV.

Farinac.

Greg. XIV.

Clarus.

Farinac. Palaus.

Adverten-

Aduertendum tamen, quòd non ſufficiunt coniecturæ indicia, & præſumptiones ad declarandum quod reus commiſerit delictum exceptum in Bulla, ſed neceſſarium eſt, vt Epiſcopo certò conſtet de tali delicto à reo commiſſo. Ratio eſt, quia Bulla prædicta requirit, vt verè conſtet de delicto, ſed quando delictum cognoſcitur per coniecturas & præſumptiones, non dicitur verè cognoſci. Tum quia hæ præſumptiones non vincunt præſumptionem ortam ex poſſeſſione immunitatis & iure fundato, *l. final. ff. quod metus cauſa*, & ibi Doctores. Tum quia quando lex requirit probationem, intelligenda eſt vera, & non præſumptiua: nam ſi hoc vltimum requireret, illud exprimeret, vt patet *in cap. pro humani de homicid. in 6.* Et *in l. non omnes, §. à barbaris, ff. de re militari.* Et docent Bonacina *de leg. diſp. 3. q. 7. §. 7. n. 3. & 4.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 11.* Diana *part. 3. tract. 1. reſol. 38.* Farinacius *loco citato, num. 373. & 374.* & alij.

Sanchez. Bonacina. Diana. Farinac.

21. Dubium eſt inter Doctores an contrauenientes Conſtitutioni prædictæ Gregorij XIV. poſſint ab Epiſcopo abſolui, & an hæc excommunicatio ſit Summo Pontifici reſeruata? Quidam ſuſtinent eſſe reſeruatam, hoc ipſo, quod dicitur in ea, in eaſdem pœnas incidere cum violatoribus Eccleſiaſticæ libertatis: quæ deinde à Clemente VIII. in declaratione decreti abſolutionis caſuum, reſeruata eſt etiam reſpectu eorum, qui habent priuilegia abſoluendi à reſeruatis Papæ in Italia tantùm ſola & extra vrbem, vt annotauimus *tom. 1. v. Caſus reſeruatus, n. 36. edit. 3.* Et hoc dubium fertur diſcuſſum in Prætorio Sacræ Pœnitentiariæ & fuiſſe concluſum eſſe reſeruatam, nec poſſe Ordinarios regulariter ab ea abſoluere. Sic docent Filliucius *tr. 15. n. 155.* Peregrinus *de immunit. cap. 15. n. 16.* Farinacius *de immunit. cap. 20. n. 315.*

Filliucius. Peregrinus. Farinac.

Nihilominus ſentiunt multi non eſſe reſeruatam reſpectu Epiſcoporum facta reſtitutione & ſatisfactione ab eo, qui in excommunicationem hanc incidit, modò eam exhibere poſſit. Ratio eſt, quia nullibi reperitur hic caſus Summo Pontifici reſeruatus, ergo Epiſcopus, vel alius Confeſſarius ad hoc ab Epiſcopo deputatus poteſt abſoluere, iuxta *cap. Nuper, de ſentent. excommunicat.* Tum quia in prædicto decreto non adimitur facultas Ordinariorum, qualis eſt facultas Epiſcoporum, imò corroboratur, quia Summus Pontifex non vult quemquam virtute priuilegij Apoſtolici in Italia poſſe à caſibus Ordinario reſeruatis abſoluere. Vnde Epiſcopus, aliuſque Confeſſarius ab eo ſpecialiter deputatus, poteſt ab hac excommunicatione abſoluere, quando delictum eſt occultum, iuxta Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. de reform.* Ita Bonacina *de leg. diſp. 3. q. 7. §. 6. num. 8.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 3. Allegat. 51. caſ. 3. n. 72.* Megala, Gratianus, Homobonus, Zypæus, Riccius, Graffiis & alij apud Dianam *p. 1. tract. 1. reſol. 41.* Et hæc circa Bullam Gregorianam dixiſſe ſufficiat.

Conc. Trid. Bonacina. Barboſa. Megala. Gratian. Homobon. Zypæus. Riccius. Graffiis. Diana.

Vide v. Aborſus *num. 21.*

INCONTINENTIA.

SVMMARIVM.

1 *Incontinentia quid ſit? Et quomodo paſſio poſſit vincere rationem.*
2 *Incontinentia eſt duplex.*
3 *Incontinentia quæ verſatur circa delectationes tactus an ſit peccatum.*
4 *An incontinentia ſit minus malum, quàm intemperantia.*
5 *An incontinentia concupiſcentiæ ſit turpior quàm incontinentia iræ.*

1. INcontinentia eſt; quando paſſio, præſertim ea, quæ verſatur circa delectationem tactus, vincit rationem: vnde incontinens dicitur, qui iudicium quidem habet rectæ rationis, ſed eo relicto ſequitur prauam concupiſcentiam: hæc eſt enim vox incontinentis. *Video meliora probóque, deteriora ſequor.* Paſſio autem dupliciter poteſt vincere rationem. *Primò*, ſi contingat eſſe tam vehementem, vt hominem penitus priuaret vſu rationis, ſicut in illis accidit, qui præ amore vel ira facti ſunt amentes: quo caſu non eſt propriè incontinentia: quia ſicut beſtiæ non dicuntur incontinentes; ita nec illi, qui rationis vſum amiſerunt, quantumuis turpia committant. Tum quia incontinens eſt, qui non continet ſe in bono rationis, cùm poſſit & debeat: atqui talis non poteſt, ergo, &c. *Secundò*, ſi rationis vſum non tollat, & tunc habet locum incontinentia ſi voluntas paſſionem ſequatur. Ratio eſt, quia cauſa incontinentiæ propriè ac per ſe eſt anima: vnde quantumcumque vehementes ſint paſſiones in appetitu concupiſcibili; non tamen ſunt ſufficiens cauſa incontinentiæ: propterea quod durante vſu rationis homo ſemper poteſt iis paſſionibus reſiſtere, nec animus conſentiat. Si poteſt, ergo debet: ſi debet continere & non facit, iam eſt incontinens: deeſt enim continentia, vbi & quando debebat ineſſe. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt. 156. art. 1.* Syluius *ibidem*, & alij.

D. Thom. Syluius.

2. Incontinentia eſt duplex: vna quæ vocatur effrænis, temeraria, vel præuolans; quando nimirum impetu ſuo rapit ad ſe voluntatem, priuſquam ratio conſultet, aut exactiùs deliberet. Hoc autem accidit, vel ob paſſionis celeritatem, vt in cholericis; quia humor iſte ob tenuitatem & calorem facilis eſt moueri & accendi: vel ob illius vehementiam; vt fit in melancholicis, qui ob ſiccam & terreſtrem conſtitutionem vehementem accenduntur. In huiuſmodi igitur voluntas non diu cunctatur, neque ſinit negotium ratione expendi, ſed ſtatim cedit; ſatis tamen in confuſo aduertens malum eſſe quod proponitur. Altera, quæ dicitur debilitas, quando nempe ſurgente prauæ cupiditate quis conſulit quidem iudicium rationis, quæ ei dictat huiuſmodi cupiditatem non eſſe ſequendam; ſed ipſius voluntas tam debiliter eſt affixa ei quod recta ratio dictat, vt ſinat ſe vinci a paſſione, ſeu cupiditate: vt fit in mulieribus & iis, quorum conſtitutio mollior eſt & fœminea, vt ſunt phlegmatici: vt docet D. Thomas *loco cit. art. 1. ad 2.* poſt Ariſtotelem *lib. 7. Ethicorum, cap. 7.*

D. Thom. Ariſtot.

3. Incontinentia propriè & ſimpliciter dicta, hoc eſt, ea quæ verſatur circa illicitas delectationes tactus, eſt peccatum. Ratio eſt, tum quia turpe eſt rationem vinci à paſſione, & voluntatem deſerere bonum rationis, vt inhæreat bono delectabili. Tum quia voluntas trahitur ad infimas delectationes, quæ homini cum brutis ſunt communes. Hoc autem peccatum eſt mortale vel veniale pro ratione materiæ. Incontinentia verò honoris, diuitiarum & ſimilium, peccatum item eſt vna ratione; quia licet talis incontinens non peccet ratione materiæ, peccat tamen ratione modi & formæ. Quamuis enim huiuſmodi res non ſint ſimpliciter malæ; malum eſt tamen excedere modum rectæ rationis in iis appetendis vel conſequendis. Ita D. Thomas *loco cit. art. 2.* & alij commentatores ibi.

D. Thom.

Si petas quomodo paſſio poſſit vincere rationem,

manente rationis vſu? Reſpondeo: Rationem non ita vinci quin poſſit reſiſtere: & ideò meritò illi imputari, quòd ſe vinci ſinat, vel potiùs quod ſponte cedat & conſentiat. Paſſio enim ſolùm allicit, blanditur & ſuadet per modum propoſitionis obiecti; facit enim vt obiectum appareat valdè ſuaue & conueniens homini: intellectus ſimili modo illud apprehendit & voluntati proponit. Et quamuis ex altera parte iudicet illud eſſe illicitum; nihilominus quia apprehenſio delectabilis eſt vehementior, magiſque ſenſibilis, ac naturalis, & ex ratione illiciti non cernitur præſens periculum, vincit iſta apprehenſio, & voluntati perſuadet vt delectabile, hic & nunc honeſto præponat, paſſionique conſentiat. In poteſtate tamen voluntatis erat ſe continere, & illam delectationem contemnere. Quia nullam ſufficientem incontinentiæ cauſam præbet qualiſcumque corporis complexio, ſed occaſionem tantùm: ideò incontinentia non eſt principaliter referenda in corpus, ſed in animam.

4. Incontinentia cæteris paribus eſt minus malum quàm intemperantia, id eſt, incontinens minùs peccat, quàm intemperans. Ratio eſt, quia incontinens peccat ſubito errore in electione per negligentiam & ignauiam permittens ſe vinci à paſſione exurgente: nam & ante & poſt paſſionem voluntati diſplicet opus, eoque commiſſo ſtatim pœnitentia ducitur. At intemperans non peccat ex paſſione, ſed ex electione animi vitioſa, iamque in eo radicata, ſiue peccat ex prauo habitu voluntatis. Tum quia intemperans habet intellectum prauè diſpoſitum quoad iudicium obiecti, & voluntatem prauè diſpoſitam habitu vitioſo, & appetitum inferiorem ſimiliter: nam intellectus non reputat illud obiectum inhoneſtum, vel certè parui æſtimat, tanquam exiguum malum. Incontinens verò habet iudicium rectum & voluntatem rectam extra paſſionem, & appetitus inferior non eſt adeò corruptus. Accedit quod intemperans multò difficiliùs emendatur quàm incontinens, propter iudicij & voluntatis inolitam longa conſuetudine peruerſitatem. Ita D. Th. 2. 2. *q.* 156. *art.* 3. & alij communiter.

D. Thom.

5. Incontinentia concupiſcentiæ, quæ nimirum abſolutè vocatur incontinentia & verſatur circa delectationes tactus, eſt turpior, quàm incontinentia iræ. Ratio eſt, tum quia concupiſcentia quærit voluptatem ſuperfluam; ira verò repellit malum immeritum. Plus autem excuſatur qui in malo à ſe depellendo modum rationis excedit, quàm qui in voluptate ſuperflua adſciſcenda. Tum quia motus iræ habet aliquam ſpeciem & imaginem rationis (offert enim ſe vindicta menti ſpecie iuſtitiæ) ſed in eo deficit, quòd modum, qui à ratione præſcribitur non attendat. Motus autem concupiſcentiæ nullam habet rationis ſpeciem, ſed totus eſt ſecundùm ſenſum, totus carnalis, ad hoc ſolum tendens vt carni & ſenſualitati ſeruiatur. Nihilominus incontinentia iræ vt plurimum eſt grauior, quia ducit in ea quæ inferunt proximo maiora nocumenta, quàm incontinentia concupiſcentiæ: hinc enim ſeditiones, bella, cædes, incendia & tota ferè generis humani turbatio. Ita D. Thomas *loco citat. art.* 4. communiter receptus.

D. Thom.

Vide v. Abbas *n.* 14. Debitum coniugale 1. *n.* 7.

INDVLGENTIA I.

SVMMARIVM.

1 *An in Eccleſia detur theſaurus meritorum Chriſti & Sanctorum.*

2 *An theſaurus meritorum & ſatisfactionum Chriſti diſpenſetur ab Eccleſia per Sacramenta vel extra.*

3 *An vſus indulgentiarum repugnet iuſtitiæ vel perfectioni.*

4 *An diſtributio theſauri indulgentiarum data ſit Petro & Succeſſoribus eius.*

5 *An indulgentia concedi poſſint non ſubditis & exemptis.*

6 *An Prælatus concedens generaliter indulgentias, eaſdem ſibi lucrari poſſit.*

7 *Indulgentia alia eſt perſonalis, alia localis, alia realis.*

8 *An Concilium Generale habeat poteſtatem concedendi indulgentias pro tota Eccleſia.*

9 *An pontifex per indulgentias poſſit remittere pœnitentias ſacramentales à Confeſſario pro peccatis iniunctas.*

10 *An per indulgentias intendat Pontifex non ſolùm liberare à pœnitentijs iniunctis, ſed etiam à non iniunctis?* Refertur triplex ſententia.

11 *An indulgentiarum conceſſio contineat veram abſolutionem reſpectu viuorum, & reſpectu mortuorum ſolutionem pretij.*

12 *An indulgentia ſublata peccati fictione effectum ſuum ſortiatur?* Refertur duplex ſententia.

13 *An ad lucrandum indulgentias debeat opus iniunctum fieri bene moraliter & ſine peccato?* Refertur triplex ſententia.

14 *An requiratur actualis intentio lucrandi indulgentiam in eo qui facit opera iniuncta?* Refertur duplex ſententia.

An recitans ter Aue Maria, &c. *ad tria ſigna Campanæ poſt ſolis occaſum, lucretur indulgentiam Plenariam, ſi ignoret talem indulgentiam eſſe conceſſam? Vbi tres illationes referuntur.*

15 *An excommunicatus contritus, ſi non poteſt obtinere abſolutionem, lucretur indulgentias?* Refertur duplex ſententia.

16 *Quomodo ad valorem indulgentiæ cauſa debet eſſe proportionata.*

17 *An ſit aliqua certa forma ſeruanda in concedendis indulgentijs.*

18 *An omnes ſemper lucrentur Plenarias Indulgentias qui faciunt in ſtatu gratiæ opus præſcriptum.*

19 *An indulgentiæ poſſint pluries in die obtineri?* Refertur duplex ſententia.

1. DE fide eſt in Eccleſia dari theſaurum, id eſt, abundantiam meritorum Chriſti & Sanctorum exuberantium ſatisfactiones ipſiſmet Sanctis, & hominibus iuſtis debitas, ſimulque in Eccleſia reſidere poteſtatem concedendi indulgentias, virtute cuius remittuntur pœnæ temporales in iudicio Dei debitæ. Theſaurus hic conſtare dicitur ex ſatisfactionibus Chriſti, eo quòd de plenitudine eius electi non ſolùm accipiant gratiam & gloriam, ſed etiam pœnarum remiſſionem. Ratio eſt, quia Chriſtus per ſanguinem ſuum non modò meritus eſt nobis gratiam & gloriam, ſed etiam pro pœnis peccatis noſtris debitis ſatisfecit: quia perfectè Saluator, aut Redemptor non eſſet, qui ſolâ deletâ culpâ & pœnâ æternâ in temporalem commutatâ, pro pœnis reſiduis Patri æterno pretium non dediſſet. Et licet paſſiones, quas Chriſtus in proprio corpore pro nobis pertulit, fuerint in infinitum ſufficientes ex parte eius ad redemptionem totius generis humani, nihilominus ſingulari ſapientia ad earum completum effectum, voluit illas in ſuo corpore myſtico per ſanguinem Martyrum

Digitized by Google

Martyrum, afflictiones & tribulationes compleri, & velut per illas noſtram redemptionem & ſalutationem terminari. Vnde ſatisfactiones B. Mariæ virginis & omnium Sanctorum in ipſis in qualitate Satisfactionis non remuneratæ in aliis iuxta Dei prouidentiam remanent remunerandæ, cùm nulla opera viatorum in charitate facta, apud Deum irremunerata maneant, ergo opera ſatisfactoria B. Mariæ Virginis & Sanctorum, qui ſatisfactione non indigent, irremunerata remanere non poſſunt, ergo in Eccleſiæ theſauro reponi cenſentur; quod nihil aliud eſt, quam remanere in acceptatione diuina, vt iuxta Dei ſapientiam & prouidentiam in Eccleſiæ filiis remunerentur & in eos diſtribuantur. Hic eſt Eccleſiæ Catholicæ ſenſus circa hunc theſaurum, vt decreuit Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 21. in decreto indulgentiis, & docent Suarez *tom.* 4. *diſp.* 51. *ſect.* 1. *&* 2. *cum aliis.* Et hæc veritas præcipuè tradita eſt & declarata in *Extranag. vnigenitus, de pœnit. & remiſſ.* vbi dicitur Chriſtum Dominum per effuſionem totius ſanguinis ſui nos redemiſſe, cùm vna gutta ſanguinis propter vnionem ad verbum, ad redemptionem totius generis humani ſufficere potuiſſet, ſubdit, *Quantum ergo, exinde, vt nec ſuperuacua, inanis, aut ſuperflua tanta effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſiuit, volens ſuis theſaurizare filiis pius pater, vt ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt, Dei amicitiæ participes ſunt effecti. Quem quidem theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per Beatum Petrum cœli clauigerum, eiuſque ſucceſſores, ſuos in terris vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum.* Et paulo poſt, *Ad cuius quidem theſauri cumulum Beatæ Dei genitricis & omnium electorum à primo iuſto vſque ad vltimum, merita adminiculum præſtare noſcuntur.* Et id confirmauit Leo X. in Bulla in qua errores Lutheri condemnauit. Vide Syluium *in ſupplem.* 3. *p. q.* 25. *a.* 1. *queſit.* 1. Coninck *de indulg. diſp.* 12. *dub.* 1. & alios.

Conc. Trid. Suarez.

Leo X. Syluius. Coninck.

2. Theſaurus meritorum Chriſti diſpenſatur ab Eccleſia per ſacramenta: quia prima gratia & iuſtificatio non contingit niſi per merita Chriſti; Sacramenta autem omnia habent vim conferendi primam gratiam, vt docent Theologi communiter; nec in Eccleſia eſt poteſtas remittendi peccata, niſi ſacramentis obligata, cùm Chriſtus ob excellentiæ poteſtatem etiam extra ſacramenta peccata remiſerit. Theſaurus verò ſatisfactionum Chriſti diſpenſatur ab Eccleſia extra ſacramenta: quia illæ poſſunt communicari extra ſacramenta, vt patet in priuata ſatisfactione, quam vnus alteri poteſt applicare: ergo ab eo qui toti Eccleſiæ præeſt, id eſt, ſummo Pontifice, ſic poterunt diſpenſari. Verùm quia ſatisfactiones Sanctorum commodè non poſſunt diſpenſari, ſine ſatisfactionibus Chriſti, quia cùm illæ ſint finitæ, neque conſtet ad quantam ſatisfactionem valeant: E contrà Chriſti ſatisfactiones ſint infinitæ, ideò adiungendæ fuerunt ſatisfactionibus Sanctorum Chriſti ſatisfactiones, vt Eccleſia non eſſet dubia de valore indulgentiarum. Nam Eccleſia non tantùm per modum impetrationis & de congruo applicat eiuſmodi theſaurum per indulgentias; nam hoc modo dubius eſſet indulgentiarum fructus, ſed etiam ex vi ipſius applicationis vltra meritum operantis & de condigno remittuntur pœnæ peccatis debitæ. Vt conſtat tum ex Extrauag. vnigenitus cit. & Bulla Leonis X. tum nouiſſimè ex bulla Pij V. quæ incipit, *Ex omnibus Afflictionibus* data Romæ anno 1567. Kalend. Octob. vbi damnatur articulus 57. *Per paſſiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non propriè redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impertiuntur vt digni ſimus qui pretio ſanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur.* quam bullam confirmarunt poſtea Gregorius XIII. anno 1579. Quarto Kalend. Februar. per aliam quæ incipit, *Prouiſionis noſtræ.* Et Vrbanus VIII. per aliam cuius initium eſt, *In eminenti* anno 1542. Pridie nonas Martij.

Leo X. Pius V.

Greg. XIII.

Vrban. VIII

3. Vſus indulgentiarum non repugnat iuſtitiæ, nec perfectioni. Ratio prioris eſt, quia licet Deus ſtatuerit pœnas purgatorij, eius tamen voluntas in eis ſtatuendis, non fuit efficax & abſoluta, ſed conditionata, nempe niſi quiſque ſatisfaceret pro ſuis peccatis, vel aliis modis ab ipſo Deo conceſſis veniam conſequeretur: inter alios autem modos vnus eſt beneficium indulgentiæ: qui modus licet non ſit neceſſarius, eſt tamen valde vtilis, vt populo Chriſtiano maximè ſalutaris, vt docet Conc. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 21. *in decreto de indulgent.* non modo ob fructum proprium qui acquiritur remiſſionis pœnæ, verum etiam ob multa opera bona, quæ occaſione eius à fidelibus exercentur. Prob. poſterior pars, quia operari ad lucrandas indulgentias eſt ex ſuo genere bonum; tum quia frui theſauro Chriſti, modo ab ipſis inſtituto, ſanctum eſt, & finis etiam bonus, ad tollendum ſcilicet impedimentum gloriæ. Nec poteſt dici opus tale imperfectum etiam in genere ſatisfactionis: quia indulgentiæ acquiſitio non impedit, quo minus homo poſſit exhibere propriam ſatisfactionem, ſi voluerit: vnde religioſis conuenit etiam Lucrari indulgentias, quia poſſunt indigere tali ſubſidio, & non repugnat eorum ſtatui. Ita communiter Doctores.

Conc. Trid.

4. Diſtributio theſauri indulgentiarum data eſt Petro & Succeſſoribus Matth. 16. *Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Quod autem ſub illis verbis comprehendatur hæc poteſtas, colligitur ex proprietate & amplitudine ipſorum verborum: ſunt enim verba vniuerſaliſſima, quæ ex vi ſua omnem actum includunt, qui ad aperiendum regnum cœlorum poſſit eſſe accommodatus: ideóque non ſolùm includit poteſtatem ſoluendi à præceptis vel obligationibus, ſed etiam ab omnibus vinculis & impedimentis; quæ niſi tollantur, non poteſt intrari in regnum cœlorum. Ideoque non dicitur, *Quicumque ſolueris*; ſed *Quodcumque ſolueris*, id eſt; quodcumque vinculum vel impedimentum regni cœlorum abſtuleris: meritò ergo vinculum pœnæ ad claues regni cœlorum ſpectare dignoſcitur, cùm plenè homini viatori cœlum ſine pœnarum dimiſſione aperiri non poſſit. Congruum ſanè fuit, vt Chriſtus hanc poteſtatem Eccleſiæ ſuæ daret, cùm enim multi infirmi ſint, & quantumuis in charitate Deo ſeruiant, debito pœnarum ex culpis actualibus relictarum ſatisfacere non poſſint, nec vllum datum ſit ſacramentum aut ſacrificium poſt baptiſmum, quo per ſe omne debitum pœnæ remittatur, ſine iuſto & congruo remedio Eccleſia relicta fuiſſet; nec homini viatori pleniſſimam redemptionem Chriſtus contuliſſet, ſi eius ſoli ſatisfactioni aut ſatiſpaſſioni pœnas peccatis debitas reliquiſſet. Quam intelligentiam maximè confirmat Eccleſiæ traditio, quæ eſt optima legum & Sacræ ſcripturæ interpres, vt communiter docent Theologi.

5. Indulgentiæ concedi non poſſunt, niſi ſubditis, vt conſtat ex *cap. quod autem, de panitent. & remiſſ.* quia ſicuti à iudice non ſuo ligari nemo poteſt, ita neque abſolui. Exempti tamen participes fieri poſſunt indulgentiarum Epiſcopalium; cùm in ea re, ſicuti & in diſpenſationibus votorum, iuramentorum, &c. ſubiicere ſe poſſint iuriſdictioni Diœceſani: cùm exemptio non ſit ipſis conceſſa in damnum, ſed in fauorem, & ne quod ipſis gratiosè conceſſum eſt, in eorumdem diſpendium cedat. Imo Epiſcopi & quicumque Prælati ſuis ſubditis licentiam dare poſſunt, vt ab alieno Epiſcopo datas indulgentias lucrentur. Ita Paludanus *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 4. *art.* 4. Reginaldus *lib.* 7. *num.* 119. & alij.

Paludanus. Reginald.

6. Certa & communis ſententia eſt, poſſe Prælatum, qui indulgentias generaliter concedit, eaſdem ſibi lucrari: nam Summus Pontifex lucratur indulgentias conceſſas à ſuis prædeceſſoribus & Iubilæum etiam à ſe conceſſum. Ratio eſt, quia Prælati non debent eſſe peioris conditionis, quam inferiores: ergo ſicut alij poſſunt participare fructum de theſauro Eccleſiæ, ita etiam ipſi. Modus autem huius participationis, ſeu indulgentiæ triplex eſſe poteſt. *Primus*, ſi Prælatus det alteri facultatem concedendi ſibi indulgentiam, ſicut in foro conſcientiæ Prælatus dat alteri facultatem, vt ſe abſoluat. *Secundus*, ſi conceſſio directè fiat communitati, redundet verò in ipſum concedentem tanquam in partem communitatis, ſic comprehenditur ſub lege à ſe lata: quo pacto conceſſio indulgentiæ directè fertur ad ſubditos, indirectè autem participatur etiàm à non ſubdito in ratione partis communitatis. *Tertius*, ſi conceſſio directè & primariò fiat ſibi ipſi, vel ſoli, vel cum aliis, ſi alioqui rationabilis cauſa ſubſit ad talem indulgentiam ſibi concedendam: quod maximè locum habet in Summo Pontifice: nam inferiores iuxta conceſſionem à Pontifice eis factam, eam participant. Ratio eſſe poteſt, quia in Pontifice non deeſt iuriſdictio, & actus applicandi ſibi indulgentiam, non eſt talis, vt requirat diſtinctionem perſonarum; ſicut enim ſecum diſpenſat in voto & in iuramento, ita in indulgentia; in qua cum tantùm requiratur prudens iudicium de ſufficienti cauſa ad concedendam indulgentiam; non apparet requiri diſtinctionem vllam inter concedentem, & eum cui conceditur, ſicut neceſſaria eſt in collatione Sacramenti, vbi requiritur diſtinctio Miniſtri. Pontifex enim hoc ipſo quod non habet alium ſuperiorem, ſubditus eſt ſuæ dignitati, & ſic vt Papa eſt ſuperior, vt homo & peccator, eſt ſubditus. Hæc colliguntur ex communi Doctrina D. Thom. *in ſupplement.* 3. *part. quæſt.* 27. *artic.* 4. Nugni, Syluij *ibidem*, Suarez *in* 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 52. *num.* 14. & *ſequent.* Nauarri *de indulgent. tab.* 20. *num.* 61. & aliorum penes ipſos.

D. Thom. Nugnus. Syluius. Suarez. Nauarrus.

7. Quamuis omnes indulgentiæ in hoc conueniant, quòd omnes referantur ad vſum hominum, & in eis ſolis effectum habeant, rectè tamen diuiditur indulgentia in perſonalem, localem, & realem. Perſonalis eſt, quæ ita conceditur perſonæ, vt illi quaſi inhæreat talis fauor, vnde quocumque pergat, illam ſecum defert. Localis autem inhæret quodammodo loco in ordine ad perſonas. Dicitur autem concedi loco, quia conceditur hominibus orantibus in tali loco, vel aliud pium opus ibi exercentibus, & ideò cenſetur fauor ille quaſi inhærere loco, quia in illo tantùm & non in alio talis indulgentia obtinetur, nec effectus eius communicatur hominibus niſi mediante loco. Realis ſimilis eſt locali, eſt enim ea, quæ conceditur alicui rei mobili, vt eſt imago aliqua, Agnus Dei, Roſarium & ſimilia, quibus cenſetur inhærere talis fauor & cum eis quaſi deferri, & per eas communicari hominibus, ita vt omnes, qui coram tali imagine orant, vel per talia grana, vel Roſaria, &c. talem remiſſionem conſequantur. Atque ita verum eſt ſolos homines viatores eſſe capaces indulgentiarum, quantum ad effectum, ſeu finem earum, ſi verò habeatur ratio rei cui immediatè talis fauor conceditur, nunc eſt ipſa perſona, nunc locus, nunc res aliqua mobilis. Ita Suarez *loco cit. diſp.* 52. *ſect.* 1. *num.* 3. & alij.

Suarez

8. Quorumdam ſententia fuit Concilium generale habere poteſtatem concedendi indulgentias pro tota Eccleſia, quia habet poteſtatem ferendi leges & excommunicandi: ergo etiam habebit poteſtatem abſoluendi per indulgentias. Tum quia in Concilio generali ſunt omnes Paſtores & ſpirituales iudices Eccleſiæ, ergo ad illos pertinet vniuerſalis diſpenſatio vel remiſſio per indulgentias. Tum quia diſpenſatio theſauri alicuius communitatis ad totam communitatem pertinet; ergo ſimiliter poteſtas diſpenſandi Eccleſiaſticum theſaurum pertinet ad Eccleſiam vniuerſalem, ſed Concilium generale repræſentat vniuerſalem Eccleſiam, vt docuit Martinus V. in Concilio Conſtantienſi in fine, ergo. Ita ſuſtinent Panormitanus *in Clement.* 2. *de panit. & remiſſ.* Felinus *tract. de indulgentiis*, *num.* 44. Corduba *quæſt.* 12. *de indulgentiis*, qui ſpecialiter id aſſerit de Concilio generali ſede vacante, & alij. Verior tamen ſententia meritò docet Concilium generale non habere ex iure diuino talem poteſtatem concedendi indulgentias vi ſua, ſeu quatenus à capite condiſtinguitur. Probatur primò, quia non reperitur hæc poteſtas conceſſa Eccleſiæ, ſed Petro. Matth. 16. *Tibi dabo claues, &c.* Ioan. 21. *Paſce oues meas.* Secundò, quia Eccleſiæ vt eſt corpus quoddam myſticum, nullum aliud genus iuriſdictionis collatum eſt à Chriſto, vt habetur perpetua traditione Eccleſiæ, cuius regimen fuit Monarchicum & pendens ab vno capite: ergo neque illa iuriſdictio, quæ eſt neceſſaria ad indulgentias. *Tertiò*, Concilium ſecluſo capite non habet talem poteſtatem viuente Pontifice; ergo multò minus habet illam mortuo capite. Neque neceſſitas indulgentiarum eſt ſufficiens ratio ad illam concedendam Concilio ſede vacante: tum quia hic actus non eſt ex neceſſariis ad regimen Eccleſiæ, præſertim pro breui tempore, quo durare ſolet in Eccleſia carentia capitis; & licet contingeret eſſe diuturnum, illud eſſet valde accidentarium & rarum, quod non cadit ſub moralem conſiderationem, præſertim in re, quæ ſolum eſt ſupererogationis, & ad melius eſſe, vt eſt indulgentia. Ita pro hac ſententia citatur D. Thomas *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 1. *art.* 4. & alij Theologi ibidem. *Durandus*, *Paludanus*, *Richardus*, *D. Bonaventura*, Alenſis 4. *part. quæſt.* 23. *aliàs* 83. *memb.* 3. qui omnes nulla facta mentione Concilij generalis, ſoli Pontifici hoc tribuunt: & multi eorum notam excluſiuam expreſsè addunt. Quibus adde Suarez *loco cit. diſp.* 55. *ſect.* 1. Layman *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 4. *num.* 1.

Martin. V. Panormit. Felinus. Corduba.

D. Thom. Durand. Paludanus. Richard. D. Bonau. Alenſis. Suarez. Layman.

Quamuis probabile ſit, in Concilio, Sede Apoſtolica vacante, eſſe talem poteſtatem, quia repræſentat totam Eccleſiam; & tunc dici poſſet iure diuino habere talem poteſtatem ex natura rei, & per neceſſariam conſequentiam, vt præter Doctores citatos pro prima ſententia tenent Nauarrus *de indulgent. notab.* 31. Henriquez *de indulgent. cap.* 31. §. 3. De facto autem & iure humano non inueniuntur indulgentiæ conceſſæ à Conciliis generalibus

Nauarrus. Henriq.

ralibus, vt teſtatur Suarez *loco citato num.* 8. Diana *part.* 5. *tract.* 12. *reſol.* 21. Sylvius *in ſupplem.* 3. *part. quæſt.* 26. *art.* 3.

9. Pontifex etiamſi Sacerdos non ſit, per indulgentias poteſt remittere pœnitentias ſacramentales à Confeſſario pro peccatis iniunctas, non qua medicinales & præſeruatiuæ; ſed qua merè peccatorum vindicatiuæ ſunt. Ratio eſt, quia potuit Chriſtus inſtituere Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam ſupremum tribunal in ferenda ſententia de peccatis & offenſis contra ſe commiſſis, & nihilominus retinere poteſtatem relaxandi pœnas in eo latas: quam poteſtatem potuit per indulgentias ſuo Vicario communicare. Ex eo enim quòd Pontifex nomine Chriſti miſericorditer per indulgentiarum theſaurum relaxat pœnitentiam à Sacerdote vice Chriſti in foro ſacramentali iniunctam, non retractat, aut reuocat ſententiam Sacerdotis: nam hæc à Sacerdote lata fuit ſub tacita conditione, ſi Chriſtus, in cuius honoris defenſionem lata fuit, noluerit talem pœnitentiam remittere. Tum quia præceptum, quo determinata pœnitentia iniungitur à Confeſſario, humanum eſt: ergo Pontifex poteſt illud abrogare, præſertim quando concedit indulgentias commutando pœnitentias Confeſſarij in illud pium opus, quo quis diſponitur ad indulgentiam conſequendam, & ſupplendo ex theſauro id ſatisfactionis, quod deeſt. Et conſtat id ex formula earum indulgentiarum, in quibus expreſſa mentio fit de pœnitentiis in foro ſacramentali iniunctis. Coninck. Henriq. Granado. Ita Coninck *de Sacrament. diſp.* 12. *dub.* 3. *concl.* 2. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 22. *num.* 5. Iacobus Granado *in* 3. *part. contron.* 12. *tract.* 2. *diſp.* 4. *num.* 8. Ex quorum doctrina infertur non teneri pœnitentem adimplere pœnitentiam vindicatiuam ſuorum peccatorum à Confeſſario impoſitam, ſi probabiliter Indulgentiam Plenariam lucratus fuerit, quamuis optimum conſilium ſit, adhuc lucratis indulgentiis eam adimplere, vt etiam diximus *tom.* 1. *verb. Satisfactio, n.* 13. *edit.* 3. vide Dianam *p.* 5. *tr.* 12. *reſol.* 3. Diana.

10. Controuerſia eſt magna inter Doctores, an per indulgentias intendat Pontifex non ſolùm liberare à pœnitentiis iniunctis in Confeſſione, ſed etiam à non iniunctis. Quidam putant ſolùm liberari hominem virtute indulgentiarum à pœna debita peccatis, pro quibus Confeſſarius pœnitentiam iniunxit: quia Eccleſia ſolùm concedit indulgentias, quibus homines liberentur à pœnitentiis iniunctis, ergo illarum effectus eſt ſola relaxatio pœnitentiæ iniunctæ. Alij volunt, ſi in forma conceſſionis indulgentiæ nulla limitatio adhibeatur, ſed abſolutè relaxetur pœna peccatorum, intelligendum eſſe, virtute illius remitti etiam pœnam non iniunctam, ſi autem expreſsè apponatur particula, *de iniunctis*, intelligendum eſſe conceſſionem reſtringi ad ſolam relaxationem pœnitentiæ à Confeſſario iniunctæ. Ita Bellarminus *lib.* 1. *de indulgent. cap.* 7. *propoſ.* 5. Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 6. Nugnus, Sotus, & alij probabiliter. Sed quia beneficium Principis largiſſimè interpretandum eſt, puto omnes indulgentias extendi ad quaſcumque pœnas, etiam pro quibus nulla eſt iniuncta pœnitentia. Ratio eſt, tum quia hæc verba *de iniunctis pœnitentiis*, non ſunt reſtrictiua, ſed ampliatiua, habent enim hunc ſenſum, vt non ſolùm indulgentia extendatur ad pœnas, quibus nulla eſt iniuncta pœnitentia, ſed etiam ad eas, quibus pœnitentia iniuncta eſt; Igitur cui conceditur indulgentia de pœnitentiis iniunctis, à fortiori conceditur etiam de pœnis, quibus nulla eſt pœnitentia iniuncta. Tum quia maius eſt remittere pœnam pluribus, quàm paucioribus titulis depi- Bellarmin. Henriq. Nugnus. Sotus.

tam: ſed pœna, cui impoſita eſt ſacramentalis pœnitentia, non ſolùm eſt debita lege naturali & diuina, ſed etiam humana Sacerdotis illam imponentis. Tum quia nunc pœnitentiæ, quæ à Confeſſariis pro peccatis confeſſis iniunguntur, ſunt adeò exiles, vt parùm vtilitatis pœnitentibus afferrent indulgentiæ, ſi tantùm eas pœnas remitterent, pro quibus illæ iniunctæ ſunt. Tum quia ſæpe conceduntur indulgentiæ multorum millium annorum; certum autem eſt nulli vnquam talem pœnitentiam imponi. Adde quia aliàs iam omnes maiores indulgentiæ eſſent ferè inutiles, cùm paruæ pœnitentiæ imponantur, & ferè expleantur antequam indulgentias lucremur. Ita Suarez *in* 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 50. *ſect.* 3. *aſſert.* 3. Coninck *diſp.* 12. *dub.* 2. *concluſ.* 4. Filliucius *tract.* 8. *cap.* 7. *quæſt.* 1. Amicus *tom.* 8. *diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 52. Diana *p.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 81. Syluius *in ſupplem.* 3. *p. q.* 25. *art.* 2. *quæſit.* 1. Suarez. Coninck. Filliucius. Amicus. Diana. Syluius.

11. Indulgentiarum conceſſio continet veram abſolutionem reſpectu viuorum & ſolutionem pretij, reſpectu autem mortuorum ſolam ſolutionem pretij. Probatur prima pars, quia vbique in iure dans indulgentias dicitur alios à peccatis, ſeu pœnis iis debitis abſoluere. Iura autem videntur loqui de vera abſolutione; quod patet primo ex *cap. Quod autem, de pœnit. & remiſſ.* vbi dicitur dantem indulgentias debere eſſe iudicem accipientis, quia nemo poteſt ligari, aut ſolui, niſi à proprio iudice, quod inaniter diceretur, ſi non ageretur de vera abſolutione. *Secundò*, quia ius vbique diſtinguit indulgentias datas viuis à datis defunctis, quòd illæ dentur per modum abſolutionis, hæ per modum ſuffragij. Quod autem hæc abſolutio non fiat ſine ſolutione ſufficientis pretij ex theſauro Eccleſiæ, patet ex *Extrauag. Vnigenitus, de pœnit. & remiſſ.* quia Deus ſemper ita exercet miſericordiam, vt etiam admiſceat aliquid iuſtitiæ. Hinc numquam aliquod peccatum, pœnamve ei debitam etiam per Sacramentum, aut ſacrificium nobis remittit ſine interuentu meritorum, aut ſatisfactionis Chriſti vel noſtræ. Tertia pars probatur, quia poteſtas abſoluendi non extendit ſe ad non ſubditos, vt dictum eſt, atqui defuncti non ſunt ſubditi Pontificis, ergo, &c. Tum quia Pontifex nullo modo poteſt ligare defunctos, ergo nec poteſt ſoluere; quia æquè latè patet vtraque poteſtas. Tum quia poteſtas ſoluendi promiſſa Petro, Matth. 16. eſt ei data Ioan. 21. dum dicitur ei: *Paſce oues meas.* Atqui poteſtas Papæ paſcendi, non extendit ſe ad defunctos, ergo nec poteſtas ſoluendi. Tum quia Chriſtus tradens Petro poteſtatem dixit, *Quodcumque ſolueris ſuper terram*; non verò dixit, Quodcumque ſolueris ſuper terram, & ſub terra. Sed animæ in Purgatorio exiſtentes non ſunt ſuper terram, ſed ſub terra. Hinc defunctis proſunt indulgentiæ non per modum iudicij & auctoritatis, ſed per modum ſuffragij, id eſt, per modum ſolutionis auxilij & adiutorij Eccleſiaſtici illis applicati: ſicut enim vir iuſtus poteſt ſuam ſatisfactionem alteri applicare, ita etiam poteſt indulgentiam, id eſt, ſatisfactionem Chriſti & Sanctorum, poſitam in theſauro Eccleſiæ applicare defunctis iuxta intentionem ipſius applicantis, modò ex intentione concedentis conſtet huiuſmodi ſatisfactionem, ſeu indulgentiam poſſe defunctis applicari. Ita Bellarminus *lib.* 1. *de indulgent. cap.* 5. Suarez *loco cit. diſp.* 49. *ſect.* 3. & 4. Coninck *de indulgent. diſp.* 12. *dub.* 2. & *dub.* 10. *num.* 45. Nauarrus *de indulgent. notabili* 22. *n.* 23. Syluius *in ſupplem.* 3. *p. quæſt.* 25. *art.* 1. *quæſit.* 2. & *quæſt.* 71. *art.* 10. *concl.* 2. Bellarmin. Suarez. Coninck. Nauarrus. Syluius.

12. Communior ſententia eſt, indulgentiam, ſublata

ſublata peccati fictione non ſortiri effectum ſuum: quia ita reuiuiſcere eſt proprium omninò Sacramentorum, quæ efficaciùs multò applicant merita Chriſti, quam indulgentiæ. Tum quia non conſtat tale priuilegium eſſe conceſſum indulgentiæ, nec ex Sacra Scriptura, nec ex voluntate concedentis: cùm omnes indulgentiæ concedantur hominibus confeſſis, vel contritis: ergo nihil operantur in illis, qui ſunt in peccato, quia non ſunt contriti. Ita ſuſtinent Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 52. ſect. 2. n. 15* Coninck *loco cit. diſp. 12. dub. 7.* Zerola *in praxi Epiſcop. part. 2. verb. Indulgentia, num. 9.* Reginaldus *lib. 7. num. 169.* & alij multi penes ipſos.

Suarez. Coninck. Zerola. Reginald.

At his non obſtantibus apud multos affirmatiua ſententia ſuſtinetur vt probabilis & magis pia. Ratio eſt, quia omnia Sacramenta ſortiuntur effectum recedente fictione, ſaltem quando bona fide recepta ſunt ab eo, qui credebat ſe eſſe benè diſpoſitum, ergo idem de indulgentiis dicendum eſt. Antecedens patet, quia ſi alicui Sacramento id poterat iure denegari, illud certè erat Euchariſtia, quæ tam facilè iterari poteſt; diximus tamen probabile eſſe, cùm illa recipitur bona fide, ſortiri poſtea effectum recedente fictione, (*tom. 1. verb. Sacramentum IV. num. 11.*) Conſequentia verò probatur, quia Sacramenta ſortiuntur prædictum effectum, quia ille eſt ex opere operato, id eſt, virtute meritorum Chriſti Domini, ſed effectus indulgentiæ etiam eſt ex opere operato, prouenit enim ex applicatione ſatisfactionum Chriſti Domini & Sanctorum. Denique licet qui tempore præſcripto à Pontifice non habet ſtatum gratiæ, nihil in ſe recipiat phyſicè & realiter, eo tamen ipſo, quòd reliqua pia opera præſtiterit, morale ius habet ad illam ſatisfactionem, quam Pontifex diſpenſauit iis, qui illa opera exercent: Eſt ergo illa ſatisfactio quaſi in actu primo diſpenſata, ſolumque expectat ablationem obicis peccati, vt in actu ſecundo communicetur. Ita ex recentioribus Iacobus Granadus *in 3. part. de Sacram. controu. 12. tract. 5. diſp. 2. num. 5.* & Probabile eſſe docet Filliucius *tract. 8. num. 140.* Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 94.* Ex antiquioribus *Paludanus, Syluester* quos citat & ſequitur Henriquez *lib. 7. cap. 9. num. 3.*

Granadus. Filliucius. Diana. Paludanus. Sylueſt. Henriq.

13. Varij verè ſentiunt, an ad lucrandas indulgentias debeat opus coniunctum fieri bene moraliter, ita vt ſit in ſe honeſtum & moraliter bonum? *Prima* opinio docet, ſi opus iniunctum vitietur peccato veniali ita vt illud ipſum opus ſit peccatum, impedit fructum indulgentiæ, v. g. ſi quis ieiunet vel oret ob vanam gloriam: quia tale opus non eſt diſpoſitio requiſita ad indulgentiam. Ita Syluius *in ſupplem. queſt. 27. art. 1. queſit. 1. concl. 2.* Nauarrus *de indulg. rel. 19. num. 6.* & alij. *Secunda* ſententia negat eſſe neceſſarium vt opus requiſitum & iniunctum ad lucrandam indulgentiam debeat eſſe honeſtum & bonum moraliter, id eſt ſecundùm omnes circumſtantias, ſeu in indiuiduo, ſed ſufficit vt ſit honeſtum & bonum ex genere ſuo. Si enim non obſtante mala circumſtantia opus poſſit conducere ad finem, quem Pontifex ſibi propoſuit, eius vitium non videtur obſtare, quò minus indulgentiæ poſſint obtineri, vt ſi indulgentia conceſſa ſit tribuentibus eleemoſynam in ædificationem, vel reſtaurationem templi, vel pugnantibus contra infideles vel hæreticos, vel ieiunantibus, &c. quæ licet fiant ex vana gloria, vel aliâ circunſtantia vitientur, non deſinunt tamen eſſe proportionata fini, quem ſpectat Pontifex: vnde non impediunt quò minus aliquis poſſit indulgentias obtinere. Et ita communiùs ſentiunt Doctores, Suarez *diſput. 52. ſect. 6.* Valentia *in 3. part. diſp. 7. queſt. 20. punct. 5. §. ego verò*, Henriquez *lib. 7. cap. 9. num. 5.* Granadus *loco citat. diſp. 4. num. 10.* & alij. *Tertia* opinio eſt aſſerentium, quod ſi illud opus pium iniunctum ſit ad placandum Deum, vel illi ſatisfaciendum non ſufficit ad indulgentiam, quia eiuſmodi opus nec ſatisfacit, nec Deo placet: vt ſi ad placandum Deum præſcribantur ieiunia, non lucrabitur indulgentiam, qui in ieiuniis ſe vino inebriarit: ideoque magnam ſeu notabilem partem iniuncti boni operis non bene perfecerit. Si verò ob alium finem requiratur opus iniunctum, v. g. ad ſubueniendum pauperi, tunc ſufficit ad indulgentiam, quia illud vitium non obſtat fini intento. Ita Bellarminus *lib. 1. de indulgent. cap. 13. §. altera quæſtio*, Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 6. num. 4.* Præpoſitus *3. part. de indulgent quæſt. 14. dub. 10. num. 94.* & alij. Diana verò circa hanc quæſtionem putat non eſſe, veriſimile plus requiri à Pontifice, cùm iniungit hæc opera pia ad lucrandas indulgentias, quàm quod Eccleſia requirit ad implenda præcepta diuina & humana, ſed mediis operibus, quæ aliquo culpæ vitio inficiuntur, implentur præcepta diuina & humana, ergo & diſponuntur homines ad indulgentiam. Ita ille *part. 5. tract. 12. reſol. 5.* Pellizzarius *in man. reg. tract. 8. cap. 5. num. 194.*

Henriq. Granadus. Bellarmin. Layman. Præpoſitus. Diana. Pellizzarius

14. Quidam docent ad lucrandam indulgentiam non ſatis eſſe opera iniuncta præſtare, ſed requiri actualem intentionem eam lucrandi: quia ſicut ad merendum habitualis intentio non videtur ſufficere, ita neque ad lucrandam indulgentiam: & talis videtur eſſe intentio Summi Pontificis indulgentias concedentis. Hæc opinio eſt ſecurior pro praxi, quam mordicus tenent Corduba *de indulgent. quæſt. 25.* Vega *tom. 2. Summ. cap. 7. caſ. 2.* Rodriguez *in Bulla cruc §. 8. num. 9.* Nihilominus ſententia aſſerens ad lucrandum indulgentias non requiri actualem voluntatem; ſed ſatis eſſe habitualem & interpretatiuam, eſt ſatis probabilis. Ratio eſt, quia vnumquodque opus noſtrum factum in gratia, maximè pœnoſum vltra portionem gratiæ, quàm meretur, meretur etiam certam ſatisfactionem pro pœna debita in purgatorio: at tale opus meritorium meretur hanc certam portionem ſatisfactionis pro pœnis, etiamſi operans meritoriè, neque actu, neque virtualiter intendat talem ſatisfactionem, quando actu operatur, vt conſtat, imò multi & ferè omnes ſæculares id ignorant. Ergo cùm indulgentia ſuppleat noſtra opera ſatisfactoria circa eaſdem pœnas purgatorij, habeatque eandem conditionem, vt ſcilicet opus iniunctum & factum pro indulgentia acquirat portionem illam ſatisfactionis, etiamſi is qui facit tale opus iniunctum nihil cogitet, neque ſciat neque intendat de tali indulgentia. Deinde non eſt exiſtimandum Summum Pontificem in lucrante indulgentiam exigere actualem intentionem, quia nec natura indulgentiæ id neceſſario poſtulat, nec verba conceſſionis id ſignificant, cùm ſolùm dicatur indulgentiam v. g. plenariam conſequendam fore à fidelibus, qui tali die Eccleſiam piè viſitauerint: id autem totum ſit, etſi quis actualem intentionem non habeat indulgentias lucrandi. Et ita docent Layman *lib. 5. tr. 7. cap. 6. num. 4.* Salas *de legib. diſp. 17. cap. 5.* Portel *in dub. regul. verb. Indulgentia in addit. num. 7.* Sanctarellus *de inbil cap. 15. dub. 4.* Diana *part. 5. tract. 12. reſol. 6.* & alij. Quibus addo Pellizzarium *in man. regul. tractat. 8. cap. 5. num. 250.*

Corduba. Vega. Rodrig. Layman. Salas. Portel. Sanctarelli Diana. Pellizzarius

Ex præcedenti doctrina colligitur, *Primò* exiſtentem in gratia, ſi ad tria ſigna campanæ poſt ſolis occaſum recitet *Ave Maria*, cum verſ. *Angelus Domini, &c. Ecce Ancilla Domini, &c. Verbum caro factum eſt*, &c. lucrari indulgentiam plenariam ab

Adriano VI.

Adrianus VI. Adriano VI. Papa conceſſum, etiamſi tunc talem indulgentiam concedi ignoret. Et de aliis indulgentiis ſimile eſto iudicium.

Colligitur *Secundò*, non requiri vt opera pia iniuncta efficiantur potiſſimum propter conſequendam indulgentiam, ſed ſatis eſſe propter eum finem executioni illà mandari, licet alius finis intendatur æquè, aut magis principaliter. Ratio eſt, quia vt opus ſit pium, ſufficit vt quis habeat intentionem lucrandi indulgentiam, licet intentio illa non ſit principalis, & faciat idem opus ob alium finem, quo non exiſtente non faceret opus illud, & in conceſſionibus indulgentiarum non dicitur vt opera iniuncta efficiantur principaliter ad lucrandam indulgentiam, ergo, &c. Ita Suarez *loco citato diſp.* 52. *ſect.* 6. *num.* 5. Granadus *loco cit. contro.* 12. *tract.* 5. *diſp.* 4. *num.* 10. & alij.

Suarez. Granadus.

Colligitur *tertiò*, eum, qui confeſſus eſt & communicauit quatuor ante diebus, & de nouo non peccauit mortaliter poſſe vi dictæ confeſſionis & communionis obtinere indulgentiam poſtea conceſſam, quæ ad ſui conſecutionem item requirat confeſſionem & communionem, idque eſto non direxerit dictam confeſſionem & communionem ad hanc indulgentiam comparandam. Ratio eſt, quòd ex vna parte in moralibus quæ parum diſtant, nihil diſtare videntur: vnde & fictione iuris reputatur præſens, qui breui abfuturus eſt, ex alia parte ad acquirendam indulgentiam non requiritur intentio actualis, aut virtualis, ſed ſufficit habitualis, ſicque non eſt opus vt implens requiſita ad indulgentiæ conſecutionem ea ad illam dirigat actualiter, aut virtualiter, ſed ſatis eſt quod ea dirigat habitualiter. Ita Comitolus *lib.* 1. *reſponſ. moral. quæſt.* 39. Portel *in dub. regul. verb. Indulgentia num.* 5. Pellizzarius *in man. regular. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 184. & *n.* 248. Quorum ſententia non videtur improbabilis. Vide Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 166. & *part.* 10. *tr.* 13. *reſol.* 55.

Comitolus. Portel. Pellizzarius. Diana.

15. Ex communi Doctorum ſententia excommunicatus quantùuis contritus ſi non poteſt obtinere abſolutionem, non lucratur indulgentias. Ratio eſt, quia talis eſt membrum ab Eccleſia præciſum, atque adeò participare non poteſt influxum ſpiritualium bonorum ab ipſa Eccleſia prouenientium. Nihilominus quia non videtur eſſe intentio piæ matris Eccleſiæ velle priuare huiuſmodi ſuffragiis filios obedientes, & quantum eſt ex ſe omnino à contumacia recedentes, pium & probabile eſt etiam ex intentione eiuſdem Eccleſiæ illis prodeſſe indulgentiam, illiuſque fructum lucrari poſſe: quia excommunicatus poteſt præſtare opera pro quibus datur indulgentia, ſcilicet orare in Eccleſia, priuatim ieiunare, facere eleemoſynam, & licet anto abſolutionem ab excommunicatione non poſſit recipere Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ; horum tamen excommunicatus pœnitens poterit cõmutationem obtinere in aliud opus pium à confeſſario electo, ſi Bulla indulgentiæ eiuſmodi facultatem concedat. Ita docent Henriquez *lib.* 7. *cap.* 18. Emanuel Sà *verb. Indulgentia numero ſecundo*, Boſſius *de triplici Iubileo ſect.* 4. *caſ.* 22. §. 1. *num.* 12.

Henriq. Eman. Sà. Boſſius.

16. Indulgentia interdum conceditur nullo præſcripto opere, qua ratione in mortis articulo poteſt alicui concedi indulgentia intuitu meritorum præcedentium ipſius, nullo pio opere impoſito, eo caſu ad valorem indulgentiæ oportet cauſam extrinſecam ex ſe eſſe proportionatam, quia per nihil aliunde aduenions poteſt compleri proportio. Communiùs tamen præſcribuntur aliqua opera, & eo caſu etiamſi cauſa extrinſeca ſolitariæ ſumpta forte non eſſet tantæ indulgentiæ proportionata, poteſt tamen proportionari iuncta operi præſcripto, ſeu ex utroque poteſt conſurgere vna cauſa proportionata: quia tale, vel tale opus per reſpectum ad cauſam extrinſecam multum poteſt iuuare ad honorem Dei procurandum; & quia quanto opus deuotius, feruentius fit, eò eſt præſtantius, maior deuotio poteſt iuuare ad cauſæ complementum. Et licet opus præſcriptum pro lucrandis indulgentiis interdum videatur leue, id non refert: nam quauis ſecundùm ſe ſpectatum poſſit videri parui momenti; ſpectatum tamen prout conducit ad finem Pontificis concedentis, nec poteſt, nec debet cenſeri leue, quia poteſt magnam cum illo habere proportionem & notabiliter iuuare ad finem præſcriptum. Vnde præſentia, quâ aliquis aſſiſtit, dum Summus Pontifex benedicit populo præ foribus Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ſpectato fine Pontificis, non poteſt cenſeri aliquid leue, cùm per eam præſentiam aſſiſtentes proteſtantur & agnoſcant ſupremum caput Eccleſiæ, atque ita ea cauſa poteſt abundè ſufficere, vt indulgentia Plenaria præſentibus concedatur. Ita communiter Doctores.

17. In concedendis indulgentiis nulla certa forma requiritur, ſed ſufficit quilibet actus externus, per quem declaretur voluntas concedendi indulgentias. Ratio eſt, quia neque ex diuino iure certa forma requiritur, neque ex natura abſolutionis, neque ad hoc, vt theſaurus cenſeatur diſtribui: quod verum habet non ſolùm in Pontifice vel aliis iure ordinario conferentibus indulgentias, ſed etiam in delegato; quia etiam reſpectu huius, Eccleſia non ſolet præſcribere formam ſubſtantialem, licet in Bullis varia ponantur ad inſtructionem. Propterea ſi confeſſarius habeat poteſtatem concedendi indulgentias, poteſt eas conferre etiam per conſuetam formam abſolutionis Sacramentalis, intendendo per eam non ſolum Sacramentaliter abſoluere, ſed etiam indulgentias conferre. Notandum autem eſt hic attendendam formam, qua conceduntur indulgentiæ: ſi enim dicatur concedi in morte, obtinentur tantùm quando mors reipſa ſequitur: ſi verò dicatur in mortis articulo, & nulla particula reſtringens apponatur, indulgentiæ toties conceduntur, quoties incurritur verum mortis periculum. Vt docet Præpoſitus *in* 3. *parte de indulgentiis quæſt.* 14. *dub.* 9. *num.* 75.

Præpoſitus.

18. Dubium eſt, an omnes ſemper lucrentur Plenarias Indulgentias legitimè conceſſas, qui faciunt in ſtatu gratiæ opus præſcriptum à Pontifice? videtur quòd non, quia fieri poteſt quod aliqui habeant tot pœnas perſoluendas & opus tam exiguum cùm deuotione faciant, vt eius vtilitas ad illarum finem promouendum non ſit tanta, quanta requiritur pro tot pœnis remittendis. Quod ipſum ſatis clarè ſignificat Bonifacius VIII. in Extrauag. *Antiquorum, de pœnitent. & remiſſ.* vbi poſtquam pro anno 1300. viſitantibus Baſilicam SS. Apoſtolorum Romæ pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conceſſiſſe ſubiungit. *Vnuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius & deuotius frequentabit.* Quæ verba non videntur poſſe admittere commodum ſenſum, niſi dicatur fieri poſſe, vt tepidè frequentantes Baſilicas non lucrentur plenarias omninò indulgentias; aliàs has deuotiùs frequentantes non poſſent illas efficacius lucrari. Ob has & alias rationes ſententiam hanc tuentur Coninck *diſp.* 12. *dub.* 6. *n.* 34. Layman *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 2. & alij.

Bonif. VIII. Coninck. Layman.

At his non obſtantibus dicendum eſt, omnes qui ſufficienter opus perficiunt, lucrari æqualem indulgentiæ

gentiæ Plenariæ effectum. Ratio est, tum quia voluntas concedentis indulgentiam impleta conditione, transit in absolutam, & est omninò efficax, vnde operatur totum quod promissum est. Si ergo omnes opus sufficienter perficiunt, æqualem fructum referent indulgentiæ: omnes enim totum consequuntur, in quo non reperitur maius vel minus ex parte indulgentiæ, quamuis ex parte subiecti ei possit esse maior, vel minor iuxta maiorem vel minorem indulgentiam. Tum quia indulgentia operatur non ex opere operantis, sed ex opere operato, nempe meritis Christi, vel Sanctorum, ergo maior vel minor deuotio quoad remissionem promissam in Iubilæo nihil addit vel minuit; tum quia si hoc esset, sequeretur non esse verum illud commune dictum, Indulgentia tantum valet, quantum sonat: ergo, &c. Ita Suarez *loco citato disputatione* 52. *sectione octaua*, Bossius *tractatu de Iubilæo, sectione* 4. *casu* 21. §. 1. *num.* 38. Filliucius *tract* 8. *num.* 164. Diana *parte quinta, tract.* 12. *resolut.* 18. Bartholom. à S. Fausto *de Iubil. lib.* 3. *quæst.* 66. & alij.

Suarez. Bossius. Filliucius. Diana. Faustus.

19. Quælibet indulgentia, siue sit perpetua, siue ad tempus, vel per diem, vel per horas, potest multoties in die obtineri, dummodo tamen prudenter & moraliter pluries repetatur opus præscriptum. Ratio est, quia formulæ indulgentiarum, neque restringunt, neque limitant ad vnam vicem tantùm, sed absolutè concedunt indulgentias: ergo dum indefinitè loquuntur, euidens est, vt quis multoties in die possit moraliter illas lucrari, posità aliquâ morali distantiâ inter vnam & alteram vicem, si indulgentia sit concessa cum determinatione temporis; secus verò quando est perpetua, vel per longum tempus: tunc quotidie saltem semel ad libitum quis poterit illum lucrari. Ita sustinent Diana *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 104. & *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 45. Trullench *in Bull. Cruciat. lib.* 1. §. 6. *dub.* 4. *num.* 2. Alphonsus de Leone, Peirynus, Card. Lugo apud Pellizzarium *in Man. regul. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 234. Hæc sententia videtur verior & probabilior, licet etiam probabile sit, indulgentiam concessam cum determinatione temporis, in eadem die pluries obtineri non posse, vt docent Layman *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 3. Suarez *tom.* 4. *disp.* 57. *sectione prima, num.* 7. Reginaldus & Filliucius post illos.

Diana. Trullench. Leone. Peirynus. Lugo. Pellizzarius. Layman. Suarez. Reginald. Filliucius.

Verùm in hac quæstione distinguendum videtur, vel enim de Indulgentiis Plenariis, vel non plenariis, quæstio est: si de non plenariis intelligatur illæ pluries in die possunt obtineri; eo quòd vna vice non ex integro reatum pœnæ temporalis diuinæ iustitiæ debitæ exhauriant, vel tollant, sed tantùm partialiter, vel secundùm partes & partes. Secus dicendum in Indulgentiis Plenariis: nam cùm hæ obtentæ in die semel totum simul reatum tollant, adeòque nullam ampliùs materiam post se pœnæ temporalis debitæ, in tali subiecto relinquant, non videtur eiusmodi hominem eadem die amplius esse capacem Indulgentiam Plenariam sibi iterato lucrandi. In alio tamen sensu non est dubitandum, quin Plenaria Indulgentia sæpius in die ab vno homine obtineri queat, scilicet pro se; deinde etiam pro defunctis sæpius, si tales indulgentiæ à Pontifice pro illis expresè concedantur.

Porrò, quia nunquam remittitur pœna, nisi priùs remissâ culpâ, ideò qui volunt Indulgentiam Plenariam obtinere, debent cum maxima diligentia adimplere requisita à Pontifice, pro ea obtinenda, & omnem affectum ad quæcumque venialia peccata deponere, & de eis dolorem concipere: nam aliàs indulgentia non remittit pœnam peccati venialis cui culpa placet.

Plura verb. *Iubilæus.*

INDVLGENTIA II.

De Indulgentiis Defunctorum.

SVMMARIVM.

1 *An indulgentiæ prosint defunctis in Purgatorio detentis, si illis in Ecclesia applicentur.*

2 *An anima Purgatorij, sint capaces indulgentiæ per modum suffragij, & quid sit indulgentiam concedi per modum suffragij.*

3 *An indulgentiæ defunctis concessæ per modum suffragij valeant illis de condigno, vel tantum ex congruo?* Refertur duplex sententia.

4 *An omnibus defunctis semper prosint suffragia Ecclesiæ & indulgentiæ.*

5 *An quando Sacerdos in altari priuilegiato dicit Missam, debeat non solùm indulgentiam, sed & fructum sacrificij applicare defuncto.*

6 *An grauiter peccent qui sub titulo altarium priuilegiatorum tot Missas recipiunt, vt vix in vno anno, aut pluribus celebrari possint.*

7 *An indulgentiæ & altaria priuilegiata vnius Ecclesiæ vel Religionis communicentur aliis Ecclesiis vel Religionibus.*

8 *An Sacerdos obligatus celebrare in altari priuilegiato pro defunctis, satisfaciat, si dicat Missam, quæ non sit de* Requiem.

1. CErtum est, & contrarium est hæresis, vel hæresi proximum, indulgentias prodesse defunctis in Purgatorio detentis, si illis ab Ecclesia applicentur. Probatur *Primo*, ex Decretali Leonis X. missa ad Cardinalem Caietanum, quæ incipit, *Surge Domine, &c.* reperitur apud eundem 3. *p. quæst.* 48. *artic.* 5. vbi inter cæteros Lutheri articulos damnatur etiam iste vigesimus secundus. *Indulgentiæ sex hominum generibus, nec sunt necessariæ, nec viles mortuis, seu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his qui non admiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.* Probatur *Secundò*, quia sicuti animæ defunctorum iuuari possunt suffragiis viuorum, vt patet 2. Machab. cap. 12. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Ita etiam Pontifex, vt caput Ecclesiæ poterit ex thesauro eiusdem pro eisdem defunctis applicare satisfactiones Christi & Sanctorum mediis indulgentiis: quia defuncti in Purgatorio existentes sunt membra Ecclesiæ, Fide, Spe & Charitate ei coniuncta, ergo ab Ecclesia iuuari possunt: quia ideircò est bonorum Communio in Ecclesia, eo quòd fideles sint inuicem membra; membrum autem pro membro sollicitum sit & laboret. Et ista semper fuit constans traditio & sensus totius Ecclesiæ Catholicæ. Nam Paschalis I. ante annos 700. Indulgentias defunctis concessit, cuius factum vndecim sequentes Pontifices confirmarunt. Idem fecit Gregorius I. ante annos ferè mille, vt monumenta testantur, quæ in templo S. Praxedis, & alibi Romæ passim extant. Quod autem suffragia, seu preces Ecclesiæ, sacrificia & alia pia opera prosint defunctis, nouissimè definitum est in Concilio Tridentino *sess.* 25. *in principio.* Idem quoque docent Sancti Patres apud Gratianum. 13. *quæst.* 2.

Leo X. Paschal. I. Greg. I. Conc. Trid.

Digitized by Google

Bellarmin. Suarez. Nauarrus. *quæſt.* 2. De his vide Bellarminum *lib.* 1. *de indulgentiis cap.* 14. Suarez *diſp.* 53. *ſect.* 1. & alios communiter, quibus adde Nauarrum *de indulgent. Notab.* 22. *num.* 9.

2. Animæ purgatorij ſunt capaces indulgentiæ per modum ſuffragij. Quid autem ſit indulgentiam concedi per modum ſuffragij? quidam ſic explicant, quod talis indulgentia non ſit omninò infallibilis, ſed pendens ex libera acceptatione Dei: quia cùm in animas purgatorij iam ſit prolata ſententia in termino viæ, ſolùm ſupereſt via liberalis acceptationis, qua oblata ſatisfactione ſufficienti illas Deus liberet. Ita Caietanus *tom.* 1. *opuſc. tract.* 16. *quæſt.* 5. & 6. & alij. Caietanus. Secundus modus explicandi eſt, quòd non concedatur indulgentia directè & immediatè animabus purgatorij, ſed viuentibus, ſimul concedendo vt poſſint applicare defunctis, ſicut poſſunt ſuas priuatas ſatisfactiones per modum ſuffragij. Hinc eſt, vt huiuſmodi indulgentia non ſit propria defunctorum, cùm poſſit etiam hoc modo viuens offerre ſatisfactionem ſuam pro alio viuente. Tertius modus omnium probabiliſſimus eſt, quòd indulgentia per modum ſuffragij differt ſolùm quoad modum cauſandi moraliter illum effectum remiſſionis pœnæ: nam quando eſt per modum abſolutionis erga viatores, qui eam concedit, immediatè remittit pœnam tanquam Dei miniſter & locum eius tenens: quando autem eſt ſolùm per modum ſuffragij, concedens non remittit pœnam, ſed offert Deo pretium æquiualens, vt ipſe remittat. Vnde indulgentiæ viuorum includunt actum iuſtitiæ vindicatiuæ & commutatiuæ; defunctorum verò ſolùm commutatiuæ. Vnde infertur indulgentias applicatas viuis & defunctis, in hoc conuenire, quod ſint ſimpliciter indulgentiæ & actus poteſtatis Clauium, per quem ad remittendas pœnas diſtribuitur theſaurus ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum; proindeque in vtriſque ſit ſolutio æquiualens, & reperitur iuſtitia commutatiua. Differunt autem in hoc, quòd indulgentiæ applicantur viuis per modum abſolutionis, & per actum iudiciariæ poteſtatis. In indulgentiis verò, quæ applicantur defunctis per modum ſuffragij, Pontifex exhibet Deo pretium æquiualens ex theſauro, & Deus ipſos abſoluit à pœna. Ita Nauarrus. Toletus. Suarez. Filliucius. Nauarrus *de indulgent. notab.* 22. Tolétus *in ſum. lib.* 6. *cap.* 26. *n.* 3. Suarez *diſp.* 53. *ſect.* 3. Filliucius *tract.* 8. *cap.* 8. *quæſt.* 6. & alij.

3. Dubium non leue eſt inter Doctores, an Indulgentiæ defunctis per modum ſuffragij conceſſæ, valeant illis ex condigno, certaque lege, an tantùm ex congruo, nempe ſi Deus acceptauerit? Exiſtimant enim quidam indulgentiam defunctis applicatam non habere infallibilem effectum, ſed ſolùm per modum cuiuſdam impetrationis ex libera Dei acceptatione, eò quòd ſupremus Iudex non teneatur communicationem pœnæ ſibi debitæ acceptare, niſi ad id ſua ſe promiſſione obligauerit: at Deus non videtur obligatus ad acceptandam ſatisfactionem ex Chriſti & Sanctorum meritis pro defunctis oblatam, quia Chriſtus Dominus ſolum promiſit ſoluendum in cœlis quod Pontifex ſoluerit ſuper terram: non verò quod Pontifex ſoluerit ſub terra, vbi animæ detinentur & pœnas luunt. Confirmatur hæc ſententia ex vſu fidelium, qui poſtquam indulgentiam plenariam alicui defuncto applicarunt, medio ſacrificio, vel alio pio opere, iterum repetunt eandem indulgentiam; quod ſuperfluum eſſet, ſi infallibiliter haberet effectum. Sentiunt ergo fideles ſolùm habere effectum ex libera Dei acceptatione. Ita ſentiunt Layman *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 7. *num.* 3. D. Bonauentura, Richardus, Durandus, Caietanus, Corduba, Canus, Petrus Soto, Henriquez apud ipſum, & inclinat Bellarminus *tract. de indulgent. lib.* 1. *c.* 14. *quæſt.* 4. Amicus *tom.* 8. *diſp.* 20. *ſect.* 8. *n.* 176. & ſequent. Layman. D. Bonau. Richard. Durandus. Caietanus. Corduba. Canus. P. Soto. Henriq. Bellarmin. Amicus.

Communior tamen ſententia docet indulgentias defunctis valere ex condigno & certa lege. Prob. quia etſi fortaſſe noſtra ſatisfactio non alteri valeat ex condigno, tamen ſatisfactio Chriſti ita valet non ſolum viuis, ſed etiam defunctis: æqui hæc potiſſimùm applicatur per Indulgentias, vt patet in *Extranag. Vnigenitus, de pœnit. & remiſſ.* Tum quia vt indulgentiæ infallibili iuſtitiæ lege profint defunctis, duo ſolum requiruntur. Primum eſt, diuina promiſſio. Secundum applicatio ſatisfactionis æquiualentis pœnæ, quam defunctus debet. Et quidem diuina promiſſio non deeſt, quia perpetua Eccleſiæ traditio, cuá docemur Indulgentias prodeſſe defunctis, non niſi in diuinæ promiſſionis notitia fundamentum habere poteſt: ſine promiſſione enim nihil firmum eſſet. Quod verò ad ſecundum attinet, maxima certè eſt gratia, quod velit Deus admittere ſatisfactionem oblatam pro anima Defuncti etiam incapacis ſatisfaciendi: verumtamen hæc ſufficientiſſima & æquialens eſt, cùm præcipua eius pars ſit Chriſti Domini, ac proinde valoris infiniti. Sic docent D. Thomas *in* 4. *diſtinct.* 21. *quæſt.* 2. *art.* 3. *quæſtiunc* 2. Sotus *ibidem.* Suarez *diſp.* 53. *ſect.* 3. Nauarrus *de indulgent. notab.* 22. *num.* 18. Granadus *in* 3. *part. controu.* 12. *tract.* 3 *diſp.* 5. *num.* 10. & alij multi. D. Thomas. Sotus. Suarez. Nauarrus. Granadus. Leo X. Quæ doctrina colligitur ex Epiſtola Decretali Leonis X. ad Caietanum, in qua habetur, *Apoſtolica auctoritate theſaurum Ieſu Chriſti & Sanctorum diſpenſando, & per modum abſolutionis indulgentiam ipſam concedendo, vel per modum ſuffragij illam transferendo.* Vnde concludit, *omnes tam viuos quàm defunctos, qui veraciter omnes indulgentias huiuſmodi conſequuti fuerint, à tanta temporali pœna ſecundum diuinam iuſtitiam pro peccatis ſuis actualibus debita, liberari; quantæ conceſſæ & acquiſitæ indulgentiæ æquiualet.* In quibus verbis Pontifex indiſtinctè & indifferenter loquitur de viuis & defunctis, & planè ſignificat, æquè certam & infallibilem eſſe indulgentiam vtriſque conceſſam: & tanquam de re certa loquens, docet eos omnes liberari à tanta pœna, quantam ſonant indulgentiæ, idque fieri Apoſtolica auctoritate.

Si dicas: Quòd ſi indulgentiæ valerent ex condigno & certa lege, ſequeretur, quod Pontifex poſſet vno die exhaurire purgatorium. Reſp. Pontificem id non poſſe præſtare, quia non ſubeſt cauſa ob quam poteſtate clauium tam ingens diſpenſatio fieri queat: atqui diſpenſatio ſine iuſta cauſa eſt irrita: ergo.

Obiicies ſecundò: Si indulgentiæ infallibili lege iuſtitiæ profint determinatè animabus purgatorij quibus applicantur, quare poſt applicatam ſemel indulgentiam, qua liberatur anima à purgatorio, applicantur eidem aliæ indulgentiæ, ſacrificia & ſuffragia? Reſp. 1. quia non nobis ſatis conſtat de veritate huius opinionis, cùm Doctores graues opinentur non eſſe legem infallibilem qua Deus acceptet totum quod ſingulis animabus applicatur. 2. quia vt indulgentia valeat, requiritur cauſa proportionata: poteſt autem accidere eam non ſufficere ad indulgentiarum conceſſionem, quanta requiritur ad liberandam hanc determinatam animam à purgatorio: vt ergo certiori quo poſſumus modo, defunctis ſuccurramus, ſolent Indulgentiæ multiplicari, vt ſi quæ non profuerint,

profuerint, aut certè minùs valuerint, aliarum applicatione suppleantur.

4. Quidam existimant suffragia specialiter quibusdam defunctis applicata, non habere in illis effectum, nisi meritum aliquod præcesserit; v. g. si dum viuerent sollicitè curarunt satisfacere pro peccatis, & deuotionem habuerunt ad suffragandum defunctis. Idem docent de indulgentiis, quæ illis solis prosunt, qui in vita habuerunt deuotionem erga claues Ecclesiæ donatiuas indulgentiarum; illos autem, qui dum viuerent, nullam curam pro mortuis habuerunt, nec pro peccatis suis satisfacere conati sunt, non iuuari aliorum suffragiis, in vindictam indeuotionis & incuriæ. Ita Caietanus *opusc. 16. quæst. 5. de indulgent.* Nauarrus *de indulgent. notab. 22. num. 42.* & alij. Verùm hæc sententia passim reiicitur. Ratio est, quia omnes qui in gratia discedunt, capaces sunt cuiusuis influxus meritorum Christi, qui per indulgentias dispensatur. Nam fundamentum communionis suffragiorum Ecclesiæ, non est particulare aliquod meritum, sed status gratiæ, ob quem satis digni sunt qui iuuentur. Tum quia ad indulgentiæ applicationem solùm requiritur ex parte eius, cui est applicanda, ne ponat obicem; quia est quædam liberalis donatio & pœnarum remissio. At eo ipso quo caret peccato, non ponit obicem. Ergo negligentia præcedens obstare non potest, quin peccatum mortale non constituat. Quod si de facto mortale fuit, per pœnitentiam deletum est. Neque contrarium docuerunt Augustinus *in cap. Non est.* D. Aug. *meum 13. quæst. 2.* & Gregorius *lib. 4. Dialog. cap. 39.* sed affirmant non prodesse orationes & sacrificia eis, qui in vita, consequendo gratiam, non compararunt, vt prosint: de hac verò negligentia in satisfaciendo nec verbum loquuti sunt. Proinde sententiam Caietani & aliorum non admittunt Henriquez, Suarez, Valentia, Layman, quos citat & sequitur Castrus Palaus *tom. 4. tract. 24. disputat. vnic. punct. 10. numero vndecimo.* Lessius *in tertia part. cap. 5. de indulgent. dub. 3. num. 41.* & alij.

Caietanus. Nauarrus. D. Aug. D. Gregor. Henriq. Suarez. Valentia. Layman. Palaus. Lessius.

5. Quando conceditur liberatio animæ purgatorij pro qua dicitur Missa, vel recitatur corona, aliudvè simile opus fit; tunc necesse est substantiam operis, id est, Missam vel Coronam, seu satisfactionem ex opere operantis ex illa prouenientem applicari à lucrante. Ratio est, quia cùm Pontifex concedit indulgentias ad liberandam animam è purgatorio, dicendo Missam in tali altari, vel Ecclesia, videtur consequenter exigere, vt sacrificium eidem animæ applicetur. Et idem à simili dicendum est, cùm pro indulgentia mortuis lucranda præcipitur ieiunium, visitatio templi, peregrinatio & maximè eleemosyna, quæ in bonum tertij imponitur. Proinde verba rescripti seu priuilegij Apostolici sunt attentè expendenda: nam si hunc tenorem contineant, *Quandocumque Sacerdos Missam defunctorum pro anima cuiuscumque fidelis, ad præfatum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ indulgentiam consequetur.* tunc perspicuum est, ex mente Pontificis requiri, vt non solùm indulgentia, sed & sacrificium applicetur defuncto. Si autem in indulto solùm diceretur. Quoties Sacerdos Missam in tali Altari celebrauerit, liberabit animã à purgatorio, vel quoties dicet Coronam vel Psalmum, &c. tunc probabile est non requiri talem applicationem specificam operis, sed solùm indulgentiam. Sed quia sæpe non constat quibus verbis talis gratia concessa sit, securiùs est & optimum consilium, sacrificium pro defuncto offerre, vel illi satisfactionem operis applicare: quia fortasse hoc modo erit sufficiens causa ad lucrandam indulgentiam, quæ aliàs non esset. Ita Suarez *tom. 4. disputat. 53. sect. 4.* Filliucius *tractat. 8. num. 212.* Castrus Palaus *tom. 4. tract. 24. disp. vnic. punct. 10. num. 9.* & alij.

Suarez. Filliucius. Palaus.

6. Qui sub titulo Altarium priuilegiatorum tot simul & successiu temporis Missas recipiunt, vt vix in vno anno aut pluribus celebrari possint, grauissimè peccant. Ratio est, quia non tantùm intentionem Missas postulantium defraudant; sed etiam animabus defunctorum iniurij sunt, & seipsos in graues anxietates conscientiæ præcipitant. Intentio enim postulantium est, vt citò Missæ celebrentur, vt anima suffragio illius indulgentiæ liberetur. Detrimentum autem graue animæ est, si per multum temporis, vt per plures menses & ampliùs pati debeat, donec solutio indulgentiæ offeratur. Conscientia accipientium torquetur, quia & ratione stipendij oblati Missas celebrandas in altari priuilegiato acceptant & ignorantes tempus, quo illis satisfieri possit, sibi anxietates in præsenti & tormenta in futuro thesaurizant. Consilium sanum est non plures Missas acceptare, quàm vno vel ad summum duobus mensibus & non vltra persolui possunt, vt docent *Villalobos, Ledesma, Hieronymus, Garzias,* quos refert & sequitur Diana *part. 2. tractat. 14. resolut. 25. & part. 9. tract. 6. resol. 55.* Imò quidam consulunt non debere acceptari Missas plures, quàm in vna aut altera hebdomada dici possint. Sed de hoc infra verb. Missa iterum redibit sermo.

Villalobos. Ledesma. Garzias. Diana.

7. Quamuis inter Mendicantes sit communicatio priuilegiorum, vt diximus *tom. 1. verb. Priuilegium V. num. 2.* non datur tamen inter eos communicatio indulgentiarum, iuxta probabiliorem sententiam & sequendam Doctorum. Vnde Altaria priuilegiata vnius Ecclesiæ vel Religionis non communicantur aliis etiam habentibus generalem communicationem priuilegiorum aliarum Religionum. Ratio est, tum quia stylus curiæ ita tenet: tum quia iuxta Regulam Iuris in 6. quæ est 81. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Nec refert dicere quod concessa vni Monasterio vnius Ordinis censentur etiam concessa omnibus Monasteriis eiusdem Ordinis, vt concessit Pius IV. Patribus Sancti Hieronymi in Hispania ad instantiam Regis Philippi II. Respond. hoc debere intelligi de priuilegiis, gratiis, & indultis spiritualibus, non verò de indulgentiis, quæ nimis differant à priuilegiis, gratiis & indultis spiritualibus. Gratia enim nomen generale est significans gratiam infusam, beneficium, fauores, &c. Indulgentum etiam spirituale multa alia significat, vtpote concessiones ad quietandos scrupulos, ad absoluendum à reseruatis, & alia similia pertinentia ad animam, vt dispensationes, quæ non sunt indulgentiæ. Hinc Iulius III. Sixtus V. & Clemens VIII. confirmantes priuilegia vltra indulgentias dixerunt, etiam indulta spiritualia tanquam quid diuersum. Et quod sub nominibus communibus non intelligantur indulgentiæ, tenet expressè Suarez *de legat. lib. 8. cap. 9. ad finem.* Et confirmantur supradicta. Nam si vna indulgentia plenaria concessa particulariter Ecclesiæ alicuius conuentus, efficeretur communis pro aliis etiam conuentibus totius Ordinis, sequeretur clarè, quòd etiam omnes aliæ Religiones gaudebunt illa indulgentia eodem die, eo quod iam illa indulgentia per se est communis toti Ordini, cum quo Ordine cæteri Mendicantes participant. At nemo vnquam excogitauit, neque praxis edocuit, quod virtute

Reg. Iuris. Pius IV. Iulius III. Sixtus V. Clem. VIII. Suarez.

indulgentiæ

indulgentiæ plenariæ conceſſæ in die S. Bonauenturæ viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum, &c. illam lucrentur in die S. Hyacinthi viſitantes Eccleſiam Fratrum Prædicatorum. Ita docent Lezana *tom. 3. queſt. regul. verb. Altare num. 19.* qui citat Peirynum, Bordonus *tom. 2. reſol. 52. num. 85.* Diana *part. 9. tract. 2. reſol. 20.* Portel *in dub. regul. verb. Priuilegium, num. 20.* Vnde non eſt audiendus Hieron. Rodriguez *in compend. queſt. regul. reſol. 116. num. 52.* docens indulgentias conceſſas Fratribus Minoribus in Feſtis ſuorum Sanctorum cenſeri conceſſas pro Eccleſiis Fratrum Prædicatorum in Feſtis ſuorum Sanctorum, & è contra. Cuius opinio prorſus eſt reiicienda & à praxi abhorret, & eam deteſtatur conſuetudo, ſecundùm quam priuilegia eſſe interpretanda communis eſt Doctorum ſententia.

Lezana. Peirynus. Bordonus. Diana. Portel. Hier. Rodr.

De rigore tamen iuris, indulgentiæ conceſſæ Eccleſiis vnius ordinis & perſonis ſæcularibus, cenſentur etiam conceſſæ Eccleſiis aliorum ordinum cum eo habentium communionem priuilegiorum, vt conceſſit Leo X. Ordini Prædicatorum per bullam quam refert Caſarubius *in compend. priuileg. mendic. verb. communicatio priuileg. numero 20.* Cæterum iſta conceſſio Leonis X. videtur amiſſa ex non vſu, quia priuilegia regularium ex non vſu amittuntur; nimirum, ſi adſit occaſio vtendi priuilegio, concurrantque ſcientia ipſius priuilegij, & poteſtas eo vtendi, & nihilominus regulares eo non vtantur, prout notat Portel *in dub. regul. verb. Priuilegium numero 57.* & hæc omnia reperiuntur in hoc priuilegio. Proinde hactenus dicta conceſſione vſi non fuerunt regulares, & quidem per decurſum plus quàm 100. annorum, quod eſt ſignum eos voluntariè renunciaſſe tali priuilegio; vtpote quod erat ex ſe valde odioſum & aptum ad excitandam magnam perturbationem ac tumultum inter ipſos religioſos: eo quòd vi talis conceſſionis Fratres Minores poſſent in propriis Eccleſiis exponere indulgentias Roſarij; & è contra Fratres Dominicani in ſuis indulgentias Cordæ Sancti Franciſci, eæque promiſcuè poſſent à ſecularibus obtineri in dictis Eccleſiis: vnde omninò abſtinendum eſt ab illius priuilegij vſu, ad vitanda iurgia, ac offenſiones, quæ inde poſſent facilè prouenire non ſine fidelium ſcandalo.

Leo X. Caſarubius. Portel.

8. Quod Sacerdos obligatus ad celebrandum in altari priuilegiato pro defunctis non ſatisfaciat, ſi dicat Miſſam, quæ non ſit *de Requiem*, declaraſſe fertur Sacram Congregationem rituum in Piſtorien. 1. Iunij 1601. & in Toletan. 13. Iulij. 1601. His verbis: *Miſſa celebrata in altari priuilegiato pro defunctis, non ſuffragatur, nec indulto ſatisfit, niſi ſit de requiem, licet in indulto non exprimatur.*

Sac. Congr.

Non obſtante tamen dicta declaratione Eminentiſſ. DD. Cardin. (ſi de ea conſtet authenticè) Pellizzarius *in man. reg. tractat. 5. cap. 9. num. 81.* ſuſtinet, non improbabiliter ad mentem ipſius, quod ad liberandam animam è purgatorio, ſufficiat quælibet Miſſa dicta in altari priuilegiato; quia illa declaratio non facit legem vniuerſalem (vtpote quæ non habet requiſita ad obligandum inſtar legis communis) adeoque facit ſolùm opinionem probabilem, non ablata probabilitate opinionis oppoſitæ. Præterquam quòd eadem Sacra Congregatio declarauit, *Quod Miſſa de Requiem in altari priuilegiato non poteſt dici in die Feſto duplici, & de præcepto, qui incidit in diem aſſignatum pro dicto Altari priuilegiato.* Sub die 24. Aprilis 1627. Sicque non rarò contingeret, priuilegium præfati altaris non ſuffragari & conſequenter animas defunctorum interim priuari eo ſuffragio: quod non videtur ita facilè præſumendum eſſe de pia Matre Eccleſia, aliàs tam propitia animabus purgatorij. Maximè cùm in contrarium non afferatur niſi illa declaratio Sacræ Congregationis, quæ non tollit probabilitatem oppoſitæ opinionis.

Pellizzarius Sac. Congr.

Huic ſententiæ nouiſſimè ex parte adhæret Thomas Hurtado *in ſuis reſolut. moral. tractat. 2. cap. 4. reſolut. 13. numero 119.* dicens, Aduerto etiam circa Miſſæ celebrationem in altari priuilegiato, quod quamuis in Breui Pontificio dicatur quod vt liberetur anima debeat dici Miſſa defunctorum, aut de Requiem; ſi incidat dies feſtus duplex ex præcepto, & dicatur Miſſa de die, adhuc anima liberatur, & citat *Nauarrum, Zerolam, & Fagundez.* Ratio ipſius eſt, nam verba illa, quæ in Breui ponuntur, denotant quod Miſſa de Requiem debet dici ſemper, quando iuxta Rubricas Miſſalis liberum eſt Sacerdoti Miſſas votiuas celebrare: quando autem occurrit Feſtum duplex in diebus priuilegiatis, cùm non poſſit omitti Miſſa de Feſto, anima liberatur & ſatisfit intentioni Pontificis: ſicut ſi fundator dicat, quod quotidie dicatur Miſſa de Requiem, vt Capellanus lucretur fructus Capellaniæ, abſque dubio illos lucratur, ſi diebus Dominicis & aliis Feſtis duplicibus maioribus & de præcepto Miſſam celebret currentem: Vt enim notat Cardinalis Seraphicus *in vna Papien. 23. Februarij anno 1604.* priuilegium fauorabile ad adiuuandos pauperes clericos latè eſt interpretandum, non autem reſtringendum, ergo multò magis priuilegium ad adiuuandas pauperrimas Purgatorij animas. Ita ille. Nihilominus ſuppoſitâ veritate dictarum Declarationum Sacræ Congreg. non audet Diana *part. 9. tract. 2. reſol. 8.* ab illis diſcedere, nec ego.

Th. Hurtad. Nauarrus. Zerola. Fagund. Seraphinus Diana.

Vide verb. Miſſa 11. *num. 13. & 14.*

INFERNVS.

SVMMARIVM.

1 *Infernus vnde dictus, & quid.*
2 *Infernus qua parte terræ ſitus ſit? & quare dæmones ſuam damnationem vbique portent,*
3 *Pœna infernalis duplex eſt.*
4 *An ignis infernalis ſit verus ſubſtantialis ignis & eiuſdem ſpeciei cum noſtro? Et quomodo poſſit agere in animas corporibus exutas:*
5 *An damnati crucientur in ſingulis ſenſibus? & quid ſit vermis inferni.*
6 *An in damnatis ſit fletus cum effuſione lachrymarum & ſtridor dentium.*
7 *An pœna damnatorum ſint æterna? Et quare Deus peccatum mortale æternùm puniat.*

1. INfernus nomen habet ab eo quod infra nos ſit. Apud Grammaticos eſt nomen adiectiuum, quod accommodari poteſt ad omne quod ſub terra eſt. In Sacra autem Scriptura & apud Sanctos Patres ac Theologos, Infernus definitur locus ſubterraneus inferorum ſpirituum. Et ſicut olim & etiamnum fuerunt ac ſunt diuerſi ordines inferorum ſpirituum: ita & loca inferiorum ſunt diuerſa. Nempe alius ſpirituum damnatorum, qui eſt infimus. Huic proximus eſt locus Purgatorij, in quo animæ fidelium pro pœnis peccatorum ſuorum cruciantur ad tempus eodem

igne, quo maligni Spiritus in loco infimo. Tertius dehinc locus est puerorum absque baptismo mortuorum, qui sola visione Dei in cœlis priuati sunt nullam aliam pœnam sentientes. Quartus locus fuit in quo detinebantur omnes veteres Sancti mortui ante passionem, mortem & descensum Christi ad ipsos: nullus autem Sanctorum à condito mundo in regnum cœlorum, propter pœnam peccati originalis, intrare potuit. Locus isse etiam apud inferos fuit, sed in suprema parte ad quam nullus inferni cruciatus potuit peruenire, qui Limbus Patrum vocatus fuit. Hinc Iacob Patriarcha dixit se descensurum lugentem ad filium suum in infernum. *Genes.* 37. Et Iob domum suam dixit Infernum. *Cap.* 17. Vnde sequitur nomen Inferni non semper accipi pro inferno damnatorum. Sed hic locus Limbi, aut iam non est, aut certè est vacuus; cùm iam animæ iustorum, quæ nihil expurgandum habent, statim à morte euolent in ipsum cœlum. Ita

D. Thom. Sotus. D. Thomas *in supplem. 3. p. quæst. 69.* Sotus *in 4. dist. 45. quæst. 1. art. 1. & 2.*

2. Communior sententia Doctorum est, infernum esse sub terra, circa eius medium seu centrum, vbi sunt Dæmones & homines damnati. Tamen ordinatione Dei multi Dæmonum relicti sunt in aëre caliginoso, ad tentationem seu exercitationem hominum, de quibus Apostolus *ad Ephes. 6.* Nihilominus Dæmones qui vsque ad finem extremi iudicij in aëre caliginoso relicti sunt, suam damnationem semper secum portant, quia in eis semper est dolor afflictionis in voluntate, qui existit *Primò* ex priuatione illius summæ fœlicitatis Angelorum, aliorumque beatorum, quam colligere possunt ex naturali fœlicitate quam habuerunt ab initio, sed sua malitia perdiderunt. *Secundò*, ex consideratione peccatorum, quibus tantas pœnas commeruerunt. *Tertiò*, ex inuidia erga Angelos, cæterosque beatos, quòd gaudeant tanta fœlicitate, à qua ipsi excluſi sunt. *Quartò*, ex cruciatu ignis infernalis, quo miris & inexplicabilibus, tamen veris modis cruciantur, simul & tanquam in terrimo carcere constringuntur, ita vt inde numquam exire possint, quod vehementer dolorem

D. Thom. Bañez. Syluius. auget in voluntate damnatorum. Ita D. Thomas 1. *part. quæst. 64. art. 3. & 4.* Bañes, Syluius *ibidem*, & alij.

3. Pœna infernalis duplex est; altera priuatio visionis Dei ac beatificæ gloriæ cœlestis: altera sensibilium pœnarum & cruciatuum in animabus pariter & corporibus damnatorum. Priorem Diuus Chrysostomus *homil. 24. in Matth.* dixit grauiorem ac miserabiliorem posteriori: eo quòd superet omnem dolorem incomparabiliter priuatio perpetua illius iucundissimæ, prætiosissimæ atque ineffabilis visionis Dei in cœlis. Quod intelligendum est de damnatis adultis qui propriæ voluntatis malitia se ab ea fœlicitate excluſos cognoscunt, non autem de paruulis sine Baptismo mortuis. Nam hi ob perpetuam carentiam visionis Dei in cœlis, non multum anguntur: quia cognoscunt se non sua, sed primi parentis culpa cœlesti gloriâ priuari. Et hinc horum puerorum pœna dicitur esse mitissima. Ex D. Thoma *in supplement. tertia parte, quæst. 69. art. 6. ad 2.* Dominic. Soto *in 4. dist. 45. quæst. 1. art. 2. conclus. 2.*

D. Thom. Sotus.

Pœna sensus in inferno tam horribilis est, vt nulla maior cogitari possit. Ibi enim est ardentissimus ignis, cuius cruciatum nulla Sanctorum Martyrum supplicia atque tormenta æquare potuerunt, teste Diuo Augustino relata *in §. final. de pœnitent. distinctione septima.* Ibi est desperatio extrema, quæ numquam, dum Deus erit Deus, vlla consolatione, refrigerio, aut redemptione leuabitur. Ibi sunt tenebræ tum exteriores, tum interiores. Exteriores densissimæ, quæ nullo Solis radio, nulloque ignis splendore (tametsi ibi plurimus sed obscurissimus sit) rarefiunt. Interiores, id est, tanta quoque mentis cæcitas in eis est, vt Deum putent esse iniustum. Adde quòd scientia quam hic acquisierunt & per mortem auctior facta est, supplicium augeat, dum per eam cognoscunt, quantæ beatitudinis damnum sua culpa patiantur. Vnde exurgit remorsus conscientiæ, qui dicitur Vermis corrodens & dilanians eorum corda, numquam intermoriturus. Vt dicitur *Isaiæ 66.* Ibi Societas cacodæmonum & continua cum eis conuersatio, quorum aspectus adeò terribilis, vt quidam vir Sanctus, vnius solius aspectu ferè exanimatus, postea in se reuersus testaretur, malle se fornacem ignis ardentem ingredi, quàm iterum eum videre. Porrò ibi est horribilis confusio clamorum, lamentorum, blasphemiarum, maledictionum contra Deum, ipsosque Cacodæmones, & quorumlibet damnatorum contra seipsos & socios suos, quibus illud infernale, horribile & execrabile regnum modis omnibus confunditur. Ita ex D. Antonin. *secunda parte titul. 5. capite 3.* Nauarrus *in man. prælud. 4. num. 24.*

D. Antonin. Nauarrus.

4. Communis omnium Theologorum sententia est, ignem infernalem esse verum substantialem ignem, eiusdemque speciei cum nostro igne elementari. Quæ conclusio, etsi non sit fidei, cùm de ea non extet aperta definitio Ecclesiæ, communiter tamen asseritur, propter frequentes Scripturæ Sacræ sententias, in quibus damnatorum supplicium ignis nomine designatur Matthæi 5. *Reus erit gehennæ ignis.* Matth. 7. *In ignem mittetur* & cap. 13. *Mittent eos in caminum ignis.* Ille tamen ignis infernalis habet quasdam proprietates differentes à nostro, vt quod successione non indiget; nec lignis nutritur, nec vnquam extinguitur. Aptissimè autem ignis, quo damnatorum corpora cruciantur intelligitur esse corporeus; eò quòd corporibus cruciandis conuenientissimum sit instrumentum corporeum: atqui scriptura facit illum ignem communem Dæmonibus *Matth. 25.* ergo sicut homines damnati; ita & Dæmones igne corporeo cruciantur: & consequenter etiam animæ hominum separatæ ante diem iudicij. Quomodo autem verus ignis agere possit in animas corporibus exutas, non omnes conueniunt. Aliqui enim putant hunc torquendi modum latere, & non cognosci. Alij asserunt ignem agere in animas producendo qualitatem ipsius disconuenientem & doloris causatiuam. Sed Beati Thomæ sententia est, animas separatas pati ab igne, per hoc quòd ignis tamquam instrumentum diuinæ iustitiæ eas sibi alliget ac detineat: quod illæ vt sibi noxium (vtpote contra naturalem suam, tum dignitatem, tum libertatem) apprehendentes; summam inde tristitiam concipiunt. Hæ opiniones sunt probabiles, sed non certæ, cùm Deus nondum hoc reuelauerit: neque rogandus est Deus vt hoc reuelet, sed potius vt efficiat ne per experientiam discamus. De his vide D. Thomam *prima parte, quæstione 64. articulo quarto*, & *in supplement. tertia parte quæst. 70. art. 3.* Syluium *ibidem*,

D. Thom. Syluius.

Bellarmin. *ibidem*, Bellarminum *lib. 2. de purgatorio cap. 12.*
Suarez. Suarez *tom. 4. in tertia parte diſputat. 46. ſectione 2. & 3.*

5. Præter pœnam damni, quæ eſt carentia viſionis Dei, aliis variis affligentur damnati: & quidem ſecundùm omnes ſuas potentias, tam interiores, quàm exteriores, adeò vt quemadmodum Sancti in ſingulis ſenſibus ſuas habebunt oblectationes; ita veriſimile ſit futuros in damnatis ſingulorum ſenſuum cruciatus. *Viſus*, torquebitur tenebris & terribilibus pœnarum ſpectaculis. *Auditus*, luctuoſis clamoribus & lamentis. *Odoratus*, fœtore, quem ipſe locus, & eorum corpora exhalabunt. *Guſtus*, ab humore corrupto. *Tactus*, ab igne in omnibus partibus intolerabilem percipiet læſionem. Ita Sotus *in 4. diſt. 50. quæſt. vnic. artic. 4.*

Sotus.

Vermis inferni non eſt materialis ſeu corporalis: quia poſt diem iudicij nullum corpus mixtum remanebit, præter corpus hominis, nec ampliùs futura eſt vel generatio, vel corruptio. Per eum myſticè intelligitur remorſus conſcientiæ in damnatis, qui poſt reſurrectionem corporum, etiam redundabit in corpora: & non aliter punget eos atque vermis ex putredine corporis ortus pungit illud. Dictus eſt autem ille remorſus vermis, quia ex putredine peccati oritur, & animam affligit.

D. Thom. Ita D. Thomas *in ſupplement. quæſtione 97. articulo 1. & 2.*

6. In damnatis non erit fletus cum effuſione lachrymarum; quia hoc pertinet ad ſtatum corruptibilem, & lachrymæ ſine humoris augmento non effluunt, quod in damnatis eſſe non poteſt. Nihilominus inſtar flentium erit in illis eiulatus corporalis, cum mira capitis oculorumque perturbatione, D. Thomas *loco cit. art. 3.* & poſt eum Durandus, Ricard. Paludan. *in 4. diſt. 50.*

D. Thom. Durand. Richard. Paludanus.

Denique poſt reſurrectionem corporum, damnati verè ſtridebunt dentibus, non ob frigiditatem loci: ſed partim ex rigore doloris, quem patientur ab igne: partimque ex iracundiæ rabie, qua frement aduerſus Deum, eiuſque Sanctos. Vel propter ſeram pœnitentiam delictorum, quæ eos illuc coniecit; vel denique ob memoriam bonorum quæ amiſerunt. Ita Sotus *loco cit. art. 4.* apud quem plura de his pœnis.

Sotus.

7. Damnatorum pœnæ ſunt futuræ æternæ, ita vt nunquam ſint finem durationis habituræ. Prob. quia Scriptura Sacra pari modo loquitur de æternitate gaudij iuſtorum, & de æternitate ſupplicij impiorum. Sicut ergo gaudium & gloria iuſtorum ſine fine durabit: ita pœnæ impiorum erunt perpetuæ. Huc pertinet illud Iſaiæ 33. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Et Matthæi 25. impiis dicetur, *Ite maledicti in ignem æternum* & deinde ſubiungitur: *Ibunt hi in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.* Prob. ſecundò ex natura oppoſitorum. Sicut enim non poteſt ceſſare fœlicitas beatorum: ita nec miſeria damnatorum ceſſabit. Neque hoc repugnat miſericordiæ diuinæ: quòd oporteat eam eſſe moderatam, vt non euertatur Ordo Iuſtitiæ diuinæ. Qui enim in hac vita miſericordiam Dei contempſit: iuſto iudicio incidet poſt hanc vitam in vindictam diuinæ Iuſtitiæ.

Sed petes, quare Deus propter peccatum vno momento commiſſum & tranſitorium, æternùm puniat? Reſp. iuſtum eſſe Dei iudicium; quia quantitas pœnæ non debet reſpondere durationi actus peccati, ſed eius grauitati, peccati autem mortalis grauitas tanta eſt, vt mereatur pœnam, non ſolùm ſecundùm extenſionem acerbam, ſed etiam ſecundùm extenſionem infinitam. Tantò enim quodque peccatum grauiùs cenſetur, quantò digniòr eſt in quem peccatur. Vnde peccans in Regem, cenſetur reus læſæ Maieſtatis. Cùm ergo Deus infinitam dignitatem habeat, infinitam ſeu æternam pœnam commeretur, peccans contra Deum mortaliter: quia præfert Deo rem temporalem & æternæ fœlicitati, voluptatem. Tum quia peccatum eſt contra æternum bonum quod deſtruit. Idcirco dignum eſt vt æterno malo affligatur. Accedit, quòd peccator impœnitens, ſi æternùm viueret, æternùm peccaret. Habens ergo æternam voluntatem peccandi, meritò æternùm punitur. Atque ita peccatum ſit voluntate æternum, quod actu eſt temporarium. Porrò homo peccans contra Deum infinitum, deberet infinitè puniri intenſiuè. At quia homo ſic puniri non poteſt, vt qui nullius infiniti capax eſſe poſſit: idcircò punitur duratione æterna. Ita D. Thomas *in ſupplem. tertia parte quæſt. 99. art. 1.* & alij communiter.

D. Thom.

INGRATITVDO.

SVMMARIVM.

1 *Gratitudo & ingratitudo quid ſint? An ſit ſpecialis virtus gratitudo, & ingratitudo ſpeciale peccatum.*

2 *Quæ ſint officia gratitudinis? & qui gradus ingratitudinis.*

3 *Quis magis ad gratiarum actionem teneatur, pœnitens an innocens.*

4 *Quale peccatum ſit ingratitudo, & quando in confeſſione aperiendum.*

1. INgratitudo eſt vitium oppoſitum gratitudini, & ideò de vtraque agendum, vnde, Gratitudo generatim eſt virtus, quæ reſpicit debitum ex beneficio accepto natum, & vt illi aliquo modo ſatisfaciat, rependit aliquid benefactori; vt actionem gratiarum, obſequium, cultum, vel aliud beneficium. Et extendit ſe ad omnes, à quibus aliquid beneficij accepimus, nimirum ad Deum, parentes, Superiores & homines priuatos.

Ingratitudo autem dupliciter admittitur, formaliter & materialiter. Formalis ingratitudo eſt, quando beneficium actualiter contemnitur, in re nimirum vel in mente, veluti benefactorem eiuſve animum deſpiciendo, aut minoris quàm par eſt, beneficium æſtimando, quaſi non propter hoc ſis ei obnoxius. Materialis ingratitudo eſt, quando abſque contemptu, vel committitur debitum gratitudinis officium, vel committitur aliquid contra benefactorem.

Gratitudo eſt virtus ſpecialis ab aliis diſtincta. Ratio eſt, quia ſine controuerſia ſumus debitores illis, qui nobis benefaciunt, id eſt, qui gratis ac ſine temporali pretio vel præmio aliquid boni nobis conferunt: hoc autem debitum eſt minus, quàm illud quo tenemur obſtricti Deo, parentibus & Principi ſeu communitatis rectori & noſtris Superioribus; ergo gratitudo in benefactorem aliquem particularem, eſt virtus minor Religione, pietate obſeruantia; & per conſequens ab iis diſtincta: quia virtutes annexæ iuſtitiæ diſtinguendæ ſunt ſecundùm ſpeciales rationes debiti ad alterum: nam gratitudo in Deum, eſt Religio; gratitudo in parentes, pietas; gratitudo in Superiores, obſeruantia; dicitur præterea eſſe aliquam gratitudinem, quæ particulares benefactores reſpicit, eſtque virtus ſpecialis.

Ingratitudo materialis non eſt peccatum ſpeciale,

ciale, sed generale, quæ in quolibet peccato inuenitur, & est cuiuslibet peccati circumstantia. Formalis autem ingratitudo est speciale peccatum, vtpote ingratitudini, quæ specialis est virtus, oppositum, idque per defectum potius quàm per excessum: quamquam & per excessum possit peccari contra gratitudinem, recompensando scilicet id quod recompensare non debet, vel quando non debet. Sed hoc peccatum caret proprio nomine, minusque repugnat gratitudini, quàm peccatum illi oppositum ex defectu. Hæc colliguntur ex doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 106. *art.* 1. *& quæst.* 107. *art.* 2. quem sequuntur omnes communiter commentatores, & Syluester *verbo*, *Ingratitudo*, *quæst.* 2.

D. Thom.

Sylvest.

2. Gratitudinis officia sunt quinque. *Primum* est beneficij æstimatio; nempe ostendendo nos illud æstimare, si non ex rei magnitudine, saltem ex affectu & animo donantis: hic enim in beneficiis gratuitis potissimùm est ponderandus. *Secundum*, Benigna acceptatio; si enim repudies vel absque indicio, quo significes gratum esse, acceptes, videris contemnere, vel certè parui facere beneficium & affectum donantis. Si autem benignè acceptes, sic illum honoras & affectui eius quodammodo satisfacis. *Tertium* est, Gratiarum actio, quæ nihil aliud est, quam beneuola protestatio gratiæ acceptæ, seu beneficij gratis, & absque debito dati, cum quadam sui subiectione & demissione ad ipsum benefactorem directa. *Quartum* est, Grata commemoratio, vt scilicet primò apud nos tempore & loco simus memores beneficij accepti: deinde vt apud alios, quando occasio se offert, libenter referamus: hoc enim est quædam compensatio. *Quintum* est, Beneficij relatio, quando vicissim beneficium re, vel obsequio redditur. Hæc quinque officia D. Thomas *loco citato, quæstione* 107. *artic.* 2. reducit ad tria. *Primum* est, Beneficium agnoscere. *Secundum*, laudare & gratias agere. *Tertium*, retribuere loco & tempore, pro sua facultate. Propterea sunt tres gradus ingratitudinis in omittendo: *Primum* Beneficium non retribuere. *Secundum* dissimulare, non agendo gratias. *Tertium* nolle agnoscere. In committendo sunt alij tres. *Primum* Retribuere mala pro bonis. *Secundum* Vituperare beneficium. *Tertium* Reputare beneficium loco maleficij; qui est summus ingratitudinis gradus. Primi tres gradus ingratitudinis pertinent ad ingratitudinem priuatiuam, quæ est cùm quis non agnoscit beneficium, quod, quando, & vbi deberet agnoscere. Posteriores tres pertinent ad ingratitudinem contrariam, quia non solùm prætermittitur officium gratitudinis, sed etiam fit aliquid veræ gratitudini repugnans: vt aduertit Syluius 2. 2. *quæst.* 107. *art.* 2. Syluester *loco citato quæst.* 3.

D. Thom.

Syluius.

Sylvest.

3. Omnes homines accipientes beneficia à Deo, sunt aut peccatores pœnitentes, aut innocentes. Vtrique magna à Deo consequuntur beneficia: illi liberationem à perditione: hi custodiam à lapsu in perditionem. Innocens secundùm aliquid accipit maius beneficium, quàm pœnitens: ideóque quodammodo ad maiorem actionem gratiarum tenetur, quatenus actio gratiarum est professio boni accepti: est enim incontinentia maius bonum, quia includit continuam existentiam iustitiæ in homine, quæ magis optabilis est, quàm iustitia interrupta per peccatum mortale: bonum enim ceteris paribus, quo diuturnius est, eo est præstantius. Si autem spectetur magnitudo beneficij in quantum ipsum est magis gratuitum; sic pœnitens maius beneficium accipit & magis ad gratias Deo reddendas tenetur, quia donum pœnitentiæ & iustificationis magis gratuitum est illi quàm status gratiæ innocenti: cùm enim esset dignus pœna, veniam & iustitiam accipit. Vnde in compensationem huius beneficij tenetur ad humiliora obsequia & maiorem sui demissionem quàm innocens. Beneficium enim, qua parte datur magis indigno, compensatur maximè demissione sui, confessione suæ indignitatis & obsequiis humilibus. Ita D. Thomas *secunda secundæ*, *quæst.* 106. *art.* 2. & alij communiter.

D. Thom.

4. Ingratitudo siue materialis siue formalis, siue priuatiua siue contraria, quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale. Si enim contemptus fuerit omninò deliberatus & beneficij notabilis, peccatum erit mortale; similiter si id quod benefactori subtrahitur, sit ei vel simpliciter, vel in casu necessitatis valde necessarium, veniale erit, vel ob imperfectum consensum, vt quando ex repentino choleræ motu accidit; vel ob materiæ exiguitatem, vt si beneficium sit paruum; contemptus enim parui beneficij non censentur notabilis iniuria benefactoris, modò absit scandalum. Si enim ita fieret vt benefactor grauiter offenderetur, posset esse peccatum mortale. Aduertendum autem est, ingratitudinem numquam esse necessariò confitendam specialiter, nisi sit formalis, eaque tanta vt meritò putetur vel dubitetur esse peccatum mortale; quòd contingit, quando ingratitudo est speciale peccatum, cùm directè intenditur à peccatore volente sic peccatum aliquod committere in contemptum Dei & beneficij suscepti. Si autem sit tantùm circumstantia consequens quodlibet peccatum mortale, non est necessariò aperienda in confessione. Ita D. Thomas 2.2. *quæst.* 107. *art.* 3. & 3. *p. q.* 88. *a.* 4. Syluius *ibidem*, & alij.

D. Thom.

Vide verb. Donatio *num.* 27. 28. Pœnitentia *num.* 8.

INIVSTITIA.

Iniuria.

SVMMARIVM.

1 *Iniustitia, vt variis modis sumi possit? Et quomodo iniuria dupliciter alteri fieri possit.*
2 *An iniustitia sit speciale peccatum ab aliis distinctum.*
3 *Quando iniustum faciens denominandus sit iniustus.*
4 *An aliquis possit pati iniustum volens.*
5 *Quale peccatum sit ex suo genere facere iniustum.*
6 *Iniuria vnde dicta & quid? & vt tribus modis fiat.*
7 *Iniuria quando enormis dicatur.*
8 *Qualiter actio iniuriam competat iniuriam passo? & quot modis hæc actio tollatur.*
9 *An iniuriam passus teneatur iniuriam condonare & quando.*

1. INiustitia variis modis sumi potest. Interdum enim generaliter pro omni legis violatione: & hoc modo omne peccatum est iniustitia quædam: quia est violatio æqualitatis seu conformitatis debitæ legi vel præcepto Superioris. Vnde passim in Scripturis omne peccatum vocatur iniustitia & peccatores iniusti, vt Psalm. 36. *Iniusti punientur & semen impiorum peribit.* Ioannis 7. *Iniustitia in illo non est.* Vsurpatur secundo modo iniustitia vt opponitur iustitiæ particulari,

Digitized by Google

cularj, idque vel vt actus, vel vt habitus. Si vt actus, ſic nihil eſt aliud, quàm alieni iuris violatio, neque differt ab iniuria: quia ſicut actu iuſtitiæ cuique ius ſuum tribuitur; ita iniuſtitiæ hoc ius violatur: in qua violatione iniuriæ ratio ſita eſt. Si verò accipiatur vt habitus oppoſitus habitui iuſtitiæ eſt praua voluntatis diſpoſitio inclinans ad actus iniuſtos.

Dupliciter autem fit alteri iuiuria. 1. commiſſione vt furto, homicidio &c. 2. omiſſione, non ſatisfaciendo, non reſtituendo, &c. Redditur enim homo iniuſtus non minus omiſſione, quàm commiſſione, & quidem omiſſio nuda relinquit hominem iniuſtum habitualiter donec reſtituat, vel ſatisfaciat. Rarò tamen omittitur officium debitum abſque poſitiua complacentia voluntatis, aliquando tamen fieri poteſt, ſicut in aliis vitiis poteſt quis remanere habitualiter vitioſus abſq; reali habitu, vbi omiſſione peccatur. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 1. Syluius 2.2. *queſt.* 59. Filliucius *tract.* 32. *queſt.* 1. & alij. Leſſius. Syluius. Filliucius.

2. Iniuſtitia tam quæ opponitur iuſtitiæ legali, quàm quæ particulari, eſt vitium ſpeciale ab aliis diſtinctum. Ratio prioris eſt, quia tunc reſpicit ſpeciale obiectum ſcilicet bonum commune quod contemnit. Poſterioris autem eſt, quia habet materiam ſpecialem circa quam inordinatè verſatur, volendo plus habere de bonis puta de diuitiis & honoribus; & minus de malis puta laboribus & damnis. Nota tamen, quod ſi & contemptus boni communis & intentio faciendi contra illud abſint, iniuſtitia illegalis non erit vitium diſtinctum ab iis quæ committuntur contra illas virtutes, quarum actus exercendi erant ex imperio iuſtitiæ legalis; ſed erit generalis quædam conditio omnium peccatorum. Vt ſi quis furetur vel occidat, non ex animo vt vel legem deſpiciat, vel bono communi aduerſetur, ſed vt ſuæ cupiditati obſequatur, non committit ſpeciale peccatum contra legalem iuſtitiam, ſed illud ſolum quod opponitur præceptis *non furtum facies, Non occides.* Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 59. *art.* 1. & alij communiter. D. Thom.

3. Qui ignoranter iniuſtum facit vel nihil peccat, ſi nimirum ignorantia ſit inculpata; vel peccat quidem ſi ſcilicet ignorantia ſit culpabilis: ſed non ideirco eſt denominandus ſimpliciter iniuſtus, quia non facit iniuſtum per ſe & formaliter, ſed materialiter & per accidens. Qui iniuſtum facit ex aliqua paſſione iræ, luxuriæ, vel ſimili, peccat etiam, ſed neque propterea ſimpliciter denominatur iniuſtus: quia licet agat ex electione obiecti quod ſciens & prudens eligit, tametſi paſſione inductus; non tamen agit ex perfecta deliberatione & electione iniuſti formaliter; quia non omninò intendit facere iniuſtitiam, ſed potius ſuæ paſſioni aut voluptati ſatisfacere. Qui ſciens aliquid eſſe iniuſtum ſponte illud facit, ſimpliciter abſolutè dicitur iniuſtus: quia qui vult liberè id quod nouit eſſe iniuſtum, cenſetur etiam velle ipſam iniuſtitiam & inæqualitatem annexam, ac proinde meritò dicitur iniuſtus, & eſt magnum iudicium habitus; iniuſtum autem eſſe denotat habitum & operantem ex habitu, vt Philoſophi loquuntur. Apud illos autem iuſtum, iniuſtum & ſimilia ſunt nomina habitus. Ita D. Thomas *loco cit. art.* 2. Syluius *ibid.* ex Ariſtot. *lib.* 5. *& hic. cap.* 6. *&* 8. D. Thom. Syluius. Ariſtoteles.

4. Sicut nemo poteſt facere iniuſtum propriè vel iniuriam, niſi volens, ita nec vllus pati iniuſtum, niſi nolens. Prior pars patet, quia iniuſtum formaliter & iniuria includunt rationem voluntarij, & illud ſolum dicitur homo propriè & per ſe facere, quod ſciens & volens facit: hinc fit vt amens & brutum non faciat iniuſtum, etſi lædat, quia facere iniuſtum formaliter eſt peccatum. ergo.

Altera pars probatur, quia vnuſquiſque in iis quæ ad ipſum pertinent cedere poteſt iuri ſuo: hoc autem facit, qui ſciens & volens patitur: ergo vt habet regula iuris in 6. *Scienti & volenti non fit iniuria.* Hæc autem regula intelligitur de illo, qui eſt omnino ſciens & volens, ita vt eius voluntarium non ſit admixtum inuoluntario, ſed prorſus liberum ac ſpontaneum, cuiuſmodi non eſt quando quis conſentit ex ignorantia vel per violentiam, aut ſimilem aliquam iniuſtitiam. Vnde qui ſoluit vſuras, non cedit iuri ſuo: quia non cupit vt vſurarius has exigat, nec intendit ſe vllo iure priuare, aut donare; ſed ſoluit, quia aliter pecuniam obtinere nequit. Non cenſetur ergo quiſpiam, cedere iuri ſuo ſi aliquo modo inuoluntariè & renitente affectu conſentiat, inductus ab eo, qui læſurus eſt. Tamen fieri poteſt, vt quis ex parte ſua iniuriam inferat, & tamen alter propriè iniuriam non patiatur: & è contrario fieri poteſt vt quis iniuſtum patiatur & alter propriè iniuriam non inferat. Exemplum prioris eſt, ſi detrahas famæ alterius, vt illi noceas; & ille cedat iuri ſuo optans haberi infamis propter Chriſtum. Poſterioris eſt, ſi quis aduertat emptorem fraude vel dolo vti, atque ita pro mercibus quæ pluris valent, ſibi tanquam venditori minus iuſto ſoluere, volens patietur id quod eſt iniuſtum, ſed materialiter duntaxat. Ita Ariſtoteles 5. *Ethicor. cap.* 9. D. Thomas *loco citat. art.* 3. Syluius *ibidem*, Leſſius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 3. & alij communiter. Reg. iuris. Ariſtoteles. D. Thomas. Syluius. Leſſius.

5. Communis ſententia eſt, facere iniuſtum, eſſe ex ſuo genere peccatum mortale; quia repugnat charitati. Charitas enim mouet ad volendum bonum alterius, facere autem iniuſtum ſemper eſt cum alterius nocumento, quod voluntariè ipſi infert is qui facit iniuſtum formaliter. Ex ignorantia autem facere iniuſtum poteſt vel nullum eſſe peccatum, ſi ignorantia ſit inuincibilis: vel eſſe tantùm veniale, ſi ignorantia ſit parum culpabilis; vel eſſe mortale, ſi ignorantia ſit craſſa. In materia autem leui facere iniuſtum, eſt tantùm veniale: quia probabile eſt, quod is qui tale iniuſtum patitur, inde non lædatur, nec ei diſpliceat. Si tamen qui committit iniuſtum in materia leui, ſciat dominum valde ægrè laturum, peccabit mortaliter, non peccato furti, ſed peccato ſcandali: eſt enim cauſa grauis illius indignationis quam præuidet ex furto ſuo ſecuturam. Item iniuſtitia eſt ſolum venialis ob imperfectionem actus non plenè deliberati, vt tradunt communiter Doctores in materia de peccatis poſt D. Thomam 2. 2. *queſti.* 59. *art.* 4. D. Thom.

6. Iniuria, ab in, id eſt, non & ius dicta eſt: quaſi non iure, aut contra ius facta. Et inuenitur in quatuor generibus actionum hominum. *Primum* eſt eorum qui legem aut mandatum Superioris tranſgrediuntur. *Secundum* eorum qui faciunt contra ius. *Tertium*, iudicium iniuſtè iudicantium. *Quartum* eorum, qui alterius honorem lædunt. Iniuria propriè dicta tribus modis fit: Re, Verbis, & Literis. *Re*, ſi quis alteri manus violentas inferat. *Verbis*, ſi conuitia aut contumelias in alterum dicat. *Literis*, ſi famoſis ſcriptis, picturis, ſignis, notis alterius honorem diminuat, ſi alterum iniuſtè accuſat: aut excommunicat, aut condemnat. Ita Syluester *verb. Iniuria num.* 1. & 2. Armilla *eodem verbo num.* 1. Syluester. Armilla.

7. Iniuria enormis dicitur, ſi membrum mutilatur, ſi effuſio ſanguinis ſit abundans, & de membro, de quo non facilè exit ſanguis. Si in Abbatem, vel Prælatum, vel Superiorem ſit iniecta manus. *cap. cum illorum, de ſentent, excommunic.* Si quis ita vulneretur, vt indigeat medicamine chirurgiæ, vel emplaſtro, vel aliorum medicaminum. Si quis fuſtibus cæditur. Si in theatro, foro, vel ante iudicem verberetur. Si in Eccleſia, cœmeterio, dormitorio verberetur, ſecundùm aliquos. Si fiat iniuria Sacerdoti induto veſtibus ſacerdotalibus, Magiſtratui, Parenti, Patrono & Prælato. Ex tempore dicitur enormis iniuria, ſi fiat tempore ludi, vel feſtiuitatis, & hoc eſt arbitrarium. Ex reipſa, vt ex vulnere, quia magnitudo vulneris atrocitatem facit, ſecundùm leges, & aliquando locus vulneris, vt ſi fiat in oculo. *l. ita incipit, ff. de iniur.*

8. Actio iniuriarum oritur ex illata alteri iniuria: qui ob id iuſtam habet actionem aduerſus eum, qui intulit, aut interr procurauit. Adde quod iniuria illata alicui, qui in alterius poteſtate eſt etiam redundet in eum. Vt iniuria filiorum in parentes; ſeruorum in Dominos: vxorum in maritos; ſocij in Collegium; religioſi in Abbatẽ ac totum Monaſterium. Et in eiuſmodi caſibus iniurians debet vtriuſque offenſi actionem ſuſtinere, ſi ſciuit eum, quem læſit, ad alterius poteſtatem pertinere. Niſi inferior ſuam actionem ceſſerit Superiori. Ita Syluester *verb. Iniuria quæſt. 6.* Syluest.

Huiuſmodi autem actio iniuriarum multis modis tollitur & aboletur: *Primò*, remiſſione, iniuriante petente aut ſupplicante pro venia, *cap. ſi illic. 23. quæſt. 4.* aut cum vterque inter ſe paciſcuntur, ineuntque reconciliationem. *l. ſi tibi decem, §. 1. ff. de pactis.*

Secundò, tollitur hæc actio diſſimulatione: nam ſi læſus iniuriam non reuocauit ad animum quando fiebat, non poterit eam poſtea recolere. *l. non ſolum, §. 1. ff. de pactis.* Relinquitur tamen actori annus vtilis, quando iniuria illata eſt per metum: aut continuus, ſi alio modo *l. ſi cum exceptione §. in cauſa, ff. quod metus cauſa.*

Tertiò, fit actibus amicitiæ, vt deoſculatione &c. Per hæc enim læſus tacitè renunciat actioni iniuriarum: niſi eam iam cœperit vocando in ius iniuriantem. Nam tunc illa ſigna non ſufficiunt ſine expreſſa renunciatione actionis, aut facta tranſactione, ſicut nec ſufficiunt ſigna, quæ neceſſariò exhibenda ſunt inimico. Vide dicta *Contumelia n. 3.*

Quartò tollitur, quoties quis iudicem incitat ad torquendum iniuriantem, eo ipſo quod eum torquet aut condemnat ad vindictam; aliam ſatisfactionem actor petere non poteſt pro iniuria: niſi ſimul proteſtetur ſe nihilominus pro ſuo intereſſe actionem iniuriarum proſecuturum. Vt *l. final. ff. de iniur.*

Quintò aboletur morte læſi: quia talis actio non tranſit ad hæredem ante litis conteſtationem moriente iniuriato. Sed limita quoad actionem iniuriarum, ſed non quoad damna & expenſas: quia per hoc non tollitur quin agere poſſit ad reſtitutionem. Ita Syluester *verb. Iniuria, quæſt. 8.* Sylueſt.

Aduertendum autẽ hic eſt, quod remittere actionem iniuriarum nullus poteſt, qui eſt in alterius poteſtate abſque eius voluntate. Poteſt tamen Collegium religioſorum remittere iniuriam ſuo religioſo factam, ipſo etiam reclamante: Sed hoc non licet Collegio Canonicorum. Si verò læſus iniuriã nimium magni æſtimet & reconciliationem oblatã nolit admittere: tunc iniuriator in conſcientia tenere poſſet arbitrium iudicis pœnitentiæ. Argument. *cap. veniens, de iureiur, & cap. 2. de arbitr.*

9. In iniuria illata duo mala concurrunt: alterum offenſio perſonæ: alterum damnum datum eidem cui fit iniuria. Ex offenſione perſonæ oritur rancor & odium erga iniuriantem. Hæc offenſus, aut non debet intra animum ſuum admittere, aut cito deponere: quia nunquam licet vllum hominem odiſſe: & nos ſemper pacem cum aliis habere debemus, etiamſi illi nobiſcum non habeant *cap. inter verba 11. quæſt. 3.* Et Chriſtus iuſſit nobis diligere inimicos & benefacere his qui oderunt nos. *Matth. 5. Luc. 6.* Quod attinet ad damnum ab iniuriante datum, nemo obligatur illud citò condonare. Quin potius iniurians debet veniam petere ab eo quem læſit, & ad ſatisfactionem ſe offerre: alioqui non poteſt abſolui in foro conſcientiæ. Pium tamen eſt, vt læſus dimittat etiam actionem iniuriarum quoad forum conſcientiæ. Sed actionem reſtitutionis damni rerum aut honoris; poteſt, & quandoque etiam debet proſequi, donec reus ſatisfaciat. Vide quæ diximus *tom. 1. verb. charitas. num. 15. 16. & 17.* cum Doctoribus ibi citatis.

INTERDICTVM.

SVMMARIVM.

1 *Interdicti nomen quatuor modis accipitur.*
2 *An interdicto loco, interdicti cenſeantur homines in ordine ad illum locum.*
3 *An interdictum locale & perſonale inter ſe differant.*
4 *Quod dicatur interdictum ſpeciale ſeu particulare loci.*
5 *An interdicta ciuitate Cathedralis Eccleſia cenſeatur interdicta.*
6 *Qui cives comprehendantur ſub cenſura interdicta ciuitate? Et quid ſi augeatur ciuitas.*
7 *An deſtructo loco ſeu ciuitate interdicta, eò ipſo tollatur interdictum.*
8 *An interdicta terra alicuius Principis, veniant omnes eius terræ.*
9 *Quando interdicitur totus populus vnius ciuitatis, an cenſeatur etiam locus interdictus.*
10 *An interdicto populo aliquo, ſi alij de nouo veniant & fiant de populo interdicto, ſint etiam interdicti.*
11 *In perſonali interdicto, quinam dicantur generaliter, qui ſpecialiter, & qui nominatim interdicti.*
12 *Quinam ligentur interdicto generali perſonali.*
13 *An interdicta familia alicuius, includatur etiam clericus eius familiæ.*
14 *An interdicto populo alicuius ciuitatis, interdicantur etiam illi, qui in ea pro ſuis negotiis ad tempus habitant.*
15 *An interdictum latum contra clerum comprehendat ipſam Eccleſiam, quæ ad clericos interdictos pertinet.*
16 *Perſona ſingularis quomodo dupliciter interdici poſſit.*
17 *An interdictum perſonale generale poſſit ferrò pro debito pecuniario?* Refertur duplex ſententia.
18 *An poſito interdicto perſonali generali, cenſeatur poſitum locale.*
19 *An interdictum priuet poteſtate ordinis & iuriſdictionis.*
20 *An liceat celebrare coram perſona interdicta ſi expelli*

ſi expelli non poſſit & locus non ſit interdictus.

21 *An licitum ſit audire miſſam ſacerdotis interdicti nominatim?* Refertur duplex ſententia.

22 *An nominatim denunciatus interdictus interdicto perſonali, particulari poſſit ſepeliri ſepultura Eccleſiaſtica? Et quid de interdicto perſonali generali dicendum ſit.*

23 *An illi, quibus conceditur per priuilegium intereſſe diuinis officiis, poſſint in loco ſacro ſepeliri?* Refertur duplex ſententia.

24 *An poſſit concedi Euchariſtia interdictis, quibus conceditur aſſiſtere miſſæ.*

25 *An interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ poſſit in ea ſuſcipere ſacramenta, quando diuina officia non celebrantur.*

26 *An tempore interdicti liceat moribundo miniſtrare vnctionem extremam, ſi Sacramentum pœnitentiæ recipere non potuerit.*

27 *An tempore interdicti liceat dicere commendationes animæ cum litaniis; Salutationem Angelicam ter in die ad ſonum campanæ? Adorare crucem in Die Paraſceues &c.*

28 *An interdictum generale loci priuilegio iuris ſuſpendatur, in Natiuitate & Reſurrectione Domini, Pentecoſte & Aſſumptione B. Virginis? Et quando incipiat & finiatur hæc ſuſpenſio.*

29 *An etiam ſuſpendatur huiuſmodi interdictum in feſto Corporis Chriſti & per totam eius Octauam: An in feſto Conceptionis B. Virginis & per eius Octauam? An per aduentum Regis? An per ſpeciale priuilegium Summi Pontificis.*

30 *An Legatus à Latere, Epiſcopi & alij inferiores Prælati poſſint interdictum ſuſpendere.*

31 *An interdictum perſonale poſſit à iudice Eccleſiaſtico ſuſpendi.*

32 *Quæ pœnas incurrant clerici violantes interdictum.*

1. INterdicti nomen ſolet quatuor modis accipi, *primò* ampliſſimè pro ſolemni dicto Prætoris aliquid fieri præcipientis, ſiue præceptum illud prohibitorium ſit, ſiue alterius modi: & in hoc ſenſu interdictum eſt quaſi inter duos dictum Prætoris, quo inter reum & actorem aliquid dicendo conſtituit, aliquid iubens, aut prohibens fieri. Vt habetur *Inſtitut. de interdict. circa princip. & ff. eodem titulo.* Vnde in iure ciuili interdictum diuiditur in tria, vt aliud ſit Reſtitutorium, aliud Exhibitorium, aliud Prohibitorium. *Secundò* ſtrictiùs accipitur pro ſolo interdicto, ſeu dicto Prætoris prohibitoris, deducto nomine à verbo interdico, quod ſignificat prohibeo: interdicere enim propriè ſignificat prohibere, ac vetare ne aliquid fiat: quo ſenſu exules Banniti vulgo nominati, interdicti dicuntur, quia in patriam reditus ipſis prohibitus eſt. Et hæ duæ acceptiones ſunt propriæ Iuriſconſultorum, de quibus latius Couarruuias in *cap. Alma mater part. 2. §. 1. num. 1 de ſentent. excom. in 6.* Couar.

Tertiò, in iure canonico Interdictum duobus aliis modis ſumi poteſt. Nempe pro prohibitione Iudicis Eccleſiaſtici, ſeu iuris canonici, & hoc modo non aliter differt à ſecunda acceptione Legiſtarum, niſi quod inibi ſermo ſit de prohibitione Prætoris: hic verò de prohibitione Iudicis, ſeu iuris Eccleſiaſtici. Et hoc modo accipitur interdictum in *cap. Significaſti, de offic. Archidiac.* & *cap. cùm illorum, de ſentent. excomm.* Quartò, accipitur pro ſententia iuris vel Prælati Eccleſiaſtici prohibentis alicui diuina officia, Sacramenta, vel ſepulturam Eccleſiaſticam in pœnam delicti, vel contumaciæ, ſiue illius, qui interdicitur, ſiue in pœnam alicuius alterius. Quæ prohibitio rectè interdictum appellatur, & vna ex tribus cenſuris Eccleſiaſticis dicitur, vt patet ex *cap. Quærenti, de verb. ſignificationibus.*

2. Interdictum locale eſt illud, quod ſolum locum interdicit: nota tamen, licet locus ipſe dicatur ſubiici interdicto; propriè tamen locus interdicto non afficitur: quia cùm locus ſit res quædam inanimata, propriè non eſt cenſuræ & pœnæ Eccleſiaſticæ capax, vt docet Innocentius *in cap. tanta numero 5. de exceſſ. Prælator.* Sed propriè interdictum loci hanc vim habere cenſetur vt loco interdicto, interdicti cenſeantur homines in ordine ad illum locum tantùm, & non ad alium, ita vt in illo loco, nec homines illius loci, nec alienigenæ exercere poſſint diuina officia, aut participare in ſacramentis, aut Eccleſiaſtica ſepultura paſſiuè vel actiuè; in alio verò loco non interdicto, incolæ loci qui culpabiles non ſunt, in illis tribus ſupradictis actiuè & paſſiuè participare poſſunt. Ita Nauarrus *in man. cap. 27. num. 167.* Angelus *verb. Interdictum 2. in princip.* Couarruuias *loco citat. num. 6.* Sotus *in 4. diſp. 22. q. 3. articulo 1. conc. 1.* Sayrus *de cenſur. lib. 5. cap. 2.* Innocent. Nauarrus. Angelus. Couar. Sotus. Sayrus.

3. Interdictum locale & perſonale inter ſe differunt. *Primò*, quod interdictum locale non includat populum, id eſt perſonas eius quæ non ſunt culpabiles, niſi, ne in illo loco audiant diuina, aut ſacramenta ſumant, vel adminiſtrent, aut ibi ſepeliantur: Vnde tales extra eum locum omnia facere poſſunt, ſicut prius: in illo autem loco nec habitatores loci illius, nec exteri facere vel audire poſſunt, nec ſepeliri, aut ſacramenta ſumere. *Secundò*, Interdictum perſonale non comprehendit locum, ita tamen perſonas ligat, vt nec ibi, nec alibi audire diuina poſſint; extranei verò poſſunt in illo loco audire & celebrare diuina, etiam ianuis apertis, cùm locus ille non ſit interdictus, ſed tantùm perſonæ, vitatis tamen habitatoribus loci. Ita Nauarrus *in man. cap. 27. num. 167. & num. 173.* Sayrus *loco cit. num. 6.* Henriquez *lib. 13. de excom. & interdict. cap. 42. §. 1.* & alij. Nauarrus. Sayrus. Henriq.

4. Interdictum ſpeciale ſeu particulare loci eſt illud, quo interdicitur aliquis locus particularis non continens in ſe alia loca, ſcilicet ſacra, & profana: nam quamuis interdiceretur locus continens intra ſe plura loca etiam ſacra, erit tamen interdictum ſpeciale: nam interdicta Eccleſia, intelliguntur interdictæ etiam capellæ, quæ ſunt intra Eccleſiam. Item interdictum ſpeciale erit, quando interdicuntur omnes Eccleſiæ ciuitatis, caſtri, Epiſcopatus, Prouinciæ, Regni, imò etiam totius mundi; quia extra Eccleſias illas in iiſdem locis officia diuina celebrari poſſunt, ſcilicet in priuato oratorio, aut alibi. Nam ad interdictum generale, parum aut nihil facit multitudo Eccleſiarum interdictarum, niſi etiam alia loca ſimul interdicantur. Ita Couarruuias *in cap. Alma mater part. 2. §. 1. num. 9.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 166.* Vgolinus *de cenſur. Eccleſ. tab. 5. cap. 6.* Calderinus, Francus, Ancharanus & alij quos citat & ſequitur Sayrus *de cenſu. lib. 5. cap. 2. numero 13.* Et hæc diſtinctio interdicti generalis à ſpeciali, diligenter notanda eſt: quia multi Couar. Nauarrus. Vgolinus. Calderinus. Francus. Anchar. Sayrus.

habent priuilegia ; quod tempore generalis interdicti possunt audire, percipere, vel celebrare diuina, quæ tamen omnia non habent locum in interdicto speciali, seu particulari, vt prædicti Doctores notarunt.

5. Interdicta ciuitate, Cathedralis Ecclesia interdicta etiam censetur : quia aliàs sententia redderetur frustratoria, si interdicta ciuitate in Ecclesia Cathedrali diuina celebrari possent, contra *cap. si sententia, & cap. si ciuitas, de sententia excommunicat. in 6.* Tamen Ecclesia Cathedralis non includitur interdicto speciali loci : vnde interdictum latum in totius diœcesis & in omnes ciuitatis Ecclesias, non comprehendit Ecclesiam Cathedralem. Ita Vgolinus *tab. 5. cap. 21. §. 5.* Sayrus *loco cit. cap. 3. num. 10.* & alij penes ipsos. Vgolinus. Sayrus.

6. Ex communi Doctorum sententia, interdicta ciuitate non comprehenduntur ciues & habitatores eius nisi qui culpabiles sunt & causam interdicto dederunt : vnde extra ciuitatem, qui culpabiles non sunt, possunt sacramenta suscipere & diuinis interesse & in Ecclesia sepeliri. Vt colligitur expresse ex *cap. si sententia, §. caterum de sentent. excommunic. in 6.* Item interdicta ciuitate, si postea augeatur ciuitas, pars aucta censetur etiam interdicta : nam augmentum eius naturæ est, cuius est res, quæ augetur : & idem dicendum est, si Ecclesia interdicta aucta sit, aut etiam paulatim per partes refecta sit, ita vt ex priori nulla pars remanserit, si quidem eadem esse, quæ prius existimatur. argum. *cap. cùm dilecta, de confirm. vtil. vel inutil.* Sayrus *loco cit. num. 11. & 12.* Sayrus.

7. Verius est destructo loco seu ciuitate interdicta, eo ipso interdictum non tolli. Ratio est, quia interdicta ciuitate adhuc locus manet, etiamsi destruantur ædes, vnde, cùm in tali interdicto locus interdictus sit, ita vt nec in ædibus nec extra ædes diuina fieri possint, manente loco ciuitatis, interdictum manet, etiam destructis ædibus. Eodem modo dicendum est de destructa Ecclesia interdicta ; quia remanet locus sub nomine Ecclesiæ interdictus : & destructa Ecclesia, non cessat causa interdicti, quæ est, ne in loci vbi Ecclesia, aut ciuitas est, diuina fiant ; remanet enim locus, cui interdictum inhæret, & ideò interdictum manet. Ita Vgolinus *de censur. Eccles. tab. 5. cap. 21. §. 6.* Sayrus *loco cit. num. 13.* Vgolinus Sayrus.

8. Interdictum quo generaliter interdicitur terra alicuius Principis, cadit in omnes terras, quarum Princeps habet dominium absolutum, siue iurisdictionale sit siue vtile, aut solum vsumfructum ratione dotis vxoris. Nam verba generalia sunt generaliter intelligenda, non tamen cadit in terram acquisitam post latum interdictum, nisi hoc sit expressum in sententia interdicti. Ratio est, quia gratiæ non extenduntur ad futura, ergo multò minus pœnæ debent ad futura extendi. Verùm si dominus vendat, donet aut alio modo amittat terram interdictam, terra sic alienata remanet interdicta. Ratio est, quia interdictum est onus quod loco inhæret, & ideò ad quemcumque transit cum reipsa, scilicet terra sic alienata. Ita Suarez *de censur. disp. 32. sect. 2. n. 30.* Sayrus *loco cit. n. 25. & 26.* Coninck *de interdicto disp. 17. num. 21.* Sylvester *verb. Interdictum 2. n. 3.* & alij. Suarez. Sayrus. Coninck. Sylvest.

9. Quidam affirmant quando totus populus vnius ciuitatis est generatim interdictus, censeri etiam locum interdictum : quia aliàs clerus posset ibi celebrare diuina officia apertis templi ianuis, & pulsatis campanis sicut prius. Sed contrarium asserendum est, quia hæc Interdicta sunt omnino distincta. Ad rationem autem contrariam conceditur id fieri posse per se loquendo : nec in eo esse vllum absurdum : per accidens tamen si aliàs clerus non posset excludere interdictos ne diuina officia audirent, cum ad hoc teneatur, teneretur consequenter diuina officia ea moderatione celebrare, qualis esset necessaria, vt ab iis audiendis interdicti arcerentur. Ita Nauarrus *in man. cap. 27. num. 167.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1.* Auila *part. 5. disp. 1. dub. 2.* Nauarrus. Sotus. Auila.

10. Interdicto populo, seu vniuersitate aliqua, si alij de nouo veniant, & fiant de populo interdicto, interdicti sunt sicut alij, quia facti sunt membra & partes illius corporis & communitatis & ideò debent eodem iure censeri. E contra existens de populo interdicto si ingrediatur religionem, post professionem desinit esse interdictus, quia desinit esse de populo per professionem solemnem in religione approbata, & consequenter post emissam professionem ad ordines omnes promoueri poterit, etiamsi populus ille maneat interdictus. Ita Vgolinus *loco cit. tab. 5. cap. 20. §. 3. & 4.* Angelus *verb. Interdictum 1. numero 2. & 10.* Henriquez *lib. 13. cap. 42. §. 2.* & alij. Existens tamen de populo interdicto ad ordines promoueri non potest, quia ordinaretur, cum sit interdictus, & consequenter fieret irregularis, sed necesse est, vt prius desinat esse de populo interdicto, vt ordinari postea valeat. Vgolinus. Angelus. Henriq.

11. In personali interdicto quidam dicuntur esse generaliter interdicti, alij specialiter seu particulariter, alij verò nominatim. Generaliter interdicti sunt illi omnes, qui in interdicto generali populi, vel vniuersitatis comprehenduntur & sunt pars ipsius populi vel vniuersitatis & causam interdicti non dederunt, & non sunt culpabiles in illo delicto, ob quod interdictum latum est ; Alias enim interdicti essent specialiter & non generaliter, vt habet communis Doctorum sententia.

Specialiter interdicti sunt 1. illi, qui specialiter interdicuntur, vt quando familia interdicitur, familia enim non facit vniuersitatem, nec vnum quid propriè aut collegium. 2. Qui in generali interdicto fuerunt culpabiles, illi omnes intelliguntur specialiter interdicti. Et hoc locum habet, siue interdictum generale fuerit locale, siue personale. De generali interdicto loci expresse colligitur ex *cap. si sententia, de sentent. excom. in 6.* Ergo id multò magis locum habebit in interdicto generali personali. 3. Interdicti specialiter, seu singulariter dicuntur illi, qui in propria persona, id est, sine sociis interdicti fuerunt. Ita Sotus *in 4. distinct. 22. quæstio. 3. articulo 1.* Nauarrus *in man. cap. 27. numero 167.* Tabiena *verb. Interdictum 1. §. 10.* & alij. Sotus. Nauarrus. Tab.ena.

Interdictus nominatim ille censetur, qui expressus est aut nomine proprio, aut demonstratione, aut circumlocutione sufficienter designante personam illam determinatè, vt habetur in *cap. licet ex quadam & ibi Gloss. in verb. demonstratione de testib. & attestation.* aut qui indiciis æquipollentibus designantibus certam personam exprimitur. Vt notat Tabiena *loco citato §. 4.* Sayrus *lib. 5. cap. 4. num. 11.* Tabiena. Sayrus.

12. Interdicto generali personali ligantur illi omnes qui & sunt de populo illo, & apud illum habitant, etiamsi sint innocentes & contradixerint illi delicto, propter quod latum fuit interdictum, imò licet

licet abſentes ſint : quod colligi videtur ex *cap. Si ſententia, de ſent. excomm. in 6.* & docent Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 168.* Armilla *verb. Interdictum, num. 16.* Vgolinus *tab. 5. cap. 20. §. 2.* Syluester *verb. Interdictum, 2. §. 13.* Ratio horum eſt, quia pœna interdicti puniuntur etiam non peccantes. Tum quia abſentes ſunt de illo populo interdicto, & proinde ipſi etiam interdicti ſunt, quamuis non accedant, nec cohabitent. Imò interdicto populi ligantur Duces, Marchiones, Comites, Barones & ſimiles viri nobiles, ſi ſint membra populi interdicti, & eiuſdem corporis pars. Si autem per priuilegium, aut per conſuetudinem præſcriptam iſti facti eſſent omnino ſui iuris, ita vt in nullo participarent cum populo, nec à populo illo penderent; quia tunc nullo modo ſunt de populo, & conſequenter non erunt cum illo interdicti. Ita Vgolinus *tab. 5. cap. 20. §. 2.* Syluester *loco citato §. 16.* & alij.

Nauarrus. Armilla. Vgolinus. Syluest.

Vgolinus. Syluest.

13. Si interdicatur familia alicuius, etiam includitur Clericus eius familiæ : quia familia non facit vniuerſitatem, ſed interdictum familiæ cadit ſuper ſingulos, qui ſunt de prædicta familia; vnde Clericus dictæ familiæ non deſinit eſſe interdictus, eò quòd recedat ab ea familia. Secus dicendum eſt de illo, qui poſt latum interdictum, fit de familia interdicta ; hic enim non incurrit interdictum. Ratio eſt, quia interdictum familiæ eſt ſpeciale, & perſonæ illius familiæ non ſunt interdictæ quatenus faciunt vnam communitatem &, familiam, ſed ſunt interdictæ ſingulares perſonæ illius familiæ ſecundùm ſe; propterea qui recedit, remanet interdictus, & qui accedit, non ſubiacet interdicto. Ita Sayrus *lib. 5. cap. 4. num. 28.* Bonacina *de cenſur. diſp. 5. punct. 1. n. 13.* & alij communiter apud ipſos.

Sayrus. Bonacina.

14. Qui habitant ad tempus in populo, vel vniuerſitate interdicta, pro ſuis negotiis, & non ſunt de illo populo, aut vniuerſitate, non cenſentur interdicti ſecundùm communem Doctorum ſententiam, & colligitur ex *cap. Si ſententia, §. cum verò, verſic. Singulares ex eo perſona, de ſent. excommun. in 6.* Populo enim loci interdicto, ſingulares ex eo perſonas Pontifex interdictas eſſe dicit : ergo ſecus, ſi non ſint ex eo populo. Excipe eos, qui eſſent culpabiles : iſti enim eſſent interdicti : quia in interdicto generali populi, illi qui ſunt culpabiles, pro ſpecialiter interdictis habentur, & ad interdictum ſpeciale parum refert eſſe de illo populo, vel de alio. Ita Vgolinus *tab. 5. cap. 20. §. 3. & 4.* Syluester *verb. Interdictum 2. verſic. Decimum tertium,* Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 167. verſic. Et quando interdicitur ſolus populus.* Vnde ſcholares qui ſtudiorum cauſa in aliqua vniuerſitate commorantur, interdicto populo illius vniuerſitatis, interdicti ipſi non erunt, quia non ſunt pars ipſius populi.

Vgolinus. Syluest. Nauarrus.

15. Interdictum latum contra Clerum, non comprehendit ipſam Eccleſiam, quæ ad huiuſmodi Clericos interdictos pertinet; vnde alij Clerici licitè celebrant in illa. Colligitur ex *cap. Per exemptionem, de priuileg. in 6.* vbi priuilegium exemptionis conceſſum Clericis alicuius Eccleſiæ non extenditur ad ipſam Eccleſiam : ergo multò minus extendi debet interdictum : quia priuilegium eſt fauor, interdictum eſt pœna. Ita Couarruuias *in cap. Alma mater, part. 2. §. 1. num. 7.* Syluester *verb. Interdictum 2. verſ. Octauum*, Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 167.* Interdicto Clero alicuius loci, comprehenduntur omnes Clerici illius loci etiam primæ tonſuræ, beneficiati & habentes dignitates. Poſt autem Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 8. de reformat.* tonſurati & exiſtentes in Minoribus non cenſentur interdicti niſi gaudeant priuilegio Clericali. Hoc tamen interdicto Cleri non comprehenditur Epiſcopus; tum quia communiter in vſu loquendi Canonum & Conciliorum, Epiſcopus contra diſtingui ſolet à Capitulo & Clero. Tum quia Epiſcopi non incurrunt ſuſpenſionem, aut interdictum; niſi de illis expreſſa mentio habeatur, ex *cap. Quia periculoſum, de ſentent. excomm. in 6.*

Couarr. Syluest. Nauarrus.

Conc. Trid.

16. Perſona ſingularis dupliciter interdici poteſt, vno modo ſimpliciter, non ſpecificando vnam rem magis, quàm alteram, & ſic huic ſingulari perſonæ interdicta ſunt illa omnia & ſingula, quæ ex natura interdicti prohibentur : alio modo, ita vt perſonæ huic interdicantur aliqua determinatè expreſſa, vt cùm illi interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, aut ſi alicui interdicatur exercitium vnius, aut alterius Ordinis. Prior modus naturam interdicti ; poſterior verò naturam potius ſuſpenſionis participat, adeò vt verbum illud interdicendi in poſteriori modo expreſſum, verbo ſuſpendendi æquipolleat. Vnde ſi quis interdicatur ſimpliciter, omne quod per interdictum prohibetur, eſt illi prohibitum. Si verò interdicatur ab vno actu, ſeu ab actu vnius Ordinis, actus Ordinis inferioris exercere poteſt, actus autem maioris, id eſt, actus Ordinis ſuperioris, exercere non poteſt. Denique ſic interdictus, vbique locorum eſt interdictus, ne illi prohibita ante abſolutionem exerceat. Ita Armilla *verb. Interdictum n. 20.* Tabiena *verb. Interdictum 1. n. 14.* & alij communiter.

Armilla. Tabiena.

17. Quidam docent interdictum perſonale generale non poſſe ferri pro debito pecuniario : quia licet *in extranag. Prouidè, de ſentent. excommunic.* prohibeatur ſolùm hoc fieri in interdicto locali, quod intelligitur tam de generali, quàm de particulari, debet tamen extendi ad interdictum perſonale generale, propter paritatem rationis, quod ſcilicet inde multa animarum damna ſequantur. Ita Sotus *in 4. diſt. 22. quæſt. 3. art. 1. poſt. 3. concl.* Auila *part. 5. diſp. 3. dub. 3. concl. 3.* Contrarium tamen eſt probabilius : quia extrauagans citata ſolùm agit de interdicto locali ; ergo non eſt extendenda ad alia interdicta & de cetero ex rei natura interdictum perſonale poni poteſt propter debitum pecuniarium, vt indicat Emanuel Sà *verb. Interdictum, num. 8.* & tenent Suarez *diſp. 36. ſect. 3. num. 9.* Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 4. de interdict. dub. 1. num. 5.* & alij.

Sotus. Auila. Eman. Sà. Suarez. Præpoſitus.

18. Poſito interdicto perſonali generali, cenſeri poſitum locale, affirmat Couarruuias *in cap. Alma mater, part. 2. §. 1. num. 7.* Alij probabilius negant; quia *cap. ſi ſententia, de ſentent. excommunic. in 6.* interdicta perſonalia & localia ponuntur tanquam diſtincta, neque vlla ratio oſtendit interdictum generale locale includere perſonale, vel contrà. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 167.* Sotus *in 4. diſt. 22. quæſt. 3. art. 1. poſt 1. concl.* Auila *diſp. 1. dub. 2.*

Nauarrus. Sotus. Auila.

19. Interdictum non priuat poteſtate Ordinis & iuriſdictionis, ſed impedit vſum licitum illius ſecundùm probabilem ſententiam. Nec refert quòd perſonaliter interdictus æquiparatur excommunicato, à quo certum eſt auferri omninò vſum iuriſdictionis ſi denuntiatus ſit : atque ita abſolutionem ſacramentalem ab eo collatam eſſe inualidam. Reſpondeo æquiparari præcisè quoad hoc, quod eſt eſſe vtrique prohibitum vſum actiuum huius Sacramenti, atque ita vterque peccabit illud adminiſtrando, non tamen quantum ad ablationem iuriſdictionis & inualiditatem Sacramenti, cùm hoc non reperiatur in iure expreſſum de interdicto,

ſicut

ſicut de excommunicatione. Et licet perſonaliter interdictus non poſſit validè abſolui ob defectum debitæ diſpoſitionis, quia peccat recipiendo abſolutionem, quod peccatum reddit eam inualidam. Inualiditas tamen abſolutionis lata ab interdicto ex nullo capite prouenire poteſt, & ita valida eſt. Ratio eſt, quia peccatum quod committit interdictus conferendo abſolutionem, non poteſt illam inualidare & ex alia parte interdictum non abſorbet iuriſdictionem. Ita Cornejo *in 3. part. tract. 5. de interdict. §. 1. diſp. 2. dub. 3. quæſt. 4.* Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 62.* Contra Philippum Fabrum ſuſtinentem talem interdictum inualidè abſoluere. Sed prior ſententia vt probabilis poteſt ſuſtineri.

Cornejo, Diana, Faber.

20. Quando locus non eſt interdictus, ſed tantùm perſona eſt interdicta præſens, licet celebrare & alia diuina facere, ſi expelli non poſſit. Quia non eſt pro hoc caſu peculiaris prohibitio iuris poſitiui. Iura enim quæ decernunt excludendos eſſe interdictos, loquuntur de locali interdicto. Tum quia in tali euentu non eſt moralis cooperatio cum perſona interdicta, quia potius eſt contra voluntatem facientis ſacrum. Vnde ſolo iure naturali attento non eſt aliquid ratione cuius celebratio ſit inhoneſta, & contra rationem. Ita Mercerus *in 3. part. quæſt. 24. de interdicto, dub. 3.* Turrianus *lib. 6. diſp. 49. dub. 2.* Suarez *diſp. 34. ſect. 2. num. 10.* Contra aliquos, qui dicunt tunc non eſſe celebrandam Miſſam, & ſi ſit inchoata, nec peruentum ad Canonem, eſſe ceſſandum: quia mutuò referuntur celebratio actiua & paſſiua aſſiſtentia, ideò cùm prohibetur aſſiſtentia paſſiua alicui, conſequenter agenti miniſtratio actiua etiam prohibetur.

Mercerus, Turrianus, Suarez.

21. Certum eſt perſonam non interdictam poſſe audire Miſſam Sacerdotis interdicti, ſi non eſt publicè denuntiatus, per *Extranag. ad euitanda.* Si verò eſſet nominatim interdictus, tunc ſunt opiniones. aliqui enim negant poſſe audiri eius Miſſam, quia eſſet participare cum eo in diuinis, ſicut non poteſt audiri Miſſa excommunicati non tolerati. Tum quia celebratio diuinorum Officiorum actiua & paſſiua eſt mutua. Vnde cùm quis interdicitur perſonaliter à celebratione Miſſæ ac diuinorum, conſequenter etiam prohibitio indicitur, ne alij ei aſſiſtant, quia hæc mutuò ſeſe conſequuntur. Hæc opinio eſt probabilis, quam tuetur Faber *de cenſur. diſtinct. 15. quæſt. 1. diſp. 15. cap. 2. num. 47.* Nihilominus alij etiam probabiliter affirmant, tum quia non eſt eadem ratio de excommunicato denuntiato & de interdicto: nam excommunicatus, priuatus eſt Communione fidelium in Sacramentis & diuinis, & ideò non poſſunt alij eius Miſſam audire, quia communicarent cum eo. At interdictus tantùm prohibetur, ne faciat, vel audiat diuina, non tamen alij prohibiti ſunt, ne cum ea communicent, aut eius actionibus aſſiſtant. Proinde dicendum eſt cooperari Sacerdoti vel illum inducere ad dicendam Miſſam, eſſe illicitum, non tamen ſolùm eius Miſſam audire. Prioris ratio eſt, quia non licet inducere ad actum peccati. Poſterioris autem, quia in ſola auditione Miſſæ non eſt vlla ſpecies cooperationis, conſiderato iure naturali: & nullum eſt ius poſitiuum id prohibens, & ex vi cenſuræ id non ſequitur quando quis non cooperatur. Ita Suarez *diſp. 34. ſect. 2. n. 5.* Mercerus *loco cit. dub. 3.* Turrianus *loco cit. diſp. 49. dub. 2.* Diana *p. 5. tract. 10. reſol. 64.*

Faber.

Suarez, Mercerus, Turrianus, Diana.

22. Nominatim denunciatus interdictus interdicto perſonali particulari non poteſt vllibi ſepeliri ſepultura Eccleſiaſtica: quia per interdictum prohibetur ſepultura Eccleſiaſtica. At de interdicto perſonali generali eſt contentio inter Doctores, nam per illud non denuntiantur nominatim ſinguli interdicti, vnde interdictum non violatur eos ſepeliendo, quandoquidem non tenemur eos vitare, ex *Extranag. ad euitanda*, vbi conceditur priuilegium erga eos, qui non ſunt nominatim denunciati. Nam quamuis in generali interdicto perſonali fiat generalis denunciatio totius populi, aut communitatis, illa tamen eſt remota reſpectu cuiuſuis in particulari. Ita Suarez *diſp. 35. ſect. 3. n. 2. & ſequentibus.* Sed videtur omninò probabilius, quod talis non poſſit ſepeliri, quamdiu manet pars communitatis, quæ nominatim eſt interdicta: quia ex *Extranag. ad euitanda*, videtur conſtare, quod interdictum nominatim & expreſsè denunciatum in vniuerſitatem ab aliis ſit ſeruandum eo modo, quod ab iis ſeruari poteſt, non minùs quàm interdictum perſonale particulare; non poteſt autem aliter ſeruari, quàm ſingulis denegando ſepulturam, cùm hic effectus ſit per alios mandandus executioni. Nec refert quod non ſint ſinguli nominatim denunciati, quia nihilominus ipſum eorum interdictum eſt nominatim denunciatum eo modo, quo denunciari debet interdictum generale perſonale. Ita Turrianus *lib. 6. diſp. 51. dub. 1.* Præpoſitus *in 3. p. q. 4 de interdicto, dub. 4. n. 51.* Auila *part. 5. diſp. 5. dub. 1.*

Suarez. Turrianus. Præpoſitus Auila.

23. Dubium eſt, an illi, quibus conceditur per priuilegium particulare intereſſe diuinis Officiis, poſſint in loco ſacro ſepeliri? Sententia communior eſt non poſſe, vt patet ex *cap. Epiſcoporum, de priuileg. in 6.* & ex *cap. ſi ſententia, de ſentent. excommunic. in 6.* Ratio eſt, quia priuatio ſepulturæ Eccleſiaſticæ eſt effectus interdicti diſtinctus à priuatione diuinorum Officiorum, nec cenſetur illi neceſſariò connexus, & proinde ſepultura non ſolùm ratione diuini Officij prohibetur, ſed etiam ratione ſui: vnde ex conceſſione vnius, non aptè infertur conceſſio alterius. Ita Suarez *diſput. 35. ſect. 1. num. 13,* Hurtadus *tract. de interdict. diſſic. 9. num. 30.* Mercerus *in 3. part. quæſt. 24. de interdict. dub. 4.* Alterius *de cenſur. tom. 2. diſput. 6. cap. 3.* Filliucius *tract. 18. num. 96.* & alij. Nihilominus contraria ſententia non eſt improbabilis, quia ſepultura interdicto negatur propter duo. *Primò*, ratione diuini Officij annexi. *Secundò*, ratione dependentiæ ad Ordinem ſacrum propter conſecrationem Eccleſiæ, vnde nec in loco ſacro ſine diuino Officio, nec extra locum ſacrum cum Officio diuino fieri poteſt, ergo quando vtrumque eorum licet ex priuilegio, conſequenter licebit ſepulturam: nam qui communicamus viuo, poſſumus communicare defuncto. Et hanc opinionem docent Nauarrus *in Man. cap. 27. n. 181.* Henriquez *lib. 13. cap. 44. n. 5.* Eman. Sà *verb. Interdictum, num. vlt.* Auila *part. 5. diſp. 4. ſect. 3. concluſ. 1.* & alij multi.

Suarez. Gaſp. Hurt. Mercerus. Alterius. Filliucius. Nauarrus. Henriq. Eman. Sà. Auila.

24. Probabile eſt, illis interdictis, quibus conceditur aſſiſtere Miſſæ, concedi etiam Euchariſtiam ſumere, niſi expreſsè excipiantur. Vnde laicis licet tempore interdicti ſumere Euchariſtiam in quatuor Feſtis, videlicet, Paſchæ, Natiuitatis Domini, Pentecoſtes & Aſſumptionis B. Mariæ: quia per *cap. Alma mater, de ſentent. excommunic. in 6.* poſſunt tunc diuinis intereſſe, & proinde omne impedimentum iuris antiqui eſt ſublatum. Et ideo ſtante probabilitate huius opinionis tempore interdicti ſi occurrat præceptum ſumendi Euchariſtiam, vt in Paſchate, poterit dari ſæcularibus. Hæc ſententia contra communem iudicata eſt probabilis à multis doctiſſimis in Hiſpania præſertim in Academiis Complutenſi & Salmaticenſi, de hac re

inter

Turrianus. Suarez. Mercerus. Layman. Coninck. Portel.

interrogatis, vt testatur Turrianus *lib. 6. disp. 48. dub. 2.* quam priùs vt probabilem admiserat Suarez *disp. 33. sect. 1. num. 36. & sequent.* quem postea secuti sunt Mercerus *in 3. part. quæst 24. de interd. dub. 2.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 2. num. 2. vers. Quarta exceptio*, Coninck *de Sacrament. disp. 17. dub. 2. num. 36.* Portel *in dub. regul. verb. Interdictum, num. 16.* Fundamentum huius opinionis est, quod cui conceditur facultas assistendi Missæ sacrificio, conceditur etiam vt de illo participare, seu communicare possit, nisi expresè excipiatur, seu denegetur. Quamuis enim qui Missam audit non statim obligetur ad communicandum in illa, quod verum est non solum de laicis, sed etiam de Clericis. Nihilominus est valdè consentaneum; huic sacrificio & modo, quo in Ecclesia offertur, vt qui assistunt, de illo suo modo participent, sicut illud suo modo offerunt: quia *cap. Alma mater* dicit, *participationem permittimus diuinorum.*

25. Quidam sustinent interdictum ab ingressu Ecclesiæ illicitè posse in ea suscipere Sacramenta: quia credibile non videtur aliquem iudicari indignum, qui aliis diuinis Officiis interfit & tamen ei permittere, vt cum aliis in Ecclesia Sacramenta recipiat. Tum quia Ecclesia non tantùm est instituta ad diuina officia celebranda, sed etiam ad Sacramenta ministranda & suscipienda. Ita Suarez *disputat. 35. sect 4. num. 5.* Coninck *disp. 17. dub. 2. num. 59.* Nihilominus contraria sententia est probabilis, si Sacramenta suscipiantur quando diuina officia non celebrantur. Ratio est, quia interdicto ab ingressu Ecclesiæ non prohibetur vsus Sacramentorum, sed vsus diuinorum Officiorum & sepulturæ. Ita Bonacina *de censur. disp. 5. punct. 5. num. 12.* Auila *part. 5. disp. 4. dub. 5. conclus. 6.* Imò probabile est, interdictum huiusmodi posse in cœmeterio officia diuina audire & Missam celebrare: quia in talis interdicti sententia tanquam pœnali, nomen Ecclesiæ accipiendum est in rigore, quo comprehendit cœmeterium. Nec est aliquod ius, vel ratio cogens ad faciendam extensionem ad cœmeterium, cùm versemur in materia odiosa. Ità Suarez *disp. 35. sect. 4. num. 16.* Filliucius *tract. 18. num. 103.* Reginaldus *lib. 32. tract. 3. cap. 29. n. 41.* & alij.

Suarez. Coninck. Bonacina. Auila. Suarez. Filliucius. Reginald.

26. Tempore interdicti si moribundus non possit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, non est improbabile posse ministrari Extremam Vnctionem, etiam ab excommunicato denuntiato: quia tunc videtur habere locum Sacramenti Pœnitentiæ & potest facere de attrito contritum. Si enim à denunciato potest tunc ministrari, poterit etiam tempore interdicti in quo potest pœnitentia, cuius locum eo in casu Vnctio Extrema tenere videtur; vt si postquam ostendit signa contritionis, amisit vsum rationis, & ob id non potest confiteri & iam moritur. Ita docent Auila *de censur. 2. part. cap. 6. disp. 3. dub. 3. concl. 5.* Coninck *in 3. part. quæst. 64. art. 6. dub. 2. num. 48.* Trullench *in Bulla Cruciat. lib. 1. §. 3. dub. 7.* quibus adhæret Diana *p. 5. tract. 10. resol. 77.*

Auila. Coninck. Trullench. Diana.

27. Tempore interdicti licitum est officium commendationis animarum, quod morientibus legi solet, quia non est Officium diuinum. Tum quia hæ commendationes animæ, in quibus recitari solent Litaniæ, Psalmi Pœnitentiales, Passio Christi, & Euangelium, multum conferunt animæ & saluti spirituali ipsius infirmi, nec est probabile Ecclesiam velle in illo vltimo discrimine destituere infirmum periclitantem, & moriturum; modo Sacerdos non dicat Dominus vobiscum, quia hoc ad Officium Diaconi pertinet.

Similiter qui habent confraternitates, possunt tempore interdicti publicè cantare Litanias, seu Rogationes & Psalmos, & Laudes Dei, & B. Virginis, & aliorum Sanctorum, etiam in ipsis Ecclesiis sitis in loco interdicto: & hoc licitum est etiam Clericis & Regularibus, siue cum cantu, siue absque cantu, dummodò id faciant sicut laici, id est, sine ea solemnitate, qua solent vti quando ex officio faciunt, nimirum, sine crucis eleuatæ gestatione; sine stola & superpellicto; sine ordine procedendi; sine Dominus vobiscum, &c. *Item*, licita est Angelica salutatio tempore cuiuscumque interdicti, siue generalis, siue specialis, quæ fieri solet ter in die, mane, meridie & vespere. *Item*, laici de populo interdicto vel loco, licitè possunt in die Parasceues ad crucem accedere, eámque adorare, & osculari, iuxta Ecclesiæ consuetudinem: quia crucis adoratio non est Officium diuinum, sed simplex oratio. Idem Clericis licet, si nihil amplius faciant, quam laici facere solent, &c. Ita Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 176.* Henriquez *lib. 13. de excom. & interd. cap. 44. §. 2.* Vgolinus *tab. 5. cap. 8. num. 2. & 3.* Sayrus *lib. 5. cap. 5. n. 38. & seq.* & alij apud ipsos.

Nauarrus. Henriq. Vgolinus, Sayrus.

28. Interdictum generale loci suspenditur generali priuilegio iuris in quatuor anni festiuitatibus, scilicet, Natiuitate Domini, resurrectione Domini, Pentecoste & Assumptione B. Virginis, vt habetur *in cap. Alma mater, §. in festiuitatibus, de sentent. excommunic. in 6.* Quibus diebus prout priùs, *Campana pulsantur, & officia diuina voce alta & ianuis apertis solemniter celebrantur, excommunicatis prorsus exclusis; non interdictis, quibus ob reuerentiam dictarum solemnitatum (vt ipsi interdicti ad humilitatis gratiam & reconciliationis effectum facilius inclinentur) præfatis diebus participatio diuinorum permittitur, sic tamen, quod illi, propter quorum excessum interdictum huiusmodi prolatum est, altari nullatenus appropinquent.*

Circa quam suspensionem est annotandum *Primò*, quod interdictum particulare in his festiuitatibus non suspendatur, vt ex textu *dict. cap. Alma mater, & Glossa ibi, in verb. Ecclesiis* colligi potest, & docet Nauarrus *in Manual. cap. 27. num. 173.*

Glossa. Nauarrus.

Secundò, In his festis interdictum solùm suspenditur pro prima die earum, non autem pro duobus aliis sequentibus, vnde prima solùm die licitè celebrantur diuina officia, vt prius. Quia reliqui duo dies sequentes de octaua sunt & officium de octaua fit, non de die, imò in Natali Domini Officium fit de aliis Sanctis, vt ex communi docet Nauarrus *cap. 27. num. 182.* Vgolinus *tab. 5. cap. 8. §. 9.* & alij.

Nauarrus. Vgolinus

Tertiò, officia diuina, quæ in his festiuitatibus permittuntur, à primis Vesperis ipsum diem Festum antecedentibus, Inchoantur, vt habet communis Doctorum opinio ex Nauarro *loco citato num. 184.* Armilla *verb. Interdictum, num. 43.* Imò probabile est, in Festis Resurrectionis, Pentecostes & Natiuitatis Officium inchoari à Missa Vigiliæ, id est, die præcedenti. Ratio est quia cum sit Priuilegium Principis & fauorabile, nemini perniciosum, potius ampliandum & latè interpretandum erit, quàm restringendum. Ita Paludanus *in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 2. concl. 7.* Sayrus *lib. 5. cap. 13. num. 7.* Sotus *4. distinct. 22. q. 3. art. 1. concl. 4.* Henriquez *lib. 13. de excom. & interd. cap. 47. §. 3.* Terminantur autem hæc officia post Completorium illorum dierum: quia Completorium Festi duplicis est pars officij illius diei.

Nauarrus. Armilla. Paludanus. Armilla. Sotus. Henriq.

Quartò,

Quartò, in his feſtiuitatibus quæcumque officia diuina, tam publica, quàm priuata, tam ordinaria quàm extraordinaria, ſiue coniuncta ſint cum benedictionibus, ſiue abſque benedictionibus fiant, publicè celebrari poſſunt, vt obſeruat conſuetudo. Vnde his diebus poteſt Epiſcopus conſecrare Calices, Eccleſias, Altaria, benedicere Abbates, Abbatiſſas, Virgines, Corporalia & ſimilia: poſſunt etiam in Aſſumptione B. Virginis & in Feſto Pentecoſtes & Corporis Chriſti fieri benedictiones nuptiales, quæ pertinent ad officium: non tamen in Feſtis Natiuitatis & Reſurrectionis, quia id iure prohibitum eſt, in Conc. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 10. de reform. matrim.* Item poſſunt ſepeliri mortui etiam laici cum ſolemni officio ſepulturæ; quia his diebus licitum eſt omne officium diuinum, quale eſt officium ſepulturæ & omnis benedictio. Excipiuntur tamen nominatim interdicti, qui hoc priuilegio non gaudent. Ita Sayrus *lib. 5 cap. 13. n. 10. 11, & 12.* cum multis aliis à ſe citatis.

Conc. Trid. Sayrus.

Quintò, quamuis his diebus interdicti etiam laici Officiis diuinis intereſſe poſſint, non poſſunt tamen altari appropinquare; vnde ſi orandi cauſa ad Eccleſiam veniant, eis altari appropinquare prohibetur, vt rubore perfuſi à contumacia diſcedant. Hinc interdictorum viuorum non pœnitentium oblationes non accipiuntur in miſſa, ſed tantùm eorum, qui cum pœnitentia mortui ſunt. Ita Tabiena *verb. Interdictum 5. num. 2.* Henriquez *loco cit. cap. 47. §. 2.* & communis.

Tabiena. Henriq.

29. Suſpenditur etiam interdictum generali priuilegio in feſtiuitate Corporis Chriſti & per totam eius Octauam, ſicut in quatuor prædictis. Quæ ſuſpenſio facta eſt per Martinum V. ſolùm pro die ipſo, eam tamen poſtea Eugenius IV. in Extrauag. quæ incipit, *Excellentiſſimi*, ad Octauam vſque diem extendit. Item etiam ſuſpenditur interdictum in feſtiuitate Conceptionis B. Virginis & per totam eius octauam per quandam Bullam Leonis X. vt habetur *in Compendio Priuileg. Mendic. verb. Conceptio Virginis, §. 11. & verb. Interdictum 2. §. 8.* Sed hæc ſuſpenſio tantùm valet pro Eccleſiis Hiſpaniæ, vt tenet Couarruuias *in cap. Alma mater, part. 2. §. 5. num. 2. verſ. Secundo, de ſent. excommun. in 6.* Item ſecundùm nonnullorum ſententiam ſuſpenditur interdictum generale loci etiam in aduentu regis in aliquam Ciuitatem, quæ interdicta eſt, ſaltem in die aduentus, vel altero ſequenti. Sed hoc nullo priuilegio, aut iure communi cautum eſt; ſed tantùm probabile, non eſſe mentem Summi Pontificis in hoc caſu, communem illius ciuitatis lætitiam impedire, vt opinantur Couarru. *loco citat. num. 4. verſic. Quinto*, Vgolinus *tab. 5. cap. 8. §. 6. num. 2.* Henriquez *lib. 13. cap. 47. §. 4.*

Martin. V. Eugen. IV. Leo X. Caſarubius. Couar. Couar. Vgolinus. Henriq.

Demum principaliter ſuſpenditur interdictum ſpeciali priuilegio, quod concedi ſolet per Sedem Apoſtolicam communiter & ordinariè, vt multa fuerunt olim priuilegia conceſſa religioſis & Epiſcopis circa celebrationem tempore interdicti, vt colligitur ex *cap. vt priuilegia, cap. Quod nonnullis, de priuileg.* quare priuilegia Religioſorum conſulenda ſunt, & videri poſſunt in Compendio Priuileg. Ordinum Mendicant. *verb. Interdictum.*

30. Legatus à latere poteſt etiam ſuſpendere interdictum & concedere priuilegium celebrandi tempore interdicti, ſiue à ſe lati, ſiue ab Epiſcopis & aliis Prælatis, qui ſunt ſub eius legatione, vt docent Sylueſter *verb. Interdictum 3. num. 10.* Angelus *verb. Interdictum 8. num. 5.* Henriquez *lib. 13. cap. 48. §. 3.* Et hoc priuilegium Legati valet non ſolùm pro tempore legationis, ſed etiam poſt expirationem legationis, niſi ſpecialiter à ſucceſſore reuocetur. An autem Legatus poſſit ſuſpendere interdicta à Sede Apoſtolica lata? Reſpondeo, hoc pendere ex forma conceſſionis legationis, quæ ipſi Legato fit. Epiſcopus autem & alij Prælati inferiores poſſunt interdictum ſuum locale etiam ſuſpendere, vt docent Sylueſter *verb. Interdictum 3. num. 8.* Angelus *verb. Interdictum 8. n. 3. & 7.* Sayrus *loco cit. num. 27.*

Sylueſt. Angelus. Sayrus. Sylueſt. Angelus. Henriq.

31. Interdictum perſonale poteſt à Iudice Eccleſiaſtico vel ſimpliciter & omnino ſuſpendi quoad omnes eius effectus, vel quamdiu ei videbitur, & in ordine ad illos effectus, qui videbuntur, vt tradunt communiter Doctores. Ratio eſt, quia cenſuræ Eccleſiaſticæ regulariter ligant ad nutum & voluntatem Iudicis eas decernentis, *cap. Veniens 2. de teſtib. & cap. Significaſti, de eo, qui duxit in matrim.* Huiuſmodi tamen Iudices & Prælati caueant, ne ex quauis cauſa facilè ſuſpendant interdictum, ſed ex cauſa graui, & ne ad longum tempus illud ſuſpendant, ne priuilegium dare aduerſus ius commune, ſeu in iure diſpenſare videantur, vt rectè annotauit Couarruuias *in cap. Alma mater, part. 2. §. 2. num. 4. de ſentent. excommunicat. in 6.* Adde quod interdictum dum ad tempus ſuſpenditur, quantum ad aliquem, aut omnem effectum, redit, quamuis, qui cauſam dederunt, plenè ſatisfecerint, vt tradit Henriquez *lib. 3. cap. 51. §. 4.*

Couar. Henriquez.

32. Clerici violantes interdictum merentur aliquas pœnas, & quaſdam ipſo facto incurrunt. Et quidem *Primò* merentur ſpoliari omnibus beneficiis, vt habetur *in cap. Poſtulaſtis, §. quaſiuiſtis, de cler. excommunic. miniſt. Secundò*, perpetuæ depoſitionis ſententiam pro auſu tantæ temeritatis incurrere, niſi moniti ſine dilatione deſiſtant. Ita *cap. Clerici autem, de Cleric. excommunic. miniſtr. Tertiò*, celebrans in loco interdicto, aut diuina ibi faciens, ad beneficia Eccleſiaſtica & dignitates eligi non poteſt, aut eligere, *cap. is, qui, §. is verò, de ſentent. excommun. in 6. Quartò*, quod nec poſtulari ad dignitatem Eccleſiaſticam valet, Gloſſa *in dict. cap. is qui, de ſentent. excommunic. in 6. Quintò*, celebrans, vel celebrare faciens in loco generaliter interdicto, vltra ea, quæ de iure conceduntur, etiamſi exemptus ſit, interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ incurrit, quouſque ad arbitrium eius ſatisfecerit, cuius interdictum violauit ex *cap. Epiſcoporum, de priuileg. in 6.* Et ad arbitrium Epiſcopi, ſi violet interdictum iuris. Item, Clericus non ſeruans interdictum loci, ab officio & beneficio ſuſpenſus eſt, *cap. finali, de exceſſ. Prælat.* & ſic ſuſpenſus, ea quæ iuriſdictionis ſunt, exercere non poteſt: quia ſuſpenſus ab officio conſequenter iuriſdictione priuatur, quæ ei ratione officij competit, vt habet communis doctorum ſententia. *Sextò*, Religioſi interdictum generale non obſeruantes, vbi Cathedralis, aut matrix Eccleſia ipſorum illud obſeruat, ipſo facto & iure excommunicati ſunt, vt habetur *in Clement. 1. de ſentent. excommun. Septimò*, Domini terrarum qui in locis interdicto ſubiectis aliquem diuina celebrare cogunt, mortaliter peccant, & ipſo iure excommunicati ſunt. Ex *Clem. 2. de ſentent. excommun. Octauò*, Tempore interdicti generalis loci in loco ſacro mortuos ſepelire in caſibus non permiſſis ipſo facto excommunicatio incurritur; à qua quis abſolui nequit, niſi priùs ad arbitrium Ordinarij illis, quibus ob id iniuria irrogata eſt, omnino ſatisfecerit, vt habetur *Clem. 1. de ſepultur. Nonò*, Clericus interdictus decedens Eccleſiaſtica ſepultura priuatus eſt, niſi moriens pœnituerit. Ex *cap. is. cui, de ſentent. excommunic. in 6.* Porrò, Clericus interdictum quodcumque exercitio

Gloſſa

tio alicuius Ordinis ſacri violans irregularis eſt. Ex *cap. 1. de ſentent. & re iudic. in 6.* & *cap. Cùm medicinalis, §. cæteràm autem,* & *cap. ii qui, §. is verò, de ſentent. excom. in 6.* Et hæc de interdicto addita ſufficiant. De quo plura apud Auctores hic citatos cernere licebit.

Vide v. Beneficium 2. *num.* 5. Excommunicatio 2. *num,* 29. Miſſa 3. *num.* 16.

IRREGVLARITAS I.

De irregularitate ex defectu.

S V M M A R I V M.

1 *An omnis irregularitas iure humano Pontificio conſtituta ſit.*

2 *An damnatus ad triremes efficitur irregularis.*

3 *An ignorantia inuincibilis iuris excuſet ab irregularitate ex delicto.*

4 *An pluralitas vxorum per verba de præſenti citra conſummationem, irregularitatem bigamiæ inducat.*

5 *Ducens vxorem corruptam quæ moritur ante copulam, & deinde ducit Virginem, quam cognouit, an ſit bigamus & irregularis.*

6 *Quæ ſit ratio, quare corruptio viri cum aliis extra matrimonium non efficiat eum bigamum, ſicut efficitur bigamus ſi ducat vxorem ab alio cognitam.*

7 *An ſit irregularis, aut bigamus ille, qui liber eſt ab omni voto & matrimonium contrahit cum Moniali, ſi eam cognoſcat.*

8 *An ex corporis defectu ſint irregulares, qui in iure dicuntur corpore vitiati, aut diminuti.*

An quodcumque corporis vitium vel Ordinis executionem impediens, vel inſignem deformitatem inducens irregularem habentem efficiat.

An inhabilis ad Sacerdotium, promoueri poſſit ad alios Ordines maiores vel minores.

9 *An defectus membri magni & apparentis irregularitatem inducat.*

10 *An defectus membri alicuius occulti, qui notabilem deformitatem non generat, irregularitatem inducat.*

11 *Quis illiteratus dicendus & cenſendus irregularis.*

12 *An illegitimè natus fiat legitimus per ſubſequens matrimonium.*

13 *Illegitimus promotus ad ordines ſine diſpenſatione antequam parentes ipſius inter ſe contraxerint, an poſſit poſt tale matrimonium Ordinem ſuſceptum exercere vel ad aliorum aſcendere ſine diſpenſatione.*

14 *Qui auctoritate Principis eſt legitimus factus, an poſſit ad Ordines ſine diſpenſatione promoueri.*

15 *Ad quem Principem pertineat legitimare filium Clerici ex Sacrilegio natum.*

16 *An irregularitas ex defectu natalium per profeſſionem Religionis aboleatur quoad Ordines ſuſcipiendos & ſuſceptorum vſum?* Refertur duplex ſententia.

17 *An filij infidelium cenſeantur legitimi, ſi parentes eorum matrimonium contraxerint cum impedimento dirimente.*

18 *An irregulares ſint, qui curam pauperum & tutelam ſuſceperint.*

19 *An irregularis ſit teſtis, qui iure naturæ vel præcepto iudicij, vel ex metu cogitur ad teſtimonium ferendum in cauſa ſanguinis.*

20 *Quid reſpondere debeat Prælatus, qui petitur à ſuis Officialibus, quid faciendum ſit in cauſa ſanguinis.*

21 *In quibus caſibus Clericus in ſacris exercens Chirurgiam per inciſionem vel adуſtionem, non fiat irregularis.*

22 *An irregularitas ex defectu lenitatis contrahatur ante baptiſmum & per illum deleatur.*

23 *An Clericus cauſam ciuilem deferens apud ſæcularem iudicem, teneatur præmittere proteſtationem.*

24 *Quando Clericus crimen defert apud iudicem Eccleſiaſticum, an debeat proteſtationem facere.*

25 *An Clerici ſint irregulares, dum interſunt ſententiæ & executioni pœnæ mortis, & quale peccatum committant.*

26 *An Clericus ſit irregularis, qui præbet arma militi in bello iuſto, vt mortem alterius exequatur? Et quid ſi incitet ad aliquem determinatè occidendum.*

27 *Dubium, an in bello iuſto aliquem occiderit vel mutilauerit, an debeat ſe reputare irregularem?* Refertur duplex ſententia.

28 *An Ordinatus ante legitimam ætatem ante & poſt Bullam Pij II. Cùm ex Sacrorum, ſit ſuſpenſus.*

1. OMnis irregularitas iure tantùm humano Pontificio conſtituta eſt: multæ tamen irregularitates iure Pontificio conſtitutæ, ex lege veteri & naturali originem traxerunt, & Eccleſia ad legis veteris imitationem iſtas inſtituit. Cæterum licet irregularitas ex lege naturæ originem trahat & multæ ex illis in lege veteri fuerint, necnon ex Canonibus Apoſtolorum & eorum Epiſtolis deſumptæ ſint; nihilominus tamen irregularitates omnes iure tantùm humano Pontificio inſtitutæ ſunt; quia Apoſtolorum Canones & Decreta iuris humani ſunt. Vnde ſi aliquando dicant Doctores aliquas irregularitates de iure diuino eſſe, aut falſum dicunt, aut intelligendi ſunt ita docuiſſe, quia habent originem ex lege veteri, ex cuius imitatione illas inſtituit Eccleſia. Ita Couarruuias *in Clement. Si furioſus, numero* 2. *de homicid.* Nauarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 134. *verſ. Quinto,* & alij communiter. Quod colligitur expreſsè ex *cap. is qui, de ſentent. excommunicat. in 6.* vbi dicitur, *quòd nemo ſit irregularis cenſendus, niſi ſit in iure expreſſum.* Vnde in hac materia non valet argumentum à ſimili, neque à fortiori. Nec obſtat *cap. ad audientiam,* & *cap. Significaſti, de homicidio,* vbi ſtatuitur cenſendum eſſe irregularem eum, qui de irregularitate ſui dubius atque incertus eſt, eò quòd in dubio tutior pars ſit eligenda. Hæc enim iura procedunt vbi dubium eſt de facto, ſed *cap. is, qui,* procedit de iure; igitur quando dubium eſt de iure, hoc eſt, an ſit pro aliquo delicto commiſſo impoſita à iure aliqua irregularitas, tunc eſt iudicandum non eſſe irregularitatem in eo caſu conſtitutam, cùm talis irregularitas non ſit in iure expreſſa. Ita Suarez *de cenſur. diſputatione* 40. *ſectione* 4. *numero* 15. Sayrus *lib. 6. cap. 2. num.* 14. & 15. Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 19. punct. 2. notab. 3.* & alij communiter. Couar. Nauarrus. Suarez. Sayrus. Valentia.

2. Probabile eſt, damnatum ad triremes non effici irregularem: nam irregularitas non contrahitur

hitur, niſi in caſibus à iure expreſſis, quod idem dicendum eſt de pœna infamiæ, ex Gloſſa *in cap. infamibus, de regul. iur. in ſexto.* Sed non legitur condemnatum ad remigandum contrahere infamiam. Ita homobonus *in conſultat. caſuum conſcient. volum. 1. parte quarta, reſponſ.* 158. Riccius *deciſ. Cur. Neapolit. parte prima, deciſ.* 119. nihilominus contrarium eſt etiam probabile, quod docent Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 2. allegat. 43. num.* 15. Lezana *in Summ. quæſt. regul. cap.* 16. *n.* 32. & alij.

Homobon. Riccius. Barboſa. Lezana.

3. Ignorantia iuris inuincibilis excuſat ab irregularitate ex delicto, etiamſi imponatur pro facto iure naturali damnato: quia pœna non incurritur abſque culpa: & ideò ſi excommunicatus, ſuſpenſus, aut interdictus celebret ignorans inuincibiliter eſſe impoſitam pœnam irregularitatis excommunicato, ſuſpenſo, aut interdicto celebranti, non incurrit irregularitatem: vt ſæpiùs diximus ex probabili Doctorum ſententia, vbi ſupra *verb. Ignorantia, numero ſeptimo, & tomo primo, eodem verb. numero decimo ſeptimò.* Si dicas, ex hac doctrina ſequi, quòd ſi quis occideret aliquem neſciens homicidio impoſitam eſſe irregularitatem, illam non incurreret? Reſpondeo, hoc concedere Portel *in dub. regular. verb. Ignorantia, numero vigeſimo*, Caſtrum Palaum *in opere moral. tomo primo, tractatu ſecundo, diſputatione prima, punct.* 18. Sed verius eſt contrarium: quia irregularitas ex homicidio, vel mutilatione, licet videatur eſſe ex delicto, includit tamen præcipuè defectum lenitatis, ergo incurritur: quia certum eſt apud omnes irregularitatem ex defectu certo contrahi, etiamſi operans operetur ignorantia inuincibili, vt rectè ex Merolla aduertit Diana *part. 4. tract. 2. reſol.* 85.

Portel. Palaus. Merolla. Diana.

4. Pluralitas vxorum per verba de præſenti citra conſummationem, irregularitatem bigamiæ non inducit *cap. Debitum, de bigamis.* Ratio eſt, quia cùm non adſit commixtio carnis in huiuſmodi matrimonio, non perfectè ſignificatur aſſumptio & vnio humanitatis cum verbo diuino. Similiter iterata ſponſalia citra copulam, aut etiam cum copula irregularitatem non inducunt, quia ad irregularitatem contrahendam non ſatis eſt, quæcumque carnis commiſtio, ſed quæ eſt cum iis, cum quibus contractum eſt matrimonij Sacramentum de iure vel de facto; fornicaria autem coniunctio non ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia. Ita D. Thomas *in ſupplem. 3. p. quæſt. 66. art. 1. ad 2.* & communis.

D. Thom.

5. Si quis ducat vxorem etiam corruptam, moritur tamen ante carnis copulam, & deinde ducit Virginem & eam cognoſcit, non eſt bigamus, neque irregularis: quia non diuiſit carnem ſuam in plures, nec cum corrupta conſummauit: ſicut nec bigamus cenſetur, qui ab alio ductam, ſed minimè cognitam deſponſauit, & eam cognouit, *cap. Debitum, de bigamis*, Sayrus *lib. 6. cap. 4. n.* 16.

Sayrus.

6. Petes, quare diuiſio & corruptio viri cum aliis extra matrimonium, non efficiat eum bigamum, ſicut efficitur bigamus ſi ducat vxorem ab alio cognitam? Reſpondeo rationem communiorem & veriorem eſſe, quia irregularitas hæc contrahitur ex defectu contracto in Sacramento matrimonij; actus autem contrahendi, ſeu contrahentis matrimonium, ſcilicet conſenſus ille non cadit ſuper ſeipſum, ſed alterum coniugem, vnde vitium corruptionis extra matrimonium factum nullum ponit defectum in Sacramento ex parte eius, in quo eſt corruptio, ſed ex parte alterius, quia ſcilicet conſenſus contrahentis matrimonium non cadit ſuper ſeipſum, ſed ſuper alterum. Quare cùm matrimonium ſit motus quidam & actio, actio autem & motus ſpecificantur non à termino à quo, ſed à termino ad quem, inde eſt, quod cùm matrimonium viri terminetur ad fœminam, contrahens cum corrupta, irregularis efficitur, quia ex parte illius eſt defectus myſticæ ſignificationis. Pari ratione corruptio viri extra matrimonium mulierem faceret irregularem, ſi capax eſſet irregularitatis, ipſe verò non eſſet irregularis, quia terminaretur eius corruptio ad fœminam tanquam ad terminum ad quem, eo modo, quo nunc corruptio ex parte mulieris transfertur in virum, qui cùm capax ſit irregularitatis, exinde irregularitatem contrahit. Ita D. Thomas *in ſupplem. 3. part. quæſt. 66. art.* 3. Syluius *ibidem*, Sylueſter *verb. Bigamia, n. 2. quæſt. 1.* Couarruuias *in Clement. Si furioſus, p. 1. §. 2. n. 3. de homicid.* & alij.

D. Thom. Syluius. Sylueſt. Couar.

7. Si quis liber ab omni voto contrahat matrimonium cum fœmina habente ſolemne votum caſtitatis, ſi eam cognoſcat, non videtur eſſe irregularis, aut bigamus: quia *cap. Quotquot 27. q. 1.* tantum loquitur de contrahentibus matrimonium poſt ſolemne votum caſtitatis, non autem de iis, qui contrahunt cum fœminis habentibus votum ſolemne caſtitatis. Hæc autem interpretatio benignior eſt, pœnæ autem reſtringendæ ſunt potiùs quam ampliandæ; cùm id non ſit iure expreſſum. Ita Henriquez quem citat & ſequitur Sayrus *loco cit. n.* 24. licet aliqui contrarium ſentiant.

Henriq. Sayrus.

8. Ex corporis defectu irregulares ſunt omnes habentes aliquem corporis defectum, qui in iure dicuntur vitiati, aut diminuti corpore, vt conſtat ex toto titul. de corpore vitiatis, & *cap. illiteratos, diſtinct. 36. & diſtinct. 55. per totum.* Corpore autem vitiati in hac materia dicuntur illi, qui vel debilitati ſunt vel mutilati. Debilitatus autem dicitur ille, qui habet quidem omnia membra, ſed tamen, aut vnum, aut plura inefficacia & inutilia habet, vt qui habet oculum cæcum, aut manum aridam. Mutilatus verò is eſt, qui aliquo corporis membro neceſſario ad vſum Ordinum caret, vt manu, vel oculo, &c. Sed vt ſcire quis poſſit quodnam corporis vitium irregularem faciat, ſequentia notanda ſunt.

Primum, quodcumque corporis vitium vel Ordinis executionem impediens, vel inſignem deformitatem inducens, irregularem habentem efficit. Non eſt tamen eadem ratio de habentibus defectus corporis quoad Ordines ſuſcipiendos & quoad exercitium actus in ordinibus receptis, antequam talis corporis defectus contigerit: nam quoad Ordines ſuſcipiendos eo ipſo iure, quo quis inhabilis eſt ad Ordines ſuos exercendos, etiam nec promoueri debet, & ſic promotus deiicitur: quando autem poſt Ordines ſuſceptos ſuperuenit talis defectus, ſi non per hoc redditur nimis deformis, poteſt exequi illa officia, ad quæ non impeditur propter illum defectum, puta, Diaconus, cui ſiniſter oculus erutus eſt, inhabilis fit ad Sacerdotium, licet in ſuo Ordine miniſtrare non prohibeatur, ſicut colligitur ex *cap. vlt. diſt.* 55. Et Sacerdos, cui pollex vel medietas palmæ cum duobus minoribus digitis abſciſſa eſt, inhabilis fit ad ſacrificandum; non item ad alia Sacerdotis munera, v.g. Confeſſiones audiendas, vel actus Diaconi & Subdiaconi faciendos. Ex *cap. Presbyterum, de Cleric. ægrotante.* Et notat D. Thomas 3. *p. quæſt.* 82. *art. vlt. ad* 3. Nauarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 200. *verſ. Septimo dico*, Suarez *diſp.* 51. *ſect. 2. n.* 13. Molina *tract. 3. diſp.* 70. *num.* 14. & alij communiter.

D. Thom. Nauarrus. Suarez. Molina.

Sed dubium hic eſt, an inhabilis ad Sacerdotium ob

ob defectum aliquem corporis, ad Diaconatum vel Subdiaconatum vel ad minores promoueri possit? Respondeo posse ex iusta & rationabili causa, quando defectus talis non est, vt eorum Ordinum vsum impediat: tamen qui careret membro necessario ad Sacerdotium, ad aliorum verò Ordinum vsum minimè necessario, iure Canonico est irregularis & prohibitus à quocumque Ordine Clericali, quia *in cap. Illiteratos dist.* 36. absolutè & generaliter dicitur, *Corpore vitiatos, aut diminutos ad Clericatum promoueri non debere.* Secus dicendum de illo, qui propter deformitatem in aliquo membro corporis, irregularis est ad Sacerdotium; vt quia vngue pollicis caret, aut aliquo alio, ad alios Ordines inferiores admitti potest, quia in iure expressum non est, quod talis sit irregularis ad alios Ordines, cùm aliud sit membro carere, aliud deformitatem membri habere. Ita Panormitanus *in cap. Exposuisti, de corpore vitiatis,* Sayrus *lib. 6. cap. 7. num.* 8. Maiolus *lib. 1. de irregul. cap. 14. num.* 14. quamuis contrarium probabiliter aliqui sentiant.

Panormit. Sayrus. Maiolus.

9. Secundum notabile est, quòd defectus membri magni & apparentis, inducens magnam deformitatem, ex quacumque causa proueniat, irregularitatem inducit, & hominem inhabilem reddit ad promotionem & à promotis deiicit. Similiter priuatus membro paruo & occulto sponte & sine iusta causa, ab ordinatione repellitur, & ab ordinatis deiicitur, siue ipse abscideriit, siue alius ex sua culpa: & hoc verum, etiamsi ea abscissio nec impediat ministerium Ordinis, nec notabilem deformitatem inducat: vnde abscindens propria voluntate pudenda, vel sine iusta causa permittens amputari, est irregularis, etiamsi id faceret causa castitatis, existimans se obsequium præstare Deo, *cap. Si quis abscidit,* & *cap. Qui partem, distinct.* 55. & *cap. Maritum, dist.* 33. Sic etiam qui abscindit partem membri, est irregularis, vt qui abscidit partem digiti, aut testiculos sine amissione membri generalis, aut etiam debilitauit membrum, aut partem eius, si per indignationem vel impatientiam id fecit: præsertim si notoria sit abscissio. Ita Navarrus *in Man. cap.* 27. *n.* 198. Couarruuias *in Clement. Si furiosus, part.* 1. *init. relect. num.* 6. Sayrus *loco cit. n.* 9. *& seq.* citans multos. Vide Dianam *p.* 4. *tract.* 2. *resol.* 60.

Nauarrus. Couar. Sayrus. Diana.

10. Tertium. Defectus membri alicuius occulti, qui notabilem deformitatem in facie, manibus, aut corpore non generat, si ex propria culpa non acciderit, irregularitatem non inducit. Vnde si ex causa iniusta, non autem sponte, sed inuitus, puta, si ab inimicis per insidias, aut vim, aut etiam sit ita natus, aut puer in cunabulis virilia amiserit, aut aliud membrum occultum non generans deformitatem, talis promoueri potest & in susceptis ministrare, *cap. Si quis à medicis, cap. Eunuchus, cap. Si quis pro aegritudine. cap. Si quis in infirmitate, distinct.* 55. Ita Suarez *disp.* 51. *sect.* 2. Molina *loco cit. disp.* 70. Nauarrus *in Man. cap.* 27. *n.* 199. *vers. Tertiò dico,* & alij communiter.

Suarez. Molina, Nauarrus.

11. Illiteratus, qui ob defectum literaturæ irregularis dicitur, siue ante, siue post Concilium Tridentinum, est ille, qui latinè legere & scribere nescit, aut qui linguam latinam arte vel vsu non didicit; quia qui sic ignarus est, dicitur esse absque literis, vt colligi potest ex *cap. final. de aetate & qualitat. ordinand.* & *cap. final. de tempor. ordinand. in sexto.* Et hæc literatura sufficit, vt quis irregularis non sit ob defectum literaturæ in iure requisitæ: literatura verò, quam Tridentinum ad singulos Ordines requirit, est literatura, quæ iure naturali requiritur, vt quisque sciat benè ea, quæ ad suum Officium pertinent, vt illud rectè, & debito modo facere & exercere queat. Nauarrus *in cap. Si quando, de rescript.* Vivaldus *tract. de irreg. num* 93. Sayrus *lib. 6. cap.* 13. *n.* 5.

Nauarrus. Vivaldus. Sayrus.

12. Vt filius illegitimè natus fiat legitimus per subsequens matrimonium, ex communi Doctorum sententia requiritur vt tempore generationis, quo filius est genitus, parentes inter se contrahere possent matrimonium, si consensus adfuisset. Si enim tunc habent aliquod impedimentum dirimens, quo ad matrimonium contrahendum inter se sint inhabiles, licet remoto illo impedimento postea contrahant, non fit legitimus filius antè generatus per matrimonium subsequens, atque ita manet irregularis, *ex cap. Tanta, qui filij sint legitimi.* Ex quo infertur *Primò*, filios natos ex coitu fornicario etiam domi, minimè cohabitante concubina per subsequens parentum matrimonium legitimos esse. *Secundò*, filium susceptum ex religioso & concubina, vel ex religiosa, intra annum probationis per subsequens matrimonium fieri legitimum. *Tertiò*, sequitur, quòd habens filios ex concubina, licet alter parentum contrahat matrimonium cum alio, vel cum alia post conceptum filium, si defunctis eorum coniugibus, inter se contrahant matrimonium, proles quæ concepta erat primo tempore, quo soluti erant, fit legitima, non obstantibus nuptiis intermediis. Ratio horum est, quia tempore conceptionis parentes inter se matrimonium contrahere poterant. Econtrà, qui ex coitu incestuoso, puta ex affinitate, vel consanguinitate scienter geniti sunt, & postea Papa dispensat & per illam dispensationem parentes matrimonium contrahunt, filius per subsequens matrimonium non fit legitimus. Ratio est, quia tempore generationis parentes non erant apti ad legitimum matrimonium contrahendum. Potest tamen Papa facere vt sua prouisio & dispensatio inducat plenum effectum, etiam quoad præterita, & ita potest Papa tollere impedimenta, quæ erant tempore conceptionis. De quibus plura apud Sayrum *lib. 6. c.* 10. *num.* 15. *& sequent.* Couarruuiam *in Epitom. 4. decretal. part.* 2. *cap.* 8. §. 2. *&* 3. Syluestrum *verb. Illegitimus,* & *verb. Legitimus,* & alios.

Sayrus. Couar. Syluest.

13. Illegitimus, qui sine dispensatione ad aliquem Ordinem promotus est, antequam parentes ipsius matrimonio inter se coniungerentur, potest post initum tale matrimonium, per quod factus est legitimus, Ordinem susceptum exercere, & ad altiorem ascendere, sine dispensatione. Nam per illam susceptionem Ordinis, non incurrit nouam irregularitatem, sed tantùm suspensionem ab executione susceptí: atque illa, cui subiiciebatur ex defectu natalium, purgata est omninò per sequens matrimonium, per quod verè effectus est legitimus. Quia igitur nulla ei superest irregularitas, nulla opus habet dispensatione. Cessat pariter suspensio secuta ex illa ordinatione: nam cessat effectus cessante ipsius causa. Idcoque sicut ordinatus ante ætatem, hoc ipso quod ætas debita aduenit, potest sine disputatione exercere susceptos Ordines; ita & is qui adhuc illegitimus, ordinatus est, potest prædicto modo factus legitimus, in susceptis Ordinibus sine dispensatione ministrare: nisi fortè antea præsumpserit exercere Ordinem susceptum: in hoc enim casu nouam irregularitatem incurrit, eò quòd in suspensione Ordinem exercuerit, vnde post legitimationem aduenientem, opus habet dispensatione. Ita Reginaldus *lib.* 30. *tract.* 2. *n.* 71. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 59. & alij.

Reginald. Diana.

14. Qui auctoritate legis ciuilis, vel Principis

ſæcularis ſuperiorem temporalem non agnoſcentis, ex illegitimo factus eſt legitimus, non poteſt ad Ordines ſine diſpenſatione promoueri; iuxta *cap. Per venerabilem, qui filij ſint legitimi.* Ratio eſt, quia cùm poteſtas ſæcularis determinata ſit ad res ſæculares, ideoque non ſe extendat ad ordines & dignitates Eccleſiaſticas, ne quidem indirectè, cùm id quod minus eſt, vt ſæculare, non trahat ſecum id quod maius eſt, vt ſpirituale, ſequitur quod talis legitimatio quoad ſæcularia, id eſt, quoad dignitates & ſucceſſiones ſæculares locum tantummodò habet in terris ſubiectis poteſtati Principis legitimantis & quoad ſola ſæcularia; neque ſe extendit ad Ordines & dignitates Eccleſiaſticas, quæ ſæculari poteſtati non ſubſunt, vt pluribus docet Couarruuias *in Epitom. 4. decretalium, cap. 8. §. 8.* & Diuus Antoninus *3. p. tit. 28. cap. 4. §. 1. in fine.* Couar. D. Anton.

15. Difficultas eſt inter Doctores, ad quem Principem ſpectet legitimare filium Clerici ex ſacrilegio natum; hoc eſt filium Sacerdotis, vel alicuius in ſacris Ordinibus conſtituti? Quidam docent ad ciuilem Principem hoc ſpectare, vt tanquam hæres ſuccedat in bonis profanis patris, hoc eſt, in bonis ipſius patrimonialibus, ac vt poſſit ad dignitates, honores, ad munera, ac officia ciuilia promoueri. Ratio eſt, quia filius huiuſmodi eſt laicus, & eſt Principis ſæcularis poteſtati & iuriſdictioni ſubiectus. Tum quia ſolùm reſtituitur natalibus in iis, quæ profana & ciuilia ſunt, & vt fungi poſſit ciuilibus officiis: ergo ad ciuilem Principem pertinet, ius natalium ipſi concedere. Ita Couarruuias *in Epitom. de matrim. cap. 8. §. 8. n. 19.* dicens hanc eſſe communem ſententiam. Nihilominus alij ſuſtinent, hanc natalium reſtitutionem eſſe petendam à Summo Pontifice, non à principe ſæculari: quia Clericorum bona ſunt à Principum ciuilium iuriſdictione libera & exempta: tum quia filius legitimus non ſit, niſi conſentiente patre: at pater cùm Clericus ſit, etiam ſponte ſua nequit coram Iudice ſæculari cauſam aliquam tractare, *cap. ſi diligenti, de foro competent.* Ita Dominicus *in cap. vlt. §. 1. de iudic. in ſexto*, Paulus Pariſius *lib. 2. conſil. 2. num. 23.* & alij. His poſitis, tutius eſſet ab vtroque Principe legitimationem poſtulare. Si tamen filius etiam Clericus fuerit, nonniſi à Pontifice maximo poteſt legitimis natalibus reſtitui; quia legitimatio eſt actus iuriſdictionis, ſed Clericos à ſæculari poteſtate exemptos eſſe ex ſe patet. Ita Decius *conſil. 150.* Diana *parte prima, tract. 2. reſolut. 112.* qui citat Baſilium Pontium & alios. Contra Couarruuiam *ſupra.* Sed plura de his infra. Couar. Dominicus Pariſius. Decius Diana. Pontius.

16. Si quis illegitimus in ſæculo abſque diſpenſatione ad Ordines promoueatur, iuxta quorumdam ſententiam, non poterit effectus profeſſus in eis miniſtrare: quia *cap. 1. de filiis presbyt.* dum hanc irregularitatem aboleri decidit profeſſione, loquitur ad effectum Ordinis ſuſcipiendi: & cùm contineat diſpenſationem quandam, ea eſt ſtrictè intelligenda. Ita docent Sayrus *de cenſur. lib. 6. cap. 11. num. 3.* Angles *in 4. quæſt. de Sacrament. Ordinis, art. 4. diffic. 1. concl. 5.* Sed verius eſt eam irregularitatem prorſus quoad Ordines ſuſcipiendos, & ſuſceptorum vſum aboleri per profeſſionem Religionis approbatæ. Ratio eſt, tum quia diſpenſatio non vni vel alteri, ſed fauore totius religioſi ſtatus conceſſa, eſt latè interpretanda. Tum quia multò facilior eſt diſpenſatio quoad vſum Ordinum ſuſceptorum, quàm quoad promotionem: & ideò in multis caſibus poteſt Epiſcopus diſpenſare quoad vſum cum malè promotis, in quibus nequit ad promotionem diſpenſare; vt videre eſt apud Sayrus. Angles.

Sylueſtrum *verb. Diſpenſatio, quæſt. 10. num. 16.* & Henriquez *lib. 14. de irregularit. cap. 19.* Tum quia exceptio in textu *cap. 1. de filiis Presbyter.* addita, ibi: *Prælationem verò nullatenus habeant*, id non obſcurè indicat: quia in ea exceptione voluit Pontifex clarè indicare, ſolùm quoad prælationes permanere hanc irregularitatem poſt profeſſionem. Ita Vecchis *in praxi Nouit. diſp. 13. dub. 6. num. 3.* Diana *p. 4. tract. 2. reſol. 65. in fine*, poſt Sanchez *lib. 5. moral. cap. 5. n. 10.* Sylueſt. Henriq. Vecchius. Diana. Sanchez.

17. Filij ſuſcepti ab infidelibus cenſentur legitimi, ſi parentes tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium validum ſecundùm leges ipſorum, ſed inualiduni ſecundùm leges Canonicas: quoniam filij cenſentur illegitimi, quando non oriuntur ex matrimonio valido. Sed prædicti filij orti ſunt ex matrimonio valido: quia matrimonium infidelium non diſſoluitur per ipſorum conuerſionem ad fidem; niſi ſit inualidum propter impedimentum iuris naturæ, aut propter impedimentum inductum à Principibus ipſorum, *cap. de infidelibus, de conſanguinit. & affinit.* Sayrus *lib. 6. cap. 10. n. 35.* Reginaldus *lib. 30. tract. 2. num. 77.* & alij communiter. Sayrus. Reginald.

18. Quamuis obligati ad ratiocinia impediantur ne Ordines recipiant, vt patet ex *cap. vnico. de obligatis ad ratiocinia.* Non repelluntur tamen ab Ordinibus, qui curam pauperum ſuſceperunt, maximè ſi hoc fecerunt de licentia Epiſcopi, aut ex neceſſitate, qua per legis diſpoſitionem ad tale munus obeundum obligetur: licet enim Clericis vetitum ſit tutoris Officium ſuſcipere, vt patet ex *cauſa 21. quæſt. 3.* tamen ex cauſa pietatis illud ſuſcipere poſſunt, eoque ſuſcepto non arcentur ab Ordinum vſu, vt colligitur ex *cap. peruenit, diſt. 86.* & docent Suarez *de cenſur. diſp. 51. ſect. 3. num. 17.* Maiolus *de irregul. lib. 2. cap. 5.* & alij communiter apud Dianam *part. 4. tract. 2. reſol. 98.* qui cum aliis Doctoribus imbi citatis aduertit Principum Conſiliarios, iudices & Officiales Epiſcoporum & adminiſtratores rerum Eccleſiaſticarum, imò rerum piarum, quamuis ſæcularium, ordinari poſſe, quod deducitur etiam ex *cap. 1. diſt. 88.* Suarez. Maiolus. Diana.

19. Teſtis in cauſa ſanguinis ſit irregularis, nec ei prodeſt proteſtatio ad euitandam irregularitatem, vt habet ſententia communis Doctorum. Aliqui tamen probabiliter cenſent eum non fieri irregularem, quando obligatur vel iure naturæ, vel iuſto Iudicis præcepto ad teſtimonium ferendum, & multo potiori ratione, quando ad id graui metu obligatur. Ratio eſt, quia hæc irregularitas deberet incurri ob defectum lenitatis, ſed hic nullus eſt defectus lenitatis, quia hic ſolùm reperitur in voluntariè occidente, ſicut faciunt miniſtri iuſtitiæ, qui ſponte talia officia retinent, quæ eos quandoque ad occiſionem obligant: hic autem omninò inuoluntariè ad alterius mortem concurrit, & quadam neceſſitate antecedente voluntatem, qua ratione diſtinguitur à iudice & aliis, qui liberè ſuſcipiendo Officium, cenſetur etiam ſe obligare ad pœnam ſanguinis interdum infligendam. Ita Coninck *de Sacram. diſp. 18. dub. 10. num. 56.* de Auila *de cenſur. part. 7. diſp. 5. ſect. 2. dub. 12. concluſ. 2.* Præpoſitus *in tertia parte, quæſt. 5. de irregularitate, dub. 13.* Mercerus *num. 105. de Sacram. in 3. p.* D. Thom. *quæſt. 24. dub. 8.* Coninck. Auila. Præpoſitus. Mercerus.

20. Prælatus, qui petitur à ſuis Officialibus, quid faciendum ſit in cauſa ſanguinis circa aliquem particularem caſum, poteſt reſpondere; facite quod leges ſtatuunt, conſulite peritos: homicidæ pœna mortis puniuntur, graſſatores viarum ſecundùm leges ſuſpenduntur, &c. Quare Prælatus ſic reſpon-

respondens non sit irregularis, cùm non inducat ad hunc occidendum vel mutilandum, sed solùm in genere declaret leges, & id quod secundùm leges faciendum est. Ita Bonacina *de irregul. disp. 7. quæst. 4. punct 1. num. 30.* & alij. Bonacina.

21. Quamuis clericus in sacris exercens chirurgiam per incisionem, vel adustionem, morte secutâ fiat irregularis licet adhibuerit necessariam diligentiam, vt docent *Nauarrus, Toletus, Suarez, Sayrus* & alij citati *tom. 1. verb. Irregularitas VII. num. 6. lit. f.* quia dat operam rei illicitæ & prohibitæ, & ita videtur determinatum in *cap. tua nos. de homicidio.* quod tamen alij non admittunt, vt *ibi lit. g.* diximus. Positâ nihilominus dicta sententia, dicendum est *Primò*, quod in *d. cap. tua nos* illa actio Monachis & clericis in sacris non prohibetur in extrema necessitate, quando non adest alius chirurgus, vel quando adest ignorantia inuincibilis huius prohibitionis. *Secundò*, quando Monachus vel clericus applicaret emplastrum mollificatiuum quo apostema sese aperit, & mors inde sequitur sine eorum culpa; quia in *dict. cap.* agitur de scissione & adustione. *Tertiò*, si supradicti secundùm peritiam artis iubeant incisionem, adustionem, & mors inde sequatur; quia pœna lata contra facientes, non ligat mandantes, neque consulentes, nisi exprimantur. *Quartò*, si mors est secuta propter morbi grauitatem, & non ex adustione vel abscissione: In his casibus non incurritur irregularitas. Ita Molina *tom. 4. disp. 75. num. 3.* Turrianus *de censur. lib. 5. disp. 64. dub. 1.* Auila *part. 7. disp. 6 part. 1. dub. 10. concl. 5.* & alij quibus adhæret Rodriguez *in sum. latin. cap. 176. num. 9. & 10. part. 1.* Qui cum Molina sustineat iure prohibitum non esse initiatis ordinibus sacris venam aperire: quia venæ apertio non est chirurgiæ actus, nec ad chirurgos spectat, sed ad tonsores, qui ad præscriptum medicorum & chirurgorum venas scindunt; in pœnalibus autem odiosis, ut sunt prohibitiones, quæ irregularitatem induunt, facienda non est extensio à paritate, imò neque à maioritate rationis eorum quæ disposita comperiuntur in iure. Ita Molina *supra cit. num. 4.* licet contrarium sit etiam probabile, vt docent *Auila*, & *Bonacina*. Nauarrus. Toletus. Suarez. Sayrus. Molina. Turrianus. Auila. Rodrig. Molina. Auila. Bonacina.

22. Nonnullorum sententia est irregularitatem ex defectu lenitatis contrahi ante baptismum, ita vt sit quis antequam esset baptizatus exercendo iudicis officium occidit, vel mutilauit, sit irregularis, nec irregularitatem hanc tolli per baptismum cùm contrahatur absque delicto. secus dicendum esse volunt, vbi homicidium ex peccato acciderit, tunc, licet irregularitas incurratur, illa tamen simul cum peccato per baptismum tollitur. Ita Glossa *in cap. si quis viduam, distinct. 50. in verb. post baptismum*, vbi Archidiaconus, Dominicus & alij. Rectiùs tamen alij arbitrantur hanc irregularitatem non contrahi ante baptismum: quia nulla est irregularitas nisi sit in iure expressa, vti habet textus *cap. is qui, de sentent. excom. in 6.* Iura verò quæ occidentibus, vel mutilantibus irregularitatem imponunt, clarè loquuntur de iis, qui occidunt vel mutilant post Baptismum *cap. si quis viduam, disp. 50. cap. si quis post baptism. dist. 51.* & docent Syluester *v. Homicidium 3. q. 2. vers. Primum.* Couarruuias *in Clement. Si furiosus part. 1. §. 2. num 5. de homicid.* Nauarrus *in man. cap. 27. n. 209.* & alij quos refert & sequitur Sayrus *lib. 6. cap. 15. n. 10.* Vnde tradi solet à Doctoribus hæc regula, vt cognoscatur, quando hæc irregularitas ex defectu lenitatis incurratur, quæ talis est. *Omnis & solus ille qui post baptismum occidit, aut mutilat hominem casu licito, aut causam propinquam præbet, vt talia fiant, vel citiùs fiant, extra inculpabilem necessitatem vitæ defendendæ & cap. irregularis est.* Quæ regula tam laicis, quàm clericis conuenit. Glossa. Archid. Dominicus. Syluest. Couar. Nauarrus. Sayrus.

23. Clericus causam ciuilem deferens ad iudicem sæcularem, aut de leui delicto accusans quod non est dignum pœnâ mortis, aut mutilationis non tenetur iure communi protestationem vllam præmittere in denunciando, nec irregularis erit si absque protestatione denunciet, secuta morte illata per iudicem excedentem iustitiæ limites; vel ob aliquod aliud crimen in delinquente deprehensum, de quo non cogitauit clericus denunciando. Si autem clericus accusans ciuiliter præuideat probabiliter delinquentem periculum incurrere pœnæ sanguinis, tunc requiritur protestatio ne fiat irregularis: quia est periculum probabile pœnæ sanguinis, cui periculo denuncians obuiare debuit. Ita Nauarrus *in manual. cap. 27. numero 214.* Henriquez *lib. 14. cap. 11. §. 5. & cap. 12. §. 8.* Couarruuias *in Clement. Si furiosus part. 2. §. 5. num. 3. vers. Octauo & vers. Nono.* Nauarrus. Henriquez. Couar.

24. Quando clericus crimen defert ad Iudicem Ecclesiasticum, nulla tunc protestatio requiritur. Ratio est, quia iudex Ecclesiasticus non potest imponere pœnam sanguinis, vnde protestatio solùm necessaria est, cùm malefactores in causa sanguinis apud iudicem sæcularem denunciat aut accusat. Et ita si clericus denunciet hæreticos apud Inquisitores fidei, non tenetur facere prædictam protestationem, nec erit irregularis, si postea hæreticus denunciatus & conuictus apud Inquisitores tradatur curiæ sæculari, & comburatur. Ita Felinus *in cap. postulasti, de homicid.* docens, quod quando causa incipit in iudicio Ecclesiastico, siue coram Iudice Ecclesiastico & finitur apud Iudicem sæcularem, non requiritur protestatio. Et huic doctrinæ subscribit Henriquez *lib. 14. cap. 11. §. 5.* cum aliis. Felinus. Henriquez.

25. Quotiescumque clerici in sacris, Regulares & alij beneficiarij, imò & alij quicumque clerici, licet non sint in sacris, interfunt sententiæ, aut executioni pœnæ mortis, quasi auctoritatem, consilium, auxilium, fauorem, aut operam præstantes, irregulares sunt, vt ex *cap. litteris, de excess. Prælator. & cap. Sententiam, ne clerici vel Monachi*, colligi potest. Si tamen interfint nullam præstando authoritatem, non incurrunt irregularitatem. An autem peccent mortaliter? quidam affirmant, si adsint ex causa iniusta, puta curiositate, vt scilicet aliquam pulchram mulierem occidendam videant, vel vt verba aliqua ab executoribus iocosè solita dici, audiant, aut aliud simile. Ita Viualdus *tract. de irregul. numero 276. & 277.* Nauarrus *in man. cap. 27. n. 214. vers. Quintò.* Henriquez *lib. 14. cap. 12. §. 7.* Sayrus *lib. 6. cap. 18. num. 20.* Alij putant peccare tantùm venialiter si assistant ex curiositate ob paruitatem materiæ. Ita Suarez *de censur. disp. 47. sect. 4. n. 10.* & alij quia licet clericis sit prohibitum *in cap. Sententiam Sanguinis* supra, ne se immisceant in causa sanguinis, tamen hæc materia est leuis, Diana autem *part. 4. tract. 2. resol. 35.* putat non peccare, neque venialiter: quia canones hoc prohibentes videntur contraria consuetudine abrogati: vel intelligendi sunt de clericis auxilium & fauorem sua præsentia præstantibus. Cuius sententia non est improbabilis. Viualdus. Nauarrus. Henriquez. Suarez. Diana.

26. Irregularis est clericus in bello iusto præbens arma quæ apud se habet, militi non habenti,

vt mortem alterius exequatur v. g. si præbendo arma dicat, cape arma & occide illum. Si tamen clericus arma præbeat militi vt se & bona sua defendat, vel vt suum officium faciat, verius est irregularitatem non incurri, dummodò non intendat occisionem alicuius in particulari, quamuis intendat occisionem hostium in generali. Ratio est, quia talis concessio armorum, non est propinqua causa occisionis alicuius in particulari, sed per accidens huic est, quòd hic vel ille postea his armis occidatur. Ita Nauarrus *in man. cap.* 27. *num.* 215. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 12. §. 4. Sayrus *de censur. lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 11. & 12. & alij. In hoc enim casu præbere arma militi solùm vt pugnet, vt se & bona sua in bello iusto defendat, perinde est ac hortari militem vt pugnet, vt vincat, vt bellet: atqui non incurritur irregularitas à clerico si hortetur milites in bello iusto, vt pugnent, vt vincant ex sententia communi, vt diximus *tom.* 1. *verb. Irregularitas V. num.* 16. Imò aliqui sustinent clericum non incurrere irregularitatem, qui in bello iusto incitat ad aliquem determinatè occidendum. Ratio est, quia persuasio totius exercitus ad strenuè pugnandum est coniuncta cum persuasione ad hominum cædes & mutilationes; sed illa non contrahitur irregularitas, ergo neque hæc. Tum quia strenua pugna totius exercitus, non potest physicè separari à cædibus & mutilatione. Quomodo enim potest acriter pugnari à toto exercitu, quin aliquis hostium cadat? Tum quia irregularitas ex defectu lenitatis incurritur tantùm ab illis, qui concurrunt aliquo modo ad mortem, vt iustitiæ ministri; secus autem ab aliis, si non sit in iure expressa, vt post Vasquez & alios annotauimus *tom.* 1. *verb. Irregularitas V. num.* 3. *edit.* 3. *in fine.* Vnde secundùm hanc sententiam, nisi clericus ipse ad necem concurrat mouens arma suis manibus, aut alia ratione concurrat realiter ad necem, non est irregularitas, licet aliàs sit causa proxima, vt alij occidant, exhortando milites in generali, ac etiam in particulari ad hostes occidendos. Ita Turrianus *in* 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 93. *dub.* 2. Hurtadus de Mendoza *in* 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 169. *sect.* 2. §. 137. 145. & 143. quos sequitur Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 98.

Nauarrus. Henriq. Sayrus.

Turrianus. Hurt. de Mendoza. Diana.

27. Dubius, an in bello iusto aliquem occiderit, vel mutilauerit, ita vt non habeat maius iudicium ad vnam partem, quàm ad aliam, tunc tutior pars eligenda est, & se debet reputare irregularem, *argum. cap. ad audientiam de homicid. & cap. Illud, & cap. Apostolica, de cleric. excomun. ministrant.* & docent Bonacina *de irregul. disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 4. *num.* 10. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 13. & alij fere communiter. Nihilominus non videtur improbabile, quòd non teneatur se habere tamquam irregularem, quia in *cap. petitio tua, de homicidio* Pontifex dicit, *Mandamus, quatenus si de intersectione cuiusquam in illo conflictu tua conscientia te remordeat, à ministerio altaris abstineas reuerenter.* Hoc autem non contingit, quando nullum probabile iudicium formari potest. Et certè si solum dubium sufficeret ad irregularitatem in iis qui pugnant in bello iusto, innumeri essent irregulares. Et ideò hanc sententiam docent Præpositus *in* 3. *part. q.* 5. *de irregul. dub.* 12. *n.* 97. Auila *part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 3. *dub.* 2. *conc.* 3. Merolla *in disp. Theologi tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 3. *n.* 252. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *n.* 50. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 72. dicentes, quod licet in dubio homicidij irregularitas præsumatur, hoc tamen non est extendendum ad dubium homicidij iusti, v. g. in bello commissi: quia iura loquuntur de casu homicidij prohibiti.

Bonacina, Sayrus.

Præpositus. Auila. Merolla.

Sanchez. Diana.

28. Ante Bullam Pij II. quæ incipit, *cùm ex Sacrorum.* ordinatus ante legitimam ætatem, non fuit ipso iure suspensus, sed suspendi poterat; & erat impeditus ab vsu ordinum sic susceptorum interim dum legitima carebat ætate, sed non per nouam aliquam irregularitatem aut suspensionem, sed per illam eandem antiquam, quâ quis irregularis est interim dum legitimam ætatem non habet. Nunc verò post dictam Bullam ordinatus aliquo facto ordine ante legitimam ætatem, ipso facto est suspensus & si scienter actum aliquem sacri ordinis proprium in suspensione faciat, in nouam irregularitatem incidit. Notandum tamen est, tam in foro exteriori, quàm interiori, excusari eum ab irregularitate, qui bona fide & probabili ignorantia ministrauit in ordine sacro susceptо, & etiam bona fide illum susceпit, putans id sibi licere, alioquin nec ministraturus in illo ordine, nec illum susceпturus: quia in dicta Extrauag. *Cùm ex Sacrorum* ponitur verbum *Præsumpserint.* Vnde pœna hæc irregularitatis solùm imponitur ei, qui præsumpserit ministrare. Si quis autem ante legitimam ætatem Ordines minores susciпiat & in eis ministret, nec suspensus est, nec irregularitatem nouam incurrit quia in *cap. vel non est compos de tempor. ordin.* non fit mentio de ordinibus minoribus. Et Bulla Pij II. solùm loquitur de ordinibus sacris ante legitimam ætatem susceptis. Ita Nauarrus *in man. cap.* 25. *num.* 70. & *cap.* 27. *n.* 155. *vers. Tertiò*; & *num.* 241. Sayrus *de censur. lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 6. & *sequent.* & alij apud ipsum.

Pius II.

Nauarrus. Sayrus.

Vide verb. Ignorantia *num.* 12. Beneficium 2. *num.* 5. Accusatio *num.* 6.

IRREGVLARITAS II.

De Irregularitate ex delicto.

SVMMARIVM.

1 *An propter homicidium seu mutilationem illicitam sit imposita pœna irregularitatis.*

2 *An omnes milites in bello iniusto sint irregulares.*

3 *An propinans alteri venenum, sit irregularis, si post longum tempus sequatur mors.*

4 *An qui licitè mandans alium percuti, si mandatarius excedens mandatum mutilat vel occidat, sit irregularis.*

5 *An mandans vel consulens fieri homicidium ei, qui aliàs erat absque mandato vel consilio facturus, irregularis sit.*

6 *An irregularis sit mandans aliquem occidi vel mutilari, si ipsemet mandatarius occidatur? Et quid de illo cui datum est consilium vt occideret, sed è contra ipse fuit occisus.*

7 *An mandans vel consulens homicidium vt euitet irregularitatem non solùm teneatur reuocare mandatum vel consilium, sed monere occidendum, vt caueat.*

8 *An præbentes consilium pium ex quo præter intentionem homicidium sequitur, irregularitatem incurrat.*

9 *An homicidium non impediens quod ex iustitiæ tenebatur impedire, irregularis sit?* Refertur duplex sententia.

10 *An occidens inuasorem ad se defendendum à graui deformitate vultus, sit irregularis.*

11 *Vt incurratur irregularitas ex homicidio casuali, an requiratur peccatum mortale.*

12 *Regulæ tres quibus cognoscitur irregularitas*

ex

ex homicidio caſuali contingens.

13 *Quando pulſans campanas ; mutens lapidem in aliquem ludendo ; vel ſaltans cum fœmina pregnante, incurrat irregularitatem.*

14 *An ſit irregularis, emittens ſagittam animo occidendi Petrum inimicum ſuum, ſed caſu occidit Paulum.*

15 *Quando adeſt probabilis ignorantia facti, an rebaptizatus vel rebaptizans ſit irregularis.*

16 *An ignorantia iuris baptiſmum iterari prohibentis excuſet ab irregularitate, ſi ſit inuincibilis.*

17 *An incurratur irregularitas, ſi quis ſine delectu cum conditione baptizet,* Si non es baptizatus, *&c.*

18 *Quibus in caſibus incurratur irregularitas in mala Ordinum ſuſceptione? & in quibus non.*

19 *Quando ſub pœna excommunicationis lata ſententiæ, impoſita eſt excommunicatio contra ſuſcipientem vel exercentem Ordines ſacros, an incurratur irregularitas ab eo, qui ſuſcipit Ordines, vel illos exercet.*

20 *An irregularis ſuſcipiens Ordines nouam irregularitatem incurrat.*

21 *An incurrat irregularitatem ille, qui ſine Ordine requiſito adminiſtrat Sacramenta.*

22 *An Apoſtatæ a Religione ſint irregulares.*

23 *Quando incurratur irregularitas ratione infamiæ.*

24 *An ad incurrendam infamiam ipſo iure latam contra perpetrantes tale delictum, requiratur ſententia iudicis declaratoria?* Refertur duplex ſententia.

25 *Qui ſint infames ex delicto proprio, vel alieno, vel ex vſu artis infamis & muneris ignominioſi.*

26 *Quando ſuſpecti de hæreſi ſint irregulares & quando non.*

1. INter delicta, quibus in iure Canonico irregularitas imponitur, annumeratur homicidium, ſeu mutilatio illicita, hoc eſt occiſio corporis humani animati, prout eſt contra iuſtitiam proximo debitam facta, ſcilicet, vt eſt delictum contra quintum Decalogi præceptum, commiſſum, dummodo is qui occidit, vel mutilat, id faciat, poſt baptiſmum, & ſit voluntarium, vel caſuale, in iis caſibus, in quibus homicidium caſuale hanc irregularitatem inducit, ſiue illud homicidium ſit publicum & manifeſtum, ſiue occultum : quantumuis enim occultum ſit, ſemper inducit irregularitatem : ſiue homo ille occiſus ſit Paganus, ſiue Iudæus, ſiue excommunicatus, ſiue bannitus. Hoc autem homicidium committi poteſt opere, vel mandato, vel conſilio, vel auxilio & fauore, vel cooperatione aliqua, vel permiſſione, vel approbatione, & complectitur quoſcumque miniſtros, aut Officiales, quorum actiones ipſo iure in homicidium vel membri abſciſſionem ſpiriguntur. Per mutilationem autem intelligitur membri alicuius abſciſſio : per membrum intelligitur id quod habet officium in corpore per ſe ſeparatum ab aliis, vt tradunt communiter Doctores Theologi & Canoniſtæ.

2. Quicumque ad homicidium iniuſtum, vel iniuſtam membri abſciſſionem concurrit vt cauſa propinqua, irregularis eſt. Erit autem cauſa propinqua, dictum, vel factum alicuius ſufficienter directum in tales effectus inde ſecutos, vel ſaltem vt citius ſequantur : ex Nauarro *in Manual. cap. 27. num. 220.* Henriquez *lib. 14. cap. 16. §. 1.* Hinc omnes milites in bello iniuſto ſunt irregulares, ſi contingant in eo homicidia vel mutilationes etiam-

Nauarrus. Henriq.

ſi proprijs manibus non fundant ſanguinem, ſed commilitent effundentibus, vel aliquo pacto cooperentur præbendo arma, adhortando & alia huiuſmodi faciendo. Ratio eſt, quia omnes huiuſmodi cooperantur ad homicidia & ſunt vna cauſa moralis, & quilibet aſſiſtentia aliorum animatur & cuſtodia adiuuatur : ſiue contingant homicidia in ea parte ex qua eſt iuſtum bellum, & contra quam alij iniuſtè pugnant : ſiue contingant ex parte militantium iniuſtè ; quia ſunt cauſa iniuſti belli & ideo etiam eiuſmodi homicidia tribuuntur militantibus in bello iniuſto quoad culpam. Ita Sua- Suarez. rez *de cenſur. diſputatione 47. ſectione 5.* Sylueſter *verb. Bellum 3. quæſt. 3.* Layman *lib. 3. ſectione 5. tractatu 3. parte tertia, cap. 8. aſſert. 3.* Hurtadus *diſputatione 2. de irregularitate, difficult. 6. numero 21.* & alij communiter. Cæterum, quamuis hoc, quando ſunt ita pauci milites vt ſe mutuò omnes videre, vel audire poſſint, ſit regulariter verum, quia omnes ſe mutuò animant ; quando tamen ſunt multa millia, videtur valdè difficile intelligere quomodo ſinguli quoſuis occidentes ; aut mutilantes ad hoc animent, cum multi ſint, qui eos nec videre, nec audire poſſint, & difficilè intelligitur, quomodo quis hic & nunc poſſit ad pugnam ab aliquo excitari, quem nullo ſenſu percipit, vnde hanc irregularitatem extendit Coninck Coninck. *de Sacrament. diſput. 18. dub. 10. num. 98.* ad quinquaginta, vel etiam centum milites, quia poſſunt hi omnes ſe mutuò animare. Sed hanc limitationem relicit Hurtadus *ſupra*, cum Layman dicens, omnes milites, quamuis ſint plura millia, in bello iniuſto incurrere irregularitatem, & etiam cuſtodientes ſarcinas, quamuis vnus tantùm occidat, aut mutilet. Tamen ſi neutra ex parte contingant homicidia, vel mutilationes, non incurritur irregularitas : quia ad hanc requiritur effectus ſubſecutus, vt notant communiter Doctores.

3. Dans cauſam morti, hac ſecutâ, irregularis eſt. Ratio eſt, quia talis eſt vera homicida ; & qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, *de regul. iur. in ſexto.* Exemplum eſt in Regula eo, qui propinat alteri venenum, ex quo etiamſi poſt longum tempus, is moritur. Nec obſtat, quod mors ſecuta non ſit voluntaria in ſe, ſed in ſua cauſa tantùm, quare non dicetur homicidium voluntarium? Reſpondeo, quòd qui ex intentione mortis dat venenum, dat cauſam ex qua ſcienter ſequitur mors, & ideò committit homicidium voluntarium, quando ex tali cauſa ſequitur per ſe effectus mortis. Tamen ſi quis det cauſam mortis cum intentione occidendi, & per antidotum mors impediatur, non foret irregularis : quia in effectu mors non eſt ſecuta. Coram Deo tamen erit reus homicidij voluntarij, quoad culpam, propter morale periculum homicidij. Et ſic intelligendum eſt *cap. ſi quis, de homicidio*, prout notant communiter Doctores.

4. Si quis licitè mandet alium percuti, vel verberari & mandatarius excedens mandatum mutilet, vel occidat non eſt irregularis. Ratio eſt, quia irregularitas hæc non incurritur niſi ex delicto, vnde cùm percuſſio, aut verberio ſit licitè facta à mandante, non incurritur irregularitas hæc, ſi mandatarius excedat mandatum. Ita ex communi Nauarrus *in Manual. cap. 27. numero 233.* Vi- Nauarrus. ualdus *tractatu de irregular. numero 260.* Maiolus Vualdus. *lib. 5. c. 48. §. 2. n. 5.* Contra Sylueſtrum *verb. Ho-* Maiolus. *micidium 1. q. 17. verſ. Quartum.* Secus dicendum, ſi Sylueſter. mandans illicitè mandauerit percuſſionem, puta in vindictam & iniuriam, tunc incurritur irregularitas, quantumuis moneat ne mutilet, aut occidat : quia

quia dedit operam rei illicitæ, & mandauit actiones, quæ ſunt periculoſæ mortis; probabiliter enim ex verberatione & aliis circumſtantiis aduertere debuerat poſſe ſequi talem effectum homicidij, vel mutilationis. Ita Suarez *de cenſur. diſp.* 45. *ſect.* 2. *n.* 3. Filliucius *tract.* 20. *n.* 94. & alij communiter; hoc tamen homicidium poteſt dici caſuale.

Suarez. Filliucius.

5. Mandans vel conſulens fieri homicidium ei, qui aliàs erat abſque mandato, conſilio, & ſuaſione facturus, non eſt irregularis: quia mandans vel conſulens non cenſetur cauſa efficax homicidij, eo quod exequens homicidium occidat ſua voluntate; non verò impulſu & ſuaſione conſulentis vel mandantis. Secus ſi aliqua ratione homicidium commiſit vel citius propter mandatum, & ſimul etiam ob propriam voluntatem, tunc mandans vel conſulens irregularis erit. Ita Sayrus *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 11. Molina *tract.* 3. *membro* 6. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 16. *num.* 4. & alij.

Sayrus. Molina. Henriq.

6. Mandans aliquem occidi vel mutilari, irregularis eſt, ſi ipſemet mandatarius occidatur Argum. *cap. final. de homicid. in* 6. Ratio eſt, quia mandans homicidium dat operam rei illicitæ ſic mandando, & ita nihil refert ſi præter eius intentionem accidat mors mandatarij, cogitare enim debuit talia contingere poſſe. Ita Nauarrus *in man. cap.* 27. *n.* 233. Syluester *verb. Homicidium* 1. *queſt.* 7. *verſ. Quartum.* & alij. An autem idem dicendum ſit de illo cui datum eſt conſilium vt occidat, vel mutilet, non occidit tamen alium, ſed ipſemet occiditur? Reſp. communiorem & veriorem opinionem eſſe affirmatiuam, à qua nec ſpeculatiuè, nec practicè eſſe recedendum docet Suarez *de cenſur. diſp.* 44. *ſect.* 3. *n.* 18. Idem tenet Sayrus *lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 3. Nauarrus *loco proximè citato*, Couarruuias, Henriquez & alij. Ratio eſt, quia iſte vt eſt vera cauſa moralis, incurrit irregularitatem homicidij voluntarij. Si verò non intendebat eius mortem, incurreret irregularitatem homicidij caſualis. Nihilominus contraria ſententia à quibuſdam ſuſtinetur vt probabilis, nempe mandantem aut conſulentem huiuſmodi non eſſe irregularem adhuc ex homicidio caſuali: quia in iure non eſt lata irregularitas niſi ob mandatum, aut conſilium, quo quis mandat aut conſulit alicui vt vel ſeipſum vel alterum occidat ſecuto effectu. In præſenti autem caſu mandans aut conſulens non mandat aut conſulit inuadenti occiſionem ipſius, ſed alterius: ſicuti nec mandatarius aut conſultarius ſeipſum occidit, quia verè non apponit cauſam ex ſe ordinatam ad homicidium, & independenter à voluntate aliena, quod erat neceſſarium vt diceretur ſeipſum occidere. Ita Hurtadus *diſp.* 2. *de irregul. difficult.* 6. *num.* 22. Turrianus *de cenſur. lib.* 9. *diſp.* 63. *dub.* 4. Præpoſitus *queſt.* 5. *de irregul. dubio* 10. *num.* 78. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 16. *num.* 1. & alij.

Suarez Sayrus. Nauarrus. Couar. Henriq.

Gaſp. Hurt. Turrianus. Præpoſitus. Henriq.

7. Quorumdam ſententia eſt mandantem homicidium non ſolùm teneri reuocare mandatum ad vitandam irregularitatem, ſed monere occidendum, vt caueat: quia ipſe ſuo mandato in eo periculo conſtituit occidendum, ergo ſi non poteſt efficaciter reuocare mandatum, tenetur monere illum vt caueat. Ita Turrianus *de cenſur. lib.* 7. *diſput.* 63. *dub.* 3. Hurtadus *diſp.* 2. *de irregul. diſſic.* 6. *n.* 24. & ita aſſerunt de conſulente. Probabilior tamen ſententia aſſerit mandantem non teneri monere occidendum, ſed tantùm reuocare mandatum dummodò reuocatio expreſsè vel tacitè nota ſit mandatario: Conſulentem verò eſſe irregularem, etiam poſt reuocatum conſilium, ſi ſequatur homicidium, propter prius conſilium datum. Ratio diuerſitatis eſt, quia qui conſulit homicidium, vt liberetur ab irregularitate, debet efficaciùs reuocare conſilium, quàm mandatum: quia mandans *in* mandando vim & obligationem imponere videtur mandatario, adeò, vt quidquid agit mandatarius *in* gratiam ipſius mandantis agere videtur, vnde ad hanc obligationem tollendam ſatis eſt quod reuocet mandatum priùs factum, & illud mandatario manifeſtet; & ſi poſt reuocationem mandatarius occidat, non imputabitur mandanti.

At in conſilio agitur res ipſius conſulti & in fauorem eius datur, vnde conſulens non facit ſatis reuocando conſilium: ſed debet conari precibus importunis, ne conſilium mandetur executioni; quod ſi firmiter credat preces non profuturas, debet indicare occidendum in particulari, vel in generali ad arbitrium viri prudentis, vt caueat; aliàs irregularis erit ſecuto effectu. Ita Syluester *verb. Homicidium* 1. *queſt.* 7. *verſ. Tertium*, Nauarrus *in man. cap.* 27. *n.* 233. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 4. & 5. Auila *part.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 2. *dub.* 4. *concl.* 3. & alij apud ipſos. Quamuis aliqui nullam agnoſcant differentiam inter mandantem & conſulentem, & docent in prædicto caſu ſufficere reuocare mandatum & conſilium ad vitandam irregularitatem, Ita P. Nauarra, Præpoſitus apud Dianam *part.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 14. quorum ſententiam probabilem putat Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 3. *num.* 17. & 18. Notandum eſt tamen, quod ſi bona fide conſulens putauit ſufficere tantùm reuocationem ſolam, non erit irregularis, etiamſi ſequatur homicidium, vt annotauit Sayrus *loco citato numero* 6. argument. *cap. ſicut tuis, de ſimonia.*

Syluest. Nauarrus. Sayrus. Auila.

P. Nauarra. Præpoſitus. Diana. Leſſius.

Sayrus.

8. Præbentes conſilium pium ex quo præter intentionem homicidium vel membri mutilatio ſequitur, ſi actus non ſit ordinatus in talem effectum, nec à conſiliario intentus, irregularitatem non incurrunt: Hinc qui dat conſilium in rebus fidei, vt ſcilicet quis ſe exponat indubitanter morti pro Chriſti honore, pro fide, vel pro Eccleſia, talis non ſit irregularis etiamſi mors inde ſequatur. Item qui conſulit alicui vt patrem ſuum periclitantem defendat, etiam cum periculo vitæ ſuæ, quando ad id præcepto tenetur. Imò & qui conſulit alicui vt exponat ſe periculo pro virtute quadam, vt pro amici defenſione, quem hoſtes occidere tentant, irregularis non erit, quamuis is cui conſilium dedit, interficiatur. Item conſulens alicui omninò parato inferre graue damnum v. g. homicidium, vt potius minus damnum faciat, puta, vt mutilet, ſecuto damno minori, irregularis conſulendo non erit: quia non peccat in hoc bono conſilio, nec conſilium eius influit moraliter vt fiat mutilatio, ſed ne fiat homicidium. Ita Henriquez *lib.* 14. *c.* 16. §. 4. Syluester *verb. Homicidium* 1. *queſtio* 8. *verſ. Octauum.* Sayrus *lib.* 7. *cap.* 3. *num.* 8. & *ſequent.* Nauarrus *in man. cap.* 14. *num.* 40. *verſ. Decimo tertio.*

Henriq. Syluest. Sayrus. Nauarrus.

9. Communiter ac probabilior ſententia aſſerit non impedientem homicidium quod tenetur ex iuſtitia impedire, irregularitatem incurrere: quia in tali caſu quis cenſetur cauſa moralis homicidij, priuat enim alium iure ſuo, & re ſibi neceſſaria ad ſui defenſionem, vnde conſequenter moraliter influit in homicidium vt diximus *tom.* 1. *verb. Irregularitas VI. num.* 9. cum Doctoribus ibi citatis.

Verùm contrarium à quibuſdam neotericis ſuſtinetur vt probabile. Ratio illorum eſt, quia etiamſi iſte non impediens influat moraliter & voluntariè in homicidium, & ſit cauſa moralis & voluntaria

voluntaria homicidij quod non impedit, non tamen eſt cauſa poſitiua poſitiuè influens, nec opere aliquo, nec auxilio, nec conſilio: in iure autem non fertur irregularitas niſi contra verè & poſitiuè homicidas, ſaltem conſilio, aut animatione, non contra non impedientes homicidium quod etiam eſt verum quamuis occidens id efficiat ad vindicandam iniuriam illatam non impedienti, quamuis non contradicenti verbis ei, qui occidit, quia etiam tunc permittens, ſeu non impediens non influit poſitiuè. Tum quia licet talis peccet contra iuſtitiam non impediens, tamen non debet puniri eadem pœna, quâ punitur ille, qui poſitiuè operatur. Vnde ſicut in iure non dicitur fur, qui non impedit furtum, ſic etiam non dicitur homicida, qui non impedit homicidium. Ita docent Hurtadus *diſp. 2. de irregul. diffic. 9. num. 34.* qui citat *D. Antoninum & Tabienam.* Turrianus *de cenſur. lib. 9. diſput. 63. dub. 3.* & probabilem putat Coninck *de Sacrament. diſp. 18. dub. 8. num. 71.* & probabiliorem oppoſitâ tenet Præpoſitus *in 3. p. quæſt. 5. de irregul. dub. 10. num. 79.*

Gaſp. Hurt. D. Antonin. Tabiena. Turrianus. Coninck. Præpoſitus.

A fortiori neque irregularis erit, qui hominis occiſionem impedire volentem magna diſſuaſione ab hoc opere charitatis reuocat: non enim peccat contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem, vt docet Auila *part. 7. diſput. 6. ſect. 2. dub. 7. concl. 2.* §. *ex dictis*, quem ſequitur Layman. *lib. 3. ſect. 5. tractat. 3. part. 3. cap. 4. num. 7.* etſi contrarium doceant *Suarez.*, *Sayrus*, & alij. In foro tamen externo contra talem, qui homicidium, cùm facilè poſſet impedire, neglexit, præſumptio oritur, conſenſiſſe vel conſpiraſſe in homicidium, vt conſtat ex *cap. Sicut dignum*, §. *illi etiam*, *de homicidio.*

Auila. Layman. Suarez. Sayrus.

10. Irregularis non eſt occidens inuaſorem ad ſe defendendum à graui deformitate vultus. Ratio eſt, quia homo tanti facit grauem vultus deformitatem, quanti grauem diuitiarum iacturam; ſed poteſt quis ad defendendas ſuas diuitias occidere inuaſorem, ergo. Tum quia in hoc caſu occidens non peccat occidendo, ergo neque incurrit pœnas iniuſtè occidentium. Tum quia ſic defendens verè vitam tueri dicitur, cùm hoc ad vitæ conſiſtentiam pertineat. Sic Sayrus *lib. 6. cap. 17. num. 4.* Henriquez *lib. 14. cap. 10. num. 3.* Bonacina *de irregular. diſputat. 7. quæſt. 4. punct. 6. num. 7.* Contra Toletum & alios.

Sayrus. Henriq. Bonacina.

Idem dicendum ſi quis occidat alterum, in defenſionem alicuius membri, & ne ab illo mutiletur. Ita Diana *part. 4. tract. 2. reſolut. 22.* poſt Hurtadum *de irregul. diſputatione 2. difficult. 10. num. 36.*

Diana. Gaſp. Hurt.

11. Vt ex homicidio caſuali incurratur irregularitas iuxta communiorem ac veriorem opinionem requiritur peccatum mortale. Ratio eſt, quia cùm irregularitas ex culpa contracta, ſit pœna grauis, priuans vſu & ſuſceptione ordinum, non niſi ob culpam grauem & mortalem imponenda eſt. Præterea irregularitas non eſt imponenda niſi expreſsè habeatur in iure: nullibi autem in iure imponitur irregularitas ob culpam contractam, niſi pro culpa graui: & ſemper dicitur homicidium illud eſſe culpabile, ex quo incurritur irregularitas, quod intelligitur culpabile mortaliter; non enim ſolent legés punire actus leues & imperfectos, culpa verò venialis eſt leuis & imperfecta in genere culpæ & peccati, ideoque veriſimile non eſt tam grauem pœnam, qualis eſt irregularitas, pro veniali culpa imponi à iure, cùm pœna proportionata debeat eſſe culpæ. Ita Syluius *2. 2. quæſt. 64. art. 8. concluſ. 3.* Salon *ibidem*, *controuerſia 3.* Diana *part. 4. tract. 2. reſ. 21.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 252. verſ. Octauo*, & alij communiter Theologi.

Syluius. Salon. Diana. Nauarrus.

12. Tres regulæ ponuntur à Doctoribus, vt ſciatur quandonam incurratur irregularitas ex homicidio caſuali, quarum prima eſt.

Quando quis dat operam rei licitæ, & adhibet omnem diligentiam, quam adhibere debet ne homicidium ſequatur, non eſt irregularis etiamſi tunc ſubſequatur: quia tale homicidium eſt omninò inuoluntarium, & ſine vlla culpa, & colligitur ex *cap. Lator*, *cap. Dilectus filius*, *cap. Significaſti 1. & cap. final. de homicidio.*

Secunda, Qui dat operam rei licitæ, non adhibet tamen omnem curam, quam adhibere debet ne ſequatur homicidium, irregularis eſt, ſi homicidium ſequitur, vt colligitur *ex cap. Presbyterum & cap. ad audientiam*, *de homicid.* Notandum tamen quod in his duabus regulis non requiratur ſumma & exactiſſima diligentia, qualem adhibuiſſet diligentiſſimus, ſed ſatis eſt, quod quis talem adhibuerit diligentiam, qualem conſiderata rei qualitate, & perſonarum & negotiorum & temporis, ad viri prudentis arbitrium adhibere debuiſſet. in his duabus regulis conſentiunt omnes Doctores.

Tertia regula eſt, Qui dat operam rei illicitæ, vel ſaltem ſibi prohibitæ, etiamſi adhibeat diligentiam ſufficientem ne ſequatur homicidium vel mutilatio, ſi tamen homicidium, aut mutilatio ſubſequitur, irregularis eſt. Circa hanc regulam non conſentiunt Doctores; quidam enim exiſtimant vniuerſaliter verum eſſe. Sed verior & communior ſententia meritò docet regulam hanc vniuerſaliter & abſolutè ſumptam eſſe falſam, id eſt, non ſufficere ad incurrendam irregularitatem, quod ſit ſubſecutum homicidium ex opere illicito, ſed neceſſarium eſſe quod opus illud vel ſit ex ſe & ſua natura inductiuum ſaltem probabiliter, & vt plurimum mortis, aut mutilationis, vel periculoſum, aut prohibitum iure Diuino vel humano, adeò, vt hæc neceſſariò requirantur, nimirum, quod opus illud ſit illicitum, periculoſum, vel ab operante fieri prohibitum. Vt tradunt Toletus *lib. 1. Summ. cap. 81.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 221.* Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 1. art. 9.* Suarez *diſp. 45. ſect. 6.* Auila *part. 7. diſp. 6. ſect. 1. dub. 1.* Sayrus *lib. 7. cap. 5.* Couarruuias *in clement. ſi furioſum*, *part. 2. §. 4. num. 10. de homicid.* Salon. *in 2. 2. quæſt. 64. art. 8.* & alij.

Toletus. Nauarrus. Sotus. Suarez. Auila. Sayrus. Couar. Salon.

13. Ex dictis regulis reſoluuntur ſequentes caſus. Pulſans campanas, aut eas tollens, ſi abſque eius culpa, caſu aliquis occidatur, non erit irregularis, *cap. ex litteris*, *2. & cap. Ioannes de homicid.* quia dedit operam rei licitæ & debitam diligentiam adhibuit. Sin verò pulſatio campanarum eſſet illicita, quia pulſaret ad ſeditionem & arma, ſi exinde in illa pugna quis occidatur, irregularis erit, quia dedit cauſam huic morti, & præcauere debuit ſimile quid euenturum, Couarruuias *in Clement. ſi Furioſus part. 2. §. 4. num. 5. verſ. Tertio*, *de homicid.* qui addit non eſſe irregularem eum, qui campanam pulſauerit in ſignum quod aliquis ſit à miniſtris iuſtitiæ occidendus. *Item* irregularitatem non incurrit mittens lapidem in aliquem ludendo, ſi is à lapide fugiens, in alterum caput lapidem offendat & culpa medici moriatur; quia qui miſit lapidem dedit operam rei licitæ, ludus enim inter pueros licitus eſt, nec aliquam culpam habuit, quam ipſe præuidere potuit. Couarruuias *ſupra. n. 6.*

Couar.

Cenſebitur irregularis clericus aut Monachus cum fœmina prægnante ludens, ſi cum ea ſaltet, aut choreas ducat, ſi caſu contingat aborſus fœtus animati

mari ex eo luſu : quia luſus ille cum femina prægnante periculoſus eſt, frequenter occaſionem præbens abortioni : & talis ludendi leuitas Clerico & Monacho indigna eſt, & illicita propter periculum aborſus. Laicus autem ſi ludat & ludus ſit leuis, irregularis non erit, ſi caſu ſequatur aborſus : quia leuis ludus, vt choreas ducere modeſtè etiam cum muliere prægnante, non eſt prohibitus laicis, ſicut clericis & religioſis, & ideò non impuratur aborſus laico, qui Monacho aut Clerico imputaretur. Sic Nauarrus *in man. cap. 27. num. 236.* Angelus *verb. Homicid. 2. §. 5.* Sylueſt. *verb. Homicidium 2. §. Vndecimo*, Sayrus *lib. 7. cap. 6. num 15.* Couarruuias *in Clement. Si furioſus, part. 2. §. 4. num. 4. & num. 10.*

Nauarrus. Angelus. Syluest. Sayrus. Couar.

14. Irregularis eſt, qui emittit ſagittam ſiue lapidem animo occidendi Petrum inimicum ſuum, ſed Petro declinante ſagitta emiſſa occidit Paulum, qui non intendebatur occidi ab illo. Ratio eſt, quia in hoc caſu mittens ſagittam habebat intentionem occidendi hominem, & verè realiter hominem occidit : & licet non intenderit occidere Paulum, ſed Petrum, non ideò excuſatur ab homicidio, quia fecit actionem iniquam & periculoſam animo perverſo faciendi homicidium abſque ſufficienti diligentia, ne ſagitta vel lapis ad Paulum peruenirent : mors tamen Pauli in hoc caſu dicetur caſualis. Ita Molina *tom. 4. diſp. 32. num. 3.* Sayrus *lib. 7. cap. 6. num. 30.* Bonacina *diſp. 7. queſt. 4. punct. 7. num. 19.* Verùm ſi emittens ſagittam ſeruaſſet debitam cautelam, adhibendo diligentiam poſſibilem, ne alium occideret, niſi Petrum, ſed omninò caſualiter, & præter intentionem occidiſſet Paulum, tunc poſſet dari aliqua excuſatio ab iſta irregularitate incurrenda, provt docent Suarez *de cenſur. diſp. 45. ſect. 6. num. 18.* Filliucius *tr. 20. cap. 3. num. 81.* & Bonacina probabiliter.

Molina. Sayrus. Bonacina. Suarez. Filliucius. Bonacina.

15. Irregularis non eſt rebaptizatus, aut rebaptizans, quando adeſt probabilis ignorantia facti. Ratio eſt, quia irregularitas hæc contrahitur ex culpa ſeu delicto : ergo vbi non eſt culpa mortalis, non incurritur pœna irregularitatis. Vbi autem eſt ignorantia probabilis ſiue in rebaptizante, ſiue in rebaptizato, nulla eſt culpa : ergo nec irregulares ſunt. Ita Suarez *in 3. p. de Sacram. diſp. 31. ſect. 6.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. queſt. 19. punct. 3. verſic. Quartum*, Nauarrus *in man. cap. 27. n. 246.* Sayrus *lib. 7. cap. 8. num. 8.* & alij penes ipſos, contra Sylueſtrum, Angelum & alios. Cenſetur autem ignorantiam facti probabilem ille habere, qui adhibita debita diligentia ſcire non potuit, an is qui offertur ſit baptizatus : quam tamen ignorantiam prætendere non poteſt is, qui ſcit infantem natum eſſe ex parentibus Chriſtianis, & inter Chriſtianos educatum : talis enim certò credendus eſt eſſe baptizatus, niſi contrarium euidentiſſimè probetur : tunc enim non rebaptizari, ſed baptizari deberet.

Suarez. Valentia. Nauarrus. Sayrus.

16. Communis Doctorum ſententia eſt, ignorantiam iuris, ſiue diuini, ſiue humani, baptiſmum iterari prohibentis, non excuſare ab irregularitate, etiamſi ignorantia eſſet inuincibilis. Ratio eſt, quia ignorantia eorum, quæ quis tenetur ſcire, non excuſat à culpa eos, qui ex officio baptizare tenentur : Reiteratio enim Baptiſmi eſt prohibita iure diuino, cuius iuris ignorantiam nemo iuſtè prætendere poteſt : quapropter Doctores communiter damnant irregularitatis eum qui baptiſmum iterat ex ignorantia iuris ; quia ea iuris diuini ignorantia vix in aliquo præſumitur inculpata, cui ex officio incumbit baptizare, & qui ius diuinum ſcire obligatur. Nihilominus fieri poteſt vt quis inuincibilem habeat ignorantiam ipſius iuris diuini rebaptizationem prohibentis, quamuis fundetur in Euangelio; non eſt tamen ita per ſe notum, quin plebeius & ruſticus, ſeu idiota illud præceptum inuincibiliter ignorare poſſit. Vnde quando contingit ignorantiam eſſe inuincibilem iuris prohibentis iterationem Baptiſmi, excuſabit à culpa & pœna irregularitatis impoſita ob eam culpam, ſaltem in foro conſcientiæ. Ita Suarez *in 3. p. tom. 3. diſp. 31. ſect. 6. dub. 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 4. §. 3.* Filliucius *tr. 20. cap. 6. quæſt. 2.* Sotus *in 4. diſt. 3. quæſt. vnic. art. 9.* & alij. Notandum tamen quod ſi ignoraretur pœna irregularitatis, ſciatur tamen lex prohibens iterationem Baptiſmi, ſatis erit ad eam incurrendam; quia irregularitas non eſt cenſura, ſed pœna iure poſitiuo conſequens talem culpam. Sed hæc dicta ſint ſecundùm antiquorum ſententiam : aliter enim philoſophantur & docent nonnulli Neoterici, quorum opinio improbabilis non eſt, vt diximus ſuprà *verb. Ignorantia, num. 6. & 7.*

Suarez. Henriq. Filliucius. Sotus.

17. Certum eſt eos peccare mortaliter, qui ſine delectu aliquem cum conditione, *Si baptizatus es, ego te non baptizo : ſi non es baptizatus, ego te baptizo*, baptizant, non priùs quærentes an baptizatus fuerit. Dubium tamen eſt, an in hoc caſu incurratur irregularitas, quando quis temerè & nulla diligentia adhibita, aut certò ſciens aliquem eſſe baptizatum ſub conditione rebaptizat ? Quidam negant : quia conditio illa ſuſpendit & impedit completam & perfectam rebaptizationem, conſequenter non erit peccatum in ſua ſpecie conſummatum. Irregularitas autem non incurritur, niſi ob peccatum in ſua ſpecie conſummatum. Tum quia talis non intendit rebaptizare, cùm ſub ea conditione rebaptizet ; actus autem agentium non operantur vltra intentionem eorum. Ita Suarez *loco cit. diſp. 31. ſect. 6. dub. 5.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 246.* Henriquez *lib. 14. cap. 4. §. 4.* & alij. Contrarium tamen videtur determinatum in Catechiſmo Romano edito iuſſu Pij V. tract. de Baptiſmo, cap de effectibus Baptiſmi, his verbis : *Non deſunt qui nullum ſcelus admitti poſſe arbitrentur, ſi quemuis ſine delectu, cum adiunctione illa baptizant : quare ſi infans ad eos deferatur, nihil prorſus quærendum putant, an is priùs ablutus fuerit ; ſed ſtatim ei baptiſmum tribuunt. Quin etiam quamuis exploratum habeant, domi Sacramentum adminiſtratum eſſe, tamen ſacram ablutionem in Eccleſia, adhibita ſolemni cæremonia, cum adiunctione repetere non dubitant. Quod quidem ſine ſacrilegio facere non poſſunt ; & eam maculam ſuſcipiunt, quam Diuinarum rerum ſcriptores Irregularitatem vocant. Nam ea Baptiſmi forma ex Alexandri Tertij Papæ auctoritate*, in cap. De quibus dubium, de bapt. & eius effect. *in illis tantùm permittitur, de quibus, re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, an Baptiſmum ritè ſuſceperint ; aliter verò numquam fas eſt, etiam cum adiunctione Baptiſmum alicui iterum adminiſtrare.* Hactenus Catheciſmus Romanus. Quibus verbis refellitur fundamentum prioris ſententiæ & ſimul declaratur illum eſſe Irregularem, qui ſub conditione rebaptizat, niſi quando adhibita debita diligentia dubium eſt, an ſit baptizatus, necne. Proinde hanc tenent Victoria *in Summ. §. 35. de bapt.* Zerola *in prax. Epiſcop. part. 1. verb. Irregularitas, dub. 12.* Sayrus *lib. 7. cap. 8. n. 24.* Maiolus *de irregul. lib. 3. cap. 14 num. 5.* Sotus & alij.

Suarez. Nauarrus. Henriq. Cath. Rom. Victoria. Zerola. Sayrus. Maiolus.

18. Quidam probabiliter ſentiunt quòd in duobus tantum caſibus quis in mala Ordinum ſuſceptione incurrit irregularitatem. *Primò*, ſi furtiuè ordinetur : hoc eſt, quando non examinatus, neque admiſſus ſuſcipit Ordines, vel quando fecit vt alius examinaretur & ipſe loco illius & nomine ſuſcipit

Ordines,

ordines, vt patet *ex cap.* 1. *de eo qui furtiuè ordinatur*, & talis nec ordinibus prius ſuſceptis aut eo ordine ſic accepto vti poterit, nec ad Superiores aſcendere permittitur. Diſpenſatio verò huius irregularitatis committitur Epiſcopo cum hac tamen conditione, vt non fuerit denuntiatus ab Epiſcopo, vel Archidiacono, vel alio Miniſtro mandante, vt nullus ſe furtiuè ingerat ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, in hoc enim caſu non poteſt Epiſcopus diſpenſare, quia eſt Papæ reſeruata, vt clarè colligitur *ex cap. veniens* 1. *de eo, qui furtiuè ordines ſuſcipit.*

Secundò, Vir coniugatus ſi durante matrimonio etiam non conſummato præſumens ſacrum ordinem illicitè ſuſcipere, non ſolum eſt ſuſpenſus, ſed etiam irregularis, vt patet *ex Extrauag. Antiqua, de voto & voti redempt.* quia non ſolùm prohibetur ordines ſuſceptos exercere, verum etiam alios ſuſcipere, quod eſt proprium irregularitatis. In aliis autem caſibus quos adducunt Doctores aſſerentes incurri irregularitatem in ſuſceptione Ordinum contrarium tenendum eſt, quia cùm non exprimantur in iure, non ſunt admittendi. Vt ſuſtinent Hurtadus *de cenſur. diſp.* 2. *diffic.* 1. Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 5. *de irregul. dub.* 5. *num.* 27. & Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſol.* 55. Vnde in ſequentibus caſibus non irregularitas, ſed ſuſpenſio incurritur. *Primò*, quando quis ordinatur ab Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui quoad locum & dignitatem. *Secundò*, ante legitimam ætatem. *Tertiò*, ab Epiſcopo alieno ſine licentia proprij. *Quartò*, non ſeruatis interſtitiis. *Quintò*, per ſaltum. *Sextò*, extra tempora ſine diſpenſatione, de quibus videndus Filliucius *tract.* 20. *num.* 190. *& ſequent.*

Gaſp. Hurt. Præpoſitus. Diana. Filliucius.

19. Irregularitas non incurritur ab eo, qui ſuſcipit ordines, vel illos exercet, quando ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ impoſita eſt excommunicatio contra ſuſcipientem, vel exercentem ordines ſacros. Ratio eſt, quia excommunicatio ſupponit ſuſceptionem ordinis, vel eius functionem, cùm propter illam incurratur, & illam ſupponat tanquam cauſam, propterea ille cui facta eſt prohibitio ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, non incidit in excommunicationem dum tranſgreditur, ſed poſtquam tranſgreſſus eſt, debet enim cauſa præcedere effectum, ſit vt quando quis in tali caſu prohibitionem tranſgreditur, ſuſcipiendo, vel exercendo ordinem; ſicut nondum eſt excommunicatus, ita necdum tanquam excommunicatus obnoxius ſit irregularitati incurrendæ: ſed tantùm poſt completam illam tranſgreſſionem, per quam incidit in excommunicationem, quâ irritus ſi ordines ſuſcipiat, aut ſuſceptos exerceat, ſit irregularis. Ita Suarez *de cenſur. diſp.* 42. *ſect.* 5. Reginaldus *lib.* 30. *tract.* 2. *num.* 182. Filliucius *tract.* 20. *cap.* 8. *queſt.* 2. 3. *& 4. & tract.* 17. *q.* 191. Coninck *diſp.* 15. *dub.* 5. *num.* 36. & alij.

Suarez. Reginald. Filliucius. Coninck.

20. Irregularis ſuſcipiens ordines nouam irregularitatem non incurrit: quia talis noua irregularitas nullibi in iure inuenitur expreſſa. Vnde irregularis recipiens ordines, vel celebrans, aut Sacramenta adminiſtrans non incurrit nouam irregularitatem, ſed remanet in eadem, qua prius erat ligatus, & toties peccat mortaliter, quoties huiuſmodi actiones ſacras facit contra præceptum Eccleſiæ. Ita Suarez *diſp.* 41. *ſect.* 3. *num.* 3. Filliucius *tract.* 20. *num.* 193. & alij communiter.

Suarez. Filliucius.

21. Ex textu *cap.* 1. *&* 2. *de cleric. non ordin. miniſtr.* conſtat illum eſſe irregularem, qui præſumit ſolemniter baptizare carens ordine ad id requiſito, & qui ſine Sacerdotali ordine præſumit Miſſam celebrare. Sed dubium eſt, an incurrat irregularitatem ille, qui ſine ordine requiſito adminiſtrat alia Sacramenta? Rationem dubitandi præbet textus cap. 1. citat. vbi habetur, *Si quis baptizauerit aut aliquod diuinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Eccleſia & nunquam ordinetur.* Sub diuinis autem officiis non ſatis conſtat hic contineri adminiſtrationem Sacramentorum, cùm ſæpe in iure inter ſe diſtinguantur: imò & in *dict. cap.* 1. Baptiſmus condiſtinguitur contra diuinum officium: ergo non videtur ſatis conſtare diuinum officium ibi comprehendere Sacramentorum adminiſtrationem, & ideò opinio negatiua apud quoſdam videtur probabilis, & illam docet Syluester *verb. Confeſſor.* 1. Præpoſitus *in* 3. *p. q.* 5. *de irreg. dub.* 6. *num.* 35. His tamen non obſtantibus non eſt recedendum à communi ſententia affirmatiua docente, clericum, qui ſeriò, ſcienter, ſolemniter ex officio miniſtrare præſumit in ſacris ordinibus, quos non habet, ipſo facto irregularitatem incurrere, in qua quando delictum eſt publicum ſolus Papa diſpenſat, quando verò eſt occultum poterit in foro conſcientiæ Epiſcopus diſpenſare ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Ita Suarez *tom.* 5. *de cenſur. diſp.* 11. *ſect.* 3. *num.* 22. *& diſp.* 42. *ſect.* 4. Nauarrus *in man. cap.* 27. *num.* 242. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 1. Auila *part.* 7. *diſput.* 9. *dub.* 13. & alij communiter apud ipſos.

Syluest. Præpoſitus. Conc. Trid. Suarez. Nauarrus. Sayrus. Auila.

Ex quo ſequitur, quod ſi quis Sacerdos miniſtrare præſumpſerit in ordine Epiſcopali, confirmando, ordinando, conſecrando Eccleſias, ſiue altaria, conficiendo Chriſma, & huiuſmodi functiones Epiſcopales, ipſo facto irregularis eſſet. Similiter, ſi aliquis non legitimè ordinatus Sacerdos Sacramentaliter abſoluat, aut Extremam Vnctionem, aliaque Sacramenta miniſtret, aut benedicat ſponſos ſolemniter, vel alia munera pertinentia ad Sacerdotem, efficeretur irregularis.

22. Apoſtatæ à Religione ſunt irregulares, dum ſunt in actu Apoſtaſiæ & non poſſunt ad ordines promoueri, neque in ſuſceptis miniſtrare ratione excommunicationis contractæ per Apoſtaſiam, quare durante illo ſtatu, ſunt tamquam irregulares habendi vt habetur *in cap. final. diſt.* 50. & docent Vgolinus *de irregular. cap.* 36. §. 4. Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 6. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 4. *num.* 6. & alij.

Vgolinus. Suarez. Henriq.

23. Incurritur irregularitas ratione infamiæ *primò*, ex quocumque crimine inducente infamiam, ſi illa ſequatur: vnde clericus offerens, vel acceptans duellum, irregularis eſt, *cap. Porro, de cleric. pugnant. in duello.* & Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de reform.*

Conc. Trid.

Secundò, Ex quocumque delicto enormi & depoſitione digno, ſi ſit notorium & manifeſtum contrahitur irregularitas, vt colligitur *ex cap. final. de tempor. ordin.* Vnde vt hoc crimen irregularitatem inducat, requiritur vtraque conditio, nempe, vt ſit enorme & diſpoſitione dignum, & Notorium: quibus duabus conditionibus concurrentibus contrahitur irregularitas, quæ non tollitur per pœnitentiam, ſed indiget diſpenſatione.

Tertiò, ex nullo crimine quantumuis enormi, dummodò occultum ſit contrahitur irregularitas, niſi in iure expreſſum habeatur, & ſiue ante, ſiue poſt peractam pœnitentiam: quando autem à iure impoſita eſt irregularitas, tunc crimen illud quantumuis ſit occultum inducit irregularitatem, etiam poſt peractam pœnitentiam illius, quale eſt homicidium etiam occultum. Vt colligitur *ex cap. Miror, diſt.* 50. & patet ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Ratio eſt, quia ex nullo crimine contrahitur

Conc. Trid.

trahitur irregularitas niſi in iure exprimatur; ſed in iure exprimitur tantùm homicidium voluntarium occultum, ergo circa caſum illum in nullo crimine occulto quantumuis enormi, incurritur irregularitas; quia exceptio firmat regulam in contrarium. Hæ tres regulæ communiter ſtatuuntur tanquam certæ à Doctoribus, Præſertim Nauarro *in man. cap. 27. n. 248. verſ. Tertiò*, Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 19. punct. 3. §. 5. in fine* Sayro *lib. 7. cap. 12. num. 11. & ſequent.* Henriquez *lib. 14. cap. 5. §. 1. & 2.* & aliis.

Nauarrus. Valentia. Sayrus. Henriq.

24. Dubium eſt, an ad incurrendam infamiam, ipſo iure latam contra perpetrantes tale delictum requiratur ſententia iudicis declaratoria, vel ſufficiat euidentia facti, quod tale delictum realiter commiſſum ſit?

In qua re ſunt duæ opiniones; Prima docet neceſſariam eſſe ſententiam iudicis declarantis talem eſſe infamem propter tale crimen commiſſum; cui erat impoſita in iure pœna infamiæ; & ideò nullum crimen, licet depoſitione dignum & quantumuis notorium inducere irregularitatem, antequam ſit notorium in Iudicio, vel per Confeſſionem rei, vel per ſententiam iudicis, excepto crimine homicidij. Ita Paulus à Caſtro *de leg. pœnal. lib. 2. cap. 15.* Alij verò dicunt, quod infamia iuris incurritur ipſo facto radicaliter, quando aliquis committit delictum, ob quod impoſita erat in iure pœna infamiæ, ſed talis executio pœnæ dependet à ſententia iudicis, à quo declarandum eſt tale crimen fuiſſe commiſſum à tali perſona, cui ſecundùm iura impoſita eſt pœna infamiæ ipſo facto. Ita Suarez *diſp. 48. ſect. 1. num. 18.* Azorius *p. 1. lib. 5. cap. 7. q. 4.* Filliucius *tract. 19. num. 207.* & communis.

Caſtro. Suarez. Azorius. Filliucius.

25. Ex delicto proprio infames ſunt, qui de furto ſunt conuicti: qui muliebria paſſi ſunt & non per vim: Apoſtatæ à fide: Sacrilegi: Sepulchrorum violatores: Inceſtuoſi: homicidæ: periuri: qui in iudicio mendacium iuramento confirmarunt; Raptores; malefici; venefici; belli deſertores; adulteri; hæretici; fautores, receptatores, defenſores hæreticorum; credentes hæreticis; Schiſmatici; Blaſphemi; Simoniaci; vſurarij; duellum offerentes, vel acceptantes; omnes denique criminibus capitalibus irretiti; & in crimine notorio depoſitione digno, exiſtentes. Item, qui ducunt vxores viles & abiectas, vel meretrices, eiectas, repudiatas, ioculatrices, ſaltatrices. Hæc colligi poſſunt *ex cap. infames 3. quæſt. 7. & cap. infames, 6. quæſt. 1. & cap. ſi quis viduam, diſt. 34.* & aliis capit. iuris.

Irregularitas iſta ex infamia contrahitur etiam ſine propria culpa ex crimine alieno perſonæ coniunctæ, vt filius & nepos per lineam maſculinam hæretici damnati & in hæreſi morientes, aut de crimine læſæ maieſtatis damnati: ex matre verò hæretica ſolus filius, non autem nepos contrahit infamiam iuris, *cap. Statutum 2. de hæret. in 6.* Si tamen occulta fuerit hæreſis, aut in natione infecta pater deceſſit in publica hæreſi abſque nota infamiæ, filius Catholicus non eſt infamis, aut irregularis. Item infamiam iuris incurrit, qui ex meretrice matre, quamuis coniugata natus eſt, dummodò notorium ſit matris meretricium.

Denique hæc irregularitas infamiæ contrahitur aliquando ex vili conditione perſonæ, quæ oritur ex vſu artis infamis & muneris ignominioſi, vt ſunt Mimi, Hiſtriones, Scenici, Ioculatores, Carnifices, Macellarij, Tabernarij, Cauponarij, Aurigæ & ſimiles. De quibus legendi ſunt Maiolus *lib. 3. cap. 1.* Suarez *diſp. 48. ſect. 3.* Filliucius *tract. 19. num. 230.* qui vltimus rectè aduertit, quod ſemper debet aliquo iure conſtare tale munus inducere infamiam: nam aliàs ob vſum artis Mechanicæ regulariter non incurritur irregularitas, etiamſi ſint homines infimæ notæ, modò nihil turpe efficiant & cum peccato, ratione cuius fiant irregulares. Sic etiam filij vilium perſonarum non ſunt infames, nec irregulares, etiamſi eorum parentes tales fuerint; quia nullum eſt ius id exprimens, ſecluſo autem iure ignobilitas parentis non officit filio in ordine ad munera Eccleſiaſtica.

Maiolus. Suarez. Filliucius.

26. Suſpecti de hæreſi qui coguntur per Inquiſitores abiurare de vehementi, non ſunt irregulares; quia non damnantur tanquam hæretici, nec imponitur eis aliqua pœnitentia ob hæreſim, ſed ob ea geſta, ex quibus hæreſis ſuſpicio orta eſt, à qua ſe purgarunt per abiurationem: Tum quia in iure imponitur pœna irregularitatis hæreticis, non autem abiurantibus hæreſim. Suſpecti tamen de hæreſi eſſent irregulares quando ſuſpicio oritur ex eo, quod fauent hæreticis, vel illos defendunt, vel recipiunt; ſi autem ſuſpicio oriatur ex alio crimine, tunc non erunt irregulares propter huiuſmodi ſuſpicionem, ſed ſolùm propter infamiam, ſi crimen fuerit notorium; quare ſi auferatur infamia, & ſuſpicio purgetur, conſequenter etiam tollitur huiuſmodi irregularitas. Ita Sanchez *lib. 2. moral. cap. 25. n. 12. & 10.* Henriquez *lib. 13. c. 5.* Filliucius *tr. 20. n. 235.* Diana *part. 4. tract. 2. reſol. 47. & 48.* Farinacius *de hæreſi quæſt. 192. §. 5. num 80.* & alij.

Sanchez. Henriq. Filliucius. Diana. Farinac.

Vide verb. Ignorantia *num. 12.* Miſſa *3. num. 13.* Suſpenſio *num. 10. & 11.*

IRREGVLARITAS III.

Quibus modis tollatur irregularitas.

SVMMARIVM.

1 *Quæ irregularitates tollantur per baptiſmum, & quæ non.*

2 *An irregularitas ex defectu natalium per profeſſionem trium votorum ſimplicium in Societate IESV tollatur.*

3 *An irregularitas tollatur per diſpenſationem, an verò per abſolutionem.*

4 *An diſpenſatus indefinitè ad ordines, poſſit promoueri ad maiores? & an diſpenſatus ad maiores, cenſeatur etiam diſpenſatus ad minores.*

5 *Tria obſeruanda pro obtinenda vel concedenda diſpenſatione circa irregularitates contractas.*

6 *Quæ conſiderare debeat Superior diſpenſans in irregularitate.*

7 *Quando Summ. Pontifex abrogat legem, quæ imponebat pœnam alicuius irregularitatis, an cenſeantur tunc ſublatæ omnes irregularitates illius ſpeciei, non ſolùm contrahendæ, ſed etiam contractæ.*

8 *An irregularitas bigamiæ quæ oritur ex delicto etiam alieno, ſit ab Epiſcopo & Prælatis regularibus diſpenſabilis.*

9 *An diſpenſatus in vna irregularitate ob vnam cauſam contracta, maneat diſpenſatus in cæteris irregularitatibus contractis ob alias cauſas? Et an ex diuerſis homicidiis diuerſæ incurrantur irregularitates, in diſpenſatione explicanda.*

10 *Quænam irregularitates ſine vlla diſpenſatione aliquando tollantur.*

1. OMnis irregularitas quæ ex proprio delicto contrahitur, tollitur per Baptiſmum: Item

quæ

quæ contrahitur ex infamia proveniente ex proprio facto, ſeu delicto: quia baptiſmus omnia delicta tollit, & quę ex delicto conſequuntur. Tollit etiam Baptiſmus non ſolùm irregularitatem quæ procedit ex homicidio voluntario culpabili, aut mutilatione priùs facta, ſed eam etiam quę procedit ex homicidio iuſto & licito, quale facit Judex aut miles in bello iuſto. Ratio eſt, quia iura & Canones volunt tolli omnem irregularitatem ex homicidio quocumque contractam, aut ſaltem non imponunt irregularitatem homicidis, niſi poſt Baptiſmum occidentibus. Ita Angelus *verb. Irregul. 2. princip.* Sylveſter *verb. Baptiſm. 6. quæſt. 1.* & *verb. Homicidium 3. quæſt. 8. verſ. 1.* Maiolus *lib. 5. cap. 51. n. 11.* Henriquez *lib. 14. cap. 17. § 2.* & alij, quamvis aliqui panci contradicant. Non tolluntur tamen per Baptiſmum irregularitates ex bigamia; ex defectu natalium; & quæ ex defectu, aut vitio corporis procedunt, ſi talés ſint ut inhabiles efficiant ad miniſtrandum, vel ſuperſit gravis deformitas: nam cœcus, mutus, ſurdus & ſimiles etiam poſt Baptiſmum remanent irregulares.

Angelus. Sylveſter. Maiolus. Henriq.

2. Quamvis iure communi & antiquo irregularitas ex defectu natalium, vel quæ ex infamia contracta eſt ob delictum parentum, per profeſſionem ſolemnem Religionis approbatę tollatur; Iure tamen novo Conſtit. Gregorij XIII. in Bulla, *Aſcendente Domino*, edita anno 1584. octavo Kalend. Junij, id ſpeciale eſt in Societate Iesu, in qua ſicut per tria vota ſimplicia facta poſt biennium probationis, iuxta ipſius Societatis Cōſtitutiones verè & propriè quis religioſus efficitur, ita etiam per ea tollitur irregularitas ex defectu natalium; cùm vota ſimplicia habeant vim voti ſolemnis quoad hoc.

r. XIII.

Ceterùm per profeſſionem Religionis faciliùs diſpenſatio obtinetur aliarum irregularitatū, quæ iure communi non ſunt expreſſæ; quod eſt conforme praxi Sacræ pœnitentiariæ, quæ faciliùs concedit diſpenſationes irregularitatum religioſis quàm ſæcularibus: & in hoc ſenſu intelligendi ſunt nonnulli Doctores, qui generaliter dicunt per profeſſionem tolli omnem irregularitatem, hoc eſt, quod facilior diſpenſatio obtineatur.

3. Irregularitas poteſt tolli per diſpenſationem, non autem per abſolutionem. Ratio prioris eſt, quia ſicut diſpenſatio conceditur in iure humano, ita concedi poterit de irregularitate, quæ iure humano introducta eſt. Poſterius autem conſtat ex eo quod abſolutio eſt actus iuſtitię, in quo terminatur cauſa & iudicium. Diſpenſatio autē eſt exemptio quædam à lege communi: & ideò propriè diſpenſatio cadit in irregularitatem, quæ habet vim perpetuæ cujuſdam prohibitionis, vel pro tali tempore & ſtatu; unde quamvis doleat quis de ea, niſi accedat poteſtas Superioris diſpenſantis, non poteſt ab ea liberari per abſolutionem, ſi irregularitas ſit ex defectu, quę ſine culpa contrahitur; quia cùm non ſit pœna, nec cenſura, nec ſententia, nec vinculum, ſed tantùm impedimentum & inhabilitas, non propriè diceretur tolli per verbum, *Abſolvo*, ſed propriè tolleretur per verbum, *Diſpenſo*. quamvis irregularitas ex delicto contracta, per verbum, *Abſolvo*, tolli poſſet, ut advertit Sayrus *lib. 7. cap. 14. num. 19.* & Filliucius *tract. 2. . num. 280.* modò diſpenſans intenderit ſub ea forma diſpenſare.

Sayrus. Filliucius.

4. Cùm diſpenſatio ſit odium iuris, & odia ſint reſtringenda, ideò diſpenſatio eſt ſtrictè explicāda & tantūmodò extendēda ad ea, quæ tacitè, vel expreſsè ex intētione concedentis per verba ſignificantur: proinde ex cōmuni Doctorum ſententia diſpenſatus indefinitè ad ordines, non poteſt promoveri ad maiores *ex c. literas, de filiis presbyter.* quia diſpenſatio in quantum odioſa eſt reſtringenda, niſi fortè ex ſubiecta materia, vel generalitate verborum, aut ex aliis circumſtantiis aliter colligatur. Diſpenſatus verò ad maiores cenſetur etiam diſpenſatus ad minores; ſicut enim maiores ordines virtūaliter continent minores; ita diſpenſatio ad maiores, virtualiter continet diſpenſationem ad minores, cùm nō poſſit ad maiores promoveri niſi priùs minores receperit. Quare in diſpēſatione nō eſt facienda extenſio ad ea quę expreſsè, vel tacitè in ea non cōprehenduntur, nec valet argumentum à maiori ad minus, ita ut diſpenſatus in maiori cenſeatur etiam diſpenſatus in minori, niſi minus ſit adnexū & incluſum in maiori, tanquam pars illius. De his vide Sanchez *de mat. l. 8. diſp. 1.* Suar. *de cenſ. diſp. 41. ſect. 3.* Bonac. *diſp. 7 q. 5. p. ult. n. 6.* & alios penes ipſos.

Sanchez. Suarez. Bonacina.

5. Pro obtinenda vel concedenda diſpenſatione tria ſunt obſervanda, ut talis diſpenſatio legitimè fiat circa irregularitates cōtractas. *Primum*, debet Prælatus talem diſpenſationem concedere verbis expreſſis, vel ſcripto, vel ſaltē ſigno aliquo externo ſufficienter declarante intentionē & voluntatē ſuam diſpenſandi & tollendi talem irregularitatem: nā diſpenſatio eſt actus humanus, qui inter homines exercetur: actus autem humanus debet eſſe ſenſibilis; non enim voluntas hominis poteſt cognoſci, niſi aliquo ſigno externo manifeſtetur. Ita Suarez *diſp. 41. ſect. 3.* Navarrus *in man. c. 26. n. 23.* & alij communiter.

Suarez. Navarrus.

Secundum ut talis diſpenſatio non fiat ſine aliqua rationabili cauſa ipſi Superiori diſpenſanti cognita: quia iuxta D. Thomam *1. 2. q. 97. art. 4.* diſpenſatio in quacumque lege, ſi fiat ſine cauſa, eſt illicita, & colligitur ex doctrina Concilij Trident. *ſeſſ. 23 c. 14 de ref.* ubi dicitur: *cum promoto per ſaltum, ſi non miniſtraverit, Epiſcopus ex legitima cauſa poterit diſpenſare.* Quamquam ſi diſpenſatio fuerit à ſummo Pontifice collata ſine cauſæ cognitione, ſit valida, eò quòd Papa habeat ſuprēmam poteſtatem in quocumque iure Eccleſiaſtico diſpenſandi, quando ita voluerit. Diſpenſatio verò Prælatorum inferiorum in iure communi obtenta ſine iuſta cauſa, invalida erit, *ex cap. Dominus noſter, diſt. 55* & *cap. unico diſt. 57.* & diximus *tom. 1. verb. Diſpenſatio, n. 14.* cum Doctoribus ibi citatis.

D. Thom. Con. Trid

Tertium, in petitione diſpenſationis facienda eſt expreſſa mentio omnium ſpecierum irregularitatum, de quibus obtinenda eſt diſpenſatio: nam ſi aliquis eſſet adſtrictus pluribus vinculis ſpecierum irregularitatum, & peteret diſpenſationem ab irregularitate confuſè, & indefinitè, non remaneret diſpenſatus ab illis omnibus, cùm non conſtaret à qua fuerit diſpenſatus, niſi Prælatus in caſu, habuiſſet expreſſam voluntatem diſpenſandi in omnibus & quibuſcumque irregularitatibus, in quas talis incidiſſet; quæ intentio expreſſis verbis & ſignis fuiſſet oſtenſa. Ita Suarez *diſp. 41. ſect. 3.* Maiolus *l. 5. c. 51.* Filliucius *tract 10. c. 10. n 281* Bonacina *diſp. 7. q. 5. punct. ult. n. 1.*

Suarez. Maiolus. Filliucius. Bonacina.

6. Superior diſpenſans debet attentè conſiderare gravitatē illius irregularitatis, de qua petitio diſpenſationis eſt facta: nam diffi ilius diſpenſare debet in irregularitatibus gravioribus, quàm in aliis; & hac de cauſa rariſſimè diſpenſare ſolet Papa in irregularitate bigamiæ, quia ad hoc requiritur maior cauſa. Similiter difficiliùs diſpenſatur in homicidio voluntario, quàm caſuali, vel

ratione juſtitiæ exequendæ, & facilius conceditur diſpenſatio ad miniſtrandum in ſuſceptis, quàm in ſuſcipiendis ordinibus, ut docent Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 10. *& cap.* 17. *num.* 5, *&* 6. Henriq. Avila. Avila *part.* 7. *diſp.* 10. *dub.* 1. *concl.* 2. *&* 3.

7. In confeſſo eſt apud omnes Catholicos, poſſe Summum Pontificem de plenitudine poteſtatis tollere omnem irregularitatem, vel in ea diſpenſare ſecundùm totum, vel ſecundùm partem: proinde ſi aliquando Summus Pontifex abrogaret legem, quæ imponebat pœnam alicuius irregularitatis, cenſentur tunc ſublatæ omnes irregularitates illius ſpeciei, non ſolùm contrahendæ, ſed etiam contractæ. Ratio eſt, quia ſublata lege inducente irregularitatem, cenſetur etiam ſublata irregularitas ante talem abrogationem ejuſdem legis contracta: cùm enim irregularitas fundata ſit in lege, quæ talem irregularitatem imponebat propter indecentiam miniſterij Sacri Ordinis, ſequitur, quòd ſublata tali lege, ſublata etiã ſit talis irregularitas; ſublata enim cauſa, par eſt, ut tollatur effectus ab ea pendens: propterea abrogata lege declarante illegitimos eſſe regulares, cenſentur eſſe habiles ad Ordines, non ſolùm, qui ita tales deinde naſcuntur, ſed etiam illi, qui ante talem legis abrogationem nati fuerant ex coitu illicito. Idem militat in abrogatione legis imponentis irregularitatem homicidis, bigamis, aut reb-ptizantibus, aut filijs hæreticorum & alijs. Ita Suarez *diſp.* 41. *ſect.* 1. *num.* 7. Suarez. Filliucius. Bonacina. Filliucius *tract.* 20 *cap.* 10. *quæſt.* 4. Bonacina *de irregul. diſp.* 7. *quæſt.* 5. *punct.* 1. *num.* 2. & alij.

Supradicta tamen limitantur dupliciter; *Primò*, quando talis abrogatio facta ſit abſolutè ſine aliqua reſtrictione declarante, quoad irregularitates in poſterum contrahendas, quia tunc de illis tantummodò intelligeretur facta talis abrogatio, & non de alijs: quia abrogatio non plus operatur, quàm verbis exprimatur.

Limitantur *Secundò*, quando Summus Pontifex non immediatè aufert legem imponentem irregularitatem, ſed tantùm aufert legem ferentem cenſuram, pro cuius violatione irregularitas fuit contracta: quare ille, qui celebravit in excommunicatione contracta ob clerici percuſſionem, non fit liber ab irregularitate, revocata lege imponente excommunicationem. Ratio eſt, quia in caſu noſtro ſolùm ſublata eſt excommunicatio contrahenda per talem percuſſionem in poſterum faciendam, non tamen ſublata fuit excommunicatio antè contracta, neque irregularitas, quæ contracta fuit à celebrante in excommunicatione: eſt enim diverſa utriuſque ratio, & à diverſis non eſt facienda illatio, ut bene advertunt Doctores citati.

8. Ex communi Doctorum ſententia irregularitas orta ex bigamia propria & interpretativa, etiamſi res ſit occulta, nõ eſt ab Epiſcopo diſpenſabilis: quia hæc irregularitas non oritur ex delicto, ſed ex defectu ſignificationis, vel ex ipſo facto coniugij attentati etiam invalidè. Verùm apud nonnullos non videtur improbabile, quod poſſit Epiſcopus in ea irregularitate diſpenſare, quæ oritur ex delicto etiam alieno; verbi gratia, in ea, quam contrahit is qui cognovit uxorem, poſtquã ea commiſit adulterium cum alio, etiamſi adulterium uxoris ſit occultum; quia talis irregularitas verè oritur ex delicto. *Item* quod poſſit in ea, quam contrahit Sacerdos, qui poſt mortem uxoris legitimę tentat aliam in uxorem accipere: quia etiam hæc irregularitas oritur ex delicto, idque etiamſi conetur contrahere cum vidua: nam cùm matrimonium ſit irritum, non inducit irregularitatem ex defectu ſignificationis, ſed ex peccato. *Item* ſi laicus contrahat irregularitatem ineundo matrimonium cum duabus invalidè, vel invalidè cum vidua, quam irregularitatem oriri ex delicto ſuſtinet Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 84. *num.* 6. *in fine*, & *diſp.* 86. *num.* 12. docet Epiſcopum in eo caſu poſſe diſpenſare. In his & ſimilibus caſibus, quando irregularitas eſt occulta, probabile eſt, Epiſcopum poſſe diſpenſare, non ſolùm quoad minores ordines recipiendos, vel exercendos, ſed etiam quoad majores, juxta poteſtatem ei conceſſam à Concilio Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Ita Præpoſitus *in* 3 *part. quæſt.* 5. *de irregular. dub.* 7. *num.* 138. Bartholomæus de Vecchis *in praxi novit. diſp.* 9. *dub.* 15. *num.* 3. Tamburinius *tom.* 2. *de iur. Abbat. diſp.* 17. *q.* 3. *num.* 3 qui duo poſtremi hanc poteſtatem extendunt ad Prælatos regulares cum eorum ſubditis. Multò plures tamen Doctores concedunt Epiſcopis poteſtatem diſpenſandi in irregularitate veræ bigamiæ apud ordines minores & ſimplex beneficium, ut videre eſt apud Sayrum *de cenſur. lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 11. Sanchez *de matrim. l.* 7. *diſp.* 86. *num.* 11. Avilam *de cenſur. part.* 7. *diſp.* 7. *dub.* 4. Concil. Trid. Præpoſ. Vecchis. Tambur. Sayrus. Sanchez. Avila.

9. Diſpenſatus in una irregularitate ob unam cauſam contracta, diſpenſatus non manet in ceteris irregularitatibus cõtractis ob alias cauſas. Ratio eſt, quia poteſt quis in una irregularitate diſpenſare, & non in alijs: tum quia poteſt quis ex multis defectibus & cauſis eſſe impeditus ad ordines & ad uſum ordinum, & poteſt reddi habilis ſublato uno impedimento, & manere inhabilis ex alijs impedimẽtis. Imò juxta Suar. *de leg. l* 6 *c.* 24. *n.* 12. ex diverſis homicidijs diverſæ incurrũtur irregularitates, quæ non ſatis in diverſis vicibus explicantur pro diſpenſatione obtinenda: quia licet irregularitates illæ ſint numero diſtinctæ, moraliter tamen quaſi efficiunt unam graviorem; vel certè una illarum non ſatis abſque alia explicatur. Ceterùm ab hac ſententia recedit Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 16. §. 4. *n.* 16. Non enim apparet quarę una irregularitas non ſatis abſque alia explicetur, cùm ſatis unum homicidium abſque alio explicari poſſit; nec cur unius diſpenſatio cum alia colligata ſit, quia ex diſtincta omninò cauſa procedit, neque ex pluribus illis irregularitatibus una coaleſcit, ſed ſunt diſtinctæ, ac ſi quælibet in ſuo ſubiecto diſtincto exiſteret. Sicut enim poteſt remiſſio unius homicidij ſine alio impetrari, cur non poterit diſpenſatio irregularitatis unius homicidij ſine diſpenſatione alterius obtineri? Nihilominus quia probabile eſt, contracta una irregularitate ob homicidium, non contrahi aliam numero diſtinctam, etiamſi aliud homicidium committas; quia cùm irregularitas ſit inhabilitas per modum habitus, non potes ampliùs ex eadem cauſa inhabilitari, cùm omnia homicidia ſint ejuſdem rationis; ideò ſecundùm hãc opinionem non eſt opus exprimere numerum homicidiorum, propter quæ petens diſpenſationem contraxit irregularitatem: ſicut qui excommunicatus centies celebravit, non tenetur in obtinenda diſpenſatione irregularitatis exprimere ſe toties celebraſſe in excommunicatione, ſed ſatisfacit dicendo, ſe exiſtentem in excommunicatione celebraſſe. Ita Sanchez *de matr. l.* 8. *diſp.* 24. *n.* 7. Avila *diſp.* 10. *de irreg. dub.* 8 Henriquez *l.* 11. *c.* 10. §. 3. & *l.* 14 *c.* 7. §. 3. Emanuel Sà *verb. Irregularitas. n.* 7. Bonacina *de irregular. diſp.* 7. *quæſt.* 5. *puncto ult. num.* 1. & alij. Et confirmari poteſt hæc opinio ex copula cum conſanguinea ſæpiùs repetita, Sanchez. Avila. Henriq. Eman. Sà. Bonacina.

quæ

quæ non inducit novum impedimentum, neque eſt neceſſariò facienda mentio omnium illorum delictorum, ſed ſufficit, ſi unius tantùm mentio fiat, pro impetranda diſpenſatione ad matrimo-
Sanchez. nium inter ſe contrahendum, ut docet Sanchez *loco citato.*

10. Quædam irregularitates ſine ulla diſpenſatione tolluntur; *Primò*, irregularitas proveniens ex defectu ætatis, ſolo temporis lapſu tollitur, cùm quis legitimam ſecundùm Canones ad ordines ætatem attigerit.

Secundò, irregularitas ex infamia contracta, temporis lapſu, vel loci mutatione, tolli poteſt, & quidem ſi fuit infamia facti: qui enim in una civitate contraxit infamiam facti, deſinit eſſe irregularis, ſi alibi ex mutatione vitæ acquirat bonam famam: imò & in eodem loco lapſu temporis fama recuperari poteſt per bona opera, apud bonos & graves viros, ſicut fuerat perdita per factum proprium. Si verò fuit infamia iuris, vel iudicis, tolli poteſt ſi reſtituatur in integrum fama per ſententiam iudicis.

Tertiò, irregulares, quia ſunt ſervi, vel matrimonio iuncti, vel quia ſunt ad ratiocinia, vel curiam ſæcularem obligati, eo ipſo quod ab his vinculis liberantur, manent habiles ad ordines ſine ulla alia diſpenſatione, dummodo irregularitatem ex alia cauſa provenientem non contraxerint.

Quarto, qui morbo aliquo aut defectu corporis laborat, ſi evadat ſanus & ceſſaverit defectus, poſt longi temporis probationem, ad ordines admitti poterit. Denique illegitimus ex facto ſecuto fit legitimus, ſi parentes inter ſe matrimonium contrahant. Ita communiter Doctores.

Vide verb. Aborſus *num.* 8. Capitulum *num.* 3. Diſpenſatio *num.* 26. 30.

IVBILÆVS.

SVMMARIVM.

1 *Iubilæus unde detivetur? & quid per eum intelligatur in Sacra Eccleſia.*

2 *An regularis approbatus à ſuo Provinciali pro confeſſionibus Fratrum, cenſeatur approbatus ab ordinario, tempore Iubilæi ad confeſſiones ſæculares.*

3 *An Prælatus Religionis non approbatus ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium audiendas, poſſit eligi in confeſſarium à ſæcularibus, tempore Iubilæi?* Refertur duplex ſententia.

4 *Qui tempore Iubilæi obtinuit commutationem votorum, ſed aliquorum oblitus eſt, an tranſacto eo tempore poſſit oblitorum commutationem petere.*

5 *An quis poſſit lucrari Iubilæum aliquando ſine communione, & ſine jejunio trium dierum.*

6 *An qui omnia opera in Iubilæo injuncta infra hebdomadam complevit, poſſit die Dominica iterum à reſervatis abſolvi.*

7 *An quocumque die hebdomadæ præſcripta poſſit fieri Communio Sacra, tempore Iubilæi? Et an Communio facta in peccato mortali ſit ſufficiens pro Iubilæo lucrando, ſi ultimum opus præſcriptum non ſit.*

8 *An pueri, qui non ſunt capaces communionis, poſſint lucrari Iubilæum.*

9 *An poſſit Confeſſarius commutare jejunia Iubilæi & alia opera præſcripta, ultimo die ſequentis hebdomadæ, in quo terminatur Iubilæus.*

10 *An requiratur Confeſſio, vel tantùm contritio ad lucrandam indulgentiam?* Refertur duplex ſententia.

11 *An Parochus ſit eligibilis in Confeſſarium ubique terrarum tempore Iubilæi? Quid iuris ſi beneficio Parochiali renunciavit.*

12 *An tempore Iubilæi poſſit quis ab uno Confeſſario abſolvi & ab alio commutationem votorum petere.*

13 *An Confeſſarius virtute Iubilæi commutans vota, poſſit etiam commutare juramenta vel vota iurata?* Refertur duplex ſententia.

14 *An in Iubilæo poſſit Confeſſarius commutare vota peregrinationis in Hieruſalem, ad limina Apoſtolorum, & ad D. Iacobum, ſi non exprimantur.*

15 *An in materia indulgentiarum iuvet opinio probabilis ad lucrandam indulgentiam?* Refertur duplex ſententia.

1. IUbilæus, ſecundùm quoſdam, derivatur à verbo Iubilo, quod ſignificat ingentem animi lætitiam, quæ verbis exprimi non poteſt, & quaſi quadam voce confuſa datur intelligi cordis lætitia. Ita Gloſſa *in clem.* 1. §. *Intelleximus, de relig. & venerat. Sanctor.* Alij volunt derivari à voce Hebræa Iobal, quæ denotat gaudium & lætitiam univerſalem, quæ mediante ſonitu tubæ, ſeu buccinę promulgabatur, quo indicabatur annus germinans & fructuoſus, reddens fructus terræ uberrimos ſine labore: qui annus quinquageſimo quoque anno apud Hebræos incidebat: in quo anno remittebantur agriculturæ, ſuppeditante Domino ex frugibus anni præcedentis ad triplam menſuram: agri etiam domuſque divenditæ redibant ad priores dominos, & ſervi reſtituebantur libertati, prout *ex Levit. c.* 26. & 27. colligitur. Gloſſa.

Unde per talem annum Iubilei figurabatur lex gratiæ, in qua fideles Chriſti recipiunt peccatorũ commiſſorum pleniſſimam remiſſionem ſine magno labore per applicationem factam à Pontifice meritorum Chriſti & Sanctorum, quæ in theſauro Eccleſiæ conſervantur, & ita liberantur à ſervitute diaboli ad recipiendam Paradiſi poſſeſſionem. Ita Bellarminus *lib.* 1. *de indulg. to.* 3 *cap.* 1. Suarez *tom.* 4 *de pœnit. diſp.* 50. *ſect.* 4. Filliucius *tract.* 8. *cap.* 10. *quæſt.* 1. & alij. Bellarm. Suarez. Filliucius.

Per Iubileum in Eccleſia ſancta Dei intelligitur nõ ſolùm annus ſanctus qui hodie vigeſimo quoque quinto anno celebratur, verùm etiã intelligitur plenarium indultũ quod in pleniſſima forma per totam Eccleſiã conceditur, ut pœnitentes eligant ſibi confeſſariũ, qui eos abſolvat ab omnibus criminibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & cenſuris, cum poteſtate commutandi vota, quo mediante conſequuntur indulgentiam plenariam.

2. Tempore Iubilæi regularis approbatus à ſuo Provinciali ad audiendas confeſſiones fratrum ſuæ Religionis, non poteſt eligi in confeſſarium à ſæcularibus, ſive à presbyteris ſæcularibus, ſi non ſit approbatus ab aliquo Epiſcopo ad audiendas confeſſiones ſæcularium. Ita fertur declaratum fuiſſe Romæ in Sacra Pœnitentiaria; nam nomine Ordinarij intelligitur Epiſcopus, & non Prælatus Regularium, ut docet Suarez *to.* 4. *de pœnitent. diſp.* 28. *ſect.* 6. *num.* 11. Filliucius *tract.* 8. *num.* 275. & alij communiter. Tamen quoad regulares talis confeſſarius poteſt eligi, quia Superior eſt ordinarius ipſorum, & ita approbatus ab ipſo, eſt approbatus ab ordinario. Suarez. Filliucius.

3. Cõtroverſia eſt inter Doctores, an Prælatus alicuius Religionis nõ approbatus ab aliquo Epiſcopo ad cõfeſſiones ſæculariũ audiendas, poſſit eligi in confeſſarium à ſæcularibus tempore Iubilæi? Negant Suarez *tom.* 4. *diſp.* 28. *ſect.* 4 *n.* 21. Tamburinius Suarez.

burinius *de iur. Abbat. tom.2.diſp.6.q.17.* Fagund. *præc.2.l.7.c.2.n.39.* Ratio eſt, quia Conc. Trident. *ſeſſ.23.c.15.de ref.* expreſsè dicit, quòd *nullus regularis ad audiendas confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotũ idoneus reputetur, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopo per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obineat.* Cùm ergo iſte Prælatus numquã fuerit admiſſus ab Ordinario, ſequitur non poſſe eligi virtute Iubilæi, in quo ſemper additur illa clauſula, ut Sacerdos eligendus debeat eſſe approbatus ab Ordinario. Hæc ſententia eſt tenenda. Nihilominus opinio oppoſita apud quoſdã ſuſtinetur ut probabilis. Ratio eſt, quia nomine habẽtis beneficiũ Parochiale, ſeu curatũ, videntur comprehendi omnes, quibus ratione dignitatis vel proprij officij demandata eſt cura animarũ, quales ſunt Generales, Provinciales Religionum, Abbates, Priores, Guardiani & ſimiles Præpoſiti Monaſteriorum, atq; adeò hi, ſicuti Parochi, iuxta Concilij erunt ſufficiẽter idonei, ut poſſint proximè eligi vi Bullæ Iubilæi vel alterius privilegij in Confeſſarios. Non enim alia de cauſa Conc. Trid. admittit tanquã idoneos & ſufficienter approbatos illos, qui habent Parochiale beneficiũ, niſi quia ipſis commiſſum ſit ab Epiſcopo officiũ curatum. Nam eo ipſo, quod alicui committitur cura animarum, declaratur ſufficienter idoneus. Cùm ergo Prælatis Regularũ ex vi ſui muneris ſit demãdata animarũ cura, ſequitur, quod iuxta Concilij habeantur tanquam idonei & approbati ad Confeſſiones ſæcularij audiendas; & præſertim, dicti Prælati ſunt cõmuniter probatiores & digniores, tam in litteris, quàm in moribus, quàm plures ex ſæcularibus habentibus ſimplex beneficium curatum.

Tambur. Fagund. Con. Trid

Ita Angelus Boſſius *in tract. de Iubilæo ſect. 3 caſ.2. §.2.n.53.* Mantuus Gallus, Ioannes Medina apud Henriquez *l.6.c.6.n.3 in Gloſſa lit.E & F.* Ioan. Valerus *in differ. utriuſq; for. verb. Nullitas differ 5.n.5.* Geſvaldus *p.2.Theol. mor tr.2.c.2.n.33.& 34.* qui noviſſimus advertit hoc eſſe intelligendum de Prælatis, qui adhuc ſunt in officio Prælaturæ, non autem de illis, qui aliquando fuerunt Prælati, ſed modò non ſunt, quia ceſſante officio, ceſſat animarum cura, ex Diana *p.1.tr.11.reſol.8.*

Boſſius. Mantuus. Gallus. Medina. Henriq. Valerus. Geſvald.

Diana.

4. Iuxta veriorem & magis rationi conſentaneã opinionem, qui tempore Iubilei obtinuit cõmutationem votorum, ſed aliquorum oblitus eſt, tranſacto eo tempore non poteſt à dictis votis oblitis commutationem petere, non obſtante, quod non ſit lucratus Iubilæum. Ratio eſt, quia non eſt eadẽ ratio de votis oblitis & de peccatis reſervatis: illa enim peccata oblita in confeſſione facta, fuerunt indirectè abſoluta: vota autẽ non cõmutantur indirectè, quapropter, quãdo quis nõ obtinuit Iubilæum, non poteſt poſtea, eo tranſacto, cõmutationem votorum oblitorum petere. Ita Sanchez *l.4 mor.c.14.n.52.* Portel *in dub.reg. verb. Indulgentia pro Iubilæo n.19.* Filliuc. *tr.8.n.279* Boſſius *de Iubilæo, ſect.2 caſu 45.* Diana *p.5.tr.12.reſ.41.* Tamẽ vota commutata à Confeſſario virtute Iubilæi, quamvis poſteà pœnitens illud non lucretur, remanent verè commutata, nec reviviſcunt, ut docent Sanctarell *de Iubilæo c.12.dub.3.* & Layman *l.5.tr.7 c.8.n.9.* Si verò Iubilæum obtinuit, poſſet poſteà vota ante Iubilæum emiſſa, nõ ſolùm oblita, verũ etiam, quæ tunc noluit, commutare: nam quando pœnitens conſecutus eſt Iubilæum, obtinuit ius illius conceſſionis cõmutandi vota omnia emiſſa ante Iubilæi conſecutionẽ, ut annotavimus etiam *tom.1.verb. Votum VI. num.13.* cum Doctoribus ibi citatis.

Sanchez. Portel. Filliucius. Boſſius. Diana.

Sanctar. Layman

5. Si aliquis omnia opera iniuncta pro conſequẽdo Iubileo feciſſet, & mane die Dominico vellet confiteri & Sacrã Euchariſtiã ſumere, ſed inadvertenter & incuria aliquid cibi deglutivit, vel bibit, hoc nõ obſtante poteſt lucrari Iubileũ & à reſervatis abſolvi: quia in tali caſu cõfeſſarius poteſt cõmunionem, quã tenebatur facere, in aliud opus pium commutare. *Similiter* qui noluit lucrari Iubilæũ & in ſecunda hebdomada die Sabbatho mutat propoſitũ, poteſt abſolvi à reſervatis & lucrari Iubileũ, dummodo commutentur ieiunia: nã communionẽ, eleemoſynã, viſitationes Eccleſiarũ & orationẽ poteſt facere die Dominico, quia iam tẽpore debito confitetur; non enim obligatus erat confiteri ante Sabbathum: nam poterat mane die Dominico; unde in tali caſu cũ ipſo proceditur, ac ſi fuiſſet impotens ad ieiunij. Ita docent probabiliter Sanctarell. *de Iubilæo c.7 dub.1.* Henriq. *l.7.c.10.n.8. in fine.* Diana *part.3 tract.4.reſol.152.*

Sanctar. Henriq. Diana.

6 Qui cõplevit intra hebdomadã omnia opera in Iubilæo iniuncta, ita ut ultimũ opus ſit ieiunij Sabbathi, ſi iterũ mane in die Dominico incidat in caſũ reſervatũ, poteſt ab illo virtute Iubilæi abſolutionẽ obtinere: quia cùm ſit infra eandẽ hebdomadam, poteſt variare & tutiùs procedendo iterũ confiteri & cõmunicare, & poſtea facere eleemoſynã, & viſitare Eccleſias, ſub diſtinctione id faciendo, pro ultimo opere Iubilæi: nemini enim prohibetur pluries idem opus repetere pro eodẽ fine intra terminum concellum. Ita Alphonſ. de Leone *de Iubilæo p.2. ſect.5.n.170.* contra Sanctarell. *loco cit. cap.8 dub.6.*

Leone. Sanctar.

7. Tempore Iubilæi communio poteſt fieri quocũque die hebdomadæ præſcriptæ, etiãſi in diplomate præſcriptũ ſit, quod communio ſit facienda in Dominico die, qui ieiunia proximè ſequitur. Ratio eſt, quia nõ aſſignatur dies pro cõmunione faciẽda in tali die præcipuè, ſed cõſultivè, tãquam tẽpus magis accommodũ: & ideò convenientiùs cõmunio fit ultimo die, præmiſſis ceteris operibus, tãquã præviis diſpoſitionibus; non tamẽ eſt de eſſentia propteræ, in quocumque die eiuſdem hebdomadæ ſumatur Communio Sacra, adimpletur ſufficienter opus præſcriptum. Ita Angel. Boſſius *de Iubilæo ſect.4.caſu 20.* quem ſequitur Diana *p.5.tr.12.reſ.17.* qui probabiliter docent communionem factam in peccato mortali ſufficere ad ſatisfaciendum oneri communionis iniuncto ad lucrandum Iubilæum, ſi eadem communio non ſit ultimum opus in Iubilæo præſcriptum: quia non eſt neceſſarium, ut quis ſit in ſtatu gratiæ toto tempore, quo ſingula opera facit, ſed ſufficit, ut in ultimo inſtanti, in quo ultimum opus perficitur, ſit in gratia. Ita etiam Fauſtus *de Iubilæo l.4.q.46.* Fernand. *p.3.c.8.§ 8.* Henriquez *l.7.c.9.n.5.* Nec refert quòd in Bulla Iubilæi dicitur, Euchariſtiam ſumendam eſſe reverenter & devotè; nam particula devotè non importat idem quod dignè, ſeu abſque conſcientia peccati mortalis ad Euchariſtiam accedere, ſed idem ſonat quod attentè, ſeu mente non omnino ad aliud voluntariè diſtracta. Quare qui ſumit Euchariſtiam intentione actuali, vel ſaltem virtuali colendi Chriſtum, vel lucrandi Iubilæum, ſeu obediendi Eccleſiæ, aut Papæ, etiamſi ſit in ſtatu peccati mortalis cogniti, dici poteſt ſumere Euchariſtiam devotè, licet non ſumat dignè. Nonnulli tamen Doctores exiſtimant, Summum Pontificem exigere communionem ritè factam, non autem ſacrilegam, quorum ſententia eſt etiam probabilis, quàm ſuſtinent Sanctarellus, Zanardus & alij apud Dianam *p.3. tr.4.reſol.148.*

Fauſtus. Fernand. Henriz.

Sanctar. Zanard. Diana.

8. Pueri

8. Pueri, qui ex defectu ætatis non ſunt capaces communionis, poſſunt lucrari Iubilæum, faciendo cetera opera præſcripta abſque ſumptione Euchariſtiæ, cuius ſunt incapaces; tenentur tamen petere à confeſſario commutationem communionis in aliud opus, cuius ſunt capaces; aliàs indulgentiam Iubilæi non lucrarentur, quia communio eſt unum ex operibus in Iubilæo præſcriptis, & indulgentiæ tantùm valent, quantùm ſonant. Nec ſufficit, quod communionem ſpiritualem faciant, ut volunt Fernandez *part. 3. cap. 8. §. 8* & Zanardus *in direct. Confeſſ. part. 1. cap. 11. quæſt. 28.* ſed requiritur realis communio, & in caſu impoſſibilitatis requiritur commutatio Confeſſarij in aliud opus pium, iuxta formam in Bulla Iubilæi præſcriptam. Et idem dicendum eſt de infirmis & patientibus tuſim, vomitum, vel quid ſimile. Ita Fauſtus *de Iubilæo l. 4 quæſt. 45.* Sanctarellus *de Iubil c. 7 dub. 1.* Diana *part. 5 tract. 12. reſ. 17. in fine.* Graffius *in append. l. 2. c. 5. n. 50.* & alij.

Fernand. Zanard. Fauſtus. Sanctar. Diana. Graffijs.

9. Confeſſarius poteſt commutare ieiunia Iubilæi, aliaque opera præſcripta etiam ultimo die ſequentis hebdomadæ, in quo terminatur tempus lucrandi Iubilæum. Ratio eſt, quia facultas Confeſſarij commutandi opera Iubilæi non tantùm ſe extendit circa opera facienda, verùm etiam circa opera præterita; non ſolùm ob legitimam cauſam ægritudinis, & impotentiæ, ſed etiam ex negligentia ſive etiam ex malitia omiſſa. Nam quamvis ex ſua malitia talis opera præſcripta non feciſſet tempore conſtituto, tamen quando ad pœnitentiam accedit, verè dicitur impotens.

Verùm ſi quis peteret commutationem operum vel dilationem conſecutionis Iubilæi, ob id ſolùm, quia non vult illo tempore lucrari, cùm tamen commodè poſſet, talis non eſſet capax illius diſpenſationis, quia non diceretur impeditus. Ita Filliucius *tract. 8. num. 268. & 273.* Sanctarellus *de Iubilæo cap. 7. dub. 1.* Diana *part. 5. tract. 12. reſ. 26.* Non eſt tamen improbabilis ſententia Præpoſiti *in 3. p. quæſt. 14. de indulgent. dub. 10 numero 83.* aſſerentis, quod quando dicitur præſcripta opera poſſe mutari in alia, reſpectu eius, qui detinet ut impedimento, non poſſint mutari reſpectu illius, qui carens iuſto impedimento neglexit opera præſcripta: qui enim negligit voluntariè implere conditiones requiſitas, moraliter loquendo, non poteſt dici detentus impedimento, neque Pontifex per talem particulam cenſetur velle per Confeſſarium tali poſſe ſuccurri. Hæc *Præpoſitus* ſatis rigidè; prima tamen ſententia, ut benignior, ita probabilior videtur; nam favor Iubilæi, cùm ſit beneficium Principis & animæ favorabilis, eſt ampliandus, & nullo modo reſtringendus abſque evidenti ratione.

Filliucius. Sanctar. Diana. Præpoſit.

10. Quando in Bulla Iubilæi, vel indulgentiæ dicitur, *Omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, vel omnibus contritis & confeſſis, qui viſitaverint Eccleſiam, &c. concedimus plenariam indulgentiam*, iuxta tutiorem ſententiam, non ſufficit quod ſuſceptor ſit in gratia per contritionem, ſed neceſſaria eſt confeſſio, ſaltem ſi ſuſceptor commiſit peccatum mortale poſt confeſſionem. Ratio eſt, tum quia indulgentiæ explicandæ ſunt, ut in Bullis exprimitur; cùm ergo in Bullis exprimatur confeſſio & contritio, neceſſaria eſt confeſſio & contritio. Tum quia in dubio non eſt recedendum à proprietate verborum: nam particula *&* non eſt diſiunctiva, ſed coniunctiva & copulativa; diſpoſitio autem copulata exigit utriuſque partis veritatem, ſeu exiſtentiam utriuſque termini. Ita Layman *l. 5. tract 7. cap. 6 n. 7.* Bellarm. *lib. 1. de indulgent. cap. 13. q. 3.* Sanctarell. *de Iubileo cap. 14. dub. 3.* & alij; quamvis contrarium, nempe ſufficere verâ & perfectam contritionem cum confeſſione in voto, ſeu cum propoſito confitendi tempore debito ſecundùm Eccleſiæ præceptum, etiamſi lucraturus indulgentiam commiſerit peccatum mortale poſt ultimam confeſſionem, cenſeatur etiam probabile; quia Pontifex ſolùm videtur peccatorum confeſſionem requirere ad tollendum obicem indulgentiæ: is autem ſufficienter tollitur per contritionem ſi tempus confeſſionis annuæ, eo tempore non obliget: quare in tali caſu confeſſio exigitur non ut opus, ſicut ſolet exigi ieiunium, eleemoſyna &c. ſed ut diſpoſitio. Ita Suarez *in 3 p. tom. 4. diſp. 52. ſect. 3. n. 15.* Filliucius *tract. 8. n. 148.* Coninck *de Sacram diſp. 12. dub 7. n. 38.* Ad quam rationem poſſet reſponderi, Pontificem, ſecundùm praxim Eccleſiæ, exigere confeſſionem peccatorum mortalium ut per eam certiùs, ac ſecuriùs tollatur obex lucrandæ indulgentiæ, cùm plerumque non ſatis certi ſimus nos habere contritionem perfectam, & per ſe ſufficientem ad gratiam iuſtificationis. Vide quæ diximus de hoc caſu *tom. 1. verb. Indulg. II. n. 2. v. Ceterum.* ex Sylvio.

Layman. Bellarm. Sanctar. Suarez. Filliucius. Coninck.

11. Parochus, quamdiu retinet beneficium curatum, non ſolùm eſt eligibilis per Iubilæum intra eandem Diœceſim ubi habet beneficium, ſed extra & ubique terrarum. Ratio eſt, quia in huiſmodi beneficiato ex Concilio Tridentino nulla alia approbatio requiritur, præterquam quòd parochiale beneficium habeat, ut poſſit confeſſiones ſæcularium audire; quo ergo fundamento dici poteſt ultra beneficium parochiale requiri etiam approbationem ſui Epiſcopi? Tum quia, ſi extra diœceſim non poſſet eligi, nec etiam extra ſuam parochiam intra eandem poſſet, cùm ex vi beneficij ſolùm videatur approbatus pro ſua parochia, & nihilominus ex vi Concilij reputatur illa approbatio ſufficiens pro alijs parochijs ſuæ diœceſis; quia miniſter publicus debet ſimpliciter reputari ſufficiens, ut ibi eligatur. Ita Suarez *t. 4. diſp. 28. ſect 4. n. 18* Toletus *l. 3. c. 13. n. 6* Fagundez *prec. 1. l. 7. c. 36.* Molf. ſius *in Sum. t. 1 tract. 7. c. 15 n. 89* & alij; quidquid in contrarium ſentiant nonnulli. Nam conſuetudo habet, ut parochi abſque alia licentia ſuorum Epiſcoporum ſeſe mutuo iuvent in audiendis confeſſionibus ſuorum ſubditorum, ex ſolo ſuo conſenſu, etiam diverſarum diœceſum & diverſi regni. Si ergo ex mutuo conſenſu & commiſſione hoc poteſt fieri, multo maiori cum ratione hoc fieri poterit ex privilegio, ut docent præcitati Doctores.

Suarez. Toletus. Fagund. Molfenus.

An autem parochus ſit eligibilis tempore Iubilæi, ſi beneficio parochiali renunciavit? Negativam ſententiam amplexi ſumus *tom. 1. v. Confeſſarius III. n. 16.* cum auctoribus ibi citatis. Contrariam ſententiam nihilominus vocant probabilem nonnulli; quia talis parochus habebat approbationem ab Ordinario, imò & ab ipſo iure, ſed per renunciationem beneficij parochialis ſolùm tollitur ei iuriſdictio, non verò approbatio: ergo manet eligibilis per Bullam. Approbatio enim non habet neceſſariam dependentiam & connexionem cum parochiali illo beneficio: ergo non eo ipſo quo ſit renunciatio beneficij, auferetur approbatio. Ita Rodrig. Ioannes de la cruz à nobis citatis loco ſupra; quibus addo Trullenck *in Bulla cruciat. l. 1. §. 7. dub. 4. n. 4.*

Rodrig. De la Cr. Trullench

12. Quando in Bulla Iubilæi iniungitur ut ope-

ra poſſint commutari per confeſſarium electum, ſi quis iam elegit confeſſarium & ab eo eſt facta commutatio, non tamen illi confeſſus eſt ſua peccata, ſed alteri, cõmutatio valet. Nam in Bulla Iubilæi requiritur ſolùm ut commutans ſit confeſſarius approbatus ab Ordinario, quod accidit in noſtro caſu. & ita declar ſſe Greg. XIII. teſtatur Henriq. *l. 7. c. 10. n. 8.* Vide Sanchez *l. 4. mor. c. 54. n. 17* ubi docet non oportere, ut commutans vota virtute Bullæ aut Iubilæi, aut privilegiorum religionis, ſit confeſſor voventis. Tum quia verius eſt, nec per religionis privilegia, aut Iubilæum, exigi confeſſionem ad vota commutanda, ſed poſſe extra confeſſionem fieri, ut pluribus docet idem Sanchez *n.* 16. & Diana *part. 3. tract. 2. reſ. 9.* & *part. 5. tract. 12. reſ. 36.* cum multis Doctoribus, quos ipſe citat.

Greg. XIII. Henriq. Sanchez. Sanchez, Diana.

13 Quorumdam ſententia eſt, confeſſarium virtute Iubilæi habentem facultatem commutandi vota, non poſſe commutare iuramenta Deo facta, vel vota iurata. Ratio illorum eſt, quia iuramenta Deo facta ſunt diverſæ rationis à votis: alia enim eſt ratio voti alia iuramenti. Votum enim eſt ſimplex promiſſio facta Deo. In iuramento autẽ invocatur Deus tanquam teſtis & iudex, & ideò videtur eſſe maioris obligationis: ergo quando ſimpliciter per Iubilæum conceditur facultas cõmutandi vota, non intelligitur de iuramentis: quando enim Pontifex vult concedere facultatẽ ad commutanda iuramenta, ſolet explicare: cùm ergo in Iubilæo non ſit talis explicatio, non intelligitur facta. Hæc ſententia eſt probabilis, quam docent Leſſius. *l. 2. c. 42. dub. 12. n. 60.* Sanchez *l. 4. mor. c. 53. n. 20.* Azorius *tom. 1. l. 11. c. 10. q. 2.* & alij. Verius tamen & probabilius eſt, delegatam poteſtatem in votis diſpenſandi, & illa commutandi, extendi tum ad iuramenta pia abſolutè facta, tum ad vota iuramento ex proposito confirmata, tum etiam ad vota iurata, tametſi iuramentum & votum eiuſdem materiæ concomitanter ſe habeãt. Ratio eſt, quia ſi ſolum eſſet votum, diſpenſabile, eſſet etiam ſi ſolum eſſet iuramentum: ex eo autem quod ſint concomitantia illa duo vincula, unum non mutat ſuam naturam ex conſortio alterius; quia etſi ſint duo vincula diverſa ſpecie, at in ordine ad diſpenſationem & commutationem, reputantur quaſi unum & idem & eiuſdem rationis, nec unum addit alteri novam gravitatem intenſiuam, ſed ſolùm extenſiuam, id eſt, plura vincula. Tum quia rem moraliter & practicè ſpectando, parum refert ad obligationis vim in ordine ad Deum, ſive uno modo, ſive altero iuramentum fiat, nec eſt minor obligatio, utrovis modo fiat. Hanc ſententiam tuentur Suarez *tom. 2 de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 14. à n. 6.* Pontius *de matrim. l. 8. c. 11 n. 5.* Diana *part. 5. tract. 12. reſ. 57.* Et probabilem vocãt Leſſius, Sanchez, Filliucius.

Leſſius, Sanchez, Azorius, Suarez. Pontius. Diana.

14. Dubium item eſt, an in Iubilæo poſſit confeſſarius commutare vota peregrinationis in Hieruſalem, ad limina Apoſtolorum, & ad D. Iacobum, ſi non exprimantur? Ratio dubitandi eſt, quia in generali conceſſione diſpenſandi vel commutandi vota, non continentur ſupradicta vota; quia quæ ſpeciatim ſunt reſervata, ea ſpecialem & expreſſam conceſſionem poſtulant, ut habetur *in cap. Si Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ. in 6.* ubi Pontifex tradit hanc regulam, ut ſub generali conceſſione non veniant caſus reſervati, ſed aliqua ſpeciali expreſſione indigeant. Cùm ergo omnia quinque vota ſint verè reſervata, non claudentur in ea conceſſione generali. Propter has rationes negativam ſententiam amplectuntur Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6 cap. 25. num. 4.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 6. n. 7.* Lavorius *de Iubilæo p. 2. cap. 27. num 6.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 40. num. 16.* retractans, quod antè docuerat *l. 8. de matrim. diſp. 9. n. 2.* Verùm, dicta vota comprehendi in illa generali conceſſione, niſi expreſſè excipiantur, nonnulli probabiliter aſſerunt. Ratio eſt, quia horum votorum reſervatio non eſt ita antiqua ſicut reſervatio votorum caſtitatis & religionis, neque eſt tanti momenti: ergo non eſt accipienda tam ſtrictè & cum tanto rigore, & ideò dicendum comprehendi in generali conceſſione commutandi omnia vota. Ita Sotus *de iuſtit. lib. 7. q. 4. art. 3. in fine corp.* Malderus *in 2. 2. tract. 10. c. 5. dub. 10.* Rodriguez *tom. 2. Summæ Latinæ c. 99. concl. 1.* Certum tamen eſſet vota illa tria peregrinationis comprehendi, ſi Pontifex in facultate commutandi omnia vota, exciperet votum caſtitatis & religionis; quia exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis.

Suarez. Layman. Lavorius. Sanchez. Sotus. Malderus. Rodrig.

De commutatione votorum plura dicentur infrà *verb. Votum. 11.* Hæc pro nunc dicta ſufficiant.

15 Pro coronide huius materiæ indulgentiarum Iubilæi, iterum lectorem monendum cenſeo; quod quia circa opera & materiam Iubilæi adſunt hinc inde tam multæ Doctorum opiniones, ut videre eſt, in materia indulgentiarum, non iuvat opinio probabilis ad lucrandam indulgentiam, ſi oppoſitum ſit verum, quia non præſtat opus præſcriptum ad illam lucrandam. Unde ſi aliquis in prima hebdomada ieiunavit, Eccleſias adiit, eleemoſynam dedit & in ſecunda confeſſus eſt & communicavit, ſecundùm aliquos ſufficit ad lucrandum Iubilæum: ſed hæc opinio licet ſit probabilis; tamen ſi à parte rei eſſet falſa, remaneret quidem talis abſolutus à reſervatis, quia opinio probabilis confert iuriſdictionem, non tamen lucraretur indulgentiam Iubilæam. Ita Bartholomæus à S. Fauſto *in tract. de Iubileo l. 4. q. 64.* Diana *p. 5. tract. 12. reſ. 32.* Leonardus in *Theſaur. Sacratiſſimi Roſarij c. 9.* & alij.

Fauſtus. Diana. Leonard.

His tamen non obſtantibus, multi Doctores moderni contrarium ſuſtinent: quia aliàs vix eſſent qui indulgentiam obtinerent. Tum quia ſi opinio probabilis eſt ſufficiens ad hoc, ut cenſeatur Papa tribuere iuriſdictionem ſacerdoti, ut à reſervatis abſolvat pœnitentem, cur eadem opinio probabilis non erit ſufficiens ad hoc, ut credatur Poncificem de facto indulgentiam concedere illi, qui ſecundùm dictam opinionem opera Iubilæi exequitur? Hoc enim de benignitate Sedis Apoſtolicæ certò credendum videtur. Ita Leandrus *de Sacram. tom. 1. tract. 5. diſp. 14. quæſt. 61.* Martinus de S. Ioſeph *tom. 1. lib. 2 de indulgent. tract. 12. numero 12.* Paulus Maria Quarti *in tract. de Iubilæo anni Sancti cap. 2. punct. 1. poſt dubium 6* apud Dianam *part. 10. tract. 11. reſol. 34* quibi hanc ſententiam ſatis probabilem putat.

Leandrus. Mart. de S. Ioſeph. Paul. IV. Diana.

Vide verb. Privilegium *num. 3. & 4.* Votum 2. *num. 14.* Indulgentia 1.

IVDEX. IVDICIVM Publicum.

SUMMARIUM.

1 *Iudex competens quis cenſeatur? & ut multis modis quis ſortiatur forum.*

2 *Qua*

2 *Quæ sint obligationes iudicis.*
3 *An iudex teneatur semper secundùm verba legis iudicare.*
4 *An iudex possit aliquando supplere per se defectum Advocati & partium, ubi veritas detegatur, & secundùm eam iudicet.*
5 *An in pari dubio utriusq; partis teneatur iudex favere possidenti, & quid iuris si neuter possideat.*
6 *An quando dantur duo vota æqualia, possit iudex licitè aliquid accipere pro electione partis, pro qua fert sententiam, seclusa prohibitione iuris positivi?* Refertur duplex sententia.
7 *Vbi vertitur competentia super iurisdictione inter iudicem Ecclesiasticum & secularem, quis cognoscere debeat.*
8 *Quæ sint peccata Iudicum.*
9 *Iudicium quid sit? & quot personæ in eo desiderentur.*
10 *An iudicium sit actus iustitiæ.*
11 *Vt iudicium sit secundum iustitiam, quæ conditiones sint necessariæ.*
12 *Quando iudicium censeatur illicitum, & quando nullum.*
13 *An de iure divino & naturali sit, ut inquisitionem præcedat infamia, aut condemnationem accusatio? Et quæ fungantur vice accusatoris in iudicijs extraordinarijs.*
14 *An in crimine læsæ Maiestatis, hæresis aut apostasiæ possit proceds ad inquirendum, non præcedente infamia.*
15 *An liceat inquirere quando in inquisitione non intenditur condemnatio aut pœna inquisiti, sed ad conferendum ei dignitatem, officium, &c.*
16 *An quando quis confessus est publicè crimen suum extra ordinem iuris, possit procedi contra illum.*
An quando delictū committetur coram ipsis iudicibus.
An quando iudex in generali inquisitione detegit aliquem deliquisse &c.
17 *An Superiores clericorum & Religiosorum teneantur secundùm formam iuris contrà suos procedere.*

1. IUdex competens censetur aliquis multis modis, ut ex iure civili & canonico colligitur. Nam quis potest sortiri forum, *Primò* ratione causæ, de qua in iudicio agitur, v. g. si causa sit spiritualis vel annexa spirituali, tunc solùm coram iudice Ecclesiastico agi potest. *Secundò*, sortitur quis forum ratione criminis. Vt si crimen est merè Ecclesiasticum, de eo solùm iudicat Ecclesia: si est merè sæculare, solùm contra illud procedit iudex sæcularis; si est mixti fori, potest laicus conveniri tam coram Ecclesiastico, quàm coram sæculari iudice. *Tertiò*, ratione loci quis forum sortitur; & hoc tripliciter, vel ratione originis, vel domicilij, vel delicti. Ratione originis, *in l. Si ut proponis. Cod. De municip. & originarijs.* Unde filius sequitur originem patris, non matris, id est, ex ea patria censetur oriundus, in qua ortus est pater, non autem in qua solùm est nata mater. *l. Filios. Cod. De municipal. & l. Assumptio, §. 1. ff. ad municipalem.* Item censetur quis oriundus ex civitate, si natus fuerit ipse, vel pater ejus in vico, castello, vel villa intra territorium illius civitatis. *l. Qui ex vico, ff. Ad municipalem.* Tamen vulgò quæsiti censentur oriundi ex patria, in qua nata est eorum mater, quia certum patrem nominare non possunt. *l. eos, qui iustum, ff. ad municipalem.*

Ratione domicilij sortitur quis forum. *c. licet, de foro competent.* Domicilium dicitur, ubi quis habet rerum suarum summam, id est, magnam partem, vel ubi larem, id est familiam constituit, animo habitandi ibi perpetuò, vel assiduè; non autem si constituat iterum inde discedere; hoc enim non facit incolam, sed peregrinum. Ut ait Glossa *in l. cives, Cod. de incolis.* Potest tamen quis habere domicilium in pluribus locis, *cap. ex parte, de foro competent.* puta, si aliquis in duobus locis, quæ sunt necessaria ad rem domesticam, collocaverit. *l. eius Secunda, §. Celsus. ff. Ad municipalem.* Vagabundus autem in quocumque loco puniri potest ob delictum in quo deprehenditur. Glossa.

Ratione loci, in quo quis delictum commisit sortitur forum, *cap. Licet & cap. Postulasti, de foro competent.* Unde si quis mandavit aliquod delictum patrari, puniendus non est in loco, in quo fuit iniunctum mandatum, sed in quo consummatum fuit crimen: quia mandans nō tenetur ex mandato, sed ex delicto tanquam ex effectu & damno propter mandatum: ut ex communi docet Clarus *lib. 5. receptarum sentent. in practica criminali quæst 38. num. 9.* Clarus.

Ratione personæ sortitur quis forum, verbi gratia. Si est clericus, conveniri non potest, nisi coram iudice Ecclesiastico: hoc tamen privilegium clericale, quod dicitur privilegium fori, debet intelligi, quando convenitur, non quando est actor, sive accusator: quia tunc actor sequitur forum rei. *cap. Cùm sit generale, de foro competent.* tamen si clericus reconveniatur, etiam tunc potest laicus clericum reconvenire coram iudice sæculari in materia civili, non criminali, modò reconventio fiat incontinenti in principio litis, vel statim post contestationem litis. *Ex cap. 1. & 2. de mutuis petitionibus.* Item pauperes & miserabiles personæ possunt laicum coram iudice Ecclesiastico convenire, ut habet textus expressus *in cap. Super quibusdam, de verbor. Significat.* ubi habetur, *Item viduis, pupillis, orphanis & miserabilibus personis tenetur in iudicio Ecclesiastico respondere.* Facit etiam textus *in cap. Si quis de potentibus. cap. illi qui 24. quæst. 3.* Et ita docent scribentes *in cap. Significantibus, de offic. & potest. Iudic. deleg. & in cap. ex tenore, de foro competenti.* Unde pro sibi relictis alimentis potest pauper adversarium suum laicum ad iudicem Ecclesiasticum trahere, ut docent Bartolus, Imola, Geminianus & alij, quos adducit Petrus Surdus *de alment. tit. 8. privil. 9.* Diana *parte 1. tract. 2. resol. 118. & part. 4. tract. 1. resol. 90.* qui tamen fatetur praxim esse contrariam, de qua praxi testatur Covarruvias *in pract. quæst. cap. 6.* Denique ratione contractus initi sortitur quis forum. Item ratione rei, de qua agitur, nimirum, ut iudicetur, ubi res de qua agitur, sita est. Bartolus. Imola. Gemin. Surdus. Diana.

2. Obligationes Iudicis sunt: *Primò* enim obligatur ac debitam legum scientiam, & causæ diligentem investigationem; si enim se insufficientem sentiat, aut suspicetur, adhibere tenetur iustos & doctos assessores; supplère enim debet, quod in hac re sibi deesse sentit, & assumere tales, quos putat sua rectitudine, consilio & auxilio defectus qui evenire possent, suppleturos. *Secundo*, obligatur ad animi rectitudinem, ut in causis iudicandis, nec amore, nec odio, nec timore, aut cupiditate moveatur, sed ab omni passione liber, solam iustitiæ veræ rectitudinem in Deo respiciat. Unde Isidorus *in cap. Quatuor 11. q. 3.* relatus ait: *Quatuor modis pervertitur humanum iudicium: timore, dum metu potestatis alicuius veritatem loqui pertimescimus: cupiditate, dum præmio animum alicuius corrumpimus: odio, dum contra quemlibet adversarium mo-*

Digitized by Google

limur: amore, dum amico, vel propinquo complacere contendimus. Propterea ob timorem obliquitatis ab officio Iudicis repelluntur, qui perſonarum acceptatores ſunt, aut de quibus moraliter timetur, ne in perſonas nimis inclinent; ut conſanguinei, amici, & partium ſingulares patroni. Item, qui muneribus, prece, pretio corruptibiles exiſtimantur. Item, qui ſuis paſſionibus facilè conturbantur, & quicumque à rectitudine animi facilè deiiciuntur.

Tertiò, obligatur iudex ad animi fortitudinem & ſtrenuitatem tam in diſquiſitione, quàm in iudicio & ejus executione, iuxta illud Eccleſ. 7. *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcat faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* Quartò, debet iudex omnibus ſe præbere æquanimem, eorum lites opportunè promovere; erga viduas, orphanos, pupillos & miſerabiles perſonas, ubi æquitas poſtulat, ſe patrem oſtendere. Unde & monet Propheta regius Pſalm. 81. *Iudicate egeno & pupillo: humilem & pauperem iuſtificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* De his D. Thomas 2. 2. *quæſt* 63. *art.* 4. Sylvius *ibidem.* Reginaldus *lib.* 25. *cap.* 54. *num.* 641. & ſequentibus. D.Thom. Sylvius. Reginald.

3. Iudex tam ſuperior, quàm inferior, per ſe loquendo, tenetur ſecundùm verba legis indicare, quoties cauſa propoſita ad leges humanas pertinet, ex quarum obſervatione nihil ſequitur legi divinæ, vel naturali repugnans. Ratio cur inferior iudex teneatur ſecundùm verba legis iudicare, eſt, quia eſt ſubditus illi legi, & illius executor: ergo ſecundùm eam iudicare tenetur: fruſtra enim conderentur leges ſi iudicibus pro arbitrio iudicare liceret: multa exinde damna & incommoda & perturbationes in Republica ſequerentur. Quod autem teneatur ſuperior iudicare ſecundùm verba ſuæ legis, patet; quia ratio naturalis dictat, ut patiatur quiſque legem, quam tulit, atque ut caput ſe membris conformet. Quamvis enim Princeps legibus à ſe, vel à ſuis prædeceſſoribus latis non ſit ſubiectus quoad vim coërcitivam, cùm par in parem non habeat imperium, ad eas tamen ſervandas ex vi directiva legis naturalis obligatur; dictat namque ratio naturalis, ut quiſque ſubeat legem, quam alijs imponit, & ut ſeipſum eo modo dirigat, quo alios ſtatuit. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 60 *art.* 5. Sylvius, Arragon, Salon, *ibidem.* Valentia *tom.* 3 *diſp.* 5. *quæſt.* 4. *punct.* 2. & alij communiter. Advertunt tamen prædicti Doctores poſt D. Thomam, quando ſervatis verbis legis, ratione loci, temporis, vel perſonæ, ſequeretur aliqua iniuſtitia, vel iniquitas, tunc non ſolùm Princeps, ſed etiam inferior iudex non ſecundùm verba legis, ſed ſecundùm æquitatem, epiickeiam & rectæ rationis dictamen iudicare debet; quia quando ratione alicuius circumſtantiæ obſervantia legis contra ius naturale eſſet, non ſecundùm legis literam, ſed ſecundùm æquitatem & mentem legiſlatoris iudicandum erit: nam is in legem peccat, qui verba legis amplexus contra legiſlatoris nititur voluntatem, *ex l. Contraria, ff. de legibus.* In quibus autem caſibus non ſecundùm verba legis, ſed ſecundùm epiickeiam iudicandum ſit, vide *tom.* 1. *verb. Epiickeia, num.* 2. & infrà *v. Lex* 2. *num.* 22. D.Thom. Sylvius. Arragon. Salon. Valentia.

4. Quamvis probabile ſit, iudicem in eligendis opinionibus attendere ſolùm debere quæ allegata ſunt, non quæ allegari poſſunt, neque poſſe alteri parti, quæ allegare vel probare debeat, aperire, cùm hoc ſit officium non iudicis, ſed advocati; ut ſuſtinent Sanchez *libr.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 48. Caſtrus Palaus *tom.* 1. *diſp.* 2. *punct.* 10. *num.* 9. & alij. Verumtamen quia eo ipſo quòd cauſa iudici proponitur, tenetur ipſe iudex ex officio examinare omnia; quæ neceſſaria ſunt ad cognitionem cauſæ. Quare ſi iudex videat advocatos partium & partes ipſas omittere vera & genuina argumenta, unde veritas facti licitè poſſit cognoſci; item non allegare rationes & leges præcipuas quæ ſunt in iure communi, aut particulari, quæ magis ad rem ſint, debebit iudex id totum ſupplere per ſe, ſive illud præſtando & proferendo, ſive indicando, ut ea propoſita in proceſſu habeantur & ad illa attendens poſſit iuſtam ſententiam ferre. Quando enim venit litigans ad iudicem, vel poſtulando, vel defendendo ius ſuum, non cenſetur tantùm petere ut ſi ex meris allegatis à ſe, vel à ſuo advocato viderit ius ſibi favere, pro ſe ferat ſententiam, ſed abſolutè petere, ut, ſi iudex cauſam cognoſcens noverit iuſtitiam ſtare à parte ſua, in ſui favorem iudicet. Si enim iudex, ſciens veritatem probari poſſe iuridicè veris & certis, aut probabilioribus argumentis, & non aperiat viam ad illam probandam; ſed tacens permittat in proceſſu poni rationes pro veritate adeò infirmas, & pro falſitate adeò apparentes & approbabiles in foro externo, ut qui aliàs veritatem non ſciat, pro parte falſa & iniuſta iudicare debeat, & ipſe tantùm utatur ea ſcientia, & non alia, nec poſſet indicare, aut ſupplere media, quibus veritas appareat, expoſitus eſt ſæpè ad iudicandum parti iniquæ, aut non habenti reverà ius. Et quando dicunt Doctores teneri iudicem ſecundùm allegata & probata iudicare contra innocentem, etiamſi ipſe privata ſcientia noverit innocentem, hoc tamen intelligendum eſt de ſcientia privata, quam ipſe iudex moraliter non poſſit facere publicam. Nam ſi poſſit invenire media, quibus poſſit facere, ut veritas innoteſcat, debet id non omittere & publicam facere illam ſcientiam: medium autem valde congruum eſt, indicare advocato rei innocentis viam, per quam poſſit illius innocentiam certò vel probabiliter oſtendere. Ecce quâ ratione tunc iudex poteſt advocatum dirigere, & non attendere ſolùm ad allegata & probata. Dicendum itaque eſt, quod iudex non ſolùm tenetur laborare ut veritas inveniatur, ut ſecundùm ipſam poſſit iudicare, ſed ex officio tenetur etiam curare ut falſitas detegatur: hinc poteſt ſupplere de iure & de facto, ubi vertitur periculum animæ. Ita Dicaſtillus *de iuſtit. lib.* 2. *tractat.* 1. *diſputatione* 5. *dubio* 9. *numero* 285. Diana *part.* 9. *tract.* 9. *reſolutione* 41. citans pro hac ſententia Hoſtienſem, Ioannem à Capiſtrano, Farinacium & alios. Dicaſtill. Diana. Hoſtienſis Capiſt. Farinac.

5. In pari dubio iuris utriuſque partis, tenetur iudex favere poſſidenti, nec poteſt ipſum cogere ut partem reſtituat, quia poſſidens in hoc dubio habet ius retinendi: ſi autem neuter poſſideat, tenetur iudex inter utrumque dividere, quia æquum eſt utriuſque ius. Si verò res individua ſit, lex iuſtitiæ petit, ut tunc res illa ſorte diſtribuatur vel uni res, alteri verò dimidium æſtimationis conferatur. Ratio eſt, quia in hoc caſu uterque habet ius commutativæ iuſtitiæ, ut inter eos dividatur. Nec eſt ſimile de duobus dignis petentibus beneficium, quia nullus illorum habet ius aliquod iuſtitiæ, etiam diſtributivæ, ut ſibi conferatur, ſed hæc iuſtitia dictat ut alteri illorum detur; proinde poteſt Epiſc. eligere quem maluerit. Ita ex Sanchez Ioan. Salas *in* 1. 2. *tract.* Sanchez. Salas.

tract. 8. *disp. unic. sect.* 23. *num.* 240. Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 40. & alij.

6. Nonnullorum sententia est, secluſa prohibitione iuris positivi vetantis & prohibentis munerum receptiones, quando dantur duo vota æqualia, posse judicem licitè aliquid accipere pro electione partis, pro qua ferat sententiam. Ratio est, quia illa sententia justa non est debita huic parti determinatæ; potest enim justè judex sine injuria illius pro alia parte ferre sententiam, & electio illius partis, pro qua est ferenda sententia, est in manu & arbitrio judicis: sed eligere & determinare hanc partem litigantem, pro qua feratur sententia, est favor pendens ex voluntate judicis, & est pretio æstimabilis, quia est valde utilis litiganti, & simul est conjuncta cum aliquo incommodo judicis; quia perdit gratiam & amicitiam alterius partis: ergo justè potest judex pro eo favore pretium accipere. Undè illi parti, à qua pretium petitur & accipitur, nulla fit injuria in eo petendo, quia petitur pro re, quæ non est ei debita: quia ergo talis donator voluntariè donat; ergo res accepta à iudice ex duplici titulo ab eo retineri potest: titulo scilicet pretij iusti, & titulo liberalis donationis. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 9. & Trullench *in decal. tom.* 2. *lib.* 8 *cap.* 1. *dub.* 6 quorum opinionem putat probabilem esse Fagundez *in decal. tom.* 2 *lib.* 8. *cap.* 26. *num.* 34. verius tamen est in hoc casu iudicem teneri ad restitutionem: quia actus iustitiæ est inuendibilis, & ut iudex non potest manere suspensus, sed tenetur ex iustitia pro aliquo sententiam ferre, imò tenetur ex officio se determinare ad unam partem; ergo gratis: nam in ea determinatione consistit exercitium sui muneris. Ita Tannerus *in* 2. 2. *disp.* 4. *quæst.* 6. *dub.* 10. *num.* 290. Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 59. recedens ab opinione Lessij, quam priùs tenuerat *part.* 3. *tract.* 5. *ref.* 55. Verùm quando tales donationes fuerunt factę ex mera liberalitate & amicitia, non teneri iudices illas ante latam sententiam restituere, docent Molina *de just. tom.* 1. *disp.* 88. Fagundez *loco cit. cap.* 27. *n.* 9. & alij, quia leges positivæ solùm donationes prohibent, non tamen illas inualidant.

Lessius. Trull. Fagund. Tanner. Diana. Molina. Fagund.

7. Ubi competentia super iurisdictione vertitur inter iudicem Ecclesiasticum & sæcularem; iudex Ecclesiasticus, tanquam maior & tanquam is, qui maiori dignitate præfulget, cognoscere debet, an sua sit iurisdictio, & an in ea causa iudex competens existat, nec arbitros eligere tenetur. Quod probatur: nam materia immunitatis Ecclesiasticæ est spiritualis: ergo necessariò sequitur, iudicem sæcularem in hac lite ratione materiæ subditũ esse iudici Ecclesiastico, ad quem de materia spirituali, ex iure determinare spectat. Nec obstat quòd quando duo iudices Ordinarij vel delegati contendunt de iurisdictione, arbitros eligere debent; nam dicti iudices, pares dignitate sunt, nec alter alterum compellere potest, cùm par in parem non habeat imperium, ex *cap. Innot. de elect.* Unde quando inter ipsos oritur competẽtia circa iurisdictionem, arbitros eligere tenentur. Sed iudex laicus & Judex Ecclesiasticus nõ sunt pares, sed Ecclesiasticus est maior iudice laico: ergo ut dignior ipse solus cognoscit, an sua sit iurisdictio, nec potest compelli ad eligendum arbitros. Ita Suarez contra Regem Angliæ *l.* 4. *c.* 34. *n.* 2. Layman *l.* 4 *tract* 9. *c.* 7 *n.* 6. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 10. *q.* 2. *punct.* 1. §. 4. *n.* 13. & multi alij iurisperiti, quos citat & sequitur Diana *p.* 7. *tract.* 10. *resol.* 5.

Suarez. Layman. Bonacina. Diana.

8. Peccata, quæ iudices directè concernunt, sunt hæc. *Primò*, iniustam sententiam scienter & ex certa scientia proferre, sive hoc proveniat ex amore, odio, corruptione per pecuniam, sive aliunde. Talis enim Judex falsam & iniustam sententiam pronuntians, aut pronuntiari permittens, peccat mortaliter & tenetur ad restitutionem parti læsæ: quia verè causam dat damni, & parti infert scienter iniustam læsionem.

Secundò, si ex ignorantia crassa vel affectata proferat sententiam iniustam, peccat etiam mortaliter, & ad restitutionem damni tenetur. Ratio est, quia cùm sciat, aut scire debuerit se ignorantem, non debuit, nec potuit licitè se iudicijs intromittere; hoc ipso enim quo se iudicio immiscuit, periculo se exposuit, & damno causam dedit. Posset tamen excusari, si adhibito assessore sufficientis scientiæ, iniustitia ex parte assessoris proveniſſet.

Tertiò, si iniustam sententiam protulit ex eo, quòd discussionem, aut examen debitum causæ neglexit, sive fuerit negligentia studij, sive inquisitionis, auditionis & informationis debitæ adhibendæ: sive dilationis nimiæ, ob quam testibus mortuis probationes sive defensiones verę iustitię parti debuerunt: sive nimiæ præcipitationis, ob quam causæ plena discussio facta non est. sive ex alijs similibus causis Et in his casibus iudex peccat mortaliter & ad damnum restituendum obligatur, *cap. Si culpa, de iniur. & damno dato.*

Quartò peccat iudex, si permittat se corrumpi prece, vel pretio, muneribus, obsequijs aut alijs quibuscumque, ex quibus sequitur iniusta sententia. In quo casu peccat mortaliter & ad restitutionem eorum quæ accepit, & ad damni compensationem obligatur.

Quintò, si remittat pœnas, non puniens maleficia ex amicitia vel avaritia, vel alio malo respectu, unde graviter læditur Respublica. Et in hoc casu iudices sunt rei omnium malorum, quæ fiunt propter suam indiscretam pietatem.

Sextò, si cùm possit & debeat, sententiam tamẽ dare non vult, aut non nisi interlocutoriã, aut iniustè ad aliud tribunal transfert, ne damnũ quantumuis iustum pars, quæ condemnari debet, accipiat; imò in re clarissima iusta ad compositionem cogit, sub prætextu alicuius dubij eventus, qui reverà non subest, aut tantùm imaginarius est.

Septimò, in criminalibus iudicijs peccat iudex, si debitam diligentiam in examine accusatoris, testium & circumstantiarum non adhibeat. Item, si examen personis committat, quas scit aut corruptibiles, aut favore vel odio facilè moveri. Item, si nocentes dissimulet, aut dimittat, aut eis modos euadendi suggerat. Item, si examinet ea, de quibus quis directè vel indirectè non est accusatus, vel aliàs iuridicè suspectus. Item, si testes scienter suspectos adhibeat, vel eorum, quos adhibet, qualitates non satis attendat, Item, si præter exigentiam causæ torturas & tormenta adhibeat, vel si ultra modum, sententiæ rigorem sine causa augeat. Denique omnis iudicis defectus vel excessus notabile damnum reipublicæ vel reo afferens, est peccatum mortale, & pro ratione damni iudex ad restitutionem tenetur, ut tradunt communiter Doctores.

9. Judicium ex prima nominis impositione significat rectam determinationem iuris, sive iusti; & sic idem est quod actus iudicis, in quantum est iudex, id est, ius dicens inter partes. Sed pòst ampliatum est nomen eius ad significandum omnem rectam determinationẽ speculativam, aut practicam: quomodo dicimus ad unamquamque virtutem pertinere rectum iudicium in propria materia

Digitized by Google

D.Thom. ria. Ita D. Thomas 2.2.q. 60. *art.* 1. Sumitur etiam iudicium pro caſu fortuito; pro actione, qua ad judicium tenditur; pro punitione & condemnatione; pro uſu rationis; & denique pro inſtantia, vel ordinatione cauſæ diſcutiendæ in iure coram iudice. Et iſto modo nihil aliud eſt, quàm actus legitimus duarum perſonarum, ſcilicet, Actoris & Rei ſuper eadem quæſtione, ſub eodem judice contractus: & ab aliquibus dicitur actus trium perſonarum, ubi actor, reus & iudex concurrunt, quamvis aliquando fama locum teneat actoris. Ita Sylveſter. Sylveſter *verb. Iudicium*, & Sylvius 2.2. q.60. Iudex requiritur ad ferendam ſententiam, de quo Sylvius. dicitur Deut. 16. *Iudices & Magiſtratus conſtitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum juſto judicio.* Actor ſeu accuſator requiritur ad accuſandum, quia *in cap. de manifeſta 2. quæſt.* 1. dicitur, *Iudicis non eſt ſine accuſatore damnare.* quod intelligendum eſt, quando crimen non eſt manifeſtum: nam, ut ibidem habetur, evidentia patrati criminis, clamore non indiget accuſatoris; fama enim publica eum accuſat. Requiritur reus ad reſpondendum; ſicut enim non eſt iudicium abſque iudice, qui iudicat, ita nec eſſe poteſt ſine eo, qui iudicatur. Eſt enim reus, qui accuſatur de aliqua re, ſive iuſtè, ſive iniuſtè. Hæ perſonæ ſubſtantialiter conveniunt ad iudicium quo adminiſtratur juſtitia, utpote ſine quibus iudicium eſſe non poteſt. In non notorijs requiritur etiam teſtis ad probandum: non enim antè condemnare debent iudices quàm aut reum ſe quis confiteatur, aut per innocentes, aut canonicè examinatos teſtes regulariter convincatur. In notorijs autem, evidentia criminis & Confeſſio propria accuſati vicem ſupplent teſtis, ſicut de accuſatione dictum eſt.

Aliæ verò perſonæ contingenter, ſeu accidentaliter concurrunt ad iudicium, quia ſine ipſis conſiſtere poteſt; quales ſunt Aſſeſſor, Advocatus, Procurator, Tabellio ſeu Scriba, Executor, & ſi quæ ſint aliæ ad juſtitiæ adminiſtrationem congruentes.

10. Iudicium acceptum pro determinatione facta à iudice competenti in materia juſtitiæ (ut in præſenti accipimus) eſt actus elicitus à juſtitia. Probatur, quia tale iudicium eſt debitum & conſtituit æquale & iuſtum, idque in ordine ad alterum: ergo nihil deeſt illi, quominus ſit actus elicitus à juſtitia; tum quia ſecundùm primam nominis impoſitionem idem valet quod dictio iuris; ius autem eſt obiectum iuſtitiæ: ergo. Eſt autem actus juſtitiæ legalis, in quantùm iudex debet illud iudicium bono communi: & eſt actus juſtitiæ commutativæ, in quantum iudex tanquam miniſter reipublicæ ſtipendio conductus, profert tale iudicium conſtituitque æquale in re. Si autem iudicium fiat à non iudice, ſed ab homine privato, poterit eſſe vel actus miſericordiæ, ſi fiat ad ſuccurrendum miſero, vel actus ceterarum virtutum, juxta motiva, quibus quis motus fuerit ad ferendum tale iudicium. Ita ex D. Thoma 2. 2. q. 60. D.Thom. Sylvius. Arragon. *art.* 1. Sylvius & Arragon *ibidem*.

11. Ut iudicium ſit ſecundùm juſtitiam, tres conditiones ſunt neceſſariæ. *Prima* eſt, quòd iudicium procedat ex intentione & inclinatione juſtitiæ. *Secunda*, quòd procedat ex iuriſdictione & auctoritate præſidentis & iudicantis. *Tertia* conditio eſt, quòd tale iudicium procedat ſecundùm rectam æſtimationem prudentiæ & debitam conſultationem. Ita D. Thomas 2.2.q. 60.a.2. Legitimus ſenſus primæ conditionis eſt, quòd iudicium procedat ex iſto actu juſtitiæ, *volo reddere alteri quod ſuum eſt*. Et tunc iudicium procedit ex intentione & inclinatione juſtitiæ, quamvis in illo juſtitiæ habitus non ſit. Iſta conditio potiſſima eſt inter requiſitas ad rectum iudicium: quia ſumitur ex fine, qui præcipuus eſt in rebus moralibus. Ex hujus conditionis defectu, iudicium dicitur iniquum; & eſt peccatum mortale contra juſtitiam, ſi contra regulas ſeu leges juſtitiæ agendo, notabiliter violetur æqualitas alteri debita. Si verò tale iudicium non ſit contra æqualitatem, ſed tamen proferatur vel ſine affectu juſtitiæ; vel etiam ex prava aliqua affectione, non eſt contra juſtitiam, imò nec mortale peccatum, niſi odium, aliáve prava affectio ſit in eo mortalis.

Secunda conditio ſumitur ex parte agentis & ex parte ſubiecti, in quo recipitur auctoritas & Iuriſdictio. Ratio illius eſt: nā cùm juſtitia neceſſariò debeat habere vim coactivā, & cogere nullus poſſit niſi ſibi ſubditum, manifeſtè ſequitur eſſe opus iuriſdictione & auctoritate in judicante, ad hoc ut iudicium ſit rectum, ſi iudicium ſit publicum Ex defectu hujus conditionis, ex genere ſuo iudicium ſemper eſt peccatum mortale, quia dicitur uſurpatum. Quare iudex, qui vel nullam habet auctoritatem, vel alienam uſurpans iudicat eum, qui ſibi non ſubditur, mortaliter peccat. Ex quo infertur, quòd iudex ſæcularis clericum bonis ſuis privans, verè dicendus ſit latro, & occidens, homicida.

Tertia conditio requirit ut qui iudicaturus eſt, ſervet leges & rectitudinem prudentiæ, habita ratione loci, temporis, perſonarum, aliarumque circumſtantiarum: alióquin etſi ius diceret, iuſtumque inter litigantes conſtitueret, ſi tamen hoc non faciat, quando, ubi & quomodo oportet, ejus iudicium erit vel ſuſpectum, vel temerarium; proinde defectus hujus conditionis ex genere ſuo inducit peccatum mortale: poteſt tamen fieri veniale ex levitate materiæ, ut ſi iudex leves aliquos terminos iuris miſſos faciat; vel aliquis quempiam de re levi leviter iudicet. Ita ex D. Thoma *loco citato* communiter Doctores. D.Thom.

12. Ex dictis ſequitur, tribus modis iudicium reddi illicitum. 1. quando deeſt iudici auctoritas ſuper reo vel cauſa, quod prohibetur *in cap. Scriptum eſt*, 6.q.3. & *diſt.* 6. *de pœnit.* §. *final.* 2. quando iudex habens auctoritatem, iniuſtè procedit amore, odio, vel alia paſſione; quod prohibetur *in cap. Quicumque* 11. *quæſt.* 3. Tertiò, quando iudex habens auctoritatem & ſecundùm iura procedens, vel quicumque alius extra iudicium, ex levibus ſignis aliquem condemnat, ſive ex ſuſpicionibus; quod prohibetur *in cap. Primò ſemper* 2. *quæſt.* 1.

Iudicium redditur nullum primò, ratione iudicis incompetentis; puta quia non habet poteſtatem ſuper eum, quem iudicat. *cap. At ſi clerici, de judicijs.* Secundò ratione perſonæ agentis, quia eſt minor & agit ſine auctoritate curatorum. *l. Properandum. Cod. de judic.* Similiter quia eſt ſervus, vel monachus, aut excommunicatus & hujuſmodi, quia ſimiles agere non poſſunt, niſi in caſibus in iure expreſſis. Tertiò ex defectu rei, puta, quę ſub tali iudice tractari non poteſt, ſicut ius patronatus ſub laico, *ex cap. Quanto, de judicijs.* vel res Eccleſiaſtica, *ex cap. Decernimus, de judicijs.*

13. De iure naturæ vel divino non eſt ut inquiſitionem præcedat infamia, aut condemnationem præcedat accuſatio, ſed tantùm de iure humano; quod tamen jus humanum conforme eſt iuri & rationi naturali. Vnde Summus Pontifex qui tale ius conſtituit, ut nullus inquiratur, niſi is, de cujus crimine præceſſerit infamia, inſtituere etiam poteſt, ut

Digitized by Google

ut in nonnullis casibus inquiri possit, ea non præcedente: quia potest Papa in Ecclesia Dei, & supremus Princeps in foro suo sæculari pro magna & rationabili causa in tali lege dispensare, ut ex communi tradunt Navarrus *in cap. inter verba* 11. *quæst.* 3. *concl.* 7. *corollar.* 50. *num.* 587 Salon. *2.2. quæst.* 69. *art.* 2. *controvers.* 7. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 11. *punct.* 3. & *q.* 13 *punct.* 2. & alij.

Navarrus. Salon. Valentia.

Proinde in judiciis extraordinariis quinque funguntur vice veri accusatoris; *Primum* est infamia publica, seu clamorosa insinuatio & indicia manifesta, quæ & factum indicant & personam ita manifestè, ut reus nihil contra obiicere possit.

Secundum est, Notoreitas & evidentia facti.

Tertium, si judex illud videat in sua præsentia & aliorum, non autem si solus. *Quartum* est, rebellio manifesta contra Prælatum & Ecclesiam post denunciatum crimen, quando illud testibus probari potest. *Quintum* denunciatio juridica, quæ fit ob commune bonum, & tendit ad punitionem delinquentis pernicioſi, ut quæ fit Inquisitoribus hæreticæ pravitatis. Quæ omnia colliguntur ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 3. Sylvio, Cajetano, Salon, Arragon *ibidem*.

D. Thom. Sylvius. Cajetan. Salon. Arragon.

14. In aliquibus casibus potest, secundùm Doctores, procedi ad inquirendum, tam in genere, quàm in specie, absque præcedente infamia. Quorum *Primus* est, quando inquisitio, vel manifestatio necessaria est ad impediendum malum futurum publicum, aut privatum, præsertim animarũ; v. g. ad impediendum crimen læsæ majestatis, aut hæresis, vel apostasiæ. Ratio est, quia bonum animæ est præferendum bonis externis, famæ, honoris, & facultatum. Proinde si libelli continentes hæreses publicè seminarentur, etiamsi auctor illorum esset omninò occultus, potest inquiri specialiter contra aliquem non præcedente infamia & sine accusatore vero, aut ficto, dummodo præcedat aliqua suspicio, aliàs non. Sic Navarrus *in rubric. de judiciis, num.* 92. Salon 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. *controv.* 7. Monet tamen Navarrus, ut nisi adsit gravis suspicio & timeatur de fuga rei, quòd nemo vinctus capiatur pro hæresi, ob magnum famæ detrimentum, quod inde saltem de facto nascitur, quod etiam Sanctæ Inquisitionis Officium servare, ait. Imò omnes casus, qui numerari solent ab Auctoribus, tanquam excepti ab hac regula, ut nemo sine accusatore damnetur, ad hunc casũ reduci posse, docet; quia causa præcipua, cur non permittitur inquiri sine accusatore, aut infamiâ, est, ne lædatur fama proximi; quę ratio cessat, quando ejus amissio necessaria est ad jacturã animæ impediendam. Concurrunt enim in hoc casu duæ leges naturales, una de non infamando; altera de salvanda anima fratris; quarum hæc fortior est illâ de non detegendo occulto; quare standum est illi, quæ fortior est arctiusque obligat.

Navarrus. Salon.

15. Secundus casus est, quando in Inquisitione non intenditur condemnatio, aut pœna inquisiti, sed ad conferendum beneficium, ad eligendum aliquem ad aliquod officium vel dignitatem, ne eligatur, aut cõfirmetur indignus; vel cùm inquiritur impedimentũ matrimonij, ne quis in gradu prohibito contrahat. Superior enim cavere debet ne officia conferat indignis, aut inhabiles in matrimonium conjungat: hoc autem cavere non potest, nisi jus habeat interrogandi conscios; cavere tamen debet inquirens ne defectum delinquentis seu indigni aliis detegat, quibus necesse non est detegere: quia consulendum est famæ proximi quantùm fieri potest. Hunc casum ponunt Panormitanus *in cap.* 1. *de offic. ordinar.* Salon 2. 2. *q.* 69. *artic.* 2. *controvers.* 7. Petrus Soto *in relect. de tegendo secret. membr.* 2. *quæst.* 6. *conclus.* 3. *vers. Primus casus.* Verùm Navarrus *in Comment. in rubric. de judiciis, num.* 85. rectè docet hunc casum sine causa excipi ab illa regula; quandoquidem regula hæc, ut nemo sine accusatore damnetur, solùm habet locum, quando judex procedit ad pœnam ipsius rei, & secundùm juris ordinem; in hoc autem casu non agitur de damnatione electi, neque de eo castigando, sed solùm de non dando ei, quod non debetur, &c.

Panorm. Salon. P. Soto. Navarrus.

16. Tertius est, quando quis confessus est publicè crimen suum, extra tamen ordinem iuris, ut determinavit Bonifacius Papa VIII. *in cap.* 1. *de accus. in* 6. tunc enim potest judex procedere contra confessum proprium crimen, etiamsi solùm incidenter confessus sit; secus autem si Confessio metu tormentorum facta sit & postea revocetur tanquam metu facta: perinde enim est ac si facta non fuisset. Similiter non sufficit Confessio facta Prælato incogitanter, aut in aliqua secreta epistola, quam Prælatus aperuit; adhuc enim delictum dicitur occultum.

Bon. VIII

Quartus, quando delictum committitur coram ipsis judicibus aliisque circumstantibus, seu quando deprehenditur in discursu processus.

Quintus, quando judex in generali inquisitione comperit aliquem deliquisse, vel quando suspicio communis supplet vocem infamiæ: tunc enim potest procedere ad specialem Inquisitionem. Sed de his plura apud Navarrum *in Comm. de judiciis* Clavem Regiam *lib.* 12 *cap.* 11. Azorium 3. *part. lib.* 13. *cap.* 17. & 15. *dub.* 3. Bannem, Arragon. *in* 2. 2. *q* 67 *art.* 3. & alios penes ipsos citatos.

Navarrus. Clav. Reg. Azorius. Bannez. Arragon.

17. Superiores Clericorum & Religiosorum non possunt contra eos procedere in criminibus gravibus, nisi eo modo quo alij judices, scilicet, sine aliquo accusatore formali, aut virtuali, & sine ordine judiciali, quamvis sine strepitu & figura judicij, sicut decet religiosos. Ratio est, quia jus naturæ de celandis occultis & fama proximi servanda, non minùs obligat erga Clericos & religiosos, quàm erga alios; immò tantò magis, quantò eorum fama pretiosior est, & infamia majus scandalum generare solet. Tamen in levibus, causis, servandæ sunt constitutiones cujusque Religionis approbatæ à Summo Pontifice, ut scilicet, sine strepitu & tumultu judiciali Superiores procedant, sola rei veritate inspecta, prout concessit Bonifacius Papa VIII. pro Minoribus Fratribus, & alij Pontifices concesserunt pro aliis Ordinibus, ut videre est *tom.* 1. *verb. Index, num.* 10. *edit.* 3.

Bon. VIII

Hæc pauca addita de judice & forma judicij sufficiant cognoscenda à Confessoribus, reliqua petenda erunt à jurisperitis, qui Practicam criminalem descripserunt.

Vide v. Immunitas Ecclesiar. *num.* 18. 19. & 20. Advocatus *num.* 2. Appellare *n.* 6. & *seq.* Delegatus *n.* 13. & *seq.* Homicidium 1. *n.* 17. & 19. Restitutio *n.* 26. Vestis *n.* 5. & *seq.* Tortura *n.* 1. & 6. Interdictum *n.* 31. Legatus *n.* 6. Pœna *n.* 6. Papa *n.* 12.

IVDICIVM

temerarium.

SUMMARIUM

1. Ex *quibus causis Iudicium temerarium & suspicio provenire soleant.*

2 *An ſuſpicio ex levibus indicijs ſit peccatum jure naturali & divino prohibitum.*
3 *An ſuſpicio gravis criminis de proximo ſit peccatum mortale?* Refertur duplex ſententia.
4 *Vt iudicium temerarium ſit peccatum mortale, quæ requirantur.*
5 *An ſit peccatum mortale aliquando judicare proximum de veniali.*
6 *An ſit mortale judicare aliquem ſtultum, aut fatuũ.*
7 *Regula ad cognoſcendum quando quis peccaverit mortaliter temerè judicando.*
8 *An omnia judicia temeraria ſint ejuſdem ſpeciei.*

1. IUdicium temerarium & ſuſpicio ex tribus potiſſimum cauſis provenire ſolent. *Prima eſt*, ex pravitate, ſeu malitia judicantis, qui cùm ſit malus, facilè etiam alios putat eſſe malos, iuxta illud Eccleſiaſt. 10. *In via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos eſtimat.*

Secunda eſt ex odio, invidia, & livore animi: ſicut enim quos diligimus, iudicamus ſtudioſos, ita & de his, quibus mala optamus, facilè mala opinamur.

Tertia eſt, ex longo uſu & experientia. Suſpicio tamen illa quæ propter longam experientiam cõtingit, levior eſt: quæ autem propter ſuſpicantis pravitatem, gravior; quę verò propter odium graviſſima & frequenter mortalis. Ita poſt D. Thom. 2. 2. q. 60. *art.* 3. Sylvius & alij Commentatores. D. Thom. Sylvius.

2. Suſpicio prout comprehendit dubitationem, opinionem & judicium temerarium, eſt mala & peccatum, tum jure naturali, tum etiam jure divino prohibitum. Quoad ius naturæ patet, ex illo communi naturæ præcepto, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et cùm homo ſit naturæ rationalis, debet operari ex ratione, & ſecundùm rationem: hoc autem non facit, qui ex indicijs levibus atque adeò ex cauſa inſufficiente cogitat malum de proximo. Unuſquiſque enim eo iure gaudet, ut quamdiu ejus peccata peccatorúmve indicia manifeſta non apparent, habeatur de illo bona exiſtimatio, neque ejus probitas in dubium vocetur ſine cauſa rationabili: ergo is qui ſine cauſa rationabili proximi probitatem vocat in dubium, malè de ipſo ſuſpicans, peccat; quia agit contra illud ipſum ius naturale: quod peccatum reducitur ad id ius naturæ in octavo Decalogi mandato contentum, *Non loquéris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Quod autem prohibitum ſit judicium temerarium jure divino, conſtat ex illo Matth 7. *Nolite judicare & non judicabimini.* quem locum D. Auguſt. *lib.* 2. *de ſermone Domini in monte, c.* 28. de judicio temerario intelligit, & D. Paulus ad Rom. 14. ait: *Qui non manducat, manducantem non judicet.* Cauſam autem quare non judicandum ſit præcedentibus verbis expoſuit; quia, ſcilicet, ſic judicans fratrem ſuum ſpernit & contemnit, idemque judicare & contemnere eſſe docet; unde præpoſuit: *Is qui manducat, non manducantem non ſpernat.* Et idem Apoſtolus 2. Cor. 4. dicit: *Nolite ante tempus iudicare, quoad uſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum.* Cùm enim occulta cordium ſoli Deo pateant, & incerta & obſcura ſint reſpectu judicij humani velle ex incognitis & incertis judicium temerarium ferre, alterius, id eſt, Dei judicium ſibi uſurpat, ac proinde ſic judicando peccat. D. Aug.

3. Sed difficultas eſt inter Doctores, an peccet mortaliter, qui ex levibus indicijs temerè & voluntariè de proximo ſuſpicatur grave ſcelus, ut ſi ſuſpicio eſſet circa perſonam honeſtam, de hæreſi, de inceſtu cum matre, de proditione civitatis, &c. Affirmant quidam probabiliter. Ratio illorum eſt, tum, quia judicium temerarium in tantùm eſt peccatum mortale, in quantũ non eſt ſine contemptu proximi: ſed ſuſpicio prorſus deliberata & de re gravi non eſt ſine contemptu proximi: ergo eſt peccatum mortale. Tum quia ſuſpicio repentina, ideoque indeliberata, vel deliberata quidem, ſed in re parui momenti, eſt peccatum veniale: ergo ſi ſit plenè deliberata & in re magna, eſt mortale: tunc enim deeſt id, ratione cujus eſſet ſolum veniale. Ita Bañez, Salon, Sylvius 2. 2 *q.* 60. *art.* 3 Clavis Regia *l.* 12. *c.* 3. Molina *de iuſt. tr.* 4. *diſp.* 17. *n.* 10. & alij. Non eſt tamen improbabilis ſententia negans eſſe mortale. Tum quia nullum judicium citra certitudinem eſt peccatum mortale; ſed iſta certitudo tollitur non ſolùm per dubitationem, quæ in neutram partem declinat, ſed etiam per ſuſpicionem & opinionẽ; quia etſi ſuſpicio & opinio uni parti magis adhæreant, non tamen id fit ſine formidine alterius. Igitur ſuſpicio de re gravi, ſi non habeat aſſentum firmum, nunquam erit peccatum mortale; quia ſiniſtra ſuſpicio in genere exiſtimationis adeò imperfecta & imbecilla eſt, utpote dubitationem ac formidinem oppoſiti adiunctam habens, ut ſuapte natura parum imminuat ac lædat antea conceptam de proximo veluti habitualem bonam exiſtimationem ſive famam; multò verò minùs contrariam de eodem malè exiſtimandi diſpoſitionem, ſive malam famam in animo reponat. Proinde fit, ut qui ſiniſtrè ſuſpicatus erat, poſtea, cùm opus eſt, facilè ſuſpicionem corrigat, & perinde de proximo bene ſentiat, ac ſi nunquam de ejus virtute vacillaſſet. Hæc eſt ſententia D. Thomæ *loco cit. a.* 3. Cajetani *ibid.* Ioan. de la Cruz *in director. præcept.* 8. *q.* 1. *dub.* 2. *conſluſ.* 2. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 6. Bañez. Salon. Sylvius. Clav Reg. Molina. D. Thom. Cajetan. Ioan. de la Cruz. Layman.

4. Ut iudicium temerarium ſit peccatũ mortale, requiruntur quatuor. *Primum*, ut ſit certum, non quod ſit omninò abſque ulla formidine & ambiguitate, qualis eſt certitudo illa, quæ ad ſcientiam in ſpeculativis requiritur; ſed ſatis eſt, quòd quis ita firmus ſit in ſua ſententia, ut ferè nihil dubitet in illa re. *Secundum*, ut ſit plenè deliberatum, non ſubitaneum & repentinum: nam alioqui ob imperfectionem actus erit tantùm veniale peccatum, ut alij quicumque mali actus non plenè deliberati. *Tertium*, ut ſit de materia gravi, id eſt, tali, ut ſpectatis circumſtantijs perſonæ, vel ipſius, de qua iudicatur, vel illius, à qua delictum alterius auditur, is, de quo ſiniſtrè iudicatur, ſi ſciret, tale de ſe iudicium temerè conceptum eſſe, merito gravem iniuriam & læſionem exiſtimationis ſuæ cenſeret. *Quartum*, ut procedat ex levibus coniecturis; & quamvis difficile ſit aſſignare quænam ſint indicia levia, & quæ ſufficientia ad temerè vel prudenter iudicandum malum de altero, ex tribus tamen circumſtantijs utcumque res iſta diſcerni poteſt; nempe, ratione temporis, ut ſi quis videat hominem noctu domum ſcalis admotis conſcendentem & ingredientem per feneſtram, prudenter exiſtimare poteſt, talem mali aliquid machinari. Item ratione loci, ut ſi quis cernat ſecreto & obſcuro loco petulanter & laſcivè iuvenem & puellam ſe amplexantes, qui ſponſi non ſunt, poteſt prudenter iudicare de illis malum. Item, ratione perſonæ; ſi enim perſona, de qua iudicatur, conſuetudinem habeat alicujus peccati, minora indicia requiruntur ad iudicandum malum de illo, quàm de alio. De his vide Leſſium *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 2. Layman *loco citato num.* 5. Clavem Regiam *lib.* 12. *cap.* 3. *num* 13. *& ſequent.* Molinam *loco citato diſp.* 13. & 16. Leſſius. Layman. Clav-Reg. Molina.

Diana. & 16. Dianam *p. 3. tract. 5. resol.* 31. & quæ diximus *tom. 1. verb. Iudicium temerarium, n.* 2. cum Doctoribus ibi citatis.

5. Peccatum mortale committi potest aliquando iudicando proximum temerè de culpa veniali. Licet enim per se loquendo & regulariter peccata venialia non infament notabiliter hominem, cùm nemo sine peccato veniali vivere possit, sunt tamen aliquæ venialia, per quæ non minus infamantur aliquæ personæ, quàm personæ aliæ per mortalia infamari solent. Sunt enim inter religiosos aliquæ res, quæ licet secundùm se non sint magni momenti, habentur tamen inter ipsos in magno pondere, conducúntque quàm maximè ad famam illorum: unde si quis iudicet de aliquo religioso ex levibus indicijs, quod nullam curam gerat cæremoniarum; quod frequenter ludat; quod habeat consuetudinem mentiendi; quod vanitatibus delectetur; quod sit rarissimus in choro, &c. peccatum mortale erit. Ratio est, tum quia hæc venialia in huiusmodi homine sunt materia gravis, & ob quæ indignus reputatur Religiosus & Clericus Officijs & dignitatibus Religionis & Ecclesiæ. Tum quia per tale iudicium offenduntur quàm maximè Religiosi & Clerici in fama & honore, quæ inter bona temporalia plurimi fiunt apud ipsos. Ita Salon 2. 2. *quæst* 6. *art.* 3. Aragon *ibidem, vers. Sed dubitabit.* Sylvius *ibidem, quæst.* 4. Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 4. *punct.* 3. *concluſ.* 2. & alij.

Salon. Aragon. Sylvius. Valent.

6. Grave aliquod malum, tamensi nullum sit peccatum, gravis materia esse potest, si per illud vel honor, vel fama proximi notabiliter læderetur: ut si fatuum, aut stultum iudices eum, cuius honor vel bona opinio exinde notabiliter minuitur. Sicut enim quos sapientes iudicamus, veneramur; ita quos fatuos & stultos habemus, facilè despicimus. Contemptus autem proximi ex genere suo peccatum est mortale. Confirmatur hæc ratio: quia si actus exterior est peccatum mortale, etiam interior, à quo ille procedit, mortale est: Sed vocare aliquem fatuum iniuriosè & contemptibiliter, est peccatum mortale, iuxta illud Matth. 5. *Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ergo iudicium à quo talis contumelia vel convitium procedere solet, etiam est mortale. Quamvis veniale tantum esset, si quis non obstante tali iudicio, personam, de qua sic iudicat, in eodem pretio & honore haberet, & dignam officijs & honoribus propter merita & bonos mores; quia non videretur eam personam perfectè saltem contemnere, ut tradunt Doctores numero præcedenti citati. Ex quorum doctrina patet, neque solum, neque omne peccatum mortale esse materiam gravem in hac materia iudicij temerarij, sed illud quod attenta personarum & facti qualitate notabiliter præiudicat honori, bonæ existimationi vel famæ alterius.

7. Ut in suspicione vel iudicio temerario peccetur mortaliter, non est satis quomodcumque deliberatè suspicari, aut iudicare in re gravi, sed oportet quod advertas & advertendo scias, aut saltem dubites te ex signis insufficientibus & de gravi malo proximi dubitare, suspicari vel iudicare. Proindead iudicandum quandonam peccaverit quis mortaliter in iudicando, vel non, ad pacandas hominum conscientias, hæc regula assignari potest:

Quando quis est timoratæ conscientiæ & habet curam propiæ salutis, si dubitet, an mortaliter peccavit in iudicio faciendo, interrogandus est, an, si tunc advertisset illud esse iudicium temerarium & peccatum, deliberatè voluisset consentire. Si negativè respondeat; censendum est non peccasse mortaliter, quia vel nullus adfuit voluntatis consensus, vel non fuit plenè deliberatus. Hinc viri timorati rarò incidunt in culpam lethalem iudicij temerarij, esto sæpè patiantur eiusmodi sinistras cogitationes: quia vel non perveniunt ad consensum voluntatis, vel si repentinus aliquis adfit consensus, non est plenè deliberatus.

Qui verò non est ita de sua salute solicitus, sed libenter aliorum vitam carpere solet, si dubius est, an tali cogitationi consenserit, semper scrupulum habere debet de mortali, & sub dubio se in Confessione accusare; quia probabile est illum consensisse. Ita Molina *tractat.* 4. *disput.* 14. *num.* 4. Clavis Regia *lib.* 12. *num.* 9. & 15. Sylvius 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 3. *quæst.* 1. *concluſ.* 4. Reginaldus *lib* 24. *num.* 25. & alij.

Molina. Clav Reg. Sylvius. Reginald.

Porrò ex dictis infertur, omnia iudicia temeraria esse ejusdem speciei; quia offendunt unam & eandem rationem formalem famæ proximi; quamvis differant materialiter iudicia prout sunt de diversis vitijs specificis; omnia tamen induunt unam & eandem rationem formalem offensivam famæ, sicut diximus de contumelia & detractione *tom. 1. verb. Contumelia, num.* 4. *edit.* 3.

IVRAMENTVM.

SUMMARIUM.

1. *An ad iuramentum requiratur intentio formalis vel virtualis iurandi.*
2. *Quando dicatur iuramentum assertorium, promissorium, vel execratorium.*
3. *An periurus qui fecit iuramentum execratorium, commiserit duo peccata.*
4. *An de essentia iuramenti sit, ut explicitè interponatur verbum* iuro? *Et quod fiat iuramentum tactis Evangelijs?*
5. *Sicut veritas in iuramento tribus modis considerari potest, ita triplex falsitas potest esse in iuramento.*
6. *An iuramentum assertorium vel promissorium, cui deest veritas, sit semper peccatum mortale.*
7. *An ob defectum veritatis de futuro iuramentum promissorium de re licita, semper sit peccatum mortale.*
8. *Quale peccatum committat, qui iurat se committurum peccatum mortale, aut veniale.*
9. *Ex defectu iudicij quando contingat peccatum in iuramento.*
10. *An iuramentum per falsos Deos licitum & obligatorium.*
11. *An iurare verum per falsos Deos gravius sit peccatum, quàm iurare falsum per Deum verum.*
12. *An iuramentum promissorium obliget ad ea, & ad eos eventus, qui rationabili intentione iurantis, vel interpretatione iuris, censentur excepti.*
13. *Quæ conditiones in omni iuramento promissorio simpliciter facto subintelligendæ sint ex iure communi ad hoc, ut iuramentum obliget.*
14. *An qui iniquè ab altero adigitur ad iurandum, peccet quocumque modo alterum decipiat circa sensum orationis de futuro?* Refertur duplex sententia.
15. *An iuramentum latroni per metum præstitum de non denunciando illum iudici vel Ecclesiæ, valeat & obliget.*
16. *An iuramentum homini præstitum ita sit personale*

ex parte jurantis, ut eius obligatio ad hæredes transeat.

17 *An juramentum ex parte ejus, cui præstatur, transeat ad hæredes.*

18 *An obedientiæ juramentum præstitum alicui in dignitate constituto, obliget, eo ab illa dignitate remoto.*

19 *An ex juramento confirmatorio promissionis ab altero acceptæ concedatur actio in foro externo.*

20 *An laicus ratione juramenti conveniri possit coram judice Ecclesiastico.*

21 *An judex secularis possit cogere laicos ad condonandam juramenti obligationem, metu, aut injuriâ extorti.*

22 *An juramentum contra simplicem promissionem, incipiat obligare, si cesset obligatio promissionis.*

23 *An obligatio juramenti assertorij major sit, quàm voti.*

24 *An juramenta parentum, herorum, dominorum, quibus jurant se punituros filios, aut famulos, communiter obligent.*

25 *An juramentum urbanitatis gratiâ præstari solitum in ingressu, vel egressu alicuius loci, non ingrediendi, aut egrediendi prius, obligatorium sit.*

Et quid de juramentis inter emendum, aut vendendum.

26 *An promissio prodiga juramento firmata, obliget?* Refertur duplex sententia.

27 *An juramentum solvendi usuras sit obligatorium.*

28 *Qui juravit servare statuta Reipublicæ, Collegij, Universitatis, qualiter obligetur.*

29 *Iuramentum de servando secreto eorum, quæ in Capitulo, Concilio tractantur, qualiter intelligendum.*

30 *Quomodo dignoscatur, quando promissiones factæ homini, licet juramento firmatæ, obligent ad mortale.*

31 *An sit in Ecclesia legitima spiritualis potestas, verè relaxandi iuramenta ex justa causa.*

32 *Quæ sint juramenta, præter quinque communia, quorum relaxatio Papæ reservatur.*

33 *Irritatio juramenti dupliciter fit, directè nempe, & indirectè.*

34 *Quæ sit differentia inter juramentum & votum.*

35 *Ad irritationem juramenti vel voti, an requiratur jurisdictio Ecclesiastica.*

36 *An superior, qui consensit in juramenta subditorum, possit sine peccato illa irritare.*

37 *Quando iuramentum est gratia vel favore alterius præstitum, an cesset ejus obligatio remissione partis cui præstitum est.*

38 *Si juramentum esset principaliter in Dei honorem præstitum; at tota res promissa cedit in favorem partis, an pars illud remittere possit?* Refertur duplex sententia.

39 *An juramentum de non petenda juramenti relaxatione, factum latroni, &c. sit validum & indigeat relaxatione?* Refertur duplex sententia.

40 *Si quis petat relaxationem juramenti metu extorti, ut sit liber à juramento in utroque foro, an necessariò sit citanda & audienda pars.*

41 *An indirecta juramenti relaxatio ad potestatem secularem, seu civilem pertinere possit.*

42 *An Princeps supremus & lex civilis possit irritum reddere juramentum, antequam laicus subditus in contractibus illud præstet.*

1. INvocare divinum testimonium, nihil aliud est quàm Deum in testem vocare, seu precari, ut Deus veritatem rei quam profero attestetur, tanquam id quod est ab ipso Deo scitum & verum, idque quando ei visum fuerit, vel saltem quando manifestabit abscondita tenebrarum & revelabit occulta cordium. Confirmat autem hæc invocatio divini testimonij veritatem apud alterum cui juro, quatenus ego qui juro, non censeor tam improbus, ut velim Deo tantam iniuriam irrogare, eum, qui summè sapiens & summè bonus est, in testem rei falsæ advocando. Proinde non est juramentum, nisi quis velit verba quæpiam usurpans, formaliter vel virtute invocare divinum testimonium ad alicujus veritatis confirmationem. Ratio est, quia ad humanam actionem constituendam, semper necessaria est intentio. Dico *virtute*, nam ad jurandum non requiritur, ut quis explicitè intelligens, quid sit invocare divinum testimonium, velit id facere: satis enim est velle usupare verba in eo sensu, quo pro consuetudine aliorum jurantium usurpari solent, est enim circa has formulas habenda ratio consuetudinis patriæ. Imò & si aliqua verba habeant speciem juramenti, si tamen ea non proferas per modum testificationis, seu invocationis, sed enunciationis, non erit juramentum, quia ut dixi requiritur expressa vel implicita intentio Deum testandi; ut si dicas: loquor coram Deo conscientiarum inspectore, tantùm vôlens explicare, quanta cum consideratione loquaris. Secus si invocationis modo dicantur, ut D. Paulus ad Galat. 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior.* Ille tamen jurat, qui dicit, Deus scit me verum dicere, Deum enim in testem adducit. Ita Clavis Regia *lib. 5. cap. 1. num. 5.* Cajetanus 2. 2. *quæst. 89. art. 1. in fine*, Arragon *ibidem, notab. ultim.* Sotus *lib. 8. de just. quæst. 1. art. 1. ante finem*, Navarrus *in Man. cap. 12. num. 2.* Clav. Reg. Cajetan. Arragon. Sotus. Navarrus

2. Quando divinum testimonium invocatur ad confirmandam enunciationem de præsenti, aut de præterito, dicitur iuramentum assertorium: quando verò adducitur ad confirmandam enunciationem de futuro, dicitur promissorium, sub quo etiam comminatorium comprehenditur, quale est illud Davidis contra Nabal 1. Reg. cap. 25. *Hæc faciat Dominus inimicis David, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent usque mane, mingentem ad parietem.* Differunt autem hæc iuramenta, quòd assertorium solùm requirit unam veritatem, scilicet præsentem vel præteritam quæ asseritur: Promissorium autem duplicem, præsentem, ut verè habeas præsentem voluntatem faciendi quod promittis, & futuram, ut posteà verè exequaris. Præsens veritas, vel præterita est principalis; futura autem est secundaria.

Iuramentum per simplicem contestationem est, cùm quis simpliciter invocat divinum testimonium, dicendo: testis est Deus, aut testor Deum, aut per Deum, aut per cælum, quatenus est sedes Dei. Iuramentum verò execratorium non consistit per se & formaliter, ut iuramentum est, in ipsa execratione, tamquam ipsa per se sit divini testimonii invocatio, sed consistere dicitur in execratione, tanquam in signo quodam à posteriori ipsius iuramenti: opto enim puniri à Deo iudice, si violê iuramentum, seu invocationem divini testimonii

à me

à me implicitè factam. Quare aſſertionem meam iuramento coteſtatorio firmatam firmiorem reddo per ipſam pœnæ imprecationem.

Simplex autem iuramentum & execratorium non differunt ſpecie in ratione iuramenti: quia in utroque invocatur divinum teſtimonium, ſed in ſimplici generali modo; in execratorio verò, ſpeciali modo, videlicet, ut teſterur puniendo. Ita Caietanus *loco citato art.* 1. & alij communiter. Caietan.

3. Dubium eſt, an periurus, qui fecit iuramentum execratorium, commiſerit duo peccata mortalia diſtincta, alterum periurij, alterum execrationis, ſeu maledictionis contra ipſum imprecatę, ſive execratæ in vindictam ſui ſceleris? Reſpondent, communiter loquendo. unum tantum peccatum mortale commiſiſſe, videlicet, periurij. Ratio eſt, quia execratio illa videtur prolata causâ adducendi Deum in teſtem veritatis. Non enim exiſtimandum eſt, quòd aliquis ſit ita proteruus, quod ſeriò intendat mala illa ſibi infligi à Deo: ideoque quamvis in huiuſmodi iuramentis execratoriis, Dei punitio & vindicta videatur peti à iurante, niſi ſit verum, quod ipſe affirmat, vel negat, non tamen formaliter intelligit, vel exoptat pœnas illas ſibi à Deo eſſe infligendas in vindictam ſui periurij, ſed finis intentus eſt Deum invocare in teſtem, ut ab alijs credatur, qui eſt finis iuramenti. Ita D. Thomas 2. 2 *quæſt.* 89 *artic.* 1. *ad* 3. Clavis Regia *l.* 5. *c.* 2. *n.* 4. Navarrus *in Manual. c.* 12. *n.* 1. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 7. *punct.* 2. *in fine.* Si tamen quis eſſet ita protervus & ſibi ipſi infeſtus, ut ex animo perverſo & ſeriò mala illa & maledictiones verè à Deo imprecari intendat, tam contra ſeipſum, quàm contra alios, tunc duplex peccatum mortale committeret, unum periurij, alterum execrationis & maledictionis contra charitatem propriam vel aliorum. D. Thom. Clav. Reg. Navarrus, Valentia.

4. Non eſt de eſſentia iuramenti, ut explicitè interponatur verbum, *iuro*, vel quid ſimile, quia quibuſcumque verbis, aut ſignis declaratur intentionem iurantis eſſe, invocare Deum in teſtimonium veritatis, iuramentum intelligitur eſſe factum. Unde in ſacris literis ſæpè ſæpiùs celebratur iuramentum illud, *Vivit Dominus*, *Vivit Deus*, Teſtis mihi eſt Deus, Deus ſcit quod non mentior: Per Deum, ſive per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; Per Beatam Virginem, &c. In his enim aliiſque modis efficitur verum iuramentum, licet verbum *iuro* non proferatur. Et *in cap. Etſi Chriſtus, de iureiurando*, omnes iſti modi & alij iurandi enumerantur tanquam vera iuramenta ab Innocentio Papa III Ex quo infertur nulla verba præciſè neceſſaria eſſe ad ſubſtantiam iuramenti, eò quòd ſine ulla verborum prolatione Deus vocari poteſt in teſtem, ut v. g. cùm quis rogatus, ac iuſſus, manu crucem, aut librum Euangelij tangit, intendens & ſignificans ſe iurare. Ratio eſt, quia ibi eſt tacita Dei invocatio, cuius veritas eſt in Scripturis Ita Sylveſter *verb. Iuramentum.* 1. *n.* 2. *q.* 1. Arragon 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. *Notab ult. v. Quinta & Sexta.* Clavis Regia *l.* 5. *c.* 1 *n.* 7. & 8. Imò regulariter non eſt neceſſarium ad rationem iuramenti, quod fiat tactis Euangelijs, aut alijs divinis Scripturis, aut ſuper aliqua re ſacra, v. g. ſacris reliquiis, cruce, &c. Ratio eſt, quia ſufficit quòd Deus tacitè, ſive expreſsè quocumque modo invocetur in teſtem aſſertionis, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus ſignificantibus intentionem iurantis, ut tradunt Doctores citati, quibus adde Covarruviam *in cap. Quamvis, p.* 1. §. 1. *n.* 1. *de pactis, in* 6. Innoc. III Sylveſt. Arragon. Clav. Reg. Covar.

Quandoque tamen in foro externo neceſſarium eſſet fieri iuramentum tactis Euangelijs, alioquin vim ullam non habebit, quantum ad iuris effectum attinet: puta ſi lex in ſpecie ſanxerit iuramentum præſtandum fore ſuper Euangelijs, tunc neceſſariò fieri debet tactis Euangeliorum libris, aliàs iuramentum validum non erit, nec ſufficit quod tangatur quilibet alius liber ſacer. Ex *Clement. Multorum.* §. *Porrò*, & ibi Gloſſa *in verb. tacta, de hæret.* & *c. Hortamur.* 3. *q.* 9. & *c. teſtimonium* 11. *q.* 1. Gloſſa.

5. Cùm in iuramento tria requirantur ut ſit licitum, nempe, *veritas, iuſtitia* & *iudicium*. Imprimis veritas in illo tribus modis conſiderari poteſt, *Primò* in re tantùm, *Secundo*, in mente tantùm, *Tertiò*, utroque modo ſimul, in re videlicet, & in mente iurantis, & iſta tertia dicitur & eſt veritas perfecta, quando ſcilicet quis non ſolùm iurat veritatem, ſed etiam eam in mente tenet. Ita per oppoſitum triplex poteſt eſſe falſitas in iuramentis. *Primo* in re tantùm, quando illud, quod mediante iuramento fuit affirmatum, in veritate non exiſtebat, quamvis in mente iurantis pro vero exiſtimabatur. *Secundo*, quando quis iurat contra conſcientiam exiſtimans ſe falſum iurare, quamvis talis res in veritate ita ſit. *Tertio* modo, quando veritas non confirmatur, neque in re, neque in mente iurantis. Primo modo eſt iuramentum falſum, ſed ſine mendacio, cùm talis falſitas ſit præter intentionem iurantis ex ignorantia facti, quæ excuſat à culpa. Secundo & tertio modo iuramentum ſemper eſt malum & peccaminoſum ex duplici falſitate, una in mente iurantis, altera in ipſa re, ideoque eſſet peſſimum periurium.

6. Iuramentum aſſertorium, cui deeſt veritas, ſemper eſt peccatum mortale, in quacumque materia adhibeatur. Eſt communis Doctorum. Ratio eſt, quia hoc quod eſt Deum aſſerre teſtem mendacij, abſtrahendo à quantitate materiæ & omni alia mendacij conditione, eſt graviſſima deformitas contra virtutem Religionis: nã Deus tunc efficitur, quantũ in homine eſt, ignorans vel mendax.

Iuramentum etiam promiſſorium ex defectu veritatis conſiſtentis in concordia vocis cum animo interiori faciendi quod promittitur, ſemper eſt peccatum mortale, ſive res quæ promittitur ſit licita, ſive illicita, ſive parva, ſive magna. Eſt etiam communis Doctorum. Ratio, quia etiam ex hac parte iuramentum promiſſorium, quod attinet ad veritatem requiſitam, convenit cum aſſertorio, ut dictum eſt ſuprà, unde defectus huius veritatis in iuramento promiſſorio æquale peccatum eſt. Qui enim promittit, verbi gratiâ daturum centum aureos, eo ipſo aſſerit, ſe iam habere animum id faciendi atque ita reſpectu huius animi & voluntatis eſt aſſertio rei præſentis; atque adeò iuramentum aſſertorium. Igitur non intendens adimplere promiſſum, prout verba teſtantur, mendax & periurus eſt, contra veritatem iuramenti, quod in omni caſu, materia, & ob quemcumque finem eſt peccatum mortale, dummodo deliberatè fiat. Quod colligitur ex *c.* 1. *cauſ.* 22. *quæſt. ſecunda*, ubi dicitur, *In dolo iurat, qui aliter facturus eſt, quàm promittit; cùm periurium ſit nequiter decipere credentem*, & ex D. Thoma *ſecunda ſecundæ, quæſt.* 89. *artic.* 7. Caietano *ibidem*, Navarro *in Manual. c.* 12. *n.* 13. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 7. *punct.* 3. Clave Regia *l.* 5. *c.* 4. *n.* 27 & aliis. D. Thom. Caietan. Navarrus. Valentia. Clav. Reg.

7. Difficultas eſt, an ob defectum veritatis de futuro iuramentum promiſſorium de re licita, ſemper ſit peccatum mortale, quæcumque ſit materia promiſſionis, ſive magna, ſive parva, ſive partialis, ſive totalis; an verò ſit aliquando venialis tantùm, ratione parvitatis, ſeu materiæ promiſſæ? Tres ſententias retulimus *tomo primo*,

verb. Iuramentum IV. n. 3. edit. 3. Pro firmanda tamen probabiliori & tutiori opinione asserente juramentum promissorium de re licita ob defectum veritatis de futuro, semper esse peccatum mortale, etiamsi materia promissa sit parva, dicimus *Primò*, quod gravitas & levitas materiæ, tunc solùm pertinent ad levitatem, aut gravitatem peccati, quando materia ipsa est immediatum & veluti per se obiectum peccati. Sed materia ipsa promissionis, non est immediatum obiectum & per se irreverentiæ commissæ in violatione juramenti promissorij. Ergo, &c. Maior patet inductione: nam in voti v. g. violatione, propterea transgressio voti de re levi est tantùm venialis; quia ex vi voti tenetur quis illam materiam adimplere, quatenus ex illa datur gloria Deo, & ob id illa materia est immediatum obiectum eius peccati & irreverentiæ, quæ committitur in transgressione voti. Minor probatur, quia deformitas violationis juramenti in hoc præcisè consistit, quòd quis non tuetur divinum honorem efficiendo verum id, in cuius confirmationem (quantulumcumque id fuerit) testimonium Dei adduxit, sed potiùs est causa, quantùm in se est, ut Deus testatus fuerit falsum, quod est Deo ex natura rei valde ignominiosum. Confirmatur, quia ratio, ob quam aliquando est peccatum mortale contra Religionem non adimplere juramentum promissorium, semper est eadem, cùm quis violat juramentum promissorium de re licita in quacumque materia, quia, videlicet, Deus adducitur testis falsi, ergo si in materia gravi violare juramentum promissorium est mortale, etiam in materia levi erit: ratio enim falsitatis æquè reperitur in quacumque promissione non adimpleta, sive fuerit de re magna, sive de re parva, alioquin dicam etiam falsitatem juramenti assertorij non inducere præcisè culpam mortalem, sed tantùm in materia gravi. Quod si dicas hanc culpam mortalem in juramento assertorio abstrahere à conditione materiæ: dicam etiam cur non etiam deformitas illa violationis juramenti promissorij abstrahat à conditione materiæ, cùm eadem utrobique sit ratio.

Secundò, ratio peccati mortalis non sumitur simpliciter ex parvitate, vel ex magnitudine materiæ, sed ex vi præcepti & debiti, eiusque rationis, quæ si propriè sit de re magna vel damno notabili, transgressio in minimo censetur præter intentionem præcipientis: at si tota vis præcepti sit de minimo, transgressio est contra intentionem præcipientis, quæ si sit obligare ad mortale, erit obligatio ad mortale. Sed præceptum de servando juramento obligat ad mortale, & tota eius vis æquè reperitur in juramento de re minima, ac de re magna, scilicet, ne Deus unquà in testè falsi invocetur.

Opposita tamen sententia, quæ sustinet non esse peccatum mortale, non implere promissionem juratam in materia levi, est quidem probabilis, non tam ptopter rationes quibus fulcitur, quàm quia est plurimorum Doctorum.

8. Ex defectu justitiæ mortaliter peccat contra Religionem, qui jurat se commissurum aliquod peccatum mortale. Est communis Doctorum. Ratio, quia efficit, quantum in se est, Deum cooperatorem eius rei, quæ est grave peccatum; confirmat enim se ad peccatum mortale perpetrandum auctoritate divini testimonij. Deinde applicat juramentum ad actum mortiferè vitiosum committendum, ac proinde necessariò posteà omittendum, cùm sit absolutè contra charitatem: quare quantum in se est, jurat mortiferè aliquid quod est suo modo falsum. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *a.* 3. Navar. *in Man. c.* 12. *n.* 15. Clavis Regia *l.* 5. *c.* 4. *n.* 35. & alij apud ipsum. D. Thom. Navarrus. Clav. Reg.

Si quis autem juret se facturum peccatum veniale, peccat tantùm venialiter: quia non est tantum malum illud, cuius indirectè hîc Deus efficitur cooperator, nec Deus adducitur ut approbator mali propositi tanquam ei placeat, sed ut testis quod tale propositum malum concipiatur. Similiter peccat tantùm venialiter, qui jurat se facturum aliquid contra consilium divinum, puta, se non susceptutum sacros Ordines, aut se non fore religiosum, saltem eo casu quo id esset consilij, non præcepti Ratio est, quia levis est tantùm irreverentia, uti divino testimonio ab obsistendum divinæ voluntati circa consilia, cùm non adeò strictè velit Deus ea executioni mandari; hæc enim non præcipit. Ita Sotus *l.* 8. *de iust. q.* 2. *art.* 3. Caietanus 2. 2. *q.* 89 *art.* Navar. *c.* 12. *n.* 16. & alij. Sotus. Caietan. Navarrus.

9. Ex defectu judicij in juramento contingit peccatum, *Primò*, quando quis res veras sine justa causa & necessitate juramento confirmat. Fieri enim non debet juramentum, nisi ex causa necessaria & justa. Necessitas autè jurandi tunc est, quando illa veritas, quę juramento firmanda est, nequit alia via comprobari, & juratio necessaria est ad tuendam charitatem. Ex defectu tamen causę necessariæ, juramentum communiter solum est veniale peccatum: quia non est gravis irreverentia adducere Deum in testem sine causa sufficienti, quando verum est quod juramento firmatur.

Secundò, si desit judicium ex parte inquisitionis necessariæ ad videndum, an id, quod juramento asseritur, verum sit, necne, tunc defectus judicii erit mortale vel veniale peccatum, pro ratione negligentiæ in veritate inquirenda. Ita ut si negligentia est notabilis & magna, id erit peccatum mortale: si autem parva, ut si quis adhibeat aliquam diligentiam, sed non planè sufficientè, tunc solùm erit veniale. Ratio horum est, quia quando quis notabiliter est negligens in illa veritatis inquisitione, censetur perfectè velle iurare falsum, si contingat id esse falsum, quod vult iurare, atque adeò peccat mortaliter: si autem imperfectè fuit negligens, imperfectè etiam censetur velle iurare falsum, & sic tantùm venialiter peccat: eatenus enim iuramentum falsum in tali casu, interpretativè censetur perfectè, aut imperfectè voluntarium, quatenus negligentia inquirędi est perfecta, aut imperfecta. Idemque dicendum est, quoties quis dubitat, an verum sit, necnè, quod pro certo iurat, aut leviter & temerè putat verum, quod iurat: peccatum enim mortale, aut veniale erit, ratione negligentiæ, eò quòd non sufficienter provident, utrũ falsum sit, necnè, id quod iuramento confirmat, ut communiter tradunt Doctores D. Thomas 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 3. D. Bonaventura *in* 3. *distinct.* 39. *art.* 1. *quæst.* 2. *num.* 16. Sanchez *lib.* 3. *mor. cap.* 6. *num.* 22. *& alibi.* Navarrus *in Manual. cap.* 12. *num.* 3. *&* 7. Toletus *in summ. lib.* 4. *cap.* 21. Clavis Regia *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 32. & alij. Adverte tamen prædicta esse intelligenda in casu, quo quis advertit se jurare id quod non sufficienter discussit: nam si tantummodo lingua antevertente judicium iuret quis id quod non sufficienter discussit, non advertens se aliquid tale iurare, non peccat: sicut etiam non peccat ille qui iurat falsum, non advertens esse falsum & insufficienter discussum: sic enim iurare inadvertenter non est actus humanus, modò hæc inadvertentia non sit voluntaria, nec procedens ex pravo habitu & consuetudine ita temerè iurandi. D. Thom. D. Bonav. Sanchez. Navarrus. Toletus. Clav. Reg.

10. Iura-

Digitized by Google

10. Iuramentum per falsos Deos illicitum & peccatum mortale est, obligat tamen iurantem, dummodò licitum sit quod iuratur. Sic *cap. etsi Christus. vers. Et quamvis de iurejurand.* Ratio est, quia licet peccet jurãdo eo modo quo non debet, servando tamen fidem in re licita benefacit, quam si non servaret, peccatum peccato adderet. Quod autem peccatum mortale sit per Deos falsos iurare, sive verum, sive falsum, patet: quia iurare est actus latriæ & religionis uni, soliique Deo tribuendus, mediante quo Deum Summam Veritatem infallibilem confitemur: cùm igitur ea, quæ soli Deo debentur, alijs tribuantur, maxima Deo fit iniuria, & est quasi quædam impietas idololatriæ & superstitionis. Quare non solùm peccant mortaliter fideles ita iurantes: sed etiam ipsi gentiles & pagani; ideoque non licet Christianis paganum inducere ad jurandum, quia esset illum inducere ad peccandum mortaliter. Licebat tamen iuramentum pagani quandoque acceptare, quando ipse sponte iurare vult & se obligare ad veritatem dicendam mediante iuramento; nefas tamen erit illum inducere ad tale faciendum iuramentum, quia aliàs fideles cooperatores paganorum in iniquitatibus efficerentur. Ita Sotus *de justit. l. 8 q. 2. a. 3.* Arragon 2. 2. *q.* 89. *a 6. dub.* 2. Clavis Regia *l. 5. c. 3. n. 16. & c. 6. n. 1.* Toletus *in Sum. l. 4. c. 21.* & alij communiter apud ipsos.

Sotus. Arragon. Clav. Reg. Toletus.

11. Iurare verum per falsos Deos, gravius est peccatum, quàm iurare falsum per Deum verum. Ratio est, quia blasphemia seu idololatria gravius est peccatum, quàm periurium, eò quòd illa opponitur confessioni fidei, quæ est totius Christianitatis fundamentum, & idcirco est infidelitatis species, & consequenter contra primum Decalogi præceptum, cùm tamen periurium sit contra secundum: peccatum autem quod primo præcepto opponitur, gravius est eo, quod secundo opponitur. Deinde qui hujusmodi iuramentum facit, tribuit creaturæ honorem, qui soli Deo debetur; profitetur enim illam, nec fallere, nec falli posse, & consequenter blasphemus & idololatra est. Ita Covarruvias *in cap. Quamvis, part. 1. §. 1. n. 10. de pactis in 6.* Sotus *l. 8. de justit. q. 2. a. 3.* Arragon 2. 2. *q.* 89. *a. 6. dub.* 2. Graffijs *part. 2 lib. 2. cap. 8. num. 6. & cap. 11. n. 5.*

Covar. Sotus. Arragon. Graffijs.

12. Iuramentum promissorium non obligat ad ea, nec ad eos eventus, qui rationabili intentione iurantis, vel interpretatione iuris, censentur excepti. Ratio est, quia iuramentum non inducit obligationem ultra intentionem iurantis, vel ipsius iuris, secundùm quod censetur fieri; ut si iuramento promittas rem aliquam & postea res illa fiat mala vel impossibilis, vel valde damnosa, vel si conditio tacitè subintellecta non sit servata; v. g. iuravi tibi servare promissa, videlicet si tu mihi serves: facta pace cum inimico iuravi illi me non nociturum, videlicet nisi novæ inimicitiæ emergant: iurasti me castigaturum prolem vel famulum, intellige, nisi fortè inde sequeretur turbatio uxoris vel familiæ, vel nisi deprecatus fuerit, vel nisi ob aliam causam contrarium expedierit. Sic iurans honoris causa se non præcessurum, intelligit, quantum in se erit, vel nisi alter ad aliud cogat: cùm enim sit in favorem alterius, censetur ipse relaxare, dum renuit prior ingredi: iuravi ducere Catharinam, videlicet nisi fornicata fuerit, vel in morbum incurabilem inciderit, vel nisi religionem ingressus fuero, vel castitatem vovero: iuravi tibi parere in omnibus; videlicet, si licita & honesta præceperis; iuravi stare iudicio arbitri sub certa pœna, sed non obligor nisi disiunctivè ex interpretatione iuris, vel ad sententiam amplectendam, vel ad pœnam solvendam. Denique iuramentum quo iuras te dicturum quid scis de causa, intelligendum est de ijs, quæ secundùm ordinem iuris dicenda sunt, non autem de occultis, aut ijs quæ sine gravissimo tuo damno non potes aperire. De his vide Clavem Regiam Sayri *l. 5. c. 5. n. 15. & sequentibus.* Bonacinam *de iurament. disp. 4. quæst. 1. punct. 16.* Layman *lib. 4. tract. 3. cap. 9.* Filliucium *tract. 25. num. 227. & sequentibus.* Sylvestrum *verb. Iuramentum 3.*

Clav. Reg. Bonacina. Layman. Filliucius.

13. Quædam conditiones in omni iuramento promissorio simpliciter & absolutè facto subintelligendæ sunt ex iure communi ad hoc ut iuramentum obliget, quarum prima est, *Salvo iure & auctoritate Superioris.* In omni enim iuramento ius Superioris intelligitur exceptum, ex *cap. venientes, de iureiurand.* & ideò in omni iuramento intelligitur, nisi contrarium præcipiat, aut velit Superior, & hoc in eis rebus, quæ superioris auctoritati & dispositioni subiectæ sunt. v. g. si is iuramentum sibi præiudicans irritare, aut ob causam iustam in eo dispensare, vel relaxare velit.

Secunda conditio est, *observatio fidei propter quam iuratur*; quia fidem non servanti, fides servanda non est. Argum. Regul. de Reg. iuris in 6. *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.* intelligitur enim conditio hæc in iuramento promissorio, Si mihi fidem servaveris, ut habetur *in cap pervenit 2. & cap. sicut 3. de iureiur.* Hæc conditio habet locum tantùm in promissione reciproca mutuò se respiciente. v. g. promisi tibi certum quid, quia tu promisisti mihi aliquid aliud; tunc si tu non adimpleas ex parte tua promissum, nec ego teneor adimplere ex parte mea. Quando autem promissio non est reciproca, nec mutuo se refertur ad invicem, sed ad diversa, puta promisi tibi simpliciter librum & iuravi, & tu etiam simpliciter promisisti mihi aliquid facere & iurasti: Certè licet ego non adimpleam promissionem meam, tu tamen non evitas periurium, si non adimpleas promissionem tuam, quia simpliciter promisisti, & non ratione promissionis meę & de specie ad speciem non admittitur compensatio iuxta notata *in cap. Bona fides, de deposito.* & docent Sylvester *verb. Iuramentum 4. quæst. 3.* Clavis Regia *lib. 5. cap. 5 num. 17.* Panormitanus *in cap. Pervenit 2. n. 3. & 4. de iureiur.* Angelus *verb. Iuramentum 5. num. 17.* & alij, contra Molinam *disp. 272.* & Sanchez *l. 3. mor. c. 17. num. 16.*

Reg jur. Sylvester. Clav. Reg. Panorm. Angelus. Molina. Sanchez.

Tertia conditio, *Nisi is, in cuius gratiam & utilitatem iuratum est, obligationem remittat expressè vel tacitè.*

Circa hanc conditionem est distinctio adhibenda; nam iuramentum promissorium interdum fit saltem secundariò in gratiam alicuius, qui talem obligationem expetit; sed non directè in ejus utilitatem; puta si alicui iuramento promittas te religionem ingressurum; tunc ille, cui promittitur, non potest absolvere promittentem; quia promissio non est facta ei principaliter; sed Deo. Quando verò promissorium iuramentum principaliter fit homini, sive in utilitatem hominis, tunc homine remittente obligationem, cessat obligatio iuramenti, ut tradunt communiter Doctores. Interdum autem promissorium iuramentum principaliter fit Deo, sive ob honorem Dei de præstando aliquo opere Charitatis, vel misericordiæ erga certam personam; puta si votum iuratum edãs te Catharinę pauperi dotem daturum, tunc certũ

eſt, te iuramento abſolvi, ſi illa beneficium reſpuat. Si autem beneficium non reſpuat, nolit tamen iurantem ad id obligari, ſed in gratiam ejus obligationem remittat, utrum hoc ſufficiat ad iuramenti relaxationem, eſt controverſum. Affirmant Navarrus *c.* 22. *n.* 25. Henriq. *l.* 11. *c.* 14. *n.* 6. Sanchez *l.* 1. *de matrim. diſp.* 52. *n.* 6. probabiliter. Nam Deus acceptat ejuſmodi votum ac iuramentum in ordine ad hominem, in cujus utilitatem cedit: quare ſi hominis voluntati ſatisfactum ſit, etiam obligationi erga Deum ſatisfactum cenſetur. Negant Suarez *l.* 2. *de iuram. c.* 39. Sylveſter *v. Sponſalia, quæſt* 10. *caſu* 1. Angelus *ibidem, num. ult.* & alij non improbabiliter: quia Deus ejuſmodi promiſſionem ſibi factam, non tantùm acceptat ob utilitatem hominis, ſed etiam ob proprium honorem & cultum. Quare licet per remiſſionem illam ſatisfactum ſit homini; non tamen omninò ſatisfactum eſt Deo; quando opus miſericordiæ piè & laudabiliter ob Dei honorem præſtari poteſt, homine illud acceptante, licet non exigente; ſed obligationem quatenus poteſt ex ſua parte remittente.

Navarrus. Henriq. Sanchez. Suarez. Sylveſter. Angelus.

Quarta conditio eſt, ſi res in eodem ſtatu permanſerint, ſive notabiliter mutatæ non fuerint: quia notabilis mutatio quaſi aliud obiectum facit, ad quod veriſimili præſumptione, iurantis & promittentis intentio ſe non extendebat: unde ſponſus poſt ſponſalia etiam iurata reſilire poteſt propter ſponſæ deformitatem gravem ſubſequentem, aut fornicationem, ut habetur *in cap. Quemadmodum. de iureiur.* Vide Sanchez *l.* 4. *mor. c.* 2. *n.* 20. 21. & 22. Clavem Regiam *l.* 5. *c.* 5. *n.* 18. Molinam *tom.* 2. *diſp.* 272. Layman *l.* 4. *tract.* 3. *cap.* 9. *n.* 4. apud quos plura exempla reperies.

Sanchez. Cla. Reg. Layman. Molina.

14. Qui iniquè & irrationabiliter ab altero adigitur ad iurandum, non peccat quocumq; modo alterum decipiat circa ſenſum orationis de futuro quam confirmat iuramento, ſive id faciat amphibologiâ, aut verborum artificio, ſive aliqua conditione in mente ſubintellecta, quam ore non exprimit nec tenetur illud adimplere iuxta mentem alterius: ut ſi ſic iures latroni per vim te ad iurandum adigenti, Teſtor Deum me tibi daturũ centum, in animo tuo intelligens, ſi tibi debeo. Ratio eſt, quia in caſu quo quis alterum decipit per conditionem tacitè ſubintellectam, verum dicit, verumque iurat, licet non quidem illud verum quod alter voluiſſet. Ita Navarrus *in cap. Humana aures.* 22. *q.* 5. Valentia, Toletus & alij citati *tom.* 1. *v. Iuramentum III. num.* 10. *verſ. Quamvis probabile ſit. lit. f. edit.* 3.

Navarrus. Valentia. Toletus.

Dices: Hic committit mendacium externum, quia ſignificat expreſsè ſe velle ſolvere, cùm tamen nolit in animo ſolvere; ergo &c. Reſp. negando antecedens: quod enim ille eloquitur exteriùs, non eſt contra ejus mentem, ſed potiùs ejus menti conſentaneum, licet totum conceptum mentis nõ repræſentet, ſed ſolùm partem. nec hoc eſt inordinatum, quia iuſtam habet cauſam non totum aperiendi, ſed ſolùm partem; nec refert utrum ea pars ſit conditionata, & ab alia dependens, an abſoluta: ſufficit enim ut cum reliqua parte orationis mentalis coniuncta, vera ſit.

Dices 2. Hoc eſt fallere proximum, & falſum judicium ingenerare? Reſp. eſt ſolùm permiſſivè fallere: utor enim iure meo tegendo intentionem meam: quod ſi inde alter concipiat aliam eſſe mentem meam, hoc ſuæ imprudentiæ vel levitati adſcribat, cùm poſſit advertere eas adeſſe circumſtantias, quibus poſſim hoc modo mentem meam non niſi ex parte & inadæquatè patefacere. Hæc dicta ſint juxta probabilem prædictorum Doctorum ſententiam, contra quam inſurgunt Cajetanus, Sotus, Malderus, Sylvius, & alij plurimi, loco adducto citati. Et de hoc particulari caſu, an iuramentum præſtitum raptori vel latroni ſit ſervandum, vide Dianam *part.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 57. ubi ex utroque Molina, Suarez, Leſſio, Guttierrez reſoluit tale iuramentum valere & indigere relaxatione, *ex cap. Si vero, de iureiur.* quia obſervari poteſt abſque diſpendio ſalutis æternæ.

Cajetan. Sotus. Malderus. Sylvius. Diana. Molina. Suarez. Leſſius. Guttierr.

15. Gravis eſt inter Doctores controverſia, an iuramentum latroni per metum præſtitum, de non denunciando illum iudici vel Eccleſiæ, valeat & obliget? Quidam enim cenſent id iuramentum non obligare; nam contra bonum publicum eſt, ab hac denunciatione abſtinere. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. *ad* 3. & ibi Cajetan. *dub. ultimo, Circa ſolutionem ad* 3. Sylvius *ibidem quæſt.* 1. *ad* 6. & alij.

D. Thom. Cajetan. Sylvius.

Sed meliùs diſtinguunt Sotus *l.* 8. *de juſtit. quæſt.* 1. *art.* 7. *ad* 3. Arragon, Rodriguez, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 3. *moral. c.* 21. *n.* 12. Lugo *de juſtit. tom.* 2. *diſp.* 22 *ſect.* 8. *num.* 235. Si caſus occurreret ſub præcepto obligans illum ad denuntiandum, quia latro ille tam nefarius eſt, ut id ad bonum commune expediat, tale iuramentum non obligaret, eò quòd ſit contra bonum publicum. Similiter non obligaret, ſi ille interrogaretur iuridicè. Et in his duobus caſibus tenet verum prædicta ſententia. Si autem ſecluſo eo iuramento, non eſſet obligatio illum denunciandi, iuramentum valeret, cùm eſſet de re, quæ ſine peccato impleri poteſt. Ceterùm poſſet ille iurare cum æquivocatione ad decipiendum eum, non tamen poſſet promittere in ſenſu latronis, & multò minùs deberet aut poſſet illud poſtea implere, etiamſi licitè vel illicitè ex animo iuraſſet, ut docet ſapientiſſimus Cardinalis Lugo *loco cit.*

Sotus. Arragon. Rodrig. Sanchez. Lugo.

16. Iuramentum homini præſtitum eſt ita perſonale ex parte iurantis, ut ejus obligatio ex iuramenti, ac religionis vinculo minimè ad hæredes tranſeat, ac ſucceſſores ipſius jurantis: quare hi non adimplentes juramentum defuncti, minimè erunt perjuri. Sed ſolùm tenentur hæredes adeuntes hæreditatem, in quantum ejus vires ſufficiunt ratione contractus defuncti, ſicut ad cetera ejus debita, reliquoſque ejus contractus tenentur. Ratio eſt, quia juramentum eſt vinculum perſonæ quod jurans voluntariè aſſumit; obligatio autem perſonæ non tranſit ad hæredes. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſtio* 98. *articulo* 2. *ad* 4. & ibi Cajetanus. Suarez *lib* 2. *de juram. c.* 31. Layman *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 10. Filliucius *tract.* 25. *num.* 224. & alij communiter. Quod quidem verum eſt, etiamſi iurans non ſolùm juraverit pro ſe, verùm etiam pro ſuis ſucceſſoribus; nam obligatio juramenti perſonalis eſt. Obligatio autem contractus, ſupra quem cadit iuramentum, tranſmittitur ad hæredes, modò contractus ſit validus, vel ſaltem validus efficiatur, ſeu firmetur juramento: quia hæc eſt obligatio realis, & ſecundùm omnes Doctores, obligatio realis, tranſmittitur ad hæredes, *ex lib. Neceſſario. §. Quod ſi pendente. ff de periculo & commodo rei venditæ.*

D. Thom. Caje an. Suarez. Layman. Filliucius.

Hinc deducitur, hæredes illius, qui juravit latroni, vel uſurario, vel alii, qui rem promiſſam juramento tenetur reſtituere, non teneri ſolvere, nec id juramentum implere, quamvis non impleverit defunctus: quia nulla contractus ratio obligabat defunctum, ſed ſola juramenti

menti religio, quæ non transfertur in jurantis hæredes. Ut tradunt Covarruvias *de pactis 2. part.* §. 1. *num.* 7. *vers. Quidquid sit.* Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 13. *num.* 5. Molina *disp.* 150. & alij apud ipsos. Covar. Sanchez, Molina.

17. Iuramentum non est personale ex parte ejus, cui præstatur, & sic transit in hæredes ipsius. Exemplum sit, iurat quis dare centum Petro, tenetur ex vi juramenti, defuncto ante solutionem Petro, solvere ea centum hæredibus Petri. Ratio est, quia actiones defuncti transeunt ad hæredem. Cùm ergo defunctus habuerit actionem, ut ex vi juramenti illa centum sibi darentur, etiamet actio ad hæredem transibit. Idque probatur partim *ex leg. Si pactum, ff. de probationibus*, in qua habetur, pactum sive promissionem tibi factam, ad hæredem quoque extendi, licet expressum non fuerit: juramentum autem suscipit naturam & conditiones promissionis, cui apponitur: partim verò *ex cap. Veritatis, de jurejurand.* in quo habetur, vasallum, qui juravit Prælato fidelitatem, aut obedientiam, eandem etiam sine novo juramento debere successoribus: quamvis eorum expressa mentio facta non fuerit; quod intelligi debet, si juramentum præstitum est Prælato, ut Prælatus est, sive ratione officij ac dignitatis suæ. v. g. promitto & juro obedientiam Regi; Episcopo: Quanquam id non tam ex verbis, quibus persona ipsa vel dignitas seu officium ejus nominatum est: sed potiùs ex materia subjecta cognoscendum: num videlicet promissum sit aliquid, quod ad publicum officium; an verò, quod ad privatam personam pertinet. Ita Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 27. *num.* 3. & *lib.* 3. *mor. cap.* 13. *num.* 8. & 9. Covarruvias *in cap. Requisisti, num.* 2. *de testament.* & *de pactis* 1. *part.* §. 5. *n.* 4. & alij. Sanchez. Covar.

18. Iuramentum obedientiæ præstitum alicui in dignitate constituto ratione illius dignitatis, non amplius obligat eo ab illa dignitate remoto; quia causa ejus obedientiæ cessat *ex cap. Venerabilem, in fine, de elect.* Similiter quando quis jurat ratione alicujus dignitatis aut officij in sua propria persona existentium, cessantibus illis cessat quoque obligatio juramenti: quia ea juramenta sunt dignitati & officio annexa: ut si quis tanquam Canonicus iuret statuta suæ Ecclesiæ servare, non tenetur relicto canonicatu ea servare. Ita Abbas *in cap. Veritatis, num* 3. *de iureiur.* Cajetanus 2. 2. *quæst.* 89 *art.* 9. *ad finem.* Sylvester *verb. Iuramentum* 4. *quæst.* 2. & *quæst.* 3. Sotus *lib.* 8. *de justit. quæst.* 1. *art.* 9. *ad* 2. ut decernitur *in cap. Ad Apostolicam, de sent. & re indic. in* 6. Abbas. Cajetan. Sylvester. Sotus.

19. Ex juramento confirmatorio promissionis ab altero acceptatæ. conceditur actio in externo foro tam civili, quàm canonico. Ratio est, quia hoc casu juramentum non tantùm inducit obligationem religionis erga Deum; sed etiam firmat obligationem naturalem fidelitatis, ac justitiæ erga hominem. Si enim contractus per se civilem obligationem actionemque gignit, v. g. emptio & venditio, inter majores natu celebratus, multò magis tamen obligandi vim habet si juramentum accesserit. Ita Covarruvias *in cap. Quamvis pactum. part.* 1. §. 2. & *part.* 2. §. 4. Suarez *lib.* 2. *de juram. cap.* 25. *n.* 7. Si autem juramentum non sit confirmatorium promissionis, sed per se stans, ideoque solùm obligans ex virtute religionis erga Deum, tunc nullam propriè actionem parit. Ratio est, quia actio est ius persequendi in judicio, quod sibi debetur, §. 1. *Institut. de action.* Sed in juramento per se stante, nulla est obligatio sive debitum ex justitia, sed tantùm ex virtute religionis erga Deum: Ergo non est locus propriè dictæ actioni. Nihilominùs in foro externo Ecclesiastico, talis jurans judicis officio compelletur ad servandum iuramentum: quod judicis officium is, in cujus utilitatem juratum fuit, ejusque etiam hæres implorare poterit. Ita Suarez *l.* 2. *c.* 29. *n.* 23. Valquez *tract. de testament. cap.* 3. *n.* 33. & alij. Covar. Suarez. Suarez. Valquez.

20. Laicus ratione iuramenti conveniri potest coram iudice Ecclesiastico, ut habetur *in cap. final. de for. competent. in* 6. Ratio est, quia iuramentum est res quædam spiritualis pertinens ad religionem, & ob id dicitur vinculum spirituale. Conveniri etiam potest coram iudice laico, nam in dicto *cap final.* non extrahitur laicus à foro laico ratione iuramenti, sed subjicitur etiam foro Ecclesiastico, nec ob iuramentum mutatur forum, sed additur forum foro, id est, si contractus iuramento confirmatus sit, potest quidem iurans ratione contractus politici, coram sæculari Iudice conveniri, ut is totam litem definiat: sed potest etiam conveniri coram judice Ecclesiastico, ratione interpositi iuramenti, cujus obligatio per se ad forum Ecclesiasticum spectat; quare in tali casu materia iuramenti mixti fori est. Si tamen juramentum sit factum soli Deo, de ejusmodi juramento solus iudex Ecclesiasticus cognoscit: quia nullus adest contractus cum homine celebratus, ratione cujus competat foro sæculari potestas cognoscendi, sed solùm adest spirituale vinculum, quo jurans spiritualiter devinctus est, & soli Deo ius acquisitum est. Quotiescumque autem de viribus seu valore iuramenti agitur, sive in dubium probabile vertitur, utrum licitum sit, necne, obligatorium, necne, hujus rei cognitio ad solum Ecclesiasticum Iudicem spectat, ut habetur expressè *in cap. Venerabilem,* §. *Vtrum verò, de elect.* & docent Guttierrez *de juramento* 3. *p. cap.* 12. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disputatione* 32. *numero* 18. & *libro* 3. *moral. capite* 13 *numero* 13. & *sequentibus.* Layman *lib.* 4 *tract.* 3. *cap.* 11. *n.* 10. & alij. Guttierr. Sanchez. Layman.

21. Iudex sæcularis potest cogere laicos ad condonandam obligationem juramenti, metu aut iniuriâ extorti, quando constat de recipientis turpitudine, & tenentur ipsum relaxare; si tamen dubium adsit, solus iudex Ecclesiasticus erit competens. Nota etiam, quod quando iudex laicus potest hoc efficere, poterit etiam judex Ecclesiasticus, & ideò iurans poterit relinquendo Judicem laicum: adire iudicem Ecclesiasticum, ut compellat creditorem ad remittendum huiusmodi iuramentum, ut habetur *in cap.* 1. *de iureiurando.* & docent Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 9. *quæst.* 6. *in fine.* Molina *tract.* 2 *disp.* 149. *vers. Aliud accipe.* Covarruvias *lib.* 1. *variar. cap.* 4. *num.* 5. & alij. Azorius. Molina. Covar.

22. Iuramentum contra simplicem promissionem non incipit obligare, si cesse obligatio simplicis promissionis. Ut colligitur *ex cap. placuit & cap. quidam, de convers. coning.* Ratio autem est, quia obligatio non inducitur, quando non habet causam, per quam inducatur; unde nec per iuramentum induci potest, nisi adsit iuramentum; in hoc autem casu licet adsit iuramentum materiali modo, non adest tamen secundùm vim obligativam, quia cùm non sit validum, nec etiam habere potest vim obligativâ, imò cùm

iuramentum ſit nullum, non eſt verum iuramentum; unde nec etiam habere poteſt verum effectum. Et ideò cùm non ſuccedat aliud iuramentum, quando ſimplex promiſſio ceſſat obligare, non conſurget ex vi prioris iuramenti aliqua obligatio. Et hîc habet locum regula utriuſque iuris; quod non fit validum tractu temporis, quod ab initio validum non fuit, ut habet Regula. *Non firmatur: de regul. iur. in* 6. & Regula, *quod ab initio, ff. de regul. iur.* Unde ſi ſemel iuramentum eſt invalidum, non poteſt fieri validum, quando ceſſat obligare ſimplex promiſſio; fieret autem validum, ſi tunc inciperet obligare. Reg. jur.

Secus eſt de iuramento valido ab initio, quod ceſſat obligare, ſi res, de qua eſt, fiat illicita: quia hoc eſt ſecundùm ipſius naturam; nam de natura iuramenti eſt, ut obliget, quamdiu durat materia: ceſſante autem materiâ, ceſſat etiam obligatio. Ita Sanchez *l.* 1. *de matrim. diſp.* 50. *n.* 6. & *lib.* 3. *moral. cap.* 9. *num.* 26. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *de iuram. cap.* 19. *num.* 15. Abbas *in cap. Placuit, num.* 4. *de converſ. coniug.* ubi docet, quòd promiſſio facta tempore inhabili, non obliget tempore habili. contra Navarrum *in man. cap.* 12. *num.* 89 & Covarruviam 4. *Decret.* 1. *part. c.* 4. §. 1. *num.* 10. Sanchez, Suarez, Abbas. Navarrus. Covar.

23. Iuramenti aſſertorij obligatio major eſt, quàm voti. Ratio eſt, quia obligatio veritatis dicendæ, quam includit iuramentum aſſertorium, pertinet ad præceptum negativum, ut ex forma præcepti conſtat, *Non aſſumes in vanum nomen Dei tui.* Et ita obligat ad non irrogandam Deo grayiſſimam iniuriam, negando illi quatenus eſt ex parte peierantis, eſſe ſummam veritatem, nec fallere, nec falli potentem. At obligatio voti pertinet ad præceptum affirmativum, *Redde Domino vota tua:* & obligat ad ſervandam Deo fidelitatem. At peius eſt, iniuriam paſſivam directam alicui irrogare, quàm eſſe illi infidelem deficiendo à fide data. Rurſus ſi aliquid iuramento promittas Deo, certum eſt te magis obligari quàm ſi ſolùm voveas Deo: quia illud iuramentum etiam continet votum, unde eſt duplex in eo vinculum. Nec refert utrum expreſsè, an tacitè promittas; ut ſi iures te daturum eleemoſynam; quia tale iuramentum ſoli Deo factum, cenſetur continere votum; continet enim tacitam promiſſionem ad ipſum directam. Ita Suarez *tract. de iuram. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 5. Leſſius *l.* 2 *c.* 42. *dub.* 11. Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 9 *num.* 4. & alij. Suarez, Leſsius. Sanchez.

Difficultas eſt inter Doctores, ſi nihil Deo promittas, ſed ſolùm homini, utrum talis iuramenti major ſit obligatio quàm voti, quo ſimile quid Deo voves? Reſp. multos ſuſtinere majorem eſſe iuramenti obligationem, quorum ſententia improbabilis non eſt; ſed quia res hæc non multùm ad praxim confert, probabilius eſt majorem eſſe voti obligationem. Ratio eſt, quia voti violatio pertinet ad perfidiam contra Deum: iuramenti autem violatio ſolùm ad irreverentiam. Majus autem peccatum eſt, eſſe Deo infidelem, quàm irreverentem: nam hæc infidelitas irreverentiam includit, non contrà, irreverentia infidelitatem. Prætereà votum habet propinquiùs Deum pro obiecto, quàm iuramentum: nam votum fit Deo, iuramentum homini, tametſi per Deum; unde opus quod fit ex voto, eſt opus religionis, non autem opus quod fit ex iuramento: ergo major eſt obligatio voti, quàm iuramenti. Ita docent D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 8. Cajetanus, Sylvius *ibidem.* Sotus *lib.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 8. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 30. Malderus *tract.* 10. *cap.* 6. *dub.* 8. D. Thom. Cajetan. Sylvius. Sotus. Henriq. Malderus.

Suarez *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. *& ſequent.* Sanchez *loco citato.* Suarez. Sanchez.

24. Iuramenta parentum, herorum aut dominorum, quibus iurant ſe punituros filios, famulos, aut ſeruos, communiter non obligant; quia communiter fiunt ex ira & paſſione, atque animo vindictæ ſumendæ, & ſic non ſunt de actu virtutis, quinimò promiſſio illa fit ſub ratione culpæ. Quod ſi aliquando ad debitam correctionem ordinantur, & ita obligant, at ſæpe eam meliùs commutant abſtinendo ab ea punitione: eò quòd iudicent melius eſſe non punire, ne placata iam domus fletibus conturbetur, vel ne puniti fiant deteriores cauſa ſupplicij, vel quando mutatur ſtatus rei; ut ſi ſervus, vel filius veniam petat corrigi paratus; vel ſi amicus veniam illis concedi petat. Ita docent Clavis Regia *l.* 5. *c.* 5. *n.* 13. Cajetanus *in Sum. verb. Minari, & verb Periurium ad finem.* Valentia 2. 2. *diſp.* 6. *q.* 7. *punct.* 3. Toletus *l.* 4. *c.* 22. *n.* 7. Tabiena *verb. Iurare, q.* 10. *n.* 11. Quoties autem iuſta excuſandi cauſa abeſt, tranſgreſſio horum iuramentorum excuſatur à mortali ratione paruitatis materiæ: ut bene docet Sotus *l.* 8. *de juſtit. q.* 1. *art.* 7. Idem dicendum eſt de iuramentis puerorum leviter iurantium ſe accuſaturos alium puerum coram parentibus vel magiſtro; excuſantur enim à mortali peccato ratione paruitatis materiæ. Clav. Reg. Cajetan. Valentia. Toletus. Tabiena. Sotus.

25. Iuramentum urbanitatis gratiâ præſtari ſolitum in ingreſſu, vel egreſſu alicujus loci, non ingrediendi aut egrediendi priùs, non eſt obligatorium; quia ejuſmodi iuramenta imbibunt tacitam conditionem; nempe, quod ad me attinet, non præcedam. & ita non violat iuramentum, quando altero contendente præcedit. Quo pacto S. Petrus dixit Chriſto: *Non lavabis mihi pedes in æternum*, intendens, ſcilicet, quantum in ſe erat, & ſic nec iurando nec faciendo oppoſitum deeſt iuramento veritas. Tum quia id iuramentum cedens in alterius honorem poteſt ab ipſo remitti, & reverà remittitur, quando alter iure ſuo cedens contendit ut alter tranſeat. Ceterùm quantvis ſimilia iuramenta piè interpretanda ſint quantum eſt ex parte iurantis, à parte tamen rei indiſcreta ſunt iuramenta: ideò ſic iurans communiter peccat venialiter propter indiſcretionem; faciendo tamen contrarium periurus non eſt, quia non facit contra intentionem implicitam & communiter cognitam in hujuſmodi. Ita Cajetanus 2. 2. *quæſtio.* 89. *articulo* 7. *dub.* 2. *& in ſum. verb. Periurium.* §. 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *n.* 22. Clavis Regia *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 14. Suarez *tract. de iurament. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 9. Tabiena, Toletus & alij. Cajetan. Leſsius. Clav. Reg. Suarez. Tabiena. Toletus.

Similiter iuramenta inter emendum & vendendum uſurpari ſolita, non emendi auctiori pretio, aut non vendendi viliori, non ſunt obligatoria: quia neutrum ad Dei obſequium, aut hominis cui fit, utilitatem pertinet, ut docet Sanchez *lib.* 3. *mor. cap.* 9. *num.* 15. Sanchez.

26. Quidam cenſent promiſſionem prodigam iuramento firmatam ſolùm obligare quoad quantitatem, in qua nulla eſt prodigalitas, non verò quoad incrementum; quia eſt promiſſio rei venialiter malæ quoad id incrementum. Ita Aragon 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. Suarez *lib.* 2. *c.* 23. *in fine.* Sotus *lib.* 8. *quæſt.* 1. *art.* 7. *ad finem corporis* probabiliter. At non minus probabile eſt, integrè obligare: quia etſi in modo prodigè promittendi ſit culpa, non tamen eſt ex parte rei promiſſæ: & licet à principio promittendo liberè eam quantitatem ſit prodigalitas, at in executione ea non repe-

Aragon. Suarez. Sotus.

ritur,

ritur nec aliqua culpa, ſed impletio debiti iã contracti: ſicut in promiſſione mercedis meretrici facta eſt culpa, quia eſt approbatio actus turpis, & ad eum inductio, at in ſolutione poſt actum turpem, nulla eſt culpa, ſed debiti ex juſtitia ſolutio. Molina. Ita Molina *tract. 2. diſp. 271.* Caietanus 2.2.q.32. Cajetan. *art. 7.* Valentia *tom. 3. diſp. 5 q. 6. p. 5* & alij. Valentia.

27. Certiſſimum eſt apud omnes juramentum ſolvendi uſuras obligare, ut habetur expreſsè in *c. Debitores, de jurejurando.* Ratio eſt, quia ex juramento facto homini duplex obligandi ratio poteſt cõſurgere, altera homini ratione promiſſionis ipſi factæ, & ex hac parte juramentum per iniuriã extortum non obligat, homo enim per iniuriam nullum ius acquirit; altera verò Deo in teſtem adducto, & ex hac parte obligat jurantem reddere Deum teſtem veracẽ implendo promiſſionem teſtimonio ſui nominis confirmatam, quando promiſſio poteſt abſque peccato impleri. Huiuſmodi eſt autem ea ſolutio uſurarum, etſi enim uſurarius peccet recipiendo, non tamẽ peccat iurans ſolvendo. Et ideo dicendũ eſt eam ſolutionem ſuppoſita promiſſione eſſe actum virtutis magnæ veracitatis & fidelitatis, etiam quando promiſſio ex ſe nõ obligabat. Præterea ſolutio illa eſt valde utilis, ut petentibus mutuum, quo indigent, fides adhibeatur, ſi uſuras à ſe petitas promittant juramento, & ſic mutuum illud inveniant. Quæ cauſæ ſatis ſunt ad eam ſolutionem cohoneſtandam, licet non ſufficiant, ut eã non iuratã obliget. Ita D. Thom. 2.2.q. D.Thom. 89. *art. 7. ad 3.* ab omnibus receptus ut deciditur *in c. Debitores ſupra*, ubi habetur, *Debitores ad ſolvendas uſuras in quibus ſe obligaverint, cogi non debent: ſi verò de ipſarum ſolutione juraverint, cogendi ſunt domino reddere juramentum.*

28. Qui iuravit ſervare ſtatuta reipublicæ, collegii, univerſitatis alicuius, confraternitatum, officij &c. tenetur ea ſervare, quæ ſunt maioris momenti, & ea quę ſunt in vigore, & quatenus ſunt in uſu, niſi aliter conſtet de mẽte jurantis, ſeu niſi juraverit non habito reſpectu ad ſtatutum, ſeu niſi iurãs voluerit ſcienter ſe obligare ad rem illam ſtatuto contentam independẽter à ſtatuto. Unde ſi gravis momenti ſint ſtatuta & ita accipiantur quaſi ſub mortali obligent, tunc juramenti tranſgreſſio novã mortalem ſacrilegij malitiam adiicit, ſi verò levioris momenti ſtatuta ſint, vel ſi ita ea accipi ſoleant, ut ſub veniali tantùm culpa obligent, vel ſolum ad pœnam ſubeundam; tunc juramenti obligatio ſimiliter intelligi debet. Conſtat ex *Clem. 1. §. Cum igitur in primis, v. Declaramus, de verb. ſignificat.* Ratio eſt, quòd ille non iuret pręciſè rem illam ſervare in ſtatuto contentam, ſed prout continetur in ſtatuto, ſeu ſtatutum ipſum, ergo obligatio juramenti metienda eſt iuxta ſtatuti obligationem. Deinde jurantes aliqua præcepta ſub certa pœna non ſunt periuri tranſgrediendo, nec peccant mortaliter, Medina. ſed ſatis eſt pœnam ſolvere, Ita Medina 1.2.q.96. Filliucius. *art. 4. v. Ex hu patet.* Filliucius *tract. 25. n. 229.* Layman. Layman *l. 4. tract. 3. c. 9. n. 2.* Sanchez *l. 3. mor. c. 14. n. 2.* Sanchez. & alij penes ipſos. Materia autem ſtatuti iurati tunc cenſetur gravis, ut conſtituat periurium mortale, quando tanti momenti eſt, ut juramento ſecluſo, ſtatutum, ſuæ materiæ ratione, ſufficiens eſſet ad obligationem ſub mortali.

29. Iuramentũ de ſervando ſecreto ſive nõ revelandis iis, quæ in capitulo Definitorio apud regulares, Concilio &c. tractãtur, intelligi debet, quatenus materia ſecretũ poſtulat; & ita ſi magni momẽti exiſtat, & valde interſit nõ evulgari, eius evulgatio mortalem etiam culpam contra religionis virtutẽ, propter violatum juramentum, continet. Ita habet communis ſententia Doctorum. Si autem levis ſit, difficultas eſt, inter auctores, quidã enim arbitrantur tranſgreſſionem juramenti in re levi ſeriò promiſſa eſſe mortalem: quia, qui confirmat promiſſionem juramento quam non adimplet, facit, quantum in ſe eſt, ut Deus ſit adductus in teſtẽ falſitatum quia veritas, quæ principaliter requiritur in juramento, eſt eiuſdem rationis in re parva & magna, ut docent Leſſius, Valentia, Reginaldus, Leſſius. Bonacina citati *tom. 1. verb. Iuramentum IV. n. 3 lit G. Valentia. edit. 3.* quorum ſententia etſi tutior & probabilior Reginald. ſit, nihilominus probabilis etiam eſt opinio aſſerẽs Bonacina. abſolutè violantem juramentum in re parva peccare ſolùm venialiter, ſive res illa ſit totalis ſive partialis materia juramenti, quam ſuſtinent Navarrus, Suarez, Sylvius, Sanchez, Diana & alij, Navarrus. eodem verbo à nobis citati lit F. Suarez. Sylvius. Sanchez. Diana.

30. Ad judicandũ, an promiſſiones humanæ obligẽt ad mortale, non ſpectandũ eſt, qualis ſit materia promiſſa in ordine ad divinũ obſequium, ſed qualis ſit in ordine ad hominẽ, in cuius gratiã fit, & quantũ illius interſit promiſſionẽ illã impleri; quia Deo nihil promiſſũ eſt, nec eius intuitu, ſed ſoli homini in eius gratiam. Ergo ex hac hominis gratia, eiuſq; favore, obligatio promiſſionis metiẽda eſt; & ſi eius plurimũ interſit promiſſionem impleri, tranſgreſſio erit mortalis. Quando autẽ parũ intereſt, ut communiter contingit, tranſgreſſio erit venialis. Idem dicendum, etſi ea promiſſio iuramẽto firmata ſit, nullo habito intuitu ad Deum, ſed merè ad gratiam & benevolentiam hominis, cui promiſſio fit. Et hæc dicta ſint, iuxta ſententiam Nauarri, Sanchez & aliorum ſuprà.

31. In Eccleſia Dei eſt legitima ſpiritualis poteſtas verè relaxandi juramenta, & nõ ſolùm declarandi ea in certo caſu non obligare. Quod quidẽ intelligitur de iuramento promiſſorio, na in aſſertorium relaxatio nulla cadere poteſt: nemo enim diſpenſare poteſt, ut quis falſò iuret, utpote quod eſt intrinſecè malum, ut docet D. Thom. 2.2.q.89. *art.* D.Thom. 9. communiter receptus. Ut autem hæc iuramenti relaxatio valida ſit, deſideratur iuſta cauſa, ſecundùm omnes: quia vinculum iuramẽti non obligat ex iure humano, in quo diſpenſatio Pontificis abſque cauſa conceſſa valet, ſed obligat ex iure naturali divino, in quo nec Pontifex validè diſpenſare poteſt abſque cauſa. Cauſæ autem quæ exiguntur ac ſufficiunt ad diſpenſandum in votis, exiguntur quoque & ſufficiunt ad relaxanda iuramenta Deo præſtita, quia voti rationem induunt. Et quando cauſa ad relaxandum non fuerit ſufficiens, debent partim relaxari & partim commutari, ſicut in voto. Vide dicta *tom. 1. verb. Iuramentum V. n. 9. & 10.*

32. Aliqua ſunt iuramenta præter quinque communia, quorum relaxatio ſoli Romano Pontifici reſervatur, ut ſunt iuramenta, quibus confirmantur ſtatuta collegiorum, academiarum & bonorum Eccleſiaſticorum, modò hæc ſtatuta proveniant à Summo Pontifice. Item iuramenta, quibus ſe inſignes viri, obſtringunt coram Pontifice vel eius locum tenente, cuiuſmodi ſunt Reges, Duces, Marchiones, Comites, ſupremã præſertim in temporalibus iuriſdictionẽ habentes, Epiſcopi Superiores Eccleſiarum, Antiſtites, aliique Romano Pontifici proximè ſubjecti. Denique iuramenta, quæ in rebus dubiis & maximè arduis interponuntur. Ita Abbas in *cap. Quanto, num. 9. de in-* Abbas. *reiurand.* Sotus *lib. 8. de juſtit. quæſt. 1. art. 9 verſ.* Sotus. *Tertium membrum.* & poſt illos Sanchez *lib. 3. mor.* Sanchez. *cap. 19. num. 7.* Suarez, Azorius, Reginaldus & Suarez. alii. Azorius.

33. Irritatio iuramẽti dupliciter poteſt fieri, primò Reginal.

mò directè, ſecundò indirectè. *Directè* fit ratione materiæ, quæ liberæ irritantis diſpoſitioni ſubditur. Et hoc modo Pontifex reſcindere poteſt iuramenta præſtita circa rerum Eccleſiaſticarum & officiorum Eccleſiaſticorum diſtributionem; circa augenda & minuenda beneficia, &c. Et hęc facultas comparatur poteſtati, quam habent parentes irritandi iuramenta filiorum, & viri uxorum. *Indirectè* autem reſcindit Pontifex iuramenta, per naturam rationis conſequentis; quod accidit, quoties Epiſcopus vel Rex deponitur: nam eo ipſo iuramenti vinculo ſoluuntur, qui fuerant illis adſtricti. ex *c. Ad Apoſtolicæ. de ſentent. & re ind. in 6.* Similiter quoties ſtatuta civitatis vel collegij revocantur auctoritate potētis, revocare reſcinditur eo ipſo indirectè iuſiurandum de ipſis ſervandis præſtitum. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. *circa ſolut. ad* 3. Sotus *l.* 8. *de iuſt. q.* 1. *art* 9. *v. Eſt autem hic*, apprimè, Azorius *l.* 11. *c.* 9. *q.* 4. & alij apud Sanchez *l.* 3. *mor. c.* 20. *n.* 1. & 2. Ratio horum omnium eſt, quia hæc ita ſubſunt inferioribus poteſtatibus, ut Papa ſit magis potens ſuper hæc diſpenſanda, diſtribuenda, commutanda, inhibenda, quàm quęcumque inferior poteſtas, tam perſonalis, quàm collegialis, ut nulli iniuriam faciat utendo iure ſuo. Imò in ipſo iuramento intelligitur ſemper Superioris ius exceptum, ut patet *ex c. venientes, de iureiurando.*

Caietan. Sotus. Azorius. Sanchez.

34. Iuramentum & votum inter ſe differunt. *Primo* ex parte obiecti, eo quod votum fit ſoli Deo; iuramentum autem & Deo & homini fieri poteſt. *Secundo* ex parte materiæ, quia propria materia voti eſt opus ſupererogationis, materia verò iuramenti cuiuſcumque opus virtutis, ut ius ſuum unicuique tribuere, &c. *Tertio* ex parte diſpenſationis, quamvis enim Pontifex diſpenſare poſſit in voto, quod maius eſt, non inde inferre licet poſſe diſpēſare in iuramento, quod minus eſt, nā relaxare nō poteſt iuramentū alteri factum de ſolvendo ei certā pecuniæ ſummam, cùm non habeat facultatem tollēdi alteri quod ſuum eſt; quod tamen relaxare poteſt alter cui promiſſio illa facta eſt. E contrà verò, quia votum fit Deo, cuius Papa vicarius eſt, poteſt illud in aliquid aliud, quod ſibi magis gratum eſt, commutare, imò ex cauſa iuſta illud omnino tollere; in quo tamen voto privatus homo diſpenſare nequit, cùm Dei vicarius non ſit. *Quarto* ex parte diſpenſationis reſpectu materiæ, quod in commutatione & diſpenſatione votorum attendi debet id, quod Deo magis gratum eſt: in iuramentis verò relaxandis caveri debet, ne iniuria fiat tertiæ perſonæ. Ita communiter Doctores.

35. Ad irritationem iuramenti vel voti non eſt neceſſaria iuriſdictio Eccleſiaſtica, ſed ſatis eſt, quod irritans habeat dominiū ſuper re iuramento vel voto promiſſa. Nec neceſſarius eſt conſenſus eius qui iuravit, ſed irritari poteſt, ipſo invito, atq; renuente, dummodò velit illi, penes quem eſt dominium eius rei, quā iuramento iurans promiſit. Nec eſt neceſſaria cauſa, ſed ſufficit quòd ille, ex cuius voluntate res promiſſa dependet, contradicat. Proinde iuramenta quæ irritari poſſunt, non ſunt firmā iuramenta, ſed illorum obligatio, ex puto & voluntate eius pendet, qui habet dominium rei promiſſæ. Et in his nulla eſt difficultas inter Doctores.

36. Superior qui conſenſit in iuramenta ſubditorum, aut pater in iuramenta filiorum, &c. non poteſt amplius ſine peccato abſque cauſa irritare: quia per licentiam vel approbationem conceſſam iuramentum iam confirmationem obtinuit, ad cuius relaxationem requiritur iuriſdictio ſpiritualis & cauſa; unde pater, maritus, uxor & dominus illa amplius abſque peccatō, niſi juſta & rationabilis cauſa ſuperveniat, irritare non poſſunt, cùm iam conſenſerint: unde laici ad Epiſcopum pro diſpenſatione recurrere debent, ut liberentur à tali juramento, quando cauſa nulla irritationis adeſt. Qualis autem culpa ſit ſuperioris irritantis abſque juſta cauſa juramentum vel votum ex licentia ſua emiſſum: Roſella *verb. votum* 3. *n.* 2. dicit eſſe culpam venialem. Suarez *tom.* 2. *de relig l.* 6. *c.* 4. *ad finem*, dicit rarò eſſe lethalem, niſi vel ſcandalum vel contemptus gravis intercedat. Ceterùm licet hoc ſit ſatis probabile, Sanchez tamen *l.* 4. *mor. c.* 27. *n.* 32. cum multis aliis à ſe citatis *n.* 18. ſuſtinet probabilius eſſe, culpam mortalem reperiri in ea irritatione, quæ reducitur ad ſacrilegium contra votum. Ratio eſt, ſicut Superior dans licentiam ſubdito promittendi aliquid homini, cooperatur illi obligationi, & quaſi offert rem illam ei homini, ita dans licentiam promittendi Deo quantum eſt ex ſe, obtulit Deo materiam illius voti & ad illud cooperatus eſt. Ergo revocans eſt iniurius illi voto & peccat in illud. Quæ ratio habet etiam locum in juramento. Tamen ſive Superior irritando peccarit, ſive non; ſubditus minimè peccabit id iuramentum vel votum poſteà non exequendo: quia per talem confirmationem vel conſenſum non ſolvitur in ſubdito ratio ſubiectionis, etiam in illa re, quare in favorem obedientiæ debet inferior obedire, & imputatur culpa ſuperiori: nam ſuperior prætendere poteſt ſe non ſimpliciter conceſſiſſe, ſed ad tempus, vel ad unum effectum, & quod iam ceſſat illa ratio, & ad inferiorem non pertinet facta Superioris iudicare, atque adeò tota culpa præcipientis erit, non obedientis. De his vide Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 27. *num.* 9. Clavem Regiam *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 6.

Roſella. Suarez. Sanchez. Sanchez. Clav. Reg.

37. Quando juramentum eſt gratiā & favore alterius præſtitum, id eſt, quando cedit in obſequiū, lucrum, vel commodum illius, conſtat apud omnes obligationem ceſſare remiſſione partis, cui præſtitum eſt: quia ille homo, in cuius gratiam fit juramentum, remittit tanquam dominus materię promiſſæ. Quando autem juramentū non eſt principaliter gratiā alterius hominis, cui præſtatur, ſed principaliter in Dei honorem, in cuius obſequium res juramento promiſſa cedit, non poteſt homo, cui juratur, huiuſmodi juramentum remittere, ut ſi duo juramento ſibi promittant, vel alter ſolus alteri religionis ingreſſum. Ratio eſt, quia etſi huiuſmodi promiſſio ſit partim gratia homini facta, eò quòd iurans fidem ſuam illi homini aſtringit: at cùm principalis ſcopus iurantis ſit, Deum reſpicere, ac in honorem eius, intuitu religionis id opus offerre; & quod principaliter intenditur, ſit ſemper ſpectandum: ideò ex principali intento iudicandum eſt, id juramentum non homini, ſed Deo ipſi præſtitum; ac proinde homo ille condonare non poterit. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. *ad* 2. Sylveſter *verb. Iuramentum.* 5. *q.* 8 & 9. Sotus *de iuſt. l.* 8. *q.* 1. *art.* 9. *ad* 2. Sylvius 2. 2 *q.* 8 9. *art.* 9. Azorius *tom.* 1. *l.* 11. *c.* 9. *q* 9. & alij.

D. Thom. Sylveſter. Sotus. Sylvius. Azorius.

38. Quando juramentum eſſet principaliter in Dei honorē præſtitum; at tota res promiſſa cedit in favorem partis, Dubium eſt inter Doctores, an pars illa id juramentum remittere poſſit? ut ſi quis intuitu pietatis iuret feminæ pauperi ſe eam ducturum, aut ſe ei eleemoſynam daturum.

Duplex eſt enim ſententia. Prima negat, ex doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 89 *art.* 9. *ad* 2. ubi ait eum, cui aliquid promittitur intuitu pietatis, non poſſe remittere: quia juramentum factum Deo intuitu

D. Thom.

intuitu pietatis, voto æquivalet: in voto autem nihil potest privata persona, cùm soli Deo ius acquiratur. Ita Rosella *verb. Sponsalia. n.* 8. ubi Angelus *num.* 20. Sylvester *quæst.* 10. *casu* 1. Sotus *loco citato*, quorum opinio est probabilis. Secunda probabilior, ait, mutuo consensu remitti posse: quia licet juramentum Deo præstitum sit, ipse Deus recipit illud in partis utilitatem, ergo pars cui debetur, remittere potest sicut alia debita condonare. Ita Sanchez *de matr. lib.* 1. *disp.* 52. *n.* 7. & 8. & alij penes ipsum citati. Notandum tamen quòd prior opinio esset vera, quando ea eleë mosyna non esset determinato pauperi promissa: tunc enim nullus pauper posset remittere: quia id juramentum rationem voti induit: nec tota res promissa cedit in favorem hujus pauperis, sed vagè, hujus, vel illius, ac proinde nullus particularis poterit remittere.

Rosella. Angelus. Sylvest. Sotus. Sanchez.

39. Quidam dicunt juramentum de non petenda juramenti facti latroni de danda illi certæ pecuniæ summa ad tuendam vitam, relaxatione, non esse validum, eò quòd bonos mores evertat. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 7. *quæst.* 6 Covarruvias *de pactis* 2. *part.* §. 3. *n.* 3. *vers. Effectum autem.* Sed contrarium est dicendum, nempe peti debere priùs juramenti hujus posterioris relaxationem, utpote metu extorti, & deinde prioris. Ratio est, quia cùm absque peccato possit jurans ille non petere relaxationem, & sit juramentum homini præstitum, obligabit. Cavendum tamen est, ne juramentorum similium relaxatio in Religionis Christianæ contemptum cedat. Ut si captivus juraret infidelibus, apud quos iniustè detinebatur se in suæ redemptionis pretium daturum eis mille aureos, non esset relaxandum id juramentum propter scandalum, & ne nomen Dei blasphemetur apud illos. Et idem dicendum si captivus ille juraret se illuc rediturum: redeundum enim esset illi cum mortis periculo, ob eandem Religionis Christianæ contemptus vitandi rationem. Ita Sotus *de iust. l.* 8. *quæst.* 1. *art.* 7. *ad* 3. *in fine*, Sylvius 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *q.* 1. Cajetanus *ibidem* & Arragon, Valentia 2. 2. *disp.* 6 *quæst.* 7. *punct.* 4. Scandalum autem, vel iniuria Religionis Christianę continget, quod infideles vel hæretici putabunt, Religionem iurisiurandi apud nos nullam esse, vel quod doceamus fidem hosti datam, non esse servandam.

Azorius. Covar. Sotus. Sylvius. Cajetan. Arragon. Valentia.

40. Si quis relaxationem juramenti metu extorti, aut solvendi usuras petat, ad eum effectum, ut à solutione rei iuramento promissæ sit liber in utroque foro, secundùm omnes, necessariò citanda est pars, aliàs relaxatio nullius foret momenti. Quia in quovis actu parti præiudiciali, pars ipsa citanda est, aliàs nihil valet, quod agitur, *l. nam ita divus ff. de adoption. l. finali, Cod. de legibus.* At hæc relaxatio extinguit omninò ius partis. Quando autem petitur relaxatio juramenti pro solo conscientiæ foro, numquam est necessaria partis adversæ citatio. Quia in eo foro de sola petentis relaxationem conscientia agitur, ac proinde in eo foro dictis eius statur. Ita Couarruvias *lib.* 1. *variarum cap.* 4. *n.* 5. Sanchez *lib.* 3. *mor. cap.* 21. *num.* 28. & alij penes alios.

Covar. Sanchez.

41. Directa relaxatio vinculi juramenti, quæ fit per modum dispensationis, vel absolutionis, ad Ecclesiasticos tantùm Prælatos pertinet: quia in ea relaxatione agitur de spirituali quadam, ac divina obligatione; cuius absolutio ad eam solam potestatem pertinet, ad quam cura Religionis præcipuè spectat; quæ est potestas Ecclesiastica. Indirecta autem juramenti relaxatio, quæ fit ratione materiæ, vel supplendo vicem eius cui juratum est, & qui remittere debebat, etiam ad civilem potestatem pertinere potest; dummodo materia temporalis sit, & persona, cui remittitur, subdita. Ratio est, quia quando subditus tenetur præstare consensum alicui actui, & renuit, potest potestas sæcularis supplere eius consensum, & eo inuito id efficere. Ut facit quando est opus venditione domus aut alterius rei, ad solvendum creditoribus: & iudice vendente tenetur dominus de evictione, non aliter quàm si ipsemet vendidisset, *l. si ob causam* 13. *de evict.* quia factum iudicis in hoc eventu reputatur factum partis. Ergo quando pars tenetur condonare juramentum, quia per metum aut iniuriam extortum, potest iudex supplendo consensum ejus, cõdonare nomine ipsius, si iniquè contradicat. Hanc autem condonationẽ potest potestas sive Ecclesiastica, sive sæcularis facere respectu laici: quia ratione illius juramenti contractus ille est mixti fori, & sic apud utrumque judicem potest de hoc contractu disceptari. Opus tamen hîc est partis citatione: nam ea substantialiter requiritur, si actus judicialis cedat in grave præjudicium partis, *l. de unoquoque. ff. de re judic.* Ita docent Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 149. Suarez *l.* 2. *de jurament. c.* 41. *n.* 16 Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 22. *n.* 15. Guttierrez *in Authent. Sacramenta puberum. n.* 46. Bonacina *in decal. disp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 17. *n.* 10. Filliucius *tract.* 25. *cap.* 9. *quæst.* 11.

Molina. Suarez. Sanchez. Guttier. Bonacina. Filliucius.

42. Princeps supremus & lex civilis, juxta probabiliorem sententiam, possunt irritum reddere juramentum laici sibi subditi in contractibus ad forum sæculare spectantibus, impediendo vim illius antequam præstetur, ne ex illo obligatio oriatur, quando id exigit finis politicus & bonum suæ reipublicæ. Ratio est, quia potestas civilis debet esse sufficiens ad prohibendum & removendum ea, quæ fini suo & bono communitatis noxia existunt; cuiusmodi sunt quorundam pactorum obligationes. Alioquin enim deluderetur publica potestas & justitia, si perfidi homines, quod una via sive obligatione pacti consequi non possunt, alia via sive obligatione juramenti consequerentur. Proinde si laica potestas, iustâ lege latâ, executionem sive solutionem rei taliter promissæ prohibeat, illicitamque reddat, ad improborum hominum fraudes, & iniurias arcendas; tunc ejusmodi juramentum erit de obiecto illicito, ideoque non obligatorio.

Quâ ratione prodigus, cui bonorum administratio à magistratu interdicta est, juramento se obligare non potest ad alienandum & solvendum. Quamvis enim potestas sæcularis nequeat sua lege juramentum præstandum irritare directè immediatè, utpote quod est vinculum spirituale: at potest indirectè & remotè, nempe, irritando contractum humanum antequam ineatur, quo omninò destructo, destruitur & irritatur consequenter juramentum in ipso fundatum. Ita Molina *to.* 1. *de just. disp.* 149. *vers. Ex hu collige.* Sanchez *l.* 3. *moral. c.* 21. *n.* 10. Layman *l.* 4. *tract.* 3. *c.* 6. *n* 8. Bonacina *in decalog. disp.* 4 *quæst.* 1. *punct.* 17. *num.* 1.

Molina. Sanchez. Layman. Bonacina.

Vide verb. Compensatio *num.* 3 *& sequentibus*, Compromissum *num.* 12. *&* 13 Contractus *n.* 7. *& seq.* Hæres *n.* 8. Iubilæus *num.* 13. Ludus *n.* 12. *&* 13. Probatio *num.* 14. Reus *n.* 13. Solutio *n.* 14. Sponsalia *num.* 19. Testamentum *n.* 13. Votum 1. *num.* 10.

Digitized by Google

IVS. IVSTITIA.

SVMMARIVM.

1 *Ius unde derivetur & quid sit?*
2 *Ius aliud est æquale, aliud inæquale.*
3 *Ius æquale, aliud dicitur ius in re, aliud ius ad rem.*
4 *Ius dividitur Primum in ius naturale & positivum. Secundum positivum in divinum & humanum. Tertium Humanum, in ius Gentium, civile, & Canonicum.*
5 *Ius civile quid & quotuplex? Quos libros contineat? & quomodo citentur à Doctoribus?*
6 *Quid sit ius canonicum, & quos contineat libros. Et quibus notis citationes eius intelligantur.*
7 *Iustitia unde dicatur & quid sit.*
8 *An iustitia differat à reliquis virtutibus moralibus.*
9 *An iustitia præstantior sit virtus inter virtutes Cardinales? & inferior virtutibus Theologicis, &c.*
10 *Iustitia, alia est particularis, alia generalis.*
11 *An iustitia generalis seu legalis essentialiter differat à iustitia particulari.*
12 *An iustitia legalis differat à virtute pietatis erga patriam?* Refertur duplex sententia.
13 *Iustitia legalis, alia est in Principe, alia in subditis.*
14 *Iustitia distributiva & commutativa quid.*
15 *An hæ duæ species iustitiæ ita differant, ut una non includatur aliquando in altera.*
16 *An inter patrem & filium, dominum ac servum, maritum ac uxorem, sit obligatio iustitiæ.*
17 *An iustitia vindicativa reducatur ad commutativam.*
18 *An erga seipsum sit obligatio iustitiæ.*
19 *Vtrum aliquis possit pati iniustum volens.*
20 *An iniustum faciens contra proximum ex suo genere mortaliter peccet.*

1. IVS derivatur vel à iubendo, cuius participium facit *iussum*; quare dempta ultima syllaba remanet *Ius*, faciendo dictionem integram, reliqua verò pars dictionis facit *Sum*, quasi dicat, Ius sum, sive lex: nam ius idem est quòd lex, sive regula præscribens modum aliquem operandi cum quadam necessitate, ut ad finem aliquem perveniatur, & vitium, & pœna, aut incommodum aliquod vitetur.

Ius aliquando capitur pro eo quod dicitur *æquum & iustum*. Ideò enim dicitur ius, quia statuit & determinat, quod iustitia præcipit, quæ ius suum unicuique tribuit: prout colligitur *ex l. Iustitia, ff. de iustit. & iure.*

Aliquando pro eo quod dicitur *Potestas & actio moralis, quam quis habet ad rem aliquam.* Prius membrum rursus capi potest tripliciter: *Primò*, generalissimè pro omni eo quod legi est consentaneum; estque idem in re quod honestum; & sic omne opus virtutis dicitur iustum. *Secundò*, pro omni eo quod alteri ex quavis honestate, vel æquitate debetur. *Tertiò*, pro iusto legali, quod ita debitum est alteri, ut ille ius verum & actionem ad illud exigendum habeat.

Dupliciter enim potest aliquid alteri esse debitum; debito scilicet morali seu honestatis, & debito legali, seu iustitiæ. *Debitum legale est*, ad quod habeo verum ius & actionem moralem, ratione cuius iuris, præcisè obligaris lege iustitiæ ad illud mihi reddendum. Dicitur autem legale hoc debitum, quia lege iustitiæ debetur. *Debitum morale est*, quod non fundatur in tali actione, seu iure, sed solùm in honestate morali & debita rectitudine virtutis, quam quisque servare tenetur in suis actionibus erga alterum: quisque enim erga alios tenetur operari secundùm leges virtutis & dictamen rectæ rationis, esto ipsi verum ius ad hoc non habeant: verbi gratia, pauperi in necessitate debetur eleemosyna debito morali, quia lex misericordiæ ad hoc obligat, licet ius verum & actionem ille non habeat. Aliter autem venditori debetur pretium, & ei qui damnum accepit iniustè, damni compensatio: quia ius & actionem ad hoc habent, ratione cujus solius lege iustitiæ teneor ad hoc debitum solvendum: iustitia enim respicit id quod æquale tanquam obiectum, & alteri stricto & legali iure est debitum.

Alterum membrum divisionis est *facultas*, seu *actio moralis, &c.* Hæc autem potest sic definiri, ut sit *Facultas legitima aliquid faciendi, sive obtinendi, aut in eo insistendi, vel aliquo alio modo se habendi, cui si sine legitima causa contraveniatur, iniuria fit eam habenti.*

Dicitur *facultas*, id est, habitudo quædam, seu relatio personæ ad rem, in quam habere ius dicitur. Dicitur *legitima*, quia facultas, quæ secundùm legem non competit, non est ius, sed iniquitas; ea autem lex, vel est naturalis, vel positiva: lege naturali ius habeo ad utendum membris meis, & ad matrimonium; lege autem positivâ, ad hæreditatis successionem. Dicitur, *aliquid faciendi, vel aliquo modo se habendi*: quia hæc facultas aliquando se habet ad instar potentiæ activæ, ut omne ius ad aliquid agendum, vel ad præcipiendum: aliquando ut potentia passiva; ut ius subditorum, ut rectè gubernentur; aliquando ut potentia resistendi; ut ius quod habeo ne quis per meum prædium tranſeat: aliquando ut potentia ad non agendum; quia non solùm ius habeo ut aliquid agam, & ut proximus aliquid agat; verbi gratia, ut mihi solvat, serviat, &c. sed etiam ut non agat; verbi gratia, ut me non lædat, non impediat vi vel fraude à consecutione doni legalis. Dicitur, *obtinendi*, quod sibi videlicet debetur, aut quia suum est, ut si illud commodavit, aut esto non sit suum, ei tamen titulo emptionis, vel quovis alio debetur. Dicitur, *insistendi*, ut includatur facultas quam quis habet insistendi & persistendi in possessionem rerum suarum. Dicitur, *cui si sine legitima causa contraveniatur, iniuria fit eam habenti*, quia contravenire ex legitima causa facultati, quam ad aliquid horum aliquis habet, non facit ut illa facultas in se spectata, non sit ius, de quo loquimur; verbi gratia, facultas quam is habet, qui ensem apud me deposuit, ut ille sibi reddatur, ius est de quo loquimur; quod autem ei non reddatur facto amenti vel furioso, ne se vel alium interficiat, non tollit facultatem seu ius in se spectatum, quod habet ad suum gladium: nec illi fit iniuria, eò quòd legitima de causa illi facultati contraveniatur. Ex Clavi Regia *l. 9. c. 3. n. 1.* & Molina *tr. 2. disput. 1.* Clav. Reg. Molina.

2. Ius aliud est æquale, aliud inæquale: æquale est illud, quod reperitur inter illas personas, quæ adeò sunt distinctæ inter se, ut utraq; censeatur esse sui iuris, & cui potest satisfieri ad æqualitatem: unde patet cur hoc ius dicatur æquale, quia videlicet ut tale est, est inter æquales, ut inter duos cives: tum quia postulat sibi ad æqualitatem satisfieri. Ius inæquale est illud, quod est inter personas inæquales, & quarum altera est quid alterius, & non perfectè ab ea distincta, utpotè quæ est veluti pars alterius,

alterius, ut filius reſpectu patris; hic enim eſt quaſi pars patris ab eo deciſa, vel ut inſtrumentum ad poſſeſſorem, ut ſervus reſpectu domini, vel ut opus ad artificem, ut homo reſpectu Dei. Unde hoc ius inæquale in deſpoticum, paternum, & divinum dividitur.

3. Ius æquale eſt duplex, aliud dicitur ius in re, aliud ius ad rem. Ius ad rem eſt, quod non ita applicat & appropriat rem perſonæ, ut res ipſa per ſe ſit obligata, licet perſona debitoris poſſit eſſe obligata ad eam rem reddendam: unde hoc jus non tribuit actionem in rem, ſed tantùm in perſonam: tale ius eſt; quod tibi competit per ſtipulationem, per donationem, per emptionem, alioſque contractus, ante traditionem. Tale etiam ius eſt, quod habes per electionem, poſtulationem, præſentationem ad beneficium. Imò tale etiam eſt, quod habes per collationem beneficij, ante acceptationem, &c.

Ius in re eſt illud quod quis habet circa rem, quaſi in actu, & non in potentia tantùm, vel quod quis habet circa rem, ita ut ratione illius ipſa ſit obligata & quodammodo addicta habenti tale ius. Proinde iura in re ſunt omnia illa iura, quæ habemus circa res, quarum ſumus domini per emptionem & alios contractus, ſecutâ rei traditione: vel quæ habentur per collationem beneficij, ſecutâ acceptatione: per teſtamentum vel ſucceſſionem ab inteſtato, ſecutâ acceptatione. Unde ad comparandum ius in re non ſatis eſt habere titulum, qualis eſſet legitima emptio vel donatio, ſed ulteriùs requiritur, eamdem rem eſſe nobis traditam, genere aliquo traditionum, quæ requiritur & ſufficit ad poſſeſſionem comparandam, quæ tribus modis acquiritur, verbi gratiâ, *apprehenſione verâ*, *apprehenſione fictâ*, vel *legis diſpoſitione*, ut diximus *tomo primo*, *verb. Poſſeſſio*, *num.* 5. 6. & 7. ex communi.

Hinc eſt quòd ſi quis rem aliquam alicui vendat, nec tamen ei tradat, emptor ſolùm comparet ius ad rem illam, eſto pretium ſolverit, non verò dominium ac ius in re acquirat. Ulteriùs ſequitur, quòd ſi idem venditor eamdem rem iterum vendat, tradatque, ſecundus emptor, nihil priore emptione impediente, comparet dominium illius, nec eam teneatur tradere priori emptori. Denique eadem requiruntur ad acquirendum ius in re incorporea, ſicut in re corporea. Corporales ſunt quæ tangi poſſunt, ut veſtis, domus, aurum, argentum, &c. Incorporeæ dicuntur jura ad aliquid; licet enim ius ſæpè ſit ad aliquid corporale, ipſum tamen ius in ſe, quia tangi nequit, intellectu percipitur, dicitur incorporale; tale ius eſt hæreditas, ſeu ius ad bona defuncti, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, quis illi ſuccedat: talis etiam res incorporalis eſt uſus fructus, id eſt, ius fruendi re alterius, & uſus, id eſt, ius utendi tantùm re alterius: talia etiam ſunt iura in prædio aliorum, verbi gratia, ius viæ per agrum alienum, ius mittendi ſtillicidium alicuius domus, ſuper alienam domum aut aream.

Advertendum tamen eſt, quòd ad comparandum ius in re circa res incorporeas, præter titulum non ſemper ſit neceſſaria traditio, quando videlicet id peculiariter aliquo iure ſancitum eſt. Unde ad comparandum ius in re in beneficio Eccleſiaſtico, ad penſiones annuas percipiendas, illudque ius efficiendum ſuum, neceſſaria non eſt traditio, ſed ſatis eſt ut præcedat collatio, & ſequatur acceptatio, ratâve habeatur collatio; eo enim ipſo quod acceptatur, ratâve habetur collatio, efficitur beneficium acceptantis, comparatque proinde ius in re, cùm tamen ante acceptationem ſolùm haberet ius ad rem. Ita habetur in *cap. Si tibi abſenti*, *de præbendis*, *in 6.* Ad poſſeſſionem tamen beneficij neceſſaria eſt traditio & quaſi apprehenſio illius, per actum aliquem conſuetum. Vide dicta *tom. 1. verb Poſſeſſio*, *num.* 10. *in fine*, & Molinam *tract. 2. diſt. 2.* Molina.

4. Secundùm Theologos, ius tripliciter dividitur, *Primò*, in ius naturale, & poſitivum. *Secundò*, Poſitivum in divinum & humanum. *Tertiò*, Humanum in ius gentium, civile, & Canonicum.

Ius naturale dicitur illud, quod ubique eandem vim habet, cujus obligatio oritur ex natura rei, de qua eſt præceptum, & non ex arbitrio præcipientis. Ariſtoteles 5. *Ethic. cap.* 7. conſequenter eandem vim habet apud omnes. *Ius* verò *poſitivum* eſt illud, cujus obligatio oritur à præcepto, & voluntate præcipientis. Ad dignoſcendum autem, num aliquid ad ius naturale, an ad poſitivum pertineat, Regula generalis hæc eſt: Ariſtot.

Si obligatio oritur à natura rei, quæ præcipitur aut prohibetur, quia videlicet in ſe eſt neceſſaria ut fiat, ut eſt ſubvenire extremè indigenti; vel quia in ſe eſt illicita & mala, ut furari, adulterari, mentiri, tunc præceptio aut prohibitio pertinet ad ius naturale. Si verò obligatio non oritur à natura rei quæ præcipitur, aut prohibetur, ſed à præcepto & voluntate præcipientis, eſto ex parte rei ſit congruitas & exigentia, ut præcipiatur, aut prohibeatur, pertinet ad ius poſitivum. Ejuſmodi ſunt ieiunium Quadrageſimæ, Confeſſio annua, ſuſceptio Baptiſmi, &c.

Ius poſitivum divinum eſt, quod à Deo, aut Chriſto, quatenus homo eſt ſimulque Deus, de ijs, quæ ad naturale ius non ſpectant, latum eſt, idque ſive miniſterio Angeli, ſive alicujus alterius ſuorum ſervorum, ut Moyſis vel Apoſtolorum, condiderit: quale eſt præceptum Baptiſmi, Confeſſionis, Euchariſtiæ & ſimilium.

Ius verò humanum ſunt reliqua præcepta, quæ homines tulerunt accepta à Deo poteſtate, pro miniſterio & dignitate cuiuſque ad leges condendas. Sic leges latæ ab hominibus tum Eccleſiaſticis, tum ſæcularibus, pertinent ab ius humanum: ſicut etiam præcepta, quæ Apoſtoli tulerunt tanquam Paſtores Eccleſiæ, pertinent ad ius humanum: cujuſmodi ſunt præcepta de ieiunio Quadrageſimæ, de obſervatione diei Dominicæ, de bigamo non ordinando & ſimilia.

Ius gentium eſt ius humanum, quo omnes, aut ferè omnes gentes utuntur, ut habetur *in cap. Ius gentium*, *diſtinct. 1.* Sic rerum diviſio, occupatio rerum domino carentium, Religio non violandorum legatorum, & ferè contractus omnes dicuntur de iure gentium.

5 *Ius civile* dicitur illud, quod eſt conditum per ſæculares poteſtates & eſt duplex; commune, ſcilicet, quod continetur in libris iuris civilis vel legum, ſervaturque ubique; & ius particulare, quod continetur in legibus, pragmaticis, atque conſtitutionibus uniuſcujuſque Regni vel Provinciæ. Commune autem ius hos maximè continet libros, *Inſtituta Imperatoris*, *Digeſtum vetus*, *Digeſtum novum*, *Infortiatum*, *librum Authenticorum & Codicem.*

Liber Inſtitutionum dividitur in titulos, & non allegatur per capita vel libros, ſed Paragraphos, hoc modo, *ut habet text. in* §. 1. *Inſtit. de actionibus*, vel. §. 1. *Inſtit. de Accuſat. &c.*

In libros Codicis sunt Authenticæ & leges, & sic fit allegatio duplex. Primo modo allegatur, vel citatur sic, *text. in lib. 1. Cod. de iudicijs*, & tunc est in prima parte libri Codicis, quæ continet leges. Vel secundo modo allegatur vel citatur sic, *text. in Authentica 1. Cod. de testamentis*, & tunc est in secunda parte Codicis, & non allegatur lex.

Alia est in iure civili citatio, quæ supradictæ Authenticarum assimilatur, scilicet, quando est lex quæ habetur in libro Authenticorum, & tunc citatur lex hoc modo, *ut in Authentico, de caussa possessionis & proprietatis, l. Sancimus, &c.*

Libri Digestorum per duplicem litteram *ff.* significantur. Ponuntur autem duo ff. simul ad significandos libros Digestorum; quia duo Imperatores, quorum uterque vocatus fuit Fredericus, pater scilicet & filius, ex diversis mundi partibus Iurisperitorum responsa in his libris congregarunt, & ideò ad significandum quod isti duo libri Digestorum collecti fuerint, ut suprà, ab illis duobus Fredericis, ut ita loquar, ponuntur duo ff. quorum unum Fredericum patrem, aliud filium Fredericum significat, & dicuntur hæc duo ff. Digestum, & allegantur leges in his libris contentæ, hoc modo, *text. in l. Gallus ff. de liberis & posthumis.*

Notandum tamen, quod licet omnes libri antiqui utriusque iuris & Doctores posuerint pro Digestis in allegatione duo illa ff. hodie quidam moderni proprio iudicio ducti ponunt tantùm unum, D. pro ff. vel litteram Græcam Δ.

6. *Ius canonicum* est id, quod per Ecclesiam, ejusque ministros, quatenus tales sunt, traditum est, & continet quinque libros, *Decretum*, *Decretales*, *Sextum*, *Clementinas* & *Extravagantes*.

Decretum seu Decretorum liber compilatus fuit Bononiæ anno Domini 1120. sub Henrico Quarto à Magistro Gratiano, Monacho Sancti Benedicti, ex diversis Concilijs, sanctorumque Patrum auctoritatibus, & hodie noviter à S. D. N. Gregorio Papa XIII. correctus, auctus, innumerisque additionibus illustratus est. Cujus tanta est auctoritas, quantæ is est, cuius est Canon, Epistola, vel dictum in eo positum. Unde illa de fide credenda sunt, quæ ibi à Concilio Generali tanquam Canone, vel à Papa tanquam Papa in materia fidei diffinita reperiuntur. Dicta autem Sanctorum maxima sunt habenda veneratione ac reverentia licet de fide esse non censeantur.

Gratian. Gr. XIII.

Decretum dividitur in tres partes, quarum *Prima* centum & unam continet distinctiones tantùm. *Secunda* continet causas, & unaquæque causa in suas dividitur quæstiones. *Tertia* pars duos complectitur tractatus, quorum primus, septem de pœnitentia; alter, quinque de consecratione continet distinctiones.

Et ut Decreti citationes intelligantur, advertendum, quod sicut in dictas tres partes dividitur, ita triplicem habet allegandi modum. Primo modo allegatur, vel citatur sic, *text. in cap. Denique, 4. dist.* & tunc est in prima parte Decreti. Secundo modò sic, *cap. Nemo, 11. quæst. 3.* significat, quod hoc capitulum est in causa undecima, quæstione tertia ejusdem causæ, & tunc est in secunda parte Decreti. Tertio modo citatur sic, nominando distinctionem, & tractatum ubi est, hoc modo, *cap. Quam pœnitet, de pœnitentia, distinct. 1. cap. Sacrificium, de consecratione, distinct. Secunda*, & tunc hæc capitula sunt in tertia parte Decreti.

Secundus liber Canonici iuris vocatur *Decretales*, videlicet, Epistolæ Decretales, quas diversi Summi Pontifices respondendo diversis quæstionibus sibi propositis in Concilijs & extra, decernendo sic esse faciendum, resciperunt, & ideò dicuntur Decretales *à decernendo*, quas Gregorius IX. Pontifex maximus, in unum tomum redegit. Quarum irrefragabilis est auctoritas, ideò minimè contradici, cavillative possunt, sed inviolabiliter observandæ, dummodo per contrariam decisionem, vel desuetudinem sint sublatæ.

Greg. IX.

Allegatio hujus libri fit simpliciter nominando tantùm principium capituli, & titulum, sub quo est tale capitulum, nec est opus allegare librum, hoc modo, *cap. Si diligenti, de foro competenti*, id est capitulum incipit; *Si diligenti*, sub titulo, *de foro competenti*. Nec importat quicquam quod titulus anteponatur, verbi gratia, *de celebratione Missarum, cap. 1. vel 2.*

Tertius liber Canonici iuris, *Sextus liber Decretalium* dicitur; id est, alius Sextus liber adjunctus quinque alijs libris Decretalium Epistolarum: hic liber collectus fuit à Bonifacio VIII. Pontifice Maximo, & eosdem quinque libros & titulos habet, sicut liber Decretalium, & eodem modo citantur ejus capitula, hoc addito, quod in fine ponitur, *lib. 6. vel in 6.* verbi gratia, *cap. Alma mater, de sentent. excomm. in 6.*

Bon. VIII

Quartus dicitur *Clementinarum liber*, id est liber Constitutionum, quas Clemens V. Pontifex Maximus in Concilio Viennensi & extra condidit; qui dividitur in eosdem quinque libros & titulos sicut supra dictum est. Ejus allegatio non fit sicut in supradictis, sed hoc modo: *Clementina prima, de Summa Trinitate, Clementin. Dudum, de sepulturis.*

Clem. V.

Quintus liber *Extravagantium* Constitutionum in duas dividitur partes, quædam dicuntur *Communes*, quæ eosdem habent libros & titulos, sicut alij libri supra, & allegantur in hunc modum: *text. in Extravagant. Pia, de præbendis*, & intelligitur, *in Communibus* etiamsi non exprimatur.

Aliæ sunt *Extravagantes* Ioannis XXII. quæ tantùm sunt numero 20. & tunc post allegationem ponitur Ioannes XXII. ut verbi gratia, *text. in Extravag. Cùm ad Sacrosanctæ, de sentent. Excommun. Ioan. XXII.*

Io. XXII.

Omnia hæc iura canonica tam contenta in Decretalibus, quàm Sexto, Clementinis & Extravagantibus auctoritatem habent irrefragabilem, dummodo per Constitutionem vel iustam consuetudinem contrariam non sint abolita.

Hæc in gratiam Theologiæ moralis nec non iurisprudentiæ Candidatorum dicta sint.

7. Iustitia ponitur inter virtutes Cardinales, quæ est virtus latissima, & versatur in omnibus humanis negotijs, quibus homines inter se communicant: cujus nomen deductum est à iure sive à iusto, à quo deinde per abstractionem nominis Iustitia dicta est.

Justitiæ nomen quamvis plurimis, varijsque modis à Doctoribus explicetur, & definita sit, placet tamen definitio tradita ab Vlpiano in *l. Iustitia, ff. de iustitia & iure*, quæ talis est, *Iustitia, inquit, est constans & perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi.* Quam definitionem amplexi sunt non solùm Iurisperiti, verùm etiam Theologi & Canonistæ, ut D. Thomas *secunda secundæ, quæstione 58. artic. 1.* Cajetanus, Sylvius *ibidem*, Sotus *de iustit. & iur. lib. 3. quæstione secunda, articulo primo*, Molina *de iustit. & iur. tractatu primo, disputatione 8.* Lessius *lib. 2. sect. 1. cap. 1. dub. 1.*

Vlpianus. D. Thom. Cajetan. Sylvius. Sotus. Molina. Lessius.

Dicitur, *constans & perpetua voluntas*, id est, habitus inclinans ad actus voluntarios exelectione: non accipitur voluntas pro ipsa potentia volitiva, sed

ſed prò actu ipſius volũtatis, ut docet D. Thomas. Omnis enim virtus rectè definitur per ſuũ actũ, ſive officium, quod facit, vel certè pro habitu vel virtute iuſtitiæ, qua voluntas faciliter & promptè fertur ad tribuendum cuiq; quod ſuum eſt. Dicitur *perpetua*, quia ad perpetuò reddendum; cùm enim juſtitia ſit virtus & habitus voluntatis, dirigit hominẽ non ad tempus, ſed perpetuò & conſtanter, ac firmiter ad tribuendum ſeu reddendũ cuique ius ſuum: qui enim ſemel tantùm aut bis, non autem ſemper & in omni euentu vellet cuiq; ſuum ius reddere, non eſſet verè iuſtus. Dicitus *Ius ſuum cuique tribuendi*. In hac particula *per ius* denotatur obiectum juſtitiæ, *per ſuum* autem ſignificatur id, quod cuique ſecundùm legem juſtitiæ eſt debitum, ſive ſit dominium rei, ſive uſus iuridicus, ſive uſusfructus, ſiue poſſeſſio, ſive quodcumque aliud, quod alteri debetur, vel ex pacto, vel ex contractu, vel quaſi contractu, &c.

8. Juſtitia differt à reliquis virtutibus moralibus: quia reliquę virtutes verſantur circa paſſiones immediatè, illas videlicet frenando & moderãdo, ne iuſtitiæ operationes impediant; ut liberalitas reprimit inordinatam pecuniæ cupiditatem, manſuetudo reprimit irã, quæ cauſa eſſe ſolet percuſſionis iniuſtæ; tẽperantia & fortitudo frenant paſſiones iraſcibilis & concupiſcibilis, quæ indomitę ſæpè ſunt causâ iniuriarũ & damnorum in proximũ. Juſtitia verò verſatur circa actiones externas immediatè, & etiam circa res ipſas, quatenus illæ ſunt actionũ externarum materiæ. Unde officium juſtitiæ tantum eſt, ut cuique præſtet quod debet, quare proxima materia illius, ſunt actiones externæ, quibus immediatè ordinamur ad alterum, videlicet, redditio debiti, quàm redditionem iuſtitia vult ut finem & obiectum proprium & proximum. Ita communiter Doctores.

9. Juſtitia præſtantiſſima virtus eſt inter virtutes Cardinales, cuius ſubiectum eſt volũtas: nã comparando iuſtitiam cum fortitudine & tẽperantia, dignior & præſtantior eſt juſtitia. Quia hæc eſt in nobiliori ſubiecto, ſcilicet in appetitu rationali, cùm fortitudo & tẽperantia ſint in appetitu ſenſibili, qui lõgè inferior facultas eſt, quàm appetitus rationalis ſeu voluntas. Quare juſtitiæ officio omnis hominum ordo pax, & tranquillitas conſeruatur, eò quòd juſtitia eſt illa virtus quæ tribuit cuique, quod ſuum eſt. Deinde iuſtitiæ bonũ eſt difficilius, & virtus in arduis & difficilibus relucet: Et nos magis propenſi ſumus ad bonum noſtrũ quàm aliorũ. Inſuper iuſtitiæ bonum magis eſt neceſſarium Reip. quàm fortitudinis & tẽperantię bonũ: non enim ulla ſocietas hominum ſine iuſtitia ſalua cõſiſtere poteſt. Porrò opus juſtitiæ ubiq; & sẽper neceſſariũ eſt in omni tẽpore, in omni loco, in omni ætate, & in omni etiam iure iuſtitia indigemus. Quare præſtãtiſſima virtus eſt inter reliquas virtutes Cardinales, cuius ſubiectũ eſt volũtas ſeu appetitus rationalis. Ita D. Thomas 2. 2. q. 58. a. 12. Sylvius *ibid.* Azorius *to.* 3. *lib.* 1. *c.* 9. q. 4. & alij.

D. Thom; Sylvius. Azorius.

Verum eſt tamen virtutẽ iuſtitiæ eſſe longè inferiorẽ tribus virtutibus Theolog. quoniã hæ ſunt longè nobiliores & præſtantiores virtutibus moralibus: quia illę circa nobiliſſimũ obiectũ increatum, nẽpe Deum, verſantur. Neq; iuſtitia nobilior eſt virtus, quã Sapientia & Prudentia, quę verſantur in potentia ratiocinativa: nam prudentia, licet ſit virtus moralis, eſt tamen Dux & magiſtra, moderatrix & directiva aliarum virtutũ moralium. Sapientia autẽ eſt rerũ altiſſimarum divinarumq; cognitio, &c. Itẽ iuſtitia non eſt præſtantior virtute Religionis & Pietatis, eò quòd debitum erga Deum & Parentes, quorum unum eſt obiectum Religionis, alterũ Pietatis, eſt præſtantius debito erga alios homines, circa quos verſatur iuſtitia: ut tradunt communiter præcitati Doctores.

10. Juſtitia, alia eſt particularis, quæ videlicet conſiſtit in ordine ad alterum & quæ habet pro obiecto iuſtum, ſeu ius propriè ſumptum, ſeu æquale. Alia iuſtitia eſt generalis, quæ videlicet inclinat nos, quatenus partes Reip. ſumus, ad procurandũ bonũ cõmune Reip. tanquã debitum: ut enim duplex eſt prudentia, tam in cive, quàm in Principe, Prior ſolitaria ſeu perſonalis, quæ præſcribit ſingulis ut privatis, quid faciendum ſit; poſterior policita, quæ ſingulis, quatenus ſunt partes reip. eiuſque fruuntur cõmodis, præſcribit ea quę in bonum cõmune debent dirigi, ut optimè ſe habeat totum cuius ſunt partes: ſic quoque in propoſito, actus cuiuſque virtutis moralis dupliciter ſpectari poteſt. *Primò*, ut quivis quatenus privatus, per prudentiã ſolitariam eo operatur conſonè ad rectam rationem; & hic actus ſic ſpectatus pertinet ad particularẽ aliquam virtutem, ut fortitudinem, temperantiã, liberalitatem, &c. *Secundo*, ut qui eum elicit, bene eo ſeſe habet ad ſuum totum, bonumque cõmune, per prudentiamque politicã ab eo elicitur quatenus eſt pars reip. & ſic ſpectatus ille actus, ſortitur formalẽ rationem iuſtitiæ univerſalis, ſeu legalis, quæ omnibus virtutibus eſt cõmunis, non quidem per eſſentiam, quaſi ſit de ratione intrinſeca cuiuſque earum, ſed quia comitatur actus omnium virtutum, in eiſque invenitur, ſi illi dum fiunt, referantur in commune reip. bonum. Vide Molinam *to.* 1. *de juſt. & jur. tr.* 1. *diſp.* 1. Sylvium 2. 2. *quæſt.* 58. *art.* 5. & 6.

Molina. Sylvius.

11. Iuſtitia univerſalis ſeu legalis differt à juſtitia particulari eſſentialiter. Ratio, quia ſi quis negligat bonum cõmune quando verſatur in periculo, vel præponat ei privatum commodum, peccat contra iuſtitiam legalem, non autem contra iuſtitiam particularem, ac proinde non tenetur ad reſtitutionem, niſi ex officio ei incumbat huius boni conſervatio, atque adeò ex iuſtitia particulari. Sylvius 2. 2. q. 58. *art.* 5 & 6. *quæſt.* 2.

Sylvius.

12. Iuſtitia legalis non differt à virtute pietatis erga patriam; quia per pietatem præſtamus patrię vel reip. in qua vivimus & cujus pars ſumus, debitum cultũ & obſequium; juſtitię autem legalis eſt, procurare bonum reip. cõmune & ceteras virtutum functiones ad hoc deſtinare, quando opus eſt v. g. ſi reſp. verſetur in periculo, iuſtitia legalis conatur omnibus modis eam tueri; imperat arti militari ut excogitet modos defenſionis; fortitudini ut cõtemnat pericula; liberalitati ut theſauros effundat; tẽperantiæ ut parciùs victitet ſi opus eſt, quo plus in commune conferat; atque hęc omnia ſunt officia pietatis erga patriam vel rempublicã: ergo, &c. Quamvis probabile etiam ſit iuſtitiam legalẽ à pietate diſtingui, ſi nomine iuſtitiæ legalis intelligatur virtus, quæ ſpectat bonum publicũ, quatenus debitum à parte toti: quia ubi eſt diverſa ratio debiti, ibi ſunt diverſæ virtutes, ut ex D. Thoma & alijs ſuſtinet Leſſius *lib.* 2. *c.* 1. *dub.* 3. *num.* 14.

Leſſius.

13. Iuſtitia legalis, alia eſt in principe, alia in ſubditis: quia in Principe eſt principaliter & quaſi architectonicè; in ſubditis autem ſecundariò & minùs principaliter: quare Princeps dupliciter obligatur ad procurationem boni cõmunis, *Primò*, quatenus eſt pars illius communitatis, & cùm ſit pars nobiliſſima, quæ etiam plus accipit commodi ab illo corpore, quàm alia quævis, ideò iuſtitia legalis, ſeu pietas erga patriã maximè debet in illo reſplendeſcere: debet enim prælucere alijs in

Digitized by Google

reipub. defenſione, taleſque ſuis legibus cives efficere, quales bonum commune decuſque reipub. poſtulat, ad quod non ſatis eſt, ſi cives iuſtitiam non tranſgrediantur, ſed fortitudinem eos ſervare neceſſe eſt, non deſerendo locum ſuum in bello, & temperantiam, Sodomiæ vitium & alia quæ rempub. fœdant, fugiendo, moderatè in veſtitu, cultu & cibo ſe habendo, ne facultates inutiliter expendantur ac molles fiant, *Secundò*, ad eamdem boni communis procurationem obligatur Princeps, quatenus eſt Superior communitatis, cui ex officio, atque adeò ex perfecta iuſtitia incumbit rempublicam tueri: tunc enim non comparatur ad communitatem, ut pars ad totum, ſed ut pars ad partem: tota enim reſpub. ſe habet ad Principem, ſicut particularis perſona ad cuſtodem, quem conduxit ſtipendio ad ſe cuſtodiendum & tuendum. Ita Leſſius *l. 2. cap. 1. dub 3 n. 13.* Leſſius.

14. In Republica triplex habitudo, ſeu ordo invenitur; *Primus* eſt partis ad partem. *Secundus*, communitatis ad ſingulas partes. *Tertius*, ſingularum partium ad communitatem. Et quidem ea virtus quæ diſponit ſingulas partes ad bonum communitatis eſt pietas ſeu juſtitia legalis: ea autem quæ diſponit ad partem eſt juſtitia particularis. Duplex eſt autem ordo ad partem, verbi gratia, communitatis ad partem, & partis ad partem, & quidem ea virtus quæ dirigit ordinem, quem pars habet ad partem ſtatuendo æqualitatem inter cives dicitur juſtitia commutativa; ea autem quæ dirigit ordinem communitatis ad partes, temperando videlicet rerum, communium bonorum, & honorum diſtributionem per cives, juxta proportionem inter ipſos repertam, dicitur juſtitia diſtributiva.

Iuſtitia diſtributiva eſt *juſtitia particularis, cujus munus conſiſtit in conferendis officijs, dignitatibus & præmijs juxta qualitates & merita perſonarum, quibus talia diſtribuenda ſunt*; ideoque viris virtutibus præditis majores dignitates & præmia debentur, quàm alijs habentibus minora merita: nam juſtitia diſtributiva diſtribuit partibus reipub. quæ juxta geometricam proportionem (habita ratione conditionis, gradus, & dignitatis uniuſcuiuſque) ſingulis ſunt dividenda: Ex quo fit, ut ex vi hujus juſtitiæ, ſingulis partibus reipubl. non debeatur portio æqualis ſimpliciter, ſed æqualis proportione quadam, ita ſcilicet, ut qualis fuerit proportio conditionis ac dignitatis cujuſque partis ad alteram, tamen ſit proportio partis communium bonorum, quæ debetur alteri parti.

Iuſtitia commutativa eſt *juſtitia particularis, quæ unicuique reddit æqualiter iuxta proportionem arithmeticam, quidquid proprie eſt ei debitum*. Dicitur *ſecundum proportionem arithmeticam*, talis enim proportio eſt æqualitas, verbi gratia, inter duas quantitates bipedales; prior verò æqualitas, ſeu medium quod juſtitia diſtributiva conſtituit, vocatur proportio geometrica, quia eſt æqualitas non inter quantitates, ſed inter proportiones, atque eſt proportio proportionum; quod autem debetur ex juſtitia commutativa, debetur ad æqualitatem, & per commenſurationem ſimpliciter, non quidem mathematicè, ſed moraliter; ut ſi furripui centum, totidem reſtituere cogor; ſi rem emi, teneor illi reddere æquale pretium iuxta id quod pacti ſumus. Ita D. Thomas 2. 2. *queſt 61. a. 1. & 2.* Sylvius *ibidem*, Leſſius *lib. 1. cap. 1. dub. 4.* D. Thom. Sylvius. Leſſius.

15. Dubium eſt, an ita differant hæ duæ ſpecies juſtitiæ, ut una non includatur aliquando in altera? Reſpondetur primò, ſi iuſtitia diſtributiva generatim accipiatur pro virtute, quæ bona communitatis diſtribuit in cives ſecundùm cuiuſque meritum & dignitatem, aliquando permiſcetur illi juſtitia commutativa; ut ſi quis v. g. relinquat mille ducatos diſtribuendos pauperibus alicujus oppidi, pro cujuſque inopia, obligans diſtributorem ut omnino pro ratione inopiæ diſtribuat: tunc reſpectu ſingulorum, diſtributor obligatur ex juſtitia commutativa, licet teneatur reſpectu plurium ſervare formam juſtitiæ diſtributivæ quatenus ea debet eſſe proportio eleëmoſynæ ad eleëmoſynam, quæ eſt inopiæ ad inopiam: unde ſi alicui pauperiori minùs dederit quàm ditiori, tenebitur ex iuſtitia commutativa ei reſtituere ad juſtam proportionem, non ſecus, ac ſi ei ſoli donator reliquiſſet decem aut quinque ducatos; hoc ipſo enim quo donator vult talem proportionem adeò ſtrictè ſervari, ſingulis implicitè aſſignat certam ſummam, juxta proportionem inopiæ. Reſpondetur ſecundò, ſi velis omnino diſtinguere juſtitiam diſtributivam à commutativa, dicendum erit juſtitiam commutativam reſpicere ius proprie dictum, quod tribuit actionem contra debitorem, & tale jus poteſt habere etiam privatus in communitatem, licet tunc communitas ſubeat rationem privatæ perſonæ; unde cùm pauperum quiſque è communitate illius oppidi, habeat ius proprie dictum ad rem ita donatam, debetur illi ex iuſtitia commutativa: juſtitia autem diſtributiva reſpiciet jus imperfectum, conſiſtens in quadam aptitudine & dignitate ad bona communia quæ quis diſtribuere tenetur; quo enim quis eſt dignior, eò majus quoddam jus habet ad bona illa communia, ſed hoc ius eſt imperfectum & remotum, nam ſi collator vel diſtributor non conferat ei, peccabit quidem contra iuſtitiam diſtributivam, non tamen tenetur ei ad reſtitutionem, licet teneatur aliquando ad reſtitutionem reipub. vel Eccleſiæ. Vide Leſſium *loco cit. c. 1. dub. 4. n. 23.* Leſſius.

16. Inter patrem & filium, dominum ac ſervum, maritum ac uxorē non eſt iuſtitia ac iuſtū propriè ac ſimpliciter, ſed ſecūdùm quid & per ſimilitudinem. Nam juſtitia particularis tendit ad alterū, id eſt, diverſū ab operante: & iuſtum particulare verſatur inter partes quæ exæquari poſſunt: Atqui filius non eſt omninò diverſus à patre, ſed aliquid patris, veluti fructus ac portio deciſa à patre, quare tum commoda, tum incomoda filij in patrem redundāt, ac vice verſa. Servus autem ſive mancipiū eſt poſſeſſio & veluti inſtrumentū domini ſui: quare quidquid acquirit, Dño acquirit. Deniq; uxor in ijs rebus, quæ ad coniugij ſocietatem familiæq; adminiſtrationem ſpectant, cenſetur veluti vnum corpus, ſive una caro cū marito. Nec obſtat, quod ſi filius occidat patrem, vel è contra pater filium, peccent contra iuſtitiam: hoc enim verum eſt, ſed non peccant contra juſtitiā præcisè quatenus quilibet illorū facit contra debitum & ius parentū, quia ut ſic peccat contra virtutē pietatis faciendo peccatum parricidij, quod eſt peccatum maius & graviſſimū in genere homicidij; ſed quatenus ſine legitima auctoritate hominē interficit, & realiter committit crimen homicidij. Quare in hoc facto duplex malitia invenitur, una contra iuſtitiam ratione ſubſtātiæ perſonæ, quę læditur, altera contra pietatem ratione parentelæ perſonæ offenſæ in tali gradu, utraque circumſtantia eſt de neceſſitate confeſſionis.

Nihilominus quia inter patrē & filium, dominū & ſervū intercedit verū debitū & aliqualis diverſitas, ſcilicet ſuppoſitorum; poteſtque alter alteri reddere æquivalens, non ſimpliciter, ſed aliquale nimirum

nimirum proportionis: ideò invenitur inter eos quoddam iuſtum, quod inter priores vocatur paternum, inter poſteriores herile ſive dominatiuum; inter virum & uxorem Oeconomicum, & dicitur iuſtum ſecundùm quid. Proinde Iuſtum paternum, herile, ac œconomicum propriè ſe tantùm extendunt ad ea bona, quæ filius patri, ſervus domino; coniux coniugi debent, quatenus tales perſonæ ſunt: quod ad alia verò attinet bona, quæ inter ſe debent v. g. ex contractu aliquo intercedente inter patrem & filium emancipatum, vel etiam non emancipatum ex bonis eius caſtrenſibus vel quaſi caſtrenſibus: item inter dominum & ſervum ex proprio peculio; & inter maritum & uxorem ex bonis paraphernis, &c. conſiſtere poteſt iuſtum ſimpliciter: quia in iſtis ſe habent tanquam concives, & partes diſtinctæ, quibus ſtatus ille patris ac filii; domini ac ſervi: vel coniugum, accidentarius eſt. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 57. *art.* 4. Sotus *de iuſt. l.* 3 *q.* 1. *art* 4. Molina *tract.* 1. *diſp.* 7. Leſſius *l.* 2. *c.* 1. *n.* 6. Sylvius 2. 2. *q.* 57. *art.* 4. Banſalon *ibidem.* & alii.

D.Thom. Sotus. Molina. Leſſius. Sylvius. Bañez. Salon.

17. Iuſtitia vindicativa, quatenus pars læſa, aut Reſp. competentem vindictam pro delicto ac iniuria exigit, atque aſſumit, eſt quidem valde affinis iuſtitiæ commutativæ, ad eamque reducitur, quatenus ad æqualitatem ſecundùm proportionem arithmeticam pœnam exigit ac imponit pro delicti, iniuriæque quantitate: nihilominus deficit à perfecta ratione iuſtitiæ, quatenus pœna, quæ pro iniuria & delicto ſumitur, damnum illarum non refarcit, ſed ſolùm patitur reus, quantum iuſtum eſt ipſum pro delicto pati, cùm tamen damnum integrum perſeveret. Quia ergo deficit à perfecta ratione iuſtitiæ, ſane nec ſub iuſtitia commutativa comprehenditur, nec inter partes iuſtitiæ particulari ſubiectas, computatur, ſed ſolùm inter partes iuſtitiæ potentiales.

18. Si aliquis iniuriam ſibi ipſi faciat, non peccat contra iuſtitiam: nemo enim (per ſe loquendo) poteſt ſibi iniuriam facere: nam iniuria tendit in aliam perſonam diſtinctam, non ad ſe ipſum. Quare nemo dicitur iuſtus, aut iniuſtus, niſi ad alterum, quamvis aliquis poſſit ſibi eſſe carus, vel inviſus aut odioſus. Nec obſtat, quod ſi quis ſeipſum occidat, vel ſine legitima cauſa mutilet, videtur ſibi ipſi iniuriam facere & peccare contra iuſtitiam. Reſpondet Ariſtoteles *lib.* 5. *Ethicor. cap.* 11. non ſibi iniuriam facere, ſed civitati, quia Rempublicam privat duce, vel milite, vel artifice, vel denique miniſtro, & cive: & ideò Reſp. punit eum, qui ſibi mortem intulit: nam ſepulturam debitam ipſi denegat, & bona eius ſibi ſumit. Præterea iniuriam facit Deo, cui ſervum aufert, qui per ſe, vel per legem vetuit, ne quis ſibi mortem, aut malum infligat. Peccat etiam contra legem propriæ charitatis, quod eſt præceptum maioris obligationis. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 5. *art.* 3. *ad* 2. & *quæſt* 64. *art.* 5. *ad* 1. Azorius *part.* 3 *lib.* 1. *cap.* 8. *quæſt.* 8. Filliucius *tract.* 31. *num.* 37. *cap.* 2. & alij.

Ariſtotel. D.Thom. Azorius. Filliucius.

19. Sententia communis eſt, quod ſicut nullus poteſt facere iniuſtum per ſe & formaliter loquendo, niſi volens; ita nec ullus pati iniuſtum, niſi nolens; quamvis per accidens & quaſi materialiter loquendo poſſit quis iniuſtum vel nolens facere, vel volens pati. Prob. 1. pars, quia illud ſolùm dicitur homo propriè & per ſe facere, quod ſciens & volens facit. Deinde facere iniuſtum formaliter eſt peccatum, nullus autem peccat, niſi volens. Prob. 2. pars, quia unuſquiſque in iis quæ ad ipſum pertinent, cedere poteſt iuri ſuo: hoc autem facit, qui ſciens & volens patitur: ergo ut habet Regula iuris *in 6. Scienti & volenti non fit iniuria* quod intelligitur de illo, qui eſt omninò ſciens & volens, ita ut eius voluntarium non ſit admixtum involuntario, ſed prorſus liberum ac ſpontaneum, cuiuſmodi non eſt, quando quis conſentit ex ignorantia, vel per violentiam, aut ſimilem aliquam iniuſtitiam. Prob 3. pars, quia ſi quis volens ad æqualitatem ſolvere, per ignorantiam minus ſolvat quàm debet, nolens facit iniuſtum materialiter. Si quis advertat emptorem fraude vel dolo uti, atque ita pro mercibus quæ pluris valent, ſibi tanquam venditori minus iuſto ſolvere, volens patietur id quod eſt iniuſtum, ſed materialiter duntaxat. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 59. *art.* 3. communiter receptus.

Reg. jur. D.Thom.

Ex dictis ſequitur fieri poſſe, ut quis iniuriam faciat, & tamen nemo ſit, qui iniuria afficiatur. Exempla ſunt, 1. de illo qui vendit rem cariùs ex intentione, quàm valeat, volenti & conſentienti, facit enim iniuſtum & iniuriam. Is tamen qui emit, non afficitur iniuria, quæ volenti & conſentienti non fit. 2. qui ſponte lucrum ex mutuo uſurario dedit, hic iniuſtè facit recipiens lucrum ex mutuo & vi mutui, & tenetur reſtituere, non facit tamen iniuriam mutuatario, quia hic ſponte dat non coactè, quia tamen non præſumitur donatio, cùm non liberè fiat, id. ò iniuſta eſt acceptio, & tenetur ad reſtitutionem. Plura exempla habes apud Azorium *part.* 3. *l.* 1. *c.* 8. *q* 9 ex mente D. Thomæ ſuprà.

Azorius. D.Thom.

20. Quicumque aliquid iniuſtum facit contra proximum ſuum ex ſuo genere mortaliter, peccat. Ratio quia quidquid eſt contra legem Dei eſt peccatum mortale, ſed quicumque facit aliquid contra iuſtitiam facit contra legem Dei, ergo mortaliter peccat ex ſuo genere Tum quia facere iniuſtum repugnat charitati; charitas enim movet ad volendum bonum alterius, facere autem iniuſtum ſemper eſt cum alterius nocumento, quod voluntariè ipſi infert is, qui facit iniuſtum formaliter. Verum tamen eſt, quod tale peccatum, quandoque poteſt eſſe veniale, vel ratione parvitatis materiæ: nam quando materia non eſt gravis non fit nocumentum & iniuſtitia notabilis contra proximum, ſed ſecundùm quid, ideoque tale erit peccatum, qualis erit iniuſtitia, ſi gravis, grave, ſi levis leve. Similiter veniale erit ratione inadvertentiæ inculpabilis, vel ignorantiæ facti; quia tunc talis actio non eſſet iniuſta per ſe, & formaliter, ſed per accidens, & materialiter tantùm. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 59. *art.* 4. & communis. Tamen qui committeret iniuſtitiam in materia levi, quando dominus putatur valde ægrè laturus, peccaret mortaliter; non tamen peccato furti, quod penſandum eſt ex quantitate rei quæ aufertur, ſed peccato ſcandali; eſt enim cauſa gravis illius indignationis quam prævidet ex furto ſuo ſecuturam.

Vide verb. Ignorantia *num.* 20. & 12. Papa *numero* 5.

L.

LEGATVM.

SVMMARIVM.

1 *Legatum quid? Et in differat à fideicommiſſo particulari.*

2 *Legatum ut multis modis fiat.*

3 *Legatum cum conditione si non nupserit, vel si religionem non intraverit. an sit validum in utroque foro?* Refertur duplex sententia.

4 *An legatum relictum pro virginibus maritandis, possit dari puellis religionem ingredientibus.*

5 *An legatum relictum feminis in matrimonium collocandis, possit conferri viduis secundo nubentibus? Quid de legato pro maritanda certa aliqua puella?*

6 *An legatum amittatur per transitum ad secundas nuptias; si relictum sit sub conditione caste & honeste vivendi?* Refertur duplex sententia.

7 *Legatum ususfructus vel alimentorum relictum uxori à marito, quamvis transeat ad secundas nuptias, an amittatur per transitum ad tertias & ulteriores.*

8 *An legatum relictum sub conditione caste & honeste vivendi, perdatur unâ vel alterâ fornicatione? vel per amplexus & tactus impudicos?*

9 *An legatum uxori relictum à viro quamdiu cum filiis commorata fuerit, amittatur ab uxore transeunte ad secundas nuptias, nolentibus filiis cum ea habitare?* Refertur duplex sententia.

10 *Quis legare & quibus legari possit.*

11 *An legata incerta ratione incertitudinis personæ, debeantur in utroque foro.*

12 *An Fratribus Minoribus de observantia & Capucinis legata relinqui possint? Et an ea possint exigere in iudicio? Et an hæredes teneantur in conscientia solvere dictis fratribus legata, in casu, quo ij sint illorum incapaces?* Refertur duplex sententia.

13 *An legata simpliciter relicta transmittantur ad hæredes legatarij.*

14 *A quonam legata peti debeant.*

15 *Vbi legatum peti possit.*

16 *Vbi solvendum.*

17 *An res aliena legari possit, iuxta leges civiles & canonicas.*

18 *Quæ conditiones requirantur ut legatum dicatur pium.*

19 *An legata ad pias causas valeant & sint præstanda, etiamsi hæreditas adita non fuerit.*

20 *Multis privilegiis gaudent legata pia, quibus non gaudent alia.*

21 *Quæ actiones competant legatario ratione legati ad consequendum legatum.*

22 *Quando hæres liberetur à solutione legati.*

23 *An Princeps supremus derogare possit legato ad profanam causam? Et summus Pontifex ad piam?*

24 *An Episcopus possit commutare defuncti voluntatem, seu legata?*

1. LEgatum *est donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præstanda.* Ita definitur §. 1. *institut. de legatis.* & *l. legatum, ff. de legatis* 2. In hac definitione donatio sumitur latè pro omni gratuita datione. Dicitur *quædam*, ut idem sit, quod rei alicuius particularis, quæ hæreditatis rationem non habeat; nam alioquin tota definitio conveniet fideicommisso particulari, quod tamen diversam à legato naturam obtinet. Dicitur *à defuncto relicta*, ut distinguatur legatum à donatione inter vivos, quæ in vita donantis fit, firmaque & rata eo ipso habetur: itemque à donatione causâ mortis, quæ non ab hærede, sed vivente testatore præstatur, tametsi ante testatoris mortem non confirmetur. Dicitur *& ab hærede præstanda*, per quam particulam reiicitur gratuita hæredis institutio; nam hæreditas ab non alio quodam hærede, sed ab ipso testatore immediatè accipitur.

Hæc definitio sic explicata cõvenit etiam fideicommisso particulari: nam fideicommissum particulare solùm in hoc à legato præsertim sumpto differt, quod quando verba testatoris diriguntur ad legatarium, ut si dicat: Lego aut relinquo Titio hoc vel illud, dicitur legatum; quando verò testator dirigit ea verba ad hæredem, aut hæredes, vel etiam ad legatarium, quibus præcipit, ut hoc vel illud dent Titio, aut cuivis alteri, dicitur particulare fideicommissum. In effectu autem legatum & fideicommissum particulare, omninò æquantur, ut habetur §. *sed non usque, inst. de legatis* & *L. 1. ff. de legatis.* & docet Molina *tract. 2. disp. 193.* Molina.

Notandum tamen, si hoc verbum *lego* adiiciatur universitati bonorum, nullo expresso hærede, significat institutionem hæredis; saltem ex præsumpta testatoris voluntate, ut si testator dicat: Lego omnia bona mea Titio: idem enim est ac si illum in omnibus hæredem institueret. Ita Covarruvias *c. Raynaldus §. 1. num. 5. de testament.* Covar. Molfesius *in sum. 2. part. tract. 13. cap 5. num. 23.* Molfesius. & alij.

2. Legatum multis modis fieri potest: *Primò*, purè id est absque conditione, vel determinatione diei, & huiusmodi legatum debetur legatario statim post mortem testatoris. *Secundò* sub conditione, aut expressa, quia verbis expressis adiicitur, aut tacita; quia ex dispositione juris subintelligitur, seu ex voluntate testatoris. In priori casu legatum non debetur nisi adveniente conditione, ut si dicatur: Lego centũ Titio, si filius ei nascatur. In secundo autem casu, si dicatur: Relinquo tibi centum in singulos annos, intelligi debet conditio, si vivas, & consequenter illud legatum, mortuo legatario, non transmittetur ad ipsius hæredes. *ex l. 4. ff. de annuis legatis.* Rursus aut conditio est de præterito, aut de præsenti, aut de futuro. Denique conditio vel est necessaria vel contingens, possibilis vel impossibilis, honesta aut turpis, ut diximus supra *v. Donatio. num. 34. & sequentibus. & tom. 1. v. matrim. VI. editionis tertiæ.* De his vide Sylvestrum *verb. Legatum 1. num. 2.* Sylvester.

3 Certũ est legatum sub conditione, v. g. si non nupserit, vel si religionem non ingrediatur, esse validum in foro exteriori, etiamsi legatarius conditiones non adimpleat, quia conditiones illæ habentur pro non adiectis in *l. reprehendenda, C. de instit. & substit.* & *in l. quidam, ff. de condit. inst.* Dubium tamen est, an in solo foro externo reiiciantur hæ conditiones, vel etiam in foro conscientiæ? Quidam sustinent, si de testatoris voluntate certò constet, non voluisse legare, nisi his conditionibus servatis, legatarium, non servantem conditionem, non posse in foro conscientiæ legatum retinere, nec hæredem teneri illud solvere. Ratio est, quia leges innituntur præsumptioni; præsumunt enim testatoris mentem non fuisse velle impleri eam conditionem, sub legati amissione. Sed forum conscientiæ semper innititur veritati adversus præsumptionem: ergo quando constat de testatoris voluntate, ea servanda est adversus juris dispositionem. Ita docent Medina *Cod. de restitut. quæst. 23. §. Ad tertium dicendum.* Rubellus *de obligat. instit. part. 2. lib. 18. quæst. 16.* Lopez *in instruct. confess. part. 2. cap. 18. in 1. & 2. conclusione.* Cajetan. Navarrus. Angelus. Medina. Rubellus. Lopez. Cajetan. Navarrus. Angelus. Caietanus, Navarrus, Angelus apud eundem citati. Hæc sententia est probabilis. Verior tamen opinio est, tam in foro conscientiæ quàm exteriori: posse prædictum legatum capi à legatario tuta conscientia, etiamsi deficiant dictæ conditiones, & proinde leges has in utroque foro servandas

Digitized by Google

das ẽsse, quamvis constet de contraria testatoris voluntate. Ratio est, quia cùm tales conditiones à jure meritò reprobentur, & pro non adiectis habeantur, non apparet cur legatarius in conscientia securus esse non possit, licet de contraria voluntate testatoris constet: quia regulanda est eius voluntas secundùm jus, nec potest facere ut leges justæ in suo testamento non valeant, quia non sunt pœnales, nec falsæ præsumptioni innituntur, sed sunt dispositivæ & adversus certissimam testatoris voluntatem, reiectis iis conditionibus, ob commune reipublicæ bonum, legatum vel hæreditatem deferunt. Ita Covarruvias *lib. 1. variar. cap. 19. num. 10.* Molina *tract. 2. disp. 207.* Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 33. num. 2.* Valerus *in different. utriusque fori, verb. Legatum differens. 4.* & alij. Covar. Molina. Sanchez. Valerus.

4. Legatum relictum alicui personæ determinatæ ut matrimonium ineat, debetur secundùm omnes, si religionem ingrediatur, ut patet ex *Authenth. de Sanctiss. Episcop. collat. 9. §. Sed ex hoc præsenti.* Ratio huius decisionis insititur præsumptioni voluntatis testatoris; ubi enim oppositum non declarauit, præsumit jus fore, ut idem disponeret testator, si meminisset, casu quo jullus matrimonium inite, religionem ingrederetur, & hoc religionis favore.

Sed difficultas est, quando non certæ personæ matrimonio collocandæ, sed indefinitè pro virginibus maritandis legatum relinquitur, an possit dari puellæ religionem ingredienti? Plurimi negativam sententiam sustinent; quia quando legatum relictum est certæ personæ sub nuptiarum conditione, & illa monasterium ingreditur, non potest legatum in specifica forma impleri, si alij feminæ nupturę tribuatur; quare non est mirum, si jus præsumat voluisse testatorem illi legare, etiam casu, quo ingrederetur religionem, dum de contraria eius voluntate minimè constat. Verùm quando legatur indefinitè pro puellis matrimonio collocandis, tale legatum potest omninò in vera & propria forma impleri, si matrimonium temporale contrahentibus detur, nec testator affectum habuit specialem ad eam, quæ religionem ingreditur: ergo &c. Ita Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 33. n. 32.* Molina *tract. 2. disp. 207.* Menochius *de præsumpt. lib 4 præsumpt. 148.* Guttierrez *tract. de sponsal. c. 20. n. 27.* & alij penes ipsos: qui limitant hanc sententiam, nisi fortè aliter præsumatur de mente testatoris, sicut ob affectum erga sanguine junctos præsumitur, quando legatum relictum est ad coniungendas neptes in matrimonium; ideò nepti religionem ingredienti soluendum est legatum relictum ad neptes in matrimonium coniungendas. Sanchez. Medina. Menoch. Gutierr.

Verùm contraria sententia est etiam probabilis quam Basilius Pontius *de matrim. l. 3. c. 7. n. 11.* testatur suo tempore fuisse communem inter Theologos Salmanticenses. Ratio est, quia cùm illa constitutio *in dicta Authent.* sit inducta ex mero & pleno favore Religionis, & non ex præsumptione aliqua, suadet etiam ut ex eadem ratione extendamus eam dispositionem ad legata indefinitè relicta. Tum quia nulla commodè assignari potest ratio differentiæ inter legatum hoc & legatum relictum certæ personæ: quia voluntas præsumpta testatoris, quando nihil expressit, meritò censetur in utroque casu non excluisse statum religionis; & si inspicias dispositionis positivæ rationes, eadem militat in utroque legato, scilicet, favor religionis. Præter Pontium tuentur hanc sententiam ex Iurisconsultis Natta *consil.* Pontius. Natta.

296. n. 4. Boërius *decis. 3. n. 13.* & servari in foro contentioso testatur Ochagavia *de mat. tract. 1. quæst. 15. num. 17.* Boërius. Ochagav.

5. Legatum relictum feminis in matrimonium collocandis, regulariter loquendo, non potest conferri viduis secundò nubentibus; quia ea testatoris verba de primis nuptijs intelliguntur. Tum quia nomine feminæ in matrimonium collocandæ in hac materia intelligitur ea, quæ nulli nupsit, vel si nupsit, invalidè nupsit, aut matrimonium non consummavit, quod probatur *ex l. Boves, §. hoc sermone, ff. de verb. signifi.* ibi. *Hoc sermone, dum nupta erit, primæ nuptiæ significantur.* Aliquando tamen hoc legatum posset conferri viduis, v. g. si nullæ essent feminæ nubiles ætate, quibus posset id legatum impertiri: tunc ne opus pium diutius differatur, ex verisimili testatoris mente potest conferri viduis. Ita Sanchez *de mat. l. 7. disp. 91. n. 55. & 57.* Naldus *verb. Legatum n. 42.* Baldus, Tiraquellus, Rosella apud eundem Sanchez, contra Glossam. Sanchez. Naldus. Baldus. Tiraquell. Rosella. Sanchez. Glossa.

Imò legatum factum pro maritandis puellis pauperibus, debetur etiam & procedit quoad viduas mulieres pauperes, ut ex aliis docet Diana *part. 3 tract. 5. resol. 29. vers. Quarto, qui. vers. Septimò*, ait, legatum pro dotandis puellis potest dari puellæ iam nuptæ sine dote, vel cum modica dote, secus autem si legatum stat pro virginibus maritandis. Diana.

Quando autem legatum factum fuit pro maritãda certa aliqua puella, tunc expectandum est, donec puella nubat, quia puella habet peculiare jus, ut sibi legatum solvatur juxta mentem testatoris, qui eam elegit & designavit, non relicta executoribus facultate eligendi, quam ipsi vellent. Tamen hoc legatum relictum certæ maritandæ, quæ ętate non est nubilis, peti nequit antè ætatem nuptiis aptam, hoc est, si duodecim annos nata. Ita Sanchez *loco citato n. 61. 62.* Baldus *in l. Sancimus, final. Cod. de nuptiis.* & alij. Quinimò legatum in genere relictum feminis maritandis, non potest tradi feminæ quæ nondum ad duodecimum annum pervenit: quia hæres eligere debet personam habilem, ut voluntas testatoris adimpleatur: non adimpletur autem testatoris voluntas, electâ personâ nondum ætate nubili: ut tradunt prædicti Doctores. Sanchez. Baldus.

6. Controversia est inter Doctores, an legatum relictum sub conditione castè & honestè vivendi, amittatur per transitum ad secundas nuptias? Quidam enim sustinent eam conditionem appositam à viro uxori excludere secundas nuptias, atque adeò per illas amitti Legatum: secus si apponatur ab extraneo nullatenus conjuncto priori viro, aut à parentibus, alijsque consanguineis ipsius viduæ transeuntis ad secundas nuptias. Prob. prior pars, quia ex personis dicta pensanda sunt; ergo cùm viris sint odiosæ valde secundæ nuptiæ uxoris, meritò ea verba ex mente personæ proferentis accipienda sunt de omnimoda castitate, & non de sola illa, quæ secundis nuptijs inest. Posteriorem partem probant, quod secundæ nuptiæ non sunt in se impudicæ, sed castæ & honestæ, ac proinde ex vi illorum verborum non excluduntur. Ita pluribus adductis probabiliter Sanchez *disputatione 91. numero 15. libro 7. de matrimonio.* Alij tamen non minus probabiliter docent, uxorem consequi id Legatum, quamvis secundò nubat: quia nihil accipit contra voluntatem testatoris, cùm secundæ nuptiæ castæ sint & honestæ; nisi aliter coniiciatur de voluntate testatoris; nam ex illius voluntate Legatum vim habet, ut Sanchez.

Molina. Valquez. Lopez. sustinent Molina *tract. 2. disp. 207.* Vasquez *de testam. c. 7. §. 1. dub. 7.* Lopez *de contract. l. 2. c. 45. v. tamen verior est.* & alij. Prima autem sententia videtur verior: Sed in quantum habet non excludi nuptias secundas, per conditionem castè & honestè vivendi, quando apponitur à consanguineis coniugis ad illas transeuntis, vel ab alio extraneo, intelligitur ut solæ secundæ nuptiæ non excludantur: quare coniux transiens ad tertias nuptias illud amitteret. Quia tertiæ & ulteriores nuptiæ à castitate deficiunt atque incontinentiæ signum sunt. Ita bene Sylvester *verb. Legatum 1 n. 9. q. 5.* Sylvest.

7. Legatum ususfructus vel alimentorum relictum uxori à viro, expressa conditione quamvis transeat ad secundas nuptias non amittitur per transitum ad tertias & ulteriores. Ità Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 89. num. 54.* quia vir consensum præstans secundis nuptiis, censetur iniuriam remittere sibi inferendam ex alienis nuptiis, quæ iniuria semel remissa perpetuò durat. *Ex l. Si non convitij, Cod. de injuriis.* Sanchez.

8. Quidam existimarunt legatum relictum alicui, sub conditione castè & honestè vivendi, minimè perdi una vel altera fornicatione, sed quando femina ita passim sui corporis copiam facit, ut meritò dici possit inhonestè vivens. Prob. quia luxuriosè vivere opponitur castè & honestè vivere: atque ita illa fœmina dicetur non castè & honestè vivens, quæ luxuriosè vivit. At non dicitur luxuriosè vivere, quæ semel aut iterum fornicatur, sed quæ fornicationis vitio assuefacta est. Id enim sonat luxuriosè vivere, *l. Et mulieri 15. ff. de curatorib. furios.* ubi Glossa *verb. Et mulieri*, explicat, de meretricio more viventi. Tum quia unicus actus non denominat quempiam bonum vel malum: unde in proverbium abiit, *una hirundo non facit ver.* Aliis verò placet eiusmodi conditioni non pareri unica fornicatione admissa, atque ita amitti in utroque foro id Legatum, quia nomina verbalia delictum importantia, unico contenta sunt actu. Ut prævaricator, calumniator, raptor, spoliator, fractor *l. Athletas, §. prævaricator, ff. de his qui notantur infamia. Cap. penult. & cap. final. de raptor.* Ita Navarrus. Navarrus *in cap. 23. num. 62.* Sylvester *verb. Legatum 2. in fine.* Caietanus *in Summ. verb. pœna, ad finem* Menochius *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 187. num. 12.* & alij. Sylvest. Cajetan. Menoch.

Sed distinguendum videtur, si Legatum relictum sit à marito, vel eius filiis, aut filiis ipsius uxoris, aut alterutrius coniugis consanguineis, vel arctissima familiaritate coniunctis, quorum interest viduam illam omnimodam castitatem servare & tunc satis est unica fornicatio, ut id Legatum perdatur. Et in hoc casu vera est sententia secunda: si ab extraneo relictum sit, tunc enim desideratur ea fornicationum frequentia, ut meritò ac iure optimo possit dici eiusmodi vita impudica & inhonesta, ut probant rationes primæ sententiæ. Ita Sanchez *de matrim. l. 7. disp. 91. n. 33.* Sanchez.

An autem legatum sub conditione castè & honestè vivendi, amittatur à fœmina amplexus virorum, aut tactus impudicos patienti? Quidam affirmant, eò quòd non dicatur vita casta huius mulieris: Alij negant amitti fracta castitate mente, verbo, vel alio actu lascivo, præter copulam: quia cum hi actus, licet libidinosi, non sint actus consummati in genere impudicitiæ, sed inchoati & prævij, non denominant, feminam simpliciter impudicam, sed inchoativè. Ita Navar, *in man. c. 23. n. 62.* Sed melius dicendum id legatum non perdi per unicum vel alium actum huiusmodi Navarrus.

lascivum, ob rationem secundæ sententiæ. Secus quando femina toties in hos tactus labitur, ut arbitrio boni viri possit ea fœmina dici impudica, ac inhonestè vivens, & in hoc casu vera est prima sententia: Secundùm *Ludovicum Lopez* quem sequitur Sanchez *loco citato num. 40.* Lopez. Sanchez.

9. Legatum uxori relictum à viro quamdiu cum filiis legantis commorata fuerit, juxta quosdam amittitur ab uxore transeunte ad secundas nuptias, nolentibus filiis cum ea habitare: quia huiusmodi legato interdictæ videntur secundæ nuptiæ & filij justam causam habent divertendi à matre, quia ipsis suspecta est. Idem sentiunt de legato quod uxor fecit marito, quamdiu cum filiis commoratus fuerit; vir enim ad volans ad secundas nuptias, legarum amittit, quia filij justam habent discedendi causam ob timorem odij novercæ. Ita Baldus, Iason, Lupus, Gomez & alij quos citat & sequitur Sanchez *de mat. l. 7. disp. 91. n. 48.* probabiliter. Verum contraria videtur probabilior, nempe non amitti id legatum à coniuge superstite transeunte ad secundas nuptias & volente cum prædictis filiis habitare. Ratio est, quia legatum debetur legatario adimplenti conditionem, sub qua relictum est ei legatum, sed uxor advolans ad secundas nuptias potest adimplere conditionem cum filiis prioris matrimonij persistendo, ergo debetur ei legatum, si cum filijs habitare velit; quod si filij renuant cum ipsa habitare, ipsorum culpæ adscribendum est; quia per legatarium non stat, ne adimpleatur conditio. Ita Imola *in l. cum tale, n. 1 ff. de cond. & demonstrat.* Bartolus *ibidem.* Bonacina *de contract. disp. 3. q. 17. p. 8. § 4. n. 14.* & alij apud Sanchez *supra n. 47.* citati. Baldus. Iason, Lupus, Gomez. Sanchez. Imola. Bartolus. Bonacina. Sanchez.

10. Omnis & solus ille, qui testari potest, potest legare: nam legatum non relinquitur, nisi in testamento, vel codicillo. Codicillum autem nemo facere potest, nisi qui & testari. *l. Divi, §. Codicillos, ff. de jur. codicillorum.* Quibus autem legari possit? Dicendum est ex communi sententia, omnes personas capaces bonorum, modò non sint personæ omninò incertæ, esse etiam capaces legatorum. Ratio est, quia valor legati pendet à voluntate disponentis, & à capacitate legatarij acceptantis. Quando verò personæ sunt omninò incertæ, legatum illis fieri non potest: nam ignoratur quibusnam fiat: consequenter legatum redditur inutile. *§. incertis institut. de legatis.* Secus dicendum, si personæ non sint omninò incertæ, sed aliqua ratione certificari seu dignosci possint, tunc enim solvendum est Legatum. Proinde validum est Legatum, si dicatur, lego centum illi, qui matrimonium cum mea filia contraxerit, nam celebratione matrimonij innotescit persona legatarij. Ita communiter Doctores.

11. Legata incerta ratione incertitudinis personæ, ex aliquo extrinseco accidente, quia verbi gratia eiusdem nominis & paris amicitiæ erga testatorem duo reperiuntur, non debentur in foro exteriori. Ut in casu *l. in tempus, §. 1. ff. de hæred. instit. & l. si quis servum, §. si inter duos. ff. de leg.* Imò si alter eorum renunciet alteri ius, non tenebitur hæres ei legatum solvere. In foro autem conscientiæ tenebitur hæres in tali casu illud legatum inter eos dividere, si in id consentiant; nam debitor de debito quidem certus, incertus verò, utrũ Petri, vel Pauli, tenetur inter illos debiti quantitatem dispartiri. Ita Molina 1. *disp. 197.* Diana *part. 3. tract. 5. resol. 58.* & alij. Notandum tamen est, si legatum fuit Ecclesiæ D. Mariæ, vel alterius Sancti, & in eo loco extent plures Ecclesiæ Molina. Diana.

illius

illius nominis, in dubio legatum ſolvendum eſt Parochiali, ſi tali nomine nuncupetur, alioquin cedet maiori, vel pauperiori. Si omnes Eccleſiæ ſint æquales, legatum ſolvendum eſt Epiſcopo, ut illud diſtribuat iuxta ſuum prudens arbitrium. Si verò ibi nullæ ſint Eccleſiæ illius nominis, legatum ſolvendum videtur Eccleſiæ Cathedrali. Ita Sylveſter *verb. Legatum* 2. *q.* 7. Tuſchus *verb Legatum, concl.* 46. Molfeſius *in Sum.* 2. *p. tract.* 13. *c.* 5. *n.* 104. cum aliis penes ipſos.

Sylveſter. Tuſchus. Molfeſius.

12. Quamvis Fratres Minores de Obſervantia & Capucini, eorumque Monaſteria, aut Eccleſiæ hæredes inſtitui non poſſint, tamen legata ipſis relinqui poſſunt per modum piæ donationis, ſeu eleemoſynæ, iuxta *c. erit*, §. *ad hæc, quia Fratribus, de verborum ſignificat. in* 6.

Limita *Primo*, niſi legatum tantæ quantitatis ſit, ut videatur relinqui in fraudem; ſive ſub nomine ac forma legati hæreditas dari. *Clement. Exivi*, §. *cupientis, de verborum ſignificat.*

Limita *Secundò*, niſi Fratribus Minoribus dictis legetur domus, ſeu habitatio ſeiuncta ab eorum Monaſterio, talem enim poſſidere non poſſunt: veteres tamen domos inſtaurare & extendere poſſunt; ſi indigeant, & ad eum uſum domum contiguam ſibi legatam acceptare.

Limita *Tertiò*, niſi Fratribus legetur annuus reditus perpetuus, vel ad longum tempus pro eorum victu & veſtitu: taliſenim legati Fratres omninò incapaces ſunt, ut conſtat ex *Clement. Exivi*, §. *Cumque annui reditus, de verbor. ſignificat.* Non obſtat tamen annuos reditus ipſis legari pro luminibus, aut ornamentis Eccleſiæ, pro vino vel frumento ad quotidianum Sacrificium neceſſario; quia mendicitas fratrum minorum in eo verſatur, ut quotidie alimenta mendicent, quorum nomine ſola veniunt corpori neceſſaria, ut eſus, potus, habitatio; veſtes: quæ mendicitas hoc legato non tollitur, utpote quod non in hæc cedere debeat, ſed in neceſſaria cultui divino.

Limita *Quartò*, niſi legato rei, ſeu mobilis, ſeu immobilis adiiciatur modus, qui repugnet eorum profeſſioni, ut colligitur ex *cap. Exiit*, §. *ad hæc, quia fratribus, de verb. ſignificat. in* 6. Puta ſi legetur eis vinea, ut ipſi eam retineant, excolant, & fructus pro vino quotidianò colligant, aut aliis locent: quia hoc appropinquat reditibus, vel illorum poſſeſſioni ac uſui. Licet tamen Fratribus Minoribus habere hortos ex quibus olera victui neceſſaria colligant, dummodo nil fructuum inde perceptorum vendant, aut locent; ut habetur expreſsè *in Clement. Exivi*, §. *licet vero, de verb. ſignification.* Similiter ſi abſolutè legatus ſit fundus, valet legatum; cùm illud vendi poſſit ac debeat, & ex pretio neceſſitati Fratrum ſubveniri. Ex *c. Exiit*, §. *ad hæc ſupra.* Denique ſi pecunia legata ſit pro veſtitu fratrum, & veſtimentis tunc non indigeant, valet legatum, idque in alias neceſſitates eorumdem, auctoritate Ordinarij convertendum erit. De legatis his vide Sorbum noſtrum *in Compend. privileg. Mendic. verb. Legata.* Cordubam *in regul. S. Franciſci, cap.* 6. Rodriguez *tom.* 2. *qq regul. q.* 126. 127. Sanchez *l.* 7 *mor. c.* 26. *à n.* 9. Layman *l.* 3. *tract.* 5. *c.* 10. *num.* 3. & 4.

Sorbus. Corduba. Rodrig. Sanchez. Layman.

Sed petes *Primò*, an Fratres Minores de Obſervantia & Capucini poſſint exigere in iudicio legata ipſis relicta? Reſpondeo, negativè. Ratio eſt, tum quia id ipſis ſpecialiter prohibetur *in Clement. Exivi*, §. *cupientes*, *de verb. ſignificat.* Tum quia ad hoc ut legatum exigatur in iudicio, requiritur, ut legatarius ius proprium habeat ad illud; nullum autem ius, aut obligatio acquiritur Fratribus dictis ex legatis relictis, ut conſtat ex *cap. Exiit*, §. *Cæterum*, *de verbor. ſignification. in* 6. Hoc tamen non facit, quin conſuli poſſit Fratribus adverſus hæredes, ne legatis, ad quæ hi teneantur, defraudentur: Et quidem *Primò*, ut civitas, ſeu ſyndicus illius id præſtet: cùm ius ad recuperanda legata pauperibus relicta, acquiratur Civitati ex *l. Civitatibus, ff. de legatis.*

Secundò, ut iudex ex ſuo merè officio, nemine petente cogat hæredem ad implenda legata: quia intereſt Reipub. ne quis ſua re malè utatur §. *Sed hoc tempore*, *Inſtitut. de iis*, *qui ſui vel alter. jur. ſunt.* Iudex autem competens in hoc negotio poteſt eſſe Eccleſiaſticus vel ſæcularis, ex *cap. Exiit*, §. *ad hæc, de verbor. ſignificat. in* 6. Imò in hoc caſu poſſunt Fratres extra iudicium implorare officiũ Iudicis: quia illi id faciunt non quaſi habentes aliquid iuris circa legata relicta, ſed tantùm monendo iudicem extraiudicialiter, ut ille compellat ex officio ſuo hæredem ut ſuæ obligationi ſatisfaciat. Ita Rodriguez *tom.* 2. *quæſtionum regular. quæſt.* 126. *artic.* 4. Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 26. *num.* 62.

Rodrig. Sanchez.

Petes *Secundò*, an hæredes teneantur in conſcientia ſolvere Fratribus Minoribus dictis legata ipſis relicta in caſu, quo ij ſint illorum incapaces? Reſpondeo: Probabile eſſe teneri. Probatur, quia hæredes præbentes illas eleemoſynas ex obligatione teſtamenti, non dant ex obligatione, aut jure quod ipſimet religioſi acquiſierunt, ſive in re, ſive ad rem, nullum enim tale ius acquirunt, ſed ex obligatione, quam hæredes habent in ordine ad teſtatorem: nam non repugnat, quempiam nullum omninò ius habere ad aliquam rem, & conſequenter alterum non eſſe ei obligatum, & tamen hunc eſſe obligatum reſpectu alterius, ut patet in voto, quo quis ſe adſtringit dandi in perpetuum quotannis Fratribus Minoribus certam eleemoſynam: ſiquidem ipſe teneretur dare talem eleemoſynam, non obſtante quòd illi ſint incapaces habendi annuos reditus; cùm talis obligatio non ſit reſpectu illorum Fratrum, ſed reſpectu ſolius Dei, & ita Fratres poterunt accipere eam eleëmoſynam, non ut ſibi debitam, ſed ut debitam Deo. Nec obſtat, quod *in Clement. Exivi*, §. *Cumque annui reditus, de verb ſignificat.* decidatur, quòd legatum annuorũ redituum Minoribus relictum contineat expreſsè modum contrarium eorum regulæ & paupertati: ſiquidem hoc explicari poteſt de legatis annuis ſolvendis ex obligatione, ac iure acquiſitis per ipſos Fratres, non autem de iis, quæ ſolvantur ex obligatione in Ordine ad teſtatorem, qui illam impoſuit. Hanc ſententiam pluribus probat & tenet Rodriguez *tom.* 2. *qq. regul. q.* 127. *art.* 4. *edit. ultima.* Hieronymus Rodriguez *in Comp. reſ.* 88 *n.* 10. Angelus *v. Legatum* 1. *n.* 5. Sylveſter *v. Legatum* 2. *q.* 3 *dict.* 3. Tabiena *verb. Legatum* 1. *q.* 4. *n.* 5. Dicaſtillus *de juſt. l.* 2. *tract.* 18 *diſp.* 1. *dub.* 18. *num.* 311. Diana *part.* 10. *tract.* 14. *reſ.* 65. *v. Sed plus addit.*

Rodrig. Hier. Rod. Angelus. Sylveſter. Tabiena. Dicaſtill. Diana.

Cæterùm quamvis hæc doctrina de rigore iuris & ſpeculativè loquendo poſſit ſuſtineri ut probabilis; in praxi tamen non expedit quòd Fratres admittant eiuſmodi legata, ſaltè ad cavendam offenſionẽ puſillorum. Unde ad tutiùs procedendum in hoc, expediret quòd Prælatus faceret proteſtationẽ iuridicam ei, qui implere tenetur teſtatoris voluntatẽ, quòd nolunt Fratres eas eleëmoſynas ex vi illius legati recipere. Si autẽ facta iſta proteſtatione legatarius vel hæres voluerit ex ſua mera voluntate dare eleemoſynas illas, poſſunt Fratres cũ bona conſcientia recipere. Non poſſunt tamen

Fratres

Fratres ad ea legata recurrere, niſi per modum eleëmoſynæ abſque alicujus debiti allegatione: quia apud multos illud legatum cenſetur caducum & irritum.

13. Legatis ſimpliciter relictis id proprium eſt, ut tranſmittantur ad hęredes legatarij, licet ante aditam hæreditatem decedat, tamen poſt mortem teſtatoris, *l. ſi poſt. ff. Quando dies legati.* Tamen eiuſmodi legata peti non poſſunt priuſquam hæreditas adita ſit. At verò ſtatim ut hæreditas adita eſt, legatarij dominium acquirunt rerum in ſpecie legatarum, unà cum fructibus, etiam ijs, qui ante hæreditatis aditionem poſt mortem teſtatoris percepti erãt, ut habet communior ſententia apud Gomez. Gomez *l. 1. variar. c. 12.* Molinam *diſp. 194.* Notandum tamen, quod ſi nemo ex ſcriptis hæredibus hæreditatem adierit, legata unà cum teſtamento corruant, neque ab hęredibus ab inteſtato præſtanda ſint, iuxta *l. ſi ſemo, ff. de teſtam. tutel.* vide infrà *num. 19.* Molina.

14. Legata ab hæredibus peti debent; ab executoribus autem, quando ſunt inſtituti univerſales diſtributores bonorum omnium defuncti in pauperes, aut in alia pia opera: aut quando quis ſuam animam conſtituit hæredem, præcipiens ut bona ſua per executorem aliquem diſtribuantur in pia aliqua opera, eſto ſimul ſtatuat Legata aliqua profana. Quando autem hæres aliquis eſſet conſtitutus, relictúſque ſimul eſſet aliquis alius, qui executor eſſet quorumdam legatorum, is petere teneretur ab hærede bona unde Legata impleret, & ad id illum cogere: propria autem auctoritate non poſſet Legatarius quicquam accipere, niſi peculiariter ad id facta eſſet poteſtas per teſtatorem. Dato etiam curatore per iudicem bonis defuncti, quando mora hæredum, aut legitima alia cauſa id poſtularet, peti etiam poſſent Legata, miniſterio talis curatoris iudiciſque auctoritate ſolvenda. Ita Gomez. Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap. 12. n. 12.* Argum. textus *in l. ſi à pluribus, ff. de legat.* & aliorum iurium quæ citat.

15. Legatum peti poteſt univerſim, ubi hæreditas, aut maior hæreditatis pars exiſtit, *l. unica, Cod. vbi fidei commiſſum peti poſſit.* Item, ubi hæres habet dimicilium, *l. ſi fidei commiſſum, §. penult. ff. de iudic.* Quando autem Legatum fuit res determinata in ſingulari, tunc, ſive actione reali, ſive perſonali agatur, ultra illa duo loca, peti etiam poteſt ubi talis res exiſtit, *l. quod legatur, ff. de iudicijs,* & *l. eum res, §. ſed ſi res, ff. de legat.* daturque optio Legatario, ubi ex his locis petere malit. Ita Gomez. Gomez *loco citato cap. 12. num. ultim.* & Doctores communiter.

16. Quando de teſtatoris voluntate conſtat, ubi Legatum ſolvendum ſit, ibi eſt ſolvendum, *l. quod legatur, §. præterea, ff. de iudicijs.* Quando autem aliter de teſtatoris voluntate non conſtat, ſi legetur res teſtatoris determinata in individuo, quamvis alibi à legatario petatur, ibi tamen ſolvenda eſt, ubi illa exiſtit, neque teneretur hæres illam aſportare ac ſolvere in loco, ubi petitur, etiamſi legatarius dicat, ſe ſoluturum expenſas, ut ait Gloſſa Gloſſa. 3. *l. quod legatur, ff. de iudicijs,* quemadmodum ſi legatarius petat, ut ſolvatur in loco ubi illa exiſtit, non poteſt hæres excipere, ſeu opponere, alibi eſſe maiorem partem hæreditatis, eaq; ratione alibi eſſe ſolvendam, *l. cum res. §. ſed ſi res, junct. a gloſſa ibi, ff. de legat. 1.*

17. Legari non poteſt ſimpliciter res aliena, ſed ſolùm dum teſtator ſciebat rem illam alienam eſſe; tunc enim nõ legatur ſimpliciter res aliena, ſed gravatur hęres rem illam emere, ſi poteſt, ut illam, vel ipſius æſtimationem legatario tradat, *§. non ſolum. inſt. de legat.* Incumbit tamen legatario onus probandi, teſtatori notum fuiſſe, rem eſſe alienam, alioquin hæres liber eſt à ſolutione legati: quia cùm conſtet rem alienam eſſe, & rem alienam legari non poſſe, præſumptio ſtat pro hærede; tum quia ſic decernitur *in dict. §. non ſolum,* &c. Si verò teſtator ignorabat eſſe alienã, invalidum eſt legatum, niſi factum ſit favore animæ, aut amico valde dilecto, aut perſonæ coniunctæ; tunc enim ſi teſtator ſciret rem alienam eſſe, adhuc relinqueret illud legatum, vel ejus æſtimationem. Ita Covarruvias *in cap. filius noſter, de teſtam. n. 2. & ſeq.* Gomez *tom. 1. variar. cap. 12. num. 13.* Vaſquez & alij. Hæc præſumptio eſt iuxta leges civiles: aliter eſt dicendum iuxta leges Dei, quia *in c. filius noſter, de teſtam.* habetur, legatum rei alienæ, etiamſi fiat ad pias cauſas, invalidum eſſe; unde in foro conſcientiæ non obligatur hæres ad ſolvendum huiuſmodi legatum. Vide Molinam *tract. 2. diſp. 196. num. 8.* Covar. Gomez. Molina.

18. Ut Legatum dicatur pium, duæ conditiones requiruntur: *Prima eſt* pietas perſonæ, cui fit legatum; & ex defectu huius conditionis ille non dicitur legatũ pium facere, qui legat aliquid diviti, quamvis dicat ſe intuitu & amore Dei hoc facere; nam deficit pietas in perſona, cui fit Legatum. *Secunda* conditio eſt, ut fiat cauſa pietatis: unde ſi quis leget aliquid pauperi non intuitu pietatis, nõ dicitur Legat ũpium, cùm deficiat pietas in cauſa, quamvis adſit pietas in perſona; hinc qui conſanguineo pauperi aliquid legat non præſumitur facere legatum pium, cùm deficiat pietas in cauſa: nam præſumitur prævalere affectio ſanguinis, ſaltem quando in Legato non primò fit mentio paupertatis. Secus ſi paupertatis primò fiat mentio, tunc enim cenſetur legatum pium. Ita Sanchez *de matrim. l. 1. diſp. 4. n. 9.* poſt Baldum *in l. illud, n. 1. Cod. de Sacroſanct. Eccl.* Vaſquez *de teſtam. cap. 8. §. 5. dub. 1.* & alij. Molina. Sanchez. Baldus. Vaſquez.

19. Legata ad pias cauſas valent, & ſunt præſtanda, etiamſi hæreditas adita non fuerit, puta, quia ante illam aditam mortuus fuit hæres, vel quia hæreditatem repudiavit. Nam quòd legata non poſſint peti hæreditate non adita, eſt ſolemnitas iuris civilis *l. eam quam, Cod. de fideicomm.* quæ ad pias cauſas ſe non extendit, ut ex cõmuni docent Panormitan. *in cap. Relat. 1. de teſtam. n. 6.* Covarruvias *in c. Raynaldus, §. 3. n. 9. & ſeq.* & poſt illos Dicaſtillus *de iuſt. l. 2. tract. 19. diſp. 1. dub. 10.* Imò debentur Legata relicta ad pias cauſas in teſtamento, etiamſi illud quoad hæredis inſtitutionem aliquo defectu laboret; & ideò ex teſtamento aliàs defectuoſo, legata ad pias cauſas relicta debentur, modò liberis teſtatoris legitima inſtitutionis titulo relicta fuerit, ut docent Clarus *l. 3. recept. ſent. §. teſtam quæſt. 6. n. 8.* Tiraquellus *tract. de privil. pia cauſa, privileg. 17.* & alij apud Dianam *p. 7. tr. 6. reſ. fol. 25.* Panorm. Covar. Dicaſtill. Clarus. Tiraquell. Diana.

20. Multis Privilegijs gaudent Legata pia, quibus non gaudent alia. *Primò*, Legatum pium non requirit ſolemnitates iuris civilis, ſed ſufficit ſolemnitas iuris naturalis: quia pia cauſa non ſubijcitur laicæ poteſtati: unde valida eſt diſpoſitio, qua relictum fuit aliquid piæ cauſæ in præſentia duorum teſtium, modò tamen liberè diſpoſuerit, & ſufficienter expreſſerit hæredem, aut legatarium. *Secundò*, Legatum pium non eſt caducum, ſed ſuſtinentur quovis modo ſuſtineri poſſit, etſi præſtari nequit illi, cui relinquitur, applicatur alteri pio loco. *Tertiò*, in Legatis vel fideicommiſſis ad pias cauſas

cauſas poteſt legatarius vel fideicommiſſarius capere legatum vel fideicommiſſum propria auctoritate. *Quartò*, à Legatis non detrahitur falcidia vel Trebellianica, etiamſi teſtator non prohibuerit illam detrahi. *Authent. Similiter, Cod. ad l. falcid.* Falcidia autem nuncupatur quarta pars bonorum defuncti, detracto tamen priùs ære alieno, detractis etiam expenſis funeris, & expenſis factis in adeunda hæreditate. *Quintò*, cauſa pia, quæ relicta fuit, hæres non tenetur ultrà vires hæreditatis ad ſolvenda debita teſtatoris, etiamſi cauſa pia non fecerit inventarium, dum addit hæreditatem: quia lex iubens hæredem non conficientem inventarium, teneri ultra vires hæreditatis, eſt lex civilis & fundatur in præſumptione fraudis, cauſa autem pia non ſubjicitur legi civili, nec nititur præſumptione, dum conſtat de rei veritate. Plura privilegia cauſæ piæ exſtant apud Tiraquellum *de privilegijs pia cauſæ*, & Tuſchum *in verb. Legata ad pias cauſas*, quæ apud ipſos videri poſſunt. Tiraquel. Tuſchus.

21. Tres actiones competunt legatario ratione Legati ad conſequendum Legatum. *Prima* eſt perſonalis: nam hæres adeundo hæreditatem videtur quaſi contractum cum legatarijs & alijs creditoribus defuncti facere, & ſe obligare ad perſolvenda defuncti debita, & conſequenter legatarius acquirit ius contra hæredem ad conſequendum Legatum, quod defunctus ſibi reliquit: modò hæres adeat hæreditatem ex teſtamento: nam ſi alia ratione adeat, non competit Legatario iſta actio, ſed datur illi actio prætoria in factum. *Secunda* eſt actio hypothecaria, nam ſi Legatum factum ſit rei certæ res illa remanet hypothecata Legatario: & ſi Legatum non ſit ſpeciei, ſeu certæ rei, ſed quantitatis, Legatarius habet ius hypothecæ in omnia bona teſtatoris. Ita decernitur *in l. 1. & 2. Cod. communia de legat. Tertia* eſt rei vendicatio, cum enim legatarius acquirat dominium rei Legatæ à die mortis teſtatoris, ſequitur ipſi competere rei vendicationem contra hæredem & alios rei Legatæ poſſeſſores, & conſequenter poſſe implorare officium judicis, aut Salvianum interdictum intentare. Vide Molfeſium *in ſumma parte ſecunda, tract. 13. c. 5. n. 123. & ſeq.* Cardin. Tuſchum *verb. Legatarius concluſ. 147.* Manticam *de coniectur. ultim. volunt. lib. 7. num. 10.* Molfeſius. Tuſchus. Mantica.

22. Ex multis cauſis hæres liberatur à ſolutione Legati, quarum *Prima* eſt, quando legatum eſt invalidum, vel defectu voluntatis, aut poteſtatis in diſponente, vel defectu ſolemnitatis à iure præſcriptæ, vel ratione materiæ, ut quando legatur id quod legari non poteſt, aut quando aliquid ita in genere Legatum eſt, ut Legatum cenſeatur eluſorium, aut inutile, vel ratione perſonæ cui fit Legatum, v. g. ſi ſit incapax, aut non exiſtat in rerum natura; ut defectu cauſæ finalis, ſeu conditionis ob quam factum fuit Legatum.

Secunda eſt, revocatio expreſſa vel tacita Legati facta à teſtatore: quia res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. Tamen Legatum non præſumitur revocatum, niſi probetur, quia revocatio eſt quid facti, quod non præſumitur niſi probetur; unde in dubio iudicandum eſt in favorem legati, *l. 3. §. ſi duobus, ff. de adimen. legat.*

Tertia cauſa eſt, dum res legata perempta eſt abſque culpa hæredis: quia res domino petit: Legatarius autem à die mortis teſtatoris fit dominus rei Legatæ, *l. à Titio, in fine, ff. de furtis*, modò ei legata fuerit certa ſpecies; non autem aliquid in genere vel quantitate; tunc enim ſi pereat perit hæredi, non Legatario qui ante traditionem dominium illius non acquiſivit. Ita decernitur *in §. ſires Legata, Inſtitut. de legat.*

Quartâ cauſa eſt, dum Legatum efficitur caducum: quod contingit, quando Legatarius moritur ante ipſum teſtatorem, tunc enim Legatum accreſcit hæredi, modo Legatum non ſit pium, ut dictum eſt ſupra *l. Vnica, Cod. de caduc. tollen.*

Quinta cauſa accidit, dum Legatarius repudiat Legatum: quia donatio cenſetur facta ſub conditione, ſi donatarius acceptet, Legatum autem eſt donatio: tum quia beneficium non confertur in invitum. Ita communiter Doctores.

23. Quamvis voluntas teſtatoris regulariter ſervanda ſit tanquam lex, & alienum ſit à ratione, ut bona diſtrahantur & occupentur contra domini voluntatem, ut decernitur *in cap. ultima volmtas 13. quæſt. 2.* & *Authentic de nupt. §. diſponat.* Nihilominùs Princeps ſupremus non agnoſcens alium ſuperiorem in temporalibus derogare poteſt teſtamento & Legato facto ad cauſam profanam; convertendo illud ex iuſta cauſa in aliam cauſam profanam, vel piam. Ratio eſt, quia hujuſmodi Princeps, ſicut poteſt ſubdito ex cauſa iuſta ſubtrahere bona; ita etiam à fortiori poteſt relicta in teſtamento, vel Legato ad prophanum uſum, convertere in alium profanum vel pium uſum. Quod poteſt Princeps ſupremis in Legatis profanis, hoc poteſt Summus Pontifex in pijs: quia ſummam in terris habet facultatem; nec minoris poteſtatis eſt, quàm ſit Princeps laicus, ex *Clement. quia contingit, de religioſis domibus*, & docent Covarruvias *in cap. Nos quidem, de teſtam.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 83.* Vaſquez *de teſtament. cap. 8. num. 103.* & alij communiter. Inferior autem Summo Pontifice, vel ſupremo Principe, non poteſt Legatum commutare, licet in melius, contra domini voluntatem; quia hujuſmodi commutatio eſt actus ſupremæ iuriſdictionis: Intellige, niſi de illorum licentia, quia hæc poteſtas delegabilis eſt. Covar. Barboſa. Vaſquez.

24. Epiſcopus regulariter loquendo, non poteſt commutare defuncti voluntatem, ſeu Legata: quia conſtitutus eſt Epiſcopus executor ultimarum voluntatum, non diſſipator: ob cauſam tamen iuſtam & conſentiente hærede, ſi ob id gravatur, & loco pio, cui res relicta fuerat, poteſt Legatum pium relictum ad certum uſum, convertere in alium pium uſum: quia tunc non fit iniuria hæredi vel loco pio, cùm cedant iuri ſuo conſentiendo, neque fit iniuria teſtatori, quia hoc eſt conforme rationabili ejus voluntati, qui ſi adeſſet, ut hoc ipſum fieret rationabiliter reſponderet & hoc ipſum mandaret Epiſcopo, qui *cap. Tua nos, de teſtamentis*, & in Tridentin. *ſeſſ. 22. cap. 8. de reform.* nititur, *piarum diſpoſitionum executor*. Ex dictis ſequitur Legatum factum in aliquem uſum, ſi commodè nequeat adimpleri, poſſe auctoritate Epiſcopi in alium commutari; adeſt enim tunc iuſta cauſa commutationis. Ita Covarruvias *in cap. Tua, de teſtament. numero ſeptima & nona*, Rodriguez *tomo primo, quæſtionum regularium, quæſtione vigeſima ſeptima, articulo quinto*, Vaſquez *de teſtament. cap. 8. §. 5. dub. 3. num. 114.* Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 17. punct. 8. §. 9. num. 4.* & alij communiter. Con. Trid. Covar. Rodrig. Vaſquez. Bonacina.

Plura de Legatis poſſent adduci, quæ videri poſſunt apud Molinam *de juſtit. tractatu ſecundo, diſp. 193. uſque ad 210.* & alios Iuriſperitos hic citatos. à Molina.

Vide v. Actio *num. 17.* Donatio *num. 31.* Testamentum *num. 2.*

Fratres ad ea legata recurrere, niſi per modum eleëmoſynæ abſque alicujus debiti allegatione: quia apud multos illud legatum cenſetur caducum & irritum.

13. Legatis ſimpliciter relictis id proprium eſt, ut tranſmittantur ad hęredes legatarij, licet ante aditam hæreditatem decedat, tamen poſt mortem teſtatoris, *l. ſi poſt. ff. Quando dies legati.* Tamen eiuſmodi legata peti non poſſunt priuſquam hæreditas adita ſit. At verò ſtatim ut hæreditas adita eſt, legatarij dominium acquirunt rerum in ſpecie legatarum, unà cum fructibus, etiam ijs, qui ante hæreditatis aditionem poſt mortem teſtatoris percepti erãt, ut habet communior ſententia apud Gomez. Gomez *l. 1. variar. c. 12.* Molinam *diſp. 194.* Molina. Notandum tamen, quod ſi nemo ex ſcriptis hæredibus hæreditatem adierit, legata unà cum teſtamento corruant, neque ab hęredibus ab inteſtato præſtanda ſint, iuxta *l. ſi ſtemo, ff. de teſtam. tutel.* vide infrà *num.* 19.

14. Legata ab hæredibus peti debent; ab executoribus autem, quando ſunt inſtituti univerſales diſtributores bonorum omnium defuncti in pauperes, aut in alia pia opera: aut quando quis ſuam animam conſtituit hæredem, præcipiens ut bona ſua per executorem aliquem diſtribuantur in pia aliqua opera, eſto ſimul ſtatuat Legata aliqua profana. Quando autem hæres aliquis eſſet conſtitutus, relictúſque ſimul eſſet aliquis alius, qui executor eſſet quorumdam legatorum, is petere teneretur ab hærede bona unde Legata impleret, & ad id illum cogere: propria autem auctoritate non poſſet Legatarius quicquam accipere, niſi peculiariter ad id facta eſſet poteſtas per teſtatorem. Dato etiam curatore per iudicem bonis defuncti, quando mora hæredum, aut legitima alia cauſa id poſtularet, peti etiam poſſent Legata, miniſterio talis curatoris iudiciſque auctoritate ſolvenda. Ita Gomez. Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap. 12. n. 12.* Argum. textus *in l. ſi à plurib. ff. de legat.* & aliorum iurium quæ citat.

15. Legatum peti poteſt univerſim, ubi hæreditas, aut maior hæreditatis pars exiſtit, *l. unica, Cod. vbi fidei commiſſum peti poſſit.* Item, ubi hæres habet domicilium, *l. ſi fidei commiſſum, §. penult. ff. de iudic.* Quando autem Legatum fuit res determinata in ſingulari, tunc, ſive actione reali, ſive perſonali agatur, ultra illa duo loca, peti etiam poteſt ubi talis res exiſtit, *l. quod legatur, ff. de iudicijs, & l. cum res, § ſed ſi res, ff. de legat.* datúrque optio Legatario, ubi ex his locis petere malit. Ita Gomez. Gomez *loco citato cap. 12. num. ultim.* & Doctores communiter.

16. Quando de teſtatoris voluntate conſtat, ubi Legatum ſolvendum ſit, ibi eſt ſolvendum, *l. quod legatur, §. præterea, ff. de iudicijs.* Quando autem aliter de teſtatoris voluntate non conſtat, ſi legetur res teſtatoris determinata in individuo, quamvis alibi à legatario petatur, ibi tamen ſolvenda eſt, ubi illa exiſtit, neque tenetur hæres illam aſportare ac ſolvere in loco, ubi petitur, etiamſi legatarius dicat, ſe ſoluturum expenſas, ut ait Gloſſa. Gloſſa *3. l. quod legatur, ff. de iudicijs*, quemadmodum ſi legatarius petat, ut ſolvatur in loco ubi illa exiſtit, non poteſt hæres excipere, ſeu opponere, alibi eſſe maiorem partem hæreditatis, eaq; ratione alibi eſſe ſolvendam, *l. cum res. §. ſed ſi res, junct. a gloſſa ibi, ff. de legat. 1.*

17. Legari non poteſt ſimpliciter res aliena, ſed ſolùm dum teſtator ſciebat rem illam alienam eſſe; tunc enim nõ legatur ſimpliciter res aliena, ſed gravatur hęres rem illam emere, ſi poteſt, ut illam, vel ipſius æſtimationem legatario tradat, *§. non ſolum. inſt. de legat.* Incumbit tamen legatario onus probandi, teſtatori notum fuiſſe, rem eſſe alienam, alioquin hæres liber eſt à ſolutione legati: quia cùm conſtet rem alienam eſſe, & rem alienam legari non poſſe, præſumptio ſtat pro hærede; tum quia ſic decernitur *in dict. §. non ſolum*, &c. Si verò teſtator ignorabat eſſe alienã, invalidum eſt legatum, niſi factum ſit favore animæ, aut amico valde dilecto, aut perſonæ coniunctæ; tunc enim ſi teſtator ſciret rem alienam eſſe, adhuc relinqueret illud legatum, vel ejus æſtimationem. Ita Covarruvias *in cap. filius noſter, de teſtam. n. 2. & ſeq.* Gomez *tom. 1. variar. cap. 12. num. 13.* Vaſquez & alij. Hæc præſumptio eſt iuxta leges civiles: aliter eſt dicendum iuxta leges Dei, quia *in c. filius noſter, de teſtam.* habetur, legatum rei alienæ, etiamſi fiat ad pias cauſas, invalidum eſſe; unde in foro conſcientiæ non obligatur hæres ad ſolvendum huiuſmodi legatum. Vide Molinam *tract. 2. diſp. 196. num. 8.* Covar. Gomez. Molina.

18. Ut Legatum dicatur pium, duæ conditiones requiruntur: *Prima eſt* pietas perſonæ, cui fit legatur; & ex defectu huius conditionis ille non dicitur legatũ pium facere, qui legat aliquid diviti, quamvis dicat ſe intuitu & amore Dei hoc facere; nam deficit pietas in perſona, cui fit Legatum. *Secunda* conditio eſt, ut fiat cauſa pietatis: unde ſi quis leget aliquid pauperi non intuitu pietatis, nõ dicitur Legat ũpium, cùm deficiat pietas in cauſa, quamvis adſit pietas in perſona; hinc qui conſanguineo pauperi aliquid legat non præſumitur facere legatum pium, cùm deficiat pietas in cauſa: nam præſumitur prævalere affectio ſanguinis, ſaltem quando in Legato non primò fit mentio paupertatis. Secus ſi paupertatis primò fiat mentio, tunc enim cenſetur legatum pium. Ita Sanchez *de matrim. l. 1. diſp. 4. n. 9.* poſt Baldum *in l. illud, n. 1. Cod. de Sacroſanct. Eccl.* Vaſquez *de teſtam. cap. 8. §. 5. dub. 1.* & alij. Sanchez. Baldus. Vaſquez.

19. Legata ad pias cauſas valent, & ſunt præſtanda, etiamſi hæreditas adita non fuerit, puta, quia ante illam aditam mortuus fuit hæres, vel quia hæreditatem repudiavit. Nam quòd legata non poſſint peti hæreditate non adita, eſt ſolemnitas iuris civilis *l. eam quam, Cod. de fideicomm.* quæ ad pias cauſas ſe non extendit, ut ex cõmuni docent Panormitan. *in cap. Relat. 1. de teſtam. n. 6.* Covarruvias *in c. Raynaldus, §. 3. n. 9. & ſeq.* & poſt illos Dicaſtillus *de iuſt. l. 2. tract. 19. diſp. 1. dub. 10.* Imò debentur Legata relicta ad pias cauſas in teſtamento, etiamſi illud quoad hæredis inſtitutionem aliquo defectu laboret; & ideò ex teſtamento aliàs defectuoſo, legata ad pias cauſas relicta debentur, modò liberis teſtatoris legitima inſtitutionis titulo relicta fuerit, ut docent Clarus *l. 3. recept. ſent. §. teſtam quæſt. 6. n. 8.* Tiraquellus *tract. de privil. piæ cauſæ, privileg. 17.* & alij apud Dianam *p. 7. tr. 6. reſ. ſol. 25.* Panorm. Covar. Dicaſtill. Claru. Tiraquell. Diana.

20. Multis Privilegijs gaudent Legata pia, quibus non gaudent alia: *Primò*, Legatum pium non requirit ſolemnitates iuris civilis, ſed ſufficit ſolemnitas iuris naturalis: quia pia cauſa non ſubijcitur laicæ poteſtati: unde valida eſt diſpoſitio, qua relictum fuit aliquid piæ cauſæ in præſentia duorum teſtium, modò tamen liberè diſpoſuerit & ſufficienter expreſſerit hæredem, aut legatarium. *Secundò*, Legatum pium non eſt caducum, ſed ſuſtinentur quovis modo ſuſtineri poſſit, etſi præſtari nequit illi, cui relinquitur, applicatur alteri pio loco. *Tertiò*, in Legatis vel fideicommiſſis ad pias cauſas

Digitized by Google

cauſas poteſt legatarius vel fideicommiſſarius capere legatum vel fideicommiſſum propria auctoritate. *Quartò*, à Legatis non detrahitur falcidia vel Trebellianica, etiamſi teſtator non prohibuerit illam detrahi. *Authent. Similiter, Cod. ad l. falcid.* Falcidia autem nuncupatur quarta pars bonorum defuncti, detracto tamen priùs ære alieno, detractis etiam expenſis funeris, & expenſis factis in adeunda hæreditate. *Quintò*, cauſa pia, quæ relicta fuit, hæres non tenetur ultrà vires hæreditatis ad ſolvenda debita teſtatoris, etiamſi cauſa pia non fecerit inventarium, dum addit hæreditatem: quia lex iubens hæredem non conficientem inventarium, teneri ultra vires hæreditatis, eſt lex civilis & fundatur in præſumptione fraudis, cauſa autem pia non ſubjicitur legi civili, nec nititur præſumptione, dum conſtat de rei veritate. Plura privilegia cauſæ piæ exſtant apud Tiraquellum *de privilegijs pia cauſa*, & Tuſchum *in verb. Legata ad pias cauſas*, quæ apud ipſos videri poſſunt. Tiraquel. Tuſchus.

21. Tres actiones competunt legatario ratione Legati ad conſequendum Legatum. *Prima* eſt perſonalis: nam hæres adeundo hæreditatem videtur quaſi contractum cum legatarijs & alijs creditoribus defuncti facere, & ſe obligare ad perſolvenda defuncti debita, & conſequenter legatarius acquirit ius contra hæredem ad conſequendum Legatum, quod defunctus ſibi reliquit: modò hæres adeat hæreditatem ex teſtamento: nam ſi alia ratione adeat, non competit Legatario iſta actio, ſed datur illi actio prætoria in factum. *Secunda* eſt actio hypothecaria, nam ſi Legatum factum ſit rei certæ res illa remanet hypothecata Legatario: & ſi Legatum non ſit ſpeciei, ſeu certæ rei, ſed quantitatis, Legatarius habet ius hypothecæ in omnia bona teſtatoris. Ita decernitur *in l. 1. & 2. Cod. communia de legat. Tertia* eſt rei vendicatio, cum enim legatarius acquirat dominium rei Legatæ à die mortis teſtatoris, ſequitur ipſi competere rei vendicationem contra hæredem & alios rei Legatæ poſſeſſores, & conſequenter poſſe implorare officium judicis, aut Salvianum interdictum intentare. Vide Molfeſium *in ſumma parte ſecunda, tract. 13. c. 5. n. 123. & ſeq.* Cardin. Tuſchum *verb. Legatarius concluſ. 147.* Manticam *de coniectur. ultim. volunt. lib. 7. num. 10.* Molfeſius. Tuſchus. Mantica.

22. Ex multis cauſis hæres liberatur à ſolutione Legati, quarum *Prima* eſt, quando legatum eſt invalidum, vel defectu voluntatis, aut poteſtatis in diſponente, vel defectu ſolemnitatis à iure præſcriptæ, vel ratione materiæ, ut quando legatur id quod legari non poteſt, aut quando aliquid ita in genere Legatum eſt, ut Legatum cenſeatur eluſorium, aut inutile, vel ratione perſonæ cui fit Legatum, v. g. ſi ſit incapax, aut non exiſtat in rerum natura; ut defectu cauſæ finalis, ſeu conditionis ob quam factum fuit Legatum.

Secunda eſt, revocatio expreſſa vel tacita Legati facta à teſtatore: quia res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. Tamen Legatum non præſumitur revocatum, niſi probetur, quia revocatio eſt quid facti, quod non præſumitur niſi probetur; unde in dubio iudicandum eſt in favorem legati, *l. 3. §. ſi duobus, ff. de adimen. legat.*

Tertia cauſa eſt, dum res legata perempta eſt abſque culpa hæredis: quia res domino perit: Legatarius autem à die mortis teſtatoris fit dominus rei Legatæ, *l. à Titio, in fine, ff. de furtis*, modò ei legata fuerit certa ſpecies; non autem aliquid in genere vel quantitate; tunc enim ſi pereat perit hæredi, non Legatario qui ante traditionem dominium illius non acquiſivit. Ita decernitur *in §. ſives Legata, Inſtitut. de legat.*

Quartà causa eſt, dum Legatum efficitur caducum: quod contingit, quando Legatarius moritur ante ipſum teſtatorem, tunc enim Legatum accreſcit hæredi, modo Legatum non ſit pium, ut dictum eſt ſupra *l. Vnica, Cod. de caduc. tollen.*

Quinta cauſa accidit, dum Legatarius repudiat Legatum: quia donatio cenſetur facta ſub conditione, ſi donatarius acceptet. Legatum autem eſt donatio: tum quia beneficium non confertur in invitum. Ita communiter Doctores.

23. Quamvis voluntas teſtatoris regulariter ſervanda ſit tanquam lex, & alienum ſit à ratione, ut bona diſtrahantur & occupentur contra domini voluntatem, ut decernitur *in cap. ultima volumtas 13. quæſt. 2. & Authentic de nupt. §. diſponat.* Nihilominùs Princeps ſupremus non agnoſcens alium ſuperiorem in temporalibus derogare poteſt teſtamento & Legato facto ad cauſam profanam; convertendo illud ex iuſta cauſa in aliam cauſam profanam, vel piam. Ratio eſt, quia hujuſmodi Princeps, ſicut poteſt ſubdito ex cauſa iuſta ſubtrahere bona; ita etiam à fortiori poteſt relicta in teſtamento, vel Legato ad prophanum uſum, convertere in alium profanum vel pium uſum. Quod poteſt Princeps ſupremis in Legatis profanis, hoc poteſt Summus Pontifex in pijs: quia ſummam in terris habet facultatem; nec minoris poteſtatis eſt, quàm ſit Princeps laicus. ex *Clement. quia contingit, de religioſis domibus*, & docent Covarruvias *in cap. Nos quidem, de teſtam.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 83.* Vaſquez *de teſtament. cap. 8. num. 103.* & alij communiter. Inferior autem Summo Pontifice, vel ſupremo Principe, non poteſt Legatum commutare, licet in melius, contra domini voluntatem; quia hujuſmodi commutatio eſt actus ſupremæ iuriſdictionis: Intellige, niſi de illorum licentia, quia hæc poteſtas delegabilis eſt. Covar. Barboſa. Vaſquez.

24. Epiſcopus regulariter loquendo, non poteſt commutare defuncti voluntatem, ſeu Legata: quia conſtitutus eſt Epiſcopus executor ultimarum voluntatum, non diſſipator: ob cauſam tamen iuſtam & conſentiente hærede, ſi ob id gravatur, & loco pio, cui res relicta fuerat, poteſt Legatum pium relictum ad certum uſum, convertere in alium pium uſum: quia tunc non fit iniuria hæredi vel loco pio, cùm cedant iuri ſuo conſentiendo, neque fit iniuria teſtatori, quia hoc eſt conforme rationabili ejus voluntati, qui ſi adeſſet, ut hoc ipſum fieret rationabiliter reſponderet & hoc ipſum mandaret Epiſcopo, qui *cap. Tua nos, de teſtamentis*, & in Tridentin. *ſeſſ. 22. cap. 8. de reform.* nicitur, *piarum diſpoſitionum executor.* Ex dictis ſequitur Legatum factum in aliquem uſum, ſi commodè nequeat adimpleri, poſſe auctoritate Epiſcopi in alium commutari; adeſt enim tunc iuſta cauſa commutationis. Ita Covarruvias *in cap. Tua, de teſtament. numero ſeptimo & nono*, Rodriguez *tomo primo, quæſtionum regularium, quæſtione vigeſima ſeptima, articulo quinto*, Vaſquez *de teſtament. cap. 8. §. 5. dub. 3. num. 114.* Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 17. punct. 8. §. 9. num. 4.* & alij communiter. Con. Trid. Covar. Rodrig. Vaſquez. Bonacina.

Plura de Legatis poſſent adduci, quæ videri poſſunt apud Molinam *de juſtit. tractatu ſecundo, diſp. 195. uſque ad 210.* & alios Iuriſperitos hic citatos. Molina.

Vide v. Actio *num. 17.* Donatio *num. 31.* Testamentum *num. 2.*

LEGATVS.

SVMMARIVM.

1 *Legatus Summi Pontificis triplex est.*
2 *An omnes Legati Apostolicæ Sedis sint judices.*
3 *Quæ sint privilegia propria Legati à latere.*
4 *An Legatus missus qui non est à latere, possit absolvere percussores Clericorum.*
5 *An omnis Legatus possit in sua Provincia, ea omnia, quæ possunt reliqui Ordinarij ejusdem Provinciæ.*
6 *Quid possint Legati iure antiquo & novo Tridentini in causis quoad primam instantiam.*
7 *An ad Legatum quemcumque possit appellari, ab Episcopo, pretermisso Archiepiscopo.*
8 *An Legatus possit exercere suum munus in qualibet parte Provinciæ.*
9 *An Legati possint condere statuta, quæ perpetuò durent, etiam finitâ legatione.*
10 *Legatio Legatorum quot modis finiatur.*
11 *An Legatus à latere possit dare facultatem regularibus exemptis, ut possint eligere Confessarium non approbatum à Prælato regulari.*
12 *An Legatus à latere possit in tota sua Provincia excipere Confessiones, absolvere à reservatis per Ordinarios, aliosque id munus committere generaliter? Et an approbationes factæ ab ipso Legato revocentur in generali revocatione approbationum factæ ab Episcopo?*
13 *An sufficiat licentia Legati à latere ad prædicandum in ipsius Provincia.*
14 *An regulares in edictis Legatorum à latere comprehendantur sub nomine Cleri & Ecclesiasticorum.*
15 *An regularis habens à Legato facultatem absolvendi religiosos Ordinis à reservatis in ipso Ordine possit eâ uti extra Provinciam ipsius Legati.*
16 *An delegatus à Legato de latere possit potestatem sibi delegatam exercere etiam post finitam legationem Legati delegantis, ejusvè mortem.*

1. LEgati Apostolicæ Sedis sunt in triplici differentia: alij enim dicuntur Legati à latere, alij Legati missi, alij Legati nati. Legatus à latere debet esse unus ex Cardinalibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Dicitur autem Legatus à latere, quasi è latere Romani Pontificis: nam Papa & Cardinales faciunt unum corpus mysticum totius Ecclesiæ, cujus caput est Romanus Pontifex, reliqui autem Cardinales reputantur tanquam membra illius: ideoq; talis Legatus dici solet à latere. Legatus missus dicitur ille, qui mittitur à Pontifice ad aliquam Provinciam, sive Regnum, ut ibi loco ipsius iurisdictionem exerceat: & talis potest esse quilibet Prælatus, etiamsi non sit Cardinalis. Legatus natus nuncupatur ille, qui in dignitate est constitutus, quæ privilegio Sedis Apostolicæ annexum habet munus Legati Apostolici. Et vocatur natus, quoniam eo ipso, quòd in ea dignitate constituitur, quasi nascitur Legatus Sedis Apostolicæ sine alia nova concessione ejus muneris, quæ illi postea adveniat. Talis est in Anglia Archiepiscopus Cantuariensis, ut constat ex cap. 1. *de officio Legati*. Talis Archiepiscopus Remensis in Gallia, &c.

2. Ex Legatis Apostolicæ Sedis, quidam non sunt judices, alij verò judices sunt. Qui enim à Sede Apostolica mittuntur ad aliquid cum aliquo Principe, vel cum aliquo alio tractandum, vel ad aliquod aliud nudum ministerium, absque iurisdictione aliqua, Legati quidem sunt Apostolicæ Sedis, non tamen sunt judices. Atque hi Nuncij Apostolici etiam dicuntur. Sunt tamen tam hi, quàm reliqui Legati aliorum Principum ac Rerumpublicarum, etiamsi hostium sint Legati, gentium iure immunes servandi, ut nihil mali, aut injuriæ accipiant, & ut audiantur, permittanturque exequi legationem suam, ut habetur *in cap. Ius gentium, dist.* 1. ubi inter alia, quæ iuris gentium esse dicuntur, dicitur, *Legatorum non violandorum religio.* Habetur etiam *in l. ultim. ff. de legationibus*, ubi in pœnam lædens Legatum hostium, hostibus traditur, ut de eo, quod voluerint, efficiant.

3. Legati à latere quædam privilegia sunt propria. *Primum*, quòd à die discessus ab urbe, usque ad diem, qua reversus illam ingreditur, esto legationem finierit, dummodo tamen illam non finierit per revocationem Legationis à Summo Pontifice, absolvere possit percussores Clericorum, etiamsi percussio fuerit enormis, tam eos qui de Provincia, ad quam missus sit Legatus, quàm qui aliunde accedunt. Argum. *cap. Excommunicatis, de offic. legat.* ubi Glossa & Panormi- Glossa.
tanus n. 2. ceteriq; Doctores communiter. Panormit.

Secundum, quòd beneficia Ecclesiastica Provinciæ, ad quam mittitur, conferre possit; & in hoc concurrit cum Ordinario, ita ut inter eos locus sit præventioni, iuxta *cap. Si à sede, de prebend. in 6.* & *cap. 1. de officio Legati in 6.* Quod verum est, etiamsi beneficia sint de iure patronatus Ecclesiastici, ex *cap. Dilectus, de offic. legati*, & *cap. Cùm dilectus, de iure patronatus.* Non item quæ sunt iuris patronatus laicorum, nisi ea devoluta sint ad Episcopum, propter negligentiam præsentatoris laici, sicut docet Glossa *in Clement. per* Glossa.
litteras, verb. Apostolicis, de prebend. & Garzias *part.* Garzias.
5. cap. 3. num. 63. Imò etiam ea confert beneficia, quæ spectant ad exemptorum collationem, quia in eos iurisdictionem habet, iuxta *cap. 1. de verbor. significat. in 6.* Denique confert etiam ea, quæ ad Papam devoluta, sed eidem reservata non sunt, teste Glossa communiter recepta *in* Glossa.
cap. 1. de offic. legati in 6. verb. Ampliori, Sylvestro Sylvester.
verb. Delegatus, num. 20. quæst. 13. Limitationes verò hujus potestatis competentis Legato ad conferenda, aut reservanda beneficia, vide *in cap. Præsenti, & cap. Deliberatione, de offic. legati in 6.* Hæc tamen potestas non competit Nuncijs, seu Legatis non à latere, sine speciali mandato, vel niti sint Nuncij cum potestate Legati à latere, ut docent communiter Doctores post Garziam *loco* Garzias.
citato num. 81.

Tertium privilegium est, quòd in exemptos Provinciæ iurisdictionem exercere possit. Quare exempti, nisi velint, cõpelli non possunt litigare coram alijs Legatis. Utrumque colligitur ex *cap. 1. de verb. significat. in 6.* & ex *cap. Si Abbatem, de elect. in 6.* in quo dicitur, quod Legatus à latere confirmare possit electiones Episcoporum & Abbatum exemptorum, quæ confirmatione Sedis Apostolicæ indigent; dareq; licentiam Abbatibus exemptis in Episcopos electis, ut Abbatiam suam deserant transeundo ad Episcopatum, ad quem sunt electi: non tamen potest concedere, ut Episcopus unus transeat ex Episcopatu uno ad alium, etiamsi in illum sit electus: quia id concedere soli Summo Pontifici convenit. Neque Diœceses dividere vel unire, dispensare in matrimonij impedimẽtis, &c. ea enim Legato à latere iure communi non competunt,

petunt, ut constat ex *cap. Nisi, & cap. Translationem, de offic. Legati.* Quare si ejusmodi potestatem sibi à Summo Pontifice specialiter concessam allegat, ejus rei fidem per litteras authenticas facere debet, ut docet ex communi Molina *de just. tr. 5. disp. 6. num. 4.* Molina.

4. Legatus missus qui non est à latere, quamvis in Provincia in qua est Legatus, possit absolvere percussores Clericorum, dummodo tamen aliunde non accedant cum ea excommunicatione ad eam Provinciam non tamen potest absolvere extra eam Provinciam, etiam eos, qui cum excommunicatione contracta in Provincia, in qua est Legatus, ad ipsum accedunt, nisi aliud specialiter ei fuerit concessum. Ita habetur *in cap. Excommunicatis de offic. Legati.* Quod si cum potestate Legati à latere accederet, id omne posset, quod Legatus à latere posset Legatus verò natus non aliam facultatem habet absolvendi percussores Clericorum, quàm eam, quam habet quatenus Episcopus est, nisi peculiari privilegio aliud ei concedatur, ut habetur *in dict. cap. Excommunicatis, &* docet Molina *tract. 3. disp. 18.* post Sylvestrum *verb. Delegatus, num. 17. quæst. 12.* Molina. Sylvester.

5. Legatus, etiamsi non sit à latere, cùm possit ea, quæ Summo Pontifici reservata non sunt, potest regulariter in sua Provincia, aut in suis Provincijs ea omnia, quæ possunt reliqui Ordinarij ejusdem Provinciæ, sive Episcopi, sive Archiepiscopi, sive etiam Patriarchæ sint, & aliquid amplius: eo quòd cognoscere possit de ipsorum criminibus, tametsi procedere non possit ad depositionem eorum, esto tanta pœna digni sint; quoniam id peculiariter est reservatum Summo Pontifici, ut notant Panormitanus *in cap. 1. de offic. Legati. num. 2. & 4. argument. cap. accusatus, & quamvis liceat 3. quæst. 6.* ubi depositio Episcopi Summo Pontifici reservatur. In aliquibus tamen restricta est ejus Potestas, ut circa collationem beneficiorum, pro ut continetur *in cap. Presenti, & cap. Deliberatione, de offic. Legati, in 6.* Panormit.

6. Quamvis Legati judices sint Ordinarij in Provincia, aut Provincijs, ad quas destinati sunt à Sede Apostolica, & de tota Prouincia, aut de quavis Provinciarum, possint actores vocare reos in prima instantia ad judicium coram Legato, aut Nuncio, prætermisso alio suo judice Ordinario, ut patet ex *cap. 1. de officio Legati*, & notant Glossa *ibi*, Panormitanus, & alij Doctores communiter. Hodie tamen in Concilio Tridentino *sessione 24 cap. 20. de reformatione*, restricta est quoad hoc Legatorum potestas, ubi statuitur, *Causa omnes, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinarijs locorum dumtaxat cognoscantur, atque omnino, saltem infra biennium à die mota litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum judices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, & quamprimùm terminari curent; nec antea alys committantur, nec avocentur, neque appellationes ab eisdem interpositæ, per superiores quoscumque recipiantur, eorumve commissio, aut inhibitio fiat, nisi à definitiva, vel à definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat, &c.* Et infrà: *Legati quoque, etiam de latere, Nuncij, Gubernatores, Ecclesiastici, aut alij quarumcumque facultatum vigore, non solum Episcopos in præditis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem ijs præcipere, aut turbare non præsumant; sed nec etiam contra Clericos, aliasve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo* Glossa. Panorm. Con. Trid.

priùs requisito, eoque negligente, procedant: alias eorum processus ordinationesve nullius momenti sint: atque ad damni satisfactionem, partibus illati, teneantur, &c. Non obstantibus, quoad omnia suprascripta, privilegijs, indultis, concordijs, qui suos tantum teneant auctores, & alijs quibuscumque consuetudinibus. Hæc Concilium.

7. Ad Legatum quemcumque potest appellari, prætermisso medio, aut medijs, ut si appelletur ab Episcopo, potest immediatè appellari ad Legatum, prætermisso Archiepiscopo. Ita Glossa & Panorm. *in cap. 1. de offic. Legati* atque Panormit. ita receptum esse in praxi. Tamen in Conc. Trid. *sess. 22. cap. 7. de reform.* sic habetur. *Legati & Nuncij Apostolici, Patriarchæ, Primates & Metropolitani in appellationibus ad eos interpositis; in quibusvis causis, tam in admittendis appellationibus, quàm in concedendis inhibitionibus post appellationem, servare teneantur formam & tenorem sacrarum Constitutionum, & præsertim Innocentij IV. quæ incipit, Romana: quacumque consuetudine, etiam immemorabili, aut stylo vel privilegio, in contrarium non obstantibus; aliter inhibitiones & processus, & inde secuta quæcumque sint ipso iure nulla.* Hæc constitutio habetur *in c. Romana Eccles. de appellat in 6.* Et quoad causas criminales in eodem Concilio *sess. 13. c. 3. de reform.* ita est statutum. *Reus, ab Episcopo, aut ejus Vicario in spiritualibus generali in criminali causa appellans, coram judice, ad quem appellavit, acta primæ instantiæ omnino producat: & index, nisi illis visis, ad absolutionem ejus minimè procedat. Is autem à quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat, alioqui absque illis causa appellationis hujusmodi, prout justitia suaserit, terminetur.* Glossa. Panorm. Con. Trid. Con. Tri.

8. Sicut Episcopus in qualibet parte suæ Diœcesis, modò locus exemptus non sit, potest pro tribunali sedere, & causas audire per se vel per alium, carceri mancipare, & reliqua, quæ ad suum munus spectant, exequi, eò quòd in tota sua Diœcesi habeat iurisdictionem ut habetur *in cap. Cum Episcopis, de offic. Ordinar. in 6.* Ita Legatus audire potest causas & exercere suum munus in qualibet parte Provinciæ, aut Provinciarum, in quibus est Legatus, etiam expediendo in uno loco causas alterius suæ Provinciæ, & reliqua quæ ad suum munus spectant, ut habetur *cap. Novit, de offic. Legati*, & docent Navarrus *lib. 1. consil. tit. 3. de offic. indic. Ordinary, consil. 3.* & alij communiter. Navarrus.

9. Certi iuris est, Legatos in Concilijs Provincialibus & extra Concilia posse statuta condere, quæ perpetuo durent, etiam finita legatione: quia qui habent iurisdictionem ordinariam, possunt statuta condere in perpetuum, & perpetua censentur, nisi ad tempus ponantur, circa ea omnia, quæ ad iurisdictionem ipsorum spectant; videlicet ad mores componendos, vitia corrigenda. Hoc enim etiam possunt Episcopi. At verò nec Episcopi, neque Legati possunt quidquam statuere contra ius commune ex toto, vel ex parte. Possunt tamen præter ius commune statuere. Item contra non parentes iuri pœnam addere, ut singuli faciliùs ius commune servent. Imò potest Legatus condere statutum contra statuta aliorum Legatorum: quia neque inferior, neque par potuit ei legem imponere, *cap. Cùm inferior, de majorit. & obedient.* & *c Inferior, dist. 21.* Non tamen contra consuetudinem Provinciæ, nec contra privilegia eidem à Summo Pontifice concessa, quæ infringere ac minuere non potest, nisi peculiariter esset ei concessum, vide de his Azorium *p. 2. l. 5. c. 32. q. 1. & seq.* Pan. *in c. ult. de confirm. util. vel inutil.* Molinam *tract. 5. disp. 9. n. 5. & 11.* Azorius. Panorm. Molina.

10. Legatio Legati nati ſolùm expirat morte ipſius, aut amiſſione dignitatis, cui id Legati munus eſt annexum; continuatur tamen in ſucceſſore in illa dignitate. Legatio verò aliorum Legatorum multis modis finitur. *Primò*, ſi aliquis ad certum tempus conſtitutus fuit Legatus, finito eo tempore, Legatio quoque finitur. *Secundò*, per revocationem Legationis. *Tertiò*, per egreſſum Legati à toto ambitu loci ſuæ Legationis animo non regrediendi. Secus autē per egreſſum ab una Provincia ſuæ Legationis, ſi in alia eſt adhuc intra limites ſuæ Legationis: inde enim exercere ſuum munus poteſt, etiam circa aliam Provinciam, unde ſit egreſſus, ut habetur *in cap. Novit. de offic. Legati*. *Quarto*, morte Legati. Non tamen morte Legantis Pontificis finitur, qui munus Legationis ei iniunxerat. Quòd ſi Legatus aliquid delegaverat antequam in eo aliquo prædictorum omnium modorum Legatio finiretur & res integra non ſit, quia delegatus, antequam Legatio exſpiraret, citationē circa eā rem expediuerat, tunc ex eo, quòd Legatio expiret in Legato, nō exſpirat in delegato iuriſdictio ei comiſſa, ſed progredi in ea cauſa poteſt, quouſque finē ei imponat. Si autem res integra ſit, quia delegatus nondum citationem expedierat, tunc in delegato exſpirat iuriſdictio una cum Legatione Legati. Ita Gloſſa *cap. Præſenti, de offic. Leg. in 6.* Molina *tr. 5. diſp. 9. n. 14.* Sylveſter *verb. Delegatus, n. 31. q. 15.* & communiter Doctores.

Gloſſa. Molina. Sylveſter.

11. Legatus à latere poteſt dare facultatem regularibus exemptis, ut poſſint eligere Confeſſariū non approbatū à Prælato regulari. Ratio eſt, quia Legatus in ſua Provincia eſt iudex Ordinarius, ſeu proprius Epiſcopus Regularium, quamvis exemptorum, ut conſtat ex literis ipſius Legationis: certum eſt autem poſſe quemlibet Ordinarium concedere ſuis ſubditis ſupradictam facultatem. Ita Naldus *verb. Legatus, n. 8.* Imò exiſtimat Suarez *l. 8. de legibus, c. 26. n. 10.* Regulares poſſe uti tali facultate etiam extra Provinciā Legati concedentis, eamque durare perpetuò, cùm ſit privilegium perſonale, quod afficit perſonam, eamque comitatur, quocumque ierit, & habeat rationem gratiæ factæ, quæ non exſpirat, mortuo concedente, aut amoto ab officio. Quod intelligendum eſt, ſi talis facultas ſit data indefinitè, & ſine limitatione, *ex c. ſi ſuper gratia, de offic. deleg. in 6.* & diximus *tom. 1. verb. Privilegium III. n. 11.* & *Privilegium II. n. 8.* cum Doctoribus ibi citatis. Quibus addo Filliucium *tr. 7. n. 138.* Pellizzarium *in Manual. regular. tract. 8. cap. 2. num. 6.*

Naldus. Suarez. Filliucius. Pellizzar.

12. Cùm Legatus à latere in tota ſua Provincia non ſolùm concurrat cum omnibus Ordinarijs dictæ Provinciæ, ſed etiam ſit maior illis, *c. 2. de offic. Legati, in 6.* ac proinde ei competant quæcunque competunt Epiſcopis; idque ex natura & officio Legationis, ut notant Ioannes Andreas, Ancharanus, Sylv. Navarr. & alij apud Naldum *verb. Legatus à latere, n. 8.* Hinc poteſt in tota ſua Provincia excipere Confeſſiones, alijſque id munus committere, abſolvere à reſervatis per Ordinarios ejuſdem ſuæ Provinciæ eorumque facultatem delegare, diſpenſare, aliaque præſtare, quæ ſinguli Ordinarij in ſuis Diœceſibus præſtant.

Io. Andr. Anchar. Sylveſter. Navarrus. Naldus.

Sed petes, an Legatus à latere poſſit dare facultatem abſolvendi à reſervatis Ordinario generalem & abſolutam? Reſpondeo poſſe. Ratio eſt, quia ſicut Ordinarius quilibet in ſua Diœceſi poteſt committere univerſām ſuam facultatem abſolvendi à reſervatis, & non ſolùm in caſibus occurrentibus; ita etiam dicendum eſt de Legato à latere quoad totam ſuam Provinciam; cùm ratio, quæ militat in ſingulis Ordinarijs reſpectu ſuæ Diœceſis, locum habeat item in Legato à latere reſpectu totius ſuæ Provinciæ, ut patet. Ceterùm licet Legati à latere poſſint pro tota ſua Provincia abſolutè approbare ad Confeſſiones, & committere facultatem reſervatorum, non expedit tamen, ut id ſæpiùs faciant, quin potiùs in hoc debent procedere cum magna circumſpectione, præſertim in approbandis Confeſſarijs, quod regulariter non deberent facere abſque prævio examine, niſi aliunde ipſis conſtet de ſufficientia doctrinæ, ac probitate approbandorum: aliàs hinc poſſent non leviter offendi Ordinarij, videntes in ſua Diœceſi approbari Confeſſarios parum idoneos, ac negligi reſervationem caſuum & cenſurarum ab ipſis factam ob nimiam facilitatem, qua eorum facultas alijs concederetur, præterquam quòd multa licent, quæ non expediunt. Proinde non debent committere prædictam facultatem reſervatorum quibuſcumque indiſcriminatim; ſed ijs ſolùm, quibus, attentis eorum doctrina, prudentia, probitate & alijs circumſtantijs, iudicaverint expedire.

Eſt autem advertendum, quod in generali revocatione approbationum, quæ fit ab aliquo Epiſcopo, exiſtente intra Provinciā Legato à latere, non revocentur approbationes factæ ab ipſo Legato: quia inferior, qualis eſt Epiſcopus reſpectu Legati à latere in propria Provincia, non poteſt derogare iuri ſuperioris; expediret tamen ut taliter approbati à Legatis in hoc caſu, ſe præſentarent Epiſcopo revocanti approbationes in ſua Diœceſi; idque ad cavendam ipſorum Epiſcoporum offenſionem, ut rectè monet Pellizzarius *in Manual. regular. tract. 8. cap. 3. numero 22. & 23.* Pellizzar.

13. Si regulares ſint prædicaturi in Diœceſibus exiſtentibus intra Legati à latere Provinciā, ſufficit ut ab ipſo Legato ibi reſidente licentiam petant, ut docet Sorbus noſter *in Compend. privileg. verb. Prædicatores, num. 4. & 9.* patetque ex indulto Bullato ad id conceſſo Fratribus Ordinis Prædicatorum ac Minorum ab Alexandro IV. & confirmato à Clemente IV. quod ibi refert Sorbus. Tum quia Legatus in ſua Provincia eſt Ordinarius, & concurrit cum quocumque Ordinario illius; ſicque poterit præſtare, quidquid præſtāt alij Ordinarij, & conſequenter poterit dare licentiam prædicandi; cùm id ſpectet ad Ordinarios. Sorbus. Alex. IV. Clem. IV.

14. Regulares in edictis Legatorum à latere aliàs habentium ſuper eos iuriſdictionem, minimè comprehenduntur ſub nomine Eccleſiaſticorum, cùm ſint perſonæ ſpeciali nota dignæ, ac privilegiatæ, adeoque in odioſis non veniant nomine Cleri, ſicque interdicto Clero interdicti nō cenſeantur Regulares; quippe qui non conſtituūt cōmuniter unum corpus cum Clericis ſæcularibus, quod vocetur nomine Cleri; cùm habeant planè diſtinctos fines, ac modos ſeipſos regendi. Unde fit, ut non ſolùm Legati, ſed etiam Pontifices in ſuis Decretis, ac Conſtitutionibus expreſſā facit mentionē de Regularibus, quotieſcumq; intendūt eos in illis comprehendere. Quod confirmatur ex eo, quod docent Navarrus *in Lucerna regular. v. Excommunicare, n. 7.* Rodriguez apud illum, ad hoc ut regulares includantur ſub excommunicatione lata à Legato de latere in communi, ſpecialiter in ea ſunt nominandi, ſicque fuit practicatum in Regionibus Hiſpaniarum. Ita etiam Naldus *verb. Clericus*, Pellizzarius *in Manual. regul. tr. 8. c. 6. n. 3.* Vide dicta *tom. 1. v. Interdictum II. numero 26.* ubi reperies quoſdam tenere nom-

Novarius. Rodrig. Naldus. Pellizzar.

Ecc

Ecclesiasticorum venire etiam religiosos, non tamen nomine Cleri.

15. Regularis à Legato habens facultatem absolvendi Religiosos Ordinis à reservatis in ipso Ordine, potest eâ uti etiam extra Provinciam ipsius Legati delegantis, cùm is possit præfatam exercere facultatem extra suam Provinciam ex *c. penult. de off. Legati.* & Regularis in præsenti casu subrogetur in ejus locum, sicque verificetur subrogatum sapere naturam eius, pro quo subrogatur. Tum quia facultas, de qua hîc agitur, pertinet ad iurisdictionem voluntariam, quæ potest exerceri etiam extra proprium territorium, ut diximus *to. 1. verb. Confessar. 1. n. 10.* & *verb. Absol. n. 18.* cum Doctoribus ibi citatis.

16. Cùm delegatio facta à Legato de latere non expiret eius morte, aut finito officio, nisi sit facta ad beneplacitum personæ, aut officij, ut in terminis docent Sanchez *de matrim. disp. 38. n. 84.* & alij à nobis citati *tom. 1. verb. Confess. 2. n. 22.* Consequenter delegatus eam potestatem sibi delegatam potest exercere, etiam post finitam legationē Legati delegantis, eiusvè mortem: quomodo approbatus ab Episcopo ad Confessiones absolutè, etiam eo amoto, vel mortuo, potest illas audire, ut tradunt Henriquez, Graffijs, Sanchez, Navarrus, Bonacina à nobis citati *loco præfato n. 23.* Quia hæc delegatio non est pensanda per regulas iustitiæ, sed gratiæ, quæ non solùm pœnitentibus, sed etiam ipsis Sacerdotibus est maximè favorabilis & nemini odiosa: ergo illi convenit regula gratiarum factarum, quæ non expirant per mortem concedentis, *cap. Si gratiosè, de rescript. in 6.*

Sanchez. Henriq. Graffijs. Sanchez. Navarrus. Bonacina.

Vide v. Beneficium 3. n. 9. & 19. Exemptio n. 4. Interdictum n. 30. Lex 2. n. 17. 18 Residentia n. 4. Visitatio n. 2.

LEGITIMA

Portio.

SUMMARIUM.

1 *Legitima quid & quotuplex.*
2 *Falcidia unde dicta & quid sit.*
3 *Trebellianica unde dicatur & quid.*
4 *Quod ius habeat filius in legitimam vivente patre.*
5 *An legitima portio filiorum possit consuetudine, statuto vel lege ex toto adimi, vel ex parte diminui.*
6 *An hæredi instituto in minori quantitate, quàm esset debita legitima, permittatur ad supplementum usque ad integram legitimam portionem.*
7 *An legitimæ debitæ descendentibus possit apponi aliquod gravamen, modus, conditio, aut dilatio à testatore.*
8 *An legitima debita jure naturæ, per crimen patris in læsam Majestatem, amittatur.*
9 *An filius debeat de iure parentibus legitimam & quantam.*
10 *Falcidia in quibus casibus cesset.*
11 *Casus in quibus Trebellianica cesset.*

1. LEgitima portio est *pars hæreditatis aliquibus à lege decreta.* Et est triplex. *Prima*, dicitur legitima. *l. omni modo, Cod. de inoffic. test.* Dicitur etiam aliquando debita pars; vel debitum simpliciter; vel debitum bonorum subsidium; vel debita pars jure naturæ.

Hęc legitima portio [illegible] descendētibus debetur [illegible] norum testatoris [illegible] masculos ac feminas, & in defectu filiorum inter alios descendentes, ut patet ex *l. Papinianus, §. Quoniam. & §. Quanta, ff. de inoffic. testam.* De reliquis verò tribus partibus disponere poterat testator ad libitum. Postea verò de jure authenticorum in hunc modum aucta fuit eadem legitima portio. Ut si testator quatuor, aut pauciores filios haberet, tertia pars bonorum ipsius inter ipsos æqualiter divideretur: si verò plures essent quàm quatuor, divideretur dimidium bonorum illius. Ita habetur *in authentica novissima & in authentica, unde si pater, Cod. de inoffic. testam.*

Hæc legitima portio filiorum in varijs regnis varia est: nam in Lusitania sunt duæ partes bonorū testatoris similiter inter eos æqualiter dividēdæ, de reliqua tertia parte potest testator ad libitum disponere, ut colligitur ex *lib. 4. ordin. tit. 70.*

In Regno Castellæ legitima descendentium sunt omnia bona testatoris, præter quintum, de quo disponere potest ad libitum: certa tamen sacrificia & aliæ impensę funeris de ejusmodi quinto extrahi debent, & non de integro aceruo bonorum, ut habetur *l. 30. Tauri, quæ est 13. tit 6. l. 5. novæ collectionis.* Ita Navarrus *in Man. capite 17. n. 158.* Molina *tract. 2. disp. 158.* apud quem plura de iure Castellæ. Navarrus. Molina.

2. Secunda legitima portio dicitur *Falcidia*, à Falcidio auctore, quæ debetur iure institutionis, & est quarta pars totius hereditatis, quam institutus hæres retinet & detrahit sibi de singulis legatis, nisi ad pias causas, si hæreditas est exhausta legalis, ut quia supra dodrantem in tres partes hæreditatis est aliquid Legatum vel fideicommissum. *Authent. Similiter, Cod. ad leg. falcid.* Vel ut alij volunt, falcidia est ea pars, quam detrahit hæres, cui debetur legitima, à legatis vel donationibus causà mortis factis, cùm testator tam multa fecit Legata, ut non reliquerit illi integram legitimam, spectata singulorum proportione, donec impleat legitimam. Si autem sit hæres, cui jure non sit debita legitima, detrahit solùm usque ad quartam bonorum, quam sibi potest servare, sicut in fideicommissis. Vide Molinam *tract. 2 disp. 213.* Molina.

3. Tertia dicitur Trebellianica à Trebellio auctore, quæ debetur iure institutionis, & quidem si hæres est institutus in tota hæreditate, cum onere eam restituendi alteri, detrahere potest quartam totius: si in dimidia cum simili onere, detrahere potest quartam illius dimidij: si in decima, detrahat quartam illius decimę: quod si testator aliquid ei certi assignet, & reliquum iubeat restitui; si illud certum non adæquat quartam partem totius, in quo institutus est, poterit detrahere de reliquo, donec compleat quartam. Ita patet ex §. *Sed quia stipulationes, Instit. de fideicommiss. hæreditatibus & l. 1. & seq. Cod. ad S. C. Trebellianum.* Idque ideò statutum est, tum ne vana sit hæredis institutio, tum ut alliciatur ad acceptandum & præstandum quod testator cupit impleri.

4 Filius in legitimam portionem vivente patre habet ius non in re, sed ad rem: dum enim pater vivit, plenum habet suorum bonorum dominium, nec legitimam filio dare [illegible] scripto compellitur: quare [illegible] vis legitima filijs debita [illegible] potest: quia parentes [illegible] & perdere [illegible] norvè [illegible] mine [illegible] to [illegible]

Digitized by Google

5. Legitima portio filiorum poteſt jure vel ex toto adimi, vel ex parte diminui conſuetudine, ſtatuto, lege, vel ſcripto jure. Ita Panormitanus *in c. Raynutius, de teſtam* & alij communiter. Hoc autem locum habet, quando filijs aliunde ſuppetunt bona unde vivant. Hinc in quibuſdam Provincijs & locis filio habenti aliunde victum neceſſarium, pater liberè poteſt legitimam portionem jure communi alioqui debitam, denegare. Eſt item alicubi, aut in more poſitum, aut peculiari ſtatuto, vel lege decretum, ut filius, qui abundè ſeipſum poteſt aliter etiam ex induſtria, labore vel arte, quæ ipſum non dedeceat, in vita tueri, legitima portione careat. Alicubi etiam eſt ſtatutum, quo decernitur, patrem minimè cogendum alere filium ſuum majorē decem & octo annis, ſi viribus filius ipſe valeat, quibus poſſit commodū ſibi victum, & amictum parare. Imò alibi etiam more vel ſtatuto permittitur, ut parentes legitima jure communi debita excludant filios ſuos, qui ipſis inuitis, vel inſcijs & inconſultis vitæ conditionem elegerunt. Et ſuſceperunt ante 25. ætatis annum. Vide Sylveſtrum *v. Legitima portio, q.* 3. ubi refert quoſdam contrarium dictis ſentientes.

Panormit.

Sylveſter.

6. Quando is, qui hæres neceſſariò inſtituendus erat, inſtitutus quidem fuit, at in minori portione quàm eſſet legitima & debita, nō ſolùm eſt validum teſtamentum ſed neque ita inſtituto conceditur actio inofficioſi adverſus illud: idque ſive portio, in qua inſtitutus fuit, ſit quota hæreditatis, ſive res aliqua certa: ſed tantùm permittitur illi actio ad ſupplementū uſque ad integram legitimam portionem. Ita *l. Omni modo, C. de inoffic. teſtam.* Idem habetur §. *Sed hæc, inſtit. eodem titulo*, & confirmat communis Doctorum ſententia, quam refert Antonius Gomez *1. to. var. c.* 11. *n* 23. Actio autem ad complementum legitimæ competit adverſus hæredes & legatarios, ut pro rata contribuant, ut cum Bartolo & alijs affirmat Gomez *loco citato*.

Gomez.

7. Legitimæ debitæ deſcendentibus nullū gravamen, modus, conditio, aut dilatio poteſt à teſtatore apponi, quòd ſi apponatur, licet hodie filio non concedatur querela inofficioſi ad annullandum tale teſtamentum, attamen gravamen illud, modus, conditio, aut dilatio, ſunt ipſo jure nulla, non ſecus ac ſi nō eſſent appoſita. Ita habetur expreſsè *l. Quoniam in prioribus, Cod. de inoffic. teſt.* Idem dicendum eſt de legitima aſcendentibus in bonis deſcendentium debita, ut affirmat ex communi Gomez *loco citato n.* 24. Proinde ſi teſtator inſtituat ſuum filium in omnibus ſuis bonis, eum tamen gravet, ut ſi diſceſſerit ſine liberis, illa reſtituat cuidam tertio, aut vinculo majoratus ſint eo ipſo affecta; tale gravamen nullum eſt comparatione legitimæ, poteritq; proinde filius de ea diſponere prout voluerit: imò verò ſi nihil diſponat, pertinebit ad ipſius hæredes ab inteſtato: validum eſt verò, quo ad incrementum ultra legitimam. Ita communiter Doctores, quos refert & ſequitur Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap.* 11. *n.* 24. & 25. Azorius *p. 2. lib. 2. cap.* 23. *quæſt.* 6.

Gomez.

Gomez.

8. Difficultas eſt inter Doctores, an legitima debita jure naturæ amittatur per crimen patris in læſam majeſtatem? Quidam enim ſuſtinent, quòd non; & proinde, qui audita condemnatione patris furtim ſubripiunt legitimam, non teneri ad reſtitutionem Principi, ſaltem in foro animæ, quia poſſunt tenere de jure naturæ, quod per ius poſitivum tolli non poteſt: tum quia pater non poteſt privare filium legitima, niſi in caſū ingratitudinis, *l. Quoniam in prioribus, Cod. de inofficioſ. teſtament.* Ita Cardinal. *in Clement. Paſtoralis, de re judic.* Summa Angelica & alij. Contrarium tamen eſt verius: quia per contractum poteſt tolli legitima, cùm debeatur deducto ære alieno. In delictis autem quaſi contrahimus: quia per quaſi contractum quis ſe obligat ad pœnam, *l. Imperatores, ff. de jur. fiſci.* tum quia legitima eſt quota bonorum, quam pater habet tempore mortis: nihil autem habet, quando ſunt confiſcata. Nec refert dicere, patrem alienare non poſſe titulo lucrativo in præjudicium filij, verum eſt, ſponte ſua, quod non contingit hic, ubi cogitur, & præterea hic ipſe non alienat, ſed ius; tum quia eſt æs alienum, non ex ſublatione, ſed ex legis condemnatione; tum quia valet talis alienatio, quando eſt coacta, & à lege. Ita Sylveſter *verb. Legitima portio, num.* 5. *quæſt.* 5. & alij apud ipſum citati.

Sylveſt.

9. Olim filius loco legitimæ parentibus ſolùm quartam ſuorum bonorum partem debebat, ita ut de tribus ſui patrimonij partibus liberè ſtatuere poſſet, quartâ parte parentibus relictâ. Poſteà verò jure Authenticarum Conſtitutionū, aucta creditur parentum legitima, ita ut tertia pars ex bonis filij, parentibus debeatur, ut habetur *in Authent. Noviſſimæ, Cod. de inoffic. teſt.* & docent Gloſ. Gloſſa. ſa, Bartholus *ibi*, & alij communiter. Alicubi verò, Bartolus. ut in Hiſpania in regno Portugalliæ & Caſtellæ legitima parentibus debita ex bonis filij ſunt duæ partes, ita ut filius legitimum patrem vel matrem habens, ſolùm liberè teſtari queat de tertia ſuorum bonorum parte.

10. Falcidia in multis caſibus ceſſat. *Primò*, in his, quæ ſic legantur, quòd alienari non poſſunt, ut perveniant ad ſucceſſores ejus, cui relicta ſunt. *Secundò*, in his, quæ ad pias cauſas relinquuntur. Si tamen Eccleſia vel pius locus inſtitueretur hæres, tunc detraheretur Falcidia de legatis factis alteri Eccleſiæ, vel pio loco, quia currit privilegium cum privilegio, & ſic concurrentibus privilegijs utuntur iure communi. *Tertiò*, ſi teſtator certus de quantitate ſui patrimonij prohibeat expreſsè deduci Falcidiam. *Quartò*, ſi hæres non fecerit inventarium ſecundùm modum & tempus ſtatutum à jure. *Quintò*, ſi hæres intra legitimum tempus, id eſt, intra annum à juſſu judicis computandum, voluntati teſtatoris non paruerit. *Sextò*, de legato dotis. *Septimò*, in libertate legata. *Octavò*, quando legatur inſtrumentum rei alterius. *Nonò*. quando occultavit, vel negavit res hæreditatis. Ita Molina *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 213 Sylveſter *verb. Legitima*, *quæſt.* 9. cum alijs ab ipſis citatis.

Molina. Sylveſt.

11. Quarta Trebellianica ſimiliter in multis caſibus ceſſat. *Primò*, in Legatis ad pias cauſas. *Secundò*, ſi teſtator prohibuit. *Tertiò*, quando ſubſtitutio evaneſcit; puta, quia reſtituere rogatus ſi decederet ſine liberis, vel non maritaretur, & hujuſmodi, ingrederetur Religionem. *Quartò*, quando ſolo judicis officio compulſus adijt hæreditatem: quia totum reſtituet. *Quintò*, in fideicommiſſo univerſali relicto ad pias cauſas. Quod univerſale dicitur, quando tota hæreditas venit reſtituenda, ſicut dicitur particulare, quando reſtituenda veniunt ſolùm quædam particularia bona. *Sextò*, amittitur per negationem fideicommiſſi in qualitate vel quantitate facta, ſi ille, cui fideicommiſſum eſt factum, probaverit qualitatem vel quantitatem fideicommiſſi. De his vide Molinam *tract. 2. de juſtit. diſp.* 187. apud quem plura, & Sylveſtrum *loco citato numero* 12. *quæſt.* 12.

Molina. Sylveſt.

Hęc dicta ſint de jure cōmuni Cæſareo, ſecluſis Regno

Digitized by Google

Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum & aliorum locorum legibus & conſuetudinibus, quæ inibi ſequendæ ſunt.

Vide v. Fiſcus *num.* 7. Hæres *num.* 5.

LEGITIMATIO.

SVMMARIVM.

1 *Legitimatio quid & quotuplex.*
2 *An Papa poſſit legitimare quoad temporalia extra terras ſibi temporaliter ſubiectas?* Refertur duplex ſententia.
3 *An Summus Pontifex extra loca ſuæ temporalis iuriſdictionis, poſſit legitimare prolem quoad temporalia, ſi nata non fuit ex matrimonio irrito præcedenti.*
4 *An Pontifex poſſit legitimare prolem genitam quando matrimonium fuit irritum propter impedimentum iuris naturalis, aut diuini.*
5 *Quando cenſeatur Pontifex diſpenſare in radice matrimonij & legitimare quoad omnia, in terris ſibi temporaliter non ſubiectis.*
6 *An cenſeatur proles legitimata, quando Pontifex diſpenſat, ut matrimonium irritum denuò incatur.*
7 *In quo differat legitimatio, à diſpenſatione.*
8 *Quid reſtitutio naturalium requirat, ut vim & locum habeat.*
9 *An requiratur conſenſus filij & patris, ut Princeps poſſit filium legitimare.*
10 *An filius naturalis vel ſpurius poſſit legitimari à Principe ex conſenſu patris, ſi legitimi filij non conſenſerint.*
11 *Ad quid conferat poteſtas legitimandi prolem conceſſa in diſpenſationibus Sanct. Pœnitentiæ.*

1. LEgitimatio eſt *natalium reſtitutio quoad ea, quæ filijs illegitimis poſitivo iure denegata ſunt.* Pro genere ponitur reſtitutio natalium. Loco differentiæ apponuntur cætera; per quæ excluditur omnis alia natalium reſtitutio, quæ legitimatio non eſt, nempe reſtitutio libertatis ei mancipio facta, quod ex matris ventre ſeruitutem contraxit, & aliæ ſimiles natalium reſtitutiones, vel abolitiones inhabilitatum, à nativitate quidem prouenientium, at ex alio capite, quam quod ex legitimo matrimonio natus quis non ſit. Porrò in eadem definitione exprimitur, quod inhabilitates quæ legitimatione abolentur, ex iure poſitivo habuerunt ortum.

Legitimatio eſt duplex; quædam iuris diſpoſitione; atque hæc ſolùm fit per ſubſequens matrimonium, neque comparatione omnium filiorum, ut dicetur infrà. Eſt tamen pleniſſima; eo quòd Canonico iure & ciuili meritò ſtatuta ſit, idque abſque ulla inhabilitatis reſeruatione, quæ utrouis iure introducta ſit. Ex *cap. Tanta, & c. 1. qui filij ſint legit. l. nuper, Cod. de natur. liber. & §. ult. Inſtitut. de nuptijs.* Alia verò eſt per reſcriptum Principis, qui ſupra ius, quo inhabilitates illegitimorum introductæ ſunt, poteſtatem habet, aut alicuius alterius, qui à tali Principe ad id habet facultatem.

Rurſus legitimatio duplex eſt, una ad Eccleſiaſtica iura, ordines, beneficia: quam ſolus Papa, tanquam ſupremus in Eccleſia Princeps, cuicumque voluerit illegitimo, iure proprio & Ordinario, conferre poteſt. Altera eſt legitimatio ad ciuilia iura, puta hæreditatum ſucceſſiones, officia, ac dignitates: quam quilibet Princeps in temporalibus, aut Reſpublica libera ſubditis ſuis, etiam proprijs liberis, quin & Clericorum filijs, etiamſi ipſi quoque Clerici ſint, arbitratu ſuo conferre poteſt. Ita ex communi docent Abbas *in cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi, n.* 13. Molina *tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 171. & 173. Couarruuias *in epit. p.* 2. *c.* 8. §. 8. *n.* 16. & 18. Vaſquez *de teſtam. c.* 5. *n.* 54. & alij. Quamvis Diana *p.* 1. *tr.* 2. *reſol.* 112. doceat Principem laicum non poſſe legitimare Clericum. Abbas. Molina. Couar. Vaſquez. Diana.

2. Difficultas eſt maxima inter Doctores, an Papa legitimare poſſit quoad ſucceſſionem hæreditariam & alia temporalia extra terras ſibi temporaliter ſubiectas? id eſt, an Pontifex diſpenſando in matrimonij irriti radice, quando impedimentum ob quod id matrimonium fuit irritum, eſt iure Pontificio inductum, poſſit legitimare filios ex eo ante matrimonij diſpenſationem natos, & efficere ut diſpenſatio illa retrotrahatur ad tempus, quo id matrimonium irritum contractũ eſt, ita ut cenſeatur quaſi à principio faiſſet validè initum? Et quidem pro parte negatiua faciunt, quòd Summus Pontifex non habet ad præteritum potentiam, ut validum matrimonium efficiat, quod validum reipſa non fuit, & ut non adfuerit impedimentum illud Canonicum, quod verè affuit tempore contracti illius matrimonij, eo quòd in illo non fuerit diſpenſatum: quare diſpenſare iam non poterit, ut à principio non adfuerit, ac proinde ut non fuerit nullum matrimonium, quod nullum ob id impedimentum re ipſa fuit. Quo fit, ut ſine novo contrahentium conſenſu, novoque inter eos matrimonij contractu, poſt impedimentum ſublatum, non poſſit inter eos eſſe legitimum matrimonium, nec proles legitima generari. Et confirmatur, quia aut diſpenſare in radice matrimonij eſt efficere, ut matrimonium illud reddatur ab initio validum; & hoc nõ ſubeſt Pontificiæ poteſtati: aut eſt tollere effectus ex eo matrimonio irrito productos, & hoc non poteſt Summus Pontifex quoad effectus ciuiles extra propriæ iuriſdictionis temporalis loca; hoc enim eſſet directè legitimare prolem quoad ſæcularia. Et ideò hujus ſententiæ ſunt Molina *tr.* 2. *diſp.* 614 *n.* 3. Anton. *in cap. per venerabilem, n.* 10. *fin. qui filij ſint legitimi,* & alij iuriſperiti. Verior tamen & communior ſententia eſt, id poſſe Pontificem. Probatur, quia radix & origo, ex qua conſurgit ut proles ſit illegitima, ac ſubinde incurrat illegitimitatis damna, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue ſæcularia, eſt lex Eccleſiaſtica, qua ſtatutum eſt, ut id impedimentum in eo matrimonij contractu repertum, illum dirimat: ac ea non ſtante matrimonium fuiſſet validum, ac proles legitima, nec ea damna incurriſſet. At Pontifex poteſt ſuam legem irritare & reuocare quoad effectus iure humano ex ea ſecutos, & non tantùm quoad in poſterum incurrendos, efficiendo ut non incurrantur, ſed etiam quoad iam incurſos, abolendo illos, ac ſi ea lex edita nunquam fuiſſet. ut conſtat ex *Clem. unic. de immun. Eccl.* ubi Clemens V. reuocat quaſdam prædeceſſorum conſtitutiones, etiam quoad effectus antea productos. Nec hoc eſt directè diſpenſare in lege ciuili & effectibus ejus, ſed indirectè & per quandam conſequentiam: quia, ſcilicet, lege ciuili incurruntur ea damna à prole, ſuppoſita legis Eccleſiaſticæ firmitate irritantis prædictum matrimonium; ex qua ſubſecutum eſt ut matrimonium ſit irritum, & ſubinde proles ex eo concepta illegitima, ac ſubdita omnibus illegitimitatis damnis iure ciuili ſtatutis. Cùm ergo Pontifex ſua diſpenſatione in ipſa matrimonij radice tollat directè firmitatem illius le- Molina. Antonius. Clem. V.

gis Eccleſiaſticæ, eamque prorſus aboleat, perinde ac ſi lex illa nunquam prodijſſet, efficiet indirectè & per quandam conſequentiam, ut ea omnia dãna ceſſent, utpote quę ex legis Eccleſiaſticæ firmitate pendebant. Ita pluribus adductis rationibus docet Sanchez *de matrim. l. 8. diſp. 7. n. 4.* cum 38. Doctoribus ibi citatis; ſed quia quibuſdam Miniſtris Principum hæc opinio non placuit, curarunt hunc numerum ex operę P. Sanchez in pleriſque editionibus expungi. quod animadvertens Sacra Congregatio Indicis die 4. Febr. 1627. prohibuit & pro prohibito decrevit opus Sanchez, de matrimonio, ubi prædictus numerus quartus expunctus & deletus fuerat. Confirmat hanc ſententiam Diana *p. 8. tr. 1. reſol. 75.*

Sanchez. S. Congr. Diana.

3. Non poteſt Pontifex legitimare prolem quoad temporalia & ſæcularia, extra loca ſuæ temporalis iuriſdictionis, quando nata fuit nullo præcedenti matrimonio irrito, ſed ex conçubitu omninò fornicario; cùm nulla ſit matrimonij radix, in qua directè diſpenſando, legitimet indirectè & per quãdam conſequentiam: id enim eſſet ligitimare directè quoad temporalia, quod ſuæ poteſtatis minimè eſt. Quia ſicut Princeps ſæcularis nequit legitimare quoad Eccleſiaſtica, eò quòd careat iuriſdictione Eccleſiaſticá, cujus id eſt, ſic nec Pontifex extra ea loca poteſt quoad temporalia; niſi cauſa ardua accideret, in qua validè Religioni Chriſtianæ expediret ea legitimatio: puta, quando ſæcularis Princeps, ad quem alioquin ea legitimatio ſpectat, eam efficere renueret, aut non tam citò vellet, aut poſſet, ut res poſtulat: quia in ordine ad bonum ſpirituale, integrum eſt Pontifici ſæcularium Principum negligentiam ſupplere, ut communiter tradunt Doctores *in cap. Per venerabilem, qui filij ſint legitimi*, Covarruvias *4. decret. 2. p. c. 8. n. 16. & 18.* Molina *tr. 2. diſp. 173. init.* & alter Molina *l. 3. de primogen. c. 2. n. 11.* Sanchez *loco citato n. 1. & 7.* cum alijs.

Covar. Molina. Sanchez.

4. Quando impedimentum irritans matrimonium erat iuris divini naturalis, non poteſt Pontifex prolem ex eo matrimonio genitam legitimare: quia radicem nullitatis illius matrimonij nequit Pontifex diſpenſãdo auferre. Proinde quãdo matrimonium fuit nullum defectu conſenſus in utroque vel altero contrahente, non poteſt Pontifex diſpenſare in radice illius: quia eſt de iure naturali irritum: nec poteſt ejus radicem tollere ſupplendo conſenſum, ut fatentur univerſi Doctores. Sed dubium eſt, quando proles genita eſt ex profeſſo, vel in ſacris conſtituto, an poſſit Pontifex ita diſpenſare in radice hujus matrimonij, ac diſpenſat, quando ſolùm iuris Pontificij impedimentũ adeſt: nam licet valeat Pontifex diſpenſare in impedimento voti profeſſionis ſolemnis, juxta probabiliorem ſententiam, nequit tamen ita plenè, atque quoad effectus præteritos, ac quãdo eſt de ſolo iure Pontificio impedimẽtum. Quod autem votum ſolemne caſtitatis in profeſſione Religionis emiſſum dirimat iure divinò naturali matrimoniũ ſubſequens, tenent D. Th. *2. 2. q. 88. a. 11.* & alij multi probabiliter. Proinde ſecundùm hanc ſententiam dicendum eſſet, non poſſe Pontificem in hoc caſu diſpẽſare in radice ejus matrimonij. Sed quia etiam probabile eſt, ne dicã probabilius, votum profeſſi ſolo iure Pontificio dirimere matrimonium, etiam probabile erit id poſſe Pontificẽ, nec in hac re ullã impedimenti ſolùm impediẽtis iure naturali habendã eſſe rationem. Quia cùm ex ea parte non impeditus ſit matrimonij valor, non inde illegitimitas & cetera damna pullularunt. De voto autem Ordinis ſacri non eſt tantum dubiũ,

D. Thom.

quin poſſit Pontifex diſpenſare in radice illius matrimonij cum eo ordine initi, quia ferè eſt certũ, ſolo iure Eccleſiaſtico dirimere matrimonium. De his vide Sanchez *de matr. l. 8. diſp. 7. n. 8. 9. & 10.*

Sanchez.

5. Cenſetur Pontifex in matrimonij radice diſpenſare ac conſequenter legitimare prolẽ quoad omnia, etiam in terris ipſi temporaliter non ſubiectis, quando explicat ſe diſpenſare in matrimonio irritè contracto, ut ex tunc, id eſt, ut ab initio contractûs legitimum cenſeatur, quia clarioribus verbis ſuam mentem diſpenſandi in matrimonij radice non poteſt explicare. Quare etſi Pontifex diſpenſet in matrimonio irrito, ut denuò celebretur, diſpenſet ſimpliciter cum prole ex eo matrimonio nata, non cenſetur tamen in matrimonij radice diſpenſare, ac omninò legitimare prolem, ſed tantùm legitimat eam quoad ſpiritualia, ſicut ſi extra matrimoniũ nata eſſet. Ratio eſt, quia cùm diſpenſatio ſit ſtricti iuris, non de omni legitimatione intelligenda eſt, ſed de ea, quæ iure proprio convenit Papæ, ut Papa eſt. Et idem dicendũ eſt, licet diſpenſatio ea eſſet erga perſonas ſubiectas temporali Papæ juriſdictioni; quia cùm has diſpenſationes Pontifex ut talis expedit, non cenſetur uti juriſdictione temporali ad legitimandum, niſi id exprimat. Tum quia Doctores petunt ipſummet matrimonium legitimari, ut proles in radice illius cenſeatur legitimata, ut pluribus adductis docet Sanchez *loco citato n. 20. 21. & 22.*

Sanchez.

6. Quando Papa diſpenſat ut matrimonium ſemel contractum invalidè ob impedimentum iure Pontificio dirimens, iterum ineatur, hæc diſpenſatio nullatenus ſeruit ut proles ante diſpenſationẽ nata aliquo modo legitimetur. Ratio eſt, quia diſpenſatio eſt ſtricti iuris & non extenditur ultra expreſſa. Sed diſpenſatio ſolùm fuit ad matrimonium ineundum, nulla prolis mentione facta; nec poteſt dici eam prolem in conſequentiam matrimonij legitimari cùm ſit ſpuria. Si tamen proles illa quamvis ante diſpenſationem concepta, naſceretur poſt diſpenſationem expeditam ab Ordinario & ante matrimonium initum, eſſet naturalis & per conſequens legitimaretur quoad omnia per ſubſequens matrimonium, inter parentes illius cõtractum, iuxta *cap. Tanta, qui filij ſint legit.* Ratio eſt, quia tempore, quo proles illa nata eſt, iam abolitum erat impedimentum per præcedentem diſpenſationem; atque ita poterat inter ejus parentes matrimonium conſiſtere abſque nova aliqua diſpenſatione. Vide Covarruviam *4. decr. 2. p. c. 8. §. 8. n. 13* Molinam *tr. 2. diſp. 624. n 3. fin.* & *diſp. 172. verſ. Filius naturalis.* Sanchez *loco cit. n. 18. & 19.*

Covar. Molina. Sanchez.

7. Legitimatio ſeu natalium reſtitutio, à relaxatione, quâ filius, qui alioqui legitimus non eſt, lege & iure ſolvitur, quam relexationem iuris diſpenſationem appellant; differt in hoc, quòd per legitimationẽ quis omnia legitimorum iura adipiſcitur. Unde non fit ex parte tantùm legitimus, ſed ex toto. At per relaxationem non fit quis habilis ad omnia iura, quæ ligitimis conveniunt, ſed ſolùm ad certa quædam iura. Unde relaxatio ſtricti iuris eſt, nec ad plura trahi poteſt, quàm verba ſignificent. Ita ex communi Covarruvias *in epit. p. 2. c. 8. § 8. n. 1.* Proinde quando quis privilegio Principis eſt legitimus factus, habendus eſt pro legitimo, & tranſit in patriam poteſtatem, habetque ius dicendi nullum eſſe teſtamentũ patris, vel eſſe inofficioſum, & ſuccedit parentibus ab inteſtato, & debetur ei legitima portio ex bonis parentum: quia ſimpliciter eſt legitimus: non enim poteſt quis partim eſſe legitimus, & partim non legitimus, ut ait Gloſſa *in c. ult. de clandeſt. deſponſ. in verb.*

Covar. Gloſſa.

Si

Si amboparentes: quemadmodum nequit aliquis esse partim servus & partim liber, *l. si duobus ff. de statu liber.* Et hanc opinionem teste Covarruvia *loco citato n.* 3. & 4. esse communi consensu receptam, dicunt Iason, Tiraquellus, Socinus & alij.

Covar. Iason. Tiraquell. Socinus.

8. Inter omnes convenit, ut legitimatio vim & locum habeat in ejus petitione & impetratione, ne subreptitia iudicetur, id exprimi debere, quod impediret omninò, quo minùs Princeps naturalem & spurium natalibus restitueret, vel saltem impediret, ne citò & facilè id concederet. *Ex cap. Postulasti, de rescript.* Quo fit, ut exprimenda sit ipsius filij qualitas & conditio: videlicet, an naturalis sit, an natus ex incestu, ex adulterio, ex sacrilegio. Item, si ex adulterio, an ex duplicato, sive geminato, id est, an ex patre, & ex matre uxore aliena. Si ex incestu, an natus sit ex sorore, ex filio, ex nuru, matre, vel fratris uxore. Si item ex sacrilegio, utrum ex Sacerdote, vel clerico in sacris Ordinibus constituto, an ex religioso viro. Item utrum ex Sacerdote & religioso simul, & moniali Deo sacrata. Item utrum ex incestu simul, & adulterio, hoc est, ex consanguinea vel affine uxore aliena: vel utrum ex incestu pariter & sacrilegio, ut ex religioso & moniali, consanguinea, vel affine. Ratio horum omnium est, quia hę qualitates possunt Principem movere ad denegandam natalium restitutionem seu legitimationem, vel certè ad concedendam eam difficulter. *Ita* ex communi Covarruvias *in Epitom. p.* 2. *c.* 8. §. 9. *n.* 1. 2. 3. & 4.

Covar.

9. Ut Princeps possit natalibus restituere seu legitimare filium, necessarius est ipsius filij consensus, qui legitimus fit: quia filius eo ipso quod legitimus fit, transit in patriam potestatem & definit sui iuris esse: ergo ejus consensus postulandus est. *Authentic. Quibus modis natural. efficiant. legitim.* § *Generaliter.* Imò necessarius est etiam patris consensus, si vivat. Mortuo verò patre, Princeps non potest filium facere legitimum, nisi vocentur ipsius patris intestati successores. Ratio hujus est, quia post obitum patris, ius succedendi in bonis ejus est delatum cognatis, sive agnatis: unde cùm ius ad illos pervenerit, vocandi sunt, ne Princeps ipsorum iuri quæsito noceat; secus tamen est, si princeps id faciat ex voluntate præterita Patris dum vixit. Quare Princeps non potest natalium restitutionem concedere, postquam hæreditas est adita à cognatis vel agnatis parentis, ut habet communis opinio Doctorum.

10. Filius naturalis vel spurius non potest auctoritate Principis fieri legitimus etiam vivente & annuente patre, si filij naturales & legitimi ipsius patris non consenserint. Ratio est, quia hujusmodi natalium restitutio maximè nocet prædictis filijs: sic enim legitima portio eis debita minueretur absque eorum consensu: & ideò necessarius est eorum consensus, ne damno afficiantur. Quare necesse est, ut certior fiat Princeps de filijs naturalibus & legitimis extantibus; alioquin subreptitia censetur natalium restitutio si mentio illorum filiorum facta non sit, ut ex Baldo, Alex. & alijs docet Covarruvias *loco citato in n.* 7. apud quem plura de legitimatione filiorum.

Baldus. Alexand. Covar.

11. Potestas legitimandi prolem concessa in dispensationibus sacræ Pœnitentiariæ, confert ad hoc, ut proles succedere possit utrique parenti, accedere ad Ordines, recipere quodcumq; beneficium, promoveri ad omnia officia spiritualia, & tẽporalia, pro solo tamẽ foro cõscientię. Unde fit, ut si taliter legitimato beneficium conferatur, & posteà manifestetur impedimentũ, spoliari possit beneficio obtento; quamquàm si ex parte alterius coniugis extet bona fides, proles in utroque foro sit legitima. quo casu in dispensatione apponitur clausula decernens legitimam esse prolem, solùm ad tollendos scrupulos. Ita Castrus Palaus *tr.* 3. *disp.* 6. *p.* 15. §. 1. *n.* 14. Sanchez *de matrim. disp.* 7. *n.* 16. *l.* 8. Qui novissimus bene advertit prolem susceptam non manere legitimam in casu, quo dispenset ad matrimonium validè contrahendũ, nisi Cõfessarius, qui expedit dispẽsationem, explicet se cum ea dispensare. Quod non evenit in prole suscipienda post matrimonium initũ, cùm hæc ex natura rei sit legitima, utpote orta ex legitimo matrimonio. Quòd si Cõfessarius dispensato impedimento matrimonij, omittat decernere prolem susceptam legitimã, potest id posteà prẽstare, cùm nondũ plene functus sit officio suo omittens partem sibi commissã: imò quilibet alius Cõfessarius approbatus potest id exequi, licet prior adiri possit. Cùm enim Confessarius sit iudex in foro conscientię, ex eo quod prior cõfessarius cœpit exercere iurisdictionẽ in hoc casu, non tollitur, quin alius possit adiri; cùm hæc duo peti possint consulto à duobus: sicut tempore Iubilei concedentis commutationem votorum, & absolutionem reservatorũ, licitũ est pro absolutione reservatorũ adire unum Confessarium, & alium pro votorum commutatione, ut monet Sanchez *loco cit. n.* 17.

Palaus. Sanchez. Sanchez.

De legitimatione Vide suprà verb. Irregularitas 1. *num.* 14. & 15.

LEX I.
De lege naturali, veteri & Euangelica.

SVMMARIVM.

1 *Lex quid & unde dicta.*
2 *An lex naturalis sit propriè lex præcipiens, an solùm indicans quid agendum vel cavendum sit?* Refertur duplex sententia.
3 *An lege divina naturali Deus dispensare possit.*
4 *An lex Moysis fuerit bona, iusta & sancta.*
5 *An lex vetus fuerit lata ab ipso Deo.*
6 *Qua sit dicenda lex vetus, & in quibus libris Sacræ Scripturæ contineatur.*
7 *Præcepta legis veteris reducuntur ad* Moralia, Cæremonialia, & Iudicialia, *& quot sint.*
8 *An præcepta moralia veteris legis nunc obligent Christianos.*
9 *An lex Mosaïca continens præcepta cæremonialia abrogata fuerit in ipsa morte Christi.*
10 *An præcepta iudicialia evacuata sint per Christum sicut cæremonialia.*
11 *An statim à morte Christi illicitum fuerit sub mortali legem veterem servare.*
12 *Lex Euangelica quibus nominibus denominari soleat à Doctoribus.*
13 *An lex Euangelica sit propriè lex præceptiva.*
14 *An præcepta legis Euangelicæ dividantur in præcepta moralia secundùm legem naturæ, & Sacramentorum, & fidei.*
15 *Variæ differentiæ adducuntur, in quibus lex Euangelica differt à veteri.*

1. LEgis nomen multis modis à Doctoribus denominari solet; à Theologis enim & cõmuniter lex appellatur; à Legistis utriusque iuris Doctoribus appellatur ius; à Græcis dicitur νομὸς, ab Hebræis Thorah, à Caldæis Huraretha: quibus, alijsque nominibus secundùm diversitatem

idiomatum, licet idem ſignificetur, non tamen in nominis & vocis Ethymologia omnes conveniunt. Nam Cicero *l. 1 de leg.* legem à legendo activè interpretatur, ab eligendo, ſeu deligendo; eo quòd lex debet eſſe ſelecta, & magna cum prudentia & circumſpectione ferenda, vel quod unicuique oſtendere debet, quid ei deligendum ſit.

Cicero.

Alij exiſtimaverunt legem fuiſſe dictam à legendo paſſivè, vel quia ſcripta in tabulis, ſive in paginis eſſe debet, ut ab omnibus legi poſſit. Ita D. Iſidorus *l. 2. Ethymol. c. 10. & lib. 5. c. 3.* vel ſecundùm alios, lex dicta eſt à legendo paſſivè, quia quando lex ferebatur ab Imperatoribus, ſcribebatur in tabulis æreis, ſive marmoreis, & in loco publico ponebatur, ut ab omnibus poſſet legi: vel dicitur à legendo, quia lex ſæpè legendo eſt in corde tenenda & meditanda, ut mentem inſtruat & illuminet. Hanc expoſitionem amplexus eſt Sotus *lib. 1. de iuſtit. & iur. q. 1 art. 1.* cum alijs.

D. Iſidor. Sotus.

Alij volunt, quòd lex, ſecundùm propriam nominis Ethymologiam à ligãdo derivetur, eo quòd proprius effectus legis eſt ligare, ſeu obligare ſubditos ad illam obſervandam. Ita D. Thomas 1. 2. *q. 90. art. 2.* & alij communiter Thomiſtæ, quibus addendus eſt Suarez *de leg. lib. 1. cap. 1. n. 9.* Salas *de leg. diſp. 1. ſect. 1. quæſt. 1.*

D. Thom. Suarez. Salas.

Ex quibus omnibus colligitur, quòd lex debet eſſe prudenter & cum maxima diligẽtia & matura conſideratione ſelecta & inſtituta: debet inſuper eſſe ſcripta, ut ab omnibus legi poſſit, vel ſaltem in cordibus hominum deſcripta: & debet eſſe obligatoria, adſtringens homines ad eam obſervandã.

2. Controvertitur inter Theologos, an lex naturalis ſit lex divina præceptiva & habeat rationem legis ex eo, quòd Deus voluit, & vult ad illam obligare rationalẽ creaturã ad ſervanda ea, quæ ſunt de dictamine rationis rectæ, & ad fugienda oppoſita: ſive potiùs ſit tantumodò lex indicativa, quid agendum ſit, vel cavendum demonſtrans, & per conſequens non ſit aliud niſi ipſum rectæ rationis dictamen præciſa quacumq; Dei voluntate? Quidam ſentiunt legem naturalem eſſe veram & propriam legem divinam præceptivam, includentem actum divinæ voluntatis. Ratio eſt, quia peccatum contra legem naturalem eſt offenſivum Dei, continet enim virtualem contemptũ legis ipſius Dei; ſed tranſgreſſio legis naturalis eſt verè peccatum, ergo eſt violatio divini & cæleſtis mandati, & cõſequẽter lex naturalis non eſt ſimpliciter lex indicativa, ſed præceptiva: ideoq; non conſiſtit præciſè in dictamine intellectus noſtri, quia ſic non haberet rationem verę legis obligatorię ad peccatũ, quia depoſito tali dictamine nõ eſſet ampliùs lex obligatoria, quod non eſt dicendum. Ita Suarez *de leg. l. 2. cap. 6. n. 5.* cum ſuis aſſeclis, dicentibus D. Thomam eſſe hujus opinionis, quamvis in rei veritate D. Thomas aliud ſentire videatur.

Suarez.

Verior tamen ſententia ſuſtinet, legem naturalem non eſſe propriè legem præcipientem, ſed indicantẽ, quid agendum, vel cavendum ſit, & quid ex natura rei ſit intrinſecè bonum vel malũ, ideoque non eſſe aliud, niſi dictamen rationis oſtendens, quid faciendũ, aut fugiendũm, ne Deus mediante tali actione offendatur. Probatur, quia ſi lex naturalis eſſet ſimpliciter præceptiva, & non indicativa, ſequeretur quòd non diſtingueretur à lege Divina poſitiva: nam lex naturalis nihil aliud eſt, niſi ipſamet rationalis natura, cui tãquã regulæ bonæ actiones conveniunt, & malæ diſconveniunt, & ideò dictamina conſcientiæ ſunt intrinſecè neceſſaria & indepẽdentia ab omni voluntate præcipientis etiam Divina: quamvis enim Deus nihil præcipiſſet, vel prohibuiſſet, adhuc mentiri, homicidium facere, Deum non colere, Mœchari, & furari, &c. eſſent opera mala peccaminoſa & cavenda: non enim ideò ſunt mala, quia prohibita, ſed ideò prohibita, quia ſunt mala. Patet hoc in Angelis, qui in illa prima morula, dum eſſent viatores, noluerunt Deum colere & adorare, & mortaliter peccaverunt, ideóque tanquam rebelles de cæli habitaculo ejecti, æternis ſupplicijs cruciandi ad gehennam fuerunt juſtiſſimè condemnati, tanquam tranſgreſſores divinæ legis naturalis faciendo contra dictamen veræ rationis, quod dictabat Deum creatorem eſſe colendum & adorandum. Similiter patet in Cain filio Adæ, qui occidendo Abel fratrem ſuum peccavit mortaliter, licet adhuc non fuiſſet publicata lex divina poſitiva, non occidendi: eo quòd ipſum conſcientiæ dictamen lumine naturali cognitum erat lex ſufficiens ad obligandam rationalem creaturam ad malum fugiendum, bonumq; ſectandum, mediante lumine naturali cognitum: quare iuſtiſſimè ab ipſo Deo fuit maledictus ſuper terrã: nam qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Proinde hanc ſententiam amplectuntur Vaſquez *in 1. 2 q. 97. c. 3. n. 8.* Clavis Regia *l. 3. c. 2. n. 6.* Salas *de leg. tr. 14. diſp. 1. ſect. 6. & diſp. 5. ſect. 4.* Filliucius *tr. 21. n. 401.* & alij dicentes, hanc eſſe expreſſam ſententiam D. Thomæ *in 1. 2. q. 93. art. 1.*

Vaſquez. Clav. Reg. Salas. Filliucius. D. Thom.

3. In lege divina naturali ſunt aliqua præcepta, quæ ſemper & ad ſemper obligant, circumſcriptis quibuſcumque conditionibus & circumſtantijs, ideóque in illis nunquam ceſſat obligatio qualia ſunt illa præcepta, quæ prohibent malum abſolutè, quod eſt intrinſecè malum, uti eſt pernicioſum mẽdacium, periurium, odium Dei, Idololatria & ſimilia, quæ in nullo caſu poſſunt fieri licita, quibuſcumque poſitis circumſtantijs, ideoque Deus in iſtis diſpenſare non poteſt, quia tunc faceret contra rectam rationem juſtitiæ, & contra ſuam ipſius bonitatem & decretum ſuæ æternæ legis, quæ immutabilis eſt. Verum, ſunt aliqua præcepta etiam ſecundùm ius naturæ, quæ non obligant ita ſimpliciter & abſolutè quoad ſemper, ſed ſolummodò permanentibus, quibuſdam circumſtantijs, quibus deficientibus & mutatis non obligant ita riporosè; ideoque in iſtis quandoque poteſt fieri aliqua diſpenſatio.

Proinde Deus diſpenſavit cum Abraham, ut poſſet licitè occidere filium ſuum Iſaac, immolando illum ipſi Deo præcipienti talem actionem fieri ad tentandam obedientiam ipſius Abrahæ: & tunc Abraham non occidiſſet filium ſuum privata auctoritate ſed Dei. Homicidium autem non eſt ſimpliciter prohibitum ſecundùm ſe, ſed quãdo fit privata auctoritate contra legem juſtitiæ.

Similiter dicendum eſt de diſpenſatione facta cum Oſea Propheta, non enim diſpenſavit Deus cum illo, ut poſſet licitè cum muliere fornicari contra legem ipſius Dei, ſed præcepit Oſeæ ut duceret ſibi in uxorem mulierem fornicariam, & cognoſceret eam amore maritali, pro ut explicant Sancti Patres & Theologi communiter.

Idem dicendum de Iſraëlitis, quibus conceſſit Deus tollere fraudulenter vaſa Ægyptiorum: In hoc enim caſu Iſraëlitæ non commiſerunt furtum, quia non tulerunt res alienas, ſed ſuas, ſeu ſibi debitas ex ſententia & donatione Dei, qui eſt univerſorum Dominus. Ita D. Thomas 1. 2. *q. 100. art. 8.* Sylvius, Cajetanus, Medina, *ibid.* Suarez *l. 2. de leg. cap. 15.* Salas *de legat. tract. 14. diſput. 5. ſect. 9.* Tannerus *diſput. 5. quæſt. 2. dub. 4. in 1. 2.* & alij plures.

D. Thom. Sylvius. Cajetan. Medina. Suarez. Salas. Tanner.

4. Certiſſi-

4. Certiſſimum eſt, legem Moſaicam ſeu veteris teſtamenti, fuiſſe bonam, juſtam, & ſanctam, ut definitum fuit in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Pobatur autem *Primò*, ex Scriptura. Pſalm. 18. num. 8. dicitur de ea. *Lex Domini immaculata, convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.* Et Apoſtolus ad Romanos *cap. 7. num. 12.* ait: *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, juſtum & bonum.* Probatur *Secundò*, ratione. Nam cauſa efficiens principalis utriuſque legis, tam veteris, quàm novi teſtamenti fuit Deus optimus maximus, qui cùm ſit ſumma bonitas, non potuit eſſe inſtitutor niſi legis bonæ & ſanctæ: tum quia lex illa erat rectæ rationi conſentanea & valde utilis populo cui data erat; nam volebat ut filij Iſraëlitæ recognoſcerent ſe eſſe peccatores, & proinde ſibi opus eſſe Salvatore, & indigere gratia Dei, mediante Chriſto venturo. Quod cùm cognoviſſent, cœperunt illum ſummo cum deſiderio expectare, ideoque homines mediante tali lege diſponebantur ad recipiendum ſalvatorem & redemptorem, juxta illud ad Galatas 3. *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto.* Ita D Thomas 1. 2. *quæſt.* 98. *art.* 1. Sylvius *ibidem*, Valentia *tom.* 2. *diſp.* 7. *q.* 7. *punct.* 1. Salas *de leg. tract.* 14. *ſect.* 1. *num.* 2. & alij communiter.

Innoc. III. Conc. Lat. — D. Thom. Sylvius. Valentia. Salas.

Ceterùm licet lex vetus fuerit bona, tamen erat imperfecta: quia nec ipſa, nec eius Sacramenta & Sacrificia poterant gratiam conferre, quæ eſt medium neceſſarium ut perveniri poſſit ad ſpiritualem & æternam felicitatem, quæ eſt finis divinæ legis.

5. De fide eſt, totã legem veterem latam fuiſſe ab ipſo Deo tanquam proprio & immediato legiſlatore, & eſſe legem divinam propriè dictam. Unde in Conc. Toletano I. Aſſertio fidei habet, *Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum eſſe priſcæ legis, alterum Euangeliorum, anathema ſit.* Et in Concil. Trid. *ſeſſ.* 4. dicitur, quod utriuſque teſtamenti unus Deus ſit auctor.

Concil. Tolet. I. — Con. Trid.

Et ideò tota lex ſcripta, quæ habetur in quinque libris Pentateuchi à Moyſe deſcriptis, eſt vera lex divina propriè dicta, cuius Deus ipſe fuit proximus & principalis auctor. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Thomæ 1. 2. *q.* 98. *art.* 2. Sylvij, Medinæ *ibidem*, Suarez *de leg. lib* 9. *c.* 2. Becani 1. 2. *tract.* 3. *c.* 4 *q.* 2. *concl.* 1. Ratio eſt: nam eiuſdem eſt proponere finẽ & diſponere media ad finem: Sed lex Euangelica fuit finis legis Moſaicæ: ergo idem Deus, qui eſt auctor legis Euangelicę, eſt etiam auctor Moſaicę legis. Tum quia lex vetus erat figura earum rerũ, quæ certò & infallibiliter futuræ erant, ut conſtat ex 1. Cor. 10. Solus autem Deus potuit præceptis & factis præfigurare res futuras infallibiliter, præſertim ex ſola Dei voluntate pendentes: ergo ſolus ipſe potuit eſſe auctor veteris legis. Verumtamẽ licet Deus ſit verus legiſlator utriuſque legis, novę videlicet & veteris, neutram tamen immediatè per ſeipſum promulgavit, ſed veterem mediante Angelorum miniſterio dictavit Moyſi & per ipſum Moyſen promulgata fuit populo Iſraëlitico: Nova verò lex per Chriſtum hominem propoſita fuit Apoſtolis, & per Apoſtolos univerſo orbi. Quare autem Deus noluit dare legem populo Iſraëlitico, non per ſe immediatè, ſed mediante miniſterio Angelorum. rationem reddit D. Thomas *loco citato a.* 3. quia lex vetus erat imperfecta, & quaſi diſpoſitio quędam ad legem Euangelicã; ideoque conveniens fuit, ut lex nova daretur à Chriſto Domino, qui debebat eſſe mediator inter Deum & homines, & redemptor totius generis humani: Vetus autem lex à miniſtris ipſius Dei, qui ſunt Cæleſtes ſpiritus ad miniſterium miſſi: ſicut in artibus, ſupremus artifex facit ipſum opus per ſe, antecedentia verò & diſpoſitiva ad illud, per inferiores: ergo decens fuit, quòd lex vetus tanquam diſpoſitio ad novam, daretur per Dei miniſtros, & lex nova tanquam opus perfectum per ipſum Deum, juxta illud Hebr. 1. *Noviſſimè loquutus eſt nobis in filio.*

D. Thom. Sylvius. Medina. Suarez. Becanus.

6. Ante legem Moyſi datam, nulla alia fuit tradita à Deo plura divina præcepta continens: tempore enim illo regulabantur homines juxta dictamẽ rationis ſecundùm divinam legem naturalem. Si enim ante veterem legem fuiſſet alia lex divina poſitiva propriè dicta, inſufficienter eſſet facta à Theologis diviſio legis divinæ poſitivæ in veterem & novam. Hæc autem lex ſcripta, ſive vetus eſt illa, quæ continetur in toto teſtamento veteri, tam in libris quinque Moyſis, qui appellantur Pentateuchon, quàm aliorum Prophetarum; quare tota illa Scriptura ſacra ſolet ut plurimum nomine legis ſcriptę denominari à Theologis. Unde D. Iſidorus *lib.* 1. *ſent. cap.* 28. legem divinam ſcriptam in tres dividit partes, in Prędcepta, Hiſtorias, & Prophetas. Ideò ipſemet Dominus IESVS Lucæ 24. dixit: *Hæc ſunt verba, quæ ſcripta ſunt in lege & Pſalmis de me.* ut docet Suarez *de leg. lib.* 9. *c.* 1. *num.* 3. & communis. Tamen eſt concedendum in ſtatu innocentiæ originalis, ante lapſum naturæ conditæ datum fuiſſe ab ipſo Deo immediatè præceptum particulare, tanquam lex divina, obligans noſtros primos parentes cum ſuis poſteris ad eius obſervantiam, quando præcepit eis, ne comederent de ligno ſcientiæ boni & mali, ſub pœna mortis incurrendæ.

D. Iſidor. — Suarez.

7. Quamvis legis veteris præcepta multa ſint, ad tria tamẽ rectè reducuntur genera, ſcilicet ad *Moralia, Ceremonialia, & Iudicialia*, his verb. Deut. 5. ſignificata, *Loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque judicia.* Et rurſus c. 6. *Hæc ſunt præcepta, & ceremoniæ, atq; judicia, quæ mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos.* Præcepta *moralia* ſunt, quæ etiam citra ullam poſitivam inſtitutionem, mores ſeu actiones humanas componunt juxta præſcriptum rectæ rationis. Præcepta *Ceremonialia* dicuntur, quæ præſcribunt ceremonias, hoc eſt, opera quædam externa, quibus Deus peculiariter ſit colendus: quamvis enim legis naturalis ſit Deum colere, ſed legis poſitivæ eſt determinare modos & opera externa, quibus eum colere oporteat: ut propterea præcepta ceremonialia ſint quędam determinationes naturales de colendo Deo. *Iudicialia* autem præcepta dicuntur, quæ præſcribunt certam formam pro conſervanda juſtitia inter homines, adeoque ſunt quædam determinationes eorum mandatorum Decalogi, quæ ad juſtitiam inter homines conſervandam ſpectant. Ita D. Thom. 1. 2. *q.* 99. *art.* 1. 2. 3. & 4. & communis.

D. Thom.

Omnia autem præcepta legis, tam ceremonialia, quàm judicialia fuerunt numero 613. (excluſis decem præceptis Decalogi) prout dicunt Abulenſis *in Deuteron. c.* 27. *q.* 1. & Guilielmus Pariſienſis *lib. de fide & lege.* inter quæ fuerunt præcepta negativa 248. juxta numerum oſſium humani corporis, reliqua verò affirmativa fuerunt numero 365. juxta numerum dierum anni ſolaris, prout obſervavit Rabbi Moyſes referente Cathuſiano *Actione* 15. & Salas *de leg. tract.* 14. *diſp.* 6. *ſect.* 3 *num.* 11. Ex quo ſequitur, præcepta legis veteris fuiſſe in magna copia, ideoque dixit Petrus Apoſtolus Act. 15. *Legem Moſaicam fuiſſe jugum grave, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuerunt.*

Abulenſis. — Guil. Par. — Cartuſian. — Salas.

8. Præcepta moralia veteris legis non minùs

nunc

nunc obligant Christianos, quàm olim Iudæos, nec sunt aliquo modo abrogata, neque abrogari possunt. Ratio est, quia hæc præcepta ex lege naturæ vim habebant, & eorum materia eadem est apud nos, quæ apud Iudæos: ergo similiter nos obligant. Nam ratio naturalis iuris postulat, illa esse servanda ab omnibus hominibus; quare descripta esse debent in eorum cordibus, quia in lege Euangelica derogata non fuerunt à Christo Domino; imò ab ipso fuerunt confirmata Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* & ut ex contextu liquet, loquitur de mandatis in Decalogo contentis. Non tenemur tamen ad præceptorum illorum observantiam, ex vi veteris legis, sed tantùm ex vi legis naturæ & ex lege Euangelica: quia lex vetus etiam comprehenso Decalogo, soli populo Israëlitico data fuit: ergo ex vi istius legislationis solum eum populum obligabat; cùm lex solos eos populos obliget, quibus datur. Et confirmat, quia gentiles ad præcepta legis naturæ fuerunt obligati, non quia erant de veteri lege, sed quia erant de lege naturæ; ergo similiter Christiani ad ea obligantur, non ex vi legis veteris, sed ex vi legis naturæ. Ita sentiunt Sotus *de just. l.2. quæst.5. art.4.* Valentia *to.2. disp.7. q.7. punct.7.* Suarez *de leg. l.9. c.11. n.22.* Tannerus *1.2. disp.5. quæst.3. dub.4.* & alij. Sotus. Valentia. Suarez. Tanner.

9 Lex Mosaïca continens præcepta cæremonialia cessavit & abrogata fuit in ipsa morte Christi. Quia, *translato sacerdotio necesse est ut & legis translatio fiat.* Ad Hebræos 7. Sed sacerdotium vetus fuit translatum in morte Christi, quia tunc Christus seipsum obtulit in cruce ejusque sacrificij memoriam nobis reliquit, instituendo sacrificium Eucharistiæ pridie quàm pateretur: ergo tunc cessavit lex vetus. Huc etiam facit quod Daniel. 9. dicitur, *In dimidio hebdomadu deficiet hostia & sacrificium.* His ratio accedit. Tum quia adveniente veritate evanescit umbra: lex autem, si cæremonialia spectes, umbra erat futurorum in nova lege: consequens ergo est, quod cessare debuerunt nova lege publicata. Tum quia lex vetus per Christum est impleta: ergo tùm ipsa, tum ejus cęremonię debuerunt cessare. Tum quia omnia illa præcepta cæremonialia figurabant Christum venturum, quæ figuræ modò per Christi Domini adventum adimpletæ fuerunt, & ideò veniente luce umbra iam cessavit. Ita communiter Theologi post D. Thomam *1.2. quæst.103 art.3.* & Sancti Patres. D.Thom.

10. Præcepta judicialia evacuata sunt per Christũ: quia mutato statu populi, etiam leges populũ concernẽtes mutandæ sunt. Aliter tamẽ evacuata sunt iudicialia, quàm cæremonialia: nã cæremonialia non solùm sunt mortua, sed etiã mortifera, ita ut nec ea servare liceat, nec iubere ut servẽtur. Ratio est, quia cæremonialia sunt primò & per se instituta ad figurandũ Christi mysteria ut futura, ideoque illorum observatio præjudicaret fidei, secundùm quã credimus illa esse completa. At iudicialia sunt quidem mortua, cùm omnẽ suam vim sive obligativam, sive aliam, perdiderint, non sunt tamen mortifera, quia non sunt primò & per se instituta ad figurandum aliquid futurum, sed ad populum bene inter se ordinandũ; & propterea horum observatio legitimè præcepta, nõ præiudicat fidei, modò non sit intentio ea servandi tanquã ex obligatione legis: unde si per legitimam auctoritatẽm instituantur hujusmodi præcepta, neque instituens, neque observans peccabit. Ita D. Thom. *1.2. quæst.104. art.3* & alij communiter. D.Thom.

11. Lex vetus non statim à morte Christi fuit mortifera, sic nimirum ut illicitum esset eam servare: quia constat Apostolos interdum observasse legalia, etiam post Pentecosten, ut quando Paulus circumcidit Timotheum, *Act. 16.* A quo autem tempore legalia cœperint esse mortifera? verisimiliter loquuntur, qui dicunt hoc fuisse ex quo promulgatio Euang. sufficienter facta fuit per Apostolos. Probatur, quia tunc cessabat ratio, propter quam legalia conveniẽter fuerunt tolerata ad aliquod tempus. Spiritus enim sanctus noluit ut observatio legaliũ statim in primitiva Ecclesia inhiberetur his, qui ex Iudæis convertebantur, sicut gentilitatis ritus inhibebatur his, qui ex gentibus cõvertebantur, ut inter hos ritus ostẽderetur differentia. Nam gẽtilitatis ritus repudiabatur tanquã omninò illicitus: ritus autem legis cessabat, non tanquã ex se malus, cùm secundùm se esset bonus & à Deo institutus, sed tanquã impletus per Christi passionem. Et hoc sensu dici solet Synagogam sepeliendam fuisse cum honore, id est, legem Mosaïcam legaliumque observationem non debuisse statim ac mortua fuit, abijci; sed aliquamdiu tolerari & servari, ut paulatim desineret, sicque intelligeretur fuisse bonam, sed solùm ad tempus impositam. Ita D. Augustinus *Epistola 19.* D. Thomas *1.2. quæst.103. art.4.* & alij post ipsos. D.Aug. D.Thom.

Ex quo sequitur, quod illi, qui post Christi passionem ante Euangelij promulgationem illis cæremonijs utebantur, eò quòd nescirebant verè cæremonias illas fuisse abrogatas, non solùm excusabãtur à peccato mortali, sed etiam percipiebant inde talẽ fructum & utilitatem, qualem ex alijs pijs & honestis operibus animę fideliũ percipere solitæ erant. Ita Salas *de leg. tr.14 disp.23. sect.1.* Sotus *de just l.2. q.5. a.4.* Vasq. *in 1.2. disp.181. c.2.* Et hæc de lege veteri dicta sufficiant. Plura de illa D. Thom. *in 1.2. à q.98. usq; ad q.105. exclusivè* & ejus comẽtatores. Iam de lege divina positiva Euangelica. Salas. Sotus. Vasquez. D.Thom.

12. Lex Euangelica pluribus varijsq; nominibus denominari solet; quare à D. Paulo ad Rom. c.3. appellata est *Lex fidei*, eò quòd in ea Mysteria nostræ fidei specialiter explicantur & præcipiuntur, & in c.8. dicta est *Lex spiritus vitæ, seu gratiæ*, eò quòd gratia est spiritus vitæ nostrę. Ideoque Ioan. Bapt. dixit, Ioan c.1. *Lex per Moysen data est, gratia & vita per Iesum Christum facta est.* & idem Apostolus ad Galat. 5. dixit: *Non estis amplius sub lege, sed sub gratia.* quasi diceret: Vos Christi fideles non estis amplius sub iugo Mosaïcæ legis, sed sub lege gratiæ, *cuius iugum suave est & leve*, prout dicit Dominus *Matth. 11.*

A Sanctis Patribus quandoq; dici solet *Lex amoris*, eò quòd tota lex Euangelica perficitur amore & charitate, diligendo Deum super omnia, & proximum propter Deum: nam ipse spiritus gratia dicitur, & est spiritus amoris & dilectionis. *Lex Euangelica* dicitur, quia Christus Euangelium annuncians, illam dedit. Quæ etiam vocatur *lex novi testamenti*; quia simul cum novo testamento data est, estq; res quædam per novum testamentum legata. Dicitur & *lex nova*, partim quia noviter data est, post legem scilicet Mosaïcam, cui succedit: partim quia ratione eorum quæ continet, homines renovat; per fidem enim, spem & charitatem, quæ sunt novæ legis bona portio, homines renovantur. Euangelium autem iuxta vim nominis generaliter sonat cuiusvis rei prosperæ nuntiationem. Sed communi usu S Scripturæ novi præsertim testamenti & Christianorum, Euangelium est bonũ lætumq; nuncium de Christo, quod advenerit nostramque salutem sit operatus: & quia ista annuntiaverunt, propriè in sacris literis vocantur Euangelistæ, id est, nuntij tantæ ac tam optatæ rei, etiamsi de ea re nihil descripserint.

Digitized by Google

rint. Itaque hujus Euangelij annuntiator primus fuit Angelus, deinde ipse Christus, postea Apostoli & discipuli.

13. Fide tenendum est, Christi Domini legem, quæ dicitur Euangelica, esse veram legem præceptivam & propriè dictam. Ipse enim Christus non solùm fuit humani generis servator & redemptor, verùm etiam proprius, verusque legislator, ideoque vetus institutor novæ legis est dicendus. Prob. prior pars ex Tridentino *sess. 6. can. 19.* ubi dicitur, *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta, nihil pertinere ad Christianos, Anathema sit.* Unde Isaias cap. 2. dixit: *Ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Certissimum est, prophetiam illam de adventu & prædicatione Christi fuisse, & ex Sion fuisse ad nos legem Christi missam, quam nos Euangelicam vocamus. Prob. secunda pars ex eodem Tridentino *sess. 6. can. 21.* ubi decernitur, *Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant, Anathema sit.* Et ex Isaia cap. 33. *Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* In quo loco Propheta non loquitur de Deo tantùm, ut Deus est, sed de Christo Domino venturo; antè enim dixerat: *Domine miserere nostri; te enim expectavimus.* ubi apertè declarat, Christum non solùm venturum esse ad salvandum, sed etiam ad ferendas leges, quapropter ipsum appellat legislatorem. Ita communiter Doctores apud Suarez *de leg. lib. 10. cap. 1.* Salas *de leg. tractat. 14. disput. 24. sect. 1.* & alios.

Con. Trid. Con. Trid. Suarez. Salas.

14. Præcepta legis Euangelicæ tripliciter dividi possunt; vel enim sunt præcepta moralia secundùm legem naturalem; vel sacramentorum; vel fidei. Quare D. Thom. *in quo lib. 2. art. 8.* dixit, *in novo testamento nullum divinum præceptum esse datum, nisi ad Decalogum, & mores, vel ad fidem, spem, & charitatem, vel ad Sacramenta à Christo instituta pertineant.* Præcepta autem tam iudicialia, quàm cæremonialia, relicta fuerunt superiorum dispositioni, sive Ecclesiasticorum, sive sæcularium, quibus Dominus generaliter præcepit obedientiam esse præstandam. Proinde lex nova seu Euangelica dicitur lex libertatis: quia hæc lex non arctat nos nisi ad ea facienda vel vitanda, quæ aut ex natura rei, aut ex positiva Christi institutione sunt necessaria, vel repugnantia saluti; & hæc sunt valde pauca; nam supra Decalogum ejusque explicationem, addidit præcepta de suscipiendo Baptismo, de sumendo aliquando Eucharistiam, de offerendo sacrificio Missæ; de confessione sacramentali peccatorum faciendà per eos qui post baptismum mortaliter peccaverint, de materijs & formis sacramentorum; denique de fide, quia sine fide impossibile est placere Deo, ideoque quicumque non crediderit, condemnabitur, tanquam totius legis transgressor. Cùm autem Dominus Iesus nova mysteria fidei in Euangelio hominibus revelaverit, consequenter eos ad illa credenda obligavit, ut mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis Divini Verbi, Nativitatis & Passionis, Mortis ac Resurrectionis ipsius Christi. Quod idem dicendum est de præceptis spei & charitatis, quæ in præcepto fidei continentur. Quapropter tota lex Euangelica magis plena est consilijs, quàm præceptis, quia cùm sit lex amoris & dilectionis data pro filijs, noluit Dominus Iesus Christianos, quos ipse suo pretioso sanguine redemerat, pluribus præceptis adstringere, sed ferè omnia dedit sub consilio, & hæc consilia maximè nos conducunt ad perfectam observantiam divinæ legis. De quibus Reginaldus *l. 13. n. 144. & seqq.*

D. Thom. Reginal.

15. Plurimæ ac variæ differentiæ à Doctoribus assignari solent, in quibus lex Euangelica differt à lege veteri, ipsamque tanquam præstantior & perfectior excedit.

Prima est, quòd veteris legis primarius minister seu promulgator fuit Moyses, novæ autem Christus: ideoque longè præstantior est à veteri, quantum melioris dignitatis & conditionis fuit Christus à Moyse: hîc enim erat purus homo: Christus autem Deus pariter & homo.

Secunda, quòd tempore veteris legis fidei mysteria obscurè fuerunt declarata & imperfectè cognita; tantummodo enim per speculum in ænigmate præfigurabantur, mediantibus cæremonijs & sacrificijs, quæ in tali lege præcipiebantur afferri ad præfigurandum Christum venturum; in nova autem lege explicitè & perfectiori modo de illis agitur, prout ipse Dominus dixit Lucæ 8. *Vobis datum est nosse mysteria Regni Dei.* quare lex nova continebatur in veteri tanquam perfectum in inchoato, & tanquam arbor in radice, & tanquam fructus in semine.

Tertia, quòd lex vetus promittebat corporalia & temporalia, nova autem promittit spiritualia & æterna. Quare dicebat Dominus per Isaiam cap. 1. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Et contrà Christus Matth. 5. dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, & Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabantur.*

Quarta, quòd lex nova habet vim sanctificandi seu iustificandi, quâ caruit lex vetus: id est, lex nova habet sacramenta, quæ gratiam continent & conferunt ex opere operato; vetus autem talia non habuit.

Quinta, Lex nova dicitur lex amoris, quia subministrat gratiam, per quam sumus amatores Dei & justitiæ: lex autem vetus dicitur lex timoris, quia per minas terrebat, sed non dabat gratiam, per quam Deum vel justitiam amarent. Nam minabatur Deus Iudæis pœnas & supplicia temporalia, puniendo, etiam peccata patrum in filios, &c. in lege autem nova non sic, sed promittitur venia faciliter obtinenda mediante peccatorum absolutione virtute Sacramenti pœnitentiæ; ideoque data est potestas Sacerdotibus absolvendi peccata.

Sexta, quòd tempore legis scriptæ varia offerebantur sacrificia, quæ omnia ferè in mactatione animalium perficiebantur, significantia Christi Domini venturi passionem futuram, & tantummodò habebant effectum ex opere operantis: tempore autem legis novæ unum tantummodò offertur sacrificium, in quo non carnes vitulorum, arietum & avium immolantur, sed Agnus Dei immaculatus in sacro altari, sacrificando corpus & sanguinem Iesu Christi sub speciebus panis & vini. Qui quidem Agnus postquam est immolatus, integer perseverat & vivus, conferens gratiam sanctificantem infallibiliter virtute operis operati, nisi ponatur obex ex parte suscipientis.

Septima, quòd lex nova cælum aperuit, non lex vetus. *Octava*, quòd vetus soli populo Iudæorum

est

est data, eumque solum obligabat; at lex nova toti mundo data est, omnesque obligat. Denique lex vetus fuit umbra & figura; lex autem nova est lux & veritas. Et hæc de lege Euangelica dicta sufficiant. Plura de his apud D. Thomam 1. 2. *quæstione* 106. *&* 107. *articul.* 1. Sylvium *ibidem*, Medinam & Cajetanum, Suarez *de leg. lib.* 10. *cap.* 8. Azorium *tom.* 1. *lib.* 6. *cap* 51. Salas *de legat. tractat.* 14. *disp.* 24. *sect.* 6. & alios.

D.Thom. Sylvius. Medina. Cajetan. Suarez. Azorius. Salas.

LEX II.

De lege Humana.

SUMMARIUM.

1 *Ad constitutionem legis positivæ humanæ tria necessariò concurrunt.*
2 *Quæ sint proprietates & conditiones legis.*
3 *An lex sit rationis, an voluntatis?* Refertur duplex sententia.
4 *An ad substantiam legis sit, ut liget conscientiam.*
5 *An pater possit filys legem ferre.*
6 *An Romanus Pontifex possit leges ferre, quæ obligent totam Ecclesiam.*
7 *An Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ ad ferendas leges, indigeant consensu suorum clericorum.*
8 *An potestas ferendi leges delegabilis sit.*
9 *An omnia contenta in Decreto Gratiani, habeant vim legis.*
10 *An regulæ Cancellariæ sint propriè leges? & quid de stylo curiæ.*
11 *An liceat supplicationem super aliqua lege porrigere & interim illam non servare.*
12 *Vt lex per non usum auctoritate careat, requiritur certum tempus.*
13 *An leges Pontificiæ & religionum ponentes privationem ab officijs, &c. ipso facto, obligent transgressores, ut facto delicto deponant officia, &c.*
14 *An lex antea non acceptata, possit subsequenti tempore acceptari & obligationem parere? Et an liceat, qui legem non acceptavit, legi contravenire seclusa scandalo.*
15 *An qui ignorat promulgatam esse legem rescissoriam contractus, valide celebret contractum.*
16 *An Summus Pontifex, vel Legatus ipsius teneatur legibus Episcopi, dum in eius Diœcesi existit.*
17 *An legati Principum sint subiecti legibus specialibus quibus Princeps, ad quem missi sunt, regit suam communitatem.*
18 *An legati Principum teneantur legibus Ordinariorum, sive Synodi Diœcesani.*
19 *Quando dubium est, an lex obliget sub veniali, vel sub mortali peccato, dicendum sit obligare tantùm sub veniali.*
20 *Quæ sit dicenda lex purè pœnalis, quæ mista.*
21 *An lex pœnalis possit aliquando obligare in foro conscientiæ ad sustinendas pœnas, tam activas, quam passivas ante sententiam iudicis.*
An pœna confiscationis bonorum posita per legem ipso facto, obliget ante sententiam.
22 *An lex pœnalis obliget iudicem ad pœnam in lege præscriptam infligendam reo iuxta acta & probata.*
23 *Vt cognosci possit, quando lex pœnalis contineat sententiam ferendam, vel latam.*
24 *An leges humanæ, statuta seu decreta universaliter prolata, interpretationes, conditiones, & civiles intelligentias suscipiant.*
25 *An lex tam Ecclesiastica, quàm civilis, possit personas quasdam ad contrahendum inhabiles reddere? & contractum irritare.*
26 *Quid in legum interpretatione observandum sit.*
27 *Quid, quando verba legis plures habent sensus proprios.*
28 *An lex pœnalis ob paritatem rationis, extendatur ab uno casu in alium, vel ab una persona ad aliam vel ab uno crimine ad aliud.*
29 *An hæc extensio facienda sit, in lege favorabili?* Refertur duplex sententia.
30 *Quibus modis cognosci possit aliquem casum in lege non comprehendi, etiamsi verba legis ad ipsum extendi videantur.*

1. AD constitutionem legis positivæ humanæ, tria necessariò concurrunt; *Primum* est iudicium sive conclusio practica rerum à Communitate agendarum, in Principe vel Magistratu residens: quamvis conclusiones practicæ Iurisconsultorum prudentia fabricatæ de rebus agendis, accedente Principis voluntate & auctoritate, vim legum etiam sortiantur. *Secundum*, est voluntas Principis vel Magistratus præcipiendi vel prohibendi aliquid communitati. *Tertium* est actus externus intellectualis prudentiæ, qui dicitur imperium; & est oratio, per quam voluntas Superioris obligare volentis, subditis denuntiatur. Proinde in Principum Constitutionibus hæ voces fermè ingeminantur, *Decernimus, volumus, principimus.* Ita D. Thomas 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 1. *quæst.* 90. *art.* 1. & alij communiter. D.Thom.

2. Ex D. Isidoro proprietates legis seu conditiones sunt. *Prima*, lex debet esse *honesta*: quæ conditio respicit materiam legis: quia secundùm illum lex erit, quod ratione constiterit, Religioni conveniat; disciplinæ congruat quod saluti proficiat. Ut refertur *in cap. Consuetudo dist.* 1. *Secunda*, lex debet esse *iusta*; & hæc conditio respicit formam legis, quæ servata æqualitate proportionis, subditis secundùm eorum vires & facultates, proposita esse debet. Pro ut explicant Sylvester *verb. lex, quæst.* 5. Suarez *lib.* 1. *de leg. cap.* 9. *num.* 14. & alij. Sylvester. Suarez.

Tertia, lex debet esse *possibilis secundùm naturam & secundùm consuetudinem patriæ; loco temporique conveniens.*

Quarta, lex debet esse *necessaria vel utilis*: nam aliàs tanquam sine ratione lata supervacanea censebitur.

Quinta, nulla privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta. Quæ conditio duas partes continet, *Primò*. Quod oporteat legem latam esse ad communitatem. *Secundò*. Quod lex in commune, sive reipublicæ commodum ferri debeat, ut docet etiam D. Thomas 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 2. & communis. Ita D. Isidorus *l.* 1. *Ethymol. cap* 21. relatus. *distinct.* 4. *cap.* 2. Hæ conditiones sunt adeò necessariæ ad legis essentiam, ut si aliqua earum desit, lex non sit. His tamen conditionibus potest addi sexta, quòd ejus obligatio constans & perpetua sit: quia ad communitatem fertur, quæ perpetuo manet ob continuam successionem. D.Thom. D.Isidor.

3. Dubium est inter Doctores, an lex sit rationis, an voluntatis? Quorumdam opinio est, legem ad voluntatem pertinere, ita ut nihil aliud sit nisi voluntas Principis civibus & populis sibi subiectis proposita & denunciata: quia imperare est movere & impellere ad agendum, sed voluntas est, quæ

movet

movet ceteras hominis vires & facultates ad opus faciendum. Tum quia *Inſtitut. De jure naturali, Gentium & Civili, §. conſtat.* dicitur, *Principum placita & arbitria eſſe leges & conſtitutiones.* Sic opinantur D. Bonavent. 3. *diſtinct. 17. art. 1. queſt. 1. num. 12.* Scotus *in 3. diſt. 36. queſt. 1. art. 2.* Durandus, Gabriel, Maior & alij antiqui Theologi, probabiliter. Verùm probabilior ſententia meritò ſuſtinet, legem eſſe rationis. Ratio eſt, tum quia lex eſt regula, ſecundùm quam aliquis inducitur ad agendum, vel retrahitur ab agendo. Regula autem humanorum actuum eſt ratio; tum quia legis eſt præſcribere, quid faciendum, quid fugiendum: at ratio præſcribit, non voluntas: legis eſt cuncta ordinare, ſed ratio, non voluntas ordinat: hæc itaque omnia rationi per ſe, non voluntati conveniunt. Ceterùm, quamvis lex ſit eſſentialiter aliquid rationis, omnis tamen lex poſitiva, non ſolius rationis, ſed etiam voluntatis actum includit: nemo enim legem ponit niſi mediante imperio, quod eſt intellectus, & ſuppoſita voluntate legem ferendi. Proinde requiritur ut voluntas id approbet, quod intellectus bonum judicavit, ac etiá ut velit de illo ſtatutum ſeu legem ferri per eum actum rationis, qui dicitur imperium. Ita docet D. Thom. *1. 2. q. 90. art. 1.* quem ſequuntur Sylvius, Conradus, Medina, Valentia, Vaſquez, Tannerus & alij, ſcribentes in hunc articulum.

D. Bonav. Scotus. Durand. Gabriel. Maior.

D. Thom. Sylvius. Conrad. Medina. Valentia. Vaſquez.

4. Ad ſubſtantiam & rationem legis requiritur, ut teneat ac liget conſcientiam; unde ſi lex neminem alliget, legis vim & naturam non habet; alioquin conſilia Chriſti Domini in Euangelio data, leges & præcepta fuiſſent. Nec obſtant, quæ Iuriſperiti communi conſenſu tradunt in *l. legis virtus, ff. de legibus*, legis aliquando eſſe conſilium dare: & aliquæ tum in jure Civili, tum Canonico leges continentur, quæ tantùm nobis conſilium dant, & obligationem non inducunt. Reſpondeo legem vocari conſilium, quia legis ſimilitudinem & modum obtineat, non tamen quia præcipiat aliquid aut jubeat: conſilium enim propriè dirigit & docet, quod eſt ipſi cum lege commune; non tamen imperat & ligat, quod eſt proprium legis.

5. Pater poteſt quidem præcepta filius imponere per poteſtatem dominativam, ſeu œconomicam, non autem illis legem ferre, niſi publicam habeat poteſtatem. Ratio eſt, quia alia eſt poteſtas dominativa ſeu œconomica; alia politica ſeu juriſdictionis; quòd poteſtas juriſdictionis per ſe primò reſpicit communitatem perfectam, cùm ad politicam gubernationem, quæ in tali communitate, vel repub. neceſſaria eſt, dirigatur. Pater autem nullam talem poteſtatem habet in filium, niſi ſit Rex, vel aliquis ſimilis: ergo. At poteſtas dominativa ut plurimùm eſt circa privatas perſonas, ſeu circa communitatem imperfectam, ſeu inter partes communitatis imperfectæ, & hæc poteſtas dominativa aliquando acquiritur per contractum, vel quaſi contractum, vel pactum, qualis eſt illa domini in ſervum ſibi venditum, aut Superioris in ſubditum, aut viri in uxorem quoad domus & familiæ gubernationem: qualis etiam eſt ex vi propagationis humanæ poteſtas patris in filium. Et per hanc poteſtatem poteſt dominus ſervo, Superior ſubdito, vir uxori, pater filio præcepta imponere. Ita Suarez *lib. 1. de leg. cap. 8. n. 5.* Reginaldus *lib. 13. n. 24.* & alij.

Suarez. Reginald.

6. Certa fide tenendum eſt, Romanum Pontificem tanquam totius populi Chriſtiani Paſtorem, omniumque Eccleſiarum caput, inter Eccleſiaſticos legiſlatores primum ac præcipuum locum tenere, ſicut paſſim omnia Concilia & Patres profitentur. Proinde Romanus Pontifex poteſt licitè & validè condere leges Canonicas obligantes totam Eccleſiam, omneſque Chriſti fideles ubique degentes ad earum obſervantiam, etiam ſine conſenſu & conſilio Cardinalium: nam talis poteſtas condendi leges immediatè data eſt à Chriſto ſuo electo, & non dependet à Cardinalium conſilio & voto, niſi quoad electionem. Ex quo colligitur, Romani Pontificis poteſtatem ac juriſdictionem non conferri à Clero Romano vel Cardinalibus per electionem: *Nemo enim plus juris poteſt in alium transferre, quàm ſibi competere dignoſcatur*, ut habet Regula Iuris in 6. Tantùm igitur deſignant perſonam, cui ex vi promiſſionis & inſtitutionis à Chriſto factæ Petro, ciuſque ſucceſſoribus, univerſalis plenitudo poteſtatis & ſuprema juriſdictio à Deo confertur. Ut rectè Innocentius III dixerit in cap. Novit, de judiciis, *Poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex Deo.* Ita Panormitanus *in c. 2. de cleric. non reſident. n. 4.* Felinus *in rubric. de conſtitut. n. 2.* Suarez *de leg. lib. 4. c. 3. n. 14.* Bonacina *de leg. diſp. 1. q. 1. punct. 3. n. 5.* & alij communiter.

Reg jur.

Inno. III. Panormit. Felinus. Suarez. Bonacina.

7. Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ ad ferendas leges pro ſua Diœceſi non indigent conſenſu ſuorum clericorum, vel Capituli Eccleſiæ Cathedralis vel Metropolitanæ. Ratio eſt, quia juriſdictio Epiſcopalis non dependet à clero ſeu capitulo, quoniam non ab illis hanc juriſdictionem habet Epiſcopus, ſed à Papa, & nullo jure probari poteſt hanc poteſtatem fuiſſe Epiſcopis limitatam, niſi in caſibus in jure expreſſis, vel in aliquibus rebus gravioribus, quæ ſpecialem rationem & neceſſitatem præ ſe ferant, ut ſi tales leges diſponant de rebus, quæ poſſunt cadere in præiudicium capituli, ſivè cleri, proportione ſervata, vel ſit contra aliquod privilegium illis à Superiori conceſſum. Tunc enim requiri videtur conſenſus Capituli tanquam collegarum & conſortium in tali cauſa. Ita Suarez *de leg. l. 4. c. 5.* Salas *de leg. tract. 14. diſp. 8 ſect. 7. n. 42.* Bonacina *loco citat. n. 21.* Unde hæc ſententia approbata fuit à Sacra Cõgregatione Eminent. Cardinal. die 27. Aprilis 1592. teſte Quaranta *in Summ. Bullar. verb. Synodus Diœceſana.* Adverte tamen Archiepiſcopos, Patriarchas non poſſe extra Provinciale Concilium leges ferre obligantes totam Provinciam, cùm nullus ultra limites ſuæ juriſdictionis leges ferre poſſit, excepto fortè tempore viſitationis Provinciæ, *c. Nullus Primas. 9. q. 3.* & *c. ſicut olim. de accuſationibus.* Ita Suarez *loco citato* & Salas *ſect. 9. num. 48.*

Suarez. Salas. Bonacina. Sac. Con. Quaranta.

Suarez. Salas.

8. Illi omnes, quibus competit poteſtas condendi leges per juriſdictionem delegatam, poſſunt leges condere, quia poteſtas condendi leges delegabilis eſt, & eſt pars juriſdictionis Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, *c. Gravem de ſentent. excomm.* Et probabile eſt, de poteſtate S. Pontificis abſoluta, delegari poſſe feminis facultatem condendi leges Eccleſiaſticas & ſpirituales; quia nullum jus divinum aſſerri poteſt, ex quo liceat inferre contrarium; cùm Sum. Pontifex ex ſuprema ſua poteſtate poſſit juriſdictionem conferre feminæ ad ferendas cenſuras, ut diximus *tom. 1. verb. Excommunicatio II. n. 1.* Non eſt tamen delegranda à Summo Pontifice facultas alicui ferendi leges in totam Eccleſiam independenter ab approbatione ipſius: quia cùm poteſtas obligandi totam Eccleſiam ſit infallibilis, & pendeat ab ea, quæ in rebus ad mores pertinentibus errare non poteſt; hæc autem ſit propria Summi Pontificis, cui promiſſa eſt directio Spiritus ſancti, dicendum eſt hanc poteſtatem non eſſe delegabilem, ſicut ne-

que delegabilis est potestas definiendi res fidei, vel saltem non esse delegandam, ne tota Ecclesia periculum subeat errandi in re magni momenti; ut rectè docet Suarez *de leg. lib.* 4. *c.* 6 *n.* 12. quamvis Salas *disp.* 8 *sect.* 19 *n* 93. nullum absurdum esse dicat, si delegetur Concilio Generali.

Suarez. Salas.

Gratia. 9. Non omnia, quæ in Decreto Gratiani continentur, habent vim legis, seu Decreti obligantis in foro conscientiæ, nisi ex decretis Pontificiis vel Conciliis generalibus desumpta sint. Hinc sententiæ sanctorum Patrum vim legis non habent, etiâsi sint in Decreto insertæ, nisi usu & consuetudine tanquam leges receptæ sint, vel à Sede Apostolica fuerint canonizatæ, ut sunt illæ, quæ inter Decretales aliquando reperiuntur. Ratio est, quia neque Gratianus habuit facultatem dandi illis vim legũ, neque Summi Pontifices aliquãdo pro talibus illa approbaverunt. Negari tamẽ non potest sententias Patrũ posse vim legis habere, quatenus testantur de præcepto Divino, vel Apostolico, vel Ecclesiastico: tunc enim illorũ dictis, tãquam à fide dignis testibus, fides præstanda est, juxta maiorẽ vel minorem Patrũ consensum in ea re. Proinde consuetudo obtinuit ut in externo foro etiam illa ad causarum decisionem inserviant. Ita Panormitanus *in c.* 2 *de rescript.* & Ioan. Andr. *ibi*, Valent. 2. 2. *disp.* 6. *q.* 6. *punct.* 6. Rodrig. *tom.* 1. *qq. reg.* 4. 2. Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 6. §. 3. *n.* 12. Bonac *loco cit. n.* 37. & alij.

Io. Andr. Panorm. Valentia. Rodrig. Layman. Bonacina.

10. Regulæ Cancelleriæ, in rigore loquendo, non sunt propriè leges, si juxta morem & consuetudinẽ in aliis legibus receptam non publicentur: quia de ratione legis est publicatio, tũ quia morte Pontificis extinguuntur, secũdùm multorum sententiam, lex autẽ non extinguitur morte eam ferẽtis. Tales tamen regulæ obligant tanquã præcepta imposita eis, qui officiis Cancellariæ præsunt; proinde sufficit, ut in Cancellaria publicentur, vel dic eas obligare per modũ consuetudinis receptæ sciente Principe & consentiẽte, & stylum Cancellariæ & alios similes esse jura quædam non scripta ex actibus judiciariis orta cõtenta sub consuetudine. Vide Rebuffum *in praxi benefic. & in addit. ad reg. Cancell. in princ.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 18. *q.* 11. *in fine*. Idem potest dici cũ proportione de stylo Curiæ quẽ multi Doctores dicunt efficere jus, nec ab eo recedendum esse, *c. Quam gravi, de crimine falsi*, quia Princeps sciens talem stylum & consuetudinem, tribuit vim legis. Ita Sanch *de mat. l.* 8. *disp.* 21. *n.* 16. Masc. *concl.* 1317 *n* 51 & alij multi apud ipsum: quamvis Vasq. 1. 2 *disp.* 177. *in fine*, cũ aliis putet non omnem stylum simpliciter habere vim legis; quia qui potest vim legis tribuere, non semper vult tribuere, nec communitas illum servat tanquam obligatorium; sed tantùm vim legis habet, quando datur formale præceptum Papæ.

Rebuffus. Azorius. Sanchez. Mascard. Vasquez.

11. Ex communi Doctorum sententia, licet supplicationẽ super aliqua lege porrigere & interim suspendere eius obligationem & illã non servare. Ratio est, quia talis præsumitur rationabilis voluntas legislatoris; nam posita aliqua causa justa videtur consonum, ut subditi habeant aditum ad legislatorem pro revocanda lege, & interim non obligentur illam servare, donec legislator mentem suam explicaverit; proinde si Princeps audita communitatis supplicatione taceat, & non respondeat dictæ supplicationi, præsumitur consentire & legis obligationem tollere, nisi aliter ex conjecturis constaret Principem supplicationi non respondere, ut suaviter & cum minori offensione & damno reiiciat supplicationem; tunc non licebit amplius suspendere legis executionem. Ita Malderus *in* 1. 2. *q.* 90. *a.* 3. *dub.* 2. Suarez *de leg. l.* 4. *c.* 61. *n.* 6. Salas *de leg. disp.* 13. *sect.* 4. *n.* 20. & alij contra Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 156. *c.* 5. *n.* 43. qui putat supplicationem jure quidem concessam esse contra sententiam, at contra legem minimẽ. Qua de re vide Molinam *tract* 5. *disp.* 69.

Malderus. Suarez. Salas. Vasquez. Molina.

12. Ut lex per non usum auctoritate careat, non requiritur certum tempus, sed solùm repugnãtia per actus contrarios numero sufficienti arbitrio prudentum. Ratio est, quia nullum est jus, quod præscribat tempus decem annorum, ut volunt aliqui, neque ex natura rei est necessarium, & usus videtur esse in contrarium: quia ut lex censeatur non acceptata, non solet expectari illud tempus, sed solùm, quod pro maiori parte per consuetudinem sufficientem repugnatum sit; præsumitur enim tunc quod legislator non velit suam legem obligare contra consuetudinem, ut docet Suarez *de leg. lib.* 4 *c.* 16. *n.* 12. post Felinum *in c.* 1. *de treuga & pace*. & hæc sententia in conscientia & praxi videtur secura, ut dicit Diana *p.* 1. *tract.* 10. *resol.* 7. Hoc tamen est intelligendum de lege quando in principio suæ promulgationis non recipitur, sed illi contravenitur. At postquam lex Ecclesiastica pacificè recepta est & invaluit, ut possit abrogari per contrarium usum, requiruntur ad minus quadraginta anni; nam mirandum non est, plus temporis requiri ad abolendam via præscriptionis legem Ecclesiasticam maximè receptam, quàm non receptam; quia illa plus, quàm hæc roboris & firmitatis obtinet, ut docent Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 4. Portel *in dub reg. verb. lex. in addit. num.* 1. Vide dicta suprà *verb. Consuet. num.* 7.

Suarez. Felinus. Diana. Layman. Portel.

13. Leges Pontificiæ & Religionum ponentes privationem ab officiis & prælaturis actualibus ipso facto, seu absque ulla declaratione, non obligant transgressores, ut facto delicto deponant officia per seipsos, sed possunt procedere. Semper enim debet expectari declaratio judicis, non de pœna, sed de crimine pro quo pœna est imposita. Ratio est, quia idem non debet esse agens & patiens; oportet ergo actionem Judicis sententiam ferentis adesse. Tum quia illa particula *ipso facto*, solùm importat, ut non requiratur sententia condemnans, seu pœnã statuens: jam enim posita est; at non tollit, quin requiratur sententia declarans crimen. Hinc colligitur quid debeant facere religioli quando in suis constitutionibus habent statutum quo aliquis pro aliquo crimine ipso facto, privatur officio; tunc Prælatus probato ac declarato delicto, non habet necesse in sententia exprimere pœnam privationis; jam enim imposita est, declarato delicto. Quando autem pœna privationis officij non est imposita à lege vel statuto, sed delictum est dignum privatione; tunc debet Prælatus declarare delictum, ac pœnam, & ad illam condemnare. Ita Rodrig. *tom.* 1. *qq. reg. q.* 7. *art.* 16. Sanchez *de mat. l.* 9. *disp.* 30. Henriquez *l.* 13. *c.* 56. Sylvius 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *q.* 9. & alij communiter apud Bonacinam *de leg. disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. §. 2. *n.* 8.

Rodrig. Sanchez. Henriq. Sylvius. Bonacina.

14. Lex, quæ antea non fuit acceptata à maiori parte communitatis, potest subsequenti tempore acceptari & consequenter obligationem parere: quia lex per non acceptationem extincta non fuit, sed tantummodo suspensa: idem enim non est, legem revocari à legislatore, & legem non acceptari: nam lex quæ non fuit acceptata, potest acceptari & obligationem inducere, quamvis iterum non feratur: lex verò quæ semel fuit revocata, non obligat nisi iterum feratur à Principe, quia per revocationem fuit extincta. Ita Suarez *de leg lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 14. *ad finem*. Reginaldus *lib.* 13. *n.* 164. *vers. Quæri potest.* & alij.

Suarez. Reginal.

Sed

Sed petes, Si lex fuerit acceptata à majori parte communitatis, si aliquis illam frangeret secluso scãdalo, peccet mortaliter, si sit ex numero eorum qui illum non acceptarunt? Videtur quod non, quia ille acceptavit legem in communi, non in particulari; ad hoc enim sufficit quod eam recipiant plures; ad illud opus est, ut ab ipsomet in individuo recipiatur. Sed contrarium est dicendum: quia eo ipso quòd lex à maiori parte communitatis fuerit usu recepta, obligat omnes & singulos, ut communiter tradunt Doctores; sicut è contra si de facto major pars communitatis non servaret legem, poterunt alij sine peccato majori parti conformari & excusari, quia talem legem supponitur non esse utilem reipub. Tum quia Princeps non obligat sua lege minorem partem, dum major pars non acceptat, cùm lex feratur communitati. Ita Navarrus *consil. 1. de constit. quæst. 5. n. 24.* Rodriguez *tom. 1. quæst. regul. q. 6. art. 10.* Bonacina *de leg. disput. 1. quæst. 1. punct. 4. num. 34.* & alij.

Navarrus. Rodrig. Bonacina.

15. Qui ignorat promulgatam esse legem rescissoriam alicujus contractus, licet non peccet si contractum aliquem ineat cõtra legem, donec lex ad ipsius aures aliqua ratione perveniat: ignorantia enim invincibilis excusat à culpa, vel etiam à pœna extrinseca, ut est communis opinio; non tamen validè celebrat contractum, quia ignorantia non excusat ab omni effectu vel damno legis seu à pœna intrinseca legis sufficienter promulgatę & acceptatæ; rescissio autem, seu annullatio actus, seu contractus non est propriè pœna, sed effectus, seu damnum quod incurritur absque conditione legis. Siquidem hoc proprium est legum irritantium actum, non in odium agentium, sed ob defectum solemnitatis, quod postquam ejusmodi leges vim obligandi consecutæ sunt, effectum irritationis consequantur etiam erga ignorantes; Exempli causa; Si quis ob invincibilẽ ignorantiam clandestinum matrimonium contrahat; vel cum consanguinea vel affine sua, à culpa quidem excusatur, sed contractus non subsistit, ut docent communiter Doctores *in c. 2. de const.* Sanchez *de matr. l. 3. disp. 17. & l. 9. disp. 32.* Suarez *l. 3. de leg. c. 17. & c. 33.* Molina *to. 2. disp. 395.* Clav. Reg. *lib. 3. cap. 5. n. 12.* & alij.

Sanchez. Suarez. Molina. Clav. Reg.

16. Summus Pontifex, dum in aliena Diœcesi existit, non tenetur legibus illius, in cujus territorio, vel Regno, vel Episcopatu reperitur. Ratio est, quia summus Pontifex est persona adeò excellens & eminens, ut non teneatur se cum reliquis conformare in observantia legum ab alijs conditarum. Item Legatus Papæ non afficitur legibus Episcopi, in cuius Diœceli reperitur: quia Episcopus nõ est Superior Legato. Item Imperator aliusvè Princeps non tenetur servare leges municipales oppidorum seu Provinciarum sibi subditarum, quia non sunt latæ à Superiore, sed ab inferiore. Limita, modò non sint confirmatæ ab ipsomet Principe, & modò Princeps non habeat primam habitationem in eo loco, pro quo fertur lex: tunc enim Princeps tenetur stare legibus illius loci. Idem dicendum est de alijs omnibus, qui sunt Superiores in jurisdictione, qualis est Rex respectu Principis sibi subditi: secus dicendum est de ijs, qui non sunt Superiores in jurisdictione, licet majori fulgeant dignitate, nisi ratione dignitatis vel privilegij sint exempti: nam posito privilegio exemptionis, non tenentur uniformitatem cum ceteris observare; quia privilegium, seu justa dispensatio, seu exemptio sufficienter aufert obligationem accommodandi se communitati. Ita Suarez *de leg. lib. 3. cap. 34. & 35.* Felinus *in cap. 1. de constit. n. 30.* Salas *de leg. disp. 14 sect. 2. n. 23.* Bonacina *loco citato, punct. 6. n. 26.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 12. num. 2.*

Suarez. Felinus. Salas. Bonacina. Layman.

17. Legati Principum non sunt subjecti legibus specialibus quibus Princeps, ad quem sunt missi, regit suam communitatem, extra jus naturale & gentium. Ratio est, quia leges feruntur pro communitate, & ratione communitatis descendunt ad singulos, ut ad partes illius communitatis, ut habetur *in l. Iura 2. ff. de legibus, & cap. Duæ sunt 19. quæst. 2.* Unde lex est influxus quidam capitis in membra corporis politici, quo moventur ad terminum boni communis. Et ideò sicut influxus capitis non se extendit extra membra corporis, ita nec lex extra membra corporis civilis. Legati autem non sunt membra corporis politici & proinde nec pars communitatis, apud quam residunt, sed alterius, & ideo obligatio legum illius communitatis non se extendit ad ipsos. Deinde tota obligatio legis fundatur in subjectione, & proinde obligatio legis non extenditur extra territorium Principis: quia cùm extra ipsum non extendatur jurisdictio, non reperit extra ipsum subjectionem. Unde *cap. 2. de constit. in 6.* habetur, *Extra territorium jus dicenti non paretur impunè.* Et idem habetur *l. ult. ff. de iurisd. omn. iudicum*, & tradunt communiter Doctores. Legati autem non subjiciuntur Principi, apud quem residunt, & proinde nec legibus ipsius; quia repræsentant personam alterius Principis omninò exempti à jurisdictione, & nomine ipsius residunt, atque agitur cum ipsis, tanquam si ageretur cum personis mittentium, atque tanquam cum liberis & ab omni subjectione exemptis. Limitanda est tamen hæc doctrina, ut solùm habeat locum, quando ex non observantia legum non sequitur damnum communitati. Nam si sequeretur damnum notabile, tunc teneretur leges civiles servare, non ex vi coactiva, sed ex vi directiva, quam ex obligatione legis naturalis teneretur sequi, vitando nempe damnum proximi, quantum fieri potest.

18. Cùm probabilissimum sit, advenas non subjici legibus loci, in quo reperiuntur, ideò dicendum est, Legatos, seu Oratores Principum non subjici legibus aut edictis Ordinariorum, sive etiam Synodi Diœcesani. Ratio est, quia Legati se habent tanquam advenæ, nec contrahunt domicilium, quamvis longo tempore permaneant in loco, ubi residunt: quia ad contrahẽdum domicilium, oportet quod contrahens fiat pars communitatis. Legati autem nunquam fiunt pars illius communitatis, apud quam residunt; tum quia degũt ibi nomine alterius communitatis, repræsentantes caput ipsius: tum quia non possunt esse pars communitatis, nisi fiant membra corporis civilis: & non possunt esse membra, nisi ita in corpore civili compaginentur, ut fiant aliquid de potlessione capitis, & teneantur sequi motum & influxum illius. Quod non convenit Legatis.

Si dicas, fieri partem communitatis spiritualis, licet non fiant communitatis civilis. Respondetur quod communitas spiritualis particularis Diœcesis fundatur in communitate civili; nam est communitas eorum, qui sunt de tali loco in ordine ad spiritualia; & proinde communitates spirituales hujusmodi habent suas distinctiones à locis: & advenæ non fiunt de communitate spirituali, quia non fiunt de civili.

Ex quibus fit, quòd Legati seu Oratores non subijciantur aliquibus legibus Diœcesanis, aut

Digitized by Google

quibuſcumque decretis localibus, ſed tantum ſoli jure communi.

Quod autem advenæ non ſubijciantur legibus, tradunt Sanchez *de matrim. l 3. diſp.* 18 *n* 6. & *l.* 1. *moral. cap.* 12. *num.* 38. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 12. *n* 4 Clavis Regia *lib.* 3. *cap* 4 *num* 15. Bonacina *de leg. diſp.* 1 *quæſt.* 1. *punct.* 6. *num.* 48. Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ.* 510. & alij multi ab ipſis citati.

Sanchez. Layman. Clav Reg. Bonacina. Pasqual.

Ex dictis colligitur, poſſe dari caſum, ut quis non teneatur neque ad leges particulares patriæ, neque ad ullas alterius loci: nam peregrinus non tenetur ſervare feſtum vel jejunium, quod ſervatur tam in ſua patria, quàm in loco per quem tranſit ex præcepto particulari utriuſque Epiſcopi. Ratio eſt, quia non tenetur ſervare leges locales ſuæ patriæ dum eſt abſens; neque tenetur ſervare leges alterius Diœceſis, cùm non ſit ſubditus Epiſcopo illius loci: igitur ad neutras tenetur. Neque eſt abſurdum, quòd tunc peregrini non teneantur legibus proprij loci, neque etiam legibus loci, ubi reperiuntur: nam non eſt abſurdum non teneri legibus, qui non eſt ſubiectus legibus. Cùm ergo peregrini non ſint ſubjecti legibus proprij domicilij, quia iſtæ non ligant extra territorium, neque etiam legibus loci, ubi reperiuntur, quia non obligant niſi ſubditos & qui ſunt de tali communitate, ſequitur, ut ad neutras teneantur. Nec refert quòd peregrini in ijs quæ pertinent ad gratiam, favorem & honorem, poſſint gaudere & uti conſuetudine, ac legibus ſuæ patriæ, quamvis abſentes, ac etiam illius loci per quem tranſeunt; ex hoc tamen non poteſt deduci, quod etiam obligentur in ijs, quæ ſpectant ad onera, ad odia & ad pœnas tam patriæ, quàm etiam illius loci, per quem tranſeunt. Nam novitius utitur privilegijs conceſſis Religioni, cujus novitius eſt, & tamen non tenetur ad onera & ſtatuta Religionis; ita ſimiliter peregrini uti poſſunt privilegijs locorum, etiamſi ad onera non teneantur. Ita Sancius *in ſel. diſput* 54. *num.* 31. Fagundez *in præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 20. Diana *p.* 1. *tract.* 9. *reſol* 18. & alij.

Sancius. Fagund. Diana.

19. Quando dubitatur an lex obliget ſub mortali, vel tantummodo ſub veniali, probabile eſt obligare tantùm ſub veniali. Ratio eſt, quia in pœnis ſicut benignior pars accipienda eſt, ita etiam in culpa. Tum quia in Regulis Iuris in 6. dicitur, *In obſcuris quod minimum eſt, ſequendum eſt.* Tum quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem: ergo quando dubitatur utrum lex obliget ſub mortali, vel tantummodò ſub veniali, probabiliter judicari poteſt obligare ſolùm ſub veniali, ſi adhibita ſufficienti diligentia ad aſſequendam de gravitate obligationis veritatem, dubium perſeveret: nam tunc libertas conſcientiæ poſſidet. Ita Navarrus *in Man.* c. 23 *n.* 5c. Suarez *lib.* 3. *de leg. cap.* 15. *n.* 10. *ſub finem.* Coſmus Philiarchus *de offic. Sacerd. part.* 2. *lib.* 3. *cap* 2. *in dicto* 5. Sed quia in dubijs pars tutior eligenda eſt, & peccatum quaſi à facie colubri fugiendum, nonnulli Doctores arbitrantur nos debere ſervare legem, ac ſi ad mortale obligaret; at verò quoad judicandum de alijs, qui in tali dubio legem trangreſſi ſunt; conuenire, nonnumquam habita ratione rei & perſonæ interpretari de veniali, quamvis ſi conſilium eis dandum ſit, monendi ſint, ne ſe exponãt periculo peccati, agendo contra legem. Ita Valentia *tom.* 2. *diſp.* 7. *q.* 5 *p.* 6. *dub.* 3. *in fine.* Toletus *lib.* 8. *c.* 20. *dub. ult.* Salas *de leg. diſp.* 13. *ſect.* 1. *n.* 23. & *diſp.* 10. *ſect.* 2. *n.* 12. *ad finem*, & alij. Ceterùm in explicanda legis obligatione verbis obſcuris expreſſa, inſpiciendum eſt, quo pacto hujuſmodi verba ut plurimum accipi ſoleant in legibus, & penſatis omnibus conjecturis, quod veroſimilius eſt, judicandum eſt.

Reg. Iur.

Navarrus. Suarez. Philiarch.

Valent. Toletus. Salas.

20. Quædam leges ſunt purè pœnales, quædam verò pœnales miſtę. Lex purè pœnalis eſt illa, quę nihil facere præcipit, aut prohibet, ſed tãtùm imponit pœnam aliquid facienti, vel omittenti. Sic Levit. 20. verſ. 20. multæ leges habentur, in quibus ex vi verborum nihil in eis Deus prohibet, ſed tantùm aſſignat pœnam, ut cùm dicitur, *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriatur & mœchus & adultera.* Item in jure Canonico lex purę pœnalis eſt *in cap. Sacerdote, de conſecrat. diſtinct.* 1. ubi Concilium Carthaginenſe 4. ait: *Sacerdote verbum in Eccleſia faciente, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicatur.* Item in jure civili multæ leges pœnales ſunt nullo appoſito præcepto, aut prohibitione adjuncta, ut *in l. Capitalium. ff. de pœnis*, ubi venenarij & graſſatores capite puniuntur, ſic etiam incendiarij. Et transfugæ ad hoſtes, vel renunciatores conſiliorum Principis vivi exuruntur, aut furca ſuſpendi jubentur, &c.

Conc. Carthag.

Lex pœnalis miſta eſt, quæ non ſolùm aliquid fieri præcipit, aut prohibet, ſed etiam pœnam legis tranſgreſſori imponit, ſive pœna hæc à lege præſcripta ſit, ſive judicis arbitrio commiſſa fuerit. Ex quo fit ut tota lex, quæ ex illis duabus partibus componitur, meritò lex pœnalis miſta dicatur.

Alij dicunt, quòd lex purè pœnalis eſt, cum legiſlator ad culpã obligare non intendit, ſed ad ſolam pœnam. Nam ſæpè ad animarum pericula cavenda, expedit in communitate conſcientiam non obligari ſub culpa, & nihilominus quaſdam conſtitutiones fieri boni publici causâ, cum obligatione ad pœnam: qua ratione quarumdam Religionum leges poſitæ ſunt, quæ remotè continent aliquam obligationem in conſcientia, videlicet ad pœnam acceptandam, ſi ſententia ac præcepto Superioris, ſubdito legem pœnalem tranſgredienti imponatur.

Lex pœnalis miſta eſt, quę tam ſub culpa, quàm ſub pœna obligat: & tunc pœna legi adiecta culpam non deſtruit, ſed magis ſupponit, ac requirit. Culpa autem interdum ſtrictè ac propriè accipitur pro defectu coram Deo culpabili: interdum verò latè pro quovis defectu moris, ſeu Theologicè & coram Deo; ſeu ſaltem politicè, coram hominibus culpabili. Et ſic eſt certum, communis diſciplinæ gratia Magiſtratum civibus, Prælatum regularibus, Patremfaliàs domeſticis ſuis, ob defectus & culpas civiles, regulares, domeſticas, pœnam irrogare poſſe, quamvis innoxijs coram Deo. Ita Alphonſus de Caſtro *lib.* 1. *de leg. pœnali c.* 8. & 9. Covar. *in reg. Peccatum* 2. *part.* §. 5. *n.* 4. Salas *de leg. tr.* 14. *diſp.* 15. *ſect.* 1. *n.* 8. & alij.

Caſtro. Covar. Salas.

21. Lex pœnalis poteſt aliquando obligare in foro conſcientiæ homines ad ſuſtinẽdas pœnas, tã activas, quàm paſſivas ante omnem ſentẽtiam declarativam, quando in tali lege eſt appoſita particula illa, *Ipſo facto, ipſo jure, abſque alia judicis declaratione, &c.* ſi aliunde ſervetur æqualitas. Exemplũ habemus, *Primò*, in cenſuris Eccleſiaſticis, quæ dicuntur latæ ſententiæ. *Secundò*, in irregularitate ob crimen. *Tertiò*, in Canonicis impedimentis matrimonij ex crimine contractis. *Quartò*, in inhabilitate acquirendi reditus beneficij, ob neglectum officium Canonicũ. *Quintò*, in inhabilitate acquirendi dominium bonorũ incertorũ, quę ex furto, rapina, uſura poſſidẽtur, & proprijs dominis reſtitui põ poſſunt: ea enim pauperibus erogari debent

bent ante omnem iudicis ſententiam, iuxta *cap. Cùm tu, de uſuris.* Ita ex communi Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 3. Navarrus *in man. c.* 23. *n.* 67. Molina *tract.* 2. *diſp.* 96. Rodriguez *tom.* 1. *qq. reg. q.* 6. *a.* 16. & alij. Ceterùm, etſi poſſit Supremus Princeps ex plenitudine poteſtatis, ſubditos privare ob crimen grave, dominio, vel iure iam acquiſito, ita ut ante judicis ſententiam, teneatur reus poſitivam pœnalem actionem exercere, abdicando ſe dominio, ac titulo acquiſito, non tamen ſatis conſtat, tales leges ſeu Imperatorias, ſeu etiam Pontificias hactenus tanta ſeveritate latas, etiam uſu receptas eſſe. Eſto enim exprimatur, ut pœna privationis, vacationis beneficij, aut officij ipſo iure ac facto incurratur; plerumque tamen benignior Interpretatio adhiberi poteſt, criminoſum non ſtatim excidere dominio, ſive iure retinendi officiū, aut beneficium; ſed latam poſteà à iudice ſententiam idem operari, ob iuris diſpoſitionem, ac ſi tempore commiſſi criminis lata fuiſſet, ut docent Cajetanus *ſuprà*, Navarrus *in comment. de datis & promiſſis, notab.* 31 *n.* 44. Eman. Sà *v. Pœna n.* 1 Sanchez, Leſſius, Suarez & alij apud Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 15. *n.* 6. Dianam *part.* 1. *tr.* 10. *reſol.* 23.

Cajetan. Navarrus. Molina. Rodrig. Eman. Sà. Sanchez. Leſſius. Suarez. Layman. Diana.

Quæri poteſt an pœna confiſcationis bonorum impoſita per legem, ipſo facto obliget ante ſententiam? Reſp. criminoſum virtute talis legis privari ipſo facto dominio ſuorum bonorum, & fiſcū acquirere ius ante ſententiā declaratoriā, non tamen privari ipſo facto iuſta poſſeſſione illorū, nec teneri ante ſententiam ſponte le ſpoliare bonis ſuis, & fiſco tradere, donec per ſentētiam declaretur reus & condemnetur. Prob. prior pars, quia privatio dominij nullam requirit executionē, cùm in ſola privatione conſiſtat; Poſterior pars prob. quia privatio poſſeſſionis requirit executionem ſententię, qua bona delinquentis fiſco applicētur. Quare in iure conceditur hæreticis iuſta bonorum ſuorum poſſeſſio, donec à Iudice Eccleſiaſtico condemnati & declarati fuerint. Ita Sanchez *l.* 2. *mor. c.* 21. *n.* 7. Vaſquez 1. 2. *quæſt.* 170. *cap.* 3 Cajetanus 2. 2. *q.* 62. *art.* 3. & alij citati *ſuprà v. Fiſcus n.* 2.

Sanchez. Vaſquez. Cajetan.

22. Lex pœnalis obligat iudicem ad pœnam in lege præſcriptam infligendam reo iuxta acta & probata. Ratio eſt, quia quandocumque lex pœnalis imponit pœnam ipſo facto contra delinquētem, tunc ad iudicem propriè non ſpectat imponere pœnam, ſed ſolummodò ſententiam ſuper delictū pronunciare, & executioni pœnæ taxatæ per legem incumbere; quare utrumque iſtorum cadit ſub obligatione iudicis: eſt enim cuſtos & exequutor legum, & quaſi animata lex. Ita Divus Thomas *in* 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. Clavis Regia *lib.* 3. *c.* 8. *n.* 13. Suarez *de leg. lib.* 5. *c.* 11. *n.* 2.

D. Thom. Clav. Reg. Suarez.

Poteſt tamen aliquando iudex diminuere taxatam pœnā à lege contra tale delictum perpetrantes, quando intervenunt aliquæ circumſtantiæ, vel circa delicti qualitatem, vel circa perſonam peccantem, quibus conſideratis poterit iudex minuere pœnas iuxta prudentis arbitrium. Imò Supremus Princeps ſive Rex, ſive legiſlator vel ejus ſucceſſor poterit pœnam ipſam in totum relaxare, remittendo delictum gratiosè, quando ita in Domino iudicaverit expedire. Nam author legis & Supremus Princeps poſſunt quandoque cum rationabili cauſa in ſuis legibus diſpenſare, prout advertunt D. Thomas 2. 2. *q.* 67. *art.* 4. Clavis Regia *loco cit. n.* 15. Felinus *in cap. Qualiter & quando,* § *ad corrigendos, de accuſat.* cum alijs.

D Thom. Clav Reg. Felinus.

23. Qualiter cognoſci poſſit, quod lex pœnalis contineat ſententiā ferendā, vel latam, ſequentia notanda veniunt, ex communiori Doctorum opinione. *Primò*, Lex pœnalis utens verbo, aut participio ſignificante actionem futuri temporis, ſententiam à judice ferendam continet: quia verbum futuri temporis ex ſua natura non ſignificat rem præſentem, aut præteritam, ſed futuram, & quę in poſterum fiet, & ideò ex ſe nunquam exprimet ſententiam à iure latam, ſed ſolùm ab homine ferendam. Sic Caſtro *lib.* 2 *de lege pœnal c.* 1. *regula* 2. Felinus *in cap. Rodulphus, de reſcript.* & alij.

Caſtro. Felinus.

Secundò, Lex pœnalis utens verbo imperativi modi, quamvis ſit temporis præſentis, ſententiam continet ferendam. Ratio eſt, quia natura modi imperativi eſt, ut ſemper ad aliquem alium reſpiciat, & imperat, ut pœnam imponat exempli gratia, verba *Priventur, Suſpendantur, Abſcindatis, Arceatur, Innodentur* & ſimilia ſententiam ferendam continent. Excipiuntur tamen ab hac doctrina duo caſus. 1. Quando ponitur verbum imperativi modi, quod nullum ſignificat hominis miniſterium, neque aliquam exprimit hominis actionem ad pœnam infligendam, ut ſunt hæc verba, *Subiaceat, Incidat, Incurrat*, & alia ſimilia, quæ latam exprimunt ſententiam. 2. Quando cum verbo imperativi modi ponuntur aliquæ aliæ dictiones, quæ expreſsè ſignificant ſententiam latam; ut ſi lex dicat, ipſo iure excludatur, aut ipſo facto privetur &c.

Tertiò, quoties lex pœnalis utitur verbis ſolis comminatorijs, lex illa ſententiam ferendam continet: quia comminatio nunquam eſt, aut eſſe ſolet de re præterita, aut præſenti, ſed ſolùm de re futura: qualia ſunt verba *illa, Sub pœna, Sub interminatione, Sub interpoſitione, excommunicatione*, &c. ſententia erit ferenda, non lata. Si tamen poſt hujuſmodi dictiones comminatorias, addantur aliæ, quæ apertè ſententiam latam ſignificant, tunc verba comminatoria, propter dictiones ſequentes in ſententiæ latæ ſignificationem transferuntur. Ut *cap. Clericis* in ſecunda parte Canonis, *Ne clerici vel monachi*, continet ſententiam latam, quia poſt interminationem anathematis, adduntur hæc verba, *Si quis autem contra hoc venire præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubiaceat.* quæ verba ſententiam latam denotant.

Quartò, quoties lex pœnalis continet dictionem, de qua dubium eſt, an latam vel ferendam exprimat ſententiam, in dubio, dicendum eſt continere ferendam ſententiam: quia *in pœnis benignior interpretatio facienda eſt, de Reg. Iuris in* 6. At verò ſententia ferenda à iudice, benignior & mitior cenſetur.

Reg. Iur.

E contra ſententia lata erit, quoties in lege pœnali apponuntur verba ſignificantia legis tranſgreſſorem incurrere pœnam appoſitam: ideoque quando dicitur *ipſo iure, ſive ipſo facto, ex vi hujus legis abſque alia declaratione, ſive ſententia, ſtatim, illico, ex tunc, continuò poſt, incontinenti, ſine morā, protinus, mox, ſubitò, eveſtigio.* Item quando ponuntur verba præſentis temporis modi indicativi. v. g. quando lex dicit, *Condemnamus ad talem pœnam, excommunicamus, ſuſpendimus, interdicimus, Privatus exiſtat*, &c. & ſimilia, tunc ſententiam latam lex continet, ut diximus de cenſuris *tom.* 1. *verb. Cenſura, n.* 6. & 7. ubi plura de hac materia cum Doctoribus ibi citatis, quibus adde Suarez *de leg. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 15. Salas *de leg. diſputatione* 15. *ſect.* 6. Clavem Regiam *lib.* 3. *cap.* 8. *à num.* 19. *uſque ad* 28. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 73. *cap.* 1. & alios ab ipſis citatos.

Suarez. Salas. Clav Reg. Vaſquez.

Vide dicta à nobis *tom.* 1. *verbo, Pœna, num.* 7. *edit.* 3. ubi invenies probabilem ſententiam aſſe-

rentem, quod non omnes sententiæ privativę nullam judicis executionem petentes, incurruntur ipso facto absque ulla sententia, sed id peculiare est solùm in tribus censuris.

24. Communis opinio Doctorum est, leges humanas, statuta, seu decreta, etiam universaliter prolata, nunquam ita generaliter & absolutè intelligi debere, quin interpretationes, conditiones & civiles intelligentias suscipiant, prout æquitas, rectaque ratio suadet: ait enim Iurisconsultus Iulianus *in L. Neque leges, & in L. Non possunt, & in L. Nulla, ff. de legibus. Nulla ratio iuris, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro salute hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipsorum commodum perducamus ad severitatem.* Iulianus. Ratio est, quia tùm leges humanæ de illis disponant quæ frequenter & ut plurimum fiunt, intendentes semper ad commune bonum: actus autem humani, de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus consistunt, qui multis, ac penè infinitis modis variari possunt; nec ullius hominis tanta sapientia est, ut casus omnes singulares excogitare & prævidere possit; inde est, quod si in casu aliquo particulari contingat legis observationem communi saluti & bono damnum & nocumentum afferre, impunè & absque peccato, præter verba legis subdito agere licebit, prout justitiæ ratio & communis utilitas postulat: proinde non solùm legem violat, qui nimis rigidè legem observare vult contra legislatoris intentionem, sed etiam qui fraudulenter verba legis observans, mentem legislatoris transgreditur. Hinc in *l. Non dubium. Cod. de legibus*, dicitur: *Non dubium est eum in legem committere, qui verba legis amplectens, contra legis nititur voluntatem.* Unde maritus, qui lege divina & naturali tenetur debitum conjugale reddere uxori petenti, si tamen infirmetur, non tenetur: quia magis obligatur ad propriæ personę conservationem, quàm ad debitum reddendum. Lex ergo divina & naturalis in casu illo particulari non obligat, nec ad literam erit observanda. Sic tradunt ex communi D. Tho. 1. 2. *q.* 96. *a.* 6. & 2. 2 *q.* 120. *a.* 1. & ibidem Cajetanus, Sylvius, Valentia *tom.* 2. *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 9 Barthol. Medina in 1. 2. *q.* 96. *a.* 6. & alij citati *to.* 1. *verb. Epicheia num.* 2. ubi plura de hac virtute. D. Thom. Cajetan. Sylvius. Valentia. Medina.

25. Certum est legem, tam Ecclesiasticam, quàm civilem, ob justam causam ad bonum publicum pertinentem, posse personas quasdam ad contrahendum inhabiles reddere, quæ secluso tali lege naturali iure spectato habiles essent. Item certum est posse legem contractum aliquem, iure alioquin naturali subsistentem, iusta de causa prohibere, vel etiam cassare, irritare, & infirmare.

Ad quarum intelligentiam notandum est, quinque modis accidere posse ut lex humana contractum vel quemvis alium actum improbet. *Primò*, Si lex contractum nec prohibeat, nec infirmet, eive resistat; sed solùm non assistat, atque in foro externo nullam actionem tribuat; qua ratione pacto nudo leges nec assistunt, nec resistunt. *Secundò*, Si lex prohibeat contractum, sed non infirmet, neque à judice infirmandum decernat: & tunc contractus dicitur validus, sed non licitus: nam *multa fieri prohibentur, quæ si fuerint facta, obtinent firmitatem*, ut habetur in *cap. Ad Apostolicam, de regular.* ut matrimonium contractum post votum simplex continentiæ illicitum est, sed validum. Proinde, si lex simpliciter prohibeat, nulla facta mentione infirmandi, non censetur infirmare seu irritare. *Tertiò*, Si lex actum vel contractum aliquem per seipsam non infirmet, sed per sententiam Iudicis irritandum decernat: ut si lex utatur verbis ad judicem propriè spectantibus: v. g. *Rescindatur, Infirmetur, Annulletur.* &c. *Quarto*, Si lex contractum, testamentum, aliùmve actum ipso facto & ante omnem judicis sententiam irritum reddat, & jubeat judici, ut talem etiam per sententiam decernat & declaret. Notandum tamen est, legem contractui duobus modis posse resistere & infirmare; minimum vel tantùm civiliter, vel etiam naturaliter. Tunc civiliter tantùm resistit & irritat, si relicta ejus obligatione naturali, actionem tamen in externo foro non tribuit; imò per judicis sententiam contractum juris quadam fictione adeò infirmandum jubet, ac si ab initio nullus seu infectus fuisset, omni ejus effectu, fructu, quem contrahens inde perceperat, rescisso. Sic ludus alearum infirmatur; sic contractus cum pupillo celebratus, &c. sic testamentum minus solemne. *Quintò*, Si lex civilis vel Ecclesiastica contractum, vel quemvis alium actum ipso facto & ante omnem judicis sententiam, tam civiliter, quàm naturaliter irritum raddat, ut nullus inde effectus vel obligatio, ne quidem in conscientiæ foro, oriatur. Sic leges canonicæ infirmant matrimonium clandestinum, vel cum impedimento dirimente. Sic lex civilis infirmat contractum pupilli cum tutore celebratum, ut neque naturalis obligatio inde oriatur. De his videndus est Suarez *de legibus libro* 5. *capite* 19. *& sequentibus.* Suarez.

26. In legum interpretatione potiùs sequenda est mens legislatoris, quàm verba. Ratio est, quia mens & voluntas legislatoris est veluti spiritus & anima legis, unde omnis vis obligandi per verba, tanquam instrumentalia signa, provenit. Mens autem & voluntas legislatoris partim ex materia legis, partim ex circumstantijs, præcipuè verò ex fine, causa, sive ratione legis ferendæ intelligi poterit. Vide Sylvestrum *verb. Lex. q.* 16. *&* 17. Sylvester. Suarez *de leg. lib.* 6. *cap.* 1. Suarez.

Verba legis, alteriúsve dispositionis, in dubio, si nihil aliud obstet, intelligenda sunt secundùm communem usum & acceptionem, quæ etiam proprietati præferenda est, ut docent Legistæ & Canonistæ, Suarez *loco citato cap.* 1. *num.* 9. & alij. Suarez. Deinde verò propria verborum significatio anteponenda est impropriæ, iuxta *L. Non aliter, ff. de legatis.* Et verba ad improprios sensus trahi non debent nisi ratio vel necessitas cogat.

Quatuor causæ cogunt recedere vel à communi & usitata, vel propria verborum acceptione. *Primo*, Si de mente legislatoris aliunde certior coniectura accipi possit, ut dictum est suprà. *Secundo*, Si significatio verbi usitata, vel propria absurditatem contineat. Sylvester *verb. Lex, q.* 20. Sylvester. *Tertiò*, Si lex secundùm propriam verborum acceptionem, repugnaret ac derogaret antiquioribus iuribus, trahenda potius est ad significationem impropriam, si significatio impropria sit etiam in communi, vel saltem iuridica usurpatione, aliàs non videtur recedendum à communi & propria significatione verbi, nisi ex legis abrogatione aliud absurdum seu incommodum sequatur. Ita Suarez *de leg. lib.* 6 *cap.* 27. *num.* 11. & alij. *Quartò*, Si recepta consuetudo aliter legem interpretetur, ea interpretatio præferenda erit: quia optima est legum interpres consuetudo; *cap. Cùm dilectus, de consuetudine, & lib.* 23. *ff. de legib.* Suarez.

27. Quando verba legis plures habent sensus proprios, sed non constat, quem sensum legislator intende-

intenderit, talis interpretatio facienda eſt, ut verba accipiantur juxta ſenſum, qui magis convenire poteſt rei, de qua agitur. Si verò uterque ſenſus æquè conveniat rei, nec conſtet de intentione legiſlatoris, adeundus eſt legiſlator, vel ejus ſucceſſor, ſi pro legis interpretatione commodè adiri poteſt. *l. final. Cod. de legibus.* nam illius eſt legem interpretari, cujus eſt condere, *cap. Cùm veniſſent, de judicijs* Si verò legiſlator vel ipſius ſucceſſor commodè adiri nequeat, quando verba duplicem habent ſignificationem æquè propriam, in pœnis benignior & ſtrictior pars explicanda eſt, in favorabilibus verò latior, *cap. in pœnis & cap. odia, de Regulis Iuris in 6.* Ita Valentia *tom. 2. diſp. 7. quæſt. 5. punct. 6.* Becanus *tract. 3. cap. 6. quæſt. 14.* Clavis Regia *lib. 3. cap. 8.* & alij communiter.

Reg. jur. Valentia. Becanus. Clav. Reg.

28. Lex pœnalis ob paritatem rationis, non extenditur ab uno caſu ad alium, vel ab uno crimine ad aliud, vel ab una perſona ad aliam. Ratio eſt, quia pœna pendet à legiſlatoris voluntate verbis expreſſa, qui poteſt unum crimen punire alio non punito, aut unum punire unâ pœnâ & aliud aliâ: & aliud in legis pœnalis interpretatione arguere non licet per argumentum à ſimili, aut à contrario ſenſu, niſi fortè talis extenſio per alias iuris regulas apertè & evidenter probari poſſet; vel niſi unus caſus, ſeu unum crimen non ſit poſitum in lege tantummodo gratia exempli; nam ſi lex ſit generalis, certum eſt generaliter intelligi debere de omnibus caſibus, ad quos verba legis extendi poſſunt, iuxta ſenſum & proprietatem verborum. Ratio autem cur argumentum à ſimili, aut ab identitate rationis valeat in alijs legibus, non autem in legibus pœnalibus, eſt, quia aliæ leges adeò pendent ex ratione, ut ratio legis dicatur eſſe mens illius, & conſequenter ubicumque illa eadem inveniatur ratio, ibi etiam lex eadem habetur. Lex autem pœnalis non omninò pendet à ratione, ſed à voluntate legiſlatoris: quia licet pœnam aliquam ſine ratione non ſtatuat, nulla tamen recta ratio cogit, ut tale, aut illud crimen hac aut illa pœna puniatur, ſed hoc ex ſola voluntate legiſlatoris dependet. Ita Alphonſus à Caſtro *lib. 1. de poteſt. leg pœnal. c. 7. documento 3.* Suarez *de leg. lib. 6 cap. 3. num. 5. & 9.* Clavis Regia *lib. 3. cap. 8.* Salas *de leg. diſp. 21. ſect. 5. num. 11.* & alij.

Caſtro. Suarez. Clav. Reg. Salas.

29. Dubium eſt inter Doctores, an ſit facienda extenſio ab uno caſu ad alium, ſeu ab uno crimine ad aliud, ſeu ab una perſona ad aliam ob paritatem rationis, in lege favorabili? Quidam negant faciendam eſſe extenſionem ad ſimiles caſus, ſicut in lege pœnali, niſi ad ipſos extendantur verba legis juxta proprietatem verborum naturalem vel civilem, niſi aliter cogat neceſſitas. Ratio eſt, quia legiſlator poſita eadem ratione poteſt pro ſuo arbitrio unum velle, & non aliud; unum approbare, alterum reprobare; unum præcipere, alterum prohibere; unde expreſſio unius, & taciturnitas, ſeu ſilentium alterius indicat legiſlatorem unum voluiſſe, & non alterum: nam ſi alterum voluiſſet, expreſſiſſet; ergo non eſt facienda extenſio ad ſimiles caſus, &c. Ita probabiliter ſentiunt Suarez *de leg. lib. 6. cap. 3. & 4.* Salas *de leg. diſp. 21. ſect. 13.* & alij.

Suarez. Salas.

Verùm, faciendam eſſe extenſionem ad ſimiles caſus, quos ob identitatem rationis adæquatæ credibile eſt legiſlatorem eos comprehendere voluiſſe, non improbabiliter exiſtimant multi. Ratio eſt, quia ſicut philoſophicè loquendo impoſſibile eſt dari eandem omnino cauſam, quin ſequatur idem effectus, ita iuridicè loquendo fieri nequit, ut detur eadem cauſa, quin detur eadem lex & obligatio, cùm ratio legis ſit cauſa legis & illius anima. Tamen ad talem extenſionem faciendam neceſſe eſt ut ratio, quæ legiſlatorem movit ad id quod in lege ſua expreſſit, ſtatuendum, adæquatè ſive per omnia etiam locum habeat in alijs caſibus per verba non expreſſis: nam ſi aliqua ratio diſparitatis aſſignari poſſit, cur legiſlator unum caſum, vel perſonarum genus ſua lege comprehendere voluerit, atque idcircò verbis expreſſerit, non autem alios caſus vel perſonas, tunc extenſio fieret probabiliter ultra mentem legiſlatoris per verba expreſſam, ac limitatam quod numquam permiſſum eſt. Ita Panormitanus *in cap. Ex tenore, qui filij ſint legitimi.* Sylveſter *verb. Lex: n. 15* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 18. num. 9.* Cavarruvias *in cap. Alma mater. cap. 2. §. 4. num. 7.* Bartolus & alij.

Panorm. Sylveſter. Layman. Covar. Bartolus.

30. Multis modis cognoſci poteſt, aliquem caſum in lege non comprehendi, quamvis verba legis ad ipſum extendi videantur. 1. Quando caſus ſupervenit, nimis difficilis & ſuperans poteſtatem legiſlatoris: quia ſicut ſine graviſſima cauſa non poſſunt graviſſima & valdè difficilia onera præcipi, ita neque caſus valdè difficiles, ſeu moraliter impoſſibiles in lege comprehendi poſſunt: quia ad impoſſibile nemo tenetur. 2. Quando caſus ſit perniciosus bono communi. 3. Quando caſus ob ſupervenientem aliquam circumſtantiam ſit illicitus: quia lex non obligat ad rem turpem, & materia legis eſt res honeſta. 4. Quando caſus aliquis occurrit, qui ex circumſtantia non judicatur à legiſlatore inventus, & quem legiſlator excepiſſet, ſi eum prævidiſſet. De his caſibus Suarez *lib. 6. de leg. cap. 7.* Leſſius *lib. 2. cap. 47. dub. 9.* Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp. 37.* Salas *de leg. diſp. 1. ſect. 9. num. 55. & 56.* & alij.

Suarez. Leſſius. Sanchez. Salas.

Vide verb. Abbas *n. 11. 12. & 13.* Abbatiſſa *n. 19. & 20.* Conſuetudo *n. 10 & 11.* Ignorantia *n. 5.* Legatus *num. 9.* Metus *num. 8. 9. & 10.* Pœna *n. 4.*

LOCATIO ET CONDVCTIO.

SVMMARIVM.

1 *An res, quæ unico actu conſumuntur, poſſint locari? Et an pecunia poſſit locari quoad uſum retento illius dominio?*

2 *In quibus caſibus conductor ex caſu fortuito teneatur.*

3 *Conductor, qui eventibus omnibus fortuitis renunciavit etiam extraordinarijs, propter inſolitam ubertatem, an teneatur augere penſionem.*

4 *An pacto ſtandum ſit, ſi inter locatorem & conductorem fuerit pactum, ut certum quoddam pretium ſolvatur.*

5 *Si conductor competenti tempore maneat in re conducta, elapſo tempore convento, ſcientе patiente locatore, an ſub eiſdem conditionibus cenſeatur contractus locationis renovatus.*

6 *An medicus, qui locavit operas ſuas pro tota familia determinata, licitè poſſit auctâ familiâ exigere auctiorem mercedem, & an teneatur extenuare mercedem diminutâ familiâ.*

7 *An dominus teneatur ſolvere mercedem famulo, qui abſque ulla mercede, ſed ſola ſpe alicuius*

ius beneficij vel officij obtinendi famulatur, si postea eum nullo beneficio afficiendum curaverit.

8 *An qui locat oves & boves, possit obligare conductorem ad reddendum ea animalia sic locata aquè integra & sana.*

Et an sit licitum locare boves ea lege, ut conductor alios boves ejusdem ætatis reddere teneatur.

9 *An res locari possit eo pacto, ut conductor ejus periculum suscipiat.*

10 *An conductor, qui non potuit uti re conducta, absque sua culpa, teneatur solvere pensionem.*

11 *Quæ sit affinitas inter venditionem & locationem, & quæ differentia.*

12 *Si res aliena bonâ alicujus fide elocata, postea evicta fuerit, an debeat locator petere à domino rei, ut conductorem finat sub eadem pensione re uti & frui.*

13 *Quando nescitur, casune, an culpâ vel dolo conductoris aut custodis res locata perierit, an conductor vel custos obligetur ad utrumque ostendendum.*

14 *Quæ actiones ex locatione nascantur.*

15 *An finito tempore locationis possit invitus conductor, vel ejus hæres retineri? Et quot modis locatio finiatur?*

1. IUxta communem sententiam, res quæ unico actu consumuntur, ut pecunia, panis, vinum, oleum & similia non possunt locari: quia eorum usus retento ipsorum dominio concedi non potest sine usura, nisi fortè locentur ad ostentationem & pompam, ut diximus *tom. 1. verb. Locatio 1. num. 4.* Et quidem quòd pecunia possit locari quoad usum, retento illius dominio, Probari potest: quia materia locationis est res utilis; & locatio ordinatur in eum finem, ut locatarius percipiat debitam utilitatem ex re locata. Unde per se primò de ratione locationis est, ut res locata convertatur in utilitatem locatarij. Quòd si dum convertitur, consumitur, hoc per accidens se habet ad rationem locationis. Ex hoc autem fit, quòd solùm debeat restitui completo tempore locationis eo modo, quo restitui potest, habita ratione quòd convertatur in utilitatem locatarij. Unde quando non potest restitui eadem, restituitur innovata: ut in locatione prædij, in quo innovantur vites & sementes: in locatione gregis ovium, in qua non eædem oves, sed par numerus ex innovatis restituitur. Sic ergo in locatione pecuniæ, quia dum convertitur in utilitatem, consumitur, debet restitui completa locatione juxta suam capacitatem, hoc est, eadem secundùm quantitatem & valorem, quæ moraliter est eadem pecunia: sicut est moraliter idem grex ovium, licet nulla supersit ex primis. Deinde in rebus usu consumptibilibus usus distinguitur à dominio, ut communiter tradunt Doctores & declaratur à Nicolao III. *Extravag. Exit qui seminat, de v. signific. in 6.* & Clemens V. *in Clement. Exivi de paradiso, eodem titul.* quia potest usus consumptibilium esse cum dependentia ab alio, atque adeò sine dominio, ut in Fratribus Minoribus. Unde & in pecunia potest concedi usus & non dominium; & ideò ratione usus est capax locationis. Ita sustinet Pasqualigus *in decis. moral. decision 184. num. 16. & 17.*

Nicol. III. Clem. V. Pasqual

2. Conductor in tribus casibus ex casu fortuito tenetur. *Primo*, quando evenit casus fortuitus ex aliqua precedente culpa, quamvis leviut si aliquis equum sibi ad Augustam Taurinorum locatum, duxit Mediolanum, illicque pertransiens incidit in latrones, à quibus eo spoliatus est.

Secundò, quando res periit in potestate conductoris existens propter moram, quam fecit in reddenda re domino suo, quòd apud locantem non accidisset; ut si aliquis teneret domi equum locatum quo iam usus est, & morante ipso reddere, cecidit domus & equum occidit.

Tertiò, quando ab initio intervenit pactum de casu fortuito, quod licitè fieri potest: quia pactum istud de standò casu fortuito in locato, non contra, sed præter substantiam contractus est; verùm locator tunc debet aut pensionem minuere, aut pretium aliunde conductori solvere; quia periculum quod rei conductæ colonus in se suscipit, est pecunia æstimabile. Ita expresè habentur hi tres casus *in c. 1. de commodato, & in cap. Bona fides, de deposito.* & ibi Glossa, Hostiensis, Ioann. Andreas, Panormitanus, Lopez *de contract. lib. 2. cap. 27.* Azorius *part. 3. lib. 6. c. 8. q. 1.* & alij. Glossa. Hostiensis Io. Andr. Panorm. Azorius.

Verùm advertendum est, cum, qui ex pacto renunciat casibus fortuitis in genere, non censeri renunciare rarissimis & extraordinarijs, de quibus nullus omninò esse poterat timor. Ratio est, quia contrahentium intentio sub illis verbis generalibus, non videtur se extendere nisi ad casus fortuitos consuetos ac solitos, de quibus tunc cogitari poterat evenire posse. Tum quia pactum de ejusmodi renunciatione, stricti iuris esse videtur: ergo si ea verificatur quoad eventus rarò contingentes, non videtur ad rarissimè contingentes & præter hominum cogitationem eorumque providentiam extendenda. Ita Menoch. *lib. 2. de arbitr. centur. 2. casu 80.* Molina *de contract. disp. 495.* & alij probabiliter. Quamvis contrarium, nempè, teneri quidam sentiant ex eo, quòd qui genus promittit & de genere cogitat, censetur utique etiam de singulis speciebus eo genere contentis sensisse, cogitasse & promisisse, cùm expresso genere, expressæ quoque censeantur species. At casum fortuitum insolitum, esse speciem casus fortuiti, certum est. Ita Diana *part. 8. tract. 7. resol. 31.* qui pro sua sententia citat Fachinæum, Pinellum, & alios. Menoch. Molina. Diana. Fachin. Pinellus.

4. Convenit inter omnes Auctores, conductorem, qui eventibus omnibus fortuitis renuntiavit etiam extraordinarijs, propter insolitam ubertatem non teneri augere pensionem. Ratio est, quia qui dicunt propter extraordinariam ubertatem, augendam esse pensionem, ea ratione id affirmant, quoniam sicut locator propter extraordinariam sterilitatem patitur damnum pensionis, ita propter extraordinariam ubertatem sentire debet commodum augmenti pensionis; quia qui sentit damnum, commodum etiam sentire debet, & è contra, ut habet regula juris. Quando autem conductor non renunciavit eventibus fortuitis, & extraordinaria fertilitas fructuum ex sumptibus, diligentia, industriáve conductoris provenit, ut quia plus seminavit & diligentiùs coluit aut meliramenta fecit in re conducta, certum est etiam conductorem ad pensionem locationis augendam non teneri, quia id suæ industriæ debetur. Sicut nec augetur merces si ubertas ex bonitate fundi locati contingat, quemadmodum non fieret remissio propter negligentiam, vel si parum valerent fructus. Ita Lopez *lib. 2. de contract. cap. 26.* Sylvester *verbo, Locatio num. 14.* Lessius *lib. 2. de justit. cap. 24. dub. 3.* Lopez. Sylvester. Lessius.

Secus dicendum quando fertilitas fructuum ex cæli clementia, vel casu fortuito vel insolito provenit, qui prævideri non solet, ut diximus *to. 1. v. Locatio III. n. 2.* tunc enim locator potest pensionē augere, & conductor in foro conscientiæ tenetur pro rata fertilitatis pēsionē solvere. Quod tamen intelligitur,

intelligitur, quando fructuum copia multò maior est consuetâ & ordinariâ, non tamen quando fructus pluris æstimantur & venduntur; sicut nec minuitur pensio, si fructus hoc vel illo anno minoris sint pretij. Ita Navarrus *in Man. c. 17. n. 191.* Molina *de contract. disputatione* 495. & alij communiter. Navarrus. Molina.

Hæc doctrina vera est secundùm Ius Cæsareum & quando nihil aliud deductum est in pactum: verùm hodie contrarium plerisque in locis observatur, ex consuetudine inibi recepta, ut advertit multis aliis citatis Rebellus *part. 2. de oblig. just. lib. 14. quæst 9.*

4. Si inter locatorem & conductorem fuerit pactum, ut certum quoddam pretium solvatur, pacto standum est; quo cessante, illud pretium (si per legis taxam constitutum non sit) erit justum, quod passim eo loco huiusmodi rebus dari solet, ita ut non sit minus infimo, nec maius summo, quod dari consuevit: si verò res locari solita non sit, servanda est consuetudo illius Provinciæ vel populi. Quòd si nulla fuerit consuetudo, boni viri arbitrio stipendium statuendum est. Ita Lessius *lib. 2. cap. 24 dub. 4.* Azorius *part. 3. lib. 8. cap. 5 quæst. 4. De locato.* Lessius. Azorius.

5. Si conductor competenti tempore maneat in re conducta, elapso tempore convento, sciente & patiente locatore, sub eisdem conditionibus censetur contractus locationis renovatus. Ratio, quia ex tali taciturnitate utriusque, tam locatoris, quàm conductoris, consensus inducitur, qui ad huiusmodi renovationem præsumendam sufficit. Ut si locaverim tibi agrum meum ad annum, & anno finito cùm in eodem agro permaneas, ego sciens taceo, eo ipso videor iterum locare ad annum. Habetur expressè *in l. Item quæritur, §. Qui impleto, ff. locati, & l. Qui ad certũ. ff. eod. titulo.* Quod si finito sequenti anno, iterum conductor perseveret in eodem agro, sciente & patiente locatore, censetur similiter locationem prorogare in sequentem annum, & ita consequenter, quousque finito aliquo anno eiusmodi tacitæ prorogationis, discessus fiat à contractu, deserente conductore agrum, aut locatore expellente conductorem ab agro. Vide Molinam *de contract. disp. 4. 8.* Quantum autem temporis requiratur, ut locator censeatur tacitè renovasse contractum in annum sequentem, jure communi non est definitum, sed arbitrio Iudicis relinquitur definiendum pro foro judiciali, sicut pro foro conscientiæ prudentis arbitrio determinandũ erit, ut docet Gomez *2. var. c. 3. n. 16.* Molina. Gomez.

6. Medicus, qui locavit operas suas pro tota familia determinata, puta pro quadraginta personis; tunc auctâ familiâ, licitè potest exigere auctiorem mercedem, sicut è contrario diminutâ familiâ diminuere mercedem tenetur: quàdo autem numerus familiæ erat indefinitus, ut accidit in Monasterio Religiosorum, ubi aliquando sunt plures, aliquando pauciores; tunc nec augebitur, neque minuetur salarium pro augmento Fratrum, aut diminutione. Si tamen sic locãs operas suas nimis gravetur, in foro conscientiæ non tenebitur inservire tantæ multitudini, si tempore contractus non fuit prævisa; & è converso nec Monasterium ad pretium conventũ tenebitur, si eodem modo notabiliter numerus Religiosorum diminuatur. Ita in simili Rodriguez *p. 1. Summa Latina cap. 21.* Lopez *de contract. lib. 2. cap. 26.* Rodrig. Lopez.

7. Famulo, qui absque ulla mercede, sed solâ spe alicuius beneficij, vel officij consequendi, famulatur, mercedem non tenetur solvere dominus, si posteà eum nullo beneficio afficiẽdum curaverit. Si tamen tacitè intenderet famulus dominum suum hoc pacto obligare ad procurandum beneficium Ecclesiasticum, esset simonia, & dominus hanc intentionem advertens, de justitia teneretur ei justam mercedem sui servitij erogare; non enim ille intendit servire gratis, sed cum onere; quod dominus non potest suscipere. Si verò intenderet illũ obligare ad procurandum officium sęculare, tunc dominus id advertens, vel teneretur quantũ in se est curare, vt id cõsequatur, modò sit dignus; vel si hoc nollet, teneretur ei justum stipendium rependere. Si autem dominus fecerit quantum in se est, ut ille officium obtineret, & nihilominus non obtinuit, ad nihil teneretur: quia famulus non videtur ad aliud dominum voluisse obligare nisi id expresserit. Ita Lopez *de contract. l. 2. c. 25.* Molina *de contract. 506.* & alij. Lopez. Molina.

8. Qui locat oves & boves, non potest obligare conductorem ad reddendum ea animalia sic locata æquè integra & sana, nisi tale onus locator justa mercede compenset, cùm conductor id oneris gratuitò subire recusat. Ratio; quia natura contractus locationis exigit, ut res locata, si perit, locatori, qui dominus eius est, pereat, & non conductori, quando in culpa levi non fuit: ergo si locator velit obligare conductorem ad reddendum oves & boves sic locatos, sanos & integros, usuram committit; quia perinde est, ac si mutuaret decem, ut quindecim redderentur. Ita Medina *in sua instruct. conf. lib. 1. cap. 4. §. 27.* Azorius *part. 3. lib. 8. cap. 12. quæst. 1.* Medina. Azorius.

Similiter usurarius est contractus, locare boves ad colenda prædia sub certo pretio; hac tamen lege, ut conductor alios boves eiusdem ętatis quam habebant isti, qui conducti sunt tempore conductionis, reddere teneatur, nisi locator minuat pensionem, vel aliunde compẽset onus, quod imponit conductori. Ratio; quia obligat sibi conductorem ad reddendum boves æquè bonos, etiamsi boves absque culpa conductoris sint facti deteriores. Boves enim laborando moderatè, locatori deberent perire, vel deteriorari, si periissent, vel deteriores evasissent, unde id periculi appretiabile pretio locator conductorem facit subire. Idem enim est in hoc contractu, ac si quis dicat: Accipe hæc animalia mutuata, ut postea reddas mihi alia meliora & maioris valoris. Ita Rodriguez *part. 1. Summæ Latinæ, cap. 19. n. 4.* qui citat Sotum *de just. lib. 6. q. 1. art. 4.* Ioannem Medinam *Cod. de restitut. quæst. 38* & alios.

9. Res locari potest eo pacto, ut conductor eius periculũ suscipiat, hoc est, ut sit periculo conductoris: & tunc conductor ratione talis oneris & periculi suscepti potest justam mercedem exigere, quia eam meretur, & debet locator mercedem rei locatæ minuere, ut compenset onus, quod suscipit conductor. An autem ex tali pacto locatio trãseat in venditionem, Sotus *lib. 6. de just. q. 6. art. 2. ad 3.* affirmat: quia, etiamsi res casu perierit, conductor cogitur pretium & æstimationem eius reddere. Sed hanc sententiam meritò confutavit Navarrus *in Comment. de usuris, num. 35. & seq.* Tum quia susceptio periculi non facit venditionem vel emptionem, quia est contractus omninò distinctus: solũ enim facit, ut qui rem suo periculo suscipit, debeat rei pretium restituere, si perierit: alioquin si res salva manserit, domini est, non eius qui periculum suscepit: aliàs suscipiens periculum navis alienæ, eo ipso navem suam faceret. Tum quia rem locatam tametsi suo periculo conductor suscipiat, eius dominium non acquirit. Si enim non pereat, debet eadem, non autem eius pretium Rodrig. Sotus. Medina. Sotus. Navarrus.

tium reſtitui; at rei venditæ dominium ad emptorem tranſit.

10. Conductor, qui non potuit uti re conducta, aut fructus ex ea percipere propter aliquod impedimentum ſuperveniens abſque ſua culpa, ut propter bellum, peſtem, &c. non tenetur ſolvere penſionem ad ratam temporis, quo non potuit uti re conducta. Ratio eſt, quia conductor non cenſetur ſe voluiſſe obligare ad ſolvendam penſionem pro eo tempore; contractus autem non obligat ultra voluntatem & intentionem contrahentium, *l. habitatores, ult.* & *l. ſi fundus, ff. locati.* Si verò conductor non potuit uti vel frui re conducta ob caſum vel impedimentum ſuperveniens ex parte conductoris, conductor adhuc tenetur ſolvere pẽſionem. Ratio, quia æquitas non patitur, ut locator damnum patiatur ob culpam, vel caſum, vel impedimentum ſuperveniens ex parte conductoris.

Hinc ſequitur, eum qui conduxit domum, quam non poteſt inhabitare, quia vexatur à ſpiritibus, non teneri pro tempore vexationis ſolvere pẽſionem; vel quia domus conducta adjudicatur fiſco propter delictum locatoris, vel quia ob peſtem ſupervenientem, quæ vicina loca invaſit, non poteſt eam inhabitare, niſi fortè aliter conſuetudine receptũ ſit. E contrà conductorem teneri ad ſolvendam penſionẽ, dum non potuit domum habitare, eò quòd illi neceſſe fuerit tempore conductionis aliò pergere. Idem dicendũ de illo, qui conducta domo aſſumptus fuit ad dignitatem, vel contraxit matrimoniũ, illique non ſufficit domus conducta, ſed indiget ampliore. Ratio priorum caſuum eſt, quia impedimentum non provenit ex parte conductoris, ſed ex parte rei ſpectantis ad dominum domus, vel ex parte locatoris. Ratio autem poſteriorum, quia impedimentum provenit ex parte conductoris. Ita Navarrus *in Man. cap. 17. n. 198.* & 187. Filliucius *tract. 36. n. 30.* & *ſeq.* Reginaldus *lib. 25. num. 515.* & *ſeq.*

Navarrus. Filliucius. Reginal.

11. Magna eſt affinitas inter venditionem & locationem. *Primò*, ſicut ſubſtantia venditionis conſiſtit in tribus, nempe, conſenſu venditoris & emptoris, re, & pretio: ſic etiam tria ad locationis ſubſtantiam ſpectant, conſenſus locatoris & conductoris, res, & merces. *Secundo*, ſicut vinditio ſolo conſenſu ſine verbis ullis, nutibus tamen vel ſignis expreſſo contrahitur, ſic etiam locatio. *Tertiò*, quemadmodum in venditione pretij definitio in arbitrium alterius poteſt conferri, non autem in voluntatẽ venditoris vel emptoris; ſic etiam merces taxari poteſt arbitratu alterius, non locatoris, vel conductoris. *Quartò*, ſicut emptio, ita etiam locatio poteſt ſub conditione contrahi. *Quintò*, ſicut emptio ex minimo pretio ſimulata & ficta iudicatur, & potiùs donatio cenſetur, ſic etiam locatio ob modicam mercedem pro ſimulata habetur. *Sextò*, ſicut emptor poteſt petere, ut ſibi res vẽdita tradatur, aut præſtetur id, quod ſua intereſt: ita etiam conductor jure petit, ut ſolvatur id, quod è re ſua eſt. Differunt tamen in duobus. *Primo*, quia emptio ac venditio tendit ad dominij tranſlationẽ: locatio autem ſolùm ad uſus vel fructus conceſſionem. *Secundò*, quia ſi res vendita ante traditionem ſine culpa venditoris pereat; emptor nihilominus pretium ſolvere debet. Si autem res locata ante traditionem intereat, contractus penitus diſſoluitur, & conductor liberatur.

12. Si res aliena bonâ alicuius fide elocata, poſtea evicta ſit, debet locator petere à domino rei, ut conductorem eadem penſione, re frui ſinat: ſi nolit, tenetur conductori aliam rem non minus commodam, verbi gratia, dòmum ad inhabitandũ præſtare, ſi poſſit; alioquin de penſione remittere cogitur, *l. ſi quis domum*, & *l. ſi fundus, ff. locati.* Sin verò culpa, vel dolo locatoris, res locata evicta fuerit, aliudvè impedimentum acciderit, quominus conductor ea uti frui potuerit; ille omninò præſtare cogitur, quanti hujus intereſt. Vide Sylveſtrum *verb. Locatio, queſt. 12* Filliucium *tract 36. num. 35.*

Sylveſter. Filliucius.

13. Quando neſcitur, caſúne, an culpa vel dolo conductoris, aut cuſtodis, res locata perierit, juxta communem ſententiam Doctorum *in l. ſi quis argentarys, ff. de edendo.* conductor, cuſtos, &c. obligantur ad utrumque oſtendendum. Ratio eſt, partim quòd ea quæ facti ſunt, puta rem periiſſe, furto ablatã eſſe, non creduntur, niſi oſtendantur: partim quòd talis obligatio conductori, cuſtodi, aliiſque Officialibus, præſertim publicis, ex natura contractus veluti gentium jure imponitur, ut oſtẽdant rem ſibi commendatam abſque culpa ipſorum periiſſe. Limita, niſi graves conjecturæ ſive indicia pro hominis innocentia adſint: tunc iudex conſiderata qualitate perſonę, interdum juramentum in probationis ſupplementũ deferre, vel partibus compoſitionẽ ſuadere poterit; vel niſi conſuetum ſit ejuſmodi res petire, & quidem ſine culpa conductoris, vel cuſtodis: tunc præſumptio ſtat pro ipſo; vel ſaltem, delato ei juramento liberatur. Ita Molina *diſp.* 494. Gomez 2. *variar. reſolut. cap.* 3.

Molina. Gomez.

In dubio autem non præſumitur incendium ortum culpâ conductoris, niſi locator culpam oſtendat: quamvis enim incendium inhabitantium plerumque culpâ accidat, ut proinde in dubio contra illos præſumptio exiſtat, *l. 3. §. cognoſcit. ff. de officio Præfecti vigilum*; non tamen ſemper patrisfamiliàs, ſed ſæpenumero famulorum culpa, quam paterfamiliàs purgare non cogitur, ſicuti conſtat ex *l. ſi vendita. ff. de peric. & commod. rei venditæ.* & notavit Menochius *de arbitrar. caſu 390. num.* 4.

Menoch.

14. Duæ actiones ex locatione naſcuntur: *Prima* dicitur actio ex locato, quæ datur locatori adverſus conductorem, ut ſoluat mercedem; quod ſi non faciat, ſoluat etiam uſuras, hoc eſt, intereſſe locatoris ex eo quòd merces ſoluta non ſit, *l. Præſes, Cod. de locato.*

Secunda dicitur actio ex conducto, quæ datur conductori contrà locatorem, ut det rem locatam & quidquid intereſt conductori, ſi per locatorem ſteterit, quo minus re locata utatur & fruatur juxta leges contractus.

15. Finito tempore locationis, non poteſt invitus retinere conductor, nec hæres illius, *l. Invitos, Cod. de locato.* Neque è contra cogitur locator eidem vel alteri locare. Si autem conductor conduxerit prædia communitatis, aut fiſci, in his præfertur alijs conductoribus, modò ipſe velit ſolvere augmentum pretij, quod ab alijs offertur, *l. ne cui, Cod. ile locato.*

Finitur autem locatio tribus modis. *Primò* mutuo conſenſu; nam res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, *l. Nihil tam naturale, ff. de reg. juris.*

Secundò, lapſu temporis ad quod res locata eſt: locatio autem non finitur, ſed potiùs cenſetur prorogata, quando locator ſciens permittit conductorem retinere rem ipſi locatam, ut diximus ſuprà *n.* 5.

Tertiò, ſi res locata omninò pereat; nam abſque re locata cõſiſtere locatio nõ poteſt. Quòd ſi plures res locatæ fuerint, & una ex eis peremta ſit, finietur

finietur, conſtitutæ ſint. Si unica fuerit merces, quamvis plures res, unâ pereunte, locatio ceſſat, quia omnes habentur pro una locatione. Quando autem plures res locatæ fuerunt, & inter eas una aliena eſt, ideoque evicta, finitur locatio; quia non cenſetur conductor conſenſiſſe in eam locationem, in qua res eſt aliena. Si verò locatio facta ſit ſub hac conditione. *ut duret donec locator voluerit*, dicendum eſt finiri, non ſolùm locatore volente poſitivè ut finiatur, verùm etiam ſolâ ipſius morte; nam voluntas finitur morte, *l. 4 ff. locatio.* Et hæc de locatione addita ſufficiant.

Vide v. Actio *num.* 14. Emphyteuſis *num.* 2. Mutuum *num.* 11. 12. & 31. Pignus *num.* 5. Simonia *num.* 3.

L V D V S.

SVMMARIVM.

1 *Ludi multiplex acceptio.*

2 *An ludus cum intentione lucrandi magnam quantitatem, ſit peccatum.*

3 *An ludus alearum, taxillorum & ſimiles jure Canonico prohibeantur Clericis ſub peccato.*

4 *An ſit peccatum mortale in religioſis, ludere ludis jure prohibitis.*

5 *An religioſus degens extra Monaſterium de conſenſu Prælati, poſſit aliquid impendere ludo prohibito vel inhoneſto?*

6 *An teneantur ad reſtitutionem qui lucrantur à religioſo expendente in uſus prophanos, quæ ad honeſtam recreationem illi à Prælato conceduntur.*

An religioſus & aliæ perſonæ alienare prohibitæ poſſint plus lucrari, quàm perdere.

7 *An filiusfamilias, qui unico jactu ſolùm poteſt perdere quinque, poſſit ſingulis jactibus ab uno pluſquam quinque lucrari? Et an qui poteſt perdere quinque, ſi ſucceſſivè lucretur quinquaginta, poſſit ea ludo exponere & perdere?* Refertur duplex ſententia.

8 *Quando filiusfamilias nihil alienare potens lucratur centum, an poſſit colluſor poſtea ab eodem tantundem lucrari.*

9 *In quibus caſibus ludens cum muliere coniugata, poſſit ſibi retinere lucrum.*

10 *Quando lucrifaciens à ſervo poſſit ſibi acquiſitum retinere.*

11 *Qui à minore per ludum aliquid acquiſivit, an teneatur lucrans reſtituere.*

12 *An qui in ludo prohibito perdidit & promiſit liberaliter ſe non repetiturum, poſſit repetere, vel ſibi retinere quod perdidit?* R. fertur duplex ſententia.

Et quid de eo qui juravit ſolvere, an poſſit poſt ſolutionem repetere.

13 *An juramentum vel votum non ludendi ſit obligatorium.*

14 *An votum non ludendi ſub pœna certæ peregrinationis, aut eleëmoſynæ, de ſola prima vice deberet intelligi.*

15 *Qui habet poteſtatem diſpenſandi in votis, an poſſit etiam diſpenſare in voto non ludendi.*

16 *An peccent mortaliter, qui aleatores in domo ſua recipiunt, adminiſtrando neceſſaria ad ludum mortaliter illicitum exercendum.*

17 *Laici, qui ſunt ſpectatores ludi mortaliter illiciti, quando peccent mortaliter, quando non? Et quando peccent Clerici, beneficiati, aut in ſacris conſtituti & religioſi?*

18 *Si quis utatur fraudibus contra leges ludi, an teneatur ad reſtitutionem lucri.*

An colluſor teneatur ex juſtitia admonere alterum colluſorem errantem in numerandis punctis, & ob id perdentem? Refertur duplex ſententia.

19 *An teneatur reſtituere lucrum, qui doloſè primam manum in ludo ſurripuit.*

20 *An liceat ludere pro Oratione Dominica vel Salutatione Angelica.*

1. LUdus variè accipitur. nam *Primò* poteſt ſumi ut eſt actus virtutis; nimirum, ut ſit gratiâ reficiendi animum & exercendi corpus. *Secundò*, ut eſt actus cupiditatis, nimirum ſi fiat gratia lucri & quæſtus comparandi. *Tertiò*, ut eſt quidam contractus inter colluſores quo unuſquiſque exponit periculo perdendi pecuniam, vel aliam rem quamcumque ſuam, ob ſpem lucrifaciendi pecuniam, vel rem alterius ludo expoſitam.

Ludus, alius eſt, qui arte, induſtriâ & operâ ludentium geritur: alius qui caſu, ſorte vel fortunâ nititur: alius verò eſt, qui partim caſu vel ſorte, partim arte & induſtria regitur. Ludus autem aleæ eſt, qui caſu magis, quàm arte, vel induſtriâ vel dexteritate gubernatur. Unde ludus aleæ comprehendit ludum chartarum, taxillorum, tabularum & ſortium, & omnes ludos fortuitos, id eſt, in quibus res permittitur caſui & fortunæ.

2. Sententia communis eſt, eum, qui ludit cum intentione lucrandi etiam magnam quantitatem, non peccare mortaliter. Ratio eſt, quia animus lucrandi etiam in materia notabili, niſi ex aliqua circumſtantia depravetur, non eſt ex ſe malus, ſed indifferens. Proinde ludens, dum lucrum intendit, non concupiſcit damnum ſive malum alterius, ut malum eius eſt, ſed lucrum proprium intendit tanquam ſibi debitum jure juſtitiæ, per juſtum ludi contractum, ſi alea ſibi feliciter ſuccedat; unde per accidens infertur damnum alteri. Ita Molina *de juſtit. tract. 2. diſp.* 510. Rebellus *de oblig. juſtit. p. 2. lib. 12. quæſt.* 1. Gaſpar Hurtado *de juſtit. diſp. 8. difficult. 2.* Imò probabile eſt, ludum principaliter propter lucrum non eſſe peccatum etiam veniale; quia animus lucrandi non eſt ex ſe malus, niſi aliunde depravetur: lucrum enim eſt ex ſe indifferens, ut ſuſtinet Eminentiſſ. Card. Lugo *de juſtit. tom. 2. diſp. 31. ſect. 1.* Sicut enim lucrum in aliis commutationibus & contractibus eſt concellum, ita etiam in ludo. Ex his igitur dicendum eſt, ludum etiam prohibitum alearum & taxillorum, quamvis in magna quantitate, per ſe laicis attenta lege naturali & humana poſitiva non eſſe nunc ullum peccatum: quia tam jura civilia, quàm Canonica prohibentia huiuſmodi ludos, jam per contrariam conſuetudinem ſunt abrogata: ut docent Diana *punct. 7. tract. 9. reſol. 2.* Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 27. dub. 1.* & alij. Molina. Rebellus. Gaſp. Hur Lugo. Diana. Trullench

3. Ludus alearum & taxillorum & ſimiles, jure Canonico prohibentur etiam Clericis: nam *in cap. penult. de vita & honeſt. Clericorum*, ſic habetur, *Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiuſmodi ludis intereſſint.* In *cap. Epiſcopus, diſtinct. 35.* damnari jubentur Epiſcopi vel Clerici, qui aleæ deſerviunt. Et *in cap. Inter dilectos, de exceſſibus Prælat.* jubentur deponi ab officio & beneficio Clerici deſervientes aleæ. Quæ omnia confirmavit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 1 de reform.* Circa quæ jura Doctores advertunt Clericis tantùm eſſe prohibitam frequentiam in eo ludo: quia loquuntur de aleatoribus: nomen autem, Aleator, frequentiam denotat; proinde niſi Clericus ſit publicus Con. Trid.

blicus aleator, vel ludo prohibito nimium deditus, vel ſcandalum ſequatur, non peccabit mortaliter: quia ſecluſo ſcandalo, ratione ſtatus perſonæ, nulla videtur ineſſe huic ludo malitia, ſaltem lethalis; imò nec venialis, ſi rarò & moderatè fiat, juxta probabilem ſententiam, recreationis gratia. Proinde gravitas huius præcepti & obligationis in Clericis, judicanda eſt ex conſuetudine regionis, ex ſcandalo, ex frequentia, ex quantitate pecuniæ ludo expoſitæ; & aliis ſimilibus circumſtantiis, quæ facilè variari poſſunt. Ita Cardin. Lugo *de juſt. tom. 2. diſp. 31. ſect. 1. num. 11.* Molina *tract. 2. de juſt. diſp. 512. num. 17.* & alij. Ex quorum doctrina ſequitur, ludum Clericorum, in quo lucrum eſt moderatum, ſi expoſita pecunia non excedat moderatam quantitatem, conſiderata qualitate, & facultate perſonæ ludentis, cenſeri poſſe licitum, aſſumptum præcipuè pro recreatione animi, ut docent etiam Layman *l. 3. tract. 4. c. 21. n. 2.* Amicus *tom. 5. de juſt. diſp. 28. ſect. 1. n. 10.* Ratio eſt, quia dicta jura hodie videntur à ſuo rigore ceſſaſſe, ut etiam annotavimus *tom. 1. verb. Ludus 1. num. 3.*

Lugo. Molina. Layman. Amicus.

4. Ludere ludis prohibitis non eſt peccatum mortale religioſis, in iis Religionibus, in quibus eiuſmodi ludi jam uſu recepti videntur & permiſſi, dummodo religioſus eam ſolùm pecuniam exponat, quam liberè poteſt in ſui commodum, vel recreationem expendere. In aliis autem Religionibus, ubi tam arctè regularis diſciplina viget, ut huiuſmodi ludi ſint penitus interdicti, grave peccatum foret viam & aditum eiuſmodi ludis etiam titulo recreationis aperire. Quare ſi quis auderet eiuſmodi ludum in Religionem inducere, tam ludens ipſe, quàm Superiores ſcientes & conniventes, vix excuſarentur à peccato mortali. Ratio eſt, quia huiuſmodi ludi multum dedecent ſtatum Religioſorum, & longè magis his religioſis ſcandaloſi, quàm Clericis ſæcularibus, ex eo quod arctiorem vitam profitentur; & eò magis ſcandalum generant, quò magis in eis Religionibus regularis diſciplina viget, maiorque eſt opinio in populo de ipſorum obſervantia & ſanctitate. Ita Dicaſtillus *de juſt. l. 2. tract. 18. diſp. 2. dub. 2 num. 21.* Cardin. Lugo *de juſtit. tom. 2. diſput. 31. ſect. 1. num. 12.* Molina *diſp. 521. in fine*, Diana *p. 7. tract. 9. reſol. 4.*

Dicaſtill. Lugo. Molina. Diana.

5. Religioſus, qui extra Monaſterium de conſenſu Superioris in curia, vel univerſitate gratia addiſcendi literas moratur, non habet jus exponendi aliquid ludo prohibito, aut indecenti religioſo, qualis eſt ludus alearum, &c. Ratio eſt, quia in hoc nec eſt tacita, vel præſumpta voluntas Superioris; non enim cenſetur Prælatus dare licentiam regulari alienandi pecuniam per ludum lege humana prohibitum, ſed ſolùm modo licito. Quando autem ludus eſt honeſtus & qui decet regularem, tunc jus habet Religioſus exponendi ludo aliquid modicum gratia reficiendi animum; quia tunc tacita ſubeſt Prælati voluntas: id tamen quod eſt notabilis quantitatis, nequit ludo exponere: quia non eſt tacita voluntas Prælati ut id exponat. Similiter, ſi ex his, quæ ſibi mittuntur ad congruam ſui ſuſtentationem, aliqua ſibi ſubtrahat parcè vivendo, poterit ea exponere ludo honeſto & licito: quia in hoc caſu videtur etiam ſubeſſe tacita Prælati voluntas. Ita Azorius *part. 3. l. 5. c. 26. in quæſt 8. de ludo*, Fauſtus *in Speculo Confeſſar. diſp. 32. quæſt. 21. num. 3. & 4.* Si tamen à Superiore vel Conſtitutionibus ſuæ Religionis interdictus ſit ludus, tunc non habet locum præſumpta licentia, cùm obſtet expreſſa prohibitio contraria: ut docet Dicaſtillus *de juſtit. lib. 2. tract. 18 diſp. 4. dub. 6. num. 38.*

Azorius. Fauſtus. Dicaſtill.

6. Probabile eſt, quod licet religioſus, qui expendit in uſus prophanos, quæ ad honeſtam recreationem ſibi à Prælato conceduntur, peccet mortaliter ſi materia eſt gravis, ij tamen, qui ab illo talia lucrantur, ad nullam reſtitutionem tenentur. Ratio eſt, quia licet modus alienandi ſit contra voluntatem Superioris, non tamen ipſa alienatio ſecundùm ſe, ita ut eam invalidam eſſe velit. Ita Rebellus *de oblig. juſt. part. 2. l. 12. quæſt. 4.* Cardin. Lugo *de juſt. & jure, tom. 1. diſp. 3. ſect 7 n. 142.* Diana *p. 7. tract. 11. reſ. 22.* & alij per ipſos. Vide dicta à nobis *tom. 1. verb. Paupertas religioſa, n. 11. verſ. Sed quia, in 3. edit.*

Rebellus. Lugo. Diana.

Certum eſt tamen, quod ſi religioſus, qui nihil poteſt alienare ludo propter prohibitionem Superioris, aliquid eſſet lucratus, reſtituere illud teneretur ei, à quo eſſet lucretus: quia tunc contractus fuiſſet ipſo jure nullus; ex contractu autem nullo, neuter contrahentium ipſo jure lucrari poteſt Ita Valentia *tom. 3 diſp. 5. q 6. p. 5.* Toletus *in Summ. l 5 cap. 27. n. 7.* & alij communiter apud Sanchez *l. 7. mor. c. 19 n 86.* qui nihilominus *n. 85.* adducit quorumdam Doctorum opinionem, ſuſtinentem probabiliter religioſum & alias perſonas alienare prohibitas poſſe abſque reſtituendi onere, plus lucrari, quàm poſſint perdere: quia contractus poteſt claudicare & non eſſe validus, reſpectu unius; valere tamen reſpectu alterius, ut conſtat ex §. *Pupillus, inſt, de inutilibus ſtipulat.* & ex *cap. Si qua de rebus, 12. q. 2.* ubi decernitur, contractum cum pupillo vel Eccleſia abſque debita ſolemnitate initum, valere quidem in utilitatem ipſorum, & præiudicium contrahentium cum ipſis, at eſſe irritum in præiudicium Eccleſiæ, vel pupilli. Et præter Doctores à Sanchez, ubi ſuprà citatos, noviſſimè hanc ſententiam exiſtimant probabilem Diana *p. 7. tract. 9. reſ. 8.* Dicaſt. *de juſt. l. 2. tract. 18. diſp. 4. dub. 2 n. 13.* modò colluſor ſciat ſe ludere cum eo, qui alienare non poteſt, & nihilominus vult ludere: in hoc enim caſu perinde eſt, ac ſi vellet quis ſe exponere periculo amittendi, aut dandi aliquid de propria pecunia.

Valentia. Toletus. Sanchez. Diana. Dicaſtill.

8. Filiusfamiliàs, qui unico jactu ſolùm poteſt perdere quinque, non poteſt ſingulis jactibus ab uno eodemque lucrari pluſquam quinque: quia colluſores debent eſſe conditione pares, niſi ſciens cónditionem ſocij cedat juri ſuo. Si autem plures ſint, in quos ludit, v. g. quatuor, & ſinguli deponant quatuor, poterit lucrari ſexdecim, utpote totidem ab unoquoque ludentium, quot ipſe unico jactu, ſeu manu perdere poterat, nempe quatuor; quia ſic ſemper eſt æqualis conditio ludi ex parte uniuſcuiuſque ludentium. Ita ex communi Molina *de contract. diſp. 519.* Rebellus *de oblig. juſt. part. 2. l. 12. quæſt. 4.* & alij.

Medina. Rebellus.

Sed dubium eſt, an filiusfamiliàs, qui v. g. poteſt perdere quinque, ſi ſucceſſivè lucretur triginta vel quinquaginta, poſſit ea ludo exponere & perdere? Quidam negant, quia utriuſque ludentis æqua debet eſſe conditio; ſed in hoc caſu nulla eſt æqualitas, ſi filius poteſt plus lucrari quàm perdere. Ita Leſſius *lib. 2 cap. 26. dub. 5.* Joannes Medina *Cod. de reſtituend quæſt. 21.* & alij.

Leſſius. Medina.

Omnes tamen fatentur id fieri poſſe, quando idem ludus perſeverat; quia lucrum illud eſt ſolùm, quod abſoluto ludo remanet: proinde poteſt in eodem ludo perdere non ſolùm id quod lucratus fuerat, ſed etiam id quod de ſuo perdere potuiſſet; quia colludentes in eodem ludo non debent deſtitui ſpe recuperandi amiſſum.

Quando

Quando autem ludus eſt alius, quia nempe filiusfamiliàs receſſit à ludo, domum ſe conferens, & altera die ad ludendum redit; quidam putant non poſſe integram illam quantitatem ludere, ſi notabilis ſit, quia eam filius non ſibi, ſed patri acquiſivit, cùm non ex ſuis, ſed ex paternis bonis eam acquiſierit. Ita Dicaſtillus *de juſt. lib. 2 tract. 18. diſputatione quarta, dub. 3. numero vigeſimotertio & vigeſimoquarto*, Armilla, Gabriel & Roſella apud Sanchez *infrà*. Dicendum tamen eſt, licet de ſubtilitate juris non poſſit ludere totum quod lucratus eſt, quia parti acquirit; nihilominus de æquitate conſcientiæ, ſi ludat filiusfamiliàs cum eodem à quo lucratus eſt, & perdat, poſſe alterum compenſare id, quod perdiderat, & ſic non teneri reſtituere hoc, quod lucratus eſt. Ratio: tum quia pater volens filio ludum permittere, cenſetur licentiam dare, ut ludo exponat id, quod ludo lucratus fuerat, ne parum civilis reputetur ab eo, qui antea perdiderat, niſi fortè jam lucrum diſſipaſſet, & ſine utilitate patris inſumpſiſſet. Tum quia licet lucrum computetur in bonis profectitiis, quorum dominium & adminiſtratio pertinet ad patrem, tamen pater videtur tacitè concedere filio eam adminiſtrationem, ut non cogatur cum ſuo dedecore & aliorum offenſione ſtatim à ludo abire, ſed poſſit pergere, ad ludendum totum lucrum. Ita Sanchez *in opuſcul. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 8. n. 2. & 3.* Bañez *2. 2. q. 32. art. 7. §. Reſpondetur.* Cardin. Lugo *de juſt. tom. 2. diſput. 31. ſect. 2. §. num. 24* Sylvius *2. 2. q. 168. art. 1. concl. 2.* & alij.

Dicaſtill. Armilla. Gabriel. Roſella. Sanchez. Bañez. Lugo. Sylvius.

8. Quando filiusfamiliàs nihil alienare potens lucratur centum, poteſt colluſor poſtea ab eodem tantumdem lucrari per alios ſequentes ludos, non ſolùm continuos vel ſimiles, ſed etiam tempore diſtantes, ac genere diverſos, modò lucrum apud eundem filiumfamiliàs peſeveret & non ſit conſumptum; ſi enim jam conſumpſiſſet, aut aliquis alius legitimè ab eodem filio ſit id lucratus, & is filius non habeat jam quicquam, quod ludo poſſet legitimè perdere, tunc non haberet locum compenſatio. Ratio eſt, quia licet alter, qui poterat alienare, habuerit animum donandi, quando cum filiofamiliàs luſit, ac perdidit; lex tamen ludi exigit, ut totum lucrum, hinc & inde acquiſitum ludo deſtinetur, ſive continuetur, ſive interrumpatur; quia non ita cenſendus eſt alter voluiſſe alienare quod perdidit, quin compenſationem poſtea licitè facere poſſet: ut docent Molina *tract. 2. diſp. 519. num. 10.* Rebellus *part. 2. lib. 12. quæſt. 4.* Diana *part. 7. tract. 9 reſol. 9.* Caſpenſis *tom. 2. Curſ Theolog. tract. 18. diſp. 8. ſect. 3. num. 21* Fauſtus *in ſpecul. Confeſſar. diſp. 32. quæſt. 19.* & alij penes ipſos.

Molina. Rebellus. Diana. Gabriel. Fauſtus.

9. Qui cum muliere coniugata ludit, poteſt licitè ſibi retinere lucrum quod ab ea acquiſivit in ſeptem caſibus. *Primò*, quando uxor ludit ac perdit ludendo, eo more quo ceteræ coniugatæ feminæ eiuſdem conditionis & ſtatus ſolent ludere. Nec maritus poteſt id ei prohibere, quia ob dotem & ſocietatem bonorum contractam, illi debetur congrua & competens ſuſtentatio, quæ ſanè comprehendit ſumptus omnes ad ea omnia, quæ mediocres feminæ ſui ſtatus & conditionis ſolent inſumere, etiam ad competentem & honeſtam oblectationem. *Secundò*, quando uxor ſua privata induſtria & labore acquirit & lucratur poſtquam muneri ſuo & curæ domeſticæ plenè ſatisfecit. *Tertiò*, quando uxor habet adminiſtrationem bonorum. *Quartò*, quando maritus ſcienter permittit, ut aliquid pecuniæ ludo exponat. *Quintò*, quando maritus aliquam pecuniæ ſummam uxori concedit, ut ornatior & comptiùs ſeſe induat, & ipſa reſtrictiùs vivendo ex his aliquid ſubtrahit. *Sextò*, quando maritus expreſsè aliquas pecunias concedit uxori, ut eas pro libito expendat. *Septimò*, quando uxor ultra dotem habet bona paraphernalia, quorum dominium & adminiſtratio ad ipſam pertinet. De his vide Amicum *tom. 5. de juſtit. diſputatione 28. ſect. 4. num. 34.* Molinam *tract. 2. diſp. 520.* Caſpenſem *tom. 2. tract. 18. diſputatione 8. ſect. 3 num. 20.* Azorium *p. 3. lib. 5. cap. 26. quæſt. 10*

Amicus. Molina. Caſpenſis. Azorius.

10. Quamvis ſervus, ſeu mancipium regulariter non poſſit in ludo alienare, ſeu perdere, quia regulariter caret bonis, in certis tamen caſibus lucrifaciens ab eo poteſt ſic acquiſitum ab eo juſtè retinere. *Primò*, quando dominus mancipio concedit certam pecuniam in ſingulos dies, ut ex ea vivat, & ſervus parcè vivendo abſque ſui domini detrimento, aliquid ſibi retinet, poteſt de jure illud per ludum alienare: quia tacita ſubeſt domini voluntas, ut illud ſibi ſervus acquirat. *Secundo*, quando inter dominum & ſervum eſt conventum, ut ſervus ſuo labore certam lucri portionem quotidie ſuo domino reddat, & reliquum ſibi retineat, tunc ſervus reliquum poteſt ludo exponere. *Tertiò*, ſi dominus expreſsè vel tacitè velit, ut ſervus aliquid habeat tanquam ſuum, & de eo pro ſuo arbitrio diſponat, ſive illud habeat donatione domini, ſive aliunde. *Quartò*, ſi ſervo aliquid donetur, aut legetur ea conditione, aut eo modo, ut nullatenus pertineat ad dominum. *Quintò*, ſi aliquid ſervo detur in ſatisfactionem pro injuria ipſi illata in his, quæ non ſubiacent dominis. *Sextò*, ſi bonis ſuis aliquid ludo, aut negatiatione, aut aliter lucretur abſque præjudicio obſequiorum, quæ domino debet. Extra hos caſus, qui ludit cum ſervo & lucratur, tenetur reſtituere domino lucrum; quia quidquid mancipium acquirit vel habet, ad dominum eius attinet. Similiter ſi ſervus ex bonis quę furto accepit à proprio domino, aut ab alio, aliquid ludo ab aliis lucretur, reſtituere id illis tenetur. Ita Molina *tract. 2. diſp. 520.* Hurtadus *de juſt. diſp. 1. diffic. 18. & de contract. diſp. 8 difficult. 8.* Azorius *part. 3. lib 5. cap. 26. quæſt. 9 de ludo.* E contra, in caſibus, in quibus ſervus, ut dictum eſt, poteſt jure aliquid ludo exponere, ſi lucrifecerit ludendo, licitè ſibi lucrum retinet, nec tenetur illud domino reſtituere: quia in hoc tacita videtur ſubeſſe domini voluntas; dummodo nihil ſurripuerit ex domini bonis ad ludendum.

Molina. Gaſp Hur Azorius.

11. Qui à minori per ludum aliquid acquiſivit, ſi minor ſit pubes & curatore careat, non tenetur lucrans reſtituere, donec minore reſtitutionem petente judex lucrantem ad eam cogat. Ratio eſt, quia hic minor naturaliter & civiliter obligatur ex contractu cum beneficio reſtitutionis, ex *l. Si curatorem, Cod. de in integr. reſtitut.* Si autem minor curatorem habeat, vel ſi impubes pubertati tamen proximus (approximare autem pubertati in hac materia dicitur puer decem annos cum dimidio excedens, & femina cùm excedit novem & dimidium) ſuſtinendo opinionem probabilem aſſerentem hunc ſine curatoris auctoritate contrahentem non obligari naturaliter; conſequenter dicendum eſt, lucrantem teneri reſtituere: & in hoc caſu vera eſt ſententia D. Thomæ *2. 2. quæſt. 32. art. 7. ad 2.* Ioan. Medinæ *Cod. de reſtit. quæſt. 22. §. ut igitur* Bañez, Arragon *in 2. 2. quæſt. 32. art. 7.* & aliorum. Et cùm ſit valdè probabilis, poterit minor illi innitens non ſolvere pecuniam in ludo amiſſam. Sed retentâ probabiliori ſententiâ quod impu-

D. Thom. Medina. Bañez. Arragon.

Digitized by Google

impubes pubertati proximus & minor ſine tutoris, aut curatoris auctoritate contrahentes obligentur naturaliter, dicendum eſt lucrantem à minori vel pubertati proximo abſque curatoris auctoritate, non teneri reſtituere, interim dum minor vel tutor loco illius non repetit coram judice, utens beneficio reſtitutionis: quia licet minor, vel impubes ille eo contractu dominium non tranſtulerit, ac tenebatur naturaliter & in foro conſcientiæ ſtare contractui, dum non eliditur beneficio reſtitutionis; ergo lucrans non tenebitur reſtituere. Ita ſuſtinent Molina *tract. 2. diſput. 224.* §. *Ex dictis infero*, & *diſp. 519.* §. *Quod dictum eſt*, Sanchez *de matrim. lib. 6. diſp. 38. num. 20. & ſeq.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap 9. num. 7.* Leſſius *lib. 2. cap. 17. dub. 8. num. 61.* Diana *part. 7. tract. 5. reſol. 44.* & *part. 7. tract. 9. reſol. 13.* qui noviſſimus aſſerit in caſu, quòd ſi minor nolit ſolvere, & ſi ſolverit, colluſor nolit reſtituere, poteſt Confeſſarius probabiliter, neque minorem ad ſolutionem, neque colluſorem ad reſtitutionem obligare.

Medina. Sanchez. Layman. Leſſius. Diana.

12. Quidam cenſent, cum, qui in ludo prohibito perdidit, & promiſit liberaliter ſe nunquam repetiturum, nō poſſe repetere vel ſibi retinere quod perdidit: quia ceſſit juri ſuo, & lex quæ dat repetitionem, eſt facta in gratiam & beneficium perdentium, licet autem unicuique juri & facultati ſibi conceſſæ renunciare. Ita Sotus *de juſtit. lib. 4. quæſt. 5. art. 2.* Azorius *part. 3. lib. 5. 6. 24. quæſt. 7. verſ. Quares.* Verius tamen eſt oppoſitum: nam ſi ſolùm renunciavit ſimplici verbo abſque juramento, ſe non uſurum beneficio legis concedentis ei repetitionem, tunc in conſcientia poterit repetere, vel retinere ſibi pecuniam amiſſam; ſimplex enim ceſſio non privat hominem jure, quod lex ei tribuit in favorem Reipublicæ; alioquin facilimè omnis vis legis redderetur inanis & fruſtratoria, ut docent Rebellus *de obligat. juſtit. part. 2. lib. 12. quæſt. 2.* Fauſtus *in ſpecul. Confeſſar. diſp. 32. quæſt. 14.*

Sotus. Azorius. Rebellus. Fauſtus.

Sed quid dicendum de eo qui juravit ſolvere? an poſſit poſt ſolutionem repetere? Reſpondeo affirmativè, quia qui jurat ſolvere, renunciat quidem actioni, quam habet non ſolvendi, ſed non actioni, quam habet repetendi poſt ſolutionem: non enim juravit ſe non repetiturum, ſed ſe ſoluturum. Qui autem juravit ſolvere & non repetere, tenetur ad utrumque ſervandum; quia juramentum de re licita alteri factum neceſſariò ſervandum eſt, ut patet ex *cap. Quamvis de pactis, in 6.*

An autem in hoc caſu poſſit ante ſolutionem petere relaxationem juramenti ab Epiſcopo, & ſic non ſolvere, & ſi ſolvit, ſolutum repetere? non conveniunt Doctores. Quidam enim putant in hoc caſu juramentum relaxari non poſſe ſine conſenſu eius, cui factum eſt, quia præſtitum eſt in eius commodum, abſque vi, fraude, vel iniuria, ac proinde acquiſitum eſt illi jus, quo inuitus ſpoliari non poteſt. Ita Molina *tractatu ſecundo, diſput. 515.* Leſſius *lib. 2. cap. 26. dub. 4.* Rebellus *parte ſecunda, lib. 12. quæſt. 8.* Probabile tamen videtur, quod poſſit etiam ante ſolutionem petere relaxationem juramenti: nec hoc propriè cenſetur eſſe præiudicium tertij, quia ob tranſgreſſionem legis expoſitus eſt lucrans huic expoliationi, præſertim quia, cùm is qui juravit, poſſit poſt impletum juramentum repetere quod ſolvit, non cenſetur illi præiudicare, ſi per relaxationem juramenti ab obligatione ſolvendi liberari procuret. Quod autem hoc licitè fieri poſſit, Probatur, quia relaxatio hæc in nullius præiudicium eſt: nam, juxta probabiliorem ſententiam, juramentum cadens ſupra promiſſionem, aut contractum nullum, non facit contractum validum in materia juſtitiæ, ac proinde is, cui factum eſt juramentum, nullum jus acquiſivit ad rem promiſſam. Ita Dicaſtillus *de juſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 3. dub. 3. num. 29. & ſeq.* Salas *tract. de ludo, dub. 26. num. 8.* Diana *part. 7. tract. 9. reſ. 26.*

Molina. Leſſius. Rebellus.

Dicaſtil. Salas. Diana.

13. Iuramentum vel votum non ludendi, quatenus includit ludum honeſtum, qui opus virtutis eſt, non obligat. Quia cùm ille ludus honeſtus ſit actus virtutis Eutrapeliæ, teſte D. Thoma *2. 2. quæſtione 168. art. 2. in corpore*, juramentum vel votum abſtinendi ab hoc ludo eſſent contra bonos mores: unde illud votum vel juramentum intelligi debet de ludo illicito, non verò de licito, qui recreationis gratiâ ſuſcipitur, niſi aliter coniiciatur de jurantis, aut voventis intentione. Ratio eſt, quia juramentum reſtringendum eſt, ut quantum fieri poteſt minus obliget: nam ubi agitur de obligatione contrahenda, ſtricta interpretatio facienda eſt, juxta *cap. 1. de jureiur. in 6.* & *l. Quidquid aſtringenda. ff. de verb. obligationibus.* Ita Navarrus *in Manual. cap. 12. numero 11.* Rodriguez *in Summ. Latina, prima parte, cap. 188. numero decimo*, Dicaſtillus *de juſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 1. dub. 2. num. 15.*

D. Thom.

Navarrus. Rodrig. Decaſtill.

Si autem jurans vel vovens intenderet per illud votum vel juramentum ſe obligare ad abſtinendum à ludo licito, votum & juramentum eſſent valida. Ratio eſt, quia quidam virtutis actus reperiuntur, quorum privatio perfectius bonum continet, eò quòd includant acceſſum ad res terrenas, menſque circa eas evagetur. Inter hos numerantur ludus honeſtus, amicorum convivia, &c. quæ ad urbanitatem & alias virtutes pertinent. Votum ergo, vel juramentum emiſſū de abſtinendo ab huiuſmodi virtutis actibus eſt validum, ſicut valet votum de abſtinendo à matrimonio, quod tamen res bona & Sacramentum eſt; quia privatio boni, qualis eſt hæc, quæ includit bonum maius, non eſt mala, ſed melior, & ideò eſt legitima voti materia.

Quando autem non conſtat de expreſſa voventis, ſeu jurantis intentione, ea ex ipſius fine perpendenda eſt: nam ſi finis jurantis ſit vitare jacturam & prodigalitatem pecuniæ; tunc ex quantitate pecuniæ ludo expoſitæ, judicanda eſt culpa ludi, an ſit venialis, aut mortalis: ſi autem juramentum ſit de non ludendo cum certa & determinata perſona, vel in domo certa, vel determinato ludo, hęc juramenta non obligant, cùm ſint de re indifferenti, niſi ex tali ludo, vel cum tali perſona, aut in tali loco, aliqua occaſio peccati vel amiſſionis maioris ſummæ pecuniæ timeretur, tunc enim materia talium juramentorum, jam non maneret indifferens. Ita Sanchez *lib. 3. mor. cap. 8. n. 2. &* 3. Caſpenſis *tom. 2. tract. 8. diſp. 18 ſect. 3. num. 26.*

Sanchez. Caſpenſis.

14. Dubium eſt, an qui vovit non ludere ſub pœna certæ peregrinationis, aut eleëmoſynæ, de ſola prima vice votum debeat intelligi? Negant Sanchez *lib. 4. moral. cap. 22. numero 21.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 5. numero 4. concl. 1.* quia votum illud pœnale eſt acceſſorium voto non ludendi: ſed votum non ludendi non eſt de ſola prima vice; ergo neque illud votum pœnæ ſubeundæ debet eſſe. Ergo votum pœnæ non unico ludo, ſed omnibus annexum eſt. Quando autem ſolùm eſt votum de ſubeunda pœna in caſu ludi, non tamen eſt votum de ludo vitando, ſi ſpectatis omnibus circumſtantiis, de intentione voventis conſtare non poſſit, ſed dubium maneat, de primo ludo videtur probabiliter intelligendū. Ratio

Sanchez. Layman.

eſt,

est, quia cùm de obligatione voti agitur, benignior pars in dubio amplectenda est, salva verborum proprietate. Ergo si vouens de intentione sua dubiter, hanc benigniorem partem, utpote non abhorrentem à verborum proprietate & usu, præfetre potest. Et in hoc casu posset admitti doEman. Sà. ctrina Eman. Sà *verb. Votum, n.* 26. dicentis: *Vouens se aliquid facturum, si contingat fortè peccare, intelligitur*
Layman. *de prima vice, nisi intendisset expressè quoties peccasset.* Consentit Layman *cit. concl.* 2.

Limitat tamen suam sententiam Sanchez *loco citato*, si pœna per votum promissa gravissima sit. quæque iterari non solet, qualis est Religionis, perigrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ, aut exorbitantis eleëmosynæ; tunc de prima vice tan-
Diana. Trull. tùm votum intelligendum esse. Vide Dianam *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 181. Trullench *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 2. *dub.* 26. *num.* 10. *cap.* 2.

15. Qui habet potestatem dispensandi in votis, potest etiam dispensare cum habente votum non ludendi, modò adsit iusta causa, qualis videtur subtractio occasionis peccandi mortaliter in eo, qui assuetus est mortaliter peccare ludendo contra votum. Non potest tamen hujusmodi votum vel juramentum dispensari hac sola ratione, quia vouens vel iurans magnum desiderium & tentationem patitur ludendi, quia ista non censetur iusta causa ad dispensationem concedendam. Pro-
Pius V. inde fertur, Pium V. consultum noluisse super voto non ludendi dispensare, quia nulla videtur causa dispensandi, & dispensatio juramenti iusti, vel voti de re gravi, facta sine iusta causa est jure divino irrita: unde Superior vel alius habens auctoritatem ex privilegio dispensandi & commutandi juramenta & vota, meliùs faciet commutando illud votum vel iuramentum in rem meliorem vel æquè bonam, ac Deo gratam. Ita Lo-
Lopez. pez *p.* 2. *instructor. cap.* 35. *q.* 7. Bonacina *de restiBonacina. tut. disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 1. *n.* 20. Faustus *in speculFaustus. Confessar. disp.* 32. *q.* 16. & alij.

16. Qui aleatores ad ludum mortaliter illicitum, aliter non futurum, mensas, chartas, candelas, aut alia in tali ludo necessaria administrando, in domo sua recipiunt, peccant mortaliter. Ratio est, quia licet ludus ex se sit res indifferens, moraliter tamen semper ibi destinatur domus ad pravum usum, sicut & alia: nam vel blasphematur, vel dilapidantur bona, vel rixæ excitantur, vel ibi ludunt minores, vel furta committuntur, & rarissimè absque peccato mortali exercentur, & proinde peccant exponendo domum supradicto ludo. Nec obstat licitum esse ministrare & vendere res indifferentes etiam cum cognitione pravi usus: ergo etiam erit licitum præbere instrumenta ludentibus, sicut est licitum locare domum, vel vendere ornamenta meretrici.

Hoc enim non obstat: quia licet sit licitum ministrare indifferentia cum cognitione pravi usus, quando non ministrantur in ipso exercitio: v. g. locare domum, ac vendere ornamenta meretrici; quia hæc non ita directè, immediatè & proximè sunt adiumento illi ad peccandum. Contrarium tamen evenit in hoc casu, ubi domus & instrumenta ad ludendum ministrantur in ipso exercitio, & magis directè, immediatè, ac proximè sit concursus ad peccatum perpetrandum. Imò tales subministrantes domum, chartas, aleas & cetera instrumenta, non erunt immunes à restitutione rerum ibi perditarum, si perdantur ab illis, qui alienare non possunt, aut per fraudem, aut vim, quaCaspensis. rum ipsi susceptores sunt conscij, si taliter lucrantes non restituant. Ita Caspensis noster *to.* 2. *tr.* 18. *sect.* 3. *disp.* 8 *n.* 27. Sanchez *in opusc. to.* 1. *l.* 1. *c.* 8. *dub.* 21, Trullench *in Decalog. to.* 2. *l.* 7. *c.* 27. *dub.* 1. Faustus *in speculum disp.* 32. *q.* 28. & alij penes ipsos: quibus adde Lopez *p.* 2. *instruct. c.* 33.

Sanchez. Trull. Faustus. Lopez.

17. Laici, qui sunt spectatores ludi mortaliter illiciti, non peccant mortaliter, quando ex contemplatione duntaxat successus ludi, modóque ludendi absque alterius mali appetitione delectantur. Probatur: quia isti non sunt auctores, neque consultores hujusmodi ludorum, nec eorum deformitas eis placet, nec addunt animum exercentibus se in illis; ergo nullo modo consentiunt peccato mortali, ac per consequens, cùm nullo iure interdicantur laici hujusmodi ludis interesse, non videtur mortalis hæc præsentia, si tantummodo sumatur delectatio ex ludo, quatenus habet in se quid iocosum, vel quid ridiculum, aut gratum sensibus: quoniam tunc non delectatur quis in re gesta, sed in modo rei, qui est bonus in se. Proinde illi tantùm peccabunt mortaliter, quibus complacet ludus, ut est prohibitus, aut quibus complacet aliquod peccatum mortale, quod in ludo fit; v. g. mors alicujus hominis, aut quibus imminet probabile periculum consensus in peccatum mortale; nimirum, quia aspiciuntur homines sese vulnerantes, aut videntur lascivi & libidinosi actus, aut audiuntur lasciva verba, aut provocantia ad libidinem, quæ sit peccatum mortale. Rarò enim in aspectu similium rerum, maximè obscœnarum, deerit peccatum mortale propter hominum fragilitatem. Ita Sylvester *verb. Curiositas, q.* 3. & *verb.* Sylvest. *Ludus. q.* 8. Azorius *p.* 3. *lib.* 5. *q.* 7. Azorius.

Clerici verò beneficiati, aut in sacris constituti & religiosi, si per multum tempus ejusmodi ludis intersint, peccant mortaliter: quia hoc est ipsis interdictum *in cap. Clerici, el* 2. *de vita & honestat. Clericor.* Et colligitur ex Extravag. Pij V. ubi Clericis, tam regularibus, quàm sæcularibus sub excommunicationis pœna hoc interdicitur. Sed pœna excommunicationis non fertur nisi pro culpa mortali: ergo. Ita Navarrus *in Man. c.* 20. *n.* Navarrus. 14. Ludov. Lopez *p.* 2. *instruct. c.* 31. *concl.* 7. Lopez. quamvis quidam doceant hos non peccare mortaliter, nisi sint causa ludi, vel omittant corrigere, quando tenentur, vel nisi complaceant in ludo mortali; quia materia non videtur tam gravis. De quibus vide Sanchez *in opusc. to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 8. Sanchez. *dub.* 29. & 31. Trullench *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. Trullench *cap.* 27. *dub.* 1. *num.* 5. & 6.

18. Si quis utatur fraudibus contra leges ludi, tenetur ad restitutionem ejus, quod sic lucratus est: imò & ad restitutionem ejus, quod alter iustè lucraturus erat, nisi fraude impeditus fuisset: quia damnum per iniustitiam ei infertur. Proinde iniusta foret deceptio & ad restitutionem obligans in lusu chartarum, si quis suffuretur chartam, unde contingit eum vincere. Item, si chartas signis notet, ut agnoscat quando sibi vel colluſori pars peior vel melior contingat. Item, si ita artificiosè chartas cum fraude componat, ut melior ludi pars sibi contingat. Ita communiter tradunt Doctores.

Sed difficultas est, an si quis videat colluſorem non numerare omnia puncta quæ habet, quæ si numeraret lucraretur, teneatur, si non admonet, lucrum restituere? Quidam putant teneri: quia accipit ab ignorante pecuniam, quam non amisit. Ita Navarrus *in Manual. cap.* 20. *num.* 17. Lopez Navarrus. *part.* 2. *instructor. cap.* 35. *vers. Deinde.* Azorius Lopez. *part.* 3 *lib.* 5. *c.* 25. *q.* 3. Quod verum est loquendo Azorius. ex natura rei, & inductione potest probari in omnibus alijs contractibus. Verùm contrariâ senten-

tiam tenent multi. Ratio eſt; quia licet ludens teneatur alterum non defraudare, non tamen tenetur ex juſtitia alterum de ſua negligentia vel errore admonere: hęc enim eſt lex ludi, præſertim ubi conſuetudine recepta eſt. Tum quia cùm unuſquiſque ſuas agat partes in ludo, non tenetur alterius agere, neque tenetur colludenti prodeſſe, in eo quod per negligentiam non advertit. Et confirmatur, quia in ludo chartarum eſt in uſu, quòd ſi aliquis eſt oblitus numerare vel apponere calculos, ſi recorderetur poſtquam diſtributæ ſunt chartę, non poſſit ſecundùm leges ludi numerare vel apponere. Hæc ſententia eſt probabilis, ubi adeſt conſuetudo ſic ludendi. Ita Leſſius *lib. 2. c. 26. n. 15.* Trullench *in Decal. tom. 2. lib. 7. diſp. 27. dub. 2.* Amicus *tom. 5. de juſt. diſputatione 28. ſectione 4. numero 30.* Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub 14.* & alij.

Leſſius. Trul. Amicus. Sanchez.

Notandum tamen, illum, qui inſpicit ludentes in hoc caſu, non peccare contra juſtitiam, non admonens ludentem errare in computandis punctis, niſi id promiſerit, & ita non teneri reſtituere, licet interdum peccet contra charitatem, ut docent auctores utriuſque ſententiæ.

19. Qui accipit primum locum, quem in ludo chartarum appellant manum, cùm tamen alteri colluſori deberet, peccat, & ſi ob id aliquid lucratur, ad reſtitutionem tenetur, quia ſurripit jus aptius lucrandi colluſori, & tollit proximo jus ſuum, ſcilicet præire in ludo, quod maximè confert ad lucrum. Tamen ſi non conſtet præcisè ratione prioris loci lucratum fuiſſe, non tenebitur totum reſtituere quod lucratus eſt; ſed quantum jus illud prioris loci judicabitur valere, quia fortè licet alter præiret, perderet: ergo non tenetur integrè reſtituere. Ita Navarrus *in Manual. capite 20. num. 17.* Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 15.* Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 7. capite 27. dub. 2.* Verùm ſi contingat lucrari præcisè ratione ſolius prioris loci, quia habebant æqualia puncta, tunc tenebitur reſtituere non ſolùm totum quod lucratur; ſed inſuper tantumdem quod ipſe amiſſurus erat, quia in eo caſu fraus fuit cauſa totius illius damni. Ita Dicaſtillus *de juſt. lib. 2. tract. 18. diſp. 5. dub. 3. num. 24.* Diana *p. 7. tract. 9. reſol. 45.*

Navarrus. Sanchez. Trul. Dicaſtill. Diana.

20. Quidam improbare videntur, & irreverentiæ notare, ludere pro Oratione Dominica, vel Salutatione Angelica, eò quòd ſacra profanis miſceantur; imò etiam ſimoniæ, ſi civiliter ad ejuſmodi dicenda ſeſe colludentes obligare intendant. Ita Lopez *p. 2. inſtruct. cap. 32. quæſt. 2.* Vega *in Summ. verb. Ludus, caſ. 14.*

Lopez. Vega.

Rectius tamen docent alij id eſſe licitum, nec ulla irreverentia apparet, ſi reverenter dicantur; quandoquidem ubiq; orare liceat; nec quod pro præmio ejuſmodi preces proponantur in ludo, præſertim licito & honeſto, ulla ſimonia ſubeſſe videtur. Sic Navarrus *in Man. cap. 20. n. 7.* Rebellus *de oblig. juſt p. 2. lib. 12. quæſt. 1.* Et hæc addita de ludo ſufficiant.

Navarrus. Rebellus.

Vide v. Commendatarij *num. 4.*

LVXVRIA.

SVMMARIVM.

1 *Luxuria apud morales quid ſignificet, & quo præcepto ſit prohibita.*
2 *An omnes delectationes moroſæ in peccato luxuriæ naturalis & contra naturam, ſint ejuſdem ſpeciei.*
3 *An delectatio conjugati cum non ſua, includat ſpecialem injuſtitiæ malitiam contra propriam uxorem in Confeſſione aperiendam.*
4 *An peccata contra naturam ſint unius ſpeciei infimæ, & non ſubalternæ.*
5 *An omnes pollutiones voluntariæ ſint ejuſdem ſpeciei?* Refertur duplex ſententia.
6 *An peccans Sodomiticè cum virgine, teneatur in Confeſſione dicere illam eſſe virginem? & an teneatur dicere Sodomiam commiſſam eſſe cum muliere.*
7 *An Clericus committens beſtialitatem, incidat in pœnas Extravag. Pij V. contra Sodomitas.*
8 *An ad incurrendas pœnas huius Extravagantis requiratur ſententia judicis declaratoria criminis.*
9 *An Clericus Sodomita occultus habens beneficium poſſit abſolvi ſine nova proviſione, & an ſit irregularis.*
10 *An beſtialitas ſit crimen graviſſimum, & quæ ſint ejus pœnæ.*
11 *An crimen beſtialitatis poſſit committi cum dæmone in corpore aſſumpto.*
12 *An omnes beſtialitates ſint ejuſdem ſpeciei.*
13 *An peccata contra naturam poſſint concurrere cum peccatis luxuriæ naturalis.*
14 *Quodnam peccatum luxuriæ committat habens copulam cum femina dormiente, ſi ante ſommum femina in copulam non conſenſerit.*

1. LUxuria apud morales nihil aliud ſignificare videtur, quàm intemperantiam libidinis in re venerea, ideoque eſt vitium carnale laxans totum hominem præcipitanter cadere in omnes immunditias carnales. Ejuſque materia eſt libido virtuti caſtitatis & pudicitię & continentię oppoſita, quæ ſine peccato mortali extra legitimum matrimonium exerceri non poteſt. Quamvis enim actus venereus in ſe conſideratus naturalis ſit, imò neceſſarius pro conſervatione ſpeciei, ſicut alimentum pro conſervatione individui; quoties tamen contra ordinem rationis fit, peccatum eſt, quod ſpeciali nomine luxuria dicitur. Tunc autem contra ordinem rationis erit, quando quis illo actu utitur, non ſecundùm finem illum, ad quem à natura ordinatur, ac etiam modo debito & convenienti. Finis verò hujus actus eſt procreatio prolis: modus autem debitus & conveniens eſt, ut fiat inter coniunctos legitimo matrimonio; ac proinde omnis coitus venereus cum non ſua uxore, quamvis ſit actus naturalis, & ad finem procreandæ prolis intentus, peccatum mortale erit.

Probatur hoc ex ſexto Decalogi præcepto Exod. cap. 20. n. 14. *Non mœchaberis*, quod licet tantummodo videatur prohibere adulterium verbis expreſſis; ſub tali tamen præcepto implicitè & conſequenter omnes ſpecies peccati luxuriæ omneſq; actus libidinoſi & laſcivi extra uſum legitimi matrimonij cenſentur prohibiti: quemadmodum in alijs præceptis negativis ſecundæ tabulæ præceptorum Decalogi vnum principale explicitè diſertis verbis eſt prohibitum, comprehendens omnia ſubſequentia & concomitantia ad tale vitium contra proximum reſultantia: quare in quinto præcepto, *Non occides*, non ſolùm prohibetur homicidium, ſed etiam omnes & quæcumque offenſiones contra perſonam & vitam proximi noſtri, ut communiter tradunt Sancti Patres, Divus Ambroſius *lib. 1. offic. capite 50.* Auguſtinus *lib. 2. ſuper Exod quæſtion. 71. ad cap. 19.* & refert *in capit. Meretrices 32. quæſt. 4.* D. Thomas *ſecunda ſecundæ, quæſt. 153. art. 3.* & alij.

2. De-

Digitized by Google

2. Delectationes morosæ, quæ sunt peccata mortalia, non habent omnem malitiam operis externi ac proinde nec varias species sortiuntur juxta varietatem eorum, quæ in opere externo reperiuntur. Nam in morosis delectationibus cum rapta, cum cōsanguinea, vel uxore alterius, vel cum moniali, nulla est malitia mortalis contra aliā virtutem, quàm contra castitatem: ergo omnes sunt ejusdem speciei, & non habent malitiam, nisi solius simplicis fornicationis: quia qui de his morosè delectatur, nō delectatur de iniuria & irreverētia, sed solùm de ipso actu fornicationis, nec allicitur à delectabili quod est in injustitia, aut impietate, aut sacrilegio, sed quod est in fornicatione; ergo non peccat contra justitiā peccato adulterij, nec contra religionē peccato sacrilegij, nec contra pietatem peccato incestus, sed solùm contra castitatē, peccato simplicis fornicationis. Secus dicendum est quoad delectationem de Sodomia, pollutione & bestialitate, quæ peculiarem dicunt oppositionem cum castitate distinctam à malitia fornicationis: unde si quis delectetur de copula Sodomitica, vel bestiali, debebit has circumstantias confiteri, quia distinctam speciem malitiæ refundunt in delectationem ex ipso motivo desumptam. Ita Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 112. Castrus Palaus *to.* 1. *tr.* 2. *disp.* 2 *punct.* 10. §. 4. *n.* 4. Salas *tr.* 13 *disp.* 6. *n.* 56. & 57. & alij. A quorum sententia recedit Arriga *in cursu Theolog. tom.* 3 *disp.* 47. *sect.* 4. *n.* 25. negans in delectatione morosa, circumstantiam de copula Sodomitica esse in confessione aperiendā: quia nō solùm cēset cum Vasquez eas circūstantias, quæ constituunt obiectū contra aliā virtutē, sed & illas contra ipsam castitatē, non variare ullo modo speciem peccati in delectationibus, v. g. quòd sit contra naturam, quòd sit Sodomia, bestialitas. Non est tamen discedendum ab affirmativa sententia: quia in delectationibus venereis sumitur malitia non solùm à motivo, sed etiam à circumstantijs, quæ dicunt specialem oppositionem cum castitate, ut bene docet Diana *part* 9. *tr.* 6. *resol.* 3. cum alijs, & dicetur infrà.

Vasquez. Palaus. Salas. Arriga. Diana.

3. Dubij manent Doctores, an delectatio conjugati cum non sua, includat specialem injustitiæ malitiam contra propriam uxorem in confessione aperiendam? Et quidem pro parte affirmativa facit, quod matrimonij fides exigit ne habeat coniux delectationes erga aliam personam à se, ita eodem modo dicendum videtur, matrimonium excludere, ne alius habeat delectationes de propria uxore: ut enim coniux totum se tradit coniugi, ita totum se subtrahit ceteris: ergo sicut ille peccat contra justitiam debitam alteri coniugi, si de alia femina cogitet, ita reliqui peccabunt contra eandem justitiam, si cogitent de ipsō, vel ipsius femina: eodem planè modo, quo in ipsa actione exteriori, sicut coniux peccando cum soluta facit contra ius uxoris, ita ipsa soluta peccans facit contra idem ius.

Pro parte negativa est, quod delectatio coniugis cum non sua, habet malitiam contra castitatem, sed non contra justitiam, quoniam à circumstantia coniugij potest intellectus præscindere, non solùm quando copula cogitatur cum nupta, sed etiam quando coniux cogitat copulam cum nōn sua; potest enim seipsum considerare quasi solutum: ergo circumstantia coniugij quamvis se teneat ex parte delectantis, non tribuit malitiam delectationi: quia ea delectatio ex cogitatione desumpta, non est ulus corporis. Affirmantem sententiam sustinet Bonacina *de matrim. quæstione* 4. *punct.* 8. *num.* 20. *vers. Primus casus.* Vasquez 1. 2. *disp.* 112. *in fine*, ubi ait hoc sibi non esse admodum certum. Negantem tamen ut probabilem admittunt Diana *part.* 9. *tr.* 6. *resol.* 4. Bossius, Arriga, & alij apud eundem Dianam citati. Mihi tamen affirmativa magis placet tanquam probabilior, quam præter Bonacinam, tenent Salas, Sanchez, Candidus & Cardinalis Lugo, quos citat & sequitur Leander *de Sacram. to.* 1. *tract.* 5. *disp.* 8. §. 2. *quæst.* 24.

Vasquez. Diana. Bossius. Arriga. Salas. Sanchez. Candid. Lugo. Leander. Bonacina.

Certum est autem apud omnes, habentem votum absolutum castitatis peccare contra religionem & castitatem, si delectetur de re aliqua turpi, quia votum complectitur omnes internos affectus: Si verò quis votum emiserit abstinendi se solùm ab opere externo, non peccaret contra religionem, sed solùm contra castitatem, quando interiùs delectatur absque voluntate efficaci ad opus externum.

4. Quidam putant probabile, peccata contra naturam, nempe mollitiem, Sodomiam, bestialitatem, esse unius speciei infimæ, & non subalternæ. Ratio illorum est, tum quia in omnibus una & eadem semper videtur esse malitia, nempe exercendi actum venereum modo, ex quo non possit sequi generatio: quod autem fiat hoc modo vel illo, est differentia tantùm accidentalis. Tum quia D. Thomas 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 11. ponit vitium contra naturam, tanquam determinatam speciem, nullam faciendo mentionem de specifica diversitate. Sic explicat Armilla *verb. Luxuria n.* 5. dicens Vitium contra naturam, licet sit una species, secundùm D. Thomam *art.* 11. multis tamen modis exercetur. Tum quia, ideo furari argentum & furari armenta non sunt peccata distincta specie, quia tametsi animantes & metalla specie aut pluſquam specie distinguantur; in his furtis duobus non dantur duæ malitiæ specie distinctæ, sed tota specifica illa distinctio se tenet ex parte materiæ. Non aliter in peccatis contra naturalibus evenit; ideò enim sunt mala aut interdicta, quia in abusu consistunt, & semen extra vas naturale decidit. Atqui hoc eodem modo reperitur in mollitie, bestialitate & Sodomia: ergo sunt peccata ejusdem speciei; omnia enim sunt puræ pollutiones, quæ diversimodè procurātur nam sicut mollities manuum tactibus procurata non distinguitur specie à procurata tactu vestium, tametsi manus & vestes specie distinguantur: sic nec procurata cujuscumque corporis partis contactu, cujuscumque animalis, cujuscumque materiæ: universarum enim harum immunditierum malitia in hoc solùm formaliter consistit, quod semen extra vas naturale effundatur. Ita philosophatur Caramuel *lib.* 4. *Theolog moralis præcept.* 6. *num.* 1607. & *in reg. Sancti Benedicti, disputatione* 66. *num.* 983. & probabilem vocant sententiam Filliucius *tractat.* 30. *num.* 141. licet contrariam putet probabiliorem *numero* 142. Escobar *in Theolog. moral. tractat.* 1. *exam.* 8. *cap.* 2. *num.* 77. Trullench *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 6. *capite* 1. *dubio* 8. *numero* 8.

D. Thom. Armilla. Caram. Filliucius. Escobar. Trullench.

Ceterùm hæc sententia est singularis, & in praxi non admittenda. Nam D. Thomas, Armilla & alij intelligendi sunt de specie subalterna: quia nunquam trahendi sunt Doctores ad singulares sententias discrepantes à communi Doctorum consensu, quando iuxta hanc interpretationem patiuntur, & non nisi temerè in re gravissima propter verba universalia obiter, & non satis clarè prolata Doctorum auctoritatem quis potest sibi fingere ad praxim similium opinionum tutam in conscientia iudicandam. Quis enim

majorem dissonantiam non concipit in concubitu hominis cum bestia, quàm in simplici pollutione, etiamsi uterque actus æquè generationi hominis opponatur? Quia peccata distinguuntur specie propter diversas dissonantias. Sed diversa dissonantia est in concubitu rationalis cũ irrationali, quàm in simplici immunditia, seu pollutione: ergo distincta species. Sola minor indiget probatione, quam hominum apprehensio negare non permittet; omnes enim longè magis horrent bestialitatem & Sodomiam, quàm pollutionem propriis vel alienis tactibus excitatam. Sit ergo firmum cum communi Doctorum sententia, immunditiam, Sodomiam & bestialitatem specie distingui. Ita ex Societate Pater Oviedo *in* 1. 2. D. *Thomæ tr.* 6. *controvers.* 5. *punct.* 3. §. 7. *num.* 54. Ex cujus doctrina Diana *parte* 9. *tract.* 8. *resolut.* 31. opinionem Filliuci, Caramuelis & aliorum omninò intolerabilem, improbabilem & rejiciendam putat, quamvis antea *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 159. *in fine* ut probabilem admiserit. Vide Cajetanum 2. 2 *q.* 154. *art.* 11. ubi contra primam sententiam docet, quòd species moralium vitiorum non semper sumuntur penes species bonorum privatorum, sed etiam penes diversa motiva per se sufficientia ad privationem unius & ejusdem boni: ubicumque enim occurrunt diversa motiva, quorum quodlibet est per se sufficiens ad privandum bonum alicujus virtutis moralis, ibi diversa vitia secundùm speciem ponenda sunt. Sed diversa constat esse motiva in his peccatis contra naturam, ita quòd quodlibet motivum est per se sufficiens ad corruptionem naturalis ordinis actus veneri humani: Igitur diversæ sunt species peccati contra naturam. Minor probatur, quia mollem movet sola expletio voluptatis venereæ: Sodomitam movet persona indebiti sexus: Bestialem movet suppositum alienæ speciei: & quodlibet horum est per se sufficiens motivum ad corrumpendum naturalem ordinem statuitum in actu venereo humano.

Oviedo. Diana. Cajetan.

Nec obstat, quod D. Thomas non fecerit mentionem de specifica diversitate hujus vitij, quoniam locus ab auctoritate negativè non valet, & plurali numero illàm intinuavit, cùm in primo articulo quæstionis 154. numerando species luxuriæ, dixit in numero plurali vitia contra naturam. Nec est verum, quòd ista peccata una & eadem ratione specifica specialissima, sint mala moraliter, quamvis unum solum bonum morale tollant; quoniam sunt unum genere penes privationem generationis humanæ, & sunt multa specie penes diversa motiva per se sufficientia ad privationem generationis humanæ. Ita Cajetanus *suprà dub.* 1. Caramuel autem suam priorem sententiam revocat in secunda parte Theologiæ moralis fundamentalis, in sexto præcepto de peccatis contra naturam *n.* 110. dicens: *Hanc practicam conclusionem subscribo. Distinguuntur specie, quam unicam doceo & propugno.*

Cajetan. Caram.

5 Cùm vitium mollitiei venereæ constituatur ex voluntaria pollutione absque concubitu quocumque, secundùm Cajetanum 2. 2. *q.* 154. *a.* 11. nulla apparet differentia formalis, quæ distinguat hanc speciem.

Sive enim sit procurata extrinseco adminiculo proprio vel alieno per quodcumq; conjunctum, vel separatum instrumentum, dummodo absit concubitus, sive sit procurata per solum interiorem actum positivè, vel negativè; nulla efficitur diversitas specifica, quoniam hæc omnia materialiter, vel per accidens se habent ad voluntariam seminationem absque concubitu. Gravius tamen peccatum est cùm alieno adminiculo fit, ratione societatis in peccato alterius. Ex cujus doctrina sequitur, quod quotiescumque quis habuit pollutionem, sive per seipsum, sine adminiculo alterius, tactibus vel imaginatione taptùm excitatus; & qui eam habuit cum adminiculo quidem alterius, sine tamen peccato illius, ut si illàm habuisset tactu alterius dormientis, & nihil sentientis, aut pueri nondum doli capacis, aut tactu bestiæ citra concubitum, non videtur teneri in confessione dicere aliquid aliud, nisi quod habuerit pollutionem voluntariam: quia similes circumstantiæ speciem peccati non mutant. Hanc sententiam probabilem existimat Dicastillus *de iustit. lib.* 1. *disp.* 3. *dub.* 18. *num.* 282. *& sequent.* Azorius *parte* 3. *lib.* 3. *cap.* 23. *quæst.* 3. Caramuel *in regul. D. Benedict. num.* 983. Cæterùm vera sententia docet circumstantias esse speciei diversas, si quis pollutionem procuret propriis tactibus, quàm si procuret tactibus alienis, & inter alienos diversam esse speciem, si procuret tactibus feminæ, quàm viri; non enim solum est major gravitas, aut duplex, ratione peccati tum proprij tum alterius, sed etiam malitia distinctæ speciei. Prob. quia tactus impudici habiti cum femina, juxta communem sententiam; sunt quasi inchoata copula, & prævij actus ex se ordinati ad illam, etiamsi ex intentione operantis ad id non ordinentur: quod non habent tactus, qui solùm habentur ab ipso se polluente, sine adminiculo alterius. Tum quia non minùs indebiti & dissoni naturæ & generationi sunt tactus causantes pollutionem adminiculo feminæ, quàm tactus causantes pollutionem adminiculo viri. Ergo diversificabuntur specie, propterea quod unus sit viri cum femina, & alter viri cum viro. Hæc sententia est in praxi tenenda; unde in confessione hæ circumstantiæ tanquam mutantes speciem, sunt aperiendæ.

Dicastill. Azorius. Caramuel

6. Peccans cum virgine Sodomiticè, non tenetur in confessione dicere illam esse virginem. Ratio est, quia talis copula non habet specialem malitiam stupri, cùm non violetur integritas virginalis, nec redditur virgo minus habilis ad matrimonium. Ita Trullench *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 8. §. 2. *num.* 3. Diana *part.* 1. *tr.* 7. *resol.* 11. Dicastillus *de justit. lib.* 1. *disp.* 3. *dub.* 19. *num.* 328. Imò probabile est, neque teneri exponere Sodomiam commisisse cum muliere. Ratio est, quia Sodomia cum muliere aut cum viro solùm differunt in genere entis, non in genere moris & malitiæ sicut furtum auri, panni, argenti &c. & divinatio per terram, per astra, per aquam, non dicunt nisi unam deformitatem formalem in genere moris, & propterea istæ species specialissimæ & circumstantiæ materiales ex parte entis non sunt necessariò confitendæ, sed sufficit dicere: Peccavi in Sodomia toties. & *part.* 7. *tr.* 12. *resolut.* 23. Ita Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 2. post Cajetanum Caramuel *in regul. S. Benedict. num.* 111. Contrarium tamen docent Tannerus & Zanardus apud Dianam.

Trull. Diana. Dicastill. Diana. Caramuel Tanner. Zanard.

7. Quorundam sententia est, clericum committentem vitium bestialitatis, incurrere pœnas Extravagantis Pij V. contra Sodomitas: quia lex pœnalis extenditur de casu ad casum, quando militat eadem ratio. Sed contrarium est dicendum, quia bestialitas non est propriè Sodomia, contra quam edita fuit hæc Bulla; & lex pœnalis non est extendenda ad casum non expressum, etiamsi in illo eadem inveniatur ratio, maximè in foro conscientiæ. Ita Barbosa *in suis collect. tomo* 2. *lib.* 5.

Pius V. Barbosa.

Digitized by Google

Garzias. Diana. *lib. 5. tit. 31. cap. 4. num. 11.* Garzias *de benefic. tom. 2. part. 11. cap. 10. § 2. num. 205.* & alij apud Dianam *part. 2. tract. 17. reſol. 66.* Vide dicta ſuprà *verb. Lex II. num. 28.*

8. Ad incurrendas pœnas ſupradictæ Bullæ, ubi eſt uſu recepta, requiritur ſententia judicis, ita ut ante illam Clerici in conſcientia dictas pœnas non incurrant. Ratio eſt, quia lex pœnalis, quæ non poteſt executioni demandari abſque hominis actione, etiamſi ipſo jure, vel ipſo facto feratur, ante judicis condemnationem non obligat: quia uſu & conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, receptum eſt, ut nullus ſe privet re antea obtenta, niſi declaratoria criminis ſententia à judice feratur. Si enim talis lex obligaret ante judicis ſententiam, eſſet nimis acerba; cogeret enim homines ad ſe prodendum, & ad exequendum in ſe duriſſimam pœnam, ad quod nulla lex obligat; quia leges humanæ faciles & tolerabiles eſſe debent, & humanæ imbecillitati accommodatæ. Et hæc communis ſententia inter Theologos & Iuriſperitos apud Salas *de legibus, diſputatione decima-quinta, ſectione ſecunda,* Salas. *numero trigeſimo-octavo,* Bonacinam *de matrimon. quæſtione quarta, puncto undecimo, numero ſecundo,* Bonacina. Suarez *de cenſuris, diſputatione trigeſima-prima,* Suarez. *ſectione quarta, numero vigeſimo-ſecundo,* Sanchez *de matrimon. libro ſeptimo, diſputatione quadrageſima-ſexta, numero vigeſimo octavo,* Sayrum *de* Sanchez. *cenſuris, libro ſeptimo, capite duodecimo, numero vigeſimo-quarto,* & alijs. Vide dicta ſuprà *verb. Lex II. numero vigeſimo-primo.* Sayrus.

9. Ex dictis numero præcedenti ſequitur, quòd Clericus Sodomita occultus habens beneficium, dignitatem, vel officium, poſſit abſque nova proviſione à Confeſſario abſolvi ſi ſit contritus: quia non obligatur in foro conſcientiæ ad ferendam pœnam latam per Extravagantem Pij V. ſi non præcedat ſententia judicis declaratoria. Et quamvis quidam Iuriſperiti ſuſtineant hunc Clericum eſſe ſuſpenſum ipſo iure ab executione Ordinum, & fieri irregularem, ſi peracta pœnitentia miniſtret, in qua irregularitate ſolus Papa diſpenſare poteſt; hæc tamen ſententia ab omnibus rejicitur. Ratio eſt, quia nullum crimen, quamvis enorme, inducit irregularitatem, ſi non ſit notorium, præter homicidium; quod licet occultiſſimum ſit, irregularitatem inducit, ut patet ex *cap. Ex tenore, de tempor. ordinat.* ubi dicitur, ex nullo crimine quantumcumque gravi, etiam degradatione digno, inducitur ſuſpenſio, vel irregularitas in ſuſceptis, vel ſuſcipiendis Ordinibus. Et ex *cap. finali eodem titulo*, ubi dicitur, quòd propter graviſſima crimina, ut adulterium, perjurium, &c. excepto homicidio, non debet quis poſt pœnitentiam ab uſu, vel ſuſceptione Ordinum impediri; niſi in judicio comprobata, vel aliàs notoria fuerint: quia nulla irregularitas poteſt induci, niſi expreſſa in iure inveniatur, *cap. Is qui, de ſentent. excommunicat. in ſexto.* Sed nullum crimen, quantumvis enorme, inducit irregularitatem, niſi ſit notorium: Ergo. Ita Henriquez *libro decimo-quarto,* Henriq. *capite quinto, numero primo, lit. F.* Avila *de cenſu-* Avila. *ris, parte 7. diſſ. 4. dub. 7. conci. 8.* Navarrus *in* Navarrus. *Manual. cap. 27. num. 249.* Coninck *de Sacrament.* Coninck. *diſp. 18. dub. 7. num. 56.* & alij citati *tom. 1. verb. Irregularitas X. num. 5.*

10. Beſtialitas eſt graviſſimum ſcelus inter omnia, quæ contra naturæ ordinem ab hominibus committuntur. Ratio eſt, quia in iſto turpiſſimo vitio totaliter pervertitur omnis naturæ ordo in copula carnali, quæ ſolùm pro generatione prolis fuit inſtituta, ſecundùm debitum ſexum & vas generationis in eadem ſpecie. Proindem beſtialitate non ſolùm variatur ſexus & inſtrumentum naturale generationis, verùm etiam ipſa ſpecies; quod ipſa natura, ac etiam bruta animalia abhorrent.

Hoc ſcelus appellatur crimen peſſimum, prout colligitur ex *capit. 37. Geneſ.* quando Ioſeph accuſavit fratres ſuos apud patrē de crimine peſſimo; quod de peccato beſtialitatis intelligunt Gloſſa *ibidem* & D. Thomas *2. 2. quæſt 154. art.* Gloſſa. *12. ad 4.* Enormitas autem hujus ſceleris, ex ipſius D. Thom. nomine patet, quod denominetur beſtialitas; quam coëuntes cum beſtijs meritò nomen beſtiæ ſortiuntur: mediante enim copula venerea cum beſtia habita, homo unum corpus cum ea efficitur, ſicut qui adhæret meretrici, unum corpus cum ea efficitur, ſicut dixit Apoſtolus *1. Cor. 6.* ita qui adhæret beſtiæ, fit ſimilis beſtiæ prout potatur *in cap. Mirot 17. quæſt. 4.* Ita Graſſijs *de* Graſſijs. *caſib. reſerv. lib. 1. cap. 12. de beſtialitate, num. 10.* & alij communiter.

Hoc crimen punitur pœna mortis & flammarum poſt mortem: imò graviſſimi Doctores dicunt, quod in hoc crimine ob atrocitatem ipſius non requiritur conſummatio & complementum perfectum delicti, ſed ſufficit ad pœnam mortis ſubeundam inceptio operis, quamvis opus non fuiſſet conſummatum per infuſionem ſeminis intra vas beſtiæ. Ita Iulius Clatus *in pract. criminal.* Clarus. *§. Fornicatio, num. 22.* Menochius *de arbitr. lib. 2.* Menoch. *caſu 186. n. 43.* & alij Iuriſperiti apud ipſos.

11. Peccatum beſtialitatis illud eſt etiam, quod committitur cum dæmone in corpore aſſumpto. Licet enim dęmon non poſſit eſſe corporeus, cùm ſit ſpiritus; aliquando tamen aſſumit quoddam corpus phantaſticum deſumptum ex aëre, vel quocumque alio elemento, & ita efformat quoddam corpus, ſive in forma bruti, ſive hominis, incumbendo, vel ſuccumbendo cum hominibus. Hoc autem nefandiſſimum ſcelus beſtialitatis cum dęmone in corpore aſſumpto eſt crimen omnium graviſſimum, quæ committi poſſunt in ſpeciebus peccati luxuriæ contra naturam: nam eſt multò gravius peccato Sodomiæ, ac beſtialitatis ſimplicis cum bruto; eò quòd diverſitas ſpeciei, eò magis repugnat carnali congreſſui, quò ſpecies inter ſe magis diverſæ ſunt. Nihil autem magis diverſum eſſe poteſt quàm corpus & ſpiritus, & quàm corpus verum & corpus phantaſticum, quod dæmon aſſumit, tanquam cauſa movens & aſſiſtens. Non enim poterat cor hominis & fœda libido altiùs aſcendere, quàm ad hūc fœdiſſimum dæmoniacum concubitum deſcendere. Nam ultra malitiam peccati luxuriæ, adeſt etiam ibi in illo actu nefando crimen ſuperſtitionis & irreligioſitatis, quatenus includit ſocietatē cum dęmone; quę circumſtantia eſt de neceſſitate in Cōfeſſione explicanda, quando habens copulam cum illo corpore cognoſcit eſſe diabolū in corpore aſsūpto, & pro tali exiſtimat. Ita Cajet. *2. 2 q. 154. a. 11. ad 3.* Bona- Cajetan. cina *de matr. q. 4. p. 11. n. 3.* Filliucius *tract. 30. n. 162.* Bonacina. Filliucius.

12. Omnes beſtialitates ſunt ejuſdem ſpeciei, quantū eſt ex natura actus, hoc eſt ipſius concubitus ſecundùm ſe cum ſuppoſito nō ejuſdē ſpeciei. Nā neq; ſexus, aut vaſis diverſitas in beſtia diverſitatem motivi in ordine ad rationē habet, ſed ſub eadē movendi ratione comprēhenditur, qua beſtia ipſa movet, ſcilicet, ut extrancū à ſpecie humana; ſicut omnis concubitus maſculi cū maſculo inter homines eſt ejuſdē ſpeciei, quia ſub eadē ratione

movet mas & quælibet ejus pars, marem ad actum venereum, & mulier mulierem. Et per hoc etiam dicitur, quod omnis concubitus cum dæmone est ejusdem speciei specialissimæ, quia sub una ratione movet ut suppositum non ejusdem speciei. Ex parte tamen affectus, ut puta si quis etiam bestia affectu sodomitico abutatur, aut cum dæmone per affectum ad delectationem sodomiticam, vel cum consanguineo &c. coeat, peccatum ultra bestialitatis vitium deformitatem sodomiæ, vel adulterij, vel incestus, vel sacrilegij &c. induit.

Potest quoq; ex parte affectus adiuncto quandoq; patiétis affectu seu consensu, variari bestiale peccatum mulieris cum dæmone; puta, si dæmon non confectum à seipso semen, quod non est verum semen humanum, sed quidam humor semini humano similis, sed verum semen humanum acceptum ab aliquo viro, concumbendo transfundat. Tale enim peccatum ex parte concubitus est bestialitas, ex parte verò commistionis seminum ad simplicem fornicationem reductivè spectat, eò quòd solam delectationem venereum in consummatione vagi concubitus importat. Unde ex tali concubitu generari potest homo filius illius viri à quo decisum est semen: nec obstat si vir ille sit pater illius mulieris, si ista tantùm hominis semen petierit, non patris proprij; quoniam ex intentione & proposito peccata distinguuntur. Ita Cajetanus 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 11. *ad* 3. Filliucius *tract.* 30. *cap.* 8. *num.* 162. Graffijs *de casib. reservat. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 8. Ioannes Chapeavilla *de casib. reservat. casu* 15. *q.* 1. Clavis Regia *lib* 8. *cap.* 5. *num.* 19. & alij.

Cajetan. Filliucius. Graffijs. Chapeav. Clav. Reg.

13. Peccata contra naturam licet concurrere nequeant cum peccatis luxuriæ naturalis, in eadem specie, & in eodem actu & concubitu, quia concubitus naturalis & contra naturam sunt oppositi inter se; si tamen consideretur deformitas ex parte injuriæ, vel irreverentiæ, quæ determinat species luxuriæ naturalis, sic nihil obstat, quo minus concurrere possint. Sic adulter est, qui abutitur conjugata contra naturam, & qui naturaliter, quia utrobique fit iniuria matrimonio dum persona quæ est alterius, quoad concubitum polluitur; licet sit major injuria quando conjugata naturaliter cognoscitur; tunc enim non solùm polluitur persona uxoris, quæ est mariti, sed etiam vas, quod est mariti, polluitur. Similiter gravius est sacrilegium abuti contra naturam sanctimoniali, quam naturaliter, quamvis utrobique agatur contra castitatem, quæ personæ Deo consecratæ debetur. Eodem modo dicendum est de incestu & stupro. Ita Cajetanus 2. 2. *quæst.* 154. *articulo* 12. *dub.* 1. & Chapeavilla *loco citato, casu* 15, *quæstione* 1. & alij.

Cajetan. Chapeav.

14. Difficultas est, quodnam peccatum luxuriæ committat, habens copulam cum femina dormiente? Resp. certum esse, si femina ante somnum consenserit in copulam, esse ejusdem speciei, ac esset, si haberetur cum illa vigilante, ac sponte consentiente: quia talis copula æquiparatur copulæ habitæ cum muliere ebria. Quod si mulier, cum qua dormiente habetur copula, in eam non consenserit ante somnum, hic est difficultas: Si quidem videtur tunc copulam continere etiam malitiam raptus, quia fraus & dolus violentiæ æquipollent, *l. unica*, §. *Et si quidem*, *Cod. de raptu Virginum*. Sed in hoc casu adest fraus & dolus, quia copula illa habetur cum muliere invita; si enim vigilasset, non consensisset: ergo cùm ipsi per fraudem & dolum violentia adhibetur, raptus committitur. In contrarium posset aliquis dicere, quod tunc adesset fraus & dolus, quando mulier fuisset aliquo medicamento ex industria consopita, ut posteà cum illa haberetur copula; sed si copula habita fuisset occasionaliter, quia mulier inventa est somno oppressa, & ideo concubitum non sensit, non videtur tunc adesse tanta iniuria & violentia, ut possit constituere rapinam formalem: quia ut raptus sit peccatum luxuriæ distinctum à fornicatione simplici specificè, opus est ut fiat abductio mulieris: sed in hoc casu, dato quod sit violentia, non adest abductio: ergo talis copula non potest inducere raptum formalem. Resolutionem hujus casus doctiores dabunt, quamvis Pellizarius *in man. Regular. tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *sect.* 4. *n.* 70. sustineat esse raptum formalem: cujus opinio mihi semper dura visa est, quia ex ea sequeretur talem incidisse in pœnas à Sacris Canonibus contra raptores latas.

Pellizzar.

Ipse autem Pellizarius postea *in man. regul. tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 83. *vers. Unum hic.* respondens ad obiectiones Dianæ *part.* 9. *tract.* 9. *resol.* 2. negantis ibi esse malitiam formalem raptus, dicit, hanc copulam solùm habere malitiam raptus per participationem, non autem in toto suo rigore, & ideò habens talem copulam non incurrit pœnas à Sacris Canonibus latas contra raptores.

Pellizzar. Diana.

Vide verb. Ignorantia, *num.* 11. Beneficium 2. *num.* 5. Adulterium. Concubinarius. Fornicatio. Raptus.

M.

MAGIA. MALEFICIVM.

SUMMARIUM.

1 *Magia apud Græcos accipitur pro Sapientia: cujus duæ sunt species.*

2 *Quibus nominibus denominentur exercentes artem magiæ superstitiosæ.*

3 *Magia superstitiosa an contineat semper pactum explicitum vel implicitum cum dæmone.*

4 *An dæmones possint realiter portare veneficas & magas in loca remota brevi temporis spatio.*

5 *An incantationes & maleficia sint species magiæ propriè sumptæ.*

6 *An malefici possint suis maleficijs reddere homines utriusque sexus impotentes ad copulam.*

7 *An magi habeant potestatem alligandi dæmones in annulis, sive vasculis, vel expellendi illos è corporibus hominum.*

8 *An licitum sit cogere maleficum minis, verberibus, vel etiam occidere, ut maleficium solvat alio maleficio.*

9 *An liceat interrogare maleficum, in quo maleficium consistat, & illius scientiâ uti, ut signum destruatur.*

10 *Quomodo Confessarius cum sagis ultrò ad sacram confessionem accedentibus se gerere debeat.*

1. MAgia apud Græcos pro sapientia accipitur rerumque naturalium exacta cognitione; quare Magi apud illos dicebantur sapientes, cujus magiæ communiter dictæ duæ traduntur species, una naturalis, altera superstitiosa

tioſa & dæmoniaca, ut diximus *tom. 1. in hoc verb. num. 1.*

Magia ſuperſtitioſa, ſeu dæmoniaca omninò illicita eſt & in iure prohibita: quare illa utentes graviſſimum peccatum mortale committunt inter peccata, quæ opponuntur Religioni Chriſtianæ, quæ eſt omnium moralium virtutum præſtantiſſima: eò enim gravius eſt peccatum, quò præſtantior eſt virtus, cui opponitur. Magus enim, quantum in ſe eſt, aufert honorem, & cultum Deo debitum, illumque diabolo tribuit; ſupponit enim pactum, ſive expreſſum, ſive tacitum cum dæmone, quod eſt intrinſecè malum: nam pactum quod diabolus facit cum magis eſt, ut ipſum colant eique obediant, & diabolus promittit illis facere ad ſua maleficia præſtanda, quæ omnia ſunt execranda contra primum Decalogi præceptum. Ita Suarez *to. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 14. n. 10.* Fagundez *in primo præcepto Decalog. cap. 41.* & alij communiter.

Suarez. Fagund.

2. Exercentes hanc diabolicam & abominabilem artem magiæ, varijs nominibus denominari ſolent. Dicuntur enim magi, ſive magæ ab ipſa arte magiæ, quam exercent; dicuntur malefici, ſive maleficæ, ratione maleficiorum, quæ contra homines, & eorum res faciunt. Appellantur venefici, vel veneficæ, quia inficiunt homines & animalia mediantibus venenoſis rebus, quibus utuntur ad interficiendos homines, & animalia, virtute dæmonum. Feminæ appellantur ſtriges ab avibus inauſpicatis hujus nominis, qui ſtridendo volant, & ſtridore alarum nimium ſunt infeſtæ, & importunæ, infantiumque corpora nocturno tempore iuvadunt, & ſanguinem illorum exſugunt. Propterea ad ſimilitudinem dictarum avium, hujuſmodi nefariæ feminæ nocturno tempore à dæmonibus per aërem aſportari ſolent, & tranſeuntes per domos arripiunt infantes in culla dormientes, illorum ſanguinem & adipem accipiunt ad faciendum unguentum diabolicum pro arte nefanda exercenda, & ideò meritò appellantur ſtriges. Similiter aliquando dicuntur Lamiæ, à quodam animali ita nominato. Lamia enim eſt quoddam animal monſtruoſum & crudele, ſpeciem quandam mulieris habens, corpus tamen beſtiale, quod parvulos rapit & ſuffocat, illorumque ſanguinem ſugit; quare cùm maleficæ rapiant infantulos & occidant, rationabiliter etiam Lamiæ ſunt appellatæ. Nonnunquam tandem dicuntur à quibuſdam Sagæ, ſeu incantatrices, quæ quibuſdam incantationibus & maleficijs, hominibus aliquid mali infligere ſolent: vel ideò dicuntur ſagæ à ſagiendo, eò quòd multa ſcire deſiderant; quapropter ſe dæmonum conſortio immiſcere ſolent, ut ab ipſis artem magicam addiſcant, quâ hominibus nocere poſſint. Ita Fagundez *in 1. præcept. Decalog. cap. 41. lib. 1.* Ubertinus *de agnoſcend. Cathol. aſſert. q. 24.* & alij.

Fagund. Ubertin.

3. Magia ſuperſtitioſa duplex eſt, una per pactum, ſeu ſocietatem explicitam cum dæmone; quod contingit, quando aliquis vir vel femina diabolum invocat, & dæmon illis apparet in forma viſibili, & cum ipſo pactum init pro maleficijs conficiendis, & tunc facto pacto promittit diabolus facere quidquid voluerit magus vel maga. Interdum autem hoc pactum fieri ſolet quibuſdam ceremonijs interpoſitis, quæ ut plurimum hoc modo fiunt. Congregantur in quodam loco determinato, ſtatuto die maleficæ fieri cupientes, ibique diabolus in aſpectu formæ humanæ, ſe ab illis videri facit, qui dum ſuper ſervandam ſibi fidelitatem adhortatur, promittendo illis vitæ longitudinē & proſperitatē: ceteræ maleficæ mulieres, quæ ibi adſunt, talē novitiā diabolo commendant, & diabolus videndo talem novitiā contentā eſſe fidem Catholicam, cultumq; divinū, ac patrociniū B. Mariæ Virginis, ceterorumque Sanctorū renunciare, ac denique Sacramenta Eccleſiæ abnegare, extendit manum, & vice verſa novitia illa etiā ſtipulata manu, ſervare illa nefaria promittit: & tunc diabolus homagium petit, continens, quod talis & anima & corpore illi æternaliter adhærebit, promittendo invigilare quātùm potuerit, ut ceteri homines utriuſque ſexus cum ipſo diabolo amicitiam ineant: & tunc promittit illi diabolus ſuis omnibus deſiderijs & petitionibus ſe ſatisfacturum: quare deinde faciunt conuivia & tripudia, aliaque opera nefaria & laſciva, plena immunditijs & abominationibus. Hæc ex Malleo maleficiorum *part. 2. cap. 2.*

Altera eſt magia per pactum cum dæmone implicitum. Nam quidquid præter Eccleſiæ conſuetudinem adhibetur ad operationem aliquam ſecuturam, quam efficiendi, vel tali modo, in tanta diſtantia, celeritate, vim naturalem non obtinet; id ad magiam ſuperſtitioſam, & tacitam cum dæmone ſocietatem ſpectat. Cùm enim talis res adhiberi non poſſit ut cauſa naturalis, ſequitur adhiberi ut ſignum; & non divinum, vel ſacrum; cùm neque à Chriſto, neque ab Eccleſia inſtitutum ſit: ergo ut ſignum occulti pacti cum diabolo. Ita D. Thomas *2. 2. queſt. 96. art. 2.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 40. num. 44.* Navarrus *in Manual. c. 11. num. 31.* Toletus *in Summ. lib. 4. cap. 14. n. 11.* & alij communiter.

D. Thom. Sanchez. Novarius. Toletus.

4. Certum eſt poſſe dæmones realiter quandoque aſportare hujuſmodi veneficas in loca remota etiam diſtantiſſima breviſſimo temporis ſpatio, & iterum poſteà ad domū propriam eadē celeritate reducere. Ratio eſt, quia dæmonibus omnia naturalia remanſerunt integra, ideoque naturali virtute, hæc multaque majora & ſimilia dæmones efficere poſſunt, niſi Deus aliquando impediat. Si enim diabolus Chriſtum tranſtulit in Sanctam Civitatem, & ſtatuit illum ſupra pinnaculum templi, indeque etiam detulit in montem excelſum valdè, *Matthæi 4.* cur non idem facere poterit de corporibus iſtarum magarum & Lamiarum? Tamen verum eſt, dæmones non ſemper hoc verè & realiter facere, ſed quandoque per illuſiones decipere hujuſmodi magas ſolent, & extra proprias domos realiter non transferre. Quando autem realiter non feruntur, ita diabolus illarum corpora ſubintrat, ut eas omninò ſenſu deſtituat, ut nihil omninò ſentiant. In terra enim tanquam mortuę corruunt, & immediatè antequā ſurgant, illas eludit, taleſque ſpecies illis imprimit, ut falsò ſibi perſuadeant, ſe per aërem volitaſſe, domo egreſſas fuiſſe, domoſque alienas ingreſſas, ibique multa feciſſe & vidiſſe ſibi perſuadeant. Ita Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 16.* Fagundez *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 4. n. 8. & 9.* Simanchas *de Cathol. inſtit. tit. 27. n. 11.* & alij.

Suarez. Fagund. Simanch.

5. Species magiæ diabolicæ proprijſſimè ſumptæ ſunt incantationes & maleficia: quæ ſemper fiunt mediante conſortio & auxilio dæmonum, ſupponuntque ſemper pactum, ſaltem implicitum cum diabolo initum, & utraque talis perverſa ars eſt damnata, ſacrilega & abominabilis, illamque exercentes ſunt valdè de hæreſi ſuſpecti. Proinde incantatio eſt dictio compoſita ab *in* & *canto*, ſuſcipiturque ſemper in malam partem. Incantare enim nihil aliud eſt, quàm verbis quibuſdā ſuperſtitioſis, vel etiam actionibus quibuſdā verbis adjunctis,

adunctis aliquid ſupra naturam moliri; & differt à maleficio ſolùm, quòd incantatio fit verbis, maleficium autem factis; ſed ſemper in utroque vitio adeſt invocatio dæmonis, ſaltem implicita ex pacto facto cum illo tacito vel expreſſo. Ex Cajetano *in Summa verb. Incarnatio.* & alijs Summiſtis. Cajetan.

Maleficium autem derivatur à verbo Malum & Facio; ſemper enim ſignificat malũ alicui inferre; ideoq; à Theologis accipitur pro vi & poteſtate nocendi alijs ex pacto facto cum diabolo ſive explicito, ſive implicito. Proindeſtriges, quę ſuis maleficijs nocere ſolent in perſona, occidendo pueros aut infirmitates & dolores cauſando, faciendo aliquas imagines cereas, ut dũ imaginũ illarũ partes, vel mẽbra pũgũt, tunc perſonæ maleficiatę patiũtur in iſta parte, quæ pungitur in imagine; non eſt cẽſendum, illud nocumentum imaginis pervenire ad perſonam, dum maleficus circa imaginem operatur, ſed diabolus nocet illi perſonę pungendo membra illius, vel paulatim conſumendo, ut ſervet pactum initum cum illis & verax inveniatur; ſi enim pactum non ſervaret, nemo illi ſerviret, ut advertunt Scotus, Gabriel *in 3. diſt. 34.* & omnes. Scotus. Gabriel.

6. Certum eſt juxta Theologorum omnium ſententiam & Iuris Pontificij profeſſorum, maleficos poſſe ſuis maleficijs reddere hominem impotentem ad copulã carnalẽ. Ratio eſt, quia cùm duo reddant virum ad venerem aptum, nẽpe, calor & ſpiritus, dæmon poteſt calorem minuere, & ſpiritus impedire viã illis præcludens: quod quinque modis fieri poteſt: *Primò*, corpora impediendo ne ſibi etiam mutuo appropinquẽt, vel directè, vel indirectè ſe interponendo inter ea in corpore aſſumpto. *Secundò*, ex eo quod hominem inflammare poteſt ad actum illũ, vel ab actu infrigidare, adhibendo occultè virtutes rerum ad hoc validas. *Tertiò*, turbando imaginationem & æſtimativam facultatem, quâ reddit mulierẽ exoſam viro. quãdo veneri vacare volunt. *Quartò*, prohibendo rigorem membri, reddita viri virga flaccida, quando coire vult. *Quintò*, prohibendo miſſionem ſpirituum ad membra, in quibus eſt virtus motiva, quaſi intercludendo vias ſeminis, ne ad vaſa generationis deſcendat, vel ne ab eis recedat, vel ne excidatur, vel ne emittatur. Porrò non ſolùm viri, ſed etiam feminæ poſſunt maleficijs impotentes ad copulam reddi: unde communiter maleficiatur femina per ſolam opinionem ſeu phantaſię læſionem, ut ſi viro properante ad coitum, illa ſubitò hortet genitale viri quali improportionatę magnitudinis, & nulla ratione ſinit ſe cognoſci: ſolet tamen aliquando dæmon arctare vas femineum, ut minimè à viro penetrari poſſit. Et ideò poteſtas maleficiorum permittitur dæmonibus à Deo in actu generativæ potentiæ, magis quàm in alijs, quia per eam peccatum originale tranſunditur. Ita D. Thomas *in ſupplem. 3 part. q. 58. art. 2.* Paludanus *in 4. diſt. 34. q. 2. art. 3. n. 16.* Delrius *lib. 3. diſquiſit. magic. p. 1. q. 4. ſect. 8.* Sanchez *de matr. lib. 7. diſp. 94.* & alij. D Thom. Paludan. Delrius. Sanchez.

7. Magi non habent poteſtatem alligandi dæmones, quos vocant familiares, in annulis, ſpeculis, ſive vaſculis, vel ad illos expellendos è corporibus hominum obſeſſorum. Ratio eſt, quia cùm homo ſit natura & poteſtate longè dæmonibus inferior, non poteſt in eo eſſe virtus naturalis alligandi dæmones in aliquo certo & determinato loco, juxta illud Iob cap. 41. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret.* Propterea ſi aliquando dicantur dæmones in certis locis alligari à magis, hoc fit poteſtate dæmonum ſuperiorum, cum quibus à magis pactum initum, ut minores dæmones includerent & ligarent juxta magorum petitionem. Vel ipſi dæmones ſponte ſeipſos includunt & alligant, ut ſervent pactum cum illis initum. Eodem modo poſſunt etiam dæmones ſuperiores ejicere inferiores è corporibus hominum, & iterum introducere, prout tradunt Fagundez *in Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 41. n. 23.* Filliucius *tr. 24 n. 186.* Azorius *p. 1. lib. 9. cap. 26. q. 2.* & alij. Fagund. Filliucius. Azorius.

8. Non ſolùm eſt illicitum petere à malefico precibus, ſed etiam minus eum cogere, ut maleficium alio maleficio ſolvat. Ratio eſt, quia minæ, aut pœnę non poſſunt ſeparare malitiam intrinſecã ab actu intrinſecè malo & peccaminoſo: quare ſive vi & metu coactus, ſive ſponte id faciat, ſemper illicitum actum facit, eò quòd ſemper in his ſuperſtitioſis actionibus fit ſaltẽ tacita invocatio dæmonis, cui, mediante tali invocatione, cultus præſtatur contra primum Decalogi præceptum. Proinde graviter peccant, qui hujuſmodi maleficos vel maleficas verberibus contundunt, ut maleficia ſolvant; niſi fortè excuſentur à peccato ex eo, quod credant, modo licito poſſe maleficia ſolvere deſtruendo ſignum, ſive quamcumque aliam figuram factam cõtra maleficiatam, ut illa deſtructa ceſſet diabolus tali perſonę nocere, dummodò tali deſtructione ſigni nullo modo explicitè, vel implicitè, invocetur diabolus, ſed ſimpliciter deſtruatur maleficium per amotionem facturæ, ſive ſigni. Vide D. Thomam *in 4. diſt. 34. q. 1. a. 3.* Scotum *ibid.* Layman *lib. 4. tr. 10. c. 4. n. 9.* Cajetanum *in Summ. verb. Maleficium.* Clavem Regiam *lib. 4 c. 6. n. 26.* & alios apud ipſos citatos: quibus adde Card. Lugo *de juſtit. to. 1. diſt. 10. n. 162.* D. Thom. Scotus. Layman. Cajetan. Clav. Reg. Lugo.

Nota tamen non licere ſagam, ſeu maleficam occidere ſi nolit maleficium tollere, etiamſi alia via non ſuppetat. Ratio eſt, quia cùm occiſio permiſſa ſit ad avertendũ malum, quod ab altero infertur, aliterque averti non poteſt, tunc tantùm licebit occidere, quando per occiſionem avertitur. Sed per occiſionem maleficæ non avertitur malum, quod illa conſervat, non tollendo, aut deſtruendo prius maleficium; pari enim ratione non tolletur ab illa poſt mortem: ergo mors non eſt medium ad illud maleficium tollendum. Poſſet tamen malefica cogi à iudice ad id ſignum deſtruendum; imò tenetur ex juſtitia illam cogere, cùm ex officio teneatur cogere ad damna reſarcienda, ut docent Sanchez *l. 2. mor. c. 41. n. 24.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. c. 18. n. 7. & 8.* Sanchez. Suarez.

9. Licitè poteſt interrogari alius maleficus, an norit in quo maleficium conſiſtat, ut ſignum deſtruatur: quod ſi ille ignoret, minimè induci poteſt ad id per ſuam artem inveſtigãdũ. Ratio eſt, quia id eſſet inducere ad maleficium, quo mediãte, id à dæmone addiſcendum eſſet. Quando autẽ maleficus per maleficia id à dæmone didicit, licebit ea ſcientia uti ad deſtruendum maleficij ſignũ: quia licet peccatum ſit, notitiam alicujus rei à dæmone procurare; at eâ ſemel habitâ licet uti. Exẽpli gratiâ, ſi dæmõ eſſet pactus cum malefico ſe nocituru, niſi maleficiatus poſteà ſe ſignet Cruce, aut lavet corpus, licebit huic ſe ſignare, aut lavare, nõ intentione ſanandi poſitivè eo medio, aut operâ dæmonis, ſed ſolo animo tollendi ſigni, & pacti nocendi diſſolvendi. Nam intentio illa eſt bona, & medium eſt licitum, aut de ſe indifferens, ac ſuppoſita dęmonis malitia eſt bonum eſt enim ſolum incentivũ mali auferre: & parum refert ablationẽ ſigni fieri per actionẽ poſitivam alterius rationis, ſive non. Ita Suarez *loco citato c. 17. n. 16.* Sanchez *libro 2. moral. capite 41. numero 20. & 25.* Suarez. Sanchez.

Ovandus

Ouandus *in 4. dist. 34. dist. unic.* Lessius *lib. 2. cap. 44. dub. 6. n. 45.* Non liceret tamen ad solvendum maleficium remedijs superstitionis uti: nam solvere maleficia mediantibus actionibus superstitiosis est intrinsecè malum: semper enim in ijs intervenire solent dæmonum invocationes, saltem implicitè factæ ex pacto inito cum diabolo, sive immediatè, sive mediante alio mago, ut docèt Scotus *in 4. dist. 34. quæst. unic. art. 3.* Sanchez *de matrim. l. 7. disp. 95. n. 7.* Fagund. *in Decal. l. 1. c. 42. n. 4.* & alij communiter *ex c. Qui sine Salv. 26. quæst. 2.*

Scotus. Sanchez. Fagund.

10. Quomodo Confessarius cum sagis ultrò ad sacram Confessionem accedentibus se gerere debeat. Dicendum est, plurimum expedire, ut diligenter & exactè exquirat quo tempore, qua occasione in tale crimen lapsa fuerit. Propterea examinet Confessam de modo, & qualitate superstitionis; utrum ex animo fidei Christianæ renuntiarit? diabolum adoraverit? falsa de Deo & æternitate senserit? an rebus sacris abusa sit? hominibus nocumentum intulerit in bonis fortunæ aut corpore? num etiam læserit personas valde conjunctas, ut maritum, parentes, liberos? Item an viros Principes, Clericos, Religiosos idque propter censuram excõmunicationis, &c. Utrũ alios seduxerit, & an hi in tali crimine persistant? quia tenetur illos ad viam veritatis reducere; aut si converti nolint, Magistratui deferre: qua tamen denuntiandi obligatione non adstringetur, si exinde probabile periculum immineat in suspicionem, atque capturam veniendi. Item quamdiu in hoc crimine hæserint, an aliquando animo pœnituerint, &c. propter volitiones ejusdem criminis diversas & earum interpolationes? Item interrogandæ sunt an adhuc retineant libros aut alia magica instrumenta: quia retentis illis obsolvi nequeunt. Item curandum ut occasiones relabendi evitentur & tollantur, v.g. si habitat, vel versatur inter maleficos, quando fieri potest, loci mutatio & separatio injungenda, &c.

In contritione procuranda, hoc opus hic labor est, non ex parte Dei, sed ex parte ipsius maleficę, quam ordinariè duo impediunt, error, & metus. Error quidem, quia diabolus persuadet ipsi impossibile esse ad Deum cõverti, & veniam consequi peccatorũ, propter pactum secum initum & Dei abnegationẽ, aliaque quibus se contaminavit scelera nefandissima. Huic in prõptu Sacerdos habeat & Sacræ Scripturæ testimonia, & Patrũ sententias, & exempla omnis ævi, quibus clarè demonstret dæmonem mentiri: seriò conversos nũquam à Deo rejici: nihil eorum, quæ pollicetur diabolus præstare posse, neq; si posset, velle. Gravitatem quoque criminis poterit Confessarius proponere ex circumstantijs hæresis, idololatriæ, Apostasiæ, homicidij, parricidij, rapinæ, Sodomiæ & sacrilegij, &c.

Metus etiam duplex urget maleficam, alter verborum & minarum à dæmone, à quo non rarò affligitur crudelissimè: alter humanæ infamiæ: contra utrumque rationibus, exemplisque armari à Confessario illam oportet.

De restitutionis obligatione, considerandũ, sitnè damnum adhuc impendens; an verò jam fuerit illatum; si adhuc damnum pendet, ut si res adhuc sit planè integra, vel venenũ, vel aliud maleficium nondum cœperit lædere, sed post aliquod tempus effectum suum exeret; non est absolvenda, donec quocumq; modo licito conetur malis futuris obviare, & veneno antidotum præbere, vel maleficiũ destruere: idq; totum de consilio Confessarij docti & prudentis: cui attendendum, ne occultum crimen pandatur, & ne aliqua media illicita adhibeantur. Si verò aliqua jam damna fortunis personisvè illata fuerint, illam nõ absolvat Confessarius sine prævia satisfactione, aut si eam nequit maleficia præstare, sine fideiussoria, vel saltem juratoria cautione. Plura de his apud Martinum Delrium *lib. 6. disquis. magicar. sect. 3. §. Quoad interrogatoria.* apud Layman *lib. 3. sect 5. tract. 6. cap 5. §. unic.* quos in facti contingentia consule.

Delrius. Layman.

MALEDICTIO.

SVMMARIVM.

1 *Vt maledictio sit peccatum mortale, quæ requirantur.*
2 *Maledictio an sit actus odij, vel contumeliæ.*
3 *Quomodo dignoscatur, quando maledictio est mortalis vel venialis facta ex ira, impetu.*
4 *An qui maledicit toti domui, tot peccata committat, quot in ea sunt personæ? Et quale peccatum sit, imprecari alteri, ut illum diabolus rapiat, vel quid simile sibi ex ira desiderare.*

1. VT maledictio sit peccatum mortale, tria concurrere debent. *Primum*, ut ipsa imprecatio, seu maledictio sit alicuius mali gravis, & ex animo facta & imprecata. *Secundum*, ut sit facta cum plena deliberatione voluntatis. *Tertium*, quod malum, quod alteri quis imprecatur, sit malum & sub ratione mali, ut ex odio, vindicta seu invidia, &c. Quare deficiente aliqua ex his conditionibus maledictio non erit peccatum mortale, nisi ratione scandali. Proinde rustici & muliones, qui ex quadam consuetudine maledicere solent jumentis aliisque animalibus brutis ex quodam impetu iræ sive impatientiæ, non peccant mortaliter, sed venialiter, quia in talibus maledictionibus non est perfecta animi deliberatio & voluntas, ut talia mala imprecata illis adveniant, sed proferuntur tantùm materialiter & non formaliter, sed ex primo motu iręIta Azorius *part. 3. lib. 13. c. 10.* Trullench *in Decalogum tom. 2. lib. 8. cap. 8. dub. 6* & alij.

Azorius. Trull.

2. Maledictio sive imprecatio mali non est actus odij elicitus, sed imperatus: quia maledicere est malum alicui dicere; quod elicitè ad intellectũ pertinet, non ad voluntatem. Verùm, cùm maledictio fiat per modum imprecandi, aliud non est, quàm expressio voluntatis aversæ ab altero; ideoque ab odio imperatur. Ceterùm quamvis maledicere proximo sine justa causa charitati repugnet, & ad peccatũ odij pertineat, interdũ tamen justitiæ adversatur, & ad contumeliã spectat. Interdum ambæ reperiuntur in maledictione, ut si quis ex animo adeoq; ex odio alicui homini maledicat in faciẽ, nõ sine cõtumelia, sive honoris injusta læsione, hic duplex peccatũ commisit; unum contra charitatem, & alterum contra justitiam, quorum utrumque ex genere suo mortale est, in Confessione exprimendum. Interdum verò peccatur contra charitatem sine contumelia: ut si quis alicui seriò & ex animo maledicat, tamen absenti, sine detractione. Interdum vice versa committitur peccatũ contumeliæ contra justitiam vel pietatẽ, non item peccatum odij contra charitatẽ, v.g. si quis alicui in faciem maledicat, sed non ex animo, quasi id evenire optet. Porrò generaliter, omnis maledictio ad illam speciem peccati pertinet, ad quam pertinet malum quod optatur: & si nullum malũ exprimat is qui maledicit, sed tamẽ in genere malum velit, eius maledictio pertinebit

ad

ad peccatum odij, quod pro obiecto habet malum absolutè. Ex quibus sequitur quòd maledictio formalis non sit speciale peccatum distinctum ab alijs quibus contingit reipsa inferri malum proximo, sed ejusdē speciei cum malo quod optatur. Proinde si quis uno furoris impetu, sive diversis, imprecetur alicui mala diversa, ut bonorum spoliationem, infamiam, mortem; tot sunt diversæ speciei maledictiones, quot diversa mala imprecatur, & consequenter in Confessione debet explicare, quot & quæ mala fuerit imprecatus. Ita Cajetanus 2. 2. *quæst.* 76. *art.* 4. Sotus *de justit. lib.* 5. *quæst.* 12. *art.* 3. Clavis Regia *lib.* 12. *c.* 5. *n.* 20. Sylvius 2. 2. *q.* 76. *art.* 3. Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *c.* 8. *n.* 7. & alij.

Cajetan. Sotus. Clav. Reg. Sylvius. Layman.

3. Ad discernendum quando maledictio sit mortalis vel venialis, quæ fit ex impetu iræ vel passionis, ne quis fallatur, discerne hoc inter tempus passionis & tempus quietis, & scito quod ex hoc quod maledicens post transactam passionem doleret, si eveniret malum quod optavit, non propterea signum est quod fuerit peccatum veniale maledictio, aut quod non ex intentione maledixerit: quoniam si tempore iræ aut alterius passionis tantùm invaluit passio, ut portionem superiorem ad cōsensum maledictionis flexerit, mortale peccatum est sicut cùm passio concupiscētiæ tantùm exardescit, quod trahit ad consensum in actum venereum. Oportet ergo ad ipsum passionis tēpus inspicere, an tunc maledicens consenserit, hoc est, voluisset pro tunc quòd sic esset ut dicebat, an nō. Hoc enim tēpus infallibiliter ostēdit, an mortale, an veniale fuerit. Tempus autem quietis post passionem, ostendit quod non est persistens animus erga malum: & quòd non per modum habitus, sed passionis transeuntis peccavit. Hæc est doctrina notanda & sequenda Cajetani *in* 2. 2. *quæst.* 76. *art.* 1. quem sequitur Sylvius *ibid. art.* 3. & Molina *tr.* 4. *de just. disp.* 22. *n.* 5. Jacobus Marchantius *in resol. Pastor. part.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 4.

Cajetan. Sylvius. Molina. Ia. March.

4. Qui maledicit toti domui, non committit tot peccata, quot sunt personæ maledictæ: quia licet istud nomen, domus, familia, &c. significet plures, significat tamen eos collectivè, tanquam vnum corpus: unde in sententia illorum qui tenent circumstantias notabiliter aggravantes esse in Confessione exprimendas, hoc ipsum teneretur explicare, & insuper malum quod eis optavit. Vide Navarrum *in man. cap.* 6. *num.* 18. Rodriguez *part.* 1. *Summ. Latina cap.* 213. *num.* 3.

Qui autem ex ira, vel objurgationis causa, gravem alioquin maledictionem in alterum effundit, verbi gratia, ut diabolus illum rapiat, sed sine animo ac voluntate, ut id eveniat, atque sine notabili contumelia, spectata personæ qualitate, aliisque circumstantijs, non foret peccatum mortale. Quando verò aliquis ex ira se ipsum diabolo dederet, esto sine animo, ut ita eveniret, id faceret, nō videtur excusandus à culpa lethali ob fœditatem, horrorem, ac perversitatem rei: eaque de causa, quando id in Confessionibus deprehenditur, debet Confessarius numerum eorum peccatorum interrogare, acriterque vitium id paterno affectu reprehendere. Proinde officium Confessarij est consulere pœnitentibus suis ne dæmonem in ore accipiant, nisi ad spuendum in illum, & insuper monere eos, ut tanquam Christiani loquantur verba, quæ sapiant hominem Christianum & filium Christi, qui cùm malediceretur, non maledicebat. Ita Molina *de just. tr.* 4. *disp.* 22. *n.* 4. Rodrig. *loco cit. num.* 5.

Molina. Rodrig.

MANDATVM.

SVMMARIVM.

1 *Qui possint dare & accipere mandatum.*
2 *An si mulier conjugata mandet alicui, ut pro ea fideiubeat, teneatur ille actione mandati.*
3 *An valeat mandatum illius, cuius bona confiscata sunt, si mandaverit alteri ut ea bona emat? Et an ex communicatus possit procurator constitui lites.*
4 *An inter mandatum & mandatarium debeat intervenire conventio saltem tacita.*
5 *Quando mandatarius teneatur ex dolo & lata culpa, quando ex levi vel levissima.*
6 *An mandans teneatur mandatario ex casu fortuito.*
7 *Quando mandatarius excesit mandati fines, an ratum sit & firmum quod facit.*
8 *An mandatarius, qui mandatum suscepit, possit officium deserere.*
9 *An post litem contestatam, si mandatum datum sit ad lites, possit mandans procuratorem mutare.*
10 *Quænam sint observanda in mandato interpretando.*
11 *Quot actiones ex mandato descendant.*
12 *Sex genera mandatorum enumerantur.*

1. ILli possunt dare & accipere mandatum, qui contrahere, nisi prohibiti sint à mandato dando, vel accipiendo. Speciialiter verò prohibentur, *Primò*, milites dare mandatum ad conducendum res, *l. Milites, Cod. de locato. Secundo*, Curiales, *Cod. eodem tit. Tertiò*, pupillus & minor absque tutore vel curatore. Bartolus *in l. Si verò, §. Adolescens, ff. mandati. Quartò*, Monachus vel religiosus sine consensu Superioris, *cap. Religiosus, de testam. in* 6.

Bartolus.

Filiusfamiliàs si habeat castrensia, vel quasi castrensia bona, vel adventitia in quibus pater usumfructum non habet, potest mandatum accipere ad solvendum pro alio, non tamen si talibus bonis careat. Idem dic si pater filio mandet, ut solvat Titio certam pecuniam; si enim illam habeat, contrahitur mandatum, secus si non habeat, *l. Si quis mandaverit, ff. mandati.*

2. Mulier matrimonio coniuncta si mandet alicui, ut pro ea fideiubeat, ille tenetur actione mandati *l.* 2. *Cod. ad S. C. Vellejanum*: quia, ut in ea lege habetur, sicut potest seipsam alteri principaliter obligare, cùm in rem suam se obstringat, sic etiā potest alteri mandatum dare, ut pro ea fideiubeat, & seipsam obliget creditori. Quid si mandet alteri ut fideiubeat pro alio? Mandatum tunc non subsistit, quia obstat Senatusconsultum Velleianum, *l. Si mulier hæreditatem, §. Si mulier ne ipsa, ff. ad S. C. Velleianum.*

3. Is, cuius bona publicata sunt, si mandaverit alteri ut ea bona emat, valet mandatum, *l. Si mandavero, §. Is cuius bona. ff. mandati*, quia publicatis bonis, quidquid postea acquiritur, non sequitur fiscum.

Excommunicatus non potest procurator constitui, mandato alterius ad lites sive judicia. At si excommunicatus sit reus, potest seipsum in judicio defendere, & ad id procuratorem dare, *cap. Intelleximus, de judiciis*, tunc enim per alium debet in judicio respondere, proinde cogitur procuratorem dare. Si autem nullum inveniret, qui procuratoris officium suscipere vellet, aut non inveniret hominem sibi fidelem, posset per seipsum respondere, excipere, & appellare, *cap. Cùm inter, de except.*

Potrò

Digitized by Google

Porrò ſervus poteſt procuratorem ad ſua peculiaria negotia dare, non autem ad lites, ſive judicia, *l. Servum, ff. de procurator.*

4. Inter mandantem & mandatarium debet intervenire conventio ſaltem tacita: nam ſi videas in tui gratiam aliquid à me fieri, v. g. fidejuberi, neque prohibeas, tacitè mandare cenſeris, ſicut habetur in *l. Si remunerandi*, §. *Paſſus, ff. Mandati.* Ex hac conventione obligatio reciproca oritur; videlicet, ex parte mandatarij, ut fideliter & integrè mandatum exequatur: alioquin exiſtimationis ac famæ periculum ſuſtinebit, ſi de dolo convictus ac damnatus fuerit, juxta *l. In re mandata, Cod. eodem tit.* Contra verò, mandans ratum habere debet, quod nomine ejus à mandatario geſtum eſt.

5. Mandatarius regulariter tenetur ſolùm ex dolo & lata culpa; quia ordinariè mandatum eſt in gratiam ſolius mandãtis. Quando autem eſſet in gratiam utriuſque vel utilitatem, tunc mandatarius etiam ex levi culpa obligatur. Quando denique mandatarius expreſsè conveniſſet cum mandante etiam de leviſſima culpa, tunc utique etiam de ea teneretur, vel ſe obtuliſſet ad exequendum mandatum, cùm mandans alium vellet eligere; tunc enim tacitè videtur omnem ſuam diligentiam promiſiſſe. Ita Azorius *p. 3. lib. 9. c. 6. quæſt. 1.* Azorius. *de mandato.* Molina *tract. 2 de juſt. diſp. 549 num 6.* Molina.

6. Mandans tenetur mandatario ex caſu fortuito, qui potuit initio à mandante cogitari & prævideri, *l. Neſeminius, ff. de negotijs geſtis.* Unde mandatarius poteſt petere ut mandator reſarciat omnia damna, quæ veriſimiliter ventura prævideri poterant. At non obligatur mandator mandatario ex caſu fortuito, qui cogitari & prævideri non potuit. *l. Inter cauſas*, §. *Non omnia. ff mandati.* Præterea mandans mandatarium indemnem ſervare debet ab omnibus expenſis neceſſarijs, quas ille fecit gratiâ mandati explendi, juxta *cap. cùm pro cauſa, de procurator.*

Adverte tamen hæc non habere locum in ijs, qui ſtipendio conducuntur ad aliquid agendum, ut ſunt milites ſtipendijs adducti ad bellum gerendum, in quo damnum ſuſtinuerunt; quia mandatum eſt gratuitum, non mercenarium officium. Ita Abbas *in cap. Sicut, n. 17. de jure jurand.* Neque etiam in ijs, qui gratia pietatis vel conſanguinitatis negotium geſſerunt; quia non cauſa mandati, ſed pietatis vel cognationis rem geſſerunt: ſicut etiam non habent locum in his, qui id faciunt, quod debent, videlicet, ut Deo magis, quàm hominibus obediant: juxta id quod habetur *cap. Si Dominus, & c. Iulianus. 11. q. 3.* Ita Layman *lib. 3. ſect. 5. tr. 4.* Layman. *cap. 16. n. 3.* Azorius *loco cit. cap. 6. quæſt. 2.* ut colligitur *ex l. Neſeminius*, ſuprà. Azorius.

7. Si mandatarius exceſſerit mandati fines, ratum minimè eſt & firmum quod facit; quia aliud agere videtur, qui mãdati fines egreditur, *l. Diligenter, ff. Mandati*, & hoc locum habet non ſolùm quando facit contra præſcriptam mandati formulam, ſed etiam quando facit præter, aut citra eam. Panormitanus *in cap. ult. de reſtit. ſpoliat.* Sylveſter *verb. Mandatum, q. 7.* Hinc irrita eſt abſolutio mandati formulâ non ſervatâ. Hinc ſi juſſus à me equum vendere aureis 100. vindidiſti 90. aut juſſus emere 100. emiſti 110. non cogor venditionem vel emptionem ratam habere. Sin autem pluris res à te vendita fuerit, vel minoris empta, quàm mandaveram, non cenſeberis fines mandati tranſgreſſus: quandoquidem qui mandaverat aureis centum ſibi equum emi, aut centum aureis vendi; is mandaſſe intelligitur, ut, ſi fieri poſſet, etiam minoris emeretur; vel pluris venderetur, juxta §. *Is qui, inſtitution. de mandato*, & *l. Diligenter, ff. mandati.* Quapropter mandatarius debet reſtituere omne emolumentum quod ex mandato ſuſcepit, niſi probabiliter exiſtimet mandantem conſentire ut ſuum faciat, præſertim in re parui momenti, *l. Qui negotia, ff. mandati, l. Idem jus*, §. *Si procures, l. Ex mandato, eodem titulo.* Panormitan. Sylveſter.

8. Mandatarius, qui mandatum ſuſcipit, non poteſt officium deſerere, *l. Si quis alicui*, §. *Qui ſuſcepit, ff. mandati.* Ex juſtis tamen cauſis ab officio poteſt recedere; ut ſi capitales inimicitiæ inter ipſum & mandatorem intervenerint, vel ſi dignitatem aſſequutus fuerit, vel Reipublicæ causâ abfuturus ſit, *l. Filiusfamiliàs*, §. *ult. ff de procurator.* aut ſi ægritudinem vel neceſſariam peregrinationem alleget, vel ſi hæreditas ſuperveniens eum occuper; vel ſi in vinculis, aut prædonum vel hoſtium poteſtate detentus ſit; vel ſi ſuſpectus mandatori eſſe cœperit; vel ſi in alia ſimili cauſa impeditus ſit, ut videre eſt *in titulo, de procuratoribus, in Digeſtis*, & *cap. Quamvis procurator, de procurator. in 6.*

9. Si Mandatum quis dederit ad lites, ſive judicia, poſt litem, ſive judicium incœptum, hoc eſt, poſt litem conteſtatam, ſive poſt citationem judicis auctoritate factam, mandans nequit procuratorem mutare, niſi ipſe procurator conſentiat. *cap. Quamvis, de procurat. in 6.* & *l. Poſt litem, ff. de procurat.* niſi procurator inimicus factus eſſet, vel adverſario affinitate conjunctus, vel alia ſimili de cauſa. Si verò ad negotia quis dederit mandatum, non poteſt revocare, poſtquam res mandata geri cœpit, niſi mandati revocandi cauſa juſta ſubſit. Denique cùm quis mandatum ſive negotium dederit contemplatione mandatarij, revocare non poteſt, §. *Recte, Inſtitut. de mandato.* Et hæ ſunt obligationes mandantis erga mandatarium. Vide Azorium *part. 3. lib.* Azorius. *9. cap. 6. quæſt. 6.*

10. In Mandato interpretando quædam ſunt obſervanda.

Primum, Mandatum poſt remum non derogat primo, niſi fecerit mandans de eo mentionem. *cap. Grave, de offic. judic. Ordinar.* Si tamen poſterius eſſet arctius, vel pertineret ad publicam utilitatem, cùm primum reſpiceret tantùm privatam, valeret ſecundum. Abbas *in cap. Expoſuit* Abbas. *nobis, de dilationibus, & capite, Inter virum, de ſponſal.*

Secundum, Si generale ſit mandatum, ſolùm prohibet illicita. Unde mandatum de aliquo eligendo, intelligitur, ſi ſit idoneus, *cap. Cauſam quæ, de elect.*

Tertium, Mandatum ſpeciale derogat generali, etiamſi ejus nulla fiat mentio. *Capit. Paſtoralis, de reſcript.* niſi generale mandatum in ſpeciale tranſierit, *capite, Ex parte, de offic. judicum delegator.*

Quartum, Mandatum ſub conditione vel modo datum, duo mandata continet, ut ſi mandatum ſit ut ſolvantur proximis Kalendis Maij centum Titio, duo mandata ſunt; unum, ut ſolvantur centum eo tempore; alterum, ut niſi eo tempore ſolvantur, ſolvantur quamprimùm, ut colligitur *ex cap. Cùm dilecti, de dolo & contumac.*

Quintum, Mandatum non ſolùm continet quæ expreſſa ſunt, ſed etiam quæ mandato conjuncta ſun, veluti ea ſine quibus ad mandatum pervenire non poſſumus; aut ſine quibus mandatum

ad effectum perduci non poteſt. Gloſſa *in cap. In cauſis, de elect.*

11. Duæ actiones ex mandato deſcendunt; Una, quæ dicitur directa, & convenit mandanti adverſus eum, qui mandatum ſuſcepit, & non implevit, vel cum dolo, aut culpa, aut damno mandantis executus eſt, *l. Si mandavero, §. ult. ff. mandati.* Convenit item hæc actio mandatori contra mandatarium, qui mandati fines exceſſit, *l. Diligenter, ff. mandati.* Altera actio dicitur contraria, quæ convenit mandatario contra mandantem. Nam ſi mandatum perfecit, jus habet petendi impenſas, quas neceſſariò vel utiliter fecit, gratiâ mandati, *l. Si verò. §. ult. ff. mandati.* De his Molina *de juſtit. tract. 2. diſp. 549. num. 5.* Molina.

12. Porrò mandatorum ſunt ſex genera; *Primum* genus eſt, quando mandatum in utilitatem ſolum eſt mandantis, ut cùm alicui mandatur ut emat fundum pro eo, vel fidejuſſor exiſtat. *Secundum* eſt, quando mandatum cedit ſolùm in utilitatem cujuſdam tertij, ut ſi mandetur ut emat fundum pro Titio, vel ut gerat negotia aliqua Petri. *Tertium*, quando mandatum cedit in utilitatem mandantis & cujuſdam tertij, ut ſi mandetur ut emat fundum pro ambobus, vel gerat negotia utriuſque. *Quartum*, ſi in utilitatem mandantis & mandatarij, ut ſi Cajus Titio mandet ut gerat negotia utrique communia. *Quintum*, quando mandatum cederet in utilitatem ſolius mandatarij & cujuſdam tertij, ut ſi Cajus mandet Titio ut gerat negotia communia ſibi & Sempronio, vel fidejuſſor exiſtat pro Sempronio in re, quam ſibi & Sempronio conduxit. *Sextum*, quando aliquis mandat aliquid in ſuam utilitatem, mandatarij & cujuſdam Tertij: ut ſi Petrus mandaret Joanni, ut fideiuſſor exiſteret Franciſco, pro re, quam Franciſcus ſibi & eidem Ioanni conduceret, aut emeret, vel ut negotia eidem Joanni & Franciſco communia gereret. Hæc habentur *in l. 2. ff. Mandati*, & *Inſtit. eodem titulo in princip.* & in Gloſſa *ibidem*, referente Molina *de iuſtit. tr. 2. diſp. 549 num. 1.* Gloſſa. Molina.

Vide verb. Diſpenſatio *num. 41.* Excommunicatio *6. num. 8. & 9* Negotia geſta *n. 1. 8.* Procurator *num. 7. 8. & ſequent.* Reſtitutio *num. 15. 16. & ſequent.*

MATRIMONIVM I.

De natura & proprietatibus matrimonij.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium unde dicatur.*
2 *Matrimonium quid ſit.*
3 *Quod ſit diſcrimen inter matrimonium fidelium & paganorum.*
4 *An in Sacramento matrimonij ſint tria illa*, Sacramentum tantùm, res Sacramenti, *&* res ſimul & Sacramentum.
5 *An inter fideles poſſit eſſe matrimonium, quod non ſit Sacramentum?* Refertur duplex ſententia.
6 *An matrimonium infidelium ſit Sacramentum, eiſque gratiam conferat, cùm ambo baptizantur?* Refertur duplex ſententia.
7 *An in procuratoribus ad matrimonium contrahendum inter abſentes requiratur diverſitas ſexus. Quibus verbis procurator poſſit uti in matrimonio contrahendo nomine mandantis.*
8 *Quomodo Eccleſia potuerit irritare matrimonia clandeſtina, quæ prius jure divino erant valida.*
9 *Quæ ſint pœnæ matrimonij clandeſtini, & de prima, quæ eſt, ut filij ex eo matrimonio nati, ſint intellegitimi, quando matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum dirimens, etiamſi parentes fuerint in bona fide.*
10 *De alijs tribus pœnis Matrimon. clandeſtini.*
11 *Quæ ſint pœnæ contrahentium Matrimon. clandeſtinum ſine Parocho & teſtibus.*
12 *Quâ pœnâ plectendus ſit Parochus, vel alius Sacerdos, qui matrimonio clandeſtino interfuit.*
13 *An poteſtas diſpenſandi in denunciationibus poſſit ab Epiſcopo delegari alteri.*
14 *An aliquando teneatur Epiſcopus in denunciationibus diſpenſare, ut prætermittantur.*
An quando adeſt cauſa diſpenſandi, poſſit Epiſcopus imponere ei, cum quo diſpenſatur, mulctam pecuniæ pijs operibus applicandam.
15 *An ab Ordinario detur appellatio ad Superiorem, quando Ordinarius non vult diſpenſare in denunciationibus.*
16 *An aliquando poſſit Parochus aſſiſtere matrimonio non præmiſſis denunciationibus.*
17 *Quomodo revalidandum ſit matrimonium invalidè contractum propter aliquod impedimentum dirimens.*
18 *Quid faciendum quando nullitas matrimonij eſt ignota alteri coniugi, nec poteſt ei manifeſtari abſque gravi periculo.*
19 *An quando quis contraxit matrimonium cum duabus per verba de præſenti cum conditione de futuro contingenti, quænam erit uxor.*
20 *An Parochus permittere debeat ut contrahentes dent mutuum conſenſum conditionatum.*
21 *An neceſſe ſit, ut conditio adimpleatur coram Parocho & teſtibus, qui præſentes fuerunt matrimonio celebrato ſub conditione honeſta de futuro.*
22 *An ſit contra ſubſtantiam matrimonij & illud irritet conditio, ut alter coniux non teneatur debitum reddere, quoties alteri non licet petere.*
23 *An matrimonium initum à filijs abſque conſenſu parentum ſit validum? An ſufficiat conſenſus parentum, ſi filij non conſentiant? Et an poſſint parentes cogere filios ad matrimonium?*
24 *Quando teneatur filius obedire parenti præcipienti ut tale matrimonium ineat?*
25 *An peccet mortaliter filius invitis parentibus matrimonium iniens?* Refertur duplex ſententia.

MAtrimonium ſecundùm Ethymologiam nominis, dicitur à matre, non quidem adhuc maternitate obtenta, ſed cum ſpe ſtatim adipiſcendi: ideo enim mulier viro coniungitur in matrimonium, ut mater fiat: & dicitur matrimonium, quaſi matris munium, id eſt officium; nam prolem concipere, parere, & educare potius matris munus eſt, quàm patris: mater enim magis laborat in utero geſtando, lac præbendo, aliaque infantilia continuè miniſtrando; vel dicitur Matrimonium quaſi matrem muniens: uxor enim per matrimonium acquirit virum, à quo defendatur & muniatur. Ita D. Thomas *in ſupplement. 3. p. q. 44. art. 1.* Sanchez *de matr. lib. 1. in proœmio, n. 4.* D. Thom. Sanchez.

2. Matri

Digitized by Google

2. Matrimonium (ut diximus tom. 1.) *est coniunctio maritalis ex mutuo consensu viri & mulieris, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens, in qua confertur gratia sanctificans.* Hæc definitio non solùm convenit matrimonio, ut est contractus, sed etiam ut est Sacramentum: matrimonium enim fidelium nō solum est contractus, sed etiam est Sacramentum, quia est signum sacrum efficax gratiæ.

Dicitur *Coniunctio* pro genere: in hoc enim consistit essentia matrimonij, in ipso videlicet vinculo. Dicitur *maritalis*, loco differentiæ, per quam judicatur fundamentum talis unionis, quod est illa traditio mutua corporum coniugum, ad differentiam vinculi sponsalium, quod fundatur tantùm in promissione, & ad excludendas etiam omnes alias coniunctiones inter marem & feminam, quæ non sunt maritales. Dicitur *ex mutuo consensu*, quia in hoc consistit forma partis Sacramenti.

Dicitur *viri & mulieris*, ut explicetur ipsum subiectum & materia vinculi, & ad innuendum matrimonium inter unum virum & unam feminam esse debere. Dicitur *inter legitimas personas*, hoc est non habentes impedimentum aliquod dirimens matrimonium. Dicitur *individuam vitæ consuetudinem retinens*, ut explicetur mutua coniunctio & indissolubilitas matrimonij rati: quia matrimonium semel contractum non potest dissolvi mutuo consensu ipsorum contrahentium, sicut possunt dissolvi ceteri contractus. Dicitur *in qua confertur gratia sanctificans*, ut ostendatur effectus matrimonij, ut Sacramentum est: gratia enim non solùm est effectus reliquorum Sacramentorum, sed etiam matrimonij. Ita Magister *in 4. dist. 27.* & colligitur *ex cap. Illud, de præsumption.* Sanchez *de mat. lib. 2. disp. 1.* Navarrus *in man. cap. 22. num. 19.* Toletus *in sum. lib. 7. cap. 5.* & alij.

Magister. Sanchez. Navarrus. Toletus.

3. Triplex est discrimen inter matrimonium fidelium & paganorum: *Primum* est, quòd matrimonium infidelium est purus contractus naturalis, non tamen est Sacramentum: imò in lege naturæ & lege Mosaica erat solus contractus: at inter fideles in lege Euangelica est etiam Sacramentum à Christo institutum, ut docet Concil. Trident. *sess. 7. Canon. 1. Secundum*, quod extra Ecclesiam contractus hic matrimonij non dat gratiam contrahentibus ex opere operato; nec dabat illam in lege naturæ, aut veteri: at in lege Christi dat gratiam non ponentibus obicem, quia est Sacramentum. *Tertium* est; quod actus coniugalis extra Ecclesiam non est meritorius, sed tantùm est licitus; infideles enim non peccant in copula carnali, si rectè matrimonium contrahent: at verò fideles si sint in gratia, & ob debitum finem actu hoc utantur, merentur in ipso actu, sicut in alio bono opere. Ita Sanchez *de mat. disp. 7. & l. 9. disp. 1.* Bellarminus *l. 1. de mat. c. 5. ad 1.* Henriquez *lib. 11. de mat. c. 2. n. 1. & in comment. lit. V.*

Con. Trid. Sanchez. Bellarm. Henriq.

4. In Sacramento matrimonij sunt illa tria, quę communiter à Theologis in quolibet Sacramento considerantur; videlicet, Sacramentū tantùm, Res Sacramenti, & Res simul & Sacramentū. Sacramentū tantùm, est ipse actus contrahentiū verbis vel nutibus, aut signis expressus, constans ex materia & forma partis, ex quibus fit tale signum sensibile. Res tantùm, est illa gratia, quæ virtute Sacramenti confertur, quæ significatur & non significat, cùm gratia sit res spiritualis & invisibilis, & talis est effectus Sacramenti. Sacramentum autem & res Sacramenti, est illa unio inseparabilis inter virum & uxorem significans unionem Christi cū Ecclesia, quæ significat & significatur. Ita D. Thom. *in 4. dist. 26. q. 2. a. 1. ad 5.* quē sequuntur alij scholastici. Sanchez *de mat. lib. 2. disp. 10. 3.* Pontius *de mat. lib. 1. c. 7. n. 18.* Filliucius *tr. 10. n. 13.* & alij.

D. Thom. Sanchez. Pontius. Filliucius.

5. Nonnulli negant matrimonium esse Sacramentum inter fideles initum, nec valere in ratione contractus, si contrahentes habeant intentionem celebrandi matrimonium non tanquam rem Sacram, sed tantùm ut contractum. Ratio illorū est, quia ex Christi institutione inseparabilis est ratio Sacramenti à contractu matrimonij; unde intentio non conficiendi Sacramentum repugnat intentioni legitimę conficiendi matrimoniū, quatenus est cōtractus; sicut è contra qui intenderet facere Sacramentum & non contractū, nihil efficeret, quia ex Christi institutione hæc duo sunt inseparabiliter cōiuncta, & se mutuò ponunt & destruunt. Ita probabiliter Sanchez *de mat. lib. 2. disp. 10. n. 6.* Layman *lib. 5. tract. 10 part. 2. c. 2. n. 2.* Coninck *de Sacram. disp. 24. dub. 1. concl. 4.* & alij. A quorum tamen sententia recedunt Pontius *de mat. lib. 2. c. 9.* Vasquez *t. 2 in 3. part. disp. 138. c. 5.* Rebellus, Villalobos negantes hanc Christi institutionem; cùm eam non explicent Concilia, neque insinuent Sancti Patres, neque etiam unanimis Doctorum opinio; quia plures Doctores docent nempe Estius, Sylvius, Cajetanus, Victoria & Canus *tom. 1. citati verb. Matrimonium l. num. 10.* matrimonium inter absentes & per procuratorem esse firmum, atque legitimum, non tamen Sacramentum: & ideò sequitur quod quando aliquis contraheret sine formali vel virtuali intentione faciendi, quod facit Ecclesia, licet illud matrimonium non sit Sacramentum, quia in ministro non adfuit intentio necessaria, tamen manet validum in ratione contractus, ita ut contrahens non possit deinde alteri nubere, ut sustinent citati Doctores, quorum sententia non est improbabilis.

Sanchez. Pontius. Filliucius. Layman. Coninck. Pontius. Rebellus. Vasquez. Villalob. Estius. Sylvius. Cajetan. Victoria. Canus.

6 Dubium est inter Doctores, an matrimonium infidelium cùm ambo baptizantur, fiat Sacramentum, eisque gratiam conferat? Quidam affirmant solam baptismi susceptionem sine alio novo consensu efficere matrimonia infidelium verū Sacramentum: quia statim ac baptizantur, matrimoniū illud repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, cùm in Christi fide contractū perseveret, efficiturque indissolubile, saltē ut matrimonium ratum fideliū; ergo statim ac baptizantur, efficitur Sacramentum. Ita Sanchez *de mat. lib. 2. disp. 9 n. 5.* Paludanus, Vega ab illo citati. Alij existimant effici Sacramentum, gratiamque conferre, non statim tamen ac baptizantur, sed cùm habent novum consensum, aut antiquū verbis, vel nutibus, vel copula maritali approbant: quia non potest esse Sacramentum absque nova materia & forma; prior autem consensus, cùm tunc non esset Sacramentum, nec modo est, quia jam transiit, nō potest esse materia matrimonij, quod Sacramentum esse debet. Ita Bellarminus *lib. 1. de mat. c. 5. in fine*, Henriquez *lib. 11. de mat. cap. 8. & cap. 2.* Rebellus *part. 2. lib. 2. q. 7.* Hæ duæ opiniones sunt probabiles. Placet tamen sententia asserens, nullo modo posse effici Sacramentum: quia ratio Sacramenti matrimonij annexa est ipsi contractui, non vinculo remanenti post contractum; consistit enim hoc Sacramentum in actione, sicut & alia omnia, excepta Eucharistia, & in eo fieri ipsius contractus datur gratia, non postea post semel autem contractum matrimonium validè, non potest denuò alius fieri eius contractus: vinculum enim matrimonij relictum in nullo penitus jam dependet à consensu eorum qui contraxerunt; quare cùm etiamsi renovetur consensus, nihil efficiatur circa contractum

Sanchez. Paludan. Vega. Bellarm. Henriq. Rebellus.

antea validum, nec adhibeatur materia & forma; cùm solùm verbo tenus renovetur consensus, & Sacramentũ matrimonij tantùm cõsistat in fieri, nec possit esse, nisi reipsa fiat contractus, qui jam factus est: ergo non potest jam amplius fieri Sacramentũ. Et confirm. quia matrimoniũ est essentialiter cõtractus inter baptizatos initus, qui hìc nullo modo poni potest; nam neque contractus præteritus fuit initus inter baptizatos, & jam nullo modo in se existit, neque tales possunt de novo matrimonium contrahere, quia non possunt sibi mutuò corpora tradere; nemo enim potest alteri tradere, quod suum non est, quia neuter jam habet potestatem proprij corporis, ut docet Apostolus 1. *Cor.* 7. ergo non possunt ea sibi mutuo tradere. Ita docent Pontius *de mat. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 8. Vasq *tom.* 1. *in* 3. *part. disp.* 138. *c.* 5. & *tom.* 4. *disp.* 2. *de mat. cap.* 10. Coninck *de Sacram. disp.* 24. *dub.* 2. *concl.* 7. & alij.

Pontius. Valquez. Coninck.

7. In procuratoribus ad matrimonium contrahendum inter absentes non requiritur diversitas sexus; quia est res impertinens & nõ facit ad rem; solùm enim requiritur sexuum diversitas in ipsis, qui matrimonio debent coniungi. Et ideò duæ fœminæ, vel duo viri, vel alter vir & altera fœmina possunt esse procuratores ad contrahendum matrimonium pro aliis, quia sunt tantùm instrumentum ministrans verba, quibus contrahitur matrimonium. Ita Sanchez *de mat. lib.* 2. *disp.* 11. *num.* 15. Bonacina *de mat. quæst.* 2. *punct.* 3. *n.* 1. Diana *part.* 3. *tract.* 4 *res.* 250. *vers. Notandum est.* qui citat Pontium & Sylvium.

Sanchez. Bonacina. Diana. Pontius. Sylvius.

Verba autem quibus uti poterit procurator in contrahendo matrimonium nomine mandantis, possunt esse ista aut similia. *Talis consentit in te, vel accipit te in virum, vel uxorem, ine mediante.* Vel *Recipio te in virum vel uxorem, nomine talis personæ.* Hoc enim modo sufficienter exprimitur consensus utriusque coniugis de præsenti mediante procuratore exprimente consensum alterius absentis. Et tunc coniux præsens respondere poterit: *Et egò te mediante accipio talem in virum meum vel in uxorem meam* Ita Sanchez *loco proximè citato*, *num.* 16. Bonacina *citat. num.* 11. Sylvester *verb. Matrimonium* 5. *q.* 14. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 2. *num.* 2. & alij.

Sanchez. Bonacina Sylvester. Henriq.

8. Patres Concilij Tridentini attentè considerantes prohibitiones matrimonij clandestini propter incuriam & inobedientiam hominum, in oblivionem abiisse & propter multa incommoda, multaque mala peccaminosa quæ ex iisdem clandestinis coniugiis pullulare & oriri possent, præsertim illorum, qui priore uxore, cum qua clandestinè contraxerant, relicta, cum alia palam contrahere non verecrentur, & cum ipsa in perpetuo adulterio vivere cum manifesto periculo æternæ damnationis utriusque. Quapropter Sacra Tridentina Synodus *sess* 24. *cap.* 1. *de reform. matrimon.* cupiens huic malo obviare, declaravit & declarat Matrimonia clandestina, quæ in posterum à fidelibus sine præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de eius licentia, & saltem duorum aliorum testium celebrantur, omninò nulla & irrita.

Con. Tri.

Sed dubium est, quomodo potuerit Ecclesia per dictum Decretum matrimonia, quæ antè ex divino jure naturali erant valida, facere, ut in posterum essent nulla? Ratio dubitandi est, quia si matrimonium consideretur, ut est contractus naturalis, solo consensu, etiam clam præstito est validum: Ecclesia autem jus naturæ alterare nequit. Causa enim naturalis sufficienter applicata, necessariò suum producit effectum. Sed mutuus consensus etiam occultus inter personas habiles, est causa naturalis matrimonij: ergo. Deinde si matrimonium consideretur, ut est Sacramentum, Ecclesia nequit aliquid statuere variando materiam & formam Sacramentorum. Sed consensus mutuus licet clandestinus, erat olim materia & forma Sacramenti matrimonij: ergo Ecclesia non potuit id variare Ob has rationes aliqui Doctores circa hoc dubitaverunt, & Dominicus Sotus *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art* 1. *in solut. ad* 1. quæstionem proposuit & indecisam reliquit, dicens se Ecclesiæ judicio & determinationi remittere. His tamen non obstantibus,

Sotus.

Veritas Catholica est, Ecclesiam potuisse irritare matrimonia clandestina, & de facto irritat & annullat, ut patet ex verbis Concilij. *Qui aliter, quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.* Non enim præsupponi potest, Ecclesiam Sanctam Dei in re tam gravissima contra fidelium salutem errare potuisse. Si autem id non potuisset efficere, errasset in re maximè ad fidem & universalis Ecclesiæ mores conducenti.

Ex tenore prædicti Decreti, colligere est, matrimonia clandestina dupliciter irritari. *Primò*, directè, annullando immediatè ipsum contractum. *Secundò*, indirectè, inhabilitando personas. Quòd autem potuerit Ecclesia irritare contractum, probatur: quia Respublica civilis potest irritare contractus civiles, & de facto aliquos irritavit, ut minorum absque auctoritate curatorum, alienationem majoratuum, &c. Ergo idem potuit Ecclesia circa contractum matrimonij.

Est autem irritare directè contractum matrimonij, impedire ne mutuus contrahentium consensus sit sufficiens clandestinè præstitus, ad transferendum dominium corporum inter conjuges: unde non tollit Ecclesia obligationem iam ortam, sed impedit, ne oriatur. Probatur verò posse Ecclesiam irritare matrimonium, inhabilitando personas; quia in ijs quæ ad bonum spirituale Ecclesiæ spectant, ut est matrimonium, fideles tanquam membra illi subduntur: Ergo quando bono spirituali Ecclesiæ expedit, potest illos inhabiles reddere ad certum modum ineundi matrimonium, sicut Respublica efficit inhabiles ad contrahendum, prodigos, minores absque tutoribus, & uxores absque viris. Et hoc modo Ecclesia irritavit matrimonia inter consanguineos, cognatos & affines, inhabilitando personas. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 4 *num* 4. Suarez *de Sacram. in genere, quæst.* 60. *art.* 8. *disp.* 2. *sect.* 6. Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 4. & alij communiter.

Sanchez. Suarez. Pontius.

Ex quibus patet potuisse Ecclesiam de facto irritare matrimonium, ut est Sacramentum, non immediatè mutando materiam & formam Sacramenti, sed mediatè distruendo fundamentum, nempe contractum humanum; ex quo consequenter remanet irritum Sacramentum, sicut tollendo jurisdictionem in Sacerdote, tollit consequenter validitatem Sacramenti Pœnitentiæ. Plura de his apud Doctores hìc citatos.

9. Pœnæ matrimonij clandestini præcipuæ sunt quatuor. *Prima*, ut filii nati ex eo, quãdo fuit nullũ ob aliquod impedimẽtum, quodcunque illud fit,

Digitized by Google

Sotus. Bellarm. Sotus *in* 4. *dist.* 29. *quæstione* 1. *articulo* 4. Bellarminus *lib.* 1. *de matrim. cap.* 19. *propoſit.* 3. Unde quando adeſt juſta cauſa, ut quia matrimonium eſt indignum, non peccat princeps aut pater impediens mediis ſuavibus abſque vi & metu; quia hoc non eſt cogere ad matrimonium, cùm metus gravis non inferatur, nec impediatur filius quin aliud matrimonium dignum ineat. Ita Sanchez *de matr. lib.* 4. *diſp.* 22. Bonacina *de matr. quæſt.* 4. *punct.* 17. *n.* 22. 23. Guttierrez *in quæſt. Canonic. lib.* 1. *c.* 20. *n.* 27. Clavis Regia *lib.* 7. *c.* 5. *n.* 12. & 23. & alij penes ipſos.

Sanchez. Bonacina. Guttierr. Clav. Reg.

24. Filius regulariter non tenetur implere ſponſalia, quæ abſque ſuo conſenſu pater promiſit: quia quoad contrahendum matrimonium, filius eſt liber & ſui juris. Si tamen multum interſit parentum, ut filius tale matrimonium ineat, tenetur filius ſub lethali culpa obedire parenti illud præcipienti. Verbi gratia ad componendas lites & inimicitias, quæ eſſent inter parentes & conſanguineos eorum cum quibus eſt contrahendum matrimonium. Ratio eſt, quia ex virtute pietatis tenentur filij ſubvenire parentum neceſſitati: ergo quando parentes indigent tali matrimonio, tenebuntur filij obedire, in caſu quo eligat filius matrimonium inire; ſi enim alium ſtatum eligat, non poteſt pater ad ineundum matrimonium illum præcepto adſtringere: quia in ſtatu eligendo filius eſt ſui juris. Si tamen juſta cauſa ductus filius reſiſtat tali matrimonio, ut quia fide priorum ſponſalium cum altera adſtringebatur, non teneretur obedire: quia non tam ex præcepto paterno, quàm ex pietatis virtute filium obligantis conſulere paternæ indigentiæ, tenebatur obedire. De his D. Thomas *in* 4. *diſtinct. vigeſima-nona, quæſtione unic. articulo quarto.* D Bonaventura *ibid. quæſtione tertia.* Bellarminus *libro primo de matrim. cap.* 19. *propoſit.* 3. Rodriguez 1. *tom. Summæ Hiſpanæ* 2. *edit. cap.* 131. Petrus Ledeſma *de matr. quæſt.* 47. *art.* 6. *dub.* 2. *concluſ.* 3 & poſt illos Sanchez *lib.* 4. *diſp.* 23. *num.* 3. *& ſequent.*

D. Thom. D Bonav. Bellarm. Rodrig. P. Led. Sanchez.

25. Dubium eſt inter Doctores, an ſecluſo caſu, quo filius tenetur obedire patri præcipienti aliquod matrimonium, peccet mortaliter invitis parentibus matrimonium iniens. Et quidem pro affirmativa faciunt; quòd jure gentium conſuetudine omnium nationum explicato, non eſt filiorum & maximè filiarum, dum parentum curæ ſubſunt, quærere nuptias, ſed id parentum munus eſt. Quod jus gentium per jus Pontificium confirmatur *in cap. Aliter.* 30. *q.* 5. ubi dicitur, *Aliter legitimum non ſit conjugium, niſi ab his qui ſuper ipſam feminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur, uxor petatur, & à parentibus propinquioribus ſponſetur.* Hic Canon eſt Evariſti Papæ ſcribentis Epiſcopis Africæ epiſtola 1. Imò in ſacris literis, parentibus tribuitur hoc munus. Sap. 7. *Da filiam tuam viro prudenti.* & D. Paulus 1. *Cor.* 7. copioſè docet à parentibus tradendas eſſe filias nuptijs. Quæ omnia teſtantur teneri filios in hoc obedire parentibus: & cùm res ſit gravis, erit culpa lethalis. Hæc ſententia eſt probabiliſſima, quam ſuſtinent Navarrus *in man. cap.* 14. *num.* 15. Bellarminus *lib.* 1. *de matrim. cap.* 19. *propoſit.* 3. Rodriguez *tom.* 1. *Sum. Latinæ cap.* 14. *num.* 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 28. *quæſt.* 1. *art.* 1. Henriquez, Salon, Petrus Ledeſma & alij multi.

Navarrus. Bellarm. Rodrig. Sotus. Henriq. Salon. P. Led.

Cæterùm probabilius eſt, teneri filios ſub culpa lethali conſilium parentum circa matrimonium petere, non tamen illud ſequi, & ita licitè poſſe invitis ipſis, priùs tamen conſultis, inire matrimonium quod volunt. Ratio prioris eſt, tum quia ius ipſum naturæ dictat, filium non debere matrimonium inire, non præmiſſo patris conſilio, aliquin facilè naſcerentur diſcordiæ inter patrem & filium; tum quia pater poteſt multa ſignificare filio in utilitatem ipſius filij & familiæ, ita ut expediat filio voluntatem mutare & patris conſilium ſequi. Poſterior pars probatur ex doctrina D. Th. 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *in corp.* ubi ait, in ijs, quæ ad prolis generationem attinent, omnes homines eſſe pares, nec filios ſubjici parentibus: ergo non tenentur ſequi conſilium & voluntatem parentum: quia per matrimonium homo perpetuæ ſervituti obligatur, & ideò recta ratio poſtulat, ut in illo contrahendo, liber ſit, & à nullius voluntate pendeat. Ita Covarruvias *de matrim. 2. part. cap.* 3. §. 8. *num.* 1. Coninck *diſp.* 28. *dub.* 5. *num.* 52. Reginaldus *lib.* 31. *n.* 24. Victoria *in ſum. de matrim. n.* 269. Bonacina *de matr. q.* 4. *punct.* 17. *n.* 14 & 25. Filliucius *tract.* 10. *part.* 1. *n.* 129. & 130. & alij. Hæc tamen intelligenda ſunt, niſi ratione ſcandali: quia ubi probabiliter noſſet filius graviſſima inde ſcandala ſecutura, peccaret contra charitatem mortaliter ſic contrahendo, ut docet Victoria.

D. Thom. Covar. Coninck. Reginal. Victoria. Filliucius.

Vide v. Beneficium 8. *n.* 2. & *ſeq.* Parochia *n.* 11. Procurator *n.* 6. Servus *n.* 15. Teſtis n. 9. Vicarius *n.* 8. & 9.

MATRIMONIUM II.

De impedimentis matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *An matrimonium ex falſo errore impedimenti dirimentis, ſit validum?* Refertur duplex ſententia.

2 *An Papa poſſit reddere inhabiles perſonas privatas ad contrahendum matrimonium.*

3 *An requiratur juſta cauſa ut poſſit Pontifex impedimenta matrimonium dirimentia conſtituere.*

4 *An dum Pontifex interdicit ſuo præcepto matrimonium, eo ipſo reddatur irritum, contra prohibitionem initum.*

5 *An in Principe infideli ſupremo ſit & ſemper fuerit poteſtas ſtatuendi impedimenta ſuis infidelibus? Et an hæc præcepta obligent etiam fideles in illis partibus commorantes?* Refertur duplex ſententia.

6 *An Epiſcopi ex vi ſui numeris poſſint in ſuis diœceſibus impedimenta ſtatuere?* Refertur duplex ſententia.

§. I.

De impedimentis erroris.

7 *An matrimonium contractum cum errore qualitatis perſonæ propter dolum, ſit validum.*

8 *An matrimonium liberi cum ſerva ex ignorantia ſervitutis ſiat validum, ſi eam cognoſcat affectu maritali.*

9 *Si Dominus det nuptui ancillam ſuam libero celando ſervitutem, an talis ancilla ſiat libera, & tale matrimonium ſit validum.*

10 *Quando Dominus contrahit matrimonium cum propria ancilla, an eo ipſo ſiat libera?* Refertur duplex ſententia.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De impedimento Voti.

11 *An matrimonium conſummatum per ſubſequentem profeſſionem ſolemnem, dirimatur reluctante altero coniuge.*

12 *An vinculum matrimonij conſummati per profeſſionem Religionis ex mutuo conſenſu coniugum ſolvatur.*

§. III.

De impedimento Ordinis.

13 *An obligatio qua tenentur Clerici ſacrorum Ordinum ad continentiam, ſit ex Conſtitutione Eccleſiæ, vel ex voto?* Refertur duplex ſententia.

14 *An licitè & validè poſſit contrahere matrimonium, recipiens ſacros Ordines voluntariè, cum intentione non ſe obligandi ad votum caſtitatis.*

15 *An ordinatus ſacris ordinibus poſt annos diſcretionis, ſed ante 16. annum ætatis ſuæ completum, teneatur ad caſtitatem, & ſi Ordine uti nolit, poſſit licitè & validè ad matrimonium tranſire?* Refertur duplex ſententia.

16 *An votum Ordini ſacro annexum, ex natura ſua & per ſe ſit ſolemne inſtar voti profeſſorum, an potiùs per accidens?* Refertur duplex ſententia.

§. IV.

De impedimento Conſanguinitatis.

17 *Conſanguinitas unde derivetur & quid ſit.*

18 *Quæ ſit differentia in computatione graduum conſanguinitatis lineæ collateralis, quæ ſit jure civili, & quæ Canonico.*

19 *An omnes gradus conſanguinitatis Levitici 18. expreſſi obligent in lege Euangelica?* Refertur duplex ſententia.

20 *Olim Eccleſia coniugium indixerat uſque ad ſeptimum conſanguinitatis gradum: at hodie reſtricti ſunt gradus uſque ad quartum inclusivè.*

§. V.

De impedimento cognationis Spiritualis.

21 *An conuenienter Eccleſia ſtatuerit in duobus tantùm Sacramentis, nempe in Baptiſmo & Confirmatione, contrahi cognationem ſpiritualem matrimonium dirimentem.*

22 *Quotuplex erat jure antiquo cognationis ſpiritualis ſpecies.*

23 *Quot patrini in Baptiſmo & Confirmatione poſſint & debeant adhiberi jure antiquo & novo Tridentini.*

24 *An infidelis ſit capax ſpiritualis cognationis contrahendæ.*

§. VI.

De impedimento Criminis.

25 *An quævis ignorantia coniugij alterius excuſet ab impedimento criminis incurrendo propter adulterium & fidem datam.*

26 *An mortaliter peccet promittens matrimonium alteri, poſt mortem coniugis, & promiſſionem acceptans.*

An Adulterium & promiſſio matrimonij debeant fieri vivente coniuge, ut impedimentum incurratur.

27 *An taciturnitas inducat acceptationem promiſſionis externæ factæ ab adultero de matrimonio contrahendo, ut inducat impedimentum matrimonij dirimens?* Refertur duplex ſententia.

28 *An homicidium ab adultero & adultera perpetratum cum intentione contrahendi matrimonij inter ſe, inducat impedimentum dirimens, ſi ea intentio exterius non manifeſtetur.*

29 *An occidens uxorem animo ducendi incertam perſonam incidat in impedimentum dirimens.*

§. VII.

De impedimento cognationis Legalis.

30 *An inter filios legales ſit impedimentum cognationis legalis.*

31 *Ad quotum gradum ſe extendat cognatio legalis impediens & dirimens matrimonium.*

§. VIII.

De impedimento diſparitatis Cultus.

32 *An infidelis habens plures uxores, converſus ad fidem ſeparandus ſit ab illis.*

33 *An infidelis converſus ad fidem poſſit & teneatur non recedere ab infideli coniuge, ſi ſpes ſit eius converſionis.*

34 *Quando infidelis eſt innocens, fidelis autem adulter, ſi ratione adulterij divertat infidelis, an poſſit fidelis prius matrimonium diſſolvere.*

35 *An matrimonium conſummatum converſi cum infideli ante Baptiſmum, diſſolvatur per eius profeſſionem ſolemnem.*

36 *An poſſit Pontifex matrimonium conſummatum infidelium ex juſta cauſa diſſolvere, ſi ad fidem convertantur?* Refertur duplex ſententia.

37 *An matrimonia contracta inter ipſos infideles ſint valida & legitima.*

§. IX.

De impedimento ligaminis.

38 *An dubius de morte ſui coniugis validè denuò contrahat? Et quid ſi adſit tantùm præſumptio veriſimilis & probabilis de morte alterius? Et an in hoc caſu Iudex Eccleſiaſticus poſſit licentiam dare tranſeundi ad ſecundas nuptias?*

39 *An ſufficiat unus teſtis affirmans coniugis mortem, ut liceat alteri ad ſecundas nuptias tranſire?* Refertur duplex ſententia.

40 *An mors coniugis ſufficienter probetur per famam? Et quæ conditiones deſiderentur, ut fama plenè probet?*

§. X.

De impedimento publicæ honeſtatis.

41 *An impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex ſponſalibus nullis ex defectu conſenſus, vel ob aliud impedimentum occultum?* Refertur duplex ſententia.

42 *An publica honeſtas oriatur ex matrimonio contracto clandeſtinè ſine Parocho & teſtibus?*

Re-

Refertur duplex ſententia.

43 *Qui poſt ſponſalia de futuro cum aliqua, contrahit matrimonium de præſenti cum eius ſorore, an teneatur priori fidem ſponſalium præſtare? Et quid ſi matrimonium conſummavit?*

44 *Si contractis ſponſalibus ſub conditione de futuro cum Maria, ineantur ſponſalia abſoluta cum eius ſorore, an hodiè ex poſterioribus ſponſalibus impedimentum oriatur?*

45 *An impedimentum publicæ honeſtatis oriatur ex matrimonio celebrato inter impuberes?*

§. XI.

De impedimento affinitatis.

46 *An affinitas ex copula coniugali orta, ſit quid naturale inſtar conſanguinitatis.*

47 *An infidelis, qui cum uxore conſummavit matrimonium, poſt Baptiſmum poſſit ducere conſanguineam uxoris intra quartum gradum.*

48 *An ex copula fornicaria jure naturæ oriatur aliquod vinculum?* Refertur duplex ſententia.

49 *Affinitas unde derivetur & quid ſignificet.*

§. XII.

De impedimento impotentiæ.

50 *Quæ impotentia coeundi dicatur perpetua, ut matrimonium dirimat.*

51 *Ad valorem matrimonij an ſatis ſit potentia vas femineum penetrandi.*

An valeat matrimonium quando mulier eſt incapax ad ſeminandum.

52 *An impotentia coeundi in viro poſſit conſurgere ex nimio calore.*

53 *An femina reſpectu unius viri arcta, præſumatur talis reſpectu omnium? In dubio quid faciendum, an femina fuerit cognoſcibilis à priori viro, ſicut fuit à poſteriori.*

54 *An cenſeatur impedimentum perpetuum, quando vir eſt ita debilis, ut ad Virginem ſit impotens, ſed ad corruptam potens, ſi Virgo illa poſſit reddi apta tali viro abſque mortis periculo.*

55 *Quando matrimonium diſſolvitur ob alterius coniugis impedimentum perpetuum, an non impeditus poſſit ad alias nuptias tranſire.*

56 *Ex quibus ſignis dignoſcatur frigiditas in viro vel maleficium matrimonium dirimens.*

57 *Quando maleficium cenſeatur perpetuum.*

58 *An diſſolutione facta legitimè matrimonij per Eccleſiam ratione maleficij, concedenda ſit licentia utrique coniugi ad alias nuptias tranſeundi.*

1. COntroverſum eſt apud Doctores, quando ſponſi ſive alter ſponſus in actu contrahendi ſub falſo errore exiſtimabat ſubeſſe aliquod impedimentum dirimens, quod verè non ſuberat, ſciens matrimonium cum huiuſmodi impedimento celebratum, eſſe nullum, & tamen contrahit, an matrimonium ſit validum? Multi negant, quia in actu contrahendi requiritur voluntas abſoluta & determinata: non poteſt autem humana voluntas efficaciter intendere id, quod ei repræſentatur impoſſibile. Sed quando contrahens exiſtimat ſe eſſe impeditum aliquo impedimento dirimente, iam exiſtimat ſe non poſſe validè contrahere: ergo non intendit, nec poteſt intendere verè contrahere, ſed ad ſummum facere actum illum externum contrahendi fictum & ſimulatum, quod non ſufficit ad verum matrimonium contrahendum. Ità Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 23.* Coninck *diſp. 14. dub. 6. num. 53. in 4. diſt. 37. quæſt. unic. artic. 5.* Sylveſter *verb. Matrimonium 8. q. 13. verſ. Quintum*, & alij probabiliter. Verùm contraria ſententia à nonnullis ſuſtinetur ut probabilior, in caſu quo contrahentes intendant contrahere, quantùm in ipſis eſt. Probatur, quia matrimonium validè celebratur, quando contrahentes ſunt habiles, & habèt ſufficientem conſenſum. Sed in hoc caſu contrahentes ſunt habiles, & habent ſufficientem conſenſum ad contrahendum, cùm intendant contrahere quantum poſſun: ergo matrimonium validè celebratur. Confirmatur, quia ſtante tali exiſtimatione erroneâ, talis conſenſus conditionatus eſt poſſibilis, cùm poſſint habere ſaltem intentionem conditionatam: ut ſi non adſit tale impedimentum validè omninò velint matrimonium perficere, quantùm poſſunt: & ex hac intentione valebit matrimonium, dum reverà in facto eſſe non aderat tale impedimentum ex errore exiſtimatum. Ita Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp. 33. num. 2.* Petrus Ledeſma *de matr. quæſt. 55. artic. 9.* Covarruvias *de matrim. part. 2. cap. 3. §. 7. num. 2.* Henriquez *lib. 11. cap. 11. num. 5.* Rodriguez 1. *p. Summ. Latinæ, c. 232. num. 3.* & alij. Quamvis Navarrus *in Man. c. 22. num. 56.* putet non valere matrimonium, ſi dum contrahit, credit illud non fore validum; quia non conſentit legitimè in matrimonium; ſecus ſi credit matrimonium valere, licet credat contrahendo peccare mortaliter, ut rectè Sylveſter loco citato explicuit, declarando conformes eſſe opiniones, quæ contrariæ videbantur.

Pontius. Coninck. Sotus. Sylveſter. Sanchez. P. Led. Covar. Henriq. Rodrig. Navarrus. Sylveſter.

2. Sicut Papa ex juſta cauſa poteſt reddere inhabiles ad matrimonium omnes perſonas certi generis, v. g. conſanguineos vſque ad quartum gradum, ita licitè poteſt reddere inhabiles perſonas privatas ex gravi cauſa, puta ob cauſam vitandæ magnæ perturbationis Reipublicæ, aut gravium diſcordiarum, vel magnæ diſparitatis inter contrahentes. Ratio eſt; quia non eſt major ratio totius Eccleſiæ, quàm aliquarum particularium perſonarum; & de facto hujuſmodi poteſtate ulum fuiſſe Summum Pontificem, teſtatur Additionator ad Navarrum *lib. 4. titul. de matrim. contra interdictum Eccleſiaſt. contractum conſil. 1. in 2. edit.* quem ſequuntur Hoſtienſis, Ancharanus, Felinus, Paludanus, D. Antoninus, ut teſtatur Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 1. num. 7.* Imò probabile eſt in pœnam alicuius gravis delicti poſſe Papam reddere aliquam perſonam perpetuò inhabilem ad matrimonium, quæ aliàs jure naturæ habilis ſit; ſicut poſſet capite plectere, aut in ſervitutem redigere, privando libertate à natura conceſſa. Si enim Pontifex poteſt in pœnam delicti impedire perpetuò matrimonium, ut de facto impedivit propter inceſtum & alia crimina, cur non poterit ita alicui interdicere matrimonium, ut contra prohibitionem initum efficiatur invalidum, ubi gravitas delicti id exegerit? quia poteſtas Pontificia non eſt arctata ad ſola impedimenta matrimonium impedientia ſtatuenda, ſed etiam ad dirimentia extenditur. Ita ſuſtinet Sanchez *loco citato, num. 8.* ex auctoritate Calderini & Alexandri de Nævo. De quo tamen poteſt dubi-

Additionator ad Navarr. Hoſtienſ. Anchar. Felinus. Paludan. D. Anton. Sanchez. Sanchez. Calderin. Alexand.

dubitari; maximè si matrimonium tali personę esset necessarium in remedium concupiscentię: hæc enim persona sic cogeretur ad perpetuam continentiam; cùm tamen ad illam nemo absque proprio consensu astringi possit ex *cap. Integritas 22. quæst. 1.* vide Coninck *de Sacram. disp. 30. dub. 1. n. 9.* Perez *de matr. disp. 21. sect. 3 n 8.*

Coninck. Perez.

3. Cùm matrimonium sit vinculum iure naturali & divino inventum, ac omnibus concessum, excepto saltem primo gradu consanguinitatis inter ascendentes & descendentes, non potest Pontifex illud ad libitū interdicere, nec ejus cōtrahendi jus adimere; sed requiritur ad hoc justa causa, ut possit Pontifex impedimenta matrimoniū dirimentia constituere, quâ non existente, probabile est, matrimonium contra ejusdem prohibitionem initum valere. Nam licet Pontifex dispensando in ijs, quæ sunt de jure humano absque causa, peccet, at valida sit dispensatio Secus tamen dicendū est, dum interdicit matrimonium in gradibus jure naturæ concessis, non existente causâ iustâ. Unde olim dum Ecclesia interdixit matrimonium usq; ad septimum consanguinitatis gradum, justam habuit causam interdicendi: at pòst successu temporis experiētia docuit expedire gradus restringere, ut dicitur *in cap. Non debet, de consanguinit. & affinit.* & ita ibi restricti sunt. Posset autem Pontifex etiam modo plures gradus prohibere, si judicaretur adesse novam causam plures interdicendi. Ita docent Hostiensis, Henricus, Barthol. Ledesma, Alexander de Nævo, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 7. disp. 1. n. 6.* quibus adde Tannerum *tom. 4. disp. 8. quæst. 4. dub. 1.*

D. Thom. Coninck. Becanus. Sanchez. Hostiens. Henric. Ledesma. Sanchez. Tanner.

4. Varij variè sentiunt, an dum Pontifex interdicit suo præcepto, aut constitutione matrimonium, eo ipso reddatur irritum, contra prohibitionem initum. Pro solutione tamen dicendum est, inspiciendam esse vim & circūstantias præcepti: si enim esset simplex prohibitio, non haberet vim irritandi. Ratio est; quia cùm multa prohibeantur, quæ tamen facta tenent, *cap. Ad Apostolicam, de regular.* & prohibitio sit nuda ac simplex, non est dicendum, rem tam arduam ac tanti momenti, ac est matrimonium, tunc irritari, ut apertè deciditur *in cap. 2. de matr. contract. contr. Interd. Eccles. in fine*, ibi: *Licet enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit, non est tamen conveniens, ut ob id solum, Sacramentum conjugij dissolvatur; aliqua tamen pœnitentia eis debet imponi: quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.* Tum quia omnia impedimenta matrimonij impedientia solùm, prohibent matrimonium iniri, illud tamen cùm eis initum minimè dissolvunt, ut tradunt communiter Doctores.

Si verò adijceretur præcepto decretum generale irritans non referens se specificè ad matrimonium, ut si Pontifex interdicēs matrimonium, addat, si quid contra gestū sit, fore irritum & inane, matrimonium erit validum: quia cùm matrimonium sit res ardua & gravissimum negotium sit illud irritare, specificam clausulam poscit. Proinde clausula illa irritans debet intelligi, ut contra gestum nō valeat in præjudicium alicu, us. Si autem clausula decreti irritantis faciat specificam matrimonij mentionem, id irritans, si cōtra prohibitionem initum sit, sic haberet vim irritandi: quia cùm Papa id possit & ex decreto irritāte appareat eam velle, utique matrimonium irritabit, quando causa prohibitionis est perpetua; secus si causa interdicendi sit temporalis, ut pluribus citaris docet Sanchez *lib. 7. disp. 2.* quem sequuntur Filliucius *tract. 10. p. 2. n. 21.* & alij.

Sanchez. Filliucius.

5. Certum est apud omnes, in Principe infideli supremo fuisse omni tempore & esse potestatem impedimenta statuendi matrimonium dirimentia ex iusta causa suis infidelibus: quia in istis Principibus est potestas ferendi leges ad tranquillitatē & bonum suæ Reip. tuendum: ergo sicut ad hunc finem possunt statuere leges circa alios cōtractus civiles, ita etiam circa contractum matrimonij, qui est civilis, possunt condere leges tam impedientes, quàm illum irritantes: quia matrimonia infideliū non sunt Sacramenta, nec infideles sunt subiecti Ecclesiæ, sed solis suis Principibus. Proinde matrimonium contractum ab infidelibus contra leges à suis Principibus latas matrimonium dirimentes nullum est, ut notat D. Thomas *in 4. dist. 39. quæst. unic. art. 2.* quem omnes sequuntur. Difficultas est, an Principes gentiles statuentes impedimenta matrimonium dirimentia obligent etiam fideles in suis partibus commorantes, qui civiliter sunt illis subiecti? Affirmant Coninck *de Sacr. disp. 30. dub. 1. n 7.* Sanchez *lib 7. disp. 3 n. 7.* Becanus *de Sacr. matr. c. 49 quæst. 2.* & alij. Ratio est; quia Sacramenti ratio superaddita matrimonio fidelium, non impedit in Principibus potestatem statuendi impedimenta dirimentia, sed sola reservatio Pontificia, quæ ad Principes infideles extendi nequit. Verùm contraria sententia est probabilior, quæ probatur ex eo quòd non excedat potestatē indirectā Ecclesiæ, omnes ubique terrarum degentes Christianos eximere legibus civilibus & subjicere Ecclesiasticis, quod attinet ad matrimonij validitatem, aut invaliditatem; cùm plurimùm intersit propter Sacramenti dignitatem in hac re uniformitatem inter omnes Christianos existere. Hinc fit, eundem Christianum non subjacere impedimentis hujus principis infidelis, sed solùm subijci statutis ab Ecclesia: quia in eo non est subditus illius Principis, sed solius Ecclesiæ, cùm matrimonium contrahendum est verè Sacramentum. Ita Pontius *de matrim. lib. 6. cap. 1 num. 7.* Layman *lib. 5. tract. 10. p 4. cap. 1.* Calpensis *tom. 2. tract. 26. disp. 9. sect. 1* & alij.

Coninck. Becanus. Sanchez.

Pontius. Layman. Calpensis.

6. Quidam putant Episcopos posse ex vi sui muneris, si solùm jus divinum & naturale inspiciatur, in suis Diœcesibus impedimenta dirimentia statuere, sicut integrum est Summo Pontifici in universa Ecclesia. Ratio est, quia olim ab Episcopi constituta fuerunt multa impedimenta tantùm in suis Diœcesibus, & à Conciliis Provincialibus & Nationalibus, quæ postea ab universali Ecclesia vel præcepta sunt, vel approbata, vel partim recepta, seu approbata, & partim explosa. Tum quia Episcopi habent plenam potestatem condendi leges in suis Diœcesibus & statuendi quidquid saluti spirituali suorum subditorum expedit: ergo & statuendi impedimenta matrimonij. Tum quia nullus est textus in jure Canonico, qui talem potestatem Episcopis adimat, & Summo Pontifici reservet. Ita sustinent Sanchez *lib. 7. disp 1. num. 9.* Covarruvias *de matrim. 2. p. cap. 6. §. 10. n. 16.* Gaspar Hurtadus *de Sacram. disp. 12. diffic. 2.* & alij. Contrarium apud alios videtur verius: nam per talia impedimenta matrimonium propriè & per se irritatur, quatenus est contractus merè civilis, & tantùm consequenter, quatenus est Sacramentum: ergo dum Ecclesia sibi hanc potestatem assumit, utitur potestate illa indirecta, quam habet circa res temporales, ut de iis disponat, quatenus hoc expedit bono spirituali fidelium, quę immediatè concessa est toti Ecclesię & eius capiti supremo; nullo verò modo singulis Episcopis, qui circa res civiles invitis Principibus nihil possunt statuere, tametsi saluti fidelium expediat;

Sanchez. Covar. Gasp. Hur.

Digitized by Google

pediat, dummodo sit eorum saluti omninò necessarium: at inducere nova impedimenta matrimonij, tametsi posset esse fidelibus expediens, sed non eorum saluti omninò ac simpliciter necessarium, ergo non est talis facultas in Episcopis.

Ceterùm, quidquid sit de his opinionibus, certum est hodie ex contraria & universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente, potestatem inducendi matrimonij impedimenta Romano Pontifici reservatam esse, ut fatetur ipsemet Sanchez *loco citato*. Caspensis *tom. 2. tract. 26. disp. 6. sect. 1. n. 7.* Layman *tract. 10. p. 4. cap. 1. n. 4.* Pontius *lib. 6. c. 1. num. 21.* & omnes.

Caspens. Layman. Pontius.

§. I.

De impedimento erroris.

7. MAtrimonium contractum cum errore qualitatis personæ propter dolum est validū, v.g. si quis volens ducere in uxorem primogenitā Petri, vult priùs illam inspicere, num sit formosa, sibique placeat, sed ostenditur illi secundogenita, sive alia mulier pulchra, quæ illi formosa videtur & placeat: posteà verò iste talis contrahit matrimonium cum primogenita ipsius Petri, quā ducere volebat in uxorem, non advertens, an sit illa, quæ sibi priùs fuerat ostensa; validum est matrimonium cum tali dolo & errore contractum. Ratio est, quia tunc non adest error personæ; sed tantùm qualitatis personæ; nam iste verè contraxit & contrahit matrimonium, cum primogenita Petri, quam intendebat ducere in uxorem, quamvis erraverit in qualitate pulchritudinis alterius, quæ sibi fuerat ostensa. Secus dicendum est, si tali sponso fuit promissa una ex filiabus Petri indeterminatè absque nota singulari, videlicet non denotando primam, vel secundam, vel tertiam: tunc si contingat casus, ut sponso volenti videre sponsā, an sibi placeat, ostendatur una formosa, sed postea in contractu matrimonij supponatur alia filia, distincta ab illa quæ fuerat ostensa, non est validum matrimonium: quia talis sponsus credit se contrahere cum ea quam vidit, & ad quam dirigit intentionem suam in contractu matrimoniali, & propterea error est personæ substantialis, & non accidentalis. Ita Tabiena *verb Impedimentum, impedim. 1. q. 4. num. 5.* Sanchez *lib. 7. disp. 18. n. 35.* Coninck *disp. 31. dub. 1.* & alij. Ex dictis sequitur, quādo quis existimat ducere in uxorem talem determinatam personam, sed per errorem, sive dolum contrahit cum alia, matrimonium non tenet: secus quando error est solùm de nomine & non de persona. Error enim simpliciter nominis alterius coniugis non vitiat consensum, cùm constet de corpore, *l. In venditionibus, ff. de contrab. empt.*

Tabiena. Sanchez. Coninck.

8. Matrimonium, quod liber contrahit cum serva, nesciens statum servitutis illius, si postea, cognita servitute & nullitate contractus, habeat copulam cum ea affectu maritali, fit validum, si adsit novus mutuus consensus, sive verbis, sive signis. Si autem huiusmodi sponsi non habeant cognitionem invaliditatis contractus, non existimatur matrimonium nulliter contractum revalidari per copulam factam animo & affectu maritali, eò quòd durante ignorantia facti habent copulam, existimantes se verè esse coniuges, & non intendunt de novo consentire ad validandum matrimonium nulliter factum per novum consensum. Ita habetur expresè *in c. Proposuit, de conjug. serv.* & docent Guttierrez *c. 90. n. 9.* Coninck *disp. 31. dub. 2. n. 25.* Bonac. *q. 3. p. 3. n. 6.* & alij ab ipsis citati.

Guttierr. Coninck. Bonacina.

9. Si dominus det nuptui ancillam suam alicui libero, celando servitutem ancillæ, tunc talis ancilla fit libera. Ratio est, quia dominus in hoc casu celans conditionem servilem suæ ancillæ, est in culpa ob iniuriam, quæ fit per tale matrimonium alteri coniugi libero contrahenti inscio illius servitutis, ideoque tum in pœnam talis culpæ, tum in favorem matrimonij ancilla consequitur libertatem: quia consentiens in aliquod principale, consentit etiam in id, sine quo illud perfici validè non potest. Ergo cùm dominus consentit in contractum matrimonij suæ ancillæ cum libero, videtur etiam consentire ad libertatem, sine qua tale matrimonium validè perfici non potest. Ita habetur *in Authent. Ad hoc, Cod. de Latina libert.* Atque idem dicendum de servo contrahente eodem modo cum libera.

Sed petes, an tale matrimonium sit validum, & ratio dubitādi est, quia in hoc casu videtur præcedere matrimonium saltem prioritate naturæ, & sic in actu contrahendi matrimoniū, adhuc erat impedimentum servitutis, & ita ratione erroris talis conditionis matrimoniū non fuit validè contractum? Respondeo hoc non obstante, validum esse matrimonium. Ratio est, quia cùm statim eodem momento quo perficitur matrimonium, maneat coniux servilis conditionis, effectus liber, servitus illa est nullius considerationis, nec obest matrimonij fini, nec affert incōmoda, ob quæ ius Ecclesiasticum irritavit matrimonium cum errore conditionis initum. Tū quia licet in tali casu prioritate naturæ præcedat matrimoniū libertatem in genere causæ efficiētis, tamen in genere causæ materialis & formalis, præcedit libertas, quæ licet posterior sit quàm matrimoniū, satis est, quod concurrant simul tempore: non enim Canones & leges sunt metaphysicè intelligenda, sed moraliter. Ita Sanchez *lib. 7 disp. 20. n. 1. & 14.* Pontius *de mat. lib. 7. cap. 44.* Filliucius *tract. 10 p. 2. n. 45. & 48.* Eman. Sà *verb. Matrimonium, ubi de impedim. dirimen. n. 1. verb. Si liber.* & alij penes ipsos.

Sanchez. Pontius. Filliucius. Eman. Sà.

10. Controversia est inter Doctores, quando dominus contrahit matrimonium cum propria ancilla, eo ipso an fiat libera? Respondeo nullum esse nec dari posse textum, qui eam libertatem decernat; proinde partem negativam sustinent plurimi Doctores, nempe Sanchez *loc. cit. n. 11.* & apud illum Molina, Henriquez Eman. Sà, Covarruvias, Vivaldus. Nihilominus absolutè affirmant alij satis probabiliter. Quod probatur ex natura ipsa matrimonij: nam matrimonium ex natura rei talis virtutis est, ut si aliquis ducat uxorem illam, quam antea servam & ancillam habebat, jam deinde illa ad dignitatem matrimonij evecta absque alia lege & pacto, jure ipso coniugij solùm, libera & ingenua permaneat. Ita enim arctum est matrimonij vinculum, ut duo sub eodem thalamo commorentur, & eodem titulo & nomine gaudeant honoris, Regis, videlicet, Imperatoris, &c. Ita docent Pontius *de matrim lib. 7. cap. 44. n. 1.* Vasquez *in 3. p. disp. 81. c. 8. n. 41.* Sylvester *verb. Servitus, q. 4. in fine*, & probabilem vocat Filliucius *tract. 10. 2. p. num. 47.* Sed de his plura infrà *verb. Servitus.*

Sanchez. Molina. Henriq. Eman. Sà. Covar. Vivaldus. Pontius. Vasquez. Sylvest. Filliucius.

§. II.

De impedimento Voti.

11. CErtum est, matrimonium consummatum per subsequentem professionem solemnem in Religione approbata non irritari nec dirimi

dirimi reluctante altero coniuge, prout decisum est *in cap. Notificasti 33. quæst. 5.* & *cap. Veniens, & cap. Quidam, de convers. coniugat.* Ratio est quia professio facta iniustè alterius coniugis non potest præiudicare juri alterius acquisito per matrimonium ratum & consummatum: nam hoc vinculum ita astringit utrumque coniugem, ut nullo modo dissolvi possit, nisi morte naturali intercedente alterius comugis, quare non poterit aliquis eorum Religionem intrare, in eademque validè profiteri, sine licentia alterius priùs obtenta, aut in causa liciti divortij perpetui. Et hoc verum, etiamsi matrimonium consummatum fuerit per vim non solùm post bimestre, sed etiam intra, juxta probabilem sententiam, quia coniuges per matrimonij consummationem facti sunt una caro, quæ non est separanda, nisi per mortem alterius; juxta dictum Apostoli 1. Cor. 7. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit*, prout dicunt Sanchez *lib. 2. disput. 21.* Guttierrez *cap. 54. n. 22.* Bonacina *de mat. q. 3. punct. 4. n. 7.* Riginaldus *lib. 31. n. 39.* & alij communiter.

Sanchez. Guttier. Bonacina. Reginald.

12. Matrimonij consummati vinculum per professionem Religionis ex mutuo consensu coniugum non solvitur, nisi per alterius coniugis mortem naturalem: quamvis quoad copulam & habitationem sit impeditum, ob votum castitatis ab utroque emissum. Quapropter si alter coniux relictus in sæculo aliud matrimonium inire præsumpserit, tale matrimonium erit nullum & irritum, at toties quoties peccato adulterij esset innodatus copulam exercendo cum altero: & insuper sacrilegium committet, si castitatem voviſſet. Si autem aliquando inter se postea cum priori coniuge copulam habuerint, tunc peccabunt quidem peccato sacrilegij contra votum castitatis emissū, non autem peccato adulterij, eò quòd adhuc matrimonij vinculum non sit solutum quoad dominium corporum, licet quoad usum sit prohibitum ratione voti. De quibus Sanchez *l. 2. disp. 21. & 22.* & *l. 9. disp. 38. n. 7.* Bonacina *q. 3. punct. 4. n. 13.*

Sanchez. Bonacina.

§. III.

De impedimento Ordinis.

13. VErtitur in dubium apud Doctores an obligatio quâ tenentur Clerici sacrorum Ordinum ad continentiam servandam, sit ex mera constitutione Ecclesiæ præcipientis illis continentiam, vel ex voto, quod Ecclesia annexuit Ordini sacro? Quidam docent eam obligationem non esse ex voto, sed ex Ecclesiæ statuto: atque ita votum istud annexum Ordini sacro, quoad rem ipsam attinet, aliud non esse, quàm illam obligationem jure Ecclesiastico inductam ad non contrahendum matrimonium post sacros Ordines susceptos, & ad perpetuam continentiam deinceps servandam; eamque obligationem appellari votum continentiæ implicitum, vocarique solemne; quia instar voti solemnis dirimit matrimonium subsequens. Ratio illorum est, quia cùm votum sit lex privata, quam quisque sua sponte sibimet imponit, non videtur qua ratione in Ecclesiæ potestate sit, voto aliquem obligare, quamvis lege sua possit illi continentiam indicere. Ita sentiunt Scotus *in 4. dist. 37. q. unic. §. Dico igitur*, Valentia *tom. 4. de Sacram. Ordin. disp. 9. q. 5. p. 5.* & multi alij Iurisperiti probabiliter.

Scotus. Valentia.

Ceterùm probabilius est, eam obligationem non consurgere immediatè ex constitutione Ecclesiæ, sed ex voto castitatis, quod Ecclesia suo præcepto coniunxit Ordini sacro, cogitque eos, qui suscipiunt Ordinem sacrum, ut emittant votum castitatis, non expressè, sed tacitè & facto ipso quamvis enim non voce voveant, at facto & opere profitentur castitatem per sacrorum Ordinum susceptionem. Probatur, quia quamvis Ecclesia nimirum possit absolutè cogere ad continentiam, eò quòd sit res meri consilij; at in Ordine sacro quem confert, potest apponere conditiones & leges justas illi statui convenientes qualis est, ut ad illum promotus, castitatem voveat. Et supposita hac lege, eo ipso quòd quis vult sacris initiari, vult ex consequenti vovere, & proinde id votum non est absque propria voluntate. Ita D. Thomas *in 4. dist. 37. q. 1. art. 1. corp.* Sotus *de just. lib. 7. q. 4. art. 2.* Azorius *tom. 1. lib. 13. c. 12. q. 6.* & *c. 14. q. 10.* Bellarminus *lib. 1. de mat. cap. 2.* Bañez, Arragon & alij, quos refert & sequitur Sanchez *de mat. lib. 7. disp. 27. num. 10.*

D. Thom. Sotus. Azorius. Bellarm. Bañez. Arragon. Sanchez.

14. Recipiens sacros Ordines voluntariè, cùm intentione tamen positiva non se obligandi ad votum castitatis, tenetur nihilominus ad eam servandā, nec licitè nec validè potest matrimoniū contrahere. Ratio est, quia virtute sacrorum Ordinū voluntariè susceptorum tenetur hic ad castitatē servandam, non ratione voti præcisè, quia votum sine intentione vovendi non subsistit, sed ratione præcepti Ecclesiastici. Cùm ergo talis voluntariè & validè receperit Ordines sacros sequitur necessariò teneri ad castitatē servandā & ad abstinendū à matrimonio. Principale enim sequitur accessoriū: electo autem principali, non potest excludere accessorium, & consequenter, si matrimoniū contraheret, esset omninò irritum. Idem dicendum est, quando quis recipit Ordinem sacrum, nesciēs in tali receptione Ordinis annexum esse castitatis votum, nec posse validè matrimonium inire. Quia potuit Ecclesia justissimam de cœlibatu Clericorum legem indicere, atque eâ ligare quoscumque in posterum promovendos, sive scierint, sive ignoratint prædictam legem. Sicut quantumvis ignorent, tenentur officium recitare, & alias status leges observare: nam qui vult statum aliquem, vult etiam ea, quæ sunt statui illi annexa. Sed statui sacrorum Ordinum est annexa obligatio perpetuæ castitatis ex institutione Ecclesiæ: Ergo. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 27. n. 11. & 12.* Azorius *lib. 13. tom. 1. c. 14. q. 10.* Vasquez *in 3. part. disp. 247. n. 98.* Bonacina *de mat. q. 3. punct. 9 n. 10. & 11.* cum aliis.

Sanchez. Vasquez. Azorius. Bonacina.

15. Quidam putant Ordinatum sacris Ordinibus postquam pervenit ad annos discretionis, sed ante decimum sextum annum suæ ætatis completum non teneri ad castitatem servandam, & si Ordine uti nolit, licitè & validè posse ad matrimonium transire. Ratio est, quia sicut professio facta ante decimum sextum annum non obligat, ita neque videtur oblig re votum castitatis annexum Ordinibus sacris susceptis ante annum 16. nisi completo anno sextodecimo suæ ætatis votum ratificet, acceptando & exercendo Ordinem sacrum susceptum. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 10 num. 8. & 9.* Filliuc. *tract. 10. 2. p. n. 128.* & alij plures, quos pro se citat Sanchez: quorum sententia satis probabilis est. Sed probabilius mihi videtur huiusmodi Ordinatum non posse validè matrimonium inire, sed teneri ad castitatem servandam, ac divinum Officium persolvendum. Ratio est, quia qui vult principale, vult etiam accessorium: Sed principale est ordo, accessoriū est votum & aliæ obligationes consequētes Ordinē: Ergo adolescens, qui vult Ordines suscipere ante 16. annū, vult etiam obligationes Ordini sacro adnexas acceptare;

Sanchez.

ceptare proinde nullo modo poterit matrimonii sine Summi Pontificis dispensatione validè contrahere. Ita sentiunt Cajetan. 2.2.q.88.a.9. Sotus *de just. lib.* 7.q.2.*art.* 5 Clavis Regia *lib.*6.*c.*5.*n.* 9. Coninck *de Sacram. disp.*20.*dub.*14 *n.*136. Bonacina *q.*3.*punct.*9.*n.*16.& alij.

Cajetan. Sotus. Clav.Reg. Coninck. Bonacina.

Nec obstat ratio Sanchez, quia aliter sancitū est de professione, quàm de susceptione sacrorū Ordinum: nam jura, quæ irritant professionem factā ante annum 16 explctum, nullam mentionem faciunt de obligatione annexa Ordinibus sacris. Quapropter Conc. Trid. *sess.*23 *c.*12. *de ref.* decrevit, nullum an posterum ad Subdia conatus Ordinem esse promovendum ante 22.annum, non autem dixit talem ordinationem esse irritam, sed illicitam: proinde non valet argumentum ab uno disparato ad aliud, ut docent præfati Doctores.

Con. Tri.

16 In voto solemni Ordinis sacri non est vera traditio, per quam transfertur dominiū corporis in Deum ad castitatem servandam, ut in Religionis professione; sed aliqualis tantùm, & non ad castitatem, sed ad ministeria divini cultus, ac per accidens adiungitur votum castitatis: unde id votum ex natura sua est simplex & per se, at extrinsecè & per accidens solemne, eò quòd voti solemnis effectum habeat ex solo statuto Ecclesiæ matrimonium subsequens dirimendo. Promotus enim ad Ordines sacros, suapte natura non renunciat nuptiis, nec moritur sæculo, quasi ad aliam se transferens vitam, & ita non est cur dicatur illum alienationem sui facere; sed tantùm ob ministerij sacri decentiam adiungit Ecclesia votum castitatis, statuens ut per illud instar voti solemnis dirimeretur matrimonium subsequens. Quæ omnia secus se habent in statu Religionis, qui continet suapte natura castitatem; & est perfecta mors spiritualis. Ita Cajetanus *tom.* 1. *opusc. tract.*27.*q. unic.* §. *Videtur autem.* Sotus *lib.* 7.*de just. quæst.* 5. *art.* 5. *ad* 2. *vers Sed inferes.* Arragon 2.2.*quæst.*88. *art.*11.§ *Secundò est adnotandum.* Valentia *in controversiis, lib. de calibatu cap.*2.& *tom* 4.*de Sacrament. Ordin. disp.* 9. *quæst* 5.*punct.*5.§.1. Quamvis Sanchez *lib.* 7. *disputatione* 27. *num.*17. & alij sustinent votum Ordini sacro annexum per se & simpliciter esse solemne instar voti professorum, atq; ita utrumque appellatur solemne *in cap. unico de voto in* 6.

Cajetan. Sotus. Arriaga. Valent. Sanchez.

§. IV.

De impedimento consanguinitatis.

17 COnsanguinitas ex nomine derivatur à con, & sanguine, quasi significans sanguinis unitatem, eò quòd consanguinei ab eodem sanguine originem ducant, & in eodem sanguine uniantur: propterea consanguinei propriè dicuntur illi, qui sanguine parentum inter se connexi sunt per generationem à priori capite, usque ad certum gradum determinatum ab Ecclesia. Definitur autem à Theologis & Iurisperitis hoc modo: Consanguinitas *est vinculum personarum ab eodem proprio quo stipite descendentium, carnali propagatione contractum.* Dicitur *vinculum*, quia consanguinei communicant in eodem sanguine, & in eo tanquam in vinculo constringuntur formaliter, vel causaliter, eò quòd tale vinculum causat affectum & amicitiam inter consanguineos. Dicitur *personarum*, id est hominum, & non beluarum, quæ licet ab eodem stipite & sanguine procedant, non dicuntur tamen consanguineæ; nam ad amicitiæ unitatem non coniunguntur; soli enim homines sunt capaces veri amoris & amicitiæ non autem beluæ. Dicitur *ab eodem propinquo stipite*; nam si de remoto stipite rationem haberemus, omnes homines consanguinei dicerentur, eò quòd omnes ab Adamo, tanquam à remoto stipite descendunt. Dicitur *carnali propagatione contractum*, quia consanguinitas non contrahitur nisi per copulam carnalem: propterea inter primos parentes non fuit consanguinitas; quia licet Eva ex osse Adami formata fuerit, non tamen per carnalem propagationē fuit generata Christus autē est verè cōsanguineus B. Mariæ Virginis, quia ex eius sanguine purissimo quoad humanitatē est cōceptus.

18 In computatione graduum consanguinitatis in linea recta, jus civile non discrepat à jure Canonico. In linea autem collaterali, videtur discrepare. Nam secundùm Ius civile duo fratres, & sorores, dicuntur esse in secundo gradu; duo Patrueles in quarto; duo consobrini in sexto. Nā jus civile nō numerat gradū, in quo altera persona distat à stipite, sed numerat gradus omnes utriusque personæ & tot constituit gradus distantiæ inter illas, quæ videntur esse distinctæ à stipite, numeratis utriusque personæ gradibus. *Exempli gratiā*, Duo Fratres distant à communi parente in primo gradu. Numerat Ius civile primū gradum, quo uterque distat à parente, tanquā per duplicē gradū, alterum in uno fratre, & alterum in altero: ideoque secundùm Ius civile dicuntur distare inter se in secundo gradu. Similiter filij duorū Fratrum dicuntur distare in quarto gradu; quia quilibet distat à parente tanquā per duplicem gradū, alterum in uno fratre, & alterum in altero, prout colligitur ex *Authent. de hæred. ab intest. coll.*9. Ratio huius est, quia leges civiles attendunt gradus, ut hæreditas ab una persona ad alteram deferatur, ideoque in singulis personis singulos perficiunt gradus. Ius autem Canonicū solummodo cōputat gradus ad matrimonia legitimè contrahenda, & cùm hæc nisi inter duas personas constare nō possint, ideo duas personas in uno gradu constituit, prout explicant Sanchez *lib.*7 *disp.*30.*n.*7. Alexander de Nævo *de consang. cap. final.* Covarruvias *de mat.*2.*p.cap.*6.§.6. Filliucius *tract.*10.2.*part. num.* 174.& alij communiter.

Sanchez. Alexand. Covar. Filiucius.

19 Quorumdam sententia fuit, ut omnes gradus consanguinitatis Levitici 18. expressi obligent in lege Euangelica, ac proinde in illis fuerit prohibitum jure ipso naturæ matrimonium. Proinde secundùm illos erit prohibitus jure naturæ primus gradus consanguinitatis in linea transuersa æquali, ut inter fratres & sorores: & secundus in eadem linea transuersa inæquali, ut inter nepotem & amitam, vel materteram. Ratio illorum est, quia præcepta illa veteris legis non sunt cæremonialia, nec etiam judicialia; sunt igitur moralia, ac proinde obligabunt in lege Euangelica. Et huius sententiæ fuerunt Divus Thomas *in* 4. *distinctione* 39. *quæst. unic. art.*3.*ad* 5. & ibi D. Bonaventura *art.* 2. *quæst.* 4. Richardus *in* 4. *dist.* 40.*art. unic. quæst.* 5. ubi docent infideles coniunctos in gradibus illis Levitici 18. prohibitis, conversos ad fidem separandos esse. Idem tenent Durandus, Paludanus, D. Antoninus, Viguerius, Petrus Soto, & alij multi Theologi & Iurisperiti Ceterùm veriſſima sententia habet, non omnes illos gradus consanguinitatis, vel affinitatis Levitici 18. prohibitos, esse de jure naturali irritanti matrimonium in illis initum, atque adeò non obligare omnes illos in lege Euangelica. Tum quia præcepta illa Levitici 18. certos gradus in matrimonis prohibentia, erant secundùm

D. Thom. D. Bonav. Richard. Durand. Paludan. D. Anton. Viguer. P. Soto.

quid

quid moralia, in quantùm decentiam aliquam naturalem præseferebat abstinere ab illis matrimoniis, at reverà erant simpliciter judicialia: quia ad justitiam & rempublicam stabiliendam interdicebatur matrimonium consanguineorum, & necessariò inter extraneos ineundum erat, ut per illorum coniunctionē pax dilataretur. Tum quia Levitic. 18. interdicitur matrimonium nepotis cū amita, vel matertera: cùm tamen non vetetur neptis cum patruo vel auunculo coniunctio, & tamen sunt in eodem secundo gradu lineæ transversæ inæquales: ergo signum est eam prohibitionem non esse juris naturæ, sed pertinere ad cæremoniam peculiarem illius gentis Hebrææ Ita Cajetanus 2.2. *quæst.* 154. *art.* 9. *circa solut. ad* 3. Scotus *in* 4. *distinct.* 40. *quæst. unic. art.* 2. Sotus *ibidem art.* 3. Bellarminus *lib.* 1. *de mat. cap.* 27. Valentia *tomo* 4. *disp.* 10. *quæst.* 5. *punct.* 3. Sanchez *lib.* 7. *disp.* 52. *n.* 6. & alij penes ipsos. Tamen fatendum est matrimonia in illis gradibus inita advertari iuri naturali secundario, licet non primævo, si peculiaribus circumstantiis non cohonestentur. Et ita intelligendi sunt Sancti, dicentes hæc matrimonia esse jure naturali interdicta, ut notant Sanchez & alij Doctores citati *ibidem, num.* 7.

Cajetan. Scotus. Sotus. Bellarm. Valentia. Sanchez. Sanchez.

20. Olim Ecclesia coniugium interdixerat usque ad septimum consanguinitatis gradum, ut constat ex *cap. Ad Sedem* 35. *quæst.* 5. & ex *c. nullum* 35. *q.* 3. & aliis juribus. Posteà in Concilio Lateranensi sub Inno. III. restricti sunt gradus consanguinitatis usque ad quartum inclusivè, ut habetur *in c. non debet, de consanguinit.* Hæc autem restrictio intelligenda est non solùm in linea collateralium, seu transversa, sed etiam in recta ascendentium & descendentium linea: ita ut modò consanguinei ultra gradum quartum possint matrimonio jungi: intra autem minimè, sine dispensatione Papæ. Contra hanc prohibitionem Ecclesiæ insurgunt nostræ tempestatis hæretici *Wiclef*, *Lutherus*, *Lucerus*, *Philipus Melanchthon* & *Kemnitius*, dicentes, quòd Christus (cuius vices gerit Romanus Pontifex) venerit ad verbum Dei annunciandum, non autem ad condendas leges politicas, quales sunt matrimonia, interdicentes: & quod nova sit ea prohibitio, ac olim incognita in Ecclesia. Hanc tamen hæreticorum doctrinam latè impugnat Bellarm. *lib.* 1. *de mat. c.* 25. *& seq.* docēs conveniētissimam esse prohibitionem consanguinitatis in gradibus ab Ecclesia interdictis; tum propter reverentiam, quam cognati sibimet ipsis exhibere debent, cui reverentiæ valde detrahit actus coniugalis, habetque turpitudinem quandam ipsi contrariam: tum quia bonum publicum politicū petit consanguineos & affines non jungi matrimonio, quia eo inito impeditur amicitiæ vincula protendi, quam esse maximum civitatis bonum, asserit Aristoteles 2. *politic. cap.* 2. *ad fin.*

Conc. Lat Inno. III. Bellarm. Aristot.

§. V.

De impedimento cognationis spiritualis.

21. COnvenientissimè Ecclesia statuit in duobus tantùm Sacramentis, nempe in Baptismo & Confirmatione, contrahi cognationem spiritualem, dirimentem matrimonium contrahendum, inter baptizantem & baptizatum, & inter susceptores, sive Patrinos & ipsum baptizatum, patrem & matrem ipsius baptizati sive confirmati, juxta restrictionem & determinationem factam in Concilio Tridentino *sessione* 24. *cap.* 2. *de reformatione matrimon.* propter quandam congruentiam & similitudinem generationis naturalis: sicut enim per naturalem generationem contrahitur cognatio naturalis, ita per generationem spiritualem factam in his Sacramentis contrahitur cognatio spiritualis. Duplex namque est carnalis nativitas, prima in utero matris, & huic assimilatur regeneratio Baptismi, in quo regeneratur homo adhuc quasi fovendus intra Ecclesiæ uterum: secunda est nativitas ex utero, & huic assimilatur Confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad Confessionem nominis Christi. Propterea congruè per utrumque istorum Sacramentorum effectum contrahitur spiritualis cognatio, dirimens matrimonium contrahendum. Ita D. Thomas *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 1. & alij.

Con. Tri. D. Thom.

22. Jure antiquo triplex erat cognationis spiritualis species, nimirum, paternitas, compaternitas, & fraternitas, ut habetur *cap. De eo* 30. *quæst.* 1. *cap. Veniens*, & *cap. Martinus, de cognat. spirit. & cap.* 1. *eodem titulo in* 6. Verùm cognatio hæc spiritualis partim ablata est, & partim restricta per Tridentinum *loco citato* Ablata est enim fraternitas inter filios baptizantis, vel confirmantis, vel suscipientis, & inter baptizatum, vel confirmatum. Restricta est autem paternitas, ne transfundatur ad uxorem, nec similiter compaternitas. Et similiter restricta est compaternitas, ut non contrahatur inter baptizantem, vel confirmantem & patrinos. Quare hodie duplex sola est huius cognationis spiritualis species, nempe, paternitas & compaternitas, ut diximus *tom.* 1. *verb. Matrimonium VII. num* 27. & notant universi Doctores, post motum proprium Pij V. qui incipit, *Cum illius vicem*, editum anno 1566.

Con. Trid. Pius V.

23. Iure antiquo præscriptum erat, ne plures patrini in Baptismo vel Confirmatione adhiberentur, sed unus solus, sive vir, sive femina, ut constat ex *cap. Non plures, de consecrat. dist* 4. Similiter eodem jure antiquo quotquot baptizatum vel confirmatum tangebant, dum hæc Sacramenta ministrabantur quamvis præcepti huius transgressores essent, contrahebant cognationem spiritualem hanc impedientem & dirimentem matrimonium subsequens, ut deciditur *in cap. final. de cognat. spirituali in* 6. Hodie in Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. matrim.* utrumque contractum est. Nam *Primò*, ibi permittitur, ut possint adsummum esse duo patrini, vir scilicet & mulier: non duo viri vel duæ feminæ: & ratio est congruentissima: ut generatio spiritualis carnalem imitetur, in qua nec duo patres, nec duæ matres reperiuntur, sed unus pater & una mater. *Secundò*, quoad contrahendam cognationem spiritualem est correctum jus antiquum *cap. final. de cognat. spirit. in* 6. in Trident. *loco citato*. Nam *Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, scisciteur quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eos vel cum tantùm ad illum suscipiendum admittat. Quòd si alij ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.* Ita Concilium.

Con. Trid.

Ex quo constat illas solas personas baptizatum suscipientes contrahere hanc cognationem, quæ sunt ad hoc munus specialiter designatæ per eos, ad quos eas eligere spectat & per Parochum ad idem munus fuerint admissæ.

Sed petes, an statuta in prædicto decreto Tridentini solum habeant locum in patrino Baptismi, & maneat adhuc jus antiquum in suo robore in patrino Confirmationis? Resp. hanc rem non esse claram in Concilio, & difficultatem habere:

quia cùm hoc decretum ſit correctorium juris antiqui, debet reſtringi, nec ampliari poteſt ultra terminos, quibus loquitur; at de ſolo Baptiſmi Patrino loquitur: ergo. At dicendum eſt idem voluiſſe Tridentinum quoad omnia ſtatuere in Patrino Confirmationis: quia illius mens fuit eodem modo utramque cognationem reſtringere, ut conſtat ex dicti decreti proœmio, uti declarat velle ſe impedimentum cognationis reſtringere. Ita Navarrus *in Manual. cap. 22. num. 40. not. ab. 3* Suarez *3. p. quæſt. 72. art. 10. ad fin.* Sanchez *lib. 7. diſp. 57 n. 9.*

Navarrus. Suarez. Sanchez.

24. Infidelis incapax eſt huius ſpiritualis cognationis contrahendæ. Ratio eſt, quia cùm hæc cognatio ſit ex mero Eccleſiæ inſtituto, nequit ab infidelibus contrahi, utpote qui Eccleſiæ legibus minimè ſubduntur. Quapropter ſive infidelis baptizet, ſive ſuſceptor ſit in Baptiſmo, vel Confirmatione, minimè contrahet hanc cognationem. Similiter Catechumenus eſt incapax huius cognationis; quia non procedit ab eodem ſtipite, videlicet, Chriſto, per ſpiritualem regenerationem mediante viſibili Sacramento Baptiſmi; ſicut nec Sacramentorum eſt capax. Et hoc verum, quamvis poſtea baptizentur; quia quod à principio nullum fuit, convaleſcere nequit. Unde infidelis ille poſtea baptizatus, contrahere poteſt matrimonium cum perſona à ſe baptizata vel ſuſcepta, & cum eius matre; eò quòd cum neutra contraxerit cognationem ſpiritualem, tanquam illius incapax. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 42. q. 1. art. 3* Sotus *ibidem*, Eman. Sà *verb. Matrimonium, ubi de imped. diriment. n. 5. verſ. Cùm non baptizato*, Navarrus *in Man. cap. 22. n. 36. & n. 40. verſ. Tertium.* & alij communiter, apud Sanchez *lib. 7. diſp. 60. num. 7. & ſeqq.*

D. Thom. Sotus. Eman. Sà. Navarrus. Sanchez.

Ex dictis infertur, fidelem baptizatum, vel confirmantem, vel tenentem filium infidelis, non contrahere cognationem cum patre vel matre infideli: nam infidelis illam non contrahit; ergo neque illam contrahet fidelis. Ratio eſt, quia cùm cognatio ſpiritualis ſit quædam relatio, non poteſt ab altero contrahi, quin ab utroque contrahatur. Relatio enim duo extrema neceſſariò petit. Cùm igitur infidelis incapax ſit cuiuſcumque cognationis ſpiritualis, nequibit fidelis cum infideli eam contrahere: hinc fidelis, qui baptizavit filium infidelis, poteſt cum ipſo infideli matrimonio jungi, poſtquam infidelis converſus fuerit ad fidem. Ita Sanchez *cit. num. 15.* Coninck *de Sacram. diſp. 32. dub. 2.* Bonacina *de mat. quæſt. 3. punct. 5. §. 2. num. 21.* & alij.

Sanchez. Coninck. Bonacina.

§. VI.

De impedimento Criminis.

25. DUbium eſt, an excuſet ab impedimento criminis incurrendo, propter adulterium cum fide data, quævis ignorantia coniugij alterius, an potius ſola probabilis: Doctores communiter tradunt eam ignorantiam debere eſſe probabilem & juſtam: quia juſtum non eſt, ignorantiam minimè vacantem culpa excuſare: ſicut à nullius præcepti tranſgreſſione excuſat. Ita Navarrus *in Manual. cap. 22. num. 46.* Sylveſter *verb. Matrimonium 8. quæſtione nona, dict. 9.* Valentia *to. 4. diſputatione decima, quæſt. 5. punct. 3.* & alij communiter. Verùm non eſt improbabile, excuſare etiam ignorantiam craſſam & ſupinam; tum quia hæc ignorantia eſt facti, quæ excuſare ſolet, juxta *reg. Ignorantia, de regul. juris, in 6.* tum quia adulterium eſt neceſſarium; quod tamen abſque dolo non cõmitti fatentur omnes. At ubi dolus exigitur, nõ ſatis eſt lata culpa. Quando autẽ dubitatur, an dum adulterium admiſſum eſt, vel fides data, ſuperſtes eſſet alter coniux, incurretur impedimentũ criminis matrimonium dirimens, ſi verè tunc vivebat; quia præſumitur eo vivente hæc contigiſſe, dum contrarium non conſtat, ut docet Navarrus *lib. 4. conſil. tit. de ſponſ. conſil. 17. n. 3. edit. 2.* Mors enim non præſumitur, niſi id tempus tranſactum ſit, ad quod vita humana moraliter non extenditur, ut centum annorum. Si verò eſt dubiũ an fides data eſſet, vel adulteriũ commiſſum, non eſſet locus huic impedimẽto: quia cùm ea ſint quid facti, nõ præſumũtur: & voluntas poſſeſſione ſuæ libertatis ad validè incundum matrimonium in dubio non eſt privanda, ut bene Sanchez *l. 7. diſp. 79. n 36. 38. & 39.*

Navarrus. Sanchez.

26. Mortaliter peccat promittens matrimonium alteri poſt mortem coniugis, & ſimiliter acceptãs huiuſmodi promiſſionẽ. Ratio eſt, quia datur anſa captandæ mortis coniugis, & ſic habetur *in cap. final. de eo qui duxit*, &c. Imò talis promiſſio non ſolùm eſt illicita, verùm etiam invalida: quia jus reſiſtit illi promiſſioni; ſi enim eſſet valida, obligaret promittentem ad illius adimpletionem: Sed eſt falſum, ipſum obligari ad impletionem illius promiſſionis, quam non poteſt adimplere, cùm ex huiuſmodi promiſſione cum adulterio conſurgat impedimentum dirimens matrimonium: ergo nõ eſt valida Ita Sanchez *loco cit. num. 40.* Filliucius *tract. 10. p. 2. n. 255.* Abbas *in eo cap. final. num. 2.*

Sanchez. Filliucius. Abbas.

Non contraheretur tamen impedimentum dirimens matrimonium, ſi quis haberet copulam cum coniugata vivente eius marito, & poſt mortem illius promitteret matrimonium: quia adulterium & promiſſio matrimonij debẽt fieri vivente coniuge illius, qui eſt complex adulterij, ut habetur *in cap. final. de eo, qui duxit*, &c. Ex quo colligunt Doctores, requiri etiã ut utrumque interceſſerit durante eodem matrimonio, & nõ ſufficere, ut interceſſerit id diverſis coniugiis, ſeu matrimoniis. Proinde ſi Titius promiſit matrimonium Bertæ mortua ſua uxore, ſed mortua poſtea uxore contraxit cum Catharina, & vivente Catharina carnaliter cognovit Bertam abſque nova promiſſione, poterit mortua Catharina contrahere cum Berta, quia promiſſio & adulterium non interceſſerunt durante eodem matrimonio. Ita Bonacina *de mat. q. 3. punct. 6. num. 12.* & alij apud ipſum.

Bonacina.

27. Cùm promiſſio de matrimonio contrahendo facta ab adultero, ut inducat impedimentũ dirimens matrimonio, debeat eſſe externa, & acceptata, dubitant Doctores, an taciturnitas inducat acceptationem? Negant Sanchez *loc. cit. n. 25.* Gutterrez *de mat. c. 105. n. 28.* & alij; quia ea promiſſio etiam liberaliter facta eſt nociva acceptanti: cùm per eam incurrat delictum & impedimentum dirimens, & inhabilis reddatur ad illud matrimonium contrahendum. Quare licet in aliis eventibus, in quibus id damnum non ſequitur, taciturnitas ſit ſufficiens acceptatio promiſſionis liberaliter factæ, ſecus in hoc, propter rationem dictam. Nihilominus affirmativam ſententiam ſuſtinent nonnulli valde etiam probabiliter: quia cùm adulteri ſe mutuò ament, cæco amore ducti, maximè appetunt illud matrimonium, tametſi non ignorent eſſe onus & impedimentum illius, unde qui tacet, cenſetur acceptare id, quod ſibi judicat favorabilius, & quod ipſe maximè appetere cenſetur. Ita Perez *de mat. diſp. 33. ſect. 5. n. 4.* Diana *part. 9. tract. 7. reſ. 25.* Pontius, Coninck, Rebellus & Hurtadus.

Sanchez. Gutterr.

28. Homi

Navarrus. Sylveſt. Valent.

Reg. Jur.

Perez. Diana. Pontius. Coninck. Rebellus. Hurtad.

28. Homicidium ab adultero & adultera perpetratum animo & intentione contrahendi matrimonium inter ſe, ſi ea intentio non ſignificetur exterius, non inducit impedimentum dirimens. Ratio eſt; quia occultum omnino & mentale delictum non ſubiacet Eccleſiæ judicio, neque punitioni; quia lex humana humanam poſtulans obedientiam, eam ſolùm expoſcit in operibus exterioribus, quæ propria hominũ ſunt nec cõmunia cum Angelis, ac prõinde actus omninò interiores nec prohibere, nec præcipere poteſt, quia in illis conformatio obedientiæ humanæ non exigitur. Ita Pontius *de mat. lib.* 7. *c.* 45. *n.* 4. Hurtadus *de Sacram. diſp.* 23. *diffic.* 1. *num.* 3 Perez *de mat. diſp.* 13. *ſect.* 1 *num.* 7. contra Caſtrum Palaum *tom.* 5. *diſp.* 4. *punct.* 12. *n.* 5. Pontius. Gaſp. Hur Perez. Palaus.

29. Quando vir uxorem occidit animo ducendi non certam & determinatam fœminam, ſed incertam, non eſt impedimentum dirimens: ſecus ſi animus eſſet ducendi hanc vel alteram, aut unam ex pluribus, dummodò omnes illæ ſint expreſsè intentæ, & cum omnibus illis expreſsè intentis præcellerit adulterium, tunc eſſet impedimentum dirimens cum quavis earum, quia omnes nuncupatim & expreſsè intentæ fuerunt. Ita Guttierrez *de mat. cap.* 105. *n.* 22. Sanchez *diſp.* 78. *n.* 18. Perez *loco citato ſect.* 2. *n.* 8. Sed hæc opinio non caret difficultate, quia eſto ſint omnes intentæ: tamen ſub indifferentia & indeterminatione ſunt intentę, quæ cum matrimonio conſiſtere nequit, ut ait Caſtrus Palaus *loco citato*. Guttierr. Sanchez. Perez. Palaus.

§. VII.

De impedimento cognationis legalis.

30. INter filios legales nullum eſt impedimentum cognationis legalis, cùm nullo jure ſtatuatur, eſto cerni poſſit ex convictu aliquod periculum incontinentiæ & cùm rarò plures adoptari ſoleant, & jus de eo ſileat, non licet extendere, cùm hæc cognatio pendeat ex jure Eccleſiaſtico. Imò impedimentum cognationis legalis non procedit inter adoptivum & filiam naturalem adoptantis, ſi ſit illegitima. Poſſunt igitur ſupradicti ſine ulla prævia diſpenſatione matrimonium inire, cùm nullo humano jure matrimonium inter eos irritum ſit, quia jura, quæ pronuntiant irritum fratris adoptivi cum adoptiva ſorore, coniugium, loquuntur de adoptiva ſorore, quæ ſimul eſt patris adoptantis naturalis filia; vel ſi ſit adoptiva tantùm, de fratre adoptivo, qui ſit adoptantis naturalis filius. Ita Sanchez *de mat. lib.* 7. *diſp.* 63 *num.* 28. & 30. Hurtadus *de mat. diſp.* 19 *diffic.* 30 Navarrus *in man. c.* 22. *n.* 44 Rebellus *part.* 2 *lib.* 3. *quæſt.* 7. *concl.* 3 & alij multi apud Sanchez. Sanchez. Gaſp. Hur Navarrus Rebellus.

31. Quamvis quidam exiſtiment cognationem legalem impedientem ac dirimentem matrimonium inter adoptantem & adoptatum, eiuſque deſcendentes protrahi in infinitum; communis tamen ſententia eſt, dirimi ſolùm matrimonium uſque ad quartum gradum in linea recta, deſcendentium, id eſt, inter adoptantem & adoptatam, eiuſque adoptatæ poſteros uſque ad quartum gradum, non tamen aſcendentium, ut docent Navarrus *in man. cap.* 22. *n.* 45. Toletus *lib.* 7. *ſumm. cap.* 8. *n.* 7. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 10. *q.* 5. *punct.* 3. & alij. Nihilominus Leſſius *in* 3. *part. de Sacram. mat. cap.* 10. *dub.* 9. *n.* 176. exiſtimat probabile eſſe poſt Concilium Tridentinum, hoc impedimentum ſolùm dirimere uſque ad ſecundum gradum inclusivè, ſicut cognatio ſpiritualis. Ratio eſt, quia ſi cognatio ſpiritualis, quæ maius eſt vinculum & inſolubilius, dirimit ſolùm uſque ad ſecundum gradum; cur non dici poteſt de cognatione legali, quæ ſimilis eſt cognationi ſpirituali, præſertim cùm non habeamus Canonem, quo contrarium exprimatur. Quam ſententiam non admittit Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 63. *n.* 33. nec ego. Navarrus. Toletus. Valentia. Leſsius. Sanchez.

§. VIII.

De impedimento diſparitatis cultus.

32. QUando infidelis converſus ad fidem habet plures uxores, ſeparandus eſt ab illis, dempta prima, quæ ſola eſt legitima uxor, ut deciditur *in cap. Gaudemus, de divort.* quia plures habere uxores adverſatur juri naturæ. In caſu tamen quo legitima uxor monita nolverit ad fidem converti, ita ut liceat converſo prius illud matrimonium dirimere, poſſet converſus quamcumque aliam quæ convertitur ducere, ſicut poſſet quamvis aliam perſonam fidelem. Idem dicendum eſt de Iudæis, quia etſi olim uxorum multitudo eſſet illis permiſſa, jam id lege Euangelica eſt abolitum. Ita D. Thomas *in* 4. *diſt.* 39 *q. unic. art.* 3. *ad* 4. communiter receptus, & ibi Sotus *quæſt. unic. art.* 3. *ad.* 5. D Thom. Sotus

33. Quamvis probabile ſit apud Iudos novi orbis teneri converſum ad fidem præcepto correctionis fraternæ non recedere ab infideli coniuge, quando certa eſt ſpes eius converſionis, maximè ſi cohabitatio fiat ex Epiſcopi diſpenſatione ubi crebrior eſt infidelium converſio & nullum ſubverſionis periculum ſubeſſet: quia tunc ceſſaret ratio legis cohabitationem interdicentis. Sed quia caſus cum iſtis circumſtantiis eſt ita rarus, ut contrarium dicendum ſit. Si enim in hoc eventu non licet habitare fidelem cum infideli, ut volunt Sotus *in* 4. *diſt.* 39. *quæſt. unic. art.* 3. *in ſolut. ad* 3. *verſ. Quod ſuperes.* Barthol. à Ledeſma *de mat. dub.* 55. *ad fin.* & alij, à fortiori non tenebitur. Et huic opinioni favent Doctores dum dicunt fuiſſe tantùm conſilium tempore Apoſtolorum habitare fidelem cum infideli, quando ſpes aliqua converſionis infidelis aderat. Nam ea ſpe deficiente præceptum erat, fidelem recedere, ut docent D. Thomas *in* 4. *diſp.* 39. *quæſt. unic. art.* 3. & alij Nec obſtat præceptum correctionis fraternæ: quia non obligat cum tanto coniugis fidelis detrimento, ut cogatur cum coniuge diverſæ Religionis habitare, & cedere privilegio, quod Chriſtus in favorẽ fidei conceſſit, & ideò is caſus tam rarus, non eſt ab eo privilegio excipiendus, ut ſuſtinet Sanchez *diſp.* 73. *num* 14. quem ſequitur Filliucius *tract.* 10. *part.* 2. *n.* 234. & 235. Notandum tamen eſt, ubi periculum vitæ vel gravis damni conveſ ſo immineret ex ſeparatione, poſſet abſque peccato ad tempus cohabitare, quia præceptum humanum non obligat cum tanto periculo, modo non adſit periculum perverſionis: hoc enim ſi adeſſet, teneretur jure divino divertere, etiam cum vitæ periculo. Ita Sotus, Petrus Ledeſma, Ludov. Lopez, & Graffius, apud Sanchez *loco citat. n.* 15. D. Thom. Sotus. Ledeſma. Sanchez. Filliucius. Sotus. P. Led. Lopez. Graffij. Sanchez.

34. Si infidelis juſtè ac jure ſuo utens renuit habitare cum fideli, ut ſi infidelis ſit innocens, fidelis autem adulterii reus, aut tempore infidelitatis, aut poſt fidem receptam, nec adulterij illius iniuria ab innocente remiſſa ſit; tunc ſi ratione adulterij divertat infidelis, non poterit fidelis priùs matrimonium diſſolvere. Ratio eſt, quia tunc infidelis recedens non delinquit in matrimonij legem, imò ipſa concedente divertit. Cùm ergo nulla fi-

vinculum naturale propinquitatis, poſt baptiſmum durabit, quo tempore conjuges ſubſunt legibus Eccleſiaſticis. Quod tamen intellige, quando matrimonium illud tempore infidelitatis initum fuit validum. Si enim fuiſſet irritum propter aliquod impedimentum iuris naturalis, vel contra leges eorum irritantes, nullum inde vinculum naturale oriretur, quamvis ſit conſummatum. Copula enim illa fornicaria fuit, ex qua nullum vinculum naturale oritur. Ita Filliucius *tr. 10. p. 2. n. 215.* Veracrux, uterque Ledeſma, apud Sanchez *loco cit. num 5 & 6.*

Filliucius. Veracrux. Ledeſma. Sanchez.

48 Probabile eſt ex copula fornicaria iure naturæ non oriri ullum vinculum: quia inter conſanguineos viri & feminam fornicarie ab eo cognitam, non oritur ulla naturalis amicitia, ſed potiùs inimicitia & odium, & filius naturaliter non inclinatur ad exhibendam reverentiam aliquam feminæ cognitæ à ſuo patre: Ergo nullum naturale vinculum inde oritur. Ex quo ſequitur, ſi quis in infidelitate fornicatus fuerit cum Titia, quod poſſit poſt Baptiſmum ducere conſanguineam ejus intra gradum prohibitum. Ratio eſt, quia cùm illa affinitas non ſit vinculum naturale, & ſubinde non contrahatur tempore infidelitatis, nihil eſt quod poſt Baptiſmum impediat matrimonium inter illum infidelem & conſanguineam mulieris ante Baptiſmum fornicarie cognitæ. Ita Henriq. *lib. 12. de matr c. 1. n 2. & c. 3. n. 4.* Sanchez *diſp. 65. n. 11.* Farinacius *loco cit. n. 216.* Quamvis nonnulli in contrariam ierint ſententiam: quia licet hæc affinitas non ſit naturalis, at ille poſt Baptiſmum ſubditur legibus Eccleſiæ irritantibus matrimonium in eo affinitatis gradu: Imò putant, ſpectato jure naturali, oriri affinitatem quamdam ex copula etiam fornicaria; ut proinde ſecluſo jure Eccleſiaſtico, indecens eſſe videatur, concubinam patris ſui in uxorem accipere: quod etiam prohibitum reperitur ab Alexandro Imperat. *in l. liberi, Cod. de nupt.* Ita docent D. Thomas *in 4. diſt. 41. q. unic. art. 1. quæſt. unic. 3.* Rebellus *lib. 3. de matrim. q. 15. concl. 2.* Coninck *diſp. 32. dub. 4* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 6. n. 6.* & noviſſimè Diana *part. 3. in addit. reſol. 21.* utramque ſententiam probabilem eſſe putat.

Henriq. Sanchez. Farinac. D. Thom. Rebellus. Coninck. Layman. Diana.

49. Affinitas, ſecundùm Etymologiam nominis dicitur, quaſi confinitas, ſeu finium propinquitas. Unde affines teſte Cicerone dicuntur aliqui, quia unus trahitur ad fines alterius: ſicut enim agri dicuntur confines; quia finis unius eſt proximus fini alterius: ita affines ſunt conſanguinei alterius conjugis alteri conjugi, eò quòd duæ cognationes inter ſe diverſæ copulantur mediante carnali copula habita inter virum & mulierem, & altera ad alterius fines accedit, ſive per actum matrimonialem, ſive per copulam illicitam quomodocumque inter eos habitam, dummodò ſit completa per effuſionem ſeminis intra vas mulieris. Ratio hujus eſt, quia cùm vir & femina, mediante copulâ, efficiantur una caro, ſanguis vnius dicitur alterius ſanguinem tangere, ac proinde conſanguinei unius trahuntur ad quandam alterius cognationem, quæ affinitas nuncupatur. Ita Coninck *de Sacr. diſp. 32. dub. 4 n. 45.* & alij. Hæc tamen affinitas poteſt etiam contrahi inter conſanguineos ipſos & cognatos, ſi nempe ipſi ſe carnaliter commiſcerent. Durat etiam tale vinculum poſt mortem ejus, qui fuit origo affinitatis, ideoque mortuo altero conjuge, non ſolvitur affinitas inter conſanguineos ejus & conjugem ſuperſtitem, ut colligitur *ex cap. Fraternitatis veſtræ 35. quæſt. 10.* & tradunt communiter Doctores.

Coninck.

§. XII.

De impedimento impotentiæ.

50. IMpotentia coëundi dirimens matrimonium ſubſequens debet eſſe perpetua, ita ut non poſſit aliqua arte humana removeri, ſine periculo vitæ patientis, vel ſine miraculo, vel ſine offenſa Dei. Dicitur *ut non poſſit aliqua arte humana*; quia quando aliquibus remedijs applicandis eſt ſpes auferendi talem impotentiam, tunc non dicetur impotentia perpetua, ſed temporalis, & ideo non reddet matrimonium irritum, quia impotentia temporalis non dirimit matrimonium, niſi quando illud celebratum fuit inter impuberes, nondum aptos ad generandum, ut expreſsè decernitur *in cap. Contineb. & in cap. Ex literis, de diſp impub.* Ita Sanchez *lib. 7. diſp. 92. n. 4.* D. Thomas *in 4. diſp. 34. q. un. a. 2.* Bonacina *de matr. q. 3. punct. 13. n. 12.* & alij. Dicitur *ſine periculo vitæ.* Quapropter ſi femina ita arcta eſſet, ut non poſſit abſque vitæ periculo reddi apta ad copulam, dicetur habere impotentiã perpetuam; ſi verò poſſit aliqua arte, vel diligentia fieri apta ad copulam, non dicetur habere impotentiam perpetuam, ſed temporalem. An autem in hoc caſu teneatur mulier pati inciſionem cum dolore, ut facilior pateat aditus viro? Affirmat Sanchez, negat Baſilius Pontius, ut diximus *to. 1. verb. Matr. 7. n. 77.* Diximus *vel ſine miraculo*, quia quando impotẽtia auferri non poteſt mediante arte humana, ſed requiritur actus ſupernaturalis, mediante miraculo, tunc impotentia exiſtimatur perpetua. Dicitur *vel ſine offenſa Dei*; quia quando impedimentum tolli non poteſt ſine peccato, tunc judicatur eſſe perpetuum. Unde quando quis maleficiatus eſſet factus impotens ad coëundum, nõ poteſt ſolvi tale maleficium, mediante aliõ maleficio, ſive per invocationẽ dæmonum, ſive expreſſam ſive tacitã. De his Sanchez *lib. 7. diſp. 93.* Navarrus *in man. c. 22. n. 59.* Filliucius *tr. 10 part. 2. n. 68 & 69.* & alij communiter.

Sanchez. D. Thom. Bonacina. Sanchez. Pontius. Sanchez. Navarrus. Filliucius.

Ex dictis ſequitur invalidum eſſe matrimonium contractum cum perpetuo impotente, ſed poſt matrimonium facto potente per miraculum: nam impotentia perpetua antecedens matrimonium, dirimit illud. Miraculum autem dicitur in hoc caſu id, quod fit modo extraordinario & inſueto: Maleficium autem, licet auferri non poſſit, niſi per orationes, & exorciſmos, non tamen dicitur auferri per miraculum, cùm auferatur modo conſueto. Proinde ut convalidetur prius matrimonium, opus eſt novus conſenſus impedimento ſublato. Ita Sotus *in 4. diſp. 34. quæſt. unic. art. 3.* Coninck *diſp. 31. dub. 7. num. 85.* Bonacina *de matr. quæſt. 3. punct. 13. num. 4.* & alij.

Sotus. Coninck. Bonacina.

51. Ad valorem matrimonij non ſatis eſt potentia vas femineum penetrandi; ſed deſideratur potentia ſeminandi intra illud: quare potens coire, impotens tamen perpetuò ad ſemen emittendum intra vas, vel quia nullo modo ſeminat, vel quia præ nimio calore ita præpropere, ut vas expectare nequeat, eſt incapax matrimonij, ſi id vitium ita ſit perpetuũ, ut nulla Medicinæ ope tolli poſſit. Ratio horum eſt, quia de ratione matrimonij eſt traditio poteſtatis corporis ad copulam conjugalẽ: at non reputatur copula conjugalis, cùm ſemen intra vas femineum non emittitur, & conjuges una caro non efficiuntur, ut patet *ex cap. Laudab. de frigidis & maleſic.* & docent Valentia, Toletus, Navarrus, Henriq. Rodriguez, Sylveſter & alij apud Sanchez *lib. 7. diſp. 92. num. 7.* Tamen non cen-

Valentia. Toletus. Navarrus. Henriq. Rodrig. Sylveſter. Sanchez.

censendum esset matrimonium nullum, si vir non totum posset semen intra vas fundere, sed partem: quoniam ea seminis pars intra vas recepta sufficiens est ad consummandum matrimonium, & ut conjuges fiant una caro.

Sed petes, an quando vir seminare potest intra vas, & femina capax est seminis virilis recipiendi, sed est impotens ad seminandum, valeat matrimonium? Resp. ex communi sententia validum esse: quia semen feminæ non est præcisè necessarium ad generationem, quamvis valde conferat; ut docet Arist. *lib. 2 de gener. c. 2* quam communis Theologorum schola sequitur. Sed quia hoc non est ita certum, quin contrarium sit etiam probabile, nempe semen femineum per se etiam requiri ad generationem, & quod mater etiam per suum semen activè concurrat ad generationem tamquã materiam; quare sic sentientes, dicent quoque eam feminam esse matrimonij incapacem, sicut est vir, qui semen non potest emittere.

Aristot.

52. Quamvis impotentia coëundi in viro frequenter ex frigiditate consurgat, & rarò ex nimio calore: at aliquando potest etiam ex nimio calore procedere, & si id impedimentum sit perpetuum, quod nec arte medicinæ, nec triennio experientiæ cessat, dirimet matrimonium: quia eadem est prorsus ratio. Idem dicendum est, si impotentia in viro proveniat ex abominatione mulieris. Quidã enim viri sunt, qui ad pulchram moventur & non ad deformem; & contingit aliquando ita abominabilem feminam apparere viro, ut nullatenus possit moveri ad coitum cum illa, nec excitare possit concupiscentiam. Tunc idem censendum est ac de impotentia ex maleficio provenienti. Si enim medijs adhibitis ac experientia triennali præmissa non cesset, dissolvetur matrimonium. Ita D. Thomas *in 4. dist. 34. q. unic. a. 2.* Albertus Magnus *ibid. art 4. & 6.* Sylvester *verb. Matr. 8. quæst. 16. dict. 3.* Angelus, Rotella, Tabiena & alij apud Sanchez *disp. 92. n. 13.* In hoc autem casu monenda est hujusmodi femina, ut munditiæ, ornatu, affabilitate se amabilem viro exhibeat: ac ipse vir monendus est, ut caulas excogitet, quibus ad feminæ amorem excitetur, ut vel sic abominatione illa cessante possit illam cognoscere.

D. Thom. Albertus. Sylvest. Angelus, Rotella. Sanchez.

53. Quamvis femina respectu unius viri arcta, præsumatur talis respectu omnium, & cognoscibilis ab uno, præsumatur ab omnibus cognoscibilis: hæc tamen præsumptio non est juris & de jure, sed juris tantum; ac proinde recipit probationem in contrarium, ob utriusque viri dissimilitudinem. Si enim dissimiles sint: quia prior vir erat senex, vel debilis, vel alium defectum in virili membro patiebatur: posterior autem juvenis, vel robustior, vel eo defectu membri virilis carebat; impedimentum perpetuum censebitur respectu prioris viri, non autem posterioris Probat. *ex cap. Fraternit. de frig.* Ubi textus non dixit absolutè cognoscibilem à posteriori viro, esse quoque à priori: sed quando posterior vir est priori similis, ibi *Cujus simili commiscetur.* Quæ verba accipi debent de similitudine instrumenti generationis, ætatis & roboris. Hæc enim præsumptionem generant, ut dicut cognosci potuit à posteriori, cognosci quoque à priori potuerit. Quapropter non restaurabitur prius matrimonium ratione arctitudinis feminæ dissolutum, quando per concubitum proprij prioris viri nequit reddi apta copulæ cum illo, quamvis per concubitum cum altero apta sit. Ita Durand. *in 4. dist. 34. a. 2. q. 2. n. 8.* Paludan. *ib. conc. 3* Sylvest. *verb. matr. 8. q. 16. dict. 4.* Sanchez *loco cit. disp. 93. n. 12.* & alij multi penes ipsum.

Durand. Paludan. Sylvest. Sanchez.

In dubio autem an femina fuerit cognoscibilis à priori viro, sicut fuit à posteriori, secũdùm aliquos standum est ea præsumptione juris, ut præsumatur potuisse eam feminam à priori viro cognosci, ac proinde prius matrimonium judicandum est validum & instaurandum, si jam dissolutum est: quia in hoc dubio potiores sunt prioris viri partes, utpote, qui juris præsumptionem pro se habet. Ita Rose la *verb. Divortium n. 3.* & alij dicentes, si non constet de discrimine inter utrumque virum, præsumi feminam potuisse cognosci à priori viro. Sed melius alij opinantur, qui dicunt oportere apertè constare de dissimilitudine, ne præsumatur prius matrimonium validum, ac restaurandum sit. Ita Sylvester *verb. matr. 8 q. 16. dict. 4. & verb. Divortium q. 19. n. 22.* Henriquez *lib. 12. de matr. cap. 7. n. 9* Sanchez *loco cit. num. 14.*

Sylvest. Henriq. Sanchez.

54. Quando vir ita debilis est, aut senex ut virgineum vas penetrare nequeat, cùm posset corrupta, si ope Medicinæ absque mortis periculo possit subveniri feminæ virgini, ut apta reddatur congressui illius viri imbecillis, non censetur impedimentum perpetuum, ac proinde matrimonium cum tali virgine initum, est validum. Si tamen vir ad virginem impotens, non probet se potentem ad corruptã, succũbet, & dissolvetur matrimonium; quia in dubio impotens ad unam, præsumitur talis ad omnes, supposito nõ interesse maleficiũ. Proinde non licet viro impotenti ad virginem, potenti autem ad corruptam propria auctoritate instrumento aliquo ligneo aut ferreo, ad id apto, digitisve claustra hujusmodi virginis à se ductæ reserare, ut vel sic matrimonium consummare possit; & si probabilis timor sit fore ut id intentet, separanda est mulier, ac in loco tuto constituenda donec lis decidatur, aut plena securitas detur. Ita Sanchez *disp. 93. n. 25. & seq.* cum alijs à se citatis. Quamvis D. Thomas *in 4. dist. 34 q unic. a. 2. ad. 5.* sentiat, *quòd si non posit implere carnalem actum cum virgine, & posit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere & ei conjungi.* Hæc sunt verba D. Thomæ? ubi notandum est illud Verbum *medicinaliter*, quasi dicat, juxta Medicorum præscriptum, vel priùs consultis Medicis, id fiat juxta Medicinæ leges, non propria auctoritate.

Sanchez. D. Thom.

55. Quoties matrimonium dissolvitur, ob utriusque conjugis perpetuum impedimentum, uterque non potest ad alias nuptias trãsire: quando verò ob alterius tantum impedimentũ, non impeditus potest secundò licitè & validè nubere; ut constat *ex cap. Laudabilem, de frig.* ubi viro ratione frigiditatis separato, conceditur feminæ licentia nubendi alij, denegatâ eà viro. Et de impedimento feminæ constat *ex cap. Ex litteris, eodem tit.* ubi feminæ arctæ separatæ interdicto alio conjugio, id non denegatur, sed conceditur viro. Hæc tamen intelligenda sunt, quando impotentia est absoluta; si enim esset respectiva, datur utrique conjugi licentia contrahendi cum alia persona, erga quam non est ea impotentia: non debet tamen conjux potens aliud inire matrimonium non exspectata Ecclesiæ sententia, aliàs peccaret, licet matrimonium esset validum. Ita Henriquez *lib. 12. de matr. c. 7. in comm. lib. 2.* Sotus *in 4. dist. 34. quæst. unic. art. 2. in fine corp.* Sanchez *loco cit. n. 37.*

Henriq. Sotus. Sanchez.

56. Cùm impotentia perpetua ad copulam conjugalem matrimonium subsequès dirimat, & hæc possit ex duabus præsertim causis provenire, nempe ex frigiditate viri, & ex maleficio, dicendum est *Primò*, signa frigiditatis in viro dignosci posse ex ipsa membri virilis externa apparentia; nimirum,

si

si modicum membrū vir habeat, & quasi in nihilum redactum, malè compositum, corrugatum, & à calore debito degenerans. Ab effectu dignoscitur, si vir nunquam virgam erigat, quantumvis pharmacis ad membri erectionem destinatis utatur. Si enim aliquando erigat, frigidus non est: quia frigidus calore necessario destituitur ut inflentur organa. Si vir polluatur in somnis, vel in vigilia, frigidus non est. Insuper non mediocre signum frigiditatis est, quando vir venerea non appetit, nec stimulos carnis sentit: id enim provenit, quia frigidis deest calor excitans ad venerea.

Secundò, Maleficij signum est, quando coitum quis appetit & virgam erigit, ita ut ad copulam aptus sit, & cùm ad vas femineum penetrandum appropinquat, relaxantur ac concidunt subitò organa, nec potest complere: atque iterum rigent, & si iterum copulari nitatur, denuò laxantur. Hoc enim ex radice naturali consurgere nequit: quia semel organa rigentia non laxarentur, quousque exsufflarentur vel consumerentur spiritus ea inflantes. Item maleficio tribuendum est, si vir appetens coitum, subitò accedere tentans exhorrescat, nec accedere possit. Similiter si femina viri coitus avida, cùm vir accedit, subitò illius horrore capiatur, erit signum maleficij. Denique si vir ad unam ligatus sit, potens autem ad alias, maleficium præsumitur. si ex parte feminæ non detur arctitudinis aut virginitatis obstaculum.

Sanchez. De his plura apud Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 94. n. 5. & 6.* & auctores ibi citatos. Confer quæ diximus suprà *verb. Maleficium n. 6.*

57. Maleficium censetur perpetuum & dirimens matrimonium subsequens, si non possit auferri per opus humanum, nisi per aliud maleficium. Ratio est, quia impedimentum censetur perpetuum, quod absque peccato auferri nequit, ut diximus *suprà n. 50.* At maleficium maleficio tollere est gravissimum peccatum. Item censetur perpetuum, quamvis tolli possit per divinum miraculum, secus si per Ecclesiæ exorcismos. Si autem à solo maleficij Auctore, etiam modo licito auferri possit, quidam sustinent censeri perpetuum: quia non videtur possibilis remotio maleficij, cùm pendeat ex voluntate unius. Sed verius est tunc censendum maleficium esse temporale, nec per illud matrimonium dirimi; quia potest auferri per opus humanum licitum, & absque divino miraculo. In dubio autem perpetuumnè sit, an temporale maleficium, præsumetur perpetuum, ac dissolvetur conjugium, quando triennio conjuges dederunt operam carnali copulæ, nec perficere

D. Thom. Scotus. D. Bonav. D. Anth. Victoria. Henriq. Sotus. potuerunt; ut docent D. Thomas, Scotus, D. Bonaventura, De Antoninus, Victoria, Henriquez, Sotus & alij, quos citat & sequitur Sanchez *loco proximè citato n. 8. & seq.*

Sanchez. 58. Dissolutione matrimonij factâ legitimè per Ecclesiam ratione maleficij, sive alterius, sive utriusque conjugis, ut si lapso triennio experientiæ & adhibitis legitimis probationibus, quàs jus ad dicti matrimonij dissolutionem petit, concedenda est utrique conjugi licentia ad alias nuptias transeundi, quando maleficium est particulare respectu unius, aut alterius tantùm; ac proinde eis ineuntibus aliud matrimonium, idque consummantibus, nequaquam priùs instaurandum est. Quia id interest inter frigidum & maleficiatum, ut frigidus sit impotens erga omnes; quare si ab initio matrimonio separetur, quoties aliud consummarit, aut fornicatus fuerit, restituendus est prioribus nuptijs: eò quòd manifestè tunc constet eum non fuisse frigidum, atque ita Ecclesiam deceptam. At maleficiatus est regulariter impotens respectu unius vel alterius tantùm, quare potest legitimo matrimonio jungi cum alia persona, respectu cujus non est impotens ratione maleficij, & ideò ex hoc matrimonio inito & consummato non probatur potentia respectu prioris conjugis. Quare prius matrimonium restaurandum non est. Ita D. Thomas *in 4. dist. 35. quæst. unic. a. 3.* Sylvester *verb matr 8. quæst. 16 dict 8.* Toletus *in summ. lib. 7. in fine*, Henriquez *lib. 12 de matr. cap 8 num. 2.* Sanchez *disp. 99. à n. 20. ad 24.* & alij penes ipsos. Quando tamen maleficium esset generale respectu omnium, tunc si maleficiatus dissoluto priori matrimonio per Ecclesiam ad aliud transiret, idque consummaret, separandus esset, & instaurandum prius matrimonium. Idem dic, si maleficiatus ille respectu omnium fornicaretur cum aliqua; instaurandum enim etiam esset prius matrimonium: quia copula illa declaravit cessasse maleficium, & impotentiam fuisse temporalem.

D. Thom. Sylvester. Toletus. Henriq. Sanchez.

Plura habes de hac impotētia apud Sanchez & alios citatos Doctores, quæ spectant Judices fori Ecclesiastici, sed hæc addita sufficiant ad rem nostram, de impedimentis impedientibus & dirimentibus matrimonium.

. Vide verb. Legatum *n. 5. & sequent.* Novitius *num. 18.* Pœna *num. 5.*

MATRIMONIVM III.

De Dispensationibus impedimentorum matrimonij.

SUMMARIUM.

1 *Dispensatio quid sit? & ut differat ab interpretatione, irritatione & abrogatione.*

2 *An Papa possit in matrimonio rato fidelium, non consummato, dispensare?* Refertur duplex sententia.

3 *An Episcopus possit in omnibus impedimentis juris humani matrim. dirimentibus ante contractum matrimonium ex causa valde urgenti, dispensare, & hanc potestatem alteri delegare? Et quæ sint justæ causæ dispensandi?*

4 *An Summus Pontifex possit & soleat dispensare in secundo consanguinitatis gradu non solùm inter magnos Principes, sed etiam cum personis inferioris gradus? Et quæ sint ille causæ dispensandi?*

5 *An quo propinquior est gradus, eò urgentior causa exigatur ad dispensandum? Et an cui concessitur potestas dispensandi in aliquo gradu, possit in eo dispensare, si mixtus sit ex alio propinquiori.*

6 *An quando impedimentum affinitatis & publicæ honestatis concurrunt, satis sit in dispensationis impetratione mentionem fieri affinitatis.*

7 *An dispensatio censeatur subreptitia, quando inter consanguineos vel affines præcessit copula, si ejus copulæ nulla mentio facta est in precibus?* Refertur duplex sententia.

8 *Quando sponsi habuerunt inter se copulam hac intentione facilius dispensationem impetrandi, an necessarium sit exprimere hanc intentionem.*

9 *An dispensatio sit valida obtenta super publica honestate, cognatione spirituali & legali, tacitâ copulâ inter impetrantes habita?* Refertur duplex sententia.

10 *In consanguinitate, affinitate vel publica honestate an necessarium sit exprimere, utrum gradum distantia sit in linea recta?*

11. *Quando*

Digitized by Google

11 *Quando impedimentum eſt cognatio ſpiritualis, utrum exprimendum ſit, an ſit filiatio ſpiritualis, vel compaternitas.*

12 *Quando eſt publica honeſtas conſurgens ex matrimonio rato in primo gradu, an debeat illud exprimi.*

13 *An vitietur diſpenſatio, quando contingit error in petitione diſpenſationis exprimendo maiorem vel minorem gradum.*

14 *Quando adſunt plura impedimenta, an debeant exprimi ſimul in eadem petitione vel diverſis?* Refertur duplex ſententia.

15 *An diſpenſatio irrita ſit, quando falsò pro cauſa allegata eſt copula, quæ tamen non præceſſit? Et an omnes cauſæ allegatæ debeant verificari?*

16 *An diſpenſatio in impedimentis matrimonij valida ſit, quando erratur in nomine perſonæ.*

17 *Quid, quando erratur in nomine Diœceſis?* Refertur duplex ſententia.

18 *De prima clauſula literarum Sacræ Pœnitentiariæ,* ut ſit Doctor in jure Canonico, vel Magiſter in Theologio, vel diſcretus vir Confeſſor ex approbatis ab Ordinario.

An Sacerdotes ex Ordinibus Mendicantium approbati ab Ordinario poſſint exequi has diſpenſationes.

19 *An executio prædictarum literarum fieri debeat in Sacramentali Confeſſione?* Refertur duplex ſententia.

20 *Pœnitens, qui ſemel literas Sacræ Pœnitentiariæ cuidam Confeſſario præſentavit, ut diſpenſet, ſi ille nolit, an poſſit alium adire.*

21 *Clauſula,* propter periculum incontinentiæ, *quando verificetur.*

22 *Clauſula, injungens Confeſſario verificationem cauſæ indagare per diligentem oratoris examinationem, ut verificetur.*

23 *Clauſula continens monita & conſilia danda à Confeſſore, an præceptum contineat.*

24 *Clauſula injungens opera in quæ debent commutari vota caſtitatis vel Religionis, an liceat Confeſſario, ne pro arbitrio ea mutare poſſit.*

25 *Clauſula jubens dilaniari literas poſt executionem diſpenſationis, quomodo verificetur.*

26 *Clauſula,* dummodò impedimentum inde proveniens occultum ſit, *quomodo intelligenda.*

27 *Clauſula,* ut conjux impedimenti ignarus certior fiat de prioris conſenſus nullitate, *an ſit de eſſentia diſpenſationis.*

28 *De clauſula,* Gratis ubique.

29 *Diſpenſatio communibus expenſis, an ſolvenda ſit, quando inter conſanguineos mutua præceſſit conventio de matr. contrahendo? Quid ſi una pars, altera inconſulta, diſpenſationem impetravit?*

30 *An qui injuſtè vel juſtè renuit matrimonium obtenta de communi conſenſu diſpenſatione, teneatur ad integras diſpenſationis expenſas? Et quid ſi dolosè contraxerit habens animum ingrediendi Religionem?*

31 *An ſponſa obtenta diſpenſatione committens fornicationem teneatur ad integras expenſas diſpenſationis? Et quid in eodem caſu dicendum de ſponſo?*

An ille, cujus culpa poſt matrimonij promiſſionem contrahitur impedimentum dirimens, teneatur propriis expenſis diſpenſationem impetrare.

1. DIſpenſare ſecundùm Ethymologiam vocis nihil aliud importare videtur, quàm aliud penſare, ſive aliud decernere circa aliquam legem inſtitutam; quapropter communiter Doctores ſequendo Gloſſam receptam *in cap. Requiritis, §. Niſi rigor. 1. quæſt. 7.* talem definitionem diſpenſationis aſſignare ſolent: Diſpenſatio *eſt juris communis relaxatio facta cum cognitione cauſæ ab eo, qui poteſt diſpenſare, ſeu relaxare.* Hæc definitio non tantùm præcisam diſpenſationis naturam explicat, ſed etiam requiſita, ut licitè fiat. Dicitur *juris relaxatio*; nam diſpenſatio differt ab interpretatione, irritatione, & abrogatione juris. *Interpretari* enim eſt declarare talem legem vim obligandi carere in tali eventu propter aliquam cauſam. *Irritare* autem eſt legem impedire & caſſare, ne robur obligandi ampliùs conſequatur, quoad omnes. *Abrogare* verò eſt, poſtquam obligandi vim talis lex eſt adepta, eam infirmare, adimere, ſeu diſſolvere. Sed *Diſpenſare* propriè eſt, aliquem à lege eximere, caſu quo ad illam tenebatur, & ideò dicitur relaxatio juris circa aliquam perſonam particularem, ut in tali eventu poſſit licitè, non obſtante jure communi, agere. Dicitur *cum cognitione cauſæ*; nam ſi legiſlator in ſua lege diſpenſet abſque cauſæ cognitione, valida quidem erit diſpenſatio, ſed non licita. Dicitur *ab eo, qui poteſt diſpenſare*, ut explicetur cauſa efficiens diſpenſationis, ſcilicet Prælatus, in quo reſidet talis diſpenſandi validè poteſtas. Ita Navarrus *in manual. prælud. 9. num. 15.* Sanchez *de matrimonio lib. 8. diſputat. 1. num. 1. & 2.* Rodriguez *tom. 2. quæſt. reg. quæſt. 47. 1.* Graffijs *1. part. lib. 2. cap. 32. numero 1.* & alij. Gloſſa. Navarrus, Sanchez. Rodrig. Graffijs.

2. Certum eſt apud omnes, matrimonium conſummatum baptizatorum non poſſe ab Eccleſia, nec à Pontifice diſſolvi, quia jure divino & naturali eſt indiſſolubile; nec in Eccleſia, nec in Pontifice agnoſcitur peculiaris aliqua facultas ad id conceſſa, abſque qua nequit diſſolvere, quod de jure divino & naturali eſt in diſſolubile. Et in hoc omnes conveniunt.

Difficultas eſt inter Doctores, an Pontifex poſſit in matrimonio rato fidelium, ſed non conſummato, diſpenſare & illud diſſolvere? Pro parte negativa faciunt, quòd Chriſtus Dominus, dum dixit, Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, non ſolùm loquutus eſt de matrimonio conſummato, ſed etiam de ſolùm rato. Tum quia matrimonium ratum eſt indiſſolubile & vinculum perpetuum; ergo nequit per Pontificem diſſolvi. *Tertiò*, quia ſi poſſet diſpenſare in rato, poſſet etiam in conſummato; cùm tantùm differant accidentaliter. Hanc ſententiam præter Doctores citatos *tom. 1. verb. Matrimonium II. num. 3.* tenent Sylvius *in ſupplement. 3. p. D. Thomæ quæſt. 61. art. 2.* Pontius *de matrimon. lib. 9. cap. 3.* Mæratius *de matr. diſp. 6. ſect. 7.* & alij multi apud Sanchez infrà, ſatis probabiliter. Probabilior tamen ſententia ſuſtinet, & meritò, id poſſe Pontificem ex juſta & gravi cauſa, verbi gratia pro pace ſervanda, vel pro odio & inimicitijs evertendis, ortis poſt contractum matrimonium, vel propter lepram ſuperveniente, vel ob promovendum virum ad Epiſcopatum ratione majoris boni, vel ut permaneat in ſecundo matrimonio conſummato. Probatur hæc ſententia, ex facto Pontificum, qui hanc diſpenſationem conceſſerunt: nam Henriquez *lib. 11. cap. 8. n. 11. in comment. lit. F.* teſtatur Gregorium XIII. uno die diſpenſaſſe cum undecim, & in textu dicit ſæpè idem feciſſe Paulum IV. & Martinum V. Eugenium IV. Idem teſtantur D. Antoninus *3. p. tit. 1. cap. 2.* Cajetanus *tom. 1. opuſc. tract. 28. q. 25.* Atqui non eſt ullo modo verisimile, Pontifices in re tàti momenti errâſſe, Sylvius, Pontius, Mærat. Henriq. Gr. XIII. Paul. IV. Mart. V. Eugen. IV D. Anton. Cajetan.

cùm

Ashton, Thomas, Esq. Ashton Hall, Lancaster
Ashton, Thomas, Esq. Ashton Hall, Lancaster
Ashton, Thomas, Esq. Ashton Hall, Lancaster

fuit; ibique ætatis suæ centesimum implevit annum, de tali Curiæ stylo, an fortè esset, non deposuit. Ad declarationem autem Cardinalium, dicendum est, illam procedere quando incestus fuit publicus, secus quando est occultus.

8. Quando sponsi habuerunt inter se copulam, hac spe & intentione facilius obtinendi dispensationem, necessarium est, non solùm exprimere copulam, sed etiam hanc spem & intentionem. Ratio est, quia copula ex tali animo habita, tantùm abest, ut sit causa facilioris dispensationis, quòd potiùs eam reddat difficiliorem & retrahat Pontificem ab ea concedenda. Et hoc verum, quando ex parte utriusque fuit habita copula ex tali intentione: secus si ex parte unius habita sit solùm ex fragilitate, seu libidine & non ex tali intentione & fraude, tunc non est necessarium exprimere animum & dolum alterius. Et ideò, quando copula allegatur pro causa, debet exponi cum sua vera qualitate, & qua intentione habita sit, ne dispensatio evadat subreptitia & irrita. Et hoc ipsum confirmatur stylo Curiæ, quando copula allegatur pro causa. Verùm si adsint aliæ sufficientes causæ dispensationis, quæ solæ absque allegatione copulæ valeant obtinere dispensationẽ; tunc necesse non erit exponere copulam, atque adeò nec eam intentionem qua habita est. Ita Sanchez *lib.* 8. *disp.* 25. *num.* 31. Aversa *de Sacram. mat. quæst.* 19 *sect.* 6. Portel *in resp. mor. tom.* 3. *casu* 49. *num.* 11.

Sanchez. Aversa. Portel.

9. Quidam sentiunt dispensationem esse nullam obtentam super impedimento publicæ honestatis, seu cognationis spiritualis, & legalis, tacitâ copulâ inter impetrantes habitâ quia incestus est, non solùm cum consanguineis & affinibus, sed etiam cum cognatis cognatione spirituali & publica honestate. Ita Menochius *de arbitrar. centuria* 6. *casu* 502. Garciaz *de benefic. part.* 8. *cap.* 3. *num.* 64. Pellizzarius *in man. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 243. & alij apud ipsos.

Menoch. Garzias. Pellizzar.

Contrarium tamen meritò alij sustinent. Ratio est, quia non oritur impedimentum ex copulâ cũ cognata legali vel spirituali, cùm non sit propriè incestus, nec sit textus hoc impedimentum inducens, nisi quando est copula cum consanguineis, seu affinibus. Ideò non quæcumque veri taciturnitas vitiat dispensationem, sed illa, quam jura exprimi præcipiunt. Cùm ergo copula inter cognatos spirituales non sit verus incestus, non est curæ eius taciturnitas reddat dispensationem subreptitiam. Ita Navarrus *lib.* 4. *cons. in* 2. *edit. consil.* 8. *n.* 8. & 9. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disput at.* 15. *num.* 8. & alij.

Navarrus. Sanchez.

10. In consanguinitate, affinitate, vel publica honestate, ut dispensatio non sit subreptitia, necessarium est exprimere, an distantia graduum sit in linea recta. Ratio est, quia sic usu & stylo curiæ receptum videtur: tum quia multò indecentius est ac absurdius huiusmodi matrimonium, quàm ubi distantia graduum est in linea transversa: quamvis in affinitate ex copula fornicaria, non sit necessarium exprimere; cùm ex ea copula non oriatur notabiliter specialius vinculum, aut notabiliter maior reverentiæ obligatio affinibus ex linea recta, quàm ex transversa. Ita Filliucius *tract.* 16. *part.* 2. *in n.* 327. *vers. Tertiò.* Sanchez *lib.* 8. *disp.* 24 *num.* 14. Guttierrez *de mat. cap.* 23. *num.* 6. & alij recentiores.

Filliucius. Sanchez. Guttierr.

11. Quando impedimentum est cognatio spiritualis, exprimendum est, an sit filiatio spiritualis, vel compaternitas quia indecentius est contrahere cum filia spirituali, quàm cum matre. Item, si baptizavit, vel tenuit: nam ex Baptismo collato fortius vinculum oritur, quàm ex susceptione. Item, in Confirmatione, si sit cum persona, quam tenuit vel cum patre, aut matre. Nam cùm regeneratio hæc spiritualis, ex quâ filiatio ista consurgit, assimiletur generationi carnali, ex qua filiatio naturalis oritur: sicut indecentissimum est inter patres & filios carnales matrimonium, ita suo modo, licet non æquali, inter patres ac filios spirituales. Ita Sanchez *loco cit. n.* 15. Filliucius *n.* 331. Bonacina *de leg. disp.* 1 *q.* 2. *p.* 5. *n.* 6. Guttierrez *n.* 7. Similiter explicandum est, an cognatio spiritualis ex duplici capite cõtracta sit, ut si fuisset patrinus duorũ filiorũ sponsę, vel unius filij in dubbus Sacramẽtis, in Baptismo videlicet, & Confirmatione.

Sanchez. Filliucius. Bonacina. Guttier.

12. In impedimento publicæ honestatis consurgentis ex matrimonio rato non solùm exprimendum est publicæ honestatis impedimentũ esse in primo gradu, verùm etiam adesse ob matrimoniũ ratum: quia est multò arctius id vinculum, quàm si oriretur ex sponsalibus; tũ quia indecentius est contrahere matrimoniũ cum sorore proprię uxoris, quàm cũ sorore sponsæ de futuro. Non est tamẽ id necesse exprimere, si honestas publica sit in secundo, vel tertio, vel quarto gradu: quia constat impedimentũ publicæ honestatis, excepto primo gradu, nõ aliunde consurgere, quàm ex matrimonio rato; cùm ex sponsalibus non oriatur publica honestas ultra primum gradum. Ita Sanchez *l.* 8. *disp* 24. *n.* 16. Filliucius *tract.* 10. *part.* 2. *n.* 330. *in fine*, Guttierrez *loco cit. n.* 7.

Sanchez. Filliucius.

13. Quando contingit error in petitione dispensationis, explicando maiorem gradum, ut tertium, cùm tamẽ sit minor, ut quartus, nõ vitiatur dispẽsatio: secus si contra, ut si minor proponatur pro maiore, etiãsi ex ignorãtia inculpabili. Ratio est, quia etsi in primo casu non sit concessa specificè dispensatio pro quarto gradu, est tamen concessa simpliciter pro consanguinitatis impedimento, cũ errore circa qualitatem accidentalem inclusam à fortiori in gradu super quo dispensatur. In secundo autem casu dispẽsatio est irrita & subreptitia: quia error contingit circa dispẽsationis substãtiã: & ita nullatenus in illo gradu superiori dispensatur: quia non continetur maior in minori, nec dispensatio minoris continet dispensationẽ maioris.

Quando autem erratur circa speciem impedimenti, quamvis impedimentum quod exprimitur, maius sit, dispensatio est subreptitia & irrita: ut si dicatur, contrahentes esse consanguineos in tali gradu, cùm sint affines. Ratio est, quia error non supplet intentionem concedentis, qui dispensare censetur in specie sibi expressa, non verò in alia, quæ non continetur in expressa. Ita Sanchez *loco cit. n.* 17. 18. & 19. Filliucius *tr.* 10. *p.* 2. *in n.* 327. Guttierrez ex parte *loco cit. num.* 10. Salas *de legibus disp.* 20 *sect.* 15. Bonacina *de leg. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 7. *num.* 8 & 15.

Sanchez. Filliucius. Guttierr. Salas. Bonacina.

14. Difficultas est, quando adsunt plura impedimenta, an debeant omnia exprimi simul in eadem petitione, vel sufficiat, quodlibet impedimẽtũ per se in diversis petitionibus separatis exponere, & de quolibet singulas dispensationes obtinere: Quidã enim valde probabiliter sustinent, satis esse in diversis petitionibus singula impedimenta proponi, & quamlibet dispensationem illarũ per se obtentam validam esse: unde si qui sint simul consanguinei & affines, poterunt in quibusdam literis consanguinitatem proponere, tacita affinitate, & in aliis hanc, illa tacita, & utraq; dispensatio valebit quoad suũ impedimentũ. Ratio est, quia nullũ est jus, quod requirat & statuat, ut in impetra-

tione dispensationis unius impedimenti, mentio de aliis impedimentis fiat. Ita Navarrus *lib. 4. consil. de consanguinit. consil. 4.* Amicus *tom. 5. disp. 6. sect. 8. num. 117.* Salas *de leg. disp. 20. num. 122. sect. 15.* Emanuel Sà *verb. Dispensatio, numero 10.* & alij. Probabilius tamen arbitrantur, qui dicunt omnia impedimenta coniunctim in eadem petitione esse explicanda. Ratio est, quia unum impedimentum coniunctum cum alio magis ligat, & difficiliorem reddit dispensationem obtinendam, quàm si tantùm unicum esset impedimentum. Tum quia, ut dispensatio legitimè obtineatur, necessarium est proponi Pontifici totum vinculum dissolvendum, secundùm totam gravitatem, quæ intrinsecè potest dispensationem difficiliorem reddere. Unum autem impedimentum censetur moraliter habere maiorem gravitatem in illo genere, quando est coniunctum aliis, quàm solitariè sumptum: ergo ne dispensatio sit subreptitia, omnia simul in eadem petitione sunt explicanda, ut Pontifex plenè cognoscat difficultatem ad dispensandum: difficilius enim dispensat in pluribus impedimentis simul quàm in uno solo. Tum quia prima opinio est contra praxim & usum Romanæ Curiæ, ex quo infringitur eius probabilitas. Ita Sanchez *de mat. lib. 8. disput. 23. num. 2.* Guttierrez *de mat. cap. 123. num. 21.* Diana *part. 1. tract. 10. ref. 39. & part. 8. tract. 3. ref. 25.* Suarez *de legat. lib. 6. cap. 24. num. 9.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 19.* & alij apud ipsos.

Navarrus. Amicus. Salas. Eman. Sà. Sanchez. Guttierr. Diana. Suarez. Layman.

Tamen quando adessent duo impedimenta, unum consanguinitatis, affinitatis alterum contractæ ex copula illicita secreto habita cum consanguinea in primo, vel secundo gradu alterius sponsi, & sine infamia mulieris petentis, explicari non posset in publica petitione; tunc permittitur, quod in una petitione publicè petatur dispensatio illius impedimenti publici, & postea per viam Sacræ Pœnitentiariæ obtineri poterit alia dispensatio secreta illius impedimenti secreti pro foro conscientiæ, faciendo mentionem in ista petitione alterius impedimenti publici, de quo obtenta esset, vel obtinenda dispensatio à Summo Pontifice & tunc valebit utraque dispensatio, ut advertunt quidam Doctores ex proximè citatis. Quibus addo Pellizzarium *in man. reg. tract. 8. cap. 3. num. 244.*

Pellizzar.

15. Quando petitur dispensatio ad contrahendum cum consanguinea, & allegatur pro causa quod copula præcesserit, quæ tamen reverà non præcessit, dispensatio nulla est: quia narratur una tantùm causa & illa est falsa. In omni enim dispensatione quam concedit Pontifex, semper intelligitur hæc conditio, *si preces veritate nitantur.* Sed in hoc casu narratâ tantùm unâ causâ & illâ falsâ, preces non nituntur veritate; consequenter dispensatio non est valida. Si verò petens dispensationem narret pro causa dispensationis copulam habitam, & periculum scandali, & infamiæ inde suborturæ; si verè dictum periculum subsit, licet copula habita non fuerit, valida est dispensatio: quia Pontifex tunc concedit dispensationem ob prædictum periculum, ob copulam, quæ in hoc casu non dicitur habere connexionem cum materia dispensationis; & proinde preces veritate nituntur, licet illud de copula falsum fuerit: quia adhuc manet causa finalis movens Pontificem ad dispensationem concedendam, quæ est ad consulendum famæ mulieris & ad vitanda scandala ex præsumpta copula secuta. Quandò enim in ipsa petitione plures proponuntur causæ, non debent omnes, ad hoc ut dispensatio validè sit, verificari: nam sola expressio causæ finalis falsæ, quæ si exprimeretur, non concederetur dispensatio, irritat dispensationem. Reliquæ autem causæ, etiamsi falsæ sint, dispensationem non irritant, eò quòd adhuc illis explicatis, dispensatio concessa fuisset. Ita Sanchez *lib. 8. disp. 21. n. 45.* Henriquez *lib. 12. de mat. c. ap. 3. num. 7.* Bonacina *de leg. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 8.* Diana *part. 8. tract. 3. ref. 65.* Portel *in resp. mor. tom. 3. casu 49.* Amicus *tom. 5. disp. 6. sect. 8. num. 150.* ut iterum diximus suprà verb. Dispensatio *num. 35.*

Sanchez. Henriq. Bonacina. Diana. Portel. Amicus.

16. Dispensatio est valida in impedimentis matrimonij quando erratur in nomine personæ petentis dispensationem. Quod apertè colligitur ex *l. usitat. delegatis, §. si quis in nomine*, ibi. *Si quis in nomine cognomine, prænomine, agnomine legatary testator erraverit, si de persona constat, nihilominus valet legatum. Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.* ut diximus suprà verb. Dispensatio, *num. 33.*

17. Difficultas est, an dispensatio irrita sit, quando erratur in nomine Diœcesis, cuius erat is, cui impetratur dispensatio, ut si dictum est eum esse Diœcesis Leodiensis, cùm tamen esset Tornacensis, ac proinde commissio facta est Officiali Leodiensi? Resolutio huius difficultatis habetur suprà verb. Dispensatio, *num. 34.*

18. Forma dispensationum, quæ in foro conscientiæ à Sacra Pœnitentiaria expediuntur, varias clausulas complectitur, quarum prima continet qualitates personæ quę debet exequi dispensationem, *ut sit Doctor in jure Canonico, vel Magister in Theologia, vel discretus vir Confessor ex approbatu ab Ordinario.* Hinc notandū est *Primò*, nomine Magistri in Theologia, Doctor etiam in Theologia intelligitur, quia ista nomina sunt synonyma, licet quędam universitates uno utantur, aliæ alio. Non sufficit esse publicum professorem Theologiæ vel Canonum, nisi in universitate approbata gradus istos acceperit: quia hi soli dicuntur Doctores, qui habent testimonium publicum Academiæ: quare non satis erit gradus Licentiati, nec Baccalaureatus, sed debet esse Doctor, vel Magister graduatus. Nec sufficit esse juris civilis Doctorem, quia Doctores Cæsarei juris non habent eam notitiam, quæ necessaria est ad dispensationem exequendam.

Notandum *Secundò*, debere esse Confessorem approbatum ab Ordinario; si autem occultè esset eius approbatio revocata, potest nihilominus eligi, si communiter ignoretur revocatio: habet enim titulum coloratum. Si verò esset approbatus cum limitatione, v. g. ad audiendas Confessiones virorum, non mulierum, vel è contra, quando simul esset Doctor, vel Magister, secundùm Sanchez *lib. 8. disp. 34. n. 16.* & alios, potest eligi ad expediendas has dispensationes, sive viris, sive feminis concessas. Ratio est, quia in eis literis, dum petitur in expediturо approbatio Ordinarij unà cum gradu Doctoratus, spectatur potiùs scientia, ac rerum moralium peritia ad earum expeditionem. At hic utrumque suæ scientiæ testimonium habet: ergo, Sententiæ Sanchez subscribit Portel *in dub. regul. verb. Confessor aperiens literas Papæ, numero quinto*; nihilominus dicendum est, non posse exequi literas Maioris Pœnitentiarij nisi ad favorem earum personarum, ad quarum Confessiones audiendas ab Ordinario admissus fuit. Ratio est, quia Maior Pœnitentiarius sequitur simpliciter approbationem Ordinarij: ergo præsupponit in executore suarum literarum eam jurisdictionem, quam Ordinarius illi tradidit

Sanchez. Portel.

ad

ad Confeſſiones Sacramentales audiendas; ſed iuriſdictio fuit tradita cum limitatione: ergo præſupponit in dicto executore iuriſdictionem cum dicta limitatione; ergo, ſicut fuit excluſus per Ordinarium ab audiendis Confeſſionibus mulierum, vel è contra, ita etiam excluditur à majori Pœnitentiario. Ita Suarez *to.4. de pœnitent. diſp. 27. ſect. 7. n. 3.* Filliucius *tr. 10. p. 2. n. 352.* Petrus Ledeſma *in Summ. de Pœnit. c. 13. dub. 7.* Tamen utramque ſententiam probabilem eſſe putat Diana *part. 8. tr. 3. reſol. 103.*

Suarez. Filliucius. P. Led. Diana.

Notandum *Tertiò*, quod ex privilegio bullato Gregor. XIII. poſſunt has diſpenſationes exequi Sacerdotes Societatis, modò ſint approbati ab Ordinario ante expeditionem vel executionem ipſarum. Eodem privilegio gaudent alij Mendicantes. Debent tamen omnes ſpecialem habere facultatem Superiorum ad talem executionem, aliàs diſpenſatio erit nulla, ut docent Rodriguez *to. 1. quæſt. reg. q. 65. art. 8 in fine.* Salas *de legibus diſp. 20. ſect. 10. §. 3. n. 97.* & Sanchez *lib. 8. diſp. 34. n. 11.* Pellizzarius *in man. regul. tr. 8 c. 3. n. 189.*

Gr. XIII.

Rodrig. Salas. Sanchez. Pellizzar.

19. Quorumdam ſententia eſt, prædictam executionem literarum non debere fieri in Sacramentali Confeſſione. Nam ſi Pœnitentiarius committens has diſpenſationes vellet præmittendam neceſſariò Confeſſionem Sacramentalem, id claris verbis explicaret. Nulla enim ſunt verba in expeditione literarum, quæ id exprimant per modum conditionis, qualis eſt, *ſi dummodo*. Adde quòd ille ablativus abſolutus, *auditis Confeſſionibus*, in bulla Gregor. XIII. poſitus, in qua id privilegium conceditur, refertur ad abſolutionem Sacramentalem à peccatis, & non ad diſpenſationes. Et certè vix credi poteſt, ut facultas, quam Sacra Pœnitentiaria concedit Doctori extra Confeſſionem, velit, ut coarctetur ad Confeſſionem reſpectu Religioſorum. Nam ſenſus, ac mens Pontificis eſt, eandem facultatem & eodem modo concedere Religioſis, quo Pœnitentiaria Sacra Doctori concedit, ut pluribus rationibus adductis conatur probare Sanchez *lib. 8. diſp. 34. n. 29. & 30.* cum alijs. Verùm, quia hodie in Brevibus quæ à Sacra Pœnitentiaria expediuntur, apponi ſolent hæc verba, *Quamvis audita Sacrament. Confeſſione, &c. vel in ipſo actu Sacrament. Confeſſ. nec aliter, nec alio modo.* videtur ceſſare hæc difficultas, & prædicta opinio reprobari, ut obſervant Lezana *t. 4 Sum. verb. litera Apoſtolica, n. 20.* Eſcobar *in Theol. mor. tr. 1. exam. 16. cap. 4. num. 124.* Pater Theſaurus *in praxi de pœnit. part. c. 22.* Pontius *de matr. lib. 8. cap. 21. n. 12.* Pellizzarius *in man. regul. tract. 8. cap. 3. n. 194.* Diana *part. 4. tr. 4. reſol. 71.* & alij. Ratio eſt; tum quia omnia, quæ in prædictis literis continentur, indicant Sacramentalem Confeſſionem: nam utuntur verbo, *abſolvendi*, cujus non eſt uſus in diſpenſationibus. Ajunt etiam, *in forma Eccleſia conſueta*, quæ particula oſtendit idem Sacramentum. Requirunt quoque in executore ejus diſpenſationis qualitatem Confeſſoris approbati ab Ordinario; tum quia ſicut iudex non poteſt exercere ſuam iuriſdictionem extra ſuum territorium, ita neque Confeſſor delegatus poteſt exercere ſuam iuriſdictionem delegatam, extra Sacramentalem Confeſſionem, quæ eſt Confeſſoris præſcriptum & limitatum territorium: ergo debet prius ingredi ſuum territorium, hoc eſt, audire Sacramentalem Oratoris Confeſſionem, & poſtea iuriſdictionem ſibi delegatam exercere.

Sanchez.

Lezana. Eſcobar. Theſaur. Pontius. Pellizz. Diana.

Sed petes, an ſi Confeſſio, quę requiritur ad validam expeditionem iſtarum literarum, ſit invalida, etiam invalida ſit ipſa expeditio? Reſp. non eſſe, ſi Confeſſio ſit invalida ex defectu doloris, aut integritatis circa alia peccata, non autem circa id, de quo petitur diſpenſatio: ſecus, ſi non ſit integra reſpectu ejus, de quo quæritur diſpenſatio; ut tradunt Suarez *de pœnit. diſp. 31. ſect. 4. n. 9* Filliuc. *tr. 10. n. 355.* Pellizzarius *loco cit. n. 196.*

Suarez. Filliucius. Pellizz.

20. Iuxta veriorem & in praxi tenendam ſententiam pœnitens, ubi ſemel literas Sacræ Pœnitentiariæ cuidam Confeſſario præſentavit, illum eligens, ut diſpenſationem exequatur, ſi ille nolit diſpenſationem concedere, poteſt alium adire & ab eo ipſam obtinere. Ratio eſt, quia cùm ea commiſſio facta ſit in foro conſcientiæ, ſequitur ejus fori naturam, quæ eſt, ut non adſtringatur pœnitens acquieſcere ſententiæ unius Confeſſarij, ſed poſſit alium adire, qui ex alia opinione probabili cum ipſo diſpenſabit. Imò ipſe Confeſſarius, qui in principio noluit hanc diſpenſationem exequi, poteſt mutata ſententia, id poſtea facere, cùm ſapientis ſit ex juſta cauſa mutare conſilium. Ita Lezana *to. 4. verb. litera Apoſtolica, n. 19.* Sanchez *lib. 8. diſp. 27. n. 40.* Diana *part. 8. tract. 3. reſol. 104.* & alij contra Navarrum *lib. 1. conſil. de offic. delegat. conſil. 8.*

Lezana. Sanchez. Diana. Navarrus.

21. Secunda clauſula in reſcriptis Sacræ Pœnitentiariæ eſt, in qua continetur cauſa diſpenſationis; nempe, *propter periculum incontinentiæ*. Hæc clauſula ut verificetur, non ſufficiunt quæcumque carnis tentationes, nec quodcumque lapſus in eas periculum: nec ſat eſt timor unius vel alterius lapſus; ſed exigitur maximum frequentis lapſus periculum, ita ut ea perſona poſſit dici vivere incontinenter. Hoc patet ex verbis clauſulæ, ibi, *Continenter vivere poſſe non ſperat*, quæ ſonant habitum vivendi incontinenter. Sufficiet tamé ad diſpẽſandum, ſi hoc grande periculum frequentis lapſus proveniat vel ex fragilitate complexionis, vel ex pravo habitu acquiſito. Ita Sanchez *lib. 8. diſp. 34. n. 19.* Portel *in dub. reg. verb. Confeſſor aperiens literas Papæ, n. 6.* Filliucius *tract. 10. part. 2. n. 353.* Salas *de leg. diſput. 20. ſect. 10. §. 3. n. 97.*

Sanchez. Portel. Filliucius. Salas.

22. Tertia clauſula, in qua mandatur Confeſſario verificationem cauſæ indagare per diligentem Oratoris examinationem, verificatur, dummodo Confeſſarius diligenter examinet veritatem precum etiam non vocatis notario & teſtibus, ſed ipſo ſolo, cum quo diſpenſaturus eſt, examinato. Quoniam cùm hæc diſpenſandi facultas committatur in ſolo ſecretiſſimo conſcientiæ foro, illius fori leges aptari debent, quæ ſunt, ut confeſſioni pœnitentis integra fides habeatur etiam ſine juramento; quamvis contrarium dicat Pontius *lib. 8. cap. 21. n. 16.* Si tamen Confeſſarius aliunde ſciat, quàm ex Confeſſione Sacramentali, preces allegatas in ea diſpenſatione eſſe falſas, aut tacitam eſſe veritatem neceſſariò explicandam, non debet diſpenſare, tametſi pœnitens eas veras eſſe aſſerat. Adde quòd examen iſtud aſſignetur pro forma executionis, & ideò ita neceſſarium videtur, ut eo non prætermiſſo, nulla eſſet diſpenſatio, quamvis cauſæ veritas ſubſiſteret: quia in literis ſit expreſſa mentio hujus conditionis, nempe, ſi per diligentem examinationem inveneris ita eſſe, vel preces veritate niti. Proinde ſi Confeſſor neque examinet, neque conſcius aliàs ſit de illa juſta cauſa, & re vera eſt juſta cauſa quam ille neque ſcit, neq; examinat, & tamen diſpenſat, diſpenſatio nulla erit, quia non ſervavit formam ſubſtantialem illi præſcriptam, pro eo actu exercendo. Ita Sanch. *loc. cit. n. 21. & 26.* Baſilius Pontius *ſup.* Portel *loc. cit. n. 7.* Guttierrez *in quæſt. Canon. lib. 2. c. 15. n. 12.* & alij apud Salas *tit. diſp. 20. ſect. 10. §. 3. num. 97.*

Pontius.

Sanchez. Pontius. Portel. Guttier. Salas.

23. Quarta clauſula continens monita & conſilia danda à confeſſore, verificatur, monẽdo eum, cum quo diſpenſandum eſt, ut ſincerè veritatem explicet ſignificando ei quantum illius intereſſit, ne diſpenſatio valore fruſtretur. Tamen ſi confeſſor talia conſilia & monita omittat, ſeruando reliqua, diſpenſatio valida erit: quia hujus clauſulæ verba non inducunt formam, ſed ſolam inſtructionem Confeſſarij, qualiter ſe debeat habere, ut de veritate certior fiat. Nec Confeſſarius omittens ea præſtare, reus erit alicujus culpæ, ſi tamen in diligenti veritatis examine non deficiat. Quod ea verba præceptum non importent, ſed inſtruSanchez. ctionem quandam ac monitionem. Ita Sanchez *loco citato num.* 27. & alij.

24. Quinta clauſula injungens opera in quæ debent cõmutari votum caſtitatis vel Religionis, admixta partim diſpenſatione, ligat Cõfeſſarium, ne pro arbitrio ea mutare poſſit, ſed illa injungere præciſè tenetur, ſecũdùm quod in literis exprimitur; ut Confeſſionem menſtruam, & aliqua opera Pœnitẽtię perpetua, inter quę ſint aliqua quotidie exercenda. Id enim clarè innuitur in dictis literis: quia obligatio voti, in cujus locũ ſubrogantur, ea in ſe claudebat & multò majora ultra vota tria Religionis, quando eſſet Religionis. Quando verò diſpenſandum eſt votum caſtitatis, iubet Sũmus Pœnitentiarius, ut imponantur aliqua opera pietatis quotidie implenda, ut pœnitens nõ meminerit prioris voti, quæ opera pietatis poſſunt eſſe quæcumque opera miſericordiæ, ut recitare quinquies Orationem Dominicam & Angelicam pro animabus Purgatorij, vel pro vivis in peccato exiſtentibus, vel eleëmoſyna quotidiana, vel quodvis opus miſericordiæ. Porrò ſi hæc difficilia pœnitens deinde experiatur, & frequẽtiùs labatur omittendo, tunc curet ea cõmutari: quia probabile eſt Confeſſarium electũ poſſe ea moderari, ut ſi menſtrua Confeſſio per totam vitam eſſet difficilis, reducere ad bimeſtrem, attento ſtatu pœnitentis occupati, diſtracti & ſimiliter impediti. Si recitatio ſeptem Pſalmorum pœnitentialium, vel officij Beatę Virginis quotidie gravior cenſeretur, reſtringat ad Pſalmum Miſerere vel ad alias preces.

Probatur hoc ex ijs verbis, quæ in literis ponuntur, *prout judicaverit expedire ſaluti ejus, cum quo* Sanchez. *diſpenſatur, &c* De quibus plura apud Sanchez *loco* Portel. *citat. n.* 40. & 41. Portel *in dub. regul. verb. Confeſſor* Perez. *aperiens literas Papæ, num.* 10. Perez *de matr. diſp.* 48. *ſect.* 6. *à num.* 1. *uſque ad num.* 8.

25. Sexta clauſula jubens dilaniari literas per Confeſſorem ubi diſpenſationem expedierit, & ſi parti reddantur, nil illi ſuffragentur, verificatur, ſi poſtquam hæ literæ parti reſtitutæ fuerint, dilanientur aut comburantur, vel omninò amittantur ſine recuperandi ſpe, vel Confeſſor eas apud ſe retineat ad aliquem uſum materialem. Notandum tamen ſi ſecus fiat, non propterea diſpenſationem impenſam reddi invalidam, ſed tantùm auferuntur illi vires pro foro externo, ut nil in eo ſuffragentur. Et ideò hæ literæ jubentur dilaniari, ne deSanchez. licta occulta in eis contenta detegantur. Ex San-Filliucius. chez *loco cit. n.* 42. Filliucio *tr.* 10. *p.* 2. *n.* 357. Pel-Pellizz. lizzario *loco cit. n.* 150.

26. Septima habetur in diſpenſationibus ad matrimonium contrahendum, vel inſtaurandum invalidè initum cum impedimento dirimente. *Dummodò impedimentum inde proveniens occultum ſit.* Circa hanc clauſulam eſt notandum, quod occultum in his Sacræ Pœnitentiariæ literis dicitur, quando non eſt publicum, quando videlicet non ſcitur in majori parte viciniæ, vel collegij, vel Parochiæ: quare etiamſi ſciatur ab aliquibus, ac proinde probari poſſit, adhuc eſt intra limites occulti; ſatis eſt enim, ut obvietur ſcandalo publico, quod petens diſpenſationem non laboret publicâ infamiâ: nam tunc requireretur diſpenſatio in foro externo. Dicetur adhuc hoc impedimentum occultum, ſi verbi gratia, copula ipſa ſit publica in ratione copulæ, non verò in ratione impedimenti, id eſt, ſi ſciatur copula, at non ſciatur illud eſſe impedimentum dirimens matrimonium. Nam delictum publicum non dicitur, ſi tantùm actus illius materialiter ſit publicus, niſi ſit publicus formaliter, id eſt, quatenus eſt delictum. Quando autem impedimentum jam eſt deductum ad forum contentioſum, non dicitur occultum, quia jam ſpectat ad forum externum, in quo caſu Papa non vult ut diſpenſatio concedatur, niſi pœnitens in eo foro fuerit ibi abſolutus, quia in tali caſu crimen dicetur adhuc occultum, etiamſi falſis teſtibus ſe defenderit pœnitens: quia hoc non tollit quin crimen maneat occultum, cùm non amiſerit famam: per ſententiam enim illam recuperavit. Ita Sanchez *lib.* 8. *diſp.* 34. Sanchez. *num.* 55. & 56. Lezana *in Summ. tom.* 4. *verb. Li-* Lezana. *teræ Apoſtolicæ, num.* 28. Portel *in dub. regul. verb.* Portel. *Confeſſor aperiens literas Papæ, numero* 13. & 14. Si tamen contra ipſum fuerit ſemiplena probatio, jam non poteſt dici occultum; quia crimen poſitum in foro externo cum ſemiplena probatione, etiamſi abſolvatur, ex illo oritur infamia, ut docent Suarez *de cenſuris diſp.* 41. *ſect.* 2. *n.* 6. Portel *ſu-* Suarez. *prà*. Imò ſi crimen ſit plenè vel ſemiplenè probatum, etiamſi non ſit intimatum reo, cenſetur publicum: quia tunc adeſt infamia ipſius; tum quia quæ judicialiter fiunt coram judice perſonam publicam ſuſtinente, publica dici debent, ut docent Lezana *ſuprà* citans Bonacinam, quamvis Lezana. in his duobus caſibus Sanchez *ſuprà num.* 58. pu-Bonacina. tet cenſeri adhuc occulta. Vide quæ diximus ſu-Sanchez. per his *tom.* 1. *verb. Abſolutio, num.* 29. & *verb. Irregularitas XI. num.* 5.

27 Octava clauſula, quæ in literis Sacræ Pœnitentiariæ aliquando apponitur, eſt, *ut conjux impedimenti ignarus certior fiat de prioris conſenſus nullitate.* Circa quam clauſulam eſt notandum, eam non eſſe de eſſentia diſpenſationis, & ſic non eſſe conditionem; ſed inſtructionem Confeſſarij, ut certior ſit poſterioris matrimonij contractus; cùm certa ferè opinio habeat neceſſarium eſſe ad ejus valorem, ut alter conjux certior fiat de prioris conſenſus nullitate. Et certè ſi id eſſet neceſſarium, ſæpiùs fruſtrarentur hæ diſpenſationes; cùm ſæpè contingat non poſſe detegi nullitatem abſque periculo detegendi delictum feminæ, quæ fortè ante matrimonium habuit copulam cum fratre præſentis mariti; tunc ut hoc matrimonium denuò ineatur, non eſt manifeſtandum delictum huic virò putato marito, quod delictum fuit cauſa impedimenti, ſed dicendum eſt ſaltem remotè & quaſi conditionaliter, ut ſi fortè anteà matrimonium fuerit nullum, denuò conſentiat ad cautelam. Ita Portel Portel. *loco citato numero* 17. & Sanchez *citato numero* Sanchez. *61. ex parte.* Pellizzarius *in manual. regular. tra-* Pellizzar. *ctat.* 8. *capite* 3. *num.* 248. Et hæc de clauſulis iſtis ſatis, de quibus plura apud Doctores hic citatos.

28. Demum à tergo literarum diſpenſationis Sacræ Pœnitentiariæ habentur hæc verba, *Gratis ubique*, quæ denotant nihil pro his accipi poſſe, etiam per viam compenſationis; ſed eas gratias omni-

omninò gratis expediri: quod a deò verum eſt, ut neque Summus Pœnitentiarius has literas dare poſſit in ſignum gratitudinis aliquid etiam ſponte datum recipere, ut teſtatur Navarrus *l. 4. conſ. 50. de ſponſ.* Sanchez *loco cit. n. 64.* Quidam tamen Doctores concedunt poſſe aliquid accipi, non per modum pretij, ſed ratione conſuetudinis, vbi illa viget; quia illa verba non prohibent acceptionē munerum gratuitorum, ſed ſtipendiorum, quæ animum judicis corrumperent, qualia nō ſunt, quæ conſuetudine dantur. Deinde illa verba non derogant privatę conſuetudini ſufficienter pręſcriptę. Navarrus. Sanchez. Ita Salas *de leg. diſp. 20. ſect. 10. §. 3. num. 99.* Diana *p. 4 tract. 4 reſol. 84.* Pellizzarius *loco cit. num. 250.* Quamvis alij hanc conſuetudinem damnent. Salas. Diana. Pellizzar.

29. Quando inter conſanguineos mutua præceſſit promiſſio contrahendi matrimoniū, ſi Papa diſpenſaverit, communibus expenſis diſpenſatio ſolvenda eſt: quia qui ſentit commodum, par eſt, ut ſentiat onus. Sed uterq; ſentit commodum diſpenſationis: ergo par eſt, ut uterque ſentiat incōmodum expenſarum, quæ in impetranda diſpenſatione fiunt: cùm in promiſſione contrahendi matrimonium cum conſanguinea includatur tacita conventio, ſeu conſenſus petendæ diſpenſationis. Tamen ſi alter ratione alicuius legati vel ſucceſſionis in maioratum gravatus ſit ad id matrimonium, tunc totas diſpenſationis expenſas facere tenetur: quia eo ipſo quod ad aliquid exequendū gravatus eſt, cenſetur eo ipſo gravatus ad omnia illa, quæ ad executionem deſiderantur. Ita Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 36. n. 1. & 2.* Gutierrez *de matrim. c. 128. n. 23.* Filliucius *tract. 10. part. 2. n. 364.* Si verò alteruter deſiderans perſonæ conſanguineæ matrimonium, ipsâ inconſultâ diſpenſationem impetravit, ſoli impetranti incumbet integras expenſas ſolvere: quia ſcius matrimonij futuri non conſentit tacitè vel expreſsè ad impetrandam diſpenſationem: & hoc procedit non ſolùm ſi inſcius eo tempore, quo matrimonij contrahendi conventionem fecit, conſcius erat diſpenſationis obtentæ, ut vult Sanchez *ſupra n. 3.* verùm etiam ſi ignorabat: nam qui diſpenſationem impetravit, præſumitur expenſas liberaliter feciſſe, cedens iuri ſuo in obſequium ſuę voluntatis, ſeque periculo exponens, ut diſpenſatio non ſortiatur effectum, ſi altera perſona in ipſius matrimonium conſentire noluerit. Ita Bonacina *de leg. diſp. 1. q. 2. punct. 11. num. 5.* Sanchez. Sanchez. Gutierr. Filliucius. Bonacina.

30. Qui obtenta de communi conſenſu diſpenſatione, injuſtè renuit matrimonium, tenetur ad integras diſpenſationis expenſas: quia par non eſt, ut alter damnum patiatur ob injuſtā ipſius actionem. Si verò juſtè renuat matrimonium contrahere, abſque alterius culpa: ut ſi Religionē ingrediatur, aut notabiliter deformis evadat, non tenetur illi partem expenſarum, quam ſolvit, refundere, ſed utriuſque eſt ſuam partem ſolvere. Ratio eſt; quia utitur jure ſuo, cùm habeat juſtam reſiliendi cauſam, & nullo iure probetur, juſtè reſilientem à promiſſione matrimonij teneri ad expenſas integras diſpenſationis, ut docent Sanchez *lib. 5. diſp. 5. n. 33.* P. Ledeſma *de matr. q. 47. a. 5. dub. 2.* & alij. Si tamen alter doloſè contraxerit, quia nimirum habebat animum reſiliendi etiam licitè, ut ingrediendo Religionem, ſive ante initū matrimonium, ſive ante illius conſummationem, tenetur ad integras expenſas, & alteri partem expenſarum, quam ſolvit, refundere. Ratio; quia licet ius habeat ingrediendi Religionem, non tamen jus habet cum damno alterius matrimonium promittere, vel matrimonium ratum celebrare animo capeſſendæ Religionis; unde non habet jus decipiendi alterum efficiendo ut inanes expenſas faciat, niſi animum habeat ſervandi alterū indemnem. Ita Sanchez *lib. 8. diſp. 36. n. 5.* Filliucius *loco cit. n. 365.* Idem dicendum, quando dubius eſſet tempore contractus, an ingreſſurus eſſet Religionem, hocque non obſtante conventionem fecit contrahendi matrimonij, ſeu petendæ diſpenſationis, non explicato alteri hoc dubio. Ratio eſt; quia tunc contractus non eſt æqualis, cùm alter firmum animum habeat ſtandi promiſſis; hic autem dubium. Et ſi alter huius dubij conſcius eſſet, nullatenus ſe ad expenſas obligaſſet, ſed in reſilientem onus expenſarum retudiſſet. Ita poſt Sanchez *loco cit.* Bonacina *ſupra num. 8.* Sanchez. Filliucius. Sanchez. Bonacina.

31. Qui alteri culpabilem reſiliendi cauſam prębet, ita ut reſiliens nequeat abſque damno proprio & dedecore id matrimonium inire, tenetur qui inculpa fuit, integras expenſas ſolvere: quia par non eſt, ut quis damnum patiatur ob alterius culpam: unde femina, quæ obtenta diſpenſatione fornicatur, tenetur ad integras expenſas diſpenſationis: nā ſponſus ob culpam ſponſæ reſilit à promiſſione. Idem dicendum videtur de ſponſo fornicante poſt obtentam diſpenſationem, & ob ipſius fornicationem ſponſa reſilit à promiſſione; quia ob culpam ipſius viri & ob actionem iniuſtam & iniurioſam diſſoluuntur ſponſalia. Nā in promiſſione matrimonij ſicut ſubintelligitur hæc tacita conditio, *Ducam te, niſi culpabiliter dederis cauſam non ducendi*; ita in conventione diſpenſationis obtinendę, ſubintelligi videtur hæc cōditio, Conferam expenſarum partem, niſi culpabiliter in cauſa fueris, ut à promiſſione reſiliam. Ita Bonacina *loco cit. n. 9.* contra Sanchez *lib. 8. diſp. 36. n. 6.* qui putat in hoc poſteriori caſu ſponſum fornicantem tantummodo teneri ad dimidiam partem expenſarum. Bonacina. Sanchez.

Certum eſt tamen neque ſponſum, neque ſponſam fornicantes ante promiſſionem matrimonij, teneri ad integras expenſas diſpenſationis, ſi illā obtentā nolint inter ſe matrimonium contrahere: quia in hoc caſu ſponſa nullam exercuit actionem iniuſtam & iniurioſam ſponſo; ſicut nec è contrà ſponſus ſponſæ.

Denique ille, cuius culpā poſt matrimonij promiſſionem contrahitur impedimentum dirimens, tenetur, ſi commodè poſſit, propriis expenſis diſpenſationem impetrare, ut ſponſalia perficiantur; quia par non eſt, ut ſponſus innocens damnum patiatur ob culpam alterius. Ita Petrus Ledeſma *de mat. queſt. 43. art. 3.* Sanchez ex parte *loco citato num. 7.* & alij. Sed de his plura apud Sanchez *à num. 8. uſque ad finem.* P. Led. Sanchez.

Hîc agendum eſſet de clauſulis diſpenſationum, quæ circa matrimonij impedimenta Ordinarius in foro externo expediendæ committuntur; ſed quia non pertinent ad Confeſſarium, ideo ab illis ſuperſedemus, quæ videri poſſunt apud Sanchez *lib 8. diſp. 35.* Filliucium *tract. 10. part. 2. n. 363.* Pellizzarium *in Man. reg. tract. 8. cap. 3. n. 258.* & quæ diximus ſuprà *v. Clauſula n. 19. & ſeqq.* Sanchez. Filliucius. Pellizzar.

MENDACIVM.

SUMMARIUM.

1 *Mendacium unde derivetur? & de eius diviſione in judiciale & extraindiciale. In formale & materiale. In jocoſum, officioſum, perniciоſum: in illud quod fit verbis, & quod factis.*

2 *An mendacia ſint joci, locutiones tropicæ, hyperboles, amphibologiæ, &c.*

3 *An mendacium ſit ita intrinſecè malum, ut in nullo caſu liceat.*

4 *An poſſit dari ignorantia invincibilis, quod mendacium jocoſum & officioſum non ſint peccata.*

5 *An interdum ſit licitum celare veritatem alteri per verbi æquivocationem, aut facti diſſimulationem.*

6 *An mendacium veniale in viris perfectis, religioſis & Prælatis, ſit mortale.*

7 *An ſi mortale mendacium dictum in prædicatione, ſit materia ſit levis.*

8 *An qui centum mutuo accepit & reddidit, poſſit in judicio ſine mendacio negare actoris petitionem? Et quid ſi tantùm quinquaginta ſoluit?*

1. MEndacium derivatur à verbo mentior, quod falſum dicere ſignificat; ideoque mentiri nihil aliud importare videtur, juxta nominis Etymologiam & vocis interpretationẽ, quàm contra mentem ire, & dicere aliquid contra rei veritatem ad decipiendas audientium mentes: unde *mendacium* communiter definitur, *eſſe falſam ſignificationem vocis cum intentione fallendi, ſeu dicendi falſum.* Ex D. Auguſtino *lib. 1. contra mendacium, cap. 4.* & D. Thoma 2.2. *q. 110. art. 1.* D.Aug. D.Thom.

Multipliciter mendacium dividitur à Doctoribus, & *Primò*, in judiciale, & extraiudiciale. Mendacium *judiciale* eſt illud, quod fit in judicio, deponendo falſum teſtimonium coram judice à teſtibus, ſive interrogatis à judice, ſive ſponte deponentibus & dicentibus falſitatem; ſub quo includitur omnis iniuſtitia contra veritatem, quæ fit à judicibus, Advocatis, Procuratoribus, Notariis, aliiſque Officialibus, & ab ipſo reo negante veritatem, vel confitente falſum. Mendacium *extraiudiciale* eſt omne illud, quod fit extra judicium, per infamationem, detractionem, ſuſurrationem contra famam & honorem proximi, illum offendendo convitiis & contumeliis infamatoriis, vel faciendo falſum judicium & temerarium contra illum, nullo ſufficienti fundamento.

Secundò, dividitur mendacium in formale & materiale. Mendacium formale eſt, quod dicitur intentione & animo dicendi falſum, in quo conſiſtit formalitas mendacij. Mendacium materiale eſt, quando quis dicit, aut affirmat aliquid quod in ſe falſum eſt, ipſe tamen exiſtimabat eſſe verum, & fuit mendacium per accidens ex ignorantia dictum, ideoque dicitur tantùm mendacium materialiter dictum, ſeu ſecundùm quid, & præter intentionem dicentis.

Mendacium formale duplex eſſe poteſt, unum formaliter tantùm & non materialiter, & eſt quãdo quis animo dicendi falſum aliquid dicit quod in ſe eſt verum, & tale dicitur mendacium formale, ſed imperfectum. Alterum dicitur mendacium perfectum ex utraque malitia conſtans, quod contingit, quando profertur id, quod in ſe falſum eſt, & animo dicendi falſum.

Tertiò, dividi poteſt ſecundùm rationem materiæ gravioris, vel levioris, vel ſecundùm rationem finis intenti, & ſic dividitur in mendacium *Jocoſum*, *Officioſum*, & *Perniciоſum*.

Mendacium jocoſum eſt, quando cauſâ voluptatis propriæ vel alienæ proferuntur mendacia, prout ſæpeſæpiùs facere ſolent homines otioſi & garruli novarum rerum cupidi, qui ex loquacitate ſolent multa figmenta & fabulas effingere.

Mendacium officioſum eſt, quando intenditur aliqua utilitas, ſive propria, ſive aliena in rebus temporalibus: quod deinde ſubdividitur in illud, quod nulli nocet, & alteri prodeſt ad pecuniam ſervandam; & in id, quod nulli obeſt, & alteri prodeſt ad corpus vel integritatem corporis ſervandam.

Mendacium perniciоſum eſt illud, ex quo ſequitur, vel ſequi poterit nocumentum & damnũ alicuius, ſive in perſona, ſive in rebus, ſive in honore & fama, vel Dei offenſa contra divinam legem. De quibus agunt D. Thomas 2.2. *q. 110. art.* 2. Sylvius *ibidem*, Sylveſter *verb. Mendacium. quæſt.* 1. Trullench *in Decalog. tom. 2. lib. 8. cap. 8. n. 3.* Clavis Regia *lib. 12. cap. 2.* & alij. D.Thom. Sylvius. Sylveſt. Trullench Clav.Reg.

Quartò, dividitur in ratione ſigni & modi, quibus quis ad decipiendum alios utitur: nam ſi verbis decipiat, proprio nomine appellatur mendacium: ſi verò factis ſive ſignis, tunc dicitur ſimulatio, quæ nihil aliud eſt, quàm mendacium in actionibus vitæ, quando videlicet quis per huiuſmodi ſimulationes intendit aliud ſignis facere, quàm interiùs in animo ſentit.

2. Mendacia non ſunt joci, qui ita proferuntur vel aguntur, ut ex ipſo agendi vel pronuntiandi modo ſatis intelligatur falſum eſſe, quod exteriùs enuntiatur: quia deeſt animus fallendi, eſto quòd audiens ob ſimplicitatem, ſeu ſtupiditatem ſuam, ſerò acceptурus ſit. Bonacina *in Decalog. diſp. 10. q. 2. punct. 2. n. 7.* ex D. Auguſtino. Similiter mendacia non ſunt locutiones tropicæ & figuratæ, ipſæque ironiæ, hyperbolæ, fabulæ & parabolæ: quia verum ſenſum continent, quem loquens etiam exprimere intendit, licet interdum animaduerat, eum ab audiente non ſtatim apprehendi, ſed alium falſum ſenſum opinionemque concipi, quod tamen ipſe non intendit, ſed permittit. Denique mendacia non ſunt amphibologiæ, ſeu locutiones ambiguæ, quæ duos ſenſus habent: quorum unum, qui verus eſt, ſi enuntians animo ſuo intendat, non mentitur; eſto intelligat, audientem alterum ſenſum, qui falſus eſt, accepturum & deceptum iri: quia illam deceptionem iſte ſua enunciatione non efficit, ſed permittit. Ita Azorius *p. 3. lib. 14. cap. 3.* Bonacina.

An autem à mendacio excuſari poſſit, qui ſcienter alteri enunciat, aut exhibet ſignum vocis, ſeu facti, quod ex ſe & ſecundùm omnes circumſtantias ad unum ſenſum eumque falſum, determinatum eſt, idcirco, quod mente ſua aliquid aliud concipiendo adiungat, per quod oratio vera efficiatur? Affirmant quidam, ſed alij probabilius negant, ut diximus *tom. 1. verb. Iuramentum III. num. 10.*

3. Mendacium ita intrinſecè, & per ſe malum eſt, ut nullo caſu licitè fieri poſſit. Probatur primò ex ſacra Scriptura, Pſalm. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Sapient. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Ad Epheſ. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo.* Secundò probatur ratione: tum quia omne mendacium ex veritate non eſt, ut dicitur 1. *Ioan. 2.* Atqui nihil poteſt eſſe juſtum ac licitum, quod non eſt ex veritate, cùm Deus, qui veritas eſt, ſit omnis boni auctor: Nullum igitur mẽdacium poteſt eſſe licitum. Tum quia locutionis copia à Deo inſtituta eſt, non ut invicem fallamus, ſed ut alter in alterius notitiam cogitationes ſuas proferat: ergo abuſus & perverſio eſt omne mendacium, id eſt dictum contra mentem, alterius fallendi cauſa prolatum.

Si dicas: Furtum eſt intrinſecè malum, & tamen licitum eſt in extrema neceſſitate rem alienam capere: ergo etiam licitum erit juſta de cauſa, v.g. ob finem conſervandæ vitæ propriæ, vel alterius,

mentiri,

mentiri, quamvis mendacium sit intrinsecè malum. Propter hoc argumentum errarunt veteres quidam apud Cassianum *collat.* 17. *cap.* 17. Dorotheum *ser.* 9. *de mendac.* & alij apud Augustinum *utroque lib. de mendac.* dicentes in casu necessitatis, seu ob magnum bonum promovendum licitum esse mentiri.

Cassian. Doroth. D. Aug.

Ad argumentū autem neganda est consequentia. Ratio disparitatis est; quia adveniente necessitate extrema omnia fiunt communia, nec dominus est rationabiliter invitus; sed ob finē bonum non tollitur pravitas mendacij, sicut neque tollitur pravitas furti; alioquin tolleretur pravitas omnium peccatorum ex intentione boni finis, quod est absurdum & à ratione omnino alienum.

Nec dictis etiam obstant facta & dicta quorumdam Sanctorum, qui in sacris literis commēdati sunt. Nam cùm Abraham *Genes.* 12. dixit Saram esse sororem suam cùm esset uxor, non commisit mendacium; quia loquutus est ambiguè accipiendo nomen sororis pro consanguinea. Similiter Iacob quando dixit patri suo se primogenitum illius esse, mentitus non est, sed prophetico sermone est locutus, imitando populū gentilem, qui minor erat, sustinendum esse in locum primogeniti, in locum scilicet Iudæorum. Ita D. Augustinus *lib. de mendac. cap.* 10. D. Thomas 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 3. Sylvius *ibidem* Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 7. Layman *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 13. & alij communiter Theologi.

D. Aug. D. Thom. Sylvius. Clav Reg. Layman.

Ex dictis infertur, nunquam licitum esse mendacium, etiam ad vitandum scandalum, aut aliud quodcumque malū, sive corporale, sive spirituale; imō nec ad salvandam vitam hominis corporalē, aut spiritualem animæ: quia cùm omne mendacium peccatum sit, non est umquam licitum: *Non enim facienda sunt mala ut eveniant bona.* Rom. 3.

4. Dari potest ignorentia invincibilis respectu mendacij officiosi, ita ut proferens mendacium officiosum, vel iocosum excusetur ob omni culpa. Ratio est; quia veritas ista, quòd mendacium nullo casu licitum sit, non semper cognita fuit, cùm neque Augustini tempore communiter recepta fuerit. Propterea licet admittatur Sanctos illos veteris testamenti mentitos fuisse, cùm non omnia ex Dei instinctu locuti sint, sed quædam propria etiam simplicitate addiderint, permittente Deo ob ipsorum imperfectiones; non tamen sequitur eos peccasse, quia invincibili laborantes ignorantia, existimabant tali casu fas esse mentiendo decipere. Ita Bonacina *in Decal. disp.* 20 *quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 4. D. Thomam, Cajetanum, Clavem Regiam, & Azorium.

Bonacina. D. Thom. Cajetan. Clav. Reg. Azorius.

Non est per se malum, sed interdum licitum, si ob justam causam fiat, celare alteri veritatem aliquam per verbi equivocationem, aut facti dissimulationem. Ista communis Doctorum sententia; quia juxta D. Augustinum *lib. cont. mendac. c.* 10. aliud est occultare veritatem, & aliud proferre mendacium: quamvis enim omnis qui mentitur, velit celare quod verum est; non tamen omnis qui vult, quod verum est, celare, mentitur. Tum quia simulatio mendacium est falsi, dissimulatio autem est veri: sed falsum scienter edicere per se est malum, quia repugnat naturali præcepto negativo, ne mentiaris. At quod verum est, interdum justè ac licitè celatur, quia non semper obligat præceptum affirmativum manifestandæ veritatis. Imò interdum etiam est necessarium veritatem celare, aut dissimulando verbo, aut opere ambiguo, permittere, ut alter falsam opinionem, seu errorem concipiat. Proinde in re militari licet uti intitijs militaribus & bellicis stratagematibus, quibus invicem hostes sese solent decipere. & sunt insidiæ utrique parti belligeranti communes. Item simulatio est licita quando nulli nocet, & plurimū nobis prodest, vel alijs, nimirum ad evitandam mortem, vel grave aliquod damnum seu periculum famæ, honoris, vel bonorū temporalium. Sic religiosus vel Clericus transiens per terras Hæreticorum, licitè simulat se sæcularem, mercatorem, vel militem, & Christianus iter habens per terras Turcarum, vel aliorum hostium Christiani nominis, licitè simulat occultando se Christianum, dummodo in verbis non mentiatur. Hæc est doctrina D. Thomæ 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 4. ubi ait: *Et idèo non est licitum mendacium dicere ad hoc quod aliquis alium quocumque periculo liberet. Licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut Augustinus dicit in lib. contra mendacium.* Sylvij *in eodem art.* ubi habet: Sed neque mendacium est occultare verum, si sic occulteter, ut nihil contra mentem dicatur, etiamsi prævideatur quod aliquis inde sit decipiendus: quia non tenemur semper dicere id quod verum est, vel omnem in proximo errorem vitare; sed quandoque tacendum, quandoque occultandum est verum; & si nunquam mentiendum. Ita etiam Azorius *tertia parte*, *lib.* 13. *cap. dub.* 3. & alij.

D. Thom. Sylvius. Azorius.

Advertendum tamen est, quòd si nulla justa causa sit celandi veritatem, tunc, licet æquivocè loqui, aut per simulationem agere, non sit mendacium, est tamen dolus malus atque peccatum contra veritatis virtutem, ob affirmativum ejus præceptum, quo obligamur, propter vinculum societatis humanę & publicum bonum, ut quilibet eam ipsam veritatem loquatur, aut significet proximo, de qua agitur, aut quis interrogatur: ut diximus *tom.* 1. *verb. Iuramentum* 3. *num.* 10. & 11. *edit.* 3. & videri potest Valentia *to.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 13. *punct.* 2. *prope finem.*

Valentia.

6. Mendacium veniale absque juramento prolatum in viris perfectis ex natura actus non fit mortale. Ratio est, quia licet perfecti magis peccent aliquando quàm imperfecti in mendacio, eò quòd sanctiorem vitam profitentur, nulla tamen circumstantia personę secundùm se transfert in aliam speciem, hoc est, ex peccato veniali constituit mortale; quamvis ratione alicujus annexi, puta, si sit contra votum ipsius, erit mortale, quod alioquin esset veniale. Item per accidens in viris perfectis, religiosis, Prælatis & Prædicatoribus potest esse peccatum mortale ratione scandali: quia imperfecti possunt magis scandalizari de mendacio personæ in statu perfectionis acquirendæ constitutæ, ut sunt Religiosi, vel perfectionis exercendæ, ut sunt Prælati Ecclesiæ & Prædicatores, quibus adhiberi solet fides tanquam conservatoribus veritatis, quàm alicujus personæ communis. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 4. *ad* 5 Sylvius *ibidem*, Navarrus *in Man. cap* 18. *n.* 3 Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 2. *n.* 18. Azorius *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 1. *dub.* 8. & alij communiter.

D. Thom. Sylvius. Navarrus. Clav. Reg. Azorius.

7. Mendacium ex imperfecta animi deliberatione, secundùm omnes, est solùm peccatū veniale; quale potest esse illud, quod per oblivionem, vel incogitātiam etiam culpabilem leviter committitur. Sed difficultas est, an sit mortale mendacium in levi materia scienter dictum in his, quæ pertinent ad Officium prædicationis? Quidam affirmant: quia quantumvis sit leve mendacium, facit tamen magnam injuriam officio prędicandi, quod exercetur. Alij negant, quia cùm leve sit mendacium, consequenter sequitur, ut injuria sit levis.

Sed

Sed mihi dicendum videtur tanquam certum non esse peccatum mortale Prædicatori mentiri in eis, quæ non spectant ad doctrinam; puta, si quis prædicando alleget aliquid scienter ut dictum in certo capite Scripturæ, quod tamen alio capite continetur, vel si allegando scienter dicat esse testimonium Augustini, quod tamen est Hieronymi, vel alterius Patris. Ratio est, quia hujusmodi mendacia, nisi ratione contemptus vel scandali in populo, non videntur esse de his, quæ pertinent ad Officium Prædicatorum, dummodo testimonia, quę citantur, sint revera ex sacra Scriptura: parum enim refert ad populi instructionem, sint ex hoc libro Scripturæ vel ex illo; item sint ex hoc capite, vel ex illo; item si testimonium est Hieronymi, vel Augustini. Ita Cajetanus *in* 2. 2. *q.* 110. *art.* 4 *ad finem*, Navarrus *in Man. c.* 18. *n.* 4. Sylvester *verb. Mendacium*, *quæst.* 4. Clavis Regia *lib.* 12. *c.* 1. *n.* 15. *vers. Si quis tamen.*

Cajetan. Navarrus. Sylvest. Clav. Reg.

8. Qui centum mutuo accepit & reddidit, potest, iniquè conventus in judicio ad ea centum solvenda, absque ullo mendacio actoris petitionem negare. Ratio est, quia, qui verè centum ab actore petita ei solvit, iniquè ad judicium trahitur & injustè interrogatur; ergo versutiam interrogantis & petentis iniquè, responsione quadam eludere potest, quæ interpretationem, aut intellectum verum habere potest. Unde hic negando positionem, quæ mutui dationem objicit, intelligit verè se non accepisse centum mutuo iam illi debita, atque adeò verè illa mutuatio, quæ præcessit, solutione iam rescissa est, ejusque obligatio soluta est. Cùm igitur positio illa in sensu actoris falsa sit, & responso mutuatarij in suo sensu vera sit, licitè & sine mendacio positio actoris negari potest etiam cum juramento. Eodem modo, si accepit centum, & solvit quinquaginta, & repetuntur ab eo centum, potest sine mendacio jurare se non accepisse mutuo centum, quia quinquaginta jam solvit, ac reddidit. Hanc doctrinam breviter complectitur Emanuel Sà *verb. Mendacium*, *num.* 2. dicens: *Petenti quæ ei reddidisti, potes negare te accepisse, scilicet sic ut ei debeas nunc: & petenti totum, cum solùm partem debeas, negare te debere, scilicet quantum petit.* Ita etiam Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 4. *quæst.* 5. *regul.* 2. Si tamen hic in hoc posteriori casu neget cum juramento se nihil omninò actori debere, mendacium & perjurium committit. Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 1. *num.* 21. & 22.

Eman. Sà. Azorius. Clav. Reg.

Vide v. Restrictio mentalis. Reus *n.* 1. & 2.

MERITUM.

SUMMARIUM.

1 *Meritum propriè quid & quotuplex apud Theologos.*
2 *An homo possit aliquid vere mereri apud Deum per gratiam operando.*
3 *An ad meritum præmij apud Deum requiratur proprius & positivus actus voluntatis.*
4 *An homo possit mereri vitam æternam sine gratia.*
5 *De prima conditione requisita ad meritum de condigno, quæ est, ut sit opus bonum.*
6 *De secunda, ut opus sit liberè factum.*
7 *De tertia, ut opus aliquo modo in Dei obsequium referatur.*
8 *De quarta, ut opus fiat ex gratia & in statu gratiæ.*
9 *De quinta, quod operans sit in statu viæ, seu ut is qui meretur, sit viator.*
10 *De sexta, quod præcedat pactum, seu promissio de mercede ex parte Dei.*
11 *An quis possit sibi mereri primam gratiam.*
12 *An purus homo justus possit alijs mereri de condigno, vel saltem de congruo primam gratiam.*
13 *An homo justus per bona opera mereatur augmentum gratiæ & charitatis.*
14 *An justus possit mereri de condigno perseverantiam in gratia? vel saltem de congruo?*
15 *Quando bona temporalia cadant in meritum de condigno, quando in meritum de congruo.*

1. MEritum propriè dictum, est opus cui ex justitia debetur merces: sicuti & contrà, merces dicitur id quod operi alicui debetur ex justitia.

Apud Theologos tria sunt genera meritorum. *Primum* vocatur, de rigore justitiæ, opus scilicet quod ex se & ex dignitate personæ merentis tale est, ut ei secundùm perfectum justitiæ rigorem debeatur merces: quale fuit Christi meritum. *Secundum* dicitur de condigno, seu ex condignitate; opus nimirum illud cui propter ejus dignitatem debetur merces ex justitia, quamvis illa dignitas proveniat ex gratia personæ merenti collata. *Tertium* meritum appellatur, de congruo, quod est actus humanus bonus, factus ab aliquo extra gratiam existente, cui de congruitate & secundùm quid debetur aliqua merces, sive spiritualis, sive temporalis, quæ merces declaratur per illa duo carmina,

Quæ cum mortali bona sunt, dant bona terræ,
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

Meritum de congruò differt à merito de condigno in eo, quod meritum de congruo solum est meritum impropriè & secundùm quid; quia non habet æqualitatem ad id quod ejus intuitu datur. Meritum autem de condigno est propriè & simpliciter meritum & innititur justitiæ adeò ut sic merenti debita sit merces ex justitia. Præterea meritum de congruo non requirit eam, tum personæ, tum operis dignitatem, quæ ad meritum de condigno est necessaria: debet tamen esse opus bonum ejusdem ordinis cum ea re, ad quam ordinatur, ac insuper debet fieri in obsequium vel officium utile, aut gratum ei, apud quem est meritum. Ita communiter Doctores Theologi.

2. Homo potest aliquid verè & propriè ac simpliciter mereri apud Deum, ex gratia, seu per gratiam operando. Et hoc est fide certum. Probatur ex Scripturis Sapient. 5. *Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.* Et Christus Dominus Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in cælis.* Apocal. 22. *Merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua.* Hæ locutiones Scripturæ non sunt metaphoricæ, sed de vero ac proprio merito sunt intelligendæ; & ideò meritò Ecclesia semper in hoc sensu Scripturas has intellexit. Probatur ex Concilijs, Arausicano *Can.* 18. dicente, *Debetur merces bonis operibus si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcessit, ut fiant.* Idem tradit Concil. Lateranense *in cap. Firmiter, de Summ. Trinitate*, & Florentinum in litteris unionis, & expressiùs ac latiùs Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 16. ubi specialiter notanda sunt illa verba, in quibus dicitur, nihil deesse operibus justorum, quæ in Deo sunt facta, quominùs vitam æternam verè promeruisse censeantur. Ratio hujus veritatis est, quia gratia facit homines dignos vita æterna: ergo opera, quæ ex illa procedunt, ratione illius, seu ex virtute illius, sunt merita digna vitæ æternæ.

Conc. Ar. Conc. La. Florentin. Trident.

Præterea

Præterea poteſt homo mereri apud Deum abſolutè loquendo, de condigno, & ſecundùm aliquam juſtitiæ æquitatem.

Hæc tamen aſſertio non eſt de fide, quatenus exprimit meritum de condigno, quia ſub his terminis non eſt definita; nihilominus eſt ita certa, ut eius oppoſita ſit multum temeraria; quia licet Scripturæ vel Concilia non clarè affirment meritum cum his terminis, *de condigno*; rem tamen ipsâ aſſerunt, & ideò aſſertio eſt Theologica ſatis certa, quam communiter approbant Theologi antiqui & recentiores, à quibus temerarium eſſet recedere. Quamvis enim Concilium Tridentinum veritatem hanc non definiat, nec verbis *digni*, vel *condigni* uratur, tamen non parum favet huic ſententiæ *ſeſſ.6. Canon.32.* utens illis verbis, *Verè mereri gratiæ augmentum*, quaſi ſignificans hoc meritum plus eſſe, quàm cuiuſdam congruitatis, & ideò dixit eſſe augmẽti gratiæ, ut tacitè excluderet ſimile meritum reſpectu primæ gratiæ, quamvis in illa locum habeat meritum de congruo. Con. Trid.

Tertiò non poteſt homo ſimpliciter à Deo aliquid mereri ſecundùm abſolutam æqualitatem, ſeu ſecundùm perfectum rigorem juſtitiæ; quia tale meritum inter eos ſolos poteſt inveniri, inter quos reperiri poteſt abſoluta æqualitas: Sed inter hominem & Deum non poteſt reperiri abſoluta æqualitas: ergo nec meritum eiuſmodi rigoroſum. Ex quo patet differentia inter meritum de condigno, & illud quod vocari ſolet de rigore juſtitiæ, quod etſi utrumque dicat aliquam æqualitatem ad mercedem vel præmium, diverſimodè tamen: quia meritum de rigore juſtitiæ dicit æqualitatem abſolutè & ſine ulla gratia perſonæ merenti facta: at meritum de condigno dicit æqualitatem, ſuppoſita gratia perſonæ merenti data. Ita D. Thomas *1.2. quæſt.114. art.1.* Sylvius *ibidem, concl.* 1. & 2. Suarez *de gratia, lib.12. cap.1. num.5. & 10.* Valentia *prima ſecundæ, diſput.8. quæſt.6. punct.2.* & alij. D. Thom. Sylvius. Suarez. Valent.

3. Ad meritum præmij apud Deum requiritur proprius & poſitivus actus voluntatis. Hæc eſt communis Theologorum doctrina, quam expreſsè tradit D. Thomas *1.2. q.71. art.5. ad 1.* & *in 2.2. q.79. art.1 ad 2.* Maior *in 3. diſt. 38. q.1.* & alij, quos refert & ſequitur Suarez *loco citato c.2. num.5.* Hinc ſequitur quod in ſola carentia actus mali non poſſit meritum inveniri ſine actu. Ratio eſt, quia licet ad peccatum, ſeu demeritum ſufficere poſſit, non facere quod quis tenetur, nihilominus ad meritum non ſatis eſt pura negatio actus mali, ſed neceſſaria eſt poſitiva voluntas qua quis velit, aut non, agere, quod prohibitum eſt, aut tentationi reſiſtere; quia ſine voluntate perfecta & propria non poteſt eſſe meritum. Proinde ad demeritum ſufficere poteſt voluntarium indirectum, ſeu interpretativum: ad meritum autem, quod perfectius eſt, requiritur voluntarium perfectum & directum, quod ſine actu voluntatis eſſe non poteſt: ut etiam breviter annotavimus *tom.1 verb. Actus humanus 1. num.23.* D. Thom. Maior. Suarez.

4. Certum eſt hominem non poſſe mereri vitam æternam ſine gratia, ſive homo conſideretur in ſtatu naturæ integræ, ſive in ſtatu naturæ corruptæ. Ratio prioris eſt, quia meritum hominis pendet à præordinatione Dei; actus autẽ hominis ſine gratia, non ordinatur à Deo ad vitam æternã, quia actus uniuſcuiuſque rei non ordinatur divinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ eſt principium actus: vita verò æterna ſuperexcedit proportionem naturæ creatæ. Ratio poſterioris eſt, quia homo in ſtatu naturæ corruptæ niſi fiat gratiæ particeps, eſt inimicus Dei per peccatum mortale cui ſubiacet. Non poteſt autem à Deo mereri vitam æternam, niſi ipſi reconcilietur, quod eſt per gratiam. Ita D. Thomas *1. 2. q.114. art.2.* Sylvius *ibidem*, quæ doctrina non ſolùm intelligitur de gratia actuali, ſed etiam de habituali; hoc eſt, nemo poteſt mereri vitam æternam, niſi habeat gratiam, tam habitualem, quàm actualem. Quod clarè aſſeruit Concilium Tridentinum *ſeſſ.6. cap.16.* dicens, quòd *Chriſtus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent.* D. Thom. Sylvius. Con. Trid.

5. Conditiones requiſitæ ad meritum de condigno, ex communi ſententia Theologorum, ſunt ſex, quarum *Prima* eſt, ut ſit opus bonum: quia malum opus non eſt præmio dignum, ſed pœnâ. Et ideò Scriptura docet, in judicio divino diſtinguendos eſſe homines ſecundùm opera, *ut unuſquiſque referat, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* 2. ad Corinth. 5. Et Chriſtus Dominus ſatis diſtinctè id propoſuit *Matth.* 25. Et 2. Petri 1. dicitur, *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Ergo ſolum opus bonum eſt, quod poſſit eſſe præmio dignum, ſive illud ſit de præcepto, ſive conſilio. Ratio huius veritatis eſt, quia opus malum, vel etiam indifferens (ſi tale daretur in individuo) non poteſt mereri bonum vitæ æternæ, eò quòd ad illud bonum nullam habet neque condignitatem, neque proportionem. Et certè ſi opus indifferens in individuo admittatur, non eſt cur potius ſit præmio, quàm pœnâ dignum: nam ſi non meretur pœnam, quia caret malitia, etiam non meretur præmium, quia caret bonitate; imò rectè dici poteſt, eo ipſo quod bonitate caret, mereri carentiam præmij, quod potius eſt demereri, quàm mereri.

6. Secunda, ut opus ſit liberè factum, hoc eſt, ad meritum requiritur libertas non tantùm à coactione, qualis eſt in brutis, dum multa ſponte & non coactè agunt, ſed etiam à neceſſitate naturali. Et quamvis in opere meritorio ordinariè reperiatur ea libertas, quâ poſſumus velle bonum, aut malum, hoc tamen non eſt neceſſarium, ſed ſufficere poteſt libertas ad diverſa obiecta, quorum ſingula ſint bona: imò & libertas contradictionis, ſeu exercitij, quâ voluntas poteſt unum idemque obiectum velle aut non velle, agere vel non agere, ſufficere poteſt, ut patet in Chriſto, qui quamvis eſſet impeccabilis, maximè tamen meruit. Ratio his accedit, tum quia, mala niſi liberè fiant, non merentur pœnam: ergo nec bona merentur mercedem, ſi non fiant liberè. Tum quia, quæ neceſſariò fiunt, nec laudem merentur nec vituperium; ergo ad meritum neceſſaria eſt ex natura rei libertas. Nam ſi neceſſitas libertatis ad meritum non eſſet intrinſeca ex natura rei, ſed ex inſtitutione & acceptatione divina, poſſet facilè reſponderi, opera hominum eſſe meritoria, non quia libera ſint, ſed quia Deus acceptare illa voluit: contrarium verò Sancti Patres ſupponunt, nimirum ideò bona opera hominum digna eſſe poſſe, ut acceptentur ad meritum, quia libera ſunt. Et ſine dubio fuit ſententia D. Thomæ *in prima ſecundæ, quæſt. vigeſimaprima, art.4. ad 2.* dicentis: *Homo ſic movetur à Deo, ut inſtrumentum, quod tamen non excludit quin moveat ſeipſum per liberum arbitrium, & ideò per ſuum actum meretur, vel demeretur apud Deum.* Ita etiam communiter Theologi *in 3. diſt.18.* D. Bonaventura, Scotus, Alexand. Alenſis, & D. Thom. D. Bonav. Scotus. Alenſis.

gratia nequeat eſſe præmium, quo ſecundùm juſtitiam opus ejuſmodi compenſetur: quia prima gratia eſt principium hujuſmodi bonorum operum; id autem quod mereri poſſumus, eſt terminus, ſeu finis illorum. Deinde ſicut nemo ſperat, quod iam poſſidet, ita nemo meretur, quod jam poſſidet, ſibique ſimpliciter donatum eſt. Deus enim cui gratiam confert, abſolutè etiam donat, independenter à futuris ejus operibus; & ideò qui illam priùs tempore habet, non poteſt illam jã mereri, ſaltem quoad infuſionem & donationem ejus. D. Thomas *loco cit. a.* 5. Suarez *lib.* 12 *cap.* 24.

D. Thom. Suarez.

Imò neque de congruo poteſt quis mereri primam gratiam actualem, quia aliàs ſequeretur illud in Pelagio dampatum, gratiam ſecundùm merita noſtra dari, & quod per vires naturæ poſſemus nos ad gratiam præparare, & à peccato reſurgere: quod non eſt dicendum: quia opera naturæ viribus facta ſunt diverſi prorſus, ac inferioris ordinis, quàm gratia, & ideò non poſſunt habere congruitatem ad illam; aliàs enim gratia non ſatis oſtenderetur eſſe gratia, ſeu gratuita, ſi homo per ſuas vires eam de cõgruo mereretur; quàvis probabile ſit, quod fideles per opera ex auxilio gratiæ Dei facta, mereri poſſint de congruo primam gratiam habitualem. Ratio eſt, quia nihil eſt, quod huic merito de congruo obſtet, reſpectu talis beneficij; quia ſi quid obſtaret, maximè ſtatus peccati in perſona operante: Sed hoc non obſtat: ergo nihil eſt, quod obſtet. Ad hoc enim meritum non requiruntur illæ conditiones, quæ neceſſariæ ſunt ad meritum de condigno. Nam licet de ratione omnis meriti ſit, ut procedat à gratia, non tamen ſemper eſt neceſſaria gratia ſanctificans, ſed ſufficere poteſt auxilians, quando meritum eſt de congruo. Tum quia licet peccator incapax ſit apud Deum, ut ſit illi debitor ex juſtitia, non tamen ex congruentia & decentia, quæ non perſonæ conditionem, ſed actionis ſanctitatem & proportionem, ut in ea fundetur, reſpiciat. Tum quia actus fidei, ſpei, pœnitentiæ, & dilectionis, qui per gratiam fiunt à fideli, licet non mereantur mercedẽ, quod eſt mereri de condigno & ex juſtitia, ſaltẽ merentur aliquod beneficiũ ex congruitate. Proinde iſtud meritum congrui agnoſcit D. Thomas *in* 2. *diſt.* 27. *art.* 4. *ad* 4. Bellarminus *lib.* 1. *de juſtific. c.* 21. & *lib.* 2. *de pœnit. c.* 12. Sylvius 1. 2. *q.* 114. *art.* 5. *concl.* 4. Suarez *de gratia, lib.* 12. *c.* 37. & alij apud ipſos, contra non paucos Theologos, qui contrariam ſententiam tenent.

D. Thom. Bellarm. Sylvius. Suarez.

Monet tamen Sylvius non facilè prædicandũ, nec ſine limitatione dicendum, quod pœnitens poſſit mereri gratiam juſtificantem, aut peccatorum ſuorum veniam: cùm enim analogum per ſe poſitum ſtet pro famoſiori ſignificato, nomine meriti communiter intelligi ſolet meritũ propriè dictum, ſive de condigno: & ſic periculum foret, ne auditores inducerẽtur ad exiſtimandum quod tum gratia juſtificans, tum remiſſio peccatorũ non ſit gratuita, ſed quod ex titulo juſtitiæ debeatur.

12. Nullus juſtus, ſive Angelus, ſive purus homo poteſt alijs mereri de condigno primam gratiam. Ratio eſt, quia Deus non ordinavit, nec propoſuit alicui ut præmium, gloriam alterius, ſed tantùm propriam. Tum quia meritum cujuſlibet juſti finitum eſt, ideoque cuilibet operi ejus definitum præmium gloriæ & gratiæ reſpondet; ideoque non poſſet quis de condigno alteri gloriam mereri, quin ſimili gradu gratiæ & gloriæ ſeipſum privaret; quia fieri non poteſt, ut aliquis ſimul & ſibi mereatur totam gloriam condignè reſpondentem operi ſuo, & aliam gloriam alteri: ſic enim præmium excederet proportionem operis: ergo, ut alteri poſſet mereri gloriam, deberet ſeipſum ſimili gloria privare. Solus enim Chriſtus ad hoc gratiæ plenitudinem accepit, ut tanquam caput Eccleſiæ alijs gratiam mereatur; juxta illud Actor. 4. *Non eſt aliud nomen* (hoc eſt virtus, auctoritas & meritum) *ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

Ex congruo tamen poteſt juſtus alteri mereri primam gratiam & alia dona. Probatur ex recto Eccleſiæ Catholicæ uſu in obſecrando Deo, gratiaque ab eo petenda propter merita etiam Sanctorum. Cui accedit ratio. Nam cùm homo in gratia Dei conſtitutus voluntatem Dei faciat. cõgruum videtur ut Deus viciſſim tanquã amicus, ſeſe hominis voluntati accommodet, atque adeò ut juxta votum ejus alterum exornet gratiã; licet contingat aliquando ipſum propter ſuam culpam non accipere illam gratiam. Et ideò hoc meritum non ſemper habet effectum, ſed aliquãdo pro Dei beneplacito. Cùm enim ſit tantùm meritum ex congruo, quod non aliqua certa lege & promiſſione Dei nititur, impediri poteſt, vel propter aliquã rationem divinæ providentiæ, vel propter impedimentum peccati. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 114. *a.* 6. Sylvius *ibidem*, Suarez *de grat. lib.* 12. *c.* 16. & 35. Valentia *to.* 2. *diſp.* 8. *q.* 6 *p.* 5. & alij cõmuniter.

D. Thom. Sylvius. Suarez. Valentia.

13. Certum eſt ex fide hominem juſtum per bona opera & per mandatorum Dei obſervantiam, mereri augmentum gratiæ & charitatis, prout Patres Conc. Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 16. *can.* 32. contra Sectarios rectè definierunt, his verbis: *Si quis dixeris juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam fiunt, non verè mereri augmẽtum gratiæ, vitam æternam, &c. anathema ſit.* Et licet non addat de condigno, tamen id ſatis ſignificat in particula *verè*: quo vocabulo veri ac proprij nominis meritum ſignificatur. Et dum conjungit vitam æternam & augmẽtum ejus, ſatis aperte docet, non eſſe minus perfectum & de condigno meritum hoc circa gratiæ augmentum, quàm circa vitam æternam ejuſque augmentum. Probatur illud ex Scriptura. Nam Matth. 25. dicitur: *Omni habenti dabitur, & abundabit.* Apoc. ult. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Idem probatur ex D. Auguſt. tract. 74 in Ioan. *Reſtat ut intelligamus Spiritum ſanctum habere, qui diligit; & habendo mereri ut plus habeat, & plus habendo plus diligat.* Quibus accedit ratio. Quia juſtus meretur de condigno augmentum gloriæ, ut ex Concilio Tridentino ſumitur: gloria autem correſpondet gratiæ, & ad majorem gloriam non acceptatur homo, niſi per majorem gratiam; nam per gratiam fit intrinſecè dignus gloria, eique proportionatus, eademque ratione per majorem gratiam proximè coaptatur majori gloriæ. Si ergo juſtus meretur augmentum gloriæ, ideo eſt, quia eodem merito creſcit in gratia. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 114. *art.* 8. Sylvius *ibidem*, ubi expoſitores omnes & alij Theologi *in* 3. *diſtinct.* 27. & 28. veritatem hanc tanquam certam & indubitatam docent.

Con. Tr. D. Thom. Sylvius. D. Aug.

14. Iuſtus non poteſt mereri de condigno perſeverantiam in gratia. Probatur: quia quod in meritum de condigno cadit, id Deus ita retribuit, ut tamen id quãdoque neget, ſi videlicet homo ex ſua parte ponat peccati mortalis obicem. Sed perſeverãtia uſque ad mortem nunquam ita propter impedimentum peccati negatur, quaſi peccatum obſtet, quo minùs meritum perſeverantiæ remuneretur: Ergo perſeverãtia non cadit in ejuſmodi meritũ: quia ſi juſtus mereretur ex condigno perſeverantiã, deberet Deus facere, ut non caderet in

peccatum mortale; cùm perſeverare, ſit in bono permanere, & nullum peccatum mortale admittere. Tum quia nullus meretur de condigno mercedem, quam Deus non promiſit: non invenitur autem uſquam promiſiſſe, quod bene operantibus dabit in hoc ſæculo perſeverantiam, quin potiùs monentur omnes, *ſervire Domino in timore*, Pſal 2. *Et qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* 1. ad Cor. 10. D. Thomas *loco citato art.* 9. D. Thom.

Ceterùm probabile eſt perſeverantiam ipſam, acceptam pro continuatione bonorum operum uſque in finem, poſſe mereri juſtos ex congruo per orationes & alia pietatis ſtudia. Atque hæc videtur expreſſa ſententia D. Auguſtini lib. de dono perſeverantiæ cap. 6. *Hoc Dei donum ſupplicitèr emereri poteſt, ſed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt. Quomodo enim poteſt amitti, per quod fit, ut non amittatur etiam quod poſſet amitti?* Ita Suarez *de gratia, lib.* 12. *cap.* 38. Vega *quæſt.* 17. *de juſtificat. & lib.* 12. *in Concil. Trident. in. cap. ultim.* Valentia *tom.* 2. *diſp.* 6. *punct.* 4. Sylvius *in* 1. 2. *quæſt.* 114. *art.* 9. *concl.* 3. Suarez. Vega. Valentia. Sylvius.

Si petas, quomodo poſſit quis de congruo mereri perſeverantiam? Reſpondeo quod per inſtantes preces bonáve opera ad hoc directa, nunc de congruo mereatur auxilium ad non cedendum tentationi; & poſt illam, iterum orando ac bona faciendo mereatur auxilium ad ſervandum idem vel aliud præceptum occurrens; & ſic deinceps ſemper orando & benefaciendo, numquamque deficiendo. Ita Doctores citati.

15 Bona temporalia, quatenus juſtum ſuo modo etiam adjuvant, ut ad beatitudinem pervenire poſſit, cadunt in meritum de condigno. Ratio eſt, quia in bonis operibus ad bona temporalia ſic conſiderata comparatis reperiri poſſunt omnes conditiones requiſitæ ad meritum de condigno. Cùm enim ipſa ſint condigna reſpectu vitæ æternæ, etiam habent condignitatem ad ea media illi conſequendæ neceſſaria, ſeu valdè utilia, quæ reſpectu illorum poſſunt habere rationem termini. Notandum tamen quod bona temporalia ſecundùm ſe ſpectata, non cadant ſub pliciter ſub merito, nec ullus ea mereri poteſt de condigno. Non peccator, quia nullum poteſt eſſe meritum de condigno ſine ſtatu gratiæ. Non etiam juſtus, quia ſub meritum condignum ea ſola cadunt, quæ conducunt ad ſalutem animæ: ſed ejuſmodi bona ſic ſpectata ad illam non conducunt; tum quia manifeſtum eſt Deum non ſemper juſtioribus dare abundantiam temporalium majorem quàm impijs, ſed interdum longè minorem, prout novit eis ad ſalutem expedire. Fatendum nihilominus eſt, non tantùm juſtos, ſed etiam peccatores poſſe per opera moraliter bona de congruo mereri bona temporalia: quia attenta Dei bonitate & liberalitate congruum videtur quòd operibus moraliter bonis, bonum aliquod reddat ejuſdem ordinis. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 114. *a.* 10. Sylvius, Conradus, Medina, Valentia, Malderus, Granados, *ibidem.* Et hæc de Merito ſatis. D. Thom. Sylvius. Conrad. Medina. Valentia. Malderus. Granad.

Vide v. Fides 1. n. 14. & 15.

METUS.

SUMMARIUM.

1 *Quintuplex diviſio metus in communi.*
2 *Quod dicendum ſit grave malum ad inducendum metum cadentem in virum conſtantem.*
3 *Metus cadens in conſtantem virum, an dicatur reſpectivè, reſpectu unius & non alterius.*
4 *An metus mortis vel alterius mali gravis comminati meis conſanguineis, vel affinibus, ſufficiens ſit ad reſcindendum meum contractum.*
5 *An metus reverentialis ſolus ſine minis & verberibus, quo quis ducitur ad ineundum matrimonium, vel celebrandum contractum, ſit cadens in conſtantem virum & ſufficiens ad reſciſionem?* Refertur duplex ſententia.
6 *In quibus perſonis detur metus reverentialis, & circa quas perſonas.*
7 *An preces importunæ incutiant metum cadentem in conſtantem virum ſufficientem ad contractuum reſciſionem?* Refertur duplex ſententia.
8 *An metus, ſeu probabile periculum gravis damni excuſet à tranſgreſſione legis humanæ & à peccato.*
9 *An metus gehennæ ſit malus, ſi ſit propriè & principalis cauſa obſervationis legum.*
10 *An excuſetur à peccato ille, qui metu mortis non ſervat legem humanam ſtatuentem pœnam capitis tranſgreſſoribus.*
Quando quis in odium Religionis minatur alicui mortem niſi carnes humanas comedat, an licitum ſit eis veſci.
11 *Qui lege, aut voto abſtinentiæ à carnibus eſt obſtrictus, an poſſit, aut etiam teneatur carnibus veſci, ſi alios cibos non habeat, ad tuendam vitam.*

1. PRæter dicta *in tom.* 1. de metu, hæc annotanda veniunt: Quod metus in communi ſic dividi poſſit. Alius eſt metus concuſſivus, qualis eſt is, qui per minas infertur. Alius eſt impreſſivus, qui dicitur metus facti, ut cùm actu interveniunt verbera, vel carcer. Tertius eſt ſuſpicionis non temerariæ, ſed violentæ, ſeu compulſivus potentiæ, qui ita appellatur, quia metum incutiens eſt vir potens in republica. Quartus eſt, metus tacitus & reverentialis, ut filij erga patrem, uxoris erga virum. Quintus appellatur metus perfidiæ, quando, ſcilicet, perfidiæ timore aliquid datur; ut ſi morbo laborans, prodigè largiatur medico, timens ne perfidè medeatur: vel clientulus cauſidico, eodem timore. Ita quidam Juriſconſulti.

2. Cùm ex conditionibus requiſitis ad inducendum metum cadentem in virum conſtantem, communiter exigatur, ut malum, quod timetur, grave ſit, ex *l. Metum la.* 1. *ff. de ea quod metus cauſa.* dubium eſt, an magnitudo hæc mali attendatur ſimpliciter ex qualitate ipſius mali in ſe conſiderati, an potiùs comparativè ad minus malum? Quidam enim dicunt conſiderari per comparationem ad minus malum: ac proinde quicumque eligit minus malum; qualecumque illud ſit, ut vitet majus, verè moveri timore cadente in virum conſtantem; quia hic timore operatur, & non cadente in virum inconſtantem, cùm conſtanter & prudenter agat: ergo cadente in virum conſtantem. Ita Sylveſter *verb. Metus, quæſtione prima.* Veracrux 1. *part. ſpecul. articulo* 8 *concluſ.* 3. & alij. Sylveſt. Veracrux.

Verius tamen eſt, non ſatis eſſe, ut dicatur metus cadens in conſtantem virum, ut illud malum conſtanter caveat, ſed debere eſſe timorè gravis mali in ſe conſiderati. Ratio eſt, quia jura concedunt reſciſſionem contractus, ob timorem cadentem in virum conſtantem; quia is timor libertatem conſenſus

ſenſus impedit; ſed quando malum quod timetur, in ſe leve eſt, quamvis graviori malo anteponatur, non impedit in viro forti libertatem conſenſus: ergo is timor non cadit in virum conſtantem. Ita Sotus *in 4. diſtinct. 29. quæſt. 1. art. 2. verſ. Secundò per accidens*, & poſt illum Sanchez *de matr. lib. 4. diſp. 1. num. 12.* Sotus. Sanchez.

3. Metus cadens in conſtantem virum dicitur reſpectivè, & proinde, qui reſpectu unius eſt cadens in virum conſtantem, non eſt talis ſæpè reſpectu alterius, qui fortior & robuſtior eſt: unde minor metus deſideratur in femina quàm in viro. Ratio eſt; quia licet femina habeat virtutem conſtantiæ, propter conſtitutionem tamen corporis illi ſexui naturalem, minus poteſt reſiſtere metui, quàm vir: ergo minor metus ſufficiet, ut opprimat cogatque feminam conſtantem ſuccumbere, quàm virum eadem conſtantia præditum. Inſuper ut diſcernatur, quis ſit metus cadens in virum conſtantem, attendenda eſt ætas, ut ſi ſenex, vel puer ſit, cui metus incutitur: ſimiliter eius fortitudo, innataque animi magnitudo, aut parvitas & fragilitas: nam maior metus exigitur in milite & conſtante, quàm in puſillanimi & vili. Vide Sanchez *loco citato diſp. 3.* & alios apud ipſum. Sanchez.

4. Dubium eſt, an ſicut metus mortis, vel alterius mali gravis mihi comminati, ut contraham, eſt ex natura ſua ex parte obiecti cadens in conſtantē virum, & ſufficiens ad reſcindendum contractum, ita ſufficiens ſit, ſi idem malum comminatum ſit meis conſanguineis, licet non mihi, niſi contractum ineam? Reſpondeo hoc extendendū eſſe ad alias perſonas ultra filios; quare ſi ea mala timeantur in propria uxore, erit metus cadens in conſtantem virum, reſpectu viri; quia reputantur inferri in perſona viri, cùm vir & uxor ſint una caro. *Secundò*: Idem dicendum, ſi timor inferatur parentibus, ut filij contrahant: erit enim timor viri conſtantis, reſpectu filiorum: quia pater & filius cenſentur una perſona. *Tertiò*: Idem dicendum de aſcendentibus, fratribus, & aliis conſanguineis uſque ad quartum gradum; imò & affinibus, quādo affinitas provenit ex matrimonio. Tandem erit metus cadens in conſtantem virum, quando malum eſſet comminatum perſonæ arctiſſimâ amicitiâ coniunctæ contrahenti: quia amicus eſt alter ego, ut teſtantur Ariſtoteles *lib. 9. ethic. cap. 4.* & D. Auguſt. *lib. 4. Confeſſ. cap. 6.* & Horatius *l. 1. ad 3.* appellat amicum, dimidium animæ amici. De quibus videndi ſunt D. Thom. *in 4. diſt. 29. q. unic. art. 2.*, Sanchez *loco cit. diſp. 4.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 9. num. 5.* & alij penes ipſos. Ariſtot. D. Aug. Horatius. D. Thom. Sanchez. Henriq.

5 Controverſia eſt magna inter Doctores, an metus reverentialis, quo inferior reverentiâ ſuperioris, uxor viri, filius patris, &c. ducitur ad ineundum matrimonium, vel celebrandum contractum, ſit cadens in conſtantem virum, ſufficiensque ad reſciſſionem, quando matrimonium & reliqui contractus expreſſo conſenſu contrahentium celebrantur? Circa hanc difficultatem diximus *tom. 1. verb. Metus. num. 3.* ex veriori ſententia ſolum metum reverentialem, niſi minæ, aut verbera, aut alius metus gravis illi adiungatur, nō cadere in virum conſtantem. Fundamentum huius opinionis eſt, quia *in c. Quamvis pactum, de pact. in 6.* diſponitur, quod renunciatio facta à filia in favorem patris vallata juramento eſt valida, niſi vi, aut dolo ſit adducta. Ergo cùm textus non excipiat reverentiam, ſicut vim & dolum, ſequitur metum reverentialem minimè in conſtantem virum cadere, ut quampluribus Doctoribus adductis probat Sanchez *de mat. lib. 4. diſp. 6. n. 7.* Sanchez.

Nihilominus contrariam ſententiam non minus probabilem, & in praxi tutam exiſtimant multi, nempe metum reverentialem cadere in virū conſtantem, modò indignatio non ſit levis, & quæ facilè tranſeat, ſed gravis & diuturna, licet non adfuerint minæ & verbera: ſecus ſi metus reverētialis dederit tantùm anſam & occaſionem contractus, non verò cauſam. Poteſt enim contingere, ut uxor, filius, &c. metu reverentiali inducatur ad contrahendum, & tamen poſtea jam libens contrahat. Probari poteſt hæc opinio ex *regul. 4. ff. de regul. jur.* ibi: *Velle non creditur, qui obſequitur imperio patris, vel domini*: ergo, cùm omnis contractus conſenſu perficiatur, reſcindet illos metus obſequij, ſeu reverentiæ. Ita Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 5.* Menochius *lib. 1. conſil. 491. & de arbitrar. lib. 2. caſu 236.* & alij penes ipſos & apud Sanchez *loco citato n. 4.* Ex quorum opinione poſſunt Confeſſarij ſine ullo ſcrupulo infinitos uxorum, & filiorum familiàs contractus reſcindere: nam ut plurimum ex metu reverentiali fiunt, qui cadit in conſtantē virum, etiamſi ſint ſine minis & verberibus, ut docet Diana *p. 3. tract. 5. reſol. 20.* Hinc infert idem auctor cum Baſilio Pontio *de matrim. lib. 4. c. 11. n. 15. & 16.* contra Sanchez *loco cit. num. 18.* & alios, profeſſionem Religionis metu reverentiali factam non valere, ideoque reſcindendam & declarandam irritam. Item cum Rodriguez *tom. 1. qq reg. c. 52. art. 10* electionem factā metu reverētiali eſſe nullam. Hæc dicta ſint modò ſecundùm horum Auctorum placitum. Reg. Iur. Pontius. Menoch. Diana. Pontius. Rodrig.

6. Metus reverentialis, juxta omnium ſententiā, datur in eo, qui jure aliquo ſubiectionis alteri ſubeſt, ut in Clerico reſpectu Epiſcopi; in ſæculari reſpectu Magiſtratus cui ſubditur, in uxore reſpectu viri, in filio reſpectu patris. Ratio eſt; quia cū hi ſuperiores ſint, & alij ipſis ſubiecti, ſuapte natura quandā reverentiam & obſequium eis debēt, quæ reverentia timorē ac pudorem incutit, ut minùs audeant ipſorum voluntati contradicere. Itē metus reverentialis eſt, timor ſoceri: quia ſocer parentis locum obtinet. Item avi, patrui & aliorū aſcendentium; Curatoris, Tutoris, matris crudelis & auſteræ, ſolitæque minas exequi. Itē timor fratris maioris natu in ſorore, quando cū eo habitat, ab ipſoque gubernatur. Item in fratre minori reſpectu maioris, & in ſorore minore cohabitante cum ſorore maiori, à qua gubernatur. De quibus Sanchez *lib. 4 diſp. 6. à num. 5. ad 35.* Sanchez.

7. Potiſſima difficultas eſt an preces importunę, ſecluſa omni alia ratione timendi, incutiant metū cadentem in conſtantem virum, ſufficientem ad contractuum reſciſſionem? Triplex eſt ſententia. Prima docet ſolas preces importunas incutere huiuſmodi metum; quia importuna & ſæpè repetita petitio virum prudentem & fortem gravius torquet, quàm minæ, & nihil eſt quod non efficiat, ut preces importunas & moleſtas evitet. Tum quia paria ſunt, aliquid violenter & metu fieri, ac precibus importunis, prout dicunt multi Iuriſconſulti. Et ſuſtinent probabiliter Gloſſa *in cap. Tuæ fraternitatis, v. Importunitatem, de prabendis*, Pontius *de mat. lib. 4. c. 5. n. 17.* & *c. 12. per totum*, Naldus *in ſum. verb. Metus, n. 3.* Diana *part. 3. tract. 5. reſ. 20.* Faciunt pro hac ſententia plurimi textus juris civilis adducti à Sanchez *loco cit. diſp. 7. n. 4.* Gloſſa. Pontius. Naldus. Diana. Sanchez.

Secunda opinio eſt, preces importunas, quamvis metui reverentiali coniunctæ ſint, non inferre metum viri conſtantis; quia non videntur tantam vim habere, ut conſtantem virum meritò movere debeant. Hanc tenet Abbas *in cap. Cùm inter, num. 8. de elect.* dicens preces inſtantiſſimas Principum Abbas.

non inducere justum metum, ad rescindendum actum, nisi sævire soleant in sibi non obtemperantes. Ipsum sequuntur Henriquez *lib. 11. de mat. cap. 9. num. 5.* Lopez *2. part. instruct. de mat. cap. 40. §. Adde tamen.* Tertia sententia asserit preces importunas unà cum metu reverentiali, ut si sit persona cui debetur reverentia, incutere metum cadentem in constantem virum. Hæc opinio admittitur ut probabilior à Sanchez *loco citato num. 7.* quia cùm ex una parte importunitas, cuiuscumque sit, valdè urgeat, vexet & opprimat, & ex altera parte reverentia personæ petentis debita, pusillanimem ac timidum nec audentem contradicere rogatum reddat, meritò utraque metuendi causa coniuncta, prudentem ac constantem coget, ipsiusque consensum extorquebit. Preces autem importunæ vocantur illæ, quæ sunt instantissimę & sæpiùs repetitæ & inculcatæ, juxta *l. 1. Cod de petitione bonorum*, ibi, *Inverecunda petentium inhiatione.* Importunum enim dicitur quasi sine portu & sine quiete, juxta Archidiac. *cap final. num. 2. de rescript. in 6.* Hinc quando patres cum filiis, & viri cum uxoribus contractus ineunt in gratiam ipsorum, maximè si sint contractus lucrativi, & qui à libertate proficiscuntur, sunt nulli similes contractus, & rescindendi; quia præter metum reverentialem, qui solus sufficeret, adhibent sæpius etiam preces importunas. Ita docent Guttierrez *lib. 1. quæst. Canon. c. 37 n. 17. & 18.* Garzias *de nobil. Glossa 17. n. 15. & 23.* & alij apud Sanchez *loc. cit. num. 5.* apud Dianam *supra.*

Henriq. Lopez. Sanchez. Archidiac. Guttier. Garzias. Sanchez.

8. Regulariter loquendo metus, seu probabile periculum gravis damni, excusat à transgressione legis humanæ, & consequenter à peccato. Probatur: quia credibile non est, legem humanam obligare cum tanto onere, aut strictiùs obligare, quàm obliget lex naturalis, aut divina; nam multæ leges naturales aut divinæ, quæ non prohibent rem aliquam intrinsecè malam, nõ obligant sub mortali in periculo gravis damni: utpatet in Confessione, quæ licet de jure divino debeat esse materialiter integra, tamen non obligat simpliciter in omnibus casibus. Patet in restitutione, quæ licet jure divino & naturali facienda sit, tamen non obligat cum longè maiori proprio detrimento. Ergo metus, aut probabile periculum gravis damni excusat à transgressione legis humanæ & consequenter à peccato lege humana prohibito. Desumitur hæc propositio ex *c. Consiliũ. de observat. jeiunij*, ibi, *Cùm non subiaceat legi necessitas.* Et Reg. *6. in 6. Nemo potest ad impossibile obligari.* Quod autẽ valdè difficile est, moraliter impossibile censetur. Nec obstat, quòd nullus possit committere peccatum sive mortale, sive veniale, ad tuendam vitam, vel ad totius orbis conservationẽ: ergo nullus metus, seu periculum gravis damni excusat à transgressione legis humanæ, & consequenter à peccato? Respõdeo negãdo consequẽtiã; licet enim peccatũ nunquã licitè possit committi, dicimus tamen instante gravi mortis, vel alterius gravis damni periculo, obligationem legis suspendi, & ipsius omissionem non effici culpabilem & peccaminosam. Diximus *Regulariter loquendo*; nam quotiescũque ex legis, aut præcepti humani observatione maius Reipub. commodum speratur, aut ex illius neglectu maius incõmodũ timetur, quàm æstimari debeat metus periculi vitæ, & gravis dãni, tunc lex, aut præceptum etiam cum tanto periculo obligare potest, sicut annotavimus *t. 1. v. Lex VI. n. 10. vers. An autem, & v. Prælatus, n. 13.* cum Doctoribus ibi citatis.

Reg. Iur.

9. Metus gehennæ malus est, si sit propriè ac principaliter finalis causa observationis legum: quia in hoc casu homo reatum pœnæ timet super omne malum, consequenter suã impunitatem ac proprium commodũ amat super omne bonum: quod divinæ charitati repugnat. At verò bonus & honestus est metus gehennę, si sit tãtùm causa impulsiva, seu finalis secundaria. Talis enim metus provenire videtur ex habitu Spei Theologicæ; quandoquidẽ eiusdẽ virtutis est bonum suũ prosequi, & oppositum ejus fugere. Proinde si homo nolit servire Deo, nisi dona & beneficia conferat, ob eandem rationem talis eius affectio mala est: quia seipsum & propriã cõmoditatem plus diligit quàm Deum. Sin verò homo considerans, quòd Deus cultores suos ac servos variis beneficiis remunerat, & exinde moveatur ad præcepta eius observanda, bonum & honestum actum Spei exercet, qui etiã à charitatis virtute imperari potest: quandoquidem Deo gratum sit, si bona tam naturalia, quàm supernaturalia ab ipso, ut auctore omnis boni, speremus & petamus. Ita Ioannes Gerson *part. 2. operum. de regulis mor. §. Diligi potest Deus* Vasquez *1. 2. disp. 27. c. 2. n. 9.* Et videri potest Suarez *de virtut. Theol. tract. 2. disp. 1. sect. 4.*

Gerson. Vasquez. Suarez.

10. Ex dictis infertur, illum excusari à peccato, qui metu mortis non servat legem humanam, etiamsi lex pœnam capitis transgressoribus præscribat. Ratio est; quia lex humana non obligat cum tanto incommodo: ergo à peccato excusatur, qui metu mortis legẽ humanã non servat, etiamsi pœna capitis imponatur violatoribus illius legis. Ita Sanchez *lib 1. mor. c. 18. n. 9.* qui pro hac opinione citat Benzoniũ *tract de fuga. lib. 1. disp. 1. q. 4. concl. 6.* contra Sotum *l. 1. de just. q. 6. art. 4.* qui vult legem humanam statuentem pœnam capitis transgressoribus, obligare cum vitæ periculo. Sed hoc fundamento caret asserere: quia jure optimo transgressor culpabilis potest pœna capitis plecti, ut alij ab eius transgressione arceantur: at non erit culpabile illam non observare ad tuendam vitam.

Sanchez. Benzon. Sotus.

Sed quæres, quando quis minatur alicui mortẽ, nisi carnes humanas ederet, an sit licitũ eis vesci? Respõdeo licere, quia nil refert, sive metus mortis ab intrinseca necessitate cõsurgat, sive ab extrinseco inferatur, cùm utrobique eadẽ vitandæ mortis necessitas hunc esum excuset. Tum quia carnium humanarum comestio nõ videtur adeò intrinsecè mala, quin licita sit in tanto vitæ periculo. Ita Victoria *relect. de temperantia, n. 6.* Navarrus *in Man. c. 23. n. 122.* Eman. Sà *v. Comedere.* & alij. Tamen non tenetur quis carnes humanas comedere ad tuendam vitam, sed potest potiùs mortem pati; quia potest licitè sequi opinionem contrariam valdè probabilem asserentem esum huiusmodi carnium esse intrinsecè malum. Tum quia non tenetur quis omnibus mediis licitis propriam vitam tueri. Tũ quia possumus mortẽ nostram justa de causa permittere, qualis causa est horror & abominatio ab huiusmodi cibo; natura enim ita abhorret esum carnium humanarum, ut non teneatur quis gratia propriæ vitæ tuendæ rem tam horrendam aggredi. Concedunt tamen omnes esse licitum, dum caro humana non sumitur per modum cibi, sed per modum medicamenti: quia tunc non potest re vera carnis humanæ esus appellari, sed medicamenti liciti sumptio. Ita Sanchez *lib. 1 mor. c. 18 n. 14. & 15.* Cui in ultimo casu subscribit Valentia *2. 2 disp. 9. q. 3. punct. 1. vers. Neque obstat.* Confer quæ diximus *tom. 1. verb. Gula, num. 4.*

Victoria. Navarrus. Eman. Sà. Sanchez. Valent.

11. Qui lege aut voto abstinentiæ à carnibus est obstrictus, non solùm potest, sed etiã tenetur carnibus vesci, si non habeat alios cibos, & evidenter constet carnes illi necessarias esse ad tuendã vitã.

Ratio

Ratio eſt, quia in hoc caſu, neque lex neque votum obligat abſtinendi à carnibus tempore tantæ neceſſitatis, & ex alio capite quilibet tenetur vitæ propriæ conſulere, niſi aliud juſta & rationabilis cauſa exigat: quæ contingit, quando adeſt ſcandalum, quod alioquin aſtantes, aut alij ob id paterentur, tunc poſſet, aut etiam teneretur à carnibus abſtinere. Nam quilibet poteſt ſui necem permittere ex juſta & rationabili cauſa; & quilibet tenetur ſcandalum commune præferre vitæ propriæ. Ita Ioannes Major *in 4. diſt. 38. quæſt. 24.* Maior. Covarruvias *1. variar. cap. 2. numer. 10.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 6. quæſt. 7.* Covar. Azorius. Salas de leg. *diſp. 11. ſect. 2.* & alij apud ipſos. Nihilominus Carthuſiani laudabiliter in mortis periculo à carnibus abſtinent, quando alij cibi ſuppetunt, ita ut illis fas non ſit, cujuſcumque ægritudinis occaſione, carnibus veſci; quia ſi alij cibi haberi poſſint, carnium eſus non eſt medium abſolutè neceſſarium ad vitam ſervandam: diutius autem vitam protogare delicatiore vivendi modo nemo tenetur, ſi id à vitæ inſtituto alienum ſit, majuſque & publicum bonum virtutis, ac regularis obſervantiæ impediat vel imminuat: & ita laudabilis ejuſdem Ordinis conſuetudo regulam eorum interpretatur. Ita Victoria *relect. de temperant. n. 8. & ſequent.* Victoria. & alij.

Vide v. Contractus *n. 6.* Diſpenſatio *n. 38.* Iuramentum *n. 15.* Religio *n. 11.* Sponſalia *n. 10.* votum *1. n. 2. 3 & ſequent.*

MISSA I.

An ſit ſacrificium, & quando inſtitutum, & pro quibus offerendum.

SUMMARIUM.

1 *An Miſſa ſit ſacrificium? & quid ſit ſacrificium? & ut differat ab alijs oblationibus.*
2 *An unum idemque ſit ſacrificium quod in Miſſa offertur, atque illud, quod eſt olim in cruce immolatum.*
3 *An de fide ſit Miſſam eſſe inſtitutam à Chriſto, quoad ea quæ ſunt de ſubſtantia Sacrificij.*
4 *Quibus figuris ſignificatum, & quibus oraculis prophetarum vaticinatum in lege veteri Miſſæ ſacrificium fuit.*
5 *An in Miſſæ ſacrificio prius conſecretur panis, quàm vinum.*
6 *An unum ſit ſacrificium Miſſæ.*
7 *An ſicut Papa poteſt diſpenſare ex cauſa urgenti ut in altera tantum ſpecie conſecretur, poſſit etiam diſpenſare ut Miſſa ſacrificium celebretur in conſecratione aquæ loco vini.*
8 *An Sacerdos teneatur ſumere hoſtiam à ſe in Miſſa conſecratam? & an poſſit celebrare cum minori hoſtia, ſi non habeat majorem.*
9 *Quæ ſit res oblata in ſacrificio Miſſæ.*
10 *Quæ ſit dignitas Sacrificij Miſſæ.*
11 *An Sacerdos celebrans & alij fideles poſſint pro ſe & pro alijs ſacrificium offerre.*
12 *An hoc ſacrificium Miſſæ debeat offerri pro univerſa Eccleſia militante? & poſſit pro Catechumenis, pro infidelibus, pro excommunicatis non tolerati.*
13 *An pro excommunicato vitando ſacrificium offerre liceat, ſi pœniteat & per illum non ſtet quin abſolvatur?* Refertur triplex ſententia.
14 *An Miſſæ ſacrificium poſſit offerri pro animabus purgatorij, & illis proſit.*
15 *An pro beatis & damnatis.*

1. Miſſa ſecundùm propriam rationem formalem eſt ſacrificium, ut habetur ex doctrina Concilij Trident. *ſeſſ. 22. cap. 1. & can. 1.* Con. Trid Tum quia in Miſſa continentur illa tria, quæ pertinent ad eſſentiam ſacrificij: videlicet, conſecratio, oblatio, & conſumptio. Tum quia lex naturalis dictat, dandum eſſe aliquod ſacrificium in Eccleſia, in quo Chriſtiani conveniant ad colendum & placandum Deum. Non poteſt autem aliud aſſignari in ipſa Eccleſia præter Miſſam, in qua repræſentatur ſacrificium illud cruentum, quo Chriſtus ſeipſum in ara crucis Deo Patri obtulit, moriendo pro nobis: & hæc eſt oblatio munda, quæ in omni loco ſacrificatur & offertur ipſi Deo, juxta teſtimonium Malachiæ *cap. 1.* Ita communiter Doctores.

Sacrificium autem in communi, ita poteſt definiri:

Sacrificium eſt *oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei oblatæ in ſignum divinæ excellentiæ legitimè inſtitutum.* Dicitur *oblatio*, pro genere: omne enim ſacrificium eſt in genere oblationis. Dicitur *per immutationem alicujus*; nam in veteri teſtamento ſacrificij nomine ea propriè intelligebantur, in quibus res aliquæ immolabantur, & in Dei honorem immutabantur; ideò, propriè loquendo, ſacrificium intelligitur externa & ſenſibilis actio, qua res aliqua ita Deo offertur, & legitimo & ſolemni ritu à publico miniſtro in honorem ipſius Dei aliquo modo immutatur. Dicitur *in ſignum divinæ excellentiæ*, quia hæc eſt formalis ratio ſacrificij.

Differt autem ſacrificium ab alijs oblationibus, quæ Dei causâ fiunt ut colligitur ex D. Th. 2. 2. D. Thom. *q. 86 art. 1. & quæſt. 85. a. 3. ad 3.* quia ſacrificij materia aliquid in ſe patitur, ac proinde aliqua ſui mutatione ſacratur: aliarum verò oblationum materia nullam ſui mutationem patitur, ſed tantùm abhibitis ſub certa quadam præſcripta forma, verbis, precibus, ritibus, ac cæremonijs, Sacerdotis miniſterio cõſecratur, ut rami olivarum, palmarum, fructus arborum, panis, vinum, oleum, & quæ talia ſunt. Quo fit, ut ſacrificium ab oblatione diſtinguatur: hæc enim, tanquam genus, latiùs patet, quàm ſacrificium: nam omne ſacrificium eſt oblatio, non contrà. Ita cum D. Thoma Sylvius. Sylvius *2. 2. quæſt. 85. ubi de ſacrificio.*

2. An autem unum idemque ſit ſacrificium quod quotidie in Miſſa offertur, atque illud, quod eſt olim in cruce immolatum? Dicendum eſt ex Trident. *ſeſſ. 22. cap. 2.* quod *una eademque eſt hoſtia,* Trident. *idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in cruce obtulit, ſolâ offerendi ratione diverſâ.* Ex quibus infertur in Miſſæ ſacrificio, & eſſe hoſtiam quæ Deo offertur, & cum qui offert, & actionem, quâ hoſtia offertur à Sacerdote. Concilium docet hoſtiam eſſe eandem, quia eſt corpus Domini. Offerentem principalè eſſe eundem, eo quod idem Chriſtus, qui tunc in cruce ſe obtulit, nunc quoq; quotidie Patri ſe offert quòd ipſius Chriſti Domini juſſu, inſtitutione, authoritate & nomine quotidie Sacerdotes offerant. Ipſe igitur eſt principalis Sacerdos, ceteri Sacerdotes veri ſunt ipſius miniſtri ad ſacrificium faciendum & offerendum, Eccleſiæ authoritate conſecrati, & poteſtate præditi. Actio verò inſtrumenti & miniſtri eſt eadem, quæ cauſæ principalis; ac proinde oblatio Sacerdotalis eadem eſt, quæ Chriſti ſe quotidie incruentè per ſuos Sacerdotes Patri offerẽtis: Sed

non eſt eadem, quæ fuit facta olim in cruce: nam oblatio in cruce, fuit facta ſemel, & in hac altera incruenta quotidie replicatur. In cruce Chriſtus ſe ipſum reverà obtulit, nunc verò in Miſſæ ſacrificio non ſe per ſeipſum offert, ſed per Sacerdotes: quia ipſe Sacerdotes inſtituit Apoſtolos, & juſſit ipſos & ipſorum ſucceſſores ſacrificium facere & offerre. Ita Sylvius *in 3. p. quæſt.* 83 *art.* 1. *quæſt.* 5. Suarez *in 3. part. tom.* 2. *diſp.* 76. Filliucius *tract.* 5. *n.* 26. & alij communiter The. logi.

Sylvius. Suarez. Filliucius.

3 De fide eſt Miſſam eſſe inſtitutam à Chriſto, quoad ea quæ ſunt de ſubſtantia ſacrificij. Prob. quia Chriſtus in ultima cœna obtulit hoc ſacrificium, & tulit legem de illo, ut perpetuò in Eccleſia perduraret, & congruè; quia ad Chriſtum ut novæ legis auctorem pertinebat ſubſtantialia inſtituere, cujuſmodi eſt ſacrificium, ſicut & Sacerdotium; nam hæc duo neceſſariò ſunt connexa, & de ſacerdotio ait D. Paulus transferri ſimul cum lege, aut ipſo tranſlato, neceſſe eſt legem etiam transferri: quia Chriſtus abrogando legem veterem, ejus ſacrificia abſtulit: ergo è contrario ſtabiliendo legem novam, ejus ſacrificium inſtituit. Miſſa autem quoad totam actionem ut includit omnes cæremonias, eſt inſtituta ab Eccleſia. Nam Canon Miſſæ non à Chriſto, ſed ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus traditus eſt & compoſitus, ut Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 4. & 5. dicit, & idem eſt certum de alijs cæremonijs & collectis, ut colligi poteſt ex S. Clemente & alijs Pontificibus & ex Iſidoro *lib.* 2. *de off.* ubi dicit, ordinem Miſſæ & orationum à S. Petro eſſe inſtitutum; licet Apoſtolorum tempore paucæ cæremoniæ & orationes adjunctæ ſint oblationi hujus ſacrificij, quæ poſteà ſucceſſu temporis ab Eccleſia additæ ſunt. De qua re plura apud Suarez *tom.* 3. *diſp.* 74. *ſect.* 1. & alios.

Con. Tri. D. Iſidor. Suarez.

4. Miſſæ ſacrificium olim in lege veteri non una, ſed pluribus figuris ſignificatum fuit propter illius excellentiam; res enim quæ uno nomine ac vocabulo propter ſuam excellentiam ſignificari non poteſt, convenientiſſimè multis ſymbolis, nominibus & figuris declaratur, & ſic ſignificatum fuit in ſacrificio Melchiſedech *Geneſ.* 14. qui panem & vinum Deo obtulit in ſacrificium pro victoria Abraham, & in Liturgia D. Jacobi oratur ſuſcipi hoc Miſſæ ſacrificium ea devotione, qua obtulit Abel, Noë, Aaron, Samuel ac reliquorum Sanctorum ſacrificia, quia illorum ſacrificia fuerunt figuræ iſtius: *Omnia enim in figuris contingebant illis*, ut ait Apoſtol. 1. Corinth. 10. Et quia in multis rebus fuit figuratum hoc divinum Miſſæ ſacrificium, ideò dicit Concilium Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *in fine*, hanc oblationem eſſe, *quæ per varias ſacrificiorum, naturæ & legis tempore, ſimilitudines figurabatur; utpotè quæ bona omnia, per illa ſignificata, velut illorum omnium conſummatio & perfectio complectitur.* Nec fuit ſolùm in ſacris literis figuratum hoc divinum ſacrificium Miſſæ, ſed etiam vaticinatum multis Prophetarum oraculis, ut nemo ëe illius veritate dubitaret, qui Chriſtiano nomine gloriaretur. Unde Propheta regius Pſalm. 110. præclaro vaticinio ſacrificium hoc ſacrificium ſacrificiorum, memorativumque ac completivum omnium figurarum appellat. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors ac miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.* Præcipuè verò prænunciatum fuit hoc divinum Miſſæ ſacrificium perilluſtri vaticinio Malach. 1. *A Solis ortu uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quem locum intelligit Tridentina Synodus *ſeſſ.* 22. *cap* 1. de ſacrificio Miſſæ, & ita intelligunt antiqui & novi Doctores, contra Hæreticos, qui volunt hunc locum non intelligi de Miſſæ ſacrificio, ſed de prædicatione Euangelij, & de gentium converſione in omni loco, & de precibus, quæ fundendæ erunt apud Deum poſt illarum converſionem. Sed contra hoc opponitur Trident. *loco citato*, quod de ſolo ſacrificio Miſſæ hoc vaticinium & intelligit, & intelligendum prædicat, dicens: *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt: quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit.* Ita Concilium.

Con. Tri. Con. Tri.

5 Quorumdam antiquiſſimorum Theologorum ſententia fuit, non priùs in Miſſa conſecrari panem, quàm vinum, ut colligitur ex epiſtola D. Bernardi 69. ad Guidonem Abbatem. Ratio ipſorum erat, quia Miſſæ ſacrificium eſt unum: ergo etiam una forma illius eſſe debet: ergo illa verba quibus panis conſecratur, non ſunt tota forma ſacrificij, ſed pars illius: ergo effectum ponendi Chriſtum in hoſtia conſecrata minimè ſortiuntur, quoadúſque tota forma exiſtat conſecrato vino. Hæc autem antiquorum opinio nec tuta, nec vera eſt, & ideò communiter à Doctoribus reprobatur, & ideò dicendum eſt verba conſecrationis panis ſtatim ſortiri ſuum effectum & ponere vivum Chriſtum totum, non mutilum, cum ſanguine & oſſibus in hoſtia conſecrata, ante conſecrationem vini. Prob. quia ſtatim, atque panis ſpecies eſt conſecrata, in altum tollitur, quam totus populus ſupplex veneratur & colit; quod nequaquam fieri liceret, ſi in panis ſpecie nondum Chriſti corpus exiſteret. Præterea verba Sacerdotis faciunt, quod ſignificant: ergo ſtatim atque Sacerdos dixit: *Hoc eſt corpus meum*, panis in Chriſti corpus convertitur: neque horum verborum effectus in aliud tempus differtur, cùm ea ſtatim ſignificationem habeant. Ita D. Thom. 3. *part. quæſt.* 78. *art.* 6. Sylvius & alij commentatores *ibid.* D Bernardus *in citata epiſtol.* 69. Innocent. *lib.* 4. *de offic. Miſſæ cap.* 27. & communiter Doctores *in* 4. *diſt.* 8.

D. Bern. D. Thom. Sylvius. D. Bern. Innocent.

Ad argumentum contrariæ opinionis dic, unum eſſe Euchariſtiæ Sacramentum, & unum Miſſæ ſacrificium, conſtare tamen duabus partibus & duobus ſignis, videlicet conſecratione panis & conſecratione vini, ac proinde ſicut quælibet pars ſeorſim per ſe ſuum ſignificatum habet, ita etiam ſuum effectum, ut in ſequenti reſolutione dictum.

6. Conſtans eſt Theologorum opinio, unum dumtaxat Miſſæ ſacrificium eſſe. Ratio eſt, quia una tantùm eſt hoſtia, quæ immolatur & offertur; unus finis, in quem totum ſacrificium dirigitur: unus denique ſacrificij effectus. Nec refert, quod una, duobuſve conſecrationibus ſacrificium conſtet: quia ſicut duæ conſecrationes panis & vini, unum Sacramentum conſtituunt, tanquam unum quoddam divinum epulum atque convivium, quo anima ſpiritualiter reficitur, ut diximus *tom.* 1. *verb. Euchariſtia* 1. *numero* 5. ſic etiam tanquam duæ partes in unum ſacrificium conveniunt, quod in cibo, ac potu ſpirituali conſiſtens Deo quotidie immolatur. Ita D. Auguſt. *lib.* 10. *de civit. cap.* 20. & *lib.* 17. *cap.* 10. & *lib.* 3. *de Baptiſmo cap. ult.* & *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.*

D. Aug.

Digitized by Google

Novum instituit pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum. Ita communiter Doctores. Panis & vinum offeruntur in hoc sacrificio, etiam tanquam materia ex qua conficitur sacrificium quia constat ex locutionibus Ecclesiæ & Sanctorum, panem & vinum hic aliquo modo offerri, sed non offeruntur tantùm quoad accidens, sed etiam quoad substantiam: ergo quoad utrumque pertinent ad rem oblatam, sed secundùm substantiam non sunt res oblata, tanquam manens in termino sacrificationis: ergo ut materia transiens. Ita Suar. *in 3. part. to. 3. disp. 75. sect. 1.* Sylvius 3 *part. quæst. 83. art. 1. q. 7.* & alij. Suarez. Sylvius.

10. Missæ sacrificium habet maximam dignitatem & excellentiam, tum ratione rei oblatæ, quæ est infinitæ dignitatis; tam ratione modi offerendi in se, qui est maximè supernaturalis, ac divinus tum ratione significati; est enim expressa quædam & viva imago passionis Christi & consequenter Incarnationis & aliorum Christi mysteriorum: tum denique ex virtutis honestate, cùm sit sacrificium honorarium, sive holocaustum gratiarum actionis & laudis, propitiatorium & impetratorium, ut tradit Concil. Trident. *sess. 22. cap. 2.* Et hoc sacrificium non minus dignitatis habet, quàm sacrificium cœnæ, cùm sint ejusdem rationis & consequenter ejusdem essentialis perfectionis, quamvis in accidentali aliquo modo differant, ut diximus *tom. 1. verb. Missa 1. num. 7.* Item habet æqualem dignitatem cum sacrificio cruento crucis cùm idem in utroque sit principalis offerens, eademque res oblata. Item omnia sacramenta à se realiter distincta, & omnia simul sacrificia antiqua superat in dignitate, tum in principali offerente & re oblata, tum in modo offerendi; tum denique in efficacia ex opere operato & in valore ad impetrandum propter realem Christi præsentiam & oblationem. Ita Suarez *tom. 3 disp. 76. sect. 2.* Filliucius *tract. 5. numer. 29.* Con. Tri. Suarez. Filliucius.

11. Sacerdos celebrans potest offerre sacrificium pro se ipso sacrificante: nam cùm quilibet Sacerdos egeat impetratione & propitiatione, potest, & debet pro seipso offerre sacrificium, & tunc duplicem habebit effectum sacrificij; Unum ut agens, quia ut sic proximè & immediatè participat effectum sacrificij. Alterum, ut recipiens fructum oblationis, juxta dictum Apostoli ad Hebræos 5. *Propterea quemadmodum pro populo, ita & pro seipso offerre debet sacrificium pro peccatis; quia & ipse circumdatus est infirmitate.*

Principalis tamen offerens, qualis est Christus, non potest pro seipso offerre sacrificium, mediante Sacerdote offerente, *quia non habet ullam necessitatem, quemadmodum Sacerdotes.* Alij autem fideles, qui sunt cooperatores sacrificij Missæ, possunt etiam suo modo pro seipsis offerre sacrificium mediante Sacerdote, quia etiam ipsi possunt egere impetratione, & propitiatione.

Item juxta usum Ecclesiæ potest & debet Sacerdos pro aliis hoc sacrificium offerre: quia hoc est intrinsecè annexum muneri sacerdotali, ut pro aliis intercedat. *Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum.* Ad Hebr. 5 id est, ut eorum causam agat apud Deum, eorumque sit interpres & conciliator in ijs quæ sunt apud Deum agenda. Hæc est enim differentia Eucharistiæ, quod ut sacramentum prosit soli sumenti, ut sacrificium, etiam alijs, juxta illud Matth. 26. *qui pro vobis* scilicet sumentibus, *& pro multis*, scilicet alijs, *effundetur.*

Denique non solùm Sacerdos, sed quilibet alius non Sacerdos offerens potest pro alio sacrificium offerre, eo modo quo ad ipsum spectat: potest enim quilibet generaliter quæcumque opera pietatis alteri applicare, sicut orare, & impetrare pro ipsis: ergo & sacrificium impetratorium offerre. Ita Suarez *t. 3. disp. 78. sect. 1.* Sylvius 3. *part. q. 83. art. 1. q. 7.* Filliucius *tract. 5. cap. 2. q. 5. & 6.* & alij. Suarez. Sylvius. Filliuciat.

12. Hoc Sacrificium debet offerri pro universa Ecclesia militante, & pro omnibus membris illi colligatis, id est, pro baptizatis viventibus, qui nec per infidelitatem, nec per excommunicationem sunt ab ea eiusque communicatione seiuncti; ut patet *ex cap. visum, de consecrat. dist. 1.* ubi habetur, *Nulla dies excipitur, in qua non pro viventibus Dominum deprecetur.* Et Concil. Tridentin. *sess. 22. cap. 2. & can. 3.* Patet etiam ex Canone ipsius Missæ, ubi dicitur, *In primis pro Ecclesia tua sancta,* &c. Con. Tri.

Potest etiam offerri hoc sacrificium pro Catechumenis fidelibus nondum baptizatis; sunt enim uniti Ecclesiæ per fidem, licet non sint per Baptismum regenerati. Huiusmodi tamè oblatio non prodest illis quoad fructum satisfactionis ex opere operato, cum talis fructus sint incapaces, sed tantùm illis prodest quoad fructum impetrationis, ut scilicet Deus inspiret illis desiderium regenerationis, & conversionis. Proinde pro Catechumenis, qui dicuntur competentes & Baptismum petunt, & in merito æquales sunt Christianis, & per illos non stat quin Baptismum suscipiant, si ante Baptismum moriantur, licitè possunt Missarum officia & sacrificia fieri & offerri. Prob. quia, ut supponitur, decedunt in charitate: ergo Baptismum flaminis consequenter habent, quamobrem non decedunt absolutè extra Ecclesiam. Pro Catechumenis autem, qui incompetentes dicuntur, ut sunt illi, qui ex mera negligentia sua & culpa gravi non petunt Baptismum, si absque Baptismo decedant, prohibet Ecclesia offerri Missas, quia præsumuntur decessisse in peccato mortali, sicut prohibet offerri pro Christianis qui decedunt in publico & notorio concubinatu, nisi signa pœnitentiæ præcesserint. Ita Suarez *disp. 78. sect. 2.* Fagundez *de præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 28. 29. & 30.* Henriquez *lib. 9. de Missa cap. 15. num. 5.* Sylvius *loco cit. quæst. 83. art. 1 quæst. 8.* & alij apud ipsos. Suarez. Fagund. Henriq. Sylvius.

Item potest offerri hoc sacrificium pro quibuscumque infidelibus, quatenus est impetratorium, dummodo per Ecclesiam excommunicati non sint. Prob. tum ex usu veteris legis, in qua offerebantur sacrificia pro gentibus, ut pro Dario 1. *Esdr. 6.* pro Spartiatis 1. *Machab. 12.* pro Heliodoro &c. tum usu novæ apud Clement. 8. *Constitut. cap. 18.* Ut pro Regibus & exercitibus eorum, qui tunc infideles erant; tum ratione, quia sacrificium crucis est oblatum pro omnibus etiam infidelibus: proinde hoc etiam poterit offerri pro illis, cùm sit ejusdem sufficientiæ. Pro infidelibus autem majore excommunicatione ligatis non toleratis offerre non licet, publicam personam agendo, quia id est prohibitum in jure *cap. Sacris, de sentent. excom.* Hic enim est unus effectus excommunicationis, privare excommunicatum participatione suffragiorum communium. Tamen potest Sacerdos in Memento Missæ orare pro eis privata oratione & intentione, cùm nulla ab Ecclesia sit facta prohibitio. Ita Suarez *to. 3. disput. 78. sect. 2. per totam.* Bellarminus *lib. 2. de Missa c. 6. §. sed quæret aliquis.* Fagundez *de præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 21. & 22.* Sylvius 3. *p. quæst.* Suarez. Bellarm. Fagund. Sylvius.

Digitized by Google

Navarrus. *quæst.* 83. *art.* 1. *quæsit.* 8. & 9. Navarrus *in man. cap.* 27. *num.* 18. & 36 & est communis. Quare si excommunicati sint vitandi juxta Extravag. Martini V. nullius ipsorum nomen publicè debet exprimi, adeò ut si Rex vel Episcopus esset nominatim denunciatus excommunicatus, nominandus non esset, neque in Canone, neque in aliis Ecclesiæ publicis precibus: ut sic confundantur & confusi corrigantur. Si tamen non sint excommunicati denunciati, licitè pro eis sacrificia offerre possumus, & cum eis communicare, tam in divinis, quàm in humanis, cùm in nullo teneamur illos vitare, post Extravag. *dict. Ad evitanda.* Ita docent hodie communiter Doctores, apud Dianam *parte* 5. *tract.* 9. *resol.* 74.

Mart. V.

Diana.

19. Difficultas est inter Doctores, an si excommunicatus vitandus sit in gratia, & verè pœniteat, & nondum sit absolutus, nec per eum, aut culpa illius fiat quod non absolvatur, liceat pro eo offerre sacrificia, & communia Ecclesiæ suffragia? Tres sunt hac de re opiniones: Prima docet, non licere, & peccatum mortale esse, ea pro illis offerre, sed sacrificia oblata eis prodesse & fructuosa esse ad remissionem pœnarum, quæ pro peccatis debentur, & ad augmentum novæ gratiæ. Ratio huius opinionis est, quia sicut peccat mortaliter ipse Sacerdos nominatim denunciatus, si celebret pro non excommunicatis, & eis prodest sacrificium ipsum quod pro illis offert, ita prodest etiam sacrificium Missæ applicatum à Sacerdote non excommunicato pro excommunicato verè pœnitenti emendato & per quem non stat quo minus absolvatur, licet ipse Sacerdos peccet mortaliter: quia violat prohibitionem Ecclesiæ in materia gravi, applicando Missas & suffragia communia Ecclesiæ. Ita Ledesma, Henriquez, Richardus, D. Antoninus, apud Azorium *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 22. *quæst.* 2. *vers. Sed contra alij.* & apud Fagundez *de præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 4. Hæc sententia est probabilis.

Ledesma. Henriq. Richard. D. Anton. Azorius. Fagund.

Secunda opinio sustinet huiusmodi excommunicatos verè pœnitentes, & per quos non stat quominus absolvantur, participes esse communium Ecclesiæ suffragiorum, & licitum esse, seclusò scandalo pro eis sacrificia offerre, modo id non fiat publicè, nominando illos in ipsis Missis, sed secretò & in intentione, propter scandalum. Ratio est; quia cùm in nostro casu ipse excommunicatus per pœnitentiam innocens sit, non est credendum velle Ecclesiam illum privare suffragiis communibus, quibus intendit favere, & non nocere innocentibus filiis. Ita Navarrus *in man. c.* 27. *num.* 18. & 36. & post illum Fagundez *num.* 6. *loco cit.* & alij apud ipsos. Et hæc opinio est probabilis.

Navarrus. Fagund.

Tertia sententia docet esse peccatum mortale Missæ sacrificium & communia Ecclesiæ suffragia pro talibus verè pœnitentibus offerre, & eis non prodesse, si pro illis de facto offerantur: quia censura manens habet semper suum effectum: nam pœnitentia contumaciæ quidem culpam delevit, excommunicationis tamen vinculum ab Ecclesia iniectum non sustulit: & quia alioquin esset necessaria absolutio à censura post peractam pœnitentiam. Et hæc mihi magis placet ut probabilior, quam tenent Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. huius opinionis primus Auctor, quem sequuntur Suarez, Filliucius, Layman, Turrianus, Vasquez, Coninck, Præpositus, Hurtadus, Mercerus, apud Dianam *part.* 5. *tract.* 9 *resol.* 75. 76. 77. apud quem plura.

Sotus. Suarez. Filliucius. Layman. Turrian. Vasquez. Coninck. Præpositus. Diana.

14. Hæretici nostri temporis omnes nervos contendunt ut defunctos apud ignem purgatorium existentes tam piis suffragiis privent, & ideò omnes sacrificia pro defunctis maximè detestantur: concors tamen omnium Patrum, Conciliorum & Theologorum doctrina est, & certissima de fide sententia, hoc sacrificium Missæ posse offerri, etiam ut impetratorium, pro animabus purgatorij, & illis prodesse quoad pœnas, quæ per oblationem huius sacrificij remitti possunt. Probatur *Primò*, ex testamenti veteris consuetudine, & ex ipsa Scripturæ auctoritate. Nam Judas Machabæus jussit offerri sacrificium pro peccatis mortuorum: & Scriptura 2. *Machab.* 12. hoc factum laudans, aperte dicit: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

Probatur *Secundò*, ex consuetudine Catholicæ Ecclesiæ universæ. Nam Ecclesia universa in sacrificio Missæ pro defunctis orat, ut patet ex omnibus Liturgiis, & Conciliis omnium Provinciarum, in quibus fit mentio sacrificij pro defunctis tanquam recepti, & usitati.

Probatur *Tertiò*, ex Apostolica traditione. Constat enim hunc ritum sacrificandi pro peccatis mortuorum ab Apostolis ad nos manasse. Nam in nullo Concilio institutum, sed semper servatum fuisse, patet ex testimoniis antiquissimis Patrum eorum, qui omnia Concilia præcesserunt, ubi fit mentio de sacrificiis pro defunctis.

Probatur *Quartò*, ex Concilio Tridentino *sess.* 22. *Canon.* 3. ubi de fide dèfinit Purgatorium esse, & animas ibi detentas piis Ecclesiæ suffragiis & Missarum sacrificiis juvari, docens. *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & alijs necessitatibus offerri debere; anathema sit.* & in eadem *sess.* 22. *c.* 2. ita ait: *Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè, juxta Apostolorum traditionem, offertur.* Et in sess. 25. cap. 1. in Decreto de Purgatorio, ita docet idem Concilium: *Cùm Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta, ex Sacris literis, & antiqua Patrum traditione, in Sacris Conciliis, & novissimè in hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse; animasque ibi detentas, fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari; præcipit Sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, à Sanctis Patribus & Sacris Conciliis traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter studeant.* Sed de his plura apud Bellarminum *lib.* 2. *de Missa, cap.* 7. Suarez *tom.* 3. *disp.* 78. *sect.* 3. §. 3. *loco*, Sylvium *in supplem.* 3. *part. quæst.* 71. *art.* 2. & 6. & alios commentatores D. Thomæ ibi.

Con. Trid

Bellarm. Suarez. Sylvius.

15. Missæ sacrificium, ut est propitiatorium, non potest pro Beatis offerri: quia liberi sunt ab omni malo, tam culpæ, quàm pœnæ unde cùm Sancti ac Patres dicunt sacrificium offerri pro Apostolis & Martyribus, non intelligunt offerri pro eorum honore; siquidem constat, non offerri sacrificium ad expiationem delictorum, aut pœnarum remissionem, aut gratiæ vel gloriæ essentialis augmentum eorum Sanctorum, qui iam cum Christo regnant & ad immortalitatem sunt recepti; & ideò cùm in Missa petimus, ut oblatio Sanctis prosit ad gloriam, non tam oramus pro Sanctis, quàm pro nobis: petimus enim à Deo gratiam ita sanctè, piè, devotè, rectè sacrificium offerendi, ut inde sancti meritò possint gaudere

&

& gloria illis coram hominibus accedat. Tamen potest aliquo modo pro illis offerri, quatenus est laudis & gratiarum actionis, id est pro beneficijs in ipsos collatis, qui modus non dicitur propriè offerri pro aliquo; quia reverà non applicatur ei fructus sacrificij, quamvis hoc sacrificio possit impetrari Beatis honor aliquis ex viatorum actionibus resultans, id est gloria accidentalis. Ita Suarez *disp.* 78. *sect.* 3. §. *Secundo loco & seqq.* Fagundez *de præcept.* 1. *Eccles. cap.* 11. *num.* 12. Bellarminus *loco cit. cap.* 8. Azorius *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 22. *q.* 5. Sylvius *in* 3. *part. q.* 83. *art.* 1. *quæst.* 10. & 11. Filliucius *tract.* 5. *cap.* 2. *quæst.* 11. & alij.

Suarez. Fagund. Bellarm. Sylvius. Filliucius.

Ceterùm id ab omnibus conceditur, Sanctis non offerri sacrificium Missæ, sed soli Deo vivo & vero in cultum latriæ; & ideò sacrificium Missæ non est per se institutum ad Sanctos honorandos & invocandos, sed ad Deum colendum & propitium reddendum: unde templa etiam & altaria non fiunt immediatè, primariò & per se ad Sanctorum honorem, sed secundariò; primariò enim & per se fiunt & extruuntur templa sub nomine alicuius Sancti & tutela illius in honorem Dei; ut scilicet Deus in Sanctis & per Sanctos suos honoretur, ut habetur expressè in Concil. Trid. *sess.* 22. *c.* 3. & apud D. Aug. *lib.* 8. *de civitate Dei c.* 27. ubi sic legitur: *Nos Martyribus non constituimus templa, Sacerdotia, sacra & sacrificia*, id est; primariò in honorem illorum, sed secundariò; quo enim sensu offerimus Sanctis Missas & Sacrificia eodem iis erigimus templa & alteria. Ita etiam Doctores proximè citati.

Con. Trid

Porrò hoc sacrificium non potest offerri pro damnatis & impiis defunctis, quando eos in peccato mortali mortuos esse constiterit, cùm jam non sint membra Christi, quibus possit prodesse passio illius. Ita Suarez *tom.* 3. *disp.* 78. *sect.* 3. §. *Primò igitur*, & communis. De historia autem animæ Traiani, quæ, ut refertur à gravissimis Doctoribus, lachrymis & orationibus D. Gregorij Papæ à pœnis gehennæ liberata fuit, an sit frivola vel vera? Vide Fagundez *de præcept.* 1. *Eccles lib.* 3. *c.* 11. *num.* 5. *& sequentibus*, ubi pro negativa & affirmativa sententia refert Auctores & rationes, & tandem probabile putat veram esse historiam & animam illam ultimam sententiam particularis judicij non audivisse, quoadusque ad vitam rediisset & pœnitentiam egisset.

Fagund.

MISSA II.

Ubi variæ quæstiones de Missa proponuntur & resoluuntur.

SUMMARIUM.

1 *An possit Sacerdos minores hostias post consecrationem ponere extra aram & dare alteri distribuendas ante communionem.*

2 *An sacrificium inceptum post consecrationem, sit perficiendum ab altero Sacerdote, si celebrans moriatur vel infirmetur? Et quid faciendum si Sacerdos moriatur vel infirmetur post consecrationem unius speciei? Et an teneatur alteri in hoc casu sub peccato mortali perficere sacrificium?*

3 *An in aliquibus casibus possit Missa sacrificium interrumpi.*

4 *An Sacerdos possit Missam interrumpere, si cœptâ Missâ meminerit se non esse jejunum, vel esse excommunicatum, interdictum, irregularem, in peccato mortali, aut se non fuisse ritè ordinatum, vel non esse Sacerdotem.*

5 *An liceat Sacerdoti celebranti sumere reliquias Sacramenti Eucharistiæ post sumptam calicis ablutionem dum est in altari?* Refertur duplex sententia. *Et an idem licitum sit post recessionem ab altari?*

6 *An semper sit mortale, Missam dicere vel communicare, quando minima quantitas cibi vel guttula aquæ per modum cibi vel potus præassumitur.*

7 *An offa panis in vino sit materia utriusque vel alterius consecrationis.*

8 *Quando peccet mortaliter Sacerdos qui est notabiliter in mora celebrandi Missas pro iis, à quibus stipendium accepit.*

9 *An requiratur intentio actualis vel virtualis saltem in Sacerdote tempore Missæ ad applicandum fructum sacrificij? Et an satis sit habitualis?*

10 *Quandonam fructus Missæ à Sacerdote applicari debeat ut effectus sequatur?* Refertur duplex sententia.

11 *An fructus Missæ possit à Sacerdote applicari sub conditione de futuro, præsenti vel præterito.*

12 *An Sacerdos offerens sacrificium in persona Ecclesiæ, possit licitè & validè eius intentionem mutare.*

13 *Ut indulgentia prosit defunctis, an Sacerdos celebrans in altari privilegiato, debeat esse in gratia.*

14 *An Sacerdos Missam dicens in altari privilegiato, debeat non solum indulgentiam, sed & sacrificium applicare defuncto.*

15 *An Missa celebrata in altari privilegiato, quatenus privilegiatum est, prodesse possit viventibus.*
An sit licitum viventem sibi Missam pro defunctis celebrari facere & exequias dici, quasi ipse mortuus esset? Refertur duplex sententia.

16 *An melius sit, ut fideles curent celebrari pro se Missas ante mortem, quàm post.*

17 *An sit peccatum mortale celebrare in altari ubi non est Crux posita.*

18 *An qui celebrat Missam sine lumine, peccet mortaliter?*
Et an sit prosequenda Missa inchoata si lumen extinguatur?

19 *An celebrare sine corporali lineo & benedicto, sit peccatum mortale.*

20 *An sine stola, manipulo, aut cingulo Missam dicere, sit peccatum mortale?* *Et an omnes vestes sacræ debeant esse benedictæ?*

21 *Quæ sint mystica & sacra significationes Sacrarum vestium, quibus utitur Sacerdos in Missa.*

21 *An omissio harum vestium, precisâ inadvertentiâ, sit semper peccatum mortale.*

23 *An liceat vestes prophanas virorum aut mulierum applicare ad sacrum?* *Et an licitum sit Sacerdoti Missam celebraturo, ire ad altare cum baculo.*

1. VT rectè Sacerdos officio suo fungatur in Missa, non potest minores hostias post cõsecrationem ponere extra aram. & multò minùs dare alteri distribuendas, nisi post communionem in Missa. Probatur prima pars: quia in Rubricis Missalis præcipitur, quod particulę illę ponantur super corporale, vel ante calicẽ, vel in aliquo calice, vel vase mundo benedicto retro post calicem: tum quia ara non tam requiritur ad sustentandã hostiam tempore consecrationis, quàm tempore præcedenti & sequenti: quãdo enim consecratur, non est hostia super aram, sed in manibus Sacerdotis,

vincula sunt de iure humano, & non est credendum velle Summos Pontifices Sacerdotem obligare ad relinquendam Missam cum scandalo. quod necessariò sequetur, si postquam substantialiter est incepta, relinquatur. Ita Suarez *in 3. parte tom. 3. disp. 85. sect. 1. vers. Si denique.* Fagundez *loco cit. lib. 3. c. 18. n. 8.* & alij penes ipsos. Suarez. Fagund.

Dico *Secundò*, si Sacerdos meminerit alicujus prædictorum impedimentorũ Canone jã cœpto, tenetur sub culpa mortali, præhabita contritione, & proposito petendi absolutionem, vel dispensationem irregularitatis, sacrificium perficere & absolvere: quia jã est quasi substantialiter sacrificium inceptum: & idem dicendũ est, si meminit se non esse jejunum. Ratio est, quia in hoc casu non cessat scandalum, imò evidenter oritur, ut patet, cùm videant omnes sacrificium quasi substantialiter inceptum relinqui, & non videant causam, ob quam citra culpam Sacerdotis mutilum & imperfectũ relinquatur. Et proinde præter prædictũ scandalum oriuntur sæpè alia plurima, quibus tenetur Sacerdos sub mortali obviàm ire, v. g. quia desistendo à sacrificio se infamaret de gravi peccato & offendiculũ esset alijs temerariè judicãdi, & similia, ut rectè docet Sylvester *verb. Eucharistia 2. n. 10.* & colligitur ex doctrina Suarez *loco cit. disp. 81. sect. 4. v. Secundò quæret aliquis.* Soti *in 4. dist. 13. q. 2. a. 6.* ubi docent debere Sacerdotẽ sacrificantem Missam absolvere, si contingat Ecclesiã pollui incepto Canone, dum est in actu sacrificij: quia jam censetur quasi substantialiter inchoatũ sacrificiũ; & ideò interrumpi non debet, propter Ecclesiasticum loci impedimentum superveniens: Ergo idẽ dicendũ est ob paritatem rationis in nostro casu. Sylvester. Suarez. Sotus.

Dico *Tertiò*, si Sacerdos solius peccati nõ Confessi meminit in sacrificio Missæ antequã Canonẽ inciperet, illam debet absolvere, præhabita contritione, etiamsi secluso scandalo eam possit dimittere, quod rarissimè tamen eveniet. Ita colligitur ex D. Thoma *3. parte quæst. 83. art. 6. ad 2.* & *in 4. dist. 13. in litera*, Paludano *ibi*, & expressè tenet Sylvester *verb. Eucharistia 2. num. 9.* Si verò meminit impedimenti excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, aut se non esse jejunum, tunc tutius est Missæ sacrificium inchoatum dimittere, quando non sequitur scandalum: secuto autem scandalo, perficiendum est, ut docet expressè D. Thomas *3. part. q. 83. art. 6. ad 2.* Navarrus *in man. cap. 25. n. 75. §. 13.* Sylvester *verb. Eucharistia 2. num. 9.* & alij. D. Thom. Paludan. Sylvest. D. Thom. Navarrus. Sylvest.

Dico *Quartò*, si celebrans in altari meminit se non esse Sacerdotem, aut non ritè ordinatum, tenetur Missam dimittere, sive ante, sive post Canonem aut consecrationem id meminerit, si conscientiam deponere non potest: & tunc prætexat se morbo impediri ne prosequatur Missam. Notandum tamen quod ad dimittendam Missam requiratur clara notitia hujus rei: quia aliunde potest hujusmodi scrupulus esse argumentum timoratæ conscientiæ, ac proinde irrationabilis: proinde si sibi certò & prudentialiter non constet, se non esse Sacerdotem, deponat scrupulum, & perficiat sacrificium. Ita D. Bonav. *in 4. dist. 13. in corpore litera.* Henriquez *lib. 9. de Missa c. 30. n. 5.* qui citat Tabienam. Et hæc sententia est communis. D. Bonav. Henriq. Tabiena.

5. Dubium est, an liceat Sacerdoti sumere reliquias Sacramenti Eucharistiæ, post sumptã calicis ablutionem? Quidam negant: quia sumptio harum reliquiarum est vera communio, ad quam propter reverentiã Sacramenti, requiritur jejuniũ naturale: illud autẽ solvitur sumptione ablutionis calicis: ergo non est licitũ Sacerdoti has reliquias sumere post ablutionem. Ita Scotus *in 4. dist. 8.* Paludanus *in 4. dist. 6. q. 1. in fine*, Rosella *verb. Eucharistia 3. §. 13.* Nihilominus contrarium ut probabilius est sustinendum. Ratio est, tum quia tota illa actio Sacerdotis, videlicet, sumptio Eucharistiæ & reliquiarum, est una moralis actio integra ordinata ad consumptionem ipsius Sacramenti, & fit per modum unius, & quia ad totam illam accessit jejunus, implevit præceptum Ecclesiæ, nec postea frangit illud, etiamsi ablutionem sumpserit, priusquam totum Sacramentum consumat. Tum quia illa sumptio reliquiarum ordinatur & est moraliter necessaria, ad perficiendam suam actionem & ministerium suum huic Sacramento debitum; & est sumptio illa reliquiarum quasi complementum actionis sacrificandi atque convivij ibi peracti. Tum quia sumptio Eucharistiæ, reliquiarum, & ablutionis, est unus consummatus actus perfectione, videlicet communio integra, quæ his omnibus operationibus constat: & quamvis reliquiæ sic sumptæ, non spectent ad eumdum numero actum communionis, ut necessariò requisitæ ad integritatem illius (nã communio Sacerdotis in Missa, perfecta est essentialiter sumptâ hostiâ & sanguine) spectant tamẽ ut partes materiæ. Et quia ablutio necessariò miscetur his partibus, ideò sumptio ablutionis & partium hujusmodi, pro unico actu rationabiliter computantur. Et ideo hanc sententiã sustinent Sylvester *verb. Euchar. 3. q. 8.* Sotus *in 4. dist. 12. q. 1. art. 8.* Cajetanus *in opusc. tom. 2. tr. 3. de Missæ celebr.* Angelus *verb. Missa n. 47.* Navarrus *in man. cap. 25. num. 89.* Suarez *to. 3. in 3. p. disp. 68. sect. 6.* & alij. Scotus. Paludan. Rosella. Sylvest. Sotus. Cajetan. Angelus. Navarrus. Suarez.

Ad rationem autem primæ opinionis responderi potest, verum quidem esse sumendas esse has reliquias à jejunis, quando reliquiæ sumuntur per se, ac per modum communionis integræ. Sed Doctores posterioris opinionis intelligendi sunt, quando sumptio reliquiarum est quasi complementum actionis sacrificandi atque convivij ibi peracti. Deinde jejunium naturale debet præcedere totum actum sumptionis Sacramenti, & non singulas ejus partes; reputatur enim ieiunus totum sumere (inquit Cajetanus) qui ieiunus cœpit.

Major difficultas est, quando reliquiæ fuerunt præconsecratæ ab alio Sacerdote in alio sacrificio, an licitum sit eas sumere statim post ablutionem calicis? Negativam sententiam tenent multi. Ratio illorum est, quia absumptio harum reliquiarum in alia Missa præconsecratarum non est complementum convivij à celebrante parati, nec pertinet ad idem sacrificium, ac proinde nec ad eandem actionem sacrificandi, & ideò nõ possunt hæ reliquiæ per modum unius cum Sacramento tunc consecrato post ablutionem à Sacerdote sumi, sed in sacrario reponi debent ac servari. Ita Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 68. sect. 6. casu 2.* Filliucius *tr. 4. c. 8. num. 240.* Fagundez *in præcept. 3. Eccles. lib. 3. cap. 5. num. 29.* Vasquez, Reginaldus, Bonacina, Coninck & alij, quos citat & sequitur Diana *part. 6. tract. 6. resol. 23.* Suarez. Filliucius. Fagund. Vasquez. Reginald. Bonacina. Coninck. Diana.

His tamen non obstantibus non desunt Doctores contrarium sustinentes; nempe, non minùs licere Sacerdoti post sumptã ablutionẽ consumere præcõsecratas reliquias ab alio, quàm à seipso, si in patena vel calice reperiantur. Probant *Primò*, quia diversitas Ministri non videtur ad rẽ facere, cùm sit circumstantia accidentalis. *Secundò*, difficile est rectè scire, an illæ reliquiæ inventæ post ablutionem sint ex præconsecratis ab alio, vel à seipso. *Tertiò*, in die Parasceves post sumptionẽ ablutionis, Sacerdos consumit reliquias præconsecratas die

die præcedenti, ſi quæ in patena vel in calice remaneant: ergo idem licebit omni tempore. Ita
Marchin. Marchinus *de Sacram. Ordinis tract. 3. part. 3. cap. 3. n. 39.* In cujus ſententiam noviſſimè inclinat Caſtrus Palaus
Palaus. *to. 4. tr. 21. diſp. unic. punct. 13. n. 20.* Nam reliquiarum conſecratio & conſumptio pertinet ad rationem ſacrificij accidentariam, cùm ſine earum conſecratione & conſumptione, perfectio ſacrificij conſiſtat, ſola unica Hoſtia & Calice cõſecratis & ſumptis. Ergo ſi ob ſacrificij complementum poteſt Sacerdos poſt ſumptam ablutionem reliquias à ſe conſecratas ſumere, poterit ſimiliter, quæ ab alijs conſecratæ fuerunt; ſiquidem earum ſumptio ęquè pertinet ad ſacrificium. Item ad Sacerdotẽ pertinet conſumere poſſe, nõ ſolùm formulas à ſe conſecratas, ſed etiam quæ ab alijs ſunt conſecratæ. Ergo utraſq; conſumere poterit, dum ab altari non recedit: quia dum eſt in altari, nõ cenſetur moraliter finita conſumptio, nec convivium peractum. Ita ille. Huic ſententiæ favet
Fagund. Fagundez *in præcept. 1. Eccl. l. 3. c. 48. n. 2.* ubi movet dubium, an ſi Sacerdos Euchariſtiam miniſtret poſt ſumptam communionem & poſt purificatoriam digitorum ablutionem vini & aquæ, poſſit licitè reliquias à communicantibus relictas, vel ab alio Sacerdote, ſi forte illas poſtea reperit in altari vel corporalibus, ſumere? Affirmativè reſpõdendũ eſt, modò commodè ſervari nõ poſſint in ſacrario. Quia dum Sacerdos manet in altari, totum illud ſacrificiũ moraliter cenſetur unũ cõvivium, quod pro majori parte ſumit jejunus. Et infrà Tunc autem cõmodè in ſacrario ſervari non poterũt, ſi aliquod periculũ detur amiſſionis, quod propter exiguitatem illarum ferè ſemper dabitur: nam præceptum jejunij naturalis, eſt inductum ab Eccleſia propter reverentiam tanti Sacramenti; unde non debet eſſe hoc præceptum cauſa majoris irreverentiæ, ne unde honor oriri debebat, in-
Fagund. de dedecus & injuria oriatur. Ita Fagundez *ſuprà*, qui idem confirmat *in præcept. 3. Eccleſ. lib. 3. c. 5. n. 29.* dicens: Si reliquiæ poſt ſumptionem ablutionis repertæ fuerint ex alio præcedente ſacrificio, & commodè in ſacrario recondi & ſervari non poſſint, quia celebratur fortè in cremitorio, tunc conſumi etiam poſſunt ab ipſo Sacerdote ne pereant: quia tunc datur neceſſitas ex parte ipſius Sacramenti, ne irreverenter tractetur, conculcetur, aut pereat. His conformia docet Petrus Mar-
P. March. chantius *to. 2 Tribunalis tr. 2. part. 2. tit. 4. q. 2. exam. 4. Dubitationis, 3. caſu.* Ratio eſt, quia videntur aliquo modo ſpectare ad materiam Sacrificij & ejus participationem, vel ad congruam neceſſitatem ne dẽpereant.

Dubium alterum occurrit, an poſſint ſumi iſtæ reliquiæ etiam poſt collectas & finitâ Miſſâ, ſi aliquæ inveniantur in patena, vel calice? Reſpond. non poſſe Sacerdotem, per ſeloquendo, prædictas reliquias ſumere, poſtquam ab altari receſſit: quia jam explevit perfecitque miniſterium ſuum: ſecus tamen eſſet ex accidenti, quando illæ non poſſent conſervari ſine majori irreverentia; in ea enim circumſtantia non ſolùm reliquiæ præſentis ſacrificij, ſed etiam præteritorum conſumi poſſũt ab ipſo Sacerdote non ieiuno, etiam poſtquam à multo tempore ab altari receſſit. Proinde in Eccleſijs ubi plures ſucceſſivè celebrantur Miſſæ, ſi Sacerdos in ſacriſtia inveniat in calice aliquod fragmentum, tunc alius Sacerdos ieiunus exiens ad dicendã Miſſã, celebret in illo calice, ut fragmentum illud ieiunus accipiat. Si verò accidat in Eccleſia ubi una Miſſa tantùm celebratur & ibi non reſervatur Sacramentum, tunc Sacerdos non ieiunus poteſt tale fragmentum accipere; quia illud reſervari ſine majori irreverentia non poteſt. Ita interminis Fagundez *in præcept. 3. Eccleſ. lib. 3.* Fagund.
cap. 5. num. 30. Diana *parte 3. tr. 4. reſol. 45.* Laymã, Coninck, Suarez, Villalobos, De la Crux apud illum. Hæc eſt communior & in praxi ſequenda ſententia. Nihilominus nõnulli aſſerunt licere Sacerdoti in ſacriſtia, dum adhuc ſacris veſtibus eſt indutus, ſumere reliquias hoſtiæ inventas in calice: quia ſumptio illarum particularum pertinet ad integritatem ſacrificij, quæ divino jure præcepta eſt Sacerdotibus; aliunde verò cùm non ſit abſolutè nova communio, ſed perfectio præcedentis, videtur poſſe peragi ab eo, qui initio communionis fuit ieiunus & nondum depoſuit veſtes Sacerdotales. Ita Iacobus Granado *in 3.* Granad.
partem D Thomæ de Sacrament. controverſ. 6. tractat. 10. diſputat. 8. num. 11. Ioannes Baptiſta de Fa- Fabris.
bris *in manuali ordinandor. cap. 11. num. 142.* Megalius *in promptuario tomo 2. verb. Euchariſtiæ Sa-* Megalius.
cramentum ſuſcipiens, num. 24. relati à Diana *parte* Diana.
5. tractatu 14. reſolutione quadrageſimæ-tertiæ. & parte 6. tractatu 6. reſolutione 17. quorum ſententiam non improbat, licet contrariæ adhæreat: quia nulla eſt ratio cur liceat eas ſumere priuſquam Sacerdos recedat ab altari, & non liceat ſtatim poſtquam receſſit, cùm non obſtante receſſu adhuc non ſit perfectè conſummatum ſacrificium ob prædictas inadvertenter relictas reliquias. Et certè magis reveretur Sacramentum, ſi ſtatim ſumantur reliquiæ etiam poſt receſſum ab Altari, quàm ſi relinquantur in patena, aut in calice, & maximè ſine lumine, & facilè poſſunt interim decurrere & perire. Ita Megalius.

Porrò licet Miſſale Pij V. vetet ablutionem ca- Pius V.
pere antequam Sacerdos celebrans alios communicet, tamen Gregorius XIII. diſpenſavit cum Gr. XIII.
religioſis Societatis Ieſu, ut teſtatur Henriquez Henriq.
lib. 8. cap. 50. lit. L. in comment. Ex qua diſpenſatione ſimiliter videtur conſuetudine introductum apud eoſdem religioſos & alios regulares, quòd quando ciborium eſt purgandum à reliquijs, celebrans relinquit vinum in calice, & facta communione purgat pixidem & conſumit omnia fragmenta hoſtiarum remanentia cum dicto vino antequam diſcedat ab altari. Et ratio eſt, quia non poſſunt hæ reliquiæ aliter commodè ſumi, ut docet Præpoſitus *in tertia parte, quæ-* Præpoſit.
ſtione octava, articulo octavo, de Euchariſtia, dub. 2.

Hæc in gratiam Sacerdotum paulò fuſiùs ſolito dicta ſint, quia ſimiles caſus quotidie illis occurrunt.

6. An ſemper de ſe ſit peccatum mortale, communicare vel Miſſam dicere, quando minima quantitas cibi vel guttula aquæ per modum cibi vel potus præſumitur, ſive ſumatur advertenter, ſive inadvertenter, dummodo Euchariſtia ſumatur cum animadverſione præſumptæ aquæ vel cibi, dubium eſſe poteſt: cùm enim levis ſit materia, cur mortale erit? Et cur in hoc præcepto ex levitate materiæ non dabitur peccatum veniale, ſicut in alijs præceptis? Ob has rationes quidam exiſtimarunt tantum eſſe peccatum veniale in hoc caſu accedere ad ſumptionem Euchariſtiæ, & ſufficere ieiunium Eccleſiaſticum; quia ieiunium ad eam prærequiſitum, præcipitur ab Eccleſia: ergo eodem modo intelligendum eſt, quo Eccleſia intelligit ieiuniũ, quod pro diebus ieiunij præcepit. Hęc tamen opinio nõ poteſt eſſe practicè probabilis, & ideò dicendum

in casu semper esse peccatum mortale, nisi per modum salivæ, aut respirationis sumatur, vel attrahatur. Probatur: quia ita hoc præceptum interpretatur consuetudo Ecclesiæ, & quia hic non prohibetur cibus vel potus, sed prohibetur communio post cibum vel potum, & sic non datur levitas materiæ in proprio actu in quem cadit prohibitio, sed in alio actu: unde violatur præceptum simpliciter, & absolutè non in actu minimo, sed in actu principali; datur enim communio non ieiuno etiamsi iejunium in parva materia solutum sit, ut habetur *in cap. Nihil contra, 7. q. 1.* ibi, *Nullus post cibum potumque quemlibet minimum sumptum Missas facere præsumat.* Et docent communiter Doctores post D. Thomam 3. *p. q.* 80. *a.* 8. Ioannes de Lugo *de Sacr. Euchar. disp.* 15. *sect.* 2. *n.* 22. Suarez *to.* 3. *disp.* 68. *sect.* 4. *vers. Dico secundò.* Præpositus *in* 3. *p. q.* 80. *a.* 8. *dub.* 1. *num.* 39. Sanctius *in selectis disp.* 51. *num.* 1. & alij penes ipsos.

D. Thom. Lugo. Suarez. Præpos. Sanctus.

7 Difficultas est, an offa panis in vino, sit materia utriusque, vel alterius consecrationis? Ratio autem dubitandi est pro pane, quia adhuc perseverat in ratione panis & per modum cibi: ergo nihil deficit, ut possit consecrari. Pro vino verò, quia etiamsi sit intra poros seu foramina panis, adhuc est vinum & quasi in vasculis, seu receptaculis. Ergo non apparet cur negandum sit, consecrationem valere, si Sacerdos diceret verba consecrationis vini cum sufficienti intentione & alijs requisitis ad valorem. Proinde si Sacerdos supra materiam panis & vini conjunctim dicat utriusque materiæ formam: *Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus*, dirigendo intentionem priorum verborum ad panis, & posteriorum ad vini materiã, videtur quod valida sit consecratio, dummodo utraque materia maneat sensibilis: quia si tam parva esset guttula vini, ut intra panem confunderetur, defectu sensibilitatis desineret esse consecrabilis. Propter has rationes & alias Dicastillus *de Sacram. to.* 1. *tr.* 4. *disp.* 2. *dub.* 5. *n.* 91. & 92. existimat satis probabile esse quod utraque materia possit consecrari validè, quamvis illicitè. Sed dicendum est, offam in vino non esse consecrabilem quoad speciẽs sanguinis; quia illud vinum non potest tempore consecrationis designari per Pronomen *Hic*, quia illud vinum intra offam non continetur per modum potus, sed per modum cibi; unde diceretur quis manducare illam offam, non bibere. Ergo vinũ in ipsa contentum nõ erit materia consecrabilis, sicut mustum in uvis inclusum, non est consecrabile, quia in uvis non continetur per modum potus, sed per modum cibi. Ita docent Card. Lugo *de Euchar. disp.* 4. *sect.* 5. *n.* 12. Molanus *in comm. Theol. Pract. tr.* 4. *c.* 7. *concl.* 3. *n.* 33, Corneius *in* 3. *p. tr.* 4. *q.* 75. *a.* 5. Amicus *to.* 7. *disp.* 16. *sect.* 3. *n.* 36. Aversa *tr. de Sacr. Euchar. q.* 2. *sect.* 5. apud Dianam *part.* 3. *tr.* 8. *resol.* 65.

Dicastill. Lugo. Molanus. Corneius. Amicus. Aversa. Diana.

Admittimus tamen cum prædictis Auctoribus vinum imbibitum in offa panis antea consecratum retinere tunc consecrationem, quia species semel consecratæ possunt retinere Christi sanguinem; nam ad hoc non est necesse, quod possint designari per illud Pronomen *Hic*, sed sufficit, si tantùm retineat species vini, etiamsi non retineat illas in forma potus. Vide quæ de hoc dubio breviter diximus *tom.* 1. *verb. Eucharistia* 1. *num.* 13. *vers. De vino.*

8. Ex communi Doctorum sententia peccat moraliter Sacerdos qui est notabiliter in mora celebrandi Missas pro ijs, à quibus vel pro quibus stipendium accepit, differendo celebrationem illarum ad longum tempus. Sed quod sit longum tempus, ut mortale peccatum constituat, non explicant. Respondeo, quod super Decretis de celebratione Missarum nuper à Sacra Congregatione emanatis, irrepserunt quædam dubia, & super quinto, quo inter cetera statuitur in hæc verba, *Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.* Quæsitum fuit, an hoc decretum prohibeat absolutè, quominùs accipiant novas eleëmosynas ij, qui acceptis non satisfecerant, & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere? Responsum fuit à Sacra Congregatione: *Ad decimum respondit, non prohibere absolutè ac propterea, & si oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.* Sed difficultas est, quid intelligatur per modicum tempus in hac responsione Sacræ Congr. Quidam enim dicunt arbitrarium esse & remittendum judicis arbitrio considerantis circumstantias loci, temporis, personarum, materiæ, &c. Et ideò Peyrinus *de privil. tom.* 3. *Constit.* 9. *Urbani VIII.* hæc verba explanans, per modicum tempus intelligit spatium trium annorum; cujus tamen sententia communiter rejicitur ut improbabilis. Proinde verius arbitrantur illi, qui putant spatium 50. aut 60. dierum ad plurimum esse modicum tempus. & posse Sacerdotem simul se obligare ad 50. vel 60. Missas. Ita Lezana *to.* 4. *vers. Missa, n.* 39. Hieronymus Garcia *in Summ. mor. tr.* 3. *diffic.* 10. *dub.* 8. *n.* 4. Villalobos & Ledesma apud Dianam *part.* 2, *tr.* 14. *resol.* 25. & *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 55.

Sac. Con. Peyrinus. Lezana. Garcia. Villalob. Diana.

9. Quidam requirunt intentionem actualem vel saltem virtualem in Sacerdote eodem tempore Missæ ad applicandũ fructum sacrificij, illi, qui præbuit stipendiũ. Ducuntur, quia non aliter prodest vel applicatur alicui fructus boni operis, aut sacrificij, quàm offerẽdo illud pro tali persona. Sed ut offeratur pro tali persona, requiritur intentio saltem virtualis offerendi pro illa, & non satis est quod aliquando id quis voluerit: ergo ut alicui prosit bonum opus vel sacrificium Missæ, necessaria est saltem virtualis intentio: tum quia sola habitualis voluntas non sufficit, ut ratione illius aliquid fiat, sed perinde se habet ac si non esset. Ita Vasquez *in* 3. *p. disp.* 138. *c.* 6. *n.* 76. Granado *in* 3. *part. controv.* 3. *tr.* 5. *disp.* 4 *sect.* 2. *n.* 14. Fraxinellus *de oblig. Sacerdot. sect.* 4. *concl.* 4. §. 7. & alij, quorum sententia, ut tutior, in praxi est amplectenda, quia conformior rubricæ Missalis. Nihilominùs cõtraria est etiam probabilis. Ratio est, quia quamvis intentio habitualis non sufficiat ad efficiendũ Sacramentum, neque ad efficiendũ sacrificium, quia ad id requiritur intentio factiva, quod convenire nequit intentioni nõ perseveranti actualiter in se, neq; virtualiter in aliquo effectu sui, sufficit tamẽ ad applicandum valorẽ, aut fructum sacrificij faciendi ex alia intentione actuali, aut virtuali: quia ex eo tantùm quod celebrans tunc, quando fit sacrificiũ aut antea, velit suum sacrificiũ aut existẽs, aut postea futurũ alicui prodesse, dicitur illi sufficienter applicare valorem: ad id autem sufficit intentio habitualis. Ex quibus apparet, quod ad applicandum sacrificiũ non requiritur intentio, quę virtualiter duret tempore sacrificij sicut requiritur ad conficiendum Sacramentum; unde sufficit, quod Sacerdos applicet absolutè sacrificium tali die offerendum, modò talis intentio non fuerit

Vasquez. Granado. Fraxinell.

postea

postea revocata. Hinc potest quis hodie applicare alicui sacrificium quod cras, vel infra dies aliquot celebrabit, manebitque ei applicatum, etsi de illo nihil amplius cogitet, modò non habeat voluntatem contrariam ante celebrationem. Ita sustinent Suarez *tom. 3. tertia parte, disputatione 83. sectione 3. vers. Dico secundò.* Cardin. Lugo *de Sacrament. disputatione 8. sectione 6. num. 93.* Coninck *de Sacrament. quæst. 64. art. 8. dub. 2.* Bonacina *de Sacrament. disp. 1. quæst. 3. punct. 2 §. 3. num. 11.* & alij.

Suarez. Lugo. Coninck. Bonacina.

Nota tamen si talis non habuit voluntatem absolutam ex tunc applicandi fructum sacrificij, sed solum habuit desiderium vel propositum applicandi, non satisfacit, quia propositum applicandi non est applicatio, ut advertunt prædicti Auctores.

10. Sed ex dictis oritur dubium, quandonam fructus Missæ à Sacerdote debeat applicari, ut effectus sequatur? Aliqui volunt debere applicari ante vel in ipsa consecratione: nã alioquin frustra eũ postea applicare conabitur. Sicut enim Sacramenta, puta Baptismus, Confirmatio, ita & sacrificium effectũ suum ex opere operato producunt dum conficiuntur & actu existunt: quare non est in potestate ministri effectum suspendere velle, & postea alicui applicare. Hæc sententia sustinetur ab illis, qui docent oblationem sacrificij essentialẽ in ipsa actione consecrationis, sive immolationis compleri; ut docent Suarez, Coninck & alij citati *tom. 1. verb. Missa 1. num. 5.* Sed qui tenent essentiã sacrificij consistere etiam in Sacerdotali sumptione, tanquam complemento sacrificij, ut Gabriel, Sotus, Bellarminus, ibidem citati, dicent sufficere si ante sumptionem fructus applicetur. Ratio est; quia sicut ante consecrationem fit memoria vivorum, sic post consecrationem fit memoria defunctorũ; quę quidem memorię non sunt purę orationes, sed sunt applicationes utriusque fructus tum satisfactorij, tum impetratorij ipsius sacrificij, ita ut si Sacerdos priùs satisfactorium fructum illi vel illis quibus obligatur, nõ applicaverit, tunc censeatur applicare; quãvis etiam postea usque ad communionẽ possit applicare. Suadendum tamen est, ut dũ quis formar sibi intentionem celebrandi ante Missam, tunc etiam ad maiorem certitudinem conetur fructũ eius applicare, specificando personã aut personas, vel nominatim, vel generali circumlocutione; ita tamen ut applicatio ad illas terminetur. Exempli gratia, Offero tibi, Domine Deus, hoc sacrificium pro Petro, Iacobo, &c. aut Dignare Domine acceptare hoc sacrificiũ pro illo vel illis, quibus teneor offerre ex justitia, fidelitate vel obedientia. Et hæc ultima applicatio utilis est pro religiosis & aliis, qui ad intentionem sive ad applicationem suorum Superiorum celebrant.

Suarez. Coninck. Gabriel. Sotus. Bellarm.

11. Fructus sacrificij Missæ non potest à Sacerdote alicui validè applicari sub conditione in futurũ contingente. Ut v. g. Applico hanc Missã, cui postea Petrus applicuerit. Probatur ex communi doctrina, ad effectum nempe, non solùm Sacramentorum, sed etiã sacrificij requiri intentionem Ministri absolutam & independentem ab eventu contingente in futurum. Ratio peti debet ex institutione Christi, quam communis Doctorum sententia & Ecclesiæ praxis declarat. Accedit quod cùm applicatio Sacerdotis fuerit quasi conditionata & nõ invenerit conditionem impletã, omninõ inefficax redditur sicut in conficiendo Sacramento per intentionem conditionatã, si conditio non est posita in re, quando materia & forma consummantur, nihil fit; quia talis intentio nihil ponit in esse, & ideò inefficax redditur. Ita Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 78. sect. 9. vers. Ex dictis colligo.* Coninck *de Sacrament. quæst. 83. artic. 1. dub. 9. conclusione 10.* Layman *lib. 5. tractat. 5. capite secundo, num. 13.*

Suarez. Coninck. Layman.

Sed dicas cum Corduba *lib. 1. quæstionarij q. 4. dub. 5.* & aliis, jam Deo esse præsentem futuram voluntatem alterius, & ideò fructum sacrificij statim applicari illi, cui Deus prævidet ab alio fore applicandum. Respond. pari ratione dici posse, Sacramentũ datũ sub conditione de futuro, si Petrus consenserit, statim esse validũ si Deus prævidet Petrũ consensurum; quia jam respectu Dei intentio conditionata transit in absolutam. Idem debere dici de hac applicatione: Offero sacrificiũ pro eo cui crastina die applicuero, vel pro eo, qui daturus est mihi eleemosynã, & de similibus, quę sunt præter usum Ecclesiæ magnosque abusus parere possunt, si introducantur. Dicendũ est ergo, Deum non conferre effectus Sacramentorum aut sacrificij, ex his quæ prævidet futura, sed juxta præsentem hominis intentionem & dispositionẽ: & ideò si intentio, ut nunc est in homine, est conditionata, etiam quando conditio non est apposita absolutè & secundùm se, est inefficax, & suspendit effectum, donec conditio reipsa impleatur, ideoque nihil operatur, quicquid Deus prævideat.

Corduba.

Secus autem dicendum est, quando conditio præterito aut præsenti tempore impleta est: nam secundùm eam Sacramentorum & sacrificij effectus rectè, ac fructuosè alicui confertur; verbi gratia, Absolvo te à peccatis, si capax es. Vel Offero sacrificium pro ea persona, quæ præterito tempore ex tali communitate mortua est. Vel Offero pro illo qui hodie plurimum pecuniæ in gazophylacium misit, &c.

12. Sacerdos orans & sacrificium offerens in persona Ecclesiæ, cuius ad Deũ legatum agit, non potest, nec licitè, nec validè illius intentionẽ mutare, ut vel aliquem excludat, quem Ecclesia in sua generali intentione includit; vel aliquem, puta excommunicatum vitandum, includat, quem Ecclesia excludum esse vult. Ratio est; quia intentio Ecclesiæ principalis & directa est supplicandi Deo Patri pro omnibus Christi fidelibus, tanquã membris suis. Nam Sacerdos ex proprio munere constitutus est interpellator ad Deum pro populo suo, seu Ecclesia.

Sacerdos autem quatenus ut privata persona sacrificium offert & Deo supplicat in Memento, sic potest fructum tum impetrationis, tum satisfactionis ex opere operantis, secundùm privatam suam dispositionem, proventurum, applicare cuicumque homini capaci, quamvis excommunicatus non toleratus sit. Probat. quia cùm talis oratio & oblatio sit propria actio ipsius Sacerdotis, metitò eiusdem arbitrio permittitur, neque ab Ecclesia prohibetur. At verò fructus aliquis sacrificij, quatenus offertur in persona Christi, ex opere operato ita provenit Sacerdoti, ut aliis eum applicare non possit, propterea fructus specialissimus appellari solet. Idemque dici potest de aliis concurrentibus seu offerentibus cum Sacerdote.

De his videndi sunt Suarez *disputat. 78. sect. 2. in fine, & disputat. 79. sect. 9 in fine, vers. Superest dicendum.* Coninck *tom. 2. disput. 14. dub. 6.* Layman *lib. 5. tract. 5. cap. 2. num 16. 17. & 18.* & alij penes ipsos.

Suarez. Coninck. Layman.

13. Sacerdos celebrans in altari privilegiato, ut indulgentia prosit defunctis, non est opus ut sit in gratia. Ratio est; quia pro indulgentia applicanda defunctis gratia non requiritur, ut

Digitized by Google

principium operis iniuncti; quia esto opus pro se hoc satisfactorium sit nec meritorium, nec aptum esse possit ad indulgentiæ consecutionem, sed requiritur, ut Sacerdos obicem tollat; at quando vivus indulgentiam pro defuncto obtinet, exequendo opus iniunctum, indulgentiam non suscipit, sed conditionem pro consecutione indulgentiæ exequitur: ergo status gratiæ non est in illo necessariò requisitus. Proinde indulgentia non inficitur ex malitia personæ operantis, sicut nec sacrificium Missæ, vel Sacramentum ex malitia personæ sacrificantis, vel administrantis, eò quòd suum valorem non habent ex persona proximè operante; sed ex meritis & satisfactionibus Christi. & ex hoc patet discrimen inter ipsum operantem, & alios nam operans, ut de facto lucretur indulgentiã pro se, debet esse in gratia, per quam tollitur impedimentum peccati; at respectu aliorũ non ita: idcirco gratia requiritur in suscipiente indulgentiam, non autem in applicante. Ita Doctores citati *tom.* 1. *verb. Indulgentia III. num.* 3. quibus adde Amicum *tom.* 8. *disp.* 20 *sect.* 8. Granadum *in* 3 *p. de Sacram. controv.* 12. *tract.* 5. *disp.* 6. Amicus. Granad.

14. Quando Sacerdos dicit Missam in altari privilegiato, non solùm indulgentiam, sed & sacrificium defuncto applicare debet: quia cùm Pontifex concedit indulgentias ad liberandam animam è purgatorio, dicendo Missam in tali altari, vel Ecclesia, videtur consequenter exigere, ut sacrificium eidem animæ applicetur. In rigore tamen non videtur semper necessarium, nisi verba rescripti seu privilegij id sonent. Ratio est; quia cùm in indulgentiis requiritur opus aliquod, non necessariò exigitur ut satisfactorium; sed ut pium vel conducens ad cultum Dei: quæ compleri possunt absque eo quòd fructus operis iniuncti applicetur ipsi defuncto, pro quo quis lucratur indulgentiam. Ita Suarez *t.* 4 *disp.* 53. *sect.* 4. Castrus Palaus *tom.* 4. *tract.* 24. *disp. unic. punct.* 10. *num.* 9. Puteus *de sacrific. Missæ, lib.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 2. *dub.* 5. & alij apud Dianam *parte* 9. *tractat.* 2. *resolutione* 5. Vide dicta suprà *verb. Indulgentia* 11. *numero* 5. Suarez. Palaus. Puteus. Diana.

15 Missa celebrata in Altari privilegiato quatenus altare privilegiatum est, non quatenus Missa est sacrificium & opus satisfactorium, prodesse non potest viventibus. Ratio est; quia indulgentiæ Altaris privilegiati sunt privilegium personale pro animabus in purgatorio existentibus, ut ex forma & verbis huiusmodi concessionum appareat: ergo viventibus non possunt applicari, neque prodesse, nisi in indulto specialiter & expressè id concedatur: nam indulgentiæ eis tantùm utiles sunt, ad quos directè referuntur. Ita Megala *tom.* 1. *variar. resp. in resol.* 19. Fraxinellus *de obligat. Sacerd. sect.* 3 *pran* 4. §. 3. *n.* 5. Bordonus *tom.* 2. *resp.* 91. *q.* 2. *n.* 4. & alij apud Dianam *loco cit. resp.* 18. Potest tamen Summus Pontifex altaria privilegiata pro vivis concedere, cùm nullum inde sequatur absurdum: tamen hactenus concessa non videntur, nec concedi consueverunt. Megala. Fraxinell. Bordon. Diana.

Sed dubium est inter Doctores, an sit licitum aut laudabile, viventem sibi Missam pro defunctis celebrari facere, & exequias celebrari, quasi ipse mortuus esset? Et certè plurimi sustinent id licitè & salubriter fieri posse: nè fortè postea hæredes, ut frequenter fit, & pigri sint, & negligenter se gerãt in huiusmodi suffragiis faciendis, cũ tanto dispendio ac detrimento animarum, suorũ defunctorũ. Ducuntur, quia credibile est ita institutum esse à Christo hoc sacrificium, & ab Ecclesia tale officium mortuorũ, ut prodesse possint ei, cui applicantur pro quacumque necessitate & occasione in qua futurus sit capax effectus illorũ. ita ut interim non maneat suspensus, sed veluti reservatus in acceptatione divina. Unde hoc non est, simpliciter loquendo, applicare illa pro vivis, sed applicare pro mortuis; siquidem applicatur vivis pro tempore, quo mortui fuerint, ad modum quo Theologi dicunt merita mortificata per peccatum, manere in Dei acceptione retribuenda, dum homo capax illorum fuerit. Deinde constat ita egisse insignes viros pietate & doctrina, ex Doctorum consilio: quia id favet non solùm pietati & devotioni, sed etiam humilitati & memoriæ mortis, quæ tam utilia sunt hominibus. Sed ut veritas salva perstat in precibus, sufficit si Ecclesia & Sacerdos oret pro vivo, & repræsentet eum Christo Domino, ac si vitam cum morte commutaverit & post eius mortem. Ita Pagundez *de præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *c.* 10. *n.* 13. Zerola 2. *part. praxis Episcop. verb. Miss. n.* 10. Lezana *in summ. tom.* 4. *verb. Missa, n.* 54. Peyrinus *in priv. Minimor. tom.* 3. *cap.* 1. *n.* 21. Faustus *de Sacram. Eucharist. lib.* 2 *quæst.* 148. & alij; quia modus anticipatè loquendi utitatissimus est in sacris scripturis. Et hæc est communior sententia. Tamen contra illam exurgit Layman *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 15. dicens talem consuetudinem nullo modo introducendam esse, sed potius tollendam, si introducta est; quia ritibus & ordinationi Ecclesiæ Romanæ conformis non est. Intentio enim Ecclesiæ est, ut Missa, quæ dicitur de Requie & officium funebre, dicatur pro mortuis; nam ad eum finem collectæ & preces factæ sunt: ergo inutiliter & infructuosè, nè dicam superstitiosè, dicuntur pro vivis. Accedit quod Sacerdos in his suffragijs propria sua intentione non possit mutare intentionem Ecclesiæ. Et huic sententiæ adhæret Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 2. & *part.* 9. *tract.* 2. *resol.* 18. citans pro hac opinione Hieronymum, Garzias, Puteum, Fraxinellum, & Castrum Palaum, quorum sententia est etiam probabilis. Concedunt tamen prædicti auctores fructum respondentem Missæ de requie & officio Defunctorum, posse in rigore applicari vivis æquè ac defunctis, cùm sit fructus satisfactionis ex opere operato & operantis, cuius vivi, ac defuncti sunt capaces: id tamen est contra ordinationem Ecclesiæ, quæ diversas Missas & officia pro vivis & defunctis instituit. Fagund. Zerola. Lezana. Peyrinus. Faustus. Layman. Diana. Garzias. Puteus. Fraxinell. Palaus.

16. Secundùm D. Gregorium *libro* 4. *Dialog. cap.* 58. tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum vivit per se: beatius quippe est liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere. Ratio est; quia Missa applicata vivis non solùm est satisfactoria, sed & propitiatoria pro peccatis conferendo varias gratias prævenientes, & impetratoria variorum beneficiorum; sicque prodest non solùm in vita, sed & post mortem: applicata verò defunctis, solùm ferè est satisfactoria, cùm defuncti aliorum fructuum non sint capaces. Deinde qui in vita procurat dici pro se Missas, non solùm recipit fructum illi à Sacerdote applicatum, sed alium etiam ex opere operato correspondentem propriæ cooperationi ad sacrificium, isque est maior vel minor secundùm maiorem vel minorem cooperationem. Porrò, qui dici jubet Missas in vita, maiorem habet certitudinem quòd actu dicantur & recipiat fructum; illæ verò quæ testamento post mortem dicendæ relinquuntur, sæpiùs ob incuriam parentum, aut etiam ipsorum Sacerdotum insolutæ manent: & sic licet defunctus testamento Missas dicendas reliquerit, D. Greg.

querit, nihil ei proſunt, ſed per ſatisfactionem totum debitum in purgatorio ſolvere debet. Hinc conſanguinei & Sacerdotes plurimũ nocent animabus purgatorij, dũ nimis Miſſæ ſacrificia retardando; & fortè tunc ſolùm fiunt ſacrificia, cùm debitam pœnã jam exolverunt. Non tamen ideò ſunt reprobandæ Miſſæ dicendæ poſt mortẽ; quia quiſque vſque ad extremũ vitæ contrahit novas obligationes ad pœnas Purgatorij, quas bonũ eſt per ſacrificia poſt mortem tollere. Proindepatet præſtare ut fideles curent celebrari pro ſe Miſſas ante mortẽ, quàm poſt, & plus valent pro defunctis Miſſæ ſimul & cõtinuatè dictæ uno die, quàm ſi pluribus diebus dicantur, ob celeriorẽ liberationem animæ à pœnis purgatorij. Ita communiter Doctores. Vide verb. Suffragium *num.* 7.

17. Nonnulli Auctores affirmant requiri crucẽ in altari, & peccatũ eſſe mortale in eo altari Miſſam dicere, in quo Crux aliqua non eſt ſaltem depicta in ipſamet altaris tabella. Sed verius eſt contrarium: quia nullibi in jure aut conſuetudine cõſtat de hoc præcepto. Et non ſunt multiplicanda præcepta & obligationes inducendæ, quando de illis non ſatis cõſtat: quia res non videtur admodũ gravis ſecluſo contemptu. Nec refert, quod in regulis Miſſalis & cæremonijs ejus in Miſſa dicẽda, vel ſupponatur, vel præcipiatur crucẽ apponi in altari; quia regulæ Miſſalis in particulari non obligant, niſi illæ, quæ continent eſſentiam aut quaſi eſſentiã Sacrificij: reliquæ enim non ſunt præcepta, ſed inſtructiones quædam, & ita conſiliũ continent, & bonam doctrinam, nõ præcepta. Proinde hanc omiſſionem Crucis judicant nõ eſſe mortalem Suarez *to.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 6. §. *Quintò addere poſſumus.* Reginaldus *lib.* 29. *num.* 197 & alij. Ad ſummum judicant hi Auctores eſſe venialem; ſed cùm quælibet cauſa rationabilis excuſet à peccato veniali, videtur non peccare venialiter Sacerdos abſq; cruce ſacrificandó: quia ſola ipſa Miſſæ celebratio cauſa ſufficiens ſit ad excuſandum ab hoc peccato veniali, ne ſcilicet tanto ſacrificio & tanta illius utilitate Eccleſia privetur.

Suarez. Reginald.

18 Ex communi Doctorum ſententia celebrare ſine lumine in altari eſt peccatum mortale. Et probatur *ex cap. ult. de celeb. Miſſarum*, ubi inter exceſſus graves cujuſdam Presbyteri ponitur, quod ſine igne ſacrificabat, & confirmatur gravitas hujus præcepti ex antiquiſſima conſuetudine Eccleſiæ, quæ colligitur ex Conc. Carthaginenſi IV. *Canon.* 6. Ex qua verò materia conſtare debeat hujuſmodi lumen, non conſtat ex jure, quia in dicto *c. final. de celebr. Miſſar.* ſolùm damnatur ille Presbyter, quia ſine igne ſacrificabat. Ex conſuetudine tamẽ Eccleſiæ requiritur, ut cerea candela accenſa ſit, ſi haberi poſſit. Sin minus, in neceſſitate ſufficeret cãdela ſebacea, aut etiam lucerna ex oleo, ut tradunt Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 45. & 67. cum aliis, & poſt illos Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 4 *quæſt. ultim. punct.* 9. *numer.* 31. quamvis Suarez *diſput.* 81. *ſect.* 6. & alij non admittant candelam accenſam ex ſevo. Cavendum eſt tamen in Miſſis ac ſacrificijs divinis id quod Concilium Tridentinum monet *ſeſſ.* 22. *in decreto de obſervandis in celebratione Miſſæ*, ne certus aliquis numerus candelarum ex aliquo ſuperſtitioſo cultu adhibeatur.

Conc. Carthag.

Diana. Bonacina. Suarez.

Con. Tri.

Sed petes, ſi incepto Sacro lumen extinguatur in tali Eccleſia ac loco, ubi aliud cõmodè inveniri non poſſit, puta ſi in ſacello aut eremitorio remoto à vicis & pagis Miſſa dicatur, an licitum ſit in eo caſu Miſſam proſequi ſine lumine, máximè ſi dies feſtus ſit, vel moribundus viatico indigeat? Reſp. ante verba conſecrationis inchoata non eſſe licitum Miſſam perficere ſi lumen deficiat, etiamſi præceptum Eccleſiæ urgeat audiendi Sacrum; imò etiamſi præceptum divinum communicandi inſtet per modum viatici. Ratio eſt, quia hęc præcepta non obligant, nec obligare poſſunt cum indecentia Sacramenti ac ſacrificij; negari enim non poteſt irreverentiam eſſe maximam hujus ſacrificij & Sacramenti, ſi ſine lumine fiat. Si verò conſecratio ſit cœpta, & lumen deficiat, poteſt & tenetur Sacerdos ſacrificium ſine lumine perficere: quia urget præceptum divinum integrandi ſacrificium, & major irreverentia erit tunc imperfectum relinquere, quàm ſi ſine lumine perficiatur. Ita Fagund. *in præcept. 1. Eccl. lib.* 3 *c.* 22. *n* 19. Card. Lugo *de Euchariſt. diſputat.* 30. *ſect.* 2. *numer.* 77. quorum ſententiam approbat Diana *p.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 34.

Fagund. Lugo. Diana.

19. Certum eſt apud omnes, peccatũ eſſe mortale abſq; corporali lineo & benedicto celebrare: quia hujuſmodi præceptum eſt valde grave & in re gravi, & quæ multum ad reverentiam tanti Sacramẽti ſpectat. Corporale enim repræſentat ſyndonem, in qua corpus Domini ſepultum fuit; ut docet D. Thom. 3. *part. quæſt.* 83. *ad* 8. Materia autem hujus lintei linea eſſe debet. Sed hoc intelligendum eſt, quoad interiorem partem ejus, in qua corpus Domini & calix collocatur, & ideò Miſſale Romanum dicit in medio non debere ſerico ornari; quia corpus Domini Ieſu Chriſti in ſyndone linea & munda ſepultum fuit. In ora autem ſeu extremitate non eſt prohibitum, quod auro, vel ſerico ornetur. Forma verò hujus eſt conſecratio Epiſcopalis: quæ cùm fiat per ſimplicem benedictionem abſque Chriſmatis unctione, ſimplicibus Sacerdotibus interdum committitur, & Superiores Religionum Mendicantium habent in hoc ſpecialia privilegia, ut diximus *tom.* 1. *verb. Benedict. num.* 7. Durat autem hæc benedictio, quamdiu corporale integrum manet: per ruptionem autem, ſeu diviſionem amittitur, dummodò notabilis ſit; ut notant Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 6. & Sylveſter *verb. Corporalia, quæſt.* 2. & alij communiter.

D. Thom.

Suarez. Sylveſt.

20. Extra caſum neceſſitatis fatentur omnes non poſſe Sacerdotem celebrare ſine ſtola, manipulo, aut cingulo, & illa omittere eſſe peccatum mortale, *ex cap. Veſtimenta, de conſecrat. diſt.* 1. Sed difficultas eſt an in caſu neceſſitatis, ut quando Sacerdos in die alicujus feſti, eſſet in loco ubi non inveniretur aliquod indumentum ex ſupradictis, vel in alio caſu gravis neceſſitatis, liceat Sacerdoti Miſſam dicere ſine illis? Affirmativè reſpondent Suarez *diſput.* 82. *ſection.* 3. *dub.* 1. *in fine*, Filliucius *tractat.* 5. *num.* 149. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 5. & alij. An autem omnes veſtes ſacræ quibus induitur Sacerdos in celebranda Miſſa, puta, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta debeant eſſe benedictæ? Reſpondent communiter Doctores, omnes debere eſſe benedictas; alioquin mortale peccatum incurri. Excipiunt tamen aliqui probabiliter Cingulum: quia, ut teſtãtur Scotus & Richardus *in* 4. *diſt.* 17. in aliquibus regionibus mos non eſt, ut benedicatur: & paſſim videmus licet quandoque ſit benedictum, ſi tamen frangatur, ſolet utraque pars connecti ſine alia benedictione; quod licitum eſſe docent Emanuel Sà *verb. Miſſa, num.* 12. Coninck *de Sacrament. quæſt.* 83. *articulo tertio, dubio* 3. & Diana *parte* 2. *tractatu* 14. *reſolut.* 57. *verſ. Nota tertiò.* Proinde celebrare cum Cingulo non benedicto ex cauſa juſta, non erit neque peccatum

Suarez. Filliucius. Diana.

Scotus. Richard.

Eman. Sà Coninck. Diana.

veniale, justa verò causa erit necessitas audiendi vel celebrandi Missam ex præcepto alicujus festivitatis, fervor magnæ devotionis, &c. ut tradit probabiliter idem Author *loco citato resol.* 68.

21. Vestes Sacræ, quibus utitur Sacerdos in Missa, præter decentem ornatum, quem repræsentât, habent etiam suas mysticas & sacras significationes, divinis mysterijs plenas. Nam Amictus significat fiduciam, seu spem, qua Sacerdos debet accedere ad offerendum Deo tantum ac tam admirabile sacrificium, & ideò dum Sacerdos induitur, Deum orat in hunc modum: *Impone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.* Alba significat puritatem & munditiam mentis & corporis cum splendore omnium virtutum, atq; adeò totum hominem vestit à capite usque ad talos; ideoque quando Alba induitur, dicit Sacerdos: *Dealba me Domine & munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus.* &c. Cingulum significat continentiam; unde Sacerdos fortiter præcingit renes & restringit lumbos, ad denotandam virtutem temperantiæ mediante castitate. Unde D. Gregorius ait: *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Et proinde hoc petit Sacerdos dum se cingit, dicens: *Præcinge me Domine cingulo puritatis, &c.* Manipulus insinuat interiorem pœnitentiam ac cordis compunctionem, qua Sacerdos ad sacrificandum debet accedere, & ideò dum se induit, ita orat: *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris,* &c. Stola super collum posita denotat obedientiam, quæ significatur per Christi suave jugum: hinc quando Sacerdos initiatur dum ei humeris imponitur, ita dicitur: *Accipe jugum Domini,* quia sicut homo per inobedientiam à Deo separatus est, & statum gratiæ amisit, ita per jugum obedientiæ & divinæ legis observantiam, in eum statum, quem amisit, restituendus est. Quapropter dicit Sacerdos: *Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis,* &c.

Casula seu planeta ex omni parte rotunda & aperta, quam cunctis vestibus superinduit Sacerdos, easque protegit & ornat, significat veram perfectamq; charitatem, quæ virtutibus omnibus supereminet, easque protegit; & quia undique est integra, significat unitatem, & ideò dicitur Iugum leve & suave, non quod in se suave sit, sed quod Christus Dominus illud nobiscum ferat ac portet. Quapropter dum Sacerdos eam sibi induit, ita Deum orans, ait; *Domine, qui dixisti Apostolis tuis: Jugum meum suave est & onus meum leve; fac ut istud sic portare valeam, quod consequar tuam gratiam.*

Si verò hujusmodi vestes sacras ad Christum referamus, Amictus significat linteum illud, quo Judæi Christi faciem velabant, dum dicebant: *Quis est, qui te percussit?* Alba vestem illam candidâ, quâ Herodes Christum illusit; Cingulum, funes illos, quibus Christus in horto primùm fuit alligatus; Manipulus pugnâ ejus pro justitia & gloria; Stola obedientiam, qua crucem sustinuit; Casula indicat vestem coccineam seu purpuream, quâ Christus, dũ à militibus illuderetur, indutus est in prætorio Pilati. De his significationibus plura apud Suar. *disp.* 82. *sect.* 2. Durand. *in rat. off. l.* 5. *c.* 1. Sylvium *in* 3. *p. quæst.* 83. *a.* 6. *q.* 3. *in* 3. *edit.* & alios. Suarez. Durand. Sylvius.

22. Omissio harum vestium, præcisâ inadvertentiâ, est peccatum mortale: tum propter præcepti Ecclesiastici transgressionem in re gravi, tum propter magnâ irreverentiam, quę contra tantum Sacramentum committeretur, ut habetur in *c. Eccles. dist.* 23. Quapropter in nulla necessitate licitum est sine vestibus sacris & benedictis celebrare; quia si non sint benedictæ, est ac si non essent, idcoque non minuitur peccatum, sed esset eodem modo mortale, ac sacrificare sine vestibus. Ratio est; quia præceptũ Ecclesiasticũ de audienda Missa, & præceptum divinũ de sumendo Sacro viatico, nõ obligat, nisi Missa possit audiri vel celebrari secundùm Ecclesiæ constitutionem, vel pro illo tẽpore quo infirmus potest sine indecentia vel irreverentia illud habere. Imò aliquam istarum vestium quamvis unicã scienter omittere extra necessitatem Doctores cõmuniter censent esse peccatum mortale: prætermittere autem unã vel alteram ex minoribus, quando magna urget celebrandi necessitas, licitum esset celebrare cum amictu, alba & casula adhibito honesto cingulo, si stola, manipulus vel cingulũ benedictum haberi non possent: & licet tunc de longo manipulo stolã facere, & è converso de brevi stola manipulum vel cingulum. De his videndi sunt Navarrus *in Man. c.* 25. *n.* 84. Suarez *disp.* 82. *sect.* 3. Rodriguez *c.* 248. Layman *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* ... *p.* 6. Bonacina *disp.* 4. *q. ult. punct.* 9. *n.* 28. & alij per ipsum citati. Navarrus. Suarez. Rodrig. Bonacina.

23. Ex communi Doctorum sententia licet vestes prophanas virorum aut mulierum illustrium applicare ad sacrũ usum. Ratio est; quia prophana quæ in sacrum usum convertuntur, sanctificantur per benedictionem Episcopalem seu ejus qui facultatem habet ea benedicendi; atq; ita quidquid pollutionis aut profanationis contraxisse potuerat ex usu prophano, per sacrã benedictionem tollitur: tum quia consuetudo, quæ est optima legum interpres, sic invaluit: tum denique, quia vetus tabernaculum cum suis utensilibus factum est ex armillis, inauribus, annulis, dextrariolis alijsque hujusmodi, quę viri cum mulieribus præbuerunt. Exod. 35. Ita Angelus *verb. Vestis.* Sylvester *eodem verb. & verbo Corporalia,* Azorius *lib.* 10. *c.* 28. *to.* 1. & alij communiter: Angelus. Sylvest. Azorius.

Denique ex *cap. Nullus, de consecr. dist.* 1. constat non esse licitum Sacerdoti Missam celebraturo, ire ad altare cũ baculo, etiãsi sit debilis; sed si potest stare ad altare, & se juxta cæremonias vertere sine baculo; ibi ad latus Euangelij se induat; neque enim refert quomodo, quando non est sacris vestibus indutus, ad altare accedat. Ita Possevinus *c.* 2. *n.* 31. Glossa *in dict. cap. Nullus Episcopus.* Possev. Glossa.

Vide v. Confessio *n.* 6. Electio *n.* 1. Hæres. *n.* 7.

MISSA III.

Quoad præceptum Ecclesiæ de illa audienda diebus Dominicis & festis.

SUMMARIUM.

1 *An detur in Ecclesia præceptum positivum audiendi Missam diebus festis.*

2 *An præceptum hoc inducat gravem obligationem sub peccato mortali.*

3 *An qui non potest die festo Missam & concionem audire, ad quam harum teneatur.*

4 *An de ratione Missæ ex præcepto audiendæ sit, ut fiat nova consecratio.*

5 *In qua ætate pueri obligentur præcepto audiendi Missam diebus festis.*

6 *Qui tempore Missæ animo distrahitur, vana audiendo, spectando, scribendo, &c. per notabilem Missæ partem, an impleat hoc præceptum? Et quotuplex sit attentio.*

7 An

7 *An ſatisfaciant præcepto, qui ſecundùm externum habitum Miſſæ decenter intersunt, licet interna mente Deo vel divinis non intendant.*

8 *Si quis infirmus habeat licentiam, ut in Oratorio domus ſuæ Miſſa dici poſſit, an teneatur ibi Miſſam audire.*

9 *An præcepto Eccleſiæ fideles ſatisfaciant, audiendo Miſſam in privato Oratorio.*

10 *An concurrente Feſto in Dominica, duplex peccatum committatur in omiſſione Miſſæ?* Refertur duplex ſententia.

11 *An illius Sacerdotis Miſſa poſſit à fidelibus audiri, quando per judicis ſententiam declaratur commiſiſſe crimen, cui adnexa erat excommunicatio?* Refertur duplex ſententia.

12 *An licitum ſit Chriſti fidelibus ab excommunicatis toleratis Miſſas petere, vel illorum Miſſas audire.*

13 *Et quid dicendum de irregulari, qui talis factus eſt miniſtrando in excommunicatione? Et quid ſi per ſententiam judicis fuit condemnatus de irregularitate ante denunciationem excommunicationis?*

14 *An peccent mortaliter qui audiunt Miſſam ſuſpenſi ab officio & Ordine per ſententiam judicis.*

15 *An liceat audire Miſſam notorij concubinarij, vel ab eo illam petere?* Refertur duplex ſententia.

16 *An omnes excommunicati etiam tolerati & interdicti excuſentur ab obligatione audiendi Miſſam in diebus Feſtis.*

1. CErtum eſt dari in Eccleſia præceptum Eccleſiaſticum ac poſitivum audiendi Miſſam omnibus diebus Feſtis. Probatur *Primo* ex *c. Omnes fideles, de conſecr. diſt.* 1. ubi Canon Apoſtol. ſic ait: *Omnes fideles conveniant in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſiam, & Scripturas Apoſtolorum & Evangeliſtarum audiant: qui autem non perſeverant in oratione uſque dum Miſſa peragatur, nec Sacram Communionem percipiunt, velut inquietudines in Eccleſia commoventes, convenit Communione privari.* Et in *cap. Miſſas, de conſecr. diſt.* 1. ſic dicitur: *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas audiri ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis populus egredi non præſumat, quod ſi fecerit, ab Epiſcopo publicè confundatur.* In quibus decretis & præceptum datur & per verbum præcipiendi expreſsè proponitur, quod ex vi & proprietate ſua neceſſitatem inducit. *Secundò*, ex uſu & conſuetudine Eccleſiæ: nam inter prima fidei rudimenta hoc præceptum tertio loco inter Eccleſiaſtica numeratur; & ita eſt communi ſenſu omnium Catholicorum receptum. *Tertiò*, ex communi Doctorum omnium conſenſu, tum Theologorum, tum Canoniſtarū. Quibus accedit congruentia: nā dies Feſti inſtituti ſunt & aſſignati ad cultum divinum: ergo ſicut illis diebus aliquod negativum fidelibus præcipitur, videlicet ut abſtineant ab operibus ſervilibus, ita etiā oportuit, ut aliquod poſitivum præciperetur, quo ipſi fideles Deum colerēt: Sed nihil accōmodatius præcipi potuit, quàm ut Miſſæ ſacrificio aſſiſterēt: ergo meritò hujuſmodi præſentia & aſſiſtentia ab Eccleſia præcepta eſt. Ita Thomas 2.2. *q.* 122. *a.* 4. Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 88. *ſect.* 1. Cajetanus *in Summ. v. Feſtorum violatio.* Navarrus *in cap. Quando, de conſecr. diſt.* 1. *&* 2. *& in Man. cap.* 21. & alij communiter.

D. Thom. Suarez. Cajetan. Navarrus.

2. Præceptum hoc inducit gravem obligationē, ita ut illud tranſgredi omnino, vel uno tātùm die pro quo obligat, ſine ulla legitima cauſa excusāte, peccatū mortale ſit. Probatur, quia materia præcepti eſt gravis & ad materiā Religionis ſpectans. Nam ſi quis voto ſe obligaret ad audiendā Miſſam uno die, & id omittat, peccaret mortaliter. Sed nō minus obligat Eccleſiæ præceptum, quàm votum propriū: neque eſt minus gravis auditio Miſſæ reſpectu præcepti, quàm reſpectu promiſſionis. Et hic eſt cōmunis fidelium conſenſus, omniumque Doctorū rectè ſentientium iudicium. Propterea cōmuniter reprobantur illi, qui cenſent ſolos illos peccare mortaliter, qui ex contēptu diebus Feſtis Miſſam nō audiunt; non verò illos, qui voluntariè abſq; ulla cauſa excuſante omittunt. Appellāt autem contemptum, conſuetudinem & morē omittendi Miſſas abſq; cauſa; unde ſecundùm illos ſolum eſt peccatum veniale Miſſam non audire abſque cauſa ex ſola imbecillitate, negligentia & pigritia naturæ, dummodo abſit contemptus. Ita Gloſſa *in c. Omnes fideles, de conſecr. diſt.* 1. Angelus *v. Feria, n.* 42. Roſella *verb. Miſſa, n.* 18. Tabiena *verb. Miſſa, §.* 43. Richardus *in quodlib* 1. *q.* 19.

Gloſſa. Angelus. Roſella. Tabiena. Richard.

Ex dictis colligitur, Sacerdotem teneri celebrare ad effectum implendi præceptum Eccleſiæ de audienda Miſſa in diebus Feſtis, quādo non adeſt alius Sacerdos, cujus Miſſam audiat, & ipſe ſine notabili incommodo celebrare poteſt. Probatur ex eo, quod qui vult finem, debet velle & mediā conſequentia ad finem non extraordinaria: non eſt autem medium extraordinarium, quod quis ad implendum præceptum audiendæ Miſſæ celebret, ac proinde Sacerdos, qui tenetur obſervare tale præceptū, debet adhibere ejuſmodi medium, & ſe diſponere ad celebrandū, licet aliàs non eſſet celebraturus. Tū quia plurimi Doctores ſuſtinent ſimplicem Sacerdotem deficiente copiā Confeſſarij, poſſe cū ſola contritione celebrare non præmiſsā Sacramentali Confeſſione peccati mortalis commiſſi, præcisè ad ſatisfaciendum præcepto audiendæ Miſſæ: quod eſt ſignum, ad obſervantiam hujus præcepti adhibendum eſſe aliquem conatum & conſequenter Sacerdotem aliàs non habētem copiam alterius Sacerdotis, teneri in die Feſto celebrare, ut ſic ſupradictum præceptum impleat. Vide Dianam *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 63. Pellizzarium *in Man. regul. tract.* 5. *cap.* 9. *num.* 8.

Diana. Pellizzar.

3. Qui in die Feſto non poteſt Concionem & Miſſam audire, per ſe loquēdo, tenetur potiùs Cōcionem, quàm Miſſam omittere: quia præcepta præferenda ſunt conſilijs: Miſſa autem eſt de præcepto, Concio verò de conſilio. Tamē ex accidente & ex aliqua circumſtantia gravi poteſt contingere ut quis teneatur Miſſam omittere pro cōcione audienda, v. g. ſi in fide hæſiret, & non poſſit in fide inſtrui, aut ab hæreticis defēdi, niſi auditā cōcione, vel inſtructione alicujus Doctoris, aut concionatoris Catholici; tunc tenetur Miſſam relinquere, non concionem. Ratio eſt, quia in hoc caſu præceptū charitatis erga ſeipſum obligat; & propter hoc excuſatur ab obligatione præcepti audiēdi Sacri, ſicut excuſaretur ob impotētiam & alias cauſas recenſitas *tom.* 1. *verb. Miſſa* 9. Ita Suarez *diſp.* 88. *ſect.* 1. & poſt illum Fagundez *in præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 10.

Suarez. Fagund.

4. Miſſa ex præcepto Eccleſiæ audienda ſub peccato mortali in diebus Feſtis & Dominicis illa eſt, in qua fit nova conſecratio. Hinc ſi Sacerdos carens hoſtia, quam conſecret, dicat Miſſam oſtēdēdo populo hoſtiam ſacratā pridie vel antè conſecratam, quamvis eam elevet, frangat & ſumat etiam ſub utraq; ſpecie, ea intentione, ut populus audiat Miſſam in die Feſto, non eſt ſacrificium quod alijs proſit, & peccabit mortaliter, niſi ignorantia excuſet. Ratio eſt; quia ad rationem veræ

Missæ requiritur nova consecratio, quæ in hoc casu non intervenit, & proinde tenebitur populus aliam Missam audire. Et proinde in die Parasceves sextæ feriæ majoris hebdomadæ non fit verum sacrificium, quamvis fiat nova consumptio, & non tenetur populus audire illud sacrificium, etiamsi illa feria sexta incidat in diem Festum de præcepto: quia non fit nova consecratio: ibi enim tantùm consumitur præconsecrata hostia, & non consecratur altera. Ita Henriquez *libr. 9. de sacrific. Missæ, cap. 9. num. 2. in fine*, Fagundez *in 1. præcept. Eccles. lib. 3. cap. 4. num. 26. & 27.* & alij communiter, apud Dianam *parte secunda, tractat. 14. resolut. 62.*, citantes pro hac sententia Suarez, Bellarminum, Bonacinam, Naldum, Molfesium, Sancium, Gavantum, qui novissimus testatur *in comment. Rubric. Missal. p. 3. tit. 29. n. 24.* ita declarasse Sacram Congregationem sub die 16. Februarij 1622.

Henriq. Fagund. Diana. Suarez. Bellarm. Bonacina. Naldus. Molfesius. Sancius. Gavantus. Sa. Cong.

5. Quamvis communiter pueri incipiant habere usum rationis, cùm septennium attingunt, aut saltem explent, & in hac ætate præcepto audiendi Missam obligentur; tamen hac de re non potest certa regula tradi, cùm quidam citiùs, alij verò nec etiam in decimo ætatis anno perfectum rationis usum habeant: & cùm de hoc nihil sit jure præscriptum, ideò regula generalis est, eos incipere obligari; cùm ita possunt ratione uti, ut possint discernere inter bonum & malum, & sunt capaces peccati mortalis; quia tunc jam sunt capaces obligationis naturalis colendi Deum, & ita etiam possunt hac lege Ecclesiastica obligari. Quo autem anno ætatis incipiant usum habere rationis, non potest generali regula definiri, sed ad parentum, Parochorum & Confessorum curam prudens judicium hac de re spectat: quare nulla est ratio differendi obligationem hujus præcepti, in pueris, cùm primum in eis probabilia signa discretionis & rationis apparent. Ita docet Suarez *disputatione 88. sectione 4. in fine*, Navarrus *in Manual. cap. 21. numero primo*, & alij communiter, loquentes de præcepto Confessionis annuæ, quia eadem est ratio de illo, atque de præcepto Ecclesiastico Missæ audiendæ. Probatur hoc ex *cap. Omnis utriusque sexûs, de pœnitent. & remission.* ibi: *Cùm ad annos discretionis pervenerit*. Accedit quod unusquisque fidelis, cùm ad annos discretionis pervenit, potest obligari alijs Ecclesiæ præceptis, & de facto illis obligatur; ut confiteri semel in anno; abstinere à carnibus in diebus prohibitis per Ecclesiam, &c. ergo etiam hoc præcepto obligari necesse est. Proinde rectè monent Doctores, ut pueri à tenera ætate inducantur à parentibus, & mittantur ad Missam audiendam, ut ita paulatim assuescant hanc Ecclesiasticam legem observare. Quare non est audiendus Sotus cum alijs, qui dicunt pueros non obligari hoc præcepto ante annos pubertatis: quia Ecclesia ante hanc ætatem non vult eos obligare ad suas leges & præcepta: & signum est, quia Ecclesia non obligat hos pueros ad pœnas, quas illi incurrant, qui præceptum annuæ Confessionis violant. Sed ad hæc posset responderi, negando nolle Ecclesiam pueros obligare ad sua præcepta ante pubertatis annos, nam quod eos velit obligare ante annos pubertatis, cùm incipiunt rationis esse compotes, constat ex textu *cap. Omnis utriusque sexus* citato. Quod autem Ecclesia non obliget ad pœnas pueros, violantes præceptum Confessionis annuæ; hoc facit tanquam pia mater, non quod illi non peccent mortaliter, sed quod nolit eos ferire tam gravi pœna, ex quadâ indulgentia ætatis, ut patet ex *cap. Referente nobis, de delictis puerorum*, ubi dicitur: *In pueris relinqui solet insultum, quod in alijs provectioris ætatis humanæ leges dicunt severiùs puniendum*. Nam leges quæ excusant à pœna, non excusant à culpa. Et ita præter Doctores citatos tenent hanc sententiam Coninck *de Sacram. q. 83. art. 6. n. 286.* Præpositus *ibidem, n. 197.* Mercerus *de Sacr. q. 83. a. 4. dub. 4.* Quorum sententia Jacobo Marchantio *in resol. Pastor, tract. 4. cap. 6. q. 2.* videtur rigida: quia Ecclesia pia mater non videtur velle obligare tam rigidè statim ac potest. Tum quia practicè videmus majorem partem puerorũ, etiam decimum annum attingentium, in Ecclesia stare tẽpore Missę, huc illuc circumspiciendo, sine attentione requisita; aut etiam socijs corridere, colloqui, nugari, nec vim præcepti talis apprehendere. Quis verò eos statim peccati mortalis velit condemnare? Non quod velim (ait idem Auctor) dicere eos non esse capaces peccati mortalis ob ætatem; nam si hoc sit, nõ est difficultas; sed quod licet in rigore loquendo sufficientem ætatem & discretionem haberẽt ad aliquod peccatũ mortale committendũ; non videatur tamen Ecclesia tanta sub obligatione, seu vinculo tam arcto eos velle statim obstringere, donec perfectiorem rationis usum assequantur, quâ divina mysteria plenius apprehendant, & obligationem ac attentionem, qua illis interesse oportet, plenius intelligat; quod ferè ordinariè circa tempus idoneum, quo idoneitatem incipiunt habere, ad Eucharistiæ Sacramentũ putarim contingere, quod ipsum Confessarij & Parochorum prudenti judicio venit expendendũ. Aliàs antea solùm venialiter existimarim peccare, ob apprehensionẽ imperfectam, tum mysteriorum, tum præcepti, ex imperfecto adhuc rationis usu provenientem: per quam fit ut facilè negligant attentionem requisitam, & magis præsentes ibi sint corpore, quàm mente. Ita ille. Cujus rationes sunt à viris doctis expendendæ.

Coninck. Præpos. Mercerus. Ia. March.

4 Suarez. Navarrus.

Sotus.

6. Qui sponte tempore Missę animo distrahitur, vana audiendo, feminas, aut ludos spectãdo, scribendo, pingendo, dormitãdo, aut interiùs tantùm aliena cogitando per notabilem Missæ partẽ, non implet hoc præceptum, secundùm communem Doctorũ sententiam. Ratio est; quia Ecclesia præcipit hic actum externum cultûs divini: ergo etiam præcipit omnes circumstantias necessarias ad actũ externum, ut ille actus verè censeatur actus externus Religionis: animi autem attentio videtur moraliter necessaria, ut censeatur quis tempore Sacri Deum colere. Hic notandum est ex D. Thoma 2, 2. *quæst. 83. art. 13.* triplicem esse attentionem in oratione, nempe, *ad verba, ad sensum verborum, & ad Deum*, quas hic etiam cum proportione ad Missam applica: alia enim est attentio ad ea quæ Sacerdos dicit, vel facit, non ultra progrediendo, nec distinctè intelligendo, sed solùm attendendo, ut ad rem quandam sacram; & hæc attentio est omnium infima, tamen sufficiens: satis enim est, ut illa Missæ auditio, seu præsentia sit humana, moralis, & ex objecto religiosa.

D. Thom.

Secunda attentio est ad ea quæ illis verbis vel factis significantur; & hæc est melior, multumque accedit ad finem præcepti, qui est commemoratio beneficiorum Dei, & maximè Christi Passionis. Tertia & ultima attentio est ad Deum, quæ est suprema & finis ceterarum; & sub hac includitur omnis interior reverentia & cultus, omnis oratio & petitio. Unde etiamsi quis dũ Missam audit, ita elevet mentẽ in Deum, ut totus à sensibili auditione, & ab omni mysteriorum Missæ cõsideratione abstrahatur, totusque in contẽplationem

Dei

Dei rapiatur, nihilominus perfectè implet hoc præceptum: quia perfectè aſſequitur finem præcepti, & ſponte ſe applicuit, & adhibuit præſentiam neceſſariam ad audiendam Miſſam, in eaque voluntate formaliter, vel virtualiter perſtitit cum attentione maximè intenta per ipſum præceptum.

Hinc colligere eſt, quomodo neceſſarium ſit in aliqua ex his attentionibus toto tempore Miſſæ perſeverare: eſt enim neceſſaria hæc actualis attentio, quantum eſt ex voluntate & intentione audientis Miſſam: non autem opus eſt, ut actu ſemper duret; ſufficit enim ut virtute perſeveret ratione prioris voluntatis non retractatæ. Quare requiritur ut quis ab initio accedat ad Miſſam audiendam animo & intentione attendèdi aliquo modo ex prædictis: ſi autem involuntariè diſtrahatur, etiamſi ad magnam Miſſæ partem actualiter non attendat, implet ſufficienter præceptũ, ex vi prioris voluntatis non retractatę, ratione cuius virtualis attentio manet. Dicitur autem involuntariè diſtrahi, quandiu non advertit ſe non attẽdere ad rẽ divinam, licet voluntariè de aliis rebus cogitet, tamen ſine reflexione & ſufficiente advertentia, quod id faciat tempore Miſſæ. Hinc fit, ut ſi quis audiendo Miſſam, voluntariè exerceat actiones aliquas exteriores repugnantes debitæ attentioni Miſſæ, peccat primò venialiter contra attentionẽ, & reverentiam debitam rei ſacrę; & deinde etiam mortaliter, ſi eo modo magnam Miſſæ partem audiat. Tales ſunt, qui volunt confabulari tota Miſſa, aut mercaturam tractare; qui enim vult cauſam, vult effectum intrinſecè cum illa coniunctum.

Si autem colloquia non ſint continua, ſed per parvam Miſſæ partem, licet ſæpiùs miſceantur, nunc colloquendo, nunc attendendo, vel certè ſi confabulatio non ſit de re ſeria, nec nimis attenta, quæ non omninò impedit attentionem ad Miſſã, ſed ſolùm remittit & extenuat illam, relinquit tamen ſufficientem, ut actio illa humano modo fiat, non committitur peccatum mortale, ſicut etiam recitando horas Canonicas, poteſt exerceri aliqua actio exterior, quando talis eſt, ut non omninò divertat animum, nec omnem tollat attentionem; ergo idem poteſt eſſe in Miſſa, ut ſi quis ſe veſtiens, Miſſam audiat. Ratio eſt, quia minor attentio in Miſſa eſt neceſſaria, quàm in horis Canonicis recitãdis; quia oratio eſt actio magis rationalis, quàm illa moralis præſentia, quæ neceſſaria eſt ad implendum præceptum de audienda Miſſa, ut docent Navarrus *in Man. cap.* 21. *n.* 8. Sylveſter *v. Miſſa* 2. *quæſt.* 6. & alij. Navarrus. Sylveſt.

Ex his patet excuſari à peccato mortali multorum conſuetudinem graviter alioqui culpandam, & quæ ut minimum eſt grave peccatum veniale, & facilè poteſt declinare in mortale, præſertim ſi confabulatio ſit admodum continua, & maximè ſi poteſt generare ſcandalum & impedire alios à Miſſa audienda. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad finem*, Bonacina *de Euchariſt. diſp.* 4. *q. ult. punct.* 11. *num.* 24. Graffijs *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 8. & 9. Et de his videndi ſunt Suarez *diſp.* 88. *ſect.* 3. Fagundez *in præcept.* 1. *Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 5. Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *c.* 3. *n.* 2. *verſ. Secundum.* Hæc dicta ſint ſecundùm probabiliorem ſententiam Doctorum de attentione interna requiſita ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ audiendæ. Sotus. Bonacina. Graffijs. Fagund. Suarez. Layman.

7. Tamen contrariam ſententiam defendunt non improbabiliter graves Doctores, nempe illos ſatisfacere præcepto Eccleſiæ qui ſecundùm externum habitum, Miſſæ decenter interſunt, licet interna mente Deo vel divinis non intendant. Et ita docent omnes, qui tenent Clericos in ſacris conſtitutos, vel beneficiarios ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de horis Canonicis recitandis, qui illas recitant animo ultrò diſtracto, modò nullum aliud opus externum incompoſſibile cum attentione interna efficiant inter recitandum. Ratio illorum pro attentione externa ad ſatisfaciendum præcepto de horis Canonicis ſufficienti, eſt, quia non ſatis nobis conſtat, utrum Eccleſia tanta cum obligatione præcipere voluerit: cùm ipſi ſufficere videatur, ſi præcepto ſuo à miniſtris obtineat, ut in choro vel extra chorum publicas orationes decenter pſallant, vel pronuntient; de interna autem devotione judicium Deo cõmittant. *Secundò*, quia Eccleſia non poteſt præcipere actus merè internos, ſed ſolùm externos, & internos, quatenus requiruntur ad externos, ut videlicet externi cenſeantur eſſe actus virtutis exterioris, ſaltem ſpectatis omnibus circumſtantiis externis. Sed is qui curat ut verba ritè pronunciet in modum orantis, habet attentionem neceſſariam ad actum exteriorem orationis. Ergo, &c. *Tertiò*, quia attẽtio, ſpectata humana imbecillitate, eſt va dè difficilis, ſi debeat eſſe una ex illis dictis *num. præcedenti*, tribus interioribus. *Quartò* quia, licet hæc oratio ornata tantùm attentidne exteriore, non ſit vera oratio quatenus ab hoc Clerico, vel Sacerdote exteriùs tantùm orante procedit, eſt tamen vera & impetratoria oratio, quatenus ſit ab illo, ut eſt miniſter Eccleſiæ, atque ab Eccleſia per hunc miniſtrum. Ob has & multò plures rationes quas adducunt Doctores infrà citandi manet hæc ſententia ſatis probabilis. Ita ex veteribus D. Antonin. 3. *p. tit.* 13. *c.* 4. §. 8. Durandus *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 12. *n.* 6. Paludanus *ibidem*, *q.* 5. *art.* 2. Angelus *verb. Hora*, *num.* 17. Sylveſter *verb. Hora*, *q.* 11. & alij. Ex recentioribus autem probabilem illam dicunt omnes à nobis citati *tom.* 1. *verb. Horæ Canonicæ II. num.* 21. Quibus nunc addo ex noſtris Caſpenſem *tom.* 1. *tract.* 13. *de legibus*, *diſp.* 3. *num.* 82. & Geſualdum *p.* 3. *tract.* 21. *cap.* 1. *num.* 9 Leſſium *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 11. *n.* 63. Valerium *in differ. utriuſque fori*, *verb. Horæ Canonicæ*, *differen.* 1. & alios apud Dianam *part.* 7. *tract.* 11. *reſ.* 30. Hæc doctrina præcepto de audienda Miſſa etiam debet applicari, quia minor attentio requiri videtur in auditione Miſſæ, quàm in recitatione Officij Canonici, eò quòd hæc difficilior, magiſque rationalis actio ſit, perſonaliter orare, quàm oranti & ſacrificanti adſtare, præſentem eſſe, & conſentire, ut notant præcitati Doctores. D. Anton. Paludan. Angelus. Sylveſter. Caſpenſis. Geſuald. Leſſius. Valerius. Diana.

8. Qui habet licentiam ut poſſit audire Miſſam in Oratorio domus ſuæ, ſi ſit infirmus & non poſſit adire Eccleſiam, non tenetur illam in diebus Feſtis audire. Ratio eſt; quia talis non tenetur uti ſuo privilegio, nec quærere Sacerdotem & dare ſtipendium ut ſibi Miſſam celebret, ſed ſolùm tenetur ex præcepto audire Miſſam. Imò hoc verum quidam exiſtimant, quamvis gratis inveniret Sacerdotem: quia dicere Miſſam in privatis domibus & oratoriis approbatis, de ſe eſt odioſum, & non tam decens ad reverentiam debitam huic ſacrificio, & propter generales Canones Eccleſiæ: unde nulla eſt obligatio utendi tali privilegio ad ſatisfaciendum præcepta de audienda Miſſa, cùm longè melius ſit Miſſam non audire, etiamſi dies Feſtus ſit, quàm eam celebrare in domo, maximè ſi crebrò fiat; nam præceptũ hoc non eſt tanti momenti, quale eſſe poteſt, ut ſacrificium in privatis locis non fiat. Tum quia ob cauſas minùs graves & urgentes excuſatur quis interdum ab executione huius præcepti: ergo etiam propter hanc poterit excuſari: alioqui gratia fieret oneroſa, & libera facultas in obligationem verterę-

vertetur. Ita sustinent Suarez *disput.* 88. *sect.* 6. *vers. Secundum.* Ledesma *in Summa part.* 3. *cap.* 27. *de Eucharist. concl.* 16. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 80. Trullench *in exposit. Bull. Cruciat. lib.* 1. §. 3. *dub.* 6. *num.* 9. Escobar *in Theol. mor. tract.* 1. *exam.* 11 *cap.* 11. *num.* 97. Pellizzarius *in Man. reg. tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 2. *sect.* 2. *num* 154. & alij probabiliter. Non est tamen improbabilis sententia illorum, qui asserunt habentem Bullam Cruciatæ tempore interdicti teneri Missam audire, ut docent Sancius *in Selectis disp.* 15. Bonacina *de censur. disp.* 5. *punct.* 4. Fernandez *in method. part.* 3. *c.* 10. §. 3. & alij apud Dianam *part.* 1. *tract.* 11 *resol.* 2. Esto detur habentem privilegium audiendi Missam tempore interdicti teneri illam audire; non inde sequitur ad hoc teneri illum, qui habet indultum Oratorij privati; quia celebrare in Oratorio privato est privilegium de se odiosum, ac derogatorium juris communis; in casu verò interdicti, si tollatur impedimentum, nulla petitur dispensatio in jure communi ad hoc ut possit celebrari: sicque in his duobus casibus intervenit magna disparitas. Ergo non est eodem modo philosophandum de utroque, cùm à diversis non fiat illatio, ut docent Suarez & alij suprà citati.

Suarez. P. Led. Diana. Trullench Escobar. Pellizz. Sancius. Bonacina. Fernand. Suarez.

9. Dubium est, an si quis audiat Missam diebus Dominicis & Festis in privato Oratorio, præcepto Ecclesiæ satisfaciat? Ratio dubitandi est in intelligentia verborum, quæ à Pontifice ponuntur in fine Brevis, concedentis ut in privato Oratorio Missa possit celebrari. *Volumus autem, ut familiares servitiis tuis non necessarij præter supradictos ibidem Missa interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus Festis de præcepto minimè liberi censeantur.* Quidam enim hæc verba interpretantur, ut non impleant præceptum Ecclesiæ de audienda Missa juxta formam antiquam audiendi Missam in propria Parochia diebus Festis. Quæ circumstantia audiendi Missam in propria Parochia cùm sit hodie contrario usu abrogata, inferendum necessariò videtur implicare contradictionem, quòd audiens Missam in Oratorio privato, modò non satisfaciat Præcepto Ecclesiæ, prout hodie extat: præsertim cùm Doctores, nempe, Suarez, Toletus, Navarrus, Rodriguez, Azorius, Coninck, Graffijs, & alij apud Bonacinam *de Sacram. disp.* 4. *quæst. ult. punct.* 12. *num.* 4. & apud Fagundez *in præcept.* 1. *Eccles. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 8. doceant, quocumque in loco Missa audiatur, præceptum Missæ audiendæ adimpleri, sive audiatur in propria Parochia, sive in Ecclesijs regularium, sive in Oratorijs privatis, sive extra Ecclesiam: nam præcipit Ecclesia Missæ auditionē & non præscribit locum, cùm iam consuetudo communiter recepta abstulit obligationē audiendi Missā de præcepto in propria Parochia. Nihilominus, cùm verba Pontificis in Brevibus quæ solet expedire, sint satis clara, contrarium est dicendum: nam isti præcepto audiendi Missam in die Festo minimè satisfaciunt, quia hoc privilegium Pontificium illis non suffragatur. Ad quid enim Pontifices dictam clausulam, eo sensu, quo suprà asseritur, vellent in talibus indultis apponere, cùm apertè hodie omnibus pateat, præceptū audiendi Missam in propria Parochia non extare, cùm sit per contrarium usum abrogatum. Unde prædicta interpretatio dictæ clausulæ gratis dicitur, & contra praxim Romanæ Curiæ & contra mentē Pontificis. Addo extare decretū sacræ Cōgregationis, quo cavetur, ut licētia celebrādi Missam in privato Oratorio concedatur, cū hoc onere, ut solùm privilegiarius & ipsius familiares satisfaciant præcepto audiendo diebus Festis Missam in præfato Oratorio, alij verò non satisfaciant, teste Quaranta *in Summ. Bullarij*, 2 *verb. Missa, vers. Quanta.* Molfesio, *tract.* 3 *cap.* 17 *num.* 70. Proinde hanc sententiam tenent Marchinus *de Sacrament. Ordinis, tract.* 3 *part.* 3. *cap* 9. *num.* 10. Riccius *in praxi tom.* 1. *ref.* 467. *num.* 23. Diana *p.* 9. *tract.* 1. *res.* 3. Qui ultimus putat secus dicendum esse de audientibus Missam in Oratorijs Episcoporum, Regularium, & in Oratorijs ex privilegio Bullæ Cruciatæ: nam in illis non adest limitatio apponi solita à Pontifice in licentijs pro Oratorijs privatis, quas magnatibus particularibus concedit. Et de his Oratorijs intelligendi sunt Doctores, quando dicunt satisfieri præcepto Missam audiendo in Oratorijs. Propterea in hac re consideranda sunt verba rescripti, quæ si limitationem non contineant, censetur facultas concessa pro omnibus, ut in his Oratorijs Missam audiendo possint præcepto satisfacere, ut ex dictis colligitur.

Quaranta. Molfesius. Marchin. Riccius. Diana.

10 Quorumdam sententia est, concurrente duplici Festo de præcepto Ecclesiæ, duplex peccatū committi in omissione Missę, & violatione abstinentiæ ab operibus servilibus. Ratio illorum est, quia qui non audit Missam, quando aliquod Festum incidit in diem Dominicum, duplex præceptum violat, latum ob distinctas causas, & rationes: nam unum præcipit auditionem Missæ in honorem diei Dominicæ, alterum in honorem Festi in diem Dominicum cadentis, & utraque ratio seorsim sumpta est per se sufficiens ad inducendā obligationem peccati mortalis: peccatum autem totuplex est, quotuplex est diversa ratio præcipiēdi, & diversus finis, ob quem actus sub peccato vel præcipitur, vel prohibetur. Ita tenent Tannerus *in* 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 2. *num.* 24. Homobonus *de exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 12. *q.* 76. Lopez 1. *p. Instructor. cap.* 29. §. *Dico tertiò quod quando.* & alij citati *tom.* 1. *verb. Circumstantia, num.* 14. § III. Hæc sententia est probabilis.

Tanner. Homob. Lopez.

Tamen probabilius est unicum tantùm peccatū committere, qui duo præcepta de eodē Festo colendo, aut de eadem Missa audienda violat: & ideò non esse hanc circumstantiam duorum præceptorum necessariò in Confessione aperiendam. Ratio & fundamentum est, quia huiusmodi præcepta & vincula sunt eiusdem speciei, & unum eumdemque actum præcipiunt, & sub eadem ratione formali obedientiæ, ut unum actum temperantiæ, si concurrant duo præcepta jejunij: unum actum Religionis, si concurrant duo præcepta audiendi Missam: unde quotiescumque occurrentes præceptorum obligationes sunt eiusdem speciei, & unum actum præcipiunt, & sub eadem ratione formali, nec diversa numero peccata inducunt, nec specie. Ita Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 22. *sect.* 4. *num.* 22. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 15. *num.* 6. Eman. Sà *verb. Confessio, num.* 29. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *res.* 22. & alij multi penes ipsum, quibus adde Vasquez. P. Ledesmam, Henriquez, & alios à nobis citatos *tom.* 1. *loco citato*, & vide quæ diximus *verb. Peccatum IV. num.* 5.

Suarez. Sanchez. Eman. Sà. Diana. Vasquez. P. Led. Henriq.

11. Quamvis Missa à quocumque Sacerdote audiri possit, ut impleatur præceptū Ecclesiæ, modò non sit vitandus in humanis & divinis, juxta Extravag. Martini V. *Ad evitanda*, desumptam ex Concilio Constantiensi; dubitatur tamen, utrum si aliquis per sententiā judicis declaretur commisisse crimen, cui est adnexa excommunicatio, & non declaretur incurrisse excommunicationē, vitandus sit, ita ut licitè non possit à fidelibus, si est Sacerdos, eius Missa audiri; Affirmant cōmuniter Doctores, quia tunc eo ipso quòd talis Sacerdos in

Mart. V. C. Const.

Digitized by Google

in judicio de tali crimine, v.g. de hæreſi nominatim condemnatur, cenſetur nominatim declarari, & ideò vitandus erit in humanis & divinis. Ita Suarez *to. 5. de cenſur. diſp. 9. ſect. 2. n. 10.* Avila *1. p. c. 6. diſp. 2. dub. 3 §. Sed eſt.* Henriquez *l. 13. de excomm. cap. 5. n. 4.* Sanchez *lib. 2. mor. cap. 9. n. 4.* Sotus, Guttierrez, & alij. Tamen favorabilior eſt ſententia docens adhuc iſtum non eſſe vitandum, quia non cenſetur aliquis nominatim declaratus & denunciatus, donec expreſsè declaretur incurriſſe cenſuram: nam cùm ſolùm aliquis declaratur de crimine, cui eſt adnexa cenſura, non declaratur de ipſa cenſura expreſsè, ſed remotè & per quandam conſequentiam. Proinde cùm prædicta Extravagans in animarum favorem emanarit, potius eſt extendenda, ut requiratur expreſſa & formalis cenſuræ declaratio, quàm reſtringenda, ut ſat ſit tacita: eo vel maximè, quòd cùm multi annexam illi crimini excommunicationem eſſe ignorent; eiſdem conſcientiæ periculis & dubijs ſubijcientur, ſi ea ſolius criminis declaratio obliget ad illum vitandum. Ita Graffijs *1. part. deciſ. lib. 4. c. 11. n. 5.* Navarrus *in Miſcellan. 47. de orat. n. 2.* Sanchez *loco citato*, qui licet probabiliſſimam primam opinionem putet, hanc tamen probabiliorem exiſtimat. Imò idem ſentit, etſi in ſententia declaretur illum eſſe hæreticum, aut alterius criminis reum, ac incurriſſe omnes illius pœnas: quia adhuc non eſt ſpecialiter & expreſsè denunciata excommunicatio, & multi excommunicationem in eis comprehendi neſcirent.

Suarez. Avila. Henriq. Sanchez. Sotus. Guttier. Graffijs. Navarrus. Sanchez.

12. Probabilius eſt non eſſe prohibitum Chriſti fidelibus, ex vi ſolius cenſuræ, dummodo nullum aliud detur impedimentum peccati in ipſis excommunicatis toleratis, Miſſas ab eis petere, vel illorum Miſſas audire, etiamſi alij Sacerdotes præſentes ſint, qui nullam habent excommunicationem. Ratio eſt, quia Concilium Conſtantienſe & Martinus V. in dicta Extravag. *Ad evitanda ſcandala*, & pericula quæ in conſcientijs timoratis darentur, conceſſit Chriſti fidelibus, ut in nulla re teneantur vitare hujuſmodi excommunicatos toleratos, etiam in Sacramentorum adminiſtratione & receptione & in communicatione in divinis. Quæ ſcandala & pericula nullo modo tollerentur, ſi ipſi Sacerdotes, ad petitionem fidelium ſacrificando, aut Sacramenta miniſtrando peccarent, imò majora ſcandala pullularent, & nunquam timoratæ conſcientiæ ſedarentur.

Concil. Conſtant. Mart. V.

Si dicas: Illi peccant miniſtrando, cùm Extravagans Martini V. non tollat ab eis excommunicationem, neque illis in aliquo faveat; ergo peccatum mortale erit, eos inducere ad peccandum per petitionem Sacramenti, aut ſacrificij. Reſpondeo peccare illos mortaliter, quando Sacramenta miniſtrant, aut ſacrificant abſque petitione fidelium, & quando abſque ea petitione ſe ingerunt ad id faciendum, non verò quando prœveniuntur & rogantur ab ipſis fidelibus. Ratio eſt, quia conceſſo uno correlativo, ordinariè aliud conceditur, & prohibito uno, etiam aliud prohibetur: unde ſi jus concedit ut licitè fideles hoc poſſint petere ab excommunicatis toleratis, conſequenter concedit ipſis excomunicatis ut licitè id poſſint efficere. Ita loquens de Miſſa docet Suarez *to. 5. de cenſur. diſp. 11. ſect. 4. n. 18.* Et de petitione & receptione Sacramentorum Sotus *in 4 diſtinct. 22. q. 1. artic. 4. verſ. At verò* Sanchez *de matr. lib. 7. diſp. 9. n. 8.* Victoria *in Summ. de excomm. n. 339.* Quamvis enim Extravagans Martini V. ab eis non tollat excommunicationem abſolutè, tollit tamen, ſeu potiùs ſuſpendit ejus effectum, quando ab ipſis fidelibus prœveniuntur: ſicut abſolutè non tollitur obligatio præcepti audiēdi diebus Feſtis Miſſā, ſuſpenditur tamen ejūs obligatio, quādo aliquis ægroto aſſiſtit indigenti illius ope. Ceterùm non eſt improbabilis ſententia aſſerens Sacerdotē excommunicatum toleratum celebrando peccare mortaliter, licitum tamen eſſe fidelibus audire illius Miſſam, non autem licere id ab eo petere, ne illius peccato cooperentur, quod ex lege naturali charitatis tenentur vitare in proximo. Si tamen ille in altari ſit dicendo Miſſam, aut paratus, aut prōptus ad miniſtrandū Sacramentū & dicendū Miſſam, licitū eſt id ab eo petere & aſſiſtere, cùm tunc illū abſolutè ad peccatū nō inducant; ſiquidem jam paratus & promptus erat ad Sacramentum miniſtrandum, & ſacrificandum, & ſive petant, ſive non petant fideles, illud erat miniſtraturus & ſacrificaturus. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 39. quæſt. unic. art. 1. ad 5.* Cajetanus *in Summa verb. abſolutionis impedimenta.* Adrianus *in 4. q. 3. de Baptiſmo*, & alij. Et quamvis iſti Doctores loquantur de acceptione & petitione Sacramentorum ab excommunicato tolerato, tamen eadem eſt ratio de auditione & petitione Miſſæ ipſius excommunicati, cùm utraque ſit participatio & communicatio in divinis cum ipſo excommunicato.

D. Thom. Cajetan. Adrianus.

13. Certum eſt apud omnes, licere fidelibus Miſſam audire Sacerdotis, qui irregularis factus eſt miniſtrando in excommunicatione, ſi nullum aliud impedimentum ex parte illius obſtet, nō tamen petere. Ratio prioris eſt, quia in hoc caſu non eſt vitandus, & irregularitas addita, non reddit illum vitandum, ſive ſit ſecreta, ſive publica, cùm non ſit cenſura, & ſolùm is effectus cenſuræ excommunicationis tribuatur. Ratio autem poſterioris eſt, quia cùm talis Sacerdos in ea circumſtantia mortaliter peccet celebrando ad petitionem alicujus, non quidem ratione cenſuræ, ſed ratione irregularitatis quam incurrit, illa petitio tunc moraliter loquendo, inductio erit ad peccatum, ac proinde peccatum mortale, niſi ignorantia & bona fides excuſet.

Sed difficultas eſt, an quando quis per ſententiam judicis fuit condemnatus de irregularitate, ante denunciationem excomunicationis incurſæ, ſi v.g excomūnicatus à jure vel ab homine celebret, de irregularitate condemnetur? Cōmunis ſententia eſt huiuſmodi irregularem vitandū eſſe in divinis, ac proinde ex vi cenſurę etiamſi nullum aliud impedimentū obſtet, nec Miſſæ aut divinis Officijs ſimul cū illo intereſſe licere, cùm pro excōmunicato vitando ſit omninò reputandus. Probatur autem hæc opinio, quia in eo caſu crimen irregularitatis ſupponit cenſuram excommunicationis, & excommunicatio eſt adnexa crimini; unde ſufficit, ut quis vitandus ſit, quod per ſententiam judicis de crimine condemnetur; nam illa cōdemnatio nominatæ perſonę æquipollet declarationi cenſuræ incurſæ, ut in ſimili de crimine hæreſis dictum eſt *ſuprà num. 11.* cum Doctoribus ibi citatis. Sed qui favorabiliorem ſententiam ſequuntur, negant huiuſmodi irregularem cōdemnatum per ſententiam iudicis de irregularitate, vitandum eſſe, licet crimen irregularitatis adnexam habeat excommunicationem, & cōſequenter docent licitum eſſe Miſſam audire huius irregularis: quia non cenſetur aliquis nominatim declaratus excōmunicatus, niſi expreſsè declaretur illum incurriſſe cenſuram: ut docent Graffijs, Navarrus, & Sanchez pro hac ſententia adducti *ſuprà num. 11.* pro crimine hæreſis. Diximus *Miſſam audire*, non tamē illam ab eo petere; quia dum eſt irregularis,

Graffijs. Navarrus. Sanchez.

nunquam

vertetur. Ita sustinent Suarez *disput.* 88. *sect.* 6. *vers. Secundum.* Ledesma *in Summa part.* 1. *cap.* 27. *de Eucharist. concl.* 16, Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 80. Trullench *in exposit. Bull. Cruciat. lib.* 1. §. 3. *dub.* 6. *num.* 9. Escobar *in Theol. mor. tract.* 1. *exam.* 11. *cap.* 11. *num.* 57. Pellizzarius *in Man. reg. tom.* 2. *tract.* 8. *c.* 2. *sect.* 2. *num* 154. & alij probabiliter. Non est tamen improbabilis sententia illorum, qui asserunt habentem Bullam Cruciatæ tempore interdicti teneri Missam audire, ut docent Sancius *in Selectis disp.* 15, Bonacina *de censur. disp.* 5. *punct.* 4. Fernandez *in medull part.* 3. *c.* 10. §. 1. & alij apud Dianam *part.* 1. *tract.* 11. *res.* 2. Esto detur habentem privilegium audiendi Missam tempore interdicti teneri illam audire; non inde sequitur ad hoc teneri illum, qui habet indultum Oratorij privati; quia celebrare in Oratorio privato est privilegium de se odiosum, ac derogatorium juris communis; in casu verò interdicti, si tollatur impedimentum, nulla petitur dispensatio in jure communi ad hoc ut possit celebrari: sicque in his duobus casibus intervenit magna disparitas. Ergo non est eodem modo philosophandum de utroque, cùm à diversis non fiat illatio, ut docent Suarez & alij suprà citati.

Suarez. P. Led. Diana. Trullench Escobar. Pellizz. Sancius. Bonacina. Fernand. Suarez.

9 Dubium est, an si quis audiat Missam diebus Dominicis & Festis in privato Oratorio, præcepto Ecclesiæ satisfaciat? Ratio dubitandi est in intelligentia verborum, quæ à Pontifice ponuntur in fine Brevis, concedentis ut in privato Oratorio Missa possit celebrari. *Volumus autem, ut familiares servitiis tuis non necessarij præter supradictos ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus Festis de præcepto minimè liberi censeantur.* Quidam enim hæc verba interpretantur, ut non impleant præceptum Ecclesiæ de audienda Missa juxta formam antiquam audiendi Missam in propria Parochia diebus Festis. Quæ circumstantia audiendi Missam in propria Parochia cùm sit hodie contrario usu abrogata, inferendum necessariò videtur implicare contradictionem, quòd audiens Missam in Oratorio privato, modò non satisfaciat Præcepto Ecclesiæ, prout hodie extat: præsertim cùm Doctores, nempe, Suarez, Toletus, Navarrus, Rodriguez, Azorius, Coninck, Graffijs, & alij apud Bonacinam *de Sacram. disp.* 4. *quæst. ult. punct.* 12. *num.* 4. & apud Fagundez *in præcept.* 1. *Eccles. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 8. doceant, quocumque in loco Missa audiatur, præceptum Missæ audiendæ adimpleri, sive audiatur in propria Parochia, sive in Ecclesiis regularium, sive in Oratoriis privatis, sive extra Ecclesiam: nam præcipit Ecclesia Missæ auditionē & non præscribit locum, cùm iam consuetudo communiter recepta abstulit obligationē audiendi Missā de præcepto in propria Parochia. Nihilominus, cùm verba Pontificis in Brevibus quæ solet expedire, sint satis clara, contrarium est dicendum: nam isti præcepto audiendi Missam in die Festo minimè satisfaciunt, quia hoc privilegium Pontificium illis non suffragatur. Ad quid enim Pontifices dictam clausulam, eo sensu, quo suprà asseritur, vellent in talibus indultis apponere, cùm apertè hodie omnibus pateat, præceptū audiendi Missam in propria Parochia non extare, cùm sit per contrarium usum abrogatum. Unde prædicta interpretatio dictæ clausulæ gratis dicitur, & contra praxim Romanæ Curiæ & contra mentē Pontificis. Addo extare decretū sacræ Cōgregationis, quo cavetur, ut licētia celebrādi Missam in privato Oratorio concedatur, cū hoc onere, ut solùm privilegiarius & ipsius familiares satisfaciant præcepto audiendo diebus Festis Missam in præfato Oratorio, alij verò non satisfaciant, teste Quaranta *in Summa Bullarij, verb. Missa, vers. Quanta.* Molfesio, *tract.* 3 *cap.* 17 *num.* 70. Proinde hanc sententiam tenent Marchinus *de Sacramentis Ordinis, tract.* 3 *part.* 3. *cap* 9. *num.* 10. Riccius *in praxi tom.* 1. *res.* 467. *num.* 23. Diana *p.* 9. *tract.* 1. *res.* 3. Qui ultimus putat secus dicendum esse de audientibus Missam in Oratoriis Episcoporum, Regularium, & in Oratoriis ex privilegio Bullæ Cruciatæ: nam in illis non adest limitatio apponi solita à Pontifice in licentiis pro Oratoriis privatis, quas magnatibus particularibus concedit. Et de his Oratoriis intelligendi sunt Doctores, quando dicunt satisfieri præcepto Missam audiendo in Oratoriis. Propterea in hac re considerandæ sunt verba rescripti, quæ si limitationem non contineant, censetur facultas concessa pro omnibus, ut in his Oratoriis Missam audiendo possint præcepto satisfacere, ut ex dictis colligitur.

Suarez. Toletus. Navarrus. Rodrig. Azorius. Coninck. Bonacina. Fagund. S. Congr. Quaranca Molfesius. Marchin. Riccius. Diana.

10 Quorumdam sententia est, concurrente duplici Festo de præcepto Ecclesiæ, duplex peccatū committi in omissione Missæ, & violatione abstinentiæ ab operibus servilibus. Ratio illorum est; quia qui non audit Missam, quando aliquod Festum incidit in diem Dominicum, duplex præceptum violat, latum ob distinctas causas, & rationes: nam unum præcipit auditionem Missæ in honorem diei Dominicæ, alterum in honorem Festi in diem Dominicum cadentis, & utraque ratio seorsim sumpta est per se sufficiens ad inducendā obligationem peccati mortalis: peccatum autem totuplex est, quotuplex est diversa ratio præcipiēdi, & diversus finis, ob quem actus sub peccato vel præcipitur, vel prohibetur. Ita tenent Tannerus *in* 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 6. *dub.* 2. *num.* 24. Homobonus *de exam. Eccles. part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 12. *q.* 76. Lopez 2. *p. Instructor. cap.* 29. §. *Dico tertiò quod quando.* & alij citati *tom.* 1. *verb. Circumstantia, num.* 14. § III. Hæc sententia est probabilis.

Tanner. Homob. Lopez.

Tamen probabilius est unicum tantùm peccatū committere, qui duo præcepta de eodē Festo colendo, aut de eadem Missa audienda violat: & ideò non esse hanc circumstantiam duorum præceptorum necessariò in Confessione aperiendam. Ratio & fundamentum est, quia huiusmodi præcepta & vincula sunt eiusdem speciei, & unum eumdemque actum præcipiunt, & sub eadem ratione formali obedientiæ, ut unum actum temperantiæ, si concurrant duo præcepta jejunij: unum actum Religionis, si concurrant duo præcepta audiendi Missam: unde quotiescumque occurrentes præceptorum obligationes sunt eiusdem speciei, & unum actum præcipiunt, & sub eadem ratione formali, nec diversa numero peccata inducunt, nec specie. Ita Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 22. *sect.* 4. *num.* 22. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 15. *num.* 6. Eman. Sà *verb. Confessio, num.* 29. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *res.* 22. & alij multi penes ipsum, quibus adde Vasquez, P. Ledesmam, Henriquez, & alios à nobis citatos *tom.* 1. *loco citato*, & vide quæ diximus *verb. Peccatum IV. num.* 5.

Suarez. Sanchez. Eman. Sà. Diana. Vasquez. P. Led. Henriq.

11. Quamvis Missa à quocumque Sacerdote audiri possit, ut impleatur præceptū Ecclesiæ, modò non sit vitandus in humanis & divinis; juxta Extravag. Martini V. *Ad evitanda*, desumptam ex Concilio Constantiensi; dubitatur tamen, utrum si aliquis per sententiā judicis declaretur commisisse crimen, cui est adnexa excommunicatio, & non declaretur incurrisse excommunicationē, vitandus sit, ita ut licitè non possit à fidelibus, si est Sacerdos, eius Missa audiri. Affirmant cōmuniter Doctores, quia tunc eo ipso quòd talis Sacerdos in

Mart. V. C. Const.

Digitized by Google

injudicio de tali crimine, v.g. de hæreſi nominatim condemnatur, cenſetur nominatim declarari, & ideò vitandus erit in humanis & divinis. Ita Suarez to. 5. *de cenſur. diſp.* 9. *ſect.* 2. *n.* 10. Avila 1. *p.* c. 6. *diſp.* 2. *dub.* 3 §. *Sed eſt.* Henriquez *l.* 13. *de excomm. cap.* 5. *n.* 4. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 9. *n.* 4. Sotus, Guttierrez, & alij. Tamen favorabilior eſt ſententia docens adhuc iſtum non eſſe vitandum, quia non cenſetur aliquis nominatim declaratus & denunciatus, donec expreſsè declaretur incurriſſe cenſuram: nam cùm ſolùm aliquis declaratur de crimine, cui eſt adnexa cenſura, non declaratur de ipſa cenſura expreſsè, ſed remotè & per quandam conſequentiam. Proinde cùm prædicta Extravagans in animarum favorem emanarit, potius eſt extendenda, ut requiratur expreſſa & formalis cenſuræ declaratio, quàm reſtringenda, ut ſat ſit tacita: eo vel maximè, quòd cùm multi annexam illi crimini excommunicationem eſſe ignorent; eiſdem conſcientiæ periculis & dubijs ſubijcientur, ſi ea ſolius criminis declaratio obliget ad illum vitandum. Ita Graffijs 1. *part. deciſ. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 5. Navarrus *in Miſcellan.* 47. *de orat. n.* 2. Sanchez *loco citato*, qui licet probabiliſſimam primam opinionem putet, hanc tamen probabiliorem exiſtimat. Imò idem ſentit, etſi in ſententia declaretur illum eſſe hæreticum, aut alterius criminis reum, ac incurriſſe omnes illius pœnas; quia adhuc non eſt ſpecialiter & expreſsè denunciata excommunicatio, & multi excommunicationem in eis comprehendi neſcirent.

Suarez. Avila. Henriq. Sanchez. Sotus. Guttier.

Graffijs. Navarrus. Sanchez.

12. Probabilius eſt, non eſſe prohibitum Chriſti fidelibus, ex vi ſolius cenſuræ, dummodo nullum aliud detur impedimentum peccati in ipſis excommunicatis toleratis, Miſſas ab eis petere, vel illorum Miſſas audire, etiamſi alij Sacerdotes præſentes ſint, qui nullam habent excommunicationem. Ratio eſt, quia Concilium Conſtantienſe & Martinus V. in dicta Extravag. *Ad evitanda ſcandala*, & pericula quæ in conſcientijs timoratis darentur, conceſſit Chriſti fidelibus, ut in nulla re teneantur vitare hujuſmodi excommunicatos toleratos, etiam in Sacramentorum adminiſtratione & receptione & in communicatione in divinis. Quæ ſcandala & pericula nullo modo tollerentur, ſi ipſi Sacerdotes, ad petitionem fidelium ſacrificando, aut Sacramenta miniſtrando peccarent, imò majora ſcandala pullularent, & nunquam timoratæ conſcientiæ ſedarentur.

Concil. Conſtant. Mart. V.

Si dicas: Illi peccant miniſtrando, cùm Extravagans Martini V. non tollat ab eis excommunicationem, neque illis in aliquo faveat; ergo peccatum mortale erit, eos inducere ad peccandum per petitionem Sacramenti, aut ſacrificij. Reſpondeo peccare illos mortaliter, quando Sacramenta miniſtrant, aut ſacrificant abſque petitione fidelium, & quando abſque ea petitione ſe ingerunt ad id faciendum, non verò quando præveniuntur & rogantur ab ipſis fidelibus. Ratio eſt, quia conceſſo uno correlativo, ordinariè aliud conceditur, & prohibito uno, etiam aliud prohibetur: unde ſi ius concedit ut licitè fideles hoc poſſint petere ab excommunicatis toleratis, conſequenter concedit ipſis excomunicatis ut licitè id poſſint efficere. Ita loquens de Miſſa docet Suarez to. 5. *de cenſur. diſp.* 11. *ſect.* 4. *n.* 18. Et de petitione & receptione Sacramentorum Sotus *in* 4. *diſtinct.* 22. *q.* 1. *artic.* 4. *verſ. At verò* Sanchez *de matr. lib.* 7. *diſp.* 9. *n.* 8. Victoria *in Summ. de excomm. n.* 339. Quamvis enim Extravagans Martini V. ab eis non tollat excommunicationem abſolutè, tollit tamen, ſeu potiùs ſuſpendit ejus effectum, quando ab ipſis fidelibus præveniuntur: ſicut abſolutè non tollitur obligatio præcepti audiendi diebus Feſtis Miſſa, ſuſpenditur tamen ejus obligatio, quàdo aliquis ægroto aſſiſtit indigenti illius ope. Ceterùm non eſt improbabilis ſententia aſſerens Sacerdotè excommunicatum toleratum celebrando peccare mortaliter, licitum tamen eſſe fidelibus audire illius Miſſam, non autem licere id ab eo petere, ne illius peccato cooperentur, quod ex lege naturali charitatis tenentur vitare in proximo. Si tamen ille in altari ſit dicendo Miſſam, aut paratus, aut prõptus ad miniſtrandũ Sacramentũ & dicendũ Miſſam, licitũ eſt id ab eo petere & aſſiſtere, cùm tunc illũ abſolutè ad peccatũ nõ inducant; ſiquidem jam paratus & promptus erat ad Sacramentum miniſtrandum, & ſacrificandum, & ſive petant, ſive non petant fideles, illud erat miniſtraturus & ſacrificaturus. Ita D. Thomas *in* 4. *diſt.* 39. *quæſt. unic. art.* 1. *ad* 5. Cajetanus *in Summa verb. Abſolutionis impedimenta.* Adrianus *in* 4. *q.* 3. *de Baptiſmo*, & alij. Et quamvis iſti Doctores loquantur de acceptione & petitione Sacramentorum ab excommunicato tolerato, tamen eadem eſt ratio de additione & petitione Miſſæ ipſius excommunicati, cùm utraque ſit participatio & communicatio in divinis cum ipſo excommunicato.

D. Thom. Cajetan. Adrianus.

13. Certum eſt apud omnes, licere fidelibus Miſſam audire Sacerdotis, qui irregularis factus eſt miniſtrando in excommunicatione, ſi nullum aliud impedimentum ex parte illius obſtet, nõ tamen petere. Ratio prioris eſt, quia in hoc caſu non eſt vitandus, & irregularitas addita, non reddit illum vitandum, ſive ſit ſecreta, ſive publica, cùm non ſit cenſura, & ſolùm is effectus cenſuræ excommunicationis tribuatur. Ratio autem poſterioris eſt, quia cùm talis Sacerdos in ea circumſtantia mortaliter peccet celebrando ad petitionem alicujus, non quidem ratione cenſuræ, ſed ratione irregularitatis quam incurrit, illa petitio tunc moraliter loquendo, inductio erit ad peccatum, ac proinde peccatum mortale, niſi ignorantia & bona fides excuſet.

Sed difficultas eſt, an quando quis per ſententiam judicis fuit condemnatus de irregularitate, ante denunciationem excomunicationis incurſæ, ſi v.g excomũnicatus à jure vel ab homine celebret, de irregularitate condemneturne? Cõmunis ſententia eſt huiuſmodi irregularem vitandũ eſſe in divinis, ac proinde ex vi cenſuræ etiamſi nullum aliud impedimentũ obſtet, nec Miſſæ, aut divinis Officijs ſimul cũ illo intereſſe licere, cùm pro excomũnicato vitando ſit omninò reputandus. Probatur autem hæc opinio, quia in eo caſu crimen irregularitatis ſupponit cenſuram excommunicationis, & excommunicatio eſt adnexa crimini; unde ſufficit, ut quis vitandus ſit, quod per ſententiam judicis de crimine condemnetur; nam illa cõdemnatio nominatæ perſonæ æquipollet declarationi cenſuræ incurſæ, ut in ſimili de crimine hæreſis dictum eſt *ſuprà num.* 11. cum Doctoribus ibi citatis. Sed qui favorabiliorem ſententiam ſequuntur, negant huiuſmodi irregularem cõdemnatum per ſententiam iudicis de irregularitate, vitandum eſſe, licet crimen irregularitatis adnexam habeat excommunicationem, & cõſequenter docent licitum eſſe Miſſam audire huius irregularis: quia non cenſetur aliquis nominatim declaratus excõmunicatus, niſi expreſsè declaretur illum incurriſſe cenſuram: ut docent Graffijs, Navarrus, & Sanchez pro hac ſententia adducti *ſuprà num.* 11. pro crimine hæreſis. Diximus *Miſſam audire*, non tamẽ illam ab eo petere; quia dum eſt irregularis,

Suarez. Sotus. Sanchez. Victoria.

Graffijs. Navarrus. Sanchez.

nunquam

nunquam id licitè & absque peccato mortali poterit efficere, quamvis paratus sit ad dicendum Missam, quia ea petitio, moraliter loquendo, est quædam ad peccatum inductio.

14. Similis difficultas est de suspenso ab officio, & ordine per sententiam judicis: multi enim asserunt hujusmodi suspensos, in divinis esse vitandos, & peccare mortaliter eos, qui Missas illorum audiunt, & qui communicant cum illis in actu, in quo sunt suspensi: quia per hanc communicationem notabilis fit injuria, non solùm ipsi censuræ suspensionis, sed etiam judici illam imponenti: dicendum tamen est, licitum esse Missas illorum audire, modò ante suspensionem nullam excommunicationem incurrerint, de qua sint declarati: nunquam tamen licere ab eis Missas petere, durante illa suspensione. Probatur, quia licet suspensio sit censura, nullibi tamen in jure hujusmodi vitationis effectus in divinis tribuitur suspensioni, sed est proprius effectus solius excommunicationis, qui non est tribuendus suspensioni, & ideò per suspensionē declaratam à judice, solùm prohibetur illa participatio & communicatio cum suspensis, quæ est cooperatio cum illis in malo usu suspensionis, seu Ordinis & Officij à quo sunt suspensi: nam hęc sola communicatio cum illis est intrinsecè mala, supposita suspensione; imò potius dicenda est quędam inductio ad peccatum, quàm quædam participatio, aut communicatio, ut docent Abbas *in c. Intelleximus, de judic. & in cap. Venerabilis, de sent. excomm.* Sayrus *de censur. lib. 4. cap. 11. num. 7.* Avila *3. part. de censur. disp. 2 dub. 4.* Henriquez *lib. 13. de excomm. c. 5. n. 5.* Suarez *de censur. disp. 26. sect. 2. n. 7.* & alij.

Abbas. Sayrus. Avila. Henriq. Suarez.

15. De notorio concubinario, aut fornicatore simile est dubium, an licitum sit Missam illius audire & petere? Pro responsione dicendum est, duplicem esse opinionem: Prima docet notorios concubinarios esse ipso jure suspensos & fieri irregulares, si in eadem suspensione celebrent. Hanc tuentur Toletus *id Summ. lib. 1. c. 47. n. 1.* ex *cap. Quæsitum, de cohabit. Cleric. & mulier.* Navarrus *in Manual. c. 25. n. 76. & seq.* Majolus, Vivaldus, Rebuffus & alij, quorum sententia est valdè probabilis & ferè communior, ex qua idem dicendum est de hujusmodi Clericis notorijs concubinarijs & fornicatoribus, quod de alijs suspensis declaratis; nempe, licitum esse illorum Missas audire, non tamen licitè posse illas petere. *Secunda* probabilior ait, hos non esse hodie ipso jure suspensos, nec irregularitatem incurrere si celebrent in eo peccato, esse tamen suspendendos à judice. Quod probatur efficaciter ex Conc. Trid. *sess. 25. c. 14. de reform.* ubi loquens de Clericis concubinarijs, ait, quod præmissa monitione sint suspendendi. Et certè si aliqua suspensio antiquo jure fuerit contra tales lata, non videtur hodie esse in usu: quia sicut jura usu confirmantur, ita contrario usu antiquantur. Hanc sequuntur Sayrus *de censur. lib. 4. cap. 16. n. 24.* Garzias *de benefic. 7. part. c. 14. n. 32.* Suarez *de censur. disp. 31. sect. 4. n. 10.* Avila *3. p. disp. 5. dub. 2.* Sotus, Henriquez, Medina & alij. Ex quorum opinione licitum est illorum Missas audire, & Sacramenta omnia recipere, etiam pœnitentię, quia sunt tolerati & in nullo sunt vitandi, cùm nec à jure nec à judice sint suspensi, nec irregularitatem incurrant celebrando, aut Sacramenta ministrando, sed solùm mortaliter peccent, quod sibi tribuere, aut imputare debent, cùm vel per Sacramentum pœnitentię, si copia Confessarij adest, vel per contritionem in gratiam redire cum Deo possint, si non adest copia Confessoris.

Toletus. Navarrus Majolus. Vivaldus. Rebuffus.

Con. Trid.

Sayrus. Garzias. Suarez. Avila. Sotus. Henriq. Medina.

Denique pro regula generali dicendum est, ubi alterius copia Sacerdotis non adest, licitum esse petere Missas ac audire, Sacramenta recipere à Sacerdote, publico, aut occulto peccatore: quia non est per se & intrinsecè malum petere & recipere Sacramenta à ministro, qui potest licitè ea dare; ex malitia tamen sua non est daturus nisi illicitè cum peccato mortali, sive ille sit Parochus, sive non; sive paratus, sive non. Fundamentum est, quia ex sola generali obligatione vitandi scandalum, seu ruinam peccandi in proximo, non tenemur nostro commodo temporali, aut spirituali carere ad vitandam malitiam illius. Tamen si præsentes sint alij Sacerdotes, qui absque peccato id præstare possint, illicitum esset hæc ab illo petere, quem moraliter scimus esse in publico peccato mortali, ut expressè definitur *in cap. Vestrâ, de cohabit. Cleric. & mulier.* ubi dicitur, *Sine dubitatione itaque teneatis, quod à Clericis & Presbyteris, quanquam fornicarijs, quandiu toleranter, nec habent operis evidentiam, licitè divina mysteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Ecclesiastica.* Et *in cap. Scisciantibus, 15. q. 8.* Nicolaus Papa loquens de adultero, dicit: *Proinde qualiscumque Sacerdos sit, qua sancta sunt, coinquinare non potest. Idcirco ab eo, usquequò judicio Episcoporum reprobetur, communio percipienda est.* Ita docent Sylvester *verb. Clericus 2. quæst. 5.* Navarrus *in man. c. 14 n. 28.* Cajetanus *2. 2. q. 78. a. 4. & p. 3. q. 64. a. 6.* Suarez *to. 3. de Sacr. disp. 18. sect. 1. §. Dico ergo primò.* & alij citati à nobis *to. 1. v. Scandalum, n. 9. §. 2.*

Sylvester. Navarrus. Cajetan. Suarez.

16. Ab obligatione audiendi Missam diebus Dominicis & Festis excusantur omnes excommunicati etiam tolerati, & interdicti, tam generaliter, quàm specialiter, sive interdictum sit personale, sive sit locale, licet per eos stet, quin absolvantur, & absolutionem procurare neglexerint: quamvis enim mortaliter peccent alio peccati genere, non tamen in omissione Missæ, quam, supposito tali impedimento, jure omittunt. Ratio est, quia non tenetur quis tam remotè, & à longè se disponere ad Missam audiendam: ergo ex vi hujus præcepti non obligatur ad procurandā absolutionem; unde dum in hoc est negligens, non peccat contra hoc præceptum: neque etiam postea peccat, nō audiendo cum excommunicationis, aut interdicti vinculo. Et ob eandem rationem infirmus, si sit negligens in procuranda salute & viribus, ut possit Missam audire, & qui est in vinculis, si sit negligens in procuranda libertate, & ideò Missā omittat, non peccat specialiter contra hoc præceptum, quod non obligat ad tollenda impedimenta tam remotè, ut Missa audiatur, sed solùm obligat sublato eo impedimento. Ita docent Toletus *in Summa l. 6. c. 9. n. 1.* Navarrus *in Man. c. 21. n. 3.* Suarez *to. 3 de Sacr. disp. 88. sect. 6.* Azorius *to. 1. l. 7. c. 7. q. 1.* Angelus, Sylvester, & alij communiter.

Toletus. Navarrus. Suarez. Azorius. Angelus. Sylvest.

Adverte autem quod excommunicati etiam tolerati excusentur ab hoc præcepto audiendi Missam; quia Extravagans Martini V. *Ad evitanda,* in nullo illis favet, & sic ita se gerere debent ac si essent nominatim denunciati, & ideò nec in sacris atque divinis, nec in humanis communicare possunt cum hominibus; licitè possunt tamen fideles cum eis communicare. Hinc si hujusmodi excommunicati communicent eum alijs in divinis, semper peccant mortaliter: & ideò ad evitandum peccatum mortale excusantur ab obligatione hujus præcepti, ut notant Doctores citati.

Mart. V.

Vide v. Bellum *n.* 25. Concubinarius *n.* 8. Excommunicatio 2. *n.* 8. & 9. Interdictum *n.* 21. Oratorium, Parochia *n.* 8. & 9.

MONS PIETATIS.

SUMMARIUM.

1 *An Mons pietatis plus exigere poſsit ultra ſortem ab ijs, qui diutiùs utuntur mutuo.*

2 *An perſona privata erigens montem & retinens dominium pecuniæ expoſitæ ad mutuandum, poſsit exigere à mutuatarijs expenſas, quæ ſufficiant pro miniſtris & conſervatione montis.*

3 *Apud quem ſit dominium puri & veri Montis pietatis?* Refertur duplex ſententia.

4 *Quando Montes pietatis fundati pro pauperibus poſſint mutuare divitibus.*

5 *Mons pietatis mixtus quis dicendus, an licitus vel uſurarius, tam ex parte pecuniæ ibi deponentium, quàm ex parte ipſius montis? Hic refertur Bulla* Pauli III. *in favorem montis Ferrarienſis.*

6 *An licitus ſit mons, quem Princeps vel Reſp. pecunijs indigens cauſa belli inſtituit, cogendo ſubditos ad dandas ſibi pecunias, ſolvendo illis quinque vel ſex annuatim pro centum, &c.*

7 *Quæ ſit differentia inter Montem pietatis & uſurarium.*

1. MOns pietatis plus exigere poteſt ultra ſortem ab ijs, qui diutiùs utuntur mutuo. Ratio; qui onera, quæ ſuſcipiuntur à monte, mutuandi cauſâ, conſiſtunt in eo, quòd alat miniſtros & omnia parata habeat, quæ neceſſaria ſunt pro manutenendo monte; hæc autem omnia perſeverant in favorem ipſius, quouſque durat mutuum: quia mutuum dependet à mutuante non ſolùm in fieri, ſed etiam in manuteneri, cùm ſit in poteſtate mutuantis protrahere vel contrahere tempus mutuationis: & ideò dependet ab ijs omnibus, quæ neceſſaria ſunt ex parte mutuantis in ordine ad mutuandum; ex parte autem montis neceſſarij ſunt miniſtri, & alia multa in ordine ad mutuandum, ſine quibus non poſſet eſſe paratus ad mutuandum, & ideò onera diutiùs durant, quò diutiùs durat mutuum; atque ex hoc capite poteſt plus exigi. Ita Molina *to.* 2. *de juſtit. diſp.* 325. Salas *tr. de uſur. dub.* 33. *n.* 8. Bonacina *de contract. diſp.* 3. *q.* 3. *punct.* 12. *n.* 6. Filliucius *tr.* 34. *c.* 9. *q.* 2. Sylvius 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. *q.* 1. *ad* 1.

Molina. Salas. Bonacina. Filliucius Sylvius.

2. Si perſona privata erigat Montem pietatis & retineat dominium pecuniæ expoſitæ ad mutuandum, juxta probabiliorem ſententiam, ſemper poteſt exigere expenſas à mutuatarijs, quæ ſufficiant pro miniſtris & conſervatione montis, etiamſi fundator montis non ſe obligaverit ad mutuandum in perpetuum. Ratio eſt, quia mutuans non facit illas expenſas, quas requirit mons, in proprium commodum, neque ob ſervandam propriam pecuniam; quippe non neceſſe erigere montem, ut illam ſervet, ſed omnes ſunt propter mutuandum, atque adeò in gratiam mutuatariorum & propter ipſorum commodum: unde poteſt ab ipſis ſe indemnem ſervare exigendo à mutuatarijs, ut eas ſolvant; non enim montem erigendo ſibi prodeſt, ſed mutuatarijs, quorum negotium utiliter gerit, dum eos liberat à majori onere in invenienda pecunia. Ita Salas *tract. de uſur. dub.* 33. *in reſp. ad* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 23. *num.* 194. Molina *loco citato diſp.* 325. contra Arragon & Azorium, qui putant hoc non eſſe licitum, niſi dominium transferatur in communitatem pauperum: quia mutuans debet ſuſcipere onera mutuationi annexa; contra Bañem & Lopez, qui prædictam ſententiam tantùm admittunt, ſi dominium montis transferatur in pauperes, aut ſi fundator montis ſaltem ſe obliget ad mutuandum in perpetuum: quorum opiniones non ſunt improbabiles. Vide Sylvium *loco citato quæſt.* 1. *ad* 2.

Salas. Leſſius. Molina. Arragon. Azorius. Bañez. Lopez. Sylvius.

3. Dubium eſt inter Auctores, apud quem ſit dominium veri montis pietatis? Quidam enim ſentiunt eſſe apud communitatem pauperum: quia dominium non eſt apud fundatorem, cùm illud à ſe abdicaverit: nec etiam apud Rempublicam; quia non poteſt ad libitum de bonis montis diſponere. Ita Lopez 2. *p. inſtruct. cap.* 59. Salas *tr. de uſur. dub.* 33. *n.* 9 Azorius 3. *p. lib.* 5. *c.* 8. *in fine.*

Lopez. Salas. Azorius.

Alij docent dominium montis non eſſe apud aliquem, ſed ad Rempublicam pertinere tantùm adminiſtrationem. Ita Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 23. *punct.* 4. *verſ. Ad primum reſpondeo.* Sotus *de juſtit. lib.* 6. *q.* 1. *art.* 6. Alij denique dicunt dominium eſſe penes eum locum pium, cui applicata eſt ea pecunia, cujus deinde curam gerit communitas vel Princeps. Ita Filliucius *tr.* 34. *p.* 2. *n.* 174. Hæ ſententiæ ſunt probabiles propter auctoritatem Doctorum. Non eſt tamen improbabile, dominium non eſſe apud communitatem pauperum: quia non habent pauperes aliud ius, niſi quod illis convenit ratione fundationis ejuſdem montis, jus ſcilicet ad beneficium mutuationis: quia fundatur mons in hunc finem, ut pauperes inde habeant tale beneficium. Unde dominium eſt potiùs apud Rempublicam, tanquam apud eam, ad quam ſpectat cura pauperum. Bona enim montis ſunt bona communia; quia quilibet de ipſis participare poteſt per beneficium mutui, poſitâ conditione paupertatis; bona autem communia ſunt ipſius communitatis. Nec obſtat, quòd Reſpublica non poſſit ad libitum diſponere de bonis montis: quia ſi ex hoc ſequeretur quòd non eſſet domina illius, eadem ratione neque communitas pauperum eſſet domina; quia neque ipſa poteſt ad libitum diſponere. Eſt ergo dominium ſupra montem dominium alligatum ad determinatum uſum rei, quia eſt tranſlatum in Rempublicam cum hac conditione, ut non utatur bonis ipſius, niſi in uſum mutuationis pro beneficio pauperum.

Valentia. Sotus. Filliucius.

4. Montes pietatis fundati pro pauperibus, non poſſunt mutuare divitibus, ſi cedat in præjudicium pauperum; ſecus ſi non cedat. Ratio eſt, quia ſalvatur finis fundationis, etiamſi mutuetur divitibus, quando non eſt cum præjudicio pauperum. Tunc enim mutuatio facta divitibus eſt in præjudicium pauperum, quando mons ita exhauritur, ut non remaneat quid mutuandum omnibus pauperibus indigentibus. Nomine autem pauperum, quibus talis mons mutuare poteſt, non ſolùm intelliguntur ij, qui ſunt infimæ conditionis & egent, ſed etiam ij, qui ſunt honeſtæ conditionis, & non habent ea, quæ requiruntur ad conſervandam congruentiam ſui ſtatus: hi enim etiam nomine pauperum veniunt. Imò poteſt contingere quòd mons mutuare poſſit etiam divitibus: quàdo ſcilicet cõſtituuntur in talibus circũſtãtijs & ſtatu, quãvis brevi duraturo, in quo nõ habeãt congruentia pro conſervatione ſui ſtatus: quia tũc ſaltem per accidens cõprehenduntur ſub nomine pauperũ, & proinde ut pauperes poſſunt accipere mutuum, Ita Megala *in ſumm.* 2 2. *lib.* 2. *c.* 14. *q.* 2. *num.* 44. Palqualigus *in deciſ. moral. deciſ.* 191.

Megala. Palqual.

5. Mons pietatis mixtus eſt ſumma pecuniæ confecta partim ex eleemoſynis & gratuita collatione, partim ex contributionibus perſonarum particularium, qui pecuniam deponunt in monte, ut pluribus indigẽtibus prodeſſe poſſit, cũ pacto, ut recipiãt quatuor vel quinque pro centũ annuatim

ab ipso monte, & ut deponentes possint repetere capitale quando voluerint. Mutuatarius verò pro summa pecuniæ quam accipit, debet dare fidejussorem vel pignora, & insuper solvere quatuor vel quinque pro centum tradenda deponentibus ultra id, quod solvendum est ab ipsis ad conservationem montis, sustentationem scilicet ministrorum, conductionem vel ædificationem domus, emptionem librorum ad rationes dati & accepti tenendas, & cetera instrumenta necessaria.

Sed petes, *Primò*, an prædictus Mons sit licitus, an verò usurarius ex parte deponentium? Resp. Si inter deponentes & montem solus contractus depositi intercedat, certum est non posse deponentes quidquam recipere à monte pro tali deposito, nisi alius titulus subsistat, ratione cujus deponentes aliquid recipiant licitè. Si autem talis contractus depositi transeat in mutuum, non potest vi mutui aliquid recipi ultra sortem sine labe usuræ, sed vi alterius tituli connexi cum ratione mutuandi, puta, ratione damni emergentis, vel lucri cessantis ipsis deponentibus; quia deponentes omittunt ex ea pecunia emere prædia, vel census, vel deponere apud mercatores in cambijs, unde quinque illa, vel eo etiam amplius reciperent. Hæc est communis doctrina.

Petes *Secundò*, an sit usurarius ex parte ipsius Montis? Resp. non esse usurarium ex parte expensarum, si eæ moderatæ sint, nec superent, quæ mons accipit, expensas quas facit; nec ex parte ejus, quod recipit à mutuatarijs: quia id non recipit ratione mutui, sed ratione damni emergentis ipsi monti, nisi id acciperet: cùm enim ex pacto facto cum mutuantibus ipsi monti cogatur solvere quatuor vel quinque pro centum, poterit se indemnem servare totidem exigendo à mutuatarijs. Tamen hic mons mixtus non potest aliquid recipere pro mutuatione quæ fit ex pecunijs in eleëmosynam datis, præter expensas illi correspondentes & necessarias ad mutuationem. Hæc confirmantur ex Bulla Iulij III. cujus meminit Navarrus *consil. 2. de usuris.*

Iulius III. Navarrus.

Aliter est dicendum ex Bulla Pauli III. in favorem Montis pietatis Ferrarien sis, cujus tenor est:

PAVLVS PAPA III.

Ad futuram rei memoriam.

CHaritatis opera, quæ Salvator noster Iesus Christus, cujus, licet immeritò, vices in terris gerimus, dum in hoc mundo maneret, sapiùs commendavit, & fieri præcepit, exerceri desiderantes, ea quæ pro eorumdem operum exercitio necessaria sunt, libenter concedimus: & alias desuper officij nostri partes interponimus, prout in Domino conspicimus expedire.

Cùm itaque, sicut dilecti filij Conservatores & Præsidentes Montis pietatis Ferrariæ nobis nuper exponi fecerunt, cùm licentia aliàs ipsis Conservatoribus, & Præsidentibus mutuandi pauperibus egenis sub pignore, ad rationem unius tantum denarij pro libra Marchesan. ultra sortem quolibet mense persolvendi à Sede Apostolica concessa, adeò proficua fuerit, ut quàm plurimos à voragine Hebræorum immensis usuris Christianorum substantias omnes absorbere solitorum, liberaverit: multique Christi fideles attendentes propterea magnam ex hac re publicam provenire utilitatem, plura bona ipsi monti donaverint, & reliquerint; ex quibus quidem mons ita crevit, ut à certo tempore citra eisdem pauperibus à viginti solidis Marchesan. infrà absque ulla ultra sortem solutione mutuetur, in maximum miserabilium personarum subsidiũ: ijdem Conservatores & Præsidentes propterea dictum montem magis augeri, ut in majori etiam summa pauperibus, quorum numerus ob malam temporum conditionem crevit, absque ulla ultra sortem solutione mutuari possit, ac piè considerantes, multa in dicta civitate facta esse, & in dies fieri pecuniarum deposita, tam penes campsores, quàm alias diversas personas, partim pro restitutione datium facienda, partim etiam ut in emptionem bonorum stabilium convertantur, ac ob alias diversas causas, ex quibus interim nullum lucrum percipitur; multasque etiam personas, ut pupillos, & viduas, ac alios mercaturæ exercendæ inhabiles, aut illam ob periculum etiam animæ exercere nolentes, pecunias habere, quæ nihil utilitatis afferunt, & si dictis Conservatoribus & Præsidentibus, ut de his, quæ ex dicto denario, qui pro libra ultra sortem mutui solvitur, proveniunt, pecunias in dicto monte ponentibus, libras quinque Marchesan. quolibet anno pro centenario ultra sortem solvere, & his qui in dicto monte pecunias solvere vellent, ut pro illis quinque libras Marchesan. etiam pro centenario ultra sortem, absque conscientiæ scrupulo percipere possent, prout & simili monti pietatis in Bononiensi & Mutinensi civitatibus aliàs ab eadem Sede concessum extitit, concederetur, dicta deposita, seu illorum major pars penes dictum montem fierent, dictæque personæ pecuniam habentes, illas libentiùs in dicto monte, quàm in quovis alio exercitio ponerent; ex quo profectò ipse mons tantum reciperet incrementum, ut non solidum à dictis viginti solidis infrà, ut nunc sit, sed etiam in majori summa pecuniæ pauperibus, absque ulla ultra sortem solutione, mutuari possent, dictorumque pauperum subventioni maximè consuleretur. Quare pro parte ipsorum Conservatorum & Præsidentium nobis fuit humiliter supplicatum, ut eorum desiderio, in hujusmodi tam pio, tamque opere annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Conservatoribus & Præsidentibus, alijsque Officialibus dicti montis nunc & pro tempore existentibus, ut quascumque pecuniarum summas à quibuscumque personis in depositum, ad effectum prædictum tantum, accipere, & pro illis eisdem personis deponentibus ultra sortem ad rationem quinque librarum Marchesan. quolibet anno pro centenario solvere: ipsæq; personæ deponentes pro pecunijs depositis, seu deponendis hujusmodi ultra sortem dictas quinque libras Marchesan. pro centenario recipere liberè & licitè, ac absque aliquo conscientiæ scrupulo, seu peccati reatu, & censurarum Ecclesiasticarum incursu, possint & valeant perpetuò, concedimus, & indulgemus, ac licentiam, & liberam facultatem impartimur.

Non obstantibus Apostolicis, ac etiam in quibusvis, tam Generalibus quàm Synodalibus, & Lateranensis Concilij editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die 10. Iulij 1549. Pontificatus nostri Anno 15.

Communis ferè Doctorum sententia est, quòd Summi Pontifices possint declarare, tum legem divinam, tum etiam naturalem: quòd videlicet in aliquo peculiari casu non obliget, ex mutatione facta in materia, dummodo tamen declaratio rationabilis sit, hoc est, quod ex rationabili causa lex non obligat, atque adeò declaratio non fit contra finem legis: & hanc declarationem nonnulli vocant dispensationem. Et de lege naturali hanc doctrinam tradunt Cajetanus 2. 2. q. 120. *art.* 1. Salas *de legibus, disp.* 5. *sect.* 10. Navarrus *de despons. impub. consil.* 4. *num.* 16. & 17. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 6. Consentit Suarez quoad substantiam *lib.* 2. *de legib. c.* 16. dum concedit interpretationem doctrinalem.

Cajetan. Salas. Navarrus. Sanchez. Suarez.

De lege autem divina idẽ docent Cano *Relect. de pœnit.*

Cano.

Digitized by Google

Sanchez. Suarez. *pœnit.p.5.circa finem*, Sanchez *loco cit.n.6.* Suarez *de leg.lib.10.cap.6.n.12.* & conveniunt etiam ceteri Theologi, præſertim recentiores, ſumendo interpretationem pro quacumque declaratione, qua declaratur legē divinā hîc & nunc ex ſua inſtitutione non obligare. Et hęc interpretatio præcipuè locum habet, quando obſervantia legis eſſet mala, aut impeditiva maioris boni. Proinde in præſenti caſu Pontifex declarat, legem prohibentem lucrū ex depoſitatione ſupra montem pietatis, non obligare; quia videlicet obſervantia ipſius eſſet impeditiva maioris boni: quoniam ad bonū communitatis pertinet, quòd ſubleventur pauperes; nō poſſet autem mons ſublevare, niſi apud ipsū depoſitarentur pecuniæ: & non depoſitarentur, niſi depoſitantes perciperent aliquod lucrum; & ideò ſi ſervaretur lex de non percipiendo lucro in hoc caſu, impediretur maius bonum. Unde ſicut votum non obligat, quando eſt impeditivum maioris boni, etiamſi obſervantia ipſius ſit de iure etiam naturali; & violatio ſit ita mala, ut nunquam poſſit eſſe bona, quamdiu permanet in eſſe violationis: ita etiam lex de non percipiendo lucro in hoc caſu ceſſat, ut impeditiva maioris boni: quia videlicet tale lucrum non cadit ſub prohibitionem ipſius, ut pluribus docet Paſqualigus *in deciſ. mor. deciſ.* 183. citans alios, & Pellizzarius *in Man. reg. tract.6.cap.8.n.* 87. unde in multis locis Italiæ eſt in uſu ex indulto Summorum Pontificum, ut deponentes pecunias apud montes pietatis, poſſint tuta conſcientia quatuor vel quinque pro centum ultra ſortem recipere, ſecluſo etiam lucro ceſſante & damno emergente. Titulos autem, ob quos lucrum juſtum evadit ex depoſitis ſupra montem pietatis, vide *tom.1.verb. Mons pietatis, num.* 15.

Paſqual. Pellizzar.

6. Licitus eſt mons, quem Princeps vel Reſpublica pecuniis indigens causâ belli, aut alia de cauſa, inſtituit, cogendo ſubditos ad dandas ſibi pecunias, hac lege, ut donec illas reſtituat, ſolvat quinque vel ſex pro centū, reſervatâ ſibi facultate reſtituendi ſingulis creditoribus ſortem principalem, & relicta ipſiſmet creditoribus libertate vendēdi ius, quod habent ad illam penſionē à Principe vel Rep. exigendam. Ratio eſt; quia nihil eſt hîc aliud quàm cēſus fundatus in bonis vel reditibus annuis antiquis vel novis ipſius communitatis vel Principis: & per hoc differt à monte pietatis, quòd mons pietatis inſtitutus eſt ad ſublevandam pauperum egeſtatem tradita mutuo pecunia: hic verò non erigitur ad commune bonum, ſeu ad ſubveniendum neceſſitati, qua Princeps vel Reſp. detinetur. Conditiones talium montium ſunt, quales requirantur in cenſibus, de quibus vide Azorium

Azorius. *p.3.lib.10.cap.24.de cenſibus.*

7. Differentia inter montem pietatis & uſurarium hæc eſt: *Primò*, quod adminiſtratores montis nihil accipiunt ex mutuo, ſed ſolùm titulo partim locationis, partim intereſſe, ſeu damni emergētis. Impenſas quidē Miniſtri accipiunt titulo locationis ſuarum operarum: res autem alię ad conſervationem montis neceſſariæ accipiūtur titulo damni, quod alioquin montibus ipſis emergeret, ut nimirum illud vitetur, & montes ſerventur indemnes. *Secundò*, quia montibus nullum unquam accedit lucrum vel augmentum: uſurario autem lucrū accedit, idque permagnum. *Tertiò*, quia dum venduntur pignora, hoc fit per publicā auctoritatem, totumque eorum pretiū fideliter redditur dominis, deducto ſolùm mutuo, & eo quod miniſtris ac indemnitati montis debetur. *Quartò*, quia montis adminiſtratores tenentur pauperibus iſtius loci mutuare uſque ad ſummam à Republica taxatam, ſi eam petant, & quidem ex juſtitia: uſurarius autem nullam habet taxam, ad quam teneatur mutuare, ſed poteſt quando voluerit menſam fœnebrem claudere. Et quando pignora apud ſe relicta vendit, aut dominis propriis non reſtituit illorum pretia; aut ſi reſtituat, in eo tamen peccat quod aliquid retineat ultra ſortem vi mutui, nec dicere poteſt ſe id quod accipit ultra ſortem, non accipere ratione mutui, ſed ratione impenſarum & pro ſua indemnitate: quia manifeſtum eſt, quod non tantùm ſe indemnem ſervet, neque ſolùm recipiat neceſſarias impenſas miniſtrorum, ſed proprium lucrum, cùm inde diteſcat, & nullus ſit titulus illud recipiendi, præterquam mutui. Sed de his ſatis.

MVTVVM ET VSVRA.

SUMMARIUM.

1 *Mutuum quid ſit.*
2 *Mutui diviſio ſecundùm juris civilis interpretes.*
3 *Mutuum quando ſit in præcepto.*
4 *Mutuum quis dare poſſit.*
5 *An procurator alicuius mutuum dare poſſit.*
6 *Quæ pertineant ad rationem mutui.*
7 *Quæ ſint obligationes mutuantis.*
8 *Quæ mutuatarij.*
9 *An Princeps ſecularis uſuram permittens, peccet.*
Et an poſſit Iudæis dare licentiam exercendi uſuras abſque licentia Pontificis.
10 *An pro nummis aureis mutuo datis, poſſit mutuatarius invito mutuante argenteos vel æreos ſolvere?* Refertur duplex ſententia.
11 *An ſit contractus uſurarius, pro pretio anticipato conducere operas mercenarij.*
12 *An uſurarius ſit, qui mutuat ea lege, ut mutuatarius coactè ratione mutui obligetur civiliter ad conducendum agrum mutuantis.*
13 *An uſuram committat, qui mutuat gratia recuperandi quod ſibi debetur ex juſtitia, vel ex gratitudine.*
14 *An ſit uſura, dare dimidium mutui in pecunia & dimidium in mercibus, & poſtea totum reſtituere in pecunia numerata.*
15 *An pro onere numerandi pecuniam aliquid ſupra ſortem accipere, uſurarium ſit.*
16 *An licitum ſit mutuare pecuniam acceptam ab uſurario, cum pacto ut mutuatarius ſolvat uſurario, quod mutuans ſoluturus erat.*
17 *Si in mutuo ſolvendo non eſt conſtitutus certus terminus, an ſit peccatum non repetere illud, niſi quando plus vendi poſſit.*
18 *Qui mutuat pecuniam auream vel argenteam, an poſſit cum mutuatario paciſci, ut tantumdem in pecunia aurea vel argentea ſibi reſtituatur? Et an mutuans in pecunia aurea, poſſit paciſci, ut argentea vel aurea reſtituatur.*
19 *An contractus ſit uſurarius, mutuare 100. cum pacto, ut ſi mutuatarius intra duos annos moriatur, nihil reddere teneatur; ſin autem ultra duos annos vivat, reddat duplum.*
20 *An uſuram committat, qui debet Caio centum nummos ſolvendos poſt annum, ſed anticipatè ſolvit 50. hoc pacto, ut Caius expectet per biennium alios 50.* Refertur duplex ſententia.
21 *Quando mutuatarius eſt in mora ſolvendi, ſi inde damnum aliquod eveniat mutuanti, te-*

, neatur ad illius compenſationem, ſive ille ſit pauper, ſive non.

22 *An uſurarius ſit, qui accipit fructus pignoris ſibi à mutuatario traditi, illis non computatis in ſortem principalem.*

23 *An gener uſurarius ſit, ſi ſocer velit ei dotem ſolvere & ipſe renuat eam recipere, ſed poſtulet ut ſibi in pignus ager fructuoſus tradatur, ex quo ſingulis annis fructus colligat, ſalva ſorte principali.*

Quando ſocer non ſoluit dotem genero, ſed dat illi in pignus agrum fructiferum, an liceat genero fructus illius percipere, non computando eos in dotem.

24 *Quando hæredes mariti ſunt in mora ſolvendi dotem, an poſſit vidua percipere fructus pignoris, aut quantitatem pecuniariam, ſive aliquod intereſſe incurrat, ſive non, ex dilatione ſolutionis dotis.*

25 *An uſurarius ſit contractus, vendere alicui fundum vel domum & reſervare ſibi fructus annuales vel reditus, donec pretium ſolvatur?* Refertur duplex ſententia.

26 *Quando accipiens aliquid ab uſurario titulo donationis vel emptionis peccet & teneatur ad reſtitutionem.*

27 *Quando uſurarius ſponte vel inductus donat, an qui accipit, teneatur ad reſtitutionem.*

28 *An uxor, filij & ſervi uſurarij non habentis bona niſi fœneratitia, poſſint in extrema neceſſitate & extra illam de illis bonis victum & veſtitum capere.*

29 *Quid ſi uxor & filij ſuo labore ac induſtria tantum lucri afferunt, quantum inſumunt.*

Quid, ſi uſurarius præter bona uſuraria, habeat alia bona juſtè acquiſita?

Quid, ſi uxor competentem attulit dotem? & quid ſi non attulerit.

30 *An bona uſu conſumptibilia per uſuram extorta ſint obligata pro uſuris ſolvendis obligatione reali, vel perſonali.*

31 *An famuli uſurariorum non habentium alia bona niſi reſtitutioni obnoxia, peccent & teneantur ad reſtitutionem, ſi ex iis bonis vivant & ſtipendia ſumant.*

32 *An Notarius conficiens inſtrumentum uſurarium bonâ, vel malâ fide, vel dubitans an tale ſit, peccet & teneatur ad reſtitutionem.*

33 *An teſtes qui ſcienter interveniunt contractui uſurario, teneantur ad reſtitutionem in ſolidum.*

34 *An crimen uſuræ ſit mixti fori, ubi conſtat contractũ aliquem eſſe uſurarium? Et quid ſi dubitetur?*

1. MUtuum, cùm ſit fundamentum, & quaſi ſedes uſuræ, ordo ipſe ſcientiæ poſtulat, ut priùs de mutuo & poſtea de uſura loquamur. Sciendum eſt quòd mutuum, prout habetur ex *l. Mutuum. ff. de rebus creditis, §. appellat.* dicitur quaſi de meo fiat tuum, quia nimirum mutuum fit accipientis; unde poteſt definiri, quod *eſt datio, ſive traditio rei in pondere, numero vel menſura conſiſtentis, facta eo animo, ut ſtatim fiat accipientis, cum obligatione, ut poſtea tantumdem eiuſdem rationis ac qualitatis reddatur.* Dicitur *datio ſive traditio*, quia mutuum perficitur traditione, ſicut donatio, commodatum, depoſitum, &c. Dicitur *rei in pondere, numero, vel menſura conſiſtentis*, quia mutui obligatio fit in his rebus. Res autem numeri eſt pecunia, quia numeratur, dum traditur. Res ponderis eſt aurum, argentum, & omne metalli genus, quia hæc ponderata dantur. Res menſuræ eſt oleum, vinum, triticum, mel, ſal, & alia liquida vel arida, quæ menſurata tradi ſolent. Hinc non eſt propriè mutuum, ſi quis alteri det ovem vel equum recepturus aliam ovem vel equum: quia hæc non conſiſtunt in pondere, numero & menſura. Unde non ſolemus dicere, Mutua mihi unam ovem, ſed potiùs eſt contractus innominatus, Do ut des. Conſiſtit ergo mutuum in his rebus, quæ functionem in ſuo genere recipiunt. Dicitur *eo animo, ut ſtatim fiat accipientis*, hoc eſt, eius cui mutuo datur. Hinc ſi res mutuata fortuito caſu & ſine ulla mutuatarij culpa pereat, ipſi perit, non mutuanti, quia res ſuo domino perit. Dicitur *cum obligatione*, quia hæc traditio non habet rationem mutui, niſi cum obligatione fiat. Dicitur *ut poſtea*, quia de ratione mutui eſt, ut reſtitutio non fiat ſtatim, alioquin eſſet permutatio. Dicitur *ut tantumdem eiuſdem rationis ac qualitatis reddatur*, quia ſub ea ratione & obligatione res mutuo datur, ut non teneatur accipiens eandem numero reddere, bene tamen aliam eiuſdem naturæ, quantitatis, ac qualitatis, ſive bonitatis. Ita Molina *de juſt. & jur. tract. 2. diſp. 299.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. c. 15. n. 1.* & alij. Layman. Molina.

2. Iuris civilis interpretes mutuum dividunt, *Primò*, in naturale & civile. *Naturale* mutuum eſt, cùm tibi reipſa numero pecuniam meam, vel aliud do, quod pondere menſuráve conſtat. Nam ex ipſa numeratione pecuniæ vel traditione rei oritur naturale mutuum, quod parit obligationẽ. *Civile* verò ſic dividitur: aut enim eſt ſimpliciter civile, aut eſt civile quidem, ſed cui ipſa natura ſuffragatur. Mutuum ſimpliciter civile eſt, quod ex ſola juris civilis poteſtate vim habet: ut ſi depoſui cẽtũ aureos apud te, & permiſi, ut illis utaris, depoſitum tranſit in mutuũ, quãvis nõ ut mutuũ ſed ut depoſitum ab initio numeraverim. Ius tamen fingit interceſſiſſe denuò numerationem, *l. Certi condictio. §. Depoſiti*, & *l. Quod ſi eſt, initio, ff. de rebus cred.* Mutuum civile, cui natura adſtipulatur, eſt, quando quis promittit alteri per ſtipulationẽ dare centum mutuo, & ſtipulationem ipſam conſequitur ſtatim numeratio, vel proximè præceſſit, *l. ſi ita ſtipulatus fuero, §. Chryſogonus, ff. de verb. obligat.* Stipulationem enim jus civile introduxit, at natura ipſam numerationem.

Secundo mutuum dividitur ratione rei, quæ mutua datur: aut enim eſt rei, quæ cõſiſtit in numero, ut pecunia, aut in pondere, ut in maſſa argenti vel auri, aut in menſura, cuiuſmodi eſt vinum, triticum, vel oleum & ſimilia.

Tertiò, mutuum dividitur ratione temporis; aut enim mutuum datur ad certum tempus, vel ad incertum, quamvis non perpetuum, ut ſi tibi dem mutuam pecuniam, quâ poſſis librum tranſcribere, vel domum reficere, vel agrum colere.

Quarto, dividitur ratione perſonæ; aut enim mutuum datur ſolùm ad utilitatem & commodum eius, qui accipit, aut ſolùm in bonum eius, qui dat, aut gratiâ & causâ utriuſque. Denique mutuum dividitur ratione modi; aut enim eſt mutuum expreſſum, aut eſt tacitum & implicitum. De quo egimus *tom. 1. verb. Mutuum, n. 2.* Vide Bartolum & alios *in l. 2. ff. de rebus creditis.* Bartolus.

3. Mutuum aliquando eſt in præcepto: quia mutuum eſt opus & officium charitatis ad indigentium neceſſitatem ſublevandam. Tũ quia præceptum habemus elargiendi eleëmoſynã, ut omnes Doctores tradũt: ergo & dãdi mutuũ: quia maius incommodũ eſt eleëmoſynaliter aliquid elargiri, quàm mutuare gratis. Hoc præceptum maximè obligat in duobus caſibus, juxta Conradum *de contract. q. 19. concl. 2. & 4. Primò*, quãdo proximus extrema neceſſitate laborat & petit à nobis mutuum. Conrad.

tuũ. Ratio eſt, quia corde & opere tenemur diligere proximum ſicut nos ipſos. *Secundò*, quando vehementer indiget; quia nimirum vita & ſalus, libertas vel honor ejus maximè periclitatur, & mutuum petit: quia ſi eſſet abſolutè & ſimpliciter pauper, quia nec ibi, nec alibi haberet, nec ulla eſſet illi ſpes probabilis habendi aliquid in futurũ, unde mutuũ ſolveret, & abſolutè peteret eleëmoſynã, obligaremur ad dandũ, nec mutuando impleremus præceptum dandi eleëmoſynam. Ratio eſt, quia ita indigenti debita eſt jure naturæ fuiſſe tatio, eò ſolùm quòd in articulũ tantę neceſſitatis incidit. Ergo injuria fit illi & contra charitaté eſt, imponere onus reſtitutionis Ita Suarez de charitate *diſp. 7. ſect. 5 n. 2. & 5.* Lorca *in 2. 2. diſp. 39. n. 25.* & alij citati *tom. 1, verb. Eleëmoſyna, num. 7.*

Suarez. Lorca.

4 Mutuum dare poteſt is, qui non eſt lege prohibitus: ij autem lege prohibentur, quibus eſt interdicta libera ſuarum rerum adminiſtratio, cujuſmodi ſunt furioſi, amentes, ebrij, prodigi, pupilli, minores & alij ſimiles.

Servus poteſt dare & accipere mutuum, ſi dominus conceſſit adminiſtrationem peculij: tunc is, qui recepit, domino obligatur, non ſervo; quia ex contractu ſervi jus dominus acquirit, *l. Nec ſervus, ff. de peculio.* alioquin dominus nullam contrahit obligationem, quamvis ſervus maneat naturaliter obligatus, hoc eſt, ſi fuerit libertatem adeptus, mutuum reddere cogitur, aut ſi ſolverit, repetere non poteſt, *l. Quod attinet ff. de reg. juris.*

5 Procurator alicujus generalis ſine libera poteſtate, vel ſpeciali mandato non poteſt mutuum dare: quia dominium rej transferre non poteſt; ſecùs verò, ſi ſit procurator cum libera bonorum adminiſtratione: nam tunc poteſt omnia facere, quæ poteſt dominus, l. *Procurator tui*, & *l. Mandato generali, ff de procuratoribus.*

6 Ad mutui rationem pertinet, *Primò*, ut mutuum ipſa rei quę datur traditione cõtrahatur, ſine qua non perficitur, nec oritur obligatio ex mutuo, *Inſt. Quibus modis re contrahatur oblig. ex mutuo*, §. 2. *Secundo*, ut adſit in mutuo contrahentium conſenſus; quia contractus conſenſum hominum requirit. *Tertiò*, ut res ſit ex eorum numero, quæ mutuò dari poſſunt. Nam res, aliæ commodantur, aliæ verò mutuæ dantur, & aliquæ poſſunt vel mutuæ dari, vel apud aliquẽ deponi. Nam ſi pecunia numerata alicui tradita eſt, depoſitũ eſt: ſi verò data ſit ut alter ea utatur, mutuã accepit. Item, ſi pecuniam incluſam in ſacculo tibi tradidero, tunc eam tuæ fidei & cuſtodiæ cõmiſſam apud te depono, nõ mutuo: At ſi tibi dixero: accipe in hoc ſacculo viginti aureos, quos à me petiſti, mutuum cõtrahi videtur, *l. Certi condict. §. depoſit. & l. Quod ſi ab intiõ, ff. de rebus cred. Quartò*, mutuum ſuâ naturâ eſt gratuitum, non mercenarium. Nam ſi pretium interveniat, eſt venditio: ſi merces, eſt locatio: ſi lucrũ, eſt uſura, & proinde peccatum. Ad probationem autem judicialem mutui in foro externo, jura requirunt literas, ſive chirographa, ſive inſtrumenta, vel teſtes, ut minimum duos. Porrò ad naturam mutui pertinet, ut reddatur res ejuſdem quidem generis, ſed numero diverſa. Ita Bartolus & Gloſſa *in l. 2. §. Mutui ff. de rebus cred.*

Bartolus. Gloſſa.

7 Obligationes mutuantis ſunt duæ: *Prima* eſt, admonendi mutuatarij de vitio rei mutuatæ, ſive ſit in ſubſtãtia, ſive in quantitate, ſive in qualitate; alioqui tenetur ad damna ſecuta in conſcientiã. Unde ſi quis mutuo det falſos nummos pro veris & mutuatarius etiam pro veris impenderit, tenetur mutuans ad damna tertij, quia dedit cauſam damni. Mutuatarius autem, ſi ſcivit nummos eſſe falſos, cùm mutuans putaret eſſe veros, tenetur veros nummos reddere, ſaltẽ in foro exteriori; quia hoc ipſo, quod accepit, & non eſt conqueſtus de falſitate, præſumitur eos bonos fuiſſe ac veros; non autẽ, quando mutuans ſcivit eſſe falſos; tunc enim etiamſi mutuatarius cogeretur in foro externo dare bonos nummos, tamen in conſcientia mutuans non poſſet eos accipere, hoc ipſo quòd ſciens dedit nummos falſos. Ita Pileus *quæſt. 138.* Azorius *part. 3. lib. 7 c. 6.* Vide à nobis dicta *to. 1. verb. Cambium, n. 8* & *verb. Falſarius, n. 2. verſ. An autem.*

Pileus. Azorius.

Secunda obligatio mutuantis eſt non repetendi mutuum ante tempus, ſi ad determinatum tempus factum eſt; niſi fortè premeretur mutuans pari neceſſitate. Quando autem datum eſt ſine ulla definitione temporis, tunc arbitrio Judicis opus eſt definiendum, & quidem ſaltem quindecim dies debent eſſe elapſi. Vide Bartolum & Baldum *in l Si parum, ff de verb. oblig.* Panormit. *in c. Precarium, n. 2. de precarijs,* Menochium *de arbitr. lib. 20. caſu 12.*

Bartolus. Baldus. Panorm. Menoch.

Ex dictis ſequitur mutuum non poſſe repeti ſtatim ut datum eſt, etiamſi is, qui dedit, dixerit: Do tibi mutuum, quoad mihi placuerit: quia alias mutuum eſſet inutile, ut docet Panormit. *in cap. Precarium, num. 2. de precarijs.*

Panormit.

8 Obligationes mutuatarij ſunt: *Prima*, reſtituendi rem ſuo tempore; alioqui tenebitur ad damna & intereſſe ſecuta ex mora. *Secunda*, reddendi rem eandem in ſpecie; ut ſi accepit nummos, reddat nummos; ſi frumentum, frumentum, & c. uſus enim rei tantùm conceditur, & quia per uſum cõſumitur res in particulari, ſupereſt ut ſaltem reddatur in ſpecie, *l. Mutuum ff. de reb. cred. Tertia* eſt reddendi rem mutuatam in eadem quantitate, in qua fuit accepta: unde res quæ conſiſtunt in pondere & menſura, reddi debent in eodem pondere vel menſura; hęc enim eſt earum quantitas. Quod ſi pondus vel menſura variaretur, ſatis eſſet reddere in eo pondere vel menſura, qua fuit res mutuata. Idem dicendum de pecunia, cujus quantitas poſita eſt in numero & valore; unde ſi tempore mutui aureus valebat 12. Iulios, deinde tempore reſtitutionis valeat 15. debet reſtitui juxta valorem tempore mutui. *Quarta* eſt reddendi rem mutuatam æquè bonam; ideoque qui mutuant frumentum corruptum vel vinum acetoſum, ut deinde recuperent vinum & frumentum bonum, nili compenſent id, in quo eſt excellus, peccant uſuræ peccato. *Quinta* obligatio eſt reddendi rem in omni eventu, quo ipſa periret, etamſi caſu fortuito, *l. Incendium. C. ſi certum petatur*; quia dominium eſt penes mutuatarium, & res domino perit. Hęc dicta ſunt de mutuo nudo, in quo non ſpectatur æqualitas pretiorum, ſed bonitatis naturalis & menſuræ. quamvis ſi mutuans velit, poſſit etiam habere rationem pretij; ſed ſi non fecit, ſibi imputet: quia in mutuo ita uſu receptum eſt, ut mutuatarius nõ cenſeatur obligatus, niſi ad reddendam rem ſimilem ſpecie & parẽ bonitate & menſura; niſi ratione mutationis pretij aliter ſit conventum: hæc eſt enim conditio puri mutui, cui nulla implicitè miſcetur emptio, aut venditio. De his videndi ſunt Sotus *de juſt. & jur. lib. 6. q. 1. art. 2.* Leſſius *lib. 2. c. 20. n. 150. & 151.* Azorius *p. 3. l. 7. cap. 6.* & quæ dicta ſunt *tom. 1. verb. Vſura 2. n. 8. & ſeq.* Diana *part. 8. tract. 7. reſol. 18.*

Sotus. Leſſius. Azorius. Diana.

9 Princeps ſæcularis uſuram in Rep. permittens, non peccat; imò ſtando intra terminos juris naturalis & divini, licitum eſſet condere legem uſurarum permiſſivã; non quidem propter lucrum Princip. quod ab uſuris perciperet; hoc enim eſſet

participare in crimine, quod ex genere ſuo malum eſt, ſed propter vitãda majora mala, nimirum furta, latrocinia, ſicut licitum eſt condere leges meretricum permiſſivas, propter vitanda adulteria, &c. Imò ſublato jure Canonico, poteſt Princeps ſæcularis denegare actionem repetendi uſuras jam ſolutas in judicio, non ſecus ac creditoribus negat actionem repetendi mutuum à filiofamiliàs, quod alioquin jure naturali creditori debetur. Tamen *in Clement. unica de uſuris*, excommunicantur Judices, Rectores & Officiales communitatum, qui per ſua ſtatuta compellunt ad uſuras ſolvendas, vel denegant actionem in judicio ad repetendum. Ita Rebellus *de oblig. juſt. part. 2. lib. 8. quæſt. 2. ſect. 2.* Arragon, Bañez 2. 2. *quæſt. 78. art. 1.* unde uſuræ ob bonum Reip. poſſunt permitti, ſicut & proſtibula; qua parte tamen jus civile, *l. 1. 2. & alijs, Cod. de uſuris*, videtur eas approbare tanquam licitas, & cogit ad ſolutionem, eatenus eſt abnegatum per ius Canonicum.

Rebellus. Arragon. Bañez.

Sed ex dictis oritur dubium, an Principes ſæculares poſſint ex juſta cauſa dare Judæis potitivã licentiam exercendi uſuras abſque Pontificis auctoritate? Affirmant Navarrus *conſil. 33. & 34. de uſuris*, Wadingus *tract. de contr. diſp. 6. dub. 13.* Ratio illorum eſt; quia permittere uſuras non eſt intrinſecè malum; alioquin Romanus Pontifex nec in ſuo ſtatu poſſet eas permittere, nec alijs dare facultatem permittendi: ergo obſtat tantùm prohibitio Eccleſiæ, vel quod ſit contra Canones, qui non obligant Principes ſupremos cum magno Reipub. incommodo, nec in hac re poſſunt per Eccleſiam impediri. & talis eſt illa praxis generalis per totum terè orbem. Nihilominus verius eſt contrarium, nempè hoc licitè non poſſe fieri abſque Pontificis auctoritate & diſpenſatione propter jus Canonicum illud prohibens. Ita docent Malderus *in 2. 2. tract. 5. cap. 3. dub. 24. concl. 7.* Cardinalis Lugo *tom. 2. de juſt. diſp. 25. ſect. 11. n. 219. & 220.* Wiggers *de juſt. tract. 5. cap. 6. dub. 23.* & ante illos Sylveſter *verb. Vſura 9. quæſt. 22.*

Navarrus. Wading.

Malderus. Lugo. Wiggers. Sylveſt.

10. Controverſum eſt inter Juriſperitos, an pro nummis aureis mutuò datis, poſſit mutuatarius invito mutuante alterius generis nummos argenteos æreoſque ſolvere? Pro parte negante facit *Primò*, quòd naturalis conditio mutui hæc eſt, ut id quod mutuo datum eſt, in eodem genere & qualitate eadem reddatur, ut habetur §. *Et quoniam. inſtit. Quibus modis re contrah. oblig. & l. 2. & 3. ff. de reb. credit.* Atqui diverſi generis ſunt, diverſæ item qualitatis aurei nummi & nummi argentei: ergo non eſt cogendus creditor, ut argenteam pecuniam recipiat, qui auream certo numero credidit. Accedit ratio ex principijs naturæ petita, quod alteri per alterum iniqua conditio inferri non debet, *l. Non debet, ff. de reg. jur.* Solutio autem alterius monetæ, minutæ maximè, non modica plerumque incommoda habet; non tantùm, quia minutæ pecuniæ ſumma magna ad geſtationem creditori gravis eſt & onerosa, & majori cum ſumptu & periculo peregrè transportatur; ſed etiam, quia non tam facilè & commodè erogari poteſt pecunia minuta ſicut aurea; maximè ſi ad emendos annuos reditus expendere eam velit creditor, aut ſi mercator ſit, pro ea merces in mundinis comparare ſibi conſtituerit. Hæc opinio eſt certè jure naturali valde conſentanea, quam ſuſtinent Henricus Bocerus *tr. de Regalibus, c. 2. n. 219.* Covarruvias *tom. 2. de veter. numiſm. collat. c. 7.* & alij penes ipſos. Contraria tamen ſententia aliquibus magis placet; quia pecuniæ bonitas, vis & ſubſtantia non conſiſtit in ipſa pecuniæ materia, ſicut vini bonitas eſt in ipſo vino; ſed aliunde, ab arbitrio videlicet Magiſtratus & legiſlatoris dependet, adeò ut nummus nihil aliud ſit, quàm ejus æſtimatio & valor ipſi à percutiente, ſeu Magiſtratus edicto impoſitus. Proinde qui certã monetæ ſpeciem accepit mutuam, non tam ſpeciem, quàm valorem, atque æſtimationem iſtius ſpeciei accepit: neque etiam accepiſſe intelligitur in alia unitate, quàm ea, quæ illa ipſa æſtimatione continetur. Accedit, quod nummi rebus incorporeis comparentur, adeoque æſtimatio numorũ magis quàm corpora, credita exiſtimetur *l. ſi is, cui 94. §. 1. ff. de ſolution.* Deinde ex eo ſatis liquet impoſititium principaliter nummorum valorem, citra cõſiderationem materiæ ſpectandũ eſſe, quia non ſolùm ex auro & argento, verumetiam ex plumbo, ferro, ære, atq; adeò ex corio cudi interdũ nummi ſolent. Non ergo aurei numi ab argenteis aliiſvè genere differunt, ſi ſubſtantia illorũ, non ex materia externa, ſed ex quantitate, valore & poteſtate æſtimetur. Hanc ſententiam tuentur Menoch. *conſ. 49. n. 38.* Fachinæus *lib. 2. cont. jur. c. 50.* & alij quos refert & ſequitur Diana *p. 8. tract. 7. reſol. 19.*

Menoch. Fachin. Diana.

11. Contractus uſurarius eſt pro pretio anticipato conducere operas mercenarij, ſi contractus fiat ſub ratione mutui, ita ut teneatur is, qui pecuniam accipit, reddere eam pecuniæ ſummam ei qui dedit. Raro eſt; quia in hoc caſu mutuãs ex mutuo obligat mercenarium, ſeu agricolã ad colendũ ſuum agrũ: quæ quidè obligatio, cùm ſit civilis, eſt pecuniâ æſtimabilis. Ita Navarrus *in Man. cap. 17. n. 220.* Sotus *de juſt. lib. 6. q. 1. art. 2.* Cajetanus *in Summ. v. Vſura exterior*, & alij communiter. Quando autem contractus celebratur ſub ratione locationis, ita ut pecuniam illam non recipiat tanquã mutuatam, ſed tanquam ſibi datam in ſtipendium laboris futuri, contractus nõ eſt uſurarius. Ratio; quia uſura eſt pretiũ rei mutuatę; ſed in hoc caſu, qui dat pecuniã ruſtico, non recipit illius operas, neque illam obligationẽ pro uſu pecuniæ, ſed pecuniam illam confert ut pretium illarum operarum, & illius obligationis, quæ omnia pretio æſtimãtur: ergo ibi non eſt uſura. Differentia autẽ inter utrumq; contractum, eſt, quòd in mutuo mutuatarius tantùm remanet obligatus ad reddendũ debitum, & veniendum ad colendũ agrum; ſed in contractu locationis & conductionis, uterq; manet obligatus, conductus nempe venire ad colendum, & conductor non poteſt eum expellere, ſed tenetur ſupplere pretium. Ita Bañez 2. 2. *qu. 78. art. 1.* Molina *de contr. diſp. 309.* & omnes recentiores, contra Sotum *loco citat.* qui putat in hoc etiam contractu eſſe uſuram palliatam.

Navarrus. Sotus. Cajetan.

Bañez. Molina. Sotus.

12 Qui mutuat eâ lege, ut mutuatarius coactè ratione mutui obligetur civiliter ad conducendũ agrũ mutuantis, eſt uſurarius: quia talis obligatio cùm ſit debita ex juſtitia, eſt pretio æſtimabilis: ſi tamẽ mutuatarius conducere vellet fundũ, & quia id opere præſtare nõ poteſt, niſi mutuum ei detur ad ſumptus in illo colendo neceſſarios, tunc uſura non eſſet ei mutuare, ut fundum mutuantis cõduceret; quia tunc conductio non eſſet ut pretium mutui, ſed potiùs mutuum eſſet medium ordinatum, ut ille conducere poſſit fundum, ſicut optat.

Similiter uſurarius eſt, ſi mutuans in agri locatione, ratione mutui augeat pretium illius: quia illud pretij augmentũ eſt pecunia æſtimabile. *Item* mutuans cenſetur uſurarius, etiamſi pretium non augeat in locatione, in caſu quo paſci ſunt coloni, qui velint agrum conducere: dat autem mutuum, ut mutuatarius cõducat agrum eodem pretio, quo tem-

tempore copię mercatorum locatus fuerat. Ratio, quia emptorum raritas juſtè diminuit de pretio, ac ſubinde cùm in præſenti ſint pauci conductores agri, pretium juſtè decreſcit: uſura ergo eſt manifeſta ratione mutui locare in eodem pretio: tamè talis cõtractus poteſt juſtificari, ſi mutuans ad judiciũ boni viri diminuat aliquid de pretio propter talem obligationem, quam à mutuatario ratione mutui extorquet. Ita Bañez 2. 2. *quæſt.* 78. *artic.* 2. Bañez. Fauſtus. Fauſtus *in ſpecul. confeſſ. diſp.* 16. *quæſt.* 24. & alij.

13. Uſuram non committit, qui mutuat gratiâ recuperãdi quod ſibi liquidò debetur ex juſtitia; verbi gratia, mutuo tibi centũ, ut mihi ſolvas alia centum, quæ mihi ex juſtitia debes, quia ea mihi antè furripuiſti. Ratio; quia tunc nõ exigo illa cẽtum vi mutui, ſed vi juſtitiæ. Ita Navarr. *in Man. c.* 17. *num.* 209. Molina *diſp.* 309. *de contr.* Navarrus. Molina. Qui verò mutuat gratiâ recuperandi debitum litigioſum, eſt uſurarius. Ratio; quia mutuans recuperando tale debitum, ratione mutui multum lucratur: quia ſine expenſis & lite, & certò recuperat debitum, quod aliàs ſine his, aut certò non erat recuperaturus. Qui autem mutuat gratiâ recuperandi id quod ſibi debetur lege charitatis vel gratitudinis, eſt uſurarius. Ratio; quia tunc mutuans ratione mutui obligationem inducit legalem ſeu ex juſtitia ſuper mutuatarium, quæ pretio eſt æſtimabilis, & longè eſt major, quàm obligatio ex ſola lege charitatis, vel gratitudinis, verbi gratia, uſura eſſet, ſi ego morbo laborans mutuarem medico, cum pacto ut mihi mederetur in caſu quo medicus non tenetur me curare ex officio. Ita Navarrus. Azorius, Salas, Molina. Navarrus *in Man. c.* 17. *n.* 209. Azorius, Salas, Molina citati *tom.* 1. *verb. Vſura* 11. *num.* 6.

14. Vſura eſt manifeſta, ita mutuare, ut teneatur mutuatarius recipere dimidiũ mutuiin pecunia, & dimidium in mercibus, & poſtea totum reſtituere in pecunia numerata. Ratio; quia obligatio illa ad emendas merces mutuantis, etiam creditâ pecuniâ, eſt pretio æſtimabilis: tum quia cùm mutuatarius accipiat merces quibus non indiget, ſed pecunia, compellitur illas ſtatim vendere vilius, quàm valent. Hinc uſuram committunt mercatores, qui mutuo dant Regi ad ſolvenda ſtipendia militibus, eâ lege, ut Rex accipiat mutuum in mercibus, quibus poſtea divenditis à miniſtris Regis ſatisfaciunt militibus. Ratio; quia vi mutui gravant Regem eas merces accipere quibus non indiget, & quas vilius multò venditurus eſt Rex alijs, ut ſibi comparet pecunias. Ita Bañez 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. Molina *de contr. diſp.* 310. Sotus *de juſt. & jur. l.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 2. Bañez. Molina. Sotus. Non eſſet tamen contractus uſurarius, ſi mutuans non obliget mutuatarium ad accipiendum in mercibus, ſed dicat petenti mutuum: Nolo tibi meam pecuniam mutuare; vendã tamen tibi merces juſto pretio, quibus divenditis poteris tibi ſubvenire. Probatur; quia hic nullum intercedit mutuum, ſed venditio juſto pretio facta. Nec refert quòd emptor cogatur eaſdẽ merces minoris vendere, quàm emit, quia licet ſit fortè contra charitatem nolle mutuare, cùm poſſit mutuando liberare proximum à damno quod patietur vendendo vilius, quæ prius carius emerat; contractus tamen ille non eſt iniquus vel uſurarius, ſi juſto pretio expectatâ ſolutione merces eas vendidit.

15. Uſura eſt, aliquid ſupra ſortem accipere pro opere numerandi pecuniã, quando pecuniæ ſuma eſt modica. Ratio; quia mutuans, ſuppoſito quod velit mutuare; tenetur id facere gratis, & hunc modicũ laborẽ numerandi mutuationi annexum gratis exhibere: quando autem egregia eſt ſumma pecuniæ numerandæ, dubium eſt apud Auctores. Affirmat enim Navarrus *in Man. c.* 17. *n.* 209. cò quòd non ex vi mutui, ſed pro labore numerandi, vel menſurandi, vel ponderandi accipiat juſtam mercedem. Cujus ſententia maximè locũ habet, vel quando mutuans in numerando magnã ſummam pecuniæ tantum inſumit temporis, ut reverà pro eodem tempore deſinat vacare negotijs alijs, quibus erat aliquid lucraturus; quia tunc ratione lucri ceſſantis poterit id licitè, poſt admonitionẽ, à mutuatario exigere: vel quãdo mutuans cogitur mittere pecuniam mutuatam longè abſenti; hoc enim non fit abſque periculis, laboribus & expenſis extrinſecè annexis mutuationi, quæ mutuans tenetur gratis ſubire. Navarrus,

Aliàs videtur verior ſententia negans id licere, quia hoc onus & labor intrinſecus hærẽt ipſi mutuo: ergo ob hæc in mutuo dando nihil accipi poteſt: quia hoc onus eſt tam in bonum ejus qui mutuat, quàm ejus qui accipit; quia utriuſq; intereſt, ut mutuũ numeretur, menſuretur, vel ponderetur, ne minus reddatur, quàm eſt acceptũ. Secus autẽ dicendum eſſet de labore numerandi pecuniam, quem ſubit camſor: cùm enim hujuſmodi laborem hic in gratiam camſarij ſubeat, meritò ei compẽſatur virtute intercedente contractu locationis operarum, ut diximus *tom.* 1. *verb. Cambium*, *n.* 6. cum Doctoribus ibi citatis. Vide Azorium *part.* 3. *lib.* 7. *cap.* 7. *quæſt.* 10. *de mutuo.* Azorius.

16. Non eſt abſolutè licitum mutuare pecuniam acceptam ab uſurario, cum pacto ut mutuatarius ſolvat uſurario quod mutuãs ſoluturus erat. Ratio; quia in hoc caſu mutuans perinde facit cũ mutuatario, ac fecit uſurarius cum ipſo. Ita Navarrus *in Man. c.* 17. *n.* 233. Navarrus. Quod ſi mutuans, cùm ſit dives, habeat aliam pecuniam, quam ſine ſuo detrimento poſſet mutuare, vel acceptam ſub uſuris jam conſumpſit, ad petitionẽ indigentis mutuat eâ lege, ut eam mutuo petens, uſurario ſolvat uſuras, uſuram committit. Ratio eſt; quia qui cum tali pacto mutuat, ut alius uſuras, quas ipſe ſoluturus erat, ſolvat, contractũ mutui in alium non trãsfert, ſed ipſe ſub uſuris mutuat. Si autem, cùm non habeat aliam ad mutuandũ, mutuat pecuniam acceptam ſub uſuris, nondum tamen conſumptã, cum hoc pacto, ut mutuatarius ſolvat uſurario, quod ipſe cogitur ex mutuo ſolvere, non eſt uſurarius: quia in hoc caſu ſolum ſe indemnẽ conſervat, & pecuniam ſub uſuris à ſe acceptam, cum eodem onere ſolvendi uſurario uſuras, transfert.

17. Quando in mutuo ſolvendo non eſt conſtitutus certus terminus, nullũ eſt peccatũ ex natura rei diſſimulare & non repetere mutuum, niſi tempore quo major pretio venditur. Prob. tum quia mutuatarius ſibi imputare debet, quod non prius ſolverit, cùm comodè potuerit: tum quia cùm nõ ſit ſignata certa dies, habet jus & facultatem repetẽdi rem mutuatã, ſaltem poſt quindenã, cùm primũ ſibi placuerit: qui autem vtitur jure ſuo, nulli facit injuriam. Mutuator tamen peccat contra juſtitiã, qui operam dat ne mutuatarius, quando ipſi utile & comodũ eſt, mutuum reſtituat, ſed eo ſolùm tẽpore, quo ejus pretium augetur. Ratio eſt; quia cùm debitor illud tempus expectare non teneatur, mutuans prohibens, vel impẽdiens ne tunc ſolvat, privat illũ jure ſuo, nocetq; illi cum injuria: ergo peccat contra juſtitiam: tum quia mutuans nolens ſibi mutuum reſtitui, vult lucrari impenſas, quas in cuſtodiendo faceret, inſuper & periculum amiſſionis evitare: ergo non caret injuſtitia. Ita Navarrus *in Man. c.* 17. *n.* 225. Navarrus.

18. Qui mutuat pecuniam auream vel argẽteam,

potest cum mutuatario pacisci, ut tantumdem in pecunia aurea argenteave ipsi restituatur. Ratio; quia pecunia aurea & argentea est commodior quàm ærea: ergo mutuàs potest mutuatarius obligare ad solvendum in simili pecunia; nemo enim cogitur cum suo incomodo alteri mutuare. Ita Molina *de contr. disp.* 299 Sylvest. *verb. Solutio.* Qui verò mutuat in pecunia ærea, non potest cũ mutuatario pacisci, ut auream, vel argenteam pro ea sibi restituat. Ratio: quia mutui natura & substantia exigit, ut tantumdem reddatur ejusdẽ naturæ, quantitatis & qualitatis, sive bonitatis: ergo tale pactum apponere sine mutuatarij consensu, est contra natura mutui, & per consequens illicitum: tum quia velle reportare aliquid lucri ratione mutui non licet, sicut nec aliquam obligationem civilem vel onerosam alteri injungere. Ergo non licet mutuare pecuniam æream, ut tibi tãtumdem reddat in pecunia aurea vel argentea. Usurariũ autem est dare pecuniam argenteam pro aurea cũ aliquo lucro, si ratione mutui illud lucrũ recipiatur: si verò ratione venditionis vel permutationis, hoc est vendẽdo vel permutando aurũ pro argento illud lucrum recipiatur, non est usura; quia aliquando contingit, ut pecunia aurea ob necessitatem argenti minus valeat quàm pecunia argentea. Ita Navarrus. Navarrus *in Man. cap.* 17. *num* 126.

Molina. Sylvester.

Navarrus.

19. Verius est contractum non esse usurarium, sed licitũ, mutuare centũ, cum pacto, ut si mutuatarius intra duos annos moriatur, nihil reddere teneatur, sin autem ultra duos annos vivat, reddat duplũ. Ratio; quia illa centum accipit mutuans nõ vi mutui, sed ratione periculi; quia potest perdere illa centum, si moriatur mutuatarius, & illa lucrifacere, si supervivat: tum quia hic non est contractus mutui, sed cõtractus innominatus, scilicet, do ut des. Mutuum enim in omnem eventum restitui debet, etiamsi fortuitò perierit: at si mutuatarius obierit, centũ aureos sibi datos lucratur: ergo nõ in omnem eventum eos restituere cogitur, atque ex consequenti ibi non est mutuum; ubi autem non est mutuum, ibi non est usura. Ita Sotus *de just. l.* 6 *q.* 1 *art.* 2 *ad finem.* Navarr. *l.* 5 *de usur. consil.* 25. sibi contrarius; quia *in Man. c.* 17. *n.* 222. docet esse usuram, quia ex mutuo lucratur mutuator illam obligationem solvendi duplum, quamvis dubiam; secus si donet gratis, cum pacto amicitiæ.

Sotus. Navarrus.

20. Quamvis probabile sit usuram committi ab eo, qui debet Cajo centum nummos solvendos post annũ, sed anticipatè soluit quinquaginta hoc pacto, ut Cajus expectet per biennium alios quinquaginta quia hoc nihil aliud videtur, quàm implicitè mutuare cum onere ut Cajus remuneret in fine anni, ut docent P. Navarra *de rest. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 290 quem sequitur Bonacina *de contr. disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 3. *n.* 9. Probabilius tamen est non esse ibi usuram. Ratio; quia qui se obligat ad expectandam solutionem, non se obligat ad mutuandum; sed statim mutuat, quia prorogat terminum solutionis, quod est virtuale mutuum; unde in hoc contractu, unum mutuum datur pro alio, & sic in illo contractu nulla adest usura. Ita docent Malderus *in* 2. 2. *tr.* 4. *c.* 3 *dub.* 4. Salas *tr. de usur. dub.* 9. *n.* 10 Lessius *lib.* 2. *c.* 20. *n.* 59. quos refert & sequitur Diana *part.* 1. *tr* 8. *resol.* 63. Quibus subscribit Caramuel *in Theolog. moral. lib.* 2. *disp.* 14. *n.* 748. dicens: Quis non videat hic hallucinationem subesse? solvere, non est implicitè mutuare, ut dicunt; tametsi fatear posse committi in ipsa solutione usuram; nimirum, si Petrus solvat quod debet, quando debet, sub onere, quod creditor faciat, quod non debet. Sed hoc impræsentiarum non accidit: nam si tibi debebat Franciscus solvere post sex menses, & soluit nunc, fecit quod non debuit: ergo poterit vicissim petere ut facias quod non debes. Ergo si ipse voluit pro te unum gravamen subire, ut tu subires alterum, nulla cognoscitur injuria, nulla usura. Hæc ille.

P. Navarr. Bonacina.

Malderus. Salas. Lessius. Diana. Caramuel

21. Ex communi Doctorum sententia, quando mutuatarius est in mora culpabili, si inde damnũ aliquod eveniat mutuanti, tenetur ad illius cõpensationem: quia quando in contractibus constituitur terminus solutionis, vel rei exhibendæ, initur tacitum pactum, ut non solvens teneatur ad interesse, defectu solutionis obveniens: tamen quando mutuatarius omninò & absolutè est pauper, quia nec re, nec spe habet, ut sibi subveniat, tunc non videtur obligandus ad interesse damni emergẽtis, si non solvat mutuum tempore constituto; quia in hoc casu mutuàs teneretur ex præcepto charitatis illi subvenire, non per contractum mutui, sed per simplicem donationem & eleëmosynam, ut dictũ est *supra n.* 3. Si verò mutuatarius non est omninò pauper, quia solùm in loco & tempore mutui indiget pecunia, in alio autẽ loco & tempore habet unde mutuum illud & damna ex illo emergẽtia restituat, ad hujusmodi damna cõpensanda tenebitur: quia tunc non tenetur mutuans illi subvenire per eleëmosynam, sed satis est ei mutuare eâ lege, ut cùm potuerit ultra sortẽ damna sibi emergẽtia refarciat. Si autẽ mutuatarius tempore mutui potens erat ad reddendum mutuum tempore convento, deinde verò infortunio redditus sit impotens solutionis; ut si incendio res ejus sunt absumptæ, vel inciderit in tantã paupertatẽ, ut non possit solvere, quin se conjiciat in extremam vel gravem necessitatẽ, non tenetur ad damna, quæ ex illa mora mutuanti emerserunt, nisi à principio mutui ita convenerint. Ratio; quia mutuatarius duplici tantùm titulo tenetur reficere damna ex mutuo emergentia, vel ratione pacti à principio contractus constituti, vel ratione moræ. In casu autem posito, nulla est talis conventio, ut constat; mora verò, in qua est, accidit absque ulla ejus culpa: ergo mutuatarius hic solùm tenebitur ad reddendũ principale, minimè verò damna post moram sine culpa ejus subsequuta. Ita Lessius *lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 10. *n.* 70. Salon 2. 2. *q* 78. *art.* 2. Faustus *in spec. Conf. disp.* 16. *q.* 78. *&* 79. & alii apud Dianam *part.* 2. *tract* 15. *resol.* 49. nempe Salas, Bonacina, Malderus, Rebellius.

Lessius. Salon. Faustus. Diana. Salas. Bonacina. Malderus. Rebellius.

22. Qui accipit fructus pignoris sibi à mutuatario traditi, illis non cõputat s in sortem principalem, est usurarius: quia qui ratione mutui accipit aliquid pecunia æstimabile supra sortem principalẽ, est usurarius: atqui fructus pignoris sunt pecunia æstimabiles: ergo. Accedit quòd res fructifera domino suo debet fructificare: atqui pignus non est ejus cui datũ est, sed illius qui dedit donec solvat: ergo debẽt frũctus illius pignoris esse illius qui dedit, ac proinde si à retinẽte pignus accipiantur, deductis expensis & laboribus, in partẽ debiti cõputari debent, ut definitur *in cap.* 1. *&* 2. *de usuris.*

Sed quid de fructibus perceptis ex agro pro sorte impignorato, quos mutuatarius nõ colligebat, nec colligere cogitabat? Resp. quòd si ager ille sit omnino sterilis ex natura terræ, industria verò & diligentia pignoratarij aliquos fructus ferat, non tenetur illos referre in sortem, sed sunt ipsius, cùm in hoc casu soli industriæ ipsius fructus illi debeantur. Item qui tantùm expendit in pignore pro re sibi debita tradito, quãtum utilitatis ex eo percepit, nõ est usurarius, etiamsi eam utilitatẽ in sortem mutuatam non computet. Si autem ille ager

sterilis

ſterilis quidem erat ex iniuria & ignorantia domini, ex natura tamen fructifer; tunc pignoratarius non poteſt colens illum, ſi quos fructus ex eo colligit, facere ſuos, ſed tenetur deductis expenſis & laboribus, deducere illos in ſortem; quia tunc non ſolùm induſtriæ ipſius, ſed fœcunditatis illius agri ſunt fructus. Ita Molina *de contract. diſp.* 320. Navarrus *in man. c.* 17. *n.* 216. Salon 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 16. & alij.

Molina. Navarrus. Salon. Leſſius.

Excipiuntur tamen duo caſus, in quibus creditor non tenetur fructus pignoris in ſortẽ computare. *Prior eſt*, ſi feudatarius debeat aliquid domino directo, eiúque in pignus tradat feudum: tunc enim dominus directus feudi poteſt eius fructus percipere, ſorte manente integrâ, ut definitur ab Innocent. III. *in cap.* 1. *de feudis*, & ab Alexandro III. *in c. Conqueſtus, de uſuris.* Poſterior eſt, quando Emphyteuta oppignerat domino directo rem emphyteuticam: tunc enim dominus directus, etiãſi laicus ſit, poteſt fructus rei illius percipere. Exiguntur tamen tres conditiones, ut licitè dominus poſſit fructus iſtos percipere. *Primò*, ut quamdiu fructus percipit, non exigat obſequium vel penſionem ſolitam. *Secundò*, ut non percipiat eos, quos prædium vel res producit, quâ parte eſt melior effecta per induſtriam Emphyteutæ. *Tertiò*, ut feudum, vel emphyteuſis gratis, aut ferè gratis ſit conceſſa, & non ſit comparata magna pecuniæ ſumma, vel magnis obſequijs antecedentibus: aliàs iniquum eſſet pactum illud de fructibus horum percipiendis. Ita Navarrus *in man. cap.* 17. *n.* 217. & 218. Covarruvias *lib.* 3. *variar. cap.* 1, Conradus *de contract. q.* 32. Leſſius *loco cit. dub.* 16. & alij.

Inno. III. Alex. III.

Navarrus. Covar. Conrad. Leſſius.

23. Communis tam Theologorum, quàm Canoniſtarũ ſententia habet, quòd ſi ſocer velit ſolvere dotem & gener renuat eam recipere, ſed poſtulet ut ſibi in pignus ager fructuoſus tradatur, ex quo ſingulis annis fructus percipiat, ſalva ſorte principali, eſt uſurarius. Ratio; quia tunc vult lucrum ex mutuo, quod eſt uſura; perinde enim ſe habet, ac ſi mutuaret ſocero pecuniam cũ pacto aliquid recipiendi ſupra ſortem. *Similiter* uſura committitur à genero, qui acceptâ pecuniâ dotis, eamdem mutuò tradit ſocero cum pacto, ut ſibi rem aliquam frugiferam tradat in pignus, non computando fructus in ſortem & in ſolutionem principalis, niſi id faciat ratione lucri ceſſantis.

Quando autem ſocer non ſoluit dotem genero, ſed dat illi in pignus agrum fructiferum, licet genero fructus illius percipere non computando eos in dotem, ut illis ſuſtentet onera matrimonij. Sic enim definiuit Innocentius III. *in cap. Salubriter, de uſuris*, his verbis: *Sanè Generum, ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi à Socero ſunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in ſortem, non credimus compellendum: cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonij ſupportanda.*

Inno. III.

Ex quo textu ſequitur *Primò*, generum, cui dos fuit promiſſa, ſed non fuit traditũ pignus frugiferum, poſſe conventionem facere cum ſocero, vel aliis, ad quos pertinet dotem tradere, ut ſingulis annis aliquid tradant, donec perſoluta fuerit dos; licitũ enim eſt aliquid exigere titulo lucri ceſſãtis, aut ratione cõpenſationis debitæ pro ſuſtinendis oneribus matrimonij, donec dos perſolvatur. Ratio eſt; quia ex natura contractus dotalis debet ſponſus recipere vel dotem, vel aliquam rem utilem loco dotis, ex cuius fructibus ſuſtineat onera matrimonij: ergo quando nec dos, nec pignus aliquod fructiferum ei datur ad illa levanda, jure poteſt exigere aliquam penſionem annualem loco fructuum, quos ex dote, vel pignore erat recepturus. Vide Molinam *de contract. diſp.* 321. Bañem, Arragon *in* 2. 2. *q.* 78. *art.* 2.

Molina. Bañez. Arragon.

Sequitur *Secundò*, generum hos fructus poſſe ſervare, etiãſi ex dilatione dotis nullum ei lucrum ceſſet, quia nõ conceduntur hi fructus ratione lucri ceſſantis, ut volunt plerique Doctores, ſed ut onera matrimonij, donec dos ſolvatur, ſuſtẽtẽtur; niſi de contraria foceri, vel alterius qui dotem dedit, intentione conſtet. Ita Leſſius *loco cit. n.* 142. citans Covarruviam *lib.* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 3. Si autem conſtet ſocerum pignus non dediſſe, niſi in ſecuritatem dotis, non poteſt gener fructus retinere, niſi ratione lucri ceſſantis: quia iſti fructus tunc pertinent ad ſocerum, neque genero alia ratione ſunt debiti, ut ſupponitur.

Leſſius. Covar.

24. Quotieſcumque hæredes mariti ſunt in mora ſolvendi dotem, vidua poteſt in utroque foro omne damnum ob dilationem illi ſubſequutum repetere, ut ſi propter moram recuperandi ſuam dotem vidua cogitur accipere pecuniam ſub uſuris, aut deſiſtit lucrari, quod aliàs ſua dote ſoluta lucrata fuiſſet. Ratio; quia non tenetur vidua etiam ditiſſima cum hoc ſuo detrimento exſpectare ſolutionem dotis.

Dubium tamen eſt, quando ex dilatione ſolutionis dotis vidua nullum intereſſe incurrit, an poſſit percipere fructus pignoris aut quantitatem ipſam pecuniariam? Quidã negant; quia fructus pignoris dotalis licitè percipiũtur ad levanda onera matrimonij: Sed vidua ſoluto matrimonio non habet onera matrimonij: ergo. Tum quia tale pignus nõ ſolet dari niſi ad ſecuritatem. Ita Cajetanus 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. Molina *diſp.* 322. Leſſius *loco cit. n.* 143. Rectius docent alij poſſe, donec ſolvatur ei dos, ſicut poterat vir eius vivens durante matrimonio. Ratio eſt; quia maritus cum illo onere ſuſcepit dotem aut pignus dotale, ut donec ei ſolvatur, alat uxorem & eius familiam ſalva dote: ergo poteſt vidua ſoluto matrimonio vel ſeparata percipere illa alimenta pro ſe & familia, quamdiu ſibi ſua dos non redditur: pignus enim dotale ſtat loco dotis, quamdiu illa nõ ſolvitur: ergo poterit vidua percipere fructus illius pignoris non computando illos in dotem, ſicut percipiebat vir eius. Ita Navarrus *in comm. de uſuris n.* 64. Bañez, Salon, Arragon 2. 2. *q* 78. *art.* 2. quia uſque ad redditam dotẽ perſeverat in marito onus ſuſtinendi onera cõiugalia, ſalva dote. Ut tamen prædicta doctrina vera ſit, debẽt concurrere tres conditiones, quarum *Prima* eſt, ut vidua ſoluto matrimonio verè ſuſtineat onera matrimonij; quia ſi fiat religioſa, vel revertatur ad domũ patris, & ab eo pro ratione ſui ſtatus exhibentur quæcũque ipſi, ſuæque familiæ cẽſentur neceſſaria, non poteſt percipere fructus pignoris dotalis, quia ceſſat tunc cauſa propter quã poterat illos percipere. *Secunda*, nè ipſius culpa ſolutio differatur. *Tertia*, ut promiſſio dotis ſit abſolutè facta, quia ſi fiat ſub pacto ut fructus illius pignoris computentur in dotem, tunc nihil poteſt ultra dotem accipere.

Cajetan. Molina. Leſſius.

Navarrus. Bañez. Salon. Arragon.

25. Dubium eſt, an ſit uſurarius contractus vendere alicui fundũ vel domũ, & reſervare ſibi fructus annuales vel reditus donec ſolvatur pretiũ? Quorumdam affirmativa ſententia eſt; quia dum transfertur dominiũ, res debet fructificare domino ſuo, cuius periculo ſubſtat. Deinde in hoc caſu videtur aliquid accipi ratione dilatæ ſolutionis, quod uſurariũ eſt. Hæc ſententia eſt ſatis probabilis; nihilominus cõtraria in praxi eſt tuta. Ratio eſt, quia in hoc caſu uſuræ nõ dãtur ut lucrũ pretij non ſoluti, ſed in compenſationẽ, & ut ſervetur æqualitas; cùm enim venditor impleat contractũ tradendo

tradendo rem, debet emptor viciſſim implere tradendo pretium, vel implenti ſolvere fructus rei receptę, ne ſequatur inęqualitas inter commutantes proprias res. Nam ſi emptor fructus percipit rei emptæ nondum ſoluto pretio, juſtum eſt ut pretij uſuras uſque ad fructuum quantitatē venditori ſolvat, qui ei rem tradidit liberè, cùm ei traderę pretio non ſoluto minimè teneretur. Tum quia uſuræ recompenſatorię omni jure admittuntur, cùm dentur in recompenſam eius, quod juſtè debitum erat, eas recipiendi. Ita Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1 cap. 7. dub. 21.* Covarruvias *lib. 3. variar. cap. 4.* Diana *part. 4. tract. 4. reſol. 139.* & alij penes ipſos.

Sanchez. Covar. Diana.

26. Qui titulo donationis, vel emptionis accipit aliquid ab uſurario per uſurā extortū, tenetur idē ſi ſit fructiferum cùm ſuis fructibus reſtituere mutuatario, à quo uſurarius illud acquiſivit per uſuram: quia uſurarius talis rei non habet dominium, & ideò non poteſt illud in alium transferre. Ita Bañez, Salon 2. 2. *q. 78. art. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 19. num. 165.* Hoc tamen intelligendum eſt, quando invito domino hoc emeretur: ſecus verò, ſi ex conſenſu eius, ſaltem tacito & præſumpto: unde excuſandi videntur, qui emunt pignora & alia, quæ uſurarij paſſim in oppidis publicè vendunt; quia talia ſolent ſponte à mutuatariis relinqui per modum venditionis pro ſorte & uſuris, & ita dominium tranſit in uſurarium, quamvis teneatur pretium ſupplere.

Bañez. Salon. Leſſius.

Qui autē aliquo titulo gratuito vel oneroſo accipit aliquid uſu conſumptibile, ut pecuniam, oleum, frumentum & ſimilia per uſuras extorta ab uſurario habente alia bona unde reſtituat idē ſpecie, vel æquivalens, peccat quidem mortaliter, vel venialiter juxta maiorem vel minorem moleſtiam, quæ ex eius receptione mutuatario infertur; ad reſtitutionem tamen illius non tenetur, quia in re uſu conſumptibili uſurarius quamvis non reddat eandem rem numero, ſatisfacit legibus juſtitiæ reddendo eandem ſpecie, vel æquivalentem. Ita Bañez, Salon *loco citato*, Valentia *tom. 3. diſp. 5 q. 21. punct. 3.* & alij.

Bañez. Salon. Valentia.

Qui titulo donationis vel eleëmoſynæ accipit aliquid uſu conſumptibile per uſuram extortum ab uſurario non habente alia bona unde reſtituat, peccat contra juſtitiam, & ad reſtitutionem accepti obligatur: quia bona uſuraria, quando uſurarius non habet alia, quæ loco illorum reſtituat, ſunt omninò aliena: ergo. &c. Quando autē quis titulo gratuito vel oneroſo accipit ab uſurario vel fure aliquid eorum, quorum ipſe habet dominium, non peccat, nec ad reſtitutionem tenetur: quia cùm talis res non ſit in ſe aliena, licet obnoxia ſit reſtitutioni, iniuria non infertur creditoribus, præſertim ſi huiuſmodi contractus uſurarium impotentem ad reſtituendum uſuram non efficiant. Portò uſurarius non habens bona niſi reſtitutioni obnoxia, poteſt validè emere domos vel agros, in eorum pretium tradendo pecuniam, quam per uſuram extorſit: quia ex tali emptione poſſeſſionis vel domus uſurarius nō fit impotens ad ſolvendas uſuras. Tum quia cōtractus uſurarij ſunt validi, ſi exerceat negotiationem, in qua emendo & vendendo lucratur; cùm per huiuſmodi contractus non efficiatur minus potens ad reſtituendum. Ita Sotus *de juſt. lib. 6. q. 1. art. 4.* Valentia, Bañez, Salon *locis citatis* & alij communiter. Vide Bonacinam *de contract. diſp. 3. q. 3. punct. 14. n. 3.* Sylvium 2. 2. *q. 78. art. 3. quæſit. 2.*

Sotus. Valent. Bañez. Salon. Bonacina. Sylvius.

27. Quando uſurarius non inductus, ſed ſponte reſuas etiam titulo gratuito alienat, qui accipit, non tenetur ad reſtitutionem in foro conſcientię, etiamſi ſciat ipſum per eiuſmodi contractus fieri impotentem ad ſolvendum: quia res illæ nemini ſunt reali obligatione obnoxię, ſed ſunt ipſius uſurarij, qui nullo jure eſt inhabilis ad transferendum earum dominium: ergo tranſfert reipſa, ut colligitur apertè *ex l. ult. §. 4. ff. Quæ in fraudem creditorum*, & docent Molina *diſp. 327.* & Petrus Navarra *lib. 3. c. 4. n. 218.* Arragon 2. 2. *q. 78. art. 3.* Quando autem uſurarius inductus ad donandum vel alienandum, donat, vel alienat, qui ab eo accipit, advertens eum ſic reddi impotentem ad ſolvendum, tenetur ad reſtitutionem, ſi hæc impotentia ſit cauſa non ſolvendi. Ratio eſt; quia qui cauſam dat damni, damnū dediſſe videtur. Si tamen hæc impotentia non ſit cauſa cur non ſolvat, non tenetur, ut ſi uſurarius eā eſſet induſtriā, ut facilè poſſit tantumdē lucrifacere & ſic reſtituere; tunc enim non impotentia, ſed negligentia eſſet cauſa non ſolvendi: ille tamen qui provocavit uſurariū ad dandum vel alienandum, ſciens eum per hoc fore impotentem, tenetur eſſe paratus ad reſtituendū quandocumque videtur illū velle ſolvere ſuis creditoribus, & per impotentiā, cuius ipſe ſua inductione eſt cauſa, impediri. Ratio eſt; quia in eo caſu ipſe eſt cauſa non ſolvendi, cùm ſit cauſa impotentiæ, propter quam uſurarius non ſolvit uſuras. Ita Leſſius *l. 2. c. 20. dub. 19. n. 168. 170. & 171.*

Molina. P. Navarr. Arragon. Leſſius.

28. Uxor, filij, & ſervi uſurarij non habentis niſi bona fœneraritia & reſtitutioni obnoxia, conſtituti in extrema neceſſitate, licitè poſſunt de huiuſmodi bonis uſurariis victum & veſtitum capere, quia in tali neceſſitate aliena rapere licet. Extra caſum tamen extremæ neceſſitatis, uxor & filij uſurarij non poſſunt ex bonis permanentibus per uſuram extortis, quorū dominiū in uſurarium nō tranſit, quia ſunt pignora fructifera, victum quærere: quia cùm tam dominium, quàm fructus huiuſmodi bonorum ſemper maneant apud mutuatarium, recipere illa, vel fructus eorū ab uſurario, perinde eſt, ac recipere ſurtiva à latrone, quod extra extremam neceſſitatem nulli licet. Ita Navarrus *in man. c. 17. n. 268.* Rebellus *de oblig. lib 8. q. 16. ſect. 3.* Bañez 2. 2. *q. 78. art. 3.* & alij. Proinde filij uſurarij non habentis alia bona præter ea, quæ reſtitutioni ſunt obnoxia, ſi poſſint aliis ſerviendo, vel proprio labore & induſtriā victum ſibi commodè & honeſtè parare, non poſſunt illum quærere de bonis per uſuram acquiſitis: quia eos pater ſuſtentare non tenetur. Ita Rodriguez *part. 2. Sum. Latina cap. 109. num.* Rebellus *loco citato.*

Navarrus. Rebellus. Bañez. Rodrig. Rebellus.

29. Uxor & filij uſurarij, qui ſuo labore ac induſtria tantum lucri afferunt ad rem familiarem uſurarij impotentis ſolvere uſuras, vel alia debita, quantum inſumunt, licitè poſſunt de bonis uſurariè acquiſitis decenter vivere juxta ſtatum patris uſurarij: quia ſi famuli ſervitia conferentia ad tuenda, conſervanda vel augenda bona uſurarij unde uſuræ ſunt reſtituendæ, impendentes, merētur victum & mercedem; ergo uxor & filij ſimilia ſervitia utilia exhibentes, alimenta ſaltem merebuntur. Ita Molina *de contract. diſp. 330.* Rebellus *lib. 8. q. 16. ſect. 3.* Lopez *lib. 2. cap. 81.* & alij.

Molina. Rebellus. Lopez.

Quādo uſurarius præter bona uſuraria habet alia juſto aliquo titulo acquiſita, poſſunt uxor & filij eius ex illis victū quærere: quia uſurarius jure naturæ tenetur illos alere, quando commodè poteſt abſque iniuria creditorū, quod contingit, ſi habeat alia bona ſufficientia pro reſtituendis uſuris. Imò quando juncta ſunt uſurarij bona per uſurā extorta, ſed incerta, quia eorū domini factā diligenti inquiſitione ignorantur, poſſunt uxor & filij tāquā pauperes

Digitized by Google

pauperes ex illis etiam inconſulto Epiſcopo alimentari, ut docent Lopez *loco citato*, Salon 2.2.q. 78. *art.* 3. & alij. Lopez. Salon.

Item uxor quæ competentem attulit dotem, ex bonis licitè acquiſitis ab uſurario, obnoxijs tamen reſtitutioni, licitè poteſt pro ſe & ſuis filijs, etiamſi non extremè indigeant, neceſſaria alimenta ſuſcipere, ſine obligatione reſtituendi tempore opportuno: quia ratione dotis acceptæ, uſurarius tantùm, vel magis obligatur ad alendam uxorem & filios ſub ſua poteſtate conſtitutos, quàm ad perſolvendas uſuras. Ita Molina *de contract. diſp.* 330. Navarrus *in man. c.* 17. *n.* 268. & alij communiter. Et idem dicendum putat Navarrus, quamvis dotem non attulerit ob dictam rationem. Rectiùs tamen opinantur alij, dicentes in hoc caſu uxorē & filios, qui ſua induſtria & labore non gerunt utiliter negotium creditorū, non poſſe ex pecunijs uſurarijs, ſi alia nō ſuppetunt bona, ſibi victum capere, ſine obligatione reſtituendi ſic acceptū, cùm fuerint ſui iuris & ad pinguiorem fortunam venerint: quia non eſt rationi conſentaneum, de re aliena, cùm jactura domini; ſine intentione reſtituendi etiam in gravi neceſſitate velle victum ſibi capere. Ita Bañez 2.2.*q.* 78 *a.* 3. Lopez *l.* 2. *c.* 81. Sylveſter *verb. Vſura* 8. *n.* 3. Tamen in hoc caſu non peccant mortaliter uxor & filij de his bonis reſtitutioni obnoxijs, qui decenter vivunt juxta ſuum ſtatum, ſi id faciant cum timore Domini & ſolùm pro neceſſarijs ſumant cum animo reſtituendi, quando poterunt: quia de hoc creditores debent eſſe rationabiliter contenti: & ideò tales nō videntur uti re aliena invito domino ſecundùm ordinem rationis, ut docet Lopez cum alijs. Molina. Navarrus. Bañez. Lopez. Sylveſt.

30. Bona per uſuram extorta uſu conſumptibilia, non ſunt obligata pro uſuris ſolvendis obligatione reali, ſed perſonali tantùm, quando uſurarius habet aliunde bona juſto titulo acquiſita ad ſatisfaciendum ſufficientia. Ratio; quia bona uſu conſumptibilia per uſuram extorta, cùm functionem recipiant, non ſunt eadem numero reſtituenda, ſed ſufficit, quòd alia ſimiliter æquivalentia reſtituantur: ergo non ſunt reſtitutioni obnoxia obligatione reali, ſed perſonali: quia obligatio realis ſemper comitatur eandem rem in individuo, nō autē in ſpecie. Si tamen uſurarius non habeat alia bona legitimè acquiſita, præter uſuraria, non poteſt illa conſumere vel alienare pro ſua voluntate, ſed tenetur illa eadē reſtituere. Ratio; quia nō habet alia, quę loco illorū valeat reſtituere: ergo in tali caſu iſta bona ſunt etiam obnoxia reſtitutioni obligatione reali. Proinde de pecunia habita per uſuram vel furtum, poteſt fieri eleemoſyna, ſi fur, vel uſurarius proponat reſtituere æquivalentem & habeat unde reſtituat, nec dando reddat ſe impotentem ad ſufficienter reſtituendum. Ratio; quia parum intereſt mutuatarij, an reſtituatur ſibi eadem res, vel alia, vel ejus pretium. Ita Bañez, Arragon, Salon 2.2.*q.* 78. *a.* 3. Sylvius *ibidem quæſt.* 3. Bañez. Arragon. Salon. Sylvius.

31. Famuli, qui miniſtrando uſurarijs alia bona non habentibus ex quibus poſſint uſuras reſtituere, per ſuam induſtriam tantum emolumenti afferunt bonis talium uſurariorum, quantum pro victu, veſtitu & ſtipendijs inſumunt, nō peccant, nec ad reſtitutionem faciendam obligantur: quia ex eo uſurarij non efficiuntur impotentiores ad reſtituendas uſuras. Ita Toletus *lib.* 5. *c.* 35. *n.* 5. Rebellus *part.* 2. *de obligat. lib.* 8. *q.* 16. *ſect.* 3. Lopez *lib.* 2. *de contract. c.* 81. & alij. Toletus. Rebellus. Lopez.

Famuli verò qui inſerviunt uſurarijs, qui non habent alia bona, quàm uſuraria vel reſtitutioni obnoxia, & nihil eis per ſuum famulatum afferunt utilitatis, aut commoditemporalis, quales ſunt qui eis ſolùm famulantur ad faſtum & pompam, nihil poſſunt ab eis in pretium ſtipendij recipere, & ſi recipiant, peccant mortaliter, cum obligatione reſtituendi acceptum; ſiquidem facilè intelligere poterant, uſurarios per talis ſtipendij ſolutionem fieri impotentes ad ſolvendas uſuras. Ratio; quia cùm mala fide tale ſtipendium accipiant, non minus peccant, & tenentur ad reſtitutionem, quàm accipientes à fure rem, quam norunt eſſe furtivam. Ita Navarrus *cap.* 17. *n.* 270. Rodriguez *part.* 2. *Summ. Latina, c.* 109. *n.* 10. Arragon 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. & alij. Navarrus. Rodrig. Arragon.

Qui ſciunt uſurarium non habere alia bona, quàm fœneratitia, non poſſunt locare illi operas ſuas, nec artifices, ut ſutores, calcearij, ferrarij & ſimiles poſſunt aliquid ab eo accipere in pretium rerum ſuæ artis, quibus non indigēt extremè. Ratio; quia cùm uſurarius nullum habeat illorū bonorum dominium, neque alia, quæ loco illorum reſtituat, nulla ratione poteſt in aliquem illorum uſum & dominium transferre, ac proinde qui ex eis aliquid ab eo accipit, tenetur illud in conſcientia creditoribus reſtituere. Secus dicendum de illis qui bonâ fide locant operas ſuas vel aliū contractum cum eo ineunt, ignorantes impotentiam illius ad reſtituendum uſuras: hi enim licitè ab uſurario poſſunt recipere juſtum ſtipendium, etiamſi iſtam impotentiam poſt operas impenſas ante ſolutionem reſciant. Ratio; quia ſicut uſurarius eos, à quibus uſuras extorſit, creditores habet, ſic etiam debet prædictis miniſtris juſta ſtipendia: ergo ut alij poterunt ab eo ſolutionē juſti ſtipendij recipere, ut docent Molina *de contract. diſp.* 330. Medina *q.* 4. *de uſura, ad tertium principale*, Rebellus *part.* 2. *lib.* 8. *quæſt.* 16. *ſect.* 3. & alij. Molina. Medina. Rebellus.

32 Notarius qui bona fide conficit inſtrumentum, ignorans illud eſſe uſurarium, quia iudicat iuxta ea quæ in contrahentibus videt, eſſe iuſtum & honeſtum, ſed reverà eſt iniquum & uſurariū, non peccat, nec ad reſtitutionem tenetur: quia Notarius tenetur ex officio præſtare fidem ſuam inſtrumentis, ad quæ vocatur, niſi videat illa eſſe iniqua & uſuraria. In hoc autem caſu cùm bonâ fide conficiat inſtrumentum, nullā agnoſcens iniquitatem, præſtat quod ſui muneris eſt ſine ulla fraude vel dolo: ergo. Ita Molina *de contract. diſp.* 331. Sotus *de juſtit. lib.* 6. *q.* 1. *art.* 4. Bañez, Salon 2.2.*q.* 78. *a.* 3. Si tamen Notarius conficiens inſtrumentum ſuſpicetur ibi latere uſuram vel aliam injuſtitiam, tenetur illud indicare contrahentibus, & ſi ex narratione partium probabiliter colligat, ibi nullam eſſe uſuram, deponat dubium conficiatq; inſtrumentum. Quod ſi ex qualitate contrahentium & modo contractus prudenter dubitet de inſtrumento, an ſit uſurarium vel iniuſtum, non conficiat tale inſtrumentū; quia in re adeò prudēter dubia, non tenetur Notarius exercere ſuū officium in favorem civium. Si tamen cōficiat inſtrumentum uſurarium, in quo uſura non exprimitur, ſed palliatur in favorem tantùm mutuatarij petētis mutuò pecunias, non videtur obligādus ad reſtitutionem, quamvis graviter peccet contra iuramentum factū in munere tabellionis ſuſcipiendo. Ratio eſt, quia tunc non eſt cooperator uſurarij, cùm nō ſit inductus ab ipſo, nec negotiū illius agat, ſed cooperator potiùs eſt mutuatarij, agēs negotiū ejus, ut liberetur ab alia neceſſitate. Accedit, quòd ſcienti & cōſentienti ſine ulla vi, vel fraude non fit iniuria. Secus dicendum ſi tale inſtrumentum faceret invito mutuatario, tunc enim teneretur ad reſtitutionem, ſi ob id mutuatarius cogatur Molina. Sotus. Bañez. Salon.

ſolvere

ſolvere uſuras: quia Notarius ille ratione ſui inſtrumenti eſt cauſa moralis, cur uſura ſolvatur, vel ſoluta non repetatur. Et hæc dicta ſint pro provincijs, in quibus mutuatarij coguntur ſolvere uſuras. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 20. dub. 21. num. 180.* Emanuel Sà *verb. Vſura, num. 12.* Navarrus *in man. c. 17. n. 276.* Bañez, Arragon, *in 2. 2. q. 78. art. 3.* Sotus *de juſtit. lib. 6. q. 1. a. 4.* Molina *de contract. diſp. 331.* & alij apud Bonacinam *de contract. diſp. 3. q. 1. punct. 15. num. 12.*

Leſſius. Eman. Sà. Navarrus. Bañez. Arragon. Sotus. Molina. Bonacina.

33. Teſtes qui ſcienter interveniunt contractui uſurario, tenentur ad reſtitutionem in ſolidum, ſicut dictum eſt de Notarijs, cùm contractus hujuſmodi abſque teſtibus non valeant. Limita, niſi hoc faciant bona fide, aut conſentientibus mutuatarijs. Ita Navarrus *cap. 17. num. 277.* & alij numero præcedenti citati.

Navarrus.

34. Crimen uſuræ juxta quoſdam poteſt cognoſcere Iudex laicus, ſive de iure, ſive de facto quæratur; ſed verior & communior Doctorum tam Theologorum quàm Canoniſtarum ſententia docet, ubi conſtat contractum aliquem uſurarium eſſe, hujuſmodi delictum eſſe mixti fori, ità ut ſit locus præventioni, poſſeque hujus delicti reum, tam ex mandato Iudicis Eccleſiaſtici, quàm ſæcularis compelli ad reſtitutionem uſurarum, ſi quas acceperit, & ratione illius delicti puniri. Si verò dubium fuerit, an contractus ſit uſurarius, pertinet ad Iudicem Eccleſiaſticum declarare, an contractus ille in judicium Eccleſiæ tanquam ſuſpectus de uſura vocatus uſurarius ſit. & reũ, ſi in labem iniquitatis uſuriariæ inciderit, ad reſtitutionem compellere & punire. Quæ omnia communi uſu Tribunalium Eccleſiaſtici & ſæcularis obſervantur. Ita Salon *in 2. 2. q. 78. art. 3. contr. ult.* quem ſequuntur Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 3. punct. ult. n. 2.* Sylveſter *verb. Vſura 3. n. 1.* Reginaldus, Azorius & alij citati à Diana *part. 1. tr. 2. reſol. 78. & part. 9. tr. 9. reſol. 15.* Qui noviſſimus putat Iudicem Eccleſiaſticum poſſe præcipere iudici ſæculari ſub pœna excommunicationis, quod ſuperſedeat exequutioni contractus, donec decidatur, an ſit uſurarius, nec ne. Et hæc addita de mutuo & uſura ſufficiant.

Salon. Bonacina. Sylveſter. Azorius. Diana.

Vide verb. Aſſecuratio *n.* 4. Depoſitum *n.* 9. Fidejuſſio *n.* 5. Iuramentum *n.* 27. Locatio *n.* 8. Mendacium *n.* 8. Mons pietatis *n.* 4. Reſtitutio in integ. *n.* 3. Scandalum *n.* 3. & 4.

N.

NEGOTIA GESTA.

SUMMARIUM.

1 *Quid negotia geſta? & negotiorum geſtor?*
2 *Negotium alienum ut quatuor modis geri poſſit.*
3 *Ex qua culpa teneatur negotiorum geſtor? & an ex caſu fortuito.*
4 *Quæ ſit obligatio ex parte negotia gerentis, & ex parte ejus cujus negotium geſtum eſt? Quid, quando quis putans ſe agere negotium unius, geſſit alterius.*
5 *Ad quid teneatur incipiens gerere negotium & poſtea imperfectum relinquens.*
6 *Ad quas expenſas teneatur is, cujus negotium geſtum eſt.*
7 *An qui fecit expenſas alicui animo gratuito & liberali, poſſit poſtea mutare propoſitum, & illas petere actione negotiorum geſtorum.*
8 *Quod diſcrimen ſit inter negotiorum geſtorem, procuratorem, & mandatarium.*
9 *Ex quibus alijs quaſi contractibus oriatur actio negotiorum geſtorum.*
10 *Pupillus ad quas expenſas teneatur tutori & extraneo actione negotiorum geſtorum.*

1. NEgotia geſta dicuntur, cùm abſque mandato formaliter aut virtute negotium alterius utiliter geritur: ſi verò præcedat mandatũ formaliter aut virtute, non erit contractus negotiorum geſtorum, ſed mandati. Negotiorum geſtor is dicitur, qui negotia alterius utiliter gerit abſque eo quod de ijs habeat ab illo mandatum formaliter aut virtute: quia tum res ipſa, tum bonum commune poſtulabat, ne res & negotia abſentium & minorum damnum paterentur; ideò ſtatutum eſt, ut utrinque oriretur obligatio, ideoque exiſteret hic quaſi contractus negotiorum geſtorũ. *Inſt. de obl. quæ ex quaſi contractu naſcuntur.*

Requiritur autem in hoc quaſi contractu abſentia: nam ſi præſens fueris & permiſeris alium tua negotia gerere, eo ipſo videris mandare, & oritur contractus mandati, *l. Si remunerandi, §. ſi paſſus, ff. Mandati.*

2. Negotium alienum quatuor modis geri poteſt: *Primò*, curâ & officio; ut gerunt tutores, curatores, procuratores, adminiſtratores. *Secundò*, reipſâ, cùm in utilitatem alterius aliquid impenditur, etiamſi ejus intuitu factum non ſit. *Tertiò*, ratihabitione, nempe, quando quòd tuo nomine geſſi, ratum habes, & niſi ratum haberes, nihil ad te pertingeret. *Quartò*, ipsâ negotij geſti actione; ut ſi quis creditori alterius ſolvat eo abſente vel ignorante. Item in hoc quaſi contractu nihil refert, ſi aliquis gerat negotia alterius ſive per ſe, ſive per alium: poteſt enim qui negotia gerit, ſicut & procurator, aliquem ſubſtituere ad negotia gerenda, ſuo tamen periculo, *l. Nam & Servius, §. final. ff. de negotijs geſtis.*

3. Qui gerit negotium alterius, tenetur ſolùm ex dolo & lata culpa, quando negotium geſtum in bonum ſolius abſentis eſt: ſi verò ſit in bonum utriuſque, tunc etiam tenetur de culpa levi. Sic eſſe ſolet in procuratoribus, & adminiſtratoribus, qui ſtipendio negotia aliorum gerunt, *Inſtitut. §. Igitur, de obligat. quæ ex quaſi contractu naſcuntur.*

De caſu autem fortuito regulariter non tenetur, *l. Negotium, Cod. de negotijs geſtis*, niſi in ſex caſibus iuxta Gloſſam *in l. Si negotia, ff. de negotijs. Primo*, ſi geſſerit negotia pupilli. *Secundò*, ſi acceſſerit animo deprædandi. *Tertio*, ſi acceſſit ad negotia inſueta, quæ alius non eſt ſolitus gerere. *Quartò*, ſi caſum fortuitum in ſe recipit ſpecialiter. *Quintò*, ſi culpa præceſſit caſum. *Sexto*, ſi fuerit in mora. De quibus Azorius *part. 3. lib. 11. cap. 24. dub. 1. & 2.*

Gloſſa. Azorius.

4 Ex parte negotia gerentis oritur obligatio ad reddendam rationem eorum, quæ geſſit, atque ad ſolvendũ ſi aliquid pervenit ad ipſum ex negotio geſto, ut fructus rei adminiſtratæ, pecuniam receptam ab ejus debitoribus, &c. Huic autẽ obligationi reſpondet in eo, cuius negotium geſtum eſt, actio directa adverſus negotiorum geſtorem. Ex parte eius, cuius negotium geſtum eſt, oritur obligatio ad ſolvendas expenſas in ipſius bonũ factas. Nomine autem expenſarum etiam intelligitur valor induſtriæ & operarum appoſitarum. Cui obligationi reſpondet in geſtore negotiorum actio contraria adverſus eum, cuius negotium geſtum eſt. Ita colligitur *ex l. Si remunerandi, §. 1. ff. mandati*, & *ex §. 1. inſtitut. de oblig. quæ ex quaſi contract.*

Quando

Quando quis putans ſe agere negotium unius, geſſit negotium alterius, quia res illa ad alium pertinebat, & non ad eum cuius intuitu negotium geſſit, reſultat nihilominus ex eo negotio geſto actio negotiorum geſtorum inter eum, cujus res illa erat, & negotij illius geſtorem, *l. Si cum putavi, l. Liberto, §. 1. ff. de negot. geſt.* Item, ſi quis nomine alterius recipiat aliquid, ſive ei, cujus nomine id recipit, eſſet debitum, ſive non, ſi is, cujus nomine id eſt receptum, poſtquam rem ſciuit, ratum id habeat, oritur inter recipientem & hunc actio negotiorum geſtorum, ut is, cujus nomine eſt receptum, ſolvat expenſas, *l. Si pupilli, §. Item quæritur, ff. de negot. geſtis.*

5. Si quis habeat res multas, quæ adminiſtrentur, vel negotia multa, quæ gerantur, & aliquis gerat unum eorum, & reliqua omittat quæ à nullo gerantur, regulariter non tenetur de his quæ non geſſit: quia negotiorum geſtor habet libertatem incumbendi ijs, quæ voluerit, & de alijs non curare: ſuâ enim ſponte negotia adminiſtrat; non ſic Tutor, vel Curator, vel Mandatarius. Tamen in caſu, quo alius geſturus erat negotia omnia abſentis, & quia ipſe quædam voluit & non alia, ille nullum voluit adminiſtrare; utique ſi conſcius erat, quod adminiſtrando quædam impedimento erat eo modo, ne omnia adminiſtrarentur, teneretur de non adminiſtratis, *l. Si pupilli, §. Videamus, ff. de negot. geſtis.* Hinc incipiens gerere negotium & deſiſtens ab eo antequam perficiatur, tenetur de damno ea de cauſa ſubſecuto: quia cenſetur initus quaſi contractus inter utrumque de eo gerendo & perficiendo, *l. In commodato, §. Sicut, ff. commodati.*

6. Quando is, cujus negotium geritur, expreſsè ſignificavit, ne alius ipſius negotium gereret, non tenetur ad expenſas factas poſt admonitionem, etiamſi utiliter negotium geſſerit; ad factas ante tenetur, *l. final. Cod. de negotijs geſtis.* Si nulla præceſſit admonitio & negotium, alioqui utiliter geſtum eſt, tenetur expenſas ſolvere, *l. Si ex duobus, ff. de negotijs geſtis.* Satis eſt autem fuiſſe negotium utile à principio cùm geri cœptum eſt, quamvis poſtea per accidens caſu fortuito, aut alia ratione utilitas effectum non fuerit ſortita. Ut ſi quis utiliter domum abſentis reficiebat, quæ ruinam minabatur, & caſu, aut malitia alterius poſtea exuſta ſit, reſtituendæ ſunt expenſæ factæ in ea reficienda. Si autem negotium à principio utiliter non fuit geſtum, ut quia majores ſumptus fecit in re aliqua, quàm eſſet utilitas, quæ ex eis ſumptibus eſſet ſperanda, tunc is, cujus erat tale negotium, non tenetur ad eos ſumptus, niſi juxta valorem ſubſecutæ utilitatis. Quando autem quis deceptus eſt, putans ſe utiliter gerere negotium alterius, & tamen reverà utile non erat geri id negotium, non tenetur is, cujus negotium eſt geſtum, ſolvere eas expenſas, *l. Sed an ultrò, l. Sive hæreditas, ff. de negotijs geſtis.* Ita Molina *de contract. tract. 2. diſp. 554.* Azorius *p. 3. lib. 11. c. 24. dub. 3.* & alij. Molina. Azorius.

7. Quando aliquis gratis, animoque liberali expendit aliquid in alterius commodum, idque vel ex pietate, vel ex domeſtica affectione, vel denique quacumque alia ratione Dei intuitu & eleëmoſynæ, aut ex amicitia, non poteſt mutare animum poſt tale negotium liberaliter in bonum illius geſtum & petere expenſas illas actione negotiorum geſtorum. Ita habetur *lib. 1. l. Alimenta, l. Si filius, l. Si paterno, Cod. de negotijs geſtis.* Ratio eſt, quia eo ipſo eas donavit, & conſequenter non poteſt petere pretium. Si non fecit animo gratuito & liberali, ſed potiùs animo compenſationem exigendi, tunc poteſt exigere id quod expendit, quia tunc utiliter quodammodo geſſit negotium illius. In dubio, res judicanda eſt ex circumſtantijs, ex quibus colligendus eſt animus negotium gerentis, qualis fuerit. Tamen qui habet animum gerendi negotium alterius gratis, poteſt, antequam incipiat, mutare animum, & ſic poſtea petere mercedem negotiorum geſtorum. Si verò cœpit animo gerendi negotium gratis, & poſtea cùm nondum perfectum eſt, mutavit animum, poterit mercedem petere ab eo tempore, quo mutavit, non autem à primo tempore. Ita Azorius *loco citato, dub. 4.* Vide Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 28. num. 3.* Azorius.

8. Diſcrimen inter negotiorum geſtorem & procuratorem, eúmve, qui ad id habet mandatum, hoc eſt, quòd negotiorum geſtor neque dominium, neque poſſeſſionem ei comparat, cujus negotium gerit, ſed id pendet ex ratihabitione & acceptatione ejus, cujus ipſius intuitu id negotium geſſit, eò quòd nunquam eum loco ſui in eo negotio conſtituerit: procurator verò, & univerſim, qui mandatum habebat, cùm conſtitutus ad id ſit voluntate ejus, cujus negotium gerit, comparare illi poteſt poſſeſſionem ac dominium. Ita Panormitanus *in cap. Accedens, de præbendis.* Panorm.

9. Ex alijs quaſi contractibus, de quibus fit mentio *in Inſtitutis de obligat. ex quaſi contract. §. Item ſi inter*, oritur actio negotiorum geſtorum; *Primò*, quando aliqui abſque ſocietate habent rem aliquam communem, ut ſi utrique donata ſit. Si enim unus eorum fructus ex ea percipiat, tenetur alteri actione directa ad dimidium deductis expenſis; non quidem ex contractu, cùm nullus contractus inter eos præceſſerit, ſed ex quaſi contractu.

Secundò Inſtitut. *loco citato, §. Hæres quoque*, numeratur inter quaſi contractus, obligatio hæredis, qui eo ipſo quòd hæreditatem adit, tenetur legatarijs ad legata, & creditoribus ad debita defuncti; non quidem ex contractu, ſed quaſi, quia iuris diſpoſitione, eo ipſo quòd hæreditatem adit, reſultat in eo obligatio ſolvendi legata & debita defuncti, ſaltem iuxta vires hæreditatis.

Tertiò, Inſtitut. *ibidem, §. Item is*, ſubjungitur exemplum quaſi contractus in eo, qui errore ſolvit quod non debebat: nam in eventibus, in quibus repetitio illius tanquam minimè debiti ei conceditur, competit ſibi actio non ex contractu, quia nullus inter ipſum & accipientem intervenit, ſed ex quaſi contractu. Vide Molinam *diſput. 555.* Molina.

10. Pupillus tenetur tutori actione negotiorum geſtorum pro expenſis neceſſarijs, quas fecit in ipſius negotijs. Nomine autem expenſarum neceſſariarum intelliguntur illæ, quæ cœptæ ſunt fieri ab initio in majorem pupilli utilitatem evidenter, etiamſi deinde fortuito incendio vel ſimili caſu effectus impeditus fuerit. Ad alias autem expenſas, quas tutor ex officio facere non tenebatur, pupillus non tenetur, niſi quatenus eſſet factus ex ijs locupletior; quod tamen in iure non comperitur conceſſum Minoribus. Unde ſi tertius aliquis negotium pupilli gerat, & faciat expenſas neceſſarias, tenebuntur ei tutor & pupillus actione negotiorum geſtorum; ſi utiles tantùm primo aſpectu, tutor tenetur ad eas integras; pupillus tantùm quatenus ex ijs factus eſſet ditior, *Inſtitut. de obligat. quæ quaſi ex contract. §. Tutores*, & *l. Si pupilli, iuncta gloſſ. ult. ff. de negotijs geſtis*, Molina *de contract. diſp. 555.* & alij. Molina.

NOVATIO ET DELEGATIO.

SUMMARIUM.

1 *Novatio unde dicta & quid sit.*
2 *Quomodo novatio fiat.*
3 *Quomodo olim præsumebatur facta novatio.*
4 *Delegare quid sit, & quid in delegatione requiratur.*

1. NOvatio à verbo novo est dicta, & à nova obligatione, quæ loco prioris succedit, & sic definitur ab Ulpiano, *est prioris debiti, seu obligationis in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem, transfusio, atque translatio, ita ut prior perimatur.* Neque interest qualis obligatio præcesserit, num naturalis tantùm, an civilis, & num verbis, re, aut consensu contracta, quoniam quæcumque novari potest verbis, nempe stipulatione, *l. 1. ff. de novationibus.* Ulpianus.

2. Novatio fit multipliciter, vel mutatâ personâ, in secunda obligatione, ut si alius constituatur debitor ejusdem quantitatis, sive hic esset debitor prioris debitoris, sive non. Vel adhibito aut remisso fideiussore, vel accepto, aut remisso pignore; vel facto augmento, aut decremento in quantitate debita; vel variato termino in priori obligatione constituto; vel appositâ conditione in posteriori obligatione, cùm prior obligatio facta esset purè aut è contrà; & denique factis his, aut alijs variationibus, animo tamen innovandi fit novatio. Tamen quando conditio apponitur in posteriori obligatione, cùm prior facta esset pure, idque animo novandi, censetur tunc facta novatio si conditio existat: si enim deficiat, manet prior obligatio, ac proinde non censetur facta novatio. Item si prior obligatio fuit sub conditione & secunda purè, non priùs censetur facta novatio, quàm conditio prioris obligationis impleatur: si enim deficiat, evanescit posterior obligatio, nisi contrarium in pactum deductum sit.

3. Olim iuris dispositione ex variationibus plerisque dictis præsumebatur facta novatio: quoniam præsumebantur factæ animo novandi extinguendique priorem obligationem & commutandi illam in posteriorem. Ita habetur *l. ult. in princip. Cod. de novat.* Hodie verò sancitum est, ut facta quacumque variatione in secunda obligatione, non censeatur facta novatio, ac proinde nec censeatur extincta prior obligatio, nisi contrahentes exprimant, se animo novandi efficere secundam obligationem, sed ut cum priori obligatione maneat secunda. Ita §. *Præterea, versic. Ideo nostra, instituta. Quibus modis toll. obligat.* Itaque ex utraque obligatione, aut instrumento, resultat obligatio comparatione creditoris; tamen si in posteriori obligatione, aut pacto exprimatur aliquid minui de priori obligatione, ad id non tenebitur iam prior creditor.

4. Delegatio seu delegare *est vice sua alium dare reum creditori, vel cui creditor iusserit.* Ita Ulpianus *l. Delegare, ff. de novat.* quare ex communi sententia, ad delegationem satis est, ut qui delegatur, de mandato delegantis se constituat reum, hoc est, debitorem creditoris delegantis pro delegante, suscipiendo in se debitum delegantis, esto ipse non esset debitor delegantis. Est autem delegatio species quædam novationis, & fieri debet stipulatione, stipulatore creditore delegantis & promittente delegante. De quibus plura apud Molinam *tract. 2. disp. 559.* Ulpianus. Molina.

NOVITIATVS.

Novitius.

SUMMARIUM.

1 *In quo loco novitij educari debeant iuxta decreta Clementis VIII. & Vrbani VIII.*
2 *An ingrediens Religionem debeat mutare habitum? Et quotuplex sit habitus religiosorum.*
3 *Quæ ætas requiratur ad novitiatum.*
4 *Parentes an possint filium impuberem Religioni offerre.*
5 *Amentes & furiosi an ad probationis habitum admitti possint.*
6 *Quando quis sui compos Religionem ingreditur, & postea in amentiam incidit, an tempus amentiæ computatur in novitiatus anno.*
7 *An coniux qui dedit alteri licentiam Religionem ingrediendi, possit illam revocare antequam alter profiteatur.*
8 *An ingressus unius coniugis in Religionem factus sine licentia alterius, possit postea ratus haberi per supervenientem consensum illius.*
9 *Quando teneatur differre Religionis ingressum ille, qui habet fratres vel sorores in gravi necessitate constitutos.*
10 *In quibus casibus Constitutio Sixti V,* Cùm de omnibus, *non habeat locum.*
11 *An liceat parentibus Religionem ingredi, non providendo priùs qualiter filij educari valeant? Et an illorum professio sit valida, neglectâ dictâ curâ.*
12 *Si quis promiserit personam suam alicui, an possit promissione non completa Religionem ingredi, si cum juramento se obligasset.*
13 *An vir, cujus culpa divortium per sententiam iudicis est factum, possit ingredi Religionem sine mulieris innocentis consensu?* Refertur duplex sententia.
14 *An hermaphroditus sit inhabilis ad Religionem, quicumque sexus in ea prævaleat.*
15 *An impotens ad servanda Religionis essentialia, & accidentalia præcepta & observantias, inhabilis sit ad Religionis ingressum & professionem.*
16 *An regularis transiens cum licentia ad aliam Religionem, teneatur ibi integrum novitiatus annum perficere?* Refertur duplex sententia. *Et quid iuris, si transeat ut fiat Prælatus.*
17 *Qua scientia regulæ requiratur in novitio, antequam admittatur ad professionem.*
18 *An novitius, quamdiu Religionis habitum retinet, possit licitè & validè matrimonium contrahere.*
19 *An continuitas anni novitiatus & probationis debeat esse usque ad professionem sine ullo intervallo temporis?* Refertur duplex sententia.
20 *An annus novitiatus interrumpatur, quando novitius de licentia sui Superioris causâ infirmitatis, à monasterio exiret? Et quid si novitius retento habitu perterritus severitate Superioris, occultè exeat.*
21 *An novitius iure possit eligi ad aliquam prælaturam in sua, vel in alia Religione? Et an possit ei conferri beneficium seculare.*
22 *An beneficium regulare possit obtinere novitius iure antiquo & novo Tridentini.*
23 *Quæ solemnitates requirantur à Concilio Tridentino, ut renunciatio bonorum facta à novitio sit valida.*
24 *An novitius possit beneficio renunciare, non servatâ formâ & solemnitate Concily Tridentini?* Refertur

fertur duplex ſententia.

25 *An novitius poſſit donationem cum hujuſmodi ſolemnitate factam ante profeſſionem revocare.*

26 *Vt donatio à novitio facta cum dicta ſolemnitate ſit firma, an requiratur quod profeſſio ſit valida.*

27 *An ſub decreto Tridentini comprehendatur renunciatio patrimonij, ad quod fuit ordinatus? Et an habeat locum illud decretum in renunciatione officiorum publicorum temporalium.*

28 *An ſub dicto decreto comprehendantur eleemoſynæ parvæ, & quæ dantur Monaſterio & Monialibus in ingreſſu in novitiatum, vel in ipſa profeſſione.*

29 *An renunciatio facta à novitio ante ingreſſum Religionis, intuitu tamen Religionis, valeat?* Refertur duplex ſententia:

30 *An novitius poſſit condere teſtamentum ante vel poſt ingreſſum Religionis, non ſervatis ſolemnitatibus Concilij Tridentini? Et an poſſit facere donationem inter vivos, & contractus magni momenti, irrevocabiles? Et quid de donatione remuneratoria.*

31 *Quando profeſſio non ſequitur, quia moritur novitius ante profeſſionem, an donatio ab illo facta habeat effectum?* Refertur duplex ſententia.

32 *An novitius poſt profeſſionem poſſit prius teſtamentum à ſe conditum revocare aut mutare? Et an poſſit profeſſus habens filios, inter eos dividere bona, ſi ante profeſſionem nullam diſpoſitionem illorum præmiſit.*

33 *An poſſit novitius poſt profeſſionem interpretationem dubiæ & obſcuræ ſuæ voluntatis teſtamento non ſatis explicatæ facere.*

34 *An teſtamentum novitiorum requirat ſolemnitates iure communi petitas ad valorem teſtamentorum. An requirantur ſolemnitates iuris civilis, vel canonici? Et an poſſit novitius minor diſponere ſine auctoritate tutoris & decreto judicis.*

1. CIrca locum, in quo novitij educari debent, extant ſpecialia decreta Clementis Papæ VIII. quorum primum eſt ſub data 12. Martij 1596. quod incipit, *Regularis diſciplinæ*, in quo ſtatuit diſtrictéque præcipit omnibus Generalibus, Provincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, ceteriſque Superioribus Conventuum intra Italiæ, & Inſularum adiacentium fines exiſtentium quibuſcumque, & quorumcunque Ordinum Mendicantium, ut de cetero neminem ſub quovis prætextu, aut colore ad habitum regularem admittant, niſi in Conventibus auctoritate ſua propediem in unaquaque Provincia deſignandis. Inſuper ſancivit, ut quoad ejuſmodi Conventus, ut præfertur, qui per illum deputati non fuerint, omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcumque Novitiorum, ſive ad habitum, ſive ad profeſſionem omninò abſtineant: Superior verò, qui hujus Decreti tranſgreſſor extiterit, ipſo facto pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vociſque activæ, & perpetuæ inhabilitatis ab alia impoſterum obtinenda, ſe noverit incurriſſe. Receptiones autem & profeſſiones quaſlibet eorum, qui contra hujuſmodi Decretum admiſſi fuerint, nullas & irritas ex nunc decernit & declarat, privilegijs, ſtatutis & conſuetudinibus quibuſcumque in contrarium minimè obſtantibus. Cl. VIII.

Hoc Decretum poſtea fuit renovatum & ampliatum à Sacra Congregatione juſſu Prædicti Clementis VIII. die 20. menſis Iunij 1599. per aliud, quod incipit, *Sanctiſſimus in Chriſto Pater.* Quia non obſtante tali prohibitione, cognovit Sua Sanctitas nonnullos fuiſſe, vel ſub colore facultatis & licentiæ à Sanctitate ſua obtentæ, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non pervenerit, receptos & admiſſos, præter mentis ſuæ ſenſum: ubi præcipitur omnibus Superioribus Conventuum, Monaſteriorum, ac Domorum, quocumque nomine appellentur, intra Italiam, & Inſularum adjacentium fines exiſtentium, quorumcumque Ordinum Mendicantium & non Mendicantium (excèptis tamen Carthuſianorum, Fratrum Minorum de ſtrictiori Obſervantia, necnon Capucinorum Sancti Franciſci, Reformatorum Sancti Dominici, Diſcalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fulienſis, Ciſtercienſis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulenſis & Montis Coronæ, Clericorum regularium Theatinorum, Societatis IESV, Sancti Pauli Decollati, & aliorum de Somaſcha, Miniſtrorum infirmorum, reſpectivè Ordinibus, Societatibus, ſeu Congregationibus nuncupatis) ne ſub cujuſvis licentiæ & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, niſi per literas in forma Brevis dumtaxat & non aliàs quemquam ad habitum regularem ſuſcipiendum recipere, aut receptos ad profeſſionem admittere, niſi in conventibus deſignandis, ut ſuprà, ullo modo audeant, ſub pœnis in primo decreto contra Superiores & receptos, ſtatutis. S. Congr.

Hæc duo decreta extant apud Bartholomæum de Vecchis *in praxi novit. diſp.* 11. Vecchis.

Sed quia prædicta decreta pleriſque in locis Italiæ & Inſularum adiacentium non fuerunt ritè obſervata, & ſic multæ profeſſiones eſſent irritæ, S. D. N. Vrbanus VIII. huic malo proſpicere volens, Conſtitutionem edidit, quæ incipit, *Religioſos viros*, die 2. Aprilis 1631. per quam committit & mandat omnibus Superioribus religioſorum, quatenus omnes, & ſingulos religioſos prædictos, qui ad habitum regularem aliàs Canonicè recepti, annum probationis in Monaſterijs, ſeu domibus regularibus ad id deſignatis minimè fecerunt, & profeſſionem nihilominus emiſerunt, ad profeſſionem denuò ſervatis aliàs ſervandis emittendam, quæ ſic immiſſa illis, & eorum cuilibet, tam in foro interiori, quàm exteriori ſuffragari debeat, abſque novo probationis anno, auctoritate Apoſtolica recipiant & admittant, eoſque, poſtquam profeſſionem denuò, ut præfertur, emiſerint, ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, atque habilitates, quas, ſi ab initio validè profeſſi eſſent, legitimè obtinerent, eadem auctoritate reſtituant ac reſtitutos eo ipſo eſſe, & cenſeri declarent, &c. ut pleniùs continetur in dicta Conſtitut. quæ ad longum refertur apud Tamburinium *de iur. Abbat. tom.* 3. *diſp.* 6. *poſt quæſit.* 7. Vrb. VIII Tambur.

2. Religionem ingrediens debet mutare habitum, illumque de eà Religione, quam ingreditur, per manus Prælati vel alterius de ejus licentia ſuſcipere. Ratio eſt, tum quia qui mundi contemptum & pœnitentiam profiteri deſiderat, debet habitu ſingulari aliquo modo pœnitentiæ, & contemptui conformi uti, ut oſtendat, ſe interiùs, & exteriùs à ſæculari ſtatu in religioſum mutatum. Tum quia ut ex tali habitu cogatur bene vivere & perfectiùs ceteris hominibus vitam ducere. Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de regular.* decernit, annum Novitiatus numerandum eſſe à die ſuſceptionis habitus. Tum quia in qua- Con. Tr.

libet Religione conſuetudo ita obtinuit, ut docent Gloſſa *in cap. Super eo, in fine, de regular.* Hoſtienſis *in Summ. titul. de regul. num. 1. in fine*, Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæſt. 9.* Rodriguez *to. 3. quæſt. 15 art. 9.* Miranda *in man. tom. 1. quæſt. 22. art. 6.* & alij. Gloſſa. Hoſtienſ. Azorius, Rodrig. Miranda.

Advertendum autem eſt, religioſorum habitum triplicem eſſe, ut docent Gloſſa communiter recepta, *in cap. 1. 27. quæſt. 1. in verb. Apparuerint.* Archidiac. Ioan. Andreas *in cap. Conſtitutionem, de regular. in 6.* nimirum, habitum probationis, converſionis, & Profeſſionis. Habitus probationis datur Novitijs, de quo *in cap. Statuimus, de regul.* Habitu converſionis utuntur ij, qui dicuntur converſi, de quo *in cap. Conſuluit, qui clerici vel vouentes.* Habitus Profeſſionis eſt profeſſorum proprius, qui ſecundùm iura antiqua dicebatur habitus Religionis: nam olim in monaſteria ſolebant admitti novitij ad probationem, & toto probationis tempore priſtino vulgari habitu utebantur: ideò iure antiquo Canonico ſuſceptio habitus monaſtici intelligebatur profeſſio Religionis, quia habitus Religionis non concedebatur niſi profeſſis. At verò temporis proceſſu, uſu, more & inſtituto religioſorum introduci cœpit, ut Novitij probationis tempore, priſtinam ac vulgarem veſtē deponerent, induti habitū Religionis in regula Cōſtitutum, ac ita cœpit habitus Religionis diſtingui in habitum Probationis & Profeſſionis: qui aliquando eſt omninò diverſus atque diſſimilis, aliquando verò diſtinctus non eſt. Proinde licet Novitius debeat habitum deferre, quem Regula & ſtatuta Religionis præcipiunt; non eſt tamen de ſubſtantia anni probationis debere Novitium induere habitum diſtinctum ab habitu Profeſſorum; ſed de ſubſtantia probationis eſt, præſertim ut novitius ſæculari habitu ſpolietur, & induatur habitu regulari ſolito illius Religionis, ſive ſit novitiorum, ſive Profeſſorum illius Religionis, ut bene probat Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 14. num. 10.* Gloſſa. Archidiac. Io. Andr. Suarez.

3. Ætas legitima ad novitiatum eſt pubertas completa, videlicet in viro 14. anni completi, in femina verò duodecim. Et quamvis ante ætatem hanc admitti quiſpiam ad Religionem poſſit, at verè & propriè novitius incipit eſſe, donec illam expleat. Ratio eſt, quia annus ille datur ad auſteritates Religionis experiendas, inter quas ſupremum locum obtinet caſtitatis obſervantia: cujus difficultates impuberes experiri plenè nequeunt; quod videtur ſupponi *in Clementina final. iuncta Gloſſ. verb. Ætate, de regularib.* & docent Sylveſter *verb. Religio 2. quæſt. 12.* Roſella *verb. Novitius n. 9.* & ibi Angelus *num. 1.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæſt. 4.* & alij. Nec in hoc malitia ſupplet ætatem. Gloſſa. Sylveſt. Roſella. Angelus.

Contra hanc aſſertionem non obſtat Conſtitutio Sixti V. *Cùm de omnibus*, edita anno 1587. quia in ea Conſtitutione non habetur talis prohibitio, ut voluit Sorbus noſter *in compendio privileg. verb. Novitius, notab. 4* ſed ſolùm ut fiat inquiſitio de vita & moribus eorum, qui veniunt ad Religionem expleto decimoſexto ſuæ ætatis anno. Sixtus V. Sorbus.

Nec obſtat etiam Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 15. de regular.* decernens emittendam non eſſe profeſſionem ante 16. annum expletum; quia ibi loquitur tantùm de profeſſione, nulla mentione facta de receptione ad probationem. Unde hòdie annus probationis perfici poteſt ante 16. annum completum, & virtute illius probationis fieri poteſt profeſſio expleto ſextodecimo anno. Ita Navarrus *lib. 3. conſil. titul. de regular. in 1. edit. conſil. 30. num. 1. & in 2. conſil. 20.* Miranda *in man. tom. 1. quæſt. 22. art. 3.* Suarez *tom. 3. de religion. lib. 5. cap. 1. num. 6.* Reginaldus *lib. 18. num. 385.* Rodriguez, Azorius & alij communiter. Con. Tri. Navarrus. Miranda. Suarez. Reginal. Rodrig. Azorius.

Ex quibus infertur, quod licet aliquis per plures annos in Religione fuerit, non cenſetur omninò expleviſſe annum probationis, donec 16. ætatis annum impleat.

Dubium tamen eſt inter Doctores, an correctum ſit ius antiquum per Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 17. de regul.* quoad feminas, ubi dicitur, *Sancta Synodus ſtatuit atque decernit, ut ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa, vel alia profeſſionem emittat, quàm exploraverit Epiſcopus Virginis voluntatem.* Quod decretum intelligit Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 18. verſ. 55. & 56.* Naldus *in Summ. Habitus, num. 6. & verb. Monialis, num. 5.* Rodriguez *tom. 3. quæſt. reg. quæſt. 12. art. 2.* ut duo in eo ſtatuantur. Prius eſt, ne puella duodecim annis minor poſſit ad habitum regularem ſuſcipiendum admitti. Poſterius eſt, ne aliqua profiteatur, antequam Epiſcopus ejus voluntatem exploret, an coacta, & an ſeducta ſit, & an ſciat quid agat. Et hujus ſententiæ fuerunt omnes Patres, qui ad Concilium Provinciale Toletanum anno 1582. convenerunt. Alij contra dicunt, ibi nihil de puellæ ad Religionem admittendæ ætate decerni, ſed de examine voluntatis præmittendo, quando ingrediens fuerit major duodecim annis, & ita ſub conditione loqui Concilium, *ſi major duodecim annis fuerit*, quæ nihil ponit in eſſe: Imò id decretum clarè ſupponere minorem ea ætate admitti poſſe. Ita Suarez *tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 1. num. 9.* Miranda *in tract. de Sacris monial. q. 8. a. 2.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 18. n. 34.* & alij. Hæc ſententia verior apparet, ſtando in verbis Concilij. Sed quia fertur Sacram Congregationem contrarium determinaſſe, & declaraſſe, non eſſe voluntatem Congregationis, neque Concilij, ut ante duodecimum annum puella ad habitum ſuſcipiendum admittatur, ſi de ea declaratione conſtet authenticè, illi ſtandum eſſet, & à prima ſententia non recedendum. De his vide Hieron. Rodrig. *in compend. reſol. 101. n. 23. & 24.* Dianam *part. 3. tract. 2. reſol. 47.* Con. Tr. Suarez. Miranda. Sanchez. Sac. Con. Hieron. Rodrig. Diana.

4. Attento iure antiquo, poſſunt parentes filium impuberem Religioni offerre, ut in ea ſub regulari diſciplina vivat, ut expreſsè deciditur in Concilio Wormatienſi *cap. 12.* & habetur in cap *Addidiſtis 20. quæſt. 1.* Hoc autem intelligitur, niſi peculiari Religionis conſtitutione caveatur, ne infans, aut impubes admittatur, ut bene docent D. Ant. 3. *p. tit. 16. c. 2. §. 4.* Sylveſter §. 4 Rodriguez *verb. Religio 2. q. 10.* Hæc autem oblatio operatur ut impubes ſic Monaſterio oblatus nequeat reſilire, donec pubertatem completam adipiſcatur; nempe, puer 14. annos completos, puella verò 12. completos; at ea ætate completâ liberum ei perſeverare, aut ad ſæculum redire, donec profeſſionem tacitam aut expreſſam faciat, ut habetur expreſsè *in cap. Significatum, & cap. Cùm ſimus, de reg.* Quando verò propria ſponte abſque prædicta oblatione impubes Religionem ingreditur, poteſt quandocunque exire, donec profiteatur, ut conſtat ex eo cap. *Significatum.* Si autem impuberes Religionem abſque parentum vel tutorum conſenſu ingrediantur, poſſunt parentes vel tutores id factum irritum facere, & impuberem revocare, niſi anno & die id diſſimulando conſenſerint, quo tempore tranſacto revocare nequibunt, ut habetur expreſsè *c. 2. de regul.* Concilio Wormat. D. Anton. Sylveſter. Rodrig.

Et

Et quamvis ibi dicatur, si infra annum non reclamaverint, supplenda est tamen in eo textu dies, ut definitur *in cap. Puella* 20. *q.* 2. Hic verò annus computandus est à die scientiæ ingressus impuberis habitæ per parentes, aut tutores, ut tradunt Glossa *in dict. cap. Puella, verb. & si annum, in fine*, Hostiensis *in Summ. tit. de regul. n.* 10. Sylvester, *verb. Religio* 2. *q.* 11. Rosella *verb. Novitius n.* 1. & alij. Plura dicenda essent de horum pupillorum receptione, quæ omitto & videri possunt apud Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *c.* 1. 2. *&* 3. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 18. *à num.* 12. Tamburinium *tom.* 3. *de iur. Abbat. disp.* 6. *quæst.* 2.

Glossa. Hostiens. Sylvester. Rosella. Suarez. Sanchez. Tambur.

5. Amentes & furiosi ad probationis habitum admitti non possunt : quia cùm rationis usu careant, iure naturali inhabiles omninò dijudicantur ad Religionis ingressum causâ probationis, eò quòd debet tunc novitius incipere probationem in ordine ad obligationem tempore professionis præstandam: & cum hæc probatio fieri non possit sine usu rationis, quia fit per experientiam, quę rationis actus est, patet hanc probationem requirere consensum : ergo hi amentes & furiosi sunt omnino inhabiles ad Religionem ; ut colligitur expressè *ex cap. Sicut tenor, de regular.* & docent Miranda *tom.* 1. *Manual. q.* 17. *art.* 5. *concl.* 3. Sylvester *verb. Religio* 5. *quæst.* 2. Angelus *verb. Novitius, num.* 8. & alij communiter. Proinde si quis tempore amentiæ receptus esset, & postea usum rationis recuperaret, annus probationis computandus non est à tempore receptionis, sed à tempore, quo consensum mediante usu recuperato præstitisset. Imò in casu quo amens perpetuus admitteretur ad induendum Religionis habitum, & post plures annos rationis usum recuperaret, non posset ratione præteriti temporis professionem facere, aut novitius reputari, etiamsi ratam habere vellet primam receptionem ; ut docet Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 4. quamvis oppositum dixerit Hostiensis, & multi cum sequantur : quia quod à principio nullum fuit, non potest tractu temporis firmari, ut habet regula, *Non firmatur, de reg. juris in* 6. Adde actum illum ex intrinseca repugnantia & incapacitate personæ esse nullum, & ideò nullo modo fieri posse, ut in eo fundetur verus novitiatus, seu probatio Religionis, in quo solo ferè consistit, quod sit valida receptio.

Miranda. Sylvest. Angelus. Suarez. Hostiens. Reg. Iur.

6. Maius dubium est, quando quis sui compos Religionē ingreditur, & anno novitiatus in amētiam incidit, an tempus amentiæ computetur in novitiatus anno, ita ut possit eo transacto, suique compos effectus validè profiteri? & quidē pars negans videtur inde probari, quia qui rationis compos non est, nequit experiri, & explorare monasticam disciplinam, nec propriè est sub obedientiæ jugo. Atque ita cùm ad id concedatur annus novitiatus, id tempus ineptum prorsus erit. Ita videtur sentire Sylvester *verb. Religio* 5. *q.* 2. ubi ait per furiā auferri Religionis probationem, sicut per impubertatem, nisi quando expleto integro anno furia superveniret. Tabiena *verb. Novitius q.* 4. ait, Novitiatum inchoandum esse cessante furore, sicut & cessante impubertate. Nihilominus mihi dicendum videtur, amentiam seu furorem citò transeuntem ex morbo supervenientem, & durantem octo aut quindecim dierum spatio, non impedire cursum anni novitiatus, nec id tempus transacto anno supplendum, sed in eo computandum, & eo finito legitimam fore professionem, ut testatur praxis omnium Religionum. Ratio est; quia jura annū novitiatus poscentia, minimè hoc tēpus non computandum decernunt. Quando autē dementia esset extraordinaria, puta si duraret per mensem sine ullo alio morbo, tunc impediretur cursus anni novitiatus, & non esset id tempus in anno novitiatus computandum, sed transacta dementia supplendum; non tamen iterum inchoandus esset annus novitiatus: quia eo medio amentiæ tēpore non interrumpitur novitiatus, cùm amens ille maneat in Religione, vel extra de Prælati licentia, nec à Religione expulsus sit; sed tantùm dormit, seu suspenditur novitiatus: sicut tradunt Doctores, præscriptionem contra Ecclesiam non interrumpi, sed dormire, seu suspendi, dum ea vacat Prælato. Ita Sanchez *l.* 5. *mor. c.* 4. *n.* 55. Quamvis Suarez *loco cit. n.* 3. *in fine* putet, si quis receptus sit legitimè & postea durante novitiatu in amentiam incidat, & in ea pro aliquo notabili tempore duret, priorem receptionem irritam reddi; quia pro eo tempore, pro quo amentia duraverit, persona inhabilis ad probationem facta est.

Sanchez. Suarez.

Certum est tamē, quòd si post expletum probationis annum, & ante professionis emissionem in amentiam incidat, ac postea mentis cō pos effectus ratam habeat probationem, poterit ubique ad professionem admitti. Ita Sylvester *loco cit.* Vecchis *in praxi novit. disp.* 2. *dub.* 7. *in fine*, & alij.

Sylvester. Vecchis.

7. Quamvis pater dans filio impuberi facultatē ingrediendi Religionem, non possit illam revocare etiam ante professionem; coniux tamen qui dedit alteri licentiam Religionem ingrediendi, potest illam revocare antequam alter cōiux profiteatur. Nam secundùm omnes ferè Doctores potest maritus revocare licentiā datam uxori ad vovendū, si eam præveniat, priusquam votum emittat; quia nondū orta est obligatio ad Deum ex parte eius, cui data est licentia; nec qui illam dedit, statim se privavit dominio suo, ut illā revocare non possit: quæ ratio in præsenti locū habet. Namis coniux, qui ingressus est Religionē, potest sua sponte exire ante professionem, & ad alterum redire, qui tenetur eum recipere & maritalem vitam cum illo agere: ergo & ipse potest alterum revocare, & ipse parēre tenetur : debent enim esse jura paria, & uterque intelligi debet esse pro eo anno quasi in probatione, an sibi expediat perpetuò ab alio separari. Proinde non est similis ratio de patre offerente filium impuberē; quia ille quandam donationē facit, & suo juri absolutè cedit, coniux verò solùm dat licentiam ad probandum, & tacitè sibi jus similis probationis reservat. Unde etiamsi uterque coniux ex mutua facultate Religionem ingrediatur, si unus non perseverat, potest alterum revocare : quia uterque censetur porbare cum dependentia ab alio. Ita loquens de voto docet D. Bonaventura *in* 4. *dist.* 32. *in expos. litera n.* 4. Richardus *ibi. a.* 2. *q.* 2. *corpore.* Paludanus *q.* 2. *a.* 2. *n.* 18. Rosella *verb. Votum* 3. *n.* 2. Clavis Regia *lib.* 6. *c.* 10. *n.* 12. Sanchez *lib.* 4. *mor.* 27. *n.* 1.

D. Bonav. Richard. Paludan. Rosella. Clav. Reg. Sanchez.

8. Ingressus unius coniugis in Religionem à principio factus sine licentia alterius potest postea confirmari, & ratus haberi per superveniens consensum illius. Ratio est ; quia nullo jure aut ratione probari potest sufficienter illum ingressum ita fuisse invalidum, ut non possit superveniente consensu coniugis sufficere ad probationem validam faciendam. Iura enim solùm irritant professionem factam ab uno coniuge sine licentia alterius ; de primo verò ingressu nihil speciale statuunt. Quocirca si uxor sine licentia mariti Monasterium ingrederetur, & per sex menses in novitiatu maneret coniuge invito, à quo tandem licentiam obtineret per-

manendi ſimpliciter & profitendi, non oportet novum annum novitiatus inchoare ſed poſt annum expletum à primo ingreſſu poſſet profiteri: quia ibi interveniunt ad profeſſionem, quæ iura requirunt: ergo primus ingreſſus validus efficitur, quandocumque ante profeſſionem, conſenſus coniugis obtineatur. Accedit, quod ſi uxor ingreſſa ſit religionem viro invito, & novitiatum in ea faciat, & contingat maritum mori; poteſt ſtatim poſt annum à primo ingreſſu profeſſionem emittere, quia jam eſt ſublatum impedimentum: ergo ſignum eſt, primum ingreſſum non fuiſſe prorſus invalidum, ſed ſolùm dependentem ab alio coniuge: ergo validus eſſe incipiet, quoties maritus conſenſerit. Ita Sanchez *l. 7. de matr. diſp. 37. à n. 46 uſque ad 70.* ubi multa circa hanc materiam diſputat. Idem videtur ſentire Azorius *to. 1. lib. 12. cap. 1. q. 6. §. Si quaras.* ubi ait: Quid ſi uxor dum vixit, virum non repetivit, & mortua eſt, an vir in Religione perſeverare cogatur? Reſpondent Calderinus, Abbas, Angelus, Sylveſter, Roſella, Tabiena, Armilla, debere in Religione permanere: quia cauſa, quæ ingreſſum ejus in Religionem impediebat, ceſſavit. Vide etiam Leſſium *lib. 2. c. 41. dub. 3. n. 25. & 26.* Suarez *to. 3. de relig. lib. 5. c. 4. n. 9* apud quem plura.

Sanchez. Azorius. Calderin. Abbas. Angelus. Sylveſter. Roſella. Tabiena. Armilla. Leſſius. Suarez.

9. Qui habet fratres vel ſorores in gravi neceſſitate conſtitutos, non tenetur causâ eis ſubveniendi ad differendum Religionis ingreſſum. Nam per ſe certum eſt, fratrem non obligari ad alendum, vel educandum frattrem, etiam minorem natu, quia non eſt principium ejus. Tamen ſi fratres ſint adhuc ſub cura parentis, & ſic cenſeantur augere neceſſitatem & indigentiam ejus, hac ratione parentis obligari quis poteſt etiam ad fratres ſuos; quia tunc conſiderantur ut pars ejuſdem parentis; puta, ſi mater vidua plures filias virgines habens ſub cura & obligatione ſua, haberet quidem neceſſaria ad ſuam ſuſtentationem, non tamen ad convenientem educationem filiarum, & ad collocandas illas in decenti ſtatu, moraliter cenſetur eſſe in gravi neceſſitate, in qua non poſſet licitè à filio deſeri propter Religionis ingreſſum, ſi alioqui poſſet illi neceſſitati providere. Per ſe autem ſi fratres conſiderentur ſeparati à parentibus iam defunctis, non obſtante illorum gravi neceſſitate unuſquiſque poteſt licitè Religionem ingredi: quia obligatio unius fratris ad alium non eſt veluti ex juſtitia ratione proprij iuris vel naturalis ſubiectionis, quam unus frater habeat in alium, ſicut eſt obligatio inter patrem & filium; ſed eſt obligatio charitatis, major quidem quàm ſit inter extraneos ratione majoris coniunctionis. Ex quo patet, ex hac obligatione, quæ eſt inter fratres, oriri non poſſe hoc Religionis impedimentum, niſi ad breve tempus, id eſt in caſu extremæ neceſſitatis. Ita Leſſius *lib. 2. c. 41. dub. 3. num. 34.* Azorius *to. 1. lib. 12. c. 1. q. 8.* Suarez *to. 3. de relig. lib. 5. c. 6.* Sanchez *lib. 4. mor c. 20. n. 30.* Vecchis *in praxi novit. diſp. 2. dub. 10.* & alij communiter. Proinde hæc neceſſitas ſufficiens cauſa cenſetur ad diſpenſandum cum eo, qui habet votum Religionis, & maximè ſi habeat ſorores vel puerilis ætatis, vel nubiles, & ob ejus diſceſſum timeatur eas crimen impudicitiæ, aut ejus periculum incurſuras; ut bene notant Suarez & Azorius *locis citatis.*

Leſſius. Azorius. Suarez. Sanchez. Vecchus. Suarez. Azorius.

10. Cùm ex Conſtitutione Sixti V. quæ incipit, *Cùm de omnibus*, edita anno 1587. reddantur inhabiles & ad receptionem, & ad profeſſionem, qui ingenti ære alieno ſupra vires ſuarum facultatum ſunt gravati, & quoad illicitam horum receptionem & pœnas recipientium, in ſuo vigore adhuc maneat etiam poſt illius moderationem factam à Clemente VIII. ut ſcilicet profeſſio illorum valeat; dicendum eſt prædictam Conſtit. Sixtinam non habere locum *Primò* in monialibus, ut ipſemet Pontifex declaravit in alio motu proprio, §. *Ceterùm quæ à nobis.* nec in recipiendis ad ordines militares equitum: quia retinent ſua bona, & in ſæculo vivunt, & acquirunt bona. *Secundò*, nec in debitoribus, quando eorum facultates ſolvendo ſufficiunt; nec etiam, quando debita non ſunt magni momenti; nec in gravatis ære alieno incertorum dominorum, ſi pauperibus nomine proprio reſtituant. *Tertiò*, non includuntur in ea conſtitut. qui debitis ſupra ſuas facultates ſunt onerati, ſi bona omnia creditoribus relinquant, & nulla habetur ſpes, quòd manentes in ſæculo ſint ſolvendo. *Quartò*, nec comprehenduntur, qui ex ſola promiſſione liberali ſunt debitores; nec quando creditores conſentiunt in Religionis ingreſſum; nec ſimiliter, quando Monaſterium, aut alius eorum debita ſolveret. *Quintò*, non comprehenditur ſub hac conſtitutione damnatus ad pecuniæ pœnam ratione alicujus delicti, nec obligatus ad ſatisfactionem pecuniariâ cauſa alicujus damni, vel iniuriæ illatæ. De quibus Sanchez *lib. 19. num. 22. & ſequentibus*, Rodriguez *to. 3. qq. reg. q. 10. art. 9.* Miranda *in man. to. 1. q. 17. a. 7.*

Sanchez. Rodrig. Miranda.

11. Non licet parentibus Religionem ingredi, non providendo priùs qualiter filij educari valeant. Ratio eſt, quia parentes habent rationem principij, & ideò per ſe convenit illis filiorum cura, & ſubvenire illis, non tantùm ad tempus, ſed per totam vitam. Tum quia idem iudicium eſt de obligatione patris in filios, quod eſt filij in parentes, quantum ad propoſitum ſubveniendi neceſſitati alterius. Imò major videtur eſſe obligatio patris ad filium, quàm filij ad patrem, propter rationem quam affert D. Thomas *2. 2. q. ult. a. 6.* quia ſcilicet filius non per ſe, ſed per accidens, id eſt, ratione neceſſitatis tenetur ad alendum, honorandumque patrem: at pater non ex accidenti, ſed per ſe tenetur alere, & curam habere filij, eò quòd eſt principium ejus. Quod ſatis explicuit D. Paulus *2. ad Cor. 13.* dicens parentum eſſe filijs theſaurizare, non filiorum parentibus. Ita etiam docent Navarrus *commentar. 1. de regul. n. 8.* Miranda *to. 1. man. q. 17. a. ult. concl. 3.* Suarez *to. 3. de relig. lib. 5. cap. 6.* D. Antoninus *3. part. tit. 16. c. 2. §. 1.* & alij.

Navarrus. Miranda. Suarez. D. Anton.

Notandum tamen, quod prædicta doctrina intelligitur de obligatione erga filium nondum emancipatum; nam erga iam emancipatum eodem modo ſolùm tenetur ſubvenire, quo filius erga parentes, ut rectè advertit Suarez *loco citato n. 2.* Filius enim emancipatus iam non eſt ſub cura parentis, ſed gerit ſe ut perſona omnino ſui iuris, & ideò iam non tenetur pater per ſe loquendo ipſum alere; ſed ſupponitur hoc ſufficienter fecille, quando illum emancipauit. Ex quo ſequitur per ſe non teneri patrem non ingredi Religionem propter curam vel ſolicitudinem alendi hujuſmodi filium. Limita tamen, modò talis filius parentis ſubſidio non egeat: quia ſi gravi neceſſitate laboraret, cum parens deſerere non poſſet: quia in hac neceſſitate obligatur parens ſuccurrere filio emancipato eadem obligatione, qua ipſe filius tenetur ſubvenire parenti in ſimili neceſſitate conſtituto. Nam pater tenetur alere filium emancipatum, ſi egeat; quia hæc alendi obligatio non ex iure patriæ poteſtatis, ſed ex ſanguinis

Suarez.

nis charitate oritur, ut probat textus *in l. Si quis à liberis, §. 1. ff. de liber. agnoſcend.* ac proinde emancipatio non tollit naturalem filij obligationem erga patrem, nec iura ſanguinis, *l. Iurâ ſanguinis. ff. de orig. iur.* & docet Surdus *de aliment. tit. 1. quæſt. 1. num. 23. & 24.* cum alijs. Surdus.

Notandum *Secundò*, quòd ſi pater, relictis filijs abſque prædicta cura, iniquè ad Religionem tranſeat & in ea profiteatur, valida erit profeſſio: quia nullo iure talis profeſſio irritatur. Imò nec iam profeſſus tenetur egredi ad ſubveniendum gravi eorum neceſſitati, vel ad curandum de illis; ſed tantùm tenetur iuxta ſuum ſtatum & ſalva regulari obſervantia illis proſpicere, ut docet Sanchez *l. 4. mor. c. 20. n. 38.* Sanchez.

12. Si quis promiſerit perſonam ſuam alicui, vel etiam communitati, v. g. docturum alios ad tempus, vel aliquid ſcripturum, vel adminiſtraturum Rempublicam, vel quid ſimile facturum, poteſt promiſſione non impleta Religionem ingredi, etiamſi medio iuramento ſe obligaſſet. Ratio eſt, quia huic obligationi tacitè conditio ineſt, niſi tranſitus ad Religionem placeat: nam ſi in promiſſione mattimonij per ſponſalia iurata includitur tacitè hæc conditio, ſeu exceptio, multò magis in quocunque alio pacto humano ſubintelligenda eſt. Ita D. Antoninus *part. 2. tit. 11. c. 2. §. 1. & part. 3. tit. 16. c. 2 §. 3.* Azorius *to. 1. lib. 11. c. 5. q. 4. & l. 12. cap. 1. q. 4.* Reginaldus *lib 18. n. 378.* & alij apud Sanchez *lib. 4. moral c. 19. num. 31.* D. Anton. Azorius. Reginal. Sanchez.

Hæc tamen aſſertio non procedit in eo, qui ultra promiſſionem juramento firmatam, aliam obligationem juſtitiæ habet, quâ reſtituere aliquid, vel ratione iniuriæ, vel damni illati, cogitur: tunc enim de eo judicandum erit perinde ac de aſtricto alijs debitis, ut notant Azorius *loco citato*, Suarez *to. 3. de Relig. lib. 5. c. 7. n. 13.* & noſter Crouſers *in cap. 2. Reg. S. Franciſc. lect. 2. fol. 75.* & alij. Azorius. Suarez. Crouſers.

An autem hic ingrediens Religionem teneatur de damno ſequuto ex eo quòd fides ſervata non fuit? Quidam obligant hunc bona habentem ad ſolvendam rei promiſſæ æſtimationem & Monaſterium in ejus bona ſuccedens; & ſi res promiſſa poſſit per alium perfici, teneri ad id, niſi induſtria perſonæ electa ſit. Ceterùm probabilius cenſetur contrarium, nempe hunc non teneri perficere per alium, nec ad æſtimationem, nec ad damna. Ratio eſt, tum quia huic contractui tacitè ſubintellecta fuit conditio, niſi ad Religionem fiat tranſitus. Cùm quia in hoc caſu promittens nullam culpā committit ingrediendo in Religionē, niſi expreſsè obligaverit ſe ad promiſſionis adimpletionem, non obſtante ingreſſu in Religionem: tunc enim teneretur adimplere promiſſionem, cùm ſit de re licita. Ita expreſsè docent ingredientem Religionem in dicto caſu non teneri ad reſarcienda damna ex non adimpleta conditione, Paludanus D. Antoninus, quos citat & ſequitur Sanchez *loco citato, num. 34.* Bonacina *de reſtitut. diſp. 1. quæſt. ult. punct. 2. §. 1. n. 5.* Paludan. D. Anton. Sanchez. Bonacina.

Tamen qui aliquod obſequium homini promiſerat, ſi exeat tempore novitiatus, tenebitur illud exequi; quia non deficit conditio, nempe ſi tranſitus ad Religionem non placuerit. Non enim placuit cum effectu & verba cum effectu ſunt intelligenda, *cap. Relatum, de Cleric. non reſident.* Secus verò, ſi poſt profeſſionem expelleretur, cò quòd jam effectu defecerat illa conditio, & conſequenter extincta erat obligatio, ut amplius non poſſit reviviſcere. Ita Sanchez *loco citato, n. 34.* Sanchez. Bonacina.

Quamvis Bonacina *loco citato, n. 6.* putet talem novitium non ſolùm teneri promiſſionem adimplere, ſi exeat, vel ejiciatur ante, vel poſt profeſſionem, ſed etiamſi perſeveret in Religione, modò adimpletio promiſſionis ſit actus compatibilis cum Religione; nam iudicio prudentis in promiſſione cenſetur appoſita ſolùm conditio, cujus executio non eſt compatibilis cum ſtatu Religionis, & pro hac opinione citat Navarrum *in commentar. 2. de regul. n. 42.* Navarrus.

13. Difficultas eſt inter Doctores, an vir, cujus culpa divortium per ſententiam iudicis factum eſt, admitti poſſit in Religionem & eam ingredi ſine mulieris innocentis conſenſu? Affirmant quidam: quia ſententia illa non ſolum innocentem, ſed etiam adulterum ipſum à coniugalis ſervitutis obligatione eximit: quæ ſola obſtaculo eſt, ne coniuges ſtatum mutare poſſint: tum quia innocens perſiſtens uſque ad divortij ſententiam, illique convivens, videtur adultero facultatem ingrediendi Religionem & profitendi concedere, & quoad hoc iuri ſuo cedere. Ita Sotus *in 4. diſt. 36. q. unic. a. 5. ad 3.* Navarrus *lib. 4. conſil. in 2. edit. conſil. 4.* & alij probabiliter. Sotus. Navarrus.

Verius tamen eſt, non permitti coniugi adultero tranſire ad Religionem invito innocenti, etiam lata divortij ſententia, & ſi ingrediatur poſſe poſt profeſſionem revocari. Ratio eſt, quia cùm teneatur adulter reconciliari innocenti id petenti; ſi eo volenti reconciliationem renuat adulter, & ipſo invito profiteatur, non poteſt ea profeſſio iuri coniugis innocentis præiudicare, ut docent D. Thomas *in 4. diſt. 35. q. 1. art. 6. ad 3.* D. Bonaventura *ibidem, art. unic. q. 5. ad ſecundum*, Roſella *verb. Divortium, n. 11.* Sylveſter *ibid. q. 10.* Graffijs *part. 1. lib. 2. cap. 84. n. 14.* & alij. Tamen validè mutat ſtatum adulter poſt divortij ſententiam, ſi id ſciat innocens, nec contradicat cùm poſſit; quia ſatis videtur data licentia. Sic D. Antoninus 3. *part. tit. 1. cap. 21. §. 6.* Sylveſter *verb. Matrim. 9. quæſt. 11.* D. Thom. D. Bonav. Roſella. Graffijs. D. Anton. Sylveſter.

Duo autem hîc ſunt obſervanda: *Primum* eſt, quod quando innocens dat licentiam ingrediendi Religionem adultero, non eſt neceſſarium ut ipſa etiam ad Religionem tranſeat, vel votum caſtitatis emittat; ſed poteſt manere in ſæculo abſque voto aliquo: quia textus *cap. Sanè, cap. Cùm ſit, cap. Significavit, de converſ. coniug.* prohibentes mutationem ſtatus alterius coniugis, altero in ſæculo manente, ſaltem abſque caſtitatis voto, loquuntur, ubi matrimonium eſt integrum & illæſum perſeverat; ſecus ubi adeſt divortium.

Secundum, quod quando uxor innocens poſt divortium recuſat reconciliari marito, tunc dicatur eidem licentiam tranſeundi ad Religionem concedere. Et licet conſenſum neget, talis tamen negatio eſt irrationabilis: quia tenetur vel eum ſibi reconciliare, vel Religionis ingreſſum permittere. Nam innocens, lata divortij ſententia, non habet ius omnino in adulterum, ut ipſum quaſi ligatum habeat, ne ſibi poſſit conſulere ſtatum eligendo, ſi ad reconciliationem non admittatur; ſolùm enim habet ius reconciliandi & revocandi ad priſtinum matrimonij uſum: proinde hac reconciliatione denegatâ, poterit adulter, non obſtante mulieris reclamatione, ſtatum Religionis ſuſcipere, dummodo ſit emendatus, atque mulier de hoc pluries certior facta ſit, ut colligitur ex *cap. Gaudemus, de converſ. coniug.* & pluribus Doctoribus adductis, probat Sanchez *de matr. lib. 10. cap. 10. num. 16.* quem ſequitur noſter Vecchis *in praxi novit. diſp. 3. dub. 3. num. 10. & 11.* Sanchez. Vecchis.

14 Hermaphroditus inhabilis eſt ad ingreſſum Religionis, quicumque ſexus in eo prævaleat: &

si talis taceat suum defectum in ingressu Religionis, eo cognito postea, Prælatus eum expellere debet & habitu spoliare etiam post professionem. Ratio est; quia Hermaphroditus, secundùm jura, est infamis: infames autem non sunt admittendi ad Religionem; & propter hanc rationem debent ijdem Hermaphroditi excludi etiam ab Ordinibus & beneficijs. Ita Portel *in dub. reg. verb. Novit. qualit. n.* 25. Vecchis *in praxi Novit. disp.* 5. *n.* 3. Ut autem possit expelli Hermaphroditus jam professus, non requiritur licentia Papæ, si in eo dominetur æqualiter sexus: quia semper adest incentivum peccati, fomes scandali, & vix sciri potest, quo sexu sit validior, ut docet Bartholom. à S. Fausto *in thes. Relig. lib.* 5. *q.* 230. Peyrinus *to.* 2. *de Præl. quæst.* 3. *cap.* 1. *n.* 59. & alij.

Portel. Vecchis. Faustus. Peyrinus.

15. Impotens ad servanda Religionis essentialia, & etiam accidentalia præcepta & observātias, ut senectute, vel alio morbo laborans, inhabilis est ad Religionis ingressum & professionem; proinde tam receptus, quàm Prælatus recipiens mortaliter peccant: quia recipiens graviter lædit propriam Religionem, eique maximum affert detrimentum: receptus verò, qui se impotentem cognoscit, mendaciter promittit in re tam gravi se observaturum austeritates Religionis. Nihilominus professio emissa ab hujusmodi novitio, valida est. Ratio est; quia obligatio ad Religionis substantialia, nempe, paupertatē, castitatem & obedientiam, nullis corporis viribus eget, sed solo voluntatis affectū. Tum quia non desideratur ad novitiatum experientia omnium in specie, sive in individuo asperitatum Religionis; sed satis est eas in genere experiri, vivendo sub obedientia integro novitiatus anno. Proinde novitius, qui toto anno sui novitiatus fuit infirmus, potest ad professionē recipi: quia annum probationis legitimè explevit, in quantum in se erat. Ita Suarez *to.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 4 *n.* 19. Sanchez *lib.* 5. *moral. cap.* 4. *num.* 52. Vecchis *in praxi novit. disp.* 12. *dub.* 8. *&* 9. Faustus *in thesaur. Relig. lib.* 5. *q.* 249. Rodrig. *to.* 3. *qq. regul. quæst.* 12. *art.* 3.

Suarez. Sanchez. Vecchis. Faustus. Rodrig.

Unde novitius in Ordine Minimorum toto novitiatus anno infirmus, ac proinde carnibus, ac lacticinijs utens, validè profitetur, licet rigidissimum illius Religionis onus, nempe abstinentiam ab his non experiatur, ut docet Sanchez *loco cit. n.* 28.

Sanchez.

16. Quorumdam sententia est, Regularem transeuntem cum licentia ad aliam Religionem, non teneri ibi integrum annum novitiatus perficere. Probant ex eo, quòd nullum talis novitiatus tempus à Concilio aliquo est determinatum; nec debemus obligationes graves afferere, neque operantes gravis peccati arguere, si jus non fuerit valdè clarum: quia in Concilio Tridentino *sess.* 25. *de reg. c.* 15. non fit expressa mentio eorum, qui se ad Ordinem alium transferunt. Concilium enim ibi annullans & irritans professiones eorum, qui non fuerunt Novitij integro anno, loquitur de professione substantiali, non verò de accidentali, quæ fit hominibus, qualis illa est, quæ fit in secunda Religione: nam Religiosus, qui transit ad aliam Religionem, non potest non obligari ad substantialia, licet illa non voveat: jam enim voverat in priori Religione; unde aliud est ingredi Religionem, aliud mutare.

Con. Tri.

Accedit, quòd in secunda Religione probatio non instituitur de re essentiali, sed solùm de accidentalibus. Ergo ex natura rei hæc probatio non postulat tantum temporis, quantum prior: nec Concil. Trident. de illa quidpiam determinavit, verùm id committendum est conventioni contrahentium. Ergo tempus illud venit à communitate determinandum, acceptandumque ab illo, qui mutat Religionem; aut è contrario. Deinde, si Concil. Trident. omnes professiones comprehenderet, etiam complecteretur professiones Ordinum Militarium: Atqui declaratum est in Rota 11. Decembris 1570. Militarium professiones in hoc capite non comprehendi: Ergo non debet hoc caput Tridentini universaliter intelligi. Hanc sustinent Caramuel *in reg. D. Benedict. disp.* 45. *n.* 544. Henriquez *lib.* 13. *c.* 40. *n.* 2. *in Comm. lit. O.* Sorbus noster *in Compendio privil. verb. Novit. post* 2. *notabil. vers. Sed an requiratur.* Hujus etiam opinionis fuit P. Bobadilla Ordinis Minorum, ut refert Miranda statim citandus.

Caramuel Henriq. Sorbus. Bobad.

Nihilominus communis sententia & praxis est in contrarium; quia quotidie videmus Regulares transeuntes ad aliam Religionem, si velint ante annum Novitiatus expletum, profiteri, impetrare dispensationem à Summo Pontifice. Ratio autem est; quia cùm Tridentinum non distinguat inter sæculares & religiosos, sed indistinctè requirat annum probationis expletum, nec nos distinguere debemus. Cùm enim hic in illa alia Religione profiteri denuo debeat, sequitur præmittendum esse novum novitiatum unius anni ad validam professionem, prout requirit Trident. Nec implicat eundem esse veteranum in una Religione, & tyronem in alia: quia in diversa Religione hic profitetur. Ergo antea illius asperitates experturus est: & religio ejus mores; cùm passim contingat aptissimum uni Religioni esse ineptissimum alteri. Ita docent Navarrus *lib.* 3. *consil.* 61. *& consil.* 66. *de regul. in* 2. *edit.* Eman. Sà *verb. Religio, n.* 35. Rodriguez *to.* 3. *qq. regul. q.* 15. *art.* 11. Miranda *in Man. to.* 1. *q.* 22. *a.* 2. *concl.* 3. Sanchez *de matr. lib.* 7. *disp.* 37. *n.* 47. & *lib.* 5. *moral. c.* 4. *n.* 12. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 101. & alij communiter.

Navarrus. Eman. Sà. Rodrig. Miranda. Sanchez. Lessius.

Notandum tamen est, quòd si dictus religiosus transeat ut sit Prælatus, sufficit professio tacita, nec requiritur annus probationis, etiamsi transitus fiat ad strictiorem Religionem: imò non videtur requiri professio nova, quia substantialia sunt eadem, & ad ceteras observantias satis censetur obligari ea lege, & consuetudine, qua Prælati regulares se communi regulæ, & statutis loci conformare tenentur. Ita allegato Federico de Senis *consil.* 5. docet Navarrus *lib.* 3. *consil.* 60. *in fine de regular. in* 2. *edit.* Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 14. *quæst.* 13. Lessius *loco citat.* Miranda *tom.* 1. *q.* 31. *art.* 22. *concluſ.* 1.

Senis. Navarrus. Rodrig. Lessius. Miranda.

17. Cùm quisque teneatur scire ea, quæ pertinent ad suum statum, nimirum, leges universales sui status, & sui officij, quod assumere intendit, ut communiter tradunt Doctores post D. Thomam 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 2. hinc Novitius intendēs assumere statum Religionis, tenetur ad scientiam suæ Regulæ; quæ quidem scientia intelligitur secundùm substantiam & significationem generalem regulæ, non verò secundùm declarationes Pontificias, neque secundùm difficultates & subtilitates ipsius regulæ. Itaque Novitius antequam admittatur ad professionem, tenetur scire substantiam obligationis suæ regulæ; & tunc dicitur hujusmodi sufficientem intelligentiam regulæ obligationum habere quoad earum substantiam, quando agnoscit, se mediante voto professionis obligari ad obedientiam, paupertatem & castitatem, & etiam ad alia præcepta contenta in regula. Quanquam in plerisque Religionibus cogantur Novitij, antequam

D. Thom.

quam ad profeſſionem admittantur, regulam vel ſaltem illius præcepta memoriter diſcere. Magiſter tamen Novitiorum præter hanc intelligentiam univerſalem regulæ, debet ſæpè eis proponere obligationes regulares, obſervationes religioſas, & auſteritates, & alia ſimilia, quæ pro pura obſervantia regulæ ſuſtineri ſolent. Ita Vecchis *diſp. 11. dub. 15.*

Vecchis. 18. Novitius quamdiu Religionis habitum retinet, non poteſt licitè matrimonium contrahere, quamvis ſi de facto contrahat, matrimonium ſit validum. Ita habetur *in cap. Conſuluit, de regular.* ſic enim Pontifex ait: *Sicut votum ſimplex matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit iam contractum, ita habitus ſine profeſſione ſuſceptus ne contrahatur impedit, ſed contractum nequaquam diſſolvit.* Ex quo textu intelligitur, quamvis hoc impedimentum expreſsè non numeretur inter impedimenta, ad votum tamen caſtitatis ſimplex reduci. Eccleſia in reverentiam habitus religioſi meritò hoc præcepit, ad vitandas fraudes & ſcandala. Quia verò tale matrimonium validum eſt, ſi quis illud contrahat, tenebitur ſtatim ad dimittendam Religionem, quamprimùm commodè potuerit; quia iam faceret illi iniuriam fictè in ea manendo, cùm ſit iam matrimonio ligatus, & non poſſit in ea profiteri, ac proinde tenetur reſtituere quidquid poſtea conſumeret, maximè ſi matrimonium conſummatum fuerit, quia tunc perſona eſt omninò inhabilis ad profeſſionem. Si verò matrimonium tantùm eſſet ratum, & Novitius vellet perſeverare in novitiatu cum animo profitendi, non peccabit perſeverando, ſed potiùs rectè faciet: quia utitur novitiatu ad aliquem finem, propter quem inſtitutus eſt.

19. Cùm annus novitiatus & probationis debeat eſſe continuus, juxta communiſſimam Doctorum ſententiam, ut diximus *to. 1. v. Religio III. n. 5.* difficultas tamen eſt, an hæc continuitas probationis, debeat eſſe uſque ad profeſſionem, vel ſufficiat annum ipſum eſſe integrum, etiamſi proximè non ſequatur profeſſio; & conſequenter ſi expleto anno probationis, Novitius nolit profiteri, ſed Monaſterio egrediatur, & poſtea iterum redeat, an prior annus probationis ſufficiat ad profeſſionem emittendam? Affirmativam ſententiam

Sanchez. D. Anton. Angelus. Sylveſter. Tabiena. Armilla. Rodrig. ſuſtinent Sanchez *lib. 5. mor. c. 4. n. 34.* qui pro hac ſententia citat D. Antoninum, Angelum, Sylveſtrum, Tabienam, Armillam, Rodriguez, & alios, & eam ſequuti ſumus *to. 1. loco cit. n. 6.* quia ille annus probationis verè fuit integer & continuus, & nullum eſt ius, quod poſtulet continuari etiam cum profeſſione, aut quod vetet profeſſionem fieri, ſi inter novitiatum, & illam tempus aliquod ſæcularis vitæ intercedat; niſi conditio & circumſtantia perſonæ, aut Religionis adeò mutata fuerint, ut Novitius onera & aſperitates Religionis ſufficienter expertus non cenſeatur: quia tunc perinde eſt ac ſi peractus in ea Religione Novitiatus non fuiſſet. Hæc ſententia eſt probabilis ob auctoritatem Doctorum eam tuentium. Sed quia illa nonnulla quædam abſurda ſequi videntur modò probabiliorem cenſeo contrariam. Nam ex illa ſequitur, *Primò*, poſſe nunc inchoari annum probationis decimoquarto ætatis & finiri initio decimiquinti, & poſtea redire ad ſæculum uſque ad complementum ætatis ſex-decim annorum, & tunc regredi ad monaſterium, & ſine alia probatione profiteri. *Secundò* ſequitur, potuiſſe quem ante Conc. Trid. probationem facere duodecimo anno ætatis, & poſtea ſimili modo profeſſionem facere; quia nullum erat ius deſignans, in qua ætate Novitiatus eſſet petagendus. *Tertiò* ſequitur, licet quis redierit ad ſæculum per decennium poſt integrum annum probationis factum, poſſe cum illo anno poſtea profiteri. quod planè abſurdum eſt & contra omne prudens judicium.

Dicendum eſt ergo eadem iura quæ ſtatuunt, ut annus probationis præcedat, conſequenter velle, ut finito anno ſtatim de perſona judicium feratur, & ad profeſſionem admittatur, ſi admittenda ſit, vel ſaltem in eodem ſtatu probationis uſque ad profeſſionem perſeveret: nam ſi illum mutet, moraliter mutat fundamentum iudicij. Probatur hoc ex verbis Conc. Trid. *ſeſſ. 25. c. 15. de regular.* Con. Tri. ibi, *per annum poſt ſuſceptum habitum:* quibus indicatur non debere ante profeſſionem plures receptiones antecedere. Facit etiam quod *c. 16.* monet Religionum Prælatos, ut finito anno probationis, aut Novitios ad profeſſionem admittant, aut eos eijciant. Quis autem dicat, ſi ſemel eos eijciant anno expleto, poſſe iterum illos recipere & validè ad profeſſionem admittere cum eadem probatione? Ita docent Suarez *to. 3. de Relig. lib. 5. c. 15.* Suarez. *n. 8. & 9* Vecchis *in prax. nov. diſp. 11. n. 5.* Pey- Vecchis. rinus *to. 2. de Prælato, q. 3. c. 1. num. 99.* Tamburi- Peyrinus. nius *de iur. Abbat. to. 3. diſp. 6. quæſt. n. 12. & 15.* Tambur. & alij penes ipſos.

20. Annus novitiatus non interrumpitur, ut affirmant ferè communiter Doctores, quando Novitius tempore probationis de licentia ſui Superioris, causâ infirmitatis ad curandum in parentum domo, vel conſanguineorum, vel ad viſitanda loca ſancta per aliquod tempus, puta duos vel tres menſes, à Monaſterio exiret. Ratio eſt, quia religioſus cenſetur eſſe in Monaſterio, quando de licentia ſui Prælati foris eſt. Et explicatur in hunc modum à Panormitano *in cap. Cùm illorum, de ſent.* Panormit. *excommun.* ubi dicit, ubicumque fuerit Monachus, ſi ſit ſub obedientia Abbatis, ſemper fingi eſſe in clauſtro. Tum quia ſi Novitius à Superiore ſuo mittatur alicubi, licet per multos menſes ibi degat ſub obedientia eius, verè eſt in probatione; quæ enim major probatio, quàm obedire? aut quomodo poteſt quis iure dici probationem fugere, cùm non deſerat obedientiam & ſubordinationem ad Prælatum ſuum? Et ita fertur declaraſſe Sacram Congr. Cardinalium, his verbis: *Hoc anno probationis durante, ſi novitia, curandæ valetudinis cauſa de licentia Superiorum Monaſterio exierit, & poſtea revertatur, eodem tempore profeſſionem emittere poſſet, perinde ac ſi nunquam egreſſa fuiſſet.* S. Congr. Et hoc verum, licet illicitè & ſine rationabili cauſa conceſſa fuiſſet à Superiore Novitio licentia manendi extra Monaſterium: nam in tali caſu licet Superior illicitè præſtans licentiam peccet, ex hoc tamen non ſequitur quòd annus Novitiatus interrumpatur; fieri enim poteſt, ut licet Superior peccet dando licentiam, ipſe tamen Novitius nihil peccet exeundo. Ita tradunt Suarez *to. 3. de Relig. lib. 5. c. 14. n.* Suarez. *13. & 14.* Diana *p. 3. tract. 2. reſol. 84.* Vecchis *in* Diana. *prax. nov. diſp. 11. dub. 3. n. 11. 12. & 13.* Miran- Vecchis. da *in Man. tom. 1. quæſt. 22. art. 5. in concl.* & alij Miranda. communiter contra Navarrum requirentem iuſtam cauſam. Hoc idem docet Sanchez *lib. 5.* Sanchez. *moral. cap. 4. num. 28.* etiamſi Novitius per majorem anni partem cauſa morbi curandi extra Monaſterium commoratus fuerit, de licentia Prælati. Et Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 2. q. 8.* idem Azorius. ſuſtinet de Novitio, qui toto probationis anno extra conventum demoratus eſt cum licentia Superioris.

Similiter non interrumpitur annus Novitiatus, ſi Novitius retento habitu perterritus ſeveritate,

vel

vel iracūdia Superioris, vel Magistri è Monasterio occultè exeat causa se celandi, dummodo animum habeat redeundi: quia Novitius in hoc casu Religionem non deserit, sed se occultat, donec Superioris iracundia, seu severitas cesset: nec dici potest fugitivus à Religione, quia ut talis censeatur, debet fugisse pravo animo se perpetuò celandi & amplius non revertendi. Ita Tamburinius *loco citato, num.* 18. & Diana *hîc, vers. Nota etiam,* qui citat Gualuanum *consil.* 12. *num.* 8. Vecchis *loco citato, num.* 15.

Tambur. Diana. Gualuan. Vecchis.

21. Certum est in jure non posse Novitium eligi ad ullam Abbatiam, seu Prælaturam in sua, vel in alia Religione, ut statuitur *in cap. Nullus, de elect.* ubi sic dicitur: *Nullus religiosus ad Abbatiam, seu Prælaturam suæ, vel alterius Religionis de cetero eligatur, nisi antea fuerit Ordinem regulariter expresè professus; quòd si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur.* Ubi non solùm Novitij excluduntur à Prælaturis, sed etiam illi qui non, expresè, sed solùm tacitè professi sunt, & meritò: quia is, qui in Prælatum eligitur, debet esse omni exceptione maior, & ideò eius professio debet esse extra omnem ambiguitatem & controversiam. At verò quoad dignitates extra Religionem, in eodem *cap. Nullus,* dicitur Novitium posse ad Episcopatum eligi. Ratio autem est; quia Episcopatus est status maioris perfectionis, & ad commune bonum, Ecclesiæ maximè necessarius; & ideò si Novitius aliquis dignus sit, & Ecclesiæ opportunus, statim promoveri potest ad Episcopatum, non expectata professione: potest tamen post electionem profiteri, si velit, & postea Episcopus consecrari. Ita communiter Doctores.

Difficultas est de aliis beneficiis sæcularibus: quidam enim censent ea non licitè conferri Novitio: quia ansa daretur illi, ut occasione fruendi beneficio Religionem desereret. Sed verius est, ea posse conferri Novitio: quia adhuc est sui juris, & proprij habendi capax, nec alicubi reperitur interdicta huiusmodi collatio. Tùm quia cùm Novitius verè & realiter nondum mutaverit statum, sed sit tantùm in probatione, pendeatque ab eius libera & absoluta voluntate redire ad sæculū, constat interim capacem esse juris etiam sæcularis, si illud ipse acceptare velit; & quamvis beneficium sæculare simplex stare non possit cum statu professi, vacabit utique per professionem: at interim non est cur in Noviatu perseverans illud retinere nequeat, ut si egrediatur, possideat illud in perpetuum; si autem profiteatur, vacet statim. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 3. *q.* 1. Garzias *de benefic. part.* 7. *c.* 10. *n.* 5. Sanchez *lib.* 7. *mor. c.* 4. *n.* 22. Vecchis *disp.* 11. *dub.* 9. Francus *in c. Beneficium, de reg. in* 6.

Azorius. Garzias. Sanchez. Vecchis. Francus.

22. Novitius beneficij regularis est incapax, ut quod solis professis est conferendum, & hoc verum jure antiquiori *Clementin. Quia regulares, de supplend. negligent. Prælator. & Clement. Ne in agro, §. Sanè Prioratus, de statu Monachor.* At juxta Tridentinum *sess.* 14. *de reform. cap.* 10. potest dari beneficium regulare nondum professis, imò his qui habitum nondum suscepterunt, modò habitum suscipere, & professionem emittere teneantur. Sic enim habet textus: *Regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta, cùm per obitum, aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentes, vacare contigerit, religiosis tantùm illius Ordinis, vel iis, qui habitum omninò suscipere & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino lanaque contextam induant, conferantur.* Itaque beneficia illa debent dari conventione facta, ut beneficiarij illi, si sæculares sint, teneantur intra certum tempus ad Religionem transire; sicut & beneficia curata habent eam conditionem tacitam, quando dantur non Sacerdotibus, ut intra annum teneantur ad Sacerdotium promoveri, ex *cap. Licet. Canon. de elect. in* 6.

Con. Trid.

23. Modus renunciationis bonorum à novitio adhibendus continetur in Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 16. *de regular.* his verbis: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in favorem cujuscumque causæ pia valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secutâ professione: aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.*

Circa quod Decretum hæc notanda veniunt. *Primum*: Duplex solemnitas petitur à Concilio, ut renunciatio bonorum à Novitio facta sit valida. Prior est, ut licentia Episcopi, seu ejus Vicarij Ordinarij, non foranei, interveniat. Eandem facultatem dare possunt etiam Episcopus confirmatus, licet non consecratus; Capitulum Sede vacante, & ejus Vicarius, nec non Abbates & Prælati iurisdictionem habentes Episcopalem, nullique Episcopo subiecti in suis diœcesibus, & eorum Vicarij; quæ licentia debet esse obtenta ante renunciationem, & non tantùm petita: sufficit autem quod viva voce concedatur. Ita Rodriguez *to.* 2. *quæst. reg. q.* 48. *a.* 14. Sanchez *lib.* 7. *mor. c.* 5 *n.* 64. *& seq.* Miranda *in Man. q.* 23. *a.* 6. Faustus *in thesaur. Relig. lib.* 5. *quæst.* 194. Vecchis *disp.* 8. *dub.* 9. & alij.

Rodrig. Sanchez. Miranda. Faustus. Vecchis.

Prælati tamen regulares, etiam majores, aliàs iurisdictione quasi Episcopali gaudentes, nequeunt præfatam licentiam impetrari, nisi consuetudo præscripta invaluerit, hanc peti licentiam non ab Episcopo, sed à Religionis Prælato. Proinde affirmant quidam in aliquibus Religionibus abijsse in desuetudinem, petere hanc licentiam ab Episcopo, & ideò in illis non esse necessarium. Ita Rodriguez *tom.* 2. *Summæ Latinæ c.* 7. *n.* 1. *in fine,* Vega *tom.* 2. *summ. cap.* 50. *casu* 3.

Rodrig. Vega.

Nihilominus tutius semper erit, ne renunciationis valor litigio exponatur, & incumbat religiosis probare hanc legitimæ consuetudinis præscriptionem, exigere licentiam Episcopi, vel aliorum de iure hanc potestatem habentium, ut monet Sanchez *loco citato, num.* 75. & Vecchis *loco citato, num.* 2. *in fine.*

Sanchez. Vecchis.

Posterior solemnitas est, ut renunciatio fiat intra bimestre ante professionem. Quæ fieri integro bimestri ante professionem, non est necessaria; sed satis est, ut toto eo bimestri fiat etiam immediatè ante professionem. Finis enim illius decreti est, ut majori cum deliberatione talis renunciatio fiat: at eò consultior & maturior deliberatio erit, si longiorem temporis cursum Novitius adhibuerit ad ejusmodi renunciationem faciendam, quo ad professionem magis accesserit. Nonnulli existimant, suo valore non carere renunciationem factam ante modicam huius bimestris distantiam; eò quòd ea distantia non mathematico, sed morali modo accipienda est. Sed verius est, computandos esse hos duos menses de momento ad momentum, & secundùm quod occurrit mensis in Kalendario, & quod ex illo mense deficit, accipitur de sequenti, & ita habebit ille mensis triginta dies, vel triginta unum, vel viginti octo, ut in Kalendario occurrerit.

24 Secundum notabile est, quod Novitius non possit beneficio renunciare, nisi servatâ formâ & solemni

solemnitate decreti dicti Concilij: quia illud universaliter de renunciatione agit: & ejus finis in hac, prout in bonorum renunciatione, locum habet, ne videlicet Novitius à Religione discedere cupiens, ab egressu retardetur, videns se non obtinere bona priùs possessa. Ita Sanchez *lib. 7. moral.* Sanchez. Miranda. Suarez. Vecchis. *cap. 5. n. 38.* Miranda *in Man. tom. 1. quæst. 23. art. 5.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. n. 12.* Vecchis *disp. 8. dub. 7. n. 4.* & alij, quamvis contrarium sustinent Garzias *de benefic. part. 11. cap. 9.* Garzias. Rodrig. *num. 12.* & Rodriguez *tom. 2. Summ. Latin. cap. 7. num. 2.* Ad quorum fundamentum responderi potest, nihil absurdi esse, si renunciatio beneficij à novitio facta intra id bimestre habeat tacitam conditionem ex præscripto hujus decreti Tridentini, si professio sequatur, & ex hac conditione pendere eam esse perpetuam. Et quamvis Episcopus non debeat conferre id beneficium ante professionem, at si collatum sit, reddendum est novitio egredienti, quia conditio professionis, sub qua renunciatio facta est, defecit. Ita Flaminius *de resignat. benefic. lib. 3. q. 13. n. 5. 6. & 7.* & Sanchez Flamin. Sanchez. Layman. *loco citato*, Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 5. cap. 7. num. 6.* & alij.

25. Tertium est, Non potest novitius donationem cum hujusmodi solemnitate factam ante professionem revocare. Ratio est, quia si ea donatio esset revocabilis usque ad professionem, posset quocumque tempore novitiatus fieri nulla illius decreti solemnitate posita, & ideò petit Tridentinum eas solemnitates, quia statim est donatio irrevocabilis, nisi deficiat conditio. Tum quia donatio cum conditione non potest, ea pendente, revocari; nam ex contractu conditionali non minus oritur obligatio in spe, hoc est, in eventum conditionis, quàm ex contractu absoluto & puro obligatio absoluta, & in re; cùm uterque contractus sit in suo ordine & gradu perfectus. Ita Molina *tom. 2. de just. it. disp. 285.* Covarruvias *lib. 1.* Molina. Covar. Vecchis. Faustus. Sanchez. *var. cap. 14. n. 16.* Vecchis *disp. 8. dub. 9 n. 9.* Faustus *in thesaur. Relig. lib. 5. q. 184.* & alij apud Sanchez *lib. 7. moral. cap. 5. num. 58.*

26. Quartum notabile est, quod ut donatio à novitio cum solemnitate dicti decreti facta sit firma, requiritur ut professio sit valida: quia Tridentinum petit sequi professionem, & verba sunt intelligenda cum effectu; & perinde est, actum non fieri, & esse nullum. Accedit, quod Tridentinum consulere voluit libero ac licito egressui Religionis novitiorum: at dum professio est irrita, profitens est verè novitius, & licitè egredi potest; ergo non sunt firmæ & donatio & renunciatio. Ita Rodriguez *tom. 2. Summ. cap. 7. num. 6.* Rodrig. Lopez. Barbosa. Tambur. Lopez *de contract. lib. 2. cap. 39.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 39. num. 11. in fine*, Tamburinius *de iur. Abbat. tom. 3. disp. 6. quæst. 10. num. 6.* & alij.

27. Quintum est, quod sub hoc decreto comprehenditur patrimonium, cujus titulo ordinatus est novitius. Ratio est, quia habet tacitam conditionem ea renunciatio, si professio sequatur, & ea non secuta, reddatur novitio; dummodo fiat mentio ejus tituli initiatum esse novitium. Ita Miranda. Vecchis. Miranda *tom. 1. q. 23. art. 5.* Vecchis *disp. 8. dub. 7. num. 6.*

Item locum habet Concilij decretum in renunciatione Officiorum publicorum temporalium, quando fit renunciatio Officij, ut statim transferatur in eum, in cujus favorem fit renunciatio: nam tunc servandæ sunt in ea renunciatione solemnitates hujus decreti, & non debet admitti renunciatio, ut absolutè sortiatur effectum, nisi cum conditione, quam Concilium requirit, scilicet, ut sequatur professio. Ita Sanchez *lib. 7. moral. cap. 5. num. 43.* & alij. Sanchez.

28. Sub prætato Concilij Tridentini decreto non comprehenduntur eleemosynæ parvæ per novitios factæ, attentis illorum facultatibus; quæ libertati egressus minimè obstare possunt; nec victus, & vestitus, quem pro se tribuunt novitij Monasterio, ut expressè habetur in dicto decreto; nec quæ dantur Monasterio vel Monialibus in ingressu in novitiatum, vel in ipsa professione, non pro ipsa, sed pro sustentatione novitiæ & Monialium & pro solemnitate & festivitate professionis juxta consuetum morem. Multo minùs comprehenduntur in decreto donationes vel oblationes factæ Monasterio, seu religiosis, à Tutoribus, Curatoribus, ac consanguineis novitiorum ex proprijs bonis, non ex bonis novitiorum; de quibus Sanchez *loco citato, cap. 5. num. 22. & 23.* Suarez *de Relig. tom. 3. l. 5. cap. 9. n. 16.* Tamburinius *tom. 3. de iur. Abbat. disp. 6. quæst. 10. num. 17. & seq.* apud quos plura. Sanchez. Suarez. Tambur.

29. Difficultas est inter Doctores, an renunciatio facta à novitio ante ingressum Religionis, intuitu tamen Monasterij, vel Religionis, valeat? Duplex est sententia. Prima probabiliter sustinet, hanc renunciationem comprehendi in hoc decreto Tridentini, ac proinde esse irritam, si fiat contra formam & solemnitatem à Concilio petitam. Ratio est, quia Concilium in universum loquitur de renunciatione facta ante professionem, non restringendo ad factam tempore novitiatus, finisque illius decreti, ne videlicet impediatur libertas egressus novitij, æquè habet vim in hoc casu, ac in renunciatione facta novitiatus tempore. Ita Miranda *in Manual. tom. 1. quæst. 23. artic. 2.* Rodriguez *tom. 2. quæst. reg. quæst. 48. art. 8.* Lessius *cap. 41. dub. 4.* Navarrus *lib. 3. consil. de donat. cons. 7.* Molina *tom. 1. disp. 139.* & alij. Miranda. Rodrig. Lessius. Navarrus. Molina.

Posterior, quæ est probabilior, asserit non comprehendi illo decreto, & sic esse validam. Ratio est, quia in dubio textus est intelligendus juxta rubricam sub qua constituitur. Cùm ergo intelligentia hujus textus dubia sit, & constituatur sub rubrica & titulo qui est de regularibus; non ergo intelligitur de merè sæcularibus, quales sunt, qui in novitiatum nondum ingressi sunt. Tum quia decretum hoc est iuris communis correctorium, maximè dum vires iuramenti infirmat, aufertque liberam de proprijs bonis disponendi facultatem omni iure competentem: non ergo debet extendi de uno tempore ad aliud. Tum quia sic declaravit sacra Congregatio Eminentiss. Card. die 18. Martij 1598. his verbis: *Congregatio Concilij censuit Decretum Concilij Tridentini sess. 25. cap. 16. de regular. non vendicare sibi locum in donationibus, vel renunciationibus ante habitus susceptionem, etiam animo & proposito Religionem ingrediendi factis.* Ita Portel *in dub. regul. verb. Novitius, n. 41.* Faustus *in thesaur. Relig. lib. 5. q. 183.* Vecchis *in praxi novit. disp. 8. dub. 8. n. 4.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 2. 9. 6.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 5. num. 4.* Tamburinius *tom. 3. disp. 6. quæst. 10. n. 10.* & alij penes ipsos. Sa. Cong. Portel. Faustus. Vecchis. Azorius. Sanchez. Tambur.

30. Novitius potest quocumque tempore condere testamentum ante vel post Religionis ingressum non servatis solemnitatibus Concilij Tridentini; quia in hoc nullo iure prohibetur: tum quia nomine renunciationis, non intelligitur testamentum, nèq; donatio causa mortis: tum quia Tridentinum de solis renunciationibus & obligationibus loquitur: & testamentum, nec renunciatio, nec obli-

Digitized by Google

Sa. Cong. obligatio dicitur. Et ita fertur declarasse Sacram Congregationem anno 1598. die 22. Ianuarij. Et hoc absque ulla licentia Superioris, ut docent Navarrus. Navarrus *Comment. 2. de regularibus, num.* 49. Sanchez. Sanchez *lib. 7. mor. c. 3. n. 3.* Molina. Molina *tom. 1. de justit. disp. 139. vers. His ita constitutis*, Vecchis. Vecchis *disp. 8. dub. 10. num. 3.* & alij communiter, ut constat ex *Authent. Nunc autem, C. de Episc. & Cleric.* & *cap. Si qua mulier 19. quæst. 3.* Ratio est, quia novitius simpliciter est adhuc sui iuris cum libera exeundi potestate; & si alicujus licentia exigeretur, minus verum esset dicere posse illos testari.

Et hoc testamentum censetur confirmari professione, ac si confirmatum esset morte, & sic post professionem non poterit revocari, ut docent Navarrus. Navarrus *Comment. 2. de regular. n. 53.* Rodriguez. Rodrig. *tom. 3. qq. regul. quæst. 16. art. 3.* Miranda. Miranda *to. 1. q. 23. a. 10.* Sanchez. Sanchez *lib. 7. moral. cap. 3. n. 34.* Qui novissimus hanc sententiam dicit esse veram *num. 35.* quamvis in eo testamento nihil sit relictum Monasterio: cùm enim non habeatur loco filij, nulla ratio cogit, ut opus sit illi aliquid relinquere, ne testamentum rumpatur, citans Imolam, Imola. Felinum, Iulium Clarum, & alios. Felinus. Clarus.

Novitius tamen non potest facere donationem inter vivos, nec contractus magni momenti irrevocabiles, considerata qualitate personæ & bonorum: quia Decretum Tridentini non solùm comprehendit renunciationes & obligationes, sed etiam donationes inter vivos, cùm donatio & renunciatio ambulent pari passu, & quod de una dicitur, in alia etiam procedit, ut dicunt Menochius. Menoch. *consil 990. n. 1.* Gratianus. Gratian. *discept. forens. c. 409. n. 18.* & alij. Excipitur donatio remuneratoria, quæ fieri potest à novitio, non obstante decreto Concilij Tridentini: quia sub verbis Concilij veniunt tantùm donationes liberales: Sed donatio remuneratoria dici non potest verè & propriè donatio liberalis: ergo, &c. Ita Diana. Diana *part. 8. tract. 6. resol. 121.* & pro hac sententia citat Fagundez. Fagund. *de contract. lib. 4. cap. 6. num. 5.*

Ex dictis colligitur donationem factam à novitio post susceptionem habitus causâ mortis, absque forma in decreto Tridentini præscripta, validam esse: quia Concilium tantùm loquitur de donationibus inter vivos, quæ cùm irrevocabiles sint, possent causare, ut novitius videns se suis facultatibus denudatum, cogatur professionem emittere; quod non contingit in testamentis & donationibus factis causâ mortis, quæ à novitio revocari possunt. Ita Rodriguez *to. 1. Summ. cap. 90. n. 4.* Rodrig. & Faustus *in thesaur. Relig. lib. 5. quæst. 189.* Faustus. ubi fatetur de communi.

31. Dubium est, an si professio non sequatur, quia moritur novitius ante professionem, donatio facta ab illo habeat effectum? Affirmant Suarez *to. 3. de Relig. lib. 5. c. 16. n. 18.* Suarez. si expresè non revocaverit priorem donationem, sive fuerit moderata, sive copiosa, atque etiam de omnibus bonis. Ratio ipsius est, quia licet talis novitius habuerit subintellectam conditionem perseverantiæ, satis tamen perseveravit, qui in Religione mortuus est, etiamsi ob temporis defectum professionem emittere non potuerit. Unde licet illa donatio facta fuerit causâ mortis civilis, quæ in professione esse intelligitur, tamen satis censetur compleri per anticipationem mortis naturalis, quæ multo magis perseverantiam, atq; adeò perpetuitatem donationis complet: prælertim quia dum novitius moriendo tacet, donationem factã confirmare videtur. Nihilominus donationẽ irritã esse & nullam sustinent Navarrus *lib. 3. consil. de* Navarrus. *statu Monachor. consil. 1.* Rodriguez *to. 2. qq. reg. q. 48. art. 12.* Emanuel Sà *verb. Religio n. 7.* Vega *to. 1. Summ. c. 91. casu 4.* Passarellus *in privil. Minor. c. 37.* ubi affirmat, sacram Congregationem Cardinalium sic sibi respondisse. Ratio autem est, quia licet antiquo iure probabile esset, talem donationem validam esse; tamen stante decreto prædicto Concilij Trident. dicendum est absolutè talem donationem esse irritam, licet Suarez contrarium dicat. Rodrig. Eman. Sà. Vega. Passarell. Suarez.

32. Certum est in iure, novitium post professionem non posse testamentum priùs à se conditum revocare aut mutare: quia eadem potestas exigitur in dissolvendo actum, quæ in ipsum constituendo, *l. Si ut proponis, in fin. Cod. de nuptijs.* Cùm ergo religiosus testari non possit, ut sustinet communiter Doctores, etiamsi extra clausfrum habitet, sequitur eum etiam non posse prius testamentum conditum revocare, ut docent Navarrus *Comm. 2. de regul. n. 53.* Miranda *in Man. tom. 1. q. 23. art. 10. concl. 3.* Molina *to. 1. disp. 140. vers. Verum verò religiosus*, Azorius *to. 1. lib. 12. c. 6. q. 5.* & alij. Conceditur tamen religioso, qui habebat filios, & ante professionem nullam bonorum suorum præmisit dispositionem, posse inter eos dividere bona, juxta Authent. *Si qua mulier, C. de sacrosanct. Eccles.* & refertur *in cap. Si qua mulier 19. q. 3.* & *Authentr Nunc autem, C. de Episcop. & Cleric.* Hujusmodi autem divisio non est testamentum, sed fit à professo, non tanquam à domino, sed ut ab administratore à iure constituto ad hunc effectum: quia rationi consonum est, ne professis facultas testandi concedatur, utpote quę majorem præsefert dominij imaginem, quàm nuda illa distributio; statq́ue hæc absque testandi facultate: nam etiam iudex arbiter dividit, non tamen testatur. Ita explicat Navarrus *Comment. 2. de regular. num. 45.* Navarrus. Lessius *lib. 2. c. 41. n. 82.* Lessius. Sanchez *lib. 7. anor. c. 9. n. 10.* Sanchez. & alij. Tamen extra hunc casum in dictis legibus memoratum, non licet religiosis de suis bonis disponere; quia ob paupertatis votum carent dominio & administratione illorum. Hæc autem iuris dispositio non procedit in Fratribus Minoribus, qui regulam secundùm suam puritatem observare se profitẽtur: quia à die professionis reputantur quoad hoc tanquam naturaliter mortui, ut docent Bartolus, Iason, Ancharanus apud Vecchis *disp. 8. dub. 11. n. 3.* Bartolus. Iason. Ancharan. Vecchis.

33. Novitius post professionem potest interpretationem dubiæ & obscuræ suæ voluntatis in testamento non satis explicatæ facere, iuxta textũ *l. Hæredes palam 21. §. Si quis post. C. de testam.* ubi deciditur nihil posse ex priori testamento immutari absque debita solemnitate, & subditur eam non exigi, quoties est sola prioris voluntatis declaratio. Hinc Doctores dicunt, declarantem non disponere, sed quod actũ sit in præteritum ostendere, & aperire. Cùm ergo declarãs nihil de novo faciat, poterit novitius iam professus pristinam suam voluntatem dubiam declarare; quia hac declaratione nihil de novo disponit, sed dispositionem iam perfectam & apud se certam, licet apud nos obscuram aperit; & si non aperiret, communiter arbitrio iudicis, vel viri prudentis deberet fieri declaratio. Ita Rodriguez *tom. 3. qq. regul. quæst. 69. art. 3.* Rodrig. Reginaldus *lib. 18. c. 17. n. 397.* Reginald. Molina *tom. 1. disp. 139. in fine*, & alij. Ut tamen prædicta doctrina habeat locum, debet testamentum dubię & obscuræ voluntatis interpretatione indigere: quia interpretationi non est locus ubi verba non sunt dubia, seu ambigua, sed clara: unde si religiosus rem claram & certam sui testamenti vellet Molina.

Digitized by Google

vellet declarare, talis interpretatio ei omninò eſſet illicita; quia hoc non eſſet veterem diſpoſitionem declarare, ſed novam inducere; quod profeſſo eſt interdictum. Debet inſuper declaratio religioſi verbis ipſius teſtamenti convenire, eiſque commodè poſſe aptari, ſecundùm propriam ſignificationem; quia quando ab eis recedit, non eſſet declaratio, ſed nova diſpoſitio, quam ipſa facere nequit, ut colligitur ex *cap. 1. de teſtament. in ſexto*, ibi: *Dummodo eorum verbis conveniat.* & tradunt Tiraquellus *l. Si unquam, Cod. de revocand. donat.* & Sanchez *lib. 7. moral. cap. 11. num. 17. & 18.* apud quem plura de hac materia teſtamentorum, toto libro ſeptimo, Hieronymus Rodriguez *in compend. reſol. 101. num. 50.* Diana *p. 3. tract. 2. reſol. 75.*

Tiraquel. Sanchez. Hier. Rod Diana.

34. Controvertitur inter Doctores, quas ſolemnitates requirat teſtamentum à Novitio, vel volente Religionem ingredi confectum? Quidam enim putant in hoc teſtamento minimè requiri ſolemnitates jure communi petitas, ſed eas tantùm ſufficere, quæ in teſtamento militis ſatis ſunt. Ratio illorum eſt; quia rationi diſſonat minori privilegio gaudere milites cœleſtis pugnæ, quales ſunt Novitij, quàm milites terreſtris. Ita Iulius Clarus *lib. 3. ſententi. §. Teſtamentum, quæſtione 28. num. 2.* Eman. Sà *verb. Teſtamentum, n. 21.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæſt. 15.* Rodriguez *tom. 3. qq. regul. quæſt. 69. art. 11. in fine*, & alij. Hæc ſententia eſt probabilis; ſed multò probabilius eſt, teſtamentum Novitij & volentis ingredi Religionem indigere ſolemnitatibus juris communis; quia nullibi in jure reperitur id privilegium Novitiis conceſſum. Non enim miles dicitur, niſi poſt profeſſionem, quando jam teſtari nequit, & ſi proximè accingendus haberetur in hac re pro accincto, judicaretur ille Novitius tanquam profeſſus, & ſic teſtari nequiret.

Clarus. Eman. Sà. Azorius. Rodrig.

Sed eſt alia difficultas, an ſolemnitates petitæ in Novitiorum teſtamento, ſint eæ, quas jus civile inducit, vel eæ ſolæ, quas jus Eccleſiaſticum *cap. Relatum, de teſtamentis*? Nonnulli exiſtimant eas ſolas requiri, quas jus Eccleſiaſticum requirit; quia Novitij inter perſonas Eccleſiaſticas computantur: veriùs tamen eſt neceſſarias eſſe ſolemnitates juris civilis; quoniam contractus horum Novitiorum neceſſariò celebrandi ſunt cum ſolemnitatibus jure civili petitis; quia eadem eſt ratio de teſtamentis, & à contractibus ad teſtamenta validè ducitur argumentum: tum quia, licet Clerici non ſubdantur pœnis legis civilis, ſubduntur tamen legibus civilibus irritantibus contractus & teſtamenta, niſi tali ſolemnitate & modo fiant; nam hæ irritationes non ſunt pœnæ, ſed diſpoſitiones legum ad irritandos contractus, & conſulendum communi Reipub. bono ac paci, & ut litibus obviàm eatur: tum quia nulli Eccleſiaſtici exempti ſunt ab his legibus civilibus, quæ non ſunt contra libertatem Eccleſiaſticam, ſed ad bonam Reipub. adminiſtrationem ſunt inſtitutæ. Ita Vaſquez *1. 2. diſp. 96. artic. 1. diſp. 167. fine*, Molina *tom. 1. diſp. 31. concl. 6.* citans Sotum, Victoriam, & Sylveſtrum, Sanchez *lib. 7. moral. cap. 3. num. 16. uſque ad 23.*

Vaſquez. Molina. Sotus. Victoria. Sylveſt. Sanchez.

Sed ex dictis oritur aliud dubium, an quando Novitius eſt minor, poſſit diſponere de ſuis bonis ſine ſolemnitate juris civilis, hoc eſt ſine auctoritate Curatoris & decreto judicis, ſi bona ſint immobilia? Reſpondeo, diſpoſitionem factam à minori intuitu ingreſſus in Religionem, etiamſi fiat in favorem perſonæ privatæ, validam eſſe, quamvis in ea non obſerventur ſolemnitates dictæ à jure requiſitæ, in diſpoſitione Minorum. Probatur: quia *in Authent. §. Illud quoque, de Monachis*, conceditur volentibus ingredi Religionem, quo voluerint modo uti bonis; quæ verba ſolemnitatem legis removent *l. 1. ff. de militari teſtament.* & *l. 1. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* nec reſtringuntur ea verba ad donationem, quæ fit Monaſterio, nec ad teſtamentum: verbum enim, *uti*, generale eſt ad omnem diſpoſitionem etiam inter vivos. Et hoc quidem verum eſt; non ſolùm quando Novitius jam effectus diſponit, ſed etiam quando antea intuitu ingrediendi Religionem. Tum quia Doctores infrà citandi communiter aiunt abſolutè minorem intrando Religionem poſſe teſtari, vel aliter de rebus ſuis diſponere, abſque Curatoris auctoritate & decreto judicis; quia mori fingitur. Ita Abbas *in cap. In præſentia, num. 54. de prob.* Sylveſter *verb. Minor, fine*, Angelus *ibid. num. 2.* & ibi Tabiena *quæſt. 2. num. 3.* Armilla, Lopez *lib. 2. de contract. cap. 39. quæſt. 3. notab. 5.* Sed de his ſatis.

Abbas. Sylveſt. Angelus. Tabiena. Armilla. Lopez.

Vide v. Alimenta *num. 8.* Apoſtaſia *num. 5.* Beneficium *1. num. 4.* Electio *num. 18.* Excom. *6. n. 21.* Horæ Canon. *2. num. 12.*

O.

ORATORIUM.

SUMMARIUM.

1 *Oratorium quid & quotuplex.*
An in Oratorijs privatis poſſit celebrari ſine licentia Summi Pontificis? Refertur Decretum Sacræ Congregationis juſſu Pauli V. editum, & Breve ejuſdem Pauli, & Vrbani VIII.

2 *An non obſtante Concilio Tridentino, & Brevibus Pauli V. & Vrbani VIII. poſſint Epiſcopi hodie in aliquo caſu particulari diſpenſare, ut in Oratorijs privatis Miſſa celebretur.*

3 *De conditionibus quas ponit Summus Pontifex in ſuis Brevibus, dum concedit licentiam celebrandi in Oratorijs privatis.*

4 *An qui habet licentiam celebrandi in Oratorio privato domus ſuæ in aliqua civitate, ſi domicilium transferat in aliam, poſſit hoc privilegio uti.*

5 *Habens indultum Oratorij Privati in domo ſua, ut ibi Miſſam audire poſſit, an etiam in villa illud erigere poſſit.*

6 *An Epiſcopus dum eſt in aliena Diœceſi, poſſit erigere altare privatum, ut in illo celebret, vel faciat celebrare in Oratorio private, abſque licentia Ordinarij loci illius.*

1. ORatorium propriè eſt locus aptus ad orandum, & eſt duplex, publicum, ſcilicet, & privatum. Publicum dicitur, quod omnibus inſervit & patet. Privatum eſt, quod in privatis domibus, in angulis earum erigitur, in quo oratur, & non habet campanam, neque oſtium patens in via publica; & ad nutum domini hujuſmodi domus ad prophanos uſus redire poteſt.

In his Oratorijs privatis Miſſa celebranda non eſt, niſi de licentia Summi Pontificis, ut ſacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum reſpondit Archiepiſcopo Bononienſi ſub die 10. Martij 1615. his verbis

Sac. Con.

Perillustris, ac Reverendissime Domine uti Frater. Tametsi sacra Cardinalium Congregatio Concilij Tridentini interpretum optimis innixa rationibus sapissimè responderit, celebrandi licentias in privatis Oratoriis non nisi à Sede Apostolica esse concedendas; compertum est tamen per plures Antistites, eiusdem Concilij verba in alium sensum detorquentes, passim illas, ac nullo prope delectu impertiri. Qua quidem facilitate nedum ipsi Pontificiam sibi auctoritatem adscisciunt, aliarumque Ecclesiarum & frequentiam minuunt, & dignitatem; verùm etiam (quod summè dolendum est) tremendum illud mysterium, quo nullum aliud opus adeò sanctum, atque divinum à Christi fidelibus tractari potest, intra domesticos parietes plerumque cum tanta irreverentia peragitur, ut nihil ferè inter prophanam & divinam domum interesse videatur. Quod sanè teterrimum exemplum, ut de Christiana Republ. evellant Illustrissimi Patres, Amplitudini tuæ ceteriſque Archiepiscopis, atque Episcopis universis, Sanctissimi Domini nostri jussu significandum duxerunt, facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilij Decreto unicuique ademptam esse, soliſque Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam, proindeque Amplitudini tuæ abstinendum esse ab illis utcumque tribuendis, ac si quas hactenus, vel à tuis Antecessoribus, aut aliàs quoquomodo, quàm ab ipso Summo Pontifice concessas repereris, nullas atque irritas esse quamprimùm decernas, atque enixè curandum, ne ulla illarum ratio imposterum habeatur. Quam quidem sacra Congregationis, atque adeò Sanctitatis sua voluntatem libenter Amplitudo tua perficiet, harumque literarum exemplum in acta publica primo quoque tempore referendum, ac deinde ad singulos istius Provinciæ Episcopos, &c. Romæ die 10. Martij 1615.

Circa hoc decretum est advertendum *Primò*, quòd editum est & intimatum jussu Pontificis; unde non solùm habet vim interpretandi Concilij Tridentini decretum, sed etiam legem condendi: atque adeò obligandi ad ita accipiendum Tridentini decretum. *Secundo*, quòd loquitur non solùm de licentiis celebrandi in privatis domibus, sed etiam in privatis Oratoriis. Concilium enim prohibet Episcopis, ne patiantur celebrari extra Ecclesias, & Oratoria divino tantùm cultui dicata, & visitanda ab Episcopis ipsis. Per hæc autem Oratoria non possunt intelligi Oratoria privata: quia hæc non subsunt visitationi Episcopali, qualia debent esse, quæ permittit Tridentinum: nam licet visitentur, quando primò conceditur licentia, non tamen continuat jurisdictio Episcopi ad illa visitanda, cùm privata sint: unde de facto non visitantur. Accedit quod Oratorium non censeatur dicatum divino cultui, nisi sit publicum; quia cultus divinus ex natura sua est publicus & communis omnibus. *Tertiò*, quòd intendit corrigere abusus ortos ex huiusmodi licentiis. *Quartò*, quòd facultas dandi has licentias est sublus Summi Pontificis per decretum ipsius Tridentini. *Quintò*, quòd licentiæ per Episcopos concessæ, sint nullæ, atque irritæ; & proinde quòd malè fuerit interpretatum Tridentinum, dum opinabantur hanc facultatem non fuisse ademptam Episcopis.

Hûius decreti & harum literarum Cardinalis Lancelloti nomine Pauli V. datarum plures gravissimi Auctores meminere, ut Riccius *in praxi fori Eccles.* §38. Molfesius *in summ. tract.* 3. *cap.* 17. *num.* 70 Gavantus *Comment. in Rubric. Missalis, parte prima, tit.* 28. *litt. M.* Fagundez *de præcept.* 1. *Eccles. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 12. Caspensis *tom.* 2. *tract.* 23. *dub.* 3. *sect.* 3. *num.* 66. Trullench *in Bulla Cruciatæ, lib.* 1. §. 3 *dub.* 5. *num.* 5. qui novissimus licet asserat quod post dictum Decretum Pauli V. postea anno 1618. die 30. Iulij, idem Paulus concesserit Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, facultatem visitandi, designandi, & approbandi Oratoria, & licentiam celebrandi in dictis Oratoriis cum his limitationibus: *Prima*, ut huiusmodi licentia celebrandi in Oratorio privato, solùm concedatur personis nobilibus, senio, & infirmitate impeditis, durante tantùm impedimento. *Secunda*, quòd dicta licentia non suffragetur nisi ministris omninò necessariis, ita ut alij præcepto Ecclesiæ minimè satisfacere censeantur. *Tertia*, quòd in singulis Oratoriis una tantùm dicatur Missa. *Quarta*, quòd ab hac licentia excipiantur dies Paschæ, Nativitatis, Pentecostes & alia festa solemnia, nisi talis esset persona, quæ ob justum impedimentum nullo modo posset adire Ecclesiam. *Quinta*, quòd in eadem domo duo Oratoria minimè concedantur. *Sexta*, quòd hæc licentia solùm duret per sex annos.

Riccius. Molfesius. Gavantus. Fagund. Caspensis Trullench Paulus V.

Postea tamen Urbanus VIII. absolutè abstulit ab Episcopis talem licentiam & solùm Papæ reservavit, teste Portel *in respons. regul. tomo primo, parte tertia, casu* 20. ubi ait: Addi potest ad hoc, quod ego vidi meis oculis anno 1626. in aula cuiusdam Domini tunc Collectoris istius regni publicari edictum Sanctissimi D.N. Urbani VIII. in quo prohibebat, ne Episcopus aliquis, vel similis Prælatus licentiam dare posset alicui celebrandi, vel celebrare faciendi in Oratoriis privatis, & scirent omnes talem licentiam condere, esse reservatum soli Summo Pontifici. Ita Portel. Proinde dicendum est, hodie non posse Episcopos etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatos dare facultatem, ut quis possit in domo sua privatum Oratorium habere, & ibi audire Missam, cùm talis facultas ad solum Pontificem pertineat. Ita Diana *parte* 9. *tract.* 1. *resol.* 42. qui citat Hieronymum Garzias *in Summ. Theolog. mor. tract.* 3. *diffic.* 8. *dub.* 2. *punct.* 2. *num.* 15. & 18. Urb. VIII. Portel. Diana. Garzias.

2. Non obstante Concilio Tridentino ac Brevibus Pauli V. & Urbani VIII. Episcopi possunt hodie in aliquo casu particulari ex justa causa dispensare ut celebretur extra Ecclesiam in Oratoriis privatis cum altari portatili. Licet enim in Concilio Tridentino & in Decreto Pauli V. fuerit sublata Episcopis facultas concedendi licentias absolutè celebrandi in privatis Oratoriis, & domibus sæcularium, non tamen fuit eis sublata potestas dispensandi ex justa causa in aliquo casu. Pontifex enim & Concilium voluerunt tollere abusus: & abusus solùm ex licentiis continuis & ordinariis oriri poterunt, non autem ex dispensatione pro una, aut altera vice ex justa & rationabili causa. Ita sustinent Marchinus *de Sacrament. Ordinis tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 9. *num.* 11. Garzias *loco citato num.* 1. qui pro hac sententia citat Cardinalem de Lugo, Ledesmam, Fagundez, Rodriguez, Layman, & alios, Castrus Palaus *tom* 4. *tract.* 22. *disp. unic. punct.* 8. *n.* 6. Gaspar Hurtadus *de sacrific. Missæ, disp.* 4. *diffic.* 6. & alij, quos refert & sequitur Diana *part* 9. *tract.* 1. *resol.* 43. Vide dicta *tom.* 1. *verb. Missa IV. num.* 1. Marchin. Garzias. Lugo. Ledesma. Fagund. Rodrig. Layman. Diana.

3. Ex stylo curiæ dum Pontifex concedit licentiam celebrandi in Oratoriis privatis, solent apponi quædam conditiones, ut patet ex Brevibus. *Prima*, ut Oratorium ad hoc decenter extructum & ornatum existat, ac ab omnibus domesticis actibus liberum, ab Ordinario loci etiam visitandum & approbandum. *Secunda*, ut Missa celebrari possit per quemcumque Sacerdotem sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia, Regularem. *Tertia*, ut dicta concessio intelligatur sine tamen jurium Parochialium præiudicio, ac exceptis

ptis diebus Natalis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, Annunciationis, Aſſumptionis B. Mariæ, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum. *Quarta*, ut alij, præter familiares illius perſonæ, cujus contemplatione dicta licentia datur, ibidem Miſſæ intereſſentes diebus Feſtis de præcepto, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia, minimè liberi cenſeantur.

Circa primam conditionem eſt notandum, quòd ut Oratorium ſecundùm mentem Pontificis, cenſeatur decenter ornatum, ſunt neceſſaria, quæ in Rubricis Miſſalis Romani deſiderantur ad Miſſæ celebrationem, ut videre eſt *tom. 1. verb. Miſſa V.*

Circa ſecundam eſt dicendum, quod ſufficit licentia tacita, vel præſumpta Superioris, ut regularis in privato Oratorio celebret. Imò ſufficit approbatio generalis celebrandi Miſſam; nec requiritur ſpecialis approbatio ad celebrandum in Oratorio privato. Ratio eſt, quia ubi agitur de obligatione, ſtricta fieri debet interpretatio. Proinde cùm hic requiratur approbatio Ordinarij ad celebrandum in Oratorio, & verba relata Brevis commodè poſſint explicari de approbatione generali, ea non debent ampliari ad approbationem ſpecialem, & hoc procedit de Sacerdote, tam ſæculari, quàm Regulari.

Circa tertiam eſt advertendum, quòd clauſula, *ſint tamen jurium Parochialium præjudicio*, ſignificat, quòd in Oratorio privato non exerceatur ullum munus Parochiale; cujuſmodi ſunt, miniſtrare Sacramenta, facere ſolitam eleëmoſynam, dare pacem, denunciare feſta, jejunia, ac matrimonia, & ſimilia, quæ per ſe ſpectant ad Parochos, ideoque ab alijs extra Parochiales Eccleſias obiri nequeunt, ſine ipſorum Parochorum præjudicio.

Nomine autem Natalis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes, intelligendi ſunt tantùm primi dies harum feſtivitatum: quia reſtrictio indulti, ſeu gratiæ ſapit odium, & ſic ſtrictè interpretanda.

Circa quartam eſt dicendum, peccare mortaliter extraneos qui non ſunt de familia illius, cui tale privilegium conceſſum eſt, ſi die Feſto in dicto Oratorio Miſſæ intereſſint, nec aliam audiant: quia iſti præcepto audiendi Miſſam in die Feſto non ſatisfaciunt: nam h[illegible] privilegium Pontificium minimè illis ſuffragatur. Secus dicendum ſi quis audiat Miſſam in Oratorijs Epiſcoporum, vel regularium, vel in Oratorijs ex priviligio Bullæ Cruciatæ: nam in illis non adeſt limitatio apponi ſolita à Pontifice in licentijs pro Oratorijs privatis. De his videndus Bonacina *de Sacram. diſp. 4. quæſt. ultim. punct. 12. num. 4.* Marchinus *de Sacram. Ordin. tract. 3. part. 3. cap. 9. num. 10.* Pellizzarius *in Manual. regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. ſect. 2. num. 147.* Diana *part. 9. tract. 1. reſol. 3. 11. 13. 15. & 16.*

Bonacina. Marchin. Pellizzar. Diana.

Sed petes, qui dicuntur familiares in his Brevibus Apoſtolicis? Reſpondeo familiares intelligi omnes commenſales, qui ſunt de eadem menſa, ac familia ipſius Principalis, cui conceditur talis licentia, & quotquot deputati ſunt pro ejuſdem perſonæ ſervitio. Si verò in Brevi Apoſtolico, in quo conceditur alicui auditio Miſſæ in privato Oratorio, contineatur clauſula, *Necnon hoſpitum tuorum præſentia.* ſub nomine Hoſpitum non poſſunt venire habitantes in eodem loco, etiamſi forſitan à domino illius Oratorij invitarentur ad prandium eáque occaſione ibi vellent Miſſam audire. Ratio eſt, tum quia hoc privilegium, cùm diſponat contra jus commune, ſtrictè & non amplè eſt interpretandum: unde ſoli exteri hoſpitantes in domo magnatis habentis privilegium comprehenduntur: quia aliàs mens Pontificis eluſoria remaneret. Ita Diana *part. 9. tract. 1. reſol. 6. & part. 4. tract. 4. reſol. 208.* Diana.

4. Qui habuit licentiam celebrandi in Oratorio domus ſuæ in aliqua civitate, ſi transfert domicilium in aliam, poteſt hoc privilegio uti. Probatur, quia hoc eſt privilegium perſonale & ſequitur perſonam: quando enim nomen & cognomen privilegiati in indulto nominatur & exprimitur, ſicut in hoc accidit, hoc omnino perſonale eſt, & cum eadem perſona perſeverat & extinguitur, ut habet communis ſententia Doctorum, & conſtat ex *cap. Privilegium, de reg. juris, in 6.* Proinde in quocumque loco talis habitaverit, poterit ſibi facere Miſſam celebrare, cum licentia tamen Ordinarij loci, & ſervatis ſervandis in conceſſione. Tum quia ſi locale eſſet privilegium & non perſonale, ſequeretur, quòd in domo ejus prioris civitatis poſſet ſemper celebrari, ſive nobilis, ſive ignobilis, ſive ſanus, ſive infirmus habitarent in ea; quod abſurdiſſimum eſt, & contra communem praxim. Tum quia cauſa conceſſionis talis privilegij fuit generis nobilitas & valetudo infirma, ut exprimit indultum, non autem habitatio in tali civitate: ergo etiam ceſſante hac, illa non ceſſabit. Ita Azorius *p. 1. lib. 5. cap. 22. q. 6.* Salas *de leg. diſp. 20. ſect. 17. n. 124.* Menochius *conſil. 123. n. 2.* Barboſa *de jur. Eccl. lib. 2. c. 8. n. 16.* Diana *p. 4. tr. 4. reſol. 208. & p. 6. tr. 8. reſol. 11. & alij penes ipſos.* Azorius. Salas. Menoch. Barbola. Diana.

5. Habens indultum Oratorij privati in domo ſua, ut ibi Miſſam audire poſſit, non poteſt illud erigere etiam in villa. Ratio eſt; quia Summus Pontifex nunquam per unum Brevo concedit facultatem, ut poſſit celebrari Miſſa in pluribus Oratorijs privatis, ſed in uno tantùm, ut conſtat ex ſtylo Curiæ. Accedit, quod privilegium celebrandi Miſſam in Oratorijs privatis exiſtentibus in domibus laicorum, eſt potiùs odioſum quàm favorabile; quia eſt minus decens reverentiæ debitæ huic ſacrificio: ergo non eſt ampliandum, ſed reſtringendum.

Si dicas, quod hoc privilegium eſt perſonale, & ideò ſequitur perſonam: ergo in quocumque loco privilegiatus poteſt eo uti; ſicut numero præcedenti dictum eſt. Reſpondeo eſſe diſparem rationem inter utrumque caſum; nam in primo caſu, quando quis deſinit habitare in aliqua civitate, & transfert ſe in aliam, unum tantum Oratorium habet, ſcilicet in loco domicilij. Sed in hoc caſu, quando dominus eſt in villa, non deſinit habere Oratorium in civitate, & ſic haberet ſimul, & in eodem tempore duo Oratoria, in quibus poſſet uti privilegio, quod eſt contra mentem Pontificis & praxim Curiæ. Ita Diana *p. 9. tr. 1. reſ. 22.* Epiſcopis tamen non eſt ablata facultas habendi tale Oratorium ad celebrandum in proprio palatio, & etiam in domo rurali; quia non cenſetur domus privata. Ita Portel *in reſp. regul. tom. 1. part. 3. caſu 20. num. 6.* Cardinalis Lugo *de Euchariſt. diſp. 20. ſect. 9. n. 49.* Marchinus *de Ordine, p. 3. tract. 3. c. 9. num. 11.* Paſqualigus *in deciſ. moral. deciſ. 55.* & alij. Diana. Portel. Lugo. Marchin. Paſqual.

6. Epiſcopus dum eſt in aliena Diœceſi, poteſt erigere altare privatum, ut in illo celebret, vel faciat celebrare in Oratorio privato, abſque licentia Ordinarij loci illius, dummodo non ſit in urbe Roma. Ratio eſt; tum quia Privilegium Epiſcoporum celebrandi in altari portatili, abſolutè, atque

Digitized by Google

adeò tam in propria, quàm in aliena Diœceſi, eſt inſertum in corpore juris, nempè *in cap. final. de privileg. in* 6, unde habet vim legis ſtatuentis quod convenit Epiſcopis ratione ſtatus & dignitatis; & decretum Tridentini poteſt habere ſuum effectum abſque derogatione hujus privilegij. Unde cùm de ipſo non fiat ſpecialis mentio, non cenſetur derogatum, juxta regulam, Quod privilegia inſerta in corpore juris non derogantur, niſi de ipſis fiat expreſſa mentio, ut docent communiter Doctores, Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 38. *num.* 12 Miranda *tom.* 1. *Man. quæſt.* 45. *artic.* 6. Palaus *p.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *de privil. punct.* 2. §. 4. *num.* 5 & omnes Juriſperiti *in Authent. Quo. verb. Omni privilegio*, Cod. *ubi de crimine agi oportet*, & habetur ex *l. Eius militis*, §. *Militia*, *de teſtament. milit.* Tùm quia Epiſcopus celebrans Miſſam in Oratorio privato dum in aliena Diœceſi moratur, non exercet juriſdictionem contentioſam, ut patet, ſed voluntariam: hanc verò voluntariam juriſdictionem, ſeu potiùs privilegium perſonale poteſt exercere in aliena Diœceſi: ergo. Tùm quia Concilium Tridentinum non prohibet Epiſcopis, celebrare in altari portatili: ſed quòd non permittant celebrari, ſive à ſæcularibus, ſive à regularibus: nec item, quòd unus Epiſcopus non permittat celebrari ab alio Epiſcopo, quando exiſtit in ſua Diœceſi. Non enim Epiſcopi veniunt nomine ſæcularium, ob dignitatem, quâ præcellunt, & proinde debuiſſent ſpecialiter nominari, ſi eos comprehendere voluiſſet. Manet ergo firmum, Epiſcopos, non obſtante Concilio Tridentino, & decreto Pauli V. & Urbani VIII. poſſe, etiamſi non ſint infirmi, portare ſecum altare viaticum, & in itinere non ſolùm in ſua, ſed etiam in aliena Diœceſi, non tamen Romæ, Miſſam celebrare & celebrari facere. Ita Gavantus *in enchirid. Epiſcop. verb. Epiſcopus*, *num.* 8. & 9. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 23. Ugolinus *lib.* 1. *de offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 1. *cap.* 2. §. 2. Portel *part.* 3. *in reſponſ. regular. caſu* 20. *numero* 7. Diana *part.* 4. *tractat.* 4. *reſolut.* 15. & alij apud ipſos citati. Romæ autem non permittitur, ut Epiſcopi poſſint habere Oratorium privatum & ibi Miſſam celebrare, vel audire, propter reverentiam Summo Pontifici debitam, ut notant Riccius *part.* 4. *deciſ.* 78. Alzedus *in praxi part.* 1. *cap.* 13. *num.* 6. Venetus *in exam. Epiſcop. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 4. & alij apud Dianam *loco citato*, & *part.* 9. *tract.* 1. *reſolut.* 39. qui *reſolut.* 47. *eiuſdem partis & tractatus*, cum Doctoribus ibi citatis, docet Epiſcopum titularem extra urbem Romæ poſſe in ſuo Palatio habere Oratorium privatum, ut ibi celebret, vel Miſſam audiat: quia in rigore juris Epiſcopi titulares, qui ordinantur pro Eccleſijs in partibus infidelium, ſunt verè & propriè Epiſcopi: ergo gaudent eodem privilegio, quo gaudent ceteri Epiſcopi. Tamen ſi adeſſet praxis & conſuetudo in contrarium, non eſſet ab illa recedendum. Plura de his poſſent adduci, quæ videri poſſunt apud eundem Dianam *p.* 9. *tr.* 1. *per totum*. Vide dicta ſuprà *v. Miſſa* 3. *n.* 8. & 9. & *tom.* 1. *v. Miſſa IV. n.* 1.

Suarez. Miranda. Palaus. Gavantus. Barboſa. Ugolinus. Portel. Diana. Riccius. Alzedus. Venetus. Diana. Diana.

ORDINIS SACRAMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *An Eccleſia poſſit irritare collationem primæ tonſuræ & Ordinum Minorum factam ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, &c.* Refertur duplex ſententia.

2 *An probabile ſit, Chriſtum in particulari non determinaſſe materiam & formam Sacramenti Ordinis, ſed ſolùm genericè.*

3 *An qui veſperi attigit annum jure requiſitum pro Ordine aliquo ſuſcipiendo, poſſit mane præcedenti illum ſumere?* Refertur duplex ſententia.

An in ſupputanda ætate ad Ordines numerandus ſit dies biſſextilis, vel omittendus.

4 *An Epiſcopus poſſit in aliena Diœceſi conferre primam tonſuram ſuis ſubditis ſine licentia Ordinarij loci.* Refertur duplex ſententia.

An Epiſcopus conferens Ordines in aliqua Diœceſi de licentia Ordinarij, poſſit Clericos aliarum Diœceſium ordinare, ſi dimiſſorias literas oſtendant? Refertur duplex ſententia.

5 *Dum Prælatus Religionis vel Epiſcopus mittit ſubditum ab alieno Epiſcopo ordinandum, an conſentiat etiam vices ſuas committere Epiſcopo, ut diſpenſet cum illo in defectu occurrenti, aut oblito?* Refertur duplex ſententia.

6 *An regulares recipientes ſacros Ordines ante legitimam ætatem, vel ſine dimiſſorijs ſuorum Prælatorum, ipſo facto ſint ſuſpenſi.*

7 *An qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, incurrat ſuſpenſionem? Et an ſuperveniente mala fide, ſi ſic ordinatus celebret, irregularis ſit.*

8 *An cum ordinato per ſaltum poſſit Epiſcopus diſpenſare, ut prætermiſſum Ordinem ſuſcipiat, & ut in Ordine male ſuſcepto miniſtret; & ad ſuperiores aſcendat, ſi delictum ſit publicum.*

An ordinatus per ſaltum ſit tantùm ſuſpenſus ab eo Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit.

9 *An in aliquibus caſibus Epiſcopus excuſari poſſit à cenſura ſuſpenſionis, ordinans ſubditum alienum ex ratihabitione proprij Epiſcopi.*

10 *An Prælatus regularis poſſit diſpenſare cum ſubdito promoto per ſaltum, ut prætermiſſos Ordines ſuſcipiat, in malè ſuſcepto miniſtret, & ad ſuperiores aſcendat, ſi in Ordine ſuſcepto non miniſtraverit.*

Et quid dicendum ſi miniſtraverit?

11 *An Epiſcopus poſſit conferre Minores Ordines, Subdiaconatum vel Diaconatum, ſi illos non recepit?* Refertur duplex ſententia.

12 *An quis ad Ordines promoveri poſſit in patria ubi natus eſt? Et quando quis habet duo domicilia in diverſis Diœceſibus, à quo Epiſcopo ordinandus ſit? Et quid dicendum de ſtudioſis, qui per multos annos in Vniverſitatibus commorantur.*

13 *An poſſit Epiſcopus ordinare aliquem ad titulum beneficij, ſi illud ſit tenue.*

14 *An Epiſcopus titularis poſſit ſuo familiari triennali Ordines conferre.*

Vt familiaris Epiſcopi poſſit ab eo ordinari, an requiratur ut in ſervitute permanſerit per triennium continuatum completum? Et an ſufficiat ſervitium triennale eſſe incœptum ante aſſumptionem ad Epiſcopatum.

An Epiſcopus ordinans ſuum familiarem triennalem, debeat ei ſtatim beneficium congruum conferre.

1. POſito probabile eſſe Minores Ordines non eſſe Sacramenta, ut ſuſtinent Magiſter *in* 4. *diſt.*

Sotus. Valquez. *distinct. 24.* Sotus *ibidem, quæst. 1. art. 4.* Valquez *in 3. part. disp. 237. cap. 2.* & alij, quia non sunt à Christo institui, sed ab Ecclesia; consequenter secundùm illos, dicendum est, posse Ecclesiam irritare & habere invalidam illorum collationem factā ab hæretico, excommunicato, suspenso, &c. Sed quia de facto Ecclesia nunquam irritavit Ordines Minores collatos ab Episcopo excommunicato, suspenso, &c. demonstrat per hoc Ordines Minores esse verè Sacramentum, & quod irritari non potuerint; quia Episcopus quocumque modo sit ab Ecclesia præcisus, validè potest Ordines conferre, cuius potestas fundatur in charactere Episcopali, qui indelebilis est, nec amittitur per excommunicationem, suspensionem, aut etiā degradationem, ut ex communi docent Sotus, Henriquez, Valquez *tom. 1. citati verb. Ordo III. num. 1. vers. Et tum hæc potestas.* Secus dicendum de collatione primæ tonsuræ; hæc enim ab Ecclesia potest irritari, quia non est ordo & proinde nec Sacramentum, ut docent communiter Theologi, contra Canonistas, ut diximus *tom. 1. verb. Ordo. num. 2. vers. Item magna est.* Vide Dianam *part. 8. tract. 1. resol. 41.*

Sotus. Henriq. Valquez. Diana.

2. Probabile est materiam & formā Sacramenti Ordinis eo modo, quo Christus illas instituit, ubique terrarum easdem esse; Christum tamen in particulari non determinasse materiam & formā materialiter sumptas, sed genericè solùm statuendo hoc jubendo, ut in collatione horum & illorum Ordinum, in quibus ipse ita volebat, adhiberetur manus impositio, ac insuper porrigerentur instrumenta vel symbola illa externa, per quæ uniuscujusque Ordinis potestas & Officium designaretur: quodnam verò symbolum esset huius & illius Ordinis collationi adhibendum, reliquisse determinationi Ecclesiæ. Proinde Ecclesia utens hac potestate sibi concessa, pro diversis temporibus aut Ecclesiis diversa signa determinavit, sive diversam materiam & formam ordinationis materialiter sumptam.

Hinc Sacerdotium & Diaconatus conferebantur olim per solam manuum impositionem, ut habetur in Concilio Carthaginensi IV. *Can. 3. & 4. & in cap. Presbyter, de Sacram. init. erand.* docet Innocentius IV. communiter receptus Apostolorum tempore ritum ordinationis fuisse solam manuum impositionem. Quem ritū in Ecclesia Græca non solùm Episcopi Schismatici, sed etiā Catholici, & qui Romæ degunt, servant nunc, scientè atque consentiente Summo Pontifice: dum enim Græcos Presbyteros ordinant, non per Calicis & Patenæ cum vino & Hostiā porrectionem id faciunt, sicut Latini, sed per manus impositionē super caput ordinandi, dicente Episcopo: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ defunt, supplet, creat, seu promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, &c.* Similiter ordinant suos Diaconos sine traditione libri, vel Calicis per solam manuum impositionem cum his verbis: *Divina gratia promovet hunc Diaconum, &c.* Cùm ergo Ecclesia pro diversis temporibus diversa signa particularia determinaverit in ordinatione, potuit pro Græcis & Latinis determinare diversa: ita tamen ut utraque Ecclesia Græca & Latina conferat ordinationem per sensibile signū & verba rectè significantia traditionem potestatis, & per consequens utraque validum Sacramentum efficiat: quia servat, formaliter loquendo, materiam & formam institutam à Christo, licet materialiter utatur signis diversis: Græci enim magis confusè significant potestatē Diaconi, vel Sacerdotis solo nomine Diaconi, vel Presbyteri: Latini verò magis explicitè, quatenus in Diacono duplicem exprimūt potestatem, legendi scilicet Euangeliū, & ministrandi solemni sacrificio; in Sacerdote pariter potestatē sacrificandi, & absolvendi à peccatis distinctè significant. Ita Franciscus de Lugo *de Sacram. in genere. cap. 1. quæst. 7. n. 70. & 73.* Amicus *tom. 7. disp. 2. sect. 4.* apud quem plura de hac quæstione. Arcudius *de concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis lib. 6. c. 4.* Præpositus *in 3. part. quæst. unic. de Sacram. Ordin. dub. 5. num. 1. &c.* Cardin. Lugo *de Sacram. tom. 1. disp. 2. sect. 5.* Quorum sententiam probabilem dicit Sylvius *in supplement. 3. part. quæst. 37. art. 2. quæst. 3. vers. Ubi observandum, incirc.* 3. ubi pro hac opinione citat Bellarminum, Coninck, Layman, Mercerū, & alios, quibus addo Dianam *p. 8. tract. 1. res. 42. & p. 10. tract. 1. res. 65.* dicens hodie inter Theologos recentiores hanc sententiam esse communem, adducens plures alios.

Fra. Lugo. Amicus. Arcudius. Præposit. Lugo. Sylvius. Bellarm. Coninck. Mercerus. Diana.

3. Ad licitè suscipiendos Ordines requiritur ætas legitima ex Concilio Tridentino *sess. 23. c. 12. de ref.* & communi Doctorum sententia: nam ad primam tonsuram & Minores Ordines requiruntur saltem septem anni completi; ad Subdiaconatum viginti duo inchoati; ad Diaconatum viginti tres & ad Sacerdotium viginti quinque.

Sed dubium est, an qui vesperi attigit annum jure requisitum pro aliquo Ordine suscipiendo, possit manè præcedenti illum sumere? Affirmativam sententiam tenet Petrus de Ledesma *in Summ. tom. 1. tract. de Sacram. Ordin.* & probabilem esse putat Trullench *de Sacrament. lib. 6. cap. unic. dub. 10. n. 4.* Marchinus *de Sacram. Ordinis tract. 1. part. 5 cap. 2. num. 7.* Diana *part. 2. tract. 16. resol. 27.* quia in hoc casu vespera diei trahitur ad manè, cùm ex utroque una dies fiat; unde mordi contiquatione, qui sic ordinatur, dicitur ordinari in anno vegesimo secundo, tertio, aut quinto constitutus. Cæterùm probabilior est opinio contraria, quia talis nondum pervenit ad ætatem jure requisitam ad Ordines suscipiendos. Nec obstat, quòd parum pro nihilo reputatur, quia id est verum, quando non inde pendet tota impletio præcepti. Nec etiam hic locum habet illa regula, Quod parum distat, nihil distare videtur sicut neque in aliis, in quibus jus tempus præfinitum exigit, ut in ætate ad Ordines: si enim vel unus dies, aut hora desideretur, vitiat factum, ut docet ex communiori sententia Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 65.*

P. Led. Trull. Marchini. Diana. Pontius.

Sed alterum dubium occurrit, an in supputanda ætate ad Ordines enumerandus sit dies Bissextilis, vel omittendus? Respondeo semper diem Bissextilem esse includendum in supputanda ætate ordinandorum. Ratio est, quia in jure utraque dies Bissextilis pro unica habetur, *l. 3. §. Minorum ff. de Minor. l. Cùm bissextus, ff. de verbor. significat. & cap. Quæsivit, eodem titulo*; ergò necessariò computanda, ne necessaria ad perfectam ætatem dies desideretur. Tum quia in complendo anno probationis dies bissextilis est necessariò includendus, aliàs professio esset nulla ob non servatam formam Tridentini *sessione 25. cap. 15. de regular.* ut sustinent Miranda *in Manual. tom. 1. quæstione vigesimasecunda, articulo tertio*, Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 59.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 24. num. 22.* & *lib. 5. moral. cap. 4. num. 5.* Vecchius *in praxi nov. disp. 11. dub. 4. num. 5.* & alij: quamvis nulli contrarium docent, non dicentes diem Bissextilem non esse necessariò computandum, tam in Ordinationibus, quàm in supputando anno Novitiatus integro; quia annus à jure

Con. Tri. Miranda. Lessius. Sanchez. Vecchius.

Digitized by Google

determinatus constat ex diebus 365. qui est annus ordinarius, quem per se leges intendunt; quod si eo anno contingat superaddi his 365. diebus diem aliam bissextilem, tanquam de rebus per accidens, laborandum minimè videtur. Ita Barbosa *de potestate Episcop. part. 2. allegat. 101. num. 12.* & alij apud ipsum. Panormitanus *in cap. Quaerenti, de offic. deleg.* docet, quod ubi à jure datur annus, intelligitur 365. diebus continuis: nec curandum est, quod illo anno currat bissextus, per textum *l. Cum hæres, §. Stichus, ff. de statu lib.* Quam opinionem amplectitur Sylvester *verb. Ætas, quæstione tertia*, in odiosis; non autem in favorabilibus, quia tunc duo dies computantur pro uno. Proinde utramque sententiam probabilem esse putat Diana *part. 10 tractatu 1. resol. 67.* post Leandrum *de Sacrament. tom. 2. tract. 6. disputatione 6. quæst. 20.*

Barbosa. Panormit. Sylvest. Diana. Leander.

4. In Concilio Tridentino *sessione 6. cap. 5. de reformat.* habetur: *Nullis Episcopo liceat cuiusvis privilegij pretextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinarij subiectas tantùm. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.* Circa quod decretum est difficultas prima, an Episcopus in aliena Diœcesi sine licentia possit conferre suis subditis primam tonsuram? Negant Barbosa *de potestate Episcop. parte secunda, allegat. 6. num. 15* Sanchez *in opusculatem 2. lib. 7. cap. 1. dub. 50. num. 2.* quia in Concilij Tridentini decreto prohibetur Episcopus in aliena Diœcesi Pontificalia exercere absque Ordinarij loci licentia. Affirmativam tamen sententiam meritò sustinent Bonacina *de Sacram. disp. 3, quæst. unic. punct. 2. n. 12.* Fornarius *de Sacram. Ordinis, cap. 5. §. 4. notab. 4.* Molfesius *in summ. tom. 1. tract. 2. cap. 2. num. 15.* & alij; quia Concilium loquitur de Episcopo conferente Ordines: sed prima tonsura non est ordo, cùm conferri possit domi privatim sine Pontificalibus: ergo.

Barbosa. Sanch. 2. Bonacina. Fornar. Molfesius.

Difficultas secunda, an Episcopus conferens Ordines in aliqua Diœcesi, de licentia Diœcesani, ordinare possit non solùm personas eidem Ordinario subiectas, verùm etiam Clericos aliarum Diœcesum, legitimas licentias, atque dimissorias portantes? Quidam dicunt, quod sic, modò de eorum ordinandorum idoneitate, sufficientia atque legitima facultate ad Ordines suscipiendos, constet ipsi Ordinario, in cuius Diœcesi ordinationes fiunt: nam Concilij verba, *& in personas eidem Ordinario subiectas tantum*, sunt intelligenda, quòd prædicti Episcopi ordinare non possunt eos, qui Episcopo Diœcesano non sunt subiecti, nisi etiam ipsi à suis propriis Ordinariis literas dimissorias habeant legitimas, ad recipiendos Ordines, illasque præsententent ante Episcopum Ordinarium. Ita tradunt Miranda *in Manual. Prælat. tomo primo, quæstione 38. articulo tertio, conclus. unic.* Barbosa *de potestat. Episcop. parte secunda, allegat. 4. num. 64.* Sed alij asserunt non requiri in hoc casu novam & expressam licentiam Ordinarij loci petere, ut Episcopus possit Clericos sibi subditos, vel aliarum Diœcesum ordinare, si literas dimissorias suorum Ordinariorum attulerint; sed sufficere generalem, quam habet. Ad locum autem Tridentini potest dici, quòd loquitur de Episcopo ordinante in aliena Diœcesi ratione privilegij sibi dati à Summo Pontifice ad conferendos ordines in aliena Diœcesi; nam tunc sine licentia Ordinarij, & nisi Clericos illi Ordinario subiectos ordinare non poterit; secus autem in casu nostro, quando Episcopus est invitatus ab alio Episcopo ad celebrandos Ordines generales in sua Diœcesi. Ita Martinus Fornarius *de Sacram. Ordinis, cap. 5. num. 5.* dicens, sic sacram Congregationem interpretatam dictum decretum Concilij; qui etiam citat Toletum *lib. 1. cap. 49. num. 1.* Mauritius Alzedo *in praxi Episc. part. 2. cap. 5. num. 30.*

Miranda. Barbosa.

Fornar. S. Congr. Toletus. Alzedo.

5. Quorumdam sententia est, dum Prælatus Religionis vel Episcopus mittit subditum ab alieno Episcopo ordinandum, censeri etiam eum vices suas committere Episcopo, ut dispenset cum illo in defectu occurrenti, aut oblito, in quo potest proprius Prælatus dispensare: quia concesso aliquo, censentur subinde concessa ea, sine quibus id expediri nequit, *cap. Præterea, de offic. deleg. & l. 1. de jurisdict. omn. Judic.* Tum quia dispensatio in principali extenditur ad accessorium, sine quo consistere nequit: At promotio ad Ordines fieri nequit, eo impedimento non sublato: ergo. Ita docent Avila *de censur. part. 7. disp. 10. dub. 6. v. Notandum tertio.* Henriquez *lib. 14. c. 17. n. 4.* Angelus *verb. Irregularitas, num 34.* Sylvester *ibidem, q. 9. in fine.* Nihilominus contrarium est verius. Ratio est, quia sublato uno impedimento non censetur alterum distinctum sublatum, *cap. Extirpandi, de usu & auctorit. pallij.* At in hoc eventu duplex impedimentum concurrit; alterum defectus subiectionis ad Ordines; alterum irregularitatis. Sublato ergo priori per initiandi licentiam, non aufertur posterius. Tum quia dispensatio non extenditur ad connexa, sine quibus potest consistere. At potestas initiandi potest consistere absque potestate reddendi initiandum habilem ad Ordines: utpote, quæ intelligitur, si ille alias habilis sit, vel à legitimo Superiore impetret dispensationem in ea inhabilitate. Ita Sanchez *de matr. lib. 8. disp. 1. n. 25.* ex doctrina Navarri *lib. 1. consil. de tempor. ordin. consil. 12. & 13. in 2. edit.* Rodriguez *tom. 2. summ. cap. 14. concl. 10.* qui sustinent Episcopum, cui Tridentinum *sess. 23. cap. 9. de reform.* concedit posse ordinare suum familiarem triennalem, non posse cum eo dispensare in interstitijs, nec in defectu natalium ad Ordines Minores, ut potest proprius Episcopus.

Avila. Henriq. Angelus. Sylvest.

Sanchez. Navarrus. Rodrig.

6. Regulares recipientes sacros Ordines ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs suorum Superiorum, ipso facto sunt suspensi per Extravag. Pij II. quæ incipit, *Cum ex sacror.* & tam sæculares, quàm regulares Clericos comprehendit, idque Sixtus V. in sua Constitutione contra malè promotos satis expressè & clarè extendit ad regulares, quos etiam voce activa & passiva privat. Ita Rodriguez *tom 3. quæst. 13. art. 8.* Miranda *tom. 1. q. 39. art. 6.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 16. n. 24.* & communis, contra Sanctorium *in Comm. ad Const. Minor. c. 2 stat. 57. concl. 5.* qui vult probabile esse, quod in Extravag. Pij II. non includantur regulares, quia in ea non fit mentio de regularibus, & in odiosis nomine Clerici non veniunt Monachi, vel regulares. Nec obstat etiam, inquit ille Auctor, quòd Sixtus V. confirmando Bullam Pij II. illam expressè ad regulares extendit, quia illa Bulla fuit revocata in omnibus, & redacta ad terminos juris & Bullæ Pij II. in quibus non fit mentio de regularibus, & ita cessavit extensio, sicuti & censuræ. In contrarium tamen est praxis sacræ Penitentiariæ; propterea opinio Sanctorij non sequenda, quia regulares sunt Clerici, & materia Ordinum est communis.

Pius II. Rodrig. Barbosa. Miranda. Sanctor.

7. Qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, non incurrit suspensionem: quia hæc censura appo-

Digitized by Google

appoſita per Pium II. tantùm eſt contra præſumentes; qui verò bona fide facit, non dicitur præſumere: quia verbum præſumere dolum atque malitiam deſignat, quo fit, ut qui bona fide & probabili ignorantia, abſque dolo & malitia, prædictos ſacros Ordines ſuſcepit, ſuſpenſus minimè ſit. Ita Portel *in dub. reg. verb. Ordines ſacri, n.* 13. Portel. Suarez. Miranda. Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 26. Miranda *tom.* 1. *man. quæſt.* 39. *art.* 6. *in fine.*

Sed petes, an adveniente mala fide ſi ſic ordinatus ante legitimam ætatem celebret, irregularis ſit? Dicendum eſt quòd non: quia cùm à principio non inciderit in ſuſpenſionem, non eſt cur irregularitatem incurrat, ſi celebret adveniente malâ fide: quia nullâ hic cenſura violatur per exercitium Ordinis ſacri.

8. Quamvis Ordinatus per ſaltum ſit impeditus ad ſuperiores Ordines ſuſcipiendos, hoc tamen impedimentò non eſt irregularitas, ſed ſuſpenſio, quam tollere poteſt Epiſcopus, & cù ſic promoto diſpenſare, ut prætermiſſum Ordinem ſuſcipiat, & ut in Ordine malè ſuſcepto miniſtret, & ad ſuperiores aſcendat, quamvis delictum ſit publicum, dummodò talis in malè ſuſcepto Ordine, vel prætermiſſo non miniſtraverit ante diſpenſationem: quia tunc fieret irregularis. Ducor, quia Con. Trid. Tridentinum *ſeſſ.* 23. *c.* 14. *de ref.* ita conceſſit cum hac limitatione Epiſcopis, dicens: *Cum promotis per ſaltum, & non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.* Et docent Sayrus *de cenſur. lib.* 5. *c.* 14. *n.* 26. & 27. & *lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 40. Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 51. Rodriguez *tom.* 2. *Summ. c.* 17. *n.* 9. Avila *de cenſur. part.* 7. *diſp.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 2. & alij communiter; proindeque ex verbis Concilij conſtat manifeſtè non eſſe licitum Epiſcopo diſpenſare quando ipſe ſic ordinatus per ſaltum miniſtraverit, nec in dicto Concilio ſit diſtinctio de eo qui adminiſtrat ſcienter aut ignoranter, & ſic attento hoc decreto poteſt teneri, de jure, quod Ordinatus per ſaltum celebrans de facto, ſive id fiat ignoranter ſive ſcienter, ſemper egeat diſpenſatione Summi Pontificis: quia numquam poteſt Epiſcopus diſpenſare, ubi talis fuit adminiſtratio, quæ irregularitatem induxerit. Ita Doctores citati, quibus addo Dianam *part.* 5. *tract.* 10. *reſ.* 27. Sayrus. Suarez. Rodrig. Avila. Diana.

Advertendum tamen eſt, Ordinatum per ſaltù eſſe tantùm ſuſpenſum ab eo Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit, & ita miniſtrando effici irregularem, non autem ab uſu Ordinum inferiorum, quos legitimè ſuſcepit, ut docent Suarez *loco cit. n.* 42. Bonacina *tom.* 3. *diſp.* 3. *q.* 1. *punct.* 2. *n.* 19. & alij apud ipſum. Ratio eſt; quia nullo jure ſufficienter probatur, hunc remanere ſuſpenſum ab Ordinibus ritè ſuſceptis, & cùm jura, quæ iſtius ſuſpenſionis meminerunt, obſcurè loquantur, non eſt facienda extenſio, ſed mitior interpretatio. Suarez. Bonacina.

9. Probabile eſt in aliquibus caſibus Epiſcopù excuſari à cenſura ſuſpenſionis, Ordinantem ſubditum alienum ex ratihabitione proprij. Primus eſt, quando proprius Epiſcopus eſt ſuſpenſus ob Ordinatum alienum: tunc licet ſine ipſius licentia adire alium, à quo Ordines ſuſcipiantur, juxta *cap. Eos qui, §. final. de temp. ord. in* 6. Secundus eſt, quando quis per triennium fuit de familia Epiſcopi alieni; hic enim illum poteſt promovere, dummodò ſtatim det ei beneficium, ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 9. *de ref.* Hoc autem intelligitur de Epiſcopo Ordinario; quia ei, qui tantum eſt titularis, talis promotio eſt interdicta *ſeſſ.* 14. *c.* 2. *de ref.* Tertius eſt, quando unus Epiſcopus ordinat ſubditù alterius Epiſcopi ſub ſpe rationabili eiuſdem ratihabitionis, maximè ſi ratihabitio ſit de præterito, vel de præſenti, ut notat Avila *de cenſur. part.* 3. *diſp.* 5. *dub.* 7. §. *Dico quintò*. Reginaldus *lib.* 32. *tr.* 2. *cap.* 24. *ſect.* 3. *num.* 69. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 191. & *part.* 5. *tract.* 10. *reſol.* 38. & alij citati à nobis *tom.* 1. *verb. Ordo III. num.* 4. *verſ. Maius dubium eſt.* Avila. Reginaldi Diana.

10. Prælatus regularis poteſt diſpenſare cum ſibi ſubdito, qui Ordines per ſaltum, ſive ignoranter, ſive etiamſi ſcienter ſuſcepit (modò in Ordine ſuſcepto non miniſtraverit,) ut prætermiſſos Ordines recipiat, in malè recepto miniſtret, & ad ſuperiores, ſi qui deſint, recipiendi, aſcendat. Probat primò: quia Superiores regulares eandem habent auctoritatem in ſubditos ſibi regulares, ac Epiſcopi in ſuos ſæculares: Sed cum his poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut communiter aſſerunt Doctores: ergo & Prælati, etiamſi ſuſpenſio ſit publica. Nec huic opinioni videtur derogatum per Concilium Tridentinum. *ſeſſ.* 23. Con. Trid. *cap.* 12. *de reform.* quia Concilium ibi ſolùm revocat privilegia ne regulares ante ibi præſcriptam ætatem ordinentur, non verò revocat privilegia, quæ aliàs Superiores regulares à Sede Apoſtolica obtinuerunt abſolvendi ſuos ſubditos, ut ex verbis ipſius Concilij clarè colligitur: dicitur enim in textu *privilegia quoad hoc excluſis*, videlicet, ne in poſterum ante præſcriptam ætatem ordinentur, prout de hoc ipſo tantùm in dicto cap. fit mentio. Ita Portel *in dub. regul. verb. Ordines Sacri, num.* 14. Hieronymus Rodriguez *in compendio reſol. 106. num.* 26. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 85. Contra Sorbum & Sayrum, qui volunt privilegia regularium quoad hoc eſſe revocata per Concilium Tridentinum. Portel. Hier. Rod. Diana. Sorbus. Sayrus.

Nec obſtat quod Sixtus V. in ſua Conſtitutione contra ſic malè promotos revocaverit privilegia regularium ad abſolvendum huiuſmodi promotos ſubditos; quia poſt Sixtum Clemens VIII. confirmavit privilegia Minorum ex certa ſcientia, & Paulus V. confirmavit utens verbo *innovamus*, quæ forma Confirmationis tevalidat invalida & revocata per anteriores Pontifices, ut tradunt communiter Doctores, teſtibus Suarez *de legib. lib.* 8. *c.* 19. Sigiſmundo à Bononia *de elect. part.* 2. *c.* 4. *dub.* 76. *n.* 6. & Doctoribus citatis. Sixtus V. Cl. VIII. Paulus V. Suarez. A Bonon.

Sed quæres, an poſſit Prælatus diſpenſare cum ſubdito promoto per ſaltum, ſi miniſtravit in Ordine? Reſpond. ex Trid. quòd ſi delictum eſt occultum, ſive ſcienter, ſive ignoranter miniſtraverit, poterit Prælatus regularis cum tali Ordinato diſpenſare, ut prætermiſſum Ordinem recipiat & in malè ſuſcepto miniſtret, & ut ad altiorem aſcendat: quia talis poteſtas eſt data Epiſcopis à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformatione*, quam poteſtatem habent etiam Prælati regulares, ut diximus *tom.* 1. *verb. Abbas, num.* 8. §. 1. Con. Tr.

Si autem delictum ſit publicum, ex vi Tridentini non poſſet, quia Concilium ait Epiſcopum non poſſe. An autem id poſſit virtute privilegiorum? Affirmat Portel *loco citato num.* 14. *ad finem*. Portel.

11. Juxta quorumdam ſententiam Epiſcopus, qui nõ recepit minores Ordines, aut certè ſubdiaconatũ, vel diaconarum, non poteſt aliis conferre illum Ordinẽ, quem non recepit. Ita Emanuel Sà *verb. Ordo num.* 23. Henriquez *de Ordine cap.* 5. §. 2. *litera H.* Sylveſter, D. Antoninus & alij. Sed quia ab his auctoribus nullum affertur firmum fundamentum ad hoc aſſerendum, ideò ab eorum opinione puto recedendum, dicendo, Epiſcopum, etiamſi careat aliquibus Ordinibus, validè eos conferre poſſe: quia licet his careat, eſſe Eman. Sà. Henriq. Sylveſt. D. Anton.

poteſt verus Sacerdos, & Epiſcopus reipſa; poteſtas autem conferendi Ordines eſt ſolùm Epiſcopalis, alij autem Ordines hanc poteſtatem non tribuunt: tum quia Epiſcopus, qui non recepit Ordines inferiores, poteſt ordinare Sacerdotes: ergò etiam Diaconos & Subdiaconos, reliquoſq; inferiores Miniſtros: quia Epiſcopus eſt verè Sacerdos & conſequenter poteſt aliis conferre Ordinem Sacerdotalem; & eo ipſo, quòd ordinat Sacerdotes, confert illis poteſtatem exercendi munera Diaconi & Subdiaconi: ergo etiá poteſt conferre Ordinem Diaconatus & Subdiaconatus. Confirmatur autém hæc ſententia, quia poteſtas conferendi omnes Ordines validè, tribuitur Epiſcopo ratione characteris Sacerdotalis & Epiſcopalis: Sed etiamſi non receperit Ordines inferiores, verè habe: Characterem Epiſcopalem: ergo habet poteſtatem omnes Ordines conferendi.

Vaſquez. Layman. Præpoſit. Ga. Hurt. Ita Valquez *in* 3. *part diſp.* 243. *cap.* n. 26. Layman *l.* 5. *tract.* 4. *c.* 9. *n* 8. Præpoſitus *in* 3. *part de Sacram. Ordin. q. unic. dub.* 12 *num.* 114. Hurtadus *de Sacrám. Ordin. diſſic.* 17. & alij.

12. Quamvis quis ſortiatur domicilium in ea patria ubi natus eſt ipſe, qui ad Ordines promoveri deſiderat, *ex cap Cùm nullus, de temp. Ordin. in* 6. hoc tamen debet intelligi, quando parentes habent domicilium in eo loco, ubi filius ipſe natus eſt; nàm qui naſcitur caſu & fortuito ex parentibus aliquò pergentibus, vel ad tempus morâ trahentibus in aliquo loco, ubi natus eſt, proprius Epiſcopus non erit is, qui fuerit illius Diœceſis, in quo ordinandus natus fuit caſu fortuito, ſed erit Epiſcopus eius Diœceſis, ubi parentes domicilium habuerunt, & fingitur ibidem natus. Ita ex communi Præpoſitus *loco cit. dub.* 14. *n.* 30. Sanchez *de mat. lib.* 3. *diſp.* 23. *n.* 3. Zypæus *Anal. jur. Pontific. lib.* 1. *tit. de Ordinandis n.* 4. & alij.

Præpoſit. Sanchez. Zypæus.

Qui verò habet duo domicilia, & in diverſis Diœceſibus poteſt indifferenter à quocumque ex his duobus Epiſcopis ad Ordines promoveri: quia ratione utriuſq; domicilij fit ſingulis ſubditus. Filius verò illius debet recipere Ordines ab Epiſcopo loci, in quo natus eſt, cùm pareas ibidé haberet domicilium: quia ibi non eſt natus fortuito, utpotè in domicilio patris, & Epiſcopus loci verè Epiſcopus originis. Si tamen alibi fortuitò natus ſit, tunc uterq; Epiſcopus poteſt cenſeri Epiſcopus originis ratione domicilij paterni, cùm non ſit potior ratio unius, quàm alterius.

Sed quid dicendum de ſcholaribus & ſtudioſis qui per multos annos in univerſitatibus commorantur? Reſp. tales non contrahere ibidem domicilium, ſi retineant animum in patriam redeundi, ſed eorum domicilium cenſeri eſſe in patria; proinde non poſſunt ordinari ab Epiſcopo loci in quo eſt univerſitas, ſed ab Epiſcopo domicilij parentum, cùm hi cenſeantur habere idem domicilium cum parentibus, quamdiu peculiarem ſibi ſedem nondum præfixerunt. Hinc filij eorũ qui in univerſitate uxorem duxérunt animo in patriã redeundi, non poſſunt ordinari ab Epiſcopo, intra cuius terminos ſita eſt univerſitas; quia ſicut reſpectu prolis non dicitur Epiſcopus domicilij, ita reſpectu prolis non dicitur Epiſcopus originis: Ordinandus ergo eſt ab Epiſcopo domicilij parentis, in quo fingitur natus. Ita Præpoſitus *in* 3. *part. de Sacram. Ordin. q. unic. dub.* 14. 132. 133 & 135. Marchinus *de Ordine tract.* 1 *part* 5 *c.* 7 *n.* 10 & alij. Filius verò ſuſceptus ex formicatione, matre certo loco domicilium habente, & patre alio, ſequitur domicilium matris, à qua certius procedit: unde ſi talis velit tonſuram & Ordines ſive minores, ſive ſacros ex diſpenſatione ſuſcipere, Epiſcopus domicilij materni, in quo natus eſt, vel cenſetur natus, poteſt illum ordinare. Ita Diana *part.* 8. *tract.* 2. *reſol.* 18.

Præpoſit. Marchin. Diana.

13. Quidam putant non poſſe Epiſcopum ordinare aliquem ratione beneficij, ſi illud ſit tenue: quia Concilium Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. *de ref.* poſtulat, ut beneficium ſit ſufficiens ad victum honeſtè, ut poſſit quis ſacris Ordinibus inſigniri. Sed contrarium eſt tenendum; quia c. *Cùm nullus, de tempor. Ordin. in* 6. ſimpliciter loquitur de habentibus beneficium, nec explicat illius valorem & quantitatem. Tum quia Sacra Cardinalium Congregatio cenſuit beneficium duorum ducatorum eſſe ſufficiens ad gaudendum privilegio fori: ergo etiá ad ſumendos Ordines, ex quibus oritur privilegium fori. Ita ſuſtinent Barboſa *de jure Pontificio lib.* 3. *cap.* 31. *n.* 38, Henriquez *lib.* 10. *cap.* 12, *§.* 1. *litt. L & cap.* 17. *litt. Q.* Garzias *de benefic. tom.* 1 *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 8. Diana *part.* 8. *tract.* 2. *ref.* 20. Nec huic opinioni obſtat decretum Tridentini, quod non loquitur quoad hunc ſubiectionis effectum, ſed quoad alium effectum congruæ ſuſtentationis eius, qui vult ad maiores Ordines promoveri. Non enim aſſerit, quòd ſi ordinandus beneficio tenui patrimonium ſufficiens ad victum adiungat, non poſſe ordinari ab Epiſcopo. Quare dicendum eſt, ſi tenui beneficio adiungeretur patrimonium, ita ut conflatum ex utroque ſufficeret ad ſuſtentationé, ſicut requirit Tridentinum, tunc poſſet ab Epiſcopo beneficij ordinari. Aliud enim eſt quærere, num beneficium ſufficiat pro titulo, aliud ſi ſufficiat ut tanquam ſubditus ratione beneficij poſſit promoveri ad Ordines.

Con. Tri. Barboſa. Henriq. Garzias. Diana.

14. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 9. *de reform.* ſtatuit, quòd *Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus; & beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat, conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non obſtante.* Circa quod Decretum ſequentia notanda veniunt:

Con. Tri.

Primum, Epiſcopos titulares non gaudere hoc privilegio, ut patet ex eodem Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 2 *de ref.* & contrarium facientes, ab exercitio Pontificalium per annum ipſo jure ſunt ſuſpenſi.

Con. Tri.

Secundum, ut Epiſcopus poſſit ordinare ſuum familiarem triennalem, debet ille in ſervitute per triennium continuatum completum perſeverare: nec ſufficeret annũ tertium fuiſſe cœptum; quia in odioſis annus cœptus & dies inchoata pro cõpleta non habetur. Ita Marchinus *de Ordine, tr.* 1. *part.* 5. *c.* 9 *n.* 2. Præpoſitus *loco cit. n.* 14. At odioſum eſt Epiſcopis, quibus talis familiaritis ratione domicilij, vel loci originis eſt de iure ſubditus, à propria eximi iuriſdictione.

Marchin. Præpoſit.

Tertium, quòd ſufficiat ſervitium triennale eſſe incœptum ante aſſumptionem ad Epiſcopatum: quia ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Sed Concilium non deſtinguit de ſervitio ante vel poſt Epiſcopatum: ergo abſolutè intelligendum eſt. Garzias *de benefic. tom.* 1. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 83. Præpoſitus *loco citato*. Non poſſet tamen Epiſcopus ordinare familiarem in regione remota morantem, quamvis expenſis Epiſcopi vixerit: nam abiens propriè familiaris non dicitur, neque Epiſcopus poteſt eius mores noſſe: quandoquidem hoc triennium à Concilio præfixum, ad hoc principaliter ſuffragatur, ut mores & vita ab Epiſcopo cognoſcãtur: quare inhærendo verbis Concilii, hoc tantùm procedit in illis familiaribus, qui

Garzias. Præpoſit.

qui cum Episcopo commorantur, & qui sunt præsentes, illusque obsequiis assistunt, sive intra, sive extra domum ejus, Episcopi expensis alantur.

Sanchez. Ita Sanchez *in opusc. to. 2. lib. 7. c. 1. dub. 20. n. 21. & 23.* Imò sub verbis Concilij intelliguntur quoque famuli & familiares eorumdem familiarium, qui inserviunt Episcopo, ejusque impensis alūtur, modò per triennium familiari Episcopi inservierint, ut tradunt Escobar *in Theol. mor. tr. 7. exam. 8. c. 4. n. 73.* & Barbosa *de potest. Episcop. p. 2. alleg. 5. num. 7.* & alij.

Escobar. Barbosa.

Quartum, quod hæc facultas Episcopo concessa ordinandi suum familiarem triennalem, intelligi debet cum onere conferendi statim ordinato congruum beneficium. Quid autem intelligatur per verbum *statim*, non conveniunt Doctores; quidam enim interpretantur, quamprimùm beneficium aliquod vacaverit, teneri Episcopum illud illi conferre. Ita Vasquez 3 *part. tom 3. disp.* 243. *n.* 49. Hurtadus *de Sacram. Ordin. difficult. 17.* Præpositus *in 3. p. de Sacram. Ordin. quæst. unic. dub.* 14. *n.* 142. Tannerus *tom. 4. disp. 7. quæst. 3. dub. 2. n.* 38. Sed hæc expositio est nimis ampla & voluntaria; nam Sacra Congregatio declaravit, fuisse contra hanc Tridentini formam, quandam beneficij collationem triennali familiari factam intra annum, etiam in mense undecimo à die ordinationis. Hæc declaratio facta est die 22. Maij 1586.

Vasquez. Gasp. Hu. Præposit. Tanner. S. Congr.

Testantur Flaminius Parisius *de resign. benefic. lib. 4. quæst. 2. num. 92.* Garzias *de benefic. part. 2. cap. 5. n.* 85. proinde verbum *statim*, non excedere decem dies. Marchinus *de Sacram. Ordin. tract. 1. p. 5. cap. 9. num. 5. & sequent.* Diana *part. 8 tract. 2. resol. 3.* tradunt, cum multis aliis ibi citatis. Hæc omnia hoc numero dicta, videri possunt apud Dianam *loco citato à resolut. 27. & seq.* Sed de his satis.

Parisius. Garzias. Marchin. Diana.

De Ordine vide verb. Abbas *num. 6. 7. & 8.* Capitalum *num. 2. & 9.* Irregularitas 2. *num. 18. & sequent.* Matrimon. 2. *num. 13. & seq.* Suspentio.

P.

PACTVM.

SUMMARIUM.

1 *Pactum dividitur in expressum & tacitum: in personale & reale: in nudum & vestitum; quod vestitur sex modis.*

2 *An pactum generalius sit nomen, quàm contractus.*

3 *An pactum, stipulatio, pollicitatio, conventio & promissio inter se distinguantur.*

4 *An effectus proprius cujusque pacti sit naturalis obligatio, & correspondeat huic petitio & actio? Quid sit actio personalis, quid realis.*

5 *An pactum legis commissoriæ apponi possit in pignoribus & venditionibus.*

6 *An pacta & conventiones quæ fiunt inter Superiores locales Ordinum mendicantium & Prælatos Ecclesiarum & Rectores super juribus Parochialibus, sint valida, sine consensu Generalium & Provincialium.*

7 *An ex pacto religiosi cum suo Prælato, oriatur in eo obligatio naturalis erga subditum?* Refertur duplex sententia.

8 *De quibusdam pactis quæ jure irritantur, quæ sunt contra bonos mores, vel moribus præjudicium afferre possunt.*

9 *In quibus conveniant Pacta legis commissoriæ & pacta adjectionis in diem.*

PActum multipliciter dividitur: *Primò*, in conventum seu expressum, & in tacitū. Expressum dicitur, cùm partes inter se expressè paciscuntur. Tacitum verò, quod ratione alicujus legis intervenit, quantumcumque partes non paciscantur inter se, ut cùm tutor eligitur, pupilli, quorum curam accipit, habent ex juris dispositione tacitam hypotheeam in illius bonis; sic etiam uxor in bonis mariti, propter res dotales.

Secundò dividitur in personale & reale: illud est quod ad aliam personam, nempe ad hæredē non transit: hoc verò, quod transit ad hæredem; ut si paciscor tecum, ne petas à me, & possis petere à meo hærede vel paciscor, ne petam à te, & hæres meus possit à te petere.

Tertiò dividitur, quod aliud fit in rem, & aliud in personam. In rem autem esse dicitur, quoties generaliter paciscor, ne petam rem. In personam verò, quoties paciscor, ne à persona petam.

Quarto dividitur in nudum & vestitum. Vestitum dicitur pactum sex modis, 1. re, 2. verbis scilicet in stipulando. 3. literis, ut quando in literis confiteur se aliquid recepisse, etiamsi non receperit. 4 consensu, ut in societate, mandato, emptione, venditione, vel locatione, in quibus non requiritur scriptura vel præsentia, sed sufficit consentire per se, vel per nunctium, aut scripturam. 5. cohærentia contractus, puta vendidit quis domum cum pacto ut moretur in eā per annum; vestitur enim illud pactum coherentia contractus, scilicet venditionis; aliàs esset nudum. 6. interventu rei: puto promisi dare tibi aliquid, ut faceres mihi vel dares aliud; unde statim cùm dedero tibi promissum, vestitur pactum ex parte mea: ideoque interventu ejus obligaris mihi ad promissum. Hæc omnia probantur *ex Institutis, de verb. obligat.* Nudum verò pactum non vestitur aliquò prædictorum, sed tantum consistit in meris & puris finibus conventionis, & caret omni alio firmamento; v. g. promisi tibi dare centum sine aliqua interrogatione præcedenti vel Chirographo & hujusmodi, & consentis. De quibus Sylvest. *verb. Pactum, quæst. 2.* Reginald. *lib. 25. cap. 6. num. 71. & 72.* & alij citati *tom. 1. verb. Contract. n. 6.*

Sylvester. Regnal.

2. Pactum, cùm sit duorum, vel plurium in idem placitum seu consensus, *l. 1. ff. de pactis.* tamen pactum generalius est nomen, quàm contractus: quia pactū dicitur de omnibus, quæ inter eos, qui contrahunt, aguntur causa contrahendæ, vel tollendæ obligationis. Proinde pactum est de non petendo debito, vel damno per injuriam illato. Pactum etiam est in transactionibus, quæ fiunt gratia litis dubiæ finiendæ. Pacta quoque fiunt pacis, belli, induciarum. Imò in uno contractu aliquando interveniunt duo vel plura pacta. Unde contractus generali nomine pactum dicitur, sed tamen cùm habemus specificum nomen, eo nominamus contractū, ut dicendo, venditio, locatio, & hujusmodi: cùm verò non habemus, generali nomine pactum appellamus.

3. Pactum, stipulatio, pollicitatio, conventio & promissio inter se differūt & distinguuntur, quòd promissio si sumatur largè, est affirmatio vel negatio, qua quis se aliquid dicturum vel facturum affirmat aut negat, & est quid commune ad omnia prędicta. Sed propriè *promissio* est, cùm quis precedente rogatione, seu petitione, vel interpellatione alterius,

Digitized by Go

alterius, ſpondet ſe aliquid daturum vel facturum, ut ſi rogem te, ut mihi mutuo des centum & ſpondes te daturum. *Pollicitatio* verò eſt ſolius offerentis promiſſio, cùm quis ſponte ſua non rogatus ab alio, promittit aliquid alteri: & hoc eſt quod ſignificatur *in l. Pactum, ff. de pollicitat.* & ſit ſine interrogatione præcedente. Hinc fit, neque promiſſionem, neque pollicitationem eſſe inter duos, quorum unus ſit debitor, & alter creditor; ſed tantùm eſſe ſponſionem unius, qua ſe obligat alteri, cum ipſius conſenſu. *Pactum* verò propriè eſt, quando verba præmittuntur à promittente & confeſtim ſequuntur verba in admittente; ut v. g. Dabo tibi centum, ut mihi vendas equum, & tu ſtatim reſpondeas: Mihi placet. Unde de ratione pacti ſunt tria: *Primò*, quòd iſte actus generatur inter plures. *Secundò*, quòd partes ſint præſentes per ſe vel alium, aut ſcripturam, ita quod conſenſus earum concurrant. *Tertiò*, quòd verba præmittantur à ſponente. *Stipulatio* autem propriè eſt verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, reſpondet ſe daturum, aut facturū illud, quod interrogatus eſt, ut, Promittis te mihi daturum centum? tu ſtatim reſpondes, Promitto; ſtipulatio eſt. *Conventio* verò eſt aliquid generalius pacto: quia & ſcholares in ſcholis & religioſi in capitulo conveniunt, *l. 1. §. conventionis verbum, ff. de pollicitat.* & propriè videtur in jure paſſivè ſumi pro citatione, activè verò pro pacto. Ita Sylveſter & alij.

Sylveſt.

4. Effectus proprius cujuſque pacti eſt naturalis obligatio, juxta regulam 84. ff. *Is naturâ debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus.* Et in l. 1. ff de pactis. *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, ſervare?* Obligatio autem definitur, Inſtit. de obligat. *Iuris vinculum quo neceſſitate aſtringimur alicujus rei ſolvendæ vel faciendæ.* Huic obligationi ac debito ex altera paciſcentium parte correſpondet petitio, & actio, id eſt, jus perſequendi, quod tibi debetur.

Quoad obligationem hoc diſcrimen notatur inter promiſſionē & pactū; quod ex promiſſione jam acceptata ab alio, obligatio tantùm naſcatur ex parte promittentis, quia ea fit gratis, nec ei cui fit, quidquam imponitur. At ex pacto naſcitur obligatio ex parte utriuſque paciſcentis, eò quòd fiat, tam promittente, quàm admittente, ſe ad aliquid dandum, vel faciendum vel præſtandum adſtringente.

Porrò actio eſt duplex, una quæ dicitur perſonalis, altera realis. Actio perſonalis eſt, qua agimus adverſus eum, qui nobis eſt obligatus ex aliqua cauſa ad faciendum, aut dandum aliquid; & ideò ſemper naſcitur proximè ex contractu, vel quaſi contractu, quo quis nobiſcū contraxit: ex delicto, vel quaſi delicto, quo quis in nos deliquit, vel quaſi deliquit. Realis actio eſt, per quam rem noſtram, quæ poſſidebatur ab alio, petimus: & ideò ſemper eſt adverſus eum, qui rem noſtrā poſſidet, etiamſi nihil nobiſcum contraxerit; aut contra nos nihil deliquerit. Proinde actio realis ſemper naſcitur ex dominio, vel quaſi dominio, ſive ex jure ex re, ſive jure in rem: & hæc actio non eſt in perſonam, quæ ex aliqua cauſa nobis fuerit obligata, ſed in rem, quam poſſidet, cùm tamen nobis debeatur, *l. in Rem, ff. de rei vendic.* & tradunt communiter Doctores.

5. Omnè pactum turpe, vel quod jure naturali, divino, vel humano damnatum eſt, in pignoribus prohibetur. Proinde inter pacta, quæ in pignoribus apponi nequeunt, eſt pactum legis comiſſoriæ, quando creditor cum debitore paciſcitur, ut ſi ad tempus conſtitutum, debitum non ſolverit, aut non ſatisfecerit creditori, pignus cedat in jus & dominium ipſius creditoris. Dicitur autem pactum legis commiſſoriæ, quia pignus cadit in commiſſum, debito ad diem præfinitum non ſoluto: & eſt inſtar pacti, quod in venditione & emptione conſueverunt aliqui apponere, ut ſi intra certum tempus emptor non ſolverit pretium, res non ſit empta. Quod pacti genus in venditione, & emptione eſt jure civili approbatum, ut patet *ex tit. ff. de leg. commiſſ.* At verò idem pactum legis commiſſoriæ in pignoribus, utroque jure, civili & Canonico damnatur, *l. ult. Codde pactis pignorum, & cap. Significat. de pignorib.* Quare autem hoc pactum in emptione permittatur, & non in pignoribus? Reſpondent Doctores, quia venditor emptorem injuria, vel damno non afficit, ſi rem ſuam emptori vendat ea lege, ut ſi pretium tempore præſtituto non ſolverit, pro non empta habeatur, & ad ipſum redeat. Sed pignus ſolet eſſe majoris æſtimationis & pretij, quàm ſit debitum. Ergo pactum, ut fiat pignus creditoris pro debito, eſt cum damno debitoris: quia cogitur plus ſolvere, quàm debeat, & minoris vendere rem ſuam. Ita Joan. Andreas, Panormitan. *in dict. cap. Significat.* & Gloſſa *in l. ult. de pactis pignor.* Sylveſt. *verb. Pactum* q. 14. Molina *de inſtit. tract. 2. diſp. 324.* Qui noviſſimus obſervat ex Panormitano *in cap. Significat. n. 7.* ſi pactum ſit, quod debitore intra terminum non ſolvente, pignus ſit venditum, non certo aliquo & determinato pretio, ſed pretio juſto arbitrio boni viri, validum eſſe tale pactum.

Io Andr. Panorm. Molina.

5. Ex jure communi pactum initum per Prælatos Religionum mendicantium, puta Priores, Guardianos, &c cum Rectoribus vel perſonis Eccleſiarum ubi habitant, ſuper juribus Parochialibus, vel alijs quibuſcumque, debet perpetuò ſervari, ſi factum eſt cum aſſenſu ſuorum conventuum vel locorum, licet non intervenerit aſſenſus Magiſtri vel Miniſtri Provincialis, aut Generalis, vel Sedes Apoſtolica, quoad Fratres Minores auctoritatem non præſtiterit. Ita ſancitum eſt *in c. Quia ex eo, de pactis, in 6.* Bonifacius VIII. ſic loquitur: *Præſenti decreto ſancimus, compoſitiones & pacta hujuſmodi cum Prælatis, Capitulis, & Rectoribus & perſonis prædictis ab ipſorum Fratrum conventualibus Prioribus ſeu Guardianis facta vel approbata de ſuorum Conventuum conſilio & aſſenſu (dummodo alias ſint licita & honeſta) debere ab ipſis Fratribus in locis, in quibus fuerint facta, perpetuò inviolabiliter obſervari; non obſtante quod Magiſtri vel Miniſtri aut Priores Generalium ſeu Provincialium prædictorum non interfuerint in eiſdem aſſenſus, nec ab ipſorum Generalibus vel Provincialibus Capitulis extiterint approbata: ſeu quòd Sedes Apoſtolica in ijs quæ per prædictos Fratres facta fuerint, auctoritatem ſuam non præſtiterit vel aſſenſum.* Nec huic juri obſtat Bulla Alexandri Papæ IV. apud Bullarium Rodriguez *Bulla 25.* ejuſdem Pontificis, qua conceſſit Generali Minorum ac Provincialibus, ut pacta illa quæ facerent Guardiani, Cuſtodes & alij Fratres abſque licentia Generalis, vel Provincialis, eſſent, irrita, neque ad illa Fratres obligarentur: quia Emanuel Rodriguez *tom. 1 quæſt. reg. quæſt. 39. art. 8.* cirans iſtam conceſſionem, dicit eſſe revocatam per prædictum decretum Bonifacij VIII. qui vixit poſt Alexandrum. Portel verò *in dub. reg. v. Pactum in add. n 1.* credit, non eſſe revocatam, niſi fortè in parte, videlicet, quoad pactum à Guardiano ſuper Canonica quarta parte, de qua *loco citato* agit Rodriguez. Hæc enim pacta facta à Prælatis localibus circa Canonicam quartam, valida erunt, etiamſi

Bon. VIII.

Alex. IV.

Rodric.

Portel.

fiant

fiant abſque conſenſu Provincialis, vel Generalis.

Bon. VIII Alex. IV. Nam Bonifacius VIII. hoc tantùm exprimit illis verbis: *Super juribus Parochialibus*. At Alexand. IV. non loquitur ullo modo de juribus Parochialibus; ſed in genere dicit: *Super locis ad dictum Ordinē pertinentibus, eorumque cœmeteris*. Quæ verba non agunt de Canonica portione, neque illam ſignificant, neque item ſignificant jura Parochialia, ac proinde videtur conceſſio nimis diverſa & non revocata per dictum Bonifacium VIII. Ita Portel.

Conc. La. Leo X. In Concilio Generali Lateranenſi Leo X. Bullà *Dum intra, num.* 8. ſtatuit, quod *Pacta & Conventiones inter eoſdem Fratres & Prælatos atque Cœtatos pro tempore inita, valeant: niſi per ſubſecutum Capitulum proximum Generale vel Provinciale refutata, & per eos refutatio huiuſmodi intimata debito tempore fuerit.*

Miranda. Miranda autem *tom. 2. q. 48. art. 12. concl. 1.* docet, in caſu quo Eccleſia non damnificatur, valere eiuſmodi pacta & conventiones, etiam factas ſine auctoritate Superioris. Ratio in promptu eſt, quia non niſi ob vehementes cauſas, maximi judicis debet auctoritas vocari, & privilegia in contrarium ſunt revocata.

7. Jure naturali poteſt Prælatus obligari religioſo ſibi ſubdito ex pacto inter ipſos inito, ſicut inter ſervum & dominum poteſt intervenire ſimile pactum obligans ipſum dominum, *l. naturaliter, l. ſi quod dominus, ff. de condict. indebiti*. Proinde non poterit tale pactum revocari per Prælatum concedentem aliquid peculium dicto religioſo cum pacto & lege aliquid oneris adimplendi, in quo fecit impenſas ſua induſtria quæſitas; quia etſi non civiliter, obligatur tamen naturaliter Prælatus ſua promiſſione religioſo ſubdito, ſicut dominus ſervo: unde Prælatus revocans huiuſmodi pactum abſque juſta cauſa, peccabit, licet revocatio ſit valida. Ita Rodrig.

Rodrig. Navarrus. Sanchez. Navarrus *lib. 3. conſil. in 1. edit. tit. de regul. conſil. 20. in 2. tit. de ſtatu monach. conſil. 14.* probabiliter. Sanchez tamen *lib. 7. mor. cap. 29. num. 125.* quamvis fateatur ex pacto Abbatis cum Monacho oriri obligationem naturalem; at in prædicto caſu negat eam oriri poſſe, quia ea promiſſio ſeu pactum tanquā jure communi contrarium diſponenti nihil concedendum religioſo, quod revocari nequeat ad nutum Superioris, eſt omninò irritum. Et hanc ſententiam dicit eſſe communem, pro qua citat multos, nempe Angelum, Roſellam, Sylveſtrum,

Angelus. Roſella. Sylveſt. Tabiena. Azorius. Tabienam, Azorium & alios Iuriſperitos.

8. Pacta & promiſſiones, quibus unus alteri concedit, ut non teneatur de furto, aut dolo, quod in futurum commiſerit, aut ut id exigi ab eo non poſſit, ipſo jure nullæ ſunt & irritæ: quia contra bonos mores; ut ſi quis aliquem in negotiorum ſuorum geſtorem ſumpſerit, pacto inito cum eo, ut is non teneatur de dolo aut furto, quod in ea adminiſtratione commiſerit: tale enim pactum præberet manifeſtam ruinæ occaſionem tali adminiſtratori, neque id in ulla bene inſtituta republica permitti ulla ratione debet. Tamen ſi poſtquam furtum, aut dolus in adminiſtratione ſunt commiſſa, remittantur ab eo, cuius erant illa bona, aut jura, tunc valida eſt talis remiſſio; quia non præbet ruinæ occaſionem, ſed ſolùm condonat debita contracta, aut delicta antea commiſſa.

Similiter invalidum eſt pactum, ſi quis paciſcatur, aut concedat alicui, ut non teneatur de iniuria, aut vi, quam in futurum intulerit: ſecus autem, ſi condonetur iniuria antea illata, aut ſi tutori, aut curatori teſtator concedat, ut non teneatur de dolo, quem commiſerit in adminiſtratione bonorum filiorum ſuorum. Hæc habentur *l. ſi unus, § illud, & §. pacta. ff. de pactis, l. pacta quæ, Cod. de pactis, l. Quidam decedens, in princip. juncta Gloſſ. ibi verb. Ius publicum. ff. de adminiſtrat. tutor.*

Nulla ſunt etiam pacta, quæ idcirco ſunt contra bonos mores, quod vel manifeſtam tribuunt peccati occaſionem, vel præiudicium afferunt, facilève afferre poſſunt moribus, quos eſſe expedit in bene inſtituta republica. Proinde nullum eſt pactum, ſi quis promittat ſe non revocaturum teſtamentum, aut ſe diſceſſurum ab inteſtato. Item ſi quis ita ſtipuletur ab aliquo: Tātumnè mihi dare ſpondes, ſi me hæredem non inſtituas? & alius ei promittat, nulla eſt talis promiſſio, ut habetur *l. ſtipulatio hoc modo. ff. de verb. obligat.* Item pactum pœnæ appoſitæ non ſtanti ſponſalibus eſt etiam nullum, ut habetur *in cap. Gemma, de ſponſ.* Ratio horum eſt; quia ex illis pactis præiudicium facilè oriri poteſt adverſus bonos mores, vel adverſus id quod expedit, ut in bene inſtituta republica, ad commune bonum, ſervetur, eaque de cauſa jure humano irrita redduntur.

3. Cùm pacta legis commiſſoriæ & pacta adiectionis in diem in ſolius venditoris favorem ſint appoſita, conveniunt hæc pacta, ut non impleto pacto, in poteſtate venditoris ſit, vel diſſolvere cōtractū, vel eum non diſſolvere, ſed cogere emptorem, ut pretium ſolvat, prout venditor maluerit. Si tamen ſemel dicat, ſe velle diſſolvere contractum, deinceps cogere non poteſt emptorem ſolvere pretium. Si idem ſemel pretium petat aut partem illius, non poterit deinceps contractum diſſolvere. Poterit verò emptor ſtatim, pacto non impleto, vel non impletā lege cōtractui appoſitā, cogere venditorem, ut dicat, quid eorum potiùs eligat. Præterea, ſi res pereat antequam venditor diſſolvat cōtractum, perit emptori, & non venditori. Hæc habentur, quoad pactum legis commiſſoriæ attinet, *l. 2. 3. & 4. §. eleganter, & l. 6. & 7. ff. de leg commiſſor.* Quod verò attinet ad pactum adiectionis in diem, habentur *l. 2. & 3. & l. Eum qui, in princip. & l. Sabinus, ff. de in diem adiect.*

Conveniunt deinde pacta legis commiſſoriæ & adiectionis in diem; quia ſi contractus ex eiuſmodi pactis diſſolvatur, fructus medio tempore percepti pertinent ad venditorem. Tenetur præterea emptor, ſi res illa culpâ ipſius deterior eſt reddita, ſolvere venditori æſtimationem damni talis rei, ut habetur *l. Si fundus, in princip. ff. de leg. commiſſor.*

In pacto verò adiectionis in diem, quando res primo emptori conceditur, non quod venditor priorem emptionem eligat, ſed quod, offerente alio meliorem emptionē, primus emptor augeat ſupra pretium ab hoc alio oblatum, neque eſt qui plus deinceps offerat, fructus medij temporis pertinent ad venditorem, niſi aliud fuerit expreſſum in contractu. Ratio huius eſt; quia eo ipſo, quòd alius plus obtulit, ſignificatumque eſt primo emptori, reſciſſa fuit prima emptio, & ab ea fuit receſſum. Ita *l. Item quod, §. ult. junctus duabus legibus ſeq. ff. de in diem adiect.*

Porrò conveniunt pactum legis commiſſoriæ & adiectionis in diem, quòd ſequutâ venditione, ex qua venditio reſcinditur, eo ipſo abſque alia traditione dominium rei illius tranſit in primum venditorem, competitque ei rei vendicatio, ad cuiuſcumque poteſtatem res illa devenerit. Ita quoad pactum adiectionis in diem, colligitur *ex l. Si quis hac, in princip. ff. de rei vendicat. & l. Si ex duobus, §. Sed & Marcellus, ff. de in diem adiectione.* Idem quoad pactum legis commiſſoriæ colligitur *ex l. Commiſſoria, Cod. de pact. inter emptor. & venditor.* & docent ex communi Covarruvias *3. variar. cap. 8.*

Covar. num. 1.

Gomez. *num.* 1. & Antonius Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 2. *num.* 30.

Vide verb. Divinatio *num.* 2. *& sequent.* Emptio *num.* 33. *& sequent.* Locatio *num.* 2. *& seq.* Pignus *num.* 11. Superstitio.

P A P A.

SUMMARIUM.

1 *Quibus nominibus Romanus Pontifex decoretur.*
2 *An Papa sit S. Petri successor in vicariatu Christi.*
3 *An Papa possit ex toto vel ex parte abrogare vel mutare ea quæ sunt juris divini?* Refertur duplex sententia.
4 *An possit abrogare vel mutare ea quæ jure naturali præcipiuntur vel prohibentur.*
5 *Quid possit Papa circa jura civilia Principum & Regum.*
6 *Quomodo habeat Papa plenitudinem potestatis.*
7 *An Papa possit constitutionem condere de forma eligendi futurum Romanum Pontificem.*
8 *An Papa possit sibi eligere successorem?* Refertur duplex sententia.
9 *An in canonizatione Sanctorum Papa errare non possit.*
10 *An Papa possit errare in fide, & in hæresis crimen incidere?* Refertur duplex sententia.
11 *Quâ fide credendum sit, hunc vel illum, qui nunc clavum Ecclesiæ tenet, esse verè Summum Pontificem, Petri successorem & Christi Vicarium in terris.*
12 *Quid possit Papa circa regimen Ecclesiæ.*

1. ROmanus Pontifex variis titulis est decoratus; communiter enim vocatur *Papa*, sive ab interiectione admirativa Papè (admirabilis est enim potentia, dignitasque Romani Pontificis,) sive à Græco πάππας, quod Patrem & Nutricium designat (est enim verè Pater & Nutritius Ecclesiæ & omnium fidelium,) sive à πάππος, quod Avum indicat, derivatio sumatur. Est enim Avus & Pater Patrum totius Ecclesiæ.

Vocatur etiam Episcopus Episcoporum & Pontifex maximus à Tertulliano *lib.* 1. *de pudicitia*, recitante Edictum à Victore I. Papa, de lapsis ad pœnitentiam recipiendis, emanatum. Vocatur & à Constantino in 6. Synodo Constantinopolitana Act. 18. *Sanctissimus ac Beatissimus Archiepiscopus urbis Romæ, & Oecumenicus Papa.* Vocatur & à Mauro Episcopo Ravennate in Lateranensi Synodo, *Dominus Sanctus, meritis Beatissimus, totoque orbe universalis Pontifex.*

Tertull.

Patres VI. Concilij Generalis Act. 18. Agathonem Papam vocant *Summum Apostolorum verticem.* Patres IV. Concilij Generalis, quod est Chalcedonense *Actione* 1. Leonem Papam vocant *Apostolicam Sanctitatem.* In Ephesino Concilio Generali, *Act.* 1. Cælestinus Papa, *vir Apostolicus*; & in subscriptione, *Papa Apostolicus* appellatur.

Quamvis enim Romani Pontifices abhorrere soliti sint à nomine Oecumenici, seu Episcopi universalis; partim propter Constantinopolitanos Patriarchas, qui hoc nomen superbè sibi arrogare ausi sunt, ut videre est in Epistola Pelagij II. ad universos Episcopos, quæ incipit *Manifestè.* Gregorij I. *lib.* 4. *indict.* 13. *epist.* 38. ad Ioannem Constantinopolitanum: tum quia nomen illud ambiguum sensum habere potest, eò quòd iste terminus *Episcopus*; aut *Pontifex universalis*, videretur auctoritatem aliorum Episcoporum excludere; quasi verò qui se universalem seu universum Episcopum appellat, solus Episcopus esse velit, quasi totus orbis unam Diœcesim constitueret. At verò titulus, quo Romani Pontifices insigniri voluerunt, est *universalis*, seu *universa Ecclesiæ Episcopus*, aut *Pastor.* Ex quo enim Pontifex in universum orbem potestatem eminentem exercet, verè *universalis*, ab antiquissimis dictus est, & modò etiam sic appellari convenit.

Pelag. II. Gregor. I.

2. Papa seu Romanus Pontifex est S. Petri successor in Vicariatu Christi. Probatur: quia ille in Vicariatum Petri succedit, qui in Cathedram, quam pro universali Ecclesia Petrus fundavit, tenuit, & in cuius administratione mortuus est, succedit: Sed Romanus Pontifex in Cathedram Romanam, quam Petrus pro universali Christi Ecclesia fundavit, tenuit, & in cuius administratione mortuus est, succedit: Ergo Pontifex Romanus in Vicariatu Petri succedit. Hanc veritatem agnovit semper universalis Ecclesia, & Patres. Quod probatur sufficienter ex Canone 39. Concilij Nicæni primi, ubi, de Patriarchis loquens, Sedi Romanæ supremum super omnes Patriarchatum decernit. *Est*, inquit, *Patriarcha loco Patris, sub cujus dominatu ac potestate sunt filij eius, sicque præest Patriarcha omnibus, qui sub potestate eius sunt; sicut ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput est & Princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos & cunctam Ecclesiam Christianam, & quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.* Iterum: *Veneramur secundùm Scripturæ & Canonum definitionem Sanctissimum Romanæ antiquæque Ecclesiæ Episcopum, Primum & Maximum omnium Episcoporum. Ut autem cunctis ditionis suæ nationibus imperat Patriarcha, & leges indicit, & ut à principio Petrus Christi Vicarius Religioni, Ecclesiæ ceteriscque ad Christum rebus pertinentibus præfectus, Principum Christianorum, Provinciarum & omnium gentium Dominus & Rector erat, ita ille, cuius Principatus Romæ est, Petro similis & auctoritate pari Patriarcharum omnium Dominatum & Principatum obtinet. Huic Sanctioni si quis repugnaverit & obsistere ausus fuerit, totius Synodi Decreto anathemati subiiciatur.* Præterea Patres Concilij Florentini sic asserunt: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & in ipso B. Petri pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Christo plenam potestatem traditam esse.* Quod subinde probari potest, quod Primatus Petri non fuit personalis, sed in successores usque ad finem mundi derivatur. Fundamentum enim, super quod Ecclesia visibilis fundata est, est Petrus & Petri primatus: ergo quamdiu corpus Ecclesiæ visibile in terris manet, tamdiu Petrus perseverat. Nō perseverat autē in persona sua singulari: ergo perseverat in Successoribus suis: non enim structura sine fundamento. Regnum sine Principatu, ovile sine Pastore, Corpus absque capite vivum stare potest ordinariâ potestate. Tū quia potestas summa penes unum Principem spiritualem, Pastoremque universalem esse debet, cui oves suas & agnos Christus Dominus pascendos, regendosque sublimi auctoritate concessit. Hunc verò Pastorem Oecumenicum Monarchicumque Principem alium à Sancto Petro, & successoribus eius legitimis Apostolicæ Sedis hæredibus à Christo

Con. Nic.

Con. Flor.

Domino

Domino fuisse creatum, quis mentiendo audebit impudenter asserere, nisi quem dæmonum præstigijs dementatum nefanda impiaque hæreticorum dogmata fefellerunt? De his videndi sunt Bellarm. *lib. 1. de Roman. Pontific. cap. 16.* Duvallius *de Roman. Pontific. part. 1. quæst. 3. & 4.* Michael Mauclerus *de Monarch. Eccles. tom. 1. part. 2. lib. 1. c. 1.* & alij.

Bellarm. Duvall. Maucler.

3. Canonici juris interpretes communiter docent posse Papam jus divinum declarare, interpretari, restringere, remittere, amplificare, augere, & mutare. Probant id exemplis; nam divini juris est Sabbathum colere; diebus Festis à vespera in vesperam feriari; decimam partem ex perceptis fructibus solvere Ecclesiæ; vota reddere; quod jurejurando promisimus, præstare, & implere. Et tamen Ecclesia Sabbathi cultum in diem Dominicam mutavit, nec ubique in diebus Festis à vespera in vesperam à laborando cessamus: nec ubique personalis aut prædialis decima solvitur, & votum ac juramentum sæpè Papæ auctoritate relaxatur: Ergo, &c. Ita Abbas & alij *in c. ult. de consuetudine*, ut testatur Covarruvias *de matr. part. 2. c. 6. §. 9. n. 2. & 3.*

Abbas. Covar.

Theologorum tamen opinio communis est *in 3. dist. 37 & in 1. 2. quæst. 100. art. 8.* nihil eorum quæ sunt juris divini, posse Romanum Pontificem, vel ex toto, vel ex parte abrogare, vel mutare, quamvis ex justa causa possit hunc vel illum à juris divini rigore eximere: quia non idem est, jus divinum ex toto, vel ex parte tollere, quod rigorem illius juris ex justa causa relaxare, hoc est aliquem à juris divini rigore solvere. Hæ tamen opiniones conciliantur, dicendo, quòd Juris Canonici interpretes jus divinum latiùs ac tusiùs interdum accipiunt, quàm Theologi: nam quidquid in veteri Testamento imperatur, aut vetatur, vel etiam continetur, & quidquid in novo decernitur ac traditur, jus divinum appellant Canonistæ. Sed Theologi pressiùs & strictiùs jus divinum accipiunt, videlicet id quod Deus, sive Christus Dominus fieri jussit aut vetuit: propterea docent id à Romano Pontifice abrogari vel mutari non posse: quia inferior auctoritas, nihil contra Superiorem potest. Certum est tamen apud omnes, Romanum Pontificem auctoritatem habere declarandi quæ sunt obscura, vel ambigua in jure divino. Ecclesia enim potest declarare quæ sunt obscura, vel dubia in sacris literis, vel regulis fidei.

Ex quibus infertur, non esse in Romano Pontifice potestatem determinandi tempus præcepti divini, quo adulti ante finem vitæ baptizari tenentur: quia præcepto divino determinatum est hoc tempus, nempè cùm primùm commodè possint, quamvis quando occurrit dubium, an causa aliqua sit sufficiens ad dilationem Baptismi, id possit interpretari Ecclesia, non minus quàm quilibet vir doctus, imò multò meliùs. Ita Vasquez, & Suarez, quos citat & sequitur Hurtadus *de Sacr. Baptism. disp. 1. diffic. 17.* & communis. Solùm autem Ecclesia potest definire tempus, in quo parentes Christiani debeant suos infantes baptizare ratione jurisdictionis quam in parentes habet, qui regere debent parvulos. De quibus Diana *p. 8. tr. 1 res. 2.* qui bene advertit aliquando potuisse Ecclesiam determinare tempus, in quo ministri Ecclesiæ, & non in alio, deberent exhibere Baptismum adultis petentibus, scilicet Vigiliam Resurrectionis & Vigiliam Pentecostes, ut habetur *in cap. Non ratione, de consecr. dist. 4. & cap. Duo tempora, & cap. Proprie, eadem dist.* illa tamen consuetudo solùm dictis temporibus baptizandi adultos, fe-

Vasquez. Suarez. Ga. Hurt.

Diana.

rè in tota Ecclesia abrogata est per contrariam consuetudinem, ut docet Rupertus *lib. 4. divinor. offic. cap. 18.* cum alijs.

Rupertus.

4. Certa est omnium sententia, non posse Papam quicquam abrogare, vel mutare eorum quæ jure naturali præcipiuntur vel prohibentur. Ratio est, quia ea, quæ sunt vel per se bona, vel mala, abrogare vel mutare nequit; nam quæ jure naturali imperantur, aut vetantur, mutari non possunt, nisi naturâ eorum variatâ & mutatâ. Tum quia lex naturalis quantum ad prima principia legis naturæ, est immutabilis, ita ut fieri non possit quod aliqua ejusmodi quæ priùs erant leges naturales, vel amplius non sint leges, vel desinant obligare: eò quòd ista principia contineant universales regulas bene vivendi, & habeant veritatem prorsus necessariam, sic ut impossibile sit ea esse aliquando falsa. Ita D. Thomas *1. 2. q. 94. art. 5.* & communis. Vide Azorium *tom 1. lib. 6. c. 1. quæst. 4. & 5.* Suarez *de leg. c. 14. num. 8.* Sylvium *1. 2. quæst. 94. articul. 5.* Sylvestrum *verb. Papa 1. quæst. 16.*

D. Thom. Azorius. Suarez. Sylvius. Sylvest.

5. Jura civilia, quæ sunt per se bona vel mala, non potest Papa mutare, vel abrogare; non quia jus civile ea prohibeat, vel non pereat; sed quia jus ipsum naturæ ea præcipit, vel vetat. Si verò sint bona vel mala, ea tantùm ratione, quia jure civili imperantur, vel prohibentur; & hæc vel omninò vel ex parte à jure Canonico dissentiunt; vel aliqua ratione juri naturali, ac divino adversantur; ut si lex civilis statuat usuram esse licitam, vel ut liceat alicui duas uxores simul habere, vel ut possessor malæ fidei præscribat, vel nihil juri divino, naturali, vel Canonico repugnat. Si nihil repugnant, non solet, nec potest absque justa causa Papa tollere, abrogare, mutare, aut quicquam contra statuere erga laicos. Si verò pugnant, potest Romanus Pontifex ea jura relaxare, mutare & abolere: quia laici non possunt statuta vel leges condere, vel ferre contra jus divinum, vel naturale, vel Canonicum. Ita Sylvester *verb. Papa, quæstione decima-quarta*, qui sustinet, quod de plenitudine potestatis ex causa rationabili potest Papa omnes leges civiles evertere, & alias condere, nisi inquantum spectant ad jus naturale aut divinum: nec Imperator cum omnibus Regibus & populis Christianis possent contra ejus voluntatem quicquam statuere. Nec quæ allegant Canonistæ contra hoc, aliquid concludunt, nisi cessante causa, & ex potestate juridica, quæ, scilicet, est secundùm jura, quibus Papa ex necessitate non subditur.

Sylvester.

Dictis conformia docet Bellarminus *controversia tertia Generali de Romano Pontifice, libro quinto, capite sexto*, dicens: Quantùm ad leges, non potest Papa, ut Papa ordinariè condere legem civilem, vel confirmare, aut infirmare leges Principum, quia non est ipse Princeps Ecclesiæ politicus: tamen potest omnia illa facere, si aliqua lex civilis sit necessaria ad salutem animarum, & tamen Reges non velint eam condere, aut si alia sit noxia animarum saluti, & tamen Reges non velint eam abrogare. Itaque optima regula est, quam tradit Glossa *ad cap. Professor, de regular. juris in 6.* quæ talis est: Quando de eadem re contrariæ inveniuntur leges Imperatoriæ & Pontificiæ, si materia legis est res animarum periculum concernens, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam. Et hoc modo lex Pontificia, quæ habetur *capite final. de præscriptionibus*, abrogavit legem Impe-

Bellarm.

Glossa.

adeò tam in propria, quàm in aliena Diœcesi, est insertum in corpore juris, nempè *in cap. final. de privileg. in* 6, unde habet vim legis statuentis quod convenit Episcopis ratione status & dignitatis; & decretum Tridentini potest habere suum effectum absque derogatione hujus privilegij. Unde cùm de ipso non fiat specialis mentio, non censetur derogatum, juxta regulam, Quod privilegia inserta in corpore juris non derogantur, nisi de ipsis fiat expressa mentio, ut docent communiter Doctores, Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 38. *num.* 12. Miranda *tom.* 1. *Man. quæst.* 45. *artic.* 6. Palaus *p.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *de privil. punct.* 2. §. 4. *num.* 5 & omnes Jurisperiti *in Authent. Quo, verb. Omni privilegio, Cod. ubi de crimine agi oportet*, & habetur ex *l. Eius militis*, §. *Militia, de testament. milit.* Tùm quia Episcopus celebrans Missam in Oratorio privato dum in aliena Diœcesi moratur, non exercet jurisdictionem contentiosam, ut patet, sed voluntariam: hanc verò voluntariam jurisdictionem, seu potiùs privilegium personale potest exercere in aliena Diœcesi: ergo. Tùm quia Concilium Tridentinum non prohibet Episcopis, celebrare in altari portatili: sed quòd non permittant celebrari, sive à sæculatibus, sive à regularibus: nec item, quòd unus Episcopus non permittat celebrari ab alio Episcopo, quando existit in sua Diœcesi. Non enim Episcopi veniunt nomine sæculatium, ob dignitatem, quâ præcellunt, & proinde debuissent specialiter nominari, si eos comprehendere voluisset. Manet ergo firmum, Episcopos, non obstante Concilio Tridentino, & decreto Pauli V. & Urbani VIII. posse, etiamsi non sint infirmi, portare secum altare viaticum, & in itinere non solùm in sua, sed etiam in aliena Diœcesi, non tamen Romæ, Missam celebrare & celebrari facere. Ita Gavantus *in enchirid. Episcop. verb. Episcopus*, *num.* 8. & 9. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 23. Ugolinus *lib.* 1. *de offic. & potest. Episcop. part.* 1. *cap.* 2. §. 2. Portel *part.* 3. *in respons. regular. casu* 20. *numero* 7. Diana *part.* 4. *tractat.* 4. *resolut.* 15. & alij apud ipsos citati. Romæ autem non permittitur, ut Episcopi possint habere Oratorium privatum & ibi Missam celebrare, vel audire, propter reverentiam Summo Pontifici debitam, ut notant Riccius *part.* 4. *decis.* 78. Alzedus *in praxi part.* 1. *cap.* 13. *num.* 6. Venetus *in exam. Episcop. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 4. & alij apud Dianam *loco citato*, & *part.* 9. *tract.* 1. *resolut.* 39. qui *resolut.* 47. *eiusdem partis & tractatus*, cum Doctoribus ibi citatis, docet Episcopum titularem extra urbem Romæ posse in suo Palatio habere Oratorium privatum, ut ibi celebret, vel Missam audiat: quia in rigore juris Episcopi titulares, qui ordinantur pro Ecclesijs in partibus infidelium, sunt verè & propriè Episcopi: ergo gaudent eodem privilegio, quo gaudent ceteri Episcopi. Tamen si adesset praxis & consuetudo in contrarium, non esset ab illa recedendum. Plura de his possent adduci, quæ videri possunt apud eundem Dianam *p.* 9. *tr.* 1. *per totum.* Vide dicta suprà *v. Missa* 3. *n.* 8. & 9. & *tom.* 1. *v. Missa IV. n.* 1.

Suarez. Miranda. Palaus. Gavantus. Barbosa. Ugolinus. Portel. Diana. Riccius. Alzedus. Venetus. Diana. Diana.

ORDINIS SACRAMENTVM.

SUMMARIUM.

1 *An Ecclesia possit irritare collationem primæ tonsuræ & Ordinum Minorum factam ab Episcopo excommunicato, suspenso, &c.* Refertur duplex sententia.

2 *An probabile sit, Christum in particulari non determinasse materiam & formam Sacramenti Ordinis, sed solùm genericè.*

3 *An qui vesperi attigit annum jure requisitum pro Ordine aliquo suscipiendo, possit mane præcedenti illum sumere?* Refertur duplex sententia.

An in supputanda ætate ad Ordines numerandus sit dies bissextilis, vel omittendus.

4 *An Episcopus possit in aliena Diœcesi conferre primam tonsuram suis subditis sine licentia Ordinarij loci.* Refertur duplex sententia.

An Episcopus conferens Ordines in aliqua Diœcesi de licentia Ordinarij, possit Clericos aliarum Diœcesum ordinare, si dimissorias literas ostendant? Refertur duplex sententia.

5 *Dum Prælatus Religionis vel Episcopus mittit subditum ab alieno Episcopo ordinandum, an censeatur etiam vices suas committere Episcopo, ut dispenset cum illo in defectu occurrenti, aut oblito?* Refertur duplex sententia.

6 *An regulares recipientes sacros Ordines ante legitimam ætatem, vel sine dimissoriis suorum Prælatorum, ipso facto sint suspensi.*

7 *An qui bona fide ordinatur ante legitimum ætatem, incurrat suspensionem? & an adveniente mala fide, si sic ordinatus celebret, irregularis sit.*

8 *An cum ordinato per saltum possit Episcopus dispensare, ut prætermissum Ordinem suscipiat, & ut in Ordine male suscepto ministret; & ad superiores ascendat, si delictum sit publicum.*

An ordinatus per saltum sit tantùm suspensus ab eo Ordine, quem per saltum suscepit.

9 *An in aliquibus casibus Episcopus excusari possit à censura suspensionis, ordinans subditum alienum ex ratihabitione proprij Episcopi.*

10 *An Prælatus regularis possit dispensare cum subdito promoto per saltum, ut prætermissos Ordines suscipiat, in malè suscepto ministret, & ad superiores ascendat, si in Ordine suscepto non ministraverit.*

Et quid dicendum si ministraverit?

11 *An Episcopus possit conferre Minores Ordines, Subdiaconatum vel Diaconatum, si illos non recepit?* Refertur duplex sententia.

12 *An quis ad Ordines promoveri possit in patria ubi natus est? Et quando quis habet duo domicilia in diversis Diœcesibus, à quo Episcopo ordinandus sit? Et quid dicendum de studiosis, qui per multos annos in Vniversitatibus commorantur.*

13 *An possit Episcopus ordinare aliquem ad titulum beneficij, si illud sit tenue.*

14 *An Episcopus titularis possit suo familiari triennali Ordines conferre.*

Vt familiaris Episcopi possit ab eo ordinari, an requiratur ut in servitute permanserit per triennium continuatum completum? Et an sufficiat servitium triennale esse inceptum ante assumptionem ad Episcopatum.

An Episcopus ordinans suum familiarem triennalem, debeat ei statim beneficium congruum conferre.

1. POsito probabile esse Minores Ordines non esse Sacramenta, ut sustinent Magister *in* 4. *dist.*

Digitized by Google

Sotus. Valquez. *distinct. 24. Sotus ibidem, quæst. 1. art. 4.* Valquez *in 3. part. disp. 237. cap. 2.* & alij, quia non sunt à Christo instituti, sed ab Ecclesia; consequenter secundùm illos, dicendum est, posse Ecclesiam irritare & habere invalidam illorum collationem factâ ab hæretico, excommunicato, suspenso, &c. Sed quia de facto Ecclesia nunquam irritavit Ordines Minores collatos ab Episcopo excommunicato, suspenso, &c. demonstrat per hoc Ordines Minores esse verè Sacramentum, & quod irritari non potuerint; quia Episcopus quocunque modo sit ab Ecclesia præcisus, validè potest Ordines conferre, cuius potestas fundatur in charactere Episcopali, qui indelebilis est, nec amittitur per excommunicationem, suspensionem, aut etiã degradationem, ut ex communi docent Sotus, Henriquez, Valquez *tom. 1. citati verb. Ordo III. num. 1. vers. Et cum hæc potestas.* Secus dicendum de collatione primæ tonsuræ; hæc enim ab Ecclesia potest irritari, quia non est ordo & proinde nec Sacramentum, ut docent communiter Theologi, contra Canonistas, ut diximus *tom. 1. verb. Ordo V. num. 2. vers. Item magna est.* Vide Dianam *part. 8. tract. 1. resol. 41.*

Sotus. Henriq. Valquez. Diana.

2. Probabile est materiam & formã Sacramenti Ordinis eo modo, quo Christus illas instituit, ubique terrarum eadem esse; Christum tamen in particulari non determinasse materiam & formã materialiter sumptas, sed genericè solùm statuendo ac jubendo, ut in collatione horum & illorum Ordinum, in quibus ipse ita volebat, adhiberetur manus impositio, ac insuper porrigerentur instrumenta vel symbola illa externa, per quæ uniuscujusque Ordinis potestas & Officium designaretur: quodnam verò symbolum esset huius & illius Ordinis collationi adhibendum, reliquisse determinationi Ecclesiæ. Proinde Ecclesia utens hac potestate sibi concessa, pro diversis temporibus aut Ecclesiis diversa signa determinavit, sive diversam materiam & formam ordinationis materialiter sumptam.

Hinc Sacerdotium & Diaconatus conferebantur olim per solam manuum impositionem; ut habetur in Concilio Carthaginensi IV. *Can. 3. & 4. & in cap. Presbyter, de Sacram. inierand.* docet Innocentius IV. communiter receptus Apostolorum tempore ritum ordinationis fuisse solam manuum impositionem. Quem ritũ in Ecclesia Græca non solùm Episcopi Schismatici, sed etiã Catholici, & qui Romæ degunt, servant nunc, sciente atque consentiente Summo Pontifice: dum enim Græcos Presbyteros ordinant, non per Calicis & Patenæ cum vino & Hostiã porrectionem id faciunt, sicut Latini, sed per manus impositionẽ super caput ordinandi, dicente Episcopo: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt, supplet, creat, seu promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, &c.* Similiter ordinant suos Diaconos sine traditione libri, vel Calicis per solam manuum impositionem cum his verbis: *Divina gratia promovet hunc Diaconum, &c.* Cùm ergo Ecclesia pro diversis temporibus diversa signa particularia determinaverit in ordinatione, potuit pro Græcis & Latinis determinare diversa: ita tamen ut utraque Ecclesia Græca & Latina conferat ordinationem per sensibile signũ & verba rectè significativa traditionem potestatis, & per consequens utraque validum Sacramẽtum efficiat: quia servat, formaliter loquendo, materiam & formam institutam à Christo, licet materialiter utatur signis diversis; Græci enim magis confusè significant potestatẽ Diaconi, vel Sacerdotis solo nomine Diaconi, vel Presbyteri: Latini verò magis explicitè, quatenus in Diacono duplicem exprimunt potestatem, legendi scilicet Euangeliũ, & ministrandi solemni sacrificiũ; in Sacerdote pariter potestatẽ sacrificandi, & absolvendi à peccatis distinctè significant. Ita Franciscus de Lugo *de Sacram. in genere, cap. 1. quæst. 7. n. 70. & 73.* Amicus *tom. 7. disp. 2. sect. 4.* apud quem plura de hac quæstione. Arcudius *de concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis lib. 6. c. 4.* Præpositus *in 3. part. quæst. unic. de Sacram. Ordin. dub. 1. num. 69.* Cardin. Lugo *de Sacram. tom. 1. disp. 2. sect. 5.* Quorum sententiam probabilem dicit Sylvius *in supplement. 3. part. quæst. 37. art. 2. quæst. 3. vers. Vbi observandum, in fine.* 3. ubi pro hac opinione citat Bellarminum, Coninck, Layman, Mercerũ, & alios; quibus addo Dianam *p. 8. tract. 1. res. 42. & p. 10. tract. 11. n. 65.* dicens hodie inter Theologos recentiores hãc sententiam esse communem, adducens plures alios.

Fra. Lugo. Amicus. Arcudius. Præposit. Lugo. Sylvius. Bellarm. Coninck. Mercerus. Diana.

3. Ad licitè suscipiendos Ordines requiritur ætas legitima ex Concilio Tridentino *sess. 23. c. 12. de ref.* & communi Doctorum sententia: nam ad primam tonsuram & Minores Ordines requiruntur saltem septem anni completi; ad Subdiaconatum viginti duo inchoati; ad Diaconatum viginti tres & ad Sacerdotium viginti quinque.

Sed dubium est, an qui vesperi attigit annum jure requisitum pro aliquo Ordine suscipiendo, possit manè præcedenti illum sumere? Affirmativam sententiam tenet Petrus de Ledesma *in Summ. tom. 1. tract. de Sacram. Ordin.* & probabilem esse putat Trullench *de Sacrament. lib. 6. cap. unic. dub. 10. n. 4.* Marchinus *de Sacram. Ordinis tract. 1. part. 5. cap. 2. num. 7.* Diana *part. 2. tract. 16. resol. 27.* quia in hoc casu vespera diei trahitur ad manè, cùm ex utroque una dies fiat; unde morali continuatione, qui sic ordinatur, dicitur ordinari in anno vigesimo secundo, tertio, aut quinto constitutus. Ceterùm probabilior est opinio contraria, quia talis nondum pervenit ad ætatem jure requisitam ad Ordines suscipiendos. Nec obstat, quòd parum pro nihilo reputetur, quia id est verum, quando non inde pendet tota impletio præcepti. Nec etiam hic locum habet illa regula, Quod parum distat, nihil distare videtur sicut neque in aliis, in quibus jus tempus præfinitum exigit, ut in ætate ad Ordines: si enim vel unus dies, aut hora desideretur, vitiat factum, ut docet ex communiori sententia Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 65.*

P. Led. Truil. Marchin. Diana. Pontius.

Sed alterum dubium occurrit, an in supputanda ætate ad Ordines enumerandus sit dies Bissextilis, vel omittendus? Respondeo semper diem Bissextilem esse includendum in supputanda ætate ordinandorum. Ratio est, quia in jure utraque dies Bissextilis pro unica habetur, *l. 3. §. Minorum ff. de Minor. l. Cùm bissextus, ff. de verbor. significat. & cap. Quæsivit, eodem titulo*; ergo necessariò computanda, ne necessaria ad perfectam ætatem dies desideretur. Tum quia in compiendo anno probationis dies bissextilis est necessariò includendus, aliàs professio esset nulla ob non servatam formam Tridentini *sessione 25. cap. 15. de regular.* ut sustinent Miranda *in Manual. tom. 1. quæstione vigesimasecunda, articulo tertio*, Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 59.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 24. num. 22.* & *lib. 5. moral. cap. 4. num. 5.* Vecchis *in præx. nov. disp. 11. dub. 4. num. 5.* & alij: quamvis nulli contrarium doceant, non dicentes diem Bissextilem non esse necessariò computandum, tam in Ordinationibus, quàm in supputando anno Novitiatus integro; quia annus à jure

Con. Tri. Miranda. Lessius. Sanchez. Vecchis.

Conc. Carthag. Inno. VI.

determinatus constat ex diebus 365. qui est annus ordinarius, quem per se leges intendunt; quod si eo anno contingat superaddi his 365. diebus diem aliam bissextilem, tanquam de rebus per acci-
Barbosa. dens, laborandum minimè videtur. Ita Barbosa *de*
Panormit. *potestate Episcop. part. 2. allegat. 101. num. 12.* & alij apud ipsum. Panormitanus *in cap. Quærenti, de offic. deleg.* docet, quod ubi à jure datur annus, intelligitur 365. diebus continuis: nec curandum est, quod illo anno currat bissextus, per textum *l. Cum hæres, §. Stichus, ff. de statu lib.* Quam opinio-
Sylvest. nem amplectitur Sylvester *verb. Ætas, quæstione tertia*, in odiosis; non autem in favorabilibus, quia tunc duo dies computantur pro uno. Proinde utramque sententiam probabilem esse putat
Diana, Diana *part. 10 tractatu 11, resol. 67.* post Lean-
Leander. drum *de Sacrament. tom. 2. tract. 6. disputatione 6, quæst. 20.*

Con. Tri. 4. In Concilio Tridentino *sessione 6. cap. 5. de reformat.* habetur: *Nullis Episcopo liceat cuiusvis privilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.* Circa quod decretum est difficultas prima, an Episcopus in aliena Diœcesi sine licentia possit conferre suis subditis primam tonsuram? Ne-
Barbosa, gant Barbosa *de potestate Episcop. parte secunda,*
Sanch. 2 *allegat. 6. num. 15* Sanchez *in opusculatem 2. lib. 7. cap. 1. dub. 50. num. 2.* quia in Concilij Tridentini decreto prohibetur Episcopis in aliena Diœcesi Pontificalia exercere absque Ordinarij loci licentia. Affirmativam tamen sententiam meritò sustinent Bonacina *de Sacram. disp. 3, quæst. unic. punct. 2. n. 12.* Fornatus *de Sacram. Ordinis, cap.*
Bonacina. Fornar. Molfesius. *5. §. 4. notab. 4.* Molfesius *in summ. tom. 1. tract. 2. cap. 2. num. 15.* & alij; quia Concilium loquitur de Episcopo conferente Ordines: sed prima tonsura non est ordo, cùm conferri possit domi privatim sine Pontificalibus; ergo.

Difficultas secunda, an Episcopus conferens Ordines in aliqua Diœcesi, de licentia Diœcesani, ordinare possit non solùm personas eidem Ordinario subiectas, verùm etiam Clericos aliarum Diœcesum, legitimas licentias, atque dimissorias portantes? Quidam dicunt, quod sic, modò de eorum ordinandorum idoneitate, sufficientia atque legitima facultate ad Ordines suscipiendos, constet ipsi Ordinario, in cuius Diœcesi ordinationes fiunt: nam Concilij verba, *& in personas eidem Ordinario subiectas tantum*, sunt intelligenda, quòd prædicti Episcopi ordinare non possunt eos, qui Episcopo Diœcesano non sunt subiecti, nisi etiam ipsi à suis propriis Ordinarijs literas dimissorias habeant legitimas, ad recipiendos Ordines, illasque præsententant ante Episco-
Miranda. Barbosa. pum Ordinarium. Ita tradunt Miranda *in Manual. Prælat. tomo primo, quæstione 38. articulo tertio, conclus. unic.* Barbosa *de potest. Episcop. parte secunda, allegat. 4. num. 64.* Sed alij asserunt non requiri in hoc casu novam & expressam licentiam Ordinarij loci petere, ut Episcopus possit Clericos sibi subditos, vel aliarum Diœcesum ordinare, si literas dimissorias suorum Ordinariorum attulerint; sed sufficere generalem, quam habet. Ad locum autem Tridentini potest dici, quòd loquitur de Episcopo ordinante in aliena Diœcesi ratione privilegij sibi dati, à Summo Pontifice ad conferendos ordines in aliena Diœcesi; nam tunc sine licentia Ordinarij, & nisi Clericos illi Ordinario subiectos ordinare non poterit; secus autem in casu nostro, quando Episcopus est invitatus ab alio Episcopo ad celebrandos Ordines generales in sua Diœcesi. Ita
Fornar. Martinus Fornarius *de Sacram. Ordinis, cap. 5.*
S. Congr. *num. 5.* dicens, sic sacram Congregationem inter-
Tolet. pretatam dictum decretum Concilij; qui etiam
Alzedo. citat Toletum *lib. 1. cap. 49. num. 1.* Mauritius Alzedo *in praxi Episc. part. 2. cap. 5. num. 30.*

5. Quorumdam sententia est, dum Prælatus Religionis vel Episcopus mittit subditum ab alieno Episcopo ordinandum, censeri etiam eum vices suas committere Episcopo, ut dispenset cum illo in defectu occurrenti, aut oblito, in quo potest proprius Prælatus dispensare: quia concesso aliquo, censentur subinde concessa ex sine quibus id expediri nequit, *cap. Præterea, de offic. deleg. & l. 2. de jurisdict. omn. Judic.* Tum quia dispensatio in principali extenditur ad accessorium, sine quo consistere nequit: At promotio ad Ordines fieri nequit, eo impedimento non sublato: ergo. Ita
Avila. docent Avila *de censur. part. 7. disp. 10. dub. 6. v. No-*
Henriq. *tandum tertio.* Henriquez *lib. 14. c. 17. n. 4.* Angelus
Angelus. *verb. Irregularitas, num 34.* Sylvester *ibidem, q. 9.*
Sylvest. *in fine.* Nihilominus contrarium est verius. Ratio est, quia sublato uno impedimento non censetur alterum distinctum sublatum, *cap. Extirpanda, de usu & auctorit. pallij.* At in hoc eventu duplex impedimentum concurrit; alterum defectus subiectionis ad Ordines; alterum irregularitatis. Sublato ergo priori per initiandi licentiam, non auferetur posterius. Tum quia dispensatio non extenditur ad connexa, sine quibus potest consistere. At potestas initiandi potest consistere absque potestate reddendi initiandum habilem ad Ordines: utpote, quæ intelligitur, si ille alias habilis sit, vel à legitimo Superiore impetret dispensationem in ea inhabilitate. Ita Sanchez *de matr. lib. 8, disp. 1. n. 25,*
Sanchez, ex doctrina Navarri *lib. 1. consil. de tempor. ordin.*
Navarrus, *consil. 12. & 13. in 2. edit.* Rodriguez *tom. 2. summ.*
Rodrig. *cap. 14. concl. 10.* qui sustinent Episcopum, cui Tridentinum *sess. 23. cap. 9. de reform.* concedit posse ordinare suum familiarem triennalem, non posse cum eo dispensare in interstitijs, nec in defectu natalium ad Ordines Minores, ut potest proprius Episcopus.

6. Regulares recipientes sacros Ordines ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs suorum Superiorum, ipso facto sunt suspensi per Extravag. Pij II. quæ incipit, *Cum ex sacror.* & tam sæcula-
Pius II. res, quàm regulares Clericos comprehendit, idque Sixtus V. in sua Constitutione contra malè promotos satis expressè & clarè extendit ad regulares, quos etiam voce activa & passiva privat. Ita
Rodrig. Rodriguez *tom 3. quæst. 3. art. 8.* Miranda *tom. 1.*
Barbosa, *q. 39. art. 6.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 16. n. 24.*
Miranda. & communis, contra Sanctorium *in Comm. ad*
Sanctor. *Const. Mistum. c. 2. stat. 57. const. 5.* qui vult probabile esse, quod in Extravag. Pij II. non includantur regulares, quia in ea non fit mentio de regularibus, & in odiosis nomine Clerici non veniunt Monachi, vel regulares. Nec obstat etiam, inquit ille Auctor, quòd Sixtus V. confirmando Bullam Pij II. illam expressè ad regulares extendit, quia illa Bulla fuit revocata in omnibus, & redacta ad terminos juris & Bullæ Pij II. in quibus non fit mentio de regularibus, & ita cessavit extensio, sicut & censuræ. In contrarium tamen est praxis sacræ Penitentiariæ; propterea opinio Sanctorij non sequenda, quia regulares sunt Clerici, & materia Ordinum est communis.

7. Qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, non incurrit suspensionem: quia hæc censura appo-

Digitized by Google

appoſita per Pium II. tantùm eſt contra præſumentes; qui verò bona fide facit, non dicitur præſumere: quia verbum præſumere dolum atque malitiam deſignat, quo fit, ut qui bona fide & probabili ignorantia, abſque dolo & malitia, prædictos ſacros Ordines ſuſcepit, ſuſpenſus minimè ſit. Ita Portel *in dub. reg. verb. Ordines ſacri, n.* 13, Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 26. Miranda *tom.* 1. *man. quæſt.* 39. *art.* 6. *in fine.* Portel. Suarez. Miranda.

Sed petes, an adveniente mala fide ſi ſic ordinatus ante legitimam ætatem celebret, irregularis ſit? Dicendum eſt quòd non: quia cùm à principio non incideret in ſuſpenſionem, non eſt cur irregularitatem incurrat, ſi celebret adveniente mala fide: quia nulla hic cenſura violatur per exercitium Ordinis ſacri.

8. Quamvis Ordinatus per ſaltum ſit impeditus ad ſuperiores Ordines ſuſcipiendos, hoc tamen impedimento non eſt irregularitas, ſed ſuſpenſio, quam tollere poteſt Epiſcopus, & cũ ſic promoto diſpenſare, ut prætermiſſum Ordinem ſuſcipiat, & ut in Ordine malè ſuſcepto miniſtret, & ad ſuperiores aſcendat, quamvis delictum ſit publicum, dummodò talis in malè ſuſcepto Ordine, vel prætermiſſo non miniſtraverit ante diſpenſationem: quia tunc fieret irregularis. Ducor, quia Con. Trid. Tridentinum *ſeſſ.* 23. *c.* 14. *de ref.* ita conceſſit cum hac limitatione Epiſcopis, dicens: *Cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.* Et docent Sayrus *de cenſur. lib.* 5. *c.* 14. *n.* 26. & 27 & *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 40. Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 51. Rodriguez *tom.* 2. *Summ. c.* 17. *n.* 9. Avila *de cenſur. part.* 7. *diſp.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 2. & alij communiter; proinde ex verbis Concilij conſtat manifeſtè non eſſe licitum Epiſcopo diſpenſare quando ipſe ſic ordinatus per ſaltum miniſtraverit, nec in dicto Concilio ſit diſtinctio de eo qui adminiſtrat ſcienter aut ignoranter, & ſic attento hoc decreto poteſt teneri, de jure, quod Ordinatus per ſaltum celebrans de facto, ſive id fiat ignoranter ſive ſcienter, ſemper eget diſpenſatione Summi Pontificis: quia numquam poteſt Epiſcopus diſpenſare, ubi talis fuit adminiſtratio, quę irregularitatem induxerit. Ita Doctores citati, quibus addo Dianam *part.* 5. *tract.* 19. *reſ.* 27. Sayrus. Suarez. Rodrig. Avila. Diana.

Advertendum tamen eſt, Ordinatum per ſaltũ eſſe tantùm ſuſpenſum ab eo Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit, & ita miniſtrando effici irregularem, non autem ab uſu Ordinum inferiorum, quos legitimè ſuſcepit, ut docent Suarez *loco cit. n.* 42. Bonacina *tom.* 3. *diſp.* 3 *q.* 1. *punct.* 2. *n.* 19. & alij apud ipſum. Ratio eſt; quia nullo jure ſufficienter probatur, hunc remanere ſuſpenſum ab Ordinibus ritè ſuſceptis, & cùm jura, quæ iſtius ſuſpenſionis meminerunt, obſcurè loquantur, non eſt facienda extenſio, ſed mitior interpretatio. Suarez. Bonacina.

9. Probabile eſt in aliquibus caſibus Epiſcopũ excuſari à cenſura ſuſpenſionis, Ordinantem ſubditum alienum ex ratihabitione proprij. Primus eſt, quando proprius Epiſcopus eſt ſuſpenſus ob Ordinatum alienum: tunc licet ſine ipſius licentia adire alium, à quo Ordines ſuſcipiantur, juxta *cap. Eos qui, §. final. de temp. ord. in* 6. Secundus eſt, quando quis per triennium fuit de familia Epiſcopi alieni, hic enim illum poteſt promovere, dummodò ſtatim det ei beneficium, ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 9. *de ref.* Hoc autem intelligitur de Epiſcopo Ordinario; quia ei, qui tantum eſt titularis, talis promotio eſt interdicta *ſeſſ.* 14. *c.* 2. *de ref.* Tertius eſt, quando unus Epiſcopus ordinat ſubditũ alterius Epiſcopi ſub ſpe rationabili cujuſdem ratihabitionis, maximè ſi ratihabitio ſit de præterito, vel de præſenti, ut notat Avila *de cenſur. part.* 3. *diſp.* 5. *dub.* 7. §. *Dico quinto*. Reginaldus *lib.* 32. *n.* 2. *cap.* 24. *ſect.* 3 *num.* 69. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *reſ.* 191. & *part.* 5. *tract.* 10. *reſol.* 38. & alij citati à nobis *tom.* 1. *verb. Ordo III. num.* 4. *verſ. Maius dubium eſt.* Avila. Reginaldi Diana.

10. Prælatus regularis poteſt diſpenſare cum ſibi ſubdito, qui Ordines per ſaltum, ſive ignoranter, ſive etiamſi ſcienter ſuſcepit (modò in Ordine ſuſcepto non miniſtraverit,) ut prætermiſſos Ordines recipiat, in malè recepto miniſtret, & ad ſuperiores, ſi qui deſint, recipiendi, aſcendat. Probat primò: quia Superiores regulares eandem habent auctoritatem in ſubditos ſibi regulares, ac Epiſcopi in ſuos ſæculares: Sed cum his poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut communiter aſſerunt Doctores: ergo & Prælati, etiamſi ſuſpenſio ſit publica. Nec huic opinioni videtur derogatum per Concilium Tridentinum. *ſeſſ.* 23. Con. Trid. *cap.* 12. *de reform.* quia Concilium ibi ſolùm revocat privilegia ne regulares ante ibi præſcriptam ætatem ordinentur, non verò revocat privilegia, quæ aliàs Superiores regulares à Sede Apoſtolica obtinuerunt abſolvendi ſuos ſubditos, ut ex verbis ipſius Concilij clarè colligitur: dicitur enim in textu *privilegia quoad hoc excluſa*, videlicet, ne in poſterum ante præſcriptam ætatem ordinentur, prout de hoc ipſo tantùm in dicto cap. fit mentio. Ita Portel *in dub. regul. verb. Ordines ſacri, num.* 14. Hieronymus Rodriguez *in compendio reſol. 106. num.* 26. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 85. Contra Sorbum & Sayrum, qui volunt privilegia regularium quoad hoc eſſe revocata per Concilium Tridentinum. Portel. Hier. Rod. Diana. Sorbus. Sayrus.

Nec obſtat quod Sixtus V. in ſua Conſtitutione contra ſic malè promotos revocaverit privilegia regularium ad abſolvendum huiuſmodi promotos ſubditos; quia poſt Sixtum Clemens VIII. confirmavit privilegia Minorum ex certa ſcientia, & Paulus V. confirmavit utens verbo *innovamus*, quæ forma Confirmationis tevalidat invalida & revocata per anteriores Pontifices, ut tradunt communiter Doctores, teſtibus Suarez *de legib. lib.* 8. *c.* 19. Sigiſmundo à Bononia *de rect. part.* 2. *c.* 4. *dub.* 76. *n.* 6. & Doctoribus citatis. Sixtus V. Cl. VIII. Paulus V. Suarez. A Bonon.

Sed quæres, an poſſit Prælatus diſpenſare cum ſubdito promoto per ſaltum, ſi miniſtravit in Ordine? Reſpond. ex Trid. quòd ſi delictum eſt occultum, ſive ſcienter, ſive ignoranter miniſtraverit, poterit Prælatus regularis cum tali Ordinato diſpenſare, ut prætermiſſum Ordinem recipiat & in malè ſuſcepto miniſtret, & ut ad altiorem aſcendat: quia talis poteſtas eſt data Epiſcopis à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformation.* quam poteſtatem habent etiam Prælati regulares, ut diximus *tom.* 1. *verb. Abbas, num.* 8. §. 1. Con. Tr.

Si autem delictum ſit publicum, ex vi Tridentini non poſſet, quia Concilium aut Epiſcopum non poſſe. An autem id poſſit virtute privilegiorum? Affirmat Portel *loco citato num.* 14. *ad ſi-nem.* Portel.

11. Juxta quorumdam ſententiam Epiſcopus, qui nõ recepit minores Ordines, aut certè ſubdiaconatũ, vel diaconatum, non poteſt aliis conferre illum Ordinẽ, quem non recepit. Ita Emanuel Sà *verb. Ordo num.* 23. Henriquez *de Ordine cap.* 5. §. 2. *litera H.* Sylveſter, D. Antoninus & alij. Sed quia ab his auctoribus nullum affertur firmum fundamentum ad hoc aſſerendum, ideò ab eorum opinione puto recedendum, dicendo, Epiſcopum, etiamſi careat aliquibus Ordinibus, valide eos conferre poſſe: quia licet his careat, eſſe Eman. Sà. Henriq. Sylveſt. D. Anth.

Digitized by Google

poteſt verus Sacerdos, & Epiſcopus reipſa; poteſtas autem conferendi Ordines eſt ſolùm Epiſcopalis, alij autem Ordines hanc poteſtatem non tribuunt: tum quia Epiſcopus, qui non recepit Ordines inferiores, poteſt ordinare Sacerdotes: ergo etiam Diaconos & Subdiaconos, reliquoſq; inferiores Miniſtros: quia Epiſcopus eſt verè Sacerdos & conſequenter poteſt aliis conferre Ordinem Sacerdotalem; & eo ipſo, quòd ordinat Sacerdotes, confert illis poteſtatem exercendi munera Diaconi & Subdiaconi: ergo etiã poteſt conferre Ordinem Diaconatûs & Subdiaconatûs. Confirmatur autem hæc ſententia, quia poteſtas conferendi omnes Ordines validè, tribuitur Epiſcopo ratione characteris Sacerdotalis & Epiſcopalis: Sed etiamſi non receperit Ordines inferiores, verè habet Characterem Epiſcopalem: ergo habet poteſtatem omnes Ordines conferendi. Ita Valquez *in 3. part diſp. 243. cap. n. 26.* Layman *l. 5. tract. 2. c. 6. n. 8.* Præpoſitus *in 3. part de Sacram. Ordin. q. unic. dub. 12 num. 114.* Hurtadus *de Sacram. Ordin. diſſ. 17.* & alij.

Valquez. Layman. Præpoſit Ga. Hurt.

12. Quamvis quis ſortiatur domicilium in ea patria ubi natus eſt ipſe, qui ad Ordines promoveri deſiderat, ex *cap. Cùm nullus, de temp. Ordin. in 6.* hoc tamen debet intelligi, quando parentes habent domicilium in eo loco, ubi filius ipſe natus eſt; nam qui naſcitur caſu & fortuito ex parentibus aliquò pergentibus, vel ad tempus morã trahentibus in aliquo loco, ubi natus eſt, proprius Epiſcopus non erit is, qui fuerit illius Diœceſis, in quo ordinandus natus fuit caſu fortuito, ſed erit Epiſcopus eius Diœceſis, ubi parentes domicilium habuerunt, & fingitur ibidem natus. Ita ex communi Præpoſitus *loco cit. dub. 14. n. 30.* Sanchez *de mat. lib. 3. diſp. 23. n. 3.* Zypæus *Anal. jur. Pontific. lib. 1 tit. de Ordinandis n. 4.* & alij.

Præpoſit. Sanchez. Zypæus.

Qui verò habet duo domicilia, & in diverſis Diœceſibus poteſt indifferenter à quocumque ex his duobus Epiſcopis ad Ordines promoveri: quia ratione utriuſq; domicilij fit ſingulis ſubditus. Filius verò illius debet recipere Ordines ab Epiſcopo loci, in quo natus eſt, cùm parens ibidẽ haberet domicilium: quia ibi non eſt natus fortuito, utpotè in domicilio patris, & Epiſcopus loci verè Epiſcopus originis. Si tamen alibi fortuitò natus ſit, tunc uterq; Epiſcopus poteſt cenſeri Epiſcopus originis ratione domicilij paterni, cùm non ſit potior ratio unius, quàm alterius.

Sed quid dicendum de ſcholaribus & ſtudioſis qui per multos annos in univerſitatibus commorantur? Reſp. tales non contrahere ibidem domicilium, ſi retineant animum in patriam redeundi, ſed eorum domicilium cenſeri eſſe in patria, proinde non poſſunt ordinari ab Epiſcopo loci in quo eſt univerſitas, ſed ab Epiſcopo domicilij parentum, cùm hi cenſeantur habere idem domicilium cum parentibus, quamdiu peculiarem ſibi ſedem nondum præfixerunt. Hinc filij eorũ qui in univerſitate uxorem duxerunt animo in patriã redeundi, non poſſunt ordinari ab Epiſcopo, intra cuius terminos ſita eſt univerſitas; quia ſicut reſpectu prolis non dicitur Epiſcopus domicilij, ita reſpectu prolis non dicitur Epiſcopus originis: Ordinandus ergo eſt ab Epiſcopo domicilij parentis, in quo fingitur natus. Ita Præpoſitus *in 3. part. de Sacram. Ordin. q. unic. dub. 14. n. 132. 133. & 135.* Marchinus *de Ordine trad. 1 part 5 c. 7. n. 10* & alij. Filius verò ſuſceptus ex fornicatione, matre certo loco domicilium habente, & patre alio, ſequitur domicilium matris, à qua certius procedit: unde ſi talis velit tonſuram & Ordines ſive minores, ſive ſacros ex diſpenſatione ſuſcipere, Epiſcopus domicilij materni, in quo natus eſt, vel cenſetur natus, poteſt illum ordinare. Ita Diana *part. 8. tract. 2. reſol. 18.*

Præpoſit. Marchin.

Diana.

13. Quidam putant non poſſe Epiſcopum ordinare aliquem ratione beneficij, ſi illud ſit tenue: quia Concilium Trid. *ſeſſ. 21. c. 2. de ref.* poſtulat, ut beneficium ſit ſufficiens ad victum honeſtè, ut poſſit quis ſacris Ordinibus inſigniri. Sed contrarium eſt tenendum, quia c. *Cùm nullus, de tempor. Ordin. in 6.* ſimpliciter loquitur de habentibus beneficium, nec explicat illius valorem & quantitatem. Tum quia Sacra Cardinalium Congregatio cenſuit beneficium duorum ducatorum eſſe ſufficiens ad gaudendum privilegio fori: ergo etiã ad ſumendos Ordines, ex quibus oritur privilegium fori. Ita ſuſtinent Barboſa *de jure Pontificio lib. 1. cap. 31. n. 38.* Henriquez *lib. 10. cap. 12. §. 1. litt. L.* & *cap. 17. litt. Q.* Garzias *de benefic. com. 1 part. 2. cap. 4. n. 8.* Diana *part. 8. tract. 2. ref. 20.* Nec huic opinioni obſtat decretum Tridentini, quod non loquitur quoad hunc ſubiectionis effectum, ſed quoad alium effectum congruæ ſuſtentationis eius, qui vult ad maiores Ordines promoveri. Non enim aſſerit, quòd ſi ordinandus beneficio tenui patrimonium ſufficiens ad victum adiungat, non poſſe ordinari ab Epiſcopo. Quare dicendum eſt, ſi tenui beneficio adiungeretur patrimonium, ita ut conflatum ex utroque ſufficeret ad ſuſtentationem, ſicut requirit Tridentinum, tunc poſſet ab Epiſcopo beneficij ordinari. Aliud enim eſt quærere, num beneficium ſufficiat pro titulo, aliud ſi ſufficiat ut tanquam ſubditus ratione beneficij poſſit promoveri ad Ordines.

Barboſa. Henriq. Garzias. Diana.

14. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 9. de reform.* ſtatuit, quòd *Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus; & beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat, conſuetudine quamcumque, etiam immemorabili, in contrarium non obſtante.* Circa quod Decretum ſequentia notanda veniunt:

Con. Tri.

Primum, Epiſcopos titulares non gaudere hoc privilegio, ut patet ex eodem Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 2 de ref.* & contrarium facientes, ab exercitio Pontificalium per annum ipſo jure ſunt ſuſpenſi.

Con. Tri.

Secundum, ut Epiſcopus poſſit ordinare ſuum familiarem triennalem, debet ille in ſervitute per triennium continuatum completum perſeveraſſe: nec ſufficeret annũ tertium fuiſſe cœptum; quia in odioſis annus cœptus & dies inchoata pro completa non habetur. Ita Marchinus *de Ordine, tr. 1. part. 5. §. 9 n. 2.* Præpoſitus *loco cit. n. 141.* At odioſum eſt Epiſcopis, quibus talis familiaris ratione domicilij, vel loci originis eſt de iure ſubditus, à propria eximi juriſdictione.

Marchin. Præpoſit.

Tertium, quòd ſufficiat ſervitium triennale eſſe inceptum ante aſſumptionem ad Epiſcopatum: quia ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Sed Concilium non deſtinguit de ſervitio ante vel poſt Epiſcopatum: ergo abſolutè intelligendum eſt. Garzias *de benefic. tom. 1. 2. 5. n. 35.* Præpoſitus *loco cit. n. 140.* Non poſſet tamen Epiſcopus ordinare familiarem in regione remota morantem, quamvis expenſis Epiſcopi vixerit: nam abſens propriè familiaris non dicitur, neque Epiſcopus poteſt eius mores noſſe: quandoquidem hoc triennium à Concilio præfixum, ad hoc principaliter ſuffragatur, ut mores & vita ab Epiſcopo cognoſcatur: quare inhærendo verbis Concilii, hoc tantum procedit in illis familiaribus, qui

Garzias. Præpoſit.

Digitized by Google

qui cum Epiſcopo commorantur, & qui ſunt præſentes, illuſque obſequiis aſſiſtunt, ſive intra, ſive extra domum ejus, Epiſcopi expenſis alantur. Sanchez. Ita Sanchez *in opuſc. to. 2. lib. 7. c. 1. dub. 20. n. 21. & 23.* Imò ſub verbis Concilij intelliguntur quoque famuli & familiares eorumdem familiarium, qui inſerviunt Epiſcopo, ejuſque impenſis alũtur, modò per triennium familiari Epiſcopi inſervierint, ut tradunt Eſcobar *in Theol. mor. tr. 7. exam. 8. c. 4. n. 73.* & Barboſa *de poteſt. Epiſcop. p. 2. alleg. 5. num. 7.* & alij. Eſcobar, Barboſa.

Quartum, quod hæc facultas Epiſcopo conceſſa ordinandi ſuum familiarem triennalem, intelligi debet cum onere conferendi ſtatim ordinato congruum beneficium. Quid autem intelligatur per verbum *ſtatim*, non conveniunt Doctores; quidam enim interpretantur, quamprimùm beneficium aliquod vacaverit, teneri Epiſcopum illud illi conferre. Ita Vaſquez 3 *part. tom 3. diſp. 243. n. 49.* Hurtadus *de Sacram. Ordin. difficult. 17.* Præpoſitus *in 3 p. de Sacram. Ordin. quæſt unic. dub. 14. n. 142.* Tannerus *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 3. dub. 2. n. 38.* Sed hæc expoſitio eſt nimis ampla & voluntaria; nam Sacra Congregatio declaravit, fuiſſe contra hanc Tridentini formam, quandam beneficij collationem triennali familiari factam intra annum, etiam in menſe undecimo à die ordinationis. Hęc declaratio facta eſt die 22 Maij 1586. Teſtantur Flaminius Parifius *de reſign. benefic. lib. 4. quæſt. 2. num. 92.* Garzias *de benefic. part. 2. cap. 5. nu. 85.* proinde verbum *ſtatim*, non excedere decem dies. Marchinus *de Sacram. Ordin. tract. 1. p. 5. cap. 9. num. 5. & ſequent.* Diana *part. 8 tract. 2. reſol. 3.* tradunt, cum multis aliis ibi citatis. Hæc omnia hoc numero dicta, videri poſſunt apud Dianam *loco citato à reſolut. 27. & ſeq.* Sed de his ſatis. Vaſquez. Gasp. Hu. Præpoſit. Tanner. S. Congr. Pariſius. Garzias. Marchin. Diana.

De Ordine vide verb. Abbas *num. 6. 7. & 8.* Capitolum *num. 2. & 9.* Irregularitas 2. *num. 18. & ſequent.* Matrimon. 2. *num. 13. & ſeq.* Suſpenſio.

P.

PACTVM.

SUMMARIUM.

1 *Pactum dividitur in expreſſum & tacitum: in perſonale & reale: in nudum & veſtitum; quod veſtitur ſex modis.*

2 *An pactum generalius ſit nomen, quàm contractus.*

3 *An pactum, ſtipulatio, pollicitatio, conventio & promiſſio inter ſe diſtinguantur.*

4 *An effectus proprius cujuſque pacti ſit naturalis obligatio, & correſpondeat huic petitio & actio? Quid ſit actio perſonalis, quid realis.*

5 *An pactum legis commiſſoriæ apponi poſſit in pignoribus & venditionibus.*

6 *An pacta & conventiones quæ fiunt inter Superiores locales Ordinum mendicantium & Prælatos Eccleſiarum & Rectores ſuper juribus Parochialibus, ſint validæ, ſine conſenſu Generalium & Provincialium.*

7 *An ex pacto religioſi cum ſuo Prælato, oriatur in eo obligatio naturalis erga ſubditum?* Refertur duplex ſententia.

8 *De quibuſdam pactis quæ jure irritantur, quæ ſunt contra bonos mores, vel moribus præjudicium afferre poſſunt.*

9 *In quibus conveniant Pacta legis commiſſoriæ & pacta adjectionis in diem.*

PActum multipliciter dividitur: *Primò*, in conventum ſeu expreſſum, & in tacitũ. Expreſſum dicitur, cùm partes inter ſe expreſsè paciſcuntur. Tacitum verò, quod ratione alicujus legis intervenit, quantumcumque partes non paciſcantur inter ſe, ut cùm tutor eligitur, pupilli, quorum curam accipit, habent ex juris diſpoſitione tacitam hypotheeam in illius bonis; ſic etiam uxor in bonis mariti, propter res dotales.

Secundò dividitur in perſonale & reale: illud eſt quod ad aliam perſonam, nempe ad hæredẽ non tranſit: hoc verò, quod tranſit ad hæredem; ut ſi paciſcor tecum, ne petas à me, & poſſis petere à meo hærede: vel paciſcor, ne petam à te, & hæres meus poſſit à te petere.

Tertiò dividitur, quod aliud ſit in rem, & aliud in perſonam. In rem autem eſſe dicitur, quoties generaliter paciſcor, ne petam rem. In perſonam verò, quoties paciſcor, ne à perſona petam.

Quarto dividitur in nudum & veſtitum. Veſtitum dicitur pactum ſex modis, 1. re, 2. verbis ſcilicet in ſtipulando, 3. literis, ut quando in literis confitetur ſe aliquid recepiſſe, etiamſi non receperit. 4 conſenſu, ut in ſocietate, mandato, emptione, venditione, vel locatione, in quibus non requiritur ſcriptura vel præſentia, ſed ſufficit conſentire per ſe, vel per nuncium, aut ſcripturam. 5. cohærentia contractus, puta vendidit quis domum cum pacto ut moretur in eà per annum; veſtitur enim illud pactum coherentia contractus, ſcilicet venditionis; aliàs eſſet nudum. 6. interventu rei: puto promiſi dare tibi aliquid, ut faceres mihi vel dares aliud; unde ſtatim cùm dedero tibi promiſſum, veſtitur pactum ex parte mea: ideoque interventu ejus obligaris mihi ad promiſſum. Hæc omnia probantur *ex Inſtitutis, de verb. obligat.* Nudum verò pactum non veſtitur aliquò prædictorum, ſed tantum conſiſtit in meris & puris finibus conventionis, & caret omni alio firmamento; v.g. promiſi tibi dare centum ſine aliqua interrogatione præcedenti vel Chirographo & hujuſmodi, & conſentis. De quibus Sylveſt. *verb. Pactum, quæſt. 2.* Reginald. *lib. 25. cap. 6. num. 71. & 72.* & alij citati *tom. 1. verb. Contract. n. 6.* Sylveſter. Reginal.

2. Pactum, cùm ſit duorum, vel plurium in idem placitum ſeu conſenſus, *l. 1. ff. de pactis*, tamen pactum generalius eſt nomen, quàm contractus: quia pactũ dicitur de omnibus, quæ inter eos, qui contrahunt, aguntur cauſa contrahendæ, vel tollendæ obligationis. Proinde pactum eſt de non petendo debito, vel damno per injuriam illato. Pactum etiam eſt in tranſactionibus, quæ fiunt gratia litis dubiæ finiendæ. Pacta quoque fiunt pacis, belli, induciarum. Imò in uno contractu aliquando interveniunt duo vel plura pacta. Unde contractus generali nomine pactum dicitur, ſed tamen cùm habemus ſpecificum nomen, eo nominamus contractũ, ut dicendo, venditio, locatio, & hujuſmodi: cùm verò non habemus, generali nomine pactum appellamus.

3. Pactum, ſtipulatio, pollicitatio, conventio & promiſſio inter ſe differũt & diſtinguuntur, quòd promiſſio ſi ſumatur largè, eſt affirmatio vel negatio, qua quis ſe aliquid dicturum vel facturum affirmat aut negat, & eſt quid commune ad omnia prędicta. Sed propriè *promiſſio* eſt, cùm quis præcedente rogatione, ſeu petitione, vel interpellatione

alterius,

alterius, ſpondet ſe aliquid daturum vel facturum, ut ſi rogem te, ut mihi mutuo des centum & ſpondes te daturum. *Pollicitatio* verò eſt ſolius offerentis promiſſio, cùm quis ſponte ſua non rogatus ab alio, promittit aliquid alteri: & hoc eſt quod ſignificatur *in l. Pactum, ff. de pollicitat.* & ſit ſine interrogatione præcedente. Hinc fit, neque promiſſionem, neque pollicitationem eſſe inter duos, quorum unus ſit debitor, & alter creditor; ſed tantùm eſſe ſponſionem unius, qua ſe obligat alteri, cum ipſius conſenſu. *Pactum* verò propriè eſt, quando verba præmittuntur à promittente & conſeſtim ſequuntur verba in admittente; ut v. g. Dabo tibi centum, ut mihi vendas equum, & tu ſtatim reſpõdeas: Mihi placet. Unde de ratione pacti ſunt tria: *Primò*, quòd iſte actus generatur inter plures. *Secundò*, quòd partes ſint præſentes per ſe vel alium, aut ſcripturam, ita quod conſenſus earum concurrant. *Tertiò*, quòd verba præmittantur à ſpondente. *Stipulatio* autem propriè eſt verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, reſpondeat ſe daturum, aut facturũ illud, quod interrogatus eſt, ut, Promittis te mihi daturum centum? tu ſtatim reſpondes, Promitto; ſtipulatio eſt. *Conventio* verò eſt aliquid generalius pacto: quia & ſcholares in ſcholis & religioſi in capitulo conveniunt, *l. 1. §. conventionis verbum, ff. de pollicitat.* & propriè videtur in jure paſſivè ſumi pro citatione, activè verò pro pacto. Ita Sylveſter & alij. Sylveſt.

4. Effectus proprius cujuſque pacti eſt naturalis obligatio, juxta regulam 84. ff. *Is naturâ debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus.* Et in l. 1. ff de pactis. *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, ſervare?* Obligatio autem definitur, Inſtit. de obligat. *Iuris vinculum quo neceſſitate aſtringimur alicujus rei ſolvendæ vel faciendæ.* Huic obligationi ac debito ex altera paciſcentium parte correſpondet petitio, & actio, id eſt, jus perſequendi, quod ſibi debetur.

Quoad obligationem hoc diſcrimen notatur inter promiſſionẽ & pactũ; quod ex promiſſione jam acceptata ab alio, obligatio tantùm naſcatur ex parte promittentis, quia ea ſit gratis, nec ei cui fit, quidquam imponitur. At ex pacto naſcitur obligatio ex parte utriuſque paciſcentis, eò quòd fiat, tam promittente, quàm admittente, ſe ad aliquid dandum, vel faciendum vel præſtandum adſtringente.

Porrò actio eſt duplex, una quæ dicitur perſonalis, altera realis. Actio perſonalis eſt, qua agimus adverſus eum, qui nobis eſt obligatus ex aliqua cauſa ad faciendum, aut dandum aliquid; & ideò ſemper naſcitur proximè ex contractu, vel quaſi contractu, quo quis nobiſcũ contraxit: ex delicto, vel quaſi delicto, quo quis in nos deliquit, vel quaſi deliquit. Realis actio eſt, per quam rem noſtram, quæ poſſidebatur ab alio, petimus: & ideò ſemper eſt adverſus eum, qui rem noſtrã poſſidet, etiamſi nihil nobiſcum contraxerit; aut contra nos nihil deliquerit. Proinde actio realis ſemper naſcitur ex dominio, vel quaſi dominio, ſive ex jure ex re, ſive jure in rem: & hæc actio non eſt in perſonam, quæ ex aliqua cauſa nobis fuerit obligata, ſed in rem, quam poſſidet, cùm tamen nobis debeatur, *l. in Rem, ff. de rei vendic.* & tradunt communiter Doctores.

5. Omnè pactum turpe, vel quod jure naturali, divino, vel humano damnatum eſt, in pignoribus prohibetur. Proinde inter pacta, quæ in pignoribus apponi nequeunt, eſt pactum legis commiſſoriæ, quando creditor cum debitore paciſcitur, ut ſi ad tempus conſtitutum, debitum non ſolverit, aut non ſatisfecerit creditori, pignus cedat in jus & dominium ipſius creditoris. Dicitur autem pactum legis commiſſoriæ, quia pignus cadit in commiſſum, debito ad diem præfinitum non ſoluto: & eſt inſtar pacti, quod in venditione & emptione conſueverunt aliqui apponere, ut ſi intra certum tempus emptor non ſolverit prætium, res non ſit empta. Quod pacti genus in venditione, & emptione eſt jure civili approbatum, ut patet *ex tit. ff. de leg. commiſſ.* At verò idem pactum legis commiſſoriæ in pignoribus, utroque jure, civili & Canonico damnatur, *l. ult. Cod. de pactis pignorum, & cap. Significs. de pignorib.* Quare autem hoc pactum in emptione permittatur, & non in pignoribus? Reſpondent Doctores, quia venditor emptorem injuria, vel damno non afficit, ſi rem ſuam emptori vendat ea lege, ut ſi prætium tempore præſtituto non ſolverit, pro non empta habeatur, & ad ipſum redeat. Sed pignus ſolet eſſe majoris æſtimationis & pretij, quàm ſit debitum. Ergo pactum, ut fiat pignus creditoris pro debito, eſt cum damno debitoris: quia cogitur plus ſolvere, quàm debeat, & minoris vendere rem ſuam. Ita Joan. Andreas, Panormitan. *in dict. cap. Significs.* & Gloſſa *in l. ult. de pactis pignor.* Sylveſt. *verb. Pactum q. 14.* Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 324.* Qui noviſſimus obſervat ex Panormitano *in cap. Significs. n. 7.* ſi pactum ſit, quod debitore intra terminum non ſolvente pignus ſit venditum, non certo aliquo & determinato pretio, ſed pretio juſto arbitrio boni viri, validum eſſe tale pactum. Io Andr. Panormit. Molina.

5. Ex jure communi pactum initum per Prælatos Religionum mendicantium, puta Priores, Guardianos, &c cum Rectoribus vel perſonis Eccleſiarum ubi habitant, ſuper juribus Parochialibus, vel alijs quibuſcumque, debet perpetuò ſervari, ſi factum eſt cum aſſenſu ſuorum conventuum vel locorum, licet non intervenerit aſſenſus Magiſtri vel Miniſtri Provincialis, aut Generalis, vel Sedes Apoſtolica, quoad Fratres Minores auctoritatem non præſtiterit. Ita ſancitum eſt *in c. Quia ex eo, de pactis, in 6.* Bonifacius VIII. ſic loquitur: *Præſenti decreto ſanctimus, compoſitiones & pacta hujuſmodi cum Prælatu, Capitulis, & Rectoribus & perſonis prædictis ab ipſorum Fratrum conventualium Prioribus ſeu Guardianis facta vel approbata de ſuorum Conventuum conſilio & aſſenſu (dummodo alias ſint licita & honeſta) debere ab ipſis Fratribus in locis, in quibus fuerint facta, perpetuò inviolabiliter obſervari; non obſtante quod Magiſtri vel Miniſtri aut Priores Generalium ſeu Provincialium prædictorum non intervenerit in eiſdem aſſenſus, nec ab ipſorum Generalibus vel Provincialibus Capitulis extiterint approbata: ſeu quòd Sedes Apoſtolica in ijs quæ per prædictos Fratres Minores facta fuerint, auctoritatem ſuam non præſtiterit vel aſſenſum.* Nec huic juri obſtat Bulla Alexandri Papæ IV. apud Bullarium Rodriguez *Bulla 25* ejuſdem Pontificis, qua conceſſit Generali Minorum ac Provincialibus, ut pacta illa quæ facerent Guardiani, Cuſtodes & alij Fratres abſque licentia Generalis, vel Provincialis, eſſent, irrita, neque ad illa Fratres obligarentur: quia Emanuel Rodriguez *tom. 1 quæſt. reg. quæſt. 39. art. 8.* cirans iſtam conceſſionem, dicit eſſe revocatam per prædictum decretum Bonifacij VIII. qui vixit poſt Alexandrum. Portel verò *in dub. reg. v. Pactum in add. n 1.* credit, non eſſe revocatam, niſi fortè in parte, videlicet, quoad pactum à Guardiano ſuper Canonica quarta parte, de qua *loco citato* agit Rodriguez. Hæc enim pacta facta à Prælatis localibus circa Canonicam quartam, valida erunt, etiamſi Alex. IV. Rodrig. Portel.

fiant

fiant abſque conſenſu Provincialis, vel Generalis.

Bon. VIII. Alex. IV. Nam Bonifacius VIII. hoc tantùm exprimit illis verbis: *Super juribus Parochialibus.* At Alexand. IV. non loquitur ullo modo de juribus Parochialibus; ſed in genere dicit: *Super locis ad dictum Ordinē pertinentibus, eorumque cœmeteris.* Quæ verba non agunt de Canonica portione, neque illam ſignificant, neque item ſignificant jura Parochialia, ac proinde videtur conceſſio nimis diverſa & non revocata per dictum Bonifacium VIII. Ita Portel. In Concilio Generali Lateranenſi Leo X. Bullâ *Dum intra, num.* 8. ſtatuit, quod *Pacta & Conventiones inter eoſdem Fratres & Prælatos atque Curatos pro tempore inita, valeant: niſi per ſubſecutum Capitulum proximum Generale vel Provinciale refutata, & per eos refutatio huiuſmodi intimata debito tempore fuerit.*

Conc. La. Leo X.

Miranda. Miranda autem *tom.* 2. *q.* 48. *art.* 12. *concl* 1. docet, in caſu quo Eccleſia non damnificatur, valere eiuſmodi pacta & conventiones, etiam factas ſine auctoritate Superioris. Ratio in promptu eſt, quia non niſi ob vehementes cauſas, maximi judicis debet auctoritas vocari, & privilegia in contrarium ſunt revocata.

7. Jure naturali poteſt Prælatus obligari religioſo ſibi ſubdito ex pacto inter ipſos inito, ſicut inter ſervum & dominum poteſt intervenire ſimile pactum obligans ipſum dominum, *l. naturaliter, l. ſi quod dominus, ff. de condict. indebiti.* Proinde non poterit tale pactum revocari per Prælatum concedentem aliquid peculium dicto religioſo cum pacto & lege aliquid oneris adimplendi, in quo fecit impenſas ſua induſtria quæſitas; quia etſi non civiliter, obligatur tamen naturaliter Prælatus ſua promiſſione religioſo ſubdito, ſicut dominus ſervo: unde Prælatus revocans huiuſmodi pactum abſque juſta cauſa, peccabit, licet revocatio ſit valida. Ita Rodrig. *t.* 3. *q.* 9. *reg.* 9. *q.* 29. *a.* 9. Navarrus *lib.* 3. *conſil. in* 1. *edit. tit. de regul. conſil.* 20. *in* 2. *tit. de ſtatu monach. conſil.* 14. probabiliter. Sanchez tamen *lib.* 7. *mor. cap.* 29. *num.* 125. quamvis fateatur ex pacto Abbatis cum Monacho oriri obligationem naturalem; at in prædicto caſu negat eam oriri poſſe, quia ea promiſſio ſeu pactum tanquā jure communi contrarium diſponenti nihil concedendum religioſo, quod revocari nequeat ad nutum Superioris, eſt omninò irritum. Et hanc ſententiam dicit eſſe communem, pro qua citat multos, nempe Angelum, Roſellam, Sylveſtrum, Tabienam, Azorium & alios Iuriſperitos.

Rodrig. Navarrus. Sanchez.

Angelus. Roſella. Sylveſt. Tabiena. Azorius.

8. Pacta & promiſſiones, quibus unus alteri concedit, ut non teneatur de furto, aut dolo, quod in futurum commiſerit, aut ut id exigi ab eo non poſſit, ipſo jure nullæ ſunt & irritæ: quia contra bonos mores; ut ſi quis aliquem in negotiorum ſuorum geſtorem ſumpſerit, pacto inito cum eo, ut is non teneatur de dolo aut furto, quod in ea adminiſtratione commiſerit: tale enim pactum præberet manifeſtam ruinæ occaſionem tali adminiſtratori, neque id in ulla bene inſtituta republica permitti ulla ratione debet. Tamen ſi poſtquam furtum, aut dolus in adminiſtratione ſunt commiſſa, remittantur ab eo, cuius erant illa bona, aut jura, tunc valida eſt talis remiſſio; quia non præbet ruinæ occaſionem, ſed ſolùm condonat debita contracta, aut delicta antea commiſſa.

Similiter invalidum eſt pactum, ſi quis paciſcatur, aut concedat alicui, ut non teneatur de iniuria, aut vi, quam in futurum intulerit: ſecus autem, ſi condonetur iniuria antea illata, aut ſi tutori, aut curatori teſtator concedat, ut non teneatur de dolo, quem commiſerit in adminiſtratione bonorum filiorum ſuorum. Hæc habentur *l. ſi unus, §. illud, & §. pacta. ff. de pactis, l. pacta quæ, Cod. de pactis, l. Quidam decedens, in princip. juncta Gloſſ. ibi verb. Ius publicum. ff. de adminiſtrat. tutor.*

Nulla ſunt etiam pacta, quæ idcirco ſunt contra bonos mores, quod vel manifeſtam tribuunt peccati occaſionem, vel præiudicium afferunt, facilève afferre poſſunt moribus, quos eſſe expedit in bene inſtituta republica. Proinde nullum eſt pactum, ſi quis promittat ſe non revocaturum teſtamentum, aut ſe diſceſſurum ab inteſtato. Item ſi quis ita ſtipuletur ab aliquo: Tātumnè mihi dare ſpondes, ſi me hæredem non inſtituas? & alius ei promittat, nulla eſt talis promiſſio, ut habetur *l. ſtipulatio hoc modo. ff. de verb. obligat.* Item pactum pœnæ appoſitæ non ſtanti ſponſalibus eſt etiam nullum, ut habetur *in cap. Gemma, de ſponſ.* Ratio horum eſt; quia ex illis pactis præiudicium facilè oriri poteſt adverſus bonos mores, vel adverſus id quod expedit, ut in bene inſtituta republica, ad commune bonum, ſervetur, eaque de cauſa jure humano irrita redduntur.

3. Cùm pacta legis commiſſoriæ & pacta adiectionis in diem in ſolius venditoris favorem ſint appoſita, conveniunt hæc pacta, ut non impleto pacto, in poteſtate venditoris ſit, vel diſſolvere cōtractū, vel eum non diſſolvere, ſed cogere emptorem, ut pretium ſolvat, prout venditor maluerit. Si tamen ſemel dicat, ſe velle diſſolvere contractum, deinceps cogere non poteſt emptorem ſolvere pretium. Si idem ſemel pretium petat aut partem illius, non poterit deinceps contractum diſſolvere. Poterit verò emptor ſtatim, pacto non impleto, vel non impletā lege cōtractui appoſitā, cogere venditorem, ut dicat, quid eorum potiùs eligat. Præterea, ſi res pereat antequam venditor diſſolvat cōtractum, perit emptori, & non venditori. Hæc habentur, quoad pactum legis commiſſoriæ attinet, *l. 2. 3. & 4. §. eleganter, & l. 6. & 7. ff. de leg. commiſſor.* Quod verò attinet ad pactum adiectionis in diem, habentur *l. 2. & 3. & l. Eum qui, in princip. & l. Sabinus, ff. de in diem adict.*

Conveniunt deinde pacta legis commiſſoriæ & adiectionis in diem; quia ſi contractus ex eiuſmodi pactis diſſolvatur, fructus medio tempore percepti pertinent ad venditorem. Tenetur præterea emptor, ſi res illa culpā ipſius deterior eſt reddita, ſolvere venditori æſtimationem damni talis rei, ut habetur *l. Si fundus, in princip. ff. de leg. commiſſor.*

In pacto verò adiectionis in diem, quando res primo emptori conceditur, non quod venditor priorem emptionem eligat, ſed quod, offerente alio meliorem emptionē, primus emptor augeat ſupra pretium ab hoc alio oblatum, neque eſt qui plus deinceps offerat, fructus medij temporis pertinent ad venditorem, niſi aliud fuerit expreſſum in contractu. Ratio huius eſt; quia eo ipſo, quòd alius plus obtulit, ſignificatumque eſt primo emptori, reſciſſa fuit prima emptio, & ab ea fuit receſſum. Ita *l. Item quod, §. ult. junctis duabus legibus ſeq. ff. de in diem adict.*

Porrò conveniunt pactum legis commiſſoriæ & adiectionis in diem, quòd ſequutâ venditione, ex qua venditio reſcinditur, eo ipſo abſque alia traditione dominium rei illius tranſit in primum venditorem, competitque ei rei vendicatio, ad cuiuſcumque poteſtatem res illa devenerit. Ita quoad pactum adiectionis in diem, colligitur *ex l. Si quis hac, in princip. ff. de rei vendicat. & l. Si ex duobus, §. Sed & Marcellus, ff. de in diem adictione.* Idem quoad pactum legis commiſſoriæ colligitur *ex l. Commiſſoria, Cod. de pact. inter emptor. & venditor.* & docent ex communi Covarruvias 3. *variar. cap.* 8. *num.* 1.

Covar.

Gomez. *num.* 1. & Antonius Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 2. *num.* 30.

Vide verb. Divinatio *num.* 2. *& sequent.* Emptio *num.* 33. *& sequent.* Locatio *num.* 2. *& seq.* Pignus *num.* 11. Superstitio.

PAPA.

SUMMARIUM.

1 *Quibus nominibus Romanus Pontifex decoretur.*
2 *An Papa sit S. Petri successor in vicariatu Christi.*
3 *An Papa possit ex toto vel ex parte abrogare vel mutare ea quæ sunt juris divini?* Refertur duplex sententia.
4 *An possit abrogare vel mutare ea quæ jure naturali præcipiuntur vel prohibentur.*
5 *Quid possit Papa circa jura civilia Principum & Regum.*
6 *Quomodo habeat Papa plenitudinem potestatis.*
7 *An Papa possit constitutionem condere de forma eligendi futurum Romanum Pontificem.*
8 *An Papa possit sibi eligere successorem?* Refertur duplex sententia.
9 *An in canonizatione Sanctorum Papa errare non possit.*
10 *An Papa possit errare in fide, & in hæresis crimen incidere?* Refertur duplex sententia.
11 *Quâ fide credendum sit, hunc vel illum, qui nunc clavum Ecclesiæ tenet, esse verè Summum Pontificem, Petri successorem & Christi Vicarium in terris.*
12 *Quid possit Papa circa regimen Ecclesiæ.*

1. ROmanus Pontifex variis titulis est decoratus; communiter enim vocatur *Papa*, sive ab interiectione admirativa Papè (admirabilis est enim potentia, dignitasque Romani Pontificis,) sive à Græco πάππας, quod Patrem & Nutricium designat (est enim verè Pater & Nutritius Ecclesiæ & omnium fidelium,) sive à πάππος, quod Avum indicat, derivatio sumatur. Est enim Avus & Pater Patrum totius Ecclesiæ.

Vocatur etiam Episcopus Episcoporum & Pontifex maximus à Tertulliano *lib.* 1. *de pudicitia*, recitante Edictum à Victore I. Papa, de lapsis ad pœnitentiam recipiendis, emanatum. Vocatur & à Constantino in 6. Synodo Constantinopolitana Act. 18. *Sanctissimus ac Beatissimus Archiepiscopus urbis Roma, & Oecumenicus Papa.* Vocatur & à Mauro Episcopo Ravennate in Lateranensi Synodo, *Dominus Sanctus, maritus Beatissimus, totoque orbe universalis Pontifex.*

Tertull.

Patres VI. Concilij Generalis Act. 18. Agathonem Papam vocant *Summum Apostolorum verticem.* Patres IV. Concilij Generalis, quod est Chalcedonense *Actione* 1. Leonem Papam vocant *Apostolicam Sanctitatem.* In Ephesino Concilio Generali, *Act.* 1. Cælestinus Papa, *vir Apostolicus*; & in subscriptione, *Papa Apostolicus* appellatur.

Quamvis enim Romani Pontifices abhorrere soliti sint à nomine Oecumenici, seu Episcopi universalis; partim propter Constantinopolitanos Patriarchas, qui hoc nomen superbè sibi arrogare ausi sunt, ut videre est in Epistola Pelagij II. ad universos Episcopos, quæ incipit *Manifestè*

Pelag. II. Gregor. I.

Gregorij I. *lib.* 4. *indict.* 13. *epist.* 38. ad Ioannem Constantinopolitanum: tum quia nomen illud ambiguum sensum habere potest, eò quòd iste terminus *Episcopus*, aut *Pontifex universalis*, videretur auctoritatem aliorum Episcoporum excludere; quasi verò qui se universalem seu universum Episcopum appellat, solus Episcopus esse velit, quasi totus orbis unam Diœcesim constitueret. At verò titulus, quo Romani Pontifices insigniri voluerunt, est *universalis*, seu *universa Ecclesiæ Episcopus*, aut *Pastor.* Ex quo enim Pontifex in universum orbem potestatem eminentem exercet, verè *universalis*, ab antiquissimis dictus est, & modò etiam sic appellari convenit.

2. Papa seu Romanus Pontifex est S. Petri successor in Vicariatu Christi. Probatur: quia ille in Vicariatum Petri succedit, qui in Cathedram, quam pro universali Ecclesia Petrus fundavit, tenuit, & in cuius administratione mortuus est, succedit. Sed Romanus Pontifex in Cathedram Romanam, quam Petrus pro universali Christi Ecclesia fundavit, tenuit, & in cuius administratione mortuus est, succedit: Ergo Pontifex Romanus in Vicariatu Petri succedit. Hanc veritatem agnovit semper universalis Ecclesia, & Patres. Quod probatur sufficienter ex Canone 39. Concilij Nicæni primi, ubi, de Patriarchis loquens, Sedi Romanæ supremum super omnes Patriarchatum decernit. *Est*, inquit, *Patriarchæ loco Patris, sub cujus dominatu ac potestate sunt filij eius, sicque præest Patriarcha omnibus, qui sub potestate eius sunt; sicut ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput est & Princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos & cunctam Ecclesiam Christianam, & quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.* Iterum: *Veneramur secundùm Scripturæ & Canonum definitionem Sanctissimum Romanæ antiquæque Ecclesiæ Episcopum, Primum & Maximum omnium Episcoporum. Vt autem cunctis ditionis suæ nationibus imperat Patriarcha, & leges indicit, & ut à principio Petrus Christi Vicarius Religioni, Ecclesiis cæteris que ad Christum rebus pertinentibus præfectus, Principum Christianorum, Provinciarum & omnium gentium Dominus & Rector erat, ita ille, cuius Principatus Romæ est, Petro similis & auctoritate pari Patriarcharum omnium Dominatum & Principatum obtinet. Huic Sanctioni si quis repugnaverit & obsistere ausus fuerit, totius Synodi Decreto anathemati subiiciatur.* Præterea Patres Concilij Florentini sic asserunt: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & in ipso B. Petri pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Christo plenam potestatem traditam esse.* Quod subinde probari potest, quod Primatus Petri non fuit personalis, sed in successores usque ad finem mundi derivatur. Fundamentum enim, super quod Ecclesia visibilis fundata est, est Petrus & Petri primatus: ergo quamdiu corpus Ecclesiæ visibile in terris manet, tamdiu Petrus perseverat. Nō perseverat autē in persona sua singulari: ergo perseverat in Successoribus suis: non enim structura sine fundamento. Regnum sine Principatu, ovile sine Pastore, Corpus absque capite vivum stare potest ordinariā potestate. Tū quia potestas summa penes unum Principem spiritualem, Pastoremque universalem esse debet, cui oves suas & agnos Christus Dominus pascendos, regendosque sublimi auctoritate concessit. Hunc verò Pastorem Oecumenicum Monarchicumque Principem alium à Sancto Petro, & successoribus eius legitimis Apostolicæ Sedis hæredibus à Christo

Con. Nic.

Con. Flor.

Domino

Domino fuiſſe creatum, quis mentiendo audebit impudenter aſſerere, niſi quem dæmonum præſtigiis dementatum nefanda impiaque hæreticorum dogmata fefellerunt? De his videndi ſunt Bellarm. *lib. 1. de Roman. Pontific. cap. 16.* Duvallius *de Roman. Pontific. part. 1. quæſt. 3. & 4.* Michael Mauclerus *de Monarch. Eccleſ. tom. 1. part. 2. lib. 1. c. 1.* & alij. Bellarm. Duvall. Maucler.

3. Canonici juris interpretes communiter docent poſſe Papam jus divinum declarare, interpretari, reſtringere, remittere, amplificare, augere, & mutare. Probant id exemplis; nam divini juris eſt Sabbathum colere; diebus Feſtis à veſpera in veſperam feriari; decimam partem ex perceptis fructibus ſolvere Eccleſiæ; vota reddere; quod jurejurando promiſimus, præſtare, & implere. Et tamen Eccleſia Sabbathi cultum in diem Dominicam mutavit, nec ubique in diebus Feſtis à veſpera in veſperam à laborando ceſſamus: nec ubique perſonalis aut prædialis decima ſolvitur, & votum ac juramentum ſæpè Papæ auctoritate relaxatur: Ergo, &c. Ita Abbas & alij *in c. ult. de conſuetudine*, ut teſtatur Covarruvias *de matr. part. 2. c. 6. §. 9. n. 2. & 3.* Abbas. Covar.

Theologorum tamen opinio communis eſt *in 3. diſt. 37* & *in 1. 2. quæſt. 100. art. 8.* nihil eorum quæ ſunt juris divini, poſſe Romanum Pontificem, vel ex toto, vel ex parte abrogare, vel mutare, quamvis ex juſta cauſa poſſit hunc vel illum à juris divini rigore eximere: quia non idem eſt, jus divinum ex toto, vel ex parte tollere, quod rigorem illius juris ex juſta cauſa relaxare, hoc eſt aliquem à juris divini rigore ſolvere. Hæ tamen opiniones conciliantur, dicendo, quòd Juris Canonici interpretes jus divinum latiùs ac tuſiùs interdum accipiunt, quàm Theologi: nam quidquid in veteri Teſtamento imperatur, aut vetatur, vel etiam continetur, & quidquid in novo decernitur ac traditur, jus divinum appellant Canoniſtæ. Sed Theologi preſſiùs & ſtrictiùs jus divinum accipiunt, videlicet id quod Deus, ſive Chriſtus Dominus fieri juſſit aut vetuit: propterea docent id à Romano Pontifice abrogari vel mutari non poſſe: quia inferior auctoritas, nihil contra Superiorem poteſt. Certum eſt tamen apud omnes, Romanum Pontificem auctoritatem habere declarandi quæ ſunt obſcura, vel ambigua in jure divino. Eccleſia enim poteſt declarare quæ ſunt obſcura, vel dubia in ſacris literis, vel regulis fidei.

Ex quibus infertur, non eſſe in Romano Pontifice poteſtatem determinandi tempus præcepti divini, quo adulti ante finem vitæ baptizari tenentur: quia præcepto divino determinatum eſt hoc tempus, nempè cùm primùm commodè poſſint, quamvis quando occurrit dubium, an cauſa aliqua ſit ſufficiens ad dilationem Baptiſmi, id poſſit interpretari Eccleſia, non minus quàm quilibet vir doctus, imò multò meliùs. Ita Vaſquez, & Suarez, quos citat & ſequitur Hurtadus *de Sacr. Baptiſm. diſp. 1. diffic. 17.* & communis. Solùm autem Eccleſia poteſt definire tempus, in quo parentes Chriſtiani debeant ſuos infantes baptizare ratione juriſdictionis quam in parentes habet, qui regere debent parvulos. De quibus Diana *p. 8. tr. 1 reſ. 2.* qui bene advertit aliquando potuiſſe Eccleſiam determinare tempus, in quo miniſtri Eccleſiæ, & non in alio, deberent exhibere Baptiſmum adultis petentibus, ſcilicet Vigiliam Reſurrectionis & Vigiliam Pentecoſtes, ut habetur *in cap. Non ratione, de conſecr. diſt. 4. & cap. Duo tempora, & cap. Proprie, eadem diſt.* illa tamen conſuetudo ſolùm dictis temporibus baptizandi adultos, ſeVaſquez. Suarez. Ga. Hurt. Diana.

rè in tota Eccleſia abrogata eſt per contrariam conſuetudinem, ut docet Rupertus *lib. 4. divinor. offic. cap. 18.* cum aliis. Rupertus

4. Certa eſt omnium ſententia, non poſſe Papam quicquam abrogare, vel mutare eorum quæ jure naturali præcipiuntur vel prohibentur. Ratio eſt, quia ea, quæ ſunt vel per ſe bona, vel mala, abrogare vel mutare nequit; nam quæ jure naturali imperantur, aut vetantur, mutari non poſſunt, niſi naturâ eorum variatâ & mutatâ. Tum quia lex naturalis quantum ad prima principia legis naturæ, eſt immutabilis, ita ut fieri non poſſit quod aliqua ejuſmodi quæ priùs erant leges naturales, vel amplius non ſint leges, vel deſinant obligare: eò quòd iſta principia contineant univerſales regulas bene vivendi, & habeant veritatem prorſus neceſſariam, ſic ut impoſſibile ſit ea eſſe aliquando falſa. Ita D. Thomas *1. 2. q. 94. art. 5.* & communis. Vide Azorium *tom 1. lib. 6. c. 1. quæſt. 4. & 5.* Suarez *de leg. c. 14. num. 8.* Sylvium *1. 2. quæſt. 94. articul. 5.* Sylveſtrum *verb. Papa, quæſt. 16.* D. Thom. Azorius. Suarez. Sylvius. Sylveſt.

5. Jura civilia, quæ ſunt per ſe bona vel mala, non poteſt Papa mutare, vel abrogare; non quia jus civile ea prohibeat, vetet, pereat; ſed quia jus ipſum naturæ ea præcipit, vel vetat. Si verò ſint bona vel mala, ea tantùm ratione, quia jure civili imperantur, vel prohibentur; & hæc vel omninò vel ex parte à jure Canonico diſſentiunt; vel aliqua ratione juri naturali, ac divino adverſantur; ut ſi lex civilis ſtatuat uſuram eſſe licitam, vel ut liceat alicui duas uxores ſimul habere, vel ut poſſeſſor malæ fidei præſcribat, vel nihil juri divino, naturali, vel Canonico repugnat. Si nihil repugnant, non ſolet, nec poteſt abſque juſta cauſa Papa tollere, abrogare, mutare, aut quicquam contra ſtatuere erga laicos. Si verò pugnant, poteſt Romanus Pontifex ea jura relaxare, mutare & abolere: quia laici non poſſunt ſtatuta vel leges condere, vel ferre contra jus divinum, vel naturale, vel Canonicum. Ita Sylveſter *verb. Papa, quæſtione decima-quarta*, qui ſuſtinet, quod de plenitudine poteſtatis ex cauſa rationabili poteſt Papa omnes leges civiles evertere, & alias condere, niſi inquantum ſpectant ad jus naturale aut divinum: nec Imperator cum omnibus Regibus & populis Chriſtianis poſſent contra ejus voluntatem quicquam ſtatuere. Nec quæ allegant Canoniſtæ contra hoc, aliquid concludunt, niſi ceſſante cauſa, & ex poteſtate juridica, quæ, ſcilicet, eſt ſecundùm jura, quibus Papa ex neceſſitate non ſubditur. Sylveſter.

Dictis conformia docet Bellarminus *controverſia tertia Generali de Romano Pontifice, libro quinto, capite ſexto*, dicens: Quantùm ad leges, non poteſt Papa, ut Papa ordinariè condere legem civilem, vel confirmare, aut infirmare leges Principum, quia non eſt ipſe Princeps Eccleſiæ politicus: tamen poteſt omnia illa facere, ſi aliqua lex civilis ſit neceſſaria ad ſalutem animarum, & tamen Reges non velint eam condere, aut ſi alia ſit noxia animarum ſaluti, & tamen Reges non velint eam abrogare. Itaque optima regula eſt, quam tradit Gloſſa *ad cap. Profeſſor, de regular. juris in 6.* quæ talis eſt: Quando de eadem re contrariæ inveniuntur leges Imperatoriæ & Pontificiæ, ſi materia legis eſt res animarum periculum concernens, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam. Et hoc modo lex Pontificia, quæ habetur *capite final. de præſcriptionibus*, abrogavit legem Impe- Bellarm. Gloſſa.

adeò tam in propria, quàm in aliena Diœceſi, eſt inſertum in corpore juris, nempè *in cap final. de privileg. in* 6, unde habet vim legis ſtatuentis quod convenit Epiſcopis ratione ſtatus & dignitatis; & decretum Tridentini poteſt habere ſuum effectum abſque derogatione hujus privilegij. Unde cùm de ipſo non fiat ſpecialis mentio, non cenſetur derogatum, juxta regulam, Quod privilegia inſerta in corpore juris non derogantur, niſi de ipſis fiat expreſſa mentio, ut docent communiter Doctores, Suarez *lib.* 8. *de leg. cap.* 38. *num.* 12 Miranda *tom.* 1. *Man. quæſt.* 45. *artic.* 6. Palaus *p.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 4. *de privil. punct.* 2. §. 4. *num.* 5 & omnes Juriſperiti *in Authent. Quo, verb. Omni privilegio, Cod. ubi de crimine agi oportet*, & habetur ex *l. Eius militis*, §. *Militia*, *de teſtament. milit.* Tùm quia Epiſcopus celebrans Miſſam in Oratorio privato dum in aliena Diœceſi moratur, non exercet juriſdictionem contentioſam, ut patet; ſed voluntariam: hanc verò voluntariam juriſdictionem, ſeu potiùs privilegium perſonale poteſt exercere in aliena Diœceſi: ergo. Tùm quia Concilium Tridentinum non prohibet Epiſcopis, celebrare in altari portatili: ſed quòd non permittant celebrari, ſive à ſæcularibus, ſive à regularibus: nec item, quòd unus Epiſcopus non permittat celebrari ab alio Epiſcopo, quando exiſtit in ſua Diœceſi. Non enim Epiſcopi veniunt nomine ſæcularium, ob dignitatem, quâ præcellunt, & proinde debuiſſent ſpecialiter nominari, ſi eos comprehendere voluiſſet. Manet ergo firmum, Epiſcopos, non obſtante Concilio Tridentino, & decreto Pauli V. & Urbani VIII. poſſe, etiamſi non ſint infirmi, portare ſecum altare viaticum, & in itinere non ſolùm in ſua, ſed etiam in aliena Diœceſi, non tamen Romæ, Miſſam celebrare & celebrari facere. Ita Gavantus *in enchirid. Epiſcop. verb. Epiſcopus*, *num.* 8. & 9. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop, part.* 2. *allegat.* 23. Ugolinus *lib.* 1. *de offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 1. *cap.* 2. §. 2. Portel *part.* 3. *in reſponſ. regular. caſu* 20. *numero* 7. Diana *part.* 4. *tractat.* 4. *reſolut.* 15. & alij apud ipſos citati. Romæ autem non permittitur, ut Epiſcopi poſſint habere Oratorium privatum & ibi Miſſam celebrare, vel audire, propter reverentiam Summo Pontifici debitam, ut notant Riccius *part.* 4. *deciſ.* 78. Alzedus *in praxi part.* 1. *cap.* 13. *num.* 6. Venetus *in exam. Epiſcop. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 4. & alij apud Dianam *loco citato*, & *part.* 9. *tract.* 1. *reſolut.* 39. qui *reſolut.* 47. *eiuſdem partis & tractatus*, cum Doctoribus ibi citatis, docet Epiſcopum titularem extra urbem Romæ poſſe in ſuo Palatio habere Oratorium privatum, ut ibi celebret, vel Miſſam audiat: quia in rigore juris Epiſcopi titulares, qui ordinantur pro Eccleſijs in partibus infidelium, ſunt verè & propriè Epiſcopi: ergo gaudent eodem privilegio, quo gaudent ceteri Epiſcopi. Tamen ſi adeſſet praxis & conſuetudo in contrarium, non eſſet ab illa recedendum. Plura de his poſſent adduci, quæ videri poſſunt apud eundem Dianam *p.* 9. *tr.* 1. *per totum*. Vide dicta ſuprà *v. Miſſa* 3. *n.* 8. & 9. & *tom.* 1 *v. Miſſa IV n.* 1.

Suarez. Miranda. Palaus.

Gavantus. Barboſa. Ugolinus. Portel. Diana.

Riccius. Alzedus. Venetus. Diana.

Diana.

ORDINIS SACRAMENTUM.

SUMMARIUM.

1 *An Eccleſia poſſit irritare collationem primæ tonſuræ & Ordinum Minorum factam ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, &c.* Refertur duplex ſententia.

2 *An probabile ſit, Chriſtum in particulari non determinaſſe materiam & formam Sacramenti Ordinis, ſed ſolùm generice.*

3 *An qui veſperi attigit annum jure requiſitum pro Ordine aliquo ſuſcipiendo, poſſit manè præcedenti illum ſumere?* Refertur duplex ſententia.

An in ſupputanda ætate ad Ordines numerandus ſit dies biſſextilis, vel omittendus.

4 *An Epiſcopus poſſit in aliena Diœceſi conferre primam tonſuram ſuis ſubditis ſine licentia Ordinarij loci.* Refertur duplex ſententia.

An Epiſcopus conferens Ordines in aliqua Diœceſi de licentia Ordinarij, poſſit Clericos aliarum Diœceſium ordinare, ſi dimiſſorias literas oſtendant? Refertur duplex ſententia.

5 *Dum Prælatus Religionis vel Epiſcopus mittit ſubditum ab alieno Epiſcopo ordinandum, an cenſeatur etiam vices ſuas committere Epiſcopo, ut diſpenſet cum illo in defectu occurrenti, aut oblito?* Refertur duplex ſententia.

6 *An regulares recipientes ſacros Ordines ante legitimam ætatem, vel ſine dimiſſorijs ſuorum Prælatorum, ipſo facto ſint ſuſpenſi.*

7 *An qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, incurrat ſuſpenſionem? Et an adveniente mala fide, ſi ſic ordinatus celebret, irregularis ſit.*

8 *An cum ordinato per ſaltum poſſit Epiſcopus diſpenſare, ut prætermiſſum Ordinem ſuſcipiat, & ut in Ordine male ſuſcepto miniſtret; & ad ſuperiores aſcendat, ſi delictum ſit publicum.*

An ordinatus per ſaltum ſit tantùm ſuſpenſus ab eo Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit.

9 *An in aliquibus caſibus Epiſcopus excuſari poſſit à cenſura ſuſpenſionis, ordinans ſubditum alienum ex ratihabitione proprij Epiſcopi.*

10 *An Prælatus regularis poſſit diſpenſare cum ſubdito promoto per ſaltum, ut prætermiſſos Ordines ſuſcipiat, in malè ſuſcepto miniſtret, & ad ſuperiores aſcendat, ſi in Ordine ſuſcepto non miniſtraverit.*

Et quid dicendum ſi miniſtraverit?

11 *An Epiſcopus poſſit conferre Minores Ordines, Subdiaconatum vel Diaconatum, ſi illos non recepit?* Refertur duplex ſententia.

12 *An quis ad Ordines promoveri poſſit in patria ubi natus eſt? Et quando quis habet duo domicilia in diverſis Diœceſibus, à quo Epiſcopo ordinandus ſit? Et quid dicendum de ſtudioſis, qui per multos annos in Vniverſitatibus commorantur.*

13 *An poſſit Epiſcopus ordinare aliquem ad titulum beneficij, ſi illud ſit tenue.*

14 *An Epiſcopus titularis poſſit ſuo familiari triennali Ordines conferre.*

Vt familiaris Epiſcopi poſſit ab eo ordinari, an requiratur ut in ſervitute permanſerit per triennium continuatum completum? Et an ſufficiat ſervitium triennale eſſe inceptum ante aſſumptionem ad Epiſcopatum.

An Epiſcopus ordinans ſuam familiarem triennalem, debeat ei ſtatim beneficium congruum conferre.

1. POſito probabile eſſe Minores Ordines non eſſe Sacramenta, ut ſuſtinent Magiſter *in* 4. *diſt.*

Sotus. Valquez. *distinct. 24. Sotus ibidem, quæst. 1. art. 4.* Valquez *in 3. part. disp. 237. cap. 2.* & alij, quia non sunt à Christo instituti, sed ab Ecclesia; consequenter secundùm illos, dicendum est, posse Ecclesiam irritare & habere invalidam illorum collationem facta ab hæretico, excommunicato, suspenso, &c. Sed quia de facto Ecclesia nunquam irritavit Ordines Minores collatos ab Episcopo excommunicato, suspenso, &c. demonstrat per hoc Ordines Minores esse verè Sacramentum, & quod irritari non potuerint; quia Episcopus quocumque modo sit ab Ecclesia præcisus, validè potest Ordines conferre, cuius potestas fundatur in charactere Episcopali, qui indelebilis est, nec amittitur per excommunicationem, suspensionem, aut etiá degradationem, ut ex communi docent Sotus, Henriquez, Valquez *tom. 1. citati verb. Ordo III. num. 1. vers. Et cum hac potestas.* Secus dicendum de collatione primæ tonsuræ; hæc enim ab Ecclesia potest irritari, quia non est ordo & proinde nec Sacramentum, ut docent communiter Theologi, contra Canonistas, ut diximus *tom. 1. verb. Ordo. num. 1. vers. Item magna est.* Vide Dianam *part. 8. tract. 1. resol. 41.*

Sotus. Henriq. Valquez.

Diana.

2. Probabile est materiam & formam Sacramenti Ordinis eo modo, quo Christus illas instituit, ubique terrarum eas dem esse; Christum tamen in particulari non determinasse materiam & formam materialiter sumptas, sed genericè solùm statuendo ac jubendo, ut in collatione horum & illorum Ordinum, in quibus ipse ita volebat, adhiberetur manus impositio, ac insuper porrigerentur instrumenta vel symbola illa externa, per quæ uniuscujusque Ordinis potestas & Officium designaretur: quodnam verò symbolum esset huius & illius Ordinis collationi adhibendum, reliquisse determinationi Ecclesiæ. Proinde Ecclesia utens hac potestate sibi concessa, pro diversis temporibus aut Ecclesiis diversa signa determinavit, sive diversam materiam & formam ordinationis materialiter sumptam.

Hinc Sacerdotium & Diaconatus conferebantur olim per solam manuum impositionem, ut habetur in Concilio Carthaginensi IV. *Can. 3. & 4. & in cap. Presbyter, de Sacram. inittend.* docet Innocentius IV. communiter receptus Apostolorum tempore ritum ordinationis fuisse solam manuum impositionem. Quem ritū in Ecclesia Græca non solùm Episcopi Schismatici, sed etiá Catholici, & qui Romæ degunt, servant nunc, scientè atque consentiente Summo Pontifice: dum enim Græcos Presbyteros ordinant, non per Calicis & Patenæ cum vino & Hostiá porrectionem id faciunt, sicut Latini, sed per manus impositionē super caput ordinandi, dicente Episcopo *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt, supplet, creat, seu promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, &c.* Similiter ordinant suos Diaconos sine traditione libri, vel Calicis per solam manuum impositionem cum his verbis: *Divina gratia promovet hunc Diaconum, &c.* Cùm ergo Ecclesia pro diversis temporibus diversa signa particularia determinaverit in ordinatione, potuit pro Græcis & Latinis determinare diversa; ita tamen ut utraque Ecclesia Græca & Latina conferat ordinationem per sensibile signū & verba rectè significantia traditionem potestatis, & per consequens utraque validum Sacramentum efficiat: quia servat, formaliter loquendo, materiam & formam institutam à Christo, licet materialiter utatur signis diversis; Græci enim magis confusè significant potestatē Diaconi, vel Sacerdotis solo nomine Diaconi, vel Presbyteri: Latini verò magis explicitè, quatenus in Diacono duplicem exprimunt potestatem, legendi scilicet Euangeliū, & ministrandi solemni sacrificio; in Sacerdote pariter potestatē sacrificandi, & absolvendi à peccatis distinctè significant. Ita Franciscus de Lugo *de Sacram. in genere, cap. 1. quæst. 7. n. 70. & 73.* Amicus *tom. 7. disp. 2. sect. 4.* apud quem plura de hac quæstione. Arcudius *de concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis lib. 6. c. 4.* Præpositus *in 3. part. quæst. unic. de Sacram. Ordin. dub. 5. num. 1. 69.* Cardin Lugo *de Sacram. tom. 1. disp. 2. sect. 5.* Quorum sententiam probabilem dicit Sylvius *in supplement. 3. part. quæst. 37. art. 2. quæst. 3. Verè Vbi observandum, in fine. 3.* ubi pro hac opinione citat Bellarminum, Coninck, Layman, Mercerū, & alios, quibus addo Dianam *p. 8. tract. 1. resol. 42. & p. 10. tract. 12. resol. 65.* dicens hodie inter Theologos recentiores hanc sententiam esse communem, adducens plures alios.

Fra. Lugo. Amicus. Arcudius. Præposit. Lugo. Sylvius. Bellarm. Coninck. Mercerus. Diana.

3. Ad licitè suscipiendos Ordines requiritur ætas legitima ex Concilio Tridentino *sess. 23. c. 12. de ref.* & communi Doctorum sententia: nam ad primam tonsuram & Minores Ordines requiruntur saltem septem annī completi; ad Subdiaconatum viginti duo inchoati; ad Diaconatum viginti tres & ad Sacerdotium viginti quinque.

Sed dubium est, an qui vesperi attigit annum jure requisitum pro aliquo Ordine suscipiendo, possit manè præcedentis illum sumere? Affirmativam sententiam tenet Petrus de Ledesma *in Summ. tom. 1. tract. de Sacram. Ordin.* & probabilem esse putat Trullench *de Sacrament. lib. 6. cap. unic. dub. 10. n. 4.* Marchinus *de Sacram. Ordinis tract. 1. part. 5. cap. 2. num. 7.* Diana *part. 2. tract. 16. resol. 27.* quia in hoc casu vespera diei trahitur ad manè, cùm ex utroque una dies fiat; unde morali contiguatione, qui sic ordinatur, dicitur ordinari in anno vigesimo secundo, tertio, aut quinto constitutus. Cæterùm probabilior est opinio contraria, quia talis nondum pervenit ad ætatem jure requisitam ad Ordines suscipiendos. Nec obstat, quòd parum pro nihilo reputatur, quid id est verum, quando non inde pendet tota impletio præcepti. Nec etiam hic locum habet illa regula, Quod parum distat, nihil distare videtur sicut neque in aliis, in quibus jus tempus præfinitum exigit, ut in ætate ad Ordines: si enim vel unus dies, aut hora desideretur, vitiat factum, ut docet ex communiori sententia Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 65.*

P. Led. Trull. Marchin. Diana.

Pontius.

Sed alterum dubium occurrit, an in supputanda ætate ad Ordines enumerandus sit dies Bissextilis, vel omittendus? Respondeo semper diem Bissextilem esse includendum in supputanda ætate ordinandorum. Ratio est; quia in jure utraque dies Bissextilis pro unica habetur, *l. 3. §. Minorum ff. de Minor. l. Cum bissextus, ff. de verbor. significat. & cap. Quæsivit, eodem titulo*; ergò necessariò computanda, ne necessaria ad perfectam ætatem dies desideretur. Tum quia in complendo anno probationis dies bissextilis est necessariò includendus, aliàs professio esset nulla ob non servatam formam Tridentini *sessione 25. cap. 15. de regular.* ut sustinent Miranda *in Manual. tom. 1. quæstione vigesimasecunda, articulo tertio*, Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 59.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 24. num. 22. & lib. 5. moral. cap. 4. num. 5.* Vecchis *in praxi nov. disp. 31. dub. 3. num. 5.* & alij: quamvis nulli contrarium doceant, non dicentes diem Bissextilem non esse necessariò computandum, tam in Ordinationibus, quàm in supputando anno Novitiatus integro; quia annus à jure

Conc. Carthag. Inno. VI.

Con. Tri. Miranda. Lessius. Sanchez. Vecchis.

determinatus constat ex diebus 365. qui est annus ordinarius, quem per se leges intendunt; quod si eo anno contingat superaddi his 365. diebus diem aliam bissextilem, tanquam de rebus per accidens, laborandum minimè videtur. Ita Barbosa *de potestate Episcop. part. 2. allegat. 101. num. 12.* & alij apud ipsum. Panormitanus *in cap. Quærenti, de offic. deleg.* docet, quod ubi à jure datur annus, intelligitur 365. diebus continuis: nec curandum est, quod illo anno currat bissextus, per textum *l. Cum hæres, §. Stichus, ff. de statu lib.* Quam opinionem amplectitur Sylvester *verb. Ætas, quæstione tertia*, in odiosis; non autem in favorabilibus, quia tunc duo dies computantur pro uno. Proinde utramque sententiam probabilem esse putat Diana *part. 10 tractatu 11. resol. 67.* post Leandrum *de Sacrament. tom. 2. tract. 6. disputatione 6. quæst. 29.*

Barbosa. Panormit. Sylvest. Diana. Leander.

4. In Concilio Tridentino *sessione 6. cap. 5. de reformat.* habetur: *Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinarij subiectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.* Circa quod decretum est difficultas prima, an Episcopus in aliena Diœcesi sine licentia possit conferre suis subditis primam tonsuram? Negant Barbosa *de potestate Episcop. parte secunda, allegat. 6. num. 15.* Sanchez *in opusculatem 2. lib. 7. cap. 1. dub. 50. num. 2.* quia in Concilij Tridentini decreto prohibetur Episcopus in aliena Diœcesi Pontificalia exercere absque Ordinarij loci licentia. Affirmativam tamen sententiam meritò sustinent Bonacina *de Sacram. disp. 3. quæst. unic. punct. 2. n. 12.* Fornarius *de Sacram. Ordinis, cap. 5. §. 4. notab. 4.* Molfesius *in summ. tom. 1. tract. 2. cap. 2. num. 15.* & alij; quia Concilium loquitur de Episcopo conferente Ordines: sed prima tonsura non est ordo, cùm conferri possit domi privatim sine Pontificalibus; ergo.

Barbosa. Sanch. 2. Bonacina. Fornar. Molfesius.

Difficultas secunda, an Episcopus conferens Ordines in aliqua Diœcesi, de licentia Diœcesani, ordinare possit non solùm personas eidem Ordinario subiectas, verùm etiam Clericos aliarum Diœcesum, legitimas licentias, atque dimissorias portantes? Quidam dicunt, quod sic, modò de eorum ordinandorum idoneitate, sufficientia atque legitima facultate ad Ordines suscipiendos, constet ipsi Ordinario, in cuius Diœcesi ordinationes fiunt: nam Concilij verba, *& in personas eidem Ordinario subiectas tantum*, sunt intelligenda, quòd prædicti Episcopi ordinare non possunt eos, qui Episcopo Diœcesano non sunt subiecti, nisi etiam ipsi à suis propriis Ordinariis literas dimissorias habeant legitimas, ad recipiendos Ordines, illasque præsententant ante Episcopum Ordinarium. Ita tradunt Miranda *in Manual. Prælat. tomo primo, quæstione 38. articulo tertio, conclus. unic.* Barbosa *de potestat. Episcop. parte secunda, allegat. 4. num. 64.* Sed alij asserunt non requiri in hoc casu novam & expressam licentiam Ordinarij loci petere, ut Episcopus possit Clericos sibi subditos, vel aliarum Diœcesum ordinare, si literas dimissorias suorum Ordinariorum attulerint; sed sufficere generalem, quam habet. Ad locum autem Tridentini potest dici, quòd loquitur de Episcopo ordinante in aliena Diœcesi ratione privilegij sibi dati à Summo Pontifice ad conferendos ordines in aliena Diœcesi; nam tunc sine licentia Ordinarij, & nisi Clericos illi Ordinario subiectos ordinare non poterit; secus autem in casu nostro, quando Episcopus est invitatus ab alio Episcopo ad celebrandos Ordines generales in sua Diœcesi. Ita Martinus Fornarius *de Sacram. Ordinis, cap. 5. num. 5.* dicens, sic sacram Congregationem interpretatam dictum decretum Concilij; qui etiam citat Toletum *lib. 1. cap. 49. num. 1.* Mauritius Alzedo *in praxi Episc. part. 2. cap. 5. num. 30.*

Miranda. Barbosa.

Fornar. S. Congr. Toletus. Alzedo.

5. Quorumdam sententia est, dum Prælatus Religionis vel Episcopus mittit subditum ab alieno Episcopo ordinandum, censeri etiam eum vices suas committere Episcopo, ut dispenset cum illo in defectu occurrenti, aut oblito, in quo potest proprius Prælatus dispensare: quia concesso aliquo, censentur subinde concessa ea sine quibus id expediri nequit, *cap. Præterea, de offic. deleg. & l. 1. de jurisdict. omn. Judic.* Tum quia dispensatio in principali extenditur ad accessorium, sine quo consistere nequit: At promotio ad Ordines fieri nequit, eo impedimento non sublato: ergo. Ita docent Avila *de censur. part. 7. disp. 10. dub. 6. v. Notandum tertio.* Henriquez *lib. 14. c. 17. n. 4.* Angelus *verb. Irregularitas, num 34.* Sylvester *ibidem, 4. 9. in fine.* Nihilominus contrarium est verius. Ratio est: quia sublato uno impedimento non censetur alterum distinctum sublatum, *cap. Ex transmissa, de usu & auctorit. pallij.* At in hoc eventu duplex impedimentum concurrit; alterum defectus subiectionis ad Ordines; alterum irregularitatis. Sublato ergo priori per initiandi licentiam, non infertur posterius. Tum quia dispensatio non extenditur ad connexa, sine quibus potest consistere. At potestas initiandi potest consistere absque potestate reddendi initiandum habilem ad Ordines: utpote, quæ intelligitur, si ille alias habilis sit, vel à legitimo Superiore impetret dispensationem in ea inhabilitate. Ita Sanchez *de matr. lib. 8. disp. 1. n. 25.* ex doctrina Navarri *lib. 1. consil. de tempor. ordin. consil. 12. & 13. in 2. edit.* Rodriguez *tom. 2. summ. cap. 14. concl. 10.* qui sustinent Episcopum, cui Tridentinum *sess. 23. cap. 9. de reform.* concedit posse ordinare suum familiarem triennalem, non posse cum eo dispensare in interstitijs, nec in defectu natalium ad Ordines Minores, ut potest proprius Episcopus.

Avila. Henriq. Angelus. Sylvest. Sanchez. Navarrus. Rodrig.

6. Regulares recipientes sacros Ordines ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs suorum Superiorum, ipso facto sunt suspensi per Extravag. Pij II. quæ incipit, *Cum ex sacror.* & tam sæculares, quàm regulares Clericos comprehendit, idque Sixtus V. in sua Constitutione contra malè promotos satis expressè & clarè extendit ad regulares, quos etiam voce activa & passiva privat. Ita Rodriguez *tom 3. quæst. 23. art. 8.* Miranda *tom. 1. q. 39. art. 6.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 16. n. 24.* & communis, contra Sanctorium *in Comm. ad Const. Minor. c. 2. stat. 57. concl. 5.* qui vult probabile esse, quod in Extravag. Pij II. non includantur regulares, quia in ea non fit mentio de regularibus, & in odiosis nomine Clerici non veniunt Monachi, vel regulares. Nec obstat etiam, inquit ille Auctor, quòd Sixtus V. confirmando Bullam Pij II. illam expressè ad regulares extendit, quia illa Bulla fuit revocata in omnibus, & redacta ad terminos juris & Bullæ Pij II. in quibus non fit mentio de regularibus, & ita cessavit extensio, ficuti & censuræ. In contrarium tamen est praxis sacræ Pœnitentiariæ; propterea opinio Sanctorij non sequenda, quia regulares sunt Clerici, & materia Ordinum est communis.

Pius II. Rodrig. Barbosa. Miranda. Sanctor.

7. Qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, non incurrit suspensionem: quia hæc censura appo-

Digitized by Google

appoſita per Pium II. tantùm eſt contra præſumentes, qui verò bona fide facit, non dicitur præſumere: quia verbum præſumere dolum atque malitiam deſignat, quo fit, ut qui bona fide & probabili ignorantia, abſque dolo & malitia, prædictos ſacros Ordines ſuſcepit, ſuſpenſus minimè ſit. Ita Portel *in dub. reg. verb. Ordines Sacri, n.* 13. Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 26. Miranda *tom.* 1. *man. quæſt.* 39. *art.* 6. *in fine.*

Portel. Suarez. Miranda.

Sed petes, an adveniente mala fide ſi ſic ordinatus ante legitimam ætatem celebret, irregularis ſit? Dicendum eſt quòd non: quia cùm à principio non inciderit in ſuſpenſionem, non eſt cur irregularitatem incurrat, ſi celebret adveniente malâ fide: quia nulla hic cenſura violatur per exercitium Ordinis ſacri.

8. Quamvis Ordinatus per ſaltum ſit impeditus ad ſuperiores Ordines ſuſcipiendos, hoc tamen impedimentum non eſt irregularitas, ſed ſuſpenſio, quam tollere poteſt Epiſcopus, & cũ ſic promoto diſpenſare, ut prætermiſſum Ordinem ſuſcipiat, & ut in Ordine malè ſuſcepto miniſtret, & ad ſuperiores aſcendat, quamvis delictum ſit publicum, dummodò talis in malè ſuſcepto Ordine, vel prætermiſſo non miniſtraverit ante diſpenſationem: quia tunc fieret irregularis. Ducor, quia Tridentinum *ſeſſ.* 23. *c.* 14. *de ref.* ita conceſſit cum hac limitatione Epiſcopis, dicens: *Cùm promotus per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.* Et docent Sayrus *de cenſur. lib.* 5. *c.* 14. *n.* 26. & 27. & *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 40. Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 51. Rodriguez *tom.* 2. *Summ. c.* 17. *n.* 9. Avila *de cenſur. part.* 7. *diſp.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 2. & alij communiter; proinde ex verbis Concilij conſtat manifeſtè non eſſe licitum Epiſcopo diſpenſare quando ipſe ſic ordinatus per ſaltum miniſtraverit, nec in dicto Concilio fit diſtinctio de eo qui adminiſtrat ſcienter aut ignoranter, & ſic attento hoc decreto poteſt tenere, de jure, quod Ordinatus per ſaltum celebrans de facto, ſive id fiat ignoranter ſive ſcienter, ſemper eget diſpenſatione Summi Pontificis: quia numquam poteſt Epiſcopus diſpenſare, ubi talis fuit adminiſtratio, quę irregularitatem induxerit. Ita Doctores citati, quibus addo Dianam *part.* 5. *tract.* 19. *reſ.* 27.

Con. Trid. Sayrus. Suarez. Rodrig. Avila. Diana.

Advertendum tamen eſt, Ordinatum per ſaltũ eſſe tantùm ſuſpenſum ab eo Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit, & ita miniſtrando effici irregularem, non autem ab uſu Ordinum inferiorum, quos legitimè ſuſcepit, ut docent Suarez *loco cit. n.* 42. Bonacina *tom.* 3. *diſp.* 3. *q.* 1. *punct.* 2. *n.* 19. & alij apud ipſum. Ratio eſt; quia nullo jure ſufficienter probatur, hunc remanere ſuſpenſum ab Ordinibus ritè ſuſceptis, & cùm jura, quæ iſtius ſuſpenſionis meminerunt, obſcurè loquantur, non eſt facienda extenſio, ſed mitior interpretatio.

Suarez. Bonacina.

9. Probabile eſt in aliquibus caſibus Epiſcopũ excuſari à cenſura ſuſpenſionis, Ordinantem ſubditum alienum ex ratihabitione proprij. Primus eſt, quando proprius Epiſcopus eſt ſuſpenſus ob Ordinatum alienum: tunc licet ſine ipſius licentia adire alium, à quo Ordines ſuſcipiantur, juxta *cap. Eos qui, §. final. de temp. ord. in* 6. Secundus eſt, quando quis per triennium fuit de familia Epiſcopi alieni; hic enim illum poteſt promovere, dummodò ſtatim det ei beneficium, ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 9. *de ref.* Hoc autem intelligitur de Epiſcopo Ordinario; quia ei, qui tantum eſt titularis, talis promotio eſt interdicta *ſeſſ.* 14. *c.* 2. *de ref.* Tertius eſt, quando unus Epiſcopus ordinat ſubditũ alterius Epiſcopi ſub ſpe rationabili eiuſdem ratihabitionis, maximè ſi ratihabitio ſit de præterito, vel de præſenti, ut notat Avila *de cenſur. part.* 3. *diſp.* 5. *dub.* 7. §. *Dico quinto*. Reginaldus *lib.* 32. *n.* 2. *cap.* 24. *ſect.* 3 *num.* 69. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *reſ.* 191. & *part.* 5. *tract.* 19. *reſol.* 38. & alij citati à nobis *tom.* 1. *verb. Ordo III. num.* 4. *verſ. Malus dębitum eſt.*

Avila. Reginaldi Diana.

10. Prælatus regularis poteſt diſpenſare cum ſibi ſubdito, qui Ordines per ſaltum, ſive ignoranter, ſive etiamſi ſcienter ſuſcepit (modò in Ordine ſuſcepto non miniſtraverit,) ut prætermiſſos Ordines recipiat, in malè recepto miniſtret, & ad ſuperiores, ſi qui deſint, recipiendi, aſcendat. Probat. primò: quia Superiores regulares eandem habent auctoritatem in ſubditos ſibi regulares, ac Epiſcopi in ſuos ſæculares: Sed cum his poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut communiter aſſerunt Doctores: ergo & Prælati, etiamſi ſuſpenſio ſit publica. Nec huic opinioni videtur derogatum per Concilium Tridentinum. *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. *de reform.* quia Concilium ibi ſolùm revocat privilegia ne regulares ante ibi præſcriptam ætatem ordinentur, non verò revocat privilegia, quæ aliàs Superiores regulares à Sede Apoſtolica obtinuerunt abſolvendi ſuos ſubditos, ut ex verbis ipſius Concilij clarè colligitur: dicitur enim in textu *privilegia quoad hoc excluſa*, videlicet, ne in poſterum ante præſcriptam ætatem ordinentur, prout de hoc ipſo tantùm in dicto cap. fit mentio. Ita Portel *in dub. regul. verb. Ordines Sacri, num.* 14. Hieronymus Rodriguez *in compendio reſol.* 106. *num.* 26. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 85. Contra Sorbum & Sayrum, qui volunt privilegia regularium quoad hoc eſſe revocata per Concilium Tridentinum.

Con. Trid. Portel. Hier. Rod. Diana. Sorbus. Sayrus.

Nec obſtat quod Sixtus V. in ſua Conſtitutione contra ſic malè promotos revocaverit privilegia regularium ad abſolvendum huiuſmodi promotos ſubditos: quia poſt Sixtum Clemens VIII. confirmavit privilegia Minorum ex certa ſcientia, & Paulus V. confirmavit utens verbo *innovamus*, quæ forma Confirmationis tevalidat invalida & revocata per anteriores Pontifices, ut tradunt communiter Doctores, teſtibus Suarez *de legib. lib.* 8. *c.* 19. Sigiſmundo à Bononia *de elect. part.* 2. *c.* 4. *dub.* 76. *n.* 6. & Doctoribus citatis.

Sixtus V. Cl. VIII. Paulus V. Suarez. A Bononi

Sed quæres, an poſſit Prælatus diſpenſare cum ſubdito promoto per ſaltum, ſi miniſtravit in Ordine? Reſpond. ex Trid. quòd ſi delictum eſt occultum, ſive ſcienter, ſive ignoranter miniſtraverit, poterit Prælatus regularis cum tali Ordinato diſpenſare, ut prætermiſſum Ordinem recipiat & in malè ſuſcepto miniſtret, & ut ad altiorem aſcendat: quia talis poteſtas eſt data Epiſcopis à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformatio.* quam poteſtatem habent etiam Prælati regulares, ut diximus *tom.* 1. *verb. Abbas, num.* 8. §. 1.

Con. Tr.

Si autem delictum ſit publicum, ex vi Tridentini non poſſet, quia Concilium aut Epiſcopum non poſſe. An autem id poſſit virtute privilegiorum? Affirmat Portel *loco citato num.* 14. *ad ſinem.*

Portel.

11. Iuxta quorumdam ſententiam Epiſcopus, qui nõ recepit minores Ordines, aut certè ſubdiaconatũ, vel diaconatum, non poteſt aliis conferre illum Ordinẽ, quem non recepit. Ita Emanuel Sà *verb. Ordo num.* 23. Henriquez *de Ordine cap.* 5. §. 2. *litera H.* Sylveſter, D. Antoninus & alij. Sed quia ab his auctoribus nullum affertur firmum fundamentum ad hoc aſſerendum, ideò ab eorum opinione puto recedendum, dicendo, Epiſcopum, etiamſi careat aliquibus Ordinibus, validè eos conferre poſſe: quia licet his careat, eſſe

Eman. Sà. Henriq. Sylveſt. D. Anth.

potest verus Sacerdos, & Episcopus reipsa; potestas autem conferendi Ordines est solùm Episcopalis, alij autem Ordines hanc potestatem non tribuunt: tum quia Episcopus, qui non recepit Ordines inferiores, potest ordinare Sacerdotes: ergo etiam Diaconos & Subdiaconos, reliquosq; inferiores Ministros: quia Episcopus est verè Sacerdos & consequenter potest aliis conferre Ordinem Sacerdotalem; & eo ipso, quòd ordinat Sacerdotes, confert illis potestatem exercendi munera Diaconi & Subdiaconi: ergo etiã potest conferre Ordinem Diaconatus & Subdiaconatus. Confirmatur autem hæc sententia, quia potestas conferendi omnes Ordines validè, tribuitur Episcopo ratione characteris Sacerdotalis & Episcopalis: Sed etiamsi non receperit Ordines inferiores, verè habet Characterem Episcopalem: ergo habet potestatem omnes Ordines conferendi.

Valquez. Layman. Præposit. Ga. Hurt. Ita Valquez *in 3. part disp. 243. cap. n. 26.* Layman *l. 5. tract. 2. c. 4. n.* 8. Præpositus *in 3. part de Sacram. Ordin. q. unic. dub. 12 num. 114.* Hurtadus *de Sacrãm. Ordin. disp. 17.* & alij.

12. Quamvis quis fortiatur domicilium in ea patria ubi natus est ipse; qui ad Ordines promoveri deliderat, *ex cap Cùm nullus, de temp. Ordin. in 6.* hoc tamen debet intelligi, quando parentes habent domicilium in eo loco, ubi filius ipse natus est; nam qui nascitur casu & fortuito ex parentibus aliquò pergentibus, vel ad tempus morã trahentibus in aliquo loco, ubi natus est, proprius Episcopus non erit is, qui fuerit illius Diœcesis, in quo ordinandus natus fuit casu fortuito, sed erit Episcopus eius Diœcesis, ubi parentes domicilium habuerunt, & fingitur ibidem natus. Ita ex communi

Præposit. Sanchez. Zypæus. Præpositus *loco cit. dub. 14. n. 30.* Sanchez *de mat. lib. 3. disp. 23. n. 3.* Zypæus *Anal. jur. Pontific. lib. 1. tit. de Ordinandis n. 4.* & alij.

Qui verò habet duo domicilia, & in diversis Diœcesibus, potest indifferenter à quocumque ex his duobus Episcopis ad Ordines promoveri: quia ratione utriusq; domicilij fit singulis subditus. Filius verò illius debet recipere Ordines ab Episcopo loci, in quo natus est, cùm pareus ibidẽ haberet domicilium: quia ibi non est natus fortuito, utpotè in domicilio patris, & Episcopus loci verè Episcopus originis. Si tamen alibi fortuitò natus sit, tunc uterq; Episcopus potest censeri Episcopus originis ratione domicilij paterni, cùm non sit potior ratio unius, quàm alterius.

Sed quid dicendum de scholaribus & studiosis qui per multos annos in universitatibus commorantur? Resp. tales non contrahere ibidem domicilium, si retineant animum in patriam rèdeundi, sed eorum domicilium censeri esse in patria; proinde non possunt ordinari ab Episcopo loci in quo est universitas, sed ab Episcopo domicilij parentum, cùm hi censeantur habere idem domicilium cum parentibus, quamdiu peculiarem sibi sedem nondum præfixerunt. Hinc filij eorũ qui in universitate uxorem duxerunt animo in patriã redeundi, non possunt ordinari ab Episcopo, intra cuius terminos sita est universitas; quia licet respectu prolis non dicitur Episcopus domicilij, ita respectu prolis non dicitur Episcopus originis: Ordinandus ergo est ab Episcopo domicilij parentis, in quo fingitur natus.

Præposit. Marchin. Ita Præpositus *in 3. part. de Sacram. Ordin. q. unic. dub. 14. n. 132. 133. & 135.* Marchinus *de Ordine tract. 1 part 5. c. 7. n. 16.* & alij. Filius verò susceptus ex fornicatione, matre certo loco domicilium habente, & patre alio, sequitur domicilium matris, à qua certius procedit: unde si talis velit tonsurari & Ordines sive minores, sive sacros ex dispensatione suscipere, Episcopus domicilij materni, in quo natus est, vel censetur natus, potest illum ordinare. Ita Diana *part. 8. tract. 2. resol. 18.* Diana.

13. Quidam putant non posse Episcopum ordinare aliquem ratione beneficij, si illud sit tenue: quia Concilium Trid. *sess. 21. c. 2. de ref.* postulat, ut beneficium sit sufficiens ad victum honestè, ut possit quis sacris Ordinibus insigniri. Sed contrarium est tenendum; quia c. *Cùm nullus. de temper. Ordin. in 6.* simpliciter loquitur de habentibus beneficium, nec explicat illius valorem & quantitatem. Tum quia Sacra Cardinalium Congregatio censuit beneficium ducatorum esse sufficiens ad gaudendum privilegio fori: ergo etiã ad sumendos Ordines, ex quibus oritur privilegium fori. Ita sustinent Barbosa *de jure Pontificio lib. 1. cap. 31. n. 38.* Henriquez *lib. 10. cap. 12. §. 1. litt. L.* & *cap. 17. litt. Q.* Garzias *de benefic. com. 1 part. 2. cap. 4. n. 8.* Diana *part. 8. tract. 2. ref. 20.* Nec huic opinioni obstat decretum Tridentini, quod non loquitur quoad hunc subiectionis effectum, sed quoad alium effectum congruæ sustentationis eius, qui vult ad maiores Ordines promoveri. Non enim asserit, quòd si ordinandus beneficio tenui patrimonium sufficiens ad victum adiungat, non possit ordinari ab Episcopo. Quare dicendum est, si tenui beneficio adiungeretur patrimonium, ita ut conflatum ex utroque sufficeret ad sustentationem, sicut requirit Tridentinum, tunc posset ab Episcopo beneficij ordinari. Aliud enim est quærere, num beneficium sufficiat pro titulo, aliud si sufficiat ut tanquam subditus ratione beneficij possit promoveri ad Ordines.

Barbosa. Henriq. Garzias. Diana. Con. Tri.

14. Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 9. de reform.* statuit, quòd *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium domi suæ commoratus; & beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat, consuetudine quamque, etiam immemorabili, in contrarium non obstante.* Circa quod Decretum sequentia notanda veniunt:

Con. Tri.

Primum, Episcopos titulares non gaudere hoc privilegio, ut patet ex eodem Tridentino *sess. 14. cap. 2. de ref.* & contrarium facientes, ab exercitio Pontificalium per annum ipso jure sunt suspensi.

Con. Tri.

Secundum, ut Episcopus possit ordinare suum familiarem triennalem, debet ille in servitute per triennium continuatum completum perseverasse: nec sufficeret annũ tertium fuisse cœptum; quia in odiosis annus cœptus & dies inchoata pro cõpleta non habetur. Ita Marchinus *de Ordine, tr. 1. part. 5. c. 9 n. 2.* Præpositus *loco cit. n. 14.* At odiosum est Episcopis, quibus talis familiaris ratione domicilij, vel loci originis est de iure subditus, à propria eximi iurisdictione.

Marchin. Præpos.

Tertium, quòd sufficiat servitium triennale esse inceptum ante assumptionem ad Episcopatum: quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Sed Concilium non distinguit de servitio ante vel post Episcopatum: ergo absolutè intelligendum est. Garzias *de benefic. tom. 1. c. 2. §. n. 34.* Præpositus *loco cit. ato.* Non posset tamen Episcopus ordinare familiarem in regione remota morantem, quamvis expensis Episcopi vixerit: nam absens propriè familiaris non dicitur, neque Episcopus potest eius mores nõsse: quandoquidem hoc triennium à Concilio præfixum, ad hoc principaliter suffragatur, ut mores & vita ab Episcopo cognoscatur, quare inhærendo verbis Concilij, hoc tantum procedit in illis familiaribus,

Garzias. Præpos.

qui

qui cum Epiſcopo commorantur, & qui ſunt præſentes, illuſque obſequiis aſſiſtunt, ſive intra, ſive extra domum ejus, Epiſcopi expenſis alantur. Sanchez. Ita Sanchez *in opuſc. to. 2. lib. 7. c. 1. dub. 20. n. 21. & 23.* Imò ſub verbis Concilij intelliguntur quoque famuli & familiares eorumdem familiarum, qui inſerviunt Epiſcopo, ejuſque impenſis alûtur, modò per trienntum familiari Epiſcopi inſervierint, ut tradunt Eſcobar *in Theol. mor. tr. 7. exam. 8. c. 4. n. 73.* & Barboſa *de poteſt. Epiſcop. p. 2. alleg. 5. num. 7.* & alij. Eſcobar, Barboſa.

Quartum, quod hæc facultas Epiſcopo conceſſa ordinandi ſuum familiarem triennalem, intelligi debet cum onere conferendi ſtatim ordinato congruum beneficium. Quid autem intelligatur per verbum *ſtatim*, non conveniunt Doctores; quidam enim interpretantur, quamprimùm beneficium aliquod vacaverit, teneri Epiſcopum illud illi conferre. Ita Vaſquez 3 *part. tom 3. diſp. 243. n. 49.* Hurtadus *de Sacram. Ordin. difficult. 17.* Præpoſitus *in 3 p. de Sacram. Ordin. quæſt. unic. dub. 14. n. 142.* Tannerus *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 3. dub. 2. n. 38.* Sed hæc expoſitio eſt nimis ampla & voluntaria; nam Sacra Congregatio declaravit, fuiſſe contra hanc Tridentini formam, quandam beneficij collationem triennali familiari factam intrà annum, etiam in menſe undecimo à die ordinationis. Hæc declaratio facta eſt die 22. Maij 1586. Teſtantur Flaminius Parilius *de reſign. benefic. lib. 4. quæſt. 2. num. 92.* Garzias *de benefic. part. 2. cap. 5. n. 85.* proinde verbum *ſtatim*, non excedere decem dies. Marchinus *de Sacram. Ordin. tract. 1. p. 5. cap. 9. num. 5.* & *ſequent.* Diana *part. 8 tract. 2. reſol. 53.* tradunt, cum multis aliis ibi citatis. Hæc omnia hoc numero dicta, videri poſſunt apud Dianam *loco citato à reſolut. 27.* & *ſeq.* Sed de his ſatis: Vaſquez. Gasp. Hu. Præpoſit. Tanner. S. Congr. Pariſius. Garzias. Marchin. Diana.

De Ordine vide verb. Abbas *num. 6. 7. & 8.* Capitulum *num. 2. & 9.* Irregularitas 2. *num. 18. & ſequent.* Matrimon. 2. *num. 13. & ſeq.* Suſpentio.

P.

PACTVM.

SUMMARIUM.

1 *Pactum dividitur in expreſſum & tacitum: in perſonale & reale: in nudum & veſtitum; quod veſtitur ſex modis.*

2 *An pactum generalius ſit nomen, quàm contractus.*

3 *An pactum, ſtipulatio, pollicitatio, conventio & promiſſio inter ſe diſtinguantur.*

4 *An effectus proprius cujuſque pacti ſit naturalis obligatio, & correſpondeat huic petitio & actio? Quid ſit actio perſonalis, quid realis.*

5 *An pactum legis commiſſoriæ apponi poſſit in pignoribus & venditionibus.*

6 *An pacta & conventiones quæ fiunt inter Superiores locales Ordinum mendicantium & Prælatos Eccleſiarum & Rectores ſuper juribus Parochialibus, ſint valida, ſine conſenſu Generalium & Provincialium.*

7 *An ex pacto religioſi cum ſuo Prælato, oriatur in eo obligatio naturalis erga ſubditum?* Refertur duplex ſententia.

8 *De quibuſdam pactis quæ jure irritantur, quæ ſunt contra bonos mores, vel moribus præjudicium afferre poſſunt.*

9 *In quibus conveniant Pacta legis commiſſoriæ & pacta adjectionis in diem.*

PActum multipliciter dividitur: *Primò*, in conventum ſeu expreſſum, & in tacitũ. Expreſſum dicitur, cùm partes inter ſe expreſsè paciſcuntur. Tacitum verò, quod ratione alicujus legis intervenit, quantumcumque partes non paciſcantur inter ſe, ut cùm tutor eligitur, pupilli, quorum curam accipit, habent ex juris diſpoſitione tacitam hypotheeam in illius bonis; ſic etiam uxor in bonis mariti, propter res dotales.

Secundò dividitur in perſonale & reale: illud eſt quod ad aliam perſonam, nempe ad hæredẽ non tranſit: hoc verò, quod tranſit ad hæredem; ut ſi paciſcor tecum, ne petas à me, & poſſis petere à meo hærede vel paciſcor, ne petam à te, & hæres meus poſſit à te petere.

Tertiò dividitur, quod aliud ſit in rem, & aliud in perſonam. In rem autem eſſe dicitur, quoties generaliter paciſcor, ne petam rem. In perſonam verò, quoties paciſcor, ne à perſona petam.

Quarto dividitur in nudum & veſtitum. Veſtitum dicitur pactum ſex modis, 1. re. 2. verbis ſcilicet in ſtipulando. 3. literis, ut quando in literis confitetur ſe aliquid recepiſſe, etiamſi non receperit. 4 conſenſu, ut in ſocietate, mandato, emptione, venditione, vel locatione, in quibus non requiritur ſcriptura vel præſentia, ſed ſufficit conſentire per ſe, vel per nunctium, aut ſcripturam. 5. cohærentia contractus, puta vendidit quis domum cum pacto ut moretur in eà per annum; veſtitur enim illud pactum coherentia contractus, ſcilicet venditionis; aliàs eſſet nudum. 6. interventu rei: puto promiſi dare tibi aliquid, ut faceres mihi vel dares aliud; unde ſtatim cùm dedero tibi promiſſum, veſtitur pactum ex parte mea: ideoque interventu ejus obligaris mihi ad promiſſum. Hæc omnia probantur *ex Inſtitutis, de verb. obligat.* Nudum verò pactum non veſtitur aliquo prædictorum, ſed tantum conſiſtit in meris & puris finibus conventionis, & caret omni alio firmamento; v. g. promiſi tibi dare centum ſine aliqua interrogatione præcedente vel Chirographo & hujuſmodi, & conſentis. De quibus Sylveſt. *verb. Pactum, quæſt. 2.* Reginald. *lib. 25. cap. 6. num. 71.* & 72. & alij citati *tom. 1. verb. Contract. n. 6.* Sylveſter. Reginal.

2. Pactum, cùm ſit duorum, vel plurium in idem placitum ſeu conſenſus, *l. 1. ff. de pactis.* tamen pactum generalius eſt nomen, quàm contractus: quia pactũ dicitur de omnibus, quæ inter eos, qui contrahunt, aguntur cauſa contrahendæ, vel tollendæ obligationis. Proinde pactum eſt de non petendo debito, vel damno per injuriam illato. Pactum etiam eſt in tranſactionibus, quæ fiunt gratia litis dubiæ finiendæ. Pacta quoque fiunt pacis, belli, induciarum. Imò in uno contractu aliquando interveniunt duo vel plura pacta. Unde contractus generali nomine pactum dicitur, ſed tamen cùm habemus ſpecificum nomen, eo nominamus contractũ, ut dicendo, venditio, locatio, & hujuſmodi: cùm verò non habemus, generali nomine pactum appellamus.

3. Pactum, ſtipulatio, pollicitatio, conventio & promiſſio inter ſe differũt & diſtinguuntur, quòd promiſſio ſi formatur largè, eſt affirmatio vel negatio, qua quis ſe aliquid dicturum vel facturum affirmat aut negat, & eſt quid commune ad omnia prædicta. Sed propriè *promiſſio* eſt, cùm quis præcedente rogatione, ſeu petitione, vel interpellatione alterius,

alterius, ſpondet ſe aliquid daturum vel facturum, ut ſi rogem te, ut mihi mutuo des centum & ſpondes te daturum. *Pollicitatio* verò eſt ſolius offerentis promiſſio, cùm quis ſponte ſua non rogatus ab alio, promittit aliquid alteri: & hoc eſt quod ſignificatur *in l. Pactum, ff. de pollicitat.* & ſit ſine interrogatione præcedente. Hinc fit, neque promiſſionem, neque pollicitationem eſſe inter duos, quorum unus ſit debitor, & alter creditor; ſed tantùm eſſe ſponſionem unius, qua ſe obligat alteri, cum ipſius conſenſu. *Pactum* verò propriè eſt, quando verba præmittuntur à promittente & confeſtim ſequuntur verba in admittente; ut v. g. Dabo tibi centum, ut mihi vendas equum, & tu ſtatim reſpondeas: Mihi placet. Unde de ratione pacti ſunt tria: *Primò*, quòd iſte actus generatur inter plures. *Secundò*, quòd partes ſint præſentes per ſe vel alium, aut ſcripturam, ita quod conſenſus earum concurrant. *Tertiò*, quòd verba præmittantur à ſpondente. *Stipulatio* autem propriè eſt verborum concepto, quibus is, qui interrogatur, reſpondet ſe daturum, aut facturū illud, quod interrogatus eſt, ut, Promittis te mihi daturum centum? tu ſtatim reſpondes, Promitto; ſtipulatio eſt. *Conventio* verò eſt aliquid generalius pacto: quia & ſcholares in ſcholis & religioſi in capitulo conveniunt, *l. 1. §. conventionis verbum, ff. de pollicitat.* & propriè videtur in jure paſſivè ſumi pro citatione, activè verò pro pacto. Ita Sylveſter & alij.

Sylveſt.

4. Effectus proprius cujuſque pacti eſt naturalis obligatio, juxta regulam 84. ff. *Is naturâ debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus.* Et in l. 1. ff. de pactis. *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, ſervare?* Obligatio autem definitur, Inſtit. de obligat. *Iuris vinculum quo neceſſitate aſtringimur alicujus rei ſolvendæ vel faciendæ.* Huic obligationi ac debito ex altera paciſcentium parte correſpondet petitio, & actio, id eſt, jus perſequendi, quod ſibi debetur.

Quoad obligationem hoc diſcrimen notatur inter promiſſionē & pactū; quod ex promiſſione jam acceptata ab alio, obligatio tantùm naſcatur ex parte promittentis, quia ea fit gratis, nec ei cui fit, quidquam imponitur: At ex pacto naſcitur obligatio ex parte utriuſque paciſcentis, eò quòd fiat, tam promittente, quàm admittente, ſe ad aliquid dandum, vel faciendum vel præſtandum adſtringente.

Porrò actio eſt duplex, una quæ dicitur perſonalis, altera realis. Actio perſonalis eſt, qua agimus adverſus eum, qui nobis eſt obligatus ex aliqua cauſa ad faciendum, aut dandum aliquid; & ideò ſemper naſcitur proximè ex contractu, vel quaſi contractu, quo quis nobiſcū contraxit: ex delicto, vel quaſi delicto, quo quis in nos deliquit, vel quaſi deliquit. Realis actio eſt, per quam rem noſtram, quæ poſſidebatur ab alio, petimus: & ideò ſemper eſt adverſus eum, qui rem noſtrā poſſidet, etiamſi nihil nobiſcum contraxerit; aut contra nos nihil deliquerit. Proinde actio realis ſemper naſcitur ex dominio, vel quaſi dominio, ſive ex jure ex re, ſive jure in rem: & hæc actio non eſt in perſonam, quæ ex aliqua cauſa nobis fuerit obligata, ſed in rem, quam poſſidet, eùm tamen nobis debeatur, *l. in Rem, ff. de rei vendic.* & tradunt communiter Doctores.

5. Omnè pactum turpe, vel quod jure naturali, divino, vel humano damnatum eſt, in pignoribus prohibetur. Proinde inter pacta, quæ in pignoribus apponi nequeunt, eſt pactum legis commiſſoriæ, quando creditor cum debitore paciſcitur, ut ſi ad tempus conſtitutum, debitum non ſolvetur, aut non ſatisfecerit creditori, pignus cedat in jus & dominium ipſius creditoris. Dicitur autem pactum legis commiſſoriæ, quia pignus cadit in commiſſum, debito ad diem præfinitum non ſoluto: & eſt inſtar pacti, quod in venditione & emptione conſueverunt aliqui apponere, ut ſi intra certum tempus emptor non ſolverit pretium, res non ſit empta. Quod pacti genus in venditione, & emptione eſt jure civili approbatum, ut patet *ex tit. ff. de leg. commiſſ.* At verò idem pactum legis commiſſoriæ in pignoribus, utroque jure, civili & Canonico damnatur, *l. ult. Cod. de pactis pignorum, & cap. Significe. de pignorib.* Quare autem hoc pactum in emptione permittatur, & non in pignoribus? Reſpondent Doctores, quia venditor emptorem injuria, vel damno non afficit, ſi rem ſuam emptori vendat ea lege, ut ſi pretium tempore præſtituto non ſolverit, pro non empta habeatur, & ad ipſum redeat. Sed pignus ſolet eſſe majoris æſtimationis & pretij, quàm ſit debitum. Ergo pactum, ut fiat pignus creditoris pro debito, eſt cum damno debitoris: quia cogitur plus ſolvere, quàm debeat, & minoris vendere rem ſuam. Ita Joan. Andreas, Panormitan. *in dict. cap. Significe.* & Gloſſa *in l. ult. de pactis pignor.* Sylveſt. *verb. Pactum q. 14.* Molina *de inſtit. tract. 2. diſp. 324.* Qui noviſſimus obſervat ex Panormitano *in cap. Significe. n. 7.* ſi pactum ſit, quod debitore intra terminum non ſolvente pignus ſit venditum, non certo aliquo & determinato pretio, ſed pretio juſto arbitrio boni viri, validum eſſe tale pactum.

Io Andr. Panormit. Molina.

5. Ex jure communi pactum initum per Prælatos Religionum mendicantium, puta Priores, Guardianos, &c. cum Rectoribus vel perſonis Eccleſiarum ubi habitant, ſuper juribus Parochialibus, vel alijs quibuſcumque, debet perpetuò ſervari, ſi factum eſt cum aſſenſu ſuorum conventuum vel locorum, licet non intervenerit aſſenſus Magiſtri vel Miniſtri Provincialis, aut Generalis, vel Sedes Apoſtolica, quoad Fratres Minores auctoritatem non præſtiterit. Ita ſancitum eſt *in c. Quia ex eo, de pactis, in 6.* Bonifacius VIII. ſic loquitur: *Præſenti decreto ſancimus, compoſitiones & pacta hujuſmodi cum Prælatis, Capitulis, & Rectoribus & perſonis prædictis ab ipſorum Fratrum conventualibus Prioribus ſeu Guardianis facta vel approbata de ſuorum Conventuum conſilio & aſſenſu (dummodo alias ſint licita & honeſta) debere ab ipſis Fratribus in locis, in quibus fuerint facta, perpetuò inviolabiliter obſervari; non obſtante quod Magiſtri vel Miniſtri aut Priores Generalium ſeu Provincialium prædictorum non intervenerit in eiſdem aſſenſus, nec ab ipſorum Generalibus vel Provincialibus Capitulis extiterint approbata: ſeu quòd Sedes Apoſtolica in ijs quæ per prædictos Fratres Minores facta fuerint, auctoritatem ſuam non præſtiterit vel aſſenſum.* Nec huic juri obſtat Bulla Alexandri Papæ IV. apud Bullarium Rodriguez *Bulla 25.* ejuſdem Pontificis, qua conceſſit Generali Minorum & Provincialibus, ut pacta illa quæ facerent Guardiani, Cuſtodes & alij Fratres abſque licentia Generalis, vel Provincialis, eſſent, irrita, neque ad illa Fratres obligarentur: quia Emanuel Rodriguez *tom. 1 quæſt. reg. quæſt. 39. art. 8.* cirans iſtam conceſſionem, dicit eſſe revocatam per prædictum decretum Bonifacij VIII. qui vixit poſt Alexandrum. Portel verò *in dub. reg. v. Pactum in add. n 1.* credit, non eſſe revocatam, niſi fortè in parte, videlicet, quoad pactum à Guardiano ſuper Canonica quarta parte, de qua *loco citato* agit Rodriguez. Hæc enim pacta facta à Prælatis localibus circa Canonicam quartam, valida erunt, etiamſi

Bon. VIII

Alex. IV.

Rodrig.

Portel.

fiant

fiant abſque conſenſu Provincialis, vel Generalis.
Bon. VIII Alex. IV. Nam Bonifacius VIII. hoc tantùm exprimit illis verbis: *Super juribus Parochialibus.* At Alexand. IV. non loquitur ullo modo de juribus Parochialibus; ſed in genere dicit: *Super locis ad dictum Ordinē pertinentibus, eorumque cœmeteris.* Quæ verba non agunt de Canonica portione, neque illam ſignificant, neque item ſignificant jura Parochialia, ac proinde videtur conceſſio nimis diverſa & non revocata per dictum Bonifacium VIII. Ita Portel. In Concilio Generali Lateranenſi Leo X. Bullà *Dum intra, num.* 8. ſtatuit, quod *Pacta & Conventiones inter eoſdem Fratres & Prælatos atque Curatos pro tempore inita, valeant: niſi per ſubſecutum Capitulum proximum Generale vel Provinciale refutata, & per eos refutatio huiuſmodi intimata debito tempore fuerit.*
Conc. Lat. Leo X.
Miranda. Miranda autem *tom.* 2. *q.* 48. *art.* 12. *concl* 1. docet, in caſu quo Eccleſia non damnificatur, valere eiuſmodi pacta & conventiones, etiam factas ſine auctoritate Superioris. Ratio in promptu eſt, quia non niſi ob vehementes cauſas, maximi judicis debet auctoritas vocari, & privilegia in contrarium ſunt revocata.

7. Jure naturali poteſt Prælatus obligari religioſo ſibi ſubdito ex pacto inter ipſos inito, ſicut inter ſervum & dominum poteſt intervenire ſimile pactum obligans ipſum dominum, *l. naturaliter, l. ſi quod dominus, ff. de condict. indebiti.* Proinde non poterit tale pactum revocari per Prælatum concedentem aliquid peculium dicto religioſo cum pacto & lege aliquid oneris adimplendi, in quo fecit impenſas ſua induſtria quæſitas; quia etſi non civiliter, obligatur tamen naturaliter Prælatus ſua promiſſione religioſo ſubdito, ſicut dominus ſervo: unde Prælatus revocans huiuſmodi pactum abſque juſta cauſa, peccabit, licet revocatio ſit valida. Ita Rodrig. *t.* 3. *q.* 177. *q.* 29. *a.* 9. Navarrus *lib.* 3. *conſil. in* 1. *edit. tit. de regul. conſil.* 20. *in* 2. *tit. de ſtatu monach. conſil.* 14. probabiliter. Sanchez tamen *lib.* 7. *mor. cap.* 29. *num.* 12 5. quamvis fateatur ex pacto Abbatis cum Monacho oriri obligationem naturalem; at in prædicto caſu negat eam oriri poſſe, quia ea promiſſio ſeu pactum tanquā jure communi contrarium diſponenti nihil concedendum religioſo, quod revocari nequeat ad nutum Superioris, eſt omninò irritum. Et hanc ſententiam dicit eſſe communem, pro qua citat multos, nempe Angelum, Roſellam, Sylveſtrum, Tabienam, Azorium & alios Iuriſperitos.
Rodrig. Navarrus. Sanchez. Angelus. Roſella. Sylveſt. Tabiena. Azorius.

8. Pacta & promiſſiones, quibus unus alteri concedit, ut non teneatur de furto, aut dolo, quod in futurum commiſerit, aut ut id exigi ab eo non poſſit, ipſo jure nullæ ſunt & irritæ: quia contra bonos mores; ut ſi quis aliquem in negotiorum ſuorum geſtorem ſumpſerit, pacto inito cum eo, ut is non teneatur de dolo aut furto, quod in ea adminiſtratione commiſerit: tale enim pactum præberet manifeſtam ruinæ occaſionem tali adminiſtratori, neque id in ulla bene inſtituta republica permitti ulla ratione debet. Tamen ſi poſtquam furtum, aut dolus in adminiſtratione ſunt commiſſa, remittantur ab eo, cuius erant illa bona, aut jura, tunc valida eſt talis remiſſio; quia non præbet ruinæ occaſionem, ſed ſolùm condonat debita contracta, aut delicta antea commiſſa.

Similiter invalidum eſt pactum, ſi quis paciſcatur, aut concedat alicui, ut non teneatur de iniuria, aut vi, quam in futurum intulerit: ſecus autem, ſi condonetur iniuria antea illata, aut ſi tutori, aut curatori teſtator concedat, ut non teneatur de dolo, quem commiſerit in adminiſtratione bonorum filiorum ſuorum. Hæc habentur *l. ſi unus, § illud, & §. pacta. ff. de pactis, l. pacta quæ, Cod. de pactis, l. Quidam decedens, in princip. juncta Gloſſ. ibi verb. Ius publicum. ff. de adminiſtrat. tutor.*

Nulla ſunt etiam pacta, quæ idcirco ſunt contra bonos mores, quod vel manifeſtam tribuunt peccati occaſionem, vel præiudicium afferunt, facilève afferre poſſunt moribus, quos eſſe expedit in bene inſtituta republica. Proinde nullum eſt pactum, ſi quis promittat ſe non revocaturum teſtamentum, aut ſe diſceſſurum ab inteſtato. Item ſi quis ita ſtipuletur ab aliquo: Tātumnè mihi dare ſpondes, ſi me hæredem non inſtituas? & alius ei promittat, nulla eſt talis promiſſio, ut habetur *l. ſtipulatio hoc modo. ff. de verb. obligat.* Item pactum pœnæ appoſitæ non ſtanti ſponſalibus eſt etiam nullum, ut habetur *in cap. Gemma, de ſponſ.* Ratio horum eſt; quia ex illis pactis præiudicium facilè oriri poteſt adverſus bonos mores, vel adverſus id quod expedit, ut in bene inſtituta republica, ad commune bonum, ſervetur, caque de cauſa jure humano irrita redduntur.

3. Cùm pacta legis commiſſoriæ & pacta adiectionis in diem in ſolius venditoris favorem ſint appoſita, conveniunt hæc pacta, ut non impleto pacto, in poteſtate venditoris ſit, vel diſſolvere cōtractū, vel eum non diſſolvere, ſed cogere emptorem, ut pretium ſolvat, prout venditor maluerit. Si tamen ſemel dicat, ſe velle diſſolvere contractum, deinceps cogere non poteſt emptorem ſolvere pretium. Si idem ſemel pretium petat aut partem illius, non poterit deinceps contractum diſſolvere. Poterit verò emptor ſtatim, pacto non impleto, vel non impletâ lege cōtractui appoſitâ, cogere venditorem, ut dicat, quid eorum potiùs eligat. Præterea, ſi res pereat antequam venditor diſſolvat cōtractum, perit emptori, & non venditori. Hæc habentur, quoad pactum legis commiſſoriæ attinet, *l.* 2. 3. & 4. *§. elegantes, & l.* 6. & 7. *ff. de leg commiſſor.* Quod verò attinet ad pactum adiectionis in diem, habentur *l.* 2. & 3. & *l. Eum qui, in princip. & l. Sabinus, ff. de in diem adiect.*

Conveniunt deinde pacta legis commiſſoriæ & adiectionis in diem; quia ſi contractus ex eiuſmodi pactis diſſolvatur, fructus medio tempore percepti pertinent ad venditorem. Tenetur præterea emptor, ſi res illa culpâ ipſius deterior eſt reddita, ſolvere venditori æſtimationem damni talis rei, ut habetur *l. Si fundus, in princip. ff. de leg. commiſſor.*

In pacto verò adiectionis in diem, quando res primo emptori conceditur, non quod venditor priorem emptionem eligat, ſed quod, offerente alio meliorem emptionē, primus emptor augeat ſupra pretium ab hoc alio oblatum, neque eſt qui plus deinceps offerat, fructus medij temporis pertinent ad venditorem, niſi aliud fuerit expreſſum in contractu. Ratio huius eſt; quia eo ipſo, quòd alius plus obtulit, ſignificatumque eſt primo emptori, reſciſſa fuit prima emptio, & ab ea fuit receſſum. Ita *l. Item quod, §. ult. junctis duabus legibus ſeq. ff. de in diem adiect.*

Porrò conveniunt pactum legis commiſſoriæ & adiectionis in diem, quòd ſequutâ venditione, ex qua venditio reſcinditur, eo ipſo abſque alia traditione dominium rei illius tranſit in primum venditorem, competitque ei rei vendicatio, ad cuiuſcumque poteſtatem res illa devenerit. Ita quoad pactum adiectionis in diem, colligitur *ex l. Si quis hac, in princip. ff. de rei vendicat. & l. Si ex duobus, §. Sed & Marcellus, ff. de in diem adiectione.* Idem quoad pactum legis commiſſoriæ colligitur *ex l. Commiſſoria, Cod. de pact. inter emptor. & venditor.* & docent ex communi Covarruvias 3. *variar. cap.* 8. *num.* 8. Covar.

Digitized by Google

Gomez. *num.* 1. & Antonius Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 2. *num.* 30.

Vide verb. Divinatio *num.* 2. *& sequent.* Emptio *num.* 33. *& sequent.* Locatio *num.* 2. *& seq.* Pignus *num.* 11. Superstitio.

PAPA.

SUMMARIUM.

1 *Quibus nominibus Romanus Pontifex decoretur.*
2 *An Papa sit S. Petri successor in vicariatu Christi.*
3 *An Papa possit ex toto vel ex parte abrogare vel mutare ea quæ sunt juris divini?* Refertur duplex sententia.
4 *An possit abrogare vel mutare ea quæ jure naturali præcipiuntur vel prohibentur.*
5 *Quid possit Papa circa jura civilia Principum & Regum.*
6 *Quomodo habeat Papa plenitudinem potestatis.*
7 *An Papa possit constitutionem condere de forma eligendi futurum Romanum Pontificem.*
8 *An Papa possit sibi eligere successorem?* Refertur duplex sententia.
9 *An in canonizatione Sanctorum Papa errare non possit.*
10 *An Papa possit errare in fide, & in hæresis crimen incidere?* Refertur duplex sententia.
11 *Quâ fide credendum sit, hunc vel illum, qui nunc clavum Ecclesiæ tenet, esse verè Summum Pontificem, Petri successorem & Christi Vicarium in terris.*
12 *Quid possit Papa circa regimen Ecclesiæ.*

1. ROmanus Pontifex variis titulis est decoratus; communiter enim vocatur *Papa*, sive ab interiectione admirativa Papè (admirabilis est enim potentia, dignitasque Romani Pontificis,) sive à Græco πάππας, quod Patrem & Nutricium designat (est enim verè Pater & Nutritius Ecclesiæ & omnium fidelium,) sive à πάππος, quod Avum indicat, derivatio sumatur. Est enim Avus & Pater Patrum totius Ecclesiæ.

Vocatur etiam Episcopus Episcoporum & Pontifex maximus à Tertulliano *lib.* 1. *de pudicitia*, recitante Edictum à Victore I. Papa, de lapsis ad pœnitentiam recipiendis, emanatum. Vocatur & à Constantino in 6. Synodo Constantinopolitana Act. 18. *Sanctissimus ac Beatissimus Archiepiscopus urbis Romæ, & Oecumenicus Papa.* Vocatur & à Mauro Episcopo Ravennate in Lateranensi Synodo, *Dominus Sanctus, meritis Beatissimus, totoque orbe universalis Pontifex.*

Tertull.

Patres VI. Concilij Generalis Act. 18. Agathonem Papam vocant *Summum Apostolorum verticem.* Patres IV. Concilij Generalis, quod est Chalcedonense *Actione* 1. Leonem Papam vocant *Apostolicam Sanctitatem.* In Ephesino Concilio Generali, *Act.* 1. Cælestinus Papa, *vir Apostolicus*; & in subscriptione, *Papa Apostolicus* appellatur.

Quamvis enim Romani Pontifices abhorrere soliti sint à nomine Oecumenici, seu Episcopi universalis; partim propter Constantinopolitanos Patriarchas, qui hoc nomen superbè sibi arrogare ausi sunt, ut videre est in Epistola Pelagij II. ad universos Episcopos, quæ incipit *Manifestè.*

Pelag. II.

Gregorij I. *lib.* 4. *indict.* 13. *epist.* 38. ad Ioannem Constantinopolitanum: tum quia nomen illud ambiguum sensum habere potest, eò quòd iste terminus *Episcopus*, aut *Pontifex universalis*, videretur auctoritatem aliorum Episcoporum excludere; quasi verò qui se universalem seu universum Episcopum appellat, solus Episcopus esse velit, quasi totus orbis unam Diœcesim constituerat. At verò titulus, quo Romani Pontifices insigniri voluerunt, est *universalis*, seu *universæ Ecclesiæ Episcopus*, aut *Pastor.* Ex quo enim Pontifex in universum orbem potestatem eminentem exercet, verè *universalis*, ab antiquissimis dictus est, & modò etiam sic appellari convenit.

Gregor. I.

2. Papa seu Romanus Pontifex est S. Petri successor in Vicariatu Christi. Probatur: quia ille in Vicariatum Petri succedit, qui in Cathedram, quam pro universali Ecclesia Petrus fundavit, tenuit, & in cuius administratione mortuus est, succedit. Sed Romanus Pontifex in Cathedram Romanam, quam Petrus pro universali Christi Ecclesia fundavit, tenuit, & in cuius administratione mortuus est, succedit: Ergo Pontifex Romanus in Vicariatu Petri succedit. Hanc veritatem agnovit semper universalis Ecclesia, & Patres. Quod probatur sufficienter ex Canone 39. Concilij Nicæni primi, ubi, de Patriarchis loquens, Sedi Romanæ supremum super omnes Patriarchatum decernit. *Est*, inquit, *Patriarchis loco Patris, sub cujus dominatu ac potestate sunt filij eius, sicque præest Patriarcha omnibus, qui sub potestate eius sunt; sicut ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput est & Princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos & cunctam Ecclesiam Christianam, & quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.* Iterum: *Veneramur secundùm Scripturæ & Canonum definitionem Sanctissimum Romanæ antiquæque Ecclesiæ Episcopum, Primum & Maximum omnium Episcoporum. Vt autem cunctis ditionis suæ nationibus imperat Patriarcha, & leges indicit, & ut à principio Petrus Christi Vicarius Religioni, Ecclesiis cæteris que ad Christum rebus pertinentibus præfectus, Principum Christianorum, Provinciarum & omnium gentium Dominus & Rector erat, ita ille, cuius Principatus Romæ est, Petro similis & auctoritate pari Patriarcharum omnium Dominatum & Principatum obtinet. Huic Sanctioni si quis repugnaverit & obsistere ausus fuerit, totius Synodi Decreto anathemati subiiciatur.* Præterea Patres Concilij Florentini sic asserunt: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & in ipso B. Petri pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Christo plenam potestatem traditam esse.* Quod subinde probari potest, quod Primatus Petri non fuit personalis, sed in successores usque ad finem mundi derivatur. Fundamentum enim, super quod Ecclesia visibilis fundata est, est Petrus & Petri primatus: ergo quamdiu corpus Ecclesiæ visibile in terris manet, tamdiu Petrus perseverat. Nō perseverat autē in persona sua singulari: ergo perseverat in Successoribus suis: non enim structura sine fundamento, Regnum sine Principatu, ovile sine Pastore, Corpus absque capite vivum stare potest ordinariā potestate. Tū quia potestas summa penes unum Principem spiritualem, Pastoremque universalem esse debet, cui oves suas & agnos Christus Dominus pascendos, regendosque sublimi auctoritate concessit. Hunc verò Pastorem Oecumenicum Monarchicumque Principem alium à Sancto Petro, & successoribus eius legitimis Apostolicæ Sedis hæredibus à Christo

Con. Nic.

Con. Flor.

Domino

Domino fuiſſe creatum, qtiis mentiendo audebit impudenter aſſerere, niſi quem dæmonum præſtigiis dementatum nefanda impiaque hæreticorum dogmata fefellerunt? De his videndi ſunt Bellarm. *lib. 1. de Roman. Pontific. cap.* 16. Duvallius *de Roman. Pontific. part.* 1. *quæſt.* 3. & 4. Michael Mauclerus *de Monarch. Eccleſ. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 1. *c.* 1. & alij. Bellarm. Duvall. Maucler.

3. Canonici juris interpretes communiter docent poſſe Papam jus divinum declarare, interpretari, reſtringere, remittere, amplificare, augere, & mutare. Probant id exemplis; nam divini juris eſt Sabbathum colere; diebus Feſtis à veſpera in veſperam feriari; decimam partem ex perceptis fructibus ſolvere Eccleſiæ; vota reddere; quod jurejurando promiſimus, præſtare, & implere. Et tamen Eccleſia Sabbathi cultum in diem Dominicam mutavit, nec ubique in diebus Feſtis à veſpera in veſperam à laborando ceſſamus: nec ubique perſonalis aut prædialis decima ſolvitur, & votum ac juramentum ſæpè Papæ auctoritate relaxatur: Ergo, &c. Ita Abbas & alij *in c. ult. de conſuetudine*, ut teſtatur Covarruvias *de matr. part.* 2. *c.* 6. §. 9. *n.* 2. & 3. Abbas. Covar.

Theologorum tamen opinio communis eſt *in* 3. *diſt.* 37 & *in* 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 8. nihil eorum quæ ſunt juris divini, poſſe Romanum Pontificem, vel ex toto, vel ex parte abrogare, vel mutare, quamvis ex juſta cauſa poſſit hunc vel illum à juris divini rigore eximere: quia non idem eſt, jus divinum ex toto, vel ex parte tollere, quod rigorem illius juris ex juſta cauſa relaxare, hoc eſt aliquem à juris divini rigore ſolvere. Hæ tamen opiniones conciliantur, dicendo, quòd Juris Canonici interpretes jus divinum latiùs ac fuſiùs interdum accipiunt, quàm Theologi: nam quidquid in veteri Teſtamento imperatur, aut vetatur, vel etiam continetur, & quidquid in novo decernitur ac traditur, jus divinum appellant Canoniſtæ. Sed Theologi preſſiùs & ſtrictiùs jus divinum accipiunt, videlicet id quod Deus, ſive Chriſtus Dominus fieri juſſit aut vetuit: propterea docent id à Romano Pontifice abrogari vel mutari non poſſe: quia inferior auctoritas, nihil contra Superiorem poteſt. Certum eſt tamen apud omnes, Romanum Pontificem auctoritatem habere declarandi quæ ſunt obſcura, vel ambigua in jure divino. Eccleſia enim poteſt declarare quæ ſunt obſcura, vel dubia in ſacris literis, vel regulis fidei.

Ex quibus infertur, non eſſe in Romano Pontifice poteſtatem determinandi tempus præcepti divini, quo adulti ante finem vitæ baptizari tenentur: quia præcepto divino determinatum eſt hoc tempus, nempè cùm primùm commodè poſſint, quamvis quando occurrit dubium, an cauſa aliqua ſit ſufficiens ad dilationem Baptiſmi, id poſſit interpretari Eccleſia, non minus quàm quilibet vir doctus, imò multò meliùs. Ita Vaſquez, & Suarez, quos citat & ſequitur Hurtadus *de Sacr. Baptiſm. diſp.* 1. *diſſic.* 17. & communis. Solùm autem Eccleſia poteſt definire tempus, in quo parentes Chriſtiani debeant ſuos infantes baptizare ratione juriſdictionis quam in parentes habet, qui regere debent parvulos. De quibus Diana *p.* 8. *tr.* 1 *reſ.* 2. qui bene advertit aliquando potuiſſe Eccleſiam determinare tempus, in quo miniſtri Eccleſiæ, & non in alio, deberent exhibere Baptiſmum adultis petentibus, ſcilicet Vigiliam Reſurrectionis & Vigiliam Pentecoſtes, ut habetur *in cap. Non ratione, de conſecr. diſt.* 4. & *cap. Duo tempora, & cap. Proprie, eadem diſt.* illa tamen conſuetudo ſolùm dictis temporibus baptizandi adultos, ſerè in tota Eccleſia abrogata eſt per contrariam conſuetudinem, ut docet Rupertus *lib.* 4. *divinor. officc. cap.* 18. cum aliis. Vaſquez. Suarez. Ga. Hurt. Diana. Rupertus

4. Certa eſt omnium ſententia, non poſſe Papam quicquam abrogare, vel mutare eorum quæ jure naturali præcipiuntur vel prohibentur. Ratio eſt, quia ea, quæ ſunt vel per ſe bona, vel mala, abrogare vel mutare nequit; nam quæ jure naturali imperantur, aut vetantur, mutari non poſſunt, niſi naturâ eorum variatâ & mutatâ. Tum quia lex naturalis quantum ad prima principia legis naturæ, eſt immutabilis, ita ut fieri non poſſit quod aliqua ejuſmodi quæ priùs erant leges naturales, vel ampliùs non ſint leges, vel deſinant obligare: eò quòd iſta principia contineant univerſales regulas bene vivendi, & habeant veritatem prorſus neceſſariam, ſic ut impoſſibile ſit ea eſſe aliquando falſa. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 94. *art.* 5. & communis. Vide Azorium *tom.* 1. *lib.* 6. *c.* 1. *quæſt.* 4. & 5. Suarez *de leg. c.* 14. *num.* 8. Sylvium 1. 2. *quæſt.* 94. *articul.* 5. Sylveſtrum *verb. Papa* 4 *quæſt.* 16. D. Thom. Azorius. Suarez. Sylvius. Sylveſt.

5. Jura civilia, quæ ſunt per ſe bona vel mala, non poteſt Papa mutare, vel abrogare; non quia jus civile ea prohibeat, vel non pereat; ſed quia jus ipſum naturæ ea præcipit, vel vetat. Si verò ſint bona vel mala, ea tantùm ratione, quia jure civili imperantur, vel prohibentur; & hæc vel omninò vel ex parte à jure Canonico diſſentiunt; vel aliqua ratione juri naturali, ac divino adverſantur; ut ſi lex civilis ſtatuat uſuram eſſe licitam, vel ut liceat alicui duas uxores ſimul habere, vel ut poſſeſſor malæ fidei præſcribat, vel nihil juri divino, naturali, vel Canonico repugnat. Si nihil repugnant, non ſolet, nec poteſt abſque juſta cauſa Papa tollere, abrogare, mutare, aut quicquam contra ſtatuere erga laicos. Si verò pugnant, poteſt Romanus Pontifex ea jura relaxare, mutare & abolere: quia laici non poſſunt ſtatuta vel leges condere, vel ferre contra jus divinum, vel naturale, vel Canonicum. Ita Sylveſter *verb. Papa, quæſtione decima-quarta*, qui ſuſtinet, quod de plenitudine poteſtatis ex cauſa rationabili poteſt Papa omnes leges civiles evertere, & alias condere, niſi inquantum ſpectant ad jus naturale aut divinum: nec Imperator cum omnibus Regibus & populis Chriſtianis poſſent contra ejus voluntatem quicquam ſtatuere. Nec quæ allegant Canoniſtæ contra hoc, aliquid concludunt, niſi ceſſante cauſa, & ex poteſtate juridica, quæ, ſcilicet, eſt ſecundùm jura, quibus Papa ex neceſſitate non ſubditur. Sylveſter.

Dictis conformia docet Bellarminus *controverſia tertia Generali de Romano Pontifice, libro quinto, capite ſexto*, dicens: Quantùm ad leges, non poteſt Papa, ut Papa ordinatiè condere legem civilem, vel confirmare, aut infirmare leges Principum, quia non eſt ipſe Princeps Eccleſiæ politicus: tamen poteſt omnia illa facere, ſi aliqua lex civilis ſit neceſſaria ad ſalutem animarum, & tamen Reges non velint eam condere, aut ſi alia ſit noxia animarum ſaluti, & tamen Reges non velint eam abrogare. Itaque optima regula eſt, quam tradit Gloſſa *ad cap. Profeſſor, de regular. juris in* 6. quæ talis eſt: Quando de eadem re contrariæ inveniuntur leges Imperatoriæ & Pontificiæ, ſi materia legis eſt res animarum periculum concernens, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam. Et hoc modo lex Pontificia, quæ habetur *capite final. de præſcriptionibus*, abrogavit legem Impe- Bellarm. Gloſſa.

Digitized by Google

adeò tam in propria, quàm in aliena Diœcesi, est insertum in corpore juris, nempè *in cap. final. de privileg. in* 6, unde habet vim legis statuentis quod convenit Episcopis ratione status & dignitatis; & decretum Tridentini potest habere suum effectum absque derogatione hujus privilegij. Unde cùm de ipso non fiat specialis mentio, non censetur derogatum, juxta regulam, Quod privilegia inserta in corpore juris non derogantur, nisi de ipsis fiat expressa mentio, ut docent communiter Doctores, Suarez *lib. 8. de leg. cap. 38. num. 12* Miranda *tom. 1. Man. quæst. 45. artic. 6.* Palaus *p. 1. tract. 3. disp. 4. de privil. punct. 2. §. 4. num. 5* & omnes Juris periti *in Authent. Quo, verb. Omni privilegio, Cod. ubi de crimine agi oportet*, & habetur ex *l. Eius militis, §. Militia, de testament. milit.* Tùm quia Episcopus celebrans Missam in Oratorio privato dum in aliena Diœcesi moratur, non exercet jurisdictionem contentiosam, ut patet, sed voluntariam: hanc verò voluntariam jurisdictionem, seu potiùs privilegium personale potest exercere in aliena Diœcesi: ergo. Tùm quia Concilium Tridentinum non prohibet Episcopis, celebrare in altari portatili: sed quòd non permittant celebrari, sive à sæcularibus, sive à regularibus: nec item, quòd unus Episcopus non permittat celebrari ab alio Episcopo, quando existit in sua Diœcesi. Non enim Episcopi veniunt nomine sæcularium, ob dignitatem, quâ præcellunt, & proinde debuissent specialiter nominari, si eos comprehendere voluisset. Manet ergo firmum, Episcopos, non obstante Concilio Tridentino, & decreto Pauli V. & Urbani VIII. posse, etiamsi non sint infirmi, portare secum altare viaticum, & in itinere non solùm in sua, sed etiam in aliena Diœcesi, non tamen Romæ, Missam celebrare & celebrari facere. Ita Gavantus *in enchirid. Episcop. verb. Episcopus, num. 8. & 9.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part. 2. allegat. 23.* Ugolinus *lib. 1. de offic. & potest. Episcop. part. 1. cap. 2. §. 2.* Portel *part. 3. in respons. regular. casu 20. numero 7.* Diana *part. 4. tractat. 4. resolut. 15.* & alij apud ipsos citati. Romæ autem non permittitur, ut Episcopi possint habere Oratorium privatum & ibi Missam celebrare, vel audire, propter reverentiam Summo Pontifici debitam, ut notant Riccius *part. 4. decis. 78.* Alzedus *in praxi part. 1. cap. 13. num. 6.* Venetus *in exam. Episcop. lib. 4. cap. 17. num. 4.* & alij apud Dianam *loco citato*, & *part. 9. tract. 1. resolut. 39.* qui *resolut. 47. eiusdem partis & tractatus*, cum Doctoribus ibi citatis, docet Episcopum titularem extra urbem Romæ posse in suo Palatio habere Oratorium privatum, ut ibi celebret, vel Missam audiat: quia in rigore juris Episcopi titulares, qui ordinantur pro Ecclesijs in partibus infidelium, sunt verè & propriè Episcopi: ergo gaudent eodem privilegio, quo gaudent ceteri Episcopi. Tamen si adesset praxis & consuetudo in contrarium, non esset ab illa recedendum. Plura de his possent adduci, quæ videri possunt apud eundem Dianam *p. 9. tr. 1. per totum.* Vide dicta suprà *v. Missa 3. n. 8. & 9. & tom. 1. v. Missa IV. n. 1.*

Suarez. Miranda. Palaus. Gavantus. Barbosa. Ugolinus. Portel. Diana. Riccius. Alzedus. Venetus. Diana. Diana.

ORDINIS SACRAMENTUM.

SUMMARIUM.

1 *An Ecclesia possit irritare collationem primæ tonsuræ & Ordinum Minorum factam ab Episcopo excommunicato, suspenso, &c.* Refertur duplex sententia.

2 *An probabile sit, Christum in particulari non determinasse materiam & formam Sacramenti Ordinis, sed solùm genericè.*

3 *An qui vesperi attigit annum jure requisitum pro Ordine aliquo suscipiendo, possit mane præcedenti illum sumere?* Refertur duplex sententia.

An in supputanda ætate ad Ordines numerandus sit dies bissextilis, vel omittendus.

4 *An Episcopus possit in aliena Diœcesi conferre primam tonsuram suis subditis sine licentia Ordinarij loci.* Refertur duplex sententia.

An Episcopus conferens Ordines in aliqua Diœcesi de licentia Ordinarij, possit Clericos aliarum Diœcesum ordinare, si dimissorias literas ostendant? Refertur duplex sententia.

5 *Dum Prælatus Religionis vel Episcopus mittit subditum ab alieno Episcopo ordinandum, an censeatur etiam vices suas committere Episcopo, ut dispenset cum illo in defectu occurrenti, aut obito?* Refertur duplex sententia.

6 *An regulares recipientes sacros Ordines ante legitimam ætatem, vel sine dimissoriis suorum Prælatorum, ipso facto sint suspensi.*

7 *An qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, incurrat suspensionem? Et an adveniente mala fide, si sic ordinatus celebret, irregularis fiat.*

8 *An cum ordinato per saltum possit Episcopus dispensare, ut prætermissum Ordinem suscipiat, & ut in Ordine male suscepto ministret, & ad superiores ascendat, si delictum sit publicum.*

An ordinatus per saltum sit tantùm suspensus ab eo Ordine, quem per saltum suscepit.

9 *An in aliquibus casibus Episcopus excusari possit à censura suspensionis, ordinans subditum alienum ex ratihabitione proprij Episcopi.*

10 *An Prælatus regularis possit dispensare cum subdito promoto per saltum, ut prætermissos Ordines suscipiat, in malè suscepto ministret, & ad superiores ascendat, si in Ordine suscepto non ministraverit.*

Et quid dicendum si ministraverit?

11 *An Episcopus possit conferre Minores Ordines, Subdiaconatum vel Diaconatum, si illos non recepit?* Refertur duplex sententia.

12 *An quis ad Ordines promoveri possit in patria ubi natus est? Et quando quis habet duo domicilia in diversis Diœcesibus, à quo Episcopo ordinandus sit? Et quid dicendum de studiosis, qui per multos annos in Vniversitatibus commorantur.*

13 *An possit Episcopus ordinare aliquem ad titulum beneficij, si illud sit tenue.*

14 *An Episcopus titularis possit suo familiari triennali Ordines conferre.*

Vt familiaris Episcopi possit ab eo ordinari, an requiratur ut in servitute permanserit per triennium continuatum completum? Et an sufficiat servitium triennale esse incœptum ante assumptionem ad Episcopatum.

An Episcopus ordinans suum familiarem triennalem, debeat ei statim beneficium congruum conferre.

1. PObito probabile esse Minores Ordines non esse Sacramenta, ut sustinent Magister *in 4. dist.*

Digitized by Google

Sotus. Valquez. *diſtinct. 24. Sotus ibidem, quæſt. 1. art. 4.* Valquez *in 3. part. diſp. 237. cap. 2.* & alij, quia non ſunt à Chriſto inſtituti, ſed ab Eccleſia; conſequenter ſecundùm illos, dicendum eſt, poſſe Eccleſiam irritare & habere invalidam illorum collationem factâ ab hæretico, excommunicato, ſuſpenſo, &c. Sed quia de facto Eccleſia nunquam irritavit Ordines Minores collatos ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo, &c. demonſtrat per hoc Ordines Minores eſſe verè Sacramentum, & quod irritari non potuerint; quia Epiſcopus quocumque modo ſit ab Eccleſia præciſus, validè poteſt Ordines conferre, cuius poteſtas fundatur in charactere Epiſcopali, qui indelebilis eſt, nec amittitur per excommunicationem, ſuſpenſionem, aut etiá degradationem, ut ex communi docent Sotus, Henriquez, Valquez *tom. 1. citati verb. Ordo VII. num. 1. verſ. Et cum hæc poteſtas.* Secus dicendum de collatione primæ tonſuræ; hæc enim ab Eccleſia poteſt irritari, quia non eſt ordo & proinde nec Sacramentum, ut docent communiter Theologi, contra Canoniſtas, ut diximus *tom. 1. trib. Ord. num. 1. verſ. Item magna eſt.* Vide Dianam *part. 8. traſt. 1. reſol. 41.*

Sotus. Henriq. Valquez. Diana.

2. Probabile eſt materiam & formá Sacramenti Ordinis eo modo, quo Chriſtus illas inſtituit, ubique terrarum eaſdem eſſe; Chriſtum tamen in particulari non determinaſſe materiam & formá materialiter ſumptas, ſed genericè ſolùm ſtatuendo ac jubendo, ut in collatione horum & illorum Ordinum, in quibus ipſe ita volebat, adhiberetur manus impoſitio, ac inſuper porrigerentur inſtrumenta vel ſymbola illa externa, per quæ uniuſcujuſque Ordinis poteſtas & Officium deſignaretur: quodnam verò ſymbolum eſſet huius & illius Ordinis collationi adhibendum, reliquiſſe determinationi Eccleſiæ. Proinde Eccleſia utens hac poteſtate ſibi conceſſa, pro diverſis temporibus aut Eccleſiis diverſa ſigna determinavit, ſive diverſam materiam & formam ordinationis materialiter ſumptam.

Hinc Sacerdotium & Diaconatus conferebantur olim per ſolam manuum impoſitionem, ut habetur in Concilio Carthaginenſi IV. *Can. 3. & 4. & in cap. Presbyter, de Sacram. initiand.* docet Innocentius IV. communiter receptus Apoſtolorum tempore ritum ordinationis fuiſſe ſolam manuum impoſitionem. Quem ritú in Eccleſia Græca non ſolùm Epiſcopi Schiſmatici, ſed etiá Catholici, & qui Romæ degunt, ſervant nunc, ſciente atque conſentiente Summo Pontifice: dum enim Græcos Presbyteros ordinant, non per Calicis & Patenæ cum vino & Hoſtiá porrectionem id faciunt, ſicut Latini, ſed per manus impoſitionem ſuper caput ordinandi, dicente Epiſcopo: *Divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt, ſupplet, creat, ſeu promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, &c.* Similiter ordinant ſuos Diaconos ſine traditione libri, vel Calicis per ſolam manuum impoſitionem cum his verbis: *Divina gratia promovet hunc Diaconum, &c.* Cùm ergo Eccleſia pro diverſis temporibus diverſa ſigna particularia determinaverit in ordinatione, potuit pro Græcis & Latinis determinare diverſa; ita tamen ut utraque Eccleſia Græca & Latina contineat ordinationem per ſenſibile ſignú & verba rectè ſignificantia traditionem poteſtatis, & per conſequens utraque validum Sacramétum efficiat: quia ſervat formaliter loquendo, materiam & formam inſtitutam à Chriſto, licet materialiter utatur ſignis diverſis; Græci enim magis confuſè ſignificant poteſtatē Diaconi, vel Sacerdotis ſolo nomine Diaconi, vel Presbyteri: Latini verò magis explicitè, quatenus in Diacono duplicem exprimunt poteſtatem, legendi ſcilicet Evangeliú, & miniſtrandi ſolemni ſacrificiō; in Sacerdote pariter poteſtatē ſacrificandi, & abſolvendi à peccatis diſtinctè ſignificant. Ita Franciſcus de Lugo *de Sacram. in genere, cap. 1. quæſt. 7. n. 70. & 73.* Amicus *tom. 7. diſp. 2. ſect. 4.* apud quem plura de hac quæſtione. Arcudius *de concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis lib. 6. c. 4.* Præpoſitus *in 3. part. quæſt. unic. de Sacram. Ordin. dub. ſolmun. 1. 69.* Cardin. Lugo *de Sacram. tom. 1. diſp. 2. ſect. 5.* Quorum ſententiam probabilem dicit Sylvius *in ſupplement. 3. part. quæſt. 37. art. 2. quæſt. 3. verſ. Vbi obſervandum, in fine.* 3. ubi pro hac opinione citat Bellarminum, Coninck, Layman, Mercerū, & alios, quibus addo Dianam *p. 8. trat. 1. reſ. 42. & p. 10. trat. 11. reſ. 65.* dicens hodie inter Theologos recentiores hanc eſſe tenam eſſe communem, adducens plures alios.

Fra. Lugo. Amicus. Arcudius. Præpoſit. Lugo. Sylvius. Bellarm. Coninck. Mercerus. Diana.

3. Ad licitè ſuſcipiendos Ordines requiritur ætas legitima ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. c. 12. de ref.* & communi Doctorum ſententia: nam ad primam tonſuram & Minores Ordines requiruntur ſaltem ſeptem anni completi; ad Subdiaconatum viginti duo inchoati; ad Diaconatum viginti tres & ad Sacerdotium viginti quinque.

Sed dubium eſt, an qui veſperi attigit annum jure requiſitum pro aliquo Ordine ſuſcipiendo, poſſit manè præcedenti illum ſumere? Affirmativam ſententiam tenet Petrus de Ledeſma *in Summ. tom. 1. trat. de Sacram. Ordin.* & probabilem eſſe putat Trullench *de Sacrament. lib. 6. cap. unic. dub. 10. n. 4.* Marchinus *de Sacram. Ordinis trat. 1. part. 5. cap. 2. num. 7.* Diana *part. 4. trat. 16. reſol. 27.* quia in hoc caſu veſpera diei trahitur ad manè, cùm ex utroque una dies fiat; unde mortali contrahatione, qui ſic ordinatur, dicitur ordinari in anno vegeſimo ſecundo, tertio, aut quinto conſtitutus. Ceterùm probabilior eſt opinio contraria, quia talis nondum pervenit ad ætatem jure requiſitam ad Ordines ſuſcipiendos. Nec obſtat, quòd parum pro nihilo reputetur, quia id eſt verum, quando non inde pendet tota impletio præcepti. Nec etiam hic locum habet illa regula, Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur ſicut neque in aliis, in quibus jus tempus præfinitum exigit, ut in ætate ad Ordines: ſi enim vel unus dies, aut hora deſideretur, vitiat factum, ut docet ex communiori ſententia Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 65.*

P. Led. Trul. Marchin. Diana. Pontius.

Sed alterum dubium occurrit, an in ſupputanda ætate ad Ordines enumerandus ſit dies Biſſextilis, vel omittendus? Reſpondeo ſemper diem Biſſextilem eſſe includendum in ſupputanda ætate ordinandorum. Ratio eſt; quia in jure utraque dies Biſſextilis pro unica habetur, *l. 3. §. Minorum ff. de Minor. l. Cùm biſſextus, ff. de verbor. ſignificat. & cap. Quæſivit, eodem titulo*; ergo neceſſariò computanda, ne neceſſaria ad perfectam ætatem dies deſideretur. Tum quia in compiendo anno probationis dies biſſextilis eſt neceſſariò includendus, aliàs profeſſio eſſet nulla ob non ſervatam formam Tridentini *ſeſſione 25. cap. 15. de regul.* ut ſuſtinent Miranda *in Manuali tom. 1. quæſtione vigeſimaſecunda, articulo tertio*, Leſſius *lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 59.* Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp. 24. num. 22. & lib. 5. moral. cap. 4. num. 5.* Vecchius *in praxi nov. diſp. 11. dub. 3. num. 5.* & alij: quamvis nulli contrarium doceant, non dicentes diem Biſſextilem non eſſe neceſſariò computandum, tam in Ordinationibus, quàm in ſupputando anno Novitiatus integro; quia annus à jure

Con. Tri. Miranda. Leſſius. Sanchez. Vecchius.

Conc. Carthag. Inno. VI.

determinatus constat ex diebus 365 qui est annus ordinarius, quem per se leges intendunt; quod si eo anno contingat superaddi his 365 diebus diem aliam bissextilem, tanquam de rebus per accidens, laborandum minimè videtur. Ita Barbosa *de potestate Episcop. part. 2. Allegat. 101. num. 12.* & alij apud ipsum. Panormitanus *in cap. Quærenti, de offic. deleg.* docet, quod ubi à jure datur annus, intelligitur 365. diebus continuis: nec curandum est, quod illo anno currat bissextus, per textum *l. Cum hæres, §. Stichus, ff. de statu lib.* Quam opinionem amplectitur Sylvester *verb. Ætas, quæstione tertia*, in odiosis; non autem in favorabilibus, quia tunc duo dies computantur pro uno. Proinde utramque sententiam probabilem esse putat Diana *part. 10 tractatu 11. resol. 67.* post Leandrum *de Sacrament. tom. 2. tract. 6. disputatione 6. quæst. 29.*

Barbosa. Panormit. Sylvest. Diana. Leander.

4. In Concilio Tridentino *sessione 6. cap. 5. de reformat.* habetur: *Nullis Episcopo liceat cuiusvis privilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.* Circa quod decretum est difficultas prima, an Episcopus in aliena Diœcesi sine licentia possit conferre suis subditis primam tonsuram? Negant Barbosa *de potestate Episcop. parte secunda, allegat. 6. num. 15* Sanchez *in opusculo tom 2. lib. 7. cap. 1. dub. 50. num. 2.* quia in Concilij Tridentini decreto prohibetur Episcopus in aliena Diœcesi Pontificalia exercere absque Ordinarij loci licentia. Affirmativam tamen sententiam meritò sustinent Bonacina *de Sacram. disp. 3. quæst. unic. punct. 2. n. 12.* Fornatius *de Sacram. Ordinis, cap. 5. §. 4. notab. 4.* Molfesius *in summ. tom. 1. tract. 2. cap. 2. num. 15.* & alij; quia Concilium loquitur de Episcopo conferente Ordines: sed prima tonsura non est ordo, cùm conferri possit domi privatim sine Pontificalibus; ergo.

Barbosa. Sanch. 2 Bonacina. Fornar. Molfesius.

Difficultas secunda, an Episcopus conferens Ordines in aliqua Diœcesi, de licentia Diœcesani, ordinare possit non solùm personas eidem Ordinario subiectas, verùm etiam Clericos aliarum Diœcesum, legitimas licentias, atque dimissorias portantes? Quidam dicunt, quod sic, modò de eorum ordinandorum idoneitate, sufficientia atque legitima facultate ad Ordines suscipiendos, constet ipsi Ordinario, in cuius Diœcesi ordinationes fiunt: nam Concilij verba, *& in personas eidem Ordinario subiectas tantùm*, sunt intelligenda, quòd prædicti Episcopi ordinare non possunt eos, qui Episcopo Diœcesano non sunt subiecti, nisi etiam ipsi à suis propriis Ordinariis literas dimissorias habeant legitimas, ad recipiendos Ordines, illasque præsententant ante Episcopum Ordinarium. Ita tradunt Miranda *in Manual. Prælat. tomo primo, quæstione 38. articulo tertio, conclus. unic.* Barbosa *de potestat. Episcop. parte secunda, allegat. 4. num. 64.* Sed alij asserunt non requiri in hoc casu novam & expressam licentiam Ordinarij loci petere, ut Episcopus possit Clericos sibi subditos, vel aliarum Diœcesum ordinare, si literas dimissorias suorum Ordinariorum attulerint; sed sufficere generalem, quam habet. Ad locum autem Tridentini potest dici, quòd loquitur de Episcopo ordinante in aliena Diœcesi ratione privilegij sibi dati à Summo Pontifice ad conferendos ordines in aliena Diœcesi; nam tunc sine licentia Ordinarij, & nisi Clericos illi Ordinario subiectos ordinare non potest; secus autem in casu nostro, quando Episcopus est invitatus ab alio Episcopo ad celebrandos Ordines generales in sua Diœcesi. Ita Martinus Fornarius *de Sacram. Ordinis, cap. 5. num. 5.* dicens, sic sacram Congregationem interpretatam dictum decretum Concilij; qui etiam citat Toletum *lib. 1. cap. 49. num. 1.* Mauritius Alzedo *in praxi Episc. part. 2. cap. 5. num. 30.*

Miranda. Barbosa.

Fornar. S. Congr. Toletus. Alzedo.

5. Quorumdam sententia est, dum Prælatus Religionis vel Episcopus mittit subditum ab alieno Episcopo ordinandum, censeri etiam eum vices suas committere Episcopo, ut dispenset cum illo in defectu occurrenti, aut oblito, in quo potest proprius Prælatus dispensare: quia concesso aliquo, censentur subinde concessa, ex fine quibus id expediri nequit, *cap. Præterea, de offic. deleg. & l. 2. de jurisdict. omn. Judic.* Tum quia dispensatio in principali extenditur ad accessorium, sine quo consistere nequit: At promotio ad Ordines fieri nequit, eo impedimento non sublato: ergo. Ita docent Avila *de censur. part. 7. disp. 10. dub. 6. v. Notandum tertio.* Henriquez *lib. 14. c. 17. n. 4.* Angelus *verb. Irregularitas, num 34.* Sylvester *ibidem, q. 9. in fine.* Nihilominus contrarium est verius. Ratio est; quia sublato uno impedimento non censetur alterum distinctum sublatum, *cap. Extirpanda, de usu & auctorit. pallij.* At in hoc eventu duplex impedimentum concurrit; alterum defectus subiectionis ad Ordines; alterum irregularitatis. Sublato ergo priori per initiandi licentiam, non aufertur posterius. Tum quia dispensatio non extenditur ad connexa, sine quibus potest consistere. At potestas initiandi potest consistere absque potestate reddendi initiandum habilem ad Ordines: utpote, quæ intelligitur, si ille alias habilis sit, vel à legitimo Superiore impetret dispensationem in ea inhabilitate. Ita Sanchez *de matr. lib. 8. disp. 1. n. 25.* ex doctrina Navarri *lib. 1. consil. de tempor. ordin. consil. 12. & 13. in 2. edit.* Rodriguez *tom. 2. summ. cap. 14 concl. 10.* qui sustinent Episcopum, cui Tridentinum *sess. 23. cap. 9. de reform.* concedit posse ordinare suum familiarem triennalem, non posse cum eo dispensare in interstitijs, nec in defectu natalium ad Ordines Minores, ut potest proprius Episcopus.

Avila. Henriq. Angelus. Sylvest.

Sanchez. Navarrus. Rodrig.

6. Regulares recipientes sacros Ordines ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs suorum Superiorum, ipso facto sunt suspensi per Extravag. Pij II. quæ incipit, *Cum ex sacror.* & tam sæculares, quàm regulares Clericos comprehendit, idque Sixtus V. in sua Constitutione contra malè promotos satis expressè & clarè extendit ad regulares, quos etiam voce activa & passiva privat. Ita Rodriguez *tom 3. quæst. 23. art. 8.* Miranda *tom. 1. q. 39. art. 6.* Barbosa *de potest. Episcop. allig. 16. n. 24.* & communis, contra Sanctorium *in Comm. ad Const. Minor. c. 2 stat. 57. concl. 5.* qui vult probabile esse, quod in Extravag. Pij II. non includantur regulares, quia in ea non fit mentio de regularibus, & in odiosis nomine Clerici non veniunt Monachi, vel regulares. Nec obstat etiam, inquit ille Auctor, quod Sixtus V. confirmando Bullam Pij II. illam expressè ad regulares extendit, quia illa Bulla fuit revocata in omnibus, & redacta ad terminos juris & Bullæ Pij II. in quibus non fit mentio de regularibus, & ita cessavit extensio, ficut & censuræ. In contrarium tamen est praxis sacræ Pœnitentiariæ; propterea opinio Sanctorij non sequenda, quia regulares sunt Clerici, & materia Ordinum est communis.

Pius II. Rodrig. Barbosa. Miranda. Sanctor.

7. Qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, non incurrit suspensionem: quia hæc censura appo-

Digitized by Google

appoſita per Pium II. tantùm eſt contra præſumentes; qui verò bona fide facit, non dicitur præſumere: quia verbum præſumere dolum atque malitiam deſignat, quo fit, ut qui bona fide & probabili ignorantia, abſque dolo & malitia, prædictos ſacros Ordines ſuſcepit, ſuſpenſus minimè ſit. Ita Portel *in dub. reg. verb. Ordines ſacri, n.* 13. Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 26. Miranda *tom.* 1. *man. quæſt.* 39. *art.* 6. *in fine.*

Portel. Suarez. Miranda.

Sed peres, an adveniente mala fide ſi ſic ordinatus ante legitimam ætatem celebret, irregularis ſit? Dicendum eſt quòd non: quia cùm à principio non inciderit in ſuſpenſionem, non eſt cur irregularitatem incurrat, ſi celebret adveniente mala fide: quia nulla hic cenſura violatur per exercitium Ordinis ſacri.

8. Quamvis Ordinatus per ſaltum ſit impeditus ad ſuperiores Ordines ſuſcipiendos, hoc tamen impedimentũ non eſt irregularitas, ſed ſuſpenſio, quam tollere poteſt Epiſcopus, & cũ ſic promoto diſpenſare, ut prætermiſſum Ordinem ſuſcipiat, & ut in Ordine malè ſuſcepto miniſtret, & ad ſuperiores aſcendat, quamvis delictum ſit publicum, dummodò talis in malè ſuſcepto Ordine, vel prætermiſſo non miniſtraverit ante diſpenſationem: quia tunc fieret irregularis. Ducor, quia Tridentinum *ſeſſ.* 23. *c.* 14. *de ref.* ita conceſſit cum hac limitatione Epiſcopis, dicens: *Cùm promotus per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.* Et docent Sayrus *de cenſur. lib.* 5. *c.* 14. *n.* 26. & 27. & *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 40. Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 51. Rodriguez *tom.* 2. *Summ. c.* 17. *n.* 9. Avila *de cenſur. part.* 7. *diſp.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 2. & alij communiter; proinde ex verbis Concilij conſtat manifeſtè non eſſe licitum Epiſcopo diſpenſare quando ipſe ſic ordinatus per ſaltum miniſtraverit, nec in dicto Concilio fit diſtinctio de eo qui adminiſtrat ſcienter aut ignoranter, & ſic attento hoc decreto poteſt teneri, de jure, quod Ordinatus per ſaltum celebrans de facto, ſive id fiat ignoranter ſive ſcienter, ſemper egeat diſpenſatione Summi Pontificis: quia numquam poteſt Epiſcopus diſpenſare, ubi talis fuit adminiſtratio, quę irregularitatem induxerit. Ita Doctores citati, quibus addo Dianam *part.* 5. *tract.* 10. *reſ.* 27.

Con. Trid. Sayrus. Suarez. Rodrig. Avila. Diana.

Advertendum tamen eſt, Ordinatum per ſaltũ eſſe tantùm ſuſpenſum ab eo Ordine, quem per ſaltum ſuſcepit, & ita miniſtrando effici irregularem, non autem ab uſu Ordinum inferiorum, quos legitimè ſuſcepit, ut docent Suarez *loco cit. n.* 42. Bonacina *tom.* 3. *diſp.* 3. *q.* 1. *punct.* 2. *n.* 10. & alij apud ipſum. Ratio eſt; quia nullo jure ſufficienter probatur, hunc remanere ſuſpenſum ab Ordinibus ritè ſuſceptis, & cùm jura, quæ iſtius ſuſpenſionis meminerunt, obſcurè loquantur, non eſt facienda extenſio, ſed mitior interpretatio.

Suarez. Bonacina.

9. Probabile eſt in aliquibus caſibus Epiſcopũ excuſari à cenſura ſuſpenſionis, Ordinantem ſubditum alienum ex ratihabitione proprij. Primus eſt, quando proprius Epiſcopus eſt ſuſpenſus ob Ordinatum alienum: tunc licet ſine ipſius licentia adire alium, à quo Ordines ſuſcipiantur, juxta *cap. Eos qui, §. final. de temp. ord. in* 6. Secundus eſt, quando quis per triennium fuit de familia Epiſcopi alieni, hic enim illum poteſt promovere, dummodò ſtatim det ei beneficium, ex Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 9. *de ref.* Hoc autem intelligitur de Epiſcopo Ordinario; quia ei, qui tantum eſt titularis, talis promotio eſt interdicta *ſeſſ.* 14. *c.* 2. *de ref.* Tertius eſt, quando unus Epiſcopus ordinat ſubditũ alterius Epiſcopi ſub ſpe rationabili eiuſdem ratihabitionis, maximè ſi ratihabitio ſit de præterito, vel de præſenti, ut notat Avila *de cenſur. part.* 3. *diſp.* 5. *dub.* 7. §. *Dico quinto*. Reginaldus *lib.* 32. *n.* 2. *cap.* 24. *ſect.* 3 *num.* 69. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 191. & *part.* 5. *tract.* 10. *reſol.* 38. & alij citati à nobis *tom.* 1. *verb. Ordo III. num.* 4. *verſ. Maiùs dubium eſt.*

Avila. Reginaldi Diana.

10. Prælatus regularis poteſt diſpenſare cum ſibi ſubdito, qui Ordines per ſaltum, ſive ignoranter, ſive etiamſi ſcienter ſuſcepit (modò in Ordine ſuſcepto non miniſtraverit,) ut prætermiſſos Ordines recipiat, in malè recepto miniſtret, & ad ſuperiores, ſi qui deſint, recipiendi, aſcendat. Probat primò: quia Superiores regulares eandem habent auctoritatem in ſubditos ſibi regulares, ac Epiſcopi in ſuos ſæculares: Sed cum his poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut communiter aſſerunt Doctores: ergo & Prælati, etiamſi ſuſpenſio ſit publica. Nec huic opinioni videtur derogatum per Concilium Tridentinum. *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. *de reform.* quia Concilium ibi ſolùm revocat privilegia ne regulares ante ibi præſcriptam ætatem ordinentur, non verò revocat privilegia, quæ aliàs Superiores regulares à Sede Apoſtolica obtinuerunt abſolvendi ſuos ſubditos, ut ex verbis ipſius Concilij clarè colligitur: dicitur enim in textu *privilegia quoad hoc exciniſi*, videlicet, ne in poſterum ante præſcriptam ætatem ordinentur, prout de hoc ipſo tantùm in dicto cap. fit mentio. Ita Portel *in dub. regul. verb. Ordines Sacri, num.* 14. Hieronymus Rodriguez *in compendio reſol.* 106. *num.* 26. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *reſ.* 85. Contra Sorbum & Sayrum, qui volunt privilegia regularium quoad hoc eſſe revocata per Concilium Tridentinum.

Con. Trid. Portel. Hier. Rod. Diana. Sorbus. Sayrus.

Nec obſtat quod Sixtus V. in ſua Conſtitutione contra ſic malè promotos revocaverit privilegia regularium ad abſolvendum hutuſmodi promotos ſubditos: quia poſt Sixtum Clemens VIII. confirmavit privilegia Minorum ex certa ſcientia, & Paulus V. confirmavit utens verbo *innovamus*, quæ forma Confirmationis tevalidat invalida & revocata per anteriores Pontifices, ut tradunt communiter Doctores, teſtibus Suarez *de legib. lib.* 8. *c.* 19. Sigiſmundo à Bononia *de eject. part.* 2. *c.* 4. *dub.* 76. *n.* 6. & Doctoribus citatis.

Sixtus V. Cl. VIII. Paulus V. Suarez. A Bononia

Sed quæres, an poſſit Prælatus diſpenſare cum ſubdito promoto per ſaltum, ſi miniſtravit in Ordine? Reſpond. ex Trid. quòd ſi delictum eſt occultum, ſive ſcienter, ſive ignoranter miniſtraverit, poterit Prælatus regularis cum tali Ordinato diſpenſare, ut prætermiſſum Ordinem recipiat & in malè ſuſcepto miniſtret, & ut ad altiorem aſcendat: quia talis poteſtas eſt data Epiſcopis à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformation.* quam poteſtatem habent etiam Prælati regulares, ut diximus *tom.* 1. *verb. Abbas, num.* 8. §. 1.

Con. Tr.

Si autem delictum ſit publicum, ex vi Tridentini non poſſet, quia Concilium aut Epiſcopum non poſſe. An autem id poſſit virtute privilegiorum? Affirmat Portel *loco citato num.* 14. *ad finem.*

Portel.

11. Juxta quorumdam ſententiam Epiſcopus, qui nõ recepit minores Ordines, aut certe ſubdiaconatũ, vel diaconarum, non poteſt aliis conferre illum Ordinẽ, quem non recepit. Ita Emanuel Sà *verb. Ordo num.* 23. Henriquez *de Ordine cap.* 5. §. 2. *littera H.* Sylveſter, D. Antoninus & alij. Sed quia ab his auctoribus nullum affertur firmum fundamentum ad hoc aſſerendum, ideò ab eorum opinione puto recedendum, dicendo, Epiſcopum, etiamſi careat aliquibus Ordinibus, validè eos conferre poſſe: quia licet his careat, eſſe

Eman. Sà. Henriq. Sylveſt. D. Anth.

poteſt verus Sacerdos, & Epiſcopus reipſa; poteſtas autem conferendi Ordines eſt ſolùm Epiſcopalis, alij autem Ordines hanc poteſtatem non tribuunt: tum quia Epiſcopus, qui non recepit Ordines inferiores, poteſt ordinare Sacerdotes: ergo etiam Diaconos & Subdiaconos reliquoſq; inferiores Miniſtros: quia Epiſcopus eſt verè Sacerdos & conſequenter poteſt aliis conferre Ordinem Sacerdotalem; & eo ipſo, quòd ordinat Sacerdotes, confert illis poteſtatem exercendi munera Diaconi & Subdiaconi: ergo etiã poteſt conferre Ordinem Diaconatus & Subdiaconatus. Confirmatur autem hæc ſententia, quia poteſtas conferendi omnes Ordines validè, tribuitur Epiſcopo ratione characteris Sacerdotalis & Epiſcopalis: Sed etiamſi non receperit Ordines inferiores, verè habe Characterem Epiſcopalem: ergo habet poteſtatem omnes Ordines conferendi.

Vaſquez. Layman. Præpoſit. Ga. Hurt. Ita Vaſquez *in* 3. *part. diſp.* 243. *cap.* n. 26. Layman *l.* 5. *tract.* 2. *c.* 6. n. 8. Præpoſitus *in* 3. *part de Sacram. Ordin. q. unic. dub.* 12 *num.* 114. Hurtadus *de Sacrãm. Ordin. diſſic.* 17. & alij.

12. Quamvis quis ſortiatur domicilium in ea patria ubi natus eſt ipſe, qui ad Ordines promoveri deſiderat, *ex cap Cùm nullus, de temp. Ordin. in* 6. hoc tamen debet intelligi, quando parentes habent domicilium in eo loco, ubi filius ipſe natus eſt; nam qui naſcitur caſu & fortuito ex parentibus aliquò pergentibus, vel ad tempus morã trahentibus in aliquo loco, ubi natus eſt, proprius Epiſcopus non erit is, qui fuerit illius Diœceſis, in quo ordinandus natus fuit caſu fortuito, ſed erit Epiſcopus eius Diœceſis, ubi parentes domicilium habuerunt, & fingitur ibidem natus. Ita ex communi Præpoſitus *loco cit. dub.* 14. n. 30. Sanchez *de mat. lib.* 3 *diſp.* 23. n. 3. Zypæus *Anal. jur. Pontific. lib.* 1 *tit. de Ordinandis n.* 4. & alij.

Præpoſit. Sanchez. Zypæus.

Qui verò habet duo domicilia, & in diverſis Diœcelibus poteſt indifferenter à quocumque ex his duobus Epiſcopis ad Ordines promoveri: quia ratione utriuſq; domicilij fit ſingulis ſubditus. Filius verò illius debet recipere Ordines ab Epiſcopo loci, in quo natus eſt, cùm pareas ibidẽ haberet domicilium: quia ibi non eſt natus fortuito, utpotè in domicilio patris, & Epiſcopus loci verè Epiſcopus originis. Si tamen alibi fortuitò natus ſit, tunc uterq; Epiſcopus poteſt cenſeri Epiſcopus originis ratione domicilij paterni, cùm non ſit potior ratio unius, quàm alterius.

Sed quid dicendum de ſcholaribus & ſtudioſis qui per multos annos in univerſitatibus commorantur? Reſp. tales non contrahere ibidem domicilium, ſi retineant animum in patriam rèdeundi, ſed eorum domicilium cenſeri eſſe in patria; proinde non poſſunt ordinari ab Epiſcopo loci in quo eſt univerſitas, ſed ab Epiſcopo domicilij parentum, cùm hi cenſeantur habere idem domicilium cum parentibus, quamdiu peculiarem ſibi ſedem nondum præfixerunt. Hinc filij eorũ qui in univerſitate uxorem duxerunt animo in patriã redeundi, non poſſunt ordinari ab Epiſcopo, intra cuius terminos ſita eſt univerſitas; quia ſicut reſpectu prolis non dicitur Epiſcopus domicilij, ita reſpectu prolis non dicitur Epiſcopus originis: Ordinandus ergo eſt ab Epiſcopo domicilij parentis, in quo fingitur natus. Ita Præpoſitus *in* 3. *part. de Sacram. Ordin. q. unic. dub.* 14. n. 132. 133. & 135. Marchinus *de Ordine tract.* 1 *part.* 5 *c.* 7 n. 10 & alij. Filius verò ſuſceptus ex fornicatione, matre certo loco domicilium habente, & patre alio, ſequitur domicilium matris, à qua certius procedit: unde ſi talis velit tonſuram & Ordines ſive minores, ſive ſacros ex diſpenſatione ſuſcipere, Epiſcopus domicilij materni, in quo natus eſt, vel cenſetur natus, poteſt illum ordinare. Ita Diana *part.* 8. *tract.* 2. *reſol.* 18.

Præpoſit. Marchin. Diana.

13. Quidam putant non poſſe Epiſcopum ordinare aliquem ratione beneficij, ſi illud ſit tenue: quia Concilium Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 2. *de ref.* poſtulat, Con. Tri. ut beneficium ſit ſufficiens ad victum honeſtè, ut poſſit quis ſacris Ordinibus inſigniri. Sed contrarium eſt tenendum; quia c. *Cùm nullus, de tempor. Ordin. in* 6. ſimpliciter loquitur de habentibus beneficium, nec explicat illius valorem & quantitatem. Tum quia Sacra Cardinalium Congregatio cenſuit beneficium duorum ducatorum eſſe ſufficiens ad gaudendum privilegio fori: ergo etiã ad ſumendos Ordines, ex quibus oritur privilegium fori. Ita ſuſtinent Barboſa *de jure Pontificio lib.* 1. *cap.* 32. n. 38. Henriquez *lib.* 10. *cap.* 22. §. 1. *litt. L.* & *cap.* 17. *litt. Q.* Garzias *de benefic. tom.* 1 *part.* 2. *cap.* 4. n. 8. Diana *part.* 8. *tract.* 2. *reſ.* 20. Nec huic opinioni obſtat decretum Tridentini, quod non loquitur quoad hunc ſubiectionis effectum, ſed quoad alium effectum congruæ ſuſtentationis eius, qui vult ad maiores Ordines promoveri. Non enim aſſerit, quòd ſi ordinandus beneficio tenui patrimonium ſufficiens ad victum adiungat, non poſſe ordinari ab Epiſcopo. Quare dicendum eſt, ſi tenui beneficio adiungeretur patrimonium, ita ut conflatum ex utroque ſufficeret ad ſuſtentationem, ſicut requirit Tridentinum, tunc poſſet ab Epiſcopo beneficij ordinari. Aliud enim eſt quærere, num beneficium ſufficiat pro titulo, aliud ſi ſufficiat ut tanquam ſubditus ratione beneficij poſſit promoveri ad Ordines.

Barboſa. Henriq. Garzias. Diana.

14. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 9. *de reform.* ſtatuit, quòd *Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſuum fuerit commoratus; & beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat, conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, in contrarium non ſtante.* Circa quod Decretum ſequentia notanda veniunt:

Con. Tri.

Primum, Epiſcopos titulares non gaudere hoc privilegio, ut patet ex eodem Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 2 *de ref.* & contrarium facientes, ab exercitio Pontificalium per annum ipſo jure ſunt ſuſpenſi.

Con. Tri.

Secundum, ut Epiſcopus poſſit ordinare ſuum familiarem triennalem, debet ille in ſervitute per triennium continuatum completum, perſeverallenee ſuffiçeret annũ tertium fuiſſe cœptum; quia in odioſis annus cœptus & dies inchoata pro completa non habetur. Ita Marchinus *de Ordine, tr.* 1. *part.* 5. §. 9 *n.* 2. Præpoſitus *loco cit. n.* 14. At odioſum eſt Epiſcopis, quibus talis familiaris ratione domicilij, vel loci originis eſt de iure ſubditus, à propria eximi iuriſdictione.

Marchin. Præpoſit.

Tertium, quòd ſufficiat ſervitium triennale eſſe inceptum ante aſſumptionem ad Epiſcopatum: quia ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Sed Concilium non deſtinguit de ſervitio ante vel poſt Epiſcopatum: ergo ablatiũ intelligendum eſt. Garzias *de benefic. tom.* 1. *p.* 2. *c.* 5. n. 83. Præpoſitus *loco cit. n.* Non poſſet tamen Epiſcopus ordinare familiarem in regione remota morantem, quamvis expenſis Epiſcopi vixerit: nam abſens propriè familiaris non dicitur, neque Epiſcopus poteſt eius mores noſſe: quandoquidem hoc triennium à Concilio præfixum, ad hoc principaliter ſuffragatur, ut mores & vita ab Epiſcopo cognoſcatur: quare inhærendo verbis Concilii, hoc tantùm procedit in illis familiaribus, qui

Garzias. Præpoſit.

Digitized by Google

qui cum Episcopo commorantur, & qui sunt præsentes, illiusque obsequiis assistunt, sive intra, sive extra domum ejus, Episcopi expensis alantur. Ita Sanchez *in opusc. to. 2. lib. 7. c. 1. dub. 20. n. 21. & 23.* Imò sub verbis Concilij intelliguntur quoque famuli & familiares eorumdem familiarium, qui inserviunt Episcopo, ejusque impensis alûtur, modò per triennium familiari Episcopi inservierint, ut tradunt Escobar *in Theol. mor. tr. 7. exam. 8. c. 4. n. 73.* & Barbosa *de potest. Episcop. p. 2. alleg. 5. num. 7.* & alij.

Sanchez. Escobar. Barbosa.

Quartum, quod hæc facultas Episcopo concessa ordinandi suum familiarem triennalem, intelligi debet cum onere conferendi statim ordinato congruum beneficium. Quid autem intelligatur per verbum *statim*, non conveniunt Doctores; quidam enim interpretantur, quamprimùm beneficium aliquod vacaverit, teneri Episcopum illud illi conferre. Ita Vasquez *3 part. tom 3. disp. 243. n. 49.* Hurtadus *de Sacram. Ordin. difficult. 17.* Præpolitus *in 3 p. de Sacram. Ordin. quæst unic. dub. 14. n. 142.* Tannerus *tom 4. disp. 7. quæst. 3. dub. 2. n. 38.* Sed hæc expositio est nimis ampla & voluntaria; nam Sacra Congregatio declaravit, fuisse contra hanc Tridentini formam, quandam beneficij collationem triennali familiari factam intra annum, etiam in mense undecimo à die ordinationis. Hęc declaratio facta est die 22 Maij 1586. Testantur Flaminius Paritius *de resign. benefic. lib. 4. quæst. 2. num. 92.* Garzias *de benefic. part. 2 cap. 5. n. 85.* proinde verbum *statim*, non excedere decem dies. Marchinus *de Sacram. Ordin. tract. 1. p. 5. cap. 9. num. 5. & sequent.* Diana *part. 8 tract. 2. resol. 53.* tradunt, cum multis aliis ibi citatis. Hæc omnia hoc numero dicta, videri possunt apud Dianam *loco citato à resolut. 27. & seq.* Sed de his satis.

Vasquez. Gasp. Hu. Præpolit. Tanner. S. Congr. Paritius. Garzias. Marchin. Diana.

De Ordine vide verb. Abbas *num. 6. 7. & 8.* Capitalum *num. 2. & 9.* Irregularitas *2. num. 18. & sequent.* Matrimon. *2. num. 13. & seq.* Suspensio.

P.

PACTVM.

SUMMARIUM.

1 *Pactum dividitur in expressum & tacitum: in personale & reale: in nudum & vestitum; quod vestitur sex modis.*

2 *An pactum generalius sit nomen, quàm contractus.*

3 *An pactum, stipulatio, pollicitatio, conventio & promissio inter se distinguantur.*

4 *An effectus proprius cujusque pacti sit naturalis obligatio, & correspondeat huic petitio & actio? Quid sit actio personalis, quid realis.*

5 *An pactum legis commissoriæ apponi possit in pignoribus & venditionibus.*

6 *An pacta & conventiones quæ fiunt inter Superiores locales Ordinum mendicantium & Prælatos Ecclesiarum & Rectores super juribus Parochialibus, sint validæ, sine consensu Generalium & Provincialium.*

7 *An ex pacto religiosi cum suo Prælato, oriatur in eo obligatio naturalis erga subditum?* Refertur duplex sententia.

8 *De quibusdam pactis quæ jure irritantur, quæ sunt contra bonos mores, vel moribus præjudicium afferre possunt.*

9 *In quibus conveniant Pacta legis commissoriæ & pacta adjectionis in diem.*

PActum multipliciter dividitur: *Primò*, in conventum seu expressum, & in tacitũ. Expressum dicitur, cùm partes inter se expressè pacisc untur. Tacitum verò, quod ratione alicujus legis intervenit, quantumcumque partes non pacisc antur inter se, ut cùm tutor eligitur, pupilli, quorum curam accipit, habent ex juris dispositione tacitam hypotheeam in illius bonis; sic etiam uxor in bonis mariti, propter res dotales.

Secundò dividitur in personale & reale: illud est quod ad aliam personam, nempe ad hæredẽ non transit: hoc verò, quod transit ad hæredem; ut si pacisc or tecum, ne petas à me, & possis petere à meo hærede vel pacisc or, ne petam à te, & hæres meus possit à te petere.

Tertiò dividitur, quod aliud sit in rem, & aliud in personam. In rem autem esse dicitur, quoties generaliter pacisc or, ne petam rem. In personam verò, quoties pacisc or, ne à persona petam.

Quarto dividitur in nudum & vestitum. Vestitum dicitur pactum sex modis, 1. re. 2. verbis scilicet in stipulando. 3. literis, ut quando in literis confitetur se aliquid recepisse, etiamsi non receperit. 4 consensu, ut in societate, mandato, emptione, venditione, vel locatione, in quibus non requiritur scriptura vel præsentia, sed sufficit consentire per se, vel per nuncium, aut scripturam. 5. cohærentia contractus, puta vendidit quis domum cum pacto ut moretur in ea per annum; vestitur enim illud pactum cohærentia contractus, scilicet venditionis; aliàs esset nudum. 6. interventu rei: puto promisi dare tibi aliquid, ut faceres mihi vel dares aliud; unde statim cùm dedero tibi promissum, vestitur pactum ex parte mea: ideoque interventu ejus obligaris mihi ad promissum. Hæc omnia probantur *ex Institutis, de verb. obligat.* Nudum verò pactum non vestitur aliquò prædictorum, sed tantum consistit in meris & puris finibus conventionis, & caret omni alio firmamento; v. g. promisi tibi dare centum sine aliqua interrogatione præcedenti vel Chirographo & hujusmodi, & consentis. De quibus Sylvester. Sylvest. *verb. Pactum, quæst. 2.* Reginald. *lib. 25. cap.* Reginal. *6. num. 71. & 72.* & alij citati *tom. 1. verb. Contract. n. 6.*

2. Pactum, cùm sit duorum, vel plurium in idem placitum seu consensus, *l. 1. ff. de pactis.* tamen pactum generalius est nomen, quàm contractus: quia pactũ dicitur de omnibus, quæ inter eos, qui contrahunt, aguntur causa contrahendæ, vel tollendæ obligationis. Proinde pactum est de non petendo debito, vel damno per injuriam illato. Pactum etiam est in transactionibus, quæ fiunt gratia litis dubiæ finiendæ. Pacta quoque sunt pacis, belli, induciarum. Imò in uno contractu aliquando interveniunt duo vel plura pacta. Unde contractus generali nomine pactum dicitur, sed tamen cùm habemus specificum nomen, eo nominamus contractũ, ut dicendo, venditio, locatio, & hujusmodi: cùm verò non habemus, generali nomine pactum appellamus.

3. Pactum, stipulatio, pollicitatio, conventio & promissio inter se differũt & distinguuntur, quòd promissio si sumatur largè, est affirmatio vel negatio, qua quis se aliquid dicturum vel facturum affirmat aut negat, & est quid commune ad omnia prędicta. Sed propriè *promissio* est, cùm quis præcedente rogatione, seu petitione, vel interpellatione alterius,

alterius, ſpondet ſe aliquid daturum vel facturum, ut ſi rogem te, ut mihi mutuo des centum & ſpondes te daturum. *Pollicitatio* verò eſt ſolius offerentis promiſſio, cùm quis ſponte ſua non rogatus ab alio, promittit aliquid alteri: & hoc eſt quod ſignificatur *in l. Pactum, ff. de pollicitat.* & fit ſine interrogatione præcedente. Hinc fit, neque promiſſionem, neque pollicitationem eſſe inter duos, quorum unus ſit debitor, & alter creditor; ſed tantùm eſſe ſponſionem unius, qua ſe obligat alteri, cum ipſius conſenſu. *Pactum* verò propriè eſt, quando verba præmittuntur à promittente & confeſtim ſequuntur verba in admittente; ut v. g. Dabo tibi centum, ut mihi vendas equum, & tu ſtatim reſpondeas: Mihi placet. Unde de ratione pacti ſunt tria: *Primò*, quòd iſte actus generatur inter plures. *Secundò*, quòd partes ſint præſentes per ſe vel alium, aut ſcripturam, ita quod conſenſus earum concurrant. *Tertiò*, quòd verba præmittantur à ſpondente. *Stipulatio* autem propriè eſt verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, reſpondet ſe daturum, aut facturũ illud, quod interrogatus eſt, ut, Promittis te mihi daturum centum? tu ſtatim reſpondes, Promitto; ſtipulatio eſt. *Conventio* verò eſt aliquid generalius pacto: quia & ſcholares in ſcholis & religioſi in capitulo conveniunt, *l. 1. §. conventionis verbum, ff. de pollicitat.* & propriè videtur in jure paſſivè ſumi pro citatione, activè verò pro pacto. Ita Sylveſter & alij. Sylveſt.

4. Effectus proprius cujuſque pacti eſt naturalis obligatio, juxta regulam 84. ff. *Is naturâ debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus.* Et in l. 1. ff. de pactis. *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, ſervare?* Obligatio autem definitur, Inſtit. de obligat. *Iuris vinculum quo neceſſitate aſtringimur alicujus rei ſolvendæ vel faciendæ.* Huic obligationi ac debito ex altera paciſcentium parte correſpondet petitio, & actio, id eſt, jus perſequendi, quod tibi debetur.

Quoad obligationem hoc diſcrimen notatur inter promiſſionẽ & pactũ; quod ex promiſſione jam acceptata ab alio, obligatio tantùm naſcatur ex parte promittentis, quia ea fit gratis, nec ei cui fit, quidquam imponitur: At ex pacto naſcitur obligatio ex parte utriuſque paciſcentis, eò quòd fiat, tam promittente, quàm admittente, ſe ad aliquid dandum, vel faciendum vel præſtandum adſtringente.

Porrò actio eſt duplex, una quæ dicitur perſonalis, altera realis. Actio perſonalis eſt, qua agimus adverſus eum, qui nobis eſt obligatus ex aliqua cauſa ad faciendum, aut dandum aliquid; & ideò ſemper naſcitur proximè ex contractu, vel quaſi contractu, quo quis nobiſcũ contraxit: ex delicto, vel quaſi delicto, quo quis in nos deliquit, vel quaſi deliquit. Realis actio eſt, per quam rem noſtram, quæ poſſidebatur ab alio, petimus: & ideò ſemper eſt adverſus eum, qui rem noſtrã poſſidet, etiamſi nihil nobiſcum contraxerit, aut contra nos nihil deliquerit. Proinde actio realis ſemper naſcitur ex dominio, vel quaſi dominio, ſive ex jure ex re, ſive jure in rem: & hæc actio non eſt in perſonam, quæ ex aliqua cauſa nobis fuerit obligata, ſed in rem, quam poſſidet, cùm tamen nobis debeatur, *l. in Rem, ff. de rei vendic.* & tradunt communiter Doctores.

5. Omne pactum turpe, vel quod jure naturali, divino, vel humano damnatum eſt, in pignoribus prohibetur. Proinde inter pacta, quæ in pignoribus apponi nequeunt, eſt pactum legis commiſſoriæ, quando creditor cum debitore paciſcitur, ut ſi ad tempus conſtitutum, debitum non ſolverit, aut non ſatisfecerit creditori, pignus cedat in jus & dominium ipſius creditoris. Dicitur autem pactum legis commiſſoriæ, quia pignus cadit in commiſſum, debito ad diem præfinitum non ſoluto: & eſt inſtar pacti, quod in venditione & emptione conſueverunt aliqui apponere, ut ſi intra certum tempus emptor non ſolverit pretium, res non ſit empta. Quod pacti genus in venditione, & emptione eſt jure civili approbatum, ut patet *ex tit. ff. de leg. commiſſ.* At verò idem pactum legis commiſſoriæ in pignoribus, utroque jure, civili & Canonico damnatur, *l. ult. Cod. de pactis pignorum, & cap. Significe. de pignorib.* Quare autem hoc pactum in emptione permittatur, & non in pignoribus? Reſpondent Doctores, quia venditor emptorem injuria, vel damno non afficit, ſi rem ſuam emptori vendat ea lege, ut ſi pretium tempore præſtituto non ſolverit, pro non empta habeatur, & ad ipſum redeat. Sed pignus ſolet eſſe majoris æſtimationis & pretij, quàm ſit debitum. Ergo pactum, ut fiat pignus creditoris pro debito, eſt cum damno debitoris: quia cogitur plus ſolvere, quàm debeat, & minoris vendere rem ſuam. Ita Joan. Andreas, Panormitan. *in dict. cap. Significe.* & Gloſſa *in l. ult. de pactis pignor.* Sylveſt. *verb. Pactum* q 14. Molina *de inſtit. tract. 2. diſp. 354.* Qui noviſſimus obſervat ex Panormitano *in cap. Significe. n. 7.* ſi pactum ſit, quod debitore intra terminum non ſolvente pignus ſit venditum, non certo aliquo & determinato pretio, ſed pretio juſto arbitrio boni viri, validum eſſe tale pactum. Io Andr. Panormit. Molina.

5. Ex jure communi pactum initum per Prælatos Religionum mendicantium, puta Priores, Guardianos, &c. cum Rectoribus vel perſonis Eccleſiarum ubi habitant, ſuper juribus Parochialibus, vel alijs quibuſcumque, debet perpetuò ſervari, ſi factum eſt cum aſſenſu ſuorum conventuum vel locorum, licet non intervenerit aſſenſus Magiſtri vel Miniſtri Provincialis, aut Generalis, vel Sedes Apoſtolica, quoad Fratres Minores auctoritatem non præſtiterit. Ita ſancitum eſt *in c. Quia ex eo, de pactis, in 6.* Bonifacius VIII. ſic loquitur: *Præſenti decreto ſanximus, compoſitiones & pacta hujuſmodi cum Prælatis, Capitulis, & Rectoribus & perſonis prædictis ab ipſorum Fratrum conventualibus Prioribus ſeu Guardianis facta vel approbata de ſuorum Conventuum conſilio & aſſenſu (dummodo alias ſint licita & honeſta) debere ab ipſis Fratribus in locis, in quibus fuerint facta, perpetuò inviolabiliter obſervari; non obſtante quod Magiſtri vel Miniſtri aut Prioris Generalium ſeu Provincialium prædictorum non intervenerit in eiſdem aſſenſus, nec ab ipſorum Generalibus vel Provincialibus Capitulis extiterint approbata: ſeu quòd Sedes Apoſtolica in ijs quæ per prædictos Fratres Minores facta fuerint, auctoritatem ſuam non præſtiterit vel aſſenſum.* Nec huic juri obſtat Bulla Alexandri Papæ IV. apud Bullarium Rodriguez *Bulla* 25. ejuſdem Pontificis, qua conceſſit Generali Minorum ac Provincialibus, ut pacta illa quæ facerent Guardiani, Cuſtodes & alij Fratres abſque licentia Generalis, vel Provincialis, eſſent, irrita, neque ad illa Fratres obligarentur: quia Emanuel Rodriguez *tom. 1 quæſt. reg. quæſt. 39. art. 8.* citans iſtam conceſſionem, dicit eſſe revocatam per prædictum decretum Bonifacij VIII. qui vixit poſt Alexandrum. Portel verò *in dub. reg. v. Pactum in add. n 1.* credit, non eſſe revocatam, niſi fortè in parte, videlicet, quoad pactum à Guardiano ſuper Canonica quarta parte, de qua *loco citato* agit Rodriguez. Hæc enim pacta facta à Prælatis localibus circa Canonicam quartam, valida erunt, etiamſi Bon. VIII. Alex. IV. Rodrig. Portel.

fiant

fiant abſque conſenſu Provincialis, vel Generalis.
Bon. VIII. Alex. IV. Nam Bonifacius VIII. hoc tantùm exprimit illis verbis: *Super juribus Parochialibus.* At Alexand. IV. non loquitur ullo modo de juribus Parochialibus; ſed in genere dicit: *Super locis ad dictum Ordinē pertinentibus, eorumque cœmeteriis.* Quæ verba non agunt de Canonica portione, neque illam ſignificant, neque item ſignificant jura Parochialia, ac proinde videtur conceſſio nimis diverſa & non revocata per dictum Bonifacium VIII. Ita Portel. In Concilio Generali Lateranenſi Leo X. Bullà *Dum intra, num.* 8. ſtatuit, quod *Pacta & Conventiones inter eoſdem Fratres & Prælatos atque Civitates pro tempore inita, valeant: niſi per ſubſecutum Capitulum proximum Generale vel Provinciale refutata, & per eos refutatio huiuſmodi intimata debito tempore fuerit.*
Conc. Lat. Leo X.
Miranda. Miranda autem *tom.* 2. *q.* 48. *art.* 12. *concl.* 1. docet, in caſu quo Eccleſia non damnificatur, valere eiuſmodi pacta & conventiones, etiam factas ſine auctoritate Superioris. Ratio in promptu eſt, quia non niſi ob vehementes cauſas, maximi judicis debet auctoritas vocari, & privilegia in contrarium ſunt revocata.

7. Jure naturali poteſt Prælatus obligari religioſo ſibi ſubdito ex pacto inter ipſos inito, ſicut inter ſervum & dominum poteſt intervenire ſimile pactum obligans ipſum dominum, *l. naturaliter, l. ſi quod dominus ff. de condict. indebiti.* Proinde non poterit tale pactum revocari per Prælatum concedentem aliquid peculium dicto religioſo cum pacto & lege aliquid oneris adimplendi, in quo fecit impenſas ſua induſtria quæſitas; quia etſi non civiliter, obligatur tamen naturaliter Prælatus ſua promiſſione religioſo ſubdito, ſicut dominus ſervo: unde Prælatus revocans huiuſmodi pactum abſque juſta cauſa, peccabit, licet revocatio ſit valida. Ita Rodrig. *t.* 3. *q.* 3. *reg.* 9. *q.* 29. *a.* 9. Navarrus *lib.* 3. *conſil. in* 1. *edit. tit. de regul. conſil.* 20. *in* 2. *tit. de ſtatu monach. conſil.* 14. probabiliter. Sanchez tamen *lib.* 7. *mor. cap.* 29. *num.* 125. quamvis fateatur ex pacto Abbatis cum Monacho oriri obligationem naturalem; at in prædicto caſu negat eam oriri poſſe, quia ea promiſſio ſeu pactum tanquā jure communi contrarium diſponenti nihil concedendum religioſo, quod revocari nequeat ad nutum Superioris, eſt omninò irritum. Et hanc ſententiam dicit eſſe communem, pro qua citat multos, nempe Angelum, Roſellam, Sylveſtrum, Tabienam, Azorium & alios Iuriſperitos.
Rodrig. Navarrus. Sanchez. Angelus. Roſella. Sylveſt. Tabiena. Azorius.

8. Pacta & promiſſiones, quibus unus alteri concedit, ut non teneatur de furto, aut dolo, quod in futurum commiſerit, aut ut id exigi ab eo non poſſit, ipſo jure nullæ ſunt & irritæ: quia contra bonos mores; ut ſi quis aliquem in negotiorum ſuorum geſtorem ſumpſerit, pacto inito cum eo, ut is non teneatur de dolo aut furto, quod in ea adminiſtratione commiſerit: tale enim pactum præberet manifeſtam ruinæ occaſionem tali adminiſtratori, neque id in ulla bene inſtituta republica permitti ulla ratione debet. Tamen ſi poſtquam furtum, aut dolus in adminiſtratione ſunt commiſſa, remittantur ab eo, cuius erant illa bona, aut jura, tunc valida eſt talis remiſſio; quia non præbet ruinæ occaſionem, ſed ſolùm condonat debita contracta, aut delicta antea commiſſa.

Similiter invalidum eſt pactum, ſi quis paciſcatur, aut concedat alicui, ut non teneatur de iniuria, aut vi, quam in futurum intulerit: ſecus autem, ſi condonetur iniuria antea illata, aut ſi tutori, aut curatori teſtator concedat, ut non teneatur de dolo, quem commiſerit in adminiſtratione bonorum filiorum ſuorum. Hæc habentur *l. ſi unus, §. illud, & §. pacta. ff. de pactis, l. pacta quæ, Cod. de pactis, l. Quidam decedens, in princip.* junctis Gloſſ. *ibi verb. Im publicum. ff. de adminiſtrat. tutor.*

Nulla ſunt etiam pacta, quæ idcirco ſunt contra bonos mores, quod vel manifeſtam tribuunt peccati occaſionem, vel præiudicium afferunt, facilève afferre poſſunt moribus, quos eſſe expedit in bene inſtituta republica. Proinde nullum eſt pactum, ſi quis promittat ſe non revocaturum teſtamentum, aut ſe diſceſſurum ab inteſtato. Item ſi quis ita ſtipuletur ab aliquo: Tātumnè mihi dare ſpondes, ſi me hæredem non inſtituas? & alius ei promittat, nulla eſt talis promiſſio, ut habetur *l. ſtipulatio hoc modo. ff. de verb. obligat.* Item pactum pœnæ appoſitæ non ſtanti ſponſalibus eſt etiam nullum, ut habetur *in cap. Gemma, de ſponſ.* Ratio horum eſt; quia ex illis pactis præiudicium facilè oriri poteſt adverſus bonos mores, vel adverſus id quod expedit, ut in bene inſtituta republica, ad commune bonum, ſervetur, eaque de cauſa jure humano irrita redduntur.

3. Cùm pacta legis commiſſoriæ & pacta adiectionis in diem in ſolius venditoris favorem ſint appoſita, conveniunt hæc pacta, ut non impleto pacto, in poteſtate venditoris ſit, vel diſſolvere cōtractū, vel eum non diſſolvere, ſed cogere emptorem, ut pretium ſolvat, prout venditor maluerit. Si tamen ſemel dicat, ſe velle diſſolvere contractum, deinceps cogere non poteſt emptorem ſolvere pretium. Si idem ſemel pretium petat aut partem illius, non poterit deinceps contractum diſſolvere. Poterit verò emptor ſtatim, pacto non impleto, vel non impletā lege cōtractui appoſitā, cogere venditorem, ut dicat, quid eorum potiùs eligat. Præterea, ſi res pereat antequam venditor diſſolvat cōtractum, perit emptori, & non venditori. Hæc habentur, quoad pactum legis commiſſoriæ attinet, *l.* 2. 3. & 4. *§. eleganter, & l.* 6. & 7. *ff. de leg. commiſſor.* Quod verò attinet ad pactum adiectionis in diem, habentur *l.* 2. & 3. & *l. Eum qui, in princip. & l. Sabinus, ff. de in diem adict.*

Conveniunt deinde pacta legis commiſſoriæ & adiectionis in diem; quia ſi contractus ex eiuſmodi pactis diſſolvatur, fructus medio tempore percepti pertinent ad venditorem. Tenetur præterea emptor, ſi res illa culpâ ipſius deterior eſt reddita, ſolvere venditori æſtimationem damni talis rei, ut habetur *l. Si fundus, in princip. ff. de leg. commiſſor.*

In pacto verò adiectionis in diem, quando res primo emptori conceditur, non quod venditor priorem emptionem eligat, ſed quod, offerente alio meliorem emptionē, primus emptor augeat ſupra pretium ab hoc alio oblatum, neque eſt qui plus deinceps offerat, fructus medij temporis pertinent ad venditorem, niſi aliud fuerit expreſſum in contractu. Ratio huius eſt; quia eo ipſo, quòd alius plus obtulit, ſignificatumque eſt primo emptori, reſciſſa fuit prima emptio, & ab ea fuit receſſum. Ita *l. Item quod, §. ult. junctis duabus legibus ſeq. ff. de in diem adict.*

Porrò conveniunt pactum legis commiſſoriæ & adiectionis in diem, quòd ſequutâ venditione, ex qua venditio reſcinditur, eo ipſo abſque alia traditione dominium rei illius tranſit in primum venditorem, competitque ei rei vendicatio, ad cuiuſcumque poteſtatem res illa devenerit. Ita quoad pactum adiectionis in diem, colligitur *ex l. Si quis hac, in princip. ff. de rei vendicat. & l. Si ex duobus, §. Sed & Marcellus. ff. de in diem adictione.* Idem quoad pactum legis commiſſoriæ colligitur *ex l. Commiſſoria, Cod. de pact. inter emptor. & venditor.* & docent ex communi Covarruvias 3. *variar. cap.* 8. *num.* 1. Covar.

Gomez. *num.* 1. & Antonius Gomez *tom.* 2. *variar. cap.* 2. *num.* 30.

Vide verb. Divinatio *num.* 2. & *sequent.* Emptio *num.* 33. & *sequent.* Locatio *num.* 2. & *seq.* Pignus *num.* 11. Superstitio.

PAPA.

SUMMARIUM.

1 *Quibus nominibus Romanus Pontifex decoretur.*
2 *An Papa sit S. Petri successor in vicariatu Christi.*
3 *An Papa possit ex toto vel ex parte abrogare vel mutare ea quæ sunt juris divini?* Refertur duplex sententia.
4 *An possit abrogare vel mutare ea quæ jure naturali præcipiuntur vel prohibentur.*
5 *Quid possit Papa circa jura civilia Principum & Regum.*
6 *Quomodo habeat Papa plenitudinem potestatis.*
7 *An Papa possit constitutionem condere de forma eligendi futurum Romanum Pontificem.*
8 *An Papa possit sibi eligere successorem?* Refertur duplex sententia.
9 *An in canonizatione Sanctorum Papa errare non possit.*
10 *An Papa possit errare in fide, & in hæresis crimen incidere?* Refertur duplex sententia.
11 *Quâ fide credendum sit, hunc vel illum, qui nunc clavum Ecclesiæ tenet, esse verè Summum Pontificem, Petri successorem & Christi Vicarium in terris.*
12 *Quid possit Papa circa regimen Ecclesiæ.*

1. ROmanus Pontifex variis titulis est decoratus; communiter enim vocatur *Papa*, sive ab interiectione admirativa Papè (admirabilis est enim potentia, dignitasque Romani Pontificis,) sive à Græco πάππας, quod Patrem & Nutricium designat (est enim verè Pater & Nutritius Ecclesiæ & omnium fidelium,) sive à πάππος, quod Avum indicat, derivatio sumatur. Est enim Avus & Pater Patrum totius Ecclesiæ.

Vocatur etiam Episcopus Episcoporum & Pontifex maximus à Tertulliano *lib.* 1. *de pudicitia*, recitante Edictum à Victore I. Papa, de lapsis ad pœnitentiam recipiendis, emanatum. Vocatur & à Constantino in 6. Synodo Constantinopolitana Act. 18. *Sanctissimus ac Beatissimus Archiepiscopus urbis Roma, & Oecumenicus Papa.* Vocatur & à Mauro Episcopo Ravennate in Lateranensi Synodo, *Dominus Sanctus, meritis Beatissimus, totoque orbe universalis Pontifex.*

Tertull.

Patres VI. Concilij Generalis Act. 18. Agathonem Papam vocant *Summum Apostolorum verticem.* Patres IV. Concilij Generalis, quod est Chalcedonense *Actione* 1. Leonem Papam vocant *Apostolicam Sanctitatem.* In Ephesino Concilio Generali, *Act.* 1. Cælestinus Papa, *vir Apostolicus*; & in subscriptione, *Papa Apostolicus* appellatur.

Quamvis enim Romani Pontifices abhorrere soliti sint à nomine Oecumenici, seu Episcopi universalis; partim propter Constantinopolitanos Patriarchas, qui hoc nomen superbè sibi arrogare ausi sunt, ut videre est in Epistola Pelagij II. ad universos Episcopos, quæ incipit *Manifestè*, Gregorij I. *lib.* 4. *indict.* 13. *epist.* 38. ad Ioannem Constantinopolitanum: tum quia nomen illud ambiguum sensum habere potest, eò quòd iste terminus *Episcopus*, aut *Pontifex universalis*, videretur auctoritatem aliorum Episcoporum excludere; quasi verò qui se universalem seu universum Episcopum appellat, solus Episcopus esse velit, quasi totus orbis unam Diœcesim constitueret. At verò titulus, quo Romani Pontifices insigniri voluerunt, est *universalis*, seu *universa Ecclesiæ Episcopus*, aut *Pastor.* Ex quo enim Pontifex in universum orbem potestatem eminentem exercet, verè *universalis*, ab antiquissimis dictus est, & modò etiam sic appellari convenit.

Pelag. II. Gregor. I.

2. Papa seu Romanus Pontifex est S. Petri successor in Vicariatu Christi. Probatur: quia ille in Vicariatum Petri succedit, qui in Cathedram, quam pro universali Ecclesia Petrus fundavit, tenuit, & in cuius administratione mortuus est, succedit: Sed Romanus Pontifex in Cathedram Romanam, quam Petrus pro universali Christi Ecclesia fundavit, tenuit, & in cuius administratione mortuus est, succedit: Ergo Pontifex Romanus in Vicariatu Petri succedit. Hanc veritatem agnovit semper universalis Ecclesia, & Patres. Quod probatur sufficienter ex Canone 39. Concilij Nicæni primi, ubi, de Patriarchis loquens, Sedi Romanæ supremum super omnes Patriarchatum decernit. *Est*, inquit, *Patriarchæ loco Patris, sub cujus dominatu ac potestate sunt filij eius, sicque præest Patriarcha omnibus, qui sub potestate eius sunt; sicut ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput est & Princeps omnium Patriarcharum: quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos & cunctam Ecclesiam Christianam, & quicumque contradixerit, à Synodo excommunicatur.* Iterum: *Veneramur secundùm Scripturæ & Canonum definitionem Sanctissimum Romanæ antiquæque Ecclesiæ Episcopum, Primum & Maximum omnium Episcoporum. Vt autem cunctis ditionis suæ nationibus imperat Patriarcha, & leges indicit, & ut à principio Petrus Christi Vicarius Religioni, Ecclesiis ceteriisque ad Christum rebus pertinentibus præfectus, Principum Christianorum, Provinciarum & omnium gentium Dominus & Rector erat, ita ille, cuius Principatus Romæ est, Petro similis & auctoritate pari Patriarcharum omnium Dominatum & Principatum obtinet. Huic Sanctioni si quis repugnaverit & obsistere ausus fuerit, totius Synodi Decreto anathemati subiiciatur.* Præterea Patres Concilij Florentini sic asserunt: *Definimus Sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & in ipso B. Petri pascendi, regendi & gubernandi universalem Ecclesiam à Christo plenam potestatem traditam esse.* Quod subinde probari potest, quod Primatus Petri non fuit personalis, sed in successores usque ad finem mundi derivatur. Fundamentum enim, super quod Ecclesia visibilis fundata est, est Petrus & Petri primatus: ergo quamdiu corpus Ecclesiæ visibile in terris manet, tamdiu Petrus perseverat. Nũ perseverat autẽ in persona sua singulari: ergo perseverat in Successoribus suis: non enim structura sine fundamento. Regnum sine Principatu, ovile sine Pastore, Corpus absque capite vivum stare potest ordinariâ potestate. Tũ quia potestas summa penes unum Principem spiritualem, Pastoremque universalem esse debet, cui oves suas & agnos Christus Dominus pascendos, regendosque sublimi auctoritate concessit. Hunc verò Pastorem Oecumenicum Monarchicumque Principem alium à Sancto Petro, & successoribus eius legitimis Apostolicæ Sedis hæredibus à Christo Domino

Con. Nic.

Con. Flor.

Digitized by Google

Domino fuiſſe creatum, quis mentiendo audebit impudenter aſſerere, niſi quem dæmonum præſtigijs dementatum nefanda impiaque hæreticorum dogmata fefellerunt? De his videndi ſunt Bellarm. *lib. 1. de Roman. Pontific. cap. 16.* Duvallius *de Roman. Pontific. part. 1. quæſt. 3 & 4.* Michael Mauclerus *de Monarch. Eccleſ. tom. 1. part. 2. lib. 1. c. 1.* & alij. Bellarm. Duvall. Maucler.

3. Canonici juris interpretes communiter docent poſſe Papam jus divinum declarare, interpretari, reſtringere, remittere, amplificare, augere, & mutare. Probant id exemplis; nam divini juris eſt Sabbathum colere; diebus Feſtis à veſpera in veſperam feriari; decimam partem ex perceptis fructibus ſolvere Eccleſiæ; vota reddere, quod jurejurando promiſimus, præſtare, & implere. Et tamen Eccleſia Sabbathi cultum in diem Dominicam mutavit, nec ubique in diebus Feſtis à veſpera in veſperam à laborando ceſſamus: nec ubique perſonalis aut prædialis decima ſolvitur, & votum ac juramentum ſæpè Papæ auctoritate relaxatur: Ergo, &c. Ita Abbas & alij *in c. ult. de conſuetudine*, ut teſtatur Covarruvias *de matr. part. 2. c. 6. §. 9. n. 2. & 3.* Abbas. Covar.

Theologorum tamen opinio communis eſt *in 3. diſt. 37 & in 1. 2. quæſt. 100. art. 8.* nihil eorum quæ ſunt juris divini, poſſe Romanum Pontificem, vel ex toto, vel ex parte abrogare, vel mutare, quamvis ex juſta cauſa poſſit hunc vel illum à juris divini rigore eximere: quia non idem eſt, jus divinum ex toto, vel ex parte tollere, quod rigorem illius juris ex juſta cauſa relaxare, hoc eſt aliquem à juris divini rigore ſolvere. Hæ tamen opiniones conciliantur, dicendo, quòd Juris Canonici interpretes jus divinum latiùs ac tuſiùs interdum accipiunt, quàm Theologi: nam quidquid in veteri Teſtamento imperatur, aut vetatur, vel etiam continetur, & quidquid in novo decernitur ac traditur, jus divinum appellant Canoniſtæ. Sed Theologi preſſiùs & ſtrictiùs jus divinum accipiunt, videlicet id quod Deus, ſive Chriſtus Dominus fieri juſſit aut vetuit: propterea docent id à Romano Pontifice abrogari vel mutari non poſſe: quia inferior auctoritas, nihil contra Superiorem poteſt. Certum eſt tamen apud omnes, Romanum Pontificem auctoritatem habere declarandi quæ ſunt obſcura, vel ambigua in jure divino. Eccleſia enim poteſt declarare quæ ſunt obſcura, vel dubia in ſacris literis, vel regulis fidei.

Ex quibus infertur, non eſſe in Romano Pontifice poteſtatem determinandi tempus præcepti divini, quo adulti ante finem vitæ baptizari tenentur: quia præcepto divino determinatum eſt hoc tempus, nempè cùm primùm commodè poſſint, quamvis quando occurrit dubium, an cauſa aliqua ſit ſufficiens ad dilationem Baptiſmi, id poſſit interpretari Eccleſia, non minus quàm quilibet vir doctus, imò multò meliùs. Ita Vaſquez, & Suarez, quos citat & ſequitur Hurtadus *de Sacr. Baptiſm. diſp. 1. diſſic. 17.* & communis. Solùm autem Eccleſia poteſt definire tempus, in quo parentes Chriſtiani debeant ſuos infantes baptizare ratione juriſdictionis quam in parentes habet, qui regere debent parvulos. De quibus Diana *p. 8. tr. 1 reſ. 2.* qui bene advertit aliquando potuiſſe Eccleſiam determinare tempus, in quo miniſtri Eccleſiæ, & non in alio, deberent exhibere Baptiſmum adultis petentibus, ſcilicet Vigiliam Reſurrectionis & Vigiliam Pentecoſtes, ut habetur *in cap. Non ratione, de conſecr. diſt. 4. & cap. Duo tempora, & cap. Proprie, eadem diſt.* illa tamen conſuetudo ſolùm dictis temporibus baptizandi adultos, ſecrè in tota Eccleſia abrogata eſt per contrariam conſuetudinem, ut docet Rupertus *lib. 4. divinor. offic. cap. 18.* cum alijs. Vaſquez. Suarez. Ga. Hurt. Diana. Rupertus.

4. Certa eſt omnium ſententia, non poſſe Papam quicquam abrogare, vel mutare eorum quæ jure naturali præcipiuntur vel prohibentur. Ratio eſt, quia ea, quæ ſunt vel per ſe bona, vel mala, abrogare vel mutare nequit; nam quæ jure naturali imperantur, aut vetantur, mutari non poſſunt, niſi naturâ eorum variatâ & mutatâ. Tum quia lex naturalis quantum ad prima principia legis naturæ, eſt immutabilis, ita ut fieri non poſſit quod aliqua ejuſmodi quæ priùs erant leges naturales, vel ampliùs non ſint leges, vel deſinant obligare: eò quòd iſta principia contineant univerſales regulas bene vivendi, & habeant veritatem prorſus neceſſariam, ſic ut impoſſibile ſit ea eſſe aliquando falſa. Ita D. Thomas *1. 2. q. 94. art. 5.* & communis. Vide Azorium *tom. 1. lib. 6. c. 1. quæſt. 4. & 5.* Suarez *de leg. c. 14. num. 8.* Sylvium *1. 2. quæſt. 94. articul. 5.* Sylveſtrum *verb. Papa, quæſt. 16.* D. Thom. Azorius. Suarez. Sylvius. Sylveſt.

5. Jura civilia, quæ ſunt per ſe bona vel mala, non poteſt Papa mutare, vel abrogare; non quia jus civile ea prohibeat, vel non péret; ſed quia jus ipſum naturæ ea præcipit, vel vetat. Si verò ſint bona vel mala, ea tantùm ratione, quia jure civili imperantur, vel prohibentur; & hæc vel omninò vel ex parte à jure Canonico diſſentiunt; vel aliqua ratione juri naturali, ac divino adverſantur; ut ſi lex civilis ſtatuat uſuram eſſe licitam, vel ut liceat alicui duas uxores ſimul habere, vel ut poſſeſſor malæ fidei præſcribat, vel nihil juri divino, naturali, vel Canonico repugnat. Si nihil repugnant, non ſolet, nec poteſt abſque juſta cauſa Papa tollere, abrogare, mutare, aut quicquam contra ſtatuere erga laicos. Si verò pugnant, poteſt Romanus Pontifex ea jura relaxare, mutare & abolere: quia laici non poſſunt ſtatuta vel leges condere, vel ferre contra jus divinum, vel naturale, vel Canonicum. Ita Sylveſter *verb. Papa, quæſtione decima-quarta*, qui ſuſtinet, quod de plenitudine poteſtatis ex cauſa rationabili poteſt Papa omnes leges civiles evertere, & alias condere, niſi inquantum ſpectant ad jus naturale aut divinum: nec Imperator cum omnibus Regibus & populis Chriſtianis poſſent contra ejus voluntatem quicquam ſtatuere. Nec quæ allegant Canoniſtæ contra hoc, aliquid concludunt, niſi ceſſante cauſa, & ex poteſtate juridica, quæ, ſcilicet, eſt ſecundùm jura, quibus Papa ex neceſſitate non ſubditur. Sylveſter.

Dictis conformia docet Bellarminus *controverſia tertia Generali de Romano Pontifice, libro quinto, capite ſexto*, dicens: Quantùm ad leges, non poteſt Papa, ut Papa ordinariè condere legem civilem, vel confirmare, aut infirmare leges Principum, quia non eſt ipſe Princeps Eccleſiæ politicus: tamen poteſt omnia illa facere, ſi aliqua lex civilis ſit neceſſaria ad ſalutem animarum, & tamen Reges non velint eam condere, aut ſi alia ſit noxia animarum ſaluti, & tamen Reges non velint eam abrogare. Itaque optima regula eſt, quam tradit Gloſſa *ad cap. Profeſſor, de regular. juris in 6.* quæ talis eſt: Quando de eadem re contrariæ inveniuntur leges Imperatoriæ & Pontificiæ, ſi materia legis eſt res animarum periculum concernens, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam. Et hoc modo lex Pontificia, quæ habetur *capite finali. de præſcriptionibus*, abrogavit legem Impe- Bellarm. Gloſſa.

ratoriam, quæ habetur *in Cod. de præscriptionibus 30. vel 40. annorum*, etiam cum mala fide; quia non poterat servari sinè mortali peccato. At quãdo materia legis est res temporalis, non concernens animarum periculum, non potest lex Pontificia abrogare legem Imperatoriam, sed utraque servanda est, illa in foro Ecclesiastico, ista in foro civili.

6. Papa si conferatur cum Christo, non habet plenitudinem potestatis, sed tantùm suam quandam portionem secundùm mensuram donationis Christi. Christus enim regit omnem Ecclesiam, quæ est in cœlo, in purgatorio, in terris; & quæ fuit ab initio mundi, & erit usque ad finem; ac propterea prò arbitrio potest leges condere, Sacramenta instituere, gratiam tribuere, etiam sinę Sacramentis. At Papa solùm regit eam Ecclesiæ partem quæ est in terris, dum ipse vivit, nec potest leges Christi mutare, aut Sacramenta instituere, aut peccata sine Sacramento remittere. Si tamen Summus Pontifex cum Episcopis ceteris comparetur, meritò dicitur habere plenitudinem potestatis: quia ceteri definitas habent regiones, quibus præsint, definitam etiam potestatem: ipse verò toti orbi Christiano præpositus est, & totam, ac plenàm habet eam potestatem, quam Christus ad Ecclesiæ utilitatem in terris reliquit.

7. Ex communi omnium sententia *in cap. Licet, de elect.* potest Papa constitutionem condere de formula & ratione eligendi futurum Romanum Pontificem: quia talis formula non est jure divino constituta, sed Canonico: At jus Canonicum Papæ potestati subiicitur: ergo ea formula electionis Pontificiæ, potest Romani Pontificis Constitutione mutari, minui & restringi; proinde hactenus varia & diversa circa Pontificis electionem decreta fuerunt constituta, ut ostendit c. *In nomine, distinct* 23. & c. *Licet, de elect.* & c. *Vbi periculum, de elect. in* 6. Clementin. *Ne Romani, de elect.* & tantùm à Iulio II. Paulo IV. & Pio IV. sunt de eadem re conditæ variæ Constitutiones.

Iulius II. Paul. IV. Pius IV.

8. Difficultas magna est inter Doctores, an Papa possit sibi eligere successorem? Pro sententia affirmativa facit, quod ad Papam spectat definire modum, quo Cardinales uti debeant in electione successoris; ex quo sequitur hoc jus primariò esse in Summo Pontifice, ut ipse eligere sibi possit successorem: nam, si non posset Papa successorem sibi eligere, neque etiam sua lege positivà aliis præscribere posset modũ electionis, sicut reverà præscripsit & Cardinalibus tribuit; quare enim non sibi tribuere posset, quod aliis potestà Imò posset legem ferre, ut vivens Pontifex eligeret successorem, & illa lex videtur futura convenientissima ad tollenda schismata & ambitiones. Tum quia ferur S. Petrum elegisse sibi Clementem, ut in Pontificatu succederet, teste Ioanne III. in Epistola unica, quæ est ad Germaniæ & Galliæ Episcopos, capite primo; ut habetur *in c. Si Petrus, & cap. Vnde* 8. *quæst.* 1. Nec dici potest cum fundamento, hoc fuisse Petro concessum ex peculiari privilegio, ut sibi successorem eligere posset: fecit enim hoc ex ordinaria potestate: ergo dubitandum non est, aliis etiam Pontificibus hanc potestatem reipsa Deum tribuisse. Proinde hanc opinionem sustinent Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 244. cap. 3. num. 26.* Victoria *in relect. undecima de potest. Ecclesiast. quæstione 2. proposit. 10. num.* 23. Andreas Duvallius *de potestat. Roman. Pontific. part. tertia, quæstione 6.* Bonacina *tractatu de elect. Pontific. quæstione sexta, puncto quarto, proposit. secundo.* & alij.

Ioan. III

Vasquez. Victoria. Duvall. Bonacina.

Pro negativa autem est, quia id esset in perniciem Ecclesiæ. Si enim successio futuri Pontificis in libero Papæ viventis esset arbitrio, jure sanguinis, non ratione morum & vitæ successor eligeretur, ex quo multa in Ecclesiâ incommoda & mala nascerentur: tum quia effectus huiusmodi electionis refertur ad tempus, in quo non est futurus Papa: tum quia Bonifacius II. tentavit ordinare sibi successorem Vigilium Diaconum; facta tamen iterum Synodo, ipsemet reum se confessus est Maiestatis, quod sibi successorem constituisset; & decretum sua subscriptione munitum, in præsentia omnium Sacerdotum & cleri & Senatus Incendio consumpsit, ut refert Baronius *tom. 7. anno 571.* & hanc sententiam esse communem inter Doctores testatur Panormitanus *in cap. Licet de vitanda, de elect. num.* 2. quem sequuntur Caietanus, Vincentius Candidus Sacri Palatij Magister, Turrianus, Azorius, Comitolus & alij jurisperiti citati à Diana *part. 10. tractatu 5. resolutione 2.* quibus adhæret *resolutione 4.* Quorum aliqui ex citatis Auctoribus volunt id quidem jure divino & Christi institutione non esse interdictum, sed ipso jure naturali videri esse cautum; nam eo ipso quo Christus Petrum suum Vicarium creavit, & voluit in eadem potestate Romanum Pontificem succedere; liberum Ecclesiæ reliquit, ut hoc aut alio modo Pontifex eligeretur. Hæc tamen liberâ potestate à Christo relictâ, consequitur, ut ipsa naturalis ratio præcipiat, ne Romanus Pontifex successorem eligat, cùm illa dictet, innumera pene mala in Ecclesiam orituta, si Papa id fecerit.

Bonif. II. Baronius. Panorm. Cajetan. Candidus. Turrian. Azorius. Comitol. Diana.

Proinde supradictas opiniones admittunt ut probabiles Suarez *lib. de fide, spe & charitate, disp. 10. sect. 4. num. 16.* Amicus *tom. 4. disp. 6. sect. 6. num. 204. & sequent.* Prior enim nec concedit dictam potestatem Pontifici simpliciter, nec negat: concedit in raro casu, urgente aperta Ecclesiæ necessitate & in eius ædificationem, non autem in destructionem. Negat autem si Papa tentaret prædictum eligendi modum tanquam ordinarium præstribere; quia planè vergeret in perniciem Ecclesiæ, unde apertam contineret iniustitiam. Posterior verò firmat, Summum Pontificem posse sibi successorem post mortem designare, & sic designatum, validè electum fore; modò talis electio apertam non contineat iniustitiam; quod contingeret si hoc faceret, quasi ex testamento dignitatis suæ hæredem substitueret: tunc enim invalida esset electio, tanquam usurpati juris non sui.

Suarez. Amicus.

9. Piè credendum est Papam errare non posse in canonizatione Sanctorum. Ratio est; quia honor & cultus publicus, quem Sanctis post canonizationem impendimus, est quædam fidei professio, qua Sanctorum gloriam credimus, & Summus Pontifex non potest errare in rebus fidei decernendis. Ita D. Thomas *quodlibet. nona, quæstione septima, articulo decimosexto*, D. Antoninus *parte tertia, titulo duodecimo, capite octavo, §. secundo*, Sylvester *verb. Canonizatione, quæstione 3.* Azorius *parte secunda, lib. 5. capite 6. quæst. 5.*

D. Thom. D. Anton. Sylvest. Azorius.

Si dicas: Canonizatio Sanctorum nititur testimoniis hominum, qui & fallere & falli possunt. Respond. cùm Papa auctoritate Apostolicâ definit aliquem inter Sanctos habendum, errare non potest; quia eius definitio non nititur testimoniis hominum, sed divinæ promissioni, qua Christus pro-

pro Petro rogavit, ne deficeret fides ejus, Luc. 22. ſupponit tamen hominum teſtimonia. Eſto fuiſſent hujuſmodi teſtimonia falſa, omneſque falſæ informationes, ut reverà eſſe poſſunt; non enim tenetur Deus hominibus aſſiſtere ne in teſtando errent, neque in ſacris literis talis aſſiſtentiæ promiſſio unquam invenitur. Reſpondeo, Deum quidem non aſſiſtere hominibus de vitæ ſanctitate & miraculis atteſtantibus, ſed aſſiſtere Romano Pontifici ne in definiendo erret; & ideò licet demus teſtimonia & informationes fuiſſe falſas, non tamen ideò ſequitur definitionem illam eſſe falſam: Deus enim Pontifici aſſiſtet, ne deficiat: nam cùm promiſerit numquam defecturam Petri fidem, divinæ eſt providentiæ, tunc ſuæ Eccleſiæ oſtendere & patefacere, ea teſtimonia eſſe falſa, ne Petri ſucceſſor definiat credendum id, quod falſum eſt.

10. Dubium eſt inter Doctores, an Papa poſſit errare in fide, & in hæreſis crimen incidere? Pro ſolutione dicendum eſt, Papã poſſe tanquam privatum Doctorem ex ignorantia in rebus fidei falli & errare. Ratio eſt, quia non conſtat hoc ei privilegium collatum eſſe, ut tanquam privatus Doctor errare nequeat ex ignorantia; præſertim cùm Summi Pontifices non ſemper æquè docti ſint, & contrarias aliquando habeant opiniones.

Tamen hinc non ſequitur ipſum eſſe hæreticum, quia hæreſis ſupponit contumaciam. Proinde dicendum eſt, ſecundùm probabiliorem ſententiam, Papam non poſſe eſſe hæreticum, neque ut Summum Pontificem, neque ut privatum Doctorem, & conſequenter non poſſe in controverſijs fidei & morum errare, aut in hæreſim labi. Ratio eſt, quia Papa eſt ſucceſſor S. Petri: ergo debet habere eamdem auctoritatem, poteſtatem & dignitatem, quam habebat S. Petrus; alioquin non diceretur S. Petri ſucceſſor: Petro autem collata fuit infallibilitas rerum fidei, Lucæ 22. *Oravi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Quâ enim certitudine Petrus confirmabit fratres ſuos, quos expetivit Satan ut eos cribraret ut triticum, ſi ſeipſum confirmare non poſſit? Quomodo portæ inferi non poterunt adverſus Eccleſiam prævalere, ſi adverſus Petram, ſuper quam fundata eſt, per hæreſim prævaleant? Ita Suarez *tract. de fide diſp. 10. ſect. 6. dub. 4. n. 11.* Simanchas *de Catholi. inſtit. tit. 12. num. 14.* Petrus Marchantius *in Tribunal. Sacrament. tom. 3. tract. 3. tit 4. quæſt. 3. propoſit. 3.* Suarez. Simanch. P. March.

Probabilis tamen eſt ſententia illorum, qui exiſtimant, Papam, ut privatum hominem, poſſe in hæreſim incidere. Nam ſicut aliud eſt in Petro, quod ſpectat ad privatam hominis excellentiam, aliud quod pertinet ad communem Eccleſiæ utilitatem; quòd Petrus Chriſti ſe eſſe diſcipulum negaverit, hominis erat; quòd confirmaret fratres ſuos in fide, ipſius erat tanquam in Eccleſia capitis: ſic etiam quòd Papa erret in fide, privati hominis eſt, non capitis Eccleſiæ: eſt Papa hæres privilegiorum, quæ data ſunt Petro, tanquam capiti Eccleſiæ, non eorum, quæ fuerunt Petri, tanquam hominis. Fides Romani Pontificis interior, non eſt neceſſaria Eccleſiæ, nec illius occultus & privatus mentis error in fide, Eccleſiæ Chriſti nocere poteſt. Proinde non eſt neceſſe, ut in interioris fidei conſervatione Romanis Pontificibus Deus ſemper aſſiſtat: at quòd, dum ea decernunt, quæ fidelibus credenda ſunt, dumque Eccleſiam Chriſti in fide dirigunt, non deficiant, ſed divina manu teneantur, ne errent, id Eccleſiæ bonum eſt. Hanc ſententiam ſequuntur Bañez, Cajetanus, Valentia, Turrianus, Canus, Sotus, Sylvius 2. 2. *quæſt. 39. art. 1.* & alij: quorum ſententiam ut probabilem ſequuti ſumus *tom. 1. verb. Papa, num. 3.* Bañez. Cajetan. Valentia. Turrian. Ca us. Sotus. Sylvius.

Tamen Doctores prioris ſententiæ ſuſtinent, nullum Pontificem hactenus in hæreſim lapſum fuiſſe: ſi enim apud aliquos aliqua reperiantur ab ijs dicta, quæ errorem ſapiant, prout plures errores illis impoſitos, & ab alijs allegatos enumerant Bellarminus *lib. 4. de Romano Pontif. cap. 8. & ſequent.* Azorius *part. 2. lib. 5. cap. 5.* illos quidem Pontifices de Cathedra errores docuiſſe nemo affirmare poteſt. Nemo æquus Scriptorum arbiter etiam ut particulares Doctores articulum tunc actu damnatum illos docuiſſe monſtrabit. Bellarminus *de Roman. Pont. lib. 4. cap. 6.* Bellarm. Azorius. Bellarm.

An autem Papa, ut perſona particularis, poſſit fieri ſchiſmaticus? Reſpondent affirmativè Auctores poſterioris ſententiæ. Ratio illorum eſt, quia poteſt accidere quod Pontifex nolit amplius eſſe Pontifex, neque tamen velit ſubeſſe illi qui poſtea eligetur, ſed conferat ſe ad hæreticorum aut Schiſmaticorum conventicula: Atqui hoc eſt eſſe ſchiſmaticum: ergo Pontifex poteſt eſſe ſchiſmaticus. Tum quia poteſt fieri quod Papa ſeipſum ſeparet à Communione Catholicorum Epiſcoporum, aliorumque fidelium; & vel ſolùm communicet cum quibuſdam ſibi adhærentibus, vel tantùm vivat ſicut Dominus temporalis. Item quod Eccleſia volente ritus & conſuetudines Apoſtolicas retinere, ipſe nolit, atque ita ſe ab illis ſeparet. Tamen probabile eſt quod Spiritus ſanctus, qui Eccleſiam regit, numquam ſit permiſſurus ut Papa legitimus in ſchiſma incidat.

11. Secundùm probabiliorem ſententiam, fide divina credimus, hunc vel illum, qui nunc clavum Eccleſiæ tenet, eſſe verè & propriè Summũ Pontificem, Petri ſucceſſorem & Chriſti Vicarium in terris. Ratio eſt, quia tota Eccleſia credit, docet ac tenet hunc eſſe talem: ergo ſi fide humana tantùm crederet, falli poſſet in re tam gravi. Tum quia non videtur credibile, fide divina non credere nos, Pontifices, qui B. Petro hactenus ſucceſſerunt, fuiſſe verè Summos Pontifices, & B. Petri ſucceſſores. At proinde magnus error fuiſſet & eſſet Eccleſiæ, quæ credit & credidit hactenus ſemper tot Pontifices fuiſſe verè Petri ſucceſſores. Tum quia definitio fidei Papæ auctoritate facta, tandem reſolvitur in auctoritatem Papæ tanquam certi judicis in definiendis, & declarandis rebus fidei: ergo tale judicium Papæ, eſt fide divina certum ac firmum. At ſi ſolùm humana fide crederemus, hunc vel illum eſſe Summum Pontificem, non poſſet ejus judicium in rebus fidei eſſe fide divina certum ac verum. Accedit; cùm hic, vel ille Pontifex aliquid in fide & moribus definit vel declarat, eo ipſo obligat totam Eccleſiam ad id fide divina credendum: at ſi fide divina certum non eſſet, cum eſſe Summum Pontificem, non obligaretur Eccleſia ad credendum fide divina judicium & ſententiam hujus Pontificis, de quo ſolùm conſtat fide humana, eſſe B. Petri ſucceſſorem.

Si objicias, fieri poſſe, ut Papa non ſit ritè & legitimè electus, utpote inhabilis jure naturali & divino ad Summum Pontificatum. Reſpondeo Spiritum S. Eccleſiæ aſſiſtere & nunquam permiſſurum, neque permiſiſſe, ut inhabilis ad Summum Pontificatum eligeretur, vel eligatur, quin priùs oſtendat & declaret eum eſſe inhabilem. Proinde ſi baptizatus non fuerit, aut non fuerit

vir, divinæ est providentiæ declarare priùs, & ostendere Ecclesiæ, eum non esse baptizatum aut virum.

Ex dictis probabiliter sustineri potest, illum esse hæreticum, qui negaret hunc Summum Pontificem Innocentium X. esse verum Papam & caput Ecclesiæ, postquam sufficienter proponitur, seu postquam constat ipsum esse ritè & Canonicè electum, vel dum moraliter constat illum esse acceptatum à tota Ecclesia, & pacificè possidere primatum, atque adeò posse obligare omnes fideles ad credendum quidquid definierit. Ratio præter dictas est, quia dum hæretici Ecclesiæ re-
Mart. V. conciliantur, ex constitutione Martini V. interrogari debent, an credant Pontificem pro tempore esse verum Pontificem, successorem B. Petri & Christi Vicarium; ergo signum est hunc esse fidei articulum. Tum quia qui Canonicè electus est in Papam, est verus Papa. Sed hic Canonicè electus est: ergo est verus Papa. Nam si fide non constaret hunc esse verum Papam, neque constare posset hoc esse verum Concilium: cùm verum Concilium formaliter includat verum Papam: Sed negans hoc esse verum Concilium, est hæreticus, non minùs, ac si negaret vera esse quatuor Euangelia, teste Gregorio Magno: ergo &c. Nec obstat, quod negans hunc esse verum Papã, non puniatur tanquam hęreticus; ergo reipsa non videtur hæreticus? Resp. negando consequentiã secundùm hanc sententiam: quia non punitur tanquam hæreticus, quia hæc opinio non est explicitè definita ab Ecclesia, & multos habet contrarios. Tamen secundùm omnes dicendum est quod ille, qui negat hunc esse verum Papam, illique obedientiam negligit præstare, schismaticus est, & schismaticorum pœnis subjicitur. Ita Suarez *in tract. de fide disp. 10. sect. 5.* Azorius *part. 2. lib. 5. cap. 5. quæsit. 4.* Bonacina *tom. 3. disp. 1. q. 2. punct. 1. num. 9.* & alij recentiores Societatis, contra Cajetanum *2. 2. q. 1. a. 3. in respons. ad 4.* Bañem *2. 2. quæstione 1. articulo 10.* Corduban *lib. 1. quæstione 17. §. 2.* & alios penes ipsos citatos.

Suarez. Azorius. Bonacina. Cajetan. Bañez. Corduba.

12. Papa ex communi SS. Patrum & Doctorum sententia, *Primò*, est iudex controversiarum fidei, Scripturarum Sacrarum declarator & approbator, omnis falsæ, apocryphæ & temerariæ doctrinæ censor. *Secundò*, Sacramentorum materiam, formam, ritus declarat; Sacramentalia instituit; Officia Sacra & Divina, omniaque ad cultum Dei necessaria plenissimâ auctoritate decernit. *Tertiò*, Leges sancit, Canones condit, constitutiones, decreta, mandata ad Ecclesiæ & disciplinæ Ecclesiasticæ decorem & consecrationem edit. *Quartò*, Magistratum omnem Ecclesiasticum instituit, Cardinales creat, Legatos in universum orbem mittit, Archiepiscopos, Patriarchas, Primates, Episcopos, Sacerdotes, Diaconos aliosque Ecclesiæ Ministros necessarios ordinat, & ad omnes mundi plagas operarios & Prædicatores destinat, Concilia & Synodos convocat & approbat. *Quintò*, Peccantes censuris corrigit, rebelles & incorrigibiles varijs pœnis plectit, excommunicat, suspendit, interdicit, deponit, degradat, &c. Denique Pontifex Romanus potestate à Christo, mediante Petro, cui succedit, sibi collatâ potest quidquid ordinatè pertinet & refertur ad Ecclesiæ bonum, & animarum Christianarum salutem. Ratio est, quia credendum est Christum in nullo Ecclesiæ suæ aut animarum saluti defuisse: defuisset autem, si potestatem in necessarijs ad salutem vel Ecclesiæ bonum defectuosam dedisset.

Vide verb. Abbas *num.* 18. Abbatissa *num.* 20. Baptismus 3. *num.* 21. Bellum *num.* 15. Beneficium 5. *num.* 15. Commendationes Ecclesiarum *num.* 6. Communio *num.* 6. Concilium *num.* 8. & 9. Confessio *num.* 9. & 10. Decimæ *num.* 3. & 4. Dominium *num.* 7. Excommunicatio 1. *num.* 4. & 7. Excommunicatio 2. *num.* 16. Excommunicatio 3. *num.* 1. Visitatio *num.* 3. Votum 2. *num.* 11. Exemptio *num.* 2. Indulgentia 1. *num.* 9. & 10. Irregularitas 3. *num.* 7. Iuramentum *num.* 32. Legatum *num.* 23. Legitimatio *num.* 1. & *sequent.* Lex 2. *num.* 6. & 16. Matrimon. 2. *num.* 2. & *sequent.* Matrimon. 3. *num.* 2. & 4. Missa 1. *num.* 7. Paupertas *num.* 7. Religio *num.* 18. Simonia *num.* 20. & *sequent.*

PARENTES.

SUMMARIUM.

1 *An præceptum quartum Decalogi de honorandis parentibus ad virtutem pietatis pertineat.*

2 *Circa curam filiorum, ut pescent parentes in spiritualibus.*

3 *An teneantur parentes de iure naturæ filijs alimenta præstare.*

4 *An peccet mortaliter filius accusans parentes civiliter aut criminaliter.*
An liceat filio parentem publicè proscriptum à patria occidere.

5 *An maritus teneatur uxori honorem & amorem, imò & obedientiam exhibere.*

6 *An peccet mortaliter maritus impediens ne uxor adimpleat præcepta iuris naturalis, vel divini, vel Ecclesiastici.*

7 *An uxor teneatur amorem, honorem & obedientiam marito exhibere in ijs, in quibus ei subiecta est.*
An aliquando possit uxor absque peccato se ingerere in administrationem domus.

8 *Qui dicantur servi, qui famuli, qui operarij? & qualem obedientiam debeant dominis.*

9 *An domini teneantur famulorum curam habere? & de peccatis quæ contingere possunt in ipsorũ cura.*

10 *An dominus famulo debeat alimenta, vel pretium conventum loco alimenti? Et ad quas expensas teneatur dominus, si famulus ægrotet.*

1. PRæceptum quartum Decalogi de honorandis parentibus, primariò & directè ad virtutem pietatis pertinet, ut docent communiter Doctores cum D. Thoma *secunda secundæ, quæstione 101.* Pietas enim est virtus, quæ impellit homines ad colendum parentes, cognatos, patriam & amicos, tanquam quædam secundaria principia, quibus subsistimus & conservamur. Nam Parentes sunt principium nostri esse & conservari. Deinde ad hoc præceptum revocantur ea virtutis officia, quã venerationem, honorem & obsequium debemus his, qui sunt in aliqua dignitate, potestate, auctoritate, magistratu & honore meritò constituti, quique publico munere & officio funguntur, quam D. Thomas observantiam appellat, de quo agit *quæstione 102.* Item & ea officia virtutis, qua parere debemus ijs, qui sunt nobis aliqua potestate & auctoritate præfecti; quæ virtus dicitur obedientia, de qua idem Sanctus Thomas *quæstione 104. & 105.* Denique omnia officia charitatis in proximum ad hoc præceptum revocari possunt, ut dilectio proximi, & opera misericordiæ in illum.

D. Thom.

D. Thom.

2. Ex

2. Ex eadem virtute pietatis parentes tenentur curam habere filiorum. Si enim ceteri curam aliorum domeſticorum habere tenentur, ex D. Paulo 1. Timoth. 5. à fortiori parentes. Hæc autem cura in duobus præcipuè conſiſtit, nempe, ut filijs in ſpiritualibus, & temporalibus provideant de neceſſarijs. Et quantum ad ſpiritualia, peccant *Primò*, parentes mortaliter pro gravitate materiæ, ſi filios abſque rationabili cauſa à bono revocent, & impediant; puta ſi ab ingreſſu Religionis ſine juſta cauſa impediant, aut ſi cogant eos tunc ad matrimonium eligendum, ex Navarro *cap.* 14. *num.* 17.

Secundò, ſi quantum in ſe eſt, non curent, ut filij moribus bonis imbuantur, doctrinam Chriſtianam, ſeu fidei rudimenta addiſcant; ſi patiantur, ut ſcholas hæreticorum adeant; ſi non curent, ut pravorum conſortia devitent, & quantum in ſe eſt, ſi non ſtudeant, ut mandata Dei obſervent, Sacramenta frequentent, & ab omni peccato mortali abſtineant, & virtutem complectantur. Nam Deus punit parentum negligentiam in filijs inſtruendis, ut videre eſt 1. Reg. 2. 3. & 4. Proinde non ſolùm tenetur pater curare, ut filius addiſcat ea, quæ pertinent ad ſalutem ſpiritualem, verùm etiam, tenetur facere ſumptus & expenſas, ut filius literis operam det, niſi aliunde filius in ſtudio literarum ſuſtentare ſe poſſit. Appellatione verò literarum intelliguntur ea, quibus ceteri more patrio paris conditionis filij eruditi & informati ſolent. Ita Azorius *parte ſecunda*, *lib.* 2. *cap.* 4. *quæſt.* 17. Reginaldus *lib.* 20. *num.* 41. Filliucius *tract.* 28. *cap.* 2. *part.* 2. *n.* 24. & alij. Azorius. Reginald. Filliucius.

Tertiò, parentes graviter peccant, qui peccatorum mortalium occaſiones à filijs non avertunt; ut ſi filiabus permittant amorem ob malum finem, aut ſi permittant tactus impudicos inter ſponſum & ſponſam de futuro, vel eos in loco ſuſpecto habitare. Bonacina *to.* 2. *diſp.* 6. *q. un. punct.* 6. *n.* 3. Trullench *in Decalog. to.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 3. *n.* 4. & alij. Bonacina. Trull.

Quartò, peccant graviter parentes depravando filios malo exemplo aut pravis conſilijs; non objurgando eos nec caſtigando, dum neceſſaria eſt caſtigatio, vel objurgatio ad eorum ſalutem. Verè tamen debent parentes ne modum in verberibus inferendis excedant; nam mortaliter peccarent, qui immoderatè verberarent, ut ſi filius notabilem læſionem patiatur ex ea percuſſione, ut docent Sotus *de juſt. lib.* 5. *q.* 2. *a.* 2. Sylveſt. *verb. Percuſſio.* Reginaldus *loco citat. n.* 42. & alij communiter. Sotus. Sylveſter. Reginal.

3. Quo ad temporalem curam parentum erga filios ſpectat, tenentur parentes de jure naturæ filijs alimenta præbere. Ratio eſt, quia ex ipſa naturæ propenſione, quæ eſt homini communis cum beluis, oritur hæc obligatio: nam feræ etiam alioqui ſævæ & immanes, filios nutriunt. Quare quamdiu filij infantes, ac teneri ſunt, aut pueri, omninò ali debent à parentibus, donec adoleverint; & etiam poſtquam fuerint adulti, ſi inepti ſint prorſus & inhabiles ad ſe ſuſtentandum; puta ſi mente vel membris capti ſint, vel aliquo morbo impediti; nam tunc perinde ſe habent ac ſi eſſent infantes. At ſi filij adulti ſint & per ſe ipſos ſuſtentare ſe poſſint, vel aliunde per alios quoſlibet, tunc parentes non tam arcto & ſtricto jure naturæ eis alimenta debent; ſed tantùm ex æquitate naturali & jure communi ſcripto, tum civili, tum Canonico. Ita ex communi Covarruvias *in epit. part.* 2. *cap.* 8. §. 6. *n.* 1. Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *c.* 4. *quæſt.* 1. Filliucius *tract.* 28. *part.* 2. *cap.* 2. *quæſt.* 3. & 5. & alij. Vide dicta *tom.* 1. *verb. Alimenta.* Covar. Azorius. Filliucius.

Hoc jus naturæ dandi alimenta filijs adeò ſtrictè obligat parentes, ut non ſolùm legitimis, ſed etiam illegitimis & ſpurijs ex quocumque damnato concubitu ea dare teneantur: quod præcepit jus Canonicum *in cap. Cùm haberet, de eo qui duxit in uxorem, quam polluit*, & *cap. Per venerabilem, qui filij ſunt legitimi*, licet jus civile *in Authent. Ex complexu, Cod. de inceſt. nupt.* & alibi hujuſmodi filijs alimenta detrahat; Juri tamen Canonico ſtandum eſt, quia æquitati naturali conformius eſt, ut docent Covarruvias *de matr.* 2. *p. c.* 8. §. 6. *num.* 7. & 8. Pontanus *tract. de alimen. cap.* 1. *n.* 11. & 12. Proinde dicendum eſt, jus civile ſolùm adimere filijs ſpurijs alimenta, cùm poſſunt aliunde ali, præterquam à patre. Ius verò Canonicum voluit etiam tunc, ut parentes filijs alimenta præberent, & in foro judiciali jus Canonicum, non civile, eſt in hac parte ſervãdum, ut ex communi tradit Covarruvias: alioquin non ſolùm contra æquitatem, ſed contra jus naturæ decreviſſet jus civile, ut multis allegatis tradit Covarruvias *loco citat. n.* 3. quibus adde Villalobos 2. *p. tr.* 41. *diffic.* 7. *n.* 1. Covar. Pontan. Covar. Villalob.

Nec dictis obſtat Pius V. anno Domini 1570. in Conſt. quæ incipit *Quæ Ordini*, prohibere clericis ne poſſint in teſtamento, vel donatione cauſâ mortis, relinquere bona ſua ex fructibus beneficij acquiſita filijs ſpurijs: & in altera Conſt. quæ incipit *Ad Romanum ſpectat*, hoc extendat ad bona etiam patrimonialia clericorum, tamen hæ conſtitutiones viris doctis non videntur uſu receptæ; vel verius eſt illas ſolùm auferre clericis facultatem teſtandi, non autem eſſe derogatum juri communi, per quod conſtat alimenta præberi poſſe filio ſpurio: quare conſtitutiones non prohibent alimenta, ſed tantùm hæreditates, donationes, &c. ultra alimenta: proinde clerici non habentes alia bona, poſſunt fructibus beneficij, filijs ſpurijs alimenta relinquere; non tantùm ea, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria, ſed etiam ea quæ ex naturali æquitate debentur; ſicque poteſt clericus filiam ſpuriam ex fructibus beneficij & intuitu Eccleſiæ acquiſitis, dotare: quia dos ſuccedit alimentis, quæ jure Canonico debita ſunt. Ita Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *quæſt.* 7. Filliucius *tr.* 28. *part.* 2. *c.* 2. *quæſt.* 5. Navarrus *de ſpol. cler.* §. *ult. num.* 9. & *conſil.* 5. *de teſtam.* Pius V. Azorius. Filliucius. Navarrus.

De his autem, in quibus filij parentes honorare tenentur, ſeu in quibus honor parentum & obligatio filiorum erga ipſos conſiſtit, diximus *to.* 1. *verb. Filius*, quibus hæc addo.

4. Si parentes de aliquo crimine accuſet filius ſive civiliter, ſive criminaliter, mortaliter peccat, etiamſi crimen verum ſit: quia omni lege prohibitum eſt filijs accuſare parentes, vel contra eos teſtificari, niſi in tribus caſibus. *Primò*, licet filio agere contra parentem ſibi alimenta denegantem. *Secundò*, licet filio patrem accuſare, quando pater intentat Reipublicæ traditionem & conjurationem, antequam crimen ſit factum, & nulla ſit via mali impediendi. Patrato tamen delicto non licet, niſi rogetur à Iudice juridicè, & non ſint alij teſtes. Navarrus *in Man. cap.* 14. *num.* 12. *verſ. Septimò.* Navarrus.

Tertiò, ſi pater ſit hæreticus occultus, quando nõ ſunt alij qui comodè poſſint teſtificari aut denuntiare: quia ſi exiſtãt, durũ videtur exigere teſtimonium filij contra patrẽ in re adeò atroci, cùm tunc neceſſarium non ſit, ſed ex alijs commodè rẽs haberi poſſit. Ita Clavis Regia *libr.* 12. *capite* 19. Clav. Reg.

Azorius. Sanchez. Salon. Trull. num. 25. Azorius *part. 2. lib. 2. cap. 2. quæst. 13.* Sanchez *in consiliis part. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 19.* Salon 2. 2. *quæst. 70. art. 1. controv. 2. conclus. 3.* Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 2. dub. 6. num. 11.* & alij penes ipsos.

Sed quæres, casu quo pater publicè proscriptus esset à patria, & à Principe data facultas esset, ut impunè posset occidi, an liceat tunc filio parentem occidere? Respond. duplicem esse sententiam: quidam affirmant, quia Respublica, vel Princeps quoslibet privatos necis Ministros constituit: tum quia tales publicè proscripti habentur tanquam hostes patriæ. Ita Bartolus *in l. Si* Bartolus. Gomez *adulterium cum incestu, §. Liberto, ff. de adulter.* Gomez *in instit. de action. §. Rursus, n. 22.* & alij. Verior tamen est opinio negans. Ratio est; quia tametsi fuerint publicè proscripti, non sunt tamen patriæ hostes, cùm in eam arma non capiant: nec sunt Reipublicæ proditores: & quamvis Respublica vel Princeps cuilibet facultatem dederit eos occidendi, verisimile est in concessione generali excipi filium respectu patris; quia id pugnare videtur cum pietate & charitate parentibus debita. Ita sentiunt Covarruvias *de matrimon.* Covar. Decius. Filliucius. Azorius. *part. 2. cap. 7. §. 7. num. 5.* Decius *in cap. Quæ in Ecclesiarum, num. 4. de Constit.* Filliucius *tract. 28. 2 part. n. 19.* Azorius *part. 2. lib. 2. cap. 2. quæst. 15.* & alij.

5. Cùm in hoc quarto Decalogi præcepto non solùm præcipiatur honor erga parentes, sed etiam mutua obligatio & amor viri & uxoris; hinc maritus tenetur uxori, non solùm actibus internis, verùm etiam externis honorem & amorem; imò etiam obedientiam in ijs, in quibus est uxori subiectus, exhibere. Amorem debet, quia quilibet tenetur seipsum & proximum diligere; uxor autem est valde proxima marito, imò sunt duo in carne una. Honorem debet, quia honor debetur ratione superioritatis, & excellentiæ; uxor autem aliqualem habet in virum superiotitatem, & propriam excellentiam. Denique obedientiam aliquando tenetur præstare uxori, eò quòd alter alteri debitum petenti reddere tenetur. Hinc graviter peccat maritus verba infamatoria proferens contra uxorem, etiamsi in ea sine animo infamandi prolabatur, & quamvis non sequatur infamia; ut si dicat esse adulteram, modò tamen plena & sufficiens advertentia adsit: nam qui alterum injurijs afficit, non dicitur eum diligere & honerare. Non videtur tamen illicitum aliquando correctionis causa aliquid in uxorem proferre, modò cum ea discretione & moderatione proferatur, ut uxor notæ infamiam non incurrat, nec infamiæ periculum subeat, sicut eam licet moderatè verberare; licitum enim est uti medijs ad emendationem fructuum necessarijs. Ita Clav. Reg. Navarrus. Reginald. Trullench Clavis Regia *lib 7. cap. 7. n. 9.* Navarrus *in Man. cap. 14. num 19. vers. 26.* Reginaldus *lib. 20. n. 47.* Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 1. dub. 4. n. 4.* & alij.

6 Peccat etiam mortaliter maritus impediens, ne uxor adimpleat præcepta juris naturalis, vel divini: quia vix occurrere possunt causæ, quæ probabilem excusationem dent marito ad eorum impletionem. Similiter peccat mortaliter, si absque justa causa vir impediat uxorem ab adimpletione præcepti Ecclesiastici, quia vir tenetur uxorem diligere; at impediens ne præcepta servet, eam potùs odio, quàm amore prosequitur, ut si impediat absque legitima causa, ne audiat Missam, aut jejunet tempore præcepti: ex justa tamen causa posset impedire eorum obligationem, ut si ex jejunio nimis imbecillis & deformis reddatur: & ex egressu è domo ad Missam, damnum notabile timeatur in salute, ut diximus *tom. 1. verb. Jejunium II. num. 10.* & *verb. Missa IX. num. 2.* Si autem maritus impedimentum afferat solùm circa ea, quæ non sunt ex præcepto debita, ut plurimum non est reus lethalis culpæ; quia uxori non infert gravem injuriam, aut notabile damnum. Ita Bonacina *tom. 2. disp. 6.* Bonacina. *quæst. unic. punct. 7. num. 2. vers. Secundò,* Filliucius *tr. 28. part. 2. n. 139.* & alij. Filliucius.

Item tenetur maritus domus & uxoris curam & administrationem habere; quod ei competit ex ratione capitis quam gerit respectu uxoris; sicque tenetur providere res necessarias victui & vestitui, malos mores uxoris corrigere & peccatorum occasiones avertere, & si in re gravi negligens sit, mortaliter peccabit. Filliucius *loco* Filliucius. *citat. num. 142.*

7. Similiter uxor tenetur amorem, honorem & obedientiam marito exhibere in ijs, in quibus ei subjecta est: quia vir est superior & caput mulieris: Superiori autem & capiti quilibet debitum amorem, honorem & obedientiam in ijs, in quibus subjectus est, præstare debet. Hinc graviter peccat uxor, dum notabiliter inobediens est circa ea, quæ ad bonos mores & familiæ gubernationem pertinent, in quibus viro subiecta est; unde si illa vellet gubernare, spreto viro, peccatum mortale committeret: nam alienam potestatem usurparet. In duobus tamen casibus posset uxor absque peccato se ingerere in administrationem domus: *Primò*, si vir morosus esset & nollet ea concedere, quæ postea in bono statu advertens recipit, eique placent, præcipuè si id cessurum esset in utilitatem viri & familiæ. *Secundò*, si vir prodigus esset & dilapidaret bona familiæ: posset enim tunc uxor prudenter, secluso scandalo, & perturbatione pacis, surripere occultè pecunias, ne dispendantur, ut diximus *tom. 1. verb. Furtum 2. num. 5.* cum Doctoribus ibi citatis. Imò si maritus est amens, vel fatuus, vel absens, tunc administratio ad eam devolvitur, nisi aliter à Magistratu sit provisum, vel à marito absente. In his enim casibus non solùm potest dare id tantùm, quod maritus præsens, vel compos mentis solitus erat dare, sed potest dare prout ratio dictabit: nam potest secundùm suam prudentiam administrare; ut etiam diximus *tom. primo, verb. Donatio, num. 4. vers. Sextò*, post Doctores ibi citatos, quibus addo Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 4. cap. 1.* Trull. *dubio 4. numer. 18.* & *tom. 2. lib. 7. cap. 5. dub. 8. num. 16.*

De alimentis debitis uxori à marito, vide suprà *verb. Alimenta, numero decimo, & sequentibus.*

8. De obligationibus servorum & famulorum erga dominos, sequentia dicenda veniunt. *Primò*, quòd servi dicuntur illi, qui non sunt juris sui, sed emi solent à dominis, aut justo bello capiuntur. Famuli verò dicuntur illi, qui stipendio & mercede locant seipsos ad tempus in obsequium Domini: & differunt ab operarijs: nam operarij locant operas suas ad certum genus operis; famuli verò locant seipsos ad serviendum & obsequium præstandum, prout opus fuerit, & conveniens statui famulorum; quamvis nomen servi accipiatur aliquando pro famulo. Ita Azorius 2. *part. lib. 2. cap. 39. quæst. 1.* Regi- Azorius. naldus *lib. 20. num. 57.* Filliucius *tract. 28. cap. 3.* & alij. Reginal. Filliucius.

Secundò,

Secundò, debent deferre honorem debitum dominis, alias graviter peccant, si eos contemnant, irrideant, vel negligant: & præstare obedientiam in rebus, in quibus dominis subijciuntur; non tamen tenentur, nec possunt obedire in ijs, quæ per se mala sunt, ut quæ sunt contra jus naturale, vel jus gentium, & in ijs, quæ sunt contraria divinis præceptis. In ijs verò, quæ Ecclesiæ & legibus civilibus Principum sunt contraria, considerandum est, an arctiùs obliget Ecclesiæ, vel Principis præceptum, quàm domini; & tunc etiam ipsi potiùs Ecclesiæ, quàm domino, parèdum est. Quòd si Principis præceptum, vel Ecclesiæ non ita arctè obliget, ut velit anteponi præcepto domini, tunc poterit servus tutâ conscientiâ parêre domino; quia in tali casu non obligat Ecclesiæ vel Principis præceptum. Si autem res sit indifferens, nec bona nec mala ex se, obediendum est domino; & à fortiori multò magis, quando essent opera bona & legibus conformia. Ita Azorius *loco citat. c.* 38. *quæst.* 10. Filliucius *tract.* 28. *part.* 2. *num.* 64 & alij. Ex quibus infertur, servos graviter peccare, dum non obediunt domino in rebus magni momenti, aut si grave damnum inferunt, aut non impediunt, ne dominus damnum patiatur. Ita Clavis Regia *lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 12. Navarrus *in Manual. cap.* 14. *n.* 22 & alij. Porrò quæ dicta sunt de servis, proportionabiliter accommodari possunt famulis, ac proinde, in ijs Doctores promiscuè loquuntur de servis, ac famulis, ut videre est apud Bonacinam *to.* 2. *disp.* 6. *quæst. unic. punct.* 8. *n.* 14. Sed de his plura *tom.* 1. *verb. Famulus.*

Azorius. Filliucius. Clav. Reg Navarrus. Bonacina.

9. Domini & Superiores tenêtur famulorum, & aliorum sibi subditorum curam habere; quia sunt ipsorum caput & parentum vices gerunt; proinde Domini & Superiores, qui curam & salutem subditorum negligentes notabiliter sunt, graviter delinquunt, ut habetur 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior.* Quod contingit præcipuè in his casibus: *Primò*, si sint negligentes in procurandis ijs, quæ sunt necessaria ad salutem famulorum, ut est susceptio Sacramentorum suo tempore, Missæ auditio, & alia hujusmodi. *Secundò*, si sint negligentes in corrigendis eorum peccatis. *Tertiò*, si jubeant aliqua, quæ servi facere non possunt sine peccato mortali. *Quartò*, si eos onerent laboribus intolerabilibus. *Quintò*, cùm eos afficiunt cõtumelijs, ut vocando servos Christianos, canes. *Sextò*, si graviter verberent ex levi causa. *Septimò*, si fraudent operarios sua mercede, vel differant absque rationabili causa. *Octavò*, si non expellant servum malum, vel subtrahant ex alimento consueto, unde probabiliter credatur ad sanitatem mentis rediturus; tenetur enim dominus cohibere quantùm potest, ne famuli, serviúque sui sint blasphemi, vel periuri, vel aliquod peccatum grave publicè committant; ideoque tenetur dominus bis, aut ter famulum de mala vita, & maximè de concubinatu corrigere, quem, si emendare se noluerit, tenetur domo expellere; at si verisimile esset domo expulsum deteriorem fore, posset domi retineri adhibitis remedijs, quæ possunt adhiberi, dummodo concubinam servi in domo sua dominus non retineat; quia hoc esset quodammodo fovere peccatum servi: si tamen concubina alibi sit, & sciat servum uti consortio ejus, non tenetur eum expellere, nisi fortè propter scandalum, maximè si id faciat causâ aliàs vitandi gravis damni, ne defraudetur servo suo, aut ne deterior fiat fugiendo. Hæc colliguntur ex Navarro *in Man. cap.* 14. *num.* 21. D. Antonino 2. *part. tit.* 5. *cap.* 9. §. 2. Eman. Sà *verb. Dominus, num.* 2. Clavi Regia *lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 11. Gelvaldo *part.* 3. *tract.* 10. *cap.* 2. *num.* 15. Trullench *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1 *dub.* 6. *n.* 2. Azorio *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 39. *q.* 13. & alijs apud illos citatis.

Navarrus. D. Anton. Eman. Sà Clav. Reg. Gelvald. Trull.

10. Dominus, seu herus tenetur prospicere saluti, ac vitæ famuli, tum corporis, tum animæ, dum est in ejus famulatu: unde debet ei alimenta ad ejus famulatum congruentia; dignus est enim operarius cibo suo, quia in locatione operarum conductor tenetur dare alimenta operario, vel pretium conventum loco alimenti. Quod si famulus ægrotet, debentur illi impensæ, quàs dominus alioqui faceret, si valeret: non tamen cogitur herus eas impensas solvere, quæ immodicæ sunt, & ingentes ob morbi magnitudinem & gravitatem. Si autem morbus levis sit, est domi retinendus impensis domini: ita enim ipse obligationem interpretatus est. Præterea si impensæ absolutè & simpliciter vitæ humanæ sint necessariæ, eas illi debet dominus, non quatenus famulo, sed quatenus homini ad extremam egestatem redacto. Ex quo fit, ut si famulus habeat aliunde, vel probabiliter habiturus creditur, unde curari possit, non debeat dominus ex suo eas impensas facere, nisi ex humanitate & benignitate sua. Quare si morbus gravis sit, ita ut indigeat magnis sumptibus, & cura particulari, non peccat dominus transmittendo ægrotum famulum ad hospitalem domum: non enim peccat contra justitiam, cùm non obligaverit se ad expensas pro tempore, quo famulus prava utitur valetudine: neque peccat contra charitatem, cùm ex charitate solùm teneatur succurrere, dum non est alius qui subveniat; in hoc autem casu adest hospitalis domus. Ita Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 39. *quæst.* 3. & 4. Filliucius *tract.* 28. *part.* 2. *numer.* 82. & 83. Bonacina *tomo secundo, disput.* 6. *quæstione unic. punct.* 8. *numero* 7. Reginaldus *lib.* 20. *num.* 60. Trullench *loco citat. num.* 9.

Azorius. Filliucius. Bonacina. Reginal. Trull.

Vide v. Juramentum *n.* 24. Novitiatus *n.* 4. 7. 11. Votum 1. *num.* 15.

PAROCHIA. PAROCHVS.

SUMMARIUM.

1 *Parochia unde originem ducat? & quid sit? & qualiter Ecclesia Parochialis dignoscatur?*
2 *Parochia largè an sumatur pro tota Diœcesi.*
3 *Parochus unde dicatur? Et quibus nominibus in jure decoretur?*
4 *In quibus consistat summariè jus Parochiæ, seu Parochi.*
5 *De primo jure Parochiæ, quod est Baptismum conferre Parochianis.*
6 *De secundo, quod Parochiani semel in anno debeant proprio Parocho confiteri. Hic adducitur Bulla Clementis VIII. in favorem Religiosorum, destinata ad Nuncium Apostol. in Belgio degendum.*
7 *De tertio jure, ut Parochiani teneantur in Paschate in Parochia propria communicare.*
8 *De quarto, quod Parochiani audiant Missam Parochialem diebus Dominicis & Festis.*
9 *An Episcopus possit cogere populum, ut diebus Dominicis & solemnioribus Festis ad propriam Parochiam accedat?* Refertur duplex sententia.
10 *De quinto jure Parochi, quod est ministrare*

ſuis Parochianis Sacramentum Extremæ-Unctionis.

11 *De ſexto, quod matrimonia debeant in propria Parochia & à proprio Parocho celebrari.*

12 *De ſeptimo, quod eſt ſuos Parochianos ſepultura Eccleſiaſtica donare. Referuntur ibi privilegia Ordinum Mendicantium quoad hanc ſepulturam.*

13 *De octavo jure Parochi, quod eſt percipere decimas.*

14 *An Parochia, quæ de novo aliquot agros intra terminos alterius Parochiæ acquirit, ei teneatur decimas ſolvere de agris acquiſitis?* Refertur duplex ſententia.

15 *De nono, quod eſt primitiarum perceptio.*

16 *De decimo jure Parochi, quod eſt oblationes fidelium recipere.*

An de jure teneantur Parochiani Dominicis & Feſtis diebus aliquas oblationes offerre ſuis Parochis tempore Miſſæ? Refertur duplex ſententia.

17 *An omnes oblationes quæ fiunt in ſacellis intra Parochiam ſitis, de jure ad Parochum pertineant? Et an laici in jus aliquod in oblationes acquirere poſſint.*

18 *Quarum perſonarum & quarum rerum oblationes Eccleſia non recipiat.*

19 *De undecimo jure Parochi, quod eſt accipere Canonicam portionem funeralem.*

20 *An Canonica portio debita Eccleſiæ Parochiali poſſit conſuetudine vel præſcriptione præſcribi.*

21 *An Canonica portio ſemper debeatur Eccleſiæ Parochiali, etiamſi alibi quis caſu moriatur, vel eligat ſepulturam? Et quid juris quando aliquis æqualiter in diverſis Parochijs habitat, & in tertio loco ſepulturam eligit.*

22 *A quibus ſit ſolvenda Canonica portio Parochialis.*

23 *An de jure communi ſolvenda ſit hæc portio Canonica etiam à religioſis? Et quid illis conceſſerint privilegia Pontificum circa hanc portionem.*

24 *Quid ſtatuerit Concilium Tridentinum pro religioſis circa quartam funeralem.*

25 *De ultimo jure Eccleſiæ Parochialis, ut ſolùm habeat unum Rectorem, ſeu Parochum.*

26 *Qua idoneitas requiratur in eligendo ad Parochialem Eccleſiam regendam.*

27 *Quæ ſint præeminentiæ Eccleſiæ Parochialis, eiuſque Parochi.*

1. PArochia originem ducit à Græco nomine παροικία, quod incolatum & viciniam ſignificat. Sic 70. Interpretes *Pſal.* 119. Parochiam dixerunt, Latina verò tranſlatio incolatum. Significat ergo Parochia accolarum conventum ſacramq; viciniam, ſecundùm Panormitanum *in Rubric. de Parochis, num.* 1. Barboſam *de offic. & poteſtat. Parochi, cap.* 1. *num.* 16. & alios. Parochia dicitur partitio curæ: nam populi cura partita fuit inter Eccleſias Parochiales. Hinc Parochia aut Parochialis Eccleſia eſt locus, in quo Presbyter ab Epiſcopo eſt deputatus ad Sacramenta & alia ſpiritualia populo miniſtranda, ſicque uni Presbytero regenda & curanda illa Eccleſia particularis committitur, *capit.* 1. *& alijs, de Parochijs & Clementin. Dudum, de ſepultur.* Panorm. Barboſa.

Eccleſia autem Parochialis dignoſcitur ex eo, quod habeat populum certis limitibus ac finibus diſtinctum; non autem ſi ſacri Baptiſmatis fontem habeat; nec item ſi cœmeterium, ubi aliqui ſepulturæ jus habeant: quia hæc duo Eccleſia, quæ non eſt Parochialis, poteſt habere, vel conſuetudine, vel privilegio, vel auctoritate Superioris Antiſtitis. Quare Eccleſia, quæ dicitur Parochialis, eo ipſo eſt baptiſmalis: ſed baptiſmalis non continuò eſt Parochialis. Ita Federicus *in conſil.* 135. Gomez *in Regula de Idiomate, quæſt.* 11. Rebuffus *in praxi benefic. titul. de diſpenſat. ratione ætatis, verſic. Etiamſi curam*, Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *quæſt.* 3. & communis. Federic. Gomez. Rebuffus. Azorius.

2. Parochia largè aliquando ſumitur pro tota Epiſcopi Diœceſi, & patet ex *cap. Si quis ordinatus*, & duobus ſequentibus capitibus, *diſtinct.* 92. & *cap.* 1. *de raptoribus*, & alijs, ubi promiſcuè Parochia pro Diœceſi & è contrà olim uſurpabatur, quia Parochiæ diſtinctæ non erant, ſed Epiſcopi omnes dicebantur totius Diœceſis animarum curam habere, quod duravit uſque ad Dionyſium Papam: hîc enim Pontifex ſingulas Eccleſias ſingulis Presbyteris deſignavit in Parochias, ut unuſquiſque jus proprium haberet, nec unus alterius Parochiæ terminos invaderet, ut patet ex *cap. Eccleſias* 13. *quæſt.* 1. & hanc Parochiarum diviſionem, quæ aliqua ex parte abierat in diſſuetudinem à tempore Dionyſij, renovavit Urbanus II. ut docet Navarrus *in cap. Placuit, de pœnit. diſtinct.* 36. *in* 4. §. *Reſpond.* Vide Barboſam *de offic. & poteſt. Parochi, cap.* 1. *num.* 18. Urban. II. Navarrus. Barboſa.

3. Hoc nomen Parochus originem trahit à nomine Græco παροικος, id eſt præbens; olim enim Parochi dicti fuerunt illi, qui Legatis publicè Romam miſſis ſalem & ligna præparabant, hoc eſt, qui omnium rerum copiam Legatis Regum, Principum, ac populorum hoſpitio receptis ſuppeditabant: unde ad horum ſimilitudinem Presbyteri, qui ab Epiſcopis alicui Eccleſiæ præficiuntur, ad Verbum divinum, Sacramenta & alia ſpiritualia ſubminiſtranda fidelibus, Parochi dicti ſunt. Sed meliùs & propriùs exiſtimant alij, Parochum dictum quaſi Parœcum, hoc eſt ab accolendo & juxtà habitando. Parœcus autem Græcis eſt incola, ſive habitator in loco, ac proinde non Parochus, ſed Parœcus eſt dicendus Presbyter Eccleſiæ Parochiali ab Epiſcopo deputatus ad Verbum divinum, Sacramenta & ſepulturam fidelibus miniſtranda, quamvis vulgo dicatur Parochus. Ita Barboſa *de offic. & poteſtat. Parochi, cap.* 1. *num.* 3. Trullench *tract. de jure Parochi, cap.* 1. *num.* 1. Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *quæſt.* 1. Barboſa. Trullench. Azorius.

Adnotandum hîc eſt, Parochum, ſeu Parœcum in jure vocari Rectorem illius Eccleſiæ populi, cui præficitur, ut *in c. Sicut in unaquaque* 21. *q.* 3. & *in cap. Vt quiſque* 3. *de vita & honeſtat. Clericor.* Ideoque Doctores in rubr. de Parochis communiter Presbyterum Eccleſiæ Parochialis vocant populi Rectorem. *Secundò*, vocati ſunt etiam olim Parochi Presbyteri Cardinales, id eſt principales. Romæ enim antiquitus in ſingulis titulis, ſeu Parochijs cùm plures reperirentur Presbyteri, ijs præficiebatur unus, qui idcircò diceretur Presbyter Cardinalis, id eſt principalis. *Tertiò*, vocantur Plebani *in cap. Cùm olim, de præſumpt.* Denique vocantur Curiones, ſive Curati, à cura, quam in ſuas oves exercere debent. Vide Barboſam *de offic. & poteſt. Parochi, cap.* 1. *à num.* 4. *uſque ad num.* 16. Barboſa.

4. Jus Parochiale Parochum & Parochiam cõſtituens, ſitum eſt in ijs quæ ſequuntur. Primum eſt, ut populus ipſi ſubjectus in ea Baptiſmum à ſuo Parocho ſuſcipiat. Secundum, ut quiſque in ea ſemel in anno ſacram faciat ſuorum peccatorum Confeſſionem. Tertium, ut Sanctiſſimum Chriſti

Cor-

corpus quotannis in Paſchate in ſua Parochia, & à ſuo Parocho recipiat, *cap. Omnis utriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſ.* Quartum; ut iuſto ac debito tempore extremam ſacri-Olei unctionem ab ea petat, *Clement. unic. §. Dudum, de ſepultur.* Quintum, ut eorum qui matrimonio iunguntur nuptiæ in ea ſolemni ritu celebrentur, *cap. Cùm inhibitio, de clandeſt. deſponſat. & cap. Aliter* 30. *quæſt.* 5. Sextum, ut in ea mortui ſepeliantur, *Clement. Dudum, §. Verum, de ſepultur.* Septimum, ut ibidem diebus Feſtis populus rem divinam audiat, *cap. Vt dominicis, de Parochijs.* Octavum, ut ei decimam fructuum partem quotannis ſolvat, ac reddat, *cap. Quicumque* 16. *quæſt.* 7. Nonum, ut primitias itidem fructuum, & alias quæ de more fiunt, oblationes pendat, ac præſtet, *cap. Omnis, de conſecrat. diſt.* 1. Decimum, oblationes omnes, quas populus intra Parochiæ ambitum offert & donat, ad propriam Parochiam & illius Parochum ſpectant, *cap. Quia Sacerdotes* 10. *quæſt.* 1. & *cap. Sanctorum, & cap. ſequenti.* Undecimum eſt, ius percipiendi Canonicam portionem, quam vulgò quartam appellamus, ex *cap.* 1. *&* 2. & *cap. De his, de ſepultur.* Duodecimum eſt, quod Parochialis Eccleſia unum tantùm habeat Sacerdotem, qui eam regat & gubernet, *cap. Sicut in unaquaque* 21. *quæſt.* 2. Hæc ſunt quæ Parochiam conſtituunt & ad illam pertinent, iuxta Abbatem *in rubric. de Parochijs*, & Hoſtienſem *in Summ. tit. de Parochijs, §.* 2. Et quamvis omnes illæ conditiones ordinariè & ferè naturaliter in Eccleſia Parochiali inveniantur; tamen omnes non ſunt ita de illius eſſentia, quin poſſit abſque aliquibus Eccleſia Parochialis conſiſtere: nam quidam volunt, de eſſentia Eccleſiæ Parochialis ſolum eſſe quatuor: *Primò*, poteſtas fori pœnitentialis, hoc eſt, poteſtas ligandi & ſolvendi in foro pœnitentiali, quæ non cadit niſi in Sacerdotem. *Secundò*, quod ſit certa Parochia, ſeu locus certis limitibus & finibus conſtitutus. *Tertiò*, ut obtinens Eccleſiam Parochialem exerceat curam nomine ſuo, & non alieno. *Quartò*, ut unus tantùm Presbyter, Rector, ſeu Parochus Parochiali Eccleſiæ præficiatur. Fons autem baptiſmalis, ſepultura, ac decimarum exactio, quamvis maximè conducant ad Eccleſiam Parochialem, non tamen ſunt de illius eſſentia, cùm ſine illis Parochialis Eccleſia conſiſtere poſſit. Ita Gomez *in reg. de Idiomate, quæſtione* 11. *à num.* 4. Gonzalez *gloſſ.* 6. *ſuper* 8. *reg. Cancellar. à num.* 34. *uſque ad num.* 58. Ceterum etſi illæ duodecim conditiones non ſint omnes de eſſentia Parochialis Eccleſiæ, quia tamen ordinariè omnes illæ in Parochiali Eccleſia reperiuntur, ideò de ſingulis breviter agendum.

Abbas. Hoſtienſ. Gomez. Gonzalez.

5. Primum ius Parochiæ & Parocho competens eſt, ut ad ſolum Parochum pertineat ſuis ovibus Sacramentum Baptiſmi miniſtrare; ita tamen, ut ſi alius Sacerdos extra neceſſitatem abſque Epiſcopi, vel Parochi licentia ſaltem tacita & interpretativa illud ſolemniter miniſtret, peccet mortaliter. Ratio eſt, quia uſurparet ſibi iuriſdictionem & munus alterius, cùm paſcere animas, quod maximè fit verbo & Sacramentis, pertineat ad Paſtores, qualis eſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, aut Parochus in ſua Parochia. Si verò baptizet in neceſſitate, quando Parochus abeſt, nec facilè haberi poteſt, non peccat; quia quilibet Sacerdos eſt per ſe inſtitutus miniſter ad hoc Sacramentum & habet poteſtatem illud adminiſtrandi, quatenus habet poteſtatem Ordinis: non tamen quilibet Sacerdos poteſt baptizare abſque licentia Epiſcopi vel Parochi, quando Parochus adeſt, vel facilè haberi poteſt; nam deeſt illi iuriſdictio. Ita Valentia *tom.* 4. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 1. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 23. *ſect.* 2. §. *Tertiò dicendum eſt; & ſequent.* Eman. Sà *verb. Baptiſmus, n.* 6. Nugnus 3. *p. q.* 67. *art.* 2. & communis.

Valentia. Suarez. Eman. Sà. Nugnus.

6. Secundum ius Parochi eſt, ut populus Parocho ſubiectus ſemel in anno eidem Parocho ſuorum peccatorum ſacram faciat Confeſſionem: unde ex iure communi habet ius Parochus, ut ipſius oves, cum eo ſaltem ſemel in anno confiteantur, vel cum alio, de licentia tamen ipſius Parochi. Probatur hoc *Primò*, ex *cap. Omnis utriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſ.* ubi Innocentius III. in Concilio generali Lateranenſi præcipit, ut *omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti; & iniunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere.* Et infrà: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iuſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat à proprio Sacerdote: cùm aliter ipſe illum non poſſit abſolvere, vel ligare.* Ubi Pontifex duo diſponit, & quod Confeſſio ſit facienda proprio, & quod facta alieno ſine proprij licentia ſit invalida.

Inno. III. Conc. La.

Probatur *Secundò*, ex *Extravag.* 2. *in communibus, de treuga & pace*, ubi Sixtus IV. ad concordiam reducendo Religioſos, & Epiſcopos, ac Parochos, inter alia ponit hanc clauſulam, Quod etiam ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quod Parochiani non ſint obligati, ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti; quia tenetur de iure Parochianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti.

Sixtus IV.

Quis autem dicatur in his Canonibus proprius Sacerdos, diximus *tom.* 1. *verb. Confeſſarius* 1. *n.* 12. *edit.* 3. Ex privilegiis tamen Summorum Pontificum, quæ modò ſunt in uſu ferè per totum orbem, non obſtante iure communi prædicto, Parochiani etiam tempore Paſchalis præcepti, cum alieno confiteri poſſunt. Tale privilegium habent religioſi Mendicantes, ita ut per Confeſſionem eis factam, ſatisfaciant præcepto, etiamſi proprij Sacerdotis licentia non adſit, ut noviſſimè definivit Clemens VIII. Pontifex maximus in ſua Bulla anno 1592. 22. Decembris, quam ad Nuncium ſuum in Belgio degentem executioni mandandam miſit, ut eam referunt Coninck *diſp.* 8. *de miniſtro pœnit. dub.* 9. *num.* 66. & Auctor Theophili Parochialis *part.* 4. *art.* 11.

Cl. VIII. Coninck. Theoph. Paroch.

Hæc Bulla edita eſt occaſione ortæ cujuſdam commotionis Duaci anno 1592. duobus ibidem Parochis doctiſſimis debita Parochialia ſuo populo, in Parochia ſua publicè intimantibus; nimirum auditionis Miſſæ Parochialis diebus Dominicis & Feſtis, Confeſſionis item Paſchalis, Parocho faciendæ, iuxta ſtatuta Synodalia & Provincialia, juxtaque conſuetudinem patriæ immemorialem: denique iuxta Canonem *Omnis utriuſque ſexus*, &c. Quem Canonem cùm juxta præceptum Concilj Lateranenſis etiam publicaſſent; quidam ad ſonitum horum verborum Canonis, *Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur & moriens Chriſtianâ careat ſepulturâ*; putantes illam comminatoriam excommunicationis, expaveſcendæque pœnæ clauſulam referri ad Miſſas, ſicut & ad Confeſſionem & Communionem Paſchalem, ſcrupulo acti, inconſulto Parocho, ad Religioſos Mendicantes privilegiatos repentè concurrerunt; & illi inconſultis etiam Parochis præfatis, iſtis querulis deferentes, cœperunt prædicare ea, quæ Bulla narrat, & ſubinde recurrere inſcijs Epiſcopis

pis & Parochis, ad Nuncium Apoſtolicum Belgij. Item ad tribunal laicale regium: item ad Clementem VIII. tunc ſedentem, qui illicò Bullam, ſeu decretum confecit, & Nuncio ſuo miſit, cujus tenor ſic habet:

Significatum fuit nobis nuper, non ſine gravi animi noſtri moleſtia, in oppido Duacenſi Atrebatenſis. Diœceſis nonnullos Parochos maximo cum fidelium ſcandalo, tum docendo & concionando, tum omnes reprehenſionibus & cenſuras cum Eccleſiaſticarum comminationibus perterrendo Chriſti fideles avertere, ne Feſtis diebus ad Eccleſias Fratrum Ordinis Mendicantium, atque Collegij Societatis IESV pro Miſſis audiendis accedere: & ne etiam quadrageſimali & Paſchali tempore Fratribus dictorum Ordinum ac Presbyteris Societatis IESV peccata ſua confiteri poſſent, auſos fuiſſe; Affirmantes ipſis fidelibus, tam de iure, quàm de conſuetudine prohibitum eſſe, in aliis, quàm Parochialibus Eccleſijs Miſſas diebus Feſtis audire, nec licere illis quadrageſimali & Paſchali tempore, alys præterquam proprijs Parochis peccata ſua confiteri. Vnde maximam in fideli populo exortam fuiſſe animorum perturbationem accepimus. Contra enim Fratres Ordinis Prædicatorum & Conventualium, ac Presbyteri dictæ Societatis privilegijs Apoſtolicis ſuffulti, tum privatim, tum publicè in concionibus contrarium uſum in Eccleſia Dei receptum & permiſſum ac à Sanctis Patribus Oecumenicisque Concilijs approbatum defendere conati fuerunt. Rem autem eò pertractam intelleximus, ut graves inde diſſenſiones inter Parochos & Presbyteros Societatis IESV ſuborta fuerint. Quod autem nos gravius affecit, illud imprimis fuit, quod venerabiles Fratres Archiepiſcopus Cameracenſis & Epiſcopus Atrebatenſis inconſulta Sede Apoſtolica negotium in diſceptationem, tum etiam in iudicium fortaſſis apud ſæcularem Curiam deduxerant. At nos ne graviora ſcandala ſuboriantur paternè conſulere, & celeri remedio conſulere volentes; cauſam & cauſas hujuſcemodi, ſi quæ coram quocumque iudice introductæ reperientur, ad nos harum ſerie avocantes, illaſque penitùs extinguentes, ac perpetuum deſuper, tum Parochis, tum alys prædictis ſilentium imponentes, præſenti noſtro decreto ſancimus licere ſæcularibus univerſis liberè Miſſas diebus Dominicis & alys majoribus Feſtis audire in Eccleſijs tam Fratrum Prædicatorum, quam aliorum Mendicantium, necnon etiam Collegij Societatis IESV iuxta illorum privilegia & antiquas conſuetudines: dummodo in contemptum Parochialium Eccleſiarum non faciant. Et tam dictis Fratribus Prædicatoribus & Presbyteris dictæ Societatis, quàm alys privilegiatis prædictis, quibus id à Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen & ab Ordinario approbatis peccata ſua etiam quadrageſimali & Paſchali & quovis alio tempore confiteri poſſe. Dummodo tamen ydem Chriſti fideles Sacramentum Euchariſtiæ die Feſto Paſchatis Reſurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant. Proinde tibi per præſentes committimus & mandamus ut præſens noſtrum decretum prædictis Archiepiſcopo Cameracenſi & Epiſcopo Atrebatenſi notum facias; ijſdemque auctoritate noſtra Apoſtolica mandes, ut illud in prædicto oppido Duacenſi, & ubicumque opus fuerit, publicari & obſervari faciant, utque Parochos in eorum officio contineant: illoſque ab avocatione populi ab Eccleſijs privilegiatorum, ac etiam à propoſitionibus quibus tollitur populo libertas audiendi Miſſas in Eccleſijs privilegiatorum ſupradictis diebus, ac confitendi peccata ſua etiam in Paſchate ipſis privilegiatis abſtinere faciant. Ipſis vero privilegiatis eadem auctoritate præcipias, ut in concionibus & Catechiſmis populum ipſum, tum ad reverentiam Parochorum, tum ad eorum Miſſas præſertim Dominicis & alijs ſolemnibus Feſtis diebus audiendas; tum ad decimas, reſque alias Eccleſijs debitas ſolvendas frequenter moneant & adhortentur. Ac denique omnem hujuſmodi controverſiæ occaſionem præcidere ac tollere & Chriſti fidelium animos ad unionem & quietem traducere cures: omniaque præmiſſa publicari & exequi, adiectis etiam cenſuris Eccleſiaſticis & alijs tibi bene viſis pœnis, opportuniſque omnibus iuris & facti remedijs adhibitis, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ 1592. Pontificatus noſtri anno primo, 22. Decembris.

Circa hanc Bullam Clementis VIII. eſt dubium, an deroget conſuetudini Belgicæ immemorabili audiendi Miſſam Parochialem & confitendi Parocho in Paſchate? Reſpondet Auctor Theophili Parochialis *part. quarto, articulo* 17. quòd non: quia hæc conſuetudo eſt in hac inferiori Germania legitimè præſcripta; imò & immemorabilis, & habet vim legis & obligat in conſcientia. Conſuetudo (inquit Suarez *de leg. libro* 7. *capite* 18. *numero* 2.) obligat in conſcientia, cùm ſit vera lex. Et ſi exiſtat lex de eadem re; de qua eſt conſuetudo; hæc iſtius interpres eſt optima. Si nulla lex, aut Canon ſit de eadem re: tunc ipſa conſuetudo inſtar legis eſt, & vocatur lex, ſive ius non ſcriptum. Deniq; ſi exiſtat lex contraria, & derogat conſuetudo: adeò ut ſi Papa legem ferat particulari conſuetudini rationabili & præſcriptæ, aut immemoriali contrariam; ei non deroget, niſi id expreſsè indicet, ut patet ex *cap. Licet Romanus, de conſtitut. in* 6. unde colligitur argumento dicti capitis, quod etiamſi Regulares haberent aliquam legem Canonicam in contrarium; nihilominus dicta conſuetudo Miſſæ Parochialis & confitendi in Paſchate Parocho vetuſtiſſima harum Belgicarum Provinciarum, ei efficaciter derogaret: è contra verò Canon, aut Conſtitutio (minus privilegium) ſuperveniens derogare iſtiuſmodi conſuetudini non poteſt; etiamſi hæc conſuetudo ſit tantùm Provincialis, aut aliter localis, ut clariſſimè liquidum ſit ex dicto *cap.* 1. *de conſtitut. in* 6. Hanc aſſertionem ſuam ille Auctor confirmat ex doctrina Martini Bonacinæ *tom.* 2. *diſp.* 21. *q.* 1. *punct. ult.* §. 3. *propoſit.* 2. *num.* 38. *& ſeqq.* Suarez *de legibus lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 6. quam applicat ad probandum, Conſtitutionem prædictam Clementis non derogare conſuetudini immemoriali hujus Belgij, quâ Parochiani obligantur audire Miſſam Parochialem dictis diebus & confiteri in Paſchate Parocho ſuo, aut alij cum illius licentia. Nihilominus conſuetudo illa antiqua noſtri Belgij à tempore editæ prædictæ Clementinæ ita per contrarium uſum fidelium diminuta eſt, ut modò vix quiſquam de non frequentatione Parochiæ, quo ad Miſſam & Confeſſionem ſibi ſcrupulum faciat videntibus & annuentibus Epiſcopis modernis, quamvis olim cùm vigeret antiqua illa conſuetudo, Epiſcopi tunc temporis maximè curaverint per ſua ſtatuta Synodalia eam in viridi obſervantia teneri.

Theoph. Paroch.

Suarez.

Bonacina. Suarez.

Dicendum eſt ergo, ſpectato iure communi omnes fideles teneri confiteri cum ſuis Parochis vel alijs de illorum licentia. Ex privilegijs autem Fratribus Mendicantibus conceſſis, poſſunt etiam apud illos Confeſſionem ſuorum peccatorum facere, etiam Parochis contradicentibus, ut conceſſerunt Alexander IV. ut refertur in compend. privileg. *verb. Abſolutio quoad ſæculares* 1. § 1. & alij Pontifices, ut tradunt Rodriguez *tom.* 1. *qq. regul. quæſtione* 60. *articulo* 4. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæſtione* 45. *articulo* 14. *concl.* 2. Barboſa *de offic. & poteſtat. Parochi, capite* 19. *n.* 22. & alij: qui omnes addunt, hoc procedere, licet

Alex. IV.

Rodrig. Miranda. Barboſa.

Digitized by Google

licet Episcopi in licentiis regularibus concessis, dicant, quod Parocho renuente, eis non utantur: quia ipsi Ordinarij non possunt in hac re privilegia à Pontifice concessa tollere, aut limitare, modò regulares sint ab Ordinario approbati ad audiendas Confessiones sæcularium; & sic confessi Parochiani præcepto Ecclesiæ satisfaciunt, ut habet modò communis sententia Doctorum, & probat communis consuetudo usu recepta. Vide à nobis dicta *t. 1. verb. Confessarius, 2. n. 19. v. Sed petes.*

7. Tertium jus Parochiæ & Parochi est, ut Parochiani teneantur Sacramentum Eucharistiæ in Parochia, saltem in Paschate de manu Parochi vel alterius Sacerdotis de illius licentia, suscepere. Quamvis enim cuivis Sacerdoti ratione Ordinis competat aliqua ratione distributio huius Sacramenti, non tamen potest licitè quivis cuilibet Eucharistiam ministrare, sed hoc soli Parocho in sua Parochia, Episcopo in sua Diœcesi, & Papæ in tota Ecclesia competit de jure communi. Ratio est; tum quia ad illud ministrandum requiritur jurisdictio: tum quia ministratio Sacramentorũ, & gregem Christi pascere, munus est non cuiuscumque, sed proprij Pastoris; & pabulum præcipuum est Sacrosancta Eucharistia; ac proinde, qui sine licentia saltem tacita, aut privilegio, sive in Paschate, sive extra, etiam in articulo mortis sacrã Eucharistiam ministrat, peccat mortaliter; quia in re gravi alienum officium usurpat, ut docet Navarrus *in Man. c. 21. n. 52.* Barbosa *de offic. & potest. Parochi, cap. 20. n. 2.* Reginaldus *lib. 29. n. 90.* Trullench *tract. de jur. Parochi, cap. 5. n. 4.* Bonacina *t. 1. disp. 4. q. 5. punct. 1. n. 6. in fine*, & alij penes ipsos. Si autem credatur fore ut Parochus hoc sciens approbaturus sit & daturus licentiam, Sacerdos administrans non peccat mortaliter, quia non dicitur alienam jurisdictionem, invito proprio Parocho, usurpare. Vide quæ diximus *tom. 1. verb. Communio Sacra, num. 8. & 9. & seq.* ne hic eadem bis repetantur, & *verb. Eucharistia 2. n. 3.* ubi multa habentur, de privilegiis Ordinibus Mendicantibus concessis, ut possint eorum religiosi sacram Eucharistiam ministrare fidelibus.

Navarrus. Barbosa. Reginald. Trullench

Ex his colligere est, sumentem Eucharistiam de manu alterius, quàm proprij Parochi, absque eius licentia non satisfacere præcepto Ecclesiastico de Paschali Communione. Habetur expressè *in cap. Omnis utriusque sexus, de pœniten. & remiss.* & probat communis fidelium consuetudo, qui tunc temporis Eucharistiam accipiunt in propria Parochia; & si alibi sumant, à Parocho licentiam petunt: unde qui in Paschate sine licentia proprij Parochi in aliena Parochia communicavit, tenetur quamprimùm poterit in propria cõmunicare. Limita, nisi sit viator; nam si in aliena repertus commodè ad suam redire nequeat, ibi poterit huic præcepto satisfacere, imò in Ecclesiis regularium privilegiatorum, si velit, ut diximus *tom. 1. verb. Communio Sacra, num. 11.* cum Doctoribus ibi citatis.

8. Quartum jus Parochi est, quòd Parochiani diebus Dominicis & Festis in propria Parochia Missam Parochialẽ audiant. Et certè Sanctissimi Christi Apostoli, ut augustissimum Missæ sacrificium, jam ab initio nascentis Ecclesiæ, formatis paulatim Parochiis devotissimè celebrarent, curarunt ut populus fidelium die Dominica divinis interesset. Proinde Sanctus Clemens Petri in Romana sede successor lib. 3. Constitutionum Apostolicarum, cap. 63, sic statuit: *Verùm in die Dominico diligentius convenite, laudem Deo laturi, qui per Iesum cuncta condidit & illum ad nos misit, atque mori permisit, & à mortuis excitavit. Nam quam excusationem afferre potest Deo, qui in hoc die non convenit ad audiendum salutarem de Resurrectione sermonem? in quo tres orationes, stantes concipimus, in memoriam illius, qui tertia die resurrexit: in quo Prophetarum lectio habetur, & Euangelij prædicatio, & sacrificij oblatio, atque sacri cibi dispensatio.*

D. Clem.

Imò ex tunc à Sanctissimis Apostolis, Canone decimo, severè cautum est ita ad Parochiæ Missam audiendam obligari, ut ne quidem Parochianis liceret ante finem egredi, sub pœna excommunicationis, ut habetur *in cap. Omnes, de consecrat. dist. 1* his verbis: *Omnes fideles qui conveniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam, & Scripturas, & Euangelium audiant. Qui autem non perseverant in oratione, usque dum Missa peragatur, nec sanctam Communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit Communione privari.*

Descendit eadem disciplina Apostolica audiendæ Parochianæ Missæ usque ad sæculum 5. sub anno 435. id est, ad tempora Concilij Agatensis, ut refertur de consecrat. dist. 1. cap. 35. *Si quis etiam extra Parochias, in quibus est legitimus ordinariusque Conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi Missas audiat, propter fatigationem familiæ, justa ordinatione permittimus. Paschæ verò, Natali Domini, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali S. Ioannis Baptistæ, & si qui maximi dies in festivitatibus habentur; non nisi in Civitatibus, aut Parochiis audiant.* Ubi notandæ sunt voces, *Legitimus* & *Ordinarius*; nam inde colligitur solas Parochiales Ecclesias esse ordinaria legitimaque loca audiendæ Missæ diebus Dominicis & festivis: alia autem loca quantumvis sacra, esse non ordinaria, & proinde non legitima. Conc. Ag.

Concilium sextum universale Constantinopolitanum circa annum Domini 681. sub S. Agathone, & subinde sub Leone II. Canone 80. ostendit, quanti faceret Sanctissimum Concilij Sardicensis, in sæculo quarto, formatum de Missa Parochiali audienda decretum; quandoquidem illud ipsum repetat, prout sequitur: *Et quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel eorum qui in Clero enumerantur, vel laicus, nullam habet necessitatem graviorem, vel negotium difficile, ut à sua Ecclesia absit diutissimè: sed in civitate agens, tribus diebus Dominicis per tres septimanas unà non conveniat, si sit quidem Clericus, deponatur; si verò laicus, segregetur.*

In Concilio Nannetensi Ecclesia hanc audiendæ Missæ Parochialis obligationem fovere & roborare magis ac magis solicita, hanc sanctionem edidit in corpus juris relatam cap. 2. extra de Parochiis: *Ut Dominicis vel festivis diebus Presbyteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi velit Missam audire; quem si invenerint, statim ab Ecclesia abiiciant, & ad suam Parochiam redire compellant.* C. Nann.

Præterea cucurrit hic legitimus ad Missam, ordinariusque Parochianorum conventus usque ad annum 1243. ubi referente Azorio *t. 1. lib. 13. c. 1.* præcepit Innocentius IV. ne Mendicantes admitterent sæculares ad divina audienda Dominicis & Festis. Ne item Conciones habèrent ad populum in suis templis, donec omnia in singulis Parochiis Missarum sacrificia essent facta. Itaque hactenus à temporibus Apostolorum, jus Missæ Parochialis audiendæ mansit inviolatum, & quidem eo rigore, ut per 1300. annos vix licuerit Parochianis adjectis Missis per tres Dominicas con-

Azorius. Inno. IV.

tinuas

Digitized by Google

tinuas abesse sine periculo excommunicationis, nisi eos justa causa excusaret.

Sixtus IV. Insuper tempore Sexti IV. Papæ olim Ordinis Minorum Ministri Generalis orta est controversia in Germania inter Mendicantes & Parochos de Missa: hi sustinebant Parochianos suos teneri audire Missam diebus festivis & Dominicis in sua Parochia, isti negabant. Res deducta est in judicium coram Pontifice, qui duobus Cardinalibus & totidem Episcopis, ad cognoscendum & componendum inter partes delegatis, statu controversiæ exactè discusso, de partium libero utrimque consensu, tandem concordiam iniri fecit: inita est, & à Pontifice supremo Ecclesiæ Iudice definitivè concluſa, per Extravagantem *Vices illius, de treuga & pace*, quæ prout huc facit, hæc habet: *Quod Fratres Mendicantes non prædicent, populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochiis diebus festivis & Dominicis: cùm jure cautum sit, illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia: nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.* Deinde prohibetur iisdem Mendicantibus, *ne populos à suarum Ecclesiarum Parochialium frequentia & accessu abstrahant, sive retrahant quoquo modo.*

Porrò obligatio Missæ Parochialis currit usque
Con. Tri. ad Concilium Tridentinum & ab illo conservatur. Hinc sess. 22. in decreto de observandis & vitandis in celebratione Missæ, postquam dixit: *Doceant populum quis sit, & à quo potissimùm proveniat Sanctissimi hujus Sacrificij tam pretiosus ac cœlestis fructus:* statim subdit: *Moneant etiam eumdem populum ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & maioribus festis, accedant.* Si personæ tantæ dignitatis, nimirum Episcopi, teneantur ex obligatione populum de hoc seriò monere & frequenter; certè argumento est, illum debere etiam ex sua parte, id quod monetur, implere. Et *sess. 24. cap. 4. de ref.* sic ait: *Moneat Episcopus diligenter populum, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei.* Si ergo populus tenetur audire Parochum multa de Christo absente prædicantem, multò magis tenebitur Christum præsentem in tremendis Missæ mysteriis à Pastore suo celebratis adorare & venerari. Si Parochus diebus Festis tenetur Sacrum facere, ut populus Missam audiat; ergo tenetur populus audire Missam Parochialem; unde fit ut par sit etiam obligatio utriusque: & si populus non tenetur sacrificio Parochi adesse, nec vicissim tenebitur Parochus Sacrum populi sui causâ facere.

Con. Tri. Deinde idem Concilium Trident. *sess. 22. c. 8.* his verbis utitur: *Mandat Sancta Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cetera Sanctissimi hujus Sacrificij mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & Festis.* Si ergo Pastores tenentur inter Missarum solemnia populum docere; tenetur ergo populus audire Missam Parochialem, ut audiat Parochum suum docentem. Itaque par ratio obligationis utrosque constringit, aut pari facilitate ab omni illo onere solventur.

Hoc idem statutum fuit ante & post Concilium Tridentinum in Germania, Gallia & Belgio in diversis Concilijs & Synodis, ut videre est apud
Filesacus. Theoph. Paroch. Ioannem Filesacum *in suo tractatu de origine Parochiarum, cap. 5. 6. & 7.* apud Auctorem Theophili Parochialis *part. 2. art. 8.* quorum doctrina pietate plena est, & veterem fugitivamque avorum nostrorum consuetudinem firmis argumentis retrahere, id est multorum pia vota implere conatur. Nec frustra fortassis esset, si homines tam calidè, quæ sunt Iesu Christi, quàm se & sua diligerent. Concludit Filesacus suprà *cap. 7. §. in ritus circa finem.* Hæc in tantis fluctuantium animorum procellis securitas, ut dum in Ecclesias Parochiales ad Sacrum audiendum Parocho faciente, frequenter, legitimo & ordinario Conventu, ut ait Concil. Agathense, concurrimus, nos in arca Noë, hoc est in Ecclesia Christi Catholica & Romana certò esse sciamus, cum hierarchico Ordine, cuius vertex est Pontifex Romanus à nostris Maioribus Apostolicus dictus, eligiosè & sincerè adhæremus. Filesacus.

9 Dubium est inter Doctores, an Episcopus possit cogere ut populus in diebus Dominicis, aut solemnioribus Festis, ad propriam Parochiam conveniat? Duplex est opinio. Prima est affirmativa, & est praxis multorum Episcoporum, tum in antiquo jure, tum etiam in novo Concilij Tri- Con. Tri. dentini fundata, nec non in ratione. Tridentinum enim *sess. 22. in decreto de observandis in celebratione Missæ*, cùm multa insinuasset, ac hoc etiam quod dictum est, scilicet monendum esse populum, ut frequenter ad Parochias conveniat, immediatè subjungit: *Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponantur, ut non solùm ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi à Sacrosancta Synodo potestate, ac etiam; ut delegati Sedis Apostolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolatè servanda censuris Ecclesiasticis aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant: non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque.*

Ergo ubi populus ad hanc monitionem de frequentanda Parochia negligens cerneretur, opportunis remediis potest Episcopus providere, etiam sub pœnis præcipiendo. Hinc in Diœcesi Leodiensi tale extat Decretum: Parochianos omnes monemus & eis mandamus, ut in suis Parochialibus Ecclesiis diligentes sint, ad Verbum Dei, aliaque Divina audienda; alioquin si eos ad tres continuas septimanas diebus Dominicis & festivis abesse absque legitima causa, vel sui Pastoris licentia, contigerit; volumus contra eos ad pœnas Canonicas, & statutarias antiquas huius Diœcesis, aliasque arbitrarias procedi. Ita Synodus *tit. 10. cap. 4.* Simile decretum habetur in Synodo Namurcensi *tit. 4. cap. 14.* In Synodo Cameracensi *anno 1556. tit. 7.* In Synodo Tornacensi anno circiter 1570. In Synodo Atrebatensi anno 1574. & denique in Concilio Provinciali Cameracensi C. Cam. *anno 1585. tit. 9.* ubi sic habetur: *Studiosè observent Pastores eos, qui diebus Dominicis & Festis, vel omninò Missam non audiunt, vel ad Missam Parochialem non conveniunt; ac primùm privatim & paternè sui officij commoneant. Quod si post admonitiones non emendentur, ad Ordinarios deferant.* Quis verò hæc audeat condemnare, & Patres Synodi & Concilij, inter quos multi doctissimi Theologi? Ita Iacobus Marchantius *in ref. Pastoral. tract. 4. cap. 7 §. 6.* Theophilus Parochialis *part. 2. art. 16.* & cum ipsis plures in Gallia, & in Belgio. Iac. Marc. Theoph. Paroch.

Secunda opinio est negativa, quam tenent communiter regulares privilegiati, dicentes, Episcopos non posse statuere, ut fideles diebus Festis saltem aliquibus Missam Parochialem audiant; atque adeò, si ferant excommunicationem in eos qui nō audiunt Missam in Parochia, eam esse nullā. tum quia non possunt quidquam statuere contra privilegia

Digitized by Google

legia à Pontificibus conceſſa, tum quia non poſſunt etiam univerſales conſuetudines abrogare: tum quia Domini Cardinales Concilij Tridentini interpretes (ut refertur à quibuſdam) hanc declarationem ediderunt: *Ordinarius non poteſt per hoc Concilium multis & pœnis, etiam in cauſa notabili negligentiæ, cogere populum ad audiendam Miſſam & Sacram Concionem in Eccleſia Parochiali, nec pueros ad addiſcendam doctrinam Chriſtianam, etiamſi hoc fieri voluerit in oppidis, villis, aut aliis locis extra civitatem.* Ita Stephanus Bauni *in Theolog. mor. tom. 1. tract. 8. de præcept. audiendi Miſſam, q. 5.* Præpoſitus *in 3. p. q. 83. art 6. dub. 4.* Diana *part. 10. tract. 13. reſ. 25.* Reginaldus *lib. 19. n. 22.* Dicaſtillus *de Sacram. tom. 1. tract. 5. diſp. 5. dub. 4. n. 59.* Fagundez, Azorius, & alij, qui omnes ſequuntur Navarrum *in Man. c. 21. n. 5.* ſecurè ſibi perſuadentem, decretum Tridentini de Miſſa non continere, aut ſupponere præceptum in conſcientia obligativum; quia non ait, ut Epiſcopi jubeant, ſed tantùm ut moneant: ſed poſtea advertens verbum jubendi, ſeu mandandi in paragrapho, *Hæc igitur omnia* ſuprà, poſitum, quo Synodus vult Epiſcopos uti in Parochianos, ad Parochiæ Miſſam adigendos, facit ſibi de hoc paragrapho obiectionem: *Obſtat tamen*, inquit, *fortiter, quod ibi ſubditur, poſſe ſcilicet Epiſcopum auctoritate Apoſtolica jubere circa hoc opportuna. Niſi reſpondeatur non videri debere opportunum, ut cum ſcandalo tot laicorum & Monachorum, tam generalis conſuetudo, quam etiam in urbe ſervari videmus, tollatur.*

Sa. Cong. Baunius. Præpoſit. Diana. Reginald. Dicaſtill. Fagund. Azorius. Navarrus.

Sed illa conſuetudo quam ſibi fingit Navarrus cum alijs toto orbe generalem, putativa tantùm fuit; nã in Belgio tunc temporis talis conſuetudo non erat, ut ſervosè probat Auctor Theophili Parochialis *part. 2. art. 22. & 23.* quamvis à quadraginta annis hæc conſuetudo in pleriſque civitatibus huius Belgij ſit valde diminuta & contraria ferè introducta videntibus & tacentibus Epiſcopis; ideò non ſunt cenſendi peccato obnoxij fideles, qui Parochialem Miſſam diebus Dominicis & Feſtis non audiunt, modò hoc fiat ſine contemptu Parochi. Theoph. Paroch.

Certè negari non poteſt utiliſſimum & ipſis Parochianis maximè neceſſarium, ut quiſque propriam Parochiam conveniat: ibi enim audit Parochum Feſta indicentem & jeiunia, & monetur populus aliorum in hebdomada occurrentiũ: cognoſcitque quę ad Parochiæ ornatum & ad divinum cultum ritè peragendum ſunt neceſſaria. Patiuntur enim Parochiæ maxima detrimenta in ſupellectilibus, & ornamentis ex ipſa Parochianorum abſentia. Sed plura de his apud Theophilum *tota part. 2.*

10. Quintum jus Parochi eſt, miniſtrare ſuis Parochianis Sacramentum Extremæ-Unctionis. Quamvis enim omnis Sacerdos hoc Sacramentũ validè adminiſtrare valeat, cùm eius miniſtratio nõ ſit actus juriſdictionis, ſicut eſt abſolutio à peccatis; non tamẽ omnis Sacerdos licitè & ſine peccato illud conferre poteſt, ſed ſolus proprius, ut Papa, Epiſcopus, aut Parochus, aut alius de Parochi licẽtia; quia conferre Sacramẽta eſt munus Paſtoris. Ex *Clement. de privilegiis.* Proinde alienus Sacerdos, qui ſine licentia Paſtoris hoc Sacramentũ miniſtrat, peccat mortaliter, quia alienum jus invadit & uſurpat. ut docent communiter Doctores, Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi. cap. 22. num. 2.* Bonacina *t. 1. diſp. 7 q. unic. punct. 4. n. 3.* Coninck *de Sacram. diſp. 19. dub. 9. n. 28.* Trullench *tract. de jur. Parochi, c. 7.* eum licentia autem Parochi, poterit quilibet Sacerdos, etiam regularis, ut expreſsè habetur *in dicta Clem. 1. de priv.* Hanc autem licentiã poterit concedere Parochus, etiam denũtiatus: quia huius Sacramenti miniſtratio non ad juriſdictionis, ſed ad Ordinis poteſtatem pertinet, ut cum multis tenet Henriquez *lib. 3. de Sacram. Vnct. cap. ult. §. 3. lit. Q.* Vide dicta à nobis *t. 1. verb. Extrema-Vnctio 2. n. 1. 2. & 3. & 8.* Barboſa. Bonacina. Coninck Trullench Henriq.

11. Sextum jus Parochi eſt, quod matrimonia debeant in propria Parochia & à proprio Parocho celebrari, ut colligitur apertè ex *Clem. 1. de privilegiis*, & decrevit noviſſimè Trident. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. matrim.* Quare jus Parochi circa hoc Sacramentum conſiſtit in eo, ut nemo præter ipſum vel de eius licentia, aut ſuperioris ipſius poſſit ſuas oves matrimonio coniungere, aut benedicere, ubi Concilium Tridentinum eſt receptum. Ex quo fit, ſi quis Sacerdos abſque proprij licentia alienos matrimonio coniungere auſus fuerit, peccat mortaliter; quia alieni Officium uſurpat, & matrimonium eſt omninò irritum, ut pluribus diximus *tom. 1. verb. Matrimonium V.* Con. Trid.

12. Septimum jus Parochi eſt, ſuos Parochianos ſepultura Eccleſiaſtica donare: quia jus ſepeliendi mortuorum corpora de jure communi competit Eccleſiæ Parochiali, eiuſq; Rectori reſpectu ſuorum Parochianorum: nam eodem jure competit ſoli Eccleſiæ Parochiali habere proprium cœmeteriũ ab alia Parochiali diſtinctum, ne unus alterius jus invadat, ſed ſit unuſquiſque ſuis terminis contentus, ut habetur *in cap. Eccleſiæ 13. q. 1.* Ergo ex diſpoſitione juris unaquæque Eccleſia ſolùm habet jus ſepeliendi ſuos Parochianos, & Parochus ſepeliens alienum Parochianum, invadit jus alterius, & graviter peccat. Deinde jus ſepeliendi de jure communi competit Eccleſiæ quæ habet populum: Sed de jure communi ſola Eccleſia Parochialis habet populum: Ergo illi ſolùm competit jus ſepeliendi: ipſa enim ſola habet cœmeterium; ergo & jus funerandi. Ita Rodriguez *tom. 3. quæſt. regul. quæſt. 38. art. 3.* Aſtenſis *lib. 6. titul. 31. de ſepultur. articulo primo*, Riccius *in ſua praxi deciſ. 659.* Angelus, Sylveſter *verb. Sepultura.* Rodrig. Aſtenſis. Riccius. Angelus. Sylveſt.

Religioſis Ordinis Minorum & Prædicatorum & per communicationem aliis etiam religioſis Mendicantibus conceſſit Clemens V. *in Clementina Dudum, de ſepulturis*, jus ſepeliendi & inferendi in ſua ſepulchra laicorum & ſæcularium cadavera, qui in ipſorum cœmeteriis, ſeu Eccleſiis ſepulturam elegerint, his verbis: *Huiuſmodi quoque ſtatuto & ordinationibus adiicimus, ut Fratres dictorum Ordinum in Eccleſiis, vel locis ſuis ubilibet conſtitutis liberam (ut ſequitur) habeant ſepulturam: videlicet, quod omnes ad eam recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis & Eccleſiis memoratis.* Idem privilegium iiſdem religioſis conceſſit Clemens IV. & Sixtus IV. ſalva tamen juſtitia Eccleſiarum Parochialium, id eſt, portione, ſeu quarta Canonica, ut habetur in Compendio privileg. Mendicantium *verbo Sepultura*, de qua dicetur infrà. Plura de ſepultura adducẽtur infrà proprio loco *verb. Sepultura.* Clem. V. Clem. IV. Sixtus IV.

13. Octavum jus Parochi eſt, percipere decimas: unde decimæ ſunt ſolvendæ illi Eccleſiæ Parochiali, in qua ſuſcipi debent Sacramẽta. Ratio eſt, tum quia decimæ ſolvendæ ſunt in ſuſtentationẽ eorum, qui Sacramenta miniſtrant; nam qui altari ſervit, de altari vivere debet, nec ullus ſuis ſtipendiis militat, & par eſt, ut qui ſpiritualia ſeminat, metat temporalia ad ſui ſuſtentationem: tum quia ſic habetur *in cap. Significavit, cap. Cùm ſint, & cap. Ad Apoſtolicæ, de decimis.*

Hoc tamen intelligendum eſt, niſi aliter conſuetudine receptum ſit; quia multis in locis conſuetudo invalvit ut decimæ perſonales non ſolvantur, ſicut etiam alicubi decimæ prædiales, vel mixtæ non ſolvuntur in totum vel in partem; quia miniſtris Eccleſiæ aliunde proviſum eſt. Ita docent Suarez *tom.1. de Relig. tract.2 lib.1. cap.21.28. & 29.* Filliucius *tract.27.n.152. & 156.* Layman *lib.4. tract.6. cap.3. num.2.* & alij communiter. Suarez. Filliucius. Layman.

De jure tamen ordinario decimæ prædiales illi Parochiæ debentur, in cuius diſtrictu ſunt prædia. Ratio eſt; quia poſt Parochiarum diviſionem inſtitutum eſt, ut prædia omnia ac terræ ſitæ in territorio ac diſtrictu cuiuſque Parochiæ, ipſi Parochiæ quoad decimas applicarentur, ad ſuſtentationem miniſtrorum Dei. Hinc fit, ut ſicut illæ terræ ac prædia immutabiliter manent in illo territorio, ita etiam jus illius Parochiæ ad tales decimas immutabile ſit, ex vi juris communis, quamvis dominus illorum mutet domicilium in aliam Parochiam; nam onus ſolvendi decimas prædiales impoſitum eſt ipſis prædiis, non perſonis, ac proinde eſt onus reale, & non perſonale: in ſolvendo autem debito reali non conſideratur perſona, ſed res ipſa cui eſt impoſitum, juxta *l. Imperatores, ff. de public. & vectigal.* ut docent communiter Theologi poſt Divum Thomam *ſecunda ſecundæ, queſt.87 art.3.* & Canoniſtæ *in cap. Cum contingat*, & *in cap. Cum in tua, de decimis.* Quod verum eſt, etiamſi illa Eccleſia non ſit matrix, ſeu baptiſmalis, habens alias ſibi ſubordinatas, recognoſcentes illam quoad ſuſceptionem Baptiſmi. Ratio eſt; quia illa prædia cenſentur applicata tali Eccleſiæ, etiamſi baptiſmalis non ſit: tum quia decima perſonalis ſolvenda eſt Eccleſiæ Parochiali, etiamſi non ſit baptiſmalis, & in ea non fuerit ſuſceptus Baptiſmus; nam huiuſmodi decima ſolvenda eſt illi, qui plura Sacramenta & permanenter confert: ergo etiam prædialis ſolvenda eſt Eccleſiæ Parochiali, etiamſi baptiſmalis non ſit. Ita tradunt Suarez *loco citato cap.24.n.9.* Filliucius *tract.27. num.193.193.p.2.* & 205. cum aliis. D.Thom. Suarez. Filliucius.

De quibus autem rebus ſint ſolvendæ decimæ, attendenda eſt potiùs loci conſuetudo & Parochiæ, quàm jus ſcriptum: poteſt enim mutari ac variari ipſa conſuetudo pro mutatione ac varietate loci ac regionis. Interea vide dicta *tom.1. verb. Decima*, & ſuprà addita eodem verbo.

14. Dubium eſt inter Doctores, an Parochia, quæ de novo aliquot agros, vel proprietatem intra terminos alterius Parochiæ venditione, vel teſtamento, aut donatione acquirit, ei teneatur decimas ſolvere de agris acquiſitis? Quidam enim aſſerunt non teneri illam Parochiam, quæ acquirit poſſeſſionem aliquam, decimas ſolvere priori Eccleſiæ, in qua ſunt prædictæ poſſeſſiones, ſed deberi illi Parochiæ, quæ de novo eas poſſeſſiones titulo aliquo quocumque vel gratioſo, vel oneroſo acquirit, modò ob eam cauſam prior Eccleſia, in qua exiſtunt prædia, non magnum recipiat detrimentum. Ratio illorum eſt; quia fundus eo ipſo quod ſit Eccleſiæ, efficitur Eccleſiaſticus, & titulo ſpirituali poſſidetur: ergo alteri Eccleſiæ, ſeu Parochiæ non manet obnoxius ad ſolvendas decimas, nec dici poteſt quod non poſſit de novo emancipari alteri Eccleſiæ cum iniuria prioris Eccleſiæ: quia ibi nulla datur iniuria, niſi prioris Eccleſiæ miniſtri notabiliter defraudentur convenientibus alimentis, cùm res hæc Eccleſiaſtica in Eccleſia maneat. & extra illam non egrediatur. Ita docent D. Thomas 2.2 *q.87. art.4. ad 1.* Caietanus, Sylvius, Arragon *ibid.* Suarez *tom.1. de Rel. lib.1. de divino cultu, c.15. n.31.* ubi dicit opinionem D. Thomæ uſu & conſuetudine eſſe receptam: nihilominus ſtando in jure communi, contrarium eſt dicendũ, quamvis præcedens opinio ſit ſatis probabilis. Ratio eſt, quia res tranſeunt cùm ſuo onere: Sed prædia exiſtentia in terminis alicuius Parochiæ, habent hoc onus ut illi pendant decimas: ergo cum illo onere debent tranſire, etiamſi aliis Parochiis donentur, vel vendantur, vel ab illis novo titulo acquirantur. Tum quia aliàs Monaſterium emens vel colens prædia in alicuius Parochiæ terminis exiſtentia, non teneretur ex illis prædiis decimas ſolvere antiquæ Parochiæ, quia jam efficiuntur Eccleſiaſtica huiuſmodi prædia; quod eſt contra *cap. Commiſſum* & *c. Nuper, de decimis*, in quibus jubentur decimæ ſolvi priori Parochiæ, etiamſi bona veniant novis titulis ad Monaſteria, ne Parochiæ graviter lædãtur, & iniuriam patiantur. Proinde niſi Monaſteria habeant ſpeciale privilegium, tenentur decimas ſolvere de prędiis acquiſitis illis antiquis Parochiis in quarum diſtrictu ſunt prædia acquiſita. Hæc ſententia magnum fundamentum habet ex *cap. Eccleſia 16. quæſt.1.* ubi ſic dicitur: *Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ, nec decimis, nec ulla poſſeſſione priventur, ita ut novis Oratoriis tribuantur.* Et idipſum ſtatuitur *in cap. Quicumque 16. queſt.1.* Hanc ſententiam tuentur Rebuffus *tract. de decimis, queſt.5. num.19.* Covarruvias *lib.1. variar. cap.17. n.8. §.2.* Leſſius *lib.2. cap.39. dub.5. num.23.* Eman. Sà *verb. Decima, num.3.* Guttierrez *lib.1. queſt. Canonic. cap.21. n.54* Fagundez *in quinto præcept. Eccleſ. lib.1. c.7.* & alij. Cajetan. Sylvius. Arragon. Suarez. Rebuffus. Covar. Leſſius. Eman. Sà. Guttierr. Fagund.

15. Nonum jus Parochiale eſt primitiarum perceptio. Primitiæ autem dicuntur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, arborum, ut colligitur ex cap.18. Numer. ubi eiuſmodi primitiæ Aaroni & filiis eius aſſignantur: *Omnem medullam olei & vini & frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi: Vniverſa frugum initia, quæ gignit humus, & Domino deportantur, cedent in uſus tuos.* Simile erat præceptum offerendi & ſanctificandi Domino omne primogenitum tam de hominibus, quàm de jumentis, *Exod. 13.* Hoc autem Moſaicæ legis præceptum de primitiis, fuit cæremoniale; quamvis valde conſentaneum legi naturali; ſaltem ut aliquid ex fructibus Dei beneficio provenientibus ipſi in recognitionem & gratiarum actionem offeratur. Quamobrem etiam novæ legis Eccleſia decentiſſimum hunc modum offerendi fructuum primitias Deo, ſaltem mediatè, atque in miniſtris ſuis, imitata olim fuit, atque fidelibus præcepit, ut colligitur ex *cap. Præter, diſt 32.* & *cap. Revertimini 16. queſt.1.* & notavit Gloſſa *in cap. 1. de decimis, verb. In primitiis*, D. Thomas 2.2. *queſt. 86. art.4.* Hodie tamen pleriſque in locis primitiarum oblatio per deſuetudinem abolita eſt: cùm enim jure ſolùm Eccleſiaſtico principaliter propter convenientem miniſtrorum ſuſtentationem conſtituta fuerit: ideò ſi ipſis aliunde, videlicet ex decimis aliiſve fidelium oblationibus neceſſaria non deſint, nihil obſtat, primitiarum præſtationem abrogari. Imò nullo jure obligari fideles ad primitiarum ſolutionem, quidam exiſtimant; quia nullum jus afferri poteſt in nova lege obligans ad primitias ſolvendas: vel ſi aliqua lex, aut præceptum aliàs extitit, contraria conſuetudine abrogatum fuit, de quibus videndus Suarez *tom. 1. de Relig. libro primo, de divino cultu, cap.5. num.2.* & *cap.8.* Bonacina *tom.2. diſput. ultim. quæſt.5. punct.* Gloſſa. D.Thom. Suarez. Bonacina.

Filliucius. Leſſius. *punct. ult. n.* 2. Filliucius *tract.* 27. *cap.* 7. *quæſt.* 2. & 5. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 39. *dub.* 6. & alij.

16. Decimum jus Parochi eſt, oblationes fidelium recipere. Nomine autem oblationum in jure, veniunt omnia quæ Deo & Eccleſiæ à pijs ac fidelibus Chriſtianis offeruntur, ſive res ſint immobiles, ſive mobiles, *cap. Qui oblat. cap. Clerici* 13. *q.* 2. tamen uſu & conſuetudine eſt receptum, ut ſolùm oblationes ſpecialiter dicantur illæ res, quæ inter Miſſarum ſolemnia, ab his qui Miſſæ ſacrificio adſunt, altari offeruntur.

Sed petes, an de jure teneantur ſinguli Parochiani Dominicis & Feſtis diebus aliquas oblationes offerre ſuis Parochis dum Miſſæ Sacrificio adſunt? Affirmant nonnulli eos jure divino poſitivo, non tamen naturali, teneri & etiam jure Canonico. Quod probant ex illo Exodi 16. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* Et ex *cap. Omnis Chriſtianus, de conſecr. diſt.* 2. vbi Gregorius Papa VII. ait: *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia Deo aliquid offerre, & ducere ad memoriam illius, quod Deus ad Moyſem dixit: Non apparebis coram me vacuus.* Et ex *cap. Præter hoc, diſt.* 32. ubi Alexander II. dicit: *Præcipientes ſtatuimus ut decimæ, primitiæ, ſeu oblationes vivorum & mortuorum Eccleſijs Dei fideliter reddantur à laicis.* Et ex *cap. Statuimus* 16. *quæſt.* 2. ubi habetur: *Statuimus ut ſi quis ad oblationes Eccleſiæ, quas populus dare debet, non teneri contenderit, communione privetur.* Proinde ex his juribus dicunt poſſe Parochianos auctoritate ſuorum Prælatorum cogi cenſuris Eccleſiaſticis ad aliquid offerendum ſingulis diebus Feſtis inter Miſſarum ſolemnia. Ita Gloſſa *in dict. cap. Omnis Chriſtian. & in cap. Statuimus cit.* Hoſtienſ. *in Rubr. de Parochijs, §.* 2. Lappus *alleg.* 58. *n.* 1. & 7. & alij, quorum ſententia non eſt improbabilis.

Greg. VII. Gloſſa. Hoſtienſ. Lappus.

Nihilominus ex communi Theologorum & juris Canonici interpretum ſententia dicendum eſt, nullum extare præceptum divinum nec Eccleſiaſticum de oblationibus in Eccleſia faciendis tempore Miſſæ Parochialis, nec poſſe Parochianos ad id cogi, aut obligari cenſuris vel alijs pœnis Eccleſiaſticis, poſſe tamen longa conſuetudine oblationes introduci. Ratio illorum eſt, quia oblationis nomine id ſignificatur, quod quiſque ſua ſponte & voluntate gratis & liberaliter offert. Et in Concilio Cabilonenſi, ſub Carolo Magno *cap.* 6. ſic habetur: Animarum ſalutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet: quoniam fideles ad res ſuas dandas non ſunt cogendi, neque circumveniendi: oblatio namque ſpontanea eſſe debet, juxta id quod ait Scriptura: *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Pſal. 53. Et illud, *Omnis populus mente devota obtulerunt donaria Domino.* Exod. 35. Ita docent Azorius *tom.* 1. *lib.* 7 *cap.* 7. *q.* 21. Gabriel *in Canonem Miſſæ lect.* 6. D. Antoninus *part.* 3. *tit.* 12 *c.* 12. Abbas, & Ancharanus *in Rubr. de Paroch.* Angelus, Sylveſt. *verb. Oblat.* Proinde D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 86. *art.* 1. quem omnes alij ſequuntur, docet neminem teneri offerre, niſi quatuor de cauſis, quarum *Prima* eſt, cùm quis ratione cenſus, penſionis, aut conventionis antea factæ aliquid Eccleſiæ dare debet. *Secunda*, cùm quis teſtamento vel donatione inter vivos eſt obligatus. *Tertia*, cùm Sacerdos indiget: nam miniſter Eccleſiæ ali & ſuſtentari debet. *Quarta*, cùm alicubi eſt conſuetudine introductum, ut in diebus Dominicis & Feſtis aliquid offeratur, ſive id accidat, quia populus longo tempore, videlicet annis decem, oblationes in certis ſolemnitatibus frequentet, quaſi ex obligatione, ſive intentione obligationis contrahendæ fayentibus Prælatis; ſive ipſi Eccleſiarum Rectores longo tempore à Parochianis oblationes quaſi debitas bona fide exigant, ideoque per modum præſcriptionis jus ſibi acquirant.

Azorius. Gabriel. D. Anton. Abbas. Ancharan. Angelus. Sylveſter. D. Thom.

Quando autem jura citata ſtatuunt, ut Communione priventur illi, qui oblationes, quas debēt, negare contenderint, intelligenda ſunt, modò aliquo ex prædictis quatuor modis à D. Thom. aſſignatis oblationes debeantur. C. verò *Omnis Chriſtianus*, conſiljum continet, non præceptum, ſicut & illa verba Exodi, *Non apparebis*, &c.

17. Oblationes quæ jure debentur, Clerico Eccleſiæ, ſeu Parocho ſunt afferendæ, ad quem jus decimarū ſpectat. Hinc fit, ut ſi aliquid offeratur in certo ſacello, aut eremitorio, quod ſitum ſit intra Parochiam, Presbytero Parochię Rectori debeatur. Idem juris eſt, cùm offertur quippiam in cultum & honorem alicujus imaginis in Parochia vel ſacello ſitæ. Ratio eſt, quia ſive votum fiat abſolutè propter Deum, ſive intuitu alicujus Parochię, ſemper Eccleſia Parochialis poſt divitionem Parochiarum fundatam, habet ſuam actionem de jure communi ſuper omnibus oblationibus factis intra diſtrictum ſuum. Ita Abbas *in Rubr. de Parochijs, & in cap. Paſtoralis, de his quæ fiunt à Prælatis*, Sylveſter *v. Decima*, §. 2. Armilla *verb. Oblatio, n.* 2. Azorius *to.* 1. *lib.* 7. *c.* 27. *quæſt.* 13. Fagundez *in* 5. *præcept. Eccl. cap. ult. lib.* 4. *n.* 1. Limitatur prædicta doctrina à Bonacina *tom.* 2. *de præcept. Eccl. diſp. ult. quæſt.* 5. *punct. ult. n.* 5. niſi dictæ oblationes offerantur hac intentione, ut in honorem, vel ornatum imaginis vel ſacelli infumantur; quia ſicut legatum perſolvendum eſt juxta mentem diſponentis, ita oblationes juxta mentem offerentis. Ceterum quamvis dicta vera ſint de jure communi, tamen in aliquibus locis aliter uſu receptum eſt per contrariam conſuetudinem, vel præſcriptionem, quæ hac in re ſervanda eſt: quia conſuetudo vim legis habet, & præſcriptio legitima jus confert. Vide Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *c.* 7. Filliucium *tr.* 27. *p.* 2. *n.* 139. Marianum Socinum *de oblationibus.*

Abbas. Sylveſter. Armilla. Azorius. Fagund. Bonacina. Suarez. Filliucius. Socinus.

Præterea ſi quid offeratur Clerico privato rem divinā facienti in aliqua Parochia, de jure & conſuetudine ferè communiter recepta ad Parochum pertinet, vel ad alium Sacerdotem, ad cujus juriſdictionem altare ſpectat: modò non tradatur Sacerdoti tanquam ſtipendiū ſui laboris; tunc enim ad illum Sacerdotem pertinet. Reginaldus *l.* 19. *n.* 85. Azorius *loco cit. q.* 13. Porrò quæ offeruntur à fidelibus in Monaſteriis Religioſorum & eorū ſacellis intra certam Parochiam conſtitutis, ipſius Parochiæ Rectori iure debentur, niſi Pontificis privilegio ipſis religioſis attributæ fuerint eiuſmodi oblationes, & niſi contra Eccleſiæ Rectorem religioſi præſcripſerint, ut notant Azorius & Fagundez *locis citatis.*

Reginald. Azorius. Azorius. Fagund.

Notandum tamen hîc eſt, quod laici nunquam poſſunt ius acquirere in oblationes; quia cùm oblationes, ſicuti & primitiæ & decimæ res ſacræ & divinæ ſint, eæ in laicos cadere iure proprio non poſſunt: & ideò laici, qui huiuſmodi oblationes ſua propria auctoritate volunt accipere, ſacrilegii pœnis ſeſe obſtringunt, ut colligitur ex *cap. Decimas* 16. *quæſt.* 7. & patet etiam ex *cap. Hanc conſuetudinem* 10. *q.* 1. ubi ita dicitur: *Hanc conſuetudinem, quæ contra ſanctam Eccleſiam Catholicam augeri videtur, omninò interdicimus, ut nullo modo unquam, ullo tempore oblationes, quæ intra ſanctam Eccleſiam offeruntur, ſub dominio laicorum detineantur: ſed tantùmodo Sacerdotibus qui quotidie Domino ſervire videntur, illis ſolis liceat comedere & bibere*, &c. Ita Rebuff. Rebuffus.

Azorius. *tract. de decimis, quæſt.* 13. *num.* 64. Azorius *loco citato, quæſt.* 15. & alij.

18. Non omnium perſonarum, nec omnium rerum oblationes recipit Eccleſia: nam offerentes debent eſſe Chriſtiani & ab Eccleſia non præciſi, ſeu excommunicati: quia offerre munera, præſertim in Eccleſia, vel ad altare, eademque accipere, eſt quædam Eccleſiaſtica, & ſpiritualis communicatio; cujus ſoli fideles, ſeu Chriſtiani, ijque ab Eccleſia non ſeparati, participes eſſe debent, ut colligitur ex Conc. Elib. c. 28. tom. 1. Conc. *Epiſcopos, placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere,* & ex communi docent Armilla *v. Oblatio*, Suarez & alij. Inſuper Eccleſia non recipit oblationes fratrum diſſidentium, ſi notorij ſint, *cap. Oblationes, diſt.* 90. nec raptorum hominum, *cap. Super eo, de raptoribus*, nec uſurariorum, *c. Quia in omnibus, de uſur.* nec ſacrilegorum, *c. De viro* 12. *q.* 2. nec eorum, qui per vim extrahunt ſervos ſuos ad ſacras ædes confugientes, *cap. Miror* 16. *q.* 3. nec meretricum, ne Eccleſia videatur favere peccato, ſi de mercede peccati oblationem acciperet; & hoc ad vitandum ſcandalum. Hæc omnia jura intelligi debent de dictis peccatis notoriis, ac manifeſtis. Nota tamen, ſi meretricum pœnitentia & emendatio publicè nota ſit, nihil obſtare, quo minus Eccleſia oblationes accipiat ex iis, quæ inhoneſtè, ſed non iniuſtè acquiſita fuerunt, cùm id nullo iure poſitivo prohibitum reperiatur. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 87. *a.* 2. *ad* 2. quia tunc ratio ſcandali ceſſat.

Conc. Eli. Armilla. Suarez. D. Thom.

Item oblationes nec faciendæ, nec accipiendæ ſunt ex iis, quæ iniuſtè acquiſita & reſtitutioni obnoxia ſunt: quia *immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata*, Eccleſ. 34. n. 21. nec de iis bonis, quæ iuſtè quidem acquiſita, ſed ex lege juſtitiæ, pietatis, vel charitatis, potiori iure alijs ſunt debita, ſcilicet creditoribus, filijs, vel parentibus gravi neceſſitate preſſis, vel denique pauperibus gravi inopia laborantibus. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 86. *a.* 3. *in corpore*, & communis.

D. Thom.

19. Undecimum ius Parochi, eſt ius accipiendi Canonicam portionem. Hæc autem Canonica portio eſt certa quantitas, quæ Epiſcopo, vel Parocho ratione funeris præſtatur, à ſacris Canonibus approbata, & iure decretorum debita. Dicitur autem Canonica portio, quia à Canone & lege eſt introducta. Et ne Eccleſiarum Parochialium Rectores, quibus animarum cura incumbit, debitis fraudentur ſubſidijs, ſtatutum fuit *in c.* 1. *de ſepulturis*, & *Clementin. Dudum, eod. tit.* ut Eccleſia illa, in qua quis, relicta propria, fuerit ſepultus, teneatur partem eorum, quæ defunctus pro anima ſua eidem Eccleſiæ reliquit, Parochiali Eccleſiæ tradere, in qua defunctus domicilium habebat. Canonica ergo portio Parochialis eſt illa, quæ Parochiali Eccleſiæ, ſeu ejus Parocho debetur, ex relictis à Parochiano, vel obvenientibus ratione funeris loco illi, in quo eligit ſepulturam. Ita Barboſa *de offic. & poteſtat. Parochi, c.* 25. Rodriguez *to.* 1. *quæſt. regul. q.* 39. *a.* 1. Miranda *in Man. tom.* 2. *q.* 48. *art.* 1.

Barboſa. Rodrig. Miranda.

Hæc Canonica portio Parochialis, quoad quantitatem & quotam in qua ſolvitur Parochis, varia eſt, ſecundùm varia jura & diverſas conſuetudines; nam aliquando eſt quarta, aliquando tertia, aliquando verò media, ut patet ex *cap.* 1. & 2. & *cap. Certificari, de ſepultur.* Propterea quantitas hæc determinanda eſt juxta conſuetudinem loci, quæ conſuetudo debet eſſe rationabilis & præſcripta ſpatio 40. annorum, quod intelligendum eſt de quarta non expreſſa à jure: nam de expreſſa ſufficit conſuetudo etiam non præſcripta. Ita Miranda *loco cit. a.* 5. *concl.* 1. ubi ſentit cum alijs à ſe citatis, neceſſarium eſſe illud tempus 40. annorũ ad hoc ut valeat cõſuetudo, quod detur Epiſcopo vel Eccleſiæ Parochiali ultra dimidiam partem; puta quod dentur duæ partes ex tribus, vel quod detur citra quartam partem, id eſt minus quàm quarta pars: at verò ad hoc ut detur infra dimidiam vel quartam partem, non eſt neceſſe, quòd ejuſmodi conſuetudo ſit præſcripta ſpatio 40. annorum, ſed ſufficit numerus decem annorũ. Ratio eſt, quia conſuetudo dandi infra dimidiam & quartam partem, non eſt contra ius, ſed præter ius, & ideò non requiritur, quòd ſit præſcripta: at conſuetudo dandi ultra dimidiam & citra quartam partem, eſt contra ius, quia nullo iure caveretur, ut habeatur minus quartã, vel ultra dimidiam partem; unde ejuſmodi conſuetudo, ad hoc ut valeat, neceſſe eſt, quod legitimo 40. annorum ſpatio ſit præſcripta, aliàs non valebit, ut docet etiam Panormitanus *in cap. Certificari, de ſepultur. num.* 4. Sylveſter *verb. Canonica portio, quæſt.* 1. Barboſa *loco cit. num.* 2. Trullench *tract. de iur. Parochi, cap.* 13. *dub.* 1. *num.* 4. & 5. & alij.

Miranda. Panorm. Sylveſt. Barboſa. Trull.

20. Canonica portio debita Eccleſiæ Parochiali, non ſolùm in parte, ſed etiam in totum poteſt conſuetudine vel præſcriptione præſcribi: tamen ad præſcribendum in hujuſmodi, ſi conſuetudo ſit cum titulo, ſufficit tempus 40. annorum; ſi verò ſit ſine titulo, requiritur tempus, cujus in contrarium initij non ſit memoria. Nam cùm ius cõmune ſit pro Eccleſia Parochiali, & conſequenter præſumptio ſit contra poſſidẽtẽ, qui ſolvere renuerit, oportet ut titulum alleget, per quem talis præſũptio tollatur. Ita Sylveſter *v. Canonica portio, n.* 3. Panormitanus *loco citato*, Miranda *loco cit. concl.* 2.

Sylveſter. Panorm. Miranda.

21. Cùm Canonica portio debeatur Eccleſiæ Parochiali, in qua quis audivit divina & Eccleſiaſtica percepit Sacramenta, in cõpenſationẽ laborum, quos præſtat Parochus in celebrando divina & adminiſtrando Sacramenta, ut docet Gloſſa *in c. Cùm quis, de ſepult. in* 6. hinc ſi quis diſceſſit è loco domicilij ad aliquem locũ, animo redeũdi, vel animi recreãdi gratia, & ibi moritur, ſi alibi eligat ſepulturam, Canonica portio, ſeu quarta funeralis debetur Parochiæ domicilij. Similiter ſi quis, dimiſſa Eccleſia, in qua cõſueverãt ſepeliri eorũ majores, eligat ſepulturã in alia Eccleſia, dimiſſa etiã Parochiali, in qua recipiebat Sacramenta, quarta ſolvenda eſt, nõ Eccleſiæ ſuorũ majorum, ſed illi in qua recipiebat Sacramẽta, & habebat domicilium. Ex *c. Cùm quis, de ſepult. in* 6. Miranda *loco cit. a.* 9. *concl.* 2. & 4. Barboſa *de offic. & poteſtat. Parochi, c.* 25. *n.* 26. & 29. Idem dicendum ſi quis in ægritudine conſtitutus ingrediatur Religionem, ſi habitu nõ aſſumpto ex eadem infirmitate deceſſerit, & ibi eligerit ſepulturam, ſolvẽda erit portio Canonica Eccleſiæ Parochialis: ſecus quando quis ſanus in Monaſteriũ ſe transfert, ibique intra annũ novitiatus deceditur: tunc enim nõ debetur Canonica portio funeralis, ut expreſsè deciditur *in c. De ijs, de ſepult.* & docent Hieron. Rodriguez *Compend. reſol.* 18. *n.* 15. & Miranda *loco cit. art* 9. *concl.* 3.

Gloſſa. Miranda. Barboſa. Hieron. Rodrig. Miranda.

Porrò ſi quis æqualiter habeat domicilium in diverſis Parochijs & in tertio loco eligat ſepulturã, quidam exiſtimãt dividẽdam eſſe inter illas duas Parochias Canonicã portionẽ. Ita Sylveſt. *loco cit. q.* 13. citans Hoſtienſem & Innoc. ſed verius eſt id non eſſe neceſſariũ, ſed illi deberi, in qua deceſſit: nam ibi erat ſepeliendus, ſi non elegiſſet ſepulturã, & ibi Sacramẽta percipiebat. Sed quid dicendum ſi in una Parochia ſolitus fuerit audire divina & in

Sylveſter. Hoſtienſ. Innocent.

in alia recipere Sacramenta & eligit ſepulturam in tertio loco, aut Eccleſiæ? Verius eſt quartam dandam eſſe Eccleſiæ, in qua percipit Sacramenta. Sylveſter. Ita Sylveſter *loco cit. q.* 14. quia hæc quarta danda eſt Eccleſiæ Parochiali, quæ propriè illa dicitur, in qua recepit Sacramenta.

22. Canonica portio Parochialis ſolummodo debetur ab Eccleſijs, ubi aliquis ſepelitur, vel ad quam tranſit ſe convertendo, ſeu alio modo, & non ab alijs Eccleſijs vel perſonis; ſive Eccleſia illa, in qua ſepelitur ſit ſæcularium, ſive regularium, ſive exempta ſit, ſive non: nam quoad hoc Innocent. non eſt exempta. Ita Innocent. *in cap. Relatam, & in cap. Noſtra, de ſepult.* & *in cap. Requiſiviſti de teſt.* unde hęc quarta non eſt ſolvenda, jure communi, ab hæredibus defuncti, ſed ab Eccleſijs, ubi ſepelitur relicta propria, de omnibus quæ obveniunt ratione funeris, ſcilicet in die funeris, ſeu de omnibus oblationibus & commodis funeris quæ offeruntur in die funeris, prout declaravit Pius V. Pius V. in Conſtitut. quæ incipit, *Etſi Mendicantium Ordines.*

Funeralia autem in hoc caſu dicuntur ea, quæ cum funere deducuntur, ſive antequam ſit in terra conditum, ſive poſt, & uſque ad trigeſimum diem, & quamdiu ſit memoria de funere, modò occaſione funeris proveniant, vel ſi poſt diem funeris obſequia fiant cum maxima pompa, eò quòd die obitus propter peſtem, aut aliam cauſam non potuit ſolemniter tumulari. De his vide Barboſa. Barboſam *de offic. & poteſt. Parochi cap.* 25. *n.* 26. & Azorius. 37. Azorium *part.* 2. *lib.* 9. *c.* 13 *quæſt.* 13. *verſ. Funeralia.* Trull. Trullench *de jur. Parochi, cap.* 13. *dub.* 5. Ubaldis. Petrum de Vbaldis *de Canonica Parochial. cap.* 4. *num.* 16.

S. Congr. Barboſa. Ex declaratione autem Sacræ Congregationis die 3. Auguſti 1621. teſte Barboſa *ubi ſuprà num.* 28. quando in die funeris data fuit Parocho ſolita facium, cereorum, aut interſtitiorum, quarta, ſi die ſequenti ſolemniori pompa, in alia Eccleſia, ubi mortuus ſepulturę mandatus fuerat, die heſterna, pro ejus anima Miſſa ſolemnis cantatur cum diſtributione candelarum & interſtitiorum in majori quantitate diei præcedentis, debetur ex his quoque Parocho quarta: quia hæc omnia cenſentur funeralia, & obventiones occaſione funeris provenientes, & actus funerales ſunt diſtincti.

23. Iure communi ſtatutum eſt *in Clementina Dudum, de ſepult.* §. *Verum*, ut religioſi etiam teneantur ad hujuſmodi quartam funeralem ſolven- Clem. V. dam: ibi enim Clem. V. his verbis utitur: *Auctoritate Apoſtol. conſtituimus & ordinamus eadem, ut dictorum Ordinum fratres de obventionibus omnibus tam funeralibus, quàm quibuſcumque & quomodocumque relictis diſtincte vel indiſtincte ad quoſcumque certos vel determinatos uſus, de quibus etiam quarta, ſive Canonica portio dari, ſive exigi non conſuevit, vel non debet de jure: nec non de datis vel qualitercumque donatis in morte, ſeu mortis articulo in infirmitate donantis vel dantis, de qua deceſſerit, quomodocumque directè vel indirectè fratribus ipſis, vel alijs pro eiſdē, quartam partem (quam auctoritate Apoſtolica taxamus, & etiam limitamus) Parochialibus Sacerdotibus & Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Curatis largiri integre teneantur.* Et infrà, *univerſa privilegia, gratias, indulgentias, verbo, ſeu ſcripto, ſub quacumque forma vel expreſſione, ſeu conceptione verborum à ſe vel prædeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus cuicumque Ordinum prædictorum conceſſa, ne non conſuetudines conventiones, ſtatuta & pacta in quantum ſunt præmiſſis vel alicui præmiſſorum contraria, ea penitus revocat, vacuat, caſſat & irritat.*

Hujus Clementinæ declaratio extat apud Syl. Sylveſt. veſt. *v. Canonica portio, q.* 19. ſed quia parum eſt in uſu & fermè in totum revocata per Pontificum privilegia, ideò dicendum quod nunc religioſi juxta ſua privilegia non tenentur ſolvere Epiſcopo, vel Parocho dictam portionem, ſeu quartam, nec de funeralibus, oblationibus, ſepulturis, legatis, ultimis voluntatibus, nec de alijs pro victu, ornamentis, aut alijs quomodolibet largitis. Ita enim conceſſit poſt dictam Clementinam Eugenius IV. Bulla 12. pro Benedictinis, Eugen. IV Sixtus IV. Bulla 14. pro Fratribus Minoribus, & Sixtus IV. Bulla 37. pro Carmelitis. Clem. VIII. Carmeli- Cl. VIII. tas Diſcalceatos poſt contradictorium judicium & cauſa ventilata, à ſolutione quartæ funeralis liberavit. Ita De la Cruz *de ſtatu Religioſi, lib.* 2. De la Cr. *cap.* 9. *dub.* 5. Rodriguez *tom.* 1. *quæſt. reg. q.* 39. Rodrig. *art.* 2. Miranda *in Manual. tom.* 2. *quæſt.* 48. *art.* 6. Miranda. ubi aliorum Pontificum referunt privilegia, & noviſſimè Tamburin. *tom.* 1. *de jur. Abbat. diſp.* 13. Tambur. *quæſt.* 17.

Verùm ut regulares per ſua privilegia exempti ſint à ſolutione quartæ funeralis, requiritur quod per privilegium fuerit ſpecialiter derogatum dictæ Clement. *Dudum, de ſepult.* cùm ſit diſpoſitio Conciliaris, & ideò ſuccedit regula, quod non cenſeatur derogatum Concilij generalis decretis, niſi expreſſa mentio ſit his verbis, non obſtante aliqua lege, aut Conſtitutione in Concilio generali edita, vel æquipollentibus, ut colligitur ex *c. Ex parte & cap. ult. de Capellis Monachor.* & pluribus tradunt Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi, cap.* 25. *n.* 8. San- Barboſa. chez *de matr. lib.* 3. *diſp.* 26. *n.* 7. Rodriguez *tom.* 3. Sanchez. *quæſt.* 39. *art.* 4. & alij. Rodrig.

Si tamen in privilegio adſit expreſſa exemptio à ſolutione quartæ funeralis, cum ſpecifica derogatione *Clement. Dudum, de ſepult.* & ſimul adſit clauſula, *ſalvâ juſtitiâ Eccleſiarum Parochialium*, dicta clauſula intelligi debet de alijs, quàm de expreſſis, vel de materijs compatibilibus cum expreſſis in privilegio; non autem ut tollat expreſsè conceſſa, ut reſoluit Barboſa *loco cit. num.* 10. cum Barboſa. alijs.

24 Concil. Trident. *ſeſſione* 25. *c.* 13. *de reform.* Con. Trid. circa hanc Canonicam portionem ſic ſtatuit: *Decernit Sancta Synodus, quibuſcumque in locis, jam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſia ſolita eſſet perſolvi, ac poſteà fuerit ex quocumq; privilegio alijs Monaſterijs, hoſpitalibus, aut quibuſcumque locis pijs conceſſa, eadem poſt hac integro jure, & eadem portione, quæ antea ſolebat, Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiæ perſolvatur; non obſtantibus conceſſionibus, gratijs, privilegijs, etiam Magni nuncupatis, aut alijs quibuſcumque.*

Sed quia circa hoc decretum oriebantur indies multæ controverſiæ inter Regulares & Epiſcopos vel Parochos, recurrendum fuit ad S. Con- S. Congr. gregationem Concilij, quæ declaravit, ut infrà: *Congregatio Concilij cenſuit Monaſteria ædificata quadraginta annis citra, aut quæ in dies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur, non teneri ad ſolutionem quartæ funeralium hujuſmodi; præſuppoſito, quod hujuſmodi Monaſteria ſint ejus Religionis, cui à Sede Apoſtolica indultum ſit, ut quartam funeralem non debeant ſolvere Epiſcopo.* Hæc declaratio habetur authentica, ſigno atque ſigillo Illuſtriſſimi olim Cardin. Carafæ, & fuit auctorizata, ut fidem faceret in judicio & extra judicium per Doctorem Chriſtophorum de Meſa S. Cordub Eccleſiæ Canonicum, & illius Epiſcopatus Vicarium generalem Cordubæ 4. Julij anno Domini 1592. teſte Miranda *to.* 2. *q.* 48. *art.* 7. Quam approbavit & Miranda. cano

Paulus V. Rodrig. Tamburr. Barbos.

canonizavit Paulus V. in ſua Conſtitut. quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem.* apud Rodriguez in Pauli V. Conſtit. cjus 4. & apud Tamburin. *to. 1. de iur. Abbat. diſp. 15. quæſt. 17. n. 16.* pro religiolis B. Mariæ de Monte Carmelo. Vide Barboſam *de offic. & poteſtat. Parochi, c. 25. n. 12. 13. 14. & 15.* ubi reſoluit, Monaſteria fundata ante annos 40. ante Concilij Trid. confirmationem, quæ quartam ſolvebant, etiam nunc eam ſolvere tenentur, ſecus ſi tunc eam nō ſolvebant. Ita verò quæ poſt Tridentinum ſuùt conſtructa, à ſolutione quartæ eſſe libera. Sed de his ſatis. Plura habent de hac Canonica portione, Portel. *verb. Canonica portio*, Miranda *to. 2. q. 48. per totam*, Trullench *tr. de iur. Parochi. c. 13* Hieronymus Rodriguez *in Compend. reſol. 18* Sylveſter *verb. Canonica portio*, & alij apud Azorium *part. 2. lib. 9. c. 12.*

Portel. Miranda. Trull. Hieron. Rodrig. Sylveſt. Azorius.

25. Ultimum ius ſeu qualitas conſtituens Eccleſiam Parochialem, eſt, quod ſolum habeat unū Paſtorem, ſeu Parochum Presbyterum. Quæ qualitas non ſolum neceſſaria, ſed omninò eſſentialis eſt: unde ſi duo præficiantur, tam non erit Eccleſia parochialis, ut aperte colligitur ex *cap. Sicut in unaquaque 21. q. 2.* ubi ita habetur: *Sicut in unaquaque Eccleſia unus Presbyter debet eſſe ita ipſa, quæ ſponſa, vel uxor ejus dicitur, non poteſt diverſi inter plures Presbyteros ſed unum tantummodo habebit Sacerdotem, qui eam caſtè & ſincerè regat.* Proinde Innoc. II. in Synodo Romana c. 10. ait: *Præcipimus etiam, ne conductitijs Presbyteris Eccleſiæ committantur: & unaquæque Eccleſia cui facultas ſuppetit, proprium habeat Sacerdotem,* ut refertur *cauſa 21. q. 2. c. 5.* Ita Barboſa *de offic. & poteſtat. Parochi, c. 1. n 43.* Gonzalez *ſuper 8. Cancellar. gloſſa 6. n 42. & ſeqq.* & alij communiter. Ex quo ht, quod quando Eccleſia collegiata habet curam animarum, talis cura non poſſit ſpectare ad ſingulos Canonicos illius, ſed ad totum Collegium, ſeu Capitulum, unam perſonam Rectoris repræſentans; & ob id Concil. Trid. *ſeſſ. 24. c. 13.* ita decrevit: *In iis quoque civitatibus ac locis, ubi Parochiales Eccleſiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, ſed promiſcuè petentibus Sacramenta adminiſtrant, mandat S. Synodus Epiſcopis, pro tuitione animarum eis commiſſarum ſalute, ut diſtincto populo in certas propriaſq; Parochias unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque Parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & à quo ſolo licitè Sacramenta ſuſcipiant.* quamquam in aliquibus locis non obſervetur, ubi in una Parochiali Eccleſia duo ſint Parochi cum æquali iure.

Innoc. II. Parochialis Gonzalez. Con. Tri.

Adnotandum autem hìc eſt, quod *in c. 3. de vita & honeſtat. Clericorum*, ſic ſtatuitur: *Ut quiſque Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui ſecum cantet, & epiſtolam & lectionem legat, & qui poſſit regere ſcholas, & admonere ſuos Parochianos, ut filios ſuos ad fidem diſcendam mittant ad Eccleſiam: quos ipſe cum omni caſtitate erudiat.* Proinde iure cautum eſt, ne Eccleſia ab Epiſcopo conſecretur, niſi ad minus pro duobus Clericis ſuſtentandis ſufficiat, ut habetur in cap. *Placuit 21. q. 2.* his verbis: *Hoc tamen unuſquiſque Epiſcoporum meminerit, ut non prius dedicet Eccleſiam, niſi antea dotem Baſilicæ, & obſequium ipſius per donationem chartulæ confirmatam accipiat. Nam non levis culpa eſt iſta temeritas, ut ſine luminariis vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione egenis, qui ibidem ſervituri ſunt, tanquam domus privata conſecretur Eccleſia.*

Denique notiſſimè per Concilium Tridentin. *ſeſſ. 22. cap. 4. de reform.* ita ſtatutum eſt: *Epiſcopi etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati in omnibus Eccleſijs Parochialibus, vel baptiſmalibus, in quibus populus ita numeroſus ſit, ut unus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum.* Ex quo textu colligi poteſt, Parochos propria auctoritate poſſe ſibi aſſumere Vicarios temporales, dummodo ſint ab Ordinario approbati.

Con. Tri.

26. Cùm idoneitas eligendi ad Parochialem Eccleſiam conſiſtat in ordine ad regimen animarū, & Eccleſiæ ſibi committendæ, maximè ſunt attendendi mores & prudentia, & ſic gravitas morum in miniſtro Eccleſiæ reſplendere debet *cap. Cùm in cunctis de elect.* Igitur eligendus in Parochialem bonis moribus debet eſſe ornatus, & malis nullo modo infectus. Cumque bonos mores, hoc eſt virtutes morales regat prudentia, ſine qua nulla eſt vera virtus, debet etiam vigere prudentia. Quare hujus prudentiæ defectus, omnimodam gravitatem morum, quæ neceſſaria eſt, fugat & excludit, ut notat Navarrus *in c. Si quando. de reſcript.* Qui bene addit quòd quamvis quis habeat prudentiam bene agendi coram Deo, non ſequitur habere illam ſe & Eccleſiam gubernandi. Ex quo fit quod non ex eo quod quis ſit ſanctior coram Deo, illicò ſit magis idoneus: & ſi enim qui ſanctior eſt, bonos mores habeat in ordine ad finem charitatis, tamen non ideo habet bonos mores in ordine ad bonam politicam gubernationem Eccleſiæ, quæ magis attendenda eſt in proviſione Miniſtrorum.

Navarrus.

27. Parochialis Eccleſia, ejuſque Parochus maximas habet præeminentias. *Prima* eſt, ut nomine beneficiorum beneficia curata non veniant, *cap. Cùm in illa, de præbend. in 6.* Hinc fit quòd ſi in impetratione beneficij non fiat mentio, quòd ſit curatum, gratia eſt ipſo iure nulla. Felinus *in cap. In noſtra, Corollar. 10. de reſcript.* Gonzalez *ſuper 8. reg. Cancellar. gloſſ. 6.*

Felinus. Gonzalez.

Secunda præeminentia eſt, iuxta quorumdam ſententiam, Parochus in ſua propria Eccleſia, ex *cap. In apibus 7. q. 1.* dicitur Prælatus, in qua habet tantam poteſtatem, quantam habet Prælatus cum Capitulo in Eccleſia Collegiata, ut colligitur ex *cap. Tua nos, de Clericis agrotant.* & ex *cap. Cum ab Eccleſiarum, de offic. Jud. Ordinar.* ut notavit Abbas *inc. 1. ſub n. 5. & v. Si verò in Eccleſia, de dolo.* Parochi enim non ſecus atque Epiſcopi in Concilijs ſaltem Provincialibus conſederunt, & nonnunquā ſubſcripſerunt proprio nomine. quod ex variis Concilijs confirmat Archidiaconus *in c. Animard. de conſtit. in 6.* tamen in rigore Prælati non ſunt: nam *in Clement. Dudum, de ſepult. in Eccleſijs*, Rector & Prælatus ſeparatim ponuntur. Ita Sylveſter *verb. Prælatus n. 1.* Azorius *p. 2. lib. 3. cap. 25.*

Abbas. Archidiac. Sylveſter. Azorius.

Tertia eſt, quod Parochus intra propriam Eccleſiā debet præcedere omnes alios majores & ſuperiores in dicendis Miſſis ſolēnibus, & alijs quibuſcumque præeminentijs concernentibus ipſius Parochi officium. Nam Parochus in ſua propria Eccleſia, inſpecto iure communi, præferendus eſt Decano & omnibus Capitularibus Collegiatæ ad eam Eccleſiam proceſſionaliter certis diebus, ex antiqua conſuetudine accedentibus, ut fuit declſum in Rota, teſte Gonzalez *ſuprà num. 105.*

Rota. Gonzalez.

Vide v. Beneficium 6. *num.* 2. Beneficium 8. *num.* 6. Cardinalis *n.* 7 Commendationes Eccleſ. *n.* 2. Communio *num.* 3. Horæ Canon. 3. *num.* 8. Jubileus *num.* 11. Matrimonium 1 *num.* 20. Miſſa 1. *num.* 8. Prædicatio *num.* 3. Regulares *num.* 9 Reſidentia *num.* 6. 8. 9. & 13. Votum 1. *num.* 19.

PAPPER

PAVPERTAS RELIGIOSA.

SUMMARIUM.

1 *Paupertatis Religioſæ quatuor ſunt gradus: & an paupertas per abdicationem proprietatis ſemper fuerit in Eccleſia uſitata?* Refertur duplex ſententia.

2 *An certum ſit de fide laudabile eſſe illorum Religioſorum inſtitutum, qui paupertatem tam in particulari, quàm in communi profitentur.*

3 *Quanam paupertas ſit omnium præſtantiſſima inter eas quæ à Religioſis communitatibus obſervatur?* Refertur duplex ſententia.

4 *Paupertas alia dicitur profeſſionis, alia paupertas uſus, & alia paupertas effectus ſeu voluntatis.*

5 *An Religioſus poſt ſolemnem paupertatis profeſſionem poſſit habere proprium? & quid nomine proprij intelligatur.*

6 *Quo jure votum paupertatis facit Religioſum incapacem dominij retinendi vel in poſterum acquirendi?* Refertur triplex ſententia.

7 *An Summus Pontifex poſſit diſpenſare in voto ſolemni paupertatis, ita ut Religioſus poſſit habere proprium?* Refertur duplex ſententia.

An Religioſus factus Epiſcopus à voto paupertatis ſit abſolutus? Remiſſivè.

8 *An Religioſi poſſint ex eleëmoſynis emendicatis vivere, & quando non.*

9 *An Prælatus poſſit pro ſuo arbitrio bona monaſterij in quos volverit uſus expendere.*

10 *An licita ſit conſuetudo Religionum, in quibus ex Superiorum licentia certi annui reditus Religioſis conceduntur pro victu & veſtitu.*

An monialis, cui externus centum aureos ad ſuum libitum expendendos conceſſit, poſſit ex Superioris licentia ſæculari eos tradere, ut cenſum ſibi vitalitium ſolvat.

11. *An Religioſus beneficiatus ſit dominus fructuum ſui beneficij, donationes illius in uſus prophanos ſint validæ?* Refertur duplex ſententia.

12 *An Religioſus peccet mortaliter, ſi mutuò det vel commodet res ad ſuum uſum deſtinatas ſine licentia Superioris.*

13 *Ex quibus excuſetur Religioſus à mortali peccato proprietatis.*

An Religioſus iter agens ex licentia Superioris, poſſit ex pecunijs ſibi pro viatico conceſſis aliquid dare, parcius vivendo.

14 *An Religioſus peccet mortaliter dicendo aliquid eſſe ſuum.*

15 *An ſit dicendus proprietarius Religioſus, qui contra ſuas conſtitutiones recipit iuſtum ſtipendium pro Miſſis, Prædicationibus, Cõfeſſionibus, &c.* Refertur duplex ſententia. *Et an teneatur reſtituere.*

16. *An peccet contra paupertatis votum Religioſus, qui ſine licentia Superioris promittit Miſſas alicui, ut pecunia pro illis detur ſuo conſanguineo pauperi vel alteri indigenti.*

17 *An Prælatus regularis poſſit concedere ſuo Religioſo profeſſo peculium ad quoſcumque uſus indeterminatè.*

Qua ſint cauſæ, ut Superior poſſit licitè concedere ſuis ſubditis peculium.

18 *An licentia habendi peculium ab uno Superiore conceſſa, ſit ſemper à Superioribus ſucceſſoribus renovanda?* Refertur duplex ſententia.

1. PAupertatis Religioſæ quatuor ſunt gradus. *Primus* eſt ejus Religioſi, qui nec licitè, nec validè habere poteſt dominium alicujus rei, neque illâ tanquam propria uti; quem gradum paupertatis nunc ſervant omnes, qui emittunt votum ſolemne paupertatis. *Secundus* gradus erit ejus, qui non poſſit licitè habere proprium dominium alicujus rei, neque etiam ulla re tanquam propria uti, quamvis non ſit incapax dominij; qualis eſſet paupertas per votum omninò abſolutum & integrum paupertatis, ſi non eſſet per Eccleſiam ſolemnizatum. *Tertius* gradus eſt, ſi quis nec ſit incapax dominij, nec ex voto teneatur ſtatim illo privari, ſed ſolum nulla re ut propria uti; qui gradus paupertatis invenitur in Religioſis ſcholaribus approbatis Societatis JESV. *Quartus* gradus erit, ſi quis ex voto non obligetur ad carentiam dominij, vel omnis uſus rei in propriæ; ſed ſolùm ad non habendum, nec quærendum temporalia bona ultra certam menſuram ſufficientem ad ſuſtentationem vitæ, juxta aliquem honeſtum, vel perfectum finem ſibi præſcriptum; hoc enim votum & honeſtum & poſſibile eſſe per ſe notum videtur. Probabile eſt, ſtatum Religioſum aliquando fuiſſe cum ſola paupertate quarti generis, atque adeò illam eſſe ſufficientem ad ſtatum Religioſum ſubſtantialiter conſtituendum: quod probari poteſt ex Religioſis antiquis, vitam omninò ſolitariam agentibus, vel ita privatam, ut non eſſent partes alicujus communitatis: nam in illis non videtur habere potuiſſe locum alius modus paupertatis. Nihilominus probabilius eſt, ſemper fuiſſe in Eccleſia uſitatum, ut in ſtatu perfectionis paupertas eſſet per abdicationem proprietatis, ſaltem quantum ad uſum, atque id eſt moraliter neceſſarium ad proprium ſtatum perfectionis. Ratio eſt, quia paupertas excludens aliquam propriationem omnium bonorum temporalium, eſt magis conſentanea cõſilijs Chriſti, *Niſi quis renunciaverit omnibus quæ poſſidet*: & exemplis Apoſtolicis, *Ecce nos reliquimus omnia*, & conſuetudini primitivæ Eccleſiæ, quando erant illis omnia communia; tum quia juxta D. Thom. 2. 2. *q.* 188. *a.* 7. paupertas non ſolùm eſt neceſſaria ad perfectionem propter minuendam ſolicitudinem & affectionem ad bona temporalia, ſed etiam propter perficiendam illam, ſi quæ fuerit neceſſaria, id eſt, ut non ex amore privato ac temporali, ſed ex charitate adhibeatur: ſed ad hunc finem maximè confert paupertas, quæ proprietatem aliquo modò excludat: nam quamdiu res poſſidetur, & tractatur ut propria, etiam amatur ut propria, & conſequenter fit, ut amor non ſit ideò moderatus & independens, ſicut in viro perfecto, vel tendente ad perfectionem eſſe debet. D. Thom.

Paupertas tamen, quæ reddit Religioſum incapacem dominij, non fuit à principio uſitata in Eccleſia in aliquo ſtatu Religioſo, ſed poſteà juſtis de cauſis introducta eſt univerſaliter à temporibus Juſtiniani Imperatoris, ut conſtat ex Authenticis ejuſdem Juſtiniani in collat. 9 titul. 15. de Sanctiſſ. Epiſcopis, cap. 38. *Si qua mulier*, & cõllat. 1. tit. 5. de Monachis, cap. 6. quod incipit *Illud quoque*, ex quibus ſumptæ ſunt lex *Si qua mulier* & lex *Ingreſſi*, *Cod. de Sacroſanct. Eccleſijs*; ubi decernit per profeſſionem Monachi omnes res ejus fieri Monaſterij, etiamſi expreſſè non donentur. Conſtat etiam ex cap. *Cum ad monaſterium*, *de ſtatu Monachor.* & ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de regular.* & juxta hoc jus intelligendi ſunt juris interpretes, quoties dicunt votum paupertatis neceſſarium ad profeſſionem, vel ad ſtatum Religionis, excludere & proprium, & capacitatem proprij, ut videre eſt in Hoſtienſi, Innocentio, Panormitano & alijs in dict. Co. Tu. Hoſtienſ. Innocent. Panorm.

Navarrus. dict. *Cùm ad Monaſterium*, Navarro *Comment. I. de regular. num. 15. verſ. Decimum octavum & num. 18. verſ. Vigeſimum tertium.* ubi etiam hoc votum requirit, ad conſtituendum ſtatum religioſum; loquitur tamen iuxta commune ius, non ſecundùm intrinſecam neceſſitatem ſtatus religioſi, ut

Suarez. pluribus probat Suarez *de relig. tom. 3. lib. 8. cap. 7. aſſert. ultima.*

1. Quidam hæretici dixerunt non eſſe licitum profiteri Religionem, quæ paupertatem in communi profiteatur. Intentio illorum hæreticorum præcipua erat damnare illam paupertatem voluntariam, quæ uſque ad mendicitatem deſcendit; ſeu in qua vult quis ſuſtentari ex alienis bonis, relictis proprijs, & ſine ullo labore proprio. Hunc errorem ſequuti ſunt Ioannes Wiclef, & poſtea Lutherus, Calvinus

Wiclef. Lutherus. Calvinus. & eorum ſequaces, ut refert Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap. 45.*

Bellarm. Nihilominus certum eſt de fide, laudabile eſſe illorum religioſorum inſtitutum, qui paupertatem tam in particulari, quàm in communi profitentes quoad carentiam poſſeſſionum, ac certorum reditnum, non ex ſolis elëemoſynis, ſed ex proprio labore manuum aluntur. Probari poteſt hoc ex multis Scripturæ locis, in quibus D. Paulus ſæpè profitetur ſe manibus ſuis laboraſſe ad ſe ſuſtentandum: nam *Actor. 20.* ait: *Argentum & aurum aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* Et ad Cor. 9. dicit ſe potuiſſe ex Euangelio vivere; ut autem omnem offenſionem tolleret, noluiſſe, ſed proprijs manibus laborare.

Imò laudabile eſt religioſum inſtitutũ, in quo paupertas etiam in communi, quoad carentiam reditnum, & bonorum ſtabilium ſervatur, & non ex labore manuum, ſed ex ſolis elëemoſynis, vel ſponte oblatis, vel etiam mendicando petitis vivitur. Sit hæc veritas eſt etiam fide certa, quam Eccleſiaſtica traditio, Pontificum auctoritas, & univerſalis Eccleſiæ conſenſus ſatis probant. Nam traditio oſtendi poteſt exemplo Chriſti & Apoſtolorum; Chriſtus enim Dominus paupertem vitam profeſſus eſt, & ex elëemoſynis vixit, iuxta illud Lucæ 8. *Mulieres multæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Similiter & Apoſtoli ex elëemoſynis vixerunt; nam cùm Chriſtus eos ad prædicandum mitteret, dixit eis, Matth. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum,* &c. & Lucæ 10. *Nolite portare ſacculum, neque peram; edentes & bibentes quæ apud illos ſunt; manducate quæ apponuntur vobis.* Et verisimile eſt illos vivente Chriſto & poſt ejus aſcenſionem mendicaſſe, quando per mundum peregrinabantur. Inſuper hoc genus paupertatis poſt Apoſtolos, profeſſi ſunt Apoſtolici viri, qui ipſos imitati ſunt, ſicut in munere Euangelizandi, ita etiam in modo vivendi, ut refert

Euſebius. Euſebius *lib. 3. hiſtoriæ cap. 31.*

Ad veritatem hanc de fide confirmandam, ſufficit, quòd à Pontificibus & Concilijs Generalibus approbata ſit. Patet hoc ex Ioanne XXII. *in*

Io XXII. Hon. III. Greg. IX. Innoc. IV. Alex. IV. Nicol. III. *Extravag. Quia quorundam, de verbor. ſignificat.* ubi refert Honorium III. Gregorium IX. Innocentium IV. Alexandrum IV. & Nicolaum III. inſtitutionem B. P. Franciſci atque adeò profeſſionem paupertatis ejus confirmaſſe, quod idem poſtea multi Pontifices fecerunt. Concilium Lugdunenſe, ut refert Nicolaus III. *in cap. Exiit, de verbor. ſignificat. in 6.* & Concilium Viennenſe

Clem. V. Con. Tri. ſub Clemente V. *in Clementina, Exivi, de verb. ſignificat.* Denique Concilium Tridentinum, *ſeſſ. 25. cap. 3. de regul.* hanc etiam B. P. Franciſci paupertatem approbavit, imò integram ſervari voluit, cùm præbendo alijs religionibus facultatem habendi bona in communi, etiamſi aliàs illis eſſet prohibitum, Religionem Fratrum Minorum de Obſervantia & Capucinorum S. Franciſci excepit.

Denique ad hoc probandum accedit univerſalis Eccleſiæ conſenſus, à tempore inſtitutionis hujus uſque ad præſens, qui ſolus ad omnem certitudinem ſufficeret, tum quia Eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis: tum etiam, quia Spiritus ſanctus non permitteret, tam univerſalem, tamque diuturnum errorem in Eccleſia circa rem adeò gravem, & ad bonos mores fidelium pertinentem. De quibus latè Suarez *loco citato, cap. 8.* Suarez.

3. Controvertitur inter Theologos, quænam paupertas, inter eas, quæ religioſis communitatibus obſervatur, ſit omnium præſtantiſſima? Priuſquam ad quæſitum reſpondeamus, diſtinguendi ſunt tres fines Religionum. Quædam enim ſunt principaliter activæ, circa opera corporalia, ut hoſpitalitatis, militiæ, &c. Aliæ verò ſunt Religiones, quæ ad vitam tantùm contemplativam ordinantur. Aliæ denique ſunt Religiones, quæ non ſolùm ad contemplandum, ſed etiam ad contemplata alijs tradendum inſtitutæ ſunt. His poſitis, docet D. Thomas 2. 2. q. 188. a. 7. pau- D. Thom.
pertatem illam ſimpliciter eſſe præferendam, quæ fuerit magis accommodata fini Religionis; nam cùm paupertas non propter ſe ſpectetur, ſed præcisè ut medium ad finem perfectionis, non ſemper illa paupertas eſt melior, quæ eſt major, ſed quæ eſt magis proportionata ad finem: nam in hoc conſiſtit perfectio ejus. Quare in Religionibus, quæ vacant principaliter vitæ activæ, ait melius eſſe habere in communi bona etiam copioſa, quia ad illum finem neceſſaria ſunt. In Religionibus verò quæ ordinantur ad vitam contemplativam tantùm, convenienter eſſe habere poſſeſſiones in communi moderatas, quia illo modo ſufficienter tollitur ſolicitudo temporalium rerum, quatenus ad illum finem neceſſarium eſt. Denique, in Religionibus, quæ non ſolùm ad contemplandum, ſed etiam ad contemplata alijs tradendum ſunt inſtitutæ, paupertatem, tam in particulari, quàm in communi eſſe præferendam: quia ille ſtatus indiget minima ſolicitudine temporali; hoc autem paupertatis genus minimam ſolicitudinem relinquit; omnino enim illam auferre hujus vitæ ſtatus non permittit.

Secunda opinio eſt, illorum, qui cenſent eſſe melius ſecundùm genus paupertatis, hoc eſt, ſecundùm præſentem ſtatum convenientius eſſe habere poſſeſſiones in communi, etiam his Religionibus, quæ ad contemplandum, & ad contemplata alijs communicanda ordinantur. Ratio illorum eſt, quia hac tempeſtate, frigeſcente in hominibus charitate, & Religionibus, quæ paupertatem voluntariam ſectantur, multiplicatis, non poſſunt religioſi ab alijs ſuſtentationem vitæ acquirere, niſi cum magna ſolicitudine & mentis diſtractione, qua à ſpiritualium contemplatione eos retrahi neceſſe eſt; idcirco convenientius eſt, ut habeat in communi, unde vitæ neceſſaria habere poſſint, quàm ut mendicitati dent operam. Hanc opinionem ſuſtinent Ferrarienſis 3. *contra gentes cap.* Ferrar.
133. Sotus *de juſtit. & jur. lib. 3. q. 5. a. 3. concl. 3.* Soto.
Viguerius *in Summ. cap. 17. §. 1. verſ. 16.* & alij. Viguer.

Tertia opinio probabilior aſſerit perfectiorem eſſe paupertatem tam in particulari, quàm in cõmuni, quoad ſtabiles reditus vel poſſeſſiones, per

ſe

ſe loquendo, & ex vi ſtatus. Probatur: quia Nico-
Nicol. III. laus III. *in cap. Exiit qui ſeminat, de verb. ſignificat. in 6.* aperte docet ſanctiorem & fructuoſiorem eſſe paupertatem, quâ nos rerum dominio etiam in commune abdicamus: & Chriſtum Dominum utriuſque paupertatis exemplum reliquiſſe, ut perfectos, & imperfectos verbo, & facto doceret. Ait enim Pontifex: *Dicimus, quòd abdicatio proprietatis hujuſmodi omnium rerum tam in ſpeciali, quàm etiam in communi propter Deum, meritoria eſt, & ſancta: quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmavit; quamque primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant volentes perfectè vivere, per doctrinæ ac vitæ ipſorum alveos in eos derivarunt. Nec his quiſquam potet obſiſtere, quod interdum dicitur, Chriſtum loculos habuiſſe: nam ſic ipſe Chriſtus, cujus perfecta ſunt opera, in ſuis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectionibus condeſcendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas ſemitas nõ damnaret. Sic infirmorum perſonam Chriſtus accepit in loculis, ſic in nonnullis aliis infirma humanæ carnis aſſumimus (prout Euangelica teſtatur hiſtoria) non tantum carne, ſed & mente condeſcendit infirmis. Sic enim humanam naturam aſſumpſit, quòd in ſuis operibus perfectus exiſtens, in noſtris factus humilis, in propriis permanſit excelſus. Sic & ſummæ charitatis dignatione ad actus quoſdam noſtræ imperfectioni conformes inducitur, quod à ſummæ perfectionis rectitudine non curvatur. Egit namque Chriſtus & docuit opera perfectionis: egit etiam infirma; ſicut interdum & in fœna patet & loculis: ſed utrumque perfectè perfectus exiſtens, ut perfectis & imperfectis ſe viam ſalutis oſtenderet, qui utroſque ſalvare venerat, qui tandem mori voluit pro utriſque.* Hæc ibi Pontifex. Conſtat apertè Chriſtum loculos habuiſſe, ut imperfectorum perſonam ſuſtineret; & nihilominus alia perfectionis opera præſtitiſſe. Nam aliquando nihil eum privatim, neque communiter habuiſſe Sacra Euangelia teſtantur. Nam Matth. 8. clarè dicitur: *Filius hominis non habet ubi caput ſuum reclinet.* Certè negari non poteſt, quin paupertas ſit major, ſeverior & arctior, quâ nihil communiter aut privatim habetur, quàm ea, quæ rerum dominium privatim reſpuit & abijcit, non communiter; quia hic modus vivendi de ſe liberior eſt à cura & ſolicitudine temporalium rerum. Hanc opinionem ſu-
D. Thom. ſtinent D. Thomas *in opuſc. 17. & ſeq.* D. Bona-
D. Bonav. ventura *tom. 1. opuſculorum, opuſc. 17. de Chriſti pau-*
Suarez. *pertate, §. Quæritur de mendicatione.* Suarez *de relig.*
Azorius. *tom. 3 lib. 8. cap. 9.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap.*
Rodrig. *24. quæſt. 8. & lib. 12. cap. 24. quæſt. 12.* Rodriguez *tom. 3. quæſt. reg. q. 30. art. 1.*

4. Paupertas religioſa triplicem gradum habet: una dicitur paupertas profeſſionis: ſecunda dicitur paupertas uſus; & tertia paupertas affectus ſive voluntatis. Paupertas profeſſionis eſt illa, mediante qua nihil poſſidetur à religioſis realiter in effectu, quamvis quandoque teneant affectum ad res temporales; quæ quidem paupertas eſt nimis imperfecta, & non gaudet nomine veræ paupertatis ſpiritus, ſed tantummodò eſt quædam paupertas externa: non tamen interna, quæ grata eſt Deo: quare illi religioſi, qui poſt profeſſionem factam, & renunciationem rerum temporalium, habent affectum ad illa, non poſſunt dici pauperes ſpiritu, quorum eſt regnum cœlorum; nam Deus magis reſpicit affectum, quàm effectum ſine affectu.

Secunda paupertas dicitur uſûs, qualis eſt illorũ, qui non ſolùm nolunt aliquid poſſidere in hac vita, ſed etiã contenti ſunt de ſimplici uſu illarum rerum, quæ neceſſariæ ſunt pro ſuſtentatione vitæ, quantum ſufficit pro moderato victu & veſtitu, aliiſque rebus neceſſarijs pro moderato uſu. Si tamẽ hujuſmodi res appetant cum magna ſolicitudine & aviditate, volentes ut nihil illis deſit, tales pauperes ſunt valde imperfecti: quia licet religioſis concedatur uſus rerum pro eorum ſuſtentatione, non tamen debent habere affectum inordinatum ad illas, ne meritũ paupertatis amittant.

Tertia paupertas appellatur affectionis, & talis eſt vera paupertas ſpiritus, quam debent habere religioſi, ut talis virtus ſit grata Deo & meritoria, mediante qua religioſus non ſolùm renunciat bonis temporalibus in effectu, ſed etiã in affectu, & tantummodõ utitur illis pro ſimplici neceſſitate naturæ quantum ſufficit, & tales ſunt veri pauperes ſpiritu, de quibus dicitur in Euangelio *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Ita docent D. Bonav. Piſanus, Serena Conſcien- D. Bonav.
tia, A Politio, & alij expoſitores regulæ S. Patris Piſanus.
Franciſci, quibus ſubſcribit Alph. Rodr. *lib. 3. de* Ser. Conſ.
perfect. relig. tr. 2. cap. 16. de voto paupertatis, & alij Politus.
communiter Theologi, qui de illa ſcripſerunt. Alphonſ. Rodrig.

5. Nullus religioſus poſt ſolemnem paupertatis profeſſionem poteſt habere proprium, ut patet ex *cap. Cum ad monaſterium, de ſtatu Monachor.* ubi ſic habetur: *Prohibemus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ne quis regularis proprium aliquo modo poſſideat; ſed ſi quis aliquid habeat proprij, totum incontinenti reſignet.* Et poſtea ſubiungit Pontifex Innocent. III. Inno. III.
Nec exiſtimet Abbas quod ſuper habenda proprietate poſſit cũ aliquo Monacho diſpẽſare: quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt adnexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere.

Hoc idem definitur in Conc. Trid. *ſeſſ. 25.* Con Tri.
cap. 2. de regular. ubi ſic habetur: *Nemini regularium, tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus, poſſidere vel tenere; ſed ſtatim ea Superiori tradantur, conventuique incorporentur.*

Obſervandum hîc eſt, quod proprij appellatione, non ſolùm intelligatur dominium & proprietas rei, ſed etiam uſus & uſusfructus, poſſeſſio & adminiſtratio, prout ſunt iuris, non facti.

Dominium autem ſeu proprietas eſt ius perpetuò diſponendi de re in ſuum commodum, niſi lege prohibeatur.

Uſus eſt ius utendi re alienâ, ſalvâ ejus ſubſtantiâ.

Uſusfructus eſt ius utendi, ac fruendi re aliena, ſalva tamen ejuſdem ſubſtantia.

Poſſeſſio eſt ius inſiſtendi rei corporali, à qua poſſidenda non prohibemur.

Adminiſtratio eſt ius, quo quis apud iudices poteſt agere & convenire alium de re aliqua, & de ea extra iudicium ſtatuere, ita ut ſit libera, & legitima poteſtas ſive facultas agendi.

Religioſus igitur, iuxta ſacros Canones, caret omni bonorum temporalium dominio, proprietate, uſu, uſufructu vel poſſeſſione, quæ omnia ſunt iuris. Ratio eſt, quia per votum ſolemne paupertatis, omnibus his iam quæſitis & quærendis, imò & capacitati quærendi, vel habendi renũciavit, ut tradunt communiter Theologi & Ca-
D. Thom. noniſtæ D. Tho. 2. 2. q. 186. a. 3 & 6. Navarrus
Navarrus. *Comment. 2. de reg. n. 15.* Trullench *in decalog. tom. 2.*
Trull. *lib. 7. c. 5. dub. 9. n. 1. & 2.* Molina *de iuſt. tr. 2. diſp.*
Molina. 687. Bonacina *de reſtit. diſp. 2. q. 10. punct. 3. num 2.*
Bonacina. Geſualdus *part. 3. tract. 25. cap. 3. num. 15* & alij.
Geſuald.

6. Dubium

6. Dubium eſt inter Doctores, quo iure votum paupertatis faciat religioſum incapacem dominij retinendi, vel in poſterum acquirendi? Multi affirmant ſolemne votum paupertatis, vi ac natura ſua hanc inhabilitatem inducere. Alij cenſent ejuſmodi votum non vi ſua, nec iure Canonico, ſed divino vim habere faciendi religioſum incapacem dominij. Rectiùs tamen docent, qui dicunt ſola Eccleſiæ Conſtitutione religioſum eſſe inhabilem ad dominium retinendum vel in poſterum acquirendum. Probatur: nam in *cap. Quod votum, de voto & voti redempt. in* 1. generatim dicitur, ſolemnitatem voti eſſe ſola Eccleſiæ conſtitutione. Unde ſicut Eccleſiæ decreto religioſus profeſſus eſt inhabilis ſd matrimonium contrahendum, ſic etiam ejuſdem Eccleſiæ decreto eſt incapax dominij acquirendi. Hæc opinio cum ipſo jure civili, auctoritate Canonis cõprobato magis convenire videtur. *Authent. de ſanctiſſ. Epiſcopu, collat.* 9. §. *Si qua mulier*, & docent Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 6. *quæſt.* 4. Navarrus *Comment.* 2. *de regular. num.* 51. Covarruvias *de teſt. cap.* 2. *n.* 5. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 65. *cap.* 6. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 8 *num.* 71. Garzias *de benefic.* 7. *part. cap.* 10. *num.* 64. & alij. Fundamentum præcipuum huius ſententiæ eſt, quia traditionem ſui in jus Ordinis, decretum Eccleſiæ profeſſioni annexum, non ſolum confirmat, ita ut religioſus non poſſit veluti manumitti aut emancipari ſicut ſervus, vel filius, aut ſui juris effici; ſed etiam illum directè incapacem dominij acquirendi facit, ſicut ejuſdē Eccleſiæ decretū reddit profitentē inhabilē ad matrimoniū. Nō enim apparet ratio, quâ quis ſeipſum ſua auctoritate inhabilē & incapacē facere poſſit: nam quantumvis quis promittat, voveat aut iuret, ſe numquam matrimoninm cum hæc ut illa contracturum, aut rem aliquam conparaturum, non ideò efficitur inhabilis, ita ut ſi contra faciat, ſit irritū. Idē dicendū de dominij abdicatione: debet igitur hæc res ex lege & poteſtate Superioris provenire, ſicut irregularitas & inhabilitas ad beneficia, vel officia, quam nemo ſine Eccleſiæ conſtitutione ſibi irrogare poteſt. Proinde hanc ſententiam ſuſtinet etiam Suarez *de relig. tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 11.

Azorius. Navarrus. Covar. Leſſius. Garzias. Suarez.

7. Nonnulli arbitrantur Summum Pontificem non poſſe diſpenſare in voto ſolemni paupertatis, ita ut religioſus poſſit habere proprīū, ſicut ceteri ſæculares. Ratio illorum eſt, quia votum paupertatis ſtatui religioſo eſt eſſentialiter annexum, vel potius innexum & intrinſecè inclusū. Tum quia *in cap. Cùm ad monaſterium, de ſtatu Monachor.* habetur, quod *abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa regulæ Monachali, ut contra eam neque etiam Summus Pontifex poſſit licētiam indulgere.* Hanc ſententiam docent D. Tho. 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. Sylvius, Arragon, *ibidem.* Sylveſter *verb. Votum* 4. *q.* 5. & multi alij ex Thomiſtis, probabiliter.

D. Thom. Sylvius. Arragon. Sylveſt.

At verior eſt ſententia, poſſe Pontificem diſpenſare in voto ſolemni paupertatis, quando occurrit iuſta cauſa diſpenſandi. Probatur: quia Pontifex poteſt diſpēſare in voto ſolemni caſtitatis, ut ferè omnes fatentur: ergo etiam poterit diſpenſare in voto ſolemni paupertatis quia cùm utrumque ſit ſolemne, nō eſt major ratio de uno quàm de alio. Tum quia Summus Pōtifex poteſt relaxare votū ſimplex paupertatis perpetuæ, ut omnes Doctores affirmant: ergo & ſolemne: quia ſolemnitas voti ſola Eccleſiæ conſtitutione eſt introducta, ut expreſsè habetur *in cap. Quod votum, de voto & voti redempt. in* 6. Si ſolemnitas eſt ex ſola Eccleſiæ cõſtitutione, ergo poteſt ipſe in ea diſpenſare; quia poteſt relaxare ſuam Conſtitutionem. Dixi, *quando occurrit iuſta cauſa diſpenſandi*; quia Navarrus *comment.* 2. *de regular. num.* 17. putat non poſſe iuſtam cauſam ſubeſſe, ut diſpenſatio in voto paupertatis ſolemnis detur: nam ſufficit ut concedatur plena adminiſtratio abſque dominio, quæ tamen ſit aliquo modo dependens ab arbitrio Pontificis: hæc enim eſt ſufficiens ad omnes actus neceſſarios, ut ad donandum, ad acquirendum, ad contrahendum, ad condendum teſtamentum.

Navarrus.

Sed verius eſt, poſſe iuſtam cauſam ſubeſſe; ut ſi diſpēſetur ut Monachus fiat Rex vel Princeps ſæcularis & ducat uxorē: tunc enim eſt ſufficiens cauſa ut votum paupertatis ei omninò relaxetur. Ratio eſt, quia eſto per adminiſtrationem liberā poſſit ſatisfieri aliquo modo illi neceſſitati, nō tamen ſine magno gravamine & Regis & regni illius, quia vix poſſet aliquis ſine ſcrupulo donare, & neceſſariò infinitis dubijs involveretur: quia ſemper penderet Rex à Papa in illa facultate adminiſtrandi bona Regni: quādiu enim habet votū paupertatis, facultas adminiſtrandi à Superioris voluntate pendet: ergo ad tollenda hæc onera eſſet prudens diſpenſatio. Tum quia in eis caſibus, in quibus de facto legitur Papam diſpenſaſſe in matrimonio religioſi, aut monialis, ſignificatur ſemper diſpenſaſſe in omnibus votis; quia reverā ipſa tranſlatio à ſtatu religioſo ad ſæculare, eſt ſufficiens ratio diſpenſandi in votis, quę ſolùm facta erant ut annexa ſtatui regulari. Ita Scotus *in* 4. *diſt.* 30. *q.* 3. Cajetanus 22. *quæſt.* 88. *art.* 11. Covarruvias *de teſtam. cap.* 2. *num.* 10. Sanchez *lib.* 5. *moral. cap.* 2. *num.* 9. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 14 *num.* 112. Suarez *de relig. tom.* 3. *l.* 8. *c.* 18. *num.* 15 Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 7. *quæſt.* 2. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 165. *cap.* 9. *num.* 104. & alij.

Scotus. Cajetan. Covar. Sanchez. Leſſius. Suarez. Azorius. Vaſquez.

Ad rationem autem contrariæ ſententiæ poſſet reſponderi, verum eſſe, quod votum paupertatis ſit eſſentiale Religioni, nec ab ea poſſit ſeparari; poteſt tamen efficere Summus Pontifex ex rationabili cauſa, ut qui antea erat religioſus, non ſit, & ſic habeat proprium, & uxorem ducat, & ex matrimonio filios procreet.

Ad cap. *Cum ad Monaſterium, &c.* dico ex communi ſententia, Pontificem loquutum fuiſſe in ſēſu compoſito, manente ſcilicet integro, & immutato Monachali ſtatu quoad ea omnia, quę illi ſecundùm ſpecialem rationem ſuam ſubſtantialia ſunt. Proinde ſenſus textus, *Quia abdicatio proprietatis, &c.* eſt, Monachum, quamdiu talis eſt, voto paupertatis teneri, nec fieri poſſe, ut exiſtēte Monachatu, non ſit votiva paupertate aſtrictus; quia implicat contradictionem, quòd quis teneatur voto ſolemni integro paupertatis, & quod fiat dominus alicuius rei. Opinio autem poſterior & verior contendit auctoritate Pontificia ex Monacho poſſe fieri non Monachum, & ſic exemptū à Religione, uxorem ducere, & proprium habere.

An autem religioſus Epiſcopus creatus, eo ipſo à voto paupertatis ſit abſolutus, diximus *tom.* 1. *verb. Religio l. num.* 8. & ſuprà *Verb. Cardinalis num.* 9.

8. Sanctè & laudabiliter religioſi ex elēemoſynis emendicatis vivunt, ut eſt diffinitum in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. & in Bulla Martini V. & à Leone X. contra articulos Lutheri, & à Nicolao III. *cap. Exiit qui ſeminat, de verb. ſignificat. in* 6. Ubi aſſerit mendicitatē Apoſtolorum exemplo confirmatā eſſe. Quod eruditè probāt Caſtro *contra hæreſes verb. Mendicitas* & Thomas Waldē- ſis *lib.* 4. *doctrinalis fidei antiquæ cap.* 3. & 4. Per accidens tamen quandoq; eſt illicitus uſus elēemoſynarum

Concil. Conſtant. Mart. V. Leo X. Nicol. III. Caſtro. Waldenſis

Digitized by Google

ſynarum religioſis nempe ſi ab actibus religioſis deſiſterent, vellentque ſua culpa in Religione otioſam vitam ac inutilem tranſigere: quia eæ eleëmoſynæ à fidelibus conferuntur, ut religioſi liberiùs inſiſtant religioſis actibus, & ſpe eorum bona opera participandi; at hoc fine & ſpe defraudant prædicti religioſi ſuos benefactores. Et ratio eſt; quia religioſi eleëmoſynas accipere debent animo benefactoribus gratificandi, faciendo illos bonorum ſuorum operum participes. Proinde cùm otioſam & religioſis actibus deſtitutam agunt, peccant eas uſurpando, & defraudando benefactores ea ſpe & beneficio. Ita docent D. Thomas 2.2.q.187.art.4.in corp. Sylvius *ibidem* & Cajetan. *dub.*2. Valentia 2.2.*diſp.*10.*q.*5.*p.*3. & alij. D.Thom. Sylvius. Cajetan. Valent.

Sed petes quale ſit peccatum, hoc in religioſo? Reſpondent Cajetanus *loco citato* & Corduba *in reg. D.Franciſci cap.*6.*quæſt.*13. in duplici caſu eſſe mortalem ingratitudinem. *Primò*, ſi religioſus ab eis actibus deſiſtat ex formali beneficij eleëmoſynarum contemptu. *Secundò*, quando quis citra contemptum ab actibus religioſis ſub culpa lethali obligantibus abſtinet. Prior caſus ab omnibus recipitur, quia tunc gravis eſt deformitas, & ingratitudinis mortalis peccatum committitur, ut teſtatur D.Thomas 2.2.*q.*107.*art.*1. communiter receptus. De poſteriori autem judicat Sanchez *lib.*7.*mor.c.*24.*n.*9. non eſſe ingratitudinem mortalem, ſed tantùm venialem, etiamſi religioſus ille benefactorum ſemper immemor eſſet, ac in obſervantiis regularibus ita negligens, ut vix ullam curaret, quia non datur ſpeciale gratitudinis præceptum ad ea ſub mortali obligans, ſed ſub ſolo veniali. Cajetan. Corduba. D.Thom. Sanchez.

Hi tamen religioſi non tenentur reſtituere, quæ eſt eleëmoſynis in proprios uſus conſumunt: tum quia non peccant contra juſtitiam: tum quia intentio conferentium eleëmoſynas non eſt ingratis nihil donare, ut docent Auctores citati, Valentia, Cajetanus & alij. Valentia. Cajetan.

9. Prælatus non poteſt pro ſuo arbitrio & libera voluntate, bona monaſterij in quos voluerit uſus expendere. Ratio eſt; quia licet apud eum præcipua adminiſtratio proxima bonorum Monaſterij reperiatur, *ex cap. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachor.* tamen certum eſt, illum non eſſe proprium dominum, ſed adminiſtratorem ſeu procuratorem, cuius curæ omnia illa commiſſa ſunt, ut conſtat *ex cap. Fraternitatem, de donat.* Ratio eſt; quia ipſe Prælatus etiam votum paupertatis emiſit, & ſic non eſt capax dominij: tum etiam, quia Monaſterium non tranſtulit in illum dominium bonorum quod eſt penes ſe: ergo non poteſt ut dominus illa diſpenſare, ſed tenetur diſtribuere in illos uſus, in quos deſtinata ſunt. Imò nec abſolutè loquendo ſupremus adminiſtrator eſt, ſed juxta regulam ſibi præſcriptam: nam juxta varios Religionum ritus in gravioribus ſolus non poteſt diſponere, ſed vel cum conſenſu Conventus, ſed dependenter à Provinciali, aut alio Superiore maiori; in his verò quæ per ſe ſolum poteſt, prudentiæ & charitatis rationem habere debet. Quia verò Prælati regulariter non habent alium, per quem proximè regantur, recurrere debent ſemper ad præſumptam voluntatem vel maioris Prælati, vel ipſius Religionis: quia nunquam expendunt, ut domini, ſed ut miniſtri. Ex quo fit, ut in donationibus merè profanis, id eſt, non piis, neque ullo juſto titulo debitis, & à fortiori in turpibus, nunquam poteſt præſumi talis voluntas, ideoque & iniquæ ſunt & invalidæ, argum. *cap. Fraternitatem, de donationibus.* In aliis verò quæ habent rationabilem cauſam, particulares circumſtantiæ conſiderandæ ſunt; nempe conſuetudo & reliquantitas, ad judicandum an ſit licita donatio, ut habetur *cap. Ceterum, de donationibus*, & docent Navarrus *comm.* 2.*de regul.num.* 21.*& comment.*3.*num.*27. Sanchez *lib.*7.*mor.c.*19. *n.*22. Suarez *de relig.tom.*3.*lib.*8.*cap.*15.*n.*10. & 11. Rodriguez *tom.*3.*qq.regul.q.*29 *art.*10. Peyrinus *tom.*1.*de ſubdito, quæſt.*2.*cap.*2.§.1.*verſ. Ex diſtis colligitur*, & alij penes ipſos. Navarrus. Sanchez. Suarez. Rodrig. Peyrinus.

10. Licita eſt conſuetudo quarumdam Religionum, in quibus ex Superiorum licentia regularibus certi annui reditus taxantur pro victu & veſtitu, ita ut ſi aliquid deeſt, ipſi quærant, & ſuperfluum pijs & honeſtis uſibus impendant, dummodò religioſi facultatis ſibi traditæ terminos non excedant, & reformationi & Superioribus legitimè faciendæ obtemperare ſint parati. Nec obſtat huic conſuetudini Tridentinum *ſeſſ.*25.*c.*1.*de regul.* dum ſtatuit, ut omnes regulares ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant & componant. At omnes regulæ omnium Religionum, etiam earum, quæ laxiſſimæ ſunt, præſcribunt, ut regulares vivant regulariter abſque proprio, non ſolùm quoad dominium, ſed etiam quoad uſum peculiarem, & omnia habeant communia: quia reſpondetur, eam conſuetudinem & ſtatutum, quamvis ſint ante Tridentinum introducta, non eſſe reproba judicanda, quouſque per Superiores reformentur, & ad priſtinam regulæ obſervantiam reducantur; quia verba illa Concilij, *vitam ſuam inſtituunt & componant*, ſignificant priùs eſſe vitam inſtituendam & componendam, quàm teneantur privati religioſi obſervare: tum quia vitam inſtituere & componere, non ad ſingulos, ſed ad Prælatos & Capitula pertinet, & ideò ſinguli excuſarentur à peccato, donec illa inſtitutio & compoſitio fieret, nec per eos impediretur. Ita Navarrus *comment.de regul.num.*26. 27. 32. & 36. Rodriguez *tom.*1.*Summ.Latinæ cap.*33. *concl.*2. Sanchez *lib.*7.*mor.cap.*22.*num.*14. Graſſius *part.*1.*lib.*3.*cap.*5.*num.*55. & alij ab ipſis citati. Addunt autem præcitati Doctores, peccare Prælatos non reformantes ex negligentia, & magis ſubditos contravenientes reformare volentibus; quia contravenirent menti & verbis Concilij. Legitima autem reformatio tunc eſſet, quando Prælatus non unum aut alterum reformare vellet, ſed omnibus & ſingulis religioſis opportunè præciperet, ut abſtineant à portionibus privilegiatis percipiendis & communiter ſine ullo proprio vivant; ſi enim ex abrupto præciperet antequam inſtitueret officia & inſtrumenta vitæ communi neceſſaria, non opportunè præciperet, & juſtum legitimumque reformandi modum excederet; & integrum eſſet religioſis appellare adiectâ exceſſus modi debiti reformationis cauſâ. Ideò Prælati tenentur reformare ſuas Religiones zelo & prudentiâ debitâ conſiderantes, quod ſicut in itinere cœlorum non ambulamus volantes, ſed terreſtri itinere procedentes adverſus carnem & ſanguinem, ſic reformatio non poteſt fieri niſi paulatim; quia difficile eſt reducere religioſos ex ampliſſimo mari relaxationis in ſtrictum modum vivendi reformationis. Navarrus. Rodrig. Sanchez. Graſſius. Con. Trid.

Sed quæres an monialis, cui externus centum aureos ad ſuũ libitum expendendos conceſſit, poſſit ex Superioris licẽtia ſæculari eos tradere, ut cenſũ ſibi quotannis ſolvat, dum vixerit, atque ea defuncta centum illos aureos ſibi retineat? Reſpond. cũ diſtinctione. Si enim conceſſi ſunt centum illi aurei, ut concedens noluerit dominium in Monaſterium

rium transferri, sed omninò cedere in monialis usum, & eadem monialis acceptantis mens fuerit, licitum est ex Superioris licentia eos tradere modo prædicto sæculari illi, quia nullatenus sunt Monasterij. Si autem ita dati sunt, ut dominium in Monasterium transierit, nequit Monasterium absque consensu Provincialis, aut Generalis absque Conventus consensu id efficere. Ratio est; quia jam hæc summa transiit quoad dominium in Monasterium; unde non potest alienari sine eius consensu: si enim fieret contrarium, irrogaretur ei magna iniuria, nisi sæcularis ille de Monasterio bene meritus esset: tunc enim cùm donatio illa non gratiosa, sed remuneratoria sit, ac consequenter in Monasterij utilitatem cedat, poterit ex Provincialis licentia fieri, cùm ratio naturalis dictet ut beneficium remuneretur. Sic docent Corduba. Lopez. Vega. Rodrig.

Corduba *in Summa. q. 54. dub. ult.* Ludov. Lopez *lib. 2. de contract. c. 40* Vega *t. 2. Summ, c. 32. casu. 19.* Rodriguez *in q. reg. t. 2 q. 47. art. 15. & t. 1. Summ. Lat. c. 90. n. 8. & 9.* Quamvis hi duo ultimi Auctores dicant hodie attento Tridentino non licere moniali iis reditibus frui, quia putant ius commune correctum esse per id decretum; at sustinendo nõ esse correctum, dicendum est hodie id etiam licere, ut annotavimus *t. 1. verb. Paupertas n. 10. lit. D.*

11. Cùm religiosus per votum paupertatis, aut dispensitionem juris non abdicet à se dominium rerum spiritualium, aut jus ad illas; hinc religiosus habet dominium quasi beneficij, & agit (secũdùm Navarrum *q. 1. de reditibus, monito 9.*) non Monasterij, sed suo nomine ad illud possidendum, retinendum, recuperandum, &c. & illud non Ecclesiæ, sed sibi acquirit, Et idem dicendum de aliis aliquibus juribus spiritualibus, etiamsi habeant coniuncta emolumenta temporalia. Quæ cùm ita sint, communis sententia tamen est, talem regularẽ non esse dominum fructuum beneficij, sed liberum administratorem. Ex quo oritur dubium, an donationes regularis beneficiarij in usus prophanos sint validæ? Respondeo probabile esse, regularem, dum administrat beneficium, valide expendere fructus illius in quoscumque usus; quia hoc est praxi conforme. Quia non videmus Episcopos, aut Pontificem quoad dispositionem fructuũ esse magis solicitos de regularibus quàm de sæcularibus, nec rescindere dispositiones ab illis illicitè factas. Ita Wadingus *tract. de contract. disp. 2. dub. 3. §. 2. n. 11.* Ex quo fit, quod etiam probabile sit, accipientem ab illo non teneri restituere, sicut nec tenetur restituere accipiens à religioso ejecto, vel à religioso Episcopo. Ratio est; quia commoditas tota, usus & dispositio illorum bonorum, interim dum vivit religiosus ejectus, perinde ad ipsum spectat ac si religiosus non esset, neque habet jam tunc, cui in ea parte pareat, & cuius ductum & voluntatem in ea parte sequi teneatur, sed perinde quoad administrationem, acquisitionem, & alienationem eorum bonorum se habet, ac si dominium illorum haberet, ac sui juris omninò esset: quod quidem usus ita comprobat; nam Monasterium nullam penitus curam habet de horum bonorum administratione. Ratio autem cur Episcopus regularis prodigè & supervacaneè consumens non teneatur restituere, nec ab eo accipiens, est, quia probabile est Episcopum religiosum esse verum redituum Ecclesiasticorum sibi obvenientium dominum, instar Episcopi sæcularis: quia *in cap. multo, 18 quæst. 1.* de religioso Episcopo sic dicitur. *Velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vendicandi potestatem habet.* Si ergo sibi acquirit vendicatque, verũ dominiũ habet. Vendicare enim, & sibi acquirere, solis veris dominis competit, *l. In rem, ff. De rei vendicat.* Quæ ratio etiam in beneficiato regulari videtur procedere, ut docent Sanchez esse probabile *lib. 6. mor. c. 6. n. 13.* & *cap. 9. num. 47.* Molina *de just. tract. 2. disp. 276. vers. Quod ad ceteros,* Diana *part. 8. tract. 6. resol. 133.* quamvis communis sententia asserat, hunc regularem beneficiatum peccare contra justitiam, & accipientes non posse tuta conscientia retinere, quæ acceperunt indebitè à tali religioso, quia dominio caret. Sanchez. Molina. Diana.

12. Quamvis religiosus sit proprietarius & peccet contra paupertatis votum, si donatione, vel alio modo, absque expressa aut tacita Superioris licentia aliquid alienet, quia est actus dominij: quod habet verum, etiamsi donet aliquid ex his, quæ ad proprios usus sibi à Prælatis collata sunt; quia jam usurparet rem independenter à Prælati voluntate, eò vel maximè, quòd religiosus solum facti usum habeat; & usurarius nequeat usum rei alteri concedere; quia hoc non est usurarij, sed usufructuarij, *Institut. de usu & habit. §. 1. & 2.* ut tradunt communiter Doctores, Sylvester *verb. Religio 6. quæst. 7. dict. 2.* Rodriguez *tom. 3. quæst. regul. quæst. 29. art. 10. concl. 3.* Valentia *2. 2. disput. 10. quæst. 4. punct. 3. concl. 5.* Lessius *lib. 2. c. 41. dub. 9. n. 79. vers. 5.* qui idem dicendum putant, si mutuo, vel commodato quidquam ex iis, quæ ipsi ad usum permissa sunt, daret alteri absque Superioris licentia. Sylvester. Rodrig. Valentia. Lessius.

Nonnulli tamen Doctores putant non fore mortale, sic commodare res ad proprium usum destinatas, quando religiosus commodans esset securus de restitutione illarum ac conservatione; quia videtur parva materia. Ita Sanchez *lib. 7. moral. cap. 19. num. 65.* Imò hoc extendunt Petrus de Ledesma *in addit. ad Summ. tom. 2. capite 4. dub. 2.* Peyrinus *de relig. subdit. tom. 1. capite 2. quæstione 2. §. 5.* Diana *parte 1. tractatu 6. resolutione 37.* etiamsi commodaret & mutuò daret pecunias. Quam sententiam ut probabilem dicit Diana docere multos viros doctos ex sua Religione & Societate Iesv de hac re à se consultos. De his vide Fagundez *de precept. 2. Eccles. lib. 8. c. 6. n. 4. 5. & 6.* Hieronymus Llamas *in tertia parte Methodi cap. 9. §. 12.* Sanchez. P. Led. Peyrinus. Diana. Fagund. Llamas.

13. Ut religiosus excusetur à peccato mortali proprietatis, & sic non peccet contra votum paupertatis mortaliter, dando vel accipiendo, hæc adnotanda veniunt.

Primum est, in quibus rebus & quousque in unaquaque Religione & Monasterio censeatur concessa facultas, vel usus communis ac generalis ad aliquid dandum, vel accipiendum; hoc enim sufficit, ut non peccent religiosi in voto paupertatis, si secundùm usum communem dent vel accipiant:

Secundum est, non censeri culpam lethalem, quando subditus sciret, vel bona fide crederet, eũ erga se esse Superioris affectum, eamque voluntatem, ut libenter sibi concederet, si sciret illum tali re indigere, aut tale aliquid desiderare, dono dare: tunc enim censetur habere licentiam saltẽ virtualem, in eo affectu Superioris erga seipsum latentẽ; peccat tamen venialiter, quia etsi rem illam quodammodo vel accipiat, vel donet externis ex voluntate Superioris interpretativa & virtuali, modus tamen dandi & accipiendi est, absolutè loquendo, contra voluntatem illius. Ita Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 80.* Navarrus *in man. cap. 17. num. 138.* loquens de furto, Hieronymus Llamas *tertia parte Method. cap. 9. §. 12.* Rebellus *de oblig.* Lessius. Navarrus. Llamas. Rebellus.

Digitized by Google

oblig. just. 1. p. lib. 3 quæst. 15. sect. 3. n. 14. & alij. *Tertium* est Epicheia, quæ est voluntas quædam præsumptiva Superioris, quâ rationabiliter possumus præsumere Superiores, hîc & nunc licentiam concessuros, etiamsi voluntas non sit ita propensa erga subditum. Ad Epicheiam tamen duo requiruntur. *Primo*, quòd res urgeat. *Secundò*, quòd Superior non sit præsens vel præstò. Sic poterit religiosus iter faciens de pecuniis Religionis donare eleëmosynas aliquantulò maiores, si necessitas occurrat: adest enim tunc consensus Superioris interpretativus, qui non adest, quando res facilè differri potest. D. Thomas *secunda secundæ, quæst. 32. art. 8. ad 1.* Navarrus *in cap. Non dicatis 12. quæst. 1. num. 40.* Lessius *loco citato, num. 80.*

D. Thom. Navarrus. Lessius.

Ex dictis infertur, posse religiosum iter agentem, si illud de licentia sui Prælati agat, dare ex iis, quæ sibi pro expensis itineris pecuniis à Prælato dantur, quicquid subtraxerit vel parciùs comedendo, vel quia à sæcularibus invitatur; ea tamen conditione, ut si ei pecunia defecerit, non teneatur religio eam solvere, nec ipsi rationem de illis reddere, sed quod ipse suo commodo vel incommodo id quod sibi pro itinere donatur, expendat. Ratio est; quia licentia iter faciendi assignato certo viatici stipendio ad hoc quoque se videtur extendere. Imò religiosus iter agens de licentia posset acceptare pecuniam etiam aliquatenus ampliorem pro expensis itineris sibi à sæcularibus in itinere datam, & quod superfuerit, donare pauperibus, & acceptare etiam vestitum, imagines, ac tabellas à potentibus datas. Ratio est; quia ille religiosus acquirit nomine Monasterij, & nullibi prohibetur acquirere, quoad usum cuius est capax, & in absentia Prælati habet interpretativam licentiam illius ad acceptandum & acquirendum, quia nulli prudenti Prælato id potest displicere. quod si displiceat, erit inordinata displicentia personæ, non officij sui. Ita Navarrus *loco citato*, & Hieronymus Llamas *part. 3. Method. cap. 13. § 16.*

Navarrus, Llamas.

14. Quidam arbitrantur religiosum peccare mortaliter dicendo aliquid suum, ut si dicat: Hic liber est meus, hæc tunica est mea, &c. Ratio illorum est, quia facit contra cap. *Non dicatis 12. quæstione 1.* ubi sic habetur: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* estque conforme Ecclesiæ primitivæ, de qua dicitur Actor. 4. *Nec quidquam eorum, quæ possidebat, suum quisquam esse dicebat.* tum quia videtur proprietatis actus: nam meum & tuum proprietatem sonant.

Cæterùm mihi videtur distinctione utendum. Si enim religiosus dicat hoc esse suum, & intendat dicere se esse dominum eius, vel possessorem nomine proprio, peccat venialiter, quia est mendacium officiosum, nisi dicat id volendo illud esse suum, quoad verum dominium & proprietatem complacendo, eò quòd sit suum: tunc enim esset mortale, nisi parvitas materiæ excusaret. Ita Graffijs *secunda parte lib. 3. cap. 18 num. 8.* & alij apud ipsum. Si autem dicat intendens actu vel virtute, ut communiter dici solet, rem illam esse suam quoad usum, administrationem vel simplicem detentionem facti, & non quoad dominium, nec quoad veram possessionem, non peccat: quia non mentitur, imò est actus virtutis, quo se pauperem dominio carentem profitetur: melius tamen diceret. Hæc est nostra vestis, hic liber est noster, &c. Ita Faustus *in speculo confessar. disp. 24. quæst. 11.* Navarrus *comment. 2. de regular. num. 1.* Sanchez *lib. 7. mor. cap. 19. num. 59.* & alij.

Graffij. Faustus. Navarrus

15. Dubium est, an religiosus sit dicendus proprietarius, qui contra suas constitutiones recipit justum stipendium pro prædicationibus, confessionibus, aut Missis, &c. Videri enim potest quòd non, supposito quòd in Religione illa Constitutiones non obligent ad culpam; tum quòd id stipendium recipere non adversetur ex se paupertati, nec ex vi voti comprehendatur sub voto paupertatis, cùm cetera Religiones, quæ talem constitutionem non habent, paupertatem voveant, & licitè id stipendium recipiant; nec etiam ex vi constitutionis comprehendatur sub voto paupertatis, quia hæc intentio non apparet, ut supponitur. Cæterùm multò verius est & probabilius, hunc religiosum esse proprietarium, & paupertatem hanc comprehendi sub voto, & ideò esse mortalem voti illius transgressionem, accipiendo stipendium pro rebus his spiritualibus, in quantitate notabili ad peccatum mortale constituendum. Ratio huius est; tum quia ex quo in professione promisit talis religiosus vivere sine proprio, capiens dictum stipendium invito Superiore committit actum proprietatis, quod verum est, etiamsi talis licentiam habeat quid accipiendi, & disponèdi ad usus pios. Tum quia non solùm ad votum paupertatis pertinet, quòd subditus non habeat pecuniam, aut aliquid pecunia æstimabile, sed etiam quòd hoc, vel illo modo in suis constitutionibus prohibito non acquirat. Unde religiosus, dum vovet paupertatem juxta suas constitutiones, eodem actu vovet, non modò à pecunia accipienda, sed etiam ab hoc genere accipiendi abstinere. Et cùm Prælatus dispensat cum eo ut habeat pecuniam pro suis necessitatibus, non est censendus dispensare in modo acquirendi, qui est contrarius non solùm obedientiæ, sed etiam latitudini voti paupertatis eiusdem Religionis. Ita docent Molina *de justit. tract. 2. disput. 687. num. 3.* Sanchez *lib. 7 mor. cap. 28. num 6.* Rodriguez *tom. 3. quæst. regul. quæstione 29 art. 13.* & *in Summ. Latina part. 2. cap. 33. num. 8.* Petrus Navarra *lib. 3. de restitut. cap. 1. parte 3. dub. 2. in nova edit. num. 170.* & alij.

Sanchez. Molina. Sanchez. Rodrig. P. Navarr.

An autem hic religiosus accipiens stipendium pro Missis dicendis teneatur restituere? Respondeo, ex communiori sententia non teneri, sed posse expendere in proprios usus, si licentiam Superioris habeat ad aliqua sic expendenda: quòd si ea licentia careat, teneri ea Superiori tradere, sicut alia per ipsum acquisita. Ratio est, quia acceptio hæc non opponitur justitiæ, ex cuius sola violatione consurgit restituendi obligatio, cùm Missæ illæ à religioso dictæ id stipendium mereantur: sed sola est obligatio voti, cuius violatio peccatum mortale est, at non obligat ad restituendum. Tenetur autem, quando licentiam expendendi non habet, tradere Superiori, non lege justitiæ, sed voti, quo astringitur ad nihil retinendum, vel expendendum absque Superioris licentia. Sic Petrus Navarra *loco citato, num. 179.* & 180. Henriquez *in Summ. lib. 9. cap. 22 num. 3. in comment litt. P.* & alij. Sanchez autem *loco citato num. 11.* putat teneri reddere danti, non ex lege justitiæ, & via restitutionis, sed ex voti obligatione, quod adhuc impleri potest; reddito enim pretio danti, Missæ dicentur gratis, sicut votum obligat. Faustus verò *in speculo confessar. disp. 34. quæst. 16.* docet non teneri acceptum restituere ei qui dedit, cùm illi non fecerit

Navarrus Henriq. Sanchez. Faustus.

Rodrig. fecerit injuriam; & citat pro hac sententia Rodriguez *in Summ. loco citat. n.* 8.

16. Contra votum paupertatis peccat religiosus promittens Missas sine Superioris licentia, ut eleëmosyna pro illis Missis celebratis detur suo consanguineo indigenti, vel cuicumque alteri. Ratio est, quia cùm talis conventio & promissio celebrationis Missarum facta sit cum obligatione & pacto, ut detur suo consanguineo, seu alteri talis eleëmosyna pro Missis ab ipso religioso celebratis, vel celebrandis, facit actum proprietatis; tum quia reverà pecunias illas Missis sibi acquirit, & dat pauperi illi; tum quia tales pecuniæ largiendæ sunt Monasterio, & non alijs, & ideò peccat mortaliter contrà suam professionem: nam talis Missarum celebratio cum tali conventione habet rationem quandam contractus & obligationem justitiæ commutativæ dantis & recipientis. Si tamen hujusmodi Religiosus promittat alicui dicere 30. Missas, & ille det 30. argenteos, sine ullo pacto tacito vel expresso stipendij, sed solùm gratitudinis causâ, non peccabit. Præterea non peccaret religiosus contra votum paupertatis promittens pauperi Sacerdoti ex mera charitate se celebraturum pro illo certum numerum Missarum, ut liberet eum à tali onere, dum ipse non haberet alias obligationes satisfaciendi alijs Missis vel ratione promissionis, vel obedientiæ. Ratio est, quia talis Religiosus nihil sibi appropriat, nec acquirit non solùm formaliter, sed nec virtualiter, nec dominium pecuniæ alteri donat & transfert, sed solummodò facit illum actum charitatis, ut liberet talem Sacerdotem pauperem à tali onere, cui satisfacere non potest propter aliquam impotentiam. Ita Petrus Navarra *de restitutione libro tertio, capite primo, numero* 183. Sanchez *libro septimo, moral. capite vigesimo-octavo, numero decimo-quinto, & decimo-octavo*, Fagundez *in Decalog. tomo secundo, libro septimo, capite septimo, numero septimo, & decimo-quinto*, Gesualdus *parte tertia, tractat.* 25. *cap. tertio, num. vigesimo-primo & vigesimo-secundo*, & alij.

P. Navarr. Sanchez. Fagund. Gesuald.

17. Prælatus regularis potest concedere religioso professo peculium ad quoscumque usus indeterminatè, ita ut possit in vita donare & disponere quidvis in eos usus & eo modo, in quos, & quomodo ipse Prælatus posset disponere. Probatur *Primò*: Cùm Superior in quoslibet usus possit expendere ea quæ illi donantur, idem poterit subditus ex consensu Superioris, & illius licentia ex justa causa concessa, quæ, quantum est de se, intelligitur ad usus licitos, & qui non sunt peccata. Ad hæc Superior non potest expendere, ita nec facultatem concedere, cùm non sit nisi Ministrator, ita nec subditus. Probatur *Secundò*, ex praxi communi quæ ubique servatur, tam in Monialibus, quàm in multis Religiosorum conventibus, in quibus peculium possident Religiosi professi ex Superioris licentia, quod expendunt in usus sibi necessarios, non auctoritate propria, sed Superioris, ad cujus nutum tale peculium amoveri potest. Ita Petrus Navarra *libro tertio, de restitut. capite primo, parte* 3. *dubitat. prima, num.* 166. *&* 167. Peyrinus *tomo primo, de subdito, quæstione* 2. *de paupertate, capite* 2. §. 1. Lessius *libro* 2. *capite* 4. *numero trigesimo-tertio*, Sanchez *libro septimo, moral. cap.* 12. *num.* 12.

P. Navar. Peyrinus. Sanchez. Lessius.

Sed petes, quæ sint causæ, ut Superior possit licitè concedere suis subditis peculium? Respondeo, ex communi multiplicem posse esse. *Prima* est, quando conventus præ paupertate non potest Religioso necessaria suppeditare, tunc potest concedi peculium ad victum, vestitum, libros spirituales pro sua consolatione, & alios majoris momenti ad docendum & prædicandum, emendos. Item si Religiosus multa suâ arte comparavit Monasterio, aut multa bona in illud contulit; qua ratione æquum est, ut plura sibi concedantur in eleëmosynas, & alios honestos usus faciendos. Item si religiosus suis studiis & fama publica nomen gloriosum acquisierit in Religionis honorem. Ita Navarrus *Comment.* 2. *de regularib. numero vigesimoquarto. Secunda* causa est, quando religiosus est extra Monasterium justo titulo, vel ad inserviendum Reipub. suâ doctrinâ, vel ad sustentandum parentes, aut sorores, &c. *Tertia* est, si sit Officialis publicus, potest illi salarium assignari, quod sit loco peculij à Superiore amovibile. *Quarta* est utilitas Monasterij, ut si femina, aut vir divitiis abundantes nolint Religionem profiteri, nisi reservato sibi aliquo peculio, ut habetur *in c. Insinuante, qui clerici, vel voventes*, & fecisse Pium V. ait Navarrus *suprà num.* 16. *Quinta* causa, consuetudo Religionis introducta, quod qui illam profitentur, annuos reditus sibi reservent pro suis necessitatibus & honestis usibus, qui sine tali peculio miserrimam vitam ducerent.

Navarrus. Pius V. Navarrus.

Advertendum tamen est, majorem causam desiderari ad concedendum peculium ex Monasterij rebus, aut proprio labore comparatis, quæ subinde Monasterio acquiruntur, quàm in rebus concessis à sæcularibus alicui; quia in prioribus plus læditur Monasterium. Major etiam causa exigitur ad concedendum peculium cum facultate subveniendi amicis, famulis, vel cognatis pauperibus, quàm sine hac facultate; quia in priori eventu amplior distributio conceditur, ut bene docet Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 22. *num.* 20. 21. 22. 23. *&* 24. Graffijs *parte* 2. *lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 28. & 29. Thomas Hurtado *in resol. moral. parte* 2. *tr.* 8. *num.* 841. Passarellus *in compend. privileg. Minimor. cap.* 43 *de proprietate abdicanda, paulò ante finem*, Peyrinus *tom.* 1. *de subdito relig. q.* 2. *de paupertat. c.* 2. §. 2.

Sanchez. Graffijs. Th. Hur. Passarell. Peyrinus.

18. Dubium est, an licentia habendi peculium ab uno Superiore concessa, sit semper à Superioribus successoribus renovanda? Et quidem si concedatur ad tempus, certum est isto transacto licentiam esse renovandam, nec de hoc potest esse dubium: sed an quando Superior tribuit subdito absolutè licentiam liberè administrandi quidquid accepit ab amicis, parentibus, vel titulo specialis eleëmosynæ, sibi expresè concessæ? Sanchez *loco citato num.* 25 post Rodriguez *in quæst. reg. tomo secundo, quæstione* 125. *art.* 5. respondet cum distinctione. Si id peculium ad vitam religioso concessum esset quasi unum legatum, sat est prioris Superioris licentia ad expendendum per totam vitam, nisi à Successore revocetur; quia cùm sit unum, satis est initio concessionis adfuisse potestatem in concedente. Si autem sint quasi plura legata, est necessariò petenda à Successoribus confirmatio prioris licentiæ: quia quolibet anno est diversum legatum.

Sanchez. Rodrig.

Hæc opinio est valde probabilis. Non est tamen improbabile, talem licentiam perseverare, quousque revocetur, & sic non esse necessarium licentiam renovare; quia prior semper manet, ut habetur *in cap. Si super gratia, de offic. delegati in* 6.

Et

Et quidem quod licentia alicui concessa non expiret per mortem concedentis, tenent Naldus *in Summ. verb. Licent. n. 6.* Guttierrez *lib. 2. quæst. Canonic. cap. 17. num. 7.* Sayrus *tom. 1. Thesaur. lib. 7. cap. 14. num. 7.* & alij citati *tom. 1. verb. Privilegium III. num. 13.* Naldus. Guttierr. Sayrus.

Vide verb. Commendatarij *num. 2. & 3.*

PECCATVM.

SUMMARIUM.

1 *Quod sit discrimen inter vitium, peccatum & culpam.*

2 *Virtus alia est vera, alia viva, alia perfecta, & quomodo excludat peccatum.*

3 *An peccatum aut vitium sit contra naturam.*

4 *Vnde gravitas peccati omissionis specifica vel individualis sit æstimanda*

5 *Quæ requirantur ut omissio quæpiam sit voluntaria & culpabilis.*

6 *An actus qui est causa omissionis præcepti, sit unum numero peccatum cum ipsa omissione.*

7 *An ad peccatum mortale requiratur plena & perfecta advertentia malitiæ, vel periculi malitiæ, vel expressa dubitatio, seu scrupulus peccati? Et quomodo sit intelligendum illud axioma*, Scire & debere scire paria sunt.

An ad peccatum mortale requiratur plena advertentia malitiæ, quatenus malitia est mortalis, vel sufficiat consideratio malitiæ simpliciter? Refertur duplex sententia.

8 *Tres regulæ ponuntur ad discernendum in dubijs perfectum consensum vel imperfectum; sufficientem vel insufficientem ad constituendum peccatum mortale.*

9 *An peccatum sit facere contra conscientiam errantem non actu, sed habitu?* Refertur duplex sententia.

1. DIscrimen est inter vitium, peccatum & culpam. Nam vitium à peccato & culpa distinguitur in eo, quod vitium est in habitibus & in actibus virtuti contrarijs; at peccatum & culpa solùm in actibus consistunt. Deinde inter peccatum & culpam hoc interest; quod peccatum latiùs patet, quàm culpa. Peccatum enim est tum in actibus naturæ & artis, tum in actibus rationis & moris. Actus enim qui à justa & debita regula dissentit, ac deficit, peccatum est. Denique in ijs, quæ naturâ constant operibus, regula est natura: in ijs, quæ arte efficiuntur, ars: in moribus verò, est ratio. At verò culpa solùm in actibus moris & rationis, voluntarijs & liberis, est: qui quidem, eò quòd contra rectam rationem voluntariè & liberè fiunt, culpæ tribuuntur & pœnæ. In præsenti peccatum accipimus ut est in actibus rationis & moris. Ex quo fit, ut omnis culpa sit peccatum, omne peccatum vitium: non autem è contra, omne vitium peccatum; nec omne peccatum culpa; quare vitium est, quia habitus est, vel actus virtuti contrarius: peccatum verò, quia actus à regula recta discrepans; culpa autem, actus voluntarius & liber à recta ratione dissentiens. Ita communiter Theologi *in 1. 2. quæst. 71. art. 1.*

2. Virtus habet tres gradus: nam alia est vera, alia viva, alia perfecta. Vera est inclinatio in bonum honestum, quatenus honestum. Viva est virtus vera in homine justo, seu habente charitatem, quæ est vita animæ & omnium virtutum. Perfecta est virtus viva in homine, cui nihil deest ad integram justitiam. Itaque virtus vera consistit cum peccato mortali & veniali & originali. Virtus viva excludit peccatum mortale, sed consistit cum peccato veniali, ut definivit Concilium Tridentinum sess. 6. Virtus perfecta excludit omne peccatum, ac propterea à omnibus reservatur in patria; unica excepta matre Dei, quæ singulari privilegio, etiam in via perfectionem justitiæ consecuta est. Quamvis autem Sancti Patres in solis justis agnoscant veras virtutes, cavendum tamen est ab hoc modo loquendi: nam à duobus Pontificibus damnata est hæc propositio: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* nempè à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla *Provisionis nostræ*, data Romæ apud S. Petrum anno 1579. quarto Kalendas Februarij, Pontificatus Gregor. XIII. anno Octavo. Et in Bulla Pij V. quæ incipit, *Ex omnibus afflictionibus*, data anno 1567. 1. Octobris; ut refert Urbanus VIII. in sua constitutione quæ incipit, *In eminenti*, data anno 1642. pridie Nonas Martij. Advertendum autem, est peccatum paulatim expellere virtutes acquisitas, quia si frequentetur, generat habitū contrarium virtuti; quòd non tantùm in peccato mortali contingit, sed etiam in veniali, ut patet in virtute temperantiæ, liberalitatis, affabilitatis & alijs, quæ non videntur tam necessariæ ad ultimum finem: habent enim objectum ex varijs partibus heterogeneis conflatum, circa quas varij defectus possunt admitti, ut cùm quis assuescit nimium comedere, vel nimis delicatè, vel non suo tempore, vel nimia aviditate, unde fieri posset ut tota aliqua virtus solis peccatis venialibus destrueretur, ingenerato vitio contrario. De his vide Sylvium *1. 2. quæst. septuagesima prima, articulo quarto*, & alios commentatores ibi. Pius V. Gr. XIII. Vrb. VIII Sylvius.

Iuxta communem Theologorum sententiam peccatum aut vitium est contra naturam, quemadmodum sæpè docet D. Augustinus lib. 3. de libero arbitr. cap. 13. *Omne vitium eo ipso quo vitium est, contra naturam est. Si enim natura non nocet, nec vitium est; si autem quia nocet, ideò vitium est; ideò vitium est, quia contra naturam est.* Et rursum libro duodecimo de civitat. capite primo: *Omne vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est.* Omnis enim virtus non solùm naturalis & acquisita, sed etiam supernaturalis & infusa, est naturæ hominis valdè conveniens, utpotè illam exornans & perficiens, hoc solùm discrimine, quòd homo non habeat naturalem inclinationem ad virtutes infusas & supernaturales, sicut ad acquisitas & naturales. Proinde cùm dicitur peccatum esse contra naturam, perinde est, ac si dicatur peccatum esse contra rectam rationem: nam recta ratio est natura hominis, Angeli & substantiæ intelligentia præditæ; & omnis virtus, quæcumq; sit ea, dicitur esse secundùm naturam; non quòd naturaliter eam ratio præscribat, sed quòd sit rectæ rationi consentanea: tamen si spectemus in vitio & peccato quoddam bonum delectabile, sic aliquo modo sunt consentanea voluntati, quæ per inferiorem sui portionem fertur in hujusmodi bona. Porrò respectu appetitus sensitivi, peccata partim sunt cōsentanea naturæ humanæ, partim dissentanea, partim non consentanea. Consentanea, quatenus tendunt in bonum sensibile, in quod ipse quoque appetitus naturaliter propēdet. Dissentanea, quatenus appetitus obedire debet rationi. Non cōsentanea quatenus turpi- D. Aug.

tudo & malitia peccati non cognoſcitur à portione ſenſitiva; unde ab appetitu nec amari poteſt, nec repudiari. Hinc facile eſt advertere, quare quædam peccata dicantur peculiariter eſſe contra naturam, ut Sodomia, pollutio, &c. & omnes actus venerei, ex quibus non poteſt ſequi generatio ſecundùm communem ſpeciem actus: quoniam peccata, quæ in ejuſmodi actibus conſiſtunt, non ſolùm repugnant naturæ hominis ut homo eſt, ſeu rectæ rationi; ſed etiam naturæ naturaliq́ue illi ordini, quem cum brutis animalibus homo habet communem: & propterea ſunt contra naturam, non ſpeciei dumtaxat, nimirum hominis, ſed etiam generis, hoc eſt, animalis; & ſic vocantur contra naturam, per quamdam in malo excellentiam & enormitatem. Ita D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 71. *art.* 2. & 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 11. Sylvius *ibid.* Azorius *tom.* 1 *lib.* 4. *cap.* 1. *quæſt.* 3. Trullench *in Decalog. lib.* 6. *cap. mic. dub.* 8. §. 1. 2. & 3. & alij apud Bonacinam *diſp.* 2. *tom.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *num.* 6.

D. Thom. Sylvius. Azorius. Trullench Bonacina.

4. Gravitas peccati omiſſionis ſpecifica æſtimanda eſt ex obligatione legis. Prob. quia omiſſio eſt privatio actus præcepti: ergo tam gravis erit omiſſio, quàm gravis eſt obligatio legis: nam ratio privationis ſumenda eſt ex forma qua privat; itaque pejus eſt omittere correctionem fraternam, quàm eleëmoſynam; & communionem in Paſchate, quàm confeſſionem. Nota tamen diſcrimen inter legem naturalem & poſitivam: nam illius obligatio ſemper adæquatur materiæ, ſeu objecto; hujus autem voluntati legiſlatoris, qui aliquando ea quæ ſunt minoris momenti, ſeveriùs prohibet, ut patet in lege poſita Adamo, de ligno ſcientiæ boni & mali, & in multis præceptis veteris teſtamenti. Quare hoc erit animadvertendũ in judicio de gravitate omiſſionis. Gravitas autem individualis peccati omiſſionis æſtimari debet ex modo peccandi in individuo: quia cùm actus verſetur in ſingularibus, prout hìc & nunc fit, æſtimandus erit ex cauſis & circumſtantijs, quæ hìc & nunc ab omittente adhibentur, vel cenſentur adhiberi: has autem circumſtantias intelligimus per modum peccandi: gravius itaque peccat, qui omittit Sacrum in die Feſto ob furtum, quàm qui ob ludum; & qui ob ludum, quàm qui ob ſtudium; & qui directè, quàm qui interpretativè. quæ interpretativa omiſſio varios etiam habet gradus. Ita Sylvius *in* 1. 2. *quæſt.* 71. *art.* 5. *quæſt.* 3. Qui etiam gravitatem æſtimandam eſſe putat ex difficultate, quæ operi eſſet adjuncta: ideò minus peccaret qui fraternam correctionem prætermitteret juſto metu mortis vel tormentorum, quàm qui omitteret timens alium contriſtare.

Sylvius.

5. Ut omiſſio quæpiam ſit voluntaria & culpabilis, requiruntur tria. *Primum* eſt, quod quis potuerit agere. *Secundum*, quod debuerit agere. *Tertium*, quod non egerit. Si enim non potuerit agere, non poteſt ipſi imputari quod non egerit, cùm nemo peccet in eo quod vitare non potuit. Et ſimiliter ſi potuit quidem agere, ſed non debuerit, non poteſt etiam illi eſſe culpabile, non agere; quia nullum eſt peccatum, quod non ſit contra aliquam legem; omiſſio autem ejus quod quiſpiam potuit quidem facere, ſed nullatenus obligabatur, contra nullam legem eſt. Similiter, ut opus ſeu effectus omiſſionem conſequens, ſit voluntarius, atque adeò imputetur illi, qui quippiam omittit, hæc tria requiruntur. *Primum*, quòd effectum iſtum impedire potuerit. *Secundum*, quòd eundem impedire debuerit. *Tertium*, quòd non impedierit. Id enim quod ſequitur ad defectum actionis, hoc eſt, ad omiſſionem, tunc ſolùm reducitur in omittentem ſicut in cauſam, quando poteſt & debet agere, & tamen non agit. Unde D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 79. *art.* 3. docet omiſſionem, id eſt omiſſionis peccatum importare prætermiſſionem boni, non cujuſcumque, ſed debiti.

D. Thom.

Ex quibus reſolvuntur ſequentes caſus. Si video duos gladijs ſe impetentes, quorum litem poſſum dirimere magno cum diſcrimine, & non facio, hoc non eſt mihi voluntarium, quia non teneor cum tanto periculo; erit tamen voluntarium reſpectu Prætoris, qui ad id ex officio tenetur, ſi ſit præſens. Similiter cùm Princeps vel Magiſtratus non impedit quędam peccata, quæ impedire poſſet, ſed ob cauſas rationabiles non expedit quod impediat; voluntariè quidem omittit impedire, illa tamen peccata non poſſunt in eum ſicut in cauſam referri, vel ei imputari: quia impedire non tenetur: quando autem non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur ea impedire, nec tamen impedit, rectè ipſi imputantur; quia eſt eorum cauſa voluntaria. Item, ſi ſint duo homines in extrema neceſſitate conſtituti; & ego non poſſim utrique ſubvenire, ſed uni tantummodo, unde neceſſum ſit alterum mori, illius mors mihi voluntaria non erit, ideoq́; nec mihi ad peccatum imputabitur, cùm in mea facultate poſitum non fuerit illum à morte liberare. Item ſi nautâ & alijs ludentibus, navis ſubmergatur, tametſi quilibet illorum potuerit navem gubernare, ſolus tamen nauta, cui navis gubernatio commiſſa fuit, directè navem ſubmerſiſſe cenſetur, eiq́ue ad culpam imputatur; quia ipſe ſolus non modò potuit, ſed etiam debuit navem gubernare. Ex his reſolve ſimiles caſus, ex doctrina D. Tho. 1. 2. *q.* 6. *a.* 3. Cajetani, Sylvij *ibid.* & aliorum commentatorum ſuper hunc articulum.

D. Thom. Cajetan. Sylvius.

6. Quando cauſa, ſeu occaſio omiſſionis, non fuit actus alìàs malus, & prohibitus, eſt unum numero peccatum, quod revocatur ad peccatum omiſſionis. Probatur, tum quia talis actio non habet malitiam, niſi quia eſt cauſa omiſſionis, & ſit cum illo unum numero peccatum: tum quia actio quæ eſt cauſa omiſſionis, opponitur præcepto affirmativo, quo præcipitur actio & remotio impedimentorum ad talem actionem: ergo habet malitiam peccati omiſſionis. Proinde ſatis erit dicere in confeſſione, verbi gratia, ſe non audiviſſe Miſſam in die Feſto, abſque eo quod confiteatur ejus cauſam, puta quod ex nimio & inordinato amore ſtudij Miſſam omiſerit. Secus dicendũ quando cauſa omiſſionis fuit actus alioquin malus & prohibitus, puta ſi ex culpabili ebrietate dormierit, unde Miſſam poſtea non audierit, aut ſi quis ob furtum omitteret Miſſam; tunc enim actus ille qui eſt cauſa omiſſionis, quia habet diſtinctam malitiam ex ſe, præter hanc quę etiam eſt cauſa omiſſionis præcepti, peccatum eſt numero diſtinctum à peccato omiſſionis, & ut peccatum diſtinctum in confeſsione eſt neceſſariò explicandum. Ratio eſt, quia aliud eſt ſe inebriare, vel furari, & aliud omittere præceptũ audiendi Miſſam, unde cùm tales actiones habeant adnexam malitiam ſpecie diverſam, quę non explicatur explicato peccato omiſsionis, cujus fuerunt cauſa; omnia hæc peccata aperienda ſunt in confeſsione quoad numerum & quoad ſpecies. Ita ex communi docent Clavis Regia *lib.* 2. *c.* 6. *n.* 10. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 4. *numero* 26. & 27. Azorius *tomo primo*, *libro quarto*, *capite* 3. *quæſt.* 7.

Clav. Reg. Bonacina. Azorius.

Digitized by Google

Valentia. Layman. *quæst.* 7. Valentia *tom.* 2. *disputat.* 6. *quæstione* 1. *punct.* 4. *dub.* 2. Layman *lib.* 1. *tractat.* 3. *capite* 4. *num.* 4.

7. Ut quis peccati mortalis sit reus & peccet mortaliter, requiritur plena & perfecta cogitatio seu expressa advertentia malitiæ, vel periculi malitiæ, vel saltem expressa aliqua dubitatio, seu scrupulus peccati. Ratio est, quia quamdiu cogitatio, aut dubium, aut scrupulus circa obiecti malitiam intellectui non se offert, quantumvis cogitatio & consultatio circa illius utilitatem ac delectationem sint, non est principium sufficiens in intellectu, ut de morali ejus malitia deliberare queat.

Tum quia ad culpam desideratur libertas, quæ sine advertentia & rationis deliberatione esse nequit; nec debet esse qualiscumque libertas, sed circa moralem obiecti malitiam: in ea enim amplectenda peccatum consistit: tum quia non est peccatum, nisi sit voluntarium. Non potest autem esse voluntarium sine advertentia, cum voluntas non feratur in incognitum: unde non sufficit ad peccatum advertentia ad ipsum actum absque advertentia malitiæ, aut peccati, vel sine dubio, aut cogitatione peccati; imò non satis est, ad unius generis malitiam advertere, ad malitiam quoque alterius generis contrahendam: sed oportet ad hanc quoque advertere. Hinc si quis in die ieiunij nihil de præcepto cogitans cœnet lautè & opiparè regulas temperantiæ excedens, advertit quidem ad cœnam quatenus sibi utilem & delectabilem, ac de hoc secum deliberat, ac consultat, nil tamen de morali ejus malitia contra præceptum deliberat, nec consultat: ille peccabit contra naturalis temperantiæ præceptum, quod advertit, non autem contra ieiunij legem: quia peccatum non est volitum secundùm malitiam ignoratam. Ita Vasquez. Vasquez. Azorius. Bonacina. Sanchez. 1. 2. *disputatione* 107. *cap.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 5. *quæstione* 4. Bonacina *tom.* 2. *disputat.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 3. & 9. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 1. *num.* 8. & *c.* 16. *num.* 22.

Ex his deducitur, ad peccatum mortale non sufficere, ut aliquis potuerit simpliciter, vel debuerit malitiam considerare, sed requiritur expressa consideratio malitiæ, vel ipsius periculi, vel expressa dubitatio, seu suspicio aliqua malitiæ vel periculi; alioquin inadvertentia seu oblivio censetur invincibilis, & inculpabilis: quia dum hæc actualis advertentia non adfuit, non est in nostra potestate proxima expellere eam ignorantiam & inconsiderationem, aut non est plenè ita ut ad mortale sufficiat: nam voluntati imputari non potest id, cuius nulla præcessit cognitio & advertentia, cùm voluntas sit cœca & non feratur in incognitum. Sic tradunt Vasquez 1. 2. *disp.* 107. *cap.* 3. *a num.* 6. & *disp.* 123. *cap.* 2. *num.* 6. & *disp.* 124. *cap.* 2. *num.* 5. Suarez *de censur. disp.* 4. *sect.* 8. *n.* 18. Sanchez *lib.* 1. *moral. c.* 16. *n.* 21. & alij. Vasquez. Suarez. Sanchez.

Et hæc sententia est probabilior; proinde sanè modo intelligenda sunt iura & Doctores quidam, dum æquiparant scire & debere scire, passimque dicunt, esse indirectè voluntaria & ignorantiam & inadvertentiam, cùm quis vel scivit, advertit ve, aut debebat scire & advertere, iuxta illud axioma, *scire & debere scire, paria sunt.* Dicendum enim est debere scire æquiparari scientiæ, modò præcesserit cognitio, seu cogitatio malitiæ, vel ejus periculi, seu dubium aut saltem scrupulus: quia homo non potest hic & nunc advertere, nec proximè tenetur advertere ad malitiam cujus nulla præcessit cogitatio, cùm nullus teneatur ad impossibile; sine enim cogitatione moraliter impossibile est aliquid scire, vel advertere, aut velle, cùm usus nostræ voluntatis & libertatis nitatur cognitione tanquam radice. Ita Suarez *loco citato*, Sanchez *loco citato n.* 24. & alij recentiores, contra Navarrum *in man. prælud.* 1. *n.* 17. Valentiam 1. 2. *q.* 1. *disp.* 2. *punct.* 7. *vers. Tertium quod*, & alios. Suarez. Sanchez. Navarrus. Valentia.

Sed rogabis, an ad peccatum mortale requiratur plena advertentia malitiæ, quatenus malitia est mortalis, vel sufficiat consideratio, seu cognitio malitiæ simpliciter? Respondent quidam, si intellectus de peccato mortali, ejusque periculo nihil omninò cogitavit, non condemnandum hominem peccati mortalis, sed præsumendum ex qualitate obiecti, virtualiter iudicasse esse tantùm peccatum veniale: quia præsumendum est, hominem apprehendentem obiectum ut peccaminosum, ita saltem virtualiter & implicitè de eo iudicare, sicut illud reipsa se habet vel saltem non nimis ab eius qualitate aberrare; licet distinctè non satis cognoscere videatur: alioquin hominibus simplicibus & indoctis scrupulorum materia ministrabitur. Ita Layman *lib.* 1. *tr.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. Navarrus *in man. prælud.* 9. *num.* 9. Reginaldus *lib.* 13. *num.* 70. & alij probabiliter. Sed probabilior sententia asserit satis esse, ut homo advertat ad malitiam; nam posita malitiæ advertentia potest & tenetur inquirere, an malitia sit gravis, vel levis, & cavere debet periculum graviter peccandi: nisi enim hujusmodi cautio & inquisitio adhibeatur, censetur velle opus quavis malitia affectum, seque periculo exponit patrandi delictum grave; qui autem se periculo exponit graviter peccandi, se coinquinat peccato, cujus periculo se exponit. Sic Vasquez 1. 2. *disp.* 107. *cap.* 3. *fine*, Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 1. *num.* 9. Zumel 1. 2. *quæst.* 74. *articulo* 8. *disp.* 1. & alij à nobis citati *tom.* 1. *verb. Conscientia, numero* 39. *lit. E.* Layman. Navarrus. Reginal. Vasquez. Sanchez. Zumel.

8. Cùm ad peccatum mortale requiratur voluntatis consensus, & in dubijs difficile sit discernere consensum perfectum & sufficientem ad mortale, vel imperfectum & insufficientem, ideò sequentes regulas ad id discernendum ponunt Doctores; quarum *Prima* est: Quando homo rei pravæ appetitum advertens, se ita dispositum sentit, ut quamvis facilè rem exequi possit, non exequeretur, sit plurimum iudicandum est, aut nullum, aut imperfectum consensum adfuisse. Ratio est, quia cùm potentia executrix voluntati omninò obtemperet, dum in ea dispositione existit, nō leve indicium est, voluntatem non plenè consensisse; dum homo advertit se non prestiturum consensū posita tali dispositione & animi affectione.

Secunda regula est: Quando dubitans est vir bonus & bonis moribus imbutus, timidæq; conscientiæ, & peccatis dissentire solet, credendū est eum non perfectè consensisse, licet aliquam in repellendis tentationibus negligentiam admiserit. Ratio est, quia ex consuetis fortissima præsumptio & probabilitas desumitur; si enim peccato cōsensisset, facilè cognosceret se consensum præstitisse, cùm à peccato mortali valdè abhorreat. Secus dicēdū de viro desidioso, qui conflictatur quotidiè cum suis passionibus, & sæpenumerò cadit: hic enim in dubio putandus est consensisse; quia cùm suæ salutis modicam & levem curam gerat, nullū in eo dubium suboriretur, se minimè consensisse.

Tertia est: Quando quis dubitat, an dormiens, vel vigilans, an sui compos, an potius ebrietate

aut phreneſi captus, aliquid voluerit, aut fecerit, non leve indicium eſt, levem deliberationem & conſenſum defuiſſe: quia plena vigilia, plenuſque rationis uſus homines de ſuis actibus certiores reddunt, & liberam permittunt homini de ſuis actibus cognitionem, niſi fortè mora temporis aliquam induxerit oblivionem.

Non eſt tamen ſignum ſufficiens ad probandum conſenſum ſola delectationis perſeverantia poſt plenam advertentiam; quia corporis partes, quæ ſubduntur potentiæ motivæ, plenè ſubiacent imperio voluntatis: at appetitus ſenſitivus rebellis eſt. Ita Sanchez *lib. 1. moral. cap. 1. num. 17.* Reginald. *& ſequent.* Reginaldus *lib. 11. cap. 5. num. 51. &* Clav. Reg. *lib. 15. num. 76.* Clavis Regia *lib. 8. cap. 7. n. 6.* Medina, Filliucius. Medina *1. 2. quæſt. 74. art. 8. ad finem*, Filliucius *tract. 21. num. 251.* Vide dicta *tom. 1. verb. Delectatio, num. 9.*

Sanchez.

9. Quidam dicunt ad operis malitiam contra conſcientiam errantem, nec deſiderari actù adeſſe, nec ſufficere habituſſed opus eſſe id iudicium virtute perſeverare. Ut ſi quis erravit putans in hac hebdomada nullum eſſe diem feſtivum, vel ieiunij, cùm tamen ſit; adveniente autem die Feſto vel ieiunij, Miſſam, vel ieiunium omittit, nullum autem dubium tunc occurrit eſſe diem Feſtum vel ieiunij, talis peccat contra conſcientiam errantem. Similiter ſi quis antea iudicaſſet eſſe peccatum, ius Canonicum, vel phyſicam audire; ex ejuſmodi errore phyſicam audit, immemor conſcientiæ errantis, & dictantis eſſe peccatum; tunc dicunt id iudicium erroneum virtute perſeverare, & proinde peccatum eſſe contra illud agere, ita Medina *1. 2. quæſt. 19. art. 6.* Rodriguez *tom. 1. Summa Latina cap. 71. num. 2.* & alij. Medina. Rodrig.

Sed verius eſt opus eſſe ut id iudicium actu perſeveret, dum opus contra conſcientiam errantem fit, ut peccato ſeu culpæ imputetur; & proinde talis in phyſica audienda, vel in omiſſione Sacri aut ieiunij non peccabit actu, niſi actu ſit conſcientia dictans eſſe peccatum, vel actu dubitet de ejus obligatione. Ratio eſt, quia opera illa externa nequaquam poſſunt oriri à voluntate & iudicio præterito; cùm neque illa voluntas, neque iudicium præteritum adſint, neque aliquis effectus ab illis productus, qui opera externa cauſet. Tum quia ſi actus cenſetur manere moraliter & denominare opera ſubſequentia, dum non retractatur; ergo infidelis ſemel exiſtimans ad operis bonitatem opus eſſe, ut id ad idolum referatur; peccabit in omnibus operibus etiam ex obiecto bonis, quæ illius iudicij immemor efficit. quod abſurdiſſimum eſt. Ita ſuſtinent Sanchez *lib. 1. moral. cap. 11. num. 7.* Præpoſitus *in 1. 2. q. 19. art. 6. dub. 2.* Vaſquez *1. 2. diſp. 60. cap. 3.* Azorius *tom. 1. lib. 2. cap. 8. quæſt. 12.* & alij quos ſequitur Bonacina *tom. 2. diſp. 2. quæſt. 4 punct. 6. num. 28.* Sanchez. Præpoſit. Valquez, Azorius. Bonacina.

Vide Verb. Iudex *num.* 8. Pœnitentia. Votum 1. *num.* 7. 8. & 9.

PENSIO.

SUMMARIUM.

1. *An Penſio ſit ius aliquod rei ſpirituali annexum, an verò temporale & profanum?* Refertur duplex ſententia.
2. *An Penſio poſſit conſtitui aut tranſferri intuitu pecuniæ, quæ tanquam pretium ſolvatur.*
3. *An penſionarius liberè poſſit cedere penſionis privata auctoritate.*
4. *An quis poſſit vendere alteri vel donare fructus penſionis durante propria vita?* Refertur duplex ſententia.
5. *Ex quibus cauſis concedatur penſio in Gallia, Italia & Hiſpania.*
6. *An Epiſcopi vel alij locorum Ordinarij poſſint de iure ſuper beneficio penſionem imponere, & ſuper beneficiario.*
7. *Quæ ſint cauſæ lucrativa vel onerofæ imponendæ penſionis.*
8. *Quibus beneficijs poſſit vel non poſſit penſio imponi.*
9. *An penſiones extinguantur per matrimonium contractum à penſionario,*
10. *An per profeſſionem Religionis ſolemnem? Et an per vota ſimplicia ſolita emitti in Societate Ieſu poſt biennium.*
11. *An penſionarius effectus miles penſionem amittat?* Refertur duplex ſententia.
12. *An regularis ſit incapax penſionis ſuper beneficio ſæculari vel regulari abſque diſpenſatione Summi Pontificis.*
13. *An Prælatus regularis conferens Monacho beneficium regulare, poſſit illi ex iuſta cauſa penſionem imponere ſolvendam alteri Monacho eiuſdem Monaſterij.*
14. *An penſionarius teneatur ſub mortali ad horas B. Virginis, ex vi Conſtitutionis Pij V.* Ex proximo, &c.
15. *Quando penſio reſervata fuit in capite ſeu perſona unius, ſed in commodum & utilitatem alterius, quis eorum teneatur dicere officium B. Virginis?* Refertur duplex ſententia.
16. *An Penſionarius, qui conſentit penſionem redimi, teneatur adhuc ad officium B. Virginis? Et quid ſi ceſſit penſioni tantùm in partem.*
17. *Si clericus penſionarius nomen dedit in Ordinem militarem cum facultate retinendi penſionem, an ſatisfaciat ſuæ obligationi recitando Orationes Dominicales & Angelicas à Religione præſcriptas loco horarum.*
18. *An penſionarius recipiens fructus, & officium omittens, teneatur omnes fructus reſtituere ſæbricæ vel pauperibus.*

1. DUbium eſt inter Doctores, an Penſio ſit ius aliquod rei ſpiritualis annexum, an verò temporale & profanum? Communis iuris Canonici interpretum ſententia eſt, penſionem non eſſe ius aliquod ſpirituale, aut rei ſpirituali annexum, ſed commodum quoddam temporale, ſeu ius quoddam profanum per ſe à beneficio diſtinctum & ſeiunctum; eò quòd beneficium Eccleſiaſticum non ſit, nec conferatur iure & ratione miniſterij ſpiritualis, ſed in vitæ ſubſidium. Ita Ancharanus Cardinalis *Clement. 1. de ſuppleud. negligent. Prælator.* & alij; quia ius penſionis eſt omninò temporale nihil habens ſpiritualitatis: cùm ſit tantùm obligatio in beneficiario, ut ſolvat tale onus, & reſpiciat tantùm fructus beneficij. Ancharan. Card. Imola.

Sed verius eſt penſionem non eſſe rem ſive ius profanum, ut ſæpe reſponſum eſſe in Rota, tradit Flaminius *de reſignat. Beneficior. lib. 6. quæſtione 4. numero* 54. Item eſſe ius ſpirituli rei annexum ut conſequens, ait Navarrus *in Manual. cap. 23. num. 111.* Hoc autem intelligi debet de penſione Clericali, quæ datur titulo Eccleſiaſtico, hoc eſt, ex eo quòd perſona eſt intra Ordinem Eccleſiaſticum conſtituta per clericalem tonſuram. Rota, Flamin. Navarrus.

Ra-

Ratio autem hæc est 1. quia licet pensio non det jus ad beneficium, sed tantùm ad fructus beneficij: adhuc tamen hoc jus est spirituale; quia est jus receptum spirituali modo 3. nam recipitur à Clerico, quatenus persona Ecclesiastica habente jus ad participandum in bonis Ecclesiæ: unde si non adsit dignitas Clericalis, aut si Clericus sit excommunicatus, aut interdictus, aut suspensus, pensio collata est nulla; unde tale jus nedum est annexum rei spirituali, nempe Clericali dignitati, sed etiam suo modo spiritualizatur, quia fit proprium personæ spiritualis intra Ordinem spiritualem; & sicut recipiens jus per modum personæ spiritualis recipit; ita etiam ipsum jus per modum spiritualis recipitur: atque hæc sententia videtur communi consensu recepta. Hanc sententiam sustinent, qui docent pensionem non posse vendi, aut redimi, si sit Clericalis, ut Rebuffus *de pacifica possess. num.* 131. Covarruvias *part.* 2. *cap.* 3 §. 3. *num.* 3. Rodriguez *tom.* 2. *summ. Lustræ, cap.* 67. *num.* 1. & 2. Garzias *de benefic. part.* 1. *cap.* 5 *num.* 20. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 22. *num.* 122. & alij apud Pasqualigum *in decisionibus moral. decis.* 107. *num.* 4. Rebuffus. Covar. Rodrig. Garzias. Lessius. Pasqual.

Primatamen sententia est probabilis, quia tamen pensio est portio quædam ex beneficij fructibus detracta, ideò voluerunt Pontifices, & usus ac consuetudo recepit, ut non detur nisi Clericis, nec absque Romani Pontificis auctoritate conferatur, redimatur, aut transferatur, & ut per matrimonium contractum extinguatur: denique ut habeat multa cum beneficio communia.

2 Pensio neque potest constitui, neque transferri intuitu pecuniæ, quæ tanquam pretium solvatur pro translatione, aut constitutione pensionis. Ita ex communi sententia Navarrus *lib.* 3. *consil. tit. de prabend. consil.* 54. Sanchez *tom.* 1. *consil. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 46. *num.* 18. Ratio specialis est, quia tunc pecunia respicit actionem fundandi & transferendi pensionem; hæc autem actio est annexa rei spirituali, nempe auctoritati spirituali fundandi & transferendi pensionem; & licet pactum non fiat cum Pontifice, sed cum eo, qui possidet beneficium, adhuc tamen qui sic pacisciuntur, pacisciuntur de obtinenda illa actione à Pontifice; atque adeò ipsa quoque cadit sub pactum. Navarrus. Sanchez.

3. Pensionarius liberè potest cedere pensioni privata auctoritate. Ratio est; tum quia hoc vergit in utilitatem & commodum beneficiarij qui gratis ab onere pensionis liberatur: tum quia quilibet juri suo cedere potest, nisi lege prohibeatur; sed in hac re nulla extat prohibitio. Ita communiter Doctores. Imò pensio potest ad limitatam portionem redigi absque licentia Superioris: quia si possit in totum remitti, *ergo* etiam in partem. Quæ enim ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem. *l. Qua de tota. ff. de rei vindicat.* Si tamen pensionarius remittens pensionem sit ordinatus sacris Ordinibus ad titulum pensionis, tunc remittere non potest pensionem, nisi de licentia Episcopi, & nisi beneficium obtinuerit, aut aliunde habeat unde vivere possit, ut statuit Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. *de ref.* & docent Suarez *tom.* 1. *de Rel. lib.* 4. *de simon. c.* 26. *n.* 17. Garzias 1. *part. c.* 2. *num.* 46. & 2. *part. cap.* 5. *num.* 79 & alij communiter. Con. Tr. Suarez. Garzias.

4. Difficultas est, an pro certa summa pecuniæ possit quis cedere pensionem, durante propria vita, alteri, nullo jure sibi reservato, ad habendum, tenendum & liberè disponendum; vel donare alteri fructus pensionis? Negant nonnulli recentiores; quia in huiusmodi cessione transfertur totum jus; unde etiam transfertur illud spirituale, quod est fundamentum fructuum pensionis. Tùm quia qui unum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit, *cap. Si quis obierit* 1. *q.* 3 Sed fructus pensionis non proveniunt pensionario sine titulo spirituali; ergo qui fructus pensionis vendit, censetur etiam titulum spiritualem vendere, & consequenter Simoniam committit. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 22. *n.* 122. Navarrus *consil.* 11 *de rebus Eccles. non alienand.* Garzias *de benefic. p.* 2. *cap.* 1. *n.* 37. Lessius. Navarrus. Garzias.

His tamen non obstantibus, sustinent alij, & meritò, posse fieri huiusmodi cessionem absque ulla simonia: quia in ea non ceditur jus pensionis, sed tantùm fructus. quod ex eo patet, quia alter exigit fructus nomine pensionarij, non autem nomine proprio: ergo jus pensionis remanet apud pensionarium. Accedit, quòd pensionarius cedit pensionem durante propria vita; unde pensio stat in vigore juxta vitam pensionarij; hoc autem clarè indicat jus pensionis, non obstante hac cessione, remanere apud pensionarium, & consequenter cedere tantùm fructus. Porrò, quòd quis constituatur irrevocabilis Procurator, non operatur nisi secundùm naturam pensionis: & nihil aliud est, nisi concedere facultatem exigendi fructus, quamdiu poterunt exigi à pensionario. Ergo primarium jus exigendi fructus remanet apud pensionarium, & si in ipso extinguitur, in procuratore etiam extinguetur, quod signum est non fuisse translatum. Hinc sequitur pensionarium posse alteri donare fructus suæ pensionis ad totam vitæ suam, retento tamen sibi titulo pensionis, & consequenter etiam onere Officij Beatæ Virginis recitandi. Quod etiam habet locum in venditione illorum fructuum; & ideò si beneficiarius ipse, qui fructus emerat à pensionario, moriatur, successor tenebitur pensionem solvere; quia beneficium transit cum suo onere. Ita Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 26. *n.* 9. & 17. Naldus *in summ. verb. Pensio, num.* 10. Zerola *in praxi Episcop. verb. Alienatio,* §. 3. *concluf.* 10. Filliucius *tract* 42. *cap.* 9. *quæst.* 8. *n.* 14 & *quæst.* 14. *n.* 20. Bonacina *de simonia, quæst.* 4. §. 13. *num.* 13. & alij. Suarez. Naldus. Zerola. Filliucius. Bonacina.

Ad primam autem rationem contrariæ sententiæ posset responderi, totum jus quidem transferri supra fructus, quod singulis vicibus acquirit pensionarius, quibus solvitur pensio: sed tenetur finere pensionem currere eo modo, quo currit: hoc autem jus non est jus pensionis spirituale, sed jus temporale acquisitum supra fructus per contractum emptionis, & consurgit ex contractu materiali & civili, & refertur ad fructus, qui secundùm se sunt aliquid temporale.

Nec obstat etiam cap. *Si quis obierit* 1. *quæst.* 3. quia non sumus in casu: licet enim fructus non proveniant pensionario sine titulo pensionis, proveniunt tamen sine titulo pensionis illi, cui ceditur commoditas pensionis; quia exigit fructus tanquam Procurator pensionarij; atque adeò non jure proprio, sed jure illius; & solùm postquam sunt exacti, & sub dominio pensionarij, fiunt procuratoris in virtute præcedentis contractus. Unde in illo contractu duo interveniunt; constitutio Procuratoris ad exigendos fructus, & cessio ipsorum fructuum jam exactorum.

5. In Gallia tribus tantùm ex causis pensio conceditur, quæ jure communi sunt approbatæ. *Primò*, ad litem de beneficio dirimendam, *cap. Nisi. de prabend. Secundò*, ne resignans nimio detrimento

efficiatur, *cap. Super hoc, de Renunciat.* Tertiò, in permutatione, qua quis suum beneficium cum altero minus pingui commutat, *c. Ad quæstiones, de rerum permutat.* Ita Rebuffus *in praxi benefic. part. 1. tit. de reservationibus, num.* 22. In Hispania verò & in Italia admittuntur etiam pensiones, quas non jus commune, sed Curiæ Romanæ usus induxit & approbavit; quales sunt, quæ solent reservari alicui ob litteraturam, hospitalitatem, præmium, amorem, virtutem & morum honestatem, & alia merita & obsequia laudabiliter in Ecclesiæ bonum exhibita. Ita Azorius *part. 2. lib. 8. cap. 5. quæst. 7.* Filliucius *tract. 42. cap. 2. num. 3.* Garzias *part. 1. cap. 5. n. 270. & seqq.*

Rebuffus. Azorius. Filliucius. Garzias.

6. Aliud est pensionem imponere ipsi beneficiario, aliud verò in ipso beneficio: nam quæ personæ beneficiarij imponitur, ad successorem in beneficio non transit, sed ipsius beneficiarij, cui imponitur, morte finitur: sed pensio, quæ in ipso beneficio imponitur, ad successorem transmittitur; quia est onus in ipso beneficio constitutum, & servitus ipsi inhærens, & proinde unà cum ipso beneficio ad successorem transfertur. At prior illa pensio est onus personæ beneficarij, non ipsi beneficio impositum, ac ideò ipse, non successor, eam solvere compellitur. Quare Episcopi vel alij locorum Ordinarij nequeunt pensiones in beneficiis constituere: quia jure communi cautum est ne beneficia cum diminutione conferantur, *cap. Cum secundùm, & cap ult. de prabendis, & in toto tit. ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.* Cùm ergo pensio sit diminutio & detractio quædam ex fructibus beneficij, non poterunt illam imponere quicumque jure communi tenentur integra beneficia & sine diminutione conferre, quia quod jure communi prohibetur, ligat omnes, præter ipsum Summum Pontificem, qui solus est supra jus omne positivum: quamvis ex consuetudine jam præscripta, pensionē constituere possint Episcopi, in casibus numero præcedenti relatis, ut diximus *tom. 1. verb. Pensio, num.* 3. cum Doctoribus ibi citatis.

De jure tamen possunt Episcopi personis beneficiatorum pensiones imponere: nam *in cap. Nisi essent, de prabendis, ad finem*, apertè dicitur: *Ut ad præstationem* 40. *librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata: ne forte circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus; ita quod ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem* 40. *librarum minimè teneatur.* Hinc pensio per Episcopum constituta, ad successorem in beneficio non transit, cùm beneficium non sit tali pensione obligatum alteri, sed beneficiario. Sic Ancharanus, Cardinalis, Imola *in dict. cap. Nisi essent.* De his vide Rebuffum *de pacifica possessione, n.* 104. & Garziam *part. 1. cap. 5. §. 2. n.* 277. & dicta *tom. 1. verb. Pensio, num.* 3.

Anchar. Cardin. Imola. Rebuffus Garzias.

7. Causæ in universum imponendæ pensionis, vel sunt lucrativæ, vel onerosæ. Lucrativæ sunt, *Prima* causa alimentorum, quæ dicitur pia, cùm pauperi Clerico, ut sustentetur, pensio confertur, quæ causa justissima est, & ad eam probandam sufficit ægrè sine pensione pensionarium sustentari. *Secunda* causa est commodioris sustentationis, non solùm in alimentis habendis, sed in statu suæ conditioni debito retinendo. Tales sunt pensiones Cardinalibus, & aliis similibus concessæ; & ad has duas causas lucrativas omnes aliæ reduci debent. De quibus Gigas *de pensionibus, q. 3.* Flaminius *lib. 6. §. 2. n. 7. de resignat.*

Gigas. Flamin.

Causæ onerosæ sunt: *Prima* est cessationis litis pro bono pacis obtinendæ. *Secunda*, transactionis. *Tertia*, resignationis. *Quarta*, privationis, cùm quis privatus beneficio non habet unde vivat. De quibus Garzias *part. 1. cap. 5. §. 2.* Flaminius *loco citato*, & alij. Garzias. Flamin.

8. Regulariter loquendo beneficium simplex, cuiuscumque valoris id sit, capax est pensionis. Beneficium Parochiale minoris valoris, quàm 100. aureorum, non est capax pensionis, regulariter loquendo. Episcopatus, cuius reditus mille aureos non attingit, pensionem non admittit. Ex Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 13. de reform.* Proinde provisio pensionis super Parochiali, vel Cathedrali Ecclesia valorem prædictum non excedente, nulla est, nisi specialiter à Summo Pontifice decreto Concilij derogetur, ut observat Puteus *lib. 2. decis. 494.* Quare cùm Parochus talem Ecclesiam Parochialem resignat, in ea nulla pensio imponitur, sed in alio beneficio resignatarij, aut etiam in beneficio tertij, ut notat Flaminius *lib. 6. quæst. 2. num. 23.* In beneficio cum dignitate, ut Canonicatu, non imponitur pensio, nisi reditus sint ultra 100. ut *ibidem*, Flaminius *num. 27.* Porrò, in beneficio, cuius reditus consistit in quotidianis distributionibus, pro præsentibus & servientibus, jure antiquo pensio non constituebatur: quia pensio constituitur de fructibus: distributiones autem non sunt fructus. Decius *consil. 180.* Iure autem novo etiam in distributionibus pensiones constituuntur: quod tamen nunquam intelligitur, nisi exprimatur, apposita clausula, *etiamsi in solis distributionibus*, &c. Ita Azorius *part. 2. lib. 8. cap. 8. quæst. 17.* Filliucius *tract. 42. cap. 5. quæst. 2.* Mandosius *de signatur. & justitiæ, tit. Pensiones, vers. Clausula præmissa.* Con. Trid. Puteus. Flamin. Decius. Azorius. Filliucius. Mandos.

9. Quando pensio datur laico pro ministerio, merè temporali, ut pro pulsandis campanis & organis, non vacant per matrimonium pensiones sic constitutæ. Ratio est; quia sicut status laici non est cum ipsis incompatibilis, ita nec status coniugati. Ita Gigas *de pension. q. 54.* Ex quo fit, quòd quando Pontifex concedit pensionem laico pro re in defensionem Ecclesiæ utiliter gerenda, aut gesta, illa non vacat per matrimonium; quia concessa fuit pro ministerio temporali. Item dicendum, si pensio constituta esset Clerico in minoribus, aut in sacris constituto pro ministerio merè temporali, ut quia est Advocatus Ecclesiæ, Sacrista, aut pulsat organa: quia ea pensio datur tanquam laico pro re merè temporali, & ideò eadem est ratio ac si conferretur laico, ut non vacet per matrimonium jure contractum, si Clericus sit in minoribus: vel solo facto, si sit in sacris. Ita Sanchez *de mat. lib. 7. disp. 44 num. 2. 3. & 4.* & alij apud ipsum citati. Gigas. Sanchez.

Pensio alicui collata titulo clericali, ut loco beneficij, quod, vel cuius jus ad rem resignavit, ex stylo Curiæ vacat prorsus eodem modo per matrimonium, quo per illud vacaret beneficium. Ratio est; quia cùm detur titulo clericali huiusmodi pensio, per assumptionem status coniugalis & incompatibilis cum beneficio, censetur illi renunciari, sicut & beneficiis. Ita Flaminius *lib. 1. de resign. benefic. q. 1. n. 15. & lib. 6. q. 2. n. 115.* Eman. Sa *verb. Pensio, n. 4.* Azorius *p. 2. lib. 8. cap. 10. quæst. 1.* Navarrus *de orat. cap. 21.* Sayrus *de censur. lib. 2. cap. 3. num. 15.* & alij. Flamin. Eman. Sa. Azorius. Navarrus. Sayrus.

Tamen non est de jure, ut pensio eodem modo amittatur, quo beneficia; quia cùm illa beneficiū non sit, contra jus est, ut quod generaliter in beneficiis statuitur de pensionibus intelligatur, quasi debeant juxta beneficia regulari pensiones; sed id provenit

provenit ex nova proviſione per aliquam conſtitutionem facta, vel tacitè per conſuetudinem Curiæ approbata, cui in praxi eſt ſtandum. Propterea Conſtitutio Sixti V. præcipit penſionarijs, ut tonſuram & habitum clericalem deferant. Sixtus V.

Ex quibus infertur Clericum coniugatum incapacem eſſe veræ penſionis, quæ titulo clericali conferri ſolet. Si enim antea habitam verè perdit ob ſtatum incompatibilem, à fortiori erit incapax novæ acquirendæ, niſi ex diſpenſatione Pontificis, qui illam iuſtè concedere poteſt coniugato, vel ob miniſteria præſtita Eccleſiæ, vel ratione paupertatis, aut alia iuſta cauſa concurrente, ut docet Navarrus *lib. 1. conſil. tit. de temper. Ordinar. conſil. 11. n. 2. edit. 2.* & poſt illum Sanchez *loco citato, num. 9.* Navarrus. Sanchez.

10. Dubiũ eſt, an penſiones extinguantur profeſſione Religionis? Quidam docent non extingui, ſed Monaſterium gaudere illis, dum Monachus ille naturaliter vixerit, ſicut nec uſusfructus antea à Monacho habitus extinguitur profeſſione. Ita Rebuffus *de pacificis poſſeſſor. n. 137. verſ. Vlt. concl.* Sed Gigas, *de penſionib. q. 57* docet extingui penſionem, liberumque manere beneficium illa gravatum ab onere illius ſolvendæ. Ratio eſt, tum quia dum *in cap. Beneficium, de regular. in 6.* dicitur beneficium vacare per profeſſionem, beneficium accipitur largè: at latè ſumpto beneficij vocabulo, venit nomine illius penſio: tum quia beneficia vacant per contractum matrimonij, quaſi aſſumpto ſtatu incompatibili. Et hæc ſententia eſt tenenda in ijs caſibus, in quibus pẽſiones extinguũtur per contractum matrimonij, ut dictum eſt numero præcedenti; nempe, quando penſiones collatæ ſunt titulo clericali, ut loco beneficij, &c. In ijs autem caſibus, in quibus non extinguuntur penſiones, ſuccedit Monaſterium ſuccedendi capax in eas, dum Monachus naturaliter vivit. Si autem ſit ſuccedendi incapax, exiſtimat Sanchez *lib. 7. mor. c. 29. n. 8.* penſiones has non extingui, ſed pertinere, dum religioſus ille vivit, ad hæredes ab ipſo inſtitutos; & nullis inſtitutis ad hæredes ab inteſtato, ad quos pertinent reliqua illius bona. Ratio illius eſt, quia hujuſmodi penſiones ſunt quaſi cenſus ad vitam illius conſtituti in ſtipendium rei illius temporalis geſtæ: at cenſus ad vitam alicujus conſtituti non ceſſant profeſſione in Ordine capaci, ſed ſola morte naturali. Rebuffus. Gigas. Sanchez.

Sed quia hæc de ſolemni profeſſione Religionis procedunt, difficultas eſt, an penſiones extinguantur per vota biennij in Societate Ieſu emitti ſolita, quæ tantùm ſimplicia ſunt? Reſpondet Sanchez *loco cit. n. 12* non extingui, ſed durare, donec religioſus ille vel profeſſionem ſolemnem, vel votum coadiutorum formatorũ emittat, per quæ redditur incapax cujuſcumque iuris acquirendi, aut retinendi, quod nõ contingit in votis biennij. Et quamvis Pontifex Gregorius XIII. in Bulla *Aſcendente Domino*, expreſsè tantùm loquatur de bonis temporalibus per ſcholares ejuſdem Societatis retinendis, neque ſecundùm rigorem æquiparandũ ſit ius pẽſionis clericalis, iuri ac dominio rerum temporalium; Societas tamen ſic videtur Bullam Pontificis intellexiſſe, ut quemadmodum religioſi Societatis non redduntur per vota biennij incapaces retinendi bona, iuxta Societatis Cõſtitutiones, ita non vacent eorum beneficia. Ceterùm quamvis ea non vacent, tamen in Congregatione quinta Generali ejuſdẽ Societatis Canon. 5. ſtatutum eſt; ut ea ante biennij vota reſignentur. Ex quibus infert Sanchez *lib. 7. moral. cap. 4. n. 7. & 13.* quod talium beneficia non vacarent, ſi ea reſignatio non fieret. Et ſicut non vacarent beneficia, ita nec penſiones vacarent. Nam in Societate vacant penſiones eis temporibus, in quibus vacant beneficia, ut ex Sanchez *loco citato*, docet Sylvius *part. 2. reſol. verb. Penſio II.* ubi reſpondens ad quæſtionem ſibi propoſitam; Titius Clericus habens penſionem 300 florenorum ſuper fructibus beneficij Caij, poſt ingreſſum ejus in Societatem, & poſt vota biennij emiſſa, quamvis ſimplicia, num Caius adhuc obligetur ad præſtandam penſionem? Reſoluit dicendo, Caium non amplius obligari ad præſtandam penſionem, niſi Titius doceat ſe illam non abdicaſſe antequam vota biennij emitteret: cùm enim ſtatutum quintæ Congregationis generalis, de beneficijs (idemque iudicium eſt de penſionibus clericalibus) tam ſeriò præcipiat, ut reſignent, præſumi debet illud à Titio fuiſſe obſervatum, niſi doceatur de oppoſito: & ſi hoc non doceatur, conſequenter dicendum foret Titium teneri ad reſtitutionem eorum, quæ percepit ab emiſſis votis biennij. Si autem illo ſtatuto non obſtante Titius non abdicavit penſionem, ſed vota biennij emiſit ſine ulla ejus abdicatione, validè illam recepit, ac etiamnum validè recipiet; ideoque Caius ad eam præſtandã tenetur, nec Titius obligatur quicquã reſtituere. Gr. XIII. Sanchez. Sanchez. Sylvius.

11. Penſionarius, qui mutato clericali habitu, militarem induit, & efficitur miles, iuxta quoſdã, ſi monitus militiam non derelinquat, ſicut beneficium amittit, ita etiam penſionem; quia tunc privilegio Clericorum privatur, eò quòd beneficium & Eccleſiã pro derelictis habuiſſe videatur. Tum quia Sixtus V. in Bulla anno 1589. Clericos penſionarios, qui habitum clericalẽ & tonſuram non deferunt, declaravit ipſo facto, ſine ulla alia monitione, privatos ſuis penſionibus, eaſque penſiones caſſatas eſſe & extinctas. Ita Gigas *de penſionibus, quæſt. 55.* Azorius *part. 2. lib. 8. cap. 10. quæſt 4.* Probabilior tamen ſententia ſuſtinet, talem penſionarium ipſo facto non amiſiſſe ſuam penſionẽ. Ratio eſt, quia Clericus ſi per homicidiũ, aut aliter in irregularitatem, vel etiam excommunicationem incidat, non privatur ipſo facto beneficijs quæ antea habuerat: ergo nec privatur etiam penſione, quæ nec eſt beneficium, nec plura requirit ad hoc ut aliquis ſit ad eam retinendam habilis, quàm ut poſſit retinere beneficium. Ita Navarrus *lib. 3. de vita & honeſtat. Clericor. conſil. 3.* Sylvius *part. 1. reſolut. verb. Penſio I.* Qui noviſſimus docet Sixtum V. illam ſuam Conſtitutionem ita fuiſſe poſtea moderatum in Bulla *Paſtoralis*, ut Clerici, qui penſiones habent ſummam ſexaginta ducatorum auri de Camera non excedentes, in tonſura & habitu Clericali incedere minimè teneantur. Gigas. Azorius. Navarrus. Sylvius. Sixtus V.

12. Regularis eſt incapax penſionis ſuper beneficio ſæculari, ſive ſimplici ſive Curato obtinendæ, abſque diſpenſatione Summi Pontificis: quia, qui eſt incapax beneficij, eſt etiam incapax pẽſionis: Sed regularis eſt incapax beneficij ſæcularis ſimplicis: ergo erit incapax penſionis ſuper dicto beneficio poſitæ.

Sed dices: Eſt capax beneficij ſæcularis Curati, ergo ſaltem poterit ſine diſpenſatione obtinere penſionem ſuper beneficio Curato? Reſpondeo, quod regularis eſt capax beneficij Curati ſæcularis ex indulgentia iuris, propter favorem curæ animarum, *cap. In nona actione 16. quæſt. 7.* & *cap. Monachus 16. q. 1.* qui quidem favor, cùm non reperiatur in penſione conſtituenda, non erit capax penſionis ſuper beneficio Curato. Ita Zerola *in praxi Epiſcopali, part. 1. verb. Beneficium, verſ. 3.* Zerola.

Imò

Imò regularis nec capax eſt penſionis ſuper beneficio regulari ſui Monaſterii conſtitutæ abſque Pōtificis diſpenſatione. Quod probatur ex *Clem. unica, de ſuppleni. neglig. Prælat.* ubi decernitur, beneficia regularia non poſſe ab Abbatibus ſuis beneficiis uniri, nec novis pēſionibus onerari: quod etiam probatur ex eo, quod non poſſit Abbas pēſionem imponere ſuper Prioratu habēte bona diſtincta à bonis Monaſterii, vel habēte ius ſpirituale annexum. Ita Sanchez *lib. 7. mor. c. 29. num.* 94. & 95. Tamburinius *de jur. Abbat. tom. 3. diſp. 9. quæſt. 25. num* 5. & 6. Sanchez. Tambur.

13. Prælatus regularis conferens Monacho beneficium regulare, poteſt imponere illi ex iuſta cauſa penſionem ſolvendā alteri Monacho eiuſdē Monaſterii ad nutum ſuum revocabilem; aliud enim eſt ipſi beneficiario penſionem imponere, aliud verò ipſi beneficio, ut diximus *ſuprà num. 6.* Si enim Epiſcopus de iure poſſit penſionem imponere beneficiario, ergo ſimiliter id poterit Abbas conferens beneficium regulare ſuo religioſo: quia, cùm religioſus ille maneat ſub Abbatis obedientia, atque ex licentia tacita ipſius, expendat eius beneficii fructus, poteſt Prælatus ex iuſta cauſa illi imponere, ut partem fructuum det Monaſterio, aut alij religioſo. Ita Sanchez *loco citato n.* 99. Et hoc idem ut probabile & rationi ſatis conſonum admittit Leſſius *libro 2. cap. 41. dub. 11. num* 94. Sanchez. Leſſius.

41. Nonnulli arbitrantur Conſtitutionem Pii V. quæ incipit, *Ex proximo*, obligantem Clericos penſionarios ad Officiū B. Virginis, pluribus in locis non eſſe receptam, quia à pluribus ignoratur, vel, etſi ſciatur, non eſt in praxim unquam deducta. Ita ſentit Leſſius *lib. 2. cap* 35. *dub.* 22. *num.* 129. cui ſubſcribit quidam modernus Marcus Vidal *in arca Theolog. mor. tit. de judice, Inquiſit. 5. n. 45.* dicens eandem Conſtitutionem non obligare ad ſui obſervantiam ſub mortali, quia nullum verbum præceptivum continet, & in pœnis ſemper benignior interpretatio eſt facienda. Sed hæc ſententia eſt contra praxim communiter receptam, contra ſtylum Curiæ Romanæ, contra omnes Doctores, & contra verba apertiſſima Conſtitutionis prædictæ ubi habetur: *At quicumque penſionem fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionem, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.* Pius V. Leſſius. Marc. Vid

Ex quo textu colligunt communiter Doctores, hanc Conſtitutionem obligare penſionarios ſub mortali ad dicendum Officium B. Virginis; eo modò, quo obligantur beneficiarii perſolvere horas Canonicas, & ſub iiſdem pœnis.

Advertendum tamen circa illam Conſtitutionem, nō omnes penſionarios ſub illa comprehendi, ſed ſolùm eos, qui ut Clerici penſionem accipiunt, ut patet ex Bulla: dicuntur autem ut Clerici accipere, non illi, qui clericale Officium exercent, aliàs ad Officium divinum tenerentur, ſed illi, in quibus ſtatus clericalis requiritur, ut ſint tales penſionis capaces; quare ſi penſio detur ſine hac conditione, non inducit obligationem recitandi Officium B. Virginis, etiamſi detur perſonæ regulari laicæ, ut militi ſancti Ioannis: etiamſi aliquo modo ratione profeſſionis perſona ſit Eccleſiaſtica, & licet, ut regulari detur, quia nihilominus non datur illi, ut Clerico. Regularis enim propriè & ſtrictè loquendo, non eſt Clericus. Ita docent Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 7. dub. 12. §. 3. num. 6. & 7.* Candidus *tom. 1. diſquiſit. 18 artic 23. dub. 2.* Sanchez *tom. 1. conſil. mor. lib. 2 cap. 2. dub. 63. n. 4.* Wiggers *de juſt. tract. 7. cap 4. dub. 15. num. 93.* Azorius *part. 2. lib. 8. cap. 12. q. 2.* Sylvius *2. 2. q. 100. art. 4 concluſ. 3.* Malderus *de juſt. tract. 9 cap. 3. dub. 13.* Diana *p. 10. tract. 16. reſol. 94.* & alii quamplures apud ipſos, qui omnes uno ore & conſenſu dicunt penſionarium, ut ſuprà, teneri ſub mortali ad horas B. Virginis: ſupponunt enim prædictam Conſtitutionem Pij V. eſſe ubique uſu receptam, quo ad hanc obligationem inducendam; quandoquidem hi Doctores in diverſis orbis partibus ſcripſerint, & ſua ſcripta nobis tradiderint. Sed ex dictis occurrunt quædam dubia circa obligationem penſionarij ad recitandum Officium B. Virginis. Wiggers. Azorius. Sylvius. Malderus. Diana.

15. Dubium primum. Quando penſio reſervata fuit in capite, ſeu perſona unius, ſed in commodū & utilitatē alterius, ut contingit in Hiſpania, ubi pragmaticæ & leges regni non permittunt beneficia & penſiones conferri, niſi Hiſpanis, proinde inductum eſt, ut penſio imponatur in capite, aut perſona alicuius Hiſpani, & penes illum verè reſideat jus penſionis; ſed tota utilitas, totumque commodum pertineat ad aliquem Italum, cui Papa ſpecialiter & directè intendit facere gratiā, uter ex his duobus teneatur dicere Officium B. Virginis? Reſpondeo duplicem eſſe Doctorum ſententiam. Prima ſuſtinet illum teneri in cuius commodum aſſignata eſt penſio, non autem illum in cuius capite eſt aſſignata. Ratio eſt; quia hic propriè percipit penſionem ut Clericus, & illius emolumento fruitur, non verò ille in cuius capite poſita fuit penſio. Ergo is, cuius intuitu penſio impoſita eſt, tenetur onere Officij, iuxta regulam. Ita Trullench *loco citato num. 6.* Bonacina *de hor. Can. diſp. 1. q. 2. punct. 4. n. 8.* Baldellus *in Theol. mor. tom. 2. lib. 3. diſp. 29. num. 9.* Trullench. Bonacina. Baldellus.

Altera ſententia docet illum teneri ad horas B. Virginis, qui verè eſt penſionarius, nempe qui habet ius penſionis & non commodum, quod ius immediatè eſt annexum ſpeciali ſtatui & Officio, non commoditas, quæ ex illo iure naſcitur. Propterea obſervatur, ut huiuſmodi penſiones conſtituantur in capite & perſona jam in vita clericali conſtituta, ut minus gravetur aliunde ad Officium obligatus & vitam clericalem. Ita Filliucius *tract. 42. cap. 9. num. 19.* Garzias *1. part. cap. 51. num. 161.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 12.* Eſcobar à Corro *de hor. Canon. q. 3. §. 5. num. 15.* Utraque ſententia eſt probabilis. Filliucius. Garzias. Leſſius. Eſcobar.

16. Dubium ſecundum. An penſionarius, qui conſentit penſionem redimi, accepta nonnullorū annorum anticipata ſolutione, teneatur adhuc ad Officium B. Virginis? Et quidem pro affirmativa poſſet dici quòd talis teneatur; quia recipiens anticipatas ſolutiones videtur recipere ſtipendium, quod Clerico fuit conſtitutum pro onere Officij: ergo tenetur adhuc ad hoc Officium. Probabiliter tamen dici poteſt, non teneri; quia hic non habet amplius titulum penſionis, quæ extincta eſt, nec dicitur penſionarius; conſequenter non tenetur ad onera quæ penſionem conſequuntur, & ad quę tenetur Clericus, qui penſionē titulo clericali percipit. Ita Bonacina *loco citato num. 11.* Trullench *in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 12. §. 3. n. 8.* Eſcobar *loco cit. n. 18.* & alij; quia non magis ob gratuitam, quàm ob onerosam penſionis alienationem ab onere dicti Officij quis eximi debet, niſi aliud in Bullis exprimatur. Tamen qui ceſſit penſioni ſolùm in partē, non remanet immunis & exemptus ab obligatione huius Officij; quia dicitur adhuc penſionem titulo clericali poſſidere. Secus ſi liberaliter ceſſit penſioni in totum: cùm enim non Bonacina. Trull. Eſcobar.

dicatur

dicatur penſionē habere, neque dicendus eſt onere penſionarij gravari, iuxta dictam Pij V. Conſtitutionem. Ita Bonacina, Trullench *locis citatis.*

17. Dubium tertium. An ſi Clericus penſionarius nomen dedit in Ordinem militarem cum facultate retinendi penſionem, teneatur ad Horas B. Virginis? Videtur quod ſic. quia ſi Clericus beneficiatus admitteretur in Ordinem militarem cum facultate retinendi beneficium, non propterea eſſet liber à perſolvendis Horis Canonicis, neque beneficium Eccleſiaſticum mutaretur in purum ſtipendium militare; ita & Clericus penſionarius non propterea, quod fiat miles & penſionem clericalem retineat, eſt liber ab Officio B. Virginis; neque illam mutat in militarem: quia hæc obligatio, quæ comitatur penſionem clericalem, poteſt bene impleri etiam in Ordine militari. Propter has rationes hanc opinionem ſequitur Baldellus *in Theol. moral. tom. 2. lib. 3. diſp. 29. num. 7.* Verùm his non obſtantibus communis ſententia meritò aſſerit, hunc non teneri ad Officium B. Virginis, ſed ſatisfacere recitando Orationes Dominicales & Angelicas à Religione præſcriptas, quia loco Horarum recitantur. Tum quia Pius V. obligavit ad Officium eos, qui ad alias orationes non erant adſtricti. Ita Trullench *loco citato, num. 7.* Bonacina *loco citato, num. 10.* Rodriguez *tom. 1. Summæ Latinæ, cap. 140 n. 5.* Navarrus *conſil. 22. de celebrat. Miſſarum*, Caſtrus Palaus *tom. 2. tr. 17. diſp. 2. punct. 1. §. 2. num. 6.* & alij penes ipſos. Adverte tamen cum Sanchez *in conſil. mor. part. 1. lib. 2. c. 2. dub. 63.* quod ſi fiat miles Lauretanus & nubat, obligatur retenta penſione & virtute illius militiæ ad Officium parvum: quia non mutatur natura penſionis, ſed eſt tantum privilegium retinendi cum matrimonio. Idem dicit ſi matrimonio inito obtineat penſionem titulo clericali, virtute illius Officij: eſt enim diſpenſatio quædam ad retinendum vel obtinendum.

Baldellus. Pius V. Trull. Bonacina. Rodrig. Navarrus. Palaus. Sanchez.

18. Penſionarius, qui tanquam Clericus recipit fructus, & parvum B. Virginis Officium omiſit, tenetur ad reſtitutionem, eo modo quo beneficiarius. Patet ex Bulla Pij V. in qua Summus Pontifex eandem ei obligationem imponit. Ita communiter Doctores.

Pius V.

Sed petes, an teneatur reſtituere omnes fructus? Reſpondeo quoſdam affirmativæ ſententiæ adhærere, iuxta formam à Pio V. aſſignatam; ſi nullum aliud onus ei competit præter recitationem Officij B. Virginis. Ratio eſt, quia non poteſt alia ratione fructus recipere, quàm Officij perſolvendi. Cùm ergo non perſolvat Officium, nullum habet titulum cur aliquos fructus recipiat. Ita Navarrus, Arragon, Leſſius apud Bonacinam *de Hor. Canon. diſt. 1. q. 5. punct. 3. n. 2. verſ. Hinc colligi*, Caſtrus Palaus *to. 2. tr. 7. diſp. 2. punct. 7. n. 9.* quos ſecuti ſumus *to. 2. verb. Hora Canonica V. n. 10.* Non eſt tamen improbabilis ſententia aſſerens teneri tantùm reſtituere tertiam partem fructuum. Probatur: quia penſionarius quo ad obligationem & modum recitandi Officium B. Virginis æquiparatur beneficiario. Sed beneficiarius ſecundùm probabilem opinionem, non tenetur ex omiſſione Horarum Canonicarum reſtituere niſi tertiam partem: ergo & penſionarius. Ita Henriquez *lib. 13. cap. 13. §. 2.* Sanchez *in opuſc. to. 1. lib. 2. c. 2. dub. 84. n. 9.* Diana *part. 10. tr. 16. reſol. 95, verſ. Quæro quinto*, Pellizzarius *to. 1. tr. 5. n. 108.* Trullench *in Decal. to. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 25. num. 3.*

Navarrus. Arragon. Leſſius. Bonacina. Palaus. Henriq. Sanchez. Diana. Pellizzar. Trull.

Hinc colligitur, penſionarium, qui Officium B. Virginis omiſit, teneri reſtituere fabricæ vel pauperibus. Conſtat id ex Bulla Pij V. ubi dicitur penſionarium teneri reſtituere eo modo, quo beneficiarius tenetur. Unde beneficiarius, qui novit ſuum penſionarium non recitaſſe ſuum Officium, non poteſt fructus denegare penſionario, ut eos ſibi retineat: nam reſtitutio illorum fabricæ vel pauperibus fieri debet, non verò ipſi beneficiario, ut patet ex praxi, quâ receptum eſt, ut penſionarius compoſitionem à Papa ob omiſſam Officij recitationem obtineat, quam Papa concedere non poſſet, ſi dicti fructus deberentur beneficiario; non enim conceditur compoſitio de reſtitutione rei, quæ certæ perſonæ facienda eſt. Ita Garzias *3. part. c. 1. n. 37.* Bonacina *de Hor. Canon. diſp. 1. q. 5. punct. 4 n. 5. & 6.* & alij apud ipſum, quibus adde Trullench *loco cit. dub. 26. n. 5.* Penſionarius tamen poteſt, iuxta probabilem ſententiam, compenſare reſtitutionem debitam pro omiſſione Officij B. Virginis cum eleëmoſynis, quas dedit medio illo tempore, quo non recitavit Officium parvum: ſicut dicitur de beneficiario, qui non recitavit Officium magnum. Ita Layman *lib. 3. ſect. 5. tr. 2. cap. 12. n. 9.* & alij à nobis citati *to. 1. verb. Hora Canonica V. num. 13.* Sed de his ſatis.

Pius V. Garzias. Bonacina. Trullench. Layman.

Vide v. Emphyteuſis *num. 4. & ſequent.* Horæ 1. *num. 5. & 7.* Locatio *num. 10.*

PIGNVS ET HYPOTHECA.

SUMMARIUM.

1 *Quæ ſint obligationes debitoris ex pignore.*
2 *Quæ creditorij.*
3 *An creditor computare debeat in ſortem fructus agri ſterilis, ſibi dati in pignus, quem non colebat dominus.*
4 *An non ſolùm fructus, quos pignus iam attulit, ſed etiam quos tuliſſet, tamen negligentiâ creditoris non tulit, teneatur creditor in ſortem computare.*
5 *An qui domum inhabitat ſibi à debitore datam in pignus, debeat pretium uſus domus computare in ſortem.*
6 *An qui pignus ab aliquo accepit, poſſit illud alteri oppignorare, non ſolum ſemel, aut bis, ſed centies.*
7 *An pignus conventionale poſſit vendi à creditore, ſi debitor ſit in mora ſolvendi.*
8 *Quæ de iure ſervanda ſint in venditione pignoris iudicialis & Prætorij.*
9 *Qui ſint caſus, in quibus creditor, ſeu pignoratarius non cogatur ex iure fructus pignoris in ſortem computare.*
10 *Dū res oppignorata, ſeu hypothecata variatur, an res ipſa ſic variata remaneat adhuc ſubiecta pignori.*
11 *An in pignoribus liceat pactum legis commiſſoriæ.*
12 *Quibus modis obligatio pignoris, ſeu hypothecæ ſolvatur.*
13 *Quæ actiones oriantur ex pignore.*

1. OBligationes ex pignore duæ oriuntur. Aliæ pertinēt ad debitorem, qui rem oppignoravit: aliæ ad creditorem, qui pignus ſuſcepit.

Prima obligatio debitoris eſt, ne rem, quam uni contulit in pignus, alteri quoque creditori ſimiliter offerat: quia eſſet in fraudē & damnum poſterioris creditoris, cùm in illo pignore anterior eſſet præferendus, quando pignus illud uni tantùm debito ſufficeret: ſi tamē ejus valoris eſſet, ut uterq; creditor poſſet ex illo vendito ſolutionē ſuorum

debitorum

debitorum ſufficienter recipere, poſſet debitor illud utriq; offerre. Ratio cur eadem res non poſſit pluribus tradi in pignus, quãdo non eſt ſufficiens ad ſolvendũ omnibus, eſt, quia res ideò ſubiicitur pignori, ſeu hypothecæ, ut ſi debitor non ſolvat, creditores ſolutionem capiant ex re hypothecata & oppignerata: cùm autem omnes creditores nõ poſſint ſolutionem capere ex re, quæ non eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum omnibus, ſequitur, non poſſe eandem rem pluribus hypothecari, ſeu oppignerari, quando non eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum omnibus. Ita communiter Doctores.

Secunda obligatio debitoris eſt, ut ſolvat omnes impenſas neceſſarias, quas creditor fecit in pignore accepto conſervando & tuendo, ne periret, néve deterius redderetur: ut ſi pignus erat ager, expenſas quas in eum colendo; ſi erat animal, in eo paſcendo fecit. Ratio eſt; quia pignus, quandiu pignus eſt, pertinet ad dominium debitoris: at unaquæque res expenſis domini ſui conſervanda eſt, *l. Si ſervus, ff. de pignor. act.* At verò impenſas voluntarias à creditore in pignore factas debitor nullo jure ſolvere compellitur. Utiles autem expenſas, quibus pignus effectum eſt melius & pretioſius, ſolvere tenetur, dummodo non ſint exceſſivæ, quas videlicet debitor, quia pauper eſt, ſolvere nequeat. Ratio eſt; quia pignus eſt cõtractus quidam gratiâ creditoris & debitoris: ergo emolumenta pignoris non ſolùm fiunt gratiâ creditoris, ſed etiam debitoris. Tum quia pignus eo ipſo quo effectum eſt melius, utilius eſt debitori. Ita Trullench *in decal. lib. 7. c. 26. dub. 4. n. 23.* Molina *de juſt. tract. 2. diſp. 535.* Lopez *de contract. l. 2. c. 19.* Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 10. punct. 1. n. 11.* Sylveſter *verb. Pignus, q. 13.* & alij.

Trull. Molina. Lopez. Bonacina. Sylveſt.

Tertia obligatio debitoris eſt, ut pignus repetere non poſſit, quouſque integrum debitũ ſolvat. Nec ſufficit ſi ſolverit ex maiori parte: poteſt enim creditor retinere pignus pro minima etiam parte ſortis, *l. Quamdiu, Cod. de diſtract. pign.* At verò tam magna poſſet eſſe res in pignus data, & tam parvũ reſiduum debitum, ut contra charitatem eſſet eâ ratione pignus invito debitore vendere, ut rectè docet Sylveſter *verb. Pignus, q. 5.*

Sylveſt.

2. Ex parte creditoris obligationes ſunt quinque. *Prima*, ut creditor curet ne pignus pereat, aut deterius fiat: nam ſi dolo vel culpa ipſius lata, vel levi, illud in toto, vel ex parte periret, teneretur ad omne damnum illud reficiendum & compenſandum debitori; ſecus ſi periret culpa tantùm leviſſima creditoris.

Secunda, non poteſt creditor uti pignore accepto in ſecuritatem niſi adſit debitoris conſenſus tacitus, vel expreſſus; alioqui furti actione tenetur, *l. Si ſignif. ff. de furtis.* Tamen in aliquibus caſibus uſus pignoris creditori permittitur. *Primò*, quãdo utitur creditor pignore in gratiam debitoris, ne videlicet ex toto, vel ex parte pereat, vel deterius fiat; ſic creditor poteſt uti equo ſibi tradito in pignus, ne otio torpeat. *Secundò*, quando uſus rei nullo incommodo afficit pignus, nec eſt creditori expreſsè interdictus. *Tertio*, quando uſus pignoris talis eſt, ut gratis & liberaliter inter amicos concedi ſoleat; qualis eſt lectura alicujus libri per aliquot dies ſine ejus detrimento: tunc enim debitor probabiliter creditur ejuſmodi uſum ratũ habiturus, ut docent D. Thomas *2. 2. quæſt. 78. a. 1. ad 6.* Navarrus *in Man. cap. 17. n. 203.* Sylveſter *verb. Pignus, quæſt. 7.* Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 10 punct. 1. n. 10.* Trullench *in Decalog. to. 2. lib. 7. cap. 26. dub. 4. num. 22.* & alij.

D. Thom. Navarrus. Sylveſter. Bonacina. Trull.

Tertia creditoris obligatio eſt, ut relarciat dãna pignoris quo uſus eſt; ut ſi res oppigneratas malè tractavit, ſi ancillam proſtituit, vel aliud improbatum opus facere coëgit.

Quarta, ut computet in ſortem, hoc eſt, in partem ſolutionis debiti, omnes fructus, quos ex pignore percepit & conſumpſit, deductis tamen ſumptibus ac expenſis, quas fecit in illis colligendis & habendis: quia uſus pignoris eſt veluti fructus & eſt aliquid pretio æſtimabile. Quod verum videtur non ſolùm de fructibus perceptis, verùm etiam de illis, quos ex ſua negligentia, id eſt, culpa lata, & levi, creditor non percepit, ut dicetur infrà. Ita Molina *diſp. 533. n. 5. & diſp. 535.* Reginaldus *lib. 25. n. 593.* Bonacina *loco cit.* Trullench *loco cit.* Filliucius *tract. 38. n. 180.*

Molina. Reginald. Bonacina. Trull. Filliuciu.

Quinta eſt obligatio creditoris, ut integrè ſibi ſoluto debito pignus debitori reſtituat. Pignus enim datum eſt creditori, ut id ſibi retineret, donec debitum integrum ſolveretur.

3. Creditor computare debet in ſortem fructus agri ſterilis ſibi dati in pignus, quem non colebat dominus antea, quia ſterilis reputabatur. Ratio eſt, quia fundus eſt res propria debitoris; domino autem proprio cedunt fructus poſſeſſionis fructificantis, ſicut uſus equi priùs indomiti, & induſtriâ pignoratarij domeſticati & utilis facti cederet domino equi & non pignoratario: poteſt tamen pignoratarius, ſeu creditor ſibi retinere tantumdem, quantum ejus induſtria & diligentia meretur. Nec obſtat, debitorem eos fructus fuiſſe minimè percepturum: quia ſaltem ſunt fructus rei, quæ ſi fructificet, domino debet fructificare: nec etiam refert debitorem nullo damno affici; quippe qui nullos fructus ex ſuo fundo percepiſſet: quoniam hæc obligatio, quâ creditor tenetur hujuſmodi fructus in partem ſolutionis deducere, ex ipſa re deſcendit, quæ cùm ſit debitoris, ipſi ſunt attribuendi: tamen in caſu quo fructus ex agro percepti eſſent modici, & labores in colendo agro ſterili eſſent tam magni momenti, ut pignoratario non remaneret niſi modicum fructus, tunc pro nihilo reputatur, aut quod ſuæ induſtriæ tantum debetur. Ita Navarrus *in Man. cap. 17. n. 216.* Trullench *loco cit. num. 22.* Molina *diſp. 535.* Sylveſter *verb. Pignus, num. 11.* Filliucius *tract. 38. n. 187.* Bonacina *loco citato, num. 10. verſ. Hinc ſequitur*, & alij, contra Sotum & Emanuel Sa, *verb. Pignus, n. 9.*

Navarrus. Trullench Molina. Sylveſt. Filliucius. Bonacina.

4. Non ſolùm fructus, quos pignus jam attulit, verùm etiam quos tuliſſet, negligẽtiâ tamẽ ipſius creditoris non tulit, tenetur creditor in ſortem computare. Ita definitum eſt *in l. Creditor, Cod. de pign. act.* Ratio hujus eſt, quia cùm contractus pignoris in bonum tam creditoris, quàm debitoris celebretur, meritò ſancitum eſt, ut creditor computare debeat in partẽ ſolutionis debiti etiam fructus quos percipere potuit, ſed incuriâ non percepit. Quinam autẽ ſint hujuſmodi fructus computandi? Certum eſt apud omnes debere creditorem in ſortem deducere fructus, quos pignus dolo vel lata culpa ſua non tulit. Difficultas eſt de levi culpa. Quidam negant: ita Hoſtienſis *tit. de pign. n. 9.* Rebellus *part. 2. de oblig. lib. 16. quæſt. unica.* Communis tamen ſententia habet, eos etiam eſſe deducendos, quia creditor non ſolùm tenetur ex dolo & lata culpa, ſed etiam ex levi; quamvis non ex leviſſima, vel caſu furtuito: tum quia contractus pignoris eſt gratiâ utriuſque, creditoris ſcilicet & debitoris.

Hoſtienſ. Rebellus.

5. Qui domum inhabitat à ſibi debitore datam in pignus, debet pretium uſus domus cõputare in ſortem: nã uſus domus eſt veluti fructus domus: quanti-

quantitas autem pretij computandi in ſortem ob uſum domus, non eſt metienda ex quantitate penſionis quã creditor ſoluiſſet pro cõductione alterius domus, ſed ex quantitate pẽſionis, quã illa domus locari conſuevit, ſeu quam dominus percepiſſet, ſi alteri locaſſet: & hoc verũ eſt, etiãſi creditor domũ propriam habeat, & aliam non conduxiſſet, ſed pro ſuo arbitrio habitare voluit domũ ſibi pignori datã: adhuc enim tantum penſionis in ſortem computare tenetur, quantum percepiſſet, ſi alteri locaſſet. Ratio eſt, quia creditor non eſt deterioris cõditionis, quàm quilibet alius cõductor; unde ſufficit, ſi ſolvat eam penſionẽ, quæ ſolet ab aliis conductoribus ſolvi. Si tamẽ nullus adſit, qui velit eam domũ pignori obligatam conducere, & ipſe creditor domũ inhabitet, ne deformetur abſque habitatore relicta; nihil tunc tẽporis pro habitatione debet: quoniã beneficium præſtat domino domus, illã inhabitando, neque ipſe inde fit locupletior. Si verò libenter ipſe aliquid dediſſet pro habitatione ejus domus ſpiẽdidæ, tũc id dumtaxat tenebitur in ſortẽ cõputare. Ita Molina *diſp.* 535. Sylveſter *verb. Pignus, quæſt.* 12. Angelus *ibid. n.* 13. Azorius *part.* 3. *lib.* 7. *cap.* 8. *quæſt.* 3. *de de pignore*, Bonacina *loco citato, n* 10. *verſ. Secundo creditorem.*

Molina. Sylveſter. Angelus. Azorius. Bonacina.

6. Qui pignus ab aliquo accepit, poteſt illud alteri oppignorare, non ſolùm ſemel, aut bis, ſed etiam centies. Ratio eſt, quia ius acquiſitũ à creditore ſuper pignus, eſt reale & tranſitorium de perſona in perſonã in centũ vel mille manus, dũmodo ſolùm det, & obliget in tanta pecuniarum quãtitate, quantũ ipſe primo debitori credidit; & ſi primus debitor liberã facultatẽ dederit diſtrahendi, poteſt ipſe eandẽ concedere ſuo creditori, eo tamẽ ipſo quòd primus debitor ſoluit integrè, quod ſub eo pignore debebat, diſſolvitur ſecundũ pignus, eaque de cauſa debitor primus vendicare poteſt ſuum pignus: quia ſoluto priore iure, cui ius poſterius pignoris nitebatur, reſoluitur ius ſecundũ: creditor tamen ſecundus exigere poteſt à primo creditore, ut vel ſibi ſolvat ſtatim ſuũ debitũ, vel ſibi tradat pignus aliud æquè bonum. Ita Navarrus *in Man. c.* 17. *n.* 205. Rebellus *p.* 2. *de obl. iuſtit. lib.* 16. *q. unic. n.* 8. Lopez *lib.* 2. *de contract. c.* 59. Bonacina *de contract. diſp.* 3. *q.* 10. *punct.* 1. *n.* 9. Leſſius *lib.* 2. *c.* 28. *n.* 44. Azorius *p.* 3. *lib.* 7. *de pignoribus, c.* 6. *q.* 3. & patet ex *l. Pignus, C Si pignus pignori datum ſit, & l. Grege, §. Cùm pignori, ff. de pignoribus.*

Navarrus. Rebellus. Lopez. Bonacina. Leſſius. Azorius.

7. Pignus conventionale, ſi debitor ſit in mora ſolvendi, vẽdi poteſt à creditore, dum inter creditorẽ & debitorem conventum erat, ut illud vendere poſſit: quia pignus ideò traditur creditori, ut ſatisfactionem ex illo ſibi comparare valeat. Imò ſecundùm quoſdam non eſt opus, ut creditor denuntiet debitori ſe velle pignus vendere; quia id deductum nõ fuit in pactũ, ſed abſolutè data fuit facultas alienandi. Ita Gloſſa *in l. Creditor hypothecas, C. de diſtract. pignor.* Navarrus *in Man. cap.* 17. *n.* 204. Reginaldus *lib.* 25. *n.* 605. Si nihil eſt conventum, hoc eſt, neque conceſſa, neque interdicta facultas vendendi pignus, tunc præter moram requiritur denunciatio facta debitori, & hoc ex iure Codicis, ut ait prædicta Gloſſa.

Gloſſa. Navarrus Reginal.

Si pactio fuerit ne pignus vendatur, intelligitur, ne vendatur abſque denunciatione ter facta debitori: quia abſolutè nequit eſſe pactum, ut creditor non poſſit pignus vendere: ergo intelligitur pactio, ne ſcilicet vendatur abſque denunciatione, quam ius commune poſtulat *in l. Convenerit, 1. ff. de pignor. action.* alioquin ſi pignus vendat ante trinam admonitionem, reus furti conſtituitur.

Huiuſmodi autem tres denunciationes fieri ita debent, ut ſi commodè res patiatur, triduum intercedat à qualibet denunciatione; alioquin ut minimum, debet intercedere ſpatium unius diei naturalis.

Si nihil convenerit inter creditorem & debitorem, denunciandum eſt debitori, completo ſolutionis tempore, ut ſolvat debitum. Quòd ſi intra biennium debitum non ſolvat, ac pignus non liberet, tunc creditor poteſt pignus vendere; & nullo emptore invento, adibit Iudicẽ, & denũciabit debitori: quo non veniente, certũ tẽpus ſtatuetur à Iudice, intra quod tempus debitore minimè apparente, creditor habet ius petendi à iudice, ut pignus ſit ipſius creditoris: quãquã ſi debitor intra alind bienniũ poſtea cõpareat, & creditori ſatisfaciat, recuperabit pignus; qui ſi non venerit elapſo eo biennio, creditor plenum dominium pignoris cõſequetur; ita tamen, ut ſi quid reſiduum ſit ultra debitum, reſtituat debitori, & ſi quid deſit, illud iure queat à creditore exigere. Hæc omnia ſumuntur ex *l. final. §. Sin autem, C. de iure dominij impetrandi.* Ita Bonacina *de contract. diſp.* 3. *q.* 10. *punct.* 1. *n.* 12. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *c.* 26. *dub.* 4. *n.* 24. Molina *diſp.* 538. Fauſtus *in ſpecul. confeſſar. diſp.* 13. *q.* 18. Azorius *p.* 3. *l.* 7. *c.* 11. *q.* 1. *de pignor.*

Bonacina. Trull. Molina. Fauſtus. Azorius.

8. In venditione pignoris iudicialis expectandi ſunt quatuor menſes poſt latam ſententiam, antequam ad pignus capiendum procedatur. Deinde poſt pignus apprehenſum, ad alios duos menſes debitor eſt expectandus, antequam pignus vendatur: ut tandem venditio pignoris auctoritate & decreto iudicis fiat. Præterea dum pignus iudiciale venditur, ſi nullus emptor invenitur, aut ſi invenitur quidem, iuſtum tamen pretium non offert, poteſt creditor ad licitandum admitti, & poteſt ei iuſtum pretium offerenti, vendi pignus tanquam extraneo, *l. Cùm in cauſa, Cod. Si in cauſa iudicati pignus captum ſit.*

In pignore prætorio diſtrahendo, nihil eſt iure communi definitum, ſed relinquitur arbitrio iudicis, cujus auctoritate pignus vendi debet.

Hæc omnia dicta de iure communi ſervanda ſunt in pignore diſtrahendo: variæ tamen ſunt Regionum, Provinciarum, locorum & populorum conſuetudines & diverſæ Principum leges & ſtatuta municipalia, quibus pignora diſtrahuntur, quæ in praxi illis in locis ſervanda ſunt, relicto iure communi.

9. In iure Canonico aſſignantur tres cauſæ, in quibus creditor, ſeu pignõratarius minimè cogitur fructus pignoris in ſortem computare. *Prima eſt*, quando maritus pro dote uxoris ſibi promiſſa & non ſoluta recipit pignus, ut ex eo fructus colligat; verbi gratia, prædium, fundum, domum, vel aliam rem, donec promiſſam ſibi dotem accipiat: hujuſmodi fructus facit ſuos maritus, nec cogitur eos in ſolutionem debiti computare: quia ſalva ſorte, ex ejus fructibus tenetur onera matrimonij portare. Ita definitum eſt *in cap. Salubriter, de uſuris.* Hoc tamen intelligendum eſt, modò maritus non conceſſerit ſocero dilationem ſolvendæ dotis, & conſenſerit nihil interim accipere loco dotis, tunc enim fructus pignoris computandi ſunt in ſortem: nam gener fructus pignoris non facit ſuos, eò quòd ſua ſponte conſentit ut dotis ſolutio ad tempus differatur, & ſuo iure cedit: nam ſicut liberum marito erat uxorem ducere ſine dote; ita etiam accipere conceſſa dilatione ad ſolvendam dotem. Ita Panormitanus *in dict. cap. Salubriter.* Azorius *parte tertia, libro* 7. *cap.* 9. *verſ. Secundo.* Angelus & Sylveſter apud ipſum citati. Inſuper ut prædicta cauſa habeat

Panorm. Azorius. Angelus. Sylveſter.

Digitized by Google

locum, neceſſarium eſt ut maritus alimenta uxori præbeat & alia matrimonij onera ferat: alioqui fructus pignoris ſibi non lucratur, ut tradit communis opinio Doctorum. Denique neceſſe eſt, ut fructus, quos gener percipit ex pignore, non ſint majores quàm poſtulent onera matrimonij & alimenta uxori debita: quod enim ſupereſt, computandum eſt in ſortem, quia non adeſt titulus, ob quem retineri queat, niſi fortè gener præſumat exceſſum tacitè donari, ſicut præſumendum eſſe teſtatur Rebellus *lib. 8. quæſt. 12. numero 5.* Bonacina *de contract. diſputat. 3. quæſtione 3. punct. 9. numero 1. verſ. Advertendum*, citans Reginaldum & alios contra Sylveſtrum, Angelum, Tabienam.

Rebellus. Bonacina. Reginald.

Secunda cauſa eſt, quando Titius dat Caio fundum nomine & iure feudi, quem deinde ipſe Titius loco pignoris accepit à Caio, qui in feudum ſuſceperat fundum, tunc fructus illius pignoris Titius facit ſuos, nec cogitur eos computare in ſortem debiti, donec ei integrum debitum ſolvatur. Ratio eſt, tum quia dominium utile conſolidatur cum directo; & conſequenter fructus pertinent ad dominum directum, cui feudum datur in pignus: tum quia feudum cenſetur feudatario conceſſum ſub hac conditione, ut ſi pignori detur domino directo, fructus ad dominum directum pertineant. Sed cùm Titius ſit dominus directus, eo ipſo quo in pignus debiti recipit fundum feudalem, cenſendus eſt, ipſo iure ſic interpretante, reſtitutus eſſe in dominium utile illius fundi, ac per conſequens ut de re iam omnino effecta ſua, illos iam percipere fructus non computando in ſortem. Ita habetur *in cap. 1. de feudis*, & *cap. Conqueſtus, de uſuris.* Vide à nobis dicta ſuprà *verb. Mutuum & uſura, numero vigeſimo ſecundo & vigeſimo-tertio.*

Tertia cauſa eſt, quando pignus cenſetur in bonis eius, cui datur; verbi gratia, vi vel furto fuit equus tibi ſublatus, quem fur alteri vendidit, & ille poſtèa tibi impignoravit pro pecunia, quam mutuam à te accepit, nullo iure cogeris reſtituere fructus ex eo perceptos, quia ex re tua cepiſti, *c. 1. de uſuris*, tum quia res domino fructificat. De his videndus Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 10. punct. 1. num. 10. verſ. Quæ dixi.* Azorius *p. 3. lib. 7. cap. 9. de pignoribus.*

Bonacina. Azorius.

20. Dum res oppignorata, ſeu hypothecata variatur, ut ſi terra inculta convertatur in vineam, aut ſi vinea devaſtetur, aut ſi domus incendatur, aut corruat, res ipſa ita variata remanet ſubiecta pignori, hoc eſt ſolum ipſum: quia pignus, ſeu hypotheca etiam in ſolo fundabatur, *l. Domo. ff. de pignor. action.*

Item, quando ſylva ſubiecta pignori vel hypothecæ cæditur, ſolum remanet ſubiectum; imò etiam ipſa ligna inciſa remanent ſubiecta pignori, ſeu hypothecæ, quia ſunt pars & fructus pignoris: tamen ſi navis inde, vel aliud arte factum ſit, ligna non remanent amplius pignori vel hypothecæ ſubiecta. Ex *l. Si convenerit 2. §. Si quis, ff. de pignor. action.* Ratio eſt, quia materia videtur commutata in aliam: conſequenter amiſit rationem pignoris vel hypothecæ, cui antea ſubiecta erat, niſi aliter inter partes conventum ſit.

Quando autem res ſubiecta hypothecæ melior redditur, & augmentum accipit, ut quando ager ſterilis vertitur in vineam, ſolum ipſum & ipſummet augmentum remanet ſubiectum hypothecæ: quia acceſſorium cedit principali, & unum cum illo efficit. Verùm ſi augmentum factum ſit induſtriâ & expenſis tertij, non tenetur tertius poſſeſſor rem illam tradere, ut inde ſolvatur debitum, pro quo res illa obligata erat, niſi priùs ſolvatur ſibi, quod expendit, & quo plus valét ratione ſuæ induſtriæ & expenſarum, *l. Paulus, ff. de pign. action.* Ita Molina *de contr. diſp. 533.* Filliucius *tract. 38. cap. 9. num. 177.* & alij.

Molina. Filliucius.

11. In pignoribus prohibetur omne pactum turpe, quod iure naturali, divino, vel humano dānatum ſit, inter quæ eſt pactum legis commiſſoriæ, quo creditor paciſcatur cum debitore, ut ſi ad tēpus conſtitutum debitum non ſolverit, pignus cadat in ius & dominium creditoris. Hoc patet, tum ex iure Canonico *in cap. Significante, de pignoribus*, tum ex iure Cæſareo, *l. 1. & ult. C. de pactis pignorum.* Hoc pactum licet in emptione, non in pignore: quia venditor nullum damnum infert emptori, ſi rem ſuam eà lege vendat, ut ſi tempore definito pretium non ſolverit, ſit inempta & ad ſe redeat. At creditor inferret damnum; quia pignus ſolet eſſe majoris æſtimationis & pretij, quàm ſit debitum. Tale tamen pactum foret licitum, ſi hoc modo concipiatur: Do tibi fundum pignori eo pacto, ut ſi non ſolvero debito tempore, habeas tanquam emptum, vel tanquam tuū iuſto pretio, ſive tanti, quanti arbitrio boni viri æſtimabitur, *l. Si fundum. ff. de pignoribus.* Ratio eſt, quia hujuſmodi pactum apponitur à creditore, ut ſeipſum ſervet indemnem: conſtat autem creditorem poſſe pactum apponere, quo ſeipſum indemnem ſervet. Ita Covarruvias *3. variar. c. 2.* Navarrus *in Man. c. 17. n. 217* Molina *tr. 2. diſp. 324.* Salon *to. 2. de contr. pignoris, n. 10.* Vaſquez *in opuſc. de pign. & hypothec. c. 4. n. 8.* Bonacina *de contract. diſp. 4. quæſt. 3. punct. 8. num. 2.* & alij penes ipſos.

Covar. Navarrus. Molina. Salon. Vaſquez. Bonacina.

12. Obligatio pignoris, vel hypothecæ multis modis ſolvitur. *Primo*, data ſatisfactione creditori, cui datum erat pignus. quod contingit dum ſolvitur debitum ipſi creditori, ſeu dum creditor remittit, ſeu condonat obligationem, vel pignus, *l. Item liberatur, ff. quibus modis pignus vel hypothec. ſolvitur.*

Secundò, ſolvitur alienatione pignoris, vel rei ſubiectæ hypothecæ de conſenſu creditoris, *l. Si debitor, ff. eodem.* Item, ſi poſt alienationem, ratam eam habęat creditor, vel ſi creditor conſentiat ut obligetur poſteriori creditori, cenſetur remittere ius pignoris.

Tertiò, ſolvitur lapſu temporis, ad quod uſque datum fuerat pignus in ſecuritatem debiti. Idem militat dum pignus datum fuit ſub conditione, & conditio impleta non fuit, *l. Solutum, §. Si fuit, ff. de pignor. action.*

Quartò, ſi creditor ſubſcribat ſe chirographo debitoris, aut alteri inſtrumento, quo profiteatur eam rem non eſſe ſibi pignori ſubiectam, cenſetur hoc ipſo remittere ius hypothecæ, *l. Titius, §. ult. ff. quibus modis*, &c.

Quintò, ſi creditor tradat debitori inſtrumentum, quo ſibi aliquid debebatur ſub pignore, cenſetur remiſſum tum debitum contentum eo inſtrumento, tum ius pignoris, vel hypothecæ, *l. Labeo ff. de pactis.* Idem ſi creditor rumpat, aut deleat inſtrumentum, vel illi illud leget.

Sextò, emptione pignoris, dum ſcilicet ipſe creditor emit pignus à ſuo debitore, *l. Titius ſuprà.*

Septimò, ſolvitur pignus ſententia iudicis declarantis debitorem liberum eſſe ab hujuſmodi obligatione, *l. Si deferente. ff. quibus modis*, &c.

Octavò, ſolvitur, dum debitor offert creditori debitā pecuniā, ſed creditore nolente illā accipere, debitor corā teſtibus fide dignis deponit illam in marſupio obſignato apud hominē fidelem, vel religio-

religiosum locum. *l. Nec creditores, C. de pign. action.*

Nonò, si pro aliquo debito subiectum erat aliquid pignori, & facta est novatio voluntaria, quia videlicet extinctâ priori obligatione succeditalia, in quam prior commutatur, tunc nisi in posteriori fiat repetitio eiusdem pignoris, extinguitur obligatio prior, *l. Novatio, ff. de novat.* unde omnis obligatio, quæcumque sit illa, potest novari, dummodo secunda, in quam transfunditur, valeat civiliter, vel naturaliter, & dummodo ita expressè agatur, ut fiat novatio: alioqui secunda obligatio non erit novatio, sed erunt duæ obligationes, quarum una accedit ad alteram; *l. Omnis res, ff. de novation.* De his Molina *de contract. disp.* 337. Azorius *parte tertia, lib. 7. cap. 14. de pignore*, Bonacina *de contract. disput. tertia, quæst. 10. punct. 2. proposit. 3.* & alij. Molina, Azorius. Bonacina.

13. Ex pignore duæ actiones oriuntur. Una dicitur pignoratitia, & est actio personalis: quia oritur ex contractu pignoris; omnis enim actio proveniens ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi delicto, est personalis, & proinde prima est in personam, & deinde in rem ratione personæ, quæ contraxit vel deliquit. Altera est hypothecaria, sive Serviana, quæ est actio realis; quia nascitur ex iure ad rem, & hæc competit creditori ad possidendum pignus, vel ad illud recuperandum, si fuerit ablatum; quia est sibi iure obligatum. *Institut. de action. §. Item Serviana.* & hæc actio non solùm competit creditori erga debitorem, vel eius hæredes, vel tertium possessorem, penes quem pignus esse contingit, verùm etiam competit hæredibus creditoris contra debitorem, vel eius hæredes, *l. Persecutione, Cod. de pignor. & hypothec.* & *l. 1. C. Si unus ex plurib. hæredibus creditoris vel debitoris.*

Pignoratitia actio duplex est: Una directa, quæ competit debitori in creditorem ad repetendum pignus suum, & quod sua interest, post præstitam satisfactionem creditori, vel alteri ipsius voluntate. Altera contraria, quæ competit creditori ad exigendas expensas necessarias factas in pignore conservando, tuendo, retinendo, vel ad recipiendum bonum pignus, si per deceptionem unam rem accepit loco pignoris pro alia, *l. Si necessarias, ff. de pignor. action. l. Si quis in pignore, ff. eodem tit.* Ita Azorius *loco citato, cap. 15.* Pillius *tract. 38. num. 198. & seqq.* Azorius. Pillius.

Vide v. Alienatio *num. 5.* Debitor *num. 3.*

PŒNA.

SUMMARIUM.

1 *An pœna à testatore adiecta statim incurratur in foro conscientiæ nullâ expectatâ judicis sententiâ, aut executione.*

2 *An pœna amissionis beneficij ipso jure, aut facto, debeatur ante latam sententiam declaratoriam criminis.*

Quam vim habeant Constitutiones Pontificiæ, quibus aliquis privatur ipso jure Officio vel beneficio.

3 *An si is, cuius bona ob crimen sunt justè confiscanda, hoc fraude, aut mendacio impediat, teneatur ad restitutionem?* Refertur duplex sententia.

Hic multi casus decidumtur, in quibus non est obligatio restituendi pœnam.

4 *An lex pœnalis possit per consuetudinem quoad pœnam derogari, & manere quoad obligationem ad culpam.*

An consuetudo possit legem abrogare quoad culpam, manente obligatione quoad pœnam.

5 *An possit licitè & validè imponi pœna de non contrahendo matrimonium cum tali persona determinata, sive cum alia quacumque.*

6 *An Ordinarius possit pœnam statutam à lege pro aliquo crimine, commutare, minuere, vel augere.*

1. QUamvis regulare sit, pœnam impositam ipso jure vel facto non incurri sine sententiâ Judicis, id tamen fallit in pœna à testatore adiecta; debetur enim statim ac incurritur in foro conscientiæ, nullâ expectatâ judicis sententiâ, aut executione. Ratio est; quia voluntas testatoris omninò implenda est: quare sicut in aliis à testatore dispositis non desideratur judicis sententia, ut executioni mandentur; ita neque ad pœnam sustinendam. Tum quia inter hæredem testamentarium, vel legatarium ac testatorem, quidam initur contractus, Do ut des, vel Do ut facias, qui firmus redditur hærede vel obligatario acceptante relicta: ac proinde sicut acquirunt dominium & jus in illa per acceptationem; ita suo se consensu obligarunt ad pœnam illam sustinendam. Tum quia ea nec verè, nec propriè pœnæ rationem subeat, sed conditio est, sub qua, & non aliàs, testator legare voluit. Ex quo fit, quod si aliquis donasset, aut reliquisset aliquid uxori, vel alicui alteri sub conditione, si castitatem servaret, aut sub alia simili conditione, tunc non servatâ conditione, statim in foro conscientiæ tenetur illud restituere, nullâ expectatâ sententiâ; quia non est pœna, sed donatio, legatum, aut institutio hæredis sub conditione, qua non existente, vim omninò non habet, ut colligitur expressè ex *Authent. Cui relictum, C. de indicta viduit.* Ita docent Navarrus *in Man. c.* 23 *n.* 62. Cajetanus *in Sum. verb. Pœna*, Molina *t.* 2 *disp.* 96. Covarruvias *in epit. p. 2. c. 6. §. 8. n. 17.* Rodriguez *tom. 1. Sum. Latin. c. 96. n. 4.* Eman. Sà. *verb. Pœna, n. 1.* & alij communiter. Navarrus. Cajetan. Molina. Covar. Rodrig. Eman. Sà.

2. Certum est apud omnes, & manifestum ex ipso Ecclesiæ usu & praxi, pœnas excommunicationis, suspensionis, & interdicti, nullâ expectatâ judicis sententiâ incurri, commisso crimine pro quo sunt impositæ, quâdo ipso jure, aut ipso facto, aliisque æquipollentibus verbis sunt impositæ.

Pœna autem amissionis beneficij ipso jure, aut ipso facto, quæ passim habetur in jure, non debetur ante latam sententiam declaratoriam criminis; tum propter eius pœnæ maximam acerbitatem; tum etiam, quia pœnæ graves, quæ executionem exigunt ipsius delinquentis, ut esset relinquere beneficium, aut Officium jam obtentum, non debentur ante latâ sententiam, esto sint statutæ ipso jure, aut ipso facto. Limita, nisi clarè appareat talâ esse legislatoris intentionem, ut absque ulla sententia, commisso crimine, amittatur beneficium vel Officium; quale videtur esse illud Pauli II. *in Extravag. Ambitiosæ*, ubi ait: *Clericus, qui bona Ecclesiæ alienaverit, ipso facto privatus existat beneficiorum Ecclesiasticorum, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur.* Igitur ut Ecclesiastici plus abstinerent à rebus Ecclesiæ alienandis, addidit Summus Pontifex, ut in hoc eventu nulla esset necessaria declaratoria sententia, sanè manifestè innuit, quod nisi id addidisset, nequaquam id operaretur verbum illud, *ipso facto*, quod præmiserat. Verùm hæc Extravagans non videtur in illo rigore usu recepta, ut teneatur reus sponte se beneficio privare & spoliare; quia commune axioma Doctorum est, pœnam non deberi ante judicis sententiam, saltem declaratoriam criminis; imò quam- Paul. II.

vis textus dicat incurri absque ulla declaratione, intelligi debet de declaratione pœnæ; unde adhuc deliberabitur declaratio criminis facti. Ita cum probabiliori sententia Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 63.* Sotus *lib. 1. de just. quæst. 6. art. 6.* Covarruvias *de mat. part. 2. cap. 6. §. 8. n. 9. & 13.* Trullench *in Decalog. lib. 8. tom. 2. cap. 1. dub. 10. num. 1.* Diana *parte 1. tract. 10. res. 23.* qui citat Layman & Malderum.

Lessius. Sotus. Covar. Trullench Diana. Layman. Malderus.

Sed ex dictis forsitan rogabis, quam vim habeant Constitutiones Apostolicæ, quibus aliquis ipso jure privatur officio vel beneficio? Respondeo hoc efficere, ut statim amittat titulum ipsum, ita ut non sit amplius dominus beneficij; retinet tamen possessionem, quâ privari non potest, nisi causa cognita, ut docet Glossa *cap. Licet. Episcopus, de præbend. in 6.* Quæ possessio si ei jus non resistat, sed permittit, dicitur *possessio juris*: si verò resistat obstringens ad illam deserendam, dicitur *possessio facti*. Simili modo quando bona ipso jure confiscantur, ut in crimine hæresis, statim amittitur proprietas rerum, quæ confiscantur, & acquiritur fisco, ex *cap. Cùm secundùm leges, de hæret. in 6.* permittitur tamen possessio & usus, donec secuta sententia declaratoria, hæc quoque auferantur. Hinc fit ut executio retrotrahatur usque ad tempus cõmissi criminis: nam ex illo tempore, dominium, seu proprietas in fiscum translata est, & consequenter omnes fructus ex illo tempore percepti ad ipsum spectant. Ita Sylvius *1. 2. q. 96. artic. 4. quæst. 9. concl. 2. & 4.* Trullench *loco cit. n. 2.* Lessius *lib. 2. c. 29. n. 64.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. alleg. 57. n. 228.* & alij.

Sylvius. Trullench Lessius. Barbosa.

3. Dubium est apud Doctores, an pœna legis sit solvenda, judice non condemnante reum: puta, an si is, cuius bona ob crimen justè sunt confiscanda, ô hoc fraude, aut mendaciis impediat, teneatur ad restitutionem? Affirmant quidam, quia iniustè impedit pœnam fisco, vel aliis applicandam, & debitam per sententiam. Tum quia in hoc casu directè agitur ad pœnam solvendam, cuius jam reus factus est, qui crimen admisit; ac proinde jus judicis lædit, si falsis allegationibus, seu mendaciis mulctam secundùm legis decretum imponendã sibi effugiat. Tum quia iniustè impediens vi, vel fraude, aut mendaciis rem non debitam, ut legatum, quod testator volebat alteri relinquere, tenetur restituere; ergo magis tenebitur, quando res est debita, ut est in casu. Ita Molina *tract. 2. disp. 95. n. 36.* Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 2. c. 7. n. 4.* Sotus *de just. lib. 1. q. 6. art. 6.* & alij. Sed tanquam probabilius est dicendum, nõ teneri ad restitutionem. Ratio est; quia iniustè impediens tunc tenetur restituere, quãdo contra justitiam commutativam delinquit in ordine ad illum, cui ipso non impediente, erat lucrũ deferendum; ut contingit in eo, qui vi, aut dolo impedit legatum alicui relinquendũ: at reus negans iniustè delictum, non delinquit in commutativam justitiam in ordine ad eum, cui erat pœna applicanda: nec ullam ei iniuriam irrogat, utpote qui illius emolumentum non impedit directè; quoniam non adstringitur ad veritatem fatendam ob utilitatem illius, cui pœna est applicanda, sed solùm propter publicam justitiam, quæ ad criminum punitionem attendit. Et subinde solam justitiam reipublicæ & judici debitam violat: judicium enim est institutum ad hoc, & non ad ditandos aliquos ex pœnis impositis, sed hoc per accidens se habet. Tum quia hæc confiscatio bonorum constituta est in pœnam criminis: Sed pœna non debetur ante sententiam, saltem declaratoriam criminis: imò non est solvenda ante sententiam constitutivam pœnæ, quâ ipsâ pœnâ jubeatur solvi: Ergo sententiâ non secutâ, non debetur pœna. Ita docent Vasquez *1. 2. q. 96. art. 5. disp. 175. c. 12. n. 13. & 14.* Azorius *tom. 2. lib. 5. c. 8. q. 5.* Tannerus *in 2. 2. disp. 4. q. 7. dub. 2. n. 76.* Navarrus *in Man. c. 18. n. 49.* Bañez, Arragon, & Salon *in 2. 2. q. 62. controv. 2. art. 3.* & alij apud Sanchez *de mat. lib. 10. disp. 8. n. 14.*

Vasquez. Azorius. Tanner. Navarrus. Bañez. Arragon. Salon. Sanchez.

Ex quorum Doctorum doctrina multi casus deciduntur, in quibus non est obligatio restituendi pœnam. *Primo*, Hæreticus qui fraude, mendaciis & falsis testibus se defendit, & impediuit sententiã, aut confiscationem bonorum, non tenetur ad restitutionem. *Secundò*, adultera non tenetur dotem restituere, quæ falsis testibus se defendit, ideoque non fuit condemnata, aut quæ à sententia justa se interpellavit. *Tertiò*, nec judex tenetur restituere pœnam pecuniariam, si negligens non condemnat reum: nec Procurator fiscalis, si non accuset, quia ante sententiam non est jus acquisitum fisco, aut parti quoad mulctam. *Quartò*, nec custodes civitatum, sylvarum & fluminum, licet transgressores ad Magistratus deferre negligant, tenentur ad solvendam pœnam pecuniariam à transgressoribus solvendam. *Quintò*, nec tenentur restituere, ob non solutum vectigal, pœnam eis impositam ante judicis sententiam. *Sextò*, nec testi, qui falso testimonio impedivit sententiam & consequenter confiscationem, vel mulctam pecuniariam fisco, vel aliis applicandam, tenetur eam restituere ante judicis sententiam: non enim ficut principalis auctor, aut mandans tenetur ad restitutionem. Ratio horum est; quia pœna non est restituenda ante judicis condemnationem. De quibus egimus tomo primo suis locis, & infra *v. Restitutio, num. 26.*

4. Lex pœnalis potest per consuetudinem quoad pœnam derogari, & manere quoad obligationem ad culpam. Ratio est; quia potest aliquando rationabiliter auferri obligatio ad pœnam aliàs ipso facto incurrendam, etiamsi lex maneat; nam ita Pontifices aliquando etiam expressis cõstitutionibus ordinarunt. Nihil ergo obstat, quominus illud fieri possit per aliquam consuetudinem & consensum tacitum Superioris, sive personalem, sive legalem: neque dicendum est hoc fieri ut delicta maneant impunita, sed ut aliis mediis & pœnis magis opportunis pro ratione temporis & personarum cohibeantur & castigentur; proinde in multis Constitutionibus Pontificiis variæ pœnæ sunt impositæ, quæ tamen jam usu cessarunt, manente legis obligatione ad culpam. Unde Extravag. *Ambitiosæ, de rebus Eccles. non alienand* quibusdam in locis in nihilo est recepta, alibi quoad solam irritationem contractus, vix uspiam quoad pœnam excommunicationis. Quomodo autem possit introduci consuetudo, quâ lex non recipiatur quoad pœnam excommunicationis ipso facto incurrendæ, cùm semper ea pœna incurratur, quomodocumque fiat legis transgressio? Dicendum est introduci posse per hoc quod eiusmodi pœna, licet à nonnullis trãsgressoribus fuerit aliquãdo incursa, experientia tamen cognitũ est, quod neque servetur, neque eius ratio habeatur, nõ magis quàm si nulla pœna esset decreta: veluti cùm superiores non curant eam servari, aut cùm viri docti affirment eam pœnam abiisse in desuetudinem, nec solere haberi eius rationem. Ita Navarrus *in Man. cap. 27. n. 149. & 150.* Suarez *de lege lib. 7. cap. 19.* Wiggers *in 1. 2. q. 97. art. 3. n. 35.* Præpositus *ibidem dub. 2. num. 11.* Castrus Palaus *tom. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 4. §. 2. n. 11.* & alij communi-

Navarrus. Suarez. Wiggers. Præpolit. Palaus.

communiter ſcribentes ſuper dictam *quæſt. 97. art. 3.* D. Thomæ.

E contra poteſt conſuetudo abrogare legem quoad culpam manente obligatione quoad pœnam. Ratio eſt, quia poteſt hujuſmodi conſuetudo aliquando eſſe rationabilis, quâ lua[illegible] mulcta, & pœna ab illis, qui faciunt id, quod fuit lege prohibitum, etiamſi abſoluta prohibitio jam non ſubſit, ſed quæ erat lex pœnalis copulativa, tranſierit in pœnâ diſiunctivam. Et ſic fortaſſe multæ leges civiles imponentes exactiones, vel prohibẽtes venari, vel aliquid ex regno aſportare, licet ab initio directivæ fuerint, potuerunt uſu fieri merè pœnales, & quaſi naturam mutare, quia non aliter ſunt obſervatæ; unde eouſque etiam tantummodo contra illas præſcriptum eſt. Adverte tamẽ quando pœna ſupponit intrinſecè culpam, non poteſt lex abrogari quoad obligationẽ directionis, quin etiam derogetur quoad hujuſmodi pœnam: tales ſunt Eccleſiaſticæ cenſuræ: unde lex prohibens aliquid ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, non poteſt abrogari, quoad prius, quin etiam abrogetur, quoad incurſionem talis pœnæ: quia hæc pœna intrinſecè ſupponit culpam & inobedientiam, quæ locum non habebunt, ſi lex non obliget ad ſimpliciter abſtinendũ ob eo quod vetat: non ſunt autem omnes aliæ pœnæ generaliter ſaltem dictæ talis naturæ. Ita Wiggers *lib. cit. n. 37. & 38.* Suarez *loc. cit. n. 11. & 12.* Salas *de leg. diſp. 19. c. 9. n. 77.* Gordonus *in ſum. to. 1. lib. 2. q. 14. c. 6. n. 23.* & alij penes ipſos. Wiggers. Suarez. Salas. Gordon.

5. Non poteſt licitè neque validè imponi pœna negativa de non contrahendo matrimonium cum tali perſona, ſive cum alia quacumque in communi. Ratio eſt, quia per talem impoſitionem pœnæ auferetur libertas matrimonij contrahendi: nam in tali caſu hæc perſona cogeretur ad non contrahendum matrimonium licitum cum tali perſona metu ſolvendi dictam pœnam, quod eſt contra libertatem matrimonij. Similiter non valet pœna impoſita de matrimonio non diſſolvendo, ut ſi quis dicat: Promitto me non diſſoluturum matrimonium per ingreſſum Religionis, caſu quo poſſem, vel ob aliam cauſam: quia jus deſiderat in matrimonijs omnimodam libertatem: & talis impoſitio pœnæ eſſet contra rationem, & libertatem matrimonij. Ita Sanchez *diſp. 30. n. 8. & 9.* Guttierrez *de matr. c. 17. n. 7.* Bonacina & alij. Sanchez. Gurtier. Bonacina.

6. Judex ordinarius regularis, vel alius non poteſt commutare, minuere, vel augere pœnam ſtatutam à lege pro aliquo crimine, ex cap. *Licet, de pœnis.* Iudex tamen ſupremus bene poteſt, ut generalis potens diſpenſare in lege. Secus dicendum ſi pœna legis ſit poſita in arbitrio judicis, vel ſi proceſſum ſit via accuſationis, & pars læſa conſentit, ut pœna poſt ſententiam relaxetur. Ita Umbertinus *in pract. inquiſit. v. Iudex*, qui *n. 55.* addit poſſe judicem augere pœnam ordinariam, quando crimen eſt extraordinarium, vel habet particulares circumſtantias aggravantes, per textum *in l. Hodie, ff. de pœnis*, idque ex cauſa juſta priùs diligenter ventilata, non verò ex capite, ſeu ad libitum, ut expreſsè ex D. Gregorio decidit *in cap. Summopere 11. q. 3.* & tradunt etiam Suarez *de leg. lib. 6. c. 13 n. 9* Rodriguez *to. 2. qq. reg. q. 42. art. 5.* Poteſt etiam judex diminuere pœnam à legibus impoſitam, juſta ad id cauſa ſuadente, per textum *in l. Quid ergo. §. Pœna gravior. ff. De his qui notantur infamia.* Iuſta cauſa erit, quando probatur delinquentem ignorantem deliquiſſe, vel ſi reus ſit ſenex, vel puer, vel juvenis, vel ſi ſit nimis litteratus, vel in aliqua arte inſignis; quæ tamen cauſa non habet locum in Religionibus, vel quando probatur reum, aut ejus progenitores de Religione eſſe ſatis bene meritos, vel propter ſuorum progenitorum merita in rempublicam. Sed hæc attendi poſſunt antequam ſententia feratur, non autem poſtea, ut docent Umbertinus *ſuprà verb. Pœna, §. Quæ autem ſint*, Portel *in dub. reg. verb. Correct. Fratrum, n. 54. 56.* Rodrig. *loc. cit.* Navarrus *in rubr. de judicijs, num. 59.* Portel. Rodrig. Navarrus.

Quæ verò pœna imponi debeat reis pro particularibus delictis, ſi ſint religioſi, recurrendum eſt ad ſtatuta Ordinis: ſed illis dificientibus, ſtare debet judex juri Canonico. Hoc autem deficiente recurrat ad jus civile, vel Cæſareum, vel illius regni in quo vivit. De his videndus Rodrig. *to. 2. qq. reg. q. 27. uſq. ad 38.* incluſivè, & ejus compendiator Hieronymus Rodriguez *ref. 48. à n. 11. uſque ad finem*, Portel *in dub. reg. verb. Pœna, à num. 6.* Paulinus Berti *in praxi crimin. regul. tit. 28. de pœnis.* Rodrig. Hier. Rod. Portel. Berti.

De pœna vide v. Ignorantia, *n. 7. 8. & 12.* Aborſus *n. 3. & ſeq.* Adulterium *n. 14. & ſeq.* Blaſphemia *n. 11.* Concubinarius *n. 9.* Contritio *n. 10.* Emphyteuſis *n. 7.* Excommunicatio 2. *n. 30.* Fides 2. *n. 11.* Interdictum *n. 32.* Lex 2. *n. 13.* Matrimonium 1. *n. 9. & ſeq.* Pœnitentia *n. 8.* Raptus *n. 3. & 4.* Sponſalia *n. 6. & ſeq.* Teſtamentum *n. 21.* Votum 1. *n. 25. & ſeq.*

POENITENTIA.

SUMMARIUM.

1 *An pœnitentia ut eſt virtus ſpecialis, ſit diſtincta virtus à reliquis virtutibus.*
2 *An pœnitentia reducatur ad juſtitiam.*
3 *An actus virtutis pœnitentiæ ſit ſimpliciter neceſſarius lapſis ad juſtificationem.*
4 *An ſit de fide, in nova legè, ſeu gratiæ dari verum Pœnitentiæ Sacramentum? & an in lege veteri fuerit tale Sacramentum.*
5 *An omnis pœnitentiæ ſufficiens ad remiſſionem peccati venialis debeat neceſſariò includere ſaltem virtuale propoſitum illud non committendi.*
6 *An peccata venialia deleantur per quodlibet opus meritorium hominis juſti?* Refertur duplex ſententia.
7 *An peccatum veniale poſſit remitti abſque mortali.*
8 *An peccata ſemel remiſſa redeant quoad culpam & pœnam per peccatum de novo commiſſum.*

1. POEnitentia ut eſt virtus ſpecialis, eſt diſtincta virtus à reliquis virtutibus. Probatur: quia virtus diſtinguitur penes diſtincta objecta formalia: objectum autem formale virtutis pœnitentiæ eſt ſatisfacere Deo pro injuria & offenſa, quod eſt objectum diſtinctum ab objectis aliarum virtutum: nulla enim virtus deteſtatur peccatum ea ratione, qua pœnitentia deteſtatur: etenim etſi temperantia, verbi gratia, deteſtetur ebrietatem, non tamen quatenus eſt contra jus divinum, ſed quatenus eſt contra motivum & objectum temperantiæ. Item, charitas non deteſtatur peccata, ut ſunt injuria & offenſa Dei, ſed ut ſunt contra Deum ſummè dilectum, & ſic de ceteris virtutibus: virtus verò pœnitentiæ deteſtatur peccata, quatenus ſunt injuria Dei. Ita ex communi Nugnus *in tertia part. quæſt. 85. artic. 2. dub. 1. verſ. Pro intelligentia.* Trullench *tomo tertio, in praxi Sacrament. lib. 4. cap. 8. dub. 1. numero 5.* Nugnus. Trull.

Vasquez *de pœnit. quæst.* 85. *art.* 2. *dub. unic.* & alij.

2. Pœnitentia non est verè & propriè species justitiæ propriè dictæ: nam inter Deum & nos non est perfecta justitia, cùm non detur æqualitas hominis ad Deum: continetur tamen sub justitia analogicè, & per quandam similitudinem; tanquà pars illius potestativa, sicut Religio in Deum, pietas in parentes & obedientia, etiam reducuntur ad justitiam tanquam species imperfectæ. Unde sequitur pœnitentiam esse partem justitiæ potentialem, & ad eam reduci, sicut imperfectum ad perfectum. Ratio est, quia sicut per justitiam reddimus debitum alteri, similiter per hanc virtutem debitum peccati dissolvimus & per pœnitentiam reddimus Deo aliquam compensationem ad similitudinem justitiæ commutativæ; & quia non æqualiter, cùm propter excellentiam personæ offensæ non possimus rependere æquale, ideò non est propriè justitia, sed qualis constitui potest inter patrem & filium, dominum & servum. Ita D. Thomas 3. *part. quæst.* 85. *art.* 3. & communiter Doctores. D. Thom.

3. Actus virtutis pœnitentiæ est simpliciter necessarius lapsis ad justificationem expressè, aut saltem implicitè, & virtualiter, seu æquivalenter. Ratio est, quia ad justificationem necesse est, ut homo odio habeat peccatum, illud detestetur, illique displiceat, velitque pro offensa & injuria Deo illata satisfacere; qui actus sunt virtutis pœnitentiæ. Dicitur *saltem implicitè*; nam aliquando sufficit actus pœnitentiæ implicitus, id est, actus dilectionis Dei, & contritionis; in quibus æquivalenter continetur actus pœnitentiæ; nempè velle satisfacere Deo, & recompensare injuriam illi illatam. Nec recipiens Sacramentum Pœnitentiæ potest justificari absque aliquo actu virtutis pœnitentiæ; nam qui vult recipere Sacramentum, vult etiam dolere de offensa & injuria Dei, vultque Deo satisfacere, & inæqualitatem per peccatum positam inter Deum & hominem refarcire, qui sunt actus virtutis pœnitentiæ. Ita Henriquez *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 7. Coninck 3. *part. disp.* 1. *de pœnit. dub.* 4. *n.* 16. Bonacina *to.* 1. *disp.* 5 *q.* 1 *punct.* 2. Trullench *to.* 3. *in praxi Sacram. lib.* 4 *cap.* 1. *dub.* 1. *n.* 12. & alij recentiores. Henriq. Coninck, Bonacina, Trull.

Advertendum tamen est, quod actus virtutis pœnitentiæ, sicut & actus aliarum virtutum, ut Fidei, Spei, Religionis, & quamvis sit dispositio ad gratiam suscipiendam, non tamen est ultima dispositio, sed solus actus contritionis vel dilectionis Dei super omnia est ultima dispositio ad gratiam extra Sacramentum, ut tradunt communiter Doctores post D. Thomam 3. *part. quæst.* 84. *art.* 10. unde qui cupit extra Pœnitentiæ Sacramentum justificari, non solùm debet velle Deo satisfacere pro injuria illata, qui est actus pœnitentiæ, sed etiam huic actui debet actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia conjungere. Ita citati Doctores.

4. De fide est, in nova lege, seu gratiæ, dari verum Sacramentum Pœnitentiæ, ut definitum est in Concilio Florent. *in decreto Eugenij* & Tridentino *sess.* 7. *Canone* 1. ubi inter septem Ecclesiæ Sacramenta, enumerat hoc Sacramentum, & expressè hoc definit *sess.* 14. *cap.* 1. & 2. Ratio esse potest, quia dantur certi actus pœnitentis & Sacerdotis, quibus convenit definitio Sacramenti; nam sunt signa sensibilia gratiæ à Christo elevata, per quæ remittuntur peccata & confertur gratia; juxta illud Joannis 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. nam si quæ peccata solvenda sunt, & alia retinenda, necesse est ut ex parte pœnitentis explicentur Sacerdoti tanquam judici, quod sine signo sensibili non potest fieri, & ex parte judicis etiam opus est aliquod signum quo pœnitentes intelligant se consecutos esse, vel non, remissionem peccatorum: atque ita in pœnitente signa sensibilia erunt actus ipsius, in judice absolutio verbis prolata. Con. Flor. Trident.

In lege autem naturæ & in lege veteri scripta non fuit Sacramentum Pœnitentiæ; quia si hoc Sacramentum institutum est à Christo Domino Joannis 20. illis verbis, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata*; &c. constat ante ejus adventum non extitisse, ut expressè definit Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. per hæc verba: *Porrò nec ante adventum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum.* Quando ergo in Sacris Scripturis mentio fit pœnitentiæ, cui Deus promisit remissionem peccatorum, intelligitur de interna pœnitentia, quæ est virtus, seu contritio peccatorum; quæ quidem pœnitentia fuit necessaria semper in omni statu, etiam ante adventum Christi. De his vide Vasquez 3. *part. tom.* 2. *disp.* 135. Sayrum *de Sacram. in genere lib.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 1. *art.* 2. Suarez *tom.* 4. *disp.* 1. *sect.* 2. Trullench *tom.* 3. *in praxi Sacram. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 2. *num.* 2 & 4. Vasquez, Sayrus, Suarez. Trull.

5. Omnis pœnitentia sufficiens ad remissionem peccati venialis, debet necessariò includere saltem virtuale propositum illud non committendi, sine qua non potest consistere vera pœnitentia; quia non possum detestari ea peccata, à quibus nolo in posterum abstinere. Non est tamen necesse, ut hoc propositum excludat omnem habitualem inclinationem ad peccatum, sed sufficit, ut excludat omnem actualem affectum. Differt autem hoc propositum à proposito vitandi mortalia: quia propositum de vitandis mortalibus debet se extendere ad omnia, eò quòd unum sine alio remitti non possit: hos autem minimè; quia unum veniale sine alio remitti potest. Tum quia non requiritur quod hoc propositum sit tam efficax, ac illud vitandi mortalia: quia non tenemur ita vitare occasiones peccàdi venialiter, sicut occasiones peccandi mortaliter; unde facilius absolvi possunt relabentes in venialia, quàm in mortalia. Ita Coninck *disp.* 2. *dub.* 14. *n.* 130. Coninck.

6. Probabile est, per quemcumque actum meritorium habentem oppositionem cum venialibus, vel relatum à merente ad eorum remissionem, remitti etiam venialia. Sic remittuntur, *Primo*, per actum orationis, quo quis petit veniam de venialibus. *Secundo*, per propositum formale non committendi tale peccatum: quia hæc indicant sufficientem mutationem voluntatis, & alioquin opus est meritorium. *Tertiò*, per actum virtutis oppositum alicui peccato veniali: quia ibi est repugnantia & meritum. *Quartò*, per quemcumque actum pietatis & misericordiæ, vel aliud meritorium, si referantur ad hujusmodi effectum consequendum; quia sic videntur ij actus includere virtualem displicentiam peccatorum venialium, & alioquin opus est meritorium: non tamen quilibet actus virtutis est sufficiens ad tollendum quodcumque peccatum veniale, sed ille tantùm cui repugnat, & cujus est formalis vel virtualis displicentia; nam respectu ejus est proportionata dispositio, non verò respectu aliorum. Ita Suarez *de pœnitent. disp.* 11 *sect.* 3. Filliucius *tractat.* 6. *cap.* 5. *quæst.* 7. & alij. Quamvis quidam putent non improbabiliter etiam peccata venialia non deleri per quodlibet opus meritorium hominis justi: tum quia non quodlibet Sanchez. Filliucius.

opus

opus meritorium habet ſufficientem cũ peccatis venialibus oppoſitionẽ,cùm opus meritorium ſimul fieri poſſit,dum committitur aliquod peccatum veniale;ut quando vir juſtus orando ſeu celebrando committit peccatum veniale ambitionis; nam ipſius actio meritoria eſt, quamvis ei peccatum veniale adjungatur:tum quia ſequeretur contra Con.Tr. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 5.* per Sacramentum pœnitentiæ ſuſceptum ab homine juſto numquam deleri peccata venialia,ſed jam ſupponerentur delecta per opera bona,quæ requiruntur ad Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiendum: nam hujuſmodi opera ab homine juſto facta,ſunt meritoria: tum quia per nullos alios actus peccata venialia remittuntur extra Sacramentum,quàm per actus contritionis, & dilectionis Dei. Ita Petrus Sotus *de* Soto. *pœnit. diſt.* 18. Valentia *tom.4.diſp.7.quæſt.4.punct.* Valentia. *1. verſ. Contra eſt*, & alij apud Vaſquez 3.p. q.87. Vaſquez. *art.1. dub.1.*

7. De potentia Dei ordinaria non poteſt remitti peccatũ veniale abſque mortali. Ratio eſt, quia opera exiſtentis in mortali ſunt Deo odiola & procedentia ab ejus inimico & filio iræ,quæ ſuppoſito tali ſtatu, Deo non placent:ergo quamdiu manet peccator à Deo averſus, non poteſt dici congruè diſpoſitus, ut ab eo veniam impetret: nam peccatum veniale præter reatum pœnæ continet quandam offenſam auctoritatis & amicitiæ Divinæ, pro qua peccator nequit ullo modo ſatisfacere;cùm ad hoc requiratur vel attritio informata,vel contritio,ſive actus charitatis:hoc autem poſito ſtatim remittitur peccatum mortale; ergo veniale non poteſt remitti abſque mortali. De potentia autem Dei abſoluta poſſunt peccata venialia remitti ſine remiſſione mortalium: quia Deus poſſet peccatori elicienti actum contritionis incompoſſibilem cum venialibus denegare gratiam, per quem actum delerentur venialia, utpotè incompoſſibilia cum tali actu, non verò delerentur mortalia, cùm formaliter deleantur per gratiam,quæ ſupponitur denegari,& ſine qua peccata mortalia deleri non poſſunt, quandoquidem omnis privatio excludi debeat per formam oppoſitam.Ita D.Thomas 3.p.q.87. *a.4.* Sylvius, D.Thom. Sylvius. Nugnus, Peſantius, Suarez, Coninck. Trull. Nugnus *ibid.* Peſantius 3.p. q.87. *art.4. diſp.unic.* Suarez *de pœnit. diſp.11.ſect.2.* Coninck 3.p. *diſp.2. dub.15.n.132.* Trulleoch *tom.3.in praxi Sacram.lib. 4.cap.2.dub.4. num.3. & 4.* & alij.

8. Peccata ſemel dimiſſa per pœnitentiam,non redeunt,nec ulla potentia redire poſſunt per peccatum de novo commiſſum. Ratio eſt; quia per pœnitentiam & gratiam fuerunt omnino extincta: quod autem extinctum eſt, non poteſt naturaliter reviviſcere; imò nec ſupernaturaliter poſſunt peccata reviviſcere quoad culpam;quia cùm miraculoſa opera principaliter fiant à Deo, illicque principaliter tribuantur, ſequeretur reviviſcẽtiam peccatorum principaliter tribuendam eſſe Deo, & conſequenter Deus eſſet auctor illius peccati quoad culpam: quod aſſerere impium eſt & abſurdum. Deus enim odio habet impium & impietatem ejus,& intentator malorum eſt,ut ait D. Jacobus in *Epiſt. cap.1.* Hoc patet *ex cap. ait de pœnit. diſt.4.* ubi habetur, divinam clementiam non pati peccata ſemel dimiſſa iterum redire. Et docent D.Thomas 3.p.q 88 *a.1.* Sylvius *ibid.* Nugnus D Thom. Sylvius. Nugnus. Suarez. Vaſquez. *diſp.21.& 2.* Suarez *tom.4.diſp.23.ſect.1.* Vaſq. *3.p.diſp.88.a.1.dub.unic.* & alij communiter.

Similiter peccata ſemel remiſſa non redeunt,nec eũam redire poſſunt propriè & formaliter de potentia Dei ordinaria quoad reatũ pœnæ per ſubſequens peccatum. Ratio eſt; quia reatus pœnæ ſequitur culpam:Sed culpa non redit in ſe & formaliter: ergo nec pœna: tum quia debitum abſolutè extinctum non poteſt iterum reviviſcere per ſolam creditoris voluntatem; reatus autem pœnæ eſt quoddam debitum, quod abſolutè & ſimpliciter auferrur à Deo: ergo reatus pœnæ æternæ non redit per ſubſequens peccatum. Ita D. Thom. *quæſt. 88.a.3.* Suarez *diſp. 13. ſect.2.* Hen- D.Thom. Suarez. riquez *lib.4.cap.32 n.8.*

De potentia tamen Dei abſoluta reatus peccatorum præcedentium redire poteſt per ſubſequens peccatum:quia peccata poſſunt remitti ſub conditione, ut ſi peccator de novo pecet,redeat idem pœnæ reatus,ac ſi peccata non eſſent remiſſa; hoc enim non implicat, ut tradunt Doctores citati.

Notandum autem eſt,peccata præterita dimiſſa aliquo modo & quaſi per accidens redire ratione ingratitudinis, conſequenter ratione majoris deformitatis,quæ in peccato poſt remiſſionem aliorum commiſſorum continetur.Ratio eſt,quia peccatum de novo commiſſum poſt remiſſionem aliorum, & quo majora ſunt auxilia, & dona à Deo recepta,gravius eſt:nam videtur Deus aliqua ratione virtualiter contemni, cùm de novo offenditur poſt tanti beneficij collationem.Ita D.Tho- D.Thom. mas 3 *p.q.88.a.2.* Suar *diſp.13:ſect.3.* Coninck *diſp.* Suarez. *1.dub.19.n.131.* Sylvius 3.p. q.88. *a.1.* qui novi- Coninck. Sylvius. ſſimus docet peccata ſemel dimiſſa redire ſecundùm quid, eſſe, peccatum ſequens fieri gravius propter præcedentia, ejuſque maculam eſſe turpiorem, ac reatum majorem; & hoc probat judicum uſus acerbiùs punientium, qui poſt punitionem in furtum relapſus eſt.

Ex quo fit,eum,qui poſt obtentam præcedentium peccatorum remiſſionem, lapſus eſt in aliquod peccatum mortale,graviùs puniendum fore in Inferno ob hujuſmodi peccatum ratione ingratitudinis, quàm alioquin puniendus fuiſſet, præcisâ ingratitudinis circumſtantiâ, modò pro illo in hac vita non ſatisfecerit.

PONTIFICALIVM VSVS.

SUMMARIUM.

1 *An Epiſcopi poſſint in Eccleſijs exemptis Pontificalia exercere, non habitâ Prælatorum licentiâ.*
Et an poſſint in iiſdem Eccleſijs uti Pontificalibus inſignijs, abſque aliquo exercitio juriſdictionis.

2 *An in locis exemptis poſſint Epiſcopi Ordines conferre, vel Confirmationem;calices conſecrare; benedicere corporalia; degradare;indulgentias concedere, &c.*

3 *Quæ dicantur Pontificalia inſignia & ornamenta.*
An Epiſcopus exiſtens in aliena Diœceſi, aut loco alterius juriſdictionis extra ſuam Diœceſim, poſſit Miſſam in Pontificalibus celebrare, ſint Ordinarij loci licentia? Refertur duplex ſententia.

1. EPiſcopi nullo modo poſſunt in Eccleſijs Abbatialibus ſuarum Diœceſium, quæ exemptæ ſunt, Pontificalia exercere, niſi priùs habita Abbatum licentia. Ratio eſt, qui Epiſcopi extra ſuam Diœceſim non poſſunt Pontificalia exercere, abſque Epiſcopi Diœceſani licentia, aliàs ab eorum exercitio ſuſpenderentur ex diſpoſitione Concilij Tridentini *ſeſſ. 6. capite ultimo, de reformat. & ſeſſ. 14. capite 2. de reformat.* Con.Trid. At locus exemptus, & locus extra Diœceſim judicantur à pari, ut tradunt Doctores *in cap. primo de Conſtitutionibus*: ergo Epiſcopi non

poterunt in Eccleſijs Abbatialibus exemptis abſque Prælatorum earum licentia, Pontificalia exercere. Abbas *in cap. Significaſt. de foro compet.* Innocentius *in cap. Ex ore, de privil.* Rolandus à Villa, *conſil. 32. à n. 23. lib. 3.* & alij, Abbas. Innocent. Roland.

Poſſunt tamen Epiſcopi in Eccleſijs Abbatialibus, ac alijs locis exemptis, uti Pontificalibus inſignijs abſque aliquo exercitio juriſdictionis, ut ipſis conceditur *in cap. Archiepiſc. de privileg. in 6.* abſque Abbatum & aliorum Prælatorum licentia. Nec obſtat Concil. Trid. *loc. citat.* quia loquitur de uſu Pontificalium cum aliquo exercitio, ut colligitur expreſsè ex Navarro *conſil. 69. de ſent. excommun. in antiq. & conſil. 21. de clerico excommun. miniſtr. in novis*. Quaranta *in Summa Bullar. verb. Archiepiſc. auctoritas, auctorit. 32. verſ. Præterea.* Ubi docet Archiepiſcopum in quolibet loco ſuæ Provinciæ etiam exempto, non obſtante quocumque privilegio contrario poſſe facere ante ſe liberè portari Crucem, benedicere ſolemniter populo, & audire publicè vel privatim divina officia, & in Pontificalibus celebrare, & coram ſe facere celebrari ſine Pontificalibus tamen. *ex dict. Clem. Archiep. de privil.* Cujus diſpoſitioni, cùm ſit Concilij Generalis Vientenſis, non cenſetur derogatum per Clauſulam generalem: niſi expreſſa mentio fiat Concilij generalis dicendo: *Non obſtante quavis Conſtit. ſeu lege in Concilio generali edita*, per textum *cap. ex part. de capell. Monac.* ut docent Covarruvias *in Epit. p. 2. c. 8. §. 9 n. 6.* Quaranta *loc. cit.* Sanchez *de matr. lib. 3. diſp. 16. n. 7. & lib. 8. diſp. 35. n. 17.* & alij communiter apud ipſos. De his conſulendi ſunt Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. Alleg. 80.* Eraſmus Cokier *de juriſd. Ordin. in exempt. p. 1. q. 45. verſ. 25. & 26. n. 24. & verſ. 61. n. 69.* & alij apud Tambur. *tom. 1. diſp. 15. quæſt. 15.* Covar. Quarant. Sanchez. Barboſa. Cokier. Tambur.

2. Ex dictis infertur Epiſcopos in locis exemptis non poſſe ordinationes celebrare, quia eſt juriſdictionis: neque confirmationis Sacramentum miniſtrare; quia habet mixturam juriſdictionis & officij Epiſcopalis: neque Calices conſecrare & Corporalia benedicere: neque degradare; neque facere proceſſiones ſolemnes, & generales: quia eſt potiùs officij quàm honoris Epiſcopalis: neque in prædictis locis celebrantes vel concionantes indulgentias concedere, quia hoc eſt juriſdictionis & dignitatis Epiſcopalis. Imò nec poſſunt concedere, ut exempti eorum nomine largiantur, & ſi dant, non proſunt, niſi quoad ſibi ſubditos. Neque poſſunt ab alijs ante ſe in Pontificalibus celebrari facere; quia id eſſet auctoritativè demandare & juriſdictionè exercere. Anchar. Card. Im. Vitalinus. Tambur. Neq; ſedere pro tribunali, nec cathedram judicialem collocare. Ita Ancharanus, Cardinalis Imola, Vitalinus *in citt. Clem. Archiepiſc. de privil. in 6.* quos citat & ſequitur Tamburinius *loc. cit.* Poteſt tamen Epiſcopus in Eccleſijs exemptis Pontificalia exercere, baldachinum erigere, ut decrevit Sacra Congregatio Eminentiſſ Cardinal. negotijs Epiſcoporum & Regularium præpoſita, tempore Clementis Papæ VIII. die 10. Junij 1603. teſtibus Quaranta *in Sum. Bullar. verb. Privileg. Regular. pag. 515.* edit. Lugdunenſ. anno 1622. Barboſa *loco citato alleg. 80. n. 17.* S. Congr. Quarant. Barboſa.

3. Controverſia eſt magna inter Doctores, an Epiſcopus in aliena Diœceſi, aut loco alterius juriſdictionis extra ſuam Diœceſim, poſſit Miſſam ſolemnem in Pontificalibus celebrare. Priuſquam ad quæſtionem reſpondeamus, ſupponendum eſt, Pontificalia inſignia & ornamenta eſſe Mitrã, Baculum Paſtoralem, Annulum, Sandalia, Tunicellam, Dalmaticam, Chirotheças, & Crucem pectoralem, ex Durando *in ration. offic. lib. 3. cap. 13.* His poſitis, dicendum eſt, in prædicto dubio duplicem eſſe ſententiam. Prima eſt negativa, quia Mitra & baculus non ſolùm ſunt ornamenta Pontificalia, ſed etiam ſigna ſuperioritatis. Proinde in Cæremoniali Epiſcop. *lib. 1. c. 7.* dicitur: *Utitur Epiſcopus baculo Paſtorali in ſua tantùm civitate vel Diœceſi, & etiam alibi ubi conſecr. aut benedictiones perſonales facere vi Apoſtol. auctoritas concedit.* Hinc in cæremonia conſecrationis Epiſcopi, conſecrans tradendo baculum conſecrando ſic ait: *Accipe Baculum Paſtoral. offic. ut ſis in corrigendis vitijs piè ſæviens, in tranquillitate ſeveritatis cenſuram non deferens, &c.* Et in libello qui Ordo Romanus inſcribitur, ſic dicitur: *Accipe Baculum Paſtoralis offic. poteſt. ligandi atque ſolvendi, ut ſis in corrigendis vitijs perſeverans.* Ex quibus apparet, baculum non ſolùm eſſe ornamentum, ſed ſignum juriſdictionis & Superioritatis: ergo nullo modo licitus erit ejus uſus in aliena Diœceſi, ſine licẽtia Ordinarij. Ita Diana *p. 3. tr. 6. reſ. 36. & p. 4. tr. 3. reſ. 143.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 30. n. 14.* Cokier *de jur. p. 2. q. 1. n. 8.* Gavantus *in enchir. Epiſcop. verb. unction. Epiſcopal. n. 14.* Sanchez *to. 2. conſil. lib. 7. c. 1. dub. 50.* Durand. Cær. Ep. Ord. Ro. Diana. Barboſa. Cokier. Gavantus. Sanchez.

His tamen non obſtantibus affirmativam ſententiam defendunt multi Auctores, qui poſt Concilium ſcripſerunt, ſcilicet Epiſcopos poſſe ubiq; celebrare indumentis Pontificalibus indutos, Miſſam Pontificalem faciendo, tam de jure antiquo, quàm de jure novo Concil. Trid. Prob. *Primo*, quia Epiſcopus in ſua Diœceſi in locis exemptis poteſt ſine licentia Prælati Miſſam Pontificalem celebrare, ut conſtat *ex Clem. final. de privil. in 6.* tamen non poteſt exercere Pontificalia Ordinando, Chriſmando, &c. ergo diverſũ eſt Miſſam in Pontificalibus dicere, & exercere Pontificalia. *Secundò*, quia de jure antiquo poterant id facere Epiſcopi, ut eſt certum ferè apud omnes Doctores: ergo etiam hodie. Conſequẽtia patet: quia Concil. Trident. ſolùm prohibet Epiſcopo Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas tantùm; quę verba ſolùm denotant exercere actum Ordinis Epiſcopalis, aut juriſdictionis contentioſę, ſedendo pro tribunali; quia verbum exercere non videtur complecti uſum tantùm Pontificalium, ſed etiam exercitium ſuper alios, idque magis confirmant ſubſequentia verba, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas. Et hanc eſſe veram expoſitionem verborum Concil. docent Toletus *in Sum. lib. 1. c. 49.* Henriq. *lib. 3. c. 6. n. 6.* Layman *lib. 1. tr. 4. c. 5. n. 5. & in quæſt. canon. c. 17. n. 224.* ſeclusa conſuetudine in contrarium, Alzedo *in praxi Epiſc. p. 1. c. 13. n. 88.* Covarruvias *lib. 3. variar. c. 20. n. 9.* & noviſſimè Thomas Hurtado *in reſol. moral. tr. 2. c. 6. reſol. 22.* qui hanc ſententiam non ſolùm probabilem exiſtimat ſpeculativè loquendo, ſed etiam in praxi tutam; qui plures alios citat. Toletus. Henriq. Layman. Alzedo. Covar. Th. Hur.

Ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ poſſet reſponderi, Epiſcopum in aliena Diœceſi non poſſe uti inſignijs Pontificalibus ad exercenda Pontificalia, hoc eſt, actus Ordinis ad denotandam juriſdictionem quam exerceat: bene tamen dum celebrat, poteſt uti Mitra, Baculo, Chirothecis, Sandalijs, ſicut ſemper utitur annulo, etiam in aliena civitate, quorum uſus non eſt ad denotandam aliquam poteſtatem aut juriſdictionem, aut paſtoritium munus circa oves alienas, ſed ſolùm ad notandam ejus auctoritatem & dignitatem, & quod celebrans non eſt ſim-

Digitized by Google

ſimplex Sacerdos, ſed Epiſcopus & Pontifex. Tamen ſi alicubi ſit conſuetudo contraria introducta, ea obſervanda eſt.

Quibus in locis poſſit Abbas uti Pontificalibus inſignibus & ſolemnem benedictionē dare & quando, dictum eſt ſuprà *verb. Abbas n. 25. & ſequentib.*

Vide verb. Archiepiſcopus *n.* 3. Vicarius *n.* 7.

POSSESSIO. POSSESSOR.

SUMMARIUM.

1 *An poſſeſſionem vel tentionem efficiat apprehenſio in re corporea, ſi non fiat animo habendi eam ut ſuam.*
2 *Quæ ſit dicenda poſſeſſio bonæ vel malæ fidei.*
3 *An ex ignorantia juris ſive naturalis, ſive humani conſurgat bona fides.*
4 *An dubia fides, qua quis poſſidet rem, dubitans, an ſit ſua, ſit cenſenda bona, an mala fides.*
5 *An fides, quoad præſcriptionem attinet, duobus modis dicatur bona vel mala, civiliter nempe & Canonicè.*

1. POſſeſſionem non efficit, ſed tentionem apprehenſio & inſiſtentia in re corporea, ſi aliquo alio animo fiat, quàm habendi eam ut ſuam: unde hæc apprehenſio pro varietate animi, quo res apprehenditur & tenetur, & tituli aut contractus præcedentis fortitus varias appellationes. Ut colonus dicitur tenere rem conductam, commodatarius rem commodatam, depoſitarius rem in depoſitum, & qui aliquid accepit in pignus, dicitur tenère rem in pignus, & ita de ceteris: nullus tamen horum dicitur eas res poſſidere, ſed legitimus earùm poſſeſſor eſt is, qui illas ut ſuas, ita tenendas eis tradidit. Unde non ſufficit ſola corporalis apprehenſio, ut poſſeſſio reſultet, niſi adſit etiam animus eâ apprehenſione poſſidendi, habendivè rem apprehenſam ut ſuam: quia cùm apprehenſio multis aliis de cauſis fieri poſſit, ſæpéque reipſa fiat, neceſſe fuit, ut per animum ea poſſidendi determinaretur & contraheretur ad integram & perfectam cauſam, unde poſſeſſio reſultaret. Ita habetur *in l. 3. ff. de acquirend. poſſeſſ.* & docet Abbas *in c. Si diligent, num. 6. de præſcript.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 1. c. 7. n. 3.* Molina *tract. 2. de juſtit. diſp. 12.* & communis.

Abbas. Layman. Molina.

2. Poſſeſſio eſt aut cum bona fide, aut cum mala fide. Cum bona fide poſſeſſio eſt, quando quis juſto errore ductus rem habet cognitione & opinione domini, cùm non ſit dominus. Cum mala fide poſſeſſio eſt, quando quis ſciens ſe non eſſe dominum, perinde ſe gerit, ac ſi dominus rei eſſet. Hinc bona vel mala fides eſt quid facti, non verò quid juris, cùm nihil aliud ſit quàm bona, vel mala conſcientia, ut colligitur *ex cap. final. de præſcriptionibus*, ibi: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, id eſt, *ex conſcientia*, ut explicat ibi Gloſſa. Et ſic bona, vel mala conſcientia. Unde poſſeſſor malæ fidei, idem eſt quod poſſeſſor malæ conſcientiæ, id eſt conſcientiæ læſæ. Poſſeſſor verò bonæ fidei eſt poſſeſſor bonæ conſcientiæ, id eſt, integræ & non læſæ. Proinde bona fides nihil aliud eſt, quàm juſta credulitas rei alienæ: & ſic poſſeſſor bonæ fidei dicitur is, qui juſtè credit rem, quam poſſidet, ad ſe pertinere, & poſſeſſor malæ fidei is erit qui credit rē quam poſſidet ad ſe non pertinere. Ita Doctores *ad l. Bonæ fidei, ff. de verb. ſignific.* Covar. *reg. Poſſeſſ. 2. p. §. 7. n. 6.* & alij.

Gloſſa.

Covar.

Ex quo deducitur, non eſſe bonam fidem, quando ex craſſa aut ſupina facti ignorantia oritur, ut quoties quis hac ignorantia putat rem eſſe ſuam. Quippe tunc nulla adeſt probabilis ratio ad exiſtimandam juſtam poſſeſſionem. Similiter non conſurget bona fides, quando ex temeraria fatuitate poſſidens non advertit rem eſſe alienam: quia eadem eſt ratio: proinde ut ignorantia bonam fidem prōducat, debet eſſe invincibilis, quæ à culpa Theologica excuſet. Ita Molina *de juſt. diſp. 720* & *diſp. 713.* Rebellus *de oblig. juſt. p. 1. lib. 2. q. 4. & q. 5.* Bañez *2. 2. q. 40. a. 1. dub. 7. concl. 2. 3. & 4.* Navarrus *in man. c. 17. n. 84.* Clavis Regia *lib. 10. tract. 2. c. 2. n. 2.* Toletus *lib. 5 c. 26. n. ult.* & alij. Molina. Rebellus. Bañez. Navarrus. Clav Reg. Toletus.

3. Certum eſt apud omnes, ex ignorantia juris naturalis non conſurgere bonam fidem ad acquirendos fructus; ut ſi quis norit rem eſſe furtivam, ignorer tamen ſibi non licere eam emere, concordant Doctores eam eſſe craſſam nec excuſare. Ratio eſt, quia cùm rem eſſe alienam norit, nullum eius rei retinendæ, aut pretij à vero domino jus habet, ut habetur expreſsè *l. 2. Cod. de furtis.*

At difficultas eſt de juris humani ignorantia. Quidam negant hinc oriri bonam fidem ad fructus acquirendos, niſi ignorans ſit ruſticus, aut mulier, aut minor, aut jus ſit ita dubium, ut varias interpretationes patiatur: quia jura clamant ignorantiam facti, non juris excuſare, *de Regulis Iuris in 6.* At dicendum eſt, invincibilem juris ignorantiam ſatis eſſe ad producendam bonam fidem ad huiuſmodi effectum: quia nullus eſt textus decidens hac ignorantia excludi bonam fidem ad acquirendos fructus: imò eam ſatis eſſe deciditur expreſsè *l. Sed etſi lege 28. §. ſcire, ff. de petit. hæred.* ibi: *Et non puto hunc eſſe prædonem qui dolo caret. etſi in jure erravit.* Præterea, quando jus voluit hāc ignorantiam non prodeſſe, ut quoad uſucapionem, id explicuit *l. Si fur. 32 §. Si quis id. ff. de uſucap.* ibi: *In jure erranti non procedat uſucapio.* Ita docent Covarruvias *lib. 1. variar. cap. 3. n. 8.* Menochius *de recup. poſſeſſ. remedio 15. n. 630.* Sylveſter *verb. Ignorantia, q. 8. n. 20.* Toletus *lib. 5. cap. 26. n. ult.* & alij communiter Iuriſperiti. Reg. Iur. Covar. Menoch. Sylveſter. Toletus.

4. Controverſia eſt inter Auctores, an dubia fides qua quiſpiam poſſidet rem dubitans, an ſit ſua, ſit cenſenda bona, an mala fides? Quidam ſuſtinent eſſe malam fidem: quia bona fides exigit, ut poſſeſſor exiſtimet rem eſſe ſuam: at dubitans non exiſtimat rem eſſe ſuam, utpote qui neutrius partis aſſenſum habeat. Ita Sotus *de juſt. lib. 4. q. 5. art. ult.* Arragon *2. 2. q. 62. ante a. 1. tract. de dominio, verſ. Tertiò eſt advertendum*, & alij. Sotus. Arragon.

Nonnulli aſtruunt eſſe bonam fidem *ex cap. Si Virgo 34. quæſt. 2.* ut dicitur: *Tandiu quiſquam poſſeſſor bonæ fidei rectiſſimè dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum.* Sed dubitans, an res ſit ſua, ignorat an ſit aliena. Accedit, cùm dubia fides medium ſit inter bonam & malam, non eſt cur potius malæ accedat; & proinde ſuperveniens nec bonam, nec malam fidem aufert, ſed ceteris paribus favendum eſt priùs exiſtenti; cùm in dubio ſit potior poſſidentis conditio: & proinde vendens res in dubio an ſint ſuæ, non eſt in mala fide, & proinde potitur privilegiis bonæ fidei. Ita Rotella *verb. Reſtitutio 7. num. 19.* Sylveſter *verb. Præſcriptio 1. quæſt. 3. dict. 3.* Rotella. Sylveſter.

Reſolutionem huius dubij habes *in tom. 1. verbo Præſcript. n 5.* ubi diximus dubitantem non cenſeri habere bonam fidem ad inchoandam poſſeſſionem, quamdiu manet dubitatio. Vide ibi Doctores citatos, quibus nunc addo Sanchez *lib. 2. mor. cap. 23 num. 173. & ſequent.* Sanchez.

Non

Digitized by Google

Non tamen eſt negandum dari medium inter malam & bonam fidem, ſi hæc ſpeculativè conſiderentur: dubitans enim ſpeculativè, an res ſit ſua, cùm neutrius partis aſſenſum generet, nec bonam, nec malam fidem habet; quia nec credit poſitivè rem eſſe ſuam, nec alienam; ſed hæret in medio. At ſi hæc practicè ſpectentur, nequit inter utramque medium dari, ſed ſemper poſſeſſor in eo dubio habebit bonam, aut malam fidem practicam; bonam quidem, ſi poſſeſſionem bona fide cœptam continet, ſupervenienti eo dubio; malam autem, ſi dubium illud præcedat poſſeſſionem. Ita Molina *tom. 1. de juſt. diſp. 63. n. 10.* Leſſius *lib. 2. c. 6. n. 12* Sanchez *loco cit. n. 181.*

Molina. Sanchez. Leſſius.

5. Fides quoad præſcriptionem attinet, duobus modis dicitur bona, vel mala; nempe, *civiliter & Canonice.* Fides mala civiliter eſt illa, quæ eſt contra diſpoſitionem legis civilis & contra jura. Sic expreſſè habetur *l. Quemadmodum. Cod. de agricolis & cenſitis*, ibi, *Malæ fidei poſſeſſorem eſſe nemo ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur.*

Fides mala canonicè dicitur illa, quæ involuit peccatum mortale. Sic *cap. Vigilanti, cap. Quoniam omne, de præſcription.* Unde ille, qui civiliter habet bonam fidem, hoc eſt conſcientiam conformem legibus civilibus, ſi in ea eſt læſio peccati, eſt abſolutè mala fides, nec qui ſic poſſidet, poteſt tuta conſcientia rem præſcriptam poſſidere, etiamſi longiſſimi ſit temporis, & immemorabilis: etiamſi tranſierit ad hæredes ſuos vel non ſuos, ſi illi ſciant primum poſſidentem cum peccato invuſtæ acceptionis, aut detentionis poſſediſſe. Ex quo fit quod bona fides civilis & bona fides Canonica ſe habeant ſicut regimen civile & Canonicum, ex quibus leges, quibus conformantur, manant: atque ita ſicut regimen Canonicum damnat civile in eo quod opponitur animæ, ita bona fides Canonica in eodem excludit civilem; quod ſi bona fides civilis ſit ſine peccato, eam non damnat, nec damnare poteſt lex Eccleſiaſtica, cùm Pontifex ad regimen civile per ſe non extendatur. Similiter ſi ſit mala fides civilis abſque peccato mortali, eam in foro animæ non damnat lex Canonica, quæ capitibus citatis præſcriptionem malæ fidei univerſaliter damnat, ſumens malam fidem pro mala conſcientia, quæ abſolutè dicitur bona, vel mala, quatenus eſt ſine peccato, aut cum illo. Quare poſſeſſor malæ fidei civilis, ut præſcribat, præſupponit bonam fidem Canonicam, hoc eſt, conſcientiam non læſam peccato mortali iniuſtæ acceptionis, vel detentionis. Unde eo ipſo quòd lex civilis concedat poſſeſſori malæ fidei civilis præſcriptionem intra ſpatium definiti temporis, eo elapſo jam non eſt poſſeſſor malæ fidei, ſed bonæ, tam civiliter, quàm Canonicè. ut conſtat *ex l. Iuſtè poſſidet ff. de acquir. poſſeſſ.*

Hanc diſtinctionem malæ fidei Canonicæ & civilis, & quòd mala fides civilis ſimul cum bona fide Canonica ſat ſit ad præſcribendum in foro conſcientiæ, ponit noviſſimè Thomas Hurtado *in reſolutionib. ſuor part. 2. tract. 8. cap. 1. §. 5.* cui ſuffragatur Covarruvias *in regul. Poſſeſſor. parte 2. §. 7. num. 8. verſ. Ego ſane, circa medium*, Molina *de juſtit. tract. 2. diſp. 64. num. 7.* Sed plura de his occurrent dicenda infrà *verb. Præſcriptio.*

Th. Hur. Covar. Molina.

Vide verb. Cardinalis *num 6.* Dubium *num. 3. & ſequent.* Fructus *num. 4. & ſequent.* Præſcriptio. Probatio *num. 2.*

PRECARIVM.

SUMMARIUM.

1 *Qui precariò dare & accipere poſſint.*
2 *An precarium differat à ceteris contractibus.*
3 *An qui precarium dedit, poſſit ſuo arbitratu etiam ſine ulla cauſa illud revocare.*

1. OMnes qui contrahere poſſunt, etiã precariò dare & accipere queunt: quia precariũ eſt contractus; proinde neceſſe eſt, ut ſint rationis compotes & doli capaces: quia abſque contrahentiũ conſenſu cõtractus nullã vim habet; quare ſicut filiifamiliàs & ſervi commodare & cõmodatum accipere poſſunt, ſic & precarium dare & accipere queunt, ut patet ex *l. Si ſervus, ff. de precario.*

2. Precariũ differt à mutuo, quod in mutuo trãſfertur dominium, non item in precario: & ob id differt etiam à venditione, quod venditio eſt contractus oneroſus, non verò precarium; quia ad preces eius, qui id petit, ſolet concedi. Differt à Depoſito, quod Depoſitum ordinariè fit in favorem deponentis: Precarium verò in favorem accipientis. Deinde Precarium conceditur ad aliquẽ uſum, Depoſitum verò ordinariè conceditur ad cuſtodiam, licet utrumque repeti poſſit ad libitũ concedentis. Differt à locatione, quòd locatio fit in utriuſque contrahentis utilitatem; precarium verò in utilitatem ſolius accipientis: Porrò differt à commodato, quòd precarium revocari vel repeti poſſit ante uſum; commodatum verò non item: quia precarium tamdiu retineri poteſt ad uſum accipientis, quamdiu placuerit ei qui dedit. Ita Leſſius *l. 2. c. 27. dub. 1. n. 4.* Navarrus *in man. c. 17. n. 182.* Sylveſt. *verb. Precarium*, Filliuc. *tr. 34. n. 195.* Reginaldus *lib. 25. n. 470.* & alij communiter.

Leſſius. Navarrus. Sylveſter. Filliucius. Reginald.

3. Qui precarium dedit, poteſt ſuo arbitratu etiã ſine ulla cauſa illud revocare. Ratio eſt; quia precarium ex libera dantis voluntate exiſtit & pendet. Id tamen facere nõ debet cum magno damno precatarij abſque rationabili cauſa: nam obſtaret exceptio doli, cùm negari nequeat, quin precariũ ſit beneficium, quo juvari & non decipi accipiens debet. Quare doli exceptione cogetur concedẽs, qui ſine juſta cauſa illud ſtatim ac conceſſum eſt, voluerit revocare: proinde arbitrio prudentis judicis tempus aliquod accipienti concedetur, quo re precariò accepta uti poſſit. Hæc tamen repetitio precarij ſine cauſa, & cum magno damno precatarij, tantùm eſt contra charitatem, & non contra debitum juſtitiæ. Ita Covarruvias *lib. 3. variar. c. 15. n. 6.* Navarrus *in man. c. 17. n. 182.* Molina *tract. 2. diſp. 298.* Lopez *lib. 2. de contract. c. 34.* Fauſtus *in ſpecul. Confeſſar. diſp. 15. q. 5. & 6.* & alij.

Covar. Navarrus. Molina. Lopez. Fauſtus.

PRÆCEPTVM.

SUMMARIUM.

1 *Præceptum quid ſit.*
2 *Præceptum dividitur in generale & ſpeciale ex parte materiæ.*
3 *Præceptum ex fine dividitur in morale, ceremoniale & judiciale.*
4 *An præcepta Decalogi ſint tantùm decem, & quare.*
5 *An præcepta omnia moralia veteris legis reducantur ad decem præcepta Decalogi.*
6 *An præcepta moralia Decalogo ſuperaddita diſtinguantur à præcepto principali & faciant*

ciant diverſa præcepta.

7 *Præcepta moralia divinæ legis an ſint de omnibus actibus virtutum.*

8 *Quomodo ſeptem peccata capitalia mortalia ad Decalogum reducantur.*

9 *An tranſgreſſio divinorum præceptorum, quæ in Decalogo continentur, regulariter ſit mortalis.*

1. PRæceptum, cùm nihil aliud ſit quàm *motio Superioris imperatoria ad aliquid agendum vel fugiendum ex neceſſitate*, ut docet D. Thomas varijs in locis ſuæ Summæ, ut ſub hoc verbo diximus D.Thom. *tom.* 1. *n.* 1. ideò ſingulæ partes ejus definitionis breviter explicandæ ſunt. Dicitur *Motio*, ad ſignificandum quod præceptum in Superiore eſt actus rationis & voluntatis. Dicitur *Superioris*, quia præceptum denotat in præcipiente Superioritatem, & in exequente ſubiectionem. Dicitur *ad aliquid faciendum, vel fugiendum*, ut oſtendatur præcepti materiam eſſe actum virtutis & vitij, quorum primus eſt complectendus & agendus, ſecundus verò fugiendus. Dicitur *ex neceſſitate*, ut intelligatur præceptum imponere neceſſitatem obediendi, ita ut peccatum ſit, ſi non fiat id quod præcipitur; per quod diſtinguitur à conſilio, quod nullam inducit neceſſitatem & obligationem, ſed eſt in arbitrio & voluntate facientis, ut dicitur in c. *Quiſquis* 14. quæſt. 1. *Quod præcipitur, imperatur: quod imperatur, neceſſe eſt fieri: ſi non fiat, pœnam habet.* Et infrà: *Vbi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt: ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervientis.*

2. Præceptum ex parte materiæ dividitur in generale & ſpeciale. Generale præcipit bonum & prohibet malum in genere, ut eſt illud Pſal. 33. *Diverte à malo, & fac bonum*, vel in genere præcipit obſervantiam mandatorum, ut datum eſt Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Speciale eſt, quod certæ virtutis actũ præcipit, vel ſpecialis vitij actum prohibet. Circa quæ eſt notandum, quod peccatum commiſſum contra ſpeciale præceptũ contentũ ſub generali, tantùm ſit unum; v. g. homicidiũ Ioannis, quod eſt contra præceptũ ſpeciale de non occidendo, & contra generale de obediendo Deo in omnibus quæ præcipit, nõ eſt niſi unicũ peccatũ: quia hæc in ſe ſunt cõnexa & unũ ad aliud ordinatur. At peccatũ commiſſum contra plura ſpecialia præcepta, quorum unũ in alio non continetur, non unum, ſed plura ſunt: quia cùm plures diſtinctas obligationes imponant, tranſgreſſorem conſtituunt diſtinctarum culparũ reum. Ita Navarrus *in man. c.* 11. *n.* 4. Re- Navarrus. ginaldus *lib.* 16. *n.* 35. & 38. & alij communiter. Reginald.

Hinc colligitur multa eſſe peccata, quæ, cùm non ſint contra rectam rationem, generali tantùm præcepto, non autem ſpeciali, repugnare cenſentur, ut intentio peccandi in communi, eſt contra ſyndereſim, quæ in genere dictat malum eſſe fugiendum; & ſeipſum interficere, eſt contra rectam rationem, quæ id vetat; quamvis fiat ſine alterius iniuria, ſive privata, ſive etiam communi Reipublicæ; ut ſi quis eſſet Reipublicæ omninò inutilis, vel etiam perniciosus.

3. Præceptum dividitur ex fine in morale, quod ad rectam morum inſtitutionem; cæremoniale, quod ad Dei cultum; & iudiciale, quod ad iudicium inter homines pertinet. Quæ tria genera in omni lege fuerunt, tam naturali, quàm Moſaica & Euangelica: ſed ita ut duo poſteriora diverſa eſſent in diverſis legibus, & primum idem eſſet in omnibus. Ratio autẽ hujus triplicis generis hæc eſt, quia de ratione legis divinæ eſt, ordinare homines ad Deum, ad ſeipſum, & ad proximum: bonitas autem omnis eſt virtus, quæ bonum habentem facit; unde oportuit præcepta de actibus virtutum dari, qualia ſunt præcepta legis moralia ſeu Decalogi, quæ legem naturalem in ſe continent. Decalogus enim eſt ſumma & brevis epitome legis naturalis & divinæ, decem moralibus præceptis comprehenſa. Quia verò homo actiones ſuas ad Deum referre debet non ſolùm per actus interiores mentis, puta per fidem, ſpem & charitatem, ſed etiam per exteriora quædam opera, quibus homo divinam ſervitutem profitetur, talia opera ad Dei cultum magis propriè pertinere dicuntur, qui cultus cæremonia vocatur. Et quamvis colere Deum ſit actus virtutis, & ſic ad morale præceptum pertineat, hujus tamen præcepti determinatio, ut ſcilicet taliter colatur, ad præceptum cæremoniale pertinet. At verò, ut homo ad proximum modo debito & convenienti ordinaretur, inſtituta ſunt præcepta iudicialia; nam ad iuſtitiam pertinet, homines rectè inter ſeipſos ordinare. Quamvis enim actus iuſtitiæ in generali ad præcepta moralia pertineat, determinatio tamen ejus in ſpeciali pertinet ad præcepta iudicialia, ut latiùs oſtendit D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 99. Sylvius *ibidem*, Clavis Regia *lib.* 4. *cap.* 1. Trullench *in Decalog. prælud.* 1. *n.* 4. Reginaldus *loco citato, n.* 36. D.Thom; Sylvius. Clav.Reg. Trull. Reginal.

4. Præcepta Decalogi tantùm ſunt decem, prout nomen ipſum teſtatur: ſortitur enim Decalogus hoc nomen, ex numero decem præceptorum, quibus conſtat. Nam Exodi 34. v. 28. dicitur, *quòd Moyſes ſcripſit in tabulis verba fœderis decem.* Ratio autem denarij numeri præceptorum Decalogi non poteſt reddi melior à priori, quàm divina voluntas, quæ apertè conſtat ex *cap.* 20. *Exod.* ubi tantùm decem proponuntur. Et cap. 4. Deuteronom. hæc verba habentur, verſ. 13. *Et oſtendit vobis pactum ſuum, quod præcepit ut faceretis, & decem verba, quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis.* Quia tamen ipſa voluntas divina ſemper eſt rationi conſentanea; iſtam ut accommodatam ad captum noſtrum adferunt Theologi poſt D. Thomam 1. D.Thom. 2. *quæſt.* 100. *art.* 5. Præcepta legis ordinant hominem, ut bene ſe habeat cum communitate & capite illius, quod eſt Deus. Ut autem bene ſe habeat cum communitate, prius bene ſe debet habere erga illius Principem, & ſecundò erga Concives. Principi ergo communitas tria debet præſtare. *Primò*, fidelitatem. *Secundò*, reverentiam. *Tertiò*, ſervitutem & famulatum: & ita cùm Deus ſit caput totius univerſi, debetur illi fidelitas non recognoſcendi aliud caput præter ipſum, & ſic ponitur primum præceptum, nempe ut honor Deo debitus ad alios non transferatur, dicendo: *Non habebis Deos alienos coram me.* Secundò præcipitur reverentia ad Deum, ne videlicet ejus nomen aſſumatur in vanum. Tertiò præcipitur famulatus, ut homo vacet cultui Dei: *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.*

Vt autem quis ſe bene habeat erga concives, priùs ſe debet bene habere erga illos, quibus ſpecialiter aliquid debet, ut ſunt parentes; & ſic ponitur præceptum de honoratione parentũ. Quantum ad omnes homines, ut nulli nocumentum inferat; neque opere, vel quantum ad perſonam propriam, vel quantum ad aliam ei coniunctam, vel quantum ad bona, quæ poſſidentur: & hac ratione ponuntur præcepta, *Non occides*, *Non mœchaberis*, *Non furtum facies.* neque ore, & ideò dicitur: *Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* neque corde, & ideò prohibetur concupiſcentia uxoris alienæ ac deinde cuiuſlibet

rei

Clav.Reg. Sylvius. Reginal. Trullench

rei alterius. Ita Clavis Regia *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 9. Sylvius 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 5. Reginaldus *lib.* 16. *num.* 44. Trullench *in Decaleg. prælud.* 1. *num.* 9. & alij.

5. Præcepta omnia moralia veteris legis reducuntur ad decem præcepta Decalogi. Sed aliqua pertinent ad Decalogum antecedenter, ut ſunt illa generalia & prima principia iuris naturalis, nempe bonum faciendum, malum verò fugiendum, & quod tibi vis fieri, alteri fac, quod tibi non vis, alteri non facias. Alia conſequenter, ut ſunt illa quæ ex Decalogo à ſapientibus diligenti ſtudio colliguntur: cùm autem ad illa colligenda ſtudium diligens requiratur, proinde in Decalogo expreſsè non proponuntur; includuntur tamen virtualiter in ipſo Decalogo tanquam concluſiones in ſuis principijs. Alia in ipſo Decalogo formaliter & expreſsè continentur, ut ſunt decem præcepta moralia legis naturæ. Alia denique ſe habent ad Decalogum tamquam quid prævium & præambulum, ut ſunt præcepta fidei, ſpei & charitatis. Dicuntur autem præambula, quia ſine illis Decalogus conſtare non poteſt: nam prior eſt ſubiectio ad legiſlatorem, quàm ut proponantur leges & præcepta à legiſlatore. Ut autem quis alteri tanquam legiſlatori ſe ſubijciat, debet illum cognoſcere, ab ipſo præmium, ſeu pœnam ſperare, & illum aliquo modo amare. Cùm ergo per fidem Deum legiſlatorem cognoſcamus, per ſpem ab ipſo præmium ſperemus, & per charitatem eum diligamus, proinde accommodatiſſimè hæc tria præcepta, prævia & præambula ad Decalogum appellantur, quia ſine illis nec legiſlatori ſubiectio, nec Decalogus conſtare poteſt. Non continentur autem hæc tria in Decalogo; nam ſolo lumine naturali non cognoſcuntur: ad Decalogum enim pertinent illa præcepta, quorum notitiam habet homo per ſeipſum à Deo, illa ſcilicet, quæ ratio naturalis ſtatim cuilibet homini diiudicat facienda, vel non facienda. Vide D. Thomam *prima ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 3. *& ſecunda ſecundæ quæſt.* 16. *art.* 1. & *quæſt.* 22. *art.* 1. Sylvium *prima ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 3. Clavem Regiam *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 1. *&* 2. Ex his concludi poteſt, quod Decalogus fons ſit omnium legum, tam Eccleſiaſticarum, quàm civilium; cùm ex illo deducantur quæcumque uſpiam legitimè præcipiuntur. ut pluribus tradunt Sayrus in Clavi Regia *loco citato*, *num.* 4. Trullench *loco citato*, *numero decimo-octavo*, & alij Theologi, Geſualdus *in Theolog. moral. parte tertia*, *tractatu ſecundo*, *cap.* 1. *num.* 1.

Sayrus, D. Thom. Sylvius, Clav.Reg. Clav.Reg. Trull. Geſuald.

6. Præcepta moralia, quæ conſequenter ſe habent, & Decalogo ſunt ſuperaddita, non diſtinguuntur à præcepto principali, nec faciunt diverſa præcepta Decalogi: quia omnia hæc præcepta ſubordinantur principali, & omnia ad unum finem tendunt; verbi gratia, hęc duo præcepta, Non habebis Deos alienos, Non facies tibi ſculptile, non diſtinguuntur ab hoc principali, Unum colę Deum: quod videtur inſinuare D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. *ad* 2. dum docet præcepta negativa orta ab affirmativis, vel è contrà, non diſtingui ab ipſis, à quibus oriuntur, eò quòd mutuo includantur. Siquidem primum tabulæ primæ præceptum, quod D. Auguſtinus numerat triplex, ſcilicet, unum affirmativum morale, *Ego ſum Dominus*, id eſt, colas me pro vero Deo. Alterum morale item ſed negativum ſcilicet, *Non habebis Deos alienos*. Tertium cæremoniale, *Non fácies tibi ſculptile*, ad venerandum illud pro Deo. Quæ tria præcepta non ſunt ſeparatim numeranda, ſed ſecundùm ſubordinationem unum ſunt cum illo, *Non habebis Deos alienos coram me*: quia eò tendebant hæc omnia, ut coleretur rectè unus Deus, & periculum ſuperſtitionis, & idololatriæ penitus removeretur. Ita Clavis Regia *loco cit. num.* 8. & Trullench *loco citato*, *num.* 19. & alij.

D. Thom. Clav.Reg. Trull.

7. Præcepta moralia divinæ legis ſunt de omnibus actibus virtutum, ſeu lex divina proponit præcepta moralia de actibus omnium virtutum. Ratio eſt, quia finis divinæ legis eſt coniungere homines cum Deo: ergo ad eam pertinet proponere præcepta de omnibus illis, per quæ homines bene ordinatur ad coniunctionem cum Deo. Hęc coniunctio fit per actus omnium virtutum: nam virtutes intellectuales ordinant benè actus rationis in ſeipſis: virtutes verò morales ordinant bene actus rationis circa interiores paſſiones, & exteriores operationes. Quare manifeſtum eſt, quod hæc lex divina proponat præcepta de omnium virtutum actibus: ita tamen quod quædam, ſine quibus ordo virtutis, qui eſt ordo rationis, obſervari non poteſt, cadant ſub præcepti obligatione; quædam verò, quæ pertinent ad bene eſſe virtutis, cadant ſub admonitione conſilij, ut vivere in caſtitate, ſine propriò, &c. proinde hæc lex divina ab humana differt, quod humana ordinat hominem ad communitatem civilem, quæ eſt hominum ad invicem; homines autem ordinantur ad invicem per actus exteriores, qui ſunt virtutis iuſtitiæ, per quam ſcilicet, unicuique quod ſuum eſt tribuitur, non alia præcepta proponit, quàm quæ ad iuſtitiam pertinent: & ſi aliquando lex humana præcipit actus aliarum virtutum, hoc eſt per accidens, in quantum ſcilicet rationem iuſtitiæ involuunt; ut ſi lex humana præcipiat temperantiæ moderamen, non tamen prohibet, ne quis aut ſecum, ut cum ſua uxore ſit intemperans; ſed tantùm prohibet, ne adulterij iniuſtitia committatur. Lex autem divina cùm homines ad Deum ordinet, vel in præſenti vita, vel in futura, & homo non ſolùm iuſtitiæ, ſed etiam aliarum virtutum actibus internis, & externis cum Deo coniungatur, conſequenter de virtutum omnium actibus præcepta proponit. Ita D. Thomas 1. 2. *q.* 100. *a.* 2. Sylvius & alij commentatores *ibidem*, Clavis Regia *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 12.

D. Thom. Sylvius.

8. Quomodo ſeptem capitalia peccata, quæ communiter mortalia appellantur, ad Decalogum reducantur, & quo præcepto prohibeantur, ſequentia notanda ſunt.

Primò, Superbia reducitur ad primum præceptum, in quantum ſcilicet ſuperbus aliquid Deo detrahere conatur, ut cùm Deum non adorat, vel vult æquari cum Deo, vel id quod à Deo habet, negat habere, vel exiſtimat ſibi ob ſua merita deberi. Poterit etiam quandoque reduci ad quartum præceptum, in quantum ſcilicet per ſuperbiam proximus contemnitur.

Secundò, Avaritia, quæ eſt inordinatus appetitus habendi, reducitur ad ſeptimum & decimum præceptum, in quibus furtum, detentio & concupiſcentia bonorum proximi prohibetur, ideoque mediante avaritia fiunt rapinæ, iniuſtitiæ, uſuræ, fraudes, compoſitiones, &c.

Tertiò, Luxuria, quæ conſiſtit in operationibus carnalibus immundis, quæ fiunt extra ſtatum coniugalem, reducitur ad ſextum præceptum, in quo dicitur, *Non mœchaberis.*

Quartò, Ira, quæ eſt inordinatus appetitus vindictæ, & invidia, quæ eſt triſtitia de bono alieno, reducuntur ad quintum præceptum, in quo dicitur, *Non occides.*

Quintò,

Quintò, Gula, quæ est inordinatus appetitus cibi & potus, ad tertium præceptum reducitur; nam quietem mentis ad Deum impedit, quæ tertio præcepto præcipitur. Prohibetur etiã Gula sexto præcepto, eo quod maximè ad luxuriam disponit.

Sextò, Acedia, quæ est tristitia de bono spirituali, ut ad ipsum hominem spectat, reducitur ad tertium præceptum, in quo præcipitur Sabbathi sanctificatio; nam homo mediante Acedia relinquit sæpe sæpiùs audire sacrum in diebus festivis, vel recitationem divini officij, vel voti & juramenti adimpletionem contra secundum Decalogi præceptum, prout explicat Fabius Incarnatus *in suo scrutinio parte prima, tractatu 6. capite primo, in fine,* & post illum Trullench *in Decalog. prælud. 3. num. 10.*

Fab. Inc. Trull.

9. Transgressio divinorum præceptorum, quæ in Decalogo continentur, regulariter est peccatũ mortale: quia omnia præcepta illa obligant sub pœna peccati mortiferi, nisi parvitas materiæ, inadvertentia, aut mentis subreptio aliquando excusset à culpa mortali, prout docent D. Thomas 1. 2. *quæst.* 88 *art.* 5. Navarrus *in man. cap. 11. num. 4.* Toletus *in Summ. lib. 4. cap. 12.* Clavis Regia *lib. 4. cap. 12. num. 14.* & alij communiter. Probatur: peccatum mortale est illud, quod avertit ab ultimo fine, & destruit charitatem. Sed omnia peccata contra Decalogi præcepta avertunt, ab ultimo fine, & destruunt vitam animæ, nempe, charitatẽ; quia vita animæ est justitia & charitas, & omnia Decalogi præcepta pertinent ad justitiam & charitatem: ergo peccata contra Decalogum commissa destruunt charitatem, & per consequens regulariter & ex se sunt mortalia.

D. Thom. Navarrus. Toletus. Clav. Reg.

Gravitas autem peccatorum, quæ contra præcepta Decalogi committuntur, consideranda est juxta qualitatem præcepti, contra quod fit transgressio. Quare graviora sunt peccata, quæ committuntur contra præcepta primæ tabulæ, quàm illa, quæ committuntur contra præcepta secundæ tabulæ. Ratio est; quia illa sunt directè contra Deum, vel eius cultum; hæc autem sunt contra charitatem proximis nostris debitam. In illis autem contra præcepta primæ tabulæ, grauissimum peccatum est illud, quod committitur contra primum præceptum, & minus contra secundum, & non adeò grave contra tertium: nam in primo offenditur fidelitas debita uni Deo, adorando creaturas pro creatore. In secundo fit irreverentia debita suo nomini, & in tertio non præstatur debitus cultus diebus festivis.

Similiter etiam in præceptis secundæ tabulæ servatur ordo gravitatis; gravius enim & magis rationi repugnans est peccare opere, quàm ore, & gravius est peccare ore, quàm corde contra proximum. Et inter peccata operis, gravius est homicidium, quàm adulterium. Et adulterium gravius est furto, quo auferuntur bona externa temporalia, quæ sunt minoris existimationis, quàm honor & vita, &c. De quibus vide D. Thomam 1. 2. *q.* 100. *art.* 5. Reginaldum *lib. 16. num. 46.* Gesualdum *in Theolog. mor. parte 3. tract. 2. cap. 1. num. 30. & seq.* Trullench *in Decalog. tom. 1. prælud. 1. num. 16.*

D. Thom. Navarrus. Toletus. Gesuald.

Vide verb. Eleëmosyna, *num.* 11. Debitum Conjugale 1. *num.* 2. Dubium *num.* 13. Scandalum *n.* 6. Mutuum *num.* 3. Restitutio *num.* 2. & 3. Missa III. *num.* 3. Lex I. *num.* 6. & *sequentibus*. Humilitas *num.* 7. Spes *num.* 6. & 8.

PRÆDICATIO.

SUMMARIUM.

1 *Qui teneantur ex officio ad prædicationem verbi Dei, & quibus diebus.*

2 *An obligentur fideles diebus Dominicis & festis ad audiendam concionem in Parochia?* Refertur duplex sententia.

3 *An Parochi qui rarò, aut nunquam prædicationem ad populum habent, à peccato mortali excusentur.*

4 *An prædicatio verbi Dei, ex commissione Sedis Apostolicæ, vel ex instituto possit religiosis convenire.*

5 *An regularis possit absque præsentatione coram Episcopo & petitione benedictionis ab eodem in Ecclesijs proprijs & plateis communibus prædicare.*

6 *An regulares in Ecclesijs suorum Ordinum, contradicente Episcopo prædicare possint.*

7 *In tribus casibus Prædicator à prædicatione est suspensus, ex Concil. Lateranensi; Et suspendendus ex Concil. Tridentino.*

An Episcopus possit regularem exemptum à prædicatione suspendere, aut suspensum declarare? Refertur duplex sententia.

8 *Quæ qualitates debeat habere Prædicator verbi Dei.*

9 *Qualis debeat esse Prædicatorum doctrina, & à quibus debeant in prædicatione abstinere.*

1. EX decreto Concilij Tridentini *sess. 5. capite 2. de reform.* omnes Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & omnes alij Ecclesiarum Prælati tenentur per seipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Iesv Christi Euangelium. Con. Tri.

Si verò contigerit Episcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento; juxta formam Generalis Concilij (nempe Concil. Lateranens. sub Innocent. III. cap. 10.) viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subiaceat ultioni: Archipresbyteri quoque, Plebani & quicumque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant, &c. Ita *Concilium*. Ex quo colligitur, *Primo*, quod universi Præpositi curam animarum gerentes, oves suas in his, quæ Dei sunt, ac eorum instituta concernunt instruere, ac eorum scelera eis annuntiare, ac eas verbi Dei prædicatione pascere debeant, adeò ut, nisi legitimo impedimento detenti, per seipsos tale munus exercere teneantur, etiamsi alia ministeria alijs committant. Rationem huius reddit D. Paulus, cùm *Act.* 20. ait: *Non enim subterfugi, quo minùs annunciarem omne consilium Dei vobis*, indicans, quod si verbum Dei illis annunciare subterfugisset, reus esset eorum mortis. Quippe quia omnium illorum, qui ob doctrinæ penuriam defecissent, interitus sibi essent adscribendi, ut adscribitur medico mors ægri, quem curare neglexit, & mors fame pereuntis ei, qui cùm posset, ac consequenter teneretur, pascere noluit.

Colligitur *Secundò*, quod ad idem munus prædicationis teneantur Archipresbyteri, & Eccleſiarũ rectores animarum curam gerentes, qui ſimiliter per ſe, vel per alios, ſi legitimè fuerint impediti, & in diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus animas ſibi commiſſas ſalutaribus verbis paſcere, eas docendo quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem.

Colligitur *Tertiò*, ex ijs quæ ſequuntur *in dicto cap. Tridentini*, quod in Eccleſijs Parochialibus, quæ mõnaſterijs ſubiectæ ſunt, & nullius ſunt Diœceſis, Prælati eorumdem Monaſteriorum ad id præſtandum poſſunt compelli à Metropolitanis, in quorum Provincijs Parochiæ ſupradictæ ſitæ ſunt. Ordinarij verò locorum, & Abbates Diœceſim habentes, in Parochijs, ubi Parochi prædicare non valent, alios idoneos deputent impenſis eorum qui tenentur, vel ſolent. Ex Con. Tri. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de reform.*

2. Ex dictis oritur difficultas, an obligentur fideles diebus Dominicis & Feſtis ad audiendam concionem in Parochia? Et quidem pro parte affirmativa facit, *Primò*, quod Concilium Tridentinum Con. Tri. *ſeſſ.* 24. *cap.* 4. *de reform.* dicit: *Moneat Epiſcopus populum diligenter, unumquemque teneri Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.* Ubi verbum *Teneri* importat verum præceptum. Si præceptum importat; ergo & obligationem in conſcientia. Nam, ut bene ait Suarez. Suarez *lib.* 3. *de legibus cap.* 26. *num.* 7. talis obligatio eſt effectus quaſi naturalis ipſius legis. Nam præceptum & obligatio mutuò ſeſe inferunt, quia ſunt convertibilia ac reciproca, tanquam cauſa & effectus immediatus & reciprocus: ergo omne præceptum eſt in conſcientia obligativum; & è contra omne in conſcientia obligativum eſt præceptum; quorum utrumque voce *Teneri* veriſſimè importatur.

Suarez. *Secundò*, iuxta Suarez *lib.* 3. *de legibus, cap.* 26. *num.* 5. tria requiruntur ad obligationem ſub mortali. *Primò*, eſt legiſlatoris intentio obligandi. *Secundò*, gravitas materiæ præceptæ, vel prohibitæ. *Tertiò*, verbum idoneum ad ſufficienter iudicandum obligationem ſub mortali: quale verbũ eſt *Præcipimus*, vel æquivalens, prout habetur ex Clementina *Exivi, de verbor. ſignific.* & *ex c. Exijt, eod. tit. in* 6. At verò in illis iuribus habetur, quod verbum *Teneantur* ſit æquivalens verbo præcipiendi. Dictæ autem tres conditiones videntur convenire huic legi Canonicæ Tridentini. Nam hæc illius verba, *Teneri unumquemque*, ſufficienter indicant intentionem obligandi legiſlatoris, nec contraria Concilij intentio aliunde conſtare poteſt. Secunda conditio, quæ eſt gravitas materiæ præceptæ hîc locum habet; quia nemo eſt qui rationabiliter non iudicet materiam eſſe noſtræ Religionis importantiſſimã, eoque de ſe vehemẽter gravem, populum Chriſtianum dictis ſanctis diebus in Sacra Dei domo, quæ eorum eſt Parochialis Eccleſia, cõventũ Religionis habere, ibique recipere ſpiritualia animarũ ſuarum pabula, cæleſteſq; verbi divini doctrinas ab ore proprio rum Directorum & Paſtorũ. Sed & inſuper valde etiam gravis eſt reſpectivè, id eſt, ſub ratione medij ordinati ad deſtinatum finẽ, qui quoque eſt gravis: nã hic finis, nõ eſt unum aliquod ſimplex bonum, ſed plura; nam quædã ſe tenent ex parte Parochiani cuiuſque; qualia ſunt peculiaris ac paterna inſtructio myſteriorũ fidei noſtræ: neceſſaria quædam notitia peccatorum, ad ea vitanda: virtutũ, ad eas exercendas: pœnarum etiam inferni, ad eas apprehendendas; æternæ itẽ gloriæ, ad eò aſpirandum: publicationem denique Epiſcopalium ac Paſtoralium, ſive ieiuniorum, ſive bannorum, ſive Feſtorum, &c. Alia inſuper bona ſe tenent ex parte ipſiuſmet Eccleſiæ Parochialis; qualia ſunt honor quem habet, ex eo quod à ſuis viſitetur & frequentetur: deinde emolumenta quæ inde illi proveniunt, ut ſunt oblationes, quas de iure & conſuetudine antiqua Parochiani facere ſolebant: Eleëmoſynarum collectæ, quæ fiebant in populo, ea in Miſſę parte, ubi celebrantis orationes propterea etiam hactenus Collectæ nominantur. Alia deniq; bona ſe tenent ex parte totius cõmunitatis gregatim ſũptæ: Alia ex parte Rev. DD. Epiſcoporũ & Paſtorũ, quę fusè proſequitur Auctor Theophili Parochialis *p.* 1. *a.* 9. ex Theoph. Paroch. quorum complexu reſultat unus quidam totalis atque integer dicti Decreti Tridentini finis valde gravis, & proinde eos iſto Canone præcepta, eſt conſequenter materia ex parte finis valde gravis.

Tertia etiam conditio convenit noſtro Canoni Tridentino: nam continet verbum *Teneri* æquivalens verbo præcipiendi, quod ipſum verbum Suarez dicit eſſe ſufficiens ad indicandum rigoroſam obligationem. Idem quod Suarez ſentit Suarez. Azorius *to.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *dub.* 5. Rodriguez *to.* 1. *qq. regul. quæſt.* 6 *art.* 13. Navarrus *in man. cap.* 23. *num.* 50. & 52. Azorius. Rodrig. Navarrus.

Accedit inſuper, quòd ius ipſum naturæ, ratioque naturalis obligationem iſtam à Parochianis exigat. Si enim Parochus tam ſtrictè illis diebus ad prædicandum obligatur, ut vidimus ſuprà ex Trid. *ſeſſ.* 5. *c.* 2. & *ſeſſ.* 24. *c.* 4. *de reform.* reverà, Con. Tri. omninò ſecundùm rationem, plebem ex adverſo ad audientiam illis ipſis diebus Concilium obligavit. Parochus enim & Parochianus correlativa ſunt; ut manifeſtum eſt, ſicut ovis & Paſtor: plebs & plebanus: paſcendus & paſcens; quorum natura poſtulat obligationes reciprocas: ut proinde rectè concludatur, Parochianorũ obligationẽ ad conciones Parochianas Dominicales audiendas fundatã eſſe in naturali iure, rectęq; inferri ex correlativa Paſtorũ obligatione. Hæc ſunt quæ faciũt pro parte affirmãte Parochianos teneri ad concionẽ diebus Dominicis, ubi comodè poſſunt.

His tamen non obſtantibus Suarez *to.* 1. *de re-* Suarez. *lig. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 6. & *ad* 3. *part. D. Tho. diſp.* 88. *ſect.* 2. *to.* 3. & cum eo Bonacina *to.* 2. *diſp.* 5. *q. unic. punct.* Bonacina. 2. *n.* 27. Caſtrus Palaus *to.* 2. *tr.* 9. *diſp.* 1. *punct* 4. *n.* Palaus. 5. & 6. Filliucius *tr.* 27. *n.* 132. & *ſequent.* Trullench Filliucius. *in Decal. to.* 1. *lib* 3. *dub.* 4. *n.* 4. Graffijs *t. p. lib.* 2. *c.* 34. Trull. *n.* 8. Azorius *p.* 1. *lib.* 7. *c.* 3. *q.* 7. ad quæſtionem re- Graffijs. ſpondent negativè. Ratio illorũ eſt, quia nullibi Azorius. extat præceptum, & communis ſenſus fidelium & uſus id confirmat. Quamvis enim quilibet ex vi charitatis, qua obligatur animæ ſuæ conſulere, teneatur diſcere præcepta, & alia, quæ ad animæ ſuæ ſalutem ſpectant, non tamen hinc ſequitur ipſum teneri ſub mortali feſtis diebus concionem audire, cùm poſſit alijs diebus concioni intereſſe, & aliunde diſcere neceſſaria ad ſalutem, aut alia, quæ ſcire tenetur. Tum etiam, quia fideles cõmuniter non ſolent ſe in confeſſione tanquam reos mortalis culpæ accuſare de prædicatione in die feſto non audita; ergo ſignum eſt non extare rigoroſam obligationẽ, qua fideles teneantur diebus feſtis concionẽ audire. Tum quia illa obligatio, ſi in rigore ſumatur pro obligatione præcepti, nõ eſt abſoluta, ſed ſuppoſita cõmoditate, ut Cõcilium loquitur, & doctrinæ neceſſitate: ſine qua, præceptum affirmativum non ſolet obligare quãdo lex ipſa tempus non determinat. Ad audiendam enim concionem nullũ hactenus eſt tempus lege præſcriptum, ut docent Suarez, Filliucius & alij.

& alij. Nam multi ex religioſis Monachis, qui ſolitariam vitam agunt, concionem non audiunt: Inter eos etiam, qui ſunt in oppidis, & civitatibus, plerique nunquam prædicationi ſeu concioni interſunt, nec tamen cenſentur propterea eſſe in peccato mortali. Ex quibus colligitur, nõ eſſe tale præceptum pro omnibus, ſed ad ſummum pro cuiuſque neceſſitate, & obligatione: proinde hæc obligatio eſt perſonalis juxta cuiuſque neceſſitatem; non habet tamen certam temporis determinationem, ſicut habet obligatiõ audiendi Miſſã.

Con. Trid. Ad locum autem Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* ubi dicitur, *Moneat Epiſcopus &c.* reſpondent Suarez *loco citato cap. 16. num. 10.* Filliucius *ſuprà* Suarez. Filliucius. *num. 134.* ibi tantùm judicari obligationem ex charitate, qua tenetur quiſque curam gerere ſalutis ſuæ, non tamen ex Eccleſiæ præcepto ad audiendam concionem in die Feſto.

Nec etiam obſtat quod idem Tridentinum Con. Tri. *ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* præcipiat Epiſcopis, aliiſque Paſtoribus ſeu Parochis, ut Dominicis diebus & ſolemnibus diebus prædicent per ſeipſos, vel per alios, ſi legitimè impediti fuerint. Reſpõdent Suarez, Bonacina, Trullench, Suarez. Bonacina. Trull. *ſuprà, Primò*, Curatores animarum teneri quidem oves ſuas paſcere prædicatione verbi divini, non tamen ita rigoroſè teneri, ut graviter peccent, niſi ſingulis diebus Feſtis concionem ad populum habeant; quia non videtur hoc tam rigoroſè præcipi, ut ipſa conſuetudo interpretatur, quin liceat abſque lethali culpa interdũ omittere; præſertim cùm in Concilio decernatur, ut puniantur ſolùm, ſi hoc munere trium menſium ſpatio fungi noluerint. Reſpondent *Secundò*, etiamſi admittatur Paſtores animarum teneri ſingulis Dominicis, aliiſque ſolemnibus Feſtis prædicare; non tamen inde inferendum eſſe, fideles teneri ſingulis diebus Feſtis concionem audire; fieri enim poteſt, ut Parochus frequentiùs teneatur prædicare, quàm ſinguli fideles præditationem audire; nam obligatio & munus Parochi, dirigitur ad ſubveniendum neceſſitati totius populi, qui cùm ferè ſemper indigeat verbo Dei, ſublevari & ſubveniri debet frequenti prædicatione Verbi Divini; obligatio verò fidelium eſt particularis, & reſpicit proprium bonum; cùm autem non omnes fideles ſigillatim ſumpti indigeant concione ſingulis diebus Feſtis, dicendum eſt fideles non teneri ſimpliciter diebus Feſtis concionibus intereſſe, quantum ad jus & præceptum Eccleſiæ: non negant tamen prædicti Auctores, ex lege charitatis & propriæ utilitatis, imò & neceſſitatis his temporibus maximè obligari fideles ad divini verbi prædicationem audiendam, propter maximam ignorantiam, quæ etiam in ipſis fidei rudimentis, ſeu principijs, & alijs ad ſalutem æternam omninò neceſſarijs communiter inter fideles reperitur. Ita illi.

Sed quia in decreto Concilij Trident. *ſeſſ. 24.* Con. Trid *cap. 4. de reform.* habetur, *teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi id commodè fieri poſſit, ad audiendum Verbum Dei*, ubi ſolus impedimenti caſus excipitur, caſu quo aliquis allegaret ſe habere ſufficientem doctrinam, non exinde deobligaretur; tum quia caſus ſcientiæ non eſt hic exceptus; tum quia Sacra Prædicatio, tam à Concilio commendata, non eſt inſtituta ſolùm ad erudiendum, ac docendum; (ne alioqui confundatur Eccleſia cum Academia) ſed inſuper, & quidem præcipuè, ad convertendum, terrendum, conſolandum, confortandum, animandum, inflammandum; ad peccatores ab inferni faucibus revocandos electos ad maiora merita & æterna præmia concitandos. Neceſſitas autem prædicationis pro iſta parte, locum minùs non habet in ſpeculativè ſciolis, quàm in idiotis. Satis utique, imò nimis obvium eſt, quod multi multa ſciunt, non ideò tamen ſanctiùs viuunt. Et unde hæreſes tam multæ? certè non ex defectu ſcientiæ, ſed humilis ad Eccleſiam Chriſti obedientiæ. Proinde Parochiani non ſolùm videntur obligati ad audiendum verbum Dei ob neceſſitatem doctrinæ, ſed etiam ob alias multas neceſſitates: nempe ad peccata fugienda, & virtutes omnes pro cuiuſque ſtatu exercendas: quò ſpecialem vim & incitamentum habet verbum Dei pungens & igniens.

Reſtat modò inquirendum, caſu quo fideles teneantur concionem audire, an tunc teneantur illam in propria Parochia audire; an verò ſatisfaciant ubicumque prædicationẽ audiendo? Reſp. ex verbis Concilij ſuprà poſſe colligi obligationẽ audiendi concionem in ſua Parochia, dum commodè fieri poterit, & cum hac limitatione cenſet Trullench *in Decal. tom. 1. lib. 3. c. 1. dub. 4. n. 11.* Trullench talem obligationem eſſe ex præcepto; nihilominus tamen cùm obligatio audiendi Miſſam in propria Parochia ferè ſublata ſit per contrariam conſuetudinem, etiam in hoc Belgio, ut diximus ſuprà *verb. Parochia, n. 9.* ita ſimiliter obligationi audiendi verbum divinum in propria Parochia per conſuetudinem derogatum eſt; quia videmus viros pios & doctos alibi audire verbum Dei, non in Parochia, ex eo fortaſſis, quòd eis plus ſatisfa- Zerolã cit unus, quàm alter Prædicator, ut ait Zerola *in praxi Epiſc. p. 1. verb. Prædicatio.* Hæc paulò fuſiùs præter ſolitum dicta ſint in gratiam lectoris.

3. Dubium eſt, an Parochi, qui ratò aut numquã prædicationem habent ad populum, excuſentur, & à peccato mortali ſint immunes? Reſp. & dico *Primò*, Contra præceptum divinum peccare toties Parochos mortaliter verbi divini prædicationem prætermittentes, quoties populus graviter indiget prædicatione; nam ex Dei mandato tenẽtur oves ſuas verbi divini prædicatione paſcere, ut tradit Concil. Trid. *ſeſſ. 23. c. de ref.* ergo maximè Con. Trid tenentur, dum populus graviter indiget.

Dico *Secundò*, Præciſa gravi populi neceſſitate non peccant graviter Parochi, ſi interdum, vel ſæpiùs non prædicent; quia Tridentinum non utitur verbis ita rigoroſam obligationem indicantibus, ut Paſtores animarum culpam gravem incurrere cẽſeantur, quoties prædicationem prætermittunt. Ita Suarez *tom. 5. de relig. lib. 2. cap. 16. n. 7.* Quan- Suarez. donam graviter peccent, nõ explicat Suarez; ſed Bonac. *tom. 2. diſp. 5. q. unic. punct. 2. n. 31.* putat pec- Bonacinã care, ſi duobus vel tribus menſibus totius anni diſcontinuis non concionentur. Ratio eſt; tum quia hæc videtur materia gravis non ſolum ſecundùm ſe, verùm etiam reſpectivè: tum quia Tri- Con. Trid dentinum *ſeſſ. 5. c. 2. de reform* decernit Parochos alioſque curam animarum habentes, ſi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, cogendos eſſe per cenſuras & alias pœnas; ſupponit ergo Tridentinum ſaltem trium menſium ſpatium eſſe notabilem & gravem culpam mortaliter peccantibus.

Dico *Tertiò*, Quando in eadem urbe vel Parochia non deſunt concionatores docentes ea, quæ populus ſcire tenetur, excuſantur Parochi: quia qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur: tum quia populus nullum ſalutis detrimentum patitur, & illius neceſſitati ſufficienter occurritur alio prædicationem habente. & ea videtur eſſe mens Concilij.

Tamen ſi deſint alii prædicatores, qui id munus præſtent, certum eſt teneri Parochos docere ſuas oves ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ut doctrinam Chriſtianam. Ita Toletus *in Sum. lib. 5. cap. 5.* Toletus. *n. 4.* Trullench *in Decal. tom. 1. l. 3. c. 1. dub. 4. n. 13.* Truil. Poſſevinus *de offic. Curati c. 3. q. 2.* apud quem plura Poſſev. toto hoc capite tertio de hac materia prædicationis, quæ Parochos tangit.

4. Quamvis prædicatio verbi Dei ſit proprium Epiſcoporum munus, nec non Prælatorum inferiorum Epiſcopo, & aliorum habentium curam animarum, ut patet ex Tridentino locis ſuprà memoratis, ex commiſſione tamē Sedis Apoſtolicæ, vel etiam ex proprio inſtituto poteſt idipſum religioſis convenire. Proinde à diverſis Pontificibus facultas eſt abſolutè conceſſa regularibus prædi- Inno. III. candi. Probatur hoc ex conceſſione Innocētii III. quâ beato Patri noſtro Franciſco & ſociis eius, prædicandi, ac verbi Dei ſemen in omnem terrā ſpargendi licentia conceſſa eſt per Bellā, ut habetur *in Compend. Privil. Mend. §. 1. verb. Prædicatores.* Com. priv Huic conceſſioni acceſſit Clemens IV. Bulla, cuius Clem. IV initium eſt, *Quidam temerè*, quâ fit facultas Ordinis Minorum Provincialibus, unà cum ſuis Diffinitoribus in Capitulis Provincialibus congregatis, committendi facultatem prædicandi ſuis ſubditis, ut habetur eodem compendio *loco citato §. 6.* atque eadem facultas facta fuit Carmelitis & Auguſtinianis, ut eodem Paragrapho cōtinetur. Denique omiſſis aliorum Ordinum quoad hoc munus conceſſionibus, indultum eſt Patribus Societatis Iesv à Paulo Papa III. in Bulla, quæ incipit, Paul. III. *Cùm inter cunctas*, his verbis: *Vobis & cuilibet veſtrū, qui ad hoc idoneus repertus, & per veſtræ Societatis Præpoſitum pro tempore exiſtentem deputatus fuerit, in quibuſvis Eccleſiis & locis, ac plateis communibus, ſeu publicis, & aliàs ubique locorum, clero & populo Verbum Dei prædicandi, ac eos viam veritatis edocendi; & ad bene beateque vivendum: ita ut in vobis verbo & exemplo pariter ædificentur, in Domino hortandi & admonendi, plenam & liberam facultatem auctoritatis Apoſtolicæ beneplacito concedimus.* Quæ conceſſio licet à Tridē- Gr. XIII. tino revocata videatur, poſtea tamen à Gregorio XIII. fuit convalidata in Bulla, quæ incipit, *Vigore privilegij*, cum clauſula revocatoria cuiuſlibet Generalis Concilij his verbis: *Vigore privilegij veſtræ Societati à felic. record. Paulo Papa III. prædeceſſore noſtro conceſſi, ut veſtrum quiſque idoneus & à Præpoſito pro tempore exiſtenti eiuſdem Societatis deputatus, Verbum Dei publicè prædicare, &c.* Quod privilegium poſtea confirmat, & prohibet Ordinariis, ne illius poſſeſſione huiuſmodi regulares moleſtent: *Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Generalibus & Provincialibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.* Ex quibus manifeſtè conſtat tum dictos regulares, tum ceteros, qui eorumdem privilegiis gaudent, habere à Sede Apoſtolica facultatem prædicandi, & Prædicatores à ſuo Ordine eligendi & conſtituendi. Nec Romanus Pontifex ullam iniuriam facit Epiſcopo, quando aliis, quā Epiſcopo facultatem prædicandi concedit; quia utitur iure ſuo: & ſicut illi iniuriam nō facit, cùm Archidiacono & Parocho eam concedit; ſic nec quando aliis quibuſdam idoneis eam impartitur. Alioquin iniuriam etiam faceret Parocho Epiſcopus, dum Prædicatorem in illius Parochiam ad prædicandum mittit: quod nemo ſanæ mentis affirmabit.

Rodrig. De la Cr. Cajetan. De his videndus Rodriguez *tom. 3 qq. reg. q. 31. art. 4. ad 2. argumentum*, De la Cruz *de ſtat. rel. lib. 1. cap. 7. dub. 2.* Caietanus *2. 2. q. 187. art. 1.*

5. Dubium eſt, an regularis poſſit abſque præſentatione coram Epiſcopo, & petitione benedictionis ab eodem in Eccleſiis propriis, ac plateis communibus prædicare? Ratio dubitandi eſt, quia Benedictus Papa XI. Extra- Bend. XI. vag. *Inter cunctas, de privileg.* facultatem concedit abſolutè regulari in ſuis Eccleſiis & plateis prædicandi, nulla facta mentione præſentationis coram Epiſcopo, petitionis benedictionis, aut ad Epiſcopum recurſus. Et excipit ibi Pontifex duos caſus, in quibus Epiſcopi conſenſus eſt requiſitus, his verbis: *Caveant tamen omninò, ne hora in qua Diœceſani prædicti prædicarent, vel facerent coram ſe prædicari, prædicent ipſi fratres, niſi forſan hoc facerent de voluntate Diœceſanorum ipſorum, &c.*

Quod ius per Clementem V. renovantem conſtitutionem Bonifacii VIII. in Concilio Ge- Clem. V. Bon. VIII nerali Viennenſi *in Clement. Dudum, de ſepultur.* non derogatur, imò confirmatur, ut ſequentia verba oſtendunt: *De ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus & ordinamus, ut dictorum Ordinum Fratres in Eccleſiis, ac locis eorum, ac in plateis communibus, liberè valeant clero & populo prædicare, ac proponere Verbum Dei, horâ illâ dumtaxat exceptâ, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari, in qua prædicare ceſſabunt, præterquam ſi aliud de Prælatorum ipſorum voluntate proceſſerit, licentia ſpeciali.* Ex quo patet ius illud prædicandi à Benedicto conceſſum augeri per illud ad verbium *Solemniter*: ita ut, ſi Epiſcopus non faciat coram ſe ſolemniter prædicare, poſſit regularis ſine præſentatione coram eo, ac ſine eius benedictione & licentia in dictis locis prædicare. Accedit, quod Bonifacius IX. Bonif. IX. longè poſt Clementem V. Fratribus Prædicatoribus indulſit, ut de ſola Pontificis Romani facultate poſſent in dictis locis prædicare, cuiuſcumque inferioris Summo Pontifici ſuper hoc licentiâ minimè requiſitâ, ut habetur *in Compendio Privileg. Mendic. verb. Prædicatores §. 13.* Com. priv ex quibus apparet iure antiquo huiuſmodi præſentationem & petitionem benedictionis non requiri.

Sed dices: Obſtat Concilium Tridentinum Con. Trid. *ſeſſ. 5. cap. 2. de reformat.* ubi decernit, quod *Regulares cuiuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus & ſcientia examinati & approbati fuerint; ac de eorum licentia etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint: cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.*

Quod Decretum confirmavit idem Tridenti- Con. Tri. num *ſeſſ. 24. cap. 24. de reformat.* dicens: *Nullus autem ſæcularis, ſive regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo prædicare præſumat: in reliquis, ea quæ de prædicationis munere ſub eodem Paulo III. decreta fuerunt, ſuum robur obtineant.* Ergo tenetur regularis ſe Epiſcopo repræſentare & ab illo benedictionem petere antequam in ſua Diœceſi prædicare poſſit. Ad hæc reſponderi poſſet, Pium V. in Bulla, *Etſi mendicantium* Pius V. *Ordines*, interpretando præfatum decretum *ſeſſ. 24.* & ex conſequenti illud *ſeſſ. 5* in eodem incluſum, declarare, regulares Mendicantes ſub illo non comprehendi; & vult quòd Fratres Ordinum Mendicantium in ſuis Eccleſiis, quando eis placuerit, licitè, & abſque ullo impedimento, vel contradictione etiam Epiſcopi, niſi ipſe prædicaverit, prædicare poſſint. Quibus poſitis, totum hoc dubium reſolvendum venit,

an

an hæc Bulla Pij V. quæ incipit, *Et Mendicantium Ordines*, fuerit revocata per Bullam Gregor. XIII. quæ incipit, *In tanta negotiorum mole?* Negant multi, quia Bulla Gregorij non fuit promulgata, nec intimata, ut docent Peyrinus *in privileg. Minimor. tom. 2. constitut. 7. Pij V.* §. 1. *num.* 2. Henriquez *lib. 7. de indulg. cap.* 24. *num.* 8. Navarrus *in man. cap.* 27. *in fine*, Llamas *in method. part.* 1. *cap.* 7. §. 6. Rodriguez *in Addit. ad Summ. tom.* 4 *cap.* 105. Portel *part.* 2. *cas.* 26. *num.* 6. Cokier & alij. Communis tamen sententia est in contrarium, dicens hanc Pianam Constitutionem reductam à Gregorio XIII. ad terminos juris communis, & Concilij Tridentini.

Gr. XIII. Peyrinus. Henriq. Navarrus. Llamas. Rodrig. Portel. Cokier.

Sed quidquid sit de hoc, licet hæc Bulla Gregorij fuerit promulgata & vim habuerit revocandi dictam Bullam, illam tamen non revocaret in multis articulis: quia hæc Bulla Pij continet Novas Constitutiones contrarias Concilio Tridentino & juri communi, & deinde dicti Concilij declarationes: prioribus derogaret, posterioribus minimè, cùm de his nullam penitus mentionem faciat Gregorius: ergo cùm hujusmodi declarationes Pij non faciant contra Tridentinum, cùm declarans nihil novi agat, juxta *Clementinam Exivi, de verbor. significat.* & Glossam *in cap. Per tuas, verb. Novo, de donat.* & qui declarat legem, non mutat naturam, aut essentiam dispositionis, proculdubio declarationes illæ in dicta Bulla Pij V. cõtentæ per Bullam Gregorij non revocantur, sed sunt in viridi observantia, si Concil. Trident. non sint contrariæ. Proinde Bulla dicta Gregorij cadit supra privilegia nova à prædicto Pio concessa: declaratio autem verborum Concilij non est privilegium, sed lex, cùm Papæ declaratio faciat legem, ut docent Suarez *de leg. lib. 6. cap. 1. n. 6. & seq.* Portel *part. 2. cas. 26. n. 4.* Ergo declaratio illa Pij V. quà declarat Canonem *sess. 24. c. 4.* Concilij non comprehendere, nec efficere Fratres Ordinum Mendicantium, à Gregorio non est revocata.

Glossa. Suarez. Portel.

Esto tamen quòd sub illo decreto Tridentini Mendicantes comprehenderentur, non propterea necessaria esset acceptio benedictionis, licet recusata fuerit: nam in jure petita benedictio & injustè negata, censetur concessa, ut declaravit S. Congregat. Emin. Card. anno 1597. his verbis: *Sacra Congregatio censuit, quòd regulares in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare volentes, non teneantur ab Episcopo licentiam obtinere; sed tantùm à suis Superioribus examinati personaliter Episcopo se præsentare: ab eoque petere benedictionem; tametsi eam minimè obtinuerint.* Ex quibus patet, quòd posito, quod præsentatio & benedictionis petitio requireretur in regulari, posset tamen illa non obtenta in suis Ecclesijs prædicare.

S. Congr.

6. Major difficultas est, an Prædicatores regulares in Ecclesijs suorum Ordinum, inuito & contradicente Episcopo, prædicare possint, si debitè præsentati & ab eodem approbati fuerint? Difficultas sumitur ex textu Conc. *sess. 5. c. 2. de reform.* ubi concedit, quòd in Ecclesijs suorum Ordinum possint regulares prædicare cum sola Episcoporum benedictione, etiam non obtenta ipsorum licentia speciali: posteà verò *sess. 24. c. 4. de reform.* præcipit, ut non præsumant prædicare etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, contradicente Episcopo: quæ videntur sibi contraria: ne ergo cogamur asserere Concilium prædictum sibi contradicere, & ut Canonum correctio evitetur, & jura juribus concordentur, dicendum est hęc duo decreta esse inter se concilianda per jus commune *Clem. Dudum* §. *Nos verò, de sep.* & per *Extrav.* Bonif. VIII. quæ incipit, *Super Cathedr. de sepult.* & per Extravag. *Inter cunctas, de privil.* in quibus juribus dicitur, quod Fratres Prædicatores & Minores possint in Ecclesijs, ac locis suis, ac plateis communibus liberè populo & Clero Verbum Dei proponere; hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari. Ex quibus concluditur, quòd illa duo decreta proximè memorata non sunt contraria, cùm unum alteri non deroget: & vt contraria non sint, necesse est glossare illud *sess. 24. c. 4.* juxta cõmune decretũ prædictarum juris cõmunis cõstitutionum: videlicet quod regularis non possit prædicare illa hora, qua Episcopus prædicare voluerit, aut coram se prædicari mãdaverit. Atq; ita illud debere intelligi affirmãt Rod. *to. 3. q. reg. q.* 31. *a.* 5. Miranda *in Man. Prał. to.* 1. *q.* 50. *a.* 3. *conc.* 1. Barbosa *in offic. & potest. Ep. part.* 3. *alleg.* 76. *n.* 20. Tamburin. *to.* 2. *de jure Abbat. disp.* 11. *quæst.* 2. *p.* 4. *&* 5. Açcedit quod decreta Conciliorum Generalium nõ censentur revocata per alias leges novas, etiam contrarias, sine derogatione, quæ faciat expressam de eisdem Concilijs mentionem, ut habet communis sententia Doctorum collecta *ex cap. ult. de Monach.* Sed præcitatum decretum Tridentini non habet clausulam derogatoriam Conciliorum Viennensis & Lateranensis: ergo illa non revocat: maximè cum dispositiones illorum quoad Prædicatorem regularem non sint contrariæ dispositioni Tridentini: ergo inter se sunt conciliandæ, ut evitetur correctio jurium.

Rodrig. Miranda. Barbosa. Tambur.

7. Prędicator regularis sive sæcularis ex Conc. Lateranensi V. sub Leone X. ipso facto in tribus casibus à prædicatione est suspensus. *Primus* est, si prędicet miracula falsa, aut incerta. *Secundus*, si prędicet prophetias, quæ in S. Scriptura fundamentũ non habẽt, aut à Sede Apostolica non sunt approbatæ; aut sãltẽ ab Ordinario, ad hoc triũ, aut quatuor virorum eruditorũ examine adhibito, si tẽpus ad dictã Sedem accedere non permiserit. *Tertius* est, si prędicãdo de Episcopis, vel de suis Prælatis detrahat, qui etiam casus habetur in Clementina *Religiosi*, §. *Quibus etiam, de privil. & excess. privileg.* Super quo Glossa sic loquitur: Intelligo autem hanc literam, cùm nominatim detrahunt, vel per circumlocutionem, quæ vim habeat proprij nominis; aliàs in genere bene liceret Prædicatori tangere vitia Prælatorum.

Con. Lat. Leo X. Glossa.

Ex Concil. Trid. *sess. 5. c. 2. de reform.* sunt tres casus, in quibus regularis ab Episcopo tanquã à Sedis Apostolicæ delegato suspendi potest, licet de facto non sit suspensus. *Primus* est, si prædicet propositiones erroneas. *Secundus*, si prædicet propositiones scandalosas. *Tertius*, si prædicet propositiones hæreticas. Ibi enim dicitur: *Si verò, quod absit, Prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet; Episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses prædicaverit, contra eum, secundùm juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat; etiamsi Prædicator ipse generali vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet. Quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat. Curent autem Episcopi, ne quis Prædicator vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, justamvè de eis conquerendi occasionem habeat.*

Con. Tri.

Sed ex his petes, an Episcopus possit Prædicatorem regularem exemptum in casibus à jure expressis, à prædicatione suspendere, aut suspensum declarare? Videtur quòd non, quia non potest E-

piſcopus citare, & proceſſum contra talem regularem facere, etiam ratione delicti extra Monaſterium commiſſi: ergo illum regularem non poteſt pœnâ ſuſpenſionis caſtigare; vel declarare, quòd dictam pœnam incurrerit: nam ad hoc agendum, citatio & proceſſus confectio (quæ duo ſunt actus juriſdictionis, quâ caret Epiſcopus) requiruntur. Si dicas. Ergo Decretum Trid. erit ſupervacaneum, & abſque effectu, quod hâc pœnam ab Epiſcopo imponendam relinquit? Reſp. non eſſe tale, cùm ſuo effectu potiatur in regularem non mendicantem, ſi privilegijs mendicantium non participet: in mendicantem verò nullum effectum ſortiri poteſt ex Conſtitut. Pij V. Pius V. *Etſi Mendicantium Ordin.* Ibi enim Pontifex Trid. interpretatus, Epiſcopis prohibuit de cetero prædicta attentare: ſed ea omnia ſuis ſuperioribus facienda relinquant, adhibita clauſula non obſtantiæ dicti Tridentini, aliorumque Concil. Generalium & Provincialium. Ex quibus videtur hujuſmodi regulares per Trident. declarante Pio V. Pontifice è correctione, & punitione Epiſcopi, in quavis occaſione & cauſa, eximi. Et hujus opinionis in ſimili materia ex eiſdem terminis proximè poſitus ſunt Suarez *in 3. p. tom. 5 ſect. 5. n. 12.* Suarez. & Franciſc. à S. Joſepho, *de auctorit. Guardianor. ad diſſerendum, n. 5.* Franc. à S. Joſeph.

Sed hanc opinionem Epiſcopi in praxi non admittunt: nam aſſerunt habere auctoritatem ſuſpendendi regulares à munere Prædicationis etiam non explicata cauſa, ſtante declaratione S. Congregat. quam affert Barboſa *in collect. Declar. verb. Prædicator. num. ult. & de poteſt. Epiſcop. part. 3. Alleg. 16. num. 27.* Barboſa. Franciſcus Leo *in Theſauri fori Eccleſ. p. 1. cap 8. n. 9.* & alij. Rationem dat Eman. Rodriguez *tom. 3. quæſt. reg. quæſt. 12. art. 6.* Rodrig. quia Prædicatores in Ordine Minorum & Prædicatorum non habent immediatè à Papa poteſtatem ſeu juriſdictionem ad prædicandum ex *Clement. Dudum, de ſepult.* ſed tantùm quandam approbationem, quam ſemper ab Epiſcopis mendicari (apud quos reſidet munus prædicandi ex Trident. Concilio Pontifices voluerunt. Unde ſicut ab ipſis Epiſcopis dimanat talis poteſtas, ita poteſt ex cauſa legitima ab eiſdem revocari, vel ſuſpendi. Proiede Portel *in dub. regul. verb. Prædicator. n. 8:* Portel. circa hoc refert quandam declarationé Card. quæ talis eſt: *Congregatio cenſuit, quod hos & quoſcumque alios (intellige Prædicatores) ab anteceſſore ſuo approbatos à Prædicatione poterit ſuſpendere Epiſcopus. Attendant tamen Epiſcopi, propter quas cauſas id imperent: volumus namque quòd ſi illicitè juſſerint, ad jus is deferatur, & interim ceſſent.* S. Congr. Et licet olim regulares abſque licentia Epiſcopi prædicantes in Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, à ſuis ſuperioribus regularibus, non verò ab Epiſcopo puniendi eſſent, ex declaratione S. Congregat. ſub his verbis, *Congregatio Concilij cenſuit regulares, qui abſque licentia Epiſcopi prædicaverint in Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, tametſi Decreto ejuſdem Concilij ſeſſ. 5. c. 2. contradixerint, non poſſe tamen puniri ab Epiſcopo, ſed tantùm à ſuis ſuperioribus.* Sa. Cong. Greg XV. Sed ſtante Conſtitutione Gregorij XV. quæ incipit, *Inſcrutabili Dei providentia*, data Nonis Februarij 1622. Regulares prædicantes ſine Epiſcopi licentia & benedictione in ſuis Eccleſijs, puniri poſſunt ab Epiſcopo, ut patet ex textu hujus Bullæ. *Ac demum habeat Epiſcopus tanquam dictæ Sedis Delegatus auctoritatem coërcendi, ac puniendi quoſcunque exemptos tam ſæculares, quàm Regulares, qui in alienis Eccleſijs, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſijs ſuis, aut ſuorum Ordinum non petitâ illius benedictione, aut ipſo contradicente prædicare præſumpſerint.*

Ex dictis patet, quid ſit reſolutivè dicendum hodie circa quæſtionem propoſitam, de qua videndus Diana *part. 7. tr. 12. reſol. 20. & 25.* & *part. 3. tract. 2. reſol. 111:* Gavantus *in Man. Epiſcop. verb. Concio Sacra, num. 17.* Lezana *in ſumm. to. 1. cap. 20. num. 3.* Peyrinus *in privileg. Minim. tom. 1. Conſtit. 2. Sixti IV. §. 11. num. 21.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 76. n. 24,* Hieronymus Rodriguez *in compend. reſol. 112. num. 12. & 14.* Miranda *in Man. tom. 1. quæſt. 50. art. 7.* Diana. Gavantus. Lezana. Peyrinus. Barboſa. Hier. Rod Miranda. Qui omnes agnoſcunt in Epiſcopo poteſtatem ſuſpendendi regulares & ſuſpenſos declarare, non obſtante Bulla Pij V. Pius V. *Etſi Mendicantium Ordines*, quam putant quidam ex illis eſſe revocatam per Gregorium XIII. & ad Gr. XIII. terminos juris communis & Concilij Tridentini redactam.

8. Ex mente D. Petri, Prædicatores Verbi Dei, debent eſſe docti, apprimè eruditi, vita irreprehenſibiles, moribus maturi, corde impavidi, ſpiritu fervidi; debent quoque gratiam docendi habere, ut potentes ſint exhortari in doctrina ſana; & eos qui contradicunt arguere, ut habetur *in cap. Oportet 8. quæſt. 1.* quod eſt D. Petri. Sed deſumptum eſt ex epiſtola 1. Clementis ad Iacobum, & colligitur etiam ex *cap. Sit Rector, diſt. 43.* quod eſt D. Gregorij *in 2. part. ſui Paſtoralis, cap. 4.* Unde in Concil. Lateranenſi ſub Leone X. dicitur, Ad hoc munus Prædicationis ſunt eligendi viri nonniſi idonei, ætate, doctrinâ, & probitate, ac morum honeſtate prædili, exemplo & alijs, ſed maximè prudentiâ ſummopere commendati, ut ingenio diſcentium ſeipſos accommodent, & verbi ordinem pro audientium capacitate dirigant, ne ſecreta myſteria, quæ vulgi captum ſuperant & excedunt, coram ineptis, ſeu non intelligentibus, referant. Quia, *in cap. Diſpenſ. diſt. 43.* dicitur quod *qui docet ea, quæ ab auditoribus non valent intelligi; non ad eorum utilitatem, ſed ad ſui oſtentationem facit.* Super omnia autem Prædicatorum vita irreprehenſibilis eſſe debet, ut ipſa doctrinæ correſpondeat, & ædificare valeant fidei, doctrinâ, & morum diſciplinâ. Quia D. Ioan. D. Chryſ. Ghryſoſtomus *homil. 1. & 3. in Actib. Apoſtolor.* dicit, nihil eſſe frigidius Doctore, qui verbis dumtaxat philoſophatur, & quod hoc non ſit Doctoris, ſed hiſtrionis, & hypocritæ: multum enim nocet, qui quod docet, non facit. Hæc omnia confirmantur ex eo quod dicit D. Iſidorus *lib. 2.* D. Iſidor. *de Summ. bono, cap. 36.* agendo de Prædicatoribus: *Tam doctrinâ, quàm vitâ clarere debet Eccleſiaſticus Doctor: nam doctrina ſine vita arrogantem reddit: vita autem ſine doctrina inutilem facit.* Et ſubdit: *Auctoritate Magiſterij caret, qui quod docet non facit, & Doctoris vitio, etiam ipſa vera doctrina vileſcit; quia dum non vivit Prædicator, ſicut docet, ipſam, quam prædicat veritatem, contemptibilem facit. Qui bene docet & malè vivit, tanquam æs, aut cymbalum tinniens, ſonum facit alijs, ipſe tamen ſibi manet ſenſualis: & qui bene docet & male vivit, æquatur cereo, qui dum bonam quidem lucem alijs præſtat, ſemetipſum in malis ſuis conſumit, atque extinguit.* Efficacius eſt enim vitæ, quàm linguæ teſtimonium: habent enim opera ſuam linguam: habent & ſuam facundiam, etiam tacente lingua, ait D. Cypianus *lib. de duplici Martyrio.* D. Cypr. Porrò, validiora ſunt exempla, quàm verba, & melius eſt docere opere, quàm voce; ut tradit D. Leo Magnus *in ſerm. de S. Laurentio.* D. Leo.

9. Qualis debeat eſſe Prædicatorum doctrina, & à quibus quàm maximè debeant abſtinere, habetur

Con. Lat. Leo X. betur in Concilio Lateranenſi, ſub Leone X. ſeſſ. 11. *Inhibemus*, inquit, *omnibus, & ſingulis Clericis ſæcularibus, vel Regularibus, ceteriſque cujuſcumque ſtatus, gradus & Ordinis exiſtant, qui onus prædicationis aſſumunt, ne de cetero in ſermonibus ſuis, futura ex literis ſacris conſtanter prædicent, nec illa à Spiritu ſancto; vel divina revelatione ſe habuiſſe, aſſirment; alienas inaneſque divinationes non aſſerentes, aut aliquo modo tractandas aſſumant, ſed ex divinæ vocis oraculo, & præcepto Euangelium omni creaturæ prædicent, ipſumque cum vitiorum deteſtatione, & virtutum commendatione enucleent, atque declarent*, &c. Idem Leo Prædicatoribus ſtrictè mandat, *ut Euangelicam veritatem, & ſacram Scripturam, juxta declarationem, interpretationem & explicationem Doctorum, quos Eccleſia, vel diuturnus uſus approbavit, legendoſque hactenus recepit, aut in poſterum recipiet, & prædicent & explanent, neque quidquam ejus proprio ſenſui contrarium, aut diſſonum adjciant, ſed illis ſemper inſiſtant, quæ ab ipſius ſacræ Scripturæ, verbis rite, ac ſanè & præfatorum Doctorum interpretationibus intellectis non diſcordent. Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichriſti adventum, aut certum diem judicij, prædicare, vel aſſerere nequaquam præſumant, cùm veritas dicat, non eſſe noſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Sed noviſſimè Con. Tri. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. c. 2. de reform.* hac de re agens dicit, quod *Prædicatores fideles pro ſua capacitate paſcant, ſalutaribus verbis docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem annunciando eis cum brevitate & facilitate ſermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oportet, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant.* Et *ſeſſione 24. cap. 4 de reform.* loquendo de eiſdem dicit, *Sacram ſolummodo Scripturam, divinamque legem, in concionibus eſſe annunciandam & prædicandam.*

Denique Prædicatorum omnium doctrina debet eſſe ſana, & Catholica, examinata & caſta, nullo modo laſciva, aut impudica, ſeu quæ levitatis ſive vanitatis ſaporem habeat, ut colligitur ex D. Paulo ad Titum cap. 2. *Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam: ſenes, ut ſobrij ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia*, &c. Hæc de Prædicatoribus ſatis.

Vide v. Archiepiſcopus *num.* 6. Excommunicatio 2. *num.* 7. Hæreſis *num.* 5. Legatus *num.* 13. Mendacium *num.* 7. Miſſa 3. *num.* 3. Paupertas *n.* 15. Simonia *num.* 10.

PRÆSCRIPTIO.

SUMMARIUM.

1 *Præſcriptionis beneficium quare introductum? Et an emens rem furtivam bona fide, ſi per 30. annos illam poſſideat, teneatur illam reſtituere, ſi poſteà ſciat fuiſſe alterius.*

2 *Qui ſint tituli, quibus res uſucapi poſſit? quæ ſit dicenda bona vel mala fides ad præſcriptionem?* Remiſſivè.

3 *Si quis aliquo titulo bono, ut* pro emptore, pro donato *habeat rem, quam ſcit eſſe alterius, tamen ob rationes ſibi juſtas non tradit vero domino, an iſte ita ſit poſſeſſor malæ fidei, quod in foro conſcientiæ nullo tempore præſcribat?* Refertur triplex ſententia.

4 *Præſcriptio alia eſt propria & rigoroſa; alia eſt impropria.*

5 *An præſcribi poſſint in conſcientia bona quæ per ſententiam ſunt applicata fiſco, ſi non petantur.*

6 *Quando quis bona naufragantium poſſit uſucapere & præſcribere.*

7 *An ſit probabile poſſe eſſe cum mala fide civili gabellarum præſcriptionem in utroque foro.*

8 *Quando hæres poſſit præſcribere legatum contra legatarium.*

1. PRæſcriptionis beneficium, duabus de cauſis ob bonum publicum introductum eſt. *Primò*, ne diu & ferè ſemper quarumdam rerum dominia incerta eſſent, *l. 1. ff. de uſurpat. & uſucap.* Et ut aliquis litium finis eſſet, *l. ult. ff. Pro ſuo.* Ac denique ne poſſeſſores propè immortali timore teneantur, *l. Cùm novißimi, Cod. de præſcript. 30. vel 40. annor.*

Secunda cauſa, ut hac ratione ſegnities ac deſidia hominum, res ac jura ſua actione proſequi intermittentium, acuatur, juxta *l. ut perfectius, C. de annali excep. & cap. vigilanti, de præſcript.* Et licet quidam Doctores dicant, quòd leges de uſucapione in conſcientiæ foro locum non habeant, niſi ubi culpabilis negligentia priſtini poſſeſſoris intervenit, communis tamen jureſperitorum & Theologorum fere ſententia eſt, bonæ fidei poſſeſſorem, poſt ligitimi temporis decurſum, directum ac plenum rei, quam uſucapit, dominium omni jure ſibi comparare, & eam poſtea à quovis poſſeſſore tanquam dominum vendicare poſſe, juxta *l 3. & 23. ff. de uſucap. & l. Si quis emptionis, Cod. de præſcript. 30. vel 40. annor.* Ita Abbas *in cap. Vigilanti, num. 6. de præ ſcript.* & ibi Gloſſa *verb. Noverit*, Covarruvias *reg. poſſeſſor, p. 3. §. 3.* Sylveſter *verb. Præſcriptio 1. quæſt. 13.* & alij. Ex quo fit quòd neque in conſcientiæ foro teneatur reſtituere rem præſcriptam, ſi completa præſcriptione incipit habere malam fidem, cognoſcendo eam fuiſſe alienam. Ratio eſt, quia lex poteſt aliquem pro peccato & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare & concedere, ut docent Scotus *in 4. diſt. 15.* D. Thom. *quodlib. 12. a. 15.* Tum quia tenetur quis ſolvere pœnam judicialem, ad quam condemnatur à judice, ut docent D. Thomas *2. 2. quæſt. 62.* & conſequenter ille cui applicatur, eam in conſcientia poteſt retinere, & conſequenter licitum eſt retinere eam quam infligit legiſlator, cujuſmodi eſt præſcriptio quæ inducta eſt principaliter in pœnam negligentium & ob alias cauſas ad bonum publicum ſpectantes. Ita etiam Salon *2. 2. quæſtione 5. artic. 7. concluſ. 2.* Menochius *de retinend. poſſeſſ. remed. quinto num. 84.* Bonacina *de reſtitut. diſputat. 1. quæſt. ultim. punct. 2. §. 2. numer. 33.* Gelualdus *in Theolog. moral. part. 3. tractatu 14. capit. 5. numer. 5.* Trullench *in Decalog. tomo 2. lib. 7. cap. 4. dub. 15. num. 1.* & alij penes ipſos.

Abbas. Gloſſa. Covar. Sylveſter. D. Scotus. D. Thom. D. Thom. Salon. Menoch. Bonacina. Gelualdi. Trull.

Ex quibus infertur, ementem rem furtivam bona fide, ſi per triginta annos illam poſſideat, quamvis poſteà ſciat fuiſſe alterius, non teneri ad reſtitutionem, ex *l. Si aliena. ff. De uſucap.* Idem dicendum de quocumque poſſidente & præſcribente quocumque juſto titulo. Nam non ſubvertitur bona fides, quando conſtiterit eſſe alienam; quia tunc jam eſt ſua, cùm tempore requiſito ad præſcriptionem bona fide poſſederit. Ita Clavis Regia *lib. nono, capite duodecimo, numer. 38.* Leſſius, *libro ſecundo, cap. 6, numer. 51.*

Clav. Reg. Leſſius.

2. Ad uſucapiendum, ſeu præſcribendum cauſa aliqua poſſeſſionis requiritur. Unde *lib. 14.* digeſtorum poſt titulum de uſucapione, ponuntur quidam tituli, quibus res uſucapi poteſt, videlicet

pro ſoluto, pro emptore, pro hærede, pro donato, pro derelicto, pro legato, pro dote, pro ſuo, pro tranſacto, pro judicato, pro permutato, pro ſocio.

Pro ſoluto uſucapit, qui rem debiti cauſa recipit, & non tantum quod debetur, ſed & quodlibet pro debito ſolutum, uſucapi poteſt; verbi gratia, ſi cùm deberes mihi certam pecuniam, & loco pecuniæ ſolveres mihi rem non tuam, ſed quã tuam eſſe credebas, poſſum uſucapere titulo & cauſa pro ſoluto, *l. 1. ff. Pro ſoluto.*

Secundus titulus dicitur *Pro emptore*, ut ſi emas rem à furioſo, quem putabas ſanæ mentis, *l. 2. §. Si à pupillo, ff. Pro emptore.* Item pro emptore poſſidere dicitur is, qui quaſi emptor, & cauſa emptionis, vel ex negotio emptionis proximo rem nactus eſt: requiritur tamen bona fides, non ſolùm in accipiente, ſed etiam in tradente.

Tertius eſt, *Pro hærede*, ut cùm quis verè eſt hæres, aut bona fide ſe hæredem putat, *l. Non ſolùm, ff. De uſucap.* & *l. Pro hærede, ff. De petit. hæredit.*

Quartus eſt, *Pro donato*, ut cùm quis bona fide donavit rem alienam ignoranti, *l. 2. ff. Pro donato.* Quæ lex intelligitur quando donatio non eſt invalida ex inhabilitate perſonæ, ut religioſi, pupilli, uxoris reſpectu mariti, aut è contrà, ut habetur *l. 1. ff. Eodem titul.* qui tamen emit à conjuge quod ſic donatum novit, poteſt illud uſucapere, quia cum conſenſu conjugis præſumitur venditum, ut habetur *l. Si id quod, ff. Pro derelicto.*

Quintus eſt, *Pro derelicto*; unde ſi res pro derelicto habita ſit, ſtatim noſtra eſſe deſinit; & occupantis ſtatim fit: quia ijſdem modis res deſinunt eſſe noſtræ, quibus acquiruntur, *l. 1. ff. Pro derelicto.* Ex quo fit, ut pro derelicto non habeatur aliquid, niſi dominus id poſſidere deſierit. Poteſt tamen quis habere malam fidem, etiam Canonicam ex aliquo titulo & habere lapſu temporis bonam fidem ex hoc titulo pro derelicto, credens probabiliter ex aliquibus circumſtantijs rem alienam, quam apud ſe habet, eſſe derelictam à vero domino, & ſic ipſe incipere poteſt cum bona fide uſucapionem.

Sextus eſt, *Pro legato*, ut ſi teſtator credebatur ſanæ mentis, cùm non eſſet, ſi ignoratur legatum ſublatum eſſe per codicillum. In hoc tamen titulo requiritur ut is, cui legatum eſt, ſit capax legati, ita ut poſſit capere ex teſtamento, *l. Nemo poteſt*, & *l. Pro legato 2. eodem titul.* Hinc ſi impubes condiderit teſtamentum & legaverit rem Titio, ſi Titius credidit teſtatorem eſſe puberem, qui poſſet teſtari, uſucapiet. Item ſi quis legaverit mihi rem, & deinde eam mihi codicillo ademerit, ego verò ignorans eſſe mihi ademptam, cœpi poſſidere, uſucapere poſſum, *l. Pro legato 1. & 2. ff. Eodem titul.*

Septimus eſt, *Pro dote*, id eſt, pro dote poſſidet, qui ex cauſa dotis rem ſibi habet, ſeu cui res aliena inæſtimata dotis nomine, poſt juſtas nuptias tradita eſt, *l. 1. ff. Pro dote.* Inæſtimata dicitur, quia æſtimata res pro emptore uſucapitur, *l. Quoties ff. De jure dotium*, & *l. 1. Cod. Pro dote.*

Octavus titulus eſt, *Pro ſuo.* Hic titulus uſucapionis locum habet, quando alius titulus deeſt: & propriè pro ſuo poſſidere dicitur is, qui falsò, ſed juſto & probabili errore harum cauſarum, nimirum occupationis, alluvionis, partus emptæ, vel hæreditariæ ancillæ, fructus rei emptæ, aut donatæ, aut in hæreditate repertæ poſſidet, *l. 1. 2. 3. & 4. ff. Pro ſuo.*

Nonus eſt, *Pro tranſacto*; ut cùm aliquid bona fide eſt traditũ & acceptum causâ tranſactionis, ut à lite recedatur, *l. cùm ex cauſa, Cod. Pro tranſacto.*

Decimus eſt titulus, *Pro judicato*, ut cùm res eſt judicata, & ſpatio decem dierum non eſt appellatum.

Undecimus eſt, *Pro permutato*, ut ſi permutatione ego rem alienam acquiſierim, cum qua permutavi rem meam, quam Titius quidem poſſidebat, ſed ejus dominus non erat, putabatur verò bona fide dominus, ac proinde eam ego uſucapere poſſum.

Duodecimus eſt, *Pro ſocio*, ut ſi finitâ vel ſolutâ ſocietate, pars rei alienæ mihi obtigerit, putanti bona fide eam rem communem eſſe ſociorum, cùm tamen eſſet aliena, uſucapere poſſum.

His omnibus titulis præſcribere, aut uſucapere licet, modò adſit bona fides: hanc enim jura exigunt ad uſucapionem, aut præſcriptionem ordinariam triennalem, decennalem, aut viginti annorum. De his plura apud Azorium *part. 3. lib. 1. c. 21.* Sylveſter *verb. Uſucapio.* Azorius. Sylveſter.

Quæ autem ſit dicenda bona vel mala fides ad præſcriptionem, dictum eſt ſuprà *v. Poſſeſſio n. 5.*

3. Difficultas eſt, ſi quis aliquo titulo bono, ut *pro emptore, pro donato*, &c. habeat rem, quam ſcit eſſe alterius, tamen ob rationes ſibi juſtas non tradit vero domino, an iſte ita ſit poſſeſſor malæ fidei, quod nullo tempore præſcribat in foro conſcientiæ? Prima opinio affirmat talem numquam præſcribere; & eſſe poſſeſſorem malæ fidei, de quo agitur *in cap. ult. de præſcriptionibus.* Et eſt communis inter Theologos & juris utriuſque peritos. Fundamentum eſt regula juris, *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit*, de regul. jur. in *6.* & *in cap. Vigilanti. de præſumpt.* Pontifex damnat poſſeſſorem malæ fidei, & dicit nunquam præſcribere, ſive creditor agnoſcat, ſive ignoret debita. Ratio eſt, quia eo ipſo quod poſſeſſor agnoſcat rem alienam, agnoſcit ſe eam alteri debere: ergo ſi non det, ſemper habet conſcientiam rei alienæ, & ſi non reſtituat, peccat, atque ita ex peccato ſuo commodum præſcriptionis accipere nequit. Reg. jur.

Secunda opinio diſtinguit inter actiones reales & perſonales, & ſuſtinet quod poſſeſſor malæ fidei præſcribit debita manantia ex actionibus perſonalibus: ſecus verò ex actionibus realibus. Ita Bartolus *in l. Sequitur, §. Si viam, ff. de uſucap.* Hoſtienſis *in Summ. de præſcript. rerum immobil. §. Quæres, verſ. Actiones perſonales.* Carolus Molinæus *ad Alexand. conſil. 99. lib. 4.* qui dicit eam ſententiam eſſe veriorem & in praxi ſervari. Ratio eſt, quia cauſa finalis, quare Pontifices decernunt leges civiles concedentes præſcriptionem cum mala fide eſſe damnandas, eſt, quia ſervari non poſſunt ſine peccato mortali, ut habetur *in cap. final. de præſcriptionib.* ergo in his caſibus, quibus non intervenit talis culpa, Pontifex non poteſt eas leges abrogare, niſi in terris, in quibus habet dominium temporale; unde ſi peccatum mortale abſit, leges civiles in ſua vi manent, nec abrogantur Canonibus Pontificijs, ſed derogantur ſolùm, quatenus mala fides & poſſeſſio civilis poteſt eſſe cum peccato mortali. Quod confirmatur, quia debitor non ſolvens pecuniam, quam ſcit creditori debitam, non habet malam fidem, quam excludunt Canones; quia iſti requirunt peccatum, quale non committit iſte debitor: non enim debitum negat, nec in ſolutione tergiverſatur, ſed ob juſtas rationes eam non offert: quod ſi creditor negligens in petenda pecunia, ab ejus negligentia incipit præſcriptio debitoris; nam in præſcribendis actionibus perſonalibus ſolùm requiritur negligentia creditoris Bartolus. Hoſtienſ. Molinæus

non

non petentis, in cuius pœnam legiſlator ſtatuit, quod amittat jus, quod ex tali actione illi debebatur. Secus tamẽ eſt in actionibus realibus, ex quibus acquiritur jus in re, contra quod ut præſcribatur, præſcriptio incipit à poſſeſſione, quæ debet eſſe juſta, ſaltem in opinione poſſidentis; debet enim neceſſariò in præſcribendis his actionibus realibus factum præſcribentis juſtum eſſe.

Tertia opinio eſt aſſerentium, quod poſſeſſor malæ fidei tempore immemorabili præſcribit, tã in realibus, quàm in perſonalibus actionibus. Hęc ſententia ſi intelligatur, quod mala fides ſit mala conſcientia mortaliter peccaminoſa, ſuſtineri non poteſt, quia à ſacris Canonibus leges civiles in hac parte ſunt derogatæ, *c. Vigilanti*, & *cap. finali, de præſcriptionibus*, & tenent omnes Canoniſtæ, quorum plures refert Covarruvias *Reg Poſſeſſor. p. 2. §. 8. num. 5.* & indubitatum eſt inter Theologos. Si verò intelligatur, quod mala fides ſit non mala conſcientia rei alienæ, ſed ſcientia rei alienæ quæ ſit abſque peccato mortali, ſuſtinetur ab aliquibus Juriſperitis, nempe Saliceto *l 2. n. 8. Cod de ſervit. & aqua.* Decio *conſil. 496. num. 9.* & *conſil. 638.* Boërio *deciſ. 39 n. 7.* quibus adhæret Adrianus *in 4 loquens de reſt. pag. 165. in parvis*, & eam defendit ut probabiliorem in foro conſcientiæ multis argumentis noviſſimè Thomas Hurtado *in ſuis reſ. mor. part. 2. tract. 8. cap. 1. reſ. l. 1. §. 7. & 8.* dicens, quod ſcientia rei alienæ mala fides eſt in phraſi civili, etſi non Canonica; quia iſta requirit ſcientiam rei alienæ peccaminoſam; at cum ſcientia rei alienæ civili compatitur præſcriptio, ut conſtat ex Canonibus: ergo poſſeſſor malæ fidei civilis aliquando præſcribit. Sic enim Pontifex in univerſali Eccleſia poteſt conſtituere, quod ſtante rationabili cauſa quis præſcribat, etiamſi ſit poſſeſſor malæ fidei, ut docent Felinus, Panormitanus, Baldus, Gloſſa *in cap. Inter hoc 32. quæſt. 2.*

Covar. Saliceſtus. Decius. Adrianus. Th. Hurt. Felinus. Panorm. Baldus. Gloſſa.

Sed iſta mala fides, de qua loquuntur iſti Auctores, intelligi debet mala fides civilis, non Canonica; quia eſt cum peccato. Ita Princeps ſæcularis ſubſiſtẽte rationabili cauſa & motivo, poteſt lege ſua ſtatuere, quatenus ad bonum publicũ conducit, ut quis abſque peccato mortali cum ſcientia rei alienæ aliquid alienum poſſideat, tanto vel tanto tempore illud faciat ſuum. Et quidem ſi hoc non poſſet facere Princeps, nec poſſet lege ſua impedire quòd tranſacto tanto, vel tanto tempore, via executiva non concederetur à judice: conſequens autem falſum eſt; ergo, &c.

Hæc dicta ſint juxta mentem illorum Doctorum.

4. Præſcriptio alia eſt propria & rigoroſa, & eſt illa quæ à jure Cæſareo & Canonico approbatur, quæ non ſolùm in foro externo, verùm etiam in interiori confert jus, dummodo intercedat bona fides in præſcribente. Alia eſt impropria, quæ potiùs negatio actionis repetendi corã judice appellatur, ut contingit quando lex aliqua ſtatuit intra certum terminum repetendam rem eſſe coram judice à vero domino: quod ſi non reperatur, denegatur actio repetendi, quantumcũque notum ſit judici malam fidem habuiſſe debitorem in non ſolvendo. Quæ ſanè præſcriptio impropria non tribuit jus in foro conſcientiæ ad rẽ ſibi retinendam, ſed ſemper durabit obligatio eam reddendi vero domino. Ut ergo cognoſcatur quando lex confert dominium rei præſcriptę, & conſequẽter jus in conſcientiæ foro, vel quãdo denegat tãtùm actionẽ repetendi, verbis ipſius legis conſtare debebit. Proinde quando in lege ſolùm dicitur, non petentem ſibi debitum intra certum terminũ, nõ poſſe tranſacto termino illud repetere, actio repetitionis coram judice denegatur tantùm, nec ob id obligatio naturalis reſtituendi rem alienam vero domino adimitur. Quando autem legis verba expreſsè dominium præſcribenti acquiri decernunt, tunc in foro conſcientiæ non tenetur rem reſtituere bona fide præſcribens, ut conſtat ex *l. 1. de uſucapion.* & ex *cap. Sanctorum, de præſcript.* Et hoc eſt bene notandum ad intelligentiam materiæ de præſcriptionibus, ut tradunt communiter Doctores.

5. Præſcribi poſſunt in conſcientia bona quę per ſententiã ſunt applicata fiſco, & quæ tenetur reus tradere ſi petantur, etiamſi habeat malam fidem civilem, quatenus agnoſcit illa bona non eſſe ſua, ſed fiſci, & quod ex vi ſententiæ tenetur ſe negativè habere, quando auferentur ab habente poteſtatem. Ratio eſt; quia reus non habet malam fidẽ Canonicam, cùm abſque peccato mortali talia bona retineat, etiam poſt latam ſententiam: ergo poteſt præſcribere, ſi non petantur. Tum quia eo ipſo quòd pœna, quæ petit actionem in ſui executione, non debet tradi debitori ab ipſo reo qui ſolùm ſe negativè habere debet, ſi ex ipſo bona ſua auferantur: ergo ſi ab illo, cui applicata eſt, non petatur intra tempus determinatum à lege, in conſcientia præſcribi & uſucapi poteſt. Ita Molina *de juſt. tract. 2. diſp. 66.* Bañez *2. 2 q. 62. art.* Covarruvias *lib. 1. de mat. part. 2. cap. 6. § 8. num. 21.* & *22.* Leſſius *lib. 2. cap. 6. dub. 6. num. 20. verſ Obiciſtur Primò.*

Molina. Bañez. Covar. Leſſius.

6. Quando quis bona naufragantium accipit, ſuadens ſibi ea eſſe derelicta à propriis dominis, non peccans in eorum retentione, aut ablatione, poteſt ea uſucapere & præſcribere. Ratio eſt; quia eo ipſo, quòd quis prudenter judicet aliquid eſſe pro derelicto, quia ſcit eſſe naufragantium, & tẽpeſtas ad littus proiecit, ignorans dominum, quia aliò divertit, habet bonam fidem Canonicam ad uſucapiendum, quia non peccat; & bonam fidem habet civilem cum titulo pro derelicto, ex *l. Si ad quod, ff. pro derelicto.* Tamen ſi quis imprudẽter & falsò judicat rem pro derelicto habitam, talis non uſucapit; cùm enim titulus iſte falſus ſit, & culpabilis, non poteſt fundare uſucapionem, juxta ea quæ Summi Pontifices determinarunt.

Si dicas bona incerti domini, quæ quis invenit, non eſſe habita pro derelictis, ſed juxta magis receptam ſententiam debere reſtitui pauperibus, aut in pias cauſas diſpondi, niſi adſit lex, aut ſtatutum quo Princeps aliquibus ea applicet. Ergo cùm naufragans ſuas merces proiiciat ad navim ſublevandam, ut vita conſervetur, ſi illa conſervari poſſit, non videtur eas habere pro derelictis, ut expreſsè dicitur §. *penult. inſtitut. de rer. diviſione.* quia cùm proiectio iſta non ſit perfectè voluntaria, & nec earum rerum amittatur dominium, ſequitur quod ita accipiens non facit ſuas aliquanto tempore, nec earum poſſeſſio fundat uſucapionem, ſed eas tenetur reſtituere, ſicut cetera inventa, in pauperes, vel in pias cauſas. Reſpondeo concedendo, quòd non eo ipſo quod res ſit incerti & ignoti domini, habetur pro derelicta, ſed dico factâ ſufficienti diligentiâ, ut dominus inveniatur, poſſe ea ſibi retinere in conſcientia; quia in jure eadem reputantur, ignorari dominum rei, & rem nullum habere dominum. Sed quando res nullum habent dominũ, efficiuntur primi occupantis: ergo bona inventa naufragantiũ poteſt ſibi quis retinere & bona fide Canonica uſucapere & præſcribere, ita ut tranſacto tempore, etiã comparente domino, non teneatur

reſtituere

reſtituere. Hæc dicta ſint juxta probabilem quorumdam recentiorum ſententiam, docentium inventorem bonorum incertorum habentium dominum, ſed incertum, poſſe ea ſibi retinere. Ita Sarmiento *lib. 6. ſelectar. c. 10. n. 3.* Arragon *2. 2. q. 62. art. 5.* Thomas Hurtado *part. 2. tract. 8. cap. 1. reſol. 5* Sotus *lib. 5. de juſt. quæſt. 3. art. 3.* Petrus Navarra *lib. 4. cap. 2. num. 75.* Diana *part. 2. tract. 17. reſol 5.* Leſſius *lib. 2. cap. 14. num. 48.* qui tamen noviſſimus *num. 50.* docet nullo modo tolerabilem eſſe conſuetudinem, quæ in quibuſdam locis dicitur eſſe, ut bona naufragorum in litus ejecta, habeantur tanquã adeſpota, & occupentur à Gubernatore loci; & ita eſt; verùm Azorius *part. 3. lib. 1. cap. 13. quæſt. 5. verſ. Quinti generis*, docet, quæ longo temporis curſu, naufragio amiſſæ res, vel jactatæ in fundo maris jacent, & inde caſu aliquo vel arte, vel extrahuntur, vel reperiuntur in litore, ſtatim fiunt capientium, quia pro derelictis habentur.

Sarmient. Arragon. Th. Hurt. Sotus. P. Navarr. Diana. Leſſius. Azorius.

7. Poſito probabile eſſe, quòd quis in conſcientia non teneatur ſolvere gabellas etiam juſtas, niſi ab exactore per ſe, vel per ſuos miniſtros exigentur, ut ſuſtinent Sotus *lib. 3 de juſt. q. 6. art. 7. in fine*, & *lib. 4. quæſt. 6. art. 4. verſ. De illo autem*, Bañez *2. 2. quæſt. 62. art. 3. concluſ. 2.* Toletus *lib. 5. ſumm. cap. 75. num. 7.* Tabiena *verb. Pedagium, num. 9.* Sanchez *lib. 2. conſil. cap. 3. dub. 10. num. 5.* quia tributa & vectigalia, ſeu gabellæ & alia hujuſmodi quantumvis juſta ſic recipiuntur à Republica, ut exacta & poſtulata ſolvantur: duriſſimum enim jugum eſſet, venditores & emptores obligare quærere exactores & publicanos, ut illis ante eorum petitionem exſolvantur; unde jam uſus recepit, & conſuetudo invaluit, ut hæ gabellæ non ſolvantur, niſi petantur, ad quarum exactionem tot miniſtri publici ſunt inſtituti. Quæ cùm ita ſint, probabile etiam eſt poſſe eſſe cum mala fide civili gabellarum præſcriptionem in utroque foro. Ratio eſt; quia debitor alicujus quantitatis non obligatus ad illam offerendam donec petatur, præſcribit, ſi tempore ſignato à lege ad id petendum, non fuerit petita: ſed non tenetur quis ſolvere gabellas donec petantur à publicano: ergo ſi publicanus non petat tempore à lege deſtinato præſcribentur gabellæ. Ita Sanchez *loco cit. dub. 11. concl. 1.* Thomas Hurtado *loco cit. tract. 8. cap. 1. reſol. 9. & 10.* Panormitanus *in cap. final. de præſcript.* Medina *Cod. de reſtitut. quæſt. 16. verſ. Verum*, Corduba *lib. 1. Summæ quæſt. 36.* & multi recentiores, quibus adde Vaſquez *in opuſc. de reſtitut. c. 6. §. 3. dub. 6.* Adverte tamen, ſi ante elapſum tempus petatur vel inſinuetur, aut notificetur debitum, non præſcribit in conſcientia.

Sotus. Bañez. Toletus. Tabiena. Sanchez. Sanchez. Th. Hurt. Panorm. Medina. Corduba. Vaſquez.

8. Hæres poteſt præſcribere legatum contra legatarium, ſi ipſe legatarius intra triginta annorum ſpatium, quod taxatum eſt lege ad præſcribendas actiones perſonales, non petat legatum, ita ut tranſacto illo tempore tutus erit in conſcientia, ſi non ſolvat legatum, etiamſi ſciat legatum ad legatarium pertinere, illiuſque eſſe verum dominum. Ratio eſt; quia hæres non tenetur reddere antequam petatur legatum, & à legatario acceptetur, & ſic quouſque petatur & acceptetur, hæres non eſt in mala fide Canonica, quæ peccatum involvat, ſi ipſe non fuit in mora culpabili. Ita Ancharanus, Bartolus, Socinus, Decius, Francus & alij, quos citat Covarruvias *lib. 1. variar. cap. 9. num. 7.* & latè probat Tiraquellus ad *l. Si unquam, ff. de revocand. donat. verb. Revertatur, n. 390* citans Panormitanum, Corneum, Felinum: cujus rationem reddit *num. 391.* Si per acceptationem alicui competit actio, poteſt interim contrà eum præſcribi, dum non acceptaverit: ergo ſi legatarius non ignorans, legatum non acceptaverit, contra ipſum in foro poli præſcribitur, cùm hæres non ſit in mala fide Canonica: non enim peccat, ſi non portet legatum legatario.

Ancharan. Bartolus. Socinus. Decius. Francus. Covar. Tiraquell.

Vide v. Conſuetudo *num. 7.* Fructus *num. 14.* Gabella *num. 10.* Privilegium *num. 14.* Reſtitutio in integ. *num. 13.* Servus *num. 17.* Viſitatio *num. 18.*

PRÆSUMPTIO.

SUMMARIUM.

1 *Præſumptio alia eſt hominis, alia juris, alia juris & de jure.*
2 *Præſumptio, indicium, conjectura, ſignum, ſuſpicio & adminiculum, ut inter ſe differant.*
3 *Quæ ſint præſumptiones & indicia ſufficientia ad inquiſitionem generalem & ſpecialem.*
4 *Quæ ſufficiant ad torturam; & de primo, quod oritur quando unus teſtis omni exceptione major teſtatur de viſu ipſius geſti actus & commiſſi delicti.*
An Confeßio extrajudicialis actuſati ſufficiens ſit ad torturam.
5 *An ſufficiens præſumptio ad torturam oriatur ex fama.*
6 *An ex fuga.*
7 *An ex teſtimonio ſocij criminis.*
8 *An ſententia ferri poſſit, quando præſumptio eſt hominis, juris, vel juris & de jure.*
9 *Præſumptio quid ſit, ut refertur ad voluntatem? & an ſit ſpeciale peccatum? & cui virtuti opponatur? & quale peccatum?*
10 *Præſumptio, quatenus opponitur virtuti ſpei, quid ſit? Et de varijs hujus præſumptionis modis.*

1. PRæſũptio eſt triplex: Una dicitur hominis, quæ eſt conjectatio in animo judicis, vel cujuſcumque hominis ex varijs conjecturis concepta. Alia eſt juris, quæ eſt probabilis conjectura ex certo ſigno proveniens jure præſcripto, quæ contrario non probato, pro veritate habetur, ac onus probandi in adverſarium transfert. Alia eſt juris & de jure, quam lex tanquam firmum jus inducit, ita ut adverſus illam nulla admittatur probatio. Tamen ut dicatur præſumptio juris & de jure, ad id non deſideratur jure exprimi ne admittatur probatio in contrarium; ſed ſatis eſt, ut ſua præſumptione ita innitatur, ut ex ea certum quod ſtatuat, ut apertè colligitur ex Authentic. *Sed jam neceſſe, Cod. de donat. ante nuptias.* & docent Menochius *de præſumpt. lib. 1. q. 2. num. 11.* Maſcardus *de probat. concl. 1218. num. 4.* Covarruvias *4. decret. 1. part. cap. 4. §. 1. num. 2.* & alij. Menoch. Maſcard. Covar.

Cetetùm quamvis contra præſumptionem juris & de jure non admittatur probatio directa, quæ ad enervandam ipſam præſumptionem tendat; admittitur tamen indirecta, quâ probatur, qualitates ad eam præſumptionem requiſitas minimè reperiri: ut contra præſumptionem juris & de jure matrimonij initi per copulam ſponſalia ſubſequentem, admittitur probatio concludens non interveniſſe copulam, aut ſponſalia, aut priùs ea diſſoluta eſſe. Ratio eſt; quia cùm lex conſtituat certas qualitates ad hanc præſumptionem inducendam, neceſſarium eſt admitti probationes concludentes aliquam ex qualitatibus petitis deficere, ut tradunt Sanchez *de matrim. lib. 7. diſputatione 37. num. 33.* Sanchez.

Maſcardus

Maſcard. Menoch. Maſcardus *de probat. in princip. quæſt.* 10. *num* 65. Menochius *de præſumpt. lib.* 1. *q.* 65. *n.* 1. *& ſeq.* cum alijs.

2. Præſumptio dicta eſt à dictione *præ*, id eſt ante, & *ſumptio*, hoc eſt ante ſumptio: quia ante legitimas probationes aliquid ſumit pro vero. Differunt autem inter ſe *Præſumptio*, *indicium*. *coniectura*, *ſignum*. *ſuſpicio*, *& adminiculum*. Nam præſumptio illa eſt, quæ interdum oritur à probabilibus, & tunc appellatur præſumptio iuris, vel hominis. Interdum oritur à neceſſarijs, & tunc appellatur præſumptio iuris & de iure. Ita Simanc. Simancas *lib. Catholic. inſtitut. tit.* 50. *de præſumpt. num.* 4.

Indicium dictum eſt ab indico, indicas demonſtrans argumentum veritatis habendæ: unde indicium eſt nota quædam & demonſtratio rei Baldus. geſtæ. Et eſt duplex iuxta Baldum *in l. Ea quidem, n.* 8. *Cod. de accuſat.* Semiplenum ſeu dubitativum, & plenum ſive indubitatum.

Indicium ſemiplenum eſt præſumptio fortiter movens animum ad aliquid credendum, vel diſcredendum, *l. Cùm probatio. ff. de probat.* Plenum verò indicium eſt demonſtratio rei per ſigna differentia, per quæ animus in aliquo tanquam exiſtente quieſcit, & plus inveſtigare non curat, *l. Indicia, C. de rei vendicat.*

Coniectura propriè dicitur, quæ non à neceſſarijs, ſed à probabilibus oritur. Nam ſi à neceſſarijs oriretur, non dubia, ſed certa reſſet; cùm tamen coniectura ſit de re dubia. Eſt enim coniectura rei latentis indicium. Et eſt id, quod per rationes & ſigna & tempora, & hujuſmodi cõijcit, id eſt, cogitat, & colligit. Et dicta eſt coniectura à *coniecto*, *coniectas* frequentativo, quod idem eſt quod exiſtimo, divino, atque ita à ſcientia differt. Baldus. Proinde Baldus *in l. Ea quidem, num.* 10. *Cod. de accuſat.* coniecturam ſic deſcribit, *Eſt acceptio, ſeu reputatio veri ex aliquo alio ſic verisimiliter ordinato.*

Signum eſt, quod ſub ſenſum aliquem cadit, & quiddam ſignificat, quod ex ipſo profectum videtur, quod aut antè fuerit, aut in ipſo negotio, aut pòſt ſit conſecutum: & tamen indiget teſtimonijs maioris confirmationis: ut cruor, fuga, pallor, pulvis & quæ his ſunt ſimilia. Hæc igitur omnia quæ à ſenſibus ducuntur argumenta, vocantur ſigna. Quod docet D. Auguſtinus relatus D. Aug. *in cap. Signum, de conſecrat. diſtinct.* 2. dicens: Signum eſt res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud faciens ex ſe in cognitionem venire. Hinc ſignorum quædã ſunt naturalia, quæ quaſi naturaliter aliquid ſignant, ut nubes naturaliter ſignificant pluviam, & fumus ignem; quædã ſunt data, hoc eſt quæ ſunt inſtituta ad aliquid ſignificandum, ut circulus eſt inſtitutus ad ſignificandum vinum venale, & voces ſunt ſigna eorum, quæ in animo ſunt. Ita Turrecremata *in cap. Signum, in fin. de conſecrat. diſtinct.* 2. Notandum tamTurrecr. men eſt, quod inter ſe differant veriſimile & ſignum. Nullum autem veriſimile tantum, argumentum eſt neceſſarium. Fit enim veriſimile argumentum ex rebus probabilibus, & quæ plerumque ita fiunt: & hoc veriſimile à præſumptione iuris vel hominis non differt. Signum aliquando neceſſarium eſt, ut ſi mulier lac habeat, neceſſarium eſt ut pepererit; & hoc ſignum nil differt à præſumptione iuris & de iure, quę & neceſſaria inartificialis probatio dicitur. Signa tamen aliqua dantur, quę nullam in ſe neceſſitatem habent, & hęc à præſumptione iuris vel hominis non diſtant.

Suſpicio eſt, quę animum iudicis aliquo levi argumento in aliquam partem inclinat, etſi non omnem excludit dubitationem. Ita Bartolus *in l. Admonendi, n.* 21. *ff. de iureiur.* Bartolus. Hæc ſuſpicio tres habet gradus ſecundùm D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 60. D. Thom. *art.* 3. Primus eſt, cùm homo ex levibus indicijs dubitare incipit: cùm enim nulla adeſt ratio, nullaque cauſa, qua iudex magis in unam partem, quàm in alteram inclinet, eum dubitare dicimus. Quod ſi poſt dubitationem iudex levi aliquo indicio animum in alteram partem flectit, neque tamen à ſe dubitationem removet, hoc ipſum ſuſpicio appellatur: quod ſi indicia illa levia admodũ ſũt, ſuſpicio quæ inde cauſatur, temeraria dicitur, & reijcienda omninò venit: non enim tunc aliquem probationis gradum facit, ſicut nec præſumptio temeraria. *Secundus* gradus ſuſpiciõnis eſt, cùm iudici fortiora argumenta apparent, & incipit opinari & uni parti adhærere, aliquod tamen dubium modicum adhuc remanet. Hæc verisimilis ſuſpicio, ſeu vehemens à præſumptione differt: nam ex multis ſuſpicionibus conficitur atque cauſatur præſumptio, ut tradunt Baldus & Salicetus *in authent. Si quis ei, in fine, Cod. de adulter.* Tertius eſt ſuſpicionis gradus, quando iudici, poſt à ſe conceptam opinionem, alia urgentiora ita ſuperveniunt argumenta, ut conſtanter, & ſine dubio uni parti adhæreat, tunc violenta ſuſpicio appellatur, & credulitatem fidemq; cauſat, *Authent. Si quis ei, C. ad leg. Iuliam, de adulter. cap. Litteras, de præſumpt.*

Adminiculum eſt duplex, vehemens & non vehemens: vehemens eſt ſuppletio defectus probationis per ſe ſolum non operans, ſed cum alia cooperatione cooperans. Non vehemens adminiculum eſt aliqualis confirmatio rei probabilis, *l.* 2. §. 1. *ff. de excuſat. tut. & cap. ult. de ſucceſſ. ab inteſtat.* & docet Baldus *in l. Ea quidem, num.* 9. Baldus. *verſic. Adminiculum, Cod. de accuſat.* De his plura apud Menochium *de præſumpt. lib.* 1. *quæſtione* 7. Menoch. Simancam *lib. Catholic. inſtitut. tit.* 50. *de præſumptionibus.* Simanc.

3. Præſumptio & indicia ad inquirendum & torquendum paria eſſe nõ oportet: nam etſi præſumptiones & indicia ut prehenſioni locus eſſe poſſit, paria ſint cum illis, quæ ad generaliter inquirendum ſufficiunt; attamen his urgentiores præſumptiones eſſe debent illæ quæ requiruntur, ut de delicto ſpecialiter poſſit inquiri: & multò urgentiores eſſe debent ut torqueri, ac tandem multò urgentiores ut poſſit condemnari, ut ex communi docet Iulius Clarus *in pract. criminal.* Clarus. *q.* 20. Ad inquirendum itaque leviora ſufficiunt indicia, quàm ad torquendum & damnandum. Ceterùm inquiſitio altero de duobus modis fieri ſolet, una eſt generalis, altera verò ſpecialis. Generalis ſolùm fit pro inſtructione iudicis, ut perquirere & indagare poſſit, quis delictum illud perpetraverit; ut deinde habita aliqua cognitione & ſcientia delinquentis, inquiri is poſſit in ſpecie. Ita Bartolus *in l.* 2. §. *de publico, ff. ad leg. Iul. de adulter.* Itaque ad faciendam generalem illam inquiſitionem, ſufficiunt indicia levia, modò aliquem colorem habeant. Illa verò quæ ad inquirendum ſpecialiter requiruntur, paulò illis urgentiora eſſe debent.

Primum indicium ad generaliter inquirendum oritur ex teſtimonio cuiuſlibet teſtis. Et ob id teſtimonium etiam inimici, vel banniti, qui alioqui aliàs teſtificari non poteſt, ſufficit. Ita Baldus *in* Baldus. *l. Servos, Cod. de teſtibus. Secundum* indicium ſufficiens ad generalem inquiſitionem oritur ex aſſertione vulnerati ſuperviventis: ſi enim decederet,

indicium

indicium ad ſpecialem inquiſitionem faceret; imò hoc indicium etiam ſufficeret ad capturam & prehenſionem. Ita Clarus *in pract. crimin. quæſt.* 20. *verſ. Ad inquirendum*, & *quæſt.* 21. *verſ. Aſſertio vulnerati*. Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 13. *num.* 16. Clarus. Gomez.

Tertium indicium aptum ad inquiſitionem generalem naſcitur ex fama. Ita *cap. Qualiter & quando, el* 2. *de accuſat.* tamen Clarus *loco citato quæſtione* 20. ſuſtinet famam ſufficere etiam ad inquiſitionem ſpecialem, imò & ad prehenſionem & torturam. Clarus.

Quartum indicium ſufficiens ad inquirendum generaliter, deſcendit ex gravi inimicitia. Ita Julius Clarus *loc. cit. & q.* 21. *verſ. Inimicitia*, qui etiam aſſerit ſufficere ad ſpecialem inquiſitionem, & ad prehenſionem & capturam. Clarus.

Quintum indicium ſufficiens exoritur ex teſtimonio propinquorum illius vulnerati vel occiſi. Ita Blancus *in pract. crimin. in princip. num.* 13. & 18. Hoc autem indicium ſufficit pariter ad prehenſionem & capturam hujus ſuſpecti. Blancus.

Porrò ad inquiſitionem ſpecialem præter famam, & gravem inimicitiam, connumerantur inter indicia, fuga rei, teſtimonium ſocij criminis; aliquibus tamen in caſibus, aſſertio offenſi exiſtentis in articulo mortis, denunciatio ſyndici, vel alterius officialis præpoſiti ad deferendum crimina. De quibus Julius Clarus *in pract. crimin. quæſt.* 20. *verſ. Ad formand. in fin.* Alciatus *de præſumpt. reg.* 2. *præſumpt.* 10. Blancus *in tr. de indicijs & tortura, n.* 396. Menochius *de præſumpt. lib.* 1. *quæſt.* 88. Clarus. Alciatus. Blancus. Menoch.

4. Quamvis ex recepta Doctorum ſententia, judicis arbitrio relinquatur, quæ dici poſſint præſumptiones & indicia ſufficientia ad quæſtiones, quas torturam vocant juriſperiti, nihilominus ex infra dicendis oriuntur talia, ut ejuſmodi ſint, quibus locus ſit quæſtioni & torturæ.

Primum oritur indicium ad torturam & quæſtiones ſufficiens, quando unus teſtis omni exceptione major atteſtatus eſt de viſu ipſius geſti actus, & commiſſi delicti. Prob. ex *l.* 3. *Cod. ad leg. Jul. Majeſt.* ea ratione, quia teſtis unus de viſu, non ſolùm facit indicium, ſed etiam ſemiplenam probationem, ſi ſit omni exceptione major, ut probant *l.* 1. §. *Idem Cornelio*, & *l. Maritus, ff. De quæſt.* ubi Bartolus & ceteri. Verùm ut locus ſit hujc indicio, requiritur quòd aliæ circumſtantiæ, ſeu conjecturæ non reſiſtant, ut tradunt Blancus *in tr. de judicijs, n.* 324. Baldus *in l.* 2. *Cod. quorum appel. non recip.* Puta ſi reus ſit bonæ famæ, tunc alia præterea indicia neceſſaria ſunt. Diana *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 6. & alij. Blancus. Baldus. Diana.

Secunda præſumptio ſeu indicium ſufficiens ad torturam eſt, quod oritur ex Confeſſione extrajudiciali accuſati. Ratio eſt, quia non eſt credendum, aliquem ſibi falsò crimen imponere; tum quia Confeſſio extrajudicialis facit ſemiplenam probationem; multo ergo magis facit indicium, quod eſt quid minus ſemiplena probatione. Ut tamen huic indicio & præſumptioni ſit locus, quatuor ſunt neceſſaria; *Primò*, quòd Confeſſio iſta debet eſſe viriſimilis, atque ita debet habere cauſam præexiſtentem: nam ſi nulla ſubeſſet cauſa, qua ita factum dici poſſet, indicium ſumi non poſſet. *Secundò*, quòd hæc confeſſio facta fuerit ſeriò, non autem jocosè, nec calore iracundiæ. *Tertio*, quòd ſit Confeſſio ſpecialis, non autem generalis, & quo loco, & quo tempore fuerit facta. *Quartò*, quod hæc confeſſio ſit probata teſtimonio duorum, & licet hoc requiſitum ſit commune cum alijs indicijs remotis, habet tamen neſcio quid plus, cùm majori quadam diligentia ij teſtificari debeant. Ita Menochius *de præſumpt. lib.* 1. *q.* 89. *n.* 17. & *ſeq.* Baiardus *in add. ad Jul. Clar. q.* 21. *n.* 112. Joſeph à S. Maria *in Tribun. relig. tract.* 5. *c.* 2. §. 8. Miranda *in ordin. jud. tom.* 2 *q.* 26. *art.* 7. *concl.* 1. Sanchez *in opuſc. to.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 8. & alij. Menoch. Bajardus. Joſeph à S. Maria. Miranda. Sanchez.

5. Tertia præſumptio, ſeu indicium ſufficiens ad torturam oritur ex fama, modò aliqua alia adminicula concurrant; ſola enim fama non eſt ſufficiens indicium ad torturam: igitur ut quis propter famam torqueri queat, hæc omnia requiruntur: quòd reus vilis & infamatus ſit, quòd fama non ſit orta à malevolis, aut levibus hominibus, ſed ad honeſtis & fide dignis, & poſtremò quòd per teſtes idoneos probata ſit; nec ſat eſt, quòd teſtes dicant hanc eſſe publicam famam, niſi etiam rationem addant, quâ id neceſſariò concludant. Ratio autem cur fama ſola non ſit ſufficiens ad torturam, eſt, quia fama vim non habet teſtimonij, ſi ſit nuda, ſed tantùm vices accuſatoris obtinet. *cap. Qualiter & quando, el* 2. *de accuſat.*

Et præterea ij, qui de fama teſtificantur, de auditu loquuntur & injuriatorum voces audiunt, quibus quidem injuriâ affectis, nulla abhibetur fides. Accedit quòd fama ſolet plus mali quàm boni nunciare. Nunquam enim ad liquidum fama perducitur, ſed falſis mixta omnia illa tradente majora ſunt vero. Ita Simanchas *inſt. Cathol. tit.* 65. *n.* 36. 37. & *ſeq.* Julius Clarus *in pract. crimin* §. *final. quæſt.* 21. *verſ. Fama*, Sanchez *in opuſc. to.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 19. Miranda *de Ordin. judic. to.* 2. *quæſt.* 26. *art.* 5. *concl.* 1. & 2. Pegna *in direct. Inquiſit. part.* 3. *com.* 110. & alij communiter. Hæc tamen ſententia locum non habet quando fama eſſet vehemens; nam tunc ipſa ſola abſque alijs adminiculis eſſet ſufficiens ad torturam. Sed ut ſit vehemens, animadvertere debet judex aliquas regulas, quod fama non dicitur vehemens quando illa ortum habuit à perſonis inhoneſtis & non fide dignis, & numerus teſtium minimè ſupplet illorum inhabilitatem in probatione famæ. Deinde attendenda eſt cauſa originis ipſius famæ, non autem numerus perſonarum; unde dicendum eſt teſtes deponentes de fama ad minus duos eſſe debere, & hos ſpectatæ vitæ & omni exceptione majores. Ita Miranda *loco citat. concl.* 2. Menochius *conſil.* 788. *num.* 27. Farinacius *quæſtion.* 47. *num.* 28. & alij apud Dianam *p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 13. Simanc. Clarus. Sanchez. Miranda. Pegna. Miranda. Menoch. Farinac. Diana.

6. Quarta præſumptio, ſeu indicium ſufficiens ad torturam oritur ex fuga; proinde qui poſt commiſſum crimen fugit, antequam accuſetur, poterit ob eam cauſam torqueri, quia ut plerique putant, fuga illa ſemiplenam probationem facit. Boſſius *in tract. cauſar. criminal. tit. de indicijs, num.* 49. Julius Clarus *loco citat. quæſt.* 21. *in verſ. Fuga*, qui communem eſſe ſententiam teſtatur. Nam non abs re contra ipſum præſumitur, quod delictum commiſerit, eſtque vehemens & urgentiſſimum indicium ad torturam ſufficiens. Hic tamen caſus non procedit, quando talis qui fugit, fuit accuſatus & vocatus ad judicium, & venit: nam tunc illa fuga nullum facit indicium, ut ait Bartolus *in l. Quid ſit fugitivus*, §. *Scienti, ff. De ædil. edict.* Julius Clarus *loco citato in fine*. Nec procedit, quando aliqua juſta vel colorata cauſa ſubeſſe poteſt, ut hic abeſſe cœperit; nam tunc illa fuga, vel verius abſentia eum ſuſpectum non facit, nec indicium contra ſe ad torturam, nec habet vim ſemiplenæ probationis: puta, ſi aufugit exiſtens innocens de morte alicujus, timens Boſſius. Clarus. Baronius. Clarus.

timens ne ipſe occidatur vel falsò ab adverſæ factionis viris accuſetur, vel ne de facto prehenderetur & carceri includeretur: vel timens ſævitiam judicis, quia ita ſævire in homines conſuevit: vel ſi abſens ſit ab urbe ex cauſa negotiationum, vel ob ſimilem cauſam. In his caſibus fuga vel abſentia indicium aliquod non facit. Ita Baldus *in l. In bona fidei, Cod. de jurejur.* Menochius *de præſumpt. libro primo, quæſtione* 89. *num.* 36. 37. & 38. Simancas *in Catholic. inſtit. tit.* 65. *num.* 28. Farinacius *quæſt.* 48. *num.* 1. *& ſequent.* Ioſeph de S. Maria *in Tribun. Relig. tract.* 5. *cap.* 2. §. 9. Miranda *loco cit. art.* 8. & alij.

Baldus. Menoch. Simanch. Farinac. Ioſeph à S. Maria. Miranda.

Advertendum tamen eſt, quando jàm propoſita querela & carcere mancipatus aufugit, etſi non fracto carcere, fuga hæc indicium facit ad torturam, ſi juſtè erat incarceratus, & receſſit è carcere animo non redeundi. Quando autem fugit fracto carcere, vel ruptis compedibus; tunc hæc fuga non ſolùm facit indicium ad torturam, verùm etiam plenam probationem quoad condemnationem: modò fuga hæc fuerit facta cum conſpiratione. Ita probat *l. In eos, ff. de carcer.* ubi Bartolus & Albericus, Felinus *in cap. Nullus*, & ibi Decius *num.* 7. *de præſumpt.* Iulius Clarus *in practic. crimin. §. final. quæſt.* 21. *verſ. Tertio autem modo*, & alij. In aliquibus tamen caſibus ſola ipſa fuga abſque conſpiratione plenam probationem criminis facit, ut *Primò*, in crimine hæreſis; quia fugiens è carcere, illo effracto, dicitur relapſus. Felinus *in cap. Excommunicamus el* 1. *n.* 7. *de hæret.* Idem dicendum in fuga, quam facit Magiſtratus tempore ſyndicatus: nam illa fuga infert præſumptionem violentam, quod in Officio deliquerit. Ita probat *l. Conſiliarios, Cod. de acceſſor.* & tradit Franciſcus Brun. *tract. de indicijs, & tortur. parte prima, quæſt.* 3. *numero* 11.

Bartolus. Albericus. Felinus. Decius. Clarus. Felinus. Fran. Bru.

7. Quinta præſumptio, ſeu indicium ad torturam ſufficiens oritur ex teſtimonio ſocij criminis, modò concurrat alia præſumptio, vel adminiculum, aut indicium. Ratio eſt; quia quis non poteſt torqueri, ſi non adſit ſaltem ſemiplena probatio, quam efficit dictum unius teſtis omni exceptione maioris: Sed ſocius criminis, ut patet, non eſt teſtis omni exceptione maior: ergo. Ita Menochius *de arbitrarijs judicum, lib.* 2. *caſu* 474. *num.* 43. Sanchez *in opuſculo, tom.* 2. *lib* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 7. Sylveſter *verb. Indicium, num.* 5. Armilla *num.* 6. Angelus *num.* 5. Delrius *in diſquiſit. magic. append.* 2. *lib.* 5. *quæſt.* 1. Ioſeph à S. Maria *in Tribun. Religion. tractatu quinto, cap.* 2. §. 5. & alij. Adminicula autem, in quibus cum ſocij criminis teſtimonio datur tortura, ſunt, *Primò*, quando ſimul concurrunt teſtes de auditu. *Secundò*, quando concurrit fama. *Tertiò*, quando concurrit fuga. *Quartò*, ſpecialis & ſtricta amicitia nominati cum tali ſocio. *Quintò*, ſi concurrat ſecreta allocutio & converſatio inter nominatum & ſocium. Ita Souſa *in aphoriſm. inquiſit. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 24. & alij.

Menoch. Sanchez. Sylveſter. Angelus. Delrius. Ioſeph à S. Maria. Souſa.

Depoſitio tamen duorum ſociorum criminis ſufficit ad torturam. Clarus *in practic. crimin. §. fin. quæſt.* 21. Becanus *in ſecunda ſecundæ, quæſtione* 67. *in inſtit. judic. quæſt.* 10. *num.* 10. Filliucius *tract.* 40. *cap.* 7. *num.* 37. Et hoc verum, licet ſint ſingulares, ut docet Souſa *loco citato cap.* 39. *n.* 55. qui citat Farinacium *quæſt.* 43. *num.* 37. & 38. & Clarum *loco citato.*

Clarus. Becanus. Filliucius. Souſa. Farinac.

Prædicta tamen doctrina licet regulariter vera ſit, limitanda eſt, in caſu quando eſt tanta vis bonæ famæ propter magnam perſonarum inæqualitatem; ut ſi Princeps denuntiaretur à ſuis ſubditis: tunc enim tot denunciationes requirerentur, quot poſſint præponderare; & idem dicendum de religioſo qui apud ſæculares publicè haberetur eximiæ ſanctitatis: nam plurimi facienda ſunt vitæ præcedentis merita, ut patet ex *l.* 3. §. *Sed ſi ex improviſo, & l. Non omnes*, §. *à barbaris, ff. de re milit.* & notat Delrius *de magia in append.* 2. *lib.* 5. *quæſt.* 6. & poſt illum Diana *part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 7. *in fine.*

Delrius. Diana.

8. Quando præſumptio eſt juris & de jure, ſententia ferri poteſt, cùm hæc dicatur vera & propria probatio. Si autem præſumptio eſt juris tantum, quæ tamen contraria probatione non fuit improbata, etiam ſententia ferri poteſt: quãdoquidem & hæc dicitur liquida & manifeſta probatio, ex quo lex eam ſic approbavit. Quando autem præſumptio eſt hominis tantùm, quæ quidem à lege expreſſim approbata non reperitur; hæc pendet à judicis arbitrio, qui judicare habet an eiuſmodi ſit præſumptio, ut ferre ſententiam poſſit. Et quidem quando præſumptio eſt violenta, ferri ſententia poteſt in eum, contra quem illa extat. Præſumptio autem violenta eſt, quando ſcilicet apparet coniectura mali, & non boni; cùm omnia ſigna ſunt mali & nulla boni. Sicuti fuit illa quam fecit Salomón, ut habetur *lib.* 3. *Regum c.* 3. relata *in c. Afferte, de præſumptionibus*, dum adiudicavit filium illi mulieri, quæ lachrymis rogaverat, ne puer interficeretur, judicans illam eſſe matrem. E contra mulierem illam, quæ petierat puerum dividi, & dicebat, *nec mihi, nec tibi, ſed dividatur*: non eſſe matrem judicavit Salomon, violenta hàc præſumptione: cùm in ea omnia ſigna mali, nempe adverſus humanam & naturalem pietatem exiſterent.

Quando præſumptio eſt probabilis, ferri ſententia non debet contra eum, cui illa obſtat, ſed ſolùm indicenda eſt purgatio, ut habetur *in c.* 1. *&* 2. *de purgat. Canon.* Præſumptio autem probabilis dicitur illa quæ ſumitur ex multis ſignis malis; & parva ac exigua ſunt ſigna boni: qualis eſt illa, quæ ſumitur à falſis prophetis: nam à fructibus eorum cognoſcimus eos.

Quando præſumptio eſt levis, ferri ſententia non debet: ſed in hoc dubio, in meliorem partem ſunt interpretanda. Præſumptio levis eſt, ſi vir bonæ famæ, videatur ſemel alloqui mulierem in loco ſuſpecto.

Quando præſumptio eſt temeraria, nulla pariter ferri debet ſententia in eum, adverſus quem ſumpta eſt præſumptio iſta: ſed damnandus potiùs eſt ille ita præſumens; nam & contra illum ſtat illud Lucæ cap. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini.* Ita Alexander Alenſis *in Sum. part.* 3. *quæſt.* 45. *memb.* 7. Menochius *de præſumpt lib.* 1. *quæſt.* 94. & alij.

Alenſis. Menoch.

Plura hìc de præſumptionibus poſſent adduci, ſed quia hæc materia eſt potius juriſperitorum, quàm Theologorum, ideò ab his ſuperſedemus, quæ videri poſſunt apud illos, qui ex profeſſo de his tractaverunt: proinde hæc pauca ſufficiant Theologo morali. Nunc ad præſumptionem, quæ eſt virtuti ſpei & magnanimitati contraria, deveniamus.

9. Præſumptio ut refertur ad voluntatem, in genere ſignificat quendam animi motum ad aliquid agendum, quod excedit agentis facultatem, & quidem ſi exceſſus ſit non reſpectu poteſtatis quaſi executivæ, ſed reſpectu legis, & juris debiti, præſumptio conſiſtit in hoc, quod quis cognita voluntate Superioris, vel cognita lege, eam tranſgredi præſumit: quomodo dicitur ſæpè in jure, *Si quis hoc præſumpſerit facere*, &c. Hæc præſumptio

non est speciale vitium & peccatum, sed circumstantia quædam generalis ad legis contemptum pertinens, quam quis sciens & videns sine metu, aut vi transgreditur, quæ significatio notanda est ad intelligenda multa jura.

Alio modo præsumptio dicitur motus, quo aliquis aggreditur id, quod superat vires suas, & hæc per materias diversarum virtutum vagatur; ut cum quis aggreditur maiora pericula, quàm possit superare; cùm vult ampliùs ieiunare quàm vires ferant; cùm maiores honores maioráve beneficia quærit, quàm ei conveniant. Hæc præsumptio licet quâtû ad materiã, ita vagetur; quia tamen in omnibus istis materijs versatur sub una ratione, quæ virtuti magnanimitatis opponitur, ideò & ipsa tali virtuti adversatur. Unde huiusmodi præsumptio est quædam præfidentia, seu nimia confidentia suarum virium; suas vires intelligendo quas quis vel in se vel in alijs habet paratas. Consistit enim non tam in expactando aliquid inordinatè à Deo, quàm in aggrediendo ea opera quæ superant hominis facultatem, tum eam quam ex se, seu ex natura habet, tum eam quam meritò confidit se ab alio accepturum. De qua D.Thom. D. Thomas 2.2.q.130 *art.* 2. & alij commentatores ibi.

Gravitas huius præsumptionis plerumque est venialis, in tribus tamen casibus est mortalis. *Primò*, quando provenit ex errore contra fidem, vel ei est coniuncta; nisi sit error invincibilis. *Secundò*, quando est coniuncta cum notabili damno, vel notabilis damni corporalis periculo. *Tertiò*, quando eius ratione homo se vel alium exponit periculo peccandi mortaliter. Ita peccant ignari Confessarij, Medici, Advocati; & qui experti se plerumque labi in peccatum mortale ex alicuius mulieris consortio, illud nihilominus desiderant absque causa rationabili. Ita Toletus *in Summ. lib.* Toletus. 8. *cap.* 22. Navarrus *in Man. cap.* 23. *num.* 11. & 14. Navarrus. Sylvius 2.2. *quæst.* 130. *art.* 2. Fernandez *part.* 4. *cap.* Sylvius. 2. §. 2. *n.* 19. Valentia *tom.* 3. *disp.* 8. *quæst.* 3. *punct.* 2. Fernand. & alij. Valentia.

Ex dictis sequitur hoc vitium in intellectu supponere opinionem falsam de suis viribus, ex culpabili ignorantia vel inconsideratione ortam: in voluntate verò requirere affectum vel obsolutè exequendi tale opus, vel sub conditione, si nimirum res ad se pertineret, si tempus & locus posceret, &c.

10. Præsumptio, quatenus opponitur virtuti spei per excessum, est affectus quo speramus aliquid à Deo, inordinatè tamen: & huius præsumptionis varij sunt modi. *Primus* est, quo quis ordinatè innititur propriæ virtuti; verbi gratia, si speret consequi beatitudinem & remissionem peccatorum proprijs viribus, est præsumptio Pelagiana, & committi non potest sine illa hæresi. *Secundus* est, quo quis inordinatè innititur divinæ misericordiæ & potentiæ; ut si speret se obtinere posse à Deo remissionem peccati sine pœnitentia, aut beatitudinem sine bonis operibus: quod faciunt illi, qui perseverant in suis peccatis, & nihilominus sperant se posse salvari per infinitam Dei bonitatem & misericordiam; & hæc est Lutherana præsumptio, quæ vix potest committi graviter sine tali hæresi. Nam hic judicat falsò de Deo, posse ab eo beatitûdinem comparare absque medijs à divina providentia & justitia statutis; atque gravissimè utrumque Dei attributum læditur: & spei apertè repugnat, ad quam spectat non solùm digna, sed etiam dignè sperare de Deo. Hæc præsumptio semper est mortalis, nec parvitas materiæ excusare potest, sed solus plenæ deliberationis defectus, ut docent Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 33. *num.* 7. Bañez 2. 2. *quæst.* 21. *art.* 2. *dub.* 2. Valentia *tom.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 2. Trullench *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 5. *n.* 6. & alij. Sanchez. Bañez. Valentia. Trullench

Tertius est, cùm quis spe veniæ obtinendæ pœnitentiam de peccatis in senectutem, aut finem vitæ differt. Ita Bañez *loco cit. art.* 2. *in fine.* Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 2. *quæst.* 7. Quod peccatum esse mortale ait Molina *lib.* 1. *Summ. cap.* 14. §. 2. Sed verius est non esse semper mortale, nisi tempus occurrat, quo præceptum pœnitentiæ obligat: quare qui pœnitentiam spe veniæ differt, solùm peccat contra pœnitentiæ præceptum, si animum habeat eam differendi ultra tempus, quo id obligat: unde hoc peccatum proprie non est præsumptionis & contra spem; quia non speratur beatitudo absque pœnitentia & Dei adiutorio. Ita Sanchez *loco cit. num.* 7. Azorius *suprà*, Villalobos 2 *part.* 2. *diffic.* 3. *num.* 4. Bañez. Azorius. Molina. Sanchez. Azorius. Villalob.

Vide v. Ignorantia *num.* 8. Adulterium *num.* 18. & *sequent.* Spes *num.* 15 16. & *sequent.* Prabatio *num.* 3. 4. & *sequent.*

PRIVILEGIVM.

SUMMARIUM.

1 *An privilegium fori possit per potestatem civilem integrè revocari, limitari, aut restringi.*

2 *An privilegium retrotrahatur ad validandum actum præteritum, qui sine eo fieri non poterat.*

3 *An privilegia Bullæ Cruciatæ vel Iubilei, quatenus continent potestatem dispensandi, sint strictè interpretanda:* Refertur duplex sententia.

4 *An privilegia Bullæ vel Iubilei, prout continent actualem juris dispensationem, sint extendenda ultra propriam verborum significationem & naturam.*

5 *Quid sit privilegium strictè & largè sumptum.*

6 *An de ratione privilegij sit, ut aliquem effectum habeat in privilegiato.*

7 *Privilegium aliud dicitur scriptum, aliud non scriptum. Quantum temporis requiratur ad privilegium per consuetudinem introducendum.*

8 *Adducitur Tenor Bullæ Vrbani VIII. revocatoriæ privilegiorum vivæ vocis oraculo concessorum.*

An consuetudo præscripta tempore legitimo & requisito à jure & inducta ex vi vivæ vocis oraculorum, revocetur per hanc Bullam Vrbani.

An vivæ vocis oraculum factum alicui Cardinali tanquam Officiali Pontificis & sigillo ipsius Officij signatum censeatur revocatum per hanc Bullam.

An hæc revocatio Vrbani comprehendat vivæ vocis oracula communicantia privilegium alicui Religioni aliàs concessum per Apostolicum diploma.

An Bulla hæc Vrbani VIII. solùm revocet ea vivæ vocis oracula, quæ non sunt confirmata per Bullam alicuius Pontificis ex certa scientia.

An posito quod omnia vivæ vocis oracula sint revocata per hanc Bullam, possint adhuc hodie Confessarij regulares approbati dispensare cum incestuosis ad petendum debitum.

An privilegium quod habet tractum successivum vel effectum momentaneum, renunciari possit ab ipso privilegiario.

10 *Religiosi Mendicantes gaudent privilegijs Mendicantium, & non Mendicantium concessis*

Digitized by Google

ceſſis & concedendis. Et qui ſint illi Ordines Mendicantes.

11 *Qui Ordines non Mendicantes privilegijs Mendicantium communicent? & qui non Mendicantes privilegijs non Mendicantium.*

12 *An privilegiorum communicatio non ſolùm intelligatur de privilegijs Ordinum, qui tunc extabant, quando privilegium communicationis conceſſum fuit, ſed etiam futurorum.*

13 *An privilegia regularium quoad Prædicationes, Confeſſiones & approbationes, & alia hujuſmodi non ſint jam ſimpliciter privilegia, ſed jura quæſita.*

14 *Privilegia regularium an non amittantur per non uſum, niſi legitimo tempore ad præſcriptionem requiſito? & quantum temporis ad hoc requiratur.*

15 *An privilegia regularium ſolâ revocatione vel ſententiâ Pontificis amittantur.*

16 *In revocatione generali privilegiorum an cenſeantur revocata privilegia regularium & præcipuè Mendicantium? & in dubio, an cenſeatur privilegium revocatum.*

17 *An Bullæ, quibus privilegium aliquod conceditur regularibus, debeant neceſſariò publicè promulgari.*

Quænam probatio vel notitia requiritur in privatis privilegijs, ut inferiores Prælati, aut judices, aut aliæ perſonæ, ad quas pertinere poteſt, teneantur illis parere, vel eis non contravenire.

18 *An privilegium habeat ſuum effectum ſtatim ac perfectè conceſſum eſt, etiamſi ab eo, cui conceditur, ignoretur?* Refertur duplex ſententia.

19 *Ex dictis numero præcedenti reſolvuntur quatuor caſus circa acceptationem privilegij per nuntium.*

1. PRivilegium fori conceſſum Eccleſiaſticis, non poteſt per poteſtatem civilem integrè revocari, neque ex parte diminui, vel limitari, aut reſtringi, imò nec reſtrictè declarari cum legis auctoritate poteſt virtute ſolius civilis poteſtatis. Ratio eſt; quia circa bona & jura Eccleſiaſtica, nulla eſt laicis tributa poteſtas: ergo ſimiliter circa privilegium Eccleſiaſticum, vel juriſdictionem ſemel in Eccleſiam tranſlatam, nihil poteſt ſæcularis poteſtas; ergo nec diminuere, nec reſtringere, nec legem aliquam, quæ in præjudicium illius cedat, ferre poteſt. Tum quia nullus, etiamſi ſit Rex ſupremus, poteſt minuere vel aliquid diſpònere de privilegijs, vel juribus alterius Regis, vel cujuſcumque perſonæ non ſubditæ, à quocumque, vel quocumque juſto titulo illa habuerit ac poſſideat: ergo majori ratione, non poſſunt Principes temporales circa privilegium fori aliquid diſponere, quod in illius præjudicium cedat. Talis eſt autem cujuſcumque legis editio, privilegij conceſſio, juriſdictionis delegatio, ſeu commiſſio, aut executionis juſſio, quibus Eccleſiaſtica libertas minuatur, aut reſtringatur; & ideò omnes hujuſmodi actiones, vel diſpoſitiones, non ſolùm illicitæ, ſed etiam irritæ ſunt, & inanes, quia ſine legitima poteſtate fiunt. Et tales declarantur *in Authentica Caſſa; Cod. de ſacroſanct. Eccleſ.* & *cap. Noverit*, & *cap. Gravamen*, *de ſentent. excommunic.* & docent Abbas *in cap. Super el 2. num. 4. de appellat.* Felinus *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, num. 47. Conſtitut.* & *in cap. Novit, de judicijs, num. 6.* Cardinal. Lugo *de iuſt. tom. 1. diſt. 36. ſect. 7. n. 101.* Amicus *tom. 5. de juſtit. diſp. 9. ſect. 5. num. 140.* Salas *de leg. diſp. 14. ſect. 11. n. 121.* Baldellus *in Theolog. moral. lib. 5. diſp. 35. num. 17.* & alii.

Abbas. Felinus. Lugo. Amicus. Salas. Baldellus.

2. Privilegium vel facultas conceſſa retrotrahitur ad validandum actum præteritum, qui ſine ea facultate fieri non poterat: unde licentia, ſeu privilegium teſtandi conceſſa Epiſcopo vel Monacho, facit convaleſcere teſtamentum antea factum: quia id non eſt extendere privilegium, ſed id intelligere ſecundùm terminos iuris, quod ad valorem teſtamenti, etiam antea facti, ſolùm petit adeſſe facultatem teſtandi tempore mortis, à quo robur ſumit. Ex *l. Si quis filio exhæredato, §. Irritum, ff. De injuſto rupto teſtament.* Atque ita docent Bartolus *in dict. l. Si quis*, Sanchez *de matr. lib. 8. diſp. 1. num. 9.* Baldus *in l. Si quando, Cod. de inoffic. teſtam.* Salas *de leg. diſp. 20. ſect. 10. num. 89.*

Bartolus. Sanchez. Baldus. Salas.

Ex quo fit quod privilegium, ſeu diſpenſatio Pontificis ad obtinendum duo vel tria beneficia incompatibilia, facit, ut poſſet privilegiatus, ſeu diſpenſatus eius virtute etiam obtenta iam retinere: quia ſicut poteſt aſſequi in poſterum de novo, ita iam aſſequutum retinere; quia, cui permittitur aliquid de novo facere, multò fortius iam factum conſummare. Ita Diana *p. 8. tractatu 3. reſolut. 99. verſ. Cui doctrinæ*, & alii apud ipſum.

Diana.

3. Quorumdam ſententia eſt, privilegia Bullæ Cruciatæ vel Jubilei, quatenus continent poteſtatem diſpenſandi, eſſe ſtrictè interpretanda: quia non ſunt privilegia activa, ſeu beneficium ipſius diſpenſantis, ſed paſſiva ipſius perſonæ Bullam accipientis, vel Jubileum obtinentis, & ideò cùm contineant iuris communis relaxationem, tanquam odioſa reſtringenda ſunt. Ita Sanchez *de matrim. libro octavo, diſputatione ſecunda, numero ſeptimo*, Coninck *de Sacrament. diſputatione 33. dub. ſecundo, numero 14.* Salas *de leg. diſputatione 20. ſectione 11. numero 100.* & alii. Contrarium tamen eſt verius. Ratio eſt, quia hæc poteſtas diſpenſandi & abſolvendi ordinatur ad lucrandum efficaciùs indulgentiam, & remiſſionem peccatorum conceſſam; Indulgentia autem, & remiſſio cùm ſit Principis beneficium, nemini nocēs, nec iuri communi adverſum, latè eſt explicandum: ergo etiam & hæc poteſtas; unde hęc privilegia extendi poſſunt ad caſus quoquomodo adaptabiles caſibus in poteſtate expreſſis, quia non ordinantur ad bonum privatum, ſed ad publicum totius Eccleſiæ, ad ſubveniendum publicæ eius neceſſitati. Et licet ex vi rationis adductæ pro ſententia contraria hæc facultas eſſet ſtrictè interpretanda, at ob fines & circumſtantias huius conceſſionis latè explicanda eſt: nam finis præcipuus horum privilegiorum, non eſt aliquod privatum commodum ſumentis Bullam & obtinentis Iubileum, ſed eſt commune bonum Eccleſiæ, & ſubuentio illius in aliqua publica neceſſitate: ergo ex hac parte laram accipiunt interpretationem, ſublata verborum ſignificatione. Ita Suarez *de Relig. tom. 2. libro ſexto, cap. 16. numer. 3.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. tom. 2. quæſt. 88. artic. 12 diſp. ultim. num. 2.* Diana *part. 1. tr. 1. reſol. 98.* Hinc fit privilegium, ſeu poteſtatem diſpenſandi; aut commutandi vota poſſe extendi ad ſimiles caſus, ubi eſt eadem, aut major ratio, aut etiam minor, & ad acceſſoria, ſine quibus principale definiti non poteſt, ut docent Henriquez *lib. 7. cap. 30. num. decimo*, Trullench *in Bull. Cruciat. in proœmio, dub. 4. n. 4.* niſi talis extenſio cederet in præjudicium tertij, ut docet Sanchez *loco citato, diſp. 2. n. 3.* eò quòd

Suarez. De la Tor. Diana. Henriq. Trull.

Princeps cenſeatur velle quàm minimum poſſit damnum tertio inferre.

Hinc etiam ſequitur, eum qui per Bullam, vel Jubileum poteſtatem habet commutandi vota, poſſe etiam & juramenta commutare, quæ in Dei honorem & non proximi utilitatem emiſſa ſunt, ut ex communi docet Sanchez *loco citat. num.* 17. cum alijs. Quibus adde Dianam *part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 46. Sanchez. Diana.

4. Privilegia Bullæ Cruciatæ vel Jubilei prout continent actualem juris diſpenſationem, ſunt ſtrictè interpretanda, & non extendenda ultra propriam verborum ſignificationem & naturā. Ratio eſt, quia actualis diſpenſatio exorbitat à jure communi: lex autem quæ omnibus eſt æqua, ſi jus commune lędat ipſum corrigens, eſt odioſa, & valde reſtringenda, ut habet regula, *Quæ à jure, de reg. jur. in* 6. Proinde cùm conceſſio & diſpenſatio particularis, ſeu in actu exercito, ipſum jus violet, erit odioſa, & per conſequens ſtrictè intelligenda. Igitur cùm privilegia Bullæ exorbitent à jure communi & ſint contra illud, in actuali & particulari diſpenſatione erunt ſtrictè interpretanda. Privilegium enim juri communi derogans eſt reſtringendum potius, quàm extendendum; quia tale privilegium includit diſpenſationem juris communis: diſpenſatio autem quoad actum ſtricti juris eſt reſtringenda: ergo & privilegium contra jus commune, vel in præjudicium tertij. De his Suarez *lib.* 8. *de legib. cap.* 27. *num.* 5. Sanchez *de matr. lib.* 8. *diſp.* 1. *num.* 1. Bonacina *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 7. §. 1. *n.* 5. Caſtrus Palaus *tract.* 3. *diſp.* 4. *part.* 10. *num.* 2. Reg. jur. Suarez. Sanchez. Bonacina. Palaus.

5. Privilegium ſtrictè ſumptum eſt ſingulare jus contra jus communem inductum, *cap. Abbate, de verb. ſignificat.* Privilegium largè ſumptum uſurpatur pro quacumque conceſſione præter jus facta: imò ad hoc privilegium ſatis eſt, quod tribuat clarius, & facilius idem jus, quod jus commune concedit, quod interdùm ſit ad tollendos ſcrupulos. Si privilegium ſumatur ſtrictè, non differt à diſpenſatione: nā diſpenſatio propriè eſt juris relaxatio ab habente poteſtatem facta: quod fit dum quis manente lege quoad alios, ipſe à legis obligatione eximitur. Ex quo fit, quod ſicut ad diſpenſandum requiritur juſta cauſa, ita ad concedendum privilegium contra jus commune, in quo diſpenſatio & privilegium convenerint. Quod ſi privilegium ſumatur largiùs, ut comprehendit conceſſionem præter jus, aut idem jus, clariùs tamen & faciliùs explicatum, non requiritur cauſa ad ejus conceſſionem, & hoc modo differt à diſpenſatione, ut ſi Princeps concedat aliquid de ijs, quæ ſibi competunt, ut poteſtatem diſpenſandi, legitimandi, non erit propriè contra, ſed præter jus, ac ideò privilegium hoc modo conceſſum, non exigit cauſam: at diſpenſatio ſemper exigit cauſam, ſaltem ut licitè fiat, quia ſemper eſt contra jus. Ita Sylveſter *verb. Privileg. quæſt.* 1. Trullench *in Bullam Cruciat. in proœmio, dub.* 4. *num.* 1. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſputat.* 1. *num.* 1. Sylveſter. Trullench. Sanchez.

6. De ratione privilegij eſt ut aliquem effectum habeat in privilegiato; quia alias eſſet inutile, & quaſi otioſus actus. quod de beneficio Pontificis præſumendum non eſt; proinde quando verba conceſſionis privilegij continent illud ipſum, quod clarè in jure communi conceſſum eſt, vel non eſt prohibitum, nullum alium effectum diſtinctum in ſua proprietate ſignificare poſſunt; tunc tale privilegium licet nequeat habere effectum ſubſtantialiter diſtinctum ab effectu juris communis, habet tamen illum ipſum novo modo, id eſt, novo & ſpeciali titulo, & ſpeciali jure. Qui effectus non eſt omninò fruſtra: nam per ſe ad hoc confert, ut quamvis poſteà per jus commune contrarium ſtatuatur, nihilominus actus liceat ratione privilegij, quia per ſubſequens jus commune non revocatur, niſi exprimatur. Simul etiam confert certitudinem in tali actu, quæ magna eſt utilitas: & ideò talia privilegia frequentiora ſunt ad majorem ſecuritatem; non enim ſemper ad rationē privilegij requiritur, ut novum jus concedat, aut aliquid præter jus commune tribuat, ſed ſufficit ad hoc ut ſit verum privilegium, ut clarius & facilius tribuat jus quàm illud quod jus commune concedebat, & ſic privilegia continentia jus commune, hoc contra jus commune operantur. Hæc colliguntur ex *cap. Abbate, de verb ſignific. verſ. Contra quos facit*, ibi: *Cùm privilegium ſit lex privata, nec eſſet privata, niſi aliquid ſpecialiter indulgeret.* Et docent Rodriguez *tom.* 1. *quæſt.* 7. *art.* 1. Ioannes de la Cruz *lib.* 2. *de privileg. cap.* 1. *dub.* 1. *concl.* 1. Sanchez *de matr. lib.* 3. *diſput.* 26. *num.* 6. Trullench *in Bullam Cruciatæ, lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 10. & alij communiter, quibus adde Suarez *de leg. lib.* 8. *cap.* 22. *num* 3. quod probat ex *cap. In hiis, de privileg. & cap. Si Papa, de privileg. in* 6. ibi: *Cùm verba aliquid operari debeant*, quia aliàs eſſent ſuperflua, quod in lege vitandum eſt. Abbas. Rodrig. De la Cr. Sanchez. Trull. Suarez.

7. Privilegium aliud dicitur ſcriptum, aliud non ſcriptum. Scriptum dicitur illud, quod non ſolùm ore pronunciatur à concedente, verùm etiam ſcriptura exprimitur: licet enim ſcriptura non ſit de ſubſtantia privilegij, poteſt tamen multum referre, quod privilegium ſcriptum ſit; quia ſcriptura eſt ſignum expreſſum & durabile, quod continere ſolet, ac debet modum gratiæ: & ideò utiliſſimum eſt, privilegium eſſe ſcriptum, ut illo melius ac certius conſtare poſſit. Atque ita illud eſt maximè uſitatū in privilegijs, quæ ab homine cōceduntur. Scriptura autem debet eſſe authentica, ita ut fidem faciat. Pro foro autē conſcientiæ ſatis eſt, quod faciat fidem privatam probabilem: pro externo verò oportet, ut faciat fidem publicam, aliàs oportebit, ut veritas ſcripturæ alio modo per teſtes, vel alia inſtrumenta probetur.

Privilegium non ſcriptum dicitur illud, quod conceditur abſque ſcriptura; & in Pontificijs conceſſionibus ſolet hoc vocari vivæ vocis oraculum, & cum proportione poteſt nomen accommodari ad gratias aliorum Principum. Hujuſmodi privilegium per accidens eſt non ſcriptum, licet à Principe expreſsè conceſſum ſit & ore prolatum & ſufficienter dictatum, ut ſcribi poſſit; per accidens autem contigit, ut non fuerit ſcriptum, vel certè non literis authenticis.

Præterea Bullatum privilegium dignoſcitur à privilegio, quod eſt conceſſum vivæ vocis oraculo, ex ipſa forma loquendi, quā illa exprimuntur; ſiquidem in privilegio Bullato loquitur ipſe Papa; in oraculis verò loquitur alia perſona referens, & atteſtans, quid Papa conceſſerit. Addo tamen, ad hoc ut privilegium dici poſſit Bullatum, id eſt conceſſum per Bullam, non requiri, ut in fine Bullæ extet atteſtatio affixionis, ſeu promulgationis illius: nam ad privilegium non requiritur promulgatio, ut dicitur *infrà num.* 17.

Bullatum itē cenſetur privilegium, in quo ponitur clauſula, *Non obſtantibus*, &c. quæ non ſolet apponi conceſſionibus vivæ vocis oraculo factis, ſed

sed solùm Bullatis. Porrò indultum cum clausula, Datum Romæ, indicat illud esse Bullatum. Ita Pellizzarius *in Man. reg. tract. 8. cap. 2. num. 96. & cap. 7. num. 32.* Pellizzar.

Est & aliud privilegium per se non scriptum quod à nemine ita est expressè concessum, ut scribi possit, sed usu quodam, & tacita conniventia Principis comparatum est, & huiusmodi erit privilegium consuetudine introductum: sicut enim per consuetudinem acquiritur jus ad tributa & jurisdictio, *cap. Cùm contingat, de foro compet.* ita per consuetudinem acquiri possunt alia privilegia, quorum homo, media præscriptione, capax est, & quæ per consuetudinem acquiruntur, quatenus superior media consuetudine, talia privilegia confert. Ita habet communis juristarum sententia dicentium consuetudinem sufficere ad privilegium conferendum, seu consuetudinem privilegio æquiparari. Ita docet Glossa *in cap. Novit, de judicijs, verb. Consuetudinem*, per textum illum dicentē, *Nisi fortè juri communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem, aliquid sit detractum.* Ubi Innoc. III. illa duo æquiparat, in detrahendo aliquid juri communi. Ratio horum est; quia quādo consuetudo talis est, ut ratione illius liceat, quod liceret per privilegium, tunc inducit verum & proprium privilegium, & sub absoluta privilegij appellatione comprehenditur. quod probatur ab effectu: nam si talis consuetudo sit contra legem, verè & non fictè, vel præsumptivè derogat illi, seu dispensat in illa, seu tollit in particulari obligationem eius: si verò sit ultra legem, verè dat jus, vel facultatem operandi, aut jurisdictionem, aut quid simile: Sed in hoc consistit veritas & substantia privilegij: ergo talis consuetudo dat verum privilegium, & privilegium consuetudine introductum est verum privilegium, & consequenter sub generali nomine privilegij venit prædicta consuetudo in ijs, quæ pertinent ad favorem & libertatem. In ijs verò, quæ pertinent ad revocationem privilegiorum, & ad alia odiosa, consuetudo non venit nomine privilegij. Proinde, quando revocantur consuetudines, non censentur revocari privilegia, etiam per consuetudines acquisita, nisi fiat mentio privilegiorum: nam revocatio privilegiorum est res odiosa, consequenter non est amplianda, nec extendenda. Glossa. Inno. III.

Sed rogabis, quantum temporis requiratur ad privilegium per consuetudinem introducendum? Respondeo, si introducatur privilegium contra jus, tantum temporis requiri, quantum requiritur ad abrogandam legem per consuetudinem. Si introducatur privilegium ultra, aut præter jus, dicendum est illud obtineri per modum præscriptionis, & ideò juxta exigentiam materiæ minus vel minus tempus postulare: nam quædam jura breviori tempore præscribuntur, quàm alia, & contra quasdam personas, vel communitates citiùs, quàm contra alias, & ita applicandæ sunt hìc regulæ communes præscriptionum. Ita Suarez *de legibus, lib. 8. cap. 7.* & post illum Bonacina *de leg. disp. 1. q. 3. punct. 1. num. 3 & 4* cum alijs. Suarez. Bonacina.

8. Sed quia in præcedenti propositione mentionem fecimus privilegiorum non scriptorum, quę vivę vocis oracula dicuntur in Constitutionibus Apostolicis, & ea fuerint revocata per Constitutionem Urbani Papæ Octavi, ideò ut quamplurimi sedentur scrupuli, & ad quietem fidelium & religiosorum, operæpretium duxi, hìc apponere per extensum hanc Constitutionem, cuius tenor est:

URBANUS PAPA VIII. Vrb. VIII

Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster, ut subnascentibus jugiter varijs difficultatibus, & abusibus ex privilegijs à Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpe numero concessis obviàm iret, Constitutionem edidit tenoris subsequent. videlicet, GREGORIVS Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula Militantis Ecclesiæ divinâ providentia constitutus, gratias & indulta à se, & Prædecessoribus suis concessa justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi Pastoralis Officij debitum moderatur, aut revocat, prout verum & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Itaque motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula indulta, facultates, privilegia, gratias & concessiones quascumque spirituales, & Ecclesiasticas, quæ tam ad forum interius, quàm ad exterius spectant, ac tam ad supplicationem partium, quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenus quandocumque & qualitercumque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis Collegijs, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Societatibus, etiam Societatis IESV, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum & earum respectivè Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus generalibus vel Provincialibus, quocumque nomine nuncupatis; Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac sedi prædictæ immediatè subjectis, cuiuscumque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessas, in ijs videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata & annullata, viribusque & effectu vacua perpetuò fore & esse, neque imposterum cuiquam suffragari posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de ijs facienda esset, decernimus, & declaramus, firmis tamen & in suo robore permanentibus omnibus indultis & aljs concessionibus prædictis, vivæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcumque favorem propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis pro ipsis vel aljs factis, & de quibus ijdem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt; decernentes præsentes literas & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu aliquo quocumque defectu notari, impugnari, redargui jure, vel in controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque jus, gratia, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos & Nuntios (sublata eis, & eorum cuilibet quavis eliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate) judicari & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstan. præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegijs quoque, indultis & literis Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Greg. XV.

Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & alijs Superioribus prædictis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritant. & alijs Decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis habentes (illis aliàs in ſuo robore permanſuris) hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſticæ conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra illud, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ, quodque eadem præſentes literæ, ſeu illarum exempla, ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis ac Principis Apoſtolorum de urbe, & in acie campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 2. Iulij 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

S. CARD. S. SVSANNÆ.

CVm autem experientia rerum magiſtra compertum ſit, conceſſiones, & gratias vivæ vocis oraculo, etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas & ipſorum manu firmatas ſæpè ab his, in quorum favorem emanarunt, minùs Canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari: idcircò quantum cum Domino poſſumus, his, & alijs malis occurrere volentes, motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & de conſilio nonnullorum venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujuſmodi maturè diſcutiendum commiſimus, omnia, & ſingula privilegia, facultates, licentias & gratias quaſcumque per Summos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac per nos vivæ vocis oraculo, & S. R. E. prædicta Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuſcumque Generalibus, ceteriſque Superioribus & perſonis cuiuſvis Ordinis Congregationis, inſtituti, & Societatis, ſive ſæcularibus, ſive Regularibus, vel etiam ipſis Ordinibus, Congregationibus, inſtitutis, & Societatibus, etiam Societatis IESV, aut ejus Clericis, ſeu Preſbyteris, aliiſque perſonis, prædictis, quacumque de cauſa, etiam de neceſſitate exprimenda, occaſione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, ſeu ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Principum quorumcumque, aut aliàs quomodolibet conceſſa, illorum tenores præſentibus, pro expreſſis habentes, tenore præſentium revocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus & annullamus, ac de cetero revocata, caſſa, ſublata, abrogata & annullata, viribuſque, & effectu vacua eſſe, & fore nulliſque prorſus deinceps ſuffragari poſſe, nec debere declaramus. Præterea, ut præſentes literæ omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, quantò citiùs innoteſcant, omnibus, & ſingulis Generalibus, & alijs quocumque nomine nuncupatis Superioribus, quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis IESV & Inſtitutorum, ſub excommunicationis, ac privationis Officiorum & dignitatum, necnon vocis activæ & paſſivæ pœnis ipſo facto incurrendis, præcipimus & mandamus, ut infra tres menſes proximos à die publicationis præſentium computandos, omnes & ſingulos Provinciales eorumdem ſuorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis IESV, & Inſtitutorum, de eiſdem præſentibus literis certiores faciant, earumdemque præſentium exemplaria illis tranſmittant, qui quidem Provinciales ſub eiſdem pœnis teneantur ſingulis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, domorum & locorum Regularium præcipere, ut eaſdem præſentes ſubditis ſuis, ut moris eſt, publicent. Decernentes præſentes literas, ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, vel habere prætendentes ad hæc vocati, & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu alio quopiam defectu notari, impugnari invalidari, redargui, in jus, vel controverſiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, ſive adverſus illas quodcumque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe, ſed illas ſemper validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere. Sicque per quoſcumque judices, Ordinarios & Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores (ſublata eis & eorum cuilibet quàvis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate) judicari & definiri debere, ac irritum, & inane ſi quid ſecus ſuperbis à quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantib. præmiſſis literis hujuſmodi, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, & quatenus opus ſit, etiam regula noſtra de non tollendo jure quæſito, privilegijs quoque, indultis & literis Apoſtolicis, eiſdem Cardin. ac Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis & Societatibus, eorumque Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, ſub quibuſcumque verborum formis, & ten. ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatorijs, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, ac irritantibus & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrarys quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicujus Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, quodque eadem præſentes literæ, ſive illarum exempla ad valuas Baſilicarum prædictarum, & in acie campi Floræ hujuſmodi ſimiliter affixa, omnes, quos concernunt, perinde arctent & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 20. Decembris 1631. Pontificatus noſtri anno nono.

M. ANTONIVS MARALDVS.

Die, & anno ſupradicto affixa & publicata fuit ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis & Principis Apoſtolorum, ac in acie campi Floræ aliiſque locis ſolitis & conſuetis, ut moris eſt, per me Andream Scalamum, Sanctiſſ. D. N. Papæ Curſorem.

Circa hanc Conſtitutionem Vrbani VIII. præter dicta *in tom. 1. verb. Privilegium 1. num. 8.* ſequentia

quentia notanda veniunt, ex quorumdam recentiorum ſententia.

Primum eſt, quod ſi vivæ vocis oraculum tale fuit, quod in illo nixa communitas religioſa induxit conſuetudinem rationabilem, præſcriptam tempore legitimo, & requiſito à iure, quamvis revocatum ſit virtute harum Bullarum vivæ vocis oraculum, non tamen eſt revocata conſuetudo legitima. Ratio eſt, quia Bulla revocatoria privilegiorum, cùm ſit odioſa extendi non debet niſi ad expreſſa quæ intendit & explicat revocanda: atqui Pontifex ſolum revocat vivæ vocis oracula, & non conſuetudines, quæ ex illis ortum traxerunt, cùm diverſum ſit vivæ vocis oraculum à conſuetudine legitima, at lex non revocat conſuetudinem legitimam & rationabilem, niſi expreſsè ponatur in revocatione, *cap. de conſuetud. in 6.* Accedit, quod conſuetudo præſcripta prævalet adverſus legem latam, inducitque novum ius: ergo ſemper manet, niſi expreſsè derogetur, & non enervatur eius vis. Neque obſtat quòd Pontifex dicat, *Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium*, quia dicit reſpectu revocationis oraculorum vivæ vocis, non verò conſuetudinis; quia aliud eſt conſuetudo utendi vivæ vocis oraculis, & aliud conſuetudo introducta occaſione vivæ vocis oraculi; prima conſuetudo derogatur ſicut derogatur uſus vivæ vocis oraculi, non tamen ſecunda. Neque ſequitur quod Bulla eſſet fruſtratoria; tum quia impedit ne ulterius ſit uſus vivæ vocis oraculorum; tum ulterius ne introducatur conſuetudo in illis fundata, & ab illis genita. Ita Thomas Hurtado *in ſuis reſol. moral. tract. 12. cap. 1. num. 1168. & ſequent.* His conformia docent Suarez & Bonacina ſupra citati *num. 7.*

Th.Hurt. Suarez. Bonacina.

Secundum eſt, quod quando vivæ vocis oraculum factum alicui Cardinali tanquam Officiali Pontificis, & ſignatum & ſigillo Officij publici quod exercet ſive Cancellariæ, ſive Pœnitentiariæ non cenſetur revocatum hac Conſtitutione Vrbani VIII. quia tunc procedit tanquam publicus Officialis Papæ, & utitur ſigillo publico in illo Officio à Papa deſignato, & de hoc nullam facit mentionem Vrbanus VIII. in ſua revocatoria, ſed de vivæ vocis oraculis, quæ facta ſunt ad inſtantiam quorumcumque, etiamſi Reges ſint, & Cardinales, & ſubſcribantur à Cardinali ipſo; non enim loquitur de Cardinali Officiali publico ipſius Pontificis, & qui ut talis ex mandato ipſius publicat vivæ vocis oraculum. Ita Thomas Hurtado *loco citato num. 177.* Pellizzarius *in Man regul. tract. 8. cap. 3. num. 274.* Cardinalis Lugo *apud ipſum citatus.*

Vrb. VIII

Th Hurt. Pellizzar. Lugo.

Tertium eſt, quod revocatio Vrbani VIII. non comprehendit vivæ vocis oracula communicantia privilegium alicui Religioni, aliàs conceſſum per Apoſtolicum diploma, quia in hoc caſu non cadit ratio adæquata quâ motus eſt Vrbanus VIII. cùm gratia conceſſa hoc vivæ vocis oraculo, intelligatur omninò ſicut Apoſtolicum diploma. Quare ſicut in hujus uſus non eſt aliquod inconveniens ex his quę pro motivo ſuæ Conſtitutionis adducit Vrbanus VIII. nec erit in vivæ vocis oraculi, quo communicatur dictum diploma. Nam ratio motiva quam habuit Vrbanus ad extendendum diploma Gregorij XV. fuit, *Quia ſæpè ab his in cujus favorem emanarunt, minus Canonica interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni mandari. Idcircò quantum in Domino poſſumus, his, & alijs malis occurrere volentes, proprio motu, & ex certa ſcientia*, &c. Quæ ratio non currit quando per vivæ vocis oraculum communicatur privilegium expeditum aliàs per Conſtitutionem & diploma Apoſtolicum, & ſic illud non cenſetur revocatum, cùm ceſſante cauſa adæquatè motiva, ceſſet effectus, & in legibus, Bullis, contractibus, & alijs diſpoſitionibus ceſſante cauſa ſuper quam fundatur diſpoſitio, ceſſat & ipſa diſpoſitio. Ita Bordonus *in conſil. regul. reſolut. 31. q. 6.* Turrianus *p. 3. ſelect. diſp. 16. dub. 5. §. Ex altera verò*, Peyrinus *tom. 3. in additament. ad Conſtitut. Vrbani VIII. cap. 12. conſtit. 18. aliàs 28. num. 2.* Pater Frater Ioannes à Virgine *in quadam conſultatione impreſſa, num. 4.* Ceterum licet hæc opinio probabilis ſit, iuxta mentem prædictorum, ad praxim tamen reducenda non eſt inconſulto Summo Pontifice. Ratio eſt, quia Vrbanus non ſolùm revocavit vivæ vocis oracula propter illud inconveniens quod expreſſit, ſed etiam ad obviandum malis alijs, quæ non expreſſit, nec tenebatur exprimere; unde cùm non ſciamus, an ceſſent alia quæ non explicuit, ſic ſemper ſtat præſumptio in favorem legis, & legiſlatoris, ut rectè advertit Thomas Hurtado *loco citato n. 1185. & 1186.*

Bordon. Turrian. Peyrinus. Io.à-Virg. Th.Hurt.

Quartum eſt, quod Bulla Vrbani VIII. ſolùm revocat ea vivæ vocis oracula quæ non ſunt confirmata per Bullam alicuius Pontificis ex certa ſcientia. Ita tenent hodie viri graviſſimi Peyrinus *loco citato num. 1.* Lezana *tom. 4. Summ. verb. Oracula vivæ vocis, num. 7.* Ioannes à Virgine *loco cit. concl. 3.* Thomas Hurtado *loco citato, num. 1171. & ſeq.* Pater Vidal *in arca Theologia moralis, tit. de inviſditione inquiſit. 4. num. 15. & ſeq.* Samuelius Dominicanus *in praxi de ſepulturis, Præluſ. 53. Appendicis, n. 1. & ſeq.* Ratio eſt, quia privilegia confirmata ex certa ſcientia ſignificant, Summum Pontificem plenam illorum cognitionem habuiſſe poſt exquiſitum examen, & diligentem inquiſitionem; ergo omnia diſtributivè & ſigillatim vim habent, ac ſi ſolùm per iſtas confirmantes Conſtitutiones eſſent de novo conceſſa: ergo clarè patet, omnia acquirere ſuum jus, & efficaciam per virtutem harum Conſtitutionum; ergo non revocantur per hanc Conſtitutionē Vrbani VIII. Accedit quòd eo ipſo, quod iſta vivæ vocis oracula ſunt confirmata ex certa ſcientia per Conſtitutiones Apoſtolicas, iam deſinunt eſſe vivæ vocis oracula, ſed ſunt privilegia conceſſa per Bullas Apoſtolicas & ſic non veniunt in hac Vrbana revocatiōne, quæ cùm ſit odioſa, & revocatoria intelligenda eſt de illis oraculis vivæ vocis, quæ talia ſunt propriè, & rigoroſè.

Peyrinus. Lezana. Io à Virg. Th.Hurt. Vidal. Samuel.

An autem hæc doctrina ſit contra ſtylum Curiæ Romanæ? Videtur quòd non, quia Magiſter Fr. Theodorus Stracius Reverendus Generalis Carmeli *in quadam inſtructione pro ſuis Fratribus impreſſa Romæ anno 1640.* quæ fuit approbata à Magiſtro ſacri Palatij, *cap. 20.* expreſsè dicit, quod apud ipſum certa eſt hæc reſolutio. Quod non diceret, nec approbaret Magiſter ſacri Palatij, ſi eſſet contra ſtylum Romanæ Curiæ.

Stracius.

Sed his non obſtantibus, contrariæ ſententiæ adhæret Diana *part. 10. tract. 14. reſol. 24.* & apud ipſum Quintanadueñas *in Theolog. moral. tom. 1. tract. 9. ſingul. 3. num. 1. ſeq.* quia, inquit, non ſunt ſuſcitandæ à nobis Tragœdiæ in damnum Religionis, ſed in his materijs calamum & ingenium coarctare debemus.

Diana. Quintan.

Quintum eſt, & valde notandum ex dictis ſuprà *notab. 2.* quod licet omnia vivæ vocis oracula eſſent revocata per Bullam Vrbani VIII. nihilominus omnes confeſſores regulares privilegiati expoſiti & approbati à ſuis Superioribus & Epiſcopis

ſcopis poſſunt diſpenſare tam cum inceſtuoſis ad petendum debitum conjugale quàm cum illis, qui illicitè matrimonium contraxerunt cum impedimento voti ſimplicis caſtitatis, ut etiam poſſint petere, & reddere, quouſque duret matrimonium.

Peyrinus, Io. à Virg. Th. Hur. Pellizzar. Ita Peyrinus *to. de ſubdito q. 1. c. 21. §. 1 impreſſ. am.* 1640. quem citat & ſequitur F. Ioan. à Virgine *ſuprà cit. n. 16.* Thom. Hurtado *loc. cit. n.* 1193. qui noviſſimus ait, hodie eſſe communem ſententiam. Vide Pellizzar. *in Man. regul. tr. 8. c. 3. n. 274.*

Si dicas hanc poteſtatẽ diſpenſandi eſſe tantùm vivæ vocis oraculo conceſſam à Pio V. ut refert, Rodrig. *in Bullario poſt Bull. ejuſdem Pontificis, n. 9. & 12.* & ſic videntur prædicta oracula comprehendi ſub hac revocatione Urbani VIII. ut diximus *to. 1. verb. Inceſtus, n. 7.* Reſpond. citati Auctores, quòd ſunt confirmata diplomate & conſtitutione Pij V. Gregor. XIII. & Pauli V. qui omnes privilegia Minorum etiam vivæ vocis oraculo conceſſa, ex certa ſcientia confirmarunt. *Secundò*, quod oraculum Iulij II. adductum à Rodriguez ſub Bulla 22. ejuſdem Pontificis, non eſt illorum, quæ revocata ſunt, cùm ſit factum à Ludovico S. Marcelli Presbytero Cardinali & maximo Pœnitentiario & officiali D. Papæ, & ab eo ſub ſigillo officij Pœnitentiariæ ſubſignato quarto Calendas Auguſti Pontificatus Iulij II. anno primo. Et licet privilegium Iulij II. ſolum ſit ad diſpenſandũ in inceſtu ad petendũ & reddendum debitum, tamen privilegium Pij V. quod affert Rodrig. *ſuprà n. 12.* expreſsè concedit facultatem ad diſpenſandum cum his qui ante matrimonium voverunt caſtitatem.

Pius V. Rodrig. Pius V. Gr. XIII. Paulus V. Iulius II.

In confirmationem prędictorum poteſt adduci Bulla Eugenij Papæ IV. pro congregatione ſanctæ Iuſtinæ, quæ incipit, *Etſi quaſlibet perſonas*, data Bononiæ anno 1436. pridie Calend. Iulij, Pontificatus dicti Pontific. anno ſexto. Ubi conceditur prædictis Patribus, Abbati & omnibus Confeſſoribus approbatis vota omnia permutare, & in omnibus & ſingulis caſibus etiam ordinarijs, aut per Synodales, ſeu Provinciales conſtitutiones reſervatis, cum eis diſpenſare. Ubi nomine caſus non intelliguntur peccata reſervata, quia ſuper iſtis non cadit diſpenſatio, ſed abſolutio. Quare nomine caſus intelliguntur iſta impedimenta inceſtus & voti ſimplicis caſtitatis; tum etiam quia de peccatis jam antea egerat Summus Pontifex §. 11. ejuſdem Bullæ.

Eugen. IV

Similem conceſſionem affert Sorbus noſter *in annot. ad compend. mend. verb. Diſperſ.* factam à Martino V. Monachis Benedictinis S. Mariæ à Monſerrato; quæ etiam refertur in compendio Societatis *verb. Diſpenſ. §. 10.* Proinde ex dictis videtur mihi hæc ſententia poſſe probabiliter ſuſtineri hoc tempore & ad praxim reduci, non obſtante dicta urbana revocatione, ſub qua prædictæ conceſſiones non videntur comprehendi. Vide Thomam Hurtado *in reſol. mortal. tr. 12. n. 1199. & ſeq.* & Brunonem Chaſſaing. *de privil. regul. tract. 1. cap. 2. propoſit. 6.*

Sorbus. Cõp. Soc. Th. Hurt. Chaſſaing

9. Privilegium quod habet tractum ſucceſſivum, & conſiſtit in potentia faciendi vel omittendi aliquid in futurum, renunciari poteſt ab ipſo privilegiario, per ſe loquendo. Ratio eſt; quia hoc poſtulat natura privilegij, ſi ad ipſum privilegiarium proprium, & quaſi adæquatum comparetur; nam reſpectu illius beneficium privilegij non eſt coactum, non confertur inuito, ideoque ab eodem renunciari poteſt, ſi velit; qualis eſt facultas audiendi confeſſiones non ſolvendi tributa, &c. nos hìc loquimur de privilegio quod directè reſpicit privilegiarũ, & in ejus ſolius favorẽ conceſſum eſt; nam liberũ unicuiq; eſt ſuo juri renunciare, ut dicitur *in cap. Si de terra, de privileg.*

Privilegium autem quod habet effectum momentaneum & ſolum datur per modum diſpenſationis tollentis aliquod vinculum, vel impedimentum, poſtquam ſemel conceſſum eſt, renuntiabile non eſt; quia ſemel factum infectum eſſe non poteſt, ſeu quod ablatum eſt, redire non poteſt, præcipuè per privatam hominis voluntatem. Sic privilegium tollens irregularitatem renunciari non poteſt; quia non poteſt homo illam priorem irregularitatem in ſe iterum facere. Sic qui diſpenſationem obtinuit in impedimento conſanguinitatis, non poteſt renunciare diſpenſationi, ita ut per renunciationem diſpenſationis, reddat ſe inhabilem ad tale matrimonium: quia hoc non eſt in voluntate ejus, ſed pendet ex voluntate Superioris, qui non poteſt priorem inhabilitatem, quæ ablata fuit, inducere, ſeu novam. Ita Suarez *de leg. l. 8. c. 33. n. 1.* Bonacina *de leg. diſt. 1. quæſt. 3. punct. 8. §. 4. n. 4.* Layman *lib. 1. tr. 4. c. 23. num. 20.* & alij.

Suarez. Bonacina. Layman.

Advertendum autem eſt duplicem poſſe eſſe renuntiationem privilegij, unam impropriam, aliam propriam. Prior conſiſtit in puro non uſu actuali privilegij, ut cùm quis habens ſufficientem excuſationem ad non dicendum ſuum officium Canonicum, nihilominus illud dicit, poteſt dici renunciare privilegio ſuo; propriè tamen renunciare privilegio, non tantum eſt non uti illo, etiam voluntariè, ſed eſt tollere à ſe jus & poteſtatem utendi. Sũt hæc duo valde diverſa; nam per ſolam negationem uſũs non tollitur poteſtas, ſed tantùm non exercetur actus. Renunciatio verò privilegij propria eſt voluntaria abdicatio & refutatio illius juris & poteſtatis, quam privilegium concedebat, ex qua oblatione conſequitur, ut non poſſit quis ampliùs uti tali privilegio, quia nemo poteſt uti re, quæ jam non eſt.

Renunciatio impropria, quæ formaliter in voluntario non uſu conſiſtit, per ſe licita eſt; ſi tamen voluntas deſit, non erit renunciatio, etiam ipſius uſus, ſed erit neceſſitas quædam, vel coactio, aut impotentia. Ratio eſt; quia privilegium quoad ipſum privilegiarium eſt quaſi lex permittens ſeu daris facultatem, non verò obligans ad uſum illius, & ita liberum unicuique eſt illo non uti, niſi aliunde à Superiore, vel à lege poſitiva, vel naturali cogatur quis ad uſum privilegij, ut quando privilegium eſt juris publici, & non tantum privati. De his plura apud Suarez *loco citato.* Suarez.

10. Cùm regulares, licet Ordinum diverſorum, ſint perſonę Deo per vota eſſentialia conſecratę, æquum eſt, ut unum in Deo, & profeſſione, exiſtentes, uniantur etiam in eiſdem privilegijs, & gratijs: ut hìc, uniti arctiori vinculo, ſedi Apoſtolicæ, & inter ſe ad nomen Dei in terris propagandum, & animarum ſalutem procurandam, copulentur, ut quos par labos & paria merita coniungunt, pariè coniungerent privilegia & favores. Proinde religioſi mendicantes gaudent privilegijs mendicantium, & non mendicantium conceſſis & concedendis à Sede Apoſtolica, & ſimiliter confirmationibus, & innovationibus eorumdem privilegiorum. Præcipui autem ordines mendicantes ſunt quatuor. *Primus* eſt Ordo S. Dominici, ſeu Prædicatorum. *Secundus* Ordo S. Franciſci de Aſſiſio. *Tertius* Ordo Eremitarum S. Auguſtini. *Quartus* Carmelitarum. Hi quatuor Ordines ſunt tanquam quatuor capita ejus Fluvij,

qui

qui de Romanæ Eccleſiæ Paradiſo ad univerſam terram, ſcientiæ ſacræ, virtutumque aquis irrigandam, egrediuntur; & ut tales declaravit Pius V. in conſtitut. quæ incipit, *Romanus Pontifex*, ſub dat. 1. Octob. 1568. quibus alios ſex adjunxit Eccleſia. Sunt autem illi, Ordo Servorum B. Mariæ, Fratrum Minimorum, Congregatio Ieſuatorum, & clericorum Societatis Iesv, Carmelitæ Diſcalceati, & ſimiliter Diſcalceati ſanctiſſimæ Trinitatis. Pius V.

Probatur hæc communicatio privilegiorum inter dictos Religioſos ex conceſſionibus Sixti IV. Innocentij VIII. Alexandri II. Clement. VII. Leonis X. Pauli III. Gregorij XIII. Iulij II. Clementis VIII. & aliorum Pontificum, per quos dicta privilegia communicantur; quæque etiam ſunt privilegia, ſicut & illarum confirmationes & innovationes, quæ verè privilegia ſunt, ut declaravit Pius V. Et hæc eſt communis ſententia, quam tenent Rodriguez *tom. 1. quæſt. reg. quæſt. 55. art. 1. & 2.* Miranda *to. 2. quæſt. 46. art. 5.* Portel *verb. Communicat. privil.* Sorbus *eodem verb.* & alij. Sixtus IV. Innoc. VIII. Alex. II. Cl. VII. Leo X. Paul. III. Gr. XIII. Iulius II. Cl. VIII. Rodrig. Miranda. Portel. Sorbus.

De communicatione privilegiorum non Mendicantium ipſis Mendicantibus facta, non reperitur ulla conceſſio Pontificum generalis pro omnibus Mendicantium Ordinibus, emanata; at verò ſpecialis pro unoquoque, & reperies in Bullario, in compendio privileg. Mendicantium, & apud Rodriguez & Mirandam *locis citatis*.

11. Ordines non Mendicantes proximè exptimendi privilegijs Mendicantium communicant, ut patet ex Bullis, quibus hanc communicationem impetrarunt.

1. Congregatio Canonicorum Regulat. Lateran. & Crucis Conimbricenſis, ex Conſtit. Pij V. *Ex ſuperna* 1567. Pius V.

2. Congregatio Canonic. Regulat. S. Salvatoris Bononienſis, ex Iulio II. *Inter cæteras* 1512. Iulius II.

3. Canonici Sæculares S. Georgij in Alg[illegible] Pio V. *Ex incumbentibus*, 1569. Pius V.

4. Congregatio Monach. Caſſinenſ. ſeu S. Iuſtinæ de Padua, ex Iulio II. conſtit. 1. in Bullario novo, tom. 1. pag. 42. Iulius II.

Congregatio Benedictinorum exemptorum in Gallia, ex Gregorio XIV. *Æquum reputavimus.* Gr. XIV.

5. Congregatio S. Mauri Ordinis S. Benedicti ab Urbano VIII. *In ſupereminenti.* Urb. VIII

6. Congregatio Monachor. Vallis Umbroſæ, ex Pio V. *Ex ſuperna diſpoſitionis.* Pius V.

7. Monachi Camaldulenſes, ex Conſtit. Gregor. XIV. *Ex injuncto nobis* 1591. Gr. XIV.

8. Monachi Ciſtercienſes Congregat. ſancti Bernardi in Italia Regularis Obſervantiæ, ex Gregor. XIV. *Romanus Pontifex* 1592. Gr. XIV.

9. Monachi Ciſtercienſ. Congregationis Fuilienſis, ex Sixto V. *Super ſpecula* 1587. ex Paulo V. *Divina diſponente* 1606. & in alia incip. *In ſupereminentis* 1607. Sixtus V. Paulus V.

10. Monachi Cœleſtini, ex Conſtit. Urbani VIII. incip. *Sacroſancti* 1624. Urb. VIII

11. Monachi Sylveſtrini, ex Paulo V. *Religioſorum* 1616. Paulus V.

12. Monachi Montis Virginis, ex Paulo V. *Paſtoralis* 1611. Paulus V.

13. Monachi S. Baſilij, ex Gregor. XIII. *Benedictus.* 1579. Gr. XIII.

14. Carthuſiani, ex Gregorio XV. *Ad Vberes* 1623. Greg. XV.

15. Regulares, nuncupati Fratres Spiritus Sancti in Saxia, ex Sixto V. *Exigit* 1586. Sixtus V.

16. Fratres Congregationis Hieronymi Hiſpaniarum, ex Pio V. *Superna diſpoſitionis* 1567. Pius V.

17. Fratres Congregationis ſancti Petri de Piſis, ex Pio V. *Religionis* 1571. Pius V.

18. Fratres Ordinis S. Antonij, additis quibuſdam reſtrictivis clauſulis, ex Gregor. X V. 1622. & ex Vrbano VIII. 1624. Gr. XV. Vrb. VIII

19. Fratres Cruciferi, ex Gregorio XV. *Romanus Pontifex* 1591. Gr. XV.

20. Fratres Sanctiſſimæ Trinitatis Diſcalceati, ex Paulo V. *Eccleſiæ Catholicæ* 1609. ac etiam non Diſcalceati Provinciarum Caſtellæ, Legionis & Granatæ, ex Leone X. & Adriano VI. Paulus V. Leo X.

21. Fratres B. Mariæ de Mercede, ex Leone X. quorum privilegia ſunt ampliſſima & ab Vrbano VIII. confirmata. Leo X. Vrb. VIII

22. Fratres Militiæ Iesv Chriſti Portugalliæ Reformati, ex Pio V. *Supernæ.* Pius V.

23. Clerici regulares Theatini, ex Clemente VII. *Dudum pro parte* 1533. Cl. VII.

24. Clerici regulares Sommachini, ex Paulo V. *Ex qua Divinæ Majeſtatis* 1607. Paulus V.

25. Clerici Regulares Minores, ex Gregor. XIV. *Romanus Pontifex* 1591. Gr. XIV.

26. Clerici Miniſtrantes infirmis, ex Gregor. XIV. *Illius qui pro gregis* 1591. Gr. XIV.

27. Clerici Matris Dei ſcholarum piarum, ex Gregorio XV. 1622. Greg. XV.

Plurimi etiam non Mendicantes privilegijs non Mendicantium communicant. Hi ſunt Carthuſienſes, Caſſinenſes, Ciſtercienſes, Congregatio Benedictinorum exemptor. in Gallia, Congregatio ſancti Mauri, B. Mariæ Fulienſis, Cruciferi, Ordo Sanctiſſimæ Trinitatis, B. Mariæ de Mercede. Videant alij Ordines non Mendicantes, ſi privilegijs aliorum Ordinum non Mendicantium communicent.

12. Privilegiorum communicatio non ſolùm intelligitur de privilegijs Ordinum, qui tunc extabant, quando privilegium communicationis conceſſum fuit, ſed etiam futurorum. Ratio eſt; quia communicantibus conceduntur privilegia conceſſa, & concedenda alijs Ordinibus, ſine ulla reſtrictione: ergo cùm favor Principis ſit latè interpretandus, ſicut extenditur ad privilegia futuris temporibus concedenda Ordinibus inſtitutis, ſic etiam ad Ordinum inſtituendorum privilegia concedenda. Proinde Pontifices communicationem Ordinum Mendicantium extenderunt ad privilegia Societati Ieſu conceſſa, licet tempore communicationis privilegiorum Ordinibus regularibus tunc exiſtentibus conceſſæ, non extaret dicta Societas. Ita conceſſit Paulus IV. in Bulla, *Ex Clementi*, in Minimorum favorem edita. Pius V. in Bulla, *Etſi Mendicantium Ordines*, & Sixtus V. Bulla 14. 18. 19. & 20. prædictorum Ordinum communicationem ad privilegia Societatis Iesv, extendit. Sic Rodriguez *to. 1. quæſt. reg. q. 55. a. 7.* Ioannes de la Cruz *de ſtat. relig. lib. 2. cap. 4. concl. 3.* Hieronymus Rodriguez *in compend. reſol. 115. num. 41.* & alij. Paul. IV. Pius V. Sixtus V. Rodrig. De la Cr. Hier. Rod

13. Quorumdam ſententia eſt non improbabilis, privilegia regularium quoad Prædicationes, Confeſſiones & approbationes, & alia hujuſmodi, non eſſe jam ſimpliciter privilegia, ſed iura quæſita. Ius autem quæſitum nuncupatur ad diſtinctionem aliorum jurium, quæ jura imperfecta dici poſſunt; quæſitum autem perfectionem denotat, ut videlicet hujuſmodi jus ſit incorporatum etiam radicatum, ut docent Gomez & utriuſque juris periti *in Reg. Cancell. de non tollendo jure quæſito quæſt. 4.* Probatur autem horum aſſertio, quia privilegia regularium ſunt perfecta, cùm ſint abſoluta & independentia ab Ordinarijs, & Gomez.

in perpetuum, & non ad tempus eóncessa : ergo sunt jura quæsita, & præcipuè illa, quæ à Summo Pontifice legitimó judicio, Ordinarijs alijsque partibus auditis, in jus canonicum relata sunt, & vera & legitima regularium jura judicata, ut constat ex multis sententijs Pontificum, & Conciliorum, & præcipuè ex sententijs Pontificum, & Conciliorum, & præcipuè ex sententia Bonifacij Papæ VIII. in Extravag. *Super Cathedram*, *de sepulturis*, quæ licet correcta fuerit à Benedicto XI. per Extravag. *Inter cunctas*, tamen postea à Clemente V. instante, & approbante Concilio Generali Viennensi, per aliam sententiam confirmata fuit, quæ Clementina *Dudum* appellatur, & habetur sub titulo, *de sepulturis*. Ex quo fit, cùm dicta privilegia sint jura regularium, sine gravissima causa non possunt auferri, ut tradunt Rodriguez *tom.1.qq.reg.quæst.9.art.6.* Rebuffus *in praxi benefic. in reg. de non tollendo jure quæsit.* Ratio est, quia jus quæsitum non licet Papæ tollere sine justa causa, ut in Regulis Cancellar. cõtinetur: est enim ibi sermó de non tollendo jure quæsito, maximè si jura sint ærumnis & laboribus acquisita, aut illis, tamquam merces data. Cõstat autem ex multis Pontificum Constitutionibus, merita & labores Regularium pro Ecclesia insumptos, privilegiorum à Sede Apostolica concessorum causas fuisse, & præcipuè ex Bulla Sixti IV. edita 7. Calendas Augusti 1489. quæ incipit, *Sacri Prædecatorum & Minorum Ordines*. Ex Bulla Pij V. 17. Calend. Iulij 1567. quæ incipit, *Etsi Mendicantium Ordines*. Et novissimè ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit, *In specula*. Quibus ita existentibus, censendum non est, Pontificem suis literis & Bullis velle privare Regulares suo illo jure quæsito, etiamsi clausulam revocatoriam generalem privilegiorum regularium adhibeat, *ex cap. Si in cunctis, de præbend. in 6.* & sustinent Rodriguez *tom. 1. quæst. 9. art. 6.* citans Mendosam *in reg. 13. Cancellar. quæst. 8. num. 6.* & *in reg. 11. de revocat. quæst. 13. num. 6.* & *seq.* Bursatum *tom. 2. consil. 138.* Quod apertè Urbanus VIII. declaravit, dum regulam servandam dedit, quâ jus quæsitum ab aliquo nisi priùs audito, nullatenus etiam per Bullam tolli, sine illius regulæ clausula derogatoria. Nunquam enim Pontifex per sua rescripta intendit juri alterius derogare, *ex cap. Licet, de offic. ord.* & *cap. Dilecti, de verb. signific.* Accedit, quod in reg. 16. *de reg. jur. in 6.* dicitur: *Decet concessum à Principe benefic. esse mensuram*, & juris periti asserunt privilegia perpetua firmitate constare debere; cùm non deceat Principem sine causa mutare voluntatem. Ita Archangelus Romanus *lib.2. de privil.* Bonacina *de leg. disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 3. n. 10. vers. Secundò seq.* Bartolus *in l. Omnes populi, ff. De just. & jur.* Baldus *in l. Qui se patris, C. unde liberi*, Felinus *in cap. Novit, de judic.* Sanchez *de matr. lib. 8. disp. 33. n. 4.* & alij penes ipsos.

14. Ex communi Doctorum sententia, privilegia regularium non amittuntur per non usum, nisi legitimum tempus cucurrerit ad præscriptionem. Ita Panorm. *in c. Cùm acceßiss. de const.* & alij.

Notandum autem est, duplicem esse non usum in privilegio reali; alius enim dicitur privativus, alius contrarius: privativus est cùm quis privilegio voluntariè non utitur, & hic non usus opponitur privilegio affirmativo concedenti ut aliquid fiat, ut scilicet recitetur tali, vel tali modo divinum officium, vel celebretur in domo privata. Si verò oblata occasione hoc non fiat, dicitur non usus privilegij privativus.

Contrarius verò dicitur cùm non solùm quis non utitur privilegio, sed etiam operatur quid contrarium eidem; & opponitur privilegio negativo, quo conceditur ne aliquid fiat, ut si concedatur Monasterio ne solvat decimas, & nihilominus solvit, datur non usus contrarius.

Vt præscriptio fiat non usu privativo, tres conditiones requiruntur. *Primò*, ut oblata fuerit occasio utendi privilegio, & non utatur. *Secundò*, ut detur scientia talis privilegij. *Tertiò*, ut detur potentia illo utendi, id est, non detur impedimentum. Si enim hę tres conditiones non concurrant, talis non usus non dicetur voluntarius, nec indicium poterit esse renunciationis, quæ debet esse voluntaria.

Ut autem præscriptio fiat per non usum contrarium, requiritur, ut fiat non à quodam privato: etiamsi sit v. g. unum monasterium aut plura, sed requiritur ut sit totus ordo, cujus illud monasterium, aut plura sunt.

Hinc collige, quòd si Superior aliquis non obligatus ire ad processiones, ex vi sui privilegij, & nihilominus vadit bis, & sępè, per hunc contrariũ usum non perditur privilegium Ordinis, aut conventus; ille enim contrarius usus non est factus à Religione: tamen antequam accrescat præscriptio contra illud monasterium, debet fieri protestatio coram Notario, se facere illum actum contrarium suo privilegio, salva semper exemptione & conservatione sui privilegij; & talis protestatio hoc habebit utile, ut posteà ab illo actu non possit inchoari præscriptio contra privilegiatum. Ita Portel *in dub. reg. verb. Privileg. cessatio per non usum.* Rodrig: *tom. 3. qq. reg. quæst. 51. art. 5.* & *quæst. 36. art. 3.* Suarez *de leg. lib. 8. cap. 34.* & 35. apud quem plura de his.

Sed petes, quantum tempus necessarium sit, & sufficiat, ut privilegia per contrarium usum amittantur inter regulares? Resp. Eugenium IV. [illegible]cessisse Congregationi Sanctæ Iustinæ Benedictinorum, ut possint uti suis privilegijs, etiamsi contra illa habuerint contrarium usum; his verbis: *Vt si quandoque contigerit per aliquem aut plures actus, contra hujusmodi, aut quæcumque alia privilegia, indulta, gratias, immunitates præfatæ Congregationi concessa, aut ipsorum aliquod, à quocumque cujuscumque conditionis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc contenduntur, aut alia quavis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore observatum ignoranter vel sciente; nullum tamen præjudicium decretis, privilegijs, indultis, gratijs volumus generari, sed in suo vigore, ac robore permanere.* Sic Pontifex. Hæc habentur Bulla 11. prædicti Eugenij apud Rodriguez in Bullario, quæ incipit, *Et si quaslibet personas*, §. 19. sub dat. Bononiæ anno 1436. Prid. Kal. Iulij. Et posteà idem Papa Benedictinis extrà muros Romæ degentibus cõcessit in Bulla *Ex Apostolicæ Sedis* ann. 1441. 7. Kal. Iulij, *ut sicut contra Romanam Ecclesiam non nisi centenaria currit præscriptio secundum constitutiones canonicas & legitimas sanctiones: ita quoque prædicto monasterio* (videlicet S. Pauli extra muros) *minoris temporis præscriptio non obsistat.* Quo privilegio alia monasteria regularium communicant: quia inter bona præscriptionis capacia numerantur etiam privilegia. Ita Rodriguez *to. 3. qq. reg. quæst. 35. a. 2.* Portel *in dub. reg. verb. Præscribere, num. 2.* Diana *part. 3. tract. 2. resol. 88.* De la Cruz *de stat. relig. lib. 2. cap. 3. dub. 2. concl. 2.* Et certè cùm hęc præscriptio requirat tam longum temporis tractum, impossibile esset illum probare, & sic regulares à jure privilegiorum suorũ excludere. Deinde esto pro-

Eugen. IV.

Rodrig.

Rodrig. Diana. Portel. De la Cr.

Digitized by Google

probaretur quòd privilegiorũ non usus esset centum annorũ, quomodo probabitur, quod in præscribentibus fuisset semper scientia privilegiorum & voluntas illis non utendi, quæ sunt duæ conditiones juxta Doctores ad præscriptionẽ requisitę, *ex cap. Si de terra, de privileg.* Adde quòd hujusmodi præscriptionem impediunt Pontifices, dum singuli ut plurimùm privilegia Mendicantium, & non Mendicantium confirmant, ut notat Marcellinus à S. Benedicto *in compend. privileg. Fulgensium verb. Privilegium, in notabilibus.* Marcell. à S. Bened.

15. Privilegia regularium sola revocatione, vel sententia Pontificis amittuntur; proinde maxima differẽtia reperitur inter privilegia concessa à Regibus, & concessa à Summis Pontificibus; nã illa possunt aliquando à Regibus revocari, aliquando verò non possunt quidem revocari si sint simpliciter gratiosa; non possent autem, quando concessa sunt non subditis propter bene merita, & publicum bonum, nempe pro obsequijs, seu servitijs. Ratio est: nam privilegium concessum postquam ratum habetur ab eo, in quem collatum est, transit in jus: ergo Reges possunt à principio privilegium non subditis concedere, sed semèl concessum non possunt ampliùs revocare. Tum quia hujusmodi privilegium transit in naturam contractus, quem Reges non possunt revocare; obligantur enim ad contractum initum, sicut ceteri homines. At Pontifices possunt hujusmodi privilegia concessa omnibus Christianis revocare, & consequenter Regularibus concessa. Ratio est; quia omnes Christiani, & maximè regulares, sunt subditi Pontificibus Romanis; & proinde cùm privilegium subditis concessum possit revocari, possunt Pontifices dicta privilegia regulariũ absolutè revocare. Pontifices tamen concessum privilegium ob bene merita & labores, aut quod se habet jus quæsitum, revocantes peccarent, nisi gravissima ratione ad revocandum moverentur. Ita Bonacina *in Bullã cœnæ disp. 1. q. 22. punct. 5. n. 3. 4. & 5.* Diana *part. 4. tr. 1. res. 82. & part. 1. tr. 2. res. 6. & part. 7. tr. 1. res. 8.* Suarez *de legib. lib. 8. c. 37.* Pontius *de matr. lib. 8. c. 29. §. 2. n. 12.* & alij communiter apud Tamburin. *tom. 1. de jur. Abbat. disp. 16. quæst. 12.* Bonacina. Diana. Suarez. Pontius. Tambur.

16. In revocatione generali privilegiorum non cẽsẽtur revocata privilegia regulariũ & præcipuè Mendicantium, licet apponantur verba generalia & geminata. Ratio est, quòd privilegia regulariũ quandã excellentiam sortiuntur, ob quam expressior generali requiritur revocatio: quoniã duplex est genus privilegiorum; unum quod privatis conceditur, & est odium Juris; alterũ, quod à Principe conceditur in perpetuum in bonum alicujus comunitatis aut Ordinis regularis, & hoc æquatur legi, ac si insertum esset in corpore juris, & tanquam favor est amplè interpretãdum. Quod autem non sufficiat clausula generalis revocatoria, etiam geminata, constat ex Mari Magno Minorũ, & ex concessione Eugenij IV. facta Prędicatoribus per Bullam; & ejusdem Eugenij & Leonis X. privilegio cõcesso Benedictinis, de quibus Compendium Societ. *verb Privil. §* 8. & Compendium Cistercien. *eod. verb. §.* 7. in quibus habetur, *quod non possit derogari illorum privilegijs, &c. nisi de ipsorum Ordine, & de hujusmodi literis fiat de Verbo ad Verbum expressa mentio.* Et novissimè hoc manifestè constat ex Bulla Urbani VIII. in favorem Congregationis S. Maurí edita anno 1627. quæ incipit, *In supereminenti*, ubi hæc verba habentur, *Neque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & alijs quibuscumque dispositionibus, etiam per nos & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam derogatoriarum derogatorijs pro tempore quomodolibet factis comprehendatur, confundi, sed ab illis semper perpetuò excipi: & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restituatas, repositas, & plenariè reintegratas; ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse & fore, &c.* Ex quibus patet quòd tantum abest quòd prædicta revocatio generalis privilegia Regularium revocet, quin imò illa confirmat. Eugen IV. Leo X. Cõp. Soc. & Cistere. Urb. VIII.

Ita Rodriguez *tom. 1 qq. Reg. q. 9. art. 6.* Archangelus Romanus *de priv. Rel. l. 1. c. 13. edit. Romanæ 1643.* & alij apud Rodriguez, apud Chassaing *de priv. reg. tract. 1. cap. 5. propos. 5.* qui post Rodriguez & Henriquez notat in revocatione privilegiorum Mendicantium juxta Pij V. Bullam, *Etsi Mendicantium Ordines*, requiri expressionem Mendicantium, nec sufficere si Concilium aut Bulla utatur his terminis, *Non obstantibus privilegijs Regularium*, sed ulterius exprimendum *Mendicantium*; alioquin si non exprimantur, non revocat. Rodrig. Roman. Chassaing. Pius V.

Porrò est hic advertendum, quòd si dubium existeret, num privilegium esset revocatum, necne, censendum non esse revocatum, ut docent Antonius Sanctarellus *in variis resolut. tom. 1. quæstione 16. num. 11.* Diana *part. 4. tract. 3. resol. 51. in fine*, Parisius *lib. 2. consil. 61. num. ult.* & alij penes ipsos. Sanctar. Parisius. Diana.

17. Bullæ, quibus privilegium aliquod conceditur regularibus, non debent necessariò publicè promulgari, ut privilegium in eisdem contentum valeat, sed ad summum requiritur, ut illis quorum interest authenticè ordine juridico exhibeantur. Probatur prima pars, quia Bullæ, quæ aliquod privilegium concedunt, naturam privilegij sortiuntur. Sed natura privilegij exposcit, ut sit privatum, & non publicum; Ergo cùm promulgatio sit quid publicum, non est necessaria ad illius valorem & efficaciam; nam Bullatio, aut scriptura, non est de natura, aut essentia privilegij ac propterea potest stare privilegium sine Bullatione, aut scriptura: Ergo nec etiam publicatio, seu promulgatio ejusdem privilegij. Posterior autem pars probatur ex praxi fundata in natura privilegij, quæ obtinuit, ut dictæ Bullæ non publicentur solemniter, sed simpliciter juridicè exhibeantur, & sic exhibitæ, si contineant excommunitionem, aut præceptum, statim ligant illum cui exhibentur. Imò Pontifices Romani non obligant ad exhibitionem Bullarum in Originali aliquod privilegium continentium, sed ad exhibitionẽ tantùm transsumpti, modò manu Notarij publici subscriptum, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constituræ munitum fuerit, ut eadem fides in judicio, vel extra, adhibeatur, quæ ipsis literis originalibus adhiberetur, si originaliter exhibitæ, vel ostensæ forent. Ita concessit Iulius II. in favorem Augustinensium & refertur *in comp. priv. mendicant. verb. Privilegia Fratrum. §.* 19. & Leo X. in favorem Minorum, ut habetur *ibidem §.* 11. Ita Suarez *de legibus lib. 8. cap. 24. num. 7. & 8.* Portel *in dub. regul. verb. Privilegium, num. 9.* Rodriguez *tom. 1. quæst. reg. quæst. 7 art. 6.* & alij communiter. Julius II. Leo X. Suarez. Portel. Rodrig.

Hinc infertur privilegium, quod non continet præiudicium tertij, statim esse validum, & illo potest uti quis absque promulgatione; ut est privilegium recitandi horas canonicas, tali hora. Si verò contineat præiudiciũ tertij, necessariò debet priùs promulga-

Digitized by Google

promulgari, vel notificari illi tertio, ut illi conſtet & poſſit reclamare. Privilegia verò data per leges univerſales, cùm ſint leges, debent priùs promulgari. Ratio eſt; quia ante promulgationem non habent vim legis: ergo ante promulgationem nullam vim obligandi habere poſſunt, ſive ad effectum privilegij, ſive ad quemcumque alium. Ita Doctores citati.

Sed petes, quænam notitia vel probatio requiratur in his privatis privilegijs, ut inferiores Prælati, aut judices, aut aliæ perſonæ, ad quas pertinere poteſt, teneantur illis parere, vel eis non contravenire? Reſpond. quod in foro conſcientiæ ſufficit notitia privilegij moraliter certa, de qua probabiliter dubitari non poſſit: tunc enim quæſito aliquo falſo colore tergiverſari & voluntati Superioris reſiſtere non poteſt in conſcientia eſſe licitum. In foro verò exteriori neceſſaria eſt oſtēſio induſti per inſtrumentum authenticum, vel in ſe demonſtratum, vel ſaltem per teſtes probatum, quando privilegium non eſt publicè notorium. Proinde publica notitia eſt ſufficiens probatio, ut tunc oſtenſio privilegij poſtulari non debeat, nec juſtè poſſit, & maximè quando publica notitia non tantùm eſt per famam, ſed etiam per uſū privilegij communem & notum. Tunc enim ipſe uſus confirmat privilegium, & confirmat jus: qui ſi tantus ſit, ut notoriam præſcriptionem legitimè induxerit, illius probatio, vel publica notitia ſufficiet: ſi verò nondū ſit conſummata præſcriptio, vel non ſit notoria, ſufficiet ille uſus, ut non privetur quis poſſeſſione & uſu ſui privilegij, intra ſufficiens tempus ad tollendum illud. De quibus

Sylveſter. Gloſſa. Panorm. Imocent. Antonius, Henricus, Suarez.

Sylveſter *verb. Exemptio quæſt.* 5. 6. & 7. ex *cap. Cùm perſonæ, de privileg. in* 6. ubi Gloſſa & Doctores. Panormitanus *in cap. Cùm ordinem, de reſcript.* Innocent. Anton. Henric. & alij *in cap. Ex parte, de verb. ſignificat.* & poſt illos Suarez *loco citato num.* 9. & 10.

18. Quidam exiſtimant privilegium habere ſuum effectum ſtatim ac perfectè conceſſum eſt, etiamſi ab eo, cui conceditur, ignoretur. Ratio eſt; quia voluntas Principis eſt de ſe efficax ad conferendum beneficium: ergo poſita illa voluntate efficaci Principis conferendi privilegium ſine ulla conditione vel limitatione, ſtatim confert illud & effectum eius. Voluntas enim Principis ſuperior eſt, & non indiget voluntate ſubditi ad ſuum effectum. Unde ſe ſolā poteſt auferri dominium ſubditi ex juſta cauſa, vel irritare conſenſum eius, & obligationem imponere ad acceptandum; ergo etiam ignoranti conferre privilegium. Tum quia voluntas ſeu diſpoſitio Principis æquiparatur voluntati teſtatoris, *Authent. de nuptijs, §. Diſponat. collat.* 4. ſed legatum relictum à teſtatore acquiritur ignoranti, à tempore teſtamenti: ergo & privilegium, quod à Principis voluntate & diſpoſitione ortum habet, proderit à tempore conceſſionis etiam ignoranti. Ita tenent ex Juriſperitis

Gemin. Archidiac. Sotus. Lopez.

Geminianus *in cap. 1. de conceſſ. Præbend. in* 6. Archidiaconus *in cap. Propoſuiſti, diſtinct.* 82. *ad finem.* Ex Theologis eiuſdem ſententiæ videntur eſſe Sotus *in* 4. *diſtinctione* 29. *quæſt.* 2. *art.* 1. *ad ſin. verſ. Poſtremò*, Ludouic. Lopez *ſecunda parte Inſtruct. de matrimon. capite quadrageſimoſecundo*, ubi apertè ſentiunt diſpenſationem prodeſſe ignoranti.

Communis tamen ſententia eſt, neceſſariam eſſe notitiam privilegij ad conſequendum effectū illius. Ratio eſt, quia ad effectum privilegij non ſatis eſt conceſſio activa, ſed debet etiam ſupponi acquiſitio paſſiva; hæc autem non fit ſine voluntate privilegiandi acceptantis, quia beneficiū non fit invito, neque aliquis potens uti voluntate aliquid acquirit non volens; ad voluntatem autem acceptandi neceſſaria eſt notitia, quia voluntas non fertur in incognitum; ergo de primo ad ultimam, privilegium operari non poteſt ante ſui notitiam circa ignorantem. Hinc privilegium non habet ullum effectum donec acceptetur ab eo cui conceditur, aut ab ipſius nuntio, vel procuratore, qui vicem ipſius gerat. Quod tamen intelligendum eſt de privilegio per modum reſcripti; ſecus quando conceditur per modum ſtatuti, & conſtitutionis, ſeu legis, vel in remunerationem operis præſtiti. Ratio differentiæ eſt; quia lex generalis, vel ſtatutum, dum concedit privilegium, & præmio afficit, ex cauſa id facit, eò quòd is, cui conceditur, aliquid reipublicæ cauſa egerit, præmioque hoc lex homines invitat: ergo agens ho[illegible] lege requiſitum quamvis ignarus legis, dignus eſt præmij remuneratione; proinde non omninò præmium ignoravit; nam in genere præmio aliquo ſe afficiendum eſſe putavit. Diverſum eſt autem in privilegio ex reſcripto, cùm hoc concedatur ex meræ liberalitate, nec ante actum geſtum propoſitum ſit in præmium, ſed ipſum factum poſtea ſequatur. Ita Bartolus *in l. Omnes populi, num.* 37. & 38. *ff. de juſt. & jure*, Menochius *de arbitrar. lib.* 2. *cent.* 2. *caſu* 185. *num.* 30. & *ſequent.* Suarez *de leg. lib.* 3. *cap.* 25 *num.* 15. & 16. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *num.* 9. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 156. *cap.* 4. *num.* 30. & 31. Sanchez *de mat. lib.* 1. *diſp.* 6. *n.* 29 & *lib.* 3. *diſp.* 36. & alij. Probatur inſuper hæc ſententia argumento textus *cap. Si tibi abſenti de præbend. in* 6. ubi deciditur jus in beneficio, quod confertur abſenti, non acquiri, donec abſens ratam habuerit collationem: tum ex ratione privilegij, quod cenſetur concedi ſub hac tacita conditione ſi privilegiatius acceptet: privilegium enim eſt veluti quędam donatio: donatio autem acceptari debet à donatario.

Bartolus. Menoch. Suarez. Layman. Vaſquez. Sanchez.

19. Ex dictis numero præcedenti multæ illationes colliguntur. *Primò*, validum eſſe matrimonium contractum coram aliquo Sacerdote facultatem habente ab Ordinario, vel Parocho: modò talis licentia fuerit ab ipſo Sacerdote, vel ſaltem ab ipſius nuntio vel procuratore acceptata. Si verò Parochus motu proprio concedat licentiam, vel ad inſtantiam alterius non miſſi ab eo Sacerdote, non valebit matrimon. Imò nec ſi fuerit jam illius licentiæ conſcius per alium, quàm impetrantem, aut eius, vel Parochi concedentis nuncium: quia hæc licentia quoddam privilegium & damnatio quædam eſt. Ita Sanchez *de mat. lib.* 3. *diſp.* 36. *num.* 6. & 8.

Sanchez.

Secundò, eum, cui Superior conceſſit privilegium motu proprio, vel ad inſtantiam alterius, quàm privilegiarij, non poſſe tali privilegio uti, antequā acceptetur à privilegiario, vel ab ipſius Procuratore: privilegiū enim quamvis motu proprio Superioris concedatur, nō prodeſt, donec acceptetur à privilegiario, vel ab alio, qui vices ipſius gerat. Et in hoc eventu ad licitum eius privilegij uſum ſatis erit privilegiatum habere notitiam eius privilegij, relatione cuiuſvis perſonæ fide dignæ, etſi non ſit nuntius, aut Procurator eius, aut concedentis: quia à tempore acceptationis per Procuratorem, aut eius nuntium, fuit jam ſatis acceptatum per ipſum impetrantem, ſolaque ad licitum uſum diſiderabatur notitia illius, quæ ſatis habetur à perſona fide digna. Ita San-

Sanchez.

chez *de matrim. libro primo, diſputatione ſexta, numero* 29. & *lib.* 4. *moral. capite quadrageſimooctavo, num.* 7.

Digitized by Google

num. 7. Bonacina *de leg. disp. 1. q. 3. punct. 3. num. 11.* & alij.

Tertiò, eum, qui per nuntium privilegium obtinuit, ne possit ab aliquo excommunicari, non posse ab aliquo communicari, postquam privilegium à nuntio, vel Procuratore acceptatum fuit, quamvis privilegiarius concessionis privilegij non sit conscius; tum quia valida est privilegij concessio à nuncio acceptata: tum quia ex tempore acceptationis per hunc, concurrunt voluntas concedentis & imperantis. Ita Geminianus *in cap. 1. de concess. prabend. in 6.* Sylvester *verb. Privilegium, quæst. 16.* Sanchez *lib. 4. mor. cap. 48. num. 9.* & alij. Gemin. Sylvester. Sanchez.

Quartò, privilegiario prodesse privilegium, antequam innotescat illi, in cuius damnum concessum est, & sufficere acceptationem per nuntium, ut privilegiarius incipiat frui privilegio ante aliam notitiam. Et hoc habet locum in privilegio quod concedit immunitatem ab onere, seu exemptionem ab alterius jurisdictione. Ratio est; quia hoc privilegium exemptionis est veluti quædam reservatio jurisdictionis. Sed reservatio habet suum effectum eo ipso quod fit, etiamsi ad alterius notitiam non perveniat: ergo etiam illud privilegium non pendet in suo effectu à notitia Episcopi, contra quem obtinetur, & idem est cum proportione de quocumque alio tertio. Tu quia ex parte Episcopi, seu tertii clarum est, non esse necessariam acceptationem, quia illi nihil conceditur, sed potius ipse privatur aliquo jure per potestatem superiorem in favorem privilegiati, sive consentiant, sive non. Ita Suarez *de leg. lib. 8. c. 25. n. 28. & 30.* Sanchez *de mat. lib. 3. disp. 36. n. 5.* Menochius *de arbitr. lib. 2. cent. 2. casu 185. n. 28.* Bonacina *loco citato, n. 16.* & alii. Suarez. Sanchez. Menoch. Bonacina.

Vide verb. Indulgentia 2 *num.* 7. Legatum *num.* 20. Clausula *num.* 17.

PROBATIO.

SUMMARIUM.

1 *An virtus causarum & exitus controversiæ in probationibus consistat.*

2 *An is qui dicit vel affirmat, probare debeat, tam in civilibus, quàm in criminalibus, sive sit actor, sive reus.*

An reus possit cogi ostendere titulum suæ possessionis.

3 *An actori affirmanti, vel reo neganti incumbat onus probandi, quando præsumptio est contra reum.*

An præsumptio hominis transferat onus probandi in adversarium.

4 *Adversus præsumptionem juris & de jure, licet de jure non detur regulariter probatio in contrarium, in casu tamen quo est confessio partis habentis dictam præsumptionem in favorem, admittitur.*

5 *Quando probatio admissa fuit ex consensu partis sive expresso, sive tacito, huiusmodi præsumptionem tollit.*

6 *Tertius modus probandi contra hanc præsumptionem est, quando probatio fit per indirectum.*

7 *Quartus fit per notorium.*

8 *Quintus est, quando quis vult probare ad hoc, ut in integrum restituatur.*

9 *Sextus est, quando probatio fit per protestationem quæ præcessit actum, vel in ipso actu intervenit.*

10 *An negativa pura, quæ aliàs indeterminata dicitur, probari possit.*

11 *An negativa coarctata loco & tempore, saltem indirectè probari possit.*

12 *An ex confessione partis adversæ probetur negativa determinata & indeterminata.*

13 *An omnis negativa probetur per juramentum.*

14 *An probetur etiam negativa per coarctationem personæ vel alterius rei determinatæ sine loci & temporis coarctatione.*

An testes in reddenda ratione negativæ debeant removere actum à sensu, vel sensum ab actu.

15 *An negativa quæ dependet à tertio, probetur per contrariam affirmativam.*

16 *An probetur negativa per inspectionem Scripturæ vel alterius subiecti, vel rei evidentiam.*

17 *An fiat probatio negativæ per ipsos auctores negativæ deponentes de facto proprio.*

18 *An testi soli credatur, quando deponit de negativa dependente à facto proprio?* Refertur duplex sententia.

19 *An magis credatur testibus affirmativam deponentibus, quàm negativam.*

20 *An tantum credatur testibus negantibus, quantum affirmantibus, in negativa coarctata loco, tempore, rebus vel personis.*

21 *Ille, qui negat factum, regulariter non probat.*

Fallit Primò, quando præsumptio juris est contra negantem. Secundò, quando per instrumentum vel per testes actor plenè suam affirmativam probasset. Tertiò, quando agitur de favore Ecclesiæ. Quartò, quando negativa probanda est per Sacramentum.

22 *Negativa facti probanda est ab eo, qui se fundat in illa. Hæc tamen regula fallit in multis casibus.*

23 *Negativa juris probanda est à negante, quando negatur illud, quod est de genere permissorum.*

1. TOta virtus causarum, ponduſque litis, & exitus totius controversiæ in probationibus consistit, ut notat Baldus *in cap. Quia propter, num. 13. extra de elect.* quæ res adeò vera est, ut deficiente probatione deficiat substantia causæ, nihilque profutura sint iura, ubi probatio deest; cùm multos sæpè videamus iustam causam foventes succumbere propter inopiam probationum, *l. Duo sunt Titij ff. de testament. tut. & ibi* Baldus. Imò tanta virtus in probationibus est sita, secundùm iurisperitos, qui affirmant, argumentum à sententia ad probationem esse validum, *ex l. Iulia Petronia, ff. de manumission.* ita ut probatio & sententia æquiparentur non solùm in hoc, ut quibus prodest nocetvè sententia, iisdem noceant prosintvè probationes, quemadmodum tradunt Bartolus *in l. Is apud quem, vers. Sed an porrigatur, Cod. de eden.* & ibi Jason *sub num. 25. vers. Tertiò limita*, & alii. Verùm etiam volunt, ut probationes aliquando sint maioris potentiæ, quàm sententia, ut scilicet quibus sententia nulla non nocet, obsint tamen acta, ut ait Ripa *in dict. l. Is apud quem, num. 38. Cod. de eden.* Baldus. Bartolus. Jason. Ripa.

2. Communis est regula inter Jurisperitos, *quòd is, qui dicit, vel affirmat, probare debet.* Textus egregius est in *l. 2. & in l. Verius esse, cum sequent. ff. de probat. & in cap. Accusator, 6. quæst. 5.* Quæ quidem regula habet locum non solùm in civilibus, sed etiam in criminalibus, ut & ipse quoque accusator suam affirmationem probare teneatur, ut habetur *in cap. Placuit, 2. quæst. 5* Et quod dicitur de accusatione, idem quoque intelligendum est de inquisitione, in qua, cessante accusatore, procedi-tur ex officiò: quæ inquisitio succedit loco libelli accusatorii, sicut iudex inquirens succedit loco accusatoris. Ex quibus infertur, quòd sicut in civi-

civilibus actore non probante reus absolvitur, etiam si nihil ipse præstiterit, *ex l. 2. ff. de probation. & cap. Bonæ memoriæ, il 1 extra de elect.* Ita etiam in criminalibus, accusatore vel iudice non probantibus, reus omninò debet absolvi, *per dicta jura.* Hæc regula habet locum generaliter in omnibus causis, sive prophanis sive spiritualibus, sive beneficialibus, etiamsi actor esset vir nobilis & expertæ fidei ac vitæ inculpatissimæ, & versa vice reus esset sordidus, mendax & perfidiarum plenus : quia actori incumbit onus probandi suam affirmationem, & eo non probante, reus absolvetur, ut colligitur in specie *ex cap. 1. 2. 3. causa 6. quæst. 2.* ubi Episcopo accusanti & non probanti non creditur. Ratio est ; quia quamvis persona actoris sit dignior quàm persona rei, non tamen magis credendum est assertioni actoris, quàm negationi rei, quoniam in administrando justitiam non est facienda discretio personarum, sed ita magnum ut parvum judicandum est, nec propter meritum vitæ recedendum est à juris dispositione, quia ubi agitur de simplici justitia, non curamus merita personarum, & ubi tractatur de præiudicio tertij, tunc nulla honestas personæ sufficit, ut ei credatur. Ita Glossa *in cap. Sicut, extr. de sentent. excommunic.* & Baldus *in cap. Sedes, prope finem de rescriptis.* Paulus de Cast. *in l. Actor, sub num. 2. Cod. de probat.*

Glossa. Baldus. Pa. de Ca.

Nec his obstat, quod sanctimoniæ & probitati hominis multa privilegia sint à jure concessa. Resp. hoc verum esse, & ita honesto viro esse credendum, quando hoc in præiudicium alterius non redundat *ex cap. Nobilissimus, diss. 97.* sed tamen non per hoc dicendum est, quod recedendum sit à jure communi propter meritum personæ, & maximè ubi agitur de præiudicio tertij, ut docent Decius *in cap. postremo, de appellat.* Tiraquellus *in causa 51. num. 162. in fin.* Pro quo facit textus *in cap. Ex tenore, de foro competent.* ubi habetur: *Nos igitur attendentes, quòd sic sumus viduis in justitia debitores, quòd alij iniustitiam facere non debemus.* Id est, licet nos debeamus pupillis & viduis favere ; attamen propter eorum favorem non est alijs iniustitia facienda.

Decius. Tiraquell.

Prædicta regula habet locum nõ solùm in actore, sed etiam in reo, ut sicut actor suam affirmativam probare tenetur, ita etiam reo incumbat onus probandi suas exceptiones affirmativas *l. In exceptionibus, ff. de probation.* Amplia etiam ut regula procedat, etiamsi reus in se onus probandi suscepisset, & non potuisset probare ; quoniam nihilominus actor suam affirmativam probare debet, si vult in causa obtinere : quamvis enim reus in suis probationibus deficiat, non tamen perdit privilegium absolutionis, quod sibi competit actore non probante. Ita Glossa *in l. Circa eum, §. Si quis autem, ff. de probation* Bartolus & Albericus *ibidem*, & hæc est vera & communis opinio.

Glossa. Bartolus. Albericus.

Ampliatur denique regula, ut habeat locum etiamsi constaret reum in causa nullum jus habere : quia actor nihilominus affirmativam suam probare deberet, si vellet abtinere, ut habetur *in l. final. Cod. de rei vendic.* quia, ut dicit Baldus, non curamus de juribus Rei vel possessoris, nisi constet de jure petitoris : quamvis enim reus iniustè possideat, nihilominus molestari non debet, nisi actor suam intentionem probaverit : quia in tali casu non quid reo, sed quid actori competat, æstimandum est, ut habetur *in l. 1. ff. §. Si pars de hæred. pet.* Prædicta procedunt non solùm in causis prophanis, sed etiam in causis beneficialibus : licet enim declaretur, reo in beneficialibus nullum jus competere, non tamen intelligitur declaratum competere actori : quia beneficium potest nec agentis esse, nec conventi, *l. Si inter te & me, in fine, de except. rei jud.* Non est igitur bona consequentia, Exclusus est adversarius ; ergo actor in causa debet obtinere Et ita Curiam Romanam observare testatur Archidiaconus *in cap. Contra morem, prope finem distinct. 100.* Præpositus *ibidem.*

Baldus.

Archidiac. Præposit.

Demum est advertendum quòd reus non possit cogi docere jus suum, nec ostendere titulum suæ possessionis ; quia non est disputandum de non jure ipsius, sed de jure actoris, *l. Cogi. C. de petit. hæred. & l. Anspeciali, ff. de rei vendic.* ubi dicitur, quod neque in rei vendicatione, neque in Publiciana potest cogi possessor dicere titulum suæ possessionis, quia hoc est petitoris munus, & non possessoris.

3. Quamvis affirmanti onus probandi communiter incumbat, in multis tamen casibus hæc regula non habet locum. *Primò*, quando præsumptio juris est contra reum ; quia tunc non actori affirmanti, sed reo neganti probandi onus incumbit, *ex l. Si pactum, l. Quinquaginta, l. Cum de indebito §. Sin verò ff. de probation. & ex cap. Accusator 6. q. 5. cap. Contra morem, dist. 100.* & docent Archidiaconus *in dict. c. Accusator*, Præpositus *in dict. c. Contra morem*, & communiter utriusque juris Doctores. Igitur sive sit actor, sive reus, sive sit affirmans, sive negans, quælibet eorum intentio fundata in præsumptione juris, aut in jure communi, vel in præsumptione naturæ, aut in regula juris, vel in verisimilitudine transfert onus probandi in adversarium.

Archidiac. Præposit.

Dubium tamen est, an præsumptio hominis transfert onus probandi in adversarium ? Multi affirmant ; nam si præsumptio hominis sufficit ad condemnandum, multo magis sufficere debet ad onus probandi transferendum. *Authent. Multo magis, C. de sacrosanct. Ecclesijs. cap. Cui licet, de reg. jur. in 6.* Sed mihi dicendum videtur, quod hominis præsumptio, alia est temeraria, alia levis, alla violenta, ut diximus suprà *verbo Præsumptio.* Ex primis duabus quod onus probandi non transferatur nemini dubium est : sed sola dubitatio est in violenta ; quæ si sufficiat ad condemnandum, certum est multò magis sufficere ad transferendum onus probandi in contrarium. Facit textus *in l. Verum ff. de donat. inter vir. & uxor.* Si non sufficiat ad condemnandum, tunc neque sufficiet ad transferendam probationem ; quia non omnis præsumptio transfert onus probandi in contrarium, sed illa solùm, quæ habetur pro plena probatione ; sed præsumptio hominis violenta facit plenam probationem in his casibus, in quibus sufficit ad condemnationem. Ita Fulvius Pacianus *de prob. libro primo, cap. nono*, & alij penes ipsum.

Pacianus.

4. Adversus præsumptionem juris & de jure non datur regulariter probatio in contrarium, *ex l. Antiquæ, C. ad Velleian. l. final. Cod. de arbitr. tut. &* communi Doctorum apud Menochium *lib. 1. de præsumpt. quæst. 10.* Nonnulli tamen casus reperiuntur quibus probatio adversus præsumptionem dictam admittitur, & inter illos præcipuus est confessio partis habentis prædictam præsumptionem in favorem ; quoniam si illa confiteatur judicialiter veritatem esse, in contrarium admittitur. Ratio autem quare confessio partis admittatur cùm ceteræ probationes admitti nequeant, est, quod præsumptio juris & de jure etsi à lege habeatur pro ipsa veritate, attamen verè & propriè non est ipsa veritas, cùm ipsa

Menoch.

versetur

versetur circa id quod est dubium : confessio autem illius pro quo est præsumptio, veritatem ipsam detegit & ideò dicēdum quod nulla est melior, nullaque efficacior probatio, quàm proprij oris confessio. Ita Menochius *loco citato quæst.* 62. Menoch. Glossa. Butrio.

Glossa *in l. In contractibus, verb. Nullo modo, C. de non numer. pecun.* Antonius de Butrio *in cap. Quoniam contra. vers. Secundus casus, de probation.* Ex dictis infertur, quod licet hæres non conficiens inventarium, teneatur ultra vires hæreditarias satisfacere creditoribus & legatarijs; cùm hæreditas ex præsumptione iuris & de iure, censeatur esse solvendo, *§. Si verò non fecerit. Authent. de hared. & falcid.* hoc tamen non habet locum, quando ex legatariorum, vel creditorum confessione constaret de quantitate bonorum, quæ sufficientia non fuissent tempore mortis testatoris, ut ait Felinus *in cap. Quoniam contra, sub num.* 30. *vers. Fallit quinto, de probat. & in cap. Quanto, de præsumpt.* Felinus.

5. Secundus modus probandi adversus præsumptionem iuris & de iure, dicitur, quando probatio admissa fuit ex contensu partis, sive expressо, sive tacito; eo quia non reclamavit, sed passa est probationes admitti : tunc enim probationes factæ præsumptionem iuris & de iure tollunt, ut ait Innocentius *in cap. Cum Bertholdus, de sentent. & re iudic.* ubi notat, quod licet quando sententia transivit in iudicatum, possit & debeat probatio contraria repelli: si tamen admissa est de facto & appareat sententiam non bene latam, tunc revocanda est; quoniam ex quo iudex cognovit, pronunciare debet. Ita etiam Menochius *de præsumpt. lib. 1. quæst.* 68. Antonius de Butrio *in cap. Quoniam contra, de probat. & in cap. Cùm delicta, de rescript.* Alexander *in l. Iudex posteaquam num.* 12. *ff. de re iudic.* & alij communiter. Innocent. Menoch. Butrio. Alexand.

Tamen si constaret in actis de partis oppositione, tunc admissa probatio nihil valeret: quia si communis omnium traditio est, quod parte consentiente probatio admittatur; ergo ipsa opponente non debet admitti, & admissa contra ejus oppositionem non valebit tanquam res facta cōtra casum legis. Ita Baldus *in l. 2. vers. Decimotertio quæro, C. de episcop. aud.* Felinus *in cap. Quoniam contra, num.* 20. *de probation.* Baldus. Felinus.

6. Tertius modus probandi contra præsumptionem iuris & de iure est, quando probatio fit per indirectum. Ratio est, quia cùm lex requirat certas qualitates ad constituendam hanc præsumptionem, semper admittuntur probationes, quod non simus in tali casu, vel non concurrat aliqua ex requisitis qualitatibus. Exemplum est: extat præsumptio iuris & de iure, mulierem, contracto matrimonio per metum, si diu cum viro moram trahat, in virum consensisse metum purgasse, *c. Ad id, de sponsal.* Tamen adversus hanc præsumptionem iuris & de iure, admittitur indirecta probatio, nempe etiam illam cohabitationē fuisse violentam: qua quidem violenta cohabitatione probata, tollitur illa præsumptio purgationis metus. Ita Imola Card. Alex. *in dict. c. Ad id,* & Abbas *in cap. Is, qui fidem n. ,, de sponsal* Menoch. *de præsumpt. l. 1. q. 65. n. 3.* & alij. Limitatur tamen hic tertius modus probandi, ut non habeat locū, quando lex vel statutū adimeret omnem & quācumque probationem, sive directā, sive indirectā. Ita Bart. Soc. *in consil. 242. circa primum, n. 7. vol. 2.* Imola. Cardinal. Alexand. Abbas. Menoch. Bart. Soc.

7. Quartus modus probandi adversus prædictā præsumptionem est, quando probatio, fieret per notorium. Ratio est, quòd probatio quæ fit per facti evidentiam, ut quid clarum & manifestum, numquam censeatur exclusa, & si ceteræ omnes excluse sint. Ita Baldus *in l. Contra negantem in fin. Cod. ad l. aquil.* Felinus *in cap. Quanto, num. 5. de præsumpt.* Menochius *lib. 1. quæst. 67.* & alij. Baldus. Felinus. Menoch.

8. Quintus modus est, quādo quis cōtra præsumptionem iuris & de iure vult probare ad hoc, ut in integrum restituatur ex clausula generali, si qua mihi iusta causa videbitur. Ita Alexand. *in l. Inter stipulantem, §. 1. ff. de verb. obligat. & in l. Si infans, n. 9. C. de iur. delib.* Alciatus *de præsumpt. in prælud. p. 2. n. 18.* Menoch. *l. 1. q. 70. de præsumpt.* Et hoc modo poterit succurri tutori qui imprudenter bona sua descripsit in inventario tanquam bona pupilli. Recepta tamen illa opinio declaratur secundùm Alciatum, ut non procedat quando specialis præsumptio iuris & de iure esset, petentem se restitui non esse læsum. Hæc autem restitutio in integrū advertus dictam præsumptionem conceditur intra quadriennium, iuxta generalem constitutionem *l. ult. C. de temp. in int. restitut. petend.* & tempus illud utile dicitur, & à die scientiæ currit, ut ait Menochius *loco cit. q. 71.* Alexand. Alciatus. Menoch. Menoch.

9. Sextus modus est, quando fit probatio per protestationem, quæ vel præcessit actum, vel in ipso actu intervenit : quia tunc probatio valet, modo protestatio fuerit fundata; vel vestita iusta causa, secus si iustam causam non continet. Hinc infertur, primò quòd præsumptio iuris & de iure est, quod novitia, quæ assumit habitum professarum, vel se ingerit in actibus ad eas pertinentibus, sit professa: tamen admittitur probatio protestationis factæ ante assumptionem habitus, vel in ipsa assumptione, quod non intendebat profiteri. Ita Anton. de Butrio *in cap. Is qui fidem, de sponsal.* & *in cap. Vidua, de regular.* Alciatus *de præsumpt. in prælud. part. 2. n. 20.* Menochius *loco cit. quæst. 75. n. 3.* Præpositus *in cap. Fetrum, dist. 50. vers. Aut probatio est vestita.* Buttrio. Alciatus. Menoch. Præposit.

Infertur *Secundò*, quod si post sponsalia de futuro contracta sponsus & sponsa invicem protestarentur, quòd quamvis sequatur copula, non tendunt sponsalia debere transire in matrimonium, nec illud velle contrahere : attamen hujusmodi protestatio nil prodest, nec eā præsumptionem iuris & de iure tollit: quia ex ea protestatione peccatū fornicationis inducitur. Ita præcitati Doctores *in cap. Veniens, il secundò de sponsalibus.*

10. Negativa pura, quæ aliàs indeterminata dicitur, nullo modo probari potest, ut patet *in cap. Super hoc, in fine extra de renunciat.* ubi dicitur, quòd negantis factum per rerum naturam nulla est probatio : quod idem notatur *in cap. Quoniam contra, in princip. de probation.* unde hujusmodi negativa adeò improbabilis est, ut neque directè, neque indirectè probari possit, ut communiter notant Doctores, Glossa *in cap. Bonæ memoriæ, il 1. in verbo, Per rerum naturam, de elect. & in cap. accusatof 6. q. 5. vers. Negativa facti.* Abbas *in dict. cap. Bonæ memoriæ, & ibi* Ioannes Andreas, & Ancharanus. Ratio autem est, quia probatio debet fieri per species, & differentias : sed illud quod negatur, non est: illud autem quod non est, non potest habere subsistentiam, neque species, neque differentias: ergo negativa probari non potest. Accedit quòd testis tenetur reddere causam dicti sui per aliquem ex quinque sensibus corporis; sed sensus corporei percipiuntur ex aliquo obiecto: ergo sequitur, quòd negativa oratio probari non possit, quia non ens non ponit, nec producit aliquod obiectum, ut notat Innocentius *in cap. Cùm causam, n. 2. vers. de causis de testibus.* Romanus *in l. Inilla stipulatione, sub n. 22. ff. de verb. obligat.* Tamen licet mera negativa probari nō possit, potest Glossa. Abbas. Io. Andr. Anchar. Innocent. Roman.

Hostiens. dictum negativum probari, ut notat Hostiensis *in Summa, de probat. in §. Quis debet probare, in princip.*

11. Negativa coarctata loco, & tempore, potest saltem indirectè probari, & probaretur *in c. Ex tenore, de testibus, & in l. Optimam, Cod. de contrahend. stipulat.* Exemplum est, si quis arguatur occidisse Titium, vel contraxisse matrimonium cum Berta, tali die & loco, & utrumque negaverit, poterit hujusmodi negationem probare indirectè, probando quòd illa die in alio loco erat, ut tradunt Ioannes Andreas *in cap. Bonæ memoriæ, el primò, sub num. 43. vers. Et ibi indirectè, de elect.* & ibi Abbas *num. 23.* Baldus *in l. Pantonius, §. Rei, ff. de acquir. Hæred.*

Io. Andr. Abbas. Baldus.

13. Præcipuus modus inter ceteros probandi negativam numeratur confessio partis adversæ, per quam iurisperiti dicunt probari posse non solùm determinatam negationem, sed etiam indeterminatam, *ex cap. 1. de confessis, in 6.* & ibi Archidiaconus *in verb. Negativas.* Ancharanus *ibid.* Baldus *in cap. Bonæ memoriæ, el primo, sub. n. 8. vers. Secunda regula est, de elect.* qui novissimus air, quod omnis negativa, quæ non subijcitur sensui, nec per se, nec per accidens, non potest probari per testes, nec per aliquam scripturam mundi, nisi per scripturam confessionis. Nec hoc solùm procedit in Confessione expressa, sed etiam in tacita; verbi gratia, ista negativa, Tu non petijsti consilium, probatur ex tacita confessione rei non proponentis affirmativam, id est quòd consilium petierit: ex eo enim quod tacet, consentire, & confiteri videtur. Hinc emanavit iuris canonici provisio, quà cautum est, ut positio merè negativa sit admittenda, cùm per confessionem partis adversæ negatio possit probari, per textum *c. 1. de concessis in 6.* & notat Bartolus *in l. Quidam in iure, n. 2. ff. de donat.* Quando autem positiones negativæ sint admittendæ? Doctores concludunt, hoc esse iudici arbitrarium, æquitate tamen operante,

Archidiac. Anchar. Baldus. Bartolus.

Menoch. Anchar.

Menochius *de arbitrar. iudic. lib. 2. centur. 4. in casu 485.* Ancharanus *in dict. c. 1. de confessis in 6. in 5. notab.*

14. Secundus modus probandi negativam est, iuramentum per quod omnis negativa probari potest, ut habetur *in l. Sed & si possessori, ff. de iureiur.* ubi per iuramentum probatur quod res non est tua. Ex quo infertur, quod hæres per iuramentum in actu indifferenti probabit, se animum adeundi hæreditatem non habuisse, & domum paternam possedisse non iure paterno, sed ex hypotheca materna, ut ait Baldus *in l. Pro hærede, n. 2. de acquir. hæred.* Similiter appellans probabit per iuramentum se non potuisse prosequi appellationē desertam propter infirmitatem, vel propter absentiam advocati, vel ad supersedendum à lite, vel ad obtinendam novam dilationem. Hoc enim generale est, ut ea, quæ in animo nostro cōsistunt, per iuramentū nostrū probentur, sive de negativa, sive de affirmativa tractetur, ut tradit Glossa *in cap. Significasti, el 1. in verb. Si est ita, extr. de homicid.* & ibi Abbas, Butrius, Ancharanus, Felinus. Quæ res adeò vera est, ut licet in causis criminalibus non deferatur iuramentum, in quibus probationes luce meridiana clariores requiruntur, *ex l. final. C. de probat.* Aliquando tamen iudex in defectum probationum iuramētum eo deferre solet ad probādum se non deliquisse, quod iuramentum purgationis appellatur, & valet ad absolvendū, nō autē ad condemnandum; quia non potest actori deferri ad probandum affirmativam, ut ait Bartolus *in l. Maritus, in fine, ff. de quæstionibus*, Ancharanus *in c. Excommunicationis, §. Qui autem, de hæretic.* Hoc autem iuramentū purgationis non passim concedi solet à iudice, sed solùm quando nullæ probationes, nec ullæ urgentes præsūptiones extant adversus eum: nam tunc ei datur iuramentum ad se purgandum à mala fama, quæ non habet originē à certis personis honestis, ut ait Blancus *in l. fin. n. 64. vers. Advertendum est, ff. de quæstion* Castrensis *in l. fin. C. de his qui ad Eccl. confug.* Verùm sciendū est, quod si actor esset persona honesta, & intentionē suā plusquā semiplenè probasset, tunc posset iudex ei deferre iuramētū ad integrandā probationē, etiam in causa criminali & acqua, per text. *in cap. final. in fine, de iureiur.* cùm sit hoc ipsi arbitrarium, ut tradit Romanus *in l. Admonendi n. 104. ff. de iureiur.* Hæc tamen opinio procedit solum in causa criminali, quando tractatur de pœna pecunia: secus autem ubi de pœna corporali ageretur, ut tradit Iason *in l. Ait Prætor, sub n. 21. in fin. ff. de iureiur.* Fulvius Pacianus *de probat. l. 1. c. 39. n. 20.*

Blancus. Castrens. Roman. Iason. Pacianus.

14. Tertius & frequens modus probandi negativam, fit per coarctationē loci vel temporis, ut dictum est *suprà n. 11.* Imò etiam probatur per coarctationē personæ vel alterius rei determinatę sine loci & temporis coarctatione, ut patet in eo, qui negat se occidisse Titium: nā probando, quod ipse Titius vivit, vel quod ab alio fuit occisus, satis optimè diceretur probare negativam suam, quæ censetur esse coarctata ad personā Titij viventis, vel ad factum determinatum alterius, qui occidit, ut ait Albericus *in l. Actor, n. 2. in fine, C. de probat.*

Albericus.

Illud autem est notandum quod testes super hujusmodi negativa deponentes debent probare concludenter non solùm circa locum, & tempus, verumetiam circa rationem dicti sui reddendam: unde quando testes volunt probare, me fuisse alibi eo die quo factum est homicidium, debent dicere, quod toto eo tempore, vel tota die fui alibi, aliàs concludenter non probarent, per textum *in §. Item verborum, in fine, Institut. de inut. stipul.* & notavit Ioannes Andreas *in cap. Ex tenore, extra de testibus*, & ibi Abbas *sub n. 2.* Ancharanus & Felinus. Unde in præbenda negativa debent testes de continuatione temporis docere affirmando quòd ea tota die, qua dicitur commissum maleficium, fuerunt continuè cum reo, ita quòd non potuisset delinquere, quin vidissent. Tamen prædictam temporis continuationem non esset opus probare, quando locus, in quo reus asseritur fuisse, tantum distaret, ut possibile non esset; quod eo tempore posset ad locum delicti accessisse. Propterea in tali casu communiter observatur, ut testes in reddenda negativę ratione removeāt actū à sensu, non autem sensum ab actu; ut scilicet dicant, quod illud non fuit factum, vel dictum, & hoc ipsi sciunt, quia fuerunt præsentes in eo loco & tempore, quibus asseritur, illud fuisse factum, vel dictum, & amplius subiungere debent, quod illud non potuisset dici vel fieri, quin ipsi audivissent, vel vidissent, ut tradit Baldus *in l. 1. n. 7. Cod. de bonor. possess. secundum tabul.* Castrensis *ibidem.* Decius *in cap. Tertio loco num. 44. extr. de probation.* Alexander *in consil. 43. Visis, n. 18. volum. 4.*

Io. Andr. Abbas. Anchar. Felinus. Baldus. Castrens. Decius. Alexand.

15. Quartus modus probandi negativam, quæ dependet à tertio, fit, quando probatur oppolita affirmativa: nam ubicumque duo sunt contraria, si probatur, quòd unum existat, oportet alterum abesse. Propterea si volueris probare, quod per triginta annos citra Titius non possedit fundum, hujusmodi negativa probabitur per oppositam vel contrariam affirmativam, probando, quod alius dictum fundum per dictum tempus

continuò

continuò possedit: quia ex affirmativa sequitur probatio negativæ; quoties enim suppositis principijs cadentibus sub sensu testis, sequitur aliquid, quod non videtur, semper illud invisibile per sensum probatur. Ita Abbas *in cap. Cum Ecclesia, numer. 28, vers. Vel defende, de causa possessionis & propriet.* Felinus *in cap. Tertio loco, de probation.* Aretinus *in cap. Cùm causam, sub num. trigesimo-septimo, de testibus, in cap. Tertio loco, num. 9. de probat.* qui novissimus notat, quod negativa facti potest probari per testes, quando cadit in scientiam testis, vel per æquipollentem affirmativam, vel per accidens, quo posito negativa præsumatur, vel de necessitate concludatur, *l. Optimam, in fin. Cod. de contrahend. vel commitend. stipulat.*

Abbas. Felinus. Aretinus. Baldus.

16. Quintus modus, quo negativa probatur, fit per inspectionem scripturæ, vel alterius subjecti, vel rei evidentiam. Qui quidem modus in materia probationum valde generalis & aptus est non solùm ad probationem negativæ, verùm etiam ad probationem affirmativæ: nam quando affirmativa venit probanda per certam scripturam, tunc potest per eandem negativa probari, & tali modo per visum probatur non visum. Ita Baldus *in l. final num. 5. de reb. credit.* Sic probatur per inspectionem instrumenti, quod quis non est descriptus in instrumento, ait idem Baldus *in cap. Tertio loco, num. 10. de probat.* Item quod quis non sit exemptus, probatur per inspectionem privilegij, ut ait Butrius *in cap. Auditis, in 2. notab. de in integr. restitut.* Hujusmodi autem probatio quæ fit ex inspectione scripturæ, a leò est privilegiata, ut ait Baldus *in l. Contra negantem, n. 10. in fine, C. ad leg. Aquil.* Alexand. *in consil. 35. num. 6. volum. 4.* Verùm etiam debet semper à judice admitti non obstante statuto omnes exceptiones excludente. Felinus *in cap. Inter ceteras, de sentent. & re judic.* Baldus *in l. Ex his prædys, Cod. de epist.* tunc enim exceptio ex actis resultans non intelligitur exclusa. Secus dicendum ubi statutum permitteret quidem opponi omnes exceptiones, sed limitaret tempus infra quod opponendæ forent; nam tunc elapso tempore censeretur exclusa etiam illa exceptio, quæ actorum inspectione probaretur, ut notat Alexander *in consil. 105. num. 8. vers. Quia respondeo vol. 5. & in consil. 225. sub num. 14. vol. 6.*

Baldus. Alexand. Felinus. Baldus. Butrius. Baldus. Alexand.

17. Sextus modus probandi negativam fit per ipsos auctores ipsius negativæ deponentes de facto proprio: & hic modus efficacissimus est ad probandam meram negativam non coarctatam; quia negativa absoluta cadit in sensum testis de facto proprio deponentis: ergo testis potest probare negativam non coarctatam, quando in facto suo versatur. Proinde si dicatur Titium fecisse aliquid, & adversarius hoc neget, si Titius fuerit productus in testem, poterit testificari se non fecisse & valebit ejus testificatio tanquam pendens à facto suo, secus si penderet à facto alieno. Ita Baldus *in l. Nec in qui, ff. De acquirenda hæredit.* Castrensis, Imola, *ibidem.*

Baldus. Castrens. Imola.

Hoc modo probatur legatum non fuisse factum per testes in testamento adhibitos, dicentes, se interfuisse testamento, & nullum legatum fuisse factum. Bartolus *in l. final. Cod. de reb. cred.* Similiter instrumentum reprobatur, si testes in instrumento nominati dixerint, prædicto instrumento se non fuisse præsentes; quia de hac negativa facti proprij ipsius omninò credendum est, ut tradit Innocentius *in cap. Cum Ioannes, num. 3. de fide instrument. & ibi* Ioannes Andreas *sub num. 7. vers. Sin autem.* Menochius *de arbit. lib. 2. centur. 1. in casu 105. num. 9.*

Bartolus. Innocent. Io. Andr. Menoch.

18. Dubium est, an testi soli credatur, quando deponit de negativa dependente à facto proprio, attento maximè quod nullum potest habere contestem? Partem affirmativam sustinent Castrensis *in consil. 34. Ego Paulus, num. 2. vers. Quæritur ergo.* Salicetus *in l. Si quis decurio, in 4. oppositione, Cod. ad leg. Cornel. de falsis*, ubi ait, quod non solùm tabellioni, sed etiam cuicumque privato soli creditur, quando de suo facto proprio interrogatur. quorum sententiæ subscripserunt plurimi alij, Decius, Alciatus, Marsilius &c. Contrariam tamen, ut scilicet testis de facto proprio deponens solus non probet in præjudicium alterius, sequuti sunt Bartolus *in l. Ne in arbitris, num. 6. vers. Tu dic clarius, Cod. de recept. arbit.* ubi ait, quòd licet judex, vel arbiter finita causa possit testificari super processu, id est de re à se gesta, & valeat ejus testimonium, tamen potest ei obstare, quod est solus, & sic apertè sentit, quòd solus non probat, Anton. de Butrio *in cap. Cùm à nobis, de testibus*, & alij multi. Ratio est; quia *in dict. cap. Cùm à nobis*, habetur, quòd non creditur judici quacumque dignitate præfulgenti, qui in causis coram se vertentibus deponit, propter generalem regulam, quà cautum est, ut nemini soli credatur. quæ regula procedit, etiam ubi de facto proprio judex testimonium tulisset; tum quia *in Clement. 1. de probat.* habetur, speciale esse in Papa, ut ei soli credatur, quando de facto proprio deponit: ergo in contrarium est jus commune. Ceterùm communiter recipitur, ut soli testi de facto proprio deponenti tunc demum credatur, quando alia indicia, vel aliæ conjecturæ cum dicto ejus concurrunt. quamvis enim jura velint, ut in ferendo testimonio requirantur ad minus duo testes, nec sufficiat unus, quavis dignitate præfulgeat, *l. Iurisjurand. C. de testib.* hoc tamen debet intelligi quando testes interrogantur de facto alieno, de quo habent notitiam per sensum corporeum: sed si de facto proprio interrogentur, tunc sufficit unus solus testis concurrentibus alijs indicijs. Ita Paulus de Castr. *in l. Quicumque, in fine, C. de serv. fug.* Alex. *in consil. 192. sub n. 14. vol. 6.* Socinus, Blancus, Herculanus & alij.

Castrens. Salicetus. Decius. Alciatus. Marsilius. Bartolus. Butrius. Pa. de C. Alexand. Socinus. Blancus. Hercul.

Hæc opinio maximè locum habet, dummodò ultra prædictas conjecturas aliæ quoque duæ qualitates in ipso teste interveniant, quarum prior est, ut sit persona honesta; altera est, ut sine affectione deponat non ad proprium commodum, sed ad utilitatem alterius. Nam persona vilis & infamis deponens contra alium de facto proprio, non facit plenam probationem, sed semiplenam. Iason *in l. Cunct. popul. n. 65. C. de Sum. Trinitate.* Testis autem deponens de re, quæ ad ipsum exonerandum spectat, licet deponat de facto suo, non est idoneus testis, & ideò repellitur. Ita Bartolus *in l. Deferre, ff. De jure fisci.* Unde talis testis nec etiam semiplenè probat, quando agit de se exonerando, vel de ejus interesse, commodo & liberatione. Ita Bartolus *in l. Omnibus, in fine, vers. Ego feci. Cod. de testibus*, & ibi Salicetus & alij.

Iason. Bartolus. Bartolus. Salicetus.

Plures hìc modi probandi negativam possent adduci, puta per implicitam vel inclusam affirmativam; per officium judicis, per exploratores, & per edicta generalia; per peritos in arte; per famam: sed de his videndi sunt jurisperiti, qui de tali materia tractaverunt ex professo. nobis sufficiat illos sex modos breviter attigisse.

19. Regulariter magis creditur testibus deponenti-

Digitized by Google

bus affirmativam, quàm negativã, & hoc non ſolùm quando ſunt pares numero, ſed etiam quando ſunt impares: comuniter enim dici ſolet, quod magis creditur duobus teſtibus affirmantibus, quàm decem, vel etiam mille negantibus. Et hæc comunis omnium ſententiæ, quę procedit, etiamſi teſtes affirmantes nullã cauſæ rationẽ redderent. Ratio eſt; quia cùm affirmativa offerat ſe ſenſui, poteſt reddi ratio credibilioris cauſæ, quod ſecus eſt in negativa, quæ non ita ſe offert ſenſui: quia facta ſe manifeſtant, ſed non facta latent. Ita Baldus *in l. Actor. n.* 21. *C. de prob.* Innoc. *in c. Extirpandæ extr. de prob.* Declaratur tamen concluſio ut habeat locum, quando teſtes ſuper negativa deponentes, aut nullam, aut ineficacẽ cauſam ſcientiæ redderent: vel quando affirmativa perciperetur à ſenſu corporeo, & negativa non: quia tunc magis creditur affirmantibus; ſed ſecus, quando utraq; id eſt tam affirmativa, quàm negativa à ſenſu corporeo non poſſet percipi & deberet utraque probari per medium alicujus ſenſati & ſigni affirmativi: nam tunc tantũ crederetur negantibus, quantum affirmantibus, quia utraque probatio diceretur mediata & indirecta. Ita Baldus *in l. Cum hi*, §. *Nihil, n.* 3. *verſ. Ex his appar. ff. De tranſact.* Aretinus *hic. In noſtra, n.* 18. *de teſtib.* & ibi Felinus *ſub n.* 8. *verſ. Et iſtis adde, & n.* 6. *verſ. Fallit ſecundò.* & in hoc caſu non ſolùm teſtis negativè deponens tenetur etiam non interrogatus reddere rationem dicti ſui; verùm etiam tenetur eandum reddere teſtis ſuper affirmativa teſtificans, ut tradunt Fulvius Pacianus *de prob. lib.* 1. *cap.* 50. *num.* 11. *&* 12. & alij penes ipſum citati.

Baldus. Innocent. Baldus. Aretinus. Felinus. Pacianus.

20. In negativa coarctata loco, tempore, rebus vel perſonis, tantum creditur teſtibus negantibus, quantum affirmãtibus, & pari paſſu ambulant negativa & affirmativa. Ita communiter Doctores poſt Baldum *in l. Diem proferre*, §. *Si plur. n.* 2. *ff. De recept. arbitr. & in cap. Cum Eccl. n.* 8. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* Abbatem *in cap. In noſtra, in fine, de teſtibus*, Ioannem Andream *in cap. Bonæ memoriæ, el primò, num.* 58. *verſ. De auditu, de elect.*

Baldus. Abbas. Io. Andr.

Ut autem probatio hujus coarctatæ negativæ ſit efficax & probationi affirmativæ æquivaleat, oportet ut in ea probanda teſtes removeant actũ à ſenſu, non autem ſenſum ab actu, quando qualitas coarctationis id ſuadet, hoc eſt, quod teſtis dicitur removere actum à ſenſu, quando dicit, quod ipſe ſcit, quod ille actus, vel illud maleficiũ non fuit factum, quia ipſe fuit præſens tali die, & hora, in tali loco, quibus ille actus, vel illud maleficium aſſeritur eſſe factum, nec potuiſſet fieri, quin ipſe vidiſſet & audiviſſet. At è converſo ille dicitur removere ſenſum ab actu, qui deponit non vidiſſe, nec audiviſſe dici vel fieri illud, quod factum eſſe dicitur, vel dicit, quòd non recordatur, vel quòd non fuerit præſens, aut quòd neſcit fuiſſe factum: quę teſtificatio nihil valet, cùm poſſibile ſit, quòd illud maleficium ſit factum, vel dictum & à teſte non ſit viſum, vel cognitum. Ita Baldus *in l.* 1. *num.* 7. *verſ. Quæro, C. de bonor. poſſeſſ. ſecundùm tab.* & ibi Caſtrenſ. *in fine.* Proinde ſi teſtes in probanda negativa coarctata removerint actum à ſenſu, eo modo quo ſuprà, concludendum erit, quod ſicut inter affirmantes & negantes nulla eſt differentia, ita etiam inter eos æqualiter probantes ſervanda erit regula, quæ dicit, ſtãdum eſſe aut deponentibus veriſimiliora. ut tradit Iacobus de Arena *in l.* 1. *num.* 2. *verſic. Non eſſe gravidam, ff. de ventr. inſpicien.* & ibi Albericus *ſub num.* 6. aut dignioribus, ut notat Baldus *in c.* 1. *num.* 3. *verſ. Sed in teſtib. de controv. inter me & domin. de petitione feudi*, Bartolus *in l. Diem proferre*, §. *Si plures, in fine, ff. de recept. arbitr.* aut majori numero, ut tradit Baldus *in l. Hæredes palam, num* 6. *ff. de teſtament.* Bartolus *ibidem, num.* 7. Quis enim dubitat pauciores nobiles multis ruſticis, ac vilibus eſſe præferendos; & credendum magis eſſe Cardinalibus paucis, quàm multis pannoſis clericis? Quando autem teſtes hinc inde in omnibus, & per omnia ſunt pares quoad veriſimilitudinem, numerum, & dignitatem, tunc inter negativam coarctatam & affirmativam, nulla eſt differentia, & tenenda diſpoſitio textus *in l. Ob carmen*, §. *final. ff. De teſtibus*: quia tunc probationes inuicem ſe elidunt & conquaſſantur, & reus debet abſolvi, quia actor non efficaciter probavit, ut ex communi tradunt *in dict. lege* Alberic. Salicetus. & Decius *in cap. Ex literis n.* 22. *verſ. Et iſta concluſio de probat.*

Baldus. Alberic. Salicetus. Bartolus. Decius.

21. Ille, qui negat factum, regulariter non probat, ut habetur *in l.* 2. *ff. De prob. & cap. Accuſ.* 6. *quæſt.* 5. *& cap. Quoniam contra. de probat.* Unde negativa facti ſatis efficaciter probatur eo ipſo, quòd contrarium non probatur. Ratio eſt; quia ſicut facta non præſumuntur, niſi probentur, ita conveniens eſt, ut pro negante factum regulariter præſumatur, ut ait Baldus *in l.* 1. *ſub num.* 24. *Cod. de conſeſſis.* omnes enim negationes ſunt liquidæ juris præſumptiones, cùm ſint probatæ eo ipſo, quòd contrarium non probatur, ut dicit idem Baldus *in cap. final. num.* 1. *verſ. Item quia omnes, de probat.* Hoc tamen procedit dumtaxat in caſibus à jure expreſſis; nam in alijs dicendum eſt, ut excipiens probare teneatur ſuam exceptionem, ſive negativè, ſive affirmativè excipiat, ut notant Innocentius *in cap. Super his, verſ. Sed argumenta, de accuſat.* Archidiac. *in cap. Accuſator, num.* 3. *verſ. Et nota* 6. *quæſt.* 5. Non procedit tamen prædicta propoſitio, *Primò*, quando præſumptio juris eſt contra negantem; nam tunc ipſi neganti, non autem affirmanti incumbit onus probandi, *ex l. Nec codicillos, Cod. de codicill.* ut tradunt Ioannes Andreas *in cap. Sine poſſeſſione, de regul. juris in* 6. Bartolus *in l. Actor, num.* 6. *Cod. de probat.* ubi dicit, quòd neganti incumbit onus probandi, quando præſumptio juris eſt contra negantem; ſicut è conuerſo, quando præſumptio eſt pro negante, tunc ipſe non debet probare, ſed affirmans.

Innocent. Archid. Io. Andr. Bartolus.

Ex quibus infertur, quòd quando quis vult probare aliquid contra illud, quòd lex præſumit, tunc requiruntur tres teſtes idonei, aut ſaltem duo excellentes, ut ait Speculator *in §. final. ſub num.* 28. *de probat.* Boërius *in gloſſ.* 24. *n.* 3. *de ſtatuaria urbis præſumpt.*

Speculat. Boërius.

Secundò, non procedit, quando per inſtrumentum, vel per teſtes actor plenè ſuam affirmativam probaſſet: nam tunc reus, ſi non vult condemnari, debet contrariam negativam probare, *ex l. Optimam, Cod. de contrahen. ſtipul. & cap. Ex tenore, extr. de teſtibus.*

Tertiò, non procedit favore Eccleſiæ, veluti quando Eccleſia petit bona, quæ clericus tempore mortis poſſidebat: nam tunc hæredi convento incumbit onus probandi negativam, id eſt, quod ea bona non ſunt Eccleſiæ.

Quartò, non procedit in his, quibus negativa probanda eſt per Sacramentum, ex diſpoſitione legis, vel ex commiſſione judicis, ut habetur *in l. Præſenti*, §. *Sicubi depoſita, Cod. De his qui ad Eccleſ. confug.*

22. Negativa facti probanda ab eo, qui ſe fundat in illa; quia quilibet eſt obligatus probare

ſive

sive sit actor, sive reus, illud, quod est fundamentum suæ intentionis; sive negativa sit probabilis, sive sit improbabilis; siquidem imputandum est ei, qui in negativa impossibili se fundavit; quia boni viri debent ea tacere, quæ probare non possunt, ut habetur *in cap. Plerumq. 2. q. 7.* Ex quo infertur, quod si actor petit quem removeri à beneficio, quia non est ordinatus, vel quem repelli ab hæreditate, quia non est filius legitimus defuncti, tunc ipsi neganti incumbit onus probandi, etiamsi prædictas negativas probare non possit.

Imola. Ita Imola *in l. Hoc jure, sub n. 11. ff. De verb. obligat.*

Gemin. Geminianus *in cap. Accusat. §. Hoc autem, sub n. 7. caus. 6. q. 5.* Procedit assertio non solùm in negativa facti, sed etiam in quocumque alio genere negativæ, sive juris, sive qualitatis: sive negativa sit fundamentum actionis, sive sit causa exercitij actionis meæ, ut quia non possim pervenire ad pignorum possessores, nisi quando principalis non est solvendo; quod quidem ego probare debeo, ut ait Bartolus *in l. In illa stipulat. sub n. 5. & 10. ff. De verb. obligat. & in l. Actor, n. 6. Cod. de probat.*

Bartolus.

Limitatur tamen dicta assertio ut non habeat locum in opponēte exceptionem non numeratæ pecuniæ, vel in dotem traditæ; nam tunc affirmanti numerationem, & non neganti incumbit onus probandi. Bartolus *in l. In illa stipul. n. 5. vers. Fallit, ff. De verb. oblig.* & ibi Iason *n. 12.* Salicetus *in l. Exceptionibus, ff. De probat.*

Barrolus. Salicetus.

Limitatur *Secundò*, quando adversarius est obligatus neganti adimplere affirmativam: nam tunc qui se fundat in negativa, non probat, sed affirmans. Exemplum ponit Bartolus *in dict. l. In illa n. 6.* ubi ait, quod si promisisti sistere tali die in judicio sub certa pœna applicanda vel mihi, vel fisco, si ego, vel fiscus elapso die agamus ad pœnam, quia tu non veneris, licet fundamentum nostrum sit in negativa, tibi tamen incumbit onus probandi venisse, vel fuisse impeditum ex justa causa, quia nostra intentio satis est fundata ex promissione, quam tu debes implere. Ita etiam Salicetus *in l. 2. sub num. 15. in q. 8. in fine, Cod. de jure emphyt.*

Bartolus.

Salicetus.

Limitatur *Tertiò*, quando præsumptio juris est pro eo, qui se fundat in negativa: tunc enim affirmanti & non neganti incumbit probatio, ut ait Bartolus *in dict. l. In illa, num. 10.*

Bartolus.

Quartò falli, quando judex procedit ex officio contra subditum ex causa negativa, quia dicit ipsum non esse ordinatum vel canonicè institutum: tunc enim non judici neganti, sed subdito affirmanti incumbit onus probandi. Ita Ioan. Imola *in l. Hoc jure, sub n. 11. vers. Adverte tamen, ff. De verb. oblig.* Francus *in cap. Si judex in fine, de sent. excomm. in 6.* & alij.

Imola. Francus.

23. Negativa juris probanda est à negante, quando negatur illud, quod est de genere permissorum, *l. Ab ea parte, ff. de probat.* & ibi Bartolus, Baldus & alij. Quod procedit, sive negativa proponatur ab actore, sive à reo, ut ait Glossa *1. in dict. lege.* Ex quo fit, quod onus probandi incumbit ei, qui dicit aliquem non posse esse testem, Advocatum, Procuratorem, &c. Nam cùm talia intelligantur esse à jure permissa, qui dicit aliquem esse prohibitum ab eo, quod regulariter est à jure permissum, probare debet: quia omnia intelliguntur esse permissa à jure, quæ specialiter prohibita non inveniuntur; tum etiam, quia satis fundatam intentionem, dicitur is habere; qui se fundat in regula juris: nam alleganti exceptionem à regula incumbit onus probandi, ut notat Iason *in l. Ex quacumque, n. 33. ff. Si quis in ius.*

Bartolus. Baldus.

Iason.

Notandum tamen est, quod est quædam negativa juris quæ nullam habet misturam facti, & in hoc casu neganti incumbit onus probandi, quę probatio fit per aperturam libri, si agitur de jure communi, quo jure omnia censentur esse licita, nisi specialiter sint prohibita, ut ait Bartolus *in dict. l. Ab ea parte, ff. de probat.* Quod tamen fallit, quando quis negat simpliciter jus scriptum: nam tunc adversarius debet illud probare, id est allegare: negans autem jus alicujus specialis statuti, vel decretalis, vel alicujus extravagantis non habet necessitatem probandi, sed probare debet, qui affirmat illud statutum; vel illam extravagantem facere jus, & esse in observantia, ut ait Archidiaconus *in c. 1. num. 3. vers. Si verò, dist. 19.* Felinus *in cap. Pastoralis, vers. Item scias, de fide instrum.*

Bartolus.

Archid. Felinus.

Alia est negativa juris quæ habet aliquam facti misturam, ut quando dico te non posse esse Advocatum ob tale impedimentum, tunc onus probandi incumbit neganti; quia qui negat licere, quod est de genere possibilium, debet probare negativam; & in tali casu negans non probat jus, quia jus non indiget probatione, cùm sit certum & finitum, *l. 2. ff. de jur. & facti ignorant.* Sed debet probare factum, propter quod persona de jure repellatur ab actu facto, vel faciendo. Ita Baldus *in l. Ab ea parte, in 14. notab. Cod. de probat.* & ibi Salicetus.

Baldus. Salicetus.

Et hæc de probationibus breviter attigisse sufficiat, reliqua jurisperitis duximus examinanda.

Vide v. Adulterium *n. 17. & seq.* Exemptio *n. 3.* Legatum *n. 17.* Matrim. *2. n. 39. & 40.*

PROCESSIONES.

SUMMARIUM.

1 *An Clerici omnes, etiam exempti teneantur ad processiones publicas accedere, si fuerint vocati.*

2 *Qui religiosi sint privilegio muniti, ne inviti compellantur ab Episcopo processionibus interesse.*

3 *An religiosi qui distant ab urbe, seu loco ubi fiunt processiones ultra unum milliare, teneantur ad eas accedere? Et an sufficiat etiam distantia dimidij milliarij.*

4 *An Fratres Minimi, & S. Hieronymi in Hispania cogi possint processionibus interesse.*

5 *An religiosi qui per 40. annos post Conc. Trid. non sunt consueti accedere ad processiones, possint ad id cogi.*

An exempti à lege eundi ad processiones, si ab Episcopo vocati pluries accessissent, perdant privilegium.

An Episcopi possint per censuras cogere regulares vocatos accedere ad processiones; si venire recusent.

6 *An lites & controversias omnes de præcedentia inter Ecclesiasticas personas, tam sæculares, quàm regulares, componere possit Episcopus, omni appellatione remota.*

7 *Bulla Gregorij XIII. de præcedentijs inter Ordines Mendicantes in processionibus, refertur.*

8 *An regulares possint facere processiones extra fines conventus.*

1. EX Decreto Concilij Tridentini *sess. 25. de reg. cap. 13.* Clerici omnes, etiam exempti, tam sæculares, quàm regulares, etiā Monachi, tenentur ad processiones publicas accedere, & ad

Con. Tr.

id compelli poſſunt à locorum Ordinarijs: non tamen tenentur exempti ſponte comparere, niſi vocentur: nec etiam omnibus proceſſionibus intereſſe cogi poterunt, niſi fiant ex aliqua magna cauſa, utputa imminente peſte, ſeu alio flagello, vel pro pace, aut etiam in novo introitu Epiſcopi, vel Legati, vel ad generales Litanias, quæ fiunt poſt Paſcha, & ante Feſtum Aſcenſionis Domini, vel ad quas ſecundùm conſuetudinem antiquam locorum accedere conſueverunt, non tamen ad alias, ut ſtatuit Pius Papa V. in ſua Conſtitutione quæ incipit, *Etſi Mendicantium Ordines*, ubi §. 29. ſic ait: *Poſtremò, quod cap. 13. ſeſſ. 25. cautum fuit, quòd omnes ſcilicet tam Clerici, quàm Regulares, quicumque ad publicas proceſsiones vocati accedere compellantur, id quoad Fratres præfatos, de illis tantum proceſsionibus intelligi volumus, ad quas ſecundùm conſuetudinem antiquam locorum ſoliti ſunt accedere, vel quæ pro bono pacis Eccleſiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur. Quod etiam de illis conventibus, qui Collegia nuncupantur, minimè intelligi volumus, in quibus Fratres ſub arctiori clauſura degunt, ità ut in choro cantent, nec ad mortuos accedant, ſed tantùm ſtudijs & lectionibus vacent.*

Pius V.

Super quibus ita à Sacra Congregatione declaratum fuit: *Ordinarius poteſt præcipere Regularibus, ut eant ad proceſsiones publicas, ut puta in Feſto Corporis Chriſti, in Litanijs, & Jubileis publicis faciendis, in plebibus, in quibus ipſi habent Monaſteria, dummodo proceſsiones ſint ejus generis, quod in Bulla S. D. N. Pij V. Mendicantibus conceſſa, quæ incipit, etſi Mendicantium, publicata 17. Kal. Junij anno 1567. comprehendantur: & dummodo Regulares non ſint ex illis Conventibus Collegia nuncupatis, quæ in eadem Bulla excipiuntur.* Ita Peyrinus *tom. 2. privileg. Minimor. in annot. ad Conſtit. 7. Pij V. §. 29. n. 25.* Rodriguez *tom. 3. quæſt. regul. quæſt. 36. art. 1.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 2. alleg. 78. n. 8. & 14.* Cokier *de juriſd. Ordin. in exempt. part. 2, quæſt. 45. num. 109.*

S. Congr. Peyrinus. Rodrig. Barboſa. Cokier.

2. Summus Pontifex quoſdam regulares, qui clauſuram ſervant, ut ſunt Carthuſiani, Benedictini & Ciſtercienſes, eximit ne inuiti compellantur ab Epiſcopo, aut ab alijs quavis dignitate fulgentibus, intereſſe publicis funeralibus, etiam Principum, aut publicis proceſſionibus, ſeu ſupplicationibus, niſi pro cauſa publica, & ne ſuper hoc permittant eos ab alijs inquietari, ut Gregor. IX determinavit *in cap. Nimis prava, de exceſſ. Prælat.* & *cap. Nimis iniqua.*

Greg. IX.

Poſt Concilium Tridentinum Gregor. XIII. conceſſit Religioſis Societatis Jesv exemptionem ab intereſſentia in ſupplicationibus, ſeu precibus, & proceſſionibus publicis, inhibuitque Ordinarijs quavis dignitate fulgentibus, ne religioſos dictos ad intereſſendum proceſſionibus quovis modo cogere, ſeu ſuper præmiſſis inquietare, ſeu inquietari facere audeant, vel permittant. Ita habetur in Compend. Societat. *titul. Proceſsiones.* Nec obſtat quod Gregorius XIII. in hac conceſſione non dixerit, non obſtante Concilio Tridentino, quod ut revocatum cenſeatur, eſt neceſſarium, juxta quod tradunt communiter Doctores; ſatis tamen colligitur ex prooemio & ex plana mente Pontificis: quia in prooemio dicto conceſſionis præmittit ibi, *quidam forſitan moti auctoritate Concilij Tridentini*, &c. Et poſteà ex certa ſcientia addit derogationem etiam Concilij generalis, quod æquatur ſpeciali derogationi Concilij Tridentini. Et ideò cùm mentionem fecerit in principio Concilij Tridentini, & cùm fuerit cum deliberatione locutus, cenſendum eſt prædicto Concilio quoad hoc derogaſſe, aliàs ad nullum effectum ejus indultum prodeſſe: nam interdum derogatio Conciliorum generalis habetur pro ſpeciali, pròut tradunt Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap 26. num. 3.* apud Rodriguez *tomo tertio, quæſtionum regul. quæſt. 36. artic. 2.*

Gr. XIII. Com. priv. Henriq. Rodrig.

3. A prædicta etiam lege eundi ad proceſſiones eximuntur illi religioſi, qui diſtant ab urbe, ſeu loco ultra unum milliare. Sic enim ſtatuit Leò X. in Concilio Lateranenſi, ut habetur in Compend. Privileg. Mendic. *verb. Proceſsionibus, §. 2.* Imò ex duplici declaratione, ſeu deciſione Eminentiſſ. Cardinalium, ſufficit diſtantia dimidij milliarij, ut non teneantur regulares accedere ad proceſſiones. Unam ex his declarationibus refert Quaranta *in Summ. Bullarij, verb. Privilegia Regularium*, his verbis: *Congregatio Concilij etiam cenſuit, Regulares Monaſterij ultra medium milliare à civitate diſtantes non poſſe ab Epiſcopo compelli accedere ad proceſsiones.* Habetur hæc deciſio in Decreto Sacræ Congregat. ſuper intelligentia & obſervatione *cap. 12. verſ. Dies etiam Feſti, ſeſſ. 25. de regular. Concilij Tridentini* anno 1602. ſub ſignatura Hier. Cardin. Matthæus, & Ioan. Franc. Fagnanus Sacr. Congregat. Conc. Secr. Alteram adducit Marzilla *lib. 1. declarat. Cardin. titul. 12. cap. 14. §. Exemptiones*, & Borboſa *in Remiſſionibus ad cap. 13. de regul. num. 6. & 7.*

Leo X. C. Later. Cõp. priv. S. Congr. Quaranta. Marzilla. Barboſa.

4. Olim Fratres Minimi non poterant cogi proceſſionibus intereſſe, juxta eorum Mare magnum à Iulio II. conceſſum: niſi ad aliquas ſpecificatas pro omnibus Mendicantium Ordinibus, à Conſtitutione Pij V. (videlicet in Feſto Corporis Chriſti, in Litanijs & in Jubileis publicis.) Sed hodie Regulares etiam exempti tenentur ad omnes, juxta Decretum Concilij Tridentini *ſuprà.*

Iulius II. Con. Trid

Pius tamen V. anno Domini 1568. conceſſit Fratribus S. Hieronymi in Hiſpania, ut quovis prætexiu, aut quæſito colore, ad incedendum in publicis & alijs Proceſſionibus ab Ordinarijs locorum minimè ipſi Fratres cogerentur, nec teneantur ad eas exire; mandavitque Archiepiſcopis, aliſſque locorum Ordinarijs, in Regnis Hiſpaniarum exiſtentibus, ut permittant ipſos Fratres hoc privilegio pacificè uti: voluit tamen quòd cùm opus fuerit & proceſſiones publicè fiunt, eas intra eorum Monaſteria faciant, non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, Synodalibus, &c. Concilijs editis Conſtitutionibus. Habetur hoc indultum *in Compend. Privilegior. eorumdem Fratrum, collecto à Patre Garſia*, teſte Sorbo *in Compend. Privileg. Mendic. in verb. Proceſsiones.*

Pius V. Sorbus.

5. Religioſi qui ex legitima præſcriptione 40. annorum poſt Tridentinum Concilium non ſunt conſueti accedere ad proceſſiones, non poſſunt ad id compelli etiamſi nullo ad præſcribendum muniantur titulo, dummodo tamen fuerint aliquando vocati, & illi ire renuerint: quia titulus ad hujuſmodi tam longi temporis præſcriptionem non requiritur, ut tenet communis Doctorum ſententia. Ita Rodriguez *in addit. Summæ tomo quarto, capite 105. numero 2.* Villalobos *in Summ. parte 2. tractat. 35. difficult. 5. num. 8.*

Rodrig. Villalob.

Sed dubium eſt, an religioſi exempti privilegio Sedis Apoſtolicæ à lege eundi ad proceſſiones, ſi ab Epiſcopo vocati pluries acceſſiſſent, intelligantur per contrarium uſum privilegium amiſiſſe. & ſic in poſterum ad id compelli poſſe? Reſpondeo quòd non; quia tale privilegium eſt merè facultatis, quod nunquam amittitur per non uſum; & ſic tali-

taliter privilegiati possunt ire, si volunt; si autem nolunt, abstinere. Tum etiam, quia precariò accessisse videntur, & sic nullum ius Episcopo acquisitum est. Tutùs tamen erit, quòd de eo fiat protestatio iuridica coram Notario, & cum publico instrumento in forma Collegij se accedere, salvo iure sui privilegij. Adde quòd Canonicis Regularibus Lateranensis Ecclesiæ concessum est, ut licet per unum, aut plures actus contraveniant suis privilegijs scienter, aut ignoranter, nihilominus illa non perdant: quia privilegia sunt in bonum totius Religionis concessa, quibus Prælatus particularis vel Monasterium non potest renunciare. Ita Rodriguez *tom. 3. quæstionum regularium, quæst. 36. art. 3.* Portel *in dub. regul. verb. Processiones, num. 6.*

Rodrig. Portel.

Alterum dubium est, an Episcopi possint per censuras cogere regulares vocatos accedere ad processiones, si venire recusent? Respondeo per censuras ad id ab Episcopo adstringi non posse; sed bene per alias pœnas Ecclesiasticas; ut privari à Confessionibus audiendis, & à Prædicatione Verbi Dei in Ecclesijs non proprij Ordinis. Probatur prior pars, quia religiosi pluribus Sedis Apostolicæ privilegijs tuti sunt ne ab Episcopis, vel alijs quibuscumque Ordinarijs, ex quavis causa excommunicari, suspendi, vel interdici possint. Posterior autem pars probatur, quia cùm ex dispositione Concilij sit eis commissa auctoritas Regulares ad processiones cogendi; consequenter censetur eis tradita facultas, eos aliquibus remedijs, vel alijs vijs opportunis ad id compellendi. Ita Rodriguez *tom. 3. qq. regul. quæst. 36. art. 1.* Henriquez *in Summ. lib. 7. cap. 25. §. 7.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disputatione 33. num. 23.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part. 2. allegat. 78. num. 25.* Quaranta *in Summ. Bullarij, verb. Præcedentia, vers. An in casu*, Portel *in dub. regular. verb. Processiones in Addit. num. 1.* Qui duo ultimi referunt pluries per Sacram Congregationem fuisse decretum regulares exemptos per censuras non posse compelli; quia Episcopi non possunt contra illos religiosos uti censuris nisi in casibus illis expressè concessis à Papa. Sed Concilium Tridentinum *loco citato*, cùm concedit Episcopis, ut cogant Monachos ad processiones, non exprimit, ut possint illos cogere per censuras, cùm supperant alia media per quæ illos cogere possint, ut dictum est. Ita Diana *part. 8. tract. 7. resol. 5.* & alij multi apud ipsum contra nonnullos alios.

Rodrig. Henriq. Sanchez. Barbosa. Quaranta. Portel. S. Congr. Diana.

6. Lites ac controversias omnes, quæ de præcedentia inter Ecclesiasticas personas, tam sæculares, quàm regulares in processionibus publicis, aut ijs, quæ fiunt in tumulandis Defunctorum corporibus, accidere solent, Episcopus, omni appellatione remota, componit, ex dispositione Sacri Concilij Tridentini *sess. 25. de regular. cap. 13.* Quod autem eas differentias componat omni appellatione remota, intelligendum est quoad effectum suspensivum dumtaxat: & hæc compositio fieri debet brevi manu, summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura Iudicij, prout decisum referunt Campanile *in diverse. iur. Canon. rubric. 12. cap. 13. num. 120.* Barbosa *de offic. & potestat. Episcop part. 3. allegat. 78. num. 26.* ubi cum Rota in Colonien. Præcedentia 9. Junij 1627. subdit Concilium Tridentinum *loco citato* non sustulisse appellationem devolutivam, in cujus gradu bene datur manutentio possessori. Hanc decisionem Rotæ coram Eminentissimo D. Cardinali Ubaldo refert Tamburinius *de jure Abbat. tom. 3. decis. 115.* ubi habetur *num. 8.* Non obstat, quod in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 13. de regular.* disponatur quòd Ordinarij possint præcidere controversias subortas in processionibus: & ideò cùm Ordinarius in casu nostro decretaverit per modum provisionis ordinem servandum in istis præcedentijs, non possit ordo alterari, & dari manutentio dignitatibus, donec per rem iudicatam sit negotium terminatum, iuxta decis. Rotæ *in recent. 332. num. 4. & 491. num. 11. part. 1.* Placuit enim Dominis ratio, quòd Concilium solummodo disponit, ut Episcopus possit providere, & ordinare, quod sibi videbitur, ad evitanda scandala: & ordinatum ab eo debet quidem executioni demandari: sed non tollit appellationem devolutivam, in cujus gradu bene datur manutentio possessori, ut alias censuit Rota *in Hispalen. & Caurien. permutationis 11. Martij 1596.* coram Giptio, & *in Virdunen. Vicariatus 1. Iunij 1616.* coram bon. mem. Buratto. Ita Rota ibi.

Tambur. Rota.

7. Quia nonnullæ lites, & controversiæ super præcedentia in processionibus ortæ fuerunt, & præcipuè inter Ordines Mendicantiũ: Greg. XIII. ad hujusmodi controversias & lites dirimendas, statuit, ut ille Ordo Mendicantium præcedere deberet in processionibus, qui esset in possessione præcedentiæ ac iuris præcedendi; quando verò non posset probari, aut constare de quasi possessione præcedentiæ hujusmodi; statuit ipse Summus Pontifex, ut ij Fratres Mendicantes in processionibus, tam publicis, quàm privatis, præcedere deberent, qui essent antiquiores in loco controversiæ; ita ut si contigerit nova Monasteria, aut domus alicujus Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut domus priùs erecta, & instituta essent; ille Ordo; qui priùs Monasterium, seu domum in loco habuerit, præcedat. Hujus autem Constitutionis tenor talis est:

Gr. XIII.

GREGORIVS XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXposcit Pastoralis Officij munus, cui, disponente Domino, præsidemus, ut ad ea solicitè intendamus, per quæ discordiarum & litium, ac controversiarum quarumlibet, præsertim inter personas Ecclesiasticas materia tollatur. Sanè nobis nuper innotuit, quod in multis Civitatibus & diœcesibus diversarum Mundi partium nonnullæ lites, causæ, & controversiæ inter Fratres Mendicantes, aliæ etiam similes lites, & controversiæ inter Confratres Confraternitatum Christi fidelium; super præcedentia, vel iure præcedendi, ortæ iam sint, & oriri facilè possint. Nos considerantes lites, causas, & controversias hujusmodi in Ecclesia, præsertim inter religiosas personas, quæ relictis mundi vanitatibus, famulatum & votum suum in humilitatis spiritu Domino & Deo nostro, qui se pro nobis usque adeò humiliavit, ut formam servi acciperet, exhibere, & persolvere profitentur, non modicam illi præclaræ, Deoque præcipuè dilectæ virtuti humilitas, labem infundere, populoque scandalum generare, ac propterea illas omni ratione submovendas, publicæque Religionis tranquillitati, ac Ministrorum Ecclesiasticorum reconciliationi, & mutuæ dilectioni quamprimùm consulendum esse rati, ac supremam huic negotio manum apponere volentes, necnon causas, lites, seu controversias hujusmodi ubilibet, & coram quibusvis judicibus motas & in quibusvis instantijs indecisas pendentes ab eisdem Iudicibus harum serie

ad

ad nos advocantes, illasque penitus extinguentes, eisdem Fratribus Mendicantibus, ac Confratribus super præmissis perpetuum silentium imponentes. De nobis attributæ potestatis plenitudine volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quòd quicumque ex dictis Fratribus Mendicantibus inter se de præcedentia hujusmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites, & causa præmissorum occasione ortæ iam sint, seu oriri contigerit in futurum, qui in quasi possessione præcedentiæ, ac iuris præcedendi sunt, ij (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & alijs subterfugijs prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis) in processionibus, tam publicis, quàm privatis præcedere debeant. Quando verò non probetur, aut non constet, de quasi possessione præcedentiæ hujusmodi inter Fratres qui sunt Mendicantes, ij qui antiquiores in loco controversiæ; inter Confratres verò inter se litigantes, ij, qui priùs saccis usi sunt, in processionibus tam publicis, quàm privatis præcedere debeant: ita ut si contigerit nova Monasteria, aut domus alicujus Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut domus priùs erecta, & instituta sint, ille Ordo, qui prius Monasterium, seu domum in loco habuerit, præcedat. Præterea quia inter prædictos Ordines plerumque alia in processionibus, & alia in Concilijs generalibus, & alijs actibus publicis, sive privatis, ratio circa modum præcedendi servatur, nolumus per præsentes prærogativæ dictorum Ordinum, quoad præcedentias hujusmodi, quæ proprijs Ordinibus, præterquam in processionibus prædictis debentur, aut Fratribus Capucinis nuncupatis, qui in processionibus publicis sub Conventualium S. Francisci, aut Minorum de Observantia Fratrum nuncupatorum, Cruce, ut solent, incedere possint, aliquod præiudicium ingnorari. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios, etiam S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & diffiniri debere, ac quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum Ordinum, Congregationum, domorum ac Confraternitatum quorumcumque, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegijs quoque, indultis & literis Apostolicis, illis, eorumque superioribus & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis, in genere, vel in specie, ac etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quàm extra adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris, die 14. Iulij, 1585. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Anno à Nativitate Domini 1583. indict. 11. die verò Dominica 17. mensis Iulij, Pont. verò Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij divina providentia Papæ XIII. anno duodecimo retroscriptæ literæ Apostolicæ in forma brevis expeditæ, affixæ & publicatæ fuerunt in acie campi Floræ, ut moris est, per nos Petrum Guerram & Melchiorem Riccium eiusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Ioannes Baptista Bagni Magister Curs.

Hæc constitutio habetur apud Laërtium Cherubinum *in Bullar. novo tom. 2. Bulla ejusdem Pontif. 86.* quæ in Hispaniarum partibus non est usu recepta, ut tradit Rodriguez *tom. 3. qq. regular. quæst. 37. art. 4.* Cherubin. Rodrig.

8. Regulares de iure non possunt facere processiones extra suos Conventus; quia extra illos non habent territorium; & ita praxim obtinere affirmat Zerola *in praxi Episcop. 1. part. tit. Processiones, vers. Ad quartum.* Barbosa autem *de offic. & potestat. Episcop. part. 3. allegat. 98. num. 7.* ait per triginta passus extra ambitum Monasterij id licere, per *cap. Sicut antiquitus 17. quæst. 4.* Zerola. Barbosa.

Ceterùm verius est standum esse consuetudini locorum; undè in Portugallia usu receptum est, ut Religiosi faciant processiones extra suos Conventus absque aliqua Episcopi licentia, ut docent Portel *in dub. reg. verb. Processiones, n. 8.* Villalobos *2. part. tract. 35. diffic. 5. n. 9.* vide Dianam *part. 3. tract. 2. resol. 77.* Portel. Villalob. Diana.

PROCVRATOR.

SUMMARIUM.

1 *An Procurator, qui gratis obtinuit acta à Notario, vel gratis habuit Advocatum, possit ultra suum salarium retinere id, quod erat debitum Notario vel Advocato.*

2 *An Procurator vel negotiorum gestor, cui constitutum est salarium 100. aureorum in singulos annos, si postea substituat alium Procuratorem, cui dedit tertiam partem salarij, tuta conscientia retinere reliquum possit?* Refertur duplex sententia.

3 *Procurator, qui litigantis causam sponte susceptit non conductus, an possit peracta causa retinere sibi stipendium, quod litigans soluisset Procuratori, quem conduxisset.*

4 *An Procurator possit fungi Officio Advocati, vel Notarij, & stipendium illis debitum accipere.*

5 *An Procurator pro memoriali composito diebus Festis, salarium accipere possit.*

6 *Quæ ætas iure requiratur in Procuratore constituto ad matrimonium.*

7 *Licet Procurator non præsumatur revocatus, ab hac tamen regula recedi tur præsumptionibus & coniecturis, in quinque casibus.*

8 *An Procurator, cujus personæ electa est industria, alium suo loco substituere possit.*

9 *An Procurator faciat dominum incidere in pœnam, licet non habeat speciale mandatum, quando dominus scit & patitur.*

10 *Procurator ad negotia; an acquirat actiones directè & immediatè sibi, an principali.*

11 *An religiosis iure communi interdicatur munus Procuratoris, vel Advocati obire? & quando id illis licitum sit.*

12 *Quis superior possit ad hoc munus obeundum illis licentiam concedere.*

An Fratres minores de licentia suorum superiorum possint esse Procuratores? Refertur duplex sententia.

13 *Quid nomine utilitatis Monasterij intelligatur in iure, quâ positâ licet religiosis id munus*

munus obire? Refertur duplex sententia.

14 *In quatuor casibus potest religiosus Procuratoris vel Advocati Officio fungi.*

15 *An mandatum Procuratorium ad judiciales vel extraiudiales actus, acceptatum à religioso absque Superioris licentia, sit irritum, & exinde gesta invalida.*

1. PRocurator, qui obtinuit gratis acta à Notario, vel modicum solvit pro actibus Curiæ, vel gratis habuit Advocatum, potest ultra suũ salariũ retinere id, quod erat debitum Notario pro actu, & Advocato pro patrocinio, si Advocatus, vel Notarius illa præstiterunt in gratiam solius Procuratoris: nam sic obligatur eis Procurator naturaliter ad tantumdem. At si Notarius, aut Advocatus nõ ea præstiterunt intuitu Procuratoris, sed indistinctè contenti sunt modico salario, tunc Procurator nihil potest sibi retinere, sed omnia vertuntur in beneficium principalis, cùm non sit donatum intuitu personæ Procuratoris. In dubio autem, an Notarius acta gratis concesserit intuitu Procuratoris, non præsumitur concessisse in gratiã Procuratoris; quia melior est conditio clientis suam pecuniam possidentis, & fieri potest, ut Notarius intuitu ipsius clientis, vel in honorem Dei, vel alia de causa acta gratis concesserit. Ita Bonacina *in Decal. disp. 10. q. 3. punct. 4. n. 13.* Clavis Regia *lib. 12. c. 24. n. 5.* Filliucius *tract. 40. c. 10. quæst. 9. num. 296.* & alij. Bonacina. Clav. Reg. Filliucius.

2. Quorumdam sententia est, Procuratorem, vel negotiorum gestorem, cui constitutum est salariũ centum aureorum in singulos annos vel pro tota causa, si postea substituat alium Procuratorẽ, cui dederit tertiam partem salarij, retinere posse reliquum tutâ conscientiâ, modò ipse Procurator principalis susceperit in se periculum causæ, vel periculum negligentiæ vel ignorantiæ ipsius substituti, & sustineat onus admonendi substitutũ & scribendi in civitatem, aut locum ubi moratur patronus, tunc retinere posse partem salarij, attenta qualitate laboris & periculi. Quod si nihil horum faciat, tunc totum salarium deberi substituto. Ita Toletus *lib. 5. cap. 62. num. 5.* Reginaldus *lib. 25. cap. 56. num. 68.* Clavis Regia *lib. 12. cap. 24. num. 7.* probabiliter. Contraria tamen sententia non est improbabilis, modò Procurator principalis hoc faciat de consensu saltem tacito, & sine damno eorum, quorum patrocinium suscepit. Probatur *Primo*, quia pecunia tradita est vel promissa Procuratori, ut ipsi dominium acquiratur: ergo Procurator principalis potest sibi partem retinere, reliquâ idoneo substituto traditâ. *Secundo*, quia nulli facit iniuriam; non clienti, cùm tantum illi rependat, quantum promisit, & per alium æquè idoneum suppleat; non substituto, cùm illi iustum stipendiũ tradat, ut supponitur: fieri enim potest, ut pretium non fuerit à lege taxatum, sed alijs relictum sit taxandum, vel latitudinem habeat. Ita Bonacina *loco cit. n. 12.* qui pro hac sententia in simili casu citat Sotum, Navarrum, Suarez, Vasquez, Rodriguez, Naldum & alios. Toletus. Reginald. Clav. Reg. Bonacina. Sotus. Navarrus. Suarez. Vasquez. Rodrig. Naldus.

3. Procurator, qui litigantis causam sponte suscepit non conductus, potest, peracta causa, retinere sibi stipendium, quod litigans solvisset Procuratori, quem conduxisset, si ob id aliquod lucrum perdidit, vel accessit aliquod damnũ, nisi his expressè renunciaverit; nam in dubio non censetur gratis donasse, nec cum tanto damno alteri benefacere. Si autem gratis suscepit tale munus, seu officium, nullum prætendere, vel sibi retinere potest stipendium, etiamsi damnum lucri cessantis vel damni emergentis ea occasione passus sit: nam eo ipso quo gratis suscepit, cessit juri suo, & stipendium aliasque expensas condonasse censetur. Si verò nõ gratis, nec liberaliter suscepit munus, sed animo mercedis, potest mercedem, quæ ordinario Procuratori tradita fuisset, prętendere: quia operarius dignus est mercede sua, & quoties alia subest causa, quàm donationis, non præsumitur donatio. Ita Trullench *in Decal. tom. 2. lib. 8. cap. 6. n. 4.* Clavis Regia *lib. 12. cap. 24. num. 6.* Bonacina *loco cit. n. 14.* Quod si dum Officium accepit, nihil cogitavit de mercede, attendenda est conditio litigantis. Si enim nobilis sit, amicus, vel consanguineus principalis litigantis, censetur gratis munus & officium accepisse: si autem sit mercenarius, qui locare solet ad id operas suas, & sit peritus in hac arte, poterit sibi retinere, si eandem operam præstitit, quam Procurator præstitisset. Ita Filliucius *tract. 40. cap. 10. num. 297.* Trullench. Clav. Reg. Bonacina. Filliucius.

4. Procurator potest fungi Advocati, vel Notarij officio & stipendium accipere, modò illud faciat æquè bene, & sine cliẽtis damno & iniuria; imò rogare potest Advocatos, ut subscribant soluto modico pretio, reliquo sibi retento. Ratio est, quia hoc videtur lucrum industriæ, nullique damnum iniustè infertur, cùm, ut supponitur, tam instrumenta, quàm consilia, tam idonea sint, ac si essent ab Advocato & Notario data & confecta: quidam enim Procuratores ad consilia, vel instrumenta conficienda æquè sunt idonei, ac ipsimet Advocati, vel Notarij. Secus autem dicendum esset, dum Procurator consilia, non ita erudita conficit, inscio, vel reluctante cliente, qui vellet consilia per instructiores Advocatos, non solùm subscribi, verùm etiam proprio marte confici; vel quando Procurator non est tantæ dignitatis & scientiæ, ut tantum stipendium mereatur. Ita Bonacina *in Decalog. disp. 10. q. 3. punct. 4. n. 15.* Trullench *loco citato cap. 6. num 5.* Bonacina. Trullench.

5. Procurator pro memoriali in facto composito diebus Festis salarium accipere potest, sicut Iurisperitus pro consilio, & Advocatus pro informatione iudicis & pro allegationibus. Ratio est, quia quando opus ex sua natura non est servile, non redditur servile quamvis ob præmium, & mercedem fiat, ut diximus *tom. 1. verb. Festum 11. num. 8.* ex Cajetano, Navarro, Medina, Lopez, Layman, Bonacina, Suarez, & alijs. Cajetan. Navarrus. Medina. Lopez. Layman. Bonacina. Suarez.

6. Dubium est, an in Procuratore ad matrimonium constituto, requirantur qualitates iure requisitæ, ut ad alia negotia, nempè ætas decem & septem annorum, an potiùs satis sit, ut habeat qualitatem iure naturæ requisitam, nempe rationis usum? Et ratio dubitandi est, quia Procurator ad matrimonium dicitur ad negotia constitutus, ut colligitur ex *cap. final. de Procuratoribus in 6.* ubi dicitur: *Et quamvis aliàs is qui constituitur ad negotia Procurator, alium dare possit, in hoc tamen casu, &c.* In Procuratore autem ad negotia desideratur septemdecim annorum ætas, ex *cap. Qui generaliter, §. Licet, de Prædicat. in 6.* ibi: *Licet autem quis post decimum-septimum annum Procurator ad negotia licitè deputetur, ad iudicia tamen, nisi major 25. annis fuerit, deputari nequibit.* Si ergo jus requirit eam ætatem in Procuratore ad negotia, similiter in Procuratore ad matrimonium eadem ætas desiderabitur, cùm verè ad negotia dicatur Procurator constitutus. Nihilominus multò certius est, nullã desiderari ętatem, nec qualitatem aliam in Procuratore ad matrimonium constituto, prætec eam quam jus naturale expoſcit ad explicandum consensum, nomine alterius, nimirum, rationis usum.

Proba-

Probatur *Primò*, quia esto ad alia negotia desideraretur in Procuratore certa ætas, secus esset dicendum in Procuratore ad matrimonium: quia nulla prorsus eius industria desideratur, sed tantùm explicat consensum absentis. *Secundò*, si contraheretur matrimonium per interpretem pupillum; nemo negaret esse legitimum: Procuracor autem in matrimonio tantùm deservit ad interpretandum consensum absentis, sicut interpres ad aperiendum consensum præsentis. Durissimum enim creditu esset, affirmare, posse puerum 14. annorum, se ligare matrimonio, ad idque capacitatem sufficientem habere; non tamen ad exprimendum consensum alterius contrahere volentis. Ergo non obstante generali prohibitione, ut minor 17. annis validè constituatur Procurator ad negotia, quamvis Procurator ad matrimonium dicatur ad negotia constitutus, non venit ea prohibitio de matrimonio intelligenda; sicut etiam prohibitio generalis contractuum minimè claudit matrimonium, quod verè & propriè contractus est, ut pluribus docet Sanchez *de matrimon. lib. 3 disp. 41. num. 8.* cum alijs. Sanchez.

7. Procurator non præsumitur revocatus, etiam in mandato ad delinquendum, quod durate præsumitur. Ratio huius regulæ est; quia mutatio voluntatis non præsumitur, *l. Sancimus, C. de testam.* Ab hac tamen regula receditur præsumptionibus, & coniecturis.

Prima est, quando dominus ab eo aufert instrumenta, libros rationum, & reliqua jura, quibus Procurator s Officium exercebat. *Secunda*, quàdo dominus ob solam suam absentiam constituit Procuratorē & deinde est reversus: nam statim quàm reversus est, præsumitur revocasse mandatum; nisi domino reverso, præsente & patiente, adhuc ut Procurator gerit & administrat; tunc enim non præsumitur revocatum mandatum, sed potiùs denuò concellum. Ita Fulgosius *in l. Qui mutuam, § non idò ff mandati. Tertiò*, quando novus Procurator fuit constitutus; nam tunc primus præsumitur revocatus, *l. Si quis cum Procuratorio, §. ult ff. de procur.* & tradunt Baldus, Angelus & Castrensis *ibi in fine*. Fallit tamen hæc coniectura, quando dominus iste constituens dixisset, se hunc Procuratorem constituere non revocando primum. *Quarta*, quando exorta est capitalis inimicitia inter dominum ipsum & Procuratorem, vel quando causa supervenit, quæ si ab initio adfuisset, illum Procuratorem non constituisset. Ita Albericus & Iason *in l. Procuratoribus, Cod. de procurat.* Alciatus *de præsumpt. regul. 2. præsumpt. 16. vers. Limitatur ista. Quinta* revocatum censetur mandatum, quando Procurator ille tanquam persona honesta fuit electus, & deinde effectus est nequam & facinorosus, ut docet Felinus *in cap. Ex parte Decani num 21. de rescript.* Fulgosius. Baldus. Angelus. Castrensis. Albericus. Iason. Alciatus. Felinus.

8. Procurator cuius personæ electa est industria, substituere non potest alium suo loco. Quando autem præsumatur electa personæ industria, colligitur vel ex qualitate negotij pertractandi in ipso judicio, vel ex verbis mandati. Proinde quando mandatum est datum ad negotium non determinatum & non habens certam formam, censetur electa industria personæ: secus si negotium esset certum & terminatum. Ita Bartolus *in l. ult. §. ult. in fin ff. de diversis & temp. præscript.* Ita quoque ex verbis colligitur electa personæ industriæ, ut si eius conscientiæ mandatum est causam tractari; vel quod ipse Procurator personaliter causam perageret. Ita Menochius *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 38.* Bartolus. Menoch.

9. Procurator facit dominum incidere in pœnam, licet non habeat speciale mandatum, quàdo dominus scit & patitur: quia ista patientia habetur loco mandati Ita Baldus *in l. 2. C. de noxal. act.* Pro quo faciunt ea, quæ tradit Geminianus *in cap. Qui ad agendum, n. 6. vers. Ex his infert, de Procur. in 6.* ubi dicit, quod si quis in veritate est meus Procurator, licet non habeat mandatum ad illud, quod agitatur, & per consequens excedat fines mandati, mihi tamen præiudicat, si hoc fecerit me sciente & non contradicente, quod idem confirmavit Alexander *in l. Sapè, n. 88. vers. Et ex his, ff. de re judic.* Baldus. Gemin. Alexand.

10. Procurator ad negotia acquirit actiones directè & immediatè non sibi, sed principali; sicut is qui per epistolā contraxit, vel per internuncium, actiones pro se acquirit, non pro internuncio. Ita Molina *de contract. tract. 2. disp. 551. n. 1. & 2.* Procurator autem sive ad negotia, sive ad lites, reddere tenetur ei, cuius est Procurator, rationem administrationis, & reddere quidquid ex administratione ad ipsum pervenit, ac proinde cedere illi jura & actiones, quæ ex tali administratione comparavit, ut habetur *in l. Si qui proprio, §. Procurator, ff. de Procur.* Consultius tamen, & accommodatius foret, si cōstitueretur, ut quādo aliquis expresè est Procurator, & agit aliquid nomine alterius, vel in negotijs extra judiciū, vel in judicio, ostenso ad id Procuratorio instrumento, jura & actiones, & quæcumque alia, acquirerentur immediatè, absque aliqua cessione, ei, cuius negotiū agit, & cuius est Procurator: quoniam nomine ac loco illius id agit, sciente atque intendente id utraque parte, ac proinde is principaliùs id agit, cuius est Procurator, quàm Procurator ipse; Procurator enim solum est instrumentū illius, tam in negotijs, quā in judicijs, ac proinde jura & actiones, ex ipsamet rei natura, verè competent principali absque alia cessione, ut monent Molina *loco citato, n. 4.* & Filliucius *tract. 39. n. 14. & 15.* Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 26. num. 14.* & alij. Molina. Medina. Filliucius. Layman.

11. Jure communi interdicitur religiosis munus Procuratoris vel Advocati obire, nisi Superioris licentia & utilitas Monasterij concurrant, ut habetur in Concilio Tarraconensi cap. 11. & refertur *cap. Monachi, el 2. 16. quæst. 1.* Et quamvis textus *ibi* loquatur de Monachis, idem tamen dicendum est de quibuscumque veris religiosis, ut constat ex *cap. 2. de postulando*, ubi consultus Pontifex, an ea prohibitio Monachis facta, comprehendat quoque Monachos regulares, qui laxiori regulæ inserviunt, respondet comprehendere. Quod confirmatur *ex Clementina Religiosus, de Procuratoribus*, quæ in ea prohibitione verbo *Religiosus*, usa est: quia ea prohibitio non respectum habuit ad Ordinem Monachorum, sed ad Religionem, ut docent Clavis Regia *lib. 12. cap. 22. n. 3.* Sylvester *verb. Advocatus, quæst. 6.* & alij communiter. Et Ratio est; quia cùm hi sacris mysterijs & divinis contemplatipnibus astricti sint, indecens omninò fuit istos in foro sæculari & judicio actrepitu forensi, causas & lites tractare, quibus dignitatem & auctoritatem eorum diminuant & obscurent. Con. Tar. Clav. Reg. Sylvester.

Ex quibus infertur duplicem coniunctim conditionem requiri, nec sufficere alterutram; nempe Superioris licentiam, & utilitatem Monasterij; & quidem, si altera ex his conditionibus deficiat, nec in foro sæculari, nec Ecclesiastico integrum est religiosis ea munera obire. Illis autem conditionibus concurrentibus, licitum eis erit, nedū in foro Ecclesiastico, sed etiam in sæculari; in hoc autem, modò causa sit civilis; nam in criminalibus, nullatenus

tenus liceret, ut conſtat argum. ex *cap.* 1. & *cap. final. de poſtulando*, & tradunt Roſella *verb. Advocatus*, *num.* 22. ubi Angelus *num.* 8. Sylveſter *q.* 6. Tabiena *quæſt.* 7. Clavis Regia *loco citato*, *n.* 5. & alij, At coram iudice Eccleſiaſtico licitum quoque erit religioſis in criminalibus cauſis advocare & procurare, modò concurrant prædictæ conditiones.

Roſella. Angelus. Sylveſt. Tabiena. Clav. Reg.

12 Quis autem Superior poſſit hanc licentiam concedere? Dicendum eſt poſſe Superiorem immediatum: quia textus hanc licentiam petentes ſolius Superioris meminerunt, & hic verè Superior eſt. Sufficeret etiam licentia Epiſcopi, ſi Monaſterium ipſi ſubeſſet; quia eſt verus Superior. Ita Cardinalis *in Clement. Religioſus*, *n.* 2. *notab.* 3. *de Procurator.*

Cardinal.

Dubium tamen eſt de Fratribus Minoribus, an de licentia ſuorum Superiorum poſſint eſſe Procuratores? Affirmant Cardinalis *loco citato*, *q.* 13. *num.* 6. Fulvius Pacianus *conſil.* 162. *n.* 159. Sed dicendum eſt non poſſe: quia non poſſunt eſſe executores teſtamentorum; nec poſſunt eſſe arbitri: ergo nec poterunt eſſe Procuratores: nam eadem eſt, ſeu major ratio in hoc munere, quæ in alijs procedit. Ita Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 13. *num.* 11. cum alijs.

Cardinal. Pacianus. Sanchez.

13. Difficultas eſt inter auctores, quid nomine utilitatis Monaſterij intelligatur? Quidam volunt intelligi eam utilitatem debere eſſe directam; verbi gratia, ſi tractetur de rebus Monaſterij conſervandis, aut in iudicio petendis, aut defendendis; & non cenſeri utilitatem Monaſterij, ſi velint religioſi circa alienas cauſas id munus in iudicio obire, ut inde lucrum obveniat Monaſterio, quantumvis pauperi, ac ære alieno gravato: quia aliàs ſi nomine utilitatis intelligeretur quæcumq; indirecta, id munus ſemper liceret religioſis, cùm lucra ex eo parta in Monaſterij utilitatem cederent. Ita Sylveſter *verb. Advocatus*, *quæſt.* 7. citans Ioannem Andream & alios, quorum ſententia eſt ſatis probabilis. Ceterùm probabilius eſt ſufficere utilitatem eam indirectam Monaſterij indigentis ad magnam pauperiem ſublevandam, & æs alienum ſolvendum, ut religioſus id munus obeat: quoniam id non ſolùm utilitatis, ſed maximæ Monaſterij neceſſitatis iure optimo nomen meretur. Sed hoc intelligendum eſt, non de quacumque indirecta utilitate, & de quocumque lucro, ſed quando magna Monaſterij indigentia ad id lucrum procurandum obligaret, vel quando magnum damnum ſentiret ex omiſſione non annuens votis amici utiliſsimi Monaſterio. Ita Navarrus *Comment.* 2. *de regular. num.* 66. Clavis Regia *lib.* 12. *c.* 22. *numero* 5. Emanuel Sà *verb. Advocatus*, *numero* 2. Abbas *capite ſecundo*, *numero tertio de poſtulando*, Roſella *verb. Advocatus*, *numero* 24. & ibi Angelus *numero* 9. & alij apud Sanchez *loco citato numero* 17.

Sylveſter. Io. Andr. Navarrus Clav. Reg. Eman. Sa. Abbas. Roſella. Angelus. Sanchez.

14. Religioſus in aliquibus caſibus poteſt Procuratoris vel Advocati munus obire; *Primò*, ſi ſit Superior Religionis: quia ſicut poteſt dare ſubditis licentiam huius muneris obeundi, ita ipſe poteſt id obire, dummodo adſit utilitas Monaſterii, & Conſtitutiones Religionis non obſtent. Navarrus *Comment.* 2. *de regul. num.* 64. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 11. *quæſt.* 9 Fulvius Pacianus *conſil.* 162. *à num.* 166. *uſque ad* 181.

Navarrus. Azorius. Pacianus.

Secundò, in negotiis Abbatis Monaſterii vel cuiuſcumque religioſi eiuſdem Religionis: quia in priori caſu utilitas Monaſterii vertitur, ſi bonus Prælatus ei præficiatur, ab eoque defendatur. In poſteriori autem, ſatis utile eſt ſuæ Religioni defendi quemcumque illius religioſum. Cardinalis *in Clement. Religioſus*, *num.* 8. *quæſt.* 2. & 4. *de Procurat.* & ibi Imola *n.* 8. Sanchez *loco citato n.* 19. & 20. cum aliis quos refert.

Cardinal. Imola. Sanchez.

Tertiò, cùm id munus ſuſcipit pro miſerabilibus perſonis tuendis; eſt enim Eccleſiæ propriũ eas perſonas præſidio deſtitutas tueri. Navarrus *Commentar.* 2. *de regul. num.* 66. Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 22. *num.* 5. Cardinalis *in Clement. Religioſus*, *numero tertio*, *oppoſ.* 5. *de Procurat.* & alij.

Navarrus. Clav. Reg. Cardinal.

Quartò, quando plures religioſi proſequuntur unum negotium, & conveniunt in idem, poteſt unus ex illis conſtitui Procurator pro alijs, etſi plures accuſent Abbatem, vel proſequantur electionem, vel alio modo ſit res communis, ex *cap. Olim*, *de accuſat.* & ex *Clement. Religioſus*, *de Procurator.* & tradunt ibi Gloſſa *verb. Conſorte*, Cardinalis *num.* 13. *quæſt.* 10.

Gloſſa. Cardinal.

15. Mandatum Procuratorium ad iudicialia acceptatum à religioſo abſque Superioris licentia, nullius eſt momenti, & ita geſta virtute ejus ſunt irrita. Ratio eſt, quia religioſus non habet perſonam legitimam ſtandi in iudicio pro ſe, nec pro alio, abſque Superioris licentia; æquiparatur enim religioſus ſervo, cum quo proceſſus eſt nullus, etiamſi non opponatur; & ſi intervenit ut Procurator, non valet iudicium, ut latè probat Decius *cap.* 2. *nova edit. à numero ſeptuageſimo octavo*, *uſque ad* 19. *de iudicijs*, Abbas *in Clement. Religioſus*, *numero ſexto*, Bartolus *in l. Filiusfamiliàs*, *§. Veterani*, *in fin. ff. de Procurator.* At quoad actus extraiudiciales, etſi peccet religioſus abſque licentia Superioris id munus ſuſcipiens, tenet tamen factum, & ſic geſta virtute illius ſunt valida; quia Clementina *Religioſus*, *de Procurator.* utens verbo (*non poteſt*) de ſolis iudicialibus loquitur, ſive actus iudiciales in foro ſæculari, ſive in Eccleſiaſtico exerceantur. Ita Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 13. *numero trigeſimo-ſeptimo & quadrageſimo-primo.* Ceterùm quamvis geſta per religioſum abſque licentia procurantem ſint nullius valoris, ſi tamen utiliter geſſit negotium Monaſterij, poteſt illud rata habere geſta, nec poterunt irritari, *l. Non eo minus*, *Cod. de Procurator.* & tradit Imola *in Clement. Religioſus*, *num.* 12. *de Procurator.* De his plura apud Sanchez *dict. cap.* 13.

Decius. Abbas. Bartolus. Sanchez. Imola. Sanchez.

Vide v. Beneficium 7. *n.* 11. & 12. Mandatum. Matrimonium 1. *n.* 7. Mutuum *n.* 5. Negotia geſta *n.* 8. Profeſſio *n.* 23. Tranſactio *n.* 2.

PROFESSIO.

SUMMARIUM.

1 *An poteſtas admittendi ad profeſſionem alicuius Religionis poſſit delegari.*

2 *Si Epiſcopus vel alius non habens facultatem à Prælato Religionis exemptæ, non ſuo, ſed nomine ipſius Prælati, & ſub ſpe ratihabitionis ejus, profeſſionem admittat, an illa ſit valida ratihabitione ſecutâ?* Refertur duplex ſententia.

3 *An profeſſio valeat, ſi eam acceptet Superior denunciatus excommunicatus, aut notorius Clerici percuſſor, ſive alius ex ejus commiſſione.*

4 *An profeſſio ab excommunicato emiſſa ſit valida, & an peccet Superior eum ad profeſſionem admittens.*

5 *An per Concilium Tridentinum tollantur profeſsiones tacitæ? & quænam requirantur ad profeſsionis tacitæ valorem.*

6 *Quando inducatur tacita profeſsio in Religionibus, ubi habitus Novitiorum non diſtinguitur ab habitu profeſsorum? Et quid, quando diſtinguitur.*

7 *An profeſsio tacita inducatur, ſi Novitius vel Religio in contrarium proteſtetur.*

8 *An profeſsio invalida aliquos effectus habeat.*

9 *An profeſsio invalida ex defectu tantùm conſenſus Religionis, inducat ex ſe aliquam obligationem.*

10 *Profeſsio invalida ex iure Eccleſiaſtico, an aliquam obligationem inducat iure non expreſſam.*

11 *In tribus caſibus profeſsio invalida iure antiquo inducit obligationem in iure expreſſam.*

12 *An religioſus dubius de validitate ſuæ profeſsionis, teneatur eam ratam habere.*

13 *Quando religioſus eſt certus de nullitate ſuæ profeſsionis, quam à principio bona vel mala fide fecit, an teneatur eam ratificare, ſi per ſententiam publicam cogatur in Religione permanere?* Refertur duplex ſententia.

14 *Quæ obſervare debeat religioſus ex Tridentino, qui contra profeſsionem reclamare intendit.*

An religioſus, qui propter habitus dimiſsionem non fuit auditus, poſsit poſtea reclamare aſſumpto habitu.

Qui nomine Superioris, & Ordinarij intelligantur in Tridentino, coram quibus religioſus reclamare debet.

Quando incipit quinquennium à Tridentino conceſsum ad reclamandum.

15 *An illud quinquennium debeat eſſe continuum & computandum ab ipſa profeſsionis die, vel potiùs à die ſcientiæ nullitatis profeſsionis.*

16 *An tranſacto quinquennio poſsit ignorans vel impeditus excluſus à remedio ordinario, audiri remedio extraordinario beneficij reſtitutionis in integrum?* Refertur duplex ſententia.

17 *An Decretum Tridentini denegans audientiam profeſsis poſt quinquennium, intelligatur de laborantibus impedimento perpetuo ad profitendum.*

18 *An tacitè profeſsus compellere poſsit Religionem, ut eum ad expreſſam profeſsionem admittat? Et quando ad id compellere poſsit Superior religioſum tacitè profeſsum.*

19 *An religioſus validè profeſsus, poſsit reclamare contra profeſsionem, ſi poſtea præ morbo factus ſit impotens ad ſervandam Religionis regulam.*

20 *Quæ forma neceſsaria ſit ad profeſsionem expreſſam emittendam.*

21 *An ſcriptura neceſsaria ſit, vel ſufficiens, ut per illam expreſſa profeſsio fiat?* Refertur duplex ſententia.

22 *Profeſsio expreſſa variis formulis ſolet emitti iuxta varia Religionum inſtituta. Et an neceſsarium ſit ut profeſsio hæc coram teſtibus fiat.*

23 *An profeſsio poſsit fieri per Procuratorem? & quæ conditiones deſiderentur, ut Procurator validè profiteatur nomine abſentis.*

24 *Quando profeſsio ſolemnis ob malum finem emiſsa, ſit irrita.*

25 *An profeſsio valeat, quando malus finis, eſt finis ſolius voti relati ad obtinendum illum aliunde quàm à Deo, vel ad obtinendum à Deo bonum ex re mala conſurgens, gratiaſvè agendum pro illo obtento.*

26 *An profeſsio emiſsa ob finem indifferentem principalem, ſit invalida? Et quid, ſi dubium ſit, an profeſsio fuerit ob finem indifferentem, vel bonum emiſsa.*

1. POteſtas admittendi ad profeſſionem alicujus Religionis delegabilis eſt: quia nullo iure hoc prohibetur, neque invenitur in tali poteſtate ſpecialis aliqua conditio, ob quam delegari non poſſit. Tamen ut hæc delegatio ſit valida, debet fieri ab eo, qui talem poteſtatem iure ordinario habet; nam ſi ſolùm ex commiſſione, ſeu delegatione illam haberet, non poſſet illam ſubdelegare, iuxta ius commune, niſi hoc etiam illi eſſet ſpecialiter commiſſum. Unde Rota *in antiquis deciſ.* 4. *aliàs* 267. *de regularibus*, dixit, Rota. profeſſionem fieri poſſe per Monachum in manibus ſui Abbatis, vel alterius ab Abbate poteſtatem habentis. Idem docent Innocentius, Panormitanus *in cap. Porrectum, de regular.* Cucchus Innocent. Panormit. *lib. 3. inſtit. major. tit. 1. de regular. num.* 54. Rodriguez *part. 2. Summ. cap.* 8. *num.* 13. Tamburinius *de iur. Abbat. tom. 3. diſp. 6. quæſit.* 18. *n. 1.* Diana *p. 3. tract. 2. reſol.* 70. Cucchus. Rodrig. Tambur. Diana.

Hinc colligitur, ſi Epiſcopus nomine alterius, qui poteſtatem habet incorporandi Religioni, profeſſionem admittat, valida erit profeſſio, etiamſi Religio ſit exempta: & hoc non eſt ſpeciale in Epiſcopo, ſed eſt commune cuicunque alteri, cui talis poteſtas commiſſa eſt ab eo, qui iure proprio illam poſſidet: quia in eo caſu non eſt poteſtas in Epiſcopo ex dignitate, vel munere Epiſcopali, ſed ab extrinſeco delegante; quæ delegatio alteri, qui non ſit Epiſcopus, etiam fieri poſſet: nam Epiſcopalis dignitas non eſt neceſſaria conditio, ut perſona ſit capax hujus commiſſionis, ſeu delegationis: nullo enim iure vel ratione hoc probari poteſt. Ita Sylveſter *verb. Religio* 3. Sylveſt. *quæſt.* 18. *verſ. Secundò*, & communis Doctorum *in dict. cap. Porrectum, de regular.* qui generaliter dicunt profeſſionem debere admitti ab eo, qui poteſtatem habet incorporandi Religioni, vel ab alio de licentia ejus, ſive ille alius Epiſcopus ſit, ſive non.

Colligitur *Secundo*, poſſe laicum ex commiſſione potentis acceptare profeſſionem, illam admittere, ſicut poteſt beneficium nomine alieno acceptare, & Procurator eſſe in cauſa ſpirituali, *cap. Accedens, de præbend.* & *cap. 1. de procurat. in 6.* & docent Innocentius *in cap. Porrectum, num.* 4. Innocent. *verſ. Ab Abbate, de regular.* & *ibi* Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Ancharanus & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. num.* 77. qui *num.* 75. docet habentem ſolam Monaſterij adminiſtrationem non poſſe ad profeſſionem admittere, quia non eſt legitimus Superior. Hoſtienſ. Io. Andr. Anchar. Sanchez.

2. Dubium eſt, an Epiſcopus vel alius non habens facultatem à Prælato Religionis, non ſuo, ſed nomine ipſius Prælati, & ſub ſpe ratihabitionis ejus profeſſionem admittens, illa ſit valida, ratihabitione ſecuta? Ratio dubitandi eſt, quia in primis certum eſt pro illo tempore, pro quo nondum eſt ratihabitio exhibita à Prælato habente poteſtatem, nullam eſſe, nec conſtituere illam perſonã in ſtatu religioſo, ita ut ſi interim dũ accedit conſenſus Prælati, matrimonium contrahat, factum teneat, quia perſona non manſit inhabilis ad matrimonium ex vi illius profeſſionis, cùm revera traditio ejus non fuerit acceptata ab habente poteſtatẽ. & hoc à nemine negatur. Hinc fit, ut habita ratihabitione Superioris, oporteat profitentem de novo ſuum aſſenſum præbere, ut profeſſio incipiat valere: quia prior conſenſus non fuit validus, nec effectum ſortitus eſt: ergo neceſſariũ eſt denuò profitentem conſentire. Quod confirmatur: quia certũ eſt oportere ut talis perſona non revocet conſenſum; nam ſi nolit

profeſ-

profeſſione facta ligari, quamvis ſuperior eam ratam habeat, ratihabitio poſtea ſubſecuta nullum habebit effectum, quia eo tempore quo illa exhibetur, & quo profeſſio deberet incipere eſſe valida, non reperit permanentem conſenſum alterius partis, ſine quo reciproca huiuſmodi obligatio perfici non poteſt: ergo ad minus neceſſarium eſt, ut moraliter perſeveret in priori voluntate: & hæc perſeverantia exteriùs conſtare debet; interior enim conſenſus non ſufficit ad humanum contractum perficiendum, niſi de illo poſſit ſufficienter conſtare tempore, quo contractus perficitur; & hoc eſt moraliter iterare conſenſum, ſive fiat per expreſſum, ſive tacitum ſignum perſeverandi in ea voluntate. Propter has rationes Suarez *de Religion. tom. 3. lib. 6. cap. 11. à num. 6.* hæſitat de huius profeſſionis validitate, probabiliuſque exiſtimat non eſſe validam. Communior tamen ſententia validam eſſe ſuſtinet; quamvis enim prior conſenſus non fuerit ſtatim efficax, non tamen fuit omninò invalidus, ſed fuit ad modum conſenſus conditionati, qui ſuſpenſus manet quamdiu conditio non eſt impleta; illa autem poſita tranſit in abſolutum, & ſtatim habet effectum ſine novo conſenſu. Ita in prædicto caſu, qui profitetur conſentit profeſſioni, ſub ea conditione expreſſa, vel tacita, ſi Prælatus, qui poteſtatem habet admittendi, eam ratam habuerit, & ideò adimpleta conditione non videtur neceſſarius novus conſenſus. Ita Azorius *tomo primo, lib. 12. cap. 5. quæſtione ſeptima*, Angelus *verb. Profeſſio, num. 1.* Armilla *ibidem*, Tabiena *ibidem, num. 2.* Sylveſter *verb. Religio 3. quæſt. 18. dict. 2.* Vecchis *in praxi novit. diſp. 12. dub. 7. num. 10.* Tamburinius *de jur. Abbat. tom. 3 diſput. 6. quæſit. 21. num. 3.* & alij.

Suarez. Azorius. Angelus. Armilla. Tabiena. Sylveſt. Vecchis. Tambur.

3. Valida eſt profeſſio, ſi eam acceptet Superior excommunicatus denunciatus, aut notorius Clerici perculſor, ſive alius ex eius commiſſione. Ratio eſt; quia acceptare profeſſionem non eſt propriè actus juriſdictionis, ſed ſuperioritatis: nec etiam ea commiſſio eſt actus juriſdictionis; non enim eſt alicuius juriſdictionis commiſſio. Si enim eſſet actus juriſdictionis ſpiritualis, minimè eſſet capax illius femina, aut laicus. Sed illa acceptatio nil aliud eſt, quàm admittere nomine Religionis obligationem illam quà profitens Religioni ſe adſtringit, & obligare Religionem ipſi profeſſo. Et illa commiſſio eſt dare poteſtatem ad acceptandam eam profeſſi obligationem, & ad obligandam illi Religionem. Hæc autem etſi ſupponant ſuperioritatem, non ſunt tamen actus juriſdictionis, nec juriſdictionis uſum exigunt, ſed ſolam ſuperioritatem: quæ per excommunicationem non ceſſat, etſi per eam ſuſpendantur actus juriſdictionis. Et confirmatur: nam ſi idem ſuperior nomine conventus contractum celebraret, vel alteri celebrandum committeret, talis contractus valeret; quia contractus celebrati ab excommunicato valent, iuxta veriorem & probabiliorem opinionem, ut quam pluribus allegatis probat Sayrus *de cenſuris, lib. 2. cap. 13. num. 10.* Ita valet præfata profeſſio. Et ob eandem rationem, quia ſcilicet recipere ad profeſſionem non eſt actus juriſdictionis, ſed ſuperioritatis, profeſſio admiſſa à Superiore ſuſpenſo à jure vel ab homine ab admiſſione profeſſionis eſt valida, etiamſi ſit denunciatus, & mortaliter peccaret. Nam ſicuti Parochus, cui interdicta eſt matrimonij adminiſtratio, validè aſſiſtit matrimonio, & alteri committit, ut definivit Rota *tom. 1. deciſ. 429. & 570. in noviſſimis*, &

Sayrus. Rota.

declaravit Sacra Congregatio Eminentiſſ. Cardinalium; ita profeſſio à Prælato ſuſpenſo admiſſa valore ſuo non caret, quia per eam matrimonium ſpirituale contrahitur, & argumentum de matrimonio carnali ad ſpirituale valet, *cap. Inter corporalia, & cap. ultim. de tranſlat. Epiſcopi.* Ita Sanchez *lib. 5. mor. cap. 4. num. 78. & 79.* Bartholomæus à ſancto Fauſto *in theſaur. Relig. lib. 5. quæſt. 225. 226. & 227.* Tamburinius *de jur. Abbat. tom. 3. diſp. 6. q. 20. num. 1. & 2.* Vecchis *loco cit. num. 3.* & alij penes ipſos.

Sac. Con. Sanchez. Fauſtus. Tambur. Vecchis.

4. Profeſſio ab excommunicato emiſſa valida eſt: quia non eſt acquiſitio beneficij, ſed ſtatus. Et ratio diverſitatis eſt, quòd acquiſitio ſtatus eſt quaſi acquiſitio cuiuſdam characteris Ordinis, qui perpetuò durat, ut docet Navarrus *Comment. 2. de regular. num. 67.* Jus verò percipiendi beneficium impeditur per ſimoniam & excommunicationem, donec abſolutio, & diſpenſatio ſubſequuntur. Ita Felinus *in cap. Cùm illorum, de ſentent. excommunic. n. 2.* Rodriguez *tom. 3. qq. reg. quæſt. 17. art. 14.* Sayrus *de cenſur. lib. 2. cap. 9. num. 18.* Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 10. num. 9* & alij, quia nullo jure talis profeſſio fit irrita, nec ex generalibus regulis de excommunicatione colligi poteſt. Tamen ſi virtute alicuius reſcripti Apoſtolici admittitur excommunicatus ad profeſſionem, tunc talis profeſſio eſt invalida: quia illud reſcriptum ab excommunicato impetratum eſt irritum, *cap. 1. de reſcript. in 6.* dummodo in reſcripto non ſit clauſula, quæ communiter apponi ſolet, ut ſcilicet impetrans ab omni cenſura abſolvi poſſit ad effectum recipiendi profeſſionem: quia in hoc eventu valida eſſet, ut docent Felinus *loco citato*, ubi allegat Calderinum, Rodriguez, Sayrum *locis citatis.*

Navarrus. Felinus. Rodrig. Sayrus. Suarez. Felinus.

Prælatus autem admittens ad profeſſionem excommunicatum, ſi non eſt denunciatus, nec publicus Clerici perculſor, non peccat; quia non eſt vitandus, nec prohibitum eſt cum eo communicare: ſi autem denunciatus ſit, aut notorius Clerici perculſor, quia cum tali excommunicato communicatio eſt prohibita à jure, peccabit eum admittens ad profeſſionem: ſed quia non communicat cum illo in divinis, erit veniale peccatum tantùm; niſi in profeſsione addantur aliquæ preces ab Eccleſia inſtitutæ: tunc enim tam profitens, quàm recipiens, necnon & aſtantes, mortaliter peccarent: quia in divinis cum illo communicarent; juxta communem doctrinam de excommunicatione, & tradunt Bartholomæus à S. Fauſto *in theſaur. Relig. lib. 5. quæſt. 223.* Suarez *loco proximè citato*, & alij.

Fauſtus. Suarez.

5. Per Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 15. & 16. de regular.* non tolluntur profeſsiones tacitæ, ut falsò quidam dixerunt, ſed in ſuo priſtino valore adhuc manent; dummodo inducantur tranſacto Novitiatus anno & expletis ſexdecim ætatis profitentis annis. Probatur, quia nullum eſt Verbum in ijs decretis eas tollens: nam *c. 15.* tantùm decernitur profeſsionem non valere ante expletum Novitiatus annum, & ſexdecim ætatis profitentis annos. At profeſsio tacita poteſt fieri ijs ſervatis. Et quamvis ibi Superiores jubeantur tranſacto Novitiatus anno admittere ad profeſsionem Novitios repertos idoneos & alios expellere: quod ſtatuere videtur ad excludēdā profeſsionem tacitam, ne temporis tranſcurſus allegari poſsit; tamen hoc non obſtat: tum quia in ultimo illius anni inſtanti poteſt fieri profeſsio tacita, & ita ſervato hoc Tridentini decreto poteſt induci: tum quia poteſt dari cauſa juſta amplio-

Con. Trid.

ris dilationis, ut diximus *tomo primo verb. Religio III. numero* 10. *verſ. Sed petes.* Et ita reſolutum fuiſſe à Rota *deciſ.* 579. *num.* 2. *p.* 1. *recent. & in una Vlisbonen. profeſſionis*, 10. *Decemb.* 1621. *coram R. P. D. Merlino.* Et ita declaraſſe Sacram Eminent. Card. Congregationem, refert Vecchis *in praxi novit. diſp.* 13. *dub.* 8 *num.* 1. ubi notat, rariſſimè contingere poſſe poſt Tridentinum Concilium validè fieri hanc tacitam profeſſionem. Eandem ſententiam ſuſtinent Navarrus *lib.* 3. *conſil.* 28. *num.* 5. *in* 2. *edit. de regul.* Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *q.* 6. Sorbus *verb. Novitius, de novitiorum profeſſione, verſ. Quid autem*, & alij.

Rota. S. Congr. Vecchis. Navarrus Azorius, Sorbus.

Ad valorem tamen profeſſionis tacitæ quædam requiruntur: *Primum*, ut executioni actus, per quem tacita profeſſio inducitur, adſit auctoritas Superioris, cui competit incorporare Religioni. Nã ſicut profeſſio expreſſa debet recipi ab eo, vel ab eius delegato, ita hæc tacita non eſt firma, niſi aſſenſus eius concurrat. Ita Menochius *de præſumpt. lib* 6. *præſumpt.* 83 *n.* 9 Navarrus *comment.* 4. *de regul. n.* 73. *&* 74. Sylveſter *verb. Religio* 3 *quæſt.* 19. & alij.

Menoch. Navarrus, Sylveſt.

Ex quo fit, ut ſi quis ex ſeipſo ſumeret habitum profeſſorum, non ſe obligaret Religioni; nec per delationem habitus Religionis extra Monaſterium inducitur tacita profeſſio, ut habetur *in cap Vt Clerici, de regul.* & deciſum fuit à Rota *deciſ.* 136. *libro* 1. *in prima edit. penes* Puteum. *Secundum*, ut ſponte fiant ea, per quæ inducitur hæc tacita profeſſio, ex *cap. Vidua, de regul* Si enim metus gravis profeſſionem expreſſam irritam reddit, nedum tacitam reddet irritam. *Tertium*, ut hi actus, per quos inducitur tacita profeſſio, ſcienter fiant; nempe, ut illis utens, norit eos ad ſolos profeſſos pertinere; imò requiritur ut utens illis norit per illos induci tacitam profeſsionem: quia eius rei ignorantia efficiet deeſſe conſenſum tacitè profitendi, ut docent Sylveſter *verb. Religio* 3. *q.* 19. *verſ. Secundò inducitur*, Rodriguez *tom.* 3. *qq. regul. q.* 17. *art.* 1. Angelus *verb. Novitius, num.* 13. Armilla *ibidem, num.* 7. & alij.

Rota. Puteus. Sylveſt. Rodrig. Angelus, Armilla.

Quartum, ut utens ijs actibus, animum emittendi profeſsionem habeat. Nec ſatis erit ſe habere negatiuè, nempe, nec habendo animum profitendi, necnon profitendi, ſed poſitivus profitendi per eos actus animus deſideratur, ut bene adverſunt Navarrus *Comment.* 4 *de regul. n.* 75. *verſ. Quoniam autem.* & alij. Ultimum requiſitum, ut ijs profeſſorum actibus utens, ſit conſtitutus in legitima ætate jure petita ad profeſsionis expreſſæ valorem, quę erat pubertas completa jure antiquo *cap. Conſtitutionem, de regular. in* 6. & poſt Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de regul.* eſt ætas ſexdecim annorum. Ita Sanchez *lib.* 5. *mor. cap.* 3. *n.* 14. 15. *& ſeq.* Tamburinius *tom.* 3. *de jur. Abbat. diſp.* 6. *quæſt.* 13. *num.* 6. *& ſeq.*

Navarrus. Con. Tr. Sanchez. Tambur.

6. In Religionibus, ubi Novitiorum habitus non diſtinguitur ab habitu profeſſorum, per illius delationem inducitur tacita profeſsio, ſi Novitius per annum integrum & continuum illũ deferat, ac expleto 16. ſuæ ætatis anno, concurrentibus conditionibus numero præcedenti allatis. Patet hoc ex *cap.* 1. *de regul. in* 6. & ex Clementina *Eos qui, eodem titulo*, & notant Navarrus *Comment.* 4. *de regul. num.* 74. *notab.* 3. Menochius *de præſumpt. lib* 6. *præſumpt.* 83. Maſcardus *de prob. concluſ.* 1237. *num.* 15. & alij.

Navarrus. Menoch. Maſcard.

Quando autem patenter diſtinguitur habitus Novitiorum ab habitu profeſſorum, per nullam cuiuſcumque temporis delationem talis habitus Novitiorum, profeſsio tacita inducitur; quia potiùs is habitus manifeſtum præ ſe indicium præbet voluntatis permanendi in Novitiatu, ut colligitur *ex Clementin. finali, de regular.* & docent Abbas *in cap. Ex parte, num.* 3. *de regular.* Navarrus *Comment.* 4. *de regul. n.* 74. Azorius *lib.* 12. *cap.* 4. *quæſt.* 3. Sylveſter *verb. Religio* 3. *quæſt.* 19. *verſ. Tertiò inducitur*, & alij. Sed hoc intelligendum eſt, quando ſola ejus habitus delatio adeſt; quia ſi deferens eum habitum probationis expleto ſexto-decimo ſuæ ætatis anno & completo Novitiatus anno perſeveraret triduo exercens aliquem actum profeſſis ſolis competentem, eſſet tacitè profeſſus, ut habetur expreſsè *in cap. Ad noſtram, de regular.*

Abbas. Navarrus. Azorius, Sylveſt.

Si verò habitum peculiarem profeſſorum ſuſcepit, ſimulque actum ad profeſſos dumtaxat ſpectantem geſſit, non eſt neceſſaria tridui perſeverantia, ſed immediatè inducitur profeſſio tacita: nam licet poſt habitus profeſſorum ſuſceptionem requiratur perſeverantia tridui ad profeſſionem tacitam inducendam; nihilominus quando concurrunt duo ſimul, ſcilicet, ſuſceptio habitus profeſſorum, & exercitium actus, tunc hæc duo ſimul ſufficiunt ad inducendam tacitam profeſſionem abſque tridui perſeverantia. Ita Panormitanus *in cap. Vidua, de regul. num.* 7. Navarrus *Com.* 4. *de regul. n.* 37. *verſ Primo quidem.* Sanchez *lib.* 5. *moral. cap* 3. *n.* 21. Roſella *verb. Novitius, num.* 16. & alij.

Panorm. Navarrus. Sanchez. Roſella.

7. Circa hanc profeſſionem tacitam eſt advertendum, quod licet inducatur profeſſio tacita modis ſupradictis, tamen ſi Novitius proteſtetur, ſe nolle per eos profiteri, talis proteſtatio prodeſt; quia non eſt proteſtatio facto contraria: ij enim actus non ſunt expreſſæ profeſſionis, & ita facto ipſo profeſſionem exprimentes, ſed ex ijs præſumptio animi profitendi inducitur; quare ea proteſtatio ſoli præſumptioni conſenſus adverſatur, & verum animum utentis ijs actibus indicat: removet enim conſenſum ab actu futuro contrario; & ideò præcedente hac proteſtatione nullo modo inducitur tacita profeſſio. Et ita reſolutum fuit à Rota *deciſ.* 579. *n.* 3. *parte* 1. *recentiorum*, & docent Gloſſa *in Clement. Eos qui, de regul. verb. Profeſſorum*, Menochius *de præſumpt. lib.* 6. *præſumpt.* 83. *num.* 17. Roſella *verb. Novitius, num.* 17. Sylveſter *verb. Religio* 3. *quæſt.* 19. *verſ. Tertiò inducit.* Navarrus *Comm.* 4. *de regul. num.* 74. *notab.* 3. & alij. Quod etiam procedit, quando Religio, vel Conventus præmittit proteſtationem declarando, ſi habitum profeſſorum, vel quid ſimile Novitio permittat, ſeu concedat, ſuam eſſe intentionem non admittendi eum ad profeſſionem, donec profeſſionem expreſſam emiſerit. Ita tollitur ex Doctoribus jam citatis & docet expreſsè Sorbus noſter *in Compend. privileg. Mendic. de Novitior. profeſſ. verſ. Quid autem dicendum.*

Rota. Gloſſa. Menoch. Roſella. Sylveſt. Navarrus. Sorbus.

8. Dubium eſt, an profeſsio invalida habeat aliquos effectus? Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia ceſſante causâ ceſſat effectus. Sed eo ipſo, quòd profeſsio invalida eſt, tollitur cauſa: ergo & omnes effectus, qui ex profeſſione oriri poſſunt: ergo profeſsio invalida nullum habebit effectum. In contrarium autem eſt, quia in jure interdum dicitur profeſsio invalida obligare ad Religionem in genere, licet non obliget ad talem Religionem in ſpecie, *cap. Non ſolùm, & cap. Conſtitut. de regul. in* 6.

Dicendum tamen eſt *Primò*, quod profeſsio invalida ex defectu conſenſus profitentis, nullam ex ſe inducat obligationem; quia deficiente in ea ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem profitentis intentione ſe obligandi, aut vovendi, ex natura rei dicitur nulla ; & cùm lex naturalis annullet eam, ſequitur reddi pariter inutilem ad omnem effectum. Tum quia ſi illa profeſſio ex natura ſua nulla eſt, omnis etiam traditio & promiſſio, quæ in illa includitur, eſt nulla. Quem igitur effectum habere poteſt per ſe loquendo? Et hoc eſt certum, modò aperte conſtet profitentem cum culpa, aut ſine culpa non præſtitiſſe conſenſum. Per accidens tamen talis profeſſio poteſt aliquem effectum habere, magis in externo foro quàm in foro animæ; & ita non omninò eſt inutilis, etiamſi in re facta non ſit. Primò quidem ratione ignorantiæ: nam quamdiu exiſtimatur valida, perindè obligat, ac ſi eſſet vera ratione conſcientiæ erroneæ, ſicuti ex ea in alijs actibus oritur ſimilis obligatio. Hinc fit, ſi illa ignorantia ſit publica, & comuniter talis iudicetur profeſſus, omnes actus profeſſorũ propriq, qui à tali perſona fiunt, validi ſunt, quamvis alioqui ad ſuum valorem profeſſionem ſupponant: quia ratione publicæ utilitatis ille defectus ſuppletur ipſo jure, eò quòd ſecundùm publicam exiſtimationem tales actus facti ſunt, juxta *l. Barbarius, ff. De offic. prætor.* & tradunt communiter Doctores. Alius item effectus oriri poteſt ex hac publica ignoratione quoad forum exterius; cùm enim Eccleſia judicet de actu externo, habetur præfatus & reputatur communi exiſtimatione pro profeſſo. Subinde ex hac profeſſione oritur obligatio quoad forum exterius permanendi in religione, ſervandiq́ue regulam, quamvis ipſe ſit nullitatis ſuæ profeſſionis conſcius: ſi enim in foro exteriori nullitatem probare non poteſt juſtè, non adhibetur ei fides in Eccleſiaſtico foro, etiam mediante ſuo juramento, ut habetur *in cap. Vidua, de regular.* nam licet in ijs, quæ in animo conſiſtunt, ſtetur juramento ejus, qui ita aſſerit, ut tenent quamplures Doctores; hoc tamen ſolùm procedit cùm de modico præjudicio, non verò de gravi agitur: tunc enim plenior & certior requiritur probatio. Cùm ergo in hoc caſu agatur de re valdè gravi, nullitas profeſſionis aliter probari debet, per juramentum ipſius profitentis, ut docent Panormitanus *in dict. cap. Vidua, de regular.* Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 88. *artic.* 1. *ad finem.* Prædicta colliguntur ex Navarro *comment.* 4. *de regul. num.* 76. *verſ. Advertendum quartò.* Sanchez *de matrim. lib.* 4. *diſput.* 5. *num.* 5. *verſ. Quartò probatur.* Suarez *de relig. tom.* 3. *lib.* 7. *num.* 3. & 5. Felino *in cap. Cognoſcentes, num.* 14 *de conſtit.* Geminiano *in cap. Eos, de tempor. ordin.* Covarruvia *in pract. quæſtionum cap.* 32. §. *Ceterum.* & alijs.

Panorm. Cajetan. Navarrus. Sanchez. Suarez. Felinus. Gemin. Covar.

9. Quando profeſſio eſt invalida ex defectu tantùm conſenſus religionis, nullam ex ſe inducit obligationem; quia ejus nullitas procedit ex natura rei, modò apertè conſtet religionem non præbuiſſe conſenſum. Ratio eſt: tum quia natura operatur quantum eſſe poteſt: ſi autem lex naturalis annullat illum actum, quantum poteſt illum irritat, & reddit eum inutilem ad omnem effectum. Tum quia profeſſio eſt contractus onerosus ultrò citroque obligatorius: vt cùm in contractu mutuo æqua eſſe debeat utriuſque partis conditio, ſequitur, quod deficiente ex parte religionis conſenſu neutra pars remaneat obligata, quia utraque debet eſſet obligata, vel liberata. Hinc qui admiſſi fuerunt ad profeſſionẽ, in quorum admiſſione non intervenit ex parte recipientium conſenſus, non debent haberi pro profeſſis, etiam quoad forum conſcientiæ: & hi Ordinem exire poſsunt ſine diſpenſatione quoad utrumque forum, modò Superior priùs declaret nullitatem profeſſionis, & poſsunt manere in ſæculo veſte regulari exuti, & amplecti vitam, quam volunt, ac ſi profeſſionem non feciſsent. Ita tradunt Suarez *de relig. tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 30. & 31. Navarrus *lib.* 3. *conſil.* 26. *num.* 11. & 13. & *conſil.* 87. *de regal. in* 2. *edit.* Rodriguez *tom.* 3. *qq. regul. q.* 11. *art.* 2. Miranda *in man. tom.* 1. *quæſt.* 30. *art.* 4. *concl.* 1. & 2. cum alijs.

Suarez. Navarrus. Rodrig. Miranda.

10. Profeſſio ex jure Eccleſiaſtico invalida nullam per ſe inducit obligationem, niſi in iure exprimatur, quamvis per accidens ex ea oriri poſſit aliqua obligatio. Probatur prior pars: quia talis profeſſio non habet per ſe aliquem effectum, qui in iure non ſit expreſsus; quia cùm irritetur à iure, quoad omnia irritatur, ſi in ipſo iure nihil excipiatur. Quòd ſi aliquid excipiatur, illamet exceptio firmat regulam in contrarium, ut ſcilicet illa profeſſio quoad alia omnia, intelligatur invalida, ſeclusâ exceptione. Nam, ſicut poteſt Eccleſia profeſſionem in toto irritare, ita poteſt quoad aliquid irritare, & quoad aliquid illam acceptare: ergo talis profeſſio per ſe habebit effectum, ad quem acceptatur, quamvis quoad alios ſit nulla; ad illum autem effectum acceptatur, qui in iure exprimitur, & ideò talem effectum per ſe inducit, ex parte ut eſt valida. Poſterior pars probatur: nam ſicut ex profeſsione natura rei invalida, oriri poteſt obligatio ratione ignorantiæ, aut ſcandali, ut dictum eſt ſuprà, ita ex hac profeſsione iure eccleſiaſtico irrita conſurgere poteſt hæc obligatio. Ita Suarez *tom.* 3. *relig. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 10. probabiliter, contra Sanchez *lib.* 5 *moral. cap.* 4. *num.* 104. & 105. docentem profeſsionem ex quocumque defectu irritam, ſi ius eam irritet, ut omni prorſus obligandi vi eam deſtituat, obligare inſtar votorum ſimplicium, & maximè ſi profitens habeat intentionem ſe obligandi illis votis in profeſsione emiſsis independenter ab ipſa, vel ſaltem non reſtringendo intentionem ad vota ſolennia. Si autem profitens voverit illa tria vota ex immediato manendi in religione fine; tunc enim cenſebitur vovere dependenter ab illius profeſsionis valore; & ideò virtute talis intentionis ad nihil voluiſse ſe obligare, exiſtente illa profeſsione irrita. Hæc ſententia non eſt improbabilis, ſed non habet locum in quacumque profeſsione irrita, ſed ſolùm in ea, de qua in iure exprimitur, eam hanc inducere obligationem. Secus verò ſi in iure hoc non exprimatur; quia in dubio præſumendum eſt, profitentem noluiſse ſe iis vinculis votorum ſimplicium ligare. Proinde in hac profeſsione invalida non includitur obligatio voti ſimplicis, niſi profitens habeat ſpecialem de eo intentionem; & deficiente in eo hac intentione præſumitur eum voviſse dependenter à valore illius profeſsionis, id eſt ſe voluiſse tantùm obligare illi religioni, ut rectè advertit Leſsius *lib.* 2. *cap.* 41. *numero* 62. & colligitur ex Suarez *loco citato numero* 2. ubi ait: Si vovens ex particulari intentione velit nihilominus aliquod votum validum efficere, poterit quidem id conſequi; tamen illud votum non erit validum, tanquam aliquid profeſsionis, ſed ut aliud ſimplex votum per ſe emiſsum.

Suarez. Sanchez

Leſsius. Suarez.

11. Jure antiquo in tribus caſibus profeſsio invalida inducit obligationem in iure expreſsam, quorum *Primus* eſt *in cap. Non ſolùm, & in cap. Conſtitutionem, de regul. in* 6. ubi habetur profeſsionem in religionibus Mendicantium emiſsam non ex-

pleto probationis anno non tenere quoad illam religionem, in qua emittitur, ſed obligare ad ſtatum religioſum in genere. *Secundus* habetur *in dict. cap. Conſtitutionem.* ubi decernitur tacitam profeſſionem per ſuſceptionem habitus proprij profeſſorum non expleto novitiatus anno emiſſam non tenere quoad illam religionem, in qua ſuſcipitur habitus, ſed obligare accipientem habitum alicui religioni in genere. Sed hodie hi duo caſus non habent locum poſt Concil. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 15. de regul.* quod decernit profeſſionem in his duobus caſibus eſſe irritam, nullamque inducere obligationem, ac ſi prorſus facta non fuiſſet. *Tertius* habetur *in cap. Quidam, de converſ. coniugatorum,* ubi quæritur, *Quidam intravit monaſterium invitâ uxore: qua ipſum repetente, coactus eſt ad eam redire? ea mortua quæris, an ipſe cogatur reverti ad monaſterium; an aliam poſſit ducere in uxorem? Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod votum non tenuit, unde ratione voti ad monaſterium non tenetur redire. Vlteriùs verò non poterit uxorem accipere: promiſit enim ſe non exigere debitum, quod in eius poteſtate erat: & ideò quoad hoc votum tenuit. Non reddere autem, non erat in eius, ſed mulieris poteſtate.* Ita Alexander III. Piſano Archiepiſcopo. Idem decernitur à Cœleſtino III. *in cap. Placet nobis. eodem titulo,* in caſu mulieris quæ credens mortuum maritum, habitum religionis aſſumpſit, & eo reverſo, de monaſterio educta fuit: an poſt obitum viri ſit ad regularem obſervantiã compellenda? Cuius diſpoſitionis ratio alia reddi non poteſt, niſi quia profeſſio illa non eſt irrita jure naturæ, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ, & ideò potuit Eccleſia irritare profeſſionem quoad traditionem, & ſolemnitatem eius, non tamen quoad ſimplex votum caſtitatis; nam qui profitetur formale votum caſtitatis, emittit cum intentione ſe obligandi, & ſimul ſe tradit religioni. Poteſt ergo Eccleſia irritare ſeu non acceptare traditionem: & votum caſtitatis, quatenus Deo fit, integrum relinquere; unde fit etiam, ut maneat ſimplex; quia Eccleſia irritando traditionem, abſtulit ſolemnitatem. Ceterùm hoc procedit ſecundùm juris interpretationem; ad judicandam tamen obligationem in conſcientia, expendenda eſt intentio voventis: quia hæc juris interpretatio eſt ex ſola præſumptione, cui ſtandum eſt quoties profitens non fuerit certus habuiſſe ſe contrariam intentionem. Si autem conſtiterit ſe non voluiſſe vovere caſtitatem, niſi ut annexã religioni, neque aliter ad eam ſe obligaſſe, quàm ſi in eo ſtatu validè admitteretur, tunc reverà non erit obligatus ad ſervandam caſtitatem: quia vera obligatio voti caſtitatis non fundatur in præſumptione, nec contrahitur niſi juxta intentionem voventis. Ita Suarez *tom. 3. de relig. lib. 7. c. 2. n. 12. & 14.* Leſſius *lib. 2. c. 41. n. 25.* Vecchis *in praxi novit. diſp. 14. dub. 1. n. 17. & 18.* Et in ſimili Angelus *verb. Profeſſio.* Sylveſter *verb. Religio 3. quæſt. 5.*

Con. Tr. Alex. III. Cœl. III. Suarez. Leſſius. Vecchis. Angelus. Sylveſt.

12. Religioſus dubius de validitate ſuæ profeſſionis, non poteſt ſe eximere à jugo religionis ſua authoritate, nec privare illam jure acquiſito, cùm ipſa actu poſſideat: ſed potiùs videtur obligãdus talis ad ratificandam profeſſionẽ, ut poſſit convenienter obligationem ſuã implere; & actus proprios illius ſtatus, quem neceſſariò retinere debet, convenienti modo exercere. Ita Navar. *lib. 3. conſil. 13. n. 10. in 2. edit.* Sanchez *de mat. lib. 7. diſp 37. n. 12. ad finem.* Leſſius *lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 66.* Idcirco Rota adhærens huic opinioni dixit, profeſſionem in dubio præſumi validam, niſi contrarium probetur. Ita habetur *in deciſ. 361. n. 7.* coram Card. Seraph. Cùm ergo tenendum ſit pro valore profeſſionis, ſequitur teneri religioſum in hoc dubio ad ratificandam profeſſionem. Imò probabile eſt, ſi religioſus ipſe dubitationem moveat circa valorem profeſſionis cùm in externo foro nihil probare poſſit, juſtè poſſe à religione obligari, & cogi ad profeſſionem iterandam, & tunc ipſum debere non fictè, ſed verè & ex animo illam iterare. Probatur prior pars: quia cùm religio habeat jus retinendi talem perſonam, & cogendi illam, ſi neceſſe ſit, ut ſervet promiſſa, conſequenter habet jus ad omnia neceſſaria ut talis perſona debito modo ſtatum illum profiteatur. Huiuſmodi autẽ eſt ratificatio profeſſionis, ut non poſſit ampliùs talem dubitationem movere, aut ſcrupulũ allegare. Probatur altera pars: quia profeſſio eſt contractus mutuus, quo religioſus obligatur religioni, & religio veram habuit intentionem admittendi hunc ad profeſſionem. Ergo hic etiam veram habere debet intentionem capeſſendi religionem: & ſi illã ficta promiſſione ſeu profeſſione decepit, tenetur fictionem tollere; quia omnis fictio in re tam gravi eſt intrinſecè mala & pernicioſa; tum etiam, quia aliàs nullius momenti eſſet illa iterata profeſſio ad finem, quem religio per illud medium juſtè intendit. Ita Suarez *de rel. tom. 3. lib. 7. cap. 2. num. 7.* Suarez.

13. Quando religioſus eſt certus coram Deo de nullitate ſuæ profeſſionis, quam bona fide à principio fecit, non tenetur illam ratificare, quantumvis per ſententiam publicam cogatur in religione manere. Ratio eſt; quia illa ſententia in falſa præſumptione eſt fundata & obligat tantùm ad actus externos, non verò ad internos, qui ſolùm ſunt ſub conſilio, neque ad ratificandos externos, quatenus ex illis pendent. Tum quia cùm hic in culpa non fuerit, ut profeſſio eſſet nulla, & revera liber ſit, non eſt compellendus ad coactè tantum onus ſubeundum; quod ſpontaneum conſenſum propter magnam ſuam perfectionem maximè deſiderat. Tum quia Eccleſia non præcipit huiuſmodi perſonę, ut voveat, ſed ut ſervet quod vovit: ergo ſi revera non vovit, non tenetur denuo vovere: ergo nec ratificare profeſsionẽ; ex quo fit, licet talis perſona teneatur ad obſervantiam & obedientiam exteriorem, coram Deo tamen non obligatur ad ſubſtantiam votorum: quia omnis hæc obligatio ex vera profeſsione, & veris votis naſcitur; & ideò ſi ſecretò, & ſine ſcandalo illã tranſgrediatur, non peccabit: & conſequenter in rigore non tenetur ad permanendum in religione, ſed poteſt illam relinquere, ſi poſſit id facere ſine vi, aut alia iniuria, & ſine ſcandalo. Hæc eſt communis ſententia Doctorum, quam in terminis tradũt Navarrus *comment. 4 de regul n. 76. & 77. & lib. 3. conſil. 89. n. 6 & 7. de regul. in 2. edit.* Rodriguez *tom. 3. qq. regul quæſt. 17. art. 17. verſ. Super quibus.* Sanchez *de mat. lib. 7. diſp. 37. n. 14. & 38.* Leſſius *lib. 2. c. 41. n. 65.* Vecchis *in pract. novit. diſp. 14. dub. 2. num. 3. & ſequent.* & alii. Navarrus. Rodrig. Sanchez. Leſſius. Vecchis.

Ampliatur hęc concluſio in caſu quo profeſsio fuerit nulla ex defectu conſenſus propter fictionem & culpam profitentis; hæc enim per ſe non obligat ad ſtatum religioſum, vel ad ſervanda vota: quia religioſus ſtatus eſt tanti momenti & tam arduus, & ideò omninò deſiderat ſpontaneũ conſenſum, ut perfectioni acquirendæ deſerviat: unde nulla ratione ac ob nullam culpam quis ad illum eſt invitus aſtringendus. Ita Sanchez *loco cit. num. 39.* Suarez *tom. 3. de rel. lib. 7. cap. 1. num. 9.* Valentia 2. 2. *diſp. 6. quæſt. 6. punct. 1.* Cajetanus 2. 2. *quæſt. 88. art. 1.* Sotus *lib. 7. de iuſtit. quæſt. 1. art. 2.* & communis. Sanchez. Suarez. Valentia. Cajetan. Sotus.

Verùm

Verùm quia moraliter loquendo difficillimum eſt permanere in eo ſtatu apparenter, & non verè, & cum obligatione quoad externũ forum Eccleſiæ, & ita ſe gerere, ac ſi verè religionem profeſſus eſſet, conſulunt Doctores in eo caſu, ut hic invalidè profeſſus, priorem profeſſionem ratam habeat, vel oblata commoda fugiendi occaſione in partes remotas ſecedat, ubi ſine ſcandalo vivere poſsit.

Advertendum tamen eſt, fugam hanc propria auctoritate tunc tantùm eſſe licitam, quando profitens certus eſt in conſcientia profeſsionem eſſe nullam, & in foro Eccleſiæ id probare non poteſt, quia quando profeſsio invalida probari poteſt coram Eccleſia, non debet, nec poteſt is, qui publicè profeſſus eſt, & exiſtimatur religioſus, relinquere habitum & ſtatũ propria auctoritate: quia habet remedium à Tridentino præfixum, ut ſcilicet cauſas nullitatis profeſsionis coram Superiore
Con. Tri. ſuo & Ordinario deducat, ut ſtatuit idem Concil. *ſeſſ. 25. c. 19. de reg.* Quare ſi abſque licentia deſerit religionem, graviter peccat, quamvis apoſtata nõ ſit, eò quòd non eſt propriè religioſus, & conſequenter ad religionem redire minimè tenetur, ut
Suarez. notat Suarez *tom. 3. de rel. l. 7. c. 4. n. 11 & 12.* quia nec ratione profeſsionis teneretur, cùm ſupponatur nulla, nec Concilium illam obligationem imponit, ſed ſolùm ait, ut cogatur in monaſterio permanere, nõn verò ut ipſe teneatur redire. Imò licet perſona ſub excommunicatione jubeatur redire, & ut contumax declaretur, nihilominus in conſcientia non obligatur, nec ligatur cenſura, niſi quoad exteriorem obſervantiam eius quia tunc præceptum ſolum eſt ex præſumptione, & idcò cùm rei veritas non ſubſiſtit, non obligat.

Ceterùm his non obſtantibus quidam Doctores affirmant præfatum religioſum invalidè profeſſum teneri profeſſionem poſt quinquennium ratificare, ſaltem dum profeſsio irrita fuit ob ipſius culpam. Probant *Primò*, quia coniux concedens alteri coniugi licẽtiam ingrediendi religionem, cogitur etiam ipſe religionem ingredi, ſi in ſæculo periculum incontinentiæ timeat. Ergo multò magis cogendus eſt ad ratificandam profeſsionem poſt quinquennium, qui ſua culpa profeſsionem invalide emiſit. *Secundò*, quia fugiendo notam infamiæ incurrit & magnam ſcandali anſam prębet, manendo in religione non ratificata profeſsione, ſe ipſum gravibus periculis exponit, & gravia religioni damna infert: nam bonis religionis aletur, vota profeſſorum feret, ad ſacros Ordines ſine titulo, & ſine literis dimiſſorijs legitimi Prælati promovebitur, diſpenſationem & abſolutionem virtute privilegiorum religionis obtinebit, & peccata fatebitur Confeſſario, qui fortè non eſt approbatus ab Ordinario, ſed ſolùm à Superiore religionis; conſequenter invalida erit confeſsio. Proinde hanc ſententiam ut probabiliorem ſuſtinent Bonacina *de clauſura q. 2. p. 10. diſſic. 1. n. 2.*
Bonacina. Rodrig. Anglez. Tambur. citans Rodriguez & Anglez, & poſt illos noviſſimè Tamburinius *de jur. Abbat. tom. 3. q. 6. diſp. 25. n. 4.* Sed non recedo à prima ſententia.

14. Ex Concilio Tridentino, qui contra profeſsionem reclamare intendit, tria ſervare debet; *Primum*, ut habitum ante reclamationem non deponat, aliàs non eſt audiendus; quod intelligunt Doctores, niſi juſtam habeat cauſam habitus dimittendi. *Secundum*, ut cauſas nullitatis ſuæ profeſsionis deducat coram ſuo Superiore & Ordinario. *Tertium*, ut reclamatio intra debitum tempus fiat, quod incipit à die profeſsionis, uſque ad quinquennium, ſive profeſsio expreſsè, ſive tacitè emiſſa
Con. Tri. fuerit. Ita Concilium *ſeſſ 25. cap. 19. de regular.*

Circa *Primum* eſt notandum, quòd religioſus, qui dimiſſo habitu reclamare volebat, & ob habitus dimiſſionem non fuit auditus, poteſt poſtea reclamare aſſumpto habitu: quia Tridentinum non intendit in perpetuum denegare audientiam religioſo habenti juſtam reclamandi cauſam: nam durum valde videretur, eum ad religionem cogere, qui religionis onus non ſuſcepit. Ita Navarrus
Navarrus. *comment. de regul. num. ult.* Rodriguez *tom. 3. qq. reg.*
Rodrig. *quæſt. 17. art. 17.* Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 37.*
Sanchez. *num. 4.* Tum quia mens Tridentini videtur eſſe, ſpolio religionis conſulere ob quod jura denegant prorſus audientiam ſpolianti donec ad priſtinam poſſeſſionem ſpoliatum reſtituat, ut conſtat *ex cap. 1. reſtitut. ſpoliatorum*, & docedet etiam Suarez *de relig. tom. 3. lib. 7. cap. 4. num. 14.*
Suarez. cum alijs.

Circa *Secundum*, nomine Superioris intelligitur immediatus monaſterij Prælatus, qui profeſsionem eius admiſit, vel ille, qui in ipſius locum ſucceſſit. Nomine autem Ordinarij intelligitur Epiſcopus, vel ipſius vicarius, in cuius Diœceſi religioſus domicilium habebat, antequam religionẽ ingrederetur, vel juxta alios Epiſcopus, in cuius Diœceſi ſitum eſt monaſterium, in quo profeſsionem religioſus emiſit. Ita Peyrinus *tom. 2. de Præl. q. 3 cap. 1. n. 156.* Imò intelligitur etiam Abbas ſeu Prælatus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuo territorio habens, aut Capitulum Sede vacante, vel eius vicarius.

Circa *Tertium* eſt obſervandum, quòd dies illa profeſsionis computanda eſt in ſpatio quinquennij de momento ad momentum, ita ut quota hora facta fuit profeſsio tacita vel expreſsa, eadem prorſus hora in ultima die quinquennij finiatur terminus ad reclamandum conceſſus; quia ſi dies illa non computaretur, non diceretur concedi quinquennium à die profeſsionis, ut ſtatuit Concilium, ſed ab alia die, ut in ſimili reſoluunt Suarez
Suarez. *de cenſur. diſp. 23. ſect. 3. n. 16.* Sayrus *de cenſur.*
Sayrus. *lib. 3. cap. 33. num. 4.* & alij; quamvis Sanchez *de*
Sanchez. *mat. lib. 7. diſp. 37. n. 2.* rariſſimum putet eo temporis puncto quinquennium illud expleri, ut ex illa die, qua profeſsio emiſſa eſt, pendeat, an quinquennium exactè impletum ſit, nec ne.

Sed circa illud quinquennium dubia quædam ſunt proponenda & reſolvenda.

15. Dubium primum. An quinquennium deſtinatum in Tridentino ad reclamandum contra profeſsionem irritam, incipiat ab ipſa profeſsionis die, atque adeò ſit continuum; an potiùs à die ſcientiæ nullitatis profeſsionis? Reſp. cum Doctoribus infrà citandis, illud quinquennium à die ipſa profeſsionis currere, & debere eſſe continuum, non obſtante ignorantia, aut alio impedimento facti. Ratio eſt; tum quia Tridentinum dixit in eo decreto, *N ſi intra quinquennium tantùm à die profeſsionis numerandum.* ubi ponderanda eſt dictio *Tantùm*, quæ excluſiva eſt, & affirmat id, quod ponit, negans omnes alios caſus præter expreſsos; quod falſum eſſet, ſi non à die profeſsionis ſed à die ſcientiæ nullitatis profeſsionis, vel alterius impedimenti computandum eſſet. Tum quia Concilij Tridentini mens fuit, tollere lites, ne ultra quinquennium turbari & vexari poſſit religio à religioſo reclamante & obiiciente profeſsionis invaliditatem. Sed occaſio litium non fuiſſet ſublata, ſi religioſo liberum eſſet, elapſo quinquennio à die profeſsionis cauſam ignorantiæ, vel alterius impedimenti adducere: Ergo quinquennium illud continuum eſſe debet à die ipſa profeſsionis proceduque, cõtra ignorantẽ &

impeditum. Ita ſuſtinent Navarrus *comment. 4. de regul. num. 71. verſ. Tertiò.* Sanchez *de mat. lib. 7. diſp. 37. num. 19.* Bonacina *de clauſura quæſt. 2. punct. 10. diffic. 4 num. 3.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 4. quæſt. 10. ſub finem,* & alij.

Navarrus. Sanchez. Bonacina. Azorius.

16. Secundum dubium eſt, an tranſacto quinquennio, poſsit ignorans vel impeditus, excluſus à remedio ordinario, audiri remedio extraordinario beneficij reſtitutionis in integrum? Duplex eſt ſententia. Prima negat, dicendo, nullum remedium competere religioſo poſt quinquennium. Ratio eſt; tum quia etiamſi remedium extraordinarium in legibus civilibus non cenſeatur excluſum, in hoc tamen caſu videtur excluſum, cùm in Tridentino denegetur omnis prorſus audientia, & jus canonicum non ſubiiciatur civili. Tum quia præſumptio Tridentini eſt iuris & de jure, quæ nullam contrariam probationem admittit; non igitur concederetur reſtitutio in integrũ: jam enim admitteretur probatio ignorantię & impedimẽti, contra quæ eſt præſumptio juris & de jure: aliàs non poſſet præſumi ratificatio profeſsionis. Tum quia conceſſa reſtitutione poſt quinquennium, idem aditus litibus ac religionis perturbationi pateret: quæ Tridentinum audientiam denegans vitare voluit: atque proinde quod una via denegatur, altera concederetur, contra regul. *Cùm quid una via. 84. de regul. juris, in 6.* Non ergo poterit minor, nedum maior, petere reſtitutionem contra lapſum quinquennij, quo præſumitur valida effecta prior profeſsio irrita, quia minor quoad profeſsionem religionis & cetera ſpiritualia cenſetur maior. *cap. Si annum de judic. in 6.* & hanc ſententiã ſuſtinent Bonacina *loco citato num. 4.* Flaminius *de reſignat. benefic. lib. 13. q. 5. num. 46.* Cevallus *in ſuis quæſt. pract. quæſt. 500. in fine.* & ita declaraſſe Cardinales teſtatur Flaminius.

Reg juris. Bonacina Flaminius Cevallus. Sac. Con.

His tamen non obſtantibus affirmativa ſententia eſt tenenda, nempe poſſe audiri talem religioſũ remedio extraordinario beneficij reſtitutionis in integrum, adverſus quinquennij lapſum, ratione ignorantiæ, vel alterius impedimenti ad reclamandum. Prob. quia licet Tridentinum induxerit præſumptionem juris & de jure ratificationis profeſsionis per lapſum quinquennij, non obſtat tamẽ quin ex juſta cauſa ignorantiæ, aut impedimenti, aut fragilis ætatis, concedatur reſtitutio maioribus & minoribus, ex clauſula generali, ſi qua mihi juſta cauſa, de qua *l. 2. in fin. ff. ex quibus cauſis maiores.* Tridentinum enim diverſimodè loquitur de petente audientiam poſt quinquennium & de eo qui intra quinquennium dimiſſo habitu reclamat: in primo enim caſu ſolùm dicit, *non audiatur.* in poſteriori verò urgentioribus verbis utitur, ibi, *Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur.* Ergo ſignum eſt, in priori caſu noluiſſe profeſſum omni remedio deſtitui, ſed ſolo ordinario, permiſſo tamen illi extraordinario reſtitutionis: in poſteriori autem, utrumque remedium denegari: quia illi ſupereſt medium ut ſibi conſulat, nimirum habitum reſũmere; tunc enim debet audiri. Ita docent Navarrus *comment. 4. de regul. n. 76. & lib. 1. conſil. 6. num. 2. de his quæ vi.* Azorius *lib. 12. cap. 4. quæſt. 10.* Diana *part. 3. tract. 2. reſ. 53.* Miranda *tom. 1. man. quæſt. 30. art. 1.* Villalobos *in Summ. tom. 2. tract. 35. diffic. 25. n. 9.* Leſſius *lib 2. c. 41. n 66.* & pluribus rationibus adductis. Sanchez *lib. 7 de mat. diſp. 37. n. 22.* Menochius *de præſumpt. lib. 1. q. 70.* & alij, quibus adde Rodriguez *tom. 3. quæſtionum reg. q. 17. art. 16.* Tamburinium *tom 3. diſp. 6. q. 25. n. 7.*

Navarrus. Azorius. Diana. Miranda. Villalob. Leſſius. Sanchez. Menoch. Rodrig. Tamburr.

17. Dubium tertium, an decretum Tridentini denegans audientiam profeſsis poſt quinquennium, intelligatur de laborantibus impedimento perpetuo ad profitendum? Reſp. negative. Ratio eſt; quia Concilium denegat audiri poſt quinquennium, quia præſumit religioſum conſentiſſe: hæc autem ratio ceſſat in habente perpetuum impedimentum, cùm ipſius conſenſus validus eſſe non poſſit. Tum quia evidens abſurdum ſequeretur ex oppoſito, nimirum mulierem in virorum monaſterio profeſsã ſexu mentito, non poſſe poſt quinquennium ejici. Tum quia oppoſitum cederet in grave religionis detrimentum; nam cogeretur retinere perpetuò inhabilem, quod videtur contra Concilij mentem, cùm hoc decretum in favorem religionis ediderit. Ex quibus deducitur hos inhabiles quocumque tempore tranſacto reclamantes contra profeſsionem, audiendos eſſe via ordinaria, quia Tridentinum claudens aditũ ad reclamandum poſt quinquenniũ, nõ loquitur de his inhabilibus. Ita Navar. *conſil. 26. n. 12. & 48. n. 2. l. 3. de reg.* Bonacina *de clauſ. q. 2. p. 10. diffic. 4. n. 7.* Sanchez *loco cit. diſp. 37. n. 32. & 33.* qui noviſſimus idem ſentiendum putat, de impedimento temporali, quod toto quinquennio perduraverit, ita *n. 34.* quod tamen non admittit Bonacina, niſi fortè impedimentum tale eſſet, ut intra quinquennium nunquam elici potuerit conſenſus validus, ut ſi toto quinquennio erat coniugatus, & licentiam ab uxore non obtinuerit.

Navarrus. Bonacina. Sanchez.

18. Profeſsus tacitè compellere poteſt religionẽ, in qua eſt tacitè profeſsus, ut eum ad profeſsionem expreſsam admittat. Ratio eſt; nam ſicut ipſe tacitè profeſsus religioni eſt obligatus, ita religio eſt ei obligata: quæ quidẽ obligatio in utraque parte orta eſt ex profeſsione tacita. Tum quia eiuſdem religioſi multum intereſt expreſsè profiteri; eò quòd niſi ſit expreſsè profeſsus, eligi nequit in Prælatum, ut jura decernunt; nec monialis tacitè profeſsa eligi poteſt in Abbatiſsã, aut Prioriſſam, niſi ſit expreſsè profeſsa, *ex cap. Indemnitatibus, de elect. in 6.* & docent Panormitanus *in cap. Cùm cauſam, n. 6. 7. & 8. de elect.* Geminianus *in cap. Nullus, de elect. in 6.* & dictum fuit à Rota *deciſ. 647. num. 1. coram Card. Seraph.*

Panorm. Gemin. Rota.

E contra Superior religioniis cogere poteſt tacitè profeſſum ad expreſſam profeſſionem emittendã, maximè ſi per quinquennium perſeveraverit in religione in habitu profeſſorum, & ſub obedientia Prælatorum, nec juxta Tridentinum reclamaverit, cùm reclamare potuerit. Hoc tamen procedit ſolùm in eo, qui eſt tacitè profeſsus in religione, in qua ex vi regulæ, ſeu conſtitutionum diſpoſitum eſt ut fieri debeat profeſsio expreſsa. Proinde in alijs religionibus ubi hoc non eſt decretum, non eſt quis cogendus ad hanc profeſsionem expreſsam faciendam: ut declaravit Sacra Eminentiſ. D. D. Cardinalium Congregatio.

S. Congr.

19. Religioſus validè profeſsus, qui tractu temporis in morbum incidit, vel ob ſenectutem redditur impotens ad ſervandam religionis regulam, reclamare non poteſt contra profeſsionem. Ratio eſt, quia reclamatio conceditur contra profeſsionem irritam, & invalidam; & ex hoc capite tantùm oritur legitima cauſa tribuens jus reclamandi: Profeſsio autem emiſsa ab eo, qui poſtea ob morbum redditus eſt impotens ad ſervanda regulæ præcepta, valida eſt, cùm ſubſtantialia Regulæ viribus corporis non nitantur, & conſiſtant in tribus votis, nempe caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ voluntate & affectu voluntatis nituntur, non corporis viribus. Reliqua verò præcepta regulæ obligant ſolum juxta corporis

vires;

Digitized by Google

Sanchez. Bonacina. Tambur. vires, ſeu niſi iuſta cauſa excuſet. Ita Sanchez *l.* 5. *mor. cap.* 4. *num.* 52. Bonacina *de clauſura, quæſt.* 2. *punct.* 10. *difficultat.* 2. §. 6. *n.* 10. Tamburinius *tom.* 3. *de iur. Abbat. diſp.* 6. *quæſit.* 26. *n.* 14.

20. Ad expreſſam profeſſionem neceſſariò deſideratur exterior aliqua forma, quæ mutuũ conſenſũ Religionis & religioſi ſufficienter explicet, ut vinculum ejus conſurgat. Probatur *Primo* ex generali ratione contractus humani, qui licet requirat conſenſum interiorem, non tamen illo ſolo perficitur, quia ſine externis ſignis non poſſunt homines inter ſe mutuos conſenſus agnoſcere, aut acceptare; profeſſio autem licet principaliter cõtineat obligationem ad Deum, tamen non fit ſine aliquo contractu inter homines: ergo non poteſt fieri ſine ſenſibili ſigno ad modum matrimonij. Quare profeſsio expreſſa nullis verbis indiget, ſed poteſt nutibus, aut ſcripto fieri: quia nullibi reperitur verba eſſe neceſſaria, quia nutus ſufficiũt ad omnes actus, in quibus pro forma non requiritur loquela, *ex l. Nutu, ff. de leg.* Unde mutus à natura, qui ſubinde ſurdus eſt, poteſt profiteri. Si enim eſt aptus ad carnale matrimonium ineundum, erit quoque ad ſpirituale aptus, argum. *ex cap. Significatum, de regular.* quia non minor notitia obligationis, nec minor conſenſus deſideratur in matrimonio carnali, quàm in ſpirituali. Ita Cynus, Baldus, & Imola *in l. Ex facto, ff. de vulg. & pupil.* Dynus *in l. Vbi non voce, ff. de reg. iur.* Azorius *to.* 1. *lib.* 12. *c.* 4. *q.* 1. Vecchis *in praxi novit. diſp.* 13. *n.* 1. & 2. *dub.* 2. Sed hoc intelligendum eſt, quando mutus ille ita perſpicaci intellectu præditus eſt, ut ſignis doceri valeat naturam ſtatus religioſi, poſsitque ſignis conſenſum exprimere.

Cynus. Baldus. Imola. Dynus. Azorius. Vecchis. Sanchez.

21. Dubium eſt, an ſcriptura ſit etiam neceſsaria, vel ſufficiens, ut per illam expreſſa profeſsio fiat? Reſpondet Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 3. *n.* 5. ad priorem partem profeſsionem eſſe faciendam in ſcriptis, & probat *ex c. final. q.* 1. Sed verius eſt iure communi non eſſe ullum ſcriptum neceſsarium, ſed ſufficere ut ſola voce negotium totum tranſigatur, ut expreſsè colligitur *ex c. Porrectum, de regular.* quia ex natura rei tale ſignum neceſsarium non eſt, neque invenitur aliquod decretum cõmunis iuris, quo hæc circumſtantia præſcribatur. *Ad cap. final.* 20. *q.* 1. reſpondet Gloſſa, *ibi, verb. Scriptis*, non eſſe neceſsariam ſcripturam ad profeſsionem; ſed poteſt eſse neceſsaria, ut obviet ei, qui contravenit profeſsioni. Et huic Gloſsæ ſubſcribunt Panormitanus in dict. *cap. Porrectum*, & *in c. Nuper, de teſtibus*, Sylveſter *verb. Relig.* 3. *q.* 1. Vecchis *diſp.* 13. *dub.* 2. *n.* 3. & alij.

Gloſſa. Panorm. Sylveſt. Vecchis.

Iure tamen ſpeciali aliquarum Religionum requiritur ut profeſsio in ſcriptis fiat, ut conſtat *ex regula* 58. *Sancti Benedicti*, ubi ordinatur, ut qui profitetur, ſuam profeſsionem ſcriptã & conſignatã, ſeu ſubſcriptam ſuper altari ponat: & in Societate Iesv *p.* 5. *conſtit. cap.* 3. poſtulatur, ut votum ſcriptum ſit, & ex ſcripto legatur: quare ubi hæc forma vouendi præſcripta fuerit, ſervanda eſt, tũ ob regulæ obſervantiam, tum etiam ad tollendã omnem ambiguitatem. Hinc Clemẽs Papa VIII. in Bulla, quæ incipit, *Cùm ad regularem diſciplinam*, ita ſancivit: *Superior cujuſlibet conventus*, in quo novitiatus fuerit conſtitutus, particularem librum habeat, in quo uniuſcujuſque noviti profeſsio regiſtretur, illamque novitius profeſsus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant. Cõverſus verò literarum ignarus, profeſsus in eorumdem teſtiũ qui ſe ſubſcripſerint præſentia, propria manu ſignum crucis apponat, aſserveturque liber, & cuſtodiatur in Archivio, ubi ſcripturæ ad Monaſterium ſeu conventum pertinentes reponi conſueverunt.

Cle. VIII.

Quod etiam antea decreverat Sixtus V. in Conſtitutione, *Cùm de omnibus*. Quorum Pontificum Conſtitutiones apud nos Capucinos ſunt in viridi Obſervantia.

Sixtus V.

An autem ſolum ſcriptum ſufficiat ad profeſsionem etiam expreſsam? Videtur affirmativè reſpondendum, ſtando in ſola rei natura, vel jure cõmuni: nam ſcriptura eſt tam expreſsum ſignum ſicut vox: & ideò ſi ex ſcriptura ipſa & ex modo exhibendi illã ſufficienter conſtet de perſona vovente, & quod illam ſcripturam exhibeat animo profitendi, & eodem modo ab habente poteſtatẽ recipiatur, ex natura rei ad profeſsionem ſufficiet: nihilominus iuxta communẽ Eccleſiæ conſuetudinem legenda eſt ſcriptura illa publicè ab eodẽ profitente, ſi id facere poſsit; quia imprudentiſsimum eſset, per ſolam oblationem & receptionem ſcripturæ admittere quem ad profeſsionem ſine ulla verborum expreſsione, maximè ſi cõſuetudo Religionis eſset in contrarium, & nulla intercederet gravis cauſa, quæ id ſuaderet, ut bene advertit Suarez *tom.* 3. *de Religion. lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 4. & poſt illum Tamburinius *tom.* 3. *de jur. Abbat. diſp.* 6. *quæſit.* 22. *num.* 3. & 4. Vecchis *diſp.* 12. *dub.* 2. *num.* 4.

Suarez. Tambur. Vecchis.

22. Profeſsio expreſsa varijs formulis ſolet emitti, juxta varia Religionum inſtituta. Aliquando enim tria ſubſtãtialia Religionis vota exprimuntur. Quandoque autem ſola obedientia, aut vita ſecundùm regulam illius Religionis promittuntur. At clauduntur ibi paupertas & caſtitas, quamvis non exprimuntur, utpote quæ in regula continentur. Proinde non minus perfectam profeſsionem faciunt religioſi Prædicatores, quàm alij, nec minus cenſentur tria vota emittere, quamvis non omnia exprimant, & ideò quædam ſolùm implicitè cenſentur emittere: expreſsè enim ſolùm vovent obedientiam ſecundùm regulam Sancti Auguſtini, tamen ſub ea reliqua vota intelliguntur. Nam cùm fit expreſsa promiſsio obedientiæ ſecundùm regulam, in illa regula continentur caſtitas & paupertas, & ita magis eſt confuſa ſignificatio eius quod expreſsè promittitur. Et eodem modo interpretanda ſunt verba illa profeſsionis Carthuſianorum, *Ego promitto ſtabilitatem & obedientiam & converſionem morum meorum coram Deo & Sanctis eius, & reliquijs iſtius Eremi in præſentia Domini noſtri Prioris*, &c. ſcilicet quoad ſtatum continentiæ & paupertatis ſecundùm regulam. Ita docent Rodriguez *tom.* 2. *ſummæ Latinæ, cap.* 8. *num.* 13. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 4. *q.* 2. Eman. Sà *verb. Religio, num.* 18. & communis ſententia, quam omnes Theologi admittunt & Canoniſtæ *in cap. Conſuluit, de regular.*

Rodrig. Azorius. Eman. Sà

Ceterùm, quamvis Religionis regula certam profitendi formam præſcribat, non ſunt ea verba ita neceſsaria, ut alijs facta profeſsio ſit irrita: ſed quibuſcumque alijs facta valebit; niſi regula à Sede Apoſtolica approbata, exprimat profeſsionem alia forma factam fore irritam, ut bene advertit Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 5. *quæſt.* 7. *in fine*, & Vecchis *d.* 13. *dub.* 2. *num.* 2. *in fine*, cum alijs. Qui etiam *num.* 5. notat in hac receptione ex parte Prælati recipientis non eſse neceſsariam formam verborum ſpecialem, ſed ſatis eſse, ſi ille aliquod ſignum externum exhibeat, per quod oſtendat ſe profeſsionem acceptare.

Azorius. Vecchis.

Si tamen Prælatus, qui profeſsionem admittit, licet exteriùs eã recipiat, interiùs non habeat intentionem illam admittendi, nec voluntatem incorpo-

corporandi talem perſonam Religioni, profeſsio non erit valida, ita ut ſi poſtea conſtare poſsit ſufficienter de tali fictione, qui talē profeſsionem emiſerat, libere poſsit talem ſtatum relinquere, & alium aſſumere, ſervata tamen forma juris, ut id licitè fiat; quia eo ipſo quòd cōtractus claudicat ex altera parte, eſt ſimpliciter invalidus, ut rectè docet Suarez *tom. 3. de Rel. lib. 6. cap. 11. num. 8.* Suarez.

Reſtat unū dubium, an neceſsarium ſit, ut profeſsio hæc coram teſtibus fiat? Reſp. nihil certi de hoc in jure reperiri, ſed ſi huius actus natura attēdatur, ſine dubio requiritur ad hoc, ut cōvenienter fiat. Ratio eſt; quia cùm profitens ſpecialē Eccleſiæ ſtatum aſſumat, neceſſe eſt ita profeſsionem emittere, ut de illa poſsit Eccleſiæ conſtare, & hoc de convenientia: nā profeſsio ſine teſtibus facta inter eum, qui poteſtatem habet recipiendi, & eum, qui vult profiteri, licet non reperiatur in jure cōmuni prohibita; tamē, ſicut matrimonia clandeſtina ſēper fuerunt ab Eccleſia improbata, ita etiā profeſsiones clandeſtinæ & ſine teſtibus factæ vitandæ ſunt: quia ex illis ſacrilegia & apoſtaſiæ facilè ſequi poſsunt, cùm Eccleſiæ de tali profeſsione cōſtare nō poſsit. De ſubſtantia tamē profeſsionis nō eſt, ut coram teſtibus emittatur, quia nihil de hoc expreſsè habetur in jure; unde ralis profeſsio attēto jure communi, ſuo valore non caret, ſicut ante Tridentinū valida erant matrimonia clandeſtina. Sed conſulenda ſunt ſpecialia Religionū ſtatuta.

Cle. VIII. Hodie autem extat Conſtitutio Clementis VIII. ex qua colligi poteſt, profeſsionem fieri debere coram teſtibus, ut vidimus ſuprà *n.* 21. & docent Suarez *tom. 3. de reg. lib. 6. c. 12. n. 5.* Tamburinius *tom. 3. de jur. Abbat. diſp. 6. quæſt. 22. n. 4.* & noſter Vecchis *diſp. 13. dub. 2. num. 7.* & alij. Suarez. Tambur.

23 Profeſsio poteſt fieri per Procuratorem. Ratio eſt, quia omnis contractus fieri poteſt per Procuratorem, ſi non ſit lege prohibitus, juxta *l. 1. §. Vſus, de Procurator. & cap. Poteſt quis, de regul. juris in 6.* ubi habetur, *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.* Sed profeſsio perficitur per modum cuiuſdam contractus, qui nullo jure à prædicta regula excipitur, ut conſtat ex Gloſſa *l. Pomponius. ff. de procurat. & cap. Qui ad agendum, de Procurator. in 6.* in quibus locis cùm caſus exceptos numeret, profeſsionis non meminit. Ita docent Rodriguez *tom. 3. qq. regul. q. 17. a. 13.* Sylveſter *verb. Religio 3. q. 15.* Eman. Sà *verb. Religio n. 14.* Vecchis *diſp. 13. dub. 3.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 5. q. 5.* Suarez *loco citato cap. 12. num. 22.* & alij communiter; quod tamen limitatur, niſi regula prohibeat in aliqua Religione profeſsionem fieri per Procuratorem. Rodrig. Sylveſter. Eman. Sà Azorius. Suarez.

Deſiderantur tamen quinque conditiones, ut Procurator valide profiteatur nomine abſentis. *Primò*, ut habeat ſpeciale mandatum ad profeſsionem emittendam. *Secundò*, ut ſit mandatum ad profitendum in Religione determinata. *Tertiò*, ut Procurator per ſeipſum exequatur, nec poterit ſubſtituere, niſi ſpecialiter ſibi committatur. *Quartò*, ut tempore quo Procurator profitetur, non ſit revocata poteſtas. Si enim fuerit revocata quamvis ſolo actu interno, vel tacitè per factum contrarium, non valebit profeſsio. *Quintò*, ne inſtitutio prætati Procuratoris ſit metu gravi extorta. De quibus Suarez *loco citato*, Rodriguez, & Sanchez *lib. 5 mor. cap. 3. num. 8.* Suarez. Rodrig. Sanchez.

24. Profeſsio ſolemnis ob malum finem æmiſſa, eſt irrita, ſi malus ille finis ſit finis caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis, id eſt ſi profitens ordinet hæc vota ad finem malum, puta ad vanam gloriā. Ratio eſt; quia res illæ eo malo fine affectæ, nequeunt à Deo acceptari, nec à Prælato nomine Dei, & ſicut peccatum non poteſt eſſe materia voti, ita neque profeſsio, neque aliud ſimile opus ex ſe bonum, quod dirigitur & ordinatur ad malum obtinendum; quia cenſetur votum rei malæ & peccaminoſæ. Ita Navarrus *comment. 2. de regul. n. ult. verſ. Addo 13.* Sanchez *lib. 4. mor. cap. 6 n. 14.* Tabiena *verb. Votum 2. in fine.* Idem dicendum, ſi profeſsio ordinetur ad malum finem obtinendum à Deo, vel gratias agendas pro malo obtento: quia Deus acceptare nequit aliquid ſibi oblatum, ut auctor peccati ſit, nec in gratiarum actionē, quaſi illius peccati auctor fuerit. Imò talis profeſsio videtur cōtinere blaſphemiam, quia videtur aliquid Deo tribui, quod ei non convenit; cùm Deus auctor peccati fieri videatur. Prædicta habent locū, ut ſcilicet irrita ſit profeſsio ordinata ad finem præfatum, etiam ſi finis malus ſit tantùm venialiter culpabilis; quia irritum eſt votum, quando materia voti eſt de ſe bona, ſed adiungitur ei finis mortalis, vel venialis: ergo profeſsio ordinata ad finem malum venialiter tantùm culpabilem, eſt nulla: nam licet profeſsio ex ſe ſit opus bonum, redditur tamen iniqua ob illum finem. Ita ex cōmuni docent Suarez *de rel. tom. 2. lib. 2 de voto cap. 4. n. 2. & 3.* Sanchez *loco cit. n. 13. & 15.* & alij multi penes ipſum. Navarrus. Sanchez. Tabiena. Suarez. Sanchez.

25. Profeſsio valet, quando malus finis eſt finis ſolius voti relati ad obtinendum illum aliunde quàm à Deo, vel ad obtinendum à Deo bonum ex re mala conſurgens, gratiaſvè agendum pro illo obtento. Exempla ſunt; Si quis voveat Religionem, ſi non fuerit deprehenſus in delicto, vel ſi ex duello incolumis evaſerit, vel ſi ex fornicatione filium ſuſceperit, &c. tale votum eſt validū. Ratio eſt; quia quando malus ille finis aliunde intenditur, quàm à Deo, nec eſt rei promiſſæ finis, manet ipſa res promiſſa immunis à mali finis labe, & ſic grata Deo, quamvis in ipſo vovendi actu peccetur ratione illius mali finis. Præterea quādo votum refertur ad bonum ex malo conſurgens, nō refertur ad Deum id malum, ut bellum iniuſtum, vel fornicatio, ſed bona naturalia inde conſurgētia, ut incolumitas & prolis ſuſceptio; quæ Dei beneficia ſunt. Similiter ſi quis emitteret profeſsionem dirigendo votum ſuum ad caſtitatē, paupertatem & obedientiam, & animum haberet malum, puta ob vanam gloriam, vel ad vivendū lautè, aut luxuriosè, &c. valida eſſet profeſsio: quia hæc emiſſa eſt ob finem principalem bonum, qui eſt vivere in obedientia, &c. quamvis ſecundarius finis, vel cauſa impulſiva ſit mala. Ita docent Navarrus *comment. 2. de regul. num. ult. verſ. Addo decimotertio. & in man. cap. 12. num. 31. & 32.* Toletus *in Summ. lib. 4 cap. 17. num. 7. verſ Tertiò vovere*, Clavis Regia *lib. 6. cap. 3. num. 7.* Suarez *tom. 2. de rel. lib. 2. de voto cap. 5. num. 5.* Azorius *to. 1. lib. 12. 6. 5. q. 10.* & communis. Navarrus. Toletus. Clav. Reg Suarez. Azorius.

26. Profeſsio emiſſa ob finem indifferentem principalem eſt invalida. Ratio eſt; quia ſicut redditur irrita ex malo rei promiſſæ fine, ſic quoque quādo finis ipſius eſt ſola res indifferens. Tū quia ſicut non acceptatur à Deo res votis illis promiſſa, quando ex fine redditur mala, ita nec, quando ex fine redditur indifferens; ac proinde nec à Prelato, qui nomine Dei acceptat. Tum quia cùm votum ſit actus Religionis, deſiderat materiā cultui divino deſervientem: At indifferentia non ſunt huiuſmodi; nil enim ad Dei cultū refert illa ſic, vel aliter fieri ut docet D. Thomas *2. 2. q. 88. art. 2.* & communis. Exemplum eſt; ſi quis ordinaret profeſsionē ad hunc finem principalem, ut fratres ſui carnales bonis fortunæ eſſent abundantiores. Si D. Thom.

tamen

tamen talis finis sit tantùm secundarius, vel causa impulsiva, professio teneret, puta, si emittatur addito fine peculiari & principali honestante promissionem, ut si quis proficeretur, quatenus fratres, vel consanguinei, mediante sua facultate, quam eis relinquit, inducerentur ad vitam vitiosam derelinquendam, & virtuosam amplectendam, vel ut filias in monasterijs monialium collocare, vel nuptui dare, vel quid simile facere possent.

Si dubium sit omnibus circumstantijs perpensis, an professio fuerit ob finem indifferentem, vel bonum emissa, tenendum est emissam fuisse ob finem bonum, ac proinde esse validam; quia cùm de professionis verbis constet, & dubia sit excusatio; stat possessio pro professionis valore, in cujus favorem & ut actus valeat, præsumitur in eo dubio materiam esse bonam, & sic contrariâ meliorem. Ita Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 7. *n.* 21. *&* 26. Arragon 2. 2. *quæst.* 88. *articulo* 2. *dub.* 1. Vecchis *disp.* 13. *dub.* 14. *num.* 6. *&* 7. & alij.

Sanchez. Arragon. Vecchis.

Vide verb. Abbatissa *n.* 23. Beneficium 8. *n.* 8. Electio *n.* 8. Emphyteusis *n.* 25. Irregularitas 3. *n.* 2. Matrimon. 2. *n.* 11. *&* 12. Pensio *num.* 10. Servus *n.* 18. Substitutio *n.* 11. *vers. Sed &* 12.

R.

RAPTVS.

SUMMARIUM.

1 *Raptus an sit, quando puella, etiam sub nullius potestate constituta, volens abducitur?* Refertur duplex sententia.

2 *An dicendus sit raptus, quando femina sui iuris importunis precibus abducitur.*

3 *Ad pœnas raptus incurrendas, an desideretur copulam subsequutam fuisse.*

4 *Si femina virum rapiat, an incidat in pœnas contra raptores feminarum iure decretas?* Refertur duplex sententia.

5 *An circumstantia raptus sit in confessione exprimenda.*
Quando femina cognoscitur absque vi, vel ignorans, vel dormiens, an propriè sit raptus.

6 *Si violenter cognoscatur aut abducatur meretrix aut alia quacumque femina, an sit raptus? & qualis sit hujus peccati gravitas.*

7 *Quando virgo sponte consentit, an circumstantia raptus sit in confessione explicanda? & quid, si parentes actualiter repugnent.*

8 *An raptor, qui non pro se, sed pro alio feminam rapit, possit cum illa femina matrimonium contrahere.*

1. QUorundam sententia est raptum esse, quando puella etiam sub nullius potestate constituta, volens abducitur: quia *in l. unic. Cod. de raptu virg.* dicitur, sive volente, sive nolente feminâ raptum admitti: semper enim decepta præsumitur. Ita Abbas *cap. penult. num.* 4. *de raptor.* & ibi Ananias *num.* 4. Verùm contraria sententia est sustinenda: tum quia rapere importat cum vi & impetu auferre: tum quia scienti & volenti non fit iniuria nec dolus, *l. Nemo videtur, ff. de regul. iuris.* Proinde quando constaret voluntatem spontaneam adfuisse, in neutro foro raptus iudicabitur: quamvis eam abducens viris armatis comitatus abiret, ne aliqui impedimento sibi essent. Ratio est, quia nec feminæ, nec alicui, sub cujus cura & custodia sit, vis infertur, qualis ad raptum desideratur. Quare D. Thom. 2. 2. *q.* 154. *a.* 7. communiter receptus à Theologis & omnibus ferè Iurisperitis, docet, ad raptum violentiam desiderari. Et ideò sic sustinent Navarrus *lib.* 5. *consil. tit. de raptor. consil.* 1. Decianus *in tract. Criminal. lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 19. Mascardus *de probat. concl.* 1259. *n.* 29. & alij.

Abbas. Ananias. D. Thom. Navarrus. Decianus. Mascard.

Ex quo infertur raptum non esse, si puella abductioni conniveat, postea verò renitens cognita sit: quia cùm raptus abductionem violentam petat, ubi ea deficit, non erit raptus, sed copula vi extorta. Accedit quod in his spectatur initium, iuxta *l. Divus, ff. ad l. Iuliam de sicarijs*, ibi, *In maleficijs voluntas spectatur, non exitus.*

E contra raptus erit, si femina initio abductioni resistat, sed postmodum copulæ consensit: quoniam initium spectandum est, in quo violentia interfuit. Imò verè raptus erit femina dissentiente, quamvis parentes ejus consentiant; quia parentes non habent dominium corporis puellæ, nec facultatem illud ei usui exponendi absque iniustitiæ peccato ob iniuriam puellæ irrogatam. Ita D. Thomas 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 12. *n.* 7. *&* 8. Sylvius 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. *vers. Ex his patet.* Valentia *tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 3. *punct.* 3. §. *Raptus*, & alij penes ipsos.

D. Thom. Sanchez. Sylvius. Valentia.

2. Quando femina sui iuris importunis precibus abducitur, tunc dicendus est raptus, quando hæ preces importunæ violentiæ æquiparantur. Cùm enim raptus vim desideret, non sufficiunt quæcumque preces importunæ; quia non omnes eæ vim inferunt, sed tunc tantùm quando aliæ circumstantiæ cum illis concurrunt, ut magnus reverentiæ timor, ita ut personæ sic instanti non audeat puella contradicere. Ex quo fit quod quando solæ preces importunæ interveniunt, non fit raptus pœnis iuris obnoxius, sed cuidam extraordinario supplicio, ut docent Decianus *in tract. criminali lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 7. *ad finem &* alij. De quo Sanchez *de matrim. lib.* 4. *disp.* 7. *num.* 5. *& sequent.*

Decianus. Sanchez.

3. Dubium est inter Doctores, an ad pœnas raptus incurrendas, desideretur copulam subsecutã fuisse? Quidam affirmant *ex l. unic. Cod. de raptu virg.* ubi dicitur, *cùm Virginitas vel castitas corrupta restitui non possit.* Item, quia pœnæ illius legis eò tendunt, ut copula vitetur. Alij verò contrarium tenent. Sed communis Doctorum distinguit, ut si raptor à copula se abstinuerit, pœnitentia ductus, & nolens habere, quamvis potuerit, non fit ordinarijs raptus pœnis obnoxius, sed extraordinarijs: secus si copula subsecuta non fuerit, quia ad eam pervenire non potuit. Ita Menochius *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 4. *casu* 360. *n.* 32. Mascardus *de probat. concl.* 1259. *n.* 37. Iulius Clarus *l.* 5. *receptt.* §. *Raptus, n.* 4. Covarruvias *in Clement. Si furiosus, de homicid.* 2. *part. n.* 8. Decianus *in tract. Criminal. lib.* 8. *c.* 7. *n.* 38. qui duo novissimi bene limitant, nisi rapta sit monialis; tunc enim raptor pœnam ordinariam subibit quacumque ex causa copula non fit subsecuta: quibus subscribit Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 12. *n.* 18. cum alijs.

Menoch. Mascard. Clarus. Covar. Decianus. Sanchez.

4. Quidam valde probabiliter affirmant pœnis raptus obnoxiam esse feminam, si virum rapiat: quia licet *l. unic. Cod. de raptu virgin.* loquatur de viro rapiente feminam; at cùm militet eadem ratio in femina virum rapiente, ad eum eventũ extendenda est. Tũ quia dũ lex de viro raptore loquitur verba, gratia frequẽtioris usus posita sunt, quòd frequentiùs id contingat, quàm oppositum. Verba autẽ gratiâ frequẽtioris usus posita in lege,

eam

eam reſtringere minimè ſolèt, quin ad caſum minus frequentem extendantur. Ita Rodriguez *p. 1. Summ. Latinæ cap. 232. n. 5.* Henriquez *lib. 12. de matr. cap. 14. n. 4.* Vega *to. 2. Summ. c. 34. caſu 157.* & multi iuriſperiti. Verius tamen eſt non comprehendi feminas virorum raptrices, ſed alia pœna extraordinaria puniendas eſſe. Prob. quia dict. *l. unic. §. Et ſi quidem, verſ. Pœnas autem.* ubi pœnas ſtatuit adverſus opem ferẽtes raptui, volens utrũque ſexum id efficientem cõprehendi, id expreſſit. Si igitur quando utrumque ſexum cõprehendere voluit, bis expreſſit, non obſcurum indicium eſt, noluiſſe eam comprehẽdere ſexum fœmineũ, dum raptoribus eãdemmet lex pœnas indicens, ſolius viri rapientis meminit. Tum quia, cùm major honeſtas deſideretur in femina; atrocius delictum eſt raptus feminæ perpetratus à viro, quàm ſi femina virũ rapiat. Multò enim gravior iniuria irrogatur honeſtati feminæ raptæ quàm viri rapti: quippe nec maſculus raptus, nec ejus parentes, ac conſanguinei eam iniuriam & infamiam patiuntur, ac quando femina rapta eſt. Igitur cùm pœna delicto commenſurari debeat, par non eſt mulierem viri raptricem, pœnâ raptori feminarum inflictâ puniri. Ita ſentiunt Menoch. *de arbitrar. lib. 2. centur. 3. caſu 291. fine.* Decianus *in tract. criminal. lib. 8. cap. 7. n. 27.* Clarus *lib. 5. recept. §. Raptus n. 6* & alij quamplurimi, quos citat & ſequitur Sanchez *loco citato n. 25.*

Rodrig. Henriq. Vega. Menoch. Decianus. Clarus. Sanchez.

5. Quamvis ad pœnas raptoribus iure decretas incurrendas, deſideretur violenta de loco ad locum abductio, ad effectum abducendi; at ut in foro conſcientiæ raptus ſit, & contineat circũſtãtiam raptus ſpecie diverſam à fornicatione, neceſſariò exprimẽdam in Cõfeſſione, ſufficit, quod vis inferatur feminæ ad copulam extorquendã. Ratio eſt, quia tunc ultra fornicationis malitiam adverſam caſtitati, adeſt malitia violentiæ illatæ cõtra iuſtitiam. Ita D. Tho. 2. 2. *q. 154. a. 7.* Navarr. *in man. c. 16. n. 3.* Tol. *in Sum. l. 5. c. 12. n. 7.* & alij.

D. Thom. Navarrus. Toletus.

Sed petes, an ſit propriè raptus, quando femina abſque vi aliqua, fraudibus, vel ignorans cognoſcitur, ut ſi quis rem habeat cum femina dormiente, aut putante eſſe virum ſuum? Reſp. negativè: quia licet fraus & ignorantia illa voluntarium auferant, at vim minimè inferunt, quæ ad verum raptum neceſſaria eſt; ſicut non eſt rapina, rem à domino ignorante aut dolis circumvento auferre; nihilominus ea copula continet malitiam ſpecie diverſam à fornicatione, ac neceſſariò confitendam, & ea reducitur ad raptũ. Ratio eſt, quia ea copula non ſoli caſtitati adverſatur, ſed etiam iuſtitiæ: negari enim non poteſt adverſus iuſtitiam delinqui, iniuriam irrogando feminæ eà præter voluntatem carnaliter cognitâ; ideoque reducitur ad ſpeciem raptus, eò quòd nolitio illa feminæ aſſimilatur & accedit violentiæ; cùm utrobique voluntas deſit. Sive ergo voluntarium auferatur per vim, ſive per ignorantiam aut dolum, copula illa ad alterius ſpeciei malitiam tranſit, ut docet Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 12. n. 33* Circa præſens dubium vide dicta ſuprà *v. Luxuria n. 14.* & Dianam *p. 9. tr. 9. reſol. 2.*

Sanchez. Diana.

6. Ex dictis deducitur eſſe raptum feminæ cuiuſcumq; ſtatus, etiam meretricis, ſi violenter cognoſcatur aut abducatur; quia quamvis ſolius mulieris honeſtæ, talis dicatur ut pœnis ordinarijs raptus obnoxius ſit; at in foro conſcientiæ eſt raptus diverſæ ſpeciei à ſimplici fornicatione, ac neceſſariò fatendus, qualiſcũque ſit femina, ſi violentia verè inferatur: quia vis illa ad iniuſtitiam pertinet, ut docet D. Tho. 2. 2. *quæſt. 154. art. 7.* quem ceteri ſequũtur. Imò ad ſpeciẽ hanc raptus neceſſariò confitendam, nil refert, ſive vir rapiat feminam, ſive femina virum. Cùm enim uterque raptus violentiam iniuſtè illatam claudat, uterque malitiam ſpecificam diverſam à fornicatione habet. Ex quibus conſtat raptum minimè gravem eſſe quando rapitur femina meretrix; graviorem quando rapitur vidua; multò graviorem quando rapitur virgo. Grauiorem item quando raperetur coniugata, vel conſanguinea, vel affinis: graviſſimũ quãdo raperetur monialis, vel quę voto dicata eſt Deo: at omniũ graviſſimus eſſet raptus pueri ad turpẽ actũ. Quia ſi rapiatur cõiugata, eſt adulterium: ſi monialis, eſt ſacrilegiũ: ſi conſanguinea vel affinis, eſt inceſtus; ſi puer, eſt Sodomia, &c. Ita Sanchez *loco citato num. 37. & 39* Filliucius *tract. 30. n. 109.* Trullench *in Decalog. to. 2. lib. 6 dub. 4 n. 2.* & alij communiter: quibus adde Noſtrum Geſuald. *p. 3. tr. 12. c. 1. n. 28. in Theol. Mor.*

Sanchez. Filliucius. Trull Geſuald.

7 Sed difficultas eſt, an circumſtantia raptus ſit neceſſariò explicanda in Confeſsione, ſi Virgo ſponte conſentiat? Reſpondet Diana negative: quia quando Virgo conſentit in raptu, quamvis parentes diſſentiant & tutores, ac ij qui loco parentum ſe habent, ſolùm erit fornicatio, vel furtum ſimplex, & non erit neceſſariò explicanda ratio Virginitatis, nec iniuria facta parentibus, ſi tamen raptum neſciant: nam ſi parentes actualiter repugnent, erit talis circumſtantia in Confeſſione aperienda, ſecus autem minimè. Ita ille *p. 1. tract. 7. reſol. 37. & part. 3. tract. 4. reſol. 67.* Probat. prior pars, quia violatio Virginis ſponte conſentientis, quamvis ſit ſub cura paterna, non differt à ſimplici fornicatione: eò quòd Virgo ſit domina uſus ſui corporis ad illum actum, ſi non ut licitè fiat extra matrimonium, quia eſt contra temperantiã; at non erit contra ius alicujus. Prob. poſterior pars, quia licet Virgo iniuriam non inferat patri conſentiens ſuę defloratiõi, nec ipſam volentem deflorans: at extractio illius Virginis conſentientis à domo parentum vel tutorum, ſub quorum cuſtodia eſt, manifeſtam iniuriã illis extractioni renitentibus infert, atque proinde eſt nova culpa iuſtitiæ adverſa. Primam partem hujus doctrinæ ut probabilem amplectuntur etiam Sanchez *de matr. lib. 7. diſp. 14. n 5.* Suarez *in 3. p. to. 4. diſp. 22. ſect. 4.* Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. a. 4 verſ. De ſimplici vero ſtupro,* Leſſius *lib. 2. c. 10. dub. 1.* & alij; quamvis contraria ſit communis. Poſterior autem pars à nemine negatur.

Diana. Sanchez. Suarez. Sotus. Leſſius.

8. Raptor, qui proprio motu feminam rapit, non ut ſecum, ſed ut cum alio matrimoniũ contrahat, non ſubditur pœnis decreti Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 6. de reform. matr.* proinde valet matrimonium, cum illo certio initum, ſi femina liberè conſentiat, quamvis nondum extra raptoris poteſtatem ſit. Ratio eſt, quia pœna Trid. eſt contra raptorem & raptam, non verò contra raptam & alium, qui non rapuit: ergo locus non erit huic pœnæ, quando ſit raptus gratia ineundi matrimonij cùm alio; ſi tamẽ ad inſtantiam inituri matrimonium rapuit, tunc matrimonium cum illo erit invalidum, nìſi priùs femina in loco tuto cõſtituatur, & incurret ille, qui inſtigavit ut raptus efficeretur, ceteras pœnas, tãquã verus raptor per interpoſitam perſonam ad effectũ matrimonij. Is verò qui raptum exercuit tanquam auxiliũ raptui ferẽs ad finem ineundi matrimonium, incurret excommunicationem & ceteras auxiliantiũ pœnas; at cum ipſo validè poteſt femina cõtrahere, priuſquam in loco tuto reponatur: quia auxiliũ ferẽtes non plectuntur in illo decreto eã pœnã, ut matrimo-

Con. Tri.

Digitized by Google

matrimonium cum ipſis conſiſterè nequeat, donec femina ſit ad locum tutum reſtituta. Ita Guttierrez *de matr. cap.* 86. *num.* 10. Bonacina *de matr. quæſt.* 4. *punct.* 18. *n.* 12 Sanchez *de matr. lib.* 7. *diſp.* 13. *num.* 6. & alij.

Guttierr. Bonacina. Sanchez.

Vide verb. Immunitas Eccleſiarum *num.* 12.

REGVLARES.

SUMMARIUM.

1 *An regulares ex vi ſui ſtatus ſint jure divino à civili & laica poteſtate exempti in cauſis Eccleſiaſticis.*

2 *An contra regularem exemptum extra clauſtrum notorie delinquentem poſſit Epiſcopus formare proceſſum & cum tali proceſſu illum remittere ad ſuum Prælatum?* Refertur duplex ſententia.

An regularis exemptus delinquens in alieno Monaſterio, poſſit puniri ab Epiſcopo, vel à Prælato illius Monaſterij in quo deliquit.

3 *Regularis exemptus manens de Superiorum licentia in grangia ſui Monaſterij, ſi delinquat, à quo puniri debeat.*

4 *Si regularis retento habitu Religionis propriæ, ſæcularem induat, ut ſic incognitus incedat, an in excommunicationem incidat?* Refertur duplex ſententia.

5 *An incurrat cenſuram regularis deponendo habitum, ſi obtenta à Superiore licentia abeat? Quid ſi intra privatos monaſterij parietes habitum deponat.*

6 *Vt excommunicatio incurratur, an ſatis ſit dimiſſio habitus propriæ Religionis, vel exigatur alterius habitus aſſumptio?* Refertur duplex ſententia.

7 *An hac cenſurâ afficiatur regularis, qui ſuæ Religionis habitu depoſito, alterius Religionis amictum aſſumit, ſi illam non ingrediatur? & quid ſi illam ingrediatur contra jura?* Refertur duplex ſententia.

8 *An regularis profeſſus hac cenſurâ innodetur habitum Novitiorum induens, quando Novitij non eodem veſtium genere utuntur quo profeſſi.*

9 *Regularis ſactus Parochus, habitum ſuæ Religionis dimittendo, an afficiatur hac excommunicatione? & quid, ſi dimittat creatus Epiſcopus vel Cardinalis.*

10 *An regularis utens veſtimentis propharis peccet mortaliter.*

11 *Regulares profeſſi accedentes ad quævis ſtudia ſine licentia ſui Prælati & conſilio conventus, vel majoris partis, excommunicationem incurrunt.*

An ad hanc cenſuram incurrendam exigatur ut regularis cauſâ ſtudiorum proficiſcatur extra oppidum ſui monaſterij.

12 *Qui veniant nomine Prælati, cujus conſenſus cum conventus conſilio ad hanc licentiam concedendam requiritur.*

13 *An hac licentia invalidè obtenta, puta per dolum, vel per metum gravem, vel à Superiore non habente facultatem, excuſet impetrantem ab hac cenſura.*

An requiratur ad hanc licentiam dandam conſenſus conventus, vel an ſufficiat petere ejus conſilium? Refertur duplex ſententia.

14 *An Prælatus regularis adiens ſtudia ſine licentia ſui Superioris afficiatur hac cenſurâ.*

15 *Regulares è clauſtro exeuntes ad audiendas leges aut phyſicam & intra bimeſtre non redeuntes excommunicationem incurrunt.*

An ad hanc cenſuram incurrendam ſatis ſit exire & in eodem oppido præfatas ſcientias audire & redire? Refertur duplex ſententia.

16 *An regulares excuſentur ab hac cenſura ſi jus civile audiant, ut meliùs ad cognitionem juris canonici deveniant; vel ut principaliter honorent amicum defendentem publicè concluſiones.*

17 *Regularis, qui exivit non animo audiendi præfatas ſcientias, ſed poſteà mutata voluntate permanet extra clauſtrum principaliter animo eas audiendi, an incidat in cenſuram.*

Quando regularis exivit clauſtrum eo animo ut audiret leges & phyſicam, poſteà tamen non audivit, an hanc cenſuram incurrat? Refertur duplex ſententia.

18 *Regularis exiens è clauſtro ut doceat leges vel phyſicam, an ligetur hac excommunicatione.*

An liber ſit ab hac cenſura, qui clauſtra exivit animo audiendi leges vel phyſicam, ſi intra duos menſes redeat.

19 *An regularis poſſit comparere in judicio, ſive tanquam actor, ſive tanquam reus, regulariter loquendo, ſine licentia Superioris, ſi cauſa ſit civilis.*

20 *Quid dicendum, ſi actio contra ipſum ſit criminalis.*

21 *Aliqui caſus enumerantur, in quibus regularis poteſt agere in judicio ſine licentia Superioris.*

22 *An regulares poſſint officium Tabellionis exercere, ſi in ſæculo tales erant? & an inſtrumenta ab eis confecta ſint valida.*

23 *An regulares non poſſint fideiubere ſine Prælati & majoris partis conventus licentia.*

24 *An regulares ex Superioris licentia poſſint ad Doctoratus gradum promoveri in Theologia, Jure Canonico & civili, vel in Medicina.*

25 *Quid decreverit Bonifacius IX. & Innocentius VIII. circa doctorandos in Ordine Prædicatorum: & Martinus V. in Ordine Fratrum Minorum.*

26 *Monachi & Canonici regulares prohibentur accedere ad Curias Principum, ſine licentia ſuorum Prælatorum, cum intentione nocendi ſuis Prælatis aut monaſterijs, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda.*

27 *Regulares omnes teneantur ad obſervandas regulas & ſtatuta ſuorum Ordinum.*

1. REligioſus ſtatus eo ipſo quòd per Eccleſiam approbatur & inſtituitur, eſt ſtatus ſacer, & Eccleſiaſticus, & ejus perſonæ ſunt ſub ſpeciali dominio Dei; ideirco eo ipſo ſunt perſonæ ſacræ, & Eccleſiaſticæ: quia & divinis obſequijs ſpecialiter deputatæ ſunt, & ad ipſum ſpecialiter ſpectant. Hinc eſt, quòd Religioſi ex vi ſui ſtatus, ſicut reliquæ Eccleſiaſticæ perſonæ à civili, & laica poteſtate exempti ſunt, & quidem jure divino in Eccleſiaſticis cauſis, ſeu ad res ſpirituales ordinatis. Cauſæ verò Eccleſiaſticæ, ratione quarum religioſi & clerici jure divino ſunt exempti, vocantur illæ, quarum cognitio non à legibus civilibus pendet, ſed ab Euangelio, & à Summorum Pontificum Canonibus & à Sacris Concilijs; cujuſmodi ſunt controverſiæ de fide, de Sacramentis, & ſimiles. Probatur autem hæc exemptio, quia tota auctoritas regendi Eccleſiam Dei Apoſtolis commiſſa eſt à Chriſto Domino: ergo in rebus Eccleſiaſticis, laici ſunt oves & ſubditi, non Iudices, nec Paſtores: ergo de jure divino clerici & religioſi ſunt liberi in cauſis Eccleſiaſticis à poteſtate Regum & Principum ſæcularium. Ita Bellarminus *lib.* 1. *de Pontifice, cap.* 7. Suarez *in defenſione fidei lib.* 4

Bellarm. Suarez.

lib. 4. cap. 11. & 12. & alij citati *tom. 1. verb. Clericus, num. 3.*

2. Contra regularem extra clauſtrum notoriè delinquentem non poteſt Epiſcopus formare proceſſum juridicum, ſi ille regularis exemptus ſit, & cum tali proceſſu illum remittere ad ſuum Prælatum, nec poteſt ſubditus puniri ab ipſo Prælato virtute iſtius proceſſus ab Epiſcopo
Con. Trid. contecti. Ratio eſt; quia in Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 14. degular.* habetur, *Regularis, non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra monaſterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeverè puniatur, ac de petitione Epiſcopum certiorem faciat: ſin minùs, à ſuo Superiore officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.* Ex quo textu patet Epiſcopum poſſe inſtare certiorem faciendo per ſuas literas Prælatum de notoreitate delicti à religioſo ita commiſſi, ut nulla tergiverſatione celari potuerit: ad quod non eſt neceſſarius proceſſus juridicus ab Epiſcopo formatus, qui ipſo jure nullus eſt ex defectu juriſdictionis: non datur enim abſoluta poteſtas à Concilio ad puniendum talem regularem notoriè delinquentem extra clauſtrum, ſed tantùm, ut poſſit punire, Prælato ad ejus inſtantiam non puniente. Ex quo conſequitur, quod ſi Epiſcopus de facto cum tali proceſſu à ſe formato talem regularem ad ſuum Superiorem remittat, non poteſt ipſe Superior ex vi illius aliquid agere contra delinquentem, cùm ipſo jure nullus ſit, ſed alium de novo formare debet. Ita tradunt
Hier. Rod. Villalob. Diana. Hieronymus Rodriguez *in compend. quæſt. regular. reſol. 62. n. 8.* Villalobos *in Summ. tom. 2. tract. 35. diffic. 5. n. 5.* Diana *part. 3. tract. 2. reſol. 132.* quamvis alij velint regularem in tali caſu poſſe deduci ad carcerem Epiſcopi, & ſumpta informatione ſuper delicto, dummodò ſine mora ſumatur, remitti cum copia proceſſus ad ſuum Superiorem puniendum, cum præfinitione termini ad puniendum. Ita Piaſecius *in praxi Epiſcop. p. 2. cap. 3. n. 43.* Portel *in addit. ad dubia regul. verb. Punitio relig. extra conventum, n. 17.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 3. Alleg. 105. n. 20.* Lezana *in Summ. quæſt. regul. c. 16. n. 27.* ubi vult intelligere in caſu, quo Epiſcopus timeret fugam Religioſi. De quo vide Cokier *de juriſdict. Ordinar. in exemptos p. 1. q. 17. n. 28.* & Laurent. de Peyrinis *in Conſt. 2. Sixti IV. num. 62. & 64.*

Piaſecius. Portel. Barboſa. Lezana. Cokier. Peyrinus.

Certum tamen eſt, regularem exemptum delinquentem in alieno monaſterio, non poſſe puniri ab Epiſcopo. Ratio eſt; quia in verbis Concilij Trident. adductis nomen Clauſtri non ſumitur abſolutè, ſed comparativè ad Diœceſim Epiſcopi. Cùm ergo clauſtrum alienum, etiam qua alienum, non ſit locus Diœceſis quoad juriſdictionem Epiſcopi; diſpoſitio Tridentini non poteſt ſubintrare in eo caſu: tum quia delictum debet eſſe perpetratum extra omne clauſtrum, ad hoc ut ex eo gigni poſſit ſcandalum in populo. Ita Bordonus *in conſil. Regul. tom. 2. reſol. 68. quæſt. 9. num. 26.* qui Auctor vult prædictum regularem non ſolùm poſſe puniri à proprio Prælato, ſed etiam à Superiore illius monaſterij, in quo deliquit: quia ſit ratione delicti, & loci factus eſt de foro illius Superioris. Sed verius eſt non poſſe puniri ab illo Superiore; nam licet quis ratione delicti fortiatur forum Superioris, in cujus territorio deliquit: tamen hæc regula non habet locum, quando qui deliquit, habet omnimodam exemptionem. Sed regulares exempti habent omnimodam & generalem exemptionem, non ſolùm à juriſdictione Ordinarij, at etiam à cujuſlibet alterius poteſtate: ex quo ſequitur, regularem delinquentem in monaſterio alterius Religionis, non ſolùm non poſſe puniri ab Epiſcopo, ſed neque à Superiore illius monaſterij in quo deliquit, ſed tantùm erit puniendus à ſuo immediato Superiore: quia hac exemptionis prærogativâ exemptus gaudet & obtinet ubicumque deliquerit, ſecundùm communem Doctorum ſententiam, niſi privilegium illud aliâ lege ſpecialiter auferatur. Ita Diana *part. 9. tract. 7. reſol. 49.* contra Bordonum; qui etiam advertunt nomine regularium in verbis Concilij non includi Superiores, & ideò ſi iſti delinquant extra clauſtra, non ſubijciuntur punitioni Epiſcoporum: quia nomine Monialium includitur Abbatiſſa, ut tradunt communiter Doctores. De his plura ſuprà *verb. Epiſcopus, num. 25. & ſequentibus.* Diana.

3. Regularis manens de Superiorum licentia ſub regulari obſervantia in aliquo membro, vel grangia ſui monaſterij pro Religionis ſervitio, ſi delinquat, non ab Ordinario, ſed à ſuo Superiore puniri debet, ſecundùm formam Conc. Trident. *ſeſſ. 25. de regular. cap. 14.* quia cùm hujuſmodi Superior illi poſſit dare licentiam, Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 4. de regular.* & dicta loca ſint membra & dependentia à ſuis monaſterijs, cenſentur eodem jure & privilegijs gaudere ac monaſteria. *Ex cap. Recolentes, §. Ceterum de ſtatu Monachor.* & docent Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. Alleg. 105. num. 17.* Ciarlinus *Controv. forenſ. lib. 1. capit. 50. numer. 8.* & alij penes ipſos. Quibus adde Tamburinium *tom. 1. de jur. Abbat. diſput. 15. quæſit. 7. num. 9.* Laurentium de Peyrinis *tom. 1. privileg. in annot. ad Conſtit. 2. Sixti IV. num. 29.* Con. Trid. Barboſa. Ciarlinus. Tambur. Peyrinus.

4. Difficultas eſt, an ſi quis regularis, retento habitu Religionis propriæ, ſæcularem induat, ut ſic incognitus incedat, incidat in excommunicationem? Videtur quòd ſic, quia illa occultatio, licet non ſit materialis habitus dimiſſio, eſt tamen vera & formalis: ſiquidem ea facta tollitur ab habitu eſſe ſignum cognoſcitivum religioſi ſtatus, ad quem ſignificandum ille habitus materialis aſſumitur: tum quia finis *cap. Vt periculoſa, ne clerici vel Monachi, in 6.* excommunicantis religioſum dimittentem habitum, fuit, ut religioſus ex habitu cognitus vagari nequeat; idem prorſus eſt, illum non geſtare, ac ita operire, ut prorſus non cognoſcatur religioſus: tum quia, qui ſolis verbis legis contentus, ejus mentem offendit, non evadit illius pœnas, *l. Non dubium, Cod. de legibus.* At religioſus habitum omninò operiens, ſola Canonis verba jubentis habitum geſtare, amplectitur, & manifeſtè ejus mentem offendit, ac tranſgreditur, quæ eſt, ut ex habitu cognitus vagari non poſſit: Ergo pœnam excommunicationis incurrit ipſo jure latam.

E contrà *in cap. illo, Vt periculoſa,* non quælibet occaſio vagandi prohibetur, ſed quæ ſit per dimiſſionem religioſi habitus. At occultare omninò habitum, non eſt propriè & in rigore dimittere, nec valet in materia pœnali argumentum à rationis paritate: neque eſt verum, occultantem habitum dimittere ſignum religioſi ſtatus; non enim illud dimittit, ſed diſſimulat, & celat: ergo pœna impoſita dimittentibus, non debet extendi ad occultantem: neque ex hac occultatione finis legis eluditur; quia non ita facilè regularis incedere poteſt incognitus retento habitu, ac illo dimiſſo. Ergo affirmativam ſententiam

ſuſti-

Digitized by Google

Paſſarell. Bañez. Navarrus. Rodrig. Azorius. Sanchez. ſuſtinent Paſſarellus *in privileg. Minim. cap.* 34. *fine.* Bañez 2.2. *diſp.* 1. *quæſt.* 12. *punct.* 1. *fine.* Navarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 131. Rodriguez *tom.* 1. *qq. reg. quæſt.* 30. *art.* 2. *& tom.* 2. *quæſt.* 77. *art.* 6. *notab.* 2. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 13. *quæſt.* 5. *caſu* 16. *& cap.* 17. *quæſt.* 10. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 8. *n.* 63. & alij, quorum opinio eſt probabilior: negativa tamen eſt ſatis probabilis, quam tuentur Sayrus *de cenſur. lib.* 3. *c.* 33. *n.* 9. *&* 10. Suarez *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 4. *n.* 31. *&* 34. Paludanus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 3. *art.* 3. & alij.

Sayrus. Suarez. Paludan.

5. Ut regularis dictam excommunicationem incurrat, non eſt opus, ut recedat abſque Superioris licentia, habitumque deponat, ſed incurret deponendo habitum, etiamſi obtenta licentia abeat; quia textus *cap. Vt periculoſa*, non petit regularis evagationem, ſed ſolam habitus dimiſſionem aptam ad occaſionem divagandi præſtandam, qualis eſt hæc. Ita Sayrus *de cenſur. lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 19. Sylveſter *verb. Excommun.* 9. *num.* 51. & alij. Imò ut huic excommunicationi ſubiaceat regularis, ſatis eſt ſi intra privatos Monaſterij parietes habitum temerè deponat; quia textus ſolam habitus dimiſſionem petit, & verba illa, *in ſcholis, vel alibi*, generalia ſunt: & quamvis actu non vagetur regularis ille, ea tamen dimiſſiò affert vagandi poteſtatem; ſicuti ſi dimittentem extra clauſtra habitum, recluderes in carcerem, recluſio impediret vagationem, ſed non impediret, quin dimiſſio præberet occaſionem vagandi. Ita docent Caſtrus Palaus *tom.* 3. *tract.* 16. *diſp.* 4. *punct.* 6. *num.* 10. Navarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 131. Sayrus *loco citato num.* 11. Diana *part.* 9. *tract.* 7. *reſol.* 5. Azorius *lib.* 12. *cap.* 17. *quæſt.* 15. qui addit, præſertim hoc eſſe verum, quando regularis ſe oculis videntium ſæcularium oſtendit; ſecus ſi ſe occultare procurat; quia dum ſe occultat, non videtur animum habere vagandi. Sed hæc limitatio non placet, quia Textus non attendit, an regularis oculis intuentium pateat ſeque illis offerat, ſed an occaſionem aſſumat ſe offerendi incognitum, & per orbem vagandi; quod certè præſtat habitus dimiſſio, ut bene notat Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 8. *num.* 61. *in fine.* Quamvis Texeda *in Theolog. moral. tom.* 1. *lib.* 2. *tr.* 1. *Controv.* 6. *dub.* 1. exiſtimat talem non incurrere excommunicationem, licet intra Monaſterij parietes habitum dimittat, & ſe oſtendat ſæcularibus, eſto ſæculares cognoſcant illum eſſe regularem illius Religionis: quia putat talem habitus dimiſſionem non eſſe temerariam, nec ad vagandum ordinatam, nec ex contemptu legis.

Palaus. Navarrus. Diana. Azorius. Sanchez. Texeda.

6. Ad hanc excommunicationem incurrendam, ſecundùm Suarez *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 4. *n.* 28. non exigitur aſſumptio alterius habitus, ſed ſatis eſt totius habitus propriæ Religionis dimiſſio, vel ejus ſaltem partis, quâ dimiſsâ nequit cognoſci religioſus ſuæ Religionis, quia *cap. Vt periculoſa*, &c. non petit alterum habitum indui, ſed proprium dimitti, & ſolo proprio dimiſſo, vel ea parte, qua dimiſſa religioſus cognoſci nequeat, datur ſufficiens vagandi cauſa. Ex qua ſententia ſequitur, quod regularis, qui nudus fugit, aut cum ſolis femoralibus, in excommunicationem hujus capitis incidit; quia hic dicitur habitum ſuæ Religionis deponere ad ſe occultandum, vel ita incedendum, cùm hoc pacto nequeat dignoſci, & à fuga, ſeu vagandi occaſione retrahi, & retardari. Et hujus opinionis videtur eſſe etiam Bonacina *tom.* 3. *diſp.* 2. *q.* 8. *punct.* 6. *num.* 8.

Suarez. Bonacina.

Verùm etſi hæc ſententia ſit probabilis, communior tamen ſuſtinet exigi quoque alterius habitus aſſumptionem, Ratio eſt; quia communiter & morali modo loquendo, non datur materia vagandi dimiſſo proprio habitu, aut notabili ejus parte, ſi alius non aſſumatur, quia nudi, aut indecenter veſtiti communiter homines vagari non ſolent, & ad ea, quæ rarò contingunt, legis diſpoſitio extendi non conſuevit, *l. Nam. ad ea, ff. De legibus* Ita Navarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 131. Rodriguez *tom.* 2. *qq. regul. q.* 77. *art.* 6. *notab.* 1. *&* 2. Valentia 2.2. *diſp.* 1. *quæſt.* 12. *punct.* 1. *ad finem.* Sanchez *loco cit. n.* 51.

Navarrus. Rodrig. Valentia. Sanchez.

7. Regularis, qui ſuæ Religionis habitu depoſito, alterius Religionis amictum aſſumit, excommunicationem hanc incurrit, ſi illam non ingrediatur. Ratio eſt; quia ex ea dimiſſione datur ſufficiens vagandi cauſa, cò quòd etſi ratione habitus regularis ille cognoſci ac capi poſſit, tamen facillimè ſe eximet, vagarique poterit probando ſe illius Ordinis, quem habitus indicat, religioſum non eſſe: ac proinde ſolùm cogetur habitum deponere relicta ſibi facultate vagandi. Idque verum habet, quamvis ſuæ Religionis habitum dimittat, ut citiùs in aliam admittatur; quia tunc verè datur materia vagandi, dum ad aliam Religionem non tranſit. Ita Rodriguez *tomo* 2. *qq. regular. quæſt.* 77. *articul.* 6. *notabili* 2. Bañez *ſecunda ſecundæ, quæſt.* 12. *artic.* 1. *poſt* 2. *concluſ.*

Rodrig. Bañez.

Sed difficultas eſt, quando aſſumitur habitus alterius Religionis ad illam tranſeundo contra jura, an excommunicationem incurrat? Affirmant quidam probabiliter; quia hic temere & cum graviſſimo peccato dimittit habitum ſuæ Religionis: nam adhuc poſt ingreſſum prior Religio eſt ſua Religio jure & obligatione, & licet omnimodam vagandi occaſionem non habeat, nihilominus aliquam habet; quia ſi ex ſecunda Religione ſaltem ante profeſſionem exire prætendat, id facere non poterit ſine aliquo vagandi periculo. Ita Navarrus *in Man. cap.* 27. *num.* 131. Azorius *lib.* 12. *tom.* 1. *cap.* 14. *quæſt.* 10. *& cap.* 17. *quæſt.* 11. Suarez *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 4. *num.* 32. Filliucius *tract.* 14. *num.* 134. *ad finem*, & alij. Communior tamen & probabilior ſententia ſuſtinet hunc non incurrere. Ratio eſt, quia textus *cap. Vt periculoſa*, eam habitus dimiſſionem excommunicationi ſubjicit, quæ attentis circumſtantijs apta eſt ad periculosè vagandum. Sed hujuſmodi dimiſſio non eſt talis, cùm tranſeundo ad aliam Religionem, ejuſque habitum aſſumendo, non detur anſa vagandi, nec, ut evagetur, habitum aſſumat: tum quia talis regularis non tam dimittit, quàm commutat habitum Religionis, præſertim quando immediatè aſſumit alium; unde cùm lex pœnalis ſtrictè ſit interpretanda, non videtur extendenda ad hunc caſum. Sic tenent Dominicus & Joannes Andreas *in dict. cap. Vt periculoſa, ne Clerici vel Monachi, in* 6. Sayrus *de cenſur. lib.* 5. *cap. trigeſimo-octavo, numero decimo-ſeptimo*, Leſſius *libro* 2. *cap.* 41. *numero* 102. Paſſarellus *in privileg. Minimorum cap. trigeſimo-quarto*, Sanchez *loco citato num.* 68. Rodriguez *tom.* 2. *qq. reg. quæſt.* 77. *art.* 6. *notab.* 2. & alij penes ipſos.

Navarrus. Azorius. Suarez. Filliucius. Dominic. Io. Andr. Sayrus. Leſſius. Paſſarell. Rodrig.

7. Regularis profeſſus induens habitum Novitiorum afficitur excommunicatione, quoties Novitij non eodē veſtiū genere utuntur, quo profeſſi. Ratio eſt; quia textus excomunicat expreſsè profeſſos deponentes habitū ſuę Religionis, & alium aſſumentes: at hic verè deponit habitū ſuæ Religionis; habitus enim Novitiorum non eſt habitus ſuæ Religionis, ſed tyronum experientium

utrum sibi Religio placeat, ut in eam recipiantur: tum quia datur sufficiens vagandi occasio, quam textus vitare voluit. Cùm enim Novitius liberè possit à Monasterio exire, & ad sæcularem statum redire, induens Novitiorum habitum liberè vagari poterit, vel ad summum cogi, ut illum habitum exuat. Ita Sanctarellus *de Apostasia cap. 1. n. 20.* Sanchez *loco cit. n. 53.* Si autem ille professus nullum habitum Novitiorum peculiarem induat, quo non possit cognosci professus, sed tantum deponat aliquid superadditum, quo professi à Novitijs secernuntur, non incurret; quia non satis est dimissio habitus absque alterius assumptione; ut diximus suprà ex probabiliori sententia *n. 6.* verùm alij dicent incurrere, si illud superadditum dimittat, ita ut ab externis non censeatur professus, sed Novitius: hic enim secundùm illos habitum suæ Religionis dimittit, & causam vagandi arripit.

Sanctar. Sanchez.

9. Regularis ad beneficium Parochiale alicujus Ecclesiæ promotus, afficitur hac excommunicatione dimittendo habitum suæ Religionis: quia adhuc tenetur votis Religionis, nec exemptus est ab observantia regulari, dum eum commodè servare potest unà cum Parochiali munere. Ita Sanchez *lib. 6. moral. cap. 6. num. 36.* Sylvester *verb. Religio 7. q. 11.* & alij.

Sanchez. Sylvester.

Sed difficultas est, an regularis creatus Episcopus, vel Cardinalis in istam excommunicationem incidat, dimittendo habitum suę Religionis? Et videtur affirmativè respondendum; quia hujusmodi regularis tenetur habitum suæ Religionis deferre, ex *cap. Clerici, de vita & honest. Clericor.* ubi habetur, *Pontifices autem in publico, & in Ecclesia superindumentis lineis omnes utuntur: nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem.* Quanquam hoc tempore post rituale Romanum jussu Clem. VIII. reformatum possint Episcopi religiosi, retento colore habitus suæ religionis, accommodare se formæ vestium, quas alij Episcopi adhibent: tum quia Episcopus regularis omittens habitum & assumens illam albam & candidam vestem, quæ ab Episcopis exteriùs defertur, incurrit excommunicationem latam contra Monachos omittentes habitum, *c. 2. ne clerici, vel Monachi, in 6.* testantur Sylvester *verb. Religio 7. q. 11.* Majolus *de irregul. lib. 2. c. 1. n. 13.* Surdus *de alim. tit. 8. privil. 79 n. 10.* & alij multi. Nihilominus opinioni neganti adhærendum est: tum quia nullo jure est excommunicatio indicta Monacho, qui prætextu Episcopalis dignitatis habitum dimittit, & Episcopalem induit; quia textus ille excommunicans clarè loquitur de regulari sub Abbatis obedientia manente, ejusque regulis astricto, atque ita eam rationem reddit, ne detur Monachis materia vagandi dimisso habitu; eò quòd à nemine cognoscentur: quæ in Episcopo regulari deficiunt, utpotè qui non est sub regulæ obedientia, & induens Episcopalem hàbitum minùs aptus erit ad evagandum: tum quia regularis factus Episcopus eximitur ab omnibus regulis & statutis Religionis, *cap unico 18. quæst. 1.* ubi habetur, *Monachum, quem canon. electio à jugo regulæ monasticæ professionis absoluit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit.* Cùm ergo regularis teneatur habitum suæ Religionis deferre, præcipuè ob regulas & statuta suæ Religionis, sequitur exemptum à regulis & statutis suæ Religionis, non teneri ex vi regularis observantiæ ad habitum illius deferendum; consequenter regularem factum Episcopum non affici excommunicatione hujus textus. Ita docent Sanchez *lib. 6. moral. cap. 6. n. 23.* Rodriguez *tom. 2. qq. reg. quæst. 59. art. 3.* Barbosa *de jur. Eccles. lib. 1. cap. 3. num. 25.* Lezana *in quæst. canon. cap. 17. num. 9.* Diana *part. 5. tract. 2. resol. 66.* Sanctarellus *de apostasia cap. 1. n. 15.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 7. quæst. 4.* & alij apud ipsos citati.

Cl. VIII. Sylvester, Majolus. Sanchez. Rodrig. Barbosa, Lezana. Diana. Sanctar. Azorius.

Quæ hic dicta sunt de regulari Episcopo, habèt etiam locum in regulari promoto ad Cardinalatum; hic enim non subijcitur huic excommunicationi non deferendo habitum Religionis, quia à regulari observantia subtrahitur instàr Episcopi: nam in Ecclesia sua titulari jurisdictionem quasi Episcopalem habet, ut resolvunt Diana *suprà* & Sanchez *loco citat. num. 34.* cum alijs.

Diana. Sanchez.

10. Regularis utens vestimentis prophanis peccat mortaliter. Nomine autem prophanorũ vestimentorum, intelliguntur ea, quæ sunt propria sæcularium, ut vestimenta serica aut auro ornata, aut quæcumque alia, quæ non decent statum & paupertatẽ religiosam. Ratio autem est; quia hujusmodi vestimenta sunt contra paupertatem, & statum religiosum in re gravi: nec potest habere præsumptam licentiam Superioris, quia Superior non videt hujusmodi vestimenta, cùm occultẽtur vestibus regularibus superpositis: tum quia non potest præsumi illa licentia, quam non potest Superior concedere. Non potest autem concedere licentiam quoad ea, quæ sunt contra statum religiosum: tamen ratione parvitatis materiæ posset talis regularis excusari à peccato mortali; ut si parum excedant statum religiosum, tam ratione materiæ, quàm ratione ornamentorum: aut si non omnia, sed aliquid minus principale de vestimentis tale sit, ut essent tibialia, cingula, & alia hujusmodi; dummodò in his quoque non sit notabilis excessus. Ita Ioannes Henriquez *in compend. cas. moral. cap. 38 num. 47.* & alij.

Io. Henr.

11. Regulares professi accedentes ad quævis studia absque licentia sui Prælati, & consilio conventus, vel majoris partis, excommunicationem incurrunt latam *in cap. Vt periculosa ne clerici vel Monachi, in 6.* ubi habetur, *Nec accedat ad quævis studia literarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui conventus vel majoris partis ejusdem sibi eundi ad studium licentia primitùs sit concessa.* Circa quem textum hæc notanda veniunt. *Primum*, quod accessus ad studia sub excommunicatione prohibetur ille, quo regularis causa studiorum proficiscitur extra oppidum sui Monasterij; quia textus loquitur de proficiscente aliò causa studendi, sive intendat dare operam studijs aliàs prohibitis, ut Legibus, aut Medicinæ; sive aliàs permissis, ut Theologiæ, aut sacris Canonibus: nam textus loquitur generaliter ad quævis studia. Ita Sanchez *lib. 6. moral. cap. 8. n. 73. & 76.* Navarrus *in Man c. 24. n. 133.* Sayrus *de censuris lib. 3. c. 33. n. 20.* Suarez *de censur. disp. 23. sect.... n. 35.* & alij communiter. Ex quo fit, quòd si regularis accedat ad studia sui oppidi, non afficitur hac censura, etiamsi dum scholas sui oppidi frequentat, extra monasterium commoretur; quia textus videtur expresè loqui de profectione aliò causâ studendi; licet aliunde fieri possit ut graviter peccet, manendo extra Monasterium absque debita licentia, ut notant Sanchez *loc. citat. num. 76.* & Sanctarellus *in tractat. de apostasia capit. 2. num. 2.* & alij citati. Neque etiam incidit in hanc excommunicationem, accedens sine licentia ad Monasterium suæ Religionis in alio oppido existens, ubi sunt studia intra claustrum; quia hic non dicitur accedere ad studia, sed potiùs mutare Monasterium; & textus intelligitur de adeunte studia; quæ extra suæ Religionis claustrum sunt; quia tunc est profectio ad studium.

Sanchez. Navarrus. Sayrus. Suarez. Sanchez. Sanctar.

Ita

Sayrus. Suarez. Azorius. Ita Sayrus *loco cit. n.* 21. Suarez *loco cit.* Azorius *to. 1. lib. 12. cap. 13. quæſt. 3. caſu* 16. *verſ. De altera excommunicatione*, & communis.

12. Secundũ notabile eſt, quod nomine Prælati, cuius conſenſus cum conventus conſilio ad hanc licentiam concedendam requiritur, non tantùm ipſe Abbas intelligitur, ſed etiam eius locũ tenẽs, qui verè eſt illius religionis Prælatus: quia in omnibus Prælati vices gerit, totaque eius poteſtate gaudet. Si tamen juxta religionis conſtitutiones non poſſit immediatus Prælatus vel eius locum tenens hanc facultatem cum conſilio conventus concedere, tunc Summus Põtifex nõ videtur velle conſtitutionibus derogare, ſeu facultatẽ ampliare, ſed potiùs reſtringere & coarctare, ut ſi facultatem concedendæ huiuſmodi licentiæ habeant, nequeant concedere ſine conſilio conventus, vel maioris partis. Suarez. Sanchez. Ita Suarez *de cenſur. diſp. 23. ſect. 4. num. 37.* Sanchez *loco cit. num. 77. in fine.*

Nomine etiam Prælati, venit Generalis aut Provincialis in monaſteriis exemptis, vel etiam Epiſcopus in non exemptis, niſi aliud ferant ipſorum conſtitutiones; nam Epiſcopus eſt ſuperior immediato Prælato nõ exempto, ſicut eſt Generalis, aut Provincialis reſpectu exempti: hi enim poſſunt hanc facultatem concedere abſque conſilio conventus: quia dum textus requirit conſilium conventus, loquitur de Prælato immediato, qui conventum habet, ut in concedenda hac exeundi facultate maturo conſilio procedat. Sanchez. Navarrus. Sayrus. Ita Sanchez *loco citato num. 87. & 77.* Navarrus *in man. n. 133.* Sayrus *loco citato num. 21.* & alij communiter.

13. Tertium notabile eſt, quod licentia hęc invalidè obtẽta, puta per dolum, vel metum gravem, vel à Superiore non habente facultatem eam concedendi, non ſufficit ad excuſandũ ab hac cenſura; quia idẽ eſt facere aliquid cum licentia invalida, ac facere ſine licentia: & hoc verum, ſive licentia invalidè obtenta ſit à Prælato immediato, ſive mediato: militat enim in utroque eadem ratio. Sanchez. Sanctar. Ita Sanchez *loco cit. n. 79.* Sanctar. *de apoſtaſia c. 2. n. 5.*

An autem quando licentia accedendi ad ſtudia obtinetur à Prælato immediato, ſatis ſit ut Prælatus conſilium conventus, ſeu maioris partis audierit, an etiam neceſſe ſit ut conuentus vel maior eius pars conſentiat? Quidam ſuſtinent requiri conſenſum maioris partis conventus: quia quoties conſilium petendum eſt ab aliquo tanquam à collega & participe officij, eſt illud neceſſariò ſequendum, & in hoc caſu non eſt differentia inter conſilium & conſenſum. At conventus eſt collega & particeps officij Prælati in rebus arduis exequendis. qualem reputat hanc textus *c. Vt periculoſa.* Sanchez. Sayrus. Ita Sanchez *loco cit. n. 82.* Sayrus *de cenſur. lib. 3. c. 31. n. 20.* & alij probabiliter. Verùm aliorũ opinio eſt, & quidem probabilior, non requiri conſenſum, ſed ſufficere audire conſilium conventus, & liberum eſſe Prælato illud non ſequi. Ratio eſt; quia in textu non dicitur, cum conſenſu, ſed cum conſilio. At quando conſilium deſideratur, ſatis eſt illud petere & expectare, nec opus eſt illud ſequi. Suarez. Navarrus. Cajetanus Bonacina. Ita Suarez *de cenſ. diſp. 23. ſect 4. n. 37.* ubi refert Navarrum & Cajetanum Bonacina *tom. 3. diſp. 2. quæſt. 8. punct. 8. num. 10.* & alij.

14. Quartum notabile eſt, quòd Prælatus regularis alicuius monaſterij adiens ſtudia abſque ſui Superioris licentia, non afficitur hâc cenſurâ ſecundùm probabiliorem ſententiam, quidquid dicat Sylveſter. Ratio eſt; quia textus loquitur de ſubdito habente proximum & immediatum conventus Prælatum, ut patet ex his verbis, *à ſuo Prælato cum conſilio ſui conventus.* Et idem dicendum eſt de alio Superiori, qui vicem Abbatis tenet in conventu, & eſt verè Prælatus illius, quia eadem eſt ratio. Ita Sayrus *de cenſur. lib. 3. c. 33. n. 22.* Navarrus *in man. c. 27. n. 133.* Suarez *de cenſur diſp. 23. ſect. 4 n. 38.* Filliuctus *tract. 14. num. 130.* & alij. Sayrus. Navarrus. Suarez. Filliucius.

15. Regulares à clauſtro exeuntes ad audiendas leges, aut phyſicam, & intra bimeſtre non redeuntes, excommunicationem incurrunt, latam *in cap. Non magnopere, ne clerici vel monachi* ubi ſic habetur: *Vnde ne occaſione ſcientiæ ſpirituales viri mundanis rurſus actionibus involuantur, ſtatuimus, ut nulli omninò poſt votum religionis, & poſt factam in aliquo loco religioſo profeſſionem, ad phyſicam legeſve mundanas legendas permittantur exire. Si vero exierint & ad clauſtrum ſuum intra duorum menſium ſpatium non redierint, ſicut excõmunicati ab omnibus evitẽtur: & in nulla cauſa, ſi patrocinium præſtare voluerint, audiantur: reverſi antẽ in choro, capitulo, menſa & ceteris ultimi Fratrum exiſtant, & (niſi forte ex miſericordia eis parcatur,) totius ſtẽ promotionis amittant.* Ita Alexand. III. in Concil. Turonenſ. Alex. III. Hon. III.

Quam excommunicationem Honorius III. *in c. Super ſpecula, eodem titulo*, confirmavit, auxit, & ad clericos extendit. Circa quæ jura nonnulla dubia veniunt reſolvenda.

Dubium primum. Quid ſit exire de clauſtro ad audiendas leges vel phyſicam? Nonnulli arbitrãtur ſatis eſſe exire, & in eodem oppido præfatas ſcientias audire, & redire: tum quia aliàs iſta conſtitutio nullius ferè momenti eſſet, cùm regulares non conſueverint alia ratione de clauſtris ad audiendas doctrinas, etiam ſacras, exire: tum quia eadem excommunicatio *in c. Super ſpecula* extenditur ab Honorio III. ad clericos ſæculares præfatas doctrinas audientes: ergo eadem ratione videtur voluiſſe prohibere regularibus, etiamſi ad alium locum non ſe conferant ad habitandum. Ita Suarez *de cenſ. diſp. 23 ſect. 3 n. 11.* Filliu. *tract. 14. n 128.* Hon. III. Suarez. Filliucius. Communior tamen & probabilior ſententia eſt, regularem non affici hac cenſura, audiendo leges aut medicinam in eadẽ civitate, ſi ad monaſteriũ ſerò redeat: nam prædicti Pontifices excommunicationem ferunt contra regulares exeuntes ad præfatas ſcientias audiendas, niſi ad clauſtrum ſuum intra duorum menſium ſpatium redierint: ergo indicare videntur opus eſſe, ut exeant ad habitandum extra clauſtrum: qui enim in monaſterio habitant, & ad ſcholas publicas accedunt, quotidie ad clauſtrum redire ſolent, vel ſaltem redeunt intra duos menſes Ita Sayrus *lib. 3 de cenſur. c. 33. n. 2.* Cajetanus *verb. Excommunicatio, c. 50.* Toletus *in Sum. lib. 1. cap. 37.* & alij. Sayrus. Cajetanus Toletus.

16. Secundò. Regulares hanc excommunicationẽ non incurrunt, ſi jus civile audiant, ut meliùs ad cognitionem juris canonici deveniant: & ideò ferè omnes regulares legum ſtudio incumbentes excuſari poſſunt à peccato & à cenſura, quia hoc facere poſſunt in ordine ad melius addiſcendum jus canonicũ. Sunt enim Canones magna ex parte juri civili conjuncti, unde jus Põtificium ſine legibus non poteſt intelligi, cùm ſit medulla legum; & niſi quis ſciat Canones cum legibus, non poteſt practicam judiciorum cognoſcere, ut att Baldus *in c. Cùm cauſam, de prob.* Ita ex communi Rodrig. *tom. 3. qq reg. q. 67. art. 4.* Diana *p 3. punct. 2. reſ. 79.* Abbas *in c. Non magnopere, ne clerici vel monachi.* Idẽ dicendum videtur, ſi regularis monaſterio egreditur, ut ſua præſentia principaliter honoret amicum concluſiones publicè ſuſtinentem, aut lecturam de legibus vel de medicina inchoantem: quia actio ſpecificatur à fine principali, ut advertit Toletus *lib. 1. cap. 37. n. 6.* cum aliis à ſe citatis. Baldus. Rodrig. Diana. Abbas. Toletus.

17. Tertiò. In hanc excommunicationem incidit

incidit Regularis qui non quidem exivit animo audiendi prædictas scientias, sed postea voluntate permanet extra claustrum principaliter animo eas audiendi, & post huiusmodi voluntatis mutationem duos menses extra claustrum moratur; quia licet prior exitus ad hoc ordinatus non fuerit, existentia tamen extra monasterium ad hoc ordinata fuit. Ita Suarez *de censur. disp.* 23. *sect.* 3. *n.* 15. Sayrus *lib.* 3. *c.* 33. *num.* 3. & alij communiter. Suarez. Sayrus.

Dubium tamen est, quando regularis exivit claustrum eo animo, ut audiret leges, vel physicã, postea autem non audivit; an incidat in hanc cẽsuram? Duplex est sententia. Prima est affirmativa, modò intra duos menses ad monasterium non revertatur. Ratio est; quia ista excommunicatio non est lata contra regulares audientes, sed contra egredientes animo audiendi prædictas scientias, & non redeuntes intra duos menses; ergo censura incurritur, etiamsi auditio non sequatur, quia adest effectus completus sub censura prohibitus. Ita Panormit. *in cap. Non magnopere, ne clerici, vel monachi.* Suarez *loco cit. n.* 14 Sanctarell. *de apostasia, cap.* 2. *num.* 17 probabiliter. Secunda est negativa, quia regulariter verba sunt intelligenda cum effectu: & non dicitur exisse ad audiendum, qui realiter non audit: & quando pœna imponitur ipso facto, numquam incurritur per conatum, qualiscumque fuerit. Ita Cajetanus *in Sum. verb. Excommunicatio, c.* 50. Rodriguez *tom.* 2. *q.* 7. *reg. q.* 67. *art.* 3. qui citat Joannem de Anania & Gambarum. Et hæc sententia non est improbabilis. Panorm. Suarez. Sanctar. Cajetan. Rodrig.

18. Quartò. Regularis exiens è claustro ut doceat leges vel physicam, non ligatur excommunicatione; quia dictum *cap. Super specula, ne clerici vel monachi,* loquitur solùm de exeuntibus ad audiendũ leges vel physicam: cùm ergo Honor. III. loquatur in dicto capit. solùm de audientibus, & simul affirmet Alex. III. *in c. Non magnopere,* de audientibus loquutum fuisse, dicendum videtur regulares docentes excommunicationẽ non incurrere: quia verbum legere positum *in dict. cap. Non magnopere.* idem est ac studere, & sic vulgo aliquando accipitur. Ita Suarez *loco cit. n.* 17. Navar. *in man. c.* 27. *n.* 116 Toletus *l.* 1. *c.* 37. *n.* 7. Panorm & alij; quidquid dicant Hostiens. Archid. & Sylvester apud Suarez *loco citato.* Hon. III. Alex. III. Suarez. Navarrus. Toletus. Panorm.

Porrò est hîc observandum, quod Regularis qui claustro exiit animo audiendi leges, vel physicã, liber est ab excommunicatione, si intra duos mẽses redeat. Ita communiter Doctores. Spatiũ autem illud duorum mensium computandum est à die qua regularis egreditur monasterio ad prædictas scientias audiendas: quia in textu dicitur, *si exierint & infra duorum mensium spatium non redierint,* ubi clarè indicatur initium ab exitu è claustro desumendum esse; quia tunc transgressio inchoatur. Ita Suarez *loc. cit. n.* 16. Sayrus *de cens. lib.* 3. *c.* 33. *n.* 4. Bonacina *tom.* 3 *disp.* 2. *q.* 8. *punct.* 7. *num.* 11. & alij. Suarez. Sayrus. Bonacina.

19. Regularis non habet personam legitimam comparendi in judicio, sive tanquam actor ad agendum, sive tanquam reus ad se defendendum, regulariter loquendo, absque Superioris licentia. Ratio est, quia in hoc æquatur regularis servo, & filiofamilias, contra quos, vel pro quibus, non potest fundari judicium, *l. Lis nulla & l. Vix. ff. de judicijs.* quia pro mortuis habentur, & nihil habẽt, ut tradunt communiter Doctores, quod intelligendum est quando causa est civilis. Hinc regularis non potest convenire, nec conveniri ratione contractus cum eo initi, nec libellus contra regularem formandus est, sed conveniendum monasterium & contra id formandus libellus. Proinde si agatur de contractu vel ære alieno, quibus adstrictus erat regularis ante religionis ingressum, tunc nec actio contra illum intentanda est, nec ipse debet respondere, sed monasterium, aut eius procurator nomine ipsius monasterij. Sed monasterium non tenebitur ultra bona, quæ à regulari accepit. Ita Speculator *tit. de statu monach. in princ.* Sylvest. *verb. Relig.* 8. *q.* 3. Hæc sentẽtia practicatur in Hispania. Quamquam ex jure communi *Auth. Ex causa qua fit cum monacho C. de Episc. & cler.* actionis forma concipienda sit contra regularis personam, cò quòd cum eo est contractum, & obligatio inhæret personæ, quæ quidem obligatio per religionis professionem tolli non potuit. Si verò condemnationis sentẽtia est executioni mandãda in religiosi bonis; tunc actionis forma, in monasterium est derigenda, in quod bona regularis transiverunt. Ita Navar. *comment. 2. de reg. num.* 67. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 11. *q.* 12. & alij. Speculat. Sylvester. Navarrus Azorius.

20. Si actio criminalis ob aliquod delictum à regulari cõmissũ intentetur, ipse est conveniendus & contra ipsum formandus est libellus, habetque personã legitimam ad se defendendũ absque Superioris licentia; licet Superior possit ei assistere; quia servus similiter convenitur & non dominus ratione delicti commissi, ut constat ex *ex l. penul. in fine C. de noxalibus.* & de regulari tradunt Speculator *tit. de reo, §. unic. n.* 19. Felinus *in cap. Cùm I. num.* 10. *de sentent. & re judicata.* Speculat. Felinus.

21. Dantur tamen aliqui casus, in quibus regularis potest agere & convenire in judicio. Primus est, quando est in scholis studendo cũ licentia Superioris: nam eo ipso, quòd licentia standi in studio conceditur, censetur quoque concessa licentia agendi, ac se defendendi in gestis ratione studij: quia tunc omnia potest, sine quibus in studio commodè esse non potest. Ita Rodrig. *tom.* 3. *qq. reg. q.* 67. *art.* 6. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 11. *q.* 9. Navarrus *comment. 2. de regul. n.* 65. Speculator *tit. de actore. §. unic. num.* 50. & alij communiter. Rodrig. Azorius. Navarrus. Speculat.

Secundus casus est, quando Superior est absens, ad quem commodè non pateat accessus, & ex mora periculum imminet. Idem juris est, si Superioris obitu monasterium vacet. Navarrus *loco cit. n.* 65. *vers. Addo nonò,* qui citat Speculatorem, Antonium, Abbatem, Cardinalem & Imolam. Navarrus.

Tertius est, si regularis Prioratum, Præfecturam, vel aliam administrationem in titulum beneficij saltem manualis habeat: non sufficeret autem habere in simplicem administrationem, ut alios allegans docet Navarrus *loco citato num.* 64. Navarrus.

Quartus casus est, si regularis agere velit, de jure intra monasterium manendi & vivendi & ad illud redeundi, aut de jure & facultate suffragium ferendi in consessu, in comitiis, aut de jure eligendi, aut sedendi in choro, aut de jure alimenta, vel impensas à monasterio exigendi & percipiẽdi, aut de quocumque alio jure sibi competente per professionem, electionem, vel collationem canonicã & alio quolibet titulo, cuius est capax. Quamvis enim non possit regularis electionem de se acceptare, vel provisionem sibi factam sine consensu Superioris; at post acceptationem de illius licentia factam, jus habet agendi absque alio Superioris consensu, ut colligi potest *ex c. Quorumdam, & c. Si religiosus. de elect. in* 6. & docent Navarrus *comment. 2. de regul. n.* 4. *vers. Addo* 5. Azorius *tom.* 1. *l.* 12. *c.* 11. *q.* 9. Qui addunt regulari de jure non permitti, ut agat contra suum Superiorem, qui ipsum beneficio regulari absque malo animo privavit, quamvis contra alium suo cum beneficio spoliantem agere possit, & contra suum quoque Superiorem, Navarrus. Azorius.

riorem, ſi eum malo animo beneficio dimovit. qui malus animus præſumetur ſi Prælatus accuſatus eſſet ab eo ſubdito, & ad inſtantiam illius de eius crimine inquiritur; præſertim quando ſpoliaretur beneficio annuali regulari: nam ſi ſpoliaretur ſæculari, vel regulari perpetuo, vel ad vitam dato à Pontifice, poſſet agere de ſpolio, nec probatio mali animi exigeretur.

Quintus caſus eſt, ſi regularis ſuum Superiorem accuſare velit; poteſt enim illum accuſare, niſi aliqua cauſa rationabilis impediat: alios autem accuſare non poteſt, ut habetur *in cap. Ex parte, de accuſat.* Quando autem regularis accuſat Superiorem, ſunt ei miniſtrandæ de rebus Monaſterij expenſæ, donec cauſa debitum finem accipiat; non ſolùm victus, ſed etiam expenſæ neceſſariæ ad litem proſequendam miniſtrandæ ſunt. Ratio redditur in eo textu, eò quòd Monachus proprium non habeat. Ita Innocentius, Joannes Andreas, Abbas, Ancharanus & alij *in c. Ex parte.* Propterea in hoc caſu datur actio Monacho contra Abbatem ad has expenſas petendas, ut advertit Surdus *de alimentis, tit. 1. q. 121.* qui etiam notat Monaſterium non teneri expenſas litis ſuppeditare, ſi regularis accuſans habeat peculium aliquod, unde expenſas ſolvat. Cui ſubſcribunt Antonius, Abbas, Henricus, Felinus *in dict. cap Ex parte,* & alij.

Innocent. Ioa. Andr. Abbas. Anchar. Surdus. Antonius. Abbas. Henricus. Felinus.

Quando autem dicitur in eo capite non poſſe Monachum quemquam accuſare præter proprium Abbatem, intelligendum eſt, niſi duplex concurrat conditio. Prima eſt licentia Abbatis: Altera Monaſterij utilitas. His enim concurrentibus poteſt quemcumque accuſare, per *cap. Monachi, el. 2. 16. quæſt. 1.* & docent Farinacius *in praxi crimin. tom. 1. tit. de accuſat. quæſtione decimatertia, numero 24.* Decianus *pract. crimin. part. 1. lib. 3. cap. 8. num. 15. & 16.* & alij proximè citati *in dict. cap. Ex parte.* Sed de his plura apud Sanchez *lib. 6. mor. cap. 12.*

Farinac. Decianus. Sanchez.

22. Regulares non poſſunt Tabellionis officium exercere, argument. text. *in cap. Sicut, ne Clerici, vel Monachi.* Sed difficultas eſt, an ſi adverſus hanc prohibitionem Monachus, qui in ſæculo erat tabellio, conficiat inſtrumentum, ſit validum? Aliqui negant, ſi abſque licentia Superioris id fieret: quia ea inſtrumenta facta eſſent contra legis prohibitionem: at frequentiſſima ſententia affirmat inſtrumenta ab eis confecta fore valida: quia irritatio huiuſmodi inſtrumentorum non eſſet in damnum ipſius regularis delinquentis, & cui pœna imponitur, ſed partium, quibus pœna infligenda non eſt. Si tamen per Superiorem ſit ſpecialiter religioſo interdictum uti eo officio, & interdictum ſit publicum, ita ut ad populi notitiam pervenerit, geſta eſſent irrita, ſecus antea. Ita Alexander *in l. Prætor ait, §. final. ff. de edendo,* & Angelus *ibidem,* Sanchez *libro ſexto mor. cap. 13. num. quadrageſimooctavo,* Sylveſter *verb. Tabellio, quæſtione tertia, dict. 5.* & alij penes ipſos. Poterit tamen Monachus licitè poſt profeſſionem complere & ſignare inſtrumenta, quæ dum Tabellio erat in ſæculo confecerat, vel in ſuo protocollo breviter conſcripſerat, ut poſtea per otium, quoties opus fuerit, latiùs extenderet; modò id faciat ex Superioris licentia. Imò poteſt Monaſterium conveniri, ut Monachus antè Notarius hæc inſtrumenta perficiat: quia complere vetera inſtrumenta, non eſt denuò inſtrumenta conficere, ſed executio atque conſummatio inſtrumenti tempore habili confecti. Ita Covarruvias *quæſt. pract. cap. 19. numero octavo, verſ. Monachus.* Navarrus *Comment. 1. 2. de regul. num. quadrageſimoſecundo,* Rodriguez *tom. 3. qq. regul. quæſt. 8. art. 3.* Sanchez *loco cit. num. 49. 50. & 51.* Angelus *verb. Tabellio, num. 4.* & ibi Sylveſter *quæſt. 3. dict. 4.* & alij communiter.

Alexand. Angelus. Sanchez. Sylveſt. Covar. Navarrus. Rodrig. Sanchez. Angelus. Sylveſter.

23. Regulares non poſſunt fideiubere, niſi cum licentia Prælati, & maioris partis Capituli, ut expreſsè habetur *in cap. Quod quibuſcumque, de fideiuſſoribus.* Unde Prælatus Monaſterij non poteſt ſine maioris partis Capituli conſenſu facultatem fideiubendi concedere. & hoc ita verum eſt, quod ſi de facto regularis fideiubeat abſque dicta licentia, fideiuſſio erit irrita: quia proprium non habet, quod alteri obliget; ſicut eſſet irrita donatio vel alia diſpoſitio ſine legitima licentia. Ita Molina *tract. 2. de juſtit. diſp. 540.* Azorius *tom. 1 lib. 12. cap. 11. quæſt. 2.* Sanchez *lib. 6. mor. cap. 14. num. 41.* Rebellus *de obligat. juſtit. part. 2. lib. 16 quæſt. unic. de fideiuſſ. num. 13.* & alij multi Juriſperiti *in cap. 1. ne Clerici, vel Monachi, in 6.* qui animaduerrunt, quòd licet regularis de Superioris licentia, dum exiſtit in ſtudio, poſſit contractus inire; non poteſt tamen validè fideiubere: quia ſolùm poteſt contrahere, & obligare Monaſterium in iis, quibus ad neceſſarias ſtudiis expenſas indiget, inter quæ fideiuſſio non computatur.

Molina. Sanchez. Azorius. Rebellus.

24. Ex Superioris licentia poſſunt regulares ad doctoratus gradum promoveri in Theologia & jure Canonico: quia nullibi interdicitur eius gradus aſſumptio, neque harum facultatum ſtudium. Ita Sylveſter *verb. Doctor, q. 6. n. 7.* Rodriguez *tom. 2 qq. reg. q. 75. art. 1.* Navarrus *Comment. 2. de reg. n. 2. verſ. Tertiò dico.* Tabiena *verb. Magiſter. q. 2. n. 3.* & ibi Armilla *n. 4.* An autem in jure civili, vel medicina poſſint regulares ad doctoratus gradũ promoveri? Negant Rebuffus *in praxi beneficiorum. tit. de diſpenſat. cum regul. n. 27.* Tamburinius *tom. 3. de jur. Abbat. diſp. 3. quæſt. 6. num. 38.* Ratio eſt; quia ipſis interdicitur juri civili, aut medicinæ ſtudere, *cap. Non magnopere,* & *cap. Super ſpecula, ne Clerici, vel Monachi.* Ergo & Doctoris gradum in illis accipere. Ceterum alijs placet affirmativa ſententia, præſertim ſi regularis juri civili operam dederat ante ingreſſum Religionis, poſſet poſtea ex ſui Superioris licentia ad doctoratum promoveri. Ducuntur, quia *in c. Non magnopere,* & *c. Super ſpecula,* ſola auditio juris civilis, aut medicinæ exeundo Clauſtrum interdicitur; & longè diverſum eſt promoveri ad gradus in his facultatibus, quas regulares in ſæculo didicerant. Ita Felinus *in cap. Cum dilecta, n. 19. de reſcriptis,* Calderinus *conſil. 2. de Magiſt.* Salzedo *in pract. Canon. Bernard. Diaz, cap. 59. §. penult.* Imò arbitratur Sanchez *loco cit. num. 45.* idem dicendum eſſe, quamvis in Religione ipſa facultatibus juris civilis & medicinæ operam dederit è Clauſtro exiens; licet enim peccarit ſtudendo, peccatum tamen præcedens ſtudij harum facultatum non reddit regularem ineptum doctoratu. Sed advertendum eſt, quod *in dict. c. Non magnopere,* interdicitur regularibus legere phyſicam & leges civiles. Unde ſi gradus doctoratus ad legendas eas facultates ordinetur, proculdubio ad illum promoveri non poterunt, ex vi dictæ decretalis & eius mente.

Sylveſter. Rodrig. Navarrus. Tabiena. Armilla. Rebuffus. Tambur. Felinus. Calderin. Salzedo. Sanchez.

25. Bonifacius IX. & Innoc. VIII. conceſſerunt Generali Ordinis Prædicatorum, ut in quolibet Capitulo Generali uni ex Fratribus in Theologia provecto, ac per Generalem & Diffinitores, vel per Magiſtros ad id deputatos, prævio examine, & idoneo invento, Magiſterij honor & docendi licentia conferri poſſit, ſervatis tamen conditionibus Concilij Viennenſis, & alijs ſolemnitatibus conſuetis: qui taliter graduatus omnibus gratijs,

Bon. IX. Inn. VIII.

Digitized by Google

tijs, privilegijs, libertatibus, Fratribus Ordinis eiuſdem Pariſienſibus Magiſtris in Theologia conceſſis frui, & gaudere valeat, ac ſi in eodem Pariſienſi ſtudio huiuſmodi magiſterij gradum recepiſſet. Ita Rodriguez *tom. 2. quæſtionum regul. quæſt. 75. art. 1.* Rodrig.

Martinus V. prohibuit Fratribus Minoribus poſſe conferri gradum magiſterij in aliqua univerſitate, niſi curſus per conſtitutiones Apoſtolicas & ſui Ordinis inſtituta perfecerint, & aliàs ad dictum gradum obtinendum idonei exiſtant. Secus facientes gradu & honore magiſterij careant, ac lecturis & actibus gratiiſque magiſtralibus ipſo facto privati exiſtant, & ad eadem de cetero inhabiles. Idemque ſtatuit, ſi gradum receperint extra univerſitates à generali Capitulo ad id ſpecialiter electas & deputatas; quod tenentur Superiores & alij Prælati, vel Capitula obſervare & obſervari facere ſub pœna excommunicationis, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus. Ita Rodriguez *loco citato art. 2.* Sanchez *lib. 6. mor. cap. 4 num. 47.* Mart. V. Rodrig. Sanchez.

Denique regularis miſſus à Superiore ad literas addiſcendas, cenſetur quoque licentiam habere, ut ad doctoratus gradum promoveatur, ac proinde expenſas in tali gradu factas & neceſſarias, modò ſumptuoſæ non ſint, tenetur monaſterium ſolvere. Ita Felinus *in cap. Ex parte, num. 3. de accuſat. & cap. Cùm delicta, num. 18. & 19. de reſcriptis.* Navarrus *comment. 2. de regul. mon. 2. verſ. Tertiò dico.* Surdus *de aliment. tit 8. privil. 97 num. 4. & 5.* De his plura apud Rodriguez *tom. 2. quæſtionum regul quæſt 75. editionis nova.* Felinus. Navarrus. Surdus. Rodrig.

26 Monachi & canonici Regulares ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, prohibentur accedere ad curias Principum ſæcularium, abſque licentia ſuorum Prælatorum, cum intentione prædictis ſuis Prælatis, aut monaſteriis nocendi. Ex *Clementina 1. Ne in agro, de ſtatu monachorum*, ubi habetur: *Nos eorum in hac parte reprobis auſibus obviare volentes, hoc edicto perpetuo prohibemus, ne monachi aut regulares canonici adminiſtrationem aliquam non habentes, ad curias Principum abſque ſpeciali Prælatorum ſuorum licentia ſe conferre præſumant. Quòd ſi ut ſuis Prælatis aut monaſterijs damnum aliquod inferant, ad dictas curias ſe conferre præſumpſerint, excommunicationis ſententiam eos incurrere volumus ipſo facto.* Ex quo textu colligitur duas conditiones requiri ad iſtam excommunicationem incurrendam, quarum prima eſt acceſſus ad curias Principum; ſecunda eſt intentio nocendi ſuis Prælatis, aut monaſterijs. Hinc ſi monachus accedat ad curias Principum intentione damnum inferendi, ſubiicitur huic cenſuræ, etiam ſi reipſa nullum inferat damnum; nam hic facit actionem ſub cenſurâ prohibitam; actio enim prohibita ſub cenſura eſt acceſſus animo nocendi. Ita ex Gloſſa docet Toletus *lib. 1. c. 39. n. 4.* cum alijs. Gloſſa. Toletus.

Item non incurrit accedens ad curiam animo nocendi alicui religioſo ſui monaſterij, qui Prælatus non ſit: vel alteri religioni, aut alteri monaſterio, etiamſi alterum monaſterium ſit eiuſdem religionis: textus enim loquitur de nocentibus ſuis Prælatis aut monaſteriis, ubi particula *ſuis* eſt ſtrictè & propriè accipienda. Item non comprehenduntur ſub hac cenſura monachi ſeu canonici regulares adminiſtrationem aliquam habentes nō ſolùm temporalem, verùm etiam ſpiritualem. Nec hac cenſura ligantur quilibet regulares ſeu religioſi, ſed tantummodo monachi & canonici regulares: quia textus iſtorum ſolùm meminit, & verba in materia pœnali odioſa non ſunt ampliꝛanda, ſed reſtringenda. Ita Suarez *de cenſuris diſp. 23. ſect. 5.* Filliucius *tract. 14. cap. 8. q. 6.* Bonacina *tom. 3. diſp. 2. q. 8. punct. 9.* apud quos plura. Suarez. Filliucius. Bonacina

27. Regulares omnes tenentur ad obſervandas regulas & ſtatuta Ordinum ſuorum, tam in habitu & converſatione, quàm in orationibus, divinis officijs, Sacramentorum frequentationibus, lectionibus, ſacrarum literarum ſtudijs, jeiunijs, abſtinentijs, & alijs huiuſmodi, quæ à ſuis inſtitutoribus ordinata ſunt, ut habetur *in cap. Iuxta Chalcedonenſis, cum ſeq. 16. quæſt. 1. & cap. Recolentes, de ſtat. monachor.* Et ideò ſtatutum fuit in Concilio Nicæno, ut refertur *in cap. 1. 16. quæſt 1.* ſic: *Placuit omnibus reſidentibus in ſancta Nicæna ſynodo, ut Monachorum converſatio & vita ſecundum etymologiam nominis ab omnibus diſcrepet: Monachus enim Græcè Latinè ſingularis dicitur; unde Monachum per omnia ſingulariter agere oportet.* Gloſſa hîc *in verb. Singulariter*, dicit, non ſæculariter vivere; nam ſingulariter, id eſt, ſolitariè vivere debent. Hinc Concilium Tridentin. *ſeſſ. 25. cap. 1. de reg.* ſciens, quantùm ex monaſterijs piè inſtitutis & adminiſtratis in Dei Eccleſia ſplendoris, utilitatiſque oriatur, *cenſuit, neceſſarium eſſe quo faciliùs ac maturiùs, ubi collapſa eſt, vetus & Regularis diſciplina inſtauretur, & conſtantiùs ubi conſervata eſt, perſeveret, præcipere, prout hoc decreto præcipit: Omnes Regulares, tam viri quàm mulieres, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant, & componant, atque in primis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicuius Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum reſpective eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum & veſtitum conſervanda pertinentia, fideliter obſervent; omniſque cura & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis generalibus & provincialibus quàm in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur: cùm compertum ſit, ab eis non poſſe ea quæ ad ſubſtantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari: ſi enim illa, quæ baſes ſunt & fundamenta totius Regularis diſciplinæ, exactè non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.* Ita Concilium. Con. Nic. Gloſſa. Con. Trid

Vide verb. Tutela *num. 1. & 2.* Vicarius *num. 14.* Votum 1. *num. 20.* Votum 2. *num. 16.*

Accuſatio *n. 12. & 14.* Arbiter *n. 1. & ſeq.* Bellum *n. 23.* Beneficium 1. *n. 5. 12. & ſequent.* Cardinalis *n. 9. & ſeq.* Donatio *n. 45.* Epiſcopus *n. 24 & ſeq.* Excom 6. *n. 29.* Horæ canon. 2. *n. 15.* Horæ canon. 3. *n. 5. & 6.* Horæ canon. 4. *n. 4.* Legatus *n. 11. & ſeq.* Ludus *n. 4. & ſeq.* Mandatum *n. 1.* Novitiatus *n 16.* Penſio *n. 12.* Prædicatio *n. 4. & ſeq.* Proceſſiones. Procurator *n. 11.* Sepultura *n. 12. & 17.* Teſtamentum *n. 16. & 17.* Teſtis *n. 8.*

RELIGIO.

SUMMARIUM.

1 *Religio quid ſit? Et quis poſſit ad religionem recipere ut ſit novitius.*

2 *In quibus Prælatis ſit poteſtas hæc; & an ad id requiratur conſilium conventus de jure communi.*

3 *Item de jure ſpeciali quarumdam religionum.*

4 *Quid ſtatuerit Sixtus V. circa recipiendos ad religionem. An requiratur conſenſus definitorum in capitulis, vel aliquorum Patrum extra capitula.*

5 *An omnes iſti debeant conſentire, vel ſufficiat maior pars eorum cum Prælato.*

6 An

6 *An poſſit Prælatus per ſe ſolùm admittere petentem, ſi alij Patres Collegæ ſine rationabili cauſa conſenſum denegent.*

7 *Quando receptio ad Ordinem ex privilegio, aut conſuetudine ſpectat ad ſolum Prælatum, an receptio teneat, ſi fiat abſque conſilio & conſenſu Conventus.*

8 *An Superior & alij conſultores teneantur ex officio & charitate poſtulantem admittere concurrentibus omnibus neceſſarijs, tam ex parte recipiendi, quàm ex parte Religionis, ſi nulla cauſa excuſet.*

9 *An Superiores & conſultores graviter peccent, ſi recipiant ad Religionem aliquem contra jus Canonicum, vel contra Conſtitutionem Sixti V. & quas pœnas incurrant.*

10 *An in quacumque ætate poſſint homines Religionem ingredi & in ea admitti, ſi uſum rationis habeant.*

11 *Ad Religionis ingreſſum an ſit inhabilis, qui vi & metu extrinſeco illam ingreditur, & an peccet mortaliter Prælatus talem recipiens? & an recipi poſſit qui ex metu intrinſeco petit ingreſſum; vel quando violentia juſto aliquo titulo eſt facta.*

12 *An nemo poſſit compelli ad Religionem, niſi qui ſponte ſeipſum expreſsè vel tacitè obligavit? & de excommunicatione lata in Tridentino contra cogentes feminas ad ingreſſum Monaſterij, &c.*

An aliqui caſus excipiantur in jure, in quibus poſſit quis compelli Religionem intrare.

13 *An tranſitus de una Religione ad aliam etiam ſtrictiorem ſit licitus abſque Prælati petita licentia.*

14 *An quis debeat recipi in ſtrictiori Religione ſine litteris dimiſſorijs ſui Superioris.*

15 *In dubio an Religio ſit nè arctior, ad quam ſubditus ſe transferre cupit: vel num religioſus ex charitate tranſitum procuret, &c. poſſit tranſire denegatâ ei licentiâ per Superiorem? & cujus Superioris in hoc requirendum ſit judicium.*

16 *An Superior teneatur recipere religioſum, cui conceſſit licentiam tranſeundi ad arctiorem, ſi ante emiſſam profeſſionem in ſecunda, reverti velit.*

17 *Quamvis Religiones habeant privilegium ne à ſua Religione liceat tranſitus ad aliam, an hoc non obſtante poſſit religioſus tranſire zelo melioris vitæ ad ſtrictiorem; petitâ licet non obtentâ licentiâ.*

18 *An ſolus Papa poſſit diſpenſare & dare licentiam ſine cauſa tranſeundi ad æquè ſtrictam Religionem.*

19 *An Prælati regulares ex juſta cauſa poſſint dare licentiam ſubditis tranſeundi ad Religionem æqualem? & quis ſit alle Prælatus, qui in hoc tranſitu eſt licentiam conceſſurus? an etiam requiratur conceſſus Conventus.*

20 *An licentia abſolutè conceſſa ex juſta cauſa à quocumque Superiore tranſeundi ad aliam Religionem, intelligenda ſit de laxiori.*

21 *An licentia tranſeundi ad laxiorem Religionem extendatur ad Religiones militares.*

22 *An cauſa requiratur quando ſit tranſitus ad ſtrictiorem? vel æquè ſtrictam? & quæ ſint cauſæ ut legitimus ſit tranſitus ad laxiorem.*

23 *An Superior diſpenſans ſubditum ad laxiorem, debeat priùs cauſæ hujus diſpenſationis cognitionem præmittere.*

24 *An religioſus legitimè tranſlatus ad aliam Religionem teneatur ad vota ſpecialia in priori Religione emiſſa.*

25 *An religioſus tranſlatus ad aliam Religionem ut ibi ſit Prælatus, finito Officio remaneat religioſus ſecundæ Religionis?* Refertur duplex ſententia.

26 *Tranſlatus de una Provincia in aliam ejuſdem Religionis: & tranſlatus de una Religione ad aliam diverſam, quem locum tenere debeat in ſeſſionibus? & quid de illo qui fuit tranſlatus ut fieret Prælatus.*

27 *Bona religioſi tranſeuntis ad aliam Religionem, ad quod Monaſterium ſpectare debent.*

28 *Religioſus tranſiens ad aliam Religionem, an poſſit ſecum deferre aliquid ex bonis acquiſitis in priori Monaſterio? & an poſſit ſecum deferre ſcripta ſua & libros à ſe compoſitos?* Refertur duplex ſententia.

29 *An Monialis, quæ tranſfertur ad aliud Monaſterium cum debita licentia ad ipſius inſtantiam, poſſit ſecum deferre ſuam dotem?* Refertur duplex ſententia.

30 *An peculium conceſſum abſolutè à cognatis religioſo, vel tempore profeſſionis reſervatum ex licentia Superioris, ipſo tranſeunte ad aliam Religionem, pertineat ad primum Monaſterium.*

31 *Religioſus tranſiens à Religione bonorum incapaci, ad aliam capacem, bona quæ in ſecunda Religione acquirit, an pertineant ad ſecundam Religionem.*

1. REligio ſecundùm Auguſtinum, *de vera Religione*, à religando nos Deo eſt dicta, & ceteris modis quibus diſtingui & ſumi poſſet, relictis, eſt Collegium, vel Univerſitas hominum Deum colentium; & ſtricto & proprio modo eſt, quæ ex religioſis alicui Religioni per Apoſtolicam Sedem approbatæ per profeſſionem addictis componitur: & hi propiè Religioſi dicuntur, c. *Quod votum, de voto in* 6. in qua Religione tria vota ſubſtantialia promittuntur. D. Aug.

Sed quia quis Religionem ingredi, & religioſum habitum aſſumere nequit, niſi ab ea recipiatur & niſi interveniat qui habitum illi tradat, ſupereſt nobis dicendum, ad quem ſpectet, Religionem ingredi volentes recipere, & habitum Religionis concedere.

Certum & indubitatum eſt hanc poteſtatem primò & principaliter in Summo Pontifice reperiri. Sed quia ipſe non ſolet hac poteſtate immediatè uti, idcirco eam in alio proximè reperiri neceſſarium eſt. Proinde ſecundò eſt certum, hanc poteſtatem immediatè eſſe in qualibet Religione approbata per Pontificem, & in ſola illa. Primum patet, quia ex vi approbationis talis poteſtas ei confertur, imò in ipſa approbatione intrinſecè includitur. Approbare enim Religionem, eſt concedere omnia ea, quæ ad utilitatem, conſervationem, & gubernationem Religionis pertinet: ſed conſervatio Religionis non poteſt fieri abſque receptione Novitiorum & poteſtate illos recipiendi, alias fruſtratoria eſſet approbatio. Secundum patet; quia Religio non approbata à Pontifice, non eſt Religio; juxta ea quæ ab Eccleſia ſtatuta ſunt; ergo nec poteſt habere poteſtatem admittendi ad Religionem: quamvis autem hæc poteſtas proximè ſit in toto corpore Religionis, non tamen ab illo toto poteſt immediatè exerceri, quia non poteſt totum ad ſingulos recipiendos congregari. Sequitur ergo eam eſſe in Prælatis, quibus Religionis cura demandata eſt.

2. Difficultas eſt, in quo Prælato ſit hæc poteſtas, an in ſingulis proximis, ſeu localibus Prælatis, ut ſunt Abbates, Priores, Guardiani; vel in Provincialibus, aut in Generalibus. Deinde an ſit

Digitized by Google

an sit in sola persona Prælati, vel sit cum alijs, qui circa illum actum suffragium habeant, sive sint particulares personæ ad hoc designatæ, sive sint omnes personæ ejus domus, vel Monasterij, in quo aliquis recipiendus est, & an talia suffragia requirantur ut decisiva, vel tantùm ut consultiva? quæ difficultates sequentibus conclusionibus resolventur.

Iure communi non satis cautum est, an ad solos Prælatos spectet Monachorum receptio, an simul cum Capituli consilio: nam in ipsomet communi jure supponitur, interdum ad solum Abbatem, interdum ad eum simul cum Conventu pertinere, ut patet ex *cap. ultim. de regular. in* 6. quod sic habet: *Si ad solum Abbatem pertineat creatio Monachorum, eo defuncto nequibit novus Monachus à Conventu creari; aliàs poterit, si eorum creatio spectet insimul ad utrumque*; quod cùm indefinitum remaneat, in unaquaque Religione attendenda est vel regula, vel privilegium à Sede Apostolica circa hoc concessum; & si in illis non reperiatur definitum, attendenda est consuetudo; & apud illum erit hæc potestas, quæ consuetudine præscripta illius usum habuerit. Si autem casus accidat, in quo vel ex regula & privilegijs, vel ex consuetudine non constet apud quem sit hæc potestas, quod vix moraliter accidere potest, rectè dicitur pro Religionibus Monasticis potestatem hanc jure communi esse in quolibet immediato Monasterij Prælato: tum quia potestas Prælati in suo Conventu est perfectè Monarchica, sicut potestas ducis in exercitu, & ideò de se sufficit ad recipiendos Monachos, vel milites, nisi aliunde limitetur: tum quia *in cap. Nullam* 18. *quæst.* 2. dicitur, *ut de cetero fideliter & studiosè universa, quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem ejusdem Monasterij pertinent, Abbatis solicitudo, ad quem potestas tota pertinere convenit, debeat adimplere.* Glossa. ubi Glossa notat particulam illam *tota* excludere Monachos, *quia potestas*, ait, *ita pertinet ad Abbatem, & non ad Monachos.* Receptio autem religiosorum inter ea meritò comprehenditur, quæ ad divinum cultum & Monasterij utilitatem pertinent. Panorm. Io. Andr. Navarrus Suarez. Hanc sententiam tenent Panormitanus *in cap. Porrectum*, & *cap. Ad Apostolicam, de regular.* Ioannes Andreas *ibidem*, Navarrus *in dict. cap. Nullam*, *Commentar.* 3. *de regular. num.* 5. Suarez *tom. tertio*, *de Religion. lib. quinto, cap.* 10. *num.* 6. & alij. Et hæc dicta sint de jure communi antiquo.

3. De jure speciali quarumdam Religionum non potest Abbas recipere Monachum sine consilio Capituli. Unde in Regula S. Benedicti *cap.* 3. habetur, quod præcipua Monasterij debet Abbas cum Capituli consilio expedire. Sed cùm creatio Monachorum sit ex præcipuis in Monasterio, dicendum est consilium simul Capituli in creatione Monachorum requiri, & necessarium esse. Quoties autem Capituli consultatio necessaria est, si illa omittatur, actus est nullus, per ea, quæ notantur *in cap. Novit. juncta* Glossa, *de his quæ fiunt à Prælatis sine consens. Capitul.* & ex Bartolo & adductis in ipso *in l.* 1. *§. Si plures*, *ff. de exercitatoria act. num.* 3. *&* 4. Panormitano *in cap. Ad Apostolicam, de regular.* qui docent in eo casu consultationem esse necessariam ad valorem actus, etiamsi necessarium non sit sequi judicium consultorum, quia aliud est consilium, aliud consensus, & ex vi illorum verborum requiritur consilium, non consensus. Proinde in dicta regula D. Benedicti *cap.* 3. expressè statuitur & declaratur vota Capituli non postulari ut definitiva, sed tantùm ut consultiva. Ergo consultatio tantùm erit ad validitatem actus necessaria, nec opus erit illorum judicium sequi, & consensum expectare; sed satis erit requirere, & expectare responsum. Ita Sylvester *verb. Religio* 3. *num.* 13. Navarrus *Commentar.* 3. *de regular. num.* 5. Advertit tamen Suarez *tom.* 3. *de Religion. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 7. sibi difficile videri principium illud quod Panormitanus pro constanti habet, omnem actum, ad quem secundùm regulam requiritur consultatio Capituli, esse nullum, si absque illa fiat, etiamsi consensus Capituli non sit necessarius; quia tunc potestas reverà est in solo Prælato, & circumstantia illa, seu modus agendi, non videtur de se adeò substantialis, ut defectus ejus reddat actum nullum, nisi in ipsa lege detur potestas nova sub illa conditione, ex constituendo illam tanquam formam necessariam actus; in quo casu loquuntur citati Auctores; in præsenti autem non videtur esse eadem ratio: nam potestas absolutè datur Prælatis; consultatio autem postulatur ad bonum modum regiminis, non verò ad substantiam actus. Hæc ergo regula ex vi & forma verborum magis est directiva, quàm præceptiva; quocirca mihi probabilius, ait ille auctor, videtur ex vi illius regulæ tantùm non esse irritum actum recipiendi religiosum, sed in hoc consulendam esse consuetudinem, quæ est optima legum interpres: eam autem esse existimo, ut receptio non existimetur valida sine consilio Capituli, imò etiam nec sine consensu. Ita Suarez *suprà n.* 8. quem sequitur noster Vecchis *in præx. novit. disp.* 6. *dub.* 2. *num.* 1. *&* 2. Navarrus *lib.* 1. *consil. in* 2. *edit. tit. de const. consil.* 9. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæst.* 15. & alij.

Sylvest. Navarrus. Suarez. Suarez. Vecchis. Navarrus Miranda.

4. Licet de jure communi antiquo potuisset in dubium verti, an tenerentur Prælati non solùm requirere in receptionibus Novitiorum præfatum consilium Capituli, sed etiam illud sequi; tamen post Constitutionem Sixti V. quæ incipit, *Cùm de omnibus*, relatam simul cum alia ad ejus declarationem ab eodem Pontifice edita in Bullario novo Laërtij Cherubini *tom.* 2. *Constitution.* 71. *Sixti V.* hoc omnino certum remanet; nempe consensum necessarium esse; quia prædictus Pontifex præcepit ne quis ad regularem Ordinem admittatur, nisi in Capitulis Generalibus, vel Provincialibus, accedente Definitorum consensu: & licet hanc Constitutionem postèà idem Pontifex moderatus sit per aliam suam, quæ incipit, *Ad Romanum spectat Pontificem*; tamen mandavit Novitiorum receptionem fieri debere accedente trium vel quatuor Patrum consensu extra Capitula. Et Clemens VIII. in privilegio super hac re, Priori, ac Conventui Fratrum Prædicatorum S. Stephani Salmanticensis, necnon in alio Præpositis & religiosis Congregationis Clericorum Ministrantium infirmis concesso, semper aliquorum Patrum consensum requirit. Cùm ergo hi tres, vel quatuor participes receptionis assignentur, eorum consilium sequi tenetur Prælatus, juxta textum *in l. Titium*, *ff. De administr. tutor.* quia quando quis consilium ab alijs, tanquam à Collegis & participibus Officij postulare tenetur, debet eorum consensum expectare, ac sequi, ut docent Bartolus *in l.* 1. *§. Si plures*, *numero septimo*, *ff. De exercit. act.* Innocentius *in cap. Venerabili, de offic. delegat.* Sanchez *lib. quinto moral. cap.* 4. *numero* 65. Suarez *tomo tertio*, *de*

Cherubin. Sixtus V. Cle. VIII. Bartolus. Innocent. Sanchez. Suarez.

Vecchis. *Relig. lib. 5. cap. 10. num. 19.* Vecchis *disp. 6. dub. 2. num. 4. 5. 6.* & alii.

Sed petes, an omnes dicti Collegæ & socij teneantur consentire; an verò sufficiat, quòd maior pars cum Abbate vel Provinciali, ex omnibus coniunctis consentiat? Respondeo sufficere, si maior pars illorum coniunctorum consentiat: unde si plures cum Provinciali, sive Abbate cõsentiant, ita ut maior illorum pars probet receptionem, tunc sufficienter acceptatus erit Novitius in Religione. Notandum tamen, etiamsi consultores omnes & Collegæ in receptionem consentirent, & solus Superior contradiceret, nullo modo propositus esset receptus: quia facultas recipiendi apud Superiorem residet principaliter, sine cuius consensu nullus recipi potest, ut docent Rodriguez *tom. 3. qq. reg. q. 10. art. 2. vers. Est notandum.* Rodrig. Socinus. Rota. Socinus *consil. 40. num. 2. volum. 1.* & approbat Rota *in una nullius jurisdictionis 10. Januarij 1620. coram Eminentiss. Cavalerio.*

Sed est difficultas, an si ex tribus Collegis & Sociis unus solus cum Abbate, vel Provinciali cõsentiat, reliquis contradicentibus, propositus sit recipiendus? Respondet Laurentius de Peyrinis *tom. 2. de Prælat. quæst. 3. cap. 1. num. 21.* affirmativè, loquendo de Ordine suo Minimorum; & hoc probat ex suis Constitutionibus. Sed juxta Suarez *tom. 3. de Rel. lib. 5. cap. 10. num. 19.* non videtur Sixtus V. in Bulla declaratoria, *vers. Neque vero,* istum modum recipiendi admittere, quia generaliter ait: *Satis esse volumus, si vocalium & suffragiorum numerus legitimus sit à jure, vel per cuiusque Ordinis statuta præfinitus, intervenerit.* Cùm ergo dicitur in priori Bulla, *nisi consentiant Provinciales & Definitores,* ita intelligendum est, ac si dictum esset, sine consensu Definitorum, ita ut suffragia vincant, quæcumque illa sint. Ita Suarez. Utramque Bullam Sixti V. circa hanc materiam habes apud Rodriguez *tom. 3. quæstionum regul. quæst. 54. in nova edit. post articulum sextum.* Et insuper Bullam Gregorij XIV. moderatoriam dictarum Constitutionum Sixti V. contra illegitimos: & post illum duas Bullas Clementis VIII. circa hanc materiam recipiendorum.

Peyrinus. Suarez. Sixtus V. Rodrig. Gr. XIV. Cle. VIII.

6. Potest Prælatus per se solum admittere petentem ingressum, si Patres socij & Collegæ sine rationabili causa consensum denegent. Probatur: quia quotiescumque consensus est in aliquo actu necessarius, si, qui illum præstare debet, sine causa denegaverit, habetur pro præstito, eò quòd per illum dicitur non esse præstitum. Ita habetur ex l. *In jure civili, ff. de reg. juris,* & *cap. Licet, §. Talis ergo, de regular.* & Doctores *in l. Non solum, §. de voluntate, ff. solut. mat.* quod etiam decisum fuit à Rota *decis. 91. num. 5. part. 2. in recentior.* & docent Peyrinus *loco citato num. 22.* Vecchis *in prax. Novit. disp. 7. dub. 2. num. 11.* Qui idem dicendum putant, ubi imminet necessitas & periculum, quando Superior nequit commodè consensum requirere: tunc enim poterit recipere venientem ad suum Ordinem & Monasterium absque consensu, & probant ex Glossa *in cap. Si pro te, verb. Assensu, de rescript. in 6.* Felino *in cap. Cùm accessissent, num. 20. & 21. de constitut.* Bartolus *in l. 1. Si plures, ff. de exercit.* Contra Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 34. num. 26.*

Rota. Peyrinus. Vecchis. Glossa. Felinus. Bartolus. Sanchez.

7. In Religionibus, quibus receptio, seu creatio Monachorum spectat ad solum Prælatum ex privilegio, aut consuetudine, receptio ad probationem facta à Superiore absque consilio & consensu Conventus tenet; quamvis Superior non rectè agat. Probatur: quia quando Pontifex, seu Princeps mandat habenti aliàs facultatẽ faciendi actum, ut illum faciat sub certa forma, & pœna absque clausula annullativa, tunc actus contra dictam formam factus valet, licet contrafaciens sit puniendus. Ita Glossa *in Clem. 1. verb. Inhibentes, de jur. patron.* quam sequuntur Cardinal. *q. 7.* Ancharanus *3. notab.* Imola *n. 4.* Panormitanus *n. 1.* Aliàs, si receptio spectet ad Prælatum & Conventum, tunc admissio sine Conventus consensu nulla erit ex defectu potestatis: & sic ille Novitius admissus à quocumque Prælato, expelli poterit absque eo, quòd illi aliqua irrogetur iniuria. Idem dicendũ est de Novitio recepto à non habente auctoritatem: quia posset eadem ratione habitu expoliari, nisi Prælatus & alij habentes auctoritatem, ratam haberent talem receptionem: quæ quidem receptio tunc incipiet à tempore ratihabitionis, non autem quando habitu regulari indutus fuit: quia annus probationis, ad hoc ut legitimus sit, debet incipere à legitima receptione habitus, ut docent Bartol. à S. Fausto *in thesaur. Relig. lib. 5. quæst. 239.* Rodriguez *tom. 3. quæstionum regul. quæst. 15. art. 10.* Rosella *verb. Novitius, num. 25.* Quibus adde Tamburinium *tom. 3. de jur. Abbat. disp. 6. num. 15.*

Glossa Card. Anchar. Imola. Panorm. Faustus. Rodrig. Rosella. Tambur.

8. Superior & alij consultores, quibus incumbit potestas recipiendi Novitios, concurrentibus omnibus necessariis, tam ex parte recipiendi, quàm ex parte Religionis, tenentur ex officio & ex charitate postulantem admittere, si nulla interveniat rationabilis causa excusans. Probatur *Primò,* ex parte Religionis; nam cùm talis receptio redundet in eius utilitatem, quia inde augetur, & ex parte consequitur finem suum, ideò non vacat culpa eam utilitatem negligere. *Secundò,* ex parte petentis, qui sine causa hoc magno beneficio privari non debet, & quod Superior non ex bonis propriis, sed ex bonis communibus Christi & Ecclesiæ tanquam fidelis dispensator præstare tenetur. Hæc tamen obligatio, cùm non sit de re adeò necessaria, multis de causis cessare potest, & tunc certum est negari posse absque culpa ingressum: puta si pro tunc Religio non habeat sufficientem commoditatem temporalem, vel non sine gravi onere possit novum religiosum alere. Item si multi aliàs æquales petant hunc ingressum, & nequeant simul omnes recipi, liberum erit, hos potiùs, quàm illos reiicere. Denique, si vertatur in dubium ob rationes pro utraque parte probabiles, an expediat talem personam recipere necnè, liberum etiam est illam non admittere, eò vel maximè quod hæc exclusio in maiorem Religionis favorem & securitatem cedit. Propterea si quis bona fide absque odio vel alio pravo affectu procedat, & mediocrem diligentiam adhibeat, securè potest suffragium suum concedere, vel negare. Ita Suarez *tom. 3. de Religion. lib. 5. cap. 10. num. 28.* Vecchis *in praxi Novit. disput. 7. dub. 3.* Peyrinus *tom. 2. de Prælat. quæst. 3. cap. 1. num. 24.* & alij.

Suarez. Vecchis. Peyrinus.

9. Superiores & consultores grave peccatum admittunt, si recipiant ad Religionem aliquem contra jus Canonicum; puta si servum absque domini licentia, vel Episcopum sine Pontificis auctoritate, vel impuberem sine parentum vel tutorum consensu, &c. Et hoc peccatum ut plurimum est lethale, quia est materia gravis, & à sacris Canonibus prohibita. Idem dicendum, si concederent ingressum iis, qui aliquo ex impedimentis per Bullam Sexti V. determinatis afficiuntur, & ultra peccatũ, incurrunt privationem vocis activę & passivæ, & dignitatem, quas habent, & incapacitatem ad illas & alias obtinendas in futurum, dummodo

Sixtus V.

dummodo hæc receptio, ſeu admiſſio ſit temerè facta & dolo, ut colligitur ex præfatæ Conſtitutionis verbis, *Etſi qui eorum contra præſentem noſtram conſtitutionem temerè admittentur.* Hoc enim verbum *temerè* in Canone, vel Bulla appoſitum, ut ſuam vim habeat, ſupponit temeritatem in contrafaciente, ac proinde dolum. Et ideò recipientes præfatos non incurrunt pœnas, niſi ſcienter & ſtudioſè informationes requiſitas à Sixto V. dimittant; quia ubi abeſt dolus, ibi non intelligitur delictum, *l.* 1. §. *Diſtus, ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* & ubi non adeſt delictum, ibi non infligitur pœna, *l. Sancimus, C. de pœnis.* E contrà, has pœnas incurrunt, qui ſine dicta morum informatione quempiam aliquo ex impedimentis ſpecificatis in Bulla Sixti V. affectum admittunt; quia talis receptio dicitur facta temerè & dolosè, ſaltem quoad homines. Secus verò ſi præmiſſa informatione alicui concedant ingreſſum, cujus vita poſtea his impedimentis fuiſſet irretita. Ita Rodriguez *to.* 3. *qq. regul. quæſt.* 54. *art.* 4. Vecchis *in praxi Novit. diſp.* 7. *dub.* 5. Tamburinius *tom.* 3. *de iur. Abbat. diſp.* 6. *quæſt.* 1. *n.* 16. Portel *in dub. regul. verb. Novitij informationes, num.* 6. & alij.

Rodrig. Vecchis. Tambur. Portel.

10. Quidam hæretici dixerunt homines non eſſe aptos ad Religionem, niſi poſt ſeptuageſimũ vel octogeſimum ætatis annum, & reprehendunt communem Eccleſiæ conſuetudinem admittendi pueros ad Religionem, dicuntq; contrariam antiquiſſimæ Eccleſiæ conſuetudini, in qua vidua non niſi ſexagenaria ad profitendum ſtatum continentiæ admittebatur, ut intelligi poteſt ex D. Greg. *l.* 3. *ep.* 11. ubi vetat viduam, vel alium ante ſexageſimum ætatis annum, & priùs in Concilio Romano ſub Sylveſtro *Can.* 10. vetitum fuerat ne uſque ad ſeptuageſimum ſecũdum admitteretur. Nihilominus dicendũ eſt, in quacumque ætate poſſe omnes homines Religionem ingredi, vel in ea admitti, ſi uſum rationis habeant, & alioqui debitus ordo & modus ſervetur. Probatur: nam, cùm ratio ſit hominis conſtitutiva, & cùm hic actus pendeat à libera voluntate, cujus obiectum eſt ratio, requiritur uſus rationis ad deliberandũ: uſus autem rationis, quando in homine inchoaverit, non ſatis diſtinctum & expreſſum per certam ætatis determinationem reperitur; non enim omnes homines in eodem tempore ætatis ad eandem perfectionem in diſcretione mentis & uſu rationis perveniunt; alij enim homines ſegniùs, alij velociùs annis iudicium habent. Proinde in quacumque ætate doli capax erit, & uſus in illo rationis ad mortaliter peccandum ſufficiens, conſequenter iure naturali ad eligendum hunc perfectionis ſtatum, & divino cultui ſe dedicandum ſufficiens erit: quia cùm doli capax poſſit ſe obligare diabolo per peccatum, & homini per ſponſalia, *c. Pueris extra de delictis pueror.* multò fortiùs Deo. Igitur ex vi ſolius iuris naturalis nulla eſt præſcripta ætas, in qua non ſit licita religioſi habitus voluntaria ſuſceptio, ſed ea tantùm requiritur ætas, quæ ad perfectã deliberationẽ ſufficiat, non tam ut actio illa ſit licita, quàm ut humana ſit. Et hoc idem per ſe evidens eſt ſtando in iure divino poſitivo; quia nullam de hac re habemus legem à Chriſto latam, quę prohibeat hunc egregium actum à fidelibus fieri ante certam ætatem.

D. Greg.

Neq; etiam de iure Eccleſiaſtico ſatis conſtat, quanam ætate recipiendi, & Religionis cultui ſint homines applicandi, ſed tantùm rationis uſum & doli capacitatem requiri: quod ante pubertatem evenire poterit. Et quamvis Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 15. *de regular.* tempus profeſſionis expreſsè determinet, non ideò ſequitur colligi debere, quod probationis tempus debeat incipere in decimoquinto anno expleto, neque non licere pueris ante huiuſmodi tempus Religionis habitum aſſumere: nam debuiſſet id expreſsè præcipere, vel declarare, cùm ſit res gravis momenti, & limitans aliquo modo naturalem libertatem. Ita Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 1. Sanchez *lib.* 4. *mor. cap.* 18. *num* 5. *&* 6. Rodriguez *tom.* 3. *quæſtionum regularium, quæſt.* 15. *art.* 2. Vecchis *in prax. Novit. diſp.* 2. *dub.* 6. *n.* 15. Tamburinius *tom.* 3. *de iur. Abbat. diſp.* 6. *quæſt.* 2. & alij apud ipſos citati. Vide dicta ſuprà *v. Novitiatus, n.* 3. *& ſequentibus.*

Suarez. Sanchez. Rodrig. Vecchis. Tambur.

11. Inhabilis eſt ad Religionis ingreſſum, qui vi & metu extrinſeco compulſus, illam ingreditur, & Prælatus illum recipiens ſcienter, ſicut & receptus mortaliter peccant. Probatur *Primò*, quia libertas quæ ad Religionis ingreſſum requiritur, immunis eſſe debet à violentia, quam manifeſtum eſt continere gravem iniuriam ex ſuo genere: quia contra iuſtitiam eſt cogere aliquem ad id, quod ipſe facere non tenetur, & quod Deus voluit ita unicuique eſſe liberum, ut non præcipiatur, ſed tantùm conſuletur. *Secundò*, quia ſi profeſſio violentiâ gravi facta, ita ut inferat metum in conſtantem virum cadentem, deciditur nulla ex *cap.* 1. & *cap. Cùm dilectus, de his quæ vi*, patet ad Religionem non eſſe admittendos, qui vi & timore coacti habitum petunt. Exemplum ſit, ſi pater, aut frater, ſeu tutor, vel alius minis & violentijs, iuvenem, ſeu mulierem ad ingrediendam Religionem contra ſuam voluntatem induceret, talis coactus non eſſet recipiendus. Ita Rodriguez *tom.* 3. *qq. regular. quæſt.* 14. *art.* 3. Miranda *in Man. tom.* 1. *quæſt.* 17. *art.* 4. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 1. Barthol. à S. Fauſto *in theſaur. Relig. lib.* 5. *quæſt.* 238. & alij. Tamen qui Religionis ingreſſum ex metu intrinſeco petit, qualis eſt metus gravis mortis proveniens ex periculoſa infirmitate, vel naufragio, vel ex alia huiuſmodi cauſa, puta ſi quis ad vitandum maris naufragium Religionis votum emittat: hic facta promiſſione coactus veniens ad Religionem, ut votum impleat, recipi poteſt, quia aſſertio poſita intelligitur de eo, qui Religionem petit ex metu extrinſeco ab homine illato ad dictum effectum Religionis, ut illam ingrediatur.

Rodrig. Miranda. Suarez. Fauſtus.

Idem dicendum quando violentia aliquo iuſto titulo eſt facta; nam ſi quis iuſtè poſſit mortem alteri inferre, ſaltem per iuſtitiæ miniſtros, & nolit eam remittere, niſi alius Religionem ingrediatur, non peccabit, nec faciet iniuriam. Exemplum eſt, ſi maritus nolit parcere uxori adulteræ damnatæ ad mortẽ, niſi Religionẽ ingrediatur, non inferet vim, aut ei faciet iniuriam, ſed potiùs confert magnum beneficium: nam remittit iuſtam vindictã, & ſic ei maius bonum ſpirituale procurat, qui ſibi iniuriam intulit. Accedit quod hic metus cenſetur potiùs provenire ex cauſa intrinſeca, id eſt à lege, & à natura delicti, cuius cauſa metus infertur, quàm à cauſa extrinſeca, quæ non cenſetur metum incutere, ſed potiùs metum iam radicaliter incuſſum à natura delicti auferre oblato Religionis ingreſſu vel profeſſione. Ita Suarez *loco citato*, Eman. Sà *v. Votum, n.* 8. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 1. *num.* 10. *verſ. Sed verius eſt* Bonacina *de leg. diſp.* 4. *quæſt.* 2 *punct.* 3. §. 1. *n.* 7. *verſ Dixi iniuſtè.* Sanchez *lib.* 4. *mor.* 6. 3. *n* 21. & poſt illos noſter Vecchis *in praxi Novit. diſp.* 2. *dub.* 5. *n.* 4. *&* 5. & *diſp.* 13. *dub.* 12. *n.* 15. & alij, contra nonnullos alios contrarium ſentientes apud Sanchez *de matrim. lib.* 4. *diſp.* 13.

Suarez. Eman. Sà. Leſſius. Bonacina. Sanchez. Vecchis.

Conc. Tr.

Sanchez.

12. Nemo

12. Nemo potest compelli ad Religionem, nisi expressè vel tacitè seipsum sponte obligavit, Ratio est; tum quia nemo potest compelli ad Religionem Christianam amplectêdam, quam tamen Deus omnibus præcepit, tanquam necessariam ad salutem: ergo multò minus ad statum vitæ religiosæ, quem Deus omnibus liberum esse voluit, quique ad salutem non est necessarius: tum quia quisque in statu vitæ deligendo est sui juris: non enim par est ut tantum onus ex alieno arbitrio pendeat. Proinde Concil. Trident. *sess.* 25. *cap.* 18. *de regul.* ut libertati ingredientium consuleret, & omnem coactionem arceret, *Anathemati subjicit omnes quacumque dignitate fungentes, qui quomodocumque coëgerint aliquam Virginem vel viduam, vel aliam mulierem invitam (præterquam in casibus in jure expressis) ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem. Item qui consilium, auxilium, vel favorem dederint. Denique qui conscij eidem actui præsentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint.* Circa quod decretum est notandum, quòd hæc excommunicatio non solùm incurritur propter vim, vel metum, quo professio extorquetur: sed etiam quo vel habitus, vel ingressus ad religionem obtinetur. Unde licet metus & vis inferatur, si de facto puella resistit, & Monasterium non ingreditur, nondum incurritur illa censura; quia ut censura incurratur necessarius est actus perfectus, id est, habens effectum, quem verba legis in omni proprietate requirunt. At verò si puella ingrediatur metu coacta, eo ipso, qui eam coëgerunt, excommunicationem incurrunt, etiam ante professionem, imò & ante habitus susceptionem; satis enim est quòd cogatur ad hunc finem: nam Concil. sub disiunctione numerat illos tres effectus, *ingressum, habitum, professionem*; & proinde quilibet illorum sufficit ad talem censuram incurrendam. Con. Tri.

Notandum *Secundò*, quod in jure excipiuntur aliqui casus, in quibus potest quis compelli Religionem intrare. *Primus* est, quando quis sponte Religionis votum emisit: hic enim compelli potest ut votum impleat; sicut is, qui sponsalia contraxit, potest compelli ut procedat ad matrimonium. *Secundus* est, quando conjux conscius dispositionis juris consensit ut alter profiteatur Religionem, vel sacros Ordines suscipiat; tunc compelli potest ut ingrediatur Monasterium, si juvenis, est vel talis, ut in sæculo manenti meritò timeri possit de incontinentia. *Tertius* est, quando aliqui crimen aliquod commiserunt, ob quod jubentur detrudi in Monasterium; sed hi non tenentur profiteri, sed solùm pœnitentiæ opus impositum peragere. Sicut nec conjux in prædicto casu potest cogi ad profitendum, nisi ad id se obligaverit; sed tantùm potest compelli habitare in Religione, seu Monasterio, ubi custodiatur; quia nemo potest cogi ad professionem, nisi qui eam promisit. Ita Bonacina *tom.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 2 *punct.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 4. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 4. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 2. vide Dianam *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 56. & dicta *tom.* 1. *v. Excommunic. VIII. §. unic. num.* 14. Bonacina. Lessius. Sanchez. Suarez. Diana.

13. Transitus de una Religione ad aliam etiam strictiorem non est licitus absque Prælati licentia saltem petita, ex *cap. Licet, de regular.* ubi habetur: *Subditus à Prælato cum humilitate, & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur.* Proinde religiosus transiens ad aliam Religionem etiam strictiorem, non petita Prælati licentia, peccat mortaliter; quia verbum *debet*, appositum in textu necessitatem præcepti importat, & consequenter indicat obligationem sub mortali, data materiæ gravitate: & hæc res gravis est; quia omittens petere licentiam præsumitur contemnere bonum obedientiæ, & utramque Religionem magnis litibus & scandalis exponere. Ita Sanchez *lib.* 6. *moral. c.* 7. *n.* 33. & *c.* 4. *n* 36. Sanctarell. *de apostas. c* 8. *dub. unic.* Bonacin. *de claus. q.* 2. *punct* 9. §. 3. *diffic.* 1. *n.* 1. & alij penes ipsos. Nec satis sit huic obligationi petendo licentiam post transitum ad arctiorem Religionem; quia licentia, quæ ad aliquem actum requiritur, actum ipsum præcedere debet, ut docent Panormitan. *in cap. Licet, n.* 11. *de regul.* Azorius *part.* 1. *lib.* 12. *c.* 14 *q.* 6. *ad finem.* Vecchis *in praxi Novit. disp.* 15. *dub* 2. *n.* 6. & alij suprà citati: quamvis Suarez contrarium putet probabile. Sanchez. Sanctar. Bonacina. Panorm. Azorius. Vecchis. Suarez.

Cæterùm, quamvis petitâ & non obtentâ licentiâ possit religiosus ex jure communi *dict. cap. Licet*, transire ad arctiorem Religionem, hoc tamen intelligendum est, quando Superior protervè & indiscretè eam negat; unde debito tempore expectare debet Superioris responsum, ut expressè habetur *in cap. Cum in veteri, ad fin. de elect.* Subditus autem tenetur petens hanc licentiam, significare Superiori causam transeundi, ut judicet, an propositum illud sit divinitus inspiratum: tum quia non ex qualibet causâ transitus permittitur, sed cùm ex majoris perfectionis ardore proficiscitur. Ergo Superiori constare debet de hoc ardore, ut videat, num licentiam concedere jure teneatur, ut exinde certior reddatur; subditum non duci levitate & temeritate ad hunc transitum; alioquin exponeret se periculo cooperandi levitati alterius; ut advertunt Innocentius *in cap. Licet, de regular. num.* 1. & 2. Hostiensis *ibidem, numero octavo, vers. Licentiam*, Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 7. *num.* 36. & alij communiter. Innocent. Hostiens. Sanchez.

14. Religiosi, ad quos fit transitus, nullo modo eum debent recipere absque literis dimissorijs sui Superioris, quamvis eis constaret licentiam fuisse petitam, sed non obtentam: debent enim perquirere causam denegationis, & non aliter eum recipere, quàm si Superior nullam vel evidenter injustam causam denegationis assignaret. Hoc constat ex *cap. Statuimus* 19. *quæst.* 3. quod est Urbani II. ubi postquam decretum est non transeundum ad strictiorem Religionem inconsulto Superiore, & ab eo licentia non petita, subditur sic: *Discedentem verò nullus Abbatum vel Episcoporum, nullus Monachorum sine communi literarum cautione suscipiat.* Quare cùm subditus absque his literis adit Superiorem strictioris Religionis, est ab eo Superior laxioris consulendus, & certior fieri, an dederit licentiam, aut cur denegaverit. Et tunc si nullam, aut manifestè injustam denegationis causam assignet, poterit securè ipsum ad strictiorem admittere. Si verò justam assignet, at religiosus velit eam incontinenti probare falsam, non est hujus Superioris causam discutere: ille non est admittendus, donec causa coram Superiore prioris Prælati decisa sit, & transitus ab eo approbatus: nam in hujusmodi Prælato eminenter continetur facultas inferioris Prælati. Et sicut in alijs causis, in quibus subditus iniquè vexatur à suo Prælato, potest ad alium ipso Superiorem appellare; ita etiam in hoc casu: & hoc verum, etiamsi in illa Religione interdicta sit appellatio; quia non censetur interdicta appellatio in ijs, quæ pertinent ad salutem, sed in ijs, quæ pertinent ad correctionem & punitionem. Ita Hostiensis *in dict. cap. Licet, num.* 17. Innocentius *n. ult.* Hostiens. Innocent.

Io. Andr. Sanchez. Vecchis. Bonacina. Sylveſt. Tambur.

n. ult. Ioann. Andreas *c.* 13. Card. & Ancharan. & ex Theologis Sanchez *loc. cit. n.* 37. *&* 39. Vecchis *loc. cit. n.* 10. Bonacina *de clauſur. q.* 2. *punct.* 9. §. 3 *diffic.* 1. *n.* 3 *&* 4. Sylveſt. *v. Relig.* 4. *q.* 2. Tambur. *to.* 3. *de jur. Abbat. diſp.* 7. *quæſt.* 1. *n.* 15. *&* 16. & alij.

15. Ex dictis numero præcedenti colligitur, quod ubi dubium eſt omnibus diligenter perſpectis, an Religio, ad quam ſubditus ſe transferre cupit, ſit, necnè arctior; aut ſi dubitetur, num religioſus ex charitatè tranſitum procuret: an bono vel malo animo hoc agat? an Monaſterium paſſurum ſit, necnè ex eo tranſitu damnum notabile, vel gravem infamiam? In ijs dubijs & omnibus alijs non poteſt religioſus ille tranſire, denegatâ ei licentiâ per Superiorem: ſed ad licitum tranſitum oportet ut ab eo, vel ab alio majori Superiori, ad quē provocatur, obtineatur licentia. Et ita intelligi debet textus *cap. Licet, verſ. Si verò, de regul.* ubi dicitur: *Si verò probabiliter dubitetur utrùm quis velit ad Ordinem artiorem, aut laxiorem ex charitate, an ex temeritate tranſire, Superioris eſt judicium requirendum, ne fortè Angelus Sathanæ in lucis Angelum ſe transformet.*

Ex quo apparet judicium Superioris eſſe requirendum, & non ſolùm conſilium: ergo tunc neceſſaria eſt licētia obtenta: aliàs non oporteret Superioris judicium requirere. Ita Barboſa *de jur. Eccl. lib.* 1. *c.* 42. *n.* 72. Tambur. *loc. cit. n.* 17. Sanchez *lib.* 6. *mor. c.* 7. *n.* 15. *&* 16. Azorius *to.* 1. *lib.* 12. *c.* 14. *q.* 5. & alij ab ipſis relati. Ex quo fit, dum non cognoſcitur, an Religio ſit arctior, religioſus in priori Monaſterio manere debet & in eo ſtatu; in quo reperitur, ne Monaſterium, ſeu Religio, lite pendente, ſuâ poſſeſſione privetur. Quòd ſi ſtante dubio, ſine licentia nihilominus tranſeat, revocandus eſt etiam poſt profeſſionem alibi factam, ut primum Monaſterium in ſuam poſſeſſionem reſtituatur, & deinde de dubio inter ſubditum & Prælatum agatur. Ita Suarez, *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 27.

Barboſa. Tambur. Sanchez. Azorius. Suarez.

Sed difficultas eſt, cujus Superioris in hoc requirendū ſit judicium? Diximus ſuprà illum eſſe Superiorem, ad quem appellaretur, ſi religioſus ille gravaretur, ex doctrina Innocent. & Panormitani & aliorum ſuper *d. cap. Licet*, Sylveſt. *v Relig.* 4 *n.* 1. At Suarez *loc. proximè cit. n.* 28. & alij verisimiliter cenſent, illud judicium utriuſque Religionis Superiori reſervandum eſſe, qui Superior, ſi utraque Religio, vel earum altera exempta ſit, erit Summus Pontifex. Ratio eſt; quia ſi committendū eſſet hoc negotium determinationi Generalis vel alterius Superioris ejuſdem Religionis, ſequeretur, quòd ij eſſent Iudices in cauſa propria. quod ex eo patet; nam ſi hoc caſu de rigore non vertitur dubium inter Prælatum, & ſubditum; ſed inter Religiones, quæ, ſcilicet, illarum ſit arctior, aut laxior, jam quiſque Prælatorum ejuſdem Religionis non perſonę comodum, ſed ſuæ Religionis jura & dignitatem tueri contendet; & ideò eorum omnium reſpectu illa cauſa tanquam propria cenſetur. Hæc ſententia maximè probabilis eſt.

Innocent. Panorm. Sylveſt. Suarez.

16. Superior tenetur recipere religioſum, cui conceſſit licentiam tranſeundi ad arctiorē, ſi ante emiſſam profeſſionē in ſecunda Religione, reverti vult ad priorem: vel quia rigorē ſtrictioris Religionis ſuſtinere nequit, vel quia pœnituit. Ratio eſt; quia licentia tranſeundi, & renunciatio prioris Religionis facta fuit ex cauſa, quâ nō ſecutâ, nullus etiam ſubſequitur effectus. Quod & verū eſt, etiamſi Prælatus & Cōvētus licentiam præſtiterit ſimpliciter & abſolutè, ut ad aliam Religionē transferre ſe poſſit, non ex aliqua cauſa, ſed forſan ex odio, aut ex ſua proterva & nimis rigida conditione; & illē etiam ſimpliciter renunciaverit juri & actioni, quam habet ad illam Religionem; nam adhuc ſi pœniteat, aut non invenerit aliquam Religionem ſe recipientem, tenentur Superior & Fratres prioris Religionis ipſum recipere; quia licentia ſic data non fuit valida; quia hoc futiſſet illi dare licentiam vagandi, contrà id, quod prohibetur *in cap. Abbat.* 18. *quæſt.* 2. Ita Sylveſter *v. Relig.* 4. *q.* 5. Roſella *v. Relig.* 4. *n.* 9. Miranda *to.* 1. *Man. q.* 31. *a.* 18. Vecchis *diſp.* 15 *dub.* 2. *n.* 19. Tamburin. *tom.* 3. *de jur. Abbat. diſp.* 7. *quæſt.* 1. *num.* 20. *in fine*, & alij.

Sylveſt. Roſella. Miranda. Vecchis. Tambur.

17. Quamvis omnes Religiones privilegium habeant, ne à ſua Religione ad aliam liceat trāſitus; tamen tale privilegium non impedit, quin poſſit religioſus tranſire zelo melioris vitæ ad ſtrictiorem Religionem, petitâ licet non obtentâ à ſuo Superiore licentiâ, ut habetur expreſsē *in dict. cap. Licet, de regular.* Et ideò tale privilegium fuit conceſſum, ne quis ex temeritate, vel levitate in jacturam, vel injuriam ſui Ordinis tranſeat ad alium Ordinem ſub prætextu altioris Religionis amplectendę. At ſi privilegium neget cum tranſitum abſque licentia obtenta Prælati non haberet locum interpretatio *dict. cap. Licet*, ſed neceſſariò ea obtinenda eſſet ad firmitatem tranſitus quantumcumque bono zelo facti. Poteſt enim Pontifex prædictum tranſitum impedire ad conſervandam inter Religiones pacem; & cauſa vitandi ſcandalum, contentiones, & ipſarum Religionum jacturas, quæ ex hoc tranſitu plerumque conſurgebant. Ita Hoſtienſis *in dict. cap. Licet, ſtatim in princip.* & *ibi* Ioannes Andreas, Antonius & Cardinalis *notab.* 1. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 31. *articul.* 12. Sanchez *libro ſexto moral. cap.* 7. *num.* 10. Eman. Sà *verb. Religio*, *num.* 37. Rodriguez *tom.* 3. *quæſt. regul. quæſt.* 52. *artic.* 20.

Hoſtienſ. Io. Andr. Antonius. Card. Miranda. Eman. Sà. Rodrg.

18. Ex communi Doctorum ſententia, ſolius Romani Pontificis eſt dare facultatem tranſeundi ad æquè ſtrictam Religionem, nullā legitimâ cauſâ tranſitus ſubſiſtente. Ita D. Antonius 3. *part. tit.* 16. *cap.* 4. Sylveſter *verb. Relig.* 4. *quæſt.* 2. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 14. *quæſt.* 9. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 31. *artic.* 5. *concl.* 2. Tamburin. *tom.* 3. *diſp.* 8. *quæſt.* 5. *num.* 1. & alij. Et licet Sylveſter, & Miranda exiſtiment hanc licentiam abſque cauſa à Pontifice conceſſam excuſare in utroque foro; at probabilius eſt in foro tantùm externo excuſare, eò quòd præſumitur Pōtificem ex cauſa diſpenſare: ſecus verò in foro conſcientiæ. Ratio eſt; quia etſi votum in æquè bonum tunc commutetur: at auferetur jus acquiſitum priori Monaſterio per profeſſionem, quod auferri nequit abſque cauſa: tum quia in commutatione voti in re æquali requiritur aliqua cauſa, ut docent, & tradunt quamplures Doctores. Ita tenent in terminis Francus *in cap. Cùm ſingula*, §. *Prohibemus, de prabend. in* 6. Sanchez *lib.* 6. *moral. c.* 7. *n.* 64. & alij.

D. Anton. Sylveſt. Azorius. Miranda. Tambur. Francus. Sanchez.

19. Abbates & Prælati Regulares, juſta cauſa intervēniente, poſſunt religioſis ſibi ſubditis concedere licentiam tranſeundi ad Religionem æqualem. Et hæc eſt communiſſima Doctorum ſententia, ut ait Sanchez *loc. cit. n.* 44. *&* 45. & docent Rodriguez *tom.* 3. *qq. regul. quæſt.* 52. *a.* 9. Vecchis *diſp.* 15 *dub.* 4. *n.* 3. Barthol. à S. Fauſto *in theſaur. Relig. lib.* 5. *q.* 346. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 31. *concl.* 2. & alij.

Sanchez. Rodrg. Vecchis. Fauſtus. Miranda.

Sed dubium eſt inter Doctores, quis ſit ille Abbas ſive Prælatus regularis, qui in hoc tranſitu eſt licētiam conceſſurus? Quidam volunt hanc licentiam

tiam non poſſe concedi ab immediato Prælato Monaſterij: quia non ſolus Superior Monaſterij habet jus in religioſum, verùm etiam tota Provincia. Ergo ſolus Superior Monaſterij non poteſt huiuſmodi licentiam concedere, cùm non poſſit juri totius Provinciæ derogare; ſed hanc poteſtatem eſſe penes Generalem, quia ipſe ſummam in Religione auctoritatem habet: & probabile eſſe etiam penes Provincialem: quia nullo jure ſufficienter probatur hanc facultatem Provinciali ademptam eſſe. Ita Bonacina *de clauſur. quæſt. 2. punct. 9. §. 3 diffic. 1. num. 12.* Sanchez *loco citato, cap. 7. num 65.* Nihilominus non minus probabiliter alij ſuſtinent poſſe in Religionibus exemptis Prælatum Conventualem hanc licentiam concedere. Ita Gloſſa *in dict. cap. Cùm ſingula, §. Prohibemus, verb. Canonicè, de prabend. in 6.* quam dixit receptam Navarrus *Comment. 4. de regul. n. 10.* & eam ſequitur Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 11. num. 3. 4. & 5.* & alij.

Bonacina. Sanchez. Gloſſa. Navarrus Suarez.

Ut tamen hic tranſitus legitimè fiat, neceſſarius eſt unà cum licentia Superioris aſſenſus Conventus. Ratio eſt; quia res hæc eſt una de maioribus negotiis Monaſterij, & in qua de religioſi alienatione agitur. At maiora Religionis negotia non ſine Conventus conſenſu expediri poſſunt: nam ſicut Prælatus recipere non poteſt aliquem ad profeſſionem ſine conſenſu maioris partis Conventus; ita nec concedere poteſt facultatem, ubi agitur de alienatione Monachi. Et hoc habet locum non ſolùm quando concedenda eſt licentia tranſeundi ad laxiorem, ſed etiam ad æquè ſtrictam, ut docent Gloſſa *in dict. cap. Cùm ſingula, verb. Canonicè, de prabend. in 6.* Miranda *tom. 1. q. 31. art. 5. concl. 2.* Sylveſter *verb. Religio 4 quæſt. 2. circa medium*, Rebuffus *in prax. benefic. tit. de tranſitu Monachor. num. 7.* & alij.

Gloſſa. Miranda. Sylveſter. Rebuffus.

Advertendum tamen, præcedentem doctrinam non habere locum in religioſis Mendicantibus: nam jure communi nequeunt illorum Superiores accedente etiam Conventus conſenſu concedere facultatem ſuis ſubditis tranſeundi ad Religiones Monachales, exceptâ Carthuſianâ: & ideò, ut liceat hic tranſitus, requiritur ſpecialis licentia Pontificis; aliàs tam recipientes, quàm recepti ſunt ipſo facto excommunicati; & profeſſio eſt irrita, ut habetur in Extravag. *Viam ambitioſæ, de regul.* & docent Sayrus *de cenſur. lib. 3 cap. 30. n. 8.* Rodriguez *tom. 3. qq. reg. q. 52. art. 15.* Suarez *de cenſur. diſp. 22. ſect. 5. num. 16. & 19.* Sorbus *in compend. priv. verb. Apoſtata, verſ. Advertendum eſt.* Quamvis Leſſius *lib. 2. cap 41. dub. 3. n. 104.* & Sanchez *loco citato, n. 68.* exiſtiment hanc extravagantem vel non eſſe uſu receptam, vel loqui de ijs, qui abſque legitima cauſa tranſeunt.

Sayrus. Rodrig. Suarez. Sorbus. Leſſius. Sanchez.

20. Licentia abſolutè conceſſa ex juſta cauſa à quocumque Prælato tranſeundi ad aliam Religionem, debet intelligi de ſtrictiori; aut æquè ſtricta, non verò de laxiori. Ratio eſt; quia etſi privilegium debeat aliquid operari ultrà jus commune ex *cap. In his, de privilegiis, & c. Si Papa, de priv. in 6.* ſi tamen poſſit dari aliquis effectus, quem operetur, non debet extendi ad alium, in quo non invenitur eadem ratio, ut probatur ex *c. Cùm dilectus, de conſuetud. & l. Si quando, C. de inoffic. teſtam.* Sed præfata licentia operatur effectum tranſeundi ad parem Religionem, ad quam ſine illa tranſire non poterat; ergo non debet operari effectum tranſeundi ad laxiorem, cùm in hoc tranſitu diſpar ſit ratio. Ita Rodriguez *tom. 3. qq. reg. quæſt. 52. art. 11.* Navarrus *lib 3. conſil. 57. de regul. edit. 2.* Sanchez *lib. 6. cap. 7. num. 74.* Si tamen adiecta eſſet dictio univerſalis; ut ad quamcumque Religionem tranſire poſſit; juxta Sanchez dictio hæc univerſalis comprehenderet etiam laxiorem Religionem. Sed hoc non approbat Bonacina *de clauſur. q. 2. punct. 9. §. 3. diffic. 1. num. 14. in fine*, innixus ſuo fundamento, quod Concil. Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 19. de regul.* generaliter prohibet quemquam transferri ad laxiorem Religionem vigore cuiuſcumque facultatis. Ex quo textu arbitratur idem Auctor, religioſum non poſſe hoc tempore ad laxiorem tranſire ex licentia obtenta à Prælato inferiore Papa, niſi fortè Prælato nova privilegia poſt Concilium conceſſa fuerint, ſicut conceſſa fuerunt Patri Generali Societatis Iesv à Paulo III. & Gregorio XIII. in Bulla quæ incipit, *Cùm aliàs*, ut ſcilicet ſuis religioſis etiam ſolemniter profeſſis, facultatem concedere, valeat tranſeundi ad alias quaſlibet Religiones. Ergo ſignum eſt, Generalem non poſſe huiuſmodi licentiam concedere abſque privilegio Sedis Apoſtolicæ, ſaltem dum non eſt periculum in mora, vel difficilis ad Pontificem recurſus. Et huic ſententiæ adhæret Azorius *tom. 1. l. 12. c. 14 q. 8.* Et Gregorius XIII. qui conceſſit hoc privilegium, interdixit illius communicationem ad alias Religiones. Nihilominus hanc facultatem concedunt Prælatis Religionem maioribus communiter Doctores, modò fiat ex juſta cauſa & cũ conſenſu Conventus, ſeu Capituli, ut diximus *tom. 1. verb. Religio V. n. 3.*

Con. Tri. Paul. III. Gre. XIII Azorius. Gre. XIII

21. Licentia tranſeundi ad quamlibet Religionem laxiorem à Generali, vel etiam à Pontifice conceſſa, non extenditur ad Religiones non clauſtrales, ut ſunt militares, & hoſpitalariæ, niſi exprimantur; quia eſto ſint veræ Religiones, non comprehenduntur tamen ſub communi nomine Religionum; verba autem juxta communem loquendi modum accipienda ſunt. Et ita fertur declaratum à Sacra Congregatione Eminent. Cardin. *die 17. Novemb. 1578* ut teſtantur Rodriguez *tom. 3. q. 52. art. 12.* Miranda *tom. 1. q. 31. art. 8. concluſ. 2.* Sanchez *loco cit. n. 75.* contra Navarrum *conſil. 58. num. 1. de regul.*

S. Congr. Rodrig. Miranda. Sanchez. Navarrus.

22. Cauſæ legitimæ, quibus poteſt diſpenſari Religioſus, ut de una ad aliam Religionem licitè tranſire valeat, hæ à Doctoribus recenſentur: apud quos certiſſimum eſt, nullam deſiderari cauſam, quando tranſitus fit ad ſtrictiorem: quia cùm in hoc tranſitu non ſit neceſſaria ulla diſpenſatio, ſeu relaxatio votorum, aut obligationum tranſeuntis, conſequenter nulla deſideratur cauſa.

Quando autem fit tranſitus ad æquè ſtrictam Religionem? non conveniunt Doctores. Quidam enim cenſent non requiri cauſam, ſi hoc fiat ex licentia Summi Pontificis; ſecus verò, ſi ex licentia Superioris Pontificis inferioris. Ita Miranda *tom. 1. q. 31. art. 5. concl. 2.* & *art. 6. concl. 2.* Azorius *p. 1. lib. 12. c. 14 q. 9.* Sylveſter *v Religio 4. q. 2.* Verius tamen eſt, neceſſariam eſſe cauſam legitimam, ſive licentia obtineatur à Pontifice, ſive ab inferioribus; verùm parva cauſa, dummodo ſit juſta, ſufficiens erit ad hunc tranſitum concedendum, ut docent Suarez *tomo ſecundo de Relig. lib. 6. de voto, cap. 19. num. quinto*, Navarrus *lib. 3. conſil. 18. num. 2. de voto*, Sanchez *lib. 4. moral. cap. 50. numero 21. & 22.* loquentes de commutatione votorum in æquale.

Miranda. Azorius. Sylveſter. Suarez. Navarrus. Sanchez.

Si tranſitus concedendus ſit ad laxiorem Religionem, legitimæ huius tranſitus cauſæ ſunt: *Prima*, ſi religioſus infirmâ, aut incommodâ valetudine utatur, aut ita fragili corporis naturâ, ut Religionis ſtrictioris auſteritates ferre nequeat. Ita D. Thomas *ſecunda ſecundæ, quæſt. ultim. artic. 8.*

D. Thom.

Sylvius. Panorm. Sylvester. Leſius.

Sylvius *ibidem*, Panormitanus *in cap. Non eſt, numſexto, de regul.* Sylveſter *verb. Religio* 4. *quæſt.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 102. & alij communiter.

Secunda cauſa ſufficiens huius diſpenſationis eſt, ſi religioſus in priori Religione odio habeatur à ceteris religioſis, aut indignè & malè tractetur, aut ſi alijs ſit exoſus, ſi his religioſis cauſam non dedit; vel ſi dedit, eam abſtulit & pœnituit, & nihilominus perſecutio, ſeu mala tractatio adhuc perſeverat.

Tertia, ſi religioſus in priori Religione ita infamatus ſit ob aliquod crimen à ſe perpetratum, ut ſemper in ea pudore ſuffuſus, ac ſubinde magna triſtitia affectus vitam tranſacturus ſit. Item magna parentum neceſſitas, cui religioſus in prima Religione nequeat commodè ſuccurrere.

Quarta cauſa ſufficiens eſt, ſi quis propter ſuam ſimplicitatem non intellexit ſufficienter Regulam, vel conſtitutiones tempore profeſſionis, & poſteà vult laxiùs vivere. Hæ, & aliæ huiuſmodi cauſæ cenſentur legitimæ & ſufficientes à Doctoribus, ut poſſit religioſus diſpenſari ad laxiorem Religionem intrandum, de quibus videndus eſt Rodriguez *tom.* 3. *qq. regul. quæſtione* 52. *art* 9 Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 14 *quæſt.* 8. Reginaldus *lib.* 18. *cap.* 29. *num.* 44 Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 31. *art.* 6. *concluſ.* 2. Menochius *de arbit. lib.* 2. *centur.* 5. *num.* 25. Sanchez *lib.* 6. *mor. cap.* 7. *num* 72. Barboſa *in c. Licet, n.* 15. *de regul.* & Vecchis *in prax. Novit. diſp.* 15. *dub.* 6. & 7.

Rodrig. Azorius. Reginal. Miranda. Menoch. Sanchez. Barbola. Vecchis.

23 Superior diſpenſans ſubditum ad laxiorem Religionem, debet priùs cauſæ huius diſpenſationis cognitionem præmittere. Et in foro conſcientiæ quæcumque cauſæ cognitio quavis via, aut diligentia habita diiudicatur ſufficiens: ſed pro foro externo deſideratur ſcriptura, ut fides in eo fiat licentiæ conceſſæ, ſi adverſus tranſitū aliquid opponatur. Nec deſideratur etiam in Prælatis inferioribus judicialis legitimæ tranſitus cauſæ cognitio ſumptis teſtibus juramento aſtrictis coram Notario; ſed ſatis eſt, ſi extrajudicialiter Superior informetur, certiorque fiat de cauſæ veritate; quia nullo jure cavetur præmittendam eſſe judicialem eius cauſæ cognitionem, ſed tantùm deſideratur legitima cauſa ad valorem diſpenſationis in eo tranſitu. Ita Navarrus *lib.* 3. *conſil tit. de regul. conſil.* 56. Suarez *de leg. lib* 6. *cap.* 19 & *cap.* 3. *num.* 16. Sanchez *loco cit. n.* 69. Salas 1. 2. *diſp.* 20. *ſect.* 9 *num.* 79. & alij.

Navarrus. Suarez. Sanchez. Salas.

24. Religioſus legitimè tranſlatus ad aliam Religionem, non tenetur ad vota ſpecialia in priori Religione emiſſa. Ratio eſt; quia ea vota ſpecialia annexa ſunt profeſſioni prioris Religionis, non verò ſecundæ; unde ceſſante principali, ceſſat acceſſorium. Deinde vota primæ Religionis commutantur in vota ſecundæ; is autem, cuius vota in alia commutata fuerunt, non tenetur illa ſervare. Ex quo fit, quod tranſlatus ex Religione Minimorum, non tenetur à carnibus abſtinere ſervando vitam quadrageſimalem: & Profeſſus in Societate Jesv, ſi fiat Frater Minor, aut Dominicanus, non tenetur ad ea vota ſpecialia, quæ in Societate à profeſſis emittuntur. Ita Sanchez *loco citato, num.* 87. Barboſa *in cap. Licet numero decimooctavo, de regul.* Bonacina *de clauſur. quæſtione* 2. *punct.* 9. §. 4 *diffic.* 1. *num.* 1. & alij.

Sanchez. Barboſa. Bonacina.

25. Religioſus tranſlatus ad aliam Religionem ut ibi ſit Prælatus & Superior, juxta quoſdam Doctores, finito Officio remanet religioſus ſecundæ Religionis: quia emittere debet profeſſionem in poſteriori, & proinde manet deinceps illius: & ſic per profeſſionem in ſecunda Religione vota primæ Religionis commutata remanent in vota ſecundæ; conſequenter in ſecunda manere debet. Ita Sanchez *lib.* 6. *mor. c.* 7. *num.* 85. Barboſa *in cap. Licet, de regul. n.* 26. Rodriguez *tom.* 3. *qq. reg. q.* 52. *art.* 26. Miranda *tom.* 1. *q.* 31. *art.* 22. Navarrus *lib.* 3. *conſil. de regul. conſil.* 61. *in* 1. *edit.* & alij. Sed quia qui ad aliam Religionem proficiſcitur, ut ibi ſit Prælatus, non ſolet ibi profeſſionem emittere, cùm profeſſio integrum Novitiatus annum præ-requirat, ut vult Concilium Tridentinum, niſi in hac parte à Sede Apoſtolica diſpenſetur, ſequitur prælatum religioſum, regulariter loquendo, manere ſubditum primæ Religionis: quia ſubiectio Religioni acquiritur per profeſſionem. Secus autem eſt ſi in ſecunda profiteretur, ut volunt præcitati Auctores.

Sanchez. Barboſa. Rodrig. Miranda. Navarrus.

26. Tranſlatus de una in aliam Provinciam eiuſdem Religionis, poſtquam incorporatus eſt, habet locum in choro, Capitulo, & alijs ſeſſionibus & congreſſibus, non à tempore ſuæ incorporationis, ſed à tempore, quo aſſumpſit habitum, aut emiſit profeſſionem in prima Provincia. Ita Hieronymus Rodriguez *in Compend. qq. regul. reſ.* 123. *n* 84. Miranda *tom.* 1. *q.* 31. *art.* 23. *concl.* 2. Tranſlatus autem ex una Religione ad aliam diverſam, ſedere debet in Capitulo & alijs congreſſibus juxta tempus, in quo emiſit profeſſionem in illa Religione poſteriori; nam ab eo tantùm tempore incipit eſſe religioſus illius Religionis & filius eiuſdem Monaſterij: ergo ſecundùm illud tempus tantummodo, debet vocem & locum habere in choro, Capitulo & alijs. Ita Sanchez *lib.* 6. *mor. c.* 7. *n.* 86 Rodrig. *t.* 3. *qq. reg. q.* 52. *art.* 29. Miranda *loco cit. concl.* 1. Qui advertunt ſecus dicendum eſſe de illo, qui fuit tranſlatus, ut fieret Prælatus: nam iſte in memoriam honoris & Prælationis, quam geſſit, ſedebit in primo loco immediatè poſt Prælatum, niſi ſimul cum eo concurrant alij, qui ſimilem, ſeu maiorem honorem geſſerunt. Sed in hoc mihi dicendum videtur, obſervandam eſſe Religionum conſuetudinem.

Hie. Rod. Miranda. Sanchez. Rodrig. Miranda.

27. Bona religioſi tranſeuntis ad aliam Religionem ſtudio melioris vitæ, manent penes primum Monaſterium; & quidquid poſt ſecundam profeſſionem in ſecundo Monaſterio emiſſam illi obvenerit, ſpectabit ad dictum ſecundum Monaſterium. Ita ex communi Navarrus *in c. Non dicatis* 12. *q.* 2. *n.* 41. Barboſa *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 42. *n.* 9. Barthol. à S. Fauſto *in theſaur. Rel. l.* 5. *q.* 375. & alij. Proinde legatum relictum religioſo tranſlato ad ſecundum Monaſterium, quod eſt capax bonorum, ſi illud fuerit conditionatum, & conditio adimpleta ſit tempore ſecundæ profeſſionis, legatum eſt acquiſitum ſecundo Monaſterio, ut reſoluunt Diana *part.* 3. *tract.* 1. *reſ.* 114. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 35. *diffic.* 14. Sanchez *lib* 7. *mor. cap.* 23. *num.* 41. Conſtat etiam omnia bona acquiſita eſſe priori Monaſterio, etiam dum moratur in ſecundo uſque ad profeſſionem, ſi aliqua acquirerentur; quia ante profeſſionem non erat verè religioſus illius ſecundi Monaſterij, ut docent Rodriguez *tom* 3. *qq. regul. quæſt.* 5. *art.* 5. Molina *tom.* 1. *de juſt. diſp.* 140 Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 15. *quæſt.* 3. & alij.

Navarrus. Barbola. Fauſtus. Diana. Villalob. Sanchez. Rodrig. Molina. Azorius.

Profeſſus autem in Religione incapaci bonorum tranſlatus ad Religionem capacem, recuperat bona poſt tranſlationem ſibi delata ad utilitatem ſecundæ Religionis capacis, ut definitū eſt in Rota in una Romana fideicommiſſi 26 Nov. 1627. coram Cardinali Virili, & declaravit S. Congregat. Concil.

Rota. Sac. Con.

Digitized by Google

Concil. Tridentin. die 22. Januarij, 1628. teſte Barboſa *de jur. Eccl. lib. 1. cap. 42. num. 2.* & docet Jaſon *in l. Ex pacto, ſub num. 10. verſ. Adde etiam, ff. De vulgari.*

Barboſa. Jaſon.

Tranſlatus verò de Religione incapaci ad capacem auctoritate Apoſtolica non recuperat bona, quæ ante profeſſionem obtinebat, ut reſolvit Rota 16. Novemb. 1621. ut refert Barboſa *loco cit. num. 94.*

Rota. Barboſa.

Si autem religioſus transferatur ad aliam Religionem, non ut ibi profiteatur, ſed ut peccatorum ſuorum pœnitentiam agat, tunc uſusfructus bonorum priori Monaſterio acquiſitorum debentur Monaſterio, ubi pœnitentiam gerit, ne illi fiat oneroſus & gravis remanente proprietate dictorum bonorum in priori Monaſterio, maximè quando Monaſterium eſt inops. Ita Rodriguez *tom. 3. quæſt. 5. art. 5.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 15. quæſt. 3.* Diana *loc. cit.* Sed hoc intelligendum eſt quoad illam quantitatem, quæ ad victum & veſtitum, ceteraque tranſlati alimenta exiſtimantur neceſſaria arbitrio prudentis viri, & notant Menochius *de arbitr. lib. 2. centur. 5. caſu 436. num. 18.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 32. num. 46. & 47.* Rodriguez *tom. 3. q. 52. art. 27. fin.*

Rodrig. Azorius. Diana. Menoch. Sanchez. Rodrig.

28. Ex dictis deducitur, religioſum hunc ad aliam Religionem tranſeuntem, nil poſſe ſecum deferre ex acquiſitis priori Monaſterio, præter ſolas veſtes, & has quidem ex tacita licentia Superioris illius Monaſterij; quia concedens facultatem ad tranſitum, cenſetur concedere ad omnia ſine quibus tranſitus fieri nequit; at nudus nequit commodè tranſire.

Sed difficultas eſt, an poſſit ſecum deferre ſcripta, vel libros à ſe compoſitos? Negant Sanchez *lib. 7. moral. cap. 32. num. 13.* Bartholom. à S. Fauſto *in theſaur. Relig. lib. 5. quæſt. 386. num. 5.* Hieronymus Rodriguez *in compend. reſolut. 123. num. 82.* niſi eſſent inutilla primæ Religioni, vel niſi crederet non fore ingratam Superiori delationem dictorum ſcriptorum. Hanc ſententiam probabilem putat Diana *part. 3. tract. 2. reſol. 63.* licet contrariam non minus probabilem exiſtimet, fortè ob fundamentum quod ponit Caramuel *in reg. D. Benedicti diſp. quinquageſima-nona, num. 831.* ubi ait: In manuſcripta ſua habet verum dominium Religioſus. Ita Joannes Valerus *in ſuis differentijs utriuſque fori, verb. Munera, numer. centeſimo-ſexto. & verb. Regularis, differ. 8. num. 2.* ubi expreſsè aſſerit manuſcripta eſſe ſui Auctoris, ac proinde illum poſſe illa deferre quocumque vadat, etiamſi tranſeat ad aliam Religionem nullà obtentà, aut petitâ licentiâ, nullis relictis eorum copijs. Eſt difficultas utilis, & ideò profundiùs explicanda. Manuſcripta bifariam poſſunt conſiderari; *Primo*, prout continent tot folia chartæ. *Secundò*, prout continent ideas interni hominis. Non aſſero, quòd religioſus habeat directum dominium in manuſcripta conſiderata primo modo; quia certum eſt quæcumque talia acquiri Monaſterio. Dico autem, Monachum habere verè dominium directum in manuſcripta ſecundo modo ſumpta, & indirectum in eadem ſecundùm primam acceptionem. Directum dominium. Probo ſic in forma.

Sanchez. Fauſtus. Hier. Rod. Diana. Caram. Valerus.

Manuſcripti, in quantum eſt idea, totum eſſe, eſt eſſe imaginem; quia idea nihil eſt aliud quàm mentalis imago. Atqui non eſt imago communitatis, non Abbatis, ſed tantummodo hominis interioris diſcurrentis & philoſophantis. Ergo manuſcriptum, in quantum idea eſt, non pertinet ad Abbatem, neque ad communitatem, ſed ſolùm ad Auctorem. Et ſubdit poſteà *num. 837.* Confirmatur hæc mea ſententia ex declaratione Clem. VIII. qui (ut notat Homobonus *in Exam. Eccl. part. 1. tract. 7. c. 22. q. 100.* Coriolanus *in caſ. reſerv. part. 2. caſu 16. n. 19.*) aſſeruit Monachos poſſe alienare ſua manuſcripta, abſque peccato contra Bullam de largitione munerum, quam publicarat: Atqui ſi manuſcripta pertinerēt ad communitatem, Pontificis aſſertio fuiſſet falſa: Ergo manuſcripta pertinent ad Auctorem, non ad communitatem. Minorem probo; quia hæc ſæpè ſunt maximi valoris, & ex Clement. Bulla Religioſi vix res parui valoris poſſunt elargiri.

Cl. VIII. Homob. Coriolan.

Et *num. 838.* probavimus manuſcripta pro formali, prout dicunt rationem imaginis, directè pertinere ad auctorem: reſtat probandum, quod eadem ſumpta pro materiali, prout dicunt chartam & atramentum, pertinere etiam ad auctorem, tametſi indirectè. Probo ſic: Ad illa extenditur dominium indirectè, quibus dominium directum indiget ad ſui conſervationem. Atqui talis idea indiget charta & atramento ad ſui conſervationem, ut de ſe patet: Ergo qui habet dominium directum in hujuſcemodi ideas, habebit etiam in atramentum & chartam indirectum. Majorem probo. Petrus eſt dominus ſuæ vitæ, non quòd illam poſſit alteri dare, ſed quòd nullus habeat directum dominium in illam, præter ipſum; non eſt dominus ciborum pertinentium ad Paulum: verùm ſi aliquando contingeret quod ejus vita non poſſet ſubſiſtere ſine talibus cibis, haberet in illos jus, atque dominium indirectum. Sic ſimiliter in noſtro caſu. Si ideæ illæ & imagines poſſent ſubſiſtere ſine charta, Monachus non haberet in hanc jus, ſive dominium indirectum: At ſubſiſtere nequeunt ſine charta: Ergo Auctor, qui in illas habet jus directum, opus eſt habeat indirectum in chartam. Ita probabiliter philoſophatur ſuo more acutiſſimus D. Caramuel.

29. Quidam ſentiunt Monialem, quæ transfertur cum legitima licentia ad aliud Monaſterium propria voluntate, ſeu ad ipſius inſtantiam, poſſe ſecum dotem ſuam deferre. Ducuntur per *l. Si is qui, ff. De iur. dot.* ubi ſic habetur: *Ibi dos eſſe debet, ubi onera matrim. ſunt*: tum quia illa dos datur acceſſoriè ad perſonam, & ſub tacita conditione, dū illa Monialis in eo Monaſterio perſeveraverit, & ſic reſtituenda, dum ea profeſſio diſſoluitur per legitimum ad aliam Religionem tranſitum: ſicut dos propter matrimonium carnale viro tradita, eam habet tacitam conditionem, ut eo matrimonio legitimè ſoluto ſit reddenda. Ita Barthol. Socinus *conſil. 222. n. 3.* Baldus *novell. de dote, p. 1. n. 10.* & alij. Sed contrarium eſt verius. Ratio eſt; quia dos & alia bona non fuerunt tradita ſub conditione, ſi in eo Monaſterio Monialis manſerit, ſed ſolùm ſub conditione, ſi profeſſionem emiſerit; cùm autem profeſſionem emiſerit in primo Monaſterio, ſequitur prius Monaſterium eſſe abſolutè dominum prædictorum bonorum. Si tamen ſecundum Monaſterium coactum fuit illam admittere, dos ſolvenda eſt. Ratio eſt; tum quia Moniales non ſolent abſque dote admitti, niſi Monaſterium voluntariè dotem remittat: tum quia par non eſt, ut poſterius Monaſterium involuntariè jacturam alimentorum patiatur. Ita ſuſtinent Navarrus *Comment. 4. de regul. n. 24. verſ. 11.* Rodriguez *tom. 2. qq. regular. q. 80. art. 2. edit. 2.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 32. n. 12.* & alij. Nec ſimile eſt de dote data pro matrimonio carnali.

Socinus. Baldus. Navarrus. Rodrig. Sanchez.

Ratio diſparitatis eſt; quia dos monaſterio traditur abſolutè & in perpetuum: marito autè ad tempus, id eſt, durãte matrimonij vinculo: unde diſſoluto matrimonio per mortẽ viri, vel mulieris, hæc eſt neceſſariò reſtituenda: at diſſoluta profeſſione per mortẽ monialis, non reſtituitur dos parentibus ejus (niſi aliter conventum ſit) cùm ejus dominium perpetuò in id monaſterium tranſierit.

30. Peculium conceſſum religioſo, non ex bonis monaſterij, ſed à cognatis vel extraneis, ſeu tẽpore profeſſionis reſervatũ de licentia ſuperioris, ipſo tranſeunte ad aliam religionem, pertinet ad prius monaſteriũ, ſi illud ſit abſolutè conceſſum; quia illius dominium acquiſitum fuit priori monaſterio, & uſusfructus conceſſus fuit religioſo nõ abſolutè, ſed revocabiliter ad nutũ ſuperioris. Secus ſi aſſignatum fuit tertiæ perſonæ, cum onere illud tradendi religioſo ſingulis annis, vel quoties ipſe petierit: tunc hujuſmodi peculium non eſt abſolutè conceſſum religioſo, & conſequenter priori monaſterio non eſt acquiſitum; imò neque acquiritur ſecundo monaſterio, niſi quatenus religioſus aliquid petierit, eique traditum fuerit. Ita Sanch *lib. 7. moral. c. 32. n. 14.* Bonacin. *de clauſ. q. 2. punct. 9. §. 4. diſſic. 2. n. 6. verſ. Quartò ſequitur.* Sanchez. Bonacina.

Peculium verò conceſſum religioſo hac lege, ut monaſterium in illud non ſe ingerat, alioquin illud perdat, acquiritur ſecundo monaſterio, quoad fructus percipiendos, poſtquã religioſus in ſecundo monaſterio profeſſionem emiſerit; quia monaſterium jus non habet in præfatum peculium, niſi quatenus religioſo defertur: in hoc autem caſu ſupponitur non deferri religioſo abſolutè. Ita Doctores citati.

31. Religioſus tranſiens à religione bonorum incapaci vel etiam capaci, ad aliam capacẽ, bona, quæ in ſecunda religione acquirit donatione, legato, hæreditate, induſtriâ vel aliâ ratione, pertinent ad ſecundam religionem; quia quæ acquirit monachus, monaſterio acquirit: tũ quia per profeſſionem in monaſterio incapaci, non omninò & irrecuperabiliter extinguitur jus acquirendi, ſed conſopitur & ſuſpenditur; quare ſi profeſſus in eo ad Ordinem capacem vel Epiſcopatum legitimè tranſferatur, recuperat id acquirendi jus priori profeſſione conſopitum, & quaſi ſuſpenſum; non quidem ad recuperanda bona, quæ ante adeptam capacitatem delata erant, ſed quoad bona in futurum deferenda. Ita Sylveſt. *v. Relig. 4. q. 10.* Tabiena *eod. verb. n 29.* Molina *tom. 1. diſp. 140. verſ. Quando religioſ.* Sanchez *lib. 7. c. 32. n. 26.* Rodriguez *tom. 2. qq. reg. quæſt. 59. art. 7.* Bartolus *tract. Minoricar. lib. 4. diſt. 3. c. 3.* Leſſius *lib. 2. c. 41. dub. 11. n. 88.* & alij. Sylveſt. Tabiena. Molina. Sanchez. Rodrig. Bartolus. Leſſius.

Vide v. Emphyteuſis *n.* 23. Legatum *n.* 4. Servus *n.* 17. Subſtitutio *n.* 11. Tutor *n.* 5. Votum *1. n.* 41. 42. *& ſequent.*

RELIQVIÆ SANCTORVM.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſentiant hæretici de reliquijs Sanctorum & quid Catholica mater Eccleſia.*
2 *Quid nomine reliquiarum intelligatur.*
3 *Reliquiarum cultus, alius eſt privatus, alius publicus.*
4 *Reliquiæ poſſunt adorari vel per ſe ſeu ſolitariè, vel communitæ cum perſonis, quarum ſunt reliquiæ.*
5 *An ſit ſuperſtitio ad Sanctorum reliquias, ſepulchra & eorum imagines, cereos & lampades accendere.*
6 *Vt reliquiæ publicè ab univerſali Eccleſia colantur, quæ requirantur? & quid circa hoc ſtatuerit Concilium Trident.*
An Epiſcopi liceat approbare reliquias perſonæ nondum canonizatæ, ac eas exponere publicè venerandas.
7 *An Epiſcopo competat in ſua diœceſi approbare reliquias Sancti ab Eccleſia canonizati.*
8 *Epiſcopus extra ſuam diœceſim exiſtens, an poſſit hujuſmodi approbationem dare ſine licentia Epiſcopi loci in quo tunc eſt, ut reliquiæ in ſua diœceſi publicè exponantur venerandæ.*
9 *Quando gravis aliqua quæſtio ſuboritur circa reliquias noviter inventas, an poſſit Epiſcopus cauſam decidere, an potiùs res deducenda ſit ad Concilium provinciale.*
10 *Ad ſepulchra & imagines non canonizatorum, nec beatificatorum, an poſſint deferri tabellæ, & alia dona ſanctitatis & ibidem donaria hæc ob facti memoriam appendere in gratiarum actionem gratiæ acceptæ.*
Decretum Vrbani Octavi ſuper hoc refertur, cum alio decreto Sacræ Congreg. rituum ſervando in recipiendis informationibus pro cauſis beatificationum & canonizationum Servorum Dei.
11 *Corpora Sanctorum quæ dicuntur eſſe in uno loco, alijs perhibentibus eſſe in alijs, an poſſint coli & adorari poſitâ Pontificis vel Epiſcopi approbatione.*
12 *In dubio poſt factam debitam inquiſitionem, an ſint veræ reliquiæ alicujus Sancti, quid faciendum ſit? & quid, ſi ita permixta ſint cum alijs reliquijs hominum non canonizatorum, ut dignoſci non poſſint.*
13 *An liceat reliquias collo ſuſpenſas geſtare.*
14 *An peccatum commiſſum geſtando reliquias in collo habeat ſpecialem malitiam neceſſariò aperiendam in confeſſione ſi id peccatum non ſit directè contra cultum reliquijs debitum.*
15 *An Agnus Dei cereus à Pontifice conſecratus licitè à fidelibus adorari poſſit.*
16 *An poſſit tangi à laicis & clericis in minoribus conſtitutis, & quale peccatum ſit hujuſmodi tactus? & quid ſtatutum ſit circa hoc in Concilio Mediolanenſi.*
17 *An liceat clericis in minoribus conſtitutis, laicis & feminis calicem conſecratum, patenam, purificatorium, corporale, ſacrum Chriſma, Oleum ſanctum, aut Sacram Euchariſtiam tangere.*
18 *An peccatum mortale ſit ſacrilegij & furti, ſurripere aliquid de reliquijs alterius? & an ſit jure communi excommunicatio lata contra reliquiarum fures? & an poſſint reliquiæ Sanctorum tranſferri abſque licentia Summi Pontificis vel Epiſcopi.*
29 *An poſſint Principes in bello juſto reliquias Sanctorum ex Eccleſijs abſtrahere.*

1. SAnctorum cœli incolarum reliquias venerari, hæretici putant eſſe genus ſuperſtitionis. Et hæc fuit hæreſis Vigilantij Barchinonenſis, quam D. Hieronymus confutavit: & primus qui fertur hanc hæreſim in Eccleſiam inuexiſſe fuit Eunomius, aut ſicut alij teſtantur, Euſtatius Sebaſtienſis, in Concil. Gangrenſi damnatus, poſtea verò, Leo Iſauricus, Conſtantinus Copronymus Imperatores Conſtantinopolitani, omnes reliquias è medio ſuſtulerunt. Eaſdem à templis excluſit Claudius Taurinenſis Epiſcopus, ut conſtat ex Iona Aurelianenſi *lib. 1. de cultur. imaginum.* Eandem hæreſim ſeptima olim Synodo Generali damnatam & jampridem ſepultam, & extinctam, ſuſcitavit Ioannes Wiclef, & noſtro tempore eam D. Greg. Con. Gan.

eam tuendam & propugnandam Lutherani & Calviniſtæ auſu temerario ſuſceperunt. Verùm contra iſtos nefarios, impios & temerarios dogmatiſtas, Concil. Trid. ſeſſ. 25. decreto 2. *De invocatione, veneratione, & reliquijs Sanctorum, & Sacris Imaginibus*, definivit, *Sanctorum quoque Martyrum & aliorum cum Chriſto viventium ſancta corpora, quæ viva membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus ſancti, ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda & glorificanda, à fidelibus veneranda eſſe: per quæ multa beneficia à Deo hominibus præſtantur, ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquijs veneracionem atque honorem non deberi; vel eas aliaque ſacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandæ cauſa Sanctorum memorias fruſtra frequentari; omninò damnandos eſſe prout jampridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia.* Sic Concilium. Et olim damnata eſt hæc hæreſis in Synod. ſeptima *actione* 7. Conc. Aphricano quinto *can.* 14. Lateran. ſub Innoc. III. *c.* 62. Ex quibus deducitur certa fide tenendum eſſe, reliquias Sanctorum meritò à fidelibus conſervari, & cum magna reverentia & veneratione tractari. Ratio eſt; quia corpora Sanctorum fuerunt templa animarum Sanctorum, & futura ſunt conſortia æternæ beatitudinis, in qua erunt in perpetuo honore. Deinde illa conſervare & retinere eſt ſignum amoris erga Sanctos, & excitant eundem amorem & devotionẽ ad illos. Accedit quod reliquiæ majorem cum Sanctis habent conjunctionem, quàm imagines, & ſuo modo magis illos repræſentant; ergo propter excellentiam Sanctorum, & habitudinem ad illam ſunt honore dignæ. Ita D. Th. 3. *p. q.* 25. *a.* 6. & communiter Theologi. Et probat univerſalis Eccleſiæ traditio & conſenſus Patrum & fidelium: imò approbat ipſe Deus variis ſignis ac miraculis per Sanctorum reliquias, tanquam per divina organa effectis, de quibus Suarez *tom.* 3. *in* 3 *part. diſſ.* 55 *ſect.* 1. Caſtr. Palaus *to.* 2 *tract* 8. *diſp.* 1. *punct.* 3. Trull. *in Decal. lib.* 1. *c.* 9. *dub* 8. *n.* 1. Geſuald. *in theolog. mor. p.* 3. *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 35. & alij citati *tom* 1. *verb. Adoratio. n.* 12.

Con. Tr. Conc. Ap. D. Thom. Suarez. Palaus. Trullench Geſuald.

2. Nomine reliquiarum ſanctarum intelliguntur corpora & quælibet particula illorum oſſium, ſive carnes, ſive dentes, ſive veſtes, ſive capilli, ſive cineres; in quos redacta ſunt corpora Sanctorũ illorum. Vermes autem, in quos converſæ ſunt carnes dictorũ corporum, non videntur eſſe adorandi propter ſe; quia indecẽs videretur adorare Sanctos in vermibus, licet vermes hujuſmodi conſtẽt eadem materia prima, quam tales Sancti habuerunt, dum viverent; nam forma vermis de novo introducta eſt omninò diverſa. prout dicunt Suarez cum alijs Theologis ſuprà citatis, & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 43. *num.* 2.

Sanchez.

3. Reliquiæ Sanctorum duplici cultu & veneratione coli poſſunt, 1. cultu publico, 2 cultu privato: & ſicut nullus homo coli poteſt cultu publico, niſi ſit canonizatus, vel beatificatus; ita nec Reliquiæ coli poterunt cultu publico, niſi ſint Sancti canonizati vel beatificati: & ſicut homo, qui in opinione Sanctitatis deceſſit, poteſt cultu privato venerari, ita & reliquiæ. Ad cultum autem publicum non ſufficit, ut publicè fiat, & coram multis: ſed ſolùm ille cultus erit publicus, qui fit nomine Eccleſiæ, & ab ea eſt inſtitutus, ut ſunt officium divinum, ſacrificium Miſſæ, & alia quæ pro Sanctis canonizatis & beatificatis ſunt determinata ab Eccleſia. Cultus verò privatus ille dicitur, qui non exhibetur, tanquam inſtitutus ab Eccleſia, & nomine Eccleſiæ, ſed ex peculiari devotione colentis privatim, quamvis ſimul fiat & publicè à multis. Ex quo fit, ut reliquiæ non canonizati nec beatificati, non poſſint proponi in templo, vel altari publicè omnibus adorandæ ſine authoritate Summi Pontificis, ut colligitur apertè *ex cap. Audivimus, & cap. Cùm ex eo, de reliquijs & vener. Sanctor.* Ita Portel *in dub. reg. v. Reliquiæ Sanctor. n.* 10. *&* 11. & alij communiter. Vide Barboſam *de offic. Epiſc. allegat.* 9^a. *n.* 13.

Portel. Barbola.

4. Reliquiæ poſſunt adorari duplici modo. *Primò*, per ſe ſeu ſolitariè, tanquam materia tota adorationis: *Secundo*, ut conjunctæ cum perſonis, quarum ſunt reliquiæ, ita ut perſona ipſa per ſe primò adoretur in reliquijs, ſeu per reliquias quæ ſimul cum perſona coadorantur. Si reliquiæ adorentur primo modo, id eſt, ſi non apprehendantur ut conjunctæ, ſed ſeorſum & per ſe, adoratio illa eſt reſpectiva & inferior, & diſtincta quoad actum ab illa, quâ perſona propter ſe adòratur. Ratio eſt; quia cùm irrationales ſint, non poſſunt per ſe adorari & coli: poſſunt tamen coli adoratione reſpectiva, propter excellentiam ſcilicet & ſanctitatem illius perſonæ, cujus ſunt reliquiæ, etiamſi non apprehendantur ut conjunctæ illi perſonæ: nam præciſa operatione intellectus, verum eſt illas eſſe veras reliquias dignas adoratione reſpectiva. Si autem reliquiæ adorentur ſecundo modo, certum eſt adorari eâdem adoratione, quâ adoratur perſona; quia in hac adoratione apprehenduntur ut conjunctæ illi perſonæ & ſiccum illa perſona coadorantur: unde particula crucis Chriſti, vel tunicæ inconſutilis latria eſt adoranda: capilli, lac vel aliquid Beatiſſimæ Virginis Mariæ, hyperdulliâ; aliorum verò Sanctorum reliquiæ dulliâ. Ita Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. diſp.* 55. *ſect.* 1. Sanchez *loco citato num.* 2. Valquez *in* 3. *part. diſp.* 112. *cap.* 8. *num.* 29. & alij citati *tom.* 1. *verb. Adoratio, num.* 3.

Suarez. Sanchez. Valquez.

5. Hæretici ſuperſtitionis damnant Eccleſiæ ritus quibus ad Sanctorum reliquias, ſepulchra, & eorum imagines cerei & lampades accenduntur: & tales ritus è medio eſſe tollendos perſuadere conantur; propterea quod in Concilio Elibert. *canon* 34 ſancitum ſit: *Cereos per diem placuit in Cœmeterio non incendi. Inquietandi enim ſpiritus Sanctorum non ſunt. Qui hoc non obſervaverint, arceantur ab Eccleſiæ communione.* Cæterùm, eum ritum cereos aut lampades incendendi ad monumenta Sanctorum, more eſſe antiquiſſimo in Eccleſia receptum, manifeſtum eſt ex D. Auguſtino *lib.* 8. *de civitat. cap. ult. & in lib* 6. *confeſſionum, cap.* 2. Hieronymo *in Epiſtola ad Riparium*, & ex Gregorio *lib.* 3 *dialog cap.* 24 Adhibentur namque hæc lumina ad oſtendendum fidei lumen, in quo Sancti decellerunt, & ad ſignificandam gloriæ claritatem quâ perficiuntur, & in ſignum lætitiæ, quam nos ex ipſorum gloria percipimus. Ita Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 4 *num.* 10. Azorius *tom.* 1. *lib* 9. *cap.* 8. *quæſit.* 3. Trullench *in Decalog lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 8 *n.* 13. & alij communiter. Concilium autem Elibertinum prohibet, quo minus cerei accendantur, videlicet ritu & more gentilium, qui putabant defunctorum corpora aliquid ſentire & clauſa in tenebris, & ſepulchris illuminari. Et cùm dicit, *inquietandi enim Spiritus Sanctorum non ſunt*, perinde eſt, ac ſi diceret, Sanctos ipſos, vita functos, gratum & acceptum non habere ejuſmodi ſuperſtitioſum ritum ex gentilium errore profectum: vel Sanctos ſpiritus videlicet fidelium hominum adhuc in terris viventium inquietari, hoc eſt, perturbari.

Con. Illib. D. Aug. D. Hier. D. Greg. Bonacina. Azorius. Trull.

6. Ut reliquiæ publicè ab univerſali Eccleſia colantur, duo requiruntur; *Primum*, ut conſtet

de ſanctitate perſonæ, vel per univerſalem Eccleſiæ conſenſum, ſeu traditionem, vel per Summi Pontificis canonizationem. *Secundum*, ut publica authoritate reliquiæ proponantur ut veræ, & ad talem perſonam pertinentes: hæc autem authoritas eſt apud Summum Pontificem, & Epiſcopos, qui ſufficientem diligentiam ante approbationem, adhibere tenentur, juxta diſpoſitionem Con-
Con. Trid cilij Trid. *ſeſſ. 25. in ſecundo decreto, in fine.* ubi ait: *Nulla admittenda eſſe nova miracula nec novas reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo, qui ſimulatque de ijs aliquid compertū habuerit, adhibitis in conſilium Theologis & alijs pijs viris, ea faciat, quæ veritati & pietati conſentanea judicaverit. Quod ſi aliquis dubius aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omninò aliqua de ijs rebus gravior quæſtio incidat, Epiſcopus, antequam controverſiam dirimat, Metropolitani & comprovincialium Epiſcoporum in Concilio Provinciali ſententiam expectet.*

Circa quod decretum ſequentia notanda veniunt. *Primum*, Nullo modo licet Epiſcopo approbare Reliquias perſonæ nondum canonizatæ, ac eas publicè venerandas exponere, ut probat textus *in cap. fin. de relig. & vener. Sanctor.* quatenus habet, Reliquias denuò inventas publicè abſque Summi Pontificis licentia nō eſſe adorandas. Cui deciſioni cùm non ſit derogatum per Conc. Trid. *dicto loco*, quia oportet ſpecificam fieri de ea mentionem in clauſula derogatoria, cùm ſit Concilij generalis Lateranenſis, ſequitur ei non eſſe derogatum per Conc. Trident. Ratio eſt; tum quia correctio juris omninò in quantum fieri poteſt, vitanda eſt, etiamſi ob id verba improprientur; quod maximè procedit in decretis Concilij generalis, de quibus oportet mentionem ſpecificam fieri in clauſula derogatoria, ut eis derogatum cenſeatur. Cùm ergo in prædicto Tridentini decreto nulla ſit clauſula derogatoria, dicendum non eſt per illud derogari decreto Conc. generalis Lateranenſis, ex quo delumptum eſt *cap. fin. de relig. & vener. Sanctor.* Sed utrumque decretum ad concordiam redigendum eſt, ut hoc intelligatur quando ſunt reliquiæ Sancti non canonizati; illud autem, quando ſunt canonizati: tum quia Trident. in decreto in proœmio profitetur ſe velle, ut in reliquiarum veneratione ſtetur uſui Eccleſiæ & Conciliorum decretis & dum committit Epiſcopis reliquiarum approbationem, ſic incipit: *Hæc ut ſerventur, ſtatuit Sancta Synodus* &c. Signum ergo eſt, nullius Concilij Generalis decretis velle derogari, ſed potiùs ea velle integrè cuſtodiri. Quare ita tenent Suarez *to. 1. in 3. part. diſp. 55. ſect. 2. verſ. Sed*
Suarez. *quæret aliquis.* Clav. Reg. *lib. 4 c. 7. n. 2. verſ. Et qui.*
Clav. Reg Reginald. *lib. 19. n. 6. in fine.* Diana *p. 2. tract. 15. reſ.*
Reginald. *51. verſ. Quæritur ſecundò.* Sanch. *l. 2. mor. c. 43. n. 10.*
Diana. Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc. p. 3.* Rodrig. *tom. 3. qq.*
Sanchez. *reg q. 55. a. 1. in fine.* Et noviſſimè Trull. *in Decal.*
Barboſa. *lib. 1. c. 9. dub. 6. n. 22.* cum Caſtro Palao *to. 2. tr. 8.*
Rodrig. *diſp. 1. punct. 3. n. 8.* docet probabilius & tutius eſſe,
Trull. imagines & reliquias talium virorum etiam in altari privato collocari non poſſe.
Palaus.

Prædicta doctrina non habet locum in reliquijs alicujus Sancti antiqui: nam S. Congreg. cenſuit illas, quæ fuerint antiquæ, habendas eſſe in illa veneratione, qua hactenus fuerunt, ut refert
Bonacina. Bonacin. *to. 2. diſp. 3. q. 1. punct. 4. n. 5. verſ. Dixi.* ubi
Suarez. cum Suarez & Sanchez idem dicit de Reliquijs,
Sanchez. quę per antiquam Eccleſiæ traditionem, aut univerſalem Eccleſiæ conſenſū approbatæ ſunt; quia hujuſmodi approbatio æquipollere videtur canonizationi, cùm præſens canonizationis forma antiquitus non eſſet in uſu.

7. Secundum notabile eſt, Epiſcopo competere approbare in ſua diœceſi reliquias Sancti ab Eccleſia canonizati, & eo approbante tanquam veras, & ad illum Sanctum pertinētes, poſſe abſolutè adorari. Conſtat ex prædicto decreto Trid. Nā & ſi dictio, *niſi*, quando negationi adjungitur, non affirmet in promiſſionibus, & contractibus, at in reliquis alijs rebus affirmat. Prætereà, quia etiā affirmat, ſi aliquid poſteà addatur affirmativè. At *in* prædicto decreto ſtatim ſubjungitur forma, quâ uti debet Epiſcopus in reliquijs approbandis, & ſubinde conceditur ei ibi poteſtas approbandi reliquias. Nec dictis obſtat deciſio *cap. fin. de relig. & vener. Sanctor.* quia loquitur de Sancto non canonizato: at decretum Trident. loquitur de reliquijs Sancti canonizati, ut diximus ſuprà. Ita Suarez Suarez.
to 1. in 3. part. diſp. 55 ſect. 2. verſ. Sed quæret aliquis. Azorius Azorius.
tom. 1. lib. 9. cap 8. quæſt. 8. Philiarcus *de* Philiarc.
offic. Sacerd tom. 1. p. lib. 3 cap. 9. ad finem. Barboſa Barboſa.
de offic. & poteſt. Epiſcop part. 3. allegat. 97. num. 11. & 12. & alij.

8. Tertium eſt, Epiſcopum extra ſuam diœceſim exiſtentem poſſe abſque aliqua Epiſcopi diœceſis, in qua tunc eſt, licentia eam approbationem facere, atque licentiam dare, ut reliquiæ in ſua diœceſi publicè collocentur venerandę. Ratio eſt; quia cùm juriſdictio hæc non ſit inter partes invitas exercenda, non eſt contentioſa, ſed voluntaria. At juriſdictio, quæ voluntaria eſt, poteſt ubique abſque alicujus licentia exerceri. Ita Bonacina Bonacina.
tom. 2 diſp. 3 quæſt. 1. punct. 4. n. 5. verſ. An autem. Sanchez Sanchez.
loc. cit. n. 14. Barboſa *loc. cit. n. 11.* Ad hanc Barboſa.
autem reliquiarum approbationem faciendam, tenetur Epiſcopus adhibere in conſilium Theologos & alios pios viros, ut habetur in textu decreti; quamquam ad Epiſcopum, non autem ad eos, quos in conſilium adhibuit, ſpectat deciſio; quia Tridentinum ſolùm præſcribit, ut in conſilium adhibeat; conſilium autem non importat deciſionem, ſed quid prævium deciſioni, nec inducit neceſſitatem illud ſequendi, ut fuſiùs tradit Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp. 34. n. 24.* Diana *p. 2.* Sanchez.
tract. 15. reſol. 51. verſ. Quæritur tertiò. Trullench Diana.
in Decalog. lib. 1. cap. 9. dub. 8. num. 7. & alij. Et Trull.
nos in ſimili diximus ſuprà, *verb. Religio. numero* 3.

9. Quartum eſt; Quando gravis aliqua quæſtio ſuboritur circa reliquias noviter inventas, ita ut res deducenda ſit ad Concilium Provinciale, ejuſque ſententia expectanda, tunc deciſio non erit Epiſcopi, ſed Concilij Provincialis; quia Concilium Tridentinum non petit conſilium prædicti Concilij Provincialis, ſicut petit Theologorum, ſed ſententiam. Hanc autem conſtituet major pars ſuffragiorum ex ijs, qui ſuffragium deciſivum in Concilio provinciali habent: quia conſtitutum à majori parte Concilij dicitur ab ipſo Concilio conſtitutum, *ex cap. Apoſtolica, diſtinct. 56. cap. Cùm inter canonicos, de elect. l. Quod major, ff. Ad municipalem.* Et tunc non ſatis erit ſi Metropolitanus & omnes in Concilio congregati ſententiam ſuam ſeorſim dicant, ſed opus eſt ut Patres collegialiter ſint congregati in forma Concilij; quia Tridentinum ſuprà dicit, *Metropolitani & comprovincialium Epiſcoporum in Concilio Provinciali ſententiam expectet.* atque ita non ſolùm vóluit, ut illi ſententiam explicent, ſed ut in Concilio conjuncti ac congregati id efficiant; quia aliàs non ſententia Concilij, ſed ſingulorum dicetur. *Cap. in Geneſi, de elect.* ubi Gloſſa *verb. Publicè.* Ita Barboſa *de offic. & poteſt.* Gloſſa.
Epiſcop. parte tertia, allegat. 97. numero 17. Barboſa.

Con. Trid

Fagun-

Fagund. Diana. Sanchez. Pellizzar. Fagundez *de precept. Eccleſ. lib. 1. precept. 1. cap. 4. num. 5.* Diana *part. 2. tract. 15. reſ. 51. verſ. Queritur quarto.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 43 num. 16.* & alij. Quibus addo Pellizzarium *in man. reg. 118. cap. 5. num. 77.*

10. Quorumdam ſententia eſt, ad ſepulchra & imagines non canonizatorum, nec beatificatorum poſſe deferri tabellas, ac alia dona ſanctitatis, ac aliarum gratiarum indicia, & ibidem donaria hæc, ob facti memoriam appendere. Ita Viguerius *in inſtitut. Theolog. tit. virtut. fidei cap. 10. §. 1.* Turrianus *de fide, ſpe, & charitat. diſp. 27. dub. 10. in fine.* Andreas Molfeſius *conſil. 45. num. 33.* ubi aſſerit eſſe communem uſum & praxim Eccleſiæ ab eius ortu, idque probat adductis multis Sanctorum hiſtorijs. Hodie tamen ubi motus proprius Urbani VIII. de anno 1625. eſt uſu receptus, de quo infrà, hæc non licent: quia dictus Pontifex prohibuit, ne ad horum hominum ſepulchra tabellæ & imagines affigantur ſub pœnis in eo motu proprio decretis, ſine recognitione Ordinarij, ad ſedem Apoſtolicam mittenda & approbanda. Poſtea tamen idem Urbanus in alio motu proprio 1634. declaravit poſſe huiuſmodi tabellas accipi, & approbante Ordinario, ad quem ſtatim tenentur referre, in ſecreto loco aliquo ſeorſum ab Eccleſia cuſtodiri, & collocari & aſſervari, ut extent pro beatificationis tempore, ſi Domino placuerit. Proinde quoad praxim conſulenda eſt propriæ Diœceſis conſuetudo ab Ordinariis ſcita & non reprobata, ut monet Trullench *in Decalog. lib. 1. cap. 9. dub. 6. num. 7.*

Viguerius Turrian. Molfeſius. Vrb. VIII Trullench

Feria V. die 2. Octobr. 1625.

In Generali Congregatione S. Romanæ Vniverſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram S. D. N. D. Vrbano Divina providentia Papa Octavo, ac Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus, adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

CUm Sanctiſſ. in Chriſto Pater, & D. N. D. Urbanus, divinâ providentiâ Papa VIII. die 13. Martij 1625. decretum ediderit infraſcripti tenoris, videlicet:

Sanctiſſ. D. N. ſolicitè animaduertens abuſus, qui irrepſerunt, & quotidie irrepere non ceſſant in colendis quibuſdam cum ſanctitatis, aut Martyrij fama, vel opinione defunctis, qui, etſi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore inſigniti ſint ab Apoſtolica Sede, eorum tamen Imagines in Oratorijs, atque Eccleſijs, aliſque locis publicis, ac etiam privatis, cum laureolis aut radijs, ſeu ſplendoribus proponuntur, miracula, & revelationes aliaque beneficia à Deo per eorum interceſſiones accepta, in libris rerum ab ipſis geſtarum enarrantur, & ad illorum ſepulchra, Tabellæ, Imagines, & res aliæ, ad beneficia accepta teſtificanda, lampades, & alia lumina apponuntur. Volenſque proinde huiuſmodi abuſibus pro debito officij Paſtoralis occurrere, ac etiam cum Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in univerſa Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus communicatâ, & maturè conſideratâ, ac diſcuſſâ, declaravit, ſtatuit, & decrevit, ne quorumvis hominum, cum ſanctitatis, ſeu Martyrij fama (quantumcumque illa ſit) defunctorum imagines aliaque prædicta, & quodcumque aliud venerationem, & cultum præ ſe ferens & indicans in Oratorijs, aut locis publicis, ſeu privatis, vel Eccleſijs tam ſæcularibus, quàm Regularibus cuiuſcumque Religionis, Ordinis, Inſtituti, Congregationis aut Societatis apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur, & (ſi quæ appoſitæ ſunt) amoveantur, prout eas ſtatim amoveri mandavit.

Ac pariter imprimi, de cetero inhibuit libros eorumdem hominum, qui ſanctitatis, ſive Martyrij fama, vel opinione (ut præfertur) celebres è vita migraverint, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione atque approbatione Ordinarij, qui in eis recognoſcendis Theologos alioſque pios & doctos viros in conſilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid novum, ac inordinatum in re tam gravi committatur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmittat, eiuſque reſponſum expectet. Revelationes vero, & miracula, aliaque beneficia ſupradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & geſta continentibus, hactenus ſine recognitione, atque approbatione huiuſmodi impreſſa ſunt, nullo modo approbata cenſeri vult, mandatque ſua Sanctitas.

Ad horum hominum ſepulchra vetuit etiam, ac inhibuit, tabellas atque imagines ex cera, aut argento, ſeu ex alia quacumque materia, tam pictas, quàm fictas, atque ſculptas, appendi, ſeu affigi, & lampades, ſive alia quæcumque lumina accendi ſine recognitione ab Ordinario omninò prout ſuprà facienda, Sedique Apoſtolicæ referenda, ac probanda.

Declarans, quod per ſupra ſcripta præiudicare in aliquo non vult, neque intendit ijs, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum virorumque ſanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarij colantur.

Vt autem præmiſſa diligentiùs obſerventur, univerſis & ſingulis, tam Ordinarijs, quàm hæretica pravitatis Inquiſitoribus diſtrictè præcipit, ut in ſua quiſque Diœceſi vel Provincia ſedulò pervigilet, ne ſine approbationibus prædictis, Imagines cum commemoratis ſignis exponantur, aut miracula, revelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliavè contra ſuperiùs diſpoſita fiant: tranſgreſſores verò, ſi regulares fuerint, privationis ſuarum officiorum, ac vocis activæ & paſſivæ, nec non ſuſpenſionis à divinis; ſi verò clerici ſæculares, privationis pariter ſuorum officiorum, ſuſpenſionis à divinis, & ab adminiſtratione Sacramentorum executioneque ſuorum Ordinum reſpectivè, aliiſque arbitrio prædictorum Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

Qui autem libros impreſſerint, aut imagines pinxerint, ſculpſerint, ſeu quoquomodo affixerint, vel formaverint, ceteriique artifices circa præmiſſa qualitercumque delinquentes, prædicta omnia amittant, & inſuper pecuniarijs aliiſque etiam corporalibus pœnis, juxta criminis gravitatem, eorumdem Ordinariorum, ſeu Inquiſitorum arbitrio afficiantur, contrarijs quibuſcumque non obſtantibus.

Et ne præmiſſorum ignorantia poſſit ab aliquo prætendi, voluit, ut Decretum huiuſmodi, ſeu illius exemplum ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Vrbis, ac in acie Campi Floræ affixum, omnes perinde arctet atque afficiat, ac ſi unicuique perſonaliter intimatum fuiſſet, quodque præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibita, vel oſtenſa.

Poſtmo-

Postmodum verò idem Sanctissimus D.N. à quibusdam revocari in dubium accepit, an tabellas, & imagines, quas in posterum offerri contigerit, recipere, & antea oblatas conservare liceret: Sanctitas sua, quæ tantummodo voluit, occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam divina clementia placuerit administrandis operibus illustrare; re priùs cum Illustriss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus communicatæ, præsenti decreto declaravit: quod sicut numquam prohibuit, nec suæ intentionis fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, & imaginum huiusmodi, ita ut nulli deinceps hæsitationi locus relinquatur; statuit in præsentiarum, & decernit ut quoties ad aliquam Ecclesiam, aut Oratorium, locumve alium publicum sæcularem, seu regularem, tabellas & imagines, aliudve simile quispiam detulerit, ac intercessione hominum inter Sanctos, vel Beatos non ascriptorum, quamvis cum Martyrij, vel sanctitatis fama demortuorum, aptata se impetraviſſe dixerit, liceat Ecclesiastico personis Ecclesiarum, locorumve prædictorum cura præpositis, tabellas & imagines, sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quæcumque collatæ gratiæ fidem facientia, simul cum deferentis, aliorumque qui conscij fuerint attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinarijs, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo, seorsum ab Ecclesia loco custodire, ibidemque jam amota collocare & asservare, ut si quando Dominus talium virorum merita Beatificationis, seu Canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiusmodi sanctitatis qualescumque probationes, Apostolicæ Sedis judicio tunc examinandæ, contrarijs quibuscumque non obstantibus.

Joan. Antonius Thomasius S. Roman. & Univers. Inquisitionis Not.

Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, Indictione octava, Pontificatus S.D.N.D. Vrbani divina providentia Papæ Octavi, die vero 30. mensis Octobris, supradicta litera, sive Decretum affixum & publicatum fuit ad Valuas Principis Apostolorum Vrbis, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Prandimartem Latinum, præfatæ Sanctiss. D.N. Papæ Cursorem.

Idem Urbanus VIII. in suo motu proprio die 5. Maij anno 1634. qui incipit, *Cœlestis Ierusalem*, supradictum Congregationis decretum confirmavit sub eisdem pœnis in eo contentis, addens, præcipiensque Ordinarijs, aliisve Sedis Apostolicæ delegatis, talium virorum informationes ne recipiant, nisi diligenter observatis ijs, quæ continentur in memorato decreto, & seorsum processum conficiant, in quo constet observata esse omnia in dicto decreto præscripta, illumque simul cum alio informationis vitæ, & miraculorum Romam transmittant. Prohibet etiam idem Pontifex, ne processus vitæ & miraculorum Romam missus aperiatur à Secretario Congregationis, nec à Sanctæ fidei promotore, nisi priùs in ipsa Sacrorum rituum Congregatione alius processus aperiatur, in quo seiunctim constet esse observata in dicto decreto præscripta.

Decretum S. Congregat. Rituum servandum in recipiendis informationibus pro causis Beatificationum & Canonizationum Servorum Dei.

Sacra Rituum Congregat. prohibet omnibus & singulis personis Ecclesiasticis tam sæcularibus, quàm Regularibus, etiam S. Iannis Hierosolymitani & Societatis Iesu, vel aliorum quantumvis speciali notâ dignorum, ne audeant ipsi per se, aut per alios capere informationes super sanctitate, aut miraculis alicujus Sancti, neque ullo modo exquirere atque obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones sub pœnis arbitrio Sacræ Congregat. infligendis. Quòd si Superiori, Sacristæ, seu alteri officiali illius Ecclesiæ, in qua requieſcit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam Ecclesiæ, fuerint revelata aliqua miracula, sive prophetica dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantùm revelatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur: attenuantur tamen quamprimùm commodè poterunt, eadem deferre vel obsignata transmittere Episcopo loci cum expressa declaratione, quod revelationes, sic ut suprà receptæ, non faciant aliquem probationis gradum etiam cuiusvis longissimi temporis cursu. Quod decretum cùm fuerit ad notitiam S.D.N. Vrbani VIII. deductum, Sanctitas sua illud approbavit, ac imprimi & ubique publicari mandavit die 12. Martij 1631.

E. Episcopus Portuensis Card. Pius.

T. Tegrimius Episc. Assisien. Secret.

Ista & alia S. Congregationis & S.D.N. Urbani VIII. decreta referunt D. Felix Contelorius *tract. de Canonization. Sanctor. cap. 22. num. 19.* Trullench *in Decalog. lib. 1 cap. 9 dub. 6. num. 26. cum sequentibus*, Barbosa *part. 3. de offic. & potest. Episcopi, allegat. 97. edit. 2.* Diana *p. 4. sub finem in decretis & constitutionibus Pontificum.*

11. Corpora Sanctorum, quæ dicuntur esse in uno loco, aliis autem perhibentibus esse in aliis, possunt absolutè coli & adorari, suppositâ tamen Pontificis, vel Episcopi approbatione. Ratio est; quia adorans huiusmodi corpora nõ errat in substantia, quasi illa corpora non sint alicuius Sancti, sed potiùs errat in conditione, quatenus credit esse corpus unius Sancti, cùm sit alterius. Fieri enim potest, ut in utroque loco sit non integrum corpus, sed pars à qua totum nomin tum est. Proinde semper in adoratione inclusa est tacita conditio, si verè sint reliquiæ personæ sanctæ, quam colere intendo, eaque conditio omnem formalem adorationis errorem excludit. Ita Bonacina *tom. 2. disp. 3. quæst. 1. punct. 4. n. 6.* Layman *lib. 4. tract. 7. cap. 5. n. 15. in fine.* Castrus Palaus *tom. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 6. n. 8.* & alij. Bonacina. Layman. Palaus.

12. Si post debitam inquisitionem dubium maneat, num sint veræ reliquiæ alicuius Sancti, abstinendum est ab earum veneratione etiam privatim, sed maximè publicè, ne periculum incurratur adorandi falsas reliquias; sed stante dubio sunt separatim servandæ in loco decenti, ne fortè veræ reliquiæ irreverenter tractentur. Ita Armilla *verb. Canonizationem. 2.* Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 55. sect. 2. §. At verò.* Sanchez *lib. 2. mor. cap. 43. n. 19.* & alij. Armilla. Suarez. Sanchez.

Sed quid, si reliquiæ Sancti canonizati ita permixtæ sint cum alijs reliquijs Sanctorum nondum canonizatorũ ut discerni ac dignosci non possint? an liceat Episcopo omnes illas approbare, ac publicè adorandas proponere ratione connexionis? Videtur quod sic; quia dignius trahit ad se minus dignũ, ut est vulgare pronunciatũ juris interpretum; qua ratione oleum non consecratum admixtum consecrato, remanet consecratum, *ex c. Quod in dubijs, de consecr. Ecclesiæ*, juncta Glossa ibi *verb. Consecratio.* Nihilominus dicendum est, non posse Episcopum eas venerandas proponere: quia illud

cap.

Digitized by Google

cap. Quod in dubijs, procedit in solis liquoribus: & præterea opus est, ut liquor consecratus mistus sit in majori quantitate, juxta communem sententiam; sed in præsenti nescimus quarum reliquiarũ quantitas excedat. Nec omnes illæ reliquiæ ob connexionem sunt venerandæ, quia si constaret inter eas esse reliquias hominis perversi, veneratio dirigenda esset ad eas solùm, quæ sunt Sancti, & hac conditione appositâ tollitur omne periculum. Nam *cap. Sacris, de sepultur.* solùm probat non esse reliquias illas conculcandas, sed custodiendas separatim in loco decenti, sicut de reliquis dubijs dictum est. Ita docent Sanchez *loc. cit. n.* 12. Sanchez. Fagundez *de præcept. Eccles. præcept.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. Fagund. *num.* 11. & alij.

13. Licitum & pium est reliquias collo suspensas gestare, dummodò nulla vana circumstantia addatur. Ratio est; quia hoc non est per se malum, atque ita non est prohibitum jure naturali, cùm ex pia affectione in Sanctorum honorem fiat, nec ullam indecentiam, aut malitiam per se conjunctam habeat. Nec etiam jure Ecclesiastico interdicitur; quia nullum extat decretum prohibens privatam reliquiarum delationem ex devotione: tum quia sic usu receptum est apud probos & pios, & usus Ecclesiæ testatur. Ita D. Thomas D. Thom. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *ad* 3. qui teste Sylvio *ibidem* Sanctę Agnetis reliquias ex collo gestare solebat, quarum attactu Reginaldum socium suum à febre curavit. Sic etiam docent post illum Navarrus Navarrus. *in Man. cap.* 11. *num.* 35. Sylvester *verb. Reliquiæ*, Sylvester. *num.* 4. Rosella, Armilla, Tabiena. *eod. verb.* Suarez Rosella. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 15. *num.* 10. Armilla. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 7. & Suarez. alij communiter contra Angelum *verb. Reliquiæ*, Bonacina. *numero* 4.

14. Peccatum commissum gestando reliquias in collo non habet specialem malitiam necessariò fatendam, si id peccatum non sit directè contra cultum reliquijs debitum, quale esset turpiter & obscœnè eas pertractare. Ratio est; quia actio peccandi non repugnat directè cultui reliquiarũ, nec reliquiæ dicuntur turpiter tractari mediante tali peccato simpliciter comitto, dummodò hujusmodi peccantes non faciant ex contemptu, vel cũ aliorum scandalo: & hoc etiam verum quamvis peccata carnalia committantur. Proinde non solent pœnitentes communiter se de tali circumstantia ut plurimũ accusare, maximè si sint personæ doctæ: quamvis negari non possit aliqualem esse irreverentiam, non tamen continet notabilem deformitatem necessariò confitendam; quia nullo jure specialiter id prohibetur. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. Azorius, *cap.* 8. *quæst.* 6. Gesualdus *in Theolog. moral. part.* Gesuald. 3. *tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 39. Sanchez *lib.* 2. *moral.* Sanchez. *c.* 40. *n.* 28. Trullench *in Decal. lib.* 1. *c.* 9. *dub.* 8. *n.* 11. Trullench. Bonacina *loco citat. num.* 8. & alij ab ipsis citati, Bonacina. Diana *part.* 1. *tract.* 7. *resol.* 18. Sylvius 2. 2. *quæst.* Diana. *154. art.* 10. Sylvius.

15. Agni Dei cerei à Summo Pontifice consecrati licitè adorari possunt à fidelibus; ideò enim consecrantur cũ oleo sancto chrismatis, ut à fidelibus colantur; & quia in illis semper est impressa Sanctorũ effigies, sive Agni repræsentantis Christũ Dominum, qui metaphoricè Agnus est appellatus, ideoque non solùm tanquã res consecratæ, sed etiam tanquam imagines sacræ repræsentantes prototypon licitè coli possunt; sic etiam colimus res sacras, ut altaria, vasa sacra, Chrisma, codicem Euangeliorum & alia hujusmodi. Ita Vasquez Vasquez. *in tertia part. disp.* 110. *cap.* 2. Trullench *in* Trull. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 9. *dub.* 8. *n.* 24. Bonacina *loco* Bonacina. *citat. n.* 11. & alij. Habent enim hæ formæ, teste Durando *in ration. divin. offic. lib.* 9 *c.* 79. vim con- Durand. tra fulgura, fulmina, grandinem, incendia, tempestates ventorum & imbrium, ut experientiâ sæpè constitit.

16. Hujusmodi Agni oleo sancto & Chrismate consecrati non possunt à laicis & clericis in minoribus constitutis tangi; quia *in cap. Sacrat. dist.* 23. vetitum est laicis tangere res sacras: non tamen peccatum mortale committunt laici illos tangentes sine contemptu: sicut nec peccatum mortale est tangere reliquias, eas accommodando in cruce, vel vase debito, modò absit contemptus vel indecentia in tangendo, ne facilè possint coinquinari; quia simplex attactus non videtur materia gravis & sufficiens ad peccatum mortale. Ita Azorius Azorius, *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 9. *quæst.* 3. Castrus Palaus Palaus. *tom.* 2. *tract.* 8. *disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 24. Trullench Trull. *loc. citat.* Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 5. *n.* 18. & alij. Layman. Imò Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 43. *num.* 27. & cum Sanchez. eo Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 12. excusant ab omni Diana. peccato, etiam veniali, præciso contemptu aut alia circumstantia mala tangentes reliquias & Agnos cereos, eò quòd usus obtinuit, ut à laicis, etiam feminis tangantur, dummodò reverenter & devotè id fiat.

Verùm in Concilio Provinciali Mediolanensi Con. Med. sub S. Carolo Borromæo circa hoc sequentia piè & sanctè decreta sunt, & digna ut hìc inserantur. *Primò*, ut cùm Agni Dei domi asservãtur, sicut piæ cõsuetudinis est, loculo decenti includãtur. Cùm autem collo dependentes gestantur, in thecâ argentea, argenteam, eburneam, crystallinam, aut alterius generis decentis rectè inclusi sint, ita ut tactu violari nequeant, nec ad ornatum habeant quicquam, quod profanum sit, quodq; minimè deceat. Thecarum fabri ne ullo modo eos tangant attrectentvè, ne chirotecis quidẽ, forcipe, aut ullo alio instrumẽto: sed ad eos in thecis reponendos clericus in sacris constitutus adhibeatur. Nec item minimam particulam sacræ illius ceræ, à qua Agni figura effecta est, in eis includãt quo pluris opus suũ vendant, sed ab eo accipiant, qui thecã Agni causâ faciendam locarint: nec item quisquam sacrum Agnum annulo gestet, cùm ita parũ religiosè gestetur, ut aliqua fœditate turpivè actu violari facilè queat. Præterea qui sacros Agnos gestãt, hoc religiosiùs caveant, ne quid imputè turpitervè agant, aut à sacra ejusmodi re alienũ. Nec præterea in agrivampum benedicti Agni projiciantur; nec cuiquam arbori affigantur; neque in ramis arborum suspendantur: sed quod antiqui est instituti, eorum cera adoleatur ad suffumigationem in agris vineisque ob imminentem tempestatem, fulgura, fulmina, incendia & grandinis vim, aliasvè diabolicas illusiones depellendas. *Ita ibi.*

17. Non licet clericis in minoribus constitutis, aut laicis calicem consecratum, patenam, purificatoriũ, aut corporale tangere sine licẽtia Episcopi, quanquam tangens sine licentia non videtur plusquam venialiter peccare præciso contẽptu, etiamsi feminæ tangant. Sic Sanchez *loc. cit. n.* 27. Sotus Sanchez. *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 3. Trull. *loc. cit. n.* 16. Bo- Sotus. nacina *loc. cit. n.* 13. Proinde nec etiam laicis per- Trull. missum est tangere sacrum Chrisma, aut Oleum Bonacina. sanctum, & multò minus Sacram Eucharistiam, quam clerici non Sacerdotes nec tangere possunt. Potest tamen laicus, si Eucharistia in terram cadat, & non sit alius, qui eam reverenter tangeret, elevare è terra, ut citati auctores docent, quibus adde Azorium *tom.* 1 *lib.* 9. *c.* 9. *q.* 12.

18. Peccatum mortale est sacrilegij & furti, Azorius. furri-

Digitized by Google

furripere, vel extrahere aliquid de reliquijs alterius, niſi hoc fiat de licentia domini, aut niſi extrahantur de manibus infidelium: nam furtum & ſacrilegium committit, qui rem ſacram invito domino accipit. Et infideles injuſtè eas poſſident, nec debito proſequuntur honore. Adde tamen in hac re non ſemper parvitatem materiæ à peccato mortali excuſare; quia tanta poteſt eſſe dignitas & æſtimatio reliquiæ furto ſublatæ, ut grave damnum irrogetur, & non levis irreverentia cenſeatur. Ita Sanchez *loc. cit. n.* 13. Sylveſter, Angelus, Armilla, Tabiena *verb. Reliquiæ.* Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *c.* 5. *num.* 17. & alij. Sanchez, Sylveſter. Angelus. Armilla. Tabiena. Layman.

An autem ſit excommunicatio lata contra Reliquiarum fures? Reſp. jure communi, exceptâ urbe Româ, non videri latam excommunicationem contra hujuſmodi fures, niſi furtum commiſſum fuerit cum violentia, hoc eſt, fores Eccleſiæ & muros frangendo. Nam textus *cap. Quiſquis inventus* 17. *quæſt.* 4. dicit: *Si quis domum Dei violaverit, &c.* At propriè dicitur violare Eccleſiam juxta ſubjectam materiam, qui fores, vel muros ejus infringit ut furetur.

Imò in hoc capite non continere excommunicationem latam, ſed veniri privandum communione talem furem docent Sanchez *loc. citat. n.* 24. Suarez *de cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 3. *num.* 9. Caſtrus Palaus *tom.* 2. *tract.* 8. *diſp.* 1. *punct.* 6. *n.* 21. & alij. Qui noviſſimus notat, quòd conceſſâ ſemel alicui facultate extrahendi aliquas Reliquias ex Romanis Cœmeterijs, poteſt hic alijs donare, eaſque ſic donatas, quò placuerit transferre, & idem tenet Azorius *lib.* 9. *cap.* 8. *quæſt.* 10. Sanchez. Suarez. Palaus. Azorius.

Jure etiam communi *cap. Corpora, de conſecrat. diſt.* 1. transferri nequeunt reliquiæ Sanctorum, ſi ſint perpetuæ ſepulturæ traditæ, abſque licentia Summi Pontificis, vel Epiſcopi, niſi aliud cogat neceſſitas, ut incendij, &c. quia tunc ſatis erit auctoritas Præſidis Provinciæ. At ſi perpetuæ ſepulturæ nondum ſint traditæ, bene poſſunt transferri ſine alicujus auctoritate ad alium locum religioſum, ut docent Sylveſter *verb. Reliquiæ, quæſt.* 3. Caſtrus Palaus *punct.* 6 *cit. n.* 21. Layman *loc. cit. n.* 17. Sanchez *loco cit. n.* 25. & alij. Sylveſter Palaus. Layman Sanchez.

19. Quamvis Princeps indicens Bellum juſtum poſſit occupare omnia bona hoſtium, quæ neceſſaria ſunt, tum ad reparationem injuriæ acceptæ, illamque vindicandam: tum ad ſecuritatem imposterum futuram: & hoc non ſolùm nocentum, ſed etiam innocentum, ſi neceſſaria ſint ad ſupradictos fines vindictæ & ſecuritatis; quia tunc non puniuntur innocentes, ſed punitur Reſpub. in ipſis, cujus ſunt partes, ut docent Victoria *de jur. belli n* 40. Covarruv. *ad reg. peccat.* 2. *part.* §. 9. *n.* 4. Suarez *de charit. diſp.* 13 *ſect.* 7. *n.* 12. Molina *diſp.* 121. *concl.* 4. & alij. Ab hac tamen regula excipiuntur bona Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum innocentum; quia ſunt à juriſdictione ſæculari exempta & proinde non debent ob delictum aliorum gravari nec occupari: tum quia Eccleſiaſtici partem conſtituunt diſtinctam à Republica civili: ergo propter ejus culpam puniri non debent, ut patet *ex cap. Innovamus, de treuga & pace, & cap. Conqueſti ſunt, de ſentent. excommun.* & docent ex communi ſententia Trullench *in Decalog. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 12. *n.* 1. Suarez *loc cit. n.* 14. Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *q.* 16. *punct.* 3. & alij: qui omnes tamen concedunt in uno caſu per accidens poſſe Eccleſiam, ejuſque bona diripi, comburi & devaſtari, ſi hoc neceſſarium fuerit ad finem belli conſequendum, pacemvè firmandam. Ex quibus patet, non poſſe Principes etiam in bello juſto, Reliquias Sanctorum ex Eccleſijs abſtrahere; quia hoc non videtur evenire poſſe, ut abſtractio Reliquiarum ſit neceſſarium medium per accidens ad finem belli conſequendum vel pacem firmandam. Proinde praxis omnium Principum Catholicorum eſt, ut nullus ex illis audeat apponere manus in ſacras reliquias, etiamſi bello juſto aliquam civitatem caperent. Si enim vaſa argentea & candelabra, ac alia bona Eccleſiarum non poſſunt ab ipſis abſtrahi in juſto bello, quanto magis hoc aſſerendum eſt de Reliquijs Sanctorum, quæ à Prælatis ipſis neque propter neceſſitatem Eccleſiarum poſſunt alienari inconſulto Summo Pontifice, ut dictum eſt ſuprà. Ita ſuſtinet Diana *p.* 10. *tr.* 16. *reſ.* 74. contrà Ioannem Ferrandum *in diſquiſit. Reliquiar. lib.* 1. *c.* 8. *a.* 5. qui affirmat reliquias in bello juſto poſſe abſtrahi ab Eccleſijs ſine onere reſtitutionis. Sed prior ſententia eſt tenenda. Diana. Ferrand.

Vide quæ diximus de reliquijs *tom.* 1. *verb. Adorat. n.* 12. & *verb. Simonia III. n.* 4. *verſ. Hodie vendens, & n* 3. *verſ. Eodem modo.*

Vide verb. Adjuratio *n.* 12. Adoratio *num.* 8. 9. & 10. Alienatio *num.* 10.

RESIDENTIA.

SUMMARIUM.

1 *An Epiſcopi, Prælati, Parochi & alij habentes curam animarum teneantur ad Reſidentiam jure naturali & divino.*

2 *An habentes curam animarum teneantur ad reſidentiam neceſſitate corporali urgente, ſi ob abſentiam immineret detrimentum ejus.*

3 *An Cardinales Epiſcopi excuſentur à reſidentia ſi Romæ Summo Pontifici aſſiſtant.*

4 *An Epiſcopus excuſetur à reſidentia, quando evidens reipublicæ utilitas hoc poſtulat.*

An Rex poſſit detinere Epiſcopos pro gubernatione alicujus regni vel Concilij.

5 *An Epiſcopus poſſit pro Cathedralis Eccleſiæ ſervitio aliquem ex curatis ſuæ Diœceſis adhibere.*

6 *An teneatur Parochus reſidere, ſi in Parochia ſint tantùm tres aut quatuor incolæ? & quid ſi habeat duas Eccleſias unitas.*

7 *An inimicitiæ graves ſint cauſa legitima, propter quas non tenetur Parochus reſidere in Parochia.*

8 *An propter aëris intemperiem poſſit Parochus extra Parochiam habitare, relicto in ea vicario.*

An poſſit Parochus etiam extra neceſſitatis tempus ſibi Vicarium aſſumere ex approbatis.

9 *Parochus abſens legitimè à ſua Eccleſia, an debeat Vicarium approbatum in ea conſtituere, & ei mercedem condignam dare? & an Vicarij Parochorum inſtituti auctoritate Apoſtolica, teneantur ad reſidentiam.*

10 *Qui poſſint diſpenſare ut beneficiarius perpetuò abſit ab Eccleſia, vel ad tempus.*

11 *An Prælati religionum teneantur reſidere in ſuis Monaſterijs? & qui poſſint cum eis circa reſidentiam diſpenſare.*

12 *Quæ ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi à reſidentia.*

23 *An ſola juſta cauſa ſufficiat ad excuſandum à non reſidendo, ſine licentia Superioris? & quantum temporis ſpatium poſſint à ſuis Eccleſijs jure abeſſe Epiſcopi, Prælati & Parochi.*

14 *An obtinentes in Eccleſijs Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, Prabendas aut portiones poſſint per tres menſes in anno à ſuis Eccleſijs abeſſe.*

15 Et

Digitized by Google

15 *Et an tunc teneantur Canonici aſſignare abſentiæ cauſam, & licentiam Prælati petere? Et an illi tres menſes poſſint eſſe continui vel interpolati.*

1. CUm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, Con. Tri. oves ſuas cognoſcere, ut ait Concilium Trident. *ſeſſ.25.c.1.de ref.* ideò Epiſcopi, Prælati & Parochi ſuis Eccleſijs Jure divino ad reſidentiam tenentur. Quis enim dubitat, quod janitor ad januam, villicus ad villam, gubernator navis ad gubernaculũ, præceptor ad ſcholam, & alij ad ſua munera ſedere debeant? alioquin qui non reſidet (cùm aliò non abducunt præſcriptæ à Sacro Concilio cauſæ) oſtendit ſe ſponſum non eſſe, ſed peregrinum: non patrem, ſed extraneum: non paſcentem oves, ſed ſeipſum: non ædificantem, ſed terè deſtruentem. Tum quia qui ſuſcipit aliquod munus & officium, tacitè ſe obligat ad onera illi officio adnexa. Sed Epiſcopi & Parochi, qui ſunt curatores animarum, ſuſcepto jam munere & officio, tenentur paſcere gregem, & ſubire onere ſui officij, quę ritè exequi nequeunt non reſidendo; unde ſequitur eodem præcepto divino teneri ad reſidendum quo tenentur ad hæc munera obeunda; nam media cadunt ſub idem præceptum, ſub quo cadit finis. Cùm ergo munus & onus paſtorale obiri non poſſit ſine reſidentia, ſequitur illo inſtituto hanc etiam cenſeri inſtitutam. Ita reſoluunt Cajetanus 2.2.q.185. *art.* 5. Sylvius *ibidem.* Vaſquez *in opuſc. de benefic. c.*4 §.2. *dub.*1. *n.*121. *cum ſeq* Sanctarellus *variar. reſ. q.*1. Navarrus *in man. c.*25. *n.*121. Sanchez *de mat. lib.*8. *diſp.*6. *n.*5. Leſſius *lib.*2. *cap.* 34. *n.*153. & alij communiter.

Cajetanus. Sylvius. Vaſquez. Sanctar. Navarrus. Sanchez. Leſſius.

2. Quamvis neceſſitas urgens, juxta decretum Concilij Trid. *ſeſſ.*23. *c.*1. *de ref* excuſet Epiſcopos, Con. Trid Prælatos & alios curam animarum habentes, à reſidentia, & nomine neceſſitatis urgentis intelligant Doctores, quando aliquis gravi aliquo morbo affectus eſt, & niſi locum mutet, vitæ periculũ imminet; vel ob ſimilẽ cauſam honeſtam, ut diximus *t.*1. *verb. Reſidentia n.*5. *v. Ad ſecundum cap* hoc tamen procedit quoties non imminet detrimentum ovium: ſi enim tale detrimentum immineret in ſpiritualibus, ex nulla cauſa poſſent abeſſe; quia bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, ut habetur *Ioannis* 10. Nam munus Paſtorale adeò ſtrictè obligat, ut minus æſtimare debeat bonus Paſtor detrimentum propriæ vitæ, quàm detrimentum in ſpiritualibus ſuarum ovium, quarum curã ſuſcepit, ut egerunt S. Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis, Staniſlaus Epiſcopus Cracoviẽſis & alij plures. Ita colligũt ex D. Thoma 2.2.*q.*185. *art* 5. Cajetanus, Sotus & Miranda, quos citat & ſequitur Vaſquez *in opuſc. de beneficiis, c.*4 §.2. *art.*1. *dub.*2. *n.*135. teſte Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. part.*3. *allegat.*53. *n.*9. Qui tamen excuſatione dignum reputat Prælatum ſi ſine detrimento Eccleſiæ ſuæ, & ovium ad ſalvandam propriam vitam abſit, vel fugiat furorem perſequutionis, ut ſe indemnem & incolumem ſervans poſſit meliùs in vinea ſibi commiſſa laborare.

D. Thom. Cajetanus. Sotus. Miranda. Vaſquez. Barboſa.

3. Dubium eſt inter Doctores, an Cardinales Epiſcopi excuſentur à reſidentia ſi Romę Summo Pontifici aſſiſtant? Quibuſdam placet affirmativa ſententia, quia Domini Cardinales aſtricti ſunt curæ univerſalis Eccleſiæ, & tenentur aſſiſtere Pontifici conſulendo in rebus agendis tangentibus totam Chriſtianam Rempublicam: & cùm ſint pars corporis Papæ, & illi aſſiſtere teneantur, ita ut à Curia ſine licentia Papæ illis diſcedere non liceat, juſtam habent cauſam, ut abſint ab Eccleſijs, quarum ſunt Epiſcopi: quia ſi Cardinales agant in Romana Curia, & à Summo Pontifice inde diſcedere non jubeantur, perinde eſt ac ſi reſiderent: nam tacita illa Papæ approbatio videtur diſpenſatio. Ita ſuſtinent Anaſtaſ. Germonius *in tract. de indult. Cardin. §. Tibi quoad vixerit. n.*10. Hieronymus Gigas *de reſid. Epiſcopi c.*17. *n.*30. Gonzalez *in reg.*8. *Cancellar gloſſa* 4 *n.*128. Pariſius *benefic. lib.*3. *q.*1. *n.*74. & alij. Hęc ſententia hodie ſuſtineri non poteſt, tum quia Greg. XIII per ſuum conſiſtoriale decretum declaravit deciſionem Conc. Trid. de perſonali reſidentia in Patriarchalibus, Primitialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſijs facienda, etiam in S.R.E. Cardinalibus locum habere, quocumque titulo illis præeſſent, ita ut à reatu & pœnis in dicto Concilio ſtatutis non excuſentur, niſi abſentiæ cauſa in ſcriptis approbata foret, ſcientiaque vel tolerantia non excuſaret eoſdem Cardinales, nec alios Epiſcopos; tum quia prædictã declaratione, ac alias Apoſtolicas Conſtitutiones confirmavit & approbavit, multaque de novo ſtatuit noviſſimè Urbanus VIII. in ſua Conſtitut. quæ incipit, *Sancta Synodus, ſub dat. Romæ die* 7. *Decembris* 1634. quam refert Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. Alleg.*53. *p.*3. *n.*23. & hanc ſententiam ſtante dicta Bulla Urbani VIII. tenet Diana *part.*5. *tract.*2. *reſ* 8. Sanctarellus *t.*1. *var. q.*2. qui excludit à reſidẽtia Cardinales illos ſex qui habent Epiſcopatus urbi Romæ proximos, Molfeſius *in Summ. Theologiæ moral. tract.*6. *c.*11. *n* 34. ubi advertit quòd ideò S. Carolus Borromæus requiſitus à variis Pontificibus, ut ex cauſis prædictis Romæ reſideret, ſemper ſe excuſavit ſumma modeſtia: & ut gregem ſibi cõmiſſum gubernaret, renunciavit omnibus alijs beneficijs, & ſolum Archiepiſcopatum Mediolanenſem ſibi retinuit, ut in eius vita legitur.

Germin. Gigas. Gonzalez. Pariſius. Greg. XIII Vrb. VIII Barboſa. Diana. Sanctar. Molfeſij.

4. Certum eſt ex Trid. ſuprà Epiſcopos excuſari à reſidentia, quando evidens Reip. utilitas hoc poſtulat; puta ſi Epiſcopus mitteretur Legatus ad Pontificem pro tractandis negotijs fidei, aut ad Principes pro negotijs pacis & Eccleſię, ubi non facilè inventur alius quàm Epiſcopus ita dextrè ea negotia tractaturus: poteſt enim Epiſcopus evidenti Reip. exigente utilitate, eſſe Legatus, ſive Orator Principis ſæcularis, ut habetur *in cap. Cùm parati, de appellat.* & docent communiter Doctores.

Sed difficultas eſt, an Rex poſſit detinere Epiſcopos pro gubernatione alicuius Regni, ſeu conſilij? Reſp. certum eſſe id non poſſe facere Reges propria auctoritate, quia nullam in Epiſcopos juriſdictionem habent. An autem id facere poſſint ex privilegio à Romano Pontifice obtento? Affirmant Joan. Selva, Cevallos, Petrus Greg. Rebuffus apud Dianam infrà, dicentes Reges & Principes habere privilegia à Sede Apoſtolica, ut Epiſcopi, & alij clerici, qui illis inſerviunt alicui officio, ſeu ſervitio, non teneantur reſidere, & poſſint percipere fructus beneficiorum. Verùm circa hanc difficultatem bene advertit Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc p.*3 *Alleg.*53. *n.*17. dicens: In Curia Regum & aliorum ſæcularium Principum fungentes munere, & officio Regij Præſidis, vel Cõfeſſarij vel Conſiliarij, aut Proregis, non eximuntur à reſidentia ſuorum Epiſcopatuum, niſi ea ſit hominum penuria, ut alij ſatis idonei minimè reperiantur, qui hæc præſtent obſequia, nec in hoc Cæſaris facultas, de qua *in Auth. Quom. oport. Epiſc. coll.*1. *& in Auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis coll.*9 aliquã vim habet, cùm ſit cauſa ſpiritualis Epiſcoporum reſidentia, ideò dato communi Reip. commodo, non Cæſaris indulgentia, ſed Romani Pontificis

Selva. Cevallos. Gregor. Rebuffus. Barboſa.

habita licentia Epiſcopi ab Eccleſijs ſuis abeſſe poſſunt. Advertant igitur Reges & Epiſcopi, quod ſi illa Regna & officia per laicos poſſint aliàs æquè cõmodè adminiſtrari, tunc nõ poſſunt aliquo privilegio ad hoc à Romano Pontifice uti, quia in hoc caſu non poteſt diſpenſare, cùm non adſit neceſſitas publica & bonũ commune, & reſidẽtia aliàs ſit de jure divino, ut dictum eſt ſuprà. Ita reſoluunt Azorius *p.2.l.7.c.4.q.6.* Sotus *de juſt.l.10.q.3.a.4.* Diana *p.3.tr.1.ref.5.* Rebuff *in praxi tit.de diſpenſ.de non reſid.n.5.* Et huius ſententiæ videtur etiã eſſe Ioan. Sanch *2 in Selectis diſp.47.n.26.* qui ait: Prô dolor! arbitrantur aliqui ſe Chriſti Vicarium agere poſſe & Cæſaris. Nimis diſtans eſſe Paſtorem ovium & Patrem animarum; & ſedere judicem cauſarũ civilium, nullus ignorat. Neminẽ poſſe duobus dominis ſervire Chriſtus eſt teſtatus. Emittat Chriſtus lucem Cæſari, ut velit excludere à ſuis aulis, prætorijs & tribunalibus Eccleſiaſticos Miniſtros, & tractent fabrilia fabri. Ita ille. Congruunt ad hęc aurea Rebuffi verba *loco cit.* Quidã ex noſtris Prælatis terruerunt nos, qui in vita populum ſibi commiſſum non viſunt, nec quidem inſtruunt. Quid ergo faciunt? curas ſæcularium Principum, & aliorum, cùm terreni ſunt, aſſumunt contra ſtatuta Concilij Carthaginenſis.

Azorius. Sotus. Diana. Rebuffus. Sanctus.

Meminerint igitur Epiſcopi, reſidentiã, non ſolũ præſentiam, corporis aſſiduam, ſed etiã mẽtis ſolicitudinem & charitatis ſtudiũ præ ſe ferre debere. Quid ſi habitans in Eccleſia ſua Epiſcopus, cùm concionandi tẽpus in eadẽ inſtat, obmuteſcat? Si de ſceleribus profligandis, de virtutibus diſſeminandis, de ſublevanda inopia, de diſciplina reſtituẽda, de blaſphemis, de aleatoribus, de luxu & de obſcœnitate ablegãda, nihil aut parũ laboret? Si cõfirmationis Sacramentum in locis remotioribus non miniſtret? Imò nec Diœceſis ipſa, niſi perrarò & nõ integrè viſitetur. &c. Hic certè nudũ potius nomen ac ſimulacrũ Epiſcopi in otio, & deſidia, quàm veri Paſtoris formã, quæ cum zelo ac ſolicitudine coniuncta eſſe debet, omnibus refert. Nã tales quamvis ſola corporis præſentia, humano judicio, Eccleſiaſticiſque ſanctionibus, tuti immuneſque eſſe videantur, ſciant tamen nõ eos ſupremum illud, acerrimumque Præpotentis Dei Tribunal evaſuros niſi & alia multa cum hac perſonali reſidentia coniunxerint, quæ eos non ſpecie tantùm, ſed verè Epiſcopos, Paſtoreſque eſſe declarent. Ita rectè Barboſa *loco hic cit.n.20.* monet.

Barboſa.

5. Epiſcopus non poteſt pro Cathedralis Eccleſiæ ſervitio, & item ſuo, aliquem ex Curatis ſuæ Diœceſis ex ipſorum Eccleſijs, conſtituto in illis idoneo Vicario, ad certa negotia adhibere, cùm hi dum in huiuſmodi ſunt ſervitio, à ſuis Eccleſijs abeſſe cenſeantur. Nec etiam Epiſcopus poteſt uti opera Parochi in viſitatione, vel in alio ſervitio ſuæ Diœceſis, niſi pro tempore duorum menſium, & tunc relicto idoneo Vicario. Ita deciſum referunt Piaſec. *in praxi nova Epiſc. p.2.cap.3.n.27.* Quaranta *in Summa Bullar. verb. Reſidentia*, Barboſa *loco cit. Allegat.53.n.85.& 86.* & alij penes ipſum.

Piaſecius. Quaranta Barboſa.

6. Parochus, qui habet Parochiam, intra cuius limites adhuc habitant Parochiani, tenetur in ea reſidere, etiamſi tantùm eſſent in illa Parochia tres, vel quatuor incolæ; & ubi fuerint duæ Eccleſiæ æquè principaliter unitæ, reſidendum eſt in digniori: quòd ſi non conſtat, quæ ſit dignior, in frequentiori; quòd ſi una fuerit extra, & altera intra urbem, reſidendum eſt in ea, quæ eſt intra, ut referunt deciſum Nicolaus Garzias *de beneficijs part.3.c.2.n.179.in 14.declar.* Armendarius *in addit. ad recopil. legum Navarræ lib. titul. 23. leg.2.§.2.de reſidentia vel abſentia Parochor. num.142.* & alij.

Garzias. Armend.

Et licet Eccleſia Parochialis ſit in loco, ubi minor pars Parochianorum inhabitat, & maior pars habitat longè in oppidis, nihilominus Parochus tenetur prope Eccleſiam habitare, & ſuccurrendum eſt eis, qui longè habitant, ſecundùm loci antiquam conſuetudinem, per *c.4.ſeſſ.21.de ref.* Conc. Trid. & referunt deciſum Garzias *dict. n.179.in 20.declar.* Armend. *loco cit.n.148.* Barboſa *loco cit.n.71.72.& 73.*

Con. Trid. Garzias. Armend.

7. Inimicitię graves ſunt legitimę cauſæ, propter quas quis reſidere non tenetur in Parochiali Eccleſia; & illis durantibus poteſt Epiſcopus Parocho licentiam dare, ut in alio viciniori & tutiori loco manere poſſit, ac à ſuo beneficio per annum abeſſe; poſito tamen in illo per Epiſcopum idoneo Vicario, congruenti mercede ex eius fructibus illi aſſignatà; debet tamen priùs Epiſcopus cognoſcere, an ſint veræ & gravas inimicitiæ & abſque Parochi culpa. Quod ſi intra annum inimicitiæ non extinguantur, & Curatus ſeu beneficiatus fuerit in culpa tam cauſa dandarum inimicitiarum, quàm non extinctionis earumdem, privari poteſt; ſi verò inimicitiæ creſcant ſine Parochi culpa, alius annus dari poteſt. Ita Zerola *in praxi Epiſcop. p.1.verb. Privatio § 4.dub.1.* Aloyſius Riccius *in praxi fori Eccleſ. ref.645.in 2.edit.* Barboſa *loco cit n.89* & alij.

Zerola. Riccius. Barboſa.

8. Parochus non poteſt propter aëris intemperiem extra Parochiam habitare relicto in Eccleſia ſua Vicario approbato: tenetur enim tempore peſtis, vel alterius contagioſi morbi ex lege charitatis & iuſtitiæ reſidere. Si tamen infirmus ſit, & in loco Parochialis Eccleſiæ curari non poſſit defectu medicorum, vel medicaminum, tunc poteſt ab Ordinario ei dari dilatio trium, aut quatuor mentium, ut in locis vicinioribus maneat ſanitatis cauſa; interea Ordinarius in Parochia idoneum Vicarium cum congrua portione ex reditibus Parochialis conſtituet. Ex Garzia *loco cit.c.2.num.179.in 4.declar.* Zerola *in praxi Epiſc. part.1. verb. Reſidentia, §.7.& 9.*

Garzias. Zerola.

Senectus etiam in Parocho non excuſat, ſed debet reſidere in loco, ubi ſita eſt Eccleſia Parochialis, etiamſi ei eſſet datus coadiutor ratione infirmitatis.

Præterea poteſt Parochus nulla etiã cogente neceſſitate ſibi Vicariũ, ex approbatis ab Ordinario pro Sacramentorũ adminiſtratione veluti adiutorem, ut aliqua impleat miniſteria generaliter, & abſque ulla temporis limitatione aſſumere, ita tamen ut Parochus ipſe etiam laboret: non enim debet ob id à miniſterio ceſſare, ſi vult eſſe dignus ſtipendio & mercede, & utatur Capellano, non ut homine, qui portet pondus diei & æſtus, ſed ut ſocio laboris, & putet quantum laboris adimet Capellanus, etiam tantumdem præmij & gloriæ ſibi auferri. Ita Vaſquez *in Opuſc.tit.de beneficijs c.4. art.1.§.2.dub.1* Barboſa *loco cit.num.91.* Poſſevinus *de offic. Curati c.1.n.10.*

Vaſquez. Barboſa. Poſſevin.

9. Quando alicui Parocho datur facultas ut à ſua abſit Eccleſia ad tempus, debet Vicarium in ſui locum ſufficere qui inſerviat Eccleſiæ, & ille Vicarius debet eſſe ab Ordinario approbatus, eique aſſignanda eſt portio ex beneficij Parochialis fructibus, quà valeat honeſtè ſuſtentari: quia par non eſt, ut Eccleſia privetur miniſterio ſibi debito, *c. Extirpandæ, §. Qui verò, de præbend.* Conc. Trid. *ſeſſ.23.c.1.de ref.* & docent Navarrus *in man. c.25.n.121.* & alij communiter.

Con. Trid. Navarrus.

Limitatur tamen hoc, niſi Vicarius ille voluerit ſervire gratis; tunc enim Parochus non tenetur in

in conſcientia illi aſſignare partem fructuum pro mercede. Ratio eſt; quia, quòd merces aſſignetur, eſt, ne populus patiatur aliquid detrimenti in ſpiritualibus, defectu miniſtri; unde in hoc caſu ceſſat ratio mercedis, & per conſequẽs ratio legis.

Porrò Vicarij & Coadjutores Rectorum Parochialium inſtituti auctoritate Apoſtolica, tenentur ad perſonalem reſidentiam, ſicut Rectores ipſi, ut referunt deciſum Gonzalez *ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 5. §. 9. n. 17.* Ugolinus *de poteſt. Epiſc. c. 15. §. 3. n. 3. verſ. Poſtremò.* Piaſecius *in prax. Epiſc p. 2. c. 3. num. 27.* & alij. Gonzalez. Ugolinus. Piaſecius.

10. Summus Pontifex poteſt facultatem dare ex juſta cauſa & debita, ut beneficiarius perpetuò abſit ab Eccleſia; Epiſcopus verò eam facultatẽ dare non poteſt, ſed ad tẽpus, ut dicitur *in cap. Licet. Canon. de elect. in 6.* & *cap. Relatum, de cleric. non reſident.* Idem juris & poteſtatis habet in hac parte Romani Pontificis Legatus in Provincia ſibi demandata, quod Epiſcopus, ut docet Ioannes Selva *part. 4. de benefic. quæſt. 9.* Inſuper locorum Ordinarij inferiores Epiſcopis, ut Abbates & alij ſimiles habentes juriſdictionem, poſſunt dare facultatem Parochis & alijs beneficiarijs curam animarum habentibus recedendi à ſuis Eccleſijs ad tẽpus aliquod. Item Capitulũ ſede vacante licentiam poteſt dare, quàm poſſet Epiſcopus; quia in ijs, quę ſunt juriſdictionis non voluntariæ, ſed neceſſariæ, poteſtas Epiſcopi tranſit ad Capitulum. *cap. 1. de inſt. in 6.* & docent Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 5. quæſt. 1. 2. 3. & 4.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. Alleg. 53. n. 95.* Poſſevinus *de offic. Curat. t. 1. n. 28. & 29.* & alij. Selva. Azorius. Barboſa. Poſſevin.

11. Quæ ſtatuuntur in Concilio Tridentino & alijs juribus circa reſidentiam Prælatorũ, intelligi debent ſuo modo in Prælatis Religionum; quia & ipſi curam animarũ habent, & quidem ſi ſint Prælati locales, ut ſunt Guardiani, Priores, Abbates & quocumque nomine vocentur, reputantur quaſi Parochi illorũ monaſteriorum, unde debent ipſis aſſiſtere tempore peſtis, vel hęretis etiam cum periculo mortis; quia in illis, caſibus Parochis nõ licet fugere cum detrimento animarum ſibi comiſſarum; nam boni Paſtoris eſt, animam ſuam ponere pro ovibus ſuis, ne pereant, ut ex communi docent Sanch. *lib. 6. mor. c. 2. n. 55.* Rodrig. *apud illum citat.* quos ſequitur Diana *part. 9. tr. 7. reſ. 53.* Lezana *to. 1. Sum. c. 18. n. 12.* Promde idem Diana conſultus, an Generalis cujuſdam Religionis potuiſſet permittere, ut Prior alicujus Monaſterij Romæ remaneret per aliquot menſes ad imprimendum quendam libum? Reſp. negativè ex doctrina Bordoni *in ſuis conſiltjs regul. to. 2. reſol. 80. n. 47.* Advertant igitur Generales Religionum in hoc, ne cœci cœcos ducant & omnes in foveam cadant, ut monet idem ſapientiſſimus Auctor. Vide Pellizzarium *in man. regul. tr. 9. c. 5. num. 14.* & *cap. 3. n. 177.* Sanchez. Rodrig. Diana. Lezana. Bordon. Pellizzar.

Nihilominus negari non poteſt, quin Generalis, Provinciales & alij Superiores majores cũ legitima cauſa ſuper reſidentia Prælatorum inferiorum diſpenſare poſſint, ad certum & determinatum tempus: quamvis enim in Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 1. de ref.* & alijs juribus, habeatur ſermo de Epiſcopis, & Primatibus, & de omnibus Presbyteris curam animarum gerentibus, ſine dubio tamẽ idem erit intelligẽdum de Religionum Prælatis ſimilẽ curam habentibus, quorum recurſus non ad Metropolitanum, à quo per privilegia Pontificia exempti ſunt, ſed ad Generales, Provinciales, & alios Superiores, juxta conſtitutiones ſingularum Religionum à Sede Apoſtolica approbatas, fieri debet: tũ quia is facultatẽ non reſidendi indulgere valet, qui reſidendi obligationẽ imponit: ejus enim eſt ſolvere, cujus eſt ligare, *l. Ejus eſt velle, ff. De Reg. Juris.* Sed Prælatis localibus obligatio reſidendi imponitur à Generalibus: hi enim ſunt horum Ordinarij Superiores, & ab his onus Monaſteriorum ſuſcipiunt: Ergo Generales Prælati poterunt inferiores ab hujuſmodi onere ex juſta cauſa, & per modicum tempus eximere. Ita Miranda *tom. 2. Man. quæſt. 9. art. 5.* Tamburin. *tom. 1. de jur. Abbat. diſp. 14. quæſit. 3.* & alij. Reg. Juris. Miranda. Tambur.

Juſtę autem cauſę diſpenſandi à reſidentia, ſunt; Prima Chriſtiana charitas, per quã intelligi debet proximorũ utilitas; dummodo in propria Eccleſia non ſequatur notabile detrimentum; quia tunc eſſet contra ordinem charitatis. Toletus *lib. 5. c. 4. n. 3.* Barboſa *part. 3. Alleg. 53. n. 6.* Sanctarell. *variar. quæſt. 3. n. 5.* & alij. Secunda eſt urgens neceſſitas, id eſt omne juſtum impedimentũ, quo quis impeditur reſidere, *cap. 1. §. Qui verò, de cler. non reſid. in 6.* Item juſta & rationabilis cauſa, *Clem. 1. ubi gloſſ. de ſtatu Monachor.* & abſentia pro proprijs negotijs dicitur cauſa rationabilis & juſta *cap. Præſent. 7. q. 1.* Si tamen negotium, pro quo quis abeſt à ſua Eccleſia, eſt tale, ut per procuratorem tractari poſſit, non dicetur juſtum impedimentum. Bartolus *in l. Sed & ſi. §. 1. quibus ex cauſis maior, &c. ff.* Baldus *in l. Eos, §. Apoſtol. Cod. de appell.* Tertia cauſa excuſans à non reſidendo, eſt debita obedientia, ex Concil. Trident. *loc. citat.* Ut ſi quis à Summo Pontifice vocetur ad tempus aliquod breve pro miniſterio aliquo & bono Eccleſiæ univerſalis, vel Reipub. Chriſtianæ, dummodò miniſterio expedito, ad propriam revertatur Eccleſiam, Barboſa alijs relatis *Alleg. 53. n. 10.* Quarta eſt evidens Eccleſiæ, vel Reipub. utilitas, *ex cap. Cùm non deceat, de elect. in 6.* & Concil. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 1. de ref.* Et iſta utilitas conſideratur reſpectu Eccleſiæ, in qua tenetur reſidere; & ideò ſi eſt abſens pro utilitate alterius Eccleſiæ, non excuſatur à reſidentia, nec facit fructus ſuos. Limita tamen id non procedere, quando beneficia alterius Eccleſiæ haberent dependentiam ab Eccleſia, cujus abſens negotia gerit, ut puta ſi jure communi, vel ex privilegio Eccleſiæ, vel ſui ipſius reſidendo in dicta Eccleſia percipit fructus beneficiorum aliarum Eccleſiarum: in hoc enim caſu omnium beneficiorum fructus percipit, ut loquitur textus *in dict. cap. Cùm non deceat,* & ibi declarat Gloſſa in verſ. *Reſidendo.* Archidiaconus *ibi,* in verb. *Reciperent.* Joan. Andreas *n. 2. in fine* & alij. Con. Trid. Con. Trid. Barboſa. Con. Trid. Gloſſa. Archidiac. Io. Andr.

13. Sola juſta cauſa non ſufficit ad excuſandum à non reſidendo, ſed requiritur etiam licentia Superioris: hæc enim duo copulativè requiruntur, & unum ſine altero non ſufficit, ut clarè habetur ex Conc. Trid. *loc. cit.* ubi ad hoc, ut Parochi juſtè poſſint à ſuis Eccleſijs abeſſe, duo requirit, nempè juſtam cauſam, & ejus approbationem ab Epiſcopo faciendam, cum licentia ab eodem in ſcriptis & gratis concedenda. Limita, niſi adſit conſuetudo, quod ſine licentia Prælati beneficiatus abeſſe poſſit ex juſta & rationabili cauſa ſecundùm Innocentium *in cap Ex tua, de cler. non reſident.* Panormit. *in cap. Inter quatuor, n. 3. eodem tit.* Sylveſt. *verb. Reſidentia, n. 3.* & alios. Innocent. Panorm. Sylveſter.

Sed petes, quantum temporis ſpatium poſſint Epiſcopi & alij Prælati Epiſcopo inferiores, abeſſe à ſuis Eccleſijs? Reſp. Concil. Trident. his verbis *loc. cit. cap. 1. Quoniam, qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt. Sacroſancta Synodus vult illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſive* Con. Tri.

continuum, ſive interruptum, extra prædictas cauſas, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere; & haberi rationem, ut id æquâ ex cauſa fiat & abſque ullo gregis detrimento. Reliquis autem Epiſcopo ſubditis animarum curam gerentibus, idem Concilium abeſſe permittit per duos menſes, his verbis: *Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis gratisque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant.* Monet tamen idem Concilium Epiſcopos & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Penteçoſtes, item & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maximè, & in Domino gaudere Paſtoris præſentiâ oves debeant, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali ullo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua Diœceſi eos aliò vocent.

Porrò reſidentia, quæ jure divino & naturali præcipitur curam animarum habentibus, eſt perſonalis, quâ gregi ſuo invigilent, oviumque & miſerabilium perſonarum paternam curam gerant, oves ſuas cognoſcant, ut iſtæ ipſum cognoſcere valeant, & recurrere ad illum tanquam ad medicum & Paſtorem animarum ſuarum; propterea curare debet Parochus ne aliquid illis deficiat vel in adminiſtratione Sacramentorum, vel in paſtu Verbi Dei, vel in alijs divinis officijs quæ tenetur præſtare in ſua Eccleſia. Quare Parochus ex vi reſidentiæ tenetur ſe facilem & obvium præſtare ſuis ovibus; ut ipſum adire valeant, & munia Paſtoris per ſe ipſum illis præbeat, conſolationem & medicinam ſalutarem impartiatur. Tenetur etiam publicos peccatores corripere, ſcandala abſcindere & his ſimilia facere eâ prudentiâ & diſcretione, quâ decet, & ob id in hujuſmodi beneficijs curam animarum habentibus, requiritur diligentia, induſtria, & diſcretio perſonæ.

Poſſevin. Plura de reſidentia Parochorum habet Poſſevinus *de offic. Curati cap. 1. per totum*, qui *num. 6.* advertit, illa omnia quæ de reſidendi obligatione dicta ſunt, non ita amarè accipienda eſſe, vt debeat Curatus manere quaſi in compedibus; quia non deſinit reſidere, qui per breve tempus vel abfuit, vel perſonaliter non deſervivit: tum quia abeſſe non dicitur, qui ſtatim eſt reverſurus, ut Barboſa. bene probat Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. part. 3. Allegat. 53. num. 92.* cum alijs ibi citatis.

14. obtinentes in Eccleſijs Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, tenentur ad reſidentiam, ita ut non liceat eis vigore cujuſlibet ſtatuti ultra tres menſes, etiam continuos ab eiſdem Eccleſijs quolibet anno abeſſe, ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſervitij tem- Con. Trid pus requirunt. Ita Concil. Trident. *ſeſſ. 24 cap. 12. verſ. Præterea, de reform.* Hinc immemorialis conſuetudo non excuſat à reſidentia in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, & ita reſolutum aſſerunt Nicol. Garzias *de benefic. part. 3. cap. 2.* Garziaſ. Sanctar. *num. 197.* Sanctarellus *variar. reſolut. quæſt. 4. num. 33* & alij.

In Collegiatis autem non inſignibus poſſunt excuſari Canonici, ſi Eccleſiæ ſint rurales prorſus deſtitutæ, aut in quibus nunquam antea ſupra hominum memoriam ſolitum eſſet reſidere, aut in quibus adeò tenues reditus eſſent, ut Canonicos aliunde non habentes unde viverent, alere non poſſet. & ita tenuit Rota *in una Papien. Reſident. 10. Martij 1613. coram Ottembergo*, poſtea Epiſcopo Atrebatenſi; ubi reſolutum fuit, conſuetudinem immemorialem non excuſare à reſidentia in Collegiatis inſignibus. Notandum tamen quod ſtatutum, quo permiſſum eſt Canonicis quolibet anno per quatuor menſes ab Eccleſia ſua abeſſe, ſi fuerit à Papa confirmatum, non ſit ſublatum à Concilio, & ideò obſervari debet. Ita Garzias *loco cit. c. 2. n. 216.* Barboſa *dict. Allegat. 53. n. 116.* & alij. Garzias. Barboſa.

13. Quando Canonici abſunt per tres menſes à Concilio conceſſos, non tenentur aſſignare abſentiæ cauſam, nec licentiam ſui Prælati petere, dummodò tamen omnes eodem tempore non abſint, ne Eccleſia ſuo ſervitio deſtituatur: ſed tantùm illa quarta Canonicorum, quæ videbitur arbitrio Epiſcopi, vel Capituli. Ita Zerola *in praxi Epiſc. p. 1. verb. Privatio, §. 2. dub. 4.* Sanctarell. *dict. quæſt. 4. n. 28.* Barboſa *loc. cit. n. 118*, & alij. Zerola. Sanctar. Barboſa. Qui advertunt illos tres menſes debere continere nonaginta dies. Et cùm Concilium abſolutè illos concedat, nec exprimat à quo tempore incipere debeant, poſſunt accipi non ſolùm continui, ſed etiam interpolati, ut tradunt Menochius *de arbitrar. caſu 50. à num. 12.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancellar. gloſſ. 11. num. 8.* Providere tamen debent Epiſcopi, ne hujuſmodi tres menſes incurrant in Natale, aut Paſcha Domini, aut ſimiles maximas ſolemnitates, ut monent Caſtrus Palaus *tract. 7. diſp. 3. punct. 9. §. 1. num. 9. in fine*, Sanctarellus *variar. reſol. quæſt. 4. num. 20.* Zerola *loco cit. §. 4.* Epiſcopus tamen ob legitimam cauſam poteſt ſuis Canonicis facultatem dare, ut poſſint abeſſe per quatuor menſes, ut tenent Comitolus *in reſponſ. moral. lib. 1. q. 59.* apud Barboſam *loco cit. num. 123* & alij. Menoch. Gonzalez. Palaus. Sanctar. Zerola. Comitol. Barboſa.

De Reſidentia Vide verb. Abbas n. 9. & 10.

RESTITVTIO.

SUMMARIUM.

1 *An ex violatione juſtitiæ diſtributivæ oriatur obligatio reſtituendi.*
2 *An præceptum reſtitutionis obliget ad peccatum mortale poſita materia gravi.*
3 *Ad quod præceptum Decalogi pertineat præceptum reſtitutionis.*
4 *Quæ ſit differentia circa obligationem reſtitutionis, ex re accepta, ex injuſta acceptione, & ex contractu.*
5 *An qui infert damnum conſentienti abſolutè & ſimpliciter, teneatur ad reſtitutionem.*
6 *Quæ dicantur expenſæ neceſſariæ, quæ utiles & quæ voluntariæ: qui dicantur fructus naturales induſtriales & qui mixti: & quid ſit intereſſe lucri ceſſantis & damni emergentis.*
7 *Quas expenſas in reſtitutione rei alienæ poſſit poſſeſſor bonæ vel malæ fidei in foro conſcientiæ detrahere.*
8 *An poſſeſſor malæ fidei poſſit deducere laborem & induſtriam adhibitam ad neceſſarias vel utiles expenſas.*
9 *Poſſeſſor malæ fidei an fructus non extantes, ſed jam conſumptos teneatur domino reſtituere, quando dominus eos non percepiſſet?* Refertur duplex ſententia.
10 *An hic teneatur in foro conſcientiæ ad reſtituendas fructus qui ex re aliena percipi poterant, ſi conſtet fore ut verus dominus eos non percepiſſet.*
11 *An poſſeſſor malæ fidei teneatur eandem numero rem furto ablatam domino reſtituere, ſi ſit immixta, ſive meliorata, ſive deterior effecta ſit.*
12 *Si res malè accepta aut detenta pereat apud inju-*

iniuſtum profeſſorem caſu fortuito, an teneatur hic ad reſtitutionem valoris rei, quamvis nullum detentor ex ea lucrum perceperit.

13 *Quando res furtiva eſt in manu furis meliorata, an reddenda ſit extans cum melioramento, deductis laboribus & expenſis.*

14 *Quanam ſit dicenda cauſa naturâ ſuâ efficax & in effectu damnificans?* Refertur duplex ſententia.

15 *An jubens ſeu mandans teneatur ad reſtitutionem in ſolidum damno ſecuto, quando juſſio eſt cauſa efficax damni, vel probabiliter creditur efficax.*

16 *Quid, ſi paratus furari ex imperio alterius non moveatur ſimpliciter ad inferendum damnum, ſed ad inferendum libentiùs, celeriùs &c. an teneatur jubens ad reſtitutionem?* Refertur duplex ſententia.

17 *An teneatur mandans, ſi dubius ſit, an mandatarius ſuo imperio motus ſit ad damnum inferendum.*

An liber ſit mandans à reſtitutione, ſi poſt illatum damnum, mandatario jubeat, ut reſtituat.

18 *Quæ ſit differentia inter mandantem & conſulentem in obligatione reſtituendi, ſi conſulens revocet conſilium & mandans mandatum.*

19 *Conſulens furtum vel homicidium, dubitans tamen an ex ſuo conſilio ſecutum ſit furtum aut mors, an teneatur ad reſtitutionem?* Refertur duplex ſententia.

20 *Qui conſilium dedit ad homicidium, aut aliud damnum inferendum, an teneatur ad reſtitutionem damnorum, quæ ex illo delicto paſſus eſt conſultus.*

Quomodo debeat intelligi illa regula juris, Nullus ex conſilio, dummodò fraudulentum non ſit, obligatur.

An mandans teneatur ad reſtitutionem damnorum quæ mandatarius paſſus eſt, occaſione executionis? Refertur duplex ſententia.

21 *Quando plures teneantur in ſolidum reſtituere, an poſſit dominus rei læſus cuicumque illorum remittere actionem, in judicio alijs manentibus ſine gratia? Quid ſi læſus remittat debitum principali, vel alicui ex minùs principalibus? An ceteri ſint liberi à reſtitutione.*

Quando res intulerunt damnum & uni fit remiſſio, quantum quiſque debeat, ſi id quod ſupereſt, in ſolidum ſit compenſandum.

22 *Quando multi obligantur ad reſtitutionem non in ſolidum, ſed per partes, an uno ſuam partem reſtituente, ceteri ſimiliter ſuam refundere teneantur.*

23 *An ſocij criminis pro rata reſtituere teneantur ei, qui primus ex eis totum damnum domino reſtituit.*

24 *Qui ſine damno ſuo, aut periculo poteſt clamando impedire damnum proximi, & non impedit, an teneatur ad reſtitutionem, ſi ſola lege charitatis obligetur? Et quid, ſi non impediat ex odio.*

25 *Qui inducit ad tacendum clamare volentem contra fures ut impediat damnum, an teneatur ad reſtitutionem?* Refertur duplex ſententia.

26 *An ſi judex poſt latam juſtam ſententiam & promulgatam remittat reo pœnam pecuniariam applicandam fiſco aut parti læſæ, teneatur ipſe eiſdem reſtituere? Et quid, ſi judex per iniquitatem non ferat ſententiam & non condemnet reum ad ſolvendas pœnas in lege impoſitas?* Refertur duplex ſententia.

27 *Qui negativè ſunt cauſa damni, an reſtituere illud non teneantur niſi in defectum eorum, qui poſitivè illud damnum dederunt.*

28 *Quando damnificatio fuit lucroſa, quis inter cauſas poſitivas primò & principaliter teneatur reſtituere.*

29 *Quid, quando tantummodò damnum irrogatum eſt.*

30 *An debitor teneatur reddere alienum cum vitæ periculo, domino exiſtente in eodem periculo?* Refertur duplex ſententia.

31 *An neceſſitas gravis excuſet debitorem à reſtitutione, ſi creditor ſit in pari neceſſitate.*

32 *An reſtitutio poſſit differri ad vitandum magnum & probabile periculum ſalutis animæ ſuæ & ſuorum.*

33 *An quis teneatur cum vitæ aut famæ periculo bona externa reſtituere.*

34 *Qui patitur grave damnum ex eo quod ex reſtitutione ſtatim facienda ceſſet illi magnum lucrum, an liberetur à reſtitutionis onere pro tunc faciendæ.*

35 *An poſſit debitor reſtitutionem differre in parte vel in toto, ſi reſtituendo patiatur grave damnum, ex eo quòd res reſtituenda eſt magna.*

36 *Quando debitor juſtè ſtatum acquiſivit, nec reſtituere poteſt ſine jacturæ ſtatus, an poſſit differre reſtitutionem, & teneatur ſtatum minuere.*

37 *Et quid, ſi ſtatus conſervetur bonis omnibus alienis, ſed eſt ſpes & moralis certitudo, quod in tempore opportuno reſtituet omnia ſine illo incommodo.*

38 *Qui non tenetur cum jactura totali ſui ſtatus ſuis creditoribus ſatisfacere, an debeat quantum poteſt ſuum ſtatum reſtringere intra limites decentiæ ſtatus*

39 *Quando debitor excuſetur à reſtitutione rei alienæ, ſi apud ſeipſum teneat.*

40 *Quando ſit à reſtitutione liber, qui juris, aut judicis ſententia tenet aliquid non ſuum, aut alteri debitum.*

41 *An Epiſcopus poſſit concedere Bullam compoſitionis ſuper bonis incertis pro ſua diœceſi? Et an idem poſſit Rex aut Reſp. de bonis incertis licitè acquiſitis? Et an Commiſſarius generalis Cruciatæ?*

42 *An inter creditores perſonales tantùm non habentes privilegium prælationis, pauperior ſit præferendus ditiori.*

1. CUm reſtitutio non ſit actus juſtitiæ legalis aut diſtributivæ, ſed particularis & commutativæ, ad quam ſolam ſpectat inducere æqualitatem inter datum & acceptum, inter damnum & compenſationem; hinc dicendum eſt ex violatione ſolius juſtitiæ diſtributivæ non oriri obligationem reſtituendi, niſi quatenus ſimul violatur aliquod jus pertinens ad juſtitiam commutativam. Ratio eſt: nam reſtitutio eſt actus illius virtutis, quæ fuit læſa & violata per actum oppoſitum vel omiſſionem; ſed ex communi Doctorum ſententia, reſtitutio dicitur actus juſtitiæ commutativæ, quo redditur alteri, quod iniuſtè ab eo ſublatum eſt: ergo ſignum eſt non oriri præcisè obligationem reſtituendi ex violatione juſtitiæ diſtributivæ. Advertendum eſt autem, quod juſtitia commutativa & diſtributiva, ſunt quidem diverſæ, ſed frequenter coniunctæ. Licet enim is, qui ſolam diſtributivam violat, non teneatur ad reſtitutionem: ille tamen qui diſtributivam commutativæ coniunctam lædit, obligatur reſtituere, non qua parte læſit diſtributivam, ſed qua parte fecit contra commutativam. Sic qui diſtribuit ærarium publicum, aliaque eiuſmodi bona principaliter ordinata in bonum illorum quibus fieri debet diſtributio, ſi ijs, qui plus habere debebant diſtribuat minus, tenetur eis reſtituere, quia in ea diſtributione violat iuſtitiam commutativam. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 62. *art.* 1. Sylvius *ibidem.* Navarrus *in man. cap.* 17. *num.* 6. Clavis Regia *lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 4. Bañez 2.2. *quæſt.* 62. *art.* 1. Rebellus *de oblig. juſtit.* 1. *part. lib.* 1. *q.* 3. *ſect.* 3. *n.* 18. & *lib.* 3. *q.* 3. & alij. D. Thom. Sylvius. Navarrus. Clav Reg. Rebellus. Bañez.

2. Præceptum reſtitutionis obligat ad peccatum mortale poſita materia gravi. Ratio eſt; quia ad ſalutem conſequendam neceſſe eſt abſtinere à peccatis: ſed peccatum remitti non poteſt niſi facta reſtitutione rei furatæ; quare quamdiu res aliena, invito domino, ab aliquo retinetur, ille reus eſt peccati iniuſtitiæ, à quo peccato abſolvi non poteſt, niſi res ſublata reſtituatur proprio domino, à quo contra juſtitiam fuit ſublata; quod quidem peccatum, dum non fit reſtitutio, continuatur, ſed non multiplicatur, niſi actus voluntatis multiplicentur per interruptiones actuum diſtinctorum. Ita Molina *tom. 3. de juſtit. diſp. 716. n. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 7. dub. 10.* Clavis Regia *lib. 10. tr. 1. cap. 3. n. 5.* & alij communiter apud Bonacinam *de reſtit. diſp. 1. q. 1. punct. 2. num. 5.*

Molina. Leſſius. Clav. Reg. Bonacina.

Tum quia ſervare juſtitiam eſt de neceſſitate ſalutis: at verò reſtitutio actus eſt juſtitiæ commutativæ: ergo & rem ablatam reſtituere de neceſſitate ſalutis eſt: qui enim rem proximi, invito domino, vel rapit, vel detinet, proximo damnum infert, & contra juſtitiam facit: ergo ne in peccato maneat, reſtituere tenetur. Hæc eſt Catholicorum ſententia contra errorem quorumdam ſacerdotum Græcorum, qui pro furto, rapina & uſura non iniungebant reſtitutionem, ſed ſolùm raptorem & furem oleo ſimplici ungebant, eâ tantùm pœnitentiâ impoſitâ, ut partem eorum, quæ iniuſtè acceperant, ipſimet Sacerdoti, & Eccleſiæ in eleëmoſynam darent, ut referunt Alphonſus à Caſtro *lib. 18. de hæreſ. in verb. Reſtitutio.* & Sotus *de juſt. lib. 4. quæſt. 6. art. 2.* contra quos eſt dicendum quonam præcepto Decalogi jubemur aliena reſtituere.

Caſtro. Sotus.

3. Quamvis præceptum reſtitutionis aliquo modo diſtinctum ſit à præcepto furti; quia tamen implicat in ſe negationem, quâ prohibemur rem alterius invito domino retinere, reducitur ad illud Decalogi præceptum, ad quod pertinet talis negatio, ſcilicet ad illud negativum, *Non furaberis.* Prob. prior pars, quia præceptis negativis prohibetur malum, affirmativis autem præcipitur bonum: at verò furari, malum eſt, reſtituere verò bonum eſt, obiectum reſtitutionis poſitivum quid eſt formaliter; furti verò obiectum eſt quid negativum, & proinde aliquo modo ſunt diſtincta. Poſterior pars patet, quia ſicut accipere rem alienam eſt furtum, ita etiam rem alienam detinere invito domino: quia per hoc, quod aliquis detinet alienum invito domino, non minùs impedit eum ab uſu rei ſuæ, ac qui rem illam furatus eſt Proinde *in cap. Sapè contingit, de reſtit. ſpoliator.* dicitur: *Non multum intereſt, quoad periculum animæ, iniuſtè detinere, ac invadere alienum.* ubi Gloſſa *in verb. Iniuſtè detinere*, ait Pro eodem reputant jura auferre & detinere iniuſtè. Ita D. Thomas *2. 2. q. 62. art. 8.* Sylvius *ibidem.* P. Navarra *lib. 1. cap. 1. n. 20. & 24.* Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. 6. dub. 1. num. 13.* Barthol. à S. Fauſto *in ſpecul. diſp. 4. quæſt. 8. num. 7.* & alij.

D. Thom. Sylvius. P. Navarr. Trullench Fauſtus.

4. Cùm obligatio reſtitutionis ex tribus capitibus naſcatur, nempe ex iniuſta acceptione, puta per furtum, rapinam, vel quoduis damnum per homicidium, adulterium, ſtuprum, infamiam vel alio modo illatum. 2. Ex re accepta, nempe quando res illa vel à domino ablata eſt, ut equus, veſtis, vel etiam quæ ex juſtitia alteri debita eſt & apud me retinetur, ut legatum alteri venditum quod apud me eſt. 3. Ex contractu: nam mutuum & pretium rei emptæ non debentur propriè ratione rei acceptæ; nam fieri poteſt ut hæc non extet, ſed ex contractu. Magna tamen inter hæc capita differentia; nam qui tenetur ex iniuſta acceptione vel ex contractu, ſemper manet obligatus, etiamſi res debita pereat ſine culpa accipientis, ut contingit in mutuo, furto &c. Quando verò tenetur tantùm ratione rei acceptæ, reſtituere tenetur ſi res illa extat in ſe, vel in ſuo effectu, & valore: tamen ſi pereat ſine ſua culpa, non tenetur, ut patet in depoſito. Ratio prioris eſt; quia qui alteri iniuriam intulit, tenetur eam reſarcire, etiâſi nihil inde lucri habuerit, aut rem illam nõ habeat, cùm in re illa damnum dederit: unde qui rem alterius furatus eſt, & eam amiſit, aut alienavit, aut domum alterius combuſſit, aut famam alteri abſtulit, tenetur ad reſtitutionem. Poſterioris autem ratio eſt, quia qui habet alienum, habet plus quàm ſuum eſt: damnificatus autem habet tantumdem minùs in ſuo. Cùm igitur juſtitiæ commutativæ munus ſit conſtituere æqualitatem inter eum qui minùs habet, quàm debet habere, & eum qui plus habet, quàm deberet; qui rem alterius habet, eam alteri reſtituere debet. Hinc depoſitarius rei alienæ non tenetur ad reſtitutionem, ſi res illa pereat ſine notabili culpa ſua: quia qui rẽ illo modo accipit, non accipit illam in utilitatem ſuam, ſed propter utilitatem ipſius dantis; & ſi pretium cuſtodiæ accipiat, vel aliter ſe ſervare conſtrinxerit, non fit eiuſdem rei cuſtos ex juſtitia, ſed ex gratia & benevolentia; & ideò ſi abſque culpa ſua illam amiſerit, non ipſi, ſed domino perit. Ita colligitur ex doctrina D. Thomæ *2. 2. q. 62. art. 6.* Sylvio *ibid. concl. 1. 2. & 3.* Cajetano, Arragon & Michaële Salon, *in eundem locum.* Covarruvia *in reg. Peccatum part. 2. de reg. jur. in 6.* Leſſio *lib. 2 c. 7. dub. 5.* Barthol. à S. Fauſto *in ſpeculo diſp. 44. 11. & 12.* P. Navarra *lib. 2. de reſtit. c. 2.* & alijs recentioribus.

D. Thom. Sylvius. Cajetanus Arragon. Salon. Covar. Leſſius. Fauſtus. P. Navarr.

5. Cùm obligatio reſtituendi conſurgat ex iniuria alteri illata, ſeu ex violatione juris alterius, hinc qui infert damnum conſentienti abſolutè & ſimpliciter, id eſt abſque ullo involuntario admixto, non tenetur ad reſtitutionem: quia juxta Regulam Juris *in 6. Volenti & ſcienti non fit iniuria.* tum quia nullus niſi nolens patitur iniuſtum formaliter, ſeu iniuriam, ut habet communis Doctorum ſententia: tum quia nemo poteſt pati iniuriam, niſi jus eius violetur: non poteſt autem violari jus alterius, niſi ipſo nolente; quia ſi velit, vel certè poſitivè permittat ſe lædi, jam cedit juri ſuo illudque abdicat, vel certè in arbitrio lædentis ponit. Ad hoc tamen debet læſus conſentire abſolutè & ſimpliciter, quia non conſentienti abſolutè, ſed involuntariè mixtè fit iniuria. Quare latro accipiens pecuniam à viatore, facit illi iniuriam: quia viator non tradit pecuniam voluntariè ſimpliciter. Similiter uſurarius facit iniuriam mutuatario accipienti mutuum ſub uſuris: quia hic non accipit voluntariè ſimpliciter ad uſuram, ſed involuntariè mixtè: quia ſicut donatio debet eſſe omnino libera, ita etiam ceſſio juris, quæ tollit iniuriam; unde qui ſolvit uſuras, non cedit juri ſuo; quia non cupit ut uſurarius has exigat, nec intendit ſe ullo jure privare, aut donare; ſed ſolvit, quia aliter pecuniam obtinere nequit. Ex dictis ſequitur, homicidam non teneri ad reſtitutionem, qui alium abſolutè volentem interficit, cùm ipſi iniuriam non faciat, cò quòd abdicaverit jus ſuum, quà ſuum, & conſentienti non fiat iniuria: licet occidens faciat iniuriam Reip. & peccet contra juſtitiam legalem; imò fiat etiam alijs iniuria, quorum juri cedere non poteſt; ut ſi mors occiſi vergat in iniuriam filiorum. Idem dicendum, quando coniux conſentiente coniuge adul-

Reg. juris.

terium

terium committit : non enim facit iniuriam propriè coniugi conſentienti, ſed peccat contra matrimonij legem. Ita Molina *tom.1.diſp.9 & 11.* Arragon *2.2.q.50.art.3.* Sylvius, Bañez *ibidem*, Leſſius *lib.2.cap.7.dub.3.* Filliucius *tract.30.c.4.q.5.num.84.* Azorius *part.3.lib.1.cap.8.quæſit.7.* & alij.

6. Quatuor ſunt conſideranda in reſtitutione: Primò res ipſa reſtituenda. 2. Expenſæ factæ pro conſervatione rei, vel melioramento, vel ornamento. 3. Fructus qui ex huiuſmodi re aliena percipi poſſunt. 4. Lucrum quod dominus potuiſſet percipere, & damnum quod paſſus eſt ex rei alienæ privatione.

Expenſæ ſunt in triplici differentia ; quædam ſunt neceſſariæ, quæ niſi fierent, res periret, vel deterior fieret; ut reficere domum, quæ minatur ruinam, &c. Quædam ſunt utiles, illæ nempe, quæ meliorem rem faciunt & deteriorem eſſe non ſinunt; ut ſi domui puteus, ciſterna, aut cubiculum adiungatur. Quædam ſunt voluntariæ ſeu voluptuoſæ, quæ ex natura ſua quidem fructum rei non augent, ſed pulchriorem, ſeu aptiorem rem efficiunt ad capiendam ex illa voluptatem; ut ſunt viridaria, picturæ, ſtructuræ fontium &c. ut habetur *in cap. Impenſæ, de verb. ſignificat.*

Fructus dicuntur, qui ſuperſunt deductis expenſis factis in ipſorum fructuum productione, collectione & conſervatione, *l. Si à patre, vel à domino, §. fructus, ff. de petit. hæredit. & l. fructus ff. Soluto matrimonio.* Et ſunt in triplici differentia : Alij ſunt naturales, quos ſcilicet natura producit, nulla aut modica induſtria concurrente, cuiuſmodi ſunt fœtus animalium, poma, pira & id genus alia, *l. Fructus. ff. de uſuris.* Alij purè induſtriales, puta, qui ex artificio & negotiatione acquiruntur, & non proveniunt ex re, ſed ex hominis induſtria percipiuntur propter rem, *l. Bonæ fidei, ff. de acquir. rerum dominio.* Denique alij ſunt mixti, qui partim ex re, partim ex induſtria gignuntur, ut caſeus, ſegetes, vinum, &c. quæ dicuntur naturales, in quantum producuntur à natura, & induſtriales, in quantum in alia ſpecie eis utimur ex induſtria.

Intereſſe duplex eſt, videlicet, lucri ceſſantis, & damni emergentis. Intereſſe lucri ceſſantis eſt, quando homo impeditur ab aliquo bono alioquin eventuro, verbi gratia à lucro quod feciſſet ſi pecunia ſibi reſtituta fuiſſet. Intereſſe verò damni emergentis eſt, quando homo amittit aliquid de bonis habitis; ut cùm quis ratione mutui quod alteri præſtitit, cogitur ipſe pecuniam fœnori accipere & uſuram ſolvere, vel res ſuas minoris vendere. De his egimus *tom.1. verb. Fructus, num.1.* & *verb. Vſura 111. num.1. & 4.* ex Doctoribus ibi citatis, & ideò ab illorum citatione hìc ſuperſedemus.

7. Poſſeſſor bonæ vel malæ fidei in reſtitutione rei alienæ poteſt in foro conſcientiæ detrahere non ſolùm expenſas neceſſarias, quas dominus feciſſet, ſed etiam utiles, quatenus eas dominus feciſſet & quatenus ſunt domino utiles. Ratio eſt; tum quia his deductis dominus non cenſetur damnificatus, nec pati damnum, cùm dictæ expenſæ cedant in utilitatem domini, cuius res facta eſt melior & fructuoſior per illas expenſas : tum quia dominus non debet ditior fieri expenſis alienis, *l. Si à domino. §. fruſtra, l. Planè & l. Vtiles, de petit. hæredit. ff.* & docent Leſſius *lib.2.cap.12.dubio 17.n.111.* Molina *tom.3.diſp.725.ad finem.* Salon *2.2.q.62.art.6.controv.3.* Sanchez *lib.2.mor.cap.23. num.238.* & alij communiter. Idem dicendum de

Leſſius. Molina. Salon. Sanchez.

expenſis voluntarijs factis à poſſeſſore bonæ fidei, ut ſi in re aliena ſuis expenſis ædificavit, pinxit, vel aliud adiunxit ornamentum ; habet enim jus exigendi ex juſtitia æſtimationem hujuſmodi ornamenti quando reſtituit rem, vel amovendi illud, ſi commodè poteſt ſine detrimento rei; quod ſi ſine detrimento rei removeri non poteſt, tenetur dominus rei in conſcientia ſolvere juſtam æſtimationem expenſarum, ut recipiat rem ſuam, vel ſaltem vendere illam rem tali poſſeſſori juſto pretio, & in hoc omnes conveniunt.

Sed difficultas eſt de poſſeſſore malæ fidei, an teneatur has expenſas voluntarias dominus illi ſolvere, quando ſeparari nequeunt ? Affirmant Clavis Regia *lib.10.tract.2.cap.3.n.4.* Leſſius *loco cit.n.113.* ubi ait, ſi dominus id ornamentum retinere velit, deducendas eſſe expenſas; quòd ſi nolit, integrum eſſe furi eas auferre, ſi abſque rei læſione auferri valeant: & ſi id fieri nequeat, rem eſſe arbitrio prudentis tranſigendam. Sanchez autem *loco cit.n.139.* Rebellus *de oblig. juſt.part.1. lib.2.q.8.num.3.* negant teneri dominum eas furi ſolvere, quando nequeunt ſeparari abſque priſtini ſtatus rei læſione : quia fur ille ſibi imputare debet, quod eas expenſas ſine domini conſenſu fecerit. Ceterùm quidquid ſit de veritate harum opinionum pro foro conſcientiæ; certum eſt quod in foro externo non conceditur poſſeſſori malæ fidei repetitio expenſarum voluntariarum aut utilium in pœnam delicti, ſed neceſſariarum tantùm *ex l. Domum C. de rei vendic.* vide Covarruviam *reg. Peccatum 2.part. § 6. num.3.* Menochium *de recuperand. poſſeſſ. remed.15.à num 501.* Sanchez *loco cit.num.136.*

Clav. Reg. Leſſius. Sanchez. Rebellus. Covar. Menoch. Sanchez.

8. Negant quidam poſſeſſorem malæ fidei poſſe deducere laborem & induſtriam adhibitam ad neceſſarias vel utiles expenſas. Ducuntur, quod contra juſtitiam ac domini voluntatem apponat laborem, & ideò meretur illum perdere. Ita Petrus Navarra *de reſtitut. lib.4.cap.1.num.23.* Mercado *lib.6. de contract. cap.14.* At contrarium eſt tenendum : tum quia ſi poſſeſſor malæ fidei per alios apponeret induſtriam, ac laborem, eiſque mercedem ſolveret, ſine dubio eiuſmodi expenſas poſſet deducere : ergo ſi per ſeipſum hæc omnia faciat, ſimilem mercedem in foro conſcientiæ poſſeſſor tam bonæ, quàm malæ fidei exigere poterit, cùm eiuſdem valoris ſint, & æquè in domini utilitatem redundent : tum quia ſublator rei alienæ poteſt deducere expenſas neceſſarias vel utiles, quas fecit in re aliena : ergo & induſtriam & laborem ſimiliter neceſſarium, cùm utriuſque eadem ſit ratio. Ita Leſſius *lib.2. cap.12. dub.17. num.111. & 121. fine.* Clavis Regia *lib.10. tract.2. cap.3. num.22.* Rebellus *de oblig. juſt. part.1. lib.2. quæſt.8 n.4.* Covarruvias *reg. Peccatum 2. part. §.6. num.4.* Eman. Sà *verb. Reſtitutio, num.16.* & alij.

P Navarr. Mercado. Leſſius. Clav. Reg. Rebellus. Covar. Eman. Sà.

Argumentum autem in contrarium adductum non valet; quia ſi valeret, nec expenſas utiles poſſet poſſeſſor malæ fidei deducere, quia pari modo contra domini voluntatem ab eodem ſunt factæ.

9. Probabile eſt poſſeſſorem malæ fidei fructus non extantes, ſed jam conſumptos, non teneri domino reſtituere, quando aliàs dominus eos non percepiſſet, ſi rem habuiſſet propter negligentiam ſuam, vel alia de cauſa, niſi ex illis factus ſit ditior; ſecus ſi extant. Ratio eſt ; quia in hoc eventu dominus nullum paſſus eſt damnum, nec minus habet, quàm habere debuiſſet.

Sotus. P.Navarr. Ita Sotus *de justit. lib.* 4 *q.*7. *art.*2. P.Narrava *lib.* 4. *de restit. num.*44. & alij.

Ceterùm multò probabilius est, hunc possessorem teneri fructus à se ex re aliena perceptos & consumptos restituere vero rei domino, quamvis hic non esset eos percepturus, & etiamsi exinde non effectus sit ditior. Ratio est; quia quælibet res suo domino fructificat, §. *Si Titius, & duplici sequenti, institut. de rerum divis.* Ergo illi fructus percepti cedent domino rei: tum quia eo ipso quòd semel in rerum natura extiterunt, tanquam fructus rei illius, dominium illorum pertinuit ad dominum rei, & qui illos ab eo puncto detinuit, neque eos ipsi restituit, iniuriam illi intulit, damnumque proinde iniustum illi dedit, qui eos consumpsit; unde ex parte iniustæ detentionis ac acceptionis tenetur domino ad illorum restitutionem, deductis expensis & laboribus. Nec absurdum est, sed necessariò dicendum, aliquando per accidens dominum rei ex re sibi restituta ditiorem evadere, quàm si non subrepta esset; ut si equo spoliatus erat statim eum venditurus viliori pretio, quo tunc valebat, & restituatur sibi tempore quo plus valet, lucrabitur occasione furti id augmentum. Tum quia solius possessoris bonæ fidei privilegium est, ut sit liber à restitutione, quando ex rei alienæ consumptione non est redditus ditior. Non ergo id extendi debet ad possessorem malæ fidei, qui & rem usurpando & fructus consumendo deliquit; alioquin & consumptione iniusta lucrum deobligationis & restitutionis onere reportaret. Ita tenent Molina *tom.*3. *de just. disp.*72. *n.*4. Lessius *loco cit. dub.*17. *n.*120. Rebellus *part.*1. *lib.*2. *q.*5. Barthol. à S. Fausto *in speculo disp.*4 *q.*34. Sanchez *lib.*2. *mor. c.*23. *n.*126. & alij.

Molina. Lessius. Rebellus. Faustus. Sanchez.

10. Possessor malæ fidei non tenetur in foro conscientiæ ad restituendos fructus, qui ex re aliena percipi poterant, sive ab ipso, sive à domino, sive à quocumque alio, si constet fore ut verus dominus eos non percepisset. Ratio est; tum quia hic fur non tenetur ad eos fructus possibiles ratione rei acceptæ, utpote qui illos non percepit; nec ratione iniustæ acceptionis, cùm in ijs non acquirendis nullum domino eos non acquisituro, damnum intulerit: tũ quia si in foro conscientiæ essent restituendi fructus possibiles, nec à fure percepti, nec à vero domino percipiendi, esset magna inæqualitas adversa justitiæ commutativæ, cùm dominus ditior ex furto evaderet, consequens plus quàm ex re sua furto non arrepta consequuturus erat, ac fur jactura rei suæ familiaris faceret restituens plus quàm obtinuit, ac læsit. Dixi *in foro conscientiæ*, quia forum externum non solam æqualitatem prædictam respicit, sed sæpè culpam delinquentis punit, obligando illum ad aliquid amplius in pœnam: unde est jure statutum in delicti possessoris iniqui odium, ut hic ad fructus possibiles obligetur. Ita tradunt Sylvester *v. Restit.* 3. *q.*9. Joan. Medina *C. de restit. q.*6. *vers. Ad secundam dicendum.* Clav. Reg. *lib.*10. *tr.*2. *cap.*3. *n.*23. Rebellus *de oblig just. part.*1. *lib.*2. *q.*5. & alij apud Sanchez *loco cit. n.*118.

Sylvester. Medina. Clav. Reg. Rebellus. Sanchez.

11. Possessor malæ fidei tenetur eandem numero rem furto ablatam domino restituere, si sit immixta, sive sit res, quæ ex genere suo recipit functionem, id est usu consumptibilis, sive non, sive meliorata, sive deterior effecta sit. Ratio est; quia rei furtivæ nunquam acquiritur dominium, nec latro rem illam vendendo transferre potest dominium in emptorem, cùm sit aliena; ergo cùm eius dominium penes dominum semper maneat, potest dominus rem suam extantem, & immixtam repetere, & eam possidens tenetur tum ex parte rei acceptæ, tum ex parte iniustæ acceptionis restituere. Ita ex communi Navarrus *cap.*17. *n.*24. Covarruvias *in reg. Peccatum, part.* 2. §.12. *n.*2. Medina *C. de restitut. quæst.*6. P. Navarra *lib.*3. *de restitut. num.*214. Tamen si res eadem in specie restitui non possit propter periculum infamiæ, vel alia justa de causa, tunc sufficit restituere eius valorem. Quòd si res iniustè ablata consistat in numero, pondere & mensura, ut pecunia, vinum, oleum, &c. & est permixta cum rebus proprijs furis, ita ut ab illis discerni nequeat, non tenetur possessor malæ fidei eandem rem numero restituere domino, sed sufficit reddere æquivalentem. Ratio est; quia ex mixtione dominium amittitur & transfertur in latronem: quia mixtione facta non est maior ratio, cur potiùs hæc pars, quàm illa censeatur aliena. Proinde ex tali mixtione perit obligatio realis, solumque manet personalis. Ita Clavis Regia *lib.*10. *tr.*2. *c.*3. *n.*12. Sylvester *v. Restitut.*3. *q.*6. §. *Secundum. vers. Et Sextò*, Medina *C. de rebus restituend. q.*10. *concl.*5. §. *Notanter.* Petrus Navarra *lib.*3. *de restit. cap.*4. *part.*3. *dub.*6. *num.*216. & *lib.*4. *cap.*1. *dub.*3 *num.*6. & communis.

Navarrus. Covar. Medina. P.Navarr.

Clav.Reg Sylvester. Medina. P.Navarr.

12. Quando res malè accepta aut detenta perit apud iniustum possessorem etiam sine culpa sua casu fortuito, hic tenetur ad restitutionem valoris rei, quamvis nullum detentor lucrum ex ea perceperit. Ratio est; quia possessor malæ fidei semper est in mora à tempore malæ acceptionis, vel iniustæ retentionis; unde omnis casus ei imputandus est; mora enim seu culpa trahit ad se periculum, secundùm jura. Quod intelligendũ est, nisi iniustus rei illius detentor moram purgaverit, offerendo rem domino, antequam periret, aut deterior redderetur: fortassis enim non ita penes dominum periisset, cùm eam ante interitum alienare potuisset, vel alijs remedijs ab interitu liberare. Proinde si ante rei interitum, rem vero domino obtulit, ab eo die si res illa pereat, non imputabitur iniustè eam detinenti, quicquid absque sua culpa deinceps circa eam rem eveniret. Ita Navarrus *in man. cap.*17. *n.*26. P. Navarra *de restitut. lib.*4. *cap.*1. *dub.*3. *num.*11. & 12. Covarruvias *in reg. Peccatum, part.*2. § 6. *num* 1. Clavis Regia *lib.*10. *tract.*2. *cap.*3 *num.*14. & alij. Si tamen res eodem modo apud furem pereat, quo esset aliàs peritura apud dominum, nec ante eius interitum dominus rem illam alienasset, aut aliquam utilitatem accepisset, talis fur nihil restituere tenebitur: quia in hoc casu nil damni intulit domino, quod ille aliàs passurus non fuisset. Ita Doctores citati, quibus adde Joan. Medinam *C. de reb. restituend. quæst* 3. *causa.*6. & *quæst* 6. *concl.*6. Rodriguez *part.*2 *Sum. cap* 49. *concl.*11. Sylvestrum *verb. Restitutio* 7. *q.*5. §. *Tertium.*

Navarrus. P. Navar. Covar. Clav. Reg

Medina. Rodrig. Sylvester.

Ex dictis sequitur, quod qui furatus est dolium vini, quod in manu furis mutatum est in acetum, alioquin etiam mutandum apud dominum, si dominus vinum illud non vendidisset ante tempus illud mutationis, ad nihil aliud restituendum domino talis fur obligabitur, quàm restituere dolium aceti.

13. Quando res furtiva non est usu consumptibilis & in manu furis est meliorata, reddenda est res extans cum meliramento, deductis laboribus & expensis si quas fecerit in ipsius rei melioratione. Quamvis enim in foro contentioso, solùm deducuntur expensæ necessariæ, non autem utiles si mala fide possidebat, ut diximus suprà, & probatur

ex

ex *l. Si à patre*, §. *Fructum*, *ff. de petit. hæred.* & *l. Ex argento*, *ff. De cond. furt.* In foro tamen conſcientiæ non ſolùm expenſas neceſſarias, ſed etiam utiles deducere poteſt; quia juſtum non eſt, ut alius locupletetur cum damno alterius, ut docent P. Navarra *lib. 4. de reſt. cap. 1. dub. 4. n. 31.* Medina C. *de rebus reſt. q. 6.* Covar. *in reg. Peccatum, part. 2. §. 6. num. 3.* & alij. P. Navar. Medina. Covar.

Si tamen res furtiva uſu conſumptibilis ſit, conſiderandum eſt, an dominus læſus erat rem illam ſtatim venditurus, aut conſumpturus; an verò erat in poſterum ſervaturus, quando res illa viliori, aut majori pretio vendebatur, & ſecundùm hoc ſtatuendum eſt, quid latro reſtituere debeat.

14. Difficultas eſt inter Doctores, in aſſignanda cauſa naturâ ſuâ efficaci & in effectu damnificante? Quidam enim abſolutè docent, eum omnem & ſolùm eſſe cauſam efficacem damni & teneri ad reſtitutionem, ſine quo damnum illud injuſtum non fieret. Ita Navarrus *cap. 17. num. 10.* Sylveſter *verb. Reſtitutio 3. quæſt. 6.* Arragon 2. 2. *quæſt. 62. artic. 7.* Navarrus. Sylveſter. Arragon.

At alij rectiùs docent eum omnem eſſe cauſam efficacem injuſtæ actionis & teneri ad reſtitutionem, qui influit & moraliter concurrit ad actum, quo infertur damnum, faciendo nimirum quidpiam alicujus momẽti, quod conducat & juvet ad efficiendum illum actum, quo proximo nocetur, etiamſi abſque ejus opera damnũ illud fuiſſet aliàs illatũ. Ratio hujus eſt, ſecundùm Philoſophos & Theologos, cauſa ſine qua nõ, non eſt verè & propriè alicujus actionis & effectus cauſa, maximè in moralibus, ſed ea quæ concurrit & aliquid efficit & influit in effectum, ut exemplum ſit, Approximatio ignis non eſt propriè cauſa cõbuſtionis domus, quamvis ſine ea domus non eſſet combuſta: tum quia ſi duo ignes comburant lignum, etiamſi alter eorum ſolus & ſine altero illud combuſſiſſet; quia tamen uterque lignum illud comburit, verè uterque ignis cauſa eſt illius combuſtionis. Ita etiamſi Petrus aliquem occidat, aut aliquid furetur, quem Ioannes alioquin occiſurus eſſet, aut rem illam furto ablaturus fuiſſet, non propterea excuſatur Petrus à furto, aut homicidio; quia verè cauſa utriuſque delicti fuit: tum quia obligatio reſtitutionis non deſumitur ex eo quòd à Petro, & non à Joanne fuiſſet furtũ commiſſum, ſed ex eo, quòd à Petro fuerit verè perpetratum, ſive aliàs fuiſſet à Ioanne commiſſum, ſive non: ergo, quicumque revera concurrit ad damnũ, & illud verè efficit, eſt cauſa efficax illius, etiamſi non ſit cauſa ſine qua non: tum quia unus uſurarius à culpa non excuſatur, aut à reſtitutione liberatur per hoc quòd eo non mutuante ad uſuram, eadem uſura per alium fuiſſet commiſſa. Proinde ad cognoſcendam cauſam alicujus effectus, tam in naturalibus, quàm in moralibus, hęc regula aſſignari poteſt: Quotieſcumq; aliquo poſito quod influit in effectum, ſequitur talis effectus, & eo ablato, vel non ſequitur, vel ſi ſequitur, alio modo ſequitur, ſine dubia cauſa eſt efficax illius effectus. Et ratio eſt; quia ex quo deficit ille ſolitus modus, ex defectu illius ſignum eſt evidens habuiſſe influxum in illo effectu, & non ſolùm eſſe cauſam ſine qua non. Ita docet Cajetanus 2. 2 *quæſt. 62. a. 7.* Sotus *de juſt. lib 4. quæſt. 7 a. 3.* Valentia *to. 3. diſp. 5. quæſt. 6. punct. 3.* Covar. *in reg. Peccatum, p. 2. §. 12. num. 2.* Ioan. Medina *Cod. de reb. reſtituend. quæſt. 7.* P. Navarra *lib. 3. reſtit. cap. 4. p. 1 n. 10.* & alij. Cajetan. Sotus. Valentia. Covar. Medina. Navarrus

Ex contraria enim ſententia ſequeretur, quod ſi famulus videret dominum parantem ſe ad necem inimiçi, quem certiſſimè erat occiſurus, etiamſi ipſe prævenièndo dominum, inimicum occideret, ad nihil teneretur.

Similiter ſi uſurarius per ſeipſum & ſine miniſterio famuli exercuiſſet uſuram, famulus, qui ei in illa exercenda miniſtravit & ejus negotia tanquam principalis actor exercuit, ad reſtitutionem non teneretur; quia non eſt cauſa ſine qua non, cùm ſine ipſo dominus exercuiſſet uſuram. Quæ omnia ſunt abſurda, & non ſuſtinenda.

15. Inter perſonas, quæ communiter & ex ſuo genere ex concurſu & cooperatione ad furtum, reſtituere tenentur, Prima eſt, *jubens*, ſeu *mandans*, & nomine jubentis intelligitur ille, qui ſuo imperio, ſeu mandato cauſa eſt injuſtæ acceptionis, vel damni injuſtè dati: quæ juſſio duobus modis fieri poteſt; *Primò* expreſsè, ut ſi dominus expreſsè dicat, Vade, ſpolia talem, vel occide, &c. *Secundo* tacitè, ſeu implicitè, ut ſi dicat, Vindictam ex tali opto: Non eris mihi gratus, niſi aliquid dignum meritis fecèris, & hujuſmodi, & exinde famulus mandatum ultionis concipit.

Certum eſt, ſecundùm omnes, talem jubentem ſeu mandantem teneri ad reſtitutionem in ſolidũ, damno ſecuto, quando juſſio eſt cauſa efficax injuſtæ acceptionis, vel probabiliter creditur efficax. Ratio eſt; quia jubens ex genere ſuo cauſa eſt præcipua, & efficax illius damni præſtans auctoritatem, & idcò tenetur ad reſtitutionem, niſi ille, qui rapuerit, reſtituat: & hoc verum, etiamſi jubẽs nihil utilitatis inde percipiat, & nihil poſſideat de furto, vel rapina: quamvis enim nihil habeat de furto; quia tamen cauſa eſt furti & damnificationis proximi, tenetur reſtituere & reddere illum indemnem; quia dans cauſam damni, damnum feciſſe cenſetur. Hinc ſequitur, quòd Dux imperans damnum militi, Prælatus inferiori, Princeps ſubdito, Pater filio, &c. tenetur principaliter ad reſtitutionem; exequenverò tenetur minùs principaliter. Ita Valquez *de reſtitut. cap. 9. n. 52. & 56.* Ioan. Medina *Cod. de reb. reſtituend. quæſt. 7. & 8.* Arragon 2. 2. *quæſt. 62. art. 7.* Salon *ibid.* & Sylvius *de juſtione*, P. Navarra *de reſtitut. lib. 3. cap. 4 part. 1. num. 26.* & alij. Vaſquez. Medina. Arragon. Salon. Sylvius. P. Navar.

16. Sed petes, quando Titius paratus eſt furari & ex imperio alterius non movetur ſimpliciter ad inferendum damnum, ſed ad inferendum libentiùs, celeriùs, atrociùs, vel alio loco, an teneatur imperans vel jubens ad reſtitutionem? Quidam volunt teneri, non tamen integrè. ſed quantum ex illa majori firmitate, vel acceleratione ad arbitrium boni viri crevit damnum illatum. Ratio eſt; quia jubens in hoc caſu non tam eſt cauſa ſubſtantiæ damni, quàm modi, vel circumſtantiæ, cum qua mandatur executioni, ut quod fiat hoc tempore, hoc loco, hoc inſtrumento, hoc modo: ergo non tenetur ſubſtantiam damni reſtituere. Ita Rebellus *de obligat. juſtit. part. 2. lib. 2. quæſt. 14* Arragon 2. 2. *q. 62. a. 7.* & alij probabiliter. Quando enim aliqua cauſa eſt exitura per ſe in actum, parum refert utrum hoc celeriùs fiat an tardiùs, hîc an alibi, hac an illa actione individua, hoc an illo inſtrumento; quia hæc non pertinent ad ſubſtantiam damni. Sententia verò communior & verior & hoc tempore magis recepta in ſcholis eſt, hunc jubentem, ſeu mandantem obligari in ſolidum; quia eſt cauſa totius actionis, ut hîc & nunc fit, & non poteſt quis eſſe cauſa iſtorum accidentium & circumſtantiarum, niſi etiam ſit cauſa ſubſtantiæ actionis illativæ damni. Ita docent Leſſius *libro ſecundo*, *cap. 13. dub. 2.* Bartholom. à ſancto Fauſto *in ſpeculo*, *diſp. 4. quæſt. 57.* qui pro hac ſententia Rebellus. Arragon. Leſſius. Fauſtus.

tentia citant Cajetanum, Sotum, Ioannem Medinam, & P. Navarra.

Obſervandũ tamen hîc eſt, an is cui præcipitur, ſit ſubditus præcipientis, necnè; ſi enim non ſit ſubditus & alter aliàs æquè paratus erat ad inferendum damnum, non videtur jubens cauſa damni, & conſequenter nec obnoxius reſtitutioni. Si autem erat ſubditus, tenetur ad illam, non quidem ratione juſſionis, ſed quia tanquam Superior poterat ac tenebatur obſtare ne ſubditus alteri noceret, & non obſtitit. Ita Salon 2.2. *quæſt.* 62. *art.* 7. Clavis Regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 6. *n.* 3. Sylvius 2.2. *q.* 62. *art.* 7. *quærit.* 1. de juſſione.

Salon. Clav. Reg. Sylvius.

17. Quando mandans eſt dubius, an mandatarius ſuo imperio motus ſit ad damnum inferendum, necnè, tenetur moralem diligentiam adhibere, ut ſciat veritatem: ſi verò facta diligenti inquiſitione adhuc dubitet rationabiliter, tunc nihil tenetur reſtituere; quia in dubijs, ceteris paribus, melior eſt conditio poſſidentis, *l. Si turpem, ff. De condict. ob turpem cauſam*, & docent Arragon, Salon 2.2 *q.* 62. *a.* 7. Sylvius *ibid. quærit.* 2. Sylveſt. *v. Reſtitut.* 3. *q.* 6. Medina C. *de reb. reſtituend. q.* 7. & alij.

Arragon, Salon. Sylvius. Sylveſt. Medina.

An autem liber ſit à reſtitutione mandans, ſi poſt illatum injuſtè damnum ex ejus iniquo imperio, mandatario jubeat, ut reſtituat? Reſpondendũ eſt non liberari donec mandatarius cũ effectu reſtituat, & præcepto reſtitutionis obediat, ſicut obedivit præcepto injuſtæ actionis. Ratio eſt, quia ſicut non tenetur præcipiens furtum, ex ſolo præcepto, niſi quando alter ex ejus præcepto verè & realiter damnũ intulit: ita etiam nec deobligatur à reſtitutione facienda, niſi alter verè furtum reſtituat; quo nõ reſtituente, ipſemet præcipiens ad reſtituendũ tenetur; eſt enim par utriuſque ratio. Ita P. Navarra *lib.* 3. *de reſt c.* 4. *p.* 1. *n.* 27. & 28. Molina *to.* 3. *de juſt. diſp.* 736. Clavis Regia *lib.* 10. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 9. Ioan. Medina C. *de reb. reſt. q.* 8. & alij.

Navarrus. Molina. Clav. Reg Medina.

17. Mandans tenetur ad reſtitutionem damnorum, quando revocatio mandati non innotuit mandatario: nam ſuo mandato cenſetur adhuc cauſa efficax damni, & non cenſetur revocaſſe influxum antea præſtitum. Secus ſi revocatio mandati mandatario innotuit. Et in hoc differentia eſt inter mandantem fieri delictum, & conſulentem, quòd mandans, ſi ante factum revocet mandatum & notificet alteri, non obligatur ad reſtitutionem; at conſulens, etiamſi conetur conſilium revocare, tenetur ad reſtitutionem, ſi alter, cui conſilium dedit, ejus conſilio motus damnum inferat. Ratio autem diſcriminis inter utrumque eſt; quia mandatarius ut talis eſt, non exequitur mandatum nomine proprio, vel arbitrio proprio, ſed ſolùm nomine & auctoritate, & in gratiam mandantis: ſed poſtquam eſt revocatum mandatum & ei notificatum, id mandatarius non poteſt facere nomine & auctoritate mandantis, ſed tantum proprio arbitrio, & ideò ei tantùm imputatur. At verò is cui conſilium datum eſt ut talis eſt, non facit delictum, vel damnum nomine vel auctoritate, vel in favorem conſulentis, ſed potiùs nomine proprio, & in bonum, ſeu gratiam ſui, licet motus alterius conſilio. Unde conſulens quaſi veneno voluntatem ejus inficit, & tenetur ad reſtitutionem, eò quòd non revocet influxum; quia conſultus adhuc movetur verbis conſulentis ad damnum inferendum in bonum & gratiam ſui. Igitur ut conſulens liberetur ab onere reſtituendi damnum, non ſatis eſt, ut revocet conſilium, niſi conetur tollere animum ejus propenſum & inclinatum ad inferendum tale damnum, vel niſi alio modo ex parte ſua, quantum fieri poteſt, impediat ne ſequatur tale damnum. Et hæc eſt verior & communior ſententia, quam tradunt Clavis Regia *lib.* 10. *tr.* 2. *cap.* 8. *n.* 8. Molina *tom.* 3. *diſp.* 731. Navarrus *in Man. cap.* 17. *n.* 132. Leſſius *lib.* 2. *c.* 13. *dub.* 3. *n.* 16. & 17. Bonacina *de reſt. diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 6. *n.* 6. & alij. Quamvis non ſit improbabilis ſententia aſſerens conſulentem revocato conſilio non teneri ad reſtitutionem, ſi contrarium perſuadere nitatur, quamvis reipſa non perſuadeat: nam actio injuſta non videtur tunc amplius provenire à conſulente, ſed ab exequente, cujus malitiæ tanquam cauſæ totali imputatur; nec in hoc ponit diſcrimen inter mandantem & conſulentem. Ita P. Navarra *de reſtit. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 27. Reginaldus *lib.* 10. *n.* 108. Medina C. *de reb. reſtit. q.* 7. Tenetur tamen conſulens; in caſu quo revocando conſilium nihil perſuadeat, monere eum ſecretè, contra quem hujuſmodi delictum conſuluit, ut ſibi caveat, & hoc lege juſtitiæ, ut poſt alios reſoluit Azorius *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 11. *quæſt.* 3. licet non ſit improbabile non teneri hunc ex juſtitia ad hujuſmodi monitionem, ſed ſolùm ex charitate: ideoque eam omittens excuſari à reſtitutione, ſi aliàs diſſuaſit, in quantum potuit. Ita Diana *part.* 2. *tr.* 16. *reſol.* 15. & 16. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 2. §. 1. *num.* 4. & alij penes ipſos.

P. Navar. Reginald. Medina. Azorius. Diana. Trullench

19. Controvertitur inter Doctores, an conſulens furtum vel homicidium, dubitans tamen an ex ſuo conſilio ſequutum ſit furtum, aut mors, teneatur ad reſtitutionem? Et quidem pro affirmativa facit, quod in hoc dubio nulla eſt poſſeſſio pro conſulente, imò præſumptio juris eſt contra ipſum; unde in foro externo condemnaretur ad reſtitutionem, eò quòd eſt certa injuſti conſilij actio, & præſumitur illam ſortitam fuiſſe ſuum effectum, & ideò in reum transfertur onus probandi non fuiſſe, & dum non probaverit, ſuccumbet: ergo idem erit in foro conſcientiæ: nam cùm conſtet de injuſta actione conſulentis, quæ apta eſt ad effectum producendum, & ex natura ſua illum aſſequitur, dum de effectu ſubſequuto conſtat, poſſeſſio eſt pro actione illa injuſta, quod effectum aſſequuta fuerit. Propter hæc, hanc ſententiam amplectuntur Molina *tom.* 3. *diſput.* 736. *num.* 6. Salas *prima ſecundæ, tract.* 8. *diſp. mic. ſect.* 23. *num.* 242. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 27. *dub.* 3. *in fine*, Sanchez *de matrim. lib.* 2. *diſp.* 21. *num.* 17. Ioannes Sancius *in ſelectis diſp.* 42. *num.* 14. & alij.

Molina. Salas. Leſſius. Sanchez. Sancius

Pro negativa autem eſt, quod in dubijs, maximè in materia juſtitiæ, melior eſt conditio poſſidentis; unde ſolùm tenetur conſulens, quando certus eſt ſaltem moraliter, quod ab eo actio injuſta efficaciter proceſſerit; quia in dubio nemo ſpoliandus eſt re ſua. Ita P. Navarra *de reſtit. lib.* 3. *cap.* 4. *dub.* 4. *num.* 48. *in 2. edit.* Medina *Cod. de reſt. quæſt.* 7. *ante verb. Si autem conſilium.* Tannerus *in* 2.2. *diſp.* 4. *quæſt.* 6. *dub.* 14. *num.* 395. Sylveſt *verb. Reſtit.* 3. *quæſt.* 6. *dict.* 2. & alij. Hæ duæ ſententiæ ſunt probabiles.

P. Navar. Medina. Tanner. Sylveſt.

Sed mihi dicendum videtur, teneri conſulentem prudenter interrogare eum, cui conſilium dedit, & ſi alter ſeriò dicat, ſe nec ad facti ſubſtantiam, nec furti acceleracionem aut ad homicidium motum fuiſſe ex illius conſilio, poteſt illi credere, & liberatur à reſtitutione; maximè ſi homicida ſit ita fide dignus, aut tales aliæ circumſtantiæ occurrãt, ut prudens arbitretur fidem illi adhibendam eſſe. Quod ſi talis interrogatio non ſit poſſibilis, colligendum eſt ex circumſtantijs: nam ſi ſtatim dato conſilio furatus eſt, vel occidit, cenſetur conſulens cauſa; ſi verò poſt multum temporis, probabiliter credi

credi poteſt, non fuiſſe furatũ ex tuo conſilio, ſed ex alia cauſa, & jã voluntatem elanguiſſe & fuiſſe remiſſam, & oblitum conſilij. Quod ſi omnibus tentatis adhuc manet dubius, declinandum eſt in favorẽ conſulentis, nec obligandus eſt ad reſtitutionem: quia obligatio hæc eſt odioſa & reſtringenda; tum etiam, quia melior eſt conditio poſſidentis in rebus ad rei poſſeſſionem pertinentibus. Igitur dum animus agẽtis ignoratur, probabiliter non obligatur conſulens ad reſtitutionẽ ſub mortali, modò paratus ſit reſtituere, quando ſciverit ſe cauſam furto dediſſe. De quibus, videndus Diana *p. 3. tract. 5. reſ. 84.* & *p. 4. tract 3. reſ. 28.* Salon *2. 2. q. 62. art. 7. cont. 6.* Trullench *in Decal. lib 7. cap. 13. dub. 2. §. 1. n. 5.* & Sanchez *lib. mor. c. 10. n. 44.*

Diana. Salon. Trullench Sanchez.

20. Qui conſilium alteri dedit ut hominem occideret, aut aliud damnum inferret, ſed conſultus multa damna paſſus eſt ex illo delicto, non tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ paſſus eſt conſultus. Ratio eſt; tũ quia exequens huiuſmodi conſilium debet ſibi damnum imputare; nam liberum illi erat ſequi conſiliũ & non ſequi. Scienti autem & volenti nulla fit iniuria: tum quia committens delictum voluntate peccat, & ſic ei iniuria fieri non poteſt: ſcire namque debebat ſibi hoc non expedire. Tum quia non debet quiſpiam ex improbitate ſua commodum reportare, ut habetur *in l. Itaque fullo ff. de furtis.* Ita Clavis Regia *lib. 10. tract. 2. c. 8 n. 2.* Azorius *p. 3. l. 4. c. 11. q. 7. in fine,* Trullench *in Decal. lib. 7. cap. 13. dub. 2. §. 1. num. 11.* & alij.

Clav. Reg Azorius, Trull.

Sed petes, *Primò*, quomodo debeat intelligi regula juris in cap *Nullus, de regul. juris in 6. Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.* Quæ regula ſumpta eſt *ex l. conſilij, ff. regul. juris,* ubi habet, *Conſilij non fraudulenti nulla obligatio eſt.* Reſpondeo: Conſilium aut datur de contractu vel quaſi contractu, aut de maleficio vel quaſi maleficio. Si primi generis fuerit conſilium, is qui dedit, non tenetur ei, cui dedit, niſi fraudulentum ſit: & tunc tenetur actione de dolo; verbi gratia, Conſilium tibi dedi, ut pecuniam tuam in emptionem potiùs prædiorum colloces, quàm fœneres. tibi non teneor: quia nemo ex conſilio obligatur, etiamſi nõ expediat ei, cui datur; quia liberum eſt cuique apud ſe explorare, an expediat ſibi conſilium, ut habetur *in l. 2. §. Tua autem gratia, ff. Mandati.* Si autem conſilium fuerit ſecundi generis, tunc conſulens non tenetur, ei cui dedit; ſed ei, contra quem conſiliũ dedit, nec ei tenetur actione de dolo, ſed actione ex maleficio vel quaſi maleficio: quia quando conſilium datur de maleficio, vel quaſi maleficio, ſcire debet is, cui datur, ſibi non expedire, & poteſt arbitratu ſuo conſilium non ſequi. Ergo ſibi imputet, ſi conſilium ſecutus delictũ commiſerit & exinde damnum paſſus ſit.

Reg. juris.

Petes *Secundò*, an mandans teneatur ad reſtitutionẽ damnorum, quæ mandatarius paſſus eſt occaſione executionis mandati? Ut ſi ſpolietur à latronibus dum iter cauſã mandanti aggreditur, nũ competat ſibi mandati actio ad id repetendum à mandante? Reſpondet Molina *tract. 2. de juſt. diſp. 549. n 9.* cum Bartolo & alijs, quos Sylveſter *verb. Mandatum, quæſt. 6.* refert ac ſequitur: Si occaſione mandati illa pereant, alioquin non ſimiliter peritura, atque non erant ſuperflua, ſed neceſſaria, ſeu rationabilia, ad executionem mandati, debere à mandante ſolvi mandatario, eſto coniuncta eſſent cum alijs ſuperfluis, quæ mandatarius ſimul deferebat: modò tamen, occaſione ſuperfluorum, non periiſſent neceſſaria. Conſentit *Lex, Cum duobus §. Quidam ſagariam, ff. pro ſocio.*

Molina. Bartolus. Sylveſt.

Sed contrarium alijs placet, atque idem dicendum putant de mandante ac conſulente, ob eandem rationem, in foro tamen conſcientiæ; niſi fortè mandans admiſerit culpam aliquam, ad quam præcavendam teneretur ex contractu, in admonendo mandatario de futuris periculis. Ita Bonacina *de reſtit. diſp. 1. q. 2. punct. 7. n. 18.* quem ſequitur Trullench *loco cit.* At ſi mandatarius ſit ſubditus mandantis, tunc mandans non ſolùm tenetur damnum reſtituere læſis, ſed ea quæ ſecuta ſunt mandatario ſubdito: quia quæ ſubditus facit ob præceptum Superioris, non videtur voluntariè facere, ſed coactè. Ita Angelus *verb. Reſtitutio, in principio.* & alij apud Rebellum *de obl. juſtit. lib. 2. q. 14, ſect. 3. n. 14.* Trullench *loco cit* Bonacina *loco cit. num. 17.*

Bonacina. Trullench

Angelus. Rebellus. Trullench Bonacina.

21. Quando plures tenentur in ſolidum reſtituere, poteſt dominus rei læſus cuicumque illorum remittere actionem, quam habet contra illum in judicio, alijs manentibus ſine gratia, ſicut etiam poteſt in judicio unum ex illis, quem voluerit convenire, & totum ab eo exigere. Ratio eſt; quia quando ſunt plures debitores, qui tenentur in ſolidum, libera electio penes creditorem eſt, ut exigat à quo voluerit debitum, alijs dimiſſis, quo ad hoc ut ei reſpondeant in judicio. Quando autem læſus remittit debitum principali, tunc ceteri ſunt etiam in conſcientia liberi ab omni reſtitutione: quia cùm ille principalis ſit primò & per ſe ad reſtitutionem obligatus, ita ut eo reſtituente reliqui ſint liberi, idem eſt remittere illi, ac remittere omnibus; ſiquidem alij minùs principales ſolùm tenebantur in defectum ipſius principalis; qua obligatione expirante per condonationem à læſo factam, ceſſat omnis obligatio. Si enim principali ſolvente formaliter, ceteri ſunt à reſtitutione liberi, ita etiamſi principali remiſſum ſit debitum, ceteri debitores acceſſorij immunes ſunt. Quando verò iniuſtè læſus remittit debitum alicui ex minùs principalibus, qui ſolùm in alterius defectum reſtituere tenentur, non ideò liberatur principalis à reſtitutione facienda ipſi ſpoliato. Ratio eſt; quia obligatio principalis auctoris, non pendet ab obligatione minùs principalis, ſed è contrà: quò fit, ut uno ex minùs principalibus ſolvente, teneatur ei principalis ex integro; ſublato enim acceſſorio, jure naturali non ſtatim auferetur principale. Denique quando plures ſunt æquè principales, aut æquè minùs principales, ſi uni perfecta fiat remiſſio, non ideò ceteri ſunt liberi à ſuarum partium reſtitutione: quia obligatio unius non pendet ab altero, ſed omnes æquè mediatè, vel immediatè ſe habent ad damnum. Ita Cajetanus *2. 2. quæſt. 62. art. 6.* Molina *tom. 3. de juſtit. diſp. 738* Leſſius *lib. 2 cap. 13. dub 8.* Clavis Regia *lib. 10. tract. 2. cap. 11. num. 23 & ſequent.* Arragon *2. 2. quæſt. 62. artic. 7.* Salon *ibidem controverſ. 9.* & alij.

Cajetanus Molina. Leſſius. Clav. Reg Arragon. Salon.

Sed rogabis, quando tres, v. g Petrus, Franciſcus & Antonius intulerunt damnum 300. aureorum, & Antonio fit remiſſio, quantum quiſque debeat, ſi id, quod ſupereſt, in ſolidum ſit compenſandũ? Reſpondeo Petrum & Franciſcum debere ſuas partes, nempe utrumque ſeorſim 100. Quod ſi Petrus nolit reſtituere, vel non poſſit, Franciſcus non tenebitur ad totam portionem Petri, ſed ſolùm ad dimidiam, nempe ad 50. unde in univerſum ut reſtitutionẽ faciat, non tenebitur niſi ad 150. non autem ad 200. vel 300. Ratio eſt; quia læſus nec potuit, nec debuit remittere obligationẽ Antonio in præjudicium Petri & Franciſci: ergo ſi remiſit, conſe-

Digitized by Google

conſequenter Petrus, vel Franciſcus non tenetur reſtituere reſiduum, niſi detracta illa parte, quam ſolvere debebat Antonius. Proinde dum Antonio fit remiſſio, triplex remiſſio ei fieri intelligēda eſt. *Primò*, eius patris, quam deberet, ceteris conſpirātibus ad reſtitutionem, nempe 100. aureorum. *Secundò* partis, quam deberet, uno recuſante reſtitutionem, nempe 150. Si enim Franciſcus noluiſſet reſtituere, tunc Petrus cum Antonio debuiſſet reſtituere in ſolidum, collatis utriumque 150. *Tertiò* totius, quod debuiſſet ſolvere, utroque ſocio ſolutionem recuſante, nempe 300. Ita Sotus *lib.4.de juſt.q.7 art.3.* Cajetanus 2.2.q.62.*art.6.* Arragon *ibidem, art.7.* Medina *Cod.de reb.reſtituend.q.8.* Barthol.à Fauſto *in ſpeculo, diſp.4.q.105.* & alij.

Sotus. Cajetanus Arragon. Medina. Fauſtus.

22. Certum eſt apud omnes, quod quando multi obligantur ad reſtitutionem non in ſolidum, ſed per partes, uno ſuam partem reſtituente, ceteri ſimiliter ſuam refundere tenentur. Ratio eſt; quia cùm eodē modo ad damnum ſint cooperati, æqualiter tenentur ad eius reparationem, ac proinde æquis partibus. Similiter quando plures tenentur in ſolidum, & unus illorum totum damnū integrè reſtituit, alij non tenentur ad reſtituendum quicquam ei qui paſſus eſt damnum: quia is jam habet totum, quod debet habere. Unde quando dicitur multos obligari in ſolidum, non eſt ſenſus, quòd omnes teneantur totum reddere complexivè, ſeu copulativè, ſed diviſivè in defectu aliorum, qui principaliter ad reſtitutionem obligantur. Item eſt certum quod ſi is qui accepit totam prædam, reſtituit, ſive ſit præcipuus, ſive inductus ab alijs, tunc ceteri, neque ipſi, neque vero domino tenentur aliquid refundere, quia jam domino in integrum ad æqualitatem eſt ſatisfactum; & qui rem accepit, reſtitutione facta, nihil in ſuis bonis habet minus, quàm habere debet, cùm totum quod reſtituit ſit alienum. Et in his omnes Doctores conveniunt. Covar. *in reg.peccatum, p.2 §.12.n.3.&.4.* P. Navarra *lib.3.de reſtit.c.4.p.1.dub.8.n.84.&.85.* Salon 2.2.*q.62.art.7 controv.8.* D. Thomas 2.2.*q.62.art.7.ad ſecundum*, Ioan. Medina C. *de reb. reſtituend.q.8.dub.2.* Sotus *lib.4.de juſtit.q.7.art.3.ad ſecundum* & alij communiter.

Covar. P.Navar. D.Thom. Medina. Sotus.

23. Difficultas eſt, an ſocij criminis pro rata reſtituere teneantur ei, qui primis ex eis totum damnum domino reſtituit? Reſpondeo & dico *Primò*, quod ſi ille, qui domino damnum reſtituit, fuit præcipuus tanquam Dux alios ad iniquitatē movens, ſocij ab omni reſtitutione deobligantur. Probatur, quia ſocii nullam habent obligationem reſtitutionis in ordine ad dominum, quia eſt ei ſatisfactum; nec in ordine ad illum qui reſtituit, quia nihil ab eo acceperunt, ut ſupponitur. Tum quia præcipuus in crimine tenetur ſocios indemnes ſervare, quia eſt cauſa efficax damni reſpectu aliorum. Ita Caietanus 2.2.*q.62.art.6* Arragon, Bañez *ibidem, art.7.* Covarruvias *in reg.peccatum, §.12.num.4.*

Cajetan. Arragon. Bañez. Covar.

Secundò, ſi principalis in crimine, qui nihil de præda accepit, reſtituat vero domino, qui rem illam accepit, tenetur ei in integrum reſtituere: quia ille qui reſtituit, acquiſivit jus quod habebat dominus exigendi à ſingulis partem, & ita tenetur qui prædam accepit ei reſtituere, ſicut & vero domino.

Tertiò, ſi is, qui domino totum damnum reſtituit, non accepit totam prędam, ſed res accepta inter omnes æqualiter diviſa ſit, ſive res illa modò apud eos extet, ſive conſumpta ſit, tunc uno reſtituente in totum, ceteri tenentur ei pro rata reſtituere, ſive is qui reſtituit ſit præcipuus, ſive non. Ratio eſt, tum quia unuſquiſque ratione rei acceptæ eſt principalis: tum quia ille qui reſtituit verò domino pro omnibus, ſuccedit in locum prioris creditoris ſpoliati, eiuſque perſonam repræſentat; quia aliàs eſſet prioris conditionis, quàm alij, cùm tamen fuerit melioris conſcientiæ.

Quartò, ſi res accepta apud unum ſolum extet, aut in ſuum uſum conſumpta ſit mala fide, tunc ipſe totum reſtituere tenetur: quia ad id tenetur ratione rei acceptæ, & ratione iniuſtæ acceptionis, alij verò ſolùm ratione iniquæ acceptionis, unde is primo reſtituere obligatur. Si tamen ipſe reſtituere nolit, aut non poſſit, tunc ſecundo loco tenetur poſt ipſum, qui fuit cauſa principalis qualis eſt mandans, & qui per ſeipſum ut cauſa Phyſica, & naturalis damnum totum ſolus intulit. Quod ſi is neque reſtituat, reliqui contribuere tenentur totum damnum, quia unuſquiſque illorū qui in damnum illud concurrerunt, ſemper tenetur reſtituere damnum in ſolidum, in caſu, quo aliunde non ſit domino facta integra reſtitutio.

Quintò, quando plures æqualiter concurrunt ex mutuo conſenſu ad dandum damnum, ſi unus in integrum reſtituat vero domino, tenentur alij pro rata reſtituere, quantum ex præda perceperunt. Ratio eſt; quia hic in locum domini ſucceſſit & in jus, quod habebat dominus in ſingulos. Unde ſicut æqualiter debuiſſent ſolvere, ita tenebuntur ſuas portiones ei refundere, qui jus domini in ſe tranſtulit loco aliorum ſolvendo. Idem dicendum eſt, etiamſi ex damno illato nihil commodi alicui acceſſerit: ſi enim unus totum damnum reſtituat, alij pro rata eidem reſtituere tenentur ex juſtitia; quia omnes communi conſenſu, cauſæ æquales fuerunt damni. Ita Petrus Navarra *loco cit. num.91.96.& 104.* Clavis Regia *lib.10.tract.2.cap.12.n.18.& ſeqq.* Barthol.à S.Fauſto *in ſpeculo, q.102.* Sylvius 2.2.*q.62.art.7.quæſt.1.&* 2. Leſſius *lib.2. cap.13.dub.5.& 7.*

P.Navar. Clav.Reg. Fauſtus. Sylvius. Leſſius.

24. Quidam volunt eum, qui ſine damno ſuo, aut periculo poteſt clamando, vel reprehendendo impedire damnum proximi, & non impedit, teneri ad reſtitutionem, etiamſi ſola lege charitatis, & non ex officio obligetur: quia talis omiſſio eſt cauſa indirecta damni in proximum ſecuti: ergo ad reſtitutionem obligat. Idem dicendum putant de eo, qui poteſt verbo damnum proximi impedire & non impedit, quia illum odit. Sed in contrarium eſt communis Doctorum ſententia. Et quidem in primo caſu certum eſt quòd obligatio charitatis non inducat obligationem reſtituendi quando violatur, ſed ſolùm obligatio juſtitiæ; alioquin is, qui eſt cauſa indirecta mortis alicujus, non dando ei eleēmoſynam, ſicut ex charitate obligatur, teneretur poſtea ad reſtitutionem: quod eſt omninò falſum, ut ex communi docent D. Thomas 2.2.*quæſt.62.art.7.* Arragon *ibid.* & Sylvius *de mutuo.* Navarrus *cap.17.n.18.&* 136. Sylveſter *v. Reſtitutio 3.q.6.* Trullench *in Decalog.lib.7. cap.13.dub.3.num.2.* & alij.

D.Thom. Arragon. Sylveſt. Navarrus. Sylvius. Trull.

Nec his obſtat ratio in contrarium adducta, & quod habetur *in cap. Sicut dignum, §. Illi etiam, de homicid. voluntar.* ubi Alexander III ait: *Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit.* Hæc enim ſolùm probant talem non impedientem damnum cùm poſſit, reum eſſe furti, vel homicidij coram Deo ratione violatæ charitatis; ſed non obligatur hominibus reſtituere, quia non peccat contra juſtitiam, quæ ſola violata ad reſtitutionem obligat.

Alex. III.

In ſecundo autem caſu dicendum eſt, quod odiū vel animi malevolentia, quamvis augeat malitiam peccati, non tamen obligationem reſtitutionis

tionis inducit; quia efficaciter ad damnũ proximi non concurrit, cùm ſolùm in animo tale deſideriũ maneat: tũ quia odium juſtitiæ non repugnat, ſed charitati, cujus violatio ad reſtitutionem non obligat. Proinde ut omittens dicatur contra juſtitiam peccare, tria concurrere debent: *Primum*, ut ex juſtitia obligatus ſit loqui, obſtare, vel manifeſtare. *Secundum*, ut reipſa non impedierit damnum, quod proinde ſecutum eſt. *Tertium*, ut rationabiliter potuerit impedire. In moralibus enim is qui poteſt ac debet malum impedire, cenſetur cauſa illius ſi ipſo non impediente evenerit. Ita Sylvius *loco cit.* Medina C. *de reſtit. quæſt.* 9. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt* 6. *punct.* 3. Molina *tom.* 3. *diſp.* 735. Bonacina *de reſtitut. diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 11. *n.* 2. & alij communiter apud ipſum.

Sylvius. Medina. Valentia. Molina. Bonacina.

25. Dubium eſt, an qui clamare volentem contra fures, ut impediat damnũ proximi, inducit ad tacẽdum, teneatur ad reſtitutionem? Quidam ſuſtinent teneri ad reſtitutionẽ eum, qui inducit paratum illud damnum impedire, non autem teneri eum, qui tacet; quia is, qui impedit, injuſtè agit cõtra eum, cujus bona ſurripiuntur. Ita Navarrus *in Man. c.* 17. *n.* 140 Medina *C. de reb. reſtituend. q.* 9. Azorius *part.* 3. *lib.* 4. *cap.* 15. *q.* 3. Sed verius eſt, neque eum qui tacet, neque eum qui inducit, teneri ad reſtitutionem. Non primus; quia non tenetur ex officio, ac proinde lege juſtitiæ hujuſmodi damnum impedire, ut ſupponimus. Non etiam ſecundus; quia quandoquidem is qui tacet non tenetur ex juſtitia clamare, nec is qui inducit ne clamet, contra juſtitiam peccabit. Ita P. Navarra *lib.* 3. *de reſtit. cap.* 4 *part.* 1. *dub.* 10. *num.* 136. Clav. Regia *lib.* 10. *tr.* 2. *cap.* 13. *n.* 4. Trullench *in Decal. lib.* 7. *c.* 13. *dub.* 3. *n.* 2. Leſſius *lib.* 2. *c.* 13. *num.* 66. & alij.

Navarrus. Medina. Azorius. P. Navar. Clav. Reg Trull. Leſſius.

Sententia autem Navarri & aliorum ſuſtineri poteſt, & eſt vera, quando is qui diſſuaſit, aut is qui diſſuaſus eſt, tenebatur ex juſtitia & ex officio damnum proximi impedire; & etiam quando is qui diſſuaſit mendacibus verbis & fraude fecit alterum tacere: tunc enim is qui damnum paſſus eſt, patitur involuntarium & injuſtum, & etiam qui impeditus eſt, ne clamaret, ac proinde ad reſtitutionem tenetur. Ratio eſt; quia qui per talia media, quæ ſunt contra juſtitiam, eſt cauſa, quòd proximus privatur bono, quod alter vult ei conferre, tenetur ad reſtitutionem faciendam illius damni conſecuti ex injuſtitia, quam ab altero paſſus eſt, ut tradunt Doctores citati, quibus addo Rebellum *de oblig. juſt. lib.* 2. *quæſt.* 14. *ſect.* 8. Bonacinam *de reſtit. diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 11. *num.* 3.

Rebellus. Bonacina.

26. Difficultas eſt, an judex non rectè judicando, teneatur ſolvere pœnam, ad quam per juſtam ſententiam reus fuiſſet condemnatus? Reſpond. ſi poſt latam ſententiam juſtam & promulgatam, judex pœnam pecuniariam fiſco, vel parti læſæ jam debitam à reo remittat injuſtè, tenetur eam reſtituere iſdem, quibus erat applicanda. Ratio eſt; quia fiſcus vel pars læſa poſt ſententiam jam habet jus acquiſitum ad talem pœnam & eſt verus dominus illius: ergo ſi ſibi non reddatur, fit ei injuria, & ex conſequenti qui illam infert, committit furtum & ad reſtitutionem tenetur. Ita Trullench *in Decal. lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 3. *num.* 9. Fauſtus *in ſpeculo confeſſar. diſt.* 4. *quæſt.* 120. *num.* 3. Salon 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. Clavis Regia *lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 14. *num.* 13. & alij.

Trullench Fauſtus. Salon. Clav. Reg

Non conveniunt tamen Doctores, quando judex per iniquitatem non fert ſententiam, nec condemnat reum ad ſolvendas pœnas in lege impoſitas, & quas ſolvere debet, an ipſe ad illarum reſtitutionem teneatur parti læſæ. Quidam affirmant teneri. Ratio illorum eſt; quia cùm judex ſit cuſtos juſtitiæ, reddere debet unicuique jus ſuum: ergo omittens ferre ſententiam, ex qua pœnę illę applicandæ eſſent fiſco, vel accuſatori, aut parti læſę, agit contra juſtitiam commutativam, & conſequenter pœnam illam, ſeu potius damnum pecuniarum, fiſco, aut accuſatori, aut parti læſę reſtituere tenetur, nimirum impenſas, & alia hujuſmodi. Ita Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 7. Salon 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 7. *contra verſ.* 5. Sylveſter *verb. Pœna, quæſt.* 28. & ſentire videtur D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 67. *art.* 4. *ad* 3. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 11. *punct.* 4. & alij. Et ſecundùm hanc ſententiam falluntur, qui volunt judicem non teneri has pœnas ſolvere antequam per aliam ſententiam condemnetur. Ratio eſt, quia non eſt pœna reſpectu illius, ſed debitum ex damno dato, & bono impedito fiſco, vel accuſatori, vel parti læſæ, & ita tenetur illam judex ſolvere etiam non condemnatus; quia ad debita contracta ſolvenda, neceſſaria non eſt, nec expectanda judicis ſententia. Nihilominus ſententia aſſerens judicem non teneri ad reſtitutionem (licet peccet mortaliter) qui per iniquitatem juxta acta & probata non condemnat reum ad ſolvendam pœnam, qua ſecundùm leges mulctandus eſſet, eſt ſatis probabilis. Ratio eſt; tum quia Judex non tenetur ex officio & lege juſtitiæ ferre juſtam ſententiam contra reum, ut fiſcus vel pars læſa mulctis ditetur, ſed ſolùm ut damna impediantur: quoniam leges pœnales non ſunt factæ, ut Princeps vel Reſpublica ex pœnis locupleretur, ſed ut leges ſerventur: tum quia fiſcus vel pars, cui pœna illa à lege & juſta ſententia venit applicanda, non habet jus acquiſitum in illam ante delicti condemnationem: ergo donec reus criminis condemnetur, nihil ipſi fiſco vel parti læſæ de juſtitia debetur. Hanc ſuſtinent Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 6. *dub.* 2. *n* 81. Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *quæſt.* 5. *ad* 4. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 10. *n.* 73. Navarrus *in Man cap* 25. *n.* 51. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 52. *verſ. Notandum*, & alij, quibus addo Trullench *in Decal. lib.* 7. *c.* 13. *dub.* 3. *n.* 8. Ex qua inferunt, quòd nec cuſtos vectigalis non manifeſtans, nec Procurator fiſcalis non accuſans, nec judex non condemnans, tenetur ad pœnæ reſtitutionem.

Layman. Salon. Sylveſt. D. Thom. Valentia. Tanner. Azorius. Leſſius. Navarrus. Diana. Trull.

27. Qui negativè & minus principaliter ſunt cauſa damni, non tenentur illud reſtituere, niſi in defectum eorum, qui poſitivè illud damnum dederunt: unde ſi illi alii reſtituant, cuſtodes reſtituere non tenentur: ſi verò cuſtodes in illorum defectum illud reſtituant, cauſæ principales reſtituere cuſtodibus tenentur quod loco illorum reſtituerint. Ratio eſt; quia ſicut cauſa poſitiva eſt potior, magiſque influit in effectum, quàm negativa, ita etiam priorem locum obtinet in reſtituendo: tum quia cauſa poſitiva animat aliquo modo malefactorem; cauſa autem negativa minimè, ſed ſolùm non impedit: tamen ſi contingeret tranſgreſſorem, ſeu malefactorem attentâ Superiorum vel cuſtodum præteritâ negligentiâ animari, tunc cauſa negativa ad inſtar cauſæ poſitivæ & cum poſitivis, & non poſt illas ad reſtitutionem teneretur. Si verò plures negativè concurrant ad damnum, quilibet in ſolidum tenebitur, altero deficiente, aliàs vel omnes ſimul contribuendo pro rata, & æqua portione, ſi ſint plures in cauſando, vel ei qui primò ſoluit. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 13. *dub.* 11. *n.* 81. & 82 Trullench *in Decal. lib.* 7. *cap.* 13. *dub.* 5. *num.* 2. & alij.

Leſſius. Trull.

28. Inter cauſas poſitivas, ſeu perſonas quæ poſitivè concurrunt ad injuſtitiam, ſi damnifi-

catio ſit lucroſa, ita ut aliquid ablatum ſit, primò & principaliter tenetur reſtituere is, ad quem res furtiva pervenit, ſive ſit mandans, ſive conſulens, ſive conſentiens, &c. Ratio eſt; quia hic tenetur ratione rei ablatæ; quæ obligatio eſt omnium maxima: nam res aliena, quamdiu extat in ſpecie, per ſe debetur, ſemperque pro ſuo domino clamat. Ita Leſſius *lib.2.cap.13.dub.5.num.39.* Leſſius.

Si eſt conſumpta & ab eo, qui probabiliter neſciebat eſſe rem alienam, non tenetur, niſi quantum ad id, quòd factus eſt ditior. Si autem mala fide ſciens, vel dubitans eſſe rem furtivam, eam conſumpſit, ſic primo loco tenetur reſtituere; quia cùm ex ea lucrum reportaverit mala fide, perinde eſt ac ſi res conſumpta extaret & apud ſe haberet. Cùm enim ipſe ex ea re commodum ſciens & volens perceperit præ reliquis; par etiam eſt, ut præ alijs quoque veniat in onus reſtitutionis. Ita Covarruvias *in reg. Peccatum, p.2.§.12. num.3.* Bañez, Arragon, *2.2. quæſt.62. art.7.* Molina *tom.3 de juſt. diſp.737.* Ioan. Medina *C. de reſtit. q.8.* Trullench *in Decalog lib.7.cap.13.dub.5. num.3.* & alij. Covar. Bañez. Arragon. Molina. Medina. Trull.

29. Si damnificatio non ſit lucroſa, nec in ea aliquid ablatum ſit, ſed tantummodo damnum irrogatum, ut deſtructio domus, incendium, conculcatio ſegetum, occiſio, vulneratio, &c. tunc primo loco reſtituere tenetur, qui ſuo nomine fecit, vel rogavit, aut ſuaſit, ut ſuo nomine fieret; qui coëgit, vel fraude induxit, vel qui imperavit, quando hic habet vim coactivam reſpectu exequentis; ut ſunt judices reſpectu ſubditorum, dominus reſpectu famulorum, pater reſpectu filiorum, maritus reſpectu uxoris; ſi enim imperans reſpectu exequentis talem vim coactivam non habeat, tunc jubens non eſt cauſa principalior exequente, ſed contra exequens tenetur primo loco; quia tunc tale imperium, ſeu præceptum ſolùm habet vim conſilij, & non præcepti, cùm non cogat exequentem timore aliquo rationabili, ad ita injuſtè damnum inferendum. Ita Clavis Regia *lib.10. tract.2.c.12. n.13.* Vaſquez *de reſtitut.cap.9. n.52. & 56.* Leſſius *loco cit. num.41* Bonacina *de reſtitut. diſp.1. quæſt.8. punct.1. n.4.* Trullench *loco cit. n.5.* P. Navarra *de reſtit. lib.3.cap.4. num.78.* & alij. Clav. Reg. Vaſquez. Leſſius. Bonacina. Trull. P. Navar.

De alijs autem cauſis poſitivis, ſeu perſonis obligatis ad reſtitutionem & quo ordine ad id teneantur, vide dicta *to.1. verb. Reſtit. 4.§.6 n.17.*

30. Quorumdam ſententia eſt, debitorem teneri reddere alienum cum vitæ periculo, domino exiſtente in eodem periculo; quia in pari neceſſitate, præferri debet creditor: tum quia res eſt illi debita ratione contractus præcedentis, & ita ratione acceptionis. Ita Scotus *in 4.diſt.15. quæſt.2. art.4.* Navarrus *in Man. cap.17. n.60.* Molina *C. de reb. reſtit. q.3.* & alij. Scotus. Navarrus. Medina.

Contrarium tamen eſt dicendum, nempè debitorem non teneri reſtituere, ſed ſibi potiùs ſubvenire poſſe, quàm creditori, etiamſi per injuriam rem illam occupaverit. Ratio eſt; tum quia in pari caſu extremæ neceſſitatis melior eſt conditio debitoris poſſidentis, quamvis ſi vellet dare, poſſet: tum quia jus naturale conſumendi, quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad vitam, præferri debet juri civili, quo debitor ex contractu tenetur rem creditori reddere: tum quia in extrema neceſſitate diſinit res eſſe propria alicujus, & fit communis, nec tunc eſt meum, aut tuum, ſed vel primi capientis, ſi à nullo poſſideatur, vel ejus qui actu rem poſſidet, ac proinde non tenetur ſe exſpoliare, ſeque ſinere mori, ut alteri ſuccurrat. Ita D. Thomas *2.2.quæſt.31.art.3.ad 3.* Cajetanus *ibid.* & *quæſt. 62. art.5. ad 4.* Toletus *lib.5. cap.24. num.4.* Bonacina *de reſtit. diſp.1. quæſt. ultim. punct.1. num.30.* D. Thom. Cajetan. Toletus. Bonacina.

Hinc ſi ante occupavi tuum panem in ſolitudine, vel tuam tabulam in naufragio, vel equum in fuga, non teneor tibi tunc reſtituere, etiamſi ſimul in extremum periculum inciderimus. Quod ſi eodem momento à duobus res ſit occupata, vel dividendenda eſt, ſi poteſt, vel ſorte tribuenda. At ſi creditor ſubtractione illius rei conjectus eſt in illas anguſtias, teneris illi reſtituere tunc, ut ſi exiſtenti in extrema neceſſitate panem ſurripuiſti; quia tunc melior eſt conditio poſſidentis, & in pari neceſſitate potior eſt conditio creditoris, juxta regulam juris; imò ſubtrahere tunc rem qua quis extremè indiget, idem eſt ac occidere. Ita Clavis Regia *lib.10. tract.5.cap.6.n.6.* Leſſius *lib.2. c.16. dub.1.num.12. & 13.* Trullench *in Decalog. lib.7. cap.15. dub.1. num.6.* Filliucius *tract.32. num.144.* Turrianus *diſp.17. dub.1. num.18.* & alij. Clav. Reg. Leſſius. Trull. Filliucius. Turrian.

31. Quamvis juxta communiorem ſententiam Doctorum neceſſitas gravis excuſet à reſtitutione debitorem, quamdiu talis neceſſitas durat, & creditor non eſt in pari neceſſitate: nam in pari neceſſitate præter extremam, melior eſt conditio creditoris. Probabile tamen eſt, ſi debitor ſit in gravi neceſſitate ratione morbi, famis, vel nuditatis, non teneri reſtituere, etiamſi contingat creditorem in parem neceſſitatem incidere, modò debitor illum in eam non conjecerit, idque ſive ex furto debitum ſit ortum, ſive ex contractu. Ratio eſt; quia non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi, videtur eſſe melior conditio poſſidentis: tum quia probabile eſt, licitum eſſe in gravi neceſſitate clam ſurripere: ergo multò magis licitum videtur non reſtituere. Ita Leſſius *loc.cit.c.16.n.20.* Filliucius *loc.cit.n.143.* Trullench *in Decalog. lib.7. cap.15. dub.2. n.10.* Bonacina *loco cit. n.32.* Sylvius *2.2. quæſt.62. art.8. quæſt.1. concluſ.2.* Leſſius. Filliucius. Trull. Bonacina. Sylvius.

32. Reſtitutio poteſt differri ob vitandum magnum & probabile periculum ſalutis animæ ſuæ & ſuorum, ut quando periculum eſt, quod debitor facta reſtitutione, conijciat ſe in laqueũ ex impatiẽtia, vel quod filij ſeſe latrocinijs immiſceant, vel quod uxor, aut filiæ ſui copiam alijs faciant propter egeſtatem. Ratio eſt; quia quiſque magis tenetur ſaluti animę ſuę & ſuorũ conſulere, quàm debita ſolvere. Debet autem hoc periculum eſſe notabile, ita ut non ſuppetat alia commoda ratio ejus avertendi, niſi differendo reſtitutionem: tum quia ſicut differri poteſt reſtitutio ad vitandũ grave damnũ temporale; ita multò magis differri poteſt ad vitandum periculum & damnum ſpirituale ſui vel ſuorum. Ita D. Antoninus *2.p. tit.2.cap.8.* Navarrus *in Man.cap.17.n.57.* Leſſius *lib.2.c.16.n.21.* Trullench *loco cit.n.11.* Filliucius *loco cit. num.145.* & alij. D. Anton. Navarrus. Leſſius. Trull. Filliucius.

33. Per ſe loquendo nullus tenetur cum vitæ, aut famæ periculo reſtituere bona externa, licet id poſſet, ſi vellet cũ laude & merito. Ratio eſt; quia bona inferioris ordinis regulariter nõ ſunt reſtituenda cum jactura bonorum ordinis ſuperioris: bona autem externa, quæ vocantur fortunæ, ſunt inferioris ordinis, quàm vel fama vel vita: ergo non tenetur tunc reſtituere.

Ex quo infertur, eum, qui habet alienum, & nõ invenit perſonã, per quam fideliter & ſecretò reſtituat, licitè differre poſſe reſtitutionem, quouſque talẽ inveniat; & hoc propter famæ conſervationem, quę eſt bonũ altioris ordinis quàm pecunia,

nia, juxta illud Eccleſ. 41. 15. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni.* Unde Ariſtoteles 4. *Ethic. cap.* 3. affirmat honorem eſſe maximum bonorum externorum. Ita Scotus *in* 4. *diſp.* 15. *quæſt.* 2. Cajetanus, Arragon 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 8. Sylvius *ibidem, art.* 4. *quæſit.* 6. *concl.* 1. Navarrus *in man. c.* 17. *n.* 89. Trullench *in Decal. lib.* 7. *c.* 15. *dub.* 1. *num.* 14. & alij.

Ariſtot. Scotus. Cajetan. Arragon. Sylvius. Navarrus. Trull.

Ceterùm, quamvis fama ex natura ſua ſit bonum altioris ordinis, quàm bona externa, eſt tamen bonum temporale & pecuniâ æſtimabilis, & tanta poteſt eſſe res reſtituenda, ut famam debitoris longè ſuperet quoad æſtimationem; proinde per accidens poteſt contingere caſus, in quo bona externa ſint reſtituenda cum detrimento P[illegible]næ; ſi nimirum perpenſis omnibus circumſtantijs, fama debitoris non multò pluris ſit æſtimãda, quàm temporale damnum creditoris. Ex quo fit, ſi attentis circumſtantijs infamia adulteræ non eſſet valdè magna, quia nimirum eſſet alioqui fortè ſuſpecta, nec adeò illuſtris, damnum autem filiorum legitimorum inſigne, utputa Regnum, Ducatus, Principatus, &c. quod deuolueretur ad filium adulterinum, omiſſo legitimo, probabile eſt teneri adulteram, non obſtante periculo famæ vel etiam vitæ (ut volunt quidam) revelare proprium crimen ut filios legitimos ſervet indemnes. Ratio eſt; quia Regnum famæ Reginæ prævalet, quæ debet bonum proprium poſtponere communi. Ita Sotus *de juſt. lib.* 4. *q.* 6. *art.* 3. & *q.* 7. *art.* 2. Toletus *lib.* 5. *cap.* 27. *n.* 1. Valentia *tom* 3. *diſp.* 5. *q.* 6. *punct.* 2. Lopez *part.* 1 *inſtruct. cap.* 116. Sylvius 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 6. *quæſit.* 6. *concl.* 2. & 3. & *quæſit.* 7. *concl.* 5. Rodriguez *part.* 2. *Sum. Latina, cap.* 47. *concl.* 2. & alii.

Sotus. Toletus. Valentia. Lopez. Sylvius. Rodrig.

34. Debitor non liberatur ab onere ſtatim reſtituendi, qui patitur grave damnum ex eo ſolum quod ex reſtitutione ſtatim facienda ceſſat illi magnum lucrum: quia lucrum ceſſans non habet locum niſi in re propria, quæ alio tempore cariùs vendenda erat (verbi gratia, qui debet centum aureos, ſi non poteſt reſtituere, niſi domum vel prædium vendat multò minoris quàm valet, non tenetur tunc reſtituere, ſed poteſt differre, quamvis debitum procedat ex delicto, ut docet Leſſius infrà citandus cum aliis,) non autem in re aliena invito domino detenta: tum quia hoc non eſt detrimentum pati in rebus propriis, ſed non lucrari ex alieno, invito eo, ad quem ſpectat: tum quia æquitas non poſtulat, ut creditor rebus ſuis careat pro lucro debitoris. Si autem debitor hoc lucrum quærat ad ſatisfaciendum ceteris creditoribus, quibus alioquin non eſt ſolvendo, tunc charitas exigit ut creditor conſentiat in debiti dilationem, ſi commodè poſſit: quia contra rationem eſt, ut velit ſibi cum tanto aliorum creditorum incommodo reſtitui, quod dilata ſolutione poſſet vitare, & in hoc non eſt creditor rationabiliter invitus. Ita Molina *tract.* 2. *diſp.* 754. *verſ. Quando detrimentum.* Trullench *loco cit. lib.* 7. *c.* 15. *dub.* 2. *n.* 12. Navarrus *c.* 17. *n.* 59. Turrianus *diſp.* 17. *dub.* 1. *n.* 19. Bonacina *de reſtit. diſp.* 1. *q. ult. punct.* 1. *n.* 29. Sylvius 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. *quæſit.* 1. *concl.* 5. & alij apud Leſſium *lib.* 2. *c.* 16. *n.* 24. Clavem Regiam *lib.* 10. *tract.* 5. *c.* 6 *n.* 24.

Molina. Trullench Navarrus. Turrian. Bonacina. Sylvius. Leſſius. Clav. Reg

Hinc deducitur, quod quando res iniuſtè acquiſita in ſpecie extat, & debitor non extremè indiget, illam ſtatim reſtituere teneatur, etiamſi ſtatum deponere cogatur. Ratio eſt; quia tunc differri poteſt reſtitutio, quando debitor in re propria patitur damnum; at verò quando res aliena extat, ſi illam reſtituat, nullum in re propria detrimentum patitur; quia nullus ex alieno & cũ alterius damno locupletari poteſt. Proinde nobiles, qui villas, aut alienas poſſeſſiones iniuſtè detinent, ne ſtatim reſtituendo àmagnitudine ſtatus & familiæ cadant, & eorum confeſſores huius rei conſcij; ſunt in ſtatu damnationis; quia de alienis non debent tam ſplendidè vivere. Ita Angles *in* 4. *ſentent. tract. de reſtit. q.* 2. *art.* 2. *diffic.* 9. *concl.* 1. Ludov. Carbo *de reſtit. q.* 87. & 88. Summa Coronа *part.* 2. *c.* 5. *n.* 22. Clavis Regia *lib.* 10. *tract.* 5. *c.* 6. *num.* 39. & alij.

Angles. Carbo. Sum. Cor. Clav. Reg.

35. Non poteſt debitor in toto, vel in parte reſtitutionem differre, ſi reſtituendo patitur grave damnum ex eo ſolùm quòd res reſtituenda eſt magna. Ratio eſt; quia hoc non eſt pati damnum in rebus ſuis, ſed reddere alienum vero domino: reſtituit enim id, quod non eſt ſuum, ſed alienum. Aliàs enim melioris conditionis eſſent, qui multum furarentur, aut multum iniuſtè detinerent, quàm qui parum, & ſic ex maiori ſuo delicto commodum reportarent; qui quò maius furtum committerent, eò magis à reſtituendo excuſarentur. quod tanquam abſurdum non eſt dicendum. Ita Salon 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 8. Cajetanus *ibidem*, & Arragon *concl.* 1. Sotus *de juſtit. lib.* 4. *quæſt.* 7. *art.* 4. Navarrus *c.* 18. *n.* 59. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 6. *punct.* 7. Toletus *lib.* 5. *c.* 24. *n.* 4. & alij.

Salon. Cajetan. Arragon. Sotus. Navarrus Valentia. Toletus.

36. Ex communi Doctorum ſententia, quando debitor juſtè ſtatum acquiſivit, nec reſtituere poteſt ſine gravi & notabili jactura ſui ſtatus, aut rerum ſuarum, non tenetur ſtatim reſtituere, ſed poteſt reſtitutionem differre, dummodo creditor ſimilem jacturam ſtatus ex dilatione non patiatur; tenetur tamen citra notam paupertatis ſtatum minuere, ut reſtituere paulatim poſſit. Probatur prior pars, quia cùm talem ſtatum antea iuſtè acquiſiverit & poſtea ex culpa, aut ſine culpa ſua impotens factus ſit ad reſtituendum, excuſatur à reſtitutione ſtatim facienda propter impotentiã: ſicut enim impotentia ſimpliciter excuſat à reſtitutione facienda ſimpliciter, ita impotentia pro tali tempore excuſat ab obligatione ſtatim reſtituendi. Tum quia in hoc caſu creditor rationabiliter tenetur conſentire in dilationem: contra enim æquitatem & charitatem faceret, ſi vellet ſibi cum tanto alterius detrimento ſtatim ſatisfieri. Tum quia cadere à ſtatu, eſt magna infamia, & propter vitandam infamiam, licet reſtitutionem differre, creditore non egente.

Probatur ſecunda pars, quia ex ordine charitatis poteſt creditor ſibi potius in caſu dicto, quã debitori velle conſulere, & rectæ rationi repugnat, ut exiſtente æquali detrimento utriuſque, debitor conſervet ſtatum ſuum alienis bonis; is verò, qui eſt verus dominus, & cui verè debetur, cadat à ſtatu ſuo.

Tertia pars patet ex eo, quod debitor teneatur ea facere, per quæ commodè reſtituere poſſit; ſed minuendo ſtatum reiectis ſuperfluis, quæ ſunt ad ſolam pompam, & abundantiam, & retinendo ſibi neceſſaria ad ſtatus ſui decentiam, commodè poſtea poterit reſtituere: ergo id facere tenetur ut conſcientiæ ſuæ conſulat. Ita tradunt Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 62. *artic.* 6. & *in Summ. verb. Reſtitutio, cap.* 6. P. Navarra *lib.* 4. *de reſtit. cap.* 4. *dub.* 7. *n.* 42. Clavis Regia *lib.* 10. *tract.* 5 *cap.* 6. *num.* 27. & 28. Bañez, Arragon 2. 2. *quæſt* 62. *art.* 8. Barthol. à S. Fauſto *in ſpecul. confeſſar. diſp.* 4. *quæſt.* 226. *num.* 7. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 15. *dub.* 3. *num.* 3. & alij penes ipſos.

Cajetan. P. Navarr. Clav. Reg. Bañez. Arragon. Fauſtus. Trullench

Vide dicta *tom.* 1. *verb. Reſtitutio V. num* 9.

37. Quando ſtatus eſt juſtè acquiſitus, ſed conſervatur bonis omnibus alienis, ut contingere poteſt in filio uſurarij, qui bona fide hæreditatem à patre accepit; non tenetur debitor ſtatim reſtituere cum detrimento, aut notabili jactura ſuorum bonorum, ſi ſit moralis certitudo, quod in tempore opportuno reſtituet omnia ſine illo incommodo Ratio eſt; quia dominus in hoc caſu irrationabiliter eſſet invitus. Si autem tales ſint circumſtantiæ, ut niſi modò fiat reſtitutio, nunquam ſit facienda, tunc ſi res iniuſtè ablata eſt, ſtatim reſtitui debet, etiamſi magni ſumptus cum detrimento proprij ſtatus, ac rerum eſſent faciendi: quia nemo debet cum alterius detrimento ſtatum ſuum conſervare: imò ſi creditor in judicio peteret, judex ex jure Cæſareo debitorem illum compelleret ad ſolvendum, quamvis ſtatum ſuum perdere deberet. Ita Leſſius *lib 2.c.16.dub.1.n.23.* Bañez 2.2.*q.62.art.8.* Ludovicus Carbo *tract. de reſtit.quæſt 87.concl 9.* & *quæſt 88.concl.2.* Martinus Ledeſma 2.4.*q.108.art.5.*

Leſſius. Bañez. Carbo. Ledeſma.

38. Qui non tenetur cum totali jactura ſui ſtatus ſuis creditoribus ſatisfacere, debet tamen in ſumptibus ſe reſtringere, diminuendo quantum poteſt ſuum ſtatum intra limites decentiæ ſtatus, ut ſic paulatim reſtituat: unde debet parciùs vivere & minores dotes filiabus tradere; & ſi nō poteſt illas nuptui tradere nobili, tradat mercatori, & alia ſuperflua reſecet. Ratio eſt, quia nunquam caterva famulorum & equorum cum diſpendio creditorum à reſtitutione excuſat, cùm ſine ita magna familia ſtatus nobilium conſervari poſſit. Proinde debent confeſſarij eſſe diligentes ad diſcernendas cauſas prorogationis, quas reſtitutioni obnoxij ſolent ſibi fingere, & in cauſa dubij debent inclinare in favorem creditoris. Ita Lopez *part.1.inſtruct confeſſ.cap.118. verſ. Hinc ſequitur, circa finem*, Leſſius *lib.2.cap.16.dub.1.n.25.* Sylveſter *v. Reſtitutio 5 quæſt.4.*

Lopez. Leſſius. Sylveſter.

39. Debitor excuſatur à reſtitutione rei alienę, ſi in ſpecie aliena abſque dolo, aut culpa, aut ante moram perierit. Ratio eſt; quia pereunte re & nō ex culpa, aut mora debitoris, perit actio, quam creditor contra debitorem habebat. Secus autem, ſi aliquid horum interceſſit; tunc enim debitori eſt imputandus interitus & ad rei æſtimationem ſolvendam tenetur.

Si autem res, quam debitor tenetur reſtituere, eſt in genere aliena, puta pecunia, vel equus non determinatus, vel aliud hujuſmodi, non liberatur debitor à reſtitutione, etiamſi ſine ſua culpa, aut mora pereat: quia obligatio non directè & immediatè erat in re aliqua debitoris, ſed in perſona eius, licet mediatè ſit in re; ideò pereunte re, manet eiuſdem perſonæ obligatio.

Si verò res non ſit in ſpecie aliena, ſed tua, eius interitus non te excuſat: quia res domino ſuo perit, ut ſi pecunia deſtinata ſolutioni ſurripiatur. Ita Navarrus *cap.17.num.80.* Leſſius *lib.2.c.16.dub.6.* Trullench *in Decaleg.lib.7.cap.15 dub.7.* Valentia *tom.3.diſp.5.q.6 punct 7.* P. Navarra *lib.4.de reſtit. cap.1.num 13.* & alij apud Clavem Regiam *lib.10. tract.5.cap.3.num.14.*

Navarrus. Leſſius. Trullench. Valentia. P Navarr. Clav.Reg.

40. Qui juris aut judicis ſententiâ tenet aliquid non ſuum, aut alteri debitum, non ſemper tutus eſt in conſcientia, aut à reſtitutione liber; ut videre eſt in eo qui rem ſuam vendendo, emptorem citra dimidium juſti pretij defraudat; qui quidem ſecundùm leges, & in foro externo tutè retinet exceſſum juſti pretij, & tamen in conſciētia talis venditor exceſſum juſti pretij retinere non poteſt. Similiter ſententia lata ſecundùm jura & allegata & probata, ab obligatione reſtitutionis non excuſat, ſi falſæ præſumptioni, aut probationi innitatur. Tunc autem homo eſt tutus & à reſtitutione liber: *Primò*, quando res legitimo modo eſt uſucapta; in hoc enim caſu auctoritas legis transfert dominium in eum, qui uſu cepit, ut habetur *leg.3 ff. de uſucapion. Secundò*, quando judex privat aliquem re ſua iuſtè ob delictum & eam alteri applicat, tunc iuſtè damnatus privatur re ſua, eiuſdemque dominio & poſſeſſione, & rem illam bona conſcientia non amplius poſſidet, ſed alter, cui per ſententiam huiuſmodi applicata fuerit: modò ſententia nitatur veritate, nō falſa præſumptione. *Tertiò*, quando iudex auctoritatem legum & naturalem æquitatem ſecutus, aliquid alicui adiudicat, quod aliàs non deberetur ex rigore iuſtitiæ, is, qui hoc percepit, non tenetur reſtituere. *Quartò*, quando aliquis per ſententiam ordine iuris latam, priuatus eſt officio, beneficio vel hæreditate. *Is*, qui hæc poſtea obtinet, non tenetur reſtituere, etiamſi privatim ſciat condēnatū eſſe innocentem; modò ille cauſa falſæ illius ſententiæ non fuerit. Ita Leſſius *lib.2.c.16.dub.7.* qui ſe refert *ad c.29.dub.10.* Ceterùm eſt hic advertendum tunc hominem eſſe liberum à reſtitutione, iuris auctoritate utentem, quando lex non permiſſiva eſt, ſed conceſſiva, ex intento volens rē alicui applicare: tunc enim res illa in dominium tranſit eius, cui lege applicatur. Secus ſi lex tantū ſit permiſſiva, aut ſi tantùm actionem non concedat, aut repetitionem neget: quia tales leges debitorem ab onere reſtituendi non excuſant, & multa permittunt in foro exteriori, quæ ſunt illicita in foro interiori; nec ideò debemus dicere eſſe illas leges iniuſtas; quia permittunt hæc ut evitētur peiora. Ita Rodriguez *parte 2. Summ. Latina, c.49. concl.4.* De quibus vide Clavem Regiam *lib.10. tract.5.cap.8.num.20.* Valentiam *tom. 3 diſput.5. quæſt.4.punct.2.* Arragon *in 2.2.quæſt.62.art.8. cauſa 7.* Ioannem Medinam *Cod. de rebus reſtituendis quæſt.3.*

Leſſius. Rodrig. Clav Reg. Valentia. Arragon. Medina.

41. Probabile eſt Epiſcopum poſſe concedere Bullam compoſitionis ſuper bonis incertis, ſive iuſtè, ſive iniuſtè habitis pro ſua tantùm Diœceſi: quia nec iure naturali, nec humano probatur id eſſe reſervatū Summo Pontifici; iuſtè enim credi poteſt voluntatem creditorum eſſe, ut Epiſcopus conſulat conſcientiis ſubditorum incerta debentium: nec valet dicere, non eſſe id poſitum in conſuetudine; quia fortè id ex eo provenit, quod Pontifex concedit Bullam compoſitionis, quâ ſufficienter providetur in hac re conſcientiis fidelium. Unde ſi aliud conſuetudine introductum eſt, licitè poſſent Epiſcopi facere huiuſmodi compoſitiones: quia bona incerta de iure Canonico pauperibus ſunt diſtribuenda; at hoc non tollit, quin poſſint in alia opera pia ex diſpoſitione Prælatorum converti. Ita Trullench *tom.3.in Expoſit.Bulla Cruciat.lib.3.dub.1.num.3.* Henriquez *in Summ. lib.7.de indulg.cap 33 num.4.* Villalobos *tom.1.tract.29.n.11.* Ludovicus à Cruce *in expoſit. Bullæ.diſp.3.dub.2.n 4.* contra Rodriguez *§.unico, de Bulla compoſitionis, num.6.*

Trullench. Henriq. Villalob. Lud.à Cru. Rodrig.

Imò Rex, aut Reſpublica poſſet compoſitionē facere de bonis incertis licitè acquiſitis: nam iure gentiū Reſpublica ſuccedit loco domini incerti, & Rex, qui eſt caput eius, poteſt remittere iſta bona incerta ei qui ea invenit, vel cum eo compoſitionē facere. Tamen ſi bona incerta ſint iniuſtè acquiſita, non poſſunt nec ſolent Principes hanc compoſitionem facere: quia cùm hoc ad exonerationem conſcientiæ fidelium pertineat, videtur

tur accedere ad Claves Eccleſiæ, & ad poteſtatem ſpiritualem. Ita Villalobos *loco citato, num.* 10. Ludovicus à Cruce *loco cit. dub.* 3. *num.* 4. Trullench *citat. num.* 4.

Villaleb. Lud. à Cr. Trull.

Denique Generalis Cruciatæ Commiſſarius facultate ſibi à Papa in Bulla conceſſa, poteſt incertorum bonorum compoſitionem concedere, & deſignare quantitatem, pro qua ſit facienda compoſitio.

De hac Bulla compoſitionis, vide Sylveſtrum *verb. Reſtitutio* 8. *quæſt.* 8. Navarrus *cap.* 17. *n.* 93. Covarruvias *reg. Peccatum, parte tertia, §.* 1. *num.* 3. Clavem Regiam *lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 22. *&* 23. & alios.

Sylveſt. Navarrus. Covar. Clav. Reg

42. Inter creditores perſonales tantùm non habentes privilegium prælationis, pauperior præferendus eſt ditiori, quando creditor eſt ita pauper ut in eo eventu lex charitatis obliget illius indigentiam ſublevari; tunc illi priùs facienda eſt reſtitutio, quàm alteri minus pauperi. Ratio eſt, quia in tali caſu ultra obligationem iuſtitiæ, eſt alia ſpecialis lex charitatis & miſericordiæ, quæ ſuadet huic potiùs, quàm alteri ſubveniendum eſſe, tanquam imperante in hoc charitate: tum quia creditor dives meritò pati debet debitum ſuum differri, vel nunquam ſolui, ut alteri paribus habenti, in tanta afflictione conſulatur. Quòd ſi creditor magis pauper non tanta prematur inopia, non poteſt alter penitus privari, ut illi integrè ſatisfaciat; quamvis ceteris paribus plus poſſet ei ſolvi, quàm diviti, qui tale incommodum non ſentit; ſicut plus reſtituendum eſt ei, cui debentur centum, quàm cui quinquaginta, quando ſecundùm proportionem fit ſolutio. Ita Azorius *parte tertia, libro quarto, capite trigeſimo-ſexto, quæſtione tertia*, Leſſius *libro ſecundo capite decimo-quinto, dub.* 7. Valentia *tomo tertio, diſputatione quinta, quæſtione ſexta, puncto decimo*, Rebellus *parte ſecunda, de obligat. iuſtit. libro ſecundo, quæſtione decima-nona.* Non eſt tamen improbabilis ſententia Divi Tho. *opuſculo ſeptuageſimo-tertio, capite decimo-octavo* & aliorum; qui putant in univerſum creditorem pauperem eſſe præferendum debitori: quia plus læſus eſt pauper ablatione ſuorum, & plus indiget: tum quia à maiori iniuria prius recedendum eſt: Sed major iniuria eſt retinere debitum pauperioris, quàm alterius minus pauperis: ergo.

Azorius. Leſſius. Valentia. Rebellus. D. Thom.

Vide v. Advocatus *n.* 3. *&* 4. Debitor *n.* 11. 12. 13. Fructus *num.* 6. *& ſeq.* Gabella *num.* 6. Homicidium 2. *num.* 2. *& ſeq.* Horæ Canonicæ 4. Conſilium *num.* 6. Penſio *num.* 18. Pœna *numero.* 3. Reus *num.* 8. Stuprum. Teſtis *num.* 15. 16. *&* 17. Tutor *num.* 7.

RESTITVTIO IN INTEGRVM.

SUMMARIUM.

1 *Reſtitutio in integrum conceditur minori, ſi rem alicuius momenti donavit, etiam ex conſenſu tutoris.*
2 *Item ſi læſus ſit in contractu emptionis, venditionis, vel in aliquo alio contractu.*
3 *Item in petitione mutui.*
4 *Item ſi minor mulier det marito ampliorem dotem.*
5 *Si læſus eſt in ſolutione pecuniæ ſibi factæ.*
6 *Item reſtitui debet ſi hæreditatem minus lucroſam adivit, aut ſibi utilem repudiavit.*
7 *Item ſi læſus ſit ob negligentiam Tutoris, Curatoris vel Procuratoris.*
8 *Reſtitutio in integrum petitur implorando officium judicis, vel excipiendo contra eum, qui petit ſolutionem.*
9 *An minor poſſit reſtitui adverſus contractus, quos fecit intra quadriennium poſt 25. annum elapſum.*
An beneficium legis de reſtituendis minoribus in integrum, tranſeat ad hæredes.
10 *Quando minor fideiuſſorem adhibuit in aſſecurationem contractus, an maneat liber fideiuſſor, ſi minori reſtitutio in integrum concedatur.*
11 *Apud quem judicem reſtitutio in integrum de jure petenda ſit? Et an Eccleſia læſa ex contractu cum laico poſſit petere reſtitutionem in integrum coram judice Eccleſiaſtico?*
12 *Quando reſtitutio in integrum poſt elapſum quadriennij tempus, Eccleſiæ, vel Reipublicæ concedi poſſit.*
13 *An minoribus, Eccleſiæ, vel maioribus ætate, circa præſcriptionem adverſus ipſos jam completam, reſtitutio in integrum concedatur.*
14 *An in hac in integrum reſtitutione comprehendantur etiam fructus percepti.*

1. REſtitutio in integrum conceditur minoribus in ſequentibus caſibus iure civili & Cæſareo. *Primò*, ſi minor rem alicujus momenti donavit, quamvis cum Tutoris, ſeu Curatoris conſenſu, cenſetur læſus & reſtitutionem petere poteſt, præterquam ſi donaverit propter beneficia in eum collata, vel propter ſponſalitiam largitatem, pro conditione perſonarum, vel conſuetudinis Provinciæ & populi, ac gentis; tunc enim prætextu ætatis non reſtituitur, iuxta *l.* 1. *C. Si adverſus donationem, & l. Cùm is plures, §. ult. ff. de adminiſtrat. tut.*

2. *Secundò*, ſi minor læſus ſit in contractu emptionis, aut venditionis, locationis, Societatis, vel in quolibet alio contractu, reſtitui poteſt, ita ut ſi vendiderit, emerit, locaverit, vel conduxerit, reſtituatur tum adverſus ipſum contractum, ut totus ipſe reſcindatur, ſi ei non expediat contrahere; tum adverſus pretium, ſi læſus fuerit in pretio rei, quamvis non excedat dimidiam partem iuſti pretij; ut tunc reſtituatur non adverſus contractum, ſed adverſus pretium, ut illud augeatur, vel minuatur iuxta *l. In cauſa, §. Interdum, ff. de minorib. & c. Conſtitutus, de in integ. reſtitut.* & docent ibi Abbas *num. ult.* Leſſius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 9. *n.* 63. Molina *tr.* 2. *diſp.* 573. & alij.

Abbas. Leſſius. Molina.

3. *Tertiò*, ſi in petitione mutui læſus ſit, ut quia pecuniam illam amiſit, poteſt reſtitui, ita ut ſolvere non cogatur, niſi per creditorem probetur mutuum eſſe converſum in rem minoris, vel ex eo mutuo minorem factum eſſe ditiorem: quod eſt notandum pro ijs, qui minoribus dant mutuum ſine fideiuſſore, vel ſine auctoritate parentis, Tutoris, vel Curatoris. Vide *l.* 2. *C. de filio-familiàs.*

4. *Quartò*, ſi minor 25. annis mulier nubat, & det ampliorem dotem, quàm conditio mariti, vel conſuetudo Provinciæ requirat, poteſt reſtitui, *l. Si ex cauſa. §. In dotes, ff. de in. dot.*

5. *Quintò*, ſi læſus eſt in ſolutione pecuniæ ſibi factæ, poteſt reſtitui: ſi enim debitor ei ſoluit ſine authoritate tutoris vel curatoris, ſolutio ipſo iure eſt nulla. Unde debitor non manet liber, niſi pecunia ſit ſalva vel converſa in utilitatem minoris. Hoc tamen intellige in foro externo: non

enim tenetur ſponte ſolvere ſecundò: ſed poteſt expectare ſententam iudicis, quia ſolutio naturaliter valuit, *l. 2. Cod. Si adverſus ſolutionem, &* §. *At ex contrario, Inſtitut. Quibus alienare licet, iuncta gloſſa.*

6. *Sextò*, ſi læſus eſt ex quaſi contractu, ut quia hæreditatem minus lucroſam adivit, vel legatum aut hæreditatem ſibi utilem repudiavit, etiāſi cū auctoritate tutoris vel curatoris, id factum ſit, reſtitui debet, quia minor non tantùm in dāno, ſed etiam in lucro ceſſante reſtituendus eſt. *l. 1. Cod. Si minor ab hæred. ſe abſtin. & l. Ait prætor,* §. *Non ſolùm, ff. de minor.* Notandum tamen eſt, reſtitutionē eius læſionis, quæ in damno emergente conſiſtit, magis privilegiatam eſſe pleniuſque fieri, quàm ſi læſio in lucro ceſſāte cōſiſteret: Tunc enim reſtitutio non conceditur, niſi res adhuc integra ſit, v. g. hęreditas repudiata: ſecus ſi diſtracta à ſubſtituto. Idē dicendū, ſi beneficiū Eccleſiaſticū à minore rupudiatum alteri collatum fuerit. Sin verò alteri collatio nondum ſit facta, interdum reſtitui poteſt, ſi ipſi & Eccleſiæ utile fore videatur. Gloſſa *in cap. Ex parte, verb. Quamvis minor.* Abbas *ib. n. 16. de reſtitut. ſpoliator.* Molina *tr. 2. diſp. 573.* Covarruvias *lib. 1. variar. cap. 5.* & alij.

Gloſſa. Abbas. Molina. Covar.

7. *Septimò*, ſi læſus fuit ob negligentiam tutoris, curatoris vel procuratoris, non producentis v. g. in iudicio probationes neceſſarias, competit illi beneficium reſtitutionis, ut conſtat *ex l. Etiam, ff. Si tutor, vel curator &c.* Et *l. 1. & 2. Cod. Si adverſus rem iudicatam.* Et in tali caſu optio datur minori, vel agere contra tutorem procuratorem, ad intereſſe aut petere reſtitutionem in integrum. Gloſſa *in cap. 2. de in integ. reſtitut. verb. Reſtituimus, in fine.* Abbas *ibid. n. 19.* De his caſibus agunt Azorius *p. 3. l. 6. c. 14.* Layman *l. 3. ſect. 5. tr. 4. c. 11.* Leſſius *lib. 2. cap. 17. n. 63.* & alij ſuprà citati.

Gloſſa. Abbas. Azorius. Layman. Leſſius.

8. Reſtitutio in integrum dupliciter poteſt peti: *Primo*, implorando officium iudicis, citata parte, ut quando ſolutio facta eſt, vel res ab altero poſſidetur. *Secundò*, excipiendo contra eum, qui petit ſolutionem, vel rem tradi, ſe læſum eo contractu vel actu fuiſſe. Hæc exceptio ſemper durat, quamdiu ſolutio facta non eſt: poſt ſolutionem autem, opus eſt ſententia iudicis, ut recuperetur; nec licita eſt occulta compenſatio. Anton. Gomez *tom. 2. cap. 14. num. 8.* Leſſius *loco citato num. 68.* Proinde minor petens reſtitutionem in integrum, nihil aliud debet probare quàm ſe minorem eſſe, & læſum fuiſſe, *l. Ait Prætor,* §. *Non ſolùm, ff. de minoribus*, ubi habetur, *Mihi autem ſemper ſuccurrendum eſſe videtur, ſi minor ſit & ſe circumventum doceat.*

Gomez. Leſſius.

9. Quamvis minor de iure *l. ult. C. de tempor. in integr. reſtitut.* poſſit reſtitui adverſus omnes contractus, in quibus eſt læſus, antequam viginti quinque annos attigiſſet; non tamen adverſus eos contractus quos fecit intra ipſum quadriennium poſt vigeſimum quintum annum elapſum: quia in ea ætate minor non eſt, ſed maior.

Sed petes, an beneficium legis de reſtituendis minoribus in integrum tranſeat ad hæredes? Videtur quòd non, quia tale privilegium eſt perſonale: ac perſonæ privilegium cum ipſa perſona finitur & definit. *l. Quia tale, ff. de Solution. & cap. Privilegium de Reg. iur. in 6.* Nihilominus dicendum eſt, tranſire, *ex l. Non ſolùm, ff. de in integr. reſtitut.* iuncta Gloſſa *ibid.* Bartolo, Baldo & Alberico *ibidem.* quia tale privilegium non conceditur minoribus præcisè ratione perſonæ, ſed læſionis & detrimenti; quod quidem non ſolùm ipſis minoribus, ſed etiam eorū hæredibus nocet.

Reg. iuris. Gloſſa. Bartolus. Baldus. Albericus.

10. Quamvis minori reſtitutio in integrum concedatur, ſi tamen fideiuſſorem adhibuit in aſſecurationem contractus, non manet liber fideiuſſor, ſed tenetur loco minoris ad id, quod minori reſarcitur, aut ad intereſſe creditori. Ratio eſt, quia reſtitutio in integrum locum non habet, niſi quando contractus erat validus, & ex illo conſurrexerat obligatio, quæ eliditur ope reſtitutionis in integrum: fideiuſſor verò obligavit ſe loco minoris, ut obligatio illa firma maneret ſtareturque contractui; alioquin ipſe ſolveret loco minoris: at verò reſtitutio in integrum eſt privilegium perſonale minoris competens ei & ſucceſſoribus illius univerſalibus, loco & nomine ipſius, non verò fideiuſſori Neque item minor tenetur fideiuſſori ad id, quod loco ipſius ſolverit, actione mandati: quia ſimiliter reſtituitur in integrum adverſus eam obligationem, qua ex mandato ei tenebatur, eò quòd ſimiliter ex eo mandato ſit læſus. Ita habetur *l. In cauſa, in princip. ff. de minorib. l. 2. Cod. de fideiuſſ. minor.* & affirmant communiter Doctores, ut teſtatur Antonius Gomez *tom. 2. variar. reſol. cap. 14. num. 9.*

Gomez.

11. Reſtitutio in integrum de iure *l. 2. Cod. ubi & apud quem cognitio in integrum reſtitut. &c.* petenda eſt apud iudicem eius, contra quem petitur, quaſi petens actor ſit, & is, adverſus quem petitur, reus; atque ita iuxta regulam generalem actor forum rei ſequi debeat.

Dubium autem eſt, ſi Eccleſia ſe læſam inveniat ex contractu celebrato cum laico, an petere poſſit reſtitutionem in integrum coram iudice Eccleſiaſtico, an verò ſolùm coram iudice ſæculari laico, ſequendo forum rei? Reſp. ex communi ſententia, Eccleſiam petere tunc poſſe reſtitutionem in integrum, etiam coram iudice Eccleſiaſtico proprio Eccleſiæ, quæ illud petit, idq; eſſe privilegium peculiare Eccleſiæ: & eodem modo poſſe agere coram iudice Eccleſiaſtico de nullitate contractus cum laico ab ea celebrati, ut ſuadet *c. 1. de in integrum reſtitut.* & multo apertiùs probat *cap. penult. de rebus Eccleſ. non alienand.* ubi cùm monaſterium quoddam enormiter eſſet læſum ex contractu cum laico, reſtitui præcipitur in integrum per iudicem Eccleſiaſticum. Ita docent Panormitanus *in c. 1. de in integr. reſtit. n. 18.* Innocentius *in cap. Cùm ſit generale, de foro competent.* Covarruvias *lib. 1. variar. c. 4. n. 2.* Sed hoc privilegium non extendendum ad bona perſonarum Eccleſiaſticarum, neque ad contractus quos perſonæ Eccleſiaſticæ de bonis ad ſe pertinentibus celebraverint: in eis enim contractibus, ſi minores ſint, ac reſtitutionem in integrum petant, forum rei ſequi debent, ut notat Covarruvias *loco citato.*

Panorm. Innocent. Covar.

Covar.

12. Reſtitutio in integrum poſt elapſum quadriennij tempus, Eccleſiæ vel Reip. conceditur, ſi læſio valdè enormis ſit. Quæ autem cenſenda ſit læſio enormis, ſtando iniure communi, iudicis prudentis arbitrio relinquitur diffiniendum, & fortè ſufficiet ea, quæ non pertingat ad læſionem ultra dimidium iuſti valoris. Ita Covarruvias *libro 1. variar. cap. 3. num. 11.* Gloſſa & Abbas *in cap. 1. de in integr. reſtitut. num. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 17. num. 66.* Molina *tract. 2. diſputatione 574. num. 3.*

Covar. Gloſſa. Abbas. Leſſius. Molina.

Deinde eadem reſtitutio conceditur, ſi inculpata ignorantia, aliúdve iuſtum impedimentum obſtitit, quominus intra quadriennium reſtitutio peteretur, quia legitimè impedito non currit tempus iure definitum. Puta, ſi prælatus, qui læſit Eccleſiam, contractum nomine Eccleſiæ celebrando,

Digitized by Google

brando, vixit toto eo quadriennio, quo restitu-
Glossa. tio erat facienda. Proinde Glossa *in capite primo, de in integr. restit. in sexto*, ait, quòd quadriennium non currit durante vita Prælati, qui malè administravit, fuitque causa lætionis: sed eius successor poterit petere restitutionem post mortem prædecessoris intra quatuor annos: nam *delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.* ut dicit regul. septuagesima-sexta, *de*
Reg. Iur's. *Regul. iuris in sexto.*

Quod autem hoc beneficium restitutionis interdum ob iustam causam etiam reip. concedi possit, Ratio est; quia favor publicus, qui causa est restituendi communitatem, semper manet. Et exinde discrimen affert Abbas *in cap. Ex literis, numero undecimo, de in integrum restitut.* & in cap. *Tum ex literis, numero duodecimo, eodem titul.* in-
Abbas. ter restitutionem, quæ fit minori, Ecclesiæ vel Reip. & eam, quæ fit maiori nato; quòd ad illam sufficit intervenisse lætionem gravem: minori enim læso propter ætatis imbecillitatem; Ecclesiæ autem ac Reip. propter publicum favorem. Ad restituendum autem maiorem natu, propter lætionem, requiritur causa iusta, ob quam Iudex, præsertim supremus, æquum esse arbitretur succurrere, iuxta *l. 1. Quibus ex causis majores &c.*

13. Minoribus restitutio datur in integrum circa præscriptionem adversus ipsos iam completam, etiamsi illa sit triginta aut plurium annorum, & esto nulla intervenerit eorum ignorantia neque impedimentum ad illam interrumpendum. Et hoc privilegium solùm conceditur quadriennio post impletum 25. annum suæ ætatis, hoc est, usque ad 29. expletum, *l. unic. Cod. si adverf. usucap.* & *l. ult. Codice de temporibus in integr. restitut.*

Hoc ipsum beneficium simili modo habet Ecclesia quadriennio tantùm post impletam adversus eam præscriptionem, etiamsi illa sit 40. aut 100. annorum, ut habet communis Doctorum
Panorm. sententia, quam latè refert Panorm. *in cap. 1. de*
Covar. *præscript. à num. 9.* & Covarruvias *ad reg. Possessor. part. 3. §. ult. num. 4.*

Maioribus ætate conceditur etiam restitutio in integrum in præscriptione 10. & 20. annorum; modò tamen probent cum iusta & probabili ignorantia sua, aut omnino sine sua negligentia præscriptionem fuisse peractam, *l. 1. §. final. ff.*
Panorm. *Ex quibus causis majorit.* Panorm. & Felinus *in cap.*
Felinus. *Vigilanti, de præscript.* Covar. *loco cit. n. 1.* Habent
Covar. & hi quatuor annos postquam sciverint completam præscriptionem. Sylvester *verb. Præscriptio*
Sylvest. *1. quæst. 14.* & alij.

In iure autem variæ iustæ causæ huius concessionis commemorantur, *l. 1. ff. ex quibus causis majores*, & post recensitas nonnullas addit Iurisconsultus: *Item si qua alia iusta mihi causa esse videbitur, in integrum restituam.* Hinc Doctores, quoties causam aliquam iudicant iustam, ut restitutio in integrum adversus præscriptionem concedatur, & causa illa non est de numero earum, quæ expressæ sunt in iure, dicere consueverunt, ex ea causa petendam concedendamque esse restitutionem, ob clausulam generalem, si qua iusta causa esse vide-
Molina. bitur. De his Molina *tract. 2. disp. 80.* Lessius
Lessius. *de iustit. lib. 2. cap. 6. dub. 18.*

4. Quando conceditur restitutio in integrum minori, Ecclesiæ & Reipub. si res contractu gratuito sit alienata, possunt repeti etiam fructus ex ea percepti; deductis tamen expensis, quæ in illis colligendis sunt factæ: quia non tantùm censetur tunc minor &c. esse læsus alienatione rei, sed etiam fructuum. Sed difficultas est, si sit alienata contractu oneroso, ut si prædium sit venditum. Quidam enim affirmant restituendam esse rem cum fructibus ex ea perceptis, & probant *ex l. Quòd si minor, §. Restitutio, ff. de minoribus.* Ita Co- Covar.
varruvias *lib. 1. variar. cap. 3. num. 1.* cuius sententiam approbat, approbatamque fuisse à Lusitano senatu refert Gama *decis. 212.* & alij multi- Gama.

Verius tamen est, in foro conscientiæ non posse repeti fructus, si res iusto pretio fuit vendita. Ratio est, quia in alienatione horum fructuum non censetur fuisse læsus: nam sicut emptor ex re, quam accepit, fructus percepit, ita potuit venditor ex pretio lucrum facere; quod si non fecit, sug negligentiæ assignet. Si autem infra iustum pretium res vendita fuit, repeti potest per hoc remedium restitutionis ea fructuum pars, quæ respondet rei, quatenus res excedit pretium datum. Ratio est, quia venditor non solùm in rei venditione, sed etiam in hac portione fructuum, censetur læsus. Ita Molina *tract. 2. disp. 575.* Lessius *l. 2.* Molina,
cap. 17. dub. 10. Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap.* Lessius.
11. in fine. Et hæc addita sufficiant de restitutione Layman.
in integrum Theologo morali; cetera ad forum externum pertinent.

Vide verb. Probatio *num.* 8. Professio *num.* 16. Votum 2. *num.* 9. Filius *num.* 11. & 12.

RESTRICTIO MENTALIS.

SUMMARIUM.

1 *An licitum sit mutare nomen proprium & uti æquivocatione, amphibologia & restrictione mentali, aut occultare veritatem, quando adest rationabilis causa.*

2 *Quando licitus sit usus æquivocationis amphibologiæ & restrictionis mentalis, secundùm Maldonatum & alios.*

3 *An oratio, quæ secundùm se falsa est sine restrictione mentali, possit esse vera, appositâ tali restrictione pura, ita ut externo signo neque implicitè, neque explicitè talis restrictio denotetur?* Refertur duplex sententia.

4 *An non solùm ex vi virtutis simplicitatis & veritatis teneamur non uti restrictione mentali dum loquimur, sed etiam ex vi virtutis charitatis erga proximum, si ex ea notabile damnum illi sequatur.*

5 *An ratione officij Magistri & Doctores teneantur in docendo non uti restrictionibus mentalibus non usitatis, ex quibus discipuli possint haurire errorem contra fidem aut licentiam peccandi, &c.*

6 *An in contractibus licitum sit uti restrictione mentali aut oratione mixta quando versatur circa substantiam contractus? Et quid si huiusmodi contractibus iuramentum adhibeatur.*

7 *An licitum sit iudicium interrogare reum, aut examinare testes, utendo restrictione mentali omnino occulta, aut æquivocatione vel amphibologia prorsus inusitata.*

8 *Quando reus iniustè occultos socios detexit, aut testis iniustè crimen rei occultum coram iudice prodidit, an possint & teneantur reus & testis se offerre coram iudice & iurare illos non fecisse id delictum.*

1. EX sacra Scriptura manifestè constat licitum esse & non indecens naturæ intelle-

ſtuali mutare nomen proprium,& uti æquivocatione,amphibologia & reſtrictione mentali, aut occultare veritatem, quando ad hoc faciendum ſubeſt rationabilis cauſa,& iuſta excuſatio,etiamſi ſciatur per talem occultationem decipiendum fore interrogantem. Probari poteſt per illud Marci 13. ubi Chriſtus diſcipulis interrogantibus quando futurus eſſet dies iudicij generalis, quando venturus eſt iudicare vivos & mortuos, reſpondit: *De die illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque filius.* Ubi ſi non liceret uti aliqua æquivocatione,aut amphibologia correcta,Chriſtus mentitus aut ignorans eſſet: at neutrum illi competere poteſt, cùm ſit plenus gratia & veritate: ideò autem non eſt mentitus, quia verè dicebat quòd ſolus Pater, hoc eſt, Deus id ſcit ex intrinſeca ſcientia divina; Chriſtus autem etſi id etiam ut homo ſciret, tamen non ex vi ſcientiæ à natura humana provenientis, ſed à divina infuſione. Et ita hunc locum intelligunt ferè omnes Eccleſiæ Patres, cum D. Thoma 3. *parte, quæſtione* 10. *articulo* 2. ubi omnes ejus commentatores. D.Thom.

Adduci poteſt illud Tobiæ cap. 5. ubi Raphael Angelus dixit ſeniori Tobiæ: *Ego ſum Azarias Magni Ananiæ filius.* ubi non ſolùm nomen proprium tacuit,ſed aliud diverſum appoſuit, ut ſe occulteret uſque ad opportunum tempus ſeipſum manifeſtandi. Et ſic licita eſt nominum mutatio, quando adeſt licita cauſa mutationis, quamvis ex ea mutatione futura ſit interrogantis deceptio. Vide Malderum *Tract. de reſtrict. mental. abuſu c.* 12. *ſect.* 1. Malderus.

2. Ut licitus ſit uſus æquivocationis, amphibologiæ & reſtrictionis mentalis, notanda ſunt, quæ nobis ſcripta reliquit ſapientiſſimus & Reverendiſſimus Malderus in dicto libello *loco citato ſect.* 2. ubi ait: Nota ſecundò, quando ratio iuſta id poſtulat,licet uti verbis ſenſu non intellecto ab audiente, & ſi inde futurum ſit,ut ipſe erret; atque ita licebit uti verbis amphibologicis, etiam in ſenſu minus obvio:abeſt enim mendacium, ut ſuppono:aliud enim incommodum non incurrit præter nudum errorem circa ſenſum verborum; alioquin ſi audiens ex illo errore incommoda incurrat, vel alicui tertio alia incommoda eveniant, oportebit prudenti iudicio ponderare, an ratio,quæ eſt pro amphibologiæ uſu, præponderet iſtis incommodis. Malderus.

Nota tertiò,eodem modo quo de amphibologico ſermone ſumus locuti, etiam iudicare nos poſſe de reſtrictione mentali, quando ea aliquo modo verbis exterioribus propter circumſtantias ſignificatur. Quod facilius fit quando interroganti reſpondemus;poſſum enim ſenſum interrogationis eo modo accipere ab ipſo,quando exorbitans non ſit, quomodo accipi interrogatio ab ipſo interrogante debebat; verbi gratia, ſi inquirat de aliquo quod ſecretum eſſe debet, poteſt ei reſpondere quaſi neſciat,quia debebat non ulteriùs inquiri, quàm quatenus revelari poteſt; verbi gratia cùm ſis Legatus Regis interrogatus ab illo Principe,ad quem miſſus es,An Rex cogitet inferre bellum tali provinciæ,reſpondebis rectè te neſcire,etiamſi ſcias;quia interrogans debebat exigere ſcientiam hujus ſecreti,cum ea reſtrictione,ſi dicere id tibi liceat,& quia nemo præſumitur peccare, meritò præſumis non alio ſenſu te eſſe interrogatum;dicens ergo te neſcire,eo ſcilicet modo ut liceat dicere, ſatisfacis importunæ interrogationi, eius exorbitantiam quodammodo reducens ad modum debitum; quando enim reſtrictio mentalis aliquo modo in verbis indicatur, dum hîc & nunc, & tali occaſione & cum eiuſmodi circumſtantijs proferuntur,non eſt maior in ejus uſu difficultas, quàm in caſu amphibologici ſermonis;eoque modo poſſùt Dei & Chriſti Domini,ac Sanctorum verba accipi,quæ ſubintellecto aliquo videntur indigere,ut verificẽtur.

Si ergo ratio ſubſit ſic loquendi, & abſit omne incommodum, aut contra incommoda ratio tua præponderet,licebit tibi uti reſtrictione, aut ſubintellectione mentali; falſitas enim & mendacij deformitas ceſſat, quia etiam iſti mentis cõceptui, qui rei reſpondet, verba reſpondent in quodã ſuo ſenſu. Ubi obſervo differẽtiã inter caſum,quo locum habet reſtrictio ſic ut debeat dicere,& illum quo locum habeat reſtrictio ſic ut poſſit dicere; prior locũ habet, quando indebitè actu exercito interrogaris antequã debitã exigit reſponſionem, ut de uſurpante officiũ iudicis;alter tamẽ ſemper locum habet,quando nõ potes dicere quod interrogaris;qui enim petit à te reſponſum,cùm nemo præſumatur malus,aut malè agere, meritò cenſetur petere reſponſum poſſibile, ſalva lege divina, aut naturali ac æterna; meminiſſe tamen oportet ſemper ſitius eſſe quando id fieri commodè poteſt,ſilẽtio,aut alio diverticulo evadere,quàm tali verborũ artificio,ut quàm perfectiſſimè abſtineamus ab omni ſpecie. Ita Sapientiſſimus Antiſtes.

Hunc modum utendi æquivocatione & reſtrictione mentali approbant Suarez *tom.* 2. *de relig. tr.* 5. *lib.* 3. *c.* 11. Cajet. 2. 2. *q.* 89. *a.* 7. Sylvius *ibid. quæſt.* 3. *concl.* 5. Navarrus *ad cap. Humanæ aures* 22. *q.* 5. Sanchez *lib.* 3. *moral. c.* 6. *n.* 15. *&* 16. Clavis Reg. *lib.* 12. *c.* 17. *n.* 26. Bonacina *to.* 2. *diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 12. *n.* 3. & alij communiter apud ipſos citati,& in hoc omnes Doctores conveniunt. Suarez. Cajetanus Sylvius. Navarrus. Sanchez. Clav.Reg. Bonacina.

3. Punctum difficultatis & controverſiæ conſiſtit,utrum oratio,quæ ſecundùm ſe falſa eſt ſine reſtrictione mentali, poſſit eſſe vera appoſita tali reſtrictione mentali pura, ita ut externo ſigno neque implicitè, neque explicitè, talis reſtrictio denotetur,& ſic à mendacio & cordis duplicitate ſit libera? Affirmant plurimi,& probant *primò* ex D. Gregorio *lib.* 26. *moral.* & refertur *in cap. Humanæ aures* 22. *quæſt.* 5. ibi: *Humana aures verba noſtra talia iudicant, qualia foris ſonant: Divina verò iudicia talia eſſe audiunt, qualia ex intimis referuntur.* Sentit ergo veritatem, aut falſitatem verborum non ex verbis externis tantùm ſpectanda; ſed ex proferentis intentione. D.Greg.

Secundò, quia verba ſunt ſigna & notæ paſſionum animæ & conceptuum mentis; ergo ad ipſorum veritatem ſufficit quòd menti meæ reſpondeant, & etiamſi non reſpondeant menti interrogantis; non enim tenemur interroganti totam noſtram mentem aperire, ſed poſſumus ei unam ſolam partem explicare & aliam reticere, quod fit in reſtrictione mentali: quamvis enim hæc reticentia adſit, non tamen ipſam locutionem falſam efficit: ſiquidem loquens non intendit, illud quod ſolitariè ſumptum eſt falſum ſolitariè affirmare, ſed ſolùm ut eſt coniunctum verbis tacitè & mentaliter intellectis, quibus iunctis oratio illa efficitur mixta & abſolutè vera.

Tertiò, mendacium non conſiſtit in falſitate in mente interrogantis impreſſa, aliàs non liceret uti verbis ex ſe ambiguis: nec conſiſtit in uſurpatione verborum,quæ ex communi uſu loquendi eam amphibologiam non admittunt, ſed mendacium conſiſtit in intentione negandi eam ipſam veritatem,quam quis concipit,quod nõ contingit quando

quando quis utitur oratione mixta ex mentali reſtrictione, ſed diſparata quædam veritas ab illa quam voces deberent ſignificare, ſignificatur ſaltem inadæquatè per illa verba, etiamſi amphibologia ſit extraordinaria. Hanc ſententiam ſuſtinēt Navarrus, Valentia, Salon, Toletus, Rodriguez, Suarez, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.3.mor. cap.6.n.15.* Leſſius *lib.2.cap.42.dub.9.num.48.* & noviſſimè Lumblinus *verb.Iuramentum, num.18.* & alij penes ipſos, Diana *p.3.tract.6.reſ 30.*

Navarrus. Valentia. Salon. Toletus. Rodrig. Suarez. Sanchez. Leſſius. Lumblin. Diana.

His tamen non obſtantibus ſententia negans, quod non liceat abſolutè uti reſtrictione mentali in communibus locutionibus, ſi verba ſecundùm communem loquendi uſum talem reſtrictionem non admittant, aut ex ſua ſaltem interpretativa communi impoſitione æquivocationem, aut amphibologiam non patiantur, ut ſecurior eſt ſuſtinenda, & quoad praxim amplectenda.

D.Aug.

Probatur hoc ex ratione D. Auguſtini *lib.de mendacio, cap.* 18. quia homines, cùm conſtent anima & corpore, nequeunt ea, quæ ſunt in animo, comprehendere, niſi per ſigna corporalia; non enim homo eſt cordis alieni inſpector: ergo dum homo homini loquitur, ſigna exprimentia conceptus cordis, etiam prout ſunt in ore corporis, debent eſſe vera; nec pura mentalis reſtrictio, quæ nullo modo exteriùs ſignificatur, falſitatem ſigni poteſt corrigere, ſed in ordine ad hominem, cui diriguntur, ſemper falſa ſunt; ac per conſequens proferens volens loqui alteri verba exteriùs falſa, mentitur, quia vult falſum dicere proximo. Nam qui vult uti oratione mixta, quæ exteriùs falſa eſt, & interiùs à voluntate corrigitur mentali, duplicem habet actionem; mentis unam, quâ vult dicere verba falſa exteriùs prolata; & dum illa profert; reipſa ex vi huius voluntatis contra mentem vadit, nam verba exteriùs ſignificantia, cùm ut ſic falſa ſint, diſcordant ab illo quod eſt in mēte. Alia eſt voluntatis, quâ quis vult corrigere, & limitare verba, & cùm hæc voluntas prorſus interior ſit, non poteſt corrigere falſitatem exteriorem, quę in vocibus reperitur, in quantum ſunt ſigna, quibus homines utuntur ad ſuos conceptus ſignificandos; cùm enim voluntas purè interior ſit, reſpectum ſignificationis, qui ad alios conſtantes anima & corpore refertur, eſt impoſſibile corrigere, quamvis poſſit loquens tali reſtrictione corrigere tale ſignatum in ordine ad ſeipſum.

Cajetanus Sylvius. Th.Hurt. Malderus. Rebellus. Sotus. Lopez. Cord. Ledeſma.

Hanc ſententiam tradunt Cajetanus, Sylvius *locis citatis*, Thomas Hurtado *in reſol.moral.parte ſecunda, tract.7.cap.4.§.1.& 2.* Malderus *ſuprà*, Tannerus *ſecunda ſecundæ, diſput.6.quæſt.2.dub.1. aſſert.1.* Rebellus *de obligat.juſtit.part.1.lib.4.q.10.* Sotus, Lopez, Corduba, Petrus Ledeſma, & alij.

Ad rationes autem oppoſitæ ſententiæ reſpondetur; & quidem ad primam, concedendo totum, quando intētio aliquo modo implicito & virtuali ſaltem exprimitur; verba enim ſignificant conceptum, non conceptus intentionem.

Ad ſecundam reſpōdetur, quod ut quis loquatur verum cum proximo ſuo, non ſufficit quod reſtrictione mentali corrigat verbum falſum, ſi hæc correctio proximo etiā nota nō ſit aliquo modo, aliàs verbū exterius non conveniret cum verbo interiori. Quam convenientiam debere eſſe explicuit Chriſtus quando dixit: *Sit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non.* Quæ verba explicans Innocentius III. *in c.Etſi Chriſtus, de jureiur.* ait: Etſi Chriſtus præceperit, ſecundùm Euangelicam veritatē. Sit ſermo veſter eſt, eſt, non, non, ut affirmatio, vel negatio ſicut procedit ex ore, ita procedat ex corde. Quaſi dicat Pontifex: Regula Euangelica eſt, Nō reſtringat mens, quod lingua non reſtringit, ſed utraque lingua interior & exterior ſibi ſemper conſonent, ne proximus ex mea loquela externa fallatur, & decipiatur.

Inno. III.

Ad tertiam dicendum, quod mendacium conſiſtit, quantum attinet ad propoſitum, in voluntate dicendi verba, quæ exteriùs prolata ſunt falſa, cuius voluntatis diſſonantia ad rationem non tollitur per reſtrictionem mentalem, ſicut nec voluntas faciendi eleēmoſynam aufert malitiam à voluntate furandi. Si enim mendacium ex aliquo fine bono amittit malitiā, quam corrigit bonitas finis; etiam furta, homicidia, &c. ſi fiant ex bono fine licita erunt: atqui ita idem erit, ſi licitum eſt uti reſtrictione mentali, quæ corrigat malitiam voluntatis dicendi falſum exterius, quæ eſt virtualis intentio fallendi; ſi enim hæc virtualis voluntas eſſet ſola ſine reſtrictione mentali & voluntate expreſſa fallendi, eſſet mala malitiā fallendi: ergo reſtrictio mentalis, cùm non alteret ſignificationem externam, non aufert malitiam mendacij, quæ annexa eſt illi voluntati. Pluribus rationibus adductis firmat hanc ſententiam Thomas Hurtado *loco cit.& c 5.* reſpondet ad fundamenta contrariæ ſententiæ.

Th.Hurt.

4. Non ſolùm ex vi virtutis ſimplicitatis & veracitatis, tenetur quis dum loquitur proximo ſuo ad conformandum verba ſua non ſolùm menti & intentioni propriæ, ſed etiam menti eius cui loquitur, quia unuſquiſque debet alteri id, ſine quo ſocietas humana ſervari non poteſt, cùm præcepto negativo prohibitum ſit ne utatur quis hac oratione mixta ne mentiatur & duplicis ſit cordis; tamen præter hunc titulū plures alij ſunt, quibus ad idem adſtringimur, quorum *Primus* eſt charitatis: quando enim ex errore concepto audita hac oratione mixta aliquod ſequitur notabile damnum proximo decepto, hoc tenemur ex charitate evitare. Ex quo ſequitur, quòd ſi quis interrogatus ab infideli, an eſſet Chriſtianus, & coram alijs reſtrictione mētali omnino interna uteretur, taliter quod ex locutione exteriori omnes circūſtantes adverterent illum negare fidem, peccaret contra fidei confitendæ præceptum. Ratio eſt; tum quia ex tali locutione ſubtrahitur honor debitus Deo, cùm infidelis videns & audiens hanc negationem in ſigno exteriori, judicat fidem noſtram & Religionem veram non eſſe, quia interior reſtrictio illi nullo modo eſt nota: tum quia qui profert verba externa falſa, negandō fidem, implicitè negat fidem, etiamſi interiùs eam conſervet; ſiquidem auditoribus dat occaſionem, ex qua per ſe ſequitur, ut judicent eſſe falſam fidem, quam exteriùs negat: tum quia alij fideles adſtantes idem concipiunt, & facilè avertuntur à fide, & infideles non convertuntur. Ita D. Thomas *2.2.quæſt.3.art.2.* Tannerus *diſp.1.de fide, q.7.dub.5.num 112.* Sanchez *lib.2.mor.c.8.* Conninck *de actibus ſupernatur.diſp.15.dub.2.num.9.* & *dub 5.* & alij.

D.Thom. Tanner. Sanchez. Coninck.

5. Ratione officij tenentur Magiſtri & Doctores non uti reſtrictionibus mentalibus, æquivocationibus, aut amphibologiis nō uſitatis, ex quibus diſcipuli poſſint haurire, aut errorem contra fidē, aut licentiam peccandi, aut opinionem ſcandaloſam, aut piis auribus offendiculum præbentē. Ratio eſt, quia ille, qui profert verba exteriùs falſa, ex quibus ſequitur error diſcipuli, eo ipſo quod intendit ea proferre, intendit deceptionem nocivā proximo, cui medicina reſtrictionis prorſus eſt

ig nota,

ignota, ac per consequens peccat mendacio pernicioso, quod erit mortale, si materia, in qua concipitur error, notabilis, & gravis sit. Idem dicendum de Superiore, qui restrictione mentali utitur loquens subditis, qui ex illo loquendi modo arripiunt ansam peccandi. Ideoque iste mos agendi longissimè debet esse à personis spiritualibus, & ijs qui perfectionem sequi profitentur, & omninò ab eorum conversatione qui sibi mutuo peculiariter debent sinceritatem. Ita Cajetanus 2.2.q.110. §. *in eodem, art. ult.* Malderus *tract. de restrict. mental. cap.* 12. *sect.* 2.

Cajetanus. Malderus.

6. Non est licitum in contractibus uti restrictione mentali aut oratione mixta, maximè quando versatur circa substantiam contractus: quod est verũ etiam in contractibus initis cum infidelibus in ordine ad commercium civile: nam tenemur lege justitiæ non uti oratione mixta, sed simplici vocum significatione secundùm communẽ usum; hæc enim simplicitas jure naturæ & gentium est necessaria, aliàs nihil firmum maneret inter homines. Quare si quis huiusmodi contractibus adhibeat juramentum, utens restrictione mentali, peccat mortaliter: quia adducit Deum in testem gravis deceptionis proximi: & cùm materia sit gravis, periurium mortale erit. Ex quo fit à fortiori non esse licitam mentalem restrictionem in contractu matrimonij: tum quia intentio mente retẽta, nec parti expressa nihil relevat vel operatur in humanis contractibus, *l. Cùm plures, §. locator. ff. Locati*, ubi Bartolus, Baldus & communiter Doctores. Tum quia si quis contrahens matrimoniũ cum aliqua, intendat contrahere non pro semper, sed tantùm ad unam horam aut noctem, peccabit mortaliter, & in foro externo puniri poterit, ita ut in foro conscientiæ absolvi non possit, nisi mutet animum, quia eius verba debent intelligi juxta subiectam materiam & naturam contractus, & cum matrimonium ex sua institutione perpetuum sit, perpetuum debet intelligi, & in perpetuum celebrari. Ita Lessius *l.* 2. *c.* 42. *dub.* 9. *n.* 46. Toletus *l.* 4. *c.* 21. *n.* 9. Clavis Regia *lib.* 5. *c.* 6. *n.* 12. Thomas Hurtado *in ref. mor. p.* 2. *tr.* 7 *n.* 105. *& seq.* cum alijs, & est indubitata sententia apud omnes.

Bartolus. Baldus. Lessius. Toletus. Clav. Reg. Th. Hurt.

7. Sicut non licet reo juridicè interrogato judicẽ deludere restrictionibus mentalibus & amphibologicè jurare; quia qui juridicè ad iuramentum cogitur, jam perdidit jus ad celandos mentis conceptus & ea quæ putabat secreta. Ita illicitum est judicibus, sive criminaliter, sive civiliter procedãt interrogare reum, aut examinare testes, utendo oratione mixta, cuius restrictio mentalis omninò occulta manet, aut æquivocatione vel amphibologia prorsus inusitata. Ratio est; quia judex non habet jus exuendi veritatem his fictionibus, ex quibus reo oriri potest præiudicium: unde confessio & manifestatio veritatis extorta fallacijs nõ est sufficiens ad condemnandum reum, nisi ab eo liberè & sponte fuerit ratificata. Ita tradunt Iulius Clarus *in praxi, §. final. q.* 55. Gomez *tom.* 3. *variar. c.* 12. Tannerus 2.2. *disp.* 6. *q.* 2. *dub.* 1. *n.* 37. Lessius *lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 171. Farinacius *in praxi p.* 3. *q.* 81. *n.* 278. *&* 312. & alij. Potest tamen judex uti cautelis laudabilibus & simulationibus justis, sicut fecit Salomon in judicio mulierum litigantium super unico filio, 3. *Reg. cap.* 3. *num.* 16.

Clarus. Gomez. Tanner. Lessius. Farinac.

8. Quando reus iniustè occultos socios detexit, aut testis iniustè crimen rei occultũ coram judice prodidit, si non sit sufficiens aliunde informatio ad procedendum contra eos socios, aut illum reum, possunt reus & testis ille se offerre coram judice, & jurare illos non fecisse id delictum, intelligẽdo ita ut id delictum subsit illi judicio; & falsum dixisse, intelligendo, quatenus falsum fuit id delictũ eos fecisse publicè, ita ut subesset illi judicio. Ratio est; quia cùm res sint immutatæ, sicut à principio quando jurarunt, poterant verè dicere hos non esse reos, intelligendo, publicè, & ut illi judicio subsint, de quo delicto solo interrogat judex, ut judex; ita & modò id verè dicere poterunt. Imò, si scienter detexerunt iniustè, possunt etiam dicere se mentitos esse, intelligendo de mendacio practico, quod dicitur quodcumque opus ratione dissonum: sicut iniustum criminis veri detractorem, diximus *tom.* 1. *verb. Detractio II. n.* 10. posse in restitutione famæ, dicere se mentitum esse, ac falsum dixisse, intelligendo de hoc mendacio practico. Nam necessitas reparandi damni illati est causa justum reddens harum amphibologiarum usum. Ita tenent P. Navarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 4. *p.* 3. *dub.* 5. *num.* 242. *& seqq. in nova edit.* Henriquez *lib.* 5. *de pœnit. c.* 12. *n.* 6. Rodriguez *tom.* 1. *Sum. Latinæ cap.* 253. *n.* 3. Bañez 2.2. *q.* 62. *art.* 2. *dub.* 8. & ibi Salon *controv.* 15. dicens Canum, Mantium & viros doctissimos in suis prælectionibus hoc docuisse. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 20. *n.* 110. Faustus in speculo confessar. *disp.* 21. *q.* 74. *n.* 9. *& seqq.* Clavis Regia *lib.* 11. *cap.* 4. *n.* 27. *& sequent.* P. Ledesma *tom.* 2. *Sum. tract.* 2. *c.* 7. *concl.* 3.

Navarrus. Henriq. Rodrig. Bañez. Salon. Lessius. Faustus. Clav. Reg. Ledesma.

Sed petes, an teneantur hac æquivocatione uti ut famam restituant? Resp. affirmativè, si reus ille & testis mala fide sic iniustè crimen detexerint, & id possint absque maiori notabiliter detrimento suo, & spes sit fore, ut retractatio prosit: quia cùm hac via possint licite damnũ illatum refarcire, tenentur ad id lege justitiæ. Si autem bona fide detexerint, tenentur ad hoc lege charitatis obligantis quemlibet vitare grave proximi damnum, quando absque suo detrimento potest. Ita Clavis Regia *loco cit.* & P. Ledesma, Sanchez *lib.* 3. *mor. c.* 6. *n.* 28. & alij. Quibus adde Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 21. *n.* 3.

Clav. Reg. Ledesma. Sanchez. Trullench.

Vide verb. Reus *num.* 3.

REVS.

SUMMARIUM.

1 *An reus licitè possit objicere testi falsum crimen ad dictum eius infringendum aut infirmandum, si testis falsum deponit, vel si verum, ordine tamen juris non servato.*

2 *An peccet reus contra justitiam, si accusatori notam mendacij & calumniæ imponat, quando debitum est occultum & probari non potest? Et quid si probari possit?*

3 *Quando reus non teneatur veritatem aperire, etiamsi à judice juridicè interrogetur.*

4 *Quando reo dubium est, an sit semiplena probatio, aut infamia sufficiens, aut expressa indicia, an teneatur manifestare veritatem judici interroganti?* Refertur duplex sententia.

5 *An reus Sacramentaliter sit absolvendus, quando est convictus per testes & condemnatus, si perseveret in neganda veritate?* Refertur duplex sententia.

6 *Quando reus mentitus est judici, & ab eo fuit absolutus aut punitus, aut per fugam est extra judicis potestatem, an absolvi possit à Confessario.*

7 *An reus condemnatus ad mortem & iniustè negavit crimen, teneatur publicè ante executionem sententiæ fateri veritatem, ut absolvi possit à confessario*

feſſario ? Refertur duplex ſententia.

8 *Quando reus juridicè interrogatus negat delictum, ex cujus commiſſione pœnam pecuniariam teneretur ſolvere, an teneatur ad reſtitutionem ?* Refertur duplex ſententia.

9 *Qui injuſtè in carcere detinetur & condemnatur ad mortem, ſi aliâ viâ evadere non poſſit, an poſſit occidere cuſtodem carceris.*

10 *Reus injuſtè condemnatus, ſi injuſtitia eſt manifeſta, an poſſit ſe defendere, & licitè judici reſiſtere, ſi abſit ſcandalum & perturbatio Reipublicæ ? & quid, quando reus eſt dubium prudenter de ſententiæ juſtitia.*

11 *Innocens, qui ſecundùm allegata & probata nocens eſt probatus & ad mortem condemnatus, an poſſit ſe à judice & ab ejus miniſtris per vim defendere.*

12 *Reus juſtè damnatus ad mortem quamvis poſſit fugere ut mortem evadat, an liceat ei in carcere manere & patienter mortem expectare.*

13 *Reus juſtè captus & ad mortem damnatus, qui à judice vel cuſtode dimittitur à carcere, præſtito juramento de redeundo, an teneatur redire ? & quid, quando carcer erat injurioſus ?* Refertur duplex ſententia.

14 *An reus juſtè damnatus ut fame pereat, poſſit cõmedere cibos ſibi ab aliis oblatos ? & an teneatur ſub peccato mortali ?* Refertur duplex ſententia.

15 *Damnato ad mortem ut fame pereat, omnes poſſunt ei miniſtrare potum & cibum, excepto juſtitiæ miniſtris, nullus tamen ad id obligatur.*

1. NUnquam licet reo falſum crimen obijcere teſti ad ejus dictum infringendum aut infirmandum, ſive teſtis falſum, ſive verum deponat, ſive ordinem juris ſervet, ſive non. Ratio eſt; quia obijcere alteri crimen falſum eſt mendacium pernicioſum, & intrinſecè malum, quod nulla cauſa honeſtari poteſt: ergo ex genere ſuo mortale peccatum eſt. Proinde iniquiſſimus eſt uſus ille quorumdam cauſidicorum & advocatorum, qui impingere ſolent teſtibus crimina falſa, putantes jure ſuo uti ad redimendam vexationem; ſed graviter peccant, tum propter mendacium, tum propter damnum & infamiam, quam teſti tales adferunt. Ita Salon 2.2. *q.* 70. *art.* 3. *controv.* 1. *concl.* 6. Arragon, Bañez *ibid.* Valentia *to.* 3. *diſp.* 5. *q.* 14. *punct.* 3. Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 19. *n.* 27. Trullench *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 4. *dub.* 1. Malderus *in* 2. 2. *tract.* 6. *cap.* 3. *dub.* 3. & alij.

Salon. Arragon. Bañez. Valentia. Clav. Reg. Trull. Malderus.

Nota tamen Dianam *p.* 3. *tr.* 5. *reſol.* 4. adducere ſententiam Ioannis de la Cruz *ad* 8. *præcept. Decal. q.* 3. *art.* 4. *dub.* 17. *concl.* 1. ubi ſic ait: Bañez & Ledeſma cum Orellena probabiliter ſentiunt eſſe ſolùm peccatum veniale, obijcere teſti iniquo crimen falſum ſecluſo periurio in obijciente, & teſtibus ad hoc inducendis. Et addit ipſe Diana, quod dato quod reus & teſtes in hac objectione falſa jurarent, peccarent contra charitatem & religionem, non tamen contra juſtitiam. Sic Ledeſma *in Sum. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 25 *concl.* 10.

Diana. De la Cr. Ledeſma.

Sed hæc ſententia, niſi cum grano ſalis intelligatur, prorſus abſurda eſt, & improbabilis, ut docet Thomas Hurtado *p.* 2. *reſol. moralium tract.* 6. *cap.* 8. *n.* 104. Non enim licitum eſt falſum teſtimonium imponere in re gravi, alicui ob defenſionem propriam, puta quod ſit concubinarius, aut Sodomita, aut hæreticus, aut fur; hoc enim mendacium cùm ſit in materia graviſſima, quis excuſabit à mortali contra juſtitiam? Non enim malum pro malo reddendum eſt cum mendacio: tum quia teſtem injuſtè infirmat & falſò, & conſequenter peccat contra juſtitiam teſti debitam, & ad reſtituendum tenetur, juxta ea quæ D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *articul.* 2. & Auctores communiter tradunt. Ita etiam Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 19. *num.* 34. *in fine.* Nihilominus probabile putat Diana *part.* 9. *tr.* 9. *reſol.* 43. hoc peccatum non eſſe contra juſtitiam, & adducit Cardin. Lugo & Dicaſtillum.

Th. Hurt. D. Thom. Clav. Reg. Diana.

2. Quando delictum eſt occultum, ita ut juridicè probari non poſſit, reus non peccat mortaliter contra juſtitiam, ſi accuſatori notam mendacij & calumniæ imponat. Ratio eſt; quia tunc accuſator famæ jacturam nõ patitur, cùm etiam ab aliis calumniator & mendax præſumatur, dum accuſationem interponit de crimine, quod probare non poteſt, ac proinde etiam cenſetur mentiri; quia contra mentem, ſeu contra dictamen conſcientiæ ſuę loquitur: tum quia falſum præſumitur in judicio, quod probari nequit. Si autem delictum non eſt occultũ & juridicè probari poteſt, cõtra juſtitiam peccat mortaliter reus, & tenetur ad reſtitutionem famę, dum hujuſmodi notam accuſatori imponit: tum quia reus nullum jus habet imponendi hanc notam; cùm accuſator jure ſuo vtatur & nullum mendacium accuſando committat: tum quia ex peccato cõtra juſtitiam cum damno alterius oritur obligatio reſtituendi. Ita Sylveſt. *v. Reſtitutio* 3. *q.* 3. Navarrus *in Man. cap.* 18. *n.* 49. P. Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 348. Azorius *part.* 3. *lib.* 5. *cap* 9. *quæſt* 8. *de reſtit. famæ.* Filliucius *tract.* 40. *num.* 261. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 6. & alij.

Sylveſt. Navarrus. P. Navar. Azorius. Filliucius. Leſſius.

3. Quamvis reus teneatur veritatem aperire dum ſervato juris ordine interrogatur à judice, etiamſi manifeſtata veritate damnãdus ſit ad mortem, ut habet communior ſententia D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 1. & aliorum citatorum *tom.* 1. *verb. Reus, n.* 5. hoc tamen habet locum, niſi aliter de rationabili judicis voluntate præſumatur, & niſi aliter per Epiikeiam judicetur. Quare ſi quis cum juſto moderamine, vel abſque notabili exceſſu, ſeu ſine mortali culpa ſe defendendo aliquem occidit, ſi judex quęrat de facto, non tenetur occiſor fateri ſe occidiſſe, ſed negare poteſt, etiãſi de homicidio ab ipſo commiſſo præceſſerit infamia. Ratio eſt; quia judex inquirit de occiſione criminoſa, qualis non eſt illa, quæ facta eſt ad ſui defenſionem; & ſi talis fateretur, nec poſſet probare ſe cauſâ neceſſariæ defenſionis feciſſe, ex falſa præſumptione condemnaretur homicidij. Præterea quando reus eſt reipſa innocens, ſed ſecundùm allegata & probata juridicè reperitur nocens, non teneretur reſpondere judici ſecundùm allegata & probata, ſed ſolùm ſecundùm veritatem. Probatur; quia mentiretur in re gravi: tum quia licet judex ſit Superior Rei, & ſic ſecundùm allegata & probata habeat jus interrogandi, ſed hoc debet intelligi ad cognoſcendam veritatem. Quare Epiikeia dicat quod non vult obligare reum, niſi veritatem dicat; ſi enim ſe conformet allegatis & probatis, ſequetur abſurdum, quod innocens patiatur, & ſic per Epiikeiam judicandum eſt quòd iudex non vult obligare, ut quis dicat commiſiſſe crimen quod non commiſit.

D. Thom.

Similiter qui non eſt auctor criminis, non tenetur fateri illas circumſtantias, ex quibus vehemens ſuſpicio capi poteſt ipſum commiſiſſe crimen; ideò negare poteſt v. g. hunc eſſe ſuum pugionem, quamvis reipſa ſit ſuus, aut ſe eo loci fuiſſe, quamvis ibi verè fuerit; adhibita tamen convenienti æquivocatione, aut reſtrictione mentis. Ratio horum omnium eſt; quia judex in his & ſimilibus reipſa non eſt Superior, ſed tantùm ſecundùm allegata & probata,

quæ

quæ in præſenti caſu fallacia ſunt, unde reus non tenetur ſe conformare judici interroganti de homicidio criminoſo aut de lethali furto. Ita Azorius *p.3.lib.13.c.15.dub.9.* Leſſius *lib.2.c.31.n.14.* Bañez *2.2.quæſt.69.a.2.* Reginald. *lib.24.n.38.* & 42. Th. Hurtado *part.2.tr.6.c.3 §.7.* Eman. Sà §. *De reo n.7.* & alij apud Dianam *p.3.tr.5.reſ.66.*

Azorius. Leſſius. Bañez. Reginald. Th. Hurt. Eman. Sa. Diana.

4 Quorumdam ſententia eſt, quando reo eſt dubiũ an ſit ſemiplena probatio, aut infamia ſufficiens, aut expreſſa indicia; non poſſe occultare veritatem, ſed teneri reum reſpondere judici interroganti. Ratio eſt. quia Superior eſt in poſſeſſione præcipiendi, quâ privari æquum non eſt, ob dubium jus ſubditi. At ſubditus nunquam eſt in poſſeſſione non obediendi, niſi quandò conſtat mandatum eſſe iniquum, vel probabiliter id eſſet in opinione; eſt enim de eſſentia ſubditi in poſſeſſione obediendi permanere: ergo. Ita Ioan. Sancius *in ſelect. diſp.43.n.28.* probabiliter. Sed contrarium verius eſt & probabilius, nempe non teneri reſpondere. Ratio eſt, quia unuſquiſque præſumitur bonus, quoad uſq; probetur malus. Sed quamdiu dubium eſt, an ſit jus inquirendi adverſus aliquem, tunc nec probatus eſt malus, nec iure exiſtimatur talis; nã ſola infamia & indicia ſunt quæ faciunt præſumptionem juris: ergo in dubio, & judex inquirens peccat, & teſtis ſi obſequatur, injuſtus eſt: tum quia jura favẽt reo, ſicut & poſſeſſori: ergo quoad uſque conſtiterit jus eſſe inquirendi, reus habet jus vitæ, famæ, & bonorũ ſuorum, atque adeò non licet in illum inquirere, nec teſtimonium dicere: tum quia majus periculũ eſt ſi occidatur homo contra jus, quàm ſi non obediatur Superiori. Accedit quod rarò reus tenetur ad propalandam veritatem, quando ſolùm præceſſit infamia aut indicia; quia ut iſta ſint expreſſa, & manifeſta, multæ circumſtantiæ requiruntur ſecundùm jus tam canonicum, quàm civile, ad quas omnes cõcurrere, debet conſtare reo ex proceſſu & probationibus, ita ut nullũ maneat apud ipſum dubium quod ſint manifeſta & expreſſa, & quod infamia ſit ſufficiens & per teſtes juridicè probata; unde ſequitur quod ut reus teneatur veritatem dicere, debet judex ei ſtatũ proceſſus, & quòd ipſe procedit juridicè, notificare. Ita Cajetan. *2.2.q.69.a.2.* Sotus *de juſt. lib.5.q.6.a.2.* Miranda *in Ordin. jud.q.18.a.7* Leſſius *lib.2.c.31. dub.3.n.10.* Sanchez *lib.6.moral.c.3.n.24.* Thom. Hurtado *in ſuis reſol. moral.p.2.tr.6.c.3.§.6.* & alij penes ipſos. Quibus addo Trullench *in Decalog. lib.8.c.4. dub.2. n.3. n.2.* qui bene advertit quod quando ex reſponſione nullum damnum immineat reo vel teſti, tunc reſpondere tenetur; nam in tali dubio præſumendum eſt pro Superiore.

Cajetanus. Sotus. Miranda. Leſſius. Sanchez. Th. Hurt. Trull.

5. Communis ferè & probabilis eſt ſententia aſſerẽs, reum, qui juridicè interrogatus, perſeverat in neganda veritate, non eſſe ſacramẽtaliter abſolvendũ, donec illam confiteatur; & maximè quando jam eſt convictus per teſtes, & condemnatus. Ratio eſt; quia tũc irrogat gravem injuriam judici, teſteſque tanquam iniquos infamat, commoveturque populus, & ſcandalizatur, credens à judice illũ injuſtè occidi, & falſos fuiſſe teſtes: tum quia reus juridicè interrogatus tenetur ſub mortali veritatẽ aperire: ergo contra faciens peccat mortaliter, & per conſequens ſi perſeverat, eſt in actuali peccato atque ita indignus abſolutione, ſi durante proceſſu, judicio & captura per judicis ſententiã vel per fugam aut alia via liberatus non ſit. Ita Salon *2.2.q.63.a.2.controv.10.* Clavis Regia *lib.12 c.17.n.13.* Trullench *in Decal. lib.8. c.4. dub.3.* & alij, qui bene advertunt non debere confeſſarium eſſe facilem in neganda abſolutione; ſed ſemper quantum fieri poteſt inquirat partim à Reo, partim ab advocato, qui totius proceſſus eſt conſcius, ſitnè aliquis defectus in proceſſu, tum ex parte judicis, tũ ex parte teſtium. Quod ſi omnibus penſatis, videat confeſſarius ad reſpondendum teneri, hortari eum debet, ut veritatem dicat; quod ſi fateri noluerit, abſolvere eum non poteſt: Quod ſi prudenter dubius ſit, poterit eum abſolvere; quia in dubio favendum eſt reo, ut docent auctores citati, quibus adde Malderum *in 2.2. tract.6. cap.3. dub.1. aſſert.4.*

Salon. Clav. Reg. Trull. Malderus.

His tamen non obſtantibus contrarium eſt maximè probabile, & fortè probabilius, nẽpè, reum non teneri, qui poſtquã juridicè interrogatus fuit, negavit veritatẽ, quâ manifeſtatâ condemnaretur, ſe offerre ad fatendam veritatẽ, nec teneri in conſcientia ad retractandum dictũ, non ſolùm quando iudiciũ durat, ac reus eſt ſub judicis poteſtate, ſed etiam quãdo convictus damnatus eſt ad mortẽ, ſed ſufficere, ut doleat de peccato, & ſit paratus ad reſpondendũ, ſi iterum interrogetur. Ratio eſt; quia præceptũ judicis eſt trãſiens, & ſolùm durat, dũ judex interrogat, cui ſatisfaciet dolore peccati, & propoſito illi obediendi iterũ interroganti: parti autẽ lęſę ſatisfaciet animo reſtituendi dãna. Quo in caſu nulla ſequitur infamia iudici, accuſatori, aut teſtibus, ut exiſtimat contraria ſententia; quia omnibus notiſſimũ eſt, reos inquiſitos delicta negare, imò puſillanimes & ſtulti habẽtur, ſi delicta fateantur, & præſũptio ſtat pro iudicis ſententia, *cap. Conſanguinei, & cap. Causã de rẽ judicata.* Hęc ſentẽtia eſt probabilis etiam ſtando in priori opinione; ſed probabilius erit poſſe abſolvi, abſq; eo quod veritatem aperit, etiamſi iterũ interrogetur, adhærendo opinioni aſſerenti reum non peccare mortaliter negando crimen, quamdiu ſpes eſt evadendi, in caulis quibus gravis pœna imponitur; de cuius opinionis probabilitate egimus *to.1. verb. Reus, n.4.* Hanc poſteriorem ſententiam, nempe reum non teneri ad retractandum dictum in caſu propoſito ſuſtinẽt Sanchez *lib.3. moral. cap.7. n.8. & 11.* Bonacina *tom.2. diſp.10. quæſt.3. punct.2. num.8.* Diana *part.2. tract.15. reſol.26.* & *part.3. tract.5. reſol.103.* Navarrus *in Man. cap.25. n.38.* Trullench *in Decalog. lib.8. cap.4. dub.3.n.2.* Reginaldus *lib.24. num.145.* & alii.

Sanchez. Bonacina. Diana. Trullench Reginald.

Cautus tamen debet eſſe confeſſarius in expoſtulando à reo hoc propoſitũ: nam ſi credat reum non fore iterum interrogãdum, nihil debet interrogare à reo de tali propoſito, cùm ſit difficillimũ negotium fateri proprium crimen, & ne pœnitentem exponat periculo denuò peccandi, ſed ſatis eſt, ut in genere proponat cavere in poſterum peccata; imò ſi credat fore, ut iterum interrogetur, non debet ipſum tentare interrogando de hac rę, ne coniiciat in pœnitente animum negandæ veritatis, cùm tunc non ſit in peccato mortali. Ita Sanchez *loco cit. num.9.* & Diana *part.2. tract. 15. reſol.26.* quorum doctrinam debent confeſſarii advertere, & ſic facilè abſolutionem dictis reis concedent.

Sanch z. Diana.

6. Quando reus iam à iudice abſolutus fuit, aut punitus, aut per fugã è carcere iam eſt omninò extra iudicis poteſtatẽ, tunc abſolui poteſt à confeſſario impoſita illi pro mendacio ſalutari pœnitẽtia, ſi iudici mentitus ſit; quia tunc ſolùm tenetur veritatem dicere, quando à iudice rogatur, & eſt ſub illius poteſtate. In quo tamen caſu non poteſt confeſſarius reum cogere ut ad carcerẽ redeat, aut iudicem adeat, & ſeipſum prodat; hoc enim eſſet ſeipſum occidere. Tenetur tamen eum monere,

ut

ut quotieſcumque juridicè interrogabitur, verum dicat: nam aliter non eſſet abſolvendus, juxta dicta numero præcedenti. Ita Clavis Regia *lib.* 12. *c.* 17. *n.* 14. Sanchez *loc. cit. n.* 6. Bañez 2. 2. *q.* 69. *a.* 2. *in* 2. *p. dub.* 1. *concl.* 3. & ibi Salon *controv.* 10. *concl.* 3. Villalobos *tom.* 2. *tr.* 26. *diffic.* 1. *n.* 15. & alij.

Clav. Reg. Sanchez. Bañez. Salon. Villalob.

7. Nonnulli Thomiſtæ tenent, quando reus, qui injuſtè negavit crimen, eſt convictus per duos teſtes & condemnatus ducitur ad ſupplicium, non poſſe abſolui quin verum ante executionem ſententiæ fateatur, ne populus malè de judice & teſtibus ſuſpicetur. Ita P. Ledeſma & Medina. Cæterũ, quamvis reus optimè faciat tunc confitendo veritatẽ, in rigore tamen valde probabile eſt ad id faciendum non teneri, ſed ſufficere, ut illud peccatum confeſſario confiteatur, à quo abſolvi poterit: quod intellige, niſi alioquin alicui notabile damnum ſequeretur. Ratio eſt, quia cõmuniter quando reus ſufficienter eſt convictus, parum aut nihil ſuſpicionis malæ accreſcit judici & teſtibus, ut diximus ſuprà. Ita conſuluit Navarrus *in Man. c.* 25. *n.* 38. de hac re rogatus. Et tenent Rodriguez *de ord. jud. c.* 10. *concl.* 1. & *tom.* 2. *qq. quæſt.* 19. *art.* 3. Clavis Regia *loc. cit. n.* 15. Sanchez *loc. cit. n.* 11. & alij. Hæreticus tamen qui comburitur, eò quòd negativus ſit, non eſt abſolvendus, niſi publicè crimen fateatur: & hoc ratione ſcandali, eò quòd præſumatur in hæreſi decedere & pertinax in negando: quare ſi verè reus eſt, tenetur crimen fateri, ut ſcandalum ceſſet, ut ait Sanchez.

P. Led. Medina. Navarrus. Rodrig. Clav. Reg Sanchez. Sanchez.

8. Difficultas eſt inter Doctores, quando reus juridicè interrogatus negat delictum, ex cujus commiſſione pœnam pecuniariam teneretur ſolvere, an teneatur ad reſtitutionem? Quidam volũt teneri; quia judex habet jus ad inquirendum de delicto ad dictam pœnam inferendam. Ergo ſi reus neget, injuſtè impedit judicem à dicta pœna conſequenda, ac proinde reſtituere tenetur. Ita Molina *de iuſt. tr.* 2. *diſp.* 95. *circa finem*, Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 4. caſu quo pœna illa ſit ipſo facto impoſita à lege propter criminis admiſſionem; ſecus autem ſi pœna ſit judicis arbitrio crimini imponenda. Hæc ſententia eſt probabilis. Contrarium tamen eſt verius & probabilius. Ratio eſt; quia in tali caſu reus lædit quidem juſtitiam publicam & vindicativam, non autem juſtitiam commutativam ex qua oritur obligatio reſtitutionis: ergo non tenetur reſtituere: tum quia reus negans injuſtè delictum non delinquit in commutativam juſtitiam in ordine ad eum, cui erat pœna applicanda: nec illi ullam injuriam irrogat, utpotè qui illius emolumentum non impedit directè; quia non adſtringitur ad veritatem fatendam ob utilitatem illius, cui pœna erat applicanda, ſed propter ſolam publicam juſtitiam, quæ ad criminum punitionem attendit. Judicium enim eſt inſtitutum ad hoc, & non ad ditandos aliquos ex pœnis impoſitis. Ita Vaſquez *prima ſecundæ diſp.* 175. *cap.* 12. *n.* 13. & 14. Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *quæſt.* 5. & *lib* 8. *cap.* 12. *p.* 5. Sanchez *de matr. lib.* 10. *diſp.* 8. *dum.* 14. Navarrus *in Man. cap.* 18. *n.* 49. Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 4. *quæſt* 6. *dub.* 2. *n.* 76. Diana *part.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 65. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 31. *n* 50. & alij.

Molina. Layman. Vaſquez. Azorius. Sanchez. Navarrus. Tanner. Leſſius.

9. Qui injuſtè in carcere detinetur, & condemnatur ad mortem, etiamſi aliâ viâ non poſſit evadere, non poteſt occidere carceris cuſtodem: nam bonum commune poſtulat, ut miniſtris bona fide publicum officium exercentibus, injuria aut damnum non inferatur. Si tamen cuſtos carceris ſciat evidenter in carcere illum à judice detineri injuſtè, & ad mortem damnari, tunc poteſt in carcere detentus non habens aliam viam evadendi mortem, cuſtodem carceris occidere. Ratio eſt; quia cùm hic cuſtos non bona fide munus ſuum obeat, ſed certò ſciat carceratum eſſe innocentẽ & injuſtè detineri, & ad mortem damnari; licitè poteſt occidi, ſicut poſſunt occidi ſatellites, ſeu publici miniſtri cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando injuſtè conantur interficere innocentem, vel illum capere, ut injuſtè occidatur, modò ipſis conſtet eum eſſe innocentem. Ita Trullench *in Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *dub.* 4. *n* 1. Dicaſtillus *de juſt. lib.* 2. *tr.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 2. *n.* 31. Cardin. Lugo *de juſt. to.* 1. *diſp.* 10. *ſect.* 7. *n.* 164. ubi docet quod ſi ſatellites ſcirent innocentiam rei, & vellent adhuc ſententiam judicis & capitalem pœnam exequi, poſſet captus illis reſiſtere, etiam eos occidendo. Sed in hoc caſu cuſtos carceris injuſtè detinet innocentem, ut injuſtè morti tradatur: ergo. Hanc etiam ſententiam tenent Menochius *de arbitr. caſ.* 301. *n.* 16. Maſcardus *de prob. volum.* 1. *conſil.* 266. Bonacina *de reſtit. diſp.* 2. *quæſt. ult. ſect.* 1. *punct.* 8. *n.* 7. & poſt illos Diana *p.* 8. *tr.* 7. *reſ.* 43. & alij. Qui noviſſimus vult omnia dicta eſſe ſpeculativè loquendo, ne in carcere detenti ſibi fingant injuſtè ad mortem damnari, & ideò judices in cauſa propria perpetrent homicidia in cuſtodes, & ideò Lectoribus cogitandum relinquit. Proinde Covar. *lib.* 1. *variar. c.* 2. *n.* 13. dicit hanc ſententiam eſſe dubiam & forſan veram, ubi judex tyrannicè, ex certa ſcientia, innocentem damnaret. Addit autem Trullench *in Decal. lib.* 8. *cap.* 4. *dub.* 7. *n.* 7. caſu quo ſententia hæc eſſet vera, de qua valde dubitat, modò cuſtos carceris aliquo modo ſcienter cooperaretur injuſtæ ſententiæ.

Trullench Dicaſtill. Lugo. Menoch. Maſcard. Bonacina. Diana. Covar. Trull.

10. Reus injuſtè condemnatus, ſi injuſtitia eſt manifeſta, poteſt ſe defendere, & licitè judici reſiſtere, modò id ſine ſcandalo & perturbatione Reip. facere poſſit. Ratio prioris eſt; quia judex injuſtè condemnatus, habet ſe ut iniquus invaſor. Poſterior pars patet, quia bonum commune præferendum eſt particulari, atque ita tunc patienter tenetur mortem pati; dictat enim ratio, partem non habere jus ſeſe conſervandi, cum detrimento totius. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 4. & communis. Quod ſi reus prudenter ſit dubius de ſententiæ juſtitia, & judex monitus nolit rem maturiùs conſiderare, poteſt tunc reus ſe defendere à judice, tanquam ab invaſore, ceſſante ſcandalo: tum quia in probabili dubio non tenetur reus cum proprio damno ſuo judici obedire: tum quia in dubio quod vergit in damnum rei, potior eſt ſemper ratio rei patientis, quàm judicis inferentis injuriam. Ita Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 3. *in fine*, Salon 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *controv.* 1. & alij.

D. Thom. Clav. Reg Salon.

11. Innocens, qui ſecundùm allegata & probata nocens probatus eſt, & ad mortem condemnatus, non poteſt, ſecundùm communem & veriorem opinionem, ſe à judice, nec à miniſtris juſtitiæ per vim defendere. Ratio eſt; quia judex, cùm alijs vijs tentatis, non poteſt liberare reum, poteſt illum condemnare, & per conſequens reus tenetur ei obedire: aliter enim ſi licitè reſiſtere poſſet, daretur ſcienter bellum ex utraq; parte juſtum, quod fieri non poteſt; unde ſi ille innocens condemnatus defendendo ſe, judicem, vel miniſtros per vim læderet, etiamſi de ejus innocentia poſteà conſtaret, puniretur juſtè, cùm judex jure ſuo uſus ſit eum condemnando; reſiſtens illi & vim inferens, iniuriam illi facit, & peccat. Signum ergo eſt non licere ei per vim ſe defendere: tum etiam, quia hæc ſententia non eſt ſimpliciter & abſolutè iniuſta,

ſta, ſed tantùm in foro interiori. Poſſet tamen talis licitè ſe defendere, vel fugiendo ſi poſſit, vel recipiendo ſe in locum munitum, vel eripiendo ſe è manibus miniſtrorum cum aliqua vi, ſine ſanguine tamen & vulnere. Ita Sotus *de juſtit. lib. 5. quæſt. 6. art. 4.* Arragon *2.2. quæſt. 69. art. 4.* Salon *ibidem controverſ. 1.* Clavis Regia *lib. 12. cap. 18. num. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 31. num. 29.* Rodriguez *tom. 1. Summ. Latina cap. 135. concl. 9.* Trullench *in Decal. lib. 8. cap. 4. dub. 6. num. 3.* & alij.

Sotus. Arragon. Salon. Clav. Reg. Leſſius. Rodrig. Trull.

12. Reus juſtè damnatus ad mortem quamvis poſſit fugere ut mortem evadat, licet tamen ei ibi manere & patienter mortem expectare. Ratio eſt; quia hoc non eſt cooperari immediatè ad mortem ſicut eſt à furca ſe præcipitem dare, ſed tantùm indirectè, ut ſcalam aſcendere, extendere collum carnifici, & in carcere manere, ut illius delictum in aliorum exemplum puniatur. Injuſtè autem damnatus, ſi poſſit, debet fugere; aliter enim videtur cooperari injuſtæ ſententiæ & vitam prodigere: tamen ſi hic injuſtè damnatus habeat aliquam cauſam rationi conſonam ut exercendæ alicujus virtutis, ut charitatis, vel profeſſionis fidei, aut exempli fortitudinis, vel patientiæ, ſitque hic bonus finis notabilis utilitatis, & probabiliter æſtimetur futurus, tunc licitè poteſt in carcere manere, & mortem expectare patienter; quia ſic non eſt opus illicitum, ut patet in Chriſto & Martyribus; imò quandoque manere tenetur, nec fugere poteſt ratione fidei, & ſcandali; quia ſcilicet primam tueri, ſecundum verò vitare tenetur. Ita Sanchez *in conſiljs part. 2. lib. 6. cap. 4. dub. 13. num 4.* Covarruvias *lib. 1. variar. cap. 2. num. 9.* Trullench *in Decalog. lib. 8. cap. 4. dub. 7. num. 6.* Clavis Regia *lib. 12. cap. 18. num. 14.* Emanuel Sà *verb. Iudiciales actus. §. de Reo, num. 9.* & alij.

Sanchez. Covar. Trull. Clav. Reg. Eman. Sà.

13. Reus juſtè captus & ad mortem damnatus, qui à judice, vel cuſtode dimittitur à carcere, præſtito juramento vel fide ſimplici data de redeundo, tenetur ſub perjurij vel violatæ fidei reatu ad carcerem redire, quamvis certò ſciat ſe moriturum. Ratio eſt; quia juramentum licitum obligat in conſcientia ad ſui obſervantiam, & redeundo juſtam patitur mortem, nec in hac re poteſt eſſe controverſia. Sed dubium eſt, quando carcer erat injuriosus, puta Tyranni, vel judicis incompetentis, vel competentis, ſed non procedentis ſecundùm ordinem juris, aut quando accuſatus eſt innocens, ſed ſecundùm allegata & probata cenſetur nocens & reus. Quidam exiſtimant non teneri, imò nec poſſe redire abſque peccato; quia in tali caſu redire eſt quodammodo ſeipſum occidere & vitam ſuam prodigere: hoc autem eſt illicitum; quia tenetur homo vitam ſuam conſervare: tum quia juramentum non eſt ſervandum quando vergit in deteriorem exitum, *cap. Quintavallis, de jurejurando*: & hìc vergit: ergo. Ita Navarrus *in Man. cap. 12. num. 18.* Covarruv. *lib. 1. variar. cap. 2. num. 7.* ubi citat Baldum, Ancharanum, & Majorem *in 4. diſt. 15. quæſt. 22.* Vaſquez & Reginaldus ad Bonacinam *tom. 2. diſp. 4. quæſt. 1. punct. 9. num. 2.*

Navarrus. Covar. Baldus. Anchar. Major. Vaſquez. Reginald. Bonacina.

Alij tamen putant teneri jurantem redire, etiamſi carcer ſit injuſtus & injuriosus: tum quia tunc regreſſus non eſt malus nec cauſa per ſe mali, ſed licitus & honeſtus, cùm ſit actus fortitudinis, veracitatis & fidelitatis: tum quia ſi quis violet tale juramentum, communi judicio cenſebitur perjurus & injurius in numen divinum, quod in teſtem adduxit: tum quia iſta promiſſio fuit prudens; nam abſque illa non poterat obtinere egreſſum à carcere: ergo ejus executio eſt licita: licitum enim eſt exequi, quod prudenter promittitur. Si licita: ergo ſi firmetur juramento, eſt ſervanda; niſi fortè juraverit cum limitatione mente concepta, aut niſi juramenti relaxationem obtineat, aut niſi tempore juramenti inſcius eſſet tanti periculi; nam juramentum habet hanc tacitam conditionem, niſi notabilis mutatio ſupervenìat: hìc autem ſupervenit notabilis mutatio in æſtimatione jurantis. Ita Leſſius *lib. 2. c. 42. dub. 6. n. 28.* Filliucius *tr. 25. n. 166. & ſeq.* Laymann *lib. 4. tr. 3. c. 7. n. 2.* Trullench *in Decal. lib. 2. cap. 1. dub. 12. n. 3.* Bonacina *to. 2. diſp. 4. q. 1. punct. 9 n. 2.* & alij. Utraque ſententia eſt probabilis & in praxi tuta, quamvis ſecunda videatur probabilior, & ut talem eam ſequitur Sanchez *in conſiljs p. 2. lib. 6. cap. 4. dub. 16. n. 4.* Clavis Regia *lib. 12. cap. 18. num. 27.* in fine.

Leſſius. Filliucius. Layman. Trull. Bonacina. Sanchez. Clav. Reg

14. Certum eſt apud omnes, reum damnatum juſtè ut fame pereat poſſe comedere cibos illi ab alijs ſubminiſtratos; quia talis non jubetur non comedere, ſed tãtùm pati illud genus mortis, cùm cibus illi non datur. An autem teneatur comedere cibos oblatos ſub peccato mortali? non conveniunt Doctores. Quidam enim affirmant; & probant: tum quia non comedere eſt ſeipſum occidere, quod nemini licet: tum quia tenetur homo de jure naturali vitam tueri omnibus vijs licitis & non prohibitis: ſed judex non prohibet, nec prohibere poteſt, ne quis cibum oblatum non ſumat, cùm nihil præcipere aut prohibere poſſit contra jus naturale. Ita D. Thomas *2.2. q. 69. a. 4. ad 2.* Cajetan *ibid. dub. 8.* Arragon, Bañez *ibid. dub. penult.* Victoria *de homicid. n. 28. in reſponſ. ad ſextam.* & alij probabiliter. Sed magis placet ſententia aſſerentium, licitè poſſe cibos oblatos ſumere, & licitè relinquere & fame perire. Ratio eſt; quia in non comedendo non eſt ſui occiſor, ſed ſolùm non conſervat vitam ſuam, quod licitum eſt ex honeſta cauſa: tum quia præceptum negativum, *Non occides*, quatenus negativum eſt, non frangitur niſi per actum poſitivum & poſitivè corrumpentem, qualis eſt occiſio. Non occidere autem, non eſt actus poſitivus, ſed negativus, ſcilicet non reſtaurare humidum radicale continua actione caloris naturalis deperditũ, ſeu non prohibere actionẽ caloris naturalis vitæ & humidi radicalis corruptivam, hoc eſt non fovere & non conſervare vitam: tum quia præceptum affirmativum de vita conſervanda ab illo ſolùm violatur, qui non conſervat, quando poteſt & debet, nec aliqua cauſa juſta ad illã non conſervandam adeſt. At verò in hoc caſu juſtam habet cauſam non comedẽdi, ut conformet ſe juſtæ ſententiæ, ac proinde non ſe occidit, ſed tantùm licitè permittit ex zelo juſtitiæ. Sic quamvis poſſit fugere è carcere, non tamen tenetur, ſed poteſt ibi manere, ut juſtam mortis ſententiam expectet. Ita Sotus *de juſt. lib. 5. q. 6. a. 4.* Salon *2.2. q. 69 a. 4 contr. 4. dub. ult.* Valent. *to. 3. diſp. 5. q. 13. punct. 4. poſt concl. 4* Clav. Reg. *lib. 12. c. 18 n. 28.* Trullench *in Decal. lib. 8. c. 4. dub 9. n. 1.* Sanchez *in conſil. p. 2. lib 6. c. 4. dub. 14. n. 5.* & alij.

D. Thom. Cajetanus Arragon. Bañez. Victoria. Sotus. Salon. Valentia. Clav. Reg Trull. Sanchez.

15. Damnato ad mortem ut fame pereat, omnes poſſunt ei miniſtrare potum & cibum, exceptis juſtitiæ miniſtris; nullus tamen ad id obligatur. Probatur prima pars: quia ſicut ipſemet damnatus cibos oblatos ſumere poteſt, cùm hoc ei non ſit prohibitum, ita etiam alij privati cibos ei licitè ſubminiſtrare poſſunt, cùm hoc eis non ſit prohibitum; quamvis enim alter juſtè damnatus ſit, executio tamen hujus ſententiæ non eſt cuilibet commiſſa, ſed tantùm miniſtris juſtitiæ. Alij autẽ non pec-

peccant, ſi ei ſubveniunt, contra juſtitiam, niſi eam lædant, inferendo vim miniſtris juſtitiæ, aut alio modo. Secunda pars patet, quia miniſtris juſtitiæ incumbit ex officio curare, ut juſta ſententia executione mandetur: & directè contra officium illis à Republica commiſſum ob bonum commune agunt ſubminiſtrando illi cibum. Tertia pars probatur, quia ſicut damnatus non tenetur comedere, ita neque alter tenetur ei cibum miniſtrare: quia non cenſetur eſſe in extrema neceſſitate, ut ei teneamur ſuccurrere; nam ob juſtam ſententiam amittit jus, ut ei teneamur. Ita

D. Thom. Cajetanus Trullench Clav. Reg. Eman. Sà.

D. Thomas *ſecunda ſecundæ quæſt.* 31. *artic.* 2 *ad* 3. Cajetanus *ſecunda ſecundæ quæſt.* 69. *artic.* 4. *dub.* 8. Trullench *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 4. *dub.* 9. *numero* 2. Clavis Regia *libro* 12. *capite* 18. *numero* 30. Emanuel Sà *verb. Iudiciales actus. §. de Reo, num.* 11. & alij.

Vide verb. Homicidium 1. *n.* 6. *&* 13. 17. *&* 18. Probatio *num.* 2. *&* 3. Regulares *num.* 19. *& ſeq.* Reſtrictio mentalis *num.* 7. *&* 8.

S.

SACRAMENTVM.

SUMMARIUM.

1 *Sacramenti nomen quatuor modis uſurpatur à Scriptoribus Eccleſiaſticis.*
2 *Sacramentum an ſit definibile.*
3 *Sacramentum eſt cæremonia ſignificans & efficiens ſanctitatem.*
4 *Quæ excludantur à ratione Sacramenti cæremoniæ tam in veteri quàm in nova lege.*
5 *An in ſtatu innocentiæ, vel poſt lapſum hominis inſtituta fuerint Sacramenta.*
6 *Rationes & congruentiæ afferuntur, cur Deus inſtituerit Sacramenta in ſignis & rebus ſenſibilibus, ac materialibus.*
7 *An in lege gratiæ fuerint inſtituta Sacramenta, & quare.*
8 *In Sacramentis novæ legis, an res ſe habeant ut materia, verba ut forma.*
9 *Materia & forma in Sacramentis novæ legis, an ſint partes intrinſecæ & eſſentiales.*
10 *An in caſu extremæ neceſſitatis poſſit & debeat conferri Sacramentum cum materia dubia conditione duplici appoſitâ.*
11 *Quando rationabile dubium occurrit, an per mutationem ſenſim formæ perierit, ea iteranda ſit ſub conditione.*
12 *Ad conficienda Sacramenta an ſufficiat intentio, quâ quis ſuſcepit Ordines hoc animo ut fieret Sacerdos & miniſter Eccleſiæ.*
13 *Vbinam & quamdiu maneat virtualis intentio conficiendi Sacramentum.*
14 *Qualis conſenſus, ſeu intentio & voluntas requiratur in adultis ut validè recipiant Sacramentum.*

SACRAMENTI nomen ab Eccleſiaſticis & Catholicis ſcriptoribus quatuor præcipuè modis uſurpatur. *Primò* in ſacra Scriptura ſignificat rem ſecretam, occultam & abſconditam, ad Epheſ. 1. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ.* Et Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*, id eſt ſecretum Regis. Unde Sacramentum idem eſt Latinè, quod Græcè *Myſterium*: Myſterium autem præcipuè rem ſecretam ſignificat, juxta illud Matth. 13. *Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni cœlorum.*

Secundò, Sacramentum in ſcriptura ſignificat etiam ſignum rei ſacræ, juxta illud Pauli *ad Epheſios* 5. loquens de matrimonio primorum parentum: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia*, id eſt, ſignum fuit coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ.

Tertiò, Sacramentum ſumitur pro juramento, fortè quia juramentum per rem ſacram, nempe per invocationem divini nominis fit, quare Sacramentum meritò nuncupatur; quæ ſignificatio frequentiſſima eſt in jure Canonico, & Civili, *l. Sacramenta puberum. Cod. Si adverſus vendit.* & *cap. Si Sacramenta* 22. *quæſtione quarta*, & alibi ſæpè.

Quartò, Sacramentum ſignificat cæremoniam aut rem ſacram & ſignum ſenſibile à Chriſto inſtitutum rei ſacræ ſanctificantis nos; nempe ſignum gratiæ & ſanctitatis internæ qua apud Deum ſancti reddimur. Et ſic uſurpatur ex uſu Eccleſiæ Catholicæ, Conciliorum, Sanctorum Petrum & Theologorum. De qua voce plura videri poſſunt apud Bellarminum *libro primo de Sacrament. in genere, capite octavo*, Suarez *tomo tertio, in tertiam partem quæſt. ſexageſima, in præfat.* Vaſquez *ibi quæſtione ſexageſima, capite primo.* Sylvium *ibidem* & alij.

Bellarm. Suarez. Vaſquez. Syivius.

1. Sacramentum poteſt dupliciter conſiderari: *Primò* phyſicè, ut eſt aliquid conflatum ex ente reali & rationis, nempe ex re ſenſibili & arbitraria ſignificatione, & ſic non poteſt definiri, quia non eſt unum per ſe. *Secundò*, moraliter, quatenus eſt medium quoddam ſeu inſtrumentum ad hominum ſanctificationem divinitùs inſtitutum, & ſic quodammodo eſt unum, ac definiri poteſt: quemadmodum apud morales Philoſophos regnum, civitas, familia, &c. definiuntur, quantumvis ſint aggregata quædam per accidens, ſi phyſicè conſiderentur. Sacramentum autem, quatenus eſt unum quiddam ac totum & definibile, quaſdam habet partes metaphyſicas, nempe genus & differentias; quaſdam veluti phyſicas, videlicet, materiam & formam, quibus omnis rei creatæ eſſentia circumſcribitur & continetur. Genus eſt ſignum, quaſi pars Sacramenti imperfectior, Differentia eſt, ſanctificans inſtrumentaliter per modum cæremoniæ religioſæ, quæ imperfectionem ſigni perficit & complet. Materia ſunt res quædam ſenſibiles, verbi gratia, aqua, oleum, panis, &c. Forma ſunt verba rituaria, quia res ipſa ex ſe indifferens ad multa ſignificanda, vel etiam efficienda, determinatur per verba ad unum. Hinc eſt illud D. Auguſtini tractat. 80. in Joannem, *Accedit verbum ad elementum (rem ſenſibilem) & fit Sacramentum.* Non oportet autem hîc nimis anxiè diſcutere, an tota ratio & proprietates generis, differentiæ, materiæ, formæ conveniant partibus Sacramenti, quia cùm ſit ens morale, moraliter potiùs, quàm metaphyſicè tractari debet. De quibus Suarez *in tertia parte, diſputatione* 1. *&* 2. *tomo* 3. Sylvius *tertia parte quæſt.* 60. *art.* 2. *quæſit.* 3.

D. Aug.

Suarez. Sylvius.

3. Sacramentum non incommodè definiri poteſt, ut ſit cæremonia ſignificans & efficiens ſanctitatem. Cùm enim Sacramentum ſit ens artificiale, comprehendere debet omnes partes integrantes, quemadmodum domus complectitur fundamentum, parietes & tectum: & quidem ſi per ſanctitatem intelligamus gratiam Dei & charitatem, quâ homo verè & realiter ſanctificatur,

nitio conveniet tantùm Sacramentis novæ legis. Quod ſi ſumamus ſanctitatem in genere, ut complectatur etiam ſanctitatem legalem ſeu moralem, quæ nihil aliud eſt, quàm munditia quædam eorum, qui ad cultum divinum deputabantur, tunc etiam conveniet Sacramentis antiquis, & quidem univocè. Pro quo nota Sacramenta antiqua fuiſſe per ſe ceremonias quaſdam religioſas ad cultum Dei inſtitutas, quæ ſimul ſignificarent gratiam per Chriſtum conferendam; hoc tamen diſcrimine, quod quatenus conſecrabant populum Iudaicum, fuerint verè & propriè Sacramenta; quatenus autem ſignificabant novi teſtamenti myſteria, non fuerint Sacramenta, ſed figuræ quædam & umbræ futurorum; nam, ut rectè notat D.Thomas 1.2.*quæſt.* 101 *art.* 4. *ad* 2. & *quæſt.* 102 *art.* 5. Sacramentum dicit ordinem ad eum, qui Sacramento initiatur, non ad alios: figura autem dicit ordinem ad futura. Quòd autem Sacramentum univocè prædicetur de Sacramentis veteris, & novæ legis, docent Vaſquez 3. *part. quæſt.* 60. *art.* 4 *diſp.* 128. *cap.* 5. *num.* 49. Bellarminus *de Sacram. lib.* 1. *cap.* 12. Coninck 3. *part. quæſt* 60. *art.* 4. *dub.* 2. Nugnus *ibidem*, Sylvius *ibidem art.* 2. *quæſt.* 1. & 3. Trullench *tom.* 3. *in praxi reſolut. Sacramentorum lib.* 1. *capite* 1. *dub.* 2. *numero* 5. & alij.

D.Thom. Vaſquez. Bellarm. Coninck. Nugnus. Sylvius. Trull.

4. Arca Noë, tranſitus maris rubri, manna, ſerpens æneus, fluxus aquæ de petra, & aliæ figuræ veteris teſtamenti non fuerunt Sacramentum, quia etſi veram gratiam ſignificarent; nullam tamen ſanctitatem in ſuo uſu conferebant.

Matrimonium legis veteris non fuit Sacramentum; nam ſolùm fuit ſignum rei ſacræ in ſe, non autem ſanctificantis, nec fuit ſignum demonſtrativum, ſed prognoſticum.

Sacrificium ut ſacrificium non eſt Sacramentũ, quia ut ſic non eſt ſignum rei ſacræ, ut formaliter ſacrantis, ſed ut teſtimonium divinæ excellentiæ, & ad proteſtandum Deum eſſe auctorem & Dominum rerum omnium, inſtitutum eſt. Sacramentum verò immediatè refertur ad ipſos cultores ſeu ſuſcipientes, quorum ſanctificationem ſignificat.

Imagines Chriſti & Sanctorum tum etiam Crux Domini non ſunt Sacramentum, quia tantùm ſunt ſigna ſpeculativa rei ſacræ, non verò intrinſecè ſanctificantis, qualis eſt gratia Sacramentalis.

Aqua benedicta non eſt Sacramentum; quia non eſt inſtituta ad ſignificandam perfectionem ſanctitatis humanæ, id eſt, gratiam; ſed ſolùm ut ſignificet diſpoſitionem ad illam. Nec refert per eam remitti peccata venialia; quia non remittuntur niſi ex opere operantis. Neque inde ſequitur quod ſit ſignum alicuius gratiæ; cùm non ſit à Deo inſtituta ad eam ſignificandam; & peccata venialia remitti poſſint ſine ipſius infuſione.

Prima tõſura, abſolutio ab excommunicatione, manus impoſitio ſuper catechumenos, profeſſio Religionis, benedictio Abbatis, Abbatiſſæ, conſecrationes quæ fiunt in lege nova templorũ vel altarium, &c. non ſunt Sacramentum: quia etſi hæc omnia ſint ſigna rerum ſacrarum, non tamen ſanctificant nos, nec cauſant gratiam ex opere operato, ut cauſant Sacramenta, & ob id actus virtutum non ſunt Sacramenta, quia tantùm ex opere operantis ſanctificant. De quibus videndus D.Thomas 3. *part. quæſt.* 60. *art.* 2. Coninck *ibidem art* 4. *dub.* 1. Sylvius *ibidem articulo ſecundo, quæſit.* 1. & 2. Trullench *loco citato dub.* 1. *num.* 9. *& ſequentibus.*

D.Thom. Coninck. Sylvius. Trullench

Ex quibus colligitur, ad rationem propriè Sacramenti pertinere, ut perpetuam, ſeu ſtabilem inſtitutionem, ac uſum habeat, pro ſtatu durantis Eccleſiæ. Quamobrem linguæ igneæ, quæ die Pentecoſtes apparuerunt; item inſufflatio Chriſti in Apoſtolos: verba Chriſti ad paralyticum, *Remittuntur tibi peccata tua*, licet ſigna fuerint gratiæ inviſibilis ad hominis ſanctificationem; tamen propriè Sacramenta cenſeri non debent; quia non fuerunt ſigna firma & ſtabilia ex Chriſti inſtitutione ad ſanctificandos homines.

5. In ſtatu innocentiæ, ſeu ante lapſum humani generis nulla inſtituta fuerunt Sacramenta; quia ijs neque indigebat homo, quatenus ſunt Medicinæ adverſus peccatum, à quo liber erat, neque quatenus ad animæ maiorem perfectionem ordinantur; quandoquidem Deo ritè ſubiectus, facili animi motu ipſi uniri poterat, & ſic internam perfectionem conſervare, atque augere, neque opus erat eum exteriùs corporis ſignis excitari: tum quia per juſtitiam originalem & dona ſupernaturalia, homo ſufficienter eruditus erat in via ſupernaturalium per ſcientias infuſas, nec non habebat potentias inferiores ſubditas ſuperioribus: ergo Sacramenta non erant congrua vel neceſſaria in ſtatu innocentiæ in remedium peccati, vel ad maiorem animi perfectionem. Ita D.Thomas *tertia parte, quæſtione* 61. *articulo* 2. Sylvius. Nugnus, Coninck *ibidem*, Sayrus *de Sacramentis lib.* 3. *capite* 2. *articulo* 2. Suarez *tom.* 3 *in tertiam partem diſputat.* 3 *ſectione tertia*, & alij communiter. An autem perſeverante ſtatu innocentiæ fuiſſent aliqua Sacramenta, res eſt prorſus incerta, pendens nimirum ex voluntate Dei.

D.Thom. Sylvius. Nugnus. Coninck. Sayrus. Suarez.

Poſt lapſum verò generis humani oportebat inſtitui Sacramenta, id eſt, viſibilia ſigna, quibus homo fidem ſuam proteſtaretur in Chriſtum Salvatorem venturum. Talia autem, cùm ſint ſigna rerum inviſibilium, id eſt, fidei & gratiæ, Sacramenta vocantur, ut docet D.Thomas *loco citato art.* 3. ut erant Circumciſio, Agnus Paſchalis, conſecratio Sacerdotum, & luſtrationes quædam ab immunditijs legalibus, atque expiationes à peccatis externis, de quibus D.Thomas 1.2.*q.* 102. *art.* 5.

D.Thom. D.Thom.

6. Plures rationes ſeu congruentiæ afferri poſſunt, cur Deus inſtituerit Sacramenta in ſignis & rebus ſenſibilibus, ac materialibus, quæ reduci poſſunt ad tria capita. Primum eſt ex parte Dei: tum quia ſic decuit divinam ſapientiam, quæ ex rebus ſenſibilibus, quæ fuerant cauſa ægritudinis, medicinam effecit: tum quia Deus providet unicuique rei juxta modum naturæ cuiuſque. Natura autem hominis poſtulat, ut ex ſenſibilibus ad ſpiritualia contemplanda traducatur; cùm enim homo conſtet ſenſibus, non poteſt ſtatim percipere ſpiritualia ac inviſibilia, ſed per externa ſigna ducitur ad ea cognoſcenda & contemplanda, cuiuſmodi externa ſigna ſunt Sacramenta.

Tum quia ſic decuit divinam miſericordiam, ut ſcilicet homini mutabili jam lapſo pararet remedia, quibus denuo ſi vellet recuperaret gratiam, & pœnam debitam aliqua ratione compenſaret.

Secundum caput eſt ex parte hominis ſecundùm ſe accepti; ſic enim decuit, ad moralem quandam certitudinem ſuæ juſtitiæ, quam maximè per Sacramenta aſſequitur; ſunt enim veriſſima ſigna gratiæ: quæque, niſi ponatur obex, infalli-

infallibiliſer eam operantur: tum quia cùm homo conſtet anima & corpore, non ſolùm debet interiùs credere; verum etiam exteriùs fidem profiteri per Sacramenta.

Tertium caput eſt, ex parte eiuſdem hominis, ut eſt pars & membrum univerſitatis: quia videlicet nulla religio ſine ſignis conſtat, quibus in unum omnia membra junguntur & congregantur. Aliæ congruentiæ videri poſſunt apud Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 1. ſect. 3* Sayrum *do Sacramentis lib. 1. cap. 2. quæſt. 7. art. 1.* Bellarminum *lib. 2. cap. 22.* Filliucium *tract. 1. cap. 2. quæſt. 7.*

Suarez. Sayrus. Bellarm. Filliucius.

7. De fide eſt in lege gratiæ fuiſſe inſtituta Sacramenta, ut definitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. can. 1.* & Florentino *in literis Armenorum.* Congruentiæ autem huius inſtitutionis ſunt quatuor. *Prima* ex parte Dei, quia etiam in hoc ſtatu debetur Deo cultus externus, ipſa natura id dictante: gratia autem perficit, non deſtruit naturam. *Secunda* ex parte Chriſti, qui cùm conſtet anima & corpore, etiam eius memoria ſenſibilibus rebus renovanda eſt & conſervanda inter homines. *Tertia* ex parte Eccleſiæ, quæ cùm ſit viſibilis & maximè una, maximè etiam ſacris ſignis ſenſibilibus eget, quibus copuletur. *Quarta* ex parte naturæ lapſæ, quæ per Sacramenta ſenſibilia faciliùs conſequitur remiſſionem peccatorum & gratiam. Hinc etiam præcipua quadam ratione perficitur fides, augetur ſpes & Charitas. Ita ex D. Thoma *contra gentes.* Filliucius *tract. 1. num. 46.* Trullench *tom. 3. in praxi reſolut. Sacrament. lib. 1. cap. 2. dub. 3. num. 1.*

Con. Tri. Floren. D. Thom. Filliucius. Trull.

8. In Sacramentis novæ legis res ſe habent ut materia, verba ut forma. Ita D. Thomas 3 *parte quæſt. 60 art. 6 ad 2.* & ferè antiqui Theologi: tum quia ita loquitur Concilium Florent. in inſtructione Armenorum: tum quia omnia neceſſaria ad compoſitionem ex materia & forma hîc inveniuntur: nam res ſenſibilis præcedit verbum, & cùm ex ſe ſit indeterminata, contrahitur per verbum ad certam ſignificationem: tum quia verbi ſignificatio clarior & evidentior eſt, quàm rei ſenſibilis. Ceterùm Cajetanus dicto *art. 6.* Dom. Sotus *in 4. diſtinct. 1. q. 1 art. 1. & 2.* volunt res & verba eſſe materiam Sacramenti, ſignificationem eſſe formam. Probant *Primò*, quia Sacramentum eſſentialiter eſt ſignum, & ipſius forma conſiſtit in ſignificatione, eſſentia autem verborum & rerum cum ſuis accidentibus ſubſternitur ſignificationi inſtar materiæ. *Secundò*, quia Sacramentum nihil aliud eſt, quàm verbum quoddam viſibile, ut loquitur D. Auguſtinus *contra Fauſtum:* atqui ratio formalis verbi eſt ſignificatio, materiale autem eſt id quod ſubiicitur ſignificationi. Verùm hæ ſententiæ dupliciter conciliari poſſunt: *Primò*, ſi diſtinguamus formam in diſpoſitionem & in terminum: nam ſicut in rebus naturalibus & artificialibus una forma eſt diſpoſitio ad aliam, ſic verba ſunt forma in ordine ad res, ſignificatio autem rerum & verborum eſt forma in ordine ad Sacramentum.

Cajetan. Sotus. D. Thom. Con. Flo. D. Aug.

Secundò, ſi advertamus Sacramentum neque eſſe compoſitum phyſicum, neque artificiale, ſed habere ſimilitudinem cum utroque: & quidem ſi comparetur cum compoſito artificioſo, tunc forma eius partim eſt ſignificatio, partim virtus operativa; materia verò ſunt res ipſæ & verba in quibus reſidet ſignificatio & virtus illa operativa, quemadmodum in compoſito artificioſo tota ſubſtantia dicitur materia, forma verò eſt quoddam accidens. At verò ſi conſideretur ut ſimile compoſito naturali, tunc totum verbum cum ſua ſignificatione eſt forma, & totum elementum cum ſua ſignificatione eſt materia, & ſic loquitur Concilium Florentinum, cuius loquendi modus eſt ſervandus; nam compoſitum ex re ſenſibili & ſignificatione non eſt compoſitum ex materia & forma, ſed ex ſubiecto & accidente, nec ipſa Sacramenti ſignificatio eſt ſimplex, ſed alia eſt rei ſenſibilis, alia verbi; nam illa naturalis eſt, hæc voluntaria, neque coaleſcunt in unum, niſi ut fiat totum quoddam heterogeneum, cuius unaquæque pars retinet rationem ſuam formalem. Simile aliquid cernere eſt in ipſa materia; nam aqua vel oleum, verbi gratia in Baptiſmo & Confirmatione eſt materia, ſimiliter ablutio & unctio, ſed hæc proxima materia eſt, illa remota: nam ſic habent expreſſiorem ſignificationem, ut notat Divus Thomas *loco citato articulo ſexto, ad 2.* Vide Suarez *tom. 3 diſp. 2. ſectione 1. verſ. Secundò.*

D. Thom. Suarez.

9. Materia & forma in Sacramentis ſunt partes intrinſecæ, & eſſentiales in Sacramento quolibet novæ legis. Ratio eſt, quia in quolibet toto materia & forma ſunt partes intrinſecæ & eſſentiales: Sed quodlibet Sacramentum eſt quoddam totum artificioſum morale: ergo &c. Tum etiam, quia ſuppoſita Chriſti inſtitutione Sacramenta non poſſunt confici aut eſſe, ſine rebus & verbis, ut diximus *tom. 1. verb. Sacramentum 2. num. 1.* Nam res externæ ſeu actiones ſenſibiles ſunt valde accommodatæ ad exteriorem cultum divinum, & ideò in omnibus Sacramentis tam veteribus, quàm novis adhibitæ ſunt: verba autem conferunt, ut ſignificatio ſit certior & expreſſior, qualis eſſe debet in lege gratiæ propter huius ſtatus perfectionem: & ideò conveniens fuit Sacramenta huius legis ex rebus & verbis componi. Et hæc compoſitio Sacramentorum ex rebus & verbis optimè accommodata eſt compoſitioni ex materia & forma; nam ex rebus & verbis unum Sacramentum componitur, & non omninò per accidens, ſeu per aggregationem: ergo optimè intelligitur, unum concurrere per modum materiæ & potentiæ, & alterum per modum actus & formæ. Ita D. Thomas 3. *parte, quæſtione 60. art. 6.* Sylvius, Nugnus, Peſantius *ibidem.* Suarez *loco cit. diſp. 2. ſect. 1. concl. 2. & 3.* Sayrus *lib. 1. de Sacram. cap. 3. quæſt. unic. art. 6.* & alij communiter.

D. Thom. Sylvius. Nugnus. Peſant. Suarez. Sayrus.

10. In caſu extremæ neceſſitatis, non ſolùm poteſt adhiberi Sacramentum cum materia dubia, ſed etiam adeſt obligatio charitatis ſic miniſtrandi, duplici conditione poſitâ: *Primâ*, ut detur euidens neceſſitas ex parte recipientis, qui ſcilicet indigeat ſpecialiter receptione Sacramenti. *Secunda*, ut Sacramentum ſub conditione conferatur. His poſitis tollitur omnis inordinatio: ſiquidem neceſſitas facit, ut acceptio Sacramenti non temerè, ſed prudenter fiat: meliùs enim eſt dubium Sacramentum indigenti miniſtrare, quàm nullum. Conditio verò tollit periculum irritandi Sacramentum. Unde non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur miniſter uti dubia poteſtate, materia, vel forma, quoties adminiſtratio Sacramenti requiritur ad vitandum ſcandalum, vel periculum damnationis, vel aliud graviſſimum inconveniens. Cùm enim ob neceſſitatem liceat adminiſtratio Sacramenti dubij, tenemur per tale Sacramentum indigenti providere: quia quoties ſine diſpendio poſſumus indigenti ſuccurrere, tenemur, ſaltem ex charitate, ſeu miſericordia. Ita Præpoſitus *in tertiam partem quæſtione 66. art. 8. dub. 3. num. 90.* Ioannes Sanchez

Præpoſ. Sanch. 2.

ctuali mutare nomen proprium,& uti æquivocatione,amphibologia & reſtrictione mentali, aut occultare veritatem, quando ad hoc faciendum ſubeſt rationabilis cauſa,& iuſta excuſatio,etiamſi ſciatur per talem occultationem decipiendum fore interrogantem. Probari poteſt per illud Marci 13. ubi Chriſtus diſcipulis interrogantibus quando futurus eſſet dies iudicij generalis, quando venturus eſt iudicare vivos & mortuos, reſpondit: *De die illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque filius.* Ubi ſi non liceret uti aliqua æquivocatione,aut amphibologia correcta,Chriſtus mentitus aut ignorans eſſet: at neutrum illi competere poteſt, cùm ſit plenus gratia & veritate: ideò autem non eſt mentitus, quia verè dicebat quòd ſolus Pater, hoc eſt, Deus id ſcit ex intrinſeca ſcientia divina; Chriſtus autem etſi id etiam ut homo ſciret, tamen non ex vi ſcientiæ à natura humana provenientis, ſed à divina infuſione. Et ita hunc locum intelligunt ferè omnes Eccleſiæ Patres, cum D. Thoma 3. *parte, quæſtione* 10. *articulo* 2. ubi omnes ejus commentatores. D.Thom.

Adduci poteſt illud Tobiæ cap. 5. ubi Raphael Angelus dixit ſeniori Tobiæ: *Ego ſum Azarias Magni Ananiæ filius.* ubi non ſolùm nomen proprium tacuit,ſed aliud diverſum appoſuit, ut ſe occultaret uſque ad opportunum tempus ſeipſum manifeſtandi. Et ſic licita eſt nominum mutatio, quando adeſt licita cauſa mutationis, quamvis ex ea mutatione futura ſit interrogantis deceptio. Vide Malderum *Tract. de reſtrict. mental. abuſu c.* 12. *ſect.* 1. Malderus.

2. Ut licitus ſit uſus æquivocationis, amphibologiæ & reſtrictionis mentalis, notanda ſunt, quæ nobis ſcripta reliquit ſapientiſſimus & Reverendiſſimus Malderus in dicto libello *loco citato ſect.* 2. ubi ait: Nota ſecundò, quando ratio iuſta id poſtulat,licet uti verbis ſenſu non intellecto ab audiente, & ſi inde futurum ſit,ut ipſe erret; atque ita licebit uti verbis amphibologicis, etiam in ſenſu minus obvio:abeſt enim mendacium, ut ſupponoraliud enim incommodum non incurrit præter nudum errorem circa ſenſum verborum; alioquin ſi audiens ex illo errore incommoda incurrat, vel alicui tertio alia incommoda eveniant, oportebit prudenti iudicio ponderare, an ratio,quæ eſt pro amphibologiæ uſu, præponderet iſtis incommodis. Malderus.

Nota tertiò,eodem modo quo de amphibologico ſermone ſumus locuti, etiam iudicare nos poſſe de reſtrictione mentali, quando ea aliquo modo verbis exterioribus propter circumſtantias ſignificatur. Quod facilius fit quando interroganti reſpondemus;poſſum enim ſenſum interrogationis eo modo accipere ab ipſo,quando exorbitans non ſit, quomodo accipi interrogatio ab ipſo interrogante debebat; verbi gratia, ſi inquirat de aliquo quod ſecretum eſſe debet, poteſt ei reſpondere quaſi neſciat,quia debebat non ulteriùs inquiri, quàm quatenus revelari poteſt; verbi gratia cùm ſis Legatus Regis interrogatus ab illo Principe,ad quem miſſus es,An Rex cogitet inferre bellum tali provinciæ,reſpondebis rectè te neſcire,etiamſi ſcias;quia interrogans debebat exigere ſcientiam hujus ſecreti,cum ea reſtrictione,ſi dicere id tibi liceat,& quia nemo præſumitur peccare, meritò præſumis non alio ſenſu te eſſe interrogatum;dicens ergo te neſcire,eo ſcilicet modo ut liceat dicere, ſatisfacis importunæ interrogationi, eius exorbitantiam quodammodo reducens ad modum debitum; quando enim reſtrictio mentalis aliquo modo in verbis indicatur, dum hîc & nunc, & tali occaſione & cum eiuſmodi circumſtantijs proferuntur,non eſt maior in ejus uſu difficultas, quàm in caſu amphibologici ſermonis;eoque modo poſſût Dei & Chriſti Domini,ac Sanctorum verba accipi,quæ ſubintellecto aliquo videntur indigere,ut verificêtur.

Si ergo ratio ſubſit ſic loquendi, & abſit omne incommodum, aut contra incommoda ratio tua præponderet,licebit tibi uti reſtrictione, aut ſubintellectione mentali; falſitas enim & mendacij deformitas ceſſat, quia etiam iſti mentis cõceptui, qui rei reſpondet, verba reſpondent in quodã ſuo ſenſu. Ubi obſervo differẽtiã inter caſum,quo locum habet reſtrictio ſic ut debeat dicere,& illum quo locum habeat reſtrictio ſic ut poſſit dicere; prior locũ habet, quando indebitè actu exercito interrogaris antequã debitã exigit reſponſionem, ut de uſurpante officiũ iudicis;alter tamẽ ſemper locum habet,quando nõ potes dicere quod interrogaris;qui enim petit à te reſponſum,cùm nemo præſumatur malus,aut malè agere, meritò cenſetur petere reſponſum poſſibile, ſalva lege divina, aut naturali ac æterna; meminiſſe tamen oportet ſemper ſirius eſſe quando id fieri commodè poteſt,ſilẽtio,aut alio diverticulo evadere,quàm tali verborũ artificio,ut quàm perfectiſſimè abſtineamus ab omni ſpecie. Ita Sapientiſſimus Antiſtes.

Hunc modum utendi æquivocatione & reſtrictione mentali approbant Suarez *tom.* 2. *de relig. tr.* 5. *lib.* 3. *c.* 11. Cajet. 2. 2. *q.* 89. *a.* 7. Sylvius *ibid. quæſt.* 3. *concl.* 5. Navarrus *ad cap. Humanæ aures* 22. *q.* 5. Sanchez *lib.* 3. *moral. c.* 6. *n.* 15. *&* 16. Clavis Reg. *lib.* 12. *c.* 17. *n.* 26. Bonacina *to.* 2. *diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 12. *n.* 3. & alij communiter apud ipſos citati, & in hoc omnes Doctores conveniunt. Suarez. Cajetanus Sylvius. Navarrus. Sanchez. Clav.Reg. Bonacina.

3. Punctum difficultatis & controverſiæ conſiſtit.utrum oratio,quæ ſecundùm ſe falſa eſt ſine reſtrictione mentali, poſſit eſſe vera appoſita tali reſtrictione mentali pura, ita ut externo ſigno neque implicitè, neque explicitè, talis reſtrictio denotetur,& ſic à mendacio & cordis duplicitate ſit libera? Affirmant plurimi,& probant *primò* ex D. Gregorio *lib.* 26. *moral.* & refertur *in cap. Humanæ aures* 22. *quæſt.* 5. ibi: *Humana aures verba noſtra talia iudicant, qualia foris ſonant: Divina verò indicia talia eſſe audiunt, qualia ex intimis referuntur.* Sentit ergo veritatem, aut falſitatem verborum non ex verbis externis tantùm ſpectanda; ſed ex proferentis intentione. D.Greg.

Secundò, quia verba ſunt ſigna & notæ paſſionum animæ & conceptuum mentis; ergo ad ipſorum veritatem ſufficit quòd menti meæ reſpondeant, & etiamſi non reſpondeant menti interrogantis; non enim tenemur interroganti totam noſtram mentem aperire, ſed poſſumus ei unam ſolam partem explicare & aliam reticere, quod fit in reſtrictione mentali: quamvis enim hæc reticentia adſit, non tamen ipſam locutionem falſam efficit: ſiquidem loquens non intendit, illud quod ſolitariè ſumptum eſt falſum ſolitariè affirmare, ſed ſolùm ut eſt coniunctum verbis tacitè & mentaliter intellectis, quibus iunctis oratio illa efficitur mixta & abſolutè vera.

Tertiò, mendacium non conſiſtit in falſitate in mente interrogantis impreſſa, aliàs non liceret uti verbis ex ſe ambiguis: nec conſiſtit in uſurpatione verborum,quæ ex communi uſu loquendi eam amphibologiam non admittunt, ſed mendacium conſiſtit in intentione negandi eam ipſam veritatem,quam quis concipit,quod nõ contingit quando

quando quis utitur oratione mixta ex mentali reſtrictione, ſed diſparata quædam veritas ab illa quam voces deberent ſignificare, ſignificatur ſaltem inadæquatè per illa verba, etiamſi amphibologia ſit extraordinaria. Hanc ſententiam ſuſtinẽt Navarrus, Valentia, Salon, Toletus, Rodriguez, Suarez, quos refert & ſequitur Sanchez *lib. 3. mor. cap. 6. n. 15.* Leſſius *lib. 2. cap. 47. dub. 9. num. 48.* & noviſſimè Lumblinus *verb. Iuramentum, num. 18.* & alij penes ipſos, Diana *p. 3. tract. 6. reſ 30.*

Navarrus. Valentia. Salon. Toletus. Rodrig. Suarez. Sanchez. Leſſius. Lumblin. Diana.

His tamen non obſtantibus ſententia negans, quod non liceat abſolutè uti reſtrictione mentali in communibus locutionibus, ſi verba ſecundùm communem loquendi uſum talem reſtrictionem non admittant, aut ex ſua ſaltem interpretativa communi impoſitione æquivocationem, aut amphibologiam non patiantur, ut ſecurior eſt ſuſtinenda, & quoad praxim amplectenda.

D. Aug.

Probatur hoc ex ratione D. Auguſtini *lib. de mendacio, cap. 18.* quia homines, cùm conſtent anima & corpore, nequeunt ea, quæ ſunt in animo, comprehendere, niſi per ſigna corporalia; non enim homo eſt cordis alieni inſpector: ergo dum homo homini loquitur, ſigna exprimentia conceptus cordis, etiam prout ſunt in ore corporis, debent eſſe vera; nec pura mentalis reſtrictio, quæ nullo modo exteriùs ſignificatur, falſitatem ſigni poteſt corrigere, ſed in ordine ad hominem, cui diriguntur, ſemper falſa ſunt; ac per conſequens proferens volens loqui alteri verba exteriùs falſa, mentitur, quia vult falſum dicere proximo. Nam qui vult uti oratione mixta, quæ exteriùs falſa eſt, & interiùs à voluntate corrigitur mentali, duplicem habet actionem; mentis unam, quà vult dicere verba falſa exteriùs prolata; & dum illa profert; reipſa ex vi huius voluntatis contra mentem vadit, nam verba exteriùs ſignificantia, cùm ut ſic falſa ſint, diſcordant ab illo quod eſt in mẽte. Alia eſt voluntatis, quà quis vult corrigere, & limitare verba, & cùm hæc voluntas prorſus interior ſit, non poteſt corrigere falſitatem exteriorem, quę in vocibus reperitur, in quantum ſunt ſigna, quibus homines utuntur ad ſuos conceptus ſignificandos; cùm enim voluntas purè interior ſit, reſpectum ſignificationis, qui ad alios conſtantes anima & corpore refertur, eſt impoſſibile corrigere, quamvis poſſit loquens tali reſtrictione corrigere tale ſignatum in ordine ad ſeipſum.

Cajetanus Sylvius. Th. Hurt. Malderus. Rebellus. Sotus. Lopez. Cord. Ledeſma.

Hanc ſententiam tradunt Cajetanus, Sylvius *locis citatis*, Thomas Hurtado *in reſol. moral. parte ſecunda, tract. 7. cap. 4. §. 1. & 2.* Malderus *ſuprà, ſecundæ ſecundæ, diſput. 6. quæſt. 2. dub. 1. aſſert. 1.* Rebellus *de obligat. juſtit. part. 1. lib. 4. q. 10.* Sotus, Lopez, Corduba, Petrus Ledeſma, & alij.

Ad rationes autem oppoſitæ ſententiæ reſpondetur; & quidem ad primam, concedendo totum, quando intẽtio aliquo modo implicito & virtuali ſaltem exprimitur; verba enim ſignificant conceptum, non conceptus intentionem.

Ad ſecundam reſpõdetur, quod ut quis loquatur verum cum proximo ſuo, non ſufficit quod reſtrictione mentali corrigat verbum falſum, ſi hæc correctio proximo etiã nota nõ ſit aliquo modo, aliàs verbũ exterius non conveniret cum verbo interiori. Quam convenientiam debere eſſe explicuit Chriſtus quando dixit: *Sit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non.* Quæ verba explicans Innocentius III. *in c. Etſi Chriſtus, de jureiur.* ait: Etſi Chriſtus præceperit, ſecundùm Euangelicam veritatẽ. Sit ſermo veſter eſt, eſt, non, non, ut affirmatio, vel negatio ſicut procedit ex ore, ita procedat ex corde. Quaſi dicat Pontifex: Regula Euangelica eſt, Nõ reſtringat mens, quod lingua non reſtringit, ſed utraque lingua interior & exterior ſibi ſemper conſonent, ne proximus ex mea loquela externa fallatur, & decipiatur.

Inno. III.

Ad tertiam dicendum, quod mendacium conſiſtit, quantum attinet ad propoſitum, in voluntate dicendi verba, quæ exteriùs prolata ſunt falſa, cuius voluntatis diſſonantia ad rationem non tollitur per reſtrictionem mentalem, ſicut nec voluntas faciendi eleemoſynam aufert malitiam à voluntate furandi. Si enim mendacium ex aliquo fine bono amittit malitiã, quam corrigit bonitas finis; etiam furta, homicidia, &c. ſi fiant ex bono fine licita erunt: atqui ita idem erit, ſi licitum eſt uti reſtrictione mentali, quæ corrigat malitiam voluntatis dicendi falſum exterius, quæ eſt virtualis intentio fallendi; ſi enim hæc virtualis voluntas eſſet ſola ſine reſtrictione mentali & voluntate expreſſa fallendi, eſſet mala malitia fallendi: ergo reſtrictio mentalis, cùm non alteret ſignificationem externam, non aufert malitiam mendacij, quæ annexa eſt illi voluntati. Pluribus rationibus adductis firmat hanc ſententiam Thomas Hurtado *loco cit. & c 5.* reſpondet ad fundamenta contrariæ ſententiæ. Th. Hurt.

4. Non ſolùm ex vi virtutis ſimplicitatis & veracitatis, tenetur quis dum loquitur proximo ſuo ad conformandum verba ſua non ſolùm menti & intentioni propriæ, ſed etiam menti eius cui loquitur, quia unuſquiſque debet alteri id, ſine quo ſocietas humana ſervari non poteſt, cùm præcepto negativo prohibitum ſit ne utatur quis hac oratione mixta ne mentiatur & duplicis ſit cordis; tamen præter hunc titulũ plures alij ſunt, quibus ad idem aditringimur, quorum *Primus* eſt charitatis: quando enim ex errore vel conceptu audita hac oratione mixta aliquod ſequitur notabile damnum proximo decepto, hoc tenemur ex charitate evitare. Ex quo ſequitur, quòd ſi quis interrogatus ab infideli, an eſſet Chriſtianus, & coram alijs reſtrictione mẽtali omnino interna uteretur, taliter quod ex locutione exteriori omnes circũſtantes adverterent illum negare fidem, peccaret contra fidei confitendæ præceptum. Ratio eſt; tum quia ex tali locutione ſubtrahitur honor debitus Deo, cùm infidelis videns & audiens hanc negationem in ſigno exteriori, judicat fidem noſtram & Religionem veram non eſſe, quia interior reſtrictio illi nullo modo eſt nota: tum quia qui profert verba externa falſa, negandõ fidem, implicitè negat fidem, etiamſi interiùs eam conſervet; ſiquidem auditoribus dat occaſionem, ex qua per ſe ſequitur, ut judicent eſſe falſam fidem, quam exteriùs negat: tum quia alij fideles aſtantes idem concipiunt, & facilè averruntur à fide, & infideles non convertuntur. Ita D. Thomas *2. 2. quæſt. 3. art. 2.* Tannerus *diſp. 1. de fide, q. 7. dub. 5. num 112.* Sanchez *lib. 2. mor. c. 8.* Coninck *de actibus ſupernatur. diſp. 15. dub. 2. num. 9.* & *dub 5.* & alij. D. Thom. Tanner. Sanchez. Coninck.

5. Ratione officij tenentur Magiſtri & Doctores non uti reſtrictionibus mentalibus, æquivocationibus, aut amphibologijs nõ uſitatis, ex quibus diſcipuli poſſint haurire, aut errorem contra fidẽ, aut licentiam peccandi, aut opinionem ſcandaloſam, aut piis auribus offendiculum præbentẽ. Ratio eſt, quia ille, qui profert verba exteriùs falſa, ex quibus ſequitur error diſcipuli, eo ipſo quod intendit ea proferre, intendit deceptionem nociva proximo, cui medicina reſtrictionis prorſus eſt ig nota,

ignota, ac per conſequens peccat mendacio perniciоſo,quod erit mortale,ſi materia,in qua concipitur error, notabilis,& gravis ſit. Idem dicendum de Superiore,qui reſtrictione mentali utitur loquens ſubditis,qui ex illo loquendi modo arripiunt anſam peccandi. Ideoque iſte mos agendi longiſſimè debet eſſe à perſonis ſpiritualibus , & ijs qui perfectionem ſequi profitentur,& omninò ab eorum converſatione qui ſibi mutuo peculiariter debent ſinceritatem. Ita Cajetanus 2.2.q.110. §.*in eodem,art.ult.* Malderus *tract.de reſtrict.mental. cap.*12.*ſect.*2. Cajetanus Malderus.

6. Non eſt licitum in contractibus uti reſtrictione mentali aut oratione mixta,maximè quando verſatur circa ſubſtantiam contractus:quod eſt verũ etiam in contractibus initis cum infidelibus in ordine ad commercium civile : nam tenemur lege juſtitiæ non uti oratione mixta, ſed ſimplici vocum ſignificatione ſecundùm communẽ uſum; hæc enim ſimplicitas jure naturæ & gentium eſt neceſſaria , aliàs nihil firmum maneret inter homines. Quare ſi quis huiuſmodi contractibus adhibeat juramentum, utens reſtrictione mentali, peccat mortaliter: quia adducit Deum in teſtem gravis deceptionis proximi: & cùm materia ſit gravis, periurium mortale erit. Ex quo ſit à fortiori non eſſe licitam mentalem reſtrictionem in contractu matrimonij : tum quia intentio mente retẽta,nec parti expreſſa nihil relevat vel operatur in humanis contractibus, *l.Cùm plures,§.locator,ff. Locati*, ubi Bartolus, Baldus & communiter Doctores. Tum quia ſi quis contrahens matrimoniũ cum aliqua,intendat contrahere non pro ſemper, ſed tantùm ad unam horam aut noctem,peccabit mortaliter,& in foro externo puniri poterit,ita ut in foro conſcientiæ abſolvi non poſſit,niſi mutet animum , quia eius verba debent intelligi juxta ſubiectam materiam & naturam contractus,& cum matrimonium ex ſua inſtitutione perpetuum ſit, perpetuum debet intelligi, & in perpetuum celebrari. Ita Leſſius *l.2.c.42.dub.9.n.46.* Toletus *l.4.c.21,n.5.* Clavis Regia *lib.5.c.6.n.12.* Thomas Hurtado *in reſ.mor.p.2.tr.7 n.105.& ſeq.* cum alijs, & eſt indubitata ſententia apud omnes. Bartolus, Baldus. Leſſius, Toletus. Clav.Reg. Th.Hurt.

7. Sicut non licet reo juridicè interrogato judicẽ deludere reſtrictionibus mentalibus & amphibologicè jurare ; quia qui juridicè ad iuramentum cogitur,jam perdidit jus ad celandos mentis conceptus & ea quæ putabat ſecreta. Ita illicitum eſt judicibus,ſive criminaliter,ſive civiliter procedãt interrogare reum, aut examinare teſtes , utendo oratione mixta,cuius reſtrictio mentalis omninò occulta manet, aut æquivocatione vel amphibologia prorſus inuſitata. Ratio eſt ;quia judex non habet jus exuendi veritatem his fictionibus , ex quibus reo oriri poteſt præiudicium : unde confeſſio & manifeſtatio veritatis extorta fallacijs nõ eſt ſufficiens ad condemnandum reum,niſi ab eo liberè & ſponte fuerit ratificata. Ita tradunt Iulius Clarus *in praxi,§ final.q.*55. Gomez *tom.*3.*variar. c.*12. Tannerus 2.2.*diſp.*6.*q.*2.*dub.*1.*n.*37. Leſſius *lib.*2.*cap.*29.*n.*173. Farinacius *in praxi p.*3. *q.*81.*n.* 278.*&* 312.& alij. Poteſt tamen judex uti cautelis laudabilibus & ſimulationibus juſtis , ſicut fecit Salomon in judicio mulierum litigantium ſuper unico filio, 3.*Reg.cap.*3.*num.*16. Clarus. Gomez. Tanner. Leſſius. Farinac.

8. Quando reus iniuſtè occultos ſocios detexit, aut teſtis iniuſtè crimen rei occultũ coram judice prodidit,ſi non ſit ſufficiens aliunde informatio ad procedendum contra eos ſocios, aut illum reum, poſſunt reus & teſtis ille ſe offerre coram judice, & jurare illos non feciſſe id delictum, intelligẽdo ita ut id delictum ſubſit illi judicio;& falſum dixiſſe, intelligendo, quatenus falſum fuit id delictũ eos feciſſe publicè,ita ut ſubeſſet illi judicio. Ratio eſt;quia cùm res ſint immutatæ,ſicut à principio quando juraruntꝰ poterant verè dicere hos non eſſe reos , intelligendo , publicè, & ut illi judicio ſubſint, de quo delicto ſolo interrogat judex , ut judex;ita & modò id verè dicere poterunt. Imò, ſi ſcienter detexerunt iniuſtè,poſſunt etiam dicere ſe mentitos eſſe,intelligendo de mendacio practico,quod dicitur quodcumque opus ratione diſſonum : ſicut iniuſtum criminis veri detractorem, diximus *tom.*1. *verb.Detractio II.n.* 10. poſſe in reſtitutione famæ,dicere ſe mentitum eſſe,ac falſum dixiſſe , intelligendo de hoc mendacio practico. Nam neceſſitas reparandi damni illati eſt cauſa juſtum reddens harum amphibologiarum uſum. Ita tenent P. Navarra *lib.*2.*de reſtit.cap.*4.*p.*3.*dub.* 5.*num.*242.*& ſeqq.in nova edit.* Henriquez *lib.*5.*de pœnit.c.*12.*n.*6. Rodriguez *tom.*1.*Sum.Latine cap.* 253.*n.*3. Bañez 2.2.*q.*62.*art.*2.*dub.*8.& ibi Salon *controv.*15.dicens Canum, Mantium & viros doctiſſimos in ſuis prælectionibus hoc docuiſſe. Leſſius *lib.*2.*cap.*11.*dub.*20.*n.*110. Fauſtus in ſpeculo confeſſar.*diſp.*21.*q.*74.*n.*9.*& ſeqq.* Clavis Regia *lib.*11.*cap.*4.*n.*27.*& ſequent.* P.Ledeſma *tom.*2. *Sum.tract.*2.*c.*7.*concl.*3. Navarrus. Henr.q. Rodrig. Bañez. Salon. Leſſius. Fauſtus. Clav.Reg Ledeſma,

Sed petes,an teneantur hac æquivocatione uti ut famam reſtituant? Reſp.affirmativè,ſi reus ille & teſtis mala fide ſic iniuſtè crimen detexerint,& id poſſint abſque maiori notabiliter detrimento ſuo , & ſpes ſit fore, ut retractatio profit : quia cùm hac via poſſint licite damnũ illatum reſarcire,tenentur ad id lege juſtitiæ. Si autem bona fide detexerint, tenentur ad hoc lege charitatis obligantis quemlibet vitare grave proximi damnum,quando abſque ſuo detrimento poteſt. Ita Clavis Regia *loco cit.*& P.Ledeſma,Sanchez *lib.* 3.*mor.c.*6.*n.*28.& alij. Quibus adde Trullench *in Decalog.lib.*7.*cap.*10.*dub.*21.*n.*3. Clav.Reg Ledeſma. Sanchez. Trullench

Vide verb.Reus *num.*3.

REVS.

SUMMARIUM.

1 *An reus licitè poſſit obijcere teſti falſum crimen ad dictum eius infringendum aut infirmandum , ſi teſtis falſum deponit, vel ſi verum, ordine tamen juris non ſervato.*

2 *An peccet reus contra juſtitiam,ſi accuſatori notam mendacij & calumniæ imponat, quando debitum eſt occultum & probari non poteſt ? Et quid ſi probari poſſit?*

3 *Quando reus non teneatur veritatem aperire,etiamſi à judice juridicè interrogetur.*

4 *Quando reo dubium eſt,an ſit ſemiplena probatio,aut infamia ſufficiens, aut expreſſa indicia, an teneatur manifeſtare veritatem judici interroganti?* Refertur duplex ſententia.

5 *An reus Sacramentaliter ſit abſolvendus , quando eſt convictus per teſtes & condemnatus,ſi perſeveret in neganda veritate?* Refertur duplex ſententia.

6 *Quando reus mentitus eſt judici , & ab eo fuit abſolutus aut punitus , aut per fugam eſt extra judicis poteſtatem,an abſolvi poſſit à Confeſſario.*

7 *An reus condemnatus ad mortem & iniuſtè negavit crimen , teneatur publicè ante executionem ſententiæ fateri veritatem , ut abſolvi poſſit à confeſſario*

Digitized by Google

ſſario ? Refertur duplex ſententia.

8 *Quando reus juridicè interrogatus negat delictum, ex cujus commiſſione pœnam pecuniariam teneretur ſolvere, an teneatur ad reſtitutionem ?* Refertur duplex ſententia.

9 *Qui injuſtè in carcere detinetur & condemnatur ad mortem, ſi aliâ viâ evadere non poſſit, an poſſit occidere cuſtodem carceris.*

10 *Reus injuſtè condemnatus, ſi injuſtitia eſt manifeſta, an poſſit ſe defendere, & licitè judici reſiſtere, ſi abſit ſcandalum & perturbatio Reipublicæ ? & quid, quando reus eſt dubius prudenter de ſententiæ juſtitia.*

11 *Innocens, qui ſecundùm allegata & probata nocens eſt probatus & ad mortem condemnatus, an poſſit ſe à judice & ab ejus miniſtris per vim defendere.*

12 *Reus juſtè damnatus ad mortem quamvis poſſit fugere ut mortem evadat, an liceat ei in carcere manere & patienter mortem expectare.*

13 *Reus juſtè captus & ad mortem damnatus, qui à judice vel cuſtode dimittitur à carcere, præſtito juramento de redeundo, an teneatur redire: & quid, quando carcer erat injurioſus?* Refertur duplex ſententia.

14 *An reus juſtè damnatus ut fame pereat, poſſit comedere cibos ſibi ab aliis oblatos? & an teneatur ſub peccato mortali ?* Refertur duplex ſententia.

15 *Damnato ad mortem ut fame pereat, omnes poſſunt ei miniſtrare potum & cibum, exceptis juſtitiæ miniſtris; nullus tamen ad id obligatur.*

1. NUnquam licet reo falſum crimen obijcere teſti ad ejus dictum infringendum aut infirmandum, ſive teſtis falſum, ſive verum deponat, ſive ordinem juris ſervet, ſive non. Ratio eſt; quia obijcere alteri crimen falſum eſt mendacium perniciosum, & intrinſecè malum, quod nulla cauſa honeſtari poteſt: ergo ex genere ſuo mortale peccatum eſt. Proinde iniquiſſimus eſt uſus ille quorumdam cauſidicorum & advocatorum, qui impingere ſolent teſtibus crimina falſa, putantes jure ſuo uti ad redimendam vexationem; ſed graviter peccant, tum propter mendacium, tum propter damnum & infamiam, quam teſti tales adferunt. Ita Salon 2.2. *q.* 70. *art.* 3. *controv.* 1. *concl.* 6. Arragon, Bañez *ibid.* Valentia *to.* 3. *diſp.* 5. *q.* 14. *punct.* 3. Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 19. *n.* 27. Trullench *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 4. *dub.* 1. Malderus *in* 2. 2. *tract.* 6. *cap.* 3. *dub.* 3. & alij.

Salon. Arragon. Bañez. Valentia. Clav. Reg. Trull. Malderus.

Nota tamen Dianam *p.* 3. *tr.* 5. *reſol.* 4. adducere ſententiam Ioannis de la Cruz *ad* 8. *præcept. Decal. q.* 3. *art.* 4. *dub.* 17. *concl.* 1. ubi ſic ait: Bañez & Ledeſma cum Orellena probabiliter ſentiunt eſſe ſolùm peccatum veniale, obijcere teſti iniquo crimen falſum ſecluſo periurio in obijciente, & teſtibus ad hoc inducendis. Et addit ipſe Diana, quod dato quod reus & teſtes in hac objectione falſa jurarent, peccarent contra charitatem & religionem, non tamen contra juſtitiam. Sic Ledeſma *in Sum. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 25 *concl.* 20.

Diana. De la Cr. Ledeſma.

Sed hæc ſententia, niſi cum grano ſalis intelligatur, prorſus abſurda eſt, & improbabilis, ut docet Thomas Hurtado *p.* 2. *reſol. moralium tract.* 6. *cap.* 8. *n.* 104. Non enim licitum eſt falſum teſtimonium imponere in re gravi, alicui ob defenſionem propriam, puta quod ſit concubinarius, aut Sodomita, aut hæreticus, aut fur; hoc enim mendacium cùm ſit in materia graviſſima, quis excuſabit à mortali contra juſtitiam ? Non enim malum pro malo reddendum eſt cum mendacio: tum quia teſtem injuſtè infirmat & fallò, & conſequenter peccat contra juſtitiam teſti debitam, & ad reſtituendum tenetur, juxta ea quæ D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *articul.* 2. & Auctores communiter tradunt. Ita etiam Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 19 *num.* 34. *in fine.* Nihilominus probabile putat Diana *part.* 9. *tr.* 9. *reſol.* 43. hoc peccatum non eſſe contra juſtitiam, & adducit Cardin. Lugo & Dicaſtillum.

Th. Hurt. D. Thom. Clav. Reg. Diana.

2. Quando delictum eſt occultum, ita ut juridicè probari non poſſit, reus non peccat mortaliter contra juſtitiam, ſi accuſatori notam mendacij & calumniæ imponat. Ratio eſt; quia tunc accuſator famæ jacturam nō patitur, cùm etiam ab aliis calumniator & mendax præſumatur, dum accuſationem interponit de crimine, quod probare non poteſt, ac proinde etiam cenſetur mentiri; quia contra mentem, ſeu contra dictamen conſcientiæ ſuę loquitur: tum quia falſum præſumitur in judicio, quod probari nequit. Si autem delictum non eſt occultū & juridicè probari poteſt, cōtra juſtitiam peccat mortaliter reus, & tenetur ad reſtitutionem famę, dum hujuſmodi notam accuſatori imponit: tum quia reus nullum jus habet imponendi hanc notam; cùm accuſator jure ſuo vtatur & nullum mendacium accuſando committat: tum quia ex peccato cōtra juſtitiam cum damno alterius oritur obligatio reſtituendi. Ita Sylveſt. *v. Reſtitutio* 3. *q.* 3. Navarrus *in Man. cap.* 18. *n.* 49. P. Navarra *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 348. Azorius *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. *quæſt.* 8. *de reſtit. famæ.* Filliucius *tract.* 40. *num.* 261. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 6. & alij.

Sylveſt. Navarrus. P. Navar. Azorius. Filliucius. Leſſius.

3. Quamvis reus teneatur veritatem aperire dum ſervato juris ordine interrogatur à judice, etiamſi manifeſtata veritate damnādus ſit ad mortem, ut habet communior ſententia D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 1. & aliorum citatorum *tom.* 1. *verb. Reus, n.* 5. hoc tamen habet locum, niſi aliter de rationabili judicis voluntate præſumatur, & niſi aliter per Epiikeiam judicetur. Quare ſi quis cum juſto moderamine, vel abſque notabili exceſſu, ſeu ſine mortali culpa ſe defendendo aliquem occidit, ſi judex quęrat de facto, non tenetur occiſor fateri ſe occiſſe, ſed negare poteſt, etiāſi de homicidio ab ipſo commiſſo præceſſerit infamia. Ratio eſt; quia judex inquirit de occiſione criminoſa, qualis non eſt illa, quæ facta eſt ad ſui defenſionem; & ſi talis fateretur, nec poſſet probare ſe cauſā neceſſariæ defenſionis feciſſe, ex falſa præſumptione condemnaretur homicidij. Præterea quando reus eſt reipſa innocens, ſed ſecundùm allegata & probata juridicè reperitur nocens, non teneretur reſpondere judici ſecundùm allegata & probata, ſed ſolùm ſecundùm veritatem. Probatur; quia mentiretur in re gravi: tum quia licet judex ſit Superior Rei, & ſic ſecundùm allegata & probata habeat jus interrogandi, ſed hoc debet intelligi ad cognoſcendam veritatem. Quare Epiikeia dictat quod non vult obligare reum, niſi veritatem dicat; ſi enim ſe conformet allegatis & probatis, ſequetur abſurdum, quod innocens patiatur, & ſic per Epiikeiam judicandum eſt quòd iudex non vult obligare, ut quis dicat commiſiſſe crimen quod non commiſit.

D. Thom.

Similiter qui non eſt auctor criminis, non tenetur fateri illas circumſtantias, ex quibus vehemens ſuſpicio capi poteſt ipſum commiſiſſe crimen; ideò negare poteſt v. g. hunc eſſe ſuum pugionem, quamvis reipſa ſit ſuus, aut ſe eo loci fuiſſe, quamvis ibi verè fuerit; adhibita tamen conveniēti æquivocatione, aut reſtrictione mentis. Ratio horum omnium eſt; quia judex in his & ſimilibus reipſa non eſt Superior, ſed tantùm ſecundùm allegata & probata, quæ

Google

quæ in præſenti caſu fallacia ſunt, unde reus non tenetur ſe conformare judici interroganti de homicidio criminoſo aut de lethali furto. Ita Azorius *p.3.lib.13.c.25.dub.9.* Leſſius *lib.2.c.31.n.14.* Bañez *2.2.quæſt.69.a.2.* Reginald. *lib.24.n.38.&* 42. Th. Hurtado *part.2.tr.6.c.3 §.7.* Eman. Sà §. *De reo n.7.* & alij apud Dianam *p.3.tr.5.reſ.66.*

Azorius. Leſſius. Bañez. Reginald. Th. Hurt. Eman. Sa. Diana.

4 Quorumdam ſententia eſt, quando reo eſt dubiũ an ſit ſemiplena probatio, aut infamia ſufficiens, aut expreſſa indicia; non poſſe occultare veritatem, ſed teneri reum reſpondere judici interroganti. Ratio eſt, quia Superior eſt in poſſeſſione præcipiendi, quà privari æquum non eſt, ob dubium jus ſubditi. At ſubditus nunquam eſt in poſſeſſione non obediendi, niſi quandò conſtat mandatum eſſe iniquum, vel probabiliter id eſſet in opinione; eſt enim de eſſentia ſubditi in poſſeſſione obediendi permanere: ergo. Ita Ioan. Sancius *in ſelect. diſp.43.n.28.* probabiliter. Sed contrarium verius eſt & probabilius, nempe non teneri reſpondere. Ratio eſt, quia unuſquiſque præſumitur bonus, quoad uſq; probetur malus. Sed quamdiu dubium eſt, an ſit jus inquirendi adverſus aliquem, tunc nec probatus eſt malus, nec iure eſtimatur talis; nã ſola infamia & indicia ſunt quæ faciunt præſumptionem juris: ergo in dubio, & judex inquirens peccat, & teſtis ſi obſequatur, injuſtus eſt: tum quia jura favẽt reo, ſicut & poſſeſſori: ergo quoad uſque conſtiterit jus eſſe inquirendi, reus habet jus vitæ, famæ, & bonorũ ſuorum, atque adeò non licet in illum inquirere, nec teſtimonium dicere: tum quia majus periculũ eſt ſi occidatur homo contra jus, quàm ſi non obediatur Superiori. Accedit quod rarò reus tenetur ad propalandam veritatem, quando ſolùm præceſſit infamia aut indicia; quia ut iſta ſint expreſſa, & manifeſta, multæ circumſtantiæ requiruntur ſecundùm jus tam canonicum, quàm civile, ad quas omnes cõcurrere, debet conſtare reo ex proceſſu & probationibus, ita ut nullũ maneat apud ipſum dubium quod ſint manifeſta & expreſſa, & quod infamia ſit ſufficiens & per teſtes juridicè probata; unde ſequitur quod ut reus teneatur veritatem dicere, debet judex ei ſtatũ proceſſus, & quòd ipſe procedit juridicè, notificare. Ita Cajetan. *2.2.q.69.a.2.* Sotus *de juſt. lib.5.q.6.a.2.* Miranda *in Ordin. jud.q.18.a.7.* Leſſius *lib.2.c.31. dub.3.n.10.* Sanchez *lib.6.moral.c.3.n.24.* Thom. Hurtado *in ſuis reſol. moral. p.2.tr.6.c.3.§.6.* & alij penes iptos. Quibus addo Trullench *in Decalog. lib.8.c.4. dub.2. n.3. n.2.* qui bene advertit quod quando ex reſponſione nullum damnum imminet reo vel teſti, tunc reſpondere tenetur; nam in tali dubio præſumendum eſt pro Superiore.

Sancius. Cajetanus. Sotus. Miranda. Leſſius. Sanchez. Th. Hurt. Trull.

5. Communis ferè & probabilis eſt ſententia aſſerẽs, reum, qui juridicè interrogatus, perſeverat in neganda veritate, non eſſe ſacramẽtaliter abſolvendũ, donec illam confiteatur; & maximè quando jam eſt convictus per teſtes, & condemnatus. Ratio eſt; quia tũc irrogat gravem injuriam judici, teſteſque tanquam iniquos infamat, commoveturque populus, & ſcandalizatur, credens à judice illũ injuſtè occidi, & falſos fuiſſe teſtes: tum quia reus juridicè interrogatus tenetur ſub mortali veritatẽ aperire: ergo contra faciens peccat mortaliter, & per conſequens ſi perſeverat, eſt in actuali peccato atque ita indignus abſolutione, ſi durante proceſſu, judicio & captura per judicis ſententiã vel per fugam aut alia via liberatus non ſit. Ita Salon *2.2.q.6.) a 2.controv. 10.* Clavis Regia *lib.12 c.17.n.13.* Trullench *in Decal. lib.8. c.4. dub.3.* & alij, qui bene advertunt non debere confeſſarium eſſe facilem in neganda abſolutione; ſed ſemper quantum fieri poteſt inquirat partim à Reo, partim ab advocato, qui totius proceſſus eſt conſcius, ſitnè aliquis defectus in proceſſu, tum ex parte judicis, tũ ex parte teſtium. Quod ſi omnibus penſatis, videat confeſſarius ad reſpondendum teneri, hortari eum debet, ut veritatem dicat; quod ſi fatẽri noluerit, abſolvere eum non poteſt: Quod ſi prudenter dubius ſit, poterit eum abſolvere, quia in dubio favendum eſt reo, ut docent auctores citati, quibus adde Malderum *in 2.2. tract.6. cap.3. dub.1. aſſert.4.*

Salon. Clav. Reg. Trull. Malderus.

His tamen non obſtantibus contrarium eſt maximè probabile, & fortè probabilius, nẽpè, reum non teneri, qui poſtquã juridicè interrogatus fuit, negavit veritatẽ, quã manifeſtatã condemnaretur, ſe offerre ad fatendam veritatẽ, nec teneri in conſcientia ad retractandum dictũ, non ſolùm quando judiciũ durat, ac reus eſt ſub judicis poteſtate, ſed etiam quãdo convictus damnatus eſt ad mortẽ, ſed ſufficere, ut doleat de peccato, & ſit paratus ad reſpondendũ, ſi iterum interrogetur. Ratio eſt; quia præceptũ judicis eſt trãſiens, & ſolùm durat, dũ judex interrogat, cui ſatisfaciet dolore peccati, & propoſito illi obediendi iterũ interroganti: parti autẽ læſæ ſatisfaciet animo reſtituendi dãna. Quo in caſu nulla ſequitur infamia iudici, accuſatori, aut teſtibus, ut exiſtimat contraria ſententia; quia omnibus notiſſimũ eſt, reos inquiſitos delicta negare, imò pulillanimes & ſtulti habẽtur, ſi delicta fateantur, & præſũptio ſtat pro iudicis ſententia, *cap. Conſanguinei, & cap. Causã de rẽ judicata.* Hæc ſentẽtia eſt probabilis etiam ſtando in priori opinione; ſed probabilius erit poſſe abſolvi, ablq; eo quod veritatem aperit, etiamſi iterũ interrogetur, adhærendo opinioni aſſerenti reum non peccare mortaliter negando crimen, quamdiu ſpes eſt evadendi, in cauſis quibus gravis pœna imponitur; de cuius opinionis probabilitate egimus *to.1. verb. Reus, n.4.* Hanc poſteriorem ſententiam, nempe reum non teneri ad retractandum dictum in caſu propoſito ſuſtinẽnt Sanchez *lib.3. moral. cap.7. n.8. & 11.* Bonacina *tom.2. diſp.10. quæſt.3. punct.2. num.8.* Diana *part.2. tract.5. reſol.26. & part.3. tract.5. reſol.103.* Navarrus *in Man. cap.25. n.38.* Trullench *in Decalog. lib.8. cap.4. dub.3.n.2.* Reginaldus *lib.24. num.145.* & alii.

Sanchez. Bonacina. Diana. Trullench Reginald.

Cautus tamen debet eſſe confeſſarius in expoſtulando à reo hoc propoſitũ: nam ſi credat reum non fore iterum interrogãdum, nihil debet interrogare à reo de tali propoſito, cùm ſit difficillimũ negotium fateri proprium crimen, & ne pœnitentem exponat periculo denuò peccandi, ſed ſatis eſt, ut in genere proponat cavere in poſterum peccata; imò ſi credat fore, ut iterum interrogetur, non debet ipſum tentare interrogando de hac re, ne coniiciat in pœnitente animum negandæ veritatis, cùm tunc non ſit in peccato mortali. Ita Sanchez *loco cit. num.9.* & Diana *part.2. tract. 15. reſol.26.* quorum doctrinam debent confeſſarii advertere, & ſic facilè abſolutionem dictis reis concedent.

Sanch. Diana.

6. Quando reus iam à iudice abſolutus fuit, aut punitus, aut per fugã è carcere iam eſt omninò extra iudicis poteſtatẽ, tunc abſolui poteſt à confeſſario impoſita illi pro mendacio ſalutari pœnitẽtia, ſi iudici mentitus ſit; quia tunc ſolùm tenetur veritatem dicere, quando à iudice rogatur, & eſt ſub illius poteſtate. In quo tamen caſu non poteſt confeſſarius reum cogere ut ad carcerẽ redeat, aut iudicem adeat, & ſeipſum prodat; hoc enim eſſet ſeipſum occidere. Tenetur tamen eum monere, ut

ut quotieſcumque juridicè interrogabitur, verum dicat: nam aliter non eſſet abſolvendus, juxta dicta numero præcedenti. Ita Clavis Regia *lib.* 12. *c.* 17. *n.* 14. Sanchez *loc. cit. n.* 6. Bañez 2. 2. *q.* 69. *a.* 2. *in* 2. *p. dub.* 1. *concl.* 3. & ibi Salon *controv.* 10. *concl.* 3. Villalobos *tom.* 2. *tr.* 26. *diffic.* 1. *n.* 15. & alij.

Clav. Reg. Sanchez. Bañez. Salon. Villalob.

7. Nonnulli Thomiſtæ tenent, quando reus, qui injuſtè negavit crimen, eſt convictus per duos teſtes & condemnatus ducitur ad ſupplicium, non poſſe abſolui quin verum ante executionem ſententiæ fateatur, ne populus malè de judice & teſtibus ſuſpicetur. Ita P. Ledeſma & Medina. Cæterũ, quamvis reus optimè faciat tunc confitendo veritatẽ, in rigore tamen valde probabile eſt ad id faciendum non teneri, ſed ſufficere, ut illud peccatum confeſſario confiteatur, à quo abſolvi poterit: quod intellige, niſi alioquin alicui notabile damnum ſequeretur. Ratio eſt, quia cõmuniter quando reus ſufficienter eſt convictus, parum aut nihil ſuſpicionis malæ accreſcit judici & teſtibus, ut diximus ſuprà. Ita conſuluit Navarrus *in Man. c.* 25. *n.* 38. de hac re rogatus. Et tenent Rodriguez *de ord. jud. c.* 10. *concl.* 1. & *tom.* 2. *qq. quæſt.* 19. *art.* 9. Clavis Regia *loc. cit. n.* 15. Sanchez *loc. cit. n.* 11. & alij. Hæreticus tamen qui comburitur, eò quòd negativus ſit, non eſt abſolvendus, niſi publicè crimen fateatur: & hoc ratione ſcandali, eò quòd præſumatur in hæreſi decedere & pertinax in negando: quare ſi verè reus eſt, tenetur crimen fateri, ut ſcandalum ceſſet, ut ait Sanchez.

P. Led. Medina. Navarrus. Rodrig. Clav. Reg Sanchez. Sanchez.

8. Difficultas eſt inter Doctores, quando reus juridicè interrogatus negat delictum, ex cujus commiſſione pœnam pecuniariam teneretur ſolvere, an teneatur ad reſtitutionem? Quidam volũt teneri; quia judex habet jus ad inquirendum de delicto ad dictam pœnam inferendam. Ergo ſi reus neget, injuſtè impedit judicem à dicta pœna conſequenda, ac proinde reſtituere tenetur. Ita Molina *de juſt. tr.* 2. *diſp.* 95. *circa finem*, Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *tr.* 2. *c.* 7. *n* 4. caſu quo pœna illa ſit ipſo facto impoſita à lege propter criminis admiſſionem; ſecus autem ſi pœna ſit judicis arbitrio crimini imponenda. Hæc ſententia eſt probabilis. Contrarium tamen eſt verius & probabilius. Ratio eſt; quia in tali caſu reus lædit quidem juſtitiam publicam & vindicativam, non autem juſtitiam commutativam ex qua oritur obligatio reſtitutionis: ergo non tenetur reſtituere: tum quia reus negans injuſtè delictum non delinquit in commutativam juſtitiam in ordine ad eum, cui erat pœna applicanda: nec illi ullam injuriam irrogat, utpotè qui illius emolumentum non impedit directè; quia non adſtringitur ad veritatem fatendam ob utilitatem illius, cui pœna erat applicanda, ſed propter ſolam publicam juſtitiam, quæ ad criminum punitionem attendit. Judicium enim eſt inſtitutum ad hoc, & non ad ditandos aliquos ex pœnis impoſitis. Ita Vaſquez *prima ſecundæ diſp.* 175. *cap.* 12. *n.* 13. & 14. Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *quæſt.* 5. & *lib* 8. *cap.* 12. *p.* 5. Sanchez *de matr. lib.* 10. *diſp.* 8. *dub.* 14. Navarrus *in Man. cap.* 18. *n.* 49. Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 4. *quæſt* 6. *dub.* 2. *n.* 76. Diana *part.* 4 *tr.* 4. *reſol.* 65. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 31. *n* 50. & alij.

Molina. Layman. Vaſquez. Azorius. Sanchez. Navarrus. Tanner. Leſſius.

9. Qui injuſtè in carcere detinetur, & condemnatur ad mortem, etiamſi aliâ viâ non poſſit evadere, non poteſt occidere carceris cuſtodem: nam bonum commune poſtulat, ut miniſtris bona fide publicum officium exercentibus, injuria aut damnum non inferatur. Si tamen cuſtos carceris ſciat evidenter in carcere illum à judice detineri injuſtè, & ad mortem damnari, tunc poteſt in carcere detentus non habens aliam viam evadendi mortem, cuſtodem carceris occidere. Ratio eſt; quia cùm hic cuſtos non bona fide munus ſuum obeat, ſed certò ſciat carceratum eſſe innocentẽ & injuſtè detineri, & ad mortem damnari; licitè poteſt occidi, ſicut poſſunt occidi ſatellites, ſeu publici miniſtri cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando injuſtè conantur interficere innocentem, vel illum capere, ut injuſtè occidatur, modò ipſis conſtet eum eſſe innocentem. Ita Trullench *in Decal. lib.* 5. *cap.* 4 *dub.* 4. *n* 1. Dicaſtillus *de juſt. lib.* 2. *tr.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 2. *n.* 31. Cardin. Lugo *de juſt. to.* 1. *diſp.* 10. *ſect.* 7. *n.* 164. ubi docet quod ſi ſatellites ſcirent innocentiam rei, & vellent adhuc ſententiam judicis & capitalem pœnam exequi, poſſet captus illis reſiſtere, etiam eos occidendo. Sed in hoc caſu cuſtos carceris injuſtè detinet innocentem, ut injuſtè morti tradatur: ergo. Hanc etiam ſententiam tenent Menochius *de arbitr. caſ.* 301. *n.* 16. Maſcardus *de prob. volum.* 1. *conſil.* 266. Bonacina *de reſtit. diſp.* 2. *quæſt. ult. ſect.* 1. *punct.* 8. *n.* 7. & poſt illos Diana *p.* 8. *tr.* 7 *reſ.* 43. & alij. Qui noviſſimus vult omnia dicta eſſe ſpeculativè loquendo, ne in carcere detenti ſibi fingant injuſtè ad mortem damnari, & ideò judices in cauſa propria perpetrent homicidia in cuſtodes, & ideò Lectoribus cogitandum relinquit. Proinde Covar. *lib.* 1. *variar. c.* 2. *n.* 13. dicit hanc ſententiam eſſe dubiam & forſan veram, ubi judex tyrannicè, ex certa ſcientia, innocentem damnaret. Addit autem Trullench *in Decal. lib.* 8. *cap.* 4. *dub.* 7. *n.* 7. caſu quo ſententia hæc eſſet vera, de qua valde dubitat, modò cuſtos carceris aliquo modo ſcienter cooperaretur injuſtæ ſententiæ.

Trullench Dicaſtill. Lugo. Menoch. Maſcard. Bonacina. Diana. Covar. Trull.

10. Reus injuſtè condemnatus, ſi injuſtitia eſt manifeſta, poteſt ſe defendere, & licitè judici reſiſtere, modò id ſine ſcandalo & perturbatione Reip. facere poſſit. Ratio prioris eſt; quia judex injuſtè condemnatus, habet ſe ut iniquus invaſor. Poſterior pars patet, quia bonum commune præferendum eſt particulari, atque ita tunc patienter tenetur mortem pati; dictat enim ratio, partem non habere jus ſeſe conſervandi, cum detrimento totius. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 4. & communis. Quod ſi reus prudenter ſit dubius de ſententiæ juſtitia, & judex monitus nolit rem maturiùs conſiderare, poteſt tunc reus ſe defendere à judice, tanquam ab invaſore, ceſſante ſcandalo: tum quia in probabili dubio non tenetur reus cum proprio damno ſuo judici obedire: tum quia in dubio quod vergit in damnum rei, potior eſt ſemper ratio rei patientis, quàm judicis inferentis injuriam. Ita Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 3. *in fine*, Salon 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *controv.* 1. & alij.

D. Thom. Clav. Reg Salon.

11. Innocens, qui ſecundùm allegata & probata nocens probatus eſt, & ad mortem condemnatus, non poteſt, ſecundùm communem & veriorem opinionem, ſe à judice, nec à miniſtris juſtitiæ per vim defendere. Ratio eſt; quia judex, cùm alijs vijs tentatis, non poteſt liberare reum, poteſt illum condemnare, & per conſequens reus tenetur ei obedire: aliter enim ſi licitè reſiſtere poſſet, daretur ſcienter bellum ex utraq; parte juſtum, quod fieri non poteſt; unde ſi ille innocens condemnatus defendendo ſe, judicem, vel miniſtros per vim læderet, etiamſi de ejus innocentia poſteà conſtaret, puniretur juſtè, cùm judex jure ſuo uſus ſit eum condemnando; reſiſtens illi & vim inferens, iniuriam illi facit, & peccat. Signum ergo eſt non licere ei per vim ſe defendere: tum etiam, quia hæc ſententia non eſt ſimpliciter & abſolutè iniuſta,

ſta, ſed tantùm in foro interiori. Poſſet tamen talis licitè ſe defendere, vel fugiendo ſi poſſit, vel recipiendo ſe in locum munitum, vel eripiendo ſe è manibus miniſtrorum cum aliqua vi, ſine ſanguine tamen & vulnere. Ita Sotus *de juſtit. lib. 5. queſt. 6. art. 4.* Arragon 2.2. *queſt. 69. art. 4.* Salon *ibidem controverſ. 1.* Clavis Regia *lib. 12. cap. 18. num. 3.* Leſſius *lib. 2. cap. 31. num. 29.* Rodriguez *tom. 1. Summ. Latina cap. 135. concl. 9.* Trullench *in Decal. lib. 8. cap. 4. dub. 6. num. 3.* & alij.

Sotus. Arragon. Salon. Clav. Reg. Leſſius. Rodrig. Trull.

12. Reus juſtè damnatus ad mortem quamvis poſſit fugere ut mortem evadat, licet tamen ei ibi manere & patienter mortem expectare. Ratio eſt; quia hoc non eſt cooperari immediatè ad mortem ſicut eſt à furca ſe præcipitem dare, ſed tantùm indirectè, ut ſcalam aſcendere, extendere collum carnifici, & in carcere manere; ut illius delictum in aliorum exemplum puniatur. Injuſtè autem damnatus, ſi poſſit, debet fugere; aliter enim videtur cooperari injuſtæ ſententiæ & vitam prodigere: tamen ſi hic injuſtè damnatus habeat aliquam cauſam rationi conſonam vt exercendæ alicujus virtutis, ut charitatis, vel profeſſionis fidei, aut exempli fortitudinis, vel patientiæ, ſitque hic bonus finis notabilis utilitatis, & probabiliter æſtimetur futurus, tunc licitè poteſt in carcere manere, & mortem expectare patienter; quia ſic non eſt opus illicitum, ut patet in Chriſto & Martyribus; imò quandoque manere tenetur, nec fugere poteſt ratione fidei, & ſcandali; quia ſcilicet primam tueri, ſecundum verò vitare tenetur. Ita Sanchez *in conſiliis part. 2. lib. 6. cap. 4. dub. 13. num. 4.* Covarruvias *lib. 1. variar. cap. 2. num. 9.* Trullench *in Decalog. lib. 8. cap. 4. dub. 7. num. 6.* Clavis Regia *lib. 12. cap. 18. num. 14.* Emanuel Sà *verb. Iudiciales actus. §. de Reo, num. 9.* & alij.

Sanchez. Covar. Trull. Clav. Reg. Eman. Sà.

13. Reus juſtè captus & ad mortem damnatus, qui à judice, vel cuſtode dimittitur à carcere, præſtito juramento vel fide ſimplici data de redeundo, tenetur ſub perjurij vel violatæ fidei reatu ad carcerem redire, quamvis certò ſciat ſe moriturum. Ratio eſt; quia juramentum licitum obligat in conſcientia ad ſui obſervantiam, & redeundo juſtam patitur mortem, nec in hac re poteſt eſſe controverſia. Sed dubium eſt, quando carcer erat injurioſus, puta Tyranni, vel judicis incompetentis, vel competentis, ſed non procedentis ſecundùm ordinem juris, aut quando accuſatus eſt innocens, ſed ſecundùm allegata & probata cenſetur nocens & reus. Quidam exiſtimant non teneri, imò nec poſſe redire abſque peccato; quia in tali caſu redire eſt quodammodo ſeipſum occidere & vitam ſuam prodigere: hoc autem eſt illicitum; quia tenetur homo vitam ſuam conſervare: tum quia juramentum non eſt ſervandum quando vergit in deteriorem exitum, *cap. Quintavallis, de jurejurando*: & hîc vergit: ergo. Ita Navarrus *in Man. cap. 12. num. 18.* Covarruv. *lib. 1. variar. cap. 2. num. 7.* ubi citat Baldum, Ancharanum, & Majorem *in 4. diſt. 15. quæſt. 22.* Vaſquez & Reginaldus ad Bonacinam *tom. 2. diſp. 4. quæſt. 1. punct. 9. num. 2.*

Navarrus. Covar. Baldus. Anchar. Major. Vaſquez. Reginald. Bonacina.

Alij tamen putant teneri jurantem redire, etiamſi carcer ſit injuſtus & injurioſus: tum quia tunc regreſſus non eſt malus nec cauſa per ſe mali, ſed licitus & honeſtus, cùm ſit actus fortitudinis, veracitatis & fidelitatis: tum quia ſi quis violet tale juramentum, communi judicio cenſebitur perjurus & injurius in numen divinum, quod in teſtem adduxit: tum quia iſta promiſſio fuit prudens; nam abſque illa non poterat obtinere egreſſum à carcere: ergo ejus executio eſt licita: licitum enim eſt exequi, quod prudenter promittitur. Si licita: ergo ſi firmetur juramento, eſt ſervanda; niſi forte juraverit cum limitatione mente concepta, aut niſi juramenti relaxationem obtineat, aut niſi tempore juramenti inſcius eſſet tanti periculi; nam juramentum habet hanc tacitam conditionem, niſi notabilis mutatio ſuperveniat: hîc autem ſupervenit notabilis mutatio in æſtimatione jurantis. Ita Leſſius *lib. 2. c. 42. dub. 6. n. 28.* Filliucius *tr. 25. n. 166. & ſeq.* Layman *lib. 4. tr. 3. c. 7. n. 2.* Trullench *in Decal. lib. 2. cap. 1. dub. 12. n. 3.* Bonacina *to. 2. diſp. 4. q. 1. punct. 9. n. 2.* & alij. Utraque ſententia eſt probabilis & in praxi tuta, quamvis ſecunda videatur probabilior, & ut talem eam ſequitur Sanchez *in conſiliis p. 2. lib. 6. cap. 4. dub. 16. n. 4.* Clavis Regia *lib. 12. cap. 18. num. 27.* in fine.

Leſſius. Filliucius. Layman. Trull. Bonacina. Sanchez. Clav. Reg.

14. Certum eſt apud omnes, reum damnatum juſtè ut fame pereat poſſe comedere cibos illi ab alijs ſubminiſtratos; quia talis non jubetur non comedere, ſed tantùm pati illud genus mortis, cùm cibus illi non datur. An autem teneatur comedere cibos oblatos ſub peccato mortali? non conveniunt Doctores. Quidam enim affirmant; & probant: tum quia non comedere eſt ſeipſum occidere, quod nemini licet: tum quia tenetur homo de jure naturali vitam tueri omnibus vijs licitis & non prohibitis: ſed judex non prohibet, nec prohibere poteſt, ne quis cibum oblatum non ſumat, cùm nihil præcipere aut prohibere poſſit contra jus naturale. Ita D. Thomas *2.2. q. 69. a. 4. ad 2.* Cajetan *ibid. dub. 8.* Arragon, Bañez *ibid. dub. penult.* Victoria *de homicid. n. 28. in reſponſ. ad ſextam.* & alij probabiliter. Sed magis placet ſententia aſſerentium, licitè poſſe cibos oblatos ſumere, & licitè relinquere & fame perire. Ratio eſt; quia in non comedendo non eſt ſui occiſor, ſed ſolùm non conſervat vitam ſuam, quod licitum eſt ex honeſta cauſa: tum quia præceptum negativum, *Non occides*, quatenus negativum eſt, non frangitur niſi per actum poſitivum & poſitivè corrumpentem, qualis eſt occiſio. Non occidere autem, non eſt actus poſitivus, ſed negativus, ſcilicet non reſtaurare humidum radicale continua actione caloris naturalis deperditũ, ſeu non prohibere actionẽ caloris naturalis vitæ & humidi radicalis corruptivam, hoc eſt non fovere & non conſervare vitam: tum quia præceptum affirmativum de vita conſervanda ab illo ſolùm violatur, qui non conſervat, quando poteſt & debet, nec aliqua cauſa juſta ad illã non conſervandam adeſt. At verò in hoc caſu juſtam habet cauſam non comedẽdi, ut conformet ſe juſtæ ſententiæ, ac proinde non ſe occidit, ſed tantùm licitè permittit ex zelo juſtitiæ. Sic quamvis poſſit fugere è carcere, non tamen tenetur, ſed poteſt ibi manere, ut juſtam mortis ſententiam expectet. Ita Sotus *de juſt. lib. 5. q. 6. a. 4.* Salon *2.2. q. 69 a. 4 contr. 4. dub. ult.* Valent. *to. 3. diſp. 5. q. 13. punct. 4. poſt concl. 4* Clav. Reg. *lib. 12. c. 18 n. 28.* Trullench *in Decal. lib. 8. c. 4. dub. 9. n. 1.* Sanchez *in conſil. p. 2. lib. 6. c. 4. dub. 14. n. 5.* & alij.

Sotus. Salon. Valentia. Clav. Reg. Trull. Sanchez.

15. Damnato ad mortem ut fame pereat, omnes poſſunt ei miniſtrare potum & cibum, exceptis juſtitiæ miniſtris; nullus tamen ad id obligatur. Probatur prima pars: quia ſicut ipſemet damnatus cibos oblatos ſumere poteſt, cùm hoc ei non ſit prohibitum, ita etiam alij privati cibos ei licitè ſubminiſtrare poſſunt, cùm hoc eis non ſit prohibitum; quamvis enim alter juſtè damnatus ſit, executio tamen hujus ſententiæ non eſt cuilibet commiſſa, ſed tantùm miniſtris juſtitiæ. Alij autẽ non pec-

Digitized by Google

peccant, ſi ei ſubveniunt, contra juſtitiam, niſi eam lædant, inferendo vim miniſtris juſtitiæ, aut alio modo. Secunda pars patet, quia miniſtris juſtitiæ incumbit ex officio curare, ut juſta ſententia executione mandetur: & directè contra officium illis à Republica commiſſum ob bonum commune agunt ſubminiſtrando illi cibum. Tertia pars probatur, quia ſicut damnatus non tenetur comedere, ita neque alter tenetur ei cibum miniſtrare: quia non cenſetur eſſe in extrema neceſſitate, ut ei teneamur ſuccurrere; nam ob juſtam ſententiam amittit jus, ut ei teneamur. Ita D. Thom. Cajetanus Trullench Clav. Reg. Eman. Sà. D. Thomas *ſecunda ſecundæ quæſt.* 31. *artic.* 2 *ad* 3. Cajetanus *ſecunda ſecundæ quæſt.* 69. *artic.* 4. *dub.* 8. Trullench *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 4. *dub.* 9. *numero* 2. Clavis Regia *libro* 12. *capite* 18. *numero* 30. Emanuel Sà *verb. Iudiciales actus. §. de Reo, num.* 11. & alij.

Vide verb. Homicidium 1. *n.* 6. & 13. 17. & 18. Probatio *num.* 2. & 3. Regulares *num.* 19. & *ſeq.* Reſtrictio mentalis *num.* 7. & 8.

S.

SACRAMENTVM.

SUMMARIUM.

1 *Sacramenti nomen quatuor modis uſurpatur à Scriptoribus Eccleſiaſticis.*
2 *Sacramentum an ſit definibile.*
3 *Sacramentum eſt cæremonia ſignificans & efficiens ſanctitatem.*
4 *Quæ excludantur à ratione Sacramenti cæremoniæ tam in veteri quàm in nova lege.*
5 *An in ſtatu innocentiæ, vel poſt lapſum hominis inſtituta fuerint Sacramenta.*
6 *Rationes & congruentiæ afferuntur, cur Deus inſtituerit Sacramenta in ſignis & rebus ſenſibilibus, ac materialibus.*
7 *An in lege gratiæ fuerint inſtituta Sacramenta, & quare.*
8 *In Sacramentis novæ legis, an res ſe habeant ut materia, verba ut forma.*
9 *Materia & forma in Sacramentis novæ legis, an ſint partes intrinſecæ & eſſentiales.*
10 *An in caſu extremæ neceſſitatis poſſit & debeat conferri Sacramentum cum materia dubia conditione duplici appoſitâ.*
11 *Quando rationabile dubium occurrit, an per mutationem ſenſus forma perierit, ea iteranda ſit ſub conditione.*
12 *Ad conficienda Sacramenta an ſufficiat intentio, quâ quis ſuſcepit Ordines hoc animo ut fieret Sacerdos & miniſter Eccleſiæ.*
13 *Vbinam & quamdiu maneat virtualis intentio conficiendi Sacramentum.*
14 *Qualis conſenſus, ſeu intentio & voluntas requiratur in adulto ut validè recipiant Sacramentum.*

SACRAMENTI nomen ab Eccleſiaſticis & Catholicis ſcriptoribus quatuor præcipuè modis uſurpatur. *Primò* in ſacra Scriptura ſignificat rem ſecretam, occultam & abſconditam, ad Epheſ. 1. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ.* Et Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*, id eſt ſecretum Regis. Unde Sacramentum idem eſt Latinè, quod Græcè *Myſterium*: Myſterium autem præcipuè rem ſecretam ſignificat, juxta illud Matth. 13. *Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni cœlorum.*

Secundo, Sacramentum in ſcriptura ſignificat etiam ſignum rei ſacræ, juxta illud Pauli *ad Epheſios* 5. loquens de matrimonio primorum parentum: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia*, id eſt, ſignum fuit coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ.

Tertio, Sacramentum ſumitur pro juramento, fortè quia juramentum per rem ſacram, nempe per invocationem divini nominis fit, quare Sacramentum meritò nuncupatur; quæ ſignificatio frequentiſſima eſt in jure Canonico, & Civili, *l. Sacramenta puberum. Cod. Si adverſus vendit. & cap. Si Sacramenta* 22. *quæſtione quarta*, & alibi ſæpè.

Quartò, Sacramentum ſignificat cæremoniam aut rem ſacram & ſignum ſenſibile à Chriſto inſtitutum rei ſacræ ſanctificantis nos; nempe ſignum gratiæ & ſanctitatis internæ qua apud Deum ſancti reddimur. Et ſic uſurpatur ex uſu Eccleſiæ Catholicæ, Conciliorum, Sanctorum Petrum & Theologorum. De qua voce plura videri poſſunt apud Bellarminum *libro primo de Sacrament. in genere, capite octavo*, Suarez *tomo tertio, in tertiam partem quæſt. ſexageſima, in præfat.* Vaſquez *ibi quæſtione ſexageſima, capite primo.* Sylvium *ibidem* & alij. Bellarm. Suarez. Vaſquez. Sylvius.

2. Sacramentum poteſt dupliciter conſiderari: *Primò* phyſicè, ut eſt aliquid conflatum ex ente reali & rationis, nempe ex re ſenſibili & arbitraria ſignificatione, & ſic non poteſt definiri, quia non eſt unum per ſe. *Secundò*, moraliter, quatenus eſt medium quoddam ſeu inſtrumentum ad hominum ſanctificationem divinitùs inſtitutum, & ſic quodammodo eſt unum, ac definiri poteſt: quemadmodum apud morales Philoſophos regnum, civitas, familia, &c. definiuntur, quantumvis ſint aggregata quædam per accidens, ſi phyſicè conſiderentur. Sacramentum autem, quatenus eſt unum quiddam ac totum & definibile, quaſdam habet partes metaphyſicas, nempe genus & differentias; quaſdam veluti phyſicas, videlicet, materiam & formam, quibus omnis rei creatæ eſſentia circumſcribitur & continetur. Genus eſt ſignum, quaſi pars Sacramenti imperfectior. Differentia eſt, ſanctificans inſtrumentaliter per modum cæremoniæ religioſæ, quæ imperfectionem ſigni perficit & complet. Materia ſunt res quædam ſenſibiles, verbi gratia, aqua, oleum, panis, &c. Forma ſunt verba rituaria, quia res ipſa ex ſe indifferens ad multa ſignificanda, vel etiam efficienda, determinatur per verba ad unum. Hinc eſt illud D. Auguſtini tract. 80. in Joannem, *Accedit verbum ad elementum* (rem ſenſibilem) *& fit Sacramentum.* Non oportet autem hic nimis anxiè diſcutere, an tota ratio & proprietates generis, differentiæ, materiæ, formæ conveniant partibus Sacramenti, quia cùm ſit ens morale, moraliter potiùs, quàm metaphyſicè tractari debet. De quibus Suarez *in tertia parte, diſputatione* 1. & 2. *tomo* 3. Sylvius *tertia parte quæſt.* 60. *art.* 2. *quæſt.* 3. D. Aug. Suarez. Sylvius.

3. Sacramentum nonincommodè definiri poteſt, ut ſit cæremonia ſignificans & efficiens ſanctitatem. Cùm enim Sacramentum ſit ens artificiale, comprehendere debet omnes partes integrantes, quemadmodum domus complectitur fundamentum, parietes & tectum: & quidem ſi per ſanctitatem intelligamus gratiam Dei & charitatem, quâ homo verè & realiter ſanctificatur,

infallibiliter eam operantur: tum quia cùm homo conſtet anima & corpore, non ſolùm debet interiùs credere, verum etiam exteriùs fidem profiteri per Sacramenta.

Tertium caput eſt, ex parte eiuſdem hominis, ut eſt pars & membrum univerſitatis: quia videlicet nulla religio ſine ſignis conſtat, quibus in unum omnia membra junguntur & congregantur. Aliæ congruentiæ videri poſſunt apud Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 1. ſect. 3* Sayrum *do Sacramentis lib. 1. cap. 2. quæſt. 7. art. 1.* Bellarminum *lib. 2. cap. 22.* Filliucium *tract. 1. cap. 2. quæſt. 7.*

Suarez. Sayrus. Bellarm. Filliucius.

7. De fide eſt in lege gratiæ fuiſſe inſtituta Sacramenta, ut definitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. can. 1.* & Florentino *in literis Armenorum.* Congruentiæ autem huius inſtitutionis ſunt quatuor. *Prima* ex parte Dei, quia etiam in hoc ſtatu debetur Deo cultus externus, ipſa natura id dictante: gratia autem perficit, non deſtruit naturam. *Secunda* ex parte Chriſti, qui cùm conſtet anima & corpore, etiam eius memoria ſenſibilibus rebus renovanda eſt & conſervanda inter homines. *Tertia* ex parte Eccleſiæ, quæ cùm ſit viſibilis & maximè una, maximè etiam ſacris ſignis ſenſibilibus eget, quibus copuletur. *Quarta* ex parte naturę lapſæ, quæ per Sacramenta ſenſibilia faciliùs conſequitur remiſſionem peccatorum & gratiam. Hinc etiam præcipua quadam ratione perficitur fides, augetur ſpes & Charitas. Ita ex D. Thoma *contra gentes.* Filliucius *tract. 1. num. 46.* Trullench *tom. 3. in praxi reſolut. Sacrament. lib. 1. cap. 1. dub. 3. num. 1.*

Con. Tri. Floren. D. Thom. Filliucius. Trull.

8. In Sacramentis novæ legis res ſe habent ut materia, verba ut forma. Ita D. Thomas *3. parte quæſt. 60. art. 6. ad 2.* & ferè antiqui Theologi: tum quia ita loquitur Concilium Florent. in inſtructione Armenorum: tum quia omnia neceſſaria ad compoſitionem ex materia & forma hîc inveniuntur: nam res ſenſibilis præcedit verbum, & cùm ex ſe ſit indeterminata, contrahitur per verbum ad certam ſignificationem: tum quia verbi ſignificatio clarior & evidentior eſt, quàm rei ſenſibilis. Ceterùm Cajetanus dicto *art. 6.* Dom. Sotus *in 4. diſtinct. 1. q. 1 art. 1. & 2.* volunt res & verba eſſe materiam Sacramenti, ſignificationem eſſe formam. Probant *Primò*, quia Sacramentum eſſentialiter eſt ſignum, & ipſius forma conſiſtit in ſignificatione, eſſentia autem verborum & rerum cum ſuis accidentibus ſubſternitur ſignificationi inſtar materiæ. *Secundò*, quia Sacramentum nihil aliud eſt, quàm verbum quoddam viſibile, ut loquitur D. Auguſtinus *contra Fauſtum:* atqui ratio formalis verbi eſt ſignificatio, materiale autem eſt id quod ſubicitur ſignificationi. Verùm hæ ſententiæ dupliciter conciliari poſſunt: *Primò*, ſi diſtinguamus formam in diſpoſitionem & in terminum: nam ſicut in rebus naturalibus & artificialibus una forma eſt diſpoſitio ad aliam, ſic verba ſunt forma in ordine ad res, ſignificatio autem rerum & verborum eſt forma in ordine ad Sacramentum.

D. Thom. Con. Flo. Cajetan. Sotus. D. Aug.

Secundò, ſi advertamus Sacramentum neque eſſe compoſitum phyſicum, neque artificiale, ſed habere ſimilitudinem cum utroque: & quidem ſi comparetur cum compoſito artificioſo, tunc forma eius partim eſt ſignificatio, partim virtus operativa; materia verò ſunt res ipſæ & verba in quibus reſidet ſignificatio & virtus illa operativa, quemadmodum in compoſito artificioſo tota ſubſtantia dicitur materia, forma verò eſt quoddam accidens. At verò ſi conſideretur ut ſimile compoſito naturali, tunc totum verbum cum ſua ſignificatione eſt forma, & totum elementum cum ſua ſignificatione eſt materia, & ſic loquitur Concilium Florentinum, cuius loquendi modus eſt ſervandus; nam compoſitum ex re ſenſibili & ſignificatione non eſt compoſitum ex materia & forma, ſed ex ſubiecto & accidente, nec ipſa Sacramenti ſignificatio eſt ſimplex, ſed alia eſt rei ſenſibilis, alia verbi; nam illa naturalis eſt, hæc voluntaria, neque coaleſcunt in unum, niſi ut fiat totum quoddam heterogeneum, cuius unaquæque pars retinet rationem ſuam formalem. Simile aliquid cernere eſt in ipſa materia; nam aqua vel oleum, verbi gratia in Baptiſmo & Confirmatione eſt materia, ſimiliter ablutio & unctio, ſed hæc proxima materia eſt, illa remota: nam ſic habent expreſſiorem ſignificationem, ut notat Divus Thomas *loco citato articulo ſexto, ad 2.* Vide Suarez *tom. 3 diſp. 2. ſectione 1. verſ. Secundò.*

D. Thom. Suarez.

9. Materia & forma in Sacramentis ſunt partes intrinſecæ, & eſſentiales in Sacramento quolibet novæ legis. Ratio eſt, quia in quolibet toto materia & forma ſunt partes intrinſecæ & eſſentiales: Sed quodlibet Sacramentum eſt quoddam totum artificioſum morale: ergo &c. Tum etiam, quia ſuppoſita Chriſti inſtitutione Sacramenta non poſſunt confici aut eſſe, ſine rebus & verbis, ut diximus *tom. 1. verb. Sacramentum 2. num. 1.* Nam res externæ ſeu actiones ſenſibiles ſunt valde accommodatæ ad exteriorem cultum divinum, & ideò in omnibus Sacramentis tam veteribus, quàm novis adhibitæ ſunt: verba autem conferunt, ut ſignificatio ſit certior & expreſſior, qualis eſſe debet in lege gratiæ propter huius ſtatus perfectionem: & ideò conveniens fuit Sacramenta huius legis ex rebus & verbis componi. Et hæc compoſitio Sacramentorum ex rebus & verbis optimè accommodata eſt compoſitioni ex materia & forma; nam ex rebus & verbis unum Sacramentum componitur, & non omninò per accidens, ſeu per aggregationem: ergo optimè intelligitur, unum concurrere per modum materiæ & potentiæ, & alterum per modum actus & formæ. Ita D. Thomas *3. parte, quæſtione 60. art. 6.* Sylvius, Nugnus, Pelantius *ibidem.* Suarez *loco cit. diſp. 2. ſect. 1. concl. 2. & 3.* Sayrus *lib. 1. de Sacram. cap. 3. quæſt. unic. art. 6.* & alij communiter.

D. Thom. Sylvius. Nugnus. Pelant. Suarez. Sayrus.

10. In caſu extremæ neceſſitatis, non ſolùm poteſt adhiberi Sacramentum cum materia dubia, ſed etiam adeſt obligatio charitatis ſic miniſtrandi, duplici conditione poſitâ: *Primâ*, ut detur euidens neceſſitas ex parte recipientis, qui ſcilicet indigeat ſpecialiter receptione Sacramenti. *Secunda*, ut Sacramentum ſub conditione conferatur. His poſitis tollitur omnis inordinatio: ſiquidem neceſſitas facit, ut acceptio Sacramenti non temerè, ſed prudenter fiat: melùs enim eſt dubium Sacramentum indigenti miniſtrare, quàm nullum. Conditio verò tollit periculum irritandi Sacramentum. Unde non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur miniſter uti dubia poteſtate, materia, vel forma, quoties adminiſtratio Sacramenti requiritur ad vitandum ſcandalum, vel periculum damnationis, vel aliud graviſſimum inconveniens. Cùm enim ob neceſſitatem liceat adminiſtratio Sacramenti dubij, tenemur per tale Sacramentum indigenti providere: quia quoties ſine diſpendio poſſumus indigenti ſuccurrere, tenemur, ſaltem ex charitate, ſeu miſericordia. Ita Præpoſitus *in tertiam partem quæſtione 66. art. 8. dub. 3. num. 90.* Ioannes Sanchez

Præpoſ. Sanch. 2.

Caram. *in ſelectis diſp. 44. num. 31. & 32.* Caramuel *l. 3. Theologiæ moral. num. 1542.* & alij.

Adnotandum tamen eſt, quod in prædicto caſu, ſi recipientes Sacramenta ſupervixerint, eſſent denuò eis miniſtranda dicta Sacramenta ſub conditione; quia per hoc animarum ſaluti providetur, nec ullum ſubeſt reiterationis periculum cùm illud prorſus excludat appoſita conditio. Ita de baptiſmo definit Alexander III. Leo Magnus, ut habetur *cap. Cùm itaque, de conſecrat. diſtinct. 4. & cap. Parvulos, eadem diſtinct. cap. Placuit, eadem diſtinct.* ubi ratio redditur, ne noſter ſcrupulus, ſeu trepidatio pueros faciat Sacramentorum purgatione privari. Ita etiam Sylvius 3. *parte, quæſtione 60. articulo octavo, quæſito tertio, concluſione quarta*, Amicus *tomo ſeptimo, diſputatione undecima, ſectione ſecunda, numero trigeſimo ſecundo.* Sed hæc dicta ſint quando materia probaliter eſt dubia. Vide dicta ſuprà *verb. Baptiſmus II numero ſecundo*, ubi contra quoſdam ſuſtinuimus Baptiſmum non poſſe in articulo moris conferri cum aqua roſacea, vel aqua elicita ex herbis, floribus, vel trondibus; quia ex communi Doctorum ſententia, talis aqua non eſt apta pro Sacramento Baptiſmi, quia hujuſmodi liquores non ſunt aqua naturalis, licet eam referant, ſed ſunt ſucci quidam habentes ſinguli propriam ſubſtantiam. Sed de his vide Cardin. Lugo *diſputatione 8. de Sacram. in genere ſect. 9. num. 140.* Dianam *part. 5. tr. 3. reſol. 2.* Bonacinam *tom. 1. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 1. num. 32.*

Alex. III. Leo. Sylvius, Amicus, Lugo. Diana, Bonacina.

11. Quando rationabile dubium occurrit, an per mutationem ſenſus formæ perierit, ea iteranda eſt, & quidem ſub conditione, maximè in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, quæ non poſſunt iterari, cùm imprimant Characterem. Si autem ſit tantùm ſcrupulus, hic deponendus eſt maximè ab eo qui Sacramenta ritè & rectè adminiſtrare ſolet. Hinc fit, ſub conditione Sacramentum poſſe iterùm adminiſtrari, quàdo dubitatur de ipſius validitate, ut quando adhibita eſt forma dubia, ſeu quando ſunt opiniones utrinq; probabiles de validitate Sacramẽti, vel quando adhibita ſufficienti diligentia remanet dubium an aliquis ſit baptizatus, vel quando mens manet dubia, & neutra pars poteſt determinari, an Sacramentum ſit validum. Ratio eſt, quia tunc datur ſufficiens & rationabilis cauſa iterum adminiſtrandi Sacramentum ſub conditione, & geritur utiliter negotium ſuſcipientis, cùm fieri poſſit ut iterata Sacramenti adminiſtratione ſaluetur. Ita D. Thomas 3. *p quæſt. 66. art. 9. ad 4.* Nugnus *ibidem concl. 1. & 2.* Sylvius *ibidem quæſit. 1.* Valentia *to. 4. diſp. 4. q. 1. punct. 4 verſus finem.* & alij communiter.

D. Thom. Nugnus. Sylvius. Valentia.

Secus autem dicendum eſt ſi dubium leve ſit aut ſcrupulus; quia iteratio Sacramenti ſine cauſa videtur ipſius irriſio & grave peccatum ex genere ſuo, ut ex communi Doctorum ſententia advertunt Valentia *loco citato* Trullench *tom. 3 in praxi reſolut. Sacramentor. lib. 1 cap. 2. dub. 3. n. 17.* & alij.

Valentia. Trull.

12. Ad conficienda Sacramenta non ſufficit intentio quâ quis ſuſcepit Ordines hoc animo ut fieret Sacerdos & miniſter Eccleſiæ: quia huiusmodi intentio videtur habitualis pro tempore, quo Sacramenta conficiuntur. Ita Suarez *loco cit. diſp. 13. ſect. 3.* Bellarm. *lib. 1, de Sacram. c. 27.* Nonnulli tamen Doctores advertunt, non requiri in conficiendis Sacramentis intentionem formalem faciendi quod Chriſtus inſtituit, aut quod Eccleſia intendit: ſed ſufficere intentionem aliquâ confuſam; ut ſi quis ſuſcepit Ordines, ut fieret Sacerdos & miniſter Eccleſiæ, & poſtea conſuevit celebrare, & alia Sacramenta adminiſtrare, nec umquam habuit intentionẽ contrariam aliter faciẽdi, quàm intendat Eccleſia, vel quàm Chriſtus inſtituerit; hic dicitur habere intentionẽ confuſam ad conficiendum Sacramentum. Ita Henriquez *l. 1. c. 10 n. 2.* qui citat Sotum & Navarr. Valentia *tom. 4. diſp. 3. q. 5. punct. 3. verſ. Intentio autem implicita.* Quorum doctrina admitti poteſt, ſi aſſeratur ex prima illa intentione explicata, & ex conſuetudine celebrandi argui in actu exercito confuſam aliquam intentionem actualem, aut virtualem faciendi ſaltem in genere, quod Sacerdos facere conſuevit. Si verò aſſeratur intentionem elicitam in ordinatione ſufficere, non videtur vera, quia virtualiter non perſeverat tempore confectionis Sacramentorum, cùm ſit interrupta per plures actiones impertinentes, ut benè Bonacina *tom. 1. diſp. 1. q. 3. punct. 2. §. 3. num. 16.*

Henriq. Sotus. Navarrus. Valentia. Bonacina.

13. Sed peres ubinam & quamdiu maneat virtualis intentio conficiendi Sacramentum? Reſp. hanc manere in ipſa motione externa, quæ non ſemper pendet in fieri & conſervari ab actuali intentione ſeu voluntate interna. Sed poſtquam per debitam intentionem applicuit miniſter ſuas exteriores potentias ad actionem Sacramentalem, quamvis interrumpatur intentio exterior, potentiæ ipſæ manent applicatæ & continuant motus ſuos, & quamdiu motio illa durat ex vi prioris applicationis, dicitur virtualiter manere à priori intentione: durabit autem, donec finiatur vel obtineatur res priùs intenta, vel donec per contrariam intentionem, vel per aliquod ſuperveniens impedimentum interrumpatur, & tunc neceſſaria erit nova voluntas, ut interrupta actio iterum inchoetur, ſeu continuetur. Probabile autem eſt, cum actione externa ſemper concurrere actualem aliquam phantaſiæ & appetitus motionem, atque hoc modo per quaſdam actiones externas excitari hominem ad alias ſibi ordinatè ſuccedentes ex vi prioris intentionis, atque ita fieri Sacramentum virtute illius. Ita Scotus *in quarta, diſtinctione ſexta, quæſtione ſexta*, Gabriel *quæſtione prima, articulo tertio, dubio primo.* Suarez *loco citato diſputatione decima-tertia, ſectione tertia*, Sylvius 3. *parte, quæſtione 64. articulo octavo, concl. 6. verſ. Hæc autem.*

Scotus. Gabriel. Suarez. Sylvius.

14. Quamvis ex communi ſententia Doctorum ad valorem Sacramenti in adultis requiratur poſitivus conſenſus, ſeu intentio & voluntas recipiendi illud: quia receptio Sacramenti eſt humana; Sacramentum autem quod non conſiſtit in re permanente, ſed in uſu ſeu applicatione ad recipientem, non poteſt humano modo recipi, niſi conſentiat is qui recipit, ut docent D. Thom. 3. *parte q. 68. art. 7.* Scotus *in 4. diſt. 4. quæſt. 4.* Coninck *de Sacrament. quæſt. 64. art. 8. dub. 5.* & alij.

D. Thom. Scotus. Coninck.

Tamen ſufficit conſenſus habitualis, id eſt præteritus non revocatus, ut ſupponitur *in cap. Majores, de Baptiſmo*; & ſatis congruenter. Ratio eſt, quia ſuſcipiens non ſe habet ut agens & operans, ſicut ſe habet miniſter, ſed tantùm ſe habet ut patiens, ac proinde non eſt neceſſarium, conſenſum eſſe actualiter, neque virtualiter, ut ex eo tanquam ex efficiente derivetur, & fiat Sacramentum, ſed ſufficit, quòd ſuſcipiens aliquo modo conſentiat in ſuſceptionem Sacramenti, ad quod ſufficit conſenſus præteritus nondum revocatus. Imò non eſt neceſſarius conſenſus ſpecialis, ſed ſufficit quilibet etiam generalis, quia quilibet ſuſcipiens dicitur in ſuſceptionem Sacramenti

menti conſentire; ut eſt conſenſus, quo quis Catholicè vivens deſiderat uti Sacramentis Eccleſiæ, vel ea ſibi conferri, quando ipſis indiguerit, & tunc conſenſum præſumit Eccleſia in moribùdo, quem extremè ungit, quamvis hoc Sacramentum non petierit. Nō requiritur ergo tāta intentio in recipiente, quanta requiritur in cōferēte: quia miniſter cùm ſit agens, debet habere intētionem quæ ſit principium actus humani; ſuſcipiens autem eſt patiens & ideò ſufficit, quod aliquando illam habuerit, & non ſit revocata. Ita Hurtadus Gaſp Hu. *de Sacrament. in genere diſp. 4. diffic. 13.* Diana *p. 5. tr. 13. reſol. 32.* Suarez *loco citato, diſp. 14. concl. 1.* Trullench *in praxi reſolut. Sacramentor. lib. 1. c. 5. dub. 2.* Sylvius *3. parte q. 68. art. 7.* Qui noviſſimus obſervat hæc non procedere in Sacramentis pœnitentiæ & matrimonij. Cùm enim actus pœnitentium & contrahentium ſint materia iſtorum Sacramentorum; non eſt ſatis quod præceſſerit voluntas ea recipiendi & non ſit revocata: ſed oportet quòd pœnitens ſit cōfeſſus eo modo quo poteſt, quodque contrahentes ſuos conſenſus verbis aut alijs exterioribus ſignis exprimant.

Diana. Suarez. Trull. Sylvius.

Vide verb. Circumſtantia *num. 5.* Excommunicatio *2. num. 3.* Baptiſmus. Confirmatio. Confeſſio. Euchariſtia. Ordo. Matrimonium, *1. n. 2. 3. & ſeq.* Simonia *num. 8.*

SACRAMENTALIA.

SUMMARIUM.

1 *Sacramentalium nomine, quæ intelligantur?* Remiſſivè.
An Sacramentalia cauſent remiſſionem peccatorum venialium, non ſolùm ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato? Refertur duplex ſententia.

2 *An aqua benedicta præter remiſſionem venialium cauſet plures alios effectus? Et an opere operato?* Refertur duplex ſententia. *Et an ſemper?*

1. SAcramentalium nomine intelligunt fideles aut actiones, aut res ſacras quibus peccatorum venialium remiſſio obtinetur, ut diximus *tom. 1. verb. Pœnitentia IV. n. 7.*

Doctores conveniunt, quòd huiuſmodi Sacramentalia cauſent remiſſionem venialiū ex opere operantis & per modum impetrationis; ſunt enim opera bona quę ordinare poſſumus, ut medijs illis remittatur venialegtum etiam multa illorum habent vim obiectivam ad excitandam in nobis deteſtationem venialium, ut eſt confeſſio generalis & tunſio pectoris; Oratio Dominica, &c.

Difficultas eſt, an Sacramentalia cauſent remiſſionem peccatorum venialium ex opere operato, hoc eſt, ex vi & inſtitutione ſua? Plurimi negant hanc vim Sacramentalibus, & probant *Primò*, quia non eſt in Eccleſia poteſtas à Chriſto Domino illi conceſſa ad inſtituenda Sacramentalia, quæ ex opere operato, & per modum Sacramenti remittant venialia: ergo, Tum quia res iſta eſt magni momenti & ſolùm pendens ex voluntate Chriſti, quæ voluntas venanda nobis eſt, vel ex novo teſtamento, vel Patrum teſtimonijs, Summorum Pontificum, aut alicuius Concilij determinatione: Sed nihil horum reperitur in præſenti: Ergo. *Secundò*, quia aliàs Sacramentalia eſſent Sacramenta: quia veniale dimitti non poteſt ſine gratiæ infuſione, vel ſine eo quod gratia ſpecialiter ordinetur ad peccatum illud delendum, quod eſt munus proprium Sacramenti. *Tertiò*, quia aliàs ſumens aquam benedictam cum devotione ad res divinas, & cùm hæc devotio non magis reſpiciat unum veniale, quàm aliud, una aſperſione omnia venialia delerentur; quod eſt abſurdum. Hanc ſententiam ſuſtinent Suarez *tom. 4. in 3. parte diſp. 12. ſect. 2.* Vaſquez *3. parte quæſt. 87. art. 3. dubio 1.* Iacobus Granadus *controverſ. 7. de pœnitent. tract. 4. diſp. 3. ſect. 2.* Coninck, Becanus, Layman, Reginaldus, Filliucius, & tota ferè Societatis Schola, poſt D. Thomam *3. parte, quæſt. 87. articulo 3.* ubi ait: *Ad primum dicendum, quod omnia iſta* Sacramentalia *cauſant remiſſionem venialium peccatorum in quantum inclinant animam ad motivum pœnitentiæ, quod eſt deteſtatio peccatorum implicitè, vel explicitè.* Idem ferè habet *in 4. diſt. 16 quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 4. ad 2.*

Suarez. Vaſquez. Granadus Coninck. Becanus. Layman. Reginald. Filliucius. D. Thom.

E contra Thomiſtæ ferè omnes aſſerunt Sacramentalia omnia ex opere operato immediatè ut inſtrumenta phyſica cauſare remiſſionem peccatorum venialium in homine benè diſpoſito circa Deum ultimum finem per gratiam, & benè affecto actualiter circa res ſacras & divinas, quibus Eccleſia inſtituit hanc remiſſionem cauſari. Fundamentum hujus ſententiæ eſt, quia Chriſtus reliquit in Eccleſia poteſtatem inſtituendi ſigna efficacia ſenſibilia, quæ continerent & efficerent remiſſionem peccatorum venialium: ergo ſi iſta applicentur ſubiecto benè diſpoſito, ex opere operato cauſabunt talem remiſſionem. Probatur hoc ex illo Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis,* ubi Chriſtus de omnibus peccatis, tam mortalibus, quàm venialibus loquitur. Et cùm Concil. Trid. *ſeſſ. 14. c. 5.* loquens de peccatorum venialium remiſſione extra Sacramentum pœnitentiæ, dicat quod *multis alijs remedijs expiari poſſunt*; neque Chriſtus inſtituerit aliquod aliud cui competat per ſe talis remiſſio, ſequitur Eccleſiam id poſſe inſtituere. Si enim Sancti Patres & omnes Eccleſiaſtici ex iſto loco probent dari in Eccleſia poteſtatem concedendi indulgentias. quibus ex opere operato remittatur per ſe pœnæ debita pro culpis iam expiatis; eiſdem verbis ſignificatur poſſe Eccleſiam inſtituere ſigna ſenſibilia, quæ ex opere operato venialia remittant: neque enim videtur cur ex præfato teſtimonio unum colligatur, & non aliud, cùm verba Chriſti univerſalia ſint, ſignificantia ampliſſimam poteſtatem eſſe conceſſam ad ſolvendum & ligandum.

Con. Trl.

Deinde poteſtas quam habet Eccleſia Romana, eſt poteſtas Summi Sacerdotij, participata tamen à Summa poteſtate excellentiæ Sacerdotij novi, quæ in Chriſto reſidet primò & per ſe, & ex natura ſua, à qua ſicut immediatè accipiunt ſuam efficaciam Sacramenta, ita & Sacramentalia; quæ etſi inſtituta ſint ab Eccleſia immediatè, tamen efficacia ex opere operato ad remiſſionem venialium à Chriſti Sacerdotio promanat & in ipſum, ut in primam radicem eſt refundenda, quamvis immediatè cauſetur à poteſtate & Sacerdotio participato capitis viſibilis Eccleſiæ, ex quo iſta Sacramentalia habent ſpecialem capacitatem ut ſint inſtrumenta Dei ad cauſandum effectum, ad quem ſunt inſtituta. Proinde hanc ſententiam ſuſtinent Cajetanus *in tertiam partem quæſtione 83. articulo tertio,* Nugnus *quæſtione 87. articulo tertio, differentia ſecunda,* Candidus *diſquiſit. vigeſima-quarta, articulo trigeſimo-quinto, dubio ſecundo,* Dominicus Sotus *in quartum diſtinct. decima-quinta, quæſtione ſecunda, articulo tertio,* §.

Cajetan. Nugnus. Candidus Sotus.

Ledeſma. D. Anton. V guer. Valentia. Th. Hurt. D. Thom.

In contrarium. Martinus Ledeſma *in 4. part. 1. quæſt. 18. art. 3. dub. 3. & part. 2. quæſt. 73. art. 2.* D. Antoninus 1. *parte Summ. tit. 10. cap. §. 5.* Viguerius *de pœnitent. cap. 16. §. 4. verſ. 8.* Valentia 3. *part. diſp. 7. quæſt. 4. punct. 1. verſ. Eſt autem hic.* & noviſſimè Thomas Hurtado *part. 2. tract. ult. variar. reſolut. 9.* qui §. 3. probat hanc ſententiam tenuiſſe D. Thomam 3. *part. quæſt. 87. art. 3. in reſolut. ad 1. 2. & 3.* quem pro ſe adducit contraria opinio.

Hæc ſunt placita Doctorum, quorum prima ſententia eſt valde probabilis, ſecunda autem magis pia augenſque fidelium devotionem & conformior decretis Sanctorum Patrum.

2. Nulli dubium eſt, aquam benedictam non ſolùm cauſare venialium remiſſionem, ſed plures alios effectus, quales ſunt, ſanitas corporis, averſio inſidiarum dæmonum, defenſio à phantaſmatibus & verſutijs inimici. Et ſic Eccleſia in exequijs mortuorum corpore præſente aquâ benedictâ corpus & tumulum aſpergit, ad fugandos dæmones, ne fideles inquietent: tum etiam, ut defuncto deſerviat ad remiſſionem pœnæ temporalis. Co. Nan. Propterea Concilium Nannetenſe *capite quarto & quinto* ſtatuit, quòd aquâ benedictâ aſpergantur manſiones, agri, vineæ, pecora, & eorum pabula; cibus etiam & potus conſpergatur.

Dubium tamen eſt, quomodo aqua benedicta, ſignum crucis, exorciſmi Eccleſiæ hos effectus operentur, an ex opere operato, an ſolùm ex opere operantis? Suarez. Coninck. Negant Suarez *tom. 4. in tertia parte, diſputatione duodecima, ſectione ſecunda*, Coninck *quæſt. 71. art. 3. dub. unic.* aſſerentes hos effectus non cauſari ex opere operato, ſed ſolùm impetratoriè & meritoriè, ratione precum Eccleſiæ, vel per modum imperij orti à poteſtate quam Deus contulit Eccleſiæ calcandi dæmones, & eos ejiciendi à corporibus. At Thomiſtæ ferè omnes adducti affirmant: quia dicunt Patres aquam benedictam habere vim, virtutem, poteſtatem & efficaciam ad depellendos dæmones, fugandam infirmitatem, & extirpandas fraudes inimici: & hoc petit Eccleſia in benedictione aquæ, dicens: *Virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura tua myſterijs tuis ſerviens ad abigendos dæmones, morboſque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum.* Igitur cùm univerſalis Eccleſia hanc virtutem pro aqua expoſcat orationibus inſtans, quis negabit eam conſequi & impetrare à ſuo Sponſo Chriſto? Et quidem cùm hæc virtus phyſica inſtrumentalis non repugnet, prudenter indicandum eſt eam expoſcere, cùm Oratio Eccleſiæ in ſignificatione propria ſit intelligenda, quando nullum ſequitur abſurdum.

Quare ſicut Apoſtoli per gratiam gratis datam miraculorum phyſicè tanquam inſtrumenta dæmones expellebant & curationes cauſabant, ita etiam tunc Eccleſia & miniſtri ejus, per exorciſmos & aquam benedictam ſupernaturali virtute illis communicata hæc operantur.

Ceterùm, quamvis aqua benedicta & alia Sacramentalia habeant hanc energiam & efficaciam ad hos effectus cauſandos ex opere operato, ut volunt Thomiſtæ, non tamen ſemper eos cauſant: cujus effectus impedimentum poteſt eſſe, vel quia nobis non expedit, vel ex defectu fidei, tam operantis quàm obſeſſi, vel quia iſte nondum luit pœnas debitas, vel quia Deus prohibet occultis modis, cùm id juſtum, atque utile judicat: cùm enim virtutem iſta efficiendi donet Deus huiuſmodi rebus per modum tranſeuntis ad efficienda hæc mira, poteſt ut libuerit dare, vel non dare, ut docent Victoria *in relect. de Magia, quæſtione ſexta*, Sotus *in quartum, diſtinct. ſexta, quæſtione ſecunda, articulo tertio*, Thomas Hurtado *parte ſecunda, tract. ult. reſolut. nona, numero 493.* Thyreus *tertia parte de dæmonibus, capite quadrageſimo-quarto, numero 612.* Delrius *libro tertio diſquiſition. quæſtione 71. articulo tertio*, & alij. Victoria. Sotus. Th. Hur. Thyreus. Delrius.

SACRILEGIVM.

SUMMARIUM.

1 *An diviſio ſacrilegij in tres ſpecies, nempe, contra perſonas ſacras, contra loca ſacra, & contra res alias ſacras, ſit in ſpecies ultimas ſeu infimas, an verò in ſubalternas?* Refertur duplex ſententia.

2 *An qui furatur rem ſacram ex loco ſacro, teneatur in confeſſione utramque circumſtantiam explicare?* Refertur duplex ſententia.

3 *Quando perſona ſacra ſæcularem polluit tangendo illam impudicè, an patiens pollutionem teneatur in confeſſione circumſtantiam perſonæ explicare?* Refertur duplex ſententia.

4 *An furtum rei non ſacræ de loco ſacro ſit ſacrilegium?* Referuntur variæ ſententiæ.

5 *An omne peccatum quod perſona ſacra committit, ſit propriè & formaliter ſacrilegium.*

6 *An ſacrilegium committatur exercendo cauſas civiles ſæculares, vel Eccleſiaſticas in Eccleſijs & earum cœmeterijs.*

7 *An placita judicum ſæcularium exercita in Eccleſijs ſint ipſo jure irrita.*

8 *An ſacrilegium committat exiſtens in Eccleſia cum animo furandi, fornicandi, vel occidendi.*

1. EX communi Theologorum ſententia poſt D. Thom. 2. 2. *q.* 99. *a.* 3. Sacrilegium diſtinguitur in tres ſpecies: una contra perſonas ſacras: altera contra loca ſacra: tertia contra res alias ſacras. D. Thom.

Dubium tamen eſt, an diviſio ſacrilegij in tres ſpecies iam dictas ſit in ſpecies ultimas, ſeu infimas, an verò in ſubalternas? Quidam exiſtimant hanc diviſionem eſſe in ſpecies ſubalternas continentes ſub ſe alias ſpecies infimas. Ratio eſt, quia in prima ſpecie diſtinctum eſt ſacrilegium percutere clericum & peccare contra votum caſtitatis; nam primum eſt contra peculiarem immunitatem talis perſonæ; ſecundum contra fidelitatem, quæ duo in genere moris, & ſecundùm rationem honeſti diſtincta ſunt. In ſecunda furtum in loco ſacro videtur ſpecie diſtingui ab effuſione ſanguinis aut ſeminis in ratione ſacrilegij: quia habet deformitatem repugnantem rationi longè diverſam. Denique in tertia ſpecie res ſacræ valde inter ſe diverſæ ſunt & modis valde diverſis ſanctitatem participant, & cùm in ijs diverſæ habitudines ad ſanctitatem ſint, ideò etiam poterunt conſtituere diverſas ſpecies rerum ſacrarum. Ita Suarez *libro 3. de ſacrileg. capite 5.* Leſſius *libro 2. capite 45. dubio tertio, in fine.* Filliucius *tractatu vigeſimo-quarto, capite nono, numero 244.* qui vocat hanc ſententiam probabiliorem. Proinde iuxta illos non ſufficit explicare in confeſſione ſacrilegium commiſſum eſſe contra perſonam ſacram, locum, aut rem; ſed explicandus eſt modus particularis ſacrilegij contra perſonam ſacram, locum vel rem ſacram, Suarez. Leſſius. Filliucius.

ſacram; verbi gratia, violatam eſſe perſonam, vel per fornicationem, aut percuſſionem: locum per effuſionem ſanguinis, aut ſeminis: explicandum etiam, an res ſacra violata, ſint Sacramenta, an aliæ res; & præcipuè ſi ſacrilegium contigerit circa ſacram Euchariſtiam.

D. Thom. Cajetanus

Nihilominus D. Thomas 2.2.q.99.art.3. Cajetanus *ibidem*, & alij exiſtimant ſupradictam diviſionem eſſe in ſpecies ultimas & infimas, & conſequenter modos ſacrilegij ſub ſingulis his ſpeciebus contentos ſolùm differre numero, ſicut Ioannes & Paulus. Ratio diverſitatis harum ſpecierum eſt; quia ſingulæ illarum habent habitudinem diverſam ad ſanctitatem; nam perſona eſt formaliter & ſimpliciter ſancta, ut ſubiectum ſanctitatis; locus eſt ſanctus, ut contentivus perſonarum & rerum ſacrarum. Res verò dicuntur ſacræ per habitudinem, qua ad ſanctitatem ordinantur, & cùm ratio cuiuſlibet harum ſpecierum eadem ratione participetur à modis ſub unaquaque illarum contentis; hinc fit has ſpecies eſſe infirmas, & modos ſub illis contentos non ſpecie, ſed numero differre. Hinc percuſſio Virginis ſacræ & commixtio cum illa, ſunt eiuſdem ſpeciei in ratione ſacrilegij: ſimiliter Eccleſiæ violatio per effuſionem ſanguinis, vel ſeminis, licet peccata aliter inter ſe diverſa ſint, ut notat etiam Sylvius *ad hunc art. D. Thom. in reſp. ad 2.* Hæc ſententia vera eſt & tuta, tum propter S. Doctoris auctoritatem; tum etiam, quia difficillimum eſt aſſignare rationes, quibus diſtinguuntur & conſtituuntur modi contenti ſub illis, ſi ea diſtinctio dicatur eſſe in ſpecies ſubalternas, quarũ unaquęq; habeat plures ſpecies ſub ſe diſtinctas in ratione ſacrilegij. Tamen propter diverſitatem opinionum optimum conſilium eſt in ordine ad confeſſionem, ſpeciem ſacrilegij explicare; quando modus ſacrilegij, vel ex parte rei ſacræ, vel ex modo violandi illam, eſt multum diverſus: maximè ſi eſt circa ſacram Euchariſtiã, ut bene admonent Auctores prioris ſententiæ, quibus ſubſcribit Trullench *in Decal. lib. 1. cap. 10. dub. 15. num 8.*

Sylvius.

Trullench

2. Dubium eſt, an qui furatur rem ſacram ex loco ſacro teneatur in confeſſione utramque circumſtantiam explicare? Negat Fagundez *de præc. Eccleſ. præcept. 2. lib. 4. cap. 5. num 21. in fine*, dicens, qui furatur rem ſacram de loco ſacro, ſatisfacit dicendo ſe furatum fuiſſe rem ſacram, & non eſt opus dicere de loco ſacro, quia utraque illa circumſtantia ad eandem rationem formalem virtutis religionis ſpectat, & ille concurſus rei ſacræ & loci ſacri, nec multum variat judicium confeſſarij, nec notabiliter ſacrilegium aggravat, ut conſideranti patet. Verùm quia D. Thomas 2.2.q.99. *art.* 3. & communis ſententia Doctorum, diſtinguunt ſpecie ſacrilegium erga rem ſacram, ac erga locum ſacrum, ſicut & erga perſonam ſacram, dicendum eſt eam differentiam & utramque circumſtantiam, quando ſimul fuerit, debere explicari, ut advertunt Cardinal. Lugo *diſput. 6. n. 471.* Raphaël Averſa *de Sacrament. Pœnitent. quæſt. 10. ſect. 11.* quos refert & ſequitur Diana *p. 8. tract. 7. reſol. 76.*

Fagund.

D. Thom.

Lugo. Averſa. Diana.

3. Sacrilegium committitur quando regularis, vel Monialis, vel aliquis in ſacris Ordinibus conſtitutus ſæcularem polluit tangendo illum impudicè, & patiens pollutionem tenetur in cõfeſſione circumſtantiam perſonarum explicare. Ratio eſt; quia in tactibus libidinoſis, qui mortales ſunt, fatendæ ſunt neceſſariò circumſtantiæ perſonarum agentis & patientis, ſicut in copula ipſa; quoniam eiuſdem ſunt malitiæ moralis, cuius eſt actus conſummatus copulæ ad quam ſuapte natura referuntur. quamvis, tangens eam minimè intendat, ut ex multis reſoluit Sanchez *de mat. l. 9. diſp. 46. n. 17.* Proinde non eſt admittenda doctrina Llamas *in ſum. part. 3 c. 8. § 16.* aſſerentis, quando ſola mollities committitur tactibus profeſſi, vel in ſacris conſtituti, ſi patiens eſt ſæcularis, non tenetur amplius dicere, niſi Paſſus ſum voluntariè pollui tactibus alienis. Neque in ſacris conſtitutus, vel profeſſus amplius tenetur dicere, niſi tangens impudicè, aliũ pollui Et ſi non ſit cognitus, non tenetur explicare, Sum profeſſus, vel in ſacris, niſi illi etiã accidat voluntaria pollutio: quia ſacra perſona non eſt in tali caſu violata. Ita ille, qui primus fuit Auctor huius ſententiæ, „ quem ſequuti ſunt nonnulli recentiores, nempe Caramuel *in regul. S. Benedicti, diſp. 66. num. 588.* Iacobus de Graffijs *de caſibus reſerv. lib. 3. cap. 8. n. 39.* Gelualdus *in Theol. mor. part. 1. tract. 27. cap. 9. num. 16.* Tamburinius *in Method. expeditæ Confeſſion lib. 2. cap. 5. §. 10 n. 66.* qui noviſſimus ita ait: Si tu tuis manibus polluas uxoratum, vel Sacerdotem, &c. debes id explicare, quia cooperaris ad adulterium, vel ſacrilegiũ: at ſi te tuis manibus alius polluat, parum refert pro tuo peccato contra caſtitatem, quòd ille fuerit vir vel femina, vel Sacerdos: tunc enim (ſi aliud non additur) ſe habent illæ manus ut merum inſtrumentum; & ſolùm adeſt cooperatio cum alterius te polluentis peccato. Hic ſentit cum Llamas *ſuprà.*

Sanchez. Llamas.

Caram. Graffijs. Geluald. Tambur.

Hæc ſententia reiicienda eſt, quia juſſu Sanctæ Inquiſitionis Hiſpanicæ talis opinio in ſumma Llamas inuenitur expuncta, in indice expurgatorio edito anno 1632. à Cardinali Antonio Zappata littera H. ſecundæ claſſis: quia gravis iniuria & contemptus videtur inferri ſacræ profeſſioni religioſæ & ſacris Ordinibus eo ipſo, quo quis utitur tactibus profeſſi & conſtituti in ſacris Ordinibus, ut inſtrumento ad immundiſſimum hoc peccatum contra naturam perpetrandum. Ergo cùm hæc ſit circumſtantia graviter evidenter aggravans, eſt explicanda in ſacro pœnitentiæ Sacramento. Proinde hanc ſententiam improbant Candidus ſacri Palatij Magiſter *tom. 3. diſquiſit. 2. art. 24. dub. 5. & 6.* Diana *part. 1. tract. 7. reſol. 53. & part. 7. tract. 11. reſolut. 27. & part. 9. tract. 9. reſolut. 65.* Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. unic. dub. 8. §. 1. num. 2. in fine*, Oviedo *in 1.2. D. Thom. tract. 6. controv. 5. punct. 2. §. 10. n. 70* Unde cautè legendi ſunt Auctores contrarium docentes, & caveant in poſterum hanc ſententiam in ſuis operibus amplius imprimere, ut admonet Diana *ſuprà in part. 9.*

Candidus Diana. Trullench Oviedo.

4. Inter juris civilis interpretes & Canoniſtas, ſeu Theologos controvertitur, an furtum rei non ſacræ de loco ſacro ſit ſacrilegium? Ratio controverſiæ eſt, quia Joannes Papa *in cap. Quiſquis 17. quæſt. 4.* declaravit, quod *Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, aut ſacrum de non ſacro.* E contra jus civile aliter diſponit; nam *in l. Divi. ff. ad l. Iul. Peculatus* dicitur, *Res privatorum, ſi in ædem ſacram depoſitæ, ſurreptæ fuerint, furti actionem, non ſacrilegij eſſe*, ubi Gloſſa ſimpliciter ait, in eo caſu non committi ſacrilegium: & idem tenet Bartolus *ibidem* & communiter legiſperiti, ut refert Iulius Clarus *lib. 5. §. Sacrilegium, num. 1.* qui ita diſtinguit: Secundùm jus civile tantùm cenſetur ſacrilegium, quando ſacrum de ſacro aufertur: ſecundùm verò jus Canonicum, ſufficit ſi non ſacrum de ſacro, aut ſacrum de non ſacro aufertur.

Gloſſa. Bartolus. Clarus.

Sed omiſſo jure civili, ad quod non ſpectat propriæ

prias rationes vitiorum & peccatorum in ordine ad conſcientiam diſcernere, ſed ſolùm in ordine ad politicam gubernationem, aut vindictam: etiam inter Theologos eſt opinionum diverſitas, num ſit ſacrilegium furari rem non ſacram de loco ſacro ſive de Eccleſia? Et quidem communis ſententia ſine ulla diſtinctione affirmat furtum in loco ſacro ſacrilegium eſſe, ac ſubinde eſſe mortale ex ſuo genere, niſi ex levitate materiæ excuſetur. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia *in dict. c. Quiſquis*, ſimpliciter & ſine limitatione ponitur ſpecies ſacrilegij furari nō ſacrū de loco ſacro ubi autē lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; niſi vel alia lex obliget, vel ratio cogat, quando aliàs ſequeretur abſurdum: hic autem nihil horum intervenit. Ita Suarez *tom. 3. de Religione, lib. 3. cap. 5. n. 7.* & communiter Canoniſtæ *in d. c. Quiſquis. 17. q. 4.* & Summiſtæ *verb. Sacrilegium*, Angelus, Sylveſter, Cajetanus & alij. Sed ex modernis Theologis Layman *lib. 4. tract. 10. c. 7. n. 16. & 17.* Reginaldus *lib. 23. n. 12.* Sylvius *2. 2. q. 99. art. 3.* & alij.

Suarez. Angelus. Sylveſt. Cajetanus Layman. Reginald. Sylvius.

Nonnulli tamen Doctores diſtinguunt duos modos, quibus poteſt res non ſacra in Eccleſia eſſe. *Primò*, quia eſt ſub iure & quaſi poteſtate Eccleſiæ; ut ſi & illi tradita ſit in pignus vel ad cuſtodiendam, vel alio ſimili modo in Eccleſia depoſita. *Secundo*, poteſt res aliqua merè prophana per accidens, caſu eſſe in Eccleſia, vel quia ibi eſt perſona, quæ illam ſecum defert, vel quia ibi caſu relicta eſt. In priori caſu affirmant ſacrilegium eſſe, furari bona in Eccleſia: in poſteriori autem negant. Ratio prioris eſt; quia quod hoc modo eſt in Eccleſia, eſt ſub ſpeciali patrocinio ac cuſtodia divina: eſt enim templum ſpeciali modo ac titulo ſub dominio Dei, & ideò quod ibi deponitur, & per Dei miniſtrum acceptatur, cenſetur veluti ſub Dei fide & defenſione recipi: & ideò tale furtum ſpecialem malitiam habet contra reverentiam Deo, & templo eius debitam. Ratio poſterioris eſt, quia bona illa, quaſi per accidens ſunt in Eccleſia: Ergo non irrogatur ſpecialis iniuria Eccleſiæ, etiamſi inde quis ea furetur, & aliàs tale furtū non eſt ſpecialiter prohibitum ab Eccleſia in honorem templi. Unde non eſt cur habeat malitiam ſacrilegij lethalem, & ex hoc non eſt neceſſariò aperienda hæc circumſtantia in confeſſione: quia non cenſetur loco per tale furtum maior iniuria irrogari, quàm per confabulationes, riſus, detractiones, contractus ſæculares, & ſimilia. Hæc ſententia practicè iudicatur probabilis à multis modernis Theologis, ut à Leſſio *lib. 2. cap. 45. dub. 3. n. 14.* Joanne de la Cruz *in director. part. 2. tract. de Sacram. Pœnit. quæſt. 3. dub. 6.* Fagundez *de præcept. Eccleſ. præcept. 2. lib 4. cap. 4. n. 9.* Henriquez *lib. 2. c. 6. de Pœnit. num. 5. in Comm. lit. N.* Diana *part. 1. tract. 7. reſ. 27.* Trullench *in Decal. lib. 1. c. 10. dub. 15. n. 5.* & alijs.

Leſſius. De la Cr. Fagund. Henriq. Diana. Trullench

5. Non omne peccatum quod perſona ſacra committit, eſt ſacrilegium propriè & formaliter, etiamſi quolibet peccato violetur perſona peccātis; ſed illud demum quod directè committitur contra ſanctitatē perſonæ. Unde ſi perſona ſacra furetur, mentiatur, maledicta in cœlū vel in Sanctos cōiiciat, vel ſi ebrietatibus, comeſſationibus, venationibus, ludis, negotiationibus ſe dedat, peccat quidem, quia ius naturale & divinum violat, ſacrilegium tamen non committit; aliàs enim omnia peccata Sacerdotum eſſent ſacrilegia. Erit tamen ſacrilegus Sacerdos, ſi in peccato mortali celebret, miniſtret, vel ſuſcipiat Sacramenta, quia irrogat gravem irreverentiam rebus ſacris. Item ſi fornicetur vel adulteretur, non autem ſi inebrietur, ſi iraſcatur, ſi ſuperbiat. Similiter ratiocinandum eſt de peccato quod alius in perſonam ſacram committit. Si enim contra eam iraſcatur nolens tamen verberare, aut furtim ab eius domo quippiam ſurripiat, non eſt ſacrilegium propriè loquendo: erit autem ſi eam percutiat, ſeu percutere velit. Proinde conſiderandum eſt ad quid perſona, locus vel res ſit ſanctificata, & videndum ſi contra illud, ad quod ſanctificata dicitur, actum ſit: nam ager Eccleſiæ ſanctificatus eſt quoad exemptionem à ſæcularibus oneribus & iuriſdictionibus, & propterea ſacrilegium eſt ſi illis gravetur; non autem ſi quis ibi fornicetur: quia per hoc quod eſt Eccleſiæ, non eſt ſanctificatus ad puritatem à libidine. Et ſimiliter ſacrilegium eſt in loco ſacro fornicari, non autem ibi detrahere; quia loci ſanctitas eſt ad exemptionem ab effuſione ſeminis humani, non autem à detractione. Ita Cajetanus *2. 2. quæſt. 99. dub. 5.* Navarrus *in Man. cap. 6. num. 13.* & *cap. Conſideret, de pœnitent. diſp. 5. num. 50.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 3. num. 9. in fine*, Sylvius *2. 2. quæſt. 99. art. 3. in reſp. ad 3.* Trullench *in Decal. lib. 1. cap. 10. dub. 15. num. 3. in fine.*

Cajetanus Navarrus. Suarez. Sylvius. Trullench

6. Sacrilegium committitur exercendo cauſas civiles ſæculares in Eccleſijs & earum cœmeteriis, quia *in cap. Decet, de immunit. Eccleſ. in 6.* vetitum eſt cauſas civiles in præfatis locis haberi, ubi dicitur: *Omnis in Eccleſijs ſæcularium judiciorum ſtrepitus conquieſcat, nulla inibi cauſa per laicos, criminalis maximè, agitetur, ſint loca eadem à cognitionibus laicorum aliena.* Ex quo ſequitur eum, qui cauſas ſæculares in Eccleſijs agit, peccatum ſacrilegij committere. De rigore tamen juris vetitum non eſt cauſas Eccleſiaſticas in Eccleſijs peragere, ſed permittitur *in cap. ultim. 2. quæſt. 2.* ut docent Navarrus, Panormitanus & alij, quos refert & ſequitur Suarez *tom. 1. de relig. lib. 3. cap 4. num. 10.* Æquitati tamen conſentaneum eſt, ut placita Eccleſiaſtica in palatio Epiſcopi peragantur, vel alio commodo loco extra Eccleſiam, ut communi uſu & praxi receptum eſt. & patet ex *cap. Qua fronte, de appellat.* Et fertur declaraſſe ſacram Congregationem, judices etiam Eccleſiaſticos non poſſe intra corpus Eccleſiæ judicium exercere, teſte Marzilla.

Navarrus. Panorm. Suarez. S. Congr. Marzilla.

7. Placita judicum & miniſtrorum ſæcularium non ſolùm prohibentur fieri in Eccleſijs, vel cœmeterijs, ſed ſi inibi exercita fuerint, ipſo jure irrita ſunt, ut patet ex *cap. Decet, de immun. Eccleſiar. in 6.* ibi, *Et nihilominus proceſſus judicum ſæcularium, ac ſpecialiter prolatæ ſententiæ in eiſdem locis, omni careant robore firmitatis.* Ex quo textu colligitur *Primò*, non prohiberi actus juriſdictionis gratioſæ & voluntariæ, ut ſunt diſpenſationes & ſimilia; hæc enim validè fiunt in Eccleſijs & locis ſacris: tum quia *in dict. cap. Decet*, ſermo eſt de illis quæ cum ſtrepitu judiciali fiunt, quorum nomine non veniunt actus juriſdictionis voluntariæ. Colligitur *Secundo*, hanc irritationem non extendi ad placita, quæ in domibus Eccleſiæ, extra Eccleſiam fiunt, ut in Monaſterio, hoſpitali, domo Parochi, vel Canonicorum: quia *in dict. cap. Decet*, de ſolis Eccleſijs ſermo eſt, & irritatio, cùm ſit odioſa, non debet extendi. Ita Panormitanus *in cap. Cùm Eccleſia. de immunitate.* Suarez *loco citato num. 13.* Tertiò, Epiſcopum alioſque Prælatos juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, non poſſe concedere judici ſeculari facultatem exercendi in Eccleſijs judiciales actus: quia Epiſcopus, regulariter loquendo, diſpenſare non poteſt in jure communi: ex quo fit, quòd judex ſæcularis non poſſit eum examinare,

Panorm. Suarez.

examinare, qui ad loca ſacra confugit; quia abſurdum eſt & crudele, ibi judicium languinis exerceri, ubi eſt tetula refugij conſtituta, ut dicitur *in c. Cum Eccleſia, de immunit. Eccleſiar.* Ita Suarez *loco citato n.* 9. pro prima parte, & Sanchez *lib.* 6. *moral. c.* 16. *num.* 58. pro poſteriori. Suarez. Sanchez.

8. Sacrilegium non committit exiſtens in Eccleſia cum animo furandi, fornicandi, vel occidendi, niſi intendat hæc facere in Eccleſia. Ratio prioris eſt: tum quia actus exterior, quem ut finem ſibi propoſitum habet, & in quem intendit, eſt quidem in eo voluntarius, ſed ſolùm, ad opus extra locum ſacrum faciendum: tum quia loci ſanctitas internis actibus voluntatis non violatur. Ratio poſterioris eſt, quia opus exterius, quod eſt homicidium, vel furtum, vel fornicatio, vult in loco ſacro facere. Sed actus exterior & interior voluntatis, quando in eadem materia ſubjecta verſantur, ſunt ejuſdem ſpeciei. Hinc fit, quod qui in loco ſacro eſt, & mente delectatur in homicidio, furto vel fornicatione cogitata, in ſacrilegij crimen non incurrat, ſi delectatio quam capit, terminetur in eis per ſe abſolutè, ſolùm ut ea mente concipiuntur; quia contra loci ſanctitatem ille non peccat, quamvis in loco ſacro peccet. At verò ſi delectationem capiat ex his ut in loco ſacro perpetratis, ſacrilegia eſt ejuſmodi delectatio; quoniam delectatio ejuſdem eſt ſpeciei, cujus eſt materia ſubjecta. Ita Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 15. *punct.* 1. Azorius *tomo primo, lib.* 9. *cap.* 27. *quæſit.* 7. Bonacina *de matrim. quæſt.* 4. *punct. ult. num.* 7. & *tom.* 2. *diſp.* 3. *q.* 6. *punct. unic. n.* 24. & alij. Valentia. Azorius. Bonacina.

SATISFACTIO.

SUMMARIUM.

1 *Cùm peccator ad Deum convertitur, an cum culpa etiam pœna univerſa remittatur.*
An ſatisfactio impoſita à Confeſſario ſemper remittat omnem pœnam peccatis confeſſis debitam? Refertur duplex ſententia.

2 *Satisfactio ſacramentalis an habeat aliquem effectum ex opere operato? & an habeat vim cauſandi aliquem novum gradum gratiæ in ſubjecto diſpoſito, quando impletur.*

3 *An per flagella à Deo nobis immiſſa, ut ſunt bellum, fames, &c. poſſimus Deo ſatisfacere, ſi voluntariè acceptentur & in Deum referantur.*

4 *An non ſolùm per dicta flagella, ſed etiam per omnia quæcumque illa ſint, & ex quibuſcumque cauſis proveniant, dicto modo ſatisfactio fieri poſſit.*

5 *An noſtra ſatisfactio ſit unicum medium ad remiſſionem pœnæ in hac vita conſequendam.*

6 *An ſemper injungenda ſit ſatisfactio ſacramentalis pœnitenti ſcrupuloſo, qui frequenter intra eandem horam accedit ad Confeſſarium?* Refertur duplex ſententia.

7 *An ſatisfactio ſacramentalis poſſit injungi à Confeſſario tam ante, quam poſt abſolutionem? & ſi quis pœnitentiam impleat, antequam abſolvatur, an ſtatim ſuum effectum habeat ex opere operato, ſi pœnitens ſit in gratia.*

8 *Quandonam Confeſſarius poſſit obligare pœnitentem ut pœnitentiam impleat, antequam eum abſolvat.*

9 *Si pro pœnitentia injuncta ſit à confeſſario eleëmoſyna, an pœnitens ſatisfaciat dando illam extremè indigenti? vel conſanguineis, vel ſibi illam applicando.*

10 *Si pœnitentia injungatur à Confeſſario ut certo die adimplenda, ſi tunc non impleatur, an pœnitens poſtea teneatur adimplere?* Refertur duplex ſententia.

11 *An ſatisfactio præſervativa poſſit à Confeſſario commutari in non præſervativam, vel præſervativam.*

12 *Quando cenſeatur ſatisfactio imponi vel commutari in confeſſione.*

1. CUm peccator ad Deum convertitur, non ſemper cum culpâ univerſa etiam pœna remittitur; quia ratio juſtitiæ poſtulat, ut qui poſt Baptiſmi gratiam Deum offendere & Spiritum ſanctum contriſtare non formidaverit, recipiatur à Deo cum aliqua caſtigatione, mutatâ pœnâ æternâ in temporalem, quæ deinceps à pœnitente exoluenda eſt per dignos pœnitentiæ fructus, qui ex Chriſti paſſione vim habent, & ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre, ut ait Concil. Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 8. Quantitas hujus pœnæ temporalis ſoli Deo eſt nota, ad eamque luendam propriè inſtitutum eſt purgatorium: homines tamen, tum per indulgentias, tum per opera pœnalia, tum maximè per pœnitentiam à Confeſſario injunctam etiam in hac vita poſſunt pœnam illam redimere; non tantùm ex parte, ſed etiam ex toto; ſicut & Baptiſmus & Martyrium tollunt omne debitum pœnæ temporalis. Con. Trid

Difficultas eſt apud Theologos, an ſatisfactio impoſita à Confeſſario, quæ eſt compenſatio pœnæ temporalis, ſufficiat ad remittendam omnem pœnam peccatis debitam, ita ut peractâ ſatisfactione nihil luendum pœniteti in Purgatorio remaneat? Quidam affirmant, ſi Confeſſarius impoſuit pœnitentiam, quam ipſe arbitratus ſit juſtam; juſta autem cenſetur, quæ exæquat, nec major nec minor eſt eâ pœnâ, quæ pro peccatis per contritionem & Confeſſionem condonatis, reſtat luenda in Purgatorio; par enim eſt, ut pœnitentia juxta prudentis Confeſſarij arbitrium impoſita tollat omnem pœnam. Ita Ioannes Medina *Cod. d. effectu pœnit. injunctæ*, Sotus *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 2. *art.* 3. & alij. Hurtadus *de Sacram. diſp.* 14. *de pœnit. diffic.* 5. Sed contrarium mihi dicendum videtur, nempè non ſemper remittere omnem pœnam. Ratio eſt; tum quia proprium eſt Sacramenti Baptiſmi, tollere omnem culpam & pœnam: ergo per ſacramentalem ſatisfactionem non ſemper omnis pœna remittitur. tum quia, ut Confeſſarius imponat pœnam peccatis debitam ad æqualitatem, cognoſcere debet, quanta pœna peccatis debeatur. Sed hoc ſoli Deo eſt notum, ut diximus: ergo non imponit pœnam ad æqualitatem, & conſequenter per ſatisfactionem non ſemper tollitur omnis pœna peccatis debita. Ita Vaſquez *de pœnitent. quæſt.* 90. *articul.* 2. *dub.* 6. Reginaldus *lib.* 7. *cap.* 47. Bellarminus *de pœnitent. lib.* 4. *cap.* 2. Sylvius *in* 3. *part. quæſt.* 85. *articul.* 2. *quæſit* 3. *concl* 2. *edit.* 3. & alij, quibus adde Nugnum *in ſupplement. quæſt.* 18. *artic.* 4. *diffic.* 2. Valentiam *tom.* 4. *diſp.* 7 *quæſt.* 14 *punct.* 4. *verſ. Duo tamen.* vide Dianam *p.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 38. *in fine.* Medina. Sotus. Galp. Hur. Vaſquez. Reginald. Bellarm. Sylvius. Nugnus. Valentia. Diana.

Sed circa hanc difficultatẽ eſt advertendum aliquam eſſe ſatisfactionẽ, ita proportionatam peccatis, ut ſi illa imponatur & impleatur, totum reatum deleat; nam cùm hic reatus finitus ſit, poterit adæquari per ſatisfactionem finitam: unde fit, ut interdum poſſit ſatisfactio excedere reatum; interdum poſſit eſſe inæqualis, & tunc habebit ſolùm ex parte effectum juxta proportionem, quam cum ipſo reato habuerit. Ita notat Suarez *tom.* 4. *diſp.* Suarez.

Layman. *diſp.38.ſect.2 n.7.* & poſt illum Layman *lib.5.tr.6. cap.15.n.14.* Atque ita intelligendum venit, quod diximus *tom.1. verb. Satisfactio, num.14.*

2. Satisfactio ſacramentalis habet aliquem effectum ex opere operato; quia aliàs non plus haberet efficaciæ, quàm fatisfactio non ſacramentalis: quod procedit ex poteſtate clavium ligandi & remittendi peccata, quæ eſt in Sacerdotibus. Con. Trid Nam in Concil. Trident. *ſeſſ.14. cap.3.* dicitur, quod hi actus *Contritio, Confeſſio & Satisfactio ad integritatẽ ſacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur*; unde ſequitur quod omnes illi actus ex opere operato valeant ad plenam & perfectam remiſſionem D. Thom. peccatorum. Ita ex communi D. Thomas *quodlib. 3.art.28.* Imò probabile eſt, ſatisfactionem ſacramentalem, quando actualiter impletur, habere vim cauſandi aliquem novum gradum gratiæ, & de facto illum cauſare in ſubjecto diſpoſito. Ratio eſt; quia talis ſatisfactio, quando actualiter impletur, eſt pars Sacramenti à Chriſto inſtituti ad ſignificandam & cauſandam gratiam: ergo ſicut contritio & confeſſio gratiam ſacramentalem producunt in quantum vniuntur formæ abſolutionis & ex eis ſimul junctis unum Sacramentum conſtituitur: ita quoque ſatisfactio aliquem gratiæ gradum producit per habitudinem, quam dicit ad abſolutionem & ad uſum poteſtatis clavium. Ita D. D. Thom. Cajetan. Nugnus. Suarez. Sylvius. Thomas 3 *part.quæſt.90 art.2.ad 2.* Cajetan. Nugnus *ſuper quæſt.90.* Soto *in 4 diſp.17.quæſt.1.a.2.* Suarez *de pœnit. diſp.38.ſect.2.* Sylvius *loco cit. concluſ 3.* & alij.

3 Poſſumus ſatisfacere Deo per pœnas, quas neceſſariò patimur, ſeu per flagella ab eo immiſſa, ut ſunt bellum, fames, infirmitas, &c. modò tamen voluntariè acceptentur & aliquo modo in Deum referantur. Probatur hoc ex Concilio Trident. *ſeſſ.14.cap.9.* ubi habetur: *Sed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.* Ratio eſt; quia licet homo ab extrinſeco patiatur hujuſmodi pœnas, dum tamen eas voluntariè acceptat & offert Deo, moraliter facit eas proprias, ideoque ſufficiunt ad ſatisfaciendum, ſicut qui ab alio ſuſcipit pecuniam, & illam Deo offert in cultum religioſum, per illam ſatisfacit; quia valor ſatisfactionis non conſiſtit in hoc, quòd ipſe dolor, ſeu pœna à nobis veluti actione phyſica fiat, ſed multò magis in hoc quòd propter Deum ſuſtineatur, & voluntariè illi offeratur: ergo idem fiet in his flagellis, ut per illa ſatisfaciamus; quia moraliter non minùs grave eſt ſuſtinere flagella extrinſecus illata, quàm à ſe; quia fieri poteſt, ut plus ſatisfaciat quis per hanc pœnam toleratam, quàm per ſponte aſſumptam: licet enim pœna ex ea parte, qua eſt magis voluntaria, magiſque propria, plus ſatisfactiva ſit, tamen ex parte difficultatis, quæ eſt in ſuſtinendis paſſionibus extrinſecus advenientibus, multum excedere poteſt hæc pœna tolerata; præſertim ſi cum illa aliqua injuria conjuncta ſit. Sic ſentiunt Sancti Patres, dum docent per hæc flagella purgare Deum juſtos in hac vita, ſicut per ignem Purgatorii purgat in alia. Con- D. Thom Sylveſt. Victoria. Navarrus. Filliucius. Suarez. ſentiunt D. Thomas *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc.2* Sylveſter *verb. Satisfactio, q.9.* Victoria *in ſumm. num.207.* Navarrus *in Man. cap.3.num.4.* Filliucius *tract.8.n.21.* Suarez *tom.4. diſp.37.ſect. 7.* & alii penes ipſos.

4. Non ſolùm fit hæc ſatisfactio per flagella ad eum finem à Deo immiſſa, ſed per omnia, quæcumque illa ſint, & ex quibuſcumque cauſis proveniant, dummodò voluntariè acceptentur & referuntur in Deum. Ratio eſt; quia hæc omnia flagella homo poteſt moraliter facere ſua; quia proveniunt ex divina providentia, quæ ſaltem generali intentione per ea intendit, ut exerceamur & purgemur à vitiis & reatibus peccatorum: ergo ſi homo illis rectè utatur, per illa etiam purgabitur: tum quia paſſio hujus vitæ non eſt comparabilis, nec proportionem habet cum pœna Purgatorii: ergo non erit ſufficiens ad remittendam illam, niſi ex dignitate, vel voluntate patientis habeat valorem moralem, ut hac ratione poſſit eſſe veluti prętium ſufficiens ad remittendam illam pœnam Purgatorii. Sic D. Thom. Navarrus, Victoria & alii numero præcedenti allegati, qui exempla ponunt in ęgritudine quacumque. Concilium etiam Trident. & Patres indefinitè loquuntur.

5. Satisfactio neceſſaria eſt ad conſequendam remiſſionem pœnæ Purgatorij, non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed etiam medij, hoc eſt, noſtra ſatisfactio eſt unicum medium ad remiſſionem pœnæ in hac vita conſequendam. Ratio eſt; tum quia lex divinæ juſtitiæ eſt, ut qui peccat, puniatur dignè: tum etiam quia naturalis ratio dictat, ſatisfaciendum eſſe Deo offenſo pro peccatis contra legem naturæ. Denique in operibus noſtris non eſt aliud meritum remiſſionis pœnę præter ipſam ſatisfactionem, quę convenit operi, ut pœnale eſt, ideoque nulla ſupereſt certior via ad conſequendam remiſſionem pœnæ præter condignam ſatisfactionem. Quod ſatis quidem conſonum eſt, tum divinæ juſtitiæ vindicativæ, ut ſicut commutativa poſtulat meritum, ita vindicativa ſatisfactionem exigat, ne una cum altera confundatur: tum etiam divinæ providentiæ ordinatis ſatisfactionem hanc ad animæ curationem, ut ſaltem timore pœnæ homines à peccando abſtineant. Quod remedium valdè redderetur inefficax, ſi alijs remedijs poſſent homines facilè ſine condigno labore & dolore, talis pœnę remiſſionem obtinere. Ita Sua- Suarez. rez *loco cit. diſp.37. ſect.10.* Filliucius *tract.8. num.28.* Filliucius. Trullench *in praxi reſol. Sacram. lib.4. c.7. dub.1.* Trull. *num.12.* & alij.

6. Dubium eſt, an injungenda ſemper ſit pœnitentia, ſeu ſatisfactio ſacramentalis pœnitenti ſcrupuloſo, qui frequenter intra eandem horam accedit ad confeſſarium? Videtur enim quod ſic; quia diverſa Sacramenta partes quoque diſtinctas habere debent; alioquin diverſa non eſſent, niſi ſecundum quid: At Sacramenta hîc non ſunt eadem: nam peccata nova ſunt ad Sacerdotem allata, nova contritio, diverſa abſolutio, quæ omnia indicant horum Sacramentorum diſtinctas eſſe materias numero. formas item differentes: ergo oportet ſatisfactionem eandem non eſſe, ſed diverſam. Ergo non poteſt una & eadem ſatisfactio pluribus Sacramentis aptari. Ita ſentiunt Stephanus Bauny *in Theolog. moral. part.1.tr.* Baunyus. *4. quæſt.25.* Reginaldus *lib.7. num.12.* Hæc opi- Reginald. nio tutior eſt in praxi regulariter ſequenda. Non eſt tamen improbabilis ſententia aſſerens in hoc caſu poſſe Sacerdotem injungere pœnitentiam jam aliàs injunctam: nam opus aliàs debitum poteſt in ſacramentalem ſatisfactionem injungi, ut docet Bonacina *tom.1. diſp.5. quæſt.5. ſect.3.punct.* Bonacina. *2. num.3.* Imò ſi nullam pœnitentiam injungat. Ratio eſt; quia hæc pars ſolùm requiritur ad integritatem Sacramenti, eo modo quo punitio requiritur ad complementum judicij humani; unde ſicut in judicio humano non manet judicium imperfectum ex defectu punitionis, quando reus non judicatur pœnâ dignus, ſic

neque

neque hoc iudicium & Sacramentum manet imperfectum ex defectu ſatisfactionis, quando pœnitens non iudicatur dignus pœna : tum quia ſicut in iudicio humano non peccat grauiter iudex non imponendo aliquam pœnam parui momenti, quâ reus erat dignus ; ſic nec in hoc Sacramento confeſſarius grauiter peccat non imponendo ſatisfactionem leuem, quam poſſet imponere : nam per hoc non deeſt muneri ſuo in re graui ; ſed in complemento quodam leuis momenti, quod deficit Sacramento ob eius culpam. Proinde in hoc caſu poſſet eſſe tantùm peccatum veniale ex paruitate materiæ, ſi Confeſſarius omittat, ſecluſo contemptu, imponere aliquam ſatisfactionem. Ita Henriquez *lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 6. Card. Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp.* 25. *ſect.* 4. *num.* 50. Henriquez. Lugo.

7. Satisfactio ſacramentalis, per ſe loquendo, poteſt iniungi à Confeſſario tam ante, quàm poſt abſolutionem : quia dummodo moraliter coniungantur hæc, & veluti in eodem iudicio fiant, non refert, ſi alterum antecedat, vel ſequatur. Conſuetudo tamen iam ferè obtinuit, vt pœnitentia priùs imponatur, quod licet non cadat ſub obligationem, conſultiùs nihilominus videtur, vt materia, quoad commodè fieri poteſt, ſupponatur formæ, & vt pœnitens ſaltem voto & proposito ſatisfaciat priuſquam abſoluatur : ſic enim meliùs ratio iuſtitiæ ſeruatur. Ita Nauarrus *in Man. cap.* 26. *n.* 9. Filliucius *tract.* 8. *num.* 38. Suarez *diſp.* 38. *ſect.* 3. *n.* 6. Syluester *verb. Confeſſor.* 4. §. 1. & alij. Nauarrus. Filliucius. Suarez. Syluester.

Sed petes, ſi quis pœnitentiam impleat antequam abſoluatur, an ſtatim habeat ſuum effectum ex opere operato, ſi pœnitens ſit in gratia? Reſpondeo non habere effectum ante datam abſolutionem. Ratio eſt, quia Sacramentum non incipit habere effectum donec eſſentialiter conſummatum ſit per formam. Deinde, quia hic eſt ſecundarius effectus coniunctus alteri principali, qui eſt culpæ remiſſio. Sicut ergo non remittitur pœna ante remiſſionem culpæ, ita neque hæc pars poteſt habere ſuum effectum ante abſolutionem. Illa ergo ſatisfactio habebit effectum ex opere operantis, poſteà verò, conſummato Sacramento, dabitur effectus ex opere operato.

8. Non poteſt Confeſſarius obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam priuſquam illum abſoluat, per ſe loquendo, quando ſatisfactio eſt tantùm vindicta : quia nullum ius ad hoc habet, nec cauſam differendi abſolutionem, ſi pœnitens accepret pœnitentiam, & nulla ſit ratio exiſtimandi non impleturum illam : nam huiuſmodi ſatisfactio exhibetur poſt remiſſionem peccatorum, vt tollatur reatus pœnæ temporalis : hic autem non tollitur nondum deletâ culpâ. Si verò conſideretur pœnitentia vt eſt curatio & medicina, poteſt confeſſarius obligare pœnitentem ad pœnitentiam adimplendam ante abſolutionem, quoties ita iudicauerit expedire, & pœnitens tenebitur obedire ; puta ſi Confeſſarius deprehendat illum pœnitentiam in præcedentibus confeſſionibus impoſitam iniquè ac ſæpiùs omittere : quanquam in hoc prudentia Confeſſarij neceſſaria ſit. Ratio eſt, quia Confeſſarius tanquam iudex & medicus habet ius præcipiendi ea, quæ ad curationem & medicinam pœnitentis iudicauerit expedire. Si ergo expediat pœnitenti perſoluere pœnitentiam ante abſolutiouem, poterit eam præcipere : quia tunc potiùs agitur de condigna diſpoſitione ad remiſſionem peccatorum, quam de ſatisfactione pro temporali pœna. Ita Suarez *tom.* 4. *diſput.* 38. *ſect.* 7. *num.* 7. Filliucius *tract.* 8. *numero quinquageſimo ſexto*, Reginaldus *lib.* 7. *num.* 83. nam præceptum, quo talis ſatisfactio imponitur, non tam eſt inductiuum nouæ obligationis, quàm declaratiuum obligationis, cui pœnitens ſubiicitur de ſe, vt poſſit moraliter conſtare de ipſius diſpoſitione, ac ſufficienti proposito in poſterum peccata vitandi. Suarez. Filliucius. Reginald.

9. Si pro ſatisfactione ſacramentali à Confeſſario iniuncta ſit eleemoſyna, pœnitens ſatisfacit tradendo eleemoſynam pauperi extremè indigenti, cui aliàs tenebatur ex præcepto charitatis ſubuenire. Ratio eſt ; tum quia hæc cenſetur confeſſarij voluntas, ne pœnitens eleemoſynarum multitudine nimis grauetur : tum quia cùm eleemoſyna dirigatur ad ſubleuandam pauperis indigentiam, ſequitur potiori ratione dici eleemoſynam, quo maior eſt indigentia, conſequenter ſatisfieri menti Confeſſoris tradendo eleemoſynam illi, cui pœnitens adhuc tenebatur ex præcepto charitatis eam tradere. Secus dicendum ſi tenebatur illi pauperi ex voto vel ex iuſtitia, aut ratione reſtituendi incerta ; hæc enim non eſſet eleemoſyna, ſed debitum iuſtitiæ, aut voti. Ita Eman. Sà *verb. Satisfactio, num.* 9. Nauarrus *in Man. cap.* 3. *num.* 4. Suarez *diſp.* 38. *ſect.* 6. *num.* 5. Trullench *in praxi reſol. Sacramentor. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 16. Summa Corona *de pœnitent. num.* 4. & nouiſſimè Amicus *tom.* 8. *diſp.* 16. *ſect.* 5. *num.* 90. dicens : Si imponatur pro pœnitentia eleemoſyna, ſatisfacit pœnitens etiamſi illam faciat extremè indigenti, cui aliàs ex præcepto charitatis tenetur illam facere. Secus ſi illam faciat propriis parentibus, vel conſanguineis, qui ordinariè ſemper extremè indigent. Ratio diſcriminis eſt ; quia hic caſus obligat ordinariè pœnitentem ad ſuccurrendum ſuis extremè indigentibus, non autem ille ; proinde ille non cenſetur, ſicut iſte à pœnitentia Confeſſarij excluſus. Et huius ſententiæ eſt etiam Diana *part.* 9. *tract.* 9. *reſol.* 54. Eman. Sà. Nauarrus. Suarez. Trullench. Sum. Coron. Amicus. Diana.

Non poteſt tamen Confeſſarius permittere vt eleemoſyna ex pœnitentia debita applicetur ipſi pœnitenti ; quia tunc nullam eleemoſynæ rationem habet, vt docent Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 49. *num.* 6. & alter Sanchez, Ioannes nempe *in ſelectis diſp.* 14. *num.* 18. Sanchez. Sancius.

10. Quando pœnitentia à Confeſſario iniuncta ad nullum certum diem eſt addicta, quolibet die eam pœnitens implere poteſt. Si autem iniungatur à confeſſario vt certo die adimplenda, & eam præfixo tempore non impleuerit ſiue culpabiliter, ſiue abſque culpa, dubium eſt, an debeat proximo commodo tempore eam adimplere ? Quidam negant teneri alio die adimplere. Ratio illorum eſt, quia talis pœnitentia eſt addicta certo tempori, quo elapſo, non amplius obligat : ſicut Officium diuinum, aut Sacrum in Feſto omiſſum, vel votum ieiunandi, aut recitandi Pſalmos determinato die in honorem alicuius Sancti, non tenemur alio die ea perficere : quia ſunt opera ex intentione Eccleſiæ, vel Confeſſarij, aut vouentis addicta ad certum diem, quo elapſo non amplius obligant. Sic ſentire videtur Fagundez *in* 2. *præcept. Eccleſ. lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 5. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 22. *n.* 7. Amicus *tom.* 8. *diſp.* 16. *ſect.* 5. *dub.* 10. *num.* 93. Sed melius alij arbitrantur, dicentes per ſe non ceſſare obligationem : nam eſto hæc pœnitentia tibi præcipiatur adimplenda certo die, tempus non fuit præfixum ad finiendam obligationem, ſed ad ſolicitandam, & non differendam abſque iuſta cauſa, & præceptum cadit directè circa ſubſtantiam operis iniuncti : in tempus verò tanquam in circumſtantiam accidentalem. Si tamen Confeſſarius pœnitentiam ita tempori alligaret, vt eo tranſacto obligationem ceſſare velit, non eſt obligatus pœnitens compenſare : quia Fagundez. Henriquez. Amicus.

intentio confeſſarij hanc pœnitentiam imponentis, fuit, finire ſimul cum tempore obligationem, ne, ſi ſimul cum ſubſequente perſiſteret, nimium pœnitens grauaretur. Et hanc voluntatem præſumitur habere Confeſſarius, quando pœnitentia per longum tempus, ſtatis temporibus, diſtribuitur, quæ ſi in vnum coniungeretur, intolerabilis eſſet; v.g. ieiunare ſingulis hebdomadis, communicare, confiteri, &c. Ita Suarez *diſp.* 38. *ſect.* 7. *n.* 6. Coninck *diſp.* 10. *dub.* 9. *n.* 85. Nauarrus *in Man. c.* 12. *n.* 54. Caietanus *v. Satisfactio*, Diana *p.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 37. & *part.* 9. *tract.* 9. *reſolut.* 52. Caſtrus Palaus *tom.* 4. *tract.* 23. *diſp. vnic. punct.* 21. §. 2. *num.* 13. Bonacina *tom.* 1. *diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 3. *punct.* 4. *num.* 5. & alij.

Suarez. Coninck. Nauarrus. Caietanus Diana. Palaus. Bonacina.

11. Pœnitentia, ſeu ſatisfactio præſeruatiua non poteſt commutari à Confeſſario in non præſeruatiuam. Ratio eſt, quia cùm huiuſmodi pœnitentia imponatur non in deſtructionem, ſed in ædificationem per modum medicinæ, vt pœnitens retrahatur & præſeruetur à peccatis, & medicina non profit, niſi ſuſcipiatur, ſequitur Confeſſarium non poſſe pœnitentiam præſeruatiuam commutare in non præſeruatiuam; tamen ex iuſta & rationabili cauſa probabile eſt poſſe in aliam præſeruatiuam commutari: quia Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum ad bonum animarum: cùm autem bono animarum aliquando expediat pœnitentiam iniunctam commutare, puta quando eſt neceſſitas, vel notabilis vtilitas, vel difficultas pœnitentis in præſtanda pœnitentia præſeruatiua, ſequitur Confeſſarium poſſe pœnitentiam præſeruatiuam in aliam præſeruatiuam commutare. Proinde quando Doctores dicunt pœnitentiam præſeruatiuam non poſſe à Confeſſario commutari, intelligendi ſunt, in non præſeruatiuam. Ita Bonacina *tom.* 1 *diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 3. *punct.* 3. *num.* 5. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 137. & alij.

Bonacina. Diana.

12. Ut ſatisfactio conſeatur imponi in confeſſione, non eſt neceſſe, vt quis in loco iudicij, ſiue Confeſſionali ſedeat, tanquam Confeſſionem auditurus, ſed ſufficit, vt actus ſint Sacramentales; nimirum, vt Confeſſarius tanquam Confeſſarius pœnitentem ſua peccata proponentem ſacramentaliter audiat; & vt pœnitens ſua peccata ſacramentaliter proponat Confeſſarij iudicio ſacramentaliter reſoluenda. Ratio eſt, quia iſtæ cæremoniæ non ſunt de eſſentia, vel ſubſtantia huius tribunalis; & aliàs ad vitandam aliquam verecundiam breuiter per actum ſacramentalem poteſt Confeſſarius ſupplere, quod obliuione omiſſum eſt in confeſſione primaria, ſiue ex ſua parte fuerit, ſiue ex parte pœnitentis. Ex quo fit, quod quando confeſſarius à confeſſionali receſſit, & pœnitens oblitus eſt pœnitentiæ impoſitæ, aut fortè Confeſſarius ex obliuione oblitus eſt imponere, non eſt neceſſe vt Confeſſarius ad confeſſionale reuertatur, aut alia cæremonia vtatur, vt ſedendo, &c. ad hoc vt indicet pœnitenti pœnitentiam impoſitam, aut commutet; ſed ſufficit, vt pœnitens innuat ſe habere aliquid pertinens ad confeſſionem; & Confeſſarius vt actum ſacramentalem ſuſcipiat, & reſolutionem velut in Sacramento donet. Ita Petrus Marchantius *tomo primo*, *Tribunal. Sacrament. tractatu ſexto*, *titul.* 3. *quæſtione tertia*, *concluſ.* 1. Quæ omnia ſatis confirmat auctoritas illorum Doctorum, qui aſſerunt ſecundum confeſſarium poſſe commutare pœnitentiam extra confeſſionem, inter quos eſt Leander *de Sacrament. tom.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 9. *quæſt.* 101. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 14. *punct.* 4. Victorellus *in notis ad Eman. Sà*, *v. Satisfactio*, *num.* 5.

P. Marchant. Leander. Valentia. Victorell.

SCANDALVM.

SVMMARIVM.

1 *Scandalum propriè quid ſit.*
2 *Ex triplici intentione ſcandalum proximi poteſt contingere.*
3 *An ſit peccatum ſcandali deponere pecuniam apud vſurarium eâ ad vſuras abuſurum?* Refertur duplex ſententia.
4 *An ſine cauſa deponere pecunias apud vſurarium ſit peccatum contra iuſtitiam & teneatur deponens reſtituere vſuras, quas mutuans accepit ex illis pecuniis mutuatis?* Refertur duplex ſententia.
5 *An vendentes vinum abſque iuſta cauſa iis, quos probabiliter credent lapſuros in ebrietatem, mortaliter peccent.*
6 *An ſit obligatio prætermittendi aliquod præceptum ad euitandum aliorum ſcandalum?* Refertur duplex ſententia.

1. SCandalum propriſſimè dicitur lignum incuruum, quo intendicula, ſeu muſcipula ſuſtinetur, in quod impingens animal ipſam muſcipulam in ſe lubitâ ruinâ euertit: quo modo ſumi videtur Pſalmo 68. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.* Hinc traductum eſt ad ſignificandum offendiculum in via, & non tantùm pro offendiculo vſurpatur, ſed etiam pro minitatione pedis in offendiculum, atque adeò pro ipſa ruina. In ſacris autem litteris hæc omnia ad actus humanos transferuntur, & nomine ſcandali ſignificatur tum occaſio peccati, tum tendentia ad peccatum, tum ipſum peccatum, quod eſt ſpiritualis ruina.

2. Ex triplici intenitone ſcandalum proximi poteſt contingere. *Primò*, directè intendendo ipſam ruinam, ſiue mortem ipſius ſpiritualem, ſiue ideò cupiendo eum hoc, aut illud peccatum committere, vt reatum illius incurrat. *Secundò*, directè intendendo eum inducere ad actum malum, non tamen quia hoc ei malum eſt, ſiue vt ipſe peccati reatum incurrat, ſed ob alium finem; vt quia ipſe ſine alterius ope nequit perficere actum; quem cupit committere; qua ratione vnus alium, aut aliam inducit, vt ſecum furetur, aut fornicetur. *Tertiò*, faciendo aliquod peccatum, aut ſpeciem peccati habens, quo credit alium inducendum ad peccandum, nullo tamen modo id expreſsè intendendo, ſed ſolùm interpretatiuè, quatenus vult facere id, ex quo videt alterum ſumpturum occaſionem peccandi. Qui alterum aliquo ex dictis modis ad peccandum inducit, peccat, & tenetur hoc expreſsè & diſtinctè confiteri, & in hoc conueniunt omnes Theologi. Ita Sanchez *lib.* 1. *moral. c.* 6. *n.* 6. Coninck *diſp.* 32. *dub.* 5. *n.* 35. Lorca *in* 2. 2. *ſect.* 3. *diſp.* 56. *num.* 6. Azorius *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 16. *q.* 2. 3. & 4. & alij.

Sanchez. Coninck. Lorca. Azorius.

3. Dubium eſt inter Doctores, an ſit peccatum ſcandali deponere pecuniam apud vſurarium eâ ad vſuras abuſurum? Quidam enim exiſtimant hos deponentes non peccare, quamuis ſciant eas fore illi materiam vſuræ exercendæ, eò quòd aliunde pecuniæ defuturæ erant. Ratio eſt, quia depoſita pecunia eſt cauſa nimis remota fœnoris; indiget enim voluntate fœneratoris, & voluntate fœnus concedentis. Ita Caietanus 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 4. *fine*, Bannez *ibidem*, *dub.* 4. Aragon *ibidem*, *circa ſolut. ad* 3. Hurtadus de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 14. §. 181. Salon *ſecunda ſecundæ*, *q.* 62. *art.* 5. *contron.* 2. *ad vltimum.* Aliis placet hos deponentes peccare, quando

Caietanus. Bañez. Aragon. Hurtad. de Mendoza. Salon.

quando aliunde pecuniæ defuturæ erant ad vſuras exercendas, vel ad exercendas in tanta quantitate: quia ea depoſitio eſt quaſi collatio inſtrumenti ad irrogandam iniuriam tertio; ſicut eſt traditio gladij paranti alium occidere. Ita D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 4. ad 3. Nauarrus *in Man. cap.* 14. *n.* 40. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 184. Azorius *tom.* 2. *lib.* 12. *cap. vlt. quæſt.* 2. & alij.

D. Thom. Nauarrus. Leſſius. Azorius.

Pro reſolutione huius difficultatis aduertendum eſt tribus modis fieri poſſe quod aliquis pecuniam deponat apud vſurarium. *Primò*, ſi bono quidem animo deponat, ſed apud eum vſurarium, qui etſi libenter vſuras exerceret, non habet tamen modò pecunias ex quibus id facere poſſit, niſi eas quæ apud illum deponuntur. *Secundò*, ſi hac intentione deponat, vt alter inde copioſiùs lucretur per vſuras. *Tertiò*, ſi habenti alias ſufficientes ex quibus vſuras exerceat, ſuam committat cauſa cuſtodiæ vt ſecuriùs ſeruetur. Qui primo vel ſecundo modo deponit, peccat, ex eo quod det materiam peccandi non habens cauſam rationabilem hoc faciendi, atque ita negligendi ſcandalum proximi paſſiuum; cùm æquè commodè poſſet apud alterũ deponere; neque vrgeat vlla neceſſitas deponendi apud illum, quem ſcit, aut ſcire debet quòd eâ abutetur ad vſuram. Nam quamuis ea depoſitio ſit ex ſe indifferens, vult alter eâ abuti, cuius abuſum tenetur deponens vitare, quoties commodè poteſt; ſecus autem quando commodè non poteſt. Et in hoc caſu vera eſt poſterior ſententia. Qui tertio modo deponit, à peccato excuſatur, ſi cauſam habeat illic potiùs deponendi quàm alibi; neque ſit veriſimile quod fœnerator inde ſit acceptarus occaſionem exercendi plures vſuras, quàm alioquin faciat: quia tunc magis vtitur homine peccatore ad bonum, quàm aut peccato ipſius conſentiat, aut materiam peccandi ei tradat. Igitur hoc pendet ex cauſa, qua ad deponendum hi deponentes ducuntur. Si enim ea vrgens ſit, excuſantur à peccato: ſecus ſi ea cauſa deſit. Ita Valentia 2. 2. *diſp.* 5. 9. 21. *punct. vlt. fine*, Rebellus *de oblig. iuſtit. p.* 2. *lib.* 8. *quæſt.* 16. *ſect.* 4. *num.* 20. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 7. *n.* 36. & alij; quamuis Caietanus, Bañez, Arragon *ſuprà citati* nullam cauſam in deponente pecunias apud vſurarium expoſtulent; quia hæc pecuniarum depoſitio non videtur vſurarum cauſa, ſicut nec locatio domus; & hanc ſententiam probabilem putat Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *diſp.* 6. *punct.* 13. licet contrariam ſequatur vt probabiliorem.

Valentia. Rebellus. Sanchez. Caietanus. Bañez. Arragon. Palaus.

4. Sed retenta probabiliore ſententia deſiderari cauſam in deponente pecunias apud vſurarium, vt euitetur peccatum, ambigitur, an peccatum ſit contra iuſtitiam ſine cauſa deponere, & teneatur deponens reſtituere vſuras, quas mutuans accepit ex illa pecunia mutuata? Affirmatiuam ſententiam quidam ſuſtinent: quia quoties damnum proximi ſequitur contra iuſtitiam, teneor ceſſare à meo opere, aliàs & mihi imputabitur peccatum, & tenebor etiam ad reſtitutionem damni alterius. Ratio eſt, quia reuerà reus ſum eius peccati: tum quia ſi quis deponeret gladium apud eum, quem ſcit illo eſſe abuſurum ad hominem interficiendum, eſſet particeps homicidij, & ad reſtitutionem obligatus: neque excuſaretur per hoc quod alius iam antè haberet voluntatem illum interficiendi: ergo etiam eſt particeps peccati vſuræ & reſtitutioni obnoxius, qui pecuniam deponit apud illum quem nouit ea velle abuti ad exercendas vſuras: vterque enim dat materiam, ſeu inſtrumentum iniuſtæ actionis. Ita D. Thomas *quæſt.* 3. *de malo, art.* 14. *ad* 18. Sotus *de iuſtit. lib.* 6. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *in fine*, Nauarrus *in Man. cap.* 14. *num.* 40.

D. Thom. Sotus. Nauarrus.

illatione 12. Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 18. §. 4. *num.* 23. & alij. Sed dura nimis eſt obligatio quam imponunt prædicti Doctores, proinde meritò alij docent illud peccatum eſſe ſolùm contra charitatem & non contra iuſtitiam, ac proinde deponentes non teneri reſtituere. Ratio eſt, quia ſola charitatis lege teneantur id vſurarij peccatum vitare, & damna aliorum proximorum, quæ omnia in ipſorum poteſtate erant, vitare, non accipiendo ad vſuras: tum quia non tenetur quis ex iuſtitia abſtinere ab actionibus, quæ ex ſe non ſunt illatiuæ mali: tum quia pecunias illas fœneratori tradere, eſt cauſa multùm remota vſurarum, cùm vltra pecunias deſideretur voluntas dantis ad vſuras & accipientis. Ita Bañez *in ſecunda ſecundæ, quæſt.* 78. *artic.* 4. *dub.* 4. Molina *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 331. *num.* 4. Hurtado de Mendoza *in* 2. 2. *diſput.* 173. *ſect.* 14. §. 181. Diana *p.* 5. *tract.* 7. *reſol.* 11. & alij.

Pontius. Bañez. Molina. Hurtado. Diana.

5. Tabernarij & caupones vendentes vinum bibere volenti in ea quantitate, vt probabiliter credant, vel experti ſint, fore vt ij inebrientur, peccant mortaliter. Ratio eſt, quia abſque iuſta cauſa omittunt impedire peccatum proximi, negando ei tantam vini quantitatem, prout poterant & tenebantur: tum quia hoc eſt dare illis gladium, quo feriant intellectum turbantes organa corporalia, & hinc eueniunt ſæpè damna tertiis: tum quia lucrum non eſt aſportandum ex caſu, in quo eſt alterius peccatum; eò vel maximè, quod lucrum ex hoc ceſſans non ſit tanti momenti: ebrietáſque ſit maximum damnum corporis & animæ, & ſcandaloſum, ac ſæpè nocendi iniuſtè aliis occaſionem afferens. Tamen hi poſſent excuſari, quando abſque graui detrimento proprio proportionato illi ebrietatis damno vitare non poſſent; eò quòd ea vini venditio indifferens ſit. Ita Valentia *in* 2. 2. *diſput.* 5. *quæſt.* 21. *punct.* 4. Rodriguez *tom.* 2. *ſumma Latina, cap.* 78. *num.* 15. Sanchez *lib.* 1. *moralium, cap.* 7. *num.* 33. Caietanus *in opuſc. tom.* 1. *tract. vlt. reſponſione* 13. *dub.* 4. Trullench *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 5. *num.* 23.

Valentia. Rodrig. Sanchez. Caietan. Trullench.

6. Grauis ſatis eſt controuerſia inter Theologos, an ſit obligatio prætermittendi aliquod præceptum ad euitandum aliorum ſcandalum? Negatiuam ſententiam multi amplectuntur, ex eo quod habetur *in cap. Cùm ex iniuncto, de noui operis nunciatione*, vbi Innocentius III. ſic ait: *Opera illa, quæ ſine peccato mortali omitti non poſſunt, non ſunt pro vitando ſcandalo dimittenda, nec ea debent pro vitando ſcandalo committi, quæ ſine mortali peccato committi non poſſunt.* Ex quo deducunt nullum præceptum, neque affirmatiuum, neque negatiuum omittendum eſſe propter ſcandalum, quod aliàs ſine peccato omitti non poteſt; tum quia quiſque tenetur magis habere curam propriæ, quàm alienæ ſalutis, & conſequenter magis vitare proprium peccatum, quàm alienum, ſi vtrumque vitari non poteſt: ergo præceptum quod mihi impoſitum eſt ad vitandum peccatum propriũ, potiùs ſeruare debeo, quàm præceptum quod mihi impoſitum eſt ad vitandum peccatum alienum. At præceptum de vitando ſcandalo proximi ſolùm mihi impoſitum eſt ad vitandũ peccatum alienum: ergo non eſt ſeruandũ, quãdo occurrit aliud præceptum, quod mihi impoſitũ eſt ad vitandũ propriũ peccatum. Hanc ſententiã ſuſtinent Vaſq. *apuſc. de ſcandalo, art.* 8. *dub.* 1. *n.* 4. Pontius *de matr. lib.* 5. *c.* 18. §. 2. *num.* 7. Turrianus *in* 2. 2. *tom.* 1. *diſp.* 96. *dub.* 1. Trullench *in Decal. lib.* 1. *c.* 6. *dub.* 5. *n.* 12. Caſtrus Palaus *tom.* 1. *tract.* 6. *punct.* 16. *n.* 3. & alij, quibus adde Becanum *in* 2. 2. *tom.* 1. *cap.* 27. *quæſt.* 5. Hæc ſententia eſt probabilis; nihilominus contraria, non

Pontius. Vaſquez. Pontius. Turrianus. Trullench. Palaus. Becanus.

minùs probabiliter ab aliis defenditur. Quod in præceptis poſitiuis facilius poteſt accidere: quæ non obligant cum tanto rigore,& quia præceptum de curanda vita ſpirituali proximi eſt naturale & diuinum: at in naturalibus præceptis negatiuis nunquam habet locum,quia hæc ſemper obligant, & opera illis contraria ſunt intrinſecè mala. In affirmatiuis verò habere poteſt locum;quia non obligant pro ſemper, ſed cum debitis circumſtantiis. Sed tunc oportet in indiuiduo prudenter iudicare, quid magis præponderet, an ruina proximi vitanda, an opus illud omittendum. Conſiderandum enim eſt quàm graue ſit illud præceptum, quanta neceſſitas, vel vtilitas eius, & omnibus conſideratis eſt ferendum iudicium. Quod exemplis magis eluceſcet. Quando præceptum eſt humanum, ex cuius omiſſione nullum aliud ſequitur inconueniens in proximum, tunc eſt vitandum. Exempli gratia: ſi non poſſit quis audire Sacrum quin alicui præbeat occaſionem grauis iracundiæ, odij, aut luxuriæ,tenetur abſtinere à Sacro. Item ſi quis non poteſt ieiunare niſi præbendo alicui occaſionem grauis peccati, tenetur non ieiunare, iuxta illud *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Similiter ob id tenetur quis dimidiare confeſſionem imminente ſcandalo paſſiuo Confeſſarij. Si verò ex omiſſione præcepti immineat aliud damnum graue proximo, non eſt prætereundum præceptum. Hinc tenetur coniux ad reddendum debitum coniugale petitum ab altero coniuge, licet alij ſint accepturi occaſionem peccandi, v. g, in longa nauigatione, aut diuturno carcere, aut habitatione non ampla, ſi quis cum vxore degat, non poteſt illa inuita abſtinere diu ab vſu matrimonij,quamuis aliquis adſit auditurus, & ex auditu ſit venerem illicitam conceptura. Et in ſimilibus idem ferendum eſt iudicium. Ratio prioris eſt, quia concurrente duplici præcepto, vno legis naturalis de impedienda ſpirituali ruina proximi, altero poſitiuo de audiendo Sacro, de ieiunando, aut confeſſionis integritate ſeruanda, maius & fortius eſt naturale. Quare huic iuri naturali aduerſaretur lex Eccleſiaſtica de audienda Miſſa, &c. ſi tali rigore lata eſſet, vt non obſtante quocumque ſcandalo paſſiuo Miſſa audiretur, ieiunium ſeruaretur,&c. Ratio poſterioris eſt, quia non tenetur quis cum graui damno ſpirituali abſtinere ab ea actione,quæ de ſe bona eſt,quia eſt actus iuſtitiæ: abuſus autem eſt propter ſolam malitiam audientis. Ita ſentiunt Suarez de charitate *diſp.* 10. *ſect.* 3. *n.* 9. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 18. *punct.* 4. Bañez *in* 2. 2. *quæſt.* 43. *art.* 8. *concl.* 2. Lorca *ibidem, n.* 10. Hurtado de Mendoza *in* 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 20. *à §.* 256. *& ſeq.* Layman *lib.* 2. *tract.* 3. *c.* 13. *num.* 10. & alij.

Suarez. Valentia. Bañez. Lorca. Hurtado. Layman.

SCHISMA.

SVMMARIVM.

1 *Schiſma accipitur generaliter & ſtrictè. Hoc vitium ſchiſmatis directè aduerſatur vnitati Eccleſiæ. Et quibus ex cauſis Eccleſia dicatur vna.*

2 *An qui ſeipſum à capite ſeparat, & non expreſsè à reliquis membris, ſchiſmaticus ſit.*

3 *An ſchiſma accidere poſſit, ſi quis ſeparet ſe à membris Eccleſiæ.*

4 *An ad contrahendam propriam malitiam ſchiſmatis, oporteat directè intendere diuiſionem ab Eccleſia, & an ſufficiat indirectè.*

5 *Quid faciendum ſit tempore ſchiſmatis, quando duo electi ſunt Summi Pontifices.*

6 *An ſchiſmaticus eo ipſo, quo ſchiſmaticus eſt, irregularitatem contrahat?* Refertur duplex ſententia.

7 *Excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra ſchiſmaticos, an incurrant ſchiſmatici ſola mente? Item fautores, defenſores, receptatores ſchiſmaticorum? Et quando non incurrant recedentes ab obedientia Summi Pontificis.*

1. SChiſma vſurpatur dupliciter. *Primò*, generaliter pro quauis ſciſſura & ſeparatione, vt Ioannis 9. *Et ſchiſma erat inter eos*, quando videlicet Iudæi diſſentiebant de curatione cæci nati, quem Dominus ſanauerat. Et 1. ad Corinth. 1. *Obſecro autem vos Fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.*

Secundò, accipitur ſtrictè, pro diuiſione, quâ quis ſe ab Eccleſia ſeiungit,vt nolit eſſe membrum ſub vno capite,cum reliquis Chriſtianis;& ſic vſurpatur à Sanctis Patribus, quando inuehuntur in ſchiſmaticos; eoque nomine ſignificantur, qui antipapam ſibi conſtituunt, quod in antiquis hiſtoriis ſatis frequens eſt.

Hoc vitium directè aduerſatur vnitati Eccleſiæ, quæ eſt effectus charitatis. Sed cùm Eccleſia multis de cauſis dicatur vna,videndum eſt cui vnitati ſchiſma aduerſetur. Eccleſia enim dicitur vna *Primò*, quia habet vnum vltimum finem: omnes enim fideles quocumque loco & tempore fuerint, vnum habuerunt finem propoſitum, nempe æternam beatiudinem. *Secundò*, quia tota Eccleſia eadem habet media ad illum finem,videlicet,eandem doctrnam fidei, eadem opera virtutum, eadem Sacramenta & leges,iuxta illud ad Epheſ.4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Tertiò*, quia viuificatur vno & eodem ſpiritu,de quo 1. ad Cor.12. *Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Quartò*, quia vnum habet caput, nempe Chriſtum in cœlis, eiúſque Vicarium in terris, ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Et Ioannis 21. *Paſce oves meas*, omnes videlicet Chriſtianos, atque adeò reliquos Apoſtolos. *Quintò*,quia eſt corpus quoddam myſticum continens in ſe varia membra, quæ in vtilitatem totius, varias functiones ſortiuntur: quod multis locis applicat Apoſtolus; vt ad Roman. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus*, &c. *ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto.* Et 1. ad Corinth. 12. *Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa.* Ad Epheſ. 4. *Creſcamus in illo per omnia,qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum.*

Ex his quinque vnitatibus quarta & quinta potiſſimùm huc pertinent: nam ſchiſmaticus propriè eſt, qui volutariè ſe diuidit à capite & corpore Eccleſiæ,nolens ampliùs cum membris illius communicare in mediis ordinatis ad ſalutem, v.g.in verbo Dei & Sacramentis. Et ſic Papa poſſet eſſe ſchiſmaticus, ſi nollet tenere cum toto Eccleſiæ corpore vnionem & coniunctionem,quam debet; vt ſi tentaret totam Eccleſiam excommunicare,aut ſi vellet omnes Eccleſiaſticas cæremonias Apoſtolica traditione firmatas euertere. De quibus Caietanus 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. Syluius *ibid. verſ. Poſterius.* Turrecremata *lib.* 4. *cap.* 11. Suarez *de fide, diſp.* 9. *ſect.* 4. 5. & 6. & *tract. de charitat. diſp.* 12. *ſect.* 1. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 36. *num.* 1. & alij.

Caietanus. Syluius. Turrecrem. Suarez. Sanchez.

2. Ex dictis deducitur ſchiſmaticum eſſe, qui ſeipſum à capite ſeparat, etiamſi non expreſsè à reliquis membris: vt qui inſtituit vel ſequitur Pſeudo-

Pſeudo-pontificem; qui Romanum Pontificatum vſurpat; qui vniuerſales Synodos abſque legitima auctoritate congregat, vel eas, poſtquam diſſolutæ fuerant, proſequitur. Item qui cum rebellione & pertinatia renuit obedire præceptis vel Romanæ Eccleſiæ, vel Romani Pontificis, & iudicium eius ſubire recuſat, nolendo illam agnoſcere Matrem, vel iſtum Patrem, Chriſtiáque Vicarium. Si tamen non paret illi in ea re, quam fieri iubet, aut prohibet; vt ſi præcipiat arma deponere, alienum reſtituere, & quis id præſtare renuat, propriè ſchiſmaticus non eſt, ſed inobedientis hominis crimen contrahit: quia cum eiuſmodi inobedientia ſtare poteſt quod recognoſcat Pontificem vt Superiorem, neque ſe à membris Eccleſiæ ſegreget. Similiter ſi quis Romano Pontifici non obtemperet, eò quòd ſibi ſit eius perſona infenſa, & odioſa vel ſuſpecta, ſchiſmatis quoque propriè peccatum non perpetrat, cùm velit illi ſubeſſe quantum ad definitiones fidei & morum. Ita Caietanus 2.2. *quæſt.* 99. *art.* 1. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *queſt.* 4. Reginaldus *libro nono*, *num.* 259. *&* 261. Bonacina *tomo ſecundo*, *diſput.* 3. *queſt.* 4. *punct. vlt. §.* 5. *n.* 2. Sanchez *loco cit. cap.* 36. *num.* 3. & communis.

Caietanus. Azorius. Reginald. Bonacina. Sanchez.

3. Schiſma accidere poteſt, ſi quis ſeparet ſe à membris Eccleſiæ: quod contingit, quando ita vult ſpirituales actiones exercere, vt ſperare & credere, orare, ieiunare, miniſtrare, & recipere Sacramenta, &c. non vt pars Eccleſiæ Catholicæ, ſed tanquam ſi ipſemet eſſet quoddam totum ſeorſum. Ratio eſt, quia is qui ſeparat ſe à membris, tacitè vel conſequenter ſeparat ſe à capite, & contrà: cùm enim membra & caput ſint inter ſe connexa & ſubordinata, diſſidens ab alterutro, conſequenter ab altero diſſidet. Ita Caietanus *in ſumm. v. Schiſma*, Petrus Ledeſma *tom.* 2. *ſummæ tract.* 3. *c.* 12. *concl.* 3. Valentia 2.2. *diſp.* 3. *q.* 15 *punct.* 1. Syluius 2.2. *q.* 39. *art.* 1. & alij.

Caietanus. Ledeſma. Valentia. Syluius.

4. Aliquis poteſt facere ſchiſma dupliciter: Uno modo directè intendendo diuiſionem Eccleſiæ. Secundò ſolùm quaſi indirectè, intendendo, verbi gratia, dominatum, poteſtatem & ſimilia. Si ſchiſma ſit per ſe directè intentum, eſt peccatum ſpecialiter charitati contrarium quod ſumitur ex Apoſtolo ad Epheſ. 4. *Sopportantes inuicem ex charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*, &c. Ratio eſt, quia charitas ipſa per ſe obligat ad eam coniunctionem, non ſolùm quia eſt bona, ſed maximè vt eſt neceſſaria, cuius contrarium maxima incommoda affert Eccleſiæ: ergo velle, præcipuè directè tollere ab Eccleſia iſtam coniunctionem & vnitatem, eſt directè contra charitatem: nam velle abſolutè & ſimpliciter ſeruare Eccleſiaſticam pacem & ſpiritualem membrorum coniunctionem eſt intrinſecè munus charitatis; quia virtutis amicitiæ eſt, velle conſeruare communicationem, & coniunctionem debitam cum amicis: charitas autem eſt amicitia ſpiritualis.

Ad contrahendam propriam malitiam ſchiſmatis non oportet directè intendere diuiſionem ab Eccleſia, ſed ſatis eſt velle id, per quod ſeparetur quis ab Eccleſia, vel efficit diuiſionem in illa, ſiue id ſit directè præuidendo, ſiue culpabiliter ignorando. Ratio eſt, quia ad committendam aliquam malitiam in moralibus ſufficit voluntarium indirectum, præcipuè quando circumſtantia, aut effectus ſecutus non eſt quid generale omnibus peccatis, ſed ſpeciale quid, vt eſt in propoſito. Ex quo fit, ſicut ille incurrit homicidij reatum, qui etſi non intendat occidere, vult tamen illud opus proſequi, vnde mors ſequi nata eſt & de facto ſequitur: ita hæreticus præter malitiam hæreſis incurrit malitiam ſchiſmatis propter ſpeciale detrimentum quod infert Eccleſiæ, contra charitatem illi debitam. Et idem eſt de aliis, qui per quodcumque vitium efficiunt ſchiſma. Ita Caietanus *ſecunda ſecundæ*, *quæſt.* 39. *art.* 1. *dub.* 2. & *in ſumm. verb. Schiſma*, Syluius Sylui. *loco citato*, *artic.* 1. *verſ. Tertio modo*, Suarez *de ſchiſmate*, *diſput.* 12. *ſect.* 1. Sanchez *loco citato num.* 5.

Caietan. Syluius. Suarez. Sanchez.

5. Petes quid ſit faciendum, quando electi ſunt duo Pontifices? Reſpondeo, ſi ſit vnus certus Papa, de quo prudenter dubitari non poſſit, ei eſt adhærendum, & qui alteri fauent, ſunt ſchiſmatici. Si verò Papa ſit dubius, ita vt non poſſit prudenter cognoſci, nulli eſt adhærendum: tum quia re vera nemo ex his duobus habet ius verum in Eccleſia acquiſitum: tum quia temerarium eſt ac periculoſum dubia habere pro certis; ſed vnuſquiſque gerat ſe vt vnum Eccleſiæ Catholicæ membrum, & Chriſto capiti adhæreat, dubios eius Vicarios habens pro dubiis, & paratus vni certò adhærere, quando Eccleſiæ prouiſum fuerit de certo. Quapropter ſi contrarium fiat, ſchiſma fouetur, & hac etiam ex parte peccari poteſt hoc peccato. Interea Chriſtiana plebs ſatisfaciet adhærendo ſuis Epiſcopis, Parochis & Doctoribus Catholicis, ſemper parata adhærere illi, quem Eccleſia receperit. Ita Caietanus *locis citatis*, Turrecremata *libro quarto ſuæ ſummæ cap.* 14. Sylui us *loco citato articulo primo*, *verſ. Duo hic.* Suarez *loco citato*, *ſectione* 1. *num.* 11. Sayrus tamen *in Theſaur. lib.* 3. *cap.* 5. *numero vigeſimoſecundo*, & Trullench *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 3. *dub.* 17. *numero quarto*, arbitrantur, quod quamdiu cauſa eſt dubia, & duo vel plures contendunt de Papatu, & ſe pro Summis Pontificibus gerunt, nec per Concilium generale res eſt determinata, tam ipſi quàm eorum ſequaces à peccato excuſantur; dummodo parati ſint, ad determinationem Concilij à Papatu ſe abdicare, & eiuſdem Concilij determinationi, & decreto acquieſcere. Nihilominus tutior eſt ſententia Suarez & Sylui, qui nouiſſimus refert Pium Secundum in Bulla Retractationum, laudare Fredericum Imperatorem & Germanos, quod dum ambigerentur, Felixnè, an Eugenius eſſet legitimus Pontifex, & num Eugenio, an Baſilienſi Concilio foret obediendum, neutrales fuiſſent.

Caietanus. Turrecrem. Sylui us. Suarez. Sayrus. Trullench. Suarez. Sylui us. Pius II.

6. Quorumdam ſententia eſt, ſchiſmaticum, eo ipſo, quo ſchiſmaticus eſt, irregularitatem contrahere; quia extra Eccleſiam eſt. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *queſt.* 8. Maiolus *de irregular. lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 2. Pegna *in director parte ſecunda*, *Commentar.* 73. Duardus *in Bullam Cœn. lib.* 2. *quæſt.* 56. *num.* 5. & alij Canoniſtæ, ex quorum ſententia ſequitur, ſchiſmaticum, etiam poſtquam ad Eccleſiam per veram pœnitentiam redierit, eſſe irregularem, & ad beneficia & Ordines promoueri iure non poſſe. Et probant ex *cap. Quia diligentia*, *de elect.* Sed nec textus, nec Doctores, ibi irregularitatis meminêre, ſed ſolius inhabilitatis ad beneficia. *Secundò*, probant ex *c. Primò*, *de ſchiſmat.* quod nullam irregularitatem imponit; ſed ſolas Ordinum collationes à ſchiſmaticis factas irritas reddit, quoad vſum Ordinum in recipiente ſcienter. Decernitur etiam vt recipientes beneficia à ſchiſmaticis, careant illis. Nec tamen eſt irrita hæc collatio, ſed irritanda. Quare hæc ſententia tanquam carens fundamento non eſt admittenda, ſed dicendum eſt, ſchiſmaticum non eſſe irregularem, modò crimen non ſit notorium. Ratio eſt, quia non eſt ponenda irregularitas,

Azorius. Maiolus. Pegna. Duardus.

niſi in iure expreſſa habeatur: in iure autem nulla habetur irregularitas contra ſchiſmaticos. Dicitur, *modò delictum non ſit notorium*; nam commune eſt omnibus criminibus notoriis depoſitione dignis, vt irregularitatem pariant, donec infamia per pœnitentiam abſoluatur. Ita obſeruant Sayrus *de cenſur. lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 16. Suarez *de cenſur. diſp.* 43. *ſect.* 2. *num.* 7. Bonacina *in Bull. cœnæ diſp.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 5. *num.* 13. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 36. *num.* 20. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 29. quod non obſcurè ſignificant multi alij Doctores, qui & de irregularitate & de ſchiſmatis pœnis luculentiſſimè ex profeſſo tractarunt, ſubticentes hanc irregularitatem.

Sayrus. Suarez. Bonacina. Sanchez. Diana.

7. Excommunicationem latam in Bulla cœnæ Domini contra ſchiſmaticos non incurrunt, *Primò*, ſchiſmatici ſola mente ſchiſma retinentes, ſed opus eſt, vt factis, verbis, vel alio ſigno externo ſchiſma manifeſtent; quia ob ſolum peccatum internum numquam excommunicatio incurritur, vt habet communis ſententia Doctorum. *Secundò*, non incurrunt fautores, defenſores, receptatores ſchiſmaticorum, ſi illi hæretici non fuerint: quia eam extenſionem ſolùm appoſuit Pontifex circa hæreticos; & dum excommunicatio alicui delicto infligitur, non extenditur ad adiuuantes, niſi exprimantur; cùm ergo in præſenti Bulla cœnæ eos non exprimat, minimè comprehendentur: nam in odioſis non eſt facienda extenſio vltra verborum ſignificationem & proprietatem. Ita Suarez *de cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 14. Antonius de Souſa *in Bull. cœnæ diſp.* 19. *num.* 6. Albericus *in expoſit. Bullæ cap.* 9. *ſub. finem.* Duardus *loco citato num.* 8. & alij; ligantur tamen excommunicatione contenta in Conſtitutione Pauli IV. quæ incipit, *Cùm ex Apoſtolatus officio.* vbi etiam habentur aliæ pœnæ: hæc tamen excommunicatio non eſt reſeruata.

Suarez. Souſa. Albericus. Duardus. Paulus IV.

Tertiò, non incurrunt excommunicationem Bullæ recedentes ab obedientia Pontificis, eò quòd probabiliter credant eum non eſſe legitimum Papam: vel illi, qui cùm ſint incolæ oppidi ſubiecti temporali Papæ iuriſdictioni, non volunt ipſi vt temporali illius oppidi domino ſubiici: quia Papa vt dominus temporalis non eſt Papa & caput Eccleſiæ, ſed inſtar cuiuſuis temporalis domini: vnde ſeiunctio illa & rebellio non eſt formaliter erga Papam, nec contra eius officium vt Papa eſt, quod ad ſchiſmatis rationem & illius pœnas exigitur. Ita Vgolinus *de cenſur. Papæ reſeruat.* 2. *part. cap.* 1. §. 1. Sanchez *loco cit. cap.* 36. *num.* 3. & 4. & alij.

Vgolinus. Sanchez.

SEPVLTVRA.

SVMMARIVM.

1 *Sepultura naturaliter & formaliter ſumpta, quid ſit? An peccet mortaliter, qui mortuos fideles non ſepelit cùm poſſit.*

2 *An omnes Catholici ſepeliendi ſint in loco ſacro? Et an Cathecumeni?* Refertur duplex ſententia.

3 *An Epiſcopus habeat ius dandi facultatem conſtruendi ſepulturam.*

4 *An locus deputandus pro ſepulturis fidelium, ſecundùm Canones, debeat eſſe ab Epiſcopo benedictus.*

5 *An cadauera fidelium intra Eccleſiam poſſint hoc tempore ſepeliri.*

6 *An religioſi habentes priuilegium ſepeliendi laicos, qui apud eos elegerunt ſepulturam, poſſint proceſſionaliter intrare parochiam, & per ſe accipere funus, etiam contradicente Epiſcopo & Parocho?* Refertur duplex ſententia.

7 *An de iure filio impuberi pater ſepulturam eligere poſſit.*

8 *An hoc idem poſſit mater?* Refertur duplex ſententia.

9 *An affines & conſanguinei, qui ſuccedunt patri in cura impuberum, ſine tutores poſſint illis ſepulturam eligere?* Refertur duplex ſententia.

10 *Vbi debeat ſepeliri, qui moritur abſque electione ſepulturæ? Et quodnam dicatur ſepulchrum maiorum?* Refertur duplex ſententia.

11 *An probetur electio ſepulturæ per teſtamentum; per teſtes etiam ſingulares; per codicillum inualidum & per dictum Confeſſarij.*

12 *Vbi ſepeliendus peregrinus ſeu viator moriens extra parochiam ſuam? Vbi religioſi decedentes extra monaſterium?*

13 *An Prælatus localis alicuius religionis habeat facultatem eligendi ſibi ſepulturam?* Refertur duplex ſententia? *Et quid de regulari, qui præeſt Prioratui manuali?*

14 *An vxor poſſit ſibi eligere ſepulturam? Et caſu quo non elegerit, vbi ſepelienda.*

15 *An hæretici nominatim non denuntiati ſint Priuati Eccleſiaſticâ ſepulturâ?* Refertur duplex ſententia.

16 *Quando occidentes ſeipſos non ſint ſepulturâ Eccleſiaſticâ priuandi.*

17 *An religioſus inuentus mortuus cum burſa denariorum, ſit priuandus Eccleſiaſticâ ſepulturâ.*

18 *An Meretrix quæ inuenta eſt mortua & vulneribus plena in domo amici, poſt confeſſionem factam & communionem receptam in Paſchate debeat priuari ſepulturâ Eccleſiaſticâ.*

19 *Contra exenterantes corpora mortuorum, vt alibi tumulanda ferant, quando excommunicatio ſit lata in Extravag.* Deteſtandæ feritatis.

20 *Corpora defunctorum an poſſint exhumari & transferri de loco ad locum ſine Epiſcopi licentia? Et an iudex laicus exhumando corpus defuncti ſine licentia Epiſcopi, frangat immunitatem Eccleſiaſticam.*

1. SEpultura materialiter ſumpta eſt locus, in quo cadauera mortuorum reconduntur. Dicitur autem ſepultura ſeu ſepulchrum à ſepeliendo, eò quòd cadauera humo veluti ſepe circundentur & circumſepiantur. Formaliter autem ſumpta, ſepultura eſt actio ſeu officium ſepeliendi pertinens ad charitatem, ſeu pietatem ac miſericordiam erga defunctos; proinde ſepelire mortuos eſt opus miſericordiæ. Ratio eſt, quia apud Catholicos magna cenſetur miſeria carere ſepulturâ: tum quia ſepultura Eccleſiaſtica licet per ſe directè non proſit animabus in purgatorio exiſtentibus, iuuat tamen per accidens, quatenus ſepulchra mortuorum excitant memoriam fidelium ad orandum pro defunctis. Hinc colligitur eum peccare mortaliter, qui non ſepelit mortuos fideles, dum ſine ſuo graui incommodo ſepelire poteſt, nec adeſt alius, qui id officium præſtet: quia opera charitatis ac miſericordiæ in caſu eiuſmodi neceſſitatis obligatoria ſunt. Quod intelligendum eſt, quando iure Eccleſiaſtico ſepulturâ non ſunt priuati. Ita Bañez 2. 2. *quæſt.* 32. *articulo* 2. *concl.* 2. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 9. *punct.*

Bañez. Valentia.

Eman Sà. Layman. punct. 2. Eman. Sà verb. Sepultura, n. 11. in fine, Layman lib. 3. sect. 5. tract. 5. cap. 12. num. 2. & alij.

2. Ex cap. Eccleſia, de conſecrat. diſtinct. 1. omnes Catholici ſepeliendi ſunt in loco ſacro, niſi iuſta de cauſa prohibeantur: quia ſepultura Eccleſiaſtica inſtituta eſt pro Chriſti fidelibus, vt ſepulturæ Eccleſiaſticæ priuilegiis gaudeant. Hinc ab Eccleſiaſtica ſepultura excluduntur pagani, Iudæi, aliique infideles: quia iſti ſunt extra Eccleſiam, & quibus non communicamus viuis, nec communicare debemus mortuis. De Cathecumenis autem eſt dubium an ſepeliri debeant in loco ſacro? Videtur enim quòd ſic, quia non ſunt pagani, cùm fieri vellent Chriſtiani, & mortui ſint cum voto Baptiſmi, vt ſupponitur; vnde non polluitur Eccleſia quando Cathecumenus ſepelitur in ea ante ſuſceptum Baptiſmum; nam præſumitur deceſſiſſe cum Baptiſmo Flaminis. Ita Sayrus de cenſur. lib. 5. Sayrus. Layman. cap. 16. num. 24. quamuis Layman loco cit. num. 11. doceat Cathecumenos debere carere Eccleſiaſtica ſepultura, licet pro eis oret Eccleſia, ſi credentes deceſſerint, & citat Paludanum in 4. diſt. 4. quæſt. 3. Paludanus. art. 1. quorum ſententia eſt etiam probabilis; cum Sayro tamen tenet Bonacina de contract. diſp. 3. q. 21. punct. 2. num. 1. Bonacina.

3. Epiſcopus habet ius dandi facultatem conſtruendi ſepulturam, vt colligitur ex conſtitut. Pij V. quæ incipit, Cùm prudens, Kalend. Aprilis 1556. in qua mandatur, vt defunctorum corpora ſuper terram exiſtentia in tumbis profundis infra terram collocentur: & quod ius funerandi conſtruendique ſepulturas ad Epiſcopũ pertineat. Notandum tamẽ eſt cum Nauar. cõſil. 1. de ſepult. in nouiſſ. tribus modis poſſe dari locum ſepulturæ. Primò, vt is, cui datur, fiat dominus eius, & hoc modo nulli etiam ab Epiſcopo dari poteſt; quia rei ſacræ dominium nullus poteſt habere. Secundò, vt habeat ius ſepeliendi in eo mortuos ſuos, & impediendi, ne alij ſepeliantur in eo: & hoc modo non poteſt dari ſine auctoritate Epiſcopi & cum iuſta cauſa, & ſeruatâ formâ in alienandis rebus Eccleſiæ requiſitâ: quia licet per illum modum non transferatur rei dominium, transfertur tamen vſus eius, & quoddam ius ſepeliendi: quod fieri nequit niſi ſeruatis canonibus de non alienandis, vt docet Barboſa de offic. & poteſt. Parochi cap. 29. n. 11. Sed hoc intelligendum eſt, vbi eſt in conſuetudine, vt talis forma ſeruetur; aliàs non, ait Trullench tom. 3. tract. de iure Parochi c. 9. dub. 2. n. 2. Tertiò, vt poſſit ſepeliri aliquis in eo loco, & hoc modo poteſt dari à quocumque habente ius admittendi ad ſepulturam in ſua Eccleſia iure communi, & hoc ſine auctoritate Epiſcopi, vt ſi ſit Eccleſia parochialis; quia iam vſu receptum eſt ſicut Parochus habet ius ſepeliendi in ſua Eccleſia, conſequenter etiam videtur habere ius concedendæ ſepulturæ. Similiter Prouincialis regularium poteſt in ſuis Eccleſiis facultatem conſtruendi ſepulturam concedere; quia eſt Prælatus & iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens. Vide Bonacinam loco citato, punct. 3. num. 3. Sebaſtianum Medices de ſepulturis quæſt. 16. Pius V. Nauarrus. Barboſa. Trullench. Bonacina. Medices.

4. Certum eſt, locum, qui inſeruire debet ſepulturis fidelium, debere eſſe ſacrum, ſeu benedictum ab Epiſcopo, ſeu ab alio ad id poteſtatem habente, aliàs ſi non ſit benedictus, ſepultura Eccleſiaſtica dici non poteſt ſecundùm canones, etiamſi ſit ibi aliquis ſepultus, cap. Ad hæc, de religioſis domibus. Secundùm leges tamen talis locus eſt religioſus, ſi ſit ibi aliquis ſepultus de voluntate domini. Quod intelligendũ eſt ſecundùm Gloſſam in cap. In eccleſiaſtico 13. quæſt. 2. ſi eo animo eſt ibi ſepultus, vt ibi perpetuò remaneat: aliàs remanet prophanus l. Si quis eo animo, ff. de reli. Sed Panormitanus diſtinguit, ſoluendo dictam Gloſſam & ius ciuile, l. 2. C. de reli. & ſumpt. funer. Nam iſte locus ſtrictè non eſt religioſus, quoad hoc quòd gaudeat priuilegio loci religioſi & publici, ſed largè, quia deputatus ad vſum pium, ſicut dicimus quod laici valde boni poſſunt appellari religioſi, quaſi ad diuinum cultum religati, ex cap. Eccleſia, de conſtitut. proinde locus ſepulturæ deputatus debet eſſe religioſus & ſacer. Dicitur autem ſacer largè propter Epiſcopalem benedictionem, ſed non ſtrictè, quia non ſit ibi conſecratio ſeu vnctio cum Oleo ſancto, vt in Eccleſia vel altari, vnde ſolùm benedicitur, Eccleſia verò conſecratur, cap. Nemo Eccleſiam, de conſecrat. diſt. 1. Panormit.

5. Quamuis antiquitus cadauera fidelium intra Eccleſiam non ſepelirentur, ſed in cœmeteriis, vel locis extra Eccleſiam ab Epiſcopo deſignatis & benedictis, eò quòd ſtrictè prohibitum erat intra Eccleſiam aliquem ſepelire, ex cap. Præcipiendum eſt 13. quæſt. 2. Ideò piè maiores noſtri à primordiis naſcentis Eccleſiæ cœmeteria inſtituerunt pro ſepeliendis mortuorum corporibus, vt tradit Stephanus Durantus de ritib. Eccleſiæ lib. 1. cap. 23. Durantus. Succeſſu autem temporis, dignitatis gratiâ, humari cœperunt cadauera in atrio, aut in porticu, in exhedris Eccleſiæ. Exhedræ dicuntur quædam voltæ, quæ exteriùs adhærent parietibus Eccleſiæ, vt notat Gloſſa in dict. cap. Præcipiendum. ideoque magno honore affectum Conſtantinum aſſerit S. Chryſoſtom, homil. 66. ad populum, quod præ foribus Eccleſiæ Piſcatoris corpus maximi illius Imperatoris ſepulturæ mandatum fuerit: & de Theodoſio & Arcadio ſimile in Apoſtolorum porticu, refert Durantus ſuprà num. 6. Gloſſa. D. Chryſoſt. Durantus.

Sed deinde honor ſepeliendi intra Eccleſiam aliquibus perſonis inſignibus deferri cœpit, vt habetur in cap. Nullus 13. quæſt. 2. vbi dicitur: Nullus mortuum intra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles Laici. Poſtea omnibus, nulla habita perſonarum diſtrictione, eſt permiſſum, vt in Eccleſiis ſepeliri poſſint, & hoc vt proximi ad loca ſacra conuenientes, ſuorum ſepulturam aſpiciant, recordenturque pro eis Domino preces fundere, vt habetur in cap. Cùm grauia. & in cap. Non eſtimemus 13. q. 2. vnde hodie omnes fideles intra Eccleſias ſepelire licet, vt tradunt ex communi Rodrig. tom. 3. qq. reg. q. 58. art. 1. Simanchas de Catholic. inſtit. c. 18. n. 6. Hier. Rodrig. in compend. reſol. 128. n. 1. Trullench tom. 3. tract. de iure Parochi c. 9. dub. 3. Barboſa de offic. & poteſtat. Parochi cap. 26. num. 6. 7. & 8. & alij. Rodrig. Simanchas. Hier. Rodr. Trullench. Barboſa.

6. Certum eſt Religioſos Ordinis Minorum & Prædicatorum, & per communicationem priuilegiorum, alios etiam religioſos, habere ius ſepeliendi & inferendi in ſua ſepulchra non ſolùm funus religioſorum, ſed etiam laicorum & ſæcularium cadauera, qui in ipſorum cœmeteriis ſeu Eccleſiis ſepulturam elegerint, vt habetur in Clementina Dudum, de ſepulturis. his verbis, Huiuſmodi quoque ſtatuto, & ordinationibus noſtris adiicimus, vbi fratres dictorum Ordinum in Eccleſiis vel locis ſuis vbilibet conſtitutis liberam (vt ſequitur) habeant ſepulturam, videlicet quòd omnes ad eam recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis & Eccleſiis memoratis. Idem priuilegium iiſdem Religioſis cõceſſit Clem. IV. & Sixtus IV. ſalua tamen iuſtitia Parœcialium, id eſt, portione, ſeu quarta canonica, vt declarauit idem Sixtus IV. vt refertur in Compendio priuil. Mendicantium. v. Sepultura, n. 2 & 10. Clem. IV. Sixtus IV. Corp. priu.

Controuertitur tamen hoc tempore multis in locis, an religioſi qui habent priuilegium ſepeliendi

liendi laicos, qui apud eos elegerunt ſepulturam, poſſint proceſſionaliter intrare parochiam aliam & per ſe accipere funus, & alia conſueta facere etiam contradicente Epiſcopo & Parocho. Affirmant Rodriguez *tom. 3. qq. regul. queſt. 58. art. 3.* Angelus, Sylueſter *verb. Sepultura.* Hieronymus Rodriguez *in compend. priuileg. reſolut. 128. n. 3.* Et probant ex verbis Clementinæ *Dudum*, & Clementis IV. & Sixti IV. in Compendio *loc. cit. §. 10.* quia conceſsâ liberâ ſepulturâ, conſequenter conſetur conceſſum iter ad funus capiendum, vt colligitur *ex cap. In noſtra, de ſepulturis.*

Rodrig. Augelus. Syluester. Hier. Redr. Clem. IV. Sixtus IV.

Alij contendunt nihil tale religioſis eſſe ibi conceſſum; quia hoc priuilegium eſt contra ius tertij, ſcilicet parochorum, quod, vt docet Innocentius *tit. de ſepulturis num. 5.* & communiter Doctores, eſt ſtrictè interpretandum *ex cap. Mandatum, de reſcriptis, cap Super eo, de offic. delegat. & cap. In ſingulis, de ſtatu monachor.* Et huic ſententiæ fauere videtur Clemens V. in dicta Clementina his verbis *quòd omnes recipere valeant*: innuens ſolam receptionem eis eſſe conceſſam. Eodem verbo, *recipere*, vſi ſunt Clemens IV. & Sixtus IV. vt videre eſt apud Rodriguez *ſuprà* & compendium priuilegior. *locis citatis.* Ita Trullench *tom. 3. tract. de iur. Parochi cap. 9. dub. 1. n. 3.* Fuſcus *de viſitat. Eccleſiæ lib. 1. c. 25. n. 8.* Nec huic ſententiæ obſtat priuilegium Sixti IV. qui religioſis concedit, vt *nullius ſuper hoc petitâ licentiâ poſſint cum cruce proceſſionaliter ingredi Parochias, in quibus fuerint corpora defunctorum, ac corpora ipſa ad eorum Eccleſias ſepelienda deferre, vbi hoc fieri conſuetum foret: vel quando Presbyteri Parochiales requiſiti id facere recuſauerint*; quia hoc priuilegium reuocatum eſt à Leone X. in Concilio Lateranenſi, vt habetur in Compendio priuileg. *verb. Sepultura §. 18.* vbi ſtatuit, quòd *Fratres quorumlibet Ordinum non poſſint intrare Parochias cum cruce, ad leuanda corpora defunctorum, qui apud Eccleſias Domorum eorumdem Fratrum ſuam elegerint ſepulturam: niſi priùs præmonito & requiſito, ac recuſante Parochiali Presbytero; & tunc ſine illius, ac Ordinarij præiudicio. Niſi eiſdem Fratribus ſuper hoc antiqua conſuetudo, qua ſit in viridi obſeruantia, & cum pacifica poſſeſſione, ſuffragetur.* Vrgent tamen Rodriguez & alij *ſuprà*, priuilegia regularium, quæ reuocata fuerunt in Concilio Lateranen. à Leone X. poſtea fuiſſe in priſtinum ſtatum reſtituta etiam in foro exteriori per aliqua Summorum Pōtificum decreta, exceptis his, quæ decretis Sacri Concil. Trid. non ſunt contraria, quale nō eſt hoc. Reſpondent Auctores contrarij, priuilegia Maris magni quoad hoc eſſe reuocata & redacta ad terminos iuris communis per Gregorium XIII. in ſua conſtitutione, quæ incipit, *In tanta negotiorum mole.* anno 1572. & habetur in Bullario. Et ſic ſtandum eſt diſpoſitioni iuris communis, vt in aliena parochia nullus manum immittat, *cap. Scriptum eſt 6. quæſt. 3.* Hæc ſunt fundamenta huius controuerſiæ ex parte vtriuſque ſententiæ; proinde Fratres attendere debent conſuetudinem locorum ſeu Prouinciæ vbi degunt, & illi ſtare, ne litigio inuoluantur cum magno ſæculario ſcandalo, vt ſtatuit Leo X. & expreſsè declarauit Sixtus V. vnicuique enim ſuum ius manere debet.

Innocent. Clem. V. Clem. IV. Sixtus IV. Trullench. Fuſcus. Sixtus IV. Leo X. Comp. priu. Greg. XIII. Leo X. Sixtus V.

7. Non poteſt pater filio impuberi eligere ſepulturam de iure, & ratione patriæ poteſtatis, ſed tantùm ratione conſuetudinis, vbi eſt, vt declarat Bonifacius VIII. *in cap. Licet, de ſepultur. in 6.* Ratio eſt, quia ius commune determinat ſepulturam pro vnoquoque, vt nimirum debeat quiſque ſepeliri aut in ſepulchro maiorum ſuorum, aut in Eccleſia parochiali. Et inſuper concedit vnicuique qui eſt capax electionis, quòd poſſit ſibi eligere ſepulturam; vnde non remanet aliqua poteſtas eligendi, præter conceſſam à iure; quæ cùm ſit perſonalis, & iis tantùm competat, qui ſunt capaces talis electionis, non ſubſtituitur ratione incapacitatis alius: & proinde nec pater pro filio, quando filius eſt incapax. Vnde ſolùm reſtat quòd conſuetudo præualens contra ius commune det patri facultatem eligendi ſepulturam pro filio impubere, vt notant Archidiac. Geminian. Ioan. Andreas & alij *in dict. cap. Licet.* Nauar. *conſil. 2. de ſepult.* Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 21. punct. 3. n. 8.* Trullench *loco cit. dub. 5. num. 5.* contra Molinam & Rodriguez, qui putant poſſe patrem filio impuberi eligere ſepulturam de iure, ratione patriæ poteſtatis.

Archidiac. Geminian. Ioan. Andr. Nauarrus. Bonacina. Trullench.

Notandum tamen eſt, in caſu quo pater filio impuberi eligat ſepulturam, quod hæc electio facta à patre non ſe extendat ad tempus quando filius pubes moritur. Ratio eſt, quia electio ſepulturæ eſt actus vltimæ voluntatis, & valet quatenus per ipſā rata habetur; vltima autem voluntas filij, quando pubes moritur, ſicut non eſt voluntas impuberis, ſed puberis, ita de ſe debet eligere ſepulturam: nec conſuetudo, quâ poteſt pater eligere, ſe extendit ad illud tempus; vnde electio facta à patre, cùm ſit facta pro tempore, in quo filius non poteſt eligere ſepulturam, ceſſat quando filius poteſt eligere. Ita Nauarrus *lib. 3. conſil. 1. de ſepult.* Petrus de Vbaldis *de canon. Epiſcop. cap. 11.* Lauorius *tom. 1. variar. lucubr. tit. 2. cap. 11. num. 116.* & alij.

Nauarrus. Vbaldis. Lauorius.

8. Dubium eſt, an mater poſſit filio impuberi eligere ſepulturam? Videtur quod non, quia *ex cap. Licet, de ſepultur. in 6.* hoc pertinet ad patrem ratione conſuetudinis: hæc autem conſuetudo cùm ſit contra ius, quod diſponit vnumquemque debere ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum, aut in Eccleſia parochiali, vt habetur *in cap. 1. de ſepultur.* non debet extendi ad matrem; præſertim cùm agatur de præiudicio tertij, nempe Eccleſiæ, in qua de iure filius ſepeliri deberet. Propter has rationes nonnulli arbitrantur matrem non poſſe filio impuberi eligere ſepulturam. Ita Riccius *in praxi rerum quotidianar. dicif. 666.* Genuenſis *in praxi Archiepiſcop. cap. 16. num. 4.* & alij. Nihilominus ex communiori atque tenenda ſententia dicendum eſt hoc etiam matrem poſſe: quia, ſi pater ratione conſuetudinis poteſt eligere filio impuberi ſepulturam, poſſet etiam mater, quia militat etiam in ipſa ius conſuetudinis, tanquam in illa, cui incumbit cura filiorum impuberum: tum quia huiuſmodi conſuetudo non eſt contra ius; cùm nullum ius prohibeat, quòd quis eligat pro eo, qui non poteſt eligere: ſed eſt approbata à iure, imò eſt declaratiua iuris, quod vnicuique concedit electionem ſepulturæ: declarat enim quòd hæc conceſſio ſit generalis, etiam pro iis, qui non poſſunt facere talem electionem: & proinde ſuccedant in hoc ius ij, ad quos ſpectat cura illorum qui non poſſunt eligere: tum quia conſuetudo eſt quòd mater gerat curam filiorum impuberum, & in hoc ſit conſocia mariti. Ergo ſi eligat ſepulturam filio, valida erit electio, tanquam actus ſpecialis curæ maternæ, reſpectu filiorum; habet enim ius ad huiuſmodi curam; & proinde etiam ad actus, qui ſunt pars talis curæ. Electio autem ſepulturæ eſt pars talis curæ: Ergo. Ita tradunt Innocentius, Geminianus, Francus *in dict. capite Licet, de ſepultur. in 6.* Layman *libro tertio, ſectione quinta, tractatu quinto, capite duodecimo, numero quinto*, Molina *de iuſtit. & iur. tract. 2. diſput. 214.* Armilla *v. Sepultura, n. 8.* Sylueſter

Riccius. Genuenſis. Innocent. Geminian. Francus. Layman. Molina. Armilla.

Sylueſter. Sylueſter *ibi q.* 7. Emanuel Sà *ibid. n.* 11. *verſ. Impuberi filio*, & alij.

Eman. Sà.

9. Probabile eſt affines & conſanguineos, qui ſuccedunt patri in cura impuberum, poſſe eligere ſepulturam affinibus & conſanguineis impuberibus, non autem aliis. Ratio prioris eſt, quia talis ſucceſſio in cura ipſorum dat ipſis ius ad ea exercenda, quæ pertinent ad ipſorum curam; inde etiam trãſfert ad ipſos ius, quod conuenit patri ratione conſuetudinis, in eligenda ſepultura pro impubere. Ratio poſterioris eſt, quia non conuenit eis fundamentum nec ſtant loco patris, ita vt concedantur ipſis, quæ patri conceduntur ratione curæ filiorum. Ita

Gloſſa. Franc. Gratian. Paſqualig. Sylueſter. Bellerus. Diana.

Gloſſa *in cap. Licet, de ſepultur. in 6. verb. vel in Parochiali*. Vbi Francus *n.* 3. Gratianus *tom.* 1. *Diſcept. Forenſ. c.* 94. *n.* 80. Paſqualigus *in deciſion. moralib. deciſ.* 394. & alij; quamuis multi contrarium ſentiant, vt Sylueſter *verb. Sepultura q.* 7. Belletus *p.* 1. *diſquiſit. cleric. §.* 3. *de clerico debit. n.* 18. quem ſequitur Diana *p.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 108. *verſ. Notandum.* Qui auctores etiam negant tutorem poſſe eligere ſepulturam pupillo impuberi: ſed contrarium eſt etiam probabile: quia tutor eſt loco patris, & ſuccedit in ius patris in ordine ad curam pupilli & proinde officium patris tranſit ad tutorem, & proinde ius eligendi ſepulturam tranſit etiam ad tutorem; quia ſubrogatur in locum patris; & ideò ſapit naturam patris & debet tenere locum ipſius.

Paſqualig. Ita Paſqualigus *loco citat. deciſ.* 395.

10. Qui moritur abſque electione ſepulturæ, debet ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum, vel in Eccleſia Parochiali, vt ſumitur *ex cap.* 1. *de ſepultur.* & *ex cap. Is qui, de ſepultur. in* 6. Sed quæritur, an ij, ad quos ſpectat cura funeris, poſſint eligere vel ſepulchrum maiorum, vel Eccleſiam Parochialem? Reſpond. non dari electionem, ſed defunctum debere ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum ſi adſit, & in defectu ipſius apud Eccleſiam Parochialem: quia textus priùs ponit ſepulchrum maiorum, & poſtea Eccleſiam Parochialem: tum quia Eccleſia, in qua eſt ſepulchrum maiorum, ſtante dicto *cap.* 1. *de ſepult.* acquirit ius ad ſepulturam, quoties quis illam alibi non eligit; & ideò non poteſt priuari per nouam electionem Parochialis tali iure. Ita tradunt Ioannes Andreas *in cap. Licet. de ſepultur. in* 6. Geminianus *ibidem*, Sylueſter *verb. Sepultura, quæſt.* 8. & alij.

Ioan. Andr. Geminian. Sylueſter.

Sed difficultas eſt, quodnam ſit dicendum ſepulchrum maiorum? Plurimi arbitrantur illud eſſe, in quo plures ex aſcendentibus ſepulti ſunt. Ita Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi cap* 26. *num.* 31. Villalobos *p.* 2. *Summ. tr.* 31. *diffic.* 2. *n.* 4. Diana *p.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 108. quia textus loquuntur de maioribus in plurali.

Barboſa. Villalobos. Diana.

Alij tenent illud eſſe ſepulchrum maiorum, in quo ſepultus eſt pater, etiamſi ſolus ibi ſepultus ſit: quia ſepultura inter mortuos comparatur domicilio inter viuos: filius autem ſequitur domicilium parentum, & non aliorum aſcendentium, *l. Aſſumptio, ff. ad municip. Cap. Fraternitatem, de ſepultur.* Hæc ſententia in praxi ſeruatur, quãdo pater eſt ſepultus in illo ſepulchro, quod ipſe elegit ſibi & ſuis deſcendentibus: quia tunc illud ſepulchrum fit ſepulchrum familiæ, & omnes de familia acquirunt ius ad ipſum. Si autem pater ex accidenti, & non ex intentione ſtabiliendi ſepulchrum familiæ ſepeliatur in aliquo loco, tum filius debet ſepeliri in ſepulchro anteceſſorum; quia ſepulchrum patris eſt aduentitium, nec tranſit ad familiam, ita vt poſſit dici ſepulchrum proprium illius, aut ſepulchrum maiorum. Ita Rodriguez ex parte *tom.* 4. *Summæ cap.* 130. *n.* 12. *in fine*, ſe retractans de eo, quod olim ſcripſerat *tom.* 3. *qq. reg. quæſt.* 58. *art.* 8. Hieronymus Rodriguez *en compend. reſol.* 128. *num.* 28. Paſqualigus *loco citato, deciſ.* 402. & alij apud ipſos.

Rodrig. Hier. Rodr. Paſqualig.

11. Electio ſepulturæ probatur per teſtamentum, aut per duos teſtes conteſtes, vel etiam ſingulares: nam teſtes ſingulares in tempore probant, quando tempus non eſt de ſubſtantia, ſicut etiam ad probandum aliquid in genere admittuntur teſtes ſingulares: tum quia electio ſepulturæ eſt pars vltimæ voluntatis, vnde eſt ſolùm probanda hæc pars vltimæ voluntatis. Pro ipſa autem probanda ſufficiunt teſtes ſingulares: quia in eo quod principaliter probant, euadunt conteſtes: nam licet ſint ſingulares reſpectu exterioris manifeſtationis, qua eligens ſuã manifeſtauit voluntatem, ſunt tamen conteſtes in probanda voluntate exteriùs manifeſtata: quam vt conteſtes probant tanquam habentem tractum ſucceſſiuum & pluries manifeſtatum. Ita Barboſa *in cap. Cum ſuper, n.* 2. *de ſepulturis*, Diana *p.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 106. Iulius Lauorius *tom.* 1. *variar. lucubrat. titul.* 2. *capit.* 11. *numero* 18. Bonacina *de contract. diſputat.* 3. *quæſtione* 21. *punct.* 3. *num.* 10. & communis.

Barboſa. Diana. Lauorius. Bonacina.

Imò electio ſepulturæ probatur per codicillum inualidum, aut ſcripturam manu propria ſubſcriptam: quia in foro conſcientiæ ſufficit, ſi quomodocumque innoteſcat voluntas teſtatoris, ſeu vltima voluntas morientis. Vnde cùm electio ſepulturæ ſit pars vltimæ voluntatis, ſiue innoteſcat per codicillum inualidum quidem quoad ius ciuile, validum tamen quoad ius canonicum in ordine ad pias cauſas, ſiue per ſcripturam manu propria ſubſcriptam, quoad vtrumque forum valida erit electio: tum quia ſubſcriptio ſe habet veluti teſtimonium declaratiuum mentis propriæ, vnde habet etiam eandum vim, quam haberet locutio. Ita Lauorius *loco citato*, quem ſequi videtur Diana *loco citat. reſol.* 106. Imò nonnullis in locis ſufficit dictum confeſſarij ad probandam electionem ſepulturæ: quia quando moribundus communicauit confeſſario ſuam voluntatem quoad electionem ſepulturæ, & confeſſarius de tali electione teſtatur, non ſe habet vt purus teſtis, ſed vt executor voluntatis à defuncto ſibi commiſſæ, & ob hanc cauſam ſtandum eſt dicto ipſius; quod alioquin, vtpote ſingulare, non faceret plenam fidem. Ita tradunt Molfeſius *in Summ. tom.* 2. *tract.* 13. *cap.* 8. *num.* 32. Diana *loco citato reſol.* 106. & ita practicari apud Curiam Epiſcopalem Neapolitanam ex decreto Concil. Prouincialis teſtatur Lauorius *loco citato num.* 20. *in fine.*

Lauorius. Diana. Molfeſius. Diana. Lauorius.

12. Peregrinus moriens extra propriam Parochiam tranſferendus eſt ad propriam, ſeu ad ſepulchrum maiorum ſuorum, ſi habeat & commodè poſſit, alioquin ſpeliri poteſt in Eccleſia Cathedrali, vel Parochiali in qua decedit, præſertim ſi in ea Parochia Sacramenta ſuſcepit: nam Parocho, cui competit ius conferendi Sacramenta, competere etiam videtur ius exercendi officium ſepulturæ in ſua Eccleſia erga illum, cui Sacramenta miniſtrauit. Hoc autem intellige, niſi hic peregrinus ſeu viator præmoriens elegerit ſepulturam; nam tunc eò eſt deportandus. Ita Roccius *in praxi de ſepultur. reſol.* 560. Et ita in viatoribus ſeruat Rota per Cardinalem Seraphinum in vna Hiſpalenſ. 9. Iulij 1595. coram eodem.

Riccius. Rota.

Ab hac tamen regula excipiuntur religioſi, qui ſepeliendi ſunt in propriis monaſteriis, *cap. vlt. de ſepult. in* 6. etiamſi extra clauſtra decedant, & tunc etiam inconſultis Parochis; niſi ſint ita remoti à propriis monaſteriis, vt commodè portari nequeãt: quia

quia tunc poſſunt eligere ſepulturam: ſi verò in hoc caſu non elegerint, ſepeliendi erunt in Eccleſia Parochiali, in qua deceſſerunt inſtar fœcularium in itinere morientium. Ita Sanchez *lib. 6. mor. cap. 14. num. 3. & 4.* Trullench *tract. de iur. Parochi cap. 9. dub. 4. num. 8.* Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi cap. 26. num. 30. & num. 68.* & alij penes ipſos citati; quibus addo Dianam *p. 5. tr. 3. reſ. 110.* Lezanam *part. 1. q. regul. cap. 9. num. 10.*

Sanchez. Trullench. Barboſa. Diana. Lezana.

Sed petes, ſi in illo loco ſit aliud monaſterium ſui Ordinis, an adhuc poſſit religioſus eligere ſepulturam? Reſpond. vel talis religioſus ſtat ſub obedientia Prælati illius Monaſterij, vel nō ſtat. Si ſtat ſub illius obedientia, ita vt ipſum agnoſcat pro Superiore, quamuis ibi ſit per modum hoſpitis, non poteſt eligere ſepulturam: quia valet ratio *cap. final. de ſepult. in 6.* quòd non habeat velle, aut nolle.

At ſi non ſit ſubditus Prælato illius Monaſterij, habet libertatem eligendi ſibi ſepulturā: quia tunc res eodem pacto ſe habet ac ſi ibi nullum adeſſet Monaſterium; quia ſicuti nō ſubditur Prælato Monaſterij, nec in ipſum habet ius, ita nec Prælatus habet ius ſupra ipſum; & proinde talis religioſus habet propriū velle, ac nolle in ordine ad diſponendum de ſe & de ſua ſepultura. Quod tamen limitandum eſt, niſi Conſtitutiones Religionis, aut conſuetudo, quæ haberet vim legis, aliter ſtatuerent: tunc enim ſtandum eſſet conſtitutionibus, & conſuetudini; modo conſtitutiones ſint ex certa ſcientia à Pontifice confirmatæ: quia aliàs non poteſt Conſtitutio Religionis non confirmata à Pontifice præualere contra diſpoſitionem iuris communis, *cap. final. de ſepult. in 6.* quod concedit, quando corpus religioſi defuncti non poteſt commodè deferri ad proprium Monaſterium, electionem ſepulturæ. Ita Paſqualigus *in deciſionibus moral. deciſ.* 383.

Paſqualig.

13. Quidam negant Prælato locali Religionis facultatem eligendi ſibi ſepulturam, & ſolùm concedunt ſupremo Religionis Prælato, qui eſt Generalis. Ratio illorum eſt, quia hi Prælati ſubduntur Generali, nec habent velle, aut nolle; & ideò militat in eis ratio, ob quam *in cap. final. de ſepult. in 6.* declaratur non poſſe Religioſos ſibi eligere ſepulturam. Ita Sylueſter *verb. Sepultura, quæſt. 6.* Armilla *ibidem num. 6.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 5. cap. 12. num. 7.* Probabilius tamen eſt poſſe: quia licet Prælatus localis ſubdatur Generali, adhuc nihilominus in multis habet velle & nolle, vt in iis, quæ pertinent ad locale regimen; & ideò poteſt de multis diſponere. Ex quo fit quòd non ſolum poteſt eligere ſepulturam intra Monaſteria Ordinis, ſed etiam extra: quia facultas eligendi ſepulturam non ſe extendit ad hæc, vel illa loca, ſed ad omnia, in quibus locum habet Eccleſiaſtica ſepultura: vnde ſi ſemel alicui conuenit, debet conuenire in Ordine ad omnia abſoluté, abſque vlla reſtrictione. Ita ſuſtinent Panormitanus *in cap. De vxore, num. 5. de ſepultur.* Francus *in dict. cap. final. de ſepult. in 60. n. 2.* Rodriguez *tom. 3. qq. reg. q. 6. art 1.* Hieronymus Rodriguez *in compend. reſ. 128. n. 16.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 14. num. 7.* Lezana *part. 1. quæſt. reg. cap. 9. n. 10.* & alij.

Sylueſter. Armilla. Layman.

Panormit. Francus. Rodrig. Hier. Rodr. Sanchez. Lezana.

Aduertendum tamen eſt *Primò*, quod ſi talis Prælatus localis eligeret ſepulturam, & poſtea decederet finitâ prælaturâ, non eſſet ſepeliendus in loco electo, ſed in ſuo Monaſterio; quia inſpicitur tempus mortis ad habilitatē eligendæ ſepulturæ diſcernendam: at tempore mortis non erat ille Prælatus, vt notant Rodriguez & Sanchez *num. 8.* & vltima voluntas ipſius non eſt in ſtatu, vt poſſit eligere ſepulturam, atque adeò nec electam approbare. Limita, niſi Prælatus Monaſterij ratam habeat illam electionem: quia tunc cenſetur de nouo ipſe eligere ſepulturam; quod facere poteſt, iuxta Rodriguez *loco citato*, licet contradicat Sanchez *loc. cit. n. 6.*

Rodrig. Sanchez.

Secundò, quòd regularis, qui præeſt Prioratui manuali non ſubiecto immediatè Generali, non poſſit ſibi eligere ſpulturam: quia qui præeſt huiuſmodi Prioratui, eſt religioſus illius Monaſterij, cui eſt annexus Prioratus, & ideò ſubiicitur Prælato locali illius Monaſterij. Hinc velle & nolle talis Prioris eſt coniunctum cum velle & nolle Prælati Monaſterij principalis tanquam capitis vtriuſque Monaſterij: vnde eſt eadem ratio de ipſo, ac de ceteris religioſis ſubditis, qui non poſſunt ſibi eligere ſepulturam. Ita inſinuant Sanchez *loco citato num. 9.* Rodriguez vterque *locis citatis*, Francus *in cap. final. n. 2. de ſepult. in 6.* & docet Paſqualigus *deciſ.* 388.

Sanchez. Rodrig. Francus. Paſqualig.

14. De iure communi vxor poteſt ſibi eligere ſepulturam, ut decernitur *in cap. De vxore, de ſepultur.* Et reddit rationem textus: quia electio ſepulturæ pertinet ad eum ſtatum, in quo vxor ſoluitur à lege viri. Si tamen ſepulchrum non elegerit, ſepelienda eſt in ſepulchro viri: at ſi detur caſus vt mulier duos vel plures viros habuerit, ſepelienda eſt in ſepulchro vltimi viri, *ex cap. Is qui*, §. *Mulier de ſepult. in 6.* vbi dicitur, *Mulier autem quæ plures viros habuit ſucceſſiuè, ſi ſepulturam non eligat, eſt cum viro vltimo, cuius domicilium retinet & honorem, tumulanda.* Ex quo ſequitur vxorem, quæ in aliena Parochia mortua eſt & ſepulturam non elegit, transferendam eſſe ad tumulum ſui viri. Ita ex communi Molfeſius *in Sum. tom. 2. tr. 13. c. 8. n. 22.* Diana *q. 5. tract. 3. reſol. 108.*

Molfeſius. Diana.

15. Hæretici ſunt priuati Eccleſiaſticâ ſepulturâ, etiamſi non ſint nominatim denuntiati. Debet tamen manifeſtè conſtare de ipſorum hæreſi, & ita notoriè vt hæretici decedere, vt nulla tergiuerſatione eorum malitia celari poſſit. Et hoc ſpecialiter cautum eſt in hæreticis propter criminis enormitatem, *cap. Sicut, de hæret. in fine.* & *cap. Excommunicamus el 1. §. credentes, de hæreticis*, extenditur ad hæreticorum fautores & defenſores; aliàs priuari non debent ſepultura. Quòd ſi quis non obſtante hac notoreitate ſepelire illos præſumpſerit, excommunicationem incurrit, *cap. Quicumque, de hæreticis in 6.* & ibi *Gloſſ.* & ſuſpectus de hæreſi redditur. Ita Caſtrus Palaus *tom. 1. tract. 4. diſp. 4. punct. 4.* Filliucius *tr. 22. c. 7. n. 229.* Trullench *in Decalog. lib. 1. cap. 3. dub. 14.* quamuis Henriquez exiſtimet *lib. 13. de excomm. c. 11. n. 3. litt. P.* requiri vt ſint denuntiati ſaltem de hæreſi. Cui ſubſcribit Bonacina *tom. 3. diſp. 2. q. 2. p. 30. n. 4.*

Palaus. Filliucius. Trullench Henriquez Bonacina.

Obſeruat tamen Baldellus in Theolog. moral. *tom. 2. lib. 1. diſp. 42. n. 1.* quòd in locis, in quibus hæreſes impunè graſſantur, vt in Anglia, & Germania, &c. non peccant Catholici, qui hæreticorum funus comitantur, eoſque ad ſepulturam deducunt, quando ſepeliuntur more hæreticorum. Ratio eſt, quia hæ communicationes, cùm ſint in rebus licitis, licitæ omnino ſunt, quantum eſt ex rei natura; neque fiunt illicitæ ratione excommunicationis, cùm hæc non operetur obligationem vitandi, etiam in diuinis, niſi ſequutâ denuntiatione. Hoc tamē non procedit quando ſepultura fit in loco ſacro: quia licet excommunicatus, qui non eſt denuntiatus, non ſit vitandus in ſepultura aut in funere, quando eſt mortuus, ſicut nec fuit vitandus ſiue in diuinis, ſiue in humanis, cùm eſſet viuus ex *cap. Sacris, de ſepultur. & cap. Ad hæc, de priuileg.* tamen vitandus omnino eſt, quando funus & ſepultura fit in Eccleſia, aut loco ſacro; nō quia hæc obligatio inducatur per excommunicationem non denuntiatam à iudice, ſed quia inducitur ex ipſa rei natura, ex qua malitiā

Baldellus.

contrahunt

contrahunt & digni ſunt morte, non ſolùm qui malè faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, ex D. Paulo *ad Romanos* 1.

16. Quamuis occidentes ſeipſos ſcienter & ex induſtria priuandi ſint Eccleſiaſticâ ſepulturâ, *ex cap. Placuit*, 23. *quæſt.* 5. vbi dicitur, *Placuit, vt qui ſibi ipſis voluntariè aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per ſuſpendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorſus pro illis in oblatione commemoratio fiat: neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum cadauera deducantur.* Hâc tamen pœnâ non eſt plectendus ille, qui ſe præcipitem dedit, non vt ſe interficeret, ſed quia malum ipſi impendens aliter euitare non potuit; vt ſi mulier ſe è feneſtra proiiciat, vt fugiat volentes eam violare, vel ne in manus inimicorum incideret, &c. Item ſi aliquis reperiretur mortuus in puteo, vel laqueo ſuſpenſus, non eſt ſtatim priuandus Eccleſiaſticâ ſepulturâ, quia vbi non conſtat, quod ſeipſum interfecerit, vel præcipitauerit, non eſt id præſumendum, cùm potuerit per inſidias, aut vim in puteum prociici vel ſuſpendi, aut ex furore, ſeu mentis alienatione id feciſſe. Secus dicendum ſi inueniretur ſuſpenſus laqueo in cubiculo, ianuis intus clauſis, cum quo nemo morabatur: tunc magna & vehemens adeſſet præſumptio & coniectura non ab alio, ſed à ſeipſo occiſum fuiſſe, & ſic priuandus eſſet Eccleſiaſticâ ſepulturâ, vt docet Genuenſis *in praxi Archiepiſcop. Neapolit. cap.* 61. *n.* 20. Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi c.* 26. *n.* 49. Trullench *tract. de iur. Parochi c.* 9. *dub.* 7. *n.* 10. Diana *p.* 9. *tr.* 8. *reſol.* 1. *in fine*. In caſu tamen quo non conſtet, an ſeipſum occiderit, ſepeliendus eſſet in loco ſacro: quia in dubio præſumendum eſt minus delictum, nec quis præſumitur voluiſſe violentas manus in ſeipſum conicere, cùm vnicuique à natura datum ſit, vt ſeipſum tueatur & ſeruet. Aliàs ſi talis priuaretur Eccleſiaſticâ ſepulturâ, fieri poſſet, vt innocens puniretur, qui forſan ab alio fuit occiſus. Ita Bonacina *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 21. *punct.* 2. *n.* 2. *verſ. Si tamen*. vbi citat Martinum Socinum, Couarruuiam, Gratianum, Lauorium & alios.

17. Religioſus inuentus mortuus cum burſa denariorum non eſt ſtatim priuandus Eccleſiaſtica ſepultura. Ratio eſt, quia iura non priuant officio Altaris talem religioſum viuentem cum peculio, niſi quando priùs monitus noluit dimittere: ergo ſic mortuum non priuabunt ſepulturâ Eccleſiaſticâ: tum quia talis mortuus poterat ſe purgare, quod ſcilicet denarij eſſent amici ſui, conſanguinei, vel ſibi depoſiti vel concrediti, vt alteri deferret loco eleemoſynæ, vel reſtitutionis, vel quod ex obliuione aut negligentia inibi remanſerint. Adde, quod quando religioſus eſt Sacerdos, ob dignitatis excellentiam cautè, & cum magna circumſpectione procedendum eſt, priùs quàm Eccleſiaſticâ ſepulturâ priuetur: licet enim præſumatur in peccato deceſſiſſe, adhuc tamen in facto omninò occulto non eſt illâ priuandus; nam ſi viuus cum tali pecunia occultè inuentus non poteſt publicè puniri, neque diffamari, à fortiore, nec mortuum licebit tam graui pœna ac publica puniri, quia non poteſt ſe purgare. Ita Rodriguez *tom.* 4. *Summ. c.* 131. *circa finem*, vbi ſe retractat de oppoſito, quod ſenſerat *tom.* 3. *qq. reg. quæſt.* 61. *a.* 1. *ad finem*, Portel *in dub. regul. verb. Sepultura, n.* 11. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 23. Villalobos *in Summ. tom.* 2. *tract.* 31 *difficult.* 3. *num.* 6. Trullench *loco citato dub.* 7. *num.* 8. & alij, apud eoſdem plura de ſepultura.

An autem prædicta doctrina locum habeat in Fratre Minorita, cui ſtrictiùs in ſua regula denarij ſeu pecunia prohibentur? Reſpondent Rodriguez, Portel & Hieronymus Rodriguez *in compend. priuileg. reſol.* 128. *num.* 26. affirmatiuè, ſi ſatis probabiles circumſtantiæ & indicia adſint ad credendum, pecuniam eſſe alienam, vel creditam ad erogandam vel reſtituendam; quia, cùm tunc non peccauerit in rigore, quia pecunia non erat ſua, non eſt cur ſepultura Eccleſiaſtica priuandus ſit.

18. Meretrix, quæ inuenta eſt mortua & vulneribus plena in domo ſui amici eodem die ſtatim poſt factam Sacramentalem Confeſſionem & Sacræ Communionis refectionem in Paſchate, non debet priuari Eccleſiaſtica ſepultura, licet de eius contritione non conſtet. Ratio eſt, quia omnis, qui confeſſus eſt ſemel in anno & communicauit in Paſchate, ſepeliendus eſt in loco ſacro, niſi conſtet eum in peccato mortali fuiſſe mortuum, vt tradunt communiter Doctores. At in hoc caſu non conſtat eam in peccato mortali fuiſſe mortuam, cùm non conſtet de mente, quâ illam amicus eius duxit in domum ſuam; licet enim veriſimiliter credi poſſet illam duxiſſe ad meretricandum, ſi eam non occidiſſet; quia tamen occidit, veriſimilius credi poteſt deduxiſſe illam ad ſumendam vindictam de aliqua iniuria, quam ſibi irrogatam ab ipſamet fuiſſe putabat. Deinde præſumendum eſt, poſito quòd fornicandi animo intraſſet domum, illam priùs monitam eſſe ab occiſore, vt de peccatis doleret, ipſamque imminente morte ad contritionem & ad meliorem frugem rediiſſe. Ita Nauarrus *lib.* 3. *conſil.* 4. *de ſepultur. & conſil.* 16. Rodriguez *tom.* 3. *qq. regul. q.* 61. *art.* 2. Portel in ſimili *verb. Sepultura num.* 1. *in dub. regul.* Villalobos *part.* 2. *Summ. tract.* 31. *difficult.* 3. *num.* 10.

19. Contra exenterantes vel in fruſta concidentes corpora mortuorum aut in aquis coquentes, vt carnem ab oſſibus euellant, vt alibi tumulanda ferant, eſt excõmunicatio lata in Extrauagant. *Deteſtan. de ſepulturis*, cuius abſolutio Papæ reſeruatur. Ita Sylueſter *verb. Excommunicatio* 7. *n.* 79. Hæc tamen excommunicatio non habet locum in cadauere mortui, quod datur medicis ad faciendam anatomiam, habita priùs licentia à iudice, ſi corpus eſt alicuius delinquẽtis puniti. Ratio eſt, quia pœnæ vltra proprios caſus nõ ſunt extendendæ: & extrauagans dicta ſolùm loquitur caſu quo exenterantur & in fruſta conciduntur corpora mortuorum, eo fine, vt alibi ſepeliantur: tum quia Reipub. intereſt, vt fiant anatomiæ, ad facilius cognoſcendum infirmitatum radices, quibus homines replentur, vt illis cognitis facilius medicamina ſalutifera applicentur, quod commune bonum non debet impediri ex leuiſſimo præiudicio, quod dictis corporibus ex tali exenteratione prouenit. Vnde Carolus V. Imperator anno 1550. requiſiuit votum vniuerſitatis Salmanticenſis, an hoc licitum eſſet, & reſpondit vniuerſitas quòd ſic, vt teſtantur Anton. Gomez *de delictis c.* 14. *n.* 8. Rodriguez *tom.* 3. *qq. reg. q.* 62. *art.* 2. Villalobos 1 *q. Summ. tr.* 17. *diſſic.* 25. *n.* 7. qui nouiſſimus addit cum Caietano dictam cenſuram non comprehendere exenteratnes cadauera Principum & nobiliſſimorum virorum, ſeu procerum, vt à corruptione præſeruentur, nec eos, qui transferunt corpora apud infideles exiſtentia ad terras fidelium. *Proinde* materia huius excommunicationis ſunt actiones in iſta extrauaganti expreſſæ & prohibitæ, quarum *Prima* eſt exenterare, id eſt, inteſtina, ſeu interiora extrahere, ideò exentera vocantur inteſtina, eò quòd ex intra trahantur. *Secunda* membratim, vel in fruſta corpus defuncti concidere, id eſt, partiri ſeu dilacerare. *Tertia* coquere. *Quarta* nudare oſſa. Vt tamen hæc cenſura incurratur, quatuor conditiones requiruntur. *Primò*, Præſumptio; quia

Genuenſis. Barboſa. Trullench. Diana.

Bonacina. Socinus. Couar. Gratian. Lauorius.

Rodrig. Portel. Diana. Villalobos. Trullench.

Rodrig.

Portel. Hier. Rodr.

Nauarrus. Rodrig. Portel. Villalob.

Sylueſter.

Carol. V.

Gomez. Rodrig. Villalobos.

textus vtitur verbo *præsumpserit. Secundò*, vt istæ actiones fiant, vt ossa aliò sepelienda deferantur. *Tertiò*, vt fidelis moriatur in terris Catholicorum. *Quartò*, vt istæ actiones fiant à fidelibus erga fideles: de his enim loquitur textus. Vnde quælibet prædictarum actionum sufficit ad incurrendam iustam censuram, quæ vniuersalis est, & non solùm complectitur facientes, verùm etiam mandantes: consulentes verò, aut ratum habentes non comprehenduntur, quia non exprimuntur; imò ipsum cadauer sic exenteratum punitur pœna priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ in detestationem tanti criminis, post iudicis sententiam: quia supponitur defunctum dedisse occasionem, vel consensum in tale delictum, dum præcepit ante mortem ossa sua deferri in alium locum remotum. Ita Filliuc. *tra.* 15. *c.*4. *n.*78. *&* 79. post Suarez. Bonacina *tom.*3. *disp.*2. *q.*3. *punct.*45. Toletus *in Summ. lib.*1. *c.*36. *n.*8.

Filliucius. Suarez. Bonacina. Toletus.

20. Corpora defunctorum perpetuæ sepulturæ tradita non possunt exhumari & transferri de loco ad locum sine Episcopi licentia, vt definitur *in cap. Corpora Sanctorum, de consecrat. disp.* 1. & *l. Nemo humanam, Cod. de relig. & sumptib. funerum.* Secus est, quando sunt depositæ, seu ad tempus seruatæ in vna Ecclesia, vt postea transferantur ad aliam, vel quando transferuntur de vno loco ad alium eiusdem Ecclesiæ. Rodriguez *tom.*3. *qq. reg. quæst.*62. *articulo* 1. Ex quo fit iudicem laicum absque licentia Episcopi, exhumando corpus defuncti occisi, frangere immunitatem Ecclesiasticam, & idcò posse excommunicari: quia Iudex laicus nullam in Ecclesia potest exercere iurisdictionem, *ex cap. Decet, de immunit. Eccles. in* 6. etiamsi illa exhumatio fiat, vt constet de corpore delicti. Ita Diana *p.* 9. *tract.*7. *resol.*64. De hac materia vide Pellizzarium *in man. reg. tract.*8. *cap.*5. *sect.*4.

Rodrig.

Diana.

Vide verb. Concubinarius *num.*10. Electio *n.*6. Interdictum *n.*22. *&* 23. Parochia *n.*12.

SERVITVS. SERVVS.

SVMMARIVM.

1 *Seruitutes quædam consistunt in solo, & quadam in superficie: & exinde dicuntur rustica vel Vrbana.*

2 *Seruitutes Vrbanæ enarrantur.*

3 *Seruitutes rusticæ tam nominatæ quàm innominatæ recensentur.*

4 *Quomodo acquiratur ius seruitutis, quando ex contractu debetur.*

5 *An seruitus personalis iure gentium inducta sit.*

6 *An iure gentium & ciuili captus in bello iusto, fiat seruus capientis? An hoc ius habeat inter Christianos belligerantes locum.*
An capti Christiani in bello iusto ex parte infidelium maneant illorum serui? Refertur duplex sententia.

7 *Seruitus an acquiratur natiuitate, id est, an qui ex ancilla natus est, efficiatur seruus iure Cæsareo? Et quid dicendum de iure naturali.*

8 *An quis possit fieri seruus per iustam condemnationem?*
Et in quibus casibus hæc pœna de iure infligatur.

9 *An seruitus contrahatur per emptionem & venditionem?*
Et quæ conditiones requirantur iure Cæsareo, vt venditio libertatis sit valida.

10 *An iure naturæ licitum sit parentibus vendere suas proles, & quas conditiones ad hoc requirat ius Cæsareum? & An hoc ius sit apud Christianos receptum.*

11 *An serui bello iusto capti peccent mortaliter fugiendo à dominis, & teneantur seipsos restituere, esto ad suos peruenerint?* Refertur duplex sententia.

12 *Serui, qui à se, vel à parentibus sunt legitimè venditi, vel qui in pœnam iustè condemnati sunt in seruitutem, an possint fugere.*

13 *Quibus in casibus serui fugere licite possint à dominis.*

14 *An ex contractibus seruorum oriatur obligatio naturalis & ciuilis? Et an illis, vel contra illos detur actio in foro seculari.*

15 *An serui possint licitè & validè absque consensu domini matrimonio copulari? Et an grauiter peccet dominus matrimonium serui impediens.*

16 *An liceat domino seruum coniugatum in partes longinquas vendendum mittere.*

17 *An seruus ingressus Religionem, si intra triennium non repetatur à domino, libertatem præscribat? Et à quo tempore numerandum sit illud triennium?* Refertur duplex sententia.

18 *An professio serui sit valida, si intra triennium illud, in quo dominus potest illum reuocare, profiteatur?* Refertur duplex sententia.

1. DUo sunt genera seruitutum realium: nam vel sunt seruitutes, quæ consistunt in solo, vel in superficie, *l. Seruitutes. ff. de Seruitutibus.* Seruitutes soli dicuntur rusticæ, siue rusticorum prædiorum. Seruitutes superficiei dicuntur vrbanæ, siue prædiorum vrbanorum, *l. Seruitutes quæ, ff. de Seruitutib. vrban. prædior.* Vrbana prædia sunt adificia causâ habitandi constructa, siue in vicis, vel alio loco extra vrbem, siue in vrbe sint sita, *l. Vrbana prædia ff. de verb. significat.*

2. Seruitutes vrbanæ sunt sequentes. Seruitus oneris ferendi; tigni immittendi; stillicidium, vel flumen auertendi, vel non auertendi: ius altiùs tollendi, vel non tollendi ædificium: ius officiendi luminibus, vel aspectui alicuius; seruitus proiiciendi, vel eiiciendi aquam in aream, vel hortum vicini.

Seruitus oneris ferendi consistit in sustinendo onera vicini, cùm quis, scilicet, habet ædes, quæ habent columnam, vel parietem ad onus vicini ferendum. Ille enim, cuius ædificium iure superius, potest supra suum ædificium onus imponere, dummodò inferiora ædificia grauiori seruitute non oneret, quàm pati debeant, *l. Cuius, ff. de Seruitut. vrbanor. prad.* & is qui debet seruitutem ædificio alicuius, cogitur parietem restituere; quia debet talem parietem perpetuum, qualis erat tunc, cùm imposita est Seruitus, *seruare. l. Tunc debere, ff. de seruitut. vrban. prædior.*

Seruitus tigni immittendi est ius quo quis potest tignum immittere in parietem vicini: quod alioquin iure communi non liceret; §. *Prædiorum, ff. de seruitut. vrbanor. prædior.* Et cùm tigni appellatio latè pateat, hìc dumtaxat accipitur pro trabibus, quando alicui ius liberum est immittendi trabes suas in parietem vicini sui.

Seruitus auertendi stillicidium est ius, quo licet alicui stillicidium domus suæ in domum, vel aream vicini auertere, *l. Prædiorum, ff. de seruitut. rusticor. prædior.* Stillicidium autem dicitur, cùm ex tecto aqua stillatim, vel guttatim decidit. Seruitus verò stillicidium non auertendi est ius, quo vicino non licet facere, quin stillicidium suum in domum vel aream vicini defluat, quo is fortè opus habet

Digitized by Google

habet ad ciſternam ſuam replendam, vel hortum, aut viridarium ſuum irrigandum.

Seruitus altiùs tollendi ædificium, eſt, quando neceſſitas incumbit vicino altiùs tollendi ædificium, quia altiùs ædes ſuas tollere cogitur, ne in domum meam proſpiciatur. Seruitus autem negatiua altiùs non tollendi, ea eſt, per quam prohibetur quis domum ſuam inuito vicino altiùs tollere, *l. 1. ff. de ſeruitut. vrbanor. prædior.*

Seruitus affirmatiua luminum eſt ea, qua vicinus ſui vicini lumina excipere iure compellitur, *l. Luminum, ff. de ſeruitutib. vrbanor. prad.* vnde is, cuius ædibus hæc ſeruitus debetur, poteſt vnam aut plures feneſtras aperire, per quas lumen in vicini area excipiatur.

Seruitus proſpectus ea eſt, quâ quis vicino claritatem præſtare cogitur aperta feneſtra, vel aliquo foramine.

Seruitus proiiciendi vel protegendi eſt ius, quo licet alicui ædes ſuas protendere, ſiue exporrigere in mœnianis ſeu podiis penſibilibus protectum. Dicitur locus in domibus ſurrectus vnde ſpectare licet à protegendo, id eſt, porro tegendo, ſiue tectum obiiciendo; id enim protegere eſt.

Seruitus negatiua ne proſpectui officiatur, eſt ea, quâ quis prohibetur quidquam facere, quo vicina ædificia ad gratiorem & liberiorem proſpectum impediuntur, *l. Inter ſeruitutes. ff. de ſeruitut. vrbanor. prædior.* De quibus Sylueſter *verb. Seruitus, num.* 1. Azorius *part.* 3. *lib.* 1. *capite* 36. Molina *de iuſtit. tractat.* 2. *diſputatione vndecima, numero* 12. *&* 13. Leſſius *libro ſecundo, cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 29. *&* 30. & Iuriſperiti *in l.* 8. *Digeſtorum tit.* 1. 2. 3. 4. qui ſunt de ſeruitutibus.

Sylueſter. Azorius. Molina. Leſſius.

3. Seruitutes ruſticæ, vel ſunt nominatæ, vel innominatæ. Nominatæ dicuntur, quæ à iure ſpeciale nomen habent, & ſunt quatuor, Iter, Actus, Via, Aquæductus.

Iter eſt ius eundi, vel ambulandi hominis, non autem iumentum agendi vel vehiculum, aut plauſtrum trahendi per fundum alicuius, *l.* 1. *ff. de ſeruitutib. ruſtic. prædior.*

Actus eſt ius eundi, vel ambulandi hominis, agendi iumentum & vehiculum trahendi, *l. Qui ſella. ff. de ſentent. ruſticor. prædior.*

Via eſt ius eundi hominis, iumentum agendi, plauſtrum ducendi, trabem, tignum, vel lapidem trahendi, & rectam haſtam deferendi, modò fructus non lædat is, qui tale ius habet, *lege Qui ſellam. ff. de ſeruitut. ruſtic. prædior. verſ. Qui viam.*

Aquæductus eſt ius aquæ ducendæ per fundum alienum ad vtilitatem prædij mei ruſtici, *l.* 2. *ff. de ſeruit. ruſticor. prædior.* quod ius poteſt conſtitui tum in aqua inuenienda, tum in aqua iam inuenta deducenda, *lege Labeo, ff. de ſeruitut. ruſticor. prædior.*

Ruſticæ ſeruitutes innominatæ dicuntur, quæ nomen habent ab ipſo actu, & ſunt quinque: Ius pecoris in fundo alieno paſcendi: Ius appulſus ad aquam, quo mihi licet pecora agri mei ad fontem, vel riuum agere: Ius aquæ hauſtus, quo mihi licet aquam acquirere ſeu haurire de fonte, vel puteo vicini: Ius calcis coquendæ, quo licet alicui calcem coquere in fundo vicini ad vtilitatem ſui prædij ruſtici: Ius arenæ ſeu argillæ fodiendæ è fundo vicini: quæ ſeruitutes eatenus conſtitui poſſunt, quatenus opus ſit ad ruſticum prædium cuius gratia conſtituitur. Hæc omnia habentur *in l. Seruitutes, l.* 1. *in prædiis, & l. Ergo, ff. de ſeruitutib. ruſticor. prædiorum.*

Hæ ſunt ſeruitutes, quæ à iuriſperitis commemorari ſolent, quarumque fit mentio in iure. Aduertendum autem eſt, inter vrbanas ſeruitutes annumeratas eſſe, quæ frequentiùs ſolent eſſe vrbanæ; & inter ruſticas, quæ ſolent eſſe ruſticæ. Id verò non tollit, quin pro qualitate prædij, cui prædium aliud ſeruit, quædam ex computatis cum vrbanis, aliquando poſſint eſſe ruſticæ, & quædam ex computatis cum ruſticis, eſſe poſſint vrbanæ.

4. Ius ſeruitutis acquiritur quando ex contractu debetur, duobus modis: *Primò*, per traditionem, nempe, quando is, cui eſt promiſſa vel debita ſeruitus, titulum habet, & immittitur vel inducitur in fundum, qui ſeruitutem debet. Ratio eſt, quia ius in re regulariter non habetur ante traditionem. eſto quis emat vſumfructum, aut aliquam aliam ſeruitutem in re aliena, ſi tamen nondum ſit ei facta traditio, aut quaſi traditio illius, nondum eſt ſeruitus illa, quam emit; nam ſicut ille nondum habet ius in re, ſed ad rem, ita nondum eſt obligatio in re illa, quæ reſpondeat iuri in re. Ex quo fit, vt tunc ſolùm ſit obligatio perſonalis ex parte eius, qui ſeruitutem illam vendidit, ad eam conſtituendam, traditionem, aut quaſi traditionem ipſius efficiendo, & tamen ſeruitus nondum ſit.

Secundò, ius ſeruitutis acquiritur, quando is, cui debetur ſeruitus, vtitur ſeruitute, ſciente & patiente domino prædij, quod ſeruitutem debet, *lege* 3. *verſ. Dare, de vſufructu.* Ita ex communi Antonius Gomez *tomo ſecundo variar. capite decimoquinto, numero quadrageſimoquinto.* Quid ſi fundus non poſſideatur à vero domino, ſed à quodam alio? ſufficit, ſi titulum habens à domino, quod ab illo poſſeſſore mittatur in fundum, vel ſi illo ſciente, & non impediente, vtatur ſeruitute. Dixi, *quando ex contractu debetur.* Nam ſi in vltima voluntate relinquatur, tunc ſtatim ipſo iure acquiritur legatario ſine aliqua traditione, *l. Si partem, verſ. vlt. ff. Quemadmodum ſeruitus amittatur.*

5. Seruitus merè perſonalis naturæ contraria, iure gentium inducta eſt; iure enim naturali omnes homines ab initio liberi naſcebantur. Vlpianus *in l. Manumiſſiones, ff. de iuſtit. & iur.* quia natura neminem fecit ſeruum; ſed non prohibuit ne quis ſeruus eſſet, & ita iure gentium ſunt introductæ ſeruitutes. Notandum tamen eſt, quod quando *Vlpianus, Caius, Florentinus*, & *Iuſtinianus* tradiderunt ſeruitutes eſſe iuris gentium, acceperunt ius gentium partim pro iure naturali, partim pro eo, quod magna pars gentium ſua auctoritate & voluntate conſtituit. Seruitutem autem, quâ quidam aliis ſubiecti, ab eis reguntur, diriguntur, corriguntur & prohibentur à malis, dixerunt eſſe iuris gentium, hoc eſt, iuris naturalis, quod omnes homines naturalis ratio docuit: & hæc ſeruitus non eſt contra naturam, ſed naturæ conſentanea, vt oſtendit Ariſtoteles *libro primo Politic. capite tertio.* At eam ſeruitutem, quæ erat apud Romanos, & pleraſque gentes vſitata, docuerunt eſſe iuris gentium, videlicet eius iuris, quod auctoritas plurimarum gentium in vſum admiſit. Nam bello deuicti capti fiebant capientium ſerui, & mancipia talia, vt in eos domini haberent vitæ & necis imperium, & non quantum deceret, ſed quantum liberet, in ſeruos poteſtatem exercerent: & hæc eſt ſeruitus, quam veteres illi Iuriſconſulti, & Iuſtinianus Imperator dixerunt eſſe contra naturam: quia reuerà erat non naturalis: quia domini pro arbitrio dominabantur in ſeruos, & ſerui tanquam pecudes parere cogebantur; & ideò poſtea fuit talis ſeruitus Imperatorum Conſtitutionibus correcta

Vlpianus. Ariſtot. Iuſtinian.

& emendata. Nam dominis eſt ad empta poteſtas cedendi, vt patet ex *l. 1. ff. de iure perſonar.* & *Inſtitut. de iis qui ſui, vel alieni iuris ſunt, §. In poteſtate.* Hinc ſerui ex eo appellati ſunt, quod imperatores captiuos vendere ac per hoc ſeruare nec occidere ſolerent. Qui autem mancipia dicti ſunt, eò quòd ab hoſtibus manu capiebantur. Vnde apud Latinos mancipium dicitur comparatio certi dominii, perpetuumque ius poſſidendi. De his videndus Couarruuias *in cap. Peccatum, de regul. iuris in 6. 2. part. reſect. §. 11. num. 5.* Diana *part. 7. tract. 7. reſol. 1. & 3.* Trullench *in Decaleg. lib. 7. cap. 2. dub. 8. num. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 4. dub. 9.* Gratianus *diſtinct. 54.*

Couar. Diana. Trullench. Leſſius.

6. Iure gentium & ciuili ſeruitus hominis quatuor modis acquiritur: *Primò*, Iure belli, id eſt in bello iuſto captus fit ſeruus capientis, vt patet *lege Hoſtes ff. de captiuis*, qui titulus fundatur in naturali miſeratione; cùm enim iuſtè occidi poſſent capti, ſeruantur ne occidantur, morte in ſeruitutem commutata. Vnde & ſerui, à ſeruando dicti ſunt, *Inſtitut. de perſonar. §. ſerui autem.* Ex quo fit licere omnes infideles, tam nocentes, quàm innocentes in captiuitatem redigere, etiam infantes, vt habet ius gentium & communis conſuetudo, ex *lege Hoſtes ſuprà*, quia ſi licet occidere, multò magis redigere in ſeruitutem, quod mitius eſt. Licet enim innocentes non peccauerint, tamen ſeruituti poſſunt addici tanquam hoſtilis Reipub. membra. Accedit quod hac ratione etiam parentes, qui deliquerunt, in ſuis puniantur, & cùm in his etiam cenſeatur libertas, hac ſpoliari poſſunt. Ita Azorius *parte tertia, libro ſecundo, capite ſeptimo, quæſtione vigeſimaſecunda*, Leſſius *libro ſecundo, capite quinto, num. 12.* Couarruuias *in reg. Peccatum 2. part. §. 11. num. 6.* & communis.

Azorius. Leſſius. Couar.

Hoc ius non habet locum inter Chriſtianos, quando Chriſtiani à Chriſtianis bello iuſto capiuntur; conſuetudo enim præſcripta, atque adeò vſus eſt inter Chriſtianos, vt ſeruituti nõ ſubiiciantur, propter fidem baptiſmi, ſed tantùm retineri poſſunt iuſtè, donec redimantur, amiſſis equis & armis, vt tradunt communiter Theologi in materia de bello, & Couarruuias *ſuprà*. Hoc tamen beneficio non gaudent Apoſtatæ deſertores totius Chriſtianæ Religionis, ſeu fidem abnegantes: tales enim quamuis Euangelium & Baptiſmum ſuſceperint, non tantùm contra proprium Regem leuauerunt vexillum, ſed etiam contra fidei auctorem, deſerendo omnino Religionem Chriſtianam, fiunt ſerui capientium: nec contrarium legibus Canonicis ſtatutum eſt, ſed hoc tantùm, quod infidelibus veridi non poſſint. Quod enim in fauorem fidei conſtitutum eſt, ſuffragari non debet iis, qui fidem Chriſtianam abiurarunt. Ita ex communi Doctorum conſenſu Bañez *in ſecunda ſecundæ tom. 1. in quæſtione 40. articulo primo, dub. 12.* & Salon. *tom. 2. tractat. de dominio quæſtione ſecunda*, Salon *tract. de dominio quæſtione 3. art. 1. poſt concluſ. 4.* Valentia *tom. 3. diſputatione 3. quæſtione 16. punct. 3.* Gaſpar Hurtadus *de inſtitia diſputatione 1. difficultat. 21.* Trullench *in Decaleg. lib. 5. capite 2. dub. 5. num. 10.* qui nouiſſimus ait, quod iuſtiſſimè Catholicus Rex Philippus III. anno 1609. & 1610. potuit nouiter ad fidem conuerſos, qui crimen læſæ Maieſtatis & diuinæ commiſerunt, perpetuò ad triremes damnare, & in captiuitatem redigere, eò quòd noluerunt obedire edicto, quo eis exilium generale ab Hiſpania, in pœnam delicti, præcipiebatur. Vide Azor. *p. 3. lib. 2. cap. 7. q. 27.*

Bañez. Salon. Valentia. Gaſp. Hurt. Trullench. Philip. III. Azorius.

Controuerſum eſt, an Chriſtiani, qui in bello iuſto ex parte infidelium contra Chriſtianos, capiuntur, maneant illorum ſerui? Affirmatiuam ſententiam tenent Syluеſter *verb. Furtum q. 6.* Sotus *de iuſtit. lib. 4. quæſt. 2. art. 2. poſt concl. 3.* Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 33.* quia ius gentium omnibus eſt commune, ac propterea cùm tales iuſtè occidi poſſint, poteſt mors in perpetuam ſeruitutem commutari. Hæc ſententia eſt probabilis. Alij tamen vt probabilius contrarium meritò ſuſtinent, nempe Chriſtianos captos in bello iuſto à Turcis, aut ab aliis infidelibus, non effici illorum ſeruos. Probatur hoc *ex l. Hoſtes ff. de captiuis*, vbi prohibetur, ne quis hæreticus, vel Iudæus, vel paganus Chriſtianum aliquem habeat mancipium, vel poſſideat, & in *cap. Mancipia, diſtinct. 54. & in cap. Multorum, de Iudæis*, dicitur, *Nulli Iudæo liceat Chriſtianum mancipium in ſuo dominio retinere, ſed ſi qui apud eos inueniuntur, libertas eis ſeruetur.* Ita Couarruuias *in reg. Peccatum part. 2. §. 11. num. 5.* Nauarrus *in man. capite decimoſeptimo, numero 103.* Clauis Regia *libro 9. capite 6. numero duodecimo*, Salon *tractat. de domin. quæſt. 3. artic. 1. poſt concluſ. 4.* & alij.

Syluеſter. Sotus. Molina. Couar. Nauarrus. Clau. Reg. Salon.

Porrò aduertendum eſt, eum, qui in bello ex parte ſua iuſto capitur, non contrahere veram ſeruitutem. Quòd ſi vtrimque iuſtitia belli ſit dubia ob probabile ius alterius partis, capti fiunt vtrimque ſerui. Vbi tamen conſtare cœperit, vtri parti faueat iuſtitia, tunc ea pars, quæ iniuſtè cœpit, debet captum in libertatem ſine pretio reſtituere. Leſſius *lib. 2. cap. 5. num. 12.*

Leſſius.

7. Secundò ſeruitus acquiritur natiuitate; id eſt, qui ex ancilla natus eſt, ſiue pater ſit liber, ſiue non, ſiue ſit ex matrimonio legitimo, vel ex fornicatione, efficitur ſeruus: quia partus ſequitur ventrem, vt habetur *in l. Partum, Cod. de rei vendicat.* quia mater eſt certior, & plus confert materiæ corpulentæ, quàm pater: at ſeruitus ſecundùm corpus conuenit. Si tamen mater, vel quando concepit, vel tempore partus, vel intermedio tempore fuit libera, & ſi vel ad momentum, proles iure Cæſareo non contrahit ſeruitutem, vt habetur *§. Sed etſi quis, inſtitut. de ingenuis.* Ratio eſt, quia hoc ipſo momento, quo mater efficitur libera, etiam proles libertati eſt reſtituta: vnde calamitas matri ſuperueniens, non debet nocere proli libertatem aſſecutæ: præſertim cùm cauſa libertatis ſit maximè fauorabilis. Et hoc ius Cæſareum maximè in hac parte rationi conſentaneum eſt; *Primò*, quia de matre conſtat: de patre verò nihil eſſe poteſt certum. *Secundò*, quoniam licet pater præcipuè ad generationem concurrat; partus tamen quodammodo eſt magis fructus matris, pluſque concurrit ad nutritionem, & educationem filiorum, & plus impeditur à ſeruitio domini, tam dum grauida eſt, quàm dum proles educatur, quàm pater. Vbi tamen id in fauorem libertatis conſtitutum non eſſet, natura rei potius poſtulat, vt ſolùm tempus partus ſpecteturr, vnde iuri, aut conſuetudini loci illius in hac re ſtandum eſſet; nempe vt proles ſequeretur patrem, vel vt ad illius ſeruitutem neceſſarium eſſet vtrumque parentem eſſe ſeruum; vel aliud ſimile, vt colligitur ex *cap. Licet, de coniugio ſeruorum.* Vnde in Prouinciis, in quibus ius imperij non viget, aut non habetur aliud ſimile, ſtandum eſt conſuetudini loci. Aliàs iure naturali proles relinquenda eſt libera. Ratio eſt, quia licet ſit fructus ancillæ, eſt tamen fructus intellectualis & liberi arbitrij, qui ſicut ratione natiuitatis non naſcitur ſeruus matris adhuc liberæ, multò minùs

minùs naſcitur ſeruus domini ſuæ matris ancillæ,
Gaſp. Hurt. vt notat Gaſpar Hurtadus *de iuſtit. diſp.* 1. *diffic.* 11.
Malderus. Malderus *de iuſtitia tra.* 1. *cap.* 5. *dub.* 2. Fagundez
Fagundez. *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. Leſſius *lib.* 2. *capite* 5.
Leſſius. *num.* 13. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 8.
Trullench. *num.* 4. Clauis Regia *lib.* 9. *cap.* 6. *num.* 26. & 27.
Clau. Reg. & alij.

8. Tertiò, quis fit ſeruus per iuſtam condemnationem: ſicut enim quis ob delicta ad mortem naturalem, ita ad ſeruitutem, quæ mors ciuilis eſt, condemnari poteſt. Caſus autem, pro quibus hæc pœna infligitur, ſunt *Primò*, Qui deſerunt arma, vel alia prohibita ad Turcas vel Sarracenos, fiunt ſerui Chriſtianorum eos capientium, ex cap. *Ita quorumdam, de Iudæis & Sarracenis.*

Secundò, filij, qui ex nefario matrimonio cum initiatis ordinibus ſacris fuerint ſuſcepti, non ſolùm excluduntur ab hæreditate parentum, ſed etiam ſerui in perpetuum debent fieri eius Eccleſiæ, ad quam initiatus ille pertinuit, *cap. Cum multa* 15. *quæſtione* 8. Feminæ autem, quæ ſcienter tale matrimonium contraxerunt, poſſunt à Principe in ſeruitutem rapi, *cap. Eos qui, diſtinctione* 32.

Tertiò, efficitur quis ſeruus ob raptum mulieris, vt habetur *in cap. de raptoribus* 36. *quæſt.* 1. vbi raptor qui violentiam adhibuit, efficitur ſeruus raptæ, aut ſe redimere debet. Quod ſi puella raptori conſenſerit, illaque patrem habeat, raptor patri ſimili ſatisfactione ad boni viri arbitrium tenetur.

Quartò, libertus, id eſt ille qui erat à ſeruitute liberatus, iure ciuili efficitur ſeruus propter ingratitudinem ſuam, qui manus in patronum ſuum iniecit, vel iniuriam atrocem, aut graue damnum ei inferre præſumpſit *ex l. Si manumiſſus. Cod. de liber. & eor. liber.*

Quæ omnia intellige poſt iudicis ſententiam: ante illam enim pœna ſeruitutis non incurritur.
Leſſius. Ita Leſſius *loco citat. num.* 14. Malderus *loco citat.*
Malderus. Dicaſtillus *de iuſtit. lib.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 1. *dub.* 11.
Dicaſtillus. *num.* 146. Cardin. Lugo *de iuſtitia, tom.* 1. *diſp.* 6.
Lugo. *ſect.* 2. *num.* 13. & alij ſuprà citati.

9. Quartus titulus, quo ſeruitus contrahitur, eſt emptio & venditio, quando quis prima vice fit ſeruus ex libero, quod quilibet liber poteſt ex natura rei validè efficere; quia homo non minùs eſt Dominus ſuæ libertatis, id eſt ſuarum operarum,
D. Paulin. quàm honoris, famæ & pecuniæ. Sic S. Paulinus ſeipſum vendidit, vt filium viduæ redimeret. Et colligitur euidenter ex *cap.* 21. Exodi, Leuit. 25. & Deuteronom. 15. vbi conceditur Hebræo, vt ſeipſum tradere poſſit alteri in perpetuum ſeruum. Vt tamen venditio libertatis validè fiat, plures conditiones iure Cæſareo requiruntur. *Prima*, vt quis non ſeipſum immediatè vendat, ſed per alterum. *Secunda*, vt qui patitur ſe vendi, ſit maior viginti annis. *Tertia*, vt intendat eſſe particeps pretij, & quod reipſa ſit particeps pretij. *Quarta*, vt emptor credat illum eſſe ſeruum. *Quinta*, vt qui venditur, ſciat ſe eſſe liberum ante venditionem. *Sexta*, vt eum vendens ſciat eſſe liberum. Sed hæc vltima conditio ab omnibus Doctoribus non admittitur, quia non reperitur in iure ſatis expreſſa; proinde
Clau. Reg. hanc non eſſe neceſſariam docent Clauis Regia
Fagundez. *lib.* 9. *cap.* 6. *num.* 16. Fagundez *de iuſtit. lib.* 2. *c.* 1.
Trullench. *num.* 9. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 8. *num.* 6. Concurrentibus igitur ſimul aliis conditionibus valida eſt venditio, vt ſeruus ille ementis efficiatur. Quacumque autem illarum deficiente, venditio eſt nulla, conceditúrque vendito proclamatio ad libertatem. Hæc omnia conſtant *ex l.* 1. *& 4. ff. quibus ad libert. proclamare non liceat, l. Si miniſterium Cod. de libert. & l. Homo liber, ff. de ſtatu hominum.* Illud tamen eſt ſciendum, hoc ius ſolùm habere vim vbi ius Cæſareum, vel Romanum eſt receptum. Vnde fit, vt ſi quis ſe vendat ſine illis conditionibus in loco vbi non eſt receptum, venditio eſt valida; quoniam iure naturali diſponere poteſt de ſua libertate, & quia volenti & conſentienti non fit iniuria. Ita Molina *de iuſtit.* Molina.
tractatu 2. *diſputatione trigeſimatertia*, Sanchez Sanchez.
in opuſc. tomo 1. *libro* 1. *capite* 1. *dub.* 3. *numero* 2. Cardin. Lugo *de iuſtit. tom.* 1. *diſput.* 6. *ſect.* 2. Lugo.
numero 13. Caſpenſis *tom.* 2. *tractat.* 18. *diſputa* Caſpenſis.
tione quinta, ſect. 1. *numero* 3. & 4. Trullench *loco* Trullench.
citato, Malderus *de iuſtit. tract.* 1. *cap.* 5. *dub.* 2. Malderus.
& alij.

10. Iure naturæ fas eſt parentibus vendere proles ſuas, vt colligitur ex *Exodi* 21. quia proles eſt veluti pars & fructus parentis trahens ab ipſo eſſe, & vitam. Proinde parens ius habet ex illa percipiendi ea emolumenta, quæ ipſe de ſe perciperet, ſi eſſet ſui iuris. Ius tamen Cæſareum requirit certas conditiones, vt patet *ex l.* 2. *Cod. de patribus, qui filios diſtraxerunt.* Quarum *Prima* & præcipua eſt, vt fiat ex magna & vrgenti neceſſitate patris. *Secunda*, vt ſoli patri hoc liceat. *Tertia*, vt ſolùm poſſit vendere filium non emancipatum: qui enim ſui iuris effectus eſt, non ſubeſt ampliùs poteſtati patris. Sic ſacris Ordinibus initiatus, vel filius coniugatus vendi non poſſunt. *Quarta*, vt filius ita venditus poſſit recuperare libertatem ſoluto pretio, vel oblato alio mancipio. Quæ quidem conditiones licet ſint valde rationi conformes, non ſunt tamen ſimpliciter neceſſariæ, ſed tantùm vim habent in locis, in quibus ius Cæſareum viget: vbi verò non eſt receptum, ſtandum eſt iuri naturali, & poſitiuo cuiuſcumque Regni, vel Prouinciæ. Ita
Molina *tract.* 2. *diſp.* 33. Couarruuias *lib.* 3. *variar.* Molina.
cap. 14. *num.* 4. Diana *part.* 7. *tractat.* 7. *reſolut.* 8. Couar.
Fagundez *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. & alij. Ce- Diana.
terùm, licet talis venditio ſpectata iure naturali & Fagundez.
ciuili communi ſit permiſſa, apud Chriſtianos tamen non videtur eſſe vſu recepta; & meritò, quia parentibus, etiam extrema fame & egeſtate laborantibus, poteſt facilè, & commodè filius aliis remediis ſuccurrere; ad hoc enim ſatis eſſet, ſi parentes filij operas mercede, ſeu pretio debito locarent, vt docet Barthol. à S. Fauſto *in ſpecul. con-* Fauſtus.
feſſar. diſp. 1. *quæſt.* 38.

11. Quorumdam ſententia eſt, ſeruos bello ita iuſto captos, vt de iuſtitia capientium, & iniuſtitia aduerſariorum conſtet, lethaliter peccare, ſi fugiant dominos ſuos, teneríque ſeipſos reſtituere, eſto ad ſuos peruenerint. Probatur hæc opinio, quoniam poſſeſſores erant legitimi ac indubitati illorum ſeruorum domini, & ipſi fugiendo ſeipſos ab eis furantur, vt habetur *l.* 1. *Cod. de ſeruis fugitiuis.* Ergo & peccant lethaliter & tenentur ſeipſos reſtituere, non ſolùm ex parte rei acceptæ, ſed etiam ex parte iniuſtæ acceptionis. Proinde qui illis ſuadent fugam, aut ad eam illos adiuuant, tenentur reſtituere dominis valorem mancipiorum, & ſi quæ alia damna illis vlteriùs inde ſequantur. Hanc ſententiam ex Nauarro, D. Antonino & aliis docet Natarrus.
Molina *de iuſtit. tractat.* 2. *diſputatione trigeſima-* D. Antonin.
ſeptima. Nihilominus dicendum eſt cum commu- Molina.
niori ſententia poſſe licitè fugere ad ſuos, non tamen vi reſiſtere dominis perſequentibus. Probatur prior pars ex §. *Item ea. Inſtitutione de rerum diuiſione*, vbi de ſeruis bello captis ſic dicitur: *Qui tamen ſi euaſerint noſtram poteſtatem, & ad ſuos reuerſi fuerint, priſtinum ſtatum recipiunt.*

Ratio autem eſt, quia cùm hæc ſeruitus ſit nobilior ceteris minuſque probroſa, & cadere poſſit in viros nobiles, non eſt cogenda in eas anguſtias, in quas aliæ ſeruitutes, & cùm ſit communi gentium conſenſu introducta, non debet eius conditio magis onerari, quàm conſuetudine totius orbis ſit receptum: atqui conſuetudo habet vt tales ſerui ſine conſcientiæ ſcrupulo poſſint ad ſuos fugere, neque hoc cenſetur illicitum, niſi fortè dediſſent fidem de non fugiendo, & ea lege vita eis eſſet condonata: tunc enim tenentur ſtare promiſſis, & fidem ſeruare. Probatur poſterior pars; nam domini habent ius illos intercipiendi & detinendi, quamdiu ad ſuos non peruenerint; alioquin inutilis eſſet ſeruitus: quare cùm non poſſit eſſe bellum vtrimque iuſtum, non poſſunt ſe vi tueri. Dixi *ad ſuos*: nam non poſſunt fugere ad euagandum extra poteſtatem dominorum, intra hoſtium confinia, ſed ſolùm animo conferendi ſe ad ſuos, vel ad amicam ciuitatem, vbi publico nomine tuti ſint, vt habetur *l. Poſtliminio ff. De captiuis.* Quod ſi in via intercipiantur, poſſunt reduci: quia antequam perueniant ad ſuos, non recuperant libertatem. Si autem fugiant non animo redeundi ad ſuos, peccant, & tenentur redire: quia priuant dominum vſu ſui, dum adhuc continentur ſub eiuſdem dominio; nec ſunt in via ſubtrahendi ſe ab eo per fugam iure permiſſam. Ita ſentiunt Couarruuias *ad reg. Peccatum 2. part. §. 11. num. 6. & lib. 1. variar. cap. 2. num. 10.* Bañez 2.2. *quæſt. 40. art. 1. dub. 13.* Trullench *in Decalog. lib. 5. cap. 2. dub. 6. num. 6.* Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 6. num. 5.* Caſpenſis *tom. 2. tract. 18. diſp. 5. ſect. 1. num. 7.* Gelualdus *in Theolog. moral. part. 3. tract. 13. cap. 4. num. 29.* Diana *part. 3. tract. 5. reſol. 96.* in fine, & alij penes ipſos.

Couar. Bañez. Trullench. Sanchez. Caſpenſis. Gelualdus. Diana.

Ex quibus infertur licitum eſſe cooperari huiuſmodi ſeruis ad fugam, modò ſcandalum, & aliæ circumſtantiæ indebitæ abſint: & idem iudicium eſt de prole; quia non eſt deterioris conditionis ſuis parentibus: ex quo fit, vt filius genitus à ſeruo, vel ancilla iure belli in ſeruitutem redactis, licet natiuitate factus ſit poſſeſſio domini, poſſit nihilominus licitè ſicut pater fugere: quia natiuitas illa & ſeruitus originem ducit ex bello. Fauſtus *in ſpeculo diſputatione prima, quæſtione trigeſimaprima.*

Fauſtus.

12. Serui, qui à ſe vel à parentibus ſunt venditi legitimè, fugere non poſſunt. Ratio eſt, quia cùm facti ſint ſerui per legitimum contractum, in quem ipſi, vel eorum parentes, eorum loco, iuſtè conſenſerunt, tenentur ſtare contractui, nec poſſunt illum violare abſque iniuſtitia, ſicut nec alias venditiones. Sanchez *in conſil. lib. 1. cap. 1. dub. 6. num. 1. & 2.* Petrus Nauarra *de reſtit. lib. 3. cap. 1. num. 212.* Bartol. à S. Fauſto *in ſpeculo diſp. 1. quæſt. 30.*

Sanchez. P. Nauarra. Fauſtus.

Item, qui in pœnam iuſtè condemnatus eſt in ſeruitutem, iuxta probabiliorem ſententiam licitè fugere non poteſt: quia reus tenetur exequi iuſtam ſententiam, ſi pœna talis ſit, vt non poſſit niſi per reum executioni mandari: atqui huiuſmodi pœna talis eſt: ergo. Sed hoc intelligi debet de ſeruitute, quæ non ſit valde calamitoſa; ab hac enim probabile eſt fugere poſſe, oblata commoda occaſione: contrarium enim eſſet nimis durum & ſuperans humanam conditionem talium hominum. Ita Cardin. Lugo *de iuſtit. tom. 1. diſputatione 6. ſectione 3. numero 28.* Leſſius *lib. 2. cap. 5. dub. 5. num. 22.* Gaſpar Hurtadus *de iuſtit. diſp. 1. diffic. 21.* & alij.

Lugo. Leſſius. Hurtadus.

Hinc colligitur, quando ſeruus fugere non poteſt, non licere ei conſilium, vel auxilium ad fugam præbere ſine peccato mortali & obligatione reſtituendi damna vero domino ex tali fuga ſecuta. Vnde ſi ſeruus fugit & abſtulit ſimul centum aureos, is qui fugam ſuaſit, tenetur domino reſtituere non ſolum pretium ſerui, ſed etiam damni quod fugiens intulit; quia totius damni cauſa cenſetur. Ita Nauarrus *in man. capite 17. numero 103.* Trullench *in Decalog. libro quinto, capite ſecundo, dubitatione 6. numero 5.* Leſſius *loco citato num. 23.*

Nauarrus. Trullench. Leſſius.

13. Serui fugere poſſunt, ſi non ſint iuſtè in ſeruitutem redacti: imò etiam vi repellere impedientes & ſurripere à ſuis dominis quantum ſatis eſt ad compenſationem iniuriæ & operæ præſtitæ: imò quantum poſſunt, ſi adhuc duret bellum iniuſtum ex parte capientium; tunc enim poſſunt hoc modo nocere hoſti ex tacito Principis conſenſu iuſtum bellum gerentis.

Item licitum eſt ſeruis iure belli captis fugere, ſi à dominis inducantur ad aliquod mortale peccatum, aut eſt probabile periculum ſeductionis; aut ſi domini vellent eos occidere, aut cibos neceſſarios illis denegare & aliter ſeipſos tueri non poſſint, niſi fugiendo. Ratio eſt, quia tunc vtuntur iure ſuo naturali conſeruando vitam ſuam, vel corporalem, vel ſpiritualem animæ, & non tenentur cum tanto periculo corporis & animæ domino ſuo ſeruire. Imò ſi dominus proſtituat publicè ſeruam in lupanari, vel quouis alio loco publico, vt turpiter abutendo ſuo corpore lucretur, manet libera iure Caſtellæ. Sanchez *in conſil. lib. 1. part. 1. cap. 5. dub. 9.*

Sanchez.

At ſi dominus ſit Iudæus, aut Paganus iuriſdictioni Principis Chriſtiani ſubiectus, vel ſi ſit hæreticus, ſeruus Chriſtianus eo ipſo fit liber & dominum deſerere poteſt, vt habetur *l. Deo nobis, Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Imò ſerui infideles horum poſſunt ad Eccleſiam fugere, vt Chriſtiani fiant, & facti Chriſtiani, fiunt liberi. De his videndi ſunt Molina *de iuſtit. tractat. 2. diſp. 38.* Fagundez *de iuſtit. lib. 2. cap. 6.* Cardin. Lugo *de iuſtit. tom. 1. diſput. 6. ſect. 4.* Clauis Regia *lib. 9. cap. 6. n. 28. & ſequentibus*, Diana *part. 7. tract. 7. reſolut. 13. & 16.* apud quos inuenies modos quibus ſerui acquirant libertatem. Hæc pauca adducta ſufficiant.

Molina. Fagundez. Lugo. Clauis Reg. Diana.

14. Ex contractibus ſeruorum ſiue cum dominis, ſiue cum aliis, non oritur ciuilis obligatio: vnde neque illis, neque aduerſus illos datur actio in foro ſæculari, etiam poſtquam peruenerint ad libertatem, *ex l. In perſonam, l. Quod attinet, ff. de regul. iur.* Si tamen ſeruus promiſit pecuniam domino pro libertate, tunc conceditur actio aduerſus illum, *l. Promiſſa, Cod. an ſeruus pro ſuo proprio &c.* Eodem modo ſi pactum fuit inter ſeruum & dominum, vt pro certa pecunia illum manumitteret, & ſeruus ſoluit pecuniam, habet ſeruus actionem contra dominum, vt ſe manumittat, *lege 1. §. Seruos, ff. de offic. præfect. vrbis.*

Ceterùm, quamuis non oriatur obligatio ciuilis ex contractu ſeruorum, oritur tamen naturalis: vnde in foro conſcientiæ ipſe tenetur ſtare contractui, & viciſſim is qui cum eo contraxit, *ex l. Quod attinet, citat. l. Serui, ff. de action. & obligat.* Ex quo fit, quòd ſi ſeruo dominus aliquid debebat, idque ſoluit poſtquam fuit manumiſſus, non conceditur domino repetitio: quia ſoluit id ad quod naturaliter obligatus erat. Similiter, ſi quis nomine ſerui, vel ipſe poſt manumiſſionem ſoluat, non conceditur repetitio nec

tenetur

tenetur fideiuſſor pro ſeruio ſoluere, *l. Naturaliter, ff. de condict. indeb.* Ita Sanchez *in opuſc. tom. 1. lib. 1. cap. 1. dub. 2.* Filliucius *tract. 33. cap. 3. n. 50. & 51.* Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 5. num. 5.* Molina *tract. 2. diſp. 261.* & alij.

Sanchez. Filliucius. Bonacina. Molina.

15. Certum eſt ſeruos non ſolùm validè, ſed etiam licitè poſſe abſque vllo conſenſu domini matrimonio copulari, vt conſtat *ex cap. 1. de coniug. ſeruorum*, vbi habetur: *Nec inter ſeruos debent matrimonia vllatenus prohiberi: & ſi contradicentibus dominis & inuitis contracta fuerint, nulla ratione ſunt propter hoc diſſoluenda.* Ratio communis eſt, quia iure naturali & diuino ſinguli homines habent facultatem & libertatem ineundi matrimonium ad propagationem humanæ ſpeciei, & in remedium propriæ concupiſcentiæ: quod ius nec ſublatum eſt, nec auferri potuit iure gentium, quod ſeruitutem induxit. Quare nulli iuri poſitiuo id datum eſt, vt poſſit omninò matrimonium alicui interdicere, niſi ipſemet perfectioris ſtatus auidus, continentiæ voto ſe Deo aſtringat. Proinde poteſtas domini in ſeruum non poteſt huic naturali facultati præualere; ſed ſolùm ad exigenda ciuilia obſequia extenditur poteſtas domini in ſeruum, quæ non ſunt incompatibilia cum vinculo matrimonij. Ita D. Thom. *in 4. diſp. 36. quæſt. vnic. art. 2. in corpor.* & communis.

D. Thom.

Hinc infertur peccare grauiter dominum, ſi matrimonium ſerui impediat, vel puniat, quod matrimonium eo inuito contraxerit: quia ſeruus vſus eſt iure ſuo, ac in nihilo deliquit. Non tamen tenetur dominus poſitiuè conſentire in matrimonium ſerui, ſed poteſt ſemper dicere, id ſibi non placere, modò nullum obſtaculum afferat: quia conſulit ſibi, ne id damnum ſubeat, quod ex conſenſu ſibi redundare poſſit. Nec teneretur etiam dominus ante ſponſalitiam promiſſionem, deprehendens inclinationem ſerui nuptias molientis, illum retinere in eodem loco; ſed poſſet vti iure ſuo mittendi aut vendendi illum in alium locum: quia tunc nulli tertio ius eſt acquiſitum, ac proinde non eſt ius ſuum vendendi ſeruum, domino interdicendum. Deinde non eſt id directè impedire matrimonium, ſed vti iure ſuo vendendi ſeruum, quo dominus ſuæ incolumitati conſulat. Quando tamen matrimonium cœptum eſt, quia ſeruus fidem ſuam per ſponſalia alicui fœminæ alligauit, non poſſet dominus vendere illum in aliam regionem, vbi ea ſponſalia impleri non poſſint. Ratio eſt, quia ſeruus inuito domino potuit fidem ſuam adſtringere, ac proinde legitimum ius comparauit femina, vt ſeruus promiſſis ſtet etiam renitente domino: nequit ergo dominus ius hoc alteri acquiſitum, & à ſua voluntate independens impedire. Ita Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 21. num. 9. & ſeq.* Bonacina *de matrim. quæſt. 3 punct. 3. num. 7.* Diana *part. 7. tract. 7. reſol. 36.* qui citat Auerſam *de ſacram. matrim. quæſt. 3. ſect. 7.* Filliucius *tract. 10. p. 2. cap. 2. quæſt. 6.*

Sanchez. Bonacina. Diana. Auerſa. Filliucius.

16. Varij variè ſentiunt, an liceat domino ſeruum coniugatum in partes longinquas vendendum mittere? Sed miſſis ſententiis, ex communiori ſententia diſtinctione vtendum eſt: Aut ſeruus matrimonium iniuit domini conſenſu, aut eo inſcio, vel repugnante. Si primum, non licet vendere: quia damnum & malum coniugi infertur, vt habet communis Doctorum opinio. Si ſecundum, quidam ſentiunt licere domino id facere abſque lethali peccato: quia dominus vendit ſeruum tanquam rem ſuam, cuius pretio indiget. Ita Nauarrus *in man. cap. 22. n. 34.* Toletus *lib. 7. c. 7. n. 3.* Alij tamen negant id iuris dominum habere, eò quòd vxor damnum graue patiatur in vita. Ita D. Thom. *in ſupplem. 3. part. quæſt. 52. art. 2. ad 4.* Syluester *v. Seruus. quæſt. 7.* Sotus *in 4. diſt. 35. quæſt. 1. art. 1.* Sed vtraque opinio conciliari poteſt, dicendo, ſi in longinqua & remota regione dominus vnà cum ſeruo commoretur, & egeſtate & inopia prematur, poſſe illum vendere, vt ſibi ex pretio ſubueniat. Si in patria dominus degat, & neceſſitate aliqua cogatur, niſi ex ſerui pretio ſibi ſuccurrat, nec eum poſſet in terram propinquam vendere iuſto pretio; poſſet vendere in remotam; niſi charitas in vxoré aliud ob circumſtantias poſtularet. Quare citra magnam neceſſitatem non licet domino ſeruum coniugatum huiuſmodi vendere in longinquas regiones abducendum, quò vxor non poſſit commodè ſequi: quia non licet ei onera coniugij facere grauiora. Vide Syluium *in ſupplem. 3. part. quæſt. 52. art. 2. circa ad reſp. ad 4.*

D. Thom. Syluester. Sotus. Syluius.

17. Seruus ingreſſus religionem, ſi intra triennium non repetatur à domino, libertatem præſcribit in conſcientia, vt conſtat *ex cap. Si quis incognitus 17. quæſt. 2.* vbi habetur: *Si quis incognitus monaſterium ingredi voluerit, ante triennium monachi habitus ei non præſtetur; ſi tamen intra triennium à domino non fuerit requiſitus, poſtea quari non poteſt.* & ſic manet libet libertate præſcriptâ, nec repeti poteſt à domino, vt habet communis ſententia.

Difficultas eſt prima, à quo tempore numerandum illud triennium? Quidam exiſtimant numerandum eſſe ab inchoato anno probationis. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 41. num. 31.* Azorius *part. 1. lib. 12. cap. 1. quæſt. 3.* Verius tamen eſt quod alij docent, nempe numerandum eſſe à tempore, quo dominus conſcius fuit admiſſionis ſerui in religionem. Ratio eſt, quia cùm ius concedat domino triennij ſpatium ad ſeruum repetendum, & præſumatur eum conſentire ingreſſui, ſi intra illud non repetat, conſtat hoc tempus numerandum eſſe à tempore quo dominus conſcius fuit, eò quòd ignoranti negligentia imputari non debet. Tempus enim non debet currere ignoranti, in quo non poteſt conſiderari aliqua negligentia, *l. Cum ſex, ff. de adil. edict.* Ita Sanchez *lib. 5. moral. cap. 4. num. 46.* Miranda *in man. Prælat. tom. 1. quæſtione 17. articulo 1. conc. 4.* & alij.

Leſſius. Azorius. Sanchez. Miranda.

18. Secunda difficultas eſt, an ſi ſeruus intra triennium illud, in quo dominus poteſt illum reuocare, profiteatur, an profeſſio ſit valida? Quidam negant: quia ſicut coniux ingreſſus religionem & ibi profeſſionem emittens, ſi ſine licentia alterius ingrediatur, profeſſio nulla eſt, vt ſtatuitur in iure, quia coniux iſte non poteſt promittere abſolutam caſtitatem, quæ eſt de ſubſtantia religionis: ita ſeruus etſi abſolutè poſſit vouere abſolutam caſtitatem, at non poteſt vouere omnimodam ſubiectionem Prælato, cùm priùs teneatur obedire domino; at omnimoda ſubiectio per obedientiæ votum eſt de ſubſtantia profeſſionis ſolemnis quæ irrita erit ſi quis non poſſit ſe omninò ſubiicere. Hæc ſententia eſt probabilis, quam ſuſtinent Sanchez *loco citato num. 49.* Barboſa *ad dict. cap. Si quis incognitus, num. 5.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 1. quæſtione 3.* Paludanus *in 4. diſtinct. 38. q. 4. art. 2.* & nouiſſimè Thomas Hurtado *part. 2. reſol. moral. tract. 8. cap. 4. reſol. 34.* & alij. At communior DD. ſententia eſt affirmatiua. Probatur, quia nullum inuenitur ius canonicum, quod irritam illam profeſſionem faciat; neque etiam ex natura rei videtur eſſe nulla; cùm vota ſeruorum

Sanchez. Barboſa. Azorius. Paludanus. Th. Hurt.

Nauarrus. Toletus.

Digitized by Google

valida ſint, quamdiu non irritantur: nec dominus poteſt omnia vota ſerui abſolutè irritare, ſed ſolùm ex parte materiæ, quod potiùs eſt vſum, vel actum eorum impedire, quatenus ſuo dominio repugnant, & non amplius. Poterit ergo dominus non obſtante profeſſione ſeruum repetere, & ſibi, & non religioni ſeruire cogere, argum. *cap. Nulli*, cum ſimilibus *diſtinct.* 54. Nihilominus tamen ille verus religioſus erit, quia extra monaſterium poteſt eſſe verus religioſus & ſeruare tenebitur caſtitatem & paupertatem; obedientiam autem, cuius vſum habet impeditum, in animi præparatione ſeruare tenebitur: vnde quacumque ratione liber fiat, vel facultatem à domino habeat, ad religionem redire tenebitur. Ex quibus rectè colligitur & profeſſionem ſerui eſſe validam ſine conſenſu domini, & nihilominus dominum non priuari iure vtendi ſeruo ſuo. Ita hanc ſententiam ſuſtinent Archidiaconus *in dict. cap. Si quis incognitus* 17. *quæſt.* 2. *num.* 1. Angelus *v. Religioſus, num.* 5. Syluester *v. Religio* 2. *quæſt.* 3. Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 3. Vecchis *in praxi nouit. diſp.* 2. *num.* 6. *dub.* 2. Miranda *tom.* 1. *quæſt.* 17. *artic.* 2. *conc.* 3. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 3. *num.* 31. & alij. Et hæc de ſeruis ſatis & mancipiis, plura apud Dianam *parte* 7. *tract.* 7. per totum.

Archidiac. Angelus. Syluester. Suarez. Vecchis. Miranda. Leſſius.

Vide verb. Dominium *num.* 25. 26. & 27. Excom. 6. *num.* 27. Ludus *num.* 10. Matrim. 2. *numero* 8. 9. 10. Mutuum *num.* 4. Parentes *num.* 8. Votum 1. *num.* 6.

SIMONIA.

SVMMARIVM.

1 *An Simonia committatur ab eo, qui ficto animo promittit pecuniam, vt recipiat beneficium?* Refertur duplex ſententia?

2 *Qua ſit materia Simoniæ confidentialis, & quod pretium.*

3 *An calix, vel alia res ſacra poſſint locari pro pretio habita ratione materiæ.*

4 *An commenda ſpirituales ſeu clericales, ſint materia ſimoniæ contra ius diuinum.*

5 *An Commenda militares vendi poſſint ſine ſimonia.*

6 *An Rectoria ſeu officia regendi hoſpitalia Eccleſiaſtica ſint materia ſimoniæ contra ius diuinum.*

7 *An præſtimonia ſint materia ſimoniæ & vendi poſſint.*

8 *An ſimonia committatur accipiendo aliquid temporale pro Sacramentis, vt ſunt quid conflatum ex materia & forma? Et an matrimonium poſſit vendi.*

9 *An liceat dare alicui pecuniam vel quid ſimile, vt fiat Chriſtianus vel religioſus, vel vt operetur actum vtilem ſolùm ipſimet operanti?* Refertur duplex ſententia.

10 *An actus concionandi vendi poſſit ſine ſimonia.*

11 *An tranſactio, in qua ius ſpirituale pro aliquo temporali remittitur, vel retinetur, ſit ſimoniaca.*

12 *Tranſactio in materia ſpirituali non beneficiali cum aliqua compenſatione per largitionem vel ceſſionem alterius rei vel iuris ſpiritualis proportionati, an ſit ſimoniaca, ſi fiat propria auctoritate ex conſenſu partium.*

13 *Tranſactio in materia beneficiali, quando ſit licita vel illicita.*

14 *An in caſu tranſactionis ad dirimendum litem, poſſit Epiſcopus imponere penſionem ipſi beneficio ſoluendam ipſi penſionario, quamdiu vixerit, & relinquendo beneficium alteri collitiganti?* Refertur duplex ſententia.

15 *Rationes aſſignantur cur Prælatus applicat in hoc caſu tranſactionis aliquid temporale parti cedenti iuri ſuo.*

16 *An actus iuriſdictionis Eccleſiaſtica contentioſa ſint materia ſimoniæ.*

17 *Quando per ſpiritualem poteſtatem exercentur quidam actus, qui videntur merè politici & humani, vt ſunt cauſæ merè ciuiles inter clericos &c. An huiuſmodi actus ſint materia ſimoniæ?* Refertur duplex ſententia.

18 *Quibus de cauſis traditio & acceptio pecuniæ pro diſpenſationibus poſſit eſſe licita.*

19 *An omnes homines, etiam infideles, pagani, hæretici &c. habeat ſimoniæ iure naturali & diuino vetita contrahere poſſint.*

20 *An Pontifex peccare poſſit peccato ſimoniæ, ſi ſimonia ſit contra ius diuinum.*

21 *Quando Papa poſſit culpam ſimoniæ iure tantùm canonico prohibitæ contrahere.*

22 *An ſimoniam iure canonico prohibitam omnes homines baptizati incurrere poſſint.*

23 *An contrahens cum Pontifice vel eius miniſtris de re ſpirituali ex ipſius Pontificis conſenſu, ſimoniam incurrat, ſi ſimonia ſolùm iure canonico ſit introducta.*

Qui ſciente & diſſimulante Pontifice ſimoniam ſolo iure poſitiuo prohibitã exercent, an excuſentur à culpa ſimoniæ? Refertur duplex ſententia.

An Pontifex vendendo alicui beneficium, cenſeatur cum iſto diſpenſare quoad pœnas iuris.

1. IN ſententia multorum Doctorum, qui promittit pecuniam, ſeu aliquod temporale pro beneficio, animo non verè emendi, vel ſoluendi, ſed ſolùm intentione decipiendi & recipiendi beneficium, non committit verè ſimoniam, etiamſi promiſſionem firmet inſtrumento, vel iuramento ficto & ſimulato. Ratio eſt, quia iſte non habet voluntatem verè emendi, ſed mendacio decipiendi; ergo verè non committit ſimoniam, & poteſt beneficium ſic obtentum retinere, ſi à legitimo collatore ſit collatum. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 11. qui citat Caietanum *tom.* 2. *opuſc. tract.* 9. *quæſt.* 2. Sotum *lib.* 9. *de inſtit. quæſt.* 8. *art.* 1. Toletum *lib.* 5. *cap.* 9. *ad finem.* Idem ſentit Reginaldus *lib.* 23. *num.* 110. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 67. *ad finem.* Sed quia Eccleſia non iudicat de internis, ſed de externis, in foro externo talis præſumetur ſimoniacus, imò & in foro conſcientiæ reus erit ſimoniæ: quia cooperatur ſimoniæ alterius, cùm actum externum ſimoniacum faciat: Sed cooperans peccato alterius, reus eſt illius peccati, cui cooperatur, & licet dictus decipiens non ſit ſimoniacus formaliter, & ex intentione formali, & non ligetur cenſuris contra ſimoniacos latis, non tamen excluditur, quin ſimoniæ reus ſit ob cooperationem ad peccatum ſimoniæ: imò Nauarrus *in man. cap.* 23. *num.* 106. vult eſſe ſimoniam conuentionalem. Ita etiam Bonacina *tractatu de ſimonia, diſputatione prima, numero quinto.* A quorum ſententia recedit Suarez *tomo primo de relig. libro quarto, capite* 42. *numero quinto*, dicens, licet opinio Nauarri non careat omni ſpecie probabilitatis, nihilominus vera ſententia eſt, quamuis fictio intercedat tantùm ex parte promittentis pecuniam illam, non fore ſimoniam

Leſſius. Caietanus. Sotus. Toletus. Reginald. Layman. Nauarrus. Bonacina. Suarez.

Digitized by Google

ſimoniam conuentionalem: nam licet ille deceptor intendat, mediante illâ promiſſione falsâ, obtinere beneficium, non tamen intendit dare ipſammet promiſſionem, vt pretium beneficij, ſed ſolùm fictè offerre id, quod alter putat eſſe futurum pretium. Vnde etiam alter non intendit dare beneficium pro promiſſione, ſed pro re promiſſâ, & promiſſio tunc ſe habet tanquam conditio conferens certitudinem de pretio: ergo licet illa promiſſio aliquid temporale ſit, non ſatis eſt ad Simoniam veram; nam etiam preces ſunt aliquid temporale, & non ſufficiunt ad ſimoniam, quia non offeruntur vt pretium; ita ergo illa promiſſio non offertur in pretium. Eſt ergo illud graue peccatum iniuſtæ deceptionis, ſcandali, vel cooperationis ad ſimoniam mentalem alterius, & in foro exteriori puniri poterit per iudicem, & propter dictas malitias & propter præſumptam ſimoniam: directè autem & propriè non eſt vera ſimonia.

2. Materia ſimoniæ confidentialis ſunt tantùm beneficia Eccleſiaſtica, quæ in Bullis Pij IV. Pij V. & Sixti V. contra ſimoniam confidentialem, vocantur Eccleſiæ, Monaſteria, & alia huiuſmodi Eccleſiaſtica beneficia cuiuſcumque ordinis ſint, ſimplicia aut curata, maiora aut minora, regularia aut ſæcularia. Penſio autem non eſt materia ſimoniæ confidentialis: tum quia in dictis Bullis non nominantur ſub hac materia in particulari penſiones, nec ſub generalibus verbis beneficiorum comprehenduntur, præſertim in materia odioſa: tum quia penſiones naturâ ſuâ non renunciantur in fauorem alterius, nec per collationem aut Canonicam inſtitutionem conferuntur: quod autem interdum ex priuilegio poſſit penſio transferri in alium, ſingulare eſt & extraordinarium & ad finem illarum conſtitutionum parum referebat, & ideò hæc materia non eſt ibi comprehenſa, neque illius habita eſt ratio.

Pretium autem quod in hac ſimonia interuenire poteſt & debet, duplex tantùm eſſe poteſt: Vnum eſt idem beneficium, quod renunciatur, vel confertur, vt eidem renuncianti vel conferenti vel alteri reddendum & quaſi reſtituendum. Aliud eſt fructus eiuſdem beneficij, vel penſio, ſeu pars eorum, eiſdem conferenda: quando enim de his confidentia interuenit, eſt propria ſimonia confidentialis: ſi verò de aliis rebus etiam merè temporalibus, vel ſpiritualibus reddendis vel renunciandis confidentia illicita interueniat, non erit ſimonia confidentialis, etiamſi aliàs ſimonia ſit. Ratio eſt, quia pœnæ dictarum Conſtitutionum non imponuntur, niſi in hoc genere confidentiæ, & quaſi pretij; vnde licet aliquis renunciet in alium beneficium ſuum, confidens illum daturum alteri tertio beneficium aliud, quod ipſe poſſidet, erit quædam ſimoniaca permutatio reciproca, vel triangularis, non erit tamen confidentialis. De his plura apud Suarez *lib. 4. de ſimonia cap.* 43. Filliucium *tract. 45. cap.* 10. *quæſtione* 3. & alios. Suarez. Filliucius.

3. Dubium eſt, an calix, vel aliæ res ſacræ poſſint locari pro pretio, habita ratione materiæ? Reſpondent Suarez *loco citato cap.* 13. *num.* 25. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 3. *num.* 28. Vgolinus *de ſimon. tab.* 1. *cap.* 44. §. 1. *n.* 3. *verſ. Quoad primum caſum*, negatiuè: quia hoc eſt virtute vendere vſum ſacrum illius calicis. Nam locatio venditioni comparatur, quia licet in ea non vendatur res, vendi tamen cenſetur vſus rei: ſi ergo locatur res ſacra, cùm non poſſit locari niſi ad ſacrum vſum, venditur ſacer vſus. Hæc ſententia eſt probabilis: quia redolet quamdam lucri turpitudinem, & vix ſine ſcandalo hoc fieri poteſt: nihilominus non videtur ibi interuenire ſimonia: quia calix conſecratus vendi poteſt ratione materiæ, etiamſi venditor ſciat illum emi ad vſum ſacrum: ergo etiam locari poteſt, cùm par ratio videatur venditionis & locationis: tum quia veſtes ſacræ locari poſſunt, accepto pretio, quia vſu conſumuntur, vt concedunt prædicti Doctores: ergo ſignum eſt ipſorum vſum eſſe pretio æſtimabilem, & illius valorem ſpectari poſſe, non habita ratione ſacri vſus, vt ſacer eſt. Ergo locans non vendit vſum ſacrum, ſed locat rem ipſam ad talem vſum. Ita Bonacina *de ſimon. diſp.* 1. *quæſt.* 4. *numero* 12. Suarez. Filliucius. Vgolinus. Bonacina.

4. Commendæ ſpirituales ſeu clericales, ſiue temporales ſint, ſiue perpetuæ, ſunt materia ſimoniæ contra ius diuinum. Ratio eſt; quia principale in eis eſt ſpirituale miniſterium, cui temporale commodum conſequenter eſt annexum; ergo ſunt propriiſſima materia ſimoniæ. Vel enim Commenda eſt temporalis, & ſic commendatarius acquirit iuriſdictionem delegatam; vel eſt perpetua, & ſic acquirit iuriſdictionem ordinariam vel quaſi ordinariam: ergo vendere talem commendam eſt vendere iuriſdictionem ſpiritualem ſeu delegationem eius: at vendere delegationem, iuriſdictionem, vel adminiſtrationem ſpiritualem, Simonia eſt iure diuino prohibita. Deinde hæc Commenda, quæ in perpetuum alicui datur, vel eſt Eccleſiaſticum beneficium, aut illi æquiparatur, vt tradunt Gomez *in reg. de triennali poſſeſſor. quæſt.* 5. Rebuffus *de pacific. poſſeſſ. n.* 35. Suarez *lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 3. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 6. *num.* 2. & alij. Commenda autem eſt, cùm Eccleſia aliqua vel beneficium commendatur alicui, & non confertur ei in titulum, ſed committitur ei cura vel adminiſtratio eius, ideoque illi aſſignantur fructus beneficij, vel pars eorum, vt diximus ſuprà *verb. Commendationes Eccleſiarum.* Siue ergo Commenda detur ob vtilitatem Eccleſiæ commendatæ, ſiue in fauorem commendatarij, vt ſcilicet fruatur eius bonis, & illi inſeruiat per Vicarium, ſemper eſt materia ſimoniæ eius venditio: quia commendatus habet ius ſicut præſentatus, ad Eccleſiam illam in proprietate obtinendam quando erit adultus: hoc autem ius ſpirituale eſt, ideoque illud vendendo committeret ſimoniam contra ius diuinum. Ita Bonacina *de ſimonia loco citato, num.* 14. & alij ſuprà. Gomez. Rebuffus. Suarez. Filliucius. Bonacina.

5. Commendæ militares non ſunt per ſe ſpectatæ materia ſimoniæ. Ratio eſt, quia conferuntur titulo laicorum dantur in ſtipendium pro temporalibus ſeruitiis: ergo non ſunt aliquid ſpirituale, ſed tantùm temporalia quædâ ſubſidia & alimenta militaria: tum quia illarum diſpenſatio & adminiſtratio laicis Principibus commiſſa eſt. Ita docent Suarez *loco cit. num.* 6. Victoria *in relect. de ſimonia n.* 45. Arragon *in* 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. Diana *p.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 17. Caſtrus Palaus *tom.* 3. *tract. vlt. diſp.* 3. *punct.* 13. *n.* 13. Lezana *in ſum. quæſt. reg. tom.* 2. *cap.* 5. *n.* 26. Bonacina *loco cit. n.* 15. Cœleſtinus *in compend. Theolog. moral. tract.* 7. *cap.* 5. *q.* 9. & alij. Suarez. Victoria. Arragon. Diana. Palaus. Lezana. Bonacina. Cœleſtin.

Contra hanc doctrinam obiicitur à quibuſdam, quòd hæ Commendæ non dantur niſi religioſis profeſſis, & ideò videntur annexæ ſtatui religioſo, quem conſtat eſſe ſpiritualem. Reſp. huiuſmodi Commendas non tradi religioſis ob profeſſionem, tanquam ob titulum, ſed tantùm ob conditionem ſine qua non conferuntur. Profeſſio enim requiritur in recipiente huiuſmodi Commendas, vt ſit habilis ad eas recipiendas; non tamen hinc ſequitur eas

eas esse aliquid spirituale. Sicut si Papa præciperet vt determinata bona temporalia non distribuerentur nisi inter religiosos, non propterea dicerentur adnexa titulo spirituali.

Nec obstat etiam quòd dicti milites obligantur ad recitandum aliquas preces: hic autem est titulus spiritualis: ergo huiusmodi Commendæ conferuntur titulo spirituali. Respondeo illam precũ obligationem non oriri ex Commenda, sed ex professione & Regula: sicut laici aliquarum religionum obligantur ad priuatas quasdam preces: vnde fructus Commendæ non sunt reuera stipendia pro tali diuino Officio, sed pro temporali ministerio militiæ; quam quidem militiam esse opus temporale pretio æstimabile dicendum est, & quod æstimationem suam non amittit, etiamsi fiat ex voto, & referatur ad cultum Dei, vt fusiùs explicant prædicti Doctores, contra Azorium *tom. 1. lib. 13. cap. 6. quæst. 3.* & quosdam Canonistas. Azorius.

Cæterùm quamuis eas Commendas vendere non sit prohibitum iure Ecclesiastico, ideoque nec eas vendere esset simonia; videtur tamen illicitum eas vendere directè & formaliter: quia Magistri Ordinum & Generales eas non possunt vendere, cùm non sint domini, sed tantùm dispensatores, & quidem sub Summo Pontifice, qui dedit illis talem facultatem tantùm ad distribuendum. Cum licentia autem Papæ posset etiam vendi Commenda, applicando pretium ad maius bonum militiæ, vel imponi pensio aliqua, danda alteri, vt bene Suarez *c. 27. num. 9. & 10.* Bonacina *loco cit. n. 15.* & alij. Suarez. Bonacina.

6. Hospitalia Ecclesiastica, id est Rectoriæ, seu officia regendi, quæ sunt beneficia Ecclesiastica & loca religiosa auctoritate Episcopi fundata, & dantur in titulum, materia sunt simoniæ contra ius diuinum. Ratio est, quia habent administrationem spiritualem & titulum spirituale fixum & permanentem & conferendum auctoritate Prælati Ecclesiastici; vnde sicut beneficia Ecclesiastica sunt materia simoniæ, ita & hæc hospitalia. Si autem hospitale habeat rectorem cum administratione spirituali simul cum temporali absque titulo, & ad nutum amouibili, tunc beneficium quidem non est propter carentiam tituli & perpetuitatis; nihilominus est materia simoniæ, & illud Officium inuendibile est propter spiritualem administrationẽ, quæ licet tantum sit delegata, seu per modum Vicariæ, id satis est, vt vendi non possit. Quando autem Officium gubernandi hospitale non habet functionem vllam spiritualem, sed tantùm temporale regimen ad debitam curam infirmorum, non est materia simoniæ, siue tale Officium ad tempus committatur, siue perpetuò: quia illius administratio est res merè temporalis & pretio æstimabilis, etiamsi fortè zelo charitatis & misericordiæ exerceatur. Ita ex communi Panormit. *in cap. Extirpanda, §. Quia verò, in repet. n. 55. de præbend.* & *c. 1. de simon. n. 7.* Felinus *ibi*, Suarez *loco cit. num. 11. & 12.* Filliucius *tract. 45. cap. 6. q. 4.* D. Antoninus *3. p. tit. 11. cap. 2. §. vlt.* Bonacina *loco cit. num. 17.* Panormit. Felinus. Suarez. D. Antonin. Bonacina.

Aliter tamen hi Auctores sentiunt de hospitali fundato auctoritate Episcopi, licet administrationem solùm temporalẽ habeat; putant enim esse materiam simoniæ non iure naturali diuino prohibitæ, sed iure humano interdictæ, *in cap. Saluator 1. q. 3.* vbi prohibetur vendi Officium Procuratoris & defensoris; & nomine Procutatoris intelligit Vrbanus Papa *in d. capite*, quemlibet Ecclesiasticarum rerum administratorem, vt Præpositum, Oeconomum, &c.

7. Præstimonia sunt materia simoniæ, & vendi non possunt, eodem modo, quo cetera beneficia. Probatur hoc ex consuetudine: quia nemo audet præstimonia vendere, aut emere; nec Ecclesia id toleraret, sed ex consuetudine sumitur efficax argumentum: tum quia conferuntur solùm à Prælatis Ecclesiasticis, & cum solemnitate, quâ cetera beneficia: signum ergo est, reputari spiritualia, ac subinde eorum fructus esse spiritualibus annexos, & in ipsorum venditione latere simoniæ labem. Et licet olim dubitatum sit, an huiusmodi præstimonia essent beneficia Ecclesiastica, quæ instituta sunt ad alendos & sustentandos in studiis pauperes Clericos, vt postea Ecclesiæ inseruire possent; hodie tamen dubium sustulit Pius V. in motu proprio, qui incipit, *Ex proximo*, & est editus anno 1571. In quo adiungit obligationem diuini Officij, vnde dicenda sunt beneficia Ecclesiastica licet simplicissima, & consequenter hoc tempore habent titulum spiritualem, cum iure ad fructus capiendos causa sustentationis in studiis. Ita docent communiter recentiores, Suarez *lib. 4. c. 25. n. 4.* Filliucius *tr. 45. c. 5. q. 12.* ex Hostiensi *in cap. Postulasti, de rescript. n. 9.* Soto *de iust. lib. 9. q. 7. art. 1.* & aliis. Pius V. Suarez. Filliucius. Hostiens. Soto.

8. Cùm Sacramenta vt sic sint res sacræ, tam in se, quàm quoad effectum, quem pariunt, sint propriissima materia simoniæ iuri naturali contrariæ: proinde simonia committitur, accipiendo aliquid temporale pro Sacramentis, vt sunt quid conflatum ex materia & forma. Probatur: quia licet Sacramenta in actionibus quibusdam, vel passionibus circa res materiales consistant; nihilominus, vt Sacramenta sunt, diuina & supernaturalia dona sunt gratis collata nobis à Christo eorum auctore, & per respectum ad gratiam, quam conferant, spiritualia sunt. Ergo eo ipso quòd sunt talia, contra reuerentiam illis debitam, & contra Religionem, & contra verbum Christi, *Gratis accepistis, gratis date*, est, illa vendere, vt habetur *in cap. Cùm in Ecclesia corpore, de simonia*, ibi: *Seu pro aliis Sacramentis aliquid requiratur.* Ex hoc vitium ibi appellatur *horribile*, quo verbo satis significatur esse contra ius diuinum. Insuper ibi dicitur contra hanc prohibitionem nullam posse præualere consuetudinem, quod est signum intrinsecæ deformitatis & malitiæ. Et hæc est communis omnium sententia, quia consuetudo non potest præiudicare iuri naturali. Ex D. Thoma *2. 2. q. 100. art. 2. in corpore, & ad 4.* D. Thom.

Nonnulli Canonistæ ab hac generali regula excipiunt matrimonium; nam licet illud vendere, & ita non est materia simoniæ. Ita sensit Glossa *in cap. Cùm in Ecclesiæ, de simonia*, quæ fatetur quidem matrimonium esse Sacramentum, & nihilominus dicit posse vendi, quia in eo, ait, gratia non confertur. Et hanc sententiam quidam ex antiquis Theologis sunt secuti. Sed hæc exceptio nullatenus est admittenda. Nam de fide est, matrimonium esse verum Sacramentum nouæ legis & gratiam ex opere operato conferre, vt definitum est in Conc. Trident. *sess. 24. Can. 1.* vnde consequenter sequitur, matrimoniũ, quatenus Sacramentum est, esse materiam simoniæ, neque posse vt sic sine simonia vendi. Ita docent omnes Theologi cum D. Thom. *2. 2. q. 110. art. 2. ad 6.* Sed quia matrimonium non solùm est Sacramentum, sed simul est contractus humanus, in quo coniuges inuicem tradunt & acceptant corpora sua ad vsum matrimonij, si pecunia tradatur pro matrimonio, vt est contractus, vel ob ipsius onera, non cõmittitur peccatũ simoniæ, quia tunc non emitur, aut venditur Sacramentũ, nec aliquid spirituale, sed venditur vel materialis cõtractus, vel potius quodãmodo emitur quasi partialiter corpus ipsũ materiale quod est materia Sacramẽti. Neque inconueniens est humanũ corpus emi ad vsum matrimonij, sicut emi potest ad vsum seruitutis: nã sicut corpus vnius Glossa. Conc. Trid. D. Thom.

coniugis

coniugis pro corpore alterius commutatur, ita ſi non ſint moraliter æqualia, poteſt commutari corpus vnius pro corpore & pecunia alterius: hoc enim nec contra iuſtitiam eſt, nec cum ſimonia habet commercium. Idem dicendum dum in matrimonio traditur aliquid ad compenſandam inæqualitatem nobilitatis, vel alterius conditionis coniugum; illud enim non traditur pro Sacramento matrimonij, ſed pro defectu naturali, qui pecunia compenſari ſoler. Ita Panormitanus *in cap. Cùm in Eccleſia, de ſimon. num.* 3. Richardus *in* 4. *diſt.* 25. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 4. Suarez *lib.* 4. *cap.* 10. *n.* 11. *&* 12. Filliucius *tractat.* 45. *cap.* 3. *q.* 3. Azorius *part.* 3. *lib.* 12. *cap.* 4. *de ſimon.* & alij.

Panormit. Richard. Suarez. Filliucius. Azorius.

9. Quæſtio eſt valde controuerſa inter Doctores, an ſit licitum, dare alicui pecuniam, vel quid ſimile, vt fiat Chriſtianus, vel Religioſus, vel Sacramenta frequentet, vel vt operetur actum vtilem ſolùm ipſimet operanti? Prima opinio ſimpliciter negat licere dare aliquid, vel accipere hoc modo per viam pacti, Do vt facias, vel promitto ſub tali conditione, vt fias Religioſus, & non aliter. Ita ſuſtinent D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. Panormitanus *in cap. Dilectus* 2. *de ſimon. num.* 7. Sylueſter *verb. Simonia, quæſt.* 8. *dict.* 3. D. Antoninus 2. *part. tit.* 1. *cap.* 5. §. 18. & *tit.* 12. *cap.* 2. §. 1. Medina C. *de reſtitut. q.* 27. & alij multi, apud Suarez *lib.* 4. *de ſimon. cap.* 16. *num.* 9. Secunda affirmat licere pactum, vbi agitur de conuerſione alicuius ad fidem. Ita Gloſſa *in cap. Quam pio* 1. *quæſt.* 2. *verb. Interuentu*, & *in cap. debet* 23. *quæſt.* 4. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 39. Molina *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 93. *concl.* 4. Reginaldus *lib.* 23. *n.* 152. Azorius p. 3. *lib.* 12. *cap.* 3. *q.* 5. & alij. Pro reſolutione huius dubij dicendum eſt,

D. Thom. Panormit. Sylueſter. D. Antonin. Medina. Suarez.

Gloſſa. Sanchez. Molina. Reginald. Azorius.

Primò, quòd dare vel promittere temporale ſub pacto vt alter obligatus maneat ad opus ſpirituale, ſimonia eſt: & in hoc caſu habet locum prima ſententia. Probatur: quia in iure Canonico reprobantur omnia pacta & conuentiones in materia ſpirituali, *cap. Quam pio* 1. *quæſt.* 2. *cap. Quæſitum, de rerum permut.* & *cap. vltimo, de pactis.* Tum quia ſimonia committitur emendo, aut vendendo ſpirituale pro temporali: hic autem emitur ſpirituale pro temporali, cùm imponatur alteri obligatio præſtandi opus ſpirituale pro pretio temporali.

Secundò, dare aliquid de præſenti alicui, vt faciat opus ſpirituale vel de præcepto, vel de conſilio, vel vt vitet peccata, vel vt opus ſpirituale faciat in ſolius operantis vtilitatem, relicta illi facultate & libertate faciendi tale opus, non committitur ſimonia, nec alia ratione peccatum eſt, præciſo ſcandali periculo. Ratio eſt, quia tunc reuera nullum fit pactum, & huiuſmodi donatio non eſt mala ex obiecto, cùm ſit liberaliter facta de re ex ſe indifferenti; neque mala eſt ex fine, cùm intendatur bonum operantis; neque ex modo, cùm non tradatur temporale, tanquam pretium honeſti operis: non enim adeſt mutua obligatio. Sic mater dat filio munera, vt bona opera exequatur, & licet interdum dicat ſe dare cum tali conditione, non eſt propriè conditio, ſed modus quo intentio explicatur. Sic promittere aliquid ſub conditione expreſſa, ſi fiat opus ſpirituale, ita vt intendat quis ſe obligare ad promiſſionem adimpletâ conditione, & non aliter, licitum eſt, nec eſt ſimonia, ſi ex parte eius cui fit promiſſio nulla oritur obligatio: vt ſi quis dicat alteri, Promitto tibi centum aureos, ſi fias Chriſtianus, vel religioſus, & non aliter. Ratio eſt, quia talis promiſſio non eſt contractus onerosus, nec excedit donationem liberalem ordinatam ad inclinandam voluntatem alterius ad opus virtutis. Tum quia in effectu eſt tantùm optio quædam gratuitò homini oblata, vt hoc vel illud eligat ſuo arbitrio, non autem coactio, vel obligatio; conſequenter neque pactio, neque ſimonia: nam is cui fit promiſſio, ita liber eſt ad faciendum tale opus, ſicut antea erat. Et hæc concluſio procedit iuxta ſecundam ſententiam, quam confirmat Suarez *lib.* 4. *de ſimonia, cap.* 16. *num.* 12. *& ſequentibus*, Filliucius *tract.* 45. *cap.* 4. *quæſt.* 5. Bonacina *de ſimonia, diſp.* 1. *quæſt.* 4. §. 7.

Suarez. Filliucius. Bonacina.

10. Actus concionandi eſt materia ſimoniæ, & ſine illius labe vendi non poteſt. Ratio eſt, quia Verbum Prædicationis eſt Verbum Dei, & Prædicator eſt veluti legatus à Deo miſſus ad illud munus exercendum, iuxta illud Matth. vlt. & Marc. vlt. *Euntes ergo prædicate*, &c. Tum quia per ſacram concionem, quod proximè & principaliter intenditur, eſt inflammare voluntates hominum ad amorem Dei & pœnitentiam. Sed hoc eſt opus Spiritus ſancti: nam neque qui plantat aliquid, neque qui rigat, ſed qui fructum dat Spiritus ſanctus. Ergo actus concionandi maximè ſpiritualis eſt, & ſupernaturalis, & ita tota illius Verbi æſtimatio pendet à Spiritu ſancto & ſumitur ex *illo* proprio effectu, ad quem ordinatur: ergo. Tum quia Chriſtus mittens Apoſtolos ad prædicandum *Matth.* 10. ſub eodem verborum contextu præcipit gratis dari opus concionandi, & reliqua dona gratiarum, quæ ad confirmandam Diuinam prædicationem gratis dantur. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 100. *artic.* 3. *ad* 2. Caietanus *ibidem*, Sylueſter *verb. Simonia, quæſt.* 9. Suarez *lib.* 4. *de ſimon. cap.* 18. *n.* 22. qui citat Sotum, Victoriam, Paludanum & multos alios, Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt. num.* 32. & communis.

D. Thom. Caietanus. Sylueſter. Suarez. Layman.

Ceterùm Prædicantibus temporalia debentur ad ſuſtentationem prædicantium; non autem ad emendum Prædicationis Verbum. Vnde ſuper illud 1. ad Timoth. 5. *Qui bene præſunt presbyteri*, &c. dicit Gloſſa: Neceſſitatis eſt accipere vnde viuitur, charitatis eſt præbere: non tamen venale eſt Euangelium, vt pro his prædicetur, vt docet D. Thomas *loco citato*. Hinc ſtipendium ſuſtentationis ſub pacto ponere licet Prædicatoribus, vt habet conſuetudo ab Eccleſia approbata. Ratio eſt, quia velle ſtipendium ſuſtentationis non eſt velle temporale pro ſpirituali: Ergo ex pacto velle tale ſtipendium, non eſt vendere ſpiritualia. Non ergo eſt illicitum.

D. Thom.

Prima conſequentia patet: quia pactum non mutat materiam actuum: eadem namque eſt materia donationis & venditionis, ſi vas argenteum dono datur vel venditur. Et propterea ſi abſolutè velle ſtipendium ſuſtentationis, non eſt velle temporale pro ſpirituali: ergo velle idem ex pacto, non eſt velle temporale pro ſpirituali, quod eſſet vendere. Secunda verò conſequentia patet: quia non alia ratione hoc eſſet illicitum, niſi quia eſſet ſimonia; videlicet velle temporale pro ſpirituali. Sublatâ ergo hac mali ratione, reſtat quod non ſit illicitum. Ita rectè argumentatur Caietanus *in* 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. Et confirmatur hæc ſententia, quia quilibet in pactum adducere poteſt, quod ſibi iure naturæ debetur: nõ enim petit indebitum. Pactum enim non auget intenſiuè hanc obligationem, ſed quia quantitas ſtipendij iuſti non eſt ex natura rei determinata, nec ſemper eſt lege taxata, ideò per pactum & conuentionem partium determinatur, quod per ſe non eſt malum, ſed interdum, ac ſæpè eſt neceſſarium. Cauere tamen debet Prædicator, ne plus exigat pro ſuſtentatione, quàm ferat ratio laboris; quia exceſſus non eſt illi debitus: accipiens enim indebitum

Caietanus.

indebitum iniuſtitiam committit. Hæc eſt nunc communiter recepta ſententia, quam docent Suarez *de ſimon. lib.4. cap.36. num.4.* Nauarrus *in Manual. cap. 23. num. 106.* Syluius 2. 2. *quæſt. 100. artic. 3. quæſit. 2.* & alij citati *tom. 1. verb. Simonia V. num. 2.* vide vbi dicta.

Suarez. Nauarrus. Syluius.

11. Tranſactio, in qua ius ſpirituale pro aliquo temporali remittitur, vel retinetur, eſt mala, & Simoniaca. Ratio eſt, quia in tranſactione reuerà fit quædam permutatio, quæ ſub venditione comprehenditur, quando pretium interuenit: ergo cùm tranſactio fit, remittendo ſpirituale pro temporali, venditur ſpirituale ab eo, qui illud remittit: & è conuerſo ſi retinetur & quaſi firmatur ſpirituale dato temporali, emitur aliquid ſpirituale. Tranſactio enim propriè dicitur pactio non gratuita, dubia, & ſub incerta lite conſtituta, vt conſtat ex *l. 1. & 2. ff. de tranſaction.* vnde in hac tranſactione ſupponitur ius ſpirituale dubium: ergo nullo modo licet ius illud pecunia redimere, quod fieret per illam tranſactionem.

Habetur hæc deciſio *in cap. Cùm pridem, de pact. & cap. 2. de arbitris, cap. Præterea, 1. & 2. de Tranſaction. & cap. vltim. de Rerum permutat.* Eſt certa & communis ſententia, quam ſuſtinent Gloſſa *in cap. 2. & in cap. Super eo, de tranſaction. & ibi* Innocentius, Panormitanus & alij, Sylueſter, Angelus, Tabiena & alij Summiſtæ *v. Tranſactio.*

Gloſſa. Innocent. Panormit. Syluester. Angelus. Tabiena.

Hinc ſequitur, ſi ſpiritualis iuriſdictio in litem vocetur, non licet tranſigere, dando pecuniam; nam eſt clara ſimonia, de qua *in dict. cap. Præterea 2. de Tranſact.*

Item ſi beneficium ſit litigioſum, non licet componere litem vel dando pecuniam auctori, vt deſiſtat, vel recipiendo ab illo pecuniam, & relinquendo illi beneficium, *cap. Conſtitutus, de tranſactionibus.* Item ſi de iure præſentandi quæſtio ſit ſuborta, non licet tranſigere, dando pecuniam alteri, vt deſiſtat. Ex *dict. cap. Præterea 1. de tranſact.* Ita Layman *lib. 4. tract. 10. cap. vlt. n. 56.*

Layman.

12. Tranſactio in materia ſpirituali non beneficiali, cum aliqua compenſatione per largitionem, vel ceſſionem alterius rei vel iuris ſpiritualis proportionati, non eſt ſimoniaca, etiamſi tranſactio fiat propria auctoritate, ex conſenſu partium. Ratio eſt, tum quia ſimonia committitur, dum traditur res temporalis pro ſpirituali: hic autem non traditur res temporalis pro ſpirituali, ſed ſpiritualis pro ſpirituali. Tum quia hoc non eſt intrinſecè malum, nec iure diuino, vel Canonico prohibitū; ergo huiuſmodi tranſactio caret Simoniæ labe, etiamſi fiat abſque auctoritate Prælati. Hinc ſi contentio ſit de iuriſdictione ſpirituali, poteſt fieri tranſactio, vt alternis vicibus viſitent, aut eligant, aut præſentent, ſi de his iuribus lis orta ſit. Item ſi inter duos Epiſcopos difficultas vel contentio oriatur de iure in aliquam Eccleſiam, poſſunt conuenire, vt vnus iuriſdictionem, alius prouiſionem beneficiorum in illa habeat. Si litem habeant circa res ſacras, vt circa reliquias, poſſunt illas inter ſe diuidere, vel ſi diuiſionem æquitas non patiatur, poſſunt omnes vni tradi, datâ alhà in compenſationem. Ita Suarez *lib. 4. de ſimon. cap. 51. num. 9.* Pilliucius *tract. 45. cap. 11. quæſit. 10.* Reginaldus *lib. 23. n. 150.* Bonacina *de ſimonia, diſp. 1. quæſt. 4. §. 15. num. 4.* & alij, quibus addo Layman *lib. 4. tract. 10. cap. vlt. num. 57.*

Suarez. Filliucius. Reginald. Bonacina. Layman.

13. Tranſactio non eſt licita in materia beneficiali priuatâ auctoritate, abſque labe ſimoniæ: auctoritate tamen Prælati, ſeu Epiſcopi poteſt honeſtari. Ratio prioris non eſt ſumenda ex ſolo iure naturali: nam ex vi illius permutatio ſpiritualis pro ſpirituali non eſt ſimoniaca (eadem eſt ratio de tranſactione;) ſed ſumenda eſt ex iure poſitiuo, quod intuitu religionis vetuit ob periculum Simoniæ huiuſmodi tranſactionem priuata auctoritate litigantium fieri. Ex *cap. Conſtitutus, de relig. domibus. & cap. Super eo, de tranſaction.*

Hinc litigans ſuper pingui beneficio non poteſt hoc pacto tranſigere cum aduerſario, vt ipſe retineat pingue beneficium & collitiganti tradat beneficium tenue; nam permutat, vel reſignat tenue beneficium, pro iure, quod alter habet ſuper pingue: permutatio autem vel reſignatio beneficiorum fieri non poteſt priuata auctoritate abſque ſimonia. Similiter ſi litigantes circa plura beneficia inter ſe conueniant, vt vnus vnum retineat, alter alterum, ſimoniam committunt; quælibet enim pactio in materia beneficiali ſimoniaca eſt, ſi priuata auctoritate fiat. Ratio poſterioris eſt; nam permutatio beneficiorum ex cauſa honeſta fieri poteſt in manibus Epiſcopi, ſeu Prælati: Sed cauſa tranſactionis eſt ſatis honeſta: ergo ſimilis permutatio, vel quæcumque compenſatio ſpiritualis facta alteri parti pro beneficio dubio, vel iure ad illud, cui renunciat, ſi in manibus Epiſcopi vel Prælati fiat, valida erit, & libera ab omni ſimonia: quia nullum ius prohibet huiuſmodi tranſactionem fieri auctoritate Epiſcopi. Imò approbari videtur *in cap. Statuimus, de tranſaction.* ibi: *De aſſenſu Epiſcopi, vel Archiepiſcopi ſui.* vbi hæc ponitur vt conditio neceſſaria pertinens ad validitatem, & quaſi ad formam tranſactionis: ergo vbi deeſt illa conditio, tranſactio eſt prohibita. Et licet ibi ſermo ſit de tranſactione ſuper decimas, multò magis habet locum illa deciſio in tranſactione ſuper beneficia. Ita ex communi docent Innocentius, Panormitanus & alij *in cap. Conſtitutus, & c. Super eo ſuprà*, Gloſſa *in cap. Si quando, de offic. delegat.* Rebuffus *in Practic. Cancellar. Apoſtol. verſus finem*, Lambertus *de iure Patronat. lib. 3. q. 9. art. 6.* Suarez *loco cit. cap. 51. n. 11. & ſeqq.* Filliucius *tract. 45. cap. 11. quæſit. 11. & 12.* Layman *loco cit. num. 58.* Bonacina *loco cit. num. 6.* & alij communiter.

Innocent. Panormit. Gloſſa. Rebuffus. Lambert. Suarez. Filliucius. Layman. Bonacina.

14. Dubium eſt inter Doctores, an Epiſcopus in tali caſu tranſactionis ad dirimendam litem poſſit abſque ſimonia vni applicare beneficium litigioſum, cum onere vt alteri parti collitiganti penſionem ſoluat ex illo beneficio? Certum eſt apud omnes poſſe penſionem imponi ipſimet beneficiario ad vitam ipſius, quia ſic expreſsè habetur *in cap. Niſi eſſent, de præbendis.* Quod in dubium vertitur, eſt, an penſio imponi poſſit ſuper ipſo beneficio, ita vt tráſeat ad ſucceſſorem in beneficio, quamdiu penſionarius viuit? Duplex eſt ſententia: alij enim affirmant, alij negant. Pro negatiua facit, quod in hac cauſa dirimendæ litis non agatur de iure beneficij, ſed beneficiarij: ergo par non eſt, vt beneficium obligetur, ſed perſona: quia ſic expreſsè habetur *in dict. cap. Niſi eſſent, de præbend.* vbi aſſignatur ratio, ne videlicet aliqua ſectio, ſeu diuiſio circa prouentus beneficij facta videatur; quæ ratio militat etiam in Epiſcopo. Et ſic habet ſtylus Curiæ admittentis huiuſmodi penſiones. Hanc ſententiam tenent Azorius *part. 2. lib. 8. cap. 6. quæſt. 1.* Reginaldus *lib. 23. num. 259.* Bonacina *loco cit. num. 9.* Pro affirmatiua eſt *cap. De cetero, de Tranſact.* per argumentum à contrario. Dicitur enim ibi penſionem impoſitam per tranſactionem iuridicam ſine Epiſcopi auctoritate, non excedere vitam eius, qui penſionem ſoluit: ergo, interueniente Epiſcopi auctoritate, poteſt excedere vitam beneficiarij, ac ſubinde ſuper beneficium ipſum imponi. Et ita notant ibi expreſsè Panormitanus, Cardinalis, & alij, quos

Azorius. Reginald. Bonacina. Panormit. Cardinal.

Gigas. Suarez. Filliucius.

quos refert & ſequitur Gigas *de penſionibus, q. 6.* Suarez *cap. 51. num. 18.* & probabilem putat Filliucius *tract. 45. cap. 11. num. 28.* Et ita videtur vſus declaraſſe hæc iura. Quamuis enim Epiſcopus ordinariè non poſſit penſionem ſuper beneficium imponere iuxta ius commune, vt beneficia ſine diminutione conferantur, nihilominus regula illa patitur exceptiones aliquas, quando ex iure vel conſuetudine ſufficienter colliguntur, & vna illarum hæc eſt, ad litem & controuerſiam componendam.

15. Prælatus applicans in hoc caſu tranſactionis aliquid temporale parti cedenti iuri ſuo, id facit *Primò*, ex arbitrio & prouidentia ſua propter bonum pacis: bonum autem pacis non ſolùm eſt quiddam ſpirituale, verum etiam temporale bonum, vtpote vtile, ideoque pecunia æſtimabile: ſicut enim lites magno ſunt diſpendio, ita pax ingentis eſt vtilitatis. Et licet bonum pacis in tali euentu non obtineatur niſi cedendo iuri ſpirituali, & præſentationi temporali, tamen in tranſactione non habetur ratio ipſius iuris ſpiritualis, ſed commoditatis temporalis, & hac de cauſa permittitur *in cap. Niſi eſſent, de prabend.*

Secundò, poteſt conſiderari à Prælato ratio aliqua iuſtitiæ ob quam meritò poſſit beneficio, aut beneficiario onus imponi; talis autem cauſa eſſe poteſt neceſſitas alimentorum, ad quæ recipienda ex tali beneficio poteſt Clericus habere iuſtam cauſam, ratione iuris ſaltem dubij, quod ad illa habet.

Tertiò, Prælati vel arbitri in componenda lite poſſunt rationem habere incommoditatum & expenſarum, quas fecerunt & ſuſtinuerunt in proſecutione litis; hæ enim pretio æſtimabiles ſunt. Ita communiter Doctores, teſte Suarez *loco cit. n. 22.* Filliucio *loco cit. num. 28.* Layman *lib. 4. tract. 10. cap. vlt. num. 59.* & alij.

Suarez. Filliucius. Layman.

16. Certum eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ etiam contentioſæ & involuntariæ, materiam eſſe ſimoniæ, ad quam vitandam gratis exerceri debent. Ratio eſt, quia in his omnibus actibus exercetur ſupernaturalis poteſtas à Deo gratis data ad gubernandam Eccleſiam ſuam, ac proinde gratis exerceri debet ex vi ſuæ inſtitutionis & naturæ: ergo ſi pretio vendatur, Simonia committitur: ergo in omnibus his actibus inuenitur Simoniæ materia, non ſolùm humano, ſed etiam diuino iure prohibita. Hinc Simonia committitur, dum Vicarius Epiſcopi, aut Capituli, vel Parochi pretio conſtituitur. Item dum pretio confertur beneficium, vel dignitas Eccleſiaſtica, aut iuriſdictio Ordinaria, vel delegata. Item ſi vendatur ius eligendi ad dignitates, vel confirmandi electionem, conferendi beneficia & ſimilia. Item ſi pecuniâ extorqueatur ſententia à iudice Eccleſiaſtico in cauſa ſpirituali, vt in cauſa matrimonij, hæreſis, &c. Item ſi aliquid exigatur pro diſpenſatione votorum, iuramentorum, irregularitate, aut impedimentorum matrimonij, etiamſi hæc concedatur pro foro externo. Ratio eſt, quia diſpenſans vtitur poteſtate Eccleſiaſtica ſpirituali & ſupernaturali. Ita ex communi Suarez *lib. 4 cap. 20. n. 16.* Nauarrus *in Man. cap. 23. n. 111. ad 13.* & poſt illos Bonacina *de ſimon. diſp. 1. q. 4. §. 17. num. 3.* & alij, quibus adde Filliucium *tract. 45. cap. 4. num. 42.*

Suarez. Nauarrus. Bonacina. Filliucius.

17. Difficultas eſt, an Simoniæ materia ſit, quando per ſpiritualem poteſtatẽ exercentur quidam actus, qui videntur merè politici & humani, & proximè verſantur in materia temporali & humana, vt ſunt cauſæ merè ciuiles inter Clericos de bonis temporalibus, vel de criminibus, aut iniuriis; vel ſi vendatur à Prælato Eccleſiaſtico licentia ſtudendi, docendi, vel legitimandi ad honores ſolùm temporales, &c. Quidam putant hos actus naturâ ſuâ non eſſe materiam ſimoniæ, quia merè humani & politici ſunt: tum quia non exercetur hîc iuriſdictio Eccleſiaſtica & ſpiritualis, vt ſic, ſed quatenus in ea continetur politica & temporalis. Ita Innocentius *in cap. 2. de magiſt.* Angelus *verb. Magiſter, num. 15.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. num. 82. & 83.* Bonacina *loco citato num. 2.* probabiliter. Nihilominus alij contendunt omnes hos actus, quatenus à poteſtate ſpirituali procedunt, eſſe veram materiam ſimoniæ: quia vſus iuriſdictionis ſpiritualis formaliter, ac per ſe ſpiritualis eſt. Nec refert, quod interdum materia proxima actus videatur politica, aut temporalis: quia conſideranda eſt, prout cadit ſub talem ſpiritualem poteſtatem; ſic enim non cadit, niſi vt ordinata ad ſpiritualem finem, & ad illum aliquo modo conducens, & vt ſic iam eſt ſpiritualis, & ita actus ſpiritualis efficitur non ſolùm ex parte principij, ſed etiam ex parte finis. Propter hanc rationem quodlibet iudicium inter Clericos ſpirituale cenſendum eſt: quia licet ſit de crimine communi laicis & Clericis, vel de bonis temporalibus, ſemper cauſa illa tractanda eſt modo Eccleſiaſtico, in quo ſemper habetur ratio clericalis decentiæ, ac dignitatis. Ita Gloſſa prima *in cap. 2. Ne Prælati vices ſuas.* Ioannes Andreas, Ananias & Cardinalis *in cap. 2. de Magiſtr.* Præpoſitus & Turrecrem. *in cap. De quibuſdam, diſt. 37.* Suarez *cap. 20. num. 19. & 20.* Filliucius *tract. 45. cap. 4. n. 43.* Hæc ſententia videtur probabilior.

Innocent. Angelus. Leſſius. Bonacina. Gloſſa. Ioan. Andr. Ananias. Cardinal. Præpoſitus. Turrecrem. Suarez. Filliucius.

18. Quamuis exigere pretium pro diſpenſationibus ſit ſimonia contra ius diuinum, in quo non poteſt Pontifex diſpenſare, tamen iuſtis aliis de cauſis illa traditio & exactio pecuniæ poteſt eſſe licita, & ſtylus Romanæ Curiæ approbat. *Prima* eſt ſuſtentatio Summi Pontificis, & tunc non eſt venditio gratiæ, ſed ſuſtentatio perſonæ, vel onerum illius ſtatus. Potuerunt Pontifices hoc onus & quaſi tributum ad ſuam ſuſtentationem neceſſarium potiùs in diſpenſationibus, quàm in aliis gratiis imponere, quia diſpenſationes odioſæ ſunt, & oportet eas oneroſas reddere petentibus, ne facilitas obtinendi, maiorem licentiam tribuat eas importunè petendi. Et hac ratione fieri etiam potuit, vt quo difficilior eſt diſpenſatio, vt rarior etiam ſit, maius pecuniæ onus habeat annexum. *Secunda*, eſt labor & onus officialium in ſcribendo, expediendo, &c. hoc enim eſt pretio æſtimabile, quia non eſt per ſe malum, neque in hac ſpecie inuenitur prohibitum. Quamuis enim vetitum ſit Epiſcopis & aliis Prælatis aliquid in diſpenſationibus accipere quocumque titulo, *cap. vltim. de pactis*, & in Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 18. de reformat.* hæc tamen prohibitio non afficit Papam, vel eos quibuſcum Papa diſpenſat. *Tertia*, eſt commutatio vnius operis in aliud. Poſſunt enim Papa & Epiſcopi diſpenſando onus alicuius eleemoſynæ imponere per modum commutationis, maximè quando diſpenſant in votis & ſimilibus: quia non tenentur puram diſpenſationem dare, ſed poſſunt commutationem miſcere. *Quarta* cauſa eſt, quando diſpenſatio ſupponit culpam, vt ſi obtinenda ſit in affinitate contracta ex copula illicita; vel in irregularitate contracta ex homicidio, poſſit illam punire præcipiendo eleemoſynam; vel poteſt Pontifex pœnam pecuniariam ſuæ Cameræ applicandam imponere in vindictam præteriti delicti. Ita docent Suarez *loco citato, cap. 20. num. 11. & ſequent.* Redoanus *1. part. de ſimon. cap. 21. num. 4. & ſeq.* Vgolinus *de ſimon. tab. 1. cap. 12.* Azorius *part. 3. lib. 12.*

Conc. Trid. Suarez. Redoanus. Vgolinus. Azorius.

Filliucius. Bonacina. D. Thom.

lib. 12. *cap.* 11. *quæſt.* 12. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 4. *num.* 41. Bonacina *quæſt.* 4. §. 17. *num.* 6. & alij poſt D. Thomam 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 3.

19. Omnes homines cuiuſcumque conditionis ſint, ſimoniæ iure naturali & diuino vetitæ labem contrahere poſſunt: quia omnes iuri diuino naturali ſubiiciuntur, etiamſi ſint hæretici, pagani & infideles, vel in crimine ſimoniæ patrato à fidelibus cooperentur: nam cooperans peccato alterius, reus eſt peccati, cui cooperatur. Infideles tamen ſimoniæ rei, vel in ea communicantes, non ſubiiciuntur cenſuris & pœnis ab Eccleſia latis contra ſimoniacos, licet poſſint puniri à Principibus Chriſtianis, ſi illis temporaliter ſubiecti ſint. Sic gentilis peccare poteſt emendo Baptiſmum pro filio. Sic Princeps infidelis emendo Epiſcopatum pro amico fideli, veram ſimoniam, per ſe loquendo, committeret, licet per ignorantiam excuſari poſſet.

Suarez. Filliucius.

Ita ex communi Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *c.* 54. *num.* 5. & 8. Filliucius *tract.* 45. *cap.* 12. *quæſt.* 10. & alij. Ratio concluſionis eſt, quia vnuſquiſque quatenus capax eſt recipiendi ſpiritualia ab aliis hominibus, vel illa eis tradendi, eatenus eſſe poteſt capax ſimoniæ; quia libertatem habet ad vtrumque faciendum pro pretio, vel gratis, ſi ſit adultus, & ſecluſis impedimentis.

20. Ex dictis ſequitur, quòd in omni materia, in qua committitur ſimonia contra ius diuinum, etiam Pontifex peccabit eodem genere peccati, ſi illam pro temporali vendat. Ratio eſt, quia Pontifex ſubditus eſt iuri diuino; & illa actio extrinſecè mala eſt. Hinc ſimoniacus eſt, ſi Sacramenta, vel Ordines conferat pro pretio temporali; aut ſi reliquias, vel agnos Dei benedictos vendat, ſed plus exigat, habita ratione benedictionis, quàm alioquin valent ratione materiæ: quia licet illa ſpiritualitas ſit ex poſitiua inſtitutione, tamen hac ſuppoſitâ, ſimonia, quæ in illa committitur, contra ius diuinum eſt. Item ſi doctrinam fidei vel illius definitionem vendat, vel Pontificiam dignitatem pro Regno temporali tanquam pro pretio renunciaret. Idem denique eſt in omni ſimili materia, quæ de ſe & naturâ ſuâ, ſeu Diuinâ inſtitutione ſpiritualis eſt. Proinde ſi ius ſpirituale beneficij pecuniâ vendat & illam accipiat vt pretium rei ſpiritualis, ſimoniam committit: quamquam circa hoc in Romanum Pontificem vix, aut nullo modo cadere poſſit ſuſpicio ſimoniæ; quia poteſt multis iuſtis titulis & modis pecuniam accipere, vel aliis applicare, cùm alicui dat beneficium, ſine benedictione illius, & ſine intentione pretij, & conſequenter ſine ſimonia. Ita Redoanus *de ſimonia, p.* 1. *cap.* 20. Sotus *de inſtit. lib.* 9. *q.* 5. *art.* 2. Vaſquez *de benefic. cap.* 2. §. 4. *dub.* 3. Iulius Clarus *lib.* 1. §. *Simonia, num.* 5. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 5. & alij communiter.

Redoanus. Sotus. Vaſquez. Clarus. Leſſius.

21. Ex veriori ſententia Doctorum, ſi natura rei ſpectetur, Papa poteſt culpam ſimoniæ iure Canonico prohibitæ contrahere, niſi rationabilis cauſa ſubſit, ob quam illâ lege cenſeatur exemptus, vel in ea ſecum diſpenſet. Quamuis enim Pontifex ſuis legibus non ſubiiciatur quoad vim coactiuam, ſubiicitur tamen quoad vim directiuam, quoties materia legis eſt communis Papæ & ſubditis. Ratio eſt, quia obligatio, quâ Princeps tenetur ſeruare legem ſuam, non oritur immediatè à voluntate & poteſtate Principis volentis ſe obligare, ſicut ea obligatio, quæ eſt in ſubdito (nam Princeps non eſt ſibi ſuperior, vt ſeipſum poſſit immediatè ſuo præcepto obſtringere) ſed oritur ex ipſa rei natura, id eſt, ex conditione Principis & Reipublicæ, ex qua prouenit vt ius naturale dictet Principem debere pati legem, quam ipſe ſubditis imponit, ſi ratio legis æquè in vtriſque locum habeat. Ex *cap. Cùm omnes, de Conſtitutionibus.* Vnde ſequitur *Primò*, ſi Pontifex vendat officia Eccleſiæ vel beneficia, peccabit ſimoniâ: obligatio enim illa, quâ tenetur ſe conformare ſubditis, eſt generalis, quæ contrahitur ſecundùm variam materiam & ſpecies virtutum, ad quas ſubditi obligantur. Quòd ſi iuſta cauſa ſubſit vendendi, ceſſat illa obligatio per ſe; eò quòd deſinat illa ratio, ob quam ſe ſubditis debebat conformare; vel ſecundùm alios præſumitur ſecum diſpenſare: nam in facto Principis non præſumitur delictum, vel ſaltem præſumitur minus delictum. Sequitur *Secundò*, ſi Pontifex reſignationem vel permutationem cum penſione, vel alio onere admittat, non cenſetur ſimoniacus; quia materia legum prohibentium reſignationem, vel permutationem, non ad eum pertinet: imò omnes iſtæ leges Canonicæ hanc conditionem includunt, niſi adſit conſenſus Pontificis; ideo ſi aliquam renunciationem vel permutationem admitteret cum maiori onere, quàm beneficium ferat, poſſet peccare contra iuſtitiam diſtributiuam, non tamen reus erit ſimoniæ. Ita Suarez *loco cit. cap.* 52 *n.* 4. *& ſeqq.* Filliucius *tract.* 45. *cap.* 12. *quæſt.* 2. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. num.* 64. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 33. & alij.

Suarez. Filliucius. Layman. Leſſius.

22. Simoniam iure Canonico prohibitam omnes homines baptizati incurrere poſſunt: quia omnes ſubiiciuntur legibus Eccleſiaſticis generaliter latis, ſiue ſint laici, vel Clerici, Religioſi, aut Prælati, ſiue ſint Cardinales, Patriarchæ, ſiue Epiſcopi. Imò Capitula, Collegia vel Communitates ſimoniæ labe infici poſſunt, ſi omnes de communitate in ſimoniæ crimen conſentiant. Ratio eſt clara, quia talis Communitas delinquere poteſt, vnde & cenſuræ capax eſt: ergo etiam in ſimonia peccare poteſt; quia & poteſt vendere & emere, & poteſt habere materiam ſpiritualem, circa quam hos contractus prauè exerceat. Tunc autem cenſetur Capitulum vt Capitulum hoc vitio delinquere, quando actio illa, quæ ſimoniacè fit, à ſolo Capitulo exerceri poteſt, & pretium pro illa à toto Capitulo, vt tale eſt, acceptatur. Quamquam ſi pars aliqua ſolùm communitatis in ſimoniæ crimine conſentiat, aliâ diſſentiente, illa ſolùm, quæ conſentit, rea eſt ſimoniæ. Suarez *cap.* 54. *n.* 9. Abbas, Felinus & alij *in cap. Dilectus* 2. *de ſimonia*, Sylueſter *v. Excommunicatio* 7. *num.* 47. Filliucius *tract.* 45. *c.* 13. *quæſt.* 11. & alij.

Abbas. Felinus. Sylueſter. Filliucius.

23. Contrahens cum Pontifice, vel cum eius miniſtris de re ſpirituali, ex ipſius Pontificis tacito vel expreſſo conſenſu, ſimoniam non incurrit, ſi illa ſolùm iure Canonico ſit introducta. Ratio eſt, quia tunc Papa cenſetur diſpenſare. Secus, ſi in ſimoniæ materia contrahat, quæ iure diuino & naturali vetita eſt; quia tunc tam ipſe, quàm Pontifex incurrit culpam ſimoniæ, quia vterque iuri naturali diuino ſubiicitur, in quo diſpenſare non poteſt Papa, exceptis quibuſdam caſibus, de quibus ſuprà *v. Diſpenſatio.* Et docent communiter Doctores Nauarrus *de datis, & promiſſis notab.* 9. *num.* 14. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt. num.* 64. Azorius *p.* 3. *lib.* 12. *cap.* 25. *quæſt.* 2. & alij.

Nauarrus. Layman. Azorius. Suarez.

Sed difficultas eſt prima, an qui ſimoniam ſolo iure poſitiuo prohibitam exercent, ſciente & diſſimulante Pontifice, à ſimoniæ culpa contra ius Canonicum excuſentur? Quidam affirmatiuam ſententiam ſuſtinent. Tum quia illa ſcientia & patientia habetur pro legitima licentia. Tum quia Pontifex non præſumitur delinquere; delinqueret autem diſſimulando ſimoniam, niſi in ea diſpenſaret.

Ita

Digitized by Google

Sanchez. Salas.

Ita in ſimili Sanchez *de matrim. lib. 3. diſput. 35. num. 20.* Salas *de leg. diſp. 24. ſect. 9. num. 85.* Verùm meritò exiſtimant alij tolerantiam Pontificis non ſemper excuſare: quia non eſt ſufficiens ſignum diſpenſationis, quod Papa hanc tranſgreſſionem legis Eccleſiaſticæ vniuerſalis ſciat fieri in curia ſua & toleret: quia poteſt tolerare quoad non inferendam pœnam, quia fortaſſe non denunciatur, vel quia non expedit omnes delinquentes punire, vel certè quia in hoc poteſt eſſe aliqua negligentia, & non propterea factum approbatum. Igitur niſi talis ſit ſcientia & patientia Pontificis, taliſque conſuetudo, vt communi iudicio prudentum cenſeatur lex ibi abrogata; ſine dubio committetur etiam ibi ſimonia in talis legis tranſgreſſione. Ratio eſt, quia in dubio obligationis legis iudicandum eſt in fauorem legis; nam ipſa poſſidet, & de eius obligatione conſtat, & de abrogatione non conſtat. Ita Suarez *cap. 52. n. 13. in fine*, Layman *loco cit. n. 65.* Bonacina *de ſimon. q. 5. n. 9.* qui citat Menochium, Sayrum & alios.

Suarez. Layman. Bonacina. Menoch. Sayrus.

Difficultas eſt ſecunda, an Pontifex vendendo alicui beneficium, & committens cum illo ſimoniam, cenſeatur cum illo diſpenſare ſaltem quoad pœnas iuris? Reſponſio communis eſt affirmatiua. Et in primis quoad pœnam nullitatis talis collationis, id eſt manifeſtum: quia non cenſetur Princeps ſupremus fruſtra beneficium conferre; fruſtra autem daret ei, quem nouit inhabilem, niſi ſimul vellet illum habilem reddere, maximè quia decet, vt conceſſum à Principe beneficium, ſemper ſit manſurum. Deinde quoad pœnam excommunicationis, non poteſt dici contumax contra legem Papæ, qui cum ipſo committit actum per legem prohibitum, & ſine contumacia non incurritur excommunicatio. Præterea non eſt veriſimile Principem velle punire opus, quod ipſe ſimul efficit, vel fortaſſe ad illud inuitat. Ita Couarruuias *in reg. peccatum ſecunda parte, §. 8. num. 9.* Sylueſter *verb. Simonia, quæſt. 4. & 19.* Sotus *lib. 9. de iuſtit. quæſt. 5. artic. 2.* & *quæſt. 8. artic. 2.* Suarez *lib. 4. cap. 61. num. 14. & 15.* Panormitanus *in cap. Cum in cunctis, §. Inferiora, de elect. num. 8.* Felinus *in cap. Præterea de teſtibus cogendis, num. 7.* & alij. Et hæc de ſimonia addita ſatis, plura apud Doctores hic citatos.

Couar. Syluester. Sotus. Suarez. Panormit. Felinus.

Vide v. Beneficium 2. *num. 5.* Conſilium *num. 5.* Penſio *num. 4.*

SOCIETAS.

SVMMARIVM.

1 *Qui poſſint celebrare contractum Societatis.*

2 *An in ſocietate vnuſquiſque ſociorum teneatur aliis ſociis de toto damno quod lata culpa, aut leui, vel dolo ipſius aduenerit.*

3 *An contractus ſocietatis ſit iuſtus & licitus, & quæ requirantur ad iuſtitiam eius.*

4 *In lucri vel damni diſtributione, an habenda ſit ratio valoris pecuniæ quam ſocius confert, vel potius periculi, ad pecuniam exponit?* Refertur duplex ſententia.

5 *Æqualitas, quæ in contractu ſocietatis requiritur, an habeat latitudinem, iuxta prudentis arbitrium.*

6 *Cui pereat pecunia in ſocietate poſita, ſi pereat.*

7 *An iniri poſſit ſocietas eo pacto, vt ſi ſors principalis, quam in commune vnus ex ſocijs contulit, caſu fortuito perierit, eam alter ſocius reſtituere teneatur?* Refertur duplex ſententia.

8 *An ſtandum ſit conſuetudini regionis, vel locorum, quando in ſocietate non ſunt expreſſum, an apponens pecuniam voluerit contrahere ſocietatem tantùm in lucro & non in ſorte? Et quid ſi de conſuetudine non conſtet?* Refertur duplex ſententia.

9 *Vt adſit iuſtitia in contractu trium contractuum, an requiratur, vt bi contractus formaliter & expreſsè fiant? Et quæ conditiones requirantur ad hunc contractum.*

10 *Qualiter diſtribuenda ſint bona in ſocietate omnium bonorum, tam præſentium, quàm futurorum? Et quæ bona communicentur in hac ſocietate.*

11 *Quando cenſeatur inter fratres contracta ſocietas quæſtus, quando habens patrimonium indiuiſum.*

12 *Frater habens cum fratre patrimonium indiuiſum, an teneatur cum eo communicare lucrum ſibi obuenientis ex publici officij adminiſtratione? Et quid, ſi frater conferat bona ſua caſtrenſia vel quaſi in commune.*

13 *De modis, quibus ſocietas diſſoluitur & finitur.*

1. SOcietatis contractus poteſt celebrari ab iis, qui facultatem habent diſponendi ad ſuum libitum de rebus, quas conferunt ad ſocietatem. Ratio eſt, quia ſicut ceteri contractus ab iis celebrari poſſunt, ita etiam contractus ſocietatis.

E contrà non poteſt ſocietatis contractus iniri ab iis, qui liberè non poſſunt donare vel diſtrahere ea, quæ ad ſocietatem conferunt. Hinc filius poteſt inire contractum ſocietatis cum patre de bonis caſtrenſibus, vel quaſi: nam horum liberum habet ius: de bonis autem profectitiis, aut de aduentitiis non poteſt, exceptis aduentitiis, in quibus vſusfructus non pertinet ad patrem. Item filius poteſt ſocietatis contractum inire cum patre, ſi pater ponat pecuniam, filius verò operam & induſtriam, & tantundem recipiat filius, habita ratione laboris & induſtriæ ipſius, quantum recipit pater, modò filius proprio nomine & periculo negotietur. Vſusfructus autem lucri ſpectabit ad patrem, donec pater vixerit; eo verò mortuo abſolutè pertinet ad filium, ex *l. Cùm oportet, Cod. de bonis, quæ liberis.* Si autem filius negotietur nomine patris, cum pecunia patris, totum lucrum pertinebit ad patrem. Idem dicendum ſi negotietur ſimpliciter: nam in dubio cenſetur negotiari nomine patris, *l. final. ff. Quando tutor.*

Hinc mentis inops; prodigus cui datus eſt Curator, vel alienatio interdicta eſt; minor 25. annis, niſi poſt eoſdem expletos ratam habuerit à ſe initam ſocietatem; ſeruus & religioſus, & alij qui nihil proprij habent, nec ſunt ſui iuris; Medicus cum infirmo durante infirmitate; Aduocatus cum ſuo eliciente; & qui detinentur in carcere: hi omnes ſocietates celebrare non poſſunt, quia à lege impediuntur. Ita Reginaldus *lib. 25. n. 369.* Trullench *in Decalog. lib. 3. cap. 24. dub. 1. num. 7.* Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 6. punct. 2.* & alij.

Reginald. Trullench. Bonacina.

In negotio & ſocietate vnuſquiſque ſociorum in conſcientia & in foro exteriori tenetur aliis ſociis de toto damno, quod dolo, latâ, aut leui culpâ ipſius aduenerit, tam in capitali, quod deperditum eſt, quàm in lucro, quo carent ceteri ſocij. Ratio eſt, quia huiuſmodi contractus eſt in bonum & commodum vtriuſque contrahentis, vt habetur ex *l. Socius. ff. pro ſocio.* At in contractu, qui fit gratiâ vtriuſque ſocij, ſolendum eſt damnũ quod prouenit ex

dolo, lata, & leui culpa, non autem leuissima, aut casu fortuito. *Contractus ff. de regul. iuris.* vnde socius de furto quoque tenebitur, qui custodiam & curam adhibere debet, ne quis bona societatis furetur, *l. Cùm duobus, ff. pro socio,* & culpa eius furtum commissum esse creditur, qui rem tam negligenter custodiuit, vt surripi potuerit. Bartolus *in d. l. Cùm duobus,* Azorius *p. 3. lib. 9. c. 2. quæs. 2.* & alij cõmuniter. Bartolus. Azorius.

3. Contractus societatis iustus est & licitus: quia quod iustè fieri potest ab vnoquoque seorsim, iustè quoque fieri potest à pluribus simul. Sed vnusquisque potest seorsim lucrari iustè ex sua propria re ad lucrandum idonea: Ergo etiam plures simul ex suis rebus coniunctis ad lucrandum idoneis, vt definitur *in cap. Per vestras, de donat. inter virum & vxor.* Ad iustitiam tamen huius contractus requiritur vt negotiatio, in qua est societas contracta, sit licita & honesta: quia in re illicita non contrahitur, nisi conuenticulum. Deinde requiritur, vt omnia quæ in societate ponuntur, siue sint pecuniæ, siue operæ vel industria, à principio numerentur, & ex illis fiat quasi vna summa pecuniæ omnibus communis; v. g. sunt tres socij, quorum vnus confert mille aureos; alter operas requisitas, quæ æstimantur aliis mille; tertius verò ponit industriam, quæ æstimatur quingentis; tunc stabilienda est societas, quasi hi tres contulissent in pecunia numerata duo millia quingentos aureos, quâ finitâ, si lucrum sit vt quinque, primo illi qui contulit mille debent tradi duo; ei qui contulit operas valentes etiam mille, tradi similiter alia duo; tertio verò qui solùm contulit quingentos aureos, debet tradi vnum. Ratio est, quia cùm lucra & damna sint inter eos distribuenda pro rata, & ratione portionis ab vnoquoque appositæ, nisi à principio contractus æstimetur id, quod singuli in eam societatem conferunt, non poterit rectè, nec commodè discerni, ac diiudicari deinde, quæ pars ad vnumquemque eorum pertineat. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. Nauarrus *in Manual. cap.* 17. *num.* 252. Rebellus *de oblig. iustit. lib.* 15. *part.* 2. *quæst.* 2. Azorius *part.* 2. *lib.* 9. *c.* 2. *q.* 2. Quæ omnia deciduntur in iure: nam *Instit. de societat.* §. *De illa,* habetur, *Ita coiri posse societatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune sit: quia sæpè operæ alicuius pro pecunia valet. Et l. Si non fuerint, ff. pro socio,* sic habetur: *Plerumque tanta est industria socij, vt plus societati conferat, quàm pecunia: vt si solus nauiget, solus peregrinetur, si pericula subeat.* Caietanus. Nauarrus. Rebellus. Azorius.

4. Quorumdam sententia est, in lucri vel damni distributione non esse habendam rationem pecuniæ, quam socius confert, sed solùm rationem periculi, cui pecunia exponit, atque adeò solius periculi, non autem pecuniæ proportionem comparandã esse, cum proportione industriæ vel operæ alterius. Et id probant, quia sæpè vnus societati confert tam ingentem pecuniæ summam, vt hominis operæ, vel industria tanti æstimari non possit, quanti illa pecunia: vt si Titius conferat decem, aut centum millia aureorum, & Caius solam operam suam & industriam. Quamuis enim leges & iura dicant, operam vel industriã plerumque tanti vel pluris æstimari, quanti est pecunia, non significant tamen operam, vel industriam valere decem, vel centum millia aureorum. sed operam cum pecunia comparari. Ita Sotus *de iustit. & iur. lib.* 6. *quæst.* 6. *art.* 1. quem sequitur & defendit Azorius *loco citato, quæst.* 4. adducens Baldum, Cynum *in l.* 1. *Cod. pro socio.* Petrum Perusinum *tract. de duobus fratribus, part.* 4. *q.* 2. & alios docentes, in huiusmodi societate potius haberi rationem emolumenti & commodi, quod Titius potest ex sua pecunia percipere, quàm ipsius pecuniæ. Rectiùs tamen docent alij totam pecuniam ab aliquo positam secundùm totum suum valorem esse sortem conferentis illam, & iuxta proprium illius valorem esse conferendam illi partem lucri, quando fiet illius distributio, & non iuxta quantitatem periculi. Ratio est, quia socij iustè lucrum percipiunt ex suis rebus, prout eas ad lucrandum exponunt: Sed in hoc casu res propria, quam socius ad lucrũ exponit, in primis est ipsa pecunia, non autem periculum, cui ipsum exponit: ergo in lucri partitione ratio in primis habeti debet ipsius pecuniæ, non autem periculi; alioquin sequeretur sæpè magna inæqualitas in distributione lucri; accideret enim vt conferens decem millia aureorum ad negotiationem vtilissimã, ex lucro ingente quod inde expectaretur, perexiguam vel nullam reciperet partem, & apponens operam, vel industriam paui momenti, totum ferè lucrum reciperet; quod non est admittendum. Ita Nauarrus *in Man. c.* 17. *n.* 253. Rebellus *loc. cit. q.* 2. *n.* 3. P. Nauarra *lib.* 3. *n.* 448. Molina *tra.* 2. *disp.* 416. Raginaldus *lib.* 25. *n.* 385. Filliucius *tr.* 38. *n.* 50. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *c.* 24. *dub.* 3. *n.* 3. Bonacina *de contract. disp.* 3. *q.* 6. *punct.* 3. *num.* 5. & alij communiter. Nauarrus. Rebellus. P. Nauarra. Molina. Reginald. Filliucius. Trullench. Bonacina.

5. Æqualitas, quæ in contractu societatis requiritur, non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem iuxta prudentis arbitrium & iudicium, pro maiori vel minori labore & pro maiori vel minori æstimatione operæ & industriæ: non enim eandem æstimationem habet labor & industria prudentis & industrij hominis, quàm habet labor minùs prudentis. Hinc non tollitur æqualitas in societate ex eo quòd qui ingentem apposuit pecuniam in societate, longè maius lucrum recipit, quàm qui solam posuit operam, quæ non tanti æstimatur, quanti pecunia ab altero socio collata: sicut etiam non tollitur æqualitas ex eo, quòd apponens operas maioris valoris, quàm sit vsus pecuniæ ab altero positæ, percipit maius lucrum, quàm percipiat, qui pecuniam posuit. Ita Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restit. n.* 462. Couarruuias 3. *var. cap.* 2. & alij. P. Nauarra. Couar.

6. Si pecunia in societate posita pereat, soli ponenti perit: siue pereat ante operas, siue post; siue iactura eius in principio, siue in medio, siue in fine negotiationis fiat. Ratio est, quia cùm verus dominus illius pecuniæ sit, qui illam apposuit, illi soli debet perire. Tum quia si in fine negotiationis tota pecunia salua permaneat, tota ad eum qui contulit spectat; ergo cùm perit, totum damnum est eius, qui eam in commune posuit, non alterius qui solam industriam & operam collocauit. Denique si alicuius partis pecuniæ ab vno positæ, alius deberet damnum subire, illi pars iam esset constituta extra periculum, ac per consequens esset socio tantùm mutuata, cum intentione inde referendi lucrum; quod labe vsuræ non caret, vt docent Nauarrus *in Man. cap.* 17. *n.* 252. Caietanus *in summa verb. Mercimonialis societas.* Azorius *c.* 3. *q.* 3. Nauarrus. Caietan. Azorius.

Potest tamen apponens pecuniam cum altero socio conuenire, vt pecunia sit communis, & vterque sit pecuniæ dominus, ita vt pecunia capitalis, finitâ societate, diuidatur. Similiter potest pacisci cum socio, vt si pecunia pereat, æquè pereat socio, eiusque periculum & damnum sit commune: nam cùm vterque sentiat æquale commodum, par est, vt sentiat onus æquale. Imò quando nullum præcessit periculi pactum cum socio, periculum & damnũ pecuniæ censetur factum commune, eo ipso quo pecunia facta fuit communis. Ita Azorius *p.* 3. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæst.* 4. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 24. *dub.* 3. Azorius. Trullench.

Syluester. Roſella. Armilla. *dub.* 3. *num.* 7. Syluester, Roſella, Armilla & alij apud Azorium.

Aduertendum eſt quod intercedente iuſto pacto, quo tradens pecuniam reiicit illius periculum in alterum ſocium, ſoluto iuſto pretio pro grauamine impoſito, ſors capitalis perit ſocio, in quem periculum fuit tranſlatum. Ratio eſt, tum quia non repugnat contractui ſocietatis addere contractum aſſecurationis capitalis, vel lucri; ſicut enim hic contractus poteſt cum alio iniri, ita etiam poteſt iniri cum ſocio. Tum quia nulla ſufficienti ratione probari poteſt, non poſſe in alterum ſocium reiici periculum capitalis & lucri, compenſato grauamine, vt diximus *tom.* 1. *v. Societas, num.* 4. cum Doctoribus ibi citatis litt. C.

7. Difficultas eſt, an iniri poſſit ſocietas eo pacto, vt ſi ſors principalis, quam vnus ex ſociis in commune contulit, aliquo caſu fortuito perierit, eam alter ſocius reficere teneatur? Quidam dicunt poſſe talem ſocietatem contrahi; eò quòd tale pactum contra naturam ſocietatis non ſit, ſed ſolùm præter naturam; ac proinde quamuis vi & naturâ ſocietatis non valeat, valet tamen vi conuentionis; quia contractus ex conuentione legem accipiunt.

Hoſtienſis. Ioan. Andr. Ita Hoſtienſis *in ſumm. tit. de vſur.* §. *In aliis autem.* Ioannes Andreas *in cap. Per veſtras, de donat. inter vir. & vxor.* Communis tamen ſententia eſt, prædictum pactum cum ſocietatis natura & ſubſtantia pugnare. Ratio eſt, quia qui dat pecuniam ſocio ea conditione, vt lucrum ex negotiatione ſit commune, capitale indemne ſeruetur, vſuram committit: quia non eſt contractus ſocietatis, ſed mutui, in quo pecunia mutuata etiamſi caſu fortuito apud mutuatarium perierit, eſt reddenda: & talis contractus æquipollet huic, ſcilicet, accipe mutuò mille, vt eadem cum lucro reddas. Vnde vt contractus ſocietatis ſit licitus, debet pecunia cum lucro & damno exponi, ita vt damnum & lucrum ſit commune, vt habetur *in l. ſi non fuerint*, §. *Ariſtot. ff. pro ſocio.* vbi Iuriſconſultus Leoninam ſocietatem appellat, cùm ſocij ita conueniunt, vt alter lucrum tantùm & alter damnum ſentiat. Ita tradunt

D. Thom. Nauarrus. Sotus. Couar. Conrad. D. Antonin. Azorius. Angelus. Syluester. Armilla. D. Thomas 2.2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 5. Nauarrus *cap.* 17. *num.* 252. Sotus *lib.* 6. *de iuſtit. quæſt.* 6. *art.* 2. *ad* 3. Couarruuias *lib.* 3. *variar. cap.* 2. *num.* 3. Conradus *de contract. quæſt.* 97. D. Antoninus *p.* 2. *tit.* 7. *c.* 7. §. 37. Azorius *part.* 3. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæſt.* 5. Angelus, Syluester, Armilla *verb. Societas*, & communis. Ratio autem, ob quam lucrum ex pecunia in ſocietate poſita accipi poteſt, & non ex mutuata, eſt, quia dominium rei mutuatæ transfertur in eum, cui mutuat. Vnde ille, cui pecunia mutuatur, ſub ſuo periculo tenetur eam reſtituere integrè. Vnde non debet amplius exigere ille, qui mutuauit. Sed ille, qui committit pecuniam ſuam vel mercatori, vel artifici per modum ſocietatis, non transfert dominium pecuniæ ſuæ in illum, ſed remanet eius: ita quòd cum periculo ipſius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur; & ideo ſit licitè poteſt partem lucri inde prouenientis expetere tanquam

D. Thom. de re ſua. Ita D. Thomas *loco citato.*

8. Quando in ſocietate non fuit expreſſum, an apponens pecuniam vellet eam facere communem cum ſocio; vel an vellet tantummodo lucrum ad damnum facere commune, ſtandum eſt conſuetudini regionis, vel locorum, vel etiam negotiorum: nam contractus cenſetur celebratus iuxta conſuetudinem vſu receptam, quando aliud non fuit expreſſum. Ita Syluester *v. Societas* 1. *q.* 6. Angelus *eodem verb.* §. 10. Rebellus *part.* 2. *de obligat. c.* 15. *quæſt.* 2. & alij, quibus adde Molinam *diſp.* 416. Azorium *loco cit. cap.* 3.

Syluæſter. Angelus. Rebellus. Molina. Azorius.

Si autem nec de conſuetudine conſtet, nec coniecturæ ſint voluerit nè apponens pecuniam, contrahere ſocietatem tantùm in lucro, & non in ſorte, non conueniunt Doctores. Quidam enim tenent eſſe iure ipſo communi communicatam, & ita dimidiam partem ſocio deberi, qui operam ſuam, vel induſtriam collocauit. Ita Couarruuias *lib.* 3. *variar.* Couar. *cap.* 2. *num.* 2. Conradus *de contract. quæſt.* 93. & Conrad. alij. Tamen contrarium ſuſtinent D. Thomas 2.2. D. Thom. *quæſt.* 78. *art.* 2. *ad* 5. Sotus *lib.* 6. *q.* 6. *art.* 1. *ad* 1. Sotus. Caietanus *in Summ. verb. Mercimonialis ſocietas*, Caietan. Syluester, Angelus *locis citatis*, totam, nempe, prin- Syluester. cipalem pecuniam, ſi integra permaneat, ad eum Angelus. iure ipſo communi pertinere, qui eam in ſocietatem contulit, nec præſumi voluiſſe apponentem eam in commune conferre. Et hoc videtur definitum à Sixto V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, Sixtus V. *Deteſtabilis auaritiæ*, vbi decernitur, ſortem finita ſocietate, ſi reſtat, eſſe reddendam ei, qui in commune contulit, niſi fuerit cum ſocio communicata, aut aliter inter eos conuentum. Ratio eſt, quia pretium operæ & induſtriæ ſocij intelligitur correſpondere vſui pecuniæ, & non proprietati, ſicut quando ex vna parte ponitur pecus in ſocietatem & ex alia paſtoris opera, ſola damna vel lucra ſunt communia, non autem ipſum pecus. Tum quia ex natura contractus iſtud citra vllam iniuſtitiam fit; quia ſicut finita ſocietate apponens operam & induſtriam, vbi nullum eſt lucrum, illas perdit, ita quoque & dominus pecuniæ, vbi nullum contingit lucrum, perdit ſimiliter fructus ſuæ pecuniæ. Ita etiam Bonacina *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 6. Bonacina. *punct.* 3. *num.* 12. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *c.* 24. Trullench. *dub.* 3. *num.* 4.

9. In contractu trium contractuum, ſocietatis, aſſecurationis ſortis, & venditionis lucri incerti maioris pro minore certo, de quo egimus *tom.* 1. *verb. Societas, num.* 4. vt adſit iuſtitia, non requiritur, vt hi contractus formaliter & expreſsè fiant: ſiue enim cum eodem fiant formaliter & expreſsè per diuerſos contractus ſeorſim celebratos, ſiue per vnum, in quo illi æquiualenter & implicitè contineantur, adeſt iuſtitia, modò ſeruetur æqualitas. Vt ſi quis hoc modo cum mercatore contraheret: Confero centum ad ſocietatem, vt quotannis ſoluas quinque, vel ſex, ſalua ſorte, eò modo, quo Doctores docent eſſe licitum; hic implicitè tres prædictos cum eo contractus inire cenſetur, etiamſi aliàs ignoret rationem, ob quam id eſt licitum. Ita Nauarrus *in Man. cap.* 17. *num.* 255. Nauarrus. *& ſequent.* Toletus *lib.* 5. *cap.* 41. *num.* 3. Trullench Toletus. *loco cit. dub.* 2. *num.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 31. Trullench. & alij moderni. Leſſius.

Tamen vt ſecuriùs in hoc contractu procedatur, quinque conditiones debent concurrere. *Prima* eſt, vt ceſſante omni fraude, & ſimulatione coram Deo formaliter, aut æquiualenter illi tres contractus verè fiant, vel pro factis habeantur. *Secunda*, ne vllum inde generetur ſcandalum, vel iuſta ſuſpicio mutui vſurarij ſub colore & ſpecie ſocietatis. *Tertia*, vt accipiens pecuniam non poſſit illa pro ſuo arbitratu vti, ſed teneatur neceſſariò cum illa negotiari; quia aliàs non ex negotiatione, ſed ex mutuo lucrum ſuæ pecuniæ reportaret, quod eſt illicitum. *Quarta*, vt qui deponit pecuniam, non multum, ſed perexiguum lucrum petat; olim erant quatuor pro centenario, nunc ſunt quinque vel ſex ad ſummum. *Quinta*, vt duo vltimi contractus, ſcilicet aſſecurationis, & redemptionis lucri certi pro incerto fiant liberè & propria ſponte vtriuſque contrahentis. Sed quia hæ conditiones parum attenduntur, plena eſt periculis talis ſocietas.

Lopez. Leſſius. Trullench. Ita Ludouicus Lopez *part.2. inſtruct. cap.72.* Aduertunt tamen Leſſius *loco cit. num.* 32. Trullench *loco citato* circa tertiam conditionem, quod ſi dans pecuniam bona fide dediſſet, putans alterum velle ea vti ad negotiationem, poſſet exigere pretium conuentum; quia contractum ex parte ſua bonâ fide impleuit; ac proinde poteſt alterum cogere vt etiam impleat, aut ſoluat quanti ſua intererat ipſum pacta conuenta præſtitiſſe.

10. In ſocietate omnium bonorum tam præſentium, quàm futurorum, & in ſocietate omnis lucri, diſtribuenda ſunt omnia bona, quæ tunc extant, per æquas partes; tum etiam omne lucrum, ſimiliter & damna, ſiue expenſæ, non habita ratione, an qui plus, vel minus poſuerit, aut plus minúſve lucratus fuerit, ſed omnia communicantur & æqualiter diuiduntur, & expenſæ omnes fiunt ex bonis communibus, modò non proueniant ex delicto & culpa ſocij. Ita Couarruuias 3. *variat. cap. 2. num.* 3. Molina *loco cit. diſp.* 421. Salon *de ſocietate, art.* 4. & alij communiter. Couar. Molina. Salon.

Ex quo infertur quòd in hac ſocietate communicantur, quæcumque ex qualibet cauſa acquirantur, videlicet ex labore, opera, induſtria, negotiatione, donatione, legato, hæreditate, *l. Ea verò, ff. pro ſocio.* Item ſtipendia data militibus, *l. Qui ſtipendia, C. de procurat.* & quæcumque obueniunt ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi, *l. Si Fratres, §. Idem Papinianus, ff. pro ſocio.* & generatim quidquid licitè comparatur ex quolibet iure, titulo, vel cauſa. Item omnia debita contracta, lucra, damna & impenſæ, etiamſi fuerint ex condemnatione per iniuriam iudicis facta. Secus verò eſt, ſi fuerint ex iuſta iudicis ſententia ob delictum proprium. *l. Si Fratres, §. ſocium, ff. pro ſocio.* At non communicatur ſi aliquid acquiſitum fuerit ex cauſis, iure vel lege prohibitis; puta ex furto, homicidio, adulterio, periurio, ex *l. Quod autem. ff. pro ſocio.*

Porrò nomine ſocietatis ſimpliciter voeatur illa, quæ in omni quæſtu conſiſtit, quæ niſi fuerit expreſsè conuentum, vt ſit omnium bonorum, intelligitur contracta, vt ſit vniuerſorum, quæ veniunt ex quæſtu, hoc eſt, ſi quid lucri ex emptione, venditione, locatione, conductione deſcendit, *l. Coire, ff. pro ſocio.* Quæſtus verò intelligitur, qui ex opera, artificio, induſtria, cura vel diligentia cuiuſque prouenit. *l. Quæſtus ff. pro ſocio.* Proinde in tali ſocietate non communicatur hæreditas, legatum, vel ſi quid donatum eſt; quia hæc veniunt ex charitate, liberalitate, vel alia cauſa, non ex quæſtu, *l. Nec adiecit, ff. pro ſocio.* Tamen æs alienum quod eſt debitum ex quæſtu, non aliunde, communicatur, *l. Sed nec æs alienum, ff. pro ſocio.*

11. Inter fratres cenſetur contracta ſocietas quæſtus eo ipſo quod habent patrimonium indiuiſum & vterque negotiatur. Bartolus *in l. Si patronus, C. Communia vtriuſque iud.* Sic etiam ſi in commune conferant omnia munera dona, & ſtipendia. Si item vnus ex fratribus, licet non negotietur, tamen omnia communicat cum alio fratre negotiante, cenſetur contrahere cum eo ſocietatem. Bonorum tamen omnium ſocietatem non contrahunt, niſi exprimant: ex eo enim quòd bona ſibi obuenientia conferant in communi, non cenſentur inire ſocietatem niſi quæſtus. Item, ſi frater minor res ſuas communi nomine adminiſtrat, ita vt alter maior ratum habeat quod ipſe facit, cenſetur inter eos contracta ſocietas, ideoque tenetur frater minor de dolo, culpa lata & leui. Nota tamen, non hoc ipſo quòd fratres de communi menſa viuunt & commune patrimonium habent, cenſentur contrahere ſocietatem, ſed debent præterea id verbis vel aliis factis ſignificare: quia illa indifferentia ſunt ad contrahendam vel non contrahendam ſocietatem. Ita Azorius *part. 3. lib. 9. cap. 19. q. 1. 2. 3. & 7.* Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 6. punct. 7. n. 1. & 2.* Filliucius *tract. 38. cap. 7. q. 6.* & alij. Bartolus. Azorius. Bonacina. Filliucius.

12. Frater habens cum fratre hæreditatem vel patrimonium indiuiſum, non tenetur cum eo communicare omne lucrum ſibi obueniens ex publici officij adminiſtratione: nam inter ipſos non eſt contracta ſocietas omnium bonorum, & proinde lucra, quæ ex publicorum munerum adminiſtratione deſcendunt, communicanda non ſunt, cùm ex quæſtu non veniant. Ita Sylueſt. *v. Peculium 2. q. 20.* Azorius *loco cit. q. 4.* & alij apud Sylueſtrum. Sylueſter. Azorius.

Si autem frater contracta cum altero fratre ſocietate ſimpliciter, impendit bona ſua caſtrenſia, vel quaſi, in communem vtilitatem, poteſt illa repetere pro rata, modò illas expenſas non fecerit animo donandi, ſeu gratis. Ratio eſt, quia vtiliter geſſit negotium aliorum fratrum: ergo par eſt, vt alij fratres ſentiant onus reſtitutionis pro rata. Ita Sylueſter *loco cit.* Azorius *loco cit. quæſt. 5.* vnde ſi frater ex bonis communibus filiam ſuam dotauerit, eam dotem debet in ſuam partem computare. Plura de hac ſocietate inter fratres videri poſſunt apud Azorium & Bonacinam *locis citatis.* Sylueſter. Azorius.

13. Societas ſimpliciter diſſoluitur & finitur quatuor modis. *Primò*, morte naturali cuiuſuis ex ſociis, *l. Verum. §. final. ff. pro ſocio.* nam regulariter ſocietas non tranſit ad hæredes, & pactum adiectum vt ad eos tranſeat, eſt nullũ; quia in ſocietate eligitur induſtria perſonæ: ignoratur autem qualis futura ſit induſtria hæredis. Aliquando tamen ſocietas tranſit ad hæredes, puta, ſi ſit appoſitum pactum, vt ſi ſocietas eſſet circa vectigalia, vel alias res publicas conductas: tunc enim ſocietas tranſit ad hæredem, modò hæres ſit idoneus, *l. Adeo*, & *l. Verum, §. in hæredem. ff. pro ſocio.* Item, quando ſocietas in morte ſocij intempeſtiuè finiretur, id eſt, cum præiudicio rerum, vel hæredum, ſeu quoad negotia cœpta. Item, quando ſocietati contractæ cum pacto vt ad hæredes tranſeat, adderetur ab omnibus ſociis iuramentum.

Secundò, diſſoluitur ſocietas morte ciuili alicuius ſociorum per exilium, quod ciuilis mors cenſetur; aut etiam per profeſſionem ſolemnem, & vniuerſaliter finitur ſocietas, cùm alicui ex ſociis omnia bona confiſcantur, *l. Verum, §. vltim. ff. pro ſocio.*

Tertiò, finitur ſocietas ceſſione bonorum factâ ab aliquo ſociorum, *l. Actiones, ff. pro ſocio.* Idem dicendum eſt, quando pecunia in ſocietate collata perempta eſt: vel quando alter promiſit operam, ſed illam præſtare non poteſt ob morbum, &c.

Quartò, finito tempore ad ſocietatem conſtituto, aut finita negotiatione. Denique finitur per renunciationem, id eſt, per voluntatem & conſenſum mutuum ſociorum; non requiritur tamen expreſſa renunciatio, ſed ſufficit tacita, quæ contingit, quando quiſque ſociorum incipit ſeparatim negotiari in proprium commodum, *§. Itaque cùm ſeparatim, ff. pro ſocio.*

De quibus plura apud Molinam *de iuſt. tract. 2. diſp. 414.* Azorium *p. 3. lib. 9. cap. 6.* Bonacinam *de contract. diſp. 3. q. 6. punct. vlt.* Filliucium *tract. 38. cap. 2. q. 7.* & alios. Molina. Azorius. Bonacina. Filliucius.

De ſocietate Officiorum Romanæ Curiæ tractant Bonacina *loco citato quæſt. 6. punct. 6.* Filliucius *tract. 38. cap. 6.* & latè Azorius *loco citato lib. 9. cap. 8. & ſequentibus.* Sed nobis hæc ſufficiant de Societate.

SOLVTIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Sortes Homericæ, Sortes Virgilianæ, Sortes Biblicæ, Sortes Sanctorum.

Sortes Homericæ dicebantur illæ, quæ ex Homeri versibus petebantur. Ejusmodi Sortes Homericas memorat Spartianus in Hadriano, cap. 2. Sortes Homericas, quibus de futuris rebus ex Homeri versibus ducebantur auguria, ita ut ex quo quisque versu primum in Homero legisset, ex eo futura sibi omnia prædicta putaret, ut Virgilianas Sortes Hadrianus fecit, ut Nigrinus refert, qui ejus vitam scripsit. Sortes Virgilianæ dicebantur illæ, quæ ex Virgilii versibus petebantur. Ejusmodi Sortes Virgilianas memorat Spartianus in Hadriano, cap. 2. Sortes Homericas, quibus de futuris rebus ex Homeri versibus ducebantur auguria, ita ut ex quo quisque versu primum in Homero legisset, ex eo futura sibi omnia prædicta putaret, ut Virgilianas Sortes Hadrianus fecit, ut Nigrinus refert, qui ejus vitam scripsit. Sortes Biblicæ dicebantur illæ, quæ ex Bibliis petebantur. Ejusmodi Sortes Biblicas memorat Augustinus in Psalmum 30. Enarrationis 2. Sortes Biblicas, quas vocant, ubi quisque aperto libro primum locum oculis subjecerit, ibi sibi putat divinum aliquid inveniri oportere. Sortes Sanctorum dicebantur illæ, quæ ex Sanctorum Scriptis petebantur. Ejusmodi Sortes Sanctorum memorat Augustinus in Psalmum 30. Enarrationis 2. Sortes Sanctorum, quas vocant, ubi quisque aperto libro primum locum oculis subjecerit, ibi sibi putat divinum aliquid inveniri oportere.

Sortes Homericæ, Sortes Virgilianæ, Sortes Biblicæ, Sortes Sanctorum.

Sortes Homericæ dicebantur illæ, quæ ex Homeri versibus petebantur. Ejusmodi Sortes Homericas memorat Spartianus in Hadriano, cap. 2. Sortes Homericas, quibus de futuris rebus ex Homeri versibus ducebantur auguria, ita ut ex quo quisque versu primum in Homero legisset, ex eo futura sibi omnia prædicta putaret, ut Virgilianas Sortes Hadrianus fecit, ut Nigrinus refert, qui ejus vitam scripsit. Sortes Virgilianæ dicebantur illæ, quæ ex Virgilii versibus petebantur. Ejusmodi Sortes Virgilianas memorat Spartianus in Hadriano, cap. 2. Sortes Homericas, quibus de futuris rebus ex Homeri versibus ducebantur auguria, ita ut ex quo quisque versu primum in Homero legisset, ex eo futura sibi omnia prædicta putaret, ut Virgilianas Sortes Hadrianus fecit, ut Nigrinus refert, qui ejus vitam scripsit. Sortes Biblicæ dicebantur illæ, quæ ex Bibliis petebantur. Ejusmodi Sortes Biblicas memorat Augustinus in Psalmum 30. Enarrationis 2. Sortes Biblicas, quas vocant, ubi quisque aperto libro primum locum oculis subjecerit, ibi sibi putat divinum aliquid inveniri oportere. Sortes Sanctorum dicebantur illæ, quæ ex Sanctorum Scriptis petebantur. Ejusmodi Sortes Sanctorum memorat Augustinus in Psalmum 30. Enarrationis 2. Sortes Sanctorum, quas vocant, ubi quisque aperto libro primum locum oculis subjecerit, ibi sibi putat divinum aliquid inveniri oportere.

Sortes Homericæ, Sortes Virgilianæ, Sortes Biblicæ, Sortes Sanctorum.

Sortes Homericæ dicebantur illæ, quæ ex Homeri versibus petebantur. Ejusmodi Sortes Homericas memorat Spartianus in Hadriano, cap. 2. Sortes Homericas, quibus de futuris rebus ex Homeri versibus ducebantur auguria, ita ut ex quo quisque versu primum in Homero legisset, ex eo futura sibi omnia prædicta putaret, ut Virgilianas Sortes Hadrianus fecit, ut Nigrinus refert, qui ejus vitam scripsit. Sortes Virgilianæ dicebantur illæ, quæ ex Virgilii versibus petebantur. Ejusmodi Sortes Virgilianas memorat Spartianus in Hadriano, cap. 2. Sortes Homericas, quibus de futuris rebus ex Homeri versibus ducebantur auguria, ita ut ex quo quisque versu primum in Homero legisset, ex eo futura sibi omnia prædicta putaret, ut Virgilianas Sortes Hadrianus fecit, ut Nigrinus refert, qui ejus vitam scripsit. Sortes Biblicæ dicebantur illæ, quæ ex Bibliis petebantur. Ejusmodi Sortes Biblicas memorat Augustinus in Psalmum 30. Enarrationis 2. Sortes Biblicas, quas vocant, ubi quisque aperto libro primum locum oculis subjecerit, ibi sibi putat divinum aliquid inveniri oportere. Sortes Sanctorum dicebantur illæ, quæ ex Sanctorum Scriptis petebantur. Ejusmodi Sortes Sanctorum memorat Augustinus in Psalmum 30. Enarrationis 2. Sortes Sanctorum, quas vocant, ubi quisque aperto libro primum locum oculis subjecerit, ibi sibi putat divinum aliquid inveniri oportere.

Author. Spes Theologica, Sive Tractatus Theologicus, De Spe Christiana, Ejusque Virtutibus, Et Vitiis Contrariis. Auctore Reverendo Patre Fratre Joanne Baptista Scaramelli, Societatis Jesu. Editio Novissima, Ab Auctore Recognita, Et Aucta.

Publication. Venetiis, Apud Nicolaum Pezzana. MDCCXXXVI.

Collation. 8°. pp. [16] 1–[16] 17–[16] 33–[16] 49–[16] 65–[16] 81–[16] 97–[16] 113–[16] 129–[16] 145–[16] 161–[16] 177–[16] 193–[16] 209–[16] 225–[16] 241–[16] 257–[16] 273–[16] 289–[16] 305–[16] 321–[16] 337–[16] 353–[16] 369–[16] 385–[16] 401–[16] 417–[16] 433–[16] 449–[16] 465–[16] 481–[16] 497–[16] 513–[16] 529–[16] 545–[16] 561–[16] 577–[16] 593–[16] 609–[16] 625–[16]

inter ſe, videlicet vt fides origine & cauſa ſit ſpe prior & anterior; nam non poteſt voluntas ſperare bonum niſi vt cognitum per intellectum, tanquam bonum poſſibile, & per merita, diuino ſuppoſito auxilio aſſequendum, ad quam cognitionem præ-requiritur fides. Speramus enim bona nobis promiſſa, & noſtris benefactis reddenda; fide verò credimus talia bona eſſe, & nobis à Diuina bonitate gratuitò & liberaliter promiſſa, & ab ea nobis bene merentibus conferenda. Vnde actus fidei poteſt eſſe ſine ſpe, non verò è contra. Præterea ſpes origine & cauſa prior eſt charitate: quia priùs Deum vt bonum nobis optamus; deinde verò eum propter ipſum diligimus: nec refert, quòd fides, ſpes & charitas ſimul aliquando in animam à Deo infundantur. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 17. *art.* 6. 7. & 8. Syluius *ibidem* & alij commentatores, Suarez *loco citato, ſectione.* 3. Caſtrus Palaus *de virtute ſpei tractat.* 5. *punct.* 1.

D. Thom. Syluius. Suarez. Palaus.

3. Spes, quæ eſt virtus Theologica, non manet in Beatis; tum quia iam ea, quæ deſiderabant, plenè poſſident: tum quia de ratione ſpei eſt, quod ſit in ea quæ nondum habentur extenſio, vt ſignificauit Apoſtolus ad *Roman.* 8. dicens, quod *ſpes quæ videtur, non eſt ſpes*, hoc eſt, quod res quæ iam præſens habetur, non habet rationem rei ſperatæ; ideoque nec amplius ſperatur. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 18. *art.* 2. communiter receptus, Scotus, D. Bonaeuentura *in* 3. *diſtinct.* 31.

D. Thom. Scotus. D. Bonau.

Nec refert, quòd Beati adhuc ſibi exſpectent corporum reſurrectionem & nobis ſummam beatitudinem. Reſpondet D. Thomas *loco citato ad* 3. & 4. huiuſmodi actum non eſſe ſpei, ſed charitatis, quo & ſua corpora, & non ipſos amant. Eodem modo Chriſtus Dominus dum in terris agebat, ſui corporis gloriam exoptabat; nec tamen erat in eo ſpes, virtus nempe Theologica, vt docet D. Thomas *p.* 3. *quæſt.* 7. *art.* 4. quamuis enim Chriſtus habuerit aliquarum rerum ſpem ſecundùm communem rationem ſpei, quæ eſt expectatio boni non habiti, nullius tamen rei habuit ſpem Theologicam: quia quædam bona non habebat, veluti corporis gloriam & immortalitatem, nominis celebritatem, & quædam alia: nihil autem cognoſcebat obſcurè, ſed omnia clarè, & propterea non habebat fidem, reſpectu alicuius obiecti.

D. Thom. D. Thom.

4. Spes in damnatis apud inferos non reperitur. Ratio eſt, quia in illis ſpei actus per contrarium extinguitur & deletur: deſperant enim beatitudinem, certi omninò de ſua infelicitate perpetua. Vnde in eis deſinit fides & ſpes, vt ſunt habitus & virtutes: quia Deus eas non amplius conſeruat, & à conſeruando deſiſtit, quia eas in hac vita infundit, vt earum præſidio credamus & ſperemus æterna bona, quæ poſſumus per Dei gratiam aſſequi. Probatur inſuper ex Scriptura: nam Prouerb. 11. dicitur, quòd *mortuo homine impio nulla erit vltrà ſpes*, neque ſcilicet gratiæ, neque gloriæ, neque voluptatum, aut aliorum bonorum in quibus antè confidebat. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 18. *art.* 3. Syluius *ibidem*, & communis.

D. Thom. Syluius.

In hæreticis verò ſpes non manet: quia ſine vera fide non ſubſiſtit ſpes; vnde ſublato fundamento cetera euelluntur: fides autem quæ eſt fundamentum ſpei, non remanet in illis. Nam vt aliquis habeat ſpem Theologicam, oportet quod innitatur auxilio Dei, & mediis ad finem ſperatum proportionatis. Hæreticus verò nō innititur veris mediis, ſed ſuæ hæreſi. Tum qui Apoſtolus docet ad Hebr. 11. *Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum*, id eſt fundamentum ſpei: at in hæreticis non eſt fides: ergo nec ſpes. Ita Syluius 2. 2. *q.* 18. *art.* 3. *quæſit.* 2. *concl.* 2. Trullench *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 1. *num.* 6. Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 1. *quæſt.* 11. & communis.

Syluius. Trullench. Azorius.

Spes etiam per deſperationem hominis excluditur, eiicitur & tollitur: quia per eam tanquam per actum contrarium expellitur: ſicut videtur tolli per eam præſumptionē quâ quis præſumit veniam & beatitudinem conſequi, aut ſolis ſuis viribus, aut ſola miſericordia abſque vllis bonis, etiam quæ per Dei gratiam fierent, operibus: quia talis actus videtur deſtruere modum tradendi in obiectum ſpei, qui eſt vt beatitudo & æternæ vitæ bona expectentur per auxilium gratiæ Dei, & per merita quæ in nobis operatur Deus. Ita Azorius *loco citato quæſit.* 13. *& cap.* 2 *quæſit.* 7. Syluius 2. 2. *q.* 21. *a.* 2. *quæſit.* 2. *concl.* 3. & alij.

Azorius. Syluius.

5. Manet autem ſpes in peccatoribus fidelibus, qui gratiam per peccatum amiſerunt; nō deſperant tamen, neque præſumunt, ſolis ſuis viribus veniam aut gloriam conſequi, vel ſola Dei miſericordia abſque vllis bonis operibus. Ratio eſt, quia certum eſt quod ſicut fides non perditur per quodlibet peccatum mortale, ita nec ſpes. Nam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. *& can.* 3 *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ſpem agnoſcit, imò requirit in peccatoribus, qui ad iuſtificationem ſe diſponunt, & ſpes, quæ charitate caret, quæ informis à Theologis vocatur, eſt ſpeciale Dei donum, quo efficitur, vt quemadmodum nemo abſque ſpeciali Dei auxilio, quod voluntatem præuenit, excitat, mouet & adiuuat, credere poteſt; ſic etiam per ſolas naturæ vires ſperare nequeamus, quæ ſunt nobis diuinitùs promiſſa, niſi gratuito Dei munere excitati, moti & adiuti. Quod clarè ſignificat Concil. Tridentinum *ſeſſ.* 6. *can.* 3. & Arauſicanum *cap.* 6.

Conc. Trid. Conc. Arauſ.

Permanet etiam ſpes in iis, qui poſt obitum ignis purgatorij pœnas ſuſtinent, donec plenè mūdati in cœleſtem hæreditatem admittantur. Ratio eſt, quia apprehendunt beatitudinem vt bonum futurum, poſſibile & arduum. Tum quia ſpes non euacuatur in iis qui iuſtitiam retinent, niſi per hoc quod actu habeant id quod ſperauerunt. Cùm ergo illi qui ſunt in purgatorio, iuſtitiam retineant, nec tamen actu habeant beatitudinem, quam ſperauerunt, dicendum eſt quod ſpes, quam in hac vita habuerunt, non eſt euacuata. Ita de vtr ſque docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 18. *art.* 3. *in corpor.* communiter receptus.

D. Thom.

6. Ex variis Scripturæ locis & communi Theologorum ſententia certum eſt de fide dari præceptum affirmatiuum ſpei. Et id colligunt Doctores ex Pſalm. 4 *Sperate in Domino.* Pſalm. 16. *Qui ſaluos facis ſperantes in te.* Et 1. ad Timoth. 6. *Præcipe non ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo.* Et ad Titum 2. *Expectantes beatam ſpem*, & ex aliis multis. Ratio eſt, quia omnis actus ad ſalutem nobis neceſſarius poſitus eſt ſub præcepto: ſed ſperare in Deo, eſt actus ad ſalutem neceſſarius, iuxta illud ad Roman. 8. *Spe ſalui facti ſumus*: ergo actus ſpei cadit ſub præcepto. Proinde Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. agens de modo præparationis ad iuſtificationem, docet: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuinâ gratiâ & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitùs reuelata & promiſſa ſunt; atque illud in primis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.* Vbi vides quòd ſpes conſtituitur

Conc. Trid.

tur diſpoſitio neceſſaria ad iuſtificationem. & conſequenter ad vitam æternam, quæ ſine iuſtificatione non obtinetur. Vide Syluium 2. 2. *quæſt.* 22. *art.* 1. & alios ibi.

Syluius.

7. Dubium graue eſt inter Theologos, an ſi alicui reuelaretur ſua damnatio, debeat, aut poſſit adhuc ſperare, & an peccet deſperando? Antequam ad dubium reſpondeatur, notandum eſt. Deum de potentia abſoluta poſſe alicui reuelare ſuam damnationem; quia hoc non includit nec inuoluit vllam contradictionem, neque malitiam, & poſſunt eſſe Deo rationes id faciendi quas nos neſcimus. Quo poſito, Ad quæſitũ reſpondet Azorius *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 21. *quæſt.* 3. hunc hominem poſſe & teneri ſperare. Bañez 2. 2. *quæſt.* 22. *a.* 1. *verſ. Dubitatur tertiò.* Suarez *de ſpe diſp.* 2. *ſect.* 7. ſentiunt poſſe deſperare negatiuè, id eſt, non teneri ſperare, non verò poſſe poſitiuè deſperare. Bonacina autem *tom.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 3. *punct.* 2. *n.* 4. Turrianus 2. 2. *queſt.* 22. *art.* 1. *dub.* 2. & alij abſolutè tenent, nec debere, nec poſſe ſperare, & poſſe ſine mortali deſperare: quia poſita tali reuelatione, neceſſitate quadam conſequente aſſecutio beatitudinis facta eſt illi impoſſibilis: quia deſtructa eſſet formalis ratio obiecti ſpei, quæ eſt beatitudo vt poſſibilis, & aliquando futura. Quorum ſententiæ adhæret Syluius 2. 2. *quæſt.* 20. *a.* 1. *verſ. Quæritur autem.* Omnes hæ ſententiæ ſunt probabiles.

Azorius. Bañez. Suarez. Bonacina. Turrianus. Syluius.

Pro concluſione tamen mihi dicendum eſt cum communiori ſententia, hunc non poſſe, nec debere ſperare; quia in tali caſu & poſitis illis conditionibus tali homini eſt impoſſibile ſperare: non poſſe tamen propriè & poſitiuè deſperare de miſericordia Dei: quia non neceſſitatur propriè ad deſperandum: ergo poteſt non elicere talem actum; & cum ille actus deſperationis nullam habeat honeſtatem, inde fit vt non poſſit propriè deſperare; & quamuis debeat credere, ſe fore damnandum, ſimul tamen credere debet, non ex defectu miſericordiæ diuinæ, ſed ex ſuo defectu fore damnandum; ergo non poſſet propriè diſperare de Deo; licet poſſet ſe habere merè negatiuè non ſperando. Tamen ille nihilominus deberet euitare omnia peccata, & ſingula præcepta, præterquam ſpei, ſeruare: quia ſicut præſcientia non imponit neceſſitatem, ita nec reuelatio. Ceterum quamuis abſolutè & ſimpliciter poſſit alicui ſuam condemnationem reuelare, nihilominus tamen hæ reuelationes ſunt conditionales & comminatoriæ, & ſic regulariter ſunt intelligendæ, quod eſt magis conſentaneum prouidentiæ & Sapientiæ Dei, vt notant D. Thomas *q.* 23. *de verit. art.* 8. *ad* 2. & poſt illum Suarez, Turrianus, Syluius, *locis citatis.*

D. Thom. Suarez. Turrianus. Syluius.

8. Tribus modis peccatur contra præceptum ſpei. *Primò* non ſperando, quando oportet. *Secundò* deſperando. *Tertiò* præſumendo. Probatur, quia quodlibet præceptum duobus modis poteſt violari, vel omittendo quod præcipit, vel committendo quod fieri vetat. Commiſſio autem dupliciter fit, aut excedendo medium virtutis quæ præcipitur, aut deficiendo à medio. Vnde fit vt contra ſpem peccetur, *Primò* non ſperando quando præceptum vrget. *Secundò* excedendo ſpem per præſumptionem. *Tertiò* deficiendo à ſpe per deſperationem. Ita communiter Doctores, poſt D. Thomam *ſecunda ſecundæ quæſt.* 20. & 21.

D. Thom.

9. Deſperatio eſt motus quidam appetitus ſenſitiui auertentis ſe à bono propter impoſſibilitatem, aut nimiam difficultatem: hic autem ſumitur pro motu voluntatis repudiantis ſummum ſuum bonum, præſuppoſito iudicio, quod illud de facto non obtinebit. Proinde deſperare eſt nolle ampliùs conari ad obtinendam cœleſtem beatitudinem, eò quòd exiſtimetur impoſſibilis, aut certè nimis difficilis, vt non putetur obuentura.

Explicatur & probatur: Spes enim & deſperatio verſantur circa bonum abſens, arduum, poſſibile, hæc refugiendo, illa proſequendo. Sicut igitur ſpes Theologica eſt tendentia quædam voluntatis in vltimum finem per media accommodata, ſuppoſito iudicio, quòd illum probabiliter obtinebit, ita deſperatio huic contraria, eſt fuga quædam à ſummo bono, & mediis ad id obtinendum neceſſariis, cum opinione quadam, illud de facto non obuenturum. Quemadmodum igitur ſpei fundamentum eſt hoc iudicium, Ego veriſimiliter ſaluabor, atque adeò infallibiliter ſaluabor, ſi gratiæ Dei fuero cooperatus; ita deſperationis cauſa & fundamentum eſt hoc iudicium; Impoſſibile eſt me ſaluari, vel certè nimis difficile, vt non putem euenturum. Poſito tamen tali iudicio intellectus, nõ neceſſariò ſequitur deſperatio in voluntate, quia voluntas non neceſſitatur à tali iudicio: atque ita manet libera & non neceſſariò deſperat: vnde licet aliquis iudicaret ſe non ſaluandum à Deo, poſſet nihilominus dicere: Nolo deſperare; ſed faciam quod poſſum. Hæc colliguntur ex doctrina D. Thomæ *ſecunda ſecundæ, quæſtione vigeſima, articulo* 1. & Doctorum in hunc articulum.

D. Thom.

10. Deſperatio eſt peccatum. Ratio eſt, quia complectitur duos motus inordinatos; vnum intellectus, nempe imprudens iudicium, de impoſſibilitate, aut difficultate ſalutis; alterum voluntatis, videlicet, auerſionem à ſummo bono, & mediis ad illud obtinendum accommodatis. Ita D. Thomas *loco citat. art.* 1. & alij communiter.

An autem ſemper ſit peccatum? Reſp. ſemper eſſe, ſi ſpectemus legem ordinariam Dei: nam ſi extra ordinem alicui reuelaretur ſua damnatio, aut peccatum in quod eſſet lapſurus & moriturus, diximus *ſuprà num.* 7. an hic poſſet licitè deſperare. Sed quoniam hæc non fiunt, aut ſi fiant, credendum eſt potiùs eſſe prophetias comminatorias & conditionatas, quàm abſolutam prædictionẽ; proinde tales, qui huiuſmodi deſperationibus aliquando agitantur, admonendi ſunt, vt ſequantur cõſiliũ D. Petri in Epiſtol. 2. cap. 1. ***Fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.***

11. Deſperatio, quæ oritur ex infidelitate, eſt grauiſſimum omnium peccatorum, excepto odio Dei. Probatur, quia excellentiſſima virtus viatoris præter charitatem, eſt ſpes æternæ beatitudinis: ergo vitium directè & completè oppoſitum eſt maximum vitiorum, eo excepto, quod charitati aduerſatur. Maximum enim omnium peccatorum eſt odium Dei; ſecundum hæreſis; & tertium deſperatio. Ratio eſt, quia odium Dei, & infidelitas ſunt contra Deum, ſecundùm quod in ſe eſt bonus, aut verus; deſperatio verò ſecundùm quod eius bonum participatur à nobis. Hæc autem deſperatio ex parte noſtra eſt valde periculoſior: quia per ſpem reuocamur à malis, & inducimur ad bona; at ſublata ſpe, abſque fræno homines labuntur in vitia, & à bonis laboribus retrahuntur. Tum quia qui deſperant, omnibus vitiis ſeſe dedunt, vt ſaltem in hoc mundo poſſint gaudere & voluptatibus frui: nihil enim eſt quod eos auertat à malo, non timor, non amor, non præmia, non ſupplicia. Quod pulchrè expreſſit Apoſtolus ad Epheſios 4. ***Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impuditiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.*** Itaque ratione huius periculi, poſſet videri grauior infidelitate, tametſi, ſecundùm ſe

ſit

D. Thom. sit leuior. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 20. *articulo* 3. & alij.

12. Deſperatio ex genere ſuo grauius eſt peccatum quàm quoduis eorum quæ opponuntur virtutibus moralibus. Ratio eſt, quia directè illa auertit à Deo: ſicut enim ſpes tendit immediatè in Deum vt ſummum bonum, ita deſperatio directè recedit à Deo nolens ad illum conari. Itaque auerſio illa eſt directè volita in deſperatione; in vitijs autem contra virtutes morales, tantùm interpretatiuè cenſemur enim per illa à Deo auerti, quatenus volumus aliquid quod Deus prohibuit, vel nolumus quod imperauit. Eſt tamen deſperatio minus peccatum quàm infidelitas: quia qui deſperat ſine infidelitate, non infert tantam iniuriam Diuinæ Maieſtati, quàm qui labitur in infidelitatem: hic enim dum negat quæ Deus reuelauit & ſufficienter propoſuit, mendacem facit eum, iuxta illud 1. *Ioannis* 5. Ille verò non negat diuinam potentiam, aut miſericordiam aut promiſſionem, ſed difficultate rei deterritus, non vult conari & laborare ad aſſequendum ſuum finem. D. Thomas 2. 2. *q.* 20. *a.* 3.

D. Thom, Syluius. Syluius ibidem, & alij.

13. Deſperatio poteſt eſſe coniuncta cum hæreſi, & poteſt eſſe ſine hæreſi & infidelitate. D. Thomas *loco cit. a.* 2. & ibi Bañez, Valentia, Turrianus & communiter Doctores. Ratio eſt, quia poteſt contingere eum, qui errat in particulari iudicio practico, æſtimans quòd Deus non parcet, vel cum ad beatitudinem non perducet, non errare in vniuerſali, ac proinde non iudicare quod vel remiſſio peccatorum, vel æternæ ſalutis conſecutio ſit impoſſibilis; ſicut formicans non iudicat ſibi hanc fornicationem licere, quod eſſet hæreticum, ſed tantum illam amplectitur, tanquam iucundam, aut ad alios fines ſibi vtilem. Tunc autem deſperatio coniuncta eſt cum hæreſi, quando deſperans habet hoc iudicium illi aſſentiens: Deus non poteſt mihi parcere, aut non parcet, etiamſi me diſpoſuero vt decet, aut conſequi gratiam, aut gloriam eſt mihi impoſſibile: quia hæc iudicia ſunt contra fidem, aut proinde taliter deſperans eſt iudicandus hæreticus excommunicatus, & erit tunc duplex malitia ſpecie diſtincta, ac confitenda; altera hæreſis, altera deſperationis.

D. Thom. Bañez. Valentia. Turrianus.

Notandum tamen eſt, quòd in deſperante non eſt opus hoc iudicio, Deus mihi non poteſt parcere, aut non parcet, ſi me debitè diſpoſuero: ſed ſatis eſt hoc iudicium, Nunquam me diſponam, nunquam benè agam, nunquam mihi parcet Deus. Quæ iudicia cùm de ſolo facto ſint, non ſunt hæretica, vt benè aduertunt Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 33. *num.* 6. Toletus *lib.* 4. *Summ. cap.* 7. *num.* 9. Caſtrus Palaus *de virtute ſpei tract.* 5. *diſput. vnic. punct.* 5. & alij.

Sanchez. Palaus.

14. Deſperatio multas radices habet, ex quibus pullular. *Primò*, eſt acedia; quâ quis tædio rerum diuinarum affectus, nõ vult adhibere media à Deo præſcripta ad obtinendam ſalutem. *Secundò*, eſt imprudens iudicium, quòd non ſit de numero prædeſtinatorum, aut quod non conſequetur veniam peccatorum. Quod ſæpè ex melancholia & cerebri læſione contingit. *Tertiò*, eſt experientia frequentis lapſus, quando quis aduertit ſe crebrò cadere, & ægrè abſtinere à peccato. Vnde concipit tædium pugnandi aduerſus tentationes, aut ita ſe videt intricatum, vt putet quaſi impoſſibile ſe expedire: quod iis maximè contingit, qui diuitias, honores, magnos ſtatus illicitè acquiſiuerunt. *Quartò*, eſt magna aliqua aduerſitas temporalis, aut ſpiritualis, cuius magnitudine aliqui oppreſſi, aut manus violentas ſibi inferunt, aut alia quædam impia aggrediuntur. *Quintò*, ſunt voluptates carnis, quibus ſit, vt animus planè carnalis effectus, non poſſit æſtimare dignitatem rerum cœleſtium, & ſic nolit pro illis laborare. Has omnes cauſas & radices deſperationis reducit D. Thomas *q.* 20. *a.* 4. ad Acediam & Luxuriam.

D. Thom.

15. Præſumptio variè vſurpatur; nam aliquando refertur ad intellectum, aliquando ad voluntatem. Cùm refertur ad intellectum, ſignificat coniecturã vel iudicium de alicuius intentione aut facto, ex ſignis quibuſdam exterioribus. Cùm refertur ad voluntatem, ſignificat motum quendam appetitus rationalis, quo quis ſe extendit ad aliquid quod eſt ſupra ipſius poteſtatem: Poteſtas autem, aut iuris eſt, aut executionis. Cùm ergo aliquis extendit ſe vltra poteſtatem iuris, non erit vitium ſpeciale, ſed circumſtantia pertinens ad quendam contemptum legis, quam quis ſciens & volens ſine vi & metu tranſgreditur. Vnde ſunt illa in legibus Eccleſiaſticis, *Si quis hoc facere præſumpſerit*; *Ne quis audeat hoc attentare*, &c. Quod ſi quis ſe extendat vltra poteſtatem executiuam, erit aliud genus præſumptionis, quod in materia cuiuſuis virtutis locum habere poteſt: videtur enim propriè illud eſſe vitium, quod virtuti opponitur per exceſſum, v. g. cùm quis vult ſtrictiùs ieiunare, quàm vires ferant; maiora pericula aggredi, maiores honores appetere, &c. De qua Syluius 2. 2. *q.* 21. *a.* 1. & alij.

Syluius.

16. Præſumptio ſtrictè ſumpta, eſt vitium ſpei contrarium, quo inordinatè nititur Deo, aut viribus creatis. Ratio eſt, quia mediocritas ſpei conſiſtit in hoc, vt primariò nitamur auxilio diuino, ſecundariò adhibeamus noſtram induſtriam & cooperationem. Cùm igitur quis non expectat à Deo auxilium ſufficiens, vel non conatur Deo cooperari ad ſuam ſalutem propter tædium, puſillanimitatem & alias cauſas antea dictas, peccat contra ſpem per defectum; quia non attingit eius mediocritatem. At verò qui vel ſe ſolo nititur, vel ſolo Deo, excluſa ſua cooperatione, peccat contra ſpem per exceſſum; quia mediocritatem eius tranſgreditur. Prius illud vitium pertinet ad deſperationem, hoc poſterius ad præſumptionem. Hæc præſumptio, vt oppenitur ſpei, eſt peccatum: quia nititur falſo iudicio; tum quia infert grauem iniuriam gratiæ Chriſti, ſi nitatur proprijs viribus, quod faciebant Pelagiani: periculum verò grauiſſimum adfert, ſi nitatur ſolo Deo, excluſis operibus bonis, ſicut hodie faciunt Lutherani. D. Thom. *q.* 21. *a.* 1. & 2.

D. Thom.

Sed petes, vtra ſit peior, Lutherana præſumptio, an Pelagiana? D. Thomas *q.* 21. *a.* 1. *ad* 1. dicit illam eſſe grauiorem, quæ inordinatè nititur Deo, quia magis, inquit, peccat, qui diuinam virtutem minuit, quàm qui ſuam extollit. Sed dicendum videtur habere ſe vt excedens & exceſſum: nam Pelagiana præſumptio maiorem Chriſto infert iniuriam, quàm Lutherana, cùm tollat neceſſitatem gratiæ, & meritum Chriſti eneruet. Lutherana autem eſt periculoſior, quia omnibus peccatis latiſſimam aperit feneſtram, cùm Pelagiana potiùs compellat ad exercitium virtutis, vt experientia in vtraque ſecta docuit & docet.

17. Præſumptionis peccatum reperiri poteſt cum hæreſi, & ſine hæreſi. Tunc præſumptio eſt ſimul cùm hæreſi, & per conſequens cum duplici culpa, quando eſt error in intellectu, quo quis crederet beatitudinẽ abſque pœnitentia & meritis obtinendam, vel ſolis proprijs operibus, abſque Dei gratia. At ad præſumptionis peccatũ non eſt neceſſarium id iudicium actu exiſtere, ſed ſufficit vt ita tendat quis in ſalutem æternam voluntate ſua, ac ſi poſſet abſque operibus obtineri, aut ſolis illis abſque Dei gratia. Item ſi quis diu in peccatis perſeuerans,

tam

tam facilem, & tam certam sperat veniam, ac si nihil peccaret. Ita Valentia 2.2. *disp.* 2. *q.* 3. *punct.* 2. Valentia. Sanchez. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 33. *num.* 8. Nihilominus tamen hoc peccatum vix potest esse absque hæresi; quare diligenter aduertant Confessarij, & discutiant conscientiam præsumptuosi, & videant an præsumptio admixta sit cum hæresi. quam si admixtam habeat, iudicent de eo, sicut de hæretico, vt notat Suarez *loco citat. de spe, sect.* 3. *num.* 2. Suarez. Villalobos 2. *part. tractat.* 2. *diffic.* 3. Trullench *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 8. Villalobos. Trullench.

18. Præsumptio quæ tollit fundamentum sperandi, excludit habitum spei: quæ autem tantùm in modo peccat, potest cum virtute spei consistere. Probatur prior pars, quia talis præsumptio, vt est Lutherana & Pelagiana, euertit fidem, quam spes nostra præsupponit. Tum quia modus talis præsumptionis tendit contrariâ quâdam viâ in obiectum sperandum, vnde fieri non potest vt consistat cum spe, quia homo redditur tunc ineptus & indispositus ad sperandum: & hæc præsumptio esse non potest sine infidelitate; nisi quis credat Deum vsurum circa se priuilegio, vt sine pœnitentia obtineat remissionem peccatorem, & sine meritis vitam æternam. Probatur posterior pars, quia talis præsumptio non euertit omninò veram rationem sperandi & vera media, sed tantùm labefactat: qualis interdum solet esse in magnis peccatoribus, qui nolentes mutare vitam, nihilominus securè expectant salutem, pollicentes sibi finalem pœnitentiam; quod quamuis fieri possit, & interdum fiat, atque ideò sperari possint aliquo modo, est tamen temerarium & præsumptuosum certò hoc exspectare. Ita Turrianus *in* 2.2. *quæst.* 21. *art.* 2. Turrianus. Trullench *loco citat. num.* 9, Syluius *ibidem quæst.* 2. *concl.* 1. 2. & 3. & alij. Trullench. Syluius.

Plura, quæ de spe speculatiuè disputantur, adduci possent, sed de his vide Suarez *tract. de spe, disp.* 1. *per totum*, & Castrum Palaum *de virtute spei tract.* 5. & alios: nam nostri instituti est solùm attingere ea, quæ ad mores spectant. Suarez. Palaus.

De præsumptione Vide *suprà verb. Præsumptio num.* 9. & 10.

SPOLIVM.

Ecclesiasticum.

SVMMARIVM.

1 *Spolium Ecclesiasticum quid sit.*
2 *Spolia clericorum cui debebantur iure antiquo, & cui modò in vim Constitutionum Apostolicarum debeantur? An vsus spoliorum vigeat in Germania, Gallia, Polonia, Belgio, Italia, Hispania.*
3 *An bona patrimonialia vel clericorum spolio Ecclesiastico sint subiecta? Et quæ dicantur bona quasi patrimonialia.*
4 *Ad quem pertineant bona, quæ clericus ex patrimonio, vel arte vel industria relinquit, nullo relicto hærede intra decimum gradum.*
5 *An qui beneficium habet non excedens voloremu congruæ sustentationis, sit spoliandus.*
6 *Quando spolio Ecclesiastico debeatur id quod superest ex reditibus beneficij tempore mortis beneficiarij.*
7 *An comparata & empta ex reditibus beneficij non necessariis ad congruam sustentationem, sint exempta ab onere spoliorum.*
8 *An pensionarius sit exceptus à spolio.*
9 *An sub spolium cadant vtensilia domestica, & ornamenta ad diuinum cultum pertinentia, relicta post mortem beneficiarij.*
10 *An bona religiosorum, qui egrediuntur vel eiiciuntur, vel ad alium ordinem transeunt, pro spoliis habeantur, & ad fiscum Pontificis pertineant.*
11 *An acquisita negotiatione illicitâ, aut alio modo per sacros Canones prohibito, spolio subiaciantur.*
12 *An spolium debeatur ante sententiam iudicis.*
13 *Quæ sint causæ excusantes personas Ecclesiasticas ab onere spoliorum.*

1. SPolium Ecclesiasticum est, quidquid in bonis Ecclesiasticæ personæ post mortẽ ipsius reperitur, quod ad hæredes ipsius nec ex testamẽto pertinet, nec ab intestato. Bonorum autem nomine generatim accipiuntur bona tum mobilia vel se mouentia, tum immobilia: Iura item & actiones & corpora, quocumque nomine censeantur: hæc enim omnia generali bonorum vocabulo comprehenduntur, *l. Bonorum, ff. de verbor. significat.* Nomine Ecclesiasticæ personæ, comprehenduntur bona quorumuis Monachorum, Religiosorum, etiam eorum, qui Conuersi, vel Donati dicuntur; demum quorumcumque, qui Ecclesiasticæ personæ in iure Canonico censentur, & priuilegio fori gaudent ratione status. Horum omnium bona ad Cameram Apostolicam acquiruntur. Ita Nauarrus *de spoliis* §. 2. Rẽdoanus *de spoliis quæst.* 1. *num.* 7. Azorius *part.* 2. *lib.* 8. *quæst.* 2. Filliucius *tract.* 43. *cap.* 1. *q.* 1. & alij. Nauarrus. Redoanus. Azorius. Filliucius.

2. Olim iuxta veteres Ecclesiæ Canones bona clericorum post obitum relicta debebantur Ecclesiæ vel successori: modò tamen tanquam debita ad Fiscum Pontificium spectant: quia quemadmodum olim Canones & iura voluerunt, vt ea bona Ecclesiæ vel successori reseruarentur, ita Constitutiones etiam Apostolicæ sanxerunt, vt Fisco Pontificio illa reseruentur & debeantur, vnde Curiæ & Ecclesiæ Romanæ necessitatibus subueniri possit. Et quanquam ante Paulum III. nullæ Constitutiones Pontificiæ extent de spoliis Clericorum Papæ reseruatis; credendũ est tamen multò ante Pauli III. ætatem istiusmodi spolia à Romanis Pontificibus per Collectores suos percipi consueuisse. Nec mirum videtur, si ius Canonicum nihil de spoliis istis vspiam insinuauerit: nam ea paularim ipso vsu Romano Pontifici reseruari coeperunt: antea enim vel futuro successori seruabantur; vel certè in vtilitatem Ecclesiæ conuertebantur.

Nec dubitandum est, optimo de iure Pontificem id facere potuisse: quia penes eum est plena & libera beneficiorum administratio, vt habetur *in cap. Licet, de prebend. in* 6. Sed administratoris est, bona in domini sui vtilitatem dispensare: ergo potuit & potest Papa ex beneficiorum fructibus aliqua sibi seruare. Tum quia Romanus Pontifex iustis de causis potest eos Canones & iura mutare, & quæ futuro successori, vel Ecclesiæ ex beneficio clericorum debebantur, sibi reseruare. Ita Rodoanus *de spol. Ecclesiast. q.* 1. Azorius *loco cit. quæst.* 3. & 4. & alij. Redoanus. Azorius.

Aduertendum est, *Primò*, antequam de spoliis his Ecclesiasticorum quidquam dicamus, quod in tota Germania, Gallia, Lusitania, Belgio vsu receptum sit, vt nulla beneficiariorum, etiam Episcoporum, bona tanquam spolia, ad Cameram Apostolicam pertineant. In regno verò Castellæ in Hispania, sola Episcoporum spolia, Papæ soluuntur, aliorum verò Beneficiariorum non item. In Italia

Digitized by Google

Italia verò, tum Epiſcoporum, tum aliorum quorumlibet beneficiariorum ſpolia Cameræ Apoſtolicæ debentur, vt teſtatur Nauarrus *de ſpoliis clericor.* §. 14. Nauarrus.

Aduerte *Secundò*, quòd ſpolium originem trahit à verbo *ſpolio*, & ſignificat id, quo quis exuitur, vel priuatur violenter, aut voluntariè, vt bene Nauarrus *loco citato*, §. *primo numero ſecundo*, frequentius tamen adhibetur ad ſignificandam violentam priuationem, iuxta titulum *de reſtitut. ſpoliator.* Nauarrus.

3. Bona patrimonialia clericorum ſpolio Eccleſiaſtico non ſunt ſubiecta, vt colligitur ex Conſtitutionibus Pauli III. Pij IV. & Pij V. quorum verba refert & expendit Nauarrus *de ſpoliis* §. 5. *& ſequentibus*, quia ſpolia Eccleſiaſtica ſunt ex bonis, quæ non debentur hæredibus: Sed patrimonialia Eccleſiaſticorum hæredibus illorum debentur: ergo. Patrimonialia autem bona dicuntur, quæ propriè à parentibus proueniunt, vel quæ ex conſanguineorum morte ſiue per teſtamentum, ſiue ab inteſtato capiuntur. Paulus III. Pius IV. Pius V. Nauarrus.

De bonis etiam quaſi patrimonialibus ſpolia non fiunt; quæ licet per hæreditariam ſucceſſionem non acquirantur, cadunt tamen ſub liberum & abſolutum dominium acquirentis, ac ſi eſſent bona patrimonialia. Huiuſmodi autem ſunt bona, quæ operâ & induſtriâ beneficiarij acquiruntur, & quibus beneficiarius indiget ad congruam ſuſtentationem. Hinc quæ clericus proprio labore & induſtriâ acquiſiuit, vt exercendo officium Migiſtri, Cantoris, Secretarij, Confeſſarij, Concionatoris, Sacriſtæ, ſculptoris, pictoris & ſimilium, inter bona quaſi patrimonialia connumerantur. Idem dicendum de acquiſitis pro celebratione Miſſarum; & de iis, quæ clerico donata vel relicta fuerunt ab amico, titulo amicitiæ, vel affinitatis, vel conſanguinitatis; hæc enim cenſentur bona quaſi patrimonialia, & donata intuitu perſonæ, niſi aliud expreſſum fuerit. Item diſtributiones, quæ Canonicis choro interuenientibus conferuntur, non cadunt ſub ſpolium, quia ſunt bona quaſi patrimonialia: etiamſi beneficium careat præbenda, & totum in diſtributionibus conſiſtat: quia rationem habent mercedis & ſtipendij. De his Redoanus *de ſpoliis Eccleſiaſt. queſt. 8. num. 55.* Azorius *parte 2. libro 8. capite 3. queſt. 9. 10. & 11.* Bonacina *de contract. diſput. 3. queſt. vlt. punct. 2. §. 1. n. 2. & 3.* Filliucius *tract. 43. capite 3. queſt. 1. 2. 3. & 4. & ſequentibus*, Couarruuias *de teſtament. capite primo, numero tertio & libro 3. variar. cap. 13.* Redoanus. Azorius. Bonacina. Filliucius. Conar.

4. Bona, quæ clericus ex patrimonio, vel arte, vel induſtriâ comparata relinquit, nullo prorſus hærede relicto intra decimum gradum, iure communi acquiruntur Eccleſiæ, vt colligitur *ex cap. vlt. 12. queſt. 5.* vbi ſunt hæc verba: *Quicumque ex gradu Eccleſiaſtico ſine teſtamento & ſine cognatione deceſſerit; hæreditas eius ad Eccleſiam, vbi deſeruiuit, deuoluatur.* Idem ſtatuitur *in l. Si quis preſbyter, Cod. de Epiſcop. & cleric.* Si autem clericus nullo erat Eccleſiæ adſcriptus, bona eius ad Epiſcopum deuenient, de quibus ſtatuet coram Deo, quod pium eſſe crediderit. Panormitanus *in cap. 1. de ſucceſſ. ab inteſtat.* Et quia in locum Eccleſiæ Piſcus Pontificius ſeu Camera Apoſtolica ſuffecta & ſubrogata eſt, ſequitur vt in his bonis tanquam ſpoliis ſuccedat, aut ſuccedere meritò poſſit in locis vbi ſpoliorum vſus inualuit, vt tradunt communiter Doctores, teſte Bonacina *loco citato, num. 3.* Panormit. Bonacina.

5. Qui beneficium tenue habet non excedens valorem congruæ ſuſtentationis debitæ beneficiario, non videtur ſpoliandus: quia fructus reſpondentes congruæ ſuſtentationi numerantur inter bona quaſi patrimonialia, quorum beneficiarius liberum habet dominium. Proinde Pius V. anno 1567. ad tollendam litigandi occaſionem, decreuit, vt habentes beneficia, vel penſiones, non excedentes valorem triginta ducatorum aureorum, non teneantur ad ſpolia Eccleſiaſtica: quia hi fructus neceſſarij fiunt quaſi bona patrimonialia. Ita Nauarrus *de ſpoliis*, §. 1. *num.* 5. & §. 8. *num.* 7. Sopranus *tract* 43. *cap.* 3. *queſt.* 10. Filliucius *tract.* 43. *cap* 3. *num.* 10. & alij communiter. Nauarrus. Sopranus. Filliucius.

6. Quod ſupereſt ex reditibus beneficij tempore mortis beneficiarij, ſpolio Eccleſiaſtico debetur: quod tamen limitandum eſt, niſi beneficiarius decedens teſtari poſſit, vel ex priuilegio, vel legitima & præſcripta conſuetudine, quæ priuilegio æquiparetur. Tamen ea, quæ quis à beneficiario viuente accepit, non computantur inter ſpolia: quia beneficiarius fructus beneficij validè alienat, tàquam illorum verus dominus; vnde ſic alienati non pertinent ad ipſum tempore mortis, & conſequenter inter ſpolia non computantur. Nauarrus *loco cit.* §. 8. Filliucius *loco cit. cap. 4. num. 8.* Nauarrus. Filliucius.

7. Comparata & empta ex reditibus beneficij non neceſſariis ad congruam ſuſtentationem, non ſunt bona ab onere ſpoliorum exempta, ſi beneficiarius ante mortem de illis irreuocabiliter non diſpoſuit: quia hæc bona non cenſentur quaſi patrimonialia. Ita Couarruuias *de teſtam. cap. 1.* Navarrus *de ſpoliis*, §. 8. & alij. Si tamen hæc bona ante mortem donata fuerint, ſpolia non ſunt: quia quod ex reditibus beneficij eſt comparatum & donatum fuit, non ſpectat amplius ad beneficiarium tempore mortis: ſed ſpolium tantùm poteſt illud eſſe, quod ad clericum tunc ſpectat. Ita poſt Navarrum *loco citat.* Filliucius *tractat. 43. capite 4. num. 9.* Couar. Nauarrus. Nauarrus. Filliucius.

8. Penſionarius, hoc ipſo quòd penſionarius eſt, non eſt exceptus à ſpolio. Ratio eſt, quia ſpolium fit ex reditibus Eccleſiaſticis: penſiones autem ſunt reditus Eccleſiaſtici, cùm ſint fructus beneficij: tum quia hoc intelligitur manifeſtè ex conſtitutione Pij V. in qua punit collectores ſpoliorum, qui ea faciunt in penſionario, aut beneficiario, quorum beneficium aut penſio valorem annuum non excedit triginta ducatorum: æquiparat ergo Pontifex quoad ius ſpolij faciendi abſolutè loquendo penſiones & beneficia: & ſupponit ſpolium fieri poſſe, dum penſio excedit trigenta ducatos: tum quia ſic expreſſe ſancitum eſt in Bulla Vrbani VIII. Ita Nauarrus *de ſpoliis* §. 8. *num.* 8. Molina *de iuſtit. tract* 2. *diſp.* 145. Filliucius *tr.* 43. *cap.* 4. *n.* 19. Bonacina *de contract. diſput.* 2. *queſt. vlt. punct.* 2. §. 1. *num.* 6. & communis. Vrb. VIII. Nauarrus. Molina. Filliucius. Bonacina.

9. Ex conſtitutione Pij V. non cadunt ſub ſpolium vtenſilia domeſtica relicta poſt mortem beneficiarij, ſed pertinent ad illum, cui relicta fuerunt, vel qui ſuccedit ab inteſtato; vt ſunt ſcamna, cathedræ, arcæ, menſæ lignæ, lapideæ vel marmoreæ, dolia & alia ſimilia ſupellectilia domeſtica: etiamſi ex fructibus & prouentibus beneficiorum acquiſita fuerint. Ornamenta autem omnia & ſingula & paramenta ac vaſa nec non Miſſalia & Gradualia, ac cantus firmi & muſici, aliique quomodolibet nuncupati libri, & aliæ res ſacræ, etiam auri & argenti, ac quæcumque alia bona ad vſum & cultum diuinum, etiam in priuatis beneficiarij ædibus & Capellis vel Oratoriis deſtinata, etiam nomine ſpoliorum non veniunt, ſed Eccleſiæ, vel Monaſterio, in quo habet beneficium vel habuit, debentur, etiamſi illud poſtea renunciauerit.

Pius V. Nauarrus. uerit. Ita Pius V. cuius Bullam explicat Nauarrus *de ſpoliis* §.8. *num.*2. *&* 3. Ex qua colligitur clericum ſæcularem, qui nullum habet beneficium aut reditus Eccleſiaſticos, aut nullam Eccleſiam cui inſeruiuit; ſi relinquat ſupellectilem ſacram pro ſacello, nō comprehendi hac conſtitutione, quia expreſsè tantùm mentio fit de beneficiariis, qui habent Eccleſiam. Regularis autem beneficiarius ſemper hac conſtitutione tenetur, quia ſemper habet Monaſterium vel Religionem cui aſcriptus eſt. De quibus Azorius *p.*2. *lib.*8. *cap.* 3. *q.*6. *&* 7. Filliuc. *tr.* 43. *cap.*6. *q.*3. *&* *c.*6. *q.*8. Bonacina *loco cit. n.*8.

Azorius. Filliucius. Bonacina.

Paulus IV. 10. Iuxta Conſtitutionem Pauli IV. quæ incipit, *Poſtquam diuina*, bona religioſorum, qui egrediuntur, vel eiiciuntur, vel ad alium Ordinem trāſeunt, vel etiam ſuorum Superiorum conſenſu extra Cœnobia & clauſtra commorantur, vndecumque, vel quomodocumque fuerint acquiſita, ſiue ex teſtamento, ſiue ex beneficiis, ſiue induſtria, arte, mercatura, negotiatione, ſiue aliorū donatione, ipſis Monaſteriis debentur, in quibus illi primò profeſſionē emiſerunt. Sed quia ea conſtitutio vſu recepta non

Greg. XIII. fuit, ideò Greg. XIII. in Bulla, quæ incipit, *Officij noſtri*, conſtituit vt id ſeruaretur, quod longè ante

Paulus IV. Pauli IV. tempora ſeruari cœptum erat; videlicet, vt hæc religioſorum bona pro ſpoliis haberentur, & ad Fiſcum Pontificis pertinerent. Vbi tamen ſpoliorum vſus non eſt, ſeruanda eſſet Conſtitutio

Paulus IV. Pauli IV. vtpote conformis iuri communi, quod ſtatuit bona religioſorum ad Monaſteria, in quibus primò fuerant Religionem profeſſi, ſpectare, *cap. Cùm olim*, 2. *de priuilegiis*, Authent. *Ingreſſi, de ſacroſanct. Eccleſiis.* Præſertim ſi talis regularis decedat in Curia; tunc enim ipſius bona à Camera Apoſtolica non capiuntur, ſed illi cedunt, cui iure communi debentur ab inteſtato, nempe Monaſte-

Pius V. rio: nam Pius V. ſtatuit, vt bona commorantium in Curia non acquirantur Cameræ Apoſtolicæ. Limitatur tamen præfata propoſitio, niſi religioſus ſpeciale priuilegium teſtandi habeat: tunc enim ipſius bona aliis relicta per teſtamentum non ac-

Greg. XIII. quiruntur Cameræ, vt expreſsè dicitur in Bulla Gregorij XIII. citata, ibi, *niſi iidem ſufficienter fuerint teſtandi, aut de illis diſponendi facultate ſuffulti.* Præterea limitatur, in inſtrumentis ſacris deſtinatis ad diuinum cultum: hæc enim pertinent ad Monaſterium ſeu Religionem, vt dictum eſt

Pius V. numero præcedenti, ex Bulla Pij V.

11. Spolio ſubiiciuntur acquiſita negotiatione illicita aut alio modo per ſacros Canones prohibito. Ita ſtatuit Pius V. in Bulla edita ann. 1567. ter-

Pius V. Pius IV. tio Kalend. Septembr. quod idem decreuerat Pius IV. anno 1560. Et hoc verum, etiamſi clericus tam ſæcularis, quàm regularis cuiuſcumque gradus & conditionis exiſtat, habuerit facultatem teſtandi; nam facultas teſtandi non extenditur ad ea, quæ ſunt acquiſita illicita negotiatione, vt dicitur in

Pius IV. Azorius. Bonacina. Filliucius. Nauarrus. Bulla Pij IV. De quo multa habent Azorius *p.* 2. *lib.*8. *cap.*2. Bonacina *de contract. diſp.* 3. *quæſt. vlti. punct.*2. §. 2. Filliucius *tract.*43. *cap.*4. *q.* 14. Navarrus *de ſpoliis*, §. 7. & alij.

12. Spolium debetur ante ſententiam iudicis: quia leges ſpoliorum ſunt diſpoſitiuæ in ſubſidium Cameræ Apoſtolicæ: nam Conſtitutiones Apoſtolicæ, quibus hæc bona Papæ reſeruantur, in hunc modum habent: *Declaramus, vel decernimus hæc ſpolia ad Cameram Apoſtolicam ſpectaſſe, & ſpectare.* Item ſic: *Incorporamus ea, appropriamus, applicamus: illaquè applicata, appropriata & incorporata fore eſſe ſtatuimus.* Hæc autem verba continent ſententiam ipſo iure latam, non ferendam. Nec obſtat, quòd ſpolia videantur impoſita in pœnam, quæ non debet executioni mandari ante ſententiam Iudicis. Quidquid ſit de hoc, falſum eſt ſpolia eſſe inſtituta in pœnam; quia aliàs ſequeretur ſpolium fieri non poſſe, niſi ob delictum defuncti clerici, quod non eſt admittendum. Tum quia fiſcus ſubrogatus eſt in locum Eccleſiæ, vel ſucceſſoris; vnde, ſicut huiuſmodi bona debebantur Eccleſiæ, vel ſucceſſori iure antiquo, ante ſententiam; ita etiam modò debentur fiſco Apoſtolico. An autem priùs hæc ſpolia ſolui debeant; quàm à Collectoribus repetantur? Seruanda eſt conſuetudo in Eccleſia recepta: nam vbi poſitum in more fuerit, vt nonniſi cùm petuntur, ſoluantur, non debentur antè: præcisa verò conſuetudine, ſtatim ſoluenda videntur, quia Fiſcus habet illorum dominium. Ita Azorius *loco citato cap.* 1. *quæſt.* 5. Filliucius *tractat.*43. *cap.*4. *num.*38. Bonacina *loco citato, punct.*4. *num.*1. *&* 2. Azorius. Filliucius. Bonacina.

13. Cauſæ excuſantes perſonas Eccleſiaſticas ab onere ſpoliorum, hæ recenſentur. *Prima*, eſt tenuitas beneficij vel penſionis, non excedentis triginta ducatos aureos, vt dictum eſt ſuprà. *Secunda*, eſt conſuetudo; ſicut enim induci poteſt conſuetudo teſtandi, etiam ad prophanas cauſas, ita etiam induci poteſt conſuetudo eximens à ſpolio. Proinde in Hiſpania beneficiarij omnes præter Epiſcopos conſuetudine receptâ nullum ſpolium faciunt, ſed hæredibus bona tranſmittunt, vt ſuprà dictum eſt. In Germania, Gallia, Polonia, Belgio, ſpolia fiunt; ſed quæ ſucceſſoribus in beneficio, aut Eccleſiæ, non Cameræ Apoſtolicæ tranſmittuntur. *Tertia*, cauſa eſt donatio ſeu alia diſpoſitio fructuū, ſeu prouentuum validè facta inter viuos: quia ſpolio ea ſolùm cedunt, quæ relicta ſunt poſt mortem ab Eccleſiaſtica perſona. *Quarta*, eſt incolatus, ſeu habitatio in vrbe, ſeu inſectatio Curiæ: nam incolæ vrbis, ſeu inſequentes Curiam non ſubiiciuntur ſpolio, quoad bona in diſtrictu exiſtentia, ſi in vrbe, vel eius diſtrictu moriantur. *Quinta*, eſt dignitas Cardinalitia: nam Cardinales, quouis in loco decedant & quouis in loco bona habeant, non ſubiiciuntur ſpolio, vt ſtatuit & declarauit Pius V. in Bul- Pius V.
la, quæ incipit, *Literas noſtras. Sexta*, cauſa eſt facultas teſtandi: ſi enim beneficiarius hanc facultatem habens diſponat de beneficij fructibus, valida eſt diſpoſitio: modò facultas ſit valida & non ſubreptitia; & modò ſit relata & regiſtrata in Camera Apoſtolica: & beneficiarius reſederit in loco beneficij: quia bona quorumcumque morientium extra reſidentiam, pertinent ad Cameram Apoſtolicam, iuxta Bullam Pij IV. anno 1564. Septimo Kalen- Pius IV.
das Decembris. Plura de his Nauarrus *de ſpoliis* Nauarrus.
§. 14. Azorius *loco citat. cap.*4. Filliucius *tract.*43. Azorius.
*cap.*7. Bonacina *loco cit. punct.*5. Et hæc ſummariè Filliucius.
dicta de ſpoliis Eccleſiaſticis ſufficiant pro his par- Bonacina.
tibus vltramontanis; Itali verò in facti contingentia conſulant Doctores hîc citatos.

Vide verb. Apoſtaſia *num.* 9.

SPONSALIA.

SVMMARIVM.

1 *An ille ſolæ perſonæ habiles ſint ad ſponſalia, inter quas conſiſtere poteſt matrimonium.*

2 *An ad valorem ſponſalium requiratur ſeptennium mathematicè vel moraliter completum?* Refertur duplex ſententia.

3 *Sponſalia in quacumque ætate contracta, an ſint valida ſi adſit vſus rationis?* Refertur duplex ſententia.

Sponſalia incerta an ſint propriè & perfectè ſponſalia?

ſponſalia? & quomodo reddantur certa.

5 *Quando pater promiſit alicui cum iuramento tradere vnam ex filiabus ſuis, an teneatur aliquam tradere ſi ille interim cognoſcat vnam earum.*

6 *An liceat ſponſis vel eorum parentibus, conſanguineis, vel amicis apponere pœnam in ſponſalibus recedenti à ſponſalibus.*

7 *Inter ſponſalia contrahentes, an poſſit conuenire, vt qui iniuſtè reſilierit, ſoluat alteri damnum, quod ex eo emerſerit.*

8 *An pœna contractui ſponſalium adiecta, firmetur iuramento, & ad iuramentum obliget?* Refertur duplex ſententia.

9 *An valeant ſponſalia inter impeditos impedimento dirimenti, cum conditione, ſi Papa diſpenſauerit?* Refertur duplex ſententia.

10 *An ſponſalia metu viri conſtantis inita ſint valida, ſi iuramentum accedat?* Refertur duplex ſententia.

11 *An diſſolui poſſint ſponſalia ex parte alterius ob notabilem ſanitatis aduenientem aut cognitam poſt ſponſalia.*

Et quid, ſi ſponſus ignorabat hoc vitium ſed talis erat animo affectus, vt ſi cognouiſſet, nihilominus adhuc contraxiſſet.

12 *Quando ſponſus poſſit licitè contrahere matrimonium aliquo occulto vitio laborans, cuius ſi alter conſcius eſſet, poſſet licitè à ſponſalibus reſilire.*

13 *Quando poſt ſponſalia ſurgit quæcumque cauſa, ſiue notabilis mutatio alterius ſponſi, ſiue in bonis, ſiue in perſona, ſiue in fama, &c. quæ ſi ab initio fuiſſent prauiſa promiſſio non fuiſſet facta, poſſit alter à ſponſalibus reſilire.*

14 *An omnes cauſæ ſufficientes ad diſſoluenda ſponſalia quæ poſtea ſuperueniunt, ſint etiam ſufficientes ad ea diſſoluenda, ſi præcedebant, & ignorabantur, ſed poſtea ante matrimonium detegantur.*

15 *An per fornicationem ſponſi præcedentem ignoratam, ſponſa diſſoluere poſſit ſponſalia.*

16 *Quando vterque ſponſus poſt ſponſalia fornicatur, an poſſit ab vtroque fieri ſponſalium diſſolutio?* Refertur duplex ſententia.

17 *Quando ſponſa ab altero viro per vim cognita fuit, vel paſſa eſt tactus impudicos per amplexus & oſcula, an vir à ſponſalibus recedere poſſit? Quid dicendum de viro ſimilia patienti.*

18 *Sponſus conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſolutionem ſponſaliorum, an amittat ius reſiliendi, ſi copulam cum ſponſa habeat*

19 *Sponſalia puberum ex mutuo conſenſu contrahentium diſſoluuntur, etiamſi ſint iuramento confirmata.*

An autem quando iuramentum eſſet principaliter factum in honorem Dei, poſſint mutuo conſenſu remitti? Refertur duplex ſententia.

20 *An ſufficiat vnus teſtis fide dignus ad diſſoluenda ſponſalia ob aliquod impedimentum, cum quo contrahere eſt peccatum? Et quæ requirantur vt vnicus teſtis ſponſalia perfici impediat.*

21 *Quando ſola fama impedimenti ſufficiat ad ſponſalia diſſoluenda? Et quando ſponſi confitentur impedimentum.*

1. LIcet ſolæ perſonæ habiles ſunt ad ſponſalia, inter quas conſiſtere poteſt matrimonium. Ratio eſt, quia ſponſalia ſunt promiſſio futuri matrimonij; ergo inhabiles ad matrimonium, ſunt inhabiles ad ſponſalia, quando impedimentum eſt perpetuum; ecus enim quando eſt temporale: nam impuberes contrahere poſſunt ſponſalia, cùm tamen pro tunc non poſſint contrahere matrimonium. Similiter, qui vouit caſtitatem ad tempus, non poteſt licitè intra illud tempus matrimonium inire, validè tamen contrahit ſponſalia, niſi promiſſio eſſet contrahendi pro eo tempore, quo durat impedimentum: nam tunc ſponſalia eſſent nulla; quia illicita eſſet promiſſio & peccaminoſa; vt ſi quis per biennium promiſerit caſtitatem, ſi daret fidem de matrimonio ſtatim contrahendo, animo illud conſummandi intra id tempus. Denique omne impedimentum ſolùm impediens licitè contrahi matrimonium, diſſoluit & prorſus irritat reddit ſponſalia, ſi ipſa præcedat: quia promiſſio rei illicitæ obligare non poteſt, dum impedimentum durat. Ita Nauarrus *l. b. 4. conſil. com. 1. de ſponſal. in 1. edit. conſil. 38. à num. 6. & in 2. edit. conſil. 5. num. 6. & ſequent.* vbi docet inualida eſſe ſponſalia Catholici cum hæretica: quia non licet matrimonium cum ea contrahere, quamuis validum ſit. Petrus Soto *lect. 18. de matrimon. §. Ad ſponſal. a*, Sanchez *de matrim. lib. 1. diſp. 15.* & alij, quibus adde Geſualdum *parte prima, tractatu 33. cap. 3. num. 24.* Nauarrus. P. Soto. Sanchez. Geſualdus.

4. Dubium eſt inter Doctores, an ad valorem ſponſalium requiratur ſeptennium mathematicè completum, ita vt vnus non deficiat dies; an verò ſufficiat, quod ſit completum moraliter, id eſt, quòd ſolùm deſint octo, aut quindecim dies? Duplex eſt ſententia. Quidam volunt ſufficere ſeptennium moraliter completum, vt ſi duo, vel tres dies deficerent; ſecundum Gutierrez *de matrimon. cap. 22. num. 6.* vel iuxta Rebellum *p 1. lib. 4. q. 5. concl. 2.* ſi octo vel decem dies deſint ad complendum ſeptennium, quia quod parum diſtat, nihil diſtare videtur. Hæc ſententia eſt probabilis, quam etiam tuentur Sotus *in 4. diſtinct. 27. q 2. art. 2.* Henriquez *lib. 11. cap. 13. num. 9.* Diana *part. 3. tract. 4. reſolut. 274.* & alij. Gutierrez. Rebellus. Sotus. Henriq. Diana.

Probabilius tamen eſt exigi ſeptennium mathematicè completum, vbi de malitia ætatem ſupplente non conſtaret. Ratio eſt, tum quia tempus hoc in ſponſalibus eſt præſcriptum ſicut pretium in rebus: at pretium conſiſtit in indiuiſibili: ergo hoc ſeptennium. Tum quia vna die deficiente, verè non diceretur ſeptennium completum, ſed incœptum: quamuis ſufficeret ſi vltima ſeptenpij dies non ſit completa, ſed incœpta, & hoc fauore matrimonij. Sicut enim requiritur ætas quatuordecim annorum ad condendum teſtamentum, & in fauorem eius ſufficit inchoaſſe vltimum diem anni 14. vt patet *in l. qua ætate, ff. de teſtament.* ergo idem ſufficiet in ſponſalibus, quæ non ſunt minus fauorabilia. Ita Pontius *de matrimon. lib. 12. capite 5. numero 3.* Sanchez *de matrimon. libro 1. diſput. 16. num. 4.* Coninck *de Sacrament. diſput. 21. dub. 5. num 51.* Trullench *tom. 3. in praxi reſol Sacrament. lib. 7. cap. 1. dub. 10. num. 4.* Geſualdus *part. 1. Theolog. moral. tract. 33. cap. 3. num. 9.* & alij. Ad fundamentum autem contrariæ ſententiæ poteſt reſponderi; quod illud parum pro nihilo non reputatur, quod iure ipſo exigitur, nec moraliter in iure habetur, ac ſi compleſſet annum, qui proximè completurus eſt. Pontius. Sanchez. Coninck. Trullench. Geſualdus.

3. Difficultas alia eſt, an in quacùmque ætate præueniatur vſus rationis, ſint vera ſponſalia, vt ſi via ordinaria, vel per miraculum acceleretur vſus rationis longè ante ſeptennium, vel neceſſarium

ſit vno cum rationis vſu, ætatem eſſe ſeptennio proximam. Aliqui cenſent, quòd ſi huiuſmodi infantes ante ſeptimum ætatis annum completum inter ſe ineant ſponſalia, & habeant ſufficientem vſum rationis, valerent promiſſiones, quia in tali caſu promittunt ſibi quàntum poſſunt humano modo, & valebit talis promiſſio, quantum in ea infantili ætate valere poteſt per modum ſimplicis promiſſionis: non autem in ratione ſponſalium; quia in tali ætate non adhuc poſſunt validè ſponſalia perficere ſecundùm ius Canonicum; & ideò in tali ætate non eſſet contractum impedimentum publicæ honeſtatis inſtitutum ab Eccleſia, ſupra quod cadit ius Eccleſiaſticum, vt non valeant ſponſalia ante completum ſeptimum annum à natiuitate. Ita noſter Geſualdus *loco citato num.* 12. Alij docent vnà cum vſu rationis exigi ætatem ſeptennio proximam, neq; ſufficere vſum rationis antea habitum. Ratio eſt, quia ideò ius præſcripſit ſeptennium completum, vt id exigatur, vel ſaltem, quo moraliter poteſt dici ſeptennium, quod eſt ætas ſeptennio proxima. Tum quia in matrimonio non ſatis eſt, vt potentia generatiua reperiatur ante pubertatem, & malitia ſuppleat ætatem, ſed vltra requiritur diſcretio & prudentia requiſita ad coniugalem conſenſum, vt conſtat *ex cap. final. de deſponſat. impuber.* Ergo ſi militer in ſponſalibus non ſatis erit vſus rationis quicumque, ſed talis qualis ſeptennio, vel proximè aduenit. Ita Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 13. *num.* 9. Petrus Ledeſma *de matrim. quæſt.* 43. *art.* 2. *dub.* 2. & pro hac ſententia videntur eſſe D. Thomas *in* 4. *diſtinct.* 27. *quæſt.* 2. *artic.* 2. *ad* 7. Victoria *in ſumma de matrim. num.* 284. Sylueſter *verb. Sponſal. quæſt.* 2. *dict.* 2. Raphael Auerſa *de matrim. quæſt.* 8. *ſect.* 7. & alij. Hæc ſententia eſt communior. Ceterùm probabilis eſt etiam ſententia aſſerens, valida eſſe ſponſalia in quacumque ætate contracta, ſi via ordinaria, vel miraculosè vſus rationis acceleratur, vel malitia ſuppleat ætatem, & hoc ſpectato iure naturæ & in foro conſcientiæ. Prob. quia ſeptennium non præſcribitur quaſi id neceſſarium, ſed quia in ea ætate præſumit ius vſum rationis aduenire: ergo ſi quacumque ætate ante ſeptennium vſus rationis aduenit, erunt vera ſponſalia: non enim maior eſt ratio de proximis ſeptennio, vel multo minoribus, ſi eodem rationis vſu gaudeant. Ita Sanchez *libro primo, diſputatione decimaſexta, numero nono, & decimoquarto*, Bonacinæ *de ſponſal. quæſtione prima, punct.* 4. *numero ſecundo*, Filliucius *tractatu decimo, parte prima, capite ſeptimo, numero* 258. Naldus *verb. Sponſalia, numero tertio*, Reginaldus *libro trigeſimoprimo, numero* 248. & alij.

Geſualdus.

Henriq. Ledeſma. D. Thom. Victoria. Sylueſter. Auerſa.

Sanchez. Bonacina. Filliucius. Naldus. Reginald.

Dixi *in foro conſcientiæ*: nam forum externum & iudiciale iudicabit ea ſponſalia ante ſeptennium contracta, inualida, eo quòd ſint celebrata contra iuris diſpoſitionem ſeu tempus ab eo præſcriptum: quamuis probabile ſit ſi diſtantia ſit parua & adſit vſus rationis, eſſe valida etiam in foro externo, vt tenent Sotus, Henriquez & alij apud Trullench *loco citato dub.* 10. *num.* 6.

Sotus. Henriquez. Trullench.

4. Sponſalia incerta non ſunt propriè ſponſalia, & perfectè: Ratio eſt, qui ſicut matrimonium neceſſariò eſſe debet cum perſona certa, ita & ſponſalia, quæ eius initium ſunt. Proinde quotiès verba promittentis non feruntur in perſonam certam, non oritur publicæ honeſtatis impedimentum: vt ſi quis promittat tribus vel quatuor filiabus Ioannis, ſe vnam ex illis ducturum, & ipſæ ſimiliter reptomittant. Ergo ſponſalia incerta non ſunt propriè ſponſalia, ſed potius ſunt conditionata, ad eligendum ſcilicet in futurum vnam ex illis, quibus ſub diſiunctione facta eſt promiſſio. Ita Coninck *de iuram. diſp.* 21. *dub.* 2. *num.* 16. Filliucius *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 7. *num.* 250. Gutierrez *de matrim. cap.* 16. & communis.

Coninck. Filliucius. Gutierrez.

Hæc incerta ſponſalia redduntur certa & perfecta, quando promiſſor poſtea determinat perſonam, quâ determinatione factâ, ſtatim oritur impedimentum publicæ honeſtatis: & poſt Concil. Tridentinum ſufficienter præſumuntur determinari ſponſalia, ſi promiſſor poſtea cum vna earum habeat copulam: præſumitur enim acceſſiſſe ad eam, animo eligendi illam, cùm per copulam fiat affinis reliquis ſororibus, ita vt non poſſit vnam aliarum ducere. Ita Syueſter *verb. Matrimonium* 2. *num.* 11. Rebellus 2. *part. lib.* 4. *de ſponſal. n.* 2. & 6. Coninck *loco citato*, Trullench *in praxi reſol. Sacrament. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 8. Bonacina *de ſponſal. q.* 1. *punct.* 3. *n.* 3. contra Sanchez *lib.* 1. *diſp.* 26. *n.* 12.

Sylueſter. Rebellus. Coninck. Trullench. Bonacina. Sanchez.

5. Quando pater promiſit Caio cum iuramento tradere vnam ex filiabus quas habet, non tenetur aliquam tradere, ſi Caius interim cognoſcat vnam earum. Ratio eſt, quia non tenetur tradere ab illo cognitam; liberum enim erat patri tradere quam vellet, qua libertate non eſt priuandus ob copulam Caij delinquentis. Neque tenetur aliam tradere, quia impedit affinitas contracta per illam copulam cum aliis ſororibus. Si autem Caius reſpuat vnam illarum à patre electam, pater non tenetur ad tradendum aliam etiamſi Caius nullam earum carnaliter cognouerit: nam electio pertinet ad patrem, qui promiſit. Si quis verò promittat vnam ex pluribus conſentientibus ducere, poteſt eligere quam maluerit, & electa tenebitur, quia omnes illæ reptomiſerunt, & promiſſoris eſt electio: id enim generale eſt in omni promiſſione alternatiua, Regul. *In alternatiuis, de Reg. iur. in* 6. vnde pater promittens vnam ex filiabus, offerens quamcumque excuſatur, quamuis alter eam ducere nolit. Si autem antequam aliquam ex illis offeret, omnes, vnâ demptâ, obirent, teneretur ſuperſtitem dare: quia aliter fidem minimè implere poteſt. Ita Sanchez *loco cit. num.* 2. & 4. Coninck *diſp.* 22. *dub.* 8. *n.* 54. Trullench *loco citato dub.* 8. *num.* 4. & 5. Bonacina *loco citato num.* 5. & 6.

Reg. iuris. Sanchez. Coninck. Trullench. Bonacina.

6. Non licet ſponſis apponere pœnam in ſponſalibus etiam iniuſtè reſilienti aut recedenti à ſponſalibus, & ſi apponatur, erit ipſo facto nulla: quare violans fidem non tenetur in vtroque foro eam ſoluere, vt expreſsè definitur *in cap. Gemma, de ſponſalib. l. final. Codice de ſponſalib.* Ratio eſt, vt matrimonij libertati conſulatur, ne timore pœnæ ſoluendæ coactè ineatur. Quæ quidem diſpoſitio iuris procedit, etiamſi pœna ſit leuis, quia in dictis iuribus pœna abſolutè reprobatur: nam pœna quamuis modica, eſt vera pœna & aliqualiter impedit libertatem. Tum quia, cùm pœnam adiicere odioſum ſit, extendendum non eſt: & ius contractum hunc omnino liberum, pœnæque immunem eſſe voluit. Ita Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſputatione* 30. *num.* 2. & 11. Gaſpar Hurtadus *de matrim. diſputatione* 1. *difficult.* 18. *num.* 76. Trullench *in praxi reſolut. Sacrament. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 11. *num.* 1. Gutierrez *de matrim. cap.* 17. *num.* 2. & communis.

Sanchez. Hurtadus. Trullench. Gutierrez.

Non ſolùm pœna eſt irrita, dum per ipſos ſponſos apponitur, ſed etiam, quæ apponitur à parentibus, conſanguineis, vel amicis ſtrictiſſimis ſponſi vel ſponſæ, vel ab eis à quibus ſponſi poſſunt pati aliquod damnum graue, vel ab eis quibus ſponſi in aliquo ſubditi ſunt, vt ſi ſint eorum tutores. Ratio eſt, quia *in dict. c. Gemma*, generaliter

generaliter reprobatur pœna, quâ contrahentium libertas poteſt impediri; at pœna inter quoſlibet ex his poteſt impedire libertatem contrahentium, cùm probabile ſit fore, vt inducantur ad matrimonium, ne prædicti pœnam ſoluant. Pœna tamen oppoſita inter omninò extraneos ipſis ſponſis, qui ipſos nullo modo ex dictis attingunt, valida eſt, quia tunc non impeditur libertas matrimonij, eò quòd nihili faciunt ſponſi, ſi omninò extranei pœnam ſoluant, modò extranei pœnam ex propriis bonis ſoluendam ſpondeant. Negandum etiam non eſt, quin amici ſponſorum, vel eorum parentes, aut propinqui poſſint pœnam apponere, quâ ſe obligent ad curandum vt matrimonium celebretur: quia ſic nulla imponitur ſponſis neceſſitas, vel impeditur libertas contrahentium, eò quòd tunc pœna minimè cadit ſupra filiorum aut coniunctorum matrimonium, ſed ſuper factum ipſorum promittentium, nempe curam & diligentiam adhibendam, vt matrimonium ſequatur: quia hac adhibita, ſiue ſequatur, ſiue non matrimonium, minimè debetur. Ita Sanchez *loco citato diſp.* 30. *num.* 4. Gutierrez *loco cit. num.* 9. *&* 10. Couarruias 2. *part. cap.* 3. §. 3. Rebellus *lib.* 4. *de ſponſal. quæſt.* 7. & alij.

Sanchez. Gutierrez. Couar. Rebellus.

7. Inter contrahentes ſponſalia poteſt conueniri, vt qui iniuſtè reſilierit, ſoluat alteri damnum, quod ei emerſerit, ex eo quòd facta ſint ſponſalia, & ipſe ab eis recedat, vt ſi alter ſponſus ratione ſponſalium expenſas fecerit. Ratio eſt, quia recipere illud damnum, non fit ex appoſitione perſonæ, nec intereſſe damni poteſt ſpecies pœnæ appellari, ſed eſt recompenſatio debita iure naturali ex iuſtitia. Hinc fit valere promiſſionem ſoluendi intereſſe ſub nomine intereſſe, quamuis non valeat ſub nomine pœnæ. Lucrum autem diuitiarum ex matrimonio ſequendum non poteſt accipere: quia ad illud non habet ius, niſi poſt factum matrimonium, ac proinde conuentio compenſandi eſſet appoſitio pœnæ. Ità Sanchez *loco citato diſput.* 30. *num.* 15. Gutierrez *de matrim. cap.* 17. *numero* 14. Bonacinà *de ſponſal. punct. vltim. num.* 6. Hurtadus *de matrim. diſp.* 1. *difficult.* 18. *num.* 79. Quamuis quidàm non improbabiliter exiſtiment neutrum lucrum peti poſſe, niſi ſponſus violans fidem, dolo inierit ſponſalia, vt alter ſponſus damnum illud patiatur: quia ob ſolutionem intereſſe timidior reddetur ſponſus, ne à ſponſalibus recedat: & ita plena matrimonij libertas impedietur: quæ fuit ratio prohibendi pœnam. Ità Ioannes Andreas, Antoninus, Ancharanus, Panormitanus *in cap. Gemma de ſponſal.* Roſella *verb. Sponſalia, num.* 7. & ibi Sylueſter *quæſt.* 8. *dict.* 2.

Sanchez. Gutierrez. Bonacina. Gaſp. Hurt. Ioan. Andr. Antonin. Ancharan. Panormit. Roſella. Syluester.

8. Quorumdam ſententia probabilis eſt, pœnam contractui ſponſalium adiectam, firmari iuramento, & id iuramentum obligare: quia licet promittere pœnam prohibitum ſit, ſoluere tamen nullibi prohibetur; ergo iuramentum illud confirmat contractum, & obligat. Tum quia nullibi probatur iuramentum hoc, nec promiſſionem eſſe contra bonos mores, & ideò poteſt abſque peccato impleri: ergo. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 7. *numero* 56. Coninck *diſp.* 22. *num.* 24 & alij. Probabilior tamen ſententia eſt negatiua: tum quia iuramentum non obligat ad rem illicitam & prohibitam; prohibita eſt autem ſolutio dictæ pœnæ propter oppoſitionem, quam habet cum libertate matrimonij. Tum quia quando actus principaliter prohibetur in fauorem publicum, vel ob bonum commune, non firmatur iuramento *cap. Si diligenti, de foro competent.* Sed pœnæ promiſſio interdicta eſt ob publicam vtilitatem, nempe ob libertatem matrimonij *ex dict. cap. Gemma*, & cùm iuramentum ſequatur naturam primordialem actus, cui adiicitur, & talis actus, ſeu promiſſio in ſponſalibus non ſit valida, ac obligatoria, ideò fit, nec iuramentum ei additum eſſe validum, nec obligatorium. Cùm ergo promiſſio illa pœnæ, non ſit actus virtutis, quin potiùs peccatum, & nulla ex parte iuſtificetur, non firmabitur iuramentum. Ità Sanchez *de matrim. lib.* 1. *diſp.* 32. *num.* 21. Trullench *in praxi reſolut. Sacram. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 11. *num.* 2. Bonacina *loco citato, punct. vlt. num.* 2. & alij apud Sanchez, quibus addè Dianam *part.* 3 *tract.* 4 *reſol.* 211.

Sanchez. Trullench. Bonacina. Diana.

9. Controuertitur inter Doctores, an valeant ſponſalia inter impeditos impedimento dirimenti, cum conditione, Si Pontifex diſpenſauerit? Quidam docent eam promiſſionem eſſe omninò nullam, & proinde licitum eſſe vtrique contrahenti ante & poſt impetratam à Pontifice diſpenſationem, altero inuito reſilire. Ratio illorum eſt, quia conditio impoſſibilis reiicitur à contractu matrimonij vel ſponſalium, atque purus manet, ac ſi ea adiecta non fuiſſet: ſed hæc conditio, Si Papa diſpenſauerit, eſt impoſſibilius: quia conditio à voluntate Principis dependens, qualis hæc, reputatur impoſſibilis, vt conſtat *ex l. Continuus* 137. §. *Cùm quis, de verbor. obligat.* Hanc ſuſtinent Valerius *in different. vtriuſque fori, verb. matrimonium, diffic.* 7. Molfeſius *tom.* 1. *ſum. tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 34. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 10. *num.* 4. Petrus Ledeſma, Viualdus & alij ſatis probabiliter. Verùm contraria ſententia videtur probabilior. Prob. quia earum rerum, quæ ſuapte natura, nec malæ ſunt, nec vlli iuſtæ legi repugnant, iuſta, ac firma poteſt eſſe pactio. Sed pacifci de futuris nuptiis inter impeditos iure tantùm canonico ex conceſſione Romani Pontificis, nec turpe eſt, nec vllam legem perfringit: ergo inita de ea re pactio rata eſſe debebit, quamdiu Romani Pontificis auctoritate non infirmatur. Requirit tamen hæc ſententia duas conditiones, vt talia ſponſalia obligent, quarum *Prima* eſt, vt tale ſit impedimentum quòd in eo ſoleat Papa diſpenſare: quæ non valent huiuſmodi ſponſalia inter fratres. *Secunda*, vt etiam adſit iuſta cauſa diſpenſandi; aliter enim quamuis ſoleat Papa diſpenſare, non valent dicta ſponſalia, & peccant ſic ea contrahentes. Deinde non eſt verum illud fundamentum, quod pendens à voluntate Principis eſt impoſſibile, quando Princeps illud concedere ſolet, vt accidit in caſu noſtro: Ergo &c. Nam votum Epiſcopi tranſeundi ad religionem, ſi Papa diſpenſauerit, validum eſt: ſicut inſtitutio ſpurij, facta ſub conditione, ſi Princeps eum legitimauerit, eſt valida. Accedit quod licet factum pendens à Principis voluntate reputetur impoſſibile, non tamen excuſatur promittens, niſi à Principe poſtulauerit: ergo eſto ea conditio eſſet impoſſibilis, non eſſet irrita promiſſio, ſed tenebitur promittens, niti diſpenſationem impetrare. Proinde ex dictis ſequitur hos impeditos contrahentes ſub conditione, Si Papa diſpenſauerit, minimè peccare: quia illa conditio ſuſpendit in tempus habile, tollitque rationem culpæ ab eo contractu. Ità Adrianus *in* 4. *tract. de ſponſal. dub.* 10. *in ſolut. ad* 2. Pontius *de matrim. lib.* 3. *cap.* 15. Gutierrez *quæſt. canonicar. lib.* 1. *c.* 22. *num.* 5. *&* 17. Filliucius *tract.* 10. *part.* 1. *num.* 142. Trullench *in praxi reſol. Sacrament. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 4. Sanchez *de matrim. lib.* 5. *diſp.* 5. *num.* 13. *& ſequent.*

Valerius. Molfeſius. Henriq. Ledeſma. Viualdus.

Adrianus. Pontius. Gutierrez. Filliucius. Trullench. Sanchez.

Aduertendum tamen quod inter ſponſos cum dicta conditione non licent oſcula & tactus ac amplexus: quia etſi vera ſint ſponſalia, non tamen

ſunt abſoluta & omnino perfecta, donec diſpenſationem obtinuerint, vt notat Trullench *loco citato, num.7.* cum aliis. Vide dicta *tom.1. verb. Matrimonium VI. num.7.* Trullench.

10. Juxta probabiliorem ſententiam ſponſalia metu viri conſtantis inita, ſunt ipſo iure nulla, per *cap. Ex litteris, de deſponſat. impub.* Sed difficultas eſt, an ſint valida, ſi iuramentum accedat, vel ſaltem iuramentum ſit obſeruandum, donec relaxetur? Circa hanc difficultatem eſt duplex ſententia. 1. ſuſtinet id iuramentū valere, & indigere relaxatione: quia id iuramentum non vergit in diſpendium ſalutis æternæ; poteſt enim ſeruari abſque omni culpa, maximè cùm ad redimendam propriam vitam, licitum ſit obligare ſe ad contrahendum: ergo obligat, iuxta *cap. Cùm contingat, de iureiur.* & *cap. Quamuis pactum, de pactis in 6.* Tum quia iurans ſoluere vſuras, tenetur obſeruare iuramentum, *ex c. Debitores, de iureinr.* quamuis id iuramentum non confirmet contractum. Ergo &c. Hæc ſententia eſt probabiliſſima, quam tenent Sylueſter *verb. Sponſalia, quæſt.6.* Sotus *l.b.8. de iuſtit. quæſt.1. art.7. in ſolut. ad 3.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap.9. n.6.* & alij multi apud Sanchez infrà. Nihilominus contraria ſententia non eſt improbabilis: quia dum contractus aliquis ob publicā vtilitatem prohibetur, ſi iuramento ſtabiliatur, iuramentum nullam parit obligationem, nec relaxatione indiget: Sed ſponſalia coacta, quæ ſunt initiū matrimonij, prohibentur ob publicam vtilitatem, ſicut & ipſum matrimonium coactum: ergo iuramentum illis accedens, minimè obligat. Vnde patet reſponſio ad rationem contrariæ ſententiæ; nam contractus vſurarius prohibetur principaliter ob bonum priuatum: nō enim intereſt reipublicæ, ſiue hic ciuis, ſiue ille pecuniam per vſuram extortam comparet; ſponſalia verò coacta ob publicam vtilitatem interdicuntur. Ita Sanchez *de matrim. lib.4. diſp.21. num.2. & 3.* Arragon 2.2 *q.89. art.7. circa ſolut. ad 3.* Barboſa *in collect. tom.2. lib.4. tit.2. cap.11. num.4.* Diana *part.3. tract.4. reſol.278.* Sylueſter. Sotus. Henriq. Sanchez. Aragen. Barboſa. Diana.

Quoad primam autem difficultatis partem, dicendum eſt ſponſalia non effici valida accedente iuramento: quia iuramentum metu extortum cùm non confirmet contractum, relinquit illum in priſtino valore aut nullitate: quare ex illis nullum orietur publicæ honeſtatis impedimentum. Ita Sanchez *loco citato num.1.* Diana *loco citato.* Sanchez. Diana.

11. Sponſalia diſſolui poſſunt ex parte alterius ob notabilem ſæuitiam aduenientem aut cognitam poſt ſponſalia. Ratio eſt, quia ob illam impletio ſponſalium fit alteri notabiliter durior, & quia ob illam poteſt fieri diuortium, *cap. Literas, de reſtit. ſpoliat. in fine.* ergo à fortiori diſſolui poſſunt ſponſalia: hoc enim argumento vtitur textus, *cap. Quemadmodum, de iureiur.* ad probandum fornicationē dirimi ſponſalia, quia ea eſt iuſta diuortij cauſa. Et ob eandem rationem idem dicendum eſt de quolibet ſufficienti cauſa ad faciendum matrimonij diuortium. Ita Henriquez *lib.11. de matrim. cap.14. num.6.* Coninck *diſp.23. n.67.* Hurtado *diſ.1. de ſponſal. difficult.14. num.50.* & communis. Henriquez. Coninck. Gaſp. Hurt.

Sed quid dicendum, ſi tempore celebrationis ſponſaliorum alter ſponſus ignorabat hoc vitium, ſeu cauſam ſufficientem ad illa diſſoluenda, ſed ita erat animo affectus vt ſi vitium cognouiſſet, nihilominus ſponſalia contraxiſſet? Reſp. non poſſe reſilire. Ratio eſt, quia decepto non permittitur contractum reſcindere, vbi dolus cauſam non dedit, ſed tantùm agere ad intereſſe. Tum quia illud vitium ſufficit ad diſſoluenda ſponſalia, quod cenſetur ſaltem tacitè contra voluntatem promittentis. Sed in hoc caſu vitium non cenſetur contra promittentis voluntatem, cùm abſolutè promiſerit, & adhuc promiſiſſet cognito eo vitio: ergo non poteſt ſponſalia diſſoluere propter illud vitiū tempore ſponſaliorum ignoratum, ſi ita erat affectus, vt eo cognito promiſiſſet. Ita Gutierrez *de matrim. c.33. n.9.* Perez *de ſponſal. §.6.* Sanchez *lib.1. diſp. 65. n.2.* Trullench *in praxi reſol. Sacrament. lib.7. cap.2. dub.13. n.3.* & alij. Hinc fit, vt qui promiſit matrimonium Bertæ pauperi, aut defloratæ, quam credebat eſſe diuitem aut virginem, teneatur ſtare ſponſalibus, ſi tempore ſponſalium ita erat animo diſpoſitus, vt ſponſalia contraxiſſet, etiamſi ſciuiſſet illam eſſe pauperem, aut defloratam. Gutierrez. Perez. Sanchez. Trullench.

Si autem dubitet, an in contrahendo ſponſalia, habuerit illam animi diſpoſitionem; conſideranda eſt vitij grauitas: nam ſi vitium eſt graue, præſumetur non habuiſſe affectum ſeu voluntatem habitualem ſe obligandi; nam fortiſſima præſumptio deſumitur ex communiter accidentibus, vt ait Menochius *lib.1. de præſumpt. quæſt.18.* Sed homines communiter nolunt promittere, vel ſe obligare interueniente aut cognito graui vitio: Ergo &c. Ita Sanchez *loc. cit. n.4.* Nauarrus *in man. cap.18. n.7.* Gutierrez *cap.33. num.9. & cap.34. num.8.* Trullench *loco citato*, & alij. Menoch. Sanchez. Nauarrus. Gutierrez. Trullench.

12. Alter ſponſus poteſt licitè & ſine peccato contrahere matrimonium, quando aliquo occulto vitio laborat, cuius ſi alter conſcius eſſet poſſet licitè à ſponſalibus promiſſis reſilire, modò defectus alterius ſponſi reddant nuptias minùs appetibiles. Hinc non tenetur ſponſus illos defectus detegere, maximè quando ſunt occulti, vel aliquâ notâ infamiæ coniuncti. Vnde etiam interrogatus de illis non tenebitur propalare & detegere cum ſuo incommodo & rubore, poteritque huiuſmodi defectus prudenter diſſimulare. Vnde recèns nupta licitè & conſultò poteſt vti aliquo artificio, quo impediat ne vir deprehendat corruptam fuiſſe: nam in tali caſu non propriè fingit, ſe eſſe virginem, ſed vitium occultat propter ſuum commodum & honorem. Imò in tali caſu excuſabitur à peccato mortali, etiam ſi apertè diceret, ſe eſſe virginem, niſi eſſet periculum, nè vir poſtea corruptam deprehenderet. Verùm in caſu mortis mariti non poterit licitè petere dotarium ſuæ Virginitatis. *Si autem* defectus tales ſunt qui reddunt matrimonium pernicioſum, vt morbus contagioſus, improbi mores, à quibus alter ſponſus deſiſtere non vult, grauis infamia, ſiue perſonalis, ſiue generis, quæ poſſet honeſtam familiam alterius ſponſi deturpare, & ex quibus infelices exitus matrimonij contracti poterunt probabiliter deuenire, tunc non licebit cum horum ſponſō ignaro contrahere niſi etiam alter ſponſus ſimiles defectus patiatur. Ita Pontius *de matrim. lib.11. cap.18. n.5. & 6.* Coninck *de Sacrament. diſp.23. dub.12. n.91. & ſequent.* Diana *part.3. tract.4. reſol.287.* Auerſa *quæſt.8. de matrim. ſect.19. §.5.* & alij. Pontius. Coninck. Diana. Auerſa.

Ex qua doctrina colligitur, eum, qui defectum prioris generis habet, poſſe ignarum illius defectus renuentem compellere, vt adimpleat ſponſalia prōmiſſa: non enim priuari debet iure ſuo, dum defectus non eſt pernicioſus, & nondum deuenit in notitiam alterius ſponſi. Si autem defectus ſint pernicioſi, vt ſuprà, tunc non poterit licitè compellere alterum ſponſum ad contrahendum matrimonium, quia faceret contra iuſtitiam inducendo alterum ſponſum illicitè ad matrimonium contrahendum, de quo probabiliter timeretur infelix exitus aut notabile damnum alterius: ſed potiùs debet ex ſe deſiſtere, fingendo aliam quamcunque cauſam,

Digitized by Google

cauſam, vt ſponſus à promiſſione facta liberetur. Ita Doctores citati, quibus adde Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *diſp.*68. *num.*8. Sanchez.

13. Quotieſcumque poſt ſponſalia inita inſurgit quæcumque noua cauſa, ſiue notabilis mutatio alterius ſponſi, ſiue in bonis, ſiue in perſona, ſiue in fama, ſiue in moribus, ſiue quæcumque alia inconuenientia, quæ ſi ab initio fuiſſent præuiſa retraxiſſent animum illius ſponſi, qui huiuſmodi ſponſalia promiſit; à promittendo, poteſt alter in tali caſu iuſtè recedere à ſponſalitia promiſſione etiam iuramento firmata: quia iuramentum includit omnes conditiones contractus, cui adiicitur *l. final. C. de non numer. pecunia.* & intelligitur rebus in eodem ſtatu manentibus, *cap. Quemadmodum, de iureiurand.* Ratio eſt, quia promiſſio non obligat vltra promittentis intentionem. Sed intentio virtualis eſt promittentium, non ſe obligare in hoc caſu indiſſolubiliter: ergo eſt iuſta cauſa diſſoluendi: quia rebus notabiliter mutatis promiſſio non obligat. Tum quia in matrimoniis celebrandis requiritur plena libertas & complacentia vtriuſque ſponſi, debentque mutuo amore confoueri, eò quòd ſit vinculum omnino indiſſolubile. Ita Nauarrus *in man. cap.* 22. *n.* 27. Coninck *diſp.* 23. *dub.*8. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *diſp.*62. *n.*3. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap* 14. *in fine.* Sylueſter *verb. Sponſalia, queſt.* 10. *caſu* 17. & *verb. Iuramentum* 3. *queſt.* 1. *dict.* 3. Petrus Soto *lect.* 18. *de matrim.* §. *Nunc de ratione,* & communis. Nauarrus. Coninck. Sanchez. Henriq. Syluester. P. Soto.

14. Omnes cauſæ ſufficientes ad diſſoluenda ſponſalia, quæ poſtea ſuperueniunt, ſunt etiam ſufficientes ad ea diſſoluenda pariter, ſi præcedebant, & ignorabantur, poſtea tamen ante matrimonium contractum deteguntur. Ratio eſt, quia ſi quis vendat occultando vitium, eſt cauſa ſufficiens ad diſſoluendam venditionẽ: ergo à fortiori vitium occultum eſt cauſa ſufficiens ad diſſoluenda ſponſalia contracta, per illius vitij ignorantiam: cùm nullus ſit contractus tantam libertatem exigens, ac ſponſalium. Tum quia quilibet ſponſus ſemper cenſetur noluiſſe ſe obligare in huiuſmodi euentu ad contrahendum matrimonium, cognitâ tali cauſâ: cùm enim ſponſalia diſſolui poſſint quando ſuperuenit notabilis mutatio in perſona alterius ſponſi; ſimiliter etiam poſſunt diſſolui, quando talis cauſa, ſiue mutatio de nouo cognoſcitur, quæ tempore ſponſalium latebat. Ex quo fit, quod ob fornicationem præcedentem ſponſæ, poteſt ſponſus, qui eam ignorabat, virginem eſſe exiſtimans, diſſoluere ſponſalia: quia ignominioſum eſt viro feminam corruptam ducere, cùm exinde notabile damnum incurrat, bigamiam ſcilicet contrahendo, & proinde ad Ordines ſi illos eligat, promouere non poſſit. Ita Sanchez *lib.* 1. *diſp.*63. *n.*2. Pontius *de matrim. lib.* 12. *cap.*18. *num.* 2. Sotus *in* 4. *diſp.*27. *queſt.*2. *art* 5. *caſu* 7. Bonacina *de ſponſalib. queſt.* 1. *punct.*8. *num.* 16. Leſſius, Rebellus, Filliucius, Reginaldus apud ipſum. Qui idem dicendum putant ſi ſponſus crederet eſſe virginem, cùm tamen ſit vidua: quia non infima nota eſt viduam ducere, & magis æſtimant homines, virgo ne, an vidua ſit ducenda in vxorem, ob irregularitatem quam incurreret ducendo viduam. Sanchez. Pontius. Sotus. Bonacina. Leſſius. Rebellus. Filliucius. Reginald.

15. Dubium eſt, an per fornicationem ſponſi præcedentem ignoratam poſſit ſponſa diſſoluere ſponſalia? Rationem dubitandi præbet Nauarrus *in man. cap.* 22. *num.* 27. *caſu* 9. vbi ait indiſtinctè poſſe diſſolui ſponſalia propter alterius fornicationem præcedentem ignoratam. Sed tanquam certum tenendum eſt contrarium. Ratio eſt, quia viri fornicatio præcedens ſponſalia, non eſt contra fidem deſponſationis, nec graue dedecus infert ſponſæ, & nulla nota, nec ignominia eſt feminæ, viro qui aliam cognouit nubere; ſicut infert fornicatio ipſius ſponſæ, etiamſi commiſſa fuerit ante ſponſalia, grauem ignominiam ſponſo. Deinde in fornicatione viri non eſt idem inconueniens, quando præcedit, & quando ſubſequitur: quia quando ſequitur, dat ius diſſoluendi ſponſalia, eò quòd eſt contra eorum fidem, indeque ſuſpicio oritur de non ſeruanda matrimonij fide; & ideo non dat ius diſſoluendi, quando præcedit; quia ceſſat hæc ratio: at fornicatio ſponſæ vltra hanc rationem, concedit ius dirimendi ſponſalia ob infamiam viri & notabilem differentiam, quæ verſatur inter matrimonium celebratũ cum muliere honeſta, vel inhoneſta: quæ ratio æquè procedit in fornicatione feminæ ſequenti, vel præcedenti ignorata. Ita Molina *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 272. *verſ. Deinde ſi mulieri.* Coninck *diſp.* 23. *n.* 57. *&* 62. Bonacina *de ſponſal. q.* 1. *punct.* 8. *n.* 1. Trullench *in praxi reſol. Sacrament. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 9. *n.*3. Sanchez *loc. cit. diſp.* 63. *n.* 9. & alij communiter. Molina. Coninck. Bonacina. Trullench. Sanchez.

16. Quando vterque ſponſus poſt ſponſalia fornicatur, ſponſus poteſt reſilire à ſponſalibus, non autem ſponſa. Ratio eſt, quia quamuis quoad fractionem fidei & iuris, facta ſit æqualis compenſatio, non tamen quoad vtilitatem: quia ſponſa fit notabiliter vilior, non verò ſponſus. Tum quia longè ignominioſius eſt talem ducere vxorem fornicariam & violatam contra fidem ſponſalium, quàm ſponſam ducere virum fornicarium. Nam ex fornicatione ſponſæ longè grauius delictum & damnum imminet propter incertitudinem futuræ prolis, & ideò in tali caſu delicta ſunt valdè imparia, nec poſſunt inter ſe compenſari: quia iniquè fieret compenſatio, vbi detrimentum eſt multò grauius: multò enim turpior eſt fornicatio in femina, quàm in viro. Ita Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 14. *n.*6. Pontius *de matrim. lib.* 12. *cap.*17. *n.*3. Gutierrez *de matrim. cap.* 31. *n.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 284. Sanchez *loc. cit. diſp.* 55. *n.* 9. Gefualdus *part.* 1. *Theolog. moral. tract.* 33. *cap.* 7. *n.* 12. Trullench *loco citato num.*4. Quamuis Paludanus *in* 4. *diſt.* 27. *queſt.* 1. *art.* 3. *mum.* 17. *verſ. Quarto in compenſando.* quem ſequitur Bonacina *loco citato punct.* 8. *num.*6. dicant in hoc caſu vtriuſque ſponſi delicta compenſari, ita vt nulli liceat à ſponſalibus reſilire, ſicut & inter coniuges, ſi vterque adulteratus fuerit, nulli ipſorum licebit diuortium à toro facere. Sed hoc argumentum non valet: quia multò faciliùs ſoluuntur ſponſalia quàm matrimonium quoad torum: illa enim ob quamlibet mutationem notabilem ſuperuenientem ſoluuntur, hoc autem minimè. Henriq. Pontius. Gutierrez. Diana. Sanchez. Gefualdus. Trullench. Paludanus. Bonacina.

17. Vir poteſt à ſponſalibus recedere, quando ſponſa ab altero viro per vim cognita fuit. Ratio autem non ſolum eſt, quia efficeretur bigamus, verùm etiam quia magnum eſſet dedecus viro talem ducere vxorem; præſertim, quia non ita facilè conſtare poteſt ſponſo, an per vim & omninò inuoluntariè fuiſſet cognita. Propterea in tali caſu cenſetur facta eſſe notabilis mutatio in ſponſa, Ideoque poterit licitè talis ſponſus in eo caſu reſilire à ſponſalibus. Similiter poſſunt ſponſalia diſſolui, ſi poſt femina tactus impudicos alterius, vt amplexus & oſcula patiatur; quia nec cenſentur valde ignominioſa reſpectu ſponſi, & magna eſſet mutatio honoris ſponſæ & tendens in magnum eius ignominam, quâ mutatione præuiſa ſponſus non promiſiſſet ſponſalia. Ita Sanchez *libro primo, diſputatione* 55. *numero* 5. *&* 7. Hurtadus *de matrim. diſput.* 21. Nauarrus. Sanchez. Gaſp. Hurt.

Nauarrus. *diſſic.* 11. *num.*4. Nauarrus *in man. cap.*22. *num.*27.
Bonacina. Bonacina *loco citato punct.*8. *num.*2. & 3. Trullench
Trullench. *in praxi reſol. Sacram. lib.*7. *cap.* 2. *dub.* 9. *num.* 2.

Contrarium autem dicendum videtur, ſi vir omninò inuitus & culpæ expers fornicationem pateretur, vel tactus impudicos cum alia haberet: nam inde nullum dedecus ſequitur ſponſæ, nec iſta cenſetur notabilis mutatio, quâ præuisâ præſumatur ſponſam noluiſſe promittere, ſeque obligare, nec aliud damnum patitur ducendo ſponſum, qui omninò inuitus, & ſine culpa fornicationem paſſus eſt. Ita Doctores citati. Vide Dianam *part.* 3. *tractat.* 4. *reſol.* 283.

Diana.

18. Sponſus conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſolutionem ſponſalium amittit ius reſiliendi ſi copulam habeat cum ſponſa, ſi ſponſalia fuerint valida. Ratio eſt, quia eo acceſſu, vtpote facto ſub ſpe matrimonij, ſatis oſtendit ſponſus ſe cedere iuri reſiliendi & in priori conſenſu permanere: ſicut enim coniuges ſcientes fornicationem ab altero coniuge commiſſam, ſi ſe cognoſcant, amittunt ius petendi diuortium; ita à pari ſponſus amittet per eam copulam ius reſcindendi ſponſalia. Ita Sanchez *lib.*1. *diſp.*66. *num.*2. Filliucius *tract.* 10. *part.*1. *cap.*8. *num.*298. Reginaldus *lib.*31. *n.*267. Rodriguez 1. *part. Summæ Latinæ cap.*207. *num.*12. Gutierrez *cap.*34. *num.*9. & alij apud Sanchez. Et hoc verum eſt, non ſolùm in foro exteriori, in quo ita iudicabitur, quia dicta copula eſt vehemens indicium remiſſionis defectus & ceſſionis iuris reſiliendi; ſed etiam in foro interiori conſcientiæ, quando ſcilicet habuit copulam animo implendi ſponſalia. Ita Gaſpar Hurtadus *de ſponſal. diſſic.* 16. *num.* 50. Si verò non eo animo acceſſit ad ſponſam, dubium eſt, an cenſeatur verè remittere ius reſiliendi? Negat Hurtadus, ſi aliâ viâ, quàm ducendo ſponſam, poſſit damno illato, ſi quod intulit libere eo acceſſu, ſatisfacere, vt ſi eo acceſſu facto ſub ſpe matrimonij, ſponſa reddatur minus apta ad contrahendum alteri æquali. Affirmat Sanchez *loco citato num.* 3. ſicut non poteſt peterè diuortium matrimonij coniux, qui conſcius fornicationis alterius, copulam habuit, licet habeat animum iniuriam non remittendi: nam ea remiſſio non à voluntate ſua, ſed ex iure ipſo proficiſcitur. Utrumque probabile.

Sanchez. Fillucius. Reginald. Rodrig. Gutierrez.

Hurtadus.

Hurtadus.

Sanchez.

Quando autem ſponſalia fuerunt inualida, non tenetur ſponſus ſtare ſponſalibus, & ex vi ſponſaliorum contrahere matrimonium cum ea, quam carnaliter cognouit: nam ſponſalia inualida non inducunt obligationem, nec fiunt validâ per copulam habitam, niſi ſponſus tunc habuerit animum permanendi in prioribus ſponſalibus, ſciens eſſe irrita, & per illum actum tacitè ratificari; quia tunc manent firma. Ratio eſt, quia cùm ſponſa decipiens, habilis fuerit ad contrahendum, vt ſupponitur, conſenſus ex parte ſua validus fuit, & is dum non reuocatur, virtute durat, & ſolùm deſiderabatur conſenſus alterius, qui ratione doli ineffi-cax erat: ſed hic modò accedit, & manifeſtatur ſigno exeterno, nempe copula, quæ conſenſus matrimonialis ſuffiecins indicium reputatur, *cap. Is qui fidem, de ſponſal.* Ita Sanchez *loco cit. num.* 4. Bonacina *de ſponſal. quæſt.* 1. *punct.* 10. *num.* 10. & alij citati.

Sanchez. Bonacina.

19. Certum eſt ſponſalia puberum ex mutuo contrahentium conſenſu diſſolui, *ex cap.*2. *de ſponſalibus*, vbi dicitur, *qui de contrahendo matrimonio ſibi fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, vt fidem obſeruent: ſi autem ſe ad inuicem admittere noluerint, ne deterius inde contingat; poteſt in patientia tolerari*; quia omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, *c.*1. *de Regul iuris*: ergo cùm ſponſalia ex mutuo conſenſu conſurgant, eodem diſſoluuntur; modò remiſſio ſponte fiat, non coactè; aliàs nulla erit. Hoc autem procedit etiamſi iuramento ſponſalia confirmata ſint, ſi iuramentum illud in partis fauorem præſtitum ſit: quia iuramentum dirigitur in Deum tanquam in teſtem promiſſionis homini factæ; quare remittente homine, remittit etiam ipſe Deus. Ita D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 9. *ad* 2. communiter ferè receptus.

Reg. iuris. D. Thom.

Non conueniunt tamen Doctores, ſi iuramentum ſponſalibus adiectum eſſet principaliter in honorem Dei factum, an poſſint ſponſalia conſenſu mutuo remitti? duplex eſt enim ſententia. Prima negat ex doctrina D. Thomæ hîc citati, vbi ait cum, cui aliquid promittitur iuuitu pietatis, non poſſe remittere: Deus enim eſt principalis creditor, cui ex merito talis iuramenti, fuit acquiſitum ius; ergo ſine auctoritate Dei, vel eius, qui vicem eius gerit, nequit remitti, nec relaxari.

Tum quia iuramentum factum intuitu pietatis, voto æquiualet, vt tradunt omnes: ſed in voto nihil poteſt priuata perſona, cùm ſoli Deo acquiratur. Ita cum D. Thoma Sotus *lib.*8. *de iuſtit. q.*1. *art.*9. *ad* 2. Syluester *v. Sponſalia, quæſt.*10. *caſu* 1. & *ibi* Roſella *num.*8. Angelus *num.*20. & nouiſſimè Diana *part.*9. *tract.*7. *reſol.*76. & alij valde probabiliter. Contraria tamen ſententia ſuſtinetur à multis tanquam probabilior, nempe mutuo conſenſu diſſolui poſſe: quia quamuis iuramẽtum Deo præſtitum ſit ipſe Deus, recipit illud in partis vtilitatem: ergo pars cui debetur, remittere poteſt, ſicut alia debita condonare. Ita Pontius *de matrim. lib.* 12. *cap.*9. *num.*2. Sanchez *lib.*1. *diſp.*52. *n.*8. Gutierrez *cap.* 24. Coninck *diſp.* 23. *dub.* 1. Bonacina *de ſponſal. quæſt.*1. *punct.*10. *num.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 42. *dub.* 12. *num.* 57. Trullench *in praxi reſol. Sacrament. lib.*7. *cap.*2. *dub.*3. *num.* 3. & alij plurimi penes ipſos: quia hoc iuramentum cenſetur factum ſub conditione, ſi ille, in cuius fauorem factum eſt, velit acceptare, & nolit illud reſpuere, aut renunciare iuri ſuo, aut remittere obligationem. Ad rationem autem contrariæ ſententiæ poſſet reſponderi, quod licet Deo acquiratur ius per tale iuramentum, & huic directè non poſſit renunciare is cui fit promiſſio, at poteſt indirectè & conſecutiuè: eo enim ipſo, quod cedit iuri ſuo, vt poteſt, conſequenter ceſſat ius Dei, quod eſt annexum iuri hominis illius.

D. Thom. Sotus. Syluester. Roſella. Angelus. Diana. Pontius. Sanchez. Gutierrez. Coninck. Leſſius Trullench.

10. Ad diſſoluendum ſponſalia ob aliquod impedimentum impediens matrimonium, cum quo contrahere eſt peccatum, ſufficit vnus teſtis fide dignus. Habetur expreſsè *in cap. Super eo, el* 2. *de teſtibus*, & *cap. Præterea, el* 2. *de ſponſalib.* Ratio eſt, quia tunc agitur de vitando peccato, quod ſponſi impediti committerent, ſi contraherent contra Eccleſiæ prohibitionem. Ita communiter Doctores. Quando autem allegatur alia cauſa, quâ exiſtente nullum eſſet peccatum contrahere; vt ſi ad diſſoluendum ſponſalia allegat ſponſus fornicationem ſponſæ, non ſatis eſt vnius teſtimonium, *cap. Licet ex quadam, cap. Veniens, cap. In omni negotio, de teſtibus.* Ratio eſt, quia hîc agitur de præiudicio iuris alteri acquiſiti, ne ſibi fides præſtita impleatur: & ab hac regula generali ſolùm excipitur, quando opponitur impedimentum matrimonij, ratione peccati vitandi: ergo non debet extendi ad caſum, vbi non agitur de peccato vitando, ſed de ſolo tertij præiudicio. Proinde in hoc caſu cùm agatur de alterius peccato probando, ſcilicet fornicatione, non niſi duplici teſte probatur.

batur. Ita Sanchez *lib.1. diſp.71. num.1. & 7.* Coninck *diſp. 23. n. 81.* Hurtadus *de matrim. diſp. 2. difficult. 19. num. 67.* Trullench *loco citato, lib.7. cap.2. dub.17. num.5.* & alii.

Sanchez. Coninck. Gaſp.Hurt. Trullench.

Tamen, vt vnicus teſtis ſponſalia perfici impediat, debent in eo concurrere aliquæ qualitates, quarum *Prima* eſt, vt teſtis deponat: ſi enim ſolùm denunciaret, non impediret matrimonium, niſi probaret de fama. *Secunda*, vt teſtis iuret: parum enim creditur non iuranti, *cap. Tua. de cohabitat. Cleric. Tertia*, vt is teſtis aſſerat cum iuramento ſe certò ſcire impedimentum; aliàs de ſolo auditu teſtificans, non impediret: niſi ad probandam conſanguinitatem; tunc enim ſatis eſt de auditu teſtari, vt ſi deponat ſe id audiuiſſe à duobus ſuis maioribus fide dignis, & quod diſtinguat clarè gradus conſanguinitatis, iuxta formam *cap. Licet in quadam, de teſtibus. Quarta* qualitas eſt, vt non ſit perſona vilis: talis enim ſponſalia etiam non iurata, perfici minimè impediret: niſi impedimentum ita ſit clandeſtinum, vt probari nequeat, niſi per vilem perſonam. Hinc iudex conſiderare debet qualitatem perſonæ teſtificantis, & an ſibi diſpliceat matrimonium, necne, & alias circumſtantias. De his qualitatibus plura apud Iuriſperitos, quos refert & ſequitur Sanchez *loco citato. num. 9. & ſequentibus.* Gutierrez *quæſt. canonic. lib. 1. cap. 11. n. 31. & ſeqq.*

Sanchez. Gutierrez,

21. Ad diſſoluenda ſponſalia ſufficit etiam ſola fama impedimenti, vt habetur *in cap. Super eo, de conſanguin.* etiamſi ſint iurata. Non tamen ſatis eſſet fama ad impediendum matrimonium, adhibitis de contrarla fama clarioribus probationibus. Et ad deponendum contra hanc famam admittitur etiam conſanguineorum iuramentum. Imò hæc fama eliditur, eiuſque probatio, ſi contra illam contrahere volentes iurent ſe non eſſe conſanguineos: tunc enim iudicis arbitrio relinquitur, iuxta perſonarum qualitatem admittere hoc iuramentum contra famam. Ita Maſcardus *de probationibus concl.* 1035. *num.* 12 *& ſeqq.* Alexander de Neuo *in cap. Cùm in tua, de ſponſal. num.* 13. & alij apud Sanchez *loco cit. diſp.71. num.* 13. *& ſeqq.* Trullench *loco cit. dub.* 17. *num.* 3. Gaſpar Hurtadus *loco cit. num.* 69. Ceterùm quamuis fama ſufficiat ad diſſoluenda ſponſalia, non tamen rumor: quia minus probat, quàm fama: cùm fama ſit acclamatio, ſeu opinio maioris partis viciniæ, aut communitatis, in qua ad minus habitant decem; rumor verò ſit opinio minoris partis. Angelus, Sylueſter *v. Fama, num.* 4.

Maſcardus. Alexand. de Neuo. Sanchez. Trullench. Hurtadus. Angelus. Sylueſter.

Sed quæres, an diſſolui poſſint ſponſalia, quando ſponſi confitentur impedimentum? Reſpondeo, ſi vterque ſponſus fateatur impedimentum, ſatis eſſe; quia tunc ſatis explicat mutuam refiliendi voluntatem. Si alter tantùm fateatur impedimentum, & eſt ille, qui matrimonium celebrari optat, ſatis etiam eſt; quia alter volens non ſubſequi matrimonium, tam ex parte ſua diſſentit. Denique ſi fatens impedimentum ſit ille, qui matrimonium recuſat, non ſtatur eius confeſſioni: quia eſt in ſuum fauorem & in præiudicium iuris tertij acquiſiti: vnde huiuſmodi confeſſioni non adhibetur fides. Coninck *diſp.23. dub.11.* Trullench *loco cit. num.6.* Bonacina *de ſponſal. q.1. punct. 10. n.11.* Sanchez *diſp.72.* Gutierrez *de matrim. c.36.* & alij.

Coninck. Trullench. Bonacina. Sanchez. Guitrrez.

Vide v. Beneficium 8. *n.* 1. Fornicatio *n.* 4.

STIPVLATIO.

SVMMARIVM.

1 *Stipulationis contractus, quid ſit.*

2 *Stipulatio facta inter homines diuerſarum linguarum quando ſit valida.*

3 *An ad validitatem ſtipulationis neceſſe ſit, vt ſtipulans & promittens ſint præſentes, & reſponſio ſtatim poſt interrogationem ſequatur.*

An per ſtipulationem contractus innominati firmentur & pariant actionem.

4 *Stipulatio an fieri poſſit ſimpliciter & purè, aut ſub conditione, aut in diem certum.*

1. STipulatio eſt contractus, qui verbis perficitur, præcedente nimirum interrogatione vnius, quâ ab altero petit, an promittat, vel adſtringat ſe ad dandum aliquid, vel faciendum, & ſubſecutâ reſponſione, ac ſponſione alterius, quâ promittat id ſe facturum, aut concedat. *Inſtitut. de verbor. obligat. in princip.* Is qui interrogat, ac petit promitti ſibi ab alio, dicitur ſtipulans, ſeu ſtipulator. Is verò, à quo ſtipulatur, promiſſor huncupatur. Sumitur etiam interdum ſtipulari paſſiuè, quo pacto, qui interrogatur & promittit, ſtipulari & ſtipulatus dicitur, vt patet *l. Si non ſortem* § *penult. ff. de condict. indebit.* Olim certæ verborum formæ erant præſcripæ ad interrogandum & reſpondendum, ſine quibus contractus non valebat: hodie verò ſatis eſt, vt quibuſcumque vocibus, id in idiomate aliquo ſignificantibus, vnus ſufficienter exprimat alteri petitionem ſuam & alter illi ſuum conſenſum, *l. omnes, Cod. de contrahendâ & committend. ſtipulat.*

2. Stipulatio facta inter homines diuerſarum linguarum, etiamſi interrogatio fiat in vno idiomate, & promiſſio in alio, valida eſt, modò tamen ſe inuicem intelligant, ſaltem per interpretem, vt habetur *l 1. & vlt. ff. de verb. obligation.* Hinc eſt, vt inter abſentes, hoc eſt, inter adeò diſtantes, vt vnus ſignificationem vocis alterius percipere nequeat, perfici non poſſit, *Inſtit. §. Item verborum, de inutil. ſtipulat.* Si tamen in publico inſtrumento contineatur, ſtipulantem & promittentem præſentes fuiſſe, ſtatur inſtrumento, niſi is, qui promiſit, contrarium ſufficienter probet, *l. Quoniam, C. de contrahend. ſtipulat.* Eodemque modo cum muto, aut ſurdo contrahi non poteſt ſtipulatio, niſi per Procuratorem, aut per publicum Notarium, ſupplente nutu, aut ſcriptura, *l. 1. ff. de verbor. obligation.* Molina *de contract. tract. 2. diſput. 254. num. 4. & 5.*

Molina.

3. Vt valida ſit ſtipulatio, neceſſe eſt, vt non ſolùm ſtipulans & promittens præſentes ſint, ſed etiam vt reſponſio continuò poſt interrogationem ſequatur, hoc eſt, non ex interuallo, ita vt promittens priùs diuerterit ad alia: ſi namque poſtquam ad alia diuertit, reſpondeat, neque iterum adhibeatur interrogatio, inualida eſt ſtipulatio. Si verò ſit quidem ex aliquo interuallo, vt quia interrogatus diſcedat paululum, & deindè reuertatur antequam diuertat ad alia, valida erit ſtipulatio, vt habetur *l. 1. §. Qui præſens,* & *l. Continuus, in princip. ff. de verbor. obligat.* In dubio autem an diuertiſſet ad alia, necne, poſſet repeti interrogatio, atque ita ſuccedente reſponſione continuò, tolleretur omne dubium de eius inualiditate. Inducta eſt ſtipulatio vt eâ firmentur contractus innominati: quia contractus innominati non valent in foro externo, nec actionem producunt, niſi ab vna parte aliquid interueniat: quod ſi ſtipulatione firmentur, valent, & ampliùs pœnitentiæ locus non eſt, etiamſi nihil interueniat, *l. Ex placito, Cod. de rerum permutat.* Et ita contractus innominati per adiectionem ſtipulationis fiunt nominati, & pariunt actionem.

Portò

Porrò ſtipulatio omnes contractus etiam nominatos, quibus accedit, validius firmat, & producit actionem ad dandum, faciendum, vel præſtandum, quòd promittitur.

4. Omnis ſtipulatio fieri poteſt, aut ſimpliciter & purè, aut ſub conditione, aut in diem certum, §. *Omnis ſtipulatio, Inſtitut. de verbor obligat.* Quando purè fit, ſtatim obligat & peti poteſt id, quod promittitur: quando ſit ſub conditione licet ſtatim obliget, non tamen poteſt peti, quod promittitur, niſi conditione impletâ. Hinc fit, vt ſi conditio ſit rei præſentis vel præteritæ, ſi res non ſit, nihil valeat ſtipulatio; ſi verò adſit ſtatim valeat, §. *Condit ones, Inſtitut. de verbor. obligat.* Quando ſtipulatio ſit in diem certum, licet ita m obliget, non tamen poteſt peti quod promittitur, quouſque præterierit dies, in quem eſt facta promiſſio, quia totus dies arbitrio ſoluentis tribuitur. Sicut etiam ſtipulatio purè facta, ſtatim præſenti die quo eſt facta, obligat; ſed peti non poteſt quod eſt promiſſum, quouſque dies hodiernus prætereat, §. *Cùm quis, Inſtitut. de verbor. obligat.* Plura de ſtipulatione non pertinent ad forum conſcientiæ, ſed ad forum externum. Qui autem poſſint pro abſenti ſtipulari? diximus *tom. 1. verb. Promiſſio, num. 13.*

De ſtipulatione vide v. Donatio *num. 20.* Compromiſſum *num. 9. & 11.* Pactum *num. 3.*

STVPRVM.

SVMMARIVM.

1 *Cùm ſtuprator Virginis duplex ei damnum inferat, naturale & temporale, ad quod eorum teneatur.*

Quando femina vi vel metu violata, nupſit æquè bene, ac ſi fuiſſet virgo, an aliquid ei ſit reſtituendum? Refertur duplex ſententia.

2 *Quando puella eſt genere nobilior & non vult corruptorem ſibi matrimonio copulare, an teneatur corruptor ei aliter damnum reſarcire, ſi matrimonium promiſit?* Refertur duplex ſententia.

3 *Quando puella vi deflorata fuit, & ſtuprator non vult in coniugem accipere, aut parentes nolunt eam illi tradere, an teatur ſtuprator eam dotare? Et quid ſi ſtuprator fingebat ſe nobilem vel diuitem, vt eam deciperet? Et quid ſi pater polit & ipſa velit.*

4 *An ſtuprator per vim, metum, aut fraudem excuſetur à reſtitutione, ſi ſtuprata l berè etiam abſque conſenſu patris eam remittat? Et quid ſi cognita fuerit ab alio., ſed publicè habebatur virgo? Et quid ſi femina concepit ex copulâ illa violenta.*

5 *Qui vi, aut fraude habuit copulam cum corrupta, quæ virgo putabatur, an teneatur eam ducere, ſi matrimonium fictè promiſit? Et quid ſi ipſa ſponte conſenſerit in copulam, & ſuâ culpâ, vel viri fuerit exinde diffamata.*

6 *Quando teneatur ad reſtitutionem ille, qui puellam non deflorauit quidem, ſed accedendo ad locum vbi illa eſſet, in cauſa eſt, vt illa infametur, vel vt aliud damnum in bonis fortunæ illi ſequatur.*

1. STuprator duplex damnum poteſt inferre, ſicut homicida: naturale nempe & pecuniarium, ſeu in bonis. Naturale eſt, violatio clauſtri virginalis, ſecundùm ſe conſiderata. Temporale verò & pecuniarium eſt damnum, quod patitur in ordine ad matrimonium, eò quòd violata maiorem requirat dotem, vt æquè ac antea nubat. Hinc ſtuprator ſolùm tenetur pro damno temporali, ſeu pecuniario in ordine ad matrimonium. Sicut enim in homicidio damnum naturale nõ eſt pretio æſtimabile, & per conſequens non eſt reſtitutione compenſandum, ſed tantùm damnum temporale: ita ſimiliter in ſtupro, damnum naturale nempe violatio integritatis virginalis, non eſt pretio æſtimabile, ſed tantum damnum temporale, nempe augmentum dotis, quod requiritur ad nubendum ratione violationis. Proinde ſequitur, ſi femina vi vel metu violata nupſit æquè & bene, eo quod vir non cognouit defectum, non eſt ei aliquid reſtituendum; quia nullum in bonis ex ſtupro ſequitur damnum. Limita, niſi cognito defectu à marito poſtea aſperè tractetur; tunc enim erit compenſandum arbitrio prudentis. Similiter ſi metu, vel vi violata Monaſterium ingreſſi eſt, aut ſtatum continentiæ amplexa, aut ſi obierit, non tenetur violator quidquam reſtituere, cùm nullum damnum in ordine ad matrimonium ſit illatum, & tempus neceſſitatis elapſum. Tamen, ſi antequam nuberet æquè & bene, vel monaſterium ingrederetur, vel continent am amplecteretur, aut obierit, pactum inierit cum violatore, & ab eo acceperit compenſationem, iuſtè retinere poterit: quia licitè potuit accipere pro periculo immminenti, cui erat expoſita. Nam qui in aliquo periculo vitæ, fortunarum vel infamiæ eſt conſtitutus, poteſt paciſci cum eo, qui ipſum per iniuriam in tale periculum coniecit, de damno, quod probabiliter timetur, & quamuis poſtea non obuenerit poterit tamen pretium conuentum retinere; e ſi nondum ſolutum fuerit, poterit ex vi pacti exigere: eo quod ille ad periculum, quod alter præſtare debebat, ſe ſuſceperit; quod enim damnum non euenerit, vel ſuæ induſtriæ, vel benignæ Dei prouidentiæ adſcribat. Ita Molina *trat. 3. diſp 106 num. 11. conſuſ 8.* Leſſius *lib. 2. cap. 10. num. 15. & 17.* Nauarrus *in Man. cap. 16. num. 17. & 19.* P. Nauarra *lib. 2. cap. 3. num. 451.* Filliucius *tract. 30. num. 66.* Bonacina *de matrim. quæſt. 4 punct. 17. num. 8.* Trullench *in Decalog. lib. 7 cap. 9. dub. 1.* & multi alij recentiores. Quamuis non ſit improbabilis ſententia aſſerens illum, qui per vim, dolum & fraudem virginem defloratam, etiamſi illa æquè bene nubat, ac ſi violata non fuiſſet, teneri ad reſtitutionem faciendam, tam virgini, quàm parentibus eius, ratione damni in bonis temporalibus & in honore: quia irrogatur iniuria virgini, illa non conſentiente: vbi enim vis, aut dolus eſt, & ibi iniuria; per accidens enim eſt, quod ita bene nupſerit, ac ſi virgo fuiſſet. Ita Clauis Regia *lib. 11. cap. 2. num. 29. & 32.* cum aliis, nempe *Valentia, Victoria.*

Molina. Leſſius. Nauarrus. P. Nauarra. Filliucius. Bonacina. Trullench. Clauis Reg Valentia. Victoria.

2. Dubium eſt, quando puella eſt genere nobilior, & non vult corruptorem ſibi matrimonio copulare, an teneatur corruptor ei aliter damnum reſarcire, ſi matrimonium promiſit? Quidam exiſtimant hunc teneri ad ſatisfaciendum puellæ: nam liberum eſt puellæ corruptæ, ob fictam promiſſionem de accipiendo in vxorem, vel nubere falſo promittenti, vel honeſtam dotem ab eo exigere. Vnde corruptor tenetur ad alterutrũ, quod puella maluerit: nam ficta promiſſione & fraude corrumpere, perinde eſt ac ſi per vim puella corrumperetur. Ita Azorius *p. 3. lib. 5. cap. 5. q. 3. verſ. Quarta difficultas.* Alij diſtinguunt: ſi vero animo promiſit, ad nihil aliud tenetur: ſi autem animo deceptorio, tunc à puella tanquam impoſtor & pudicitiæ inſidiator poteſt repũdiari, & tamen ratione iniuriæ

Azorius.

tenetur

tenetur nihilominus damnum compensare. Verior tamen sententia asserit, hunc in conscientia ad aliud non teneri, quàm ad implendum promissum, ducendo eam in vxorem; sic enim abundè videtur satisfacere pro iniuria fictæ promissionis. Quod confirmatur ex aliis contractibus: si enim Titius fictè tibi promisit pecuniam, tu verò sub hac spe emisti merces, Titius nisi adimpleat promissum, est tibi iniurius, & tenetur compensare damnum: si tamen est paratus adimplere, tu verò nolis accipere, non tenetur in conscientia damnum resarcire. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 27. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 3. *num.* 6. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 30. *num.* 8. & alij.

Lessius. Trullench. Villalobos.

3. Quando puella vi defiorata fuit, & stupratorem non vult in coniugem accipere, aut parentes nolunt eam illi tradere, tenetur stuprator ad honestam dotem puellæ tradendam, & exigere quanti pluris eget ad alteri liberè pro sua conditione nubendum: quia liberum illi est acceptare dotem, vel stupratorem in virum: nec tenetur magis vnam, quàm aliam satisfactionem accipere. Idem dicendum, si fallaciter inducta fuit, vt si adolescens fingebat se nobilem, vel diuitum, vt eam deciperet; nam iniuria ei facta est, ac proinde iustam compensationem exigere potest. Qui enim fingit aliquid, ob quod ipsa consentit, & sine quo nullo modo consensisset, iniuriam ei facit; ac proinde tenetur de damno secuto. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 12. Bonacina *de matrim. quæst.* 4 *punct.* 17. *num.* 12. Azorius *part.* 3. *lib.* 5. *c.* 5. *q.* 3. *diffic.* 3. & alij. Contra Couarruuiam *part.* 2. *de sponsal. cap.* 6. §. 8. *num.* 19. qui existimat, in hoc casu puellam admittere debere matrimonium, si ipsius conditio ei respondeat: quæ sententia nititur quadam æquitate. Sed in rigore non tenetur acceptare, quia circa stupratorem decepta fuit per iniuriam: vnde cogenda non est ad strictum vinculum matrimonij contra ipsius voluntatem, præsertim cum persona odiosa. Quod si pater nolit, vt stupratorem ducat in coniugem, & ipsa velit, potest à iudice ad contrahendum stuprator compelli, si vi, aut minis copulam extorsit: ante sententiam autem non tenetur, si nec tacitè nec expressè matrimonium promisit, sed sufficit in foro conscientiæ, damni illati compensationem præstare. Ita Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 9. *dub.* 2. *num.* 3. Lessius *loco citato num.* 13.

Lessius. Bonacina. Azorius. Couar.

Trullench. Lessius.

4. Stuprator per vim & metum, ac fraudem excusatur à restitutione, *Primò*, si stuprata & violata liberè, etiam absque consensu patris eam remittit: quia potest cedere iuri suo, quod habet ad detrimenta nuptiarum sarcienda, præsertim cùm liberum sit ei à nuptiis abstinere, & ipsi facienda sit restitutio, & non parentibus. Proinde hæredes puellæ non poterunt exigere, si ipsa ante tempus nubendi obierit, & ante obitum pacta non fuerit; quia damnum non est secutum. Ita Lessius *loco citato num.* 19. Bonacina *loco citato num.* 10. Diana *part.* 1. *tract.* 16. *resol.* 48.

Lessius. Bonacina. Diana.

Secundò, non tenetur ad restitutionem, si per vim violata, æquè & bene nupsit, ac si non esset violata: quia nullum in nuptiis patitur detrimentum, vt dictum est *suprà num.* 1. ex Doctoribus ibi citatis.

Tertiò, violator, qui cognouit fœminam per vim, vel fraudem, quæ aliàs quidem cognita fuerat ab alio, sed publicè habebatur virgo, tenetur ad aliquam restitutionem, arbitrio prudentis viri ratione damni & infamiæ, ob quam illa non potest ita commodè nubere. Ita Azorius, Molina apud Bonacinam *loco citato num.* 9. Villalobos *loco citato num.* 26. & alij. Si autem fœmina concepit ex copula illa violenta & fraudulenta, tenetur vir ex iustitia alere fœtum, & soluere fœminæ omnes expensas, quas facit, & damna, quæ passa est, & quæ secuta sunt ratione conceptionis & partus propter iniuriam illi illatam: quia est tota causa efficax damni.

Azorius. Molina. Bonacina. Villalobos.

5. Qui vi, aut fraude habuit copulam cum corrupta, quæ nomine & æstimatione virgo in populo habebatur, non tenetur in foro conscientiæ sub peccato eam ducere, etsi fictè matrimonium promiserit, si occultè id fecit, sed neque ei aliquid restituere: quia in hoc casu non videtur corrupta damnum aliquod pati. Si res autem venit in publicum, obligatur vir ad restitutionem, ad boni & prudentis viri arbitrium: quia licet corrupta sit, in populo tamen virgo habebatur, vnde reuerà detrimentum passa est in nuptiis. Si autem ipsa sponte consenserit in copulam, & suâ culpâ famam amisit, quia, scilicet ipsa vel dixit, vel occasionem præbuit, vt diceretur, vel alia quauis via, aut ratione sine culpa stupratoris, res venit in publicum, non videtur in rigore ad aliquid restituendum obligari. Rario est, quia non fecit ei iniuriam eam cognoscendo, cùm ipsa sponte consenserit, nec infamando, vel occasionem dando de infamia. Secus esset, si culpa viri ipsa patitur infamiam, vt quia illa occultè & in loco tuto consensit; alter verò se iactans, vel alia via rem manifestans, infamiæ causa esset: tunc enim ad restitutionem tenetur, & ei de dote prouidere, aut aliâ viâ satisfacere obligatur: quia damnum illi in fama intulit. Ita Nauarrus *in Man. cap* 16. *n.* 19. *vers. Septimò*, Ioannes Maior *in* 4. *disp.* 37. *quæst.* 33. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *part.* 4. *n.* 449. Barthol. à S. Fausto *in specul. confessar. disp.* 25. *q.* 23. Clauis Regia *lib.* 11. *cap.* 2. *num.* 36. quibus adde Bonacinam *de matrim. quæst.* 4. *punct.* 17. *n.* 6. & 7. & alios ab ipso citatos.

Nauarrus. Maior. P. Nauarra. Fausti. Clauis Reg. Bonacina.

6. Qui puellam non defloruit, sed accedendo ad locum vbi illa esset, in causa est, vt illa infametur, vel vt aliud damnum in bonis fortunæ illi sequatur, si puella liberè consentiens solicitata est, solicitans ad nullam restitutionem tenetur; quia voluntariè consensit solicitationi, & sibi imputare debet infamiam, quam patitur. Si tamen vi, metu, vel dolo, aut mendaciis solicitata est, tenetur solicitans ei restituere omnia damna eâ viâ ei sequuta. Ratio est, quoniam is tentator alienæ pudicitiæ, causa est iniusta illi mulieri omnium illorum damnorum, ita ipsâ inuitâ tentando pudicitiam illius: ergo tenetur ea omnia illi restituere. Ita Molina *tract.* 3. *disp.* 106. *concl.* 10. & alij.

Molina.

Videv. Sponsalia *num.* 17.

SVBSTITVTIO.

SVMMARIVM.

1 *Substitutio in hæreditate, quadam est indirecta, & quædam directa, & quanam sit differentia inter vtramque.*

2 *Ex quibus capitibus hæres institutus in aliquo testamento, possit non esse hæres.*

3 *Ætas pupillaris quæ dicenda in masculo & in fœmina ad substitutionem pupillarem.*

4 *Quid necesse sit, vt de iure substitutio pupillaris valeat? Et quid, quando filius est præteritus, aut exhæredatus, non inserta iusta exhæredationis causa, & de nullitate agit atque obtinet.*

5 *Substitutio pupillaris expressa potest fieri tripliciter. Et an excludat matrem? Et quid si*

ſi fuerit tacita.

6 *Quando ſubſtitutio pupillaris expiret.*

7 *Quibus fieri poſſit ſubſtitutio exemplaris ? Et quæ ſit differentia inter ſubſtitutionem pupillarem & exemplarem.*

8 *An non ſolùm pater poſſit exemplariter filio ſubſtitutum dare, ſed etiam mater ? Et quando ſubſtitutio exemplaris expiret.*

9 *Subſtitutio fideicommiſſaria vnde dicatur ? Et an hæres grauatus hac reſtitutione hæreditatis, poſſit reſtitutionis tempore de fideicommiſſo detrahere quartam partem, quæ vocatur Trebellianica.*

10 *Quando fideicommiſſum eſt ad cauſam piam, an poſſit detrahi quarta Trebellianica ? An poſſit teſtator prohibere deductionem Trebellianicæ.*

An ſubſtitutio fideicommiſſaria, quâ teſtator inſtituit hæredem vniuerſalem, & illum grauat reſtituere hæreditatem alteri poſt mortem, ſit intelligenda, ſi hæres moriatur ſine deſcendentibus.

11 *Si hæres grauatus in delictum incidat hæreditate aditâ, ob quod bona illius fiſco addicantur, an ea frui poſſit fiſcus, donec moriatur hæres grauatus.*

An deuoluatur hæreditas ad fideicommiſſarium, ſi hæres grauatus religionem capacem bonorum profiteatur ? Et quid ſi religionem incapacem ? Refertur duplex ſententia.

12 *An profeſſio in Ordine incapaci ſucceſſionis, cenſenda ſit mors naturalis in præiudicium tertij, & ſubſtitutus admittendus ſit in præiudicium illius, in quem bona alienata ſunt ante profeſſionem ?* Refertur duplex ſententia.

13 *Quando ſubſtitutio fideicommiſſaria expiret, ſi hæres grauatus ante hæreditatem aditam è vita diſcedat ? & quando non.*

1. SUbſtitutio in hæreditate, quædam eſt indirecta, & quædam directa. Indirecta eſt, quando hæreditas defertur ſubſtituto per alterum, qui eam illi reſtituat ; vt quando vnus inſtituitur hæres, & grauatur hæreditatem, aut partem hæreditatis reſtituere alteri. Et hæc dicitur etiam, tum obliqua, tum fideicommiſſaria ſubſtitutio. Directa verò ſubſtitutio eſt, quando hæreditas ſubſtituto defertur abſque alterius miniſterio, qui illam reſtituat. Differentia autem inter vtramque præter alia, eſt, quod in fideicommiſſaria ſubſtitutione locum habet detractio Trebellianicæ : in ſubſtitutione verò directa, non item. Directa & indirecta ſubſtitutio fieri etiam poteſt in legatis & donationibus cauſa mortis ; ſed tunc locum non habet Trebellianica. Quid autem ſit Trebellianica, diximus ſuprà *verb. Legitima portio, num.* 3.

Duo autem circa ſubſtitutiones in genere ſunt obſeruanda. *Primum*, in dubio, an ſubſtitutio aliqua directa ſit, aut fideicommiſſaria, interpretandam, & cenſendam eſſe ſubſtitutionem directam, non verò fideicommiſſariam, vt habetur *in cap. Si pater, de teſtament. in 6.* his verbis : *Cùm in ſubſtitutionibus ſemper ſit interpretatio facienda* (dummodò earum verbis & perſonis conueniat inſtitutis) *vt ſubſtitutio directa intelligatur potiùs, quàm obliqua.*

Secundum eſt, ſi quis ſimul ſubſtituatur alteri directè & indirectè, vulgari & fideicommiſſaria ſubſtitutione, in optione eo pacto inſtituti eſſe eligere, quo illorum duorum modorum pacto ſuccedere maluerit; juxta *l. Recuſare, §. Titius, ff. ad Trebell.* Ita Antonius Gomez *tom. 1. variar. reſol. cap. 3. num. 7.* Emanuel à Coſta *in cap. Si pater, p. 3. verb. Obliqua, num. 14.* & alij ab ipſis relati. Gomez. Eman. à Coſta.

2. Duo ſunt capita, ex quibus hæres inſtitutus in aliquo teſtamento, non eſt poſtea hæres; nempe, vel quia non poteſt ; vt ſi moriatur ante teſtatorem, aut alia de cauſa : vel quia non vult. Primum caput appellatur impotentiæ. Secundum dicitur à Iuriſperitis noluntatis. Si teſtator, dum hæredi aliquem vulgariter ſubſtituit, exprimat ſolum vnum caput, aut partem illius, cenſetur ex iuris diſpoſitione in eo capite, aut parte capitis intelligere reliqua : quia ea præſumitur teſtatoris voluntes, quando contrarium aliunde non conſtat. Et tunc ſubſtitutio illa dicitur expreſſa ex capite quod in ea exprimitur, & tacita ex capite, aut parte capitis, quæ non exprimuntur. Proinde ſi teſtator dicat in ſuo teſtamento : Inſtituo meum hæredem Iacobum, & ſi noluerit, inſtituo Ioannem ; tunc ſi Iacobus ante teſtatorem moriatur, aut alia de cauſa hæres eſſe non poſſit, hæreditas pertinet ad ſubſtitutum, & non ab hæredes ab inteſtato : quia teſtator ſub capite nolitionis, caput etiam impotentiæ intellexit. Similiter ſi dicat : Inſtituo meum hæredem Iacobum, & ſi ille mortuus fuerit ante me, ſubſtituo Ioannẽ; tunc in caſu quo ex aliqua alia cauſa hæres eſſe non poſſit, aut ſi poſſit, non tamen velit, hæreditas pertinet ad ſubſtitutum, non verò ad hæredes ab inteſtato : quia in illa parte expreſſa capitis impotentiæ, intelliguntur tam reliquæ partes eiuſdem capitis, quàm caput noluntatis, ex *l. Gallus, ff. de liber. & poſt.* & *l. vltim. Cod. de inſtitut. & ſubſtitut.* Couarruuias *in cap. Raynutius, de teſtam.* §. 4. *n.* 4. & 5. Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap.* 3. *num.* 10. Molina *tract. 2. diſp.* 183. & communis, apud quos plura de ſubſtitutione vulgari. Couar. Gomez. Molina.

3. Circa ſubſtitutionem pupillarem eſt obſeruandum, quod ætas pupillaris in maſculo intelligitur vſque ad decimum-quartum annum, in femina vſque ad duodecimum, ſicut in aliis diſpoſitionibus. Talis autem ſubſtitutio eſt, ſi filius meus infra pupillarem ætatem decedat, ſubſtituo Petrum : quo caſu, decedente filio infra pupillarem ætatem, ei ſuccedit Petrus, non ſolùm quoad relicta à patre, verùm etiam quoad omnia alia pupilli bona, ac ſi fuiſſet inſtitutus hæres ab ipſomet pupillo, ex *l. Coheredi, §. final. & §. Igitur, ff. de pupill. ſubſtitut.* modò ſit vera & directa ſubſtitutio, non verò ſi fiat per verbum obliquum & commune, vt ſi pater dicat : *Filio meo decedenti in pupillari ætate ſubſtituo Petrum in tali re, vel Petrus capiat talem rem.* Nam verbum obliquum adiectum certæ rei, non extenditur ad omnia bona, *l. Cùm filius, §. Lucius, ff. de legatis* 2. Ita Baldus, Caſtro, Iaſon & alij apud Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap. 4. num. 13.* Baldus. Caſtro. Iaſon. Gomez.

4. Iure antiquo *l. 2. in princip. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtitut.* & *§. Non ſolùm, inſtitut. de pupill. ſubſtitut.* vt ſubſtitutio pupillaris valida eſſet, neceſſe erat filium, cui pupillaris ſubſtitutus daretur, hæredem inſtitui, aut exhæredari : alioquin ſi præteriretur, cùm de eodem iure antiquo inualidum omninò eſſet tale teſtamentum, inualida quoque erat talis pupillaris ſubſtitutio in eo contenta. Hodie tamen poſt Authent. *Vt cum de apellat. cognoſcitur, §. Siue igitur*, & *§. Si verò contigerit*, & Authent. *Ex cauſa, Cod. de liber. præterit.* ſito is ipſe impubes, cui ſubſtitutus datur, ſit præteritus, aut exhæredatus, non appoſita cauſa ex legitimis ad exhæredandum, quamuis teſtamentum quoad hæredum inſtitutionem ſit nullum, validum tamen eſt quoad legata, fideicommiſſa, libertates, tutorum dationes, & quælibet alia capitula in eo contenta, quæ legibus ſunt conceſſa; in quibus ſunt directæ etiam

ſub

ſubſtitutiones comprehenduntur. Ita Iulius Clarus §. *Teſtamentum, quæſt.* 54. Anton. Gomez *tomo primo variar. cap.* 4. *num.* 4. & *cap.* 3. *num.* 24. Molina *diſput.* 184. *num.* 9. & alij. Qui bene obſeruant quod, quando filius eſſet præteritus, aut exhæredatus, non, inſertâ iuſtâ exhæredationis causâ, & de nullitate ageret aduerſus tale teſtamentum atque obtineret: tunc ſicut ſua ſucceſſione nullæ rederentur primæ directæ hæredum inſtitutiones, ita etiam inualidæ fierent vulgares ſubſtitutiones, quæ illarum loco erant ſtatutæ. Præterea vt ſubſtitutiones factæ in teſtamento, in quo filius eſt præteritus, aut exhæredatus, validæ ſint, neceſſe eſt, vt in eo teſtamento aliquis alius hæres ſit inſtitutus: alioquin ſi nullus eſſet, teſtamentum eſſet prorſus inualidum, & quidquid in eo eſſet ſcriptum, præter legata in pias cauſas.

Clarus. Gomez. Molina.

5. Subſtitutio pupillaris expreſſa poteſt fieri tripliciter, *Primò*, verbis generalibus; vt ſi teſtator loquens de filio ſuo impubere, non tamen exprimens ſpecificè quod ſit impubes, dicat: Inſtituo filium meum hæredem, & ei Petrum ſubſtituo. *Secundò*, verbis ſpecialibus; vt ſi mentionem faciat pupillaris ætatis. *Tertiò*, verbis ſpecialiſſimis; vt ſi exprimat conditionem: Inſtituo filium meum impuberem hæredem, & ſi in pupillari ætate poſt mortem meam deceſſerit, ſubſtituo ei Petrum. Tunc quandocumque vno ex his tribus modis facta eſt ſubſtitutio, ſubſtitutus pupillaris excludit matrem pupilli, ſi hic moriatur in ætate pupillari. Ita ex communi Emmanuel à Coſta *in cap. Si pater, part.* 2. *verb. Superſtite matre à n.* 9. Anton. Gomez *tom.* 1. *var. cap.* 4. *n.* 7. Couarruuias *in cap. Raynutius, §.* 5. Ratio eſt, quia teſtamentum, in quo pupillaris ſubſtitutio continetur, non eſt diſpoſitio filij, ſed patris: quia ergo pater non tenetur inſtituere vxorem hæredem, inde effectum eſt, vt ſicut ius patri ſubſtitutionem pupillarem in filij bonis conceſſit, ita liberum ei reliquerit præferri vxori in eis bonis quemcumque vellet. Proinde valida eſt prælatio ſubſtituti pupillaris matri etiam in foro conſcientiæ, iuxta *l. Papinianus, §. Sed nec impuberis, ff. de inoffic. teſtament. & l. Sed eſſi plures, §. ad ſubſtitutos, ff. de vulg. & pupill.* Quæ ſanctio iure Canonico eſt recepta *in cap. Si pater, de teſtament. in* 6.

Em à Coſta. Gomez. Couar.

Tamen pupillaris ſubſtitutio tacita, quæ ex præſumpta voluntate teſtatoris in vulgari expreſſa includitur, non excludit matrem, quin potiùs præferenda eſt ſubſtituto in omnibus vniuerſim pupilli bonis: excludit ſolùm ceteros pupilli hæredes ab inteſtato, quibus proinde omnibus præferendus eſt ſubſtitutus, vt habetur expreſsè *l. vlt. C. de inſtitut. & ſubſtitutionibus*, & *l. Precibus, C. de impub. & aliis ſubſtitution.* & ex communi docent Couarruuias *loco cit. §.* 4. *n.* 6. Gomez *loco cit. cap.* 4. *n.* 8. Molina *diſp.* 184. *n.* 19. & alij.

Couar. Gomez. Molina.

6. Subſtitutio pupillaris expirat *Primò*, ſi ſubſtitutus ante pupillum moriatur: ſicut & vulgaris expirat, ſi ſubſtitutus ante teſtatorem diſcedat: nam ius, ſeu ſpes ſubſtituti, ad hæredes eius non tranſit, ex *l. Sed ſi pubes, ff. de vulgari. Secundò*, expirat ſtatim ac is, cui ſubſtitutus eſt datus, pupillarem ætatem egreditur: quia pro ſolo tempore pupillaris ætatis eſt ei datus ſubſtitutus, & ſub conditione, ſi intra id tempus è vita diſcedat, vt habetur de maſculo, *Inſtit. de pupillari ſubſtit.* & *l. In pupillari, ff. de vulg. & pupill. Tertiò*, expirat, ſtatim ac filius efficitur ſui iuris, viuente patre, qui ſubſtitutum pupillarem ei tradidit. Vnde, ſi pater facto teſtamento poſtea religionem ingrederetur & profiteatur, eo ipſo pupillaris ſubſtitutio expirat, eſto pater è vita diſcedat poſt profeſſionem ante annos pubertatis filij, & filius ſimiliter poſt mortem patris diſcedat ante annos pubertatis: tunc enim bona filij pertinent ad hæredes ipſius ab inteſtato, non verò ad ſubſtitutum pupillarem. Ratio eſt, quia filius patriam teſtatem egreditur eo ipſo, quod vel ipſe, vel pater religionem profitetur. De his Anton. Gomez *loc. cit. cap.* 4. *num. vlt. & c.* 3. *n.* 29. Emmanuel à Coſta *in d. cap. Si pater, p.* 2. *à n.* 10. Molina *loco cit. num.* 25.

Gomez. Eman. à Coſta. Molina.

7. Subſtitutio exemplaris fieri poteſt non ſolùm amentibus, ſed etiam iis, qui ſurdi ac muti ſimul ſunt, ſive à natiuitate, ſive poſtea morbo tales effecti fuerint: modò tamen ſcribere neſciant. Sicut enim, qui tales ſunt, neque ſcribere ſciunt, teſtari non poſſunt, niſi vel milites ſint, vel ad pias cauſas teſtentur; ita fieri illis poteſt exemplaris ſubſtitutio. Idem dicendum de prodigo: huic enim ſi bonorum adminiſtratio interdicta ſit, ſit huiuſmodi ſubſtitutio, cùm teſtari non poſſit, neque multum ab amentibus diſtet. Hinc ſi teſtator habens talem filium, dicat: Inſtituo filium meum & ei ſubſtituo Petrum. Si hic filius nondum fuerit pubes, eadem ſubſtitutio etiam erit pupillaris. In eadem etiam ſemper continetur vulgaris; ſi enim contingat filium mori ante teſtatorem, ſubſtitutus ſuccedet ex vulgari. In eadem etiam continetur fideicommiſſaria, nempe ſi poſt pubertatem redeat ad mentem: tunc enim ſubſtitutus ſuccedet ex tacito fideicommiſſo; quia illa formula omnes has ſubſtitutiones complectitur. Ita ex communi Anton. Gomez *tom.* 1. *cap.* 6. Molina *diſp.* 185.

Gomez. Molina.

Hæc tamen eſt differentia inter ſubſtitutionem pupillarem & exemplarem, quòd in pupillari requiratur patria poteſtas, non verò in exemplari: nam in hac conſideratur ratio humanitatis & commiſerationis, non patria poteſtas. Deinde in pupillari omnes ſubſtitui poſſunt, non verò in exemplari; in hac enim ſubſtitui debent illi, qui de iure ſuccedere debent, vt deſcendentes, vel aſcendentes, & his deficientibus fratres & ſorores, & his omnibus deficientibus ſubſtitui poſſunt de iure communi quicumque alij, *l. Humanitatis, C. de impub. ſubſtitut.* & §. *Qua ratione, Inſtitut. de pupill. ſubſtitut.* Ita Anton. Gomez *loco citato, cap.* 6. Molina *diſp.* 185. *num.* 2. Couarruuias *in cap. Raynutius, de teſtament. §.* 6. Bonacina *de contract. diſp.* 3. *queſt.* 17. *punct.* 4. *num.* 5. & alij.

Gomez. Molina. Couar. Bonac na.

8. Quamuis pater exemplariter poſſit filio ſubſtituere dare, poteſt tamen etiam mater. Sed ſubſtitutio facta per patrem vim habebit in bonis, quæ filius habuerit ex patre; ſubſtitutio verò facta per matrem, obtinebit in bonis quæ habuerit ex parte matris. Si autem is, qui ſubſtitutus datur, habuerit alia bona, propriâ induſtriâ, aut aliunde acquiſita, dimidium obtinebit ſubſtitutus datus à patre, & alterum dimidium ſubſtitutus datus à matre. Ita cum Bortolo, Anton. Gomez *loco cit. num.* 13.

Bartolus. Gomez.

Porrò exemplaris ſubſtitutio expirat eo ipſo, quòd is, cui facta eſt, ad ſanam redit mentem, ex *l. Humanitatis, Cod. de impub. & aliis ſubſtitut.* & §. *Qua ratione, Inſtitut. de pupill. ſubſtitut.* Si tamen poſtquam ad ſanam mentem redut, teſtamentum non fecit, & iterum mente captus factus ſit, recognouerit exemplaris ſubſtitutio priùs facta, eſto, qui exemplariter ſubſtituit, mortuus fuerit antequam ille ad ſanam mentem redierit. Ita ex communi Couarruuias *loco cit.* §. 6. *n.* 7. Anton. Gomez *cap.* 6. *num.* 11. & alij.

Couar. Gomez.

9. Subſtitutio fideicommiſſaria dicitur à fido, quia teſtator fidit hæredi & illius fidei committit hæreditatem alteri reſtituendam. Vocatur ſubſtitutio, quia eſt ſecunda inſtitutio facta

facta cum conditione. Dicitur autem ſecunda inſtitutio, quia ſuccedit in locum primæ inſtitutionis. Et quamuis dari poſſint gradus ſubſtitutionis, vt tertius, quartus, & vlterior gradus; nihilominus ſubſtitutio adhuc dicitur ſecunda inſtitutio reſpectu primæ inſtitutionis; quia in locum primi inſtituti omnes ſuccedunt, *l. 1. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Couarruuias *loco citato cap. 16. §. 4.* Molineus *in ſumm. part. 2. tract. 13. cap. 4. n. 28. & ſeqq.* & communis.

Couar. Molineus.

Vt autem hæres grauatus hac reſtitutione hæreditatis, inuitaretur ad adeundam hæreditatem, & ſimul ne nomen talis hæredis vacuum & abſque fructu eſſet, iure conceſſum illi fuit, vt reſtitutionis tempore detrahere de fideicommiſſo poſſet quartam partem eius, in quo inſtitutus eſt; vt ſi eſt inſtitutus in tota hæreditate, cum onere eam reſtituendi alteri, detrahet quartam totius: ſi in dimidia, cum ſimili onere, detrahet quartam illius dimidij, & ſic deinceps. Quod ſi teſtator aliquid ei certi aſſignet & reliquum iubeat reſtitui, ſi illud certum non adæquat quartam partem totius, in quo inſtitutus eſt, poterit detrahere de reliquo, donec compleat quartam.

Inſuper iure conceſſum fuit, vt ſi hæres grauatus adire non vellet hæreditatem, poſſet officio iudicis ad id cogi vt continuò eam reſtitueret, & vt ſi coactus eam adiret, amitteret huiuſmodi quartam, quæ vocatur Trebellianica, à Senatuſconſulto Trebelliano, per quod eſt conſtitutum vt detraheretur. Ita habetur *§. Ergo, verſ. Sed ſi recuſet,* & *§. Sed quia ſtipulationes, Inſtitut. de fideicommiſſariis hæreditatibus, l. 1. & ſequent. Cod. ad S. C. Trebellianum,* & docent Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap. 5. num. 3. & 14.* Molina *diſput. 186.* Leſſius *lib. 2. cap. 19. num. 87.* Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. 18. dub. 8. num. 5.* & alij apud Bonacinam *loco citato, num. 10.*

Gomez. Molina. Trullench. Bonacina. Leſſius.

10. Circa hanc ſubſtitutionem fideicommiſſariam eſt notandum, *Primò*, quod, quando fideicommiſſum eſt ad cauſam piam, ſeu cùm ſubſtitutus eſt cauſa pia, non poteſt detrahi quarta Trebellianica: ſicut etiam fauore piæ cauſæ in legatis piis ceſſat Falcidia: niſi fortè etiam hæres, qui grauatur, ſit cauſa pia; tunc enim detrahet, quia vna cauſa pia contra aliam non habet priuilegium, ſed iure communi cenſentur. Nam quando duo habent priuilegium circa eandem rem, ceſſat priuilegium vtriuſque, & ſtatur iuri communi. Ita Gomez *loco cit. c. 5. n. 11.* Molina *diſp. 187. n. 27.* Filliucius *tract. 34. num. 170.* Syluester *v. Legitima, num. 9.* & alij communiter.

Gomez. Molina. Filliucius. Syluester.

Secundò, ex communi Doctorum ſententia poteſt teſtator prohibere deductionem Trebellianicæ, ita vt hæres grauatus abſque talis portionis deductione, teneatur hæreditatem reſtituere: ſicut enim teſtator poteſt prohibere, ne hæres detrahat Falcidiam à legatis, ex *Authent. Sed cùm teſtator. Cod. ad leg. Falcidiam*, ita etiam prohibere poteſt, ne eam detrahat à fideicommiſſis, cùm Falcidia & Trebellianica æquiparentur in iure, adeò vt Trebellianica ſæpè nomine falcidiæ ſignificetur. Ita Iulius Clarus *§. Teſtamentum, quæſt. 62.* Couarruuias *cap. 18. de teſtament. num. 10.* Leſſius *loco cit. n. 89.* Eman. Sà *verb. Hæreditas, n. 41.* Molina *diſp. 187. n. 23.* An autem parens filiis primi gradus prohibere poſſit deductionem Trebellianicæ, adeò ſunt diuiſi Doctores, vt difficile ſit iudicare, quænam ſit communior opinio, aliis affirmantibus, & aliis negantibus, vt videre eſt apud Molinam *diſp. 187. n. 25. & 26.*

Clarus. Couar. Leſſius. Eman. Sà. Molina.

Molina.

Tertiò, ſubſtitutio fideicommiſſoria, quâ teſtator inſtituit aliquem hæredem vniuerſalem, & illum grauat reſtituere hæreditatem alteri poſt mortem, intelligenda eſt ſub tacita conditione, ſi hæres deceſſat ſine filiis, vel deſcendentibus, *l. Cùm auus. ff. de conditionibus, & demonſtrationibus.* Eſt communis Doctorum. Quamuis quidam obſeruent hoc non procedere in tribus caſibus: *Primò*, quando hæres tempore conditi teſtamenti habebat filios, vel deſcendentes. *Secundò*, ſi hæres ſit extraneus. *Tertiò*, quando filius vel deſcendens inſtituit patrem vel matrem cum onere reſtituendi hæreditatem. In his caſibus non præſumitur, nec vllo iure probatur hanc conditionem ſubintelligi, ſi deceſſerit ſine filiis vel deſcendentibus. Ita poſt Antonium Gomez, Bonacina *loco cit. n. 6.* Trullench *in Decaleg. lib. 7. c. 18. dub. 8. n. 8.* De his plura apud Molinam *diſp. 190.*

Gomez. Bonacina. Trullench. Molina.

11. Si hæres grauatus, hæreditate aditâ, in delictum incidat, ob quod bona illius fiſco addicantur, eâ frui poteſt fiſcus, donec moriatur hæres grauatus, vel alia ratione tempus reſtitutionis adueniat, *l. Statius Florus, §. Cornelio, ff. de iure fiſci, & l. Ex facto, §. Ex facto, ff. ad S. C. Trebellian.*

Hoc tamen intelligitur, niſi teſtator alienationem prohibuerit, ſtatuendo, vt bona in familia remanerent: aut conſtiterit voluntatem illius eſſe vel fuiſſe, vt etiam viuente hærede grauato, aut alia ratione durante tempore, in quo nondum facienda erat reſtitutio, non tranſirent ad alium, quàm ad fideicommiſſarium; tunc non poterit fiſcus eis frui, vt ex *l. Imperator in princip.* tradunt Bartolus, Molina *diſp. 186. num. 2.* Bonacina *loco citato num. 8.* Trullench *loca cit. num. 9.* & alij.

Bartolus. Molina. Bonacina. Trullench.

Si autem hæres grauatus religionem capacem bonorum profiteatur, non deuoluitur hæreditas ad fideicommiſſarium, donec profeſſus naturaliter moriatur, vel donec adimpleatur conditio, ſub qua teſtator voluit hæreditatem deferri fideicommiſſario; tunc enim Monaſterium percipiet vſumfructum illorum bonorum donec ſequatur mors naturalis ipſius religioſi. Ratio eſt, quia vſusfructus relictus alicui, habet eam tacitam conditionem, vt morte eius finiatur, & redeat ad proprietarium, *§. finitur, Inſtit. de vſufructu.* At non finitur profeſſione vſufructuarij in Monaſterio capaci, ſed remanebit apud Monaſterium vſque ad illius mortem. Quare ſi religioſus ille ſuperuixerit fideicommiſſario, non tranſmittentur ea bona ad hæredes fideicommiſſarij, ſed remanebunt apud Monaſterium, quod per fictionem iuris fauore religionis loco filij habetur. Ita hanc ſententiam ſuſtinent Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 19. n. 7.* Gutierrez *in quæſt. canonic. lib. 2. cap. 1. num. 64.* Molina *diſp. 186. n. 3.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 3. n. 76. & 77.* Trullench *loco citato, n. 9.* Vaſquez *in opuſc. tit. de reditibus, c. 3. dub. 4. n. 20.* & alij multi penes ipſos.

Couar. Gutierrez. Molina. Sanchez. Trullench. Vaſquez.

Sed maior difficultas eſt, ſi Monaſterium illud ſit incapax ſuccedendi? Nam multi valde probabiliter affirmant, non ſtatim à die profeſſionis deberi hoc fideicommiſſum, ſed ſolum poſt naturalem profeſſi mortem, & interim non Monaſterium habiturum ea bona, ſed habituros hæredes ab inteſtato, quia eius perſonam repræſentant. Ratio illorum eſt, quia conditiones implendæ ſunt in ſpecifica forma, *l. qui hæredi, ff. de condit. & demonſtrat.* & non æquiualet in conditionibus implendis mors ciuilis morti naturali: at fideicommiſſii illud habet tacitam conditionẽ, ſi inſtitutus moriatur ante fideicõmiſſarium; Ergo in ea conditione impleda non eſt mors ciuilis per profeſſionem, ſed mors naturalis conſideranda. Ita multi Iuriſperiti apud Sanchez *loco cit. n. 78.*

Sanchez.

Probabiliot tamen ſententia aſſerit, id fideicommiſſum ſtatim deberi fideicommiſſario poſt profeſſionem, ſicut legata debentur legatariis,

&

& hæreditas hæredibus. Probatur: quia huiuſmodi profeſſus reputatur ac ſi naturaliter mortuus eſſet: nam mors ciuilis æquiparatur naturali, quoties eoſdem effectus parit, ſeu dum inducit incapacitatem ſuccedendi. Tum quia, cùm ille nequeat bona poſſidere, nec ex facto ſuo transferat in Monaſterium, nihil mirum ſi ea bona ad eos pertineat, ad quos deuoluerentur eo naturaliter mortuo. Ita Bartolus, Baldus, Surdus, Decius & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *loco cit. n.* 79. Gutierrez *lib.* 2. *in quæſt. Canonic. c.* 1. *n.* 62. *& ſeq.* Clarus §. *Teſtamentum, q.* 28. *n.* 4. Molina *loc. cit. n.* 3. Vaſquez, Couar. *locis citatis.*

Bartolus. Baldus. Surdus. Decius. Sanchez. Gutierrez. Clarus. Molina. Vaſquez. Couar.

12. An autem hæc profeſſio in Ordine ſucceſſionis incapaci cenſenda ſit mors naturalis in præiudicium tertij, ita vt à tempore profeſſionis ſubſtitutus ille admittendus ſit in præiudicium illius, in quem ea bona alienata ſunt ante profeſſionem? Eſt duplex ſententia: vna affirmatiua, altera negatiua probabilior, nempe eam profeſſionem non cenſeri mortem naturalem in præiudicium tertij, ac proinde expectandam eſſe huius profeſſi mortem, vt ſubſtitutus in ea bona ſuccedat, & interim ea habiturum illum, in quem alienata fuerant: ex quo fit, quòd Nouitius Ordinis Minorum de obſeruantia & Capucinorum, qui grauatus eſt poſt mortem ſuam aliquam hæreditatem reſtituere, ſed ipſe ante religionis ingreſſum, vel ante profeſſionem, ius in ea bona tempore vitæ ſuæ ad ſe pertinens, venditione, aut donatione, aut quouis alio contractu, in alium tranſtulit, valida eſt venditio, aut donatio, aut in alium tranſlatio, nec ſubſtitutus ſucceder in ea bona, ante mortem naturalem talis religioſi. Ratio eſt, quia mutatio ſtatus alienantis non officit iuri iam quæſito per eum, in quem alienarat. Tum quia profeſſio talis Fratris Minoris operatur expropriationem eorum, quæ tunc profeſſus poſſidebat, non verò in præiudicium tertij & reſpectu iuris, quod in alium tranſtulerat. Tum quia ex tempore illius alienationis iam religioſus ſe iure ſuo abdicarat, & illud tranſtulerat in alium cui erat ius in ea re acquiſitum: at cùm fictio iuris non perperam, ſed ex naturali quadam æquitate inducatur, nihil operatur in præiudicium tertij; id enim naturali æquitati aduerſaretur, vt cum alterius iactura quiſpiam locupletetur. Ita Baldus *conſil.* 280. *in fine, volum.* 1. Peregrinus *de fideicommiſſis, art.* 28. *num.* 63. Bartolus *in l. Cùm hæredes* 23. §. 1. *n.* 1. *ff. de acquir. hæredit.* & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 3. *num.* 81.

Baldus. Peregrinus. Bartolus. Sanchez.

13. Subſtitutio fideicommiſſaria expirat, ac nulla redditur, ſi hæres grauatus ante hæreditatem aditam è vita diſcedat, *l. Ille à quo,* §. *ſi teſtamento, in fine, ff. ad Trebell.* Excipitur tamen *Primò*, niſi hæres grauatus diſcedat poſtquam coactus, vel iuſſus eſt hæreditatē adire: tunc enim hæres, ad quem hæreditas deuenit, reſtituere cogitur fideicommiſſum, *l. Non iuſtam, Cod. ad Trebell. Secundò*, ſi hæres grauatus iure ſuitatis, ſanguinis, aut deliberandi hæreditatem ad ipſius hæredes tranſmittat: tunc enim illi hæreditatem adire coguntur, ac fideicommiſſario reſtituere fideicommiſſum. Colligitur ex *l. Ita tamen,* §. *ſi pater, ff. ad Trebellian.* Eadem eſt ratio, quando ex quocumque alio capite tranſmiſſio fit hæreditatis non aditæ. *Tertiò*, quando in teſtamento, in quo hæres grauatus fuit, appoſita eſt clauſula codicillaris: tunc enim hæredes, ad quos in defectum hæredis grauati hæreditas deuenerit, etiamſi ab inteſtato hæredes ſint, grauati cenſentur reſtituere fideicommiſſum, iuxta *l. Scæuola, ff. ad Trebell.* Ita Anton. Gomez *tom.* 1. *variar. cap.* 5. Emanuel à Coſta *in cap. Si pater, parte prima, verb. Si abſque liberis, numero quinquageſimoquinto,* & *part.* 2. *verb. Abſque deductione, num.* 27. Molina *diſp.* 189. & alij.

Gomez. Eman. à Coſta. Molina.

De reciproca, ſeu breuiloqua & compendioſa ſubſtitutione, nihil eſt à nobis addendum, quia in ſupradictis includuntur; non enim omnia de ſubſtitutionibus dicenda hic ſunt adducenda, cùm plenior horū tractatio ad Iuriſperitos pertineat, & videri poſſunt apud Doctores toto hoc titulo citatos.

SVFFRAGIVM.

SVMMARIVM.

1 *Suffragium apud Theologos quid ſit? An vnus fidelis poſſit alium iuuare ad ſatisfactionem pœnæ temporalis, ſiue in hac vita, ſiue in purgatorio alter exiſtat.*

2 *An ſuffragia ſint offerenda pro defunctis cum Chriſto regnantibus.*

3 *An ſuffragia viuorum poſſint prodeſſe damnatis ad expiationem pœnæ debitæ propter mortale peccatum in hac vita non remiſſum? Et an pueri morientes cum ſolo peccato originali ſint capaces ſuffragiorum.*

4 *An animabus purgatorij ſuffragia prodeſſe poſſint per modum impetrationis vel per modum ſolutionis?* Refertur duplex ſententia.

5 *An Sancti Beati orent pro animabus purgatorij? Et an impetrent illis remiſſionem gratuitam alicuius pœnæ.*

6 *An ſuffragia viuorum profint defunctis ex iuſtitia, vel ex ſola miſericordia?* Refertur duplex ſententia.

7 *An opus externum præcisè ſumptum, pro alio factum, poſſit illi ad ſatisfactionem, ſeu remiſſionem pœnæ prodeſſe?* Refertur duplex ſententia.

1. SUffragium, vt à Theologis accipitur, eſt auxilium quoddam, quod vnus fidelis præbet alteri ad obtinendam à Deo remiſſionem pœnæ temporalis peccatis debitæ, vel aliquid huiuſmodi. Negant Lutherani poſſe vnum fidelem alios iuuare ad ſatisfactionem pœnæ temporalis: in quo errore fuit priùs Wicleph; nihilominus veritas Catholica eſt, poſſe fideles viatores ſe inuicem iuuare ſuffragiis, ieiuniis, orationibus & eleemoſynis, ceteriſque operibus meritoriis, ſaltem de congruo, applicando pro aliis fidelibus viuis atque defunctis, vt à pœnis debitis diuina clementia liberentur. Hic eſt communis ſenſus Scholaſticorum omnium, qui veritatem hanc cenſent contineri in Symbolo Apoſtolorum, vbi confitetur Eccleſia *Sanctorum Communionem.* Hoc eſt, In Eccleſia militante eſſe communicationem bonorum operum inter homines iuſtos, quatenus vnus alteri prodeſſe & auxiliari poteſt. Ratio eſt, quia Eccleſia tota eſt vnum corpus, cuius caput eſt Chriſtus: ergo debet habere communicationem, tam capitis cum membris, quàm membrorum inter ſe. Nam pro inuicem ſolicita ſunt membra, *& ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* 1. Corinth. 12. Proinde ſicut vnum membrum alteri præbet auxilium, ita poteſt vir iuſtus alteri opem ferre per ſuffragia & opera ſatisfactoria.

Molina.

Quod autem viuentes poſſint per ſuffragia iuuare defunctos detentos in Purgatorio, patet ex *lib.* 2. *Machab. cap.* 12. vbi dicitur, *Sancta ergo & ſalubris cogitatio eſt orare pro defunctis, vt à peccatis ſoluantur.* Vnde Eccleſia Sancta Dei in Miſſis Defunctorum orat, dicens: *Libera Domine animas fidelium defunctorum de pœnis inferni.* Et in

Concilio Florentino in litèris vnionis dicitur, *Prodeſſe defunctis, vt à pœnis releuentur, viuorum ſuffragia, ſacrificia, orationes & eleemoſynas, aliáque operis pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis viuentibus, atque defunctis fieri conſueuerunt.* Quibus accedit ratio: nam iuſti defuncti ſunt membra corporis Eccleſiæ, & ſunt colligati nobiſcum, & cum Deo, in fide, ſpe & charitate: Ergo viuentes poſſunt, ac debent iuuare defunctos, vt membra eiuſdem corporis. Præterea Chriſtus, qui caput eſt, profuit viuens in terris viuentibus, mortuus mortuis, viuens mortuis, & mortuus viuentibus: Ergo decet, vt membra inter ſe ita agant, vt iuſti viuentes viuentibus, mortui mortuis, viuentes mortuis & mortui viuentibus proſint. Ita docent D. Thomas *in ſupplement. 3. part. q. 71. art. 2.* D. Bonauent. *in 4. diſp. 20. art. 1. q. 1. & 2.* Suarez *tom. 4. de pœnitent. diſp. 48. ſect. 1. & 2.* Ioannes de Lugo *de pœnitent. diſp. 26. ſect. 1.* Sotus *in 4. diſp. 45. q. 2. art. 1.* & alij communiter.

D. Thom. D. Bonau. Suarez. Lugo. Sotus.

2. Suffragia non ſunt offerenda pro defunctis cum Chriſto regnantibus, quibus per ſe, ac propriè prodeſſe non poſſunt. Ita Innocentius III. *in cap. Cùm Martha, de celebrat. Miſſar. verſ. Tertio loco,* D. Auguſtinus *in Enchirid. cap. 109.* & omnes Scholaſtici *in 4. diſt. 45.* Hæc veritas Catholica ratione probari poteſt, & quidem quantum ad pœnæ expiationem, res eſt certiſſima; quia in beatis nihil pœnæ ſupereſt, quod expiari, aut remitti poſſit. Si verò ſit ſermo de vtilitate ſuffragiorum, quantum ad impetrationem alicuius boni, certum eſt etiam non poſſe noſtra ſuffragia prodeſſe Sanctis beatis quantum ad augmentum eſſentialis gloriæ, cùm hoc vnicuique conferatur iuxta propria merita, ſeu propriam gratiam & charitatem. Proinde oblationes pro Sanctis ſunt potiùs gratiarum actiones, quæ Deo fiunt & à Sanctis cognoſcuntur, & ideò de illis gaudent, & ita accidentalis eorum gloria augetur. Honorem autem extrinſecum eis impetrare poſſumus, quatenus ille honor potiùs in nobis eſt, qui Sanctos honoramus & cedit in profectum & vtilitatem noſtram, vt D. Auguſtinus & Innocentius ſuprà ſentiunt, cum Diuo Thom. *in 4. diſtinct. 45. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 4.* Paludanus, Sotus, D. Antoninus 3. *part. titul. 13. cap. 6. §. 13. & titul. 32. cap. 2. §. 2.* Nauarrus *de Iubil. notab. 22. n. 46. & ſeqq.* & alij communiter.

Innoc. III. D. Auguſt. D. Thom. Paludanus. Sotus. D. Antonin. Nauarrus.

3. Suffragia viuorum non poſſunt prodeſſe damnatis ad expiationem pœnæ, ſeu terminationem, quam ſuſtinent propter peccata mortalia, quorum remiſſionem in hac vita non obtinuerunt: quia de fide eſt, hanc pœnam eſſe æternam ex immutabili lege Dei, vt conſtat ex variis Scripturæ locis, in quibus ſupplicium damnatorum æternum & inextinguibile appellatur. *Matth. 25. Lucæ 13.* Ratio huius veritatis à priori eſt, quia mortale peccatum dignum eſt tali pœnâ: quamdiu culpa non tollitur, impoſſibile eſt ſatisfactionem exhibere pro pœna, & nemo impetrare poteſt, vt illa pœna ceſſet perdurante culpa: quia hoc repugnat diuinæ legi & iuſtitiæ. Ex quo fit quod ex ordinatione diuina conceſſum eſt homini huius vitæ tempus, vt in eo poſſit talis peccati remiſſionem obtinere per pœnitentiam: poſt hanc autem vitam conſtituitur, in termino, in quo non conceditur pœnitentiæ locus. Præterea hîc colligitur, ſuffragia viuentium non prodeſſe defunctis damnatis ad aliquam mitigationem aut remiſſionem huius æternæ pœnæ, quæ illis debetur propter culpam mortalem non remiſſam: nam ſi damnatis remitterentur pœnæ propter ſuffragia viuorum, paulatim poſſent auferri, ſaltem quoad pœnam ſenſus, ſeu quoad poſitiuum dolorem: eſto pœna damni nunquam tollatur. Conſequens autem etiam hæreticum eſt, quia Scriptura ſacra etiam cruciatum ignis & vermem conſcientiæ dicit eſſe æternum. Sequela probatur, quia pœna illa quoad intenſionem finita eſt; finitum autem per ablationem finiti conſumi poteſt. De quibus plura apud D. Thom. *in ſupplem. 3. p. q. 71. art. 5.* Bellarminum *lib. 2. de purgatorio, c. 18.* Coninchum *de pœnit. diſp. 11. dub. 8.* Suarez *tom. 4. diſp. 48. ſect. 4. num. 11. & ſeq.* Sotum *in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2.* Qui nouiſſimus aduertit eum grauiter peccare, qui orat pro mortuis damnatis, ſciens ipſos damnatos eſſe: peruertit enim ordinem Eccleſiæ, & facit contra finem & honorem ſuffragiorum, quæ non debent indigno ſubiecto applicari: licet excuſetur ſuffragia offerens, ſi neſciat illos eſſe in ſtatu damnationis conſtitutos.

D. Thom. Bellarmin. Coninck. Suarez. Sotus.

Quod dictum eſt de damnatis, idem dicendū eſt de pueris morientibus cum ſolo peccato originali: hi enim non ſunt capaces ſuffragiorum: quia reuerà perpetuò puniuntur pœnâ damni, & in illa nullam poſſint remiſſionem accipere: aliam verò non patiuntur, pro qua iuuari poſſint: ſunt ergo omninò extra viam & irremiſſibiliter extra gratiam, vt aduertit Nauarrus *de iubileo notab. 22. n. 46.* & Suarez *loc. cit. n. 18.* cum aliis. D. Thom. *in ſupplem. q. 71. a. 7.*

Nauarrus. Suarez. D. Thom.

4. Suffragia viuorum prodeſſe poſſunt animabus purgatorij, non ſolùm ad aliquam mitigationem pœnarum, ſed etiam ad integram remiſſionem. Ratio eſt, quia illa pœna finita eſt, quoad gradus: ergo ſi poteſt remitti per ſuffragia, poteſt etiam omnino tolli, vel multiplicando ſucceſſiuè ſuffragia, vel ſimul in perſonis diuerſis, vel ita augendo vnum & idē opus, vt multis operibus ſatisfactoriis, atque adeò tori pœnæ æquiualeāt. D. Th. *loc. ci. a. 6.*

D. Thom.

An autem ſuffragia viuorum proſint animabus purgatorij per modum impetrationis, vel per modum ſolutionis & ſatisfactionis condignæ, quoad remiſſionem temporalis pœnæ, diſputāt Theologi. Prima ſententia eſt, temporalem pœnam interdum remitti gratis animabus purgatorij propter orationes & merita aliorum iuſtorum, qui hoc impetrant à Deo, etiamſi vel ſuas ſatisfactiones pro illis non offerant, vel certè illas non habeant, nec efficiant, vt eas offerre poſſint: & generaliter affirmat hæc ſententia hunc modum impetrationis & ſuffragij non ſolùm eſſe poſſibilem, ſed etiam nullum alium poſſe nos exhibere animabus purgatorij ad hunc effectum obtinendum. *Secunda* ſententia affirmat hunc modum gratuitæ remiſſionis per modum impetrationis aliquando obtineri, quamuis alius etiam modus per æquiualentem ſolutionem ſit poſſibilis: & declarat morali exemplo, quia vnus ex amore poteſt apud iudicem alium liberare à debito pœnæ vel negando, vel ſatisfaciendo. Ita Nauar. *de Iubileo notab. 22. n. 15.* Durandus *in 4. diſt. 41. q. 1. n. 6.* & alij. Fundamentum huius ſententiæ poteſt eſſe, quia beati orant pro animabus purgatorij: ergo eis obtinent remiſſionem alicuius pœnæ. Non poſſunt autem obtinere ſoluendo pro illis: quia non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi: ergo impetrant, vt gratis fiat remiſſio. Tum quia Eccleſia frequēter orat Deum, vt per ſuam piiſſimam miſericordiam liberet animas purgatorij ab illis pœnis: ergo intendit impetrare gratuitam remiſſionem pœnarum. Hæc ſententia eſt pia & probabilis & fortaſsè eſt vera, vt docet Suarez *loco cit. diſp. 48. ſect. 5. num. 5.*

Nauarrus. Durand. Suarez.

Nihilominus dicit hunc modum remiſſionis valdè incertum, & nō ſatis fundatum eſſe, & veriſimile putat, Deum nunquam remittere alicui pœnam pro peccatis debitam, niſi oblata, ſeu applicata condigna ſatisfactione, atque adeò nunquam id facere omninò

omninò gratis, ſed ſeruata vindicatiua iuſtitia & commutatiua, ac diſtributiua, quatenus cum illa coniunguntur. Supponit hic Doctor neminem poſſe ſibi impetrare gratuitam remiſſionem pœnæ; ex quo infert neminem poſſe alteri viuenti impetrare hoc modo remiſſionem pœnarum; quia nullus efficaciùs impetrat alteri, quàm ſibi. Vnde nec poteſt hoc impetrari animabus purgatorij; quia in hoc genere non poſſumus aliquid efficaciùs impetrare mortuo, quàm viuenti; & quia hæc etiam eſt impetratio reſpectu alterius quæ non eſt efficacior, quàm reſpectu ſui.

5. Certum eſt ex communi Theologorũ ſententia, Sanctos beatos interdum orare pro animabus purgatorij: & hoc apertè videtur ſupponere Eccleſia, cùm in oratione quadam pro defunctis, petit vt defuncti ad beatitudinem perueniãt, *Beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis.* Ratio eſt, quia hoc eſt officium charitatis, & non repugnat, ſed conſentaneum eſt ſtatui Beatorum. D. Thom. Bellarmin. Gabriel. D. Bonau. Richardus. Suarez. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 3.* Bellarminus *lib. 2. de purgator. cap. 15.* Gabriel *in canon. Miſſ. lect. 55.* D. Bonauent. Richardus Abulenſis apud Suarez *loco citato, num. 7.* & alij.

Suarez. Sed petes, ſi Sancti orent pro animabus purgatorij, an impetrent gratuitam remiſſionem alicuius pœnæ? Reſpondet Suarez *loc. cit. n. 8.* negatiuè: quia aliàs preces Sanctorum facilè euacuarent purgatoriũ, cùm illæ ſint efficaciores, & frequentiùs, generaliùs ac feruẽtiùs fiant: tum quia Sancti nõ ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, ſicut viui, & ideò orationes Eccleſiæ ſunt ſatisfactiuæ & ſufficiẽtes ad ſoluendum pro alio, quod non habent orationes Sanctorũ, quæ non ordinãtur aut funduntur ad obtinendã huiuſmodi remiſſionẽ gratuitã pœnæ, ſed vt ſatisfactiones viuorũ pro eis acceptẽtur; vel vt Deus præbeat vnẽtibus auxilia ad ſatisfaciẽdũ debito modo pro illis animabus, ita vt efficaciter earũ liberationem conſequantur, vel ſaltẽ acceleretur earum liberatio, etiamſi neceſſe ſit diuturnitatẽ temporis intenſione pœnarum compẽſari. Ex quibus colligitur pœnas purgatorij non remitti, niſi per modũ ſolutionis & ſatisfactionis, ideoque orationes beatorũ per ſe nõ efficere immediatè talem remiſſionẽ. Et hoc idẽ docet D. Thom. *in 4. diſt. 45. q. 3. art. 3. ad 6.* dicẽs: *Suffragia Eccleſiæ ſunt pro defunctis quædam ſatisfactiones viuentiũ vice mortuorũ, & ſecundùm hoc mortuos à pœna abſoluunt quam non ſolverunt: ſed Sancti, qui ſunt in patria, non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, & ideò non eſt ſimile de eorũ orationibus, & de ſuffragiis Eccleſiæ.* Quorum verborum ſenſus eſt, quòd orationes Eccleſiæ militantis ſunt ſuffragia, quæ per ſe & immediatè ſufficiunt ad remiſſionem pœnarum; orationes verò Sanctorum huiuſmodi non ſunt.

D. Thom.

6. Controuertitur inter Doctores, an ſuffragia viuorum proſint defunctis ex iuſtitia, vel ex ſola miſericordia? Quidam enim arbitrantur, hanc ſatisfactionem pro animabus purgatorij ſolùm eſſe ex miſericordia. Ducuntur, quia de hoc nulla extat promiſſio, aut pactum diuinum: cuius ſignum eſſe poteſt, quia Eccleſia & Sancti orant Deum, vt acceptet hæc ſuffragia pro defunctis: ergo ſignum eſt non eſſe opus iuſtitiæ, ſed miſericordiæ. Tum quia animæ in purgatorio exiſtentes iam ſunt extra forum Eccleſiaſticum, & pertinent tantùm ad forum Dei. Cùm ergo etiam inter viuentes incertum ſit, an tale pactum vel promiſſio intercedat, veriſimilius eſt reſpectu defunctorum nullum eſſe, maximè cùm nullo ſufficienti teſtimonio & ratione oſtendi poſſit. Ita Caiet. *tom. 1. opuſc. tr. 36. q. 5.* Caietan. Cano. Sotus. Anglez. Cano *lib. 12. de locis Theolog. cap. 13. ad nonum.* Sotus *in 4. diſt. 19. q. 2. art. 4.* Anglez *quæſt. de indulgent. art. 2. diſſic. 3.* & alij probabiliter. Nihilominus cõmunior & tenenda ſententia eſt, quod ſuffragia viuorũ pro mortuis, ſint ſimpliciter de iuſtitia & infallibiliter acceptata, ſecũdùm totum ſuum valorẽ, pro quocumque offerantur: quia intercedente promiſſione ſub cõditione operis, nihil hîc deeſt ad veram iuſtitiam, & nihil repugnat, in hoc negotio interuenire hanc promiſſionẽ, vt per ſe conſtat: ergo &c. Tũ quia ſi admittatur hæc promiſſio reſpectu viuentiũ, non eſt cur negetur eã extendi ad animas purgatorij, quæ nobis ſunt charitate coniunctæ, & non minùs indigent, quàm viuentes; imò magis, cùm non poſſint per ſe ſatisfacere, ſed tãtùm ſatiſpati. Accedit quòd quãtùm ex vſu & traditione Eccleſiæ colligitur, eadem eſt lex ſuffragiorum reſpectu defunctorum, quæ eſt reſpectu viuentium: nam Eccleſia æqualiter offert ſua ſuffragia pro viuis & defunctis. Ita ex antiquis Theologis ſentiunt D. Thom. *in 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2.* Gabriel *in 4. diſt. 16. art. 2. dub. 8.* Nauar. *de Iubileo n. 18. & de oratione & hor. canon. c. 20. n. 82.* Viguer. *in Sum. c. 16. §. 4. verſ. 33.* & alij quos citat & ſequitur Suarez *diſp. 48. ſect. 6. n. 4.* Ex recentioribus autem vide ſupradicta *v. Indulgentia II. num. 3. 4. & 5.*

D. Thom. Gabriel. Nauarrus. Viguerſus. Suarez.

7. Dubium graue eſt inter Theologos, an opus externum præcisè ſumptum, pro alio factum, poſſit illi ad ſatisfactionem ſeu remiſſionẽ pœnæ prodeſſe? v. g. homo ante mortem præcipit fieri eleemoſynas ex ſuis bonis pro anima ſua poſt mortẽ, an illud opus externũ, quod eſt dare eleemoſynam, ſit per ſe ſatis factorium defuncto independenter à volũtate eius, per quem executioni mandatur? Certum eſt apud omnes, eum, qui diſponit ſuffragia pro ſe fieri vel eleemoſynas, etiamſi non ſtatim fiant, percipere fructũ illorum vel illarũ quantũ ad efficaciã quæ erat ex opere operantis principaliter agentis, id eſt, quantũ ad meritũ bonæ illius diſpoſitionis. Sed dubiũ eſt an tota ſatisfactio ſit poſita in actu volendi, ac præcipiẽdi tale opus? Affirmat Suar. *diſp. 48. ſect. 8. n. 18.* probabiliter, & poſtea & ex vi ſolius externi effectus nihil ſatisfactionis addi per ſe loquẽdo, & ex opere operantis reſpectu mandãtis. Nihilominus quod tale opus externũ per ſe addat ſatisfactionẽ, ſuſtinent multi Theologi, & probãt 1. quia ipſa elargitio eleemoſynæ habet ſpecialem vim ad redimendũ hominẽ à peccatis; quia ex ſe habet vim ſatisfaciendi pro pœna tẽporali: ergo talis largitio addita priori voluntati, redimet ſpeciali valore & ſatisfactione animã à peccato, cùm ſit voluntaria ex vi prioris volũtatis. 2. quia aliàs hæredes defunctorũ implẽdo hæc legata ſuffragiorũ vel eleemoſynarum, non aliquid per ſe cõferrent ad liberandã animã teſtatoris citiùs à purgatorio, nec non implẽdo eſſẽt in cauſa, vt diutiùs in purgatorio detineretur. Conſequens eſt contra communem ſenſum fidelium, & contra intentionem defunctorum, qui hæc legata relinquunt: & ſi ea intentione decipiuntur, error eſt valde vniuerſalis in Eccleſia, quem deberent Paſtores & Doctores eius auferre, ne illius occaſione magno fructu ſatisfactionis priuarentur fideles defuncti. Ita D. Th. *in 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3.* Palud, D. Bonau. Sotus *ibid.* Syluius *in ſupplem. 3. p. q. 71. art. 6. verſ. Circa reſponſ. ad 4.* Nauar. *de orãt. cap. 19. num. 59. & ſequentib.* & alij.

D. Thom. Paludanus. D. Bonau. Sotus. Syluius. Nauarrus.

Vide v. Abbatiſſa *n. 22.* Indulgentia 2. *n. 4. & 5.*

SVPERSTITIO.

SVMMARIVM.

1 *Superſtitio in quo cõſiſtat? Et quãdo cõtinget fieri pactum expreſſum vel tacitum cum dæmone.*

2 *Malitia pacti expliciti cum Dæmone vel impliciti, in quo verſetur.*

3 *An pactum expreſſum celebrans cum Dæmone ſit cenſendus hæreticus ex vi celebrationis talis pacti? An ſaltem ſit ſuſpectus de apoſtaſia à fide.*

4 *Quando adeſt pactum expreſſum cum Dæmone, an ſit illud in Confeſſione exprimendum.*

5 *An ad ſuperſtitionem pertineat, invocare Dæmonis auxilium ad ea, quæ ipſe naturaliter poteſt præſtare. Et an talis ſit ſuſpectus in fide, quando non eſt pactum expreſſum, ſed ſolùm tacitum?* Refertur duplex ſententia.

6 *Superſtitionis peccatum vt plurimum vnde oriri ſoleat.*

1. SUperſtitio in eo conſiſtit, quod quis exhibeat diuinum cultum cui non debet, vel eo modo quo non debet, vtait D. Thom. 2.2. *q.* 92. *art.* 1. Et hæc ſuperſtitio plerumque fit vel ex tacito, vel expreſſo pacto cum dæmone. Pactũ expreſſum fit aut verbo, aut opere, & intentione. *Verbo*, dum quis expreſsè Dæmonẽ inuocat ſui operis adiutorem, ad paciſcendum cum eo, de auxilio impertiendo quoties ad operandum opera ſuperſtitioſa indiguerit. Hoc autem tripliciter fieri poteſt. 1. quod homo petat à Dæmone adiutorium, ſine promiſſione aliqua, & obligatione ſeruitutis, & ſubiectionis vel ſocietatis, & ſine eo quod accedant cæremoniæ pacti confirmatoriæ, cui petitioni reſpondet dæmon ſine eo quod expoſcat ſubiectionem, aut ſocietatem, vel obedientiam. 2. poteſt fieri huiuſmodi pactum offerendo ex parte hominis ſeruitutem & obedientiã cum exequutione cæremoniarũ confirmantiũ amicitiam & ſocietatem ex parte Dæmonis illã obligationem poſtulantis. 3. ſi ex parte hominis ſit ſimplex petitio adiutorij Dæmonis ſine intentione ſe obligandi ad amicitiam, ſocietatem, obedientiam vel ſeruitutem præſtandam in omnibus, Dæmoni; ex parte tamen Dæmonis, quamuis ſit horum omnium ambitio, tamen ea non exprimit, ſed tantùm obligat ſe ad præſtandum auxilium. Hæc autem pactio cùm fiat cum homine, qui natura ſenſibilis eſt, vt certo ſibi conſtet de paciſcente, aliquod ſignum ſenſibile, ſenſu externo perceptibile interuenire debet, ſiue Dæmon in forma viſibili appareat, ſiue ſolùm ſenſibiliter audiatur. *Opere* etiam ſenſibili tunc celebratur pactum expreſſum cum Dæmone, quando homo ſcit certò Dæmonem per aliquod ſignum occulta docere, & illud vt doceatur, exercet, quamuis à Dæmone verbale & ſenſibile pactum antecedens non ſit initum.

Pactum implicitum, ſeu tacitum cum Dæmone tunc interuenit, quando quis cognitionẽ ſoli Deo reſeruatam ſeriò & ex intentione mediis vanis & indebitis, ſiue ſint ſigna, ſiue res, habere procurat. Ex qua definitione colligitur, quod ſiquis non ſeriò, neque ex intentione his ſignis vanis vtatur, ſed ex leuitate, ioco, aut ignorantia, non eſt ſuperſtitioſus, ſed ſolum otioſus indagator. Ita D. Thom. 2.2. *q.* 95. *art.* 2. & 3. Syluius, Valentia, Tanner. Malderus *ibid.* Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 38. *n.* 3. Clauis Reg. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 5. Martin. del Rio *lib.* 4. *de magia c.* 2. *q.* 5. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtitione cap.* 9. *à num.* 9. *uſque in finem.*

D. Thom. Syluius. Valentia. Tannerus. Malderus. Sanchez. Clauis Reg. Delrius. Suarez.

2. Malitia pacti expliciti cum Dæmone in eo conſiſtit, quod ſocietas, fœdus & amicitia ineatur cum declarato Dei, & ſui hoſte.

Proinde in Dæmone non eſt diſtinguendum duplex genus voluntariorum, quoddam pertinens ad hoſtilitatem, quoddam non, vt inter homines ad inuicẽ inimicos contingit; ſed omnia voluntaria dæmonis hoſtilia ſunt propter eius peruerſam, ac obſtinatam voluntatem in malo, in tantùm vt in quolibet opere ſuo volũtario peccet mortaliter. Omnis autem amicitia cum hoſte, in his quæ hoſtilia ſunt, eſt pernicioſa, vtpote hoſtilitati contraria: vnde ſequitur quod ſi cum Dæmone exerceatur actus ſocialis perfectè, eſt peccatum mortale. Quam malitiam nobis propalauit Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. dicens: *Nolo vos ſocios fieri Dæmoniorum.* Quare ſemper Dæmones, vt ſummi hoſtes Dei & hominum tractandi ſunt, ac proinde nulla ſocietas cum ipſis poteſt eſſe licita, vt optimè explicat Caietan. apud Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *num.* 6. Caietanus. Sanchez.

Pactum implicitum cum dæmone poteſt interuenire vel formaliter, vel materialiter; quod ſi formaliter fiat, ad ſuperſtitionem & cultum Dæmonũ ſpectat: ſi autem materialiter, extra cultum Dæmonum formaliter eſt, materialiter tamen ad cultum eorum ſpectat: interdùm enim per craſſam ignorantiam vel inaduertentiam vult homo contraria, vnum in ſe, & formaliter, aliud in alio, & virtute: & ſic cõtingit in hoc caſu: quamuis enim dicat explicitè ſe nolle pactum cũm Dæmone, vult tamen illud implicitè, & quamuis nolit expreſſum pactũ formaliter, vult tamen de facto tacitũ & materiale: quia vult exercere huiuſmodi opera ſuperſtitioſa ad eam rem, quaſi illa vtilia ſint, cùm tamẽ vtilitatem habere nequeant, niſi Dæmonis interuentu. Ita Caiet. 2.2. *q.* 95. *art.* 4. §. *Ad hoc dicitur.* Caietanus. Suarez *loco citato cap.* 9. *num.* 17. & alij. Suarez.

3. Celebrans pactum expreſſum cum Dæmone, non eſt formaliter hæreticus ex vi celebrationis pacti expliciti, ſi non celebretur cum expreſſa conditione quod homo abneget fidẽ, aut quod proteſtetur Dæmonẽ eſſe numen infallibile, nec eſſe malum & fallace, aut quod illi ex intentione cultus deferat latriam, aut ſimile quid de fide neget; imò neque quãuis dæmonẽ adoret adoratione externa latriæ, ſi non habeat animum internum deferendi cultum Dei, illiue quia hũc actum poteſt exercere motus cupiditate & appetitu ſciendi: & quandocumque effectus dependere poteſt ex duplici cauſa, puta infidelitate & cupiditate aſſequendi aliquid à dæmone pacto tacito vel expreſſo, nunquam ex natura rei poteſt ex iſto effectu iudicari præcisè altera cauſa. Et ideò quãdo conſtaret de huiuſmodi effectu, vlteriùs inquirendum eſſet de cauſa, ſi ex errore & fidei peruerſitate hoc fecerit; tunc iudicandus eſt hæreticus: ſi verò ex alia cauſa, iudicandus eſt fortilegus & viliſſimus peccator. Ita Sylueſt. *verb. Hæreſis* 1. *queſt.* 5. & clarè ſignificat D. Thomas 2.2. *q.* 95. *art.* 3. *ad* 1. & docent Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 37. *n.* 22. Valentia 2.2. *diſp.* 6. *quæſt.* 11. *punct.* 2. *verſ. Ex diuerſa autem.* Verùm animaduertunt dicti Auctores, quòd quicumque pactum expreſſum fecerit cum Dæmone cum aliquo ſigno ſenſibili, eſt ſuſpicione iuridica ſuſpectus de apoſtaſia à fide, & defectione illius: proinde femina, cum qua Dæmon incubus fuit, abſque alio pacto, etiamſi Dæmonem non adoret, eſt iuridicè ſuſpecta malè ſentire de fide: quia ex tali conſortio & commixtione oritur prudens & iuridica ſuſpicio, quod agens cum eo & ad eius inſtantiam, fidem abnegauit, & hac de cauſa Inquiſitores rectè procedunt contra ſagas, quia habent pactum explicitum cum Dæmone Dei inimico, vt docet Syluester *verb. Hæreſis* 3. *num.* 10. & alij. Syluester. Syluester. D. Thom. Sanchez. Valentia.

4. Quando adeſt pactum expreſſum cum Dæmone, eſt id neceſſariò exprimendum in confeſſione. Ratio eſt, quia longè diuerſum iudicium eſt faciendum in confeſſione de pacto expreſſo, quàm de tacito. Tum quia addit nouam ſpeciem malitiæ, &

& ſuperſtitionis ſpecialem rationem; quis enim dicat non eſſe ſpecialem diſſonantiam ad rationem pactum explicitum cum aduerſario inire, ac dicat aliquod opus facere cui dignum eſt vt dæmones ſe ingerant; & in hac ſpecifica enormitate fundatur dignitas ad grauiorem pœnam. Quare optimè D. Thoms 2.2. *quæſt.* 95. *art.* 3. *ad* 1. dicit: *Multò grauius eſt Dæmones inuocare, quàm aliqua facere, quibus dignum ſit, vt ſe Dæmones ingerant.* Quem ſequitur Syluius *ibidem.* & Suarez *lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 10. *num.* 1. dicit eſſe certiſſimum: quamuis aliàs probabile exiſtimet non eſſe diuerſas ſpecies ſuperſtitionis, habere pactum expreſſum vel implicitum: & ſolùm differre ſicut completum & incompletum, perfectum & imperfectum intra eandem ſpeciem, ſicut profeſſio expreſſa & tacita ſunt eiuſdem ſpeciei. Idem docet Sanchez *loco cit. c.* 38. *n.* 14. Ad quos poſſet reſponderi, quod profeſſio implicita & explicita ideò non differunt ſpecie, quia in ratione contractus eamdem inducunt obligationem ex parte contrahentium.

D. Thom. Syluius. Suarez. Sanchez.

5. Ad ſuperſtitionem pertinet inuocare Dæmonis auxilium, etiam ad ea quæ ipſe naturaliter poteſt præſtare, ſiue id fiat ex pacto explicito, ſiue implicito. Ratio eſt, quia etiamſi in iſtis rebus nobis excellat dæmon, & hæc excellentia à nobis reſpectu noſtri recognoſcatur; nam ſumus illo in hac parte longè inferiores; tamen eo ipſo quòd auxilium illius petimus, cooperamur Dæmoni, qui diuinitatem affectat, & ex ſua obſtinata malitia in ſuum honorem refundit, quod nos ab illo dependentiam oſtendamus in his rebus, quas à Deo expoſcere debemus. Ita Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 8. *num.* 16. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 8. *num.* 9. Et ſatis id indicant D. Thomas 2. 2. *quæſtione* 95. *articulo* 2. & *ibi* Caietanus *in fine*, quatenus abſolutè docent ad ſuperſtitionem pertinere, vti ope dæmonis ad aliquid faciendum, vel cognoſcendum.

Suarez. Sanchez. D. Thom. Caietanus.

An autem talis qui à Dæmone in iis rebus auxilium expoſcit, ſit ſuſpectus in fide, quando non eſt pactum expreſſum, ſed ſolum tacitum & implicitum? Negat Suarez *cap. vlt. eiuſd. libr. n.* 10. dicens hoc delictum eſſe mixti fori, niſi perſona ſit Eccleſiaſtica; quia tunc pertinet ad ſuum Epiſcopum, & nullo modo ad Inquiſitores. Dicendum tamen eſt cum communiori ſententia, talem eſſe ſuſpectum de hæreſi, & eius delictum pertinere ad Inquiſitores, in locis vbi inquiſitio viget. Et hoc eſt clarum ex Bulla Sixti V. contra aſtrologos, in quæ ſubiecit tanquam ſuſpectos in fide omnes huiuſmodi farinæ homines. Ratio eſt, quia eo ipſo quòd ſit aliquis cultus Dæmoni factus, iure optimo & prudentiſſimè ſuſpicatur malè ſentire de fide qui illum exhibet; nam per huiuſmodi recurſum ad Dæmonem, illi exhibetur cultus & honor: ergo generat ſuſpicionem in fide: quia inuocare Dæmonem ad effectus naturales habendos, ſiue verbo, ſiue facto fiat, pertinet ad apoſtaſiam à fide, vt docet D. Thomas *in* 2. *diſt.* 7. *quæſt.* 3. *art.* 2. *in corp.* Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *num.* 92. Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *quæſtione* 4. Martinus Delrio *libro* 5. *de magia, ſectione* 15. §. *Axioma primum.* & §. *Dicto ſexto.* Thomas Hurtadus *in reſolutionibus moralibus parte* 1. *tractatu* 5. *cap.* 4. *reſolutione* 24. & alij.

Suarez. Azorius. Delrius. Th. Hurtad.

6. Superſtitionis peccatum vt plurimum oriri ſolet ex quadam nimia appetentia ſeu inordinato deſiderio perueniendi ad aliquem finem intentum, ſiuè ad fugiendum malum, ſiuè ad conſequendum bonum aliquod apparens, quod naturaliter nunquam, aut difficile exiſtimant homines conſequi poſſe, nec ſperant à Deo mediantibus Sanctis impetrare, & ideò recurrunt ad artes ſuperſtitioſas, & vanas obſeruationes arte Dæmonum adinuentas, vt poſſint facilius illis mediantibus homines decipere, eorumque animas ad Inferni deducere. Ideoque Dæmones ſeruant pacta facta cum illis, ſiue immediatè, ſiue mediatè cum aliis veneficis & ſuperſtitioſis hominibus. Sed quia iſta appetentia vt plurimum maiori impetu inuadere ſolet feminas, quàm viros, inde eſt, quòd in feminis communiter plus inueniri ſolet hoc ſuperſtitionis vitium, quàm in viris, vt aduertit Fagundez *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 4. cum aliis. Fagundez.

Vide verb. Adiuratio *num.* 10. Dies *num.* 9. Diuinatio. Magia.

SVSPENSIO.

SVMMARIVM.

1 *Suſpenſionis nomen quid importet? Et vt tripliciter ſumitur.*

2 *An ſuſpenſionis cenſura contrahi poſſit pro culpa aliena?* Refertur duplex ſententia.

3 *An Clericus ſuſpenſus ab Ordine ſuperiori, cenſeatur ſuſpenſus ab exercitio inferioris Ordinis.*
An ſacerdos ſuſpenſus ab Ordine ſacerdotali, licitè poſſit cantare ſolemniter Euangelium vel Epiſtolam.
An ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, cenſeatur ſuſpenſus ab aliis functionibus ſacerdotalibus.

4 *An ſuſpenſus ab Ordine inferiori cenſeatur indirectè impeditus ab exercitio Ordinum ſuperiorum? Et ſi in Ordine ſuperiori miniſtret, an irregularitatem incurrat.*

5 *Ad quos actus Ordinis extendat ſe ſuſpenſio ab Ordine Epiſcopali? Et an Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus, & cum eis Miſſam celebrans, ſit irregularis.*

5 *Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum, an poſſit tonſuram conferre? Et an ſuſpenſus à collatione ordinum minorum, poſſit conferre maiores?* Refertur duplex ſententia.

7 *An ſuſpenſus à beneficio, cenſeatur ſuſpendi à jure collationis beneficij, confirmationis, electionis, &c. ſibi proueniente ratione beneficij, à quo eſt ſuſpenſus?* Refertur duplex ſententia.

8 *Suſpenſus à beneficio vſurpans fructus beneficij, an grauiter peccet, & teneatur ad reſtitutionem? Et cui facienda ſit reſtitutio? An ſit irregularis?*

9 *An ſuſpenſio à beneficio lata abſque loci determinatione ſpeciali, ſit intelligenda de omni beneficio, vbicumque illud ſit, vel poſſideatur.*

10 *An incurratur irregularitas ex violatione ſuſpenſionis, quæ eſt pura pœna & lata ad determinatum tempus.*

11 *Qui ſuſpenſionem incurrit in ipſa ordinatione, an incurrat irregularitatem, cantando Epiſtolam, Euangelium, vel conſecrando cum Epiſcopo in Miſſa ordinationis?* Refertur duplex ſententia.

1. SUſpenſionis nomen nihil aliud importare videtur, quàm rem aliquam ſuſpenſam, ſeu independentem, dubiam & incertam relinquere: & deriuatur à verbo Suſpendo, quod ſurſum pendere ſignificat. Proinde tripliciter ſumitur. 1. pro expectatione animi dubia, aut incerta alicuius euẽtus. 2. pro certo quodam genere ſupplicij corporalis; vt quando aliquis equuleo torquetur, ſuſpen-

ſus eſt è terra ad dicendam veritatem, vel laqueo in collo poſito ſuſpenditur donec anima è corpore exeat. *Tertiò*, pro dilatione & ſuſpenſione, quæ interponitur in vſu, & expeditione alicuius negotij, vel officij, tam ſæcularis, quàm Eccleſiaſtici: & hoc tertio modo accepta tranſlata eſt poſtea hæc vox ad ſignificandam cenſuram Eccleſiaſticam, quæ communiter ſuſpenſio dici ſolet, propter effectum eius, quatenus ſuſpendit, & impedit vſum & exercitium officij, aut beneficij Eccleſiaſtici in totũ, vel in partem. De hac ſuſpenſione nobis eſt hîc ſermo.

2. Dubium eſt inter Doctores, an cenſura ſuſpenſionis contrahi poſſit pro culpa aliena? Quidam enim negant: quia ob peccatum alterius, quo ipſe caret, nemo poteſt puniri, vt colligitur *ex c. 2. de his quæ fiunt à maiori part. capit.* & *ex l. Sancimus, Cod. de pœnis.* quod maximè verificatur in pœnis ſpiritualibus. Cùm ergo cenſura ſuſpenſionis ſit pœna ſpiritualis & grauis, non videtur poſſe imponi contra totam aliquam communitatem propter culpam aliquorũ: quia tunc innocentes punirentur ſine cauſa; quod non eſſet ſecundùm iuſtitiæ ordinem. Ita probabiliter ſuſtinent Caiet. *v. Suſpenſio.* Caietan. Nauarrus. Suarez. Nauar. *in man. cap. 27. n. 151.* & poſt illos Suarez *de cenſur. diſp. 28. ſect. 4.* & alij. Sententia tamen affirmatiua probabilior eſt, nempe poſſe Prælatum aliquando ſuſpendere totam communitatem propter culpam maioris partis, ſiue Superioris eiuſdem communitatis, ſiue collegij. Ratio eſt, quia tunc non puniuntur per ſe & directè ſinguli innocentes, ſed punitur peccatum Superioris, vel totius cõmunitatis in membris eius. Et quamuis cenſura ſuſpenſionis ſit pœna grauis & ſpiritualis, non priuat tamen bonis pertinentibus ad propriam animã; ideò non implicat, quin aliquando poſſit infligi contra totam communitatẽ collectiuè ſumptam, & tunc talis cenſura non haberet propriè rationem pœnæ reſpectu ſingulorum diſtributiuè, ſed collectiuè, prout omnes repræſentant collegium, ſiue communitatem, quæ in omnibus deliquiſſe reputatur. Ita D. Thom. *in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 2 ad 2.* Auila *de cenſur. part. 3. diſp. 3. dub. 2.* Turrianus *de cenſur. lib. 4. diſp. 41. dub. 2.* Diana *p. 5. tract. 10. reſol. 22.* Cornejo *in 3. part. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp. 3. dub. 2. quæſt. 1.* Qui nouiſſimus aduertit priorem ſententiam eſſe veram, ſi quis ſpecialiter & ſeorſum ſuſpenditur: nam tunc vnus non poteſt ſuſpendi prò culpa alterius. D. Thom. Auila. Turrianus. Diana. Cornejo.

3. Clericus ſuſpenſus ab Ordine ſuperiori, non cenſetur ſuſpenſus ab exercitio inferioris Ordinis. Ratio eſt: nam qui prohibet maius, non cenſetur prohibere minus, cùm non ſit eadem ratio, & in pœnalibus non eſt facienda extenſio, prout communiter dicunt omnes Theologi & Canoniſtæ.

Hinc presbyter ſuſpenſus ab Ordine ſacerdotali licitè poterit cantare ſolemniter Euangelium, Epiſtolam, aliaque munera pertinentia ad Diaconos vel Subdiaconos vel ad alios clericos, exercere: quia tantummodo eſt ſuſpenſus ab Ordine ſacerdotali. Ita communiter Doctores *in cap. Significauit, de corpore vitiatis.* Suarez *de cenſur. diſp. 26 ſect. 4. n. 9.* Filliucius *tract. 17. cap. 2. num. 35.* & alij. Suarez. Filliucius.

Similiter quando Sacerdos ſimpliciter eſt ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, non cenſetur ſuſpenſus ab aliis functionibus ſacerdotalibus, quæ Miſſæ celebrationi non ſunt annexæ: ideoque extra Miſſam poterit Sacramenta miniſtrare, aquam ſanctam benedicere, confeſſiones fidelium audire, eoſque ſacramentaliter abſoluere, &c. quia tantummodò à celebratione Miſſæ ſuſpenſus fuit. Ita Panormitanus *in dict. cap. Significauit, de corpor. vitiat.* & communis. Panormit.

4. Clericus per cenſuram ſuſpenſus ab Ordine inferiori cenſetur aliquo modo ſaltem indirectè impediri ab exercitio Ordinum ſuperiorum propter indecentiam, cùm ſit minùs decens, eum, qui non poteſt licitè exercere functiones Ordinis inferioris, poſſe licitè exercere functiones Ordinis ſuperioris. Propterea Sacerdos ſuſpenſus ab Ordine Diaconatus non poterit licitè Miſſam celebrare, neque Epiſcopus ſuſpenſus à ſacerdotio poterit functiones Epiſcopales exercere: quia huiuſmodi actiones videntur neceſſariò connexæ, & vna ſupponit alteram. Ita Panormitanus *in cap. Cùm dilectus, de conſuetud. num. 20.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 160.* Suarez *loco citato, diſputatione 26. ſect. 4. num. 14. & 15.* Ceterùm, licet Sacerdos ſuſpenſus à Diaconatu, peccet mortaliter celebrando; tamen non incurrit irregularitatem: quia talis non facit aliquid directè ſibi per cenſuram prohibitum, ſed ſolùm per quandam conſecutionem propter indecentiam. Layman *lib. 1. tractatu 5. part. 3. cap. 1. num. 6.* Coninck *de Sacram. diſp. 15. dub. 2. num. 10.* Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 5.* Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 3. de ſuſpenſ. dub. 2. n. 15.* & alij penes ipſos. Panormit. Nauarrus. Suarez. Layman. Coninck. Diana. Præpoſitus.

5. Suſpenſio ab Ordine Epiſcopali extendit ſe tantùm ad eos actus Ordinis, qui Epiſcopo proprij ſunt, & Sacerdoti iure ordinario competere non poſſunt: cui affinis eſt ſuſpenſio à Pontificalibus, per quam directè prohibetur vſus inſignium Epiſcopalium, videlicet mitræ, baculi & pallij; per accidens verò & conſecutiuè omnia Epiſcopalia ſolemnia officia, quæ ſine eiuſmodi inſignibus exerceri non debent, prohibentur; qualia ſunt Ordines conferre, confirmare; Eccleſias, altaria, Virgines conſecrare &c. Taliter tamen ſuſpenſus non prohibetur Miſſam priuatam ſine Pontificalibus celebrare, confeſſiones audire, iuriſdictionem forenſem exercere. Ita Layman *loco citato.* Sayrus *de cenſur. lib. 4. cap. 4. n. 14.* Filliucius *tract. 17. cap. 2. n. 27.* An autem Epiſcopus celebrans, in Pontificalibus, & ab eis ſuſpenſus, incurrat irregularitatem? Communior ſententia eſt negatiua; eò quòd Miſſæ ſacrificium non eſt munus Epiſcopi vt ſic, ſed Sacerdotis, cuius exercitium per ſuſpenſionem ei non interdicitur. Ita poſt alios Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 3. de ſuſpenſ. dub. 2. num. 13.* Layman. Sayrus. Filliucius. Præpoſitus.

6. Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum non poteſt etiam minores conferre; poteſt tamen conferre tonſuram, quia non eſt Ordo. Si verò ſuſpendatur à collatione certi Ordinis, videtur poſſe alios Ordines conferre, quamuis digniores: quia collatio Ordinum eſt functio eiuſdem poteſtatis, non verò vſus poteſtatis ſublimioris, & proinde conferendo maiorem Ordinem, à quo non eſt ſuſpenſus, non cenſetur vti Ordine ſublimiori, ſed ſolùm exercere functionem ſui Ordinis, quæ illi non eſt interdicta: ſicut qui ſuſpenſus eſt ab audiendis confeſſionibus, ſecundùm omnes, poteſt celebrare, cùm tamen id ſit maius munus: ergo Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum minorum, poteſt adhuc conferre Ordines maiores. Ita Coninck *de Sacram. diſp. 15. dub. 2. num. 10.* Præpoſitus *loco cit. num. 18.* Laymã *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. num. 6. verſ. Illud verò.* Quod confirmatur: quia maiorum Ordinum collatio non eſt neceſſariò connexa cum collatione minorũ, aut primæ tonſuræ: cùm nihil obſtet, in aliqua Eccleſia ſacros Ordines conferri iis, qui minoribus iam initiati ſunt. Deinde poteſt Superior prohibere alicui quod minus eſt, nõ prohibito eo, quod maius eſt; præſertim ſi in vſu minoris & nõ maioris delictum cõmiſſum fuit, vt quis in eo puniatur, in quo diliquit. Hæc Coninck. Præpoſitus. Layman.

ſententia

ſententia eſt,probabilior , quamuis contraria non ſit improbabilis, quam ſuſtinent Henriquez, Sayrus , Vgolinus , Auila apud Layman & Dianam *loco citato, reſol. 6.*

Henriq. Sayrus. Vgolinus. Auila. Diana.

7. Quorumdam ſententia eſt , ſuſpenſum à beneficio,ſuſpendi etiam à iure collationis beneficij, confirmationis,electionis,&c. ſibi proueniente ratione beneficij à quo eſt ſuſpenſus.Ducuntur,quia tale ius eſt quidam prouentus beneficij; vnde huiuſmodi iura ſolent cedere iis , quibus cedunt fructus beneficij vacantis.Proinde ſi collatio beneficij fructus Epiſcopatus dicitur, cur non etiam electio dicetur fructus illius beneficij ? ergo concludetur ſub prohibitione fructuum. Ita probabiliter docent Sayrus *de cenſur. lib.4.cap.6.n.7.* Præpolitus *in 3.part. quæſt.3. de ſuſpenſion. dub.2. num.25.* Nauarrus *in man.cap.27. num.163.verſ. Sextò infertur*, Henriquez *lib.13. cap.32. num.4.* & alij.

Sayrus. Præpolitus. Nauarrus. Henriq.

Nihilominus dicendum eſt, iuxta probabiliorem ſententiam, ſuſpenſum à beneficio poſſe eligere, & beneficia conferre. Ratio eſt,quia electio & collatio non numerantur propriè inter beneficij fructus, quorum perceptio ſuſpenſo interdicta eſt , cùm potiùs ſint actus officij, & quaſi iuriſdictionis , ratione beneficij competentis. Tum quia impropriè dicitur , conferre beneficia pertinere ad fructus Epiſcopatus ; nam reuerà ita non eſt , ſed pertinet ad officium Epiſcopatus : eſt enim quidam actus illius muneris : ſicut conferre Sacramenta eſt actus beneficij Parochialis. Accedit, quòd quando Canonis Auctor vel iudex ab vtroque tam beneficio, quàm iure eligendi & conferendi ſuſpendere vult, id ipſum exprimit,vt videre eſt *in cap Cùm in cunctis, §. vlt. de elect.* quando autem non exprimitur, non eſt extenſio facienda in materia pœnali. Ita Gloſſa *in cap. Cupientes , §. Ceterum. de elect. in 6.* Suarez *de cenſuris diſp. 27. ſect. 1. num. 33. & 34.* Mercerus *de Sacrament. in 3. part. quæſt.24. dub.3.* Gaſpar Hurtadus *de ſuſpenſ. diſſic.4. num.9.* Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 8.* Coninck *de Sacrament. diſput.15. dub 2. num.11.* Layman *lib.1. tr.5.p. 3. cap. 1. num.4.verſ. Illud porrò*, & alij.

Gloſſa. Suarez. Mercerus. Hurtadus. Diana. Coninck. Layman.

8. Suſpenſus à beneficio vſurpans fructus ipſius beneficij , grauiter peccat & tenetur ad reſtitutionem abſque alia iudicis ſententia : quia vſurpat aliena contra iuſtitiã, ac propterea obligatur etiam ad reſtitutionem : quia nemo poteſt retinere iuſtè quod ſuum non eſt , niſi excuſetur per impotentiam vel aliam grauem cauſam;& hoc verum,quamuis ſuſpenſio ſit occulta : quia cenſura hæc ſicut excommunicatio ſecum affert executionem,quantum ad impediendam acquiſitionem dominij: vnde hæc pœna non ſpoliat hominem rebus ſuis,quarum dominium iam acquiſierat : quod fieri non ſolet abſque ſententia ab homine lata : ſed impedit ne fructuum dominium acquirat , quod ipſo iure abſque interuentu alterius ſententiæ fieri ſolet. Ita ex communi Suarez *diſp.27. ſect.1. num.7.* Fructus autem beneficij pro tempore , quo aliquis permanet ſuſpenſus à beneficio , ſunt conuertendi in vtilitatem Eccleſiæ,detractis iis,qui traduntur ſubſtituto ad inſeruiendum. Ita Bonacina *de cenſur.diſp. 3. punct.2. num.14.* & alij ab ipſo citati.

Suarez. Bonacina.

Sed petes, an taliter ſuſpenſus à beneficio, vſurpando ſibi fructus beneficij,irregularitatem incurrat ? Reſponſio communis eſt negatiua : quia in iure non legitur irregularitatem latam in violatorem cenſuræ,niſi propter miniſterium in diuinis,à quo per cenſuram interdictus eſt: Irregularitas autem, niſi in iure ſit expreſſa, non incurritur. Et ob id exercitium ſolius iuriſdictionis contra ſuſpenſionem , non inducit irregularitatem : ergo multò minùs hæc incurretur propter fructus beneficij malè perceptos: nam minus habet hoc de Eccleſiaſtico miniſterio , vt docet Gloſſa communiter tecepta *in Clement: 2. verb. Suſpenſus, de vita & honeſtat. clericor.* Suarez *loco citato, num.* 8. Bonacina *de ſuſpenſ. diſp:3. punct.4. num.6 verſ. Sextò.*

Gloſſa. Suarez. Bonacina.

9. Suſpenſio à beneficio lata abſque loci determinatione ſpeciali,vniuerſaliter intelligenda eſt,id eſt,ab omni beneficio,vbicumque illud ſit,vel poſſideatur : quia locutio illa indifferens æquiualet vniuerſali,niſi aliunde ex materia vel cauſa, de qua agitur , conſtet ſuſpenſionem eſſe in particulari de aliquibus beneficiis talis vel talis Eccleſiæ. Vnde non ſolùm Papa, ſed etiam particularis Epiſcopus poteſt ſuſpendere ſubditum ab omnibus beneficiis, quæ vbique etiam in aliis Diœceſibus habet,ſi qualitas delicti id mereatur.vt ex communi docet Abbas *in cap. Paſtoralis, §. Verum, de appellat. num.20.* Ratio eſt,quia ille actus nõ excedit iuriſdictionem Epiſcopi particularis: quia ſententia ſeu pœna non fertur de beneficio ſeu in beneficium,ſed fertur in perſonam,& illa eſt,quæ priuatur iure quod habet, ſeu impeditur,ne illo vtatur:ipſa autem perſona eſt intra territorium huius Epiſcopi, eique ſubiecta,& in illo habet omne ius cuiuſlibet beneficij, etiamſi tale ius ſit ad fructus percipiendos in alio territorio vel Epiſcopatu. Nam beneficium eſt ius quoddã quaſi inhærens perſonæ quæ illud habet: Ergo Epiſcopus, qui fert ſententiam ſuſpenſionis in perſonam ſibi ſubiectam,poteſt etiam in illa impedire omne ius,quod ipſi inhæret:ergo poteſt ſuſpendere illam ab omni beneficio,etiamſi Eccleſia,vel locus beneficij extra territorium ſit. Idem dicendum de ſuſpenſione ab officio:nam & Pontifex & Epiſcopus poſſunt ſubditum ſuſpendere ab officio vel parte eius, in vno, & in omni loco, extra, vel intra Diœceſim. An autem quando Epiſcopus ſimpliciter à beneficio ſuſpendit,intelligatur ſuſpendere ab his,quæ ſunt extra Diœceſim; conſulenda eſt conſuetudo,quæ eſt optima legum & verborum interpres. Si ergo ita vſu receptum eſt inter Eccleſiaſticos iudices particulares, ita erit interpretanda;& ſi res eſt dubia , interpretanda erit ſententia , vt ſuſpendat ſolùm à beneficiis in territorio ſeu Diœceſi Epiſcopi ſitis. Ita Suarez *loco citato, n.17. & 22.*

Abbas. Suarez.

10. Ex violatione ſuſpenſionis incurritur irregularitas,non ſolùm quando per exercitiũ maioris ordinis violatur ſuſpẽſio perpetua,quæ eſt propriè cenſura , ſed etiã quando violatur ſuſpenſio , quæ eſt pura pœna & quæ lata eſt ad determinatum tẽpus. Ratio eſt,quia ſuſpenſio lata ad definitum tempus licet non ſit propria cenſura , ſed pœna, tamen in illa incurritur hæc irregularitas:nam de illa expreſsè loquuntur *cap.1. de re iudicata & de ſentent. excomm. in 6.* quia talis ſuſpenſio tam efficaciter priuat ſacro miniſterio dum durat , ſicut quælibet alia:non ergo incurritur hæc pœna tantùm in propria cenſura , ſed etiam in pura pœna. Ita Alterius *de cenſur. tom.2. diſp.6. c.2.* Suarez *diſp.26. ſect. 2. num.4.* Filliucius *tract.17. num.193.* Bonacina *loco citato punct.4. num.6.* contra Canoniſtas,qui dixerunt, quando ſuſpenſio fertur à iure his verbis, *Qui hoc fecerit , ſuſpenſus eſt ab officio , donec ſatisfaciat.* non manere irregularem eum,qui poſtquam commiſit tale crimen , miniſtrat in officio : quia talis ſuſpenſio non eſt cenſura , ſed intrinſeca quædam pœna,quã ſecum affert ipſum peccatum. Hæc ſententia eſt falſa , quia non poteſt ferri ſuſpenſio Eccleſiaſtica verbis expreſſioribus , ſicut prædicta, quæ non ſolùm explicat intrinſecũ effectum ipſius peccati,ſed inducit etiam propriam pœnam Eccleſiaſticam; alioquin eſſent inutilia,ſi tantùm operarentur

Alterius. Suarez. Filliucius. Bonacina.

ſi fuerit tacita.

6 *Quando ſubſtitutio pupillaris expiret.*

7 *Quibus fieri poſſit ſubſtitutio exemplaris ? Et quæ ſit differentia inter ſubſtitutionem pupillarem & exemplarem.*

8 *An non ſolùm pater poſſit exemplariter filio ſubſtitutum dare, ſed etiam mater ? Et quando ſubſtitutio exemplaris expiret.*

9 *Subſtitutio fideicommiſſaria vnde dicatur ? Et an hæres grauatus hac reſtitutione hæreditatis, poſſit reſtitutionis tempore de fideicommiſſo detrahere quartam partem, quæ vocatur Trebellianica.*

10 *Quando fideicommiſſum eſt ad cauſam piam, an poſſit detrahi quarta Trebellianica ? An poſſit teſtator prohibere deductionem Trebellianicæ.*

An ſubſtitutio fideicommiſſaria, quâ teſtator inſtituit hæredem vniuerſalem, & illum grauat reſtituere hæreditatem alteri poſt mortem, ſit intelligenda, ſi hæres moriatur ſine deſcendentibus.

12 *Si hæres grauatus in delictum incidat hæreditate adità, ob quod bona illius fiſco addicantur, an ea frui poſſit fiſcus, donec moriatur hæres grauatus.*

An deuoluatur hæreditas ad fideicommiſſarium, ſi hæres grauatus religionem capacem bonorum profiteatur ? Et quid ſi religionem incapacem ? Refertur duplex ſententia.

12 *An profeſſio in Ordine incapaci ſucceſſionis, cenſenda ſit mors naturalis in præiudicium tertij, & ſubſtitutus admittendus ſit in præiudicium illius, in quem bona alienata ſunt ante profeſſionem ?* Refertur duplex ſententia.

13 *Quando ſubſtitutio fideicommiſſaria expiret, ſi hæres grauatus ante hæreditatem aditam è vita diſcedat ? & quando non.*

1. SUbſtitutio in hæreditate, quædam eſt indirecta, & quædam directa. Indirecta eſt, quando hæreditas defertur ſubſtituto per alterum, qui eam illi reſtituat ; vt quando vnus inſtituitur hæres, & grauatur hæreditatem, aut partem hæreditatis reſtituere alteri. Et hæc dicitur etiam, tum obliqua, tum fideicommiſſaria ſubſtitutio. Directa verò ſubſtitutio eſt, quando hæreditas ſubſtituto defertur abſque alterius miniſterio ; qui illam reſtituat. Differentia autem inter vtramque præter alia, eſt, quod in fideicommiſſaria ſubſtitutione locum habet detractio Trebellianicæ : in ſubſtitutione verò directa, non item. Directa & indirecta ſubſtitutio fieri etiam poteſt in legatis & donationibus cauſa mortis ; ſed tunc locum non habet Trebellianica. Quid autem ſit Trebellianica, diximus ſuprà *verb. Legitima portio, num.* 3.

Duo autem circa ſubſtitutiones in genere ſunt obſeruanda. *Primum*, in dubio, an ſubſtitutio aliqua directa ſit, aut fideicommiſſaria, interpretandam, & cenſendam eſſe ſubſtitutionem directam, non verò fideicommiſſariam, vt habetur *in cap. Si pater, de teſtament. in 6.* his verbis : *Cùm in ſubſtitutionibus ſemper ſit interpretatio facienda* (dummodò earum verbis & perſonis conueniat inſtitutis) *vt ſubſtitutio directa intelligatur potiùs, quàm obliqua.*

Secundum eſt, ſi quis ſimul ſubſtituatur alteri directè & indirectè, vulgari & fideicommiſſaria ſubſtitutione, in optione eo pacto inſtituti eſſe eligere, quo illorum duorum modorum pacto ſuccedere maluerit : iuxta *l. Recuſare, §. Titius, ff. ad Trebell.* Ita Antonius Gomez *tom. 1. variar. reſol. cap. 3. num. 7.* Emanuel à Coſta *in cap. Si pater, p. 3. verb. Obliqua, num. 14.* & alij ab ipſis relati. Gomez. Eman. à Coſta.

2. Duo ſunt capita, ex quibus hæres inſtitutus in aliquo teſtamento, non eſt poſtea hæres ; nempe, vel quia non poteſt ; vt ſi moriatur ante teſtatorem, aut alia de cauſa : vel quia non vult. Primum caput appellatur impotentiæ. Secundum dicitur à Iuriſperitis noluntatis. Si teſtator, dum hæredi aliquem vulgariter ſubſtituit, exprimat ſolum vnum caput, aut partem illius, cenſetur ex iuris diſpoſitione in eo capite, aut parte capitis intelligere reliqua : quia ea præſumitur teſtatoris voluntes, quando contrarium aliunde non conſtat. Et tunc ſubſtitutio illa dicitur expreſſa ex capite quod in ea exprimitur, & tacita ex capite, aut parte capitis, quæ non exprimuntur. Proinde ſi teſtator dicat in ſuo teſtamento : Inſtituo meum hæredem Iacobum, & ſi noluerit, inſtituo Ioannem ; tunc ſi Iacobus ante teſtatorem moriatur, aut alia de cauſa hæres eſſe non poſſit, hæreditas pertinet ad ſubſtitutum, & non ab hæredes ab inteſtato : quia teſtator ſub capite nolitionis, caput etiam impotentiæ intellexit. Similiter ſi dicat : Inſtituo meum hæredem Iacobum, & ſi ille mortuus fuerit ante me, ſubſtituo Ioannē ; tunc in caſu quo ex aliqua alia cauſa hæres eſſe non poſſit, aut ſi poſſit, non tamen velit, hæreditas pertinet ad ſubſtitutum, non verò ad hæredes ab inteſtato : quia in illa parte expreſſa capitis impotentiæ, intelliguntur tam reliquæ partes eiuſdem capitis, quàm caput noluntatis, ex *l. Gallus, ff. de liber. & poſt.* & *l. vltim. Cod. de inſtitut. & ſubſtitut.* Couarruuias *in cap. Raynutius, de teſtam. §. 4. n. 4. & 5.* Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap. 3. num.* 10. Molina *tract. 2. diſp.* 183. & communis, apud quos plura de ſubſtitutione vulgari. Couar. Gomez. Molina.

3. Circa ſubſtitutionem pupillarem eſt obſeruandum, quod ætas pupillaris in maſculo intelligitur vſque ad decimum-quartum annum, in femina vſque ad duodecimum, ſicut in aliis diſpoſitionibus. Talis autem ſubſtitutio eſt, ſi filius meus infra pupillarem ætatem decedat, ſubſtituo Petrum : quo caſu, decedente filio infra pupillarem ætatem, ei ſuccedit Petrus, non ſolùm quoad relicta à patre, verùm etiam quoad omnia alia pupilli bona, ac ſi fuiſſet inſtitutus hæres ab ipſomet pupillo, ex *l. Coheredi, §. final. & §. Igitur, ff. de pupill. ſubſtitut.* modò ſit vera & directa ſubſtitutio, non verò ſi fiat per verbum obliquum & commune, vt ſi pater dicat : *Filio meo decedenti in pupillari ætate ſubſtituo Petrum in tali re, vel Petrus capiat talem rem.* Nam verbum obliquum adiectum certæ rei, non extenditur ad omnia bona, *l. Cùm filius, §. Lucius. ff. de legatis 2.* Ita Baldus, Caſtro, Iaſon & alij apud Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap. 4. num. 13.* Baldus. Caſtro. Iaſon.

4. Iure antiquo *l. 2. in princip. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtitut.* & *§. Non ſolùm, inſtitut. de pupill. ſubſtitut.* vt ſubſtitutio pupillaris valida eſſet, neceſſe erat filium, cui pupillaris ſubſtitutus daretur, hæredem inſtitui, aut exhæredari : alioquin ſi præteriretur, cùm de eodem iure antiquo inualidum omninò eſſet tale teſtamentum, inualida quoque erat talis pupillaris ſubſtitutio in eo contenta. Hodie tamen poſt Authent. *Vt cum de apellat. cognoſcitur, §. Siue igitur*, & *§. Si verò contigerit*, & Authent. *Ex cauſa, Cod. de liber. præterit.* eſto is ipſe impubes, cui ſubſtitutus datur, ſit præteritus, aut exhæredatus, non appoſita cauſa ex legitimis ad exhæredandum, quamuis teſtamentum quoad hæredum inſtitutionem ſit nullum, validum tamen eſt quoad legata, fideicommiſſa, libertates, tutorum dationes, & quælibet alia capitula in eo contenta, quæ legibus ſunt conceſſa ; in quibus ſunt directæ etiam Gomez. Iaſon. Gomez.

ſub

Clarus. Gomez. Molina.

ſubſtitutiones comprehenduntur. Ita Iulius Clarus §. *Teſtamentum, quæſt.* 54. Anton. Gomez *tomo primo variar. cap.* 4. *num.* 4. & *cap.* 3. *num.* 24. Molina *diſput.* 184. *num.* 9. & alij. Qui bene obſeruant quod, quando filius eſſet præteritus, aut exhæredatus, non, inſertâ iuſtâ exhæredationis causâ, & de nullitate ageret aduerſus tale teſtamentum atque obtineret: tunc ſicut ſua ſucceſſione nullæ redderentur primæ directæ hæredum inſtitutiones, ita etiam inualidæ fierent vulgares ſubſtitutiones, quæ illarum loco erant ſtatutæ. Præterea vt ſubſtitutiones factæ in teſtamento, in quo filius eſt præteritus, aut exhæredatus, validæ ſint, neceſſe eſt, vt in eo teſtamento aliquis alius hæres ſit inſtitutus: alioquin ſi nullus eſſet, teſtamentum eſſet prorſus inualidum, & quidquid in eo eſſet ſcriptum, præter legata in pias cauſas.

5. Subſtitutio pupillaris expreſſa poteſt fieri tripliciter, *Primò*, verbis generalibus; vt ſi teſtator loquens de filio ſuo impubere, non tamen exprimens ſpecificè quod ſit impubes, dicat: Inſtituo filium meum hæredem, & ei Petrum ſubſtituo. *Secundò*, verbis ſpecialibus; vt ſi mentionem faciat pupillaris ætatis. *Tertiò*, verbis ſpecialiſſimis; vt ſi exprimat conditionem: Inſtituo filium meum impuberem hæredem, & ſi in pupillari ætate poſt mortem meam deceſſerit, ſubſtituo ei Petrum. Tunc quandocumque vno ex his tribus modis facta eſt ſubſtitutio, ſubſtitutus pupillaris excludit matrem pupilli, ſi hic moriatur in ætate pupillari. Ita ex communi Emmanuel à Coſta *in cap. Si pater, part.* 2. *verb. Superſtite matre à n.* 9. Anton. Gomez *tom.* 1. *var. cap.* 4. *n.* 7. Couarruuias *in cap. Raynutius*, §. 5. Ratio eſt, quia teſtamentum, in quo pupillaris ſubſtitutio continetur, non eſt diſpoſitio filij, ſed patris: quia ergo pater non tenetur inſtituere vxorem hæredem, inde effectum eſt, vt ſicut ius patri ſubſtitutionem pupillarem in filij bonis conceſſit, ita liberum ei reliquerit præferri vxori in eis bonis quemcumque vellet. Proinde valida eſt prælatio ſubſtituti pupillaris matri etiam in foro conſcientiæ, iuxta *l. Papinianus*, §. *Sed nec impuberi, ff. de inoffic. teſtament.* & *l. Sed etſi plures*, §. *ad ſubſtitutos, ff. de vulg. & pupill.* Quæ ſanctio iure Canonico eſt recepta *in cap. Si pater, de teſtament. in* 6.

Em à Coſta. Gomez. Couar.

Tamen pupillaris ſubſtitutio tacita, quæ ex præſumpta voluntate teſtatoris in vulgari expreſſa includitur, non excludit matrem, quin potiùs præferenda eſt ſubſtituto in omnibus vniuerſim pupilli bonis: excludit ſolùm ceteros pupilli hæredes ab inteſtato, quibus proinde omnibus præferendus eſt ſubſtitutus, vt habetur expreſsè *l. vlt. C. de inſtitut. & ſubſtitutionibus*, & *l. Precibus, C. de impub. & aliis ſubſtitution.* & ex communi docent Couarruuias *loco cit.* §. 4. *n.* 6. Gomez *loco cit. cap.* 4. *n.* 8. Molina *diſp.* 184. *n.* 19. & alij.

Couar. Gomez. Molina.

6. Subſtitutio pupillaris expirat *Primò*, ſi ſubſtitutus ante pupillum moriatur: ſicut & vulgaris expirat, ſi ſubſtitutus ante teſtatorem diſcedat: nam ius, ſeu ſpes ſubſtituti, ad hæredes eius non tranſit, ex *l. Sed ſi pubes, ff. de vulgari. Secundò*, expirat ſtatim ac is, cui ſubſtitutus eſt datus, pupillarem ætatem egreditur: quia pro ſolo tempore pupillaris ætatis eſt ei datus ſubſtitutus, & ſub conditione, ſi intra id tempus è vita diſcedat, vt habetur de maſculo, *Inſtit. de pupillari ſubſtit.* & *l. In pupillari, ff. de vulg. & pupill. Tertiò*, expirat, ſtatim ac filius efficitur ſui iuris, viuente patre, qui ſubſtitutum pupillarem ei tradidit. Vnde, ſi pater facto teſtamento poſtea religionem ingrederetur & profiteatur, eo ipſo pupillaris ſubſtitutio expirat, eſto pater è vita diſcedat poſt profeſſionem ante annos pubertatis filij, & filius ſimiliter poſt mortem patris diſcedat ante annos pubertatis: tunc enim bona filij pertinent ad hæredes ipſius ab inteſtato, non verò ad ſubſtitutum pupillarem. Ratio eſt, quia filius patriam poteſtatem egreditur eo ipſo, quod vel ipſe, vel pater religionem profitetur. De his Anton. Gomez *loc. cit. cap.* 4. *num. vlt.* & *c.* 3. *n.* 29. Emmanuel à Coſta *ind. cap. Si pater, p.* 2. *à n.* 10. Molina *loco cit. num.* 25.

Gomez. Eman. à Coſta. Molina.

7. Subſtitutio exemplaris fieri poteſt non ſolùm amentibus, ſed etiam iis, qui ſurdi ac muti ſimul ſunt, ſive à natiuitate, ſive poſtea morbo tales effecti fuerint: modò tamen ſcribere neſciant. Sicut enim, qui tales ſunt, neque ſcribere ſciunt, teſtari non poſſunt, niſi vel milites ſint, vel ad pias cauſas teſtentur; ita fieri illis poteſt exemplaris ſubſtitutio. Idem dicendum de prodigo: huic enim ſi bonorum adminiſtratio interdicta ſit, ſit huiuſmodi ſubſtitutio, cùm teſtari non poſſit, neque multum ab amentibus diſtet. Hinc ſi teſtator habens talem filium, dicat: Inſtituo filium meum & ei ſubſtituo Petrum. Si hic filius nondùm fuerit pubes, eadem ſubſtitutio etiam erit pupillaris. In eadem etiam ſemper continetur vulgaris; ſi enim contingat filium mori ante teſtatorem, ſubſtitutus ſuccedet ex vulgari. In eadem etiam continetur fideicommiſſaria, nempe ſi poſt pubertatem redeat ad mentem: tunc enim ſubſtitutus ſuccedet ex tacito fideicommiſſo; quia illa formula omnes has ſubſtitutiones complectitur. Ita ex communi Anton. Gomez *tom.* 1. *cap.* 6. Molina *diſp.* 185.

Gomez. Molina.

Hæc tamen eſt differentia inter ſubſtitutionem pupillarem & exemplarem, quòd in pupillari requiratur patria poteſtas, non verò in exemplari: nam in hac conſideratur ratio humanitatis & commiſerationis, non patria poteſtas. Deinde in pupillari omnes ſubſtitui poſſunt, non verò in exemplari; in hac enim ſubſtitui debent illi, qui de iure ſuccedere debent, vt deſcendentes, vel aſcendentes, & his deficientibus fratres & ſorores, & his omnibus deficientibus ſubſtitui poſſunt de iure communi quicumque alij, *l. Humanitatis, C. de impub. ſubſtitut.* & §. *Qua ratione, Inſtitut. de pupill. ſubſtitut.* Ita Anton. Gomez *loco citato, cap.* 6. Molina *diſp.* 185. *num.* 2. Couarruuias *in cap. Raynutius, de teſtament.* §. 6. Bonatina *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 17. *punct.* 4. *num.* 5. & alij.

Gomez. Molina. Couar. Bonac na.

8. Quamuis pater exemplariter poſſit filio ſubſtitutum dare, poteſt tamen etiam mater. Sed ſubſtitutio facta per patrem vim habebit in bonis, quæ filius habuerit ex patre; ſubſtitutio verò facta per matrem, obtinebit in bonis quæ habuerit ex parte matris. Si autem is, qui ſubſtitutus datur, habuerit alia bona, propriâ induſtriâ, aut aliunde acquiſita, dimidium obtinebit ſubſtitutus datus à patre, & alterum dimidium ſubſtitutus datus à matre. Ita cum Bortolo, Anton. Gomez *loco cit. num.* 13.

Bartolus. Gomez.

Porrò exemplaris ſubſtitutio expirat eo ipſo, quòd is, cui facta eſt, ad ſanam redit mentem, ex *l. Humanitatis, Cod. de impub. & aliis ſubſtitut.* & §. *Qua ratione, Iuſtitut. de pupill. ſubſtitut.* Si tamen poſtquam ad ſanam mentem redut, teſtamentum non fecit, & iterum mente captus factus ſit, recognualeſcit exemplaris ſubſtitutio priùs facta, eſto, qui exemplariter ſubſtituit, mortuus fuerit antequam ille ad ſanam mentem redierit. Ita ex communi Couarruuias *loco cit.* §. 6. *n.* 7. Anton. Gomez *cap.* 6. *num.* 11. & alij.

Couar. Gomez.

9. Subſtitutio fideicommiſſaria dicitur à fido, quia teſtator fidit hæredi & illius fidei committit hæreditatem alteri reſtituendam. Vocatur ſubſtitutio, quia eſt ſecunda inſtitutio facta

facta cum conditione. Dicitur autem ſecunda Inſtitutio, quia ſuccedit in locum primæ inſtitutionis. Et quamuis dari poſſint gradus ſubſtitutionis, vt tertius, quartus, & vlterior gradus; nihilominus ſubſtitutio adhuc dicitur ſecunda inſtitutio reſpectu primæ inſtitutionis; quia in locum primi inſtituti omnes ſuccedunt, *l. 1. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Couarruuias *loco citato cap.* 16. §. 4. Molfeſius *in ſumm. part. 2. tract. 13. cap. 4. n. 28. & ſeqq.* & communis.

Couar. Molfeſius.

Vt autem hæres grauatus hac reſtitutione hæreditatis, inuitaretur ad adeundam hæreditatem, & ſimul ne nomen talis hæredis vacuum & abſque fructu eſſet, iure conceſſum illi fuit, vt reſtitutionis tempore detrahere de fideicommiſſo poſſet quartam partem eius, in quo inſtitutus eſt; vt ſi eſt inſtitutus in tota hæreditate, cum onere eam reſtituendi alteri, detrahet quartam totius: ſi in dimidia, cum ſimili onere, detrahet quartam illius dimidij, & ſic deinceps. Quod ſi teſtator aliquid ei certi aſſignet & reliquum iubeat reſtitui; ſi illud certum non adæquat quartam partem totius, in quo inſtitutus eſt, poterit detrahere de reliquo, donec compleat quartam.

Inſuper iure conceſſum fuit, vt ſi hæres grauatus adire non vellet hæreditatem, poſſet officio iudicis ad id cogi vt continuò eam reſtitueret, & vt ſi coactus eam adiret, amitteret huiuſmodi quartam, quæ vocatur Trebellianica, à Senatuſconſulto Trebelliano, per quod eſt conſtitutum vt detraheretur. Ita habetur §. *Ergo, verſ. Sed ſi recuſet,* & §. *Sed quia ſtipulationes, Inſtitut. de fideicommiſſariis hæreditatibus, l. 1. & ſequent. Cod. ad S. C. Trebellianum,* & docent Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap. 5. num. 3. & 14.* Molina *diſput. 186.* Leſſius *lib. 2. cap. 19. num. 87.* Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. 18. dub. 8. num. 5.* & alij apud Bonacinam *loco citato, num. 10.*

Gomez. Molina. Trullench. Bonacina. Leſſius.

10. Circa hanc ſubſtitutionem fideicommiſſariam eſt notandum, *Primò*, quod, quando fideicommiſſum eſt ad cauſam piam, ſeu cùm ſubſtitutus eſt cauſa pia, non poteſt detrahi quarta Trebellianica: ſicut etiam fauore piæ cauſæ in legatis piis ceſſat Falcidia: niſi fortè etiam hæres, qui grauatur, ſit cauſa pia; tunc enim detrahet, quia vna cauſa pia contra aliam non habet priuilegium, ſed iure communi cenſentur. Nam quando duo habent priuilegium circa eandem rem, ceſſat priuilegium vtriuſque, & ſtatur iuri communi. Ita Gomez *loco cit. c. 5. n. 11.* Molina *diſp. 187. n. 27.* Filliucius *tract. 34. num. 170.* Sylueſter *v. Legitima, num. 9.* & alij communiter.

Gomez. Molina. Filliucius. Sylueſter.

Secundò, ex communi Doctorum ſententia poteſt teſtator prohibere deductionem Trebellianicæ, ita vt hæres grauatus abſque talis portionis deductione, teneatur hæreditatem reſtituere: ſicut enim teſtator poteſt prohibere, ne hæres detrahat Falcidiam à legatis, ex *Authent. Sed cùm teſtator. Cod. ad leg. Falcidiam*, ita etiam prohibere poteſt, ne eam detrahat à fideicommiſſis; cùm Falcidia & Trebellianica æquiparentur in iure, adeò vt Trebellianica ſæpè nomine falcidiæ ſignificetur. Ita Iulius Clarus §. *Teſtamentum, quæſt. 62.* Couarruuias *cap. 18. de teſtament. num. 10.* Leſſius *loco cit. n. 89.* Eman. Sà *verb. Hæreditas, n. 41.* Molina *diſp. 187. n. 23.* An autem parens filiis primi gradus prohibere poſſit deductionem Trebellianicæ, adeò ſunt diuiſi Doctores, vt difficile ſit iudicare, quænam ſit communior opinio, aliis affirmantibus, & aliis negantibus, vt videre eſt apud Molinam *diſp. 187. n. 25. & 26.*

Clarus. Couar. Leſſius. Eman. Sà. Molina.

Molina.

Tertiò, ſubſtitutio fideicommiſſoria, quâ teſtator inſtituit aliquem hæredem vniuerſalem, & illum grauat reſtituere hæreditatem alteri poſt mortem, intelligenda eſt ſub tacita conditione, ſi hæres deceſſat ſine filiis, vel deſcendentibus, *l. Cùm auus. ff. de conditionibus, & demonſtrationibus.* Eſt communis Doctorum. Quamuis quidam obſeruent hoc non procedere in tribus caſibus: *Primò*, quando hæres tempore conditi teſtamenti habebat filios, vel deſcendentes. *Secundò*, ſi hæres ſit extraneus. *Tertiò*, quando filius vel deſcendens inſtituit patrem vel matrem cum onere reſtituendi hæreditatem. In his caſibus non præſumitur, nec vllo iure probatur hanc conditionem ſubintelligi, ſi deceſſerit ſine filiis vel deſcendentibus. Ita poſt Antonium Gomez, Bonacina *loco cit. n. 6.* Trullench *in Decalog. lib. 7. c. 18. dub. 8. n. 8.* De his plura apud Molinam *diſp. 190.*

Gomez. Bonacina. Trullench. Molina.

11. Si hæres grauatus, hæreditate aditâ, in delictum incidat, ob quod bona illius fiſco addicantur, eâ frui poteſt fiſcus, donec moriatur hæres grauatus, vel alia ratione tempus reſtitutionis adueniat, *l. Statius Florus, §. Cornelio, ff. de iure fiſci, & l. Ex facto, §. Ex facto, ff. ad S. C. Trebellian.*

Hoc tamen intelligitur, niſi teſtator alienationem prohibuerit, ſtatuendo, vt bona in familia remanerent: aut conſtiterit voluntatem illius eſſe vel fuiſſe, vt etiam viuente hærede grauato, aut alia ratione durante tempore, in quo nondum facienda erat reſtitutio, non tranſirent ad alium, quàm ad fideicommiſſarium; tunc non poterit fiſcus eis frui, vt ex *l. Imperator in princip.* tradunt Bartolus, Molina *diſp. 186. num. 2.* Bonacina *loco citato num. 8.* Trullench *loco cit. num. 9.* & alij.

Bartolus. Molina. Bonacina. Trullench.

Si autem hæres grauatus religionem capacem bonorum profiteatur, non deuoluitur hæreditas ad fideicommiſſarium, donec profeſſus naturaliter moriatur, vel donec adimplearur conditio, ſub qua teſtator voluit hæreditatem deferri fideicommiſſario; tunc enim Monaſterium percipiet vſumfructum illorum bonorum donec ſequatur mors naturalis ipſius religioſi. Ratio eſt, quia vſusfructus relictus alicui; habet eam tacitam conditionem, vt morte eius finiatur, & redeat ad proprietarium, §. *finitur, Inſtit. de vſufructu.* At non finitur profeſſione vſufructuarij in Monaſterio capaci, ſed remanebit apud Monaſterium vſque ad illius mortem. Quare ſi religioſus ille ſuperuixerit fideicommiſſario, non tranſmittentur ea bona ad hæredes fideicommiſſarij, ſed remanebunt apud Monaſterium, quod per fictionem iuris fauore religionis loco filij habetur. Ita hanc ſententiam ſuſtinent Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 19. n. 7.* Gutierrez *in quæſt. canonic. lib. 2. cap. 1. num. 64.* Molina *diſp. 186. n. 3.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 3. n. 76. & 77.* Trullench *loco citato, n. 9.* Vaſquez *in opuſc. tit. de reditibus, c. 3. dub. 4. n. 20.* & alij multi penes ipſos.

Couar. Gutierrez. Molina. Sanchez. Trullench. Vaſquez.

Sed maior difficultas eſt, ſi Monaſterium illud ſit incapax ſuccedendi? Nam multi valde probabiliter affirmant, non ſtatim à die profeſſionis deberi hoc fideicommiſſum, ſed ſolum poſt naturalem profeſſi mortem, & interim non Monaſterium habiturum ea bona, ſed habituros hæredes ab inteſtato, quia eius perſonam repræſentant. Ratio illorum eſt, quia conditiones implendæ ſunt in ſpecifica forma, *l. qui hæredi, ff. de condit. & demonſtrat.* & non æquiualet in conditionibus implendis mors ciuilis morti naturali: at fideicommiſſum illud habet tacitam conditionem, ſi inſtitutus moriatur ante fideicommiſſarium; Ergo in ea conditione implenda non eſt mors ciuilis per profeſſionem, ſed mors naturalis conſideranda. Ita multi Iuriſperiti apud Sanchez *loco cit. n. 78.*

Sanchez.

Probabilior tamen ſententia aſſerit, id fideicommiſſum ſtatim deberi fideicommiſſario poſt profeſſionem, ſicut legata debentur legatarijs,

&

& hæreditas hæredibus. Probatur: quia huiuſmodi profeſſus reputatur ac ſi naturaliter mortuus eſſet: nam mors ciuilis æquiparatur naturali, quoties eoſdem effectus parit, ſeu dum inducit incapacitatem ſuccedendi. Tum quia, cùm ille nequeat bona poſſidere, nec ex facto ſuo transferat in Monaſterium, nihil minùs ſi ea bona ad eos pertineat, ad quos deuoluerentur eo naturaliter mortuo. Ita Bartolus, Baldus, Surdus, Decius & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *loco cit. n.* 79. Gutierrez *lib.* 2. *in quæſt. Canonic. c.* 1. *n.* 62. *& ſeq.* Clarus §. *Teſtamentum, q.* 28. *n.* 4. Molina *loc. cit. n.* 3. Vaſquez, Couar. *locis citatis.*

Bartolus. Baldus. Surdus. Decius. Sanchez. Gutierrez. Clarus. Molina. Vaſquez. Couar.

12. An autem hæc profeſſio in Ordine ſucceſſionis incapaci cenſenda ſit mors naturalis in præiudicium tertij, ita vt à tempore profeſſionis ſubſtitutus ille admittendus ſit in præiudicium illius, in quem ea bona alienata ſunt ante profeſſionem? Eſt duplex ſententia: vna affirmatiua, altera negatiua probabilior, nempe eam profeſſionem non cenſeri mortem naturalem in præiudicium tertij, ac proinde expectandam eſſe huius profeſſi mortem, vt ſubſtitutus in ea bona ſuccedat, & interim ea habiturum illum, in quem alienata fuerant: ex quo fit, quòd Nouitius Ordinis Minorum de obſeruantia & Capucinorum, qui grauatus eſt poſt mortem ſuam aliquam hæreditatem reſtituere, ſed ipſe ante religionis ingreſſum, vel ante profeſſionem, ius in ea bona tempore vitæ ſuæ ad ſe pertinens, venditione, aut donatione, aut quouis alio contractu, in alium tranſtulit, valida eſt venditio, aut donatio, aut in alium tranſlatio, nec ſubſtitutus ſuccedet in ea bona, ante mortem naturalem talis religioſi. Ratio eſt, quia mutatio ſtatus alienantis non officit iuri iam quæſito per eum, in quem alienarat. Tum quia profeſſio talis Fratris Minoris operatur expropriationem eorum, quæ tunc profeſſus poſſidebat, non verò in præiudicium tertij & reſpectu iuris, quod in alium tranſtulerat. Tum quia ex tempore illius alienationis iam religioſus ſe iure ſuo abdicarat, & illud tranſtulerat in alium cui erat ius in ea re acquiſitum: at cùm fictio iuris non perperam, ſed ex naturali quadam æquitate inducatur, nihil operatur in præiudicium tertij; id enim naturali æquitati aduerſaretur, vt cum alterius iactura quiſpiam locupletetur. Ita Baldus *conſil.* 280. *in fine, volum.* 1. Peregrinus *de fideicommiſſis, art.* 28. *num.* 63. Bartolus *in l. Cùm hæredes* 23. §. 1. *n.* 1. *ff. de acquir. hæredit.* & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *Moral. cap.* 3. *num.* 81.

Baldus. Peregrinus. Bartolus. Sanchez.

13. Subſtituto fideicommiſſaria expirat, ac nulla redditur, ſi hæres grauatus ante hæreditatem aditam è vita diſcedat, *l. Ille à quo,* §. *ſi teſtamento, in fine, ff. ad Trebell.* Excipitur tamen *Primò*, niſi hæres grauatus diſcedat poſtquam coactus, vel iuſſus eſt hæreditatē adire: tunc enim hæres, ad quem hæreditas deuenit, reſtituere cogitur fideicommiſſum, *l. Non iuſtam, Cod. ad Trebell. Secundò*, ſi hæres grauatus iure ſuttatis, ſanguinis, aut deliberandi hæreditatem ad ipſius hæredes tranſmittat: tunc enim illi hæreditatem adire coguntur, ac fideicommiſſario reſtituere fideicommiſſum. Colligitur ex *l. Ita tamen,* §. *ſi pater, ff. ad Trebellian.* Eadem eſt ratio, quando ex quocumque alio capite tranſmiſſio fit hæreditatis non aditæ. *Tertiò*, quando in teſtamento, in quo hæres grauatus fuit, apposita eſt clauſula codicillaris: tunc enim hæredes, ad quos in defectum hæredis grauati hæreditas deuenerit, etiamſi ab inteſtato hæredes ſint, grauati cenſentur reſtituere fideicommiſſum, iuxta *l. Scæuola, ff. ad Trebell.* Ita Anton. Gomez *tom.* 1. *variar. cap.* 5. Emanuel à Coſta *in cap. Si pater, parte prima, verb. Si abſque liberis, numero quinquageſimoquinto,* & *part.* 2. *verb. Abſque deductione, num.* 27. Molina *diſp.* 189. & alij.

Gomez. Eman. à Coſta. Molina.

De reciproca, ſeu breuiloqua & competidioſa ſubſtitutione, nihil eſt à nobis addendum, quia in ſupradictis includuntur; non enim omnia de ſubſtitutionibus dicenda hic ſunt adducenda, cùm plenior horū tractatio ad Iuriſperitos pertineat, & videri poſſunt apud Doctores toto hoc titulo citatos.

SVFFRAGIVM.

SVMMARIVM.

1 *Suffragium apud Theologos quid ſit? An vnus fidelis poſſit alium iuuare ad ſatisfactionem pœnæ temporalis, ſiue in hac vita, ſiue in purgatorio alter exiſtat.*

2 *An ſuffragia ſint offerenda pro defunctis cum Chriſto regnantibus.*

3 *An ſuffragia viuorum poſſint prodeſſe damnatis ad expiationem pœnæ debitæ propter mortale peccatum in hac vita non remiſſum? Et an pueri morientes cum ſolo peccato originali ſint capaces ſuffragiorum.*

4 *An animabus purgatorij ſuffragia prodeſſe poſſint per modum impetrationis vel per modum ſolutionis?* Refertur duplex ſententia.

5 *An Sancti Beati orent pro animabus purgatorij? Et an impetrent illis remiſſionem gratuitam alicuius pœnæ.*

6 *An ſuffragia viuorum profint defunctis ex iuſtitia, vel ex ſola miſericordia?* Refertur duplex ſententia.

7 *An opus externum præcisè ſumptum, pro alio factum, poſſit illi ad ſatisfactionem, ſeu remiſſionem pœnæ prodeſſe?* Refertur duplex ſententia.

1. SUffragium, vt à Theologis accipitur, eſt auxilium quoddam, quod vnus fidelis præbet alteri ad obtinendam à Deo remiſſionem pœnæ temporalis peccatis debitæ, vel aliquid huiuſmodi. Negant Lutherani poſſe vnum fidelem alios iuuare ad ſatisfactionem pœnæ temporalis: in quo errore fuit priùs Wicleph; nihilominus veritas Catholica eſt, poſſe fideles viatores ſe inuicem iuuare ſuffragiis, ieiuniis, orationibus & eleemoſynis, ceteriſque operibus meritoriis, ſaltem de congruo, applicando pro aliis fidelibus viuis atque defunctis, vt à pœnis debitis diuina clementia liberentur. Hic eſt communis ſenſus Scholaſticorum omnium, qui veritatem hanc cenſent contineri in Symbolo Apoſtolorum, vbi confitetur Eccleſia *Sanctorum Communionem.* Hoc eſt, In Eccleſia militante eſſe communicationem bonorum operum inter homines iuſtos, quatenus vnus alteri prodeſſe & auxiliari poteſt. Ratio eſt, quia Eccleſia tota eſt vnum corpus, cuius caput eſt Chriſtus: ergo debet habere communicationem, tam capitis cum membris, quàm membrorum inter ſe. Nam pro inuicem ſolicita ſunt membra, *& ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* 1. Corinth. 12. Proinde ſicut vnum membrum alteri præbet auxilium, ita poteſt vir iuſtus alteri opem ferre per ſuffragia & opera ſatisfactoria.

Quod autem viuentes poſſint per ſuffragia iuuare defunctos detentos in Purgatorio, patet ex *lib.* 2. *Machab. cap.* 12. vbi dicitur, *Sancta ergo & ſalubris cogitatio eſt orare pro defunctis, vt à peccatis ſoluantur.* Vnde Eccleſia Sancta Dei in Miſſis Defunctorum orat, dicens: *Libera Domine animas fidelium defunctorum de pœnis inferni.* Et in

Concilio Florentino in literis vnionis dicitur, *Prodesse defunctis, vt à pœnis releuentur, viuorum suffragia, sacrificia, orationes & eleemosynas, aliáque operis pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis viuentibus, atque defunctis fieri consueverunt.* Quibus accedit ratio: nam iusti defuncti sunt membra corporis Ecclesiæ, & sunt colligati nobiscum, & cum Deo, in fide, spe & charitate: Ergo viuentes possunt, ac debent iuuare defunctos, vt membra eiusdem corporis. Præterea Christus, qui caput est, profuit viuens in terris viuentibus, mortuus mortuis, viuens mortuis, & mortuus viuentibus: Ergo decet, vt membra inter se ita agant, vt iusti viuentes viuentibus, mortui mortuis, viuentes mortuis & mortui viuentibus prosint. Ita docent D. Thomas *in supplement. 3. part. q. 71. art. 2.* D. Bonauent. *in 4. disp. 20. art. 1. q. 1. & 2.* Suarez *tom. 4. de pœnitent. disp. 48. sect. 1. & 2.* Ioannes de Lugo *de pœnitent. disp. 26. sect. 1.* Sotus *in 4. disp. 45. q. 2. art. 1.* & alij communiter.

D. Thom. D. Bonau. Suarez. Lugo. Sotus.

2. Suffragia non sunt offerenda pro defunctis cum Christo regnantibus, quibus per se, ac propriè prodesse non possunt. Ita Innocentius III. *in cap. Cùm Martha, de celebrat. Missar. vers. Tertio loco,* D. Augustinus *in Enchirid. cap. 109.* & omnes Scholastici *in 4. dist. 45.* Hæc veritas Catholica ratione probari potest, & quidem quantum ad pœnæ expiationem, res est certissima; quia in beatis nihil pœnæ superest, quod expiari, aut remitti possit. Si verò sit sermo de vtilitate suffragiorum, quantum ad impetrationem alicuius boni, certum est etiam non posse nostra suffragia prodesse Sanctis beatis quantum ad augmentum essentialis gloriæ, cùm hoc vnicuique conferatur iuxta propria merita, seu propriam gratiam & charitatem. Proinde oblationes pro Sanctis sunt potiùs gratiarum actiones, quæ Deo fiunt & à Sanctis cognoscuntur, & ideò de illis gaudent, & ita accidentalis eorum gloria augetur. Honorem autem extrinsecum eis impetrare possumus, quatenus ille honor potiùs in nobis est, qui Sanctos honoramus & cedit in profectum & vtilitatem nostram, vt D. Augustinus & Innocentius suprà sentiunt, cum Diuo Thom. *in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 4.* Paludanus, Sotus, D. Antoninus 3. *part. titul. 13. cap. 6. §. 13. & titul. 32. cap. 2. §. 2.* Nauarrus *de Iubil. notab. 22. n. 46. & seqq.* & alij communiter.

Innoc. III. D. August. D. Thom. Paludanus. Sotus. D. Antonin. Nauarrus.

3. Suffragia viuorum non possunt prodesse damnatis ad expiationem pœnæ, seu terminationem, quam sustinent propter peccata mortalia, quorum remissionem in hac vita non obtinuerunt: quia de fide est, hanc pœnam esse æternam ex immutabili lege Dei, vt constat ex variis Scripturæ locis, in quibus supplicium damnatorum æternum & inextinguibile appellatur. *Matth. 25. Lucæ 13.* Ratio huius veritatis à priori est, quia mortale peccatum dignum est tali pœnâ: quamdiu culpa non tollitur, impossibile est satisfactionem exhibere pro pœna, & nemo impetrare potest, vt illa pœna cesset perdurante culpa: quia hoc repugnat diuinæ legi & iustitiæ. Ex quo fit quod ex ordinatione diuina concessum est homini huius vitæ tempus, vt in eo possit talis peccati remissionem obtinere per pœnitentiam: post hanc autem vitam constituitur, in termino, in quo non conceditur pœnitentiæ locus. Præterea hîc colligitur, suffragia viuentium non prodesse defunctis damnatis ad aliquam mitigationem aut remissionem huius æternæ pœnæ, quæ illis debetur propter culpam mortalem non remissam: nam si damnatis remitterentur pœnæ propter suffragia viuorum, paulatim possent auferri, saltem quoad pœnam sensus, seu quoad positiuum dolorem: esto pœna damni nunquam tollatur. Consequens autem etiam hæreticum est, quia Scriptura sacra etiam cruciatum ignis & vermem conscientiæ dicit esse æternum. Sequela probatur, quia pœna illa quoad intensionem finita est; finitum autem per ablationem finiti consumi potest. De quibus plura apud D. Thom. *in supplem. 3. p. q. 71. art. 5.* Bellarminum *lib. 2. de purgatorio, c. 18.* Coninchum *de pœnit. disp. 11. dub. 8.* Suarez *tom. 4. disp. 48. sect. 4. num. 11. & seq.* Sotum *in 4. dist. 45. q. 2. art. 2.* Qui nouissimus aduertit eum grauiter peccare, qui orat pro mortuis damnatis, sciens ipsos damnatos esse: peruertit enim ordinem Ecclesiæ, & facit contra finem & honorem suffragiorum, quæ non debent indigno subiecto applicari: licet excusetur suffragia offerens, si nesciat illos esse in statu damnationis constitutos.

D. Thom. Bellarmin. Coninck. Suarez. Sotus.

Quod dictum est de damnatis, idem dicendũ est de pueris morientibus cum solo peccato originali: hi enim non sunt capaces suffragiorum: quia reuerà perpetuò puniuntur pœnâ damni, & in illa nullam possint remissionem accipere: aliam verò non patiuntur, pro qua iuuari possint: sunt ergo omninò extra viam & irremissibiliter extra gratiam, vt aduertit Nauarrus *de iubileo notab. 22. n. 46.* & Suarez *loc. cit. n. 18.* cum aliis. D. Thom. *in supplem. q. 71. a. 7.*

Nauarrus. Suarez. D. Thom.

4. Suffragia viuorum prodesse possunt animabus purgatorij, non solùm ad aliquam mitigationem pœnarum, sed etiam ad integram remissionem. Ratio est, quia illa pœna finita est, quoad gradus: ergo si potest remitti per suffragia, potest etiam omnino tolli, vel multiplicando successiuè suffragia, vel simul in personis diuersis, vel ita augendo vnum & idẽ opus, vt multis operibus satisfactoriis, atque adeò toti pœnæ æquiualeãt. D. Th. *loc. ci. a. 6.*

D. Thom.

An autem suffragia viuorum prosint animabus purgatorij per modum impetrationis, vel per modum solutionis & satisfactionis condignæ, quoad remissionem temporalis pœnæ, disputãt Theologi. Prima sententia est, temporalem pœnam interdum remitti gratis animabus purgatorij propter orationes & merita aliorum iustorum, qui hoc impetrant à Deo, etiamsi vel suas satisfactiones pro illis non offerant, vel certè illas non habeant, nec efficiant, vt eas offerre possint: & generaliter affirmat hæc sententia hunc modum impetrationis & suffragij non solùm esse possibilem, sed etiam nullum alium posse nos exhibere animabus purgatorij ad hunc effectum obtinendum. *Secunda* sententia affirmat hunc modum gratuitæ remissionis per modum impetrationis aliquando obtineri, quamuis alius etiam modus per æquiualentem solutionem sit possibilis: & declarat morali exemplo, quia vnus ex amore potest apud iudicem alium liberare à debito pœnæ vel negando, vel satisfaciendo. Ita Nauar. *de Iubileo notab. 22. n. 15.* Durandus *in 4. dist. 41. q. 1. n. 6.* & alij. Fundamentum huius sententiæ potest esse, quia beati orant pro animabus purgatorijs ergo eis obtinent remissionem alicuius pœnæ. Non possunt autem obtinere soluendo pro illis: quia non sunt in statu satisfaciendi: ergo impetrant, vt gratis fiat remissio. Tum quia Ecclesia frequẽter orat Deum, vt per suam piissimam misericordiam liberet animas purgatorij ab illis pœnis: ergo intendit impetrare gratuitam remissionem pœnarum. Hæc sententia est pia & probabilis & fortasse est vera, vt docet Suarez *loco cit. disp. 48. sect. 5. num. 5.*

Nauarrus. Durand. Suarez.

Nihilominus dicit hunc modum remissionis valdè incertum, & nõ satis fundatum esse, & verisimile putat, Deum nunquam remittere alicui pœnam pro peccatis debitam, nisi oblata, seu applicata condigna satisfactione, atque adeò nunquam id facere omninò

Digitized by Google

omninò gratis, ſed ſeruata vindicatiua iuſtitia & commutatiua, ac diſtributiua, quatenus cum illa coniunguntur. Supponit hic Doctor neminem poſſe ſibi impetrare gratuitam remiſſionem pœnæ; ex quo infert neminem poſſe alteri viuenti impetrare hoc modo remiſſionem pœnarum; quia nullus efficaciùs impetrat alteri, quàm ſibi. Vnde nec poteſt hoc impetrari animabus purgatorij; quia in hoc genere non poſſumus aliquid efficaciùs impetrare mortuo, quàm viuenti; & quia hæc etiam eſt impetratio reſpectu alterius quæ non eſt efficacior, quàm reſpectu ſui.

5. Certum eſt ex communi Theologorũ ſententia, Sanctos beatos interdum orare pro animabus purgatorij: & hoc aperte videtur ſupponere Eccleſia, cùm in oratione quadam pro defunctis, petit vt defuncti ad beatitudinem perueniãt, *Beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis.* Ratio eſt, quia hoc eſt officium charitatis, & non repugnat, ſed conſentaneum eſt ſtatui Beatorum. D. Thom. Bellarmin. Gabriel. D. Bonau. Richardus. Suarez. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 3.* Bellarminus *lib. 2. de purgator. cap. 15.* Gabriel *in canon. Miſſ. lect. 55.* D. Bonauent. Richardus Abulenſis apud Suarez *loco citato, num. 7.* & alij.

Sed petes, ſi Sancti orent pro animabus purgatorij, an impetrent gratuitam remiſſionem alicuius pœnæ? Reſpondet Suarez *loc. cit. n. 8.* negatiuè: quia ſuas preces Sanctorum facilè euacuarent purgatorij, cùm illæ ſint efficaciores, & frequentiùs, generaliùs ac feruẽtiùs fiant: tum quia Sancti nõ ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, ſicut viui, & ideò orationes Eccleſiæ ſunt ſatisfactiuæ & ſufficiẽtes ad ſoluendum pro alio, quod non habent orationes Sanctorũ, quæ non ordinãtur aut funduntur ad obtinendã huiuſmodi remiſſionẽ gratuitã pœnæ, ſed vt ſatisfactiones viuorũ pro eis acceptẽtur; vel vt Deus præbeat viuẽtibus auxilia ad ſatisfaciẽdũ debito modo pro illis animabus, ita vt efficaciter earũ liberationem conſequantur, vel ſaltẽ accelereturꝰ earum liberatio, etiamſi neceſſe ſit diuturnitatẽ temporis intenſione pœnarum compẽſari. Ex quibus colligitur pœnas purgatorij non remitti, niſi per modũ ſolutionis & ſatisfactionis, ideoque orationes beatorũ per ſe nõ efficere immediatè talem remiſſionẽ. Et hoc idẽ docet D. Thom. *in 4. diſt. 45. q. 3. art. 3. ad 6.* dicẽs: *Suffragia Eccleſiæ ſunt pro defunctis quædam ſatisfactiones viuentiũ vice mortuorũ, & ſecundùm hoc mortuos à pœna abſoluunt quam non ſolverunt: ſed Sancti, qui ſunt in patria, non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, & ideò non eſt ſimile de eorũ orationibus, & de ſuffragiis Eccleſiæ.* Quorum verborum ſenſus eſt, quòd orationes Eccleſiæ militantis ſunt ſuffragia, quæ per ſe & immediatè ſufficiunt ad remiſſionem pœnarum; orationes verò Sanctorum huiuſmodi non ſunt.

6. Controuertitur inter Doctores, an ſuffragia viuorum proſint defunctis ex iuſtitia, vel ex ſola miſericordia? Quidam enim arbitrantur, hanc ſatisfactionem pro animabus purgatorij ſolùm eſſe ex miſericordia. Ducuntur, quia de hoc nulla extat promiſſio, aut pactum diuinum: cuius ſignum eſſe poteſt, quia Eccleſia & Sancti orant Deum, vt acceptet hæc ſuffragia pro defunctis: ergo ſignum eſt non eſſe opus iuſtitiæ, ſed miſericordiæ. Tum quia animæ in purgatorio exiſtentes iam ſunt extra forum Eccleſiaſticum, & pertinent tantùm ad forum Dei. Cùm ergo etiam inter viuentes incertum ſit, an tale pactum vel promiſſio intercedat, veriſimilius eſt reſpectu defunctorum nullum eſſe, maximè cùm nullo ſufficienti teſtimonio & ratione oſtendi poſſit. Ita Caiet. *tom. 1. opuſc. tr. 36. q. 5.* Caietan. Cano. Sotus. Anglez. Cano *lib. 12. de locis Theolog. cap. 13. ad nonum.* Sotus *in 4. diſt. 19. q. 2. art. 4.* Anglez *quæſt. de indulgent. art. 2. diffic. 3.* & alij probabiliter. Nihilominus cõmunior & tenenda ſententia eſt, quod ſuffragia viuorũ pro mortuis, ſint ſimpliciter de iuſtitia & infallibiliter acceptata, ſecũdùm totum ſuum valorẽ, pro quocumque offerantur: quia intercedente promiſſione ſub cõditione operis, nihil hîc deeſt ad veram iuſtitiam, & nihil repugnat, in hoc negotio interuenire hanc promiſſionẽ, vt per ſe conſtat: ergo &c. Tũ quia ſi admittatur hæc promiſſio reſpectu viuentiũ, non eſt cur negetur eã extendi ad animas purgatorij, quæ nobis ſunt charitate coniunctæ, & non minùs indigent, quàm viuentes; imò magis, cùm non poſſint per ſe ſatisfacere, ſed tãtùm ſatiſpati. Accedit quòd quãtùm ex vſu & traditione Eccleſiæ colligitur, eadem eſt lex ſuffragiorum reſpectu defunctorum, quæ eſt reſpectu viuentium: nam Eccleſia æqualiter offert ſua ſuffragia pro viuis & defunctis. Ita ex antiquis Theologis ſentiunt D. Thom. *in 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2.* Gabriel *in 4. diſt. 16. art. 2. dub. 8.* Nauar. *de Iubileo n. 18. & de oratione & hor. canon. c. 20. n. 82.* Viguer. *in Sum. c. 16. §. 4. verſ. 33.* & alij quos citat & ſequitur Suarez *diſp. 48. ſect. 6. n. 4.* Ex recentioribus autem vide ſupradicta *v. Indulgentia II. num. 3. 4. & 5.* D. Thom. Gabriel. Nauarrus. Viguerius. Suarez.

7. Dubium graue eſt inter Theologos, an opus externum præcisè ſumptum, pro alio factum, poſſit illi ad ſatisfactionem ſeu remiſſionẽ pœnæ prodeſſe? v. g. homo ante mortem præcipit fieri eleemoſynas ex ſuis bonis pro anima ſua poſt mortẽ, an illud opus externũ, quod eſt dare eleemoſynam, ſit per ſe ſatisfactorium defuncto independenter à voluntate eius, per quem executioni mandatur? Certum eſt apud omnes, eum, qui diſponit ſuffragia pro ſe fieri vel eleemoſynas, etiamſi non ſtatim fiant, percipere fructũ illorum vel illarũ quantũ ad efficaciã quæ erat ex opere operantis principaliter agentis, id eſt, quantũ ad meritũ bonæ illius diſpoſitionis. Sed dubiũ eſt an tota ſatisfactio ſit poſita in actu volendi, ac præcipiẽdi tale opus? Affirmat Suar. *diſp. 48. ſect. 8. n. 18.* probabiliter, & poſtea & ex vi ſolius externi effectus nihil ſatisfactionis addi per ſe loquẽdo, & ex opere operantis reſpectu mandãtis. Nihilominus quod tale opus externũ per ſe addat ſatisfactionẽ, ſuſtinent multi Theologi, & probãt 1. quia ipſa elargitio eleemoſynæ habet ſpecialem vim ad redimendũ hominẽ à peccatis; quia ex ſe habet vim ſatisfaciendi pro pœna tẽporali: ergo talis largitio addita priori voluntati, redimet ſpeciali valore & ſatisfactione animã à peccato, cùm ſit voluntaria ex vi prioris volũtatis. 2. quia aliàs hæredes defunctorũ implẽdo hæc legata ſuffragiorũ vel eleemoſynarum, non aliquid per ſe cõferrent ad liberandã animã teſtatoris citiùs à purgatorio, nec non implẽdo eſſẽt in cauſa, vt diutiùs in purgatorio detineretur. Conſequens eſt contra communem ſenſum fidelium, & contra intentionem defunctorum, qui hæc legata relinquunt: & ſi ea intentione decipiuntur, error eſt valde vniuerſalis in Eccleſia, quem deberent Paſtores & Doctores eius auferre, ne illius occaſione magno fructu ſatisfactionis priuarentur fideles defuncti. Ita D. Th. *in 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. queſtiunc. 3.* Palud. D. Bonau. Sotus *ibid.* Syluius *in ſupplem. 3. p. q. 71. art. 6. verſ. Circa reſponſ. ad 4.* Nauar. *de orat. cap. 19. num. 59. & ſequentib.* & alij. D. Thom. Paludanus. D. Bonau. Sotus. Syluius. Nauarrus.

Vide v. Abbatiſſa *n. 22.* Indulgentia *2. n. 4. & 5.*

SVPERSTITIO.

SVMMARIVM.

1 *Superſtitio in quo cõſiſtat? Et quãdo cõtingat fieri pactum expreſſum vel tacitum cum dæmone.*

2 *Malitia pacti expliciti cum Dæmone vel impliciti, in quo verſetur.*

3 *An pactum expreſſum celebrans cum Dæmone ſit cenſendus hæreticus ex vi celebrationis talis pacti? An ſaltem ſit ſuſpectus de apoſtaſia à fide.*

4 *Quando adeſt pactum expreſſum cum Dæmone, an ſit illud in Confeſſione exprimendum.*

5 *An ad ſuperſtitionem pertineat, invocare Dæmonis auxilium ad ea, quæ ipſe naturaliter poteſt præſtare? Et an talis ſit ſuſpectus in fide, quando non eſt pactum expreſſum, ſed ſolùm tacitum?* Refertur duplex ſententia.

6 *Superſtitionis peccatum vt plurimum vnde oriri ſoleat.*

1. SUperſtitio in eo conſiſtit, quod quis exhibeat diuinum cultum cui non debet, vel eo modo quo non debet, vt ait D. Thom. 2.2. *q.* 92. *art.* 1. Et hæc ſuperſtitio plerumque fit vel ex tacito, vel expreſſo pacto cum dæmone. Pactū expreſſum fit aut verbo, aut opere, & intentione. *Verbo*, dum quis expreſsè Dæmonē inuocat ſui operis adiutorem, ad paciſcendum cum eo, de auxilio impertiendo quoties ad operandum opera ſuperſtitioſa indiguerit. Hoc autem tripliciter fieri poteſt. 1. quod homo petat à Dæmone adiutorium, ſine promiſſione aliqua, & obligatione ſeruitutis, & ſubiectionis vel ſocietatis, & ſine eo quod accedant cæremoniæ pacti confirmatoriæ, cui petitioni reſpondet dæmon ſine eo quod expoſcat ſubiectionem, aut ſocietatem, vel obedientiam. 2. poteſt fieri huiuſmodi pactum offerendo ex parte hominis ſeruitutem & obedientiā cum exequutione cæremoniarū confirmantiū amicitiam & ſocietatem ex parte Dæmonis illā obligationem poſtulantis. 3. ſi ex parte hominis ſit ſimplex petitio adiutorij Dæmonis ſine intentione ſe obligandi ad amicitiam, ſocietatem, obedientiam vel ſeruitutem præſtandam in omnibus, Dæmoni; ex parte tamen Dæmonis, quamuis ſit horum omnium ambitio, tamen ea non exprimit, ſed tantùm obligat ſe ad præſtandum auxilium. Hæc autem pactio cùm fiat cum homine, qui natura ſenſibilis eſt, vt certo ſibi conſtet de paciſcente, aliquod ſignum ſenſibile, ſenſu externo perceptibile interuenire debet, ſiue Dæmon in forma viſibili appareat, ſiue ſolùm ſenſibiliter audiatur. *Opere* etiam ſenſibili tunc celebratur pactum expreſſum cum Dæmone, quando homo ſcit certò Dæmonem per aliquod ſignum occulta docere, & illud vt docetur, exercet, quamuis à Dæmone verbale & ſenſibile pactum antecedens non ſit initum.

Pactum implicitum, ſeu tacitum cum Dæmone tunc interuenit, quando quis cognitionē ſoli Deo reſeruatam ſeriò & ex intentione mediis vanis & indebitis, ſiue ſint ſigna, ſiue res, habere procurat. Ex qua definitione colligitur, quod ſiquis non ſeriò, neque ex intentione his ſignis vanis vtatur, ſed ex leuitate, ioco, aut ignorantia, non eſt ſuperſtitioſus, ſed ſolum otioſus indagator. Ita D. Thom. 2.2. *q.* 95. *art.* 2. & 3. Syluius, Valentia, Tanner. Malderus *ibid.* Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 38. *n.* 3. Clauis Reg. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 5. Martin. del Rio *lib.* 4. *de magia c.* 2. *q.* 5. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtitione cap.* 9. *à num.* 9. *uſque in finem.*

D. Thom. Syluius. Valentia. Tanneras. Malderus. Sanchez. Clauis Reg. Delrius. Suarez.

2. Malitia pacti expliciti cum Dæmone in eo conſiſtit, quod ſocietas, fœdus & amicitia ineatur cum declarato Dei, & ſui hoſte.

Proinde in Dæmone non eſt diſtinguendum duplex genus voluntariorum, quoddam pertinens ad hoſtilitatem, quoddam non, vt inter homines ad inuicē inimicos contingit; ſed omnia voluntaria dæmonis hoſtilia ſunt propter eius peruerſam, ac obſtinatam voluntatem in malo, in tantùm vt in quolibet opere ſuo volūtario peccet mortaliter. Omnis autem amicitia cum hoſte, in his quæ hoſtilia ſunt, eſt pernicioſa, vtpote hoſtilitati contraria: vnde ſequitur quod ſi cum Dæmone exerceatur actus ſocialis perfectè, eſt peccatum mortale. Quam malitiam nobis propalauit Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. dicens: *Nolo vos ſocios fieri Dæmoniorum.* Quare ſemper Dæmones, vt ſummi hoſtes Dei & hominum tractandi ſunt, ac proinde nulla ſocietas cum ipſis poteſt eſſe licita, vt optimè explicat Caietan. apud Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *num.* 6. Caietanus. Sanchez.

Pactum implicitum cum dæmone poteſt interuenire vel formaliter, vel materialiter; quod ſi formaliter fiat, ad ſuperſtitionem & cultum Dæmonū ſpectat: ſi autem materialiter, extra cultum Dæmonum formaliter eſt, materialiter tamen ad cultum eorum ſpectat: interdùm enim per craſſam ignorantiam vel inaduertentiam vult homo contraria, vnum in ſe, & formaliter, aliud in alio, & virtute: & ſic cōtingit in hoc caſu: quāuis enim dicat explicitè ſe nolle pactum cūm Dæmone, vult tamen illud implicitè, & quamuis nolit expreſſum pactū formaliter, vult tamen de facto tacitū & materiale: quia vult exercere huiuſmodi opera ſuperſtitioſa ad eam rem, quaſi illa vtilia ſint, cùm tamē vtilitatem habere nequeant, niſi Dæmonis interuentu. Ita Caiet. 2.2. *q.* 95. *art.* 4. §. *Ad hoc dicitur.* Suarez *loco citato cap.* 9. *num.* 17. & alij. Caietanus. Suarez.

3. Celebrans pactum expreſſum cum Dæmone, non eſt formaliter hæreticus ex vi celebrationis pacti expliciti, ſi non celebretur cum expreſſa conditione quod homo abneget fidē, aut quod proteſtetur Dæmonē eſſe numen infallibile, nec eſſe malum & fallacē, aut quod illi ex intentione cultus deferat latriam, aut ſimile quid de fide neget; imò neque quāuis dæmonē adoret adoratione externa latriæ, ſi non habeat animum internum deferendi cultum Dei, illi: quia hūc actum poteſt exercere motus cupiditate & appetitu ſciendi: & quandocumque effectus dependere poteſt ex duplici cauſa, puta infidelitate & cupiditate aſſequendi aliquid à dæmone pacto tacito vel expreſſo, nunquam ex naturā rei poteſt ex iſto effectu iudicari præcisè altera cauſa. Et ideò quādo conſtaret de huiuſmodi effectu, vlteriùs inquirendum eſſet de cauſa, ſi ex errore & fidei peruerſitate hoc fecerit; tunc iudicandus eſt hæreticus: ſi verò ex alia cauſa, iudicandus eſt fortilegus & viliſſimus peccator. Ita Sylueſt. *verb. Hæreſis* 1. *quæſt.* 5. & clarè ſignificat D. Thomas 2.2. *q.* 95. *art.* 3. *ad* 1. & docent Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 37. *n.* 22. Valentia 2.2. *diſp.* 6. *quæſt.* 11. *punct.* 2. *verſ. Ex diuerſa autem.* Verùm animaduertunt dicti Auctores, quòd quicumque pactum expreſſum fecerit cum Dæmone cum aliquo ſigno ſenſibili, eſt ſuſpicione iuridica ſuſpectus de apoſtaſia à fide, & defectione illius: proinde femina, cum qua Dæmon incubus fuit, abſque alio pacto, etiamſi Dæmonem non adoret, eſt iuridicè ſuſpecta malè ſentire de fide: quia ex tali conſortio & commixtione oritur prudens & iuridica ſuſpicio, quod agens cum eo & ad eius inſtantiam, fidem abnegauit, & hac de cauſa Inquiſitores rectè procedunt contra ſagas, quia habent pactum explicitum cum Dæmone Dei inimico, vt docet Sylueſter *verb. Hæreſis* 3. *num.* 10. & alij. Sylueſter. Sylueſter. D. Thom. Sanchez. Valentia.

4. Quando adeſt pactum expreſſum cum Dæmone, eſt id neceſſariò exprimendum in confeſſione. Ratio eſt, quia longè diuerſum iudicium eſt faciendum in confeſſione de pacto expreſſo, quàm de tacito. Tum quia addit nouam ſpeciem malitiæ, &

& ſuperſtitionis ſpecialem rationem; quis enim dicat non eſſe ſpecialem diſſonantiam ad rationem pactum explicitum cum aduerſario inire, ac dicat aliquod opus facere cui dignum eſt vt dæmones ſe ingerant; & in hac ſpecifica enormitate fundatur dignitas ad grauiorem pœnam. Quare optimè D. Thoms 2.2. *quæſt.* 95. *art.* 3. *ad* 1. dicit: *Multò grauius eſt Dæmones inuocare, quàm aliqua facere, quibus dignum ſit, vt ſe Dæmones ingerant.* Quem ſequitur Syluius *ibidem.* & Suarez *lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 10. *num.* 1. dicit eſſe certiſſimum: quamuis aliàs probabile exiſtimet non eſſe diuerſas ſpecies ſuperſtitionis, habere pactum expreſſum vel implicitum: & ſolùm differre ſicut completum & incompletum, perfectum & imperfectum intra eandem ſpeciem, ſicut profeſſio expreſſa & tacita ſunt eiuſdem ſpeciei. Idem docet Sanchez *loco cit. c.* 38. *n.* 14. Ad quos poſſet reſponderi, quod profeſſio implicita & explicita ideò non differunt ſpecie, quia in ratione contractus eamdem inducunt obligationem ex parte contrahentium.

D. Thom. Syluius. Suarez. Sanchez.

5. Ad ſuperſtitionem pertinet inuocare Dæmonis auxilium, etiam ad ea quæ ipſe naturaliter poteſt præſtare, ſiue id fiat ex pacto explicito, ſiue implicito. Ratio eſt, quia etiamſi in iſtis rebus nobis excellat dæmon, & hæc excellentia à nobis reſpectu noſtri recognoſcatur; nam ſumus illo in hac parte longè inferiores; tamen eo ipſo quòd auxilium illius petimus, cooperamur Dæmoni, qui diuinitatem affectat, & ex ſua obſtinata malitia in ſuum honorem refundit, quod nos ab illo dependentiam oſtendamus in his rebus, quas à Deo expoſcere debemus. Ita Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 8. *num.* 16. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *num.* 9. Et ſatis id indicant D. Thomas 2. 2. *quæſtione* 95. *articulo* 2. & *ibi* Caietanus *in fine*, quatenus abſolutè docent ad ſuperſtitionem pertinere, vti ope dæmonis ad aliquid faciendum, vel cognoſcendum.

Suarez. Sanchez. D. Thom. Caietanus.

An autem talis qui à Dæmone in iis rebus auxilium expoſcit, ſit ſuſpectus in fide, quando non eſt pactum expreſſum, ſed ſolum tacitum & implicitum? Negat Suarez *cap. vlt. eiuſd. libr. n.* 10. dicens hoc delictum eſſe mixti fori, niſi perſona ſit Eccleſiaſtica; quia tunc pertinet ad ſuum Epiſcopum, & nullo modo ad Inquiſitores. Dicendum tamen eſt cum communiori ſententia, talem eſſe ſuſpectum de hæreſi, & eius delictum pertinere ad Inquiſitores, in locis vbi inquiſitio viget. Et hoc eſt clarum ex Bulla Sixti V. contra aſtrologos, in quæ ſubiecit tanquam ſuſpectos in fide omnes huiuſmodi farinæ homines. Ratio eſt, quia eo ipſo quòd ſit aliquis cultus Dæmoni factus, iure optimo & prudentiſſimè ſuſpicatur malè ſentire de fide qui illum exhibet; nam per huiuſmodi recurſum ad Dæmonem, illi exhibetur cultus & honor: ergo generat ſuſpicionem in fide: quia inuocare Dæmonem ad effectus naturales habendos, ſiue verbo, ſiue facto fiat, pertinet ad apoſtaſiam à fide, vt docet D. Thomas *in* 2. *diſt.* 7. *quæſt.* 3. *art.* 2. *in corp.* Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *num.* 92. Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *quæſtione* 4. Martinus Delrio *libro* 5. *de magia, ſectione* 15. §. *Axioma primum.* & §. *Dicto ſexto.* Thomas Hurtadus *in reſolutionibus moralibus parte* 1. *tractatu* 5. *cap.* 4. *reſolutione* 24. & alij.

Suarez. Sixtus V. D. Thom. Sanchez. Azorius. Delrius. Th. Hurtad.

6. Superſtitionis peccatum vt plurimum oriri ſolet ex quadam nimia appetentia ſeu inordinato deſiderio perueniendi ad aliquem finem intentum, ſiuè ad fugiendum malum, ſiuè ad conſequendum bonum aliquod apparens, quod naturaliter nunquam, aut difficilè exiſtimant homines conſequi poſſe, nec ſperant à Deo mediantibus Sanctis impetrare, & ideò recurrunt ad artes ſuperſtitioſas, & vanas obſeruationes arte Dæmonum adinuentas, vt poſſint facilius illis mediantibus homines decipere, eorumque animas ad Inferni deducere. Ideoque Dæmones ſeruant pacta facta cum illis, ſiue immediatè, ſiue mediatè cum aliis veneficis & ſuperſtitioſis hominibus. Sed quia iſta appetentia vt plurimum maiori impetu inuadere ſolet feminas, quàm viros, inde eſt, quòd in feminis communiter plus inueniri ſolet hoc ſuperſtitionis vitium, quàm in viris, vt aduertit Fagundez *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 4. cum aliis. Fagundez.

Vide verb. Adiuratio *num.* 10. Dies *num.* 9. Diuinatio. Magia.

SVSPENSIO.

SVMMARIVM.

1 *Suſpenſionis nomen quid importet? Et vt tripliciter ſumitur.*

2 *An ſuſpenſionis cenſura contrahi poſſit pro culpa aliena?* Refertur duplex ſententia.

3 *An Clericus ſuſpenſus ab Ordine ſuperiori, cenſeatur ſuſpenſus ab exercitio inferioris Ordinis.*
An ſacerdos ſuſpenſus ab Ordine ſacerdotali, licitè poſſit cantare ſolemniter Euangelium vel Epiſtolam.
An ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, cenſeatur ſuſpenſus ab aliis functionibus ſacerdotalibus.

4 *An ſuſpenſus ab Ordine inferiori cenſeatur indirectè impeditus ab exercitio Ordinum ſuperiorum? Et ſi in Ordine ſuperiori miniſtret, an irregularitatem incurrat.*

5 *Ad quos actus Ordinis extendat ſe ſuſpenſio ab Ordine Epiſcopali? Et an Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus, & cum eis Miſſam celebrans, ſit irregularis.*

5 *Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum, an poſſit tonſuram conferre? Et an ſuſpenſus à collatione ordinum minorum, poſſit conferre maiores?* Refertur duplex ſententia.

7 *An ſuſpenſus à beneficio, cenſeatur ſuſpendi à jure collationis beneficij, confirmationis, electionis, &c. ſibi proueniente ratione beneficij, à quo eſt ſuſpenſus?* Refertur duplex ſententia.

8 *Suſpenſus à beneficio vſurpans fructus beneficij, an graviter peccet, & teneatur ad reſtitutionem? Et cui facienda ſit reſtitutio? An ſit irregularis?*

9 *An ſuſpenſio à beneficio lata abſque loci determinatione ſpeciali, ſit intelligenda de omni beneficio, vbicumque illud ſit, vel poſſideatur.*

10 *An incurratur irregularitas ex violatione ſuſpenſionis, quæ eſt pura pœna & lata ad determinatum tempus.*

11 *Qui ſuſpenſionem incurrit in ipſa ordinatione, an incurrat irregularitatem, cantando Epiſtolam, Euangelium, vel conſecrando cum Epiſcopo in Miſſa ordinationis?* Refertur duplex ſententia.

1. SUſpenſionis nomen nihil aliud importare videtur, quàm rem aliquam ſuſpenſam, ſeu independentem, dubiam & incertam relinquere: & deriuatur à verbo Suſpendo, quod ſurſum pendere ſignificat. Proinde tripliciter ſumitur. 1. pro expectatione animi dubia, aut incerta alicuius euentus. 2. pro certo quodam genere ſupplicij corporalis; vt quando aliquis equuleo torquetur, ſuſpenſus

ſus eſt è terra ad dicendam veritatem, vel laqueo in collo poſito ſuſpenditur donec anima è corpore exeat. *Tertiò*, pro dilatione & ſuſpenſione, quæ interponitur in vſu, & expeditione alicuius negotij, vel officij, tam ſæcularis, quàm Eccleſiaſtici: & hoc tertio modo accepta tranſlata eſt poſtea hæc vox ad ſignificandam cenſuram Eccleſiaſticam, quæ communiter ſuſpenſio dici ſolet, propter effectum eius, quatenus ſuſpendit, & impedit vſum & exercitium officij, aut beneficij Eccleſiaſtici in totũ, vel in partem. De hac ſuſpenſione nobis eſt hîc ſermo.

2. Dubium eſt inter Doctores, an cenſura ſuſpenſionis contrahi poſſit pro culpa aliena? Quidam enim negant: quia ob peccatum alterius, quo ipſe caret, nemo poteſt puniri, vt colligitur *ex c. 2. de his quæ fiunt à maiori part. capit.* & *ex l. Sancimus, Cod. de pœnis.* quod maximè verificatur in pœnis ſpiritualibus. Cùm ergo cenſura ſuſpenſionis ſit pœna ſpiritualis & grauis, non videtur poſſe imponi contra totam aliquam communitatem propter culpam aliquorũ: quia tunc innocentes punirentur ſine cauſa; quod non eſſet ſecundùm iuſtitiæ ordinem. Ita probabiliter ſuſtinent Caiet. *v. Suſpenſio.* Nauar. *in man. cap. 27. n. 151.* & poſt illos Suarez *de cenſur. diſp. 28. ſect. 4.* & alij. Sententia tamen affirmatiua probabilior eſt, nempe poſſe Prælatum aliquando ſuſpendere totam communitatem propter culpam maioris partis, ſiue Superioris eiuſdem communitatis, ſiue collegij. Ratio eſt, quia tunc non puniuntur per ſe & directè ſinguli innocentes, ſed punitur peccatum Superioris, vel totius cõmunitatis in membris eius. Et quamuis cenſura ſuſpenſionis ſit pœna grauis & ſpiritualis, non priuat tamen bonis pertinentibus ad propriam animã; ideò non implicat, quin aliquando poſſit infligi contra totam communitatẽ collectiuè ſumptam, & tunc talis cenſura non haberet propriè rationem pœnæ reſpectu ſingulorum diſtributiuè, ſed collectiuè, prout omnes repræſentant collegium, ſiue communitatem, quæ in omnibus deliquiſſe reputatur. Ita D. Thom. *in 4. diſt. 18. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 2 ad 2.* Auila *de cenſur. part. 3. diſp. 3. dub. 2.* Turrianus *de cenſur. lib. 4. diſp. 41. dub. 2.* Diana *p. 5. tract. 10. reſol. 22.* Cornejo *in 3. part. tract. 5. de ſuſpenſ. diſp. 3. dub. 2. quæſt. 1.* Qui nouiſſimus aduertit priorem ſententiam eſſe veram, ſi quis ſpecialiter & ſeorſum ſuſpenditur: nam tunc vnus non poteſt ſuſpendi pro culpa alterius.

Caietan. Nauarrus. Suarez. D. Thom. Auila. Turrianus. Diana. Cornejo.

3. Clericus ſuſpenſus ab Ordine ſuperiori, non cenſetur ſuſpenſus ab exercitio inferioris Ordinis. Ratio eſt: nam qui prohibet maius, non cenſetur prohibere minus, cùm non ſit eadem ratio, & in pœnalibus non eſt facienda extenſio, prout communiter dicunt omnes Theologi & Canoniſtæ.

Hinc presbyter ſuſpenſus ab Ordine ſacerdotali licitè poterit cantare ſolemniter Euangelium, Epiſtolam, aliaque munera pertinentia ad Diaconos vel Subdiaconos vel ad alios clericos, exercere; quia tantummodo eſt ſuſpenſus ab Ordine ſacerdotali. Ita communiter Doctores *in cap. Significauit, de corpore vitiatis.* Suarez *de cenſur. diſp. 26. ſect. 4. n. 9.* Filliucius *tract. 17. cap. 2. num. 35.* & alij.

Suarez. Filliucius.

Similiter quando Sacerdos ſimpliciter eſt ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, non cenſetur ſuſpenſus ab aliis functionibus ſacerdotalibus, quæ Miſſæ celebrationi non ſunt annexæ: ideoque extra Miſſam poterit Sacramenta miniſtrare, aquam ſanctam benedicere, confeſſiones fidelium audire, eoſque ſacramentaliter abſoluere, &c. quia tantummodò à celebratione Miſſæ ſuſpenſus fuit. Ita Panormitanus *in dict. cap. Significauit, de corpor. vitiat.* & communis.

Panormit.

4. Clericus per cenſuram ſuſpenſus ab Ordine inferiori cenſetur aliquo modo ſaltem indirectè impediri ab exercitio Ordinum ſuperiorum propter indecentiam, cùm ſit minùs decens, eum, qui non poteſt licitè exercere functiones Ordinis inferioris, poſſe licitè exercere functiones Ordinis ſuperioris. Propterea Sacerdos ſuſpenſus ab Ordine Diaconatus non poterit licitè Miſſam celebrare, neque Epiſcopus ſuſpenſus à ſacerdotio poterit functiones Epiſcopales exercere: quia huiuſmodi actiones videntur neceſſariò connexæ, & vna ſupponit alteram. Ita Panormitanus *in cap. Cùm dilectus, de conſuetud. num. 20.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 160.* Suarez *loco citato, diſputatione 26. ſect. 4. num. 14. & 15.* Ceterùm, licet Sacerdos ſuſpenſus à Diaconatu, peccet mortaliter celebrando; tamen non incurrit irregularitatem: quia talis non facit aliquid directè ſibi per cenſuram prohibitum, ſed ſolùm per quandam conſecutionem propter indecentiam. Layman *lib. 1. tractatu 5. part. 3. cap. 1. num. 6.* Coninck *de Sacram. diſp. 15. dub. 2. num. 10.* Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 5.* Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 3. de ſuſpenſ. dub. 2. n. 15.* & alij penes ipſos.

Panormit. Nauarrus. Suarez. Layman. Coninck. Diana Præpoſitus.

5. Suſpenſio ab Ordine Epiſcopali extendit ſe tantùm ad eos actus Ordinis, qui Epiſcopo proprij ſunt, & Sacerdoti iure ordinario competere non poſſunt: cui affinis eſt ſuſpenſio à Pontificalibus, per quam directè prohibetur vſus inſignium Epiſcopalium, videlicet mitræ, baculi & pallij; per accidens verò & conſecutiuè omnia Epiſcopalia ſolemnia officia, quæ ſine eiuſmodi inſignibus exerceri non debent, prohibentur; qualia ſunt Ordines conferre, confirmare; Eccleſias, altaria, Virgines conſecrare &c. Taliter tamen ſuſpenſus non prohibetur Miſſam priuatam ſine Pontificalibus celebrare, confeſſiones audire, iuriſdictionem forenſem exercere. Ita Layman *loco citato.* Sayrus *de cenſur. lib. 4. cap. 4. n. 14.* Filliucius *tract. 17. cap. 2. n. 27.* An autem Epiſcopus celebrans, in Pontificalibus, & ab eis ſuſpenſus, incurrat irregularitatem? Communior ſententia eſt negatiua; eò quòd Miſſæ ſacrificium nõ eſt munus Epiſcopi vt ſic, ſed Sacerdotis, cuius exercitium per ſuſpenſionem ei non interdicitur. Ita poſt alios Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 3. de ſuſpenſ. dub. 2. num. 13.*

Layman. Sayrus. Filliucius. Præpoſitus.

6. Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum non poteſt etiam minores conferre; poteſt tamen conferre tonſuram, quia non eſt Ordo. Si verò ſuſpendatur à collatione certi Ordinis, videtur poſſe alios Ordines conferre, quamuis digniores: quia collatio Ordinum eſt functio eiuſdem poteſtatis, non verò vſus poteſtatis ſublimioris, & proinde conferendo maiorem Ordinem, à quo non eſt ſuſpenſus, non cenſetur vti Ordine ſublimiori, ſed ſolùm exercere functionem ſui Ordinis, quæ illi non eſt interdicta: ſicut qui ſuſpenſus eſt ab audiendis confeſſionibus, ſecundùm omnes, poteſt celebrare, cùm tamen id ſit maius munus: ergo Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum minorum, poteſt adhuc conferre Ordines maiores. Ita Coninck *de Sacram. diſp. 15. dub. 2. num. 10.* Præpoſitus *loco cit. num. 18.* Laymã *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. num. 6. verſ. Illud verò.* Quod confirmatur: quia maiorum Ordinum collatio non eſt neceſſariò connexa cum collatione minorũ, aut primæ tonſuræ: cùm nihil obſtet, in aliqua Eccleſia ſacros Ordines conferri iis, qui minoribus iam initiati ſunt. Deinde poteſt Superior prohibere alicui quod minus eſt, nõ prohibito eo, quod maius eſt; præſertim ſi in vſu minoris & nõ maioris delictum cõmiſſum fuit, vt quis in eo puniatur, in quo diliquit. Hæc ſententia

Coninck. Præpoſitus. Layman.

Digitized by Google

ſententia eſt probabilior, quamuis contraria non ſit improbabilis, quam ſuſtinent Henriquez, Sayrus, Vgolinus, Auila apud Layman & Dianam *loco citato, reſol. 6.*

Henriq. Sayrus. Vgolinus. Auila. Diana.

7. Quorumdam ſententia eſt, ſuſpenſum à beneficio, ſuſpendi etiam à iure collationis beneficij, confirmationis, electionis, &c. ſibi proueniente ratione beneficij à quo eſt ſuſpenſus. Ducuntur, quia tale ius eſt quidam prouentus beneficij; vnde huiſmodi iura ſolent cedere iis, quibus cedunt fructus beneficij vacantis. Proinde ſi collatio beneficij fructus Epiſcopatus dicitur, cur non etiam electio dicetur fructus illius beneficij? ergo concludetur ſub prohibitione fructuum. Ita probabiliter docent Sayrus *de cenſur. lib. 4. cap. 6. n. 7.* Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 3. de ſuſpenſian. dub. 2. num. 25.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 163. verſ. Sextò infertur*, Henriquez *lib. 13. cap. 32. num. 4.* & alij.

Sayrus. Præpoſitus. Nauarrus. Henriq.

Nihilominus dicendum eſt, iuxta probabiliorem ſententiam, ſuſpenſum à beneficio poſſe eligere, & beneficia conferre. Ratio eſt, quia electio & collatio non numerantur propriè inter beneficij fructus, quorum perceptio ſuſpenſo interdicta eſt, cùm potiùs ſint actus officij, & quaſi iuriſdictionis, ratione beneficij competentis. Tum quia impropriè dicitur, conferre beneficia pertinere ad fructus Epiſcopatus; nam reuerà ita non eſt, ſed pertinet ad officium Epiſcopatus: eſt enim quidam actus illius muneris: ſicut conferre Sacramenta eſt actus beneficij Parochialis. Accedit, quòd quando Canonis Auctor vel iudex ab vtroque tam beneficio, quàm iure eligendi & conferendi ſuſpendere vult, id ipſum exprimit, vt videre eſt *in cap Cùm in cunctis, §. vlt. de elect.* quando autem non exprimitur, non eſt extenſio facienda in materia pœnali. Ita Gloſſa *in cap. Cupientes, §. Ceterum. de elect. in 6.* Suarez *de cenſuris diſp. 27. ſect. 1. num. 33. & 34.* Mercerus *de Sacrament. in 3. part. quæſt. 24. dub. 3.* Gaſpar Hurtadus *de ſuſpenſ. diſſic. 4. num. 9.* Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 8.* Coninck *de Sacrament. diſput. 15. dub 2. num. 11.* Layman *lib. 1. tr. 5. p. 3. cap. 1. num. 4. verſ. Illud porrò*, & alij.

Gloſſa. Suarez. Mercerus. Hurtadus. Diana. Coninck. Layman.

8. Suſpenſus à beneficio vſurpans fructus ipſius beneficij, grauiter peccat & tenetur ad reſtitutionem abſque alia iudicis ſententia: quia vſurpat aliena contra iuſtitiã, ac propterea obligatur etiam ad reſtitutionem: quia nemo poteſt retinere iuſtè quod ſuum non eſt, niſi excuſetur per impotentiam vel aliam grauem cauſam; & hoc verum, quamuis ſuſpenſio ſit occulta: quia cenſura hæc ſicut excommunicatio ſecum affert executionem, quantum ad impediendam acquiſitionem dominij: vnde hæc pœna non ſpoliat hominem rebus ſuis, quarum dominium iam acquiſierat: quod fieri non ſolet abſque ſententia ab homine lata: ſed impedit ne fructuum dominium acquirat, quod ipſo iure abſque interuentu alterius ſententiæ fieri ſolet. Ita ex communi Suarez *diſp. 27. ſect. 1. num. 7.* Fructus autem beneficij pro tempore, quo aliquis permanet ſuſpenſus à beneficio, ſunt conuertendi in vtilitatem Eccleſiæ, detractis iis, qui traduntur ſubſtituto ad inſeruiendum. Ita Bonacina *de cenſur. diſp. 3. punct. 2. num. 14.* & alij ab ipſo citati.

Suarez. Bonacina.

Sed petes, an taliter ſuſpenſus à beneficio, vſurpando ſibi fructus beneficij, irregularitatem incurrat? Reſponſio communis eſt negatiua: quia in iure non legitur irregularitatem latam in violatorem cenſuræ, niſi propter miniſterium in diuinis, à quo per cenſuram interdictus eſt: Irregularitas autem, niſi in iure ſit expreſſa, non incurritur. Et ob id exercitium ſolius iuriſdictionis contra ſuſpenſionem, non inducit irregularitatem: ergo multò minùs hæc incurretur propter fructus beneficij malè perceptos: nam minus habet hoc de Eccleſiaſtico miniſterio, vt docet Gloſſa communiter recepta *in Clement. 2. verb. Suſpenſus, de vita & honeſtat. clericor.* Suarez *loco citato, num.* 8. Bonacina *de ſuſpenſ. diſp. 3. punct. 4. num. 6. verſ. Sextò.*

Gloſſa. Suarez. Bonacina.

9. Suſpenſio à beneficio lata abſque loci determinatione ſpeciali, vniuerſaliter intelligenda eſt, id eſt, ab omni beneficio, vbicumque illud ſit, vel poſſideatur: quia locutio illa indifferens æquiualet vniuerſali, niſi aliunde ex materia vel cauſa, de qua agitur, conſtet ſuſpenſionem eſſe in particulari de aliquibus beneficiis talis vel talis Eccleſiæ. Vnde non ſolùm Papa, ſed etiam particularis Epiſcopus poteſt ſuſpendere ſubditum ab omnibus beneficiis, quæ vbique etiam in aliis Diœceſibus habet, ſi qualitas delicti id mereatur. vt ex communi docet Abbas *in cap. Paſtoralis, §. Verum, de appellat. num. 20.* Ratio eſt, quia ille actus nõ excedit iuriſdictionem Epiſcopi particularis: quia ſententia ſeu pœna non fertur de beneficiò ſeu in beneficium, ſed fertur in perſonam, & illa eſt, quæ priuatur iure quod habet, ſeu impeditur, ne illo vtatur: ipſa autem perſona eſt intra territorium huius Epiſcopi, eique ſubiecta, & in illo habet omne ius cuiuſlibet beneficij, etiamſi tale ius ſit ad fructus percipiendos in alio territorio vel Epiſcopatu. Nam beneficium eſt ius quoddã quaſi inhærens perſonæ quæ illud habet: Ergo Epiſcopus, qui fert ſententiam ſuſpenſionis in perſonam ſibi ſubiectam, poteſt etiam in illa impedire omne ius, quod ipſi inhæret: ergo poteſt ſuſpendere illam ab omni beneficio, etiamſi Eccleſia, vel locus beneficij extra territorium ſit. Idem dicendum de ſuſpenſione ab officio: nam & Pontifex & Epiſcopus poſſunt ſubditum ſuſpendere ab officio vel parte eius, in vno, & in omni loco, extra, vel intra Diœceſim. An autem quando Epiſcopus ſimpliciter à beneficio ſuſpendit, intelligatur ſuſpendere ab his, quæ ſunt extra Diœceſim; conſulenda eſt conſuetudo, quæ eſt optima legum & verborum interpres. Si ergo ita vſu receptum eſt inter Eccleſiaſticos iudices particulares, ita erit interpretanda; & ſi res eſt dubia, interpretanda erit ſententia, vt ſuſpendat ſolùm à beneficiis in territorio ſeu Diœceſi Epiſcopi ſitis. Ita Suarez *loco citato, n. 17. & 22.*

Abbas. Suarez.

10. Ex violatione ſuſpenſionis incurritur irregularitas, non ſolùm quando per exercitiũ maioris ordinis violatur ſuſpẽſio perpetua, quæ eſt propriè cenſura, ſed etiã quando violatur ſuſpenſio, quæ eſt pura pœna & quæ lata eſt ad determinatum tẽpus. Ratio eſt, quia ſuſpenſio lata ad definitum tempus licet non ſit propria cenſura, ſed pœna, tamen in illa incurritur hæc irregularitas: nam de illa expreſsè loquuntur *cap. 1. de re iudicata & de ſentent. excomm. in 6.* quia talis ſuſpenſio tam efficaciter priuat ſacro miniſterio dum durat, ſicut quælibet alia: non ergo incurritur hæc pœna tantùm in propria cenſura, ſed etiam in pura pœna. Ita Alterius *de cenſur. tom. 2. diſp. 6. c. 2.* Suarez *diſp. 26. ſect. 2. num. 4.* Filliucius *tract. 17. num. 193.* Bonacina *loco citato punct. 4. num. 6.* contra Canoniſtas, qui dixerunt, quando ſuſpenſio fertur à iure his verbis, *Qui hoc fecerit, ſuſpenſus eſt ab officio, donec ſatisfaciat.* non manere irregularem eum, qui poſtquam commiſit tale crimen, miniſtrat in officio: quia talis ſuſpenſio non eſt cenſura, ſed intrinſeca quædam pœna, quã ſecum affert ipſum peccatum. Hæc ſententia eſt falſa, quia non poteſt ferri ſuſpenſio Eccleſiaſtica verbis expreſſioribus, ſicut prædicta, quæ non ſolùm explicat intrinſecũ effectum ipſius peccati, ſed inducit etiam propriam pœnam Eccleſiaſticam; alioquin eſſent inutilia, ſi tantùm operarentur

Alterius. Suarez. Filliucius. Bonacina.

ſi fuerit tacita.

6 *Quando ſubſtitutio pupillaris expiret.*

7 *Quibus fieri poſſit ſubſtitutio exemplaris ? Et quæ ſit differentia inter ſubſtitutionem pupillarem & exemplarem.*

8 *An non ſolùm pater poſſit exemplariter filio ſubſtitutum dare, ſed etiam mater ? Et quando ſubſtitutio exemplaris expiret.*

9 *Subſtitutio fideicommiſſaria vnde dicatur ? Et an hæres grauatus hac reſtitutione hæreditatis, poſſit reſtitutionis tempore de fideicommiſſo detrahere quartam partem, quæ vocatur Trebellianica.*

10 *Quando fideicommiſſum eſt ad cauſam piam, an poſſit detrahi quarta Trebellianica ? An poſſit teſtator prohibere deductionem Trebellianicæ.*

An ſubſtitutio fideicommiſſaria, quâ teſtator inſtituit hæredem vniuerſalem, & illum grauat reſtituere hæreditatem alteri poſt mortem, ſit intelligenda, ſi hæres moriatur ſine deſcendentibus.

11 *Si hæres grauatus in delictum incidat hæreditate aditâ, ob quod bona illius fiſco addicantur, an ea frui poſſit fiſcus, donec moriatur hæres grauatus.*

An deuoluatur hæreditas ad fideicommiſſarium, ſi hæres grauatus religionem capacem bonorum profiteatur ? Et quid ſi religionem incapacem ? Refertur duplex ſententia.

12 *An profeſſio in Ordine incapaci ſucceſſionis, cenſenda ſit mors naturalis in præiudicium tertij, & ſubſtitutus admittendus ſit in præiudicium illius, in quem bona alienata ſunt ante profeſſionem ?* Refertur duplex ſententia.

13 *Quando ſubſtitutio fideicommiſſaria expiret, ſi hæres grauatus ante hæreditatem aditam è vita diſcedat ? & quando non.*

1. SUbſtitutio in hæreditate, quædam eſt indirecta, & quædam directa. Indirecta eſt, quando hæreditas defertur ſubſtituto per alterum, qui eam illi reſtituat ; vt quando vnus inſtituitur hæres, & grauatur hæreditatem, aut partem hæreditatis reſtituere alteri. Et hæc dicitur etiam, tum obliqua, tum fideicommiſſaria ſubſtitutio. Directa verò ſubſtitutio eſt, quando hæreditas ſubſtituto defertur abſque alterius miniſterio, qui illam reſtituat. Differentia autem inter vtramque præter alia, eſt, quod in fideicommiſſaria ſubſtitutione locum habet detractio Trebellianicæ : in ſubſtitutione verò directa, non item. Directa & indirecta ſubſtitutio fieri etiam poteſt in legatis & donationibus cauſa mortis ; ſed tunc locum non habet Trebellianica. Quid autem ſit Trebellianica, diximus ſuprà *verb. Legitima portio, num.* 3.

Duo autem circa ſubſtitutiones in genere ſunt obſeruanda. *Primum*, in dubio, an ſubſtitutio aliqua directa ſit, aut fideicommiſſaria, interpretandam, & cenſendam eſſe ſubſtitutionem directam, non verò fideicommiſſariam, vt habetur *in cap. Si pater, de teſtament. in 6.* his verbis : *Cùm in ſubſtitutionibus ſemper ſit interpretatio facienda* (dummodò earum verbis & perſonis conueniat inſtitutis) *vt ſubſtitutio directa intelligatur potiùs, quàm obliqua.*

Secundum eſt, ſi quis ſimul ſubſtituatur alteri directè & indirectè, vulgari & fideicommiſſaria ſubſtitutione, in optione eo pacto inſtituti eſſe eligere, quo illorum duorum modorum pacto ſuccedere malucrit; juxta *l. Recuſare, §. Titius, ff. ad Trebell.* Ita Antonius Gomez *tom. 1. variar. reſol. cap. 3. num. 7.* Emanuel à Coſta *in cap. Si pater, p. 3. verb. Obliqua, num. 14.* & alij ab ipſis relati. Gomez. Eman. à Coſta.

2. Duo ſunt capita, ex quibus hæres inſtitutus in aliquo teſtamento, non eſt poſtea hæres; nempe, vel quia non poteſt ; vt ſi moriatur ante teſtatorem, aut alia de cauſa : vel quia non vult. Primum caput appellatur impotentiæ. Secundum dicitur à Iuriſperitis noluntatis. Si teſtator, dum hæredi aliquem vulgariter ſubſtituit, exprimat ſolum vnum caput, aut partem illius, cenſetur ex iuris diſpoſitione in eo capite, aut parte capitis intelligere reliqua : quia ea præſumitur teſtatoris voluntes, quando contrarium aliunde non conſtat. Et tunc ſubſtitutio illa dicitur expreſſa ex capite, quod in ea exprimitur, & tacita ex capite, aut parte capitis, quæ non exprimuntur. Proinde ſi teſtator dicat in ſuo teſtamento : Inſtituo meum hæredem Iacobum, & ſi noluerit, inſtituo Ioannem ; tunc ſi Iacobus ante teſtatorem moriatur, aut alia de cauſa hæres eſſe non poſſit, hæreditas pertinet ad ſubſtitutum, & non ab hæredes ab inteſtato : quia teſtator ſub capite nolitionis, caput etiam impotentiæ intellexit. Similiter ſi dicat : Inſtituo meum hæredem Iacobum, & ſi ille mortuus fuerit ante me, ſubſtituo Ioanné; tunc in caſu quo ex aliqua alia cauſa hæres eſſe non poſſit, aut ſi poſſit, non tamen velit, hæreditas pertinet ad ſubſtitutum, non verò ad hæredes ab inteſtato : quia in illa parte expreſſa capitis impotentiæ, intelliguntur tam reliquæ partes eiuſdem capitis, quàm caput noluntatis, ex *l. Gallus, ff. de liber. & poſt.* & *l. vltim. Cod. de inſtitut. & ſubſtitut.* Couarruuias *in cap. Raynutius, de teſtam.* §. 4. *n.* 4. & 5. Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap. 3. num.* 10. Molina *tract. 2. diſp.* 183. & communis, apud quos plura de ſubſtitutione vulgari. Couar. Gomez. Molina.

3. Circa ſubſtitutionem pupillarem eſt obſeruandum, quod ætas pupillaris in maſculo intelligitur vſque ad decimum-quartum annum, in femina vſque ad duodecimum, ſicut in aliis diſpoſitionibus. Talis autem ſubſtitutio eſt, ſi filius meus infra pupillarem ætatem dedecat ; ſubſtituo Petrum : quo caſu, decedente filio infra pupillarem ætatem, ei ſuccedit Petrus, non ſolùm quoad relicta à patre, verùm etiam quoad omnia alia pupilli bona, ac ſi fuiſſet inſtitutus hæres ab ipſemet pupillo, ex *l. Coheredi, §. final. & §. Igitur, ff. de pupill. ſubſtitut.* modò ſit vera & directa ſubſtitutio, non verò ſi fiat per verbum obliquum & commune, vt ſi pater dicat : *Filio meo decedenti in pupillari ætate ſubſtituo Petrum in tali re, vel Petrus capiat talem rem.* Nam verbum obliquum adiectum certæ rei, non extenditur ad omnia bona, *l. Cùm filius, §. Lucius. ff. de legatis* 2. Ita Baldus, Caſtro, Iaſon & alij apud Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap. 4. num.* 13. Baldus. Caſtro. Iaſon. Gomez.

4. Iure antiquo *l.* 2. *in princip. ff. de vulgar. & pupill. ſubſtitut.* & *§. Non ſolùm, inſtitut. de pupill. ſubſtitut.* vt ſubſtitutio pupillaris valida eſſet, neceſſe erat filium, cui pupillaris ſubſtitutus daretur, hæredem inſtitui, aut exhæredari: alioquin ſi præteriretur, cùm de eodem iure antiquo inualidum omninò eſſet tale teſtamentum, inualida quoque erat talis pupillaris ſubſtitutio in eo contenta. Hodie tamen poſt Authent. *Vt cum de apellat. cognoſcitur, §. Siue igitur*, & *§. Si verò contigerit*, & Authent. *Ex cauſa, Cod. de liber. præterit.* eſto is ipſe impubes, cui ſubſtitutus datur, ſit præteritus, aut exhæredatus, non appoſita cauſa ex legitimis ad exhæredandum, quamuis teſtamentum quoad hæredum inſtitutionem ſit nullum, validum tamen eſt quoad legata, fideicommiſſa, libertates, tutorum dationes, & quælibet alia capitula in eo contenta, quæ legibus ſunt conceſſa; in quibus ſunt directæ etiam

ſub

Clarus. Gomez. Molina.

ſubſtitutiones comprehenduntur. Ita Iulius Clarus §. *Teſtamentum, quæſt.* 54. Anton. Gomez *tomo primo variar. cap.* 4. *num.* 4. & *cap.* 3. *num.* 24. Molina *diſput.* 184. *num.* 9. & alij. Qui bene obſeruant quod, quando filius eſſet præteritus, aut exhæredatus, non, inſertâ iuſtâ exhæredationis causâ, & de nullitate ageret aduerſus tale teſtamentum atque obtineret: tunc ſicut ſua ſucceſſione nullæ rederentur primæ directæ hæredum inſtitutiones, ita etiam inualidæ fierent vulgares ſubſtitutiones, quæ illarum loco erant ſtatutæ. Præterea vt ſubſtitutiones factæ in teſtamento, in quo filius eſt præteritus, aut exhæredatus, validæ ſint, neceſſe eſt, vt in eo teſtamento aliquis alius hæres ſit inſtitutus: alioquin ſi nullus eſſet, teſtamentum eſſet prorſus inualidum, & quidquid in eo eſſet ſcriptum, præter legata in pias cauſas.

5. Subſtitutio pupillaris expreſſa poteſt fieri tripliciter, *Primò*, verbis generalibus; vt ſi teſtator loquens de filio ſuo impubere, non tamen exprimens ſpecificè quod ſit impubes, dicat: Inſtituo filium meum hæredem, & ei Petrum ſubſtituo. *Secundò*, verbis ſpecialibus; vt ſi mentionem faciat pupillaris ætatis. *Tertiò*, verbis ſpecialiſſimis; vt ſi exprimat conditionem: Inſtituo filium meum impuberem hæredem, & ſi in pupillari ætate poſt mortem meam deceſſerit, ſubſtituo ei Petrum. Tunc quandocumque vno ex his tribus modis facta eſt ſubſtitutio, ſubſtitutus pupillaris excludit matrem pupilli, ſi hic moriatur in ætate pupillari. Ita ex communi Emmanuel à Coſta *in cap. Si pater, part.* 2. *verb. Superſtite matre à n.* 9. Anton. Gomez *tom.* 1. *var. cap.* 4. *n.* 7. Couarruuias *in cap. Raynutius*, §. 5. Ratio eſt, quia teſtamentum, in quo pupillaris ſubſtitutio continetur, non eſt diſpoſitio filij, ſed patris: quia ergo pater non tenetur inſtituere vxorem hæredem, inde effectum eſt, vt ſicut ius patri ſubſtitutionem pupillarem in filij bonis conceſſit, ita liberum ei reliquerit præferri vxori in eis bonis quemcumque vellet. Proinde valida eſt prælatio ſubſtituti pupillaris matri etiam in foro conſcientiæ, iuxta *l. Papinianus*, §. *Sed nec impuberis*, *ff. de inoffic. teſtament.* & *l. Sed etſi plures*, §. *ad ſubſtitutos*, *ff. de vulg. & pupill.* Quæ ſanctio iure Canonico eſt recepta *in cap. Si pater, de teſtament. in* 6.

Em à Coſta. Gomez. Couar.

Tamen pupillaris ſubſtitutio tacita, quæ ex præſumpta voluntate teſtatoris in vulgari expreſſa includitur, non excludit matrem, quin potiùs præferenda eſt ſubſtituto in omnibus vniuerſim pupilli bonis: excludit ſolùm ceteros pupilli hæredes ab inteſtato, quibus proinde omnibus præferendus eſt ſubſtitutus, vt habetur expreſsè *l. vlt. C. de inſtitut. & ſubſtitutionibus*, & *l. Precibus*, *C. de impub. & aliis ſubſtitution.* & ex communi docent Couarruuias *loco cit.* §. 4. *n.* 6. Gomez *loco cit. cap.* 4. *n.* 8. Molina *diſp.* 184. *n.* 19. & alij.

Couar. Gomez. Molina.

6. Subſtitutio pupillaris expirat *Primò*, ſi ſubſtitutus ante pupillum moriatur: ſicut & vulgaris expirat, ſi ſubſtitutus ante teſtatorem diſcedat: nam ius, ſeu ſpes ſubſtituti, ad hæredes eius non tranſit, ex *l. Sed ſi pubes*, *ff. de vulgari. Secundò*, expirat ſtatim ac is, cui ſubſtitutus eſt datus, pupillarem ætatem egreditur: quia pro ſolo tempore pupillaris ætatis eſt ei datus ſubſtitutus, & ſub conditione, ſi intra id tempus è vita diſcedat, vt habetur de maſculo, *Inſtit. de pupillari ſubſtit.* & *l. In pupillari*, *ff. de vulg. & pupill. Tertiò*, expirat, ſtatim ac filius efficitur ſui iuris, viuente patre, qui ſubſtitutum pupillarem ei tradidit. Vnde, ſi pater facto teſtamento poſtea religionem ingrederetur & profiteatur, eo ipſo pupillaris ſubſtitutio expirat, eſto pater è vita diſcedat poſt profeſſionem ante annos pubertatis filij, & filius ſimiliter poſt mortem patris diſcedat ante annos pubertatis: tunc enim bona filij pertinent ad hæredes ipſius ab inteſtato, non verò ad ſubſtitutum pupillarem. Ratio eſt, quia filius patriam poteſtatem egreditur eo ipſo, quod vel ipſe, vel pater religionem profitetur. De his Anton. Gomez *loc. cit. cap.* 4. *num. vlt.* & *c.* 3. *n.* 29. Emmanuel à Coſta *in d. cap. Si pater*, *p.* 2. *à n.* 10. Molina *loco cit. num.* 25.

Gomez. Eman. à Coſta. Molina.

7. Subſtitutio exemplaris fieri poteſt non ſolùm amentibus, ſed etiam iis, qui ſurdi ac muti ſimul ſunt, ſiue à natiuitate, ſiue poſtea morbo tales effecti fuerint: modò tamen ſcribere neſciant. Sicut enim, qui tales ſunt, neque ſcribere ſciunt, teſtari non poſſunt, niſi vel milites ſint, vel ad pias cauſas teſtentur; ita fieri illis poteſt exemplaris ſubſtitutio. Idem dicendum de prodigo: huic enim ſi bonorum adminiſtratio interdicta ſit, ſit huiuſmodi ſubſtitutio, cùm teſtari non poſſit, neque multum ab amentibus diſtet. Hinc ſi teſtator habens talem filium, dicat: Inſtituo filium meum & ei ſubſtituo Petrum. Si hic filius nondùm fuerit pubes, eadem ſubſtitutio etiam erit pupillaris. In eadem etiam ſemper continetur vulgaris; ſi enim contingat filium mori ante teſtatorem, ſubſtitutus ſuccedet ex vulgari. In eadem etiam continetur fideicommiſſaria, nempe ſi poſt pubertatem redeat ad mentem: tunc enim ſubſtitutus ſuccedet ex tacito fideicommiſſo; quia illa formula omnes has ſubſtitutiones complectitur. Ita ex communi Anton. Gomez *tom.* 1. *cap.* 6. Molina *diſp.* 185.

Gomez. Molina.

Hæc tamen eſt differentia inter ſubſtitutionem pupillarem & exemplarem, quòd in pupillari requiratur patria poteſtas, non verò in exemplari: nam in hac conſideratur ratio humanitatis & commiſerationis, non patria poteſtas. Deinde in pupillari omnes ſubſtitui poſſunt, non verò in exemplari; in hac enim ſubſtitui debent illi, qui de iure ſuccedere debent, vt deſcendentes, vel aſcendentes, & his deficientibus fratres & ſorores, & his omnibus deficientibus ſubſtitui poſſunt de iure communi quicumque alij, *l. Humanitatis*, *C. de impub. ſubſtitut.* & §. *Qua ratione*, *Inſtitut. de pupill. ſubſtitut.* Ita Anton. Gomez *loco citato*, *cap.* 6. Molina *diſp.* 185. *num.* 2. Couarruuias *in cap. Raynutius*, *de teſtament.* §. 6. Bonacina *de contract. diſp.* 3. *quæſt.* 17. *punct.* 4. *num.* 5. & alij.

Gomez. Molina. Couar. Bonac na.

8. Quamuis pater exemplariter poſſit filio ſubſtitutum dare, poteſt tamen etiam mater. Sed ſubſtitutio facta per patrem vim habebit in bonis, quæ filius habuerit ex patre; ſubſtitutio verò facta per matrem, obtinebit in bonis quæ habuerit ex parte matris. Si autem is, qui ſubſtitutus datur, habuerit alia bona, propriâ induſtriâ, aut aliunde acquiſita, dimidium obtinebit ſubſtitutus datus à patre, & alterum dimidium ſubſtitutus datus à matre. Ita cum Bortolo, Anton. Gomez *loco cit. num.* 13.

Bartolus. Gomez.

Porrò exemplaris ſubſtitutio expirat eo ipſo, quòd is, cui facta eſt, ad ſanam redit mentem, ex *l. Humanitatis*, *Cod. de impub. & aliis ſubſtitut.* & §. *Qua ratione*, *Inſtitut. de pupill. ſubſtitut.* Si tamen poſtquam ad ſanam mentem rediit, teſtamentum non fecit, & iterum mente captus factus ſit, reconualeſcit exemplaris ſubſtitutio priùs facta, eſto, qui exemplariter ſubſtituit, mortuus fuerit antequam ille ad ſanam mentem redierit. Ita ex communi Couarruuias *loco cit.* §. 6. *n.* 7. Anton. Gomez *cap.* 6. *num.* 11. & alij.

Couar. Gomez.

9. Subſtitutio fideicommiſſaria dicitur à fido, quia teſtator fidit hæredi & illius fidei committit hæreditatem alteri reſtituendam. Vocatur ſubſtitutio, quia eſt ſecunda inſtitutio facta

facta cum conditione. Dicitur autem ſecunda inſtitutio, quia ſuccedit in locum primæ inſtitutionis. Et quamuis dari poſſint gradus ſubſtitutionis, vt tertius, quartus, & vlterior gradus; nihilominus ſubſtitutio adhuc dicitur ſecunda inſtitutio reſpectu primæ inſtitutionis; quia in locum primi inſtituti omnes ſuccedunt, *l. 1. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Couarruuias *loco citato cap.* 16. §. 4. Molineus *in ſumm. part. 2. tract. 13. cap. 4. n. 28. & ſeqq.* & communis.

Couar. Molineus.

Vt autem hæres grauatus hac reſtitutione hæreditatis, inuitaretur ad adeundam hæreditatem, & ſimul ne nomen talis hæredis vacuum & abſque fructu eſſet, iure conceſſum illi fuit, vt reſtitutionis tempore detrahere de fideicommiſſo poſſet quartam partem eius, in quo inſtitutus eſt; vt ſi eſt inſtitutus in tota hæreditate, cum onere eam reſtituendi alteri, detrahet quartam totius: ſi in dimidia, cum ſimili onere, detrahet quartam illius dimidij, & ſic deinceps. Quod ſi teſtator aliquid ei certi aſſignet & reliquum iubeat reſtitui; ſi illud certum non adæquat quartam partem totius, in quo inſtitutus eſt, poterit detrahere de reliquo, donec compleat quartam.

Inſuper iure conceſſum fuit, vt ſi hæres grauatus adire non vellet hæreditatem, poſſet officio iudicis ad id cogi vt continuò eam reſtitueret, & vt ſi coactus eam adiret, amitteret huiuſmodi quartam, quæ vocatur Trebellianica, à Senatuſconſulto Trebelliano, per quod eſt conſtitutum vt detrahetur. Ita habetur §. *Ergo, verſ. Sed ſi recuſet*, & §. *Sed quia ſtipulationes, Inſtitut. de fideicommiſſariis hæreditatibus, l. 1. & ſequent. Cod. ad S. C. Trebellianum*, & docent Anton. Gomez *tom. 1. variar. cap. 5. num. 3. & 14.* Molina *diſput. 186.* Leſſius *lib. 2. cap. 19. num. 87.* Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. 18. dub. 8. num. 5.* & alij apud Bonacinam *loco citato, num. 10.*

Gomez. Molina. Trullench. Bonacina. Leſſius.

10. Circa hanc ſubſtitutionem fideicommiſſariam eſt notandum, *Primò*, quod, quando fideicommiſſum eſt ad cauſam piam, ſeu cùm ſubſtitutus eſt cauſa pia, non poteſt detrahi quarta Trebellianica: ſicut etiam fauore piæ cauſæ in legatis piis ceſſat Falcidia: niſi forte etiam hæres, qui grauatur, ſit cauſa pia; tunc enim detrahet, quia vna cauſa pia contra aliam non habet priuilegium, ſed iure communi cenſentur. Nam quando duo habent priuilegium circa eandem rem, ceſſat priuilegium vtriuſque, & ſtatur iuri communi. Ita Gomez *loco cit. c. 5. n. 11.* Molina *diſp. 187. n. 27.* Filliucius *tract. 34. num. 170.* Syluester *v. Legitima, num. 9.* & alij communiter.

Gomez. Molina. Filliucius. Syluester.

Secundò, ex communi Doctorum ſententia poteſt teſtator prohibere deductionem Trebellianicæ, ita vt hæres grauatus abſque talis portionis deductione, teneatur hæreditatem reſtituere: ſicut enim teſtator poteſt prohibere, ne hæres detrahat Falcidiam à legatis, ex *Authent. Sed cùm teſtator. Cod. ad leg. Falcidiam*, ita etiam prohibere poteſt, ne eam detrahat à fideicommiſſis, cùm Falcidia & Trebellianica æquiparentur in iure, adeò vt Trebellianica ſæpè nomine falcidiæ ſignificetur. Ita Iulius Clarus §. *Teſtamentum, quæſt. 62.* Couarruuias *cap. 18. de teſtament. num. 10.* Leſſius *loco cit. n. 89.* Eman. Sà *verb. Hæreditas, n. 41.* Molina *diſp. 187. n. 23.* At autem parens ſuis primi gradus prohibere poſſit deductionem Trebellianicæ, adeò ſunt diuiſi Doctores, vt difficile ſit iudicare, quænam ſit communior opinio, aliis affirmantibus, & aliis negantibus, vt videre eſt apud Molinam *diſp. 187. n. 25. & 26.*

Clarus. Couar. Leſſius. Eman. Sà. Molina.

Molina.

Tertiò, ſubſtitutio fideicommiſſoria, quâ teſtator inſtituit aliquem hæredem vniuerſalem, & illum grauat reſtituere hæreditatem alteri poſt mortem, intelligenda eſt ſub tacita conditione, ſi hæres decedat ſine filiis, vel deſcendentibus, *l. Cùm auus. ff. de conditionibus, & demonſtrationibus.* Eſt communis Doctorum. Quamuis quidam obſeruent hoc non procedere in tribus caſibus: *Primò*, quando hæres tempore conditi teſtamenti habebat filios, vel deſcendentes. *Secundò*, ſi hæres ſit extraneus. *Tertiò*, quando filius vel deſcendens inſtituit patrem vel matrem cum onere reſtituendi hæreditatem. In his caſibus non præſumitur, nec vllo iure probatur hanc conditionem ſubintelligi, ſi deceſſerit ſine filiis vel deſcendentibus. Ita poſt Antonium Gomez, Bonacina *loco cit. n. 6.* Trullench *in Decalog. lib. 7. c. 18. dub. 8. n. 8.* De his plura apud Molinam *diſp. 190.*

Gomez. Bonacina. Trullench. Molina.

11. Si hæres grauatus, hæreditate aditâ, in delictum incidat, ob quod bona illius fiſco addicantur, eâ frui poteſt fiſcus, donec moriatur hæres grauatus, vel alia ratione tempus reſtitutionis adueniat, *l. Statius Florus, §. Cornelio, ff. de iure fiſci, & l. Ex facto, §. Ex facto, ff. ad S. C. Trebellian.*

Hoc tamen intelligitur, niſi teſtator alienationem prohibuerit, ſtatuendo, vt bona in familia remanerent: aut conſtiterit voluntatem illius eſſe vel fuiſſe, vt etiam viuente hærede grauato, aut alia ratione durante tempore, in quo nondum facienda erat reſtitutio, non tranſirent ad alium, quàm ad fideicommiſſarium; tunc non poterit fiſcus eis frui, vt ex *l. Imperator in princip.* tradunt Bartolus, Molina *diſp. 186. num. 2.* Bonacina *loco citato num. 8.* Trullench *loca cit. num. 9.* & alij.

Bartolus. Molina. Bonacina. Trullench.

Si autem hæres grauatus religionem capacem bonorum profiteatur, non deuoluitur hæreditas ad fideicommiſſarium, donec profeſſus naturaliter moriatur, vel donec adimpleatur conditio, ſub qua teſtator voluit hæreditatem deferri fideicommiſſario; tunc enim Monaſterium percipiet vſumfructum illorum bonorum donec ſequatur mors naturalis ipſius religioſi. Ratio eſt, quia vſusfructus relictus alicui, habet eam tacitam conditionem, vt morte eius finiatur, & redeat ad proprietarium, §. *finitur, Inſtit. de vſufructu.* At non finitur profeſſione vſufructuarij in Monaſterio capaci, ſed remanebit apud Monaſterium vſque ad illius mortem. Quare ſi religioſus ille ſuperuixerit fideicommiſſario, non tranſmittentur ea bona ad hæredes fideicommiſſarij, ſed remanebunt apud Monaſterium, quod per fictionem iuris fauore religionis loco filij habetur. Ita hanc ſententiam ſuſtinent Couarruuias *lib. 1. variar. cap. 19. n. 7.* Gutierrez *in quæſt. canonic. lib. 2. cap. 1. num. 64.* Molina *diſp. 186. n. 3.* Sanchez *lib. 7. moral. cap. 3. n. 76. & 77.* Trullench *loco citato, n. 9.* Vaſquez *in opuſc. tit. de reditibus, c. 3. dub. 4. n. 20.* & alij multi penes ipſos.

Couar. Gutierrez. Molina. Sanchez. Trullench. Vaſquez.

Sed maior difficultas eſt, ſi Monaſterium illud ſit incapax ſuccedendi? Nam multi valde probabiliter affirmant, non ſtatim à die profeſſionis deberi hoc fideicommiſſum, ſed ſolum poſt naturalem profeſſi mortem, & interim non Monaſterium habiturum ea bona, ſed habituros hæredes ab inteſtato, quia eius perſonam repræſentant. Ratio illorum eſt, quia conditiones implendæ ſunt in ſpecifica forma, *l. qui hæredi, ff. de condit. & demonſtrat.* & non æquiualet in conditionibus implendis mors ciuilis morti naturali: at fideicommiſſi illud habet tacitam conditionē, ſi inſtitutus moriatur ante fideicōmiſſarium; Ergo in ea conditione impleda non eſt mors ciuilis per profeſſionem, ſed mors naturalis conſideranda. Ita multi Iuriſperiti apud Sanchez *loco cit. n. 78.*

Sanchez.

Probabiliori tamen ſententia aſſerit, id fideicommiſſum ſtatim deberi fideicommiſſario poſt profeſſionem, ſicut legata debentur legatarijs, &

& hæreditas hæredibus. Probatur: quia huiuſmodi profeſſus reputatur ac ſi naturaliter mortuus eſſet: nam mors ciuilis æquiparatur naturali, quoties eoſdem effectus parit, ſeu dum inducit incapacitatem ſuccedendi. Tum quia, cùm ille nequeat bona poſſidere, nec ex facto ſuo transferat in Monaſterium, nihil mirum ſi ea bona ad eos pertineat, ad quos deuoluerentur eo naturaliter mortuo. Ita Bartolus, Baldus, Surdus, Decius & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *loco cit. n.* 79. Gutierrez *lib.* 2. *in quæſt. Canonic. c.* 1. *n.* 62. *& ſeq.* Clarus §. *Teſtamentum, q.* 28. *n.* 4. Molina *loc. cit. n.* 3. Vaſquez, Couar. *locis citatis.*

Bartolus. Baldus. Surdus. Decius. Sanchez. Gutierrez. Clarus. Molina. Vaſquez. Couar.

12. An autem hæc profeſſio in Ordine ſucceſſionis incapaci cenſenda ſit mors naturalis in præiudicium tertij, ita vt à tempore profeſſionis ſubſtitutus ille admittendus ſit in præiudicium illius, in quem ea bona alienata ſunt ante profeſſionem? Eſt duplex ſententia: vna affirmatiua, altera negatiua probabilior, nempe eam profeſſionem non cenſeri mortem naturalem in præiudicium tertij, ac proinde expectandam eſſe huius profeſſi mortem, vt ſubſtitutus in ea bona ſuccedat, & interim ea habiturum illum, in quem alienata fuerant: ex quo fit, quòd Nouitius Ordinis Minorum de obſeruantia & Capucinorum, qui gratuatus eſt poſt mortem ſuam aliquam hæreditatem reſtituere, ſed ipſe ante religionis ingreſſum, vel ante profeſſionem, ius in ea bona tempore vitæ ſuæ ad ſe pertinens, venditione, aut donatione, aut quouis alio contractu, in alium tranſtulit, valida eſt venditio, aut donatio, aut in alium tranſlatio, nec ſubſtitutus ſucceder in ea bona, ante mortem naturalem talis religioſi. Rario eſt, quia mutatio ſtatus alienantis non officit iuri iam quæſito per eum, in quem alienarat. Tum quia profeſſio talis Fratris Minoris operatur expropriationem eorum, quæ tunc profeſſus poſſidebat, non verò in præiudicium tertij & reſpectu iuris, quod in alium tranſtulerat. Tum quia ex tempore illius alienationis iam religioſus ſe iure ſuo abdicarat, & illud tranſtulerat in alium cui erat ius in ea re acquiſitum: at cùm fictio iuris non perperam, ſed ex naturali quadam æquitate inducatur, nihil operatur in præiudicium tertij; id enim naturali æquitati aduerſaretur, vt cum alterius iactura quiſpiam locupletetur. Ita Baldus *conſil.* 280. *in fine, volum.* 1. Peregrinus *de fideicommiſſis, art.* 28. *num.* 63. Bartolus *in l. Cùm hæredes* 23. §. 1. *n.* 1. *ff. de acquir. hæredit.* & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *lib.* 7. *Moral. cap.* 3. *num.* 81.

Baldus. Peregrinus. Bartolus. Sanchez.

13. Subſtituto fideicommiſſaria expirat, ac nulla redditur ſi hæres grauatus ante hæreditatem aditam è vita diſcedat, *l. Ille à quo*, §. *ſi teſtamento, in fine, ff. ad Trebell.* Excipitur tamen *Primò*, niſi hæres grauatus diſcedat poſtquam coactus, vel iuſſus eſt hæreditatẽ adire: tunc enim hæres, ad quem hæreditas deuenit, reſtituere cogitur fideicommiſſum, *l. Non iuſtam, Cod. ad Trebell. Secundò*, ſi hæres grauatus iure ſuitatis, ſanguinis, aut deliberandi hæreditatem ad ipſius hæredes tranſmittat: tunc enim illi hæreditatem adire coguntur, ac fideicommiſſario reſtituere fideicommiſſum. Colligitur ex *l. Ita tamen*, §. *ſi pater, ff. ad Trebellian.* Eadem eſt ratio, quando ex quocumque alio capite tranſmiſſio fit hæreditatis non aditæ. *Tertiò*, quando in teſtamento, in quo hæres grauatus fuit, apposita eſt clauſula codicillaris: tunc enim hæredes, ad quos in defectum hæredis grauati hæreditas deuenerit, etiamſi ab inteſtato hæredes ſint, grauati cenſentur reſtituere fideicommiſſum, iuxta *l. Scæuola, ff. ad Trebell.* Ita Auton. Gomez *tom.* 1. *variar. cap.* 5. Emanuel à Coſta *in cap. Si pater, parte prima, verb. Si abſque liberis, numero quinquageſimoquinto,* & *part.* 2. *verb. Abſque deductione, num.* 27. Molina *diſp.* 189. & alij.

Gomez. Eman. à Coſta. Molina.

De reciproca, ſeu breuiloqua & compendioſa ſubſtitutione, nihil eſt à nobis addendum, quia in ſupradictis includuntur; non enim omnia de ſubſtitutionibus dicenda hic ſunt adducenda, cùm plenior horũ tractatio ad Iuriſperitos pertineat, & videri poſſunt apud Doctores toto hoc titulo citatos.

SVFFRAGIVM.

SVMMARIVM.

1 *Suffragium apud Theologos quid ſit? An vnus fidelis poſſit alium iuuare ad ſatisfactionem pœnæ temporalis, ſiue in hac vita, ſiue in purgatorio alter exiſtat.*

2 *An ſuffragia ſint offerenda pro defunctis cum Chriſto regnantibus.*

3 *An ſuffragia viuorum poſſint prodeſſe damnatis ad expiationem pœnæ debitæ propter mortale peccatum in hac vita non remiſſum? Et an pueri morientes cum ſolo peccato originali ſint capaces ſuffragiorum.*

4 *An animabus purgatorij ſuffragia prodeſſe poſſint per modum impetrationis vel per modum ſolutionis?* Refertur duplex ſententia.

5 *An Sancti Beati orent pro animabus purgatorij? Et an impetrent illis remiſſionem gratuitam alicuius pœnæ.*

6 *An ſuffragia viuorum profint defunctis ex iuſtitia, vel ex ſola miſericordia?* Refertur duplex ſententia.

7 *An opus externum præciſè ſumptum, pro alio factum, poſſit illi ad ſatisfactionem, ſeu remiſſionem pœnæ prodeſſe?* Refertur duplex ſententia.

1. SUffragium, vt à Theologis accipitur, eſt auxilium quoddam, quod vnus fidelis præbet alteri ad obtinendam à Deo remiſſionem pœnæ temporalis peccatis debitæ, vel aliquid huiuſmodi. Negant Lutherani poſſe vnum fidelem alios iuuare ad ſatisfactonem pœnæ temporalis: in quo errore fuit priùs Wicleph; nihilominus veritas Catholica eſt, poſſe fideles viatores ſe inuicem iuuare ſuffragiis, ieiuniis, orationibus & eleemoſynis, ceteriſque operibus meritoriis, ſaltem de congruo, applicando pro aliis fidelibus viuis atque defunctis, vt à pœnis debitis diuina clementia liberentur. Hic eſt communis ſenſus Scholaſticorum omnium, qui veritatem hanc cenſent contineri in Symbolo Apoſtolorum, vbi confitetur Eccleſia *Sanctorum Communionem.* Hoc eſt, In Eccleſia militante eſſe communicationem bonorum operum inter homines iuſtos, quatenus vnus alteri prodeſſe & auxiliari poteſt. Ratio eſt, quia Eccleſia tota eſt vnum corpus, cuius caput eſt Chriſtus: ergo debet habere communicationem, tam capitis cum membris, quàm membrorum inter ſe. Nam pro inuicem ſolicita ſunt membra, *& ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* 1. Corinth. 12. Proinde ſicut vnum membrum alteri præbet auxilium, ita poteſt vir iuſtus alteri opem ferre per ſuffragia & opera ſatisfactoria.

Quod autem viuentes poſſint per ſuffragia iuuare defunctos detentos in Purgatorio, patet ex *lib.* 2. *Machab. cap.* 12. vbi dicitur, *Sancta ergo & ſalubris cogitatio eſt orare pro defunctis, vt à peccatis ſoluantur.* Vnde Eccleſia Sancta Dei in Miſſis Defunctorum orat, dicens: *Libera Domine animas fidelium defunctorum de pœnis inferni.* Et in

Concilio Florentino in literis vnionis dicitur, *Prodesse defunctis, vt à pœnis releuentur, viuorum suffragia, sacrificia, orationes & eleemosynas, aliáque operis pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis viuentibus, atque defunctis fieri consueverunt.* Quibus accedit ratio: nam iusti defuncti sunt membra corporis Ecclesiæ, & sunt colligati nobiscum, & cum Deo, in fide, spe & charitate: Ergo viuentes possunt, ac debent iuuare defunctos, vt membra eiusdem corporis. Praterea Christus, qui caput est, profuit viuens in terris viuentibus, mortuus mortuis, viuens mortuis, & mortuus viuentibus: Ergo decet, vt membra inter se ita agant, vt iusti viuentes viuentibus, mortui mortuis, viuentes mortuis & mortui viuentibus prosint. Ita docent D. Thomas *in supplement. 3. part. q. 71. art. 2.* D. Bonauent. *in 4. disp. 20. art. 1. q. 1. & 2.* Suarez *tom. 4. de pœnitent. disp. 48. sect. 1. & 2.* Ioannes de Lugo *de pœnitent. disp. 26. sect. 1.* Sotus *in 4. disp. 45. q. 2. art. 1.* & alij communiter.

D. Thom. D. Bonau. Suarez. Lugo. Sotus.

2. Suffragia non sunt offerenda pro defunctis cum Christo regnantibus, quibus per se, ac propriè prodesse non possunt. Ita Innocentius III. *in cap. Cùm Marthæ, de celebrat. Missar. vers. Tertio loco,* D. Augustinus *in Enchirid. cap. 109.* & omnes Scholastici *in 4. dist. 45.* Hæc veritas Catholica ratione probari potest, & quidem quantum ad pœnæ expiationem, res est certissima; quia in beatis nihil pœnæ supereſt, quod expiari, aut remitti possit. Si verò sit sermo de vtilitate suffragiorum, quantum ad impetrationem alicuius boni, certum est etiam non posse nostra suffragia prodesse Sanctis beatis quantum ad augmentum essentialis gloriæ, cùm hoc vnicuique conferatur iuxta propria merita, seu propriam gratiam & charitatem. Proinde oblationes pro Sanctis sunt potiùs gratiarum actiones, quæ Deo fiunt & à Sanctis cognoscuntur, & ideò de illis gaudent, & ita accidentalis eorum gloria augetur. Honorem autem extrinsecum eis impetrare possumus, quatenus ille honor potiùs in nobis est, qui Sanctos honoramus & cedit in profectum & vtilitatem nostram, vt D. Augustinus & Innocentius suprà sentiunt, cum Diuo Thom. *in 4. distinct. 45. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 4.* Paludanus, Sotus, D. Antoninus 3. *part. titul. 13. cap. 6. §. 13. & titul. 32. cap. 2. §. 2.* Nauarrus *de Iubil. notab. 22. n. 46. & seqq.* & alij communiter.

Innoc. III. D. August. D. Thom. Paludanus. Sotus. D. Antonin. Nauarrus.

3. Suffragia viuorum non possunt prodesse damnatis ad expiationem pœnæ, seu terminationem, quam sustinent propter peccata mortalia, quorum remissionem in hac vita non obtinuerunt: quia de fide est, hanc pœnam esse æternam ex immutabili lege Dei, vt constat ex variis Scripturæ locis, in quibus supplicium damnatorum æternum & inextinguibile appellatur. *Matth. 25. Lucæ 13.* Ratio huius veritatis à priori est, quia mortale peccatum dignum est tali pœnâ: quamdiu culpa non tollitur, impossibile est satisfactionem exhibere pro pœna, & nemo impetrare potest, vt illa pœna cesset perdurante culpa: quia hoc repugnat diuinæ legi & iustitiæ. Ex quo fit quod ex ordinatione diuina concessum est homini huius vitæ tempus, vt in eo possit talis peccati remissionem obtinere per pœnitentiam: post hanc autem vitam constituitur, in termino, in quo non conceditur pœnitentiæ locus. Præterea hîc colligitur, suffragia viuentium non prodesse defunctis damnatis ad aliquam mitigationem aut remissionem huius æternæ pœnæ, quæ illis debetur propter culpam mortalem non remissam: nam si damnatis remitterentur pœnæ propter suffragia viuorum, paulatim possent auferri, saltem quoad pœnam sensus, seu quoad positiuum dolorem: esto pœna damni nunquam tollatur. Consequens autem etiam hæreticum est, quia Scriptura sacra etiam cruciatum ignis & vermem conscientiæ dicit esse æternum. Sequela probatur, quia pœna illa quoad intensionem finita est; finitum autem per ablationem finiti consumi potest. De quibus plura apud D. Thom. *in supplem. 3. p. q. 71. art. 5.* Bellarminum *lib. 2. de purgatorio, c. 18.* Coninchum *de pœnit. disp. 11. dub. 8.* Suarez *tom. 4. disp. 48. sect. 4. num. 11. & seq.* Sotum *in 4. dist. 45. q. 2. art. 2.* Qui nouissimus aduertit eum grauiter peccare, qui orat pro mortuis damnatis, sciens ipsos damnatos esse: peruertit enim ordinem Ecclesiæ, & facit contra finem & honorem suffragiorum, quæ non debent indigno subiecto applicari: licet excusetur suffragia offerens, si nesciat illos esse in statu damnationis constitutos.

D. Thom. Bellarmin. Coninck. Suarez. Sotus.

Quod dictum est de damnatis, idem dicendū est de pueris morientibus cum solo peccato originali: hi enim non sunt capaces suffragiorum: quia reuerà perpetuò puniuntur pœnâ damni, & in illa nullam possint remissionem accipere: aliam verò non patiuntur, pro qua iuuari possint: sunt ergo omninò extra viam & irremissibiliter extra gratiam, vt aduertit Nauarrus *de iubileo notab. 22. n. 46.* & Suarez *loc. cit. n. 18.* cum aliis. D. Thom. *in supplem. q. 71. a. 7.*

Nauarrus. Suarez. D. Thom.

4. Suffragia viuorum prodesse possunt animabus purgatorij, non solùm ad aliquam mitigationem pœnarum, sed etiam ad integram remissionem. Ratio est quia illa pœna finita est, quoad gradus: ergo si potest remitti per suffragia, potest etiam omnino tolli, vel multiplicando successiuè suffragia, vel simul in personis diuersis, vel ita augendo vnum & idē opus, vt multis operibus satisfactoriis, atque adeò toti pœnæ æquiualeāt. D. Th. *loc. ci. a. 6.*

D. Thom.

An autem suffragia viuorum prosint animabus purgatorij per modum impetrationis, vel per modum solutionis & satisfactionis condignæ, quoad remissionem temporalis pœnæ, disputāt Theologi. Prima sententia est, temporalem pœnam interdum remitti gratis animabus purgatorij propter orationes & merita aliorum iustorum, qui hoc impetrant à Deo, etiamsi vel suas satisfactiones pro illis non offerant, vel certè illas non habeant, nec efficiant, vt eas offerre possint: & generaliter affirmat hæc sententia hunc modum impetrationis & suffragij non solùm esse possibilem, sed etiam nullum alium posse nos exhibere animabus purgatorij ad hunc effectum obtinendum. *Secunda* sententia affirmat hunc modum gratuitæ remissionis per modum impetrationis aliquando obtineri, quamuis alius etiam modus per æquiualentem solutionem sit possibilis: & declarat morali exemplo, quia vnus ex amore potest apud iudicem alium liberare à debito pœnæ vel negando, vel satisfaciendo. Ita Nauar. *de Iubileo notab. 22. n. 15.* Durandus *in 4. dist. 41. q. 1. n. 6.* & alij. Fundamentum huius sententiæ potest esse, quia beati orant pro animabus purgatorijs: ergo eis obtinent remissionem alicuius pœnæ. Non possunt autem obtinere soluendo pro illis: quia non sunt in statu satisfaciendi: ergo impetrant, vt gratis fiat remissio. Tum quia Ecclesia frequēter orat Deum, vt per suam piissimam misericordiam liberet animas purgatorij ab illis pœnis: ergo intendit impetrare gratuitam remissionem pœnarum. Hæc sententia est pia & probabilis & fortasse est vera, vt docet Suarez *loco cit. disp. 48. sect. 5. num. 5.*

Nauarrus. Durand. Suarez.

Nihilominus dicit hunc modum remissionis valdè incertum, & nō satis fundatum esse, & verisimile putat, Deum nunquam remittere alicui pœnam pro peccatis debitam, nisi oblata, seu applicata condigna satisfactione, atque adeò nunquam id facere omninò

omninò gratis, ſed ſeruata vindicatiua iuſtitia & commutatiua, ac diſtributiua, quatenus cum illa coniunguntur. Supponit hic Doctor neminem poſſe ſibi impetrare gratuitam remiſſionem pœnæ; ex quo infert neminem poſſe alteri viuenti impetrare hoc modo remiſſionem pœnarum; quia nullus efficaciùs impetrat alteri, quàm ſibi. Vnde nec poteſt hoc impetrari animabus purgatorij; quia in hoc genere non poſſumus aliquid efficaciùs impetrare mortuo, quàm viuenti; & quia hæc etiam eſt impetratio reſpectu alterius quæ non eſt efficacior, quàm reſpectu ſui.

5. Certum eſt ex communi Theologorũ ſententia, Sanctos beatos interdum orare pro animabus purgatorij: & hoc apertè videtur ſupponere Eccleſia, cùm in oratione quadam pro defunctis, petit vt defuncti ad beatitudinem perueniãt, *Beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis.* Ratio eſt, quia hoc eſt officium charitatis, & non repugnat, ſed conſentaneum eſt ſtatui Beatorum. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 3.* Bellarminus *lib. 2. de purgator. cap. 15.* Gabriel *in canon. Miſſ. lect. 55.* D. Bonauent. Richardus Abalenſis apud Suarez *loco citato, num. 7.* & alij.

D. Thom. Bellarmin. Gabriel. D. Bonau. Richardus. Suarez.

Sed petes, ſi Sancti orent pro animabus purgatorij, an impetrent gratuitam remiſſionem alicuius pœnæ? Reſpondet Suarez *loc. cit. n. 8.* negatiuè: quia aliàs preces Sanctorum facilè euacuarent purgatorium, cùm illæ ſint efficaciores, & frequentiùs, generaliùs ac feruentiùs fiant: tum quia Sancti nõ ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, ſicut viui, & ideò orationes Eccleſiæ ſunt ſatisfactiuæ & ſufficientes ad ſoluendum pro alio, quod non habent orationes Sanctorũ, quæ non ordinãtur aut funduntur ad obtinendã huiuſmodi remiſſionẽ gratuitã pœnæ, ſed vt ſatisfactiones viuorũ pro eis acceptẽtur; vel vt Deus præbeat vtentibus auxilia ad ſatisfaciẽdũ debito modo pro illis animabus, ita vt efficaciter earũ liberationem conſequantur, vel ſaltẽ accelereturr earum liberatio, etiamſi neceſſe ſit diuturnitatẽ temporis intenſione pœnarum compẽſari. Ex quibus colligitur pœnas purgatorij non remitti, niſi per modũ ſolutionis & ſatisfactionis, ideoque orationes beatorũ per ſe nõ efficere immediatè talem remiſſionẽ. Et hoc idẽ docet D. Thom. *in 4. diſt. 45. q. 3. art. 2. ad 6.* dicẽs: *Suffragia Eccleſiæ ſunt pro defunctis quædam ſatisfactiones viuentiũ vice mortuorũ, & ſecundùm hoc mortuos à pœna abſoluunt quam non ſolverunt: ſed Sancti, qui ſunt in patria, non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, & ideò non eſt ſimile de eorũ orationibus, & de ſuffragiis Eccleſiæ.* Quorum verborum ſenſus eſt, quòd orationes Eccleſiæ militantis ſunt ſuffragia, quæ per ſe & immediatè ſufficiunt ad remiſſionem pœnarum; orationes verò Sanctorum huiuſmodi non ſunt.

D. Thom.

6. Controuertitur inter Doctores, an ſuffragia viuorum proſint defunctis ex iuſtitia, vel ex ſola miſericordia? Quidam enim arbitrantur, hanc ſatisfactionem pro animabus purgatorij ſolùm eſſe ex miſericordia. Ducuntur, quia de hoc nulla extat promiſſio, aut pactum diuinum: cuius ſignum eſſe poteſt, quia Eccleſia & Sancti orant Deum, vt acceptet hæc ſuffragia pro defunctis: ergo ſignum eſt non eſſe opus iuſtitiæ, ſed miſericordiæ. Tum quia animæ in purgatorio exiſtentes iam ſunt extra forum Eccleſiaſticum, & pertinent tantùm ad forum Dei. Cùm ergo etiam inter viuentes incertum ſit, an tale pactum vel promiſſio intercedat, veriſimilius eſt reſpectu defunctorum nullum eſſe, maximè cùm nullo ſufficienti teſtimonio & ratione oſtendi poſſit. Ita Caiet. *tom. 1. opuſc. tr. 16. q. 5.* Cano *lib. 12. de locis Theolog. cap. 13. ad nonum.* Sotus *in 4. diſt. 19. q. 2. art. 4.* Anglez *quæſt. de indulgent. art. 2. diffic. 3.* & alij probabiliter. Nihilominus cõmunior & tenenda ſententia eſt, quod ſuffragia viuorũ pro mortuis, ſint ſimpliciter de iuſtitia & infallibiliter acceptata, ſecũdùm eorum valorẽ, pro quocumque offerantur: quia intercedente promiſſione ſub cõditione operis, nihil hîc deeſt ad veram iuſtitiam, & nihil repugnat, in hoc negotio interuenire hanc promiſſionẽ, vt per ſe conſtat: ergo &c. Tũ quia ſi admittatur hæc promiſſio reſpectu viuentiũ, non eſt cur negetur eã extendi ad animas purgatorij, quæ nobis ſunt charitate coniunctæ, & non minùs indigent, quàm viuentes; imò magis, cùm non poſſint per ſe ſatisfacere, ſed tãtùm ſatiſpati. Accedit quòd quãtùm ex vſu & traditione Eccleſiæ colligitur, eadem eſt lex ſuffragiorum reſpectu defunctorum, quæ eſt reſpectu viuentium: nam Eccleſia æqualiter offert ſua ſuffragia pro viuis & defunctis. Ita ex antiquis Theologis ſentiunt D. Thom. *in 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2.* Gabriel *in 4. diſt. 16. art. 2. dub. 8.* Nauar. *de Iubileo n. 18. & de oratione & hor. canon. c. 20. n. 82.* Viguer. *in Sum. c. 16. §. 4. verſ. 33.* & alij quos citat & ſequitur Suarez *diſp. 48. ſect. 6. n. 4.* Ex recentioribus autem vide ſupradicta *v. Indulgentia II. num. 3. 4. & 5.*

D. Thom. Gabriel. Nauarrus. Viguerius. Suarez.

7. Dubium graue eſt inter Theologos, an opus externum præcisè ſumptum, pro alio factum, poſſit illi ad ſatisfactionem ſeu remiſſionẽ pœnæ prodeſſe? v. g. homo ante mortem præcipit fieri eleemoſynas ex ſuis bonis pro anima ſua poſt mortẽ, an illud opus externũ, quod eſt dare eleemoſynam, ſit per ſe ſatisfactorium defuncto independenter à voluntate eius, per quem executioni mandatur? Certum eſt apud omnes, eum, qui diſponit ſuffragia pro ſe fieri vel eleemoſynas, etiamſi non ſtatim fiant, percipere fructũ illorum vel illarũ quantũ ad efficaciã quæ erat ex opere operantis principaliter agentis, id eſt, quantũ ad meritũ bonæ illius diſpoſitionis. Sed dubiũ eſt an tota ſatisfactio ſit poſita in actu volendi, ac præcipiẽdi tale opus? Affirmat Suar. *diſp. 48. ſect. 8. n. 18.* probabiliter, & poſtea & ex vi ſolius externi effectus nihil ſatisfactionis addit per ſe loquẽdo, & ex opere operantis reſpectu mandãtis. Nihilominus quod tale opus externũ per ſe addat ſatisfactionẽ, ſuſtinent multi Theologi, & probãt 1. quia ipſa elargitio eleemoſynæ habet ſpecialem vim ad redimendũ hominẽ à peccatis; quia ex ſe habet vim ſatisfaciendi pro pœna tẽporali: ergo talis largitio addita priori voluntati, redimet ſpeciali valore & ſatisfactione animã à peccato, cùm ſit voluntaria ex vi prioris volũtatis. 2. quia aliàs hæredes defunctorũ implẽdo hæc legata ſuffragiorũ vel eleemoſynarum, non aliquid per ſe cõferrent ad liberandã animã teſtatoris citiùs à purgatorio, nec non implẽdo eſſẽt in cauſa, vt diutiùs in purgatorio detineretur. Conſequens eſt contra communem ſenſum fidelium, & contra intentionem defunctorum, qui hæc legata relinquunt: & ſi ea intentione decipiuntur, error eſt valde vniuerſalis in Eccleſia, quem deberent Paſtores & Doctores eius auferre, ne illius occaſione magno fructu ſatisfactionis priuarentur fideles defuncti. Ita D. Th. *in 4. diſt. 45. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 3.* Palud. D. Bonau. Sotus *ibid.* Syluius *in ſupplem. 3. p. q. 71. art. 6. verſ. Circa reſponſ. ad 4.* Nauar. *de orat. cap. 19. num. 59. & ſequentib.* & alij.

D. Thom. Paludanus. D. Bonau. Sotus. Syluius. Nauarrus.

Vide v. Abbatiſſa *n. 22.* Indulgentia 2. *n. 4. & 5.*

SVPERSTITIO.

SVMMARIVM.

1 *Superſtitio in quo cõſiſtat? Et quãdo cõtinget fieri pactum expreſſum vel tacitum cum dæmone.*

Caietan. Cano. Sotus. Anglez.

2 *Malitia pacti expliciti cum Dæmone vel implíciti, in quo conſiſtat.*

3 *An pactum expreſſum celebrans cum Dæmone ſit cenſendus hæreticus ex vi celebrationis talis pacti? An ſaltem ſit ſuſpectus de apoſtaſia à fide.*

4 *Quando adeſt pactum expreſſum cum Dæmone, an ſit illud in Confeſſione exprimendum.*

5 *An ad ſuperſtitionem pertineat, inuocare Dæmonis auxilium ad ea, quæ ipſe naturaliter poteſt præſtare? Et an talis ſit ſuſpectus in fide, quando non eſt pactum expreſſum, ſed ſolùm tacitum?* Refertur duplex ſententia.

6 *Superſtitionis peccatum vt plurimum vnde oriri ſoleat.*

1. SUperſtitio in eo conſiſtit, quod quis exhibeat diuinum cultum cui non debet, vel eo modo quo non debet, vt ait D. Thom. 2.2. *q.* 92. *art.* 1. Et hæc ſuperſtitio plerumque fit vel ex tacito, vel expreſſo pacto cum dæmone. Pactũ expreſſum fit aut verbo, aut opere, & intentione. *Verbo*, dum quis expreſsè Dæmonẽ inuocat ſui operis adiutorem, ad paciſcendum cum eo, de auxilio impertiendo quoties ad operandum opera ſuperſtitioſa indiguerit. Hoc autem tripliciter fieri poteſt. 1. quod homo petat à Dæmone adiutorium, ſine promiſſione aliqua, & obligatione ſeruitutis, & ſubiectionis vel ſocietatis, & ſine eo quod accedant cæremoniæ pacti confirmatoriæ, cui petitioni reſpondet dæmon ſine eo quod expoſcat ſubiectionem, aut ſocietatem, vel obedientiam. 2. poteſt fieri huiuſmodi pactum offerendo ex parte hominis ſeruitutem & obedientiã cum exequutione cæremoniarũ confirmantiũ amicitiam & ſocietatem ex parte Dæmonis illã obligationem poſtulantis. 3. ſi ex parte hominis ſit ſimplex petitio adiutorij Dæmonis ſine intentione ſe obligandi ad amicitiam, ſocietatem, obedientiam vel ſeruitutem præſtandam in omnibus, Dæmoni; ex parte tamen Dæmonis, quamuis ſit horum omnium ambitio, tamen ea non exprimit, ſed tantùm obligat ſe ad præſtandum auxilium. Hæc autem pactio cùm fiat cum homine, qui natura ſenſibilis eſt, vt certo ſibi conſtet de paciſcente, aliquod ſignum ſenſibile, ſenſu externo perceptibile interuenire debet, ſiue Dæmon in forma viſibili appareat, ſiue ſolùm ſenſibiliter audiatur. *Opere* etiam ſenſibili tunc celebratur pactum expreſſum cum Dæmone, quando homo ſcit certò Dæmonem per aliquod ſignum occulta docere, & illud vt doceatur, exercet, quamuis à Dæmone verbale & ſenſibile pactum antecedens non ſit initum.

Pactum implicitum, ſeu tacitum cum Dæmone tunc interuenit, quando quis cognitionẽ ſoli Deo reſeruatam ſeriò & ex intentione mediis vanis & indebitis, ſiue ſint ſigna, ſiue res, habere procurat. Ex qua definitione colligitur, quod ſiquis non ſeriò, neque ex intentione his ſignis vanis vtatur, ſed ex leuitate, ioco, aut ignorantia, non eſt ſuperſtitioſus, ſed ſolum otioſus indagator. Ita D. Thom. 2.2. *q.* 95. *art.* 2. *&* 3. Syluius, Valentia, Tanner. Malderus *ibid.* Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 38. *n.* 3. Clauis Reg. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 5. Martin. del Rio *lib.* 4. *de magia c.* 2. *q.* 5. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtitione cap.* 9. *à num.* 9. *uſque in finem.*

D. Thom. Syluius. Valentia. Tannerus. Malderus. Sanchez. Clauis Reg. Delrius. Suarez.

2. Malitia pacti expliciti cum Dæmone in eo conſiſtit, quod ſocietas, fœdus & amicitia ineatur cum declarato Dei, & ſui hoſte.

Proinde in Dæmone non eſt diſtinguendum duplex genus voluntariorum, quoddam pertinens ad hoſtilitatem, quoddam non, vt inter homines ad inuicẽ inimicos contingit; ſed omnia voluntaria dæmonis hoſtilia ſunt propter eius peruerſam, acobſtinatam voluntatem in malo, in tantùm vt in quolibet opere ſuo volũtario peccet mortaliter. Omnis autem amicitia cum hoſte, in his quæ hoſtilia ſunt, eſt pernicioſa, vtpote hoſtilitati contraria: vnde ſequitur quod ſi cum Dæmone exerceatur actus ſocialis perfectè, eſt peccatum mortale. Quam malitiam nobis propalauit Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. dicens: *Nolo vos ſocios fieri Dæmoniorum.* Quare ſemper Dæmones, vt ſummi hoſtes Dei & hominum tractandi ſunt, ac proinde nulla ſocietas cum ipſis poteſt eſſe licita, vt optimè explicat Caietan. apud Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *num.* 6. Caietanus. Sanchez.

Pactum implicitum cum dæmone poteſt interuenire vel formaliter, vel materialiter; quod ſi formaliter fiat, ad ſuperſtitionem & cultum Dæmonũ ſpectat: ſi autem materialiter, extra cultum Dæmonum formaliter eſt, materialiter tamen ad cultum eorum ſpectat: interdũ enim per craſſam ignorantiam vel inaduertentiam vult homo contraria, vnum in ſe, & formaliter, aliud in alio, & virtute: & ſic cõtingit in hoc caſu: quamuis enim dicat explicitè ſe nolle pactum cũm Dæmone, vult tamen illud implicitè, & quamuis nolit expreſſum pactũ formaliter, vult tamen de facto tacitũ & materiale: quia vult exercere huiuſmodi opera ſuperſtitioſa ad eam rem, quaſi illa vtilia ſint, cùm tamẽ vtilitatem habere nequeant, niſi Dæmonis interuentu. Ita Caiet. 2.2. *q.* 95. *art.* 4. *§. Ad hoc dicitur.* Suarez *loco citato cap.* 9. *num.* 17. & alij. Caietanus. Suarez.

3. Celebrans pactum expreſſum cum Dæmone, non eſt formaliter hæreticus ex vi celebrationis pacti expliciti, ſi non celebretur cum expreſſa conditione quod homo abneget fidẽ, aut quod proteſtetur Dæmonẽ eſſe numen infallibile, nec eſſe malum & fallace, aut quod illi ex intentione cultus deferat latriam, aut ſimile quid de fide neget; imò neque quãuis dæmonẽ adoret adoratione externa latriæ, ſi non habeat animum internum deferendi cultum Dei, illiſquia hũc actum poteſt exercere motus cupiditate & appetitu ſciendi: & quandocumque effectus dependere poteſt ex duplici cauſa, puta infidelitate & cupiditate aſſequendi aliquid à dæmone pacto tacito vel expreſſo, nunquam ex naturâ rei poteſt ex iſto effectu iudicari præcisè altera cauſa. Et ideò quãdo conſtaret de huiuſmodi effectu, vlteriùs inquirendum eſſet de cauſa, ſi ex errore & fidei peruerſitate hoc fecerit; tunc iudicandus eſt hæreticus: ſi verò ex alia cauſa, iudicandus eſt fortilegus & viliſſimus peccator. Ita Sylueſt. *verb. Hæreſis* 1. *queſt.* 5. & clarè ſignificat D. Thomas 2.2. *q.* 95. *art.* 3. *ad* 1. & docent Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 37. *n.* 22. Valentia 2.2. *diſp.* 6. *queſt.* 11. *punct.* 2. *verſ. Ex diuerſa autem.* Verùm animaduertunt dicti Auctores, quòd quicumque pactum expreſſum fecerit cum Dæmone cum aliquo ſigno ſenſibili, eſt ſuſpicione iuridica ſuſpectus de apoſtaſia à fide, & defectione illius: proinde femina, cum qua Dæmon incubus fuit, abſque alio pacto, etiamſi Dæmonem non adoret, eſt iuridicè ſuſpecta malè ſentire de fide: quia ex tali conſortio & commixtione oritur prudens & iuridica ſuſpicio, quod agens cum eo & ad eius inſtantiam, fidem abnegauit, & hac de cauſa Inquiſitores rectè procedunt contra ſagas, quia habent pactum explicitum cum Dæmone Dei inimico, vt docet Sylueſter *verb. Hæreſis* 3. *num.* 10. & alij. Sylueſter. Sylueſter. D. Thom. Sanchez. Valentia.

4. Quando adeſt pactum expreſſum cum Dæmone, eſt id neceſſariò exprimendum in confeſſione. Ratio eſt, quia longè diuerſum iudicium eſt faciendum in confeſſione de pacto expreſſo, quàm de tacito. Tum quia addit nouam ſpeciem malitiæ, &

& ſuperſtitionis ſpecialem rationem; quis enim dicat non eſſe ſpecialem diſſonantiam ad rationem pactum explicitum cum aduerſario inire, ac dicat aliquod opus facere cui dignum eſt vt dæmones ſe ingerant; & in hac ſpecifica enormitate fundatur dignitas ad grauiorem pœnam. Quare optimè D. Thoms 2.2. *quæſt.* 95. *art.* 3. *ad* 1. dicit: *Multò grauius eſt Dæmones inuocare, quàm aliqua facere, quibus dignum ſit, vt ſe Dæmones ingerant.* Quem ſequitur Syluius *ibidem.* & Suarez *lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 10. *num.* 1. dicit eſſe certiſſimum: quamuis aliàs probabile exiſtimet non eſſe diuerſas ſpecies ſuperſtitionis, habere pactum expreſſum vel implicitum: & ſolùm differre ſicut completum & incompletum, perfectum & imperfectum intra eandem ſpeciem, ſicut profeſſio expreſſa & tacita ſunt eiuſdem ſpeciei. Idem docet Sanchez *loco cit. c.* 38. *n.* 14. Ad quos poſſet reſponderi, quod profeſſio implicita & explicita ideò non differunt ſpecie, quia in ratione contractus eamdem inducunt obligationem ex parte contrahentium.

D. Thom. Syluius. Suarez. Sanchez.

5. Ad ſuperſtitionem pertinet inuocare Dæmonis auxilium, etiam ad ea quæ ipſe naturaliter poteſt præſtare, ſiue id fiat ex pacto explicito, ſiue implicito. Ratio eſt, quia etiamſi in iſtis rebus nobis excellat dæmon, & hæc excellentia à nobis reſpectu noſtri recognoſcatur; nam ſumus illo in hac parte longè inferiores; tamen eo ipſo quòd auxilium illius petimus, cooperamur Dæmoni, qui diuinitatem affectat, & ex ſua obſtinata malitia in ſuum honorem refundit, quod nos ab illo dependentiam oſtendamus in his rebus, quas à Deo expoſcere debemus. Ita Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de ſuperſtit. cap.* 8. *num.* 16. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *num.* 9. Et ſatis id indicant D. Thomas 2. 2. *quæſtione* 95. *articulo* 2. & *ibi* Caietanus *in fine*, quatenus abſolutè docent ad ſuperſtitionem pertinere, vti ope dæmonis ad aliquid faciendum, vel cognoſcendum.

Suarez. Sanchez. D. Thom. Caietanus.

An autem talis qui à Dæmone in iis rebus auxilium expoſcit, ſit ſuſpectus in fide, quando non eſt pactum expreſſum, ſed ſolum tacitum & implicitum? Negat Suarez *cap. vlt. eiuſd. libr. n.* 10. dicens hoc delictum eſſe mixti fori, niſi perſona ſit Eccleſiaſtica; quia tunc pertinet ad ſuum Epiſcopum, & nullo modo ad Inquiſitores. Dicendum tamen eſt cum communiori ſententia, talem eſſe ſuſpectum de hæreſi, & eius delictum pertinere ad Inquiſitores, in locis vbi inquiſitio viget. Et hoc eſt clarum ex Bulla Sixti V. contra aſtrologos, in quæ ſubiecit tanquam ſuſpectos in fide omnes huiuſmodi farinæ homines. Ratio eſt, quia eo ipſo quòd ſit aliquis cultus Dæmoni factus, iure optimo & prudentiſſimè ſuſpicatur malè ſentire de fide qui illum exhibet; nam per huiuſmodi recurſum ad Dæmonem, illi exhibetur cultus & honor: ergo generat ſuſpicionem in fide: quia inuocare Dæmonem ad effectus naturales habendos, ſiue verbo, ſiue facto fiat, pertinet ad apoſtaſiam à fide, vt docet D. Thomas *in* 2. *diſt.* 7. *quæſt.* 3. *art.* 2. *in corp.* Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *num.* 92. Azorius *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *quæſtione* 4. Martinus Delrio *libro* 5. *de magia, ſectione* 15. §. *Axioma primum.* & §. *Dicto ſexto.* Thomas Hurtadus *in reſolutionibus moralibus parte* 1. *tractatu* 5. *cap.* 4. *reſolutione* 24. & alij.

Suarez. Sixtus V. D. Thom. Sanchez. Azorius. Delrius. Th. Hurtad.

6. Superſtitionis peccatum vt plurimum oriri ſolet ex quadam nimia appetentia ſeu inordinato deſiderio perueniendi ad aliquem finem intentum, ſiuè ad fugiendum malum, ſiuè ad conſequendum bonum aliquod apparens, quod naturaliter nunquam, aut difficilè exiſtimant homines conſequi poſſe, nec ſperant à Deo mediantibus Sanctis impetrare, & ideò recurrunt ad artes ſuperſtitioſas, & vanas obſeruationes artes Dæmonum adinuentas, vt poſſint facilius illis mediantibus homines decipere, eorumque animas ad Inferpū deducere. Ideoque Dæmones ſeruant pacta facta cum illis, ſiue immediatè, ſiue mediatè cum aliis veneficis & ſuperſtitioſis hominibus. Sed quia iſta appetentia vt plurimum maiori impetu inuadere ſolet feminas, quàm viros, inde eſt, quòd in feminis communiter plus inueniri ſolet hoc ſuperſtitionis vitium. quàm in viris, vt aduertit Fagundez *in De-calog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 4. cum aliis. Fagundez.

Vide verb. Adiuratio *num.* 10. Dies *num.* 9. Diuinatio. Magia.

SVSPENSIO.

SVMMARIVM.

1 *Suſpenſionis nomen quid importet? Et vt tripliciter ſumitur.*

2 *An ſuſpenſionis cenſura contrahi poſſit pro culpa aliena?* Refertur duplex ſententia.

3 *An Clericus ſuſpenſus ab Ordine ſuperiori, cenſeatur ſuſpenſus ab exercitio inferioris Ordinis.*
An ſacerdos ſuſpenſus ab Ordine ſacerdotali, licitè poſſit cantare ſolemniter Euangelium vel Epiſtolam.
An ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, cenſeatur ſuſpenſus ab aliis functionibus ſacerdotalibus.

4 *An ſuſpenſus ab Ordine inferiori cenſeatur indirectè impeditus ab exercitio Ordinum ſuperiorum? Et ſi in Ordine ſuperiori miniſtret, an irregularitatem incurrat.*

5 *Ad quos actus Ordinis extendat ſe ſuſpenſio ab Ordine Epiſcopali? Et an Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus, & cum eis Miſſam celebrans, ſit irregularis.*

5 *Epiſcopus ſuſpenſus à collatione Ordinum, an poſſit tonſuram conferre? Et an ſuſpenſus à collatione ordinum minorum, poſſit conferre maiores?* Refertur duplex ſententia.

7 *An ſuſpenſus à beneficio, cenſeatur ſuſpendi à jure collationis beneficij, confirmationis, electionis, &c. ſibi proueniente ratione beneficij, à quo eſt ſuſpenſus?* Refertur duplex ſententia.

8 *Suſpenſus à beneficio vſurpans fructus beneficij, an graviter peccet, & teneatur ad reſtitutionem? Et cui facienda ſit reſtitutio? An ſit irregularis?*

9 *An ſuſpenſio à beneficio lata abſque loci determinatione ſpecialis, ſit intelligenda de omni beneficio, vbicumque illud ſit, vel poſideatur.*

10 *An incurratur irregularitas ex violatione ſuſpenſionis, quæ eſt pura pœna & lata ad determinatum tempus.*

11 *Qui ſuſpenſionem incurrit in ipſa ordinatione, an incurrat irregularitatem, cantando Epiſtolam, Euangelium, vel conſecrando cum Epiſcopo in Miſſa ordinationis?* Refertur duplex ſententia.

1. SUſpenſionis nomen nihil aliud importare videtur, quàm rem aliquam ſuſpenſam, ſeu independentem, dubiam & incertam relinquere: & deriuatur à verbo Suſpendo, quod ſurſum pendere ſignificat. Proinde tripliciter ſumitur. 1. pro expectatione animi dubia, aut incerta alicuius euētus. 2. pro certo quodam genere ſupplicij corporalis; vt quando aliquis equuleo torquetur, ſuſpenſus

ſententia eſt probabilior, quamuis contraria non ſit improbabilis, quam ſuſtinent Henriquez, Sayrus, Vgolinus, Auila apud Layman & Dianam *loco citato, reſol. 6.*

Henriq. Sayrus. Vgolinus. Auila. Diana.

7. Quorumdam ſententia eſt, ſuſpenſum à beneficio, ſuſpendi etiam à iure collationis beneficij, confirmationis, electionis, &c. ſibi proueniente ratione beneficij à quo eſt ſuſpenſus. Ducuntur, quia tale ius eſt quidam prouentus beneficij; vnde huiuſmodi iura ſolent cedere iis, quibus cedunt fructus beneficij vacantis. Proinde ſi collatio beneficij fructus Epiſcopatus dicitur, cur non etiam electio dicetur fructus illius beneficij? ergo concludetur ſub prohibitione fructuum. Ita probabiliter docent Sayrus *de cenſur. lib. 4. cap. 6. n. 7.* Præpoſitus *in 3. part. quæſt. 3. de ſuſpenſion. dub. 2. num. 25.* Nauarrus *in man. cap. 27. num. 163. verſ. Sexto infertur*, Henriquez *lib. 13. cap. 32. num. 4.* & alij.

Sayrus. Præpoſitus. Nauarrus. Henriq.

Nihilominus dicendum eſt, iuxta probabiliorem ſententiam, ſuſpenſum à beneficio poſſe eligere, & beneficia conferre. Ratio eſt, quia electio & collatio non numerantur propriè inter beneficij fructus, quorum perceptio ſuſpenſo interdicta eſt, cùm potiùs ſint actus officij, & quaſi iuriſdictionis, ratione beneficij competentis. Tum quia impropriè dicitur, conferre beneficia pertinere ad fructus Epiſcopatus; nam reuerà ita non eſt, ſed pertinet ad officium Epiſcopatus: eſt enim quidam actus illius muneris: ſicut conferre Sacramenta eſt actus beneficij Parochialis. Accedit, quòd quando Canonis Auctor vel iudex ab vtroque tam beneficio, quàm iure eligendi & conferendi ſuſpendere vult, id ipſum exprimit, vt videre eſt *in cap Cùm in cunctis, §. vlt. de elect.* quando autem non exprimitur, non eſt extenſio facienda in materia pœnali. Ita Gloſſa *in cap. Cupientes, §. Ceterum. de elect. in 6.* Suarez *de cenſuris diſp. 27. ſect. 1. num. 33. & 34.* Mercerus *de Sacrament. in 3. part. quæſt. 24. dub. 3.* Gaſpar Hurtadus *de ſuſpenſ. diffic. 4. num. 9.* Diana *part. 5. tract. 10. reſol. 8.* Coninck *de Sacrament. diſput. 15. dub 2. num. 11.* Layman *lib. 1. tr. 5. p. 3. cap. 1. num. 4. verſ. Illud porrò*, & alij.

Gloſſa. Suarez. Mercerus. Hurtadus. Diana. Cominck. Layman.

8. Suſpenſus à beneficio vſurpans fructus ipſius beneficij, grauiter peccat & tenetur ad reſtitutionem abſque alia iudicis ſententia: quia vſurpat aliena contra iuſtitiã, ac propterea obligatur etiam ad reſtitutionem: quia nemo poteſt retinere iuſtè quod ſuum non eſt, niſi excuſetur per impotentiam vel aliam grauem cauſam; & hoc verum, quamuis ſuſpenſio ſit occulta: quia cenſura hæc ſicut excommunicatio ſecum affert executionem, quantum ad impediendam acquiſitionem dominij: vnde hæc pœna non ſpoliat hominem rebus ſuis, quarum dominium iam acquiſierat: quod fieri non ſolet abſque ſententia ab homine lata: ſed impedit ne fructuum dominium acquirat, quod ipſo iure abſque interuentu alterius ſententiæ fieri ſolet. Ita ex communi Suarez *diſp. 27. ſect. 1. num. 7.* Fructus autem beneficij pro tempore, quo aliquis permanet ſuſpenſus à beneficio, ſunt conuertendi in vtilitatem Eccleſiæ, detractis iis, qui traduntur ſubſtituto ad inſeruiendum. Ita Bonacina *de cenſur. diſp. 3. punct. 2. num. 14.* & alij ab ipſo citati.

Suarez. Bonacina.

Sed petes, an taliter ſuſpenſus à beneficio, vſurpando ſibi fructus beneficij, irregularitatem incurrat? Reſponſio communis eſt negatiua: quia in iure non legitur irregularitatem latam in violatorem cenſuræ, niſi propter miniſterium in diuinis, à quo per cenſuram interdictus eſt: Irregularitas autem, niſi in iure ſit expreſſa, non incurritur. Et ob id exercitium ſolius iuriſdictionis contra ſuſpenſionem, non inducit irregularitatem: ergo mukò minùs hæc incurretur propter fructus beneficij malè perceptos: nam minus habet hoc de Eccleſiaſtico miniſterio, vt docet Gloſſa communiter recepta *in Clement. 2. verb. Suſpenſus, de vita & honeſtat. clericor.* Suarez *loco citato, num. 8.* Bonacina *de ſuſpenſ. diſp. 3. punct. 4. num. 6. verſ. Sextò.*

Gloſſa. Suarez. Bonacina.

9. Suſpenſio à beneficio lata abſque loci determinatione ſpeciali, vniuerſaliter intelligenda eſt, id eſt, ab omni beneficio, vbicumque illud ſit, vel poſſideatur: quia locutio illa indifferens æquiualet vniuerſali, niſi aliunde ex materia vel cauſa, de qua agitur, conſtet ſuſpenſionem eſſe in particulari de aliquibus beneficiis talis vel talis Eccleſiæ. Vnde non ſolùm Papa, ſed etiam particularis Epiſcopus poteſt ſuſpendere ſubditum ab omnibus beneficiis, quæ vbique etiam in aliis Diœceſibus habet, ſi qualitas delicti id mereatur, vt ex communi docet Abbas *in cap. Paſtoralis, §. Verum, de appellat. num. 20.* Ratio eſt, quia ille actus nõ excedit iuriſdictionem Epiſcopi particularis: quia ſententia ſeu pœna non fertur de beneficio ſeu in beneficium, ſed fertur in perſonam, & illa eſt, quæ priuatur iure quod habet, ſeu impeditur, ne illo vtatur: ipſa autem perſona eſt intra territorium huius Epiſcopi, eique ſubiecta, & in illo habet omne ius cuiuslibet beneficij, etiamſi tale ius ſit ad fructus percipiendos in alio territorio vel Epiſcopatu. Nam beneficium eſt ius quoddã quaſi inhærens perſonæ quæ illud habet: Ergo Epiſcopus, qui fert ſententiam ſuſpenſionis in perſonam ſibi ſubiectam, poteſt etiam in illa impedire omne ius, quod ipſi inhæret: ergo poteſt ſuſpendere illam ab omni beneficio, etiamſi Eccleſia, vel locus beneficij extra territorium ſit. Idem dicendum de ſuſpenſione ab officio: nam & Pontifex & Epiſcopus poſſunt ſubditum ſuſpendere ab officio vel parte eius, in vno, & in omni loco, extra, vel intra Diœceſim. An autem quando Epiſcopus ſimpliciter à beneficio ſuſpendit, intelligatur ſuſpendere ab his, quæ ſunt extra Diœceſim; conſulenda eſt conſuetudo, quæ eſt optima legum & verborum interpres. Si ergo ita vſu receptum eſt inter Eccleſiaſticos iudices particulares, ita erit interpretanda; & ſi res eſt dubia, interpretanda erit ſententia, vt ſuſpendat ſolùm à beneficiis in territorio ſeu Diœceſi Epiſcopi ſitis. Ita Suarez *loco citato, n. 17. & 22.*

Abbas. Suarez.

10. Ex violatione ſuſpenſionis incurritur irregularitas, non ſolùm quando per exercitiũ maioris ordinis violatur ſuſpenſio perpetua, quæ eſt propriè cenſura, ſed etiã quando violatur ſuſpenſio, quæ eſt pura pœna & quæ lata eſt ad determinatum tẽpus. Ratio eſt, quia ſuſpenſio lata ad definitum tempus licet non ſit propria cenſura, ſed pœna, tamen in illa incurritur hæc irregularitas: nam de illa expreſsè loquuntur *cap. 1. de re iudicata & de ſentent. excomm. in 6.* quia talis ſuſpenſio tam efficaciter priuat ſacro miniſterio dum durat, ſicut quælibet alia: non ergo incurritur hæc pœna tantùm in propria cenſura, ſed etiam in pura pœna. Ita Alterius *de cenſur. tom. 2. diſp. 6. c. 2.* Suarez *diſp. 26. ſect. 2. num. 4.* Filliucius *tract. 17. num. 193.* Bonacina *loco citato punct. 4. num. 6.* contra Canoniſtas, qui dixerunt, quando ſuſpenſio fertur à iure his verbis, *Qui hoc fecerit, ſuſpenſus eſt ab officio, donec ſatisfaciat.* non manere irregularem eum, qui poſtquam commiſit tale crimen, miniſtrat in officio: quia talis ſuſpenſio non eſt cenſura, ſed intrinſeca quædam pœna, quã ſecum affert ipſum peccatum. Hæc ſententia eſt falſa, quia non poteſt ferri ſuſpenſio Eccleſiaſtica verbis expreſſioribus, ſicut prædicta, quæ non ſolùm explicat intrinſecũ effectum ipſius peccati, ſed inducit etiam propriam pœnam Eccleſiaſticam; alioquin eſſent inutilia, ſi tantùm operarentur

Alterius. Suarez. Filliucius. Bonacina.

Gloſſa. rentur id, quod peccatum per ſe inducit. quod rectè docuit Gloſſa *cap. 2. de Cenſibus in 6. verb. Suſpenſos.*

11. Quorumdam ſententia fuit, eum, qui ſuſpenſionem incurrit in ſua ordinatione, in caſibus iure expreſſis, ſi miniſtret in illo ordine in ipſa ordinatione, incurrere irregularitaté; puta ſi Subdiaconus cantet Epiſtolam; Diaconus Euangelium; ſi Sacerdos conſecret. Ratio illorum eſt, quia verè & propriè miniſtrat in ordine iam ſuſcepto: priùs enim Subdiaconus, vel Diaconus, vel Sacerdos ordinatur, & tunc incurrit ſuſpenſionem; poſtea verò iam ſuſpenſus ſolemniter canit Epiſtolam, vel Euangelium, vel conſecrat cum Epiſcopo. Ergo hi omnes efficiuntur irregulares: nàm lex generalis eſt, ſuſpenſum ab aliquo ordine, ſi in illo miniſtret, Nauarrus. irregularem fieri. Ita docuit Nauarrus *conſil. 8. in 2. editione & conſil. 4. in priori, de cleric. excommunic. miniſtrant.* Salzedo *in practic. criminali* Salzedo. *cap. 26. circa finem*, vbi refert quoſdam Theologos ita ſenſiſſe. Hæc ſententia eſt probabilis: tamen opinio aſſerens hunc non eſſe irregularem, meritò cenſetur probabilior, eò quòd miniſteria illa, quæ ordinati exercent cum Epiſcopo, non cenſentur moraliter actus diſtincti ab ipſa ordinatione: ergo cùm ſuſpenſio incurratur ratione ordinationis, non poterit incurri irregularitas propter illa miniſteria, quæ ſunt circumſtantiæ requiſitæ ad illam actionem ordinationis. Accedit quod tota actio Epiſcopi à principio ad finem officij eſt vnus actus moralis, ad quem reliqui ordinantur, & in eo actu fit ordinatio: ergo poſt illum incipit tempus neceſſarium ad incurrendam irregularitatem, quæ debet eſſe ob exercitium actus poſt ordinationem. Proindè tales neque in ſacra Pœnitentiaria, neque in Cancellaria reputantur irregulares: & cum Sacerdote ordinato ante legitimam ætatem, ſi poſtea non celebrauit, non diſpenſat, tanquam cum irregulari, ſed ſolùm abſoluit à ſuſpenſione. Ita Medina. Medina *in Sum. lib. 1. cap. 11. §. 8.* Henriquez Henriq. *lib. 13. de excommunic. cap. 10. litt. E. cap. 13. litt. F. & lib. 14. cap. 3. num. 6. lit. X.* Suarez Suarez. *diſp. 31. ſect. 1. num. 71.* Filliucius Filliucius. *tract. 17. n. 191. & 192.* & alij.

Vide verb. Appellare *num. 13. & 14.* Beneficium *2. num. 4.* Excommunicatio *2. num. 29.* Irregularitas *1. num. 28.* Matrimonium *1. num. 12.* Miſſa *3. num. 14.* Ordo *num. 6. 7. & 8.* Prædicatio *num. 7.* Irregularitas *2. num. 18.*

T.

TESTAMENTVM.

SVMMARIVM.

1 *An teſtamentum ad pias cauſas valeat etiam quoad legata prophana, ſi deſint iuris ſolemnitates?* Refertur duplex ſententia.

2 *An cauſa piorum legatorum, quando hæres, qui illa ſolvere tenetur, eſt ſecularis, ſit mixti fori.*

3 *Quando teſtamentum ad pias cauſas factum cenſeatur validum ſine ſolemnitatibus iuris*

4 *Teſtator moriturus, qui cœpit facere teſtamentum & codicillum, ſed morte præuentus non abſoluit, an tale teſtamentum valeat quoad relicta pia, de quibus iam diſpoſuit.*
Quid ſi teſtator ſuam expreſſit voluntatem in quadam ſcedula.

5 *An diſpoſitio vltimæ voluntatis captatoria, quæ conſertur in alterius arbitrium, valeat quòad pias cauſas.*

6 *An teſtamento ad cauſas pias ſicut & in legato ſufficiat voluntatem defuncti quocumque ſigno externo declaratam eſſe? Et quid de teſtamento inter liberos.*

7 *In teſtamento ad pias cauſas an ſit neceſſaria inſcriptio temporis, verbi gratia anni, menſis, diei & loci.*

8 *An primum teſtamentum legitimè factum, in quo ſunt omnia requiſita vt ſit validum, reuocetur per ſecundum etiam legitimè factum, eſto in ſecundo ſit minor ſolemnitas.*

9 *An teſtamentum coram Supremo Principe Superiorem alium non recognſcente factum, validum ſit abſque alia ſolemnitate teſtium.*

10 *Quæ ſolemnitates requirantur in teſtamento militis dum in bellica expeditione verſatur.*

11 *Quot teſtes requirantur, vt teſtamentum tempore peſtis factum ſit validum?* Refertur duplex ſententia.
In conficiendis teſtamentis ſeruari potius debent leges & conſuetudines locorum, quàm ius commune.

12 *An teſtamentum per ſe conſideratum, ſemper vſque ad mortem reuocari poſſit & mutari, quamuis factum ſit coram Rege vel Imperatore? Et quomodo reuocetur teſtamentum prius factum.*

13 *An ſit licita & valida reuocatio teſtamenti iuramento confirmati?* Refertur duplex ſententia, *quando teſtamentum iuratum eſt ab hærede acceptatum.*

14 *Quis dicatur teſtamenti executor? Et an quis poſſit cogi ad hoc munus acceptandum.*

15 *Executores teſtamentorum & hæredes poſt acceptatum id munus, an teneantur in conſcientia ſub graui culpa quamprimùm potuerint teſtamenta executioni mandare, ſi nulla fuerit cauſa differendi? Et an hoc peccatum ſit contra iuſtitiam.*

16 *Teſtamenti executio facta per religioſum ſine licentia Superioris, an ſit valida?* Refertur duplex ſententia.

17 *An teſtamenti executor ſive religioſus ſit, ſive non, poſſit legatum in pauperes pro ſuo arbitrio diſtribuendum ſibi ipſi tanquam pauperi applicare?* Refertur duplex ſententia.

18 *An Epiſcopus data negligentia executorum non ſolùm poſſit, ſed etiam teneatur teſtamentum exequi? Et quibus in caſibus poſſit teſtator euitare iuriſdictionem Epiſcopi in ſuo teſtamento.*

19 *Quando nullus teſtamenti executor à teſtatore nominatus eſt, an ad hæredes executio pertineat.*

20 *Epiſcopus teſtamenti executor, coram quo teneatur rationem reddere? Et coram quo iudice clerici ſuſcipientes executionem teſtamentorum? Et an clericus executor citari poſſit à iudice ſeculari ſuper confectione inuentarij.*

21 *Quæ ſint pœnæ iure ſtatutæ contra negligentes executores teſtamentorum.*

1. DIFFICVLTAS eſt inter Doctores, an teſtamentum ad pias cauſas valeat etiá quoad legata prophana, ſi deſint iuris ſolemnitates? Prima ſententia negat; quia quod teſtatori concedi-

Digitized by Google

ditur à iure in fauorem cauſæ piæ, non debet extendi ad cauſam non piam eodem teſtamento admixtam: nam qui habet facultatem teſtandi ad cauſas pias, licet principaliter ad illas teſtetur, non ideò valet legatum non pium in eodem teſtamento relictum: vbi enim ratio ſpecialis eſt in ſolo principali, acceſſorium non ſequitur eius fauorem. Accedit quòd, loquendo de poſſibili, poſſit validari teſtamentum minus ſolmne ſolùm quoad pia, relicto illo inualido quoad reliqua. Et hanc ſententiam ſuſtinet Cardinalis Lugo *tom. 2. de iuſtit. diſp. 22. ſect. 9. num. 274.* citans Vaſquez & alios. Mihi tamen dicendum videtur, ſententiam affirmatiuam eſſe probabiliorem & communiorem. Ratio eſt, quia cùm inſtitutio hæredis ſit valida, & teſtator liberè poſſit de omnibus ſuis bonis ad quemcumque vellet diſponere, ſanè ſi illa legata ad non pias cauſas in eo teſtamento relicta futura eſſent inualida, accreſcere deberent piæ cauſæ in hæredem relictæ, non verò hæredibus ab inteſtato. Ratio autem poſtulat, vt quæ ſolemnitas in commodum hæredis ſufficit, vt validum ſit teſtamentum, ſufficiat quoque, vt valida ſint legata in eo inſtituta, quando ſolùm agitur de commodo talis hæredis, neque iure eſt aliud in particulari ſtatutum. Ita docent Couarruuias *in cap. Relatum. 1. de teſtament. num. 2.* Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. 18. dub. 4. num. 2.* Emmanuel Sà *verb. Teſtamentum, num. 49.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 7. num. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 19. dub. 2. num. 9.* Dicaſtillus *de iuſtit. lib. 2. tractat. 3. diſp. 1. dub. 8. num. 150.* & alij penes ipſos. Itaque tamen Clarus §. *Teſtamentum, quæſt.... verſ. vlt.* docet prædictam ſententiam non habere locum, quando qui ad pias cauſas teſtatur, facultatem non habet teſtandi ad alia: nam tunc legata non pia ſunt inualida, vtpote vltra poteſtatem ad teſtandum facta, ac proinde neque accreſcunt piis aliis cauſis, ad quas teſtatur, ſed pertinent ad hæredes ab inteſtato.

Lugo. Vaſquez. Couar. Trullench. Eman. Sà. Sanchez. Leſſius. Dicaſtillus. Clarus.

2. Cauſa piorum legatorum, quando hæres, qui illa tenetur ſoluere, eſt ſæcularis, eſt mixti fori. Ratio eſt, quia reus in ſuo foro conueniri regulariter debet, & ideò peti poſſint huiuſmodi legata coram iudice ſæculari, vt patet *ex cap. Relatum 1. de teſtament.* Quia verò res, de qua agitur, finem reſpicit ſupernaturalem, cuius iudicium ad Eccleſiaſticum ſpectat, peti etiam poſſunt coram iudice Eccleſiaſtico. Obſeruandum tamen eſt, quod ſiue cauſa in Eccleſiaſtico, ſiue in ſæculari foro tractetur, iudicandum eſt iuxta diſpoſitionem iuris Canonici, vt Doctores communiter affirmant, & ſeruat praxis vtriuſque fori. Ratio eſt, quia cùm Summus Pontifex pleniſſimam habeat poteſtatem in Principes ſæculares, quantum finis ſpiritualis, & bonum ſpirituale animarum poſtulat, nulla Principum conſtitutio, quæ fini ſupernaturali præiudicium affert, vim habere poteſt, niſi per Summum Pontificem approbetur, vt *ex cap. Eccleſia, de conſtitut.* & aliis iuribus conſtat. Quare *in dict. cap. Relatum*, ſtatuitur, vt in diſpoſitionibus ad pias cauſas iuri gentium in bonum animarum ſtetur, & per conſequens, vt teſtamenta, aut legata ad pias cauſas valida ſint iudicanda, ſi adfuerint duo teſtes, qui in quacumque alia cauſa fidem facerent. Et hi teſtes non adhibentur ad ſolemnitatem, quaſi ſine eis in ſe non ſint valida, ſed ſolùm ad faciendam fidem in foro exteriori, de quo ſolo ſermo eſt in *dict. cap. Relatum*. vt in eo pronuntientur valida. Ita Couarruuias, Panormitanus *in dict. cap. Relatum 1. de teſtam.* Cardinalis Lugo *de iuſtit. tom. 2. diſp. 22. ſect. 9. num. 266.* Diana *parte 7. tract. 6. reſol. 14.* Corneus *conſil. 215. lib. 3.* Vnde ſequitur non eſſe neceſſarios duos teſtes, vt teſtamentum huiuſmodi ſit validum in foro conſcientiæ, ſed ſufficit vt ſit poteſtas in teſtante, & capacitas in eo in cuius fauorem teſtamentum fit: quia nunquam per Summos Pontifices eſt ſtatutum, vt teſtamentum aut legatum ad pias cauſas ſit nullum ſine ea ſolemnitate, ſicut iure ciuili ſtatutum eſt, vt ſint nulla ea teſtamenta, in quibus non interuenit ſolemnitas eodem ciuili iure ſtatuta. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 19. dub. 1. num. 7.* Fagundez *de iuſtit. lib. 6. cap. 3. n. 2.* Molina *tract. 2. diſp. 134.* Diana *loco citato*, Layman *lib. 3. tract. 5. cap. 2. num. 2.* & alij Iuriſperiti apud illos citati.

Couar. Panormit. Lugo. Diana. Corneus.

Leſſius. Fagundez. Molina. Diana. Layman.

3. Ex doctrina præcedenti colligunt Doctores *Primò*, quod teſtamentum ad pias cauſas manu propria teſtatoris ſcriptum, valeat etiam ſine teſtibus, etiamſi nulli teſtes ſint adhibiti: dummodò liquidò conſtet, quòd ſcriptura ſit facta manu defuncti. Ita Alexander *conſil. 4. num. 10. verſ. Accedit ad ſuſtinendum, in 7. volum.* Ioan. Imola *in l. Si quis cum teſtamentum, n. 5. & 6. ff. de teſtament.* Ioan. *in conſil. 61. in 1. volum.* quamuis diſſentiat Clarus §. *Teſtamentum. quæſt. 7. num. 2. Secundò*, teſtamentum ad pias cauſas factum, manu teſtatoris ſolùm ſubſcriptum, etiam ſine teſtibus vim teſtamenti obtinet. Tiraquellus *de priuileg. piæ cauſæ, priuileg. 4. Tertiò*, ſi is, qui aliàs erat ſucceſſurus, confitetur, defunctum ſcripſiſſe teſtamentum ad pias cauſas, ſed tamen non adhibuiſſe teſtes, & propterea vult allegare teſtamentum nullũ, ipſe non debet audiri; quia ſatis eſt propria ipſius confeſſio. Ita Corneus *in conſil. 307. num. 7. in 3. volum. Quartò*, ſi is, qui aliàs erat ſucceſſurus, ſciens huiuſmodi teſtamentum ad pias cauſas eſſe factum, ſed quia nec ſcriptura, nec teſtes de eo reperiuntur, hoc non confitetur, & ſic relictis ad pias cauſas non ſatisfacit, in conſcientia ſua peccat. Ita Corneus *loco citato*. Thomas Maulius *tract. de vltimis voluntatibus lib. 1. tit. 13. num. 8.* Dicaſtillus *de iuſtit. lib. 2. tractat. 19. diſput. 1. dub. 10. n. 116.* Menochius *conſil. 124. volum. 3.* & alij.

Tiraquell. Corneus. Maulius. Dicaſtillus. Menoch.

4. Teſtator moriturus, qui cœpit facere teſtamentum, aut codicillum, & morte præuentus non abſoluit; licet irritum ſit quoad alia, valet tamen quoad relicta pia, de quibus iam diſpoſuit. Ratio eſt, quia ſtando in ſolo iure naturali, ſeclusaque iuris ciuilis diſpoſitione, valida ſunt illa, vt pote iam diſpoſita, non obſtante, quod teſtator poſſet illa reuocare ac mutare, vel in progreſſu teſtamenti, vel poſtquam illud haberet abſolutum. Cùm ergo, vt diſpoſitio ad pias cauſas ſit valida, non aliud exigatur, quàm quod ſufficit ſtando in ſolo iure naturali, conſequens eſt, vt illa valida ſint. Ita Bartolus *l. in teſtamento, ff. de fideicommiſſ.* Couarruuias *in cap. Relatum 1. num. 10.* Vaſquez *tract. de teſtament. cap. 2. num. 27.* Molina *diſp. 134. num. 9.* & alij, contra Iul. Clarum *loco citato, quæſt. 7. n. 4.* Anton. Gomez *ad l. 3. Tauri, num. 18. & cap. 106.* qui cenſent talem diſpoſitionem eſſe inualidam etiam quoad pia, quæ illuc vſque diſpoſuerat.

Bartolus. Couar. Vaſquez. Molina. Clarus. Gomez.

Si tamen cauſa pia in hoc caſu ſit inſtituta hæres, arbitratur Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 1. punct. 3. num. 22.* & poſt illum Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. 18. dub. 4. num. 3.* non eſſe tradendam totam hæreditatem cauſæ piæ, ſed recurrendum eſſe ad prudentem virum, qui ex æquo & bono ferre debebit iudicium, ſpectatis circumſtantiis concurrentibus in ſingularibus caſibus.

Bonacina. Trullench.

Si autem quis ſuam expreſſit voluntatem in quadam ſcedula, ſine ſui ipſius ſubſcriptione, eo tantùm animo, vt ei deſeruiret tanquam quædam inſtructio, & memoriale ſuæ voluntatis, & vt poſtea reciperetur à Notorio, non valeret tunc, etiam quoad cauſas pias; quia hæc non fuit diſpoſitio, ſed tantùm

tùm quædam præparatio ad diſponendum, ſeu velle diſponere, & teſtamentum imperfectum. Secus verò ſi apud illum inueniretur ſchedula ab illo ſcripta, ſeu ſubſcripta, in qua continetur diſpoſitio ad cauſas pias: tunc enim talis diſpoſitio in foro conſcientiæ valida eſſet; quia non præparatio ad diſponendum, ſed potiùs declaratio ſuæ voluntatis dicenda eſt. Ita Sanchez *in opuſc. part. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 7. num. 5. & 6.* Trullench *loco citato*, Molina *diſp. 134. num. 9.* Villalobos *2. p. tr. 30. difficult. 30.* Couarruuias, Clarus *locis citatis*.

Sanchez. Trullench. Molina. Villalob. Clarus.

5. Quamuis regulariter ſecundùm ius ciuile non valeat diſpoſitio vltimæ voluntatis captatoria, id eſt, quæ confertur in alterius arbitrium, tamen valet in diſpoſitione ad pias cauſas. Ratio eſt, quia iure gentium talis diſpoſitio eſt valida, & colligitur *ex cap. Cùm tibi, de teſtament.* vbi dicitur, *Qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem committit, non videtur decedere inteſtatus.* quod multi Doctores intelligunt in cauſis piis; nam, vt in rubrica dicitur, talis videtur teſtatus ad pias cauſas. Proinde ſi teſtator dixerit: Committo omnia bona mea arbitrio, vel diſpoſitioni Titij; tunc Titius hæres nudus, ac ſolo nomine cenſetur, & obligatus eſt totam hæreditatem in cauſas pias diſtribuere. Ita Innocentius & Abbas *in cap. Cùm tibi, de teſtament.* Iulius Clarus §. *Teſtamentum, quæſt. 6. n. 6.* Card Lugo *de iuſtit. tom. 2. diſput. 22. ſect. 9. num. 272.* Trullench *loco cit. num. 2.* Dicaſtillus *de iuſtit. libro 2. tractat. 19. diſputat. 1. dub. 10. numero 125.* & alij communiter.

Innocent. Abbas. Clarus. Lugo. Trullench. Dicaſtillus.

6. Similiter & ſi iure ciuili hæredis declaratio nutu facta irrita ſit, *l. Iubemus, Cod. de teſtament.* tamen in teſtamento ad cauſas pias, ſicut & in legato ſufficit voluntatem defuncti quocumque ſigno externo declaratam eſſe. Ratio eſt, quia iure naturali, ac gentium plus non requiritur, ſicut conſtat *ex l. Nutu, ff. de legat.* Imò etiam qui natura mutus pariter, ac ſurdus eſt, voluntatem ſuam vltimam ad cauſas pias, quomodocumque poteſt, manifeſtare non prohibetur. Ita Tiraquellus *de priuileg. cauſæ pia, priuil. 8.* Clarus §. *Teſtamentum, quæſt. 6. num. 7.* Barboſa *de iure Eccleſ. lib. 3. cap. 27. n. 97.* Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. 18. dub. 4. num. 2.* Molina *tractat. 2. diſputat. 134.* Cardinal. Lugo *de iuſtit. tom. 2. diſput. 22. ſect. 9. num. 269.* & alij communiter.

Tiraquell. Clarus. Barboſa. Trullench. Molina. Lugo.

Aduertendum tamen, quòd quando voluntas teſtatoris non fuit plenè ac perfectè declarata, teſtamentum inter liberos non ſubſiſtit; vt ſi teſtator vnum ex liberis in teſtamento præteriit, vel ſi ſolo nutu voluntatem ſuam ſignificauit inter liberos teſtandi, vel bona ſua diuidendi, vti ex communi docet Molina *diſputat. 128.* Iulius Clarus *loco citato, quæſt. 8.* vbi ſic ait: *Et ſic vides, non valere abſolutè argumentum à teſtamento ad pias cauſas, ad teſtamentum inter liberos. Nam teſtamentum ad pias cauſas nutu conditum valet: ſecus autem in teſtamento condito inter liberos.*

Molina. Clarus.

7. In teſtamento ad pias cauſas non eſt neceſſaria inſcriptio temporis; verbi gratia, anni, menſis, dici, neque loci. Ratio eſt, quia ſi temporis inſcriptio requireretur, id fieret pro ſolemnitate; ſed eo tantùm fine, vt apparere poſſet, quod fuerit poſterius teſtamentum; iam verò vbi ceſſat illa ratio, quia forſaſſe vnum inuenitur teſtamentum, non plura, vel aliunde apparet, vel conſtat, quod hoc teſtamentum eſt poſterius, ex omiſſione temporis, diſpoſitio inualida argui non poteſt, cùm conſtet de eo quod deſideratur, ſcilicet, quæ diſpoſitio ſit poſterior. Quod autem in huiuſmodi teſtamento, non ſit neceſſarium apponere locum, in quo factum eſt, conſtat ex eo, quia nullo iure probatur, quod debeat apponi, & iure gentium & diuino hoc non deſideratur. Ita Euerardus Iunior *conſil. 27. numero ſexageſimoquarto, & ſexageſimonono, volum. 1.* Tiraquellus *loco citato, priuil. 35.* Diana *parte ſeptima, tractatu ſexto, reſolut. 23. & 24.* Alexander *conſil. 4. numero 15. in 7. volum.* & alij multi Iuriſperiti apud Dianam & alios.

Euerarder. Tiraquell. Diana. Alexander.

8. Primum teſtamentum legitimè factum id eſt, in quo ſunt omnia requiſita, vt ſit validum. Reuocatur per ſecundum legitimè etiam factum, eſto in ſecundo ſit minor ſolemnitas. Proinde ſecundum teſtamentum factum ad pias cauſas coram duobus teſtibus reuocat primum, etiamſi ad pias cauſas eſſet factum coram tabellione & viginti teſtibus. Ratio eſt, quia ſeclusâ ſolemnitate ciuili validum eſſet ſecundum teſtamentum, & poſſet priùs factum reuocare; proinde ſufficit quod iſtud ſecundum ſit perfectum in ſua ſpecie, & habeat ſua ſubſtantialia requiſita ad ſui ipſius perfectionem, quamuis primum contineat plures ſolemnitates: nam maior ſolemnitas non inducit maiorem perfectionem, vbicumque vtrumque eſt perfectum quoad ſolemnitatem neceſſariò requiſitam. Ita Bartolus communiter receptus *in lege Hæredes palam, §. Si quis, verſ. Sed dubium, ff. de teſtament.* Couarruuias *in Rubric. de teſtament. parte ſecunda, numero primo*, Syluester *verb. Teſtamentum, quæſtione ſeptima, numero ſeptimo. verſ. Quartum*, Trullench *in Decalog. libro ſeptimo, capite 18. dub. 4. numero 4.* Bonacina *de contract. diſputatione 3. queſtione 1. punct. 3. numero 16.* Cardin Lugo *de iuſtit. tom. 2. diſput. 22. ſect. 9. num. 270.* & alij.

Bartolus. Couar. Syluester. Trullench. Bonacina. Lugo.

9. Teſtamentum coram ſupremo Principe alium Superiorem non recognoſcente, validum eſt abſque alia ſolemnitate teſtium; verbi gratia, ſi offeratur Principi libellus, in quo vltima voluntas teſtatoris deſcripta ſit: hæc enim rata haberi debet, tametſi Princeps nihil reſcripſerit; dummodò conſtet teſtatorem ſuam voluntatem poſtea non mutaſſe. Si verò libellus Principi oblatus non fuerit, ſed voce hæres nuncupatus; vel oblatus libellus non amplius reperiatur: tunc duobus ſaltem teſtibus opus eſt ad probandum, defuncti voluntatem Principi, oblatis precibus, voce vel ſcripto inſinuatam fuiſſe. Ita habetur *lege Omnium; Cod. de teſtament.* iuncta Gloſſa, & docent Iulius Clarus §. *Teſtamentum, quæſtione 56.* Molina *tractat. 2. diſputat. 129.* Maſcardus *concluſione 1352. numero quadrageſimoſeptimo.* Imò ſi aliquo modo conſtaret teſtamentum, aliámve voluntatem vltimam coram iudice inſinuatam fuiſſe, nulla teſtium ſolemnitas requiritur: quia acta iudicij habent vim teſtium, ſeu ſupplent teſtium ſolemnitatem, vt apertè ſignificatur *in dict. lege Omnium*, & obſeruat Ioach. Mynſinger. *centur. 6. obſeruat. 28.* cum aliis.

Clarus. Molina. Maſcardus. Mynſinger.

10. Miles, qui teſtamentum condit, dum in bellica expeditione verſatur, non tenetur legitimum teſtium numerum adhibere, neque aliam ſolemnitatem obſeruare debet; ſed quocumque modo voluntatem vltimam declararit, voce aut ſcripto, ea rata exiſtit. Quod dupliciter euenire poteſt: *Primò*, ſi in congreſſu belli, ſeu in conflictu hoſtium poſitus, teſtamentum faciat, & tunc nulla ſolemnitas in tali teſtamento requiritur, & poteſt in clypeo, in vagina, in puluere vel in alia materia proprio ſanguine teſtamentum ſcribere gladio, nullo teſte adhibito; ſed ſolùm verificanda eſt

eſt manus militis duobus teſtibus, etiam non rogatis, vt habetur *in l. Miles, Cod. de teſtament. milit.* vbi Gloſſa & communiter Doctores. *Secundò*, euenire poteſt, ſi teſtamentum faceret in caſtris, non tamen in hoſtium conflictu, ſed in tentoriis permanens; & in hoc caſu miles non poteſt ſolus teſtamentum facere abſque interuentu teſtium, ſed debet voluntatem ſuam declarare coram duobus teſtibus ſpecialiter rogatis: quia in hoc caſu remittitur Militi ſolemnitas iuris Ciuilis, & tantùm tenetur ſeruare ſolemnitatem iuris gentium & Diuini, quo diſponitur, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum, vt habetur in dict. *l. Miles, Cod. de teſtament. milit.* Ita Clarus §. *Teſtamentum, quæſt.* 58. Molina tr. 2. *diſp.* 129. Andreas Gaillard *lib.* 2. *obſeruat.* 118. *num.* 17. Layman *lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 14. Mynſinger *reſponſ.* 46. *n.* 5. & 6. *decad.* 5. ex *l. Diuus* 24. *ff. de teſtament. milit.* Quamuis Diana *part.* 7. *tract.* 6. *reſol.* 46. non approbet Militem extra aciem conſtitutum duos teneri rogare teſtes ad conficiendum teſtamentum, & hoc multis iuribus adductis probat. Sed prædicta ſententia eſt communis.

Gloſſa. Clarus. Gaillard. Layman. Mynſinger. Diana.

11. Controuertitur inter Doctores, an tempore peſtis teſtamentum ſit validum factum cum minore teſtium numero, ſi ſeptem adhiberi non poſſint. Prima ſententia ſuſtinet de iure communi ſeptem teſtes etiam tempore peſtis requiri ad teſtamenti ſubſtantiam. Probatur hæc opinio *ex lege Conſultiſſima. Cod. de teſtament.* cum ſimilibus, ex quibus conſtat regulariter in omni teſtamento ſeptem teſtes deſiderari. Regulæ autem generali inhærēdum eſt, donec eius exceptio demonſtretur. Ita Molina *tract.* 2. *diſput.* 127. §. *De iure communi.* Cardin. Lugo *de iuſtit. tom.* 2. *diſput.* 24. *ſect.* 1. *num.* 4. & 7. Dicaſtillus *de iuſtit. lib.* 2. *tract.* 19. *diſput.* 1. *dub.* 4. *num.* 105. & alij multi Iuriſperiti. Secunda ſententia ait ſufficere in hoc caſu quinque teſtes. Ita Clarus §. *Teſtamentum, quæſt.* 56. *verſ. Et hæc quidem concluſio.* Maſcardus *de probat. concluſ.* 1358. *num.* 23. Emanuel Sà *verb. Teſtamentum, num.* 12. Diana *part.* 7. *tract.* 6. *reſol.* 34. & alij penes ipſum.

Molina. Lugo. Dicaſtillus. Clarus. Maſcardus. Eman. Sà. Diana.

Hæ duæ ſententiæ ſunt probabiles. Tertia tamen ſententia non eſt improbabilis, in tali cauſa ſatis eſſe, ſi duo teſtes interueniant fidei faciendæ cauſa: & ideò in teſtamento tempore peſtis ſufficere ſolemnitates iuris gentium. Ratio enim æquitatis poſtulat, vt eo tempore, vel loco quo teſtes vel Notarius nullo modo haberi poſſunt, vltimæ voluntates abſque iuris ſolemnitatibus factæ, validæ nihilominus pronuncientur: ſi de defuncti declarata voluntate liquidò conſtet. Et ob hoc in Camera Imperiali receptum eſt, vt peſte valde graſſante, teſtamentum coram duobus vel tribus teſtibus, inter quos confeſſarius vnus eſſe poteſt, factum, validum ſit; quia teſtamenti fauor magnus eſt. Ita Molanus *de piis teſtamentis cap.* 83. Comitolus *in reſponſ. moral. lib.* 7. *quæſt.* 1. *concluſ.* 2. Mynſinger *centur.* 1. *obſeruat.* Gaillard *lib.* 2. *obſeruat.* 118. *n.* 17. & 18. Boccerus *tractat. de bello lib.* 1. *cap.* 26. *num.* 14. quam etiam admittunt Diana *loco citato*, Layman *loco cit. num.* 17.

Molanus. Comitolus. Mynſinger. Gaillard. Boccerus. Diana. Layman.

Denique hîc eſt obſeruandum, quòd in conficiendis teſtamentis, potius ſeruandæ ſunt conſuetudines, leges & ſtatuta Regnorum, Prouinciarum & locorum, quàm ius commune Cæſareum; quia vbique non eſt vſu receptum, neque cædem ſolemnitates requiruntur in omnibus Regnis & Prouinciis.

12. Ex communi Doctorum ſententia, teſtamentum per ſe conſideratum, ſemper vſque ad mortem reuocari poteſt & mutari: nam teſtamentum morte teſtatoris confirmatur, vt ait Apoſtolus *ad Hebr.* 9. Et hoc verum, quamuis factum ſit cum omni ſolemnitate, & coram Rege, vel Imperatore; dummodò ſecundum teſtamentum habeat ſolemnitatem à iure requiſitam: aliter enim in foro exteriori reuocatio prioris teſtamenti inualida eſſet: quamuis in foro conſcientiæ probabiliſſimum ſit, reuocationem eſſe validam, & tuta conſcientia poſſe hæredem per teſtamentum minus ſolemne inſtitutum, retinere hæreditatem, vt diximus *tom.* 1. *verb. Teſtamentum, num.* 5. cum Doctoribus ibi citatis, quibus nunc addo Sanchez *in opuſc. parte ſecunda, lib.* 4. *dub.* 14. *n.* 2. Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 6. & 7. *circa fin.* Manticam *de coniectur. vltim. volunt. lib.* 2. *titul.* 14. *num.* 9. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 3. contra quoſdam alios aliter ſentientes. Reuocatur etiam teſtamentum prius pro vtroque foro, quando teſtator illud rumpit & lacerat, aut ſuſtulit ſigillum, aut aliam ſolemnitatem, aut illud cancellat & delineat. At ſi teſtamentum non cancellatur, aut delineatur in totum, ſed tantùm pro vna parte, pro illa ſola manet reuocatum, vt tenet Villalobos *in Summ. parte* 2. *tract.* 30. *diffic.* 22. *n.* 10. de quo videndus eſt Marcus Anton. Genuenſis *in practicab. Eccleſiaſt. quæſt.* 148. 259. 411. & 457.

Sanchez. Suarez. Mantica. Trullench. Villalob. Genuenſis.

13. Difficultas eſt de teſtamento iurato, id eſt, quando teſtator iurat illud non reuocaturum, an ſit licita & valida eius reuocatio? Reſpond. & dico *Primò*, quod teſtametum malè diſpoſitum, & continens aliquid contra leges iuſtas, etiamſi iuramento confirmatum ſit, reuocandum eſt: quia iuramentum in re illicita non obligat, & non debet eſſe vinculum iniquitatis. *Secundò*, ſi teſtamentum bene diſpoſitum ſit & ex omni parte perfectum, ita vt nulla de nouo poſſit occurrere iuſta cauſa mutandi, ſi iuratum eſt, & à teſtatore reuocetur, erit de facto reuocatum & nullius roboris, & poſterius in vtroque foro valebit; licet rauocans grauiter peccet & ſit periurus. Ratio prioris eſt, quia de natura contractus teſtamenti eſt, vt ſit reuocabilis; at iuramentum non mutat naturam contractus. Poſterioris autem ratio eſt, quia non ſeruat iuramentum, quod ſeruari poterat ſine peccato, ſi cauſa reuocandi non adſit: quod ſi iuſta de nouo ſeſe offerat cauſa, valet reuocatio, & non peccat: quia in hoc caſu cenſetur teſtator prudenter retinuiſſe facultatem mutandi teſtamentum, & hoc cum laude præſtat adueniente tali cauſa. Ita Couarruuias *de teſtament. part.* 2. *num.* 15. Salon *ſecunda ſecundæ, quæſtione quinta de dominio, articulo quinto, concluſione tertia*, Trullench *in Decalog. libro ſeptimo, capite decimooctauo, dub.* 9. Bonacina *de contract. diſputatione tertia, quæſtione decimaſeptima, punct.* 6. *numero quarto*, Diana *parte* 9. *tractatu ſeptimo, reſolutione quadrageſimaſecunda*, & *parte decima, tractatu decimoquinto, reſolutione vndecima*, Cardin. Lugo *tomo ſecundo, de iuſt. diſputatione* 24. *ſectione* 1. *num.* 27. & alij penes ipſos.

Couar. Salon. Trullench. Bonacina. Diana. Lugo.

Non eſt tamen improbabilis quorumdam ſententia docens teſtamentum iuratum ab hærede acceptatum reuocatum nullius eſſe roboris, quatenus teſtamentum: at ex iuramento priori hæredi eſſe ius acquiſitum ad bona teſtatoris & conſequenter hæredes teneri ex bonis teſtatoris ſatisfacere priori hæredi, ſicut aliis debitis defuncti, quia ſuccedunt in omnia iura realia defuncti. Ita Leſſius *libro ſecundo, capite* 19. *numero* 98. Molina *tractatu* 2. *diſp.*

Leſſius. Molina.

disp. 150. & 151. Sed contrarium est probabilius: nam iuramentum sequitur naturam actus, & testamentum semper reuocabile est: ergo & quando est iuratum; & si tunc quatenus testamentum reuocetur: ergo & quatenus est iuramentum: quia non sunt duo vincula & obligationes testamenti & iuramenti, sed vna testamenti, iuramento tamen confirmata. Admonent autem Doctores, ordinariè non expedire facere testamentum iuratum, quia sæpè connenit, illud reuocari: tum etiam quia datur occasio hæredi procurandi, aut desiderandi mortem testatoris. Ita Sanchez *in opusc. libro* 4. *capite primo, dub.* 17. Trullench *loco citato, numero* 6. & alij.

Sanchez. Trullench.

De aliis modis, quibus potest reuocari testamentum, plura possent adduci, sed quia magis ad iurisperitos, quàm ad Theologos spectant, ideò ad illos lectorem remitto.

14. Testamenti executor dicitur ille, qui legitimè est nominatus, seu iure constitutus; primò & principaliter ad exequendam voluntatem testatoris, vel ad eius voluntatis ordinationem & dispositionem. Et hic vel est legitimus, nempe, qui à iure constitutus est, vt Episcopus & iudex laicus, seu quilibet alius; vel datiuus seu nominatus à Iudice, Consule, Senatu, vel testatore ad perficiendam testatoris voluntatem.

Nullus ad hoc munus executoris testamentarij acceptandum cogi potest: quia hoc officium non est publicum, & sic nullus inuitus id admittere compellitur, nisi expressè vel tacitè acceptauerit tale munus. Tunc autem dicetur tacitè acceptare, quando aliquem actum fecit, ex quo posset præsumi mandatum acceptasse. Ita ex communi Molina *tractat.* 2. *de iustit. disputatione* 248. Hæc tamen doctrina in religiosis non habet locum, si ad id munus acceptandum compellantur à suo Superiore: quia hi tenentur parère strictiori vinculo obedientiæ, quàm alij Episcopis, vel aliis Superioribus, vt docet Vasquez *in opuscul. de testament. cap.* 9. *§.* 3. *dub.* 2. *num.* 79.

Molina. Vasquez.

Ceterùm licet executor non possit, regulariter loquendo, cogi ad id munus acceptandum, quia aliàs hoc officium non esset voluntarium; tamen ex charitate tenetur acceptare, si sine graui suo detrimento posset proximi rebus consulere, in quibus aliàs grauiter proximus pateretur: vel quando ad id posset per iudicem compelli, vt docent Sanchez *in opusc. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 42. *num.* 4. & 5. & Cardin. Lugo *de iustit. tom.* 2. *disputatione* 24. *sect.* 16. *num.* 329. Diana *part.* 8. *tr.* 5. *resol.* 27. & 28.

Sanchez. Lugo. Diana.

15. Executores testamentorum & hæredes, vbi primùm acceptauerunt munus, ex communi Doctorum sententia, tenentur in conscientia sub graui culpa, quamprimùm potuerint ante annum & mensem; imò & ante sex menses, si legata fuerint pia, quos eis ius commune concedit ad pia legata exequenda, si nulla fuerit causa differendi, testamenta executioni mandare, & voluntatem defunctorum statim implere, & ad id poterunt eos iudices censuris Ecclesiasticis cogere, si Ecclesiastici fuerint, vel aliis pœnis pecuniariis conuenientibus, si fuerint sæculares; quibus etiam vti poterunt Iudices Ecclesiastici. Ratio est, quia prædictum tempus anni & mensis, de quo agit concordata inter iudices Ecclesiasticos & sæculares, & sex mensium, quos concedit ius commune ad exequenda legata pia, non conceditur ad tollendam obligationem soluendi & exequendi defuncti voluntatem intra illud tempus sine iusta causa, sed ne vltra illud tempus differatur. Proinde hoc peccatum est contra iustitiam respectu eorum, quibus legata debentur, quia iniustè priuantur vsu rerum ipsius debitarum ratione legati: respectu verò defuncti est peccatum contra charitatem, quia non implet illius voluntatem, & animam illius in igne purgatorio detinet. Et etiam quoad soluenda debita testatoris, ratio est clara, quia nec testator poterat dilationem concedere hæredi, cùm testator ipse statim teneretur soluere. Hæc colliguntur expressè *ex cap. Si hæres, de testament.* & probat Lex *Cùm res, ff. de legatis*, quæ statuit, si res legata propria erat testatoris, & hæres copiam illius habet, teneri illum statim absque vlla mora soluere. Habet autem hoc potissimum locum in Missis & suffragiis offerendis pro anima testatoris, quorum dilatio ipsi multùm nocere potest, & ideò negligentiam & dilationem circa hæc grauiter solet Deus punire, etiam in hac vita. Ita Molina *de iustit. disputatione* 251. Sylvester *verb. Testamentum* 2. *quæstione nona*, Diana *parte tertia, tractatu quinto, resolutione quinquagesimanona*, Fagundez *de contract. libro sexto, capite quarto, numero septimo*, Cardin. Lugo *de iustit. tom.* 2. *disput.* 24. *sect.* 11. *num.* 296. & alij.

Molina. Sylvester. Diana. Fagundez. Lugo.

16. Difficultas est, an executio testamenti facta per Religiosum, sine vlla licentia Superioris valeat? Quidam negant: quia textus *capite secundo, de testament. in* 6. ait: *Non potest huiusmodi officium vel exequi.* Sed verbum *non potest* necessitatem præcisam inuoluit, & ideò priuat potentia, vt actum contra gestum irritet. Tum quia testamentarius nolens acceptare, non est verè executor testamentarius, cùm acceptare non cogatur: ideò requiritur vt sit voluntaria acceptatio: Religiosus autem non habet velle, aut nolle, nisi dependenter à suo Superiore: ergo acceptatio ipsius religiosi sine Superioris licentia, prorsus nulla est. Tum quia *lege Non dubium, Cod. de legibus*, nullum esse dicit, quod iure resistente ac prohibente fit. Ita docent Molina *tractatu secundo, disputatione* 247. *§. Religiosus tamen*, Couarruuias *in cap. Tua nos, numero secundo, in fine, de testament.* Rodriguez *tomo tertio, qq. regul. quæstione* 70. *articulo primo, & tomo primo, quæstione* 65. *articulo* 3. Sylvester *verb. Testamentum* 2. *quæstione secunda, dict.* 3. & alij. Hæc sententia est probabilis.

Molina. Couar. Rodrig. Sylvester.

Nihilominus affirmatiua non est minus probabilis, quam tuentur Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disputat.* 38. *num.* 44. Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 11. *quæstione* 1. Menochius *de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 46. *numero decimoquarto*, & alij multi penes ipsos. Probatur autem, quia ius tantùm interdicit religiosis id munus suscipere & exequi sine Superioris licentia, nec vlteriùs procedit ad executionem irritandam; tum quia, quamuis miles Procurator esse nequeat, si tamen à iudicio non repellatur, tenent actus per eum gesti, *lege Filiusfamilias, §. veterani, ff. de procurat.* Tum quia verba textus; præcipuè illa *cùm velle & nolle non habeat*, explicari possint de velle & nolle licitè, quin extendantur ad validè: maximè cùm ea, quæ exequitur testamentarius executor, non nomine suo, sed nomine defuncti vltimam voluntatem exequitur, censeantur fieri, vt magna ex parte voluntas executoris tantùm sit quasi conditio, & applicatio causæ principalis voluntatis scilicet vltimæ testatoris, vt ea moraliter perseuerans suos habeat effectus in omnibus particularibus casibus, ad quos testator suam voluntatem direxit. Vide

Sanchez. Azorius. Menoch.

Dicastillum

Dicaſtillus. Diana. Dicaſtillum *lib. 2. de iuſtit. & iur. tract. 19. diſp. 3. dub. 11.* apud quem plura; Dianam *part. 8. tract. 5. reſol. 22.*

17. Nonnulli negant teſtamenti executorem, ſiue religioſus ſit, ſiue non, poſſe legatum in pauperes pro ſuo arbitrio diſtribuendum, ſibi ipſi tanquam pauperi ex toto, vel ex parte applicare, niſi extrema neceſſitate laboret, in qua aliena furari ſibi integrum eſſet. Et probant ex *lege Mandauero tibi, vt pro me, 22. §. Si tibi centum, ff. Mandati.* Ubi habetur iuſſum aliquid dare, cui voluerit, conſumentemque, reum eſſe mandati. Tum quia inter dantem & accipientem debet eſſe diſtinctio, *cap. Per noſtras, de iure patronatus*, vbi ideò deciditur non eſſe integrum patrono, ſe ad beneficium præſentare. Tum quia miſericordia eſt pars iuſtitiæ, quæ debet eſſe ad alterum: ergo non ad ſe. Ita docent multi Iuriſperiti apud Sanchez *libro ſexto, moral. capite vndecimo, numero 50.* Sanchez. Qui omnes hanc ſententiam probabilem putant. Sed probabilior ſententia ſuſtinet licere executori teſtamentario in eo caſu ſibi, ſi verè pauper ſit, ſicut & aliis pauperibus deſtribuere. Ratio eſt, *Prima*, quia non videtur eſſe peioris conditionis ex eo, quòd ſit diſtributor inſtitutus: ergo, ſi eſſet capax non diſtributor, etiam diſtributor erit. *Secunda*, qui applicatâ ſibi eâ eleemoſynâ, ſatisfit plenè voluntati teſtatoris, vtpote qui nihil aliud intendit, quàm veram eleemoſynam erogare veris pauperibus, de quorum numero eſt executor hic pauper. *Tertia*, quia magis eſt de ratione iuſtitiæ commutatiuæ, quàm miſericordiæ, eſſe ad alterum. Sed reſtitutio incertorum facienda pauperibus poteſt applicari ipſimet debitori, ſi verè pauper ſit, vt diximus *tomo primo, verb. Bona incerta, numero ſexto*, cum Doctoribus ibi citatis: ergo à fortiori eleemoſyna: quia tunc verè ſaluatur diſtinctio perſonæ dantis & accipientis: quia eam eleemoſynam non dat executor, ſed teſtator defunctus, *lege, Vnum ex familia, §. ſi de falcidia. ff. de legatis 2.* Et ideò hanc docent D. Thomas *ſecunda ſecundæ quæſt. 32. articulo 9. ad 3.* & *ibi* Caietanus, Arragon, Sanchez *ſuprà num. 54.* Rodriguez *tom. 3. quæſt. reg. quæſt. 70. artic. 4.* Toletus *in Summ. tract. de peccat. mortal. cap. 31. in fine.* Menochius *de præſumpt. libro quarto, præſumpt. 125. num. 17.* & alij plurimi apud Sanchez. Ex quo infert poſſe hunc executorem dare eam eleemoſynam filio ſuo ſpurio, non autem filio ſpurio teſtatoris; cuius ratio non eſt alia, niſi quòd eam eleemoſynam non cenſeatur dare executor, ſed teſtator; qui ſuo ſpurio nihil poteſt dare; vt etiam de maioratu docet & probat Molina *diſp. 592. num. 4.*

D. Thom. Caietanus. Arragon. Sanchez. Rodriguez. Toletus. Menoch. Molina.

Si autem executor teſtamenti ſit religioſus, poteſt ſuo Monaſterio pauperi aliquid largiri: eademque ratio eſt de clerico beneficiato comparatione Eccleſiæ ſuæ: nulla enim ratio obſtat, & diſtinctio perſonarum ſufficiens eſt, etiam iuxta primam opinionem ſuprà poſitam: quia cauſa Monaſterij diſtincta eſt à cauſa ſeu perſona religioſa, ſicuti cauſa Eccleſiæ diſtincta à cauſa beneficiati. Ita Sylueſter *verb. Teſtamentum 2. quæſtione ſecunda*, Layman *libro tertio, tractatu quinto, cap. 11. numero 6.* & cum multis Sanchez *lib. 6. moral. cap. 11. numero 59.*

Syluester. Layman. Sanchez.

Sed difficultas eſt, an ſi ſolus religioſus executor conſtitutus ſit, poſſit ex eleemoſyna inter pauperes diſtribuenda ſibi commiſſa, aliquid ſibi retinere tanquam pauperi? Nonnulli negant: quia teſtator illum executorem inſtituens, nouit eſſe religioſum, atque adeò pauperem, & conſequenter cenſendus eſt excluſus; nihilominus mihi dicendum videtur, talem religioſum poſſe ſibi applicare. Nam cùm religioſus hanc eleemoſynam ſibi applicatam expendere debeat in vſibus ſibi neceſſarijs, releuat Monaſterium ab eo onere ſuppeditandi neceſſaria; ideo cenſetur Monaſterio facta eleemoſyna, cui poteſt religioſus applicare. Ita Pariſius *volum. 4. conſil. 26. num. 24.* Sanchez *loco citat. num. 61.* Dicaſtillus *de iuſtit. lib. 2. tract. 19. diſp. 3. dub. 12. num. 165.* & alij recentiores. Quibus adde Dianam *part. 8. tractat. 5. reſolutione 47.* Quis autem poſſit derogare teſtamento, aut legato, codicillo, &c. vide ſuprà, *verb. Legatum, numero 23. & 24.*

Pariſius. Sanchez. Dicaſtillus. Diana.

18. Epiſcopus datâ negligentiâ executorum, non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur teſtamentum exequi, vt habetur *in cap. Nos quidem, de teſtament.* per hæc verba, *Per te adiſcetur, & omnia per te loco ipſi ſine diminutione qualibet adſignentur.* quæ cùm à Pontifice ad Epiſcopum dirigantur, omninò præceptum important. Ratio eſt, quia ſuppoſitâ executorum negligentiâ, ad Epiſcopum deuoluitur executio, vt illorum defectum ſuppleat, & vt vltimæ teſtatorum voluntates, quàm citò fieri poſſit, adimpleantur. At ſi Epiſcopo nullum impoſitum eſſet præceptum, non ita bene executorum ſuppleretur negligentia, neque tam citò adimplerentur teſtatorum voluntates. Hæc tamen doctrina non habet locum in tribus caſibus, in quibus poteſt teſtator euitare Epiſcopi iuriſdictionem in ſuo teſtamento. *Primus* eſt, quando in caſu negligentiæ executoris teſtator ſubſtituit alium executorem; tunc enim non deuoluitur executio ad Epiſcopũ, donec ſubſtitutus conſtituatur in negligentia. *Secundus* caſus eſt, quoties nullo deſignato tempore dixerit teſtator expreſsè tempus legitimum eis non currere, ſed liberam executoribus commiſſionem reliquerit, vt cùm voluerint, exequantur. *Tertius* eſt, ſi teſtator deſignauerit, quid ſit agendum de legato, eo caſu, quo prima eius iuſſio non fuerit ob executorum negligentiam ad effectum deducta; non poteſt Epiſcopus eam voluntatem immutare. Ita Couarruuias *in cap. Tua, de teſtament. n. 6.* Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 4. c. 1. dub. 55. n. 7.* Vaſquez *opuſc. de teſtam. cap. 9. dub. 2. num. 77.* Molina *iuſtit. tract. 2. diſp. 251.* Aliàs teſtator non poteſt prohibere, vt etiam datâ executorum negligentiâ Epiſcopus non ſe intromittat: quia exigere eiuſmodi rationem eſt munus publicæ poteſtatis, in commune Reipub. bonum introductum, quod teſtator non poteſt impedire; cùm eiuſmodi impedimentum occaſionem peccandi præberet.

Couar. Sanchez. Vaſquez. Molina.

Demum ſpectato iure communi, iudex tam Eccleſiaſticus, quàm ſæcularis, compellere poteſt hæredes, vel executores laicos ad exequendas vltimas voluntates, ſi negligentes ſint: quia hoc officium eſt iuriſdictionis mixti fori, datúrque locus præuentioni; vt docent Dicaſtillus *de iuſtit. lib. 2. tract. 19. diſput. 3. num. 182.* Fagundez *de iuſtit. lib. 6. cap. 4. num. 2.* Molina *de iuſtit. tract. 2. diſputat. 134. num. 5.* & alij; quorum opinio non habet locum quoad pias cauſas merè ſpirituales, in quibus iudex laicus non poteſt ſe immiſcere, *ex cap. Decernimus, de iudiciis*, vt aſſerit Carpius *de execut. teſtament. libro primo, capite 21. numero 3.* quem ſequitur Diana *part. 8. tractat. 5. reſol. 55.*

Dicaſtillus. Fagundez. Molina. Carpius. Diana.

19. Si nullus teſtamenti executor à teſtatore nominatus eſt, ad hæredes executio pertinet, etiam quod attinet ad legata pia, vt colligitur *ex cap. Nos quidem & cap. Si hæredes, de teſtament.* Excipiuntur tamen legata pro redemptione captiuorum & alimentis, ſiue eleemoſynis paupe-

rum ; horum enim executio ad Epiſcopum, tanquam patrem pauperum & miſerabilium perſonarum ſpectare debet, ſi nullus alius executor relictus eſt, vt deciditur *in l. Nulli, Cod. de Epiſcopis & clericis, & in Authentic. titul. de Eccleſ. tit. §. ſi quis autem.* Ratio huius deciſionis poteſt eſſe, quoniam in redemptione captiuorum, & in alimentis pauperum maior celeritas requiritur, nec vllam dilationem expectant, & ideò Epiſcopis, excluſo hærede, executio conceditur ; vt neceſſitati huiuſmodi celeriter Epiſcopi ſubueniant ; quod ita non præſumitur in hærede, intereſſe ex hæreditate poſtulanti. Ita Molina *de iuſtit. tract. 2. diſp. 247. num.* 3. Vaſquez *opuſc. de teſtament. cap. 9. §. 3. dub. 4. numero* 83. Fagundez *de contract. lib. 6. cap. 1. num. 5.* Layman *lib. 3. tract. 5. capite* 11. & alij, qui bene aduertunt hac in re ſpectandam eſſe cuiuſque loci conſuetudinem.

Molina. Vaſquez. Fagundez. Layman.

20. Epiſcopus executor teſtamenti tenetur reddere rationem coram ſuo Metropolitano, non autem coram iudice ſæculari, iuxta textum in *Authent. de Eccleſ. titul. §. ſi quis autem pro redempt. captiuorum, verſic. Si autem.* in illis verbis, *Si autem ſanctiſſimus locorum Epiſcopus reliquerit aliquid horum, quæ à nobis dicta ſunt, liceat ſanctiſſimo eius Metropolitæ hæc omnia exigere, & complere.*

Clerici autem ſuſcipientes executionem teſtamentorum, non poſſunt cogi coram iudice ſæculari ad reddendam rationem, ſed coram Eccleſiaſtico iudice dumtaxat conueniendi ſunt. Ratio eſt, quia cum clerici Eccleſiaſtico iudici ſubſint, & non ſæcularibus, non his, ſed illis rationem adminiſtrationis reddere debent, vt patet *ex cap. Ioannes, de teſtament.* & *ex Clementina, eodem titul.* Imò clericus executor citari non poteſt ſuper confectione inuentarij à iudice ſæculari ; nam Clericus non poteſt compelli ad comparendum coram iudice laico, vigore generalis edicti, ſeu alio modo, ſi ſua putauerit intereſſe. Ratio eſt, quia ſiue principaliter, ſiue incidenter, ſiue de facto, perſonæ clerici laicus iudex, vt incapax, nullam habet cognitionem ; quoniam iſtæ citationes edictionales à iure communi ſunt exorbitantes, vt in ſimili docent Duardus in Bullam Cœnæ *libro ſecundo, canon. 15. quæſtione vndecima, numero* 50. Bonacina *de leg. diſputatione decima, quæſtione ſecunda, punct. 1. §. 1. numero vigeſimoterio*, & alij. De his vide Dianam *parte prima, tractatu ſecundo, reſolutione* 21. & *parte octaua, tractatu quinto, reſolutione* 42. 43. & 44. vbi citat alios, pro hac ſententia.

Duardus. Bonacina. Diana.

21. Pœnæ iure communi ſtatutæ negligentibus executoribus teſtamentorum, ſunt, vt ſi intra medium annum à die publicationis teſtamenti numerandum, ceſſante legitimo inpedimento, legata pia exequi neglexerint, poſtea eadem ſoluere cogantur cum omnibus fructibus & emolumentis, quæ à die mortis teſtatoris percipi poterant. Ex *cap. Si hæredes, de teſtament.* & *Authent. de Eccleſiaſt. titulis, §. Si autem legatum.* Præterea, ſi bina etiam monitio ab Epiſcopo facta acceſſerit, priuentur omnibus commodis in teſtamento ſibi relictis, vt habetur in citata *Authentic. §. Si quis autem pro redemptione.* Denique, ſi hæredes, aut alij conſtituti executores legatorum, aliorúmve relictorum, ſeu ad pias, ſeu ad profanas cauſas, intra annum poſt monitionem à Iudice ſeu Eccleſiaſtico, ſeu ſæculari factam, exequi intermiſerint, omni commodo (exceptâ ſolâ legitimâ, ſi hæredes neceſſarij ſint) ex teſtamento ipſis proueniente priuantur, iuxta *Authentic. Hoc amplius, Cod. de legat. & fideicommiſſ.* & *Authent. de hæredib. & Falcidia, §. Si quis autem.* Hæc tamen pœna non obligat in conſcientia ante iudicis condemnationem, vt notat Couarruuias *in cap. Si hæredes, de teſtament. num.* 9. De pœnis vide Sylueſtrum *verb. Teſtamentum* 2. *quæſt.* 10. Panormitanum *in cap. Nos quidem, & cap. Si hæredes, de teſtament.*

Syluester. Panormit.

Vide verb. Cardinalis *num.* 12. Cœcus *num.* 4. Commendatarij *num.* 6. Conſuetudo *num.* 4. Excommunicatio 2. *num.* 20. Nouitius *numero* 30. *& ſequent.* Priuilegium *num.* 2.

TESTIS.

SVMMARIVM.

1 *Quando teſtis inhabilis non teneatur reſpondere iudici interroganti & quando teneatur.*

2 *Qui ſint dicendi teſtes ſingulares, & an aliquid plenè probent, quando plures teſtes requiruntur.*

3 *An teſtes ſingulares aliquid probent in genere?* Refertur duplex ſententia.

4 *An teſtes ſingulares plenè probent, quando agitur de re permanenti, & de probando actu, vel delicto, quod in quadam continuatione conſiſtit.*

5 *An teſtis rogatus à iudice crimen fateri teneatur, quando iudex per viam accuſationis procedit exiſtente accuſatore, & vnicus eſt teſtis, qui crimen nouit?* Refertur duplex ſententia.

6 *Quando iudex generaliter inquirit de crimine notorio, cuius auctor ignoratur, an teneatur teſtis illum manifeſtare?* Refertur duplex ſententia.

7 *An teſtis teneatur reſpondere & teſtificari, quando non ſibi conſtat ſeruatum eſſe ordinem à iudece interrogante.*

Quando teſtis prudenter dubitat, an iudex iuridicè, nec ne, interroget, an teneatur fateri veritatem, ſicut & Reus.

8 *Quis dicatur teſtis idoneus, & minus idoneus? Et an religioſi ſint teſtes idonei, non ſolùm in cauſis iudicialibus, ſed etiam in inſtrumentariis? Et quando requiratur ad hoc licentia Superioris.*

An valeat teſtimonium religioſi ſine licentia Superioris coram iudice ſæculari, vel alio non ſuo.

An religioſi poſſint eſſe teſtes teſtamenti, in quo ipſorum monaſterio aliquid relinquitur.

An religioſi poſſint cogi ad teſtimonium ferendum, & à quo iudice.

9 *An moniales poſſint admitti in teſtes contra alias moniales? Et an religioſi & moniales poſſint aſſiſtere matrimonio vt teſtes?*

10 *Quando index ad veritatem indagandam poſſit teſtem torquere? Et an omnes teſtes, qui delicto interfuerant, debeant torqueri? Et an in cauſis fidei omnes præter inimicos capitales, in teſtes admitti poſſint ſine tortura.*

11 *Quando teſtes inhabiles admittuntur ad teſtificandum, ſi torqueantur, an tortura purget eorum defectum, & fidem faciant contra reum.*

12 *An in cauſis criminalibus & ciuilibus magna quantitatis aut qualitatis, teſtis poſſit in ſcriptis deponere, ſi legat ſcripturam? Et quid dicendum de muto & ſurdo.*

13 *An teſtis vocatus ab aliquo vt teſtimonium reddat,*

reddat, teneatur etiam manifeſtare, quæ pro aduerſario faciunt.

14 *An teſti varianti ſit adhibenda fides? Et quis teſtis dicatur vel non dicatur varius? Et an teſtis varians torqueri poſit.*

15 *Quando iam eſt reus ſufficienter conuictus per alios teſtes falſos, & teſtimonium vnius teſtis falſi accedens nihil effecit, an talis ad teſtitutionem damnorum teneatur.*

16 *Ad quid teneatur, qui alios induxit ad falſum teſtimonium ferendum? Et quid ſi concurrant plures falſi teſtes, & nullus eſt inductor.*

17 *An teſtis, qui pecunias accepit, vt verum fateatur, vel & falſum deponat, teneatur ad earum reſtitutionem ante vllam iudicis ſententiam? Et an teſtis poſit licitè expenſas accipere, dum extra domicilium ſuum proficiſcitur ad ferendum teſtimonium.*

1. QUando teſtis eſt ita inhabilis, vt ab illa particulari atteſtatione à iure repellatur, ex eo, quòd leges prohibeant rationem haberi teſtimonij ipſius, non tenetur iudici interrogãti reſpondere, etiamſi ſit iudex competens. Ratio eſt, quia tunc iudex interrogans eum, quem leges repellunt à teſtificando, non agit ſecundùm ius; vnde cùm ſit tantùm miniſter iuris, nec poſſit aliter agere cum teſtibus, quàm ſecundùm ius, conſequenter non agit legitimè: atque adeò non tenetur teſtis obedire; quia ſolùm tenetur obedire iudici ſecundùm ius agenti. Quando autem teſtis non in totum à iure repellitur, ſed ſolùm ei ius non aſſiſtit, quamuis inhabilis ſit ex quocumque capite, dum legitimè à iudice competenti interrogatur, tenetur reſpondere. Et hoc infertur ex eo, quòd teſtes inhabiles faciunt aliqualem probationem, ſaltem indicium: ratione enim inhabilitatis non carent omninò fide, ſed ſolùm illam habent ſuſpectam; vnde exhibent teſtimonium dubium, quod licet non conuincat, tamen indicat. Deinde teſtes inhabiles faciunt præſumptionem, quam tenetur reus diluere: vt enim inducatur præſumptio, non eſt neceſſe, quòd res appareat euidenter (quia tunc non præſumeretur, ſed certa eſſet,) ſed ſufficit, quòd appareat in aliquo, ex quò poſſit deduci: teſtes autem inhabiles faciunt rem aliqualiter apparere in ſua teſtificatione. Cùm ergo teſtimonium teſtis inhabilis inſeruiat foro pro adminiſtranda iuſtitia, tenetur legitimè interrogatus reſpondere; quia iam eſt ſub iure fori: eò quòd forum ſicut debet iuſtitiam adminiſtrare, ita etiam habet ius ad ea omnia, quæ concernunt ad ipſam adminiſtrandam. Maſcardus. Farinac. Paſqualig. Ita Maſcardus *libro ſecundo, de probat. concl.* 682. *numero quarto*, Farinacius *practic. criminal. quæſtione* 62. *de teſtibus, numero* 261. & 264. Paſqualigus *in deciſionib. moral. deciſ.* 211. & alij multi penes ipſos.

2. Regula communis ab omnibus recepta eſt, quòd teſtes ſingulares non plenè probent, quando plures teſtes requiruntur. Ita colligitur *ex cap. Licet cauſam, de probation.* & ibi Goſſa *verb. Singulares.* Gloſſa. Teſtes autem ſingulares dicuntur, quando non concordant in eo, quod deponunt, ſed vnus deponit aliquid, & alter aliud. Quod contingit, vel ſi ſint diuerſi quoad ſubſtantiam facti: vt ſi deponant de diuerſo facto, ſiue totaliter, ſiue ſecundùm quid; vt ſi ſit diuerſum ſecundùm numerum, non autem ſecundùm ſpeciem vel ſecundùm circumſtantias, quæ ſi relinquunt factum in ſuo eſſe, tunc ſunt conteſtes quoad factum & ipſum probant: vel diverſificant, & tunc ſi relinquunt in ſuo eſſe, reddunt teſtes diuerſos quoad factum, vel deſtruunt ratione diuerſitatis. Ratio autem cur teſtes ſingulares non faciant fidem, nec plenè probent, eſt, quia ſunt ſoli, nec dictum vnius adiuuat dictum alterius, vnde poteſt eſſe, & non eſſe, cùm non certificetur aliunde, & proinde remanet dubium; quia eſt ſecundùm menſuram fidei humanæ, quæ fallibilis eſt. Quando autem plures ſunt conteſtes, quia dictum vnius confirmat dictum alterius, excluditur illa dubietas, quæ oritur ſtante fallibilitate fidei humanæ, ex ſingularitate teſtificationis. Proinde quando forum procedit ex teſtibus ſingularibus infligendo aliquam pœnam, non eſt cenſendum punire id, de quo teſtes ſingulares ſunt; ſed aliquid in quo concordes ſint; aut quia concurrunt alia indicia & argumenta, quæ confirmant teſtificationem teſtium ſingularium. Ita ex communi Hoſtienſis *in cap. Licet ex quadam, extra de teſtibus, num.* 7. Hoſtienſis. Aretinus. Mynſinger. Baldus. Aretin. *ibi num.* 15. Felinus *poſt numerum ſecundum, verſ. Et eſt regulariter notandum.* Mynſinger *obſervat.* 76. *centur.* 3. Baldus *lege Ob carmen*, §. *final. numero ſecundo, ff. de teſtament.* & alij.

3. Controuertitur inter vtriuſque iuris peritos, an teſtes ſingulares aliquid probent in genere? Quidam affirmant. Ratio illorum eſt: quia quando ex pluribus actibus colligitur aliquid in genere, dum teſtes ſingulares deponunt ſinguli de ſingulis actibus, fiunt conteſtes reſpectu illius, quod in genere conſurgit: quia eſt aliquid vnum teſtificatum à pluribus; dicunt tamen non ſufficere ad probandum aliquid in individuò, aut in ſpecie. Ita Felinus *in cap. Licet ex quadam, verſ. Ad idem, de teſtibus.* Decius *in cap. Licet cauſam, num.* 69. *de probat.* Mynſinger *obſervat.* 76. *centur.* 3. *ver. Prædictum tamen.* Farinacius *in practic. criminal. quæſt.* 64. *de teſtib. num.* 152. & alij plures. Felinus. Decius. Mynſinger. Farinacius.

Negatiua tamen ſententia vult non ſolùm non probare in individuo, aut in ſpecie, ſed neque etiam in genere; proinde dicendum eſt, nunquam teſtes ſingulares probare plenè aliquid in genere: ſed quamdiu ſunt ſingulares, manere imperfectam eorum probationem: & in tantum poſſe iudicem ſecundùm ipſos iudicare, in quantum quoad aliquid particulare ad conteſtes reducuntur. Ratio eſt, tum quia teſtes, qui non concordant in ſingulari, neque in genere concordare poſſunt: nam licet actiones, de quibus deponunt, ſint vnum genere, teſtificatio tamen ipſorum non eſt de hac vnitate generica: ſed quod actio ſecundùm genus conueniat tali homini: & cùm vnus teſtetur quod conueniat ratione talis actionis in individuo, & alter ratione alterius; neque concordant in eo, quòd conueniat ſecundùm genus. Tum quia forum non verſatur circa actiones in genere, ſed tantùm circa ſingulares; quia habet punire, aut præmiare, aut abſoluere: nemo autem punitur, abſoluitur, aut præmiatur, niſi actionum liberè exercitarum ratione, atque adeò ſingularium: vnde aliquid tale in genere non eſt fori obiectum. Et hanc ſententiam ſuſtinent Baldus *l.* 1. *Cod. de teſtament. quæſt.* 8. *& conſil.* 276. *lib.* 4. Alexander *lib.* 1. *conſil.* 72. *n.* 3. Iulius Clarus *lib.* 5. *recept. ſentent. practic. crimin. quæſt.* 53. *num.* 18. 19. & 20. Couarruuias *lib.* 3. *variar. cap.* 3. *num.* 4. Simanca *de teſtibus, tit.* 4. *num.* 70. qui ait hanc opinionem ſeruari in praxi ab Inquiſitoribus. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 31. & alij. Baldus. Alexander. Clarus. Couar. Simanca. Diana.

Concedendum tamen eſt, quod quando agitur de aliquo ſecundùm genus, v. g. an aliquis ſit fur? & teſtes deponunt actiones ſingulares furti, non

tanquam id, de quo testentur, sed tanquam rationem sui dicti; ita vt testificatio procedat de furto in genere: tunc sufficiunt ad plenè probandum testes singulares: quia licet dicatur probari aliquid in genere, testificatio tamen procedit de aliquo in particulari, v. g. de vitio furti: & tunc testes licet sint singulares quoad rationem sui dicti, quia vnus affert vnam actionem, & alius aliam; sunt tamen contestes quoad rem testificatam: quia omnes concordes sunt in eo, quod per se primò deponunt. Vnde rectè docent quidam, quod testes singulares probant in genere, quando articulatur genus: secus autem quando articulantur certi actus. De his vide Azorium *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 27. *dub.* 7. Azorius.

4. Testes singulares plenè probant quando agitur de re permanenti, & de probando actu, vel dicto, quod in quadam continuatione consistit. Ratio est, quia testes tunc manent in sua singularitate, licet testificentur de diuersis temporibus, & locis, sed fiunt contestes: quia res eadem, quæ in iudicium venit, subiicitur vniuscuiusque testificationi; vnde de vno, & eodem testificantur. Sic testes singulares probant de vsu continuatæ possessionis, vel iurisdictionis, quod Titius sit fama notatus. Item si plures viderint vnus post alium per aliquam paruam feneſtram vel foramen Titium adulterantem cum Titia, tunc quia præsumitur adulterium vnum & idem, singulares testes faciunt plenam probationem. Ita Couarruuias *lib.* 3. *variar. cap.* 3. *num.* 5. Azorius *loco citato*. Sanchez *l.b.* 6. *consil. cap.* 5. *dub.* 12. *num.* 3. Trullench *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 6. Syluester *verb. Testis, quæst.* 3. & communis. Couarr. Azorius. Sanchez. Trullench. Syluester.

Notandum tamen est, quod vt testes singulares de re permanenti faciant plenam fidem, debet res permanens esse talis conditionis, quòd non potuerit variari ratione temporis aut loci, aut alterius circumstantiæ, secundùm quam testes singulares sunt; quia si potuit variari, sequitur etiam quòd alter testis singularis secundùm circumstantiam, ratione cuius potuit res variari, possit falsus esse, & non esse concors cum altero, seu contestis, vt notat Pasqualigus *in decisionib. moral. decis.* 214. apud quem plura de teste singulari, & apud Dianam *part.* 4. *tract.* 8. *resol.* 57. Pasqualig. Diana.

5. Dubitatur inter Actores, quando iudex per viam accusationis procedit existente accusatore, & solùm vnus est testis, qui crimen nouit, & ille in iudicio productus est, an rogatus à iudice crimen fateri teneatur? Circa hunc casum duplex est sententia. Prima est negtiua; quia ad hoc vt testis crimen fateri teneatur, necesse est vt præcedat vel infamia, vel semiplena probatio, vel indicia contra reum. Ita Syluester *verb. Testis*, q. 8. Nauar. *in cap. Inter verba* 11. *quæst.* 3. *concl.* 6. *corollar.* 64. *num.* 708. & 709. Filliucius *tractatu* 40. *numero* 230. & alij, quorum sententia non est improbabilis, quam approbare videtur Villalobos *tom.* 2. *tract.* 17. *difficult.* 1. *num.* 10. & probabilem reputat Diana *part.* 3. *tract.* 5. *miscellan. resol.* 100. Nam cùm testis sciat neminem alium illud delictum à reo perpetratum scire, eius testificatio nihil proficiet, nisi ad vexandum reum; quia ex sola ipsius depositione condemnari non potest: ergo absque causa infamat tunc testis delinquentem, cùm sciat ipse probandum non esse delictum. Ita etiam Ioan. de la Cruz *in director. parte* 1. *præcept.* 8. *art.* 4. *dub.* 13. qui citat Ledesmam & Bañez. Secunda sententia verior & probabilior est affirmatiua. Ratio est, quia in hoc casu iudex habet ius interrogandi hunc testem ab accusatore productum, ne scilicet delicta maneant impunita. Tum etiam quia iura non distinguunt, an vnus testis tantùm sciat, vel sciat cum alijs; sed absolutè dicunt teneri testem in ius vocatum verum aperire. Syluest. Nauarrus. Filliucius. Villalobos. Diana. De la Cruz. Ledesma. Bañez.

Tum quia aliàs sæpè accusator periculum infamiæ incurreret, Tum quia reus iam apud iudicem & in iudicio est infamatus per accusationem præcedentem, & testis productionem. Deinde testis, eo ipso, quod testis est, hanc habet obligationem distinctam à reo, quod sicut iudex potest præcipere, vt quicumque scit veritatem, illam denuncier, ita testis eius mandato obedire tenetur. Ita docent Sotus *de iustit. lib.* 5. *quæst.* 7. *art.* 1. *ad* 1. Salon 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. *controuers.* 1. Azorius *part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 27. *dub.* 2. Trullench *in Decalog. libro* 8. *cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 3. Sancius *in select. disput.* 43. *num.* 39. Bonacina *in Decalog. disp.* 10. *quæstione* 3. *punct.* 3. *num.* 5. & alij penes ipsos. Lessius autem putat non teneri testari, quia accusator non potest tunc accusare, nisi fortè id necessarium fuerit ad malum impediendum: potest tamen testari si velit, & efficiet semiplenam probationem, poteritque Iudex ex officio procedere contra reum, eum subiiciendo quæstionibus. Ita ille *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 6. *num.* 49. Sotus. Salon. Azorius. Trullench. Sancius. Bonacina. Lessius.

9. Simile dubium occurrit, quando iudex generaliter inquirit de crimine notorio, cuius auctor ignoratur, an teneatur testis illum manifestare? Quidam affirmant probabiliter: quia cùm iudex in hoc casu ius habeat procedendi propter bonum commune conseruandum & testes interrogandi, manifestè sequitur quòd teneantur & ipsi propter idem commune bonum conseruandum, illi veritatem dicere, & occultum reum reuelare. Ita Arragon *in* 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. *dub. vlt.* Miranda *de ordin. iudiciar. tom.* 1. *quæst.* 6. *art.* 6. *concl.* 3. Valerus *de different. vtriusque fori, verb. Inquisitiò, num.* 9. & alij. Sed communiter contrarium docent neoterici, nempe non teneri manifestare auctorem criminis, nisi præcesserit infamia, vel saltem semiplena probatio, & accusatio de criminis auctore. Nam vt aliquis detegatur in inquisitione, necesse est vt laboret publica infamia: delinquens autem in hoc casu nondum laborat infamia publica: ergo, &c. Accedit quod quando dubium est, an iudex iuridicè interroget, & probabilis sententia asserit, ipsum non interrogare iuridicè, in hoc casu subditus non tenetur obedire; quia potest amplecti probabilem opinionem, quæ affirmat iudicem non esse superiorem in eo casu: vnde sequitur posse testem tunc vel manifestare, vel occultare veritatem, si sciat vtramque opinionem esse probabilem, vt reverà est. Vnde hîc datur species quædam belli vtrimque iusti, dum iudex iustè testem vrget, & testis iustè negat. Iudex enim inquirit de crimine vt satisfaciat Reipublicæ, quæ postulat vt fiat diligens inquisitio, vt malefactores timeant & compescantur: non tamen postulat vt in hoc casu reuelentur. Ita Lessius *lib.* 2. *cap* 30. *num.* 47. & *cap.* 29. *num.* 118. Turrianus *tom.* 2. *in* 2. 2. *disputatione* 50. *dub.* 5. *numero* 9. P. Nauarrus *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 168. Bonacina *in Decalog. disp.* 10, *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 14. Salon *in* 2. 2. *tom.* 1. *quæst.* 69. *art.* 2. *controuers.* 7. & alij. Arragon. Miranda. Valerus. Lessius. Turrianus. P. Nauarra. Bonacina. Salon.

7. Testis non tenetur testificari, quando non sibi constat seruatum esse ordinem iuris à iudice interrogante: Ex D. Thoma 2. 2. *quæstione* 70. *articulo primo*, & allis. At vbi constat euidenter iudicem virum probum esse, non est necessarium, vt ostendat testi se procedere secundùm iuris ordinem: quia nemo præsumitur malus, nisi quando D. Thom.

Clauis Reg. do id cui enſer conſtat. Sayrus in Claui Regia *lib.* 12. *cap.* 20. *num.* 2.

Sed difficultas eſt, quando teſtis prudenter dubitat, an iudex iuridicè nec ne interroget, teneatur reſpondere & fateri veritatem, ſicut & reus? Reſp. quando iudex inquirit contra aliquem homicidam, furem &c. aut in quemcumque alium reum priuati criminis, quod non ſit in perniciem publicam, & dubium eſt probabile pro vtraque parte, ſitnè infamia, aut indicia, quibus poſſit inquirere: tunc teſtes & ret hoc modo dubitantes, non tenentur reſpondere. Ratio eſt, quia maius periculum eſt, ſi occidatur homo contra ius, quàm ſi non obediatur ſuperiori. Si verò crimen ſit in damnum alterius publicum vel particulare, adhuc imminens, & quod adhuc eſt in fieri, rectè tunc ritè interrogat iudex, & teſtis, licet dubius tenetur reſpondere: quia in dubiis illa pars eſt ſequenda, & magis tuta, in qua eſt minus periculi; at minus periculi eſt, vt perſona priuata occidatur, quàm quod Reſpublica lædatur. Quod ſi huiuſmodi crimina non pendent in futurum, ſed ſint iam facta & præterita, non tenetur teſtis reſpondere, niſi præceſſerit vera infamia, aut indicia probata. Ita Clauis Regia *loco cit. num.* 3. & 4. Trullench *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 10. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 10. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 106. Sanchez *in conſil. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 5. *dub.* 5. & alij penes ipſos. Et fauet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 7. Sylueſter autem *verb. Correptio, quæſt.* 8. *& verb. Inquiſitio.* §. 7. clarè affirmat, quod licet delicta ſint in bonum commune, ſi iudex generaliter interroget, non tamen reuelandus delinquens emendatur, niſi quando iudex poteſt de illo in particulari, & nominatim interrogare, ad quod certum eſt requiri infamiam, aut indicia probata. Idem ſentiunt Caietanus, Sotus, Nauarrus apud Sanchez *vbi ſuprà num.* 2.

Clauis Reg. Trullench. Leſſius. Diana. Sanchez. D. Thom. Sylueſter. Caietanus. Sotus. Nauarrus.

8. Teſtis idoneus eſt ille, qui eſt omni exceptione maior, id eſt, cui nihil poteſt à iure opponi, nec à iudice repelli, cur ad teſtificandum non admittatur: in dubio autem quiſquis præſumitur teſtis integer omni exceptione maior, ſi contra illum nihil oppoſitum fuerit. Minus idoneus eſt, qui poteſt à iure repelli, eò quòd aliquid poſſit ei opponi. De quo latè Couarruuias *in quæſtione prælic. cap.* 18. Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 12. *num.* 13.

Couar. Gomez.

Aduertendum eſt inter teſtes idoneos cenſeri etiam religioſos; nullo enim iure prohibentur religioſi eſſe teſtes, imò id iis permittitur, *cap. Nuper, de teſtibus. & Authent. de monach.* §. *Cogitandum, collat.* 1. Et hoc verum non ſolùm in cauſis iudicialibus, ſed etiam in inſtrumentariis, vt in cauſa teſtamenti: cum hac tamen differentia, quod ad teſtificandum in iudicio requiritur licentia Superioris: quia iuxta *cap. Si diligenti,* & *cap. Significaſti, de foro competent.* non poteſt quis conſentire in iudicem non ſuum abſque eo, quòd grauem iniurim irroget proprio Superiori: & cùm religioſi ſint exempti, non poſſunt ſe ſubiicere alienæ poteſtati in actu teſtificandi in iudicio: poſſunt tamen ſine dicta licentia eſſe teſtes inſtrumentarij; quia nullibi id interdicitur, nec id eſt alicui iuriſdictioni alienæ ſe ſubmittere. Ita Molina *de iuſtit. tractatu* 2. *diſputatione* 127. §. *Verum autem.* Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 12. *numero* 100. Lezana *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 16. Pellizzarius *in manuali regular. tract.* 6. *cap.* 12. *quæſt.* 17. *num.* 38. Nota tamen, quod vt religioſi non exempti teſtificentur coram Epiſcopo, nulla indigent licentia, vtpote qui ſunt illi ſubiecti; & ſimiliter ea non indigent quando iudex ille Eccleſiaſticus eſſet religioſorum Superior. Si autem religioſi ab eius iuriſdictione exempti ſint, indigent licentia vt coram eo teſtificentur: quia teſtificando coram eo ſubduntur iudici non ſuo, qui tanquam iudex eam teſtificationem iuramento firmaram petit. Similiter eadem licentia deſideratur ab religioſus eſt teſtificaturus coram ſæculari iudice, vt aduertunt Angelus *verb. Teſtis, num.* 3. & ibi Sylueſter *quæſt.* 1. *dict.* 1.

Molina. Sanchez. Lezana. Pellizzarius. Angelus. Sylueſter.

Sed petes *Primò*, an valeat teſtimonium religioſi ſine licentia Superioris coram iudice ſæculari, vel alio non ſuo? Reſp. valere, quia nullibi irritatur, & potiùs interpretanda eſt res vt valeat, quàm vt pereat, *capite Abbate de verb. Significat.* Ita Sylueſter *verb. Teſtis, quæſtione prima,* Molina *loco citato,* Farinacius *tractatu de teſtib. quæſtione* 61. *numero* 134. Sanchez *loco citato numero* 108. qui *numero* 116. temperant hanc reſponſionem cum Bartholom. Socino *concil.* 17. *numero* 16. *volum.* 1. niſi pars opponat defectum licentiæ ad teſtificandum, & nihilominus admittatur teſtificatio, tunc teſtimonium non valeret: ſicut non valent geſta religioſi, qui ſine licentia ſuſcepit munus executoris teſtamenti hoc ipſo, quod illi opponitur in iudicio talis exceptio, vt diximus ſuprà, *verb. Teſtamentum.*

Sylueſter. Molina. Farinac. Sanchez. Socinus.

Petes *Secundò*, an religioſi poſſint eſſe teſtes teſtamenti, in quo ipſorum monaſterio aliquid relinquitur? Reſpondeo quòd ſic. Ratio eſt, quia quando aliquid non eſt ad ſpeciale ſingulorum commodum, ſed vniuerſitatis, aut collegij, poteſt quilibet ex ea vniuerſitate in ea cauſa teſtificari: quia id quod vergit in vtilitatem communitatis, non autem ſingulorum immediatam, dicitur ſingulorum proprium; & ſic pars illius communitatis in ea cauſa teſtificans, non dicitur in propria cauſa teſtificari, vt docent Farinacius *tractatu de teſtibus quæſtione* 60. *num.* 463. & multi alij, quos refert & ſequitur Bartolus *l. In tantum,* 3. *numero primo, ff. de verum diuiſione.* Sanchez *loco citato numero* 102. Pellizzarius *in manual. regularium tractatu ſexto, quæſtione decimaſeptima, numero quadrageſimotertio, capite duodecimo.*

Farinac. Bartolus. Sanchez. Pellizzarius.

Petes *Tertiò*, an religioſi poſſint cogi ad teſtimonium ferendum? Reſpondeo religioſos non eſſe compellendos ad teſtificandum, niſi quando aliter veritas haberi non poteſt: in cauſis tamen ſanguinis nullo modo compellendos eſſe, ſicut nec clericos, etiamſi aliter veritas haberi non poſſit, niſi in cauſis ipſorum religioſorum, in quorum criminibus numquam imponitur pœna ſanguinis. Iuxta quod debent intelligi conceſſiones Pontificum indulgentes, vt religioſi non poſſint compelli ad teſtificandum in cauſis ciuilibus aut criminalibus. Et ita Pius II. Congregationi Montis Oliueti priuilegium conceſſum à Julio II. vtipſi monachi ad teſtimonium ferendum compelli non poſſint, limitauit, niſi quando veritas aliter haberi non poteſt, & tunc ait, quòd debent ferre teſtimonium in ſuis monaſteriis.

Pius II. Iulius II.

Hæc limitatio Pij II. tanquam omni iuri conſona, in omnibus ad teſtimonium ferendum priuilegiatis, intelligenda eſt, vt priuilegio non obſtante, quando aliter veritas haberi non poteſt, compelli poſſint, vt docent Panormit. *in cap.* 1. *de teſtibus cogendis.* Rodrig. *tom.* 2. *qq. regular. quæſt.* 11. *art.* 2. Miranda *tom.* 1. *ordin. iudic. quæſt.* 17. *art.* 3. *concl.* 6. §. *Sed limitanda.*

Panormit. Rodrig. Miranda.

Notandum tamen quòd in prædicto casu possint religiosi ad hoc cogi per Prælatum suum regularem, non verò per iudicem sæcularem, aut etiam per Ordinarium loci, si sint ab eo exempti: siquidem in tali casu Prælatus regularis non dat facultatem Iudici sæculari, vt cogat religiosum ad testificandum coram ipso, sed solùm facit præceptum religioso subdito, vt testificetur coram iudice sæculari; id permittente iure *in cap. Dilectorum, de testibus cogendis*, & dictante lumine naturali iuuandum esse proximum in graui necessitate; verbi gratia, ad liberandum reum à morte, aliàs ipsi iniustè infligenda, vt aduertit Peyrinus *in formul. lit. T. cap.* 1. Peyrinus.

9. Cùm de iure canonico admittantur in testes mulieres laicæ, quando aliter veritas haberi non potest, multò magis admittendæ sunt moniales contra alias moniales: nam delicta monialium non nisi per moniales possunt probari. Et licet ex dicto duarum feminarum non possit quis condemnari, si tamen plures essent numero, supplerent defectum, vt ait Decius *in l. Femina, num.* 35. *de regul. iur.* Maranta *de ordin. iudic. cap.* 4. *num.* 45. Arbitratur tamen Rodriguez *loco citato, articulo* 3. hoc non habere locum inter Moniales, quæ sunt religiosæ timentes Deum, & ita duæ sufficienter probarent, si aliàs omni exceptione maiores sint. Sed in hoc debent esse circumspecti iudices & prudentes in interrogationibus faciendis. Decius. Maranta. Rodrig.

Sed petes, an Religiosi & Moniales possint assistere matrimonio vt testes? Respondeo quod, quamuis summopere deceat Religiosos & Moniales abstinere ab huiusmodi muniis, simpliciter tamen possunt assistere matrimonio tanquam testes: quia nullo iure id ipsis prohibetur, & ad valorem matrimonij sufficit, quod testes vsum rationis habeant, & nullum aliud in ipsis requiritur. Tum quia si à tali munere non excluduntur infames, excommunicati, consanguinei, parentes, feminæ, neque infideles, vt diximus *tom.* 1. *verb. Matrimonium V. num.* 12. non debent excludi regulares: quia Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrimon.* nullos excipit: vt docent communiter Theologi ibi citati. Conc. Trid.

10. Quando alicui commissa est aliqua causa, licitum est inquirere ea omnia, sine quibus illa expediri non potest, vt dicitur *in capite Præterea, de offic. delegat. & l.* 2. *ff. de iurisdict. omn. iudic.* Hinc iudex, cùm veritas non potest haberi à suspecto & inuito nisi per torturam, licitè potest testem ad id torquere; hæc poterit infligi etiam à iudice regulari ad indagandam veritatem. Quando autem testes sunt torquendi, non iis dari debet copia indiciorum, ac processus; cùm plerumque tortura fiat super inquisitione generali ad inuestigandam veritatem, & aliàs neque parti, neque testibus detur copia inquisitionis generalis, idque ex communi consuetudine; quanquam in hoc cautè procedendum sit. Ita Rodriguez *tom.* 2. *quæstionum regularium quæstione duodecima, articulo primo, & secundo*, post Bartolum *in l. vnus, §. iudex, numero vndecimo. ff. de quæstionib.* & communem. Vide etiam Farinacium *de testibus quæstione* 79. *à num.* 1. Rodrig. Bartolus. Farinacius.

An autem debeant torqueri omnes testes, qui interfuerunt delicto? Respondet ex communi Bossius *in practic. de tortura testium, numero decimo, in fine*, non omnes debere torqueri, sed tantùm duo vel tres. Sed notat Iulius Clarus *in pract. criminali, §. final. quæstione vigesimaquinta, numero octauo*, hoc in practica non seruari, sed id relinquendum esse arbitrio iudicis, vtrum omnes, vel duo debeant torqueri: quia non apparet, cur in casu, in quo plures, quàm duo vel tres interfuerint delicto, potiùs hi, quàm alij eligi debeant ad torturam: vnde electio torquendorum remitti debet arbitrio iudicis prudentis & boni. Testes autem non possunt nisi vna vice torqueri, & hoc præcedentibus aliquibus indiciis sufficientibus ad quæstionem, vt post alios tradit Rodriguez *loco citato, art.* 4. Bossius. Clarus. Rodrig.

Aduertendum autem est, quod in causis fidei omnes præter inimicos capitales in testes admitti possunt sine tortura; vt excommunicati, criminosi, infames, socij criminum, vt patet *ex cap. In fidei fauorem, de hæret. in* 6. periurus, Iudæus aduersus Christianum apostatantem, hæreticus, domestici, familiares, consanguinei, mulieres, minor 14. annorum; & hoc verum est non solùm si procedatur per viam Inquisitionis, sed etiam per viam accusationis. Vide Dianam *part.* 4. *tract.* 8. *resolut.* 57. Mascardum *de probat. lib.* 2. *concl.* 857. *numero* 31. & alios penes ipsos. Diana. Mascardus.

11. Quando testes inhabiles admittuntur ad testificandum, si torqueantur, tortura purgat eorum defectum, & fidem faciunt contra reum, licet aliàs sine tortura non probarent. Est communis Doctorum sententia, vt tradit Bossius *in practic. de tortur. testium.* Vnde testis crimine notatus, etsi non sit vilis persona, non admittitur sine tortura, sicut etiam non admittitur sine iuramento. At verò vilis persona testificans in causa criminali, probat contra reum sine tortura, iuxta communem, licet aliqui oppositum sentiant; sed melius hoc relinquitur arbitrio boni iudicis: in omni tamen euentu, nunquam adhibetur tanta fides huiusmodi testibus, sicut aliis. De quo Iulius Clarus *in Practic. criminal. §. final. quæstione* 24. *numero* 13. Rodriguez *loco citato quæst.* 12. *art.* 3. Simanca *de hæreticis cap.* 63. *num.* 6. Miranda *tom.* 1. *ordin. iudic. quæst.* 17. *art.* 3. *concl.* 2. *& 7.* Bossius. Clarus. Rodrig. Simanca. Miranda.

12. In causis criminalibus nunquam testis potest deponere in scriptis, etiamsi legeret scripturam: quia cùm in causis criminalibus probationes debeant esse luce meridiana clariores, in scriptis non declaratur animus testis, sicut decet. Tum quia iuxta *Legem de minore, §. Tormenta, ff. de quæstionib.* plurimum in excutienda veritate etiam vox ipsa, & cognitoris subtilis deligentia affert. Nam ex sermone & ex eo, quà quis constantiâ, quâ trepidatione quid diceret, vel cuius æstimationis quis in ciuitate sua est, quædam ad illuminandam veritatem per lucem emergunt. Tum quia sic decernitur à Callisto Papa *in cap. Testes* 3. *quæstione* 9. vbi habetur: *Testes per quamcumque scripturam testimonium non ferant, sed præsentes de his quæ nouerunt & viderunt, veraciter testimonium proferant.* Idem dicendum est in causis ciuilibus magnæ quantitatis, aut qualitatis: tales enim causæ, quoad solemnitates, & modum procedendi, æquiparantur causis criminalibus. In causis autem ciuilibus minimis & parui præiudicij, valeret tale dictum in scriptis, maximè si talis est consuetudo. Vnde non sunt condemnandi Prælati regulares, qui audientes minima in visitationibus conuentuum, ea testibus & denunciatoribus scribi manu propria præcipiunt. Aliàs modica, seu prorsus nulla fides adhiberi debet chartulis, quæ Iudicibus & Prælatis mitti solent à nonnullis à Iudicio absentibus pro veritate facienda, super re, seu causa aliqua. Ita Rodriguez *tom.* 2. *quæstionum regularium, quæstione* 14. *art.* 4. *in noua edit.* Couarruuias 2. *variar. cap.* 13. *n.* 6. *&* 11. Farinacius *de testibus quæst.* 80. *à n.* 27. Callistus. Rodrig. Couar. Farinac.

Pellizzarius

Pellizzarius. Bartolus. Pellizzarius *in Man. regul. tract. 9. cap. 4. queſt. 71.* & alij; quamuis Bartolus *in l. Theoph. ff. de dote præleg. num. 12.* ſuſtineat teſtem poſſe ſcribere dictum ſuum, ac reſpondere per ſcripturam, & ſic de facto practicari Venetiis, aut Rodriguez *ſuprà.*

Ab hac tamen regula generali excipiuntur mutus & ſurdus; & quidem mutus tantùm, vel ſurdus tantùm non prohibetur ferre teſtimonium, ſuper re cadente in ſenſum, in quo non eſt impeditus. Proinde mutus qui non caret intellectu, ſed mentem ſuam nutu, & ſignis certis & indubitatis exprimere poteſt, non repellitur à teſtificando in ciuilibus; ſecus autem in criminalibus; & ſi literas ſcribere ſciat, admittitur eius teſtimonium per ſcripturam, licet aliàs teſtes non in ſcripeis, ſed viua voce deponere debeant, vt poſt Farinacium

Farinac. Diana. *queſt. 60. per totam*, & alios reſoluit Diana *part. 5. tract. 6. reſol. 32.*

13. Teſtis vocatus ab aliquo vt teſtimonium reddat, tenetur etiam manifeſtare, quæ pro aduerſario faciunt; verbi gratia, ſi Ioannes citetur à Iacobo, vt teſtetur pro ipſo aduerſus Petrum, ſcit etiam aliqua quæ conferunt Petro, tenetur etiam illa aperire, & ſi illa taceret, tenetur ad reſtitutionem damni ſequuti Petro ex taciturnitate. Ratio eſt; quia eſt cauſa damni, illudque ex iuſtitia tenebatur vitare; ſiquidem contra ipſum teſtatus eſt. Ita colligitur ex *cap. 1. de crimine falſi*, vbi dicitur, *Vterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat.* Et docet Nauarrus *in Manual. cap. 25. num. 40.* Sanchez *in conſil. parte ſecunda, lib. 6. cap. 4. dub. 7.* Riccius *in praxi fori Eccleſ. deciſ. 275.* & alij, quibus adde Pellizzarium *in Manual. regul. tract. 9. cap. 4. ſect. 2. q. 74.*

Nauarrus. Sanchez. Riccius. Pellizzarius.

14. Teſti varianti ab his, quæ priùs in iudicio dixerat, non eſt adhibenda fides, maximè quando ſibi contrarius eſt in eadem depoſitione: tunc enim eius dictum tanquam falſum in totum reiicitur, vt conſtat ex *cap. Licet cauſam de probatio. l. Qui falsò, aut variè, ff. de teſtibus.* Teſtis autem varius dicitur ille, qui vel contraria deponit in eodem examine, aut in diuerſis, vel primo teſtificatur per verbum, *Credo*, & deinde aſſertiuè, vel primò, ait ſe nihil ſcire, & poſtea deponit de veritate facti: vel primò teſtimonium affert, & deinde negat ſe depoſuiſſe. Non dicetur tamen teſtis varius, ſi ſtatim in iudicio corrigat propriam teſtimonij depoſitionem, tunc vltima eius depoſitio valida erit, vt ſi antequam tabellio priorem reſponſionem ſcripſerit, vel antequam ipſe teſtis ſubſcribat, priorem depoſitionem reuocet, ac corrigat: tunc enim poſteriori dicto ſtabitur, ſi conſideratis circumſtantiis perſonarum, cauſæ, & temporis, iudici videatur reuocaſſe ſuum dictum ſtimulo conſcientiæ. Item non dicetur varius, ſi continuò antequam exeat à conſpectu iudicis & partem alloquatur, ſe corrigat allegando cauſam erroris, & correctionis, & multò magis dum examinatur. Iudex autem debet attendere modum & cauſam correctionis, an ſit veroſimilis, & ſi ex manifeſtis indiciis appareat teſtem, non ex leuitate ac perturbatione, non prece, aut ſuaſione teſtimonium ſuum corrigere, aut reuocare, à iudice audiendus eſt, ex *cap. Sicut de teſtibus.* Ita Couarruias 2. *variar. cap. 13. num. 8.* Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæſt. 10. art. 1. & 2.* Iulius Clarus *lib. 5. receptar. §. final. quæſt. 53. num. 15.* Farinacius *q. 66. de teſtibus, à num. 232.* Menochius *de arbitar. iudic. caſu 108.* Sanchez *lib. 6. conſil. cap. 5. dub. 13.* Notandum autem eſt, quòd teſtis varians in ſuis depoſitionibus torqueri poteſt, nec facit fidem, niſi firmet dictum in tortura, etiamſi ſit Clericus, vel Monachus. Et quidem laicus à iudice laico torqueri poteſt, Eccleſiaſticus à iudice Eccleſiaſtico, Regularis à iudice regulari, à quo interrogatur. Ita Rodriguez *loco cit. art. 3.* Couarruuias, Clarus & communis: vt tamen teſtis torqueri poſſit, requiritur quod fateatur ſe facto interfuiſſe, & quod variatio ſit in ſubſtantialibus, ac etiam in cauſa criminali, & quod non ſit in dignitate conſtitutus, niſi in criminibus exceptis, vt aliis adductis reſoluit Trulleneh *in Decalog. lib. 8. cap. 3. dub. 7. num. 7. in fine.*

Couar. Rodrig. Clarus. Farinac. Menoch. Sanchez.

Rodrig. Couar. Clarus. Trullench.

Quomodo autem ſint teſtes examinandi, & an ſint poſt eorum receptionem publicandi, & an teſtes examinati ante litis conteſtationem aliquid probent contra reum, &c. quia hæc potiùs ad praxim iudicum & iuriſperitorum, quàm ad conſultationem Theologorum ſpectant; proinde illa omittimus, de quibus Sanchez *lib. 6. conſil. cap. 5. dub. 19.* Rodriguez *tom. 2. queſtionum regular. quæſt. 15. artic. 1.* Iulius Clarus *lib. 5. ſentent. §. final. quæſt. 49. & quæſt. 61.* & alij.

Sanchez. Rodriguez. Clarus.

15. Quamuis teſtis, qui ſcienter, vel ex craſſa ignorantia falſum teſtimonium dixit, teneatur in ſolidum ommia damna reſtituere; quia iniuſtè, & per iniuriam eſt cauſa efficax totius damni, vt habet communis ſententia Doctorum. Tamen ſi reus iam erat ſufficientiſſimè per alios teſtes conuictus, & teſtimonium huius accedens nihil effecit, eò quòd, nec iudex firmior factus ſit, nec pœna propter illud aucta, non tenetur talis ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia etſi talis grauiter peccauerit falſum teſtimonium ferendo, non tamen eſt efficax cauſa damni, ſicut ferens ſuffragium in cauſa mortis poſtquam alij tulerunt numerum ſuffragiorum ſufficientem ad mortem, non obligatur ad reſtitutionem. Ita Leſſius *lib. 2. cap. 30. num. 52.* Petrus Nauarra *de reſtitut. lib. 2. cap. 3. num. 252.* Bonacina *in Decalog. diſp. 10. queſt. 3. punct. 3. num. 15. verſ. Verum vero*, & alij.

Leſſius. P. Nauarra. Bonacina.

16. Qui alios induxit ad falſum teſtimonium dicendum, tenetur ex iuſtitia eos monere, vt ſe retractent: quod ſi nolint, tenetur eos & totam ſuam machinationem, etiam cum periculo vitæ iudici aperire, vt ſcilicet innocens liberetur. Nihil enim differt, an teſtimonio, vel conſilio, aut inductione aliorum, cauſa occiſionis innocentis fuerit: ſi enim ego cauſa ſim aliquo modo iniuſtæ occiſionis, teneor cum vitæ meæ periculo illum, quacumque via poſſim, à morte liberare. Qui verò eos non induxit, nec fuit cauſa teſtimonij illorum, tenebitur ſolùm lege charitatis, & fraternæ correptionis eos monere, & ſi nolint, eos manifeſtare, vt defendatur innocens; non tamen lege iuſtitiæ, aut cum vitæ propriæ periculo eos reuelare, aut monere tenebitur. Ita Clauis Regia *lib. 12. cap. 19. n. 9.* P. Nauarra *lib. 2. cap. 3. n. 253.* Leſſius *loco cit. n. 54.* Bonacina *loco cit. n. 16.* Trullench *in Decal. lib. 8. cap. 3. dub. 8. n. 6.* & alij, qui id limitant, modò ſpes ſit retractationem eſſe profuturam.

Clauis Reg. P. Nauarra. Leſſius. Bonacina. Trullench.

Quando autem plures concurrunt falſi teſtes, & omnes ſunt efficax cauſa damni, & nullus eſt inductor, tenetur quilibet ſeorſum ſe retractare, etiam cum periculo vitæ: quia, licet vno ſe retractante, adhuc reus maneat conuictus, fieri tamen poteſt, vt alij etiam ſe retractent. Tum etiam, quia aperitur via iudici, vt inquirat de aliis, & veritatem deprehendat; in ſolidum enim quilibet eſt cauſa damni, & in ſolidum etiam teneatur reſtituere, ſi ſperetur probabiliter retractationem eſſe profuturam; aliter non tenetur, cùm nullus ad opus inutile obligetur. Ita Clauis Regia *loco cit. n. 10.* Trullench *loco cit. num. 7.*

Clauis Reg. Trullench.

17. Teſtis,

17. Teſtis, qui pecunias accepit, vt verum fateatur, peccat, & tenetur eas reſtituere, ſicut iudex vt rectam ferat ſententiam. Probatur ex *cap. Non ſanè* 14. *quæſt.* 5. vbi euidenter tradit D. Auguſtinus illicitum eſſe pecuniam pro vero teſtimonio accipere, & in ſubſequentibus docet poſſe litigantem repetere à teſte, quicquid illi dedit pro ferendo teſtimonio. Ratio eſt, quia quando acceptio eſt iniuſta & prohibita, licet datio ſit iuſta ad redimendam vexationem propriam, datur repetitio in iudicio. Quamuis igitur litigans potuerit licitè dare aliquid teſti, quo indiguit, vt teſtimonium verum diceret in iudicio, teſtis tamen iniquè illud accepit, quia nemini licet aliquid accipere pro re, ad quam aliàs tenetur ex præcepto. Ita ex communi Nauarrus *in Man. cap.* 25. *num.* 45. Toletus *lib.* 5. *cap.* 59. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſt.* 6. *punct.* 5. *dub.* 4. Trullench *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 3. *dub.* 9. *n.* 1. Clauis Regia *loco cit. num.* 12. Cuius Auctor Sayrus cum Salon 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 4. *in fine*, & aliis, arbitrantur non eſſe reſtituendas pecunias ante iudicis ſententiam. Ratio eſt, quia teſtis tenetur ex ſola charitate teſtari; conſequenter nolens teſtari abſque pecunia, peccat ſolum contra charitatem: peccatum autem contra charitatem non obligat ad reſtitutionem.

D. Auguſt. Nauarrus. Toletus. Valentia. Trullench. Clauis Reg. Salon.

Quando autem teſtis accepit pecunias vt falſum deponat, tenetur ad ſic acceptum reſtituendum in conſcientia ante vllam iudicis ſententiam. Ratio eſt, quia tenetur quis ex iuſtitia ad non dicendum falſum; vnde accipiendo aliquid, ſiue vt dicat falſum, ſiue vt non dicat falſum, peccat contra iuſtitiam; pecunia verò accepta contra iuſtitiam, ſtatim in foro animæ ex natura rei, & ratione iniquæ acceptionis eſt reſtituenda. Ita Corduba *in Summa quæſt.* 67. Bañez *in* 2. 2. *quæſt.* 70. *art.* 4. Valentia, Salon *locis citatis*. Quamuis non ſit improbabilis ſententia aſſerens, accipientem aliquid pro falſo teſtimonio ferendo, non teneri ad reſtitutionem opere ſubſequuto, ante iudicis ſententiam; licet teneatur reſtituere damnum illatum parti, contra quam falſum teſtimonium tulit. Ita Bonacina *loco citato, num.* 18. Trullench *loco cit. dub.* 9. *num.* 2. citans Nauarrum, P. Nauarra & alios.

Corduba. Bañez. Valentia. Salon. Bonacina. Trullench. Nauarrus. P. Nauarra.

Certum eſt tamen apud omnes, teſtem poſſe licitè expenſas accipere, dum extra ſuum domicilium ad ferendum teſtimonium proficiſcitur: quia non tenetur cum ſuo damno & expenſis ferre teſtimonium. Ideò teſtis curare poteſt, vt ſibi reficiantur damnum emergens, & lucrum ceſſans pro tempore quo ſe cauſa ferendi teſtimonij detinuit, *ex cap. Si teſtis* 4. *quæſt.* 3. vbi habetur, *Venturis autem ad iudicium, per accuſatorem, aut ab his per quos fuerint poſtulati, ſumptus competentes miniſtrentur, etiamſi in pecuniaria cauſa ab alterutra parte teſtes ſint producendi*, & docent Clauis Regia *lib.* 12. *cap.* 19. *num.* 13. & alij communiter. Hæc ſatis de teſte ſufficiat. Plura apud Doctores hîc citatos inuenies.

Clauis Reg.

Vide v. Tortura *num.* 6. Hæreſis *num.* 11. *& ſeq.* Matrimonium 2. *num.* 39. *&* 40. Mutuum *num.* 33. Probatio *num.* 14. 18. 19. *&* 20. Profeſſio *num.* 22. Reſtrictio mentalis *num.* 8. Sepultura *n.* 11. Sponſalia *num.* 20. Teſtamentum *num.* 10. *& ſeq.* Accuſatio *num.* 5.

TORTVRA.

SVMMARIVM.

1 *Tortura rei quare introducta, & quando adhibenda.*

2 *An iudex poſſit reum ſubjicere tortura ad extorquendam criminis confeſſionem, quando legitimè eſt conuictus; et teſtes, etiamſi nolit crimen fateri? Et an reus confeſſus poſſit torqueri ad extorquendum complices?*

3 *Quæ requirantur vt quiſpiam propter famam torqueri poſſit.*

4 *Alia indicia recenſentur, propter quæ reus poteſt ſubjici tortura.*

5 *Anteqeam iudex reum torqueat, an teneatur concedere illa indiciorum copiam, vt ſe defendere poſſit.*

6 *An ad idem teneatur iudex regularis? Et an in cauſis regularium ſint teſtium nomina revelanda.*

7 *Quando valeat confeſſio facta in tortura non datâ copiâ indiciorum, & quando non? An confeſſio facta in tortura, debeat poſtea confirmari, vt quis condemnetur? An tortura poſſit repeti apud regulares?*

1. TOrtura reorum introducta eſt, non in pœnam delicti, quia cùm non ſit plenè probatum, non poteſt puniri; ſed in ſubſidium probationis, puta, quia ſufficiens & plena probatio deeſt, vt confeſſio rei ſuppleat, quod ad plenam probationem requiritur. Proinde non poteſt adhiberi tortura, niſi quando crimen eſt ſemiplenè probatum, vel præcedunt vrgentia indicia: & tunc eam adhibere conſentaneum eſt naturali rationi, ne improbi impunè peccent, dum vident nō poſſe condemnari cum ſemiplena tantùm probatione, tamen poſſe torqueri. Hinc tortura tantùm eſt adhibenda in criminibus grauioribus, quæ pœna corporali mortis, mutilationis, vel triremium caſtiganda ſunt: non autem in iis, quæ exilio vel pecunia: quia reo nondum conuicto, non poteſt irrogari pœna, quæ ſit maior quàm illa ad quam ipſe condemnandus eſt. Ita Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 151. Sanchez *in conſil. part.* 3. *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 1. & communis; quamuis in crimine hæreſcos iudices ad torturam proniores eſſe oporteat, & faciliùs ad quæſtionem veniendum ſit, quia eſt crimen ſuapte naturâ occultum, & facultas probationis deeſſe ſolet. Tum quia confeſſio rei in hoc caſu non ſolùm Reipublicæ, ſed ipſimet hæretico plurimum eſt profutura. Ita Roias *de hæreticis, part.* 2. *n.* 295. & 296. Simanca *in Catholic. inſtit. tit.* 65. *n.* 51. Diana *p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 1. & alij.

Leſſius. Sanchez. Roias. Simanca. Diana.

2. Iudex non poteſt reum ſubiicere torturæ ad extorquendam criminis confeſſionem, quando legitimè eſt conuictus per teſtes, etiamſi nolit crimen fateri. Ratio eſt, quia cum tortura ſit inuenta in ſubſidium probationis, ob defectū probationis, fruſtra inferretur reo conuicto; quia iam ipſius confeſſio non eſt neceſſaria ad condemnandum. Ita Nauarrus *Manual. cap.* 18. *num.* 59. Iulius Clarus *quæſt.* 64. *num.* 8. Souſa *in aphoriſm. Inquiſit. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 29. & alij apud ipſos. Excipiuntur tamen duo caſus, in quibus tortura poteſt adhiberi. *Primus* eſt, quando reus iam conuictus malitiosè appellat ad ſuperius tribunal, vt executionem iuſtæ ſententiæ impediat, in locis, in quibus iuxta ſuæ patriæ leges conceditur ipſi appellatio; quod in Italia & regno Caſtellæ permittitur, ſi non ſit confeſſus crimen, vt teſtatur Nauarrus *in cap. Inter verba, num.* 377. tunc enim ſi crimen eſſet atrox, vt latrocinium, ſacrilegium, &c. & expediret reum ibi puniri, poſſet torqueri ad eliciendam confeſſionem, vt iniqua appellatio impediatur. Secus dicendum in locis vbi non conceditur reo conuicto, non tamen confeſſo, appellatio, vt in Gallia in cauſa capitali,

Nauarrus. Clarus. Souſa. Nauarrus.

Digitized by Google

capitali: ibi enim non licet tortura, quia conuictus non confeſſus poteſt condemnari. Ita Trullench *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 1. *dub.* 20. *num.* 2. Salon, Leſſius apud ipſum.

Trullench. Salon. Leſſius.

Secundus caſus eſt, quando reus putatur habuiſſe ſocios, vel commiſiſſe alia crimina: tunc enim poteſt de his interrogari per torturam; talis tamen tortura in caput alienum debet eſſe moderata pro ratione cauſæ & indiciorum, vt docet Iulius Clarus *quæſt.* 64. *num.* 8. Becanus *tom.* 3. *de iuſtit. & iur. quæſt.* 67. *de iniuſtit. iudicis, quæſt.* 10. *num.* 5. Diana *part.* 4. *tract.* 6. *reſolut.* 27. & alij iuriſperiti apud ipſum.

Clarus. Becanus. Diana.

An autem requiratur ſemiplena probatio, vel indicia æquipollentia, quod ſocios criminis habuerit reus, vt torqueri poſſit? Affirmant Leſſius *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 152. Farinacius *de hæreſi, quæſt.* 185. *num.* 183. Simanca *in Catholic. inſtitut. tit.* 65. *n.* 60. & alij multi apud Dianam *ſuprà*. Verùm in materia hæreſeos decretum eſt à Pio V. die 28. Iulij anno 1569. hoc modo: Pontifex inhærendo decretis factis per felicis recordationis Paulum Papam IV. Sanctiſſimus D. N. Pius V. decreuit omnes & quoſcumque reos conuictos & confeſſos de hæreſi pro vlteriori veritate habenda, & ſuper complicibus fore torquendos arbitrio iudicum. Sic *ibi*. Sed quia decretum loquitur ſine præfata limitatione, ideò in praxi Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis etiam ſine vllo indicio complicum infertur tortura ſuper complicibus: quia hæreſis eſt delictum tale quod communiter ſine ſociis & complicibus committi non conſueuit.

Leſſius. Farinac. Simanca. Pius V. Paulus IV.

3. Inter indicia, propter quæ reus ſubiici poteſt torturæ, *Primum* eſt, fama publica de auctore criminis. Vt autem propter famam quiſpiam torqueri queat, hæc omnia ſimul requiruntur: quòd reus vilis & infamatus ſit: quòd fama ſit orta non à maleuolis, aut leuibus hominibus, ſed ab honeſtis & fide dignis, & poſtremò quòd per teſtes idoneos probata ſit. Nec ſat eſt, quòd teſtes dicant hanc eſſe publicam famam, niſi etiam rationem addant, quâ id neceſſariò concludant; proinde dicendum eſt, ſolam famam, niſi ſit vehemens vel adminiculata, non facere indicium ad torturam. Ratio eſt, quia fama in criminalibus non probat, ſed ſe habet inſtar accuſatoris, eſtque indicium remotum & fallax, ac proinde ſola non ſufficit, niſi ſit ſic adminiculata. Ita Simanca *loco ciato, titul.* 65. *num.* 37. Sanchez *in opuſcul. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 19. Miranda *de ordine iudiciar. tom.* 2. *q.* 26. *artic.* 5. *concluſ.* 1. & 2. Pegna *in director. Inquiſit. part.* 3. *comment.* 110. & alij apud Dianam *part.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 13.

Simanca. Sanchez. Miranda. Pegna. Diana.

4. Secundum indicium eſt rei confeſſio extra iudicium, vt ſi ſaltè apud duos ſe iactauerit de crimine, vel ſe auctorem fecit; vel ſi confeſſio facta eſt iudici non competenti, id eſt, qui non habet poteſtatem in cauſa cognoſcendi, eo quod non eſt reus illi ſubiectus, vel cauſa eſt exempta. Hæc confeſſio & ſi non ſufficiat vt reus poſſit condemnari, poteſt tamen torqueri tanquam ex indicio, quod maximam præſumptionem ingerit, dummodò non ſit extorta metu tormentorum, ſed ſit ſpontanea. *Tertium* eſt aſſertio duorum, vel trium ſociorum cum iuramento, modò non ſit iuſta ſuſpicio, id ex maleuolentia fieri. *Quartum*, fuga ſtatim patrato delicto antequam accuſetur, aut citetur, maximè ſi coniungatur fama & communis ſuſpicio, vt ordinariè fit; alioquin fuga ſola non ſufficit: ſi autem citatus compareat, abſtergit omnem ſuſpicionem. *Quintum* eſt inimicitia grauis, non tamen ſola, ſed cum aliis indiciis ex ea pendentibus. *Sextum* eſt inconſtantia, vacillatio & titubatio rei, dum examinatur circa principalia cauſæ, iuncta aliis indiciis; ſola tamen titubatio non ſufficit. *Septimum*, ſi quis viſus ſit exire ex aliqua domo, vel loco cum enſe, & ibi reperiatur aliquis interfectus. *Octauum*, ſi res ſublata reperiatur apud reum, niſi docere poſſit, vnde eam habeat. *Nonum*; ſi furto magno commiſſo, cuius neſcitur auctor, aliqua vilis perſona, quæ ibi crebrò verſari ſolet, appareat repentè diues; ex hoc enim naſcitur ſufficiens ſignum ad torturam. De his indiciis vide Leſſium *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 156. *vſque ad num.* 166. Trullench *in Decalog. lib.* 8. *c.* 1. *dub.* 21. Dianam *part.* 4. *tract.* 6. & alios penes ipſos, quibus adde Hieronymum Rodriguez *in compend. reſol.* 45. *num.* 3. & Emanuelem Rodriguez *tom.* 2. *qq. regul. quæſt.* 20. *art.* 3. Iulium Clarum *in practic. criminal. §. final. quæſt.* 21. Gomez 3. *variar. cap.* 12. & *cap.* 13. Mirandam *tom.* 2. *ordin. iudic. quæſt.* 26.

Leſſius. Trullench. Diana. Rodrig. Eman. Rodr. Clarus. Gomez. Miranda.

Porrò in delictis occultis & difficilis probationis ſufficiunt minora indicia & non ita plenè probata ad torquendum. Quod extenditur etiam ad reum, qui interrogatus iuridicè à iudice, renuit reſpondere, vel reſpondet non ita præcisè vt tenetur: quo caſu poteſt abſque aliis indiciis torqueri, non ad habendam eiuſdem confeſſionem, ſed ad extorquendam reſponſionem affirmatiuam, vel negatiuam præcisè ſuper delicto. Ita Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 12. *num.* 5. Clarus *lib.* 5. *ſententi. §. final. quæſt.* 45. *n.* 6. *§. Sed pone*, Maſcardus *lib.* 3. *de probat. concl.* 1385. *num.* 15. & alij. Vide dicta ſuprà *v. Præſumptio, num.* 4. *& ſeq.*

Gomez. Clarus. Maſcardus.

5. Cùm defenſio propria ſit de iure naturali, tenetur iudex, antequam reum ſubiiciat torturæ, concedere illi indiciorum copiam, vt ſe defendere poſſit, præfinito certo termino ad ſe purgandum, per textum *in l. vnius, §. cogniturum, ff. de quæſtion. cap. Cùm inter, de exception.* Quam copiam tenetur iudex tribuere, quamuis eam reus non petat. Deinde reo etiam propalanda ſunt nomina teſtium, iuxta *cap. Qualiter, & quando el* 2. *§. Debet igitur, de accuſat.* etiam quando iudex procedit ex mero officio, vel etiamſi inquiſitus ſit malæ famæ & vitæ: nam ſublatis iſtis tollitur defenſio de iure naturali, niſi conſtaret, etiam data dicta copia indiciorum nullam adhuc habere defenſionem. Ita ex communi Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 13. *num.* 21. Farinacius *tract. de indiciis & tortura, quæſt.* 28 & *q.* 39. Miranda *loco cit. quæſt.* 26. *art.* 14. Trullench *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 1. *dub.* 21. *num.* 11. Iulius Clarus *in praxi §. final. quæſt.* 49. & alij. Tamen in aliquibus caſibus non eſt danda reis dicta indiciorum copia ante torturam: *Primò*, quando delictum fuit notorium, vel reus repertus eſt in flagranti delicto, vel quando reus calumnioſas exceptiones & defenſiones proponit ad protrahendam, & in longum dilatandam condemnationem, quas iudex meritò reiicere debet. *Secundò*, in latronibus famoſis, & aſſaſſinis, pro quibus conſtat nullam adeſſe cauſam defenſionis.

Gomez. Farinac. Miranda. Trullench. Clarus.

Et quantum ad nomina teſtium propalanda, in cauſa hæreſis hoc non procedit, vt habetur *in cap. final. de hæretic. in* 6. & obſeruat communis & recepta praxis ſacræ Inquiſitionis, ita determinante ſacra Congregatione Eminentiſs. Cardinalium die 14. Maij 1566. apud Dianam *p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 28. cum multis ibi citatis.

Sac. Congr. Diana.

6. Iudex regularis tenetur etiam dare reo ſubdito copiam indiciorum, etiamſi ipſe reus illam non petat. Ratio eſt, quia cùm Prælatus regularis ita ſit iudex religioſi ſibi ſubditi, vt communiter etiam ſit eius Aduocatus: & ſicut Aduocatus tenetur procurare ſuo clienti præfatam copiam indiciorum, ſic

Digitized by Google

ſic & Prælatus regularis tenetur eam procurare ſuo ſubdito, illam ipſi exhibendo, ne alioquì careat debito remedio ſuæ defenſionis; præſertim cùm talis exhibitio indiciorum, videatur eſſe de ſubſtantia iudicij, non autem ſolùm ſpectare ad apices iuris. Ita reſoluit Rodriguez *tom. 2. qq. regul. quæſt. 20. art. 5.* & poſt illum Pellizzarius *in Man. regular. tract. 9. cap. 4. ſect. 2. q. 55.*

Rodrig. Pellizzarius.

An autem in cauſis regularium ſint teſtium nomina reuelanda, antequam tortura adhibeatur? Reſpondeo probabile eſſe quòd non. Ratio eſt, quia cùm religioſis plurimum commodi ex animi tranquillitate procedat, nihilque ſic religionis quietem labefacter, ſicut teſtium nomina; quandoquidem ex hoc acerbiſſima excitentur odia, vltiones expectentur, innumeraque perturbationum ſemina naſcantur; videtur quod in regularium cauſis ſufficit ſi Capitulorum notitiâ conceſsâ, defenſionis locus non excludatur. Limita, niſi in aliquo caſu grauiſſimo & ſpecialiſſimo, puta in cauſis grauium criminum. Tum etiam, quia regulares in ſuis iudiciis non tenentur ſequi rimulas & apices iuris, ex Conſtitutione Bonifacij Papæ VIII. Talis autem eſt manifeſtatio nominum teſtium: ergo. Ita Rodriguez *tom. 2. quæſtionum regularium, quæſt. 3. artic. 1.* Hoſtienſis, Manſus *apud illum*, Miranda *tom. 1. Ordin. iudic. q. 14. art. 3. concluſ. 2.* Pellizzarius *loco cit. quæſt. 54.*

Bonif. VIII. Rodrig. Hoſtienſ. Manſus. Miranda. Pellizzarius.

7. Non valet confeſſio facta in tortura non darâ copiâ indiciorum, quâdo iudex tenetur illam dare abſque eo quod petatur, etiamſi poſtea ratificetur extra tormenta, & ex tali confeſſione non ſit puniendus reus. In caſibus verò, in quibus iudex non tenetur dictam copiam dare reo non petenti, valet talis confeſſio. Et hoc in cauſis regularium omninò obſeruandum eſt; nam manifeſtatio indiciorum non eſt de apicibus iuris, quibus iudices regulares non aſtringuntur, ſed eſt quædam res, quæ ad ſubſtantialia & eſſentialia iudicij ſpectat. Ita Rodriguez *tom. 2. quæſt. 20. art. 6.* De quo Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. 13. num. 8.*

Rodrig. Gomez.

Illud demum hìc adnotandum eſt, quod cùm confeſſio delicti facta in tormentis ſit nulla ad effectum condemnandi reum, niſi extra tormenta ratificetur poſt aliquod tempus ex iudicis arbitrio definiendum iuxta qualitatem rei torti, & tormentorum, ita vt verosi mile ſit metum ceſſaſſe, ex quo confeſſio reddebatur nulla. Proinde ad hoc vt Regularis poſſit condemnari vi confeſſionis factæ in tortura, debet induci ad eam ratificandam poſt aliquod tempus; quale eſſe poſſet ſpatium trium dierum. Et licet iudices ſæculares poſſint iuſtè ſæpiùs repetere tormenta, ſi vel reus minus acriter tortus fuerit, vel poſt primam torturam ſuperueniant noua indicia ſufficientia, vel certè priora indicia ſint multùm vrgentia, & reus torquendus admodum conſtans: in cauſis tamen regularium non decet Prælatos regulares repetere conſueta tormenta, niſi aliter ſuadeat ſiue grauitas delicti, ſiue vehementia indiciorum de nouo ſuperuenientium longè maiorum prioribus: quia punitio Regularium magis ordinatur ad emendationem, quàm ad vindictam, & primis appoſitis torturis, præſumitur Religioſus ad pœnitentiam conuerſus, cùm vexatio det intellectum. Ita probabiliter & piè Rodriguez *loco cit. art. 9.* Monet Lezana *in Summ. verb. Iudex, num. 14.* ex Syluestro & aliis, Regulares minùs torquendos eſſe, tum ob metum excommunicationis, ſi excedatur in tortura, ac eius modo; tum ob reuerentiam ſtatus religioſi, & regulariter abſtinendum eſſe ab iis tormentis, quibus, moraliter loquendo, reus non poſſit reſiſtere; vt ſunt torturæ in manibus, in pedibus, aut in ſcapulis cum guttis feruentibus ſuper dorſum religioſorum diſtillatis; hæ enim omninò illicitæ & prohibitæ ſunt, vtpote excedentes modum conſuetum Religionum, vt etiam notauit Rodriguez *loco cit. art. 8.*

Rodrig. Lezana. Syluester.

Rodrig.

De repetitione, ſeu iteratione torturæ agunt Doctores *in l. repeti. ff. de quæſtionibus.* Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap. 13. num. 26.* Iulius Clarus *lib. 5. ſentent. §. final. q. 64. num. 36.* Farinacius *de iudic. & tortura, quæſt. 38. à num. 72.*

Gomez. Clarus. Farinac.

De tortura vide v. Teſtis *num. 10. & 11. & 14.* Hæreſis *num. 14.* Præſumptio *num. 2. 4. & ſeq.*

TRANSACTIO.

SVMMARIVM.

1 *Qui poſſint tranſigere? & circa quæ poſsit fieri tranſactio? An habeat locum in delictis?*
2 *An Procurator cum generali clauſula poſsit tranſigere.*
3 *In quibus caſibus tranſactio valida ſit, alienatione prohibitâ.*
4 *Tranſactio particularis an extendatur ad alias res.*
5 *An tranſactio generalis generaliter debeat intelligi etiam quoad incognita, qua tunc non occurrebant, ſi petitio litis fuit generalis.*
6 *De tranſactione generali ſecuta poſt petitionem particularem. Et an ex tranſactione debeatur tributum, ſeu gabella.*
7 *Compoſitio quid ſit, & an latiùs pateat, quàm tranſactio.*
8 *Compoſitio quotuplex.*

1. QUi habet bona vinculata, non poteſt tranſigere circa illa, nec compromittere: qui enim tranſigit, etiam alienat. Proinde feudatarius non poteſt tranſigere, aut compromittere circa res feudales, ob eam rationem: nec hæres grauatus aliquid reſtituere: nec Prælatus circa bona Eccleſiæ, quia ea alienare non poteſt; & ſicut ad alienandum requiritur ſolemnitas, de qua diximus *tom. 1. verb. Alienatio, num. 5.* Et ſicut minor ipſe, Tutor, aut Curator ſine iudicis decreto alienare non poſſunt bona immobilia minoris, aut ea mobilia pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt; ita ſine eodem iudicis decreto tranſigere, aut compromittere circa illa non poſſunt. Ita habetur *l. Non ſolum, Cod. de prædiis minor. & cap. Cum temporibus, de arbitr.* & docent ex communi Molina *de iuſtit. tractatu 2. diſp. 557.* Filliucius *tract. 29. cap. 9. q. 1.* Trullench *in Decalog. lib. 7. cap. 28. dub. 6. num. 8.* Qui nouiſſimus tenet cum Villalobos *2. part. tract. 29. diffic. 1.* poſſe tranſactionem fieri in delictis capitalibus, excepto adulterio, quæ pœna ſanguinis, imò & mortis digna ſunt, ex *l. Tranſigere, Cod. de tranſaction.* non verò in delictis, quæ pœnâ ſanguinis non puniuntur.

Molina. Filliucius. Trullench. Villalobos.

2. Procurator alicuius conſtitutus ad agendum ac defendendum, non poteſt tranſigere, aut compromittere, niſi ad id habeat ſpecialem facultatem, *l. Tranſactionis, Cod. de tranſaction.* Unde non ſufficit generalis clauſula, vt poſſit omnia exequi, quia exigitur ſpecialis. At ſi concederetur, vt poſſit in particulari aliquid agere quod requirit ſpeciale mandatum, & adderetur clauſula generalis, quod poſſet etiam exequi omnia, quæ requirunt ſpeciale mandatum, tunc poſſet exequi alia non expreſſa, quæ ſpeciale mandatum requirunt, ac proinde poſſet tranſigere, vt habetur *in cap. Qui ad agendum,*

Couar. *dum, de procurator. in* 6. & docet ex communi Couarruuias 2. *var. cap.* 5. *num.* 8. Item, qui Procurator in rem ſuam conſtituitur, vt quia creditor illi conceſſit debitum, aut ius totum, quod circa id, de quo agitur, habet, tunc tranſigere circa id poteſt, & facere quoduis aliud, quod alioquin exigeret ſpeciale mandatum.

3. Excipiuntur quidam caſus, in quibus tranſactio valida eſt, alienatione prohibitâ. *Primus* eſt, ſi tranſactio fiat auctoritate ſupremi Principis, aut conſummetur ad tollendas lites & grauia damna. Nomine autem Principis, Summus etiam Pontifex intelligitur in iis, quæ ad Eccleſiam ipſiuſque iuriſdictionem ſpectant, ex *cap.* 1. *de tranſact.* vbi Summus Pontifex vult, quòd tranſactio quædam, eſto alioquin eſſet inualida; ex ſua tamen confirmatione & auctoritate robur obtineat. Eodemque modo tranſactiones & compromiſſa valida ſunt inter duos ſupremos Principes, ob commune bonum. *Secundus*, ſi tranſactione fiat, vt res, quæ alienari non poteſt, maneat apud eum, qui eam poſſidet, & is det alteri pecuniam, vel aliud quod alienare poſſit. Gloſſa & Bartolus *in l. Nulli, ff. de tranſact.* Abbas *in cap. Cum contingat, de tranſact.* & alij.

Gloſſa. Bartolus. Abbas.

Tertius, quando tranſactio, aut compromiſſum eſſent neceſſaria, quia ſcilicet ſtatuto, aut ſententia Iudicis eſſent præcepta, præſertim ſi accedat Principis iuſſio ad vitanda ſcandala in ardua aliqua ac difficili cauſa: prohibitio enim intelligitur in alienatione, quæ ſit voluntaria, non verò de neceſſaria.

Quartus, ſi in tranſactione & compromiſſo conſentiant omnes, in quorum fauorem prohibita eſt alienatio, ne ipſis præiudicetur: & vbi requiritur ſolemnitas, ea etiam adſit, ſi bona ſint minorum, aut Eccleſiæ. Ita Molina *diſput.* 557. *num.* 7. *& ſequentibus*, Filliucius *loco citato, queſt.* 3. & alij.

Molina. Filliucius.

4. Tranſactio particularis, hoc eſt, circa rem particularem, vel res particulares in tranſactione expreſſas, non extenditur ad alias res, ſed integrum manet intentare actionem aduerſus eundem cum quo facta eſt tranſactio, circa quaſcumque alias res, non verò circa res illas in particulari, vt conſtat ex *l. Age. Cod. de tranſact.*

Quando tranſactio fuit particularis circa rem, ſi fuit vniuerſalis quoad actiones, quia dictum eſt, quod vnus tranſigentium cedit alteri ac remittit quodcumque ius, quod habere poterat circa eam rem quocumque titulo; tunc res illa peti ab eo non poteſt ex quacumque alia cauſa, ſeu titulo, quo de nouo competiatur ad ipſum pertinuiſſe. Quod ſi nihil horum expreſſum ſit, tunc ex petitione rei illius ex cauſa particulari, vel vniuerſali, menſuranda erit tranſactio, an ſit particularis, vel vniuerſalis. Ita Bartolus *l. Si de certa, C. de tranſact.*

Bartolus.

5. Quando tranſactio eſt generalis, & eam antecedit petitio generalis, tunc intelligenda eſt tranſactio generaliter, etiam quoad incognita, quæ tunc non occurrebant; ideóque qui tranſegit eo modo, repellitur poſtea à petitione cuiuſcumque rei, quæ comprehenſa fuit illis verbis generalibus. Ita habetur *l. Sub prætextu 2. Cod. de tranſact.* Ratio eſt, quia vt valida ſit tranſactio circa incognita in particulari, ſub illa generalitate contenta, ſatis eſt, quod de generalitate fuerit cogitatum & tranſactum, non facta exceptione eorum. Tamen ſi dolo alicuius tranſigentium ſint res aliquæ occultatæ, aut non manifeſtatæ, quæ comprehendebantur in ea vniuerſalitate, tunc tranſactio non extenditur ad res illas dolo occultatas, vt habetur *l. tres fratres, ff. de pact.* Si item incognita debebantur ex vltima voluntate & minimè oſtenſa, & cognita priùs ea vltima voluntate, facta fuit tranſactio vniuerſalis, quæ res illas comprehenderet, talis tranſactio inualida eſt. Molina *diſp.* 558. Filliucius *loco citato, num.* 160.

Molina. Filliucius.

6. Tranſactio generalis ſequuta poſt petitionem particularem, ſi poteſt reſtringi ad ſola illa particularia contenta in petitione, tunc non intelligitur de rebus aliis; quia ſequentia intelliguntur iuxta ea quæ præceſſerunt, quando nihil eſt quod obſtet, *l. Si de certa, Cod. de tranſact.* Si verò tranſactio generalis non poſſit reſtringi, ſaluâ proprietate ſermonis, ad ſolam rem, aut res de quibus erat petitio, vt quia actor, dum tranſegit, dixit ſe recedere ab actionibus, & renunciare iuri, quod tam circa rem, de qua erat petitio, quàm circa quaſcumque alias poterat habere; tunc tranſactio exenditur ad omnia, etiamſi actor non cogitauerit de illis in particulari: ſatis enim eſt cogitaſſe vniuerſaliter & in confuſo, & quod intenderit id totum remittere, quod ex verbis ita generalibus tranſactionis præſumitur. Ita Bartolus *in l. Emptor, §. Lucius, ff. de tranſaction.* Molina *loco cit. n.* 5. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 28. *dub.* 6. *n.* 12. Filliucius *loco cit. num.* 162. & alij.

Bartolus. Molina. Trullench. Filliucius.

Potrò circa tranſactionem eſt obſeruandum, quod ex illa non debeatur tributum, ſeu gabella, eſto pecunia detur alteri tranſigentium, vt à lite recedat: quia tributum debetur ſolùm ex emptione & venditione, atque ex permutatione: longè autem diuerſus contractus eſt tranſactio, eſto in eo pecunia interueniat. Si tamen fraus adeſſet, quia ſimularetur tranſactio, cùm tamen contrahentibus tempore ſimulatæ tranſactionis conſtaret, rem, circa quam tranſigi dicitur, verè eſſe eius, qui illam alteri tradit, aut relinquit pro pecunia, aut re alia, tunc eſſet vera emptio & venditio, aut permutatio, ac proinde deberetur tributum, ſeu gabella, vt cum aliis obſeruant Molina, Filliucius, Trullench *locis citatis.*

Molina. Filliucius. Trullench.

7. Compoſitio latiùs patet quàm tranſactio, *eſt enim pactio de re aliquæ, vel circa quam nulla eſt controuerſia, aut eſſe poteſt.* Quare, quando Summus Pontifex in Bulla Cruciatæ, aut per ſeipſum, aut Summum Pœnitentiarium debitori ſummæ perſonis incertis, condonat maiorem partem, & minorem applicat in ſubſidium belli contra infideles, vel in aliud opus pium, non dicitur id eſſe tranſactio, ſed compoſitio, & gratis remittit debitum, de quo nulla eſt controuerſia: quippe cùm reliquum, quod ſoluitur in auxilium belli contra infideles, aut ad alium finem, ſit etiam debitum ac obnoxium reſtitutioni. Quando verò cum recompenſatione aliqua controuerſia dirimitur, & vnus alteri concedit rem, vel ius de quo controuertebatur, non eſſet tranſactio, ſed compoſitio, aut condonatio, vel pactio, latè ſumpto vocabulo. Ita Molina *diſp.* 556. *num.* 5. & alij.

Molina.

8. Compoſitio diuidi poteſt in eam, quæ eſt de re, circa quam nullum eſt dubium, & in eam, quæ eſt de re, circa quam aliquod eſt dubium, ad quem pertineat, vel pertinere in futurum debeat. Et hæc ſubdiuiditur in eam, quâ vnus contendentium aliquid, quaſi in prætium, tribuit alteri, vt recedat à lite, & condonet ius, quod prætendere poterat circa rem illam, & hæc eſt tranſactio: quia verò comprehenditur ſub compoſitione amplè ſumpta, meritò interdum compoſitio nuncupatur.

Diuiditur præterea in eam, quâ amicabiliter lis & controuerſia componitur arbitrio prudentis, ſiue diuidendo rem, aut emolumentum, quod ex ea ſperatur, inter contendentes, aut id aliunde com-

penſando pro qualitate & quantitate iuris dubij, vt lites finiantur & ſeruetur pax: & hæc compoſitio interuenire poteſt etiam in rebus ſpiritualibus & beneficialibus; non autem illa prior, quâ aliquid datur in pretium. vel quaſi pretium. Molina *loco citato, num. 6.* Trullench *loco citato, n. 14.* De hac compoſitione vide dicta *tom. 1. verb. Reſtitutio V. §. 2. num. 13. & 14.*

Molina. Trullench.

Vide v. Simonia *num. 11. 12. & ſequent.* Gabella *num. 13.*

TVTELA. TVTOR.

SVMMARIVM.

1 *An religioſi poſſint eſſe tutores teſtamentarij, aut datiui.*

2 *An tutelam legitimam religioſi ſuſcipere poſſint, & teneantur? Et quid de tutela miſerabilium perſonarum?* Refertur duplex ſententia.

3 *An Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, Epiſcopi, Debitores minoris, vel eius creditores, poſſint eſſe Tutores vel Curatores illius.*

4 *An qui Regi eſt obligatus; Miles in militia occupatus, pauper, poſſit eſſet Tutor, vel Curator.*

5 *An tutor poſſit pupillum vel pupillum impuberem religioni offerre? etiam poſt Concilium Tridentinum.*

6 *An Tutor & Curator teneantur omnia iura, bona & actiones ſui pupilli, ſeu minoris conſeruare? Et teneantur ſatisdare, id eſt, promittere & cautionem præſtare rem pupilli ſaluam fore? Et an omnia bona Tutoris & Curatoris tacitè ſint hypothecata minori.*

7 *An Tutor vel Curator, qui pecuniam pupilli in ſuos vſus conuertit, teneatur ad reſtitutionem totius lucri ceſſantis vel damni emergentis, quod inde paſſus eſt pupillus vel minor? Et an Tutor vel Curator mobilia pupilli, quæ commodè ſeruari non poſſunt, ſine iudicis decreto vendere, & permutare poſſit.*

8 *Quibus modis tutela, aut cura iure communi Cæſareo finiatur.*

1. CErtum eſt religioſos non poſſe eſſe tutores teſtamentarios, aut datiuos: id enim eis interdicitur à iure *in cap. final. diſtinct. 86. & in Authent. de ſanctiſſimis Epiſcopis, §. Deo autem amabiles, collat. 9.* Ratio eſt, quia tutela contraria eſt ſtatui religioſo. Tum quia non habent religioſi bona, quæ obligationi ſubiiciant pro ſecuritate adminiſtrationis, vti fieri ſolet. Imò acta à religioſis facta tanquam tutoribus, irrita eſſe nonnulli Doctores probabiliter arbitrantur, ex *dicta Authentica*, vbi dicitur, *Monachos ex nulla lege Tutores, aut Curatores cuiuſcumque perſonæ fieri permittimus.* Quæ verba denotant, religioſos non eſſe legitimas perſonas ad hoc munus, etiamſi illud ſuſcipiant ex licentia ſuorum Superiorum: quia hi non poſſunt diſpenſare in iure communi. Ita Molina *tom. 1. de iuſtit. diſp. 221. verſ. Religioſus.* Roſella *verb. Tutela, num. 2.* Sanchez *lib. 6. moral. cap. 14. num. 22. & 23.* & nouiſſimè Pellizzarius *in Man. regular. tract. 6. cap. 12. quæſt. 10.* & alij.

Molina. Roſella. Sanchez. Pellizzarius.

2. Dubium eſt inter Doctores de tutela legitima, an eam ſuſcipere poſſint religioſi? Affirmant quidam nullo modo poſſe cogi ad eam ſuſcipiendam, at ſi velint eam ſuſcipere, id eis licere, ſicut licet Clericis ſæcularibus. Ducuntur, quia etſi hoc munus interdicatur religioſis in dicta Authentica, corrigitur tamen per *cap. finale, diſt. actione 86.* vbi ea tutela permittitur religioſis. Atque ita docent Gloſſa *in dict. cap. final. verb. Tutela.* Angelus *verb. Tutela, numero primo.* Sylueſter *ibidem, quæſtione tertia*, Tabiena *quæſtione Prima, numero ſecundo*, & alij. Sed verius eſt non poſſe religioſos legitimam tutelam etiam ſuſcipere: quia non apparet vbi id corrigatur *in dict. cap. finali.* Teſtibus Molina *loco citato*, Sanchez *loco citato, numero vigeſimoquinto*, Bonacina *de contract. diſputatione tertia, quæſtione decimanona, punct. 3. numero primo, verſ. ſexto*, Pellizzario *loco citato*, & alius. Eadem difficultas eſt, de tutela miſerabilium perſonarum, an poſſint & teneantur eam religioſi ſuſcipere?. Doctores prioris ſententiæ ſuſtinent non tantùm poſſe, ſed teneri ſuſcipere, ex *dict. cap. final. diſtinct. 86.* Sed poſtremi negant obligari poſſe ad hoc munus, propter rationem iam dictam; quia non poſſident bona, quæ pro adminiſtranda tutela vlli obligationi ſubiiciant. Nam tutor, ſeu curator ex mala adminiſtratione obligatur pupillo, aut minori; imò antequam adminiſtrationem ſuſcipiat, cauere, ſeu ſatisdare cogitur per fideiuſſores, aut pignora; niſi teſtamento nominatus, vel à iudice cum inquiſitione datus ſit. Sed religioſi neque talem cautionem facile præſtare, neque vllam pro tutelæ adminiſtratione obligationem contrahere poſſunt, cùm bona nulla habeant, & alàs tutelæ munus à religioſa profeſſione minus alienum ſit, vt etiam reſoluit Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 9. num. 4.*

Gloſſa. Angelus. Sylueſter. Tabiena. Molina. Sanchez. Bonacina. Pellizzarius. Layman.

3. Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti Tutores & Curatores eſſe non poſſunt teſtamentariâ, aut datiuâ tutelâ: legitimâ verò, quando proximiores ſunt in gradu pupillo, eſſe poſſunt, ſed non tenentur. Ita habetur *Authent. de Sanctiſſ. Epiſcop. §. Deo autem amabiles, & Authent. Presbyteros 3. Cod. de Epiſcop. & Cleric.*

Epiſcopus etiam Tutor, aut Curator eſſe non poteſt, niſi miſerabiliũ perſonarum, quarum bona perirent, niſi ipſe ſuccurreret: & in hoc caſu fas eſt etiam Clericis Tutores, aut Curatores eſſe miſerabilium perſonarum, vt habetur *in cap. final. diſt. 86. & cap. 1. diſt. 88.*

Qui debitor eſt minoris, aut furioſi, mente capti, aut prodigi, Tutor vel Curator illius eſſe non poteſt. Idem eſt de eo cui minor aliquid debet. Si autem poſtquam aliquis Tutor eſt, aut Curator, debitor, aut creditor efficiatur minoris, quia videlicet ſuccedit in hæreditate debitoris, aut creditoris minoris, vel aliqua alia ratione, tunc debet ei adiungi alius Tutor, aut Curator, & ita perſeuerabit Tutor, aut Curator cum hoc alio adiuncto. Ita habetur *in Authent. Minores, C. qui dare tutores poſſunt, & in Authent. vt hi qui obligatos ſe habere. in princip.*

4. Qui Regi eſt obligatus, quòd prædia, vel alios illius reditus conductos habeat, ita vt bona ipſius Regi tacitè ſint obligata, non poteſt eſſe Tutor, aut Curator, per *l. Vel cum fiſco, ff. de confirmand. tut. & l. vltim. Cod. qui dare tutor. poſſunt.*

Miles qui arma geſtat, atque in militia eſt occupatus, tutor eſſe non poteſt, etiamſi velit, *§. item in milite, inſtitut. de excuſationibus tutor.* Etſi tutelam adminiſtret, non tenebitur actione tutelæ, ſed ſolùm negotiorum geſtorum, *l. Militia, C. qui dare tutor. poſſunt.* Denique qui morbo perpetuo laborat, ita vt rectè adminiſtrare non poſſit bona minoris, aut quocumque alio ſimili perpetuo impedimento eſt impeditus, nec Tutor, nec Curator eſſe poteſt, *§. item propter aduerſam, inſtitut. de excuſat. tutor.*

Propter paupertatem excuſatur quis à tutela & cura alterius, ſi tota ſua induſtria ac tempore indigeat

digeat ad ſeipſum competenter ſuſtentandum, §. *Sed & propter paupertatem, inſtitut. de excuſat. tutor.* multi alij cenſus enumerantur in iure, in quibus homines à munere Tutoris & Curatoris excuſantur. quos cernere licebit *in Inſtitut. de excuſat. tutorum, & eodem titulo Digeſtor. per totum.* Vide Molinam *tract. 2. de iuſtit. diſp. 222.*

Molina.

5. Tutor poteſt pupillum impuberem religioni offerre, vt in ea ſub regulari diſciplina viuat, modò non ſit inuitus. Probatur prima pars: quia tutor eſt inſtar patris; ideò ſi pupillus habeat parentes & tutores, poſſunt tutores, parentibus non contradicentibus, pupillum religioni offerre, vt apertè colligitur ex *cap. Puella 20. quæſt. 2.* vbi deciditur tutoribus conſciis ingreſſus pupilli & tacentibus anno & die, non permitti ampliùs reuocare: eò quòd ea taciturnitas ſit quædam tacita oblatio. Probatur ſecunda pars: quia ſicut pater non poteſt filium inuitum offerre religioni, ita neque tutor. Tum quia ſuſceptio ſtatus religioſi libera eſſe debet: & ita ſe habet oblatio ad profeſſionem religionis, ſicut ſponſalia ad matrimonium; ſicut autem ſponſalia non obligant impuberem contradicentem, ita neque oblatio ad religionem. Quare ſi tempore inſtantiæ offeratur puer religioni, poterit poſtea exire antequam ingreſſum illum à parentibus vel tutoribus factum, iam vſurâ rationis potitus ratum habeat. Et hanc partem apertè probat *cap. Præſens 20. q. 3.* & vtramque docent Panormitanus, Cardinalis *in cap. 2. de regul.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 18. n. 25. & 26.* Roſella *verb. Nouitius, num. 3.* Tabiena *ibi quæſt. 1.* & alij.

Panormit. Cardinal. Sanchez. Roſella. Tabiena.

An autem hæc doctrina habeat locum circa puellas impuberes attento iure nouo Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 17. de regularibus*, vbi dicitur, *Sancta Synodus ſtatuit, vt ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere vouerit, maior duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia profeſſionem emittat, quam explorauerit Epiſcopus Virginis voluntatem.* Reſpondeo etiam hoc iure nouo non obſtante puellas impuberes poſſe à parentibus vel tutoribus religioni offerri. Ratio eſt, quia hoc nouum decretum non corrigit ius antiquum: nihil enim ibi de puellæ ad religionem admittendæ ætate decernitur: & ſi voluiſſet ius antiquum corrigere expreſſis verbis, dixiſſet puellas offerri non poſſe religioni ante duodecimum annum. Ita docent Michaël Metina *de ſacror. homin. continentia, lib. 4. controverſ. 9. cap. 4.* & poſt illum Sanchez *loco citato, numero trigeſimoquarto*, contra Azorium & Rodriguez, dicentes, attento prædicto decreto, puellas duodecim annis minores, non poſſe ad habitum regularem ſuſcipiendum admitti.

Conc. Trid.

Metina. Sanchez.

Vide dicta ſuprà v. Nouitiatus *num. 4.*

6. Tutor & Curator tenentur cenſeruare omnia iura, bona & actiones ſui pupilli, ſeu minoris, & vendere bona alioquin peritura, & pecuniam pupilli conuertere in emptionem bonorum ſtabilium, & in defectum bonorum ſtabilium conuertere illam in ſocietatem, vel cenſum, provt magis vtile viſum fuerit.

Proinde tenetur Tutor, aut Curator bona illa adminiſtrare, eâ curâ & diligentiâ, quam paterfamiliàs bona fide ſuis propriis rebus præſtare debet, *l. à tutoribus, ff. de adminiſtrat. tutor.* vnde reficere debet ædes & cetera, quæ ad ſui conſeruationem refectione indigent. Tenetur etiam facere colere prædia, aut ea locare, prout expedire iudicauerit, & tenetur greges nutrire, &c. Hac de cauſa iure ciuili communi decretum eſt, vt tutores legitimi, aliſque dati abſque inquiſitione, teneantur ſatisdare, id eſt promittere, & cautionem præſtare, rem pupilli ſaluam fore, nec priùs adminiſtrare debent, quàm ſatisfecerint, *l. 1. Cod. de Tutor. & Curator. qui ſatis non dederi.* Proinde Tutores & Curatores, qui ſatisdare tenentur, ſi antequam ſatisdent, aliquid alienent, vel contractum faciant, aut ſententia in cauſa minoris contra eos detur, omnia ipſo iure ſunt nulla. Ita habetur *l. 3. & vltim. Cod. de tutore, qui non ſatisdat.* Quando autem Tutores, aut Curatores teſtamento ſunt dati, non ſatisdant, neque in eis neceſſaria eſt iudicis inquiſitio, vt habetur *Inſtitut. de ſatisdat. tutor.* De iure etiam communi quando furioſo, aut mente capto datur curator, remittitur ſatisdatio, ſi ſufficientia habeat bona vnde ſatisfaciat, vt habetur *l. de creatione, §. ſit autem, Cod. de Epiſcop. aud.*

Illud autem eſt obſeruandum, ſi is, cui ſatisdationem exigere incumbit, illam non recipiat, aut recipiat minùs idoneam, concedi minori, mente capto, aut prodigo, actionem aduerſus illum, quantum ipſis intererat, idoneam fuiſſe receptam. Ita habetur *Inſtitut. de ſatisdat. tutor. §. 5. ſciendum autem.* Portò vniuerſim bona Tutoris & Curatoris tacitè ſunt hypothecata minori à puncto tutelæ, aut curæ ſuſceptæ, ita ut ad quemcumque deuenerint, poſſit illa minor extrahere, vt ſibi ſatisfiat, vt habetur *l. Pro officio, Cod. de adminiſtrat. tut. l. de creationibus, Cod. de Epiſcop. audient.*

7. Tutor vel Curator, qui pecuniam pupilli in ſuos vſus conuertit, tenetur ad reſtitutionem totius lucri ceſſantis, vel damni emergentis, quod inde paſſus eſt pupillus culpa Tutoris, vel minor culpa Curatoris; & hoc verum eſt, etiamſi lucrum illud ceſſans adeò magnum ſit, vt totam ſortem principalem excedat. Imò Tutor & Curator tenentur ad reſtituendos fructus omnes, deductis expenſis, quos ex bonis pupilli, ſeu minoris percipere poterant, ſed ſua culpa non perceperunt. Ita Syluester *verb. Tutor. §. 4.* Rebellus *de obligat. inſtit. p. 2. lib. 17. quæſt. vnic. de tutor. num. 15.* & alij.

Syluester. Rebellus.

Hinc Tutor vel Curator mobilia pupilli, quæ commodè ſeruari non poſſunt, vt veſtes attritas, iumenta minori non neceſſaria, triticum, vinum & oleum, atque his ſimilia poteſt ſine iudicis decreto vendere, permutare, atque alienare, *l. Lex quæ*, & *l. vltima, §. vltim. Cod. de adminiſtrat. tutor.* & *l. vltim. Cod. quando decreto opus non eſt.* Tenetur autem Tutor huiuſmodi res congruo tempore vendere, neque tamdiu expectare, quouſque pereant: alioquin ſuo damno pereunt, *l. Tutor qui repertorium, §. Si tutor, ff. de adminiſtrat. tutor.* Non tenetur autem mittere triticum & res alias in alium locum, vbi plus valeant, vt ibi vendantur, ſed ſatis eſt eas vendere vbi exiſtunt, vt decernitur *in l. vltim. C. de adminiſtrat. tutor.* & docent Bartolus, & Salicetus *ibi.*

Bartolus. Salicetus.

8. Modi, quibus tutela, aut cura, iure communi finitur, ſunt ſequentes. *Primus* eſt, quando pupillus, aut pupilla ad annos pubertatis peruenit, *Inſtitut. quibus modis tutela finiatur.* Et tunc tutor tenetur pupillum admonere, vt curatorem petat, alioquin ſubiicitur periculo curæ, donec adoleſcens factus ſit maior, *l. Ita autem, §. ſi tutor. ff. de adminiſtrat. tut.*

Secundus, ſi impubes de conſenſu arrogetur, tranſit in poteſtatem patris arrogantis, & tutela ceſſat. Si pupillus ab hoſtibus capiatur, dari debet bonis pupilli cum tutore curator, *l. Si arrogati. ff. de tutel.*

Tertius, amittitur tutela morte, vel pupilli, vel tutoris, & capitis diminutione tutoris, per quam

liberratem, aut ciuitatem amittat, hoc eſt, maxima vel media. Similiter etiam maxima, media, aut minima capitis diminutione pupilli, id eſt, per arrogationem illius, tutela finitur. *Inſtitut. quib. mod. tutel. finiat. §. ſimili modo*, & §. *ſed & capitis.*

Quartus eſt, ſi tutela ſub conditione, aut ad certum tempus data ſit, adueniente conditione, aut finito tempore, finitur tutela. *Inſtitut. eodem titulo, §. ſed etſi*, & §. *preterea.*

Quintus, quando tutor diſſipat bona pupilli, aut ipſius vitæ inſidiatur, aut alia facit contraria officio tutoris, hic remouendus eſt, tanquam ſuſpectus, ab officio, §. *Suſpectus, inſtitut. de ſuſpect. Tutor. vel Curator.* Qui verò ob ſegnitiem, reſtitutionem, inertiam, aut ſimplicitatem, à tutela, aut cura meritò remouetur, aut ad eam tanquam ineptus non admittitur, non appellatur ſuſpectus, ſed ineptus ad tale munus, neque infamiam ex remotione ab eo incurrit, *l.* 3. *& vltim. ff. de ſuſpect. tutor.*

Quacumque autem ex cauſa tutela, aut cura finiatur, rationem integram adminiſtrationis Tutor & Curator reddere tenentur, & reſtituere bona omnia minoris, vel ipſi, ſui iuris omninò effecto, vel ſucceſſori illius, vel ei, qui in tutela, aut cura ſuccedit, ſuntque bona omnia Tutoris, aut Curatoris tacitè hypothecata pro reſtituendis integrè bonis minoris, vt dictum eſt ſuprà, ex *l. pro Officio, C. de adminiſtrat. tut.*

Vide v. Excommunicatio 2. *num.* 14. Negotia geſta *num.* 10. Reſtitutio in integrum.

V.

VICARIVS.

SVMMARIVM.

1 *Quando Vicarius cenſeatur index Ordinarius.*

2 *An Vicariorum iuriſdictio expiret mortuo Principali, aut illo amoto ab Officio & iuriſdictione per excommunicationem, ſuſpenſionem vel interdictum, etiam quoad negotia cœpta.*

3 *An Vicarius Generalis Epiſcopi ſit Ordinarius? Et quid iuris de Vicariis foraneis Epiſcopi.*

4 *An Vicarij ipſi Generales poſſint loco ſui creare alios Vicarios Generales pro ſuo libito.*

5 *Quando Epiſcopus conſtituit Vicarium, committens illi aliquem, aut aliquos caſus, an talis Vicarius ſit cenſendus Ordinarius, vel delegatus.*

6 *An Vicarius Generalis Epiſcopi ex Officio poſſit audire confeßiones omnium de Diœceſi, & concedere aliis licentiam audiendi, ſi ſpecialiter ſibi ab Epiſcopo non committatur?* Refertur duplex ſententia.

7 *Vicarius Generalis Epiſcopi, an poſſit licentiam exercendi Pontificalia in ſua Diœceſi alteri concedere, ſi ſpeciale mandatum ad id non habeat.*

8 *An Vicarius Generalis Epiſcopi poſſit ex proprio Officio & ex generali inſtitutione Vicariatus, intereſſe matrimonio & alij Sacerdoti licentiam aßiſtendi concedere? Et quid dicendum de Vicario foraneo.*

9 *An diſpenſare in denuntiationibus matrimonij pertineat tantùm ad Epiſcopum, & non ad Vicarium ipſius Generalem?* Refertur duplex ſententia. *Et an in his poſſit diſpenſare Vicarius foraneus? Quis dicatur Vicarius foraneus.*

10 *Quæ beneficia poſſit conferre Vicarius Generalis Epiſcopi, data ei facultate conferendi beneficia.*

11 *An Vicarius poſſit conferre beneficia ipſi Epiſcopo, à quo talem facultatem accepit.*

12 *An Vicarius habens facultatem conferendi beneficia, poſſit ea conferre exiſtens extra diœceſim.*

13 *Quales qualitates debeat habere creandus in Vicarium Generalem Epiſcopi.*

14 *An Prælati regulares & religioſi de illorum licentia, poſſint eſſe Vicarij Epiſcoporum? An etiam Fratres Minores.*

15 *An Epiſcopus teneatur conſtituere Vicarium?* Refertur duplex ſententia.

16 *An in generali Vicarij inſtitutione concedantur ea tantùm, quæ in generali mandato continentur, & non ea, quæ ſpeciale requirunt mandatum.*

17 *Quando Vicarij inter regulares habeant iuriſdictionem Ordinariam, quando delegatam? Et an ſint verè Prælati? Et à quibus poſſint amoueri?*

1. VICARIVS ex tacito vel expreſſo Principis, legis, aut reipublicæ conſenſu à iudice Ordinario loco ſui conſtitutus, vt ex proprio ſuo tribunali vniuerſaliter iuriſdictionem vice ſui exerceat, non eſt iudex delegatus, ſed Ordinarius. Imò vnum & idem tribunal efficit cum principali eo iudice Ordinario, cuius vicem ſubit. Et ob eam cauſam non appellatur ab eo Vicario ad iudicem principalem, cuius eſt Vicarius: nam ab eodem tribunali ad idem non appellatur, vt habetur *in cap. Romana, in princip. de appellat. in ſexto*, & docent communiter Doctores. Imò conſuetudine introduci non poteſt, vt ab ciuſmodi Vicario ad eum, cuius vices gerit, appelletur, idq; ob eam rationem, quòd ab eodem in idem tribunal appellari non poſſit, vt habetur *in cap. 2. de conſuetud. in 6.*

2. Vicariorum iuriſdictio expirat mortuo principali, aut illo amoto ab Officio ac iuriſdictione: quod non contingit in aliis iudicibus Ordinariis, qui non expirant eorum morte qui illos iudices conſtituerunt. Ita colligitur ex *cap. 1. de Officio Vicarij, in 6.* vbi habetur, excommunicato principali, quamuis idcirco excommunicatus nõ maneat eius Vicarius, quæ tamen gerit, agendo vices talis excommunicati, eſſe nullius vigoris ac momenti non ſecus atque ſi ab ipſomet excommunicato fierent. Et affirmat communis Doctorum ſententia, quam ſequuntur Sanchez *de matrimon. lib. 3. diſput. 30. num. 2.* Nauarrus *in cap. Nullam, de regularibus, num. 22. §. ad prius.* Couarruuias *in practic. quæſt. cap. 4. num. 4.* Molina *tractatu quinto, diſp. 10. n. 2.* Sylueſter *verb. Vicarius, quæſt. 4.* & alij. De numero ciuſmodi Vicariorum eſt Vicarius Generalis Epiſcopi, aut Archiepiſcopi. Ratio autem eſt, quia eſt prorſus idem tribunal, & reputatur eadem vtriuſque perſona. Ergo cùm morte Epiſcopi ceſſet eius tribunal, ceſſabit etiam Vicarij. Similiter ſuſpenſa iuriſdictione Epiſcopi per ipſius excommunicationem, nempe quando eſt denunciatus vel notorius Clerici percuſſor, ſuſpenſa eſt etiam eius Vicarij iuriſdictio, atque ita ſicut geſta tunc per Epiſcopum pertinentia ad iuriſdictionem ſunt irrita, ſimiliter dicendum eſt de geſtis ab eius Vicario Generali. Et hæc vera ſunt etiam

Sanchez. Nauarrus. Couar. Molina. Sylueſter.

quoad

quoad negotia cœpta: illa enim perficere nequit Vicarius, Epiſcopo mortuo, aut excommunicato. In quo differt à delegato, cuius poteſtas non expirat quoad negotia incepta morte vel excommunicatione, ſuſpenſione & interdicto delegantis, *cap. Gratum, de officio delegat.* Et ratio differentiæ eſt, quia Epiſcopi & Vicarij eſt vnum & idem tribunal, non ſic autem delegantis & delegati. Ita communiter Canoniſtæ, Abbas *in cap. Licet, de offic. delegat. num.* 8. Rebuffus *in praxi benefic. tract. de forma Vicariatus, num.* 162. Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Dominicus, Ancharanus, Francus apud Sanchez *loco citato, num.* 6.

Abbas. Rebuffus. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Dominicus. Ancharan. Francus.

3. Quorundam ſententia fuit, Vicarium Generalem Epiſcopi non eſſe Ordinarium, ſed delegatum. Et probant, quia Ordinarius propriâ iuriſdictione vtitur, in quo diſtat à delegato, qui propriâ carens, vice fungitur delegantis. Sed Vicarius Epiſcopi, eius vices gerit: ergo non eſt Ordinarius. Tum quia ordinaria iuriſdictio non poteſt ab Epiſcopo concedi; nam ſolius eſt Principis Ordinarium conſtituere: Sed Vicarium conſtituit Epiſcopus: ergo non eſt Ordinarius. His tamen non obſtantibus dicendum eſt ex communi ſententia Vicarium Generalem Epiſcopi habere iuriſdictionem ordinariam. Ratio eſt, quia iuriſdictio conceſſa à Canone vel lege, eſt ordinaria. Et quamuis Epiſcopus conſtituat Vicarium Generalem, non tamen ei confert iuriſdictionem, quam habet, ſed à iure tribuitur, vt patet ex *cap. Licet, de offic. Vicarij, in* 6, ergo eius iuriſdictio eſt ordinaria. Tum quia, quemadmodum Epiſcopus dicitur Ordinarius, ſic etiam Vicarius illius Generalis Ordinarius nuncupatur. Conſentit *cap. Vt animarum, de conſtitut. in* 6. Tum quia eadem eſt iuriſdictio Epiſcopi & Vicarij, idemque tribunal, vt aſſeritur *in cap. Romana, de appellat. in* 6. & *cap.* 2. *de conſuetud. in* 6. ergo eſt Ordinarius. Ex quo infertur, quoties in aliquo decreto mentio fit Ordinarij, niſi ſubiecta materia aliud poſcat, intelligi non tantùm Epiſcopum, ſed etiam ipſius Vicarium Generalem, Vicarium Capituli ſede vacante, aliorumque habentium iuriſdictionem Epiſcopalem, cùm verè omnes hi Vicarij Ordinarij ſint. Ita ex communi docent Sylueſter *verb. Vicarius, q.* 4. *dict.* 1. Couarruuias 3. *variar. cap.* 20. *num.* 4. Gutierrez *quæſt. Canonic. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 15. *verſ. Nihilominus.* Flaminius *de reſignat. benefic. lib.* 3. *quæſt.* 11. *num.* 19. *& ſequent.* Molina *tract.* 5. *diſp.* 10. *num.* 3. Nauarrus *lib.* 4. *conſil. in* 1. *edit. tit. de ſponſal. conſ.* 5. *num.* 2. & alij multi quos refert & ſequitur Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *diſput.* 29. *num.* 3. *& ſequentibus*, qui *num.* 13. reſpondet ad argumenta prioris ſententiæ.

Sylueſter. Couar. Gutierrez. Flamin. Molina. Nauarrus. Sanchez.

Alij autem Vicarij Epiſcopi, qui foranei dicuntur, de quibus eſt ſermo in Gloſſa *Clement.* 2. *de reſcript. verb. Foraneo*, non ſunt Ordinarij, ſed delegati ab Epiſcopo, aut ab ipſius Vicario. Ratio eſt, quia non habent iuriſdictionem aliam, quàm conceſſam ſibi ab Epiſcopo; at Epiſcopus nequit iuriſdictionem ordinariam concedere. Tum quia eiuſmodi Vicarij foranei non vnum tribunal efficiunt cum tribunali Epiſcopi; nam ab ipſis appellatur immediatè ad Epiſcopum, aut ad ipſius Vicarium Generalem, vt habetur *in cap. Romana, de appellat. in* 6. & affirmant communiter Doctores, quos referunt & ſequuntur Couarruuias *in pract. quæſt. cap.* 4. *num.* 8. Molina *loco cit. n.* 4. Maranta *de ord. iudic. p.* 4. *diſt.* 5. *num.* 15.

Gloſſa. Couar. Molina. Maranta.

4. Vicarij ipſi non poſſunt loco ſui creare alios Vicarios Generales pro ſuo libito: tamen ex cauſa, vt iuſtæ abſentiæ, aut ægritudinis, poſſunt ad tempus modicum Vicarios creare, qui ex eodem tribunali iudicent, vt notant Gloſſa *Clement.* 1. *de regular. verb. Locum aliorum*, & Maranta *loco citato, numero vigeſimo ſecundo*, & alij. Et in euentibus huiuſmodi lege conceſſis taliter ſubſtituti, ſunt Ordinarij, quemadmodum & ij, quibus ex ea rationabili cauſa ſubſtituuntur. Poſſunt etiam hi Vicarij Generales tanquam iudices Ordinarij aliquam, aut aliquas cauſas delegare, vt notat Gloſſa *in cap.* 1. *de Offic. Vicarij, in* 6. *verb. Ipſius.* Molina *tract.* 5. *diſputatione decima, num.* 7. Maranta *citat. num.* 22. & alij.

Gloſſa. Molina. Maranta.

5. Quando Epiſcopus vnica commiſſione, dum conſtituit Vicarium, committit illi aliquem, aut aliquos caſus, eſt Vicarius Ordinarius etiam quoad caſus commiſſos, ex *cap. Tranſlato, de conſtitution.* vbi dicitur: *Quia ſimul & ab eodem & ſub eadem ſponſione, vtraque data ſunt: quod de vno dicitur, neceſſe eſt, vt de altero intelligatur.* Ex quo textu colligunt Doctores, quod de vno connexorum dicitur, ad alterum exendi: ergo cùm hæc poteſtas ſimul, & ab eodem conferatur, ſicut principalis eſt ordinaria, ſic erit ei connexa. Si autem diuiſim & ſeorſum committantur illi caſus, eſt iuriſdictio delegata: præterquam ſi in commiſſione fiat expreſſa mentio Vicariatus: ſi enim fiat, vt tali Officiali noſtro, vel Vicario committimus, aut poteſtatem aliàs per nos commiſſam, extendimus; tota iuriſdictio erit Ordinaria: quia datur tanquam annexa & acceſſoria Ordinariæ, & ideò ad illius tanquam principalis & dignioris naturam trahitur. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 29. *num.* 8. Ioannes Andreas, Beroius, Iacobus Sbrozius & alij apud illum.

Sanchez. Ioan. Andr. Beroius. Sbrozius.

6. Nonnulli arbitrantur Vicarium Generalem Epiſcopi non poſſe ex officio audire confeſſiones omnium de Diœceſi, & concedere aliis licentiam audiendi, niſi ſpecialiter ſibi ab Epiſcopo committatur. Ducuntur, quia ex Officio Vicarij tantùm habet iuriſdictionem in contentioſis, & in cauſis ciuilibus, vt videre eſt *in cap. Licet, de Offic. Vicarij, in* 6. Tum quia in Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reform.* ſtatuitur, vt nullus poſſit audire confeſſiones ſæcularium, niſi approbatus ab Epiſcopo: ergo eius Vicarius non poteſt hanc licentiam dare, nec ipſemet etiam confeſſiones audire, ſine licentia Epiſcopi ſpeciali. Ita tenent Scotus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 3. *verſ. Circa confeſſiones.* Hoſtienſis *in ſumm. tit. de pœnit. & remiſſ.* 5. *qui confitendum, n.* 14. Abbas *in Clement.* 1. *de priuileg. n.* 11. Ancharanus *in Clement. Dudum, §. ſtatuimus, notab.* 1. *de ſepult.* & alij, quorum ſententia non eſt improbabilis.

Scotus. Hoſtienſis. Abbas. Ancharan.

Sed verior & probabilior hoc tempore & in praxi communiter recepta ſententia eſt, poſſe Vicarium Generalem Epiſcopi, audire confeſſiones ex officio, & aliis licentiam audiendi concedere in tota Diœceſi, & ita comprehendi nomine proprij Sacerdotis, *in cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſ.* Ratio eſt, quia, vt dictum eſt ſuprà, eſt Ordinarius, & verè Prælatus in tota Diœceſi, Parochiſque ſuperior: ergo poteſt ex officio audire confeſſiones, ſi ſit Sacerdos (hoc enim ſupponitur) & aliis licentiam audiendi concedere in tota Diœceſi, quamuis Sacerdos non ſit, vt etiam concedit Epiſcopus charactere Sacerdotali non initiatus. Nec obſtat *cap. Licet, de Offic. Vicarij, in* 6. dum enim ibi dicitur habere iuriſdictionem tantùm in ciuilibus, non excluduntur ſpiritualia, ſed ſolùm cauſæ criminales, de quibus cognoſcere nequit Vicarius, abſque ſpeciali commiſſione.

Nec item obſtat quod dicitur in Tridentino, vbi petitur vt Confeſſarij ſint approbati ab Epiſcopo: ibi enim non excluditur eius Vicarius Generalis,

lis, quia nomine Episcopi, intelligitur etiam eius Vicarius Generalis, quando res est, quæ conuenit
Conc. Trid. Vicario ex eius officio. Proinde cùm Tridentinum *sess. 24. cap. 6. de reformat.* voluit Vicarium excludere, expresè dixit: *Eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum.* Concludendum est ergo sub nomine Episcopi comprehendi eius Vicarium Generalem in dictis casibus, qui vnum tribunal cum ipso constituit, eademque persona censetur. Hanc
Bonacina. communem sententiam tradunt Bonacina *tom 1. de Sacram. Pœnit. disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 1. num. 9.*
Gutierrez. Gutierrez *lib. 1. quæst. Canon. cap. 17. n. 24.*
Sanchez. Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 29. n. 15.*
Suarez. Suarez *tom. 4. de pœnit. disp. 28. sect. 5.*
Tannerus. Tannerus *de pœnit. disp. 6. q. 9. dub. 2. num. 27.* & alij.

7. Vicarius Generalis Episcopi non potest licentiam exercendi Pontificalia alteri concedere in sua diœcesi, nisi speciale mandatum habeat: quamuis enim Vicarius Generalis nomine Ordinarij veniat, nihilominus sicut ei specialiter interdicitur ne dimissorias concedat absque speciali man-
Glossa. dato, ex Glossa *in cap. Nullus, de tempor. ordinat. in 6 vers. Non extendat.* ita etiam eidem interdictum videtur, concedere facultatem extraneo Episcopo exercendi Pontificalia, nisi speciale mandatum ha-
Sac. Congr. Marzilla. Gallemart. beat. Ita decisum refertur à sacra Congregatione Eminent. Cardinalium Petrus Marzilla & Ioannes Gallemartius *in declarationibus super sess. 6. cap. 5. Concilij Tridentini.*

8. Ex veriori sententia, Vicarius Generalis Episcopi potest ex proprio officio, & ex generali institutione Vicariatus, interesse matrimonio, & alij
Conc. Trid. Sacerdoti licentiam assistendi concedere. Ratio est, quia iuxta Concil. Trident. *sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* potest assistere Parochus, vel alius Sacerdos de Parochi vel Ordinarij licentia: Sed Vicarius Episcopi est Ordinarius, & in decretis mentionem de Ordinario facientibus comprehenditur, vt dictum est *suprà num. 3.* ergo potest assistere & dare licentiam assistendi. Tum quia Vicarius ex generali commissione potest de causis matrimonialibus cognoscere, vt habet verior Doctorum sententia, ex *cap. 1. de frigid. & maleficiis.* vbi dicitur, quod proponenda sit querela coram Episcopo, vel eius misso, id est Vicario, iuxta Glossam *ibi* ad diuortium. Si ergo Vicarius potest de causis matrimonialibus cognoscere, à fortiori poterit assistere matrimonio, idque alteri Sacerdoti committere. Idem dicendum est de Vicariis habentium iurisdictionem Episcopalem: quia sunt Ordinarij, & nomine Ordinarij comprehenduntur.
Nauarrus. Flamin. Rodriguez. Pontius. Hurtadus. Trullench. Coninck. Sanchez. Ita Nauarrus *lib. 4 consil. tit. de sponsal. in 1. edit. consil. 47 & in 2. edit. tit. de clandestin. desponsat. consil. 14.* Flaminius *de resign. benefic. lib. 3. quæst. 11. num. 20. & 21.* Rodriguez *tom. 1. Summ. Latina, cap. 217. n. 15.* Pontius *de matrim. lib. 5. c. 11.* Gaspar Hurtado *disp. 5. de matrim. difficult. 9. num 12.* Trullench *tom. 3 in praxi resolut. Sacrament. lib. 7. cap. 6. dub. 3. n. 2.* Coninck *de Sacrament. disp. 27. dub. 2.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 29.* & alij communiter. Vicarius autem foraneus non potest assistere matrimonio, nisi omnes causæ matrimoniales illi delegentur: tunc enim potest de causa principali cognoscere, poterit & de minus principali & accessoria ac præambula, vt notant Sanchez *suprà n. 20.* Trullench *loco cit.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 32.*
Sanchez. Trullench. Barbosa.

9. Nonnulli dubitant, vtrum remittere præuias denunciationes, quæ fieri debent in Ecclesia de iis, qui contrahere volunt matrimonium, antequam illud contrahant, spectet ad solum Episcopum, an etiam ad ipsius Vicarium Generalem? De qua re Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* sic decreuit: *Nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædicta denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ & iudicio sancta Synodus reliquit.* Ex quo textu dicunt solum Episcopum id posse, & non Vicarium ipsius Generalem: & esto Episcopus Vicario suo id committat, nulla est talis remissio per Vicarium facta. Ita tenuère Menochius *consil. 69. num. 55. & sequent. volum. 1.* Suarez de Paz *in sua practica tom. 2. pralud. 3. fin.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 5. num. 5.* dicens sic declarasse Eminentiss. Cardinales, Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 3.* & alij, quorum sententia est probabilis. Contraria tamen sententia praxi totius orbis est recepta, nisi Episcopus facultatem dispensandi in denunciationibus sibi reseruet. Ratio est, quia Vicarius etiam est Ordinarius, & idem tribunal & eadem persona cum Episcopo. Unde etsi Congregatio declarauerit quoad hoc, nomine Ordinarij intelligi Episcopum, non est tamen excludendus Vicarius Generalis, qui est eadem persona cum Episcopo. Addo sæpè euenire posse, vt Episcopus sit absens, & vt necesse sit eas denunciationes remitti: insufficienter autem Concilium prouidisset necessitati, quæ occurrere poterat, nisi arbitrio Vicarij id etiam commisisset. Tandem, quia quando Tridentinum excludere voluit Vicarium, id exprimere solet, vt diximus suprà.
Conc. Trid. Menoch. Suar. de Paz. Henriq. Pontius.

Pro hac sententia est Salzedo *practic. cap. 73.* Gutierrez *lib. 1. quæst. canonic. cap. 19. num. 15.* Sanchez *de matrimon. lib. 3. disput. 7. num. 10.* Gaspar Hurtado *disp. 5. diffic. 19. num. 63.* Trullench *tom. 3. in praxi resol. Sacrament. lib. 7. cap. 6. dub. 9. num. 2.* Bonacina *quæst. 2. de matrim. punct. 6. num. 7. vers. Dixi.* Molina *tractatu 5. disput. 10. num. 13.* Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis. 299.* & communis.
Salzedo. Gutierrez. Sanchez. Hurtadus. Trullench. Bonacina. Molina. Riccius.

Vicarius autem foraneus non potest in his dispensare absque speciali commissione: huius enim facultas est limitata, nec est eadem persona cum Episcopo. Imò nec poterit Vicarius Generalis hanc facultatem generaliter delegare, sed tantùm ad vnam, vel alteram causam in particulari, quia est Ordinarius, quamuis non possit alium Vicarium instituere, vt docent Sanchez *loco cit. disp. 7. num. 21.* cum aliis ibi citatis, & Bonacina *loco citato, num. 7. vers. Ex quo.*
Sanchez. Bonacina.

Sed petes, quis dicatur Vicarius foraneus? Respondeo foraneum dici, quia iurisdictionem habet extra ciuitatem, in qua est Episcopi sedes in certa parte Diœcesis: eius autem tribunal & auditorium non censetur idem, quod Episcopi: iurisdictionem itidem ordinariam non habet, sed delegatam. Præterea ab eius sententia ad Episcopum appellatio conceditur, cùm solùm habeat commissam iurisdictionem. Insuper non videtur dignitatem habere, ita vt rescripta Papæ directè ad eum, qui est in aliqua dignitate constitutus, tanquam ad conseruatorem & delegatum Pontificium, non extendantur. In his omnibus à Vicario Generali distinguitur, qui iurisdictionem Ordinariam habet, & dignitatem. Ita communiter Doctores, & hæc ex dictis colliguntur.

10. Certum est Vicarium Generalem Episcopi ratione sui officij non posse beneficia conferre, nisi Episcopus specialiter ei commiserit potestatem conferendi, vt constat ex *cap. vltim. de offic. Vicarij, in 6.* & diximus *tomo primo, verb. Beneficium V. in fexto.* Verùm datâ Vicario specialiter facultate conferendi beneficia, non intelligitur concessa potestas conferendi ea beneficia, quæ Episcopus iure speciali, aut priuilegio conferre potest.

Quare

Digitized by Google

Quare Vicarius, eiuſmodi facultate accepta, ſolum poteſt conferre ea, quæ ad Epiſcopum iure ordinario & communi pertinent: nam priuilegium perſonæ ad alium non tranſit. Sed dubitatur, an cenſeatur data facultas conferendi beneficia, quæ iure deuoluto ad Epiſcopum pertinent, ob negligentiam vel delictum inferiorum, quorum erat ius conferendi? Reſpondent Rebuffus *in praxi benefic. tit. de Vicar. Epiſcop. num.* 88. Pauinus *in tractatu ſuo, part.* 2. *quæſt.* 10. intelligi datam; nam negligentia vel delicto inferiorum commiſſo, poteſtas conferendi iure ordinario & communi ad Epiſcopum ſpectat. Tutius verò eſſe exprimere in inſtrumento datæ facultatis beneficia ad Epiſcopum deuoluta. Certi autem iuris eſt, ſi beneficia ſint deuoluta ad Epiſcopum, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum, puta ob negligentiam Regularium, Vicarium ea conferre non poſſe. *Clement.* 1. *de ſupplend. negligent. Prælator.* & docent Filliucius *tract.* 41. *cap.* 2. *num.* 51. Azorius *parte ſecunda, lib.* 3. *c.* 44. *quæſt.* 2. & alij.

Rebuffus. Pauinus. Filliucius. Azorius.

11. Vicarius non poteſt conferre beneficia ipſi Epiſcopo, à quo talem facultatem accepit. Ratio eſt, quia ſicut Epiſcopus ſibi ipſi beneficium conferre nequit, quia inter dantem & accipientem debet eſſe diſtinctio; ſic alteri facultatem dare non poteſt, vt ſibi beneficium conferat, etiamſi aliàs eſſet capax; Vicarius enim vnam perſonam facit cum Epiſcopo; & ideò ſi Vicarius conferat inhabili, non fit ad Epiſcopum deuolutio, *cap.* 2. *de conſuetud. in* 6. Quod tamen intelligitur, quando Vicarius conferret vt ordinarius, ſecus ſi vt delegatus, *cap. Si compromiſſarius, de elect. in* 6. Subſtitutus tamen à Vicario habente poteſtatem ſubſtituendi, conferre beneficia Vicario ſubſtituenti poteſt; quia ſubſtitutus cenſetur ab Epiſcopo conſtitutus & habere Epiſcopi conſenſum, non Vicarij ſubſtituentis. Ita Rebuffus *loco cit. n.* 82. Garzias *de benefic. parte prima, cap.* 8. *à num.* 145. Azorius *loco citato, quæſt.* 15. Filliucius *tract.* 41. *cap.* 2. *num.* 53. & alij.

Rebuffus. Garzias. Azorius. Filliucius.

12. Vicarius habens ſpecialem facultatem conferendi beneficia, poteſt ea conferre, cùm extra diœceſim exiſtit. Hoc colligitur ex Gloſſa *in cap. Nouit. de offic. legat. in verb. Terminos.* tunc enim collatio eſt voluntariæ iuriſdictionis: quamuis enim iudex extra territorium exiſtens, iuriſdictionem exercere nequeat in his, quæ cauſæ cognitionem in tribunali requirunt: poteſt tamen, quando res talem cognitionem non poſtulat. Deinde iura indiſtinctè docent poſſe iuriſdictionem voluntariam extra territorium exerceri, nec faciunt vim in eo quòd iuriſdictio exercentis ordinaria ſit, ſed quia nulla irrogatur iniuria iudici alieni territorij, cùm abſque ſtrepitu & figura iudicij exerceatur: quæ ratio æquè militat in iudice ordinario & delegato. Ita reſoluunt Dominicus *in cap. final. de Vicar. in* 6. Rebuffus, Couarruuias, Menochius, Flaminius & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 34. *num.* 2.

Gloſſa. Dominicus. Rebuffus. Couar. Menoch. Flaminius. Sanchez.

13. Vicarius debet creari idoneus ſcientia, ætate & moribus, qui ſit forenſium rerum & cauſarum peritus, *l. penult. Cod. de iudic.* Ætas idonea cenſetur ad id muneris & officij, ſi fuerit 25. annorum vt colligitur ex *cap. Cùm in cunctis, §. inferior. de elect.* & tradit Rebuffus *in praxi tit. de Vicariis Epiſcop. n.* 20. & 28. & debet ad gradus Doctoris vel Licentiati in iure Canonico eſſe promotus. Laicum autem nequit Epiſcopus inſtituere Vicarium; nec eum, qui eſt matrimonio coniunctus. Francus *in cap.* 1. *de offic. Vicarij in* 6. Non prohibetur tamen Epiſcopus habere aſſeſſorem laicum Abbas, Felinus & alij *in cap. De his, & cap. Decernimus, de indic.* Inſuper debet Vicarius habitum Clericorum deferre, *cap. In noua,* 16. *quæſt.* 7. Nam ſi laicorum veſtes geſtans beneficium conferat alicui, cogitur is, qui beneficium accepit, vel ipſe Vicarius probare ſe Vicarium & Clericum fuiſſe, cùm beneficium contulit.

Rebuffus. Pauinus. Filliucius. Azorius. Francus. Abbas. Felinus.

14. Prælati regulares & religioſi de illorum licentia poſſunt eſſe Vicarij Epiſcoporum: quia nullibi in iure id eis interdictum reperitur, vt tradunt Panormitanus *in cap. final. num.* 4. *de Clerico ægrot.* Nauarrus *Comment.* 2. *de regul. ad finem, verſ. Addo decimoquintò.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 54. *num.* 12. Pellizzarius *in Manual. regular. tract.* 8. *cap.* 6. *n.* 247. Tamburinius *de iur. Abbatum, tom.* 3. *diſp.* 17. *quæſt.* 5. *num.* 7. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 13. *num.* 88. Rebuffus *in praxi benefic. tit. de Vicariis Epiſcop. num.* 30. & alij multi apud ipſos citati. Quidam tamen excipiunt religioſos Ordinum Mendicantium, qui eſſe nequeunt Vicarij Epiſcoporum, ex *Clement.* 1. §. *Ad priorat. tus, de regular.* Ita Rebuffus *loco cit. num.* 32. Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 43. *quæſt.* 10. Sed hanc limitationem alij non admittunt, quia *in dict. Clementina* ſolùm hoc interdicitur Mendicantibus, qui ad non Mendicantes tranſierunt; quare potiùs ſupponit non tranſeuntes poſſe eſſe Vicarios Epiſcoporum, dummodo accedat licentia Prælati; hæc enim omninò requiritur, iuxta *cap. Monachi, el 2. 16. q.* 1. & *cap.* 2. *de poſtulando*, vbi prohibetur Monachis quodcumque Officium ad iudicia pertinens ſine licentia Prælati; cuiuſmodi vtique eſt talis Vicariatus. Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de regular.* prohibet, *ne quis Regularis, ſine ſui ſuperioris licentia & prædicationis, vel lectionis, aut cuiuſuis pij operis prætextu, ſubiiciat ſe obſequio alicuius Prælati, Principis vel Vniuerſitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuſcumque perſonæ, ſeu loci: neque ei aliquod priuilegium, aut facultas ab aliis ſuper iis obtenta ſuffragetur.* Quando autem religioſus non eſſet exemptus, tunc cùm ſubſit Epiſcopo, non eſt neceſſaria licentia ſui Prælati, ſed ab Epiſcopo tanquam ſuperiori poterit ad id officium aſſumi. Et ita bene limitauit Nauarrus *loco citato*, dicens exigi licentiam Abbatis, ſi religioſus ſit exemptus. Cæterùm Fratres Minores non poſſunt vllo pacto eſſe Vicarij Epiſcoporum, vt ex multis probat Sbrozius *de Vicario Epiſcop. lib.* 1. *quæſt.* 38. *num.* 5. & poſt illum Sanchez *loco citato, num.* 94. Pellizzarius *loco citato, quæſt.* 9. Hieronymus Rodriguez *in Compend. priuileg. reſol.* 139. *num.* 6. & alij.

Panormit. Nauarrus. Barboſa. Pellizzarius. Tamburin. Sanchez. Rebuffus. Rebuffus. Azorius. Rebellus. Conc. Trid. Nauarrus. Sbrozius. Sanchez. Pellizzarius. Hier. Rodr.

15. Dubium eſt, an Epiſcopus teneatur conſtituere Vicarium? Plurimi affirmatiuam tenent propter ingentes occupationes, in quibus Epiſcopale regimen, & animarum cura verſatur; per ſeipſum enim eſſi diligentiſſimum ob amplam & diffuſam diœceſim, quandoque non valet omnia miniſtrare. Ita Panormitanus *in cap. Quoniam, num.* 3. *de offic. Ordinar.* Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 43. *quæſt.* 2. Rebuffus *in tract. nominat. quæſt.* 4. *num.* 61. & alij apud Barboſam infrà. Verùm contrarium amplexa eſt ſacra Rota apud Puteum *deciſ.* 43. *lib.* 2. Ratio eſt, quia Epiſcopus non tenetur habere Vicarium, ſed eſt in eius facultate, an velit illum retinere. Ex iis enim, quæ fiunt, ſeu fieri ſolent, vel permittuntur iure facultatis, vel ex gratia & voluntate aduerſarij, nullum quæritur ius, nec oritur poſſeſſio vel quaſi, quæ ſit attendenda; proinde in puncto quod communitas loci non poſſit petere manutentionem contra Epiſcopum, vt retineat in illo loco Vicarium generalem, tenent Barboſa *de offic. & poteſt.* Barboſa.

Panormit. Azorius. Rebellus. Rota. Puteus.

Tuscus. *Episcop. p.3. allegat.54.n.125.* Cardin. Tuscus *pract. conclus. verb. Mandatum de manutendo, conclus. 69. n.6.* Et quod possit Episcopus in quacumque parte Diœcesis Vicarium retinere, probat textus *in cap. Cùm Episcopus, de offic. Ordinar. in 6.*

16. Potrò in generali Vicarij concessione conceduntur ea tantùm quæ in generali mandato continentur, etiamsi clausulam Episcopus posuisset, *dantes & concedentes ei plenam & liberam potestatem*; argum. textus *in l. Procurator cui. ff. de Procurator.* cum similibus; non tamen poterit ea peragere Vicarius & expedire, quæ verisimiliter non esset Episcopus eum constituens concessurus, ac ea, quæ speciale postulant mandatum, *ex cap. Qui generaliter, de Procurator. in 6.* quod Glossa *vlt. in cap. 2. de offic. Vicar. in 6.* amplius extendit, ad eum casum, quo Episcopus Vicario suo diceret: Constituo te Vicarium meum vniuersalem cum facultate & potestate, vt omnia loco mei efficere possis, quæ ego possum, etiamsi talia sint, quæ speciale requirant mandatum; quia etiam tunc non consequetur talis Vicarius vi solius clausulæ generalis præstatæ potestatem ad quicquam eorum efficiendum, quæ speciale requirunt mandatum. Ita post Glossam tradit Molina *de iustit. tr.5. disp.10. n.9.* Casus autem, in quibus Vicarius speciali indigeat Episcopi commissione, enumerantur à Barbosa *p.3. allegat.54. à n.60. vsque ad numerũ 125.* qui videri possunt apud ipsum. Illud autem est hic notandum, quod in commissione Vicariatus, non est necesse exprimere nominatim omnes casus; sufficit enim aliquos exprimi cum clausula generali, & ad omnia alia, etiamsi exigant speciale mandatum, *ex cap. Qui ad agendum, § sed si aliquis, de Procurator. in 6.* Ita Couarruuias *lib. 2. variar. c.5.n.9.* Molina *loco citat.* Sanchez *lib.3. de matrim. disp.29. n.8.* Barbosa *loco cit. n.124.* & alij. Et hæc de Vicario Generali Episcopi dicta sufficiãt. Plura apud Barbosam *p.3. allegat.54.* per totam. De Vicariis Parochorum diximus *tom.1. verb. Vicarius.* Nunc de Vicario regulari aliquid dicendum.

Glossa. Molina. Couar. Molina. Sanchez. Barbosa.

17. Inter Vicarium & Delegatum maxima est differentia: nam Delegatus est ille, cui iudex committit causam in locum sui ipsius, & vices ipsius gerit, *cap. Sanè 2. de offic. delegat.* Sed Vicarius est, quem Superior constituit loco absentis, defuncti, vel impediti, *l.2. Cod. de officio eius qui gerit vices alter.* Et hi Vicarij non habẽt iurisdictionem delegatam, sed ordinariam, quando constituuntur à Generalibus, aut Prouincialibus, ita vt vice eorum ibi constituãtur. Vicarij autem conuentuum constituti à Prælato locali, iurisdictionem tantùm delegatam habent, & non possunt alios constituere Vicarios; secus tamen dicendum de Vicariis constitutis à Generali, vel Prouinciali propter absentiam Superioris localis; hi enim possunt delegare: & omnia ipsis priuilegia Prælatis localibus concessa communicantur. Ita Rodriguez *tom.3. qq.regul.q.76. a.1.* Imò tempore quo eorum durat officium, videntur esse verè & propriè Prælati, nec possunt Guardiani limitare supradictorum Vicariorum auctoritatem: quia in absentia eorum habent eandem potestatem, quam ipsi, per concessionem Iulij II. & docet Miranda *tom.2. man. Prælat. q.20. a.1. concl.2.* Illi autem Vicarij, qui ponuntur & constituuntur à Guardianis, vt vices eorum gerant, & adiuuentur ab ipsis, nõ sunt verè & propriè Prælati: quia in Guardianorum præsentia nullam habent auctoritatem, nisi quam Guardianus illis centulerit, & totaliter dependent in sua administratione & regimine à dictis Guardianis: proinde si Guardianus moriatur, seu priuetur, statim desinit esse Vicarius, vt notant communiter Doctores in *Clementina final. de Procurator. verb. contestata*, & ibi Glossa, *& in cap. Extirpanda, § quod verò, de præbend.* Hoc tamen non habet locum, quando prædictus Vicarius institutus est à Prouinciali & Definitoribus, & ab ipsis immediatè, & non à Guardianis suam habet auctoritatem & iurisdictionem; tunc enim licet per talem institutionem non efficiatur Prælatus, sed tantùm Vicarius dictorum Guardianorum, ea tamen institutio erit efficax, vt mortuo Guardiano, ipse fungatur officio Vicarij. Vide Mirandam *loco citato, concl.2. & 3.*

Rodrig. Miranda. Glossa. Miranda.

An autem Vicarius hic possit à Guardiano amoueri? Resp. posse, si ab ipso fuit constitutus: si autem à Superiori, non potest eum munere Vicariatus priuare, inconsulto Superiori. Ratio est: Officialis electus à Superiori, non potest eum Prorex amouere, vt tradunt Glossa & Doctores *in l. Solet, ff. de offic. proconsulis.* Proinde in religionibus, vbi Vicarij constituuntur in tabula capitulari, & non à Guardiano, Priore, &c. non potest Guardianus, vel Prior Vicarium amouere. Rodriguez *loco citat. art. 3.* Miranda *loco cit. art. 2.* & alij.

Vide verb. Beneficium 3. *num.4.* Beneficium 5. *num.13.* Beneficium 6. *num.3.* Excommunicatio 1. *n.7.* Residentia *num.9.* Matrimonium 1. *n.13.*

VISITATIO.

SVMMARIVM.

1 *Visitatio quid sit? & quid visitare?*

2 *Quibus competat ius visitandi.*

3 *Qui debeant & possint à Summo Pontifice visitari.*

4 *An Patriarchæ, Primates, Metropolitani & Episcopi debeant singulis annis propriam Diœcesim visitare per se, vel per alium? Et an Clerus possit impedire ne Episcopus visitet ante lapsum triennij.*

5 *Episcopi in visitatione suarum Diœcesum, an incipere debeant ab eorum Cathedralibus Ecclesiis.*

An Decanus & Capitulum singulares Capituli personas cumulatiuè cum Episcopo, seorsum tamen ab eo, visitare possint.

An Episcopo visitationem aggredienti liceat proponere edicta, quibus subditi iubeantur crimina detegere.

6 *An hospitale nouiter fundatum, fundatore ipso superstite, ab Episcopo visitari possit? Quando in dubio hospitale præsumatur auctoritate Episcopi fundatum? Et an possit Episcopus hospitale visitare, quando eum exclusit fundator à visitatione?*

7 *An hospitalia & confraternitates, quæ sunt sub immediata Regum protectione, ab Episcopis visitari possint.*

8 *An Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus visitare possit loca exempta suæ Diœcesis, & quando non.*

9 *An Ecclesiæ regularium, quibus cura animarum personarum secularium est annexa, ab Ordinario visitari possint.*

10 *An Ordinarij possint visitare Capellas Confraternitatum laicorum in Ecclesiis regularium erectas.*

11 *An Commendata, Monasteria, Abbatia, Priorata, Præpositura, &c. in quibus non viget regularis obseruantia, quamuis exempta, debeant ab Episcopis visitari tanquam Sedis Apostolicæ delegatis? Et quid in his si in eis regularis obseruantia vigeat.*

12 *An Episcopi in iis quæ ad visitationem ac morum*

rium correctionem ſpectant ſuorum ſubditorum, procedant omni appellatione, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſitâ, ſemotâ, quæ executionem ſuſpendere non poteſt? Et an tunc appellatio habeat effectum deuolutiuum? Et quando ſuſpenſiuum.

13 *An viſitator in actu viſitationis poſſit allegari vt ſuſpectus.*

14 *An ex iure Canonico poſſit iudex Ordinarius ex iuſta cauſa recuſari.*

15 *An poſſint regulares recuſare iudicem Ordinarium vt ſuſpectum?* Refertur duplex ſententia.

16 *Quomodo ſit intelligendum ſtatutum factum apud regulares de non recuſando iudice Ordinario? Et an tale ſtatutum tollens recuſationem iudicis ex quacumque cauſa ſit validum?*

17 *An Eccleſiæ inferiores viſitantibus moderatas Procurationes ſoluere teneantur? Et an viſitator præter Procurationem aliquid muneris accipere poſſit?*

18 *Quando admittatur præſcriptio contra viſitationem.*

1. VIſitatio eſt exquiſitio & diſcuſſio facta propoſito verbo Dei, in loca viſitanda per Viſitatorem Eccleſiaſticum Ordinarium vel delegatum de his rebus, & circa eas res, quas poteſt & debet ipſe Viſitator iure ſuo ordinario, vel delegato pro animarum ſalute promouenda, cultu diuino manutenendo & eo collapſo reſtituendo, ſecundùm qualitatem & conditionem perſonarum & locorum viſitandorum exquirere & diſcutere cum ordinatione, correctione & reformatione eorum, quæ ordinatione correctione & reformatione indigebant. In ſumma viſitare nihil aliud eſt, quàm exceſſus inquirere, & inquiſitos caſtigare, & emendare, atque obſeruantiam obligationum iuxta cuiuſque perſonæ, ac rei exigentiam, vbi adhuc viget, conſeruare, & vbi deficit, in ſtatum priſtinum reſtituere. Hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 3.* nos docet, quod *viſitationum præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxamq; doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere; populum cohortationibus & admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamq; accendere, cetera, prout locus, tempus & occaſio feret, & viſitantium prudentia, ad fidelium fructum conſtituere.* Conc. Trid.

2. Ius viſitandi & poteſtatem habet omnis Prælatus Eccleſiaſticus, cui iuriſdictio & adminiſtratio conuenit, *ex cap. 1. §. Hanc autem, de cenſibus in 6.* quare viſitare poſſunt ac debent iure ordinario præter Romanum Pontificem Legati à latere, ex officio legationis ſibi à Sede Apoſtolica demandatæ, *cap. Cùm Apoſtolus, de cenſibus.* Item Legati Pontificij, qui non ſunt à latere, ſed dicuntur nati, quibus legatio Apoſtolica competit ratione dignitatis, in qua ſunt conſtituti, *cap. Cùm inſtantia, & cap. Procurationes, de cenſibus.* Item etiam Legati Apoſtolici, qui Miſſi, ſiue Nuncij Apoſtolici nuncupantur, poſſunt quidem viſitare, *ex cap. Cum inſtantia, & cap. Procurationes de cenſib.* ſed non debent, niſi viſitandi onus eis ſit ſpecialiter impoſitum, vel niſi vrgens aliqua neceſſitas viſitationem poſtulet. Item ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. anno 1514. Cardinales tituli ſui loca, ſi præſentes fuerint perſonaliter, ſi abſentes per Vicarium, tenentur ſingulis annis viſitare clericos & populos ſuarum Eccleſiarum. Item Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi & Epiſcopi ius habent viſitandi, & viſitare ipſo iure coguntur, *ex cap. Romana, & cap. Felicis, de cenſibus in ſexto, cap. Si Epiſcopum, de offic. Ordinar. in 6.* Conc. Latet. Leo X.

Decani, Archidiaconi, Archipresbyteri, Plebani & alij inferiores viſitandi ius habent, ſi id longa conſuetudine præſcripſerint, *cap. Super eo, & cap. Cùm Apoſtolus, de cenſibus.* De quibus nouè Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 3. de reformat.* ita diſponit: *Archidiaconi autem, Decani & alij inferiores in his Eccleſiis, vbi hactenus viſitationem exercere legitimè conſueuerunt, debeant quidem, aſſumpto Notario, de conſenſu Epiſcopi deinceps per ſeipſos tantùm ibidem viſitare.*

Competit etiam ius viſitandi Abbatibus, Prioribus, Generalibus, Prouincialibus aliiſque Regularium Præfectis in monaſteriis religioſorum, vel deputatis in iiſdem, *cap. In ſingulis cap. Ea quæ de ſtatu monachor.* Abbatiſſæ & Prioriſſæ, quæ nulli Abbatiſſæ Superiori parent, aliæque mulieres cuiuſuis tituli præfectæ Monaſteriis regularium Monialium viſitare poſſunt Monaſteria & alia loca ſibi ſubiecta. Sed quia eſt ipſis interdictum Monaſterij clauſtra exire, poſſunt tanquam legitimè impeditæ Religioſos, probatoſque viros in viſitandi officio ſubrogare, & proinde ibi ceſſabit officium Ordinarij. Archidiaconus *in cap. 1. de ſtatu regular. in 6.* & Glo. *Clementina 2. de ſtatu Monachor. in verbo, Alia*, Barboſa *de offic. & poteſt. Epicop. p. 3. alleg. 73. num. 23.* & alij. Archidiac. Glo. Barboſa.

Portò cùm viſitatio ſit ius Epiſcopale pertinens ad poteſtatem iuriſdictionis ordinariæ, non verò ad poteſtatem Ordinis, *cap. Conquerente, de offic. Ordinar. & cap. 1. §. vlt. de cenſib. in 6.* hinc fit vt poteſtas Epiſcopis conceſſa, tranſeat in capitulum Sede vacante: poteſt enim viſitare Eccleſias Epiſcopatui ſubiectas, vt reſoluunt Molina *de inſtit. tract. 5. diſp. 11. n. 7. verſ. Ex eodem*, Rebuffus *in praxi, titul. de deuolut. num. 65.* & communis: quia Sede vacante Capitulum ſuccedit in omni ordinaria Epiſcopi iuriſdictione, niſi aliud iure reperiatur expreſſum, *cap. vltim. de ſupplend. negligent. Prælat. in 6.* Imò aliquando Capitulum ſuperſtite adhuc Epiſcopo ex præſcriptione, vel priuilegio viſitandi ius habet, de qua re ſic Concilium Trident. *ſeſſ. 24. cap. 3. de reform.* loquitur: *Viſitatores etiam à Capitulo deputandi, vbi Capitulum ius viſitandi habet, priùs ab Epiſcopo approbentur, ſed non idèo Epiſcopus, vel eo impedito, eius viſitator eaſdem Eccleſias ſeorſum ab his viſitare prohibeatur; cui ipſi Archidiaconi, vel alij inferiores viſitationis facta infra menſem rationem reddere, & depoſitiones teſtium ac integra acta ei exhibere teneantur: non obſtantibus quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus & priuilegiis quibuſcumque.* Barboſa *loco cit. n. 26.* Molina. Rebuffus. Conc. Trid. Barboſa.

Vicarius autem Generalis Epiſcopi hoc ius viſitandi non habet, niſi ſpecialiter eidem committat Epicopus, vt dicunt Rebuffus *in praxi benefic. tit. in forma vicariatus, num. 100. & 101.* Vgolinus *de poteſtat. Epiſcop. cap. 4. §. 7. verſic. Tertiò, nec viſitare*, Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 45. quæſit. 4.* Rebuffus. Vgolinus. Azorius.

3. Qui autem debeant & poſſint viſitari? dicendum eſt *Primò*, quòd viſitator quilibet debet priùs viſitare & emendare ſeipſum & familiam ſuam, eiiciendo priùs trabem de oculo ſuo, quàm feſtucam de oculo fratris ſui. Nunquam enim purè maculam in membro conſiderat oculus, quem puluis grauat, & ſuperiectas ſordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent, vt docet D. Gregorius 7. *moralium.* Et iudicet ille de alterius errore, qui non habet in ſeipſo quod condemnet: iudicet ille qui non agit eadem quæ in alio putauerit punienda, ne cùm de alio iudicat, in ſe ferat ſententiam; vt ex D. Ambroſio refertur *in cap. Iudicet 3. q. 7.* D. Gregor. D. Ambroſ.

Secundò,

Secundò, visitari possunt & debent à Summo Pontifice, omnia regna, Prouinciæ, terræ & gentes: quia totus Christianorum orbis est Summi Pontificis Diœcesis, *cap. Cuncta per mundum* 9. q. 1. Nam Pastoralis Cura solicitudinis illi diuinitus super cunctas Christiani populi nationes iniuncta, illum vigilare remediis subditorum, eorumque periculis obuiare & scandala remouere compellit: quod perfectiùs facere non potest, quàm sæpè congregando Concilia Generalia, & faciendo congregari Concilia Prouincialia & Diœcesana, in quibus potissima pars visitationis existit. In specie autem visitare potest omnes Patriarchas per se vel alios, & Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, cæterosque omnes in quacumque Ecclesiastica dignitate constitutos, ac omnes denique Ecclesiasticos cuiuscumque conditionis sint, de quibus *in cap. perlectis, distinct.* 25. visitati etiam. Corrigit & deponit Cardinales etiam absque consilio Fratrum, vt notatur *in cap. Ad succidendos, de schismat. in* 6. Item visitat Imperatorem & Reges quoscumque, quia occasione peccati corrigi possunt à Romano Pontifice: hinc est, vt Romanus Pontifex in Regni alicuius, vel Imperij administratione adiutorem dare possit, vt aliquando dedit, *cap. Grandi, de supplend. negligent. Prælat. in* 6. Similiter visitat Papa omnes alios Principes, Duces, Marchiones & Comites, Barones, Iudices, cæterosque Magistratus, & consequenter omnes officiales, populos, congregrtiones Collegia, confraternitates siue Societates tam Ecclesiasticas, quàm sæculares: sicut omnes Ecclesias tam Cathedrales, quàm Collegiatas & earum Capitula & conuentus; quia omnes sub verbo cleri & populi concluduntur: etiamsi sint Monasteria Religiosorum vel Monialium, vel Hospitalia, aut alia pia loca. Imò ipsi Iudæi, & pagani Christianorum Principum imperio subiecti, visitari possunt, *ex Clement. 1. de Iudais.* Hæc omnia probantur *ex cap. grauem & cap. nouerint, de sentent. excomm. ex cap. aduersus, de immun. Eccles. cap. Omnes Principes, de maiorit & obedient.*

Conc. Trid. 4. In Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 3. de reform.* statuitur, vt *Patriarchæ, Primates, Metropolitani & Episcopi propriam Diœcesim per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, visitatorem, si quotannis totam, propter eius latitudinem, visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem. ita tamen, vt tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. A Metropolitanis verò, etiam post plenè visitatam propriam Diœcesim non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses suorum Comprouincialium, nisi causa cognita & probata in Concilio Prouinciali.*

Hucusque Concilium. Proinde Clerus non potest impedire ne Episcopus visitet ante lapsum triennij sub prætextu immemorialis consuetudinis, vt Rota. censuit Rota *in Pampilon. iuris visitandi* 15. *Martij* 1624. *coram R.P.D. Merlino.* quia decretum Concilij Trident. submouet immemorialem, tum quia materia est impræscriptibilis, & semper actus ex parte Episcopi remanet merè facultatiuus, secundùm Surdus *consil.* 127. *num.* 81. Stephanum Gratian. *in disceptat forens. cap.* 298. *num.* 10. & *c.* 399. *n.* 33. Aliàs enim ab Ecclesiastica disciplina alienissimum est, vt ex negligentia Prælati detur ansa clero, & subditis refugiendi annuam visitationem, vtque Episcopus vel capitulum in graue cultus diuini præiudicium, & in perniciem animarum ipsorum recusantium, munus suum aliquo tempore ob incuriam prætermissum, resumere, & peragere non valeat, in quo si defuerit, ouium suarum sanguinem ex eorum manibus se requisiturum Dominus minatus est, Ezechielis *capite trigesimotertio, versu octauo.*

Surdus. Gratian.

Ecclesiarum autem visitatio, quæ nullius sunt Diœceses, ad Episcopum etiam spectat, cuius Cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet; alioquin ab eo, qui semel in Concilio Prouinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, hæ Ecclesiæ visitentur, non obstantibus priuilegiis & consuetudinibus quibuscumque, etiam immemorabilibus. Concilium Conc. Trid. Trid. *sess. 24. cap. 9. de reform.*

5. Episcopi in visitatione suarum Diœcesum incipere debent ab Ecclesiis Cathedralibus eorum, & Capitulis Ecclesiarum ipsarum Cathedralium; proinde Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 4. de* Conc. Trid. *reform.* statuit, *Capitula Cathedralium & aliarum maiorum Ecclesiarum, illorumq; personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, & iuramentis, concordiis, quæ suos tantùm obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint. quo minùs à suis Episcopis & aliis maioribus Prælatis per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi & emendari, etiam auctoritate Apostolica, possint, & valeant.* Additur autem in eodem Concilio *sess. 25. de reform. cap. 6.* Conc. Trid. quod *cùm extra visitationem processerit Episcopus, infrascripta omnia locum habeant videlicet, vt Capitulum initio cuiuslibet anni eligat ex Capitulo duos, de quorum consilio & assensu Episcopus, vel eius Vicarius, tam in formando processum quàm in ceteris omnibus actibus vsque ad finem causæ inclusiuè, coram Notario tamen ipsius Episcopi, & in eius domo aut consueto tribunali, procedere teneatur, &c.*

Aduertendum tamen videtur, *Primò* quod dicta decreta Concilij non sustulerunt facultatem aliàs ex immemorabili, & laudabiliter obseruata consuetudine, Decano & Capitulo singulares Capituli, ipsique subiectas personas cumulatiuè cum Episcopo, seorsum tamen ab eodem, ipsumque Episcopum toties quoties sua auctoritate vti volentem non excludendo, visitandi, corrigendi, & emendandi: quia non dicitur Concilium eam facultatem concessisse Episcopo priuatiuè, quoad alios inferiores Ordinarios, de quorum exclusione non constat, vnde ab eis debitè punitus non est cogendus coram Episcopo denuò se purgare, vel ab eodem iterum puniri debet. Ita referunt decisum Stephanus Gratianus *in disceptat. forensib. cap.* 154. Gratian. *num.* 40. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. p.* 3. Barbosa. *Allegat.* 73. *num.* 5. Nicol. Garzias *de benefic. p.* 3. Garzias. *c. p.* 2. *n.* 194. *declarat.* 3. & alij penes ipsos.

Aduerte *Secundò*, quod non liceat Episcopo visitationem aggredienti proponere edicta, quibus subditi iubeantur crimina detegere, multoque minùs proposita pœna excommunicationis, vt censuit Sacra Congregatio, testibus Armendar. *titul.* Sac. Congr. *6. de visitat. lib. 5. §. 2. numero* 16. Barbosa *loco ci-* Armendar. *tato, num.* 29. Barbosa.

6. Quamuis Episcopi in omnibus ius visitandi habeant, & maximè curare debeant, vt hospitalitatis opus diligenter & fideliter administretur, prout disponit Concil. Trident. *sess. 7. de reform. cap. 15. &* Conc. Trid. *sess. 25. cap. 8. de reform.* tamen hospitale nouiter fundatum, & ipso fundatore superstite, visitari non potest, nisi habeat formam Ecclesiæ, aut sit fundatum auctoritate Episcopi. Ratio est, quia huiusmodi hospitale non domus Dei, sed domus hominis est, quã is, qui constituxit, potest destruere & alienare. Ita Cokier *de iurisdict. Ordinarij in exempt. p.* 1. Cokier. *q.* 31. *n.* 4. Azorius *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 40. *quæst.* 12. *in fine,* Azorius.

Vgolinus

Vgolinus. Barbosa. Vgolinus *de potest. Episcop. cap.* 14. §. 4. *num.* 7. & communis apud Barbosam *part.* 3. *Allegat.* 75. *num.* 3. & 4.

In dubio præsumitur hospitale fundatum auctoritate Episcopi, si locus ab antiquo sit in forma Ecclesiæ, vbi Sacerdotes celebrant; & cymbalum est constitutum super tectum; publicèque pulsatur; vel si ibi celebretur omnibus indifferenter ad diuina audienda admissis; vel si Episcopus deputaret, vel confirmaret Ministrum; vel si haberet nomen Sancti sibi appropriatum; vel si in eo fuerit seruata hospitalitas per tempus antiquissimum; vel si in eo essent sepulturæ, aut cœmeterium; vel si reciperet decimas; vel si non solveret collectas. De quo Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disp.* 15. *num.* 39. Selua *de benefic. part.* 1. *quæst.* 6. *num.* 17. Filliucius *tractat.* 44. *cap.* 4. *quæst.* 18. Mascardus *de probat. concl.* 869. Barbosa *loco cit. n.* 15. & alij.

Sanchez. Selua. Filliucius. Mascardus.

Cetersùm licet hospitalia erecta fuerint sine Episcopi auctoritate, & non habeant Ecclesiam, nec altare, tamen Episcopus videre potest, an omnia procedant secundùm mentem testatoris, etiamsi testator prohibuisset. Couarruuias *in cap. Tua nos, n.* 6. *de testament.* Nauarrus *consil.* 3. *de religios. domibus.* Nisi hospitale sit merè laicale, quia tunc testatore nolente, Episcopo non subijcietur. Barbosa *loco cit. num.* 7. Nonnulli tamen arbitrantur non posse Episcopum hospitale visitare, quando fundator in fundatione Episcopum à visitatione exclusit. Et ita fertur Sacram Congregationem declarasse, in hæc verba, *Si in fundatione hospitalis sit dictum, quòd Ordinarius non possit se intromittere in eius visitatione, non poterit illud visitare.* Et ita stante dicta declaratione, in vna Abulensi ita fuit decisum per Sacram Rotam Romanam, vt patet apud Farinacium *tom.* 2. *part.* 2. *decis.* 33. & Garzias *de benefic. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 98. & 104. asserit, ita nouissimè declarasse Paulum V. die 7. Aprilis 1606. in causa Abulensi, pro Comite de Oropesa, contra Episcopum, teste Diana *part.* 1. *tractat.* 2. *resolutione* 84.

Couar. Nauarrus. Barbosa. Sac. Congr. Farinacius. Garzias. Paulus V. Diana.

Conc. Trid. 7. Constitutum est in Concilio Trident. *sess.* 22. *cap.* 8. *de reform.* vt hospitalia & Confraternitates, quæ sunt sub immediata Regum protectione, Episcopi non visitent sine eorum licentia, quamuis aliàs possit omnia hospitalia & Confraternitates, quæ de ipsorum auctoritate & consensu fuerint institutæ, visitare. Et hoc conueniebat altitudini & præeminentiæ Regiæ Maiestatis, vt præ ceteris anteferretur. Ita ex communi Barbosa *part.* 3. *allegat.* 75. *num.* 16. Piasecius *in praxi Episcop. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 5. *num.* 11. Vgolinus *de potest. Episcop. cap.* 24. § 1. *num.* 3.

Barbosa. Piasecius. Vgolinus.

Cetersùm quorumdam sententia est, in his hospitalibus & confraternitatibus de Regum protectione, posse Episcopos visitare decentiam diuini cultus & ornamentum, & inquirere an decenter ibi Sacra ministrentur. Nec obstat *loco citato* Tridentinum, quia procedit circa opera, quæ in illis locis exercentur, & circa petendas rationes eorum, quæ ibi expenduntur; non autem de visitatione circa cultum diuinum, quæ ad Episcopum necessariò & priuatiuè spectat; quia res spiritualis est & Ecclesiastica: & debet Concilium intelligi, vt Ordinarij non visitent in his quæ sub protectione Regum comprehenduntur, non verò de diuinis, in quibus Reges iurisdictionem non habent. Stylus tamen aliter obseruat. Viderint qui aliter iudicant.

Ita Gabriel Pereira *in tract. de man. Regia part.* 2. *cap.* 17. *numero* 12. & post illum Diana *parte* 1. *tractat.* 2. *resol.* 101.

Pereira. Diana.

8. Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus visitat exempta loca Summo Pontifici immediatè subiecta, vt statuit Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 8. *de reform.* Si tamen talia loca exempta sint subiecta alteri alicui Prælato, Episcopus non visitabit, nec de iure delegato, nec ordinario, sed ipse Prælatus, cui immediatè subiecta sunt. Ita Cokier *de iurisdict. Ordinar. in exemptos, parte* 4. *quæst.* 23. *num.* 2. & 3. Barbosa *parte* 3. *Allegat.* 74. *num.* 1. & 2. Hinc Episcopis non competit ius visitandi Ecclesias Ordinum Militarium & aliorum Regularium exemptorum: quia sunt nullius Diœcesis, de concessione Lucij III. & Gregorij Papæ, non obstante Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 9. *de reform.* Vbi decernitur, quod Episcopus vicinior visitet Ecclesias, quæ nullius sunt Diœcesis: nam id de Ecclesijs sæcularibus, & non de regularibus debet intelligi, vt colligitur ex verbis eiusdem Concilij, *Eadem etiam in Ecclesijs sæcularibus obseruentur.* Quæ verba apertè indicant contrarium esse in Ecclesijs regularibus, secundùm iuris regulam, quod expressio vnius sit exclusio alterius. Probatur hoc insuper ex eodem Concilio Tridentino *sess.* 25. *cap.* 20. *de regular.* cuius verba sunt, *Abbates, qui sunt Ordinum Capita, ac ceteri prædictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subiecti, quibus est in alia inferiora Monasteria, Prioratúsve legitima iurisdictio, eadem illa sibi subdita Monasteria & Prioratus, suo quisque loco atque ordine, ex officio visitent, etiamsi commendata existant.* Ex quibus verbis constat, quòd Regulares, qui Episcopis non sunt subiecti, debent visitari ab eorum Superioribus, & non ab Episcopis; & sic nec eorum Ecclesiæ. Quia si Ecclesias eorum visitarent, indirectè cognoscerent de regularium causis, quod Concilium Tridentinum non vult. Confirmantur hæc per multa regularium priuilegia Apostolica, in quorum vim non debeant ab Episcopis visitari, de quibus agunt Rodriguez *tomo* 1. *quæstionum regul. quæstione* 36. *in articulo tertio*, Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *capite* 40. *quæst.* 10. & alij.

Conc. Trid. Conc. Trid. Cokier. Barbosa. Lucius III. Conc. Trid. Conc. Trid. Rodrig. Azorius.

9. Excipiuntur à præcedenti doctrina Ecclesiæ regularium, quibus cura animarum personarum sæcularium est annexa; nam in concernentibus ipsam curam Ordinario sunt subiectæ, & ab eodem visitari possunt. Ex Concil. Tridentin. *sess.* 7. *capite septimo, de reformat.* vbi dicitur, *Beneficia Ecclesiastica curata quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesijs vel Monasterijs, beneficijs, seu Collegijs, aut piis locis quibuscumque perpetuò vnita & annexa reperiuntur, ab Ordinarijs locorum annis singulis visitentur.* Et idem Concilium *sess.* 25. *cap.* 11. *de regular.* habet: *In Monasterijs, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum curà personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia personæ, tam regulares quàm sæculares, huiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amouibiles, deputentur, nisi de eiusdem consensu, ac præuio examine, per eum, aut eius Vicarium faciendo, excepto Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus, & exceptis etiam iis Monasterijs, seu locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capita Ordinum sedem Ordinariam principalem habent, atque aliis Monasterijs seu domibus, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores iurisdictionem Episcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent: saluo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in prædicta*

Conc. Trid.

prædicta loca vel personas iurisdictionem exercent. Ita Concilium. Tamen quoad Ecclesias Militum sancti Ioannis Hierosolymitani, quædam decreta

Pius V. sunt, vt patet ex rescripto Pij V. incip. *Exposcit.* Dato Romæ 22. Septembris 1571. ibi: *Decernimus, declaramus, statuimus omnes & singulos locorum Episcopos & alios Superiores tanquam Apostolica Sedis delegatos, omnes & quascumque Parochiales Ecclesias ceteraque beneficia Ecclesiastica suarum ciuitatum & Diœcesum, quibus animarum cura immineat, ad dictam Religionem* (scilicet Militum sancti Ioannis Hierosolymitani) *eiusq; milites, Capellanos, Ministros, Rectores quomodolibet pertinentia; etiam quod in eis Episcopalem & temporalem iurisdictionem Religio & Milites prædicti haberent, eorumq; Ecclesias, Rectores, Vicarios & Ministros quoscumque (in his tamen dumtaxat, quæ animarum curam, illiusq; exercitium, & Sacramentorum administrationem respiciunt) visitare, omnesq; actus visitationem concernentes exercere posse & debere, ac Rectores, ceteroq; huiusmodi Ministros curam animarum exercentes minùs idoneos repertos, si quidem ad nutum amouibiles sint, statim amouere: si verò titulares sint, ilicò suspendere, ac Superiores illorum monere, vt intra aliquem breuem terminum, in locum amotorum subrogent alios idoneos, priùs tamen per ipsos Episcopos, & alios Superiores examinatos, & approbatos, &c.* Ita testantur Cokier *de iurisdict. Ordin. in exemptos parte secunda, quæstione* 45. *numero* 11. Riccius, Piasecius & alij apud Barbosam *de offic. & potestat. Episcop. parte tertia, Allegat.* 74. *numero* 26.

Cokier. Riccius. Barbosa.

Greg. XV. Et nouissimè Gregorius XV. in Constitutione sua, quæ incipit, *Inscrutabili*, sub Dat. Nonis Februarij 1622. omnes regulares & sæculares quomodolibet exemptos, qui animarum curam personarum sæcularium exercent, in his, quæ eiusmodi curam, seu administrationē concernunt omnimodam, iurisdictioni, visitationi & correctioni Diœcesani Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subiecit, vt patet ex

Tamburin. textu ipsius Constitutionis, apud Tamburinium *de iur. Abbat. tom.* 1. *disputatione* 15. *quæst.* 7. *numero quinquagesimoprimo*. Qui etiam refert De-

Sac. Congr. clarationes factas à Sacra Congregatione Eminentiss. D D. Cardinalium super dicta Constitutione Gregoriana, quibus censet prædictam constitutionem nequaquam subiicere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit, Episcoporum iurisdictioni in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi in Sacramentis personis sæcularibus administrandis, iidem Regulares delinquant.

10. Ordinarij possunt visitare Capellas Confraternitatum laicorum erectas in Ecclesiis Regularium, ex decreto Sacræ Congregationis; tum vt cognoscant, an actus pietatis, qui ibi exercentur, fortè continent aliquid illicitum aut superstitiosum: tum vt videant, an relicta à fidelibus in vsus pios debitè, ac iustè expendantur

Naldus. iuxta mentem relinquentium. Ita Naldus *verb. Visitare, numero sexto*, vbi testatur sic seruari in praxi, addens tamen Ordinarios non posse se immiscere in bonis temporalibus earumdem Confraternitatum, nisi aliter in earum erectione statutum fuerit.

11. Commendata Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus & Præposituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis obseruantia, nec non beneficia tam curata, quàm non curata, sæcularia & Regularia, qualitercumque commendata etiam exempta, ab Episcopis etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, annis singulis visitari debent: quando verò in eis viget obseruantia Regularis, monere debet Episcopus eorum Superiores, vt visitent, & corrigenda corrigant, qui si intra sex menses visitare neglexerint, Episcopus ipse visitare posset, & corrigere, nullo priuilegio, aut appellatione obstante. Ita Concil. Tri- Conc. Trid.
dentin. *sess.* 21. *capite* 8. *de reformat.* Aliter enim Episcopus non debet se intromittere in Monasteriis, in quibus viget Regularis obseruantia, vt notant Barbosa *loco citato, Allegat.* 74. *numero* Barbosa.
decimoquinto, & decimosexto. Similiter Monasteria, quæ Generalibus Capitulis non subsunt, nec suos habent visitatores Regulares, si monita in Congregationes sese non redegerint, in omnibus Episcopi iurisdictioni subiecta sunt. Ex Concilio Tridentino *sess.* 25. *capite* octauo, *de* Conc. Trid.
regular.

12. In iis, vbi de visitatione, aut morum correctione agitur, proceditur omni & quacumque appellatione, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, semota, quæ executionem nullo modo impedire, aut suspendere potest, vt statuit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *capite* 10. *de re-* Conc. Trid.
formar. Nam Episcopi in omnibus iis, quæ ad visitationem ac morum correctionem subditorum suorum spectant, ius & potestatem habent, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi & exequendi, iuxta Canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua, pro subditorum emendatione, ac Diœcesis suæ vtilitate necessaria videbuntur. Dummodo Episcopi procedant sine processu & sine scriptis, etiam carcerando, & carceratos detinendo: quo casu si carcerati appellauerint, potest iudex appellationis cognoscere de prætenso excessu in corrigendo: interim tamen non impeditur aut suspenditur executio eorum, quæ ab Ordinario sunt decreta. Sed si Episcopus formato processu & seruatis seruandis procedat, non habet locum dispositio Concilij Tridentini *in dicto cap.* 10. sed à sententia definitiua tantùm admittitur appellatio, quæ suspendit iudicatum, & habetur in declarationibus, quæ circa Trident. circumferuntur *sess.* 24. *cap.* 10. & eas refert Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis.* 104. Riccius.
his verbis: In causis visitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum deuolutiuum tantùm admittitur, nisi de grauamine per diffinitiuam irreparabili agatur, vel cùm visitator, citata parte, & adhibita causæ cognitione, iudicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensiuum. Ita Barbosa Barbosa.
etiam *in remissionib. ad Trident. sess.* 13. *cap.* 1. *de reformat. verf. In causis.*

Proinde in visitationibus Concilium Tridentinum solùm prohibet appellationem quoad suspensiuum, quando agitur de correctione & reformatione, vel de re leui, aut de rebus ad diuinum cultum pertinentibus, & sic esse intelligendum docent Ric- Riccius.
cius *in praxi variar. resol. resol.* 7. Zerola *in praxi* Zerola
Episcop. verb. Visitatio, num. 3. Barbosa *de offic. &* Barbosa.
potest. Episcop. part. 3. *Allegat.* 73. *num.* 32. Secus si de graui re resultante in præiudicium tertij: tunc enim habet effectum suspensiuum: nam censentur visitatores excedere eorum potestatē, intromittendo se in rē graui & ardua, vt innuit textus *dict. c.* 1. *de reform. sess.* 13. *Conc. Tridentini*, ibi, *Nisi grauamen huiusmodi per definitiuam sententiam reparari; vel ab ipsa definitiua appellari non possit.* Per quæ Conc. Trid.
verba docet Nauarrus *concil.* 1. *de appellation.* & Nauarrus.
defendit Ceuallos *in tractat. de violentia* 1. *part.* Ceuallos.
gloss. 6.

gloſſ. 6. num. 22. & 23. dicens, quòd ſi viſitator Eccleſiaſticus excedat modum viſitationis & correctionis, veluti amouendo poſſeſſorem triennalem, vel declarando aliquem intruſum, qui pacificè poſſidet, vel priuando beneficio ſine cauſæ cognitione, vel cum ea, tunc in iis caſibus eſt locus appellationi, & ſententia viſitatoris non eſt exequenda, appellatione remota. De his videndus

Suar de Paz. Franc. Leo. Suarez de Paz *in praxi tom. 2. part. 5. cap. vnic. num. 14.* Franciſcus Leo *in praxi fori Eccleſ. part. 2.*

Trullench. Genuenſis. *cap. 2. num. 77.* Trullench *in Decalog. lib. 8. cap. 4. dub. 5 numero decimoterrio*, Marcus Anton. Genuenſis *in praxi Neapolitan. capite 21. num. 6.* & alij ab ipſis relati.

13. Licet non poſſit viſitator in actu viſitationis allegari ſuſpectus, niſi exceſſerit modum in viſitatione, vt notant Genuenſis *loco citato capite vigeſimoprimo*, Barboſa *loco citato allegat. 73. numero 38.* & alij: quia tamen poteſt modum excedere, aut ab inquiſitione Generali aliquando, ad particularem procedendum eſt; ideò etiam reſpectu viſitatorum quoque habet locum recuſatio: quia in inquiſitione particulari procedunt, non vt viſitatores, ſed vt iudices. Quod autem viſitator, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue Prouincialis, non poſſit impediri, quantumcumque ſuſpectus ſit, ne viſitet ex officio viſitatione Generali & ordinaria, probatur ex de-

Genuenſis. Barboſa.

Paulus V. creto Pauli V. tranſmiſſo ad Epiſcopum Portugalenſem die 29. Octobris 1610. cuius tenor eſt:

Venerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Fraternitatis tuæ nomine nobis nuper expoſitum fuit, quod viſitationes, quæ in tua Diœceſi in vim decretorum Concilij Tridentini, & alias legitimè fiunt, impediuntur; eo quia viſitati Prælatum, ſeu alium legitimè viſitantem ſuſpectum allegant, in magnum diuini cultus, præſertim, & fabricæ Eccleſiarum præiudicium. Quamobrem nos huiuſmodi abuſum tollere volentes, ſupplicationibus ſuper hoc tuo nomine humiliter porrectis inclinati, de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Sacri Concilij Tridentini interpretum, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium declaramus Epiſcopum vel alium, cui id legitimè competit, viſitantem non poſſe vti ſuſpectum recuſari, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris. &c.

Circa quod Decretum aduertendum eſt *Primò*, quod licet ſit commiſſum ad vnum tantùm Epiſcopum particularem, habet tamen vim in tota Eccleſia, vt per illud cauſæ reſoluantur vbique; nam eſt Epiſtola Decretalis Papæ pro inſtructione Eccleſiæ. *Secundò*, notandum eſt in hoc decreto Papam non ſolùm id conceſſiſſe pro Epiſcopis viſitantibus ſuas Diœceſes; ſed etiam pro Prælatis Regularibus viſitantibus ſuas Prouincias, vt conſtat ex illis verbis decreti, *Epiſcopum, vel alium cui id legitimè competit.* Quibus verbis clarè id concedit & Epiſcopo, & cuiuis alteri legitimè viſitanti, qualis eſt Prælatus regularis. Ratione item hoc probatur: Tum quia Epiſcopus, vel Prælatus in viſitatione Generali concernente bonum commune, non inquirit, nec poteſt inquirere de culpis alicuius in particulari: & cùm illa viſitatio in genere tendat ad bonum commune, non poteſt ſubditus particularis impedire bonum commune viſitationis & Eccleſiæ. Nec refert ex illa viſitatione Generali poſſe reſultare culpas contra Prælatum Conuentus vel alios graues Patres, quorum interſit Prouincialem ſuſpectum

Nauarrus. non viſitare. Reſpondet Nauarrus *lib. 5. conſil. tit. de accuſat. Inquiſit. conſil. 3.* hoc non ſufficere ad illum recuſandum; nam viſitatio Generalis neminem infamat, & per teſtes in illa receptos nemo poteſt condemnari: ſed deber fieri particularis proceſſus à viſitatore ex repertis in viſitatione Generali contra culpatum in illa, & in hoc ſecundo proceſſu ſpeciali, citato illo culpato, in generali inquiſitione poterit recuſationes ponere contra Prouincialem, vel viſitatorem. Antea quoque deciſum fuerat à Sacra Congregatione, Epiſcopum viſitationem aggredientem, atque etiam in præparatoria inquiſitione non poſſe vt ſuſpectum recuſari, neque probatione, vel allegatione ſuſpenſionis impediri, quominus pœnâ extraordinariâ, quæ morum correctionem & emendationem reſpiciat, viſitatos afficere poſſit: dum tamen in ea proceſſum non compleat, & ſe intra viſitationis terminos contineat, provt refert Armendarius *titul. 6. de viſitat. lib. 5. §. 2. numero 7. &* 8. Barboſa *loco ſupra citato*, Portel *in reſponſionibus moral. parte prima, caſu 21.* Laurentius de Peyrinis *in formular. Regular. litt. R. cap. 2. num. 3.*

Sac. Congr.

Armendar. Barboſa. Portel. Peyrinus.

14. Certum eſt ex iure Canonico poſſe iudicem Ordinarium ex iuſta cauſa recuſari, vt patet *in cap. cùm ſpeciali, de appellation.* Qui verò iudicem recuſare voluerit, coram eodem ſuſpicionis cauſam probabilem, atque rationabilem in ſcriptis proponere debet, *cap. Inter Monaſterium, de re iudic. cap. Cum ſpeciali, & cap. Secundò requiris, de appellat.* Quod ſi dubia cauſa recuſationis huiuſmodi ſit, recuſatus iudex de illa cognoſcere minimè poterit: ſed eo caſu aduerſarius, aut iudex ipſe vnum; recuſans verò alterum viros probos, atque peritos eligere debent; qui arbitri ſic electi de huiuſmodi cauſa, probabilis nec ne ſit, ideoque vel admittenda, vel reiicienda, diiudicabunt: & ſi diſcordes illos inter ſe eſſe contigerit, tertium eligant ipſimet, & quod ex ipſis duo iudicauerint, robur obtineat firmitatis, *cap. Cum ſpeciali, de appellat. & cap. Suſpicionis, iunct. Gloſſa, de offic. & poteſt. iudic. delegat.* Quæ ſi probata fuerit, de recuſantis conſenſu idoneæ perſonæ cauſam recuſatus committat, vel ad Superiorem ipſum recuſantem tranſmittat. Non probata verò ſuâ iudex vtatur iuriſdictione, cauſamque incœptam proſequatur, *ex dict. cap. Cum ſpeciali, iunct. Gloſſa & cap. Suſpicionis citato, verſ. ad quos omnia.* Et hæc omnia de iure Canonico procedunt; De iure tamen ciuili ſufficit dicere ſe iudicem habere ſuſpectum. Gloſſa *in l. apertiſſimi & l. quia poterat, ff. ad Trebell.* & *in l. item ſit ſuſpectus, ff. de procurat.* dummodo recuſans ſe calumniæ cauſa illum non recuſare iuret; vt tradit poſt alios Paulinus Berti *in praxi crimin. regul. titul. 3. cap. vnic. num. 45. & ſequentibus.*

Gloſſa. Berti.

15. Dubium tamen eſt, an poſſint regulares recuſare iudicem Ordinarium vt ſuſpectum? Ratio autem dubitandi eſt, quia *cap. cùm ſpeciali. de appellat.* in fine, habet, *Caterùm has duas Conſtitutiones præmiſſas nolumus ad regulares extendi contra ſuas ſpeciales obſeruantias.* Ex quo textu Gloſſa *in cap. ad noſtram de appellat. verb. minus*, quam ſequitur Hoſtienſis, tenent, non poſſe Regulares iudicem Ordinarium recuſare. Alij verò aſſerunt, quod poteſt iudex Ordinarius à Regularibus recuſari, quando procedit iudicialiter; ſecus autem quando procedit extra iudicium. Ita Ioannes Andreas *in cap. cum ſpeciali, de appellat. num. 18.* Francus *ibi num. 4.* Anton. *in fine.*

Gloſſa. Hoſtienſis. Ioan. Andr. Francus. Antonin.

Sed melius alij abſolutè docent, poſſe Regulares ex iuſta cauſa iudicem Ordinarium recuſare.

liberratem, aut ciuitatem amittat, hoc eſt, maxima vel media. Similiter etiam maxima, media, aut minima capitis diminutione pupilli, id eſt, per arrogationem illius, tutela finitur. *Inſtitut. quib. mod. tutel. finiat. §. ſimili modo*, & *§. ſed & capitis.*

Quartus eſt, ſi tutela ſub conditione, aut ad certum tempus data ſit, adueniente conditione, aut finito tempore, finitur tutela. *Inſtitut. eodem titulo, §. ſed etſi*, & *§. preterea.*

Quintus, quando tutor diſſipat bona pupilli, aut ipſius vitæ inſidiatur, aut alia facit contraria officio tutoris, hic remouendus eſt, tanquam ſuſpectus, ab officio, *§. Suſpectus, inſtitut. de ſuſpect. Tutor. vel Curator.* Qui verò ob ſegnitiem, reſtitutionem, inertiam, aut ſimplicitatem, à tutela, aut cura meritò remouetur, aut ad eam tanquam ineptus non admittitur, non appellatur ſuſpectus, ſed ineptus ad tale munus, neque infamiam ex remotione ab eo incurrit, *l. 3. & vltim. ff. de ſuſpect. tutor.*

Quacumque autem ex cauſa tutela, aut cura finiatur, rationem integram adminiſtrationis Tutor & Curator reddere tenentur, & reſtituere bona omnia minoris, vel ipſi, ſui iuris omninò effecto, vel ſucceſſori illius, vel ei, qui in tutela, aut cura ſuccedit, ſuntque bona omnia Tutoris, aut Curatoris tacitè hypothecata pro reſtituendis integrè bonis minoris, vt dictum eſt ſuprà, ex *l. pro Officio, C. de adminiſtrat. tut.*

Vide v. Excommunicatio 2. *num.* 14. Negotia geſta *num.* 10. Reſtitutio in integrum.

V.

VICARIVS.

SVMMARIVM.

1 *Quando Vicarius cenſeatur index Ordinarius.*
2 *An Vicariorum iuriſdictio expiret mortuo Principali, aut illo amoto ab Officio & iuriſdictione per excommunicationem, ſuſpenſionem vel interdictum, etiam quoad negotia cœpta.*
3 *An Vicarius Generalis Epiſcopi ſit Ordinarius? Et quid iuris de Vicariis foraneis Epiſcopi.*
4 *An Vicarij ipſi Generales poſſint loco ſui creare alios Vicarios Generales pro ſuo libito.*
5 *Quando Epiſcopus conſtituit Vicarium, committens illi aliquem, aut aliquos caſus, an talis Vicarius ſit cenſendus Ordinarius, vel delegatus.*
6 *An Vicarius Generalis Epiſcopi ex Officio poſſit audire confeſſiones omnium de Diœceſi, & concedere aliis licentiam audiendi, ſi ſpecialiter ſibi ab Epiſcopo non committatur?* Refertur duplex ſententia.
7 *Vicarius Generalis Epiſcopi, an poſſit licentiam exercendi Pontificalia in ſua Diœceſi alteri concedere, ſi ſpeciale mandatum ad id non habeat.*
8 *An Vicarius Generalis Epiſcopi poſſit ex proprio Officio & ex generali inſtitutione Vicariatus, intereſſe matrimonio & alij Sacerdoti licentiam aſſiſtendi concedere? Et quid dicendum de Vicario foraneo.*
9 *An diſpenſare in denuntiationibus matrimonij pertineat tantùm ad Epiſcopum, & non ad Vicarium ipſius Generalem?* Refertur duplex ſententia. *Et an in his poſſit diſpenſare Vicarius foraneus? Quis dicatur Vicarius foraneus.*
10 *Quæ beneficia poſſit conferre Vicarius Generalis Epiſcopi, data ei facultate conferendi beneficia.*
11 *An Vicarius poſſit conferre beneficia ipſi Epiſcopo, à quo talem facultatem accepit.*
12 *An Vicarius habens facultatem conferendi beneficia, poſſit ea conferre exiſtens extra diœceſim.*
13 *Quales qualitates debeat habere creandus in Vicarium Generalem Epiſcopi.*
14 *An Prælati regulares & religioſi de illorum licentia, poſſint eſſe Vicarij Epiſcoporum? An etiam Fratres Minores.*
15 *An Epiſcopus teneatur conſtituere Vicarium?* Refertur duplex ſententia.
16 *An in generali Vicarij inſtitutione concedantur ea tantùm, quæ in generali mandato continentur, & non ea, quæ ſpeciale requirunt mandatum.*
17 *Quando Vicarij inter regulares habeant iuriſdictionem Ordinariam, quando delegatam? Et an ſint verè Prælati? Et à quibus poſſint amoueri?*

1. VICARIVS ex tacito vel expreſſo Principis, legis, aut reipublicæ conſenſu à iudice Ordinario loco ſui conſtitutus, vt ex proprio ſuo tribunali vniuerſaliter iuriſdictionem vice ſui exerceat, non eſt iudex delegatus, ſed Ordinarius. Imò vnum & idem tribunal efficit cum principali eo iudice Ordinario, cuius vicem ſubit. Et ob eam cauſam non appellatur ab eo Vicario ad iudicem principalem, cuius eſt Vicarius: nam ab eodem tribunali ad idem non appellatur, vt habetur *in cap. Romana, in princip. de appellat. in ſexto*, & docent communiter Doctores. Imò conſuetudine introduci non poteſt, vt ab eiuſmodi Vicario ad eum, cuius vices gerit, appelletur, idq; ob eam rationem, quòd ab eodem in idem tribunal appellari non poſſit, vt habetur *in cap. 2. de conſuetud. in 6.*

2. Vicariorum iuriſdictio expirat mortuo principali, aut illo amoto ab Officio ac iuriſdictione: quod non contingit in aliis iudicibus Ordinariis, qui non expirant eorum morte qui illos iudices conſtituerunt. Ita colligitur ex *cap. 1. de Officio Vicarij, in 6.* vbi habetur, excommunicato principali, quamuis idcirco excommunicatus nõ maneat eius Vicarius, quæ tamen gerit, agendo vices talis excommunicati, eſſe nullius vigoris ac momenti non ſecus atque ſi ab ipſomet excommunicato fierent. Et affirmat communis Doctorum ſententia, quam ſequuntur Sanchez *de matrimon. lib. 3. diſput. 30. num. 2.* Nauarrus *in cap. Nullam, de regularibus, num. 22. §. ad prius.* Couarruuias *in practic. quæſt. cap. 4. num. 4.* Molina *tractatu quinto, diſp. 10. n. 2.* Sylueſter *verb. Vicarius, quæſt. 4.* & alij. De numero eiuſmodi Vicariorum eſt Vicarius Generalis Epiſcopi, aut Archiepiſcopi. Ratio autem eſt, quia eſt prorſus idem tribunal, & reputatur eadem vtriuſque perſona. Ergo cùm morte Epiſcopi ceſſet eius tribunal, ceſſabit etiam Vicarij. Similiter ſuſpenſa iuriſdictione Epiſcopi per ipſius excommunicationem, nempe quando eſt denunciatus vel notorius Clerici percuſſor, ſuſpenſa eſt etiam eius Vicarij iuriſdictio, atque ita fiunt geſta tunc per Epiſcopum pertinentia ad iuriſdictionem ſunt irrita, ſimiliter dicendum eſt de geſtis ab eius Vicario Generali. Et hæc vera ſunt etiam quoad

Sanchez. Nauarrus. Couar. Molina. Sylueſter.

quoad negotia cœpta: illa enim perficere nequit Vicarius, Epiſcopo mortuo, aut excommunicato. In quo differt à delegato, cuius poteſtas non expirat quoad negotia incepta morte vel excommunicatione, ſuſpenſione & interdicto delegantis, *cap. Gratum, de officio delegat.* Et ratio differentiæ eſt, quia Epiſcopi & Vicarij eſt vnum & idem tribunal, non ſic autem delegantis & delegati. Ita communiter Canoniſtæ, Abbas *in cap. Licet, de offic. delegat. num.* 8. Rebuffus *in praxi benefic. tract. de forma Vicariatus, num.* 162. Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Dominicus, Ancharanus, Francus apud Sanchez *loco citato, num.* 6.

Abbas. Rebuffus. Hoſtienſ. Ioan. Andr. Dominicus. Ancharan. Francus.

3. Quorundam ſententia fuit, Vicarium Generalem Epiſcopi non eſſe Ordinarium, ſed delegarum. Et probant, quia Ordinarius propriâ iuriſdictione vtitur, in quo diſtat à delegato, qui propriâ carens, vice fungitur delegantis. Sed Vicarius Epiſcopi, eius vices gerit: ergo non eſt Ordinarius. Tum quia ordinaria iuriſdictio non poteſt ab Epiſcopo concedi; nam ſolius eſt Principis Ordinarium conſtituere: Sed Vicarium conſtituit Epiſcopus: ergo non eſt Ordinarius. His tamen non obſtantibus dicendum eſt ex communi ſententia Vicarium Generalem Epiſcopi habere iuriſdictionem ordinariam. Ratio eſt, quia iuriſdictio conceſſa à Canone vel lege, eſt ordinaria. Et quamuis Epiſcopus conſtituat Vicarium Generalem, non tamen ei confert iuriſdictionem, quam habet, ſed à iure tribuitur, vt patet ex *cap. Licet, de offic. Vicarij, in* 6, ergo eius iuriſdictio eſt ordinaria. Tum quia, quemadmodum Epiſcopus dicitur Ordinarius, ſic etiam Vicarius illius Generalis Ordinarius nuncupatur. Conſentit *cap. Vt animarum, de conſtitut. in* 6. Tum quia eadem eſt iuriſdictio Epiſcopi & Vicarij, idemque tribunal, vt aſſeritur *in cap. Romana, de appellat. in* 6. & *cap.* 2. *de conſuetud. in* 6. ergo eſt Ordinarius. Ex quo infertur, quoties in aliquo decreto mentio fit Ordinarij, niſi ſubiecta materia aliud poſcat, intelligi non tantùm Epiſcopum, ſed etiam ipſius Vicarium Generalem, Vicarium Capituli ſede vacante, aliorumque habentium iuriſdictionem Epiſcopalem, cùm verè omnes hi Vicarij Ordinarij ſint. Ita ex communi docent Sylueſter *verb. Vicarius, q.* 4. *dict.* 1. Couarruuias 3. *variar. cap.* 20. *num.* 4. Gutierrez *quæſt. Canonic. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 15. *verſ. Nihilominus.* Flaminius *de reſignat. benefic. lib.* 3. *quæſt.* 11. *num.* 19. *& ſequent.* Molina *tract.* 5. *diſp.* 10. *num.* 3. Nauarrus *lib.* 4. *conſil. in* 1. *edit. tit. de ſponſal. conſ.* 5. *num.* 2. & alij multi quos refert & ſequitur Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *diſput.* 29. *num.* 3. *& ſequentibus*, qui *num.* 13. reſpondet ad argumenta prioris ſententiæ.

Sylueſter. Couar. Gutierrez. Flamin. Molina. Nauarrus. Sanchez.

Alij autem Vicarij Epiſcopi, qui foranei dicuntur, de quibus eſt ſermo in Gloſſa *Clement.* 2. *de reſcript. verb. Foraneo*, non ſunt Ordinarij, ſed delegati ab Epiſcopo, aut ab ipſius Vicario. Ratio eſt, quia non habent iuriſdictionem aliam, quàm conceſſam ſibi ab Epiſcopo; at Epiſcopus nequit iuriſdictionem ordinariam concedere. Tum quia eiuſmodi Vicarij foranei non vnum tribunal efficiunt cum tribunali Epiſcopi; nam ab ipſis appellatur immediatè ad Epiſcopum, aut ad ipſius Vicarium Generalem, vt habetur *in cap. Romana, de appellat. in* 6. & affirmant communiter Doctores, quos referunt & ſequuntur Couarruuias *in tract. quæſt. cap.* 4. *num.* 8. Molina *loco cit. n.* 4. Maranta *de ord. iudic. p.* 4. *diſt.* 5. *num.* 15.

Gloſſa. Couar. Molina. Maranta.

4. Vicarij ipſi non poſſunt loco ſui creare alios Vicarios Generales pro ſuo libito: tamen ex cauſa, vt iuſtæ abſentiæ, aut ægritudinis, poſſunt ad tempus modicum Vicarios creare, qui ex eodem tribunali iudicent, vt notant Gloſſa *Clement.* 1. *de regular. verb. Locum aliorum*, & Maranta *loco citato, numero vigeſimoſecundo*, & alij. Et in cuentibus huiuſmodi lege conceſſis taliter ſubſtituti, ſunt Ordinarij, quemadmodum & ij, quibus ex ea rationabili cauſa ſubſtituuntur. Poſſunt etiam hi Vicarij Generales tanquam iudices Ordinarij aliquam, aut aliquas cauſas delegare, vt notat Gloſſa *in cap.* 1. *de Offic. Vicarij, in* 6. *verb. Ipſius.* Molina *tract.* 5. *diſputatione decima, num.* 7. Maranta *citat. num.* 22. & alij.

Gloſſa. Maranta.

5. Quando Epiſcopus vnica commiſſione, dum conſtituit Vicarium, committit illi aliquem, aut aliquos caſus, eſt Vicarius Ordinarius etiam quoad caſus commiſſos, ex *cap. Tranſlato, de conſtitution.* vbi dicitur: *Quia ſimul & ab eodem & ſub eadem ſponſione, vtraque data ſunt: quod de vno dicitur, neceſſe eſt, vt de altero intelligatur.* Ex quo textu colligunt Doctores, quod de vno connexorum dicitur, ad alterum exendi: ergo cùm hæc poteſtas ſimul, & ab eodem conferatur, ſicut principalis eſt ordinaria, ſic erit ei connexa. Si autem diuiſim & ſeorſum committantur illi caſus, eſt iuriſdictio delegata: præterquam ſi in commiſſione fiat expreſſa mentio Vicariatus: ſi enim fiat, vt tali Officiali noſtro, vel Vicario committimus, aut poteſtatem aliàs per nos commiſſam, extendimus; tota iuriſdictio erit Ordinaria: quia datur tanquam annexa & acceſſoria Ordinariæ, & ideò ad illius tanquam principalis & dignioris naturam trahitur. Ita Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 29. *num.* 8. Ioannes Andreas, Berolus, Iacobus Sbrozius & alij apud illum.

Sanchez. Ioan. Andr. Berolus. Sbrozius.

6. Nonnulli arbitrantur Vicarium Generalem Epiſcopi non poſſe ex officio audire confeſſiones omnium de Diœceſi, & concedere aliis licentiam audiendi, niſi ſpecialiter ſibi ab Epiſcopo committatur. Ducuntur, quia ex Officio Vicarij tantùm habet iuriſdictionem in contentioſis, & in cauſis ciuilibus, vt videre eſt *in cap. Licet, de Offic. Vicarij, in* 6. Tum quia in Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reform.* ſtatuitur, vt nullus poſſit audire confeſſiones ſæcularium, niſi approbatus ab Epiſcopo: ergo eius Vicarius non poteſt hanc licentiam dare, nec ipſemet etiam confeſſiones audire, ſine licentia Epiſcopi ſpeciali. Ita tenent Sotus in 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 3. *verſ. Circa confeſſiones.* Hoſtienſis *in ſumm. tit. de pœnit. & remiſſ.* §. *cui confitendum, n.* 13. Abbas *in Clement.* 1. *de priuileg. n.* 11. Ancharanus *in Clement. Dudum*, §. *ſtatuimus, notab.* 1. *de ſepult.* & alij, quorum ſententia non eſt improbabilis.

Sotus. Hoſtienſis. Abbas. Ancharan.

Sed verior & probabilior hoc tempore & in praxi communiter recepta ſententia eſt, poſſe Vicarium Generalem Epiſcopi, audire confeſſiones ex officio, & aliis licentiam audiendi concedere in tota Diœceſi, & ita comprehendi nomine proprij Sacerdotis, *in cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſ.* Ratio eſt, quia, vt dictum eſt ſuprà, eſt Ordinarius, & verè Prælatus in tota Diœceſi, Parochiſque ſuperior: ergo poteſt ex officio audire confeſſiones, ſi ſit Sacerdos (hoc enim ſupponitur) & aliis licentiam audiendi concedere in tota Diœceſi, quamuis Sacerdos non ſit, vt etiam concedit Epiſcopus charactere Sacerdotali non initiatus. Nec obſtat *cap. Licet, de Offic. Vicarij, in* 6. dum enim ibi dicitur habere iuriſdictionem tantùm in ciuilibus, non excluduntur ſpiritualia, ſed ſolùm cauſæ criminales, de quibus cognoſcere nequit Vicarius, abſque ſpeciali commiſſione.

Nec item obſtat quod dicitur in Tridentino, vbi petitur vt Confeſſarij ſint approbati ab Epiſcopo: ibi enim non excluditur eius Vicarius Genera-

lis, quia nomine Episcopi, intelligitur etiam eius Vicarius Generalis, quando res est, quæ conuenit
Conc. Trid. Vicario ex eius officio. Proinde cùm Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* voluit Vicarium excludere, expresè dixit: *Eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum.* Concludendum est ergo sub nomine Episcopi comprehendi eius Vicarium Generalem in dictis casibus, qui vnum tribunal cum ipso constituit, eademque persona censetur. Hanc
Bonacina. communem sententiam tradunt Bonacina *tom* 1. *de Sacram. Pœnit. disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 9.
Gutierrez. Gutierrez *lib.* 1. *quæst. Canon. cap.* 17. *n.* 24. Sanchez
Sanchez. *de matrim. lib.* 3. *disp.* 29. *n.* 15. Suarez *tom.* 4.
Suarez. *de pœnit. disp.* 28. *sect.* 5. Tannerus *de pœnit. disp.* 6.
Tannerus. *q.* 9. *dub.* 2. *num.* 27. & alij.

7. Vicarius Generalis Episcopi non potest licentiam exercendi Pontificalia alteri concedere in sua diœcesi, nisi speciale mandatum habeat: quamuis enim Vicarius Generalis nomine Ordinarij veniat, nihilominus sicut ei specialiter interdicitur ne dimissorias concedat absque speciali man-
Glossa. dato, ex Glossa *in cap. Nullus, de tempor. ordinat. in 6 vers. Non extendat.* ita etiam eidem interdictum videtur, concedere facultatem extraneo Episcopo exercendi Pontificalia, nisi speciale mandatum ha-
Sac. Congr. Marzilla. Gallemart. beat. Ita decisum refertur à sacra Congregatione Eminent. Cardinalium Petrus Marzilla & Ioannes Gallemartius *in declarationibus super sess.* 6. *cap.* 5. *Concilij Tridentini.*

8. Ex veriori sententia, Vicarius Generalis Episcopi potest ex proprio officio, & ex generali institutione Vicariatus, interesse matrimonio, & alij Sacerdoti licentiam assistendi concedere. Ratio
Conc. Trid. est, quia iuxta Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* potest assistere Parochus, vel alius Sacerdos de Parochi vel Ordinarij licentia: Sed Vicarius Episcopi est Ordinarius, & in decretis mentionem de Ordinario facientibus comprehenditur, vt dictum est *suprà num.* 3. ergo potest assistere & dare licentiam assistendi. Tum quia Vicarius ex generali commissione potest de causis matrimonialibus cognoscere, vt habet verior Doctorum sententia, ex *cap.* 1. *de frigid. & malefic.* vbi dicitur, quod proponenda sit querela coram Episcopo, vel eius misso, id est Vicario, iuxta Glossam *ibi* ad diuortium. Si ergo Vicarius potest de causis matrimonialibus cognoscere, à fortiori poterit assistere matrimonio, idque alteri Sacerdoti committere. Idem dicendum est de Vicariis habentium iurisdictionem Episcopalem: quia sunt Ordinarij, & nomine Ordinarij comprehenduntur.
Nauarrus. Flamin. Rodriguez. Pontius. Hurtadus. Trullench. Coninck. Sanchez. Ita Nauarrus *lib.* 4 *consil. tit. de sponsal. in* 1. *edit. consil.* 47 *& in* 2. *edit. tit. de clandestin. desponsat. consil.* 14. Flaminius *de resign. benefic. lib.* 3. *quæst.* 11. *num.* 20. *&* 21. Rodriguez *tom.* 1. *Summ. Latina, cap.* 217. *n.* 15. Pontius *de matrim. lib.* 5. *c.* 11. Gaspar Hurtado *disp.* 5. *de matrim. difficult.* 9. *num* 12. Trullench *tom.* 3 *in praxi resolut. Sacrament. lib.* 7. *cap.* 6. *dub.* 3. *n.* 2. Coninck *de Sacrament. disp.* 27. *dub.* 2. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 29. & alij communiter. Vicarius autem foraneus non potest assistere matrimonio, nisi omnes causæ matrimoniales illi delegentur: tunc enim potest de causa principali cognoscere, poterit & de minus principali & accessoria ac præambula, vt notant Sanchez
Sanchez. Trullench. Barbosa. *suprà n.* 20. Trullench *loco cit.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 32.

9. Nonnulli dubitant, vtrum remittere præuias denunciationes, quæ fieri debent in Ecclesia de iis, qui contrahere volunt matrimonium, antequam illud contrahant, spectet ad solum Episcopum, an etiam ad ipsius Vicarium Generalem? De qua re Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.* Conc. Trid.
matrim. sic decreuit: *Nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ & iudicio sancta Synodus relinquit.* Ex quo textu dicunt solum Episcopum id posse, & non Vicarium ipsius Generalem: & esto Episcopus Vicario suo id committat, nulla est talis remissio per Vicarium facta. Ita tenuère Meno-
Menoch. chius *consil.* 69. *num.* 55. *& sequent. volum.* 1. Suarez
Suar. de Paz. de Paz *in sua practica tom.* 2. *pralud.* 3. *fin.* Henri-
Henriq. quez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 5. *num.* 5. dicens sic
Pontius. declarasse Eminentiss. Cardinales, Pontius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 3. & alij, quorum sententia est probabilis. Contraria tamen sententia praxi totius orbis est recepta, nisi Episcopus faculatem dispensandi in denunciationibus sibi reseruet. Ratio est, quia Vicarius etiam est Ordinarius, & idem tribunal & eadem persona cum Episcopo. Unde etsi Congregatio declarauerit quoad hoc, nomine Ordinarij intelligi Episcopum, non est tamen excludendus Vicarius Generalis, qui est eadem persona cum Episcopo. Addo sæpè euenire posse, vt Episcopus sit absens, & vt necesse sit eas denunciationes remitti: insufficienter autem Concilium prouidisset necessitati, quæ occurrere poterat, nisi arbitrio Vicarij id etiam commisisset. Tandem, quia quando Tridentinum excludere voluit Vicarium, id exprimere solet, vt diximus suprà.
Salzedo. Pro hac sententia est Salzedo *practic. cap.* 73.
Gutierrez. Gutierrez *lib.* 1. *quæst. canonic. cap.* 19. *num.* 15.
Sanchez. Sanchez *de matrimon. lib.* 3. *disput.* 7. *num.* 10.
Hurtadus. Gaspar Hurtado *disp.* 5. *diffic.* 19. *num.* 63. Trul-
Trullench. lench *tom.* 3. *in praxi resol. Sacrament. lib.* 7. *cap.* 6.
Bonacina. *dub.* 9. *num.* 2. Bonacina *quæst.* 2. *de matrim. punct.*
Molina. 6. *num.* 7. *vers. Dixi.* Molina *tractatu* 5. *disput.* 10.
Riccius. *num.* 13. Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis.* 259. & communis.

Vicarius autem foraneus non potest in his dispensare absque speciali commissione: huius enim facultas est limitata, nec est eadem persona cum Episcopo. Imò nec poterit Vicarius Generalis hanc facultatem generaliter delegare, sed tantùm ad vnam, vel alteram causam in particulari, quia est Ordinarius, quamuis non possit alium Vicarium instituere, vt docent Sanchez *loco cit. disp.* 7. Sanchez.
num. 22. cum aliis ibi citatis, & Bonacina *loco ci-* Bonacina.
tato, num. 7. *vers. Ex quo.*

Sed petes, quis dicatur Vicarius foraneus? Respondeo foraneum dici, quia iurisdictionem habet extra ciuitatem, in qua est Episcopi sedes in certa parte Diœcesis: eius autem tribunal & auditorium non censetur idem, quod Episcopi: iurisdictionem itidem ordinariam non habet, sed delegatam. Præterea ab eius sententia ad Episcopum appellatio conceditur, cùm solùm habeat commissam iurisdictionem. Insuper non videtur dignitatem habere, ita vt rescripta Papæ directè ad eum, qui est in aliqua dignitate constitutus, tanquam ad conseruatorem & delegatum Pontificium, non extendantur. In his omnibus à Vicario Generali distinguitur, qui iurisdictionem Ordinariam habet, & dignitatem. Ita communiter Doctores, & hæc ex dictis colliguntur.

10. Certum est Vicarium Generalem Episcopi ratione sui officij non posse beneficia conferre, nisi Episcopus specialiter ei commiserit potestatem conferendi, vt constat ex *cap. vltim. de offic. Vicarij, in* 6. & diximus *tomo primo, verb. Beneficium V. in sexto.* Verùm datâ Vicario specialiter facultate conferendi beneficia, non intelligitur concessa potestas conferendi ea beneficia, quæ Episcopus iure speciali, aut priuilegio conferre potest.

Quare

Digitized by Google

Quare Vicarius, eiuſmodi facultate accepta, ſolum poteſt conferre ea, quæ ad Epiſcopum iure ordinario & communi pertinent: nam priuilegium perſonæ ad alium non tranſit. Sed dubitatur, an cenſeatur data facultas conferendi beneficia, quæ iure deuoluto ad Epiſcopum pertinent, ob negligentiam vel delictum inferiorum, quorum erat ius conferendi? Reſpondent Rebuffus *in praxi benefic. tit. de Vicar. Epiſcop. num.* 88. Pauinus *in tractatu ſuo, part.* 2. *quæſt.* 10. intelligi datam; nam negligentia vel delicto inferiorum commiſſo, poteſtas conferendi iure ordinario & communi ad Epiſcopum ſpectat. Tutius verò eſſe exprimere in inſtrumento datæ facultatis beneficia ad Epiſcopum deuoluta. Certi autem iuris eſt, ſi beneficia ſint deuoluta ad Epiſcopum, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum, pura ob negligentiam Regularium, Vicarium ea conferre non poſſe. *Clement.* 1. *de ſupplend. negligent. Prælator.* & docent Filliucius *tract.* 41. *cap.* 2. *num.* 51. Azorius *parte ſecunda, lib.* 3. *c.* 44. *quæſt.* 2. & alij.

Rebuffus. Pauinus. Filliucius. Azorius.

11. Vicarius non poteſt conferre beneficia ipſi Epiſcopo, à quo talem facultatem accepit. Ratio eſt, quia ſicut Epiſcopus ſibi ipſi beneficium conferre nequit, quia inter dantem & accipientem debet eſſe diſtinctio; ſic alteri facultatem dare non poteſt, vt ſibi beneficium conferat, etiamſi aliàs eſſet capax; Vicarius enim vnam perſonam facit cum Epiſcopo; & ideò ſi Vicarius conferat inhabili, non fit ad Epiſcopum deuolutio, *cap.* 2. *de conſuetud. in* 6. Quod tamen intelligitur, quando Vicarius conferret vt ordinarius, ſecus ſi vt delegatus, *cap. Si compromiſſarius, de elect. in* 6. Subſtitutus tamen à Vicario habente poteſtatem ſubſtituendi, conferre beneficia Vicario ſubſtituenti poteſt; quia ſubſtitutus cenſetur ab Epiſcopo conſtitutus & habere Epiſcopi conſenſum, non Vicarij ſubſtituentis. Ita Rebuffus *loco cit. n.* 82. Garzias *de benefic. parte prima, cap.* 8. *à num.* 145. Azorius *loco citato, quæſt.* 15. Filliucius *tract.* 41. *cap.* 2. *num.* 53. & alij.

Rebuffus. Garzias. Azorius. Filliucius.

12. Vicarius habens ſpecialem facultatem conferendi beneficia, poteſt ea conferre, cùm extra diœceſim exiſtit. Hoc colligitur ex Gloſſa *in cap. Nouit. de offic. legat. in verb. Terminos.* tunc enim collatio eſt voluntariæ iuriſdictionis: quamuis enim iudex extra territorium exiſtens, iuriſdictionem exercere nequeat in his, quæ cauſæ cognitionem in tribunali requirunt: poteſt tamen, quando res talem cognitionem non poſtulat. Deinde iura indiſtinctè docent poſſe iuriſdictionem voluntariam extra territorium exerceri, nec faciunt vim in eo quòd iuriſdictio exercentis ordinaria ſit, ſed quia nulla irrogatur iniuria iudici alieni territorij, cùm abſque ſtrepitu & figura iudicij exerceatur: quæ ratio æquè militat in iudice ordinario & delegato. Ita reſoluunt Dominicus *in cap. final. de Vicar. in* 6. Rebuffus, Couarruuias, Menochius, Flaminius & alij, quos refert & ſequitur Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 34. *num.* 2.

Gloſſa. Dominicus. Rebuffus. Couar. Menoch. Flaminius. Sanchez.

13. Vicarius debet creari idoneus ſcientia, ætate & moribus, qui ſit forenſium rerum & cauſarum peritus, *l. penult. Cod. de iudic.* Ætas idonea cenſetur ad id muneris & officij, ſi fuerit 25. annorum. vt colligitur ex *cap. Cùm in cunctis, §. inferior. de elect.* & tradit Rebuffus *in praxi tit. de Vicariis Epiſcop. n.* 20. & 28. & debet ad gradus Doctoris vel Licentiati in iure Canonico eſſe promotus. Laicum autem nequit Epiſcopus inſtituere Vicarium; nec eum, qui eſt matrimonio coniunctus. Francus *in cap.* 1. *de offic. Vicarij in* 6. Non prohibetur tamen Epiſcopus habere aſſeſſorem laicum Abbas, Felinus & alij *in cap. De his,* & *cap. Determinus, de iudic.* Inſuper debet Vicarius habitum Clericorum deferre, *cap. In noua,* 16. *quæſt.* 7. Nam ſi laicorum veſtes geſtans beneficium conferat alicui, cogitur is, qui beneficium accepit, vel ipſe Vicarius probare ſe Vicarium & Clericum fuiſſe, cùm beneficium contulit.

Rebuffus. Pauinus. Filliucius. Azorius. Rebuffus. Garzias. Azorius. Filliucius. Gloſſa. Dominicus. Rebuffus. Couar. Menoch. Flaminius. Sanchez. Rebuffus. Francus. Abbas. Felinus.

14. Prælati regulares & religioſi de illorum licentia poſſunt eſſe Vicarij Epiſcoporum: quia nullibi in iure id eis interdictum reperitur, vt tradunt Panormitanus *in cap. final. num.* 4. *de Clerico ægro.* Nauarrus *Comment.* 2. *de regul. ad finem. verſ. Addo decimoquintò.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 3. *allegat.* 54. *num.* 12. Pellizzarius *in Manual. regular. tract.* 8. *cap.* 6. *n.* 247. Tamburinius *de iur. Abbatum, tom.* 3. *diſp.* 17. *quæſit.* 5. *num.* 7. Sanchez *lib.* 6. *moral. cap.* 13. *num.* 88. Rebuffus *in praxi benefic. tit. de Vicariis Epiſcop. num.* 30. & alij multi apud ipſos citati: Quidam tamen excipiunt religioſos Ordinum Mendicantium, qui eſſe nequeunt Vicarij Epiſcoporum, ex *Clement.* 1. §. *Ad priuratus, de regular.* Ita Rebuffus *loco cit. num.* 32. Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 43. *quæſt.* 10. Sed hanc limitationem alij non admittunt, quia *in dict. Clementina* ſolùm hoc interdicitur Mendicantibus, qui ad non Mendicantes tranſierunt; quare potiùs ſupponit non tranſeuntes poſſe eſſe Vicarios Epiſcoporum, dummodo accedat licentia Prælati; hæc enim omninò requiritur, iuxta *cap. Monachi, el 2. 16. q.* 1. & *cap.* 2. *de poſtulando*, vbi prohibetur Monachis quodcumque Officium ad iudicia pertinens ſine licentia Prælati; cuiuſmodi vtique eſt talis Vicariatus. Tum quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de regular.* prohibet, *ne quis Regularis, ſine ſui ſuperioris licentia & prædicationis, vel lectionis, aut cuiuſuis pij operis prætextu, ſubiiciat ſe obſequio alicuius Prælati, Principis vel Vniuerſitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuſcumque perſonæ, ſeu loci: neque ei aliquod priuilegium, aut facultas ab aliis ſuper iis obtenta ſuffragetur.* Quando autem religioſus non eſſet exemptus, tunc cùm ſubſit Epiſcopo, non eſt neceſſaria licentia ſui Prælati, ſed ab Epiſcopo tanquam ſuperiori poterit ad id officium aſſumi. Et ita bene limitauit Nauarrus *loco citato*, dicens exigi licentiam Abbatis, ſi religioſus ſit exemptus. Cæterùm Fratres Minores non poſſunt vllo pacto eſſe Vicarij Epiſcoporum, vt ex multis probat Sbrozius *de Vicario Epiſcop. lib.* 1. *quæſt.* 38. *num.* 5. & poſt illum Sanchez *loco citato, num.* 94. Pellizzarius *loco citato, quæſt.* 9. Hierochymus Rodriguez *in Compend. priuileg. reſolut.* 139. *num.* 6. & alij.

Panormit. Nauarrus. Barboſa. Pellizzarius. Tamburin. Sanchez. Rebuffus. Rebuffus. Azorius. Nauarrus. Conc. Trid. Sbrozius. Sanchez. Pellizzarius. Hier. Rodr.

15. Dubium eſt, an Epiſcopus teneatur conſtituere Vicarium? Plurimi affirmatiuam tenent propter ingentes occupationes, in quibus Epiſcopale regimen, & animarum cura verſatur; per ſeipſum enim eſſi diligentiſſimum ob amplam & diffuſam diœceſim, quandoque non valet omnia miniſtrare. Ita Panormitanus *in cap. Quoniam, num.* 3. *de offic. Ordinar.* Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 43. *quæſit.* 2. Rebuffus *in tract. nominat. quæſt.* 4. *num.* 61. & alij apud Barboſam infrà. Verùm contrarium amplexa eſt ſacra Rota apud Puteum *deciſ.* 43. *lib.* 2. Ratio eſt, quia Epiſcopus non tenetur habere Vicarium, ſed eſt in eius facultate, an velit illum retinere. Ex iis enim, quæ fiunt, ſeu fieri ſolent, vel permittuntur iure facultatis, vel ex gratia & voluntate aduerſarij, nullum quæritur ius, nec oritur poſſeſſio vel quaſi, quæ ſit attendenda; proinde in puncto quod communitas loci non poſſit petere manutentionem contra Epiſcopum, vt retineat in illo loco Vicarium generalem, tenent Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop.*

Panormit. Azorius. Rebellus. Rota. Puteus. Barboſa.

Tuscus. *Episcop. p.3. allegat.54.n.125.*Cardin. Tuscus *pract. conclus. verb. Mandatum de manutendo, conclus. 69. n.6.* Et quod possit Episcopus in quacumque parte Diœcesis Vicarium retinere, probat textus *in cap. Cùm Episcopus, de offic. Ordinar. in 6.*

16. Potrò in generali Vicarij concessione conceduntur ea tantùm quæ in generali mandato continentur, etiamsi clausulam Episcopus posuisset, *dantes & concedentes ei plenam & liberam potestatem*; argum. textus *in l. Procurator cui. ff. de Procurator.* cum similibus; non tamen poterit ea peragere Vicarius & expedire, quæ verisimiliter non esset Episcopus eum constituens concessurus, ac ea, quæ speciale postulant mandatum, *ex cap. Qui generaliter, de Procurator. in 6.* quod Glossa *vlt. in cap. 2. de offic. Vicar. in 6.* ampliùs extendit, ad eum casum, quo Episcopus Vicario suo diceret: Constituo te Vicarium meum vniuersalem cum facultate & potestate, vt omnia loco mei efficere possis, quæ ego possum, etiamsi talia sint, quæ speciale requirant mandatum; quia etiam tunc non consequetur talis Vicarius vi solius clausulæ generalis præstatæ potestatem ad quicquam eorum efficiendum, quæ speciale requirunt mandatum. Ita post Glossam tradit Molina *de iustit. tr.5. disp.10. n.9.* Casus autem, in quibus Vicarius speciali indigeat Episcopi commissione, enumerantur à Barbosa *p.3. allegat.54. à n.60. vsque ad numerũ 125.* qui videri possunt apud ipsum. Illud autem est hic notandum; quod in commissione Vicariatus, non est necesse exprimere nominatim omnes casus; sufficit enim aliquos exprimi cum clausula generali, & ad omnia alia, etiamsi exigant speciale mandatum, *ex cap. Qui ad agendum, § sed si aliquis, de Procurator. in 6.* Ita Couarruuias *lib. 2. variar. c.5.n.9.* Molina *loco citat.* Sanchez *lib.3. de matrim. disp.29. n.8.* Barbosa *loco cit. n.124.* & alij. Et hæc de Vicario Generali Episcopi dicta sufficiat. Plura apud Barbosam *p.3. allegat.54.* per totam. De Vicariis Parochorum diximus *tom.1. verb. Vicarius.* Nunc de Vicario regulari aliquid dicendum.

Glossa. Molina. Barbosa. Couar. Molina. Sanchez. Barbosa.

17. Inter Vicarium & Delegatum maxima est differentia: nam Delegatus est ille, cui iudex committit causam in locum sui ipsius, & vices ipsius gerit, *cap. Sane 2. de offic. delegat.* Sed Vicarius est, quem Superior constituit loco absentis, defuncti, vel impediti, *l.2. Cod. de officio eius qui gerit vices alter.* Et hi Vicarij non habẽt iurisdictionem delegatam, sed ordinariam, quando constituuntur à Generalibus, aut Prouincialibus, ita vt vice eorum ibi constituãtur. Vicarij autem conuentuum constituti à Prælato locali, iurisdictionem tantùm delegatam habent, & non possunt alios constituere Vicarios; secus tamen dicendum de Vicariis constitutis à Generali, vel Prouinciali propter absentiam Superioris localis; hi enim possunt delegare: & omnia ipsis priuilegia Prælatis localibus concessa communicantur. Ita Rodriguez *tom.3. qq.regul.q.76. a.1.* Imò tempore quo eorum durat officium, videntur esse verè & propriè Prælati, nec possunt Guardiani limitare supradictorum Vicariorum auctoritatem: quia in absentia eorum habent eandem potestatem, quam ipsi, per concessionem Iulij II. & docet Miranda *tom.2. man. Prælat. q.20. a.1. concl.2.* Illi autem Vicarij, qui ponuntur & constituuntur à Guardianis, vt vices eorum gerant, & adiuuentur ab ipsis, nõ sunt verè & propriè Prælati: quia in Guardianorum præsentia nullam habent auctoritatem, nisi quam Guardianus illis centulerit, & totaliter dependent in sua administratione & regimine à dictis Guardianis: proinde si Guardianus moriatur, seu priuetur, statim definit esse Vicarius, vt notant communiter Doctores in *Clementina final. de Procurator. verb. conteſtata*, & ibi Glossa, *& in cap. Extirpanda, §. quod verò, de præbend.* Hoc tamen non habet locum, quando prædictus Vicarius institutus est à Prouinciali & Definitoribus, & ab ipsis immediatè, & non à Guardianis suam habet auctoritatem & iurisdictionem; tunc enim licet per talem institutionem non efficiatur Prælatus, sed tantùm Vicarius dictorum Guardianorum, ea tamen institutio erit efficax, vt mortuo Guardiano, ipse fungatur officio Vicarij. Vide Mirandam *loco citato, concl. 2. & 3.*

Rodrig. Miranda. Glossa. Glossa. Miranda.

An autem Vicarius hic possit à Guardiano amoueri? Resp. posse, si ab ipso fuit constitutus: si autem à Superiori, non potest eum munere Vicariatus priuare, inconsulto Superiori. Ratio est: Officialis electus à Superiori, non potest eum Prorex amouere, vt tradunt Glossa & Doctores *in l. Solet, ff. de offic. proconsulis.* Proinde in religionibus, vbi Vicarij constituuntur in tabula capitulari, & non à Guardiano, Priore, &c. non potest Guardianus, vel Prior Vicarium amouere. Rodriguez *loco citat. art.* 3. Miranda *loco cit. art.* 2. & alij.

Vide verb. Beneficium 3. *num.*4. Beneficium 5. *num.*13. Beneficium 6. *num.*3. Excommunicatio 1. *n.*7. Residentia *num.*9. Matrimonium 1. *n.*13.

VISITATIO.

SVMMARIVM.

1 *Visitatio quid sit? & quid visitare?*

2 *Quibus competat ius visitandi.*

3 *Qui debeant & possint à Summo Pontifice visitari.*

4 *An Patriarchæ, Primates, Metropolitani & Episcopi debeant singulis annis propriam Diœcesim visitare per se, vel per alium? Et an Clerus possit impedire ne Episcopus visitet ante lapsum triennij.*

5 *Episcopi in visitatione suarum Diœcesum, an incipere debeant ab eorum Cathedralibus Ecclesiis.*

An Decanus & Capitulum singulares Capituli personas cumulatiuè cum Episcopo, seorsum tamen ab eo, visitare possint.

An Episcopo visitationem aggredienti liceat proponere edicta, quibus subditi iubeantur crimina detegere.

6 *An hospitale nouiter fundatum, fundatore ipso superstite, ab Episcopo visitari possit? Quando in dubio hospitale præsumatur auctoritate Episcopi fundatum? Et an possit Episcopus hospitale visitare, quando eum excluſit fundator à visitatione?*

7 *An hospitalia & confraternitates, quæ sunt sub immediata Regum protectione, ab Episcopis visitari possint.*

8 *An Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus visitare possit loca exempta suæ Diœcesis, & quando non.*

9 *An Ecclesiæ regularium, quibus cura animarum personarum secularium est annexa, ab Ordinario visitari possint.*

10 *An Ordinarij possint visitare Capellas Confraternitatum laicorum in Ecclesiis regularium erectas.*

11 *An Commendata, Monasteria, Abbatiæ, Prioratus, Præposituræ, &c. in quibus non viget regularis obseruantia, quamuis exempta, debeant ab Episcopis visitari tanquam Sedis Apostolicæ delegatis? Et quid in his si in eis regularis obseruantia vigeat.*

12 *An Episcopi in iis quæ ad visitationem ac morum*

rum correctionem ſpectant ſuorum ſubditorum, procedant omni appellatione, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſitâ, ſemotâ, quæ executionem ſuſpendere non poteſt? Et an tunc appellatio habeat effectum deuolutiuum? Et quando ſuſpenſiuum.

13 *An viſitator in actu viſitationis poſſit allegari vt ſuſpectus.*

14 *An ex iure Canonico poſſit iudex Ordinarius ex iuſta cauſa recuſari.*

15 *An poſſint regulares recuſare iudicem Ordinarium vt ſuſpectum?* Refertur duplex ſententia.

16 *Quomodo ſit intelligendum ſtatutum factum apud regulares de non recuſando iudice Ordinario? Et an tale ſtatutum tollens recuſationem iudicis ex quacumque cauſa ſit validum?*

17 *An Eccleſiæ inferiores viſitantibus moderatas Procurationes ſoluere teneantur? Et an viſitator præter Procurationem aliquid muneris accipere poſſit?*

18 *Quando admittatur præſcriptio contra viſitationem.*

1. VIſitatio eſt exquiſitio & diſcuſſio facta propoſito verbo Dei, in loca viſitanda per Viſitatorem Eccleſiaſticum Ordinartium vel delegatum de his rebus, & circa eas res, quas poteſt & debet ipſe Viſitator iure ſuo ordinario, vel delegato pro animarum ſalute promouenda, cultu diuino manutenendo & eo collapſo reſtituendo, ſecundùm qualitatem & conditionem perſonarum & locorum viſitandorum exquirere & diſcutere cum ordinatione, correctione & reformatione eorum, quæ ordinatione correctione & reformatione indigebant. In ſumma viſitare nihil aliud eſt, quàm exceſſus inquirere, & inquiſitos caſtigare, & emendare, atque obſeruantiam obligationum iuxta cuiuſque perſonæ, ac rei exigentiam, vbi adhuc viget, conſeruare, & vbi deficit, in ſtatum priſtinum reſtituere. Hinc Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 3.* nos docet, quod *viſitationum præcipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxamq; doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere; populum cohortationibus & admonitionibus ad Religionem, pacem, innocentiamq; accendere, cetera, prout locus, tempus & occaſio feret, & viſitantium prudentia, ad fidelium fructum conſtituere.* Conc. Trid.

2. Ius viſitandi & poteſtatem habet omnis Prælatus Eccleſiaſticus, cui iuriſdictio & adminiſtratio conuenit, *ex cap. 1. §. Hanc autem, de cenſibus in 6.* quare viſitare poſſunt ac debent iure ordinario præter Romanum Pontificem Legati à latere, ex officio legationis ſibi à Sede Apoſtolica demandatæ, *cap. Cùm Apoſtolus, de cenſibus.* Item Legati Pontificij, qui non ſunt à latere, ſed dicuntur nati, quibus legatio Apoſtolica competit ratione dignitatis, in qua ſunt conſtituti, *cap. Cùm inſtantia, & cap. Procurationes, de cenſibus.* Item etiam Legati Apoſtolici, qui Miſſi, ſiue Nuncij Apoſtolici nuncupantur, poſſunt quidem viſitare, *ex cap. Cum inſtantia, & cap. Procurationes de cenſib.* ſed non debent, niſi viſitandi onus eis ſit ſpecialiter impoſitum, vel niſi vrgens aliqua neceſſitas viſitationem poſtulet. Item ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. anno 1514. Cardinales tituli ſui loca, ſi præſentes fuerint perſonaliter, ſi abſentes per Vicarium, tenentur ſingulis annis viſitare clericos & populos ſuarum Eccleſiarum. Item Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi & Epiſcopi ius habent viſirandi, & viſitare ipſo iure coguntur, *ex cap. Romana, & cap. Felicis, de cenſibus in ſexto, cap. Si Epiſcopum, de offic. Ordinar. in 6.* Conc. Latet. Leo X.

Decani, Archidiaconi, Archipresbyteri, Plebani & alij inferiores viſitandi ius habent, ſi id longa conſuetudine præſcripſerint, *cap. Super eo, & cap. Cùm Apoſtolus, de cenſibus.* De quibus nouè Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 3. de reformat.* ita diſponit: *Archidiaconi autem, Decani & alij inferiores in his Eccleſiis, vbi hactenus viſitationem exercere legitimè conſueuerunt, debeant quidem, aſſumpto Notario, de conſenſu Epiſcopi deinceps per ſeipſos tantùm ibidem viſitare.*

Comperit etiam ius viſitandi Abbatibus, Prioribus, Generalibus, Prouincialibus aliiſque Regularium Præfectis in monaſteriis religioſorum, vel deputatis in iiſdem, *cap. In ſingulis cap. Ea quæ de ſtatu monachor.* Abbatiſſæ & Prioriſſæ, quæ nulli Abbatiſſæ Superiori parent, aliæque mulieres cuiuſuis tituli præfectæ Monaſteriis regularium Monialium viſitare poſſunt Monaſteria & alia loca ſibi ſubiecta. Sed quia eſt ipſis interdictum Monaſterij clauſtra exire, poſſunt tanquam legitimè impeditæ Religioſos, probatoſque viros in viſitandi officio ſubrogare, & proinde ibi ceſſabit officium Ordinarij. Archidiaconus *in cap. 1. de ſtatu regular. in 6.* & Gloſſa *Clementina 2. de ſtatu Monachor. in verbo, Alia*, Barboſa *de offic. & poteſt. Epicop. p. 3. alleg. 73. num. 23.* & alij. Archidiac. Gloſſa. Barboſa.

Portò cùm viſitatio ſit ius Epiſcopale pertinens ad poteſtatem iuriſdictionis ordinariæ, non verò ad poteſtatem Ordinis, *cap. Conquerente, de offic. Ordinar. & cap. 1. §. vlt. de cenſib. in 6.* hinc fit vt poteſtas Epiſcopis conceſſa, tranſeat in capitulum Sede vacante: poteſt enim viſitare Eccleſias Epiſcopatui ſubiectas, vt reſoluunt Molina *de iuſtit. tract. 5. diſp. 11. n. 7. verſ. Ex eodem*, Rebuffus *in praxi, titul, de deuolut. num. 65.* & communis: quia Sede vacante Capitulum ſuccedit in omni ordinaria Epiſcopi iuriſdictione, niſi aliud iure reperiatur expreſſum, *cap. vltim. de ſupplend. negligent. Prælat. in 6.* Imò aliquando Capitulum ſuperitite adhuc Epiſcopo ex præſcriptione, vel priuilegio viſitandi ius habet, de qua re ſic Concilium Trident. *ſeſſ. 24. cap. 3. de reform.* loquitur: *Viſitatores etiam à Capitulo deputandi, vbi Capitulum ius viſitandi habet, priùs ab Epiſcopo approbentur, ſed non ideò Epiſcopus, vel eo impedito, eius viſitator eaſdem Eccleſias ſeorſum ab his viſitare prohibeatur; cui ipſi Archidiaconi, vel alij inferiores viſitationis facta infra menſem rationem reddere, & depoſitiones teſtium ac integra acta ei exhibere teneantur: non obſtantibus quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, atque exemptionibus & priuilegiis quibuſcumque.* Barboſa *loco cit. n. 26.* Molina. Rebuffus. Conc. Trid. Barboſa.

Vicarius autem Generalis Epiſcopi hoc ius viſitandi non habet, niſi ſpecialiter eidem committat Epicopus, vt dicunt Rebuffus *in praxi benefic. tit. in forma vicariatus, num. 100. & 101.* Vgolinus *de poteſtat. Epiſcop. cap. 4. §. 7. verſic. Tertiò, nec viſitare*, Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 45. quæſit. 4.* Rebuffus. Vgolinus. Azorius.

3. Qui autem debeant & poſſint viſitari? dicendum eſt *Primò*, quòd viſitator quilibet debet priùs viſitare & emendare ſeipſum & familiam ſuam, eiiciendo priùs trabem de oculo ſuo, quàm feſtucam de oculo fratris ſui. Nunquam enim purè maculam in membro conſiderat oculus, quem puluis grauat, & ſuperiectas ſordes tergere non valent manus, quæ lutum tenent, vt docet D. Gregorius 7. *moralium.* Et iudicet ille de alterius errore, qui non habet in ſeipſo quod condemnet: iudicet ille qui non agit eadem quæ in alio putauerit punienda, ne cùm de alio iudicat, in ſe ferat ſententiam; vt ex D. Ambroſio refertur *in cap. Iudicet 3. q. 7.* D. Gregor. D. Ambroſ.

Secundò,

Secundò, visitari possunt & debent à Summo Pontifice, omnia regna, Prouinciæ, terræ & gentes: quia totus Christianorum orbis est Summi Pontificis Diœcesis, *cap. Cuncta per mundum 9. q. 1.* Nam Pastoralis Cura solicitudinis illi diuinitus super cunctas Christiani populi nationes iniuncta, illum vigilare remediis subditorum, eorumque periculis obuiare & scandala remouere compellit: quod perfectiùs facere non posset, quàm sæpè congregando Concilia Generalia, & faciendo congregari Concilia Prouincialia & Diœcesana, in quibus potissima pars visitationis existit. In specie autem visitare potest omnes Patriarchas per se vel alios, & Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, ceterosque omnes in quacumque Ecclesiastica dignitate constitutos, ac omnes denique Ecclesiasticos cuiuscumque conditionis sint, de quibus *in cap. perlectis, distinct. 25.* visitati etiam. Corrigit & deponit Cardinales etiam absque consilio Fratrum, vt notatur *in cap. Ad succidendos, de schismat. in 6.* Item visitat Imperatorem & Reges quoscumque, quia occasione peccati corrigi possunt à Romano Pontifice: hinc est, vt Romanus Pontifex in Regni alicuius, vel Imperij administratione adiutorem dare possit, vt aliquando dedit, *cap. Grandi, de supplend. negligent. Prælat. in 6.* Similiter visitat Papa omnes alios Principes, Duces, Marchiones & Comites, Barones, Iudices, ceterosque Magistratus, & consequenter omnes officiales, populos, congregtiones Collegia, confraternitates siue Societates tam Ecclesiasticas, quàm sæculares: sicut omnes Ecclesias tam Cathedrales, quàm Collegiatas & earum Capitula & conuentus; quia omnes sub verbo cleri & populi concluduntur: etiamsi sint Monasteria Religiosorum vel Monialium, vel Hospitalia, aut alia pia loca. Imò ipsi Iudæi, & pagani Christianorum Principum imperio subiecti, visitari possunt, *ex Clement. 1. de Iudais.* Hæc omnia probantur *ex cap. grauem & cap. nouerint, de sentent. excomm. ex cap. aduersus, de immun. Eccles. cap. Omnes Principes, de maiorit. & obedient.*

Conc. Trid. 4. In Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 3. de reform.* statuitur, vt *Patriarchæ, Primates, Metropolitani & Episcopi propriam Diœcesim per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, visitatorem, si quotannis totam, propter eius latitudinem, visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem: ita tamen, vt tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. A Metropolitanis verò, etiam post plenè visitatam propriam Diœcesim, non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses suorum Comprouincialium, nisi causa cognita & probata in Concilio Prouinciali.*

Hucusque Concilium. Proinde Clerus non potest impedire ne Episcopus visitet ante lapsum triennij sub prætextu immemorialis consuetudinis, vt
Rota. censuit Rota *in Pampilon. iuris visitandi 15. Martij 1624. coram R.P.D. Merlino.* quia decretum Concilij Trident. submouet immemorialem, tum quia materia est impræscriptibilis, & semper actus ex parte Episcopi remanet merè facultatiuus, secun-
Surdus. dùm Surdum *consil. 127. num. 81.* Stephanum Gra-
Gratian. tian. *in disceptat forens. cap. 298. num. 10. & c. 399. n. 33.* Aliàs enim ab Ecclesiastica disciplina alienissimum est, vt ex negligentia Prælati detur ansa clero, & subditis refugiendi annuam visitationem, vtque Episcopus vel capitulum in graue cultus diuini præiudicium, & in perniciem animarum ipsorum recusantium, munus suum aliquo tempore ob incuriam prætermissum, resumere, & peragere non valeat, in quo si defuerit, ouium suarum sanguinem ex eorum manibus se requisiturum Dominus minatus est, Ezechielis *capite trigesimotertio, versu octauo.*

Ecclesiarum autem visitatio, quæ nullius sunt Diœcesis, ad Episcopum etiam spectat, cuius Cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet; alioquin ab eo, qui semel in Concilio Prouinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, hæ Ecclesiæ visitentur, non obstantibus priuilegiis & consuetudinibus quibuscumque, etiam immemorabilibus. Concilium Conc. Trid.
Trid. *sess. 24. cap. 9. de reform.*

5. Episcopi in visitatione suarum Diœcesum incipere debent ab Ecclesiis Cathedralibus eorum, & Capitulis Ecclesiarum ipsarum Cathedralium; proinde Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 4. de* Conc. Trid.
reform. statuit, *Capitula Cathedralium & aliarum maiorum Ecclesiarum, illorumq; persona, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, & iuramentis, concordiis, qua suos tantùm obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minùs à suis Episcopis & aliis maioribus Prælatis per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi & emendari, etiam auctoritate Apostolica, possint, & valeant.* Additur autem in eodem Concilio *sess. 25. de reform. cap. 6.* Conc. Trid.
quod *cùm extra visitationem processerit Episcopus, infrascripta omnia locum habeant: videlicet, vt Capitulum initio cuiuslibet anni eligat ex Capitulo duos, de quorum consilio & assensu Episcopus, vel eius Vicarius, tam in formando processum quàm in ceteris omnibus actibus vsque ad finem causæ inclusiuè, coram Notario tamen ipsius Episcopi, & in eius domo aut consueto tribunali, procedere teneatur, &c.*

Aduertendum tamen videtur, *Primò* quod dicta decreta Concilij non sustulerunt facultatem aliàs ex immemorabili, & laudabiliter obseruata consuetudine, Decano & Capitulo singulares Capituli, ipsique subiectas personas cumulatiuè cum Episcopo, seorsum tamen ab eodem, ipsumque Episcopum toties quoties sua auctoritate vti volentem non excludendo, visitandi, corrigendi, & emendandi: quia non dicitur Concilium eam facultatem concessisse Episcopo priuatiuè, quoad alios inferiores Ordinarios, de quorum exclusione non constat, vnde ab eis debitè punitus non est cogendus coram Episcopo denuò se purgare, vel ab eodem iterum puniri debet. Ita referunt decisum Stephanus Gratianus *in disceptat. forensib. cap. 154.* Gratian.
num. 40. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. p. 3.* Barbosa.
Allegat. 73. num. 5. Nicol. Garzias *de benefic. p. 3.* Garzias.
c. p. 2. n. 194. declarat. 3. & alij penes ipsos.

Aduerte *Secundò*, quod non liceat Episcopo visitationem aggredienti proponere edicta, quibus subditi iubeantur crimina deregere, multoque minùs proposita pœna excommunicationis, vt censuit Sacra Congregatio, testibus Armendar. *titul.* Sac. Congr.
6. de visitat. lib. 5. §. 2. numero 16. Barbosa *loco citato, num. 29.* Armendar. Barbosa.

6. Quamuis Episcopi in omnibus ius visitandi habeant, & maximè curare debeant, vt hospitalitatis opus diligenter & fideliter administretur, prout disponit Concil. Trident. *sess. 7. de reform. cap. 15. &* Conc. Trid.
sess. 25. cap. 8. de reform. tamen hospitale nouiter fundatum, & ipso fundatore superstite, visitari non potest, nisi habeat formam Ecclesiæ, aut sit fundatum auctoritate Episcopi. Ratio est, quia huiusmodi hospitale non domus Dei, sed domus hominis est, quã is, qui construxit, potest destruere & alienare. Ita Cokier *de iurisdict. Ordinarij in exempt. p. 1.* Cokier.
q. 31. n. 4. Azorius *p. 2. lib. 3. c. 40. quæst. 12. in fine,* Azorius.

Vgolinus

Vgolinus. Barboſa. Vgolinus *de poteſt. Epiſcop. cap.* 14. §. 4. *num.* 7. & communis apud Barboſam *part.* 3. *Allegat.* 75. *num.* 3. & 4.

In dubio præſumitur hoſpitale fundatum auctoritate Epiſcopi, ſi locus ab antiquo ſit in forma Eccleſiæ, vbi Sacerdotes celebrant; & cymbalum eſt conſtitutum ſuper tectum, publicéque pulſatur; vel ſi ibi celebretur omnibus indifferenter ad diuina audienda admiſſis; vel ſi Epiſcopus deputarer, vel confirmaret Miniſtrum; vel ſi haberet nomen Sancti ſibi appropriatum; vel ſi in eo fuerit ſeruata hoſpitalitas per tempus antiquiſſimum; vel ſi in eo eſſent ſepulturæ, aut cœmeterium; vel ſi reciperet decimas; vel ſi non ſolueret collectas. De quo Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 15. *num.* 39. Selua *de benefic. part.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 17. Filliucius *tractat.* 44. *cap.* 4. *quæſt.* 18. Maſcardus *de probat. concl.* 869. Barboſa *loco cit. n.* 15. & alij.

Sanchez. Selua. Filliucius. Maſcardus.

Ceterùm licet hoſpitalia erecta fuerint ſine Epiſcopi auctoritate, & non habeant Eccleſiam, nec altare, tamen Epiſcopus videre poteſt, an omnia procedant ſecundùm mentem teſtatoris, etiamſi teſtator prohibuiſſet. Couarruuias *in cap. Tua nos, n.* 6. *de teſtament.* Nauarrus *conſil.* 3. *de religioſ. domibus.* Niſi hoſpitale ſit merè laicale, quia tunc teſtatore nolente, Epiſcopo non ſubiicietur. Barboſa *loco cit. num.* 7. Nonnulli tamen arbitrantur non poſſe Epiſcopum hoſpitale viſitare, quando fundator in fundatione Epiſcopum à viſitatione excluſit. Et ita fertur Sacram Congregationem declaraſſe, in hæc verba, *Si in fundatione hoſpitalis ſit dictum, quòd Ordinarius non poſſit ſe intromittere in eius viſitatione, non poterit illud viſitare.* Et ita ſtante dicta declaratione, in vna Abulenſi ita fuit deciſum per Sacram Rotam Romanam, vt patet apud Farinacium *tom.* 2. *part.* 2. *decif.* 33. & Garzias *de benefic. tom.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 98. & 104. aſſerit, ita nouiſſimè declaraſſe Paulum V. die 7. Aprilis 1606. in cauſa Abulenſi, pro Comite de Oropeſa, contra Epiſcopum, teſte Diana *part.* 1. *tractat.* 2. *reſolutione* 84.

Couar. Nauarrus. Barboſa. Sac. Congr. Farinacius. Garzias. Paulus V. Diana.

Conc. Trid. 7. Conſtitutum eſt in Concilio Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *de reform.* vt hoſpitalia & Confraternitates, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione, Epiſcopi non viſitent ſine eorum licentia, quamuis aliàs poſſit omnia hoſpitalia & Confraternitates, quæ de ipſorum auctoritate & conſenſu fuerint inſtitutæ, viſitare. Et hoc conuenebat altitudini & præeminentiæ Regiæ Maieſtatis, vt præ ceteris anteferretur. Ita ex communi Barboſa *part.* 3. *allegat.* 75. *num.* 16. Piaſecius *in praxi Epiſcop. part.* 2. *cap.* 3. *art.* 5. *num.* 11. Vgolinus *de poteſt. Epiſcop. cap.* 24. § 1. *num.* 3.

Barboſa. Piaſecius. Vgolinus.

Ceterùm quorumdam ſententia eſt, in his hoſpitalibus & confraternitatibus de Regum protectione, poſſe Epiſcopos viſitare decentiam diuini cultus & ornamentum, & inquirere an decenter ibi Sacra miniſtrentur. Nec obſtat *loco citato* Tridentinum, quia procedit circa opera, quæ in illis locis exercentur, & circa petendas rationes eorum, quæ ibi expenduntur; non autem de viſitatione circa cultum diuinum, quæ ad Epiſcopum neceſſariò & priuatiuè ſpectat; quia res ſpiritualis eſt & Eccleſiaſtica: & debet Concilium intelligi, vt Ordinarij non viſitent in his quæ ſub protectione Regum comprehenduntur, non verò de diuinis, in quibus Reges iuriſdictionem non habent. Stylus tamen aliter obſeruat. Viderint qui aliter iudicant.

Pereira. Diana. Ita Gabriel Pereira *in tract. de man. Regia part.* 2. *cap.* 17. *numero* 12. & poſt illum Diana *parte* 1. *tractat.* 2. *reſol.* 101.

8. Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus viſitat exempta loca Summo Pontifici immediatè ſubiecta, vt ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 21. *cap.* 8. *de reform.* Si tamen talia loca exempta ſint ſubiecta alteri alicui Prælato, Epiſcopus non viſitabit, nec de iure delegato, nec ordinario, ſed ipſe Prælatus, cui immediatè ſubiecta ſunt. Ità Cokier *de iuriſdict. Ordinar. in exemptos, parte* 4. *quæſt.* 23. *num.* 2. & 3. Barboſa *parte* 3. *Allegat.* 74. *num.* 1. & 2. Hinc Epiſcopis non competit ius viſitandi Eccleſias Ordinum Militarium & aliorum Regularium exemptorum: quia ſunt nullius Diœceſis, de conceſſione Lucij III. & Gregorij Papæ, non obſtante Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 9. *de reform.* Vbi decernitur, quod Epiſcopus vicinior viſitet Eccleſias, quæ nullius ſunt Diœceſis: nam id de Eccleſiis ſæcularibus, & non de regularibus debet intelligi, vt colligitur ex verbis eiuſdem Concilij, *Eadem etiam in Eccleſiis ſæcularibus obſeruentur.* Quæ verba apertè indicant contrarium eſſe in Eccleſiis regularibus, ſecundùm iuris regulam, quod expreſſio vnius ſit excluſio alterius. Probatur hoc inſuper ex eodem Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 20. *de regular.* cuius verba ſunt, *Abbates, qui ſunt Ordinum Capita, ac ceteri prædictorum Ordinum Superiores, Epiſcopis non ſubtecti, quibus eſt in alia inferiora Monaſteria, Prioratúſve legitima iuriſdictio, eadem illa ſibi ſubdita Monaſteria & Prioratus, ſuo quiſque loco atque ordine, ex officio viſitent, etiamſi commendata exiſtant.* Ex quibus verbis conſtat, quòd Regulares, qui Epiſcopis non ſunt ſubiecti, debent viſitari ab eorum Superioribus, & non ab Epiſcopis; & ſic nec eorum Eccleſiæ. Quia ſi Eccleſias eorum viſitarent, indirectè cognoſcerent de regularium cauſis, quod Concilium Tridentinum non vult. Confirmantur hæc per multa regularium priuilegia Apoſtolica, in quorum vim non debeant ab Epiſcopis viſitari, de quibus agunt Rodriguez *tomo* 1. *quæſtionum regul. quæſtione* 36. *in articulo tertio*, Azorius *part.* 2. *lib.* 3. *capite* 40. *quæſt.* 10. & alij.

Conc. Trid. Cokier. Barboſa. Conc. Trid. Lucius III. Conc. Trid. Conc. Trid. Rodrig. Azorius.

9. Excipiuntur à præcedenti doctrina Eccleſiæ regularium, quibus cura animarum perſonarum ſæcularium eſt annexa; nam in concernentibus ipſam curam Ordinario ſunt ſubiectæ, & ab eodem viſitari poſſunt. Ex Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 7. *capite ſeptimo, de reformat.* vbi dicitur, *Beneficia Eccleſiaſtica curata quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis vel Monaſteriis, beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcumque perpetuò vnita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur.* Et idem Concilium *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de regular.* habet: *In Monaſteriis, ſeu domibus virorum, ſeu mulierum, quibus imminet animarum curà perſonarum ſæcularium, præter eas, quæ ſunt de illorum Monaſteriorum, ſeu locorum familia perſonæ, tam regulares quàm ſæculares, huiuſmodi curam exercentes, ſubſint immediatè in iis, quæ ad dictam curam & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, iuriſdictioni, viſitationi & correctioni Epiſcopi, in cuius Diœceſi ſunt ſita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amouibiles, deputentur, niſi de eiuſdem conſenſu, ac prouio examine, per eum, aut eius Vicarium faciendo, excepto Monaſterio Cluniacenſi cum ſuis limitibus, & exceptis etiam iis Monaſteriis, ſeu locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capita Ordinum ſedem Ordinariam principalem habent, atque aliis Monaſteriis ſeu domibus, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores iuriſdictionem Epiſcopalem & temporalem in Parochos & Parochianos exercent: ſaluo tamen eorum Epiſcoporum iure, qui maiorem in prædicta*

Conc. Trid.

prædicta loca vel perſonas iuriſdictionem exercent. Ita Concilium. Tamen quoad Eccleſias Militum ſancti Ioannis Hieroſolymitani, quædam decreta
Pius V. ſunt, vt patet ex reſcripto Pij V. incip. *Expoſcit.* Dato Romæ 22. Septembris 1571. ibi: *Decernimus declaramus ſtatuimus omnes & ſingulos locorum Epiſcopos & alios Superiores tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatos, omnes & quaſcumque Parochiales Eccleſias ceteraque beneficia Eccleſiaſtica ſuarum ciuitatum & Diœceſum, quibus animarum cura immineat, ad dictam Religionem* (ſcilicet Militum ſancti Ioannis Hieroſolymitani) *eiuſq; milites, Capellanos, Miniſtros, Rectores quomodolibet pertinentia; etiam quod in eis Epiſcopalem & temporalem iuriſdictionem Religio & Milites prædicti haberent, eorumq; Eccleſias, Rectores, Vicarios & Miniſtros quoſcumque (in his tamen dumtaxat, quæ animarum curam, illiuſq; exercitium, & Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt) viſitare, omneſq; actus viſitationem concernentes exercere poſſe & debere, ac Rectores, ceteroſq; huiuſmodi Miniſtros curam animarum exercentes minus idoneos repertos, ſi quidem ad nutum amouibiles ſint, ſtatim amouere: ſi verò titulares ſint, illicò ſuſpendere, ac Superiores illorum monere, vt intra aliquem breuem terminum, in locum amotorum ſubrogent alios idoneos, prius tamen per ipſos Epiſcopos, & alios Superiores examinatos, & approbatos, &c.*
Cockier. Riccius. Pa Boſa. Ita teſtantur Cokier *de iuriſdict. Ordin. in exemptos parte ſecunda, quæſtione* 45. *numero* 11. Riccius, Praſecius & alij apud Barboſam *de offic. & poteſtat. Epiſcop. parte tertia, Allegat.* 74. *numero* 26.

Greg. XV. Et nouiſſimè Gregorius XV. in Conſtitutione ſua, quæ incipit, *Inſcrutabili*, ſub Dat. Nonis Februarij 1622. omnes regulares & ſæculares quomodolibet exemptos, qui animarum curam perſonarum ſæcularium exercent, in his, quæ eiuſmodi curam, ſeu adminiſtrationē concernunt omnimodam, iuriſdictioni, viſitationi & correctioni Diœceſani Epiſcopi tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plenè in omnibus ſubiecit, vt patet ex
Tamburin. textu ipſius Conſtitutionis, apud Tamburinium *de iur. Abbat. tom.* 1. *diſputatione* 15. *quæſt.* 7. *numero quinquageſimoprimo*. Qui etiam refert De-
Sac. Congr. clarationes factas à Sacra Congregatione Eminentiſſ. D D. Cardinalium ſuper dicta Conſtitutione Gregoriana, quibus cenſet prædictam conſtitutionem nequaquam ſubiicere Regulares exemptos, quibus cura animarum perſonarum ſæcularium non incumbit, Epiſcoporum iuriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi in Sacramentis perfouis ſæcularibus adminiſtrandis, iidem Regulares delinquant.

10. Ordinarij poſſunt viſitare Capellas Confraternitatum laicorum erectas in Eccleſiis Regularium, ex decreto Sacræ Congregationis; tum vt cognoſcant, an actus pietatis, qui ibi exercentur, fortè continent aliquid illicitum aut ſuperſtitioſum: tum vt videant, an relicta à fidelibus in vſus pios debitè, ac iuſtè expendantur
Naldus iuxta mentem relinquentium. Ita Naldus *verb. Viſitare, numero ſexto*, vbi teſtatur ſic ſeruari in praxi, addens tamen Ordinarios non poſſe ſe immiſcere in bonis temporalibus earumdem Confraternitatum, niſi aliter in earum erectione ſtatutum fuerit.

11. Commendata Monaſteria, etiam Abbatiæ, Prioratus & Præpoſituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis obſeruantia, nec non beneficia tam curata, quàm non curata, ſæcularia & Regularia, qualitercumque commendara etiam exempta, ab Epiſcopis etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegatis, annis ſingulis viſitari debent: quando verò in eis viget obſeruantia Regularis, monere debet Epiſcopus eorum Superiores, vt viſitent, & corrigenda corrigant, qui ſi intra ſex menſes viſitare neglexerint, Epiſcopus ipſe viſitare poſſet, & corrigere, nullo priuilegio, aut appellatione obſtante. Ita Concil. Tri- Conc. Trid.
dentin. *ſeſſ.* 21. *capite* 8. *de reformat.* Aliter enim Epiſcopus non debet ſe intromittere in Monaſteriis, in quibus viget Regularis obſeruantia, vt notant Barboſa *loco citato, Allegat.* 74. *numero* Barboſa.
decimoquinto, & decimoſexto. Similiter Monaſteria, quæ Generalibus Capitulis non ſubſunt, nec ſuos habent viſitatores Regulares, ſi monita in Congregationes ſeſe non redegerint, in omnibus Epiſcopi iuriſdictioni ſubiecta ſunt. Ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *capite octauo, de* Conc. Trid.
regular.

12. In iis, vbi de viſitatione, aut morum correctione agitur, proceditur omni & quacumque appellatione, ſeu querela, etiam ad Sedem Apoſtolicam interpoſita, ſemota, quæ executionem nullo modo impedire, aut ſuſpendere poteſt, vt ſtatuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *capite* 10. *de re-* Conc. Trid.
format. Nam Epiſcopi in omnibus iis, quæ ad viſitationem ac morum correctionem ſubditorum ſuorum ſpectant, ius & poteſtatem habent, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi & exequendi, iuxta Canonum ſanctiones, quæ illis ex prudentia ſua, pro ſubditorum emendatione, ac Diœceſis ſuæ vtilitate neceſſaria videbuntur. Dummodo Epiſcopi procedant ſine proceſſu & ſine ſcriptis, etiam carcerando, & carceratos detinendo: quo caſu ſi carcerati appellauerint, poteſt iudex appellationis cognoſcere de prætenſo exceſſu in corrigendo: interim tamen non impeditur aut ſuſpenditur executio eorum, quæ ab Ordinario ſunt decreta. Sed ſi Epiſcopus formato proceſſu & ſeruatis ſeruandis procedat, non habet locum diſpoſitio Concilij Tridentini *in dicto cap.* 10. ſed à ſententia definitiua tantùm admittitur appellatio, quæ ſuſpendit iudicatum, & habetur in declarationibus, quæ circa Trident. circumferuntur *ſeſſ.* 24. *cap.* 10. & eas refert Riccius *in praxi fori Eccleſiaſt. deciſ.* 104. Riccius.
his verbis: In cauſis viſitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum deuolutium tantùm admittitur, niſi de grauamine per diffinitiuam irreparabili agatur, vel cùm viſitator, citata parte, & adhibita cauſæ cognitione, iudicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum ſuſpenſiuum. Ita Barboſa Barboſa.
etiam *in remiſſionib. ad Trident. ſeſſ.* 13. *cap.* 1. *de reformat. verſ. In cauſis.*

Proinde in viſitationibus Concilium Tridentinum ſolùm prohibet appellationem quoad ſuſpenſiuum, quando agitur de correctione & reformatione, vel de re leui, aut de rebus ad diuinum cultum pertinentibus, & ſic eſſe intelligendum docent Ric- Riccius.
cius *in praxi variar. reſol. reſol.* 7. Zerola *in praxi* Zerola
Epiſcop. verb. Viſitatio, num. 3. Barboſa *de offic. &* Barboſa.
poteſt. Epiſcop. part. 3. *Allegat.* 73. *num.* 32. Secus ſi de graui re reſultante in præiudicium tertij: tunc enim habet effectum ſuſpenſiuum: nam cenſentur viſitatores excedere eorum poteſtatē, intromittendo ſe in rē graui & ardua, vt innuit textus *dict. c.* 1. *de reform. ſeſſ.* 13. *Conc. Tridentini*, ibi. *Niſi grauamen huiuſmodi per definitiuam ſententiam reparari; vel ab ipſa definitiua appellari non poſſit.* Per quæ verba docet Nauarrus *concil.* 1. *de appellation.* & Nauarrus.
defendit Ceuallos *in tractat. de violentia* 1. *part.* Ceuallos.
gloſſ. 6.

gloſſ. 6. *num.* 22. *&* 23. dicens, quòd ſi viſitator Eccleſiaſticus excedat modum viſitationis & correctionis, veluti amouendo poſſeſſorem triennalem, vel declarando aliquem intruſum, qui pacifice poſſidet, vel priuando beneficio ſine cauſæ cognitione, vel cum ea, tunc in iis caſibus eſt locus appellationi, & ſententia viſitatoris non eſt exequenda, appellatione remota. De his videndus

Suar de Paz. Suarez de Paz *in praxi tom.* 2. *part.* 5. *cap. vnic.*
Franc. Leo. *num.* 14. Franciſcus Leo *in praxi fori Eccleſ. part.* 2.

Trullench. *cap.* 2. *num.* 77. Trullench *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 4.
Genuenſis. *dub.* 5 *numero decimotertio*, Marcus Anton. Genuenſis *in praxi Neapolitan. capite* 21. *num.* 6. & alij ab ipſis relati.

13. Licet non poſſit viſitator in actu viſitationis allegari ſuſpectus, niſi exceſſerit modum in viſitatione, vt notant Genuenſis *loco citato capite vigeſimoprimo*, Barboſa *loco citato allegat.* 73. *numero* 38. & alij: quia tamen poteſt modum excedere, aut ab inquiſitione Generali aliquando, ad particularem procedendum eſt; ideò etiam reſpectu viſitatorum quoque habet locum recuſatio: quia in inquiſitione particulari procedunt, non vt viſitatores, ſed vt iudices. Quod autem viſitator, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue Prouincialis, non poſſit impediri, quantumcumque ſuſpectus ſit, ne viſitet ex officio viſitatione Generali & ordinaria, probatur ex de-

Paulus V. creto Pauli V. tranſmiſſo ad Epiſcopum Portugalenſem die 29. Octobris 1610. cuius tenor eſt:

Venerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Fraternitatis tuæ nomine nobis nuper expoſitum fuit, quòd viſitationes, quæ in tua Diœceſi in vim decretorum Concilij Tridentini, & alias legitimè fiunt impediuntur; eo quia viſitati Prælatum, ſeu alium legitimè viſitantem ſuſpectum allegant, in magnum diuini cultus, præſertim, & fabricæ Eccleſiarum præiudicium. Quamobrem nos huiuſmodi abuſum tollere volentes, ſupplicationibus ſuper hoc tuo nomine humiliter porrectis inclinati, de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Sacri Concilij Tridentini interpretum, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium declaramus Epiſcopum vel alium, cui id legitimè competit, viſitantem non poſſe vti ſuſpectum recuſari, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, &c.

Circa quod Decretum aduertendum eſt *Primò*, quòd licet ſit commiſſum ad vnum tantùm Epiſcopum particularem, habet tamen vim in tota Eccleſia, vt per illud cauſæ reſoluantur vbique; nam eſt Epiſtola Decretalis Papæ pro inſtructione Eccleſiæ. *Secundò*, notandum eſt in hoc decreto Papam non ſolùm id conceſſiſſe pro Epiſcopis viſitantibus ſuas Diœceſes; ſed etiam pro Prælatis Regularibus viſitantibus ſuas Prouincias, vt conſtat ex illis verbis decreti, *Epiſcopum, vel alium cui id legitimè competit.* Quibus verbis clarè id concedit & Epiſcopo, & cuiuis alteri legitimè viſitanti, qualis eſt Prælatus regularis. Ratione item hoc probatur: Tum quia Epiſcopus, vel Prælatus in viſitatione Generali concernente bonum commune, non inquirit, nec poteſt inquirere de culpis alicuius in particulari: & cùm illa viſitatio in genere tendat ad bonum commune, non poteſt ſubditus particularis impedire bonum commune viſitationis & Eccleſiæ. Nec refert ex illa viſitatione Generali poſſe reſultare culpas contra Prælatum Conuentus vel alios graues Patres, quorum interſit Prouincialem ſuſpectum

Nauarrus. non viſitare. Reſpondet Nauarrus *lib.* 5. *conſil. tit. de accuſat. Inquiſit. conſil.* 3. hoc non ſufficere ad illum recuſandum; nam viſitatio Generalis neminem infamat, & per teſtes in illa receptos nemo poteſt condemnari: ſed debet fieri particularis proceſſus à viſitatore ex repertis in viſitatione Generali contra culpatum in illa, & in hoc ſecundo proceſſu ſpeciali, citato illo culpato, in generali inquiſitione poterit recuſationes ponere contra Prouincialem, vel viſitatorem. Antea quoque deciſum fuerat à Sacra Congregatione, Epiſcopum viſita- Sac. Congr.
tionem aggredientem, atque etiam in præparatoria inquiſitione non poſſe vt ſuſpectum recuſari, neque probatione, vel allegatione ſuſpenſionis impediri, quominus pœnâ extraordinariâ, quæ morum correctionem & emendationem reſpiciat, viſitatos afficere poſſit: dum tamen in ea proceſſum non compleat, & ſe intra viſitationis terminos contineat, provt refert Armendarius *titul.* 6. *de viſit. lib.* 5. §. 2. *numero* 7. & 8. Barboſa *loco ſupra* Armendar. Barboſa. *citato*, Portel *in reſponſionibus moral. parte prima, caſu* 21. Laurentius de Peyrinis *in formulat. Regular. litt. R. cap.* 2. *num.* 3. Portel. Peyrinus.

14. Certum eſt ex iure Canonico poſſe iudicem Ordinarium ex iuſta cauſa recuſari, vt patet *in cap. cùm ſpeciali, de appellation.* Qui verò iudicem recuſare voluerit, coram eodem ſuſpicionis cauſam probabilem, atque rationabilem in ſcriptis proponere debet, *cap. Inter Monaſterium, de re iudic. cap. Cum ſpeciali, & cap. Secundò requiris, de appellat.* Quod ſi dubia cauſa recuſationis huiuſmodi ſit, recuſatus iudex de illa cognoſcere minimè poterit: ſed eo caſu aduerſarius, aut iudex ipſe vnum; recuſans verò alterum viros probos, atque peritos eligere debent; qui arbitrio ſic electi de huiuſmodi cauſa, probabilis nec ne ſit, ideoque vel admittenda, vel reiicienda, diiudicabunt: & ſi diſcordes illos inter ſe eſſe contigerit, tertium eligant ipſimet, & quod ex ipſis duo iudicauerint, robur obtineat firmitatis, *cap. Cum ſpeciali, de appellat. & cap. Suſpicionis, iunct. Gloſſa, de offic. & poteſt. iudic. delegat.* Quæ ſi probata fuerit, de recuſantis conſenſu idoneæ perſonæ cauſam recuſatus committat, vel ad Superiorem ipſum recuſantem tranſmittat. Non probata verò ſuâ iudex vtatur iuriſdictione, cauſamque inceptam proſequatur, *ex dict. cap. Cum ſpeciali, iunct. Gloſſa & cap. Suſpicionis citato, verſ. ad quos omnia.* Et hæc omnia de iure Canonico procedunt; De iure tamen ciuili ſufficit dicere ſe iudicem habere ſuſpectum. Gloſſa *in l. apertiſſimi & l. quia poterat,* Gloſſa. *ff. ad Trebell. & in l. item ſit ſuſpectus, ff. de procurat.* dummodo recuſans ſe calumniæ cauſa illum non recuſare iuret; vt tradit poſt alios Paulinus Berti Berti. *in praxi crimin. regul. titul.* 3. *cap. vnic. num.* 45. *& ſequentibus.*

15. Dubium tamen eſt, an poſſint regulares recuſare iudicem Ordinarium vt ſuſpectum? Ratio autem dubitandi eſt, quia *cap. cùm ſpeciali, de appellat.* in fine, habet, *Cæterùm has duas Conſtitutiones præmiſſas nolumus ad regulares extendi contra ſuas ſpeciales obſeruantias.* Ex quo textu Gloſſa *in* Gloſſa.
cap. ad noſtram de appellat. verb. minus, quam ſequitur Hoſtienſis, tenent, non poſſe Regulares iu- Hoſtienſis.
dicem Ordinarium recuſare. Alij verò aſſerunt, quod poteſt iudex Ordinarius à Regularibus recuſari, quando procedit iudicialiter; ſecus autem quando procedit extra iudicium. Ita Ioannes An- Ioan. Andr.
dreas *in cap. cum ſpeciali, de appellat. num.* 18. Francus. Antonin.
Francus *ibi num.* 4. Anton. *in fine.*

Sed melius alij abſolutè docent, poſſe Regulares ex iuſta cauſa iudicem Ordinarium recuſare.

Ratio est, quia contra Prælatum regularem etiam potest esse iusta causa recusationis, & adeò grauis, vt si non admitteretur recusatio, nimis graue, & onerosum esset subitici tali iudici, & proinde esset contra iustitiam prohibere recusationem. Ita Panormitanus *in dict. cap. Cum speciali, de appellat.* §. *Porrò, num.* 3. Alexander de Næuo *ibidem num.* 8. Barbosa *in collectan. ad dict. cap. Cùm speciali n.* 16. Sanchez *lib.* 6. *moral cap.* 8. *n.* 111. & *lib.* 6. *opuscul. cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 17. Thomas à Iesu *tractat.* 3. *de visitat. Regular. cap.* 17. *num.* 12. & alij multi, qui agentes de recusatione Iudicis, non excipiunt Prælatos Regulares.

Panormit. Al. de Næuo. Sanchez. Th. à Iesu.

Ad textum autem in ratione dubitandi allatum dicendum est, quod ibi Pontifex non prohibet absolutè Regularibus recusationem iudicis; sed tantum decernit, quòd facultas recusandi Iudicem Ordinarium non extendatur ad ipsos contra ipsorum obseruantias, siue in præiudicium Regularium obseruantiarum; & proinde non possit recusari, quando procedit secundùm Regulares Obseruantias, seu secundùm Regulam: quia tunc Superior Regularis secundùm regulam procedens, non potest inferre grauamen, quia neque infert regula; vnde non habet locum recusatio, vt notat Paulinus Berti *in practic. Criminal. regul. tit.* 19. *cap.* 2. *n.* 9. omninò videndus. Si enim non possunt Regulares appellare à correctionibus Prælatorum iuxta *cap. Ad nostram el* 1. *& cap. Reprehensibilis, de appellat.* inde sequitur, nec posse recusare Ordinarios, nec eorum delegatos, cùm ipsi Prælati per suos delegatos intendant inquirere, & punire iuxta disciplinam regularem ipsos reos.

Berti.

16. Si apud Regulares adsit statutum de non recusando iudice Ordinario, intelligi debet de recusatione ex causa friuola, non autem ex causa iusta & graui: sed tunc poterit recusari, cùm hoc per statutum non censeatur prohibitum. Intentio enim Superiorum est parare remedium pro perturbatione regularis disciplinæ, quæ potest oriri si subditi haberent aditum ad recusandum Ordinarium iudicem ex quacumque leui causa; tunc enim nullus Superior potuisset aliquem punire: quia semper in promptu esset aliqua causa friuola recusationis; vnde oriri posset magna perturbatio in religionibus. Ratio horum est, quia anima legis, & statutorum est iustitia, sine qua non sunt leges & statuta, sed tyrannicæ oppressiones, vnde cùm lex & statutum debeat accipi tanquam vera lex & statutum, debent accipi secundùm eam mensuram, secundùm quam continent iustitiam. Hinc sequitur, prohibitionem recusationis iudicis ex iusta & graui causa, non continere iustitiam, sed iniustitiam; quia prohibet defensionem, & implicitè vult oppressionem innocentiæ & iustitiæ: vultque tradi in manus inimici eum, quem ipse cupit lædere. Ita Speculator, Francus, Lancellot. Sanchez. *lib.* 1. *tit. de recusat.* §. 1. *num.* 5. Francus *in cap. Postremo n.* 5. *de appellat.* Lancellotus *de attentat. cap.* 6. *num.* 40. Sanchez *in opuscul. lib.* 6. *cap.* 8. *dub.* 3. *num.* 16. Qui docent quòd quando Papa committit causam cum clausula *Recusatione remotâ*, debet intelligi de recusatione ex causa friuola, non autem ex causa iusta.

Speculator. Francus. Lancellot. Sanchez.

An autem statutum omninò tollens recusationem iudicis ex quacumque causa, sit validum? videtur negatiuè respondendum, quia iniustum est & contra iustitiam, bonum publicum, & legem naturalem. Probatur *ex cap. Quòd suspecti* 3. *quæst.* 5. vbi habetur, *Quod suspecti & inimici iudices esse non debeant, & ipsa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius & amabilius dare quis inimico potest, quàm si ei ad impetrandum commiserit, quem ladere fortè voluerit?* Et citat ibi Pontifex Constantinopolitanam Synodum hoc ipsum *Canon.* 6. prohibentem. Citat etiam Gelasium Papam, quod inimici non possint esse iudices; & proinde liceat eos recusare, addens rationem, *Quodammodo naturale est suspectorum iudicum insidias declinare & inimicorum iudicium velle refugere.* Accedit quòd recusatio iudicis pertinet ad defensionem; imò est vna ex maximè necessariis defensionibus, *ex cap. Cùm inter, de exceptionibus.* Vbi habetur, *Inquisitioni vestræ duximus respondendum, quod pradicto nobili legitima defensio in iudicio reseruatur & maximè iudicis recusatio, cùm periculosum sit coram suspecto iudice litigare, ac suspectis iudicibus Sedes Apostolica causam de certa conscientia non committat.* Dicendum ergo est, quod nulla lex prohibere potest quæ sunt iuris naturalis, qualis est defensio atque recusatio iudicis: lex enim, vt sit vera lex, non debet esse contraria iuri naturali, sed in ipsa fundari. Hoc autem ius habet locum etiam apud Regulares. Ex quo fit, quod non possint Superiores Religionum ratione voti obedientiæ tollere à subditis, quæ concedit ius naturale; alioquin præciperent aliquid contra ius naturale, nec teneret Præceptum, si tamen regulares probarent in causa grauissima, agitata contra ipsos, suspicionem iudicis esse legitimam, haberet locum eius recusatio, vt diximus suprà, & rectè docent Paulinus Berti *in praxi criminal. regular. tit.* 19. *num.* 19. *in fine.* Pasqualigus *in decis. moral. dasif.* 349. apud quem plura de hac materia in decisionibus sequentibus, & apud Sanchez *in opuscul. libro sexto capite octauo, dubio tertio, numero decimonono, & sequentibus.*

Berti. Pasqualig. Sanchez.

19. Visitatores debent, quantò citiùs possunt, se expedire, ne grauent subditos suos expensis, & studeant quàm celerrimè debita cum diligentia visitationem ipsam absoluere, vt statuit Concilium Bracharen. IV. *Act.* 2. *capite.* 5. Ecclesiæ autem inferiores visitantibus moderatas procurationes soluere tenentur, iuxta modum & qualitatem iure præfinitam. Nam debentur vel ratione visitationis, vt *in cap. Cum ex officij, de præscript. & cap. Romana, vers. Procurationes, de censib. in* 6. vel ex vi consuetudinis, aut alterius iuris specialis, *cap. Seruitium* 18. *quæstione secunda, & cap. Scientes, de censibus.* vel ex pacto legitimè celebrato tempore fundationis, *cap. Quanto, de censibus.* In visitatione autem præter Procurationem ab Ecclesiis, nihil muneris accipere potest Visitator, non tantùm ipse, sed nec etiam quisquam suorum, sub pœna maledictionis, & interdicti ingressus Ecclesiæ, ac restituendi duplum infra mensem, non obstante remissione partium, *ex cap. Exigit, de censib. in* 6. innouato à Concil. Tridentin. *sess.* 24. *capite tertio, de reformat.* vbi statutum est. *Monentur omnes & singuli, ad quos visitatio spectat, vt paterna charitate, Christianoq; zelo omnes amplectantur: ideoque modesto contenti equitatu, famulatuq; studeant, quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absoluere. Interimq; caueant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graues onerosiue sint, neue ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios vsus, præter id quod relictis piis iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili: exceptis tantum victualibus,*

Conc. Brach.

Conc. Trid.

victualibus, quæ ſibi ac ſuis frugaliter moderateque pro temporis tantùm neceſſitate & non ultra erunt miniſtranda. Sit tamen in optione eorum qui viſitantur, ſi malint ſoluere id quod erat ab ipſis ante ſolui, certa pecunia taxata, conſuetum; an verò prædicta victualia ſubminiſtrare: ſaluo item iure conuentionum antiquarum cum Monaſteriis, aliiſvè piis locis, aut Eccleſiis non Parochialibus iuſto, quod illeſum permaneat. In iis verò locis ſeù Prouinciis, vbi conſuetudo eſt, vt nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant, ibi id obſeruetur. Quod ſi quiſquam, quod abſit, aliquid amplius in ſupradictis omnibus caſibus accipere præſumpſerit, is præter dupli reſtitutionem, intra menſem faciendam, aliis etiam pœnis iuxta Conſtitutionem Concilij Generalis Lugdunenſis, quæ incipit, Exigit; *nec non & aliis pœnis in Synodo Prouinciali arbitrio Synodi abſque vlla ſpe veniæ, mulctetur.* Huc vſque Concilium.

Cùm enim Prælati Eccleſiaſtici Prouincias, Diœceſes, Eccleſiaſque ſuas, Clericos, & populos ſibi concreditos iure communi viſitare cogantur; tamen non ſuis impenſis & ſumptibus id præſtare tenentur: quia nemo militat ſuis ſtipendiis: proinde iure Canonico conſtitutum eſt, vt ij, ad quos curandos, & corrigendos accedunt, moderatas impenſas faciant, quas Canones & iura Procurationes appellant. De his Procurationibus vide Azorium *part. 2. lib. 3. cap. 42.* Paulinum Berti *in praxi Criminal. regular. titul. 4. cap. 9.* Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. Allegat. 73. à num. 44.*

Azorius. Berti. Barboſa.

Quænam autem forma ſeruanda ſit à Prælato viſitante, & quo ordine ſit viſitatio obeunda, vide apud Barboſam *loco citato, à numero 58.* apud Azorium *loco citato cap. 41.* & alios.

Barboſa. Azorius.

18. Contra viſitationem iure communi vel ſpeciali competentem, præſcriptio multis modis contingere poteſt; aliquando abſolutè extinguendo, & tollendo omninò viſitationem ipſam, ita vt ſubditi iam ampliùs à nemine viſitentur: aliquando verò non tollendo, nec extinguendo, ſed transferendo viſitationem, vel ius viſitandi ad alium; ita vt maneat quidem viſitatio, ſed tamen non is, ad quem pertinebat, ſed alius viſitet; aliquando denique non tollendo, nec transferendo, ſed accumulando; ita quod maneat viſitatio penes illum, ad quem ſpectabat, ſed tamen non fit per illum ſolum, quia per præſcriptionem alius eidem in viſitatione accumulatur, vt colligitur *ex cap. Cùm ex officij, de præſcript.* & traditis ibi per Doctores.

Præſcriptio tollens omninò viſitationem, iure communi iniunctam, non valet, & prohibetur, vt probat textus *in dict. cap. Cùm ex officij.* Ratio eſt, quia præſcriptio impediens morum correptionem & Eccleſiarum reformationem, meritò prohibetur, argument. text. *in cap. Cùm inter & cap. Ex parte, de conſuetud.* quia cedit in damnum publicum; ac exinde proueniunt multò maiora mala in Republica, quàm ſit bonum vitandi lites, & certitudinem dominiorum, pro quibus bono publico introducta fuit præſcriptio, *l. 1. ff. de vſucap.* Sed præſcriptio omninò tollens viſitationem iniunctam iure communi, impedit morum correptionem & reformationem Eccleſiarum, & ita obuiat bono publico, quod per viſitationem prætenditur: ergo, &c. Ita ſentiunt Gloſſa *in cap. Irrefragabili, de offic. Ordin.* Molina *de iuſtit. tractat. 2. diſput. 79. vrſ. Obedientia, & diſput. 85. in fine.* Azorius *p. 2. lib. 3. cap. 40. quæſt. 2.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 129. num. 9. & 10.* Tamburinius *tom. 1. de iur. Abbat. diſp. 19. quæſt. 3. n. 2. & 3.* Cokier *de intrſd. Ordinar. in exempt. part. 3. quæſt. 27.* & alij.

Gloſſa. Molina. Azorius. Barboſa.

Tamburin. Cockiat.

Præſcriptio, quæ viſitationem transfert, vel alijs accumulat, admittitur. Ratio eſt, quia præſcriptio illa admittenda eſt, quæ nullo iure prohibetur, nec impedit morum, aut Eccleſiarum reformationē, nec aliàs obuiat bono publico; cùm adhuc maneat viſitatio facienda ab eo, in quem transfertur, vel accumulatur. Quod euidenter colligitur *ex dict. cap. cùm ex officij.* Vbi Pontifex ſubiungit, *Quamuis alius contra eum præſcribere poſſit*, apertè ſignificat admitti præſcriptionem, per quam transfertur, ſeu accumulatur viſitatio: quia talis præſcriptio, abſolutè loquendo, non eſt contra viſitationem, quam non tollit, ſed contra Prælatum, cui præiudicat. Et fuit deciſum in Rota, quod conſuetudo viſitandi in præiudicium Epiſcopi debet eſſe præſcripta, ſaltem ex ſpatio quadraginta annorum. Ita Azorius *loco citat. quæſt. 3.* & alij ſuprà adducti.

Azorius.

Hæc de viſitatione in communi dicta ſufficiant; pluraha bes de hac materia apud Paulinum Berti *in praxi crimin. regul. toto titul. 4.*

Berti.

Vide verb. Archiepiſcopus *n. 4.* Capitulum *n. 5.* Cæcus *n. 3.* Epiſcopus *n. 23.*

VOTVM I.

Vbi variæ quæſtiones de voto diluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Voti nomen vnde deductum, & an ſoli Deo votum ſit faciendum? Et quomodo fiat Sanctis.*
2 *Quando votum ex metu graui factum ſit validum, & quando inualidum.*
3 *Quo iure metus grauis iniuſtè incuſſus gratiâ extorquendi voti, illud irritet?* Refertur duplex ſententia.
4 *In dubio an votum factum fuerit per metum grauem, ſit adimplendum?* Refertur duplex ſententia.
5 *An votum metu graui emiſſum & iuramento confirmatum obliget ratione iuramenti.*
6 *An res, quæ ſimpliciter eſt neceſſaria & neceſſario ſequitur à cauſa naturali, ſit ſufficiens materia ad vouendum.*
7 *An opus malum, ſiue mortaliter, ſiue venialiter, poſſit eſſe materia voti.*
8 *Quot modis votum poſſit eſſe illicitum.*
9 *Quando quis promittit licitum pro petitione licita, ex cauſa tamen turpi pendente, an votum huiuſmodi ſit validum & obliget, ſi conditio adimpleatur.*
10 *Quando votum factum contra prius votum ſeu iuramentum ſit validum & quando non.*
11 *An promiſſio de re aliqua contra prius votum validum, valeat.*
12 *An votum rei bonæ, ſed propter finem temporalem, ſeu indifferentem ſit validum?* Refertur duplex ſententia.
13 *Quando quis vouet aliquid, quod à principio eſt indifferens, aut malum, aut impoſſibile, aut contra conſilia, ſi tempore executionis materia eſt apta, an votum ſit validum.*
14 *Qui poſſint & non poſſint valida vota facere.*
15 *An vota parentum obligent infantes.*
16 *An ſeruus votum validè emittere poſſit abſque conſenſu domini.*
17 *Quæ vota coniuges emittere poſſint.*
18 *An Epiſcopi aliquid vouere poſſint ſine licentia*

centia Papæ? vel poſt Epiſcopatum adeptum votum emiſſum implere.

19 *An clerici in dignitate conſtituti, aut curam animarum ſeu beneficia reſidentiam requirentia habentes, aliquid vouere poſſint in detrimentum ſuarum Eccleſiarum ſine licentia Epiſcopi? Et an hi emittere poſſint votum Religionis & illud exequi inconſulto Epiſcopo.*

20 *Filiusfamilias pubes, quæ vota realia poſſit & non poſſit emittere? Et an Religioſi aliquid vouere poſſint abſque Superioris conſenſu.*

21 *An vota facta ab aliqua communitate pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, teneantur ſucceſſores iſtius populi ſeruare, ſi facta ſint ex conſenſu Epiſcopi? Et an ad ea teneantur regulares exempti?* Remittuè.

22 *An donatarius teneatur ad realia donantis vota, ſi ſciat donantem ob id effici impotentem ad perſoluenda vota.*

23 *An teneatur hæres illius, qui profeßionem in Religione approbata emiſit, ad vota realia religioſi profeſſi? Et quid, ſi religioſus tempore profeßionis expreßè intenderit ſua vota non extingui, nec in onera Religionis commutari?* Refertur duplex ſententia.

24 *An hæres obligetur ad vota realia defuncti, ſi defunctus ante mortem expreßè dixerit nolle hæredem ad ea teneri?* Refertur duplex ſententia.

25 *An ſit duplex votum, quando in voto pœnali clauditur vitatio alicuius rei & ſolutio pœnæ eâ re non vitatâ.*

26 *An votum pœnale obliget, quando materia principalis voti verè pœnalis eſt inepta? Et quid, ſi eſſet votum ſolius pœnæ, caſu quo verè pœnale eſt.*

27 *Quando auferatur principalis voti obligatio per irritationem, commutationem vel diſpenſationem ante vel poſt incurſam pœnam, an auferatur conſequenter obligatio pœnæ.*

28 *An votum pœnale ſolùm obliget prima vice ad pœnam, an verò toties quoties quis illud violauerit.*

29 *Quando tranſgreßio voti pœnalis immunis eſt à culpa ratione obliuionis, an excuſetur etiam à pœna.*

30 *Quando votum merè conditionale dicatur? Et quotuplex conditio voto apponi poßit? Et an votum factum ſub conditione contra naturam & ſubſtantiam voti ſit validum.*

31 *Votum factum ſub conditione impoßibili an ſit validum.*

32 *Conditio turpis an reddat votum inualidum quando vouens cupit talem conditionem euenire.*

An conditio neceſſaria ſuſpendat voti valorem.

33 *An conditio contingens futuri temporis & honeſta, ſuſpendat voti obligationem, donec ea euenerit.*

34 *Quando votum emittitur ſub pluribus conditionibus, an deficiente vel eueniente vna, votum obliget.*

35 *Vouens aliquid ſub conditione futura, an poßit aliquid facere, quo ſe reddat ineptum ad voti executionem ſecuta conditione.*

36 *Si aliquis per fraudem impediat quominùs conditio votata eueniat, an voto obligetur perinde ac ſi conditio impleta eſſet?* Refertur duplex ſententia.

37 *Qui ex profeſſo quidem non impedit conditionem in voti fraudem, ſed ex graui ſua negligentia eius euentum impedit, an teneatur voto.*

38 *Qui vouit aliquid ſub conditione, ſi alius ſibi conſuluerit vel voluerit, an poßit ab eo petere ne id conſulat vt voto non teneatur.*

39 *Qui vouet Religionis ingreſſum ſub conditione conſenſus paterni, quando cenſeatur conditio impleta, vt votum obliget? Et an quis faciat contra votum de Religione aſſumenda ſub conditione paterni conſenſus, ſi de facto procuret precibus ne pater conſentiat.*

40 *An ſemper expediens ſit conſulere Religionis ingreſſum, & vt ad eum ſe voto homines obligent.*

41 *Qui votum Religionis emiſit, ad quid teneatur.*

42 *Qui vouit mori in Religione, an cenſeatur votum Religionis, profeßionis & perſeuerantiæ emiſiſſe? Et an votum volendi ingreſſum Religionis, ſit votum Religionis.*

43 *An qui vouit Religionem, ad quam probabiliter putat ſe admittendum, ſi votum religioſis manifeſtet; an teneatur illud manifeſtare?* Refertur duplex ſententia.

44 *Qui vouit principaliter caſtitatem & Religionem, an teneatur ad caſtitatem in ſæculo ſeruandam, ſi à voto Religionis liber ſit? Et quid, ſi principaliter vouit ſolam Religionem, caſtitatem autem acceſſoriè.*

45 *Habens votum Religionis & illam ingrediens animo exeundi, an voto ſatisfaciat? & an illud votum ſit validum.*

46 *An vouens non ſolùm ſe ingreſſurum Religionem, ſed in ea profeſſurum, ſatisfaciat voto ingrediendo, & poſtea ex iuſta cauſa egrediendo?* Refertur duplex ſententia.

47 *An vouens Religionem abſolutè nil de exeundi libertate determinando, ſatisfaciat voto ingrediens & poſtea ſine iuſta cauſa exiens?* Refertur duplex ſententia.

48 *Quæ cenſeantur iuſta cauſa egreſſus, vt vouens Religionem & ab illa egrediens, dicatur voto ſatisfeciſſe.*

49 *Qui poſt votum Religionis contrahit matrimonium animo conſummandi, an peccet mortaliter prima vice petendo aut reddendo debitum.*

50 *Qui vouit arctiorem Religionem, ſi ingrediatur laxiorem, an peccet mortaliter, & ſi profiteatur, an profeßio ſit valida & maneat liber à voto ſtrictioris.*

1. VOti nomen, ſi vocis ipſius Etymologia ſpectetur, deductum eſſe videtur à voluntate vouentis quaſi à primo mouente, eò quòd voluntas mouet rationem ad promittendum Deo aliquid circa ea, quæ eius voluntati ſubduntur. Proinde votum ſolummodò Deo eſt faciendum, cui immediatè fit talis obligatio. Ratio eſt, quia votum eſt actus Religionis reſpiciens diuinum cultum Deo ſoli debitum: nam vouendo, honorem & cultum homo præbet Deo, & mediante voto teſtatur Deum habere rerum omnium prouidentiam, ipſumque eſſe, ad quem in angustiis eſt confugiendum, & qui ſolummodò poteſt opem ferre, & gratiam petenti largiri. Fit autem Deo votum, vel immediatè & expreſsè, vt quando quis dicit: *Voueo & promitto Deo mortalem rem eſſe facturum.* Vel mediatè & tacitè, vt quando dicit: *Voueo B. Mariæ Virgini caſtitatem, vel B. Petro peregrinationem &c.* Nam quando vota fiunt Sanctis, nō fiunt ipſis ſecundùm ſe, ſed ipſi Deo in Sanctis, videlicet, quatenus ſunt Dij per participationem, id eſt, inhabitat in eis diuina ſanctitas, & in eis Deus honoratur,

Digitized by Google

honestatem, vel quatenus sunt aliquid Dei: tum etiam, vt sint testes voti & patroni ac intercessores ad votum seruandum, & melius impetrandum, quod eo promittimus. Ita Sayrus *in Claui Regia lib. 6. cap. 1. num. 10 & 11.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 1. num. 41.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 3. n. 26. & 27.* Trullench *in Decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 1. num. 8.* & alij comm. inter.

Claus Reg. Sanchez. Lessius Trullench.

Et licèt aliqui vouentes talem modum vouendi in votis, quæ fiunt Sanctis, expresè non intelligant: tamen intentio pia est explicanda; prout videlicet Ecclesia Sancta docet & intendit, ideoque quando quis absolutè vouet alicui Sancto, intelligendum est vouere Deo in illo Sancto, prout dicunt D. Thomas 2. 2. *quæst. 88. articulo 5. ad 3.* Caietanus, Arragon. Siluius *ibidem.* Nauarrus *in man. cap. 12. num. 25.* & alij suprà.

D. Thom. Caietan. Arragon. Silu ius Nauarrus.

2. Votum factum ex metu graui illato à causa intrinseca, validum est, & obligatorium. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia huiusmodi votum sponte emittitur, estque votum gratum Deo & bonum. Pro quo est sciendum, quod metus intrinsecus dicitur ille, qui à causa intrinseca & naturali infertur, qualis est metus grauis mortis prouenientis ex periculosa infirmitate, graui tempestate, aut ex feris & animalibus. Cùm ergo huiusmodi votum sponte sit factum pro fugiendo tale malum superueniens, & ex bono fine, & Deo sit gratum, non excusat metus intrinsecus ipsius vouentis pro euitando tali periculo mediante diuinâ gratiâ. Et in hac omnes conueniunt.

Similiter apud omnes certissimum est, quoties metus non est incussus gratiâ extorquendi voti, siue proueniat à causa naturali, siue libera, quamtumuis grauissimus sit, non irritat votum. Ratio est, quia tunc à nemine impellitur vouens ad votum emittendum, sed sponte sua id vouendi medium eligit, quo ex eo periculo incolumis euadat: & metus talis non dicitur causa voti, sed occasio. Hinc validum est votum, quod quis damnatus iustè, vel etiam iniustè ad triremes, emittit, vt ab hac pœna liberetur; vel si fugiens inimicum, quis vouerat religionem, vt Deus eum seruet: nam metus non est incussus ad extorquendum votum, nec est causa directè, sed tantùm occasio vouendi, & votum voluntariè sumitur ad metum expellendum. Ita Nauarrus *in man. cap. 12. n. 52.* Sanchez *lib. 4. morâl. cap. 3. n. 3. & 4.* Gesualdus *in Theolog. moral. tract. 24. cap. 1. num. 26.* Trullench *loco cit. dub. 3. num. 3. & 7.* & alij.

Nauarrus. Sanchez Gesualdus. Trullench.

Votum factum ex metu graui iniustè incusso à causa extrinseca, seu libera, id est ab homine, ad extorquendum votum, non est validum, sed irritum, nullam habens vim obligandi vouentem ad talem promissionem adimplendam. Ratio est, quia voluntas vouentis debet esse omninò libera, ita vt voluntas sè intendat se obligare ad tale votum adimplendum. Sed quando voluntas vouentis est coacta ex metu graui extrinseco, cadente in constantem virum, & talis timor iniustè est illatus ab homine ad extorquendum tale votum contra voluntatem & intentionem vouentis, tale votum non est validum: quia Deus talem promissionem non acceptat: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Hoc tamen intelligendum est, modò vouens cognouerit illum metum sibi incuti ad extorquendum votum; nam si vouens non cognouit metum sibi incuti, votum videtur validum, etiamsi timans haberet animum incutiendi metum ad extorquendum votum: nam tunc vouens sponte eludit votum ad vitandum periculum; & in tali casu votum esset ipsi vouenti gratum & voluntariè electum, cùm à nemine compulsus sit ad tale votum faciendum; nec detur illi necessitas vouendi, sed solùm occasio extrinseca, & ideò non erit inualidum ipso iure. Ita ex communi Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 6. part. 4.* Sanchez *lib. 4. moral. cap. 3. num. 6.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap 15. quæst. 6.* Nauarrus *in man. cap. 12. numero 52.* Trullench *loco citato dub. 3. num. 4. & 8.* Gesualdus *loco cit. n. 23. & 24.* cum alijs à se citatis.

Valentia. Sanchez. Azorius. Nauarrus. Trullench. Gesualdus.

3. Dubium est, quo iure metus grauis, seu cadens in virum constantem, incussus inuitè gratiâ extorquendi voti, illud irritet. Quidam probabiliter opinantur illud iure diuino naturali irritare. Ducuntur, quia *cap. 1. de his quæ vi*, non irritatur professio eo metu extorta, sed tanquam irrita declaratur; & nullus textus eam irritam inueniatur. Ergo supponit eam esse iure diuino naturali irritam. Ita tenent Sotus *lib. 7. de iustit. quæst. 2. art. 1. ad 2.* & *lib. 8. quæst. 1. art. 7.* & aliqui recentiores.

Sotus.

Verior tamen & probabilior sententia asserit, solo iure Ecclesiastico irritari. Ratio est, tum quia metus iure naturæ non reddit alios contractus nullos, aut promissiones, sed solùm dat potestatem irritandi, propter iniuriam, quando contractus sua natura solubilis est; proinde matrimonium solo iure naturæ spectato, graui metu extortum validum est: ergo eodem modo votum, nisi Ecclesia illud reddidisset inualidum. Tum quia stando in iure naturæ, ea deliberatio extinguitur, & sufficit ad voti valorem, quæ ad culpam mortalem; at hæc inuenitur cum tali metu. Si quis enim eo coactus fornicaretur, peccaret mortaliter. Et hoc procedit, etiamsi vouens haberet animum vouendi & se obligandi, dum vouit: nam ille consensus ab Ecclesia irritatur, & ineptus efficitur ad inducendam obligationem. Hanc sustinent Rodriguez *tom. 2. Summæ Latinæ cap. 95.* Sanchez *lib. 4. moral. cap 3. num. 9. & 12.* Nauarrus *in man. cap. 12. num. 52. & in cap. Statuimus. num. 75. 19. quæst. 3.* Arragon *2. 2. quæst. 88. art. 3.* Trullench *in Decalog. l. 2. c. 2. dub. 3. num. 9.* Bonacina *in Decalog. disp. 4. quæst. 2. punct. 3. §. 1. num. 6.* & alij multi apud ipsos. Ex quorum doctrina colligitur votum metu graui extortum, non solùm iure naturæ, sed etiam Ecclesiastico esse validum, si ab infideli emittatur; nam infidelis non est subditus Ecclesiæ irritanti votum factum ex metu incusso ad extorquendum votum, vt resoluunt Sanchez *loco citato num. 10.* Bonacina, Trullench *locis citatis.*

Rodrig. Sanchez. Nauarrus. Arragon. Trullench. Bonacina.

Sanchez. Bonacina. Trullench.

4. Votum est adimplendum, quando dubitatur an factum fuerit per metum grauem. Ratio est, quia in tali casu tutior pars est eligenda, & possessio stat pro voto facto, quod constat factum fuisse, & solummodo dubium est de causa excusante, an talis metus incussus fuerit sufficiens ad excusandum vouentem ab obligatione adimplendi tale votum. Cùm ergo constet votum verè fuisse factum, sentiendum est in fauorem voti, non causæ excusantis, de qua debitatur. Eadem dicendum est, quando quis scit se verè votum fecisse propter metum, sed dubitat, an metus fuerit grauis cadens in constantem virum, vel habuerit voluntatem & intentionem se obligandi ad tale votum: quia tunc præsumitur votum fuisse validum cum animo se obligandi, dum expresè non constat de contraria voluntate. Ita Clauis Regia *lib. 1. cap. 13. num. 36.* Sanchez *loco citato num. 27.* Azorius *tom. 1. lib. 11. quæst. 15. quæst. 2.* Valquez *in 1. 2. disp. 65. cap. 3. & disp. 66. cap. 1.* & alij.

Clauis Reg. Sanchez. Azorius. Valquez.

Nihilominus satis probabile videtur, tale votum non esse obligatorium, quando dubium est vehemens, quòd vouens in actu vouendi non habuerit voluntatem se obligandi ad votum, quia constat è

vtrumque votum adimplere, dum poterit: quia in vtroque est promissio facta Deo, quæ obligat ad eius obseruantiam. Si secundum votum sit incompossibile cum priori voto, tunc videndum est, an votum subsequens sit maioris boni, vel minoris, vel æqualis cum priori voto emisso. Si votum secundum sit præstantius & Deo gratius, tunc secundum votum est adimplendum, eò quòd votum prius emissum intelligitur commutatum cum posteriori in melius. Si verò secundum votum sit minus gratum Deo & minoris perfectionis, tunc seruandum est prius votum, quod est obligatorium & validum. Secundum autem contra tale votum factum intelligitur tanquam non factum: nam votum semper intelligitur de meliori bono. Si vtrumque votum est æquale, & ambo sunt incompossibilia, eò quòd impletio vnius impediat adimpletionem alterius; tunc poterit talis vouens adimplere quodcumque voluerit: nam æqualium eadem est ratio, & ita est grata Deo adimpletio vnius, sicut alterius, dum vtrumque simul adimpleri non potest propter incompossibilitatem vtriusque simul. Ita communiter Doctores ex Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *cap.* 4. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 5. *num.* 22. *& sequentibus.* Suarez. Sanchez.

Idem dicendum est de voto facto contra iuramentum: nam iuramentum quando est validum, obligat ad sui obseruantiam: Si igitur votum postea factum sit incompossibile cum iuramento, seruandum est iuramentum: quia votum contra iuramentum priùs factum censetur pro non facto, cùm sit inualidum, & non potest obligare vouentem ad faciendum contra iuramentum priùs factum de re licita. Tum quia huiusmodi votum est de re mala, cùm adimpleri nequeat sine violatione iuramenti. Ita Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 6. *num.* 1. Trullench *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 9. *n.* 1. Filliucius *tract.* 26. *cap* 2. *n.* 50. & alij. Bonacina. Trullench. Filliucius.

11. Sed petes an promissio de re aliqua contra prius votum validum, valeat? Respondeo negatiuè, quia promissio de re illicita non obligat. Promissio autem de re aliqua contra prius votum validum, est promissio de re illicita. Ideò, qui vouit castitatem, & postea promittit alteri matrimonium, inualidè promittit; quia est promissio de re illicita, & promittens non potest licitè matrimonium contrahere ob votum castitatis. Item, qui promisit Deo calicem, illum postea inualidè promittit homini, cùm sit promissio de re præstanda contra prius votum, quam præstare non potest sine peccato. Notandum tamen est, quòd gesta rei licitæ contra prius votum, valida sint, regulariter loquendo: quia votum non reddit vouentem inhabilem ad agendum; ergo illius acta sunt valida; proinde validum est matrimonium factum ab eo, qui simplex votum castitatis emisit, quamuis grauiter peccet contrahendo; nam est actus rei ex se licitæ. Ita Bonacina *loco citato disputatione* 4. *quæstione* 2. *punct.* 4. §. 6. Trullench *loco citato lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 10. *num.* 13. & alij; qui hoc idem asserunt de iuramento, nisi aliunde sint irrita: quia iuramentum non reddit iurantem inhabilem ad faciendum actum contrarium ex se validum: ergo gesta contra iuramentum sunt valida, vt etiam asserunt Layman *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 8. *num.* 5. Panormitanus, Sylvester, Rebellus, Suarez, Sanchez apud illum citati. Ex quo fit, quòd matrimonium de præsenti validum sit, non obstantibus prioribus iuratis sponsalibus cum alia celebratis, *ex capite, Sicut, de sponsal.* Item si quis iurauerit, se testamentum non reuocaturum, & postea reuocauit, periurus quidem est, sed reuocatio tenet & valet. **Dixi, *nisi aliunde sint irrita:*** nam si actus positiuo aliquo iure irritus, & inefficax sit, tunc non confirmabitur accessione iuramenti editi, contra prius iuramentum non agendi; vt si mulier iurauerit se non alienaturam bona dotalia, & non obstante iuramento alienet, tunc alienatio rescindi poterit, tanquam ciuili iure inefficax, vt resoluunt communiter Doctores; quia cùm iuramentum posterius peruersum sit, & periurij criminis confirmatorium, non est credibile, quod ei ius assistat, velitque eo alienationem, alioquin irritam aut inefficacem, confirmari. Vide Sanchez *lib.* 3. *moral. cap.* 12. *num.* 38. vbi refert viginti quatuor Doctores hanc opinionem ustinentes. Sanchez.

12. Votum rei bonæ, sed propter finem temporalem, seu indifferentem, non est validum, si finis omnino indifferens sit ipsius rei promissæ principalis ac totalis; vt si quis voueat se ieiunaturum, vt sumptibus parcat, nullum alium finem honestum intendens. Ratio est, quia cùm in moralibus species rei sumatur à fine, talis est res, qualis est finis. Ergo sicut si finis illius rei promissæ esset malus, ipsa quoque mala esset; ita si finis sit indifferens, ita quoque res indifferens erit. At votum rei indifferentis non obligat. Ita Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 7. *num.* 25. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 10. probabiliter. Sed non minus probabilis est contraria sententia sustinens tale votum esse validum; tum quia est actus virtutis religionis; & quamuis non participet bonitatem, quam participaret à bono fine, si vouens bonum sibi finem proposuisset, nihilominus neque participat malitiam, cùm finis sit indifferens. Tum quia sicut validum est iuramentum factum ob finem aliquem temporalem, ita validum est votum. Ita Suarez *lib.* 2. *de iurament. cap.* 16. Sylvester *verb. Votum* 1. *quæst.* 4. Trullench *in Decalog. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 6. *num.* 9. & alij. Certum est tamen apud omnes, quod si quis rem bonam, verbi gratia, ieiunium, eleemosynam vouerat tanquam medium vt à Deo impetret rem temporalem, seu indifferentem, verbi gratia officium honorificum, matrimonium opulentum &c. obligabitur voto: quia hæc à Deo, tanquam eorum auctore petere vel pro impetratis gratias agere, bonum & honestum est. Sanchez. Layman. Suarez. Sylvester. Trullench.

13. Validum est votum, quo quis vouet aliquid quod à principio est indifferens, aut malum, aut impossibile; aut contra consilia, si tempore executionis materia est apta, seu bonum possibile, aut consiliis consonum. Ratio est, quia ad voti materiam diiudicandam, an apta, vel potius inepta sit valori voti, spectandum non est per se & formaliter loquendo, tempus quo votum emittitur, sed tempus quo id votum exoquendum est, ac proinde si tempore executionis materia est apta, valebit votum; secus si tunc inepta fuerit, verbi gratia, promisit quis audire Sacrum, nihil refert ad huius voti valorem, si tempore voti emissi, non possit audiri, eò quòd vouens tunc sit in mari, vel innodetur excommunicatione: sed quod per se ad huius valorem, vel nulliratem pertinet, est, an tempore, quo audienda Missa promissa est, possit audiri, nec ne. Ratio est, quia res promissa pro eo solo tempore quo promittitur exequenda, est vera materia voti. Unde fit, vt quando toto tempore, quo res, seu materia exequenda voti promittitur, est impossibilis, mala, vel indifferens, vel contra consilia, votum sit irritum, etsi postea eo vitio liberetur: quia votum emissum tempore inhabili non obligat tempore habili; sicque professa vxore inuita, seu inscia non tenetur ea mortua ad religionem redire, Bonacina. Trullench. Layman. Panormit. Sylvester. Rebellus. Suarez. Sanchez.

castitatem, aliaque similia, quæ sunt valida, nec irritari possunt à domino, provt dicunt Sanchez *lib. 4. moral. cap. 36. num. 3. & seqq.* Suarez *lib. 6. de voto, cap. 3.* Filliucius *tract. 26. num. 183.* Trullench *loco cit. lib. 2. cap. 2. dub. 37.* Clauis Regia *lib. 6. cap. 5. num. 7.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 16. quæst. 8.* & alij communiter.

Sanchez. Suarez. Filliucius. Trullench. Clauis Reg. Azorius.

17. Certum est apud omnes, quod neque vir neque vxor vouere aliquid potest, quod directè, vel indirectè tendat in præiudicium status matrimonialis, sine alterius consensu. Ratio est, quia votum est tantùm de illis rebus, quæ nostræ subiacent potestati, non autem de illis, in quibus alteri subiecti sumus. Cùm igitur coniuges corporis potestatem commutarint coniugaliter, ideò in hoc sibi præiudicare non possunt; ergo alter coniux in alterius præiudicium vouere non potest. Proinde vnus coniugum castitatem, abstinentiam, longam peregrinationem, & alia similia vouere nequit, sine consensu alterius, quibus coniugale debitum impeditur, ne vel omninò reddi possit, aut saltem congruè non possit; vxor tamen potest vouere ea, quæ non sunt in præiudicium viri, sicut & è contrà. Vnde si vouit ea quæ sunt parui momenti, quæ adimpleri possunt ab ipsa sine molestia & damno viri sui, nec diminuunt bona communia, quorum administratio spectat ad maritum, sunt valida, licet sint facta sine licentia mariti, & ideò non potest vir illa irritare; cuiusmodi sunt vota de non mentiendo, de non periurando, non adulterando & similia; vel si sit votum fundendi aliquas orationes, moderatè ieiunandi, sine abstinendi se ab aliquo cibo, cuius abstinentia non impediat bona matrimonij, nec molestiam afferat viro suo; vel si sit votum faciendi aliquam eleemosynam pauperibus de suis bonis paraphernalibus, quorum administratio ad ipsam spectat. Ratio est, quia adimpletio dictorum votorum nullam molestiam infert marito, & ideò non debet, neque potest illa impedire, ne ab vxore impleantur. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst. 88. artic. 8.* Syluius *ibidem, concluf. 7.* Trullench *in Decalogo, l. 2. cap. 2. dub. 11. num. 3.* Gesualdus *in Theolog. moral. part. 3. tract. 24. cap. 4. num. 32. & 33.* Clauis Regia *lib. 6. cap. 5. num. 8.* Nauarrus *in Manual. cap. 12. num. 61.* & communis. Vide dicta *tom. 1. verb. Votum V. num. 5. & seqq.*

D. Thom. Syluius. Trullench. Gesualdus. Clauis Reg. Nauarrus.

18. Episcopi non possunt vouere sine licentia Papæ, vel post Episcopatum votum emissum implere, per quod dissoluitur vinculum, quo suæ Ecclesiæ sunt adstricti, vt colligitur ex *cap. Nisi cùm pridem, de renunciat.* & *cap. Licet, de regular.* & *cap. Magna, de voto & voti redempt.* Nec item possunt quippiam vouere, quod sit in grauesuarum Ecclesiarum, quibus præsunt, detrimentum; puta longam aliquam peregrinationem, propter quam abesse debent diu à sua Ecclesia. Quod intelligitur sine licentia Papæ. Secus autem vbi peregrinatio non esset longa. Innocentius & Panormitanus *in dict. cap. Magna, &c.* Si vouerat religionem postquam iam est consecratus, tenetur, quantum in se est, & quantum potest, illud implere, petendo, scilicet, licentiam à Papa; quâ non obtentâ, excusatur & liber est à voto: quia per eum non stat, quo minus adimpleatur: obtentâ autem licentiâ, tenetur ad votum implendum. Si autem vouit religionis ingressum ante consecrationem suam, tenetur priùs votum implere, ex *cap. Per tuas, de voto & voti redempt.* Licet enim status Episcoporum sit perfectior statu religiosorum, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 184. art. 7.* quia tamen religionis ingressus & professio non impedit quo minus in Episcopum eligi possit, votum suum quantum potest, implere tenetur. Similiter si factus Episcopus vouerat aliquis ad eam non teneatur, tamen tenetur ad expensas, quæ factæ fuissent eundo & redeundo: laborem autem itineris, vigiliis, ieiuniis & orationibus compensare debet, vt sic valeat votum in sui præiudicium, vt notatur *in dict. cap. Magna, de voto.* Ita Syluester *verb. Votum 3. quæst. 1.* Tabiena *verb. Votum 5. quæst. 2.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 16. q. 2.* Trullench *in Decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 11. num. 8. & dub. 31. num. 3.* Clauis Regia *lib. 6. cap. 5. num. 24.* & alij multi. Quamuis in hoc vltimo voto longæ peregrinationis, posito quod validum esset, Sanchez *lib. 4. moral. cap. 25. num. 41.* non approbet Episcopum teneri ad expensas eundi & redeundi. Ducitur, quia ex vi voti, tenetur tantùm implere conditionem, petendo licentiam à Pontifice, quod si ille deneget, ad nil obligabit votum, dum Pontifex voluntatem non reuocarit. Si autem licentiam concedat, obligabit votum ad peregrinationem; & si illam exequi velit, nulla opus est commutatione. Si autem exequi nolit, opus est commutatione, aut dispensatione, nec est præcisè necessarium commutationem fieri in eas expensas. Quando autem votum esset irritum, tanquam obstans maiori bono, nulla soluendi expensas remanet obligatio. Quòd illæ non sint per se promissæ, sed tanquam accessoriæ voto personali; & ideò cessante obligatione principali, cessat accessoria. Reg. *Cùm principalis, ff. de reg. iur.* Nec voti irriti, ac proinde non obligantis, est necessaria aliqua commutatio. Ita probabiliter Sanchez.

Syluester. Tabiena. Azorius. Trullench. Clauis Reg. Sanchez. Reg. iuris. Sanchez.

Episcopi autem possunt sine licentia Pontificis emittere votum modicæ peregrinationis, vel precum, vel abstinentiarum & similium, quæ munus exequi non impediunt: quia in his sunt sui iuris ad vouendum. Proinde si peregrinatio non excedat tempus iure concessum Episcopo ad absentiam, votum est absolutum & independens à Pontificia licentia: quia in illa non læditur Ecclesia, vt docent Suarez *tom. 2. de relig. tract. de voto, lib. 3. cap. 4. num. 10.* Sanchez *loco cit. n. 43.* cum multis ibi adductis.

Suarez. Sanchez.

19. Clerici in dignitate constituti, aut curam animarum, seu beneficia residentiam requirentia habentes, quales sunt Parochi, Archipresbyteri, Archidiaconi & similes, non possunt aliquam longam peregrinationem, aut aliquid aliud in detrimentum Ecclesiarum, quibus præsunt, sine licentia Episcopi vouere. Constat ex *cap. Magna, verf. Ipsum etiam votum, de voto,* & *cap. Non oportet el. 1. de consecrat. distinct. 5.* Alia autem vota, quæ hoc detrimentum non afferunt, vt aliquarum orationum, abstinentiæ, eleemosynarum, modicæ peregrinationis & similium, emittere valent absque alicuius licentia, & sunt omninò absoluta, vt docent Rodriguez *tom. 2. summæ Latinæ, cap. 90. n. 3.* Trullench *loco citato dub. 11. n. 9.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 16. quæst. 3.* Sanchez *loco citato num. 43.* Suarez *citatus num. precedent.* qui nouissimus declarat modicam peregrinationem esse, quæ petit absentiam iure concessam. Possunt etiam hi votum religionis emittere & exequi, quantumuis contradicat Episcopus: quia tanquam speciale statuitur in Episcopo, vt eo voto nequeat se absque Pontificis licentia adstringere. Hoc constat ex *cap. finali 19. q. 2.* & docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 189. art. 7.* communiter receptus.

Innocent. Panormit. D. Thom. Rodriguez. Trullench. Azorius. Sanchez. D. Thom.

An autem hi teneantur saltem licentiam petere ab Episcopo, vt votum suum religionis exequantur? Affirmant multi apud Sanchez *loco citato n. 48.* & probant ex *cap. Licet, de regular.* Verùm ipse contra-

Sanchez.

contrarium tenet; quia hoc nullo iure probatur, & ideò meritò credit nullam eius licentiæ petendæ obligationem esse; quia *dict. cap. licet*, de solis religiosis statuit eam licentiam petendam esse, quamuis non obtineatur. Et facit pro hac parte textus *cap. Duæ sunt*, 19. *quæst.* 2. Quod est Vrbani II. qui absolutè licentiam transitus ad religionem his concessit. Vrban. II.

20. Filiusfamilias pubes votum reale ante 25. annum emittere non potest, quin à parentibus irritari queat, vel à curatoribus. Ratio est, quia toto hoc tempore adolescentes sunt sub cura parentum, in iis, quæ pertinent ad dispensationem bonorum suorum, ita ut de bonis suis, sine eorum licentia nihil dispensare possint; sed hoc intelligendum est de bonis paternis; si enim filij haberent bona castrensia, id est, quæ in bello vel eius occasione parta sunt, vel quasi castrensia, vt sunt acquisita ratione Beneficij, Officij publici, aut artis liberalis, sicut de illis possunt liberè disponere, eò quòd eorum habeant administrationem; ita possunt liberè & independenter à patria potestate vouere. Ita communiter Doctores.

An autem religiosi possint votum emittere absque Superioris consensu? Diximus *tom. 1. verb. Votum V. num.* 12. quod sic, quamdiu Prælatus non commutauerit, dispensauerit, aut irritauerit: quia talis materia est in se licita, & materia virtutis & voti, cùm non sit prohibita; subintelligitur enim conditio negatiua, nisi Prælatus contradicat: ergo obligat in conscientia quoad vsque accedat Prælati prohibitio & irritatio. Tale est votum dicendi septem Psalmos, orandi, ieiunandi, &c. Proinde liberum est vouenti huiusmodi res, vel manifestare, vel celare Superiori tale votum, cùm in hoc subditus vtatur iure suo. Et quidem si huiusmodi vota facta libenter & commodè adimplere possit, potest ea celare Prælato, ne ab eo irritentur. Sed si grauia sint, & difficulter ea persoluere valet, potest ea Prælato aperire, vt ea irritet; nec peccat religiosus ita faciendo, sed vtitur iure suo. Ita Sotus *lib. 7. de iustit. quæst. 3. art. 1.* Arragon *in 2. 2. quæst. 88. art. 8. dub. 1. concl. 2.* Summa Corona *part. 3. tract. de voto, n. 6.* & alij. Si tamen religiosus vouerit aliquid regulæ repugnans puta orare in templo, quando debet esse in cubiculo, non potest votum suum exequi antequam Superior consentiat, & in regula dispenset: vnde tenetur tale votum Superiori indicare; ad hoc enim censetur se religiosus tacitè obligasse, alioquin votum frustra factum esset. Quod si religiosus illud vouerit, vt clam Superiore intenderit exequi, votum est irritum, quia materia prohibita. Si autem ab initio materia votata non erat prohibita, postea tamen prohibetur; tunc non potest exequi votum eo tempore, quo durat prohibitio: cessante tamen prohibitione, rursus tenetur, & voti obligatio reuiuiscit, quia non fuit irritatum à Superiore, sed solùm consopitum ob mutationem materiæ. Et hæc de personis, quæ possunt validè vota facere, dicta sufficiant. Sotus. Arragon. Sum. Coron.

21. Vota facta ab aliqua communitate pro se & suis successoribus, tenentur successores istius populi seruare; puta si de consensu Episcopi aliqua vniuersitas faceret aliqua vota publica obligando se, & successores ad seruanda aliqua ieiunia, seu dies festiuos ex voto. Quamuis enim successores non teneantur huiusmódi vota seruare ratione voti, quod ipsi non fecerunt, eò quòd votum est actio personalis ipsius vouentis, & non transit de persona in personam; tenentur tamen huiusmodi festa siue ieiunia seruare, non ratione voti, sed ratione consuetudinis acceptatæ, quæ vim legis habet, & talis obligatio transit ad successores, in ratione legis, vel præcepti facti ab Episcopo, vt tale votum factum ab omnibus seruetur, tanquam lex, vel ratione cuiusdam pacti, cuius obligatio transit ad successores; ideoque violantes huiusmodi pacta siue leges peccant, non contra votum, sed contra præceptum Superioris præcipientis obseruari rem illam promissam. Requiritur autem consensus Episcopi: quia populus ex se non potest obligare successores ad acceptandum vel seruandum votum, cùm materia voti sit res spiritualis. Ita Sanchez *lib. 4. moral. cap. 15. num. 19.* Vasquez *prima secundæ. disp. 167. num. 34. & disp. 177. num. 22.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disput. 88. sect. 5. & lib. 4. de voto, cap. 9. num. 6.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. quæst. 2. punct. 5. §. 2. num. 20.* & alij. Sanchez. Vasquez. Suarez. Bonacina.

An autem regulares exempti teneantur seruare huiusmodi vota facta à communitate ex consensu Episcopi illius loci sub præcepto, diximus *tom. 2. verb. Ieiunium 2. num. 5. vers. Dubium Secundum.*

22. Donatarius non tenetur ad realia donantis vota, si donans sua vota præstare nequiuit, aut non sit soluendo, aut mortuus sit, etiamsi donatarius acceperit sciens donantem effici impotentem ob id ad persoluendum votum. Ratio est, tum quia rem accepit à vero domino, sine vllo onere: tum quia donatarius, aut legatarius non tenetur ad persoluenda defuncti debita ex iustitia: ergo multò minùs tenetur ad vota, quæ non sunt debita ex iustitia, sed ex religione, nisi fortè donator hoc onus imposuerit donatario. Tum quia qui aliquid accepit contra votum alterius, acquisiuit ius & potest re accepta liberè vti, cùm eam acceperit à vero domino, nec peccauerit contra iustitiam commutatiuam accipiendo, sicut qui contraxit matrimonium cum femina, sciens eam castitatis voto astrictam, acquisiuit ius in corpus illius, & liberè illa vtitur ad actus coniugales reddendos & petendos, vt docent Sanchez *de matrimon. lib. 9. disp. 33. n. 2. & lib. 4. moral. cap. 15. num. 34.* Suarez *lib. 3. de voto. cap. 16. num. 12.* Trullench *in Decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 15. num. 15.* & alij. Sanchez. Suarez. Trullench.

23. Non tentur hæres illius, qui professionem in religione approbata emisit, ad vota realia religiosi professi, nisi fortè hæc vota priùs acceptata fuerint ab eo, in cuius fauorem facta sunt. Ratio est, quia vota non solùm personalia, verùm etiam realia extinguuntur per professionem, iuxta probabiliorem Doctorum opinionem: hæres autem non tenetur ad onera alterius extincta; & ob id hæres, qui succedit alteri postquam alter obtinuit commutationem, vel irritationem voti realis, non tenetur ad illud: nam hæres non succedit in onera extincta. Si tamen hæc vota ante professionem intimata essent parti, in cuius fauorem sunt, & ab ea acceptata, teneretur Monasterium succedens in bona, aut quilibet alius hæres ea persoluere. Cùm enim esset iam ius illi parti acquisitum, non tollitur per religionis professionem. Ita Sanchez *lib. 4. moral. cap. 15. num. 32.* Bonacina *loco citato §. 2. num. 8.* Trullench *loco cit. num. 6.* Sanchez. Bonacina. Trullench.

Dubium tamen est, si religiosus tempore professionis expressè intendebat sua vota non extingui, nec in onera religionis commutari, an hæres tunc teneatur vota realia religiosi persoluere? Affirmat Bonacina *loco cit. Punct. 5. §. 2. num 9.* modò Superior non intenderit vota religiosi irritare ipso inuito. Dicitur, quia vota realia non sunt extincta, neque per irritationem, neque per commutationem, cùm hæc non fiat sine consensu vouentis; ergo adhuc viget obligatio realis: hæc autem transmittitur Bonacina.

mittitur ad hæredes. Verùm probabilior ſententia aſſerit, nec Monaſterium, nec quemcumque alium hæredem teneri ea perſoluere. Ratio eſt, quia commutatio votorum realium, quæ fit per profeſſionem, non ſumit vires à conſenſu, aut voluntate profeſſi, ſed à natura ipſius profeſſionis, & ſtatus perfectione. Tum quia ſi eam intentionem habuit religioſus ante profeſſionis inſtans, eſt ipſo iure ab illis votis abſolutus. Si verò ipſo profeſſionis inſtanti, iudicandum eſt de illis votis perinde ac de emiſſis poſt profeſſionem, quæ à Superiori irritari poſſunt: quia cenſentur poſt profeſſionem emiſſa: at vota realia poſt profeſſionem emiſſa nequeunt obligare hæredem, cùm iam hæres ſucceſſerit. Ita Sanchez *loco cit.* Syluester *verb. Votum* 4. *q.* 7. *dicto* 3. Trullench *loco cit.*

Sanchez. Syluest. Trullench.

24. Quando vouens emiſit votum reale ſimpliciter, & eo non adimpleto mortuus eſt, obligatio voti tranſmittitur ad hæredem, vt habet communis Theologorum ſententia, poſtquam hæreditatem adiit. Sed dubium eſt, an obligetur hæres, ſi defunctus ante mortem expreſsè dixerit nolle hæredem ad ea vota teneri? Et quidem pro parte negariua facit, quòd votum non inducat obligationem vltra intentionem vouentis: Sed hic vouens non obligauit bona ſua, & per conſequens neque hæredem ea poſſidentem; imò expreſsè ab hoc onere illum liberauit: ergo non tenetur huiuſmodi votum hæres adimplere. Propter hanc rationem Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 5. §. 2. *n.* 12. Trullench *loco citato*, *dub.* 15. *n.* 8. eximunt hunc hæredem ab obligatione ſoluendi tale votum. Quorum ſententia non eſt improbabilis. Sed mihi magis placet quod docet Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 15. *num.* 28. nempe ad id votum hæredem teneri, velit, nolit defunctus. Ratio eſt, quia eſſe hæredem eſſentialiter importat recipere bona defuncti, repræſentando eius perſonam quoad omnem obligationem defuncti, quantum ad eorum adminiſtrationem; quod ſatis colligitur ex eo quod tradunt Auctores, dicentes hæredem teneri ad hæc defuncti vota, ſicut ad alia eiuſdem debita perſoluenda, Clauis Regia *lib.* 6. *cap.* 7. *dub.* 6. *num.* 13. Nauarrus *in Manual. cap.* 12. *num.* 56. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 8. *n.* 65. Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 15. *quæſt.* 15. & communis.

Bonacina. Trullench. Sanchez. Clauis Reg. Nauarrus. Leſſius. Azorius.

25. Quando in voto pœnali clauditur vitatio alicuius rei, & ſolutio pœnæ, ea re non vitatâ, duplex votum eſt, ſaltem virtute; alterum abſolutum illius rei promiſſæ, alterum verò conditionale pœnale illius pœnæ; vt ſi quis voueat ſe non luſurum ſub tali pœna: quare tunc ludendo peccatur contra votum, & remanet ſub eodem vinculo obligatio ad pœnam, id eſt remanet obligatio abſoluta voti pœnalis. Quando autem votum fit de ſola pœna, & res vitanda ponitur ſub conditione, in cuius euentu promittitur pœna, vt ſi quis voueat religionem ſi luſerit, tunc eſt vnicum ſolius pœnæ ſubeundæ votum, caſu quo ludatur. Quare ludendo non peccatur contra votum, ſed manet ſub eo vinculo obligatio ad pœnam. Ratio differentiæ eſt, quia priori modo promittitur res illa & pœna; at poſteriori ſola pœna. Ita Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *c.* 7. *quæſt.* 8. Trullench *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 26. *n.* 2. & 3. Medina 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *ad* 2. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 22. *num.* 3. Qui idem dicendum putant in iuramento pœnali, ſicut de voto.

Azorius. Trullench. Medina. Sanchez.

26. Quando materia principalis voti vel iuramenti verè pœnalis eſt inepta, puta, quia res eſt mala, vel indifferens, vel impoſſibilis ſimpliciter, non obligat votum pœnale. Ratio eſt, quia pœna non per ſe & principaliter promittitur, ſed vt acceſſoria voto principali. Cùm ergo principalis obligatio non ſubſiſtat, nec acceſſoria eius naturam ſequens ſubſiſtet. *Reg. Acceſſorium*, *de regul. iur. in* 6. & *Reg. Cùm principalis*, *ff. de reg. iur.* Atque idem dicendum eſt, ſi eſſet votum ſolius pœnæ, caſu quo verè pœnale eſt. Si enim res principalis, quam vouens intendebat exequi, aut vitare, & in cuius euentu eam pœnam ſibi ſtatuit, non eſt apta voti, vel iuramenti materia; ita vt hæc de illis emiſſa non obligarent, nec votum, vel iuramentum de ea obligant. Vt ſi quis volens vindictam ſumere de aliquo, vel nolens ludere in domo certa, vel certo ludo, caſu quo hæc ſint indifferentia, voueat vel iuret ſe ſenſu pœnali, ſe ingreſſurum religionem, ſi vindictam non ſumpſerit, aut ſi ingreſſus fuerit ad ludendum illam domum, vel eo ludo, eſt prorſus irritum votum. Ratio eſt, quia materia illa bona promiſſa non promittitur per ſe & principaliter, ſed in pœnam illius rei emiſſæ aut commiſſæ. At ingreſſus religionis in illius pœnam non pertinet ad Dei obſequium, ſicut nec res illa principalis. Quod procedit etiamſi quando vouit, falsò putarit ſe obligari ad pœnam illam: quia ignorantia vouentis nullam obligationem inducere poteſt, quando materia non eſt apta ad inducendam obligationem. Ita Sanchez *loco cit. num.* 4. 5. & 6. Trullench *loco cit. num.* 4. & alij, quibus addo Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 2.

Reg iuris. Sanchez. Trullench. Layman.

27. Quando aufertur principalis voti obligatio per irritationem, commutationem vel diſpenſationem ante incurſam pœnam, aufertur conſequenter obligatio pœnæ; vt ſi quis votum non ludendi emiſit, ſub pœna ingreſſus religionis, ablato voto non ludendi, cenſetur etiam ablata obligatio ingrediendi religionem, licet de ea diſpenſationis impetratione nulla mentio ſit facta. Ratio eſt, tum quia pœna habet ordinem ad tranſgreſſionem: atqui poſt diſpenſationem, commutationem, vel irritationem locum non habet tranſgreſſio voti; ergo neque pœna. Tum quia non eſt per ſe promiſſa pœna, nec eſt pars materiæ principalis, nec eius obligatio eſt contracta, ſed tantùm ſe habet tanquã conſequens & concomitans voti principalis ablationem, & ſic ſolùm habenda eſt ratio principalis materiæ. Secus verò eſt, ſi præuaricatio voti ſemel accidit, ideoque pœna contracta eſt: tunc enim vtrumque vinculum per ſe obligat; ideò, vt vnius ſolutio per diſpenſationem, &c. non trahat ſecum ſolutionem alterius, & ideò tunc neceſſaria eſt ſpecialis eius mentio in diſpenſatione & commutatione, nec ſufficit ſi hæc fiant ſolùm circa votum principale, ac proinde eo tunc ſublato principali, nulla mentione facta pœnæ iam incurſæ, non valebit diſpenſatio. Ratio huius eſt, quia tunc obligatio pœnæ habet ſe independenter à voto principali, & ab eo poteſt ſeparari, & licet materia voti principalis tunc redderetur omnino inepta, obligatio tamen pœnæ iam contracta extingueretur. Ita Sanchez *vbi ſuprà*, *cap.* 22. *n.* 9. Layman *loco cit. corollar.* 2. Trullench *loco cit. dub.* 26. *num.* 7.

Sanchez. Layman. Trullench.

28. Dubium eſt, an votum pœnale ſolum obliget prima vice ad pœnam, an verò toties quoties quis illud violauerit? Et quidem certum eſt, quando vouens expreſſit ſuæ intentionis eſſe, velle obligari ad toties quoties, eo modo teneri; è contra verò ſi expreſſit ad ſolam primam vicem, ſolâ eâ obligatur. Difficultas eſt ergo quando nihil expreſſit, ſed abſolutè dixit, v. g. Si luſero, voueo peregrinationem Romanam, vel Religionem ingredi, vel dare centum in eleemoſynam. aut ſi dicat: Voueo non ludere, & ſi luſero voueo dare 100. &c. Eman. Sà *verb. Votum*, *num.* 26. docet, *Vouens ſe aliquid factum*,

Eman. Sà.

facturum ſi contingat fortè peccare, intelligitur de prima vice, niſi intendiſſet expreſsè quoties peccaſſet. Ratio eſſe poteſt, quia pœnæ multiplicandæ non ſunt abſque manifeſta ratione, neque obligatio voti in caſu dubio extendenda eſt. Sed potius ſupradictis verbis eſt ſatis dubium, an vouens voluerit ſe obligare ad pœnam illam ſubeundam, quoties luſerit: quia ſolùm ex iſtis colligitur ſe voluiſſe obligare ad illam pœnam, ſi de facto luſerit, quod vnica vice completur; ergo ſic eſt interpretandum. Hæc ſententia eſt ſatis probabilis, quando ſolùm eſt votum de ſubeunda pœna in caſu ludi. Quando autem eſt duplex votum, nempe de vitando ludo, & caſu quo illum non vitaueris te ſubiturum talem pœnam, tunc dicendum eſt vouentem non ſolùm pro prima vice obligare, ſed ſemper & toties quoties prævaricabitur votum, ſi pœna iterabilis eſt, vt eleemoſyna, oratio, &c. Si autem pœna grauiſſima ſit & quæ iterari non ſolet, qualis eſt religionis, peregrinationis Romanæ, aut exorbitantis eleemoſynæ, de prima vice tantùm votum intelligendum eſſe, vbi non conſtaret de alia expreſſa vouentis intentione. Ratio prioris eſt, quia votum illud pœnale eſt acceſſorium voto non ludendi. Sed votum non ludendi non eſt de ſola prima vice: Ergo neque illud votum pœnæ ſubeundæ debet eſſe; votum enim pœnæ aſſumitur ad ſe continendum à ludo. Sed vouens non ſolùm ſemel, ſed in perpetuum intendit ſe à ludo continere; Ergo votum pœnæ non vnico ludo, ſed omnibus annexum eſt. Ita ex parte Sanchez *lib. 4. moral. cap. 22. num. 21.* Layman *lib. 4. tract. 2. cap. 5. n. 4.* Caſtrus Palaus *tom. 3. tract. 15. diſp. 1. punct. 18. num. 6.* Trullench *in Decalog. lib. 2. c. 2. dub. 26. num. 10.* Diana *parte quarta, tract. 4. reſolut. 181. & part. 7. tract. 9. reſol. 60.*

Sanchez. Layman. Palaus. Trullench. Diana.

29. Quando tranſgreſſio voti pœnalis immunis eſt à culpa ratione obliuionis, excuſatur etiam à pœna; vt ſi quis vouit non fornicari ſub pœna religionis, & dum fornicatur, omninò eſt immemor voti pœnalis. Ratio eſt, quia pœna voto promiſſa fuit in illius peccati tranſgreſſionis pœnam. At tunc nullum fuit peccatum, tranſgrediendo ſcilicet votum omnino oblitum: Ergo, &c. Tum quia, quoties aliquis ob ignorantiam ſeu obligationem rem principalem perficere omiſit, non tenetur pœnam præſtare; quippe quæ locum non habet, vbi voluntaria tranſgreſſio non eſt. Tum quia pœna iure nouo ſtatuta non incurritur ab ignorante illud inuincibiliter; ſed ignorantiæ æquiparatur naturalis & inuincibilis obliuio, cùm æquè vtraque excuſent ab eius tranſgreſſione: at votum non aliter obligat quàm lex; ergo vbi aderit naturalis obliuio illius voti pœnalis, non incurretur pœna illo voto ſtatuta. Ita Sanchez *loco citato, num. 18. & lib. 9. de matrim. diſp. 32. num. 9.* Layman *loco citato. num. 3.* Trullench *cit. num. 9.* Diana *part. 3. tract. 6. reſolut. 41. verſ. Notandum eſt.* Qui duo nouiſſimi idem dicendum exiſtimant probabiliter, quando fornicans eſt memor voti, immemor tamen pœnæ adiectæ voto; tunc enim propter rationes dictas excuſatur à pœna voti, nempe ingreſſus religionis, & admittit vt probabile Sanchez *illo capite 22. n. 19.* apud quem plura de voto pœnali.

Sanchez. Layman. Trullench. Diana.

Sanchez.

30. Votum merè conditionale eſt, quando conſenſus non eſt ſtatim perfectus & abſolutus, ſed pendet ex futuro euentu poſito ſub conditione, & non quaſi determinatione temporis, nec res promiſſa ponitur quaſi odioſa pœna, & ſupplicium alicuius rei, vt ſi quis morbo oppreſſus, aut in periculo conſtitutus promiſit Deo religionem intrare, ſi incolumis euaſerit, eſt votum merè conditionale: quia ſic vouens iniit quaſi contractum cum Deo innominatum, Faciam ſcilicet vt facias, id eſt, ſi mihi conceſſeris, quod peto, ingrediar religionem; vnde voluntas ſic vouentis non fertur directè in religionem, ſed in conſecutionem incolumitatis, ad quam obtinendam offert Deo religionem. Aduertendum tamen eſt, votum conditionale aliquando eſſe verè tale; aliquando autem tantùm apparenter. Tunc eſt verè conditionale, quando particula *Si*, retinet ſuam naturam, quæ eſt impedire conſenſum perfectum, illumque ſuſpendere in alicuius conditionis euentum, vt, Si Deus me ab hoc peccato præſeruauerit, vouco religionem. Apparenter autem conditionale tunc eſt, quando particula, *Si*, æquiualet particulæ, *quando*, itaut ſenſus ſit, Quando hoc, vel aliud euenerit, vt ſi pater obierit, promitto religionem; ſenſus enim eſt, quando pater obierit: atque hic eſt communiter voti ſenſus, quando aliquis ex affectu ad rem promiſſam illam vouet, & ob impedimentum præſens differt voti executionem ad tempus, in quo illud impedimentum ceſſabit.

Conditio quæ in voto apponitur, aut eſt contra ſubſtantiam voti, aut eſt impoſſibilis, aut turpis, aut neceſſaria, aut contingens & honeſta. Quibus poſitis dicendum eſt

Primò, votum factum ſub conditione contra naturam & ſubſtantiam voti, aut rei, quæ voto promittitur, eſt inualidum, ex *cap. final. de condition. appoſit.* vt ſi quis voueret ingredi religionem ea conditione appoſita, vt ad votum reddendum non teneatur; vel vt proprium quid ſibi reſeruet; tale namque votum nullum & irritum eſt, quia poſſidere proprium cum ſolemni religionis profeſſione pugnat. Ita Sanchez *lib. 4. moral. cap. 23. num. 10.* Sylueſter *verb. Religio 3. quæſt. 7.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 15. quæſt. 9.* Clauis Regia *lib. 6. cap. 8. num. 3.*

Sanchez. Sylueſter. Azorius. Clauis Reg.

31. Votum factum ſub conditione impoſſibili, inualidum eſt; quia vouens ſub conditione, non vult obligari, niſi ea conditione poſita: cùm autem conditio impoſſibilis poni nequeat, fit vt vouens non remaneat vinculo voti obſtrictus. Quod procedit ſiue conditio impoſſibilis ſit præſentis, ſiue præteriti, ſiue futuri temporis; ratio enim tradita militat in omnibus. Procedit etiam etiamſi vouens reputaret eam conditionem poſſibilem; nam maiori ratione votum tunc eſſet irritum; vouens enim non intendit ſe obligare, niſi ſub ea conditione, quam apprehendit. Nec eſt eadem ratio voti & matrimonij, in quo conditio impoſſibilis habetur pro non adiecta, vt diximus *tom 1. verb. Matrimonium VI. num. 5.* quia hoc eſt ſpecialiter ſtatutum in aliquibus contractibus: at in voto nullibi habetur conditiones impoſſibiles reiici. Nec fauor matrimonij, ob quem id in illo ſancitum eſt, militat in voto. Quippe is fauor eſt, quod iura ſtatuant in dubio præſumendum in matrimonij fauorem, ne periculum ſit ſeparandi legitimè coniugatos & tranſeundi ad alias nupcias; quod periculum non eſt in voto. Ita Molina *tom. 1. de iuſtit. diſp. 206. concl. 1. in fine*, Sanchez *loco cit. cap. 23. num. 8.* Trullench *in Decalog. lib. 2. cap. 2. dub. 27. num. 4.* Clauis Regis *lib. 6. cap. 8. num. 3.* & alij. Ex quo fit, votum factum ſub hac conditione impoſſibili, ſi cælum digito tetigero, eſſe inualidum: quia cùm conditio adimpleri non poſſit, inducit nullitatem conſenſus.

Molina. Sanchez. Trullench. Clauis Reg.

32. Conditio turpis vt plurimum reddit votum inualidum, quando vouens cupit talem conditionem euenire; quia vouens ſub conditione turpi, moraliter loquendo, dirigit votum ad malũ finem, conſequenter

consequenter censetur vouere ad malum finem. Tamen si in aliquo casu non ordinaretur ad malum finem, sed solùm haberet vim conditionis, nec vouens ad illam conditionem turpem dirigat votum, illud esset validum, siue vouens intendat illam conditionem adimpleri, siue non. Ratio est, quia in vtroque euentu pendet votum ab eo malo, tanquà à sola conditione. Ita Angelus *verb. Votum 1. fine.* Angelus. Sanchez. Vasquez. Bonacina. Filliucius.
Sanchez *loco cit. cap. 6. n. 17.* Vasquez *in opusc. de restit. c. 7. dub. 11. n. 104.* Bonacina *tom 2. disp. 4. quæst 2. punct. 2. num. 3. vers. Dico tertiò.* Filliucius *tract. 25. num. 56.* & alij.

Conditio necessaria non suspendit voti valorem, sed statim est perfectè obligans, vt Voueo religionem, si Sol cras oriatur, quia cùm ea conditio sit necessariò euentura, habetur statim pro impleta. Si tamen tempus aliquod promissioni adiiciatur, non obligabit votum vsque ad id tempus; vt Voueo religionem abhinc vno anno, si Sol oriatur; tunc enim non tenetur, nisi anno assignato transacto: non quia conditio illa consensum suspendat; sed quia dies executioni præfinita est, & ita vsque ad illam diem non obligat, sicut nec obligaret, ea conditione necessariâ non adiectâ. Azorius. Sanchez. Trullench. Ita Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 15. quæst. 9.* Sanchez *loco cit. cap. 23. num. 5.* Trullench *loco cit. dub. 27. num. 3.* & communis.

33. Conditio contingens futuri temporis, & honesta, suspendit voti obligationem, illudque verè conditionale reddit, non obligans, donec ea euenerit. Constat ex *cap. Super eo, de condit. appositis.* Rario est, quia conditionis natura est, vt actus valorem suspendat vsque ad eius aduentum, & nullo iure reiiciuntur conditiones honestæ, & possibiles à voto: quod procedit etiamsi pars conditionis impleta sit; debet enim tota impleri vt votum obliget: vt si quis promisit religionē, si frater ex Africa sanus redierit, & redeat infirmus, non tenetur voto; quia est verum dicere, conditionem impletam non esse, eâ parte non impletâ. At si votum conditionale sit disiunctiuum, impletà vnà parte obligat, vt si quis vouerat eleemosynam, si frater, vel pater è bello incolumis euadat, tenetur dare eleemosynam, si vnus eorum incolumis euadat, altero pereunte. Ita Clauis Regia *lib. 6. cap. 8. n. 3.* Bonacina *loco cit. num. 3. vers. Dico quintò.* Sanchez *cap. 23. num. 6.* & alij. Clauis Reg. Bonacina. Sanchez.

34. Quando votum emittitur sub pluribus conditionibus, & vouens intendit se obligare dependenter ab adimpletione omnium conditionum, deficiente vnâ, desinit obligatio voti. Si verò mens vouentis sit, se obligare dependenter diuisiuè, ita vt euentu cuiuscumque ex illis maneat obligatus, obligabit votum vnâ euenienti, etsi ceteræ deficiant: quia tota voti obligatio ex vouentis voluntate consurgit. Quod si dubium sit vtro horum modorum intenderit se obligare, non tenetur stare voto antequam adimpletæ sint omnes conditiones oppositæ copulatiuè per particulam *&*, non verò disiunctiuè per particulam *vel*. Ratio est, quia dum eæ omnes non adimplentur, stat possessio pro voluntatis libertate, sicut quando sub vna emittitur, dum illa non adimpletur. Tum quia verba accipienda sunt in ea propriam ipsorum significationē & naturam: propria autem significatio orationis copulatiuæ petit coniunctionem & veritatem vtriusque partis. Si ergo votum sub pluribus conditionibus copulatiuè emissum sit, non obligabit antequam impletæ sint omnes conditiones copulatiuè positæ. Ita Azor. Azorius. Sanchez. Trullench. Bonacina. *tom. 1. lib. 11. c. 15. q. 9. vers. Postremò conditio.* Sanchez *l. 4. moral. c. 23. n. 19. & 20.* Trullench *in decalog. lib. 2. c. 2. dub. 27. n. 8.* Bonacina *loco cit. n. 4.*

Demum est hîc notandum, conditionem apponi debere in ipso vouendi, seu promittendi actu: nam si semel promissio absolutè facta, adeoque perfecta fuerit, non licet deinde illi conditionem, restrictionem, vel grauamen aliquod adiungere; quia cùm votum illud semel absolutè emissum, suam integram perfectionem consecutum sit, nec ab eo licebat recedere, nullam admittit conditionem, iuxta *l. 4. C. de donat. quæ sub modo.* ibi: *Perfecta donatio conditiones postea non capit.* Et ex communi docet Sanchez *lib. 5. de matr. disp. 6. n. 3.* & *lib. 4 moral. cap. 23. n. 7.* Sanchez.

35. Vouens aliquid sub conditione futura, non potest aliquid facere, quo se reddat ineptum ad voti executionem secuta conditione. Vt si quis vouit castitatem, vel religionem, vel ad sacros Ordines ascensurum, si Deus certum beneficium sibi concesserit, quamuis non teneatur ad hæc, donec id beneficium recipiat, at tenetur interim non transire ad matrimonium, quo aptum voto exequendo se seruet, si conditio acciderit. Ratio est, quia sicut vouens non potest ante conditionis euentum recedere à voto, ita neque potest reddere se ineptum ad voti executionem. Limitatur tamen hæc conclusio, nisi conditio talis esset, vt eam apponi penderet ex libera vouentis voluntate; nam si conditio ab ipsius voluntate pendeat, non videtur peccare vouens, licet eam euitet ob hanc solam causam, ne voti obligationem contrahat. Item, si vouens reseruarit sibi libertatem adimplendi, aut omittendi eam conditionem, nō peccat reddendo se ineptum, aut impediendo conditionis euentum. Unde si quis religionem vouerat hoc modo: Si religionem ingrediar, ero Dominicanus, non peccat contrahendo matrimonium, quia sicut est in libertate ipsius vouentis ingredi religionem, seu adimplere conditionem, ita eriam est in ipsius libertate matrimonio copulari, vel non. *Secundò* limitatur, nisi iam moraliter certum sit non posse conditionem impleri; nam si conditio sit impossibilis, aut vouens moraliter sciat conditionem minimè euenturam, non peccat faciendo aliquid, quod de se sit impossibile adimplectioni voti emissi: quia cùm præuideat fore, vt non teneatur ad votum implendū, perinde est ac si votum non fecisset: frustra enim expectatur effectus, cuius nullus est euentus, & frustra expectatur dies, cuius accessus nil operari debet, *l. Aliquando, ff. ad Vellcianum.* Ita Sanchez *lib. 4. cap. 23. num. 28.* Et de hoc casu vide Clauem Regium *lib. 6. cap. 8. num. 4.* Layman *lib. 4. tract. 4. cap. 6. num. 2.* Nauarrum *in Manual. cap. 12. num. 42. vers. Vadecimò.* Suarez *lib. 4. de voto, cap. 17. n. 9.* & 15. Bonacinam *loco citato, num. 5.* Sanchez. Clauis Reg. Layman. Nauarrus. Suarez. Bonacina.

36. Dubium est inter Doctores, si aliquis per fraudem impediat, quominus conditio eueniat, an voto obligetur perinde ac si conditio impleta esset? verbi gratia, si quis vouerat sub conditione, si impetret sanitatem, & ob intemperantiam non obtineat: vel si vouerat religionem, si intra annum non fornicetur, postea tamen fornicatur, ne voto teneatur. In hoc duplex est sententia. Pro negatiua facit, quod ex nulla ratione colligatur, vouentem sub conditione voluisse se obligare illâ quomodocumque non euenienti; quia ex eo quod virtute se obligarit ad non impediendam conditionem, sequitur eum peccare in votum, impediendo euentum; non tamen sequitur ipsum manere obligatum ad rem sub conditione promissam; quia ad eam non se obligauit, nisi conditione euenienti, & nondum euenit. Deinde vel talis vouens, qui fraude postea vsus est, ad voti executionem obligatur, ratione conditionis impletæ, vel ratione peccati commissi. Neutrum dici potest: non primum,

quia reuerà conditio impleta non est, & incertum est, etiamsi is fraude vsus non esset, vtrum conditio, quæ natura suapte est contingens, impleta fuisset, necne. Neque secundum dici potest: nam hoc discrimen est inter violationem promissionis Deo factæ, & violentionem promissionis homini factæ: quòd illa obliget ad pœnitentiam, & satisfactionem pro peccato & iniuria Deo illata: hæc verò ad compensationem siue restitutionem damni homini illati. Ita probabiliter sentiunt Maior *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *corollar.* 7. & post illum Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 17. *n.* 20. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 6. *num.* 4. Filliucius *tract.* 26. *num.* 158.

Maior. Suarez. Layman. Filliucius.

His tamen non obstantibus affirmatiua sententia, vt probabilior, est amplexanda, & est iuri conformior. Nam *in l. in executione, §. finali, ff. de verbor. obligat.* dicitur, *Quicumque sub conditione obligatus curauerit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur.* Consentit regula 66. *in* 6. vbi habetur, *Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* Ratio est, quia quoties apponitur conditio dependens ab aliis causis, siue naturalibus, siue liberis, quæ licitè impediri nequit, verus conditionis sensus est, Si per alias causas mihi inuoluntarias non steterit, quo minus hoc fiat, vouco talem rem; & præsumitur virtualis vouentis intentio ea esse, dum de alia non constat, obligandi se ad id votum; nisi conditio ob aliis causas defecerit. Tum quia si quis promittat Titio decem, si domum promittentis ingrediatur, nemo promittentem eximet ab obligatione standi promissis, si Titio ingredi volenti fores domus claudat, ne ingrediatur. Demum quia fraus & dolus nemini patrocinari debent. Ita in propriis voti terminis tenent Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 23. *dum* 47. Clauis Regia *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 4. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 2. *n.* 6. Nauarrus *in Man. cap.* 12. *num.* 42. Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 20. *quæst. vltim.* & alij multi penes ipsos citati, Diana *p.* 9. *tract.* 8. *resolut.* 3.

Reg. iuris.

Sanchez. Clau. Reg. Bonacina. Nauarrus. Azorius. Diana.

37. Tenetur similiter voto, qui ex professo quidem non impedit conditionem in voti fraudem, sed ex graui sua negligentia eius euentum impedit. Sed hæc conclusio sicut & præcedens cum duplici limitatione intelligenda est. *Prior* est, vt intelligantur, quando conditio pender ex vnico actu, seu impeditur vnico actu; nam si non ex vnico, sed ex pluribus actibus pendeat, quamuis semel in voti fraudem impediatur, non ilicò obligat votum; verbi gratia, promisit quis religionem, si Deus illum à tali peccato præseruaret, non ilicò, ac tentationis fuit victor, tenetur voto, sed quando ita vicit, vt quasi dominium illius tentationis in se experiatur. Tunc autem deficiet conditio, quando ille vel semel lapsus est; quia tunc est verum dicere, non esse eum præseruatum. Si verò datâ operâ labatur, non ex primo lapsu censebitur impleta conditio, sed quando toties in fraudem labitur, vt iam omninò succubuerit tentationi, ita vt illa quasi dominium illius habeat: sicut è contrà censetur præseruatus, quando ita vicisset, vt quasi dominium illius tentationis haberet. *Posterior* est, vt intelligatur secunda pars conclusionis, quando hic non adhibuit media ordinaria, & solita adhiberi ad obtinendum id, quod positum est sub conditione; nam ad id censetur se virtute obligare: secus si culpa sua extraordinaria, nec in fraudem impediat conditionis euentum. Exempli causâ, promisit quis religionem, si sanitatem intra certum terminum recuperet; talis si non vocet medicum, adhibeatque medicinas necessarias, quales adhiberet voto non emisso, & sic culpa sua graui, quamuis non in fraudem sanitas recuperata non sit intra eum terminum, tenebitur voto, nisi certum sit eis adhibitis non recuperandam. Ratio est, quia culpa sua notabili, ordinaria media omittens, impediuit conditionis euentum. At si casu, & non in voti fraudem, in esu, potúve nimis excessit, etsi excessus fuerit mortalis, non tenebitur voto: quia non censetur obligari ratione voti ad hæc extraordinaria & à vouentibus nunquam cogitata. De his vide Syluestrum *verb. Votum* 2. *quæstione secunda, dist.* 2. Angelum *verb. Votum* 1. *num.* 10. Tabienam *verb. Votum* 2. *quæstione secunda*, Sanchez *loco citato, num.* 50. *& sequentibus*; Trullench *loco citato, num.* 25. Nauarrum *in Manual. cap.* 12. *num.* 42. Dianam *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 3. *vers. Nota verò.*

Sylvester. Angelus. Tabiena. Sanchez. Trullench. Nauarrus. Diana.

38. Qui vouit aliquid sub conditione si alius sibi consuluerit, vel voluerit, non potest ab eo petere, ne id consulat, aut vt nolit, ne voto teneatur. Quòd si petat, tenebitur voto, si aliàs certus esset moraliter, vt ille vellet, aut consuleret; poterit tamen hic ipsi sincerè repræsentare difficultates & contradictionem, quam sentit ad votum explendum, vt alter videat, an expediat contradicere, aut non consulere illud: quia hoc non est impedire euentum conditionis culpabiliter. Quod si veritate sincerè narrata, ille contrarium consuluit, siue prudenter, siue imprudenter & ex ignorantia, liber manet vouens à voto: quia deficit conditio. Et è contrà, si imprudenter rem promissam consuluerit, manet astrictus voto: quia ille non se obligauit ad prudentiæ conforme alterius consilium sequendum, sed ad id, quod ipse consuluerit qualitercumque. Ita Sanchez *loco citato, num.* 54. *&* 56. Fagundez *in decalog. tom.* 1. *præcept.* 2. *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 18. Diana *part.* 9. *tract.* 8. *resol.* 4. Et hæc sententia est tenenda, quando constat de intentione vouentis; nam si non constat, existimat Trullench *in decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 27. *num.* 27. virtualiter tantùm se obligasse ad sequendum consilium, si prudenter datum sit; secus autem minimè.

Sanchez. Fagundez. Diana. Trullench.

39. Qui Deo vouet se ingressurum religionem sub conditione consensus paterni, statim obligatur & censetur impleta conditio, si pater re cognita voto consentiat, licet postea dissentiat. E contrà deficit conditio & obligatio, si pater priùs dissentiat, etsi postea consentiat. Quando autem vouentis intentio fuit, obligandi se omnimodè ad exequendum promissum, dummodo sine patris offensione fieri posset, tunc etsi primò ille ægrè ferat, posteà verò consensum præbeat, obligatio contrahetur, si interim nulla notabilis mutatio facta sit. Si autem pater nec consensum, nec dissensum exprimat, sed dicat se quidem non contradicere, nec dissuadere, verùm nec suadere, aut probatiuum consensum dare velle, tunc censeri debet conditio impleta, nisi constet aliam fuisse mentem vouentis. Nam qui vouet, vel promittit sub conditione paterni consensus, eius animus esse censetur obligare se, nisi pater ægrè ferat & contradicat, vel saltem dissuadeat; quia iuxta *regul.* 142. *ff. Qui tacet, non vtique fatetur; sed tamen verum est, eum non negare, siue contradicere.* Hæc desumuntur ex doctrina Sanchez *de matrim. lib.* 5. *disp.* 7. vbi agit de sponsalibus & matrimonio contracto cum conditione, Si patri placuerit.

Reg. iuris. Sanchez.

Sed petes, an quis faciat contra votum de religione assumenda sub conditione paterni consensus, si de facto procuret precibus & rationibus, ne pater consentiat? Respondet Suarez *supra l.* 4. *de voto,*

Suarez.

Digitized by Google

voto cap. 17. cum aliis, contra votum non esse; quia hæc consensum paternum absolutè non impediunt; siquidem illum liberum ad consentiendum relinquunt; secus si per vim, aut fraudem consensus impediretur: Sanchez verò *supra*, docet talem peccare contra votum, si petat à parente ne consentiat, sed hoc non placet Castro Palao *tom.* 3. *disp.* 1. *punct.* 17. *n.* 8. quia hæc petitio voluntatem patris non cogit, ac proinde non impedit eius liberum consensum, sub quo, tanquam sub conditione, religio promissa est.

Sanchez. Palaus.

40. Quamuis laudabile sit & secundùm se bonum, consulere aliquibus ingressum religionis, imò etiam vt se obligent voto ad ingrediendum, quia vnum & idem opus ex voto factum magis meritorium est, quàm si sine voto fiat; tum quia per votum firmatur voluntas hominis ad bonum faciendum; nihilominus tamē non ita aliquibus bonum & expediens erit vouere priùs religionem, quàm vires suas & religionis onera experti sint, & consequenter in hac re maxima prudentia opus est, & diligenter considerandæ sunt personæ & omnes aliæ circumstantiæ. Experientia enim compertum est, non expedire inducere aliquem ad vouendum religionis ingressum: tum quia nimis molestum est & erit ei vitam in carne præter carnem agere, in paupertate & obedientia perpetua viuere, qui sine deliberatione, discretione & deuotione, ad alterius potius suasionem, quàm voluntate propria & diuino spiritu ductus, religionem vouisse cognoscitur: tum quia sic emissa vota, non ita postea animo alacri implentur, nec huiusmodi sit religionem ingredientes, onera religionis & perseuerantiam ita bene sustinent, imò verò multoties malos exitus habent. Ita Caietanus 2.2. *quæst.* 189. *art.* 2. Nauarrus *in manual. cap.* 12. *num.* 46. Rodriguez *parte secunda, Summæ Latinæ, cap.* 97. *conclus.* 1. Ludouicus Lopez *parte prima, instructor. conscient. cap.* 44. *vers. Non est.* Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *quæst.* 2. *in fine.*

Caietanus. Nauarrus. Rodrig. Lopez. Azorius.

41. Qui votum religionis emisit, tenetur facere, quantum in se est, vt ad religionem admittatur; sufficit tamen adhibere diligentiam moralem & humano modo possibilem. Ita D. Thomas communiter receptus *in secunda secundæ, quæst.* 88. *art.* 3. *ad* 2. & *quæst.* 189. *artic.* 3. *ad secundum.* Ratio est, quia obligatio religionis est res grauissima, ac proinde astringere debet ad diligentiam humano modo possibilem; qualem petunt res arduæ & magni momenti; & hæc diligentia tempore debito adhibenda est. Quare non satisfacit huic voto, si fictè & simulatè petat admitti, ita ut oretenus sit petitio, nutibus tamen, aut verbis, aut ipso petendi modo, vel media alia persona significando se optare non admitti. Ratio est, quia hæc non est vera petitio, sed petitionis simulatio, & hic non facit quod in se est, & hoc longè distat à morali diligentia necessariò ad sui admissionem apponenda. Si autem vouens nullo modo significaret exteriùs suæ repulsæ interius desiderium, satisfaceret voto: quia prauа illa voluntas interiùs manens non operatur ad impediendam admissionem, cùm ea omninò religiosos laruerit; proinde sic petitus & denegatus ingressus redditur impossibilis. Desiderans autem sine iusta causa repulsam, non peccat moraliter, sed tantùm venialiter: quia licet ille, qui tenetur, ad aliquid, teneatur desiderare illud exequi, quantum in se est, non tamen tenetur desiderare non habere iustam excusationis causam, qualis est, non admitti ad religionem: cùm tamen omnia media admissioni necessaria adhibeat; sicut obligatus ad ieiunandum, vel Sacrum audiendum, non peccaret

D. Thom.

moraliter desiderans causam iustam excusantem. Ita Nauarrus *Commentar.* 4. *de regul. n.* 14. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 16. *num.* 33. & 34. Trullench *in decalog. lib.* 2 *cap.* 2. *dub.* 19. *n.* 7. & alij.

Nauarrus. Sanchez. Trullench.

42. Qui vouit mori in religione, censetur votum religionis emisisse & professionis & perseuerantiæ. Ratio est, quia cùm non possit alio modo mori in religione, nisi religionem ingrediatur, professionem faciat, & perseueret, dicendum est teneri religionem ingredi, & hoc intra tempus, in quo sit possibilis ingressus, nec posse eius ingressum ita differre donec timeat se non recipiendum, eò quòd vires non habeat ad religionis onera sustinenda. Proinde hoc votum, seclusa peculiari vouentis intentione, videtur eo tempore obligare, quo obligaret votum absolutè emissum ingressus religionis. Ita Nauarrus *lib.* 3. *consil. tit. de voto, in* 2. *edit. consil.* 7. *num.* 3. Azorius *lib.* 11. *cap.* 22. *quæst.* 11. Rodriguez *part.* 2. *Summæ Latina, cap.* 97. *concl.* 2. *in fine.*

Nauarrus. Azorius. Rodrig.

Votum autem volendi ingressum religionis, non est votum religionis: quia sicut aliud est contrahere matrimonium, quàm velle contrahere, vt habetur *in cap. Ex parte, de sponsal.* sic etiam aliud est vouere religionem, atque velle vouere. Proinde is, qui votum fecit volendi religionem, non quidem vouit religionem, sed vouit se aliquando in animo habiturum religionem suscipere; & nisi eiusmodi votum commutandum vel relaxandum curet, debet aliquando velle religionem capessere. Quare satisfiet ei voto habita semel ea firma voluntate; nec obstabit matrimonio ineundo; quia cum eo inito non sit impossibilis religionis ingressus, sed possit esse de licentia alterius coniugis, aut diuortio perpetuo celebrato, potest adhuc matrimonio inito haberi ea voluntas, & sic voto satisfieri. Ita Nauarrus *lib.* 3. *consil. tit. de voto, consil.* 10. *in* 1. *edit. & consil.* 6. *in* 2. Azorius *loco citato*, Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 16. *num.* 8. & alij.

Nauarrus. Azorius. Sanchez.

43. Qui vouit religionem, ad quam probabiliter putat se admittendum, si votum religiosis manifestet, iuxta probabiliorem sententiam, non tenetur illud manifestare. Ratio est, quia hic solum religionis ingressum vouit, nec vnquam id votum se patefacturum promisit: votum autem eiusmodi cum ea tacita conditione intelligitur, si religiosi eum velint admittere. Tum quia in decreto obligandi se per votum ad aliquam rem, non includitur virtute obligatio ad omne medium, quod iuuare potest ad voti executionem, sed tantùm ad media communia, & naturâ suâ sufficientia. Huiusmodi autem est petere bona fide admissionem; explicare autem votum est medium extraordinarium, ad quod non tenetur etsi sciret id adiuturum vt admitteretur. Ita docent Azorius *parte prima, lib.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 9. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 379. *vers. Si quæras.* Trullench *in decalog. libro secundo, cap.* 2. *dub.* 19. *numero quinto*, Sanchez *loco citato, num.* 54. & alij. Non est tamen improbabilis sententia asserens hunc teneri in hoc casu manifestare votum: quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media conducentia ad finem. Et quamuis vouens non directè promiserit se patefacturum votum, tamen posito voto, naturali sequela consurgit obligatio ad media, ad talem finem accommodata. Et hanc sustinent Caietanus 2.2. *quæst.* 88. *art.* 3. *circa solut. ad* 2. *vers. In eadem responsione:* Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 5. §. 6. *num.* 16.

Azorius. Reginald. Trullench. Sanchez.

Caietan. Bonacina.

44. Vouens principaliter castitatem & religionem, tenetur ad castitatem in sæculo seruandam, etsi à voto religionis liber sit, eò quòd non admittatur,

mittatur, vel quacumque alia ex causa: quia sic castitas est independenter à voto religionis promissa. Quando autem principaliter vouit solam religionem & veluti accessoriè castitatem, quam faciliùs in ea seruare posset, liberatus voto religionis liberatur quoque voto castitatis. Ratio est, quia ex vi talis voti, solùm obligatur quis ad id quod est propria & prima materia, & proprium obiectum eius. Sed propria materia & proprium obiectum illius, qui religionem principaliter vouit, est religio solùm, non autem castitas; ergo cessante religione, cessat obligatio ad aliam illam materiam voti secundariam, scilicet castitatem. Ita ex communi Nauarrus *in Man. cap.* 12. *num.* 47. Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 4. *dub.* 4. Suarez *lib.* 4. *de voto, cap.* 7. *num.* 15. Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 3. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 16. *num.* 113. & alij. In dubio autem, an quis vouerit castitatem principaliter & independenter à religione, considerandа sunt verba voti: nam si verba vtrumque principaliter significant, iudicandum est in dubio iuxta communem illorum intellectum: quare si in eis expressa sint castitas & religio absolutè, censebitur castitas promissa principaliter, & per se, ac independenter à religione, & tunc possessio stat pro voto, quia pro eo stat possessio, pro quo stat iuris præsumptio. Si verò sola religio expressa sit, & dubitat vouens, an se quoque voluerit ad castitatem obligare, tunc tenetur ad id quod minus est, & censendus non obligatus vllo modo ad castitatem: quia nulla est possessio pro illa, sed tota pro voluntatis libertate. Ita Sanchez *loco cit. n.* 114. Trullench *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 20. *n.* 11. Bonacina *loco cit. punct.* 5. §. 6. *num.* 18.

Nauarrus. Valentia. Suarez. Caietanus. Sanchez.

Sanchez. Trullench. Bonacina.

45. Habens votum religionis & illam ingrediens animo exeundi, voto non satisfacit, sed tenetur voluntatem mutare ex vi voti & habere animum experiendæ religionis, num eius institutum sibi conueniat. Probatur; quia eo ipso quòd actus promittitur, censentur promissæ omnes circumstantiæ, sine quibus ille non esset apta voti materia. At ingressus religionis animo statim exeundi est vanus, & proinde inepta voti materia. Hinc votum ingrediendi religionem & statim exeundi, est irritum: quia quoad secundam partem est de re mala; imò & prima cum eo animo est mala & materia voti inepta. Nam hic non vouet ingressum bona fide ad experiendum, sed mala fide ad exeundum, quando per modum vnius est vtraque pars promissa. Ita D. Thomas 2.2. *quæst. vlt. art.* 4. *ad* 3. Nauarrus *in Manual. cap.* 12. *num.* 47. *fine*, Trullench *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 20. *num.* 1. Azorius *lib.* 11. *cap.* 22. *quæst.* 6. *vers. Quares.* Sylueſter *verb. Religio* 2. *quæst.* 19. qui vltimus addit ex Richardo *in* 4. *dist.* 38. *art.* 8. *quæst.* 3. & aliis, quòd si intrauit animo exeundi, cum voluntate tamen dandi operam, vt Deus immutet propositum suum, satisfaceret voto, aliter non: quia bona fide, & studiosus fuit ingressus, cùm id quod in se est, præstet, quò ille effectum consequatur. Idem docet Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 16. *num.* 74. 75. & 77. qui ait in dubio, quando non constat de contraria intentione, censendum est votum ingrediendi religionem & statim exeundi, per modum vnius esse factum, cùm apertè vouens suam intentionem expresserit, non ingrediendi ad permanendum, & proinde Doctores citati asserunt meritò hoc votum esse irritum.

D. Thom. Nauarrus. Trullench. Azorius. Sylueſt. Richard.

Sanchez.

46. Difficultas est inter Doctores, an vouens non solùm se ingressurum religionem, sed in ea perseueraturum, seu professurum, satisfaciat voto, ingrediendo bona fide ad religionem experiendam, & postea ex iustâ causa egrediendo? In hac difficultate duplex est sententia. Prima sustinet nihil interesse votum ingrediendi simpliciter & votum perseuerantiæ; atque ita vtrumque impleri ingrediendo bona fide, & animo probandi, & postea ex iusta causa egrediendo. Dicitur, quod vtrumque votum sit intelligendum secundùm Canones; vt si experta religio non placeat, integrum sit egredi. quæ conditio perseuerantiæ in eo voto iure ipso inest. Ita Reginaldus *lib.* 18. *num.* 383. Sotus *lib.* 7. *de iustit. quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 3. *vers. Ex hac autem.* Arragon 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. *vers. Est aliud dubium.* & alij, quorum sententiam probabilem & tutam in praxi iudicat Diana *p.* 2. *tract.* 17. *resol.* 10. Secunda tamen sententia verior est, hunc teneri ex vi voti perseuerare & profiteri. Ratio est, quia qui vouet ingressum & perseuerantiam in religione, duo promittit: ergo non satisfacit solo ingressu, sed opus est vt perseueret & profiteatur: hæc enim est differentia inter votum ingrediendi & profitendi. Nam qui vouit se ingressurum religionem, solùm videtur promittere, si in probatione deprehenderit eam sibi conuenientem, profiteri. Sed qui vouit non solùm ingredi, sed etiam profiteri, videtur se ita voluisse obligare, vt non possit egredi. Tum quia qui hoc modo vouit, censetur renunciasse iuri suo, seu beneficio probationis sibi à iure concesso: ergo tenetur in religione persistere. Imò si exeat, tenebitur iterum religionem ingredi, vt votum adimpleat. Denique, quia profiteri existentibus iustis egressus causis, est res bona: ergo votum illius obligat. Ita D. Thomas 2.2. *quæst. vlt. art.* 4. *in corpore*, & *ibi* Caietanus *dub.* 1. Syluius *ibidem*, Trullench *loco cit. num.* 2. Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 13. Azorius 1. *part. lib.* 11. *cap.* 22. *quæst.* 8. Bonacina *loco citato*, *num.* 22. & alij, quos refert & sequitur Sanchez *loco cit. cap.* 16. *num.* 81. quamuis Suarez *de relig. tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 15. cui adhæret Diana *part.* 6. *tract.* 7. *resol.* 53. sustineat, eum, qui vouit perseuerantiam in religione, si ex iusta causa exeat, vel expellatur, ea cessante non teneri iterum ingredi: quia vouens profiteri non debet præsumi voluisse se obligare ad profitendum omnibus modis & viis, quibus possibilis est professio: sed solùm præsumi debet se voluisse obligare ad profitendum, si receptus semel in probatione per ipsum non steterit: quia hic modus obligationis benignior est, & Ecclesiæ stylo conformis: ergo assumpta probatione, si iustè egrediatur, vel à Prælato expellatur, voto sufficienter satisfecit.

Reginald. Sotus. Arragon. Diana.

47. Dubium item est, an vouens religionem absolutè, nil de exeundi libertate determinando, satisfaciat voto ingrediens & posteà exiens? Quidam aiunt hunc satisfacere voto. Ducuntur, quia votum ingressus religionis intelligitur ad experiendam eo modo, quo in iure statutum est. Sed annus probationis iurè conceditur, vt Nouitius Religionem experiatur cum omnimoda exeundi libertate, ex *cap.* 1. & 2. *de regular. in* 6. ergo cum eadem libertate id votum intelligitur. Ita Nauarrus *lib.* 3. *consil. tit. de voto in* 1. *edit. consil.* 19. & *in* 2. *edit. consil.* 25. Azorius *lib.* 11. *tom.* 1. *cap.* 22. *quæst.* 6. Angelus *verb. Votum* 3. *num.* 18. & alij. Verior tamen sententia sustinet, hunc non satisfacere voto, retrocedendo ex sola libertate nouitiis concessa, sed exigi iustam exeundi causam: & ideò si omnia in religione grata inuenerit, teneri sub mortali perseuerare, & si exeat, teneri iterum ingredi. Ratio est, quia huius voti materia est, id, quod communiter intendunt religionem ingredientes: At ij intendunt perseuerare inueniendo omnia grata: ergo materia istius voti est ingredi, & perseuerare in eo casu; sicque

Nauarrus. Azorius. Angelus.

Digitized by Google

ſicque minimè impletur, non perſeuerando: aliter enim nulla eſſet differentia inter ingredientem cum voto, ac ſine illo. Diſcrimen autem eſt, quod ille moraliter peccet exeundo abſque legitima cauſa: hic autem ſolùm peccet venialiter: eò quòd ſit quædam leuitas, ac temeritas, à ſtatu tantæ perfectionis ſemel aſſumpto, ita leuiter abſque cauſa recedere. Ita Caietanus 2.2. *quæſt. vltim. art.* 4. *dub.* 3. Sotus *lib.* 7. *de iuſtit. q.* 2. *art.* 1. *ad* 3. *verſ. Ex hac.* Rodriguez *p.* 2. *Summæ Latinæ, cap.* 97. *n.* 2. Trullench *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 20. *n.* 5. Sanchez *loco citato, num.* 90. Toletus, Valentia, Paſarellus, Philiarcus apud ipſum citati. Vide Dianam *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 25. Vecchis *diſp.* 10. *dub.* 3.

Caietan. Sotus. Rodrig. Trullench. Sanchez. Diana. Vecchis.

Sed petes, quænam cenſeantur iuſtæ cauſæ egreſſus, vt vouens religionem, & ab illa egrediens cenſeatur voto ſatisfeciſſe? Reſpondeo, & dico *Primò*, eſſe legitimam cauſam, ſolam Religionis diſplicentiam, & inuenire non gratam & commodam ſibi, dummodò diſplicentia non ſit omninò libera, quæ ſcilicet coniuncta eſt cum paſſione animi, anxietate & triſtitia, ſiue ea oriatur ex naturali aliqua cauſa, ſiue ex dæmonis tentatione, & notabili tempore prudentis arbitrio duret, vt per menſem integrum. *Secundò*, ſi vouens experiatur religionem probatam afferre ſibi minorem fortitudinem, minúſque animi robur ad perſeuerandum; & propterea timet, ne procedente tempore tepidus inuenitatur & ab ea deficiat, vel minus bene ſaluti ſuæ ſpirituali conſulatur. *Tertiò*, quando experiretur religioſos non cautè viuere communiter, & ita ſaluti ſuæ animæ exiſtimaret non expedire eam religionem: vel ſi experitur pœnitentias grauiſſimas in ea iniungi, & ita timeat fore vt illas ſibi impoſitas ferre nequeat; vel ſi expertus ſit, tempore morbi communiter malè proſpici infirmis, vt timeret fore, vt id ferre nequeat. *Quartò*, præbet iuſtum exeundi cauſam morbus, etſi temporalis; ſi eſt talis, & tam frequens, vt Nouitius prudenter iudicaret fore, vt nequiret impoſterum onera religionis ferre, vel valde ſuæ ſaluti ea nocerent: vel prudenter timeret eo morbo ſe futurum oneroſum religioni. *Quintò*, neceſſitas parentum, quæ eſſet alicuius momenti, cui ille in ſæculo poſſet ſubuenire: aut neceſſitas ſororum: quia feminæ oppreſſæ nimia egeſtate ſunt in graui iactura ſaluti ſpiritualis: at fratrum neceſſitas non eſt tanti ducenda, eò quòd viri facilius ſibi conſulant. In his ergo & ſimilibus caſibus egrediens non eſſet leuis, & iuſtam cenſetur habere cauſam, vt ſic cenſeatur votum impleuiſſe. De his videndus Caietanus 2.2. *quæſt. vlt. artic.* 4. *dub.* 3. Armilla *verb. Nouitius, num.* 10. Couarruuias *de pactis* 1. *part.* §. 3. *ad finem.* Nauarrus *in Man cap.* 12. *num.* 47. *in fine.* Trullench *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 20. *num.* 7. & 8. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 16. *n.* 100. *& ſeqq.* Suarez *tom.* 3. *de relig. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 5. Vecchis *in praxi Nouit. diſp.* 10. *dub.* 2.

Caietanus. Armilla. Couar. Nauarrus. Trullench. Sanchez. Suarez. Vecchis.

49. Qui poſt votum religionis matrimonium contraxit cum animo conſummandi, peccat mortaliter: quia agit contra votum in re graui, & tenetur inito matrimonio ante conſummationem ingredi religionem: quia adimpletio voti eſt adhuc illi poſſibilis; idcò peccat prima vice petendo, aut reddendo, quia conſummans matrimonium conſtituit ſe in eo ſtatu, vt votum implere nequeat. Semel tamen conſummato matrimonio poteſt petere & reddere: quia votum religionis non eſt votum caſtitatis; & vouens religionem non tenetur ad caſtitatem, ſicut nec ad paupertatem & obedientiam, donec profiteatur: & cùm iam conſummato matrimonio nequeat votum religionis implere, tranſeundo ad ipſum, nihil erit quod debiti redditionem ac petitionem impediat. Idem dicendum, ſi hic promiſerit non ſolùm religionem, ſed etiam in ea perſeuerantiam: quia cùm ante profeſſionem non teneatur ad caſtitatem, ſi conſummet matrimonium, poterit deinceps petere & reddere: at ſoluto matrimonio vel legitimo diuortio facto, tenetur ingredi religionem. Ratio eſt, quia adhuc poteſt implere ſuum votum, cuius obligatio per matrimonium ſubſequens non fuit extincta, ſed ſuſpenſa. Ita Sotus *in 4. diſt.* 38. *q.* 2. *art.* 1. Nauarrus *in Man cap.* 12. *n.* 80. Caietanus *in Summ. verb. Matrimonium, cap. vlt.* §. *Et bene nota.* Trullench *loco cit. n.* 13. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 6. *n.* 19. Sanchez *loco cit. n.* 117. & *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 33. *n.* 14. 15. & 16. & alij multi apud ipſum. Quibus addo Pellizzarium *in Man. regul. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 267.

Sotus. Nauarrus. Caietanus. Trullench. Bonacina. Sanchez. Pellizzarius.

50. Qui vouit arctiorem religionem, ſi ingrediatur laxiorem, peccat quidem mortaliter, quia violat votum in materia graui; at ſi profiteatur, valida eſt profeſſio, & manet liber à voto ſtrictioris, vt definitur expreſsè *in cap. Qui poſt votum, de regular. in* 6. vbi dicitur, *Qui poſt votum à ſe de certa religione intranda emiſſum, religionem aliam etiam Laxiorem ingreditur & profitetur in ipſa, poteſt voto non obſtante priori, cui tanquam ſimplici per ſecundum ſolemne noſcitur derogatum, manere licitè in eadem. Pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda.* Vbi duo Bonifacius Papa VIII. tradit: Unum eſt, peccaſſe intrando laxiorem religionem: quia minus præſtat, quàm promiſit, & ideò pœnitentiam ei imponendam eſſe. Alterum eſt, liberari à voto religionis arctioris, per profeſſionem factam in laxiori: quia votum ſolemne in religione laxiori, quo quis ſe tradit religioni, ita vt religio ſibi ius in ipſum acquirat, fortius eſt, quàm votum ſimplex de intranda religione arctiori, & ideò liberat à voto priori ſimplici. Quamquam profeſſus poteſt adhuc ſtrictiorem ingredi, ſi velit, ob tacitam conditionem, ſub qua emittitur profeſſio; hæc enim emittitur ſub hac tacita conditione; niſi perfectiorem ſtatum elegero, vel niſi altior ſtatus placuerit. Ita expreſsè D. Thomas 2.2. *q.* 189. *art.* 8. *ad* 2. D. Antonin. *part.* 3. *tit.* 16. *c.* 2. §. 4. Nauarrus *in Man. cap.* 12. *n.* 48. *verſ.* 18. Syluester *verb. Religio* 2. *quæſt.* 18. Sanchez *loco cit. cap.* 16. *num.* 16. Trullench *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 18. *num.* 5. Bonacina *loco cit. num.* 20. & 21. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 382. & alij.

Bonif. VIII.

D. Thom. D. Antonin. Nauarrus. Syluester. Sanchez. Trullench. Bonacina. Reginald.

Notandum tamen eſt, vt hic peccet ingrediendo laxiorem, requiriturr, vt non vouerit ingredi ſtrictiorem, ſed etiam profiteri in ea: quia cùm in ſtrictiori promiſerit quoque profiteri, non implet tunc totū quod promiſit, ſed in minus commutat. At quando non eſt votum profitendi in ſtrictiori, ſed tantùm ingrediendi, licebit quandoque in laxiori profiteri. Proinde vouens ingredi ſtrictiorem religionem, non tamen in ea profiteri, licitè poteſt commutare hoc votum ingrediendæ ſtrictioris religionis, in perſeuerantiam in laxiori, aut ſub diſiunctione in hanc perſeuerantiam, vel ingreſſum ſtrictioris. Imò abſque commutatione ſupradicta licebit huic, qui ſtrictiorem vouerat, ingredi laxiorem, cum voto tamen, aut perſeuerandi in laxiori, aut ſi perſeuerare non elegerit, animo ingrediendi ſtrictiorem provt promiſerat. Ratio eſt, quia nulla priori voto irrogatur iniuria, cùm illo non obſtante liceat huic profiteri in religione laxiori; quia melius eſt id, quàm ingredi ſtrictiorem cum libertate exeundi. Quare cùm hoc ſit melius, non poteſt huic obſtare votum ingrediendi ſtrictio-

rem. Quod ſi perſeuerare nolit, manet in ſua vi votum prius ingrediendi ſtrictiorem.

Sed hoc eſt intelligendum cum duplici limitatione. Prior eſt, niſi religio illa ſtrictior ſtatutum haberet non admittendi eos, qui in aliam religionem ingreſſi eſſent; nam tunc vouens redditur impotens ad ingrediendam ſtrictiorem, quam vouerat, ſi in laxiori non profiteatur. Poſterior eſt, vt antequam ingrediatur laxiorem, vel tempore Nouitiatus in illa, non currat tempus ingrediendi in ſtrictiorem; tunc enim peccaret mortaliter, ſi ingrederetur laxiorem: quia eſſet in mora implendi voti ſtrictioris religionis; niſi promitteret perſeuerantiam in illa laxiori; aut prius votum commutaret in perſeuerantiam in laxiori. Ita Sanchez *lib.4. moral. cap.16. num.17. 18. 19. & 20.* Sanchez.

Vide v. Cardinalis *num.9. 10.* Debitum coniugale *2. n. 10. & ſeq.* Dubium *num.7. 12. 16. & ſeq.* Iuramentum *num.23. & 34. 35.* Religio *num.24.*

VOTVM II.

De irritatione voti.

SVMMARIVM.

1 *An poteſtas irritandi vota iure naturæ competat Superioribus, vel potiùs iure humano?* Refertur duplex ſententia.

2 *An poteſtas irritandi, commutandi & diſpenſandi vota extendatur ad vota interna.*

3 *Habentes dominatiuam poteſtatem an poſſint irritare vota non ſolùm emiſſa, ſed etiam in poſterum emittenda.*

4 *An Superiores poſſint irritare vota emiſſa tempore ſubiectionis ſed implenda tempore illius ſoluta?* Refertur duplex ſententia.

5 *An Superior poſſit irritare vota poſt ſuæ ſubiectionis tempus lapſum, quæ ſunt eius tempore emiſſa, nec confirmata poſt finitam ſubiectionem?* Refertur duplex ſententia.

6 *An curator poſſit irritare minorum pubèrum vota omnia realia & mixta? & an perſonalia?*

7 *An curator datus maiori prodigo poſſit irritare illius vota realia eo tempore cura emiſſa.*

8 *Quando mater non eſt aſſignata tutrix, aut curatrix filiorum, an poſſit illorum vota irritare?*

9 *An filiis impuberibus, aut minoribus pratendentibus ſe læſos in votis notabiliter, competat reſtitutio in integrum?* Refertur duplex ſententia.

10 *An vota ante ſubiectionem emiſſa poſſint propriè & directè irritari, ſeu potius ſuſpendi?*

11 *Quibus Superioribus competat poteſtas irritandi vota religioſorum? Et quæ vota non poſſint ab eis irritari?*

1. IRritatio votorum impropria & indirecta ſuppoſitâ ſubiectione vndecumque ortâ, iure naturæ competit Superioribus: quia illâ ſuppoſitâ, ius naturæ petit nil in illius detrimentum fieri: ac proinde eodem iure eſt integrum Superioribus non conniuere ei damno, ſuſpendendo obligationem votorum ſibi præiudicantium ad tempus quo eis non præiudicent; poteſt enim eo tempore Superior occupare ſibi ſubditum. Et hoc eſt manifeſtum apud omnes. Dubium tamen eſt inter Doctores de propria & directa irritatione, quæ competit Prælatis religionum; Patri reſpectu filiorum impuberum; Domino reſpectu ſeruorum; Patri reſpectu filiorumfamiliàs puberum; marito reſpectu vxoris. Quidam enim loquentes de religioſis & de filiis, aſſerunt hanc irritandi poteſtatem eſſe ex iure humano: quia ex natura rei, ſiue profeſſionis religioſæ non poteſt hæc poteſtas probari. Nam nil horum tantam ſubiectionem, aut dependentiam voluntatis ſubditi à Superiore poſtulat, vt poſſit præcipere, aut interdicere actus internos: quare totum hoc referri debet ad iuris humani diſpoſitionem, quod in omnibus horum ſubditorum votis eam conditionem tacitè ineſſe præſcripſit, niſi Superior contradixerit: & licet id ſtatutum non expreſsè in iure inueniatur, deducitur tamen ex Eccleſiæ vſu. Ita Leſſius *lib 2. cap.40. num.74.* Leſſius. Vaſquez *1.2. q.96. art.4. diſp.165. cap 4. num. 29.* Vaſquez. Sanchez autem arbitratur fundamentũ & radicem huius poteſtatis eſſe ex iure Eccleſiaſtico, ſic per vſum declarato; at eo fundamento poſito, cenſet poteſtatem hanc eſſe ex iure diuino naturali. Ita ille *lib. 4. moral. cap. 24. n. 32.* Sanchez. Quia horum omnium ſubditorum vota, quæ irritari poſſunt, habent implicitam conditionem, niſi Superior contradixerit, aut ſi ille conſenſum præſtiterit, quæ conditiones ſunt ſolo iure Eccleſiaſtico incluſæ tacitè in his votis, quibus poſitis de iure naturali eſt libertas in Superioribus ad non ponendas eas conditiones, negando aſſenſum, aut contradicendo. Communior tamen ſententia aſſerit hanc poteſtatem non ex iure Canonico, ſed ex iure naturali deſcendere; quoniam tota in gubernatione & adminiſtratione rei domeſticæ, & familiaris innititur, aut in poteſtate, quâ quidam non ſui, ſed alieni iuris eſſe dicuntur. De religioſis poteſt hoc probari; quia eo ipſo quod quis religionem profiteatur, ſubiicit voluntatem ſuam arbitrio Prælati, vnde facta profeſſione iure naturali & diuino non poteſt abſque Superioris iniuria, voluntatem ſuam ab obedientia Superioris ſubtrahere, & conſequenter Prælatus iure naturali & diuino ob ius dominatiuum voluntatis ſubditi, illius vota irritare poteſt. Ita Sotus *lib.7. de iuſtit. quæſt.2. art.1. verſ. Haud ergo.* Sotus. Aragon *2.2 quæſt.88. art.8. verſ. Tertiò eſt aduertendum.* Aragon. Claus Regia *lib. 6. cap. 10. n. 7. in fine,* Azorius *tom.1. lib. 11. cap.17. quæſit. 3.* Claus Reg. Azorius. Suarez *lib.6 de voto. cap. 6. num.2. & 3. & cap. 7. num.3. & ſeq.* Salas *1. 2. q. 21. tract. 8. diſp. vnic. ſect. 25. n.262.* Suarez. Salas. Trullench *in Decalog. lib.2. cap. 2. dub.29. num.1. in fine,* & alij. Trullench.

2. Poteſtas irritandi, commutandi vel diſpenſandi vota extenditur ad vota quantumuis interna. Ratio eſt, quia aliud eſt iubere, ſeu prohibere; aliud autem obligatione liberare. Prius enim cùm ſit onus, ac de re illa legem, aut præceptum imponere, petit poſſe de re illa iudicare, & ad illam cogere, tranſgreſſionemque punire: quæ nulli humanæ poteſtati reſpectu actuum purè internorum conceduntur. Poſterius autem, cùm nullum onus imponat, ſed eo liberet, non indiget poteſtate legis, aut præcepti ferendorum circa illa, & cogendi ac puniendi, ac proinde tanquam quid fauorabilius conceditur Superioribus circa actus internos. Quamuis enim Superior ignoret votum, dum ſibi non manifeſtatur, at poteſt ſub conditione dicere ſubdito: Si emiſiſti hoc votum, illud irrito, aut in eo diſpenſo, aũt id commuto in talem rem. Ita Vaſquez *1.2. q.96. art.4. diſp.160. cap.4. num.17.* Vaſquez. Suarez *tract. de voto, lib.6. cap.7. n. 8.* Trullench *loco cit. num.3.* Petrus de Ledeſma *tom. 2. Summæ tract.10. cap.7. dub. vlt.* & alij. Suarez. Trullench. Ledeſma.

3. Habentes dominatiuam poteſtatem irritandi vota non ſolùm iam emiſſa, ſed etiam impoſterum emittenda poſſunt irritare, interdicendo ſubditis, ne ipſis

Vrsula. B. Bij

Vrsula. B. Bij

Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.

Usquequo judicatis iniquitatem: et facies peccatorum sumitis?

Judicate egeno et pupillo: humilem et pauperem justificate.

Eripite pauperem: et egenum de manu peccatoris liberate.

Nescierunt neque intellexerunt: in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terre.

Ego dixi dii estis: et filii excelsi omnes.

Vos autem sicut homines moriemini: et sicut unus de principibus cadetis.

Exurge deus judica terram: quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.

Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat.

Usquequo judicatis iniquitatem: et facies peccatorum sumitis?

Judicate egeno et pupillo: humilem et pauperem justificate.

Eripite pauperem: et egenum de manu peccatoris liberate.

Nescierunt neque intellexerunt: in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terre.

Ego dixi dii estis: et filii excelsi omnes.

Vos autem sicut homines moriemini: et sicut unus de principibus cadetis.

Exurge deus judica terram: quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.

9. Quorundam ſententia eſt, filiis impuberibus aut minoribus prætendentibus notabiliter ſe læſos in votis, competere reſtitutionē in integrum; quia in omnibus aliis contractibus, quando læſi inueniuntur, poſſunt reſtitui, vt conſtat *ex toto titulo ff. de minoribus*. Ita Sylueſter *verb. Votum* 4. *q.* 2. Syluester. *dict.* 2. D. Antoninus 2. *p tit.* 11. *cap.* 2. §. 6. & alij. D. Antonin. Sed contrarium eſt verius. Ratio eſt, tum quia in voto non inuenitur læſio; cùm enim votum fiat in vtilitatem animæ, quæ pretioſior eſt, & præponderat aliis rebus, dicendum eſt in voto non inueniri læſionem, & conſequenter non concedi reſtitutionem in integrum, etiamſi votum factum ſit in alterius vtilitatem. Tum etiam, quia reſtitutio hæc aduerſus votum eſſet contra Deum petenda, cum quo per votum contrahitur. Si enim aduerſus patriam vel parentes, ratione reuerentiæ eis debitæ denegatur minoribus reſtitutio, multò fortiori ratione Trullench. eſt aduerſus Deum deneganda. Ita Trullench *in* Bonacina. *Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 34. *num.* 12. Bonacina *loco* Sanchez. *citato punct.* 7. §. 2. *num.* 24. Sanchez *loco cit. c.* 35. *num.* 86. & alij iuriſperiti apud ipſum.

10. Vota ante ſubiectionem emiſſi nequeunt propriè & directè irritari, ſed tantùm imperfectè & indirectè, id eſt ſuſpendi à poteſtate ſequenti dominiſua, quatenus obſequio ei debito præiudicāt. Probat. quia quando vota non habent imbibitam conditionem pendentem ex Superioris voluntate, vt contingit quando ante ſubiectionem fiunt, tunc ſubiectione ſequenti nequeunt verè irritari, ita vt non reuiuiſcant, ſed tantùm ſuſpendi; quia cùm tota ratio, & fundamentum poteſtatis veræ & directæ irritationis ſit, vota ſubditorum ratione conditionis in ipſis imbibitæ eſſe conditionalia; quando vota non ſunt conditionalia, vtpote ante ſubiectionem facta, non poterunt verè irritari, ſed tantùm ſuſpendi, quatenus ſubiectioni ſubſequenti præiudicant.

Hinc deducitur vota vxoris ante matrimonium emiſſa, non poſſe à viro directè irritari, ſed tantùm ſuſpendi: quia tunc nec voluntas, nec res promiſſi erat ſubiecta voluntati mariti, & ſic non ſunt emiſſa dependenter ab eius beneplacito; poterit tamen eorum executionem ſuſpendere, quatenus repugnant aut præiudicant domeſticæ gubernationi. Idem dicendum de votis à viro ante matrimonium factis; poſſunt enim hæc quoque ab vxore ſuſpendi, ſi damnum ſibi inferant; & proinde pro tunc non obligabunt: quia obligatio Religionis contracta ante matrimonium, nequit præiudicare obligationi iuſtitiæ conſurgenti ex nouo matrimonio. Ita Nauarrus. Nauarrus *in man. cap.* 12. *n.* 61. *&* 65. Suarez *tract.* Suarez. *de voto lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 16. & *cap.* 6. *num. vltim.* Azorius. Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 17. *quæſt.* 14. Clauis Regia *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 11. *&* 19. Trullench *loco cit.* Clauis Reg. Trullench. *dub.* 33. *num.* 4. Item vota realia puberum emiſſa tempore quo ſui iuris erant, poſſunt à curatore poſtea dato ſuſpendi; quia præiudicant ſuæ bonorum adminiſtrationi. Similiter vota emiſſa à ſeruo, cùm in nullius ſeruitutem deuenerat, poſſunt ſuſpendi à domino, cui poſtea ſe legitimè vendidit, quando eius ſeruitio præiudicant: quia obligatio voti non poteſt impedire hanc iuſtitiæ poſteriorem. Suarez Suarez. *loco cit. lib.* 6. *cap.* 3. *num. vlt.* Azorius *loco cit. c.* 17. Azorius. *quæſt.* 2. *&* 10. Clauis Regia *loco citato num.* 18. Clauis Reg. Aduertendum autem, *Primò*, quando hi Superiores, qui non poſſunt perfectè irritare vota ante ſubiectionem emiſſa, ſed tantùm ſuſpendere, concedunt poſteà facultatem implendi, aut ceſſat eorum poteſtas, vota reuiuiſcere, & priſtinam obligandi vim recuperare: quia hic eſt ſuſpenſionis effectus, vt maneat quidem vinculum voti, & ob olam materiæ prohibitionem, eius obligatio eſt ſuſpenſa, quamdiu prohibitio durat, & ideò ea ceſſante priſtinas obligandi vires recuperat. *Secundò*, à prædicta doctrina excipiuntur vota ante Religionis profeſſionem emiſſa, ſiue in nouitiatu, ſiue in ſæculo, quæ ſi per profeſſionem non extinguantur, poſſunt poſt profeſſionem perfectè à Superioribus irritari, non aliter quàm ſi poſt profeſſionem emiſſa eſſent. Rationem reddit Sylueſt. *verb. Votum* 4. *quæſt.* 7. Syluester. *dict.* 3. quia ſi profeſſus in inſtanti profeſſionis non habuit voluntatem non extinguendi ea per profeſſionem, per illam vtique extinguuntur. Si autem eam voluntatem tunc habuit, reputabuntur ac facta poſt profeſſionem, ac proinde tempore plenæ ſubiectionis. De his videndus Sanchez l. 4. *moral. c.* 31. Sanchez.

11. Poteſtas irritandi vota religioſorum competit, *Primò*, Summo Pontifici, qui religioſorum quorumcumque vota irritare poteſt, quæ alij regulares eorum Prælati irritare valent: quia religioſi ſubduntur Pontifici, non ſola ratione, qua ceteri fideles, ſed etiam ex vi voti obedientiæ, eò quòd eſt ſupremus omnium Religionum Generalis, & ipſi emittitur votum obedientiæ in profeſſione factum; & ideò habet dominatiuam in illos poteſtatem, ſicut Prælatus regularis. Ita D. Thomas *ſecunda ſecundæ, quæſt.* 186. *art.* 5. *ad* 3. & *ibi* Caietanus, D. Thom. Caietanus. Suarez *tract. de voto lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 18. Sanchez Suarez. *lib.* 4. *moral. cap.* 24. *nnm.* 20. & alij communiter. Sanchez.

Secundò, Epiſcopus poteſt religioſorum vota irritare, quorum eſt peculiaris Prælatus; videlicet omnium non exemptorum, quia ipſi votum obe- Leſſius. dientiæ emittitur. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. Suarez. *n.* 114. Suarez *loco citato*, Sanchez *cit. n.* 22. Sanchez.

Tertiò, hæc poteſtas competit etiam Generalibus, Prouincialibus, Superioribus localibus, vt ſunt Priores, Guardiani, Rectores, Præpoſiti, Miniſtri, Abbatiſſæ, Prioriſſæ, &c. quia omnes ſunt verè Prælati, & omnibus obedientiæ votum emittitur. Et quidem quod Abatiſſa ſeu Prioriſſa omnia monialium ſuarum vota poſſit irritare, quæ poſſunt Prælati circa religioſos, Probatur; quia non ſolis Prælatis, ſed ipſis quoque Abbatiſſis emittitur votum obedientiæ, & ideò vota includunt tacitam conditionem pendentem ex earum conſenſu. Accedit, quòd non minorem poteſtatem habent in actus monialium, quàm mater tutrix in actus impuberum. Ita Suarez *loco cit. cap.* 7. *num. vltimo*. Leſſius *cap.* 40. Suarez. *dub.* 13. *num.* 107. Clauis Regia *lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 7. Leſſius. *verſ. Hinc eſt, & num.* 13. *in fine*. Rodriguez *tom.* 1. Clauis Reg. *qq. reg. quæſt.* 25. *art.* 7. Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. Rodriguez. *quæſt.* 2. *punct.* 7. §. 2. *num.* 26. *verſ. Addo quartò*. Bonacina. Trullench. Trullench *loco cit. dub.* 32. *num.* 3. & alij.

Quartò, idem dicendum eſt de Viſitatoribus, niſi aliàs iuriſdictio eſſet ad aliquos actus limitata; quia ſunt Prouincialibus ſuperiores, & toti Prouinciæ præſunt. Non tamen competit hæc facultas horum Prælatorum Vicariis, niſi in abſentia eorum, quando tota conuentus gubernatio ad ipſos ſpectaret, tanquam vices illius gerentes: tunc enim poſſent vota irritare: quia tunc plena Prælatorum vice funguntur, & ſunt verè Prælati. Ita Suarez *loco cit. c.* 7. Suarez. *num.* 17. addens Vicarios hoc etiam poſſe ex delegata Prælatorum facultate ſibi conceſſa: quia hæc poteſtas poteſt delegari (vt diximus *tom.* 1. *verb. Votum. ſ. num.* 10. cum Doctoribus ibi citatis. Cetèrùm quamuis omnibus Religionum Prælatis poteſtas hæc vota irritandi conueniat; & id cum quadam ſubordinatione eſt, & ideò Superior Prælatus poteſt reſeruare ſibi aliquam irritationem, ſicut & poteſt abſolutionem caſuum reſeruatorum, vt aduertit Suarez *loco citato*. Et hæc de irritatione dicta Suarez. ſufficiant;

Sanchez. Trullench. Bonacina.

ſufficiant ; plura apud Sanchez *lib. 4. moral. à. cap.* 24. *vſque ad* 37. apud Trullench *in decalog. lib.* 1. *cap.* 2. *à dub.* 29. *vſque ad* 38. Bonacinam *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 2. & alios hîc citatos.

Inſuper illud eſt addendum, quod licet Prælati Religionum poſſint irritare vota ſuorum ſubditorum ; hinc tamen excipienda ſunt vota, quæ vltra tria Religionis ſubſtantialia emittuntur in aliquibus Religionibus, approbante Sede Apoſtolica ; vt in Religione Minimorum, votum vitæ quadrageſimalis: in Religione Mercenariorum, votum redemptionis captiuorum: in Societate IESV, à profeſſis quatuor votorum, ſolemne votum obediendi Romano Pontifici circa Miſſiones ; & ab omnibus profeſſis quinque alia vota ſimplicia, *nempe votum de non laxanda paupertate, ſed potiùs reſtringenda. De non procuranda & ambienda dignitate. De denunciandis ambientibus dignitates. De non acceptanda dignitate extra Religionem, niſi ex præcepto obedientiæ. De audiendis conſiliis P. Generalis, ſi eligantur in præſidem alicuius Eccleſiæ.* Ratio horum eſt, quia in his omnibus, & materia ipſa, & actus vouendi, ſunt omninò extra Superiorum dominium, cùm iuxta Conſtitutiones à Pontifice confirmatas & approbatas ea vota ſint annexa ei ſtatui religioſo ; ut notant Sanchez *loco cit. cap.* 33. *num.* 5. Suarez *tom.* 4. *de relig. lib.* 2. *cap.* 12. *à num.* 28. Bordonus *in conſiliis regular. reſol.* 14. *num.* 24. Portel *verb. Voti irritatio num.* 68. Diana *parte* 6. *tract.* 8. *reſol.* 34. Tamburinius *tom.* 3. *de iur. Abbat. diſp.* 4. *quæſt.* 8. *num.* 7. Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 7. *n.* 6. *aſſert.* 3. *in fine*, & alij. Quamuis Miranda *in man. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 9. *art.* 6. *concluſ.* 1. *&* 2. exiſtimet in ſupradictis votis poſſe Generalem diſpenſare ex iuſta cauſa : quod antea etiam docuerat Rodriguez *tom.* 1. *qq. regul. quæſt.* 26. *art.* 1. qui ſuam ſententiam probant ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de regul.*

Sanchez. Suarez. Bordonus. Portel. Diana. Tamburin. Layman. Miranda. Rodrig.

21 *De octaua & nona.*

22 *Quando plura vota rerum pertinentium ad caſtitatem emittuntur, an poſſint ſingula & omnia commutari.*

23 *An votum caſtitatis ſeu Religionis, quod poteſt irritari, poſſit etiam ab Epiſcopo diſpenſari vel commutari.*

24 *Quando facultas regularium ſuper vota commutanda vel diſpenſanda extendatur ad votum reſeruatum triplicis peregrinationis.*

25 *Quando Pontifex concedit omnia vota præter votum caſtitatis & Religionis, an cenſeantur conceſſa vota triplicis peregrinationis reſeruata ?* Refertur duplex ſententia.

26 *Votum quod ſit à vouente animo ſe obligandi ad non petendam diſpenſationem illius niſi à Papa, an ſit reſeruatum.*

27 *An vota irritari, commutari & diſpenſari poſſint, inuito vouente.*

28 *Facultas quam habent regulares circa vota perſonarum ſæcularium, an poſſit ab eis ſubdelegari.*

An teneatur voto ille, qui obtinuit commutationem voti in materiam deſignandam à viro docto.

29 *Habens facultatem diſpenſandi in voto, an peccet vtens ſolâ diſpenſatione ſine aliqua commutatione.*

30 *Quando Prælatus & delegatus teneantur diſpenſatione vti ? Et an regulares teneantur vti ſuis priuilegiis circa vota.*

31 *An Epiſcopus vel delegatus poſſit diſpenſare in votis, vel ea commutare, quæ facta ſunt in fauorem tertij, ſine illius conſenſu.*

32 *Quando Prælati potentes diſpenſare in voto admittunt ad matrimonium eum, quem ſciunt votum abſtinendi ab illo emiſiſſe, an cenſeantur facto ipſo diſpenſare ?* Refertur triplex ſententia.

33 *Vt Epiſcopus poſſit diſpenſare in votis, an requiratur conſtitutio veri domicilij in ſua Diœceſi animo ibi habitandi perpetuò ?* Refertur duplex ſententia. *Et quis diſpenſare poſſit in votis vagorum ?*

DE COMMVTATIONE & Diſpenſatione voti.

SVMMARIVM.

12 *Quomodo commutatio voti differat à diſpenſatione.*

13. *Poteſtas commutandi vota, an ſit iuriſdictionis ſpiritualis, & an ad illam exigatur iuriſdictio in foro externo.*

14 *Qui habent poteſtatem commutandi vota virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilei, vel priuilegiorum, an poſſint commutare vota facta intuitu obtinendæ commutationis virtute illorum trium.*

15. *Quoties poteſt diſpenſare Epiſcopus in votis reſeruatis Summo Pontifici, an ea quoque à religioſis priuilegiatis poſſint commutari vel diſpenſari.*

16 *An omnia vota quæ poteſt Epiſcopus ordinaria poteſtate extra caſum vrgentis neceſſitatis diſpenſare, poſſint etiam per confeſſarium, virtute Bullæ, Iubilei & priuilegiorum commutari, & etiam diſpenſari ex cauſa iuſta.*

Ponuntur hîc vota ſummariè, in quibus Epiſcopus & regulares diſpenſant.

17 *Quædam regulæ aſſignantur, ad ſcienda quæ in recta votorum commutatione ſpectari debeant: & de prima & ſecunda.*

18 *De tertia & quarta.*

19 *De quinta & ſexta.*

20 *De ſeptima.*

12. COmmutatio & redemptio voti differt à diſpenſatione ; quia per diſpenſationem tollitur voti vinculum, non autem per commutationem ſeu redemptionem : tum quia in commutatione ſola voti materia tranſmutatur eodem vinculo manente & conſequenter vouens ad id tenetur, in quod votum eſt commutatum ex vinculo eiuſdem voti, & non ex præcepto aliquo commutantis. Nam in commutatione voti non interuenit præceptum aliquod, ſed cùm commutante habente poteſtatem commutandi, concurrit ſola paſſiua acceptatio eius, qui vouit, & ſic facta eſt commutatio : ex quo fit, quod etiam exequendo commutatum actus latriæ inueniatur, ſicut in exequendo voto promiſſo inueniebatur. Proinde plus eſt diſpenſare in voto, quàm votum commutare, vt decent ex communi D. Thomas 2. 2 *quæſt.* 88. *art.* 10. Caietanus *ibidem.*

D. Thom. Caietan.

13. Poteſtas commutandi vota eſt iuriſdictionis ſpiritualis à Chriſto Domino noſtro conceſſi, non autem à iure naturali profecta: & ad illam exigitur iuriſdictio in foro externo, ſicut de poteſtate diſpenſandi & communicandi tradunt omnes: quia vtraque poteſtas pertinet ad externam Eccleſiæ gubernationem. Hinc fit, quòd nec laicus, nec clericus coniugatus ſit capax huius poteſtatis, niſi ex Papæ

Digitized by Google

Papæ diſpenſatione, nec poteſt poteſtatem hanc quocumque temporis ſpatio præſcribere; ſufficit autem ad illam prima tonſura. Similiter nec femina eſt illius poteſtatis capax. Quare Abbatiſſa nequit vota monialiũ commutare, nec in eis diſpenſare: quia vtrumque eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis: ſicque non valet commutatio facta à Prælato excommunicato vitando, quia eſt actus iuriſdictionis, quâ priuatus eſt per excommunicationem. Hinc etiam fit, hanc poteſtatem commutandi vota, non reſidere apud infideles, eò quòd in illis nulla poſſit eſſe iuriſdictio ſpiritualis.

Aduerte tamen quod poteſtas commutandi vota in rem manifeſtè meliorem, vel euidenter æqualem, non eſt actus iuriſdictionis, ſed fieri poteſt proprio cuiuſque vouentis arbitrio; proinde eſt apud laicos, feminas & infideles, & valet facta commutatio à quocumque excommunicato. Ita eum aliis Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 49. *n.* 22. Trullench *in decalog. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 45. *n.* 6.

Sanchez. Trullench.

14. Qui habent poteſtatem commutandi vota virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilei, vel priuilegiorum regularibus conceſſorum, poſſunt commutare vota facta intuitu obtinendæ commutationis virtute illorum trium. Ratio eſt, quia nullum ex illis limitat, nec aliqua ratio ad ita limitandum ſuadet. Et hoc certius eſt in commutationis & diſpenſationis votorum privilegio, eò quòd non ſit ex ſe malum ſumere vouendi licentiam ſpe obtinendi commutationem & diſpenſationem. Ita Suarez *tom.* 2. *de relig. de voto lib.* 6. *cap.* 13. *in fine*, Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 7. §. 3. *n.* 12. Diana *p.* 1. *tr.* 11. *reſ.* 16. & alij.

Suarez. Bonacina. Diana.

15. Quoties poteſt diſpenſare Epiſcopus in votis reſeruatis Summo Pontifici, ex eo, quia à vera votorum reſeruatorum ratione deficiant, aut quia non eſt diſpenſatio in ſubſtantia voti reſeruati, ſed in aliqua eius circumſtantia, poſſunt quoque ea à priuilegiatis commutari. Ratio eſt, quia aperta Pontificis mens eſt, ea vota ſolùm denegare, quando reſeruata ſunt. Ita Suarez ſuprà *lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 17. Sanchez *loco citato cap.* 54. *num.* 19. Bonacina *loco cit. num.* 17. & alij.

Suarez. Sanchez. Bonacina.

Quando autem Epiſcopo conceditur diſpenſare ratione ſolius neceſſitatis imminentis, eò quòd Apoſtolica Sedes adiri non poſſit, non poſſunt ea commutari per privilegia. Ratio eſt, quia in eiuſmodi euentu ſunt verè illa vota reſeruata, & diſpenſatio & commutatio verè cadunt in materiam reſeruatam, & ideò caſus illi non cenſentur Epiſcopales, ſeu iuri Ordinario Epiſcoporum ſubiecti, ſed poteſt per accidens in illis Epiſcopus diſpenſare, ex benigna quadam interpretatione voluntatis Pontificis reſeruantis. Ita Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 16. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 54. *num.* 19. & *de matrimon. lib.* 2. *diſp.* 40. *num.* 9. Tamburinius *de iur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 20. *quæſt.* 2. *num.* 7. Diana *part.* 1. *tract.* 11. *reſol.* 56. Trullench *loco citato lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 39. *num.* 6. Vide à nobis dicta *tom.* 1. *verb. Votum* 7. *n.* 29.

Bonacina. Sanchez. Tamburin. Diana. Trullench.

16. Omnia vota, quæ poteſt Epiſcopus Ordinaria poteſtate extra caſum urgentis neceſſitatis diſpenſare, poſſunt per Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilei & priuilegiorum commutari, & etiam diſpenſari, ſi iuſta cauſa ſubſit. Primum probatur ex conceſſione Pauli III. facta Patribus Societatis IESV, relata apud Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 54. *num.* 3. & clauſula Iubilei & Bullæ Cruciatæ apud eundem *num.* 1. & 2. Secundum autem conſtat ex Bulla Eugenij IV. quæ incipit, *Etſi quaſlibet perſonas*, anno 1436. pridie Kalend. Iulij, apud Confectum *in collectione priuilegiorum*, fol. 31. & data fuit in fauorem Monachorum S. Iuſtinæ Ordinis S. Benedicti, vt ex Bordono diximus *tom.* 1. *verb. Votum VII. num.* 10.

Paulus III. Sanchez. Eugen. IV.

Sed vt magis hoc elucefcat, ponam hîc per extenſum vota, in quibus poſſunt Regulares priuilegiati approbari ad ſæcularium Confeſſiones audiendas, diſpenſare & ea commutare virtute priuilegiorum, quia non cenſentur reſeruata, & in eis Epiſcopus iure Ordinario diſpenſat. Quorum Catalogus hic eſt:

Regulares priuilegiati poſſunt diſpenſare,

1 *In voto diſiunctiuè emiſſo, cuius altera pars tantùm eſt reſeruata; vt ſi quis verbigratia, emittat votum caſtitatis, ieiunij, vel Religionis, vel Ordines ſacros aſſumendi, quando vouens nondum elegit partem reſeruatam.*

2 *Voto caſtitatis non perpetuo, ſed temporali; niſi ſit ad centum annos.*

3 *Voto caſtitatis coniugalis ſeruandæ; niſi votum auctoritate Papæ annexum ſit ſtatui religioſo.*

4 *Voto, quo alter coniux promittit ſe non petiturum debitum.*

5 *Voto non reſeruato, in quod Papa votum ſibi reſeruatum commutauit.*

6 *Voto virginitatis ſeruandæ, quando expreſè vouens nil aliud intendit quàm ſe obligare præciſè ad corporis integritatem ſeruandam, ſecus vbi talis intentio expreſſa non adeſt. In dubio de intentione, cenſendum eſt eſſe ſimpliciter caſtitatis.*

7 *Voto, in quo vouens intendit ſe ſolùm ad culpam venialem obligare.*

8 *Voto de numquam contrahendo matrimonio; niſi in fauorem tertij id petentis, cuius intereſt, emiſſum ſit.*

9 *Voto non fornicandi, aut abſtinendi à certo actu venereo, & in voto non tangendi mulierem.*

10 *Voto caſtitatis emiſſo ex aliquo motu, licet leui.*

11 *Voto caſtitatis, quando dubitatur, an ſit validum, vel an ſit reſeruatum.*

12 *Voto ſacros Ordines aſſumendi: imò in expreſſo promittendæ caſtitatis voto.*

13 *Votis diuerſis ad caſtitatem pertinentibus; niſi ultimum votum ſit perfectæ caſtitatis.*

14 *Voto Religionis non approbatæ.*

15 *Voto paupertatis vel obedientiæ in ſæculo, vel in Religione non approbata emiſſo.*

16 *Voto ingrediendi Religiones Equitum Ordinum Militarium, excepta Religione Equitum Melitenſium, ſeu S. Ioannis Ieroſolymitani.*

17 *Voto arctioris Religionis, vt commutetur in votum laxioris.*

18 *In*

18 *In qualitate votis peregrinationum annexæ, vt eundi pedibus ad limina Apoſtolorum.*

19 *Voto Religionis emiſſo ad duos vel tres annos, vel aliud tempus tantùm. non autem perpetuò.*

20 *Voto, quo quis promittit ſe perſeueraturum & profeſſurum in Religione.*

21 *In differenda executione voti Religionis vel aliorum reſeruatorum, modò executio non differatur, vt ſit periculum, quod vouens reddatur impotens ad votum perſoluendum.*

Regulares priuilegiati poſſunt diſpenſare

22 *In tribus votis peregrinationis reſeruatis, quando expreſſus vouentis finis extitit, non viſitandi ea loca causâ deuotionis, ſed ad aliud.*

23 *In voto non petendæ diſpenſationis ab alio, quàm à Summo Pontifice.*

24 *In voto reſeruato, quando eſt iure conditionale ſub conditione de futuro, & ſecundùm quoſdam etiam impletâ conditione.*

Sanchez. Leſſius. Trullench. Tamburin.

De his votis agunt Sanchez *lib.4. moral. cap.40.* Leſſius *lib.2. de inſtit. cap.40. dub.* 13. Trullench *in Bull. Cruciatæ lib.* 1. *§.* 7. *cap.* 3. *à dub.* 14. *vſque ad dub.* 18. Tamburinius *de iur. Abbat. tom.2. diſp.*19. *quæſit.*8. *num.*5. *& ſequentibus.* Vide quæ diximus *tom.* 1. *verb. Votum VII. num.* 4. *& ſequent.* & ibi auctores citatos.

Pius V.

Circa quartum votum hîc notatum eſt aduertendum, quod licet regulares non poſſint per conceſſionem Pij V. fictam FF. Minoribus viuæ vocis oraculo, diſpenſare ad petendum debitum cum eo coniuge, qui vouit caſtitatem poſt matrimonium initum; cùm conceſſio expreſsè loquatur de voto caſtitatis facto ante matrimonium; poterunt tamen in tali voto diſpenſare virtute alterius priuilegij, quod habent diſpenſandi in omnibus votis, quando non ſunt reſeruata Papæ: idque non ſolùm ad petendum, ſed in toto voto, tam ad petendū quàm ad reddendum, quoties Epiſcopus poteſt in eo diſpenſare, eò quòd à perfecta ratione voti caſtitatis deficiat: quale eſt votum hoc, ſiue matrimonium ſit conſummatum, (quippe quod non eſt votum omnimodæ caſtitatis, cùm non poſſit obligare ad non reddendum) ſiue non conſummatum, cùm ſic vouens ſine culpa reddere poſſit debitum. Ita Fagund. *in decalog. lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 20. Sanchez *lib.*4. *moral. cap.*43. *n.*12. Portel *in dub. regul. verb. Confeſſor diſpenſans. n.* 10. & alij Neoterici.

Fagund. Sanchez. Portel.

Si quis tamen ante matrimonium contractum, vel poſt, non tamen conſummatum, Religionem vouerat, non poſſunt regulares vi priuilegiorum diſpenſare cum illo, vt petat aut reddat: quia neque Epiſcopus in tali caſu poteſt diſpenſare, & priuilegia loquuntur ſolùm de voto caſtitatis, vt docent Sanchez & Fagundez.

17. Præter dicta, quæ obſeruanda ſunt in commutatione votorum *tom* 1. *verb. Votum VI. num.*18. & 19. ſequentia addo pro praxi, quam obſeruare debet confeſſarius in commutandis votis. Quamuis enim nulla certa regula innumeris votis & cum innumeris circumſtantiis concurrentibus commutandis præſcribi valeat, ſed id prudentis arbitrio relinquendum ſit, vt docent Nauarrus *in man. cap.*12.

Nauarrus

*num.*77. Suarez *tract. de voto lib.*6. *cap.*19. *num.*21. quædam tamen regulæ à Doctoribus traduntur, ad ſcienda quæ in recta votorum commutatione ſpectari debeant. Suarez.

Prima regula. In commutatione voti attendenda eſt maior dignitas materiæ ſubrogatæ reſpectu ſolius materiæ promiſſæ; nulla tamen habenda eſt ratio vinculi voti; nam etſi vtrumque ſit attendendum in voti diſpenſatione, non tamen in commutatione; quia per diſpenſationem tollitur omninò vinculum: in commutatione autem idem prorſus vinculum manet, in materia tamen ſubrogata. Proinde votum vitandi aliquod peccatum non eget magna commutatione, quia per commutationem non aufertur obligatio præcepti, ſed tantùm noua obligatio per votum impoſita transfertur in materiam ſubrogatam: vnde in ſubrogatione materiæ ſolùm attendendum eſt, vt recompenſetur obſequium diuinum; ideoque videndum eſt quantum obligatio voti ſuperaddita illi præcepto, arceat vouentem ab illius præcepti tranſgreſſione: ſi enim valde arcet, graui quoque indigeret commutatione: ſi autem illi fini nil conduceret, ſed potiùs ſolùs multiplicandis peccatis ex pœnitentis fragilitate deſeruiret, tunc mitior commutatio eſſet adhibenda. Ita Caietan. 2.2. *q.* 88. *art.* 12. *verſ. In commutatione votorum.* Reginaldus *lib.*18. *num.* 357. Pellizzarius *in man. reg. tract.*8. *cap.*3. *num.*185. Caietan. Reginald. Pellizzarius.

Secunda regula. In commutatione voti non ſemper reputatur melius, aut æquale, quod ſuapte natura eſt tale; ſed quod hîc & nunc Deo gratius eſt, aut æquè gratum præſtari à vouente, vel conſetur quod magis aut æquè prodeſt ad Dei gloriam noſtramque ſalutem; vt ſunt frequentia Sacramentorum ſi vouens ſit impleturus, aut in aliquot ſacra facienda, Oratio mentalis, &c. & hæc eſt tutior ceteris commutatio, quam Summus Pontifex communiter in votorum commutatione iniungit. Ita Sanchez *lib.* 4. *moralium cap.* 56. *n.* 8. Reginaldus *lib.*18. *num.*357. Clauis Regia *lib.*6. *cap.*12. *num.*5. & 6. Leſſius *lib.*2. *cap.* 40. *num.*87. & alij. Sanchez. Reginald. Claus Reg. Leſſius.

18. *Tertia regula.* Cùm dignitas materiæ promiſſæ augeatur ex dignitate finis, commutatio illius indigebit ſubrogatione præſtantioris materiæ; vt ſi quis ad aſſequendam caſtitatem promiſit peregrinari, magis ad illam conducent ieiunium & orationes: ideò conſiderandum eſt an materia ſubrogata conducat magis ad finem vouentis aſſequendum. Ita Sanchez *loco citat. num.*9. Trullench *tom.* 3. *in expoſit. Bull. Cruciat. lib.*1. *§.*7. *c.*3. *dub.*18. *n.*7. Sanchez. Trullench.

Quarta regula. In commutatione voti habetur ratio difficultatis implendi rem promiſſam, ac materiam ſubrogatam; quia difficultas auget meritum. Vnde votum ieiunij à paupere emiſſum, ſi in eleemoſynam commutetur, poteſt in minorem commutari, quàm ſi diues illud emiſiſſet; quia pluris facit Deus paucas pauperis pecunias, quàm multas diuitis. Ita Suarez *de voto lib.*6. *cap.*19. *num.*16. Nauarrus *in man. cap.*12. *n.*77. *in fine* & alij. Suarez. Nauarrus.

In commutatione voti peregrinationis, duo ſunt conſideranda, & labor itineris; & expenſæ ratione peregrinationis faciendæ, ad materiæ ſubrogatæ æqualitatem. Ratio eſt, quia licet expenſæ illæ non ſint neceſſariò pecuniis redimendæ, at quia augent pondus & æſtimationem voti; vtpote, quæ per id votum dicatæ ſunt Deo, ideò earum eſt habenda ratio ad materiæ ſubrogatæ æqualitatē; tamen ſunt deducendæ à commutatione expenſæ, quas domi vouens erat facturus, quia hæc non ſunt Deo dicatæ, cùm illæ eſſent ceſſante câ peregrinatione faciendæ. Ita ex communi Suarez *loco citato lib.*6. *c.*19. *num.*19. Suarez.

Rodrig. Clav. Reg Azorius.

num. 19. *fine.* Rodriguez *tom. 2. Summ. Latina c. 102. num. 4. documento* 5. Clavis Regia *lib. 6. c. 13. n. 20.* Azorius *tom. 1. lib. 11. c. 18. q. 13.* & alij.

Si tamen quis peregrinaretur ad locum deſtinatũ, ac mutata voluntate nollet redire, nulla expenſarum reditus commutatione egeret, quia reditũ non vovit: ſicut ſi peregrinationem mendicando quis promiſit, nullæ expenſæ ſunt attendendæ in commutatione: quamvis habenda ſit ratio maioris illius laboris peregrinationis pedeſtris, & emẽdicando, & maioris illius obſequij divini exercendo actus paupertatis & humilitatis, ut obſervat Sanchez *loco cit. n. 17. & 23.* cum alijs.

Sanch.

19. *Quinta regula.* In commutatione votorum non requiritur ſimilitudo, ita ut votum reale commutari debeat in reale, & perſonale in perſonale, ut conſtat ex *c. 2. de voto.* Ratio eſt; quia in his commutationibus habenda eſt ratio ſolius maioris aut æqualis obſequij divini, quæ æqualitas poteſt reperiri in utraque materia, ideò non eſt opus ſervare in hac commutatione unitatem, aut ſimilitudinem phyſicam inter utramque materiam, ſed proportionem aut æſtimationem moralem in ordine ad gloriam Dei. Ita Suarez *lib. 6. de voto, cap. 19. n. 15. 16. & 17.* Trullench *loco cit. num. 16.* Sanchez *loco cit. n. 14.* & alij.

Suarez. Trull. Sanchez.

Sexta regula. Non eſt opus ad voti commutationem, ut materia ſubrogata ſit æqualis priori promiſſę quoad magnitudinem, durationem aut numerũ, modò ſit æqualis in ratione obſequij divini: unde non eſt opus votum perpetuũ commutari in materiam perpetuã, ſed poteſt in temporalẽ æqualem obſequij divini: & votum certa die implendũ in opus alia die exequendum: quia poteſt eſſe majoris aut æqualis obſequij divini, exequi materiam ſubrogatam altera die. Ita Leſſius *lib. 2. c. 40. dub. 11. n. 101.* Suarez *loco cit. cap. 19. n. 21.* Sanchez *loco cit. n. 27.* Commutans tamen debet declarare ſuã intentionem eſſe, ut altera die poſſit ſubrogatam materiam facere; aliàs eadem die facienda eſt, niſi aliud ex qualitate materiæ ſubrogatæ aut ex qualitatibus eius colligatur, ut notant Sanchez *loco cit. n. 28. & 29.* Reginaldus *loco cit. n. 357.*

Leſſius. Suarez. Sanchez. Sanchez. Reginald.

20. *Septima regula.* Cõmutatio voti conditionẽti poteſt fieri in votum abſolutum proportionatũ, & ſi conditio nondum impleta ſit, poteſt fieri in minus bonum, eò quòd materia ex incerta ſeu pendente ex ancipiti eventu, fiat certa. Et quo magis dubius fuerit eventus cõditionis, eò in minorem obligationem abſolutam id votum eſt commutandum. Si poſt impletam conditionẽ fiat commutatio, debet fieri in rem æqualem materię promiſſæ, perinde ac ſi votum eſſet abſolutum: quia impleta conditione, obligatio jam eſt abſoluta & intrinſeca materiæ promiſſæ bonitas.

Idẽ dicendum eſt de voto pœnali, quando poſt impletam conditionem, & ſubinde incurſã pœnã eſt commutandum: debet enim eſſe æqualis materia ſubrogata, perinde ac ſi votum eſſet abſolutum illius rei ſub pœna poſitæ. Si ante impletam conditionem commutatio fiat, conſideranda eſt dignitas materiæ promiſſæ, tum etiam pœnæ impoſitæ, ut pluribus docent Trullench *in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. c. 3. dub. 18. n. 18. & ſeq.* Sanchez *loco cit. n. 30. & ſequent.* & alij.

Trull. Sanchez.

21. *Octava regula.* Quando non commutatur votũ principale, ſed ſola conceditur dilatio illius implẽdi, aliquali commutatione debet ſuppleri; modica tamen, ſi non multùm conducat ad Dei obſequiũ, votum illa die impleri aut in illam differri: & quò maior eſt dilatio, eò maior eſſe debet cõmutatio. Si autẽ valdè obſequio divino cõduceret non differri, multò maior deberet eſſe cõmutatio.

Nona regula eſt, quod in commutandis votis maximè attendenda voventis fragilitas, & curãdũ ne nimis gravetur, ita ut maneat expoſitus periculo tranſgrediendi materiam ſubrogatam, in qua fuit facta cõmutatio: unde expedit commutare vota in res, quas alioqui ſolet vovens facere; aut ipſi relinquere liberũ, ut poſſit exequi opera iniuncta aliã die, aut denique illi imponere diverſa opera optione illi relictã ut eligat, quæ maluerit: tamen non poteſt fieri commutatio in opera alio præcepto debita; quia ſicut nec voto ſatisfit per opera, ita nec commutationi. Has omnes regulas tradunt poſt Sanchez Trullench *in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. c. 3. dub. 18. n. 22. & 23.* Regin. *lib. 18. n. 317.* Ludov. à Cruce *in Bull. Cruc. diſp. 1. c. 7. dub. 1. num. 13. & 16.* Pellizzarius *in Man. regul. tr. 8. c. 3. n. 185.*

Trull. Reginald. Lud. à Cr. Pellizzar.

22. Quando quis diverſis votis varia ad caſtitatem pertinentia promiſit, poſſunt ſingula, atque adeò omnia commutari, licet ex omnibus ſimul junctis conſurgat obligatio perfectæ caſtitatis. Ut ſi quis ſemel promiſerit ſe non initurum matrimonium, & iterum ſe non fornicaturum, & iterũ ſe nullum peccatum venereum admiſſurum. Ratio eſt; quia in quolibet horum poteſt Epiſcopus diſpenſare, utpote quod perfectæ votum caſtitatis non eſt. Ergo poteſt in omnibus ſimul; nam vota poſteriora ſe habent per accidens ad prius. Sed hoc limitatur, niſi ita vovens ultimum votum, quo caſtitas perfectè promittitur, conſultò emittat, ut perfecta caſtitate adſtrictus maneat; quia tunc cenſetur priora cum hoc poſteriori coniungere. & ideò perfecto caſtitatis voto obſtrictus remanebit. Ita Sanchez *lib. 4. mor. cap. 40. n. 68.* Diana *p. 1. tr. 11. reſ. 67.* Tamburinius *tom. 2. de jur. Abbat. diſp. 19. quæſt. 8. n. 21.*

Sanchez. Diana. Tambur.

23. Quamvis votum caſtitatis ſeu Religionis emiſſum à perſona alterius poteſtati ſubiecta, ut à coniugata, ſervo vel filio, ſine licentia viri, domini, vel patris, dicatur poſſe irritari à viro, domino vel patre, non inde ſequitur poſſe Epiſcopũ in eo diſpenſare, & Conteſſarium illud commutare virtute privilegij, ut vult Guttierrez *in q. can. l 2. c. 22. n. 49.* Ratio eſt; quia cùm hæc poteſtas ſit diverſa & habeat diverſa principia, non ſequitur, quod ex una ad alteram argumentum deduci debeat: tum quia dum Pontifex hæc ſibi vota reſervat quoad ſolam diſpenſandi poteſtatem, id facit, nulla habita ratione derogandi poteſtati dominativæ, ex qua facultas irritandi hæc vota conſurgit. Reſervatio enim non apponitur irritationi, quia non tollit poteſtatem dominativam, ſed opponitur juriſdictioni, quam ſubtrahit, ac limitat: ergo licet facta reſervatione, pater poſſit irritare, nihilominus non poteſt Epiſcopus diſpenſare. Quare ſi pater nolit irritare votum caſtitatis vel Religionis filij impuberis, non propterea poterit Epiſcopus diſpẽſare; quia illud votum eſt validum & reſervatum. In ſervo autem hoc non habet locum, quia dominus non habet poteſtatem irritandi votum caſtitatis ſervi nec propriè votum Religionis, licet poſſit executionem eius impedire. Ita Malderus *in 2. 2. tr. 16. c. 5. dub. 10. n. 11.* Sanchez *de mat. lib. 8. diſp. 9. n. 4.* Suarez *tract. de voto lib. 6. c. 26. n. 3.* Diana *part. 1. tract. 11. reſ. 84.* & alij.

Guttierr. Malderus. Sanchez. Suarez. Diana.

¶ 24. Facultas regularium ſuper vota commutãda & diſpenſanda extenditur ad votum reſervatũ triplicis peregrinationis, quando expreſſus voventis finis fuit, non ad inviſenda ea loca, ſed ad alium finẽ, v. g. ad oſculandum pedes Papæ, eumque recognoſcendum, vel ad impetrãdam alicuius peccati abſolutionem, &c. Ratio eſt; quia huiuſmodi votũ

eſt ſolùm materialiter & per accidẽs Romanę pẽregrinationis, quare illi ſatisfieret eundo in alium locum, ubi eſſet Pontifex. Quando autẽ hæc vota abſolute emittuntur nullo conſiderato fine, ſunt reſervata: quia cẽſentur emiſſa modo frequẽtiori, quo emitti ſolent. Unde ut poſſint Epiſcopus & regulares privilegiati commutare vel diſpenſare, oportet expreſſum voventis finem eſſe diverſum: quia Doctores communiter & Extrav. *Etſi Dominici el 2. de pœnit. & remiſſ.* ubi hæ peregrinationes reſervatæ enumerantur, dicunt: Ad viſitanda Romæ limina Apoſtolorũ Petri & Pauli; D. Iacobũ Compoſtellæ, & loca ſancta Hieroſolymæ; & ſic clarè loquuntur de votis ex devotione prædictorum locorum emiſſis. Ita Sanchez *loco cit. cap.* 40. *n.* 77. Tamburinius *loco cit. quæſt.* 8. *n.* 31. Pellizzarius *in Man. reg. tr* 8. *c.* 3. *n.* 150.

Sanchez. Tambur. Pellizzar.

25. Quãdo Pontifex concedit omnia vota prętęr votum caſtitatis & Religionis, quidam putant nõ cenſeri conceſſa vota triplicis peregrinationis, ſi non exprimantur. Ratio eſt; quia in generali conceſſione diſpenſandi in votis vel ea commutandi, non continentur ſupradicta vota: quia quę ſpecialim ſunt reſervata, ea ſpecialem conceſſionem poſtulant: ut habetur *in Extrav. Etſi Dominici* 1. *&* 2. ibi, *Ex ſpeciali licentia & certa ſcientia noſtra: de pœnitent. & remiſſ.* Ita Layman *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 8. *n.* 7. *verſ. Porrò*, Filliuc. *tr.* 26. *c.* 9. *n.* 274. probabiliter. Contrarium tamen eſt dicendum, attenta Pontificis mente: quoniam per Iubileum, in quo ſolent concedi omnia vota, præter Religionis & caſtitatis, dicunt omnes concedi votum triplicis peregrinationis reſervatæ: tum quia diſcrimen eſt inter votum caſtitatis perpetuæ, vel Religionis & reliqua Pontifici reſervata, quod poteſtas illa relaxandi duo priora, non cenſeatur conceſſa generali conceſſione, niſi exprimatur: hæc autem relaxandi poteſtas ſatis in generali cenſetur expreſſa, quando, ut diximus, additur, exceptis votis caſtitatis & Religionis: quia horum votorum reſervatio non eſt ita antiqua, ſicut reſervatio votorum caſtitatis & Religionis, neque eſt tanti momenti: ergo non eſt accipienda tam ſtrictè & cum tanto rigore, & ideò dicendũ comprehendi in generali conceſſione omnia vota commutandi. Ita Malderus 2. 2. *tract.* 10. *c.* 5. *dub.* 10. Sanchez *de mat. lib.* 8. *diſp.* 9. *n.* 2. Pellizzarius *in Man. regul. tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 151. Diana *part.* 5. *tract.* 12. *reſol.* 8.

Layman. Filliucius. Malderus. Sanchez. Pellizzar. Diana.

26. Facultas Epiſcopi & regularium privilegiatorum ſuper vota, extenditur ad votum, quod fit à vovente animo ſe obligandi ad non petendam diſpenſationem illius, niſi à Papa. Ratio eſt; tum quia hic votorum reſervatorum numerus augeri nequit ex voventis voluntate: quantumvis enim ille intendat & promittat nullum poſſe in ſuo voto diſpenſare præter Pontificem, poterit adhuc Epiſcopus: tum quia privata intentio voventis non poteſt privare Superiorem ſua poteſtate ac juriſdictione: tum quia alioqui poſſet vovens facere ſuum votum indiſpenſabile etiam à Papa, ſi id intenderet; quod tamen non eſt admittendum. Ita Suarez *lib.* 6 *de voto. c.* 21. *n.* 16. Pellizzarius *loco cit. n.* 171. Clavis Regia *lib.* 6. *c.* 11. *n.* 67. Sanchez *lib.* 4. *mor. c.* 40. *n.* 13. *&* 79.

Suarez. Pellizzar. Clav Reg. Sanchez.

27. Omnes habentes poteſtatem dominativam, poſſunt irritare vota ſubditorum, etiam invitis voventibus: quia cùm hæc irritatio pendeat à dominativa Superioris poteſtate, poteſt exerceri, velit, nolit inferior; neque voventes poſſunt illi pręiudicare. Ita ex communi tradunt Suarez *loco cit. lib.* 6. *c.* 1. *ad finem*, Clavis Regia *lib.* 5. *c.* 8. *n.* 6. & alij.

Suarez. Clav. Reg.

Difficultas eſt in diſpenſatione, an poſſit dari invito vovẽte? Videtur quòd non, quia eſt actus juriſdictionis ſpiritualis, quæ non exercetur, in inxitum: tum quia diſpenſatio eſt beneficium, quod in invitum non confertur, & cùm fit in favorẽ eius, cum quo diſpenſatur, non debet in eius onus extorqueri, juxta Regulam, *Quod ob gratiam, de reg. jur, in* 6. Denique quia eo ipſo quòd ſubditus non acceptat diſpenſationem, videtur iterum emittere votum. Ob has rationes dicunt quidam nõ poſſe diſpenſationem conferri invito vovente. Sed meliùs exiſtimant alij poſſe. Ratio eſt; quia ſubditus nequit ſua voluntate præiudicare ſpirituali poteſtati Superiorum, quæ eſt ad liberandum eum à voti obligatione, diſpẽſando in eo, cũ juſta cauſa ſubeſt, & id expoſcit bonum commune, aut alia urgentiſſima neceſſitas. Tamen non ſat erit ad diſpenſandum in eo voto cauſa, quæ eſſet ſufficiens ad diſpenſandum volente vovente, ſed urgentior cauſa deſideratur, cùm ultra diſpenſationem concurrat ea coactio. Si autem vovens invitus in voto diſpenſetur, & iterum votum emittat, tunc corruit doctrina tradita: niſi fortè diſpenſans ſit Superior voventis, ſicque ſimul ei prohibeat materiam illam voti: quo caſu vovens non poſſet ampliùs validè emittere illud votũ, quia cenſeretur de re illicita, & per conſequens votum irritum.

Reg. Jur.

Commutatio autem uti non poteſt fieri invito voventi, ut habet communis ſententia Doctorum: quia per commutationem transfertur eademmet voti obligatio in aliam materiam: at obligatio voti circa aliam materiam nequit contrahi abſque voventis voluntate. Ita Sanchez *lib.* 4 *mor. cap.* 24. *n.* 25. 26. *&* 27. quem ſequitur Pellizzarius *in Man. regul. tract.* 8 *cap.* 3. *n.* 181.

Sanchez. Pellizzar.

28. Facultas, quã habent regulares ex ſuis privilegijs quoad votorum commutationem, ac diſpẽſationẽ perſonarum ſæcularium, cùm ſit delegata, non poteſt ab eis ſubdelegari: quia delegatus non poteſt ſubdelegare, ſi cenſeatur electa induſtria perſonæ, ut in caſu evenit. Hoc tamen non impedit quin regulares occurrente juſtâ causâ (ut ſi adſit magna confitentium multitudo) poſſint dicere pœnitenti, *Commuto tibi hoc votum in opera quæ vir ille doctus tibi deſignaverit*; quia hac ratione non ſubdelegatur facultas, ſed eligitur prudentia alterius ad ſtatuendam materiam, quæ ſubrogetur in locum voti: quod cùm non ſit actus juriſdictionis, fieri poteſt etiam à laico. Ita Clav. Reg. *lib.* 6. *c.* 12. *n.* 21. *fine*, Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *q.* 2. *p.* 7. *§.* 3. *n.* 14. *v. Concedo tamen.* Leſſius *lib* 2. *cap.* 40. *dub.* 16. *n.* 109. *in* 3. *edit.* Sanchez *loco cit. c.* 54. *n.* 31. & alij.

Clav. Reg. Bonacina. Leſſius. Sanchez.

Sed petes, an teneatur voto ille, qui modo ſupradicto obtinuit commutationem alicuius voti, quamdiu non eſt deſignata materia, in quam fit talis commutatio? Reſp. non teneri, ſi adſtrictus voto reverà obtinuit commutationem: quia obligatio voti fuit ablata, & tranſlata in materiam deſignandam à viro prudente. Si verò commutatio non ſit facta, ſed cauſa ſolùm erat inchoata, violabitur votum priùs ſi illud non obſervet: quia obligatio prior nondum extincta eſt, ſed viget adhuc donec per Confeſſarium auferatur, & in aliam materiam transferatur. Ita Suarez *tract. de voto lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 15 Bonacina *loco cit. n.* 15. Pellizzarius *loco cit. n.* 143. Sanchez *loco cit. n.* 32. *&* 52. & alij.

Suarez. Bonacina. Pellizzar. Sanchez.

29. Prælatus aut quicumque alius habens facultatem diſpenſandi in voto, eiuſque commutandi, non peccat diſpenſando, nullam commutationem admiſcendo, quando eſt ſufficiens totalis diſpẽſationis cauſa; quãvis licitè poſſit Superior commutationem aliquam miſcere. Ratio eſt; quia Prelati habent

habent poteſtatem diſpenſandi ſimpliciter & ſine commutatione, ut ſupponunt omnes Theologi, dum poteſtatem diſpenſandi & commutandi diſtinctè enumerant: ergo poſſunt dari cauſæ ſufficientes, quæ talem diſpenſationem juſtificent. Et hoc probat uſus: quando enim Epiſcopi diſpenſant in voto caſtitatis cum conjugato ad petendum debitum, non ſolent commutationem aliquam imponere, eò quòd ratione vehementiſſimi periculi ſit aperta integræ diſpenſationis cauſa. Ita contra Sotum & Rodriguez Cajetanus 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *dub.* 2. *verſ. Ad evidentiam.* Navarrus *in Man. cap.* 12. *num.* 63. Suarez *loco cit. cap.* 17. *num.* 18. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *diſp.* 9. *num. ult.* & *lib.* 4. *moral. cap.* 46. *num.* 2. & alij.

Sotus. Rodrig. Cajetan. Navarrus. Suarez. Sanchez.

30. Prælatus tenetur diſpenſatione voti uti, quando notabile bonum publicum aut privatum voventis ſpirituale diſpenſationem exigit, nec mera commutatione poteſt commodè id damnum ex non concedenda diſpenſatione imminens caveri, aut illi bono ſpirituali proſpici. Ratio eſt; quia cùm Prælatorum poteſtas ad diſpenſandum, ſit in ſubditorum bonum, ac ex officio teneantur conſulere ſpirituali eorum ſaluti, tenebuntur utrique diſpenſare, quoties diſpenſatio ad eum finem eſt neceſſaria.

Similiter delegatus, qui habet privilegium diſpenſandi in favorem alterius, ſi poſt ſui electionem & acceptationem deneget diſpenſationem, pro qua concedenda cauſam juſtam habet, infidelis eſt & injuſtus; quia jam quaſi ex juſtitia ratione acceptatæ electionis obligatus eſt concedere. Hinc Confeſſarius electus vi Bullæ & Iubilei tenetur commutationem concedere; quia pœnitens petit jus ex privilegio ſibi conceſſum, ſi confeſſarius agnoſcat juſtam ſubeſſe cauſam id faciendi, ideoque abſque injuria non poteſt id ei denegare, juxta *cap. Quanto*, 2. *quæſt.* 5.

Delegatus autem habens privilegium in ſui favorem, non tenetur diſpenſationem concedere poſtulanti, eò quòd nemo teneatur ſuo privilegio uti: unde regulares nolentes diſpenſationem votorum concedere pœnitentibus, nõ peccant; quia ipſi non adſtringuntur uti ſuo privilegio. Ita Bonacina *tom.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 7. §. 4. *num.* 33. Diana *part.* 1. *tract.* 11. *reſol.* 44. *& part.* 8. *tract.* 3. *reſol.* 27. *&* 28. Pellizzarius *in Man. reg. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 182. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 10. *num.* 6. & *lib.* 4. *moral. cap.* 46. *num.* 9. & *cap.* 54. *num.* 12.

Bonacina. Diana. Pellizz. Sanchez.

31. Epiſcopus poteſt commutare vel diſpenſare in voto facto in favorem tertij abſque conſenſu illius, in cujus favorem & utilitatem vergit votum, modò ab eo non fuerit acceptatum, inſtar aliorum votorum, quæ in ſolius Dei honorem ſunt. Ratio eſt; quia cùm hujuſmodi votum fiat principaliter Deo & in ejus honorem, obligatio ipſi acquiritur, & ipſe propriè eſt creditor; & Eccleſia vel pauper tantùm deſignantur ut materia, circa quam is cultus eſt Deo exhibendus: ergo ad illa revocanda per diſpenſationem aut commutationem, ſolus Dei & Prælatorum ejus vices gerentium conſenſus exigitur, ſicut in alijs votis in nullius favorem cedentibus: tum quia per tale votum non acquiritur jus tertio, & ideò per diſpenſationem non fit illi præjudicium verum, id eſt, juri ejus contrarium, etiamſi cedat in aliquod incommodum ejus, ſeu in carentiam commodi, quod eſt longè diverſum; quia in privatione hujus commodi non intervenit injuria, nec culpa, per ſe loquendo, & ideò non eſt cur impediat Epiſcopum, ne utatur ſua poteſtate, vel ventem, quo minus uti poſſit jure ſuo, petendò diſpenſationem vel commutationem. Ita Cajetanus *tom.* 2. *opuſc. tract.* 11. *quæſt* 3. Navarrus *in Man. cap.* 12. *n.* 78. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 11. *n.* 90. & *cap.* 42. *n.* 58. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 41. *n.* 7. Clavis Regia *lib.* 6. *cap.* 12. *n. ult.* contra quoſdam Canoniſtas, qui volunt ex eo voto jus acquiri illi tertio. Sed dicendum eſt hanc actionem ſolùm concedi, quamdiu votum in ſua vi permanet: nam ſi ablatum ſit per juſtam diſpenſationem, vel tranſlatum in aliam rem per commutationem, ceſſabit actio; ideò meritò dicitur illa actio revocabilis, ut docet Suarez *tract. de voto lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 6.

Cajetan. Navarrus. Leſſius. Sanchez. Clav. Reg. Suarez.

Quod dictum eſt de Epiſcopo, idem dicendum eſt de delegato habente poteſtatem delegatam ad tollenda vota: hæc enim poteſtas extenditur ad ea, quæ poſſunt eſſe utilia tertiæ perſonæ, quando illi nullum jus conferunt. Suarez *loc. cit. num.* 11. Sanchez *num.* 9.

Suarez. Sanch. 2.

32. An Prælati diſpenſare potentes, cenſeantur facto ipſo diſpenſare, quoties admittunt ad aliquem actum, eum, quem ſciunt impedimentum juris habere ad illum, ut ſi admittũt ad matrimonium, quem ſciunt votum abſtinendi ab illo emiſiſſe? Triplex eſt ſuper hunc caſum ſententia. Prima ait, non cenſeri diſpenſationem, niſi Prælati actum eum exerceant præmiſſa cauſæ cognitione, an expediat diſpenſare, necnè. Secunda docet Prælatos inferiores non cenſeri diſpenſare, quamvis cauſæ cognitionem præmittant, niſi ſe diſpenſare exprimant. Tertia probabilior ſuſtinet cenſeri diſpenſare. De qua difficultate egimus ſuprà, verb. Diſpenſatio, *num.* 11. Ratio eſt; quia cùm poſſit Superior impeditum voto non ineundi matrimonij admittere licitè ad matrimonium diſpenſando cum illo, non eſt præſumendum velle eum cum peccato admittere, cùm in omnibus perſonis præſumptio peccati vitanda ſit. Ergo per illud factum ſatis indicat ſuam diſpenſandi voluntatẽ: & cùm diſpenſatio nullâ præſcriptâ verborum formâ indigeat, ſed contenta ſit qualitercumque exprimatur voluntas interna, erit legitima diſpenſatio. Ita Sanchez, Suarez, Navarrus & alij citati *ſuprà dicto loco* & *tom.* 1. *verb. Irregularitas XI. num.* 8.

Sanchez. Suarez. Navarrus.

Idem dicendum eſt in irritatione votorum, ſi Superior irritans norit ſe irritare poſſe impedimentum voti ſubditi & ſciens illum admittat ad actum contra id votum. Secus autem dicendum in commutatione, cùm oporteat aliam loco materiæ promiſſæ æqualem materiam ſubrogare; quod fieri non poteſt ſolo facto admiſſionis ad actum contra votum.

33. Non exigitur conſtitutio veri domicilij, quæ acquiritur habitatione cum animo habitandi perpetuò in Epiſcopi diſpenſantis Diœceſi, ut in votis ille diſpenſare poſſit, ſed ſatis eſt, ſi fideles ibi habitent cum animo permanendi majori anni parte. Ratio eſt, quia in eo loco habitare quis dicitur ubi majori anni parte habitat, & ibi cenſetur aſſiduè habitare: Sed ratione aſſiduæ habitationis ſortitur aliquis forum externum, ita ut poſſit ibi conveniri de alibi geſtis: ergo ſimiliter ratione talis habitationis acquirit forum in rebus ſpiritualibus, cùm utrumq; forum æquè juriſdictionem petat: durum enim eſſet, ut qui majori anni parte, imò & multis annis in aliqua Diœceſi habitant, ſi non poſſint ibi votorum & aliorum caſuum diſpenſationem obtinere, & ita dicendum eſt ad omnia hæc, dempto Ordinis Sacramento, effici quem ſubditum alicujus Diœceſis, quando

majori anni parte ibi inhabitat: quamvis ex hoc non tollatur facultas confugiendi quoque ad Epiſcopum proprij domicilij, ſed ad utrumque confugere integrum erit gratiâ hujus diſpenſationis obtinendæ: quia ille utroque tempore habitat in una Diœceſi. Ita Sanchez *de matrimon. lib. 3. diſput. 22. num. 12. & lib. 4. moral. cap. 36. numero 27. & 29.* cum multis ibi citatis. Bonacina *tom. 2. diſp. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 4. n. 5.* Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 13. n. 103.* Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap. 14. n. 8.* & alij. Non eſt tamen improbabilis ſententia aſſerens, eos, qui magnam anni partem alicubi habent quaſi domicilium, ut ſunt mercatores vel ſcholaſtici, non poſſe diſpenſari in votis ſuis ab Epiſcopo loci, ubi tunc manent, ſed à proprio Epiſcopo, ut docent Suarez *tract. de voto lib. 6. cap. 11. num. 11.* Angelus, Sylveſter & Tabiena *verb. Domicilium.*

Sanchez. Bonacina. Leſſius. Henriq.

Suarez. Angelus. Sylveſter. Tabiena.

Porrò vagorum vota, qui nullibi domicilium habent, poſſunt diſpenſari ab Epiſcopo ubi inveniuntur; quia ſortiuntur Diœceſim in qua tunc pro tempore ſe reperiunt, ut tradunt communiter Doctores.

De voto Vide verb. Debitum Conjugale 1. *num. 4. 5. & 6.* Diſpenſatio, *num. 29.* Epiſcopus *num. 34. & ſequent.* Filius *num. 13.* Jubileus *num. 4. & 14.* Ludus *num. 12. 13. & ſequentibus*, Religio *num. 25.*

Atque hic eſto finis hujus Supplementi ad Flores Theologiæ practicæ. Omnia autem & ſingula quæ in hoc continentur, Superiorum meorum & Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, quæ omnis veritatis Columna & magiſtra eſt, judicio ſubmiſſa ſunto.

Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipſi gloria in ſæcula. Amen.



INDEX

INDEX

Et repertorium eorum omnium, quæ in hoc ſupplemento continentur.

Prior numerus paginam, alter ſedem materiæ deſignat.

A

Abbas.

ABBAS Latinè idem ſignificat quod Pater: & eſt nomen honoris & dignitatis, ſed non ſemper, pagina 2. n. 1

Abbates, alij regulares ſunt, alij autem ſæculares, vel titulares. ibid. n. 2

Abbas venit appellatione Ordinarij, modò territorium habeat proprium: nomen autem Epiſcopi non poteſt convenire Abbatibus: bene tamen nomen Pontificis, ſi uſum Pontificalium habeant. Et ſub nomine Abbatum veniunt etiam alij regularium Superiores quoad ea, quæ ſpectant ad poteſtatem juriſdictionis, ſed non ad ea, quæ ſpectant ad poteſtatem Ordinis. p. 2. n. 3

In Abbate regulari duplex poteſtas reperitur, dominativa nempe, ſeu œconomica; altera politica, ſeu juriſdictionis. ibid. n. 4

Poteſtas juriſdictionis in foro exteriori juxta probabilem ſententiam competit Abbatibus & Prælatis Religionum, jure divino: ſed probabilius eſt, illam ipſis convenire jure humano per Pontificem. p. 3. n. 5

Abbatum & Prælatorum juriſdictio eſt ordinaria. *Remiſſive*, ibidem.

Abbas debet eſſe Sacerdos, ut poſſit Minores Ordines conferre, & juxta jus antiquum benedictus. Jure autem privilegiorum, & novo, benedictio non requiritur. ibid. n. 6

Abbas electus & confirmatus in Epiſcopum, etiam ante conſecrationem poteſt tonſuram & Minores Ordines ſubditis illius Epiſcopatus conferre. p. 3. n. 7

Abbates validè ordinant ſibi non ſubditos ſine dimiſſorijs ſui Epiſcopi; ſed ordinati taliter ſunt ſuſpenſi ab eorum Ordinum executione. p. 4. n. 8

Abbates conventuales regulares & ſæculares, alijque Prælati Epiſcopo inferiores, animarum curam habentes, tenentur jure divino in ſuis Monaſterijs, ſeu locis ſuorum beneficiorum perſonaliter reſidere. ibid. n. 9

Habentes Abbatias, vel Prioratus, vel alias hujuſmodi Eccleſias in commendam, vel perpetuam adminiſtrationem, etiam quoad ſpiritualia, tenentur in eis reſidere; ſecus ſi Monaſterium non habeat curam animarum ſæcularium. ibid. n. 10

Abbates & Prælati regulares non reſidentes in ſuis Eccleſijs non ligantur pœnis poſitis à Tridentino contra non reſidentes, niſi habeant curam animarum ſæcularium per ipſoſmet adminiſtrandam. ibid.

Excuſatur Abbas à reſidentia ob corporis neceſſitatem. ibid.

Abbates & Prælati Conventuales inferiores non poſſunt condere ſtatuta perpetua, quæ habeant vim & rationem legis. p. 4. n. 11

Nullus Prælatus Romano Pontifice inferior, abſque ſpeciali ejus auctoritate ſibi data, poteſt ſtatuta condere, quæ ſint contra jus commune. p. 5. n. 12

Abbates & Prælati ſæculares exempti habentes juriſdictionem Epiſcopalem, poſſunt ſtatuta condere; ſicut & Abbates regulares habentes territorium & ſubditos ſæculares. ibid. n. 13

Abbates & Prælati regulares inferiores, qui ad vitam, vel ad certum tempus creantur, nequeunt intra illud tempus ſine juſta & legitima cauſa à ſuis Superioribus ſuo munere privari. p. 5. n. 14

Abbas deponi poteſt ab Abbatia, ſi ſit dilapidator bonorum Monaſterij: ſi incontinenter vivat: ſi effet Regulæ prævaricator: ſi urgens ratio majoris boni id poſtulet: ſi ſit illiteratus. ibid.

Abbates, Priores, Guardiani, alijque hujuſmodi Prælati poſſunt ſuis Prælaturis renunciare in manibus illius, qui habet poteſtatem inſtituendi & deſtituendi ſimul invitum juſtis de cauſis. p. 6. n. 15

Abbas & quivis Prælatus ad ſui Officij renunciationem admitti poteſt ob ſequentes cauſas; conſcientia criminis; ſenectus; infirmitas corporis frequens; defectus ſcientiæ; grave ſcandalum, ſi ſit corpore impeditus ad Officium præſtandum. ibid.

Abbates & Prælati inferiores exempti Epiſcopalem quaſi juriſdictionem habentes poſſunt beneficiorum reſignationes recipere, & permutationes facere & probare. ibid. n. 16.

Abbatiæ antiquitus ad tempus commendari conſueverunt, quoadvſque illarum Rector eligeretur. p. 6. n. 17

Abbatias in commendam tradere ſolus Summus Pontifex poteſt, ſicut & alias Eccleſias & beneficia in perpetuum ad utilitatem Commendatarij: commenda tamen temporalis in utilitatem Eccleſiæ fieri poteſt ab Epiſcopis & alijs Prælatis habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. ibid. n. 18

Abbatiæ idoneis commendandæ ſunt. p. 7. n. 19

Abbatiæ duobus modis commendantur, nimirum ad tempus, & in perpetuum. ibid. n. 20

Abbatiam ſive ad tempus, ſive in perpetuum à Summo Pontifice commendatam non licet Epiſcopo rurſus commendare. ibid. n. 21

Abbatialem dignitatem non debet religioſus repetere, ne incidat in ambitionem. ibid. n. 22

Abbatialis dignitas ex conſuetudine ipſarum religionum potius perpetua eſt, quàm temporalis. p. 7. n. 23

An magis expediat Abbatem & alios Prælatos religionum eſſe perpetuos, quàm ad tempus? Penes prudentem virum ſit in hac re judicium; nam alij affirmant, alij negant. p. 8. n. 24

Abbatibus exercitium & uſus Pontificalium inſignium competit ex jure privilegiario, non autem ratione dignitatis. ibid. n. 25

De jure communi uſus Pontificalium denotat exercitium juriſdictionis in eo loco, in quo quis eis utitur. p. 8. n. 26

Abbati non licet Pontificalia inſignia deferre, præterquam in locis ſuæ juriſdictionis: quæ tamen deponere debet dum adeſt Epiſcopus: nec poteſt Pontificalia exercere extra proprias Eccleſias. ibid. n. 27

Abbates licitè poſſunt in locis exemptis Pontificalia exercere, ſi ab eorum Prælatis invitentur. p. 9. n. 28

Abbates benedictionem ſolemnem poſſunt fidelibus intra eorum Eccleſias exiſtentibus, poſt Miſſam, Veſperas & Matutinum elargiri: imò celebrans in Pontificalibus in aliena, poteſt uti Pontificali benedictione, ibid. n. 29

Abbates nequeunt præſentibus Epiſcopis, vel alijs majoribus Prælatis benedictionem ſolemnem populo elargiri, niſi accedat ipſorum conſenſus. p.9.n.30

Abbatiſſa.

Conditiones & qualitates eligendæ in Abbatiſſam iuxta Concilium Cabilonenſe 11. *can.* 52, & ex lib. 2. Concilij Aquiſgranenſis *can.* 7. p. 10. n. 1

Qualitates requiſitæ ex Concilio Tridentino. p. 10. n. 2.

Circa ætatem eligendæ in Abbatiſſam varia decreta diverſis temporibus emanarunt. ibid. n. 2

In ætate requiſita ex Concilio Tridentino non poteſt Epiſcopus vel alius Superior diſpenſare. ibid.

Abbatiſſarum, ac Prioriſſarum electio, de iure communi ad Conventum ſpectat. ibid. n. 4

Abbatiſſæ electio ut ſit Canonica, debet fieri per vota ſecreta, ſive voce exprimantur, ſive per ſcedulas. ibid n. 5

In electione Abbatiſſarum habebant iure antiquo vocem activam illæ ſolæ Moniales, quæ ad minus 12. ætatis annum attingebant, & eſſent profeſſæ: hodie per Tridentinum poſt 16. annos completos profiteri poſſunt & votum ſuum dare. p. 11. n 6

In iure lata eſt excommunicatio contra eos, qui vocati ad dirigendas Moniales in electionibus non abſtinent ſe ab ijs, ex quibus diſcordiæ oriri vel exortæ nutriri poſſunt circa electiones. ibid. n. 7.

Abbatiſſæ vel Prioriſſæ electionem Moniales unanimi conſenſu poſſunt compromittere in Epiſcopum vel alium Prælatum. ibid. n. 8

In Abbatiſſas eligi & præfici poſſunt Moniales deſcendentes maculato genere. ibid. n. 9

Verius eſt Monialem bigamam poſſe eligi in Abbatiſſam. p. 11. n. 10

In Abbatiſſam non poteſt eligi Monialis infamis. ibid. n. 11.

Monialis, quæ per vim mulierem aliquam invitam ad religionem admiſerit ſcienter, &c. extra caſus à iure permiſſos ipſo facto excommunicationem incurrit & ſit inhabilis ad Officium Abbatiſſatus. ibid. n. 12

Inobſervantio propriæ regulæ reddit indignam Monialem ut in Abbatiſſam eligatur. p. 12

Abbatiſſa electa debet confirmationem accipere à ſuo Superiore. ibid. n. 13

Abbatiſſa canonicè electa & nondum confirmata nullam habet auctoritatem: in aliquibus tamen caſibus ante confirmationem permiſſa eſt illi adminiſtratio. ibid. n. 14

Abbatiſſæ, aliæve præfectæ Monialium in Italia ultra triennium in ſuo officio durare non poſſunt: & finito triennio tenentur renunciare ſub pœna excommunicationis. ibid. n. 15

Si Abbatiſſa electa fuerit ad beneplacitum Monialium, non cenſetur bene electa. ibid.

Abbatiſſæ Sanctæ Claræ in partibus Italiæ poterant tantùm durare per annum, ſi id viſitatori bene viſum fuerit. ibidem.

Prima fundatrix alicujus Conventus S. Claræ poteſt continuare in Officio Abbatiſſatus per viginti annos; extra Italiam vero Abbatiſſæ præter Clariſſas poſſunt ſiunto triennio religi & continuari. p. 12. n. 16

Abbatiſſa completo triennio ſui officij poteſt ad breve tempus in præſidentem Monaſterij aſſumi, donec Abbatiſſa nova eligatur. p. 13. n. 17

Abbatiſſa non eſt verè Prælata, nec habet iuriſdictionem ad inſtar Prælatorum. ibid. n. 18

Abbatiſſæ non poteſt delegari poteſtas ferendi leges ſpirituales & Eccleſiaſticas. ibid. n. 19

Abbatiſſis, aliiſque feminis delegare poteſt Summus Pontifex ſpiritualem poteſtatem ad ferendas leges, etiam quæ à iure divino emanant. ibid. n. 20

Abbatiſſa ratione dignitatis poteſt habere beneficiorum collationem, ſicut & quæcumque femina. ibid. n. 21

Abbatiſſa habet liberam bonorum ſui Monaſterij adminiſtrationem, ſicuti Abbas. p. 13. n. 22

Abbatiſſa iure ſuo poteſt applicare bona opera Monialium ſubditarum perſonis extraneis, ijs tribuendo literas communicationis. ibid.

Abbatiſſa cum majori parte Monialium, novitiam profiteri cupientem ad profeſſionem admittere debet. ibid. n. 23

Profeſſio Monialium fieri ſolet coram Epiſcopo vel alio ab ipſo facultatem habente in Monaſterijs exemptis regularibus ſubiectis ſit coram Superiore. p. 14

An ſolius Abbatiſſæ ſit novitiam ad profeſſionem admittere, vel totius Conventus? *Refertur duplex ſententia.* ibidem.

Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ Canoniſarum tenentur aliæ Canoniſæ obtemperare & reverentiam impendere. ibid. num. 24.

Abbatiſſa eandem licentiam donandi, accipiendi, &c. concedere poteſt ſuis Monialibus, quam poteſt Abbas ſuis Monachis. ibid. n. 25

Abigeatus.

Abigeatus eſt ſpecies furti, quo quis abducit & furatur pecora: & hoc crimen legibus civilibus peculiariter punitur, v. Furtum. p. 359. n. 3

Aborſus.

Regulares procurantes aborſum fœtus animati, dantes auxilium, conſulentes comprehenduntur in Bulla Clem. VIII. de caſuum reſervatione. p. 15. n. 1

Quando autem fœtus animetur; *Varia referuntur ſententia.* ibidem.

An in caſum reſervatum incidat regularis, qui procuravit, auxilium dedit, vel conſuluit aborſum, ſi effectus non ſequatur? dic quod ſic, ſi mulier accepit id, ex quo aborſus ſequi potuiſſet, ſecus ſi non ſumpſit. ibid.

Aborſum procurans fœtus animati ſecuto effectu incurrit excommunicationem, ſed non reſervatam Papæ. Si autem fœtus non ſit animatus, non incurrit, nec ſit irregularis. ibid. n. 2

Clericus vel regularis hodie procurans aborſum fœtus animati ſecuto effectu, manet privatus officio, beneficio vel alia dignitate, &c. & ſit inhabilis ad alia in poſterum; ſed hæc inhabilitas non eſt reſervata. ibid.

Ratum habens aborſum antequam fieret, incurrit pœnas Bullæ Sixti V. & ſit irregularis, ſi fœtus ſit animatus. p. 16

Qui conſuluit aborſum ante animationem fœtus, mulier verò procuravit poſt animationem, irregularitatem & ceteras pœnas incurrit. ibid.

Qui dubitat an conſilium à ſe datum fuerit cauſa homicidij vel non, in utroque foro debet ſe reputare irregularem. ibidem.

Pœna mortis punitur, qui dolo aliquid facit, ut aborſus fœtus animati ſequatur, vel intra viſcera materna interficiatur. p. 16. n. 3

Qui prægnantem percutit, ſi illa percuſſio cenſeatur dolo facta ut aborſus vel interfectio fœtus animati ſequatur, punitur pœnâ mortis; ſi autem ſit culpa lata, mitiori pœna punitur. ibid. n. 4

Quid iudices Chriſtiani & Confeſsarij attendere debent in puniendo crimine aborſus fœtus animati, vel homicidij pueri iam nati, antequam baptizetur. ibid. n. 5

Quando aborſus fœtus nondum animati anima rationali, factus fuit in odium mariti, ne ex ipſo mulier filios haberet, tunc qui ita eſset cauſa aborſus, non punitur mortis pœnâ, ſed aliâ exilij arbitrariâ. Si autem mulier pecuniâ acceptâ ejuſmodi aborſum efficiat, ut loco partus ſuccedat ſubſtitutus, tunc punitur pœnâ mortis. ibid. n. 6

Si aliquis vel aliqua poculum alicui dedit ut aborſum faceret quando fœtus nondum erat animatus, aut dedit alicui amatorium poculum ad libidinem, tunc ſecutâ morte ejus, qui aut quæ poculum ſumpſit, is qui poculum dedit, pœnâ mortis punitur. ibidem.

Si cauſa conceptionis datum eſt alicui feminæ poculum aut aliud medicamentum, illaſque præter dantis intentionem mortua eſt, non punitur pœnâ mortis, ſed arbitrariâ relegationis. ibid.

Clericus, qui habet beneficium, & conſilium dedit ut fieret aborſus tempore quo fœtus nondum erat animatus, ſed culpâ mandatarij, vel conſilium petentis, factus eſt aborſus fœtu iam animato, eſt irregularis; ob id tamen beneficium non amittit, nec fructus ejus. ibid. n. 7

Epiſcopus iſtius Clerici poteſt cum illo diſpenſare in iſta irregularitate; quia homicidium non fuit voluntarium, ſed caſuale. p. 17. n. 8

Procurare aborſum eſt ſtudiosè quærere, ſive per ſe, ſive per alium, ut fœtus immaturè ex utero matris ejiciatur. Et ſit tribus modis. ibid n. 9

Cooperantes ad aborſum excuſantur à cenſura, ſi in illis adſit ignorantia iuris vel facti, etiamſi ſit craſſa, ſupina & affectata. ibid. n. 10

Qui propinat remedia ſterilitatis mulieri ut impotens fiat ad generandum, non incurrit cenſuram Sixti V. ibid. num. 11

Vir vel femina, qui in actu carnali retrahunt ſe, ne ſemen in vaſe debito recipiatur, non incidunt in pœnas Bullæ Sixti V. nec in caſum Epiſcopalem reſervatum aborſus, qui ex odio mulieri potionem præbet ne concipiat. ibid. n. 12.

Probabilius eſt pœnam privationis privilegij clericalis & omnium dignitatum, officiorum, &c. impoſitam in Bulla Sixti V. non afficere reum in conſcientia, ante iudicis ſententiam declarativam criminis. p. 18, n. 13

Digitized by Google

Aborſus caſualis non prævifus à religioſo non inducit reſervationem. ibid.n.14
Qui interrogatus de cauſis abortiendi, remedium aliquod bono fine aperiret, quo poſtea femina aliquæ ad aborſum faciendum uterentur, non incidit in caſum reſervatum. Adducuntur hîc alij caſus. ibid.
Incidit in caſum & in cenſuram maritus habens copulam cum uxore ſi nimia utatur libidine eâ intentione, ut ex magna corporis agitatione aborſus ſequatur, ſi fœtus ſit animatus & effectus ſequatur. ibid, num. 15
Non dicitur aborſum procurare femina, quæ ſtatim poſt copulam mingendo vel digitis ejicit ſemen viri receptum. Imò mulier vi oppreſſa à non ſuo, poteſt mox à coitu ſemen expellere. p.19 n.16
Improbabile eſt licere procurare aborſum ad evitandum periculum vitæ & infamiæ alicujus puellæ prægnantis, quamvis fœtus non ſit animatus: quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. ibid.n.17
Tenetur mater prægnans cum periculo ipſius vitæ medicamenta non adhibere, cùm adeſt probabilis ſpes, ut illa à medicamentis abſtinente, poſſit fœtus in lucem edi & baptizari. ibid.n.18
Non tenetur mater pro ſalvanda vita ſpirituali filij pati mortem corporalem, quando ipſe timet probabiliter ſe eſſe in peccato mortali. An autem idem dicendum ſit in caſu quo mater eſt moraliter certa de ſua vita ſpirituali? Varij variè ſentiunt. ibid.n.19
Quando mulier gravida parata eſt ſe occidere ad vitandam infamiam, verius eſt licere ſuadere aborſum, tanquam minus malum, ſi fœtus non ſit animatus. p.19 n.20.
Probabilius eſt procurantem aborſum fœtus animati ſecuto effectu, gaudere immunitate Eccleſiarum. p.20. n.21.

Abſens.

Abſens causâ infirmitatis gravis poteſt, etiam præciſa confeſſione, diſtributiones lucrari, etiamſi propriâ culpâ infirmitatem contraxerit, ne in loco beneficij tempore infirmitatis exiſtat. Vide v. Horæ Canonicæ IV. p.389 *num. 10. & ſeqq.*

Abſolutio.

Sacerdos non abſolvit auctoritate Pontificis à peccatis, ſed Chriſti. p.20.n.1
Plures abſolutiones validæ poſſunt ſimul cadere ſupra eandem Confeſſionem à pluribus miniſtris prolatæ, ſed non erunt licitæ. ibid.n.2
Quoties facultas abſolvendi à caſibus reſervatis cadit in peccata iam commiſſa, non habet locum onus comparendi coram ſuperiore, ſed pro peccatis committendis, poteſt cum illo onere dari. ibid.n.3
Iuxta quoſdam *Doctores* Superior poteſt concedere facultatem abſolvendi à reſervatis, ſub ea conditione, quod Sacerdos, quem eligit pœnitens, imponat ei pœnitentiam confitendi iterum eadem peccata Superiori; ſed alij hoc non admittunt. p.21.n.4
Abſolutio à cenſuris reſervatis ſimpliciter, aut generaliter data, omnes comprehendit, etiam oblitas. ibid. n.5
Per abſolutionem generalem cenſuræ oblitæ tolluntur per ſe, ita ut neceſſaria non ſit alia abſolutio earum, licet in memoriam redeant: non ſic peccata oblita in confeſſione, qui ſolum per accidens auferuntur, & ideò ſemper manent obnoxia ſimili iudicio. ibid. n.6
Qui ab alieno Epiſcopo excommunicatus fuit ratione delicti patrati in ſua diœceſi, is rediens in propriam diœceſim non poteſt à proprio Epiſcopo abſolvi ab illa excommunicatione. ibid. n.7
Abſolutio à cenſura non ſolùm abſolutè, ſed etiam ſub conditione in futurum pendente validè conferri poteſt. p.22. n.8
Abſolvendi facultas in articulo mortis poſt Tridentinum competit omnibus Sacerdotibus. ibid.n.9
Qui abſolvitur in mortis articulo virtute Bullæ à caſibus in Bulla Cœnæ reſervatis, non tenetur ad comparendum ſi convaleſcat. p.22.n.10
Abſolvendus eſt puer ſaltem ſub conditione poſt ſeptennium competens maximè in articulo mortis, niſi conſtet non habere uſum rationis. ibid.n.11
Abſolutio impertienda eſt hæretico negativo, iam deſtinato ad comburendum, quando Sacerdoti conſtat evidenter de nocentia negativa. ibid.n.12
Abſolvere poteſt Epiſcopus ab excommunicatione publica reſervata Papæ, quando excommunicatus non poteſt recurrere ad Papam, propter impedimenta in iure expreſſa. p.23.n.13
Quid faciendum à confeſſario, quando à *reſervatis ſine iuſta* dictione abſolvit. ibid.n.14
Confeſſarius abſolvens à reſervatis in Bulla cœnæ, & locorum Ordinarijs ſcienter & ex malitia ſine facultate, peccat mortaliter & incurrit excommunicationem Papæ reſervatam. Ex Decreto ſacræ Congregationis. p.23.n.15
Hanc cenſuram non incurrit regularis abſolvens a caſibus reſervatis in Religione: nec abſolvens ab Epiſcopalibus vel Papalibus ſine prætextu privilegij: nec abſolvens ſub ſpe ratihabitionis, vel ignorantia non craſſa vel ex inconſideratione; nec abſolvens cenſuras Epiſcopales. ibid.
Abſolvere poſſunt ab hac excommunicatione Epiſcopus ſi ſit occulte, & Regulares privilegiati. ibid.
Abſolutio data à cenſuris abſolutè per privilegia, aut Iubileum in utroque foro habet locum: ſi verò privilegium detur abſolvendi pro foro conſcientiæ tantùm, non amplius valet. ibid.n.16
Abſolvi poteſt à Superiore Religionis à cenſura lata per ſuum Epiſcopum, per ſententiam generalem, aut per ſtatutum, qui Religionem ingreditur: non verò per ſententiam ſpecialem & propriam. p.24.n.17
Obtenta facultate abſolvendi à caſibus reſervatis, poteſt quis abſolvi, etiamſi in caſus reſervatos denuo incideret poſt obtentam facultatem antequam confiteatur. ibid. n.18
Confeſſarius, qui petijt à Superiore facultatem abſolvendi aliquam perſonam à caſu reſervato, poteſt uti illa facultate pro ſe, ſed non ſemper. ibid.n.19
Epiſcopus poteſt reſervare excommunicationem Summo Pontifici, in quo caſu ipſe non poteſt illam abſolvere, poterit tamen Archiepiſcopus. p.24.n.20
Verius eſt ſimplices Sacerdotes non habere poteſtatem abſolvendi a peccatis venialibus ex iure divino, ſed immediatè ab Eccleſia. ibid.n.21
Quæ ſit dicenda occaſio propinqua peccandi, quam debet pœnitens relinquere, ut abſolvi poſſit. ibid.n.22
Periculum peccandi ut confeatur proximum, debet eſſe evidens phyſicè aut moraliter; ſi enim tantùm ſit probabile, periculum morale non eſt; nam probabiliter etiam cenſere poteris periculum nullum ſubeſſe. p.25

Acceptio perſonarum.

Quando publica officia ſæcularia conferuntur indignis, non ſolùm peccatum eſt mortale, ſed tenetur tum collator ut plurimum ad deponendum conſtitutum à ſe in tali officio, tum conſtituta ad reſignandum idipſum officium. p.25.n.1
In electione ad officia ſæcularia major ratio habenda eſt utilitatis reipublicæ, quàm mentis perſonarum. ibid.
Ex collatione publici officij facta indigno, præter peccatum oritur obligatio damna inde ſecuta reſarciendi, tam ab eo qui officium contulit, quàm ab ipſo indigno, qui damnum intulit; ſed non ſemper. p.26
Peccatum acceptionis perſonarum committitur à miniſtris Regum, & Supremorum Principum, quando dignioribus præferunt minus dignos in diſpeudandis officijs publicis ſæcularibus. p.26.n.2
Quamvis de rigore iuris naturalis ſæcularia officia vendi poſſint, id tamen non expedit extra caſum gravis neceſſitatis. ibid. n.3
Acceptio perſonarum in iudicijs damnabilis eſt & peccatum graviſſimum; nec iuſtificatur ex conditione perſonæ pauperis. ibid.n.4
Acceptio perſonarum habet etiam locum in ijs iudicijs quæ relinquuntur iudicis arbitrio, ſeu de quibus lex nihil ſtatuit. ibid. n.5
Honores ut actu exhibentur huic vel illi perſonæ, non ſunt bona communia, in quibus acceptio perſonarum habet locum: ſecus autem ſi conſiderentur ut poſſunt huic vel illi exhiberi. ibid.n.6
Ex peccato acceptionis perſonarum graviſſima oriuntur mala, quæ bonos ſimul & malos offendunt, & inſuper communem utilitatem enormiter lædunt. ibid.n.7

Accuſatio.

Qui in accuſatione tergiverſatur, incidit in pœnam quinque librarum auri, fiſco applicandarum, quando crimen eſt publicum, ſecùs ſit privatum. p.27.n.1
Ad accuſandum de delicto publico licet quivis de populo admittatur; excipitur tamen perſona accuſare prohibita, ut ſunt mulier, minor, infamis & alij. pag.27. n.2
Perſonæ legibus prohibitæ accuſare admittuntur ad accuſandum, quando profequuntur ſuam aut ſuorum iniuriam. ibid. n.3
Quando accuſatio pertinet ad aliquos præciſè quatenus actio quam habebat defunctus, tranſit ad hæredes. ibid. n.4

Conſanguinei omnes uſque ad quartùm gradum computandum, juxta jus Canonicum, dicuntur proſequi ſuorum injuriam, & uſque ad octavum gradum, iuxta ius civile: unde cogi non poſſunt ferre teſtimonium contra illos, ſicut nec uxor reſpectu mariti, nec maritus reſpectu uxoris in cauſa criminali. ibid. n. 5

Accuſare criminaliter Clerici non poſſunt, etiam ſuorum injuriam proſequendo, ſive pœna ſanguinis ſit imponenda, ſive non, aliàs irregulares ſunt ſi ſequatur interfectio, aut mutilatio: tamen conqueri poſſunt apud judicem, modò proteſtentur ſe non intendere pœnam ſanguinis. p. 28. n. 6

De jure communi ſolùm admittuntur proximiores in gradu ad accuſandum, quando ipſi accuſare volunt; alioquin admittuntur qui poſt illos ſunt proximiores. ibid. n. 7

Si uxor defuncti concurrat ad accuſandum cum alijs conſanguineis mariti, aut cum hæredibus illius extraneis, hæredes mariti admittendi ſunt cum illa ad accuſandum. ibid. n. 8

Quando pater uxorem interfeciſſet, ex qua communis filius remaneret: etſi filius in eo eventu patrem accuſare non teneatur, videtur poſſe admitti ad accuſandum, ſi velit. p. 28. n. 9

Si filius defuncti, aut alius conſanguineus interfectori remiſſionem concedat, aut illum accuſet, non cenſetur eo ipſo adire hæreditatem defuncti. ibid. n. 10

Filius ſpurius, aut alter illegitimus licet admittatur iure ſanguinis ad accuſandum mortem patris; titulo tamen hæredis non admittitur, niſi legitimetur. ibid. n. 11

Religioſus ſi iniuſtè interficiatur patrem habens, non ad patrem, nili in defectum Monaſterij, ſed ad Monaſterium pertinet accuſare eam mortem, eam remittere, atque circa illam tranſigere. Quando autem filios legitimos hæredes in ſæculo reliquit, ad ipſos ſimul cum Monaſterio pertinet accuſare. ibid. n. 12

Prælati regulares ſupremi abolere poſſunt accuſationem coràm ipſis factam adverſus religioſum ſubditum, modo id faciant ex juſta cauſa, & citra ſcandalum, & accuſatio facta ſit à religioſo ipſis reſpectivè ſubdito. ibid. n. 13

Accuſari non poſſunt à laicis regulares, niſi in caſu quo ſuam, aut ſuorum iniuriam proſequantur; imò nec à religioſis alterius religionis, niſi in limili caſu. p. 29. n. 14

Acculatore mortuo poteſt aliquis alius proſequi accuſationem, ſi compareat intra 30. dies; imò & poſt, ſi velit de novo accuſare principaliter, & per ſe admitti intra tempus à jure accuſationi præfixum. ibid. n. 15

Si probetur delinquentem objiſſe, judex non debet ad ulteriora procedere, niſi in certis caſibus, v. g. Hæreſis, læſæ majeſtatis. ibid.

Actio.

Quamvis actio furti ad duplum, aut ad quadruplum, & actio ad recuperandam rem furto ablatam, aut æſtimationem ejus, diſtinctæ ſint; utraque tamen actio intentari poteſt eodem libello. p. 29. n. 1

Ille, à quo aliquid eſt furto ablatum, poteſt, ſi velit, adverſus furem criminaliter & civiliter agere. p. 30. n. 2

Actio arborum cæſarum licet pœnalis ſit quoad incrementum ſupra damnum datum, eſt tamen perpetua. ibid. n. 3

Actio arborum cæſarum competit domino earum adverſus eum, qui damnum dedit; competit etiam Emphyteutæ. ibid. n. 4

Venditor agri in quo arbores erant, ſi antequam eum alienaret, damnum datum fuit in arboribus, poterit adverſus damnificatorem agere actione arborum cæſarum. p. 30. n. 5

Actio de damno dato competit domino rei & hæredibus illius poſt mortem: competit etiam uſufructuario, nec non poſſeſſori rei bona fide & cum titulo. ibid. n. 6

Actio adverſus furem, quocumque furti genere, ad rem furto ablatam, ad fructus illius, ad damna alia, etiam lucri ceſſantis ex furto ſubſequuta, competit ei à quo eſt ablata, tum hæredibus illius. ibid. n. 7

Actio furti ad pœnam ſolùm competit adverſus furem, non verò adverſus illius hæredes, niſi pœna ſit pecuniaria, & actio litis conteſtatione fuerit adverſus furem ante illius mortem intentata. Excipitur tamen crimen peculatus & de reſiduis. ibid. n. 8

Actio furti ut competat, non ſatis eſt intervenire furtum formaliter, ſed neceſſarium eſt etiam ut interveniat furtum materialiter, hoc eſt, rei verè alienæ. p. 31. n. 9

Si res commodata abſque ulla culpa commodatarij furto fuit ex illo erepta; ad ſolum commodantem attinet agere conditione furtiva & furti actione ad pœnam ſibi applicandam. ibid. n. 10

Quando commodatarius tenetur commodanti de re furto ablata; tunc integrum eſt commodanti, vel agere adverſus commodatarium actione commodati, vel adverſus furem conditione furtiva & actione furti. ibid.

Actio furti ordinariè non competit depoſitario ob rem depoſitam furto ex ipſo ablatam, ita ut agere poſſit ad commodum pœnæ ſibi applicandum, ſed ea actio domino talis rei competit. p. 31. n. 11

Quando aliquid dominii eſt furto ablatum ex œconomo, aut ex Tutore, aut Curatore alicujus minoris, tunc his competit actio furti, non nomine proprio, ſed domini, aut minoris. ibid. n. 12

Si res mobilis furto auferatur ex uſufructuario, agit uſufructuarius adverſus furem quoad valorem præciſè uſufructus, & proprietarius quoad valorem præciſè proprietatis. ibid. n. 13

Quibus competat actio furti, ſi auferantur fructus ex agro locato colono pro certa penſione. ibid. n. 14

Qualis actio competat venditori, quando res eſt vendita & nondum emptori tradita, ſi furto auferatur abſque culpa, vel cum culpa venditoris. ibid. n. 15

Quid ſi res eſſet ſolum promiſſa & antequam eſſet tradita, furto ſit ablata. p. 32. n. 16

Quando res alicui eſt legata, & poſt mortem teſtatoris eſt furto ablata, competit legatario actio furti adverſus furem ad commodum pœnæ: ſi ante mortem, competit hæredibus condictio furtiva. ibid. n. 17

Facilius concedenda eſt vim paſſis actio bonorum raptorum, quam concedatur actio furti. ibid. n. 18

Actor.

Actor non poteſt eſſe excommunicatus in judicio, niſi in cauſa propriæ excommunicationis. p. 32. n. 1

Actor ſive ſit publicè, ſive occultè excommunicatus, agere non poteſt in judicio. ibid. n. 2

Si actor fateatur in ſe fuiſſe ſententiam excommunicationis latam actione ſua non admittitur, donec nullitatem excommunicationis oſtendat; at extra judicium non eſt vitandus. ibid. n. 3

Actor ex vi ſolius excommunicationis non peccat mortaliter jus ſuum in judicio petens bona fide procedendo; ſecus ſi interveniat iniuſtitia ex parte cauſæ quæ proponitur, vel dolus & fraus in repellenda exceptione. ibid. n. 4

Adjuratio.

Adjuratio convenit & differt à juramento, & oratione. p. 33. n. 1

Adjuratio eſt actus religionis, quando fit per Deum. ibid. n. 2

Adjurationis non datur præceptum divinum; bene tamen aliquando Eccleſiaſticum. ibid. n. 3

Adjuratio ad ſui honeſtatem requirit veritatem, juſtitiam & judicium. ibid. n. 4

Ut quis dæmonium habere dicatur, exigitur, ut in homine ipſo dæmon ſit, & ut quandam vexandi poteſtatem in eo, in quo eſt, acceperit. p. 34. n. 5

Dæmon per quamcumque corporis partem poteſt in ipſum ingredi & egredi: & hæc dæmonis poteſtas in dæmoniacum eſt potiſſimum in corpus; in animam autem minus poteſtatis habet. ibid.

Quandoque unus, quandoque multi dæmones obſident idem corpus, & ex eo unus egredi poteſt alijs remanentibus. ibid.

Obſeſſis à dæmone non ſemper habenda eſt fides, quod ita revera ſint, nec etiam iſtis exorciſtis. ibid.

Nulla res corporalis habet vim expellendi dæmones: hinc ſi herba aliqua id poſſit, ſignum eſt ſuperſtitionis. ibid.

Nulla vis ineſt hominibus alligandi dæmonem alicui rei, illumque in illam includendi, ut in annulum, &c. ibid.

Adjuratio imperativa, ſeu coactiva ſolis Superioribus licet erga ſubditos in ijs, in quibus illi ſubduntur, exiſtente cauſa juſta ſic adjurandi. ibid. n. 6

Verius eſt exorciſmos Eccleſiæ non habere efficaciam infallibiliter expeliendi dæmonem è corporibus hominum. ibid. n. 7

Superſtitioſum eſt, ſi dæmoniacum exorciſta flagellis & alapis percutiat, vel fumo ruæ, &c. defatiget, credens horum virtute poſſe dæmonem pelli. Secus ſi hæc adhibeantur in dæmonis contemptum & contumeliam. ibid. n. 8

Adjuratio ex parte modi moraliter illicita eſt tripliciter. ibid. n. 9

Ex quibus habeantur exorciſtæ ſuſpecti de ſuperſtitione & pacto cum dæmone. p. 35. n. 10

In Chriſtianiſmo dæmonia à corporibus hominum expelluntur quinque modis. Et primo per invocationem Nominis Jeſu Chriſti Domini. ibid. n. 11

Secundus modus ejiciendi dæmones eſt per uſum Reliquiarum Sanctorum. ibid. n. 12

Tertius modus eſt per Sanctæ Crucis impreſſionem. ibid. n. 13

Quartus modus eſt per uſum rerum conſecrararum. p. 36. n. 14

Quintus eſt, dæmonum per exorciſmos adjuratio. ibid. n. 15

In exorciſmo reperiuntur *Res* & *verba*. ibid.

Admini-

Adminiculum.

Adminiculum eſt duplex, vehemens nempe, & non vehemens. Vehemens eſt ſuppletio defectus probationis per ſe ſolum non operans, ſed cum alia cooperatione cooperans. Non vehemens adminiculum eſt aliqualis confirmatio rei probabilis. *verb. Præſumptio.* p.671.n.2

Adoratio.

Adorationis actus ad virtutem juſtitiæ pertinet, prout ſub illa comprehenduntur omnes virtutes, quæ ad alterum pertinent. Et eſt voluntatis actus, ſupponentis actum intellectus. p.37.n.1

Adorationis actus interdum uſurpatur latiſſimè, interdum ſtrictè, tam in ſcripturis, quàm apud Patres. ibid.n.2

Adorationis diviſio in latriam, duliam & hyperduliam defenditur contra Calvinum. ibid.n.3

Verius eſt latriam differre ſpecie à dulia & hyperdulia: licet dulia & hyperdulia ad unam & eandem planè ſpeciem adorationis pertineat. ibid.n.4

Actus interni, quibus à nobis colitur Deus, definiuntur ex motivo propter quod eliciuntur: actus autem externi non ſunt ex ſe & ſua natura determinati. p.38.n.5

Adoratio latriæ abſoluta non eſt, ſed reſpectiva, quando objectum materiale adorationis noſtræ eſt ſola imago Chriſti & ratio adorandi ſolus Chriſtus per imaginem repræſentatus. ibid.n.6

Adoratio propriè eſt latriæ, quando adoratur totus Chriſtus & imago ejuſdem ſimul, ita ut hæc duo ſint objectum materiale adorationis. ibid.n.7

Hæc propoſitio, *Iſta vel hanumodi Reliquiæ Sanctorum, ſunt adorandæ*, non eſt tenenda tanquam de fide. ibid.n.8

Non eſt ſuperſtitioſus Eccleſiæ ritus cereos, aut lampades accendendi ad ſepulchra Sanctorum. ibid.n.9

Nihil ſuperſtitionis habet, deferre Reliquias Sanctorum collo dependentes, modò piè deferantur. p.39.n.10

Qui aliquod peccatum committit deferendo Reliquias, modò non ſit contra Reliquiarum cultum, gravius non delinquit, nec eſt illa circumſtantia in confeſſione aperienda. ibidem.

Honor & veneratio debetur, ſicut imaginibus, nominibus Jeſu Chriſti & trium perſonarum divinarum & Sanctorum cæli civium. ibid.n.11

Cereis imaginibus, quas Agnos Dei nominamus, honos & veneratio debetur. ibid.n.12

Abſolutè non debet honorari imago ſacra, per quam nos alloquitur Dæmon, ſi dubium ſit, an ſit Dæmon. Si autem ſit probabile, quòd ſit Dæmon, poteſt honorari ſub conditione, ſi non ſit, ſed Chriſtus, Deipara, vel Sanctus. ibid n.13

Adulterium.

Adulterium non eſt concubitus cum ſponſa alterius de futuro. p.40.n.1

Verius eſt circumſtantiam ſponſaliorum in prædicto concubitu eſſe explicandam in confeſſione, quando ſe tenet ex parte fœminæ. ibid.n.2

Probabilius eſt adulterum occultum, dum alterum conjugem adulterium latet, non perdere jus exigendi debitum, ſed poſſe ab eo exigere. p.41.n.3

Quando conjugata paſſa eſt ſe cognoſci ab alio, arbitrata eum eſſe ſuum virum, nec civiliter, nec criminaliter agi poteſt adverſus eam ex adulterio. ibid.n.4

Quando conjux matrimonium cum alio celebravit, alterum arbitrans eſſe defunctum, locum non habet actio tam civilis, quàm criminalis. ibid.n.5

Si maritus libellum repudij uxori dederit dum ambo infideles erant, illaque alteri nubat; tunc ad fidem converſi, tenetur prior maritus eam iterum admittere. ibid.n.6

Quando conjugata vi fuit oppreſſa; imò juxta quoſdam etiam quando metu cadente in conſtantem feminam, non habet locum actio adverſus eam. ibid.n.7

Si à puncto adulterij commiſſi elapſum eſt quinquennium, non datur actio. ibid n.8

Item ſi adulterium commiſſum eſt de voluntate & conſenſu mariti, ibid.n.9

Item ſi maritus cœpit accuſare adulterum vel adulteram & deſtitit poſtea animo non proſequendi accuſationem. ibid.n.10.

Item, quando aliquis fuit de adulterio accuſatus & in judicio fuit abſolutus. p.42.n.11

Item, quando mulier aliqua adulterata fuit, mortuoque marito tranſivit ad ſecundas nuptias, maritus ſecundus non poteſt eam de eo crimine accuſare. ibid.n.12

Probabilius eſt, poſſe mulieres conjugatas retinere ſibi lucrum ex adulterio acquiſitum, neque teneri illud marito vel alijs reſtituere. ibid.n.13

Quando adulterium à marito committitur, de jure Cæſareo criminalis actio non datur uxori talis mariti adverſus eum ob adulterij injuriam in ipſam commiſſam. ibid.n.14

Unâ integrâ pœnâ adulterij puniuntur multa adulteria ex intervallo commiſſa ab eodem adultero cum eadem aliena uxore: idem dicendum de multis adulterijs commiſſis cum diſtinctis adulteris. ibid.n.15

Quando unum adulterium punitum eſſet in judicio, tunc aliud, quod in judicium deducitur, integra alia pœnâ eſt puniendum, ibid.

Adulterium cum conjugata, ſi habeat adjunctam circumſtantiam inceſtus, punitur duplici pœnâ. ibid.n.16

Adulter, qui cum duabus uxoribus alienis deliquit, punitur diſtinctis pœnis. ibid.

Si duo adulterati ſint cum eadem aliena uxore & maritus utrumque accuſet, uterque punietur: adultera autem unicâ tantùm pœnâ punietur. ibid.

Adulterium probatur ſufficienter, ut pro eo imponi poſſit pœna adulterij ordinaria, ſi teſtes duo fide digni omni exceptione majoris deponant, ſe vidiſſe eodem loco & tempore adulteros ſe commiſcentes. ibid.n.17

In dubio, num indicia certam moraliter præſumptionem adulterij efficiant: illi de quibus non eſt certa præſumptio, non ſunt condemnandi ad pœnam ordinariam adulterij, ſed ad arbitrariam pro quantitate culpæ. p.43.n.18

Ut innocens conjux poſſit in foro conſcientiæ ab adultero divertere, ſufficit certitudo moralis de ejus adulterio. ibid. n.19

Certam adulterij præſumptionem non faciunt oſcula, amplexus & alij tactus impudici, quando non fiunt à cubantibus, niſi aliæ circumſtantiæ adjungantur loci, temporis vel perſonarum. ibid.n.20

Per xenia miſſa ab adultero uxori alienæ, aut per verba amatoria non probatur adulterium: de litteris verò amatorijs, id judicis arbitrio remittendum eſt pro litterarum tenore. ibid.n.21

Adulterij confeſſio in judicio probare cenſetur: extra judicium autem non probat, ſed tantùm inducit ſufficiens indicium ad torturam. ibid.

Præſumptio eſt juris & de jure commiſſi adulterij ab uxore, ſi ter admonito viro ſibi ſuſpecto a marito, nec cum illa colloqueretur, poſtea illos maritus inveniret ſimul in aliquo loco. ibid.n.22

Licitum eſt viro ſuſpicanti adulterium uxoris, illam obſervare cum teſtibus idoneis, ut eam de adulterio poſſit convincere, ibid.

Quamvis indicia *cap. Ex literis, de præſumpt.* certam moraliter efficiant præſumptionem adulterij: tales tamen poſſunt habere adjunctas alias circumſtantias, quæ in contrarium ſuadeant, ut nequaquam efficiant certam moraliter præſumptionem adulterij. p.44.n.23

Adulterans cum aliqua, quæ priùs meretrix fuit, ſed jam non eſt, incurrit pœnas adulterij ordinarias. Si poſt matrimonium meretrix fiat connivente marito, adulterantes cum illa non ſunt puniendi pœnâ adulterij. Si maritus eſt abſens à loco ubi illa eſt meretrix, poteſt adverſus illam agere civiliter & criminaliter. ibid.n.24

Advocatus.

Clerici Minorum Ordinum non beneficiati, in cauſis civilibus, imò & in criminalibus patrocinari poſſunt ſicut laicus, modò non deferant publicè tonſuram clericalem. p.44. n.1

Advocatum debet judex dare pauperi, ſi in eo loco non ſint qui defendant cauſas pauperum, & ad hoc poteſt cogere Advocatum. p.45.n.2

Judex regularis tenetur etiam dare reo ſubdito Advocatum ſive regularem, ſive ſæcularem, quando reus eſt illiteratus & ignarus modi procedendi in judicio. ibid.

Advocati, qui cauſam injuſtam ſuſcipiunt ſcienter præbendo auxilium actori & litem moventi, ut illam vincant, ut cauſam differant, ut partes concordare faciant & pacta ineant, ex quibus alter damnum patitur, peccant contra juſtitiam & tenentur ad reſtitutionem, ſi cliens non vult, aut non poteſt reſtituere. ibid.n.3

Quoties advocatus ex ignorantia antecedente tuetur cauſam injuſtam, nec peccat, nec ad reſtitutionem tenetur: ſi verò ex ignorantia concomitante, nihil certi ſtatui poteſt quoad rationem peccati: ſi autem ex ignorantia conſequenti, peccat & ad reſtitutionem tenetur. ibid.n.4

Advocatus, qui ita diſpoſitus eſt ut quamcumque cauſam defenderet, ſive juſtam, ſive injuſtam, peccat. ibid.n.5

Quomodo Advocatus ſe debeat gerere erga clientem ſuum antequam cauſæ ejus patrocinium ſuſcipiat. ibid.n.6

Advocatus, qui in principio litis cauſam judicabat juſtam, ſed poſtea deprehendit injuſtam, illam ſtatim deſerere tenetur. p.46.n.7

In cauſa ſanguinis vel alterius rei graviſſimæ Advocatus cauſam eſſe injuſtam agnoſcens, tenetur ſecreta ſui clientis actoris revelare, modò quatuor concurrant. ibid. n.8

Advocato patrocinanti in cauſis pauperum debet iudex ex ærario publico mercedem conſtituere, ſi pauperes ſolvere nequeant, & Advocatus gratis patrocinati recuſet. ibid. n. 9

Advocatus, cui certa quantitas pecuniæ promiſſa fuit pro lite defendenda, ſi poſtea appelletur à ſententia diſinitiva extra Provinciam, non tenetur proſequi pro eodem ſalario. ibid n.10

Advocatus conductus à litigantibus ad damnum ſub certa annua mercede ad omnes cauſas, ſi nullas cauſas illo anno partes habuerint, probabile eſt poſſe licitè petere ſalarium: ſed probabilius eſt eſſe diminuendum. ibid.n.11

Advocatus excommunicatus licitè patrocinari non poteſt, ſi ſit vitandus & denuntiatus; factum tamen tenet, ſi faciat: toleratus autem repelli quidem poteſt, licitè tamen admitti poteſt ſi partes & iudex conſentiant. p.47.n.12

Advocatus excommunicatus poteſt condignum ſtipendium accipere, modò illius miniſterium in iudicio admiſſum ſit in ejus utilitatem, qui ſtipendium ſolvit. ibid. n. 13

Ædificatio Eccleſia.

Antequam Eccleſia aliqua conſtruatur, fundamenti locus & atrium Prælati iudicio deſignari debet; & nulli licet Eccleſiam vel orationis domum, ſeu Monaſterium ædificare, antequam ab Epiſcopo ſuo licentiam obtineat. Vide verb. Eccleſia. p.258.n.12.*&ſeqq.*

Æger.

Æger & infirmus, valetudinarius, aut præpeditus quacumque alia impotentia corporis incidens in Canonem, *Si quis ſuadente diabolo* 17 *quæſt.* 4. abſolvi poteſt à ſuo Epiſcopo. Vide v. Excommunicatio V. p.329.n.26

Æquivocatio.

Per verbi æquivocationem, aut facti diſſimulationem licitum eſt aliquando celare alteri aliquam veritatem, ſi ob iuſtam cauſam fiat. Vide v. Mendacium. p. 549. *num.* 5 Reſtrictio mentalis. p. 752.n.2

Ætas.

Circa ætatem eligendæ in Abbatiſſam varia decreta diverſis temporibus, in Eccleſiae manarunt. V. verb. Abbatiſſa. p. 10. n. 3

Suſceptor in Baptiſmo talis ætatis eſſe debet, ut ſit doli capax & habeat ſufficiens judicium ad peccandum mortaliter: imò ordinariè non debet admitti, niſi circa duodecimum, aut undecimum annum, cùm ſolent pueri communicare. v. Baptiſmus IV. p.88.n.24

Vt aliquis eſſe poſſit iudex delegatus, habere debet impletum vigeſimum ſuæ ætatis annum: licet ex partium conſenſu poſſit eſſe qui excederet 18. ſuæ ætatis annum. v. Delegatus. p.213 n.15

Qui ante legitimam ætatem ex diſpenſatione vel privilegio promotus eſt ad Subdiaconatum, admitti debet ad ſuffragia ferenda; non autem ſi illicitè ac ſubrepticè eſt promotus, v. Electio. p.265.n.7

Ætas legitima ad novitiatum eſt pubertas completa, videlicet in viro 14. anni compleri, in femina verò duodecim, v. Novitiatus. p. 592.n.3

Ætas legitima requiritur ad licitè ſuſcipiendos Ordines, & qui veſperi attigit annum iure requiſitum pro aliquo Ordine ſuſcipiendo, non poteſt mane præcedenti illum ſumere. ibid.

An autem in ſupputanda ætate ad Ordines numerandus ſit dies Biſſextilis? Alij affirmant, alij negant, & utrique probabiliter, V. Ordo. p. 605. n.3

Ætas decem & ſeptem annorum requiritur in procuratore ad negotia: ſed in procuratore ad matrimonium nulla deſideratur ætas, nec qualitas alia, præter eam, quam ius naturale expoſcit ad explicandum conſenſum nomine alterius, nimirum, rationis uſum, v. Procurator. p. 695. n. 6

In quacumque ætate poſſunt omnes homines religionem ingredi vel in ea admitti, ſi uſum rationis habeant, & alioqui debitus ordo & modus ſervetur, verb. Religio. p. 720. n. 10.

Ad valorem ſponſaliorum exigitur ſeptennium mathematicè completum, ubi de malitia ætatem ſupplente non conſtaret. Si verò per miraculum acceleretur uſus rationis longè ante ſeptennium, an valida ſint in ea ætate ſponſalia, varij variè ſentiunt, alijs affirmantibus, alijs negantibus probabiliter, v. Sponſalia. p. 807.n.2 & 3

Ætas ſeptennij requiritur in ſuſcipiente tonſuram clericalem, v. Clericus. p.157.n.3

Ætas pupillaris in maſculo intelligitur uſque ad decimum quartum annum, in femina uſque ad duodecimum, v. Subſtitutio. p.816.n.3

Ætas idonea ad Officium & munus Vicarij Epiſcopi cenſetur, ſi fuerit 25. annorum, verb. Vicarius. p. 847 n. 13

Affinitas.

Affinitas, iuxta etymologiam nominis dicitur, quaſi confinitas, ſeu finium propinquitas: unde affines dicuntur aliqui, quia unus trahitur ad fines alterius: unde cùm vir & femina, mediante copula, efficiuntur una caro, ſanguis unius dicitur alterius ſanguinem tangere, ac proinde conſanguinei unius trahuntur ad quandam alterius cognationem, quæ affinitas nuncupatur. Plura de affinitate v. Matrimonium 2. p. 536. n. 46. *& ſeqq.* Matrimonium 3. p. 541. n. 6 & 7

Probabile eſt affines & conſanguineos, qui ſuccedunt patri in curam impuberum, poſſe eligere ſepulturam affinibus & conſanguineis impuberibus, non autem alij; quamvis multi contrarium ſentiant, v. Sepultura. p.777.n.9

Quando uterque coniux affinis effectus eſt per copulam cum alterius conſanguineis mutuam, utrique coniugi interdicitur debiti coniugalis petitio. Idem dicendum eſt, ſi alter ſolus id affinitatis impedimentum incurrerit, aut interveniente culpa alterius, qui conſenſum præſtitit. ibid.

Qui affinitatem contraxit cum ſuo coniuge ante matrimonij conſummationem, non tenetur religionem ingredi, ſed poteſt matrimonium conſummare reddendo debitum, v. Debitum coniugale 2. p. 207.n.8 & 9

Agni Dei.

Cereæ imagines, quas Agnos Dei nominamus, à Summo Pontifice conſecratæ licitè adorari poſſunt à fidelibus; ideò enim conſecrantur cum oleo ſancto Chriſmatis, ut à fidelibus colantur: habent enim vim contra fulgura, fulmina, grandinem, incendia, tempeſtates ventorum & imbrium, v. Adoratio n. 12. p. 39. Reliquiæ Sanctorum. p. 731. n. 15. & 16

Alcatores.

Alcatores beneficia conſequi non poſſunt, & collatio eis facta, ſi publici ſint, ipſo iure ſit nulla; ſi occulti, erit irritanda, v. Beneficium 2. p. 101. n. 5

Alienatio.

Licentia obtenta à Summo Pontifice alienandi res Eccleſiæ operatur, ut non requirantur aliæ ſolemnitates. p.48 n. 1

Alienatio bonorum immobilium Eccleſiæ prohibita eſt iure civili, canonico; imò & naturali divino, ſi iuramentum non alienandi accedat. ibid.n.2

Inter bona immobilia alienari prohibita abſque ſolemnitatibus, reputantur animalia ad culturam Monaſterij deputata. Item copioſa Bibliotheca. Non autem ſervi fugitivi; hi enim alienari & vendi poſſunt à Prælato. ibid.n.3

Poſſe Prælatum validè repudiare legatum, ſeu hæreditatem ſuæ Eccleſiæ relictam abſque ſolemnitate iuris, alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.n.4

Res Monaſterij, ſeu Eccleſiæ non poſſunt à Prælato oppignorari ſeu hypothecari. ibid.n.5.

Prælati ſine conſenſu ſui Capituli poſſunt arbores ſuarum Eccleſiarum incidi facere, quando umbrâ ſuâ ac nimiâ denſitate nocent; item quando ſunt infructuoſæ & earum locis reponuntur arbores fructiferæ. p.49. n. 6

Idem poteſt Prælatus, quando arbores ſunt vetuſtæ ac corruptæ, ſi alias novas earum locis & magis utiles ſubſtituat. ibid.n.7

Idem dicendum quando arbores ſunt cæduæ: tales autem ſunt, quæ utiles tantùm ſunt ad lignandum. ibid.n.8

Prælatus non poteſt abſque ſolemnitatibus arbores fructuoſas prædiorum Eccleſiæ ſuæ, vel etiam infructuoſas in magna quantitate incidere; & contrarium faciendo, non evaderet pœnas maiè alienantium bona Eccleſiaſtica, ibid. n. 9

Epiſcopi vel Prælati non poſſunt ſine conſenſu Summi Pontificis alienare particulas reliquiarum inſignium, aut in muro clauſarum. ibid.n.10

Non poſſunt Prælati lampades argenteas & alia ſimilia alienare, ſeclusâ conſuetudine in contrarium, ut earum pretium convertatur in fabricam neceſſariam Eccleſiæ, vel in alium uſum. ibid. n. 11

Bona Eccleſiarum eidem Prælato ſubiectarum inter regulares poſſunt alienari de uno Monaſterio ad aliud ejuſdem Congregationis, ſine conſenſu Apoſtolico. p.50. n. 12

Diſmembratio fructuum fieri non poteſt abſque debita ſolemnitate. ibid.

In retrovenditione rei emptæ ab Eccleſia cum pacto retrovendendi, requiritur ſolemnitas iuris; quamvis contrarium non videatur improbabile. ibid.n.13

Bona de novo acquiſita Eccleſiæ vel Monaſterio non poſſunt abſque conſenſu Sedis Apoſtolicæ a Prælato alienari, niſi Monaſterium gaudeat aliquo privilegio, quo id poſſit. ibid.n.14

Extat privilegium in Ordine S. Hieronymi, ut Conventus cum

Digitized by Google

cum Priore poſſint vendere hæreditates, poſſeſſiones & jura in teſtamentis legata & alia ſimilia inutilia monaſterio, dummodo pretium eorum in alia bona utiliora & immobilia commutetur. ibid.n. 15
Fratres Eremitæ S. Auguſtini & Moniales poſſunt vendere, alienare & permutare, ac etiam in emphyteuſim concedere, dummodò emphyteuſis non fiat ultra duas generationes, vel nominationes absque licentia Apoſtolica, vel Generalis Ordinis, &c. ibid. n.16
Moniales S. Claræ & Terriatiæ S Franciſci habent idem privilegium, modò adſit duarum partium conventus conſenſus. ibid.
In Ordine Minorum regularis Obſervantiæ nullus contractus poteſt fieri abſque expreſſa licentia Generalis, vel Provincialis, aliter irritus judicatur. Prælati autem non poſſunt alienare, ſed tota hæc poteſtas reſidet penes Syndicum, qui nomine Papæ de conſenſu Provincialis ac conventus, alienare poteſt. ibid.n.17
Alienationes dicuntur fieri in utilitatem Monaſterij, ſi pretium converatur in emptionem rei ſtabilis. ibid.n.18
Hodie extat Decretum Eminentiſſ. D D. Card. Concilij Trident. interpretum, de rebus regularium non alienandis, abſque Sacræ Congregat. licentia: Item declaratio eiuſdem, quâ prohibetur regularibus acceptio pecuniæ ad cambium vel mutuò cum ſolutione lucri ceſſantis vel damni emergentis. ibid n.19
Licet alienatio etiam in caſu licito & ſervatis juris ſolemnitatibus, regulariter ſit Romano Pontifici relervata; tamen præter caſus in Extravag. *Ambitioſa*, expreſſos, in quibus non eſt neceſſarius conſenſus Apoſtolicus ad alienationem, dantur & alij ſequentes. p.51.n.20
Res immobilis parva poteſt alienari à Prælato abſque ſolemnitatibus & aſſenſu Apoſtolico. ibid.
Quando immineret ſumma neceſſitas alienandi & tantam celeritatem requiret, quod Superior conſuli non poſſit. ibid.
In repudiatione ſeu remiſſione legati vel hæreditatis Monaſterio præſcriptæ, nondum tamen incorporatæ, ibid.
In permutatione bonorum Eccleſiæ vel Monaſterij cum alijs Prælatis, vel Rectoribus Eccleſiarum: quamvis in præxi contrarium obſervetur. ibid.
Prælatus tranſigere poteſt abſque ſolemnitatibus, quando Eccleſia vel monaſterium non eſſent in poſſeſſione illius rei, ſuper qua fieret tranſactio. ibid.
In reſtitutione rei reſtitutioni ſubjectæ, ut poſt certum tempus reſtituatur. ibid.
Pro remuneratione meritorum poteſt Prælatus monaſterij bona mobilia alienare, dummodò donationis metas non excedat: idem dicendum de re mobili non pretioſo. ibid.
Abbas ſolus poteſt remittere caducitatem Emphyteutæ Eccleſiæ vel Monaſterij ſibi ſubjecti. ibid.
Alienatio bonorum Eccleſiæ vacantis nulla eſt, niſi Eccleſia habeat defenſorem legitimè conſtitutum. p. 52.n.21

Alimenta.

Quando religioſus relegatur in aliud Monaſterium ob aliquod delictum, quis teneatur illi alimenta ſubminiſtrare. p. 53.n.1
Monachis recedentibus à proprio Monaſterio ad aliud, debentur alimenta à priori Monaſterio. ibid.n.2
Profeſſus injuſtè expulſus poteſt compellere Monaſterium, ut ab eo alimenta percipiat, ibid.n.3
Si Monachus apoſtata vel fugitivus ab aliquo caperetur in Monaſterium revocandus, tenebitur Monaſterium ad alimenta & expenſas. ibid.n 4
Monaſterium in Monachi bona ſuccedens tenetur alimenta præſtare ijs, quibus tenebatur Monachus. ibid.n.5
Verius eſt, Monaſterium ſuccedens in bona conjugis, non teneri alere conjugem ejus inopem in ſæculo relictum, qui ingreſſus eſt ipſo conſentiente Religionem. ibid.
Monacho exiſtenti in ſcholis, vel in alio negotio ex licentia Superioris, tenetur Monaſterium ad expenſas alimentorum. ibid.n.6
Alimenta legata Monacho ad decennium extinguuntur morte legatarij alendi antea contingente. ibid.n.7
Filius renuncians hæreditati parentum, poſtea factus Monachus, poteſt petere alimenta, ſi ita pauper efficiatur, ut ea aliunde habere nequeat. p.54.n.8
Si novitius decedat inteſtatus nulla renunciatione paternæ hæreditatis factâ, non ſuccedet Monaſterium in expenſas alimentorum ipſius Novitij, niſi pactum eſſet largiendi Monaſterio expenſas Novitij ibid.
Alimenta tenetur Pater præſtare filio abſque ejus conſenſu ducenti uxorem ſi aliunde non habeat. ibid.n 9
Pendente lite de valore matrimonij, tenetur vir alimenta præſtare uxori. ibid.n 10
Alere tenetur vir uxorem quando ipſi cohabitat. ibid.n.11
Alenda eſt à viro uxor ab illo recedens ob nimiam caſtigationem, ſecus ſi moderata ſit. ibid.n.12
Si vir culpâ ſua bannitus, inops ſit, tenetur uxor eum alere. Si uxor ob propriam culpam in carcerem perpetuum includatur, non eximitur vir ab obligatione eam alendi. ibid.n.13
Maritus inops non tenetur uxorem alere, ſicut nec filios: uxor autem dives tenetur viro inopi alimenta præſtare. ibid.n.14.
Quando ſoluto matrimonio nulla viri bona ſuperſunt, verius eſt non teneri uxorem ex bonis dotalibus ſolvere debita à viro contracta ad ipſam alendam. p 55.n.15
Non tenetur maritus uxori alimenta præſtare dote promiſſa & non ſolutâ. Si autem pars dotis ſoluta ſit, tenetur pro rata ad alimenta. ibid. n 16
Maritus tenetur alere uxorem, quam abſque dotis promiſſione duxit: ſi tamen uxor dives eſſet, & nollet dotem conſtituere, non teneretur vir eam alere. ibid.n.17
An uxor alenda ſit a viro, quando dos ipſius publicata eſt ob ejus crimen? Dic quod ſi parentes ejus in facultatibus ſint, ut ipſam alere valeant, tenentur ad id niſi pauperes ſint, tenebitur vir. ibid.n.18
Alimenta debita viduæ ab hæredibus viri non debentur, & intra annum luctus nubat: niſi fecundus vir ita egeat ut uxori alendæ non ſit. ibid.n.19

Altare.

Altare amittit conſecrationem, ſi ipſa menſa enormiter frangatur, ſeu quando deperditur forma altaris. p.56.n.1
Altare non amittit conſecrationem, ſi menſa frangatur in cornibus, dummodo non ſit in illis ſigillum ſepulchri. ibid.n.2
Si menſa altaris in duas partes ſcindatur, non amittit conſecrationem, modò partes non ſeparentur ab invicem localiter, & adhuc innitantur eidem inferiori ſtructuræ. ibid.
Quando in conſecratione altaris, non ponuntur reliquiæ, non debet poni corpus Chriſti ſub Euchariſtia. ibid.n. 3
Altare poteſt conſecrari in quolibet die, etiam non feſto, non tamen in tribus ultimis feriis hebdomadæ majoris; nec in maximis ſolemnitatibus. ibid n.4
Probabile eſt altare portatile poſſe conſtare ex duobus lapidibus vel ſeparabilibus, vel qui claudi poſſint & aperiri ad inſtar libri. p.57.n.5
Altare portatile amittit conſecrationem, quando frangitur ſepulchrum, aut quando enormiter frangitur, ita ut amittat formam. ibid.n.6
Verius eſt altare portatile non execrari ſi frangatur in quatuor cornibus in quibus conſecratur, modo lapis qui remanet, poſſit commodè capere Calicem & Hoſtiam: ibid.n.7
Regulares Miſſionarij poſſunt uti altari portatili in quolibet decenti loco: nec poſſunt ab Epiſcopis prohiberi. ibid.n 8
Altari portatili de jure commum Epiſcopi uti poſſunt ex aliqua rationabili cauſa. p.58 n 9
Probabilius eſt Epiſcopos etiam extra Diœceſim poſſe uti altari portatili, aut coram ſe facere in ipſo celebrare, ſine licentia Ordinarij loci, ibid.n.10

Ambitio.

Ambitio eſt peſtis Religionis: unde nihil religioſo eſt in hac vita periculoſius, quam Prælaturam expetere: & qui ambitioſè exquirendo tale onus deſiderat, non religioſus, ſed mundanus homo eſt appellandus. p.6 n.22
Qui ſe ambitioſè ad dignitatem ingerit, eſt ab ea repellendus: ſicut invitatus renuens eſt promovendus. ibid.
Contra committentes hoc peſſimum ambitionis vitium & procurantes dignitates & officia in Religione per externos favores, Summi Pontifices varias Bullas ediderunt, ubi etiam adjiciuntur variæ pœnæ tranſgreſſoribus, v. Abbas p.6.n 22.

Amentes.

Amens adultus, qui antequam in amentiam incideret, Baptiſmum petijt, poſtea tamen furia accenſus non patitur ſe baptizari, poteſt ligari ut hoc baptizari valeat. p 81.n.9
Si contingat talem adultum, qui Baptiſmum petijt, in publico concubinatu vivere tempore poſtulati Baptiſmi, adhuc baptizandus eſt, verb. Baptiſmus 3. p.81 n.10
Amentes quando ſunt ambo conjuges, ſunt ſeparandi, ne carnaliter conjungantur, & peccarent mortaliter, qui eos ad copulam incitarent. ibid.
Quamvis regulariter illicitus ſit concubitus, ubi uxor amens eſt, & vir mentis compos propter periculum ne fœtus in utero occidat: ceſſante tamen tali periculo, licitus eſt congreſſus, verb. Debitum Conjugale 2. pag.206. n.2 & 3.
Amentes & furioſi ad probationis habitum admitti non poſſunt: & ſi quis tempore amentiæ receptus eſſet, & poſtea uſum rationis recuperaret, annus probationis computandus non eſt à tempore receptionis, ſed à tempore quo conſenſum mediante uſu rationis recuparate præſtitiſſet. ibid.

Caſu

Casu quo amens perpetuus admitteretur ad induendum Religionis habitum, & post plures annos rationis usum recuperaret, non posset ratione præteriti temporis professionem facere, aut Novitius reputari, etiamsi ratam habere vellet primam receptionem. ibid.

Amentia, seu furor citò transiens ex morbo superveniens & durans octo, aut quindecim dierum spatio non impedit cursum anni Novitiatus, nec id tempus transacto anno est supplendum, sed in eo computandum, & eo finito legitima erit professio, v. Novitiatus. pag. 596. *num.* 5. & 6.

Amissio beneficij.

Beneficia non amittuntur per sponsalia de futuro: bene tamen per matrimonium validum; similiter accessus, regressus, ac quælibet alia jura ad beneficium Ecclesiasticum ipsi contrahenti competentia vacant ipso jure statim, instar beneficiorum; unde Clericus in minoribus contrahens matrimonium tenetur amittere priora beneficia; & possunt alteri conferri tanquam vacantia: Ordinatus tamen in sacris contrahens matrimonium non amittit ipso jure benficia, verb. Beneficium VIII. pag. 118. *num.* 1. 2. 3. & *sequentibus*, ubi plura.

Angeli.

Angeli boni possunt & debent à nobis diligi, tum ut res & possessio Dei, tum etiam ut fratres nostri & amici secundarij. Angeli autem mali & homines damnati, non sunt diligendi ut amici & proximi; sed ut res & possessio Dei amici nostri, quatenus in eis relucet divina ipsius bonitas & justitia, verb. Charitas, pag. 144. *num.* 7.

Animæ Purgatorij.

Animabus Purgatorij prodesse possunt suffragia vivorum non solùm ad aliquam mitigationem pœnarum, sed etiam ad integram remissionem. p. 820. n. 3.

An autem animabus Purgatorij prosint suffragia vivorum per modum impetrationis vel per modum solutionis & satisfactionis condignæ, quoad remissionem temporalis pœnæ? *Refertur triplex sententia*, v. Suffragium. p. 820. *n.* 4. & ibi plura *n.* 5. & 6.

Annus.

Qui aliquid accepit à debitore titulo gratuito ignorans acceptionem esse in fraudem creditorum, tenetur restituere id, in quo factus est ditior, modo repetatur à creditoribus intra annum à die scientiæ. ibid.

Si verò accepit sciens vel dubitans probabiliter rem alienari in fraudem creditorum, tenetur ad restitutionem creditoribus, non solùm intra annum, sed etiam anno elapso, quantum ex eo contractu læti sunt creditores, v. Debitor p. 203. *n.* 13.

Iudici à Summo Pontifice delegato conceditur annus à die latæ sententiæ definitivæ circa causam sibi commissam ad eius sententiæ executionem, v. Delegatus. p. 214. *n.* 26. Vide suprà v. *Ætas.*

Appellare.

Appellatio & supplicatio differunt; quòd appellatio est ad judicium Superiorem: Supplicatio autem est ad eundem judicem qui sententiam tulit. p. 58. n. 1

Appellare à sententia judicis arbitrarij in uno tantum casu licitum est. ibid. n. 2

Appellare potest ad judicem Superiorem licitè & sine peccato gravatus iniustè. p. 59. n. 3

Ad appellandū hodie decem dierum spatiū damnato conceditur, à sententia lata, & ter tantum appellari potest. ibid. n. 4

Appellans causâ vel differendæ vel repellendæ justæ sententiæ calumniosè se defendens, peccat mortaliter. ibid. n. 5

Appellare licitum est reo ad Superiorem quando sententia est dubia ex varietate opinionum. ibid. n. 6

Appellatio debet fieri ad judicem competentem & suo ordine. ibid. n. 7

Appellatio debet fieri ad judicem Ecclesiasticum, quando causa decisa fuit per duos judices, unum laicum & alterum Ecclesiasticum. p. 60. n. 8

Non datur appellatio à sententia Inquisitorum contra hæreticos lata definitivè: bene tamen à gravimine illato ante sententiam; imò admitti debet appellatio à sententia torturæ. ibid. n. 9

Appellatio generalis ad judicem competentem, intelligitur facta ad proximum Superiorem. ibid. n. 10

Verius est appellationem alternativè factam ad plures judices, non esse vitiosam & inutilem. ibid. n. 11

Appellatio ab interlocutoria debet fieri in scriptis & continere debet gravamen & causam gravaminis. Si regularis à superiore gravatus timet Apostolos petere, potest se ad superiorem maiorem transferre, etiam relicto habitu regularis. ibid. n. 12

Per appellationem subsequentem suspensio ab officio & ingressu Ecclesiæ non suspenditur; secus est de suspensione à beneficio. ibid. n. 13

Verius est appellationem interpositam suspendere sententiā de re incidentia. ibid.

Per appellationem subsequentem suspensio à voce activa & passiva suspenditur p. 61. n. 14

Non appellatur à lege generali emanata à legitimo conditore; quamvis possit ab illa supplicari, ut revocetur, aut moderetur. ibid. n. 15

Appellare non licet religiosis à sententijs suorum Superiorum, attentis Religionum privilegijs, & maximè ad externos Prælatos extra Ordinem. ibid. n. 16

Privilegia denegantia religiosis appellationem ultra jus commune, hoc amplius continent, quòd ea appellatio non suspendat jus, quando excessus Prælatorum manifestus non fuerit. ibid n. 17

Regula observanda à religiosis, ut licitè possint recusare Prælatum judicem tanquam suspectum. p. 62. n. 18

Apostasia.

Apostata Græcis idem est, qui Latinis desertor, vel transfuga, p. 63. n. 1

Apostata à fide potest quis esse tribus modis: nempe, mente solà; facto solo, & mente & facto simul. ibid. n. 2

Apostata exterior, si verbis tantùm à fide deficiat, non mente, in foro conscientiæ non afficitur excommunicatione, licet in foro externo censeatur Apostata. ibid. n. 3

Apostata ab Ordine non est recedens ab Ordine sacro ex dispensatione Papæ, vel à minoribus ordinibus. ibid. n. 4

Apostatæ non sunt Novitij à Religione fugientes: neque mulieres, quæ vocantur Beatæ habitum deferentes; etiamsi hi omnes vota simplicia castitatis, obedientiæ & paupertatis emisissent. In Societate tamen Jesu post biennij vota, etsi simplicia appellantur Apostatæ. ibid n. 5

Apostata non est religiosus perpetuò carceri damnatus, si fugiat, quando illa pœna nullo juris ordine servato imposita fuit; vel quando sententia fundata esset in falsa præsumptione, aut falsis probationibus contra rei veritatem. ibid. n. 6

Prælati habent potestatem capiendi & incarcerandi suos apostatas & fugitivos, ubicumque sint. ibid. n. 7

Apostata non est religiosus, qui ex licentia Prælati justâ existente causâ, vivit extra Monasterium. p. 64. n. 8

Bona acquisita ab Apostatis extra claustrum degentibus & decedentibus, inventa tempore mortis eorum, sunt Camerę Apostolicæ, deducto ære alieno & solutis debitis: non autem bona illorum, qui ad sua Monasteria revertuntur & quæ acquisita sunt contra virtutem specialem justitiæ. ibid. n. 9

Aqua benedicta.

Aqua benedicitur in Ecclesia propter tres fines: Primò, ad significandos spirituales effectus: Secundò, ad deletionem venialium: Tertiò, ad fugandos dæmones & curandos morbos, v. Benedictia. p. 9. n. 3

Aqua benedicta non est Sacramentum, quia non est instituta ad significandam perfectionem sanctitatis humanæ, id est, gratiam; sed solùm ut significet dispositionem ad illam, v. Sacramentum. p. 760. n. 4

Aquæ benedictæ effectus, quales sunt, Sanitas corporis, aversio insidiarum Dæmonum, defensio à phantasmatibus & versutijs inimici, &c. An operentur ex opere operato, vel solùm ex opere operantis? Thomistæ sustinent ex opere operato: Suarez & alij ex opere operantis solum, vide Sacramentalia. p. 764. n. 8

Aqua ductus.

Aquæductus nominatur inter servitutes rusticas nominatas, & est jus aquę ducendæ per fundum alienum ad utilitatem prædij mei rustici: quod jus potest constitui tum in aqua invenienda, tum in aqua jam inventa deducenda. V. Servitus. p. 781. n. 3

Arbiter. Arbitrium.

Arbiter non potest esse religiosus, nisi concurrant licentia Superioris, & utilitas Monasterij: sed in hac prohibitione non comprehenduntur Novitij. p. 64. n. 1

Arbiter esse potest religiosus factus Episcopus: imò & religiosi absque licentia Superioris, si habeant Prioratus vel aliquam administrationem: Præterea Superior potest esse arbiter & nullius indiget licentia, si concurrat utilitas Monasterij & à Religione non prohibeatur. p. 65. n. 2

Verius est, etiam ad officium arbitratoris acceptandum exigi licentiam Superioris, licet non exigatur utilitas Monasterij. ibid. n. 3

Satis probabile est Fratribus Minoribus non interdici officium arbitratoris ex Superioris licentia, sed tantùm arbitri. ibid. n. 4

Arbitrium Monachi non valet præstitum absque Superioris licentia. ibid. n. 5

Arbiter non potest cogi in causa progredi, si partes ea de re contenderunt

Digitized by Google

contenderunt coram judice ordinario vel delegato, poſt munus acceptum. ibid.n.6
Item quando partes arbitrum non leviter infamaverunt. p.66.n.7
Item quando graves inimicitiæ oriuntur inter arbitrum vel arbitratores,& utrumque vel alterum litigantium. ibid, n.8
Item ſi rationabile ac juſtum impedimentum arbitro vel arbitratori ſuperveniat,quod id impediat. ibid.n.9
Item quando comperiretur arbitrum vel arbitratorem munere corruptum eſſe vel ſuſpectum. ibid.n.10
Arbitri dicuntur vel compromiſſarij,in quos partes compromittunt eorum ſententiæ ſtare,vel arbitri juris, qui diſponente ad id lege,aut ſtatuto, ſeu Principis juſſu eliguntur. ibid.n.11.
Inter arbitros juris computantur arbitratores,qui ex præcepto judicis eliguntur, ut juxta ipſorum artem ac peritiam, quid de aliqua re ſentiant,dicant. ibid n.12

Arca Noë.

Arca Noë, tranſitus maris rubri, manna, ſerpens æneus, fluxus aquæ de petra & aliæ figuræ veteris teſtamenti,non fuerunt Sacramentum,v.Sacramentum. p.760. n.4

Archiepiſcopus.

Decretum ſacræ Congregationis obſervandum in appellatione ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum. p.66.n.1
Archiepiſcopus poteſt intra quamlibet Eccleſiam ſuæ Provinciæ uti Pallio. p.67.n.2
Archiepiſcopus qui renunciavit Archiepiſcopatui,non poteſt exercere Pontificalia cum Pallio in Diœceſi & Provincia renunciata etiam cum conſenſu Arichiepiſcopi ſucceſſoris & ſuffraganeorum, p 68.n.3
Arichiepiſcopus hodie non poteſt viſitare Provinciam, niſi causâ cognitâ & probatâ in Concilio Provinciali, ibid.n.4
Archiepiſcopus poteſt deputare Vicarium in Eccleſia ſuffraganea,ſi infrà octo dies poſt mortem Epiſcopi Capitulum non proviſerit. ibid n.5
Archiepiſcopus poteſt compellere Prælatos regulares, ut in Eccleſijs Parochialibus eis ſubjectis, fiat prædicatio Euangelij,& id tanquam delegatus Sedis Apoſtolicæ. ibid.n 6
Ad Archiepiſcopum non devolvitur juriſdictio propter ſolam negligentiam Epiſcopi, niſi poſt terminum aſſignatum per Archiepiſcopum. ibid.n 7
Archiepiſcopus de jure communi poteſt ante ſe deferri facere crucem per totam ſuam Provinciam,etjam in locis exemptis. ibid.n.8
Archiepiſcopus poteſt exercere juriſdictionem in Provincia, conſuetudine ſibi permittente. p.69.n.9

Archidiaconus.

Archidiaconus temporibus Apoſtolorum erat Princeps Diaconorum ,qui conſtituebatur in ſingulis urbibus , quibus præficiebatur Epiſcopus : ejus munus erat curare ut ceteri Diaconi ſuum munus ritè exequerentur,Progreſſu temporis ejus poteſtas evaſit major ; nam etjam in Presbyteros habuit auctoritatem. ibid.
Archidiaconus ex vi ſui muneris & officij habebat juriſdictionem in foro externo ſententias ferendi in populum ſibi ſubjectum, excommunicandi, capiendi, &c.& hoc modo habebat curam animarum: poteſtatem tamen Ordinis cum juriſdictione in foro conſcientiæ non habebat, quia non erat Sacerdos,v.Dignitas. p.218.n.2
Archidiaconi curam animarum, ſeu beneficia reſidentiam requirentia habentes , non poſſunt aliquam longam peregrinationem , aut aliquid aliud in detrimentum Eccleſiarum,quibus præſunt,ſine licentia Epiſcopi vovere, v.Votum,1. p 861 n 19

Archipresbyter.

Archipresbyter olim duplex erat , unus Urbanus , ſeu Civitatenſis , qui præfectus erat ceteris urbis presbyteris in qua erat Eccleſia Cathedralis,Alter dicebatur Vicanus, ſeu ruralis, qui juriſdictionem habebat in Presbyteros in ſingulis pagis & oppidis:unde ratione muneris habebat curam animarum,v.Dignitas. p 218 n.3

Arræ.

Arræ ſunt donatio facta ſponſæ per ſponſum in remunerationem pudicitiæ vel nobilitatis vel dotis ſponſæ: quas ſoluto matrimonio ſponſa lucratur, v. Donatio inter conjuges. p.246.n.1

Ars campſoria.

Ars campſoria ſecundùm ſe eſt de genere earum rerum , quæ habent ſpeciem mali,vel de genere malè ſonantium : importat enim quoddam fomentum cupidinis,cui nullus eſt terminus ; tamen juſtis de cauſis poteſt honeſtari, v.Cambium. p 124 n.2

Articulus mortis.

In articulo , ſeu periculo mortis omnibus Sacerdotibus , etjam excommunicatis, hæreticis, ſchiſmaticis,degradatis, &c. competit facultas abſolvendi quoſlibet fideles à quibuſvis peccatis & cenſuris: & qui virtute Bullæ abſolvitur tunc à caſibus in Bulla cœnæ reſervatis , non tenetur ad comparendum,ſi conſtaſſet,v.Abſolutio. p.21 *& ſeq n.9. & 10.*
In articulo mortis,Sacerdos etjam excommunicatus præferri debet cuilibet Sacerdoti in miniſtrando Baptiſmo,v.Baptiſmus III. p.83 *n.20*
In periculo mortis infidelis petens Baptiſmum , eſt baptizandus,ſi utrumque expoſita fide,aſſentiatur. ibid.p.81. *n.9.*

Aſſaſſinium.

Aſſaſſini nomen tripliciter accipitur: Primò, pro quodam infidelium Sarracenorum genere,qui hoc proprio & communi vocabulo vocabantur: Secundò, pro illis,qui homines in vijs publicis obſident & deprædantur : Tertiò, pro illis, qui pecunia , aut alio pretio accepto , vel promiſſo conducti prævio mandato occidunt homines incautos, ſeu nihil tale ab eis præcogitantes. p.408 n.10
Tentans committere aſſaſſinium,etjamſi devenerit ad actum proximum morti, ſi ſequuta non fuerit, gaudet Eccleſiæ immunitate , v, Immunitas Eccleſiarum. p.408 *num.*10. *& 11.*

Aſſecuratio.

Aſſecurationis contractus poteſt fieri vel per modum ſalvi conductus,vel ſponſionis,vel fidejuſſionis. p.69.n.1
Aſſecurationis ſtipendium recipere non poteſt ſine obligatione reſtituendi,qui nihil habet in bonis actu nec in ſpe ; & talis contractus eſt nullus. ibid.n.2
Verius eſt habentem in bonis ſolùm quingenta , non poſſe aſſecurare mille,ſed ſolum quingenta. ibid.
Qui aſſecuravit merces per mare transferendas cum pacto ut navigatio fieret menſe Maij, ſed dominus navis navigavit menſe Novembris,ubi caſu perijt ; non tenetur aſſecurans ad reſtituendum valorem mercium : dominus autem navis tenetur ad pretium aſſecurationis,ſi fuerit in culpa. p.70. n 3
Qui aſſecuravit merces licitas per mare vehendas , ſeddominus navis tranſuexit prohibitas ob quod fuerunt à fiſco comprehenſæ, non tenetur ſolvere pretium mercium. ibid.
Si quis naviganti mutuet mille aureos cum obligatione ut mutuatarius cum eo faciat contractum aſſecurationis per quem teneatur illi certum quid ſolvere pro quolibet centenario numero illorum aureorum,uſuram committit. ibid.n.4
Contractus aſſecurationis eſt ex ſe elicitus, quando quis ſecurum facit aliquem , quod in nundinis,ad quas proficiſcitur, tantum vel tantum lucrabitur, ita ut ſi minus lucretur incrementum debeat ſolvere. ibid.n.5

Aſtrologia.

Aſtrologiæ judiciariæ ſunt tres partes. Prima verſatur circa revolutiones, & prædicit totius anni viciſſitudines , aëris ſalubritatem,annonas,morbos animalium,&c. Hæc ſpecies non eſt ſuperſtitioſa , ſi tantùm profiteatur opinionem cum formidine oppoſiti. p.228.n.9
Secunda continet magiſterium nativitatum, docens quid ſigillatim homini totâ vitâ contingat.Et hæc non eſt ſuperſtitioſa ſi tantum profitetur ſuſpicionem;verbigratia, ſuſpicio eſt hunc puerum fore talem inclinabitur ad hoc , &c. ibid.
Tertia vocatur electionum , quæ docet quid in ſingulis rebus conſultò & utiliter faciendum, quid omittendum. Neque hæc eſt ſuperſtitioſa , ſi aſtrologus dicat ſe æſtimare,quod res bene ſi ceſſura , & revera animo ſuo non plus tribuat, quàm verbis præſetert Ceterum & ſi hæ ſpecies aſtrologiæ non ſint ſuperſtitioſæ, ſunt tamen interdictæ in motu proprio Sixti V. *Cæli & terra Creator*,v.Divinatio, p.229. *n.9.*

Attentio.

Attentio in oratione eſt triplex , nempe ad verba , ad ſenſum verborum, & ad.Deum : quæ applicari poteſt ad Miſſam. Prima eſt attentio ad ea quæ Sacerdos dicit vel facit non ultrà progrediendo , nec diſtinctè intelligendo , ſed ſolùm attendendo ut ad rem quandam ſacram; & hæc attentio eſt ſufficiens ad implendum præceptum. p.572 n.6
Secunda attentio in Miſſa eſt ad ea , quæ illis verbis vel factis ſignificantur,& hæc eſt melior , multumque accedit ad finem præcepti,qui eſt commemoratio beneficiorum Dei & maximè Chriſti Paſſionis. ibid.
Tertia attentio eſt ad Deum, quæ eſt ſuprema & finis ceterarum, & ſub hac includitur omnis interior reverentia & cultus;omnis oratio & petitio ibid.
Dum quis audit Miſſam , ſi ita elevet mentem in Deum ut totus à ſenſibili auditione & ab omni myſteriorum Miſſæ conſideratione abſtrahatur , totuſque in

contemplationem Dei rapiatur, nihilominus perfectè implet præceptum Eccleſiæ, verb. Miſſa III. pag. 572. n. 6.

Attritio.

Attritio vel contritio non eſt formaliter dolor de peccatis commiſſis, ſed eſt eſſentialiter actus deteſtationis & odij, quo quis nollet peccare. p. 70. n. 1

Deteſtatio peccati propter gehennam pertinet ad virtutem ſpei. p. 71. n. 2

Attritio ob fœditatem peccati, ideò ſupernaturalis eſt, quia procedit ex illo motivo, quod in unaquaque virtute morali per ſe infuſa reperitur. ibid. n. 3

Ad remiſſionem peccati non ſufficit voluntas confitendi & recipiendi abſolutionem; ſed requiritur proprius dolor pœnitentis, etiam cum Sacramento. ibid. n. 4

Qualis & quanta eſſe debeat hæc pœnitentia ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, varij variè ſentiunt: vera tamen hoc tempore eſt illa opinio, quæ docet ſupernaturalem & integram attritionem ſufficere, ſive illa cognita ſit, ſive non. ibid. n. 5

In lege gratiæ non eſt diſpenſatum vel omninò ſublatum præceptum contritionis, ex eo quòd attritio cum Sacramento ſufficiat ad gratiam. p. 72. n. 6

In attritione ſupernaturali non requiritur quod habeat certam intenſionem quoad gradum. ibid. n. 7

Ut attritio ſit ſupernaturalis & vera diſpoſitio ad Sacramentum, debet ipſum motivum deteſtationis eſſe ſupernaturale, ſi non in ſe, ſaltem objectivè. ibid. n. 8

Attritio de mortalibus ex juſta cauſa in confeſſione omiſſis, non eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, licet ſit diſpoſitio ad ejus effectum. ibid. n. 9

Quando deeſt attritio peccati oblivi ex ignorantia culpabili mortaliter, confeſſio eſt nulla; ſecus ſi ignorantia ſit inculpabilis. ibid. n. 10

Attritio vera & ſupernaturalis requiritur etiam in confeſſione venialium peccatorum. p. 73. n. 11

Avaritia.

Avaritia conſiſtit in tribus, ſcilicet, in appetendo, in acquirendo, in retinendo inordinatè divitias. p. 73. n. 1

Avaritia conſiſtens in appetendo, tribus modis poteſt eſſe peccatum, ibid.

Avaritia in acquirendo de ſe & ex ſua ratione eſt peccatum mortale, niſi parvitas materiæ excuſet. ibid. n. 2

Avaritia in retinendo in tribus caſibus eſt peccatum mortale, ibid. n. 3

Avocatio cauſarum.

Generales regularium poſſunt avocare ad ſe cauſas pendentes coram inferioribus Prælatis. p. 73. n. 1

Idem poſſunt Provinciales, dummodò hoc non prohibeatur à Conſtitutionibus Ordinis, vel à Generali. pag. 74. n. 2

Superior major non poteſt abſque cauſa avocare ad ſe cauſas; aliàs peccat contra charitatem; imò etiam contra juſtitiam. ibid. n. 3

Probabilius eſt avocationem cauſæ factam ſine cauſa eſſe ſem per nullam. ibid. n. 4

Prælatus Superior regularis non tenetur exprimere rationem, ob quam cauſam avocet. ibid. n. 5

Avocatâ cauſâ cum decreto irritante acta inferioris judicis, ſunt nulla, etiam avocatione ignoratâ. ibid. n. 6

Si avocatio cauſæ fiat ad inſtantiam partis cum decreto irritante, ante intimationem acta inferioris judicis ſunt etiam nulla: valida tamen ſunt, ſi pars nolit avocatione uti. p. 75. n. 7

Augurium & Auſpicium.

In augurio & auſpicio nulla eſt ſuperſtitio, quando ex avium & aliorum animalium frequentibus cantibus, volatibus & motibus prænunciantur aliqua futura evenientia, quorum illa ſigna ſunt, ut pluvia, tempeſtas, ſerenitas, &c. p. 229. n. 10.

Per augura & auſpicia divinatio, quæ verſatur circa eventus liberos, aut exemptos à cauſalitate rerum corporalium, citra Dei revelationem expreſſam, aut probabilem, peccatum mortale eſt, v. Divinatio, ibid.

B.

Bannitus.

SI vir culpâ ſuâ bannitus, inops ſit, tenetur uxor eum alere. Hæc autem obligatio alendi ex fructibus dotis, ſi hi ſatis ſint, ſin autem, bonis paraphernis, v. Alimenta. pag. 54. n. 13.

BAPTISMUS

Quoad ejus nomen, inſtitutionem & neceſſitatem.

Baptiſmus inter Sacramenta primum locum obtinet, & eſt janua quâ in Eccleſiam Dei ingredimur. p. 75. n. 1

Baptiſmi Sacramentum variis nominibus inſignitur. ibid.

Baptiſmus non fuit inſtitutus Matthæi 28 nec Ioannis 3. ſed Matthæi 3. cùm à Ioanne baptizatus in Iordane fuit Chriſtus. ibid. n. 2

Baptiſmi inſtitutio facta fuit in Baptiſmo Chriſti inchoativè & in myſterio. ibid. n. 3

Baptiſmus ante Chriſti mortem non aperuit januâ regni, & tunc non habuit effectû perfectum in re, ſed in ſpe. p. 76 n. 4

Baptiſmus eſt unicum Sacramentum in eſſentia & ſpecie ultima: at verò multiplicatur numericè pro diverſitate ſubjectorum in quibus recipitur. ibid. n. 5

Baptiſmus Chriſti non fuit neceſſarius neceſſitate medij, aut præcepti, ante Chriſti mortem. ibid. n. 6

BAPTISMUS

Quoad ejus materiam & formam.

Quod aqua vera & naturalis ſit materia Baptiſmi, probatur ex Scripturis. p. 76 n. 1

Aqua roſacea, aut alij humores aquei expreſſi ex floribus, herbis, frondibus & hujuſmodi, etiam in caſu neceſſitatis, juxta veriorem ſententiam, non poſſunt adhiberi in Baptiſmo. p. 77. n. 2

Non eſt improbabile poſſe conferri Baptiſmum ſub conditione in extrema neceſſitate cum humore aqueo ſtillante ex vinibus & alijs arboribus. ibid. n. 3

Baptiſmus validè confici poteſt in aqua jurulenta decoctionis carnium & aliorum elixatorum; niſi ſit tanta reſolutio corporum elixatorum, ut aqua plus habeat de aliena ſubſtantia, quàm de propria. ibid. n. 4

Aqua, quæ colligitur ex vaporibus denſatis, cùm ex olla ore evaporantur; & quæ è parietibus fluit, ſufficiens eſt ad Baptiſmum. ibid n. 5

In extrema neceſſitate non inventâ aquâ certâ, ſed liquore aliquo, de quo dubium eſſet, an eſſet aqua, poſſet quis baptizari ſub conditione. ibid. n. 6

Quando finitur forma Baptiſmi, perficitur Baptiſmus antequam finatur ablutio, modò ſit inchoata. ibid. n. 7

Tempore neceſſitatis poteſt ſine ullo peccato in manu, pede, digito, capillis, unguibus, umbilico quis baptizari ſub conditione p. 78 n. 8

In forma Baptiſmi *ego in, & amen* non ſunt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſed tantum præceptivè conſuetudinis. ibid. n. 9

In neceſſitate poteſt quis baptizari cum forma dubia, & nemo eſt qui ſciat formam certam. ibid.

Ex vi inſtitutionis Chriſti nullus eſt Baptiſmus datus in nomine Dei, vel in nomine cujuſcumque perſonæ Trinitatis ſine nominatione aliarum; vel in nomine Trinitatis. ib. n. 10

Forma Græcorum, *Baptizatur ſervus Chriſti in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*, eſt valida, non poteſt tamen uſurpari à Latino, nec relinqui à Græco. ibid. n. 11.

BAPTISMUS

Quoad ejus ſubjectum & miniſtrum.

Eccleſia Catholica ſemper docuit infantes eſſe baptizandos, contra Anabaptiſtas. p. 79. n. 1

Catholicorum ſententia eſt, infantes non habere fidem actualem, ſed habitualem & præterea credere hæc aliena & ipſa Baptiſmi ſuſceptione, contra Lutherum & Calvinum. ibid. n. 2

Dum baptizantur infantes, non habent uſus motus novos & inclinationes ſimiles actibus fidei & dilectionis. ibid. n. 3

In Baptiſmo infantibus infunduntur habitus fidei, ſpei & charitatis. p. 80. n. 4

Parvuli dum baptizantur actu credunt, partim reipſa, partim aliena fide. ibid. n. 5

Ad Baptiſmum omnes tenentur, adulti neceſſitate præcepti; parvuli autem neceſſitate medij. ibid. n. 6

Refutatur error Calvini docentis parvulos fidelium etiam ſine Baptiſmo eſſe ſanctos & membra Eccleſiæ & ſalvari, ſi moriantur. ibid. n. 7

In

In hoc errauit etiam Cajetanus existimans in casu necessitatis, sufficere Baptismum in voto parentum accedente aliquo exteriori signo, ibid.
In adultis requiritur & necessaria est intentio saltem habitualis suscipiendi Sacramentum ad ejus validitatem. p.81 num. 8
In periculo mortis infidelis petens Baptismum est baptizandus, si utcumque expolita fide, consentiat: alias infideles adulti debent probari per aliquot menses ante Baptismum. ibid. n.9
Adultus qui baptismum petijt ante amentiam, postea in furiam versus, potest ligari, ut sic baptizari valeat. ibid.n.10
Qui potest peccare mortaliter, si Baptismum petat, potest baptizari invitis parentibus. ibid.n.11
Quando puer baptizandus periculo se exponit ægrotandi aspersione aquæ aliquantulum calidæ baptizari debet in ea parte corporis, in qua minus nocere possit. ibid. num.12
Baptismi ministratio omni tempore nunc conceditur. Ecclesia autem non potest directè hominibus non baptizatis determinare tempus, quo ad suscipiendum Baptismum obligentur, sed tantùm indirectè. ibid. n.13
De ministro Baptismi Catholici Doctores communi consensu sex pronunciata affirmant. p.82.n.14
Error Calvini refutatur, qui docet nec in extrema necessitate licere baptizare ijs, qui non sunt ordinarij Ecclesiæ ministri ad hoc ipsum vocati & ordinati. ibid.n 15
Unus potest simul plures baptizare; sed plures non possunt unum baptizare ut causæ partiales, bene tamen ut causæ totales. ibid.n.16
Præsente Sacerdote potest laicus baptizare, si ille nolit Baptismum præbere. Si autem Sacerdos cedat juri suo tantùm ex urbanitate, non potest tunc laicus: quamvis ii baptizet, excusari possit à mortali propter ignorantiam tam facti, quàm juris. ibid.n.17
Præferre peccatorem justo, in ministerio Baptismi solemni, ceteris paribus mortale est, si uterque æquale jus habeat, secus si non sit. p 83.n.18
An baptizatus ab obstetrice sit postea sub conditione rebaptizandus? Varia est praxis Episcoporum. ibid. n.19
In articulo mortis, Sacerdos etiam excommunicatus præferri debet cuilibet non Sacerdoti. ibid. n.20
Laicus ex commissione Summi Pontificis potest in necessitate solemniter Sacramentum Baptismi ministrare. ibid. n.21
An autem tunc laicus peccet mortaliter, si in peccato mortali Baptismum ministret? Videtur affirmativè respondendum. Sed tu Lector judica. ibid.

BAPTISMUS.

Quoad ejus effectus & ritus.

Per Baptismum tollitur reipsà id omne quod habet in homine rationem peccati, contra hæreticos. p.84 n.1
Omnes infantes recipiunt æqualem gratiam baptismalem. ibid. n.2
Per Baptismum incorporamur Christo, illuminamur ac fœcundamur. p.85.n.3
Gratia, quæ confertur infantibus per Baptismum, excedit eam, quæ dabatur per Sacramentum legis naturæ, aut per Circumcisionem. ibid.n.4
Ex defectu dispositionis fieri potest, ut adulti nullum effectum gratiæ per Baptismum recipiant. ibid.n.5
Qui ponit obicem gratiæ sanctificanti, præter characterem potest recipere fidem & spem sine charitate. ibid.
Ablata fictione datur totus effectus Baptismi cum tota extensione & intensione, cum qua in principio daretur, si fictio non interfuisset. ibid. n.6
Recedente fictione redit gratia minima, quæ ex opere operato dari potest per Baptismum. ibid. n.7
Quando tollitur fictio per Sacramentum Pœnitentiæ, utrumque Sacramentum per modum unius agentis integri concurrit ad dandam gratiam. ibid.n.8
Peccata ante Baptismum commissa remittuntur vi Baptismi, reliqua verò per pœnitentiam subsequentem. ibid. num 9
Peccatores ad Baptismum accedentes, non tenentur sua peccata confiteri. p 86.n.10
In Baptismo solemni, ex institutione Ecclesiæ, persona adhibetur, quæ baptizatum de sacro fonte suscipiat. ibid. num 11
Susceptor tenetur baptizatum instruere in rebus fidei & morum quæ ad salutem sunt necessariæ. ibid.n.12
Susceptor esse non potest hæreticus vel non baptizatus, Abbas vel Monachus. ibid.n.13
Ex Concilio Tridentino unus tantùm sive vir, sive femina, vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipere debent. ibid. n.14
Duo viri vel duæ fœminæ non possunt baptizatum de sacro fonte levare. ibid.
Conveniens tissimum fuit, ut Baptismus solemni ritu aliquo in Ecclesia traderetur. Est de fide contra hæreticos. ibid.n.15
Institutio, significatio, efficacia, decentia, aut reverentia Sacramenti, sunt causæ cæremoniarum Baptismi. p.87.n.16
Olim in fluvijs, fontibus ac privatis domibus & alijs locis baptizabantur fideles: nunc verò in singulis Parochialibus Ecclesijs sunt baptisteria designata. ibid.n.17
Forma Baptismi debet exprimi verbis ab Ecclesia usitatis & in eo idiomate, quo ipsa in publicis officijs utitur. Ablutio item debet fieri per immersionem unam vel trinam, aut per aspersionem. Item aqua debet benedici priusquam ad usum baptismatis assumatur. ibid.n.18
Catechismus ante Baptismum, alius est adultorum, alius parvulorum. ibid.n.19
Cæremoniæ, quæ olim specialiter in Catechismo adultorum fiebant. ibid.n.20
Catechismus parvulorum etiam est antiquissimus. ibid.n.21
Exorcismus, qui præcedit Baptismum, varijs cæremonijs perficitur. p 88.n.22
Cæremoniæ sequentes Baptismum, quæ sint. ibid.n.23
Patrinus, qui advocatur ad cæremonias solùm, cognationem spiritualem non contrahit, nec est verè patrinus. ibid. n.24
Tolerabilius est differre cæremonias subsequentes Baptismum donec patrinus advenerit, quàm præcedentes. ibid.
In aliquibus Diœcesibus Pastoribus inhibetur patrinorum officium suscipere. ibid.
Susceptor in Baptismo talis ætatis esse debet, ut sit doli capax, & habeat sufficiens judicium ad peccandum mortaliter. ibid.

Barbitonsores.

Barbitonsores tondentes in die Festo accedentes ad Barbam vel capillos tondendos, non peccant mortaliter, stante parvitate materiæ: quæ autem dicenda sit parvitas materiæ, varij variè sentiunt. Consuetudo autem tolerata à Prælatis potest excusare istos barbitonsores, v. Festum 2, p. 334, n. 3. & 4.

Beati.

Pro beatis cum Christo regnantibus non sunt offerenda suffragia, quibus per se ac propriè prodesse non possunt: proinde oblationes pro Sanctis sunt potiùs gratiarum actiones, quæ Deo fiunt, & à Sanctis cognoscuntur, & ideò de illis gaudent, & ita accidentalis eorum gloria augetur. ibid.
Certum est Beatos in cœlo interdum orare pro animabus Purgatorij; quia hoc est officium charitatis, & non repugnat, sed consentaneum est statui Beatorum, v. Suffragium. p.820. & seq. n.1. & 5.
In Beatis non est spes, quæ est virtus Theologica; quia jam ea, quæ desiderabant, plenè possident, v. Spes Theologica. p.801.n.3
Non potest Episcopus sacrare Festos dies in honorem illorum qui tantùm sunt auctoritate Romani Pontificis beatificati, sed nondum canonizati, v. Festum 1. p.332.n.2

Bellum.

Bellum dicitur vel à belluis, eò quòd homines in eo plerumque ferocitatem belluarum imitentur; vel quia bellum nihil habet bellum, sed plenum est acerbitate. p.89.n.1
Bellum aliquando repugnat charitati formaliter, aliquando materialiter tantùm. ibid.
Bellum est duplex, aut enim est defensivum, aut aggressivum. ibid.
Bellum non est intrinsecè malum, nec Christianis prohibitum, ut volunt hæretici. ibid.n.2
Bellum gerere licitum est Christianis contra Turcas, quod negat Lutherus. p.90.n.3
Bellum defensivum non solùm est licitum, sed etiam interdum præceptum, ibid.n.4
Bellum aggressivum contra hostes suscipere potest Respublica perfecta vel Princeps illius. ibid.n.5
Bellum, quod sine legitima auctoritate indicitur, non solùm est contra charitatem, sed etiam contra justitiam, etiamsi adsit legitima causa. ibid.n.6
In bello justo potest Princeps ab alijs adjuvari, qui volunt esse justi belli socij. ibid.n.7

In auxilium belli juſti licitum eſt per ſe advocare milites extraneos etiam infideles; per accidens tamen ratione ſcandali poteſt eſſe gravißimum peccatum, ſocietatem belli inire cum hoſtibus religionis Chriſtianæ. p. 92. n. 8
Bellum indicere non ſemper poteſt Princeps poſitâ juſtâ cauſâ, ſed prius ab adverſario ſatisfactio petenda eſt. ibid n. 9
In bello recta intentio Principis non ad juſtitiam, ſed ad honeſtatem belli pertinet. ibid.n. 10
Non poteſt Princeps læſus bellum ſuſcipere, niſi probabiliter confidat ſe fore ſuperiorem & majorem ſperet reipublicæ utilitatem ex victoria, quàm incommodum ex bello. ibid.n. 11
Bello ſuſcepto poteſt Princeps, tum in ipſo conflictu & præparatione ad illum, tum etiam parta victoria, ea omnia adhibere, quæ neceſſaria ſunt, vel valde utilia ad finem ſuum conſequendum. ibid.n. 12
Iure naturali talis modus in toto belli progreſſu ſervandus eſt, ut nihil committatur contra leges vel juſtitiæ vel fortitudinis. p. 92. n. 13
Caſus, in quibus licitum eſt bellare contra infideles, non quidem ob ſolam infidelitatem, ſed ob aliquam circumſtantiam infidelitati annexam. ibid.n. 14
Poteſt Summus Pontifex ad Chriſtianæ fidei & Evangelij propagationem, Provincias & Regna infidelium cuilibet concedere, ut ſua faciat. ibid.n. 15
Belli cauſa ſufficiens eſt hæreſis, quatenus turbat pacem Eccleſiæ & reipublicæ, & hoc in tribus caſibus. ibid. n. 16
Princeps, qui ſuâ culpâ ſtatuto tempore, non ſolvit militi ſtipendium, tenetur reſarcire omnia damna, quæ inde fuerunt ſubſequuta. ibid.n. 17
Si Princeps neceſſitate coactus bellum præſertim defenſivum gerat & diuturnum, poteſt contingere ut ſine culpa illius ſtipendia militibus tardius, aut tenuius proveniant, quàm ipſi mereantur. ibid.
In ſolutione ſtipendij militaris, conſuetudo ſpectanda eſt. ibidem.
Peccata Officialium in exercitu ſunt varia. p 93. n. 18
Milites ratione ſtipendij quod accipiunt, ad multa tenentur ex juſtitia & ſub culpa mortali. ibid.n. 19
In bello juſto inter Chriſtianos captus ab inimicis non fit ſervus capientis, ſed tenetur pretium redemptionis ſuæ ſolvere, & uſque ad perfectam ſolutionem detineri poteſt. ibid. n. 20
Iure naturali non eſt prohibitum Clericis propria manu pugnare, ſed tantùm Eccleſiaſtico extra neceſſitatis caſum. ibid. n. 21
In bello licitum eſt Clericis in Minoribus Ordinibus conſtitutis propria manu pugnare. Et quid dicendum de beneficiatis. ibid.n. 22
Bello juſto intereſſe poſſunt Clerici, ut ſubſidia ſpiritualia miniſtrent, milites conſolentur, & ad pugnam excitent, modò ſpecialiter & expreſsè ad occiſionem & mutilationem inimicorum non excitent. p. 94. n. 23
An autem Clerici bello intereſſe poſſint ſine licentia Epiſcopi, & hic ſine licentia Papæ? *Refertur duplex ſententia*, affirmativa & negativa, & utraque probabilis. ibid.
Certum eſt tamen Religioſos ſubditos non poſſe ſe ad exercitum conferre ſine licentia ſaltem tacita ſui Superioris. ibidem.
Clerici licitè bello aſſiſtentes, ex tacita Principis voluntate, poſſunt ſpolia inimicorum accipere & retinere, ſicut alij milites: ſecus ſi Dux contradicat. ibid.n. 24
Clerici aſſiſtentes in bello juſto ſine licentia & etiam contra prohibitionem Eccleſiæ præliantes, non tenentur reſtituere, ſi quid de ſpoliis accipiant. ibid,
Bellum defenſivum omni tempore licet; ſimiliter & aggreſſivum, quando tunc victoria ſperatur. ibid.n. 25
Non eſt peccatum mortale diebus feſtis ſine neceſſitate præliari, modò audiatur Miſſa. An autem ſit veniale, alij affirmant, alij negant. ibid.

Benedictio.

Benedicere creaturas non eſt ſuperſtitioſum, nec contrarium Divinis legibus. p 95. n. 1
Rectè benedicuntur in Eccleſia, aqua, oleum, panis, cerei, cineres, rami & ſimilia, quidquid in contrarium dicant hæretici. ibid.n. 2
Utimur aquâ, oleo, alijſque rebus benedictis ad effectus ſupernaturales efficiendos & ſignificandos. ibid.n. 3
Benedicere eſt alicui bonum precari à Deo omnis boni largitore: & à meliore benedictio dari debet. ibid.n. 4
Benedictiones ſolemnes, ſeu publicæ ſunt ritus quidam, ſeu formulæ orationum à miniſtris Eccleſiæ, ex ejus inſtitutione ſuper perſonis, aut alijs rebus ſenſibilibus pronunciari ſolitæ ad impetrandum hominibus divinæ gratiæ auxilium & alia Dei dona. ibid. n. 5
Ex conſuetudine licet Abbatibus ſacras veſtes & pallas altaris benedicere, ſi uſum Pontificalium habeant. ibid. n. 6
Veſtes ſacræ benedictionem amittunt, quando ita ſcinduntur, aut franguntur, ut amplius ad uſum, ad quem deſtinatæ fuerunt, aptę non ſint, vel priorem figuram amplius non retineant. p. 96. n. 7
Benedictio Monialium de jure communi ſolis Epiſcopis competit. Ex privilegio autem Abbates benedicere poſſunt Moniales, in quas ordinariam juriſdictionem habent. ibid.n. 8
Abbatiſę exemptę & Abbatibus ſubjectę, quę per conſuetudinem ſolitę ſunt benedictionem accipere, ab eiſdem Abbatibus erunt benedicendę. ibid. n. 9
Benedicere ſolemniter populo non poſſunt Abbates, niſi id ab Apoſtolica Sede concedatur. ibid.n. 10
Non poſſunt Abbates conſecrare calices, patenas, altaria, campanas & alia vaſa Eccleſiaſtica in quibus Chriſmatis unctio requiritur, niſi ex privilegio Apoſtolico. ibid.n. 11
Referuntur quędam privilegia Summorum Pontificum, quibus licet Abbatibus calices, &c. conſecrare. p. 97. n. 12
Si Diœcesanus Epiſcopus à religioſis exemptis ter requiſitus eorum Eccleſias conſecrare noluerit, quilibet alius Epiſcopus idipſum facere poterit. ibid.n. 13

Beneficiarij.

Beneficiarius poteſt portionem beneficij ſui redundantem reſervare in ſuas quah futurum timens neceſſitates, vel ut Collegium fundet, aut Hoſpitale, aut aliud opus pium; modò interim non occurrant graves proximorum neceſſitates, v. Dominium, p 233. n. 11
Beneficiarius non tenetur ſuperfluum reditum ſui beneficij diſtribuere in opera pia in loco ubi beneficium eſt ſitum, quando aliud non poſtulat communne Diœcesis, Regni, aut totius Eccleſię bonum. p. 234. n. 12
Beneficiarij poſſunt conferre conſanguineis aliquid ex reditibus ſuorum beneficiorum alioquin expendendum in opera pia, ſi tales pro ſui ſtatus ratione non habeant, nec habere poſſint competentem ſuſtentationem. ibid. n 13
Beneficiarius nobilis, aut in magna aliqua dignitate conſtitutus, qui ſola habet bona Eccleſiaſtica ex beneficio manantia, & in opera pia expendenda, poteſt plus in alimentis & moderatam dotem filię ſpurię largiri, quàm ſi eſſet ſpuria pauperis Sacerdotis. ibid.n. 14
Beneficiarius tamen talis non poteſt de dictis ſuis bonis conferre tantam dotem ſuę filię ſpurię, quantam homo conjugatus equalis conditionis conferret in competentem & moderatam dotem filię ſuę legitimę. ibid.
Quando quis humili loco natus evehitur ad magnam aliquam dignitatem, ut ad Epiſcopatum, &c. accreſcit aliquantulum conſanguineorum & præcipuè patris & matris ſtatus, ac proinde poteſt beneficiarius licitè illis conferre moderatè ad arbitrium viri prudentis & boni. ibid.

BENEFICIUM.

De beneficio regulari, vel regularibus concedendo.

Omnia beneficia præſumuntur eſſe ſæcularia, unde dicenti beneficium eſſe regulare, incumbit onus id probandi. p.98. n. 1
Beneficium duobus modis contingit eſſe regulare. Primò, ex fundatione. Secundò, quando tempore ad legitimam præſcriptionem ſufficienti, ab uno vel pluribus regularibus pacificè & continuò gubernatum eſt. ibid.n. 2
Ut beneficium fiat ex ſæculari regulare, vel ex regulari ſæculare, ſex conditiones deſiderantur. ibid.n. 3
Beneficium regulare poteſt dari nondum profeſſis, imò & his qui habitum nondum ſuſceperunt, modò habitum ſuſcipere & profeſſionem emittere teneantur. ibid n. 4
Religioſus unius religionis non eſt capax beneficij regularis alterius religionis: imò nec beneficiorum regularium alterius Monaſterij ejuſdem Ordinis. ibid.n. 5
Regularia beneficia, alia ſunt duplicia, ut Abbatia regularis; Prioratus Conventualis, vel Clauſtralis: alia ſunt ſimplicia nempe Prioratus ſimplex, Monachatus & Canonicatus regularis. p. 99. n. 6
Prior Conventualis eſt ille, qui Conventui Monachorum, ſive aliorum religioſorum præficitur, in quo non adeſt Abbas. ibid.
Prior Clauſtralis dicitur, qui religioſis in Clauſtro & Monaſterio præfectus eſt, & Abbati ſubjicitur, & ſolet dici Vicarius. ibid. n. 7
Hujuſmodi beneficia regularia conferuntur, Primò, per electionem Canonicam; Secundò, auctoritate Superioris regu-

regularis, nempe Abbatis, Præpoſiti, vel Prioris? Tertiò, per Canonicam inſtitutionem: Quartò, conferuntur auctoritate Romani Pontificis. ibid. n.8
Beneficia Eccleſiarum regularium, quæ cum portione redituum Eccleſiaſticorum pro miniſterio ſpirituali dantur, quamvis manualia ſint, verè tamen & propriè beneficia Eccleſiaſtica dicuntur: licet contrarium non ſit improbabile. ibid. n.9
Regulares tenentur præcipiente Prælato, acceptare beneficia, quæ pleno jure ad ipſius Monaſterij Prælatum ſpectant, quamvis manualia ſint. ibid. n.10
Quando beneficia non ſubſunt pleno jure Monaſterio, conferri nequeunt religioſis per ſolam Prælati regularis voluntatem. p.100. n.11
Attento jure communi juxta veriorem ſententiam, nulla habenda eſt diſpenſatio ut regularis poſſit habere beneficium curatum ſæculare. ibid. n.12
Quatuor conditiones requiruntur ut regularis ſit capax beneficij curati ſæcularis. ibid. n.13
Canonici regulares de jure communi antiquo & novo poſſunt ad beneficia curata ſæcularia promoveri, obtentâ ſuorum Prælatorum licentiâ. ibid. n.14
Regularis poteſt præfici Eccleſiæ Collegiatæ, abſque diſpenſatione aliqua, cùm eligatur ad curam animarum ſicut Epiſcopus. ibid. n.15
Beneficia ſimplicia ſæcularia non poſſunt à regularibus poſſideri, nec poteſt Epiſcopus diſpenſare. ibid.
Regularis eſt incapax pentionis ſuper beneficio ſæculari, ſive ſimplici, ſive curato obtinendæ, abſque diſpenſatione Summi Pontificis. ibid.

BENEFICIUM.

Qui de jure ad Beneficia inhabiles.

Ad beneficia inhabiles ſunt, hæretici, eorumque fautores & receptatores, defenſores, eorumque filij uſque ad ſecundam generationem in linea paterna; ſed in materna uſque ad primam tantùm. p.101. n.1
Apoſtatæ à religione ſunt etiam inhabiles ad beneficia etiamſi habitum ſuæ religionis non dimiſerint. ibid. n.2
Excommunicati majori excommunicatione ſunt inhabiles ad quæcumque beneficia, ſive excommunicatio ſit occulta, ſive publica, ſive denunciati ſint excommunicati, ſive non. ibid. n.3
Suſpenſi ab officio vel beneficio ſunt inhabiles ad beneficia obtinenda, & proviſio eis facta nulla eſt, ſi ſint ſuſpenſi ab omnibus Ordinibus. ibid. n.4
Interdicti perſonaliter non poſſunt beneficia conſequi, nec irregulares, nec Sodomitæ notorij, nec bigami, nec aleatores, nec ſimoniaci; nec Clerici uſurpantes bona & jura locorum piorum; nec Clerici concubinarij incorrigibiles; nec conjugati niſi ſervata regula Canonum. p.102. n.5
Multi alij recenſentur inhabiles ad beneficia obtinenda. ibid. n.6

BENEFICIUM.

De eneBficiorum unionibus.

Unio eſt plurium beneficiorum, ſeu Eccleſiarum à legitimo Superiore facta annexio. p.103. n.1
Unio beneficiorum tripliciter fieri poteſt. ibid. n.2
Epiſcopus jure communi antiquo poteſt unire beneficia & Eccleſias ſuæ Diœceſis, modò illa non ſint exempta ab ipſius juriſdictione. ibid. n.3
Generalis Vicarius Epiſcopi non poteſt beneficia unire, niſi ſpecialiter ſibi ab Epiſcopo committatur. ibid. n.4
Capitulum Sede vacante poteſt ea beneficia unire, quæ poteſt Epiſcopus. ibid. n.5
Archiepiſcopus nequit unire beneficia in diœceſi ſuffraganeorum. ibid. n.6
Verius eſt Legatum à latere poſſe unire beneficia Provinciæ ſuæ legationis, abſque præjudicio tamen Epiſcopi. ibid.
Abbates & Prælati Epiſcopo inferiores nequeunt hanc unionem facere; niſi hoc ex privilegio, vel conſuetudine præſcripta, aut præſcriptione immemorabili vel quadragenaria cum titulo illis comperat. ibid. n.7
Abbates habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem & territorium, poſſunt Eccleſias, beneficia necnon Monaſteria ſibi ſubjecta ex juſta cauſa unire. ibid.
Ad unionem beneficiorum faciendam per Epiſcopos & alios dictos Prælatos, requiritur cauſa juſta, quæ eſt neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ. p.104. n.8
Forma & ſolemnitates requiſitæ in Eccleſiarum & beneficiorum unione recenſentur. ibid. n.9
Quando Eccleſia aliqua annectitur Abbatiæ, ſortitur naturam, jura, & privilegia ipſius Abbatiæ. ibid. n.10
In tribus caſibus unio eſt ipſo jure irrita defectu ſolemnitatum petitarum. ibid. n.11
Quod ſi in ceteris ſit ſervata forma in unione, tamen impetrata fuit ex falſa cauſa ab inferioribus Pontifice, non eſt unio ipſo jure irrita, ſed irritanda ope exceptionis: ſi autem à Pontifice, eſt ipſo jure irrita. ibid.
Circa uniones beneficiorum Concilium Tridentinum multa decrevit, & in aliquibus antiquiora correxit. ibid. n.12
Epiſcopus poteſt poſt Tridentinum examinare uniones, ac illarum effectum impedire, non obſtante præſcriptione quadragenaria. ibid.
Ex Tridentino integrum non eſt Epiſcopis unire beneficia diverſarum diœceſium. p.105. n.13
Epiſcopus po eſt unire beneficia non ſola poteſtate ordinaria, ſed etiam delegata per Tridentinum. ibid. n.14
Attento Tridentino beneficia curata non poſſunt ab Epiſcopo uniri Monaſterijs, pijs locis, aut beneficijs ſimplicibus. ibid. n.15
Tridentinum concedens Epiſcopis unionem abſque conſenſu patroni Eccleſiaſtici, derogavit juri communi. ibid. n.16
Poteſtati Epiſcoporum in uniendis beneficijs ſæcularibus Monaſterio, aut religioni, non derogavit Tridentinum; modò non ſint curata, vel extra diœceſim. ibid. n.17
Beneficium ſæculare ſic unitum, ſtatuto Epiſcopi poteſt deſerviri per regularem. ibid.
Poteſt Epiſcopus ex ijs beneficijs, quæ unire poteſt, reddere aliquod manuale & ad nutum amovibile, quod erat perpetuum de conſenſu patroni, ſi juriſpatronatus ſit. ibid.
Monaſterio Monalium poteſt uniri beneficium curatum per Pontificem in temporalibus & ſpiritualibus, ita ut Abbatiſſa exerceat curam animarum per Vicarium. ibid. n.18
Prælati Epiſcopo inferiores habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Eccleſijs ſibi pleno jure ſubjectis, poſſunt uniones Eccleſiarum, Monaſteriorum vel beneficiorum diſſolvere, juſtis de cauſis in jure expreſſis. ibid. n.19
In diſſolutione unionum vocandi ſunt, quorum intereſſe poteſt, talem conjunctionem non diſſolvi. ibid.

BENEFICIUM.

De Beneficiorum reſervationibus ac devolutionibus.

Beneficium reſervatum eſſe dicitur, cujus collationem Papa ſibi propriam vendicat. p.106. n.1
In prima regula Cancellariæ reſervantur Papæ omnia beneficia curialia & aliorum ad curiam accedentium, vel inde recedentium, ſi moriantur in locis non diſtantibus à Curia ultra duas dietas legales. ibid.
Tria obſervanda circa hanc regulam primam. ibid.
In ſecunda regula fit reſervatio Cathedralium Eccleſiarum & Monaſteriorum virorum, &c. ac tempore vacationis Epiſcopatuum, vacaturorum beneficiorum. ibid. n.2
In tertia regula fit reſervatio dignitatum & beneficiorum familiarium Papæ & S.R.E. Cardinalium. p.107. n.3
In quarta fit reſervatio beneficiorum Collectorum & Subcollectorum. ibid. n.4
In quinta reſervantur beneficia Curialium, dum Curia tranſfertur. ibid. n.5
In ſexta fit reſervatio beneficiorum Cubiculariorum & Curſorum Papæ. ibid. n.6
In ſeptima reſervat Papa beneficia Eccleſiarum S. Joannis Lateranenſ. & ſancti Petri, ac Beatæ Mariæ Majoris de urbe & beneficia titulorum Cardin. à Curia abſentium. ibid. n.7
In octava regula fit reſervatio menſium Apoſtolorum & de alternativa pro Epiſcopis reſidentibus. ibid. n.8
De concordatis cum Germanis & Gallis inter Apoſtolicam Sedem pro beneficijs conferendis. ibid.
Hæ reſervationes Papales quatenus ſunt derogativæ ordinariæ collationis Epiſcoporum, in certis caſibus reſtringi debent. ibid. n.9
Devolutio beneficij eſt, cùm jus conferendi vel inſtituendi in beneficio transferrur in alium, ex ex quòd intra tempus jure præſcriptum, non eſt à proprio collatum. ibid. n.10
Quando ij, ad quos ſpectat, non providenr de beneficijs intra tempus jure præfixum, fit devolutio ad Superiorem gradatim. ibid.
Tempus jure præſcriptum eſt, ut patronus laicus habeat quatuor menſes ad præſentandum; Eccleſiaſticus ſex. ibidem.
Quando Abbas vel Prælatus eſt immediatè Papæ ſubjectus,

beneficiorum collatio, quæ ad ipsum pertinebat, in casu negligentiæ, devoluitur ad Sedem Apostolicam, vel ad Legatum de latere. ibid. n. 11

Quando patronus tam regularis, quàm sæcularis negligit præsentare intra tempus sibi præfixum, tunc jus conferendi ad instituentem, tanquam ad proximum Superiorem devoluitur. ibid.

Si Episcopus negligentiam vel delictum committat in conferendis beneficijs, quæ ad ipsum spectant jure proprio & non devoluto, tunc jus collationis ad Capitulum devoluitur. p. 109. n. 12

BENEFICIUM.

De Beneficijs patronatis.

Jus patronatus, est jus nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans: & acquiritur tribus ex causis, nempe, Ecclesiæ fundatione, ædificatione, & dotatione. p. 109. n. 1

Unus potest esse Ecclesiæ patronus, si idem eam fundavit, construxit & sufficienter dotavit: & plures patroni esse possunt, si alius fundavit, alius ædificavit, & alius dotavit. ibidem.

Ecclesia sine dote consecranda non est; alioquin Episcopus eam dotare debebit in patroni defectum, si sine Ecclesiæ detrimento possit. ibid.

Qui Ecclesiæ, cui dos constituta non est, post consecrationem dotem assignat, efficitur ejus patronus. ibid.

De alijs modis, quibus ex prædictis acquiritur jus patronatus. ibid. n. 2

Jus patronatus est duplex, Ecclesiasticum nempe & laicum. p. 110 n. 3

Patronus laicus præsentare tenetur Episcopo rectorem instituendum in Ecclesia, cujus est patronus, intra quatuor menses à tempore vacationis cognitæ, & si neminem præsenter, collatio beneficij pertinet ad Episcopum. ibid. n. 4

Si patronatus sit Ecclesiasticus, conceduntur sex menses: si autem patroni sint simul Clericus & Laicus habebunt similiter tempus sex mensium ad præsentandum. ibid.

Quamvis patroni laici possint variare antequam Ordinarius præsentatum instituat, & alium successivè cumulando præsentare, non licet tamen id facere patronis Ecclesiasticis. ibid. n. 5

Omnes patroni & patronæ, tam Clerici, quàm sæculares & regulares habentes jus præsentandi ad Parochias patronatus, tenentur ad eas vacantes intra 20. dies à die verisimilis notitiæ vacantionis Capellanum præsentare, ex Constitutione Pij V. ibid.

Jus patronatus laicorum potest in Monasterium transmitti. Primò, per hæreditariam successionem: Secundò, per donationem: Tertiò, per permutationem: Quartò, per venditionem veræ universitatis bonorum, in qua est constitutum. ibid. n. 6

Patrono sive Ecclesiastico, sive laico quatuor potissimum jure competunt: Primum est præsentare Episcopo instituendos ad beneficia, tum simplicia, tum curata postquam vacaverint. p. 111. n. 7

In Collegiatis Ecclesijs Prælatus, seu Rector non ad patroni præsentationem instituitur, sed à Capitulo eligitur. ibidem.

Secundum jus patroni est, ut quasi principalis & primus in processionibus & sessionibus incedat. ibid. n. 8

Tertium est, quod sit defensor præcipuus Ecclesiæ, quia tenetur eam defendere ab omnibus oppressoribus. ibid.

Quartum jus est, si patronus ejusve filij ad inopiam vergant, ab Ecclesia ejusve beneficiatis alendus est ex reditibus superfluis, secundùm Ecclesiæ facultates & qualitatem patroni. ibid. n. 9

Quid de jure faciendum, quando præsentatio fit à pluribus patronis, qui inter se non conveniunt. ibid. n. 10

Patronus non potest præsentare seipsum, licet quando plures sunt patroni, unus ex illis possit ab alijs præsentari. ibid. n. 11

Probabile est patronum laicum non teneri præsentare dignioretn, modò præsentatus sit dignus. ibid. n. 12

Episcopus, Vicarius ejus Generalis, Capitulum Sede vacante, jure communi habent jus instituendi præsentatos à patronis; sicut & Abbates in Ecclesijs & Capellis sibi pleno jure subjectis. p. 112. n. 13

Institutio est ipso jure irrita, si fiat neglecto patrono. Et qualis consensus patroni requiratur. ibid. n. 14

Summus Pontifex potest derogare cuicumque juri patronatus. ibid. n. 15

Jus patronatus extinguitur quinque modis. ibid. n. 16

BENEFICIUM.

Quoad formam servandam in provisione beneficiorum.

In provisione beneficiorum servanda est forma, quam jus statutum, consuetudo vel fundatio præscripserit, quod etjam verum est in foro conscientiæ. p. 113. n. 1

Forma servanda in provisione Ecclesiarum Parochialium, juxta Concilium Tridentinum. ibid. n. 2

Capitulum Sede vacante; Vicarius Generalis Episcopi; Prælati inferiores Episcopis, qui nullius sunt diœcesis & proprium habent territorium, & omnimodam & quasi Episcopalem jurisdictionem & jus congregandi Synodum possunt concursum beneficiorum curatorum facere. ibid. n. 3

In concursu omnes ad examen sunt admittendi, etjam, post terminos edicti, re integra, hoc est, antequam examen sit absolutum. p. 114. n. 4

Quando post terminum edicti nullus examinandus comparet, quid faciendum ex declarationibus sacræ Congregationis. ibid. n. 5

In provisione beneficiorum simplicium, nulla est specialis forma prælcripta in jure, sed sufficit provisum esse idoneum. ibid. n. 6

Beneficium debet conferri vacans, non antea: quamvis Papa possit tribuere jus vacaturis. ibid. n. 7

Tempus intra quod debeat provideri de beneficijs vacantibus, est semestre: & in quibus habeat locum. ibid. n. 8

In provisionibus necessarijs non est à jure præfinitum tempus intra quod necessariò debeat fieri institutio, confirmatio & collatio. ibid. n. 9

BENEFICIUM

De permutatione & resignatione beneficiorum.

Permutatio beneficij privata auctoritate facta, jure Ecclesiastico prohibita est. p. 115 n. 1

Permutatio facienda est auctoritate Ordinarij, qualis est Papa, Episcopus, Legatus à latere, vel Prælatus inferior habens Episcopalem jurisdictionem. ibid. n. 2

Quædam permutationes beneficiorum prohibentur fieri coram Ordinarijs locorum. ibid. n. 3

Ut permutatio beneficiorum rectè & valide fiat, quædam observanda, ibid n. 4

Permutantes possunt inter se tractare & agere de beneficijs permutandis & concludere in ordine ad consensum Superioris. ibid. n. 5

Permutantes possunt constituere Procuratores, per quos sua beneficia permutent. ibid.

Non est certum tempus in jure constitutum, intra quod Ordinarius debeat conferre beneficia resignata ex permutatione. p 116. n. 6

Permutatio debet fieri ex causa, quæ sit necessitas vel utilitas Ecclesiæ vel personarum permutantium. ibid. n. 7

Resignatio beneficij simplex differt à resignatione conditionali in duobus. ibid. n. 8

Super resignationibus beneficiorum emanarunt à Pio V. duæ Bullæ, quarum summarium hic recensetur. ibid. n. 9

Omnes qui habent beneficia, possunt illa resignare, exceptis minoribus 14. annis & privatis ipso jure ob crimen commissum. p 117. n. 10

Clericus potest per Procuratorem etjam laicum beneficium suum resignare; imò unus & idem resignantis & resignatarij Procurator esse potest, illius nomine dimittendo & hujus accipiendo. ibid. n. 11

Resignatio cum reservatione fructuum jure communi fieri non potest; tamen justis de causis ex dispensatione Papæ admitti solet. ibid. n. 12

BENEFICIUM

De certis quibusdam modis quibus beneficia amittuntur.

Beneficia non amittuntur per sponsalia de futuro. p. 118. n. 1

Per contractum matrimonij validum vacant statim ipso jure beneficia illius Clerici in Minoribus Ordinibus constituti contrahentis. ibid. n. 2

Per matrimonium validum accessus, ingressus & quælibet alia jura ad beneficium Ecclesiasticum ipsi contrahenti competentia, amittuntur, & vacant ipso jure instar beneficiorum. ibid n. 3

Clericus

Clericus contrahens matrimonium tenetur dimittere priora beneficia, & possunt statim tamquam vacantia impetrari, & alteri conferri: unde hic non potest ea resignare, matrimonio contracto in favorem tertij. ibid. n.4

Quando matrimonium clerici est irritum ex quacumque causa juxta probabiliorem sententiam, non amittuntur ipso jure beneficia, sed in delicti pœnam, sententiâ judicis accedente, contrahens privandus est. ibid. n.5

Clericus ordinatus in sacris contrahens matrimonium non amittit ipso jure beneficia. ibid.

Quando Parochus intra annum à die possessionis pacificæ Sacerdotio non ordinatur, si per eum steterit, vacat ipsius beneficium ipso jure post integrum annum elapsum. ibid. n.6

Hæc pœna habet etiam locum in Vicario perpetuo in Priore Conventuali, seu Claustrali, sive in titulum, sive in commendam habeat Ecclesiam. ibid.

Si Episcopus legitima auctoritate ab una Ecclesia transferatur ad aliam, prima vacat per secundæ possessionem pacificam: si non legitima auctoritate, utramque ipso jure amittit. p. 119. n.7

Per promotionem ad Episcopatum, post pacificam ejus possessionem, vacant omnia beneficia etiam simplicia. ibid.

Quæcumque beneficia ante habita vacant professione religionis approbatæ tacitâ vel expressâ: tamen non vacant beneficia professione equitum militarium D. Iacobi, Calatravæ & Alcantaræ ac similium; secus de Equitibus D. Ioannis, qui solemnem professionem emittunt. ibid. n 8

Beneficia Novitiorum non vacant ante emissam professionem, & si conferantur absque illorum consensu, collatio est irrita. ibid.

Quatuor modis ipso facto tantùm & non jure beneficia vacare dicuntur. ibid. n.9

Beneficia manualia vacant per collationis revocationem & per mortem possidentis. ibid. n. 10

Potest Prælatus ad libitum & absque causa Priorem manualem à suo Prioratu removere, quamvis promiserit se non revocaturum. ibid.

Imò, etiamsi promissionem juramento confirmasset, vel aliàs nunquam revocaverit, vel etiam si Prælatus cum conventu promiserit se non revocaturum, nisi de ipsius conventus consensu. ibid.

Regularis juvari non potest in pacifica possessione sui beneficij manualis regula Cancellariæ, *de triennali*; imò spoliatus non potest contra Prælatum de possessorio agere, petendo se ad pristinam possessionem restitui, nisi spoliatus sit ex Prælati malitia. p. 120. n. 11

Quando Summus Pontifex contulit regulari Prioratum manualem vel beneficium potestate ad ipsum devolutâ ob Prælati negligentiam, tunc non alteratur natura beneficij manualis. ibid. n. 12

Quando Summus Pontifex cessante omni negligentiâ Prælati contulit talem Prioratum aut beneficium religioso expressè, ut debeat quoad vixerit, possidere, tunc non poterit Prælatus eum removere; secùs si simpliciter contulit, ibidem.

Quando Papa beneficium manuale à Prælato collatum ex certa scientia confirmat, non potest Prælatus illud à religioso absque ipsius Papæ licentia auferre, nisi crimen privatione dignum commiserit. ibid n. 13

Beneficium manuale per Papæ collationem aut confirmationem non mutat naturam suam, sed mortuo possidente poterit ad Superioris nutum conferri & revocari. ibid.

Bestialitas.

Bestialitas est gravissimum scelus inter omnia quæ contra naturæ ordinem ab hominibus committuntur. Hoc crimen punitur pœna mortis & flammarum post mortem & secundum jurisperitos, sufficit ad hanc pœnam inceptio operis, quamvis opus non fuerit consummatum, v. Luxuria. p. 511. n. 10.

Bestialitatis peccatum illud etiam est, quod committitur cum dæmone in corpore assumpto: Hoc autem nefandissimum scelus est crimen omnium gravissimum, quæ committi possunt in speciebus luxuriæ contra naturam, & multò gravius peccato Sodomæ, ac bestialitatis simplicis cum bruto. ibid n. 11

Omnes bestialitates sunt ejusdem speciei, quantum est ex natura actus: ex parte tamen affectus, ultra bestialitatis vitium deformitatem Sodomiæ, vel adulterij, vel incestus, vel sacrilegij, vel fornicationis induit. ibid. n. 12

Clericus committens vitium bestialitatis non incurrit pœnas Extravagantis Pij V. contra Sodomitas. p. 510. n. 7

Blasphemia.

Blasphemia prohibetur primo Decalogi præcepto; potest etiam dici interdici secundo Decalogi præcepto: quòd magis in vanũ nomen Dei assumat, qui aliquid falsum de Deo asserit quam qui confirmat falsũ per Dei nomen. p. 121. n. 1

Blasphemiæ peccatum variis modis contingere potest, id est potest aliquid falsi dici de Deo multipliciter. ibid n. 2

Blasphemia nefandissima est jurare per falsos gentilium Deos. Imò blasphemum est jurare per quamcumque creaturam sistendo in ea, & non ut in ea Deus relucet. ibid. n. 3

Quæ sint dicenda & censenda verba blasphema. ibid. n. 4

Admittitur materiæ parvitas excusans à mortali in blasphemijs in Sanctos, non ut Sancti sunt directè & formaliter, sed materialiter, & per accidens, & ut quidam homines sunt. p. 122. n. 5

Blasphemia non hæreticalis minus peccatum est, quàm infidelitas. Odium Dei gravius est blasphemiâ. Hæc autem gravior est, quàm perjurium & homicidium. ibid. n. 6

Catholicus blasphemans gravius peccat, quàm hæreticus, si solùm ratio blasphemiæ consideretur. p. 123. n. 7

Blasphemia publica dicitur, quando est notoria, vel notitiâ juris, vel notitiâ facti. ibid. n. 8

Blasphemia quamvis sit publica, non est jure communi Episcopo reservata; quamvis in nonnullis locis specialiter sibi eam reservent Episcopi. ibid.

Audiens blasphemantem tenetur præcepto naturali divino ad fraternè corripiendum, quando speratur emenda. ibid. n. 9

Blasphemum publicum licet judici denunciare, etiam non præmissâ correptione fraternâ imò & post emendationem. ibid. n. 10

Si quis jocosè quippiam in Deum, in Sanctos, aut in fidem dixerit; vel dormiens, vel in ebrietate vel delirans blasphemaverit, quâ pœnâ plectendus sit. ibid n. 11

Bigamia.

Bigamiæ irregularitatem non inducit pluralitas uxorum per verba de præsenti citra consummationem, v. Irregularitas 1. p. 434. n. 4

Si quis ducat uxorem etiam corruptam, sed moritur ante carnis copulam, & deinde ducit virginem & eam cognoscit carnaliter, non est bigamus nec irregularis. ibidem n. 5

Bigamum non facit divisio & corruptio viri cum alijs extra matrimonium, sicut facit si ducat uxorem ab alio cognitam. ibid. n. 6

Si quis liber ab omni voto contrahat matrimonium cum femina habente solemne votum castitatis, si eam cognoscat, non videtur esse bigamus & irregularis. ibid. n. 7

Ex bigamia propria & interpretativa irregularitas orta, etiam occulta, non est ab Episcopo dispensabilis, quia est ex defectu: licet nonnulli arbitrentur contrarium non esse improbabile, quia est ex delicto etiam alieno, v. Irregularitas 3. p. 446 n 8

An monialis bigama eligi possit in Abbatissam? alij negant, alij affirmant. Observandum est quod habet legitima consuetudo, v. Abbatissa. p. 11. n. 10

Bigami prohibentur beneficia habere, cùm etiam prohibeantur ordinari; propterea beneficij collationem factam bigamo nullam esse affirmat Navarrus, v. Beneficium 2. p. 102 n. 5.

Eligendus in Episcopum oportet ut sit tantùm unius uxoris vir non bigamus, qui plures uxores habuerit, aut viduam vel corruptam ab alio duxerit, v. Episcopus. pag. 292. n 4.

Bona.

Bona temporalia, quatenus justum suo modo etiam adjuvant ut ad beatitudinem pervenire possit, cadunt in meritum de condigno, v. Meritum. p. 554 n 15.

Bona naufragantium quando quis accipit suadens sibi ea esse derelicta à proprijs dominis non peccans in eorum retentione aut ablatione, potest ea usucapere & præscribere; secus si quis imprudenter & falsò judicet rem pro derelicto habitam, v. Præscriptio. p. 669. n 6.

Bona religiosi transeuntis ad aliam Religionem studio melioris vitæ, manent penes primum Monasterium; sed quidquid post secundam professionem in secundo Monasterio emissam illi obvenerit, spectabit ad secundum, v. Religio. p. 724 n. 27.

Professus in Religione incapaci bonorum translatus ad Religionem capacem, recuperat bona post translationem sibi delata ad utilitatem secundæ Religionis capacis. ibidem.

Translatus de Religione incapaci ad capacem auctoritate Apostolica, non recuperat bona quæ ante professionem obtinebat, ut resolvit Rota. ibid.

Si religiosus transferatur ad aliam Religionem, non ut ibi profiteatur, sed ut peccatorum suorum pœnitentiam agat, tunc usus fructus bonorum Priori Monasterio acquisitorum debentur Monasterio ubi pœnitentiam gerit. ibid.

Bona religiosorum, qui egrediuntur vel ejiciuntur, vel suorum

Digitized by Google

fuorum Superiorum conſenſu extra cœnobia & clauſtra commorantur, undecumque vel quomodocumque fuerint acquiſita, ipſis Monaſterijs debentur, in quibus illi primò profeſſionem emiſerunt, ex conſtitut. Pauli IV. ubi tamen ſpoliorum uſus viget, ad fiſcum Pontificis pertinent, ex conſtit. Gregorij XIII. v. Spolium. p.806.n.10.

Bona patrimonialia clericorum ſpolio Eccleſiaſtico non ſunt ſubjecta, ſicut nec bona quaſi patrimonialia. p.805.n.3

Bona, quæ clericus ex patrimonio, vel arte, vel induſtria comparata relinquit, nullo hærede relicto intra decimum gradum, jure communi acquiruntur Eccleſiæ; vel Epiſcopo, ſi nulli erat Eccleſiæ adſcriptus: vel Fiſco Pontificio, ubi ſpoliorum uſus invaluit. ibid. n.4

Bona per uſuram extorta uſu conſumptibilia, non ſunt obligata pro uſuris ſolvendis obligatione reali, ſed perſonali tantùm, quando uſurarius habet aliunde bona juſto titulo acquiſita ad ſatisfaciendum ſufficientia; ſecus ſi non habeat alia bona, v. Mutuum. p.587.n.30.

Bulla.

Bulla Pauli III. in favorem Montis Pietatis Ferrarienſis concedens Miniſtris dicti Montis, ut poſſint deponentibus pecunias apud ipſum Montem ultra ſortem ad rationem quinque librarum Marchetan. quolibet anno pro centenario ſolvere & deponentibus licitè poſſe accipere, v. Mutuum. p.581.n.5.

Bulla Pij V. *Etſi mendicantium Ordines*, non revocatur in multis articulis, per Bullam Gregorij XIII. *In tanta negotiorum mole*, v. Prædicatio. p.664 n.5.

Bulla Gregorij XIV. *Cùm aliàs nonnulli*, de immunitate Eccleſiarum, ponitur, v. Immunitas. p.404.n.1.

Bulla Cruciatæ vel Jubilei, quatenus continet poteſtatem abſolvendi & diſpenſandi, eſt latè, non ſtrictè interpretanda, juxta veriorem ſententiam, v. Privilegium. pag.675. n.3.

Bulla Cruciatæ vel Jubilei prout continet actualem juris diſpenſationem, eſt ſtrictè interpretanda, & non extendenda ultra propriam verborum ſignificationem & naturam. ibid.n.4

Bulla Gregorij XV. & Urbani VIII. circa vivæ vocis oraculorum revocationem, recenſetur. p.677.n.8

Bullæ, quibus privilegium aliquod conceditur regularibus, non debent neceſſario publicè promulgari, ut privilegium in eiſdem contentum valeat, ſed ad ſummum requiritur, ut illis, quorum intereſt, authenticè ordine judiciario exhibeantur. p.683.n.17

Bulla Gregorij XIII. *Expoſcit Paſtoralis officij munus*, ſuper præcedentia in proceſſionibus, continetur, v. Proceſſiones. p.693 n.7.

Bullam compoſitionis ſuper bonis incertis, ſive juſtè ſive injuſtè habitis, probabile eſt, Epiſcopum poſſe concedere pro ſua tantùm Diœceſi, v. Reſtitutio. p.748.n.41.

Bulla Clementis VIII. *Quoniam*, & ejus ampliatio circa novorum Monaſteriorum ædificationem, & Bulla Urbani VIII. *Romanus Pontifex*, de eadem materia habetur, v. Eccleſia. p.259.n.15.

Bulla Urbani VIII. *Humanæ Salutis Auctor*, hodie obſervanda eſt, nempe, ut nequeant Eccleſiaſtici Prælati vel Superiores concedere in feudum, vel emphyteuſim, civitates, terras, caſtra, oppida, aut quævis alia loca, vel bona juriſdictionalia, &c. ad eorum Eccleſias vel Monaſteria aut loca ſpectantia, v. Feudum. p.338.n.13.

Bulla Pij V. *Cùm omni Apoſtolica*, multas conditiones requirit & jubet ſervari in contractu cenſuario, ſine quibus decernit ipſum contractum irritum & fœneratitium habendum; quæ tamen multis in locis non eſt uſu recepta, v. Cenſus. p.135 n.8. & ſeqq.

Bulla Pij V. *Ex proximo Lateranenſ. Concilio*, ponitur, per quam omnes beneficiarij, poſt ſex menſes ab obtento beneficio Eccleſiaſtico, tenentur ceſſante legitimo impedimento, divinum Officium dicere, ſub pœna reſtitutionis fructuum, ſi illud omittant, faciendæ pauperibus pro rata omiſſionis, v. Horæ Canonicæ. p.387.n.4.

C.

Cambium.

CAmbium non eſt emptio & venditio; neque depoſitum neque commodatum; neque mutuum; ſed refertur ad contractum permutationis. p.124. n.1

Venus eſt artem campſoriam ſecundùm ſe eſſe de genere earum rerum, quæ habent ſpeciem mali, vel de genere malè ſonantium: tamen juſtis de cauſis poſſe honeſtari. ibid. n.2

Cambiorum negotiatio circa pecunias verſatur, ſicut mercaturæ circa merces. ibid.n.3

Pecunia ſecundùm uſum ejus minùs principalem & ſecundarium poteſt commutari aut vendi pluris, quàm ejus æſtimatio legalis valeat. p.125.n.4

Pecunia ratione materiæ ſecundùm metalli naturam & quoad uſum per accidens, poteſt pluris vendi & commutari quàm valeat juxta legis præſcriptum. ibid.

Quando pecunia tanquam res quædam venditur, locatur aut commodatur, varijs ex cauſis pluris minoriſvè æſtimatur. ibid n.5

Conſtitutio pretij in Cambijs & pecuniarum quæ commutantur æſtimatio, juſtè & licitè fieri poteſt à mercatoribus artem campſariam exercentibus. ibid.n.6

Ut juſtè pretia cambijs conſtituantur, æſtimatio pecuniarum in locis, inter quæ cambia celebrantur, facienda eſt, juxta eumdem temporis articulum, quo fiunt cambia. p.126. n.7

Non poteſt campſor à principio contractus cambij paciſci de lucro ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis, ſi ſuſpicetur campſarium nullam habere pecuniam vel creditum in loco ſolutioni deſignato. ibid.n.8

Non licet item in principio contractus cambij convenire cum campſario de aliquo certo lucro perſolvendo literis non ſolutis, ubi facienda eſt pecuniarum ſolutio, ratione futuri damni emergentis, vel lucri ceſſantis. ibid.

Cambium ficcum fit multis modis. ibid.n.9

Canonicus.

Canonicus eſt clericus qui Canonicam in Eccleſia Cathedrali vel Collegiata poſſidet. p.126 n.1

Canonici tenentur Officium divinum canendo & alta voce recitando perſolvere. Nec poteſt Canonicus alium in ſui locum ſubſtituere præciſa conſuetudine vel privilegio. p.127.n.2

Quando numerus Canonicorum alicubi determinatus non eſt, tot in Eccleſia inſtitui debent, quot ex reditibus commodè ſuſtentari poſſunt, habito reſpectu ad alia ejusdem Eccleſiæ onera & impendia in fabricam, &c. ibid.n.3

Si reditus Eccleſiæ nimis decreſcant, ut non ſufficiant tanto Canonicorum numero ſuſtentando, imminui poterit. ibidem.

Canonicorum Collegium non poteſt conſuetudines, quæ in negotijs arduis verſantur, inducere, ſine Epiſcopi conſenſu. ibid.n.4

Canoniſſa.

Canoniſſæ tenentur Abbatiſſæ ſeu Prioriſſæ obtemperare & reverentiam impendere, ejuſque ſalubria mandata obſervare, v. Abbatiſſa. p.13 n.24.

Canoniſſæ Montenſes, Malbodienſes, Nivellenſes & ſimiles obligantur ſub peccato mortali ut quotidie in earum Eccleſijs Officium divinum fiat, v. Horæ Canonicæ 1. p.380.n.6.

An dictæ Canoniſſæ omittentes Officium uno vel altero die in particulari dum chorum non frequentant, peccent mortaliter? Leſſij ſententia eſt negativa: nec teneri ad ullam reſtitutionem fructuum: quod alijs non placet. ibid.

Canonica portio.

Canonica portio eſt certa quantitas, quæ Epiſcopo vel Paracho debetur & præſtatur ratione funeris, à Sacris Canonibus approbata, & jure decretorum debita. Dicitur autem Canonica portio, quia à Canone & lege eſt introducta, v. Parochia. p.628 n.19

Canonica portio Parochialis quoad quantitatem & quotam in qua ſolvitur Parochis, varia eſt, ſecundùm varia jura & diverſas conſuetudines; nam aliquando eſt quarta, aliquando tertia, aliquando media. ibid.

Canonica portio debita Eccleſiæ Parochiali, non ſolùm in parte, ſed etiam in totum poteſt conſuetudine vel præſcriptione præſcribi. ibid. n.20. Sed plura de hac Canonica portione ibid & ſeqq.n.21.22.23.&.24.

Canonizatio Sanctorum.

In Canonizatione Sanctorum piè credendum eſt Papam errare non poſſe, v. Papa. p.614 n.9.

Cantus.

Uſus recitandi Horas Canonicas in Eccleſia cum cantu, laudabilis eſt, contra nonnullos hæreticos, v. Horæ Canonicæ III. p.385.n.3.

Cantus Eccleſiaſticus neque eſt per ſe malus, nec prohibitus jure Eccleſiaſtico: quamvis magna cura adhibenda ſit, tum ejus qui planus ſeu Gregorianus dicitur, tum ejus qui poſtea in Eccleſiam eſt introductus & vocatus figuratus ſive harmonicus, ne quis cantu abutatur ad vanitatem, faſtum aut ad aliquam ſæcularium delectationem. ibid.

Concilium Tridentinum non arcet ab Eccleſijs vel muſicam, organa, vel moderatum uſum inſtrumentorum muſicorum, ſed muſicas eas, ubi laſcivum, aut impurum aliquid miſcetur. ibid.

De obligatione Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, & regularium ad cantum, vide ibid.& ſeq.n.4.5.6.& 7.

Capitulum.

Capituli poteſtas quoad juriſdictionem procedit, ſive vacet Sedes

Sedes morte naturali Episcopi, sive depositione, sive translatione ad aliam Ecclesiam, vel si Episcopus captus esset à Paganis, vel Schismaticis, vel hæreticis, quousque captivitas perseverat. p.118.n.1
Capitulum Sede vacante potest dispensare cum illegitimis quoad Ordines Minores & beneficium simplex, & maximè si Vicarius Capitularis habeat ad hoc speciale mandatum. ibid.n.2
Verius est, posse Capitulum Sede vacante dispensare super omnibus irregularitatibus, suspensionibus, &c. quibus potest Episcopus per Tridentinum. ibid.n.3
Capitulum Sede vacante potest dispensare in legibus Pontificijs, quando non est facilis recursus ad Papam. ibid.n.4
Capitulum Sede vacante potest ferre censuras, & ab illis absolvere; visitare Diœcesim; non tamen Monasteria monialium exemptarum: licet possit eisdem exemptis dare licentiam egrediendi Monasterio in casibus permissis. ibid.n.5
Capitulum potest in beneficijs vacantibus præfigere œconomum, ut in eis administret, donec fuerit per Superiorem provisum. p.119.n.6
Probabilius est non posse Capitulum Sede vacante conferre beneficia, si jure devolutionis alias spectarent ad Episcopum. ibid n.7
Capitulum Sede vacante potest admittere beneficiorum resignationes, etiam causâ permutationis, non tamen conferre beneficia permutata nisi jus conferendi ad ipsum pertineat. ibid.n.8.
Capitulum Sede vacante non potest concedere literas dimissoriales intra annum pro prima tonsura. ibid.n.9
Capitulum Sede vacante potest dispensare in votis & juramentis, absolvere à casibus reservatis, dispensare in petitione debiti conjugalis, sicut potest Episcopus jure ordinario. ibid.n.10
Capitulum regularium est adunatio regularium pro negotijs spectantibus ad statum Religionis ipsorum; & est triplex, nimirum Generale, Provinciale, & Locale. ibid n.11
Capitulis regularium competit tota illa potestas jurisdictionis, quæ respectivè competit Prælatis ipsis regularibus, juxta tamen statuta ac jura cujusque Religionis. ibid.
Capituli auctoritas & potestas consistit in majori ac saniori parte eorum, qui convocati sunt: si tamen major pars capituli delinquat, residet in minori parte, quæ non deliquit. ibid.n.12
Gesta in capitulo sunt valida & legitima, etiamsi quis capitularium vocandus contemnatur: quamvis possint irritari ad petitionem ipsius contempti, & rata haberi. pag. 130. n.13
Religiosi capitulares licitè possunt abesse à capitulo locali, renunciando juri vocalitatis, id est vocis activæ; quamvis contrarium non sit improbabile; tamen in Capitulis Generalibus & Provincialibus, non possunt. ibid.n.14

Carcer.

In carcerem non potest detrudi priùs debitor ex contractu vel quasi contractu exittens in mora solvendi, quàm condemnetur à judice, & executio fiat in bonis ipsius, v. Debitor. p.203.n.16
Debitor Principis, seu fisci potest statim ac executio intentatur, detrudi in carcerem, non tamen si mulier est debitrix fisco regio. ibid.
Miles, qui in militia versatur, eo privilegio gaudet ut conveniri non possit pro debitis ultra id, quod commodè facere possit, nec clericus gaudens privilegio fori, secundùm Tridentinum, detrudi potest in carcerem propter debita, quia est Christi miles. ibid.
In carcerem potetit detrudi clericus, si tempore contractus, se finxit non esse clericum, altero contrahente hoc ignorante, aut abscondit de bonis ne solveretur debitum, vel debitum ex delicto descendat. ibid.n.17

Cardinalis.

Cardinalis dicitur à Cardine, super quo quiescit ostium aperiendum & claudendum. Et dicuntur Cardinales, qui Papæ assistunt, in quorum collegio manet potestas Papæ eo mortuo. p.130.n.1
Cardinalitia dignitate nulla major est in Ecclesia Dei post Pontificatum maximum. ibid.
Cardinales cum ipso Summo Pontifice unum corpus mysticum conficiunt. ibid.
Cardinales Romanæ Ecclesiæ ordinariam & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent, in Ecclesia sui tituli. ibid. n.2
Cardinales presbyteri possunt conferre suis familiaribus primam tonsuram & Minores Ordines. ibid.
Cardinalis non Episcopus in suis titulis potest excommunicare, suspendere, interdicere, & uti Pontificijs insignibus, & benedicere solemni ritu more Episcoporum & dispensare in votis, &c. p.131.n.3
Cardinales possunt dispensare & absolvere suos subditos in casibus à Concilio Tridentino Episcopis concessis. ibid. n.4
Cardinales quando sunt in urbe, habent jus conferendi beneficia in suis Ecclesijs titularibus; in eorum autem absentia, solus Papa confert: item possunt resignationes beneficiorum in suis titulis recipere. ibid.n.5
Cardinales ad Episcopatum assumpti, conferre possunt beneficia, etiam ante adeptam Episcopatus possessionem. ibid. n.6
Cardinales Episcopi existentes in Curia, possunt conferre Ecclesiam Parochialem suæ Diœcesis sine concursu, modò ille cui confertur, sit examinatus ab examinatoribus deputatis à Papa, vel ejus Vicario. ibid.n.7
Declarationes Eminentiss. DD. Cardinalium ut vim habeant obligandi in conscientia, quatuor conditiones requiruntur, ita ut una deficiente, non obligabunt. ibid.n.8
Religiosus factus Cardinalis, juxta probabilem quorumdam sententiam, eximitur à voto paupertatis, & efficitur verus dominus reddituum Ecclesiasticorum, instar Cardinalium sæcularium. ibid.n.9.
Probabile est Cardinales religiosos non teneri ad vota, quæ præter tria substantialiter emittuntur in religionibus; juxta eorum statuta. p.132.n.10
Cardinales religiosi tenentur portare habitum suæ Religionis, si tamen illum dimittant, non incurrunt excommunicationem latam in cap. *Ut periculosa, ne clerici vel Monachi, in* 6. p.133.n.11
Cardinales habent privilegium testandi jure militari, & semper durat hæc facultas, nec expirat morte Pontificis, qui eam concessit. ibid.n.12

Carnium esus.

Carnibus vesci sibi oblatis, diebus vetitis ad vitandum grave damnum in locis infidelium vel hæreticorum, dummodò abest scandalum & non tentetur Religio auctoritate publica, non est contra fidei professionem, v. Fides 2. p. 345. *num.*6
Carnes comedens in die jejunij Ecclesiastici, toties peccat mortaliter, quoties illas comedit, v. Jejunium. p. 399. *num.*12
An autem obligatus jejenare ex voto, si secunda vice comedat carnes, peccet iterum contra votum? Alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.
Carnibus humanis vesci licet ob metum mortis aliàs incussum, v. Metus. p.552.n.10
Qui lege aut voto abstinentiæ à carnibus est obstrictus, non solùm potest, sed etiam tenetur carnibus vesci, si non habeat alios & evidenter constet carnes illi necessarias esse ad tuendam vitam. ibid n.11
A carnibus abstinent laudabiliter Carthusiani in mortis periculo, quando alij cibi supperunt. ibid.

Castratio filiorum.

Non licet parentibus castrare filium, ut cantu possit Ecclesiæ melius deseruire; quia talis castratio est intrinsecè mala, cùm nemo sit dominus membrorum suorum: nonnulli putant hoc licitum, modò fiat ex consensu pueri, & sine periculo vitæ, v. Homicidium 1. p. 375. *num.*10

Casus fortuitus.

Ex casu fortuito tenetur qui accipit commodatum ob tres causas. Primò, si ita ab initio pactum sit. Secundò, si tempore constituto commodatum non est redditum, & deinde fortuito perijt apud morosum debitorem. Tertiò, si culpa fuit etiam ante casum fortuitum, v. Commodatum. p.161.n.7
Ex casu fortuito tenetur depositarius quatuor de causis: Primò, quando pactum intervenit, ut de casu fortuito teneatur. Secundo, quando mora restituendi casum fortuitum præcessit. Tertio, quando dolum casus est subsequutus. Quartò, quando in casum fortuitum incidit ex culpa lata, v. Depositum. p.214.n.3
Conventiones inter emptorem & venditorem census directè vel indirectè obligantes ad casus fortuitos, ad quos ex natura contractus non tenetur venditor, non valent, v. Census. p.137.n.15
Licitè pactum fieri potest ut venditor census teneatur ad casus fortuitos, quando nempe hujusmodi pactum ex æquo compensatur aucto pretio census judicio probi & intelligentis viri. ibid.
Quando res emphyteutica, quæ casu fortuito ex toto perijt, denuò cum lapidibus ejusdemmet domus reparatur, pensio non debetur, nisi denuò in emphyteusim detur. v. Emphyteusis. p.275.n.18
Ex casu fortuito tenetur conductor in tribus casibus: Primò, quando evenit casus fortuitus ex aliqua præcedente culpa, quamvis levi. Secundò, quando res perijt in potestate conductoris existens, propter moram quam fecit in reddenda re domino suo. Tertiò, quando ab initio intervenit

venit pactum de casu fortuito, v. Locatio. p.500. n.2. sed plura n.3
Ex casu furtuito, qui potuit initio à mandante cogitari & prævideri, tenetur mandans mandatario, v. Mandatum n. 6. vide verb. Commodatum. p.161.n.8

Catechismus.

Cathechismus, qui debet præcedere ante Baptismum, alius est adultorum, alius parvulorum. Catechismus adultorum, alius est substantialis, alius cæremonialis. Substantialis consistit in sufficiente institutione & doctrina rerum fidei ac morum. p.87.n.18
Cæremonialis Catechismus consistit in quodam speciali modo & ordine ab Ecclesia instituto & observato in Catechumenorum institutione & præparatione ad Baptismum, v. Baptismus IV. p.87.n.19.20.21

Catechumenus.

Catechumenus negans fidem non est dicendus hæreticus: licet enim per fidem inchoativè membrum Ecclesiæ factus sit, non tamen formaliter & completivè, cum fidem in Baptismo professus non sit, v. Hæresis. p.389.n.2
An Catechumenus moriens debeat sepeliri in loco sacro? Alij affirmant, alij negant probabiliter, v. Sepultura p.775.n.2. vide v. Missa 1. p.560.n.12

Caupones.

Caupones & tabernarij vendentes vinum bibere volenti in ea quantitate ut probabiliter credant, vel experti sint fore ut ij inebrientur, peccant mortaliter: tamen possent excusari, quando absque gravi detrimento proprio proportionato illi ebrietatis damno, vitare non possent, v. Scandalum. p.771.n.5

Causa.

Tres Causæ assignantur in jure Canonico, in quibus creditor seu pignoratarius minimè cogitur fructus pignoris in sortem computare, v. Pignus. p.649.n.9
Causæ legitimæ, ut religiosus possit transire ad laxiorem Religionem, sunt, Primo, si Religionis strictioris austeritates ferre nequeat. Secundò, si in priori Religione odio habeatur. Tertiò, ob delictum à se perpetratum: vel ob parentum necessitatem. Quartò, si regulam vel constitutiones sufficienter non intellexit tempore professionis, & postea vult laxiùs vivere, v. Religio. p.723.n.22
Causæ cognitionem præmittere debet Superior dispensans subditum ad laxiorem Religionem. p.724.n.23
Causæ justæ dispensandi beneficiarium à residentia, sunt, Christiana charitas; urgens necessitas; debita obedientia; Evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas, verb. Residentia, p.735. n.12
Sola justa causa non sufficit ad excusandum à non residendo, sed requiritur etiam licentia Superioris; hæc enim duo copulativè requiruntur. ibid.n.13
Causa naturâ suâ efficax & in effectu damnificans cum obligatione restitutionis censetur illa & omnis, quæ influit & moraliter concurrit ad actum quo infertur damnum, faciendo nimirum quidpiam alicujus momenti, quod conducat & juvet ad efficiendum illum actum, quo proximo nocetur, etiamsi absque ejus opera damnum illud fuisset aliàs illatum, v. Restitutio. p.741.n.14.
Inter causas positivas seu personas, quæ positivè concurrunt ad injustitiam, si damnificatio sit lucrosa, ita ut aliquid ablatum sit, primò tenetur restituere is, ad quem res furtiva pervenit, sive sit mandans, sive consulens, &c. pag.746. n.28.
Causæ excusantes personas Ecclesiasticas ab onere spoliorum, recensentur v. Spolium. p.806.n.13
Causæ ad charitativum subsidium exigendum, septem enumerantur à Doctoribus, v. Charitativum Subsidium, p.146. n.4
Tres sunt causæ, ob quas ex casu fortuito tenetur, qui commodatum accipit, v. Commodatum. p.161.n.7
Omnes causæ sufficientes ad dissolvenda sponsalia, quæ postea supervenunt, sunt etiam sufficientes ad ea dissolvenda pariter, si præcedebant & ignorabantur, posteà tamen ante matrimonium contractum deteguntur, v. Sponsalia. p.811.n.14
Causæ justæ egressus, ut vovens Religionem, & ab illa egrediens censeatur voto satisfecisse, ponuntur, v. Votum 1. p.866.n.48.
Quædam causæ in jure enumerantur, ob quas Abbas ab Abbatia deponi potest, v. Abbas. p.5.n.14
Causæ legitimæ, ob quas Prælatus ad sui officij renunciationem admitti debet & potest sine culpa, enumerantur. ibid. n.15
Probabilius est dispensationem non cessare cessante ejus causa finali, v. Dispensatio. p.222.n.15
An dispensatio sit irrita, facta sine causa, vide *ibid. & seqq.* n.16.17.18. & 20.
Solus causæ finalis falsæ expressione vitiatur dispensatio, non autem expressione causæ impulsivæ falsæ. p.225. num. 31
In dubio, an causa in dispensatione tacita vel falsò expressa, sit finalis, vel impulsiva, præsumitur impulsiva, non finalis. ibid. n.32.
Causæ justæ imponendi gabellas, vectigalia, seu tributa reducuntur ad unam, scilicet ad bonum publicum, cujusmodi est, necessitas vel utilitas publica, quæ non possit aliter procurari, v. Gabella. p.363.n.4
Ut causæ partiales, non possunt plures unum baptizare; possunt autem ut causæ totales, v. Baptismus III. p....n.16
Causa justa requiritur, ad unionem beneficiorum faciendam, quæ in hac parte est necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, v. Beneficium III. p.104.n.8
Qui habet justam aliquam causam non eundi ad Sedem Apostolicam vel ejus Legatum à latere, potest absolvi à suo Episcopo ab excommunicatione incursa propter clerici percussionem, v. Excommunicatio V. p.329 n.28
Causæ hæresum interiores sunt peccata, quæ excæcant hominum mentes, ut veritatis lumen videre non possint; verbi gratia, Superbia, Avaritia, Luxuria, v. Hæresis. p.370. n.4
Causæ exteriores hæresum sunt, defectus prædicationis verbi Dei; temeraria prædicatio quorumlibet; negligentia Episcoporum & Pastorum Ecclesiæ, & eorum indignitas; translatio Scripturæ Sacræ in vulgarem linguam; & lectio inordinata seu frequentior librorum gentilium. Ibidem num. 5
Causæ idololatriæ fuerunt duplices, homines scilicet & dæmones, v. Idololatria. p.394.n.2
Causæ multæ sunt institutionis jejunij Quadragesimalis: quarum præcipua est, ut Christum pro modulo nostro imitemur: ut pro peccatis totius anni communem pœnitentiam agamus: ut decimam partem totius anni Deo conferremus, v. Jejunium. p.397.n.4
Causæ, ut Superior possit licitè concedere suis religiosis peculium, enumerantur, v. Paupertas. p.638. n.17
Ex multis causis hæres liberatur à solutione legati, quæ recensentur, v. Legatum, p.479, num.22. Vide verb. Matrimonium III. p.541.n.3

Cæcitas mentis.

Cæcitas mentis est illa, qua principium aliquod non cogitatur, quod rectè expensum & consideratum attentè, à peccato averteret. Hæc cæcitas sumitur pro omnimoda privatione cognitionis divinorum, quâ scilicet aliquis ita mentem voluntariè abstrahit à consideratione rerum ad salutem pertinentium, verb. Ignorantia. pagina 404. num. 13
Hebetudo sensus est peccatum à cæcitate diversum: hebetudo enim est debilitas mentis, quâ quis difficulter potest intelligere vel considerare res spirituales. Oritur autem hebetudo ex gula. Cæcitas autem importat omnimodam privationem cognitionis rerum spiritualium, & oritur ex luxuria. ibid.

Cæremonia.

Cæremoniæ quæ specialiter olim adhibentur in Catechismo adultorum pro Baptismo sunt hæ: Primò erat scrutinium: Secundò, quòd Catechumeni sæpius signabantur signo Crucis in fronte. Tertiò, Abrenunciatio Satanæ, & solebat catechumenus converti ad occidentem: facta verò renunciatione convertebatur ad orientem. Quartò, erat fidei professio, quæ sæpiùs fiebat in Catechismi diebus & ipso etiam Baptismi die, v. Baptismus IV. pagina 87. num. 20
Cæremoniæ adhiberi solitæ in Catechismo parvulorum, quas nunc ferè Ecclesia observat. ibid.n.21
Cæremoniæ quæ in Baptismo adhibentur, defenduntur; & ratio illarum adducitur contra hæreticos, pag.86.n.15. & 16.
De cæremonijs, quas adhibet Ecclesia in solemni excommunicatione ferenda, & ejus absolutione, habetur verb. Excommunicatio III. p.320. *per totum.*

Census.

Census & Emphyteusis in tribus distinguuntur. pag.134. num.1
Census est contractus emptionis & venditionis, in quo res ab uno empta & ab alio vendita, est jus illud percipiendi annuam pensionem. ibid.n.2
Census potest creari in diversis prædijs separatis alicujus. ibid. n.3.
Res censualis non dicitur reddita infructifera ex eo quòd uno, vel pluribus annis fructus consuetos non producat, sed ex eo, quòd in perpetuum impotens facta sit ad fructus in futurum reddendos. ibid. n.4
Census potest collocari in alio censu, modò sit irredimibilis. ibid. n.5.
Census non potest constitui in re aliena, nisi dominus rei

rei consentiat. p.135.n 6

Si quis in re aliena vel alijs vinculis obstricta, censum constituat, sciente emptore, vel suspicante a principio rem esse alienam, &c. non potest pensiones exigere, & si eas exigit, tenetur eas computare in partem pretij. ibid.

Si venditor census sciebat fundum esse alienum, vel alijs obligatum, juste emptor census exiget pensiones à venditore, qui jure compellitur iterum collocare censum in re secura, vel contractum rescindere. ibid.

Si emptor ignorabat à principio, v.g. domum esse incapacem illius census, licitè potest exigere pensiones a venditore per totum tempus, quo justa ignorantia laboravit; postquam autem sciverit, non potest. ibid.

Si census vilius minoris justo pretio emantur, quando pretium census est lege Principis, vel usu fori taxatum cum clausula irritante contractum, pensiones sunt restitutioni obnoxiæ, quâ parte superant justum pretium. ibid. n.7

Quando pretium non est taxatum, excessus ille pensionum non est restituendus, sed pretium augendum. ibid.

Pius V. in constitutione, *Cùm omnis Apostolicæ* requirit multas conditiones & jubet servari in contractu censuario, sine quibus decernit ipsum contractum irritum & fœneratitium habendum. ibid. n.8

Prima conditio est, ut census constituatur in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur; ut censentur agri, domus, flumina, sylvæ, montes, portus, ripæ, fodinæ metallicæ; imò & census irredimibiles habentur pro re immobili, ibid.

Probabilius est ex natura rei, sublata prohibitione humana, censum posse constitui super sola nudaque persona, modo sit utilis & fructifera. ibid.

Item verius est, stando in solo jure naturali & divino, posse censum constitui in re mobili se movente & quæ primo usu non consumitur, modò census minus vendatur, quam supra immobilem. ibid.

Secunda, ut res sit naturâ fructifera, id est apta ferre fructus: & fructus nomine intelligitur omnis utilitas etiam amœnitas, quæ solet ex re aliqua provenire. p.136 n. 9

In re quitum fructifera potest institui census longè minor quam sit fructus, quem illa res in singulos annos reddit. ibid.

In constituendo censu non est habenda ratio æstimationis & pretij quod res valet, sed potiùs fructuum, quos reddit res in singulos annos. ibid.

Tertia conditio est, ut census super re nominatim certis finibus designata constituatur. ibid. n.10

An autem potiit constitui census generatim super omnia bona alterius præsentia & futura, & hoc jure naturali & divino prohibeatur? Negant aliqui, alij affirmant. ibid.

Quarta, ut pretium census verè solvatur in pecunia numerata. An autem ex natura rei prohibeatur census aliter constitui? Probabile est quod sic, sed contrarium est probabilius. ibid. n.11

Quinta, ut pretij solutio & numeratio fiat coram testibus & tabellione, sive Notario & in actu celebrationis instrumenti, & non aliter, ibid. n.12

An autem ex natura rei talis conditio sit necessaria? Affirmant quidam, sed probabilius alij negant. ibid. saltem quoad forum interius.

Ubi constitutio Pij V. non est recepta, attento solo jure naturali & divino justè potest institui census in foro an ex debitis præcedentibus, modò debita sint realia & justè contracta, & in creatione census nulla vis aut fraus intervenerit; in foro tamen exteriori hoc non permittitur. ibid.

Probabilius est, in solo jure naturali & divino non licere constituere censum in pecunia credita. ibid.

Sexta, ut pretium in numerata pecunia sit justum & in totum solutum; justum censetur, quod constituitur lege Principis, & ea deficiente, consuetudine communi apud divites & inopes. p.137 n. 13

Septima conditio est, ut non fiat, nec deducatur in pactum anticipata solutio, id est, ut venditor non cogatur solvere pensionem, nisi pro rata temporis elapsi; & hoc est necessarium ex natura contractus. ibid. n.14

Debitor census sponte sua potest anticipatè solvere, dummodò ablit fraus & dolus contra legem: tamen si ex vi pacti aliquæ solutiones anticipatè fiant, tales solutiones sunt necessariò restituendæ. ibid.

Octava, ut conventiones directè vel indirectè obligantes ad casus fortuitos, ad quos ex natura contractus non tenetur, non valeant; tamen aliquando licitè fit pactum, ut venditor census teneatur ad casus fortuitos, si pactum ex æquo compensetur aucto pretio census. ibid. n.15

Censuarius tenetur solvere pensionem, quando res supposita censui, uno, duobus, tribusve annis nullum fructum reddit ob bellum, pestem, &c. etiamsi census sit fructuarius, non pecuniarius. ibid.

Nona, ne ulla pacta, aut conventiones adjungantur, quibus alter contrahentium obligetur ad aliqua onera, ad quæ alias ex natura contractus non tenetur. ibid. n 16

Decima, ut non fiat pactum restringens libertatem censuarij ne alienet rem censui subjectam. p.138 n.17

Undecima, ut dominus rei censuariæ, si illam vendere velit, indicet domino census pretium & conditiones quibus res est vendenda, ut si libuerit, ratumdè rem illam emat, ita ut futile præferendus, & per mensem expectetur illius deliberatio. Hæc conditio ex natura rei non est necessaria. ibid. n.18

Duodecima, ut non fiat pactum, quo venditor census cogatur emptori solvere Laudemium. ibid. n.19

Decimatertia conditio est, ut res in totum vel in partem peremptæ vel effectæ infructuosæ pro rata pereat census, modò res in perpetuum perierit, vel reddita sit infructuosa. ibid. n.20

Quando res censui subjecta in plures hæredes dividitur, vel pluribus venditur per partes, tunc censualista in hoc casu debet à singulis emptoribus exigere pensionem ad ratâ, nõ verò à singulis in solidum, modo censuarius vendiderit possessiones censui subjectas admonito censualista; quamvis sit probabile dominum census posse exigere pensionem, tum à quolibet possessore, tum etiam à venditore rei. ibid.

Si domus vel molendinum omninò destruatur, & in eodem loco ex eadem materia de novo erigatur, census extinctus non revivisit; censuarius tamen tenetur ad restitutionem, si res censita pereat ipsius culpâ. ibid.

Communis Doctorum sententia habet, pereunte re subjecta censui absque culpa censuarij, venditorem omni obligatione esse solutum. ibid.

Decimaquarta, ne fiat pactum, quo censuarius existens in mora solvendi pensionem, teneatur ad interesse lucri cessantis, aut ad aliquam pœnam, aut ad amittendam rem censui subjectam, aut ad expensas. p.139. n.21

Pactum, quo venditor census se adstringit refarcire damnum, quod ex sua mora contingit, cum Constitutione Pij V. non pugnat. ibid.

Decimaquinta, ne census antea constitutus augeatur ex pensionibus debitis & non solutis, quamvis augeri possit ex pensionibus jam solutis, si censitor eas de novo numeret censuario. ibid n.22

Decimasexta conditio est, ut semper liberum sit censuario redimere censum, quoties voluerit, reddito eodem pretio, quo vendiderat, non obstante quavis præscriptione, aut pacto. Hæc conditio non est necessaria ex natura rei, quia sic esset reprobatus omnis census irredimibilis aucto pretio. ibid. n.23

In Belgio census irredimibiles non possunt de novo creari, obstante Constitutione Caroli V. Regis Catholic. ibid.

Census perpetuus per Constitutionem Pij V. non improbatur, si multo plus ematur, quàm census redimibilis æstimatur. ibid.

Census potest extingui per compensationem, modo debitum sit liquidum. Similiter licet censum extinguere in alijs rebus à pecunia numerata. ibid.

Decimaseptima est, ut emptor non possit ab invito venditore pretium repetere. p.140.n 24

Ultima conditio est, ut pretium census semel constitutum non possit augeri vel minui ob temporis vel contrahentium qualitatem, aut ob aliud accidens. ibid. n.25

Hæ conditiones ubique sunt servandæ in contractu censuali quatenus continent id quod juris naturalis vel divini est, alias tantùm ubi Constitutio Pij V. recepta est & subditis subjectis Papæ. ibid.

Census vitalitius ex natura rei & secundùm jus naturale & divinum, ad emendis vel vendentis vitam, aut ad alium annorum numerum incertum, licitus est, si justo pretio constituatur. ibid. n.26

In constituendo pretio census vitalitij spectanda est locorum consuetudo, quæ pro diversitate Provinciarum admodum varia est. ibid.

Census vitalitius ex mutuo contrahentium consensu potest redimi à censuario, modò justum intercedat pretium. ibidem.

Casus arborum.

Prælati sine consensu sui Capituli, seu Conventus possunt arbores suorum Monasteriorum vel Ecclesiarum incidi facere, quando umbram summam efficiunt, ac nimia densitate nocent, v. Alienatio. p.49 n.6.

Arbores vetustas ac corruptas potest Prælatus incidi facere, atque earum locis alias novas & magis utiles substituere. Idem dicendum de arboribus cæduis quæ adveniente tempore cædi solent ad lignandum. ibid. n.7. & 8.

Non potest Prælatus absque solemnitate juris arbores fructuosas prædiorum Monasterij, seu Ecclesiæ, vel etiam infructuosas in magna quantitate incidere sine consensu sui Conventus, seu Capituli ac Sedis Apostolicæ, & contrarium faciendo non evaderet pœnas juris. ibid. n.9

Certitudo.

Certitudo metaphyſica non deſideratur de conjugis adulterio, ut innocens in foro conſcientiæ poſſit ab adultero divertere, eique debitum negare, ſed ſatis eſt moralis, qualis habetur per ea indicia, quæ in foro externo probata convincerent conjugem de adulterio, v. Adulterium. p.43.n 19.

Ceſſio bonorum.

Ceſſio bonorum eſt actus quo debitor, qui non eſt ſolvendo, omnia ſua bona creditoribus dimittit, ut carceris horum & ſqualorem, aliaſque moleſtias evitet. p.140.n.1

In ceſſione bonorum nullus exigitur ritus, aut ſolemnitas, ſed ſufficit ſola voluntatis expreſſio. ibid.

Ceſſio bonorum habet tantùm locum in debitis civilibus, ſcilicet ex contractu, vel quaſi contractu, non autem in debitis ex delicto, ſive delictum ſit commiſſum in contractu, ſive extra contractum. p.141.n.2

De bonis poſt ceſſionem acquiſitis, debent debitori relinqui neceſſaria ad ſuam parcam ſuſtentationem congruam, arbitrio prudentis judicis. ibid.n.3

Probabile eſt leges Cæſareas hoc concedentes, locum habere, etjam in foro conſcientiæ. ibid.

Qui bonis ceſſit, non gaudet privilegio ceſſionis, ſi aliquid dolo malo in fraudem creditorum egerit. ibid.n.4

Ceſſio bonorum ſolum liberat debitores, non autem fidejuſſores. ibid.n.5

Ceſſio ignominioſa quæ fit in aliquibus Provinciis, non excuſat à reſtitutione, ſi debitores ad pinguiorem fortunam devenerint. ibid n.6

Quæ ſolemnitates introductæ ſunt in Gallia, Italia & Romæ in ceſſione bonorum. ibid.

Princeps poteſt ex gravi cauſa temporales inducias alicui ſubdito concedere ad eum effectum, ut intra tempus indultum nequeat à creditoribus moleſtari. p.142.n.7

Habentes jura territorialia poſſunt concedere has dilationes moratorias, alij non, niſi concedantur conſentiente majori parte creditorum. ibid.

Non poteſt Princeps concedere tales inducias niſi ad quinquennium: & illis ſolùm qui adverſâ fortunâ abſque dolo & culpa ad inopiam devenerunt. ibid.n.8

Dilatio quinquennalis non debet à Principe concedi, contra debitum ex quibuſdam contractibus: neque facilè in debito pupillari, viduæ, Eccleſiæ, & privilegiatarum perſonarum. ibid.n.9

Dilatio moratoria poteſt à creditoribus debitori concedi: & quomodo. ibid.n.10

Dilationes moratoriæ proſunt fidejuſſoribus, ſi in conceſſione expreſſa mentio fidejuſſorum eſt facta; ſed ſi nulla eſt facta de eis mentio, non poſſunt, ſi à Principe conceſſæ ſint inducie, & fidejuſſor renunciavit *Authent. præſente, C. de fidejuſſ.* aliàs ſi non renunciavit, proſunt. ibid. n.11

Qui dilationem à Principe vel à creditoribus obtinuit, tenetur creditoribus ſuis idoneos fidejuſſores dare de ſolutione poſt elapſum tempus, ibid.

Charitas.

Cauſa *materialis*, ſeu ſubjectum charitatis eſt voluntas, tum viatoris, tum comprehenſoris. *Efficiens* eſt ſolus Deus, diſpoſitivè tamen viator concurrere poteſt. *Inſtrumentalis*, ſæpè eſt Sacramentum. *Finalis* eſt gloria Dei & beatitudo noſtra. p 143.n 1

Charitas poteſt augeri extenſivè, intenſivè, & appretiativè. ibid n.2

Charitas poteſt amitti, & de facto amittitur quovis peccato mortali. ibid.n.3

Charitas poteſt minui extenſivè & appretiativè, non intenſivè, niſi per potentiam Dei abſolutam. ibid.n.4

Charitas poteſt in hac vita creſcere in infinitum, id eſt, poteſt ſemper magis ac magis augeri ſine ullo termino. p.144.n.5

Charitatis objectum materiale præcipuum, eſt Deus: ſecundarium autem, poſſunt eſſe omnes creaturæ, maximè tamen quæ ſunt capaces beatitudinis. ibid,n.6

Ratio formalis diligendi Deum & proximum ex charitate eſt divina bonitas in ſe. ibid.

Pròximus poteſt à nobis dupliciter amari; Primò, ut res & poſſeſſio Dei. Secundò, ut amicus noſter ſecundarius. ibidem.

Angeli boni poſſunt & debent à nobis diligi, tum ut res & poſſeſſio Dei, tum etjam ut fratres noſtri & amici ſecundarij, ibid.n.7

Angeli mali & homines damnati non ſunt diligendi ut amici & proximi, ſed ut res & poſſeſſio Dei amici noſtri, quatenus in eis relucet divina ipſius bonitas & juſtitia. ibidem.

Viatores certo reprobi non ſunt diligendi ad beatitudinem ſed tantùm ad alia quædam bona, quæ non repugnant reprobationi. ibid.

Creatura irrationalis ſecundùm eſſe naturale poteſt diligi amore naturali propter Deum: quatenus autem eſt ſuo modo capax gloriæ & renovationis, quam in fine ſæculi eſt acceptura, poteſt ex charitate. ibid.n.8

Peccatores ex charitate ſunt diligendi, ſi ſecundùm naturam conſiderentur; quatenus autem peccatores non ſunt diligendi, quia hoc eſſet peccatum diligere. p.145.n.9

Peccatores diligunt ſeipſos affectu, non effectu. ibid.

In charitate conſtituendus eſt aliquis ordo, ſecundùm quem unum plus, alterum minùs diligamus. ibid.n.10

Tripliciter magis amicus unus diligi poteſt, quàm alter, *Objectivè, Appretiativè, Intenſivè.* ibid.

Non ſolùm inter objectum primarium & ſecundarium charitatis, ſed etjam inter objecta ſecundaria eſt ordo conſtituendus. ibid.n.11

Charitas poſt Deum maximè inclinatur ad ipſum diligẽtem. Inter ceteros proximos ad illum magis inclinat charitas, qui ſecundùm rectam rationem magis eſt amabilis. ibid.

Charitatis effectus ſunt ſeptem, tres interni, & tres externi, ſed primarius effectus eſt dilectio. ibid.n 12

Charitativum ſubſidium.

Charitativum ſubſidium dicitur quaſi charitatis auxilium. Et petitur, quando propriæ Eccleſiæ reditus Epiſcopis & Parochis non ſufficiunt ex charitate, non per vim. p.146.n.1

Charitativum ſubſidium exigendum eſt ratione beneficiorum à clero & ab Eccleſijs ſuæ propriæ Diœceſis & ſibi ſubjectis. ibid.n.2

Clericus, qui ultra victum & amictum & proprium commodum nihil habet de fructibus ſui beneficij, non tenetur ad charitativum ſubſidium: Item non ſolvitur de quotidianis diſtributionibus. ibid.

Prælati Epiſcopo inferiores habentes Eccleſias ſibi pleno jure ſubjectas, tam regulares, quàm ſeculares, Abbates habentes territorium & Diœceſim, datâ manifeſtâ & rationabili causâ, poſſunt ab eiſdem ſubſidium charitativum exigere, ſimiliter & Commendatarius perpetuus. ibid.n.3

Septem enumerantur cauſæ, propter quas poſſit exigi hoc charitativum ſubſidium. Quantitas hujus ſubſidij non eſt in jure determinata, quamvis decima pars annui reditus juſta reputanda ſit. ibid.n.4

Charitativum ſubſidiũ non tenentur præſtare Epiſcopo Monaſteria exempta, idque ex privilegijs multis Summorum Pontificum: niſi habeant Eccleſias ſæculares ſibi ſubjectas, quæ ante ſubjectionem illud ſolvere conſueverunt. ibid.n.5

Eccleſiæ exemptæ non tenentur præſtare Epiſcopo tale ſubſidium, ſi exemptio ſit data cum plena libertate, niſi habeãt populum non exemptum: tamen non tenerentur ſi Eccleſiæ eſſent unitæ Monaſterijs exemptis. p.147.n.6

Moniales exemptæ non tenentur illud ſolvere; ſicut & non exemptæ non habentes reditus ultra ſummam 14. ducatorum aureorum pro victu cujuſlibet Monialis. ibid.

Reges Hiſpaniæ habent privilegium à Pio V. & Gregorio XIII. ſumendi quoddum ſubſidium ſolvendũ de redditibus Eccleſiaſticis, pro expeditione belli contra infideles. ib.n.7

Circumciſio.

Circumciſio fuit verum Sacramentum veteris legis, & ſignum rei ſacræ & præfigurativum gratiæ futuræ. Et enumerantur ſex cauſæ illius inſtitutionis. p.147.n.1

Circumciſio convenienter fuit inſtituta pro ſolis maſculis populi Iudaici, & non pro feminis. ibid.n.2

Circumciſionis lex communiter non obligavit niſi Abraham & ejus poſteros per Iſaac & Iacob oriundos. ibid.n.3

Circumciſio præcepta erat fieri in occulto & pudendo corporis membro, ut ſignificaretur concupiſcentia eſſe amputanda & refrenanda ab his, qui populo Dei aſcribuntur. p.148. n.4.

Culter lapideus non erat de neceſſitate præcepti nec Sacramenti, ſed ferreus erat ſufficiens. ibid.

Circumciſio non habebat locum deſignatum in quo fieri debebat. Et danda Octavo die. ibid.

Nullus miniſter circumciſionis fuit in lege deſignatus, ſed poterat eſſe quandoque vir, quandoque femina. ibid.n.5

Ritus imponendi nomen per ſe pertinebat ad Patrem, vel etjam ad Matrem ex conſenſu Patris. ibid.

Circumſtantia.

Omnis circumſtantia mala volita ab operante aliquem actũ bonum ex ſe, ſeu indifferentem, reddit illum actum malum. p.149.n.1

Omnis circumſtantia bona volita ab operante actum ex ſe & ex objecto bonum, reddit illum meliorem, & magis meritorium. ibid.

Omnis circumſtantia mala volita ab operante aliquem actum ex ſe malum, immutat eum quoad malitiam uno ex tribus modis. ibid.

Quamvis de fide ſit circumſtantias mutantes ſpeciem peccati eſſe neceſſariò confitendas in Sacramentali confeſſione, ex accidenti tamen poſſunt aliquando reticeri. ibid.n.2

Circumſtantiæ mutantes ſpeciem peccati externæ & internæ ſunt

ſunt neceſſariò in confeſſione aperiendæ, & hoc eſt etjam de fide, ut vult Tridentinum. ibid.n.3

Circumſtantia ſpeciem mutans hac regula dignoſcitur, ſi transferat peccatum ex materia unius virtutis in materiam alterius, facitque ut actus non ſolùm opponatur uni, ſed & alteri virtuti, tunc mutat ſpeciem: ſi verò relinquit actũ intra materiam ejuſdem virtutis, non mutat, quamvis peccatum in eadem ſpecie aggravet. p.150.n.4

Qui indignè miniſtravit Sacramentum aliquod, non tenetur dictum Sacramentum explicare; nec peccata cum quibus miniſtravit. ibid.n.5

In ignorantia aliquorum præceptorum Decalogi explicari debet, cujus præcepti fuerit ignorantia: ſecus verò in ignorantia myſteriorum fidei. ibid.n.6

Si quis peccavit ſcienter aut ignorantia culpabili, non eſt neceſſarium in confeſſione explicare: tamen explicanda eſt aliquando circumſtantia ignorantiæ vincibilis in ordine ad cenſuras; quia ab illis excuſat. ibid.n.7

Circumſtantia finis mali habentis diverſam malitiam ab objecto actus, explicari debet in confeſſione: ſecus ſi finis ſit tantùm peccatum veniale, vel nullum. ibid.n.8

Diuturnitas voluntariæ retentionis de re aliena, non eſt neceſſariò in confeſſione aperienda, modò adſit propoſitum reſtituendi. p.151.n.9

Clavis.

Clavis materialis eſt inſtrumentum per quod quis poteſt oſtium clauſum reſerare, & reſeratum claudere. ibid.

Clavis Eccleſiæ eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, quâ judex Eccleſiaſticus dignos recipere & indignos excludere debet à regno. p.151.n.1

Clavis eſt triplex: Primò, eſt auctoritatis, quàm ſolus Deus habet: Secundò, excellentiæ, quam habet ſolus Chriſtus, in quantum homo: Tertiò, eſt miniſterialis, quam habet ſolus Sacerdos. ibid.

Poteſtas ad remittenda peccata dicitur Clavis regni cœlorum, & non inferni. Regnum autem cœlorum in rigore ſignificat Eccleſiam triumphantem, ſeu æternam beatitudinem. ibid.n.2

De fide eſt Chriſtum Dominum reliquiſſe Paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem ſupernaturalem ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa. ibid.n.3

Actus clavium in ordine ad forum conſcientiæ, ſunt aperire & claudere, ſolvere & ligare, remittere & retinere: & hi actus ſunt judiciales. p.151.n.4

Clavis ſeu poteſtas ordinis & juriſdictionis ſunt reipſa diſtinctæ. ibid.n.5

Clavium primarius effectus eſt remittere peccatum quoad culpam & quoad pœnam æternam, & inſuper quoad temporalem juxta diſpoſitionem pœnitentis. ibid.n.6

Poteſtas clavium ad ligandum duobus modis retinet peccatum: uno modo proximè & judicialiter; alio modo remotè & per ſolam negationem remiſſionis. ibid.n.7

Clavium poteſtas non ſolùm mortalia, ſed etjam venialia, licet diverſo modo retinere poteſt; mortalia quidem propriè, venialia verò conſecutione tantùm. ibid.

Clauſula.

Clauſula generalis poſita poſt caſus requirentes ſpeciale mandatum, continet alios ſimiles, non autem longè majores expreſſis. p.153.n.1

Clauſula in fine poſita refertur ad omnia præcedentia: ſi verò ponatur in una parte diſpoſitionis, cenſetur referri ad omnia contenta in illa ſi eadem ſit ratio. ibid.n.2

Clauſula, *Supplentes omnes & ſingulos defectus*, non ſuppleat defectus juris naturalis, nec defectus ſubſtantiales, nec defectus perſonæ ſupplicantis vel contrahentis, nec defectum cauſæ. ibid.n.3

Clauſula, *Proviſo eximimus ac totaliter liberamus*, excludit omnia & ſingula, quæ in contrarium excogitari poſſunt. ibid.n.4

Clauſula, *Nobis & ſucceſſoribus noſtris canonicè intrantibus*, tendit ad hoc, nos non debere obedire nec ſubjici illi, qui non per oſtium, ſed aliunde intruditur in ovile Domini. ibid.n.5

Clauſula *Sublata, &c.* claudit os judici, & illi tollit facultatem aliter judicandi, poſtquam fueris cognitum clauſulam hanc intrare diſpoſitionem. ibid.n.6

Clauſula *In foro conſcientiæ*, ſecundùm aliquos, operatur ſuos effectus etjam in exteriori foro; ſed contrarium meritò ab alijs ſuſtinetur. ibid.n.7

Clauſula, *Motu proprio*, habet vim ſpecialis expreſſionis, & ideò tollit vitium ſubreptionis, ſed non ſemper. p.154.n.8

Clauſulâ, *Ex certa ſcientia*, ſtante, cenſentur ſublata omnia contraria obſtacula juris & omnis erroris præſumptio; tamen in grave præjudicium tertij nihil operatur, &c. ib.n.9

Clauſula, *De plenitudine poteſtatis*, operatur, ut nihil opponi poſſit contra privilegium, vel quod gratiam annullet; in tertij vero præjudicium nihil operatur nec derogat regulæ de jure quæſito non tollendo. ibid.n.10

Clauſula, *Non obſtantibus, &c.* tollit omnia, quæ diſpoſitioni, in qua eſt appoſita, obſtare poſſint; non auget tamen, nec ampliat pluſquam gratia conferat. ibid.n.11

Clauſula *Pro expreſſis, &c.* habet vim ſpecialis & individuæ expreſſionis cum omnibus ſuis qualitatibus. ibid.n.12

Clauſula *Quorum tenores, &c.* continet inſertionem tenoris, & habet vim ſpecialis derogationis, tollitque derogatorias derogatoriarum. ibid.

Clauſula *Decernens irritum & inane, &c.* appoſita in privilegijs, & alibi, irritat omnia, quæ in contrarium fiunt, & ligat ignorantes reſpectu nullitatis, non verò aliarum pœnarum, formam inducit, tollit præſcriptionem & conſuetudinem. ibid.n.13

Clauſula *Ex tunc, prout ex nunc*, habet hunc effectum, ut actus poſtea factus cenſeatur jam à principio factus. ibid.n.14

Clauſula *Contradictores, &c.* intelligenda eſt de eo, qui injuſtè contradicit, ſecus ſi contradicat de jure. p.155.n.5

Clauſula *Appellatione remotâ*, non ſolùm frivolas, ſed etjam legitimas appellationes tollit. Non impedit, quin poſſit judex ex legitima cauſa recuſari. Nihil operatur reſpectu teſtij comparentis pro ſuo intereſſe. Appellationem ab interlocutoria non tollit. ibid.n.16

Per clauſulas generales in privilegio communicationis appoſitas, non communicantur ea privilegia, quorum communicatio à Papa concedente, prohibita fuit: quamvis contrarium ſit etjam probabile. ibid.n.17

Non cenſetur derogarum decretis Concilij Generalis, niſi expreſſa mentio fiat, his verbis, *Non obſtante aliqua lege aut conſtitutione in Concilio Generali editâ* ibid.n.18

Clauſula in diſpenſationibus Datariæ, *Qui ut ipſi aſſerunt, pauperes & miſerabiles exiſtunt, & ex ſuis laboribus & induſtria tantùm, vivunt*, verificatur, etſi diſpenſandi tenuem reditum habeant, ſed inſufficientem ad victum. ibid.n.19

Clauſula, *In primis ab invicem ſeparet*, ſervari debet, ſi ſeparatio fieri poſſit abſque notabili infamia ſeparandorum. ibid.n.20

Pœnitentia publica, quam Dataria præſcribit debere imponi diſpenſandis, ex circumſpectione debet injungi, ut conſulatur famæ perſonæ, cui imponitur. ibid.n.21

Clauſula *Quâ pœnitentiâ publicâ peractâ* denotat dictam pœnitentiam debere impleri ante ipſam diſpenſationem. ibid.n.22

Quando in literis Datariæ imponitur diſpenſandis, ut jurent ſe inceſtum non commiſiſſe ſub ſpe faciliùs habendi diſpenſationem, tenentur jurare veritatem, ſi uterque ſpem illam concepit & ex ea patravit inceſtum. ibid.n.23

Si diſpenſandus ad matrimonium habeat duplex impedimentum, unum publicum & alterum occultum, hocque infamatorium, tunc Datariæ proponitur ſolum delictum publicum, occultum verò Sacræ pœnitentiariæ. p.156.n.24

Examinatio veritatis precum pro foro interno ſumitur ſolâ partis informatione; ſed pro foro externo, ſumitur ex teſtimonio aliorum. ibid.n.25

Clauſula Datariæ, *Ad evitanda ſcandala*, ut verificetur, ſufficit probabilis timor inimiciarum inter utriuſque conſanguineos, ſi matrimonium diſſolvatur. ibid.n.26

Clerici.

Nomine clericorum in odioſis, religioſi non veniunt: in favorabilibus autem veniunt, & moniales, quamvis ſint Novitij: tamen quando agitur de materia utrumque, nempe clericum & religioſum æqualiter reſpiciente, nulla eſt differentia inter illos, ut in materia Ordinum recipiendorum. p.156.n.1

Tonſura clericalis eſt levis detonſio capitis ab Epiſcopo cæremonijs Eccleſiaſticis facta, quâ maſculus tyrocinio miniſteriorum Dei initiatur. p.157.n.2

Tonſurandus debet eſſe ætatis ſeptem annorum, alias conferens ſuſpenditur ad annum à collatione tonſuræ. ibid.n.3

Suſcipiens primam tonſuram, debet priùs recepiſſe Sacramentum confirmationis: an autem non confirmatus ſuſcipiens tonſuram clericalem, peccet mortaliter? Quidam negant, alij affirmant. ibid.n.4

Tonſurandus debet fidei rudimenta noſſe, quæ Chriſtianus quilibet adultus ſcire tenetur. ibid.n.5

Item tenetur ſcire legere & ſcribere: & hæc conditio obligat Epiſcopum tonſurantem ex natura rei & fine ad peccatum mortale, niſi aliunde excuſetur. ibid.n.6

Idem tenetur non ſuſcipere tonſuram judicij ſæcularis fugiendi cauſâ: alias peccaret mortaliter non habens verè animum Deo cultum fidelem in clericatu exhibendi, modò duo concurrant. ibid.n.7

In tonſurando requiritur vita honeſta & Chriſtiana. ibidem n.8

Omnes clerici à prima tonſura ſuſcepta gaudent privilegijs, Canonis, Fori, & exemptionibus à Gabellis Principum ſæcularium, ſi obſervent conditiones à Sacris Canonibus & Concilio Tridentino requiſitas. p.158.n.9

Digitized by Google

Tonſuratus gaudet privilegio fori & alijs, ſi notoriè beneficiatus eſt etjamſi clericalem habitum & tonſurã non geſtet, ib.
Tonſuratus non beneficiatus tonſuram & veſtes non deferens, non gaudet privilegijs clericalibus, etſi alicui Eccleſiæ deſerviat. ibid.
Clericus habitum clericalem & tonſuram portans, gaudet privilegio fori & alijs, modò de licentia Epiſcopi vivat in ſeminario aut univerſitate ſtudeat. ibid.
Ut clericus his privilegijs gaudeat, debet perſeveranter inſervire alicui Eccleſiæ. ibid.
Clericus in Minoribus conſtitutus iniens matrimonium duplici ſolo privilegio gaudet, nimirum, *Canonis, & fori*, modò reliqua obſervet requiſita à jure. ibid.n.10
Ut clericus conjugatus amittat privilegium fori propter bigamiam, deberatur ut tempore delicti commiſſi illam contraxerit. ibid.n.11
Ut Clericus conjugatus privilegio aliquo gaudeat, nõ ſatis eſt illi una aut altera veſte clericali indui, ſed omnes veſtes extrinſecus apparẽtes debent eſſe clericales & honeſtę, ib.n.12
Clericus conjugatus non amittit privilegia per unam aut alteram habitus dimiſſionem, dummodo alias continuò habitum deferat. ibid.n.13
Clericus per contractum matrimonij eò ipſo amittit privilegia ante omnem judicis declarationem, & ſi non obſervent ab eo conditiones requiſitæ in Tridentino, amittit etjam privilegium *Canonis & fori*. p.159 n.14
Verius eſt clericum conjugatum veſtes clericales & tonſuram deponentem, recuperare privilegia clericalia reſumptis veſtibus & tonſurâ. ibid.n.15
Clericus conjugatus, qui unicam uxorem & virginem accepit, conſequitur eâ mortua omnia privilegia, quæ clerici non conjugati primæ tonſuræ jure habent ſi redeat ad propria clericorum miniſteria. ibid.

Cæcus.

Cœcus canonicus diſtributiones quotidianas lucrari poteſt, licet in choro non aſſiſtat. p.159.n.1
Sacerdos cœcus valide conſecrare poteſt panem ſibi præſentem, ſed non licitè, niſi ex Pontificia diſpenſatione. ibid.n.2
Viſitator alicujus Religionis cœcus factus, non poteſt viſitationem continuare cum ſocio ſano. p.160.n.3
Cœcus poteſt donare causâ mortis ſine juris ſolemnitatibus, dummodò ſit præſens donatarius, vel alius qui pro eo ſtipuletur. ibid.n.4
Cœcus poteſt teſtamentum condere cum certis quibuſdam conditionibus jure requiſitis. ibid.
Cœcus non poteſt eſſe advocatus, niſi in cauſa propria, poteſt tamen eſſe fidejuſſor. Excuſatur à muneribus publicis & perſonalibus. ibid.n.5

Commodatum.

Ad ſubſtantiam Commodati, ſex requiruntur. p.160.n.1
Commodare poteſt unuſquiſque rem ſuam, ſive habeat ejus proprietatem, ſive uſum fructum, vel jus habitandi; Religioſus autem non Superior, vel Officialis, non poteſt, niſi de licentia Superioris. ibid. n.2
Qui non poſſunt contrahere, neque poſſunt commodare. ibid.
Res omnes quæ uſu non conſumuntur, ſunt materia commodati & poſſunt commodari. ibid.n.3
Re commodata utens in alium uſum, quàm ad quem fuit commodata, peccat peccato furti, quod ex ſuo genere eſt mortale, licet ex parvitate materiæ à mortali exculetur, vel ob præſumptam domini voluntatem. p.161.n.4
Commodans ſcienter rem vitioſam & non patefaciens commodatario vitium, tenetur ei de damno. ibid.n.5
Commodatarius, qui factus eſt impotens ad reſtituendam rem commodato acceptam; quia ipſius culpâ perijt, tenetur ad omne intereſſe commodanti. ibid n.6
Qui accipit commodatum, ex caſu fortuito tenetur Primò, ſi ab initio ita pactũ ſit: Secundo, quando mora præceſſit caſum fortuitum: Tertiò, ſi culpa fuit etjam ante caſũ. ib.n.7
Pactum, quo commodatarius rem cõmodatam ſuo periculo ſuſcipit, non eſt contra, ſed præter naturam cõmodati. ib.
Quando contractus eſt talis, ut in eo æſtimatio rei venditionẽ non faciat, ut in commodato & locato, tunc, quamvis res æſtimata detur, is qui accipit, non manet arctiùs obligatus, quàm ſubſtantia & natura contractus requirat. ibid.n.8
Si vero talis eſt contractus, ut in eo æſtimatio rei venditionem faciat, tunc qui accipit, tenetur ex caſu fortuito, ut in fundo, qui loco dotis datur æſtimatus. ibid.
Caſus fortuitus eſt inopinatæ rei eventus, quæ prævideri non poteſt, ubi tamen diligentiſſimus prævidiſſet, non eſt caſus fortuitus. ibid.
Commodatarius, qui abſque ſua culpa non potuit uti re ſibi commodata intra tempus conventum, non poteſt finito illo tẽpore eo uti, niſi ſub ratihabitione commodãtis. p.162.n.9
Qui rem commodatam per nuncium fidelem habitum ad dominum remiſit, ſi res pereat, aut caſu fortuito, aut malitia portatoris, abſque culpa mittentis, ad nullam reſtitutionem tenetur; ſecus ſi negligens fuit in nuncio fideli inquirendo. ibid.n.10
Commodatum quod ſolum datur gratiâ ejus, qui accipit, eſt reddendum eo in loco, de quo fuit facta pactio: ſi commodatum ſolùm eſt cauſa ejus, qui dat, reddendum eſt eo in loco, ubi res eſt, non ubi data & accepta eſt: ſi commodatum eſt ad utilitatem utriuſque, debet reſtitui in loco ubi res accepta eſt. ib.n.11
Commodatũ retineri poteſt in foro conſcientiæ titulo compenſationis, dũ cõmodatarius alia ratione nequit ſatisfactionẽ obtinere: in externo autem foro id non licet. ib.n.12
Ex commodato duæ actiones naſcuntur; una directa, altera contraria. ibid n.13

Commendatarij.

Commendatarij milites tanquam perſonę Eccleſiaſticæ gaudent privilegio *Canonis & fori*. p.162 n.1
Verius eſt commendatarios, qui poſſunt contrahere matrimonium, eſſe veros dominos quorumcumque bonorum ante vel poſt profeſſionem acquiſitorum. p.163.n.2
Hi commendatarij poſſunt de ſuis bonis ita liberè diſponere, ut ſæculares. ibid.n.3
Ludentes cum his commendatarijs non tenentur parta in ludo reſtituere. ibid.n.4
Hi commendatarij ſatisfaciunt ſuo paupertatis voto, ſi ſingulis annis præbeant Superiori fidele inventarium omnium ſuorum bonorum, quæ poſſident. ibid.n.5
Commendatarij milites D. Joannis ſolemniter profeſſi, quamvis matrimonium contrahere non poſſint, ex licentia tamen Superioris teſtari poſſunt. ibid n.6
Commendatarij Equites, qui matrimonium contrahere poſſunt, ſuccedunt in majoratum qualemcumque: & ſecundùm veriorem ſententiam, ſuccedunt etjam Commendatarij D. Joannis, niſi conſtitutiones eorum obſtent. ib.n.7

Commendationes Eccleſiarum.

Commendatur alicui Eccleſia, ut eam non tituli, ſed commendationis jure in perpetuum, vel ad tempus juâ curâ & diligentiâ adminiſtret. p.164.n.1
Eccleſia Parochialis de jure commendari poteſt tantummodo ad ſex menſes: quod non habet locum, cùm Epiſcopus Eccleſiam Parochialem commendat, eòquòd rector ejus ſit vel mente captus, vel abſens nullo relicto Vicario. ibid.n.2
Capitulum Sede vacante poteſt etjam Eccleſiam Parochialem commendare etjam poſt ſex menſes elapſos, ſi poſt ſemeſtre finitum nondum fuerit creatus Antiſtes. ibid.
Commendare etjam poteſt Epiſcopus alia beneficia, quibus ineſt animarum cura: ſimplicia autem non ſolent commendari. Abbatias, &c. ſolus Papa commendat. ibid n.3
Quando Eccleſia eſt ad tempus commendata ob bonum ipſius commendatarij, hic poteſt coram Ordinario abſolutè & ſimpliciter cedere, non autem in favorem alterius. ibid.
Quando autem commendatur in perpetuum, hanc poteſt commendatarius deponere coram Papa, ad favorem alterius. ibid.n.4
An autem commendatarius titulum Eccleſiæ commendatæ habeat? Negant juris Pontificij conſulti Itali. Affirmant Galli. ibid.
Qui jure communi habet jus conferendi beneficium, habet quoque auctoritatem commendandi ad tempus; qui autem habet jure ſpeciali, hîc eo ipſo commendare non poteſt. ibid.n.5
Summus Pontifex multis de cauſis ſolet beneficia commendare. ibid.n.6
Commendatarius ratione Eccleſiæ ſibi commendatæ habet jus nominandi, eligendi, conferendi vel inſtituendi, locandi poſſeſſiones, &c. p.165.n.7

Commenda clericales & militares.

Commendæ ſpirituales, ſeu clericales, ſive temporales ſint, ſive perpetuæ, ſunt materia Simoniæ contra jus divinum, v. Simonia. p.787.n.4.
Commenda eſt cùm Eccleſia aliqua vel beneficium commendatur alicui & non confertur ei in titulum, ſed committitur ei cura vel adminiſtratio ejus, ideoque aſſignantur fructus beneficij, vel pars eorum ibid.
Commendæ militares non ſunt per ſe ſpectatę materia ſimoniæ: videtur tamen illicitum eas vendere directè & formaliter. Ex licentia autem Papæ poſſet commenda vendi, applicando pretium ad majus bonum militiæ. ibid.n.5.

Compoſitio.

Compoſitio eſt pactio de re aliqua, vel circa quam nulla eſt controverſia, aut eſſe poteſt, unde latiùs patet quàm tranſactio, v. Tranſactio. p.841 n.7
Compoſitio dividi poteſt in eam, quæ eſt de re circa quam nullum eſt dubium, & in eam, quæ eſt de re circa quam aliquod eſt dubium, ad quem pertineat, vel pertinere in futurum debeat. ibid.n.8. ubi plura.
Compoſitionis Bullam ſuper bonis incertis probabile eſt Epiſcopum poſſe concedere pro ſua tantùm diœceſi

ſive

Digitized by Google

sive justè, sive injustè sint habita, v. Restitutio. n.41

Compositionem facere de bonis incertis licitè acquisitis potest etiam Rex, aut Respublica: si autem bona incerta, sint illicitè acquisita & injustè, non solent Principes hanc compositionem facere, ibid.

Compositionem incertorum bonorum potest concedere Generalis Cruciatæ Commissarius, facultate sibi à Papa concessa per Bullam. ibid.

Communicatio indulgentiarum.

Quamvis inter mendicantes sit communicatio privilegiorum, non datur tamen inter eos communicatio indulgentiarum, juxta probabiliorem sententiam & sequendam Doctorum. Unde altaria privilegiata unius Ecclesiæ vel Religionis non communicantur aliis etiam habentibus generalem communicationem privilegiorum aliarum Religionum, v. Indulgentia 2. p.410.n.7

De rigore tamen juris indulgentiæ concessæ Ecclesijs unius Ordinis pro personis sæcularibus, censentur etiam concessæ Ecclesijs aliorum Ordinum, cùm eo habentium communicationem privilegiorum ex concessione Leonis X. sed ista concessio videtur amissa per non usum. ibid.

Communicatio privilegiorum.

Religiosi mendicantes gaudent privilegijs mendicantium & non mendicantium concessis & concedendis à Sede Apostolica, & similiter confirmationibus & innovationibus eorumdem privilegiorum, v. Privilegium. p.680.n.10

Communicario Privilegiorum non solùm intelligitur de privilegijs Ordinum, qui tunc extabant, quando privilegium communicationis concessum fuit, sed etiam futurorum, p.681.n.12.

Communio Sacra.

Qui communicavit in Paschate, eodem anno ex præcepto divino tenetur communicare iterum in articulo mortis; tamen si quis communicavit per modum viatici feria secunda hebdomadæ Sanctæ, vel intra tempus præscriptum ad communionem Paschalem, non tenetur iterum communicare ad præceptum communionis Paschalis. p.165.n.1

Olim fuerunt diversa statuta tempora, quibus Christi fideles tenebantur communicare. p.166.n.2

Licet in Paschate communicare extra Parochiam, ex tacita licentia Parochi, sive sub ratihabitione ipsius de futuro, ibid.n.3.

Excommunicatus aut interdictus præcepto Ecclesiastico satisfacit, qui ad sacram communionem tempore Paschatis accedit, ibid.n.4

A præcepto communionis excusantur excommunicati & interdicti, modò per eos non stet quin absolvantur. ibid. num.5

Summus Pontifex tenetur sub lethali culpa ad præceptum communionis quoad vim directivam, non verò quoad vim coactivam & pœnas. Tenentur etiam hac lege Sacerdotes. ibid.n.6

Quamvis illicitum sit etiam in extrema necessitate Sacram communionem recipere ab excommunicatis, hæreticis, schismaticis, degradatis, nominatim denunciatis: positis tamen quibusdam conditionibus, hoc potest esse licitum. p.167.n.7

Hodie post Extravag. *Ad evitanda*, licet recipere sacram communionem à publico peccatore, modò de censura non sit nominatim denunciatus, vel notorius clerici percussor. ibid.n.8

Nulla creatura præter hominem potest recipere sacram communionem. ibid.n.9

Nullus homo ante Baptismum capax est sacræ communionis. ibid.n.10

Omnes homines baptizati possunt sacram communionem recipere ut Sacramentum est. ibid.n.11

Præceptum divinum communionis per se obligat aliquoties in vita. p.168.n.12

Præceptum communionis nunquam obligat per accidens ratione alterius præcepti tunc occurrentis, ad quod implendum necessaria sit Sacra communio. ibid.n.13

Nulla actualis dispositio in rigore necessaria est ad fructum Eucharistiæ consequendum; est tamen necessaria ut quis magnum fructum consequatur. ibid.n.14

Qui communicavit non confessus habens conscientiam peccati mortalis, jure divino non tenetur statim confiteri, sed potest differre in annuam confessionem, Sacerdos tamen celebrans sine prævia confessione, lege Ecclesiastica tenetur quamprimùm confiteri. ibid.n.15

Dispositio corporis in communicaturo potest esse vel positiva, vel privativa. p.169.n.16

Laico necessaria est honesta corporis compositio & vestitus ac reverentialis sumptio. ibid.

Sacerdoti extra sacrificium communicanti necessaria est stola, quæ in formam crucis complicari debet, non tamen est peccatum mortale id omittere, ibid.

Corporalis fœditas per se non impedit ex necessitate sacram communionem. ibid.n.17

Corporalis macula propter effectus aliquos ex illa resultantes, potest aliquando impedire sacram communionem, non ex præcepto, sed ex consilio, seclusò scandalo & contemptu. ibid.n.18

Iure divino prohibitum non est sacram communionem sumere post cibum & potum: conveniente tamen ab Ecclesia præceptum est, ut tantùm à jejunis sumeretur. ibid.n.19

Sumere terram & trajicere in stomachum, vel ob delectationem, vel ob minuendum calorem, juxta quosdam solvit jejunium naturale necessarium pro sumenda Eucharistia: sed contrarium est etiam probabile. ibid.n.19

Si quis respirando trajiciat aliquid in stomachum, quod possit esse cibus, ut culicem, non solvit jejunium naturale, sive attrahatur per os, sive per nares. p.170.n.21

Si non casu, sed ex intentione aliquid attrahatur in stomachum per respirationem, & quidem per os, violatur jejunium naturale, secùs si per nares, nisi fortè quis assuetus sit per nares attrahere & in stomachum trajicere liquores. ibidem.

Jejunus deglutiens casu & præter intentionem bonam quantitatem aquæ vel alterius liquoris, solvit jejunium naturale, & non potest communionem sumere. ibid.n.22

Si aqua, aut alius liquor sic haustus ejiciatur è stomacho, & probabiliter judicetur esse ejectum totaliter, potest censeri adesse jejunium naturale: in dubio tutius est à communione abstinere. ibid.

Si aliquid cibi vel potus intret in conductum respirationis & ejiciatur, non solvitur jejunium naturale, etiamsi fiat per actionem manducativam & ex animo manducandi, aut potandi. ibid.n.23

Sactæ communionis sumptio non impeditur, si dum præguttatur vinum, cibus aliquis, aut aliud ad percipiendum saporem & expuitur, si remaneat aliquid salivæ præmixtum & descendat in stomachum. ibid.n.24

Ante sumptionem sacræ communionis licet aromata imponere & dentibus conterere ad confortandum caput, vel in alium finem: & si aliquid de his præter intentionem descendat cum saliva in stomachum, non impedit communionem. p.171.n.25

Sumptio tabachi in pulvere & folio per nares non solvit jejunium naturale. Si autem sumatur in folio per os, & aliquid in stomachum descendat, solvit jejunium; alias non, si tantum ut dentibus conteratur, aut ut per aliquod tempus permaneat in ore, etiamsi præter intentionem quid minimum descendat in stomachum per modum salivæ. ibid. n.26

Si tabachum sumatur in fumo, nec solvit jejunium naturale; quamvis indecens sit non parum Sacerdotibus & ministris altaris hæc sumptio quæ plebejis scandalum præbere solet, & consuetudo planè ableganda est. ibid.

Sumptio tabachi in Ecclesia D. Petri Romæ & ejus porticu, est prohibita sub mortalitatem in Ecclesijs civitatis & Diœcesis Hispalensis, ex constitutionibus Innocentij X. & Urbani VIII. ibid.

Ignorantia potest aliquando excusare à peccato non jejunos accedentes ad sacram communionem, etiamsi sint Sacerdotes. ibid.n.27

An perturbatio mentis orta ex indigestione vel vigilia noctis impediat celebrationem aut sumptionem Eucharistiæ, variè sentiunt, quibusdam affirmantibus, alijs negantibus. p.172.n.28

Communitas.

Communitas de jure non potest in Emphyteusim accipere, quia non moritur, & hic numquam res ad dominum redire posset obitu Emphyteutæ. Usus tamen & consuetudo contrarium inducit, ut possit dari ad duas vel tres generationes alicujus ex communitate nominandi à domino vel communitate, v. Emphyteusis. p.272.n.4

Communitas, Universitas, Collegium, Capitulum, Conventus collectivè simul, id est, ut communitas, universitas, &c. excommunicari non potest, singuli tamen de communitate excommunicari possunt, v. Excommunicatio 1. p.309 n.10

Si feratur excommunicatio in communitatem vel collegium, an valida sit & teneat? Alij affirmant, alij negant; sed dicendum, si feratur à Papa, validam esse, si omnes de communitate sint culpabiles; secus afficiet tantùm culpabiles. ibid.

Compensatio.

Compensatio non est actio, sed exceptio, quâ is, qui pro debito aliquo convenitur ab alio, illi excipit & opponit debere tantumdem, aut plus, aut partem. p.172.n.1

Compensationis acceptio in quinque casibus habet locum, ibid.

Compensatio non habet locum primò, si aliquid debeatur Fisco vel Principi vel communitati ad reparationem murorum, fontium, &c. 2. quando aliquis condemnatur ut aliquid

reddat alicui ob vim illatam, furtum, &c. niſi debitum eſſet ex ſimili cauſa. Tertio, in depoſito. Quando debentur alimenta. ibid.n.2

In juramento implendo, an liceat uti compenſatione? quidam negant, alij affirmant, & utrique probabiliter. ibid.n.3

Qui juravit cum intentione compenſandi, non tenetur realiter exhibere quod promiſit, ſed poteſt recompẽſare, etiamſi in verbis nihil expreſſerit præter formalẽ promiſſionem: imò neq; etiam peccavit cũ tali intentione promittendo, ib.n.4

Compenſatio etiam admittitur in foro externo pro ſolutione debiti, ſeu promiſſi jurati, ubi manifeſtè conſtiterit non fuiſſe per juramentum excluſam compenſationem, neque hanc fuiſſe intentionem jurantis. p.173.n.5

Compromiſſum.

Compromiſſum eſt contractus quidam, quo aliqui mutuo conſenſu in ſententiam arbitri, aut arbitratoris reijciunt controverſiam aliquam dirimendam, ſpondentes ſe illi paricuros. p.173.n.1

Compromiſſum eſt contractus innominatus & onerosus; reducitur autem ad *Facio, ut facias*, ibid.

Compromiſſum tranſit in contractum nominatum addita ſtipulatione ex utraque parte, modò uterque compromittentium præſens ſit. ibid.n.2

In compromiſſo ea exprimi debent, ad quæ arbitrandum ac definiendum à compromittentibus in arbitris aut arbitratoribus, facultas eis conceditur. ibid.n.3

De clauſulis, quæ in compromiſſis apponi conſueverunt, p.174.n.4

Quando compromiſſum ſolo pacto nudo fuit celebratum, neque pœnâ appoſita, neque ſtipulatione, ex jure civili communi, ex illo non oritur obligatio civilis illud ſervandi, niſi ex altera parte traditione ſit impletum. ibid.n.5

Compromiſſum, quo aliqui in arbitros aut arbitrores compromittunt, pactum eſt nudum, interim dum à neutra parte quicquam eſt tributum ac traditum alteri ratione ejus pacti. ibid.n.6

Arbitri jure civili communi cogi non poſſunt ulteriùs progredi in cauſa ſibi commiſſa, niſi pœna appoſita ſit partibus non ſtantibus arbitrio. ibid.n.7

Ut ſententia arbitri cenſeatur emologata, jure civili neceſſe eſt ut partes ſeſe illi ſubſcribant: jure autem canonico ſatis ad id eſſet, ſi verbo aut quovis alio modo in eam conſentiant. ibid.n.8

Quando compromiſſum in arbitrum ſtipulatione fuit vallatum ſeu firmatum, arbiter cogitur progredi in cauſa & ſuo tempore ſententiam ferre, qua latâ, parti, quæ vult illi ſtare, conceditur actio contra nolentem. p.175.n.9

A ſententia arbitrorum jure communi non admittitur appellatio, ſive in compromiſſo pœna fuerit appoſita parti, quæ illorum ſententiæ non ſteterit; ſive non. ibid.n.10

Quando compromiſſum ſtipulatione fuit firmatum & ſimul appoſita pœna contravenienti ſententiæ, tunc, ſi is, qui eâ fuit damnatus, expreſsè illâ emologavit, victor agit ad executionẽ ſententiæ, ſi victus eam implere meretur. ibid.n.11

Compromiſſum confirmare juramento, jure canonico non prohibitum, ſed potius approbatur, quidquid in contrarium lex civilis decernat. ibid.n.12

Si juramento cõpromiſſum fuit firmatum, licet arbitri ſententia injuſtè partes gravaret, tenetur pars injuſtè gravata illi ſtare ſub peccato mortali, niſi prius juramentum relaxetur. ibid.n.13

Quando compromiſſum eſt in aliquẽ arbitratorem ut aliquid definiat in complementum alicujus contractus, an detur actio jure civili & canonico. ibid.n.14

Quid juris de cõpromiſſo facto in aliquem, quantũ pro injuria accepta aut pro damno dato eſſet ſolvendum. p.176.n.15

Quando in arbitratorem eſt compromiſſum, pœnâ ei appoſitâ qui arbitramento non ſteterit, nihilominus ab arbitramento poteſt reclamari ac peti ut ad juſtitiæ limites reducatur, ſi arbitramentum dijudicatur injuſtum, & tunc locum non habet pœna; ſecus ſi arbitramentum approbetur. ibid.n.16

Concilium.

Concilium apud Chriſtianos eſt convocatus conventus Epiſcoporum tanquam Præpoſitorũ Eccleſiæ Dei, ad definiendas cauſas difficiles, quæ ad fidem & mores pertinent: Synodus autem accipitur etiam pro Concilio. p.176.n.1

Conciliorum tria ſunt genera. Primum univerſale dicitur. Alterum Provinciale. Tertium Diœceſanum. ibid.n.2

Neceſſitas & utilitas Conciliorum oſtenditur. ibid.n.3

Soli Epiſcopi vocantur ad Concilia generalia, ut in ijs pro ſententijs ferendis conſiderent. p.177.n.4

Concilium Generale à Summo Pontifice confirmatum, non poteſt errare in fide, neque in moribus. ibid.n.5

Concilia generalia poſſunt errare ante Summi Pontificis confirmationem; niſi Patres in ijſdem congregati in definiendo ejuſdem ſequantur inſtructionem. ibid.n.6

Concilium Generale, in quo Legati Apoſtolicæ Sedis conſentiunt cum Patribus congregatis in definiendo, abſque certa inſtructione Sum. Pontificis, poteſt errare. ibid.

Concilia particularia non approbata à Summo Pontifice, certam fidem omninò non faciunt: temerarium tamen eſt ſubditis & alijs privatis, de talium Synodorum decretis dubitare, & impium ijſdem contradicere. ibid.

Concilij Generalis auctoritas non præponderat auctoritati Sacræ Scripturæ. ibid.n.7

Concilium Generale non eſt ſupra Papam, ſed contrà ipſe eſt ſupra illud. p.178.n.8

Non poteſt Papa ſe ſubijcere ſententiæ coactivæ ullius Concilij Generalis, nedum particularium. ibid.n.9

Quænam Concilia Generalia ſint approbata à Sede Apoſtolica & à tota Eccleſia Catholica recepta. ibid.n.10

Quæ ſint Concilia Generalia reprobata, quia faverunt hæreticis. ibid.n.11

Concilia partim confirmata, partim reprobata. p.179.n.12

Concilia nec manifeſtè probata, neque manifeſtè reprobata, ſunt illa particularia pleraque; quia eorum non ſolet peti confirmatio. ibid.n.13

Decretum Imperatorum Valentiniani & Martiani de obſervatione Conciliorum. ibid.n.14

Concordata.

De Concordatis cum Germanis inter Sedem Apoſtolicam & Fridericum Imperatorem ſuper reſervatione beneficiorum, videnda eſt Bulla Nicolai V. *Ad Sacrum Petri Sedem* v. Beneficium IV. p.108.n.8

De Concordatis cum Gallis, extat Bulla Leonis X. quæ incipit, *In eminenti*, in qua ſtatuitur, ut Rex Franciæ faciat nominare ad Epiſcopatus, Abbatias, Prioratus & Monaſteria, & Papa conferat, &c. ibid.

Concubinarius.

Concubinarius dicitur, qui mulierem ſolutam & corruptam domi retinet & cum ea conſuevit carnaliter ſicut cum uxore commiſceri. p.179.n.1

Nulli hominum licet habere concubinam, cùm ſit contra legem naturæ & Dei. Concubinæ autem Patriarcharum & Davidis, fuerunt etiam veræ uxores. ibid.n.2

Concubinatus crimen eſt fori Eccleſiaſtici; non eſt tamẽ prohibitum Magiſtratui ſæculari punire laicum concubinarium, ſi Eccleſiaſticus judex negligẽs ſit in corrigẽdo. ib.n.3

Concubinæ clericorum in notorio concubinatu deprehenſæ, ab utroque Magiſtratu tam Eccleſiaſtico, quàm laico puniri poſſunt. ibid.

Mulieres, quæ trina monitione præmiſſa non abſtinent à conſortio eorum, qui cum adulteris ſeu concubinarijs publicè vivunt, extra oppidum ab ordinario ejici poſſunt. p.180.n.4

Concubina clerici, licet ſequatur forum ejus, non tamen gaudet privilegio clericorum. ibid.

Clericus ſacrorum Ordinum concubinarius eſt tranſgreſſor voti; & gravius peccat quàm laicus adulter vel homicida. ibid.n.5

Ex publico crimine Sacerdotis concubinarij tria mala oriuntur: Primò, ſcandalizantur corda aliorum: Secundò vituperatur Miniſterium Eccleſiaſticum: Tertiò, præſtatur alijs licentia & materia peccandi. ibid.n.6

Concubinario notorio tam clerico, quàm laico Euchariſtiam publicè petenti, neganda eſt, ſi concubina adhuc in domo detineatur. ibid.n.7

Sacerdotis concubinarij notorij Miſſam audire jure antiquo vetitum erat, hodie tamen poſt decretum Concilij Conſtantienſis, non eſt peccatum donec ſpecialiter denuncietur tanquam vitandus. ibid.n.8

Concubinarijs cùm variæ pœnæ imponantur à jure, judex quam vult imponere poteſt. ibid.n.9.

Quando diverſæ pœnæ imponuntur, in quatuor caſibus una non tollitur per aliam impoſitam. ibid.

Clericus perſeverans in concubinatu uſque ad mortem, non eſt ſepeliendus in loco ſacro. p.181.n.10

Concurſus.

Quando Eccleſia Parochialis vacat per obitũ rectoris vel delictum, juxta Tridentinum debet fieri concurſus & examen corã examinatoribus Synodalibus, & illum eligat Epiſcopus quem judicaverit dignorem, v Beneficium 6. p.113.n.1

Quando juspatronatus eſt laicum, examen non fit per concurſum, ſed præſentatus ab eo debet examinari à deputatis examinatoribus, & ſi fuerit idoneus repertus, admitti. ibid.

Non eſt faciendus concurſus, ſi Parochia vacet per reſignationem factam in manibus Papæ in favorem certæ perſonæ, & Papa admittat, ſed latis eſt examinari à deputatis examinatoribus cum Epiſcopo & judicari dignam. ibid.

Si Parochia vacet per permutationem cum alia Parochiali ejuſdem conditionis, non requiritur examen; ſi verò fiat permutatio cum ſimplici, vel cum alia Parochiali ubi major induſtria requiritur, juxta quorumdam ſententiam, debet fieri examen per concurſum, quod alij non admittunt. Ibid. ubi plura de concurſu. p.113. & 114. n.3.4.5. & 6.

Conditio.

Sub conditione in futurum pendente validè & licitè conferri poteſt abſolutio à cenſura, v. Abſolutio. p.21.n.8

Ut promiſſio ſimplex ſit valida & in conſcientia obliget, ſex conditiones requiruntur, v. Donatio. p.240.n 14

Conditio poſſibilis dividitur in neceſſariam & contingentem. Exemplum prioris eſt. Si ſol cras oriatur, inſtituo te hæredem. Hæc conditio licet de futuro ſit, non ſuſpendit diſpoſitionem, quia impleta cenſetur. p.243.n.34

Conditio contingens, quæ ſola ſuſpendit diſpoſitionem, ſi ſub ea fiat, dividitur in *poteſtativam, caſualem & mixtam.* ibid.

Conditio preſsè ſumpta pro ſola conditione de futuro contingenti, quæ proinde in utramvis partem evenire poteſt, definitur ſic, *Eſt diſpoſitionis* (id eſt actus, quo quis donando, promittendo, legando, contrahendo, &c.) *ſuſpenſio ex incerto futuro eventu appoſita.* Hæc ſuſpendit donationem uſque ad eventum conditionis: ut, Dono tibi centum, ſi Bertham duxeris in uxorem. ibid.n.35

Conditio latè ſumpta, ut comprehendit non ſolùm hanc & quamcumque aliam de futuro, ſed etiam conditiones de præſenti & de præterito, ſive ſint contingentes, ſive neceſſariæ aut etjam impoſsibiles, ſic poteſt definiri, *Eſt adjectio diſpoſitioni dependentia, ut ſit, obligaréve incipiat, ex aliquo præſenti, præterito, aut futuro.* Ut ſi quis dicat, Dono tibi centum, ſi Rex modò vivit, aut ſi naves ex India anno præterito venerunt. ibid.

Parochus non debet permittere ut contrahentes matrimon. dent mutuum conſenſum conditionatum, ſed abſolutum & liberum, ne inconvenientia & perplexitates ſequantur, v. Matrimonium I. p.523.n.20. ubi plura.n.19 21.& 22

Si contractis ſponſalibus ſub conditione de futuro cum Maria, ineantur ſponſalia abſoluta cum ejus ſorore, & poſterioribus ſponſalibus non inducitur impedimentum publicæ honeſtatis; quia ſunt irrita, v. Matrimonium 2. p.536 n.44

Quando aliquid debetur ſub conditione pendente in futurum, quæ poſſit eſſe & non eſſe, ſi per errorem ante conditionem expletam ſolvatur, repeti poteſt tanquam ſolutum per errorem, quod adhuc erat indebitum, v. Solutio. p.799 n.12

Ex contractu vel quaſi contractu ſub conditione, ut ſi promittas alicui centum, ſi navis ex India venerit, dum conditio pendet, nulla actio vel obligatio oritur, v. Contractus. p.195.n.18

Contractus ſub conditione factus, fit purus & ſimplex conditione impleta. ibid.

Quando contractus continet conditionem & diem, requiritur ut utrumque exiſtat. ibid.

Conditiones requiſitæ ad meritum de condigno, ex communi Theologorum ſententia, ſunt ſex, v. Meritum. p.551. n.5. & ſeqq.

Votum mere conditionale eſt, quando conſenſus non eſt ſtatim perfectus & abſolutus, ſed pendet ex futuro eventu poſito ſub conditione, & non quaſi determinatione temporis, nec res promiſſa ponitur quaſi odiola pœna, & ſupplicium alicujus rei, v. Votum 1. p.864. n.30. ubi plura de hoc voto n.31. & ſeqq.

Confeſſarius.

Si debitor ex delicto reſtitutionem debiti indeterminatè, ſeu in genere, v.g. decem florenorum ex injuſta venditione, aut emptione committat Confeſſario & præter intentionem accidat, ejuſmodi confeſſarium reſtitutionem intermittere, tunc debitor non liberatur, ſed debet aliorum decem reſtitutionem facere, v. Debitor. p.202.n.11

Si res aliqua in ſpecie debita fuit, ſed juſtè, puta inventa vel bonâ fide poſſeſſa, intereſt tamen debitoris, ut non ſciatur reſtitutionem ab ipſo provenire, tunc confeſſario non reſtituente, debitor omni jure liberatus eſt. ibid.

Confeſſarius poteſt, per ſe loquendo, injungere ſatisfactionem Sacramentalem pœnitenti, tam ante, quàm poſt abſolutionem: conſuetudo tamen obtinuit, ut prius imponatur. v. Satisfactio. p.769 n.7

Confeſſarius non poteſt obligare pœnitentem ad impiendam pœnitentiam priuſquam illum abſolvat, per ſe loquendo, quando ſatisfactio eſt tantùm vindicativa; ſecùs ſi pœnitentia conſideretur ut eſt curatio & medicina; quamquam in hoc prudentia confeſſario neceſſaria ſit. Ibid.n.8. ubi plura n.9.10.& 11.

Quomodo ſe debeat gerere confeſſarius circa reum abſolvendum in conſcientia, qui juridicè interrogatus negavit veritatem, vide v. Reus. p.756. & 757 n.5.6.& 7.

Quomodo confeſſarius ſe gerere debeat cum ſagis, quæ ultrò ad ſacram confeſſionem accedunt, vide v. Magia. p.515. n.10

Confeſſarius qui debet exequi literas ſacræ pœnitentiariæ quæ expediuntur pro foro conſcientiæ in diſpenſationum forma, debet eſſe Doctor in jure Canonico, vel Magiſter in Theologia & approbatus ab Ordinario, v. Matrimonium III. p.544.n.18

Confeſſio Sacramentalis.

Præceptum confeſſionis præmittendæ ante ſumptionem Euchariſtiæ, ab eo, qui ſibi peccati mortalis conſcius eſt, non eſt purè Eccleſiaſticum, ſed etiam divinum. p.181.n.1

An autem opinio aſſerens hoc præceptum eſſe de jure Eccleſiaſtico, ſit probabilis? Affirmant quidam, ſed melius alij negant. ibid.

Qui ante communionem fecit confeſſionem formaliter integram, & poſtea antequam celebret, aut ad communionem accedat, recordatur alicujus peccati mortalis non confeſſi, tenetur illud confiteri ante Miſſam vel communionem; etjamſi certò ſciret ex revelatione ſe eſſe juſtificatum. p.182.n.2

Habens conſcientiam peccati mortalis & confiteri non poteſt ante communionem, tenetur ad habendam contritionem priuſquam ad hoc Sacramentum accedat, in caſibus, in quibus poteſt communicare non præmiſſa confeſſione. ib.n.3

Qui habuit motivum generale dolendi de decem peccatis mortalibus, ſi confiteatur tantùm novem & obliviſcatur decimi, quando confitetur illud unum oblitum, non tenetur elicere novum actum contritionis, ſed ſufficit prior non retractatus. ibid.n.4

Qui nova confeſſione repetit peccatum, à quo directè fuit abſolutus, juxta probabiliorem ſententiam, habere debet novum ejuſdem peccati dolorem. ibid.

Qui acceſſit ad ſinteum Sacrę menſę ut communicet, ſi recordetur alicujus peccati mortalis non confeſſi, poteſt communicare propter ſcandalum non confeſſus: ſi tamen ſolus ſit cum Sacerdote confeſſore, teneretur confiteri. p.183.n.5

Si poſt conſecrationem etiam unius ſpeciei celebrans moriatur vel deficiat, nec adſit alius qui ſacrificium perficiat præter Sacerdotem peccatorem conſcium ſibi peccati mortalis; hic poteſt & tenetur, etiam non præmiſſa confeſſione, ſi eam facere non poteſt, ſacrificium perficere: tamen ſepoſito ſcandalo, tunc Sacerdos poſſet excuſari à ſacrificio alterius perficiendo, ſi moraliter vix poſſet contritionem elicere. ibid.n.6

Præceptum confitendi quamprimùm poſitum in Tridentino, quando quis celebravit in neceſſitate ſine prævia confeſſione, non eſt divinum, ſed Eccleſiaſticum. ibid.n.7

Si Sacerdos in die Paraſceves urgente neceſſitate faciat officium non præmiſſa confeſſione, tenetur quamprimùm confiteri. ibid.n.8

Non poteſt Eccleſia immediatè præcipere totum Sacramentum pœnitentiæ, prout de facto à Chriſto inſtitutum eſt: tamen poteſt Eccleſia directè & per ſe ſolùm præcipere confeſſionem de peccatis externis. ibid.n.9

Summus Pontifex non poteſt tollere & abrogare omnino præceptum confeſſionis, ita ut nunquam obliget, quamvis poſſit ex cauſa diſpenſare, ut præceptum non obliget pro ſingulis annis, vel reſtringere ut pluries in anno obliget. p.184.n.10

Licentia audiendi confeſſiones conceſſa *ad beneplacitum*, expirat morte concedentis: quamvis contrarium ſit etiam probabile. ibid.n.11

Epiſcopus in approbatione regularium pro confeſſionibus, po eſt adhibere clauſulam limitativam, *Ad beneplacitum*, etjamſi regularis ſit undequaque ſufficiens. ibid n.12

Epiſcopi non poſſunt limitare regularibus privilegiatis juriſdictionem, niſi in ordine ad caſus, quos ſibi reſervant, non autem in ordine ad perſonas, loca, &c. ibid.n.13

Regularis, qui non eſt ſufficiens & idoneus pro omnibus perſonis & locis, poteſt limitatè quoad perſonas & loca ab Epiſcopo approbari. p.185.n.14

Qui non eſt aptus ſimpliciter pro omnibus locis & perſonis, poteſt abſolutè ab Epiſcopo reprobari. ibid.n.15

Qui in confeſſione Paſchali omiſit aliqua peccata mortalia per oblivionem, non tenetur ea confiteri niſi confeſſione ſequentis anni. ibid.n.16

Confirmationis Sacramentum.

Poteſtatem miniſtrandi Sacramentum Confirmationis poteſt Summus Pontifex electus nondum in Epiſcopum conſecratus, delegare ſimplici Sacerdoti. p.185.n.1

Miniſterium conferendi hoc Sacramentum, ſolùm a Summo Pontifice poteſt ſacerdotibus delegari, non autem ab Epiſcopo. ibid.n.2

An autem forma Græcorum, *Signaculum doni Spiritus ſancti*, ſit ſufficiens ad valorem Sacramenti? Contra communem, quidam putant eſſe validam. ibid.n.3

Unctio in hoc Sacramento debet fieri ab Epiſcopo in fronte, aliàs Sacramentum eſt nullum. p.186.n.4

Unctio debet fieri manu Epiſcopi immediatè, non autem medio aliquo inſtrumento. ibid.n.5

Confiſcatio bonorum.

Per legem imponentem pœnam confiſcationis bonorum, criminoſus privatur ipſo facto dominio ſuorum bonorum, & fiſcus illud acquirit ante ſententiam declaratoriam, non

non tamen privatur reus ipso facto justa possessione illorum, nec tenetur eis se spoliare, donec per sententiam declaretur reus & condemnetur, v. Lex 2. p.496.n.21
Hæreticus, qui fraude, mendacijs & falsis testibus se defendit & impedivit sententiam & confiscationem bonorum, non tenetur ad restitutionem, v. Pœna. p.652.n 3
Vide verb. Fiscus.

Cognatio spiritualis.

In duobus tantùm Sacramentis contrahitur cognatio spiritualis, nempe in Baptismo & Confirmatione, quæ dirimit matrimonium contrahendum inter baptizantem, & baptizatum, & inter patrinos & ipsum baptizatum, patrem & matrem ipsius baptizati, sive confirmati, v. Matrimonium 2. p. 531.n.21. ubi plura de hac cognatione. n.22. 23. & 24.

Cognatio legalis.

Inter filios legales nullum est impedimentum cognationis legalis: imò impedimentum cognationis hujus non procedit inter adoptivum & filiam naturalem adoptantis, si sit illegitima, v. Matrim. 2. p.533.n.30
Cognatio legalis impedit & dirimit matrimonium inter adoptantem & adoptatum, ejusque descendentes usque ad quartum gradum, non autem ascendentes. ibid.n.31

Consanguinitas.

Consanguinitas ex nomine derivatur a *con*, & *sanguine*, quasi significans sanguinis unitatem, eò quòd consanguinei ab eodem sanguine originem ducant, & in eodem sanguine uniantur, v. Matrimonium 2. p.530.n.17
Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem propinquo stipite descendentium, carnali propagatione contractum. ibid.
In computatione graduum consanguinitatis in linea recta, jus civile non discrepat a jure canonico: in linea autem collaterali videtur discrepare. Ibid. p.530.n.18. ubi plura n.19. & p.531. n.20.
Summus Pontifex dispensat in secundo gradu consanguinitatis non solùm inter magnos Principes ob publicam causam, sed etiam ex benignitate cum personis inferioris notæ, licet non adsit causa publicum bonum, sed privatum, verb. Matrimonium III. n.4. ubi enumerantur causæ ad dispensandum in secundo gradu, & plura n.5.

Consensus.

Consensus parentum non requiritur in matrimonijs filiorum ut sint valida: nec parentum consensus satis est ad sponsalia vel matrimonium filiorum, nisi consentiant, v. Matrimonium 1. p.523.n.23
Non tenetur filius regulariter implere sponsalia, quæ absque suo consensu pater promisit; si tamen multùm interfit parentum ut filius tale matrimonium ineat, tenetur filius sub lethali culpa obedire parenti illud præcipienti. ibid.n.24
Professio invalida ex defectu consensus professentis, nullam ex se inducit obligationem: per accidens tamen talis professio potest aliquem effectum habere, magis in externo foro, quàm in foro animæ, v. Professio. p.700.n.8
Professio invalida ex defectu tantùm consensus Religionis, nullam ex se inducit obligationem, modò apertè constet Religionem non præbuisse consensum. ibid.n.9

Consilium.

Consilium in lege Evangelica describi potest esse opus bonum à Deo non imperatum, sed demonstratum & commendatum, cui, si fiat, magna debetur remuneratio, si non fiat, nulla pœna. p.186.n.1
Consilium differt à præceptis in quatuor. ibid.
Consilia principalia, quæ in lege Evangelica rectè consuluntur, sunt tria, nempe paupertas voluntaria, castitatis, & obedientiæ. ibid.
Consiliorum Evangelicorum usus duplex est. ibid n.2
Erga hæc consilia omnis Christianus ad duo obligatur: Primò, ut proponat animo ea servare, quoties ad aliquod se ex necessitate salutis suæ obligari intelligit. Secundò, ut consilia ista nunquam contemnat. ibid.n 3
Ratione subjectæ materiæ quandoque verba importantia consilium, sumuntur pro præcepti verbis; & è contra hæc pro verbis consilij. p.187.n 4
Qui consilium in materia Theologica speculativa vel practica pretio accepto præbet, non peccat peccato simoniæ: secùs si consilium esset potiùs pendens ex dono Spiritus sancti quàm ex sola doctrina & humano studio. ibid.n.5
Idiotæ & imperiti homines dantes consilium bona fide, non tenentur ad restitutionem damni ex eo consilio subsequuti: secùs qui fraude, vel se peritum fingendo, consilium damnosum alteri dedit; hic enim tenetur. ibid.n 6

Consuetudo.

Ut consuetudo sit fida legum interpres, requiritur primò, ut sit publica, & neminem lateat, id est, publicis moribus recepta: Secundò, ut non solùm sciat Princeps, sed etiam approbet, & non puniat, etsi ámsi res in judicium deducantur. p.187.n.1
Prima principia juris naturalis nullo modo per consuetudinem mutari possunt: unde consuetudo facere non potest ut licitè exigantur usuræ, ut juramentum falsum non sit peccatum, &c. p.188 n.2
Nulla consuetudo potest eximere religiosos à votis essentialibus Religionis. ibid.n.3
Facultas testandi competere potest Monachis per consuetudinem. ibid.n.4
In dubio an consuetudo contraria legi sit rationabilis, & expediens communi bono, præsumenda est rationabilis: si verò consuetudo non solùm sit contraria legi, sed etiam à lege prohibita & reprobata, in dubio judicandum est consuetudinem esse irrationabilem. ibid n.5
Omnis consuetudo, quæ juri divino aut naturali non adversatur, est rationabilis. ibid, n.6
Varij variè sentiunt, quando censeatur consuetudo legitimè præscripta; sed dicendum est hoc negotium relinqui debere arbitrio prudentis & docti viri. p 189 n.7
Ad consuetudinem stabiliendam non requiruntur actus judiciales, sed sufficiunt actiones vulgares & extrajudiciales, modò sint voluntariæ & consequenter non ex errore & ignorantia factæ. ibid.n.8
Consuetudo æquiparatur legi, & sicut lex obligat solùm subditos in territorio, in quo introducta est. ibid.n.9
Consuetudo potest facere, quod aliqua lex recipiatur in aliqua sui parte & non in alia; vel recipiatur secundùm principalem suam dispositionem, & non quoad pœnam ei adjunctam, vel quoad unam partem pœnæ & non quoad aliam. ibid.n.10
Consuetudo potest abrogare legem quoad culpam, manente obligatione quoad pœnam, quando pœna non supponit intrinsecè culpam. ibid.
Consuetudo generalis totius Provinciæ aut regni obrogatur per legem subsequentem, quamvis illius non fiat mentio: si autem sit specialis, non potest abrogari per legem subsequentem, nisi expressè fiat mentio consuetudinis per verba abrogativa. ibid.n.11
Si consuetudinem lex improbet per verba generalia, an de consuetudine præterita & futura intelligi debeat? affirmant quidam; alij de futura negant. ibid.
Una consuetudo derogari potest per aliam contrariam supervenientem; servata tamen proportione, ut generalis per generalem, particularis abrogetur per particularem in eodem loco, universalis per particularem unius loci, pro eodem loco, & particularis per generalem. p.190.n.12
Consuetudinem inducere non potest merus non usus, quæ vim legis habeat. ibid.n.13

Conjectura.

Conjectura propriè dicitur, quæ non à necessarijs, sed à probabilibus oritur, v. Præsumptio, p.671 n.2
Conjectura est rei latentis judicium, vel est acceptio seu reputatio veri ex aliquo alio pro verisimiliter ordinato. ibid.
Conjectura dicta est à *conjicio conjectus* frequentativo, quod idem est, quod exittimo, divino, atque ita à scientia differt. ibid.

Conjux.

Conjux qui dedit alteri licentiam Religionem ingrediendi, potest illam revocare antequam alter conjux profiteatur, v. Novitiatus, p.593.n.7
Ingressus unius conjugis in Religionem à principio factus sine licentia alterius, potest postea confirmari & ratus haberi per supervenientem consensum illius. ibid.n.8
Conjugi adultero non permittitur transire ad Religionem invito innocenti, etiam latâ divortij sententiâ, & si ingrediatur, potest post professionem revocari: tamen validè mutat statum conjux adulter post divortij sententiam, si id sciat innocens, nec contradicat. Ibid n.13. ubi plura. Vide v. Votum 1. num.17

Consulens.

Consulens furtum aut homicidium, dubitat tamen an ex suo consilio secutum sit furtum aut mors, tenetur prudenter interrogare eum, cui consilium dedit, & si alter ferò dicat se ad delictum perpetrandum non fuisse motum ex illius consilio, potest illi credere, si sit fide dignus, & liberatur à restitutione, v. Restitutio. p.742 n.19
Si talis interrogatio non sit possibilis, colligendum est ex circumstantijs: quòd si omnibus tentatis adhuc manet dubius, declinandum est in favorem consulentis, nec obligandus est ad restitutionem. ibid.
Consulens alteri ut hominem occidat aut aliud damnum inferat, sed consultus multa damna passus est ex illo delicto, non tenetur ad restitutionem damnorum, quæ passus est consultus. p.743 n.10

Contentio.

Contentio est disceptatio sive altercatio verborum ad veritatem impugnandam. p.190.n.1
Veritas impugnari potest tripliciter: Primò, formaliter, id est, ex

ex intentione ipſam bene cognitam impugnandi & ipſi contradicendi. 2 Virtualiter,& hoc modo hæretici doctrinam Catholicam,quam poſſunt ac debent ſcire eſſe veritatem,frequenter impugnant. His duobus modis impugnare veritatem in materia fidei & morum eſt peccatum mortale. Tertiò, materialiter tantùm;& tunc nullum eſt peccatum niſi ſit exceſſus in modo. ibid.

Contentio ex parte materiæ de qua contenditur,eſt triplex: Primò,æmulationis:Secundò,diſputationis in ſcholis; Tertiò,litigationis in foro; & quando ſit peccatum. ibid.n.2

Conſtitutiones religionum punientes contentiones, loquuntur de ea, quæ eſt ſolùm peccatum veniale. ibid.

Contentio eſt filia inanis gloriæ,ſicut & diſcordia : poteſt tamen contentio oriri aliunde,ac ſpecialiter ex invidia.ib.n.3

Continentia.

Continentia in materia morali accipitur, Primò, ut ſignificat virtutem quandam, quâ quis ſeſe ab omni delectatione venerea cohibet: Secundò, ut ſignificat firmitatem animi contra impetus paſſionum. p.191.n.1

Continentia ſimpliciter & abſolutè dicta verſatur circa concupiſcentias delectationum tactus, tanquam circa ſuum objectum. ibid.

Continentia abſolutè dicta non diſtinguitur à temperantia, niſi ut imperfectum & inchoatum à perfecto & completo. ibid.n.2

Continentiæ,ſeu caſtitatis utilitates enumerantur. ibid.n.3

Multa ſunt, quæ ad continentiæ cultum poſſunt nos incitare. ibid.n.4

Contractus.

Contractus, alij ſunt gratiâ accipientis;alij gratiâ ſolùm dantis; alij gratiâ utriuſque. p.192.n.1

Contractus bonæ fidei & ſtricti juris inter ſe diſtinguuntur. ibid.n.2

Contractus ad pias cauſas, cui deeſt ſolemnitas juris civilis, validus eſt in utroque foro,modò exiſtat id, quod eſt juris naturalis & divini. ibid.n.3

Contractus ad cauſam profanam, quibus deficit aliqua ſolemnitas juris, poſſunt leges civiles in utroque foro ſtatim ipſo facto irritare, & irritant, tam in judicio, quàm extra. ibid.n.4

Contractus ſimulatus eſt in utroque foro nullus; quia conſenſus contrahendi verus eſt veluti forma eſſentialis contractus. ibid.n.5

Quamvis in foro externo metus reverentialis non ſufficiat ad invalidandum contractum; at in foro conſcientiæ, ſi voluntarium mixtum efficiat, ſufficit ad reddendum contractum invalidum & ad obligandum ad reſtitutionem. p.193.n.6

Quæ per preces importunas & longo tempore iteratas obtinentur animo dantis repugnante,obnoxia ſunt reſtitutioni, modò is,qui hujuſmodi precibus urgetur, non poſſit moleſtiam illam alia ratione & minore incommodo repellere. ibid.

Contractus non eſt validus,nec juramento confirmatur,quando eſt contra bonos mores, id eſt de re, quæ turpitudinem continet ex parte materiæ, & abſque ullo juramentis peccato fieri nequit. ibid.n.7

In duobus caſibus juramentum, etjam de re bona non eſt validum,nec obligatorium: Primò,quando lex invalidat non ſolùm contractum, ſed etjam juramentum annexum: Secundò, quando juramentum factum eſt in favorem tertij, ſed nemo acceptavit. ibid.

Quando contractus jure naturæ eſt invalidus, vel invalidari poteſt, non confirmatur juramento; ſi autem contractus inducat obligationem naturalem, confirmatur juramento, modò vis vel fraus non intercedat. ibid.n.8

Si contractus turpitudinem aliquam habeat ex parte ejus,cui fit, non tamen ex parte ejus qui jurat, non confirmatur juramento, quatenus attinet ad eum, cui juratur, quamvis juramentum ſit validum & obligatorium. ibid.n.9

Quando lex non ſolùm invalidat contractum,ſed etiam illum prohibet, ſi juramentum adhibeatur, contractus non confirmatur. ibid.

Quando contractus veratur à jure principaliter ob commune bonum, juramentum non valet,nec contractum confirmat : ſi autem juramentum adhibitum in contractu eſt contra ſubſtantiam ipſius, illum tamen non confirmat, quamvis ſit obligatorium. p.194.n.10

Quoties juramentum eſt contrarium alteri juramento prius facto,contractus non firmatur juramento. ibid.n.11

Plures effectus tribuit juramentum contractui, quem confirmat. *Primus* eſt, ut duas pariat obligationes, unam erga Deum, alteram erga hominem. ibid.n.12

Secundus, quando juramentum confirmat contractum, non ſatisfit momentanea ſolutione. nec datur rei ſolutæ repetitio,cum tunc contractus ſit firmus: ſecus quando non confirmat contractum, ſed tantùm obligat. ibid.n.13

Tertius effectus eſt,quod nulla datur actio parti in foro externo adverſus jurantem, quando juramentum non confirmat contractum; ſecus quando confirmat. ibid.n.14

Quartus eſt,ut obligatio jurata tranſeat ad hæredes,dum contractus firmatur juramento; ſecus quando contractus non firmatur. ibid.n.15

Poteſt minor petere ab Epiſcopo relaxationem juramenti, quo contractum irritum validavit; relaxatio tamen juramenti non irritat contractum. p.195.n.16

Verius eſt ſtatutum laicorum annullans contractum, non annullare juramentum. ibid.n.17

Contractus aliquando ſit purè & ſimpliciter; aliquando in diem; aliquando ſub conditione; aliquando alternativè, hoc eſt, ſub diſjunctione. ibid.n.18

Contractus purè & ſimpliciter factus, ſtatim actionem & obligationem producit. ibid.

Quando contractus ſit in diem certum, ſtatim oritur obligatio, verùm creditor non poteſt agere ante diem conſtitutum. ibid.

Ex contractu vel quaſi contractu ſub conditione,dum conditio pendet, nulla actio, vel obligatio oritur. ibid.

Quando contractus continet conditionem & diem,requiritur ut utrumque exiſtat. ibid.

In contractu alternativo, quando alternativa eſt in pecunia vel tempore, tunc non obligatur debitor, niſi ad minorem ſummam, & ad majorem temporis moram. Si verò alternativa ponatur inter res, inter quas cadit affectio, tunc electio eſt debitoris:& una pereunte,remanet altera obligata. ibid.

Contritio.

Contritio à *con* & *tero* ſecundum nomen importat confractionem vel comminutionem alicujus frangibilis uſque ad minima, quaſi ſimul ex toto tritio. p.196.n.1

Contritio metaphoricè ſignificat deſtructionem perfectam malæ voluntatis appetentis peccata. ibid.

In contritione ſunt tria: Primò, illud quod conteritur,& hoc eſt cor hominis, vel peccata : Secundò, eſt quo conteritur, & hoc duplex mola, nempè ſpes veniæ, & timor pœnæ : Tertiò, ad quod conteritur eſt, ut peccati delectatio totaliter teratur. ibid.n.2

Contritionis dolor eſt duplex; unus intellectualis,qui eſt diſplicentia voluntatis; & alius ſenſualis,qui cauſatur à primo, ibid.n.3

Dolor, qui eſt in intellectu, debet eſſe ſummus quo ad æſtimationem ad alias creaturas : ſenſibilis autem debet eſſe moderatus. ibid.

Dolor de peccato mortali ſecundùm habitum debet eſſe continuus, etjam poſt remiſſionem peccati, non autem ſecundùm actum. ibid.n.4

Contritionis actus ut ſit contritio, nulla indiget temporali duratione, ſed ſimul ac ſit, eſt vera contritio. ibid.n.5

De peccato alieno debet quis dolere, non tamen ille dolor eſt contritio, niſi quatenus illud peccatum efficeretur proprium,quod fit quatuor modis. p.197.n.6

Contritio in veteri lege neceſſaria fuit neceſſitate medij ad tollendum peccatum actuale mortale. ibid.n.7

Contritionis directum objectum non eſt peccatum futurum, ſed tantùm ex conſequenti,quatenus in contritione includitur propoſitum non peccandi in futurum. ibid.n.8

Qui explicitè magis deteſtatur peccatum levius, quàm gravius,peccat mortaliter,ſi inter illa duo peccata ſit notabilis exceſſus. ibid.n.9

Cùm in peccato mortali reperiatur averſio ab incommutabili bono, & perverſa converſio ad bonum commutabile, hinc averſioni debetur pœna damni, & converſioni pœna ſenſus, ibid.n.10

Effectus contritionis eſt remiſſio peccati quoad totam culpam & quoad æternam pœnam damni, remanente tamen pœnâ ſenſus in hoc ſæculo perſolvendâ, vel in Purgatorio. ibid.

Contumelia.

Contumelia propriè in verbis conſiſtit; impropriè autem etjam in factis conſiſtere poteſt. p.197.n.1

Conficientes & divulgantes libellos famoſos, graviter peccant, & tenentur ad reſtitutionem famæ & honoris;& ſeverè puniri debent per leges, tam eccleſiaſticas, quàm civiles. ibid.n.2

Lædens alterius honorem excuſatur à ſatisfactione facienda, per lætæ partis remiſſionem. p.198.n.3

Remiſſio reſtitutionis honoris regulariter non cenſetur facta per familiarem conſuetudinem, ſeu converſationem cum eo, qui contumeliam intulit. ibid.

Chriſtus.

Chriſtus Dominus quatenus homo non fuit verè & propriè Dominus, nec Rex totius univerſi, & ſic non habuit juriſdictionem temporalem, nec rerum dominium, niſi quatenus opus erat ad regnum ſpirituale & ſempiternum, quod

quod instituebat, v. Dominium. p.232.n.5

Contumax, Contumacia.

Contumax duobus modis quis esse potest, nimirum manifestus, & præsumptus. Manifestus dicitur, qui in judicio monitus & citatus ut ad talem diem compareat, ipse coram judice respondet se nolle id facere, nulla reddita ratione probabili, aut legitima, v. Excommunicatio I. p. 309 n. 12. ubi adducuntur alij tres casus, in quibus quis de manifesta contumacia convinci potest. ibid.

Contumax præsumptus dicitur, qui citatus extra judicium & absente adversario se comparere nolle dixit; vel si latitavit, vel curavit, ne ad eum citatio perveniret. ibid.

Causa, ob quam excommunicatio ferri potest & debet, est peccatum mortale proprium grave contumaciæ & inobedientiæ, quo quis Ecclesiæ obedire recusat. ibid.

Ut rationabiliter quis excommunicetur, non satis est contumacia quæcumque, etjam mortalis, neque quodcumque mortale, sed requiritur contumacia ob peccatum grave & enorme, quod alio modo curari nequeat. Ibid. p.310.n.13.

Creatura.

Creaturæ irrationales & insensibiles nullum habent dominium, v. Dominium. p.232.n.3

Creatura irrationalis secundùm esse naturale, quatenus repræsentat potentiam, sapientiam & bonitatem Dei ut auctoris perfectionum naturalium, quas habet, potest diligi amore naturali propter Deum, v. Charitas. p.144. num.8

Creatura irrationalis, quatenus capax est suo modo gloriæ & renovationis quam in fine sæculi est acceptura, potest diligi ex charitate. ibid.

Creaturas benedicere superstitiosum non est, nec divinis contrarium legibus, v. Benedictio. p.95.n.1

Crimen.

Crimen, aliud est Ecclesiasticum, aliud civile, & aliud mixtum. p.198.n.1

Crimina, juxta Juristas, dividuntur in enormia, mediocria & minora; & quæ talia dicantur. ibid.n.2

Crimina, quædam dicuntur publica, quædam verò privata. Publica appellantur illa, circa quorum accusationem quivis de populo juris dispositione admittitur. Crimina privata sunt, de quibus in tantùm potest accusare, qui injuriam eis est passus, & illi in quos injuria redundat. ibid. num. 3

Crimen capitale, pro quo imponenda venit pœna sanguinis, non solùm intelligitur illud pro quo imponenda veniat pœna mortis naturalis, sed etiam pœna mutilationis. pag. 199 n.4

Reus de crimine læsæ majestatis, tunc non gaudet immunitate Ecclesiæ, quando in personam Principis aliquid machinatus fuerit, si illius subjectus sit. ibid.n.5

Quando in criminibus mixti fori punitis in foro Ecclesiæ possit iterum pro eodem crimine à judice sæculari puniri, & quando non. ibid.n.6

Criminis impedimentum.

Ab impedimento criminis incurrendo propter adulterium cum fide data, excusat ignorantia conjugij alterius, quæ sit probabilis & justa; imò juxta quosdam, excusat etjam ignorantia crassa & supina, verb. Matrimonium II. p.532. n.25

Quando dubitatur, an, dum adulterium admissum est vel fides data, superstes esset alter conjux, incurreretur impedimentum criminis matrimonium dirimens, si verè tunc vivebat. ibid.

Si dubium sit, an fides data esset, vel adulterium commissum, non est locus huic impedimento. Ibidem, ubi plura de hoc criminis impedimento. pagin. 532. & 533. n. 26. 27. 28. & 29.

Crux.

Archiepiscopus de jure communi potest ante se deferri facere crucem per totam suam Provinciam, etjamsi locus esset exemptus. Delatio enim crucis, licet non sit contentiosæ jurisdictionis, est tamen insigne sapiens superioritatem, v. Archiepiscopus. p.68.n.8

Per impressionem S. Crucis dæmones ex hominum corporibus sæpè ejecti sunt, v. Adjuratio. p.35.n.13

Crux requiritur in altari dum Sacerdos Missam celebrat: ejus tamen omissio non est mortalis seclusto contemptu, & ad summum est venialis, si justa causa non excuset, v. Missa II. p.569 n.17.

Cubicularius.

Summus Pontifex in quinta regula Cancellariæ Apostolicæ reservat sibi & suæ dispositioni omnia beneficia cubicularium suorum: & per cubicularios in ista regula intelliguntur tantùm cubicularij officiales, quorum collegium erectum est per Leonem X. Alij præter illos non dicuntur Cubicularij, nec Cancellarij secreti, verb. Beneficium IV. p.107.n.6.

Curialis.

In quinta regula Cancellariæ reservat Papa omnia & singula beneficia Ecclesiastica quorumcumque Curialium, quos, dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, v. Beneficium IV. p.107.n.5

Curialis dicitur is, qui est de Curia. Curia autem dicitur, ubi est audientia Rotæ, Cameræ, contradictarum & Cancellaria, quæ ibi consistere solet, ubi Papa moratur ordinariè. ibid.

Beneficia eorum, qui Papam sequentes ultra duas dietas decederent, non tamen translatâ Curiâ, non sunt reservata. ibid.

Cursores.

Cursorum D. Papæ beneficia in regula quinta Cancellariæ etiam reservantur. Per Cursores intelliguntur officiales quidam Papæ, qui habent locum instar Tribunalis, & ferè omnes sunt Clerici, habent suam mansionem in palatio; affigunt Bullas Pontificum in locis consuetis, v. Beneficium IV. p.107.n.6.

Cultus.

Cultus & honor differunt; quia cultus aliquid amplius importat, quàm honor, simpliciter loquendo: cultus enim significat honorem alteri exhibitum cum sui submissione: unde cultus & honor debitus est Deo: Deus autem Sanctos honorat, neque tamen eos colit, v. Honor. p.378 n.5.

Cura, Curator.

Curator ex mala administratione obligatur minori, sicut tutor pupillo: imò antequam administrationem suscipiat, cavere, seu satisdare cogitur per fidejussores, aut pignora, nisi testamento nominatus vel à judice cum inquisitione datus sit, v. Tutor. p.842.n.2. ubi plura numeris sequentibus de Curatore.

Custos.

Custos armentorum tenetur solvere damnum, si animalia absque domini culpa damnum dederint, de industria custodis. In defectum verò custodis, dominus animalium solùm tenetur solvere damnum, vel tradere pro illo animalia noxæ. p.199 n.1

Custos potest aliquando sine peccato & obligatione ad restituendum dissimulare cum cædentibus ligna, pascentibus, &c. tribus concurrentibus. ibid.n.2

Custodes, qui invigilant circa aliquid injustum, aut iniquum, esto jurejurando se astrinxissent ad vigilium & custodiam, non peccant dissimulando. p.200.n.3

Quando custodes solùm ea permittunt, ex quibus nullum sequitur damnum, & quæ nullum habent tributum annexum, sed solùm est pœna imposita ijs, qui illa efficiunt, tunc qui leges transgrediuntur, ad nullam tenentur restitutionem, licet peccent mortaliter, vel venialiter pro materiæ qualitate. ibid.n.4

Custodes, qui in regnorum confinijs donationes extorquent, ne transeuntes indebitè vexent, tenentur restituere, quæ ita à transeuntibus accipiunt. ibid.n.5

D

Damnati.

Damnatis non possunt prodesse vivorum suffragia ad expiationem pœnæ, seu terminationem, quam sustinent propter peccata mortalia, quorum remissionem in hac vita non obtinuerunt, verb. Suffragium. pag. 820. num.3.

In damnatis apud inferos non reperitur spes neque gratiæ, neque gloriæ, neque voluptatum, aut aliorum bonorum, in quibus antè confidebant, verb. Spes Theologica. p.801. n.4

Pro damnatis & impijs defunctis non potest offerri Missæ sacrificium, quando eos in peccato mortali mortuos esse constiterit, v. Missa I. p.561.n.15

De damnatis vide plura v. Infernus. p.423.n.5.6.7.

Damnum emergens.

Ut liceat in contractu venditionis ratione damni emergentis majus pretium recipere, conditiones quædam requiruntur: Primò, ut damnum sit in re tua, vel tibi debita, eaque habita, vel quam certo eras habiturus: Secundò, ut hoc damnum emergat ex hac venditione ad terminum, ut quia sic vendendo redderis impotens tui damni avertendi: Tertiò, ut emptorem illius damni admoneas: Quartò, ut non cogas illum pacisci de periculo damni, sed de damno tantùm, si evenerit, v. Emptio. p.280.n.8

Quando mutuatarius est in mora culpabili, si inde damnum aliquod

aliquod eveniat mutuanti, tenetur ad illius compensationem. Si autem mutuatarius tempore mutui potens erat ad reddendum mutuum tempore convento, sed infortunio postea redditus sit impotens, non tenetur ad damna, quæ ex illa mora mutuanti emerserunt, nisi à principio mutui ita convenerint, v. Mutuum. p.584.n.21

Debitor, Debitum.

Creditor non potest priùs procedere ad vendendum pignus, quàm debitor sit in mora solvendi debitum. p.201.n.1
Debitor non habens firmum propositum solvendi debita quamprimùm poterit, non potest à confessario absolvi. ibid. n.2
Quando debitor & creditor sunt in extrema necessitate, & creditor subtractione rei illius à debitore facta conjectus est in illas angustias, tenetur debitor creditori solvere quod debet. ibid.
Secus dicendum si creditor subtractione illius rei non est conjectus in extremum illud discrimen, sed aliunde; nam in pari discrimine probabile est debitorem non teneri. ibid. num.3
Probabile est debitorem debere priùs subvenire patri, matri, uxori, liberis & fratribus extremè laborantibus, quàm creditori. ibid.n.4.
Si debitor præfixo tempore non solvat ob impotentiam, incurret excommunicationem, quando fiet potens, si feratur excommunicatio contra eos, qui obligati sunt in forma Cameræ ad solvendum debitum. ibid.n.5
Debitori licet vim afferre ad recuperandam rem propriam, quando illa extat in propria specie apud illum; secus si non extet, & sit tantùm debita. ibid.n 6
Debitor, qui non est creditoribus solvendo, peccat contra justitiam & in foro conscientiæ tenetur ad restitutionem damni, quod passi sunt creditores, eò quòd debitor repudiaverit legatum vel hæreditatem, quâ non repudiatâ satisfecisset creditoribus; repudiatio tamen est valida, & in foro externo non datur actio creditoribus ad eam revocandam. ibid.n.7
Qui acceptat hæreditatem vel legatum à debitore repudiatum, non tenetur ad restitutionem ijs, quibus tenetur ille, qui legatum vel hæreditatem repudiavit, modò ipse non induxerit debitorem ad non acceptandum. p.202.n.8
Debitum statuto tempore, solvi potest ante diem inuito creditore. ibid.n.9
Si debitor ex delicto restitutionem debiti indeterminatè, seu in genere, verbi gratia, decem florenorum, committat Confessario vel Parocho, & confessarius defraudet, tunc debitor non liberatur, sed debet aliorum decem restitutionem facere. ibid.n.10
Si res aliqua in specie debita fuit, sed justè vel bona fide possessa, interest tamen debitoris, ut non sciatur restitutionem ab ipso provenire, tunc Confessario non restituente, debitor omni jure liberatus est. ibid.
Qui aliquid bona fide contractu oneroso accepit à debitore, nesciens alienationem esse in fraudem creditorum, non tenetur ad restitutionem, postquam cognovit alienationem factam esse in fraudem creditorum; secus si acceperit sciens vel dubitans. ibid.n.11
Tunc in fraudem creditorum censetur aliquid alienatum, quando debitor aliquid alienat, videns per eam alienationem non remanere sibi sufficientia bona, ad debita solvenda. ibid.
Qui aliquid accepit à debitore titulo gratuito, ignorans acceptionem esse in fraudem creditorum, tenetur restituere id, quo factus est ditior, modò reperatur à creditoribus intra annum à die scientiæ: si verò accepit sciens vel dubitans, tenetur ad restitutionem creditoribus etiam anno elapso, quantum ex eo contractu læsi sunt creditores. p.203.n.12
Debitum solvendum est in valore ejus monetæ, quem habebat, quando fuit expressum ac constitutum, sive postea valor ejusdem monetæ accreverit, sive decreverit. ibid. num.13
Debitum si constitutum sit, ut in certis monetis solvatur, valorque eorum augeatur, aut minuatur, solvi quidem debet in eis monetis, sed detractis, aut auctis, quod fuerit necessarium, ut debitum ad æqualitatem valoris solvatur, nisi aliud fuerit expressum in contractu. ibid.n.14
Debitor ex contractu, aut quasi contractu existens in mora solvendi debitum, non priùs ob illud detrudi potest in carcerem, quàm condemnetur, & executio fiat in bonis ejus. ibid.n.15
Debitor Principis, seu fisci potest detrudi in carcerem, quoadusque integrum debitum solvat, statim ac executio intentatur. ibid.
Mulier, modò inhonestè non vivat, detrudi non potest in carcerem pro debito civili ex contractu vel quasi, etiamsi sit debitrix fisco Regis, sed executio tantùm fit in bonis ejus, si quæ habeat. ibid.
Miles & Clericus privilegium habent, ut conveniri non possint pro debitis civilibus, ultra id quod commodè facere possunt. ibid.
Si Clericus tempore contractus se finxit non esse Clericum altero contrahente id ignorante, aut abscondit de bonis ne solveretur debitum creditori, vel si debitum sit ex delicto, tunc ratione criminum detrudi poterit in carcerem. ibid. n.16
Si Clericus debitor suspectus esset de fuga, detrudi posset in carcerem, donec integrè solvat, aut sufficientem pignoratitiam, vel fidejussorem præberet cautionem. ibid.

Debitum conjugale I.

In ipso actu conjugali confertur gratia ex opere operantis, ut in alijs actibus bonis, non autem ex opere operato; nisi copula ipsa perficeret matrimonium, quod priùs per verba de futuro erat initum, & modò Parochus & testes adsint præsentes copulæ. p.204 n.1
Debiti conjugalis petitio, propriè loquendo de petitione nunquam est sub præcepto. ibid.n.2
Jus ad petendum, obligatioque ad reddendum debitum, sunt passiones, quæ necessario sequuntur ex natura ipsa matrimonij. ibid.n.3
Conjux impeditus ad debitum petendum, ex voto castitatis, vel affinitatis ex incestu, potest aliquando se offerre alteri ad usum conjugalem, non ut suo appetitui morem gerat, sed ne alteri matrimonium oneroſum reddat. ibid.n.4
Si ambo conjuges vovissent Deo se non petituros debitum, possent tamen ambo copulari, quando quilibet agnosceret alium indigere, ut propter periculum incontinentiæ: cavendum est tamen ne intemperantia decipiat. ibid.n.5
Si autem conjuges non mutuo consensu castitatem voverint, alterque signa petitionis ostendat, hic erit culpæ reus, alter non. ibid.
Licet conjugi ita impedito exigere debitum ab altero, ubi in ipso periculum incontinentiæ sentiret; imò & teneri docent multi. p.205.n.6
Periculum incontinentiæ conjugis incestuosi, qui affinitatem cum uxore contraxit, causam quidem secum dispensandi justam præbet, non tamen petendi debitum nondum obtenta dispensatione. ibid.n.7
Verius est diebus feriatis, rogationum, aut jejunij, solùm esse consilium copula conjugali abstinere, ac proinde omni culpa vacare tunc exigere. ibid.n.8
Conveniens est post copulam conjugalem, sive petendo, sive reddendo exercitam, ea die à communione abstinere, nisi aliqua justa causa oppositum suadeat. ibid.n.9
Debitum exigens ex nimia carnis concupiscentia & voluptatis capiendæ gratiâ, regulariter peccat venialiter accedens post eam copulam ad Eucharistiam. ibid.
Debitum petere, aut reddere in loco publico, culpa mortalis est: imò tactus inter conjuges facti alijs videntibus, reduntur illiciti, si ad venerem excitent aspicientes. p. 206. n.10

Debitum conjugale II.

Verius est conjugem teneri reddere debitum alteri petenti cum peccato veniali quoad situm. p.206.n.1
Quando ambo conjuges sunt amentes, sunt separandi, ne carnaliter conjungantur, & peccant mortaliter, qui eos ad cõpulam incitarent. ibid.n.2
Quando uterque conjux esset ebrius, concubitus inter illos licitus est. ibid.
Regulariter illicitus est concubitus ubi uxor amens est, vir autem mentis compos: cessante tamen periculo licitus esset congressus. ibid.n.3
Ob bonum commune tenentur conjuges aliquando copulâ uti, etiam cum vitæ discrimine. ibid.n.4
Conjux sanus reddens debitum leproso & illi cohabitans opus meritorium exercet, si ex amore matrimonij id efficiat. ibid.n.5
Debitum reddere tenetur conjux sublato periculo infectionis lepræ vel morbi gallici, quamvis sit periculum infectionis in prole nascitura. p.207.n.6
Varij variè sentiunt, an conjux sanus teneatur cum leproso cohabitare; probabilior tamen sententia sustinet attendendum esse num ex cohabitatione immineat probabile infectionis notabilis periculum, necnè, & illo imminenti non teneri sanum cohabitare, secus verò teneri. ibid. num.7
Quando uterque conjux cognationis spiritualis vel affinitatis impedimento innodatur, uterque privatur jure debitum petendi, nec datur in hoc casu compensatio. ibid.n.8

Si nòn ex malitia, atque animo defraudandi conjugem, uterque in impedimentum cognationis, aut affinitatis, culpa tamen utriuſque inciderit, neuter tenetur nec licitè poteſt alteri reddere. ibid.
Si uterque conjux maliticsè fecit animo alterum debito conjugali defraudandi; quamvis uterque à jure petendi cadat & petendo delinquat, at alteri petenti tenetur reddere. ibid.
Probabile eſt hoc impedimentum non incurri propter cognationem ſpiritualem ortam inter conjuges. ibid.
Qui matrimonio inito ante illius conſummationem affinitatem cum ſuo conjuge contraxit, juxta veriorem ſententiam non tenetur religionem ingredi, ut evitet debiti redditionem, ſed poteſt matrimonium conſummare reddendo debitum. ibid.n.9
Quamvis conjux voti caſtitatis alterius conſcius delinquat cum ipſo matrimonium contrahens, poteſt nihilominus ab eo debitum exigere & tenetur alter reddere. p.208.n.10
Adſtrictus voto religionis moraliter peccat matrimonium prima vice conſummans, ſive debitum petendo, ſive reddendo; ſemel tamen conſummato matrimonio, poteſt debitum reddere & petere: licet defuncto conjuge teneatur religionem ingredi. ibid n.11
Probabilius eſt habentem votum non ineundi matrimonij, eo inito, poſſe debitum petere & reddere, niſi ita vovens voluerit ſe ad omnimodam caſtitatem obligare. ibid.n.12
Habens votum non ineundi matrimonij mortuo altero conjuge, tenetur ab alijs nuptijs abſtinere. Idem dicendum de eo qui habet votum ſuſcipiendi ſacros Ordines; ſi enim nubat, poteſt petere & reddere debitum, ob eandem rationem: & poſt mortem conjugis tenetur votum adimplere. ibid.
Adſtrictus voto caſtitatis, juxta probabiliorem ſententiam, non tenetur religionem ingredi, ut votum ſervet, ſed poteſt matrimonium conſummare debitum reddendo, modò tranſactum ſit bimeſtre poſt initum matrimonium, vel non habeat juſtam cauſam perpetui divortij. ibid.n.13

Decalogus.

Decalogus ſortitur hoc nomen ex numero decem præceptorum quibus conſtat, v. Præceptum. p.659.n.4
Ad decalogi decem præcepta reducuntur omnia præcepta moralia veteris legis, ubi plura. p.660.n.5 & ſeqq.

Decanatus.

Decanatus auctoritas potiùs eſt ex conſuetudine, quàm jure communi: aliquando confunditur cum officio Archipreſbyteri, quare dignitas eſt, cum in multis Eccleſijs habeat juriſdictionem, & præſit toti Collegio Canonicorum, v. Dignitas. p.218.n.4

Decima.

De decimis datur præceptum in Eccleſia Dei, quod ratione congruæ ſuſtentationis Clericorum, quæ poteſt dici decima ſuſtentationis, eſt de jure naturali & divino Euangelico; ratione autem determinationis tantæ partis, quæ vocatur decima quotæ, eſt de traditione Eccleſiæ & jure Canonico. p.208.& ſeq.n.1
Decimarum præceptum non poteſt auferri per conſuetudinem, quoad decimam ſuſtentationis: conſuetudo autem poteſt prævalere quoad decimam quotæ, ſi ad congruam ſuſtentationem tota illa non ſit neceſſaria. p.209.n.2
Summus Pontifex de poteſtate abſoluta poteſt omnino obligationem decimarum tollere quoad quotam, non autem quoad decimas ſuſtentationis. ibid.n.3
Summus Pontifex poteſt in particulari eximere aliquos à ſolutione decimarum, non tantùm cedendo juri ſuo, ſed diſpenſando vel in præcepto ipſo, vel in uſu & applicatione ipſorum fructuum decimatum. ibid.
Exemptio à decimis facta à Summo Pontifice, etiam ſine cauſa, valida eſt, dummodo id fiat ſine præjudicio juris naturalis ſuſtentationis congruæ debitæ Eccleſiaſticis. ibid.n.4
Decimæ ſunt ſolvendæ, juxta jus ſcriptum, ex omnibus rebus, quæ nobis divino munere proveniunt, ut de fructibus, & quaſi fructibus omnium rerum, quæ quodammodò nobis frugiferæ ſunt: nihilominus in decimis ſolvendis ſpectanda eſt potiùs locorum conſuetudo, quàm jus ſcriptum. ibid.n.5

Declarationes Cardinalium.

Ut declarationes Eminentiſſ. DD. Cardinalium vim habeant obligandi in conſcientia, quatuor conditiones requiruntur, ita ut unâ deficiente non obligent, verb. Cardinalis. p.131.n.8

Decretum.

Decretorum liber compilatus fuit à Magiſtro Gratiano Monacho S. Benedicti, ex diverſis Concilijs, Sanctorumque Patrum auctoritatibus & hodie noviter correctus, auctus, innumeriſque additionibus illuſtratus eſt à Gregor. XIII. Pontifice, v. Ius. p.470.n.6
Decretorum liber tantæ eſt auctoritatis, quantæ is eſt, cujus eſt canon, epiſtola, vel dictum in eo poſitum. Ibid. ubi plura de hoc libro notanda.
Omnia quæ in Decreto Gratiani continentur, non habent vim legis, ſeu Decreti obligantis in foro conſcientiæ, niſi ex decretis Pontificijs vel Concilijs Generalibus deſumpta ſint, v. Lex. p.494.n.9
Decreta ſacræ Congregationis S.R.E. Cardinalium Generalium Inquiſitorum circa cultum reliquiarum, imaginum, &c. Servorum Dei, v. Reliquiæ. p.729.n.10
Decretum S. Congregationis de non alienandis bonis regularium, v. Alienatio. p.50.n.19
Decretum Sac. Congregationis circa materiam appellationum, v. Archiepiſcopus. p.66.n.1
Decretum Concilij Tridentini de renunciatione bonorum ante profeſſionem trium votorum ſolemnium, v. Novitius. p.598.n.23. & ſeqq.

Decretales.

Secundus liber juris Canonici vocatur *Decretales*. Videlicet Epiſtolæ decretales, quas diverſi Summi Pontifices reſpondendo diverſis quæſtionibus ſibi propoſitis, in Concilijs & extra decernendo ſic eſſe faciendum reſcripſerunt; quas collegit & redegit in unum tomum Gregorius IX. Pontifex Maximus, v. Jus. p.470.n.6
Decretalium irrefragibilis eſt auctoritas, ideò minimè contradici, cavillarique poſſunt, ſed inviolabiliter obſervandæ, dummodò per contrariam deciſionem, vel deſuetudinem non ſint ſublatæ. ibid.
Tertius liber juris Canonici dicitur *Sextus liber Decretalium*, & fuit adjunctus quinque alijs libris decretalium epiſtolarum, collectus à Bonifacio VIII. Pontifice Maximo. ibid.
Quartus dicitur *Clementinarum liber*, id eſt, liber Conſtitutionum, quas Clemens V. Pont. Max. in Concilio Viennenſi & extra condidit. ibid.
Quintus eſt *liber Extravagantium*, id eſt, liber Conſtitutionum, qui dividitur in duas partes; quædam dicuntur communes, aliæ autem ſunt Extravagantes Ioannis XXII. ibidem.
Omnia hæc jura Canonica, tam contenta in Decretalibus, quàm Sexto, Clementinis, & Extravagantibus, auctoritatem habent irrefragabilem, dummodò per Conſtitutionem vel juſtam conſuetudinem contrariam non ſint abolita. ibid.

Degradatio.

Degradatio, quia non tollit conſecrationem, nec ſtatum Epiſcopalem, atque adeò nec dignitatem ſtatus, ſed tantum eſt quædam Canonica inhabilitatio prohibens uſum Epiſcopalium, atque adeò auferens uſum privilegiorum, quæ concernunt ſtatum Epiſcopalem & pertinent ad dignitatem externam; ideò non eſt improbabile, quod maneant in Epiſcopo regulari degradato ea, quæ ſunt intrinſeca ſtatui, nempè exemptio à regula: quamvis quidam contrarium ſentiant, v. Epiſcopus. p.299.n.38

Dæmones

Dæmones fuerunt præter homines cauſa principalis idololatriæ, qui ſe ſtatuis ab hominibus fabrefactis immiſcebant, eiſque motum, vocem & quaſi vitam dabant, & reſponſa per eas edebant; unde ipſæ ſtatuæ per ſe, tanquam numine plenæ & animatæ, coli cœperunt, v. Idololatria. p.394.n.2

Defenſio.

Defenſio non ſolùm propria, ſed cujuſvis innocentis licita eſt: hinc in cenſuram excommunicationis non incidunt, qui in defenſionem ſui vel alieni corporis, honoris, famæ & bonorum fortunæ Clericum aggreſſorem detinent vel percuiunt, dummodò moderamen inculpatæ tutelæ non excedatur, v. Excommunicatio V. p.325. num.10
Quando quis ſe defendit contra injuſtum aggreſſorem, an poſſit intendere mortem ejus? Quidam negant, quorum ſententia eſt vera, licet difficilis in praxi: proinde non improbabiliter docent plurimi poſſe defendentem ſe velle ac intendere etiam mortem invaloris, quando judicat id eſſe neceſſarium ad propriæ vitæ defenſionem. v. Homicidium 1. p.375.n.12

Deleſtatio.

Delectiones moroſæ, quæ ſunt peccata mortalia, non habent omnem malitiam operis externi, ac proinde nec varias ſpecies ſortiuntur juxta varietatem eorum, quæ in opere externo reperiuntur, v. Luxuria. p.509.n.2
Delectatio conjugati cum non ſua, an includat ſpecialem injuſtitiæ malitiam contra propriam uxorem in confeſſione aperiendam? Quidam negant, ſed placet affirmativa ſententia tanquam probabilior. ibid.n.3
Habens votum abſolutum caſtitatis, ſi delectetur de re aliqua turpi, peccat contra religionem & caſtitatem: ſecus ſi votum

Digitized by Google

votum tantùm emiſſum ſit abſtinendi ſe ab opere externo, ibid.

Delegatus, Delegata poteſtas.

Delegatus à delego dicitur, quod eſt vices committo, & eſt is cui à Summo Pontifice vel ordinario cauſa committitur. Hoc diſtat inter Ordinarium & Delegatũ; quod ille poteſt delegare, hic autem non poteſt, niſi ſit delegatus ſupremi Pontificis. p.210.n.1

Delegatus aduniverſitatem cauſarum reputatur quaſi Ordinarius & ſubinde delegare poteſt unam vel alteram cauſam non tamen univerſam ſuam delegationem. ibid.n.2

Delegatus dicitur ad univerſitatem cauſarum, quando ei genus cauſarum committitur ſub uno nomine collectivè, licet ſit reſtrictum quoad tempus, vel quoad quantitatem, vel quoad locum, vel quoad perſonas. ibid.

Verius eſt delegatum inferioris Principe, qui non eſt ad univerſitatem cauſarum, poſſe ſubdelegare, quando ordinarius delegans conceſſit illi ſubdelegandi poteſtatem. ibid.n.3

Nullus delegatus erjam Principis poteſt ſubdelegare cum facultate ſubdelegandi, & in hoc differt ab Ordinario, qui hoc poteſt. ibid.n.4

Delegatus inferioris Principe ad unam cauſam, non poteſt totam illam ſubdelegare, nec articulum juriſdictionem continentem; bene tamen articulum, qui nudi miniſterij eſt. p.211.n.5

Poteſtas delegata ad literas juſtitiæ exequendas expirat morte concedentis re integra: ſecus ſi res non ſit integra. Idem dicendum finito officio delegantis re integrâ. ibid. n.6

Quando delegatus ſubdelegat, non perit poteſtas ſubdelegati morte ſubdelegantis re integra, ſi primus Ordinarius delegans ſuperſtes ſit. p.211.n.7

Quando autem moritur primus Ordinarius delegans, & res eſt integra quoad delegatum, non tamen quoad ſubdelegatum, videtur expirare juriſdictio ſubdelegati. ibid.

Quando obit primus delegans re non exiſtente integra quoad delegatum, integra verò quoad ſubdelegatum, non expirat ſubdelegata juriſdictio. ibid.

Certum eſt poteſtatem delegatam expirare ipſo jure mortuo delegante re integra, ſed non ſemper. ibid.n.8

Poteſtas delegata ad diſpenſandum cum perſonis incertis & indeterminatis, non expirat morte concedentis integrâ: ſimiliter & illa, quædatur cum perſona determinata in favorem diſpenſantis. ibid.n.9

Poteſtas delegata poteſt alicui tripliciter committi: Primo, expreſſo ſolo nomine proprio delegati: Secundò, expreſſo ſolo nomine dignitatis: Tertiò, expreſſo utroque. ibid.n.10

Quando ſolùm perſonæ delegati nomen exprimitur, eſt commiſſio perſonalis, ac morte delegati extinguitur. p.212.n.10

Quando nomen dignitatis vel officij ſolùm exprimitur, commiſſio eſt realis, & eo delegato mortuo tranit ad ſucceſſorem in dignitate vel officio ibid.

Quando commiſſio facta eſt expreſſo nomine dignitatis & perſonæ ſimul, verior ſententia aſſerit commiſſionem hanc ſemper eſſe perſonalem, utrumvis nomen præponatur, ac proinde non tranſire ad ſucceſſorem. ibid.

Poteſtas delegata, ſeu commiſſio perſonalis non expirat finita delegati dignitate; ſecus ſi ſit realis, utpote dignitati facta; tranit enim tunc ad ſucceſſorem. pag.212. n.11

Verius eſt poteſtatem conceſſam Epiſcopis in Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* competere etjam Capitulo Sede vacante & alijs Prælatis habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. ibid.n.12

Delegatus judex tenetur oſtendere ſe habere eam delegatam juriſdictionem, alioquin nullus tenetur ei parere, etjam in executione ſententiæ à ſe latæ: Judex verò Ordinarius pro tali habitus ac receptus, non tenetur literas ſuæ juriſdictionis oſtendere. ibid.n.13

Delegatus formam ſibi præſcriptam excedere non debet: nec poteſt ſuam juriſdictionem extendere ad perſonas in reſcripto ſuæ delegationis minimè contentas. ibid. n.14

Judex delegatus habere debet impletum vigeſimum ſuæ ætatis annum de jure. De conſenſu tamen partium admitti poteſt, ſi decimumoctavum annum excedat. pag.213. n.15

Delegatus Summi Pontificis, aut Legati illius debet eſſe in dignitate conſtitutus, aut Canonicus Eccleſiæ Cathedralis. ibid.n.16

Delegatus Summi Pontificis major eſt in cauſa ſibi à Pontifice delegata, omnibus alijs. ibid.n.17

Delegatus à Sede Apoſtolica poteſt, tum per Ordinarium loci, tum etjam per ſeipſum executioni mandare ſententiam à ſe latam, invocato, ſi opus ſit, auxilio brachij ſæcularis. ibid.n.18

Delegatus à Summo Pontifice vel ab alio Principe, quando ſubdelegare non poſſit. ibid.n.19

Delegatus Summi Pontificis qui ſubdelegare poteſt, quemcumque cogere poteſt ut ſuſcipiat munus ſubdelegati. Superiorem tamen & præſertim in Pontificali dignitate conſtitutum, ſubdelegare non debet, niſi urgeat neceſſitas. ibid.n.20

In eventibus, in quibus poteſt Ordinarius delegare, cogere poteſt ſibi ſubditum, ut ipſius delegatus ſit, ſi habeat requiſita à jure ut ſit delegatus. ibid.n.21

Ut aliquis cauſam aliquam alteri validè delegare poſſit, neceſſe eſt, Primò, ut cauſa ſit talis, de qua delegans ipſe cognoſcere poſſit: Secundò, neceſſe eſt, ut eam deleget, ut audiatur & expediatur in loco, ubi delegans eam audire poſſet. ibid.n.22

Sententia lata à judice Ordinario vel delegato valida eſt in loco non ſuæ juriſdictionis, modò concurrant conſenſus partium, & conſenſus ejus, ad quem juriſdictio ejus loci ſpectat. ibid.

Delegatus à lege conſtitutus, ſemper retinet juriſdictionem hanc delegatam, quando ea lex perſeverat. ibid. n.23

Si tribus cauſa aliqua delegata ſit à Principe, & duo eorum ſubdelegent & committant vices ſuas tertio remanenti, is ſolus poteſt validè cauſam finire. ibid.n.24

Quando multi ad eandem cauſam delegantur ſimul abſque alia declaratione, tunc omnes concurrere debent ad ſententiam ferendam, & uno deficiente, totum eſt irritum & inane; ubi plura de hoc caſu. p.214.n.25

Delegati poteſtas & juriſdictio expirat eo ipſo, quod ſententiam definitivam à ſe latam per ſe, vel per aliam, cui executionem illius commiſerat, executioni mandavit. ibid n.26

Judici delegato à Summo Pontifice conceditur annus à die latæ definitivæ ſententiæ circa cauſam ſibi commiſſam, ad ejus ſententiæ executionem. ibid.

Delicatus.

Delicioſus, ſeu delicatus excuſatur ab itinere eundi Romam, ſi Clericum percutiat, & poteſt ab excommunicatione abſolvi à ſuo Epiſcopo. Delicioſi autem dicuntur nobiles & magnæ potentiæ viri, & ita delicati, ut laborem eundi ad Romanam Curiam ſuſtinere nequeant; & de hoc judicabit Epiſcopus, vel vir prudens, ſi periculum ſit in mora, verb. Excommunicatio V. p.328.n.24.

Denunciationes matrimoniales.

In denunciationibus poteſt Epiſcopus facultatem diſpenſandi alicui viro fide digno delegare, v. Matrimonium 1. p.521.n.13.

Epiſcopus aliquando tenetur in denunciationibus diſpenſare, ut prætermittantur. ibid.n.14

Quando adeſt juſta cauſa diſpenſandi, non poteſt Ordinarius imponere ei cum quo diſpenſatur, aliquam mulctam pecuniæ pijs operibus applicandam. ibid.

Ubi plura p.522.n.15.& 16.

Depoſitum.

Depoſitum diſtinguitur à ceteris contractibus, qui non niſi rei traditione perficiuntur, nempe à mutuo, commodato, precatio, pignore. p.214.n.1

Ad depoſitum quinque requiruntur: Primò, traditio rei: Secundò, conſenſus deponentis & ſuſcipientis: Tertiò, ut eadem res depoſita reddatur: Quartò, ut reſtituatur in loco, in quo recipitur: Quintò, ut ſi depoſitum pereat, pereat deponenti. ibid.n.2

Depoſitarius ex caſu fortuito tenetur quatuor de cauſis: Primò, ex pacto: Secundò, ex mora reſtituendi, quæ præceſſit caſum: Tertiò, quando dolum caſus eſt ſubſequutus: Quartò, quando in caſum incidit ex culpa lata. ibid.n.3

Si res depoſita mortuo depoſitario, tranſeat ad hæredes depoſitarij, hæredes tenentur in ſolidum, modò res non fuerit inter eos diviſa; tunc tenetur unuſquiſque ad ratam partis acceptæ. p.215.n.4

In foro contentioſo locum non habet compenſatio in depoſito, ne contractus depoſiti, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur: ſecus in foro animæ. ibid.n.5

Quando depoſitum non tranſit in dominium depoſitarij, præfertur deponens ceteris creditoribus perſonalibus: ſi verò tranſivit in mutuum & depoſitum factum eſt penes publicum depoſitarium, præferendus eſt deponens ceteris creditoribus Chirographarijs depoſitarij. ibid.n.6

Deponentis obligationes ſunt duæ: Primò, ut rem depoſitam clam & furtivè non tollat: Secundò, ut depoſitum non revocet, ſi deportatus fuerit. ibid n.7

Ratione depoſiti duæ actiones dantur in jure civili, & ambæ ſunt perſonales: una dicitur directa, altera contraria. ibid. n.8

Qui deponit rem in numero, pondere, vel menſura conſiſtentem

Digitized by Google

ſtentem cum facultate ut ea utatur, pacto facto, aut intentione principali, ut aliquid lucri inde ei redeat, committit uſuram. ibid.n.9

Deſperatio.

Deſperatio eſt motus quidam apperitus ſenſitivi avertentis ſe à bono propter impoſſibilitatem, aut nimiam difficultatem: proinde deſperare eſt nolle amplius conari ad obtinendam cœleſtem beatitudinem, quia exiſtimatur impoſſibilis, aut certè nimis difficilis, ut non puterur obventura, v. Spes, p.802 n.9. ubi plura n.10. & ſeq.

Devotio.

Devotio dicta eſt à verbo devovere, quod eſt ſolemniter vovere. Apud Theologos hoc nomen dupliciter accipitur: Primò, ut eſt ſpecialis actus religionis, & ſic eſt interna quædam ſui ad cultum divinum oblatio & traditio. Secundò, pro conditione quadam actus interni, & ſic eſt promptitudo quædam & fervor affectus ad cultum divinũ. p.216 n.1

Devotio ex parte noſtra naſcitur: Primò, ex conſideratione divinæ excellentiæ & beneficiorum, quæ ab illa in nos promanant: Secundò, ex conſideratione inopiæ & miſeriæ noſtræ quam ex nobis habemus. ibid.n.2

Præcipuus effectus virtutis devotionis eſt mentis jucunditas, dulcedo, lætitia. Secundarius effectus eſt triſtitia ſecundùm Deum. ibid.n.3

Veræ devotionis impedimenta ſunt: Primò, proclivitas ad conſolationes terrenas hujus ſæculi: Secundò, immoderata ſolicitudo rerum temporalium: Tertiò, nimia curioſitas in notandis alienis potius vitijs, quàm proprijs: Quartò, occupatio immodica in laboribus externis: Quintò, immoderata affectio ad ſtudia literarum, etjam Theologiæ ſacræ, &c. ibid.n.4

Deus.

Solus Deus Optimus Maximus vitæ & mortis hominis habet verum & abſolutum dominium, ita ut tanquam humanæ vitæ auctor poteſt omnes homines interficere, v. Dominium. p.232.n.4.

Gentiles ſibi finxerunt plurimos Deos, ita ut non ſolùm quælibet gens, aut natio, ſed & ſingulæ propè Civitates ſuos peculiares Deos habuerint atque coluerint: quorum tamen præcipui fuerunt homines ſcelerati & infames, v. Idolotatria. p 394.n.3.

Cognitio unius veri Dei ſufficiens ad inducendam hominibus obligationem colendi Deum, & cavendi à peccato idolotriæ, non neceſſariò debet eſſe undequaque perfecta, ſine ullo admixto extore, ſed ſatis erit cognitio quædam generalis de Deo, quod ſit principium omnium rerum, excedens omnia, à quo omnia dependent & gubernantur. ibid. n.4. ubi plura.

Dies.

Dies à claritate vel luce nomen habet: unde lucis ortum, diem vocamus, dicentes, Dieſcit. Dies pro menſura temporis dividitur in naturalem & artificialem. Naturalis continet tempus viginti quatuor horarum, quo menſuratur revolutio ſolis, ab Oriente in Occidentem circum totam terram. Artificialis dies continet tempus quo ſol movetur ſuper noſtrum horizontem. p.217 n.1

Dies civilis diverſimodè computatur: ſed Romani numerant à media nocte ad mediam noctem, quorum conſuetudo à nobis quoque obſervatur. ibid.n.2

Quomodo Eccleſia Romana diſpoſuerit diem pro divinis Officijs. ibid.n.3

Dies artificialis quomodo ab aſtronomis, Jure-conſultis, & medicis dividatur. ibid.n.4

Gentilium antiquitas hebdomadæ dies appellavit ſecundùm numerum & ordinem regiminis, aut influentiæ ſeptem Planetarum. ibid n.5

Dies feriati dicuntur, qui vel præcipuè ad Dei cultum à Summo Pontifice, aut alicujus Eccleſiæ conſuetudine, aut Epiſcopi ſtatuto inducuntur, vel qui præcipuè hominis gratia inſtituuntur, &c. ibid.n.6

Dies biſſextilis non computandus eſt tanquam unus dies cum præcedenti, ſed numerandus erit pro die diſtincto, ſive ſtatuatur terminus per numerum dierum, ſive per numerum annorum & menſium. ibid.n.7

Dies adſcribi debet inſtrumentis publicis, quo ipſe tabellio rogatus fuerit inſtrumentum facere, ibid.n.8

Dierum obſervatio reducitur ad ſuperſtitionem vanæ obſervantiæ, ac ſi ex ijs aliqui ſint fauſti, alij infauſti. Non eſt tamen ſuperſtitio obſervare menſes, dies & annos, quibus aptior ſit cæli diſpoſitio ad opera exercenda. ibid.n.9

Digeſtum.

Digeſtorum libri per duplicem literam, ff. ſignificantur, ponuntur autem duo ff. ſimul ad ſignificandos libros digeſtorum: quia duo Imperatores, quorum unuſquiſque vocatus fuit Fredericus, pater, ſcilicet & filius, ex diverſis mundi partibus juriſperitorum reſponſa in his libris congregarunt, v. Jus, p.469.n.5.

Dignitas.

Dignitas propriè loquendo, eſt præeminentia cum juriſdictione in foro externo: & eſt beneficium duplex, imò inter duplicia præſtantius, excepto Epiſcopatu & ſimilibus. p.218.n.1

Dignitatis prima ſpecies eſt *Archidiaconatus*, quia temporibus Apoſtolorum Archidiaconus erat Princeps diaconorum, & ejus munus erat curare, ut ceteri Diaconi ſuum munus ritè exequerentur. ibid.n.2

Dignitatis ſecunda quaſi ſpecies eſt *Archipreſbyteratus*, qui eſt dignitas inferior Archidiaconatu & cedit illi in juriſdictione, quamvis Ordinis poteſtate ſit Archidiacono major. ibid.n.3

Tertia eſt *Decanatus*, cujus auctoritas potius eſt ex conſuetudine, quàm jure communi: aliquando confunditur cum officio Archipresbyteri in quibuſdam Eccleſijs Galliæ & Hiſpaniæ, & præeſt toti Collegio Canonicorum, & dicitur Decanus. ibid.n.4

Quarto eſt *Præpoſitura* quæ olim fuit dignitas vel perſonatus: habuit enim una cum honorifico loco etjam juriſdictionem & curam animarum, & nunc etjam in Eccleſijs Germaniæ, Poloniæ, Belgij eandẽ juriſdictionem retinet. ib.n.5

Quinta ſpecies dignitatis eſt *Prioratus ſecularis*. dicebatur autem Prior, qui toti Collegio Canonicorum præerat cum juriſdictione & cura animarum. ibid.n.6

Sexta ſpecies eſt *Abbatia*, quæ habet curam & conventum. ibid.n.7

De dignitatis eſſentia non requiritur neceſſariò, ut quis in officio perpetuus eſſe debeat, ſed ſatis eſt quod poſſit eſſe perpetuus. ibid.n.8

Dignitas non venit appellatione beneficij; unde diſpenſatus ad beneficia, vel etjam dignitates, non poteſt promoveri ad dignitates, quibus animarum cura annexa eſt. p.219.n.9

Dignitatis prærogativæ & privilegia retinentur, dimiſſo officio, cui eſt annexa dignitas; amittuntur verò quando quis privatur dignitate propter delictum. ibid.n.10

Dilatio moratoria.

Dilationes moratorias poteſt Princeps ex gravi cauſa per reſcriptum ſuum alicui ſubdito concedere, ad eum effectum, ut intra tempus indultum, debitores à creditoribus nequeant moleſtari; ſed exceptionem peremptoriam, quæ jus alterius partis omnino tollit & infringit, concedere nequit, v. Ceſſio bonorum. p.142. n.7. ubi plura, n.8.9.10. & 11.

Dilapidatio bonorum.

Inter cauſas in jure expreſſas, ob quas Abbas ab Abbatia deponi poteſt, una eſt, ſi Abbas eſſet dilapidator bonorum Monaſterij & negligens in eorum adminiſtratione: ſed hæc dilapidatio non probaretur ex eo quod Monaſterium ære alieno gravatum reperiatur, quia poteſt contigiſſe, quod illud ex juſta cauſa fuerit contractum, v. Abbas. p.5 n.14.

Diſmembratio fructuum.

Diſmembratio fructuum fieri non poteſt abſque debita ſolemnitate; hæc enim eſt alienatio: unde ex fructibus Eccleſiæ Parochialis non poſſunt erigi Canonicatus, quando major numerus Sacerdotum non eſt neceſſarius ad Sacramentorum adminiſtrationem, v. Alienatio. p.50 n.12.

Diſpenſatio.

Diſpenſatio eſt adeò ſtrictè interpretanda, ut ſi aliquid operetur, extendenda ampliùs non ſit, ſed non ſemper. p 210. n.1

Diſpenſatio, quæ proprio Principis motu conceditur ob publicam utilitatem, ample intelligenda venit. ibid.n.2

Diſpenſatio in juris corpore clauſa non ſtrictè interpretanda eſt, cùm cenſeatur lex, ſed recipit omnem ſimilis legis extenſionem, nempe ad omnes caſus, in quibus eadem vel major ratio invenitur. ibid.n.3

Diſpenſatio in privato ſtatuto, aut conſuetudine populi, quæ erant juri communi contraria, amplè interpretanda eſt. ibid.n.4

Quamvis diſpenſatio quæ privatis conceditur, ſit ſtrictè interpretanda, at privilegia toti religioni conceſſa extendenda ſunt tanquam favorabilia. ibid.n.5

Diſpenſatio non ita ſtrictè intelligi debet, quin ad neceſſariò & inſeparabiliter connexa extendatur, ne ſuo affectu fruſtretur. ibid.n.6

Diſpenſatio ad non reſidendum in beneficio non extenditur ad fructuum conſequutionem, qui ab abſentibus perduntur, eò quòd hæc poſſunt ſeparari. ibid.

In diſpenſationibus ab homine conceſſis non valet argumentum à paritate rationis vel à majori ad minus; ſecus tamen dicendum in ijs, quæ à Canone vel lege inducuntur. Item, quando majus & minus ſunt in eodem genere. ibid. n.7

Diſpenſandi poteſtas conceſſa alicui eſt latè interpretanda tanquam favorabilis, ſed non ſemper. p.221.n.8

Supremus Princeps ſcienter admittens ad actum jure impeditum

Digitized by Google

ditum cenſetur diſpenſare, quando impedimentum eſt juris humani, quamvis cauſæ cognitionem non præmiſerit. ibid. n.9
Quando Princeps impedimenti ignarus admittit inhabilem, nullo modo cenſetur per eam promotionem diſpenſare, dum impedimentum ignorat. ibid, n.10
Quando inferiores Principe admittunt impeditum jure communi ſcienter ad actum, ad quem diſpenſare poſſunt, an cenſeantur diſpenſare? Varij variè ſentiunt, ſed dicendum eſt tunc inferiorem diſpenſare, quamvis cauſæ cognitionem non præmittat; & hoc pro utroque foro, ut ibi dicitur, ibid. n 11
Sola patientia & taciturnitas Superioris videntis aliquem jure, in quo poteſt diſpenſare, impeditum exercere ea ſibi interdicta, tunc cenſetur tacita diſpenſatio, ſi Prælatus ille, cum poſſet facilè contradicere, non contradicit, ſed tacet. ibid. n.12
Quoties Canon aliquis permittit in eo diſpenſari, nec explicat à quo diſpenſatio dari queat, cenſetur facultas diſpenſandi circa illum Epiſcopo concella, p.222.n.13
Diſpenſatio inferiorum in proprijs conſtitutionibus abſque cauſa, licet ſit valida: tamen ſi conſtitutiones fuerint à Superiore confirmatæ & confirmatio fuit ſubſtantialis & eſſentialis, non poterit inferior diſpenſare independenter à Superiore, ibid. n.14
Probabilius eſt, diſpenſationem nõ ceſſare, ceſſante ejus cauſa finali, quamvis contrarium ſit etiam probabile. ibid. n.15
Legiſlator diſpenſans in lege propria ſine juſta cauſa, per ſe loquendo peccat ſaltem venialiter: imo peccaret mortaliter ſi adſit ſcandalum, aut grave aliorum detrimentum. ibid n.16
Diſpenſatio Epiſcopi, aut Archiepiſcopi in conſtitutionibus Synodi Diœceſanæ facta abſque cauſa, valida eſt. ib. n.17
Diſpenſatio Archiepiſcopi in Decretis Concilij Provincialis facta ſine cauſa legitima, irrita eſt & invalida. p.223.n.18
Delegatus habens privilegium diſpenſandi in ſui favorem, non tenetur diſpenſationem concedere poſtulanti antequam illum eligat & ante acceptationem: at ſi privilegium conceſſum ſit in favorem pœnitentis, ut in Jubileo, facta electione & acceptata à delegato, tenetur diſpenſare, ſi cauſa ſubſit. ibid. n.19
Utens diſpenſatione à Superiore facta ſine cauſa, juxta quoſdam Doctores peccat venialiter; juxta alios non peccat; & utrumque probabile. ibid. n 20
Probabilius eſt idem dicendum eſſe de Superiore ſine cauſa ſecum diſpenſante, ac de ſubdito alioquin deterioris conditionis foret Princeps, quam ipſi ſubditi. ibid.
Epiſcopi in multis caſibus poſſunt diſpenſare in legibus Pontificijs, etiamſi non habeant expreſſam facultatem. ibid. n.21
An forenſes & peregrini poſſint diſpenſari à Diœceſano in legibus, votis & juramentis, referuntur tres opiniones probabiles, ſed ſtandum eſt declarationibus ſacræ Congregationis; ſi de eis conſtet authenticè. ibid. n.22
Quando Epiſcopus poteſt jure ordinario in aliqua re diſpenſare, ut in voto pœnali caſtitatis, vel non nubendi, quamvis obtenta ſit à Pontifice commiſſio facta Ordinario vel Confeſſori, ut diſpenſet, poteſt vovens adire Epiſcopum, ut poteſtate ſua ordinaria diſpenſet. p.224.n.23
Epiſcopus poteſt diſpenſare etiamſi petens priùs adierit Pontificem, qui negavit diſpenſationem, judicans cauſam propoſitam non eſſe juſtam. ibid. n.24
Diſpenſatio vitiatur tacita veritate, quæ eſt cauſa finalis conceſſionis; ſecus verò quando cauſa eſt impulſiva. Cauſa finalis eſt illa, quâ cognitâ Princeps gratiam non conceſſiſſet: impulſiva verò, quâ cognitâ, conceſſiſſet quidem, ſed cum majori difficultate. ibid. n.25
Diſpenſatio irregularitatis ex homicidio Presbyteri contracta ſubreptitia non eſt, ſi tacetur occiſum fuiſſe Presbyterum. ibid. n.26
Quando valida ſit impetratio facultatis diſpenſandi in quodam caſu, eo non explicato, ſi credatur fore, ut eo declarato Prælatus denegaret. ibid. n.27
Taciturnitas diſpenſationis priùs petitæ & non obtentæ non vitiat ſequentem diſpenſationem. p.225.n.28
Probabile eſt habentem votum caſtitatis & religionis, impetrare poſſe diſpenſationem in voto caſtitatis, etiamſi taceat votum religionis. ibid. n.29
Qui plura homicidia committit, non videtur plures irregularitates incurrere in diſpenſatione neceſſariò manifeſtandas; licet quidam ex uſu & ſtylo Curiæ contrarium doceant. ibid, n 30
Diſpenſatio vitiatur ſolius cauſæ finalis falſæ expreſſione; nimirum, quando Princeps ea falſitate non expreſſa gratiam, ſeu diſpenſationem minimè conceſſiſſet, non autem expreſſione cauſæ impulſivæ falſæ. ibid. n.31
In dubio non præſumitur cauſa finalis, ſed impulſiva, ac proinde præſumitur fore ut illa cauſa verè expreſſa Princeps concederet diſpenſationem. ibid. n.32
Ad judicandum an cauſa ſit impulſiva, vel finalis, recurrendum eſt ad judicium viri prudentis qui in judicio ferendo inſpicere debet ſtylum Curiæ, & conſuetudinem diſpenſantis, ibid.
Diſpenſatio non foret ſubreptitia, quando erratur in nomine perſonæ. ibid. n.33
Probabilius eſt diſpenſationem non eſſe ſubreptitiam, quando erratur in nomine Diœceſis, ibid. n.34
Diſpenſatio foret ſubreptitia, ſi Pontifex diſpenſaret cum conſanguineis allegatâ ſolâ copulâ pro cauſa, & ea non eſſet habita. p.226.n 35
Quando ſubreptio tacendo verum vel exprimendo falſum contingit in una reſcripti parte, vitiat & irritum reddit reſcriptum quoad eam partem, in qua eſt ſubreptio, non verò quoad reliquas. ibid. n.36
Validum eſt reſcriptum, quoad illam partem in qua non contingit ſubreptio, etiamſi Curialis vel ſolicitator ſcienter ſubreptionem in ea parte commiſerit, inſcio illo, in cujus favorem reſcriptum obtinetur, qui verum Curiali propoſuerat. ibid. n.37
Diſpenſatio obtenta per metum, licet incuſſum ad ipſam obtinendam, valida eſt: ſecus dicendum ſi diſpenſatio extorta ſit per dolum & mendacia, quæ verſentur circa cauſam finalem. ibid, n.38
Ad valorem diſpenſationis non ſufficit, neque requiritur, ut cauſa finalis verificetur tempore petitionis diſpenſationis, ſed requiritur eam verificari eo tempore, quo Pontifex vel alius Superior diſpenſationem concedit, vel committit alteri eam concedendam, ſi preces veritate nitantur. ibid. n. 39
Diſpenſatio non habet vim in foro externo, ſi literæ non expediantur; poſtquam autem ſunt expeditæ, retrotrahuntur & proſunt a puncto conceſſionis. ibid. n 40
Ad diſpenſationem & quævis alia privilegia impetranda, non ſpeciale, nec generale mandatum deſideratur, ſed poſſunt validè impetrari eo, cui impertrantur, ignorante, non prodeſt tamen diſpenſatio ignoranti, donec ab ipſo acceptetur, vel ab alio habente ſpeciale ejus mandatum. p.227.n.41

Diſparitas cultus.

Quando infidelis vel Judæus converſus ad fidem habet plures uxores, ſeparandus eſt ab illis, demptâ primâ, quæ ſola eſt legitima uxor: ſi verò hæc monita noluerit ad fidem converti, poſſet converſus quamcumque aliam, quæ convertitur, ducere; quando licet converſo prius illud matrimonium dirimere, v. Matrimonium 2. p.533.n.32. ubi plura de hac materia, n.33 *& ſeqq.*

Diſtractio.

Qui ſponte tempore Miſſæ animo diſtrahitur, vana audiendo, feminas, aut ludos ſpectando, ſcribendo, plagendo, dormitando, aut interùs tantùm aliena cogitando per notabilem Miſſæ partem, non impler præceptum de audienda Miſſa, juxta communiorem Doctorum ſententiam, v. Miſſa III. p.572.n.6.
Graves Doctores non improbabiliter defendunt, illos ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, qui ſecundùm externum habitum Miſſæ decenter interſunt, licet interna mente Deo vel divinis non intendant: eò quòd minor attentio requiri videtur in auditione Miſſæ, quàm in recitatione Officij Canonici. ibid, p. 573. *num.* 7 ubi plura.

Diſtributiones.

Diſtributiones jure communi poſſunt retineri, ſi poſtquam traditæ fuerunt Canonicis præſentibus, iterum abſenti reſtituantur, aut potius donentur ab eildemsnec hoc eſt contra Concilium Tridentinum, v. Horæ Canonicæ IV. p.387.n 3.
Juxta quoſdam diſtributiones lucrari non poſſunt Canonici, qui choro quidem aſſiſtunt, ſed Officium per ſeipſos non recitant in choro, ſed per manſionarios in Eccleſia exiſtentes: nonnulli ſuſtinent conſuetudine induci poſſe, ut Canonici interſint choro & canant per alios, diſtributioneſque lucrentur. ibid, p 388.n 5. ubi plura de diſtributionibus, *n.6 7. & ſeqq.*

Divinatio.

Vana occultorum inquiſitio per divinationem, innititur ſemper auxilio Dæmonis, ejuſque pacto, ſive expreſsè, ſive tacitè implorati. p 227.n.1
Ut dicatur pactum tacitum cum Dæmone, ſeu tacita ejus invocatio, ſatis eſt quempiam vanis uti ad effectum adipiſcendum, licet utens his vanis, dicat expliciè ſe nolle pactum cum Dæmone. ibid.n.2
Divinatio ſuperſtitiola & illicita, in qua eſt tacitum cum Dæmone pactum, dignoſcitur ex tribus. ibid.n.3
Divinationis, in qua eſt pactum expreſſum cum Dæmone, quæ generali nomine appellatur Necromantia, ſunt novem ſpecies. p.228.n.4

Digitized by Google

Quomodo per præſtigium dæmon varijs apparitionibus oculos ſuperſtitioſorum perſtringat. ibid.n.5
Divinatio per ſomnia tunc eſt ſuperſtitioſa, quando extendit ſe ad ea, quæ per ipſa cognoſci nequeunt; ut ſunt velle per ea cognoſcere futura contingentia, vel quę ex arbitrij libertate pendent certiùs, quàm ex ſomnijs cognoſci valent. ibid.n.6
Somnia ex quinque cauſis provenire poſſunt: Primò, ex ſingulari Dei providentia: Secundò, ex conſtitutione cœli vel aëris: Tertiò, ex affectione corporis humani: Quartò, ex prævijs cogitationibus & curis: Quintò, ex procuratione dæmonis. Ex his quinque genera ſomniorum diſtingui poſſunt, *Oraculum, Viſio, Somnium, Inſomnium,* & *Phantaſma.* ibid.
Divina ſomnia à diabolicis ex duobus indicijs conjectari poſſunt: Primò, eſt conſiderare ad quid ſomnium impellat; ſi enim ad aliquid malum, eſt à dæmone; ſi autem ad bonum, poſſet aliquis non temerè ſuſpicari eſſe à Deo: Secundò eſt, ſi poſt ſomnium animus maneat confuſus & tardior ad bonum, eſt à dæmone: ſi promptior, eſt à Deo. ibid.
Necromantia eſt ſpecies divinationis, quâ per mortuos, aut aliquid ad eos pertinens, occulta conantur ſcire ac prædicere, & tribus præcipuè modis poteſt exerceri. ibid.n.7
Divinatio, in qua eſt ſola tacita dæmonis invocatio, eſt duplex: Prima eſt, quando ad cognitionem occultorum utitur quis vana & ſuperſtitioſa diſpoſitione exiſtente in rebus ipſis, & hæc dividitur in novem ſpecies: Secunda, cùm quæritur ex diſpoſitione eorum, quæ homines conſultò faciunt, cauſa ejus cognitionis adipiſcendæ, & ſunt duæ ſpecies. p.229.n.8
Aſtrologiæ judiciariæ ſunt tres partes: Prima verſatur circa revolutiones, & prædicit totius anni viciſſitudines: Secunda continet magiſterium nativitatum: Tertia vocatur electionum. ibid.n.9
Prima ſpecies aſtrologiæ non eſt ſuperſtitioſa, ſi tantùm profiteatur opinionem cum formidine oppoſitij: Secunda non eſt etjam ſuperſtitioſa, ſi tantum profitetur ſuſpicionem: Tertia denique non eſt ſuperſtitioſa, ſi dicat ſe æſtimare, quod res ſit bene ceſſura. Hæ tamen ſpecies aſtrologiæ ſunt interdictæ in Bulla Sixti V. ibid.
Quando ex avium & aliorum animalium frequentibus cantibus, volatibus & motibus prænunciantur aliqua futura evenientia, quorum illa ſunt ſigna, ut pluvia, ſerenitas, &c. nulla eſt ſuperſtitio; ſecus ſi divinatio extendatur ad prædicendum ex his plus quàm illa indicent. ibid.n.10
Superſtitio eſt, ex quibuſdam fortuitò homini contingentibus, conjectare aliquid feliciter, aut infeliciter illi eventurum. ibid.
Omnis divinatio per auguria & auſpicia, quæ verſatur circa eventus liberos, peccatum mortale eſt pertinens ad tacitam dæmonis invocationem, citra Dei revelationem. ibid.
Divinatio per omnia omnium divinationum vaniſſima eſt: quando autem certum, aut probabile eſt omen eſſe divinum, licitum eſt divinare per illud, & ex ominatione ad opus moveri, aliàs non. Ceterum nulla eſt adhibenda fides hominibus, citra Dei illuminationem, aut impulſum. p.230.n.11
Divinatio phyſionomica, præcipuè ea quæ metoſcopia dicitur, quia ex vultu hominum prædicit corporis, ſeu animæ ſenſitivæ affectiones & propenſiones, probabilitatem aliquam habet, non tamen perfectam certitudinem, ſi intra limites naturales contineatur, ibid.n.12
Phyſiognomia aſtrologia eſt ſuperſtitioſa & omni jure damnata: non enim poteſt haberi prænotio, neque divinatio phyſionomica circa ea, quæ pendent ex libero arbitrio, aut caſualia ſunt. ibid.
Interrogare Ægyptianam de bona vel mala fortuna, in duplici caſu eſſet mortale, ibid.
Divinatio ſumpta ex manuum humanarum diſpoſitionibus & lineis, quæ de propenſionibus & affectibus divinat, licita eſt. ibid.
Sortes diviſoriæ, ſtando in ſolo jure naturali ſunt licitæ in caſibus, in quibus jus humanum eas non interdicit. ibid.n.13
Sortes diviſoriæ licent, quotieſcumque non apparet ratio cur alter alteri in aliquo commodo vel incommodo debeat præferri; ubi enumerantur quinque caſus. p.231. n.14
Sortes diviſoriæ quamvis ex ſe licitæ, poſſunt tamen eſſe illicitæ ex aliquibus circumſtantijs extrinſecis adjunctis, & præcipuè in quinque caſibus. ibid n.15
Sortes jure Canonico prohibentur in electionibus Eccleſiaſticis ad dignitates, officia, adminiſtrationes & beneficia Eccleſiaſtica. ibid.n.16
Sortibus licet uti ad terminandas lites beneficiales inter Clericos, modò id fiat auctoritate Judicis Eccleſiaſtici, non tamen propria. ibid.

Doctor.

Expediens litteras diſpenſationum ſacræ Pœnitentiariæ pro foro conſcientiæ, debet eſſe Doctor in jure Canonico vel Magiſter in Theologia. Nomine autem Magiſtri in Theologia, Doctor etjam in Theologia intelligitur, quia iſta nomina ſunt Synonyma; non ſufficeret autem eſſe publicum profeſſorem Theologiæ vel Canonum, niſi gradus iſtos acceperit, v. Matrimonium III. p.544.n.18.
Doctores & Magiſtri ratione officij tenentur non uti reſtrictionibus mentalibus, æquivocationibus, aut amphibologijs non uſitatis, ex quibus diſcipuli poſſint haurire, aut errorem contra fidem, aut licentiam peccandi, aut opinionem ſcandaloſam, aut pijs auribus offendiculum præbentem, v. Reſtrictio mentalis. p.753.n.5.

Doctoratus.

Ad Doctoratus gradum in Theologia & jure Canonico promoveri poſſunt regulares cum Superioris licentia, non autem in jure civili vel medicina, juxta quorumdam ſententiam; quamvis alij id etjam concedere regularibus, præſertim ſi regularis juri civili operam dederit ante ingreſſum religionis, v. Regulares, p.715.n.24.
Generalis Ordinis Prædicatorum, ex conceſſione Bonif. IX. & Innocentij VIII habet, ut in quolibet Capitulo Generali unus ex Fratribus in Theologia provecto, & prævio examine idoneo invento, Magiſterij honor & docendi licentia conferri poſſit. ibid.n.25.
Fratribus Minoribus prohibuit Martinus V. conferri poſſe gradum Magiſterij in aliqua univerſitate, niſi curſus per Conſtitutiones Apoſtolicas & ſui Ordinis inſtituta perfecerint & alias ad dictum gradum obtinendum idonei exiſtant; ſub pœna nullitatis, &c. ibid.

Dolor.

Dolor contritionis, unus eſt intellectualis, qui eſt diſplicentia voluntatis; & alius ſenſibilis, qui cauſatur à primo. Intellectualis dolor eſt eſſentialiter contritio, & debet eſſe ſummus, non quoad intenſionem, ſed quoad æſtimationem ad alias creaturas. Dolor ſenſibilis non eſt eſſentialiter contritio, ſed effectus ejus conſequens dolorem voluntatis ex neceſſitate naturæ, & hic debet eſſe moderatus & ornatus prudentia, v. Contritio. p.196.n.3 ubi plura n.4 & ſeqq.

Dolus.

Quando Canon expreſsè, aut tacitè petit dolum, non ſatis eſt craſſa ignorantia & lata culpa: item cùm lex pœnam inducit præſumenti aliquid facere; non verè dicitur præſumens, ſi quis aliquid ex ignorantia culpabili & craſſa efficeret; præſumptio enim dolum importat & temeritatem, v. Ignorantia. p.402.n.8.
Diſpenſatio extorta per dolum & mendacia, quæ verſentur circa cauſam finalem, invalida eſt; ſecus ſi dolus & mendacia ſint ſolùm circa cauſam impulſivam, v. Diſpenſatio. p.226. n.38.

Dominium,

Dominium formaliter & eſſentialiter non eſt idem quod jus: quia uxor habet jus quoddam in virum; filius habet jus ut à patre alatur, & tamen appellari non poteſt uxor domina viri, nec filius dominus patris. p.232 n.1
Dominij titulus ab ipſo domino diſtinguitur tanquam cauſa ab effectu: titulus enim eſt principium, baſis, radix & veluti cauſa moralis & fundamentum, quo naſcitur dominium, ſeu facultas libera uſurpandi rem aliquam in ſuum commodum. ibid.n.2
Dominium nullum habent creaturæ irrationales & inſenſibiles. ibid.n.3
Verum & abſolutum dominium vitæ & honoris hominis habet ſolus Deus Optimus Maximus. ibid.n.4
Verior ſententia eſt, quòd Chriſtus ut homo non fuit verè & propriè Dominus totius univerſi, & ſic non habuit juriſdictionem temporalem, nec rerum dominium, niſi quatenus opus erat ad regnum ſpirituale, quod inſtituebat. ibid. n.5
Princeps vel Reſpublica non habet dominium vitæ & membrorum ſubditorum: in duobus enim tantùm caſibus poteſt Princeps vel Reſpublica ſubditum occidere vel vitam ejus manifeſto diſcrimini objicere: Primò, ſi delictum dignum morte perpetravit: Secundò, quando ſic exigit ratio boni communis. p.233 n.6
Summus Pontifex nullam directè habet juriſdictionem meræ temporalem, jure divino, quâ nimirum vel ſit Rex, vel Princeps, vel Dominus, ſive totius mundi, ſi orbis Chriſtiani, aut alicujus loci, quantum ad regimen temporale. ibid. n.7
Romanus Pontifex indirectè & in ordine ad finem ſupernaturalem habet ſummam poteſtatem diſponendi de temporalibus rebus omnium Chriſtianorum. ibid.
Romanus Pontifex poteſt Principem à fide apoſtatantem, aut alioquin valdè noxium Eccleſiæ, ſpoliare dominio & juriſdictione quam habebat, ejuſque regnum vel principatum transferre in alium. ibid.
Dominium bonorum Eccleſiaſticorum immobilium eſt non penes

Digitized by Google

penes Eccleſiaſticos ſingulos, ſed penes Eccleſiam particularem, cujus ſunt bona. ibid.n.8
Quatenus unaquæque Eccleſiarum particularium eſt pars univerſalis Eccleſiæ, dominium omnium bonorum Eccleſiarum eſt penes Eccleſiam univerſalem, cujus caput univerſale eſt Summus Pontifex. ibid.
Quando eſt neceſſarium vel valde expediens ad bonum commune Eccleſiæ, poteſt Papa bona unius Eccleſiæ ad alios uſus, & etiam ad alias diœceſes transferre, imò & ſæcularibus concedere. ibid.
Eccleſiaſtici acquirunt dominium ſtipendiorum, quæ pro ſuis peculiaribus miniſterijs, eis dantur, ut pro Miſſa, concione, &c. ibid n.9
Nullus Clericorum olim habuit in particulari dominium ullorum reditnum in ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ deputatorum, ſed omnia bona Eccleſiaſtica erant Clericis communia, ſolaque adminiſtratio pertinebat ad Epiſcopum. ibid.n.10
Licet beneficiario portionem ſui beneficij redundantem reſervare in ſuas, quaſi futurum timens, neceſſitates, vel ut Collegium fundet, aut hoſpitale, &c. modò interim non occurrant graves præſentes proximorum neceſſitates. ibid. n.11
Opera pia, ad quæ tenetur beneficiarius de ſuperfluo reditnum ſui beneficij, non eſt opus ut fiant in eo loco, ubi beneficium eſt ſitum; tamen quando aliud non poſtulat commune bonum, ejuſmodi opera pia potiùs fieri deberent in populi utilitatem, qui reditus contribuit, quam alterius. p.234.n.12
Beneficiarij poſſunt conferre conſanguineis aliquid ex reditibus ſuorum beneficiorum, alioquin expendendum in opera pia, ſi tales pro ſui ſtatus ratione non habeant, nec habere poſſint competentem ſuſtentationem. ibid.n.13
Beneficiarius nobilis, aut in magna aliqua dignitate conſtitutus, qui habet ſola bona Eccleſiaſtica ex beneficio manantia & in opera pia expendenda, poteſt plus in alimentis & moderatam dotem filiæ ſpuriæ largiri, quam ſi eſſet ſpuria Sacerdotis pauperis. ibid.n.14
Quando quis humili loco natus evehitur ad magnam aliquam dignitatem, ut ad Epiſcoparum, &c. accreſcit aliquantulum conſanguineorum & maximè patris & matris conditio, ac proinde poteſt beneficiarius licitè illis conferre, non quantùm exigere ſolent, ſed moderatè ad arbitrium viri prudentis. ibid.
Dominium acquiritur rerum per *ſpecificationem*, *ſeu formationem*, cum quis ex aliena materia ſpeciem aliquam fecerit. ibid.n.15
Dominium rei acquiritur per *acceſſionem*, quando, ſcilicet, res aliena rebus noſtris accedit per humanum laborem & induſtriam. ibid.n.16
Per materiarum confuſionem jure gentium ſive naturali rerum dominium acquiritur. ibid.n.17
Per commixtionem ſpecierum dominium etiam acquiritur, ut ſi duorum dominorum frumenta commiſceantur. ibid.n.18
Per ædificationem jure gentium acquiritur dominum; unde ſi quis in ſuo ſolo ex aliena materia ædificaverit, ſolo cedit. ibid.n.19
Per plantationem dominium rei etiam acquiritur: unde qui alienam plantam in ſuo ſolo poſuerit, eaque radices egerit, ipſius fit planta, cujus & ſolum eſt. p.235 n.20
Jure gentium acquirit dominium per traditionem rei, non quidem nudam, ſed talem, ut per eam is, qui tradit, in animo habeat transferre dominium in accipientem. ib.n.21
Dominium rei ex pluribus cauſis eſſe non poteſt. ibid.n.22
Dominium rei non poteſt quis acquirere ſolo animo & voluntate, niſi poſſeſſionem rei antè acquirat, & apprehendat. ibid.n.23
Non eſt licitum ædificare molendinum, aut aliud ædificium in publicis fluminibus, ne impediatur uſus publicus navigationis. In privatis verò poteſt, ſed non ſemper. ibid.n.24
Poteſtas domini in ſervum non ſe extendit in ejus vitam, nec ad interiora animæ. ibid.n.25
Servus ſibi acquirit ea, quæ parcè vivendo ſibi ſubtrahit, vel ſi præter opera præſcripta aliquid faciat, non odò hoc fiat ex præſumpta domini voluntate, & quando diſtincta eſt illi certa portio ciborum. p.236.n.26
De quibuſdam modis, quibus ſervi jure a ſervitute liberantur, & libertatem acquirant. ibid.n.27

Dominus.

Domini & ſuperiores, qui circa curam & ſalutem ſibi ſubditorum negligentes notabiliter ſunt, graviter delinquunt in multis caſibus, qui hîc enumerantur, v. Parentes. p.619. *num.9. & 10.*

Domicilium.

Ut quis diſpenſari poſſit in votis ab Epiſcopo, non exigitur conſtitutio veri domicilij, quæ acquiritur habitatione cum animo habitandi perpetuò in Epiſcopi diſpenſantis diœceſi, ſed ſatis eſt, ſi ibi habitet cum animo permanendi major anni parte. Ex hoc tamen non tollitur facultas confugiendi quoque ad Epiſcopum proprij domicilij; quia ille utroque tempore habitat in dua diœceſi, v. Votum 2. p.829 n.33
Ex ſola habitatione alicubi non per modum viatoris, ſed conducta domo vel officina contrahitur quaſi domicilium, ita ut quis poſſit ibi conveniri: ſimiliter acquiritur quaſi domicilium in rebus ſpiritualibus, & ratione illius Epiſcopus habet juriſdictionem in ſic habitantem. ibid.

Donatio & promiſſio.

Donatio inter vivos quadruplex eſt, nempe, *Abſoluta, Conditionalis, Modalis, & Cauſalis.* p.237.n.1
Donatio remuneratoria non eſt propriè donatio: unde hæc donatio facta à patre filio non emancipato, & à religioſis licita eſt. ibid.n.2
Ut donatio cenſeatur remuneratoria, hæc requiruntur: Primò, ut in donatione exprimatur, hanc fieri ob bene merita: Secundò, ut obſequia & merita non ſint alias debita: Tertiò, ut obſequia & benemerita ſint inſignia: Quartò, ut donatio meritis æquipolleat. ibid.
Donatio remuneratoria eſt duplex: Prima eſt, quâ beneficium compenſatur ad æqualitatem ex gratitudine, non ex debito: Secunda eſt, quâ debitum, ſeu obſequium compenſatur ultra æqualitatem, ita ut non ſit nimius exceſſus. ibid.n.3
Ut donatio dicatur remuneratoria, non oportet, ut omninò merita æqualia ſint rei ob merita donatæ, ſed hoc relinquendum eſt arbitrio prudentis, attenta donantis qualitate. p.238.n.4
Donatio remuneratoria poteſt fieri à Novitio, etiamſi non ſit ſervata forma præſcripta à Concil. Tridentino: & valet inter patres & filios, in filium ſpurium, & Clerici facta in concubinam, &c. ibid.n.5
Donatio facta à Principe ex cauſa remunerationis, tanquam contractus onerolus liberè revocari non poteſt, niſi expreſsâ cauſâ, quæ publicam reſpiciat utilitatem. ibid.n 6
Quando Princeps aliquid filijs defuncti benemeriti donat, creditores patris nullum jus ſuper hujuſmodi bonis donatis habere poſſunt. ibid.n.7
Donatio eſt propriè debiti remiſſio, ſicut & juris renunciatio. ibid.n. 8
Donatio interna homini facta, nullam in conſcientia inducit obligationem, quouſque ſignis vel verbis exprimatur; non eſt tamen improbabile, talem donatorem obligari. ibid.n.9
Donatio antequam ritè acceptetur, nullam parit obligationem naturalem, aut civilem, ſed tutâ conſcientiâ donans pro libito poteſt eam revocare. p.239 n.10
Donatio non ſolùm jure civile, ſed etiam naturali & gentium ante acceptationem non obligat. ibid.
Donatio nondum acceptata, juramento tamen confirmata, eſt valida & obligatoria ratione vinculi religionis ſuperadditi. ibid.n.11
Verius eſt donationem ad pias cauſas ante acceptationem revocari poſſe, idque ex defectu potius conſenſus, quam acceptationis. ibid.n.12
Donatio vel promiſſio exteriùs quidem facta, ſed tamen abſenti & ignoranti, eſt invalida & revocabilis. ibid.
Donatio facta donatario præſenti & tacenti valida eſt & donator eam deinceps revocare non poteſt. ibid.n.13
Ut promiſſio ſimplex ſit valida & in conſcientia obliget, requiruntur ſex conditiones: Primò, ut ſit vera, non ficta: Secundò, ut ſit deliberata; Tertio, ut ſit voluntaria; Quartò, ut ſit de re licita: Quintò, ut ſit poſſibilis: Sextò, ut perſonæ & res ſint tempore præſtandi promiſſum in eodem ſtatu, in quo erant, quando facta fuit promiſſio. p.240 n.14
Promiſſio differt à donatione, à pacto & à ſtipulatione. ibid. n.15
Qui promittit factum alienum, jure civili per talem promiſſionem non obligatur, ſecus autem jure Canonico & naturali, & tenetur promittens debitam adhibere diligentiam, ut promiſſum adimpleatur. ibid n.16
Res quæ ſucceſſivè promiſſa fuit pluribus, tradenda eſt illi, cui primò fuit promiſſa. ibid.n 17
Qui aliquid ſub diſjunctione promiſit, liberum eſt promittenti tradere, quam voluerit unam ex duabus rebus promiſſis. ibid.n.18
Si duo vicißim ſibi aliquid promiſerint, & unus non vult implere promiſſionem, probabilius eſt, quod poſſit alter licitè tranſgredi ſuam. p 241.n.19
Stipulator, qui promiſſionem validè acceptavit nomine abſentis, non poteſt eam remittere & condonare. ibid.n.20
Promittens non tenetur adimplere promiſſionem acceptatam à tertio, antequam ratificetur ab eo, in cujus favorem facta eſt. ibid.n.21
Qui promiſit aliquid ad certam aliquam diem, poteſt ante il-

lius diei adventum ſolvere, ſecus ſi dies præfixus fuit in favorem creditoris. ibid.n.22
Promiſſio adimplenda eſt in loco convento; ſi non ſit conventum de loco, ſtandum eſt judicio prudentis viri ſervata juſtitia & æqualitate inter contrahentes. ibid.n.23
Ex ſimplici promiſſione nuè acceptata in foro judiciali, nulla actio jure civili oritur adverſus promittentem, ut promiſſionem adimpleat: ſed jure Canonico datur actio. ibid, num.24.
Donatio remuneratoria non poteſt propter ſubſecutam donatarij ingratitudinem reſcindi; niſi exceſſus fuerit commiſſus ſupra merita in hac donatione; tunc quoad exceſſum revocari poteſt. ibid.n.25
Donatio remuneratoria non poteſt revocari per ſupervenientem prolem. ibid.n.26
Pactum de non revocanda donatione, eſto donatarius in vitium ingratitudinis inciderit, non eſt validum, etjamſi donator juraverit ſe non revocaturum donationem: ſi tamen donans expreſsè excludat illam conditionem, & juramento confirmet, non poteſt tunc donationem revocare; licet contrarium ſit etjam probabile. ibid.n.27
Donatarius ingratus non tenetur priùs donata reſtituere, quàm in judicio cauſa ingratitudinis fuerit probata: interim fructus percepti ante litem intentatam, pertinent ad donatarium. p.242.n.28
Conditio præſentis vel præteriti addita donationi, vel alteri diſpoſitioni, non ſuſpendit eam, ſed ſi conditio exiſtit, valet; ſi non exiſtit, non valet: & idem dicendum ſi conditio eſt de eo, quod neceſſariò vel omninò certo futurum eſt. Conditio autem futuri incerti ſuſpendit donationem & alias diſpoſitiones uſque ad adventum conditionis. ibid.n.29
Donationes vel promiſſiones in teſtamento factæ cauſâ mortis ſub conditione impoſſibili, vel quæ ſine peccato adimpleri non poteſt, vel matrimonij impeditiva, vel majoris boni ablativa, ſtatim & ante conditionis adimpletionem, jure civili firmitatem habent, & conditiones illæ pro non appoſitis habentur; in foro tamen conſcientiæ nullius ſunt valoris, quando colligitur voluntatem donantis vel promittentis fuiſſe, ut conditio adimpleretur. ibid.n.30
Donatio vel promiſſio facta mulieri ſub conditione nunquam nubendi valida eſt in foro exteriori, etjamſi conditio non impleatur, idque in favorem matrimonij. ibid.n.31
Si teſtator dicat puellæ, quod relinquit ei in teſtamento centum ſi nupſerit, nihil addendo de ingreſſu religionis, hæc conſequitur legatum, etjamſi religionem ingrediatur. ibid.
Si teſtator dicat: Lego 200. ſi nupſeris, 100, ſi religionem ingrediaris, multi tenent deberi 200. etjamſi religionem ingrediaris; ſed contrarium eſt etjam probabile. ibid.
Quando aliquis donat ob certum finem, ſi non intendat ad illum finem obligare, ſed ſolum allicere animum, vel præbere media ad illud conſequendum ſi placuerit; talis donatio valida erit quoad utrumque forum, etjamſi finis non ſequatur. p.243.n.32
Si is, qui donat ad certum uſum vel finem, intendat donatarium ad illum finem vel uſum obligare, ſi ille finis vel uſus non præſtetur, irrita erit donatio, ſi ille finis ſit principalis, ſecus ſi ſit ſecundarius. ibid.
Si quis donet ob cauſam, quam ſubeſſe credit, cùm verò hæc cauſa falſa ſit, talis donatio in utroque foro invalida erit, niſi donator actu vel habitu ita ſit affectus, ut illam cenſeatur velle valere, quamvis cauſa non ſubſit. ibid.n.33
Conditio poſſibilis dividitur in neceſſariam & in contingentem: conditio contingens dividitur in poteſtativam, caſualem & mixtam. ibid.n.34
Conditio preſsè ſumpta pro ſola conditione de futuro contingenti, definitur; eſt diſpoſitionis ſuſpenſio ex incerto futuro eventu appoſitio. Latè autem ſumpta conditio, ut comprehendit conditiones omnes de præſenti & præterito, ſic poteſt definiri, eſt adjectio diſpoſitioni dependentiæ, ut ſit, obligare vè incipiat, ex aliquo præſenti, præterito, aut futuro. ibid.n.35
Donatio modalis per particulam *ut*, & alias æquivalentes ſolet explicari: interdum tamen nomine conditionis ſignificatur modus. ibid.n.36
Donatio modalis, modo non exiſtente, eſt valida, quando talis modus non eſt cauſa principalis vel finalis donationis, vel alterius diſpoſitionis, ſed impulſiva; ſecus autem ſi modus ſuit cauſa finalis & principalis. p.244.n.37
Inter modum & conditionem preſsè ſumptam hoc eſt diſcrimen; quod quamvis utrumque ſit in futurum, conditio tamen ſuſpendit diſpoſitionem, quouſque conditio impleatur, modus autem non. ibid.
Quando aliquid ſub modo donatur, legatur, aut per quamvis aliam ultimam voluntatem alicui relinquitur, priuſquam donatarius vel legatarius id accipiat, tenetur cavere de modo implendo, & de re cum fructibus reſtituendis, niſi modum impleat. ibid.n.38
Quando modus diſpoſitioni eſt appoſitus in utilitatem tertij, tunc ſi per eum ſteterit, in cujus utilitatem modus eſt appoſitus, aut ſi ille mortuus ſit, hoc alio non exiſtente in mora adimplendi modum, tunc modus habetur pro impleto. ibid.n.39
Modus impoſſibilis, tam de facto, quàm de jure, id eſt, turpis, habetur pro non adjecto & appoſito in ultima voluntate. ibid. n.40
Donatio omnium bonorum præſentium & futurorum poteſt eſſe valida, ſi Principis auctoritate firmetur. ibid.n.41
Quamvis donatio inter vivos omnium bonorum præſentium & futurorum, jure communi ſit invalida; in foro tamen conſcientiæ valet & tenet, ſi nulla concurrat vis, aut fraus, nec præjudicium alicui fiat. ibid.n.42
Donatio omnium bonorum præſentium & futurorum facta cauſâ mortis, eſt valida. ibid.
Donatio eſt valida omnium bonorum præſentium & futurorum reſervato uſufructu: niſi uſusfructus ſic reſervatus eſſet tam modicus, ut ad ſolam competentem donantis ſuſtentationem non ſufficeret; tunc enim invalida eſſet donatio. p.245.n.43.
Donatio abſoluta ultra ſummam quingentorum ſolidorum à lege conceſſam donari, in conſcientia eſt valida, niſi à donatore vel ejus hæredibus repetatur. ibid n.44
Donatio Epiſcopi regularis ad uſus prophanos, non ſolùm eſt illicita, ſed etiam invalida: quamvis validam eſſe quidam non improbabiliter exiſtiment, imò & licitam. ibid. num.45
Accipiens in caſibus illicitis donationem à beneficiario religioſo, vel Epiſcopo, vel a beneficiario ſæculari, an peccet mortaliter? Quidam affirmant, alij negant, & utrique probabiliter. ibid. n 46
Donatio ſimplex facta à patre filio emancipato, cùm dividenda erit hæreditas, æſtimanda erit, ejuſque pretium dividendum, ut inter hæredes ac bona illis debita ac danda, conſtituatur æqualitas; ſecus ſi filius non ſit emancipatus; tunc enim non ſunt ad hæreditatis diviſionem conferenda, niſi pater aliter diſpoſuerit. p.246.n.47
Donatio, quâ quis donat alteri bona ſua, de quibus poteſt ad libitum diſponere, ante commiſſum crimen, in cujus admiſſi pœnam fiſco debentur, eſt rata & valida. ibid.n.48

Donatio inter conjuges.

Donatio inter conjuges vel ſponſos, quædam eſt ſimplex, quædam verò ob cauſam; & eſt triplex, quædam dicitur ſponſalitia largitas; alia donatio propter nuptias vel ante nuptias; & alia, Arra. p.246.n.1
Donatio inter conjuges dicitur nulla & invalida, non quòd omninò nulla ſit, ſed quia poteſt a conjuge donante ad libitum revocari: ſed morte donantis confirmatur. p.247. num.2
Donatio ante matrimonium facta, ſi ejus effectus differatur in matrimonij contracti tempus, etjam invalida eſt; ceteri tamen contractus inter conjuges initi valent, dummodò pretium æquivaleat rei. ibid.n.3
Donatio inter conjuges, qui veri non ſunt, ſed putativi, quando utrique nota fuit matrimonij nullitas, valida eſt in foro conſcientiæ, donec petenti fiſco, ſibi per judicem applicetur. ibid.n.4
Quando ſolus conjux donans fuit conſcius nullitatis matrimonij, valet donatio; ſi autem conjux donatarius ſcivit impedimentum, & donans non, tunc donatio eſt nullius momenti. ibid.
Quando uterque conjux inſcius impedimenti putabat matrimonium valere, an donatio ſit valida? Quidam affirmant; alij negant, ſed placet eſſe diſtinguendum, ut ibi notatur. ibid.
Sicut donatio invalida inter conjuges confirmatur morte naturali donantis, ita confimatur morte civili. ibid.n.5
Donatio inter conjuges confirmatur profeſſione religionis, ſive matrimonium fuerit conſummatum, ſive non, modo profeſſio fiat legitimè ex licentia conjugis, caſu quo matrimonium ſit conſummatum. ibid.
Si religio, in qua conjux donans profeſſus eſt, capax ſit poſſidendi bona in communi, donatio non confirmatur, ſed expectanda eſt mors naturalis donantis: ſi autem religio ſit incapax, confirmatur donatio. ibid.
Donatio cauſâ mortis valet inter conjuges: ſi tamen hæc donatio fieret eâ conditione, ut irrevocabilis eſſet, non valeret; quia tranſit in donationem inter vivos. pag.248. num 6
Verius eſt ad valorem donationis cauſâ mortis inter conjuges non requiri traditionem rei; quia habetur inſtar legati. ibidem.
Cùm donatio inter conjuges confirmetur morte naturali donantis, ideò nomine mortis naturalis comprehenditur etjam mors accidentalis gladij vel alterius rei violentæ: non autem ſi donator mortem ſibi conſciverit. ibid.n.7

Ut

Ut donatio inter vivos, quæ fit inter conjuges, morte donantis confirmetur, quatuor conditiones adeſſe debent: quarum prima eſt, ut præceſſerit in vita donantis, traditio rei donatæ. ibid n.8
In multis caſibus non requiritur traditio vera, ſed ſufficit ficta, quæ hîc exprimuntur ibid.
Secunda conditio eſt, ut conjux donans priùs moriatur: quando autem non conſtat, uter priùs objecit, præſumitur donatorem in eadem voluntate eſſe præmortuum, & ita donatio confirmatur, ut ſi ambo ſimul eodem naufragio moriantur. ibid.n.9
Tertia conditio, ut donatio non excedat 500. aureos abſque inſinuatione; ſi enim excedat, nec adhibeatur inſinuatio jure requiſita, non confirmatur morte, quoad exceſſum. ib.n.10
Quarta conditio, ut donans in eadem voluntate perſiſtat uſque ad mortem, nec tacitè, nec expreſsè revocans. p.249.n.11
Tacita cenſeretur revocatio, ſi conjux donans rem donatam poſtea alienaverit, vel pignori dederit, vel ſpeciali hypothecæ ſubjecerit; ſi conjux donatarius mores mutat in præjudicium donantis; ut ſi adulterium committat, &c. ibid.
Donatio inter conjuges invalida, dum morte confirmatur, non trahitur retrò ad tempus donationis factæ quoad dominium rei donatæ, ſed tantùm quoad fructus ex ea perceptos. ibid, n.12

Dos.

Uxor non tantùm ante matrimonium, ſed etjam eo conſtante poteſt dotem conſtituere viro: ſi tamen vir conſtante matrimonio dotet uxorem, non valet: nec ſi ante contractum matrimonij dotet, quando datur hac lege, ut inito matrimonio, & non aliàs acquiratur. p.249 n.1
Dotis conſtitutio conſtante matrimonio uxori facta à viro in aliquibus caſibus valet. 1. quando vir excedit ab uxore nobilitate, vel ætate, vel divitijs. 2. ſi quis virginem violaverit & ob hoc ducat eam, & dotet. 3. quando Pontifex diſpenſaret cum duobus conſanguineis, ea lege ut vir uxorem pauperem dotaret. 4. ſi eſſet conſuetudo, &c. ibid. n.2
Si minor filia 25. annis nupſit ſine conſenſu patris digno & promiſit dotem, tenetur pater dotare: imò etjam ſi dotem non promiſerit: limita, niſi filia dives ſit, & potens dotem ſolvere; tunc enim non tenetur pater. p.250.n.3
Quando vir, vel femina indignum matrimonium interunt, & ita divites ſunt, ut alimenta habeant, non tenetur pater dotare: ſi autem alimentis carerent, tenetur pater dotare in modica quantitate, ne fame pereant. ibid.
Quoties parentibus licet filias exhæredare ob cauſas jure permiſſas, non tenentur eas dotare, juxta probabilem ſententiam Doctorum: ſi tamen alimenta aliunde filiæ non ſuppeterent, verius eſt, ad hæc parentes teneri. ib. n.4
Caſus, in quibus dos conſtituta per virum uxori extrahenda ſit de toto hæreditatis corpore, & in quibus, de ea parte, de qua poteſt maritus liberè diſponere. ibid.n.5
Si vir viduus feminæ, quam ducit, dotem conſtituat, credens eſſe virginem, quæ tamen non erat virgo; hæc conſtitutio dotis eſt donatio prohibita inter conjuges. ibid.n.6
Dotis fructus ſibi traditæ lucratur maritus, quandiu matrimonium conſiſtit: tamen maritus res dotales abſque neceſſitatis caſu, alienare non poteſt: imò nec dotalem fundum cum uxoris conſenſu alienare, vel hypothecæ ſubjicere eſt marito jure conceſſum. ibid n.7

Dubium.

Illæ duæ regulæ juris, *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis, &, In dubijs tutior pars eſt eligenda*, non ſunt contrariæ, ſed potius una eſt explicativa alterius & mutuò ſeſe juvant. p.251. n.1
Quando ex utraque parte concurrunt opiniones probabiles, nulla eſt obligatio ſequendi opinionem, quæ favet poſſeſſioni. ibid n.2
Incipiens bona fide poſſidere, ſi dubium ſuperveniat, an res ſit aliena, tenetur diligentiam adhibere, ut veritatem adæquatur, eaſque præmiſſa, nec veritate detecta, poteſt eam retinere, & practicè non dubitare. ibid.n.3
Verius eſt in quacunque materia potiorem eſſe in dubio poſſidentis conditionem, eò quòd poſſeſſio eſt titulus univerſalis omnibus virtutibus, eo modo, quo aliqua pars potentialis juſtitiæ, ut obedientia Dei tranſcendit omnes virtutes. ibid.n.4
Poſſeſſor omittens facere quod in ſe eſt ut veritatem adæquatur, ſi omiſſio cauſa ſit, ne veritas poſſit deprehendi, tenetur reſtituere alteri, id, de quo dubitat, & eo ignoto pauperibus, p.252.n.5
In æquali dubio juris utriuſque partis, tenetur judex poſſidenti favere, nec ipſum poteſt cogere ut partem reſtituat: ſi neuter poſſideat, reſtituenda eſt res inter eos, de quibus dubitatur, cujuinam ſit, &c. ibid.n.6
Dubium aut quæſtio facti dicitur, quæ eſt circa facti, aut cujuſcunque operis naturam, conditionem aut modum. ibid. n.7
Factum in dubio non præſumitur, ſed demonſtrari debet. ib.
Ei incumbit probatio qui dicit, ſeu affirmat aliquid factum, non qui negat. ibid.
Factum in dubio præſumitur, ſi illud de jure faciendum erat. ibid.
In dubio num votum Deo feceris, vel homini aliquid promiſeris, non debes cenſeri obligatus; nam factum in dubio non præſumitur, ſed demonſtrari debet. ibid.
Si dubium ſit, num pubes fuerit adoleſcens, cùm religionem vovit, à patre, vel tutore votum irritari poteſt. ibid.
Regula, ex qua dignoſci valeat, quis poſſideat in dubio, hæc eſt: Quando non conſtat de veritate, ea pars, pro qua eſt præſumptio in foro externo, cenſebitur poſſidere, & prævalebit in utroque foro: quare ſi præſumptio fori externi ſtet pro obligatione, tenebitur voluntas: ſi autem ſtet pro voluntatis libertate, non tenebitur. ibid.n.8
Quando ſponſalia tranſibant in matrimonium per copulam habitam animo conjugali, ſi ſponſus dubius erat, an animo conjugali, an potius fornicario acceſſiſſet, ſtandum eſt in utroque foro præſumptioni fori externi præſumentis animum conjugalem. ibid.
Proles habita ex conjugata habitanti cum viro quamvis alterius concubina ſit, cenſetur in dubio habita ex viro, & legitima in utroque foro, niſi contrarium probetur. ibid.
Quando dubia eſt teſtatoris voluntas, ſervanda eſt in utroque foro præſumptio fori externi. ibid.
Dubium aliud eſt juris, & aliud facti. Dubium juris dicitur, quod eſt de obligatione, aut facultate legitima agendi, vel de legitimo actus valore, & dividitur in merè ſpeculativum, & practicum. ibid.n.9
Dubium facti dicitur, in quo dubitatur, utrum aliquid factum ſit, necne. Ex dubio facti plerumque oritur dubium juris; & ex dubio juris merè ſpeculativo ſæpè oritur dubium practicum. ibid.
Non eſt improbabile apud multos Doctores in dubio de juſtitia belli, poſſe militem bellare, ſive ſit ſubditus Principis bellum indicentis, ſive non: tamen communior ſententia admittit tantùm hoc de ſubdito, non autem de extraneo, qui non eſt ſubditus. p.253.n.10
Quando dubium eſt de legitima Prælati poteſtate, verbi gratia, an ſit legitimè electus, vel confirmatus, & nondum eſt in poſſeſſione ſuperioritatis, tunc licet ei non obedire, donec certò conſtet; ſecus ſi ſit in poſſeſſione ſuperioritatis. Opinio tamen aſſerens, quando dubitatur de legitimi Superioris poteſtate, non teneri ſubditum obedire, nec quando adſunt diverſæ opiniones probabiles, non eſt improbabilis. ibid.n.11
Qui dubius eſt, an votum emiſerit habens uſum rationis, quãdo dubium oritur ex deliberationis defectu, ob aliquam animi perturbationem, vel ob metum mortis ex morbo, aut ob iracundiæ calorem, tenetur ad votum. ib.n.12
Quando defectus deliberationis oritur ex tenera voventis ætate, & vovens ſeptennium expleverat tempore voti emiſſi, tunc obligare votum, quidam affirmant, alij negant probabiliter. ibid.
Quando dubitatur, an præceptum ſit derogatum alio præcepto, vel conſuetudine, vel ſit diſpenſatum, vel quando conſtat de lege, vel præcepto, dubium autem eſt, an in aliquo caſu ratione circumſtantiæ occurrentis eximatur quis ab obligatione illius, tenetur lege, vel præcepto; quia lex poſſidet. ib.n.13
In dubio non eſſe locum Epickeiæ, ſed ſervanda verba legis ut ſonant, probabiliter docent aliqui: ſed alij non minus probabiliter exiſtimant id eſſe verum, quando nulla neceſſitas operandi cum illo dubio adeſt, vel quando dubium eſt completè practicum; ſecus in dubio ſpeculativo & incompletè practico. ibid.n.14
Quando depoſitarius, vel commodatarius dubius eſt, an res ſit ſuâ culpâ amiſſa, non tenetur reſtituere: in foro tamen externo præſumetur in dolo, ſi res depoſitarij appareant incolumes, niſi contrarium probetur. p.254.n.15
Dubius an promiſerit ſolùm ingredi religionem, aut profiteri, non tenetur ex vi voti perſeverare in religione: item qui dubitat, an promiſerit omnimodam caſtitatem, an conjugalem ſolam, tenetur ad hanc, quæ minor eſt; quamvis aliqui contrarium ſentiant. ibid.n.16
In dubio, ſi quis caſtitatem & religionem voverit, & recordetur verborum prolatorum, judicãdam eſſe juxta communem illorum intellectum, quare ſi in eis expreſſa ſit caſtitas, & religio, abſolutè cenſebitur caſtitas promiſſa principaliter & independenter à religione. ibid.n.17
Si ſola religio expreſſa ſit, & dubitat vovens, an ſe quoque voluerit ad caſtitatem obligare, tunc tenetur ad id quod minus eſt, & cenſendus non obligatus ullo modo ad caſtitatem. ibid.

In dubio de valore voti, non cenſetur reſervatum. ibid.n.18
Quando dubitatur, an quis propoſitum ſolum aliquid faciendi habuerit, an potius votum ediderit, quatuor regulæ traduntur. ibid.n.19
Quando res determinata in ſingulari promittitur, at dubium oritur ex eo quod plures ejuſmodi res ſint, nec determinatur, quæ danda ſit, datur electio voventi, & ſi obierit ante voti executionem, hæredis erit electio. p.255. n.20
In dubio de valore matrimonij, probabilior ſententia aſſerit, ante diligentiam adhibitam ad aſſequendam veritatem teneri conjugem dubitantem debitum reddere, non tamen poſſe petere: ea tamen ſufficienter adhibitâ, poſſe petere, & reddere. ibid.n.21
Quando uterque conjux debitat de valore matrimonij bona fide à ſe contracti, illicitè petit, nec tenetur, nec poteſt aliter reddere, quando novit petentem eſſe dubium de valore matrimonij, & nondum abhibitam eſſe diligentiam ad illud dubium vincendum. ibid.n.22
Quando uterque conjux contraxit matrimonium dubius de morte prioris conjugis, neuter poteſt matrimonio uti, nec petendo, nec reddendo. ibid. n.23

E

Eccleſia.

ECcleſia eſt cœtus univerſalis hominum baptizatorum unâ fidei profeſſione, & Sacramentis ſenſibilibus Chriſto capiti adhærentium, & ſub vicarij Chriſti & legitimorum Paſtorum ordinato regimine militantium. p.256.n.1
Eccleſiæ proprietates fide credendæ ſunt quatuor; nimirum, quod ſit *Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica.* ibid.n.2
Eccleſia eſt nomen græcum, & latinè convocatio, ſicut Synagoga eſt hebraicum, latinè congregatio. p.257.n.3
Eccleſiæ nomen in Scriptura ſacra diverſis convocationibus, ſeu congregationibus tribuitur. ibid.n.4
Eccleſia Romana accipitur pro Eccleſia univerſali, & Catholica, & dicitur Romana ex eo, quod S. Petrus Eccleſiæ Caput, & Chriſti Vicarius ſuper univerſum gregem, Cathedram univerſalem Romæ fixerit, ſuiſque ibidem ſucceſſoribus reliquerit. ibid.n.5
In Eccleſia Dei tria Chriſtianorum genera aſſignari poſſunt: quidam ſunt veri Chriſtiani, non ſolo charactere Baptiſmali gaudentes, ſed veritatem fidei ſervantes: alij Chriſtiani quidem ſunt, quia baptizati, tamen ab unitate fidei, ut hæretici, vel unitate capitis, ut Schiſmatici, receſſerunt, vel ab Eccleſia reſciſi ſunt, ut excommunicati; alij ſunt Cathecumeni. ibid.n.6
Status generalis Chriſtianorum univerſalis Eccleſiæ dividitur in clericalem; in religioſum; in laicalem. ibid.
Eccleſia authoritatem ſupremam habet in terris. ibid.n.7
Eccleſia, cùm ſit ſancta, non poteſt errare, neque docere aliquid falſum in fide, neque in moribus aliquid injuſtum. p.258.n.8
Eccleſia, quæ errare non poteſt, & cujus doctrinæ infallibiliter adhærendum eſt, 1. eſt illa quæ dicitur formaliter, & verè Eccleſia, & eſt omnis populus fidelis per totum orbem maximè Deo unitus per charitatis amorem. 2. Concilium generale legitimè congregatum. 3. Eſt Eccleſia Romana, 4. Eſt Collegium Cardinalium cum ſuo capite, id eſt, Papa, ut eſt Caput Eccleſiæ. ibid.
Eccleſia viſibilis non poteſt deficere, & nomine Eccleſiæ intelligitur multitudo congregata, in qua ſint Prælati, & ſubditi. ibid.n.9
Eccleſiæ ſuæ Chriſtus Dominus non ſolùm dedit poteſtatem judicandi de dubijs in fide, ac religione, ſed & de omnium hominum vita, & moribus. ibid.n.10
Eccleſia judicat de Scripturæ ſacræ Libris, qui veri ſint, aut non veri: judicat quoque de verſionibus ejuſdem in alias linguas, quæ probæ ſint, quæve adulterinæ, judicat denique de interpretatione ejuſdem, quæ vera ſit, quæ falſa, abſurda, hæretica. ibid.n.11
Cùm nomine Eccleſiæ in Scripturis intelligatur etiam locus, ubi fideles conveniunt, qui aliàs Templum appellatur; proinde jure ſancitum eſt Canonico, ut nemo Eccleſiam ædificet antequam Epiſcopus Civitatis veniat, & ibidem Crucem figat, & publicè atrium deſignet. ibid.n.12
In erigendis Monaſterijs, & Eccleſijs regularium, præter licentiam Epiſcopi jure communi requiritur etiam authoritas Summi Pontificis: quamvis quidam arbitrentur, nunc ſufficere ſolam licentiam Diœceſanorum. p.259.n.13
Circa ædificationem novorum Monaſteriorum, ſeu Eccleſiarum regularium multæ religiones obtinuerunt à Sede Apoſtolica varia privilegia. ibid.n.14
Omnia privilegia, & conceſſiones erigendi novos conventus, & Monaſteria revocavit ſacra Congregatio, Gregorio XV. approbante, & novißimè Urbanus VIII. ibid.n.15
Modus hodie obſervandus ab Epiſcopis in concedenda licentia pro Monaſterijs novis ædificandis, deſumendus eſt ex Conſtitutionibus Clementis VIII. Gregorij XV. & Urbani VIII. quarum tenores ibi ponuntur. ibid. & ſeqq.
Licentia Ordinariorum non eſt neceſſaria, quando regulares ampliare volunt Monaſteria, quæ habent. ibid.
Eccleſia, ſeu Monaſterium, non poteſt mutari de uno loco in alium, ſine licentia ad minus Epiſcopi: ex privilegio autem Sixti V. conceſſo Benedictinis, hæc licentia non requiritur. ibid.
Bulla Clementis VIII. de non danda licentia mendicantibus ædificandi nova Monaſteria, comprehendit etiam hoſpitia, quando in ijs congregatur talis numerus religioſorum, qui indigeant ad victum quotidianum mendicare. ibid.
Epiſcopus non poteſt concedere licentiam ædificandi nova Monaſteria abſque cognitione cauſæ, & niſi ſervata forma Bullæ Clementis VIII. ibid.
Eccleſias conſecrare ſolus Epiſcopus de jure poteſt, qui debet eſſe proprius, non autem extraneus, niſi de licentia proprij. p.262.n.16.
Si Epiſcopus Diœceſanus à regularibus requiſitus, eorum Eccleſias conſecrare noluerit; quilibet alius Epiſcopus idipſum facere poterit. ibid.n.17
Eccleſia poteſt agere contra ſuum Prælatum, qui paſſus eſt res, & jura ejuſdem Eccleſiæ præſcribi. p.263.n.18
Prælati Eccleſiaſtici non tenentur rapientibus bona, & jura ſuarum Eccleſiarum per vim, aut imperium reſiſtere, vim vi repellendo, ibid.

Eccleſioſtici.

Eccleſiaſtici acquirunt dominium ſtipendiorum, quæ pro ſuis peculiaribus miniſterijs eis dantur, ut pro Miſſa, Concione, Sacramentorum adminiſtratione, &c. V. Dominium. p.233. n.9
Nullus Clericorum olim habuit in particulari dominium ullorum redituum in ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ deputatorum. ibid. n.10.

Emancipatio.

Emancipatio dicta eſt, quaſi à manu poſitio, vel traditio: ſicut mancipare, eſt manu capere, & in ſervitutem redigere, unde mancipium. Emancipare verò ex nomine ſignificat mancipium libertate donare: uſu tamen loquentium, emancipatio dicitur relaxatio patriæ poteſtatis coram judice competente, ex patris, & filij conſenſu facta, V. Filius. p.346 n.2.
Filius adoptivus, ſi à patre adoptante, necdum eſt legitimè emancipatus, ſuccedit cum filijs legitimis patris ſui legitimi, ac naturalis, eo mortuo: ſi autem emancipatus ſit a patre legitimo, non ſuccedit. ibid.
Emancipatio filij regulariter non fit ante annos pubertatis, licet antea fieri poſſit, jubente Principe, etiam filio non conſentiente. p.347 n.3.
Emancipare poteſt pater filium etiam abſentem, ſed conſentientem, ex mandato, vel indulto Principis. ibid.n.4.

Electio.

Subſtantialis forma electionis Prælatorum continetur in *cap. Quia propter. de elect.* ubi Textus adducitur. p.263.n.1
Ut electio per modum ſcrutinij facienda legitima ſit, debet fieri à majori parte legitimorum electorum, qui vocati debent eſſe ſimul collegialiter congregati in honeſto, & convenienti Monaſterij loco. ibid.
Verius eſt non eſſe de ſubſtantialibus ipſius electionis, ut præcedat auditio Miſſæ de Spiritu ſancto, ſed tantùm de ſolemnitate. p.264 n.2
Ad formam canonicæ electionis requiritur, ut ſingulorum electorum vota ſecretè exquirantur: quod dupliciter fieri poteſt, nempe viva voce, & per ſchedulam, in qua nomen eligendi ſcribatur. ibid.n.3
Olim ut electio valida eſſet, opus erat, non majorem tantummodò, ſed etiam ſaniorem ſuffragiorum partem habere: ſed poſt Conc. Tridentium valida reputabitur electio à majori ſuffragiorum numero facta; hæc autem major pars dicitur reſpectu, & in ordine ad totum capitulum. ibid.n.4
Poſtquam Prælatura vacaverit, electores tenentur, ceſſante legitimo impedimento intra tres menſes immediatè ſequentes ſucceſſorem eligere, aliàs electio devoluetur ad proximum Superiorem. ibid.n.5
Poſt electionem factam tenentur electores electionem præſentare electo, & petere ejus conſenſum intra octo dies, poſtquam commodè potuerint: electus verò intra menſem à præſentatione tenetur conſentire, alias privatus eſt jure electionis. ibid.
Electio fieri non debet antequam Prælati defuncti corpus ſepulturæ traditum ſit: ſi tamen contrarium fiat, valet electio. p.265.n.6
Promotus ad ſubdiaconatum ante legitimam ætatem ex privilegio, vel diſpenſatione, ad ſuffragia ferenda admitti debet: ſecus ſi ante ætatem illicitè, ac ſubreptitiè promotus fuerit. ibid.n.7

Digitized by Google

Eligendes in Prælatum regularem, debet esse expresse professus in eadem religione, in qua assumitur: in provisione tamen quæ fit per viam collationis, vel postulationis, sufficit professio tacita. ibid n.8

Ad Prælaturas quinam eligi non possint? ibid.n.9 10.& 11

Electio illius cassanda est, qui requisitus, antequam esset electus, electioni de se faciendæ consentit. ibid n.12

Electiones necessariò debent esse liberæ, & omnis electio metu cadente in constantem virum facta, est ipso jure nulla. p.266.n.13

Multis tamen modis potest restringi libertas electionis, dummodò maneat tanta, quanta est necessaria ad hoc, ut electio valeat, & nullatenus censeatur coacta. ibid.

Consuetudine induci potest, ut mortuo Prælato capitulum non prius ad electionem procedat, quàm Principi mors Prælati nuntietur, & petatur ab eo potestas eligendi. ibid. n.14

Consuetudo aliquarum Religionum, quibus cautum est, ut tantum prudentiores senes, & ætate provectiores, vocem habeant in capitulis, & in electionibus Superiorum, videtur esse contra jus, aut saltem est præter ipsum, neque illi conformis, & stultis inconvenientibus plena. ibid.

Electio, in qua unus electorum publicè, capitulo permittente, suffragium suum manifestat, nulla est: secus autem, si secretò alicui suam schedulam ostenderet. ibid.n.15

Electio per viam scrutinij celebrata irrita est, in qua omnes schedulæ post votorum numerationem, coram capitulo non cremantur. ibid.n.16

Electio valet, in qua quis per errorem, aut forsitan per malitiam misit in urnam schedulam albam, nec votum illius, qui hoc fecit, est computandum inter alia. ibid.n.17

Electio ad officia, & dignitates Ecclesiasticas ipso jure est nulla, quando in ea sors intervenit. ibid.n.18

Non licet suffragium dare per sortes in receptione novitij; est enim electio cæca. ibid.

Electiones de jure communi necessariò confirmandæ sunt à Superiore illius, qui est electus, & confirmatio plenum jus tribuit, in ijs, quæ sunt jurisdictionis. p.267.n.19

Electus ante confirmationem ingerens se administrationi directè, vel indirectè, ipso facto privatur omni jure, quod per electionem acquisierat. ibid.

Post electionem confirmatio est necessaria, tam ex parte confirmatoris, respectu cujus confirmatio est necessitatis, & debita, quàm ex parte electi, quatenus per electionem acquirit habitum administrationis, per confirmationem autem exercitium. ibid.n.20

Generales Ordinum fiatim ac sunt canonicè electi, intelliguntur per Sum. Pontificem confirmati: similiter Prælati locales, qui a Generali vel Provinciali providentur, non indigent confirmatione. ibid.

Quando electus est idoneus, debet sine dilatione confirmari, si non adsit aliquod legitimum impedimentum. ibid.n.21

Superior, electo invito, non potest ejus electionem confirmare: Religiosus tamen potest cogi ad acceptandum officium, dummodò non assignet causam rationalem. pag. 268. n.22

Compromissum non valet factum ab uno, nomine omnium, alijs præsentibus tacentibus, & non contradicentibus; debent enim omnes consentire. ibid.n 23

Quæ requirantur de essentia, & substantia electionis compromissariæ, sive factæ per compromissum. ibid.n.24

Quando compromissarius est unus solus, non potest seipsum eligere: quando autem sunt plures, & in forma compromissi habetur, ut compromissarij possint eligere unum ex seipsis, potest quis suffragari pro se, ut electionem de se ab alijs factam compleat. ibid.n.25

In electionibus non tenentur regulares servare apices electionis, sed sufficit, quod servetur formæ substantia, quæ præscribitur in illorum constitutionibus. ibidem, n.26

Eligi possunt Prælati regulares per viam postulationis, dummodo non obstent constitutiones approbatæ a Sede Apostolica. ibid.n.27

Per nominationem eligi possunt Prælati regulares, nisi ex peculiari aliquo statuto, aut ex legitima consuetudine id sit prohibitum. ibid.n.28

Electio Prælatorum regularium non potest fieri per fabas. p.269.n.29.

Regulares non possunt reprobare illum, quem jam concorditer elegerunt in Prælatum. ibid.n 30

Eligere non possunt regulares in Prælatum illum, qui alias fuit reprobatus ob vitium aliquod personale, si illud alias fuit probatum; secus si solum fuit præsumptum. ibidem, n.31

Eleëmosyna.

Qui dubitat, an proximus extremè indigeat, ex charitate tenetur veritatem indigentiæ indagare. p.269.n.1

Modus eleëmosynæ est, ut detur ex recta intentione, promptè, hilariter, humiliter, abundanter. ibid.n.2

Eleëmosynam dare ad superfluitatem recipientis, peccatum est, si superfluitas intendatur: si verò detur ut abundans det alijs eleëmosynam, est minus bonum. ibid.n.3

In communibus necessitatibus videtur longè laudabilius pluribus subvenire, etiamsi parum accipiant, quàm multum paucis dare. ibid.n.4

Qui levem eleëmosynam denegat pluribus pauperibus, quibus singulis tenebatur solùm sub venali tradere, peccat moraliter; quamvis multi excusentur ob inadvertentiam. p.270.n.5

Possumus, sed non tenemur, cibum illi præbere, qui damnatus est, ut fame pereat. ibid.n.6

Eleëmosyna facienda est pauperibus, sive justi sint, sive injusti, sive infideles, sive fideles, sive sint amici, sive inimici nisi sint inimici Reipublicæ contra quos geritur justum bellum. ibid.n.7

Magistratus, qui solos pauperes suos mendicare permittunt, & extraneos omnes a suis urbibus expellunt, non benefaciunt: exulari tamen possunt, si advenas excludant, ut pauperes domesticos ceteris præferant, &c. ibidem, numero 8

Eleëmosyna facienda est illis, qui patiuntur paupertatem involuntariam ex naturali, vel humano defectu proveniente: non autem illis necesse est facere, qui voluntariè, non voluntate virtutis, sed ignaviæ, & otiositatis, paupertatem patiuntur; nec illis, qui actu necessitatem patiuntur ex mera malitia, ut sunt avari. ibid n.9

Eleëmosynam distributor ex testamento, cui commissa est electio pauperum, non habet necesse eligere paupertiores, sed potest omnium pauperum generi distribuere, nec peccat qui unum pauperem alteri præferat; imò, si est pauper, potest sibi applicare, sicut alijs, quando aliter non constaret de mente testatoris. ibidem, numero 10

In communibus necessitatibus nullum datur præceptum dividendi eleëmosynam, etiamsi habuerint superflua, juxta communem Theologorum sententiam. Doctores tamen sancti illos damnant, & docent illos obligari sub præcepto. p.271.n.11

Superfluum magis invenitur in Ecclesiasticis personis, quàm in sæcularibus, quia inter hos difficile inveniuntur, qui superfluitatis convinci possint. ibid.

Emphyteusis.

Emphyteusis est vox græca, latinè idem est quod insitio, vel plantatio: agriculturæ enim præcipuæ partes sunt aratio, & plantatio, quibus fundus melior reddi potest: hinc qui rem in emphyteusim datam suscipit, ideo accipit, ut reddat eam meliorem. p.272.n.1

Emphyteuticus contractus differt à contractu locationis census, & emptionis. ibid.n 2

Emphyteusis alia est perpetua alia temporalis: alia est Ecclesiastica, alia profana, & sæcularis: alia est nova, alia vetus, & antiqua: denique alia est hæreditaria, alia non hæreditaria. ibid.n.3

In emphyteusim accipere possunt omnes illi, qui legitimè in judicio conveniri possunt, ut pensionem solvant, vel ut meliorem efficiant rem sibi in emphyteusim datam. ibid. n.4

Clerici, mulieres, pauperes, qui nimia potentia valent, curiales, milites, &c. in emphyteusim accipere non possunt. ibid,

Res solùm immobiles possunt in emphyteusim dari, quæ meliores, & fructuosiores reddi possunt. ibidem, numero 5

Res aliena non potest in emphyteusim dari à possessore malæ fidei: sed possessor bonæ fidei, licet non transferat dominium utile, tamen transfert jus præscribendi dominium illud. ibid.

Res Ecclesiæ pertinens ad mensam Episcopi, non possunt dari in emphyteusim absque consensu Papæ. ibid.

Ecclesia res suas in emphyteusim dari solitas, potest sine alia juris solemnitate, easdem emphyteucare, cum ad se revertentur: secùs si antea non fuerint in emphyteusim datæ. p.273.n.6

Pœna commissi dicitur illa, quâ quis res suas amittit ob certum crimen admissum: in emphyteusi autem tunc dicitur, quando emphyteuta non solvit pensionem. ibid. n.7

Inter feudum, emphyteusim, & libellum est differentia. ibid. n.8

Digitized by Google

Emphyteuta incidit in commiſſum, ſi res emphyteutica ſit magna, & penſio ſolvenda parva, ut unius ſolidi, vel nummi, & illa termino præfixo non ſolvatur. ibid.n.9
Emphyteuta cenſetur cecidiſſe ab emphyteuſi ab ea die, qua dominus directus oſtendit ſe ita velle; tamen non tenetur emphyteuta rem emphyteuticam à ſe abdicare, ante ſententiam judicis, niſi fuerit finitum tempus, in quo fuerat conceſſa. ibid.n.10
Emphyteuta ſolvens integram penſionem, quæ pro tota re emphyteutica conſtituta erat, cadit in commiſſum. p.274. n.11
Quando ſunt multi emphyteutæ, & omnes ſoluunt ſuas portiones, ſeu penſiones præter unum, omnes incidunt in commiſſum. ibid,n.12
Emphyteuta alicujus perſonæ particularis, qui intra triennium penſionem non ſolvit, non poteſt moram purgare ſolvendo, ne incidat in commiſſum, ſed ſtatim à ſuo jure cadit. ibid.n.13
Emphyteuta Eccleſiæ, qui biennio non ſolvit, poteſt ſuam moram purgare, ſi elapſo biennio citò ſatisfaciat Eccleſiæ. ibid.
Emphyteuta in mora eſſe intelligitur, etſamſi proprietarius penſionem non exigat; dies enim ſtatuta pro domino interpellat. ibid.
Emphyteuta non cadit in commiſſum, qui obtulit penſionem, quam dominus directus noluit acceptare, modò obtulerit opportuno loco & tempore. ibid.n.14
Emphyteuta qui non ſolvit penſionem ob impedimentum, vel ignorantiam emphyteuſis, in caducitatem non cadit. ibid.n.15
Dominus directus non ſibi præjudicat penſionem recipiendo, poſtquam emphyteuta fuit expulſus propter caducitatem; ſecus ſi recipiat penſionem reſpondentem tempori ſubſequenti caducitatem. ibid.n.16
Si res emphyteutica ſine culpa emphyteutæ ex toto pereat quoad ſubſtantiam abſque ſpe recuperationis, non tenetur ab eo puncto emphyteuta ſolvere penſionem. ibid n.17
Si non tota res emphyteutica pereat, ſed ſolùm quoad partem, non liberatur emphyteuta à penſione ſolvenda, ſi illa ſit parva, & ſolvebatur ob recognitionem magis domini directi, quam ut ſolvat fructus. ibid.
Si domus emphyteutica pereat, ita ut area ſolùm maneat, non tenetur emphyteuta domum reædificare, nec antiquam penſionem ſolvere; quod etjam habet locum in vinea, vel oliveto. ibid.
Quando res emphyteutica caſu fortuito ex toto perijt, & denuò cum lapidibus ejuſdem domus reparatur, penſio non debetur, niſi denuò in emphyteuſim detur. p.275.n.18
Si emphyteuſis in ipſa area domus, aut ſolo fundi, vel vineæ ſit conſtituta, tunc etjamſi domus, aut vinea deſtructa eſſet, deberetur penſio. ibid.
Emphyteutæ licet utile dominium, & meliorationes illius rei alteri donare, causâ mortis, vel legare domino non admonito: imò & donatione inter vivos, modò donatio fiat ſalvo jure domini, ei, in quem tranſire res emphyteutica poſſit. ibid.n.19
Quando emphyteuta in commiſſum incidit, amittit ea omnia, quibus rem emphyteuticam meliorem fecit, id eſt, meliramenta communia, ad quæ tenebatur; non autem inſolita, & magnæ æſtimationis, ſeu pretij. ibid n.20
Ex emphyteuſi oritur actio, quæ dicitur condictio ex lege, nimirum Zenonis Imperatoris. ibid,n.21
Inter bona emphyteutica, & allodialia eſt differentia; allodialia enim propriè dicuntur jura, ſive bona propria à nemine, niſi à ſolo Deo data & recognita: talia non ſunt bona emphyteutica, & feudalia quæ à domino rei emphyteuticæ, vel feudalis tanquam ſua recognoſcuntur. ib, n.22
Allaudium dicitur ager, fundus, ſive prædium ad poſſeſſorem pleno jure pertinens, cujus nomine nullum laudemium præſtatur, & debetur alteri. ibid.
Emphyteuſis tranſmitti, & transferri poteſt ad hæredes extraneos, quando in emphyteuſi ſimpliciter exprimuntur hæredes: ſecus ſi concedatur alicui, & filijs ejus hæredibus, uſque ad tertiam, vel quartam generationem, tunc non transfertur ad extraneos. ibid,n 23
Nomine filiorum expreſſo in emphyteutico inſtrumento, etjam feminæ comprehendi debent: conſuetudo tamen invaluit, ut non admittantur, niſi deficientibus maſculis. ibid.
Qui emphyteuſim accipit ſibi, & hæredibus ſuis, poteſt illam ad quem invenerit ſimum transferre, quando illa eſt hæreditaria; modò reliquis legitimam portionem relinquat. p.276.n.24
Emphyteuſis hæreditaria pro quibuſcunque hæredibus non poteſt transferri in perſonam potentiorem, magiſque privilegiatam, ut eſt Eccleſia, vel civitas. ibid.
Si emphyteuta religionem profiteatur Fratrum Minorum de obſervantia, & Capucinorum, emphyteuſis pertinet ad legitimos hæredes, nempe ad proximum conſanguineum, ſi hæreditaria eſt, & religioſus ante profeſſionem non depoſuit. ibid.n.25
Si emphyteuſis data eſt pro deſcendentibus, vel abſolutè, vel in certas generationes, in prædicto caſu pertinet ad eos, qui ſecundùm inveſtituram vocantur: ſi nullus adſit, revertitur ad proprietarium. ibid.
Si emphyteuta profiteatur religionem capacem bonorum immobilium, tranſit in Monaſterium, ſi emphyteuſis ſit hæreditaria; ſed Monaſterium ſuccedens nominare debet aliquem, cujus obitu emphyteuſis finiatur. ibid.
Si emphyteuſis non ſit hæreditaria, non tranſit in Monaſterium, ſed vivente religioſo emphyteutâ, commoditas pertinebit ad Monaſterium; ſed poſt vitam ipſius, ſuccedet, qui ex inveſtitura vocatur. ibid.
Si emphyteuſis alicui conceſſa eſſet pro ſe, & pro ſuis hæredibus, tranſiret tunc perpetuò, & irrevocabiliter in Monaſterium, modò ſit capax. ibid.
Quando emphyteuſis datur uſque in tertiam, vel quartam generationem, verius eſt, per ſe loquendo, ipſammet perſonam accipientem, non comprehendi in numero generationum. ibid.n.26
Cùm emphyteuſis datur alicui, ut eam habeat ſibi, & filijs ſuis ſimpliciter, nulla facta mentione hæredum, illa tranſmittitur ad ipſos filios, etſi fratris hæredes non ſint. ibid. n.27
Si dicatur, Do tibi emphyteuſim, ut eam habeas tibi, & filijs tuis hæredibus, tunc non tranſit ad filios, niſi ſimul hæredes etjam ſint. ibid.
In emphyteuſi, quam quis accipit pro ſe, & filijs, filius naturalis non ſuccedit, nec comprehenditur nomine filiorum, ſi illa ſit Eccleſiaſtica: ſi autem ſit ſæcularis, filij naturales comprehenduntur. ibid,n 28
Appellatione filiorum, in emphyteuſi ſæculari, veniunt etjam facti legitimi privilegio Principis: ſi autem emphyteuſis ſit Eccleſiaſtica, requiritur poteſtas Papæ habilitantis illos ad ſuccedendum in talibus bonis. ibid.
Emphyteuſis extinguitur, & finitur tribus modis. 1 ob culpam emphyteutæ. 2. lapſu temporis. 3. finita generatione emphyteutæ. p.277.n 29

Emptio, & Venditio.

Emptionis, & venditionis contractus à rerum permutationibus cœpit: unde emptio eſt juris gentium: gentes enim omnes & permutatione, & venditione, ut cœperant eſſe, uſæ ſunt, antequam jus ullum civile apud homines conderetur. p.278.n.1
Permutatio eſt triplex. 1. eſt rei cum re. 2. pretij cum pretio. 3. rei cum pretio. ibid.
Emptio, & permutatio in multis conveniunt & differunt. ibid. n.2
Nomine emptionis, vel venditionis juxta Canoniſtas comprehenditur etjam permutatio, ſi leges ſint juris communis: ſi autem ſint ſtatuta municipalia, non comprehenditur in materia odioſa. Juxta Legiſtas, nomine emptionis intelligitur etjam permutatio. ibidem, numero 3.
Emptio aut contrahitur purè, & ſimpliciter, aut ſub conditione: item emptio ſub conditione, aut contrahitur cum adjectione in diem, aut cum pacto legis commiſſoriæ, aut cum pacto retrovendendi, &c. ibidem, numero 4.
Quamvis regulariter negotiatio ſit Clericis interdicta, tamen ex circumſtantia paupertatis, vel neceſſitatis non eſt prohibita. ibid.
Non licet vendere, aut emere rem ultra dimidium juſti pretij, nec in foro conſcientiæ, nec in foro externo. p.279. n.5
Vendere rem ultra dimidium juſti pretij, non eſt vendere rem ultra duplum, ſed ultra ſeſquialteram, id eſt, ultra medietatem juſti pretij. ibid.
Titulo donationis poſſunt vendi res pretioſæ pluris, quàm valeant, ſi non habeant pretium legitimum, vel vulgare, & quæ magis pertinent ad vitæ ſplendorem, quam ad neceſſitatem. ibid.
Emptor dans pretium exceſſivum, cenſetur donare exceſſum, vel venditor vilius vendens condonare defectum pretij, modò quinque concurrant. ibid.n.6
Pretium vulgare ſecundùm uſum fori tres habet gradus, infimum, ſeu pium; medium ſeu moderatum; & ſupremum, ſive rigoroſum, & omnia hujuſmodi pretia ſunt juſta. ibid.
Ut liceat in contractu venditionis, ratione damni emergentis pretium majus recipere, quædam conditiones requiruntur. p.280.n.8
Qui vendit credito, poteſt paciſci de lucro ceſſante ex dilata ſolu-

ſolutione pritij, atque adeò vendere creditò rem pluris quàm valeat per ſe. ibid.n.9

Ut verè lucrum eſſet mercatori ob contractum venditionis credito pretio cum emptore tranſactum, quædam requiruntur. ibid.n.10

Licet cariùs vendere, aut vilius emere rem quàm per ſe valeat, ratione ignorantiæ invincibilis juſti pretij; cognoſcens tamen poſtea pretium verum, tenetur reſtituere exceſſum, niſi illum præſcripſerit. p.281.n.11

Non licet vendere rem creditò pluris quàm jam valeat, ex eo præcisè quod ſit talis ut communiter nequeat niſi ad terminum vendi, ceſſante alio peculiari venditoris intereſſe, aut gravamine aliunde proveniente. ibid,n.12

Illicitum eſt infra pretium infimum emere præcisè ratione anticipatæ ſolutionis: interdum tamen per accidens hoc fit licitum, ut ſi per illam anticipationem emptor patiatur damnum vel lucri jacturam, vel ſi eſſet periculum fraudis in venditore. ibid,n.13

Ratione peculiaris affectus, quo quis ſe privat, non poteſt quis rem ſuam cariùs vendere quàm per ſe valeat, ſi ſolùm imaginarius, vel nullo nixus fundamento conſentaneo rationi ſit; ſecus ſi verè & non fictè, ſit affectus. p.282.n.14

Datur aliquod juſtum pretium rerum, quæ in auctionibus venduntur, ultra quod aſcendere venditori non licet. ibid. num.15

Quando exceditur juſtum pretium in auctionibus ex contentione licitatorum, tunc probabile eſt venditorem non teneri ad reſtitutionem. ibid.

Quando mercator numquam merces ſuas expoſuit, ſed adduxit animo vendendi quando erunt cariores, non peccat contra juſtitiam, licet aliquantulum augeatur pretium aliqui non augendum, ſi rem ſuam expoſuiſſet; ſecus ſi enormiter, v.g. in duplum excreſcere inciperet pretium, niſi exponeretur. ibid.n.16

Si quis res ſuas ad forum detulerit venales exponendo, & deinde eas ſuppreſſerit donec pretium augeatur; non peccat contra juſtitiam, ſi ex ea ſuppreſſione non ſequatur major caritas, ſecus ſi ex ea ſequatur. ibid. n.17

Non videtur improbabile, eos, qui merces ſuas ſuppreſſerunt antè expoſitas, aut magnam vim congeſſerunt tritici, tota meſſe coëmpta, tantùm peccare contra charitatem & juſtitiam legalem, & adeò non teneri ad reſtitutionem. ibid.

Non eſt mos iniquus aliquorum vendendi, qui à Principe impetrant privilegium, ut ipſis ſolis liceat tale genus mercium importare aut vendere, ſi ſubſit juſta cauſa illius privilegij concedendi, & Princeps deſignet certum æquum pretium illarum mercium. ibid.n.18

In mercibus, quibus ut plurimum homines indigere ſolent, non videtur ita excuſabile tale privilegium mercatoribus concedere, etjamſi pretium moderatum aſſignetur. ibid.

Venditor poteſt res ſuas vendere pretio jam currenti, etjamſi ipſe ſciat & emptor ignoret pretij futuram decretionem. p.283.n.19

Qui per mendacium, fraudem ac dolum allicit emptores ad emendum, dicendo, pretium brevi augendum, peccat contra juſtitiam cum obligatione reſtituendi damnum inde illis ſubſecutum: ſed ſi uterque contrahentium id ignoret, licita erit venditio pretio currenti. ibid,n 20

Quia res juſtè vendi poteſt juxta communem uſum fori pro tempore vigentem, hìc adducuntur quidam caſus, in quibus venditor non tenetur emptorem monere de diminutione pretij, &c. ibid,n.21

Venditor interrogatus an ſuperventura ſit copia mercis & reſpondens non eſſe futuram, non peccat contra juſtitiam, nec ad reſtitutionem tenetur, ſi vendat pretio conſueto: ſecus ſi alius, cujus nihil intereſt, ſic mentiretur. ibid. num.22

Emptor poteſt etjam tempore abundantiæ tacere inopiam mercium, quam ſcit futuram, & emere illas pretio currente, ſine obligatione reſtitutionis. p.284.n.23

Quamvis emptor aut venditor regulariter non teneatur ex juſtitia aperire copiam vel inopiam futuram mercium; interdum tamen poteſt contingere, ut tam emptor, quàm venditor peccent contra charitatem. Ibid. Imò aliquando & contra juſtitiam. ibid.

Qui eſt ſervaturus ſuas merces in tempus futurum in quo ſolent illæ magis valere, poteſt eas majori pretio vendere, quàm de præſenti tempore contractus valent, modò concurrant quædam conditiones. ibid,n.24

Venditor, qui eſt ſervaturus triticum uſq; ad aliquod tempus, poteſt taxare pretium de præſenti, ſolvendum in futurum, dummodò uterque contrahentium ſe exponat æquali periculo damni vel commodi. ibid.n.25

Illicitum eſt merces non ſervandas in futurum cariùs vendi, quàm ſit pretium, quo æſtimantur tempore venditionis, ibid.n.26.

Quando contractus venditionis & emptionis celebrantur bonâ fide propter ignorantiam puræ negationis utriuſque partis de pretio, tunc contractus eſt validus; ſecus ſi adſit ignorantia pravæ diſpoſitionis. p.285.n.27

Emens merces citra dimidium juſti pretij, non facit fructus ſuos, ſi in emptione intervenit dolus & deceptio: non autem ſi liberè & bonâ fide fuerit factus contractus. ibid. num.28

Qui abſolutè aliquid ad vendendum accipit, nihil ſibi aſſignato pro mercede ſua, poteſt ſibi aliquid retinere pro ſuo labore, domino ſciente; ſi autem convenit de ſuo labore, nihil de pretio ſibi uſurpare poteſt. ibid.n.29

Qui pro certo pretio jam ſibi aſſignato aliquid vendendum accepit, puta decem, & ille vendit pro duodecim, ſi iſta duo ſint ultra rei pretium rigoroſum, aut lege taxatum, tenetur emptori illa reſtituere: ſi autem intra latitudinem juſti pretij contineantur, tenetur reſtituere domino rei. ibid.

Qui ſua induſtria & arte illud quod ſuſcepit vendendum, reddidit pretioſius, cùm ad hoc non obligaretur, & proinde illud plus vendidit, poteſt illud plus ſibi retinere; quia eſt fructus induſtriæ, non rei. ibid.

Si proxeneta rem illam ſibi emeret à domino pretio aſſignato & poſtea ſuo nomine pluris venderet, non peccaret, nec ad aliquam reſtitutionem tenetur. ibid.

Quando venditor ignorat valorem mercis, quam vendidit, quæ tamen eſt communiter cognita & habet res illa ſuum pretium in communi uſu fori, tunc emptor etiam non rogatus, non tenetur valorem illius rei venditori revelare. ibid,n.30

Si tam venditor, quàm emptor rei valorem ignorent; quia fortè putant eſſe aurichalcum quod eſt aurum, tunc ignorantia excuſabit quidem à peccato emptorem, non tamen à reſtitutione ſupplendi pretij, quamprimùm ſciverit rei valorem, vel contractum reſcindere. ibid.

Quando venditor ignorat virtutem rei quam vendit, nec communiter cognoſcitur etiam à peritis in illa arte; non tenetur emptor cognoſcens illam indicare venditori, ſed juſtè poteſt eam emere, exhibito pretio à peritis in illa arte taxato. ibid.

Venditori licet aliquando minuere menſuram mercium, puta vini vel olei, in caſu quo emptores nollent emere merces, quantum revera valent, aut quia factum eſt monopolium &c. modò quantitas quam tradit, juſtiſſimè valeat pretium emptoris. p.286.n.31

Venditor poteſt vinum aquâ miſcere ſi nimia eſſet vim caritas, & nemo eſſet qui vellet convenienti pretio emere, vendendo menſuram minùs, quæ revera cum aqua tantùm valeat, ſed hoc non ſemper licitum eſt. ibid.

Qui rebus ſuis præſtantibus ita miſcent viliores, ut non ſint minùs bonæ quàm quæ ab alijs venduntur, atque ita venduntillas communi pretio currente, vel etjam taxato per Rempub. peccant juxta aliquorum ſententiam, licet alij conentur eos excuſare. ibid.n.32

Contra juſtitiam peccant, qui triticum, ſive caſu, ſive arte madefactum vendunt pro ſicco: Item qui merces ita permixtas vendunt velut puras, &c. ibid.

Quando res venditur adjecto pacto redemptionis, pretium juſtè diminui poteſt uſque ad quartam partem, non citra. ibid.n.33

Venditor, qui rem vendidit cum pacto redemptionis, poteſt quandocumque voluerit redimere, etjam poſt triginta vel quadraginta annorum ſpatium, non obſtante jure præſcriptionis. ibid.

De ratione hujus contractus eſt, ut tantumdem pretij reddatur, quantum acceptum eſt, etjamſi tempore redemptionis res vendita plus vel minùs æſtimetur, quàm eo tempore quo eſt vendita: pactum tamen, ut venditor majori pretio redimat, poteſt aliquando eſſe licitum. pagin. 287. num.34

In hoc contractu poteſt apponi pactum, ut ſi venditor intra certum tempus non redemerit, res vendita remaneat irredimibilis, modò hoc fiat bonâ fide. ibid,n.35

Venditio perfecta cenſetur, quando res vendita emptori propriè vel fictè tradita eſt, & pretium eſt ſolutum, vel habita fides emptori, de pretio ſolvendo. ibid,n.36

Res empta alienâ pecuniâ tranſit in dominium emptoris, ſi nomine ſuo emat: exceptis tamen certis caſibus in jure & hìc expreſſis. ibid.n.37

Venditio reſcindenda eſt munere & officio judicis in octo caſibus. ibid.n.38

Qui vi aut fraude impediunt, ne merces ad civitatem confluant, ut ſuas cariùs vendant, tenentur ad reſtitutionem tum emptoribus, tum mercatoribus alijs. ibid.n.39

Qui abſque vi aut fraude impediunt alios, ne merces emant ab ijs, qui eas portant, ſed eas ſibi anticipatè emunt, ita ut alij poſtea cogantur eas cariùs emere de manibus ipſorum juxta communem ſententiam obligandi ſunt ad reſtitutionem: licet contrarium ſit etjam probabile. ibid.

Per

Per retractum gentilium, id eſt, per jus alicujus gentis, aut civitatis, ſtatuto vel conſuetudine datum, conceditur jus proximo venditoris conſanguineo intra annum & diem ad ſe revocàdi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo vel remotiore conſanguineo empta fuerit. ibid n 40

Negotiatio generatim ſumpta & ſecundùm ſuam intrinſecam rationem non eſt bona, nec mala, ſed indifferens, tamen ex circumſtantijs poteſt eſſe laudabilis & lucra. p 288.n.41

Negotiatio vitiatur ex parte rei, quæ venditur, quando, ſcilicet, venditur res, quæ non eſt vendibilis, ut Sacramenta, beneficia Eccleſiaſtica, &c. ibid.n 42

Homo liber non poteſt ab alio vendi: pater tamen poteſt filium vendere in neceſſitate famis: non autem mater, nec maritus uxorem. ibid.

Licet emere imagines, calices, &c. per infideles vel hæreticos ab Eccleſijs ſublatos, animo reddendi eos vel propriæ Eccleſiæ, vel alteri pro eodem pretio. ibid.

Qui vendit vel conficit rem ex ſe tendentem in malum uſum, ſive naturâ ſuâ tendat in illum, ſive ex ſuo modo & forma vel circumſtantia illud habeat, ut tendat in malum, peccat mortaliter. ibid.n.43

Qui vendit rem indifferentem eo animo ut homines ementes illa abutantur, vel cujus abuſus non toleratur à Republic. & vergit in damnum tertij, peccat mortaliter; ſecus autem ſi hæc non concurrant, etiamſi venditor intelligat emptorem re illa abuſurum ad peccatum mortale. ibid.

Negotiatio redditur illicita ex parte perſonæ negotiantis, ut ſi ſit clericus in ſacris conſtitutus, vel beneficiarius, vel Monachus, extra caſum neceſſitatis propriæ. p.289 n.44

Clericus negotiator non ſolùm peccat mortaliter, ſed amittit etiam exemptionem gabellarum, quantum ad ipſas res, quas occaſione negotiationis vendit. ibid.

Negotiatio poteſt eſſe illicita ex parte emptoris ſeu perſonæ cui res venditur, juxta quorumdam ſententiam; ſed in noſtra hæc non eſt illicita, modò adſit cauſa rationabilis vendendi tali perſonæ, qualis eſt neceſſitas vel utilitas aliqua proportionata qualitati peccati, vel evitatio gravis damni, &c. ibid.n.45

Ex parte loci redditur vitioſa negotiatio, ſi fiat in Eccleſia aut cœmeterio, vel adductis rebus ipſis, quæ venduntur & emuntur in locum ſacrum, vel illis non adductis, ſed ſolùm verbis aut ſcriptis contrahendo, utraque negotiatio ab Eccleſia prohibetur. ibid.n.46

Culpa venali poſſet vacare, vendere in Eccleſijs candelas & modica alia ad divinum cultum pertinentia ſine ſtrepitu, & ferè cum nulla negotiatione; melius tamen eſſet, ut hæc habeantur extra Eccleſiam. ibid.

Peccatum negotiationis in Eccleſia, aſportatis in eam tanquam in forum publicum, rebus ipſis venalibus, eſt ſacrilegium mortale contra virtutem Religionis. ibid.

Ex parte temporis fit negotiatio illicita & vitioſa, ut ſi in diebus feſtivis fiat: habet tamen in his magnam vim conſuetudo introducta, Prælatis videntibus & conſentientibus. ibid.n.47

Negotiatio redditur illicita ex modo; puta, ſi mendacia, perjuria alia vè peccata admiſceantur, ſed hæc vitia potiùs ſunt negotiantis, quam negotij; ſi extraneis pluris vendatur res, quàm naturalibus, quando venditores excedunt latitudinem juſti pretij. p.290.n.48

Ex monopolio redditur negotiatio illicita; quia Reip. perniciosa ſunt hujuſmodi monopolia. Ex quo fit, quod qui non exercent monopolium, non poſſit juſtè ſuas merces vendere pretio illo, quod per monopolium crevit, juxta probabiliorem ſententiam. ibid.n.49

Ex parte finis negotiatio illicita redditur, ut ſi non ad debitum finem ordinetur, qui eſt neceſſitas vel utilitas: proinde qui ita affectat lucrum, ut in eo conſtituat ultimum finem negligendo ejus cauſa, Dei & Eccleſiæ præcepta, peccat mortaliter. ibid.n.50

Quando per venditionem facta eſt alienatio bonorum in fraudem creditorum, ita ut non remaneant ſufficientia bona ad ſolvenda debita, ſi emptor conſcius fraudis fuit, datur creditoribus actio reſciſſoria intra annum à die quo ſciverit alienationem factam, aduerſus eum, ut acceptum reſtituat. ibid.n.51

Multa intelliguntur vendi ſimul cum venditione rei, & caſus hic exprimuntur. ibid.n.52

Venditio ad corpus dicitur, quando fit ſimul mentio rei & quantitatis ibus tanquam ſigni & demonſtrationis. Venditio autem ad menſuram eſt, quando exprimitur quantitas rei, non tanquam demonſtratio, ſed tanquam reſtrictio venditionis. p 291.n 53

Quando venditio eſt ad corpus, res tota cenſetur vendita, etiamſi reperiatur menſuram eſſe majorem: quando autem eſt ad menſuram, ſolum cenſetur quoad illam quantitatem: ſi tamen reperiretur majoris quantitatis, augendum, eſſet pretium, &c. ibid.

Epikeia.

Probabile eſt, in dubijs non eſſe locum Epikeiæ, ſed ſervanda eſſe verba legis, ut ſonant: Epikeia enim cùm ſit virtus, non debet injuſtè poſſeſſorem ſua poſſeſſione ſpoliare; lex autem in dubijs poſſidet: unde in hoc caſu, juxta hanc ſententiam, recurrendum eſt ad Superiorem, ut declaret, ſi voluerit ad illud caſum legem ſuam extendere, v. Dubium. p.251.n.14

Probabile etiam eſt prædictam ſententiam eſſe exponendam, quando nulla eſt neceſſitas operandi cum illo dubio, vel quando dubium eſt completè practicum & ſtrictè ſumptum, ſecus in dubio ſpeculativo & incompletè practico: æquitas enim & Epikeia ſuadet temperandum legis rigorem in dubio, juxta præſumptam intentionem legiſlatoris. ibid.

Vide v. Lex II. p.498. *n.26.27.* & p.499.n.30.

Epiſcopus.

Apud Ethnicos & Jureconſultos, qui dicti ſint Epiſcopi? In Eccleſia autem Dei, Epiſcopus eſt homo clericus, ad munus dignitatemque Epiſcopalem legitimè electus, confirmatus & conſecratus. p.292.n.1

Status Epiſcoporum perfectior eſt ſtatu religioſorum. ibid. n.2

Eligendus in Epiſcopum debet eſſe *irreprehenſibilis*, id eſt, non habeat vitium vel crimen foris notum, quod ſit objectum juſtæ reprehenſionis. ibid.n.3

Vt ſit unius uxoris vir, non bigamus, qui plures uxores habuerit, aut viduam vel corruptam ab alio duxerit. ibidem num.4

Epiſcopus debet eſſe caſtus, pudicus, ſobrius & non violentus. ibid.n.5

Item debet eſſe prudens, Doctor, & potens exhortari in doctrina ſana. p.293.n.6

Promovendus ad Epiſcopatum, juxta Concil. Trident. debet eſſe Magiſter vel Licentiatus in Theologia vel in jure Canonico: & ſi regularis fuerit, debet à Superioribus ſuis teſtimonium habere hujuſmodi ſcientiæ & doctrinæ, ibidem.

Epiſcopus non tenetur ad prædicationem prout dictionem eloquentem & methodicam ex cathedra dicit; ſufficit ſi doctrinaliter & reſolutorè credenda, agenda, cavenda intimare poſſit. ibid.n.7

Epiſcopus tenetur prædicatores & Catechiſtas adhibere ad edocendam plebem. ibid.

Epiſcopus juxta Apoſtolum, non debet eſſe jracundus, non percuſſor, non ſuperbus, non litigioſus, ſed modeſtus, benignus, ſanctus &c. ibid.n.8

Epiſcopus non debet eſſe *cupidus*, id eſt, amator pecuniarum. ibid.n.9

Epiſcopus debet eſſe *ornatus*, nempe ornatu duplici; interiori quantùm ad virtutes; & exteriori, quantùm ad bonos mores. ibid n.10

Epiſcopus debet *juſtus* eſſe. Proinde obligatur ad juſtitiam diſtributivam, commutativam & judicialem. ibid.n.11

Epiſcopus non debet eſſe *Neophytus*, id eſt, noviter renatus, noviter converſus, nuper catechumenus. ibidem num 12

In electione Epiſcopi obſervanda ſunt ea, quæ communia ſunt in electione Prælatorum. ibid.n.13

In Galliæ & Hiſpaniæ regnis, jus nominandi Prælatos ad Eccleſias Cathedrales, Metropolitanas, ad Abbatias & Prioratus, Conventuales electivos, &c. habent Reges ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ, ibid.

Cum primum Eccleſia vacaverit, juxta Concil. Lateran. electio debet fieri intra tres menſes à die vacantis Eccleſiæ; nam poſtmodum facta ab electoribus, eſt invalida, niſi legitimè impediti fuerint. p.294.n.14

Ex Conc. Trident. de ſufficientia electi in Epiſcopum haberi debet examen vel inquiſitio, & in publicum inſtrumentum redigi cum toto teſtimonio, ac profeſſione fidei facta ab electo, quam primùm ad Romanum Pontificem mitti pro confirmatione. ibid.n 15

Epiſcopus excellentior eſt Presbytero: unde contrarium aſſerere, eſt hæreſis damnata in Concilio Tridentino, ibid. num.16

Epiſcoporum dignitas in Eccleſia Dei eſt quadripartita: quidam enim præeſt toti Eccleſiæ, vt eſt ſolus Romanus Pontifex. Alij varijs præſunt Provincijs & Regnis, dicti Patriarchæ ſeu Primates. Alij Metropolitanis civitatibus præſunt, & vocantur Archiepiſcopi. Alij denique uni civitati principaliori & oppidis circumvicinis præſunt, & dicuntur Epiſcopi. ibid.n.17

Inter hos Epiſcoporum gradus non eſt alia differentia, quam juriſdictionis latioris: Ordinis enim dignitate ſunt pares, ibidem.

Epiſcopus ex vi & natura Epiſcopatus tenetur ſub peccato mortali providere, ut per ſe vel per idoneos miniſtros plebs ſua inſtruatur in neceſſarijs ad ſalutem, juxta uniuſcujuſque vocationem. ibid.n.18

Epiſcopus ad multa tenetur ex Concilio Tridentino circa curam animarum. p.295.n.19.

Epiſcopi tenentur ſub peccato mortali & reſtitutione damnorum ſpiritualium, ſi quæ ſequantur, inſtituere Paſtores & Miniſtros magis idoneos curam animarum habentes, ad eruiendam plebem in fide & doctrina ſana, &c. ibid.n.20

Ad Epiſcopum pertinent dijudicandæ lites de beneficijs, cauſæ criminales clericorum, cauſæ matrimoniales, &c. ibid. n.21

Epiſcopus eſt manutenendus in quaſi poſſeſſione cognoſcendi cauſas matrimoniales dictas & criminales ex ſola juris aſſiſtentia, contra inferiores. ibid.n.22

Epiſcopus non poteſt viſitare hoſpitale, ſi fundator in fundatione ipſum excluſit à viſitatione: nec etjam hoſpitalia, quæ exiſtunt ſub protectione Regum. ibid.n.23

In multis regulares etjam exempti ſubduntur Epiſcopis, partim de jure communi, partim ex Tridentino: nempe quoad editionem librorum ſacrorum : quoad lectionem Sacræ Scripturæ habendam in Monaſterijs: quoad prædicationem verbi Dei & quoad Parochos vel alios curam animarum ſæcularium habentes. ibid.n.24

Regularis extra Monaſterium degens, ſi delictum commiſerit, ab Epiſcopo loci, juxta Tridentinum, tanquam à Sede Apoſtolica delegato, viſitari, ac corrigi poteſt. p.296.n.25

Clerici ſæculares vel regulares extra Monaſterium degentes etjan exempti, coram locorum ordinarijs conveniri poſſunt in cauſis civilibus mercedum & miſerabilium perſonarum, & cogi ad ſolvendum debitum. ibid.

Cenſentur regulares extra Monaſteria degere, dum non vivunt ſub Superiore conventualiter, &c. ibid.

Miſerabiles perſonæ, de quibus in decreto Concilij fit mentio, intelliguntur omnes illi, quibus naturâ movemur ad miſerandum, ut ſunt viduæ, pauperes, orphani, peregini, puellæ, &c. ibid.

Regularis exemptus Ordines ſuſcipere debet à proprio Epiſcopo : item quoad pœnitentiæ Sacramentum miniſtrandum ſæcularibus, debet approbari ab Epiſcopis : item in ædificando Monaſterio ſive Eccleſia, debet licentia Epiſcopi obtineri ; item in coleudis feſtis exempti ſubjacent Epiſcopis, &c. ibid.n.26

Exempti omnes cogi poſſunt à locorum ordinarijs ad proceſſiones publicas accedere exceptis quibuſdam : item Novitij omnes ſubjacent Epiſcopo, quoad renunciationes bonorum faciendas. ibid.n.27

Religioſi exempti ultimarum voluntatum executores conſtituti, cogi poſſunt à locorum Ordinarijs ad reddendam rationem: item in cauſa hæreſis Epiſcopis ſubſunt. ibid.n.28

Regulares omnes coram Epiſcopis reconveniri poſſunt, quoties illi aut ipſorum Monaſteria coram illis conveniunt, aliàs non. ibid.

Epiſcopi & Inquiſitores procedere poſſunt contra regulares aſſerentes in publicis concionibus B.M.Virginem eſſe conceptam in peccato originali. p.297 n.29

Epiſcopis ſubduntur exempti in cauſis matrimonialibus, niſi habeant juriſdictionem privativè ad Epiſcopos. ibid.

Epiſcopus cognoſcit contra exemptos in omnibus criminibus, quæ requirunt actualem ſeu plenam degradationem. ibid, n.30

Epiſcopus regularis tranſiens ad aliam Eccleſiam, non poteſt juxta quoſdam ſecum deferre acquiſita ex redditibus prioris Eccleſiæ ; ſed hæc ſententia merito ab alijs exiſtimatur nimis rigoroſa. ibid.n.31

Verius eſt bona regularium Epiſcoporum Titularium pertinere ad Pontificem : ſicut & bona Epiſcoporum regularium qui dimiſerunt Epiſcopatum, & ad nullum alium tranſlati ſunt. ibid.n.32

Probabilius eſt regularem factum Epiſcopum, tunc definere acquirere Monaſterio, quando a Pontifice confirmatur Epiſcopus. ibid.n.33

In Epiſcopo regulari ceſſare ſpecialia vota Religionis, ſi ſint compoſſibilia cum ſtatu Epiſcopali, alij negant, alij affirmant forte probabilius. p.298 n.34

Probabile eſt, religioſos Sanctæ Mariæ de Mercede aſſumptos ad Epiſcopatum non amplius obligari voto de redimendis captivis: ſicut nec Fratres Minimos teneri voto quadrageſimalis vitæ. ibid.n.35

Probabile item eſt, votum ſolemne Patrum Societatis Jeſu, quo ſe obligant obedire Pontifici circa Miſſiones, non remanere in Epiſcopis aſſumptis ex eadem Societate : ſicut nec alia vota ſimplicia emitti ſolita vi conſtitutionum ejuſdem ſocietatis. ibid.n.36

Epiſcopus regularis depoſito Epiſcopatu manet adhuc exemptus à regula & votis, nec tenetur ad monaſterium redire quod idem locum habet in Epiſcopo, qui ob demeritum deponitur. ibid.n.37

Epiſcopus regularis degradatus non remanet exemptus à votis; cùm per degradationem auferatur etjam hujuſmodi exemptio: licet aliqui contrarium ſentiant. p.299.n.38

Regularis factus Epiſcopus, tunc eximitur ab obedientia Prælatorum religionis, & ab obligatione votorum, quando primò a Pontifice confirmatur. ibid.n.39

Qui emiſit votum religionis, non poteſt acceptare Epiſcopatum, antequam adimpleat votum: quamvis oppoſita ſententia ſit etjam probabilis. ibid, n.40

Epiſcopi non poſſunt vovere renunciare Epiſcopatui, aut religionem ingredi, inconſulto Romano Pontifice, ibid.n.41

Epiſcopus vovens longam peregrinationem, validum eſt ejus votum : quando tamen judicaretur majus Dei obſequium reſidere, tunc irritum eſſet id votum. ibid.n.42

Quando votum Epiſcoporum eſt modicæ peregrinationis, vel precum, vel abſtinentiarum, quæ munus exequi non impediunt, eſt obligatorium nullâ Pontificis expectatâ licentiâ. ibid.n.43

Error.

Quando erratur in nomine perſonæ, non cenſetur diſpenſatio ſubreptitia; error enim nominis proprij quando conſtat de corpore, non vitiat reſcriptum, v.Diſpenſatio, p 225. n.33.

Quando erratur in nomine Diœceſis, probabilius eſt diſpenſationem non eſſe ſubreptitiam. ibid.n 34.

An matrimonium ſit validum, quando ſponſi, ſive alter ſponſus in actu contrahendi ſub falſo errore exiſtimabat ſubeſſe aliquod impedimentum dirimens, quod verè non ſuberat ? Probabilis ſententia negat, ſed probabilior affirmat, ſi contrahentes intendant contrahere quantum in ipſis eſt, verb. Matrimonium 2. pag.526. n.1.

Matrimonium contractum cum errore qualitatis perſonæ propter dolum eſt validum : ſecus quando quis exiſtimat ducere in uxorem talem determinatam perſonam, ſed per errorem, ſive dolum contrahit cum alia; matrimonium non valet; quando autem error eſt ſolùm de nomine, & non de perſona, valet, cum conſtet de corpore. pag.528. n.7.

Quando quis errore ductus, aliquid tanquam debitum ſolvit, quod nullo modo erat debitum neque civiliter, neque naturaliter, conceditur illi actio ad illud repetendum. v.Solutio. p.798.n.10.

Quando aliquid debetur ſub conditione pendente in futurum, quæ poſſit eſſe & non eſſe, ſi per errorem ante conditionem expletam ſolvatur, repeti poteſt tanquam ſolutum per errorem. ibid.p.799 n.12.

Euchariſtia.

Hæretici noſtri temporis malè vocant hoc Sacramentum Euchariſtiæ Cœnam Dominicam. p.300.n.1

Panis & vinum non ſunt Sacramentum Euchariſtiæ, neque de eſſentia Sacramenti ibid.n 2

Verba conſecrationis phyſicè ſunt forma efficiens hoc Sacramentum, & moraliter ſunt de intrinſeca ratione ipſius, ibidem.

Sumptio Euchariſtiæ non eſt Sacramentum. ibid.

Species panis & vini per ſe non ſunt Sacramentum, ſicut nec corpus Chriſti per ſe. ibid.

Euchariſtiæ Sacramentum intrinſecè & eſſentialiter conſtituitur ex ſpeciebus panis & vini, & corpore ac ſanguine Domini. p.301 n.2

Euchariſtiæ ſumptio neque eſt neceſſaria, neque per ſe inſtituta ad primam gratiam conferendam. p.301.n.3

Euchariſtia non eſt parvulis neceſſaria, neque in re, neque in voto, niſi impropriè dicto. ibid n.4

Euchariſtiæ realis ſuſceptio non eſt adultis neceſſaria ad perſeverandum in gratia, ſeu ad gloriam obtinendam, imò ne in voto quidem : quamvis hoc Sacramentum ſit medium valde efficax & quaſi moraliter neceſſarium ad perſeverantiam finalem. ibid.n.5

In Euchariſtia Chriſtus realiter eſt præſens; & eſt veritas fidei certiſſima. ibid.n.6

Poſt conſecrationem in hoc Sacramento Euchariſtiæ neque ſubſtantia panis manet, nec ulla ejus pars, aut modus ſubſtantialis; contra hæreticos. p 302.n.7

De fide eſt, in hoc Sacramento intervenire tranſſubſtantionem, hoc eſt, quòd tota ſubſtantia panis convertatur in corpus Chriſti & tota ſubſtantia vini in ſanguinem, ita ut nihil ejus remaneat. ibid.n.8

Fide etjam tenendum eſt, ſubſtantiam panis non uniri in Euchariſtia hypoſtaticè verbo divino, aut Corpori Chriſti, ibid.n.9

De fide eſt totum Chriſtum eſſe ſub qualibet particula ſpecierum panis & vini; ſaltem poſt fractionem, ſeu diviſionem ipſarum. p.303.n.10

Quam-

Digitized by Google

Quamvis certum ſit, totum Chriſtum eſſe ſub quavis particula ſpecierum quantumvis exigua ante diviſionem, non eſt tamen de fide; licet contrarium cenſendum ſit temerarium & errori proximum. ibid.

In Euchariſtia eſt tota quantitas ſeu moles corporis Chriſti, ſed modo indiviſibili, ſic ut Sacramentalibus ſpeciebus non coextendatur; ſed tota ſit ſub ſingulis partibus earum, ſive hæc moles ſit quid diſtinctum à re quanta, ſive non. ib.n.11

Quamvis Chriſtus ſecundùm ſuam ſubſtantiam & accidentia ſit in tota & qualibet parte ſpecierum, in qua erat ſubſtantia panis; non tamen poſſunt de ipſo verificari ea, quæ dicuntur de ſubſtantia panis. ibid.n.12

Prædicata, quæ ſunt propria abſoluta ſpecierum, non prædicantur de Corpore Chriſti. ibid.

Prædicata, quæ oſtendunt actionem & paſſionem ſpecierum, non poſſunt verificari de Chriſti corpore, ſecundùm proprium loquendi modum. ibid.

Dupliciter dicitur eſſe aliquid in hoc Sacramento: Primò, *ex vi verborum*, ſeu ex vi Sacramenti: ſic ſub ſpecie panis eſt ſolum corpus, non autem ſanguis: ſub ſpecie vini eſt tantùm ſanguis; Secundò, *concomitanter*, ſcilicet id, quod neceſſariam connexionem habet cum corpore vel ſanguine: ſic ſub ſpecie panis eſt ſanguis, anima, & Divinitas, &c. p.304.n.13

Divinitas ſeu verbum Divinum eſt in Euchariſtia per concomitantiam, non ex vi verborum: imò Pater & Spiritus ſanctus eſt in hoc Sacramento concomitanter, ſed concomitantiâ mediatâ. ibid.n.14

Accidentia manent ſine ſubjecto in hoc Sacramento: quantitas autem eſt ſine ſubjecto miraculoſè à Deo ſubſtentata: aliæ verò qualitates, ut albedo, caliditas, frigiditas & aliæ ſimiles ſunt in quantitate ſine miraculo, & ſine ſpeciali Dei concurſu. ibid.n.15

Quando fiunt apparitiones miraculoſæ in hoſtia, & in ſpeciebus manent accidentia neceſſaria ad conſervationem ſubſtantiæ panis aut vini, manet ſub iis corpus Chriſti: ſtatim autem atque hæc corrupta ſunt, deſinit ibi eſſe Corpus Chriſti. p.305 n.16

Quando hoſtia videtur verſa in carnem, vel ſpecies vini in ſanguinem, & illa mutatio eſt perpetua, non convenit illud Sacramentum ita mutatum ſumi, ſed melius eſt, ut ad fidelium conſolationem, & Chriſti laudem conſervetur. ibid.

Quando temporaria tantùm eſt mutatio, expectandum eſt dum Sacramentum recipiat propriam ſpeciem, & tunc ſumendum: ſi autem ſit perpetua, neceſſariò conſecranda eſt nova materia, ut ſumi poſſit: licet quidam dicant non eſſe id neceſſarium. ibid.

Speciebus Sacramentalibus poſſunt miſceri alij liquores, ſed iſti liquores propriè non miſcentur ſanguini Chriſti. ibid. n.17

Quando per admiſtionem alicujus liquoris ſpecie diſtincti, corrumpuntur ſpecies vini, tunc deſinet eſſe Sanguis Chriſti. ibid.

Quando poſitâ tali mixtione ſubſtantiâ vini ſub ſpeciebus adhuc remaneret, non deſinet ibi eſſe ſanguis ſub ſpeciebus. ibidem.

Quando ſpecies vini miſcentur ita cum vino alterius ſpecici, ut nova ſubſtantia producatur, ſive vinum album ſpecie differat à nigro, ſive non, Sanguis Chriſti ibi deſinet eſſe. p.306.n.17

Si liquor infuſus in Calicem ſanctum, vincatur à ſpeciebus Sacramentalibus, non vertetur in Sanguinem Domini, ſed vertetur in ſubſtantiam vini. ibid.

Si gutta ſpecierum vini conſecratarum immiſſa ſit in dolium vini ejuſdem ſpeciei, hujuſmodi vinum ſervandum eſt ad pios uſus, non tamen eſt conſecratum. ibid.

Evictio.

Si res aliena bonâ alicujus fide locata, poſtea evicta ſit, debet locator petere à domino rei, ut conductorem eadem penſione, re frui ſinat: ſi nolit, tenetur conductori aliam rem non minus commodam præſtare, ſi poſſit; alioquin de penſione remittere cogitur, v. Locatio. p.502 n.12.

Si culpa vel dolo locatoris, res locata evicta fuerit, aliudvè impedimentum acciderit, quominus conductor ea uti frui poſſerit; ille omninò præſtare cogitur, quanti hujus intereſt. ibid.

Ex emptione & permutatione præſtatur evictio, v. Emptio. p.278 n.2.

EXCOMMUNICATIO.

Quoad poteſtatem ferendi excommunicationem pro contumacia: & quando illa incurratur.

Excommunicationis umbra quædam & veſtigium fuit in ſtatu legis naturæ & apud Gentiles, maximè apud Romanos, propria tamen excommunicationis ratio & vis non fuit apud Gentiles & Judæos; ſed hanc poteſtatem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ tradidit. p.306.n.1

Prælati Eccleſiarum ab ipſis Apoſtolorum temporibus, pro occaſione oblata, excommunicatione uſi ſunt. ibid.n.2

Poteſtas excommunicandi eſt de jure divino à Chriſto, Eccleſiæ data: modus autem & forma excommunicandi, eſt de jure humano. p.307.n.3

Poteſtas ferendi cenſuram excommunicationis, ut reſidet in Summo Pontifice, divina eſt; ut eſt autem in alijs Prælatis Eccleſiæ, eſt etjam ſuo modo divina, ſed mediante homine & dependenter ab illo accepta. ibid.n.4

Inſtitutio excommunicationis & aliarum cenſurarum eſt de humano jure, ſicut & impoſitio excommunicationis huic vel illi delicto, & inflictio ejus in hanc vel illam perſonam delinquentem. ibid.n.5

Excommunicatio major dividitur in juſtam & injuſtam: ad juſtitiam autem excommunicationis requiruntur tria: Primò, ut ſit cauſa juſta propter quam feratur: Secundò, ut debito modo feratur: Tertiò, ut animo recto à proprio judice feratur: & deficiente aliquo horum dicitur injuſta. ibid.n.6

Excommunicandi poteſtas non ad poteſtatem ordinis, ſed ad poteſtatem juriſdictionis ſpiritualis & Eccleſiaſticæ fori judicialis exterioris pertinet. ibid.n.7

Clericus non Sacerdos habens juriſdictionem Eccleſiaſticam fori contentioſi poteſt excommunicationem ferre & ab ea abſolvere, modò ſine ſolemnitate fiat abſolutio aut excommunicatio, puta cum precibus & cæremonijs, &c. ibidem.

Epiſcopus electus & confirmatus; item Abbas electus & confirmatus: Vicarij Generales Epiſcoporum, etjamſi non ſint Sacerdotes, hi omnes poſſunt excommunicare, modò clerici ſint. p.308.n.7

Clericus conjugatus; femina, laicus & qui non eſt baptizatus, excommunicare non poſſunt; niſi ex commiſſione Papæ. ibidem.

Excommunicatio lata ab occulto excommunicato & tolerato valida eſt, ſi alias illi hoc ex officio publico incumbat, ſecus autem dicendum eſt de excommunicato non tolerato, ſed vitando ſeu denunciato, aut notorio clerici percuſſore. p.308.n.8

Poteſtas excommunicandi, cùm ſit actus juriſdictionis, multis modis hæc juriſdictio acquiritur: Primò, Electione ad aliquam Prælaturam, cui annexa eſt juriſdictio ſpiritualis in foro contentioſo: Secundò, delegatione Superioris: Tertiò, præſcriptione: Quartò, conſuetudine: Quintò, privilegio: Sextò, ratione delicti in ſuo territorio commiſſi, ſed non ſemper: Septimò, Subjectione facta de licentia Superioris. ibid.n.9

Univerſitas, Collegium, Capitulum, Conventus collective ſimul excommunicari non poteſt; ſed tantùm ſinguli de communitate, qui culpabiles fuerint. p.309.n.10

Si communitas à Papa excommunicetur, ſententia erit valida, ſed hæc non afficiet univerſos, niſi omnes culpabiles ſint; ſolum ergo cadet ſuper ſingulos, qui ſunt culpabiles. ibid.

Modus excommunicandi, ut non ligentur ea excommunicatione innocentes, talis eſſe poteſt, *Excommunico hos aut illos de univerſitate qui in culpa ſunt.* ibid.

Excommunicari non valet quis ob peccatum alienum. ibid. n.11

Cauſa, ob quam excommunicatio ferri poteſt & debet, eſt peccatum mortale proprium grave contumaciæ & inobedientiæ, quo quis Eccleſiæ obedire recuſat. ibid.n.12

Contumax duobus modis eſſe poteſt, nimirum, manifeſtus & præſumptus. ibid.

Ubi juris rationabiliter excommunicetur, non ſatis eſt contumacia quæcumque etjam mortalis, ſed contumacia ob peccatum grave enorme, quod alio modo curari nequeat; priùs tamen adhibitis monitionibus & comminationibus. p.310.n.13

Excommunicatio in multis caſibus lata, nulla eſt: Primò, quando patiens non eſt capax hujus ſententiæ, ut eſt non baptizatus: Secundò, ſi ſit infans, furioſus, aut meme captus: Tertiò, ſi feratur à carente judicio: Quartò, ſi feratur à non ſuo judice: Quintò, ſi feratur poſt legitimam appellationem: Sextò, ſi in ſententia expreſſus ſit error intolerabilis. ibid.n.14

Quando excommunicationis ſententia eſt nulla, non eſt timenda, nec quoad Deum, nec quoad Eccleſiam: modò notoriè conſtet de nullitate ſententiæ & ceſſet ſcandalum. ibid.n.15

Ab excommunicationis pœna pro culpa à jure vel homine impoſita, non excuſat ignorantia craſſa vel affectata; ſecus ſi ignorantia ſit invincibilis ſeu probabilis facti aut juris; hæc enim, ſicut à peccato, ita ab excommunicatione excuſat. p.311.n.16

Digitized by Google

Ignorantia invincibilis, seu probabilis circumstantiæ vel qualitatis ejus, quæ speciem peccati constituit, aut graviorem reddit, excusat ab excommunicationis pœna lata contra tale peccatum ratione talis circumstantiæ. ibid.
Ignorantia invincibilis Canonis, aut Statuti pœnam excommunicationis inferentis pro actu alioqui jure divino non damnato, sed solùm jure positivo, à peccato & pœna excommunicationis excusat; sive sint Canones & Statuta Episcopi, sive Papæ. ibid. n. 17
Ignorans invincibiliter Statuta & Canones Ordinariorum inferiorum Romano Pontifice, quibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ aliquid jure divino, naturali aut humano communi damnatum prohibetur, si contra fecerit, excommunicationis vinculo non innodatur; secus si ignorantia fuerit crassa vel supina. ibid.
Impotentia moralis excusat ab excommunicatione incurrenda, ut si excommunicatio feratur contra aliquem, nisi debitum intra tale tempus solvat, qui tempore excommunicationis non habet unde solvat. ibid. n. 18
Sicut lex humana etiam Ecclesiastica de rebus, quæ de se non sunt intrinsecè malæ, sed solùm ideò malè sunt, quia prohibitæ, non obligat, quando necessitas violentiæ, seu imminens periculum mortis, metus gravis infamiæ, aut rei familiaris occurrit, ita excusabitur quis ab excommunicatione, si contra legem fecerit, sed non semper. p. 312. n. 19

EXCOMMUNICATIO

Quoad illius quosdam effectus.

Excommunicatio denotat, ut ipsum nomen significat, privationem communionis Christi fidelium: quæ communio est triplex: Primò, est omninò interna, quæ fit per charitatem: Secundò, est exterior, quæ consistit in eo, quo fideles participant in bonis spiritualibus Ecclesiæ: Tertiò, qua fideles in actionibus civilibus participant. p. 312 n. 1
Excommunicatio major communione illâ internâ, quæ in charitate fundatur, non privat; si excommunicatus contritus sit, etiamsi ab ea censura non absolvatur: sed tantùm privat secunda & tertia, quæ in spiritualium ac corporalium actionum usu externo consistit. p. 313. n. 2
Excommunicatus conferens vel recipiens Sacramentum, verè & validè illud confert, aut sumit, excepto Sacramento pœnitentiæ. ibid. n. 3
Excommunicatione majori vel minori ligatus, & sciens aut scire debens se non posse prius à peccatis, quàm ab excommunicatione absolvi, si petat absolvi à peccatis, absolutio est invalida & confessio iteranda, ibid. n. 4
Excommunicatus majori excommunicatione, ejus tamen justè ignarus, aut oblitus, si à peccatis absolvatur, verè absolvitur & verum Sacramentum suscipit, ita ut non teneatur eam confessionem iterare. ibid. n. 5
Qui scit se excommunicatum esse, & id confitetur, sed justo quodam juris vel facti errore, existimat se à peccatis posse prius absolvi, quàm ab excommunicatione, valet absolutio, si absolvatur tantùm à peccatis; etiamsi confessarius hoc non ignoret. p. 314. n. 2
Si tam pœnitens quàm confessarius sciant, quod excommunicatus non possit absolvi prius a peccatis, quàm ab excommunicatione, tunc absolutio data irrata esset. ibid.
In necessitate seu articulo mortis petenda est administratio Sacramenti Baptismi à Sacerdote excommunicato etiamsi adsint alij. ibid. n. 6
Excommunicatus majori excommunicatione cum alijs concionem publicam in Ecclesia audire potest: mensam benedicere laicorum more: comitari Eucharistiam delatam ad infirmos, si non recitentur psalmi: lectionem publicam etiam sacram audire aut eam legere discipulis suis: quod procedit etiam in excommunicatis denunciatis. ibid. n. 7
Excommunicatus excusatur ab audienda Missa in die festo: non autem à præcepto confessionis & communionis annuæ; etiamsi sit denunciatus. ibid. n. 8
Excommunicatus occultus, vel irregularis secretus, causâ vitandi grave scandalum, aut infamiam, si non sit in mora petendæ absolutionis vel dispensationis, potest prævia contritione aut confessione peccatorum, Missæ & Officijs interesse, & aliquando celebrare sine peccato, & incursu irregularitas, quamvis non absolvatur a censura excommunicationis reservata Superiori absenti. ibid. n. 9
Probabile est resignationem beneficij ab excommunicato tolerato factam in favorem tertiæ personæ esse validam; secus si sit vitandus. p. 315. n. 10
Excommunicato conferens beneficium scienter, peccat mortaliter & est ipso jure suspensus à collatione ejus beneficij, quod tunc contulit: ab alijs autem conferendis non est suspensus, sed suspendendus post binam monitionem. ibid. num. 11.
Excommunicatus non solùm incapax est beneficiorum, sed etiam cujuscumque alterius dignitatis Ecclesiasticæ. ibid. num. 12
Excommunicatus non solùm inhabilis est dignitatis Ecclesiasticæ regularis & sæcularis, sed etiam dignitatis laicalis, si hæc per collationem & electionem conferatur; non autem si jure successionis hæreditariæ, aut emptionis illam dignitatem consequatur. ibid. num. 13
Excommunicatus non potest esse tutor, nec curator, nec hospitalarius, nec similia officia exercere, quæ auctoritate sunt publica. An autem contractus ab eo facti sint validi? Negant quidam, præsertim si sit vitandus: sed contrarium est probabile. ibid. n. 14
Exceptio excommunicationis in quacumque parte judicij contra actorem objici potest: hæc tamen exceptio solùm locum habet, quando opponeretur in vim dilatoriæ, non autem in vim peremptoriæ. ibid. n. 15
Filij etiam emancipati naturales & adoptivi non possunt cum patre excommunicato communicare: quamvis quidam non improbabiliter contrarium doceant. pag. 316. num. 16.
Sicut filij cum parentibus excommunicatis communicare possunt, ita etiam è converso, cum filijs excommunicatis parentes esse possunt. ibid. n. 17
In aliquibus hæc communicatio parentum cum filijs & è contra, non licet. ibid.
Participans cum excommunicato, quem verisimile est absolutum esse, si hic alias homo sit bonæ famæ & boni nominis, potest & debet quis credere illum esse absolutum; secus si homo sit malæ famæ & in dubio lenteriam non servabat. ibid. n. 18
Quamvis contractus cum excommunicatis sint illiciti, regulariter tamen sunt validi: nisi in tribus casibus. ibidem num. 19
Excommunicatus validè testari potest & consequenter codicillos facere, & hæredes instituere, & legata relinquere, & facta valebunt. p. 317. n. 20
Si quis instituat aliquem excommunicatum pro hærede, videtur testamentum esse validum. ibid.
Verius est excommunicatum vitandum posse à suo debitore petere suum creditum, & debitorem teneri ad id solvendum. ibid. n. 21
Excommunicatus pro contumacia super crimine hæreseos vel alio, ipso jure privante, perseverans per annum in excommunicatione, est ipso jure beneficijs privatus. ibidem num. 22
Excommunicatus quacumque de causa & in censura contumaciter per annum perseverans, nec absolutionem procurans, præsumitur suspectus de hæresi, & contra illum procedi potest tamquam de hæresi suspectum. ibidem num. 23
Suspectus de hæresi citatus & vocatus ad judicium, ut super rebus fidei vel super crimine hæreseos respondeat, venire contemnens, & propterea iterum ob contumaciam excommunicatus & per annum perseverans in censura, tanquam de hæresi convictus elapso anno condemnari potest, si fuit nominatim excommunicatus & denunciatus, alias non. p. 318. n. 24
Excommunicatus denunciatus ubique censetur excommunicatus. An autem talis sit vitandus, ubi delictum ejus est occultum, dubium est, alijs affirmantibus, alijs negantibus. ibid. n. 25
Summus Pontifex ex certa scientia cum excommunicato denunciato participans in divinis & humanis, nullam juris pœnam incurrit, nec propterea absolutionem excommunicatum, nisi dixerit. ibid. n. 26
Episcopus non potest communicare sine causa cum excommunicatis à seipso ante formalem absolutionem ab excommunicatione, & si communicet, incidit in excommunicationem minorem, sicut & alij: imò & in excommunicationem majorem, si in crimine criminoso participet. ibid. n. 27
Jure antiquo unusquisque non excommunicatus vitare tenebatur omnem & quemcumque excommunicatum, non solùm publicum, sed etiam occultum; publicum quidem tam in publico, quàm in occulto; occultum verò solum in occulto. ibid. n. 28
Excommunicatus jure antiquo & novo tenetur alios vitare. & si occultus sit, tenetur in occulto vitare; si publicus, tam in occulto, quàm in publico, si possit absque scandalo & infamia, &c. p. 319. n. 28
Hoc tempore non omnes notoriè excommunicati vitandi sunt, sed tantùm denunciati nominatim, & notorij clericorum percussores, quamvis denunciati non sint.

Digitized by Google

ſic habet uſus Eccleſiæ poſt Extravag. *Ad evitanda ſcandala.* ibid.

Sicut tenemur vitare excommunicatum poſtquam denunciatus eſt, ita etiam & ſuſpenſum & interdictum vitare tenemur, in eis, quæ per cenſuram eis prohibita ſunt. pag.319. num.29.

Pœnæ contra violantes excommunicationis cenſuram à Sacris Canonibus inflictæ, ſunt: Primò, Irregularitas, ſi actum Ordinis ſacri excommunicatus exerceat: Secundò, depoſitio perpetua ab officio & beneficio, poſt ſententiam judicis: Tertiò, privatio vocis activæ & paſſivæ: Quartò, excommunicatio minor, ſi quis participet cum excommunicato majori excommunicatione. ibid.n.30

Excõmunicatio major incurritur in tribus caſibus per participationem eõ excommunicato: Primò, ſi quis communicet in crimine cum criminoſo: Secundò, ſi quis clericus, ſcienter & ſponte nullo ad id cogente metu, participet in divinis cum excommunicato à Papa & denunciato: Tertiò, ſi quis participet poſt ſententiam latam in participantes: ſed hodie hæc ſententia à ſolo Papa ferri poteſt. p.320.n.31

EXCOMMUNICATIO.

Quoad cæremonias in ſolemni excommunicatione & abſolutione ejus adhiberi ſolitas.

In forma excommunicationis majoris ferendæ, quædam cæremoniæ ſolemnes adhibentur, maximè quando magna aliqua perſona, ob grave aliquod crimen ab ea commiſſum excommunicatur. p.320.n.1

Forma conſueta ſervari à Summo Pontifice, quando eſt laturus excommunicationem. ibid.

Epiſcoporum forma, cùm aliquem ſolemniter excommunicant, ibid.n.2

Cæremoniæ Eccleſiæ in ferenda ſolemniter excommunicatione ſuas habent ſignificationes; ex his enim effectus excommunicationis ante oculos hominum ponitur. ibid.n.3

Epiſcopo inferiores hujuſmodi cæremonijs uti non ſolent. ibidem.

Quando Epiſcopus ſolemniter aliquem ab excommunicatione majori abſoluit, quædam etjam cæremoniæ in jure expreſſæ adhibentur. p.321.n.4

Quæ ſint cæremoniæ obſervandæ in foro exteriori, quando quis publicè excommunicatus, publicè abſolvitur. ibid. num 5

Hæ cæremoniæ non tam jure, quàm conſuetudine receptæ ſunt, & ideò non ſine cauſa omittendæ. ibid n.6

Hæ cæremoniæ non ſolùm in abſolutione excommunicatorum qui vivunt, adhiberi debent, ſed etjam eorum, qui mortui ſunt. ibid.

Caſus, in quibus omittuntur hæ cæremoniæ ſolemnes in abſolutione excommunicationis majoris. ibid.n.7

Excommunicatio minor.

Excommunicatio minor in multis differt à peccato mortali: & in aliquo convenit. p.322 n.1

Excommunicatio minor ſola participatione paſſiva Sacramentorum privat: unde communicare poteſt tam in divinis quàm in humanis, cum alijs, ſicut antea poterat. ibid. num.2

Excommunicatus hac minori excommunicatione, quando nam validè abſolvatur à peccatis; & quando non prætermiſſa abſolutione ab excommunnicatione. ibid.n.3

Excommunicatus minori excommunicatione non peccat mortaliter miniſtrando Sacramenta, ratione ſolius excommunicationis minoris: ſi tamen celebret, peccat mortaliter; quia Sacramentum ſumere debet. ibid. n.4

Communicans cum excommunicato minori excommunicatione, non incidit in minorem excommunicationem. ibid. num.5

De jure, qui poteſt excommunicationem majorem ferre, etjam minorem infligere potent; tamen in uſu non eſt, ut excommunicatio minor ab homine feratur. ibid.n.6

Unica minor excommunicatio modò eſt in uſu, nempe, cùm quis participat cum excommunicato majori excommunicatione denunciato, aut cum notorio clerici percuſſore. ibidem.

Ligatus excommunicatione minori non peccat abſolvendo ab excommunicatione majori, ſive minori, ſecus ſi abſolvat à peccatis, juxta aliquos Doctores; hoc tamen peccatum eſt ſolùm veniale. p.323 n.7

In abſolvendo ab hac excommunicatione non requiritur ſatisfactio partis, aut cautio, ſed ſatis eſt propoſitum obediendi Eccleſiæ abſtinendo à peccato. ibid.

EXCOMMUNICATIO

Ob clerici percuſſionem.

Materia Canonis, *Si quis ſuadente diabolo*, eſt ſacrilegium, quo manus violenta in clericum injicitur. p 324.n.1

Clericus prima tonſura initiatus, aut in minoribus conſtitutus, ſi non incedat in habitu & tonſura & non obſervet requiſita Concil. Trident. privilegio hujus Canonis gaudet, licet contrarium ſit etjam probabile. ibid.n.2

Clerici, qui deſerto habitu clericali gravibus criminibus & facinoribus ſe inverecundè immiſcent, excluduntur à privilegio hujus Canonis. ibid.n.3

Clerici excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, depoſiti verbaliter tantùm irregulares, Ordinati per ſaltum, vel ab alieno Epiſcopo abſque dimiſſorijs, vel illis falſis, gaudent privilegio hujus Canonis; non autem Clerici Hæretici & Schiſmatici. ibid.

Ut clericus conjugatus gaudeat privilegio foti & Canonis, tria copulativè requirũtur (juxta plurimorũ ſententiam,) nẽpe habitus clericalis, tonſura & ſervitium Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi; ſed alij putant conditionem ſervitij Eccleſiæ non requiri ad gaudendum privilegio hujus Canonis. ibid.n.4

Non ſolum cooperans auxilio vel conſilio ad percuſſionem clerici, in hunc Canonem incidit, ſed etjam prohibere debens & valens, ſi non obviat & protegit, ne verberetur, ſi ad id teneatur ex officio & juſtitia. ibid.n.5

Ut excommunicatio hujus Canonis incurratur non impediendo percuſſionem clerici, quatuor copulativè debent concurrere. ibid.

Percutiens clericum cauſâ correptionis, excommunicationem non incurrit: etjamſi pater filium ſuum in Sacris conſtitutum cauſa correptionis percutiat. ibid.n.6

Ratam habens percuſſionem clerici etiam poſt factum, cenſuram hujus Canonis incurrit: ſed ad hoc tria requiruntur. p.325.n.7

Mandans vel conſulens percuſſionem clerici, incidit in hunc Canonem, ſi ante percuſſionem pœniteat, & conteratur, poſito quod non poſſit revocari mãdatum vel conſilium: & ſic judicandum in foro externo; ſed pro foro conſcientiæ requiritur perſeverantia in peccato, ſive contumacia. ib.n.8

Qui notoriè conſuluit, vel mandavit, aut ratam habuit, vel non impedivit percuſſionem clerici, non eſt vitandus, ſicut notorius percuſſor, ſed prius debet denunciari ut excommunicatus. ibid.n.9

In cenſuram hujus Canonis non incidunt, qui in defenſionem ſui vel alieni corporis, honoris, famæ & bonorum fortunæ clericum aggreſſorem detinent, vel percutiunt, dummodò moderamen inculpatæ tutelæ non excedatur. ibid n.10

Ignorantia aliquando excuſat ab incurſu hujus cenſuræ, ut patet in eo, qui clericum percutiens putat eſſe laicum, eò quòd habitum & tonſuram non geſtabat. ibid.n.11

Si quis exiſtimet eſſe Joannem Clericum, quem percutit, cùm ſit clericus Jacobus, ſecundùm quoſdam Doctores, excommunicationem incurrit: ſed contrarium non eſt improbabile. ibid.

Clericum capiens per capillos ſeu barbam vel Monachum per Capucium, eique dicens: Niſi eſſes Clericus vel Monachus, te percuterem vel occiderem, cenſuram hujus Canonis incurrit. p.326.n.12

Si duo clerici vel religioſi per jocum ſive jocando ſe invicem percutiant, non incurrunt cenſuram hujus Canonis, etjamſi in joco ſit exceſſus, & pariter in percuſſione, modò exceſſus ille ad peccatum mortale non perveniat. ibid.n.13

Monialis procurans ſibi aborſum potione vel pugnis, hanc excommunicationem non incurrit. An autem idem dicendum ſit de extraneo dante moniali potionem ad aborſum faciendum ſecuto effectu? Quidam negant, alij affirmant, & utraque ſententia probabilis. ibid.n.14

Mandans, cenſuram hujus Canonis incurrit, etjamſi mandatum non ſit expreſſum, ſed tacitum. ibid.n.15

Judicio boni viri, ſeu prudentis judicis, judicanda eſt levis percuſſio ex circumſtantijs perſonarum, locorum, temporum, & ex modo percutiendi, ac lædendi. ibid. n.16

Per levem percuſſionem in hac materia, non intelligitur illa, quę non pervenit ad peccatũ mortale: ſed ea levis cenſetur, quę licet mortifera ſit, reſpectu tamen aliarum percuſſionũ mortiferatum, nec mediocris eſt, nec enormis. ibid.

Mediocris percuſſio ſeu gravis eſt illa, quæ media eſt inter levem & enormem, & quę ex variis etjam circumſtantijs perſanda eſt, de qua cognoſcit is, qui de enormi judicare debet. ibid.

Enormis percuſſio dicitur illa, quæ pervenit ad occiſionem, aut mutilationem membri, aut alicujus læſionis exceſſum, quo quis inutilis reddatur ad munus ſuum obeundum, &c. ibid.

Quando dubium occurrit, an percuſſio ſit levis, vel mediocris, vel enormis, Prælatus potiùs debet inclinare percuſſionem fuiſſe gravem & enormem, quàm levem: licet quidam contrarium ſentiant. p. 327. n. 17

Ab excommunicatione contracta ob gravem vel enormem clerici percuſſionem, jure communi nullus alius præter Pontificem, ejuſvè legatum, abſolvere poteſt, exceptis aliquibus caſibus in jure expreſſis. ibid. n. 18

Regularis verberans regulariè ejuſdem Monaſterij, jure communi abſolvi poteſt à ſuo Prælato, modò percuſſio fuerit levis & mediocris; nam enormis reſervatur Papæ: verùm hodie religioſi ferè omnes privilegia habent, ut etiam ab enormi abſolvi poſſint à ſuis Prælatis. ibid.

Prælatus ſuum ſubditum percutiens, de jure communi, à ſuo Superiore abſolvi poteſt intra Religionem, niſi percuſſio enormis ſit: tamen virtute privilegiorum pro quantumvis enormi percuſſione religioſorum vel etiam clericorum ſæcularium à Superiore ſeu Prælato ſuæ Religionis abſolvi poteſt. ibid. n. 19

Prælatus non ſolùm à Superioribus ſuis abſolvi poteſt, ſed licet ei ſibi eligere confeſſarium, qui eum abſolvat ab omnibus cenſuris & caſibus, à quibus ipſi proprios ſubditos abſolvere poſſunt. ibid.

Si religioſus unius Monaſterij religioſum alterius percutiat, jure communi non poteſt à proprio Prælato abſolvi, ſed à Prælato illius, in quem manus violentas injecit; ſi eſſent ejuſdem Ordinis, poteſt abſolvi à Provinciali aut Generali. ibid. n. 20

Si religioſus percutiat ſæcularem clericum, & percuſſio ſit levis, poteſt abſolvi ab Epiſcopo: jure autem privilegiorum à Prælato ſuo, etiamſi percuſſio ſit Papæ reſervata. ibid.

Superiores regulares poſſunt abſolvere novitium ab excommunicatione incurſa propter percuſſionem clerici ante ingreſſum Religionis. ibid. n. 21

Novitius, qui in hunc Canonem incidit, egrediens à Religione ante profeſſionem, reincidit in eamdem excommunicationem, niſi ſe præſentet ei, à quo fuiſſet abſolvendus, licet aliqui contrarium ſentiant. ibid.

In periculo mortis abſolvi poteſt quicumque ab hac excommunicatione, à quocumque Sacerdote. p. 328. n. 22

Mulieres cujuſcumque conditionis ſint ex quavis percuſſione poſſunt ab Epiſcopo abſolvi. ibid.

Item, qui inimicitias habet capitales, & juſtas cauſas non ſe præſentandi Sedi Apoſt. abſolvi poteſt ab Epiſcopo. ibid.

Impuberes pueri & puellæ puberes incidentes in hunc Canonem, ſi ſint dolicapaces, ab Epiſcopo abſolvi poſſunt. ibid. n. 23

Officialis, Janitor ſeu Oſtiarius, qui prætextu ſui officij, percutit clericum etiam animo injuriandi, etiamſi percuſſio ſit gravis, abſolvi poteſt ab Epiſcopo. ibid.

Si Officialis laicus arrogando ſibi juriſdictionem, & non ad defenſionem Oſtij ſibi commiſſi Eccleſiaſticum percuteret, non poſſet abſolvi ab Epiſcopo, eſto percuſſio quoad læſionem corporis levis ſit. ibid.

Nobiles & magnæ potentiæ viri, & ita delicati, ut laborem eundi Romam ſuſtinere nequeant, abſolvi poſſunt ab Epiſcopo, informato priùs Summo Pontifice. ibid. n. 24

Pauperes incidentes in hunc Canonem, gaudent privilegio abſolutionis obtinendæ ab Epiſcopo; de quorum paupertate debet judicare Epiſcopus vel alius vir prudens. ibid. n. 25

Infirmi ſeu valetudinarij, aut præpediti quacumque alia impotentia corporis, poſſunt abſolvi ab Epiſcopo. pag. 329. n. 45

Senes incidentes in hunc Canonem, abſolvi poſſunt ab Epiſcopo pro gravi vel enormi clericorum percuſſione, ſi ſint ſexagenarij. ibid.

Clerici in eadem domo commorantes, ſimul viventes & ſub eodem tecto dormientes, ſi percuſſio non eſt enormis, abſolvi poſſunt ab Epiſcopo. ibid. n. 27

Poteſtati alterius aſtricti, ita ut ſui juris non ſint, quales ſunt ſervi & filiifamilias & hujuſmodi, in duobus caſibus abſolvi poſſunt ab Epiſcopo, nempe, ſi deliquerint in fraudem domini vel Patrisfamilias; vel ſi dominus vel pater grave damnum patiatur propter eorum abſentiam. ibid.

Is, de quo fama publica eſt, quod clericum percuſſerit, in tali dubio abſolvi poteſt ab Epiſcopo, ad cautelam. ibid. n. 28

Porrò, qui habet juſtam aliquam cauſam non eundi ab Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatum à latere, abſolvi poteſt ab Epiſcopo, modò ſatisfaciat clericis injuriam paſſis, &c. ibid.

Poſt Concilium Tridentinum poſſunt Epiſcopi, & juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, abſolvere percuſſiones clericorum quoſcumque, modò delictum ſit occultum, nec deductum ad forum contentioſum. ibid. n. 29

Regulares privilegiati in partibus ultramontanis abſolvere poſſunt ab excommunicatione hujus Canonis; non autem in partibus cismontanis ſeu in Italia. ibid.

Examen.

De ſufficientia electi in Epiſcopum haberi debet examen vel inquiſitio, & illa in publicum inſtrumentum redigi, cum toto teſtimonio ac profeſſione fidei ab electo facta, & quamprimum ad Romanum Pontificem mitti, pro confirmatione, v. Epiſcopus. p. 294. n. 15.

Exemptio.

Omnes olim regulares Epiſcoporum juriſdictioni ſubjecti erant, verùm ſucceſſu temporis Epiſcoporum jugum excuſſerunt & Apoſtolicæ Sedis juriſdictioni ſeſe immediatè ſubjecerunt. p. 330. n. 1

Jure communi omnes religioſi Epiſcopis ſubſunt: tota autem exemptio regularium ex privilegijs provenit, quam dare ſolus Papa poteſt univerſaliter. ibid. n. 2

Aſſerenti ſe exemptionis privilegio gaudere, incumbit onus talem exemptionem probandi, idque per privilegiorum inſpectionem, juxta quorum tenorem ſemper eſt judicandum. ibid. n. 3

De jure communi exemptus à juriſdictione cujuſlibet Ordinarij, non cenſetur exemptus a juriſdictione Legati ipſius Summi Pontificis. Jure tamen Privilegij jus commune limitatur, ut tantùm habeat locum in Legato à latere Sedis Apoſtolicæ Miſſo. ibid. n. 4

Prælatus exemptus dupliciter poteſt ab Ordinariorum moleſtijs jura ſua tueri: Primò, per declaratoriam fori, præſentando in judicio exemptionis privilegium. Si privilegium non ſufficit, tenetur quadraginta annorum præſcriptionem probare: Secundò, ſi exhibito privilegio Ordinarius illud rejiciat, & contra id ſententiam ferat, hæc ſententia eſt nullius momenti: nam in dubio de validitate privilegiorum regularium, ad Summum Pontificem eſt recurrendum, qui ſibi eorum interpretationem reſervavit. ibid. n. 5

Prælati & religioſi de jure communi à lege Epiſcopali Diœceſana ſunt exempti; à lege autem juriſdictionis non ſunt exempti: ſed de jure privilegiorum à Summis Pontificibus conceſſorum, ab utraque lege ſunt immunes, exceptis quibuſdam caſibus in jure communi & Tridentino expreſſis. p. 331. n. 6

Eccleſia regularis ad ſæcularem ſtatum redacta, non amittit exemptiones & privilegia ſibi antea conceſſa, niſi expreſſè ſint ſublata. ibid. n. 7

Quamvis regulariter Epiſcopus poſſit Eccleſias inter ejus Diœceſim ſitas à ſua poteſtate eximere; non poteſt tamen in totum eximere, ſed tantum concedere immunitatem & libertatem ab omnibus juribus, quæ ipſe in Eccleſia poſſidet, ijs exceptis, quæ à ſe alienare nequit. ibid. n. 8

Exorciſmus.

Exorciſmi nomine, ratio illa intelligitur, quâ per Deum ſpiritus nequam adjurantur, ut ab humanis corporibus diſcedant, Deoque creaturam ſuam, quam poſſident, reſtituant & vexare deſinant, v. Adjuratio. p. 36 n. 15.

Verius eſt Exorciſmos Eccleſiæ non habere efficaciam infallibiliter expellendi à corporibus hominum dæmonem; ſed tantùm ex congruitate quadam. p. 34. n. 7

Quædam valde ſuſpectos Exorciſtas reddunt de ſuperſtitione ac pacto cum dæmone. p. 35. n. 10

Executor Teſtamenti.

Executor teſtamenti dicitur ille, qui legitimè eſt nominatus vel jure conſtitutus, primò & principaliter ad exequendam voluntatem teſtatoris, vel ad ejus voluntatis ordinationem & diſpoſitionem, v. Teſtamentum. p. 830. n. 14.

Nullus ad hoc munus executoris teſtamentarij acceptandum cogi poteſt: tamen ex charitate teneretur quis id munus acceptare, ſi ſine gravi ſuo detrimento id poſſet. ibid.

Si religioſi ad id munus acceptandum compellantur à ſuo Superiore, tenentur obedire. Ibid, plura n. 15 & 16. p. 831. n. 17. & ſeqq.

Exhæredatio.

Ut exhæredari poſſit filia invitis parentibus nubens, tres conditiones requiruntur: Primò, ut parentes velint eam matrimonio collocare, & ſecundùm vires dotare: Secundò, ut filia illi matrimonio repugnet luxuriosè vivendo: Tertiò, ut ſit minor 25. annis; quare poſt 25. annum completum, non poterit filia exhæredari, ſi contingat eam in corpus ſuum peccare, v. Filia. p. 349. n. 16.

Leges civiles, quæ exhæredant filias invitis parentibus clandeſtinè matrimonium contrahentes, validæ ſunt & ſervandæ etiam in foro canonico. ibid. n. 17

Leges, quæ exhæredant filias contrahentes invitis parentibus non clandeſtinè, ſed ſervatâ formâ Tridentini, ſecundùm probabiliorem ſententiam non ſunt validæ, ſed jure Canonico correctæ. ibid. n. 18

Exhumatio corporum.

Exhumari non poſſunt corpora defunctorum perpetuæ ſepulturæ tradita, nec transferri de loco ad locum, ſi-

ne licentia Epiſcopi: ſecus eſt, quando ſunt depoſita, ſeu ad tempus ſervata in una Eccleſia, ut poſtea transferantur de uno loco ad alium ejuſdē Eccleſiæ, v. Sepultura. p. 780. n. 20

Expenſæ.

Ad expenſas pro alimentis tenetur Monaſterium, quando Monachus exiſtit in ſcholis ſtudiorum causâ vel in aliquo negotio extra clauſtrum, ex legitima Superioris licentia: ſecus ſi expenſæ illæ ſint excedentes quantitatem religioſo illi quotannis deſtinatam, v. Alimenta. p. 53. n. 6.

Expenſæ ſunt triplices: quædam ſunt neceſſariæ, ut reficere domum imminentem ruinam; aliæ dicuntur utiles, quæ rem meliorem aut majoris æſtimationis reddunt, ut vineas & oliveta plantare: aliæ dicuntur voluntariæ ſeu voluptuariæ, quæ ſuapte natura non fructus augent, ſed magis ad ornatum & voluptatem fiunt, ut viridaria, picturæ, &c. v. Fructus. p. 358. n. 10.

Poſſeſſor malæ fidei ex fructibus reſtituendis poteſt expenſas neceſſarias deducere & petere præter factas in alimentis ſervi furto ſurrepti. Expenſas utiles in foro externo, nec per actionem, nec per retentionem conſequi poteſt, ſed eas deducere poterit ſeparando ab ædificio, ſi deduci valeant abſque rei detrimento: voluntarias autem neutro modo poteſt deducere. Ibid. ubi plura.

Ut verè lucrum ceſſet mercatori ob contractum venditionis credito pretio cum emptore tranſactum, inter alia requiritur, ut venditor non exigat totum lucrum ſperatum, ſed minus; ſunt enim deducendi labores, expenſæ, & quantò majoris valet id quod certum eſt & præſens quàm quod futurum & incertum, v. Emptio. p. 280. n. 10.

Adminiſtratores Montis Pietatis expenſas miniſtrorum accipiunt titulo locationis ſuarum operarum, v. Mons Pietatis. p. 578. n. 7.

Quando regularis accuſat Superiorem, ſunt ei miniſtrandæ de rebus Monaſterij expenſæ, non ſolum victus, ſed etiam neceſſariæ ad litem proſequendam, donec cauſa debitum finem accipiat, v. Regulares. p. 714. n. 21.

Communibus expenſis diſpenſatio ſolvenda eſt, quando inter conſanguineos mutua præceſſit promiſſio contrahendi matrimonium, ſi Papa diſpenſaverit, v. Matrimonium III. p. 547. n. 29.

Si alteruter deſiderans perſonæ conſanguineæ matrimonium, ipſâ inconſultâ diſpenſationem impetravit, ſoli impetranti incumbet onus integras expenſas ſolvendi. Ibid. ubi plura de expenſis n. 30. & 31.

Quando is, cujus negotium geritur, expreſsè ſignificavit, ne alius ipſius negotium gereret, non tenetur ad expenſas factas poſt monitionem, ad factas ante tenetur: ſi nulla præceſſit admonitio, & negotium alioqui utiliter geſtum eſt, tenetur expenſas ſolvere, v. Negotia geſta. p. 589. n. 6. ubi plura. ibid. n. 7. & 10.

Inter contrahentes ſponſalia poteſt conveniri, ut qui injuſtè reſilierit, ſolvat alteri expenſas, ſi quas fecerit ratione ſponſalium, v. Sponſalia. p. 809. n. 7.

Teſtis poteſt licitè expenſas accipere, dum extra ſuum domicilium ad ferendum teſtimonium proficiſcitur, v. Teſtis. p. 838. n. 17.

Extrema Vnctio.

Non eſt improbabile, poſſe miniſtrari Extremam Unctionem etiam ab excommunicato denunciato tempore interdicti, ſi moribundus non poſſit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, v. Interdictum. p. 431. n. 26.

Jus Parochi eſt miniſtrare ſuis Parochianis Sacramentum Extremæ Unctionis: unde alienus Sacerdos, qui ſine licentia Paſtoris hoc Sacramentum miniſtrat, peccat mortaliter. v. Parochia. p. 625. n. 10.

Extranei.

Extranei, qui non ſunt de familia illius, cui à Pontifice conceſſa eſt licentia audiendi Miſſam in oratorio privato, peccant mortaliter, ſi in die Feſto imbi Miſſæ interſint, nec aliâ audiant: Privilegium enim Pontificium illis non ſuffragatur, v. Oratorium. p. 602. n. 3.

F

Falcidia.

FAlcidia dicitur à Falcidia Auctore, & eſt pars, quam detrahit hæres, cui debetur legitima, à legatis vel donationibus causâ mortis factis, cùm teſtator tam multa fecit legata, ut non reliquerit illi integram legitimam, ſpectata ſingulorum proportione, donec impleat legitimam: ſi autem ſit hæres, cui jure non debetur legitima, detrahit ſolùm uſque ad quartam bonorum, quam ſibi poteſt ſervare, ſicut in fideicommiſſis, v. Legitima portio. p. 483. n. 2.

Falcidia in multis caſibus ceſſat. p. 484. n. 10.

Falſitas.

Triplex poteſt eſt falſitas in juramentis: Primò, in retantùm, quando illud, quod mediante juramento fuit affirmatum, in veritate non exiſtebat, quamvis in mente jurantis pro vero exiſtimabatur. 2. quando quis jurat contra conſcientiam, exiſtimans ſe falſum jurare, quamvis talis res in veritate ita ſit. 3. quando verbas non confirmatur, neque in re, neque in mente jurantis, v. Juramentum. p. 459. n. 5.

Fama.

Inter famam & honorem eſt differentia: nam fama eſt opinio virtutis, ſapientiæ & rerum præclarè geſtarum alterius: honor autem eſt teſtimonium excellentiæ, v. Honor. p. 378. n. 4. ubi plura.

Per famam ſufficienter non probatur mors conjugis, niſi aliis adminiculis adjuvetur: talia ſunt, longitudo abſentiæ & univerſalis fama, ubi conjux commorabatur, mortem ejus conteſtans, &c. v. Matrimonium 2. p. 535. n. 40.

Ut fama plenè probet mortem, quædam conditiones requiruntur. ibid.

Fama ſola impedimenti ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia, etiam jurata; non tamen ad impediendum matrimonium, adhibitis de contraria fama clarioribus probationibus, &c. v. Sponſalia. p. 813. n. 21.

Fama ſola, niſi ſit vehemens vel adminiculata, non facit indicium ad torturam, v. Tortura. p. 839. n. 4. & v. Præſumptio. p. 671. n. 5.

Familia. Familiares.

Familia alicujus ſi interdicatur, etiam includitur clericus ejus familiæ, etiamſi recedat ab ea familia: ſecus de illo, qui poſt latum interdictum ſit de familia interdicta; hic enim non incurrit interdictum, v. Interdictum. p. 429. n. 13.

Familiares in Brevibus Apoſtolicis, dicuntur omnes commenſales, qui ſunt de eadem menſa, ac familia ipſius principalis, cui conceditur licentia celebrandi in oratorio privato, v. Oratorium. p. 602. n. 3.

Ut vi Tridentini Epiſcopus poſſit ordinare familiarem ſuum non ſubditum, debet ille in ſervitute per triennium continuarum completum perſeveraſſe, v. Ordinis Sacramentum. p. 608. n. 14. ubi plura.

Famuli.

Famuli, qui miniſtrando uſurarijs alia bona non habentibus, ex quibus poſſint uſuras reſtituere, per ſuam induſtriam tantum emolumenti afferunt bonis talium uſurariorum quantum pro victu, veſtitu & ſtipendijs inſumunt, non peccant, nec ad reſtitutionem tenentur, v. Mutuum. p. 587. n. 31.

Famuli, qui inſerviunt uſurarijs, non habentibus alia bona, præter uſuraria vel reſtitutioni obnoxia, & nihil eis per ſuum famulatum afferunt utilitatis, ſed famulantur ad faſtum & pompam, nihil poſſunt ab eis in pretium ſtipendij recipere, & ſi accipiant, peccant mortaliter cum obligatione reſtituendi acceptum. ibid.

Famulo mercedem non tenetur ſolvere dominus, qui abſque mercede ulla, ſed ſolâ ſpe alicujus beneficij, vel officij conſequendi famulatur, ſi poſtea dominus eum nullo beneficio afficiendum curaverit, v. Locator. p. 501. n. 7.

Si Famulus tacitè intenderet dominū ſuum hoc pacto obligare, ad procurandum beneficium Eccleſiaſticū, eſſet Simonia; & dominus hanc intentionem advertens, teneretur ex juſtitia ei juſtam mercedem ſui officij erogare. Ibid. ubi plura.

FESTUM.

Quoad poteſtatem illud inſtituendi.

Obſervatio diei Dominici, & quoad dedicationem temporis 24 horarum, & quoad electionem diei Dominici potiùs, quam alterius diei, eſt de jure humano & Canonico, non divino. p. 331. n. 1.

Ad ſolum Summum Pontificem ex ſpeciali modo pertinet dies Feſtos inſtituere, qui colantur in univerſo orbe ſub mortali: poteſt etiā id Concilium Generale & univerſalis conſuetudo totius Eccleſiæ, Pontifice approbāte. p. 332. n. 2.

Epiſcopus in ſua tantùm Diœceſi celebritates dierum Feſtorum dedicare poteſt in honorem illorum Sanctorum, qui auctoritate Summi Pontificis ſunt canonizati. ibid.

Epiſcopi non poſſunt ſacrare dies Feſtos in honorem illorum, qui tantùm auctoritate Romani Pontificis ſunt beatificati, ſed non canonizati. ibid.

Conſuetudo laicorum ſeparata à conſuetudine Eccleſiaſticorum, ab Epiſcopis non approbata, non poteſt dies Feſtos introducere, vel abrogare. ibid. n. 3.

Conſuetudo totius populi & cleri non habet vim introducendi aut abrogandi aliquem diem Feſtum, niſi expreſſus vel tacitus conſenſus Epiſcopi accedat. ibid. n. 4.

Conſuetudo decem annorum approbata per Epiſcopum, ſufficit ad introductionem dierum Feſtorum. ibid. n. 5.

Ad abrogationem dierum feſtorum opus eſt conſuetudine quadraginta annorum. ibid.

Conſuetudo certorum Mechanicorum, v. g. ſutorum & ſartorum operandi die feſto, cetero populo illum feriante, & obſervante,

Digitized by Google

obſervante excuſat, modò tacitè, vel expreſsè à locorum Ordinarijs approbata ſit. ibid.n.6
Unuſquiſque illos Feſtos dies obſervare debet, quos lex, aut conſtitutio ſynodalis recepta, & non abrogata, vel conſuetudo præſcripta ibi præcipit obſervari. pag.333. num.7
Finis inſtitutionis Feſtorum eſt, ut his diebus Chriſti fideles orationi, & operibus pietatis vacent, abſtinendo ab operibus ſervilibus, & Miſſam attentè audiendo. ibidem num.8
Ex praxi totius ferè Eccleſiæ, quando contingit aliquod Feſtum transferri, ſolùm transfertur quoad officia, non verò quoad ceſſationem operum ſervilium: licet quoad Feſtum Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, & quoad Feſtum ſancti Marci, conſuetudo in aliquibus Diœceſibus Belgij contrarium obſervet. ibid.n.9

FESTUM.

Quoad opera ſervilia, quæ licita ſunt in die Feſto.

Præceptum ſanctificandi Feſta, non habet pro objecto ceſſationem ab opere ſervili, ſed dedicationem diei cultui divino; ceſſatio autem ab opere ſervili conſequitur ex ſanctificatione. p.333.n.1
Minus requiritur ut opus ſervile licitum ſit in die Feſto audita Miſſa, quàm ut quis excuſetur ab audienda Miſſa. ibid.
Opera exteriora ex ſuo genere libera, ut artium liberalium exercitia; item opera communia liberis & ſervis licita ſunt in die Feſto, ſolùm prohibentur, quæ ſunt propria ſervis, & ordinata ad corpus, ut opera mechanica. ibid.n.2
Barbitonſores tondentes in die Feſto accedentes ad barbam, vel capillos tondentes, non peccant mortaliter, ſtante materiæ parvitate. p.334.n.3
Quæ autem ſit dicenda parvitas materiæ excuſans operantes à peccato mortali, varij variè ſentiunt. ibid.
Ratione conſuetudinis Barbitonſores non excuſantur, ſi conſuetudo non toleretur; ſecus ſi adſit vera conſuetudo, & non abuſus. ibid.n.4
Muliones poſſunt cum beſtijs onuſtis, & rhedis iter facere in die Feſto. ibid.n.5
Prædictis Mulionibus regulariter non licet iter incipere in die Feſto; unde ut hoc opus licitum ſit, debet honeſtari, vel quia res, quæ deferuntur, ſunt neceſſariæ, aut pro illa die, aut pro ſequenti; aut ratione expenſarum, niſi opus fiat. ibid.
Exercentes ſervilia in die Feſto, dummodò Miſſam audiant, excuſantur à peccato, ob neceſſitatem ſuſtentandi ſeipſos, & familiam, ſi vitetur ſcandalum, & ſolùm eorum exercitium eò uſque protrahant, quouſque ſufficiat ad ſublevandam neceſſitatem: ex quo reſolvuntur multi caſus. ibid. num.6
Agricolis licet laborare, & exercere ſervilia diebus Feſtis, quando eſt neceſſitas: quæ tempore meſſis, ſeu vindemiæ conſideranda eſt, non ſolum reſpectu regionis, ſed etiam qualitatis temporis, quæ tunc currit, &c. p.335.n.7
Licere puellis laborare in die Feſto, ut vitent otium, vel alias occaſiones vagandi, & peccandi, quomodo intelligendum. ibid.n.8
Qui exercet opus ſervile in die Feſto, ut ex lucro faciat eleëmoſynas pauperibus, rem illicitam facit, nec votum ea de re factum valet: tamen aliquando poteſt eſſe id licitum. ibid.n.9

Feudum.

Feudum, ſecundùm Juriſperitos, deductum eſt à fide, & eſt genus quoddam clientelæ, quo dignitas, vel vectigal, vel prædium aliquod ea lege datur alicui, ut & ipſe, & ipſius poſteri atque hæredes beneficij authorem perpetuò agnoſcant, ejuſque caput, exiſtimationem, & fortunas tueantur. p.335. & ſeqq. n.1
Diviſiones Feudi ſunt: Aliud eſt proprium, aliud improprium: aliud eſt regale, aliud non regale Feudum: aliud eſt antiquum, aliud paternum, aliud novum: aliud eſt nobile, aliud ignobile. Feudum aut eſt Eccleſiaſticum, aut ſæculare. Aliud eſt hæreditarium, aliud non hæreditarium. Aliud eſt reale, aliud perſonale, &c. p.336. num.2
Omnes ſunt capaces accipiendi Feudum, ſed non ab omnibus dominis; ſi enim ſunt domini principales, & majores, tunc ij poſſunt dare cuilibet perſonæ cui voluerint: ſi autem vaſallus det in Feudum, tunc aliqui prohibentur accipere. ibid.n.3
Illi in Feudo ſuccedunt, quos inveſtitura comprehendit, & quos jus, vel conſuetudo non excludit. ibid.n.4
Feudatarij obligationes ſunt: 1. præſtare juramentum fidelitatis, vel etiam obſequij, ſi dominus obſequium imponat. 2. ut vaſallus præſtet obſequium domino promiſſum. 3. ut non alienet Feudum abſque domini directi conſenſu in caſibus à jure non permiſſis. 4. cùm neceſſitas Feudi alienandi adeſt, Feudatarius maturè de eo vendendo tenetur dominum admonere. p.335.n.7
Feudum amittere poteſt vaſallus triplici de cauſa. ibidem num.6
Vaſallus ex conſenſu domini, de Feudo novo diſponere poteſt; ſed non ſemper. p.338.n.7
Feudum antiquum, quod eſt cum pacto, ac providentia conceſſum, ut ad hæredes, ac deſcendentes liberos perveniat, non poteſt patris munere ad extraneos tranſire ſine liberorum, ac proximi agnati aſſenſu. ibid.n.8
Feudum per ſe, & ſimpliciter hæreditarium, tam novum, quàm antiquum, alienare poteſt vaſallus irrequiſito domini, aut proximorum agnatorum conſenſu. ibid.
Quando Feudum amittitur culpâ vaſalli in dominum perpetratâ, revertitur ad ipſum dominum. ibidem. num.9
Quando Feudum amittitur culpâ vaſalli, in alium transfertur Feudum paternum, vel antiquum ad agnatos remotos quarto gradu exclusis filijs: ſed ſi Feudum ſit novum, redit ad dominum. ibid.
Si Feudum amittatur ob alienationem abſque conſenſu domini, redit ad dominum: ſicut & redit morte vaſalli abſque liberis & agnatis. ibid.
Feudum non devolvitur ad fiſcum, niſi quando culpa vaſalli in alium à domino, bona ejus ipſo jure ob crimen confiſcantur, & Feudum liberum eſt. ibid.n.10
Meliorationes, quæ vaſallus fecit in re feudali, dum Feudum revertitur ad dominum, pertinent ad vaſallum, quoties ipſius induſtria facta ſunt. ibid.n.11
Fructus rei feudalis ad vaſallum pertinent. In Italia, & Germania vaſalli Imperatoris tenentur dare domino dimidiam partem eunti in aliquam expeditionem. ibidem num.12
In Gallia, cùm venditur Feudum, aut in cenſum datur, domino debita eſt quinta pars pretij: in qualibet Feudi mutatione debent relevia ſolvi, niſi cum à patre ad liberos tranſmittitur. ibid.
Hodie Eccleſiaſtici Prælati, vel Superiores, quicumque illi ſint, per Conſtitutionem Urbani Papæ VIII. quæ incipit *Humanæ ſalutis author.* nequeunt ulla bona ad ipſorum Eccleſias, vel Monaſteria pertinentia concedere in Feudum, vel emphyteuſim. ibid.n.13

Fidejuſſio.

Quando obligatio principalis debitoris eſt nulla, etiam Fidejuſſoris obligatio ipſo jure invalida eſt, quando Fidejuſſor rogatus fidem ſuam obſtrinxit. p.339.n.1
Clericus fidejubere non poteſt pro laico, niſi pietas, aut neceſſitas ſecus exigat: Fidejuſſio tamen tenet, & ex ea conveniri poteſt; licet non teneatur ſolvere, niſi quod commodè poteſt, ne egeat. ibid.n.2
Fidejuſſor poteſt propria ſponte ſatisfacere creditori, etiam ſi à creditore extra judicium interpelletur, modò id non faciat in fraudem debitoris principalis. ibid.n.3
Pro qualibet re, quæ obligationem annexam habet, dari, aut peti poteſt Fidejuſſor: imò pro pœna delicti pecuniaria fidejuberi poteſt. p.340.n.4
Creditor non poteſt ſine labe uſuræ cum debitore convenire ea lege, ut pretium, quod ipſe debitor ſuiſſet alioqui ſoluturus Fidejuſſori, ſibi reddat, ex eo quod liberet eum à conſtituendo Fidejuſſore. ibid.n.5
Obligatio Fidejuſſoris tranſit ad hæredes: ſoluto verò debito expirat fidejuſſoria obligatio. ibid.n.6
Fidejuſſoria obligatio item expirat, ſi inter debitorem principalem, & creditorem novatio fiat principalis obligationis, nec Fidejuſſor in illam conſentiat, aut de novo Fidejuſſor exiſtat. ibid.n.7
Novatio eſt prioris debiti, ſeu obligationis in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem, tranſfuſio, atque tranſlatio, ita ut prior perimatur. ibid.
Obligatio fidejuſſoria etiam expirat ſucceſſione Fidejuſſoris debitori principali, aut è contra, debitoris principalis Fidejuſſori, ſed non ſemper. ibid.n.8
Si creditor terminum ſolutioni præfixum proroget in favorem debitoris, & Fidejuſſor fidem ſuam devinxit uſque ad certum tempus ſolutionis, & non ultra, ſi debitor fiat poſt illud tempus impotens ad ſolvendum, tunc Fidejuſſor liber manet. ibid.n.9

Fideicommiſſum.

Fideicommiſſum in effectu quando eſt particulare, & legatum, omninò æquantur, v. Legatum, pagina 474 *numero* 1.
Fideicommiſſaria ſubſtitutio dicitur à fide, quia teſtatur fidit hæredi, & illius fidei committit hæreditatem alteri reſtituendam. v. Subſtitutio, pag.817. n.9. ubi plura de fideicommiſſo, pag.818. n.10. *& ſeqq.*

FIDES

Humana & Divina.

Fides uſurpatur pro habitu, & pro actu. p.340.n.1
Fides eſt aſſenſus intellectus in aliquam veritatem propter authoritatem dicentis. p.341.n.2
Fides alia eſt humana, alia divina. ibid.n.3
Omnis fides eſt obſcura in objecto, evidens in credibilitate, in atteſtante aliquando evidens, aliquando obſcura. ibid. num.4
Fides eſt neceſſaria ad uſum vitæ humanæ. ibid.n.5
Fides variè uſurpatur in Scripturis: 1. pro fide Catholica, 2. pro ejus objecto, 3. pro conſcientia, 4. pro fidelitate, ſeu conſtantia in promiſſis. ibid.n.6
Fidei Catholicæ objectum eſt Verbum Dei, tum ſcriptum, tum traditum; materiale quidem propoſitio objectiva, quæ ſignificatur Verbo Dei. Formale verò eſt ipſa teſtificatio Dei, quam ubique Scripturæ requirunt. ibidem num.7
Ad eliciendum actum fidei neceſſaria eſt motio voluntatis. p.342.n.8
Fides eſſentialiter eſt ſimplex, accidentaliter dividitur in formatam, & informem. ibid.n.9
Fidei primarius actus internus eſt credere, quia Deus dixit, ut patet ex Scripturis. ibid.n.10
Fideles peccatores, quamvis imperfectè, verè tamen credunt in Deum. ibid.n.11
Fides eſt fundamentum juſtitiæ, atque adeò juſtitia inchoata. ibid.n.12
Cùm materiale objectum fidei divinæ ſit Verbum Dei, ſeu quidquid divinitus viatoribus obſcurè revelatum eſt, ideò Verbum Dei tripliciter dividitur. ibid.n.13
Actus fidei eſt meritorius dupliciter, 1. ſecundùm ſe, 2. ex relatione in finem ſupernaturalem: item actus fidei non tantùm eſt meritorius ratione exercitij, ſed etjam ratione ſpecificationis. p.343.n.14
Rationes antecedentes tollunt meritum fidei, vel impediunt fidem; ſequentes autem augent. ibid.n.15

FIDES

Quoad exteriorem actum Fidei.

Actus fidei externus eſt profeſſio fidei. p.343.& ſeqq.n.1
Contra externam confeſſionem fidei non eſt, veſtibus uti, quibus utuntur Infideles, aut Hæretici ex conſuetudine veſtiendi, quæ ſolent eſſe diverſæ, ſicut ſunt inter Catholicos: & illa diverſitas non ordinatur ad indicandam diverſitatem religionis. p.344.n.2
Relinquere ſignum inſtitutum ad manifeſtandam profeſſionem fidei, eſt contra exteriorem confeſſionem fidei juxta Cajetanum, quando lex eſt in vigore, & ſignum non eſt inſtitutum ob finem politicum, ſed ad manifeſtandam profeſſionem fidei: ſed contraria ſententia eſt tenenda modò non urgeat præceptum confeſſionis fidei. ibid.n.3
Contra exteriorem confeſſionem fidei non peccat, qui latens ſub veſtitu Turcarum, dicit ſe eſſe Turcam, intelligendo, quoad externam apparentiam, quando non urget obligatio confeſſionis fidei. ibid.n.4
Probabilius eſt non licere exploratoribus Chriſtianis miſſis ad infideles in commodum Reipublicæ Chriſtianæ, quamdiu apud ipſos Infideles commorantur, adire eorum Synagogas, & Moſcheas tempore quo Turcæ ad eas confluant causâ orandi, vel adorandi Mahometum, vel aliud idolum ibid.n.5
Non peccat contra fidei confeſſionem Fidelis, & Catholicus tranſiens per loca Infidelium, aut Hæreticorum, ſi celandæ religionis causâ ad evitandum grave damnum, carnibus ſibi oblatis in diebus vetitis veſcatur, dummodò abſit ſcandalum, & non tenetur ipſius religio authoritate publica, vel inde religionis Catholicæ deſpectus non oriatur. p.345.n.6
Non licet occultis Catholicis inter Hæreticos ipſorum cœnam ob metum pœnarum ſumere. ibid.n.7
In religionibus, quibus Conſtitutio Pij IV. non eſt uſu recepta, non tenentur Prælati, & Lectores ad fidei profeſſionem emittendam. ibid.n.8
Abbates Commendatarij perpetui, & Abbates ſæculares, qui ſunt dignitates in Eccleſijs Cathedralibus, tenentur fidei profeſſionem emittere. ibid.n.9
Ad fidei profeſſionem non tenentur provifi de Canonicatibus, aut dignitatibus in Eccleſia colleguli, nec provifi de Capellanijs, & alijs beneficijs non curatis. ibid.n.10
Pœna, quam infligit Tridentinum contra non emittentes profeſſionem fidei intra duos menſes à die captæ poſſeſſionis beneficij, vel canonicatus, vel dignitatis, eſt, ut fructus non faciat ſuos, nec illi ſuffragetur beneficij poſſeſſio. ibidem. num.11
Differens profeſſionem fidei emittere, non tenetur fructus perceptos reſtituere, donec condemnetur. ibid.
Qui intra bimeſtre fidei profeſſionem non emiſit, ſemper ad illam faciendam tenetur. p.346.n.11
Omittens fidei profeſſionem non juvatur regulâ de triennali poſſeſſore, ne teneatur fructus reſtituere, quamtumvis triennio poſſederit: nec juvatur præſcriptione ratione poſſeſſionis triennio bona fide illorum fructuum. ibid.

Fictio.

Recedente fictione totus effectus Baptiſmi datur, cum tota extenſione, & intenſione, cum qua in principio daretur, ſi fictio non interfuiſſet, v. Baptiſmus IV. p.85.n.6
Ablata fictione redit gratia minima, quæ ex opere operato dari poteſt per Baptiſmum. ibid.n.7
Quando tollitur fictio per ſacramentum Pœnitentiæ, utrumque ſacramentum per modum unius agentis integri concurrit ad dandam gratiam. ibid.n.8
Communior ſententia eſt, indulgentiam, ſublata peccati fictione, non ſortiri effectum ſuum: licet contraria ſit etjam probabilis, verb. Indulgentia I. pag.415. *numero* 12
Qui fictò animo promittit pecuniam pro beneficio, intenſione ſolùm decipiendi, & recipiendi beneficium, etjamſi promiſſionem firmet juramento fictò, & ſimulato, non committit verè ſimoniam, licet in foro externo ſimoniacus præſumatur, v. Simonia. p.787.n.1

Filius, Filia.

Caſus in quibus filius illegitimus per ſubſequens matrimonium fit legitimus, & in quibus non. pag.346. numero 1
Filius adoptivus, ſi à patre adoptante necdum eſt legitimè emancipatus, ſuccedit cum filijs legitimis patris ſui legitimi, ac naturalis, eo mortuo: ſi autem emancipatus eſt a patre legitimo, non ſuccedit. ibid.n.2
Emancipatio dicta eſt quaſi à manu poſitio vel traditio, ſicut mancipare eſt manu capere, & in ſervitutem redigere, unde mancipium. Emancipare itaque ſignificat mancipium libertate donare. ibid.
Emancipatio filij regulariter non fit ante annos pubertatis: tamen poteſt antea fieri jubente Principe, etjam filio non conſentiente. p.347.n.3
Pater poteſt emancipare filium abſentem, ſed conſentientem, ex mandato, vel indulto Principis; invitum autem non poteſt. ibid.n.4
Filius concubinarij, qui dicitur naturalis, nunquam ſuccedit cum legitimis filijs, aut uxore legitima patri defuncto, neque cum nepotibus legitimis: ſuccedit tamen patri ab inteſtato in duabus uncijs hæreditatis, id eſt, in ſexta parte, & una cum illo mater æquali portione, ſi legitima uxor ſuperſtes non ſit. ibid.n.5
Filij illegitimi, alij dicuntur naturales, alij non naturales, qui nominantur ſpurij, nothi, ſeu vulgò concepti. ibidem num.6
Nothi, ſeu vulgò concepti, ſpectato jure communi, matri, & alijs parentibus maternis, unà cum legitimis ſuccedunt, niſi mater illuſtris ſit: patri autem minimè. ibid.
Filij orti ex coitu damnato, omnis ſucceſſionis in bonis paternis, & maternis aliorumque aſcendentium, tam ab inteſtato, quàm ex teſtamento, incapaces ſunt. ibid.
Filiusfamilias impubes, ex contractu inſtituto etjam circa caſtrenſia bona, civiliter non obligatur patre authore: obligatur tamen naturaliter, ſi pubertati proximus ſit. ibid. num.7
Filius pubes ex omni contractu etjam ſine patris authoritate tam

tam civiliter, quàm naturaliter obligatur, nisi contractus cedat in præjudicium patris. ibid.
Filius ex delicto & damno dato per seipsum obligationem contrahit, non autem parens, si culpa ejus non intervenit. ibid.
Quæ lucratur filiusfamilias in domo paterna existens ex operis artificialibus, inter adventitia bona enumerantur: unde filius operam suam patri locare ab eoque salarium exigere potest, deductis expensis quas pater eo alendo facit. ib n.8
Si filiusfamilias lucretur ex bonis paternis, consuetudo non permittit, ut exinde salarium, vel partem lucri exigat, licet contrarium non sit improbabile. p.348 n.8
Si Filius ex re patris non frugifera suo periculo negotietur, omne lucrum ad filium pertinet, modò pater servetur indemnis. ibid.
Si Filius nolit à patre recipere alimenta, velitque honestum vitæ genus quærere, non potest à patre impediri, si non indigeat filij operæ: secus si pater inops sit. p.348.n.9
Filijfamilias dicuntur, non solùm Filius & Filia, sed etjam qui ex illis nati sunt nepotes & neptes, &c. quamdiu sub patris vel avi paterni potestate existunt, licet majores natu sint. ibid.n.10
Nomine filiorum in materia favorabili, etjam nepotes comprehenduntur, sicut & filiæ: In materia autem odiosa, nomen filiorum non censetur comprehendere Filias, nisi identitas rationis id persuadeat. ibid.
Filius, qui metu reverentiali paterno vel materno, patri morienti ad ipsius instantiam, promisit solvere ejus debita, aliàs nullo modo promissurus, non tenetur in foro conscientiæ: secus si absque eo metu. ibid.n.11
Si minor 25. annis sit filius, adversus eam obligationem solvendi debita patris, potest beneficio restitutionis in integrum uti, modò pater in carcere non sit detrusus. ibid.
Filius minor moderatè & prudenter se gerens promittendo solvere legata patris, non potest restitutionem petere: si autem excessiva sint legata, restitutio concederur in illo excessu tantùm. ibid.n.12
Probabile est posse patrem irritare vota realia filiorum, in quacumque ætate emiserint. ibid.n.13
Filius quadruplex officium pietatis erga parentes mortuos præstare debet. p.349.n.14
Filius absolutè & per se magis tenetur amare patrem & ei succurrere, quam matrem: per accidens tamen posset casus contingere, ut contrarium esset dicendum. ibid.n.15
Ut filia invitis parentibus nubens exhæredari possit, tres conditiones requiruntur. ibid.n.16
Leges civiles, quæ exheredant filias invitis parentibus clandestinè matrimonium contrahentes, validæ sunt & servandæ etjam in foro canonico. ibid.n.17
Leges, quæ exhæredant filias contrahentes invitis parentibus non clandestinâ, sed servatâ formâ Tridentini, correctæ sunt jure canonico: quamvis contrarium sit etjam probabile. ibid.n.18

Finis.

Finis mali mortalis circumstantia, habentis diversam malitiam ab objecto actus, explicari debet in confessione, non autem si finis sit tantùm veniale peccatum. v. Circumstantia. p.150 n.8
Quando aliquis donat ob certum finem, si non intendat ad finem illum obligare, sed solùm allicere animum, valida erit donatio quoad utrumque forum, etjamsi finis non sequatur, v. Donatio. p.243 n.32. Secus, si illum velit obligare.
Ex parte finis redditur illicita negotiatio, v. Emptio. p.290 n.50
Finis, ob quem Deus & Ecclesia Catholica Festos dies instituerunt, est, ut his diebus saltem Christi fideles orationi & operibus pietatis vacent, v. Festum 1. p.333.n 8
Si ob malum Finem emissa sit professio solemnis trium votorum, irrita est professio, etjamsi Finis malus sit tantùm venialiter culpabilis, v. Professio. pag.706. n.24. ubi plura n.25. & 26.
Votum rei bonæ, sed propter finem temporalem, seu indifferentem non est validum, si finis omninò indifferens sit ipsius rei promissæ principalis, ac totalis: contrarium tamen non est improbabile, v. Votum 1. p.859.n.12.

Fiscus.

Fiscus apud Jurisperitos significat Ærarium vel Cameram Principis, vel bursam, aut saccum Regis, in quem mittuntur bona bannitorum, & omnia malè acquisita, & turpia lucra, necnon gravioribus delictis pœnæ pecuniariæ à legibus impositæ. p.350.n.1
Illi, qui ipso jure ob delictum, bonorum dominio privantur, non debent in foro conscientiæ reddere bona sua fisco ante criminis condemnationem, juxta communem sententiam. ibid.n.2
Ad Fiscum pertinent ea bona, quæ pertinent ad criminosum tunc temporis, quo bona ipsius publicantur, modò non sint affixa personæ: non autem bona, quæ reo obveniunt post condemnationem, ex ultima voluntate. ibid.n.3
Quamvis criminosus possit licitè & validè repudiare hæreditatem nondum adiram in fraudem Fisci: hoc tamen non habet locum, si eam tacitè acceptaverit. ibid.n.4
Publicatis bonis alicujus criminosi, non censentur publicata jura personalia, ut alimenta, quæ in futurum debentur. ibid.n.5
Publicatis bonis ob usufructuarij delictum, censetur publicatus usufructus, quem delinquens habebat, & quatenus ipse eo frui & potiri poterat, vel debebat. p.351.n.6
Quando bona delinquentis publicantur ob capitis diminutionem, vel traditur in perpetuum carcerem, vel ad triremes, vel exilium, non confiscatur usufructus, sed erit habentis proprietatem, & cum illa consolidatur. ibid.
Publicatis filijfamilias bonis, non publicari ob ejus delictum, peculium castrense, aut quasi castrense, communis sententia asserit, sed tunc deferri patri in patriæ potestatis solatium: contrarium tamen est etjam probabile. ibid.n.7
Ob crimen filijfamilias non publicatur peculium ejus adventitium, nec profectitium, nec legitima filio debita in bonis parentum adhuc superstitum, si nondum sit tradita; denique nec alimenta debita filio à parentibus publicantur. ibid.
Proprietas adventitiorum non publicatur ob paternum crimen: imò nec etjam quoad usumfructum, si pater ante delictum eum remiserat. ibid n.8
Filius, qui sit sui juris, acquirit usumfructum bonorum adventitiorum acquisitorum post condemnationem patris, & etjam eorum, quæ ante delictum patris acquisierat. ibid.
Certum est apud omnes, filium acquirere usumfructum adventitiorum statim ac ejus pater fit hæreticus. ibid.
Publicatis bonis patris, non remanent publicata bona filij castrensia vel quasi: an autem ob crimen patris publicetur peculium profectitium filijfamilias quidam affirmant, alij negant, sed reservari filio communior sententia asserit. ibid. num.9
Quando bona patris publicantur ob ejus delictum, reservantur filijs ante bonorum publicationem natis, alimenta, modo crimen non sit læsæ Majestatis divinæ vel humanæ. p.352.n.10
Neutrius conjugis bona publicantur ob alterius delictum, sed sola conjugis delinquentis, reservatis innocenti suis bonis. ibid. n.11
Dos uxoris non confiscatur ob qualecumque viri delictum; nisi scienter viro hæretico nupserit: donata tamen uxori à marito, publicantur ob delictum mariti. ibid.
Ob viri crimen publicantur vestes pretiosæ ab ipso viro datæ uxori, non autem viles. ibid.
Donationes factæ uxori intuitu ipsius uxoris, non publicantur ob delictum mariti, etjamsi sint factæ à consanguineis mariti: secus si factæ sint intuitu ipsius mariti. ibid.
Quando soluto matrimonio uxor committit delictum confiscatione dignum, confiscabitur dos cum reliquis ejus bonis, quæ ad ipsam pertinent: quando autem matrimonio constanti, confiscantur reliqua bona, non autem dos, exceptis quinque casibus in jure expressis. ibidem n.12

Femina.

Femina non potest excommunicationem ferre, nisi ex commissione Summi Pontificis, v. Excommunicatio 1. p.307. *num.7*
Probabile est pœnis raptus obnoxiam esse Feminam, si virum rapiat: verius tamen est non comprehendi Feminas rapti-ces virorum, sed aliâ pœnâ extraordinariâ puniendas esse, v. Raptus. p.707.n 4
Pro Feminis non fuit convenienter instituta circumcisio, sed pro solis masculis populi Judaici, eò quòd peccatum originale, non à matre, sed a patre procedit, v. Circumcisio, p.147.n.2.

Fornicatio.

Fornicatio à voce fornix descendere videtur, quæ loca quædam concamerata ad modum arcus significat, in quibus meretrices sese prostituere solebant. p.352.n.1
Fornicatio apud Theologos omnem copulam illicitam significat: in Scriptura sacra, omnis actus, qui est peccatum mortale: dicitur Fornicatio, aliquando sumitur pro idololatria. ibid.

Fornicatio non ſolùm mala eſt, quia jure divino prohibita, ſed etjam, quia jure naturali illicita. p.353.n.2
Probabile eſt poſſe dari ignorantiam invincibilem de fornicatione, quod ſit peccatum, in gentibus agreſtibus, imperitis, carentibus magiſtris, qui eas inſtruant. ibid.n.3
Inter Chriſtianos vix poteſt ordinariè quis excuſari à fornicatione per ignorantiam, cùm jam ſatis prædicatum ſit, quod fornicatio ſit peccatum mortale. ibid.
Varij variè ſentiunt, quando fornicatio committitur cum aliena ſponſa vel ſponſo de futuro, an ſit explicanda hæc circumſtantia in confeſſione? Alijs affirmantibus; alijs negantibus; alijs denique dicentibus eſſe explicandam, quando fornicatio committitur cum ſponſa alterius de futuro, non autem cum ſponſo: & omnes probabiliter. ibid. num.4
In fornicatione, ceteris paribus, graviùs peccat vir quàm mulier; in adulterio autem graviùs peccat femina quàm vir, propter damnum quod infert. pagina 354. num.5
Fornicatio gravius eſt peccatum in Chriſtianis, quàm in Ethnicis. ibid. n 6
Copula habita cum femina mortua, juxta quoſdam reducenda eſt ad Fornicationem, juxta alios ad beſtialitatem: ſed dicendum eſt talem copulam non includere aliam malitiam per ſe in genere luxuriæ, quàm malitiam pollutionis: licet ex effectu poſſit eſſe diverſa. ibid.n.7
Fornicatio non eſt gravius peccatum, quàm cetera, quæ ſunt contra Deum, vel proximum. ibid.n 8

Forum.

Forum à ferendo nomen habet, quòd in eum locum res venales afferantur. p.354.n.1
Forum apud Juriſconſultos & Theologos ſignificat locum, in quo cauſæ & lites exercentur: imò uſurpatur pro judiciali proceſſu ipſarum cauſarum. ibid.
Forum acceptum pro ipſomet judicio, dividitur in ſæculare & Eccleſiaſticum; item in externus & interius: denique aliud eſt noſtrum forum, aliud Dei. ibid.n.2
Forum exterius dum pœnas infligit delinquentibus, eo fine inducit ut debita reddatur ſatisfactio Reipublicæ vel perſonæ injuria affectæ; at judex fori interni ex intentione directa, debet injungere pœnam ut ſatisfaciat Deo. p.355. num.3
Forum exterius ex natura rei non ad diſtinctam rem agendam obligare poteſt, quam interius obligaret. ibidem num.4
Forum exterius ab interiori per accidens, ſeu per errorem aliquando diſcordat. ibid.
Judex ex lege poteſt non cogere ad ſolvendum id quod in conſcientiæ foro debitum eſt, & è contra poteſt cogere ad reſtitutionem, quamvis in foro conſcientiæ nulla intercedat reſtituendi obligatio. ibid.n.5
In foro pœnitentiæ tantùm abſolvi à cenſura, eſt abſolvi à cenſura conſequendo cum illa ſimul etjam remiſſionem peccatorum per abſolutionem ſacramentalem: abſolvi verò in foro conſcientiæ tantùm, eſt ab illa liberari coram Deo; quamvis coram Eccleſia, aut in foro exteriori, habeatur tanquam non abſolutus. ibid. num.6
Quamvis jure cautum ſit, ne quis reus extra ſuam Provinciam trahatur judicandus; in multis tamen caſibus contingit, ut quis alibi quàm apud ſuum proprium judicem judicetur. ibid.n.7

Fratres Minores.

Fratres Minores non poſſunt eſſe arbitri, quantumvis licentia Superioris adſit: Officium tamen arbitratoris illis licet ex Superioris licentia: licet aliqui contradicant, v. Arbiter. p.65.n.4
Apud Fratres Minores regularis Obſervantiæ nullus contractus poteſt fieri abſque expreſſa licentia Generalis vel Provincialis, aliter irritus judicatur, verb. Alienatio. p.50. num.17
Frater Minor obligatus ex vi regulæ ſuæ ad Breviarium Romanum, non ſatisfacit ſuæ obligationi recitans Officium cum Carmelitano; niſi id rarò fiat, vel careret Breviario Romano, verb. Horæ Canonicæ II. p.383. num.31
Fratres Minores de Obſerventia & Capucini, eorumque Monaſteria, aut Eccleſiæ, hæredes inſtitui non poſſunt: legata tamen ipſis relinqui poſſunt, per modum eleëmoſynæ, v. Legatum. p.477.n.22. ubi plura de his legatis.
Fratres Minores non poſſunt eſſe Procuratores, etjam de licentia ſuorum Superiorum, verb. Procurator. pag 697. num. 12
Fratribus Minoribus non poteſt conferri gradus Magiſterij in aliquà univerſitate, niſi curſus per Conſtitutiones Apoſtolicas & ſui Ordinis inſtituta perfecerint, & alias ad dictum gradum obtinendum idonei exiſtant, verb. Regulares. p.715.n.25
Fratres Minores jure communi & ex privilegijs habent jus ſepeliendi & inferendi in ſua ſepulchra cadavera ſæcularium, qui in ipſorum cœmeterijs, ſeu Eccleſijs ſepulturam elegerint, v. Sepultura. p.775 n.6
Frater Minor inventus mortuus cum burſa denariorum, non eſt ſtatim privandus Eccleſiaſtica ſepultura, ſi ſatis probabiles circumſtantiæ & indicia adſint, ad credendum pecuniam eſſe alienam, vel creditam ad reſtituendum. ibid. p.779 n.17
Novitius Ordinis Minorum de Obſervantia & Capucinorum, qui gravatus eſt poſt mortem ſuam aliquam hæreditatem reſtituere, ſed ipſe ante religionis ingreſſum vel ante profeſſionem jus in ea bona tempore vitæ ſuæ ad ſe pertinens, venditione, aut donatione in alium tranſtulit, valida eſt tranſlatio, nec ſubſtitutus in ea bona ſuccedet ante mortem naturalem religioſi, v. Subſtitutio. p 819 n.12
Frattes Minores non poſſunt eſſe Vicarij Epiſcoporum, v. Vicarius. p.847.n.14

Fructus.

Fructus à fruendo nomen habet, & dicuntur fructus, quos fundus producit, & omne quod utilitatem affert. p.356. num.1
Fructus apud Juriſperitos ſunt illi, qui ex re fructifera percepti ſuperſunt, deductis expenſis, quæ gratia illorum quærendorum, colligendorum & conſervandorum fiunt. ibid.
Fructus, alij ſunt naturales, alij induſtriales, alij naturales: mixti, in quibus ultra naturam operantem, intervenit aliqua hominis induſtria; & hi à prævalenti denominantur: in dubio autem, an natura, vel induſtria plus operetur, judicis arbitrio ſtandum eſt. ibid.
Inter fructus induſtriales, ſecundùm probabiliorem ſententiam, numerantur lac, caleus, lana, vuæ, olivæ & oleum ex ipſis expreſſum, ſegetes & omnia, quæ ſeminantur, farina ex fructibus ſeminatis confecta: circa animalium fœtus certa regula dari non poteſt; nam aliquando ſunt fructus naturales, quandoque induſtriales. ibid.n.2
Ultra fructus naturales & induſtriales, quidam Doctores admittunt alios, quos vocant civiles, & hi ſunt, reditus domus, mercedes jumenti, operæ ſervi; ſed verius eſt omnes fructus reduci ad naturales, aut induſtriales, juxta id quod prævalet. ibid.n.3
Fructus percipiendi, qui adhuc in arbore pendent, nullius poſſeſſoris bonæ fidei ſunt, ſi ante eorum perceptionem ceſſet bona fides; nam tunc erunt domini fundi. ibid. num.4
Fructus vel lucra, quæ ſunt meræ induſtriæ, ad bonæ fidei, imò etjam malæ fidei poſſeſſorem pleno jure ſpectant. p.357.n.5
Si fur pecuniam furtivam negotiationi exponat, lucrum inde proveniens ad furem ſpectat: ſi tamen per detentionem pecuniæ alienæ dominus damnum patiatur, tunc damni ipſius compenſatio à fure facienda eſt. ibidem.
In foro conſcientiæ nullus malæ fidei poſſeſſor tenetur ad reſtituendos Fructus, qui ex re aliena percipi poterant, ſi conſtet fore, ut verus dominus eos non percepiſſet, ſecus eſt in foro externo. ibid.n.6
Quamvis poſſeſſor malæ fidei teneatur in foro conſcientiæ ad Fructus reſtituendos, quos dominus rei ex illa apud ſe habita percepiſſet, licet poſſeſſor eos non perceperit, hoc tamen eſt intelligendum de Fructibus à domino percipiendis licitè communi diligentia; ſecus ſi ſingulari ejus diligentia. ibid.n.7
Fructus ex re aliena frugifera perceptos, tenetur poſſeſſor malæ fidei reſtituere vero rei domino, quamvis hic non eſſet eos percepturus. ibid.n.8
Poſſeſſor malæ fidei non tenetur reſtituere Fructus, quos dominus ex re ſua potuiſſet percipere inhoneſtè, & cum turpi uſu rei; tamen obligatur poſſeſſor ad reſtituendum lucrum inhoneſtum, quod ipſe acquiſivit ex re aliena, modò non ſit lucrum meræ induſtriæ. ibid.n.9
Ex Fructibus reſtituendis poſſeſſor malæ fidei poteſt expenſas neceſſarias deducere & petere, præter factas in alimentis ſervi furto furrepti. p.358.n.10
Expenſas utiles in foro externo, nec per actionem, nec per detentionem conſequi poteſt, ſed eas deducere poterit ſeparando ab ædificio, ſi deduci valeant abſque rei detrimento. Voluntarias autem expenſas neutro modo poteſt deducere. ibid.
In foro conſcientiæ deducendæ ſunt non ſolùm expenſæ neceſſariæ, quas dominus feciſſet, ſed etjam utiles, quatenus eas dominus feciſſet, & quatenus ſunt domino utiles. Circa verò expenſas voluntarias, non eſt idem ſenſus Doctorum. ibid.

Digitized by Google

In fructibus reſtituendis poteſt poſſeſſor malæ fidei mercedem ſui laboris & induſtriæ deducere. ibid. n.11
Qui initio bonâ fide & poſteà malâ poſſedit, ſi mala fides ſuperveniat mutatis perſonis, hic judicabitur malæ fidei poſſeſſor, & teneri omnes fructus reſtituere. ibid.n.12
Quando poſſeſſor eſt à principio malæ fidei, & poſteà bonæ, & hoc contingit in diverſis perſonis, puta quia defunctus malâ, hæres autem bonâ fide poſſedit: tunc hic hæres non facit fructus ſuos. ibid.n.13
Probabilius eſt, fructus triennio non poſſe præſcribi, quando conſumpti ſunt à poſſeſſore bonæ fidei, ante lapſum triennium. ibid.n.14

Fuga.

Ex fuga oritur præſumptio, ſeu indicium ſufficiens ad torturam; hoc tamen non procedit, quando qui fugit, fuit accuſatus & vocatus ad judicium & venit; nam tunc illa fuga nullum facit indicium, v. Præſumptio. pag.672.n.6. ubi plura.
Reus juſtè damnatus ad mortem, quamvis poſſit fugere ut mortem evadat, licet tamen ei ibi manere & patienter mortem expectare: injuſtè autem damnatus, ſi poſſit, debet fugere, ſed non ſemper, v Reus. p.758.n.12.
Invalidè profeſſus, vel tenetur priorem profeſſionem ratam habere, vel oblatâ commodâ fugiendi occaſione in partes remotas ſecedere, ubi ſine ſcandalo vivere poſſit: hæc tamen fuga propriâ auctoritate tunc tantùm eſt licita, quando in foro Eccleſiæ invaliditas profeſſionis probari non poteſt, v. Profeſſio. p.702.n.13.
Servi bello ita juſto capti, ut de juſtitia capientium & injuſtitia adverſariorum conſtet, poſſunt licitè fugere ad ſuos, non tamen vi reſiſtere dominis perſequentibus, v. Servus. p.783.n.11. ubi plura p.784.n.12.& 13.

Furtum.

Furtum deducitur à ferendo, id eſt, ab auferendo; nam fur aufert ab alio & ſibi affert. p.359.n.1
Furtum verè & propriè eſt ablatio filij, aut filiæ, vel uxoris alienæ, ut in ſervitutem redigantur: ſi tamen quis eas auferret ad carnaliter eis utendum, alterius ſpeciei peccatum committeret. ibid.n.2
Species furti generaliter accepti, ſunt; Simplex furtum; Peculatus; Plagiatus; Sacrilegium; Abigeatus; Rapina. ibid. n.3
Rapina trifariam ſumi poteſt: Primò, latiſſimè pro uſurpatione ejus, quod ſibi non debetur: Secundò, prout comprehendit furtum, ac quamcumque injuſtam acceptionem: Tertiò, ſumitur propriè, prout diſtinguitur contra furtum. ibid.n.4
Rapina eſt injuſta ablatio rei alienæ manifeſta & violenta: unde ad rapinam pertinent, latrocinium, defraudatio mercedis operariorum, &c. ibid.
Furtum non eſt peccatum gravius fornicatione: tamen in particulari dari poteſt aliquod furtum gravius fornicatione, ratione quantitatis furti, aut alterius circumſtantiæ. p.360.n.5.
Rapina etiam majus eſt peccatum, quàm furtum: hinc qui rapinam commiſit, non ſufficienter explicat in confeſſione, ſi ſe accuſet de furto alicujus rei, ſed rapinam debet exprimere. ibid.
Furtum rei parvæ, etſiamſi ex affectu nocendi, aut rei alienæ cupiditate fiat, dummodo ea cupiditas animuſque nocendi ad materiam notabilem non ſe extendat, non eſt peccatum mortale. ibid n.6
Qui habet animum furandi nihil cogitans de notabili, aut parvo, niſi limitetur ad rem minimam, peccatum mortale committit. ibid.n.7
Furtum ex objecto ſuo leve & veniale in multis caſibus efficitur mortale. ibid.n.8
Quantitas, quæ ſufficit ad furtum mortale, non eſt ſufficiens ad licitè fulminandam excommunicationem, quamvis excommunicatio ſit valida. p.361.n.9
Qui furatus eſt levem materiam, non ligatur excommunicatione lata contra fures, ſed non ſemper hoc accidit. ibid. n.10
Qui furatus eſt à ſartore acum, ob cujus ablationem ſartor paſſus eſt notabile damnum, non afficitur excommunicatione lata contra fures. ibid.n.11
Furari ab infidelibus Chriſtianos ſervos in captivitate detentos, unicuique licitum eſt, & ad libertatem illorum adjuvare, ſive occulte, ſive per vim manifeſtè. ibid. n.12
Si excommunicatio feratur contra injuſtos detentores, aut damnificatores, hic, qui furripuit acum, centurâ ligabitur niſi quamprimùm reſtituat. ibid.
Qui rem ſuam per vim aufert ab altero, cùm aliter, ſeu juridicè eam recuperare non potuit, à peccato rapinæ excuſatur. ibid.n.13
Princeps, aut poteſtas publica accipiens etiam per vim rem civium ſuorum, aut externorum juxta leges juſtitiæ, rapinam non committit: ſecus ſi id fiat contra juſtitiam. ibidem.
Præceptum Decalogi *Non furtum facies*, juxta probabilem ſententiam, non habet in Chriſtianis ſurripientibus res ab infidelibus ex conſenſu Principum Chriſtianorum, locum; hoc tamen fallit in quibuſdam caſibus. ibid. n.14
Infideles, qui de jure ſubduntur Chriſtianis Principibus, ſed non de facto, quales ſunt illi, qui vi occupant terras, quæ aliquando fuerunt Chriſtianorum, ut Afri, Saraceni & Turcæ, bonis ſpoliari poſſunt. ibid.
Infideles, qui nec de jure nec de facto ſubjecti ſunt ſecundùm juriſdictionem temporalem Principibus Chriſtianis, quales ſunt Pagani, bonis ſpoliari non poſſunt, nec à privata perſona, nec à poteſtate publica, niſi vel impedirent Prædicationem Euangelij, vel fideles moleſtarent, vel innocentes comederent, &c. p.362.n.15
Infideles, qui ſunt ſubditi Principibus Chriſtianis de facto & de jure, ut Judæos in Italia & Germania, Hæreticos vel Mauros, qui in terris Catholicorum degunt, poteſt Princeps bonis & vita privare, vel propter delicta, vel ob commune bonum. ibid.n.16
Qui furatur rem ſacram ex loco ſacro, tenetur in confeſſione utramque circumſtantiam explicare: licet contrarium non ſit improbabile. ibid.n.17
Pro uno inſigni furto vel pluribus repetitis licitum eſt occidere fures, juxta leges & conſuetudines Provinciarum. ibid. n.18
Quando ſartoribus minus ſolvitur, quàm merentur facturæ, probabile eſt, illos poſſe ſibi compenſare & ſatisfacere fragmentis, quæ ſuperſunt; licet quibuſdam hoc non placeat: quorum opinio eſt etiam probabilis. ibid.n.19

G

Gabella.

NOn debetur duplex Gabella, quando diſſolvitur contractus venditionis & emptionis ex mutuo contrahentium conſenſu. Imò ſi contractus incontinenti diſſolvatur, non debetur gabella; ſecus ſi diſſolvatur ex intervallo. p.363.n.1
Gabella, ſeu tributum ſolvendum eſt à Chriſtianis tranſeuntibus vel negotiantibus per regnum Principis infidelis, qui juſto titulo poſſidet regnum; ſecus ſi injuſto, niſi præcedat pactum de illis ſolvendis. ibid n.2
Gabellam non tenentur ſolvere deprehenſi in fraude, ſi pœnam ſolvant: volente tamen fiſcali & exigente, fraudator ad pœnam & gabellam tenebitur. ibid.n.3
Juſtæ cauſæ imponendi gabellas, vectigalia, ſeu tributa, variæ ſolent enumerari. ibid.n.4
Forma ſervanda in impoſitione gabellarum, vectigalium, ſeu tributorum, eſt, ut ſervetur juſtitia diſtributiva, hoc eſt, juſta & æqua proportio, ne unus magis gravetur, quàm alius. p.364.n.5
Servanda eſt etiam proportio cum neceſſitate, propter quam gabella imponitur: & etiam in ordine ad vires regni & populorum. ibid.
Comites, Marchiones, Duces & ſimiliter Regi ſubjecti, qui gabellas imponunt, cùm ad id non habeant facultatem, peccant mortaliter contra juſtitiam, & ad reſtitutionem tenentur, excommunicationemque Bullæ Cœnæ Domini incurrunt. ibid.n.6
Conſuetudo antiqua, de cujus initio non extat memoria, conferre poteſt alicui jus imponendi gabellas. ibid.n.7
Gabellarum debitor, qui merces tranſfert, ex quibus gabellam debet, regulariter tenetur in conſcientia quantitatem mercium ſignificare, & ſolutionem integram exhibere: exceptis quibuſdam caſibus. ibid.n.8
Princeps hæſitans an cauſa ſit juſta, & gabellam imponit cæco more progrediens, mortaliter peccat; ſicut & exactor nomine Principis gabellam petens, ſi id ſciat; teneturque ad reſtitutionem. ibid.n.9
Quando ſubdito non conſtat Principem peccare in Conſtitutione gabellæ, tunc eſto ipſe dubitet de juſtitia ejus, licitè poteſt eam exigere, ſi id præcipiatur à Principe. ibidem.
Qui non eſt ſubditus, aut ſi eſt, non compellitur, ſed ſua ſponte ſe offert ad exigendam hujuſmodi gabellam, ſi dubius de juſtitia cauſæ exigat, peccat mortaliter & tenetur ad reſtitutionem. ibid.
Non poteſt Princeps ceſſante omninò cauſâ in ſpecie vel in genere gabellæ, eam exigere titulo præſcriptionis. ibid. n.10
Princeps exigens pedagia pro tutandis vijs, quibus merces tranſferuntur, & non defendit, tenetur de damno, & viatores

tores defraudantes pedagia, non peccant, nec ad reſtitutionem obligantur. ibid. n. 11
Externi gabellas, ſeu vectigalia fraudantes, peccant. p. 365. n. 12
Actor mercatoris, qui tranſigit cum gabellarijs, non poteſt ſibi retinere pretij exceſſum quem ſoluiſſet, ſi non tranſegiſſet; ſecus ſi non eſt actor, nec mandatum accepit ad tranſigendum. ibid. n. 13
Conceſſio vectigalium, aut novi tributi quæ comitijs coactis fieri ſoler, etiamſi extorqueatur metu reverentiæ, aut quovis alio gravi, valet in conſcientia, nec Princeps obnoxius eſt reſtitutioni, modò ſufficiant ad illud tributum ſolvendum vires regni. ibid. n. 14
Qui abſque cauſa juſta, nimirum neceſſitatis vel utilitatis magnæ, ſive boni publici, novas gabellas imponunt, & ijs populum opprimant, peccant mortaliter & tenentur ad reſtitutionem. ibid. n. 15
Qui gabellas ob neceſſitates boni publici juſtè inſtitutas, ceſſantibus neceſſitatibus, abſque juſta cauſa in multos annos producunt, & velut perpetuas perennare volunt ſolius lucri prætenſione, peccant mortaliter, & ad reſtitutionem obligantur. ibid. n. 16
Gabellæ & tributa bene imponuntur agris publicis, vijs regijs, pontibus, fluminibus navigabilibus, mercibus, vino, &c. ſed melius imponerentur auro, gemmis, byſſo, ſerico, rhedis, equis phaleratis, &c. ibid. n. 17
Collectores gabellarum mortaliter peccant, qui cum multa violentia, damnificatione & injuria pauperum tributa & gabellas exigunt, cum non ſint ſolvenda. ibid. n. 18
Qui gabellas & vectigalia, pro cauſa neceſſitatis publicæ exacta, vel in privatos uſus, vel in largitiones prodigas, aut in cauſas bono communi actu non neceſſarias, expendunt & diſtrahunt, peccant mortaliter, & ad reſtitutionem tenentur. ibid. n. 19

Generalis.

Generales Ordinum religioſorum poſſunt ad ſe avocare cauſas pendentes coram inferioribus Prælatis, niſi aliter per ſpeciales conſtitutiones alicujus religionis ſtatuatur, aut in ſpeciali, aut in generali, v. Avocatio cauſarum. p. 73. n. 1.
Generales Ordinum hodie ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ conceſſione, ut plurimum, ſtatim ac ſunt canonicè electi, intelliguntur per Summum Pontificem confirmati, v. Electio. p. 267. n. 20.
Generales Ordinum poſſunt irritare vota omnium ſuorum ſubditorum, exceptis votis, quæ ultra tria religionis ſubſtantialia emittuntur in aliquibus religionibus, approbante Sede Apoſtolica, v. Votum 2. p. 873. n. 11.
Generales abolere poſſunt accuſationem coram ipſis factam adverſus religioſum ſubditum, aut impedire accuſatorem, ne illam proſequatur, modò id faciant ex juſta cauſa, nec non ultra ſcandalum, & accuſatio facta ſit à religioſo ipſius reſpectivè ſubdito, v. Accuſatio. p. 28. n. 13.

Gratia.

Gratiam baptiſmalem æqualem omnes infantes recipiunt, v. Baptiſmus IV. p. 84. *num.* 2. ubi plura, *num* 3. 4 & 5. & *ſequent.*
Gratia ex opere operantis confertur in ipſo actu conjugali, ut in alijs actibus bonis, non autem ex opere operato, licet aliquando poſſit etiam conferri ex opere operato, nempe quando matrimonium perficitur per copulam, quod erat prius per verba de futuro initum, v. Debitum conjugale 1. p. 204. n. 1.
Gratia prima, id eſt, donum illud quo aliquis juſtificatur, non cadit in meritum ex condigno, hoc eſt, nullus poteſt ſibi mereri primam gratiam, v. Meritum. p. 552. n. 11.
Gratiam primam actualem neque poteſt quis ſibi mereri de congruo, habitualem probabiliter poteſt. ibid.
Gratiam primam nullus juſtus, ſive Angelus, ſive purus homo poteſt alijs mereri de condigno. Ex congruo poteſt juſtus & alia dona. ibid. p. 553. n. 12. ubi plura n. 13. 14.

Gratitudo.

Gratitudo generatim eſt virtus, quæ reſpicit debitum ex beneficio accepto natum, & ut illi aliquo modo ſatisfaciat, rependit aliquid benefactori, ut actionem gratiarum, obſequium, cultum, &c. v. Ingratitudo. p. 423. n. 1.
Gratitudo extendit ſe ad Deum, parentes, Superiores & ad omnes, à quibus aliquid beneficij accepimus. ibid.
Gratitudo eſt virtus ſpecialis ab alijs diſtincta. ibid.
Gratitudinis officia, juxta D. Thomam, ſunt tria: Primò, beneficium agnoſcere: Secundò, laudare & gratias agere: Tertiò, retribuere loco & tempore, pro ſua facultate. ibid. p. 424. n. 2.

H

Habitus.

HAbitum ſuæ religionis tenentur portare religioſi Cardinales, ſi tamen illum dimittant, verius eſt, non incurrere excommunicationem latam in c. *Vt periculoſa. Ne Clerici, vel Monachi, in* 6. v. Cardinalis. p. 132. n. 11.
Habitum mutare debet ingrediens religionem, & illum de ea religione, quam ingreditur, per manus Prælati vel alterius de ejus licentia ſuſcipere, v. Novitiatus. p. 591. n. 2.
Habitus religioſorum eſt triplex: Primus eſt habitus probationis, qui datur Novitijs: Secundus, habitus converſionis, quo utuntur ij, qui dicuntur converſi: Tertius, habitus profeſſionis, qui eſt profeſſorum proprius. ibid.
Novitius, quamdiu religionis habitum retinet, non poteſt licitè matrimonium contrahere, quamvis ſi matrimonium contrahat, matrimonium ſit validum. ibid. p. 597. n. 18.
In religionibus, ubi Novitiorum habitus non diſtinguitur ab habitu profeſſorum, per illius delationem inducitur tacita profeſſio, ſi Novitius per annum integrum & continuum illum deferat, expleto 16. ſuæ ætatis anno, concurrentibus alijs conditionibus de jure requiſitis, v. Profeſſio. p. 700. n. 6.
Quando patenter diſtinguitur habitus Novitiorum ab habitu profeſſorum, per nullam cujuſcumque temporis delationem talis habitus Novitiorum profeſſio tacita inducitur, niſi completo Novitiatus anno perſeveraverit triduo exercens aliquem actum profeſſis ſolis competentem. ibidem.
Si Novitius peculiarem habitum profeſſorum ſuſcepit, ſimultque actum ad profeſſos dumtaxat ſpectantem geſſit, non eſt neceſſaria tridui perſeverantia, ſed immediatè inducitur profeſſio tacita. ibid.
Qui reclamare intendit contra profeſſionem, habitum ante reclamationem deponere non poteſt, alias non eſt audiendus, niſi juſtam habeat cauſam habitus dimittendi. ibid. p. 703. n. 14.
Probabilius eſt regularem, retento habitu religionis propriæ, ſæcularem induentem, ut ſic incognitus incedat, affici juris excommunicatione: quamvis contrarium ſit etiam probabile, verb. Regulares, pag. 710. *num.* 4. ubi plura *num.* 5. & *ſeqq.*
Habitum religionis concedere volentibus eam ingredi, ſpectat ad Prælatos, quibus religionis cura demandata eſt, v. Religio. p. 717. n. 1.
Per unam, aut alteram habitus dimiſſionem Clericus conjugatus non amittit privilegia, dummodo alias continuò habitum deferat, v. Clericus. p. 158. n. 13.
Clericus prima tonſura initiatus, aut in minoribus conſtitutus, ſi non incedat in habitu & tonſura, & non obſervet requiſita Concilij Tridentini, juxta probabilem ſententiam, privilegio Canonis non gaudet, ſed contraria eſt tenenda, v. Excommunicatio V. p. 324. n. 2. ubi plura n. 3. & 4.

Hæres, Hæreditas.

Hæres dicitur, qui ſuccedit in univerſum jus defuncti; Hæreditas autem eſt ſucceſſio in univerſum jus, quod habuit defunctus. p. 366. n. 1.
Hæredes alij ſunt ſui ac legitimi: alij legitimi tantùm: non hæres alius eſt ab inteſtato: alius teſtamentarius: alius commiſſarius: alius ſubſtitutus: alius legatarius: & alius domeſticus. ibid. n. 2.
Hæreditas plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ *aſſis* appellatione continentur; habent autem & partes ſingulæ propria nomina. ibid. n. 3.
Qui inſtituitur ex parte aliquota hæres, onera hæreditatis proportione partis ſuæ ſuſtinere cogitur. ibid. n. 4.
Legitima portio deſcendentium novo jure eſt triens hæreditatis, ſi non plures quàm quatuor liberi maſculi vel feminæ exiſtant; ſemis autem, ſi plures, quàm quatuor. ibid. n. 5.
Legitima portio omnibus liberis debita, locum non habet in Regnis, Ducatibus, Comitatibus, &c. Magnatum, neque in bonis feudalibus, quæ dicuntur ex pacto & providentia, ſecundùm liberalitatem concedentis. p. 367. n. 5.
Legitima portio aſcendentium eſt triens hæreditatis, quæ deficientibus deſcendentibus, debita eſt parenti uni, vel utrique ſuperſtiti; ſi autem neuter parens ſuperſit, ſuccedunt avus & avia in locum patris. ibid.
Legitima portio relinqui debet hæredibus neceſſarijs titulo honorabili inſtitutionis ſine ullo appoſito gravamine, modo & conditione. ibid.
Hæres, cui teſtator mandavit in teſtamento, ut faciat quod ſibi

ſibi dictum fuerit à Confeſſario, tenetur facere, quantùm veroſimile eſt, teſtatorem confeſſario mandaſſe, pag.367. num.6

Hæres in ijs, quæ pertinent ad pias cauſas, tenetur in conſcientia adimplere voluntatem teſtatoris, quam ipſe teſtator expreſſit in ſchedula vel ſubſcripta manu propriâ. ibidem.

Hæres conſtitutus in gravi neceſſitate non excuſatur à ſolutione legati ad celebrandas Miſſas pro animabus Purgatorij. ibid.n.7

Ad hæredes non tranſmittitur obligatio juramenti, quando factum hominis non cadit ſupra contractum validum, nec illum facit validum. ibid.n.8

Hæres gravatus ſi committat delictum, ratione cujus bona ipſius applicantur fiſco; hæreditas non eſt reſtituenda fideicommiſſario, ſed fiſcus eâ uti poteſt, donec moriatur hæres gravatus, vel alia ratione adveniat tempus reſtitutionis, niſi aliter conſtet de mente teſtatoris. ibid.n.9

Hæres eo ordine perſolvere debet debita, quo defunctus ſolvere debuit: debita enim contracta per defunctum præponi debent legatis pijs. ibid.n.10

Hæredes ab inteſtato ſuccedunt nullo condito teſtamento; aut condito quidem, ſed illegitimè, aut poſtea rupto, aut irrito facto. ibid.n.11

Hæreditas, alia dicitur delata, & alia adita. p.368.n.12

Poteſt quis donare ad cauſas pias hæreditatem, ſi quæcumque illi ante mortem obvenerit, & hoc ſpectato jure naturali gentium & Canonico, non obſtante diſpoſitione juris civilis in contrarium. ibid.

Religioſus jure communi poſt profeſſionem non minus ſuccedit ex teſtamento & ab inteſtato, quàm ſi eſſet in ſæculo, nec poſſunt parentes eum legitimâ private, modo Monaſterium ſit capax: ſecus de Monaſterijs, quæ non habent jus ſuccedendi, ut ſunt Ordines Minorum de Obſervantia & Capucinorum. ibid.n.13

In aliquibus regnis hoc jus commune contrariâ conſuetudine abrogatum eſt. ibid.

Hæreditatis repudiatio in fraudem creditorum in utroque foro valida eſt, & proinde ſucceſſor tutâ conſcientiâ poſſidere poteſt: repudians tamen peccat mortaliter contra charitatem; imò, juxta aliquos, etiam contra juſtitiam. ibid.n.14

Hæreditatis paternæ renunciatio facta à filio metu reverentiali patris abſque minis, non reſcinditur in foro externo: tamen in foro conſcientiæ, ſi ea renunciatio involuntariè fiat metu illo ſolo, pater tenetur reſtituere hæreditatem ſic renunciatam. ibid.n.15

Hæreditatis futuræ renunciatio nullius roboris eſt, niſi juramento firmata ſit: excipiantur tamen duo caſus. p.369. num.16

Hæreſis, Hæreticus.

Hæreſis Græca dictio eſt ſignificans electionem & ſectam. Unde hæreſis, ex qua quis hæreticus ſit, eſt pertinax error manifeſtæ veritati Catholicæ contrarius, in eo qui fidem profeſſus eſt. p.369.n.1

Hæreticus non eſt Catechumenus, negans fidem, ibid.n.2

Hæreticus non eſt fictè baptizatus recedens à fide; licet Eccleſia fictionis ignara eum tanquam hæreticum puniat, ibid.n.3

Verius eſt invalidè baptizatum, non eſſe hæreticum, ſi recedat à fide; quamvis Eccleſia præſumat eum hæreticum eſſe, donec de nullitate Baptiſmi conſtiterit. ibid.

Hæreſum cauſæ, quædam ſunt interiores, quædam exteriores interiores ſunt peccata, quæ excæcant hominum mentes, ut ſunt *Superbia, Avaritia, Luxuria.* p.350.n.4

Hæreſum cauſæ exteriores ſunt: Primò, defectus Prædicationis Verbi Dei: Secundò, temeraria Prædicatio quorumlibet: Tertiò, eſt negligentia Epiſcoporum & Paſtorum Eccleſiæ: Quartò, Epiſcoporum & Paſtorum indignitas: Quintò, eſt tranſlatio Scripturæ ſacræ in vulgarem linguam: Sextò, eſt lectio inordinata, ſeu frequentior librorum gentilium. ibid.n.5

Hæreſis natura conſiſtit in electione falſa eorum, quæ credenda ſunt, & ad fidem pertinent, cum contumacia. ibid. n.6

Non ſunt hæreſis actus externi, ſed quædam manifeſtationes ipſius: unde ad hæreſim, non tam verba dicentis, quàm mens debet attendi. ibid.

Hæreticus non eſt, qui negat propoſitionem Theologicam, quæ evidenter infertur ex propoſitione de fide: in foro tamen externo talis præſumetur hæreticus. ibid. num.7

Nulla eſt hæreſis ſine pertinacia: ad pertinaciam autem ſufficit, quòd ſciens quis aliquid eſſe de fide, deliberatè illud non credat, perſiſtens in ſua opinione, neglectâ auctoritate Eccleſiæ. ibid.n.8

Hæreticus pertinax eſt, qui falsò putans aliquid eſſe ab Eccleſia definitum, contrarium ſentit. p.371.n.9

Qui divinæ revelationi privatim ſibi factæ pertinaciter diſſentit, habens ſufficientia indicia revelationem à Deo eſſe, verè ac formaliter infidelis eſt. ibid.n.10

An autem talis ſit dicendus hæreticus? Verius eſt, propriè loquendo, nec hæreticum appellari, nec hæreticorum pœnis ſubjectum cenſeri debere: licet talis infidelitas ab hæreſi eſſentialiter non differat, & ad eam ſit reducenda. ibid.

Probabilius eſt, teſtes ſingulares, in nullo unquam caſu hæreſim ſufficienter probare, nec poſſe aliquem ex vi teſtificationis ipſorum juſtè condemnari: quamvis quidam contrarium dicant. ibid.n.11

Quando de eadem ſpecie hæreſis plures teſtes deponunt contra aliquem, quamvis ſint ſingulares in loco, tempore, & etiam in facto, dummodò tamen facta & propoſitiones pertineant ad eandem ſpeciem hæreſis, non ſunt ſingulares, ſed omnino conteſtes, & ideò ſufficienter probant in ordine ad condemnationem. ibid.n.12

Hæreſis ſufficienter probatur per teſtes diſcordes in verbis, concordes tamen in ſubſtantia. p.372.n.13

Nonnulli opinantur plures teſtes ſingulares abſque alijs indicijs, præſumptionibus, & adminiculis ſufficere pro tortura in crimine hæreſis; contraria tamen tutior eſt & tenenda. ibid.n.14

Quando teſtes ſingulares deponunt contra aliquem diverſos actus & ſpecies hæreſis, an poſſit puniri ut hæreticus? Multi negant: verior tamen ſententia aſſerit talem poſſe damnari. ibid.n.15

Hebetudo ſenſus.

Hebetudo eſt debilitas mentis, quâ quis difficulter poteſt intelligere vel conſiderare res ſpirituales; & iſta debilitas eatenus eſt peccatum, quatenus provenit ex voluntaria occupatione circa res terrenas & carnales; unde fit, quod quis de ſpiritualibus diſcutere nequit, negligit vel faſtidit. Oritur autem hebetudo ex gula, v. Ignorantia. p.404. n.13

Hercules.

Hercules genitus eſt ex adultorio Alcmonæ. Orbem terræ peragravit, quem ſtupris, libidinibus, adulterijs; rapinis quoque, latrocinijs, homicidijs totum inquinavit: quin & ſuam uxorem cum liberis interemit, v. Idololatria. p.394. n.3.

Hermaphroditus.

Hermaphroditus inhabilis eſt ad ingreſſum religionis, quicumque ſexus in eo prævaleat: & talis poteſt expelli & habitu ſpoliari etiam poſt profeſſionem, ſi tacuerit ſuum defectum in ingreſſu religionis: & tales debent excludi ab Ordinibus & beneficijs, v. Novitiatus. p.595.n.14.

HOMICIDIUM

Voluntarium & caſuale.

Homicidium ex nomine ſignificat occiſionem, quomolibet factam juſtè, ac injuſtè. p.373.n.1

Homicidium aliud voluntarium dicitur, aliud non voluntarium, quod appellatur caſuale. ibid.

Homicidium quod voluntate fit, eſt duplex; vel enim directè & expreſsè volitum eſt, ut dicitur homicidium ex propoſito; vel volitum eſt indirectè interveniente culpa, ſed non dolo, quod duobus modis poteſt contingere. ibidem.

Homicidium voluntarium aggravatur ex modo occidendi; puta, ſi quis hominem interficiat, ab altero pretio vel præmio conductus; ſi quis ex inſidijs, vel veneno hominem occidat. ibid.n.2

Omne & ſolum illud homicidium prohibetur in præcepto *Non occides*, quod intrinſecam deformitatem dicit ad rationem, & quæ contra charitatem & juſtitiam eſt, ibid. num.3

Qui ſeipſum occidit, peccat & contra charitatem ſui & contra juſtitiam, ob injuriam factam Reipublicæ, ibid. num.4.

Licitum eſt & laudabile, vitam corporalem in aliquo eventu, ad ſervandam vitam corporalem amici æqualis conditionis certo periculò exponere; tamen pro quolibet & temerè vita exponenda non eſt. p.374.n.5

Non poteſt reus condemnari ut ipſe ſumat venenum vel aperiat ſibi venam ex qua per totius ſanguinis effuſionem ſit moriturus; & ſi ad id condemnetur, non licet, neque poteſt parere ſententiæ. ibid.n.6

Quamvis homo teneatur non abrumpere vitam ſuam, non tamen tenetur ad vitam prolongandam cibis optimis & delicatioribus uti, etiamſi poſſit, ſed communibus naturaliter productis. ibid.n.7

Si quis cibo nocivo uteretur, vel ſingulari inedia ſcienter &

ex

ex ſapientum ſententia exinde vitæ ejus brevi abrumperetur, non excuſaretur à peccato mortali. ibid. n. 8
Licitum eſt aliquando ſe mutilare, quando ſcilicet ſalus totius corporis abſciſſionem requirit. ibid. n. 9
Parentibus non licet caſtrare filium, ut cantu poſſit Eccleſiæ melius deſervire, quamvis aliqui Doctores putent id eſſe licitum, modò fiat ex conſenſu filij. p. 375. n. 10
Occidere invaſorem licet, etiamſi ille qui invaditur, fuerit in culpa prius, ut alter ipſum aggrederetur. ibid. n. 11
Qui ſe defendit contra injuſtum aggreſſorem, juxta veram ſententiam Doctorum, non poteſt intendere mortem ejus, ſed tantùm ſe tueri moderatè; modo poſſit aliter evadere; ſed quia hoc eſt difficile in praxi, contrarium non eſſe improbabile ab alijs judicatur. ibid. n. 12
Probabile eſt juſtè condemnatum ut fame moriatur, teneri ad comedendum, ſi illi clanculum cibus ſubminiſtretur; contraria tamen ſententia non eſt improbabilis. ibid. n. 13
Aſſumere venenum vel permittere ſe a ſcorpione vel vipera morderi ad experiendam theriacam, licitum eſt, concurrentibus tribus conditionibus. p. 376. n. 14
Jure naturæ non eſt prohibitum Clericis, ut malefactores occidant, ſed ſolo humano jure poſitivo. ibid. n. 15
Clerici, qui jure hæreditario vel ratione Prælaturæ dominium temporale habent, poſſunt ex Summi Pontificis privilegio per ſcriptos ſententiam mortis in malefactores ſibi ſubditos ferre. ibid. n. 16
Non poteſt Princeps, aut Reſpublica legem ſtatuere, aut facultatem alicui concedere abſolutè, ut quis ante judicis ſententiam malefactorem occidat; niſi quando crimen eſt publicum & notorium. ibid. n 17
Poteſt Princeps vel Reſpublica concedere facultatem hominibus privatis occidendi malefactores in aliquibus caſibus poſt latam ſententiam & declaratoriam criminis, quâ quis juſtè ad mortem damnatus eſt. ibid. n. 18
Non poteſt judex occidere eum, qui modò innocens eſt, licet timeatur prudenter de illo, quòd futurus ſit poſtea Reipublicæ noxius, multaque & gravia mala contra eam commiſſurus. ibid. n. 19

HOMICIDIUM

Quoad reſtitutionem.

Quatuor modis poteſt quis alterum lædere in corpore; & duo mala poſſunt conſiderari in hujuſmodi læſionibus. p. 377. num. 1
Occidens aggreſſorem tenetur ad reſtitutionem ex dolo & lata culpa, non autem ex levi, vel leviſſima. ibid. n. 2
Quando ex vulnere relinquitur ſignum in facie vel alia deformitas, & ex ea naſcitur damnum in temporalibus, tenetur lædens refarcire hoc damnum. ibid. n. 3
Verior ſententia ſuſtinet occidentem invaſorem rerum ſuarum non peccare contra juſtitiam, nec teneri ad reſtitutionem, quamvis officio judicis eas recuperare poſſit: licet peccet contra charitatem. ibid. n. 4
Si fur fugiat cum tuo equo, potes eum fugientem telo vel ſagitta occidere, ſi admonitus non deſiſtat. ibid.
An autem peccent mortaliter contra juſtitiam, vel ſolùm contra charitatem, Clerici, Religioſi, aut etiam infimæ conditionis homines, qui alapâ percuſſi, aut fuſte, non ſibi conſulunt fugâ, cùm poſſint fugere, ſed repercutiunt & occidunt invaſorem? Alij affirmant, alij negant. p. 378. num. 5

Honeſtas publica.

Honeſtatis publicæ impedimentum dirimens matrimonium oritur ex ſponſalibus nullis ex defectu conſenſus, vel ob aliud impedimentum occultum: quamvis contraria ſententia ſit etiam probabilis, v. Matrimonium II. p. 535. *num.* 41. ubi plura de hoc impedimento *n.* 42. 43. 44. & 45.

Honor.

Honor eſt exhibitio reverentiæ in teſtimonium alicujus excellentiæ, hinc ratione ejus in alium finem, vel eſt teſtimonium de excellentia alterius. p. 378. n. 1
Honor diſtinguitur à reverentia; à laude; & à gloria. ibid. num. 2
Excellentia, quam reſpicit honor, potiſſimùm conſiſtit in ſapientia & virtute, quæ etiam ſanctitas dicitur. ibid. num. 3
Inter honorem & famam, eſt etiam differentia, ibid. n. 4
Honor & cultus etiam differunt. ibid. n. 5
Remiſſio reſtitutionis honoris regulariter non cenſetur facta per familiarem conſuetudinem, ſeu converſationem cum eo, qui contumeliam intulit: niſi fortè adſint expreſſa indicia ex quibus remiſſio contumeliæ colligatur. pag 379. num. 6.

HORÆ CANONICÆ.

Qui teneantur ad Horas.

Horarum Canonicarum ſeptenarius numerus tribus de cauſis eſt potiſſimum inſtitutus. p. 379. n. 1
Quamvis Horæ Canonicæ dicantur Officium divinum, non ideò tamen jure divino inſtitutæ ſunt, ſed tantùm Eccleſiaſtico. ibid. n. 2
Divinum Officium convenientiſſimè in partes ab Eccleſia diſtributum eſt, v. g. in Officium nocturnum & diurnum. ibid. n. 3.
Beneficiarius præcepto perſolvendi Horas Canonicas, non ſatisfacit, ſi per alium recitet. p 380. n. 4
Qui beneficium obtinuit per ſimoniam, aut per aliam cauſam, ob quam collatio beneficij fuit nulla, ad Horas non tenetur. ibid. n. 5.
Qui beneficium accepit cum onere ſolvendi alteri omnes fructus in penſionem, tenetur Horas Canonicas recitare, ibidem.
Conventus, ſeu Capitulum Canoniſſarum Montenſium, Malbodienſium, Nivellenſium & ſimilium in Belgio, ſingulæque de Capitulo obligantur ſub peccato mortali, ut quotidie in earum Eccleſijs Officium divinum fiat. ibidem num. 6
An autem Canoniſſæ illæ omittentes Officium uno vel altero die, dum chorum non frequentant, peccent mortaliter, & teneantur ad reſtitutionem pro rata Officij omiſſi? Negat Leſſius; affirmat Stephanus d'Alvin: ſed tu Lector judica. ibid.
Probabile eſt penſionarium, qui ut Clericus percipit penſionem, non teneri ad Horas B. Mariæ Virginis, ſi reciter Horas Canonicas. ibid. n. 7
Si penſionarius liberaliter ceſſerit penſioni in totum, exemptus erit ab obligatione dicendi Officium. ibid.
Ille, cui reſignatum eſt beneficium, reſervatis omnibus beneficij fructibus, tenetur ad Horas Canonicas perſolvendas, ratione tituli, quem habet. ibid. n. 8
Religioſus vel Clericus, qui mane antequam profeſſionem emitteret, vel Subdiaconatum ſuſciperet, recitavit Officium, juxta quoſdam tenetur hoc non obſtante, illud iterum recitare: probabile tamen eſt contrarium. ibid. n. 9
Quando dubium eſt, an beneficiarius teneatur ad Horas ob tenuitatem beneficij? Quidam dicunt teneri, alij negant. p. 381. n. 10

HORÆ CANONICÆ

Quoad modum & formulam eas dicendi.

Qui duo beneficia poſſidet in duabus Eccleſijs, quæ diverſis utuntur Officijs, adhibendum eſt Breviarium, quod adhibetur in Eccleſia, in qua beneficiarius reſidet. p. 381. n. 1
Ex juſta cauſa poteſt fieri mutatio Officij in aliud etiam ſine ullo peccato. ibid. n. 2
Non poteſt Clericus relinquere Officium proprium ſuæ Eccleſiæ, in qua habet beneficium & reſidet, ut utatur Officio alterius Eccleſiæ. ibid. n 3
Clerici ſcholaſtici, dum in ſtudio litterarum verſantur, jure novo, eſt eis tenenda novi Breviarij Pij V. formula, in Officio Eccleſiaſtico perſolvendo. ibid. n. 4
Qui recitando divinum Officium volvit multo tempore paginas ut quærat Pſalmos, &c. ſatisfacit obligationi. p. 382. num. 5
Si quis recitando Horas Canonicas vacet alteri rei, quæ non impediat debitam attentionem, ſatisfacit obligationi: hoc tamen non eſt paſſim ad praxim deducendum, niſi urgente neceſſitate, propter decentiam. ibid. n. 6
Quando mutatio formæ Officij redundat in tranſgreſſionem præcepti, quoad ſubſtantiam illius, & non tantùm quoad modum, peccatum eſt mortale. ibid. n 7
Prælati Eccleſiarum in Officij divini ordinatione, quinque præcipuè ſervare debent. ibid. n. 8
Mos vetuſtus Eccleſiæ eſt ut Laudes divinæ alternatim à pſallentibus dicantur. ibid. n. 9
Non ſatisfacit præcepto, qui medietatem Matutini recitat & aliam medietatem audit à ſocio, vel qui recitat integrum Matutinum & Laudes, & poſtea audit Horas & reliqua à ſocio. ibid. n. 10
Qui legit Horas aliquas de Dominica, & reliquas de Sancto, peccat mortaliter. p. 383. n. 11
Cùm Novitij gaudent privilegijs profeſſorum, faciunt corpus communitatis & poſſunt in choro communi divino Officio ſatisfacere. ibid. n. 12.
An autem Frater Minor obligatus ex vi regulæ ſuæ ad Brevia-

Breviarium Romanum, ſatisfaciat ſuæ obligationi recitans Officium cum Carmelitano ? Quidam affirmant, alij negant niſi id fiat rarò. Ex privilegio tamen Innocentij IV. Fratres Minores exiſtentes extra conventum, poſſunt uti non Romano. ibid.n.13

Non poteſt Prælatus mutare aliquid de Breviario abſque licentia Summi Pontificis: poſſet tamen Prælatus diſpenſare cum ſubditis ex juſta cauſa, ut aliquando recitent de Sancto, die, quo eſſent recitaturi de feria. ibid.n.14

Regulares in celebrandis divinis Officijs debent Eccleſiæ matrici illius civitatis & Diœceſis conformari. Ex Conſtit. Gregorij XIII. ſignanter quoad feſtivitatem Patroni Diœceſis. ibid.n 15

Addere minimum vel diminuere de divino Officio, animo ut in perpetuum ſic duret tanquam pars divini Officij, quidam putant eſſe mortale; alij dicunt eſſe tantùm veniale, ratione parvitatis materiæ : imò nullum, ſi addatur ad majorem ſolemnitatem. p.384.n.16

HORÆ CANONICÆ.

Quoad tempus & locum ubi debeant recitari.

Non ſatisfacit præcepto; qui pridie recitat Officium pro ſequenti die, excepto Matutino Officio. p.384.n.1

Matutinum autem & Laudes recitari poſſunt ab hora quarta poſt meridiem: imò ab hora tertia, & probabiliter ab hora ſecunda : etjamſi quis non recitaſſet Veſperas & Completorium diei hodiernæ: quod alij non admittunt. ibid.

Hora congrua recitandi Matutinum cum Laudibus, juxta aliquos Doctores, eſt, cùm ſol magis diſtat à meridie, quam ob occaſu. ibid.

Uſu jam receptum eſt, ut Matutinum ſimul cum Laudibus perſolvi poſſit in Veſperis antecedentis diei : Laudes verò differri poſſunt uſque ad ſequentem diem. p.385.n.2

Concurrente juſtâ cauſâ Nocturna poſſunt recitari ſeparatim, ſaltem intra ſpatium trium horarum. ibid.

Quando Matutinum ſeparatur à Laudibus & fit quaſi diverſa hora, an dicendum ſit *Benedicamus Domino*, & Oratio Officij currentis & Laudes inchoandæ cum *Pater noſter* & *Ave*, more aliarum horarum? quidam affirmant; alij negant probabiliter. ibid.

Uſus recitandi Horas Canonicas in Eccleſia cum cantu laudabilis eſt, contra nonnullos hæreticos, qui damnarunt cantum in publicis horis. ibid.n.3

Cantus Eccleſiaſticus neque eſt per ſe malus, nec probibitus jure Eccleſiaſtico: quamvis magna cura habenda ſit hujuſmodi cantus, ne quis ſive cantans, ſive cantantes audiens, cantu abutatur ad vanitatem, faſtum, &c. ibid.

Eccleſiæ Cathedrales ſive Collegiatæ obligantur, ut in choro quotidie Officium divinum recitetur, cum ſolemnitate Horas Canonicas cantando. ibid.n.4

In Collegiatis Eccleſijs, in quibus tenues reditus habentur, conſuetudine immemorabili, vel ſaltem ſufficienter præſcripta, induci potuit, ut Canonici non teneantur ſingulis ſaltem diebus Horas publicè canere. ibid.

Eccleſiæ regulares ſunt etjam obligatæ ad Officium canendum in choro, juxta cujuſque conſuetudinem & inſtitutum. ibid.n.5

Hæc obligatio publicè in choro recitandi Horas præcipuè ſpectat ad Prælatos & Superiores præfatarum Eccleſiarum reſpectivè : Secundariò verò ad eos, quibus ex Officio incumbit; licet quidam putent, hanc obligationem non afficere ſingulos religioſos, ſed ſolam communitatem. ibid.

Prælati religionum peculiari obligatione tenentur habere curam, ut chorus ſicut par eſt frequentetur, & debent ipſimet frequentare, in quantum Officium permittit. p.386.n.6

Obligatio Eccleſiarum Parochialium de recitando quotidie Officio divino potuit contraria conſuetudine auferri. ibid. n.7

HORÆ CANONICÆ.

De reſtitutione facienda ob omiſſionem Horarum & de diſtributionibus.

Beneficiarius qui non recitavit Officium, ſi altero die ſupplear defectum commiſſum, non liberatur ab onere reſtituendi fructus: licet quidam contrarium ſentiant. p. 385; & ſeq.n 1

Qui primis ſex menſibus poſt obtentam beneficij pacificam poſſeſſionem recitavit Horas Canonicas, ſed ſequentibus ſex omiſit, non poteſt compenſare nec uti privilegio poſt ſex menſes. ibid.n.2

Qui elapſis ſex menſibus, Officium omittit, tenetur ad reſtitutionem fructuum perceptorum ſolùm poſt ſex menſes. ibidem.

Beneficiatus, qui omiſit Officium, poteſt ſibi retinere fructus, quos titulo donationis accepit à pauperibus, quibus traditi fuerunt, modò qui donarunt, liberam de illis diſponendi facultatem habuerint. ibid.n. 3

Canonicus, qui non interfuit divinis Officijs, non poteſt ſibi retinere diſtributiones, quarum remiſſionem obtinuit à reliquis Canonicis, quibus de jure obveniunt, niſi poſtea ſibi donatæ fuerint. ibid.

Regulares, ſive Prælati ſint, ſive ſubditi, qui non reſpectu beneficij, ſed alio jure ad Horas tenentur, omittentes eas recitare, non tenentur ad aliquid reſtituendum, ſed tantùm mortaliter peccant. ibid n.4

Bulla Pij V. quæ incipit, *Ex proximo*, ponitur, quâ adſtringit beneficiarios ad reſtitutionem fructuum, qui poſt ſex menſes Horas Canonicas non recitant. ibid.

Canonici, qui choro aſſiſtunt, ſed ex conſuetudine Officium per ſeipſos in choro non recitant, ſed per mantionarios muneri ſuo ſatisfaciunt, diſtributiones lucrari non poſſunt: quamvis nonnulli aſſerant conſuetudine induci poſſe, ut Canonici interſint choro & canant per alios, diſtributionesque lucrentur. p.388.n.5

Diſtributiones ſunt portiones beneficiorum Eccleſiaſticorum quotidie diſtribui ſolitæ ijs beneficiatis, qui ſtatis Horis Officio divino interſunt. ibid,n.6

Diſtributiones per ſe & regulariter loquendo, diſtinguuntur à fructibus: unde qui ob crimen privatur diſtributionibus, non ob id cenſetur privatus fructibus, ſi beneficium reddat fructus & diſtributiones. ibid.

Uſus diſtributionum non eſt inductus jure divino, vel naturali, ſed poſitivo Eccleſiaſtico. ibid.n.7

Diſtributiones percipiendi jus competit illis Clericis, qui divinis Officijs ad diſtributiones admiſſis in ſuis Eccleſijs interſunt & inſerviunt. ibid.n.8

Qui habet dignitatem & Canonicatum in eadem Eccleſia, duplices ei non debentur diſtributiones : tamen in hac re cujuſque Eccleſiæ conſuetudo retinenda eſt. ibid.n.9

Abſens cauſâ gravis infirmitatis poteſt de jure, præciſâ etjam conſuetudine, diſtributiones lucrari, etjamſi propriâ culpâ infirmitatis exiſtat : modò in contrarium non extet conſuetudo. p.389.n.10

Abſens ex rationabili corporis neceſſitate, lucrari poteſt diſtributiones, quamdiu neceſſitas durat, modò in contrarium non extet conſuetudo. ibid.n.11

Canonicus Eccleſiæ Cathedralis vel Collegiatæ, vel alius Clericus, poteſt jure ſibi permittente diſtributiones capere, dum abeſt in evidentem propriæ ſuæ Eccleſiæ utilitatem; præciſâ conſuetudine in contrarium. ibid.n.12

Pœnitentiarius Eccleſiæ Cathedralis, jure novo Tridentini, dum in Eccleſia confeſſiones audit, præſens in choro cenſetur & conſequenter diſtributiones percipere poteſt ſimiliter & Canonicus, qui confeſſiones audit in defectum Pœnitentiarij abſentis. p.390.n.13

Ut diſtributiones licitè conferantur abſentibus, non poteſt ſolâ conſuetudine induci, niſi illa ex rationabili cauſa inducatur, aut niſi Papa conſentiat. ibid n.14

Quotidianæ diſtributiones, quas quis perdit ob abſentiam, accreſcunt alijs intereſſentibus, præciſâ conſuetudine in contrarium. ibid,n.15

Quando omnes à choro abſunt ſuâ culpâ, diſtributiones applicari debent Eccleſiæ, quæ debito cultu fraudata eſt. ibid.

Diſtributiones abſentium non accreſcunt illis, qui fictione juris cenſentur intereſſentes, ſed ſolùm intereſſentibus & ſervientibus. ibid.

Hoſpites.

Quando in Brevi Apoſtolico conceditur alicui auditio Miſſæ in privato Oratorio, continetur clauſula, *Necnon hoſpitum tuorum præſentia.* Sub nomine hoſpitum ſoli exteri hoſpitantes in domo magnatis habentis privilegium comprehenduntur, non autem habitantes in eodem loco, v Oratorium. p.602.n.3.

Hoſpitalia Eccleſiaſtica.

Hoſpitalia Eccleſiaſtica, id eſt, Rectoriæ, ſeu officia regendi, quæ ſunt beneficia Eccleſiaſtica & loca religioſa auctoritate Epiſcopi fundata, & dantur in titulum, materia ſunt ſimoniæ contra jus divinum, verb. Simonia. *num.*6, ubi plura.

Hoſpitale noviter fundatum, ipſo fundatore ſuperſtite, viſitari non poteſt, niſi habeat formam Eccleſiæ, aut ſit fundatum auctoritate Epiſcopi, v. Viſitatio. p.850.n.6.

In dubio præſumitur hoſpitale fundatum auctoritate Epiſcopi, ſi locus ab antiquo ſit in forma Eccleſiæ, ubi Sacerdotes celebrant, &c, ubi plura. ibid.

Hoſpitalia & confraternitates, quæ ſunt ſub immediata Regum protectione, Epiſcopi non viſitant ſine eorum licentia, Ex Tridentino Quidam tamen putant in dictis locis poſſe viſitare decentiam divini cultus. p.851.n.7.

Humilitas.

Humilitas ab humo dicitur, & eſt virtus, quâ quis defectum ſuum conſiderans, ſe in infimis ſecundùm ſuum modum tenet; vel eſt virtus, quâ homo veriſſima ſui agnitione, ſibi ipſi vilescit. p.390.n.1

Humilitas ſupponit cognitionem ſui; & qua ratione hæc cognitio comparetur. ibid.n.2

Humilitatis virtus non eſt in intellectu, ſed in voluntate: objectum verò eſt id, quod congruit noſtræ vilitati. p.391.n.3

Humilitas eſt virtus ad temperantiam pertinens, tanquam pars ejus, refrænans motum ſpei, ſeu ſpiritus in magna tendentis: & eſt duplex; altera cognitionis; altera affectionis. ibid.n.4

Actus humilitatis ſunt vilipenſio & contemptus ſui: reputare ſe omnibus Dei donis indignum; cenſere ſe omnibus viliorem & deteriorem, &c. ibid.n.5

Humilitas habet duodecim gradus. ibid.n.6

De humilitas datur præceptum obligante ad mortale, p.392. n.7

Contra hoc præceptum peccatur per omiſſionem, & per commiſſionem. ibid.

Ad humilitatem tria præcipuè nos invitant: Exemplum Chriſti; ratio veritatis; quia humilitas eſt fundamentum virtutum diſpoſitivè. ibid.n.8

Hypocriſis.

Hypocriſis vox eſt græca, latinè idem quod ſimulatio: & definitur alienæ perſonæ ſimulatio, ut cum peccator ſimulat perſonam juſti. p.392.n.1

Hypocriſis duæ ſunt ſpecies. ibid.n.2

Hypocriſis per ſe eſt peccatum veniale, poteſt tamen eſſe mortale, vel ratione finis, vel cum habet conjunctum notabile damnum proximi. ibid.n.3

I

Iactantia.

IActantia eſt vitium in ſermone contra veritatem; cùm quis majora de ſe prædicat, quàm ſint; aut cùm quis ſe effert ſupra id, quod homines de ipſo opinantur. p.393. n.1.

Si quis ſe jactet de malo, quod fecit, non eſt propriè jactantia, ſed vana gloriatio: ſi autem illud non fecit, eſt peccatum jactantiæ, quia eſt mendacium. ibid.n.2

Quando quis ſe jactat de peccato mortali & de eo habet adhuc complacentiam, explicanda eſt in confeſſione ſpecies peccati, de quo fuit jactantia: ſi autem non adfuerit complacentia, ſufficit in confeſſione dicere ſe de peccato mortali jactaſſe. ibid.

Quando jactantia & vana gloria de aliquo bono eſt, ſolùm eſt peccatum veniale, modò in tertij damnum hæc jactantia non cedat. ibid.n.3

Quamvis jactantia ex genere ſuo ſit tantùm peccatum veniale, continens malitiam mendacij & vanæ gloriæ, tamen poteſt eſſe peccatum mortale in aliquibus caſibus. ibid.n.4

Idololatria.

Idololatria græca vox eſt & compoſita ex dictionibus Idolum & Latria. Idolum latinè ſignificat ſimulachrum, aut imaginem alicujus rei: Latria, cultum ac venerationem. Unde idololatria ex nomine ſignificat ſimulachrorum venerationem ac cultum. p.394.n.1

Inter imagines gentilium & Chriſtianorum duplex eſt differentia; una in ſignificatione; altera in cultu. ibid.

Cauſæ idololatriæ fuerunt duplices; homines ſcilicet & dæmones. In hominibus inveniuntur tres: Primò, inordinatus amor erga charos defunctos: Secundò, amor figurarum, aut ſimulachrorum repræſentantium res abſentes & præſentes: Tertiò, ignorantia veri Dei. ibid.n.2

Cauſa altera principalis idololatriæ fuerunt dæmones, qui ſe ſtatuis ab hominibus fabrefactis immiſcebant, eiſque motum, & vocem dabant & reſponſa per eas edebant. ibid.

Gentiles ſibi finxerunt plurimos Deos, ita ut non ſolùm quælibet gens, aut natio, ſed & ſingulæ propè civitates ſuos peculiares Deos habuerint atque coluerint: quorum tamen præcipui fuerunt homines ſcelerati & infames, ibid.n.3

Vita & geſta eorum qui à gentilitate pro dijs habiti ſunt; nempe, Saturni, Jovis, Neptuni, Plutonis, Apollinis, Martis, Mercurij, Herculis, Vulcani, Junonis, Mineruæ, Veneris, &c. ibid.

Cognitio unius veri Dei ſufficiens ad inducendam hominibus obligationem colendi Deum & cavendi à peccato idololatriæ, non debet neceſſariò eſſe undequaque perfecta, ſed ſat erit cognitio quædam generalis de Deo, quod ſit principium omnium rerum, à quo omnia dependent & gubernantur. p.395.n.4

Philoſophi gentilium, qui agnoverunt Deum eſſe unum dumtaxat, nequeunt excuſari, tum à crimine idololatriæ, tum ab omiſſione colendi unum verum Deum. ibid.

Idololatræ, qui non habuerunt notitiam veri Dei, non ſunt etiam excuſandi à crimine idololatriæ. ibid.

Triplex idololatria diſtingui poteſt: Prima eſt perfecta: Altera eſt minus perfecta: Tertia eſt idololatria ſimulata. ibid.n.5

Inter peccata religioni contraria, idololatria maximum eſt: imò quodammodo idololatria eſt majus peccatum, quàm odium Dei. p.396.n.6

Iejunium.

Jejunium, vox eſt ſumpta ab inteſtino quodam, quod jejunum dicitur à vacuitate; eò quòd nullum cibum retineat, ſed ad partes inferiores tranſmittit. p.396.n.1

Quadruplex jejunium ponunt Theologi, nempe Metaphoricum & ſpirituale; Naturæ; Philoſophicum, ſeu morale; & jejunium Eccleſiaſticum. ibid.

Jejunium metaphoricum non eſt actus unius virtutis tantùm, ſed omnium virtutum ſimul junctarum: Jejunium naturæ nullius virtutis eſt actus: Jejunium philoſophicum eſt actus virtutis ſaltem acquiſitæ, pertinens ad temperantiam: Eccleſiaſticum verò eſt actus virtutis Deo gratus. ibid.n.2

Jejunij Eccleſiaſtici violatio ex genere ſuo peccatum eſt mortale, etſiamſi non fiat ex conſuetudine vel contemptu Contra *Cajetanum & Richardum.* ibid.n.3

Cauſæ inſtitutionis jejunij quadrageſimalis, multæ ſunt. p.397. n.4

Jejunium quadrageſimale inſtitutum fuit proximè ante Paſcha, ut illo jejunio reddamur aptiores ad maxima redemptionis noſtræ myſteria; Paſſionis, nempe ac Reſurrectionis Dominicæ, recolenda, &c. ibid.

De jejunio feriæ Quartæ, Sextæ & Sabbathi, quod olim ſervabatur. ibid.n.5

Licet veſci carnibus in Sabbatho ante Nativitatem Domini & Purificationem B. Mariæ Virginis inclusivè, ubi conſuetudo permittit: idem jure conceſſum eſt, quando Nativitas Domini incidit in feria ſexta, exceptis ijs, qui voto vel regulari obſervantia ad abſtinentiam ſunt adſtricti. ibidem.

In Eccleſia Romana olim jejunium Adventus Domini ſervabatur: hodie hoc jejunium in conſuetudinem abijt, & ſolùm apud religioſos, licet non apud omnes, manſit. ibid. n.6

Quamvis Eccleſia nullum jejunium præcipiat inter Paſcha & Pentecoſten; licet tamen Epiſcopis, alijſque Eccleſiarum Prælatis, quando neceſſitas evidens poſtulat, indicere extraordinarias ſupplicationes cum Jejunio. ibid.n.7

Qui conducunt operarios, ut agricultores, meſſores, &c. eo pacto & conditione, ut eo die, quo laborabunt, non jejunent, nullo modo peccant, nec veniaiter quidem. p.398.n.8

Conductor non tenetur eos ſolos operarios vocare, qui cum moderato labore poſſint operari ſine fractione jejunij. Ita habet conſuetudo recepta ab omnibus; quidquid in contrarium aliqui doceant. ibid.

Juxta quorumdam ſententiam, poteſt quis mane ſine morali fractione jejunij ſumere quantitatem cibi duarum unciarum & poſtea horâ conſuetâ comedere, & ſerò collatiunculam veſpertinam ſumere in quantitate unciarum octo. Sed tu Lector judica an hoc ſit probabile. ibid.n.9

Qualitatem cibi, ſi in quantitate non excedatur, collatiunculam veſpertinam non vitiare, modò ex prohibitis in diebus jejuniorum non ſit, qui Doctores teneant. ibidem n.10

Hæc ſententia apud multos parit difficultatem quoad ova ib.

In collatione ſerotina vigiliæ Nativitatis Domini & Paſchæ, ubi ſic uſu receptum eſt, poteſt ſumi duplo major quantitas, quàm licitum ſit ſumere in alijs Jejunijs. Nonnulli tamen hanc conſuetudinem improbant, & dicunt eſſe corruptelam vitioſam. p.399.n.11

Qui in die Jejunij Eccleſiaſtici comedit carnes, toties peccat mortaliter, quoties illas comedit, ſecundum omnes: & idem dicendum putant quidam, quando jejunium tantùm obligat ex voto: contrarium tamen non eſt improbabile. ibid. n.12

In Quadrageſima ſæpiùs per diem comedere, & comedere ova & carnes, ſinguia habent diſtinctam prohibitionem Eccleſiæ & continent diſtinctam malitiam in confeſſione explicandam. ibid.n.13

In diebus jejuniorum licet ſine fractione jejunij ſumere uvas quoties libuerit, vel ſimiles fructus, ad ſedandam ſitim. ibid. n.14

Jejunium naturale.

Jure divino prohibitum non eſt ſacram cõmunionem ſumere poſt

poſt cibum & potum; convenienter tamen ab Eccleſia præceptum eſt, ut tantùm à jejunio jejunio naturali ſumeretur, v. Communio ſacra. p.169.n.19. ubi plura de jejunio naturali, n.20 & ſeqq.

Semper eſt de ſe peccatum mortale, communicare vel Miſſam dicere, quando minima quantitas cibi vel guttula aquæ per modum cibi vel potus præſſumitur, ſive ſumatur advertenter, ſive inadvertentur, dummodò Euchariſtia ſumatur cum animadverſione præſſumptæ aquæ vel cibi: ſi tamen per modum ſalivæ, aut reſpirationis ſumatur vel attrahatur, non impedit Miſſam vel Communionem, v. Miſſa II. p.565.n.6.

Ignorantia.

Ignorantia eſt neſcientia rerum, aut factorum quorumcumque. Ignorantia alia eſt negationis; alia privationis; alia pravæ diſpoſitionis. p.400.n.1

Ut ignorantia dicatur vincibilis ad peccatum mortale contrahendum, non ſufficit aliquem ex ſtatu & officio eſſe obligatum advertere malitiam, niſi aliqua cognitio, dubitatio, vel ſcrupulus de malitia, aut obligatione adſit. ibid.n.2

Ignorantia eorum, quæ ſolùm per accidens, ſeu ex ſuppoſitione & in ordine ad ſubſequens factum, hîc & tunc ſciri debent, non eſt peccatum diſtinctum ab opere conſequente. p.401.n.3

Ignorantia eorum, quæ ſcire tenemur per ſe ex virtute ſtudioſitatis, v.g. articulorum fidei, præceptorum Decalogi & Eccleſiæ & eorum quæ ad cujuſque ſtatum & officium pertinent, eſt peccatum per ſe & diſtinctum ab opere conſequenti. ibid.

Negligentia cognoſcendi, ipſaque vincibilis & culpata ignorantia non conſtituit duo peccata, ſed unicum, ſicut actus internus & actus externus unum peccatum in genere moris conſtituunt. ibid.

Ignorantia probabilis ab improbabili diverſis modis dignoſcitur, ibid.n.4

Differentia eſt inter hæc; lex non obligat ignorantes: vel illos obligat, excuſantur tamen à peccato & pœna. ibidem num.5

Quoties ignorantia juris vel facti eſt talis, ut Canonis tranſgreſſionem à culpa mortali excuſet, excuſabit ab excommunicatione & alijs pœnis ob delictum impoſitis. p.402. num.6

Si quis invincibiliter ignoret excommunicationem, aut aliam cenſuram, quæ eſt annexa caſibus Pontificijs, non ſolùm excuſabitur ab incurſu cenſuræ, verum etiam caſus non erit reſervatus, & ab eo poterit abſolvere, qui poteſt à peccato mortali hujus rei. ibid.n.7

Ignorantia quantumcumque craſſa & lata culpæ, modò non ſit ingens temeritas, excuſat à pœna impoſita ſcienter aliquid facienti: idem quando Canon dicit, *Si quis eaſum fuerit, vel præſumpſerit*. ibid.n.8

Ex ignorantia facti craſſa, aut ſupina non conſurgit bona fides, ſed ex invincibili tantùm, quæ excuſet à culpa mortali in acceptione rei & omiſſione inquirendi cujus ſit. p.403.n.9

Ex ignorantia juris naturalis non conſurgit bona fides ad acquirendos fructus: ſecus ſi ignorantia ſit invincibilis juris humani. ibid.n.10

Si quis ſolutus cognoſceret aliquam conſanguineam vel affinem ſuam invincibiliter ignorans talem eſſe, fornicationem committit, non inceſtum. ibid.n.11

Ignorantia invincibilis juris, aut facti non excuſat hominem habentem uſum rationis à pœna juris, quæ incurritur ſine peccato. ibid.n.12

Ignorantia quædam eſt, quæ conjuncta eſt omni peccato, & appellatur cæcitas mentis, ſeu hebetudo ſenſus, ſeu error, ignorantia, imprudentia vel obſcuratio, à Patribus & in Scripturis ſacris: & eſt illa, quo principium aliquod non cogitatur, quod rectè expenſum & conſideratum attentè à peccato averteret. p.404.n.13

Illegitimus.

Illegitimus natus ex ſoluto & ſoluta per ſubſequens matrimonium fit legitimus, ſi parentes poterant legitimè contrahere, etiamſi non immediatè contrahant, ſed uterque ad alias nuptias tranſeat, dummodo contrahant inter ſe dum ambo vivunt, v. Filius. p.346.n.1

Illegitimi, ſecundùm jus Cæſareum, alij dicuntur naturales, qui nati ſunt ex concubina unica domi retenta, cum qua matrimonium contrahi poteſt: alij non naturales, id eſt nati ex coitu damnato, inter quorum parentes matrimonium contrahi non poteſt. Alij Nothi vocantur, quorum pater incertus eſt, quouſque probationibus demonſtretur, & hi ſpurij, ſeu vulgò concepti appellantur. ibid. p.347.n.6. ubi plura de ſucceſſionibus illegitimorum.

Illegitimus natus ex coitu inceſtuoſo, non fit legitimus per ſubſequens matrimonium ex diſpenſatione Papæ: licet poſſit Papa tollere impedimenta, quæ erant tempore conceptionis, verb. Irregularitas I. p.435.n.12

Illegitimus, qui ſine diſpenſatione ad aliquem Ordinem promotus eſt, antequam parentes ipſius matrimonio inter ſe conjungerentur, poteſt poſt initum tale matrimonium Ordinem ſuſceptum exercere, & ad altiorem aſcendere ſine diſpenſatione. ibid.n.13

Qui ex illegitimo factus eſt legitimus à Principe, non poteſt ad Ordines ſine diſpenſatione promoveri. ibid n.14

Illegitimus Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti, juxta quoſdam legitimari debet à Principe, quia eſt laicus: alij ſuſtinent hanc natalium reſtitutionem petendam à Summo Pontifice: ſed tutius eſt, ab utroque Principe legitimationem poſtulare. ibid. p.436.n.15

Illegitimus in ſæculo abſque diſpenſatione ad Ordines promotus, factus profeſſus in religione approbata, juxta veriorem ſententiam poteſt in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare. ibid.n.16

Illegitimi non ſunt filij ſuſcepti ab infidelibus, ſi parentes tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium validum ſecundùm leges ipſorum, ſed invalidum ſecundum leges Canonicas: ſecus ſi ſit invalidum propter impedimentum juris naturæ, aut inductum à Principibus ipſorum. ibid. n.17.

Illiteratus.

Illiteratus, qui ob defectum literaturæ irregularis dicitur, eſt ille, qui latinè legere & ſcribere neſcit, aut qui linguam latinam arte vel uſu non didicit, v. Irregularitas I. p.435. num.11

Imagines ſacræ.

Quando adoratur totus Chriſtus & imago ejuſdem ſimul, ita ut hæc duo ſint objectum materiale adorationis, adoratio hæc cenſetur eſſe propriè latriæ, verb. Adoratio. pag.38. num.7

Imago ſacra, per quam nos alloquitur dæmon ſe in bonum Angelum transformans, non debet abſolutè honorari, quoties ambigimus, ſit dæmon, necnè, qui per imaginem loquitur: non tamen eſſet condemnandus rudis & ruſticus homo, qui bona fide nihil dubitans in hac parte erraret. ibid. p.39.n.13

Ad imagines & ſepulchra non Canonizatorum, nec beatificatorum non poſſunt hodie deferri tabellæ, ac alia dona ſanctitatis, ac aliarum gratiarum receptarum indicia, & ibidem donaria hæc, ob facti memoriam appendere, ſine recognitione Ordinarij, &c. v. Reliquiæ Sanctorum, p.729. num.10

Immunitas Eccleſiarum.

Immunitas ſignificat negationem, aut libertatem à muneribus, ſeu Officijs communibus, præſertim quæ cum oneribus conjuncta ſunt. Hinc immunitas Eccleſiaſtica, definitur libertas conceſſa Eccleſijs, Eccleſiaſticis perſonis & rebus ad eas pertinentibus. p.404.n.1

Conſtitutio Gregorij XIV. quæ incipit, *Cùm alias nonnulli*, adducitur circa immunitatem Eccleſiarum. pag.405.& ſeqq.

Hæc Conſtitutio, ubi eſt recepta quoad omnes ſuas partes, derogat juri communi & conſuetudinibus contrarijs, p.406 n.2

Privatio immunitatis non eſt extendenda ad caſus in Bulla non expreſſos: quæ ſolùm excipit homicidium & membrorum mutilationem. p.407.n.3

Immunitate gaudet delinquens propè Eccleſiam, ſpe confugiendi ad illam, etiamſi poſtea patrato delicto ſtatim ſe cum armis in Eccleſiam recipiat. ibid.n.4

Non privatur immunitate attentans aliquem occidere proditoriè, effectu homicidij non ſecuto. ibid.n.5

Qui occidit inimicum per inſidias, non tamen proditoriè, gaudet immunitate. ibid.

Per homicidium proditorium intelligitur illud, ubi nullus cum occiſo præcedebat rancor, ſed potiùs ſimulabatur amicitia. ibid.

Qui perſonam Principis offendunt, immunitate privantur, modò ſint ei ſubditi ratione originis, ſeu domicilij. ibid. num.6

Qui in Eccleſia homicidium committit, vel membrum mutilavit non deliberatè, ſed accidentaliter & calore iracundiæ, vel provocatus, vel ad ſe defendendum, gaudet immunitate. ibid.n.7

Extrahens aliquem ab Eccleſia violenter, & illum extra Eccleſiam occidens, vel mutilans aliquem in ſcalis, atrio, ſeu porticu, vel tecto Eccleſiæ, gaudet immunitate, ſi poſt delictum in aliqua Eccleſia ſe abſcondat. ibid.n.8

Fures immunitate Eccleſiarum gaudent, etiamſi furtum commiſſum fuerit in Eccleſia: nec reus poteſt in Eccleſijs ſpoliari à judice laico re furata, quam ſecum traxit, ſed recurrendum eſt ad judicem Eccleſiaſticum. p.408.n.9

Quibuſdam in locis, ubi furum eſt maxima copia, conſuetudo viget, ut fures in furtis gravibus Eccleſiarum immunitate

Digitized by Google

non gaudeant, ſed talem conſuetudinem improbant Doctores, quidquid alij in contrarium dicant. ibid.
Immunitate Eccleſię gaudet tentans committere aſſaſſinium, etjamſi devenerit ad actum proximum morti, ſi ſequuta non fuerit. ibid.n.10
Aſſaſſini nomen tripliciter accipitur: Primò, pro quodam infidelium Sarracenorum genere, qui hoc proprio & communi vocabulo vocabantur: Secundò, pro illis, qui homines in vijs publicis obſident & deprædantur: Tertiò, pro illis, qui pecunia, aut alio pretio accepto, vel promiſſo conducti, prævio mandato occidunt homines incautos: & hi juxta Bullam dictam immunitate privantur. ibid.n.11
Quamvis lex civilis raptores Virginum ab Eccleſiarum immunitate excludat; verum id jure Canonico correctum eſt: & idem de defloratoribus Monialium eſt dicendum, etjamſi defloratio facta fuerit in Eccleſia Monaſterij. ibid.n.12
Incendiarij non ſunt privandi Eccleſiarum immunitate: & hoc verum, etjamſi fores Eccleſiæ combuſtæ ſint ad eam deprædandam. p.409.n.13
Qui per fraudem decoxerunt creditores fraudando, ut injuſtè dicari poſſint, nec ratione debiti, nec ratione delicti, ſunt immunitate privandi. Idem dicendum de debitore publico. ibid.
Latrones publici & graſſatores viarum dicuntur, qui deprædantur in vijs publicis & itineribus frequentiùs; non item qui ſemel, aut bis. ibid.n.14
An autem Clerici confugientes ad Eccleſiam pro crimimibus non exceptis in Bulla gaudeant immunitate? Multi negant, alij affirmant, & probabiliter. ibid.n.15
Religioſi ex recepta conſuetudine à Summis Pontificibus approbata, non utuntur immunitate; aliàs nullus religioſus puniretur pro delictis in Monaſterij commiſſis. ibid.
Probabilius eſt procurantes abortum fœtus animati gaudere Eccleſiarum immunitate: ſecus dicendum de illo, qui aliquem veneno occidit, niſi occiſus ſit inimicus. ibidem num.16
In ſumma quævis crimina præter excepta in Bulla, gaudent immunitate. p.410 n.17
Grave ſacrilegium committit & excommunicationem incurrit, altaſque pœnas judex ſæcularis, qui in caſibus etjam exceptis extrahit reos ab Eccleſia ſine licentia Epiſcopi: quamvis aliqui jurijperiti contrarium teneant in praxi obſervari. ibid.n.18
In dubio, an reus gaudere debeat immunitate, necnè, cognitio cauſæ pertinet ad judicem Eccleſiaſticum. ibid.n.19
Epiſcopus non tenetur ſtare proceſſui facto à judice laico, ſi reus remittendus ſit, necnè: & hæc procedit, ſi proceſſus fuerit formatus à judice laico poſtquam reus ad Eccleſiam confugit. ibid.n.20
An autem contravenientes huic Conſtitutioni Gregorij XIV poſſint ab Epiſcopo abſolvi, & an hæc excommunicatio ſit Summo Pontifici reſervata? Quidam ſuſtinent eſſe reſervatam: alij negant, factâ ſatisfactione rei, modò eam exhibere poſſit. p.411.n.21

Impedimenta matrimonij.

Summus Pontifex poteſt ex juſta cauſa reddere inhabiles ad matrimonium omnes perſonas certi generis, verbi, gratiâ, conſanguineos uſque ad quartum gradum: ſimiliter & poteſt reddere inhabiles perſonas privatas ex gravi cauſa, puta, ob cauſam vitandæ magnæ perturbationis Reipub. aut gravium diſcordiarum, vel magnæ diſparitatis inter contrahentes, v. Matrimonium II. p.526. *n.*2. ubi plura toto hoc titulo, de impedimentis dirimentibus.
Quando adſunt plura impedimenta matrimonium dirimentia, an debeant omnia exprimi ſimul in eadem petitione diſpoſitionis, vel ſufficiat, quodlibet impedimentum per ſe in diverſis petitionibus ſeparatis exponere, & de quolibet ſingulas diſpenſationes obtinere. Probabile eſt, ſatis eſſe in diverſis petitionibus ſingula proponi, & quamlibet diſpenſationem eſſe validam. Sed probabilius eſt omnia impedimenta conjunctim in eadem petitione eſſe explicanda, v. Matrimonium III. p.543 *n.*14. ubi plura de diſpenſationibus horum impedimentorum toto titulo invenies.

Impotentia.

Impotentia moralis excuſat ab excommonicatione incurrenda, ut, ſi excommunicatio feratur contra aliquem, niſi debitum intra tale tempus ſolvat, qui tempore excommunicationis non habet unde ſolvat, vel qui tempore aſſignato reſtituere, aut ſolvere non poteſt ſine gravi detrimento bonorum ſuperioris Ordinis, ut famæ, aut vitæ, ab excommunicatione excuſatur, v. Excommunicatio I. p. 311. *n.*18. ubi plura.
Impotentia coëundi dirimens matrimonium ſubſequens debet eſſe perpetua, ita ut non poſſit aliquâ arte humanâ removeri, ſine periculo vitæ patientis, vel ſine miraculo, vel ſine offenſa Dei, v. Matrimonium II. p 537 *n.*50. ubi plura *n.*51. *& ſeqq.*

Impubères.

Impuberes pueri & ſic minores quatuordecim annis & puellæ impures incidentes in Canonem, *ſi quis ſuadente Diabolo*, poſſunt abſolvi ab Epiſcopo diœceſano, dummodo ſint doli capaces, verb. Excommunicatio V. pag.328. *num.*23
Impuberem filium poſſunt parentes, attento jure antiquo, religioni offerre, ut in ea ſub regulari diſciplina vivat; niſi peculiari religionis conſtitutione caveatur ne infans, aut impubes admittatur, v. Noviuatus. p.592.*n.*4
Impubes ſic Monaſterio oblatus, nequit reſilire donec pubertatem completam adipiſcatur, ſed eâ completâ poteſt perſeverare, aut ad ſæculum redire. ibid.
Quando impuberes religionem abſque parentum vel tutorum conſenſu ingrediuntur, poſſunt parentes vel tutores id factum irritum facere & illum revocare, niſi anno & die id diſſimulando, conſenſerint: quo tempore tranſacto, revocare non poterunt. ibid.

Incantatio.

Incantatio eſt dictio compoſita ab in & canto, ſuſcipitur ſemper in malam partem. Incantare enim nihil aliud eſt, quam verbis quibuſdam ſuperſtitioſis, vel etjam actionibus quibuſdam verbis adjunctis, aliquid ſupra naturam moliri. Hæc ſemper fit mediante conſortio & auxilio Dæmonum, v. Magia. p.513.*n.*5

Incendiarij.

Incendiarij non ſunt privandi Eccleſiarum immunitate: non enim excipiuntur in jure, nec in Bulla Gregorij XIV. & hoc verùm, etjamſi fores Eccleſiæ combuſtæ ſint ad eam prædandam, verb. Immunitas Eccleſiarum. p.409. *n.*13.

Inceſtus.

Qui non poteſt petere debitum conjugale ratione affinitatis ex inceſtu, poteſt aliquando ſe offerre uxori ad uſum conjugalem eo fine, ut non reddat ei onerolum matrimonium; non tamen in gratiam ſui, ut appetui ſuo morem gerat, & hoc toties, quoties marito viſum fuerit honeſtum arbitrio prudentis, v. Debitum Conjugale I. p.204. *n.*4
Licet conjugi inceſtuoſo exigere debitum ab altero, ubi in ipſo periculum incontinentiæ ſentiret, imò etjam tenetur. p.205.*n.*6
Inceſtus cum affinibus licet præſtet impedimentum impediens cum quacumque alia matrimonium, eſt tamen abrogatum ob contrariam conſuetudinem, neque ulla eget diſpenſatione, v. Matrimonium III. p.542.*n.*7

Incontinentia.

Incontinentia eſt, quando paſſio, præſertim ea, quæ verſatur circa delectationem tactus, vincit rationem; quod dupliciter poteſt contingere. p.411.n.1
Incontinentio eſt duplex; una, quæ vocatur effrænis, temeraria, vel prævolans, quando nimirum impetu ſuo rapit ad ſe voluntatem, ante ſuventientiam rationis. Altera, quæ dicitur debilitas. ibidem
Incontinentia, quæ verſatur circa illicitas delectationes tactus, eſt peccatum mortale vel veniale pro ratione materiæ. ibid.n.3
Incontinentia bonoris, divitiarum & ſimilium, peccatum item eſt ratione modi & formæ, non autem ratione materiæ. ibid.
Paſſio non ita vincit rationem, quin poſſit reſiſtere, & ideò meritò rationi imputatur, quod ſe vinci, ſinat vel potius quòd ſponte cedat & conſentiat. ibid.
Incontinentia ceteris paribus eſt minus malum, quàm intemperantia, id eſt, incontinens minus peccat, quam intemperans. p.412.n.4
Incontinentia concupiſcentiæ, quæ verſatur circa delectationes tactus, eſt turpior quam incontinentia iræ; licet hæc ſit gravior. ibid.n.5

Indicium.

Indicium dictum eſt ab indico, indicas, demonſtrans argumentum veritatis habendæ: unde indicium eſt nota quædam & demonſtratio rei geſtæ: & eſt duplex, ſemplenum nempe, ſed dubitativum, & plenum, ſive indubitatum, v. Præſumptio. p.671.*n.*2
Quæ indicia ſint ſufficientia ad generaliter & ſpecialiter inquirendum; ad capturam & prehenſionem. ibid. *num.*3
Indicium ſufficiens ad torturam eſt, quando unus teſtis omni exceptione major teſtatus eſt de viſu ipſius geſti actus & commiſſi delicti. p.672.*n.*4
Item, quod oritur ex confeſſione extrajudiciali ipſius accuſati: ut tamen huic indicio ſit locus, quatuor requiruntur. ibid. ubi plura de indicijs ad torturam, *n.*5. 6. *&* 7. & v. Tortura. p.839. *n.*3. *&* 4.
Quando indicia violentam ac certam moraliter faciant præſumptionem adulterij, videnda ſunt *in cap. Ex litteris, de*

pa-

Digitized by Goog

præſumptionibus. V. Adulterium. p.42.n.17. ubi plura de indiciis probantibus adulterium. p.43.n.18.19.20.& ſeqq.

Indulgentia.

De fide eſt in Eccleſia dari Theſaurum, id eſt, abundantiam meritorum Chriſti, & Sanctorum exuberantium ſatisfactiones ipſiſmet Sanctis,& hominibus juſtis debitas; ſimulque in Eccleſia reſidere poteſtatem concedendi indulgentias, virtute cujus remittuntur pœnæ temporales in judicio Dei debitæ. p.421.n.1

Theſaurus meritorum Chriſti diſpenſatur ab Eccleſia per Sacramenta: theſaurus verò ſatisfactionum Chriſti diſpenſatur ab Eccleſia extra Sacramenta. p.413.n.2

Uſus indulgentiarum non repugnat juſtitiæ, neque perfectioni. ibid.n.3

Theſauri indulgentiarum diſtributio data eſt Petro,& ſucceſſoribus ejus. ibid.n.3

Indulgentiæ concedi non poſſunt, niſi ſubditis: Exempti tamen participes fieri poſſunt indulgentiarum Epiſcopalium: imò Epiſcopi, & alij Prælati ſuis ſubditis licentiam dare poſſunt, ut ab alieno Epiſcopo datas indulgentias lucrentur. p.414.n.5

Prælatus, qui indulgentias generaliter concedit, eaſdem ſibi lucrari poteſt. ibid.n.6

Indulgentia dividitur in perſonalem, localem, & realem; & omnes referuntur ad uſum hominum, & in eis ſolis effectum habent. ibid.n.7

Verius eſt Concilium generale non habere ex jure divino poteſtatem concedendi indulgentias viſua, ſeu quatenus à capite condiſtinguitur: quamvis probabile ſit, in Concilio, Sede Apoſtolica vacante, eſſe talem poteſtatem: de facto autem non inveniuntur indulgentiæ conceſſæ à Concilijs generalibus. ibid.n.8

Summus Pontifex, etſiamſi Sacerdos non ſit, per indulgentias poteſt remittere pœnitentias Sacramentales à Confeſſario pro peccatis injunctas, non quà medicinales,& præſervativæ, ſed quà merè peccatorum vindicativæ ſunt. p.415.n.9

Juxta probabiliorem ſententiam per indulgentias intendit Pontifex non ſolum liberare à pœnitentijs injunctis in confeſſione, ſed etiam à non injunctis. ibid.n.10

Indulgentiarum conceſſio continet veram abſolutionem reſpectu vivorum,& ſolutionem pretij; ſed reſpectu mortuorum ſolam ſolutionem pretij. ibid.n.11

Communior ſententia eſt, indulgentiam, ſublatâ peccati fictione, non ſortiri effectum ſuum: ſed contraria ſententia à multis ſuſtinetur ut probabilis,& magis pia. ibid.n.12

Ad lucrandas indulgentias, an debeat opus injunctum fieri bene moraliter, ita ut ſit in ſe honeſtum, & moraliter bonum? varij variè ſentiunt. p.416.n.13

Ad lucrandam indulgentiam non ſatis eſt opera injuncta præſtare, ſed requiritur actualis intentio eam lucrandi: ſententia tamen aſſerens non requiri actualem voluntatem, ſed ſatis eſſe habitualem,& interpretativam, eſt ſatis probabilis. ibid.n.14

Ex probabilitate prædictæ ſententiæ, recitans ter *Ave Maria.* &c. ad ſonum campanæ poſt ſolis occaſum, lucratur indulgentiam plenariam, etiamſi ignoret tunc indulgentiam concedi. ibid.

Non requiritur ut opera pia injuncta efficiantur potiſſimùm propter conſequendam indulgentiam; poteſt enim alius finis intendi æquè ac magis principaliter. p.417.n.14

Qui confeſſus eſt, & communicavit quatuor ante diebus, & de novo non peccavit mortaliter, poteſt vi dictæ confeſſionis, & communionis obtinere indulgentiam poſtea conceſſam, quæ ad ſui conſecutionem item requirat confeſſionem, & communionem; idque eſto non direxerit dictam confeſſionem, & communionem ad hanc indulgentiam comparandam. ibid.

Excommunicatus quantumvis contritus, ſi non poteſt obtinere abſolutionem, non lucratur indulgentias: pium tamen, & probabile eſt etiam ex intentione Eccleſiæ illi prodeſſe indulgentiam, illiuſque fructum lucrari poſſe. p.417.n.15

Quomodo ad valorem indulgentiæ cauſa debeat eſſe proportionata. ibid.n.16

In concedendis indulgentijs nulla certa forma requiritur, ſed ſufficit quilibet actus externus, per quem declaretur voluntas concedendi indulgentias. ibid.n.17

Omnes, qui ſufficienter opus à Pontifice præſcriptum perficiunt in ſtatu gratiæ, lucrantur æqualem indulgentiæ plenariæ effectum: licet aliqui contrarium doceant. ibid.n.18

Indulgentia plenaria non poteſt in die multoties pro ſe obtineri, ſed bene pro defunctis, ſi ad eos extendatur. Indulgentiæ verò non plenariæ pluries in die poſſunt obtineri p.418.n.10

INDULGENTIA

Pro Defunctis.

Indulgentiæ proſunt defunctis in Purgatorio detentis, ſi illis ab Eccleſia applicentur. p.418.n.1

Animæ Purgatorij ſunt capaces indulgentiæ per modum ſuffragij. p.419.n.2

Communior ſententia eſt, indulgentias per modum ſuffragij conceſſas defunctis, valere illis ex condigno, & certa lege, & non tantum ex congruo, ut aliqui volunt. ibidem, n.3

Juxta quoſdam indulgentiæ illis ſolis defunctis proſunt, qui in vita habuerunt devotionem erga claves Eccleſiæ donativas indulgentiarum, & pro peccatis ſuis ſatisfacere conati ſunt, aliis verò minimè: verum hæc ſententia paſſim rejicitur. p.420.n.4

Quando conceditur liberatio animæ purgatorij, pro qua dicitur Miſſa, vel recitatur corona, aliudvè ſimile opus fit, tunc neceſſe eſt ſubſtantiam operis, id eſt Miſſam, vel coronam, ſeu ſatisfactionem ex opere operantis ex illa provenientem applicari à lucrante, ibid.n.5

Qui ſub titulo altarium privilegiatorum tot ſimul, & ſucceſſu temporis Miſſas recipiunt, ut vix in uno anno, aut pluribus celebrari poſſint, graviſſimè peccant. ibidem, n.6

Inter Religioſos mendicantes non datur communicatio indulgentiarum, juxta probabiliorem ſententiam: unde altaria privilegiata unius Eccleſiæ, vel religionis, non communicantur alijs etiam habentibus generalem communicationem privilegiorum aliarum religionum. ibidem, n.7

Sacerdos obligatus ad celebrandum in altari privilegiato pro defunctis, non ſatisfacit, ſi dicat Miſſam quæ non ſit de *Requiem*, prout declaravit ſacra Congregatio: licet quidam probabile putent contrarium. p.421.n.8

Infamia.

Ad incurrendam infamiam ipſo jure latam contra perpetrantes tale delictum, ſufficit quòd aliquis committat delictum, ob quod impoſita eſt in jure pœna infamiæ: tunc enim ipſo facto radicaliter incurritur infamia juris; ſed talis exactio pœnæ dependet à ſententia judicis. V. Irregularitas II. p.444.n.24

Infames ſunt ex delicto proprio, convicti de furto, muliebria paſſi, apoſtatæ à fide, ſacrilegi, inceſtuoſi, homicidæ, perjuri, raptores, malefici, venefici, adulteri, hæretici, & c. denique omnes criminibus capitalibus irretiti, & in crimine notorio depoſitione digno exiſtentes. ibidem, *num.* 25. ubi plura de irregularitate infamiæ, & V. Abbatiſſa. pag.11. n.11.

Infantes.

Infantes, & parvuli innocentes olim, vel communicabantur, vel conſumebant reliquias Sacramenti: nam ſunt capaces totius fructus Sacramentalis: hoc autem tempore non datur ſacra communio infantibus ob decentiam. V. Communio ſacra. p.167.n.11

Infantes non obligant vota parentum offerentium illos religioni, niſi ipſi infantes, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, talia vota liberè, & ſpontanè rata habeant. V. Votum I. p.860.n.15.

Infantes, & pueri jure naturæ validè vovere non poſſunt, antequam adepti ſint uſum rationis: & ex juris præſumptione ante ſeptennium non præſumitur infans, & puer habere uſum rationis. ibid.n.14

Infantes, & pueri incipiunt obligari præcepto audiendi Miſſam in diebus Feſtis, cùm ita poſſunt ratione uti, ut poſſint diſcernere inter bonum, & malum, & ſunt capaces peccati mortalis. V. Miſſa III. pagina 572 *numero* 5

Infantibus, & pueris morientibus cum ſolo peccato originali, non poſſunt proderſe ſuffragia vivorum. V. Suffragium. p.820.n.3

Infans, & puer poſt ſeptennium completum abſolvendus eſt ſaltem ſub conditione, maximè in articulo mortis; niſi conſtet, non habere uſum rationis. V. Abſolutio. pag.22. n.11

Catholicorum ſententia eſt, infantes, dum baptizantur, non habere fidem actualem, nec tamen omni fide carere, ſed habere fidem habitualem, & præterea credere fide aliena,& ipſa Baptiſmi ſuſceptione. V. Baptiſmus III. p.79.n.2

Infantes, dum baptizantur, non habent ullos motus novos, & inclinationes ſimiles actibus fidei, & dilectionis. ibid. n.3

Infantes non juſtificantur ſine ulla fide : proinde dicendum eſt, infantibus in Baptiſmo infundi habitus fidei, ſpei, & charitatis. p.80.ibid.n.4.

Quando infans baptizandus periculosè ægrotat, & ablutio magnum illi detrimentum eſt allatura, utendum eſt aſperſione quantitate modica aquæ ſufficiente, & ſi opus fuerit, aquâ modico calore temperata. p.81.ibid.n.12

Infantes, & pueri qui ex defectu ætatis non ſunt capaces communionis, poſſunt lucrari Jubileum, faciendo cetera opera præſcripta abſque ſumptione Euchariſtiæ : tenentur tamen petere à Confeſſario commutationem communionis in aliud opus, cujus ſunt capaces. V. Jubileus. p.449. n.8

Infernus.

Infernus nomen habet ab eo quòd infrà nos ſit. In ſacra autem Scriptura, & apud ſanctos Patres, ac Theologos, Infernus definitur locus ſubterraneus inferorum ſpirituum. p.421.n.1

Loca inferorum ſunt diverſa. 1. eſt ſpirituum damnatorum, qui eſt infimus. 2. eſt locus purgatorij. 3. eſt locus puerorum abſque Baptiſmo mortuorum. 4. locus fuit, in quo detinebantur omnes veteres Sancti mortui ante deſcenſum Chriſti ad inferos, qui Limbus Patrum vocatus fuit. ibid.

Infernus eſt ſub terra circa ejus medium, ſeu centrum, ubi ſunt dæmones, & homines damnati: quamvis multi dæmonum relicti ſint in aëre caliginoſo, ad exercitationem hominum. p.422.n.2

Infernalis pœna duplex eſt; altera privatio viſionis Dei, altera ſenſibilium pœnarum in animabus pariter, & corporibus damnatorum. ibid.n.3

Ignis infernalis eſt verus ſubſtantialis ignis, ejuſdemque ſpeciei cum noſtro igne elementari. ibid.n.4

Quomodo autem verus ignis agere poſſit in animas corporibus exutas, non omnes Doctores conveniunt. ibid.

Damnati in inferno præter pœnam damni, quæ eſt carentia viſionis Dei, alijs variis pœnis in quinque ſenſibus cruciabuntur. p.423.n.5

Vermis inferni non eſt materialis, ſeu corporalis, ſed per eum myſticè intelligitur remorſus conſcientiæ in damnatis. ibid.

In damnatis non erit fletus cum effuſione lachrymarum, tamen inſta flentium erit in illis ejulatus corporalis, & poſt reſurrectionem corporum ſtridebunt dentibus. n.6

Pœnæ damnatorum ſunt futuræ æternæ, ita ut nunquam ſint finem durationis habituræ. ibid.n.7

Quare autem Deus propter peccatum uno momento commiſſum, & tranſitorium, æternum puniat ? Hoc eſt juſtum judicium Dei propter peccati mortalis gravitatem. ibid.

Infidelis, Infidelitas.

Infideles adulti debent inſtrui, & probari per aliquot menſes ante Baptiſmum: in neceſſitate tamen obſtidionis, &c. tunc exponta fide utcumque, ſi aſſentiantur, ſunt baptizandi, v. Baptiſmus III. p.81.n.9

Infidelis incapax eſt cognationis ſpiritualis contrahendæ, ſive ergo infidelis baptizet, ſive ſuſceptor ſit in Baptiſmo, vel Confirmatione, non contrahet hanc cognationem. V. Matrimonium II. p.532.n.24

Infidelis poſtea baptizatus contrahere poteſt Matrimonium cum perſona à ſe baptizata, vel ſuſcepta, & cum ejus matre. ibid.

Fidelis baptizans, vel confirmans, vel tenens filium infidelis non contrahit cognationem cum patre, vel matre infideli; nam infidelis illam non contrahit, ergo neque illum contrahet fidelis. ibid.

Infidelis converſus ad fidem ſi habeat plures uxores, ſeparandus eſt ab illis, demptâ primâ, quæ ſola eſt legitima uxor: tamen caſu quo legitima uxor monita noluerit ad fidem converti, ita ut liceat converſo prius illud Matrimonium dirimere, poſſet converſus, quamcumque aliam, quæ convertitur, ducere. Idem dicendum eſt de Judæis. ibid.32 ubi plura de hac materia. n.33 & ſeqq.

Infideles & Pagani ſimoniæ jure naturali, & divino veritæ labem contrahere poſſunt, etiam ſi in crimine Simoniæ patrato à fidelibus cooperentur tantum : licet non ſubijciantur cenſuris, & pœnis ab Eccleſia latis contra Simoniacos. V. Simonia. p.792.n.19

Infidelibus bellum inferre licitum eſt in aliquibus caſibus, non quidem ob ſolam infidelitatem, ſed ob aliquam circunſtantiam et annexam. V. Bullam. p.92.n.14

Infidelitas majus eſt peccatum, quàm blaſphemia, quæ non eſt cum hæreſi conjuncta. V. Blaſphemia. p.122.n.6

Infirmus.

Infirmus toto ſui novitiatus anno, poteſt ad profeſſionem recipi: quia annum probationis legitimè explevit, in quantum in ſe erat: unde novitius in ordine Minimorum toto ſui novitiatus anno, carnibus ac lacticinijs utens validè profitetur. V. Novitiatus. p.596.n.15

Ingratitudo.

Ingratitudo eſt vitium oppoſitum gratitudini, & dupliciter admittitur, formaliter nempe, & materialiter. p.423. n.1

Ingratitudo formalis eſt, quando beneficium contemnitur actualiter, in re nimirum, vel in mente. Materialis autem eſt, quando abſque contemptu, vel omittitur debitum gratitudinis officium, vel committitur aliquid contra benefactorem. ibid.

Ingratitudo materialis non eſt peccatum ſpeciale, ſed generale, quæ in quolibet peccato invenitur, & eſt cujuſlibet peccati circumſtantia. Formalis autem eſt ſpeciale peccatum. ibid.

Ingratitudinis gradus in omittendo ſunt tres. 1. Beneficium non retribuere. 2 diſſimulare non agendo gratias. 3 nolle agnoſcere : & hi tres gradus pertinent ad ingratitudinem privativam. p.424.n.2

In committendo ſunt alij tres gradus ingratitudinis. 1. retribuere mala pro bonis. 2. vituperare beneficium. 3. reputare beneficium loco maleficij : & hi tres gradus pertinent ad ingratitudinem contrariam. ibid.

Innocens ſecundùm aliquid accipit majus beneficium à Deo quàm pœniten; ideoque quodam modo ad majorem actionem gratiarum tenetur: ſi autem ſpectetur magnitudo beneficij in quantum ipſum eſt magis gratuitum ; ſic pœnitens majus beneficium accipit, & magis ad gratias Deo reddendas tenetur. ibid.n.3

Ingratitudo ſive materialis, ſive formalis, ſive privativa, ſive contraria, quandoque eſt peccatum mortale, quandoque veniale. ibid.n.4

Ingreſſus religionis.

Conjux, qui dedit alteri licentiam ingrediendi religionem, poteſt illam revocare, antequam alter conjux profiteatur, quamvis pater dans filio impuberi facultatem ingrediendi religionem, non poſſit illam revocare. V. Novitiatus. p.593. n.7

Ingreſſus unius conjugis in religionem à principio factus ſine licentia alterius ; poteſt poſtea confirmari, & ratus haberi per ſupervenientem conſenſum illius. ibid.n.8

Si uxor ingreſſa ſit religionem viro invito, & novitiatum in ea faciat, & contingat maritum mori ; poteſt ſtatim poſt annum expletum à primo ingreſſu profeſſionem emittere ibid. ubi plura de ingreſſu religionis. p.594. n.9 & ſeqq. & V. Religio.

Inhabilitas.

Lex tam Eccleſiaſtica, quàm civilis, ob juſtam cauſam ab bonum publicum pertinentem, poteſt perſonas quaſdam ad contrahendum inhabiles reddere, quæ ſeclusa tali lege, naturali jure ſpectato habiles eſſent. V. Lex II. pag.493. n.5

Inhabilitas contracta ex aborſu fœtus animati, non eſt reſervata; quapropter non prohibentur Prælati ſuper illa dispenſare. V. Aborſus. p.142

Inhabilis eſt ad religionis ingreſſum, qui vi, & metu extrinſeco compulſus illam ingreditur ; & Prælatus illum recipiens ſcienter, ſicut & receptus mortaliter peccant. V. Religio. p.720.n.11

Eccleſia potuit irritare matrimonium clandeſtinum, inhabilitando perſonas : quia quando bono Eccleſiæ ſpirituali expedit, poteſt illos inhabiles reddere, ad certum modum ineundi matrimonium, ſicut Reſpublica efficit inhabiles ad contrahendum prodigos, minores abſque tutoribus, & uxores abſque viris. V. Matrimonium I. pag.510. n.8

Injuſtitia, Injuria.

Injuſtitia ſumitur interdum generaliter pro omni legis violatione, & ſic omne peccatum eſt injuſtitia quædam : interdum uſurpatur, ut opponitur juſtitiæ particulari, vel ut actus, & ſic non differt ab injuria ; vel ut habitus, & tunc eſt prava voluntatis diſpoſitio inclinans ad actus injuſtos. p.424.n.1

Injuria, quæ eſt alieni juris violatio, dupliciter alteri fit; vel commiſſione, ut furto, homicidio, &c. vel omiſſione, non ſatisfaciendo, non reſtituendo, &c. pag.425. n.1

Injuſtitia tam quæ opponitur juſtitiæ legali, quàm quæ particulari, eſt vitium ſpeciale ab illis diſtinctum. pag.425. n.2

Qui ignoranter injuſtum facit, vel nihil peccat ; ſi ignorantia ſit inculpata: vel peccat quidem, ſi ignorantia ſit culpabilis, ſed idcirco non eſt denominandus ſimpliciter injuſtus. ibid. n.3

Qui ſciens aliquid eſſe injuſtum, ſponte illud facit, ſimpliciter, & abſolutè dicitur injuſtus; ſecus ſi faciat ex paſſione. ibid.

Sicut nemo poteſt facere injuſtum propriè, vel injuriam, niſi volens

volens, ita nec ullus pati injuſtum, niſi nolens. ibid. n. 4
Fieri tamen poteſt, ut quis ex parte ſua injuriam inferat, & tamen alter propriè injuriam non patiatur; & è contra fieri poteſt, ut quis injuſtum patiatur, & alter propriè injuriam non inferat. ibid.
Injuſtum facere, eſt ex ſuo genere peccatum mortale: licet in materia levi ſit tantùm veniale, vel etiam ob imperfectionem actus non plenè deliberati. ibid. n. 5
Injuria, ab in, id eſt, non, & jus dicta eſt: quaſi non jure, aut contra jus facta: & fit tribus modis, *re, verbis, & literis.* ibid. n. 6
Injuria enormis in multis caſibus intervenit. pag. 426. num. 7
Actio injuriarum oritur ex illata alteri injuria, qui ob id juſtam habet actionem adverſus eum, qui intulit, aut inferri procuravit. ibid. n. 8
Injuriarum actio multis modis tollitur, & aboletur. 1. remiſſione. 2. diſſimulatione. 3. actibus amicitiæ. 4. quando quis incitat judicem ad torquendum injuriantem. 5. morte læſi, ibid.
Injuriatam actionem nullus poteſt remittere, qui eſt in alterius poteſtate, abſque ejus voluntate. Collegium tamen religioſorum poteſt remittere injuriam ſuo religioſo factam, ipſo etiam reclamante. ibid.
In injuria illata duo mala concurrunt; alterum offenſio perſonæ; alterum damnum datum eidem cui fit injuria. ibid. n. 9
Ex offenſione perſonæ oritur rancor, & odium erga injuriantem; hæc offenſus, aut non debet intra animum admittere, aut citò deponere. Damnum autem ab injuriante datum, nemo obligatur illud citò condonare. ibid.

Innocens.

Innocens, qui ſecundùm allegata, & probata nocens probatus eſt, & ad mortem condemnatus, non poteſt ſe à judice, nec à miniſtris juſtitiæ per vim defendere; poſſet tamen talis fugere, vel recipere ſe in locum munitum, vel eripere ſe è manibus miniſtrorum cum aliqua vi, ſine tamen ſanguine, & vulnere. V. Reus. p. 757 n. 11. vide ſupra V. Ingratitudo, p. 424. n. 3

Inquiſitio.

De jure naturæ, vel divino non eſt, ut inquiſitionem præcedat infamia, ſed tantùm de jure humano, conformi tamen juri & rationi naturali. V. Judex. p. 454. n. 13
In aliquibus caſibus poteſt procedi ad inquirendum, tam in genere, quàm in ſpecie abſque præcedente infamia; quorum primus eſt, quando inquiſitio neceſſaria eſt ad impediendum malum futurum publicum, aut privatum, præſertim animarum, ut crimen læſæ majeſtatis, hæreſis, aut apoſtaſiæ. p. 455 n. 14
Secundus eſt, quando in inquiſitione non intenditur condemnatio, aut pœna inquiſiti, ſed ad conferendum beneficium, officium, vel dignitatem, ne eligatur indignus, vel cùm inquiritur impedimentum matrimonij, ne quis in gradu prohibito contrahat. ibid. n. 15. reliquos caſus continet *numerus* 16
Ad inquirendum, & torquendum præſumptio, & indicia paria eſſe non oportet; quia ad inquirendum leviora ſufficiunt indicia, quam ad torquendum, & damnandum. V. Præſumptio. p 671. n. 3.
Inquiſitio, una eſt generalis, altera verò ſpecialis generalis ſolum fit pro inſtructione judicis, ut perquirere, & indagare poſſit, quis delictum illud perpetraverit. ibid.
Ad faciendam generalem inquiſitionem, ſufficiunt indicia levia modò aliquem colorem habeant. ibid. ubi plura de judicijs ad inquiſitionem generalem, & ſpecialem.

Intemperantia.

Intemperantia ceteris paribus majus eſt malum, quàm incontinentia: intemperans enim non peccat ex paſſione; ſed ex electione animi vitioſa, jam in eo radicata, ſive peccat ex parvo habitu voluntatis; tum quia intemperans habet intellectum pravè diſpoſitum, quoad judicium objecti, & voluntatem pravè diſpoſitam habitu vitioſo, & appetitum inferiorem ſimiliter; unde multò difficiliùs emendatur, quàm incontinens. V. Incontinentia. pag. 412. n. 1

Interdictum.

Interdictum quatuor modis ſolet accipi. 1. pro ſolemni dicto Prætoris aliquid fieri præcipientis. 2. ſtrictius pro ſolo interdicto, ſeu dicto Prætoris prohibitorio 3. pro prohibitione judicis Eccleſiaſtici, ſeu juris canonici 4. pro ſententia juris, vel Prælati Eccleſiaſtici prohibentis alicui divina officia, Sacramenta, vel ſepulturam Eccleſiaſticam in pœnam delicti, vel contumaciæ: & eſt cenſura Eccleſiaſtica. p. 427. n. 1
Interdictum locale eſt illud, quod ſolum locum interdicit, hoc eſt, ut in illo loco interdicti cenſeantur homines exercere divina officia, aut participare in Sacramentis, aut Eccleſiaſtica ſepultura paſſivè, vel activè, ſed non in alio loco non interdicto. ibid. n. 2
Interdictum locale, & perſonale inter ſe differunt in duobus. ibid. n. 3
Interdictum ſpeciale, ſeu particulare loci eſt illud, quo interdicitur aliquis locus particularis non continens in ſe alia loca, ſcilicet, ſacra, & profana, &c. ibid. n. 4
Interdictum ſpeciale erit, quando interdicuntur omnes Eccleſiæ civitatis, caſtri, Epiſcopatus, Provinciæ, Regni, imò etiam totius mundi. ibid.
Ad interdictum generale parum, aut nihil refert multitudo Eccleſiarum interdictarum, niſi etiam alia loca ſimul interdicantur. ibid.
Habentes privilegia, quòd tempore generalis interdicti poſſint audire, percipere, vel celebrare divina, id non poſſunt tempore interdicti ſpecialis, ſeu particularis. ibid.
Interdicta civitate, cenſetur etiam interdicta Eccleſia Cathedralis: tamen Eccleſia Cathedralis non includitur in interdicto ſpeciali loci. p. 428. n. 5
Interdicta civitate non comprehenduntur cives, & habitatores ejus niſi qui culpabiles ſunt, & caſum interdicto dederunt: tamen, ſi poſtea augeatur civitas, pars aucta cenſetur etiam interdicta. ibid. n. 6
Verius eſt, deſtructo loco, ſeu civitate interdicto, eo ipſo interdictum non tolli. ibid. n. 7
Interdictum quo generaliter inſeritur terra alicujus Principis, cadit in omnes terras, quarum Princeps habet dominium abſolutum, ſive juriſdictionale ſit, ſive utile, aut ſolum uſumfructum, non tamen cadit in terram acquiſitam poſt latum interdictum, niſi hoc ſit expreſſum. ibid. n. 8
Quando totus populus unius civitatis eſt generatim interdictus, non cenſetur locus interdictus. ibid. n. 9
Interdicto populo, ſeu univerſitate aliqua, ſi alij de novo veniant, & fiant de populo interdicto, ſunt etiam interdicti, ſicut alij. ibid. n. 10
Exiſtens de populo interdicto, ſi ingrediatur religionem, poſt profeſſionem deſinit eſſe interdictus, & ad Ordines poteſt promoveri. ibid.
In perſonali interdicto quidam dicuntur eſſe generaliter interdicti, alij ſpecialiter, ſeu particulariter, alij verò nominatim. ibid. n. 11
Interdicto generali perſonali ligantur illi omnes qui & ſunt de populo illo, & apud ipſum habitant, etſi jamſi ſint innocentes, & contradixerint illi delicto, propter quod latum fuit interdictum, & ſint abſentes. p. 429. n. 12
Si interdicatur familia alicujus, etiam includitur clericus ejus familiæ: ſecus dicendum eſt de illo, qui poſt latum interdictum ſit de familia interdicta; ſic enim non incurrit interdictum. ibid. n. 13
Qui habitant ad tempus in populo, vel univerſitate interdicta, pro ſuis negotijs, & non ſunt de illo populo, aut univerſitate, non cenſentur interdicti, niſi eſſent culpabiles. ibid. num. 14
Interdictum latum contra Clerum, non comprehendit ipſam Eccleſiam, quæ ad hujuſmodi Clericos interdictos pertinet unde alij Clerici licitè celebrant in illa. ibid. n. 15
Interdicto Clero alicujus loci, non comprehenditur Epiſcopus, nec tonſurati, & exiſtentes in minoribus, poſt Conc. Trident. niſi gaudeant privilegio clericali. ibid.
Interdici poteſt perſona ſingularis dupliciter; uno modo ſimpliciter, non ſpecificando unam rem magis quàm alteram. Alio modo, ita ut perſonæ huic interdicantur aliqua determinatè expreſſa. ibid n. 16
Probabilius eſt, interdictum perſonale generale poſſe ferri pro debito pecuniario. ibid n. 17
Poſito interdicto perſonali generali, non cenſetur poſitum locale. ibid. n. 18
Probabile eſt interdictum non privare poteſtate Ordinis, & Juriſdictionis, ſed tantùm impedire uſum licitum illius. ibid. n. 19
Quando locus non eſt interdictus, ſed tantùm perſona præſens eſt interdicta, licet celebrare, & alia divina facere, ſi expelli non poſſit. p. 430 n. 20
Perſona non interdicta poteſt audire Miſſam Sacerdotis interdicti, ſi non ſit publicè denuntiatus: ſi verò eſſet nominatim interdictus; quidam negant poſſe, alij affirmant probabiliter. ibid n. 21
Nominatim denuntiatus interdictus interdicto perſonali particulari non poteſt ullibi ſepeliri ſepultura Eccleſiaſtica. ibid n. 22
Probabilius eſt, interdictum perſonali generali interdicto non poſſe ſepeliri, quandiu manet pars communitatis, quæ nominatim eſt interdicta. ibid.
Illi, quibus conceditur per privilegium particulare intereſſe divinis officijs tempore interdicti, non poſſunt in loco ſacro ſepeliri, quamvis contrarium non ſit improbabile. ibid. n. 23

Probabile eſt, illis interdictis, quibus conceditur poſſe aſſiſtere Miſſæ, concedi etiam Euchariſtiam ſumere, niſi expreſsè hoc excipiatur.
Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, non poteſt licitè in ea ſuſcipere Sacramenta : tamen probabile eſt poſſe Sacramenta ſuſcipi, quando divina officia non celebrantur. p.431 n.25
Interdictus ab ingreſſu Eccleſiæ, poteſt in Cœmeterio officia divina audire, & Miſſam celebrare. ibid.
Tempore interdicti, ſi moribundus non poſſit recipere Sacramentum pœnitentiæ, non eſt improbabile poſſe miniſtrari Extremam unctionem, etiam ab excommunicato denunciato. ibid.n.26
Tempore interdicti licitum eſt officium commendationis animarum, quod morientibus legi ſolet: qui habent confraternitates, poſſunt publicè cantare Litanias, etiâſi ſint Clerici, vel Regulares, dummodò id faciant, ſicut Laici. Item licita eſt Angelica Salutatio ter in die ad ſonum campanæ. Item Laici de populo interdicto, vel loco licitè poſſunt in die Paraſceves, ad Crucem accedere, & adorare : quia hæc omnia non ſunt officium divinum. ibid.n 27
Interdictum generale loci ſuſpenditur generali privilegio juris in quatuor anni feſtivitatibus, ſcilicet Nativitate Domini, Reſurrectione, Pentecoſte, & Aſſumptione B. Mariæ Virginis. ibid.n.28
Interdictum particulare in his feſtivitatibus non ſuſpenditur: & in dictis Feſtis ſolùm ſuſpenditur pro prima die earum, quorum Feſtorum officium incipit à primis Veſperis: imò à Miſſa vigiliæ, in Feſtis Paſchæ, Pentecoſtes & Nativitatis Domini. ibid.
In his feſtivitatibus quæcumque officia divina, tam publica, quam privata; tam ordinaria, quam extraordinaria, publicè celebrari poſſunt. Interdicti autem nominati in hoc privilegio non gaudent, nec altari appropinquare. ibid.
Interdictum etiam ſuſpenditur generali privilegio in Feſto Corporis Chriſti, & per totam ejus Octavam, ſed pro Eccleſijs Hiſpaniæ tantùm. p.432 n 29
Porrò ſuſpenditur interdictum ſpeciali privilegio, quod concedi ſolet per Sedem Apoſtolicam. ibidem.
Legatus à Latere poteſt etiam ſuſpendere interdictum à ſe latum, ſive ab Epiſcopis, & alijs Prælatis, qui ſub ejus legatione ſunt. Idem poſſunt Epiſcopi, & alij Prælati inferiores quoad interdictum à ſe latum. ibidem, numero 30
Interdictum perſonale poteſt à judice Eccleſiaſtico, vel ſimpliciter, & omninò ſuſpendi, vel quandiu ei videbitur; non debet tamen ex quavis cauſa ſuſpendi, ſed ex gravi. ibid. n.31
Quas pœnas mereantur, & quas ipſo facto incurrant Clerici, Religioſi violantes interdictum.

Intereſſe.

Intereſſe duplex eſt, videlicet, lucri ceſſantis, & damni emergentis. Intereſſe lucri ceſſantis eſt, quando homo impeditur à lucro quod faceret, ſi pecunia ſibi reſtituta fuiſſet. Intereſſe damni emergentis eſt, quando homo amittit aliquid de bonis habitis; ut cùm quis ratione mutui quod alteri præſtitit, cogitur ipſe pecuniam fœnori accipere, &c. V. Reſtitutio. p 739.n.6
Inter contrahentes ſponſalia poteſt conveniri, ut qui injuſtè reſiluerit, ſolvat alteri intereſſe damni, quod ei emerſerit, ex eo, quod facta fuit ſponſalia, ut ſi alter ratione ſponſalium expenſas fecerit. V. Sponſalia. p.809.n.7
Mutuatarius tenetur reſtituere rem ſuo tempore, alioquin tenebitur ad damna, & intereſſe ſecuta ex mora, v. Mutuum. p.581.n 8
Quando ex dilatione ſolutionis dotis vidua nullum intereſſe incurrit, juxta quoſdam, nõ poteſt percipere fructus pignoris; rectius tamen docent alij poſſe, donec ſolvatur ei dos; ſed ut hoc liceat, debent concurrere tres conditiones. p.585. n.24

Intentio.

Intentio actualis probabiliter non requiritur ad lucrandam indulgentiam, ſed ſufficit habitualis, & interpretativa, modo opera injuncta præſtentur. V. Indulgentia I. pag.413. n.14
Quando ſponſi habuerunt inter ſe copulam, hac ſpe, & intentione facilius obtinendi diſpenſationem, neceſſarium eſt, non ſolùm exprimere copulam, ſed etiam hanc ſpem, & intentionem; ſed non ſemper. V. Matrimonium III. p.543. n 8.
Ad applicandum fructum ſacrificij in Miſſa requiritur in ſacerdote intentio actualis, vel ſaltem virtualis : ſed ſufficere habitualem, non eſt improbabile. V. Miſſa II. pag.566. n.9
Intentionem Eccleſiæ mutare non poteſt, nec licitè, nec validè Sacerdos ſacrificium offerens in perſona Eccleſiæ, ut vel aliquem excludat, quem Eccleſia in ſua generali intentione includit; vel aliquem includat, quem Eccleſia excluſum elle vult, ut excommunicatum vitandum. p.567.n.12.
Ad conficienda Sacramenta non ſufficit intentio, qua quis ſuſcepit Ordines hoc animo, ut fieret Sacerdos, & Miniſter Eccleſiæ. V. Sacramentum. p.762.n 12. ubi plura de intentione. n.13.& 14

Invitus.

Omnes habentes poteſtatem dominativam, poſſunt irritare vota ſubditorum, etiam invitis voventibus. V. Votum II. p 878.n 27
Diſpenſatio voti an poſſit dari invito vovente? quidam negant, alij affirmant, modò urgentior cauſa reperiatur, quàm ſi vovens conſentiret. ibid.
Commutatio autem voti non poteſt fieri invito voventi. ibid.
Filius non poteſt compelli, ut patiatur ſe emancipari invitum. V. Filius. p.347.n.4

IRREGULARITAS

Ex Defectu.

Omnis irregularitas jure tantùm humano Pontificio conſtituta eſt, licet multæ ex lege veteri, & naturali originem traxerint. p.433 n.1
Quando dubium eſt, an ſit pro aliquo delicto commiſſo impoſita à jure aliqua irregularitas, tunc judicandum eſt, non eſſe irregularitatem in eo caſu conſtitutam, cùm talis irregularitas non ſit in jure expreſſa. ibid.
An damnatus ad triremes efficiatur irregularis ratione infamiæ? alij negant, alij affirmant probabiliter. ibidem, n.2
Ignorantia invincibilis juris excuſat ab irregularitate ex delicto, etiamſi imponatur pro facto jure naturali damnato: ſecus ſi irregularitas ſit ex defectu; hæc enim incurritur non obſtante ignorantia invincibili. p.434.n.3
Pluralitas uxorum per verba de præſenti citra conſummationem, irregularitatem bigamiæ non inducit. n.4
Iterata ſponſalia etiam cum copula irregularitatem non inducunt. ibid.
Si quis ducat uxorem etiam corruptam, ſed moritur ante carnis copulam, & deinde ducit virginem, eamque cognoſcit, non eſt bigamus, nec irregularis. ibid.n.5
Diviſio, & corruptio viri contrahentis matrimonium, non efficit eum bigamum, ſicut efficitur bigamus, ſi ducat uxorem ab alio cognitam : ratio hujus ibi aſſignatur. ibid, n.6
Liber ab omni voto contrahens Matrimonium cum femina habente ſolemne votum caſtitatis, ſi eam cognoſcat, non videtur eſſe irregularis, aut bigamus; licet aliqui contrarium ſentiant. ibid.n 7
Irregulares ex defectu corporis ſunt omnes habentes aliquem corporis defectum, qui in jure dicuntur vitiati, qui diminuti corpore. ibid.n.8
Quodcumque corporis vitium, vel ordinis executionem impediens, vel inſignem deformitatem inducens, irregularem habentem efficit. ibid.
Quoad Ordines ſuſcipiendos eo ipſo jure, quo quis inhabilis eſt ad Ordines ſuos exercendos, etiam nec promoveri debet, & ſic promotus deijcitur. Poſt autem Ordines ſuſceptos, ſi talis defectus contingat, poteſt exequi illa officia, ad quæ non impeditur propter illum defectum. ibid.
Inhabilis ad ſacerdotium ob defectum aliquem corporis, poteſt ex juſta & rationabili cauſa ad Diaconatum, vel Subdiaconatum, aut ad minores promoveri, quando defectus talis non eſt, ut eorum Ordinum uſum impediat: tamen qui careret membro neceſſario ad ſacerdotium, jure Canonico irregularis eſt. ibid.& ſeqq.
Qui propter deformitatem in aliquo membro corporis irregularis eſt ad ſacerdotium, poteſt admitti ad alios inferiores Ordines. ibid.
Defectus membri magni, & apparentis inducent magnam deformitatem, ex quacumque cauſa proveniat, irregularitatem inducit. p 435.n 9
Privatus membro parvo, & occulto ſponte, & ſine juſta cauſa, ab ordinatione repellitur, & ab ordinatis deijcitur. ibid.
Defectus membri alicujus occulti, qui notabilem deformitatem in facie, manibus, aut corpore non generat, ſi ex propria culpa non acciderit, irregularitatem non inducit. ib.n.10
Illiteratus, qui ob defectum literaturæ irregularis dicitur, eſt ille qui latinè legere, & ſcribere neſcit, aut qui linguam latinam arte, vel uſu non didicit. ibid.n.11
Ut filius illegitimè natus fiat legitimus per ſubſequens matrimonium, requiritur, ut tempore quo filius eſt genitus, parentes inter ſe contrahere poſſent matrimonium, ſi conſenſus adfuiſſet; ſecus ſi tunc impedimentum dirimens adfuit; hic enim eſt Irregularis. ibid.n.12

Ille

Illegitimus, qui ſine diſpenſatione ad aliquem ordinem promotus eſt antequam parentes ipſius matrimonio conjungerentur, poteſt poſt initum tale matrimonium, tanquam legitimus factus Ordinem ſuſceptum exercere, & ad altiorem aſcendere ſine diſpenſatione. ibid.n.13
Qui ex illegitimo factus eſt legitimus auctoritate Principis ſæcularis, non poteſt ſine diſpenſatione ad Ordines promoveri. ibid n 14
Legitimare filium clerici & ſacrilegio natum, juxta quoſdam pertinet ad Principem ſæcularem, juxta alios ſpectat ad Pontificem; ſed tutius eſt ut ab utroque Principe legitimatio petatur. p.436.n.15
Verius eſt illegitimum in ſæculo abſque diſpenſatione ad Ordines promotum, poſſe in eis miniſtrare, ſi profiteatur in Religione approbata: ſed quoad Prælaturam, permanet adhuc iſta irregularitas. ibid.n.16
Filij ſuſcepti ab infidelibus cenſentur legitimi, ſi parentes tempore infidelitatis contraxerunt matrimonium validum ſecundùm leges ipſorum, ſed invalidum ſecundùm leges Canonicas. ibid.n.17
Obligati ad ratiocinia impediuntur ne Ordines recipiant: tamen qui curam pauperum ſuſceperunt, & maximè de licentia Epiſcopi, non arcentur ab Ordinibus. ibid n.18
Teſtis in cauſa ſanguinis fit irregularis, nec ei prodeſt proteſtatio ad evitandam irregularitatem: probabile tamen eſt non fieri irregularem, quando obligatur ad teſtimonium ferendum jure naturæ, vel juſto præcepto judicis, vel ad id gravi metu compellitur. ibid.n.19
Prælatus, qui petitur à ſuis officialibus quid faciendum ſit in cauſa ſanguinis circa caſum aliquem periculare, non eſt Irregularis, ſi reſpondeat, Facite quod leges ſtatuunt, &c. ibid. n.20
Clericus in ſacris exercens Chirurgiam per inciſionem, vel aduſtionem ſecutâ morte, ſit irregularis, licet adhibuerit neceſſariam diligentiam. In aliquibus tamen caſibus non incurritur irregularitas. p.437.n 21
Irregularitas ex defectu lenitatis non contrahitur ante Baptiſmum. ibid.n.22
Clericus cauſam civilem deferens ad judicem ſæcularem, aut de levi delicto accuſans, quod non eſt dignum pœnâ mortis aut mutilationis, non tenetur proteſtationem præmittere, nec irregularis erit, ſecuta morte illata per judicem excedentem juſtitiæ limites. ibid.n.23
Si clericus accuſans civiliter prævideat probabiliter delinquêtem periculum incurrere pœnæ ſanguinis, tunc requiritur proteſtatio, ne fiat irregularis, ibid.
Quando Clericus crimen defert ad judicem Eccleſiaſticum, tunc nulla proteſtatio requiritur. ibid.n.24
Omnes clerici, ſive regulares, ſive ſæculares, qui interſunt ſententiæ aut executioni pœnæ mortis, quaſi auctoritatem, conſilium, auxilium, favorem, aut operam præſtantes, irregulares ſunt. ibid.n.25
Irregularitas ex defectu lenitatis incurritur tantùm ab illis, qui concurrunt aliquo modo ad mortem, ut juſtitiæ miniſtri; ſecus autem ab alijs, ſi non ſit in jure expreſſa. ibidem num.26
Hinc ſequitur, clericum non eſſe irregularem, niſi ipſe ad necem concurrat in bello juſto movens arma ſuis manibus, aut alia ratione concurrat realiter ad necem; licet aliàs ſit cauſa proxima, ut alij occidant, exhortando milites in Generali, ac etjam in particulari ad hoſtes occidendos. ibid.
Dubius, an in bello juſto aliquem occiderit vel mutilaverit, tunc tutior pars eligenda eſt, & ſe debet reputare irregularem: quamvis contrarium non ſit improbabile. pag.438. num. 27
Ordinatus ante legitimam ætatem ſacro Ordine, ipſo facto eſt ſuſpenſus, & ſi ſcienter aliquem actum Ordinis ſacri proprium in ſuſpenſione faciat, in novam irregularitatem incidit, niſi bona fides aut ignorantia eum excuſet. ibid.n.28.

IRREGULARITAS

Ex Delicto.

Propter homicidium illicitum, id eſt, occiſionem corporis humani animati, prout eſt contra juſtitiam proximo debitam, vel mutilationem ſimiliter illicitam, incurritur irregularitas, quæ eſt ex delicto. p.439.n.1
Hoc homicidium inducens irregularitatem committi poteſt opere, vel mandato, vel conſilio, vel auxilio & favore, vel cooperatione aliqua, vel percuſſione, vel approbatione. ibidem.
Per mutilationem intelligitur membri alicujus abſciſſio: membrum autem dicitur id quod habet officium in corpore per ſe ſeparatum ab alijs. ibid.
Omnes qui ad homicidium injuſtum vel injuſtam membri abſciſſionem concurrunt ut cauſa proxima, irregulares ſunt hinc omnes milites in bello injuſto ſunt irregulares, ſi contingant in eo homicidia vel mutilationes. ibid.n.2
Dans cauſam morti, hâc ſecutâ, irregularis eſt. ibid.n 3
Si quis licitè mandet alium percuti vel verberari, & mandatarius excedens mandatum mutilet, vel occidat, irregularis non eſt: ſecus ſi mandaverit illicitè percuſſionem. ibid. num. 4
Mandans vel conſulens fieri homicidium et, qui aliàs erat abſque mandato, conſilio & ſuatione facturus, non eſt irregularis: ſi autem homicidium commiſſum ſit citiùs propter mandatum vel conſilium, tunc mandans vel conſulens irregularis erit. p 440.n. 5
Mandans aliquem occidi, vel mutilari, irregularis eſt, ſi ipſemet mandatarius occidatur. Idem dicendum de conſulente. ibid.n.6
Non eſt tamen improbabile, mandantem vel conſulentem hujuſmodi non eſſe irregularem adhuc ex homicidio caſuali, ut ſuſtinent quidam Doctores moderni. ibid.
Probabilius eſt mandantem non teneri monere occidendum, ad vitandam irregularitatem, ſed tantùm revocare mandatum, dummodò revocatio expreſsè vel tacitè nota ſit mandatario. An autem idem dicendum ſit de conſulente? Alij negant. ibid.n 7
Qui præbet conſilium pium, ex quo præter intentionem homicidium vel membri mutilatio ſequitur, ſi actus non ſit ordinatus in talem effectum, nec à conſulente intentus, irregularitatem non incurrit. ibid.n.8
Probabilior ſententia aſſerit non impedientem, homicidium, quod tenebatur ex juſtitia impedire, irregularitatem incurrere: contrarium tamen à quibuſdam Neotericis ſuſtinetur ut probabile. ibid.n.9
An irregularis ſit, qui hominis occiſionem impedire volentem malignâ diſſuaſione ab hoc opere charitatis revocat? Quidam negant: contrarium alij docent. p.441.n.9
Irregularis non eſt occidens invaſorem ad ſe defendendum à gravi deformitate vultus, vel in defenſionem alicujus membri, ne ab illo mutiletur. p.441.n.10
Ut incurratur irregularitas ex homicidio caſuali, requiritur peccatum mortale. ibid.n.11
Quando quis dat operam rei licitæ & adhibet omnem diligentiam quam adhibere debet, ne homicidium ſequatur, non eſt irregularis, etjamſi tunc ſubſequatur. ibid.n.12
Qui dat operam rei licitæ, non adhibet tamen omnem curam quam adhibere debet, ne ſequatur homicidium, irregularis eſt, ſi homicidium ſequatur. ibid.
Ad incurrendam irregularitatem, non ſufficit quod ſit ſubſequutum homicidium ex opere illicito, ſed neceſſarium eſt quod opus illud vel ſit ex ſe & natura ſua inductivum ſaltem probabiliter, & ut plurimum mortis vel mutilationis, vel periculoſum, aut prohibitum jure Divino vel humano, ibidem.
Pulſans campanas, aut eas tollens, ſi abſque ejus culpa, caſu aliquis occidatur, non erit irregularis: ſi quis tamen pulſaret illicitè campanas ad ſeditionem & arma, irregularis erit, ſi ſequatur homicidium. ibid.n.13
Clericus aut Monachus cum femina prægnâte ludens, ſi cum ea ſaltet, aut choreas ducat, & caſu contingit abortus fœtus animati ex eo luſu, irregularis: non autem laicus, ſi ludus ſit levis. ibid.
Mittens lapidem in aliquem ludendo, ſi is à lapide fugiens, in alterum lapidem caput offendat & culpa medici moriatur, irregularis non erit. ibid.
Qui emittit ſagittam ſive lapidem animo occidendi Petrum inimicum ſuum, ſed Petro declinante ſagitta emiſſa occidit Paulum, qui non intendebatur occidi ab illo, irregularis eſt. p.442.n.14
Irregularis non eſt rebaptizans, quando adeſt probabilis ignorantia facti. ibid.n.15
Ignorantia juris ſive divini, ſive humani, baptiſmum iterari prohibentis, ſecundùm communem ſententiam, non excuſat ab irregularitate, etjamſi ignorantia ſit invincibilis: nihilominus dari poteſt ignorantia invincibilis excuſans à culpa, & à pœna irregularitatis impoſita ob eam culpam, ſaltem in foro conſcientiæ. ibid.n.16
Peccant mortaliter, qui ſine delectu aliquem cum conditione *Si baptizatus es, ego te non baptizo; ſi non es baptizatus, ego te baptizo*, baptizant, non priùs quærentes, an baptizatus fuerit. An autem tunc incurratur irregularitas? Quidam negant; ſed contrarium videtur determinatum in Catechiſmo Romano. ibid.n.17
In duobus tantùm caſibus quis incurrit irregularitatem ex mala Ordinum ſuſceptione: Primò, ſi furtivè ordinetur: Secundò, vir conjugatus ſi durante matrimonio etjam non conſummato præſumens ſacrum Ordinem illicitè ſuſcipere, non ſolùm eſt ſuſpenſus, ſed etjam irregularis. ibid. num.18

Irregularitas nō incurritur ab eo, qui ſuſcipit Ordines vel illos exercet, quando ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ impoſita eſt excommunicatio contra ſuſcipientem vel exercentem Ordines ſacros. p.443.n.19
Irregularis ſuſcipiens Ordines novam irregularitatem non incurrit, ſed tantùm peccat mortaliter. ibid.n.20
Qui ſeriò, ſcienter, ſolemniter ex officio miniſtrare præſumit in ſacris Ordinibus, quos non habet, ipſo facto irregularitatem incurrit, in qua, quando delictum eſt publicum, ſolus Papa diſpenſat. ibid.n.21
Apoſtatæ à religione ſunt irregulares dum ſunt in actu apoſtaſiæ. ibid.n.22
Irregularitas incurritur ratione infamiæ: Primò, ex quocumque crimine inducente infamiam, ſi illa ſequatur: Secundo, ex quocumque delicto enormi & depoſitione digno, ſi ſit notorium & manifeſtum: tamen ex nullo crimine quantumvis enormi, dummodò occultum ſit, contrahitur irregularitas, niſi in jure expreſſum habeatur; quale eſt homicidium occultum. ibid.n.23
Infamia juris incurritur ipſo facto radicaliter, quando aliquis committit delictum, ob quod impoſita eſt in jure pœna infamiæ: ſed talis executio pœnæ dependet à ſententia judicis declarantis tale crimen fuiſſe commiſſum à tali perſona, cui ſecundùm jura impoſita eſt pœna infamiæ ipſo facto. p.444.n.24
In multis caſibus ex delicto proprio homines ſunt infames. ibid.n.25
Irregularitas ex infamia contrahitur etiam ſine propria culpa ex crimine alieno perſonæ conjunctæ. ibid.
Irregularitas infamiæ aliquando contrahitur ex vili conditione perſonæ, quæ oritur ex uſu artis infamis & muneris ignominioſi, modò aliquo jure conſtet tale munus inducere infamiam. ibid.
Non ſunt irregulares ſuſpecti de hæreſi, qui coguntur per Inquiſitores abjurare de vehementi: ſecus quando ſuſpicio oritur ex eo, quòd favent hæreticis, vel illos recipiunt vel defendunt. ibid.n.26
Quando ſuſpicio oritur ex alio crimine, tunc non erunt irregulares propter hujuſmodi ſuſpicionem, ſed ſolùm propter infamiam, ſi crimen ſit notorium. ibid.

IRREGULARITAS

Quibus modis tollatur.

Omnis irregularitas, quæ ex proprio delicto contrahitur, tollitur per Baptiſmum; ſicut & illa quæ oritur ex infamia proveniente ex proprio facto, ſeu delicto: Irregularitates tamen ex bigamia, ex defectu natalium, & corporis procedentes, per Baptiſmum non tolluntur. p.444.n.1
Irregularitas ex defectu natalium, vel quæ ex infamia contracta eſt ob delictum parentum per profeſſionem ſolemnem religionis approbatæ tollitur jure communi, ſimiliter per tria vota ſimplicia emiſſi ſolita in Societate JESU poſt biennium probationis, tollitur irregularitas hæc ex defectu natalium. p.445.n.2
Irregularitas poteſt tolli per diſpenſationem, non autem per abſolutionem; niſi illa ſit ex delicto. ibid.n.3
Irregularis diſpēſatus indefinitè ad Ordines, non poteſt promoveri ad majores, niſi forte ex ſubjecta materia aliter colligatur. Diſpenſatus verò ad majores, cenſetur etiam diſpenſatus ad minores. ibid.n.4
Tria ſunt obſervanda pro obtinenda vel concedenda diſpenſatione circa irregularitates contractas, ut talis diſpenſatio legitimè fiat. ibid.n.5
Superior diſpenſans debet attentè conſiderare gravitatem irregularitatis, de qua petitio diſpenſationis eſt facta: difficilius enim diſpenſatur in gravioribus, quàm in alijs. ibid. n.6
Summus Pontifex de plenitudine poteſtatis poteſt tollere omnem irregularitatem, vel in ea diſpenſare, ſecundùm totum, vel ſecundùm partem. p.446.n.7
Si Pontifex obrogaret legem, quæ imponebat pœnam alicujus irregularitatis, cenſentur tunc ſublatæ omnes irregularitates illius ſpeciei, non ſolùm contrahendæ, ſed etiam contractæ. Limitatur tamen hoc dupliciter. ibid.
Irregularitas bigamiæ, quæ oritur ex delicto, etiam alieno, ſecundùm probabilem Doctorum ſententiam, eſt ab Epiſcopo diſpenſabilis, & à Prælatis regularibus reſpectu ſubditorum. ibid.n.8
Diſpenſatus in una irregularitate ob unam cauſam contracta, diſpenſatus non manet in ceteris irregularitatibus contractis ob alias cauſas. ibid.n.9
Probabile eſt, contractâ unâ irregularitate ob homicidium, non contrahi aliam numero diſtinctam, etiamſi aliud homicidium ab uno committatur, hinc non eſt opus exprimere numerum homicidiorum in petitione diſpenſationis, propter quæ petens contraxit irregularitatem. ibid.
Quædam irregularitates ſine ulla diſpenſatione tolluntur. p.447.n.10.

Jubilæum.

Jubilæus derivatur à voce Hebræa Jobal, quæ denotat gaudium & lætitiam univerſalem, quæ mediante ſonitu tubæ, ſeu buccinæ promulgabatur. Per Jubilæum in Eccleſia ſancta Dei intelligitur non ſolùm annus Sanctus, qui hodie vigeſimo quoque quinto anno celebratur, ſed etiam plenarium indultum abſolvendi à peccatis reſervatis & cenſuris, cum indulgentia plenaria. p.447.n.1
Tempore Jubilæi regularis approbatus à ſuo Provinciali ad audiendas confeſſiones Fratrum ſuæ Religionis, non poteſt eligi in confeſſarium à ſæcularibus, ſi non ſit approbatus ab aliquo Epiſcopo ad audiendas confeſſiones ſæcularium. ibid.n.2
Nonnulli probabile putant, Prælatum alicujus Religionis non approbatum ab aliquo Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium audiendas, poſſe eligi in confeſſarium à ſæcularibus tempore Jubilæi. Contrarium tamen eſt tenendum. ibid. num.3
Qui tempore Jubilæi obtinuit commutationem votorum, ſed aliquorum oblitus eſt; non poteſt tranſacto eo tempore à dictis votis oblitis commutationem petere, non obſtante, quòd non ſit lucratus Jubilæum; ſecus ſi Jubilæum obtinuit. p.448.n.4
Si aliquis omnia opera injuncta pro conſequendo Jubilæo feciſſet, & mane die Dominico vellet confiteri, & communicare, ſed inadvertenter aliquid cibi vel potus ſumpſit, poteſt lucrari Jubilæum ſi confeſſarius commutet communionem in aliquod opus pium. ibid.n.5
Qui noluit lucrari Jubilæum & in ſecunda hebdomada die Sabbatho mutat propoſitum, poteſt lucrari Jubilæum, dummodò commutentur jejunia; nam reliqua facere poterit die Dominico. ibid.
Qui complevit intra hebdomadam omnia opera in Jubilæo injuncta, ita ut ultimum opus ſit jejunium Sabbathi, ſi iterum mane in die Dominica incidat in caſum reſervatum, poteſt ab illo virtute Jubilæi abſolvi. ibid.n.6
Tempore Jubilæi communio poteſt fieri quocumque die hebdomadæ præſcriptæ, etiamſi in diplomate præſcriptum ſit, ut communio fiat in Dominico die, qui jejunia proximè ſequitur. ibid.n.7
Probabile eſt communionem factam in peccato mortali ſufficere ad ſatisfaciendum oneri communionis injuncto ad lucrandum Jubilæum, ſi eadem communio non ſit ultimum opus in Jubilæo præſcriptum: licet alij hoc non admittant. ibid.
Pueri, qui ex defectu ætatis non ſunt capaces communionis, poſſunt lucrari Jubilæum faciendo cetera opera præſcripta, modò commutetur communio in aliquod aliud opus pium: idem dicendum de infirmis & patientibus tuſſim, vomitum, &c. p.449.n.8
Confeſſarius poteſt commutare jejunia Jubilæi, aliaque opera præſcripta etiam ultimo die ſequentis hebdomadæ, in quo terminatur tempus lucrandi Jubilæum. ibid.n.9
Quando in Bulla Jubilæi vel indulgentiæ dicitur, *Omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, vel omnibus contritis & confeſſis*, &c. *concedimus indulgentiam*, non ſufficit contritio, ſed neceſſaria eſt confeſſio, ſaltem ſi ſuſceptor indulgentiæ poſt ultimam confeſſionem commiſerit peccatum mortale; licet ſufficere contritionem nonnulli doceant. ibid.n.10
Parochus, quamdiu retinet beneficium curatum, non ſolùm eſt eligibilis per Jubilæum intra eandem diœceſim, ubi habet beneficium, ſed extra, & ubique terrarum. ibid. num.11
Nonnulli probabile putant, Parochum, qui beneficio Parochiali renunciavit, poſſe eligi in confeſſarium tempore Jubilæi; ſed contrarium eſt probabilius. ibid.
Quando in Bulla Jubilæi injungitur ut opera poſſint commutari per confeſſarium electum, ſi quis jam elegit confeſſarium & ab eo eſt facta commutatio, non tamen ei confeſſus ſua peccata, ſed alteri, commutatio valet. ibid.n.12
Probabilius eſt, delegatam poteſtatem in votis diſpenſandi & illa commutandi, extendi etiam tum ad juramenta pia abſolutè facta, tum ad vota juramento ex propoſito confirmata, tùm etiam ad vota jurata, tametſi juramentum & votum ejuſdem materiæ concomitanter ſe habeant. p.450. num.13
Probabile eſt, quando in Bulla Jubilæi conceditur commutatio votorum omnium, exceptis votis caſtitatis & religionis, comprehendi vota peregrinationis in Hieruſalem, ad limina Apoſtolorum, & ad D. Jacobum. ibid. numero 14
Secundùm quoſdam non juvat opinio probabilis ad lucrandam indulgentiam, ſi oppoſitum ſit verum: multi tamen

men Doctores moderni contrarium ſuſtinent probabiliter. ibid.n.15

Iudex, Iudicium publicum.

Judex competens cenſetur aliquis multis modis, ut ex jure civili & canonico colligitur: poteſt enim quis ſortiri forum, ratione cauſæ;criminis;originis;domicilij;loci;delicti; perſonæ;contractus;vel ratione rei, de qua agitur, &c. p.451. n.1

Judicis obligationes præcipuæ ſunt quatuor. ibid.n.2

Judex tam ſuperior, quàm inferior, per ſe loquendo, tenetur ſecundùm verba legis judicare, quoties cauſa propoſita ad leges humanas pertinet, ex quarum obſervatione nihil ſequitur legi divinæ vel naturali repugnans. p.452.n.3

Quando ſervatis verbis legis,ratione loci, temporis vel perſonæ ſequeretur aliqua injuſtitia vel iniquitas,tunc non ſolùm Princeps, ſed etjam inferior judex,non ſecundùm verba legis, ſed ſecundùm æquitatem,& rectæ rationis dictamen judicare debet. ibid.

Judex poteſt aliquando ſupplere defectum Advocati & partium, imò tenetur laborare ut veritas detegatur, & ſecundùm ipſam poſſit judicare, necnon curare ut falſitas inveniatur. ibid.n.4

In pari dubio juris utriuſque partis, tenetur judex favere poſſidentiſi neuter poſſideat,tenetur judex inter utrumque dividere: ſi res individua ſit, ſorte diſtribuenda eſt,ut uni res, alteri verò dimidium æſtimationis conferatur. ibid,n.5

Quando dantur duo vota æqualia,poſſe judicem licitè aliquid accipere pro electione partis,pro qua fert ſententiam, docent quidam; ſed verius eſt,in hoc caſu teneri judicem ad reſtitutionem ejus quod accepit, ſaltem poſt ſententiam. p.453.n.6

Ubi competentia ſuper jurisdictione vertitur inter judicem Eccleſiaſticum & ſæcularem, judex Eccleſiaſticus tanquam major, & majori dignitate præfulgens, cognoſcere debet. an ſua ſit jurisdictio, nec arbitros eligere tenetur. ibid,n.7

Peccata,quæ judices directè concernunt,hæc ſunt; Primò,injuſtam ſententiam ſcienter proferre:Secundò,ſi ex ignorantia craſſa vel affectata proferat ſententiam injuſtam: Tertiò, ſi ſententiam injuſtam protulit ex eo, quòd diſcuſſionem, aut examen debitum cauſæ neglexit: Quartò,ſi permittat ſe corrumpi prece vel pretio, muneribus, aut obſequijs: Quintò,ſi remittat pœnas, non puniens maleficia ex amicitia,vel avaritia,&c. ibid.n.8

Judicium, ut hîc accipimus, nihil aliud eſt, quàm actus legitimus duarum perſonarum, ſcilicet, Actoris & Rei, ſuper eadem quæſtione, ſub eodem judice contractus. ibid.n.9

Judex requiritur ad ferendam ſententiam: accuſator ad accuſandum, quando crimen non eſt manifeſtum; & reus ad reſpondendum. Hæ perſonæ ſubſtantialiter conveniunt ad judicium; aliæ verò perſonæ contingenter concurrunt ad judicium. ibid,

Judicium acceptum pro determinatione facta à judice competenti in materia juſtitiæ,eſt actus elicitus à juſtitia.p.454. n.10

Ut judicium ſit ſecundùm juſtitiam, tres conditiones ſunt neceſſariæ. ibid n.11

Judicium tribus modis redditur illicitum:Primò,quando deeſt judici auctoritas ſuper reo vel cauſa: Secundò, quando judex injuſtè procedit,amore,odio,vel alia paſſione: Tertiò, ſi judex ex levibus ſignis & ſuſpicionibus aliquem condemnet. ibid.n.12

Judicium redditur nullum: Primò,ratione judicis incompetentis;Secundò,ratione perſonæ agentis: Tertiò,ex defectu rei,quæ ſub tali judice tractari non poteſt. ibid,

De jure naturæ vel divino non eſt, ut inquiſitionem præcedat infamia; ante condemnationem præcedat accuſatio, ſed tantùm de jure humano, quod eſt conforme juri & rationi naturali: in quo poteſt Pontifex, vel Princeps diſpenſare. ibid n.13

In judicijs extraordinarijs, quinque funguntur vice veri accuſatoris. ibid.

In aliquibus caſibus poteſt procedi ad inquirendum, tam in genere, quàm in ſpecie, abſque præcedente infamia; quorum primus eſt, quando inquiſitio neceſſaria eſt ad impediendum crimen læſæ majeſtatis,aut hæreſis, vel apoſtaliæ. p.455.n.14

Quando in inquiſitione non intenditur condemnatio, aut pœna inquiſiti, ſed ad conferendum beneficium,Officium, &c. vel cum inquiritur de impedimento matrimonij, ne quis in gradu prohibito contrahat; non requiritur præcedens infamia. ibid,n.15

Quando quis confeſſus eſt publicè crimen ſuum, extra tamen ordinem juris:vel quando delictum cõmittitur coram ipſis judicibus; vel quando judex in generali inquiſitione comperit aliquem deliquiſſe; vel quando ſuſpicio communis ſupplet vicem infamiæ. In his caſibus poteſt procedi ad ſpecialem inquiſitionem. ibid.n.16

Superiores Clericorum & Religioſorum non poſſunt contra eos procedere in crimimbus gravibus,niſi eo modo,quo alij judices,ſcilicet,ſine aliquo accuſatore formali,aut virtuali,& ſine ordine judiciali, quamvis ſine ſtrepitu & figura judicij, ſicut decet religioſos. ibid.n.17

Iudicium temerarium.

Judicium temerarium & ſuſpicio ex tribus potiſſimùm cauſis provenire ſolent: Primò, ex pravitate,ſeu malitia judicantis: Secundò, ex odio, invidia, & livore animi: Tertiò, ex longo uſu & experientia. p.456 n.1

Suſpicio, prout comprehendit dubitationem, opinionem & judicium temerarium, eſt mala, & peccatum,tum jure naturali,tum etjam jure divino prohibitum. ibid,n.2

Probabile eſt,peccare mortaliter illum, qui ex levibus indicijs temerè & voluntariè de proximo ſuſpicatur grave ſcelus. Non eſt tamen improbabilis ſententia negans eſſe mortale, ſi ſuſpecio non habeat aſſenſum firmum. ibid.n 3

Ut judicium temerarium ſit peccatum mortale, requiruntur quatuor: Primò,ut ſit certum: Secundò, ut ſit plenè deliberatum: Tertiò,ut ſit de materia gravi: Quartò, ut procedat ex levibus conjecturis. ibid.n.4

Peccatum mortale committi poteſt aliquando judicando proximum temerè de culpa venali. p.457.n.5

Grave aliquod malum, tametſi nullum ſit peccatum, gravis materia in judicio temerario eſſe poteſt, ſi per illud vel honor vel fama proximi notabiliter lædatur. ibid,n.6

Ut in ſuſpicione vel judicio temerario peccetur mortaliter, non eſt latis quomodocumque deliberatè ſuſpicari, aut judicare in re gravi,ſed oportet,quòd advertas & advertendo ſcias, aut ſaltem dubites te ex ſignis inſufficientibus,& de gravi malo proximi dubitare,ſuſpicari,vel judicare.ibid, n.7

Iuramentum.

Invocare divinum teſtimonium nihil aliud eſt,quàm Deum in teſtem vocare, ſeu precari, ut Deus veritatem rei,quam profert quis,atteſtetur, tanquam id quod eſt ab ipſo Deo ſcitum & verum. p.458 n.1

Non eſt juramentum, niſi quis velit verba quæpiam ulurpans formaliter vel virtute invocare divinum teſtimonium ad alicujus veritatis teſtimonium. ibid.

Juramentum aſſertorium dicitur, quando divinum teſtimonium invocatur ad confirmandam enunciationem de præſenti,aut de præterito.Promiſſorium verò dicitur, ſub quo etjam comminatorium comprehenditur,quando divinum teſtimonium adducitur ad confirmandam enunciationem de futuro. ibid,n.2

Juramentum aſſertorium ſolùm requirit unam veritatem, videlicet præſentem vel præteritam, quæ aſſeritur: Promiſſorium verò, duplicem, præſentem nempe, & futuram, ibidem.

Juramentum execratorium non conſiſtit per ſe & formaliter in ipſa execratione, ſed conſiſtere dicitur in execratione, tanquam in ſigno quodam à poſteriori ipſius juramenti. ibid.

Perjurus, qui fecit juramentum execratorium, communiter loquendo, unum tantùm peccatum mortale committit perjurij: ſi tamen quis eſſet ita protervus & ſibi ipſi infeſtus, ut ex animo perverſo & ſerio mala illa veiè à Deo imprecari intendat contra ſeipſum vel alios, tunc duplex peccatum committeret, unum perjurij, alterum execrationis contra charitatem propriam. p.459.n.3

Non eſt de eſſentia juramenti, ut explicitè interponatur verbum *juro*,vel quid ſimilejmò ſine ulla verborum prolatione Deus vocari poteſt in teſtem, ut ſi rogatus ac juſſus manu crucem,aut librum Euangelij tangat, intendens & ſignificans ſe jurare. ibid.n.4

Ad rationem juramenti ſufficit, quod Deus tacitè,ſive expreſsè quocumque modo invocetur in teſtem aſſertionis, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus ſignificantibus intentionem jurantis. ibid.

Aliquando in foro externo neceſſarium eſt fieri juramentum tactis Euangelijs; alioquin vim ullam non habebit,quantùm juris effectum attinet. ibid.

Sicut veritas in juramento tribus modis conſiderari poteſt, ita triplex falſitas poteſt eſſe in juramento. ibid, n 5

Juramentum aſſertorium, cui deeſt veritas, ſemper eſt peccatum mortale in quacumque materia adhibeatur. ibid. n.6

Juramentum etjam promiſſorium ex defectu veritatis conſiſtentis in concordia vocis cum animo interiori faciendi quod promittitur, ſemper eſt peccatum mortale, ſive res quæ promittitur ſit licita,ſive illicita,ſive parva,ſive magna. ibid.

Proba-

Probabilior, ac tutior opinio aſſerit juramentum promiſſorium de relicita ob defectum veritatis de futuro, ſemper eſſe peccatum mortale, etjamſi materia promiſſa ſit parva: & hæc ſententia rationibus fulcitur: quanquam oppoſitum ex principio extrinſeco non ſit improbabile. ibid.n.7

Ex defectu juſtitiæ mortaliter peccat contra religionem, qui jurat ſe commiſſurum aliquod peccatum mortale: veniali-ter autem peccabit, ſi juret ſe facturum peccatum veniale. p.460.n.8

Ex defectu judicij in juramento contingit peccatum, quando quis res veras ſine juſta cauſa, & neceſſitate juramento confirmat; ſed hoc peccatum communiter eſt ſolùm veniale. ibid.n.9

Quando deeſt judicium ex parte inquiſitionis neceſſariæ ad videndum, an id quod juramento aſſeritur, verum ſit, necne tunc defectus judicij erit mortale, vel veniale peccatum, pro ratione negligentiæ in veritate inquirenda. ibid.

Juramentum per falſos Deos illicitum, & peccatum mortale eſt, obligat tamen jurantem, dummodo licitum ſit, quod juratur. p.461.n.10

Jurare verum per falſos Deos, gravius eſt peccatum, quàm jurare falſum per Deum verum. ibid.n.11

Juramentum promiſſorium non obligat ad ea, nec ad eos eventus, qui rationabili intentione jurantis, vel interpretatione juris, cenſentur excepti. ibid,n.12

Quædam conditiones in omni juramento promiſſorio ſimpliciter, & abſolutè facto, ſubintelligendæ ſunt ex jure communi ad hoc, ut juramentum obliget; quarum prima eſt, *Salvo jure, & authoritate ſuperioris.* ibid.n.13

Secunda conditio eſt, *Obſervatio fidei, propter quam juratur.* hæc conditio habet tantùm locum in promiſſione reciproca mutuò ſe reſpiciente. ibid.

Tertia conditio eſt, *Niſi is, in cujus gratiam, & utilitatem juratum eſt, obligationem tacitè, vel expreſsè remittat.* ibid.

Quarta conditio eſt, *Si res in eodem ſtatu permanſerint, ſive notabiliter mutata non fuerint.* ibid.

Qui iniquè, & irrationabiliter ab altero adigitur ad jurandum, non peccat quocumque modo alterum decipiat circa ſenſum orationis de futuro, quam confirmat juramento, nec tenetur illud adimplere juxta mentem alterius, ſecundùm probabilem Doctorum ſententiam; quamvis alij oppoſitum doceant. p.462.n.14

Juramentum per metum præſtitum latroni, de non denunciando illum judici, vel Eccleſiæ, non obligat, in caſu, quo occurreret præceptum obligans jurantem ad denunciandum. Valeret autem juramentum, quando non eſſet obligatio illum denunciandi. ibid,n.15

Juramentum homini præſtitum ita eſt perſonale ex parte jurantis, ut ejus obligatio ex juramenti vinculo minimè ad hæredes, & ſucceſſores jurantis tranſeat. ibid.n.16

Juramentum non eſt perſonale ex parte ejus, cui præſtatur, & ſic trantit in hæredes ipſius. p.463.n.17

Juramentum obedientiæ præſtitum alicui in dignitate conſtituto ratione illius dignitatis, non amplius obligat, eo ab illa dignitate remoto. ibid.n.18

Ex juramento confirmatorio promiſſionis ab altero acceptatæ conceditur actio in externo foro, tam civili, quàm canonico. ibid.n.19

Laicus ratione juramenti conveniri poteſt coram judice Eccleſiaſtico; ſimiliter etjam coram judice laico; nec ob juramentum mutatur forum, ſed additur forum foro. ibid.n.20

Si juramentum ſit factum ſoli Deo, de ejuſmodi juramento ſolus Eccleſiaſticus judex cognoſcit. ibid.

Judex ſæcularis poteſt cogere laicos ad condonandam obligationem juramenti, metu, aut injuria extorti, quando conſtat de recipientis turpitudine, & tenentur ipſum relaxare: idem poteſt judex Eccleſiaſticus. ibid.n.21

Juramentum contra ſimplicem promiſſionem non incipit obligare, ſi ceſſet obligatio ſimplicis promiſſionis: ſecus eſt de juramento valido abinitio, quod ceſſat obligare, ſi res, de qua eſt, fiat illicita. ibid.n.22

Juramenti aſſertorij obligatio major eſt quàm voti: ſed ſi nihil Deo promittas, ſed ſolum homini, ſi quid ſimile Deo voveas, probabilius eſt, majorem eſſe voti obligationem. p.464 n.23

Juramenta parentum, herorum, aut dominorum, quibus jurant ſe punituros filios, famulos, aut ſervos, communiter non obligant: idem dicendum eſt de juramentis puerorum levitèr jurantium ſe acculaturos alios pueros apud parentes, vel magiſtros. ibid.n.24

Juramentum urbanitatis gratiâ præſtari ſolitum in ingreſſu vel egreſſu alicujus loci, non ingrediendi, aut egrediendi prius, non eſt obligatorium. ibid.n.25

Juramenta inter emendum, & vendendum uſurpari ſolita non emendi auctiori pretio, aut non vendendi viliori, non ſunt obligatoria. ibid.

Promiſſio prodiga juramento firmata ſolùm obligat, juxta quoſdam, quoad quantitatem, in qua nulla eſt prodigalitas, non verò quoad incrementum: ſed non minùs probabile eſt integrè obligare. ibid.n.26

Juramentum ſolvendi uſuras, obligat. p.465.n.27

Qui juravit ſervare ſtatuta Reipublicæ, Collegij, Univerſitatis alicujus, Confraternitatum, Officij, &c. tenetur ea ſervare, quæ ſunt majoris momenti, & ea quæ ſunt in vigore, & quatenus ſunt in uſu. ibid.n.28

Juramentum de ſervando ſecreto, ſive non revelandis iis, quæ in capitulo definitorio apud regulares, Concilio, &c. tractantur, intelligi debet, quatenus materia ſecretum poſtulat, & valde interſit eam non evulgari; tunc enim ejus violatio mortalem culpam continet. ibid.n.29

Quando materia levis eſt probabilius eſt, etjam tranſgreſſionem juramenti eſſe mortalem: quamvis probabile ſit eſſe tantùm venialem culpam, ſive res illa ſit totalis, ſive partialis materia juramenti. ibid.

Ad judicandum, an promiſſiones humanæ, etjam juramento firmatæ obligent ad mortale, non eſt ſpectandum, qualis ſit materia promiſſa in ordine ad divinum obſequium, cujus intuitu nihil promiſſum eſt, ſed qualis ſit in ordine ad hominem, in cujus gratiam fit, & quantum illius intereſſet promiſſionem illam impleri. ibid.n.30

In Eccleſia Dei eſt legitima ſpiritualis poteſtas ex juſta cauſa verè relaxandi juramenta promiſſoria, & non ſolùm declarandi ea in certo caſu non obligare. ibid.n.31

Quædam ſunt juramenta, præter quinque communia, quorum relaxatio ſoli Romano Pontifici reſervatur. ibid.n.32

Juramenti irritatio dupliciter poteſt fieri, directè, nempe, & indirectè. ibid.n.33

Juramentum, & votum inter ſe differunt, 1. ex parte objecti. 2. ex parte materiæ. 3. ex parte diſpenſationis. 4 ex parte diſpenſationis reſpectu materiæ. p.466.n.34

In juramentis relaxandis caveri debet, ne injuria fiat tertiæ perſonæ. ibid.

Ad juramenti irritationem non eſt neceſſaria juriſdictio Eccleſiaſtica, nec conſenſus ejus qui juravit, nec cauſa, ſed ſatis eſt, quod irritans habeat dominium ſuper re juramento promiſſa. ibid.n.35

Superior, qui conſenſit in juramenta ſubditorum, aut pater in juramenta filiorum, &c, non poteſt ampliùs ſine peccato abſque cauſa irritare: quale autem peccatum ſit, quidam dicunt rarò eſſe mortale, niſi vel ſcandalum, vel contemptus gravis intercedat: alij volunt, eſſe mortale, quod reducitur ad ſacrilegium. ibid.n.36

Quando juramentum eſt præſtitum in obſequium, lucrum, vel commodum alterius, obligatio illius ceſſat remiſſione partis, cui præſtitum eſt: ſecus, ſi principaliter in Dei honorem, in cujus obſequium res juramento promiſſa cedit, nec non poteſt homo, cui juratur, hoc juramentum remittere. ibid.n.37

Quando juramentum eſſet principaliter in Dei honorem inſtitutum, at tota res promiſſa cedit in favorem partis, quidam negant id juramentum poſſe à parte remitti, probabilius tamen eſt, mutuo conſenſu remitti poſſe. ibid.n.38

Juramentum de non petenda juramenti relaxatione facti latroni de danda illi certæ pecuniæ ſumma ad tuendam vitam, juxta aliquos non eſt validum: ſed contrarium eſt dicendum, nempe peti debere priùs juramenti hujus poſterioris relaxationem, & deinde prioris. p.467.n.39

In ſimilium juramentorum relaxatione cavendum eſt, ne aliquid in religionis Chriſtianæ contemptum cedat. ibid.

Si quis relaxationem juramenti metu extorti, aut ſolvendi uſuras petat ad eum effectum, ut à ſolutione ſit liberus utroque foro, citanda eſt pars, aliàs relaxatio non valeret: ſecus ſi relaxatio petatur pro ſolo conſcientiæ foro. ibid. n.40

Vinculi juramenti relaxatio directa, quæ fit per modum diſpenſationis, vel abſolutionis, ad Eccleſiaſticos tantùm Prælatos pertinet: Indirecta autem juramenti relaxatio, quæ fit ratione materiæ temporalis, etjam ad civilem poteſtatem pertinere poteſt, dummodò perſona cui remittitur ſubdita ſit. ibid.n.41

Princeps ſupremus & lex civilis, poſſunt irritum reddere juramentum laici ſibi ſubditi in contractibus ad forum ſæculare ſpectantibus, impediendo vim illius antequam præſtetur, ne ex illo obligatio oriatur, quando id exigit finis politicus, & bonum ſuæ Reipublicæ. ibid,n.42

Juriſdictio.

Juriſdictio delegata lege conceſſa durat, quamdiu ea lex perſeverat. V. Delegatus. p.213.n.23

Juriſdictio delegati expirat eo ipſo, quòd ſententiam definitivam a ſe latam per ſe, vel per alium, cui executionem illius commiſerat, executioni mandavit. p.214.n.26

Juriſdictionis actus eſt poteſtas excommunicandi, & hæc multis modis acquiritur. V. Excommunicatio I. pag.308. n.9.

Iurisdictionis potestas est spiritualis, quæ reperitur in Prælato, ad claves Ecclesiæ pertinens, & consequenter à Christo Domino tradita, vel derivata medio eius Vicario Summo Pontifice, vel aliis Episcopis, v. Abbas. p. 2. n. 4

Iurisdictionis potestas in foro exteriori, probabiliter competit Prælatis Religionum iure divino. Sed probabilius est, illis iurisdictionem dari per Summum Pontificem, & hoc sensu non habere illam divino, sed humano iure. ibid. n. 5

Iurisdictionem ordinariam & quasi Episcopalem obtinent Cardinales in Ecclesia sui tituli, v. Cardinalis. p. 130. n. 2. vbi plura num 3. & 4.

Iurisdictionis Ecclesiasticæ etiam contentiosæ actus sunt materia simoniæ, a quam vitandam gratis exerceri debent, v. Simonia. p. 791. n. 16. vbi plura n. 17.

Iurisdictionis spiritualis est potestas commutandi vota, concessa à Christo Domino, non autem à iure naturali profecta: & ad illam exigitur iurisdictio in foro externo, v. Votum II. p. 874. n. 13

Ius, Iustitia.

Ius derivatur à iubendo, cuius participium facit iussum: & idem est quòd lex, siue regula præscribens modum aliquem operandi cum quadam necessitate, vt ad finem aliquem perueniatur, & vitium, & pœna, aut incommodum aliquod vitetur. p. 468. n. 1

Ius aliquando capitur pro eo quod dicitur æquum & iustum: aliquando pro eo quod dicitur, potestas & actio moralis, quam quis habet ad rem aliquam. ibid.

Ius aliud est æquale, aliud inæquale. ibid. n. 2

Ius inæquale diuiditur in despoticum, paternum & diuinum. ibidem.

Ius æquale est duplex, aliud dicitur ius in re, & est illud, quod quis habet circa rem quam in actu & non in potentia tantùm. Aliud dicitur ius ad rem, quod non ita applicat & appropriat rem personæ, vt res ipsa per se sit obligata, licet persona debitoris possit esse obligata ad eam rem reddendam. p. 469. n. 3

Ad comparandum ius in re non satis est habere titulum, qualis est legitima emptio vel donatio, sed vlterius requiritur rei traditio genere aliquo traditionum, quæ requiritur & sufficit ad possessionem comparandam. Alias sine traditione comparatur solùm ius ad rem. ibid.

Ad comparandum ius in re circa res incorporeas, præter titulum non semper est necessaria traditio, quando scilicet id peculiariter aliquo iure sancitum est; vt ad comparandum ius in re in beneficio Ecclesiastico, satis est vt præcedat collatio & sequatur acceptatio. ibid.

Ius tripliciter diuiditur. Primò, in ius naturale, & positiuum. Secundò, positiuum, in diuinum & humanum. Tertiò, humanum, in ius Gentium ciuile, & Canonicum. ibid. n. 4

Ius naturale dicitur illud, quod vbique eandem vim habet, cuius obligatio oritur ex natura rei, quæ præcipitur. Ius positiuum est illud, cuius obligatio oritur à præcepto & voluntate præcipientis. ibid.

Ius positiuum diuinum est, quod à Deo, aut Christo quatenus homo est simulque Deus, de iis, quæ ad naturale ius non spectant, latum est; quale est præceptum Baptismi, Confessionis, Eucharistiæ & similium. ibid.

Ius humanum sunt reliqua præcepta, quæ homines tulerunt accepta à Deo potestate; siue lata sint ab Ecclesiasticis, siue à Principibus secularibus. ibid.

Ius gentium est ius humanum, quo omnes, aut ferè omnes gentes vtuntur. ibid.

Ius ciuile dicitur illud, quod est conditum per seculares potestates, & est duplex; commune Cæsareum, quod continet libros iuris Ciuilis, nempe, *Instituta Imperatoris. Digestum vetus. Digestum nouum. Infortiatum, libruri Authenticorum & Codicem.* ibid. n. 5

Alterum ius ciuile est illud particulare, quod continetur in legibus, Pragmaticis atque Constitutionibus vniuscuiusque Regni, vel Prouinciæ. ibid.

Formulæ communes quæ hodie sunt communiter in vsu, pro citationibus omnium librorum iuris ciuilis Cæsarei. ibid.

Ius Canonicum est id, quod per Ecclesiam, eiusque ministros, quatenus tales sunt, traditum est, & continet quinque libros, *Decretum, Decretales, Sextum, Clementinas & Extrauagantes.* p. 470. n. 6

Decretorum liber compilatus fuit Bononiæ, anno Domini 1120. à Magistro Gratiano Monacho S. Benedicti, & hodie correctus, auctus, innumerisque additionibus illustratus à Gregorio XIII. ibid.

Modus intelligendi citationes huius libri Decretorum. ibid.

Decretales sunt epistolæ, quas diuersi Summi Pontifices respondendo diuersis quæstionibus, in Conciliis & extra retulerunt. ibid.

Allegatio libri Decretalium, quomodo demonstretur. ibidem.

Tertius liber Canonici iuris, dicitur, *Sextus liber Decretalium*, adiunctus scilicet; quinque aliis libris Decretalium epistolarum. Collectus fuit a Bonifacio VIII. Pontif. max. ibid.

Quartus liber dicitur, *Clementinarum*, id est Constitutionum, quas Clemens V. in Concilio Viennensi & extra condidit. Quomodo hic liber allegetur. ibid.

Quintus liber est *Extrauagantium* Constitutionum: quarum quædam dicuntur, *Communes*. Aliæ sunt Ioannis XXII. ibidem.

Omnia hæc iura Canonica contenta in Decretalibus, Sexto, Clementinis & Extrauagantibus auctoritatem habent irrefragabilem, dummodo per Constitutionem vel iustam consuetudinem contrariam non sint abolita. ibid.

Iustitiæ nomen deductum est à iure siue à Iusto. Definitur. Iustitia est constans voluntas & perpetua, ius suum cuique tribuendi. ibid. n. 7.

Iustitia differt à reliquis virtutibus moralibus. p. 471. num. 8

Iustitia præstantissima virtus est inter virtutes Cardinales, cuius subiectum est voluntas. Tamen virtus iustitiæ longè inferior est tribus virtutibus Theologicis. ibid. n. 9

Iustitia alia est particularis, alia est generalis. ibid. n. 10

Iustitia vniuersalis, seu legalis, differt à iustitia particulari essentialiter. ibid. n. 11

Iustitia legalis non differt à virtute pietatis erga patriam: si tamen nomine iustitiæ legalis intelligatur virtus, quæ spectat bonum publicum, quatenus debitum à parte toti, probabile est iustitiam legalem à pietate distingui. ibid. n. 12

Iustitia legalis, alia est in Principe, alia in subditis. ibid. n. 13

In Republica triplex habitudo, seu ordo inuenitur. Primò, est partis ad partem. Secundò, communitatis ad singulas partes. Tertiò, singularum partium ad communitatem. p. 472. n. 14

Iustitia distributiua est iustitia particularis, cuius munus consistit in conferendis Officiis, dignitatibus & præmiis, iuxta qualitates & merita personarum, quibus talia distribuenda sunt. ibid.

Iustitia commutatiua est iustitia particularis, quæ vnicuique reddit æqualiter iuxta proportionem arithmeticam quidquid proprie est ei debitum. ibid.

Iustitia commutatiua cum distributiua aliquando permiscetur & aliquando distinguitur. ibid. n. 15

Inter patrem & filium, dominum ac seruum, maritum ac vxorem, non est iustitia ac iustum proprie ac simpliciter, sed secundum quid & per similitudinem. ibid. n. 16

Iustitia vindicatiua est valde affinis iustitiæ commutatiuæ & ad eam reducitur; nihilominus deficit à perfecta ratione iustitiæ, quatenus pœna quæ pro iniuria & debito sumitur, damnum integrum non refarcit. p. 473. n. 17

Si aliquis iniuriam sibi ipsi faciat, non peccat contra iustitiam: iniuria enim tendit in aliam personam distinctam, non ad seipsum. ibid. n. 18

Sicut nullus potest facere iniustum per se & formaliter loquendo nisi volens, ita nec vllus potest iniustum nisi nolens: quamuis per accidens & quasi materialiter loquendo, possit quis iniustum vel nolens facere, vel volens pati. ibid. n. 19

Fieri potest, vt quis iniuriam faciat, & tamen nemo sit, qui iniuria afficiatur. ibid.

Qui aliquid iniustum facit contra proximum sum ex suo genere mortaliter peccat: tamen ratione parvitatis materiæ vel inaduertentiæ inculpabilis, vel ignorantiæ factæ, talis peccaret tantùm venialiter. ibid. n. 20

Qui committeret iniustitiam in materia leui, quando dominus putatur valdè ægrè laturus, peccaret mortaliter, non peccato furti, sed peccato scandali. ibid.

Ius Parochiale.

Ius Parochiale Parochum & Parochian. constituens, in duodecim conditionibus consistit, quæ licet non sint omnes de essentia Parochialis Ecclesiæ; tamen ordinariè omnes illæ in Parochiali Ecclesia reperiuntur, v. Parochus. p. 620. num. 4. & seqq.

Ius Patronatus.

Ius Patronatus est ius nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans: hoc ius ex tribus causis acquiritur, nempe Ecclesiæ fundatione, ædificatione & dotatione, v. Beneficium V. p. 109. n. 1. & seqq. vbi plura de hoc iure.

Ius quæsitum

Ius quæsitum nuncupatur ad distinctionem aliorum iurium, quæ iura imperfecta dici possunt: quæsitum autem perfectionem denotat, vt videlicet huiusmodi ius sit incorporatum, & radicatum, v. Priuilegium. p. 581. n. 13

Ius quæsitum non licet Papæ tollere sine iusta causa, vt in Regulis Cancellariæ continetur. ibid.

Priuilegia regularium & præcipuè illa, quæ à Summo Pontifice legitimo iudicio, Ordinariis, aliisque partibus audiris,

audicis, in ius Canonicum relata ſunt, ſunt iura quærſita. ibidem.

Non eſt ex Pontificem ſuis literis & Bullis velle priuare Regulares ſuo illo iure quæſito, etiamſi clauſulam reuocatoriam generalem priuilegium regularium adhibeat. ibid.

Vrbanus VIII. declarauit & regulam dedit, quâ ius quæſitum ab aliquo, nisi prius audito, tollitur etiam per Bullam nullis...ac illius regulæ clauſula derogatoria. ibid.

L.

Laicus.

LAici non poſſunt accuſare regulares, niſi in caſu, quo ſuam, aut ſuorum iniurias proſequuntur, v. Accuſatio. p.28.n.14

Laicus in neceſſitate poteſt baptizare, ſi Sacerdos præſens omninò nolit Baptiſmum dare, vero. Baptiſmus III. pag. 82.n.17.

Laico poteſt committere Summus Pontifex, vt in neceſſitate ſolemniter Sacramentum Baptiſmi miniſtret. ibid. p. 83.n. 21

Laicus exiſtens in peccato mortali, ſi miniſtret Sacramentum Baptiſmi ſolemniter ex diſpenſatione Pontificis, videtur peccare mortaliter. ibid.

Laicorum ſtatutum annullans contractum, iuramentum ei adiectum non annullat, v. Contractus. p.195.n.17

Laicus, ſtando in iure communi excommunicari non poteſt, niſi ex commiſſione Summi Pontificis, v. Excommunicatio I. p.307.n.7

Laicus ratione iuramenti conueniri poteſt coram iudice Eccleſiaſtico; licet etiam conueniri poſſit coram iudice laico. Si tamen iuramentum ſit factum ſoli Deo, de eiuſmodi iuramento ſolus iudex Eccleſiaſticus cognoſcit, v. Iuramentum. p.463.n.20

Laici, qui ſunt ſpectatores ludi moraliter illiciti, non peccant mortaliter, quando ex contemplatione duntaxat ſucceſſus ludi, modique ludendi abſque alterius mali appetitione delectantur, v. Ludus. p.507.n.7

Laicus poteſt ex commiſſione potentis acceptare profeſſionem, illam admittere, ſicut poteſt beneficium nomine alieno accepere & Procurator eſſe in cauſa ſpirituali, v. Profeſſio. p.698.n.1

Laicis non licet calicem conſecratum, patenam, purificatorium, aut corporale tangere ſine licentia Epiſcopi; alias peccant venialiter præciſo contemptu: nec etiam laicis permiſſum eſt tangere ſacrum Chriſma, aut oleum ſanctum, & multo minus ſacram Euchariſtiam, niſi in terram cadat, & non ſit alius, qui eam eleuet, v. Reliquiæ Sanctorum. p.731. num.17.

Lamia.

Lamia eſt quoddam animal monſtruoſum & crudele ſpeciem quandam mulieris habens, corpus tamen beſtiale, quod paruulos rapit & ſuffocat, illorumque ſanguinem ſugit: vnde cùm maleficæ fœminæ rapiant infantulos & occidant, ratiocinabiliter etiam Lamiæ appellantur, v. Magia. p.513.n.2.

Latro publicus.

Latro publicus non eſt dicendus, qui ſemel, aut bis in via publica & cum violentia deprædatur: ſed ille qui deprædatur in viis publicis & itineribus frequentatis; vnde huiuſmodi homines graſſatores viarum dicuntur, & immunitate Eccleſiarum priuantur, verb. Immunitas. p.409.n.14

Laudemium

Laudemij nomine intelligitur id quod ſoluitur domino, quando conſentit in alienationem rei emphyteuticæ: ſolet autem ſolui 50. pars pretij illius rei alienatæ. Apud Gallos ſoluitur quinta, quarta, tertia, media pars pro Laudemio, etiam decima, duodecima, iuxta conſuetudinem locorum, v. Cenſus. p.138.n.19.

Ex Bulla Pij V. de cenſibus, non poteſt fieri pactum, quo venditor cenſus cogatur emptori cenſus ſoluere Laudemium. ibidem.

Lectores.

Quamuis Lectores in religionibus, iuxta Conſtitutionem Pij IV. quæ incipit, *Inuunctum, nobis*, ad fidei profeſſionem emittendam adſtringantur, vbi tamen hæc conſtitutio in religionibus non eſt vſu recepta, vel per contrarium vſum abolita, Lectores regulares Philoſophiæ ac ſacræ Theologiæ non tenentur ad fidei profeſſionem emittendam, v. Fides II. p.345.n.8

Legatum.

Legatum eſt donatio quædam à defuncto relicta & ab hærede præſtanda. p.474.n.1

Legatum preſsè ſumptum non differt à fideicommiſſo particulari ſolùm in hoc, quod quando verba teſtatoris diriguntur ad legatarium, dicitur legatum: quando autem ad hæredem, cui præcipit vt hoc detur Titio, dicitur particulare fideicommiſſum. ibid.

Quando hoc verbum *Lego*, adiicitur vniuerſalitati bonorum nullo expreſſo hærede, ſignificat inſtitutionem hæredis ex præſumpta teſtatoris voluntate. ibid.

Legatum pure & ſimpliciter factum abſque conditione vel determinatione diei, debetur legatario ſtatim poſt mortem teſtatoris. ibid.n.2

Legatum ſub conditione expreſſa relictum non debetur niſi adueniente conditione. Legatum autem ſub conditione tacita quæ ex diſpenſatione iuris ſubintelligitur, ſeu ex voluntate teſtatoris, non debetur mortuo legatario: vt ſi legans dicat, Relinquo tibi centum in ſingulos annos. ibidem.

Legatum ſub conditione, ſi non nupſerit, vel ſi Religionem non ingrediatur, in foro exteriori eſt validum, etiamſi legatarius conditiones non adimpleat. ibid.n.3.

An autem idem ſit dicendum in foro conſcientiæ? Quidam affirmant, alij negant probabiliter. ibid.

Legatum relictum alicui perſonæ determinatæ vt matrimonium ineat, debetur, ſi religionem ingrediatur. pag.475. num.4.

Quando legatum non certæ perſonæ matrimonio collocandæ, ſed indefinitè pro virginibus maritandis relinquitur, an poſſit dari puellæ Religionem ingredienti? Plurimi negant, niſi aliter præſumatur de mente teſtatoris: ſed contrarium eſt etiam probabile. ibid.

Legatum relictum fœminis in matrimonium collocandis, regulariter non poteſt conferri viduis ſecundò nubentibus: niſi deficiant fœminæ nubiles ætate, quibus poſſet id legatum conferri. ibid.n.5.

Legatum factum pro maritanda certa aliqua puella, petò non poteſt ante ætatem nuptiis aptam: imò legatum in genere relictum pro maritandis fœminis, non poteſt tradi fœminæ, quæ nondum ad annum duodecimum peruenit. ibid.

An legatum relictum ſub conditione caſtè & honeſtè viuendi, amittatur per tranſitum ad ſecundas nuptias? Alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.n.6

Legatum vſufructus vel alimentorum relictum vxori à viro expreſſa conditione, quamuis tranſeat ad ſecundas nuptias, non amittitur per tranſitum ad tertias & vlteriores. p.476.n.7

Legatum relictum alicui ſub conditione caſtè & honeſtè viuendi, amittitur vnica fornicatione admiſſa & hoc quoad vtrumque forum, ſi legatum relictum ſit à marito, vel eius filiis, aut filiis ipſius vxoris, aut alteruter ius coniugis conſanguineis. Secus ſi ab extraneo relictum ſit. ibid.n.8

Legatum ſub conditione caſtè & honeſtè viuendi non amittitur à fœmina amplexus virorum, aut tactus impudicos ſemel atque iterum patienti. Secus, quando fœmina toties in hos tactus labitur, vt arbitrio boni viri poſſit ea fœmina dici impudica, ac inhoneſtè viuens. ibidem.

Legatum vxori relictum à viro quamdiu cum filiis legatis commorata fuerit, non amittitur vxore tranſeunte ad ſecundas nuptias & volente cum prædictis filiis habitare. ibid. num.9.

Omnis & ſolus ille, qui teſtari poteſt, poteſt legare; legatum enim non relinquitur, niſi in teſtamento vel codicillo. ibid. num.10.

Omnes perſonæ capaces bonorum, modo non ſint perſonæ omninò incertæ, ſunt etiam capaces legatorum. ibidem.

Legata incerta ratione incertitudinis perſonæ, ex aliquo extrinſeco accidente, non debentur in foro exteriori: tenebitur tamen hæres in foro conſcientiæ in tali caſu illud legatum inter eas diuidere, ſi in id conſentiant. ibidem num.11.

Quamuis Fratres Minores de Obſeruantia & Capucini, eorum quæ Monaſteria, aut Eccleſiæ hæredes inſtitui non poſſint, legata tamen ipſis relinqui poſſunt per modum piæ donationis, ſeu eleemoſynæ, cum limitationibus infra patendis. p.477.n.12

Quando legatum eſt tantæ quantitatis, vt videatur relinquì in fraudem, ſiue ſub nomine ac forma legati hæreditas dari: tunc Fratribus dictis non licet tale legatum acceptare. ibid.

Si Fratribus Minoribus legetur domus, ſeu habitatio ſeiuncta ab eorum Monaſterio, talem poſſidere non poſſunt. ibidem.

Si Fratribus Minoribus dictis legetur annuus reditus perpetuus vel ad longum tempus pro eorum victu & veſtitu, talis legati Fratres non ſunt capaces. Secus ſi annuus reditus legetur pro luminibus, aut ornamentis Eccleſiæ,

pro

pro vino vel frumento ad quotidianum ſacrificium neceſſa-
rio. ibid.
Si legato rei mobilis, ſeu immobilis adiiciatur modus, qui repugnet dictorum Fratrum profeſſioni; vt ſi legetur vinea ad eam retinendam, excolendam & fructus pro vino quotidiano colligendos; talis legati fratres non ſunt capaces. ibid.
Si abſolutè dictis Fratribus legatus ſit fundus, valet legatum, cùm illud vendi poſſit ac debeat & ex pretio neceſſitati Fratrum ſubueniri. ibid.
Si pecunia legata ſit pro veſtitu Fratrum, & veſtimentis tunc non indigeant, valet legatum, idque in alias neceſſitates eorundem, auctoritate Ordinarij conuertendum erit. ibid.
Non poſſunt Fratres Minores exigere in iudicio legata ipſis relicta: licet extra iudicium poſſint implorare Officium iudicis, vt compellat hæredem, vt obligationi ſuæ ſatisfaciat. ibid.
Probabile eſt hæredes teneri in conſcientia ſoluere Fratribus Minoribus legata ipſis relicta in caſu, quo ij ſint illorum incapaces: quamuis tutius ſit abſtinendum eſſe à receptione talium legatorum. b id.
Legata ſimpliciter relicta tranſmittuntur ad hæredes legatarij, licet is, ante aditam hæreditatem decedat, tamen poſt mortem teſtatoris: peti tamen non poſſunt priuſquam hæreditas adita ſit. p.478 n.13
Legata ab hæredibus peti debent; ab executoribus autem, quando ſunt conſtituti vniuerſales diſtributores bonorum omnium defuncti in pauperes, aut in alia opera pia. ibid. num.14.
Legatum peti poteſt vniuerſim, vbi hæreditas, aut maior hæreditatis pars exiſtit; item vbi hæres habet domicilium. ibid. num.15.
Quando de teſtatoris voluntate conſtat vbi legatum ſoluendum ſit, ibi eſt ſoluendum. Si legetur res teſtatoris determinata in individuo, ibi ſoluenda eſt, vbi illa exiſtit. ibid.n.16
Legatum rei alienæ, etiamſi fiat ad pias cauſas, iure Canonico inualidum eſt: & in foro conſcientiæ non obligatur hæres ad ſoluendum huiuſmodi legatum: aliter eſt dicendum de iure ciuili, quando teſtator ſciebat rem alienam eſſe. ibid. num.17.
Vt legatum dicatur pium duo requiruntur. Primò, eſt pietas perſonæ cui ſit legatum. Secundò, vt fiat cauſa pietatis. ibid. num.18.
Legata ad pias cauſas valent & ſunt præſtanda, etiamſi hæreditas adita non fuerit, aut quoad hæredis inſtitutionem teſtamentum aliquo defectu laboret, modo liberis teſtatoris legitima inſtitutionis titulo relicta fuerit. ibid.n.19
Multis priuilegiis gaudent legata pia, quibus non gaudent alia non pia. ibid.n.20
Tres actiones competunt legatario ratione legati ad conſequendum legatum. Primò, eſt perſonalis. Secundò, eſt actio hypothecaria. Tertiò, eſt rei vendicatio. p.479 n.21
Ex multis cauſis hæres liberatur à ſolutione legati. ibid.n.22
Princeps ſupremus derogare poteſt teſtamento & legato facto ad cauſam profanam, conuertendo illud ex iuſta cauſa in aliam cauſam profanam vel piam. Idem poteſt Summus Pontifex in legatis piis. ibid.n.23
Epiſcopus ex iuſta cauſa & conſentiente hærede, ſi ob legata grauetur, & loco pio, cui res relicta fuerat, poteſt legatum pium relictum ad certum vſum, conuertere in alium pium vſum. ibid.n.24

Legatus.

Legati Apoſtolicæ Sedis ſunt in triplici differentia; alij enim dicuntur, Legati à latere; alij Legati miſſi; alij Legati nati. p.480 n.1
Ex Legatis Apoſtolicæ Sedis, quidam non ſunt iudices; alij vero iudices ſunt. ibid.num.2
Legati à latere quædam priuilegia ſunt propria. Primò, abſoluere percuſſores Clericorum, etiamſi percuſſio fuerit enormis. Secundò, conferre beneficia Prouinciæ ad quam mittitur, in hoc concurrens cum Ordinario. Tertiò, in exemptos Prouinciæ iuriſdictionem exercere. ibid.n.3.
Legatus miſſus, qui non eſt à latere, non poteſt abſoluere percuſſores Clericorum extra ſuam Prouinciam, qui cum excommunicatione contracta in Prouincia, in qua eſt legatus, ad ipſum accedunt, niſi aliud ei fuerit conceſſum. pag. 481 n.4
Legatus natus aliam facultatem non habet à iure abſoluendi percuſſores Clericorum, quàm eam, quam habet, quatenus Epiſcopus eſt. ibid.
Legatus, etiamſi non ſit à latere, poteſt regulariter in ſua Prouincia, aut in ſuis Prouinciis ea omnia, quæ poſſunt reliqui Ordinarij eiuſdem Prouinciæ & aliquid amplius. ibid.num.5
Quamuis legati iudices ſint Ordinarij in Prouinciis ad quas deſtinati ſunt à Sede Apoſtolica & poſſint actores vocare reos in primâ inſtantia ad iudicium coram Legato; prius tamen miſſo alio ſuo iudice Ordinario: hodie tamen in Concilio Tridentino reſtricta eſt quoad hoc legatorum poteſtas. ibid.n.6.
Ad Legatum quemcumque poteſt appellari prætermiſſo medio, aut mediis; vt ſi appelletur ab Epiſcopo, poteſt immediatè appellari ad Legatum prætermiſſo Archiepiſcopo. ibid.n.7.
Legatus audire poteſt cauſas & exercere ſuum munus in qualibet parte Prouinciæ, aut Prouinciarum, in quibus eſt legatus. ibid.n.8
Legati in Conciliis Prouincialibus & extra Concilia poſſunt ſtatuta condere, quæ perpetuo durent, etiam ſaluæ legationi, non tamen contra conſuetudinem Prouinciæ, nec contra priuilegia eidem à Summo Pontifice conceſſa. ibid.n.9.
Legatio Legati natiſolùm expirat morte ipſius, aut amiſſione dignitatis, cui id Legati munus eſt annexum, continuatur tamen in ſucceſſore in illa dignitate. pag. 482 num.10.
Legatio aliorum legatorum multis modis finitur. ibid.
Legatus à latere poteſt dare facultatem regularibus exemptis, vt poſſint eligere confeſſarium non approbatum à Prælato regulari. ibid.n.11
Legatus à latere poteſt in tota ſua Prouincia excipere confeſſiones, aliſque id munus committere, abſoluere à reſeruatis per Ordinarios ſuæ Prouinciæ, eorúmque facultatem generalem & abſolutam delegare, prudenter tamen, diſpenſare, aliaque præſtare, quæ Ordinarij poſſunt. ibid.n.12
In generali reuocatione approbationum, quæ fit ab aliquo Epiſcopo, exiſtente intra Prouinciam Legato à latere, non reuocantur approbationes factæ ab ipſo Legato. ibid.
Licentia Legati à Latere ſufficit vt regulares Prædicatores poſſint prædicare in Dioeceſibus exiſtentibus intra Legati Prouinciam. ibid.n.13
Regulares in edictis Legatorum à latere aliis habentium ſuper eos iuriſdictionem, minimè comprehenduntur ſub nomine Eccleſiaſticorum, niſi exprimantur. ibid.n.14
Regularis à Legato habens facultatem abſoluendi religioſos Ordinis à reſeruatis in ipſo ordine, poteſt ea vti etiam extra Prouinciam ipſius Legati delegantis. p.483 n.15
Delegatio facta à Legato de latere non expirat eius morte, aut finito Officio, niſi ſit facta ad beneplacitum perſonæ, aut Officij, vt aliqui volunt. ibid.n.16

Legitima portio.

Legitima portio eſt pars hæreditatis aliquibus à lege decreta. Hæc legitima portio filiorum in variis regnis varia eſt. pag. 483 n.1
Alia legitima portio dicitur *Falcidia* à Falcidia auctore, quæ debetur iure inſtitutionis & eſt quarta pars totius hæreditatis, quam inſtituta hæres retinet & detrahit ſibi de ſingulis legatis, &c. ibid.n.2
Altera legitima portio dicitur Trebellianica à Trebellio Auctore, quæ debetur iure inſtitutionis. ibid.n.3
Filius in legitimam portionem viuente patre habet ius non in re, ſed ad rem. ibid.n.4
Legitima portio filiorum poteſt iure, vel ex toto adimi, vel ex parte diminui, conſuetudine, ſtatuto, lege vel ſcripto iure, quando filiis aliunde ſuppetunt bona, vnde viuant. pag. 484 n.5
Hæredi inſtituto in minori quantitate, quàm eſſet debita legitima, permittitur actio ad ſupplementum vſque ad integram legitimam portionem. ibid.n.6
Legitimæ debitæ deſcendentibus, aut aſcendentibus nullum grauamen, modus, conditio, aut dilatio poteſt à teſtatore apponi, & ſi apponatur, ipſo iure omnia irrita ſunt. ibidem num.7
Verius eſt legitimam debitam iure naturæ amitti per crimen patris in liberos maieſtatem. ibid.n.9
Iure Authenticarum Conſtitutionum auctæ creditur parentum legitima, itaut tertia pars ex bonis filij parentibus debeatur. ibid.n.9
Falcidia in multis caſibus ceſſat. ibid.n.10
Quarta Trebellianica ſimiliter in multis caſibus ceſſat. ibidem num.11

Legitimatio.

Legitimatio eſt naturalium reſtitutio quoad ea, quæ filiis illegitimis poſſitiuo iure denegata ſunt. p.485 n.1
Legitimatio eſt duplex, quædam iuris diſpoſitione, nempe per ſubſequens matrimonium: alia eſt per reſcriptum Principis, aut alterius, qui ad id habet à Principe facultatem. ibid.
Legitimatio item, vna eſt ad Eccleſiaſtica iura, ordines, beneficia, quam ſolus Papa iure proprio conferre poteſt.

Altera eſt legitimatio ad ciuilia iura, prout hæreditatum, ſucceſſiones, officia ac dignitates, quam conferre poteſt Princeps ſupremus & Reſp. libera ſubditis ſuis. ibid.
Verior & communior ſententia eſt poſſe Papam legitimare filios nato, ſine matrimonij irriti diſpenſatione, quando impedimentum ob quod id matrimonium fuit irritum, iure Pontificio eſt inuentum, itaut diſpenſatio illa retrotrahatur ad tempus, quo id matrimonium irritum contractum eſt quaſi a principio non fuiſſet valide initum. ibid.n.2
Non poteſt Pontifex legitimare prolem quoad temporalia & ſecularia extra loca ſuæ temporalis iuriſdictionis, quando nata fuit nullo præcedenti matrimonio irrito, ſed ex concubitu omninò fornicario : in aliquo tamen caſu id Pontifex poſſet. p.486.n.3.
Legitimare non poteſt Pontifex prolem geſtitam matrimonio irrito propter impedimentum dirimens, quod ſit iuris diuini naturalis ; quia radicem nullitatis illius matrimonij nequit Pontifex diſpenſando auferre. ibid.n.4
Cenſetur Pontifex in matrimonij radice diſpenſare, ac conſequenter legitimare prolem quoad omnia, etiam in terris ſibi temporaliter non ſubiectis, quando explicat ſe diſpenſare in matrimonio irritè contracto, vt ex tunc, id eſt, vt ab initio contractus legitimum cenſeatur. ibid.n.5
Quando Papa diſpenſat vt matrimonium ſemel contractum inualidè ob impedimentum iure humano inductum, iterum ineatur, hæc diſpenſatio non ſeruit, vt proles ante diſpenſationem nata aliquo modo legitimetur : ſecus ſi nata ſit poſt diſpenſationem. ibid.n.6
Legitimatio, ſeu natalium reſtitutio, à relaxatione differt, quia filius, qui alioqui legitimus non eſt, lege & iure ſoluitur, quam relaxationem iuris, diſpenſationem appellant. ibid.n.7
Vt legitimatio vim & locum habeat, in eius petitione & impetratione, ne ſubreptitia iudicetur, id exprimi debet, quod impediret omnino, quo minus Princeps naturalem & ſpurium natalibus reſtitueret, vel ſaltem impediret necnò & facilè id concederet. p.487.n.2
Vt Princeps poſſit natalibus reſtituere, ſeu legitimare filium, neceſſarius eſt ipſius filij conſenſus, qui legitimus fit ; imò & patris, ſi viuit : mortuo autem patre, debent vocari ipſius patris inteſtati ſucceſſores. ibid.n.9
Filius naturalis vel ſpurius non poteſt auctoritate Principis fieri legitimus etiam viuente & annuente patre, ſi filij naturales & legitimi ipſius patris non conſenſerint. ibid.n.10
Poteſtas legitimandi prolem conceſſa in diſpenſationibus ſacræ Pœnitentiariæ, confert ad hoc, vt proles ſuccedere poſſit vtrique parenti, ordinari, recipere beneficium & promoueri ad omnia officia ſpiritualia & temporalia, pro ſolo tamen foro conſcientiæ. ibid.n.11

Leproſus.

Leproſo debitum coniugale reddere cum periculo notabilis infectionis, non tenetur coniux ſanus : ſi vratur matrimonio, cohabiteque cum illo, opus meritorium exercet, ſi ex amore matrimonij id efficiat, v. Debitum coniugale II. p.206.n.5. vbi plura de coniuge leproſo, *num.* 6. & 7.

LEX.

De lege naturali : Veteri & Euangelica.

Legis nomen multis modis à Doctoribus denominari ſolet, ſed illis omiſſis, *Lex* ſecundùm propriam nominis Etymologiam à ligando deriuatur : vnde debet eſſe ſcripta, vt ab omnibus legi poſſit, vel ſaltem in cordibus hominum deſcripta, debet eſſe obligatoria. p.487.n.1
Verius eſt, legem naturalem non eſſe propriè legem præcipientem, ſed indicantem, quid agendum, vel cauendum ſit, & quid ex natura rei ſit intrinſecè bonum vel malum, vnde poteſt dici dictamen rationis, oſtendens quid faciendum, aut fugiendum, ne Deus mediante tali actione offendatur. p.488. num.2.
In lege diuina naturali ſunt aliqua præcepta quæ ſemper & ad ſemper obligant, qualia ſunt illa, quæ prohibent malum abſolutè, quod eſt intrinſecè malum. ibid.n.3
Secundùm ius etiam naturæ ſunt aliqua præcepta, quæ non obligant ita ſimpliciter & abſolutè quoad ſemper, ſed ſolummodo manentibus quibuſdam circumſtantiis, quibus deficientibus & mutatis non obligant ita rigoroſè, vnde in illis quandoque poteſt fieri aliqua diſpenſatio. ibid.
Lex Moſaica, ſeu Veteris Teſtamenti fuit bona, iuſta & Sancta ; tamen erat imperfecta. p.489.n.4
De fide eſt, totam legem veterem latam eſſe ab ipſo Deo tanquam proprio & immediato legiſlatore, & eſſe legem diuinam propriè dictam. ibid.n.5
Ante legem Moyſi datam nulla alia fuit tradita à Deo plura diuina præcepta continens : tempore enim illo regulabantur homines iuxta dictamen rationis ſecundùm diuinam legem naturalem. ibid.nu.6
Quamuis legis veteris præcepta multa ſint, ad tria tamen genera reducuntur, ſcilicet, *ad Moralia, Cæremonialia,* & *Iudicialia.* ibid.n.7
Præcepta moralia veteris legis non minus nunc obligant Chriſtianos, quàm olim Iudæos, nec ſunt aliquo modo abrogata, neque abrogari poſſunt. ibid.n.8
Lex Moſaica continens præcepta cæremonialia ceſſauit & abrogata fuit in ipſa morte Chriſti. p.490.n.9
Præcepta iudicialia euacuata ſunt per Chriſtum : mutato enim ſtatu populi, etiam leges populum concernentes mutandæ ſunt. ibid.n.10
Lex vetus non ſtatim à morte Chriſti fuit mortifera ſic nimirum, vt illicitum eſſet eam ſeruare : ſed ſolùm tunc, quando promulgatio Euangelij ſufficienter per Apoſtolos facta fuit. ibid.n.11
Lex Euangelica pluribus, variiſque nominibus denominari ſolet, dicitur enim Lex fidei, Lex ſpiritus vitæ, ſeu gratiæ. Lex amoris. Lex Noui Teſtamenti. Lex Euangelica. Lex noua. ibid.n.12.
De fide eſt, Chriſti Domini legem, quæ dicitur Euangelica, eſſe veram legem præceptiuam & propriè dictam. p.491 num.13
Præcepta legis Euangelicæ tripliciter diuidi poſſunt, vel enim ſunt præcepta moralia ſecundùm legem naturalem, vel Sacramentorum, vel fidei. ibid.n.14
Variæ differentiæ adducuntur, in quibus Lex Euangelica differt à veteri. ibid.n.15

LEX.

De lege Humana.

Ad conſtitutionem legis poſitiuæ humanæ, tria neceſſariò concurrunt. p.492.n.1
Legis proprietates, ſeu conditiones ſunt. Primò, vt ſit honeſta. Secundò, vt ſit iuſta. Tertiò, poſſibilis. Quartò, neceſſaria vel vtilis. Quintò, nullo priuato commodo, ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta. ibid.n.2
Omnis lex poſitiua non ſolius rationis, ſed etiam voluntatis actum includit. ibid.n.3
Ad ſubſtantiam & rationem legis requiritur, vt teneat ac liget conſcientiam ; vnde ſi lex neminem alliget, legis vim & naturam non habet. p.493.n.4
Pater poteſt quidem præcepta filiis imponere per poteſtatem dominatiuam, ſeu œconomicam, non autem illis legem ferre, niſi publicam habeat poteſtatem. ibidem num.5
Romanus Pontifex poteſt licitè & validè condere leges Canonicas obligantes totam Eccleſiam, omneſque Chriſti fideles vbique degentes ad earum obſeruantiam, etiam ſine conſenſu & conſilio Cardinalium. ibidem, numer.6.
Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ ad ferendas leges pro ſua Diœceſi non indigent conſenſu ſuorum Clericorum vel Capituli Eccleſiæ Cathedralis vel Metropolitanæ, niſi in caſibus in iure expreſſis, vel in aliquibus rebus grauioribus, quæ ſpecialem rationem & neceſſitatem præſeferant. ibid.n.7
Archiepiſcopi, Patriarchæ non poſſunt extra Prouinciale Concilium leges ferre obligantes totam Prouinciam : excepto forte tempore viſitationis Prouinciæ. ibidem.
Illi omnes, quibus competit poteſtas condendi leges per iuriſdictionem delegatam, poſſunt leges condere. ibidem num.8.
Probabile eſt, delegari poſſe fœminis facultatem condendi leges Eccleſiaſticas & ſpirituales, à Summo Pontifice. Non eſt tamen deleganda à Summo Pontifice facultas alicui ferendi leges in totam Eccleſiam independenter ab approbatione ipſius. ibid.
Non omnia, quæ in Decreto Gratiani continentur, habent vim legis obligantis in foro conſcientiæ, niſi ex Decretis Pontificiis vel Conciliis Generalibus deſumpta ſint. p.494. num.9
Sententiæ Sanctorum Patrum vim legis non habent, etiamſi in Decreto ſint inſertæ, niſi vſu & conſuetudine tanquam leges receptæ ſint, vel à Sede Apoſtolica fuerint Canonizatæ, vt ſunt illæ, quæ inter Decretales reperiuntur. ibidem.
Sententiæ Patrum poſſunt vim legis habere, quatenus teſtantur de præcepto diuino, vel Apoſtolico, vel Eccleſiaſtico. ibid.
Regulæ Cancellariæ, in rigore loquendo, non ſunt propriè Leges

Digitized by Google

leges; ſi iuxta morem & conſuetudinem in aliis legibus receptam, non publicentur. Tales tamen regulæ obligant tanquam præcepta impoſita eis, qui officiis Cancellariæ præſunt, vel dic eas obligare per modum conſuetudinis receptæ ſciente Principe & conſentiente. ibid.n.10

An autem ſtylus curiæ habeat vim legis. Quidam affirmant, alij negant, niſi quando datur formale præceptum Papæ. ibidem.

Super aliqua lege licet ſupplicationem porrigere & interim ſuſpendere eius obligationem & illam non ſeruare. ibidem. num.11

Vt lex per non vſum authoritate careat, non requiritur certum tempus, ſed ſolùm repugnantia per actus contrarios numero ſufficienti aſſerit prudentum. Intellige, de lege quæ in principio ſuæ promulgationis non recipitur, ſed illi contraeuenitur. ibid.n.12

Leges Pontificiæ & religionum ponentes priuationem ab officiis & Prælaturis actualibus ipſo facto, ſeu abſque vlla declaratione, non obligant tranſgreſſores, vt facto delicto deponant officia per ſeipſos, ſed requiritur ſententia iudicis declaratoria criminis. ibid.n.13

Lex, quæ antea non fuit acceptata à maiori parte communitatis poteſt ſubſequenti tempore acceptari & conſequenter obligationem parere. ibid.n.14

Quando lex fuit acceptata à maiori parte communitatis, ſiquis illorum, qui eam non acceptarunt, illam frangeret, peccaret mortaliter. E contra ſi maior pars communitatis eam non ſeruaret, poterit minor pars maiori conformari. ibid.

Qui ignorat promulgatam eſſe legem reſciſſoriam alicuius contractus, licet non peccet contrahendo contra legem, donec lex ad ipſius aures aliqua ratione peruenlat, non tamen validè celebrat, contractum. p.395.n.15

Summus Pontifex, dum in aliena diœceſi exiſtit, non tenetur legibus illius, in cuius territorio, vel Regno, vel Epiſcopatu repetitur. ibid.n.16

Legatus Papæ non afficitur legibus Epiſcopi, in cuius diœceſi reperitur. ibid.

Imperator aliuſue Princeps non tenetur ſeruare leges municipales oppidorum, ſeu prouinciarum ſibi ſubditarum, modo non ſint confirmatæ ab ipſomet Principe, vel non habeat primam habitationem in eo loco, pro quo fertur lex. ibid.

Legati Principum non ſunt ſubiecti legibus ſpecialibus, quibus Princeps ad quem ſunt miſſi, regit ſuam communitatem, extra ius naturale & gentium. ibid.n.17

Legati, ſeu Oratores Principum non ſubiiciuntur legibus aut edictis ordinariorum, ſiue etiam Synodi diœceſanæ, ſed ſolùm iuri communi. ibid.n.18

Dari poteſt caſus, vt quis non teneatur neque ad leges particulares patriæ, neque ad illas alterius loci. ibid.

Quando dubitatur, an lex obliget ſub mortali, vel tantummodò ſub veniali, probabile eſt obligare tantùm ſub veniali. p.496.n.19

In explicanda legis obligatione verbis obſcuris expreſſa, inſpiciendum eſt, quo pacto huiuſmodi verba vt plurimum accipi ſoleant in legibus, & penſatis omnibus coniecturis, quod veriſimilius eſt, iudicandum eſt. ibid.

Quædam leges ſunt purè pœnales quædam verò pœnales miſtæ. Lex purè pœnalis eſt illa, quæ nihil facere præcipit, aut prohibet, ſed tantùm imponit pœnam aliquid facienti, vel omittenti. Lex pœnalis miſta eſt, quæ non ſolùm aliquid fieri præcipit, aut prohibet, ſed etiam pœnam imponit contrauenienti. ibid.n.20

Lex pœnalis poteſt aliquando obligare in foro conſcientiæ homines ad ſuſtinendas pœnas, tam actiuas, quàm paſſiuas, ante omnem ſententiam declaratiuam, quando in tali lege eſt apposita particula illa, *ipſo facto, ipſo iure, abſque alia iudicis declaratione*, ſi alibunde ſeruetur æqualitas. ibid.n.21

Quamuis poſſit ſupremus Princeps ex plenitudine poteſtatis ſubditos priuare ob crimen graue, domi ilo vel iure acquiſito ante omnem iudicis ſententiam; non tamen ſatis conſtat tales leges hactenus tanta ſeueritate latas, etiam vſu receptas eſſe. ibid.

Lex pœnalis obligat iudicem ad pœnam in lege præſcriptam infligendam reo iuxta acta & probata: quamuis poſſit iudex diminuere taxatam pœnam à lege quando interueniunt aliquæ circunſtantiæ, id poſtulantes, iuxta prudentis arbitrium. p.497.n.22

Supremus Princeps poteſt pœnam ipſam in totum relaxare, remittendo delictum gratioſè, quando ita in Domino iudicauerit expedire. ibidem.

Lex pœnalis vtens verbo, aut participio ſignificante actionem futuri temporis, ſententiam à iudice ferendam continet. ibid. num.23

Lex pœnalis vtens verbo imperatiui modi, quamuis ſit temporis præſentis, ſententiam continet ferendam, ſed non ſemper. ibid.

Quoties lex pœnalis vtitur verbis ſolis comminatorijs, lex illa ſententiam ferendam continet: niſi poſt huiuſmodi dictionis comminatorias, addantur aliæ, quæ apertè ſententiam latam ſignificent. ibid.

Quoties lex pœnalis continet dictionem, de qua dubium eſt, an latam, vel ferendam exprimat ſententiam, in dubio dicendum eſt continere ſèrendam ſententiam. ibid.

Sententia lata erit, quoties in lege pœnali apponuntur verba ſignificantia legis tranſgreſſorem pœnam appoſitam incurrere. ibid.

Leges humanæ, ſtatuta, ſeu decreta vniuerſaliter prolata, interpretationes, conditiones, & cauſæ intelligentias ſuſcipiunt. p.498.n.24

Lex, tam Eccleſiaſtica, quàm ciuilis, ob bonum publicum, poteſt perſonas quaſdam ad contrahendum inhabiles reddere, & earum contractum irritare. ibid.n.25

Quinque modis poteſt accidere, vt lex humana contractum, vel quemuis alium actum improbet. ibid.

In legum interpretatione potius ſequenda eſt mens legiſlatoris, quàm verba. ibid.n.26

Verba legis, alteriuſque diſpoſitionis, in dubio intelligenda ſunt ſecundùm communem vſum, & acceptionem, quæ etiam proprietati præferenda eſt, ſi nihil aliud obſtet. ibid.

Quatuor cauſæ cogunt recedere, vel à communi, & vſitata, vel à propria verborum acceptione. ibid.

Quando verba legis plures habent ſenſus proprios, ſed non conſtat quem ſenſum legiſlator intenderit, ſi legiſlator commodè adiri nequeat, in pœnis benignior, & ſtrictior pars explicanda eſt, in fauoralibus verò latior, &c. ibid.n.27

Lex pœnalis ob paritatem rationis non extenditur ab vno caſu ad alium, vel ab vno crimine ad aliud, vel ab vna perſona ad aliam. p.499.n.28

Argumentum à ſimili, aut ab identitate rationis valet in aliis legibus, non autem in legibus pœnalibus. ibid.

In lege fauorabili probabiliter facienda eſt extenſio ad ſimiles caſus, quos ob identitatem rationis adæquatæ, credibile eſt legiſlatorem eos comprehendere voluiſſe: contrarium tamen eſt etiam probabile. ibid.n.29

Multis modis cognoſci poteſt aliquem caſum in lege non comprehendi, quamuis verba legis ad ipſum extendi videantur. ibid.n.30

Libelli repudij.

Quando libellum repudij maritus vxori dedit, dum ambo Infideles erant, illæque alteri nupſit, tunc, ſi ambo ad fidem conuertantur, tenetur maritus eam iterum admittere ad matrimoniale conſortium, & in hoc caſu non habet locum actio, tam ciuilis, quàm criminalis, aduerſus adulteram. V. Adulterium. p.41.n.6

Libellus famoſus.

Qui libellos famoſos conficiunt diuulgantes aliorum peccata, quibus exinde fama, & honor eorum lædituꝛ, grauiter peccant, & tenentur ad famæ, vel honoris reſtitutionem, ac damna, quæ exinde ſecuta ſunt, reſarcire. V. Contumelia. p.197.n.2

Talium libellorum Authores per leges ciuiles pœnâ capitis puniri iubentur. Per leges Eccleſiaſticas, ſi libelli ſint contra ſæculares, verberantur. Si contra Eccleſiaſticos, excommunicati iubentur. ibid. Vbi plura.

Libellarius contractus.

Libellarius contractus dictus eſt à libella, quæ inter alia ſignificabat minuti numeri Romani genus. Libellam, id eſt minutum numerum Longobardi Scriptores dixerunt libellum, & hinc dicta eſt libellaria, ſiue contractus libellarius, quando res in perpetuum locatur modica penſione in ſingulos annos ſoluenda. V. Emphyteuſis. p.273.n.8

Inter feudum, emphyteuſim, & libellum eſt differentia: libellum enim, ſiue liuellum eſt contractus ſubfeudalis, vel ſub emphyteuticus proprie, quo ſcilicet aliquis rem acceptam in emphyteuſim, vel feudum tradit alteri pro penſione ſibi quoquo ſoluenda, &c. ibid.

Libertus.

Libertus, id eſt, ille qui erat à ſeruitute liberatus, iure ciuili efficitur ſeruus propter ingratitudinem ſuam, qui manus in patronum ſuum iniecit, vel iniuriam atrocem, aut graue damnum ei inferre præſumpſit. Intellige, poſt iudicis ſententiam. V. Seruitus. p.783.n.8

Licentia.

Licentia Abbatis non requiritur, vt Monachi ſimplices habentes aliquam adminiſtrationem, aut aliquem Prioratum poſſint eſſe arbitri & arbitratores, v. Arbiter. p.65.n.2

Licentia Superioris non exigitur, vt religioſus creetur arbiter, vel arbitrator, ſed exigitur, vt ea munera acceptare poſſit. ibid.n.3

Abſque licentia Superioris arbitrium præſtitum à religioſo non valet. ibid.n.5

Licentia audiendi confeſſiones conceſſa ad beneplacitum, iuxta quoſdam, expirat morte concedentis: ſed contrarium eſt etiam probabile, vt praxis confirmat, v. Confeſſio. p.184.n.11

Licentia Epiſcopi Diœceſani requiritur, vt Monaſterium ſeu Eccleſia, vel oratorium domus ædificetur, v. Eccleſia. p.258.n.12

Niſi licentia ſuperioris,& vtilitas Monaſterij concurrant, iure communi interdicitur religioſis munus procuratoris, vel aduocati obire. V. Procurator. p.696.n.11
Licentiam hanc dare poteſt ſuperior immediatus: vel etiam Epiſcopus,ſi monaſterium ipſi ſubeſſet. p.697.ibid.n.12
Fratres Minores de licentia ſuorum Superiorum, non poſſunt eſſe Procuratores. ibid. Vbi plura.n.15
Abſque Prælati licentia ſaltem petita non eſt licitus tranſitus de vna religione ad aliam etiam ſtrictioris: aliàs peccat mortaliter Religioſus omittens petere licentiam. V. Religio. p.721.n.13. Vbi plura. n.14.& ſeqq.

Ligaminis impedimentum.

Dubius de morte coniugis, contrahendo cum alio matrimonium,validè contrahit, ſi duo concurrant. 1. vera mors coniugis. 2. vtriuſque partis veriis conſenſus per verba de præſenti,quamuis grauiter peccet,cum contrahendo, tum petendo debitum. verb. Matrimonium II. p.594.n.38
Vt mulier poſſit ad alias nuptias tranſire, communis ſententia eſt requiri certum nuncium,& famam de morte viri: probabile tamen eſt,quod mulier in tali caſu non peccaret, ſi cum probabili perſuatione,& præſumptione,atque iuſtiſſima credendi cauſa,quod prior maritus mortuus ſit, bona fide ad ſecundas nuptias tranſiret,ſi nemo ſe illi opponeret. ibid. Vbi plura.n.39.& ſeqq.

Litania.

Litanias,ſeu Rogationes, & Pſalmos cantare publicè poſſunt tempore interdicti qui habent Confraternitates, etiam in ipſis Eccleſiis ſitis in loco interdicto: & hoc etiam licet Clericis,& Regularibus,dummodo id faciant,ſicut Laici, ſine crucis elevatæ geſtatione,ſine ſtola,& ſuperpellicio, ſine ordine procedendi, ſine Dominus vobiſcum,&c. V. Interdictum. p.431.n.27

Littera

Ante literas ſuæ delegationis oſtenſas proceſſus factus à iudice delegato eſt nullus, etiamſi eas literas habeat; dummodo pars opponat de reſcripto non præſentato: ſi enim id non opponeret,& ſub ſilentio pertranſiret,validus eſſet proceſſus. V. Delegatus. p.212.n.13
Ante literarum expeditionem diſpenſatio non prodeſt, neque vim habet in foro exteriori; poſtquam tamen expedite ſunt, retrotrahuntur,& profunt à puncto conceſſionis. In foro autem conſcientiæ valet diſpenſatio,etiam ſi nondum ſcripta ſit, ſtatim ſcilicet, ac ſimplici verbo conceſſa eſt. V. Diſpenſatio. p.226.n.40
Literæ iuriſdictionem continentes iudicibus, qui per eas deputantur,requirunt neceſſariò ante iudicij initium eas expeditas eſſe: itavt iudicium inchoetur, nondum literis expeditis, & intimatis eſt omninò nullum. ibid.
Literas dimiſſoriales non poteſt concedere Capitulum Sede vacante intra annum pro prima tonſura. V. Capitulum. pag. 129.n.9
Religioſus tranſiens de vna Religione ad aliam,nullo modo debet recipi à Religioſis,ad quos fit tranſitus, abſque litteris dimiſſoriis ſui Superioris, quamuis eis conſtaret licentiam fuiſſe petitam,ſed non obtentam. V. Religio. p.721.n.14

Locatio,& Conductio.

Res quæ vnico actu conſumuntur, vt pecunia, panis, vinum, oleum, & ſimilia,non poſſunt locari, niſi fortè locentur ad oſtentationem,& pompam. p.500.n.1
Locari poteſt pecunia quoad vſum,retento illius dominio iuxta probabilem ſententiam. ibid.
Conductor in tribus caſibus ex caſu fortuito tenetur. ibid.n.2
Qui ex pacto renunciat caſibus fortuitis in genere, non cenſetur renunciare rariſſimis,& extraordinariis,de quibus nullus omninò eſſe poterat timor: licet quidam contrarium ſentiant. ibid.
Conductor, qui euentibus omnibus fortuitis renunciauit, etiam extraordinariis, non tenetur augere penſionem propter inſolitam vbertatem. Secus quando ſertilitas fructuum ex cœli clementia,vel caſu inſolito prouenit, qui præuideri non ſolet. ibid.n.3
Quando inter locationem,& conductorem fuit pactum, vt certum quoddam pretium ſoluatur,pacto ſtandum eſt: quo ceſſante,illud pretium erit iuſtum,quod paſſim eo loco dari ſolet. p.501.n.4
Si conductor competenti tempore maneat in re conducta, elapſo tempore conuento,ſciente,& patiente locatore, ſub eiſdem conditionibus cenſetur contractus locationis renouatus. ibid. num.5
Medicus, qui locauit operas ſuas pro tota familia determinata, tunc aucta familia, licitè poteſt exigere auctiorem mercedem, ſicut è contra diminuta familia mercedem diminuere tenetur. ibid.n.6
Famulo,qui abſque vlla mercede, ſed ſola ſpe alicuius beneficij,vel officij conſequendi, famulatur, mercedem non tenetur ſoluere Dominus, ſi poſtea eum nullo beneficio afficiendum cenſuerit. ibid.n.7
Si famulus tacitè intenderet dominium hæc pacto obligare ad procurandum beneficium Eccleſiaſticum,eſſet inutile, & Dominus hoc aduertens teneretur ei iuſtam mercedem ſui ſeruitij erogare. ibid.
Qui locat oues & boues, non poteſt obligare conductorem ad reddenda ea animalia ſic locata,atque in tegra,& ſit anniſi tale eius locator iuſta mercede compenſet, cùm conductor id oneris gratuitò ſubire recuſet. ibid.n.8
Locare boues ad colenda prædia ſub certo pretio, hac tamen lege,vt conductor alios boues eiuſdem ætatis, quam habebant iſti,qui conducti ſunt tempore conductionis, reddere teneatur,vſurarium eſt,niſi locator minuat penſionem, vel aliunde compenſet onus,quod imponit conductori. ibid.
Res locari poteſt eo pacto,vt conductor eius periculum ſuſcipiat,& tunc ratione talis oneris, & periculi ſuſcepti conductor poteſt iuſtam mercedem exigere. ibid.n.9
Ex tali pacto locatio non tranſit in venditionem: ſuſceptio enim periculi non facit venditionem,vel emptionem. ibid.
Conductor,qui non potuit vti re conducta, aut fructus ex ea percipere propter aliquod impedimentum ſuperueniens abſque ſua culpa,vt propter bellum,peſtem,&c. non tenetur ſolvere penſionem ad ratam temporis, quo non potuit vti re conducta. p.502.n.10
Si conductor non potuit vti,vel frui re conducta ob caſum, vel impedimentum ſuperueniens ex parte ipſius, tenetur ſoluere penſionem. ibid.
Inter locationem,& venditionem magna eſt affinitas; tamen eſt differentia in duobus. ibid.n.11
Si res aliena locata bonâ alicuius fide,poſtea euicta ſit, debet locator petere à Domino rei, vt conductorem eadem penſione re frui ſinat: ſi nolit, tenetur conductori aliam rem non minus commodam locare,ſi poſſit, alioquin de penſione remittere cogitur. ibid.n.12
Quando culpa,vel dolo locatoris res locata euicta fuit,ille omninò præſtare cogitur,quanti conductoris intereſt. ibid.
Quando neſcitur,caſune,an culpa,vel dolo conductoris, aut cuſtodis,res locata perierit; conductor, cuſtos, &c. obligantur ad vtrumque oſtendendum; niſi graues coniecturæ, hinc inde pro hominis innocentia adſint. ibid.n.13
In dubio non præſumitur incendium ortum culpa conductoris, niſi locator culpam oſtendat. ibid.
Ex locatione duæ actiones naſcuntur. 1. dicitur actio ex Locato,quæ datur locatori aduerſus conductorem. 2. vocatur actio ex conducto, quæ datur conductori contra locatorem. ibid. num.14
Locationis tempore finito, non poteſt intuitus retineri conductor, nec hæredes illius: neque è contra cogitur locator eidem,vel alteri locare. ibid.n.15
Locatio tribus modis finitur. 1. mortuo conſenſu. 2. lapſu temporis ad quod res locata eſt. 3. ſi res locata omnino pereat. ibid.
Si plures res locatæ fuerint,& vna ex eis perempta ſit, finitur locatio tantùm ex parte,ſi etiam plures mercedes conſtitutæ ſunt. Si vnica fuerit mercs, quamuis plures res, vna peremptæ,locatio ceſſat. ibid.

Locus.

In loco publico debitum coniugale petere, & reddere, culpa mortalis eſt: ſicut,& tactus impudici inter coniuges, ſi fiant aliis videntibus. V. Debitum coniugale I. p.206.n.10
Locus certus non eſt de ſubſtantia electionis, non quilibet locus,vbi capitulum eſt congregatum,dicitur capitularis. verb. Electio. p.263.n.1
In loco conuento promiſſio adimplenda eſt: ſi non ſit conuentum de loco,ſtandum eſt iudicio prudentis viri, cuiuis promiſſio eſt mutua: ſi autem promiſſio eſt ſimplex, aſſignandus eſt locus arbitrio promittentis. V. Donatio. p.241.n.23
Ex parte loci redditur vitioſa negotiatio,vt ſi in Eccleſia, aut Cœmeterio huiuſmodi negotiationes profanæ fiant. V. Emptio. p.289.n.46. Vbi plura.
Locus,qui inſeruire debet ſepulturis Fidelium, debet eſſe ſacer, ſeu benedictus ab Epiſcopo, ſeu ab alio ad id poteſtatem habente; aliàs ſi non ſit benedictus, ſepultura Eccleſiaſtica dici non poteſt,ſecundùm canones. V. Sepultura. p.775.n.4. Vbi plura.

Lucrum ceſſans.

Qui vendit creditò, poteſt paciſci de lucro ceſſante ex dilata ſolutione pretij,atque adeò vendere creditò rem pluris,quam per ſe valeat. V. Emptio. p.280.n.9
Vt verè lucrum ceſſet mercatori ob contractum venditionis credito pretio cum emptore tranſactum; quatuor requiruntur. ibid.n.19

Ludus.

Ludus variè accipitur. 1. poteſt ſumi vt eſt actus virtutis. 2. vt eſt actus cupiditatis. 3. vt eſt quidam contractus inter colluſores. p.503.n.1
Qui ludit cum intentione lucrandi etiam magnam quantitatem

non peccat mortaliter. Imò probabile eſt, ludum principaliter propter lucrum non eſſe peccatum etiam veniale. ibid. num.2

Ludus prohibitus aleatum & taxillorum quamuis in magna quantitate, per ſe hodie laicis non eſt peccatum, attenta lege naturali & humana poſitiua; iura enim ciuilia & Canonica prohibentia hos ludos iam per contrarium conſuetudinem ſunt abrogata. ibid.

Ludus aleatum & taxillorum & ſimiles, iure Canonico prohibentur etiam Clericis; ſed vt aduertunt Doctores, maximè illis prohibetur frequentia in eo ludo, iura enim loquuntur de aleatoribus. ibid.n.3

Præcepti huius grauitas & obligationis in Clericis iudicanda eſt ex conſuetudine regionis, ex ſcandalo, ex frequentia, ex quantitate pecuniæ ludo expoſitæ & aliis ſimilibus circumſtantiis, quæ facilè variari poſſunt. ibid.

Ludere ludis prohibitis non eſt peccatum mortale religioſis, in iis religionibus, in quibus eiuſmodi ludi tam vſu recepti videntur & permiſſi, dummodo religioſus eam ſolùm pecuniam exponat, quam liberè in ſui commodum vel recreationem expendere poteſt. p.504.n.4

In religionibus, vbi tam exactè regularis diſciplina viget, vt huiuſmodi, int penitus interdicti, graue peccatum foret viam & aditum eiuſmodi ludis etiam titulo recreationis aperire. ibid.

Religioſus, qui extra Monaſterium de conſenſu Superioris in Curia vel vniuerſitate gratia addiſcendi litteras moratur, non habet ius exponendi aliquid ludo prohibito, aut indecenti religioſo, qualis eſt ludus alearum, &c. ſecus quando ludus eſt honeſtus. ibid.n.5

Probabile eſt, quod licet religioſus qui expendit in vſus prophanos, quæ ad honeſtam recreationem ſibi à Prælato conceduntur peccet mortaliter, ſi materia eſt grauis, ij tamen qui ab illo talia lucrantur, ad nullam reſtitutionem tenentur. ibid.n.6

Probabile item eſt, quod religioſus & aliæ perſonæ alienare prohibitæ poſſint abſque reſtituendi onere plus lucrari, quàm perdere, modo colluſor ſciat ſe ludere cum eo, qui alienare non poteſt, & nihilominus vult ludere. ibid.

Filiusfamilias, qui vnico iactu ſolùm poteſt perdere quinque, non poteſt ſingulis iactibus ab vno eodemque lucrari pluſquam quinque. Si autem plures ſint in quos ludit, poterit totidem ab vnoquoque ludentium lucrari, quot ipſe vnico iactu perdere poterat. ibid.n.7

Filiusfamilias, qui poteſt perdere quinque, ſi ſuggeſſiuè lucretur triginta vel quinquaginta, poteſt ea ludo exponere & perdere, quando idem ludus perſeuerat: quando autem ludus eſt alius, licet de ſubtilitate iuris non poſſit ludere totum quod lucratus eſt, quia patri acquirit; nihilominus de æquitate conſcientiæ, ſi ludat cum eodem à quo lucratus eſt, & perdat, poteſt alter compenſare id quod pendiderat. ibid.

Qui ludo filiusfamilias nihil alienare potens lucratur centum, poteſt colluſor poſtea ab eodem tantumdem lucrari per alios ſequentes ludos, non ſolùm continuos vel ſimiles, ſed etiam tempore diſtantes, ac genere diuerſos; modo lucrum apud eundem filiumfamilias perſeueret & non ſit conſumptum. p.505.n.8

Qui ludit cum muliere coniugata, poteſt licitè ſibi retinere lucrum, quod ab ea acquiſiuit, an ſeptem caſibus. ibid.n.9

In certis caſibus lucrifaciens à ſeruo, poteſt ſic acquiſitum ab eo iuſtè retinere. ibid.n.10

Qui à minore per ludum aliquid acquiſiuit, ſi minor ſit pubes & curatore careat, non tenetur lucrans reſtituere, donec minore reſtitutionem petente, iudex lucrantem ad eam cogat. ibid.n.11

Si minor curatorem habeat, vel ſi impubes, pubertati tamen proximus ſit, lucrans tenetur reſtituere, poſito, quod non obligetur naturaliter ludens ſine tutoris auctoritate: ſed ſtando in contraria ſententia, quod tunc obligetur naturaliter, non tenetur reſtituere, donec ſic perditum non reperitur coram iudice à tutore vtente beneficio reſtitutionis. ibid.

Qui in ludo prohibito perdidit, & promiſit ſe nunquam repetiturum: quidam putant non poſſe repetere, vel ſibi retinere quòd perdidit: verius tamen eſt oppoſitum, ſi ſolùm promiſit ſimplici verbo abſque iuramento. p.506.n.12

Qui iuraui ſoluere & non repetere, tenetur ad vtrumque ſeruandum. ibid.

Qui iurauit ſoluere non poteſt ante ſolutionem iuramenti relaxationem ab Epiſcopo petere, quam dare non poteſt ſine conſenſu eius, cui factum eſt. Contrarium tamen videtur probabile. ibid.

Iuramentum vel votum non ludendi, quatenus includit ludum honeſtum, qui opus virtutis eſt, non obligat. Si autem iurans vel vouens intenderet per illud votum vel iuramentum ſe obligare, ad abſtinendum à ludo licito, votum & iuramentum eſſent valida. Si non conſtet de iuramentis intentione, ea ex ipſius fine perpendenda eſt. ibid.n.13

Qui vouit non ludere ſub pœna certæ peregrinationis, aut eleemoſynæ, non de ſolâ prima vice votum debet intelligi; niſi pœna per votum promiſſa grauiſſima ſit, quæ iterari non ſolet, qualis eſt peregrinationis Romanæ, &c. aut exorbitantis eleemoſynæ. ibid.n.14

Quando eſt ſolùm votum de ſubeunda pœna in caſu ludi, non autem de ludo vitando, ſi ſpectatis omnibus circumſtantiis ſit dubium de intentione vouentis, de primo ludo videtur probabiliter votum eſſe intelligendum. ibid.

Qui habet poteſtatem diſpenſandi in votis, poteſt etiam diſpenſare cum habente votum non ludendi, modo adſit iuſta cauſa, qualis videtur ſubtractio occaſionis peccandi mortaliter in eo, qui affectus eſt mortaliter peccare ludendo contra votum. p.507.n.15

Habens poteſtatem diſpenſandi & commutandi vota, melius facit commutando votum non ludendi, quàm diſpenſando, quia tunc adeſt cauſa iuſta in eo voto diſpenſandi. ibid.

Qui aleatores in domo ſua recipiunt, adminiſtrando ad ludum mortaliter illicitum aliter non futurum, menſas, chartas, candelas, aut alia in tali ludo neceſſaria, peccant mortaliter: imò aliquando tenentur ad reſtitutionem. ibid.n.16

Laici, qui ſunt ſpectatores ludi mortaliter illiciti, non peccant mortaliter, quando ex contemplatione dumtaxat ſucceſſus ludi, modique ludendi abſque alterius mali appetitione, delectantur: ſecus de illis, quibus complacet ludus, vt eſt prohibitus, aut peccatum mortale, quod in ludo committitur. ibid.n.17

Clerici beneficiati, aut in ſacris conſtituti & religioſi, ſi per multum tempus eiuſmodi ludis intereſſint, iuxta quoſdam peccauit mortaliter; quod alij negant, niſi ſint cauſa ludi, vel omittant corrigere, quando tenentur, vel complacent in ludo mortali. ibid.

Si quis vratur fraudibus contra leges ludi, tenetur ad reſtitutionem eius, quod ſic lucratus eſt, imò & eius, quod alter iuſtè lucraturus erat, niſi fraude impeditus fuiſſet. ibid. num.18.

Si quis videat colluſorem non numerare omnia puncta, quæ habet, quæ ſi numeraret lucraretur, an teneatur, ſi non admonet, lucrum reſtituere; quidam putant teneri; ſed contrariam ſententiam probabiliter tenent multi, vbi adeſt confuſa tudo ſic ludendi. ibid.

Qui inſpicit ludentes in hoc caſu, non peccat contra iuſtitiam non admonens ludentem errare in computandis punctis; niſi id promiſerit, licet interdum peccet contra charitatem. ibid.

Qui accipit primum locum, quem in ludo chartarum appellant manum, cùm tamen colluſori deberetur, peccat, & ſi ob id aliquid lucratur, ad reſtitutionem tenetur. ſecus, ſi non conſtet præcisè ratione prioris loci lucratum fuiſſe. p.508.n.19

Quando contingit lucrari præcisè ratione prioris loci, tunc tenebitur reſtituere non ſolùm totum quod lucratur, ſed inſuper tantumdem quod ipſe amiſſurus erat. ibid.

Ludere pro Oratione Dominica, vel ſalutatione Angelica, quidam improbare videntur, & irreuerentiæ notare, imò & ſimoniæ. Rectiùs tamen docent alij id eſſe licitum. ibid. num.20.

Lumen.

Sine lumine celebrare eſt peccatum mortale: ex qua autem materia conflare debeat huiuſmodi lumen, non conſtat ex iure: de conſuetudine tamen Eccleſiæ requiritur, vt cereus candela accenſa ſit, ſi haberi poſſit; ſin minus in neceſſitate ſufficeret candela ſebacea, aut etiam lucerna ex oleo, v. Miſſa 11. p.569.n.18

Si incœpta Miſſa lumen extinguatur in tali Eccleſia ac loco, vbi aliud commodè inueniri non poſſit, puta ſi in eremitorio à vicis remoto Miſſa dicatur; non eſt licitum Miſſam perficere ante verba conſecrationis inchoata, etiamſi præceptum Eccleſiæ vrgeat audiendi ſacrum & præceptum diuinum communicandi per modum viatici inſtet. ibid.

Quando conſecratio eſt incœpta, ſi lumen deficiat, poteſt & tenetur Sacerdos ſacrificium ſine lumine perficere ibidem.

Luxuria.

Luxuria apud morales nihil aliud eſt, quàm intempeſtiua libidinis in re venerea: cuius materia eſt libido virtuti caſtitatis oppoſita, quæ ſine peccato mortali extra legitimum matrimonium exerceri non poteſt. p.508.n.1

Delectationes moroſæ, quæ ſunt peccata mortalia, non habent omnem malitiam operis externi, ac proinde nec varias ſpecies ſortiuntur, iuxta varietatem eorum, quæ in opere externo repetiuntur. p.509.n.2

Delectatio de ſodomia, pollutione, & beſtialitate, quæ peculiarem dicunt oppoſitionem cum caſtitate diſtinctam à malitia fornicationis, eſt ſpecialiter exprimenda in confeſſione. ibid.

Delectatio coniugati cum non ſua, includit ſpecialem iniuſtitiæ malitiam contra propriam vxorem in confeſſione aperiendam licet contrarium ſit probabile. ibid.n.3

Habens abſolutum votum caſtitatis peccat contra religionem, & caſtitatem, ſi delectetur de re aliqua turpi: ſecus ſi voluerit tantùm abſtinere ab opere externo. ibid.

Peccata contra naturam, nempe, mollities, ſodomia, & beſtialitas non ſunt vnius ſpeciei infimæ, ſed ſubalternæ; & ita inter ſe differunt ſpecie: quidquid in contrarium nonnulli improbabiliter dicant. ibid.n.4

Vera, & certò tenenda ſententia docet circumſtantias eſſe ſpecie diuerſas in confeſſione aperiendas, ſi quis pollutionem procuret propriis tactibus, quam ſi procuret tactibus alienis, & inter alienos diuerſam eſſe ſpeciem, ſi procuret tactibus fœminæ, quam viri. p.510.n.5

Peccans cum virgine ſodomiticè non tenetur in confeſſione dicere illam eſſe virginem: imò probabile eſt, neque teneri exponere ſodomiam commiſtile cum muliere, licet aliqui contradicant. ibid.n.6

Clericus committens vitium beſtialitatis, non incurrit pœnas Extrauagantis Pij V. contra Sodomitas. ibid.n.7

Ad incurrendas pœnas dictæ Extrauagantis, vbi eſt vſu recepta, requiritur ſententia iudicis, itavt ante illam, Clerici in conſcientia dictas pœnas non incurrant. p.511.n.8

Clericus ſodomita occultus habens beneficium, dignitatem, vel officium, poteſt abſque noua prouiſione à Confeſſario abſolui, ſi ſit contritus: nec eſt ſuſpenſus, nec irregularis, quamdiu delictum manet occultum. ibid.n.9

Beſtialitas eſt grauiſſimum ſcelus inter omnia, quæ contra naturæ ordinem ab hominibus committuntur: hoc crimen punitur pœna mortis, & flammarum poſt mortem. ibid.n.10

Beſtialitatis peccatum illud eſt etiam, quod committitur cum Dæmone in corpore aſſumpto: & hoc crimen nefandiſſimum multo grauius eſt peccato ſodomiæ, ac beſtialitatis ſimplicis cum bruto. ibid.n.11

Omnes beſtialitates ſunt eiuſdem ſpeciei, quantum eſt ex natura actus, id eſt, ipſius concubitus ſecundùm ſecum ſuppoſito, non eiuſdem ſpeciei. Ex parte tamen affectus poteſt eſſe diuerſæ ſpeciei. ibid.n.12

Poteſt ex parte effectus adiuncto quandoque patientis affectu, ſeu conſenſu, variari beſtiale peccatum mulieris cum Dæmone. ibid.

Peccata contra naturam, licet concurrere nequeant cum peccatis luxuriæ naturalis, in eadem ſpecie, & in eodem actu, ſi tamen conſideretur deformitas ex parte iniuriæ, vel irreuerentiæ, quæ determinat ſpecies luxuriæ naturalis, ſic concurrere poſſunt. p.512.n.13

Copula habita cum fœmina dormiente, quæ in illam ante ſomnum conſenſit, eſt eiuſdem ſpeciei, ac eſſet, ſi haberetur cum illa vigilante. Si autem ante ſomnum in eam non conſenſerit, quidam volunt talem copulam continere etiam malitiam raptus; an autem hoc ſit probabile, ſtu Lector iudica.

M.

Magia, Maleficium.

MAgia apud Orientes pro ſapientia accipitur, & rerum naturalium exacta cognitione, quare Magi apud illos dicebantur Sapientes. p.512.n.1

Magia ſuperſtitioſa, ſeu dæmoniaca omninò illicita eſt, & in iure prohibita: & illa vtentes grauiſſimum peccatum mortale committunt. p.513.ibid.

Exercentes hanc diabolicam, & abominabilem artem magiæ, dicuntur Magi, ſiue Magæ: Malefici, ſiue Maleficæ, Venefici, vel Venefic. Fœminæ appellantur ſtriges: aliquando lamiæ, ſagæ, ſeu incantatrices. ibid.n.2

Magia ſuperſtitioſa duplex eſt, vna per pactum, ſeu ſocietatem explicitam cum Dæmone. Altera eſt per peccatum cum Dæmone implicitum. ibid.n.3

Certum eſt poſſe Dæmones realiter quandoque aſportare huiuſmodi Veneficas in loca remota, etiam diſtantiſſima breuiſſimo tempore, & iterum poſtea eadem celeritate ad domum propriam reducere. ibid.n.4

Magiæ diabolicæ propriiſſimæ ſumptæ ſpecies, ſunt incantationes, & maleficia, quæ ſemper fiunt mediante conſortio & auxilio Dæmonum: & hanc artem exercentes ſunt valde de hæreſi ſuſpecti. p.513.n.5

Incantare eſt verbis quibuſdam ſuperſtitioſis, vel etiam actionibus quibuſdam verbis adiunctis, aliquid ſupra naturam moliri. p.514.ibid.

Maleficium deriuatur à verbo *Malum & facio* & ideo à Theologis accipitur pro vi, & poteſtate nocendi aliis ex pacto facto cum Diabolo, ſiue explicito, ſiue implicito. ibid.

Maleficij poſſunt ſuis maleficiis reddere hominem impotentem ad copulam carnalem: quod quinque modis fieri poteſt. ibid.6.

Magi non habent poteſtatem alligandi Dæmones, quos vocant familiares, in annulis, ſpeculis, ſiue vaſculis, vel ad illos expellendos è corporibus hominum obſeſſorum: & ſi quandoque hoc fiat, hoc fit poteſtate Dæmonum ſuperiorum, vel dæmones ſponte ſeipſos includunt. ibid.n.7

Non ſolùm eſt illicitum petere à malefico precibus, ſed etiam minis eum cogere, vt maleficium alio maleficio ſoluat. ibid. num.8

Non licet fagam, ſeu maleficam occidere, ſi nolit maleficium tollere, etiamſi alia via non ſupperat. Tamen poſſet maleſica cogi à iudice ad id ſignum deſtruendum. ibid.

Licitè poteſt interrogari alius maleficus, an norit in quo maleficium conſiſtat, vt ſignum deſtruatur, quòd ſi ille ignoret, induci non poteſt ad id per ſuam artem inueſtigandum. ibid.n.9.

Quando maleficus per maleficia id à Dæmone didicit, licebit ea ſcientiâ vti ad deſtruendum maleficij ſignum. ibid.

Non liceret tamen ad ſoluendum maleficium remediis ſuperſtitioſis vti. ibid.

Quomodo Confeſſarius cum Sagis vltrò ad ſacram confeſſionem accedentibus ſe gerere debeat. p.515.n.10

Maleficij impedimentum.

Maleficij ſignum eſt (quoad debitum coniugale) quando quis coitum appetit, & virgam erigit, itavt ad copulam aptus ſit, & cùm ad vas fœmineum penetrandum appropinquat, relaxantur, ac concidunt ſubitò organa, nec poteſt complere: atque iterum rigent, & ſi iterum copulari nitatur, denuò luxantur. V. Matrimonium II. p.538.n.56. Vbi plura. n.57. & 58.

Magiſtratus.

Magiſtratus, qui ſolos pauperes indigentes mendicare permittunt, & extraneos omnes à ſuis vrbibus expellunt, non benefaciunt. Excuſari tamen poſſunt, ſi aduenas excludant, ne otio torpeant, ne morbos, vel corrupelas, aut prodigiones afferant, vel vt pauperes domeſticos præferant. V. Eleemoſyna. p.270.n.9

Magiſtratus, & alij varijs peccatis mortalibus ſe implicant, quorum conſilio, & iudicio gabellæ, & tributa imponuntur, ſi qualitatis, & proportionis in gabellis imponendis ſingularem rationem non habeant. V. Gabella. p.365.n.17

Maledictio.

Maledictio, vt ſit peccatum mortale, tria concurrere debent. 1. vt ipſa maledictio ſit alicuius mali grauis ex animo facta. 2. vt cum plena deliberatione voluntatis. 3. vt malum quod alteri quis imprecatur ſit malum, & ſub ratione mali, vt ex odio, vindicta, ſeu inuidia, &c. p.515.n.1

Maledictio, ſiue imprecatio mali non eſt actus odij elicitus, ſed imperatus: interdum tamen maledicere proximo ſine iuſta cauſa, aduerſatur charitati, & iuſtitiæ, ibidem num.2

Omnis maledictio ad illam ſpeciem peccati pertinet, ad quam pertinet malum, quod optatur. ibid.

Quomodo dignoſcatur, quando maledictio eſt mortalis, vel venialis facta ex iræ impetu. p.516.n.3

Qui maledicit tori domui, non committit eos peccata, quot ſunt perſonæ maledictæ. ibid.n.4

Qui ex ira, vel obiurgationis cauſa grauem maledictionem in alterum effundit, vt Diabolus illum rapiat, ſine animo, & voluntate, vt id eueniat, atque ſine notabili contumelia, &c. non foret peccatum mortale. ibid.

Quando quis ex ira ſeipſum Diabolo dederet, eſto ſine animo, vt id eueniret, non videtur excuſandus à peccato mortali, & Confeſſarius debet numerum talium peccatorum interrogare. ibid.

Mandans.

Mandans percuſſionem Clerici, ſi ante percuſſionem pœniteat, & conteratur, poſito quod non poſſit reuocari mandatum, in foro conſcientiæ non incurrit excommunicationem: ſed quoad forum externum ſufficit cauſa data, & effectus. V. Excommunicatio V. p.325.n.8.

Qui notoriè mandauit Clerici percuſſionem, non eſt vitandus, ſicut notorius percuſſor, ſed prius debet nominatim denunciari, vt excommunicatus. ibid.n.9

Mandans Clerici percuſſionem, excommunicationem incurrit, etiamſi mandatum non ſit expreſſum, ſed tacitum. ibid. pag. 326.num.15.

Digitized by Goog

Mandans licitè aliùm percuti, verberari ; ſi mandatarius excedens mandatum mutilet, vel occidat, non eſt irregularis. Secus ſi mandauerit illicitè percuſſionem, v. Irregularitas 11. p. 439. num. 4. vbi plura num 5. & 7. de mandante.

Mandans ſeu iubens, qui ſuo mandato, ſeu imperio cauſa eſt iniuſtæ acceptionis, vel damni iniuſtè dati, tenetur ad reſtitutionem, & quidem in ſolidum, damno ſecuto, v. Reſtitutio p. 741. n. 15. vbi plura, n. 16. 17. & 18.

Mandatum.

Illi poſſunt dare & accipere mandatum qui contrahere, niſi prohibiti ſint à mandato dando, vel accipiendo, vt prohibentur milites, curiales, pupilli, minor, religioſus. pag. 516. num. 1.

Filiusfamilias poteſt mandatum accipere, ſed non ſemper. ibidem.

Mulier coniugata ſi mandet alicui, vt pro ea fideiubeat, ille tenetur actione mandati : Si mandet alteri vt fideiubeat pro alio mandatum non ſubſiſtit. ibid. n. 2

Ille, cuius bona publicata ſunt, ſi mandauerit alteri vt ea bona emat, valet mandatum. ibid. n. 3

Excommunicatus non poteſt procurator conſtitui mandato alterius ad lites, ſiue iudicia. Si autem ſit reus, poteſt procuratorem dare, vt in iudicio illum defendat. ibid.

Seruus poteſt procuratorem dare ad ſua peculiaria negotia, non autem ad lites. ibid.

Inter mandatum & mandatarium debet interuenire conuentio ſaltem tacita: & ex hac conuentione obligatio reciproca oritur. p. 517. n. 4

Mandatarius regulariter tenetur ſolùm ex dolo & lata culpa: ſi mandatum eſſet in gratiam vtriuſque, obligaretur ex culpa leui : de leuiſſima autem teneretur, ſi cum mandante conueniſſet. ibid. n. 5

Mandans tenetur mandatario ex caſu fortuito, qui potuit initio à mandante cogitari & præuideri : & tenetur mandatarium indemnem ſeruare, quoad omnes expenſas gratiâ mandati factas. ibid. n. 6

Si mandatarius exceſſerit mandati fines, ratum minimè eſt & firmum quod facit. ibid. n. 7

Mandatarius, qui mandatum ſuſcipit, non poteſt officium deſerere, tamen ex iuſtis cauſis poteſt ab officio recedere. ibid. n. 8

Quando mandatum quis dedit ad lites, poſt litem, ſiue iudicium ceptum mandans nequit procuratorem mutare, niſi vel procurator conſentiat, vel inimicus factus eſſet, &c. ibid. n. 9

Si mandatum quis dederit ad negotia, non poteſt reuocare niſi ex iuſta cauſa, poſtquam res mandata geri cœpit. ibidem.

In mandato interpretando quædam obſeruari debent. ibid. n. 10

Ex mandato duæ actiones deſcendunt, vna quæ dicitur directa & conuenit mandanti aduerſus mandatarium. Altera dicitur contraria, quæ conuenit mandatario contra mandantem. ibid. n. 11

Mandatorum ſex genera ſunt. p. 418. n. 12

Maritus.

Maritus lite pendente de matrimonij valore, tenetur vxori alimenta præſtare, quæ ante litem tenebatur; niſi vir certus ſit non eſſe matrimonium. v. Alimenta. p. 54. n. 10

Maritus tenetur vxorem alere, quando vxor viro cohabitat. ideò enim dotem vxoris recepit, vt ipſi & familiæ alimenta præſtet. ibid. n. 11. vbi plura, n. 12. 13. & ſequentibus.

Maritus in caſum reſeruatum non incidit, qui vxorem leuiter caſtigat, vel verbum aliquod profert, vnde mulier ira & furore percita aborſum patitur. v. Aborſus. p. 17. n. 14

Maritus conſtante matrimonio in aliquibus caſibus poteſt vxori dotem validè conſtituere. v. Dos. p. 249. n. 2

Dos quam conſtituit maritus ignobilis, vxori nobili, vel ſenex iuuenculæ ante contractum matrimonium, deducenda eſt ex toto hæreditatis cumulo : ſi conſtante matrimonio, extrahitur de ea parte, de qua maritus poteſt liberè diſponere. p. 250. n. 5

Maritus tenetur vxori non ſolùm actibus internis, verùm etiam externis honorem & amorem, imò etiam obedientiam in iis, in quibus eſt vxori ſubiectus, exhibere. v. Parentes. pag. 618. n. 5

Maritus peccat mortaliter impediens, ne vxor adimpleat præcepta iuris naturalis, vel diuini : imò & iuris Eccleſiaſtici, ſi hoc faciat ſine iuſta cauſa. ibid. n. 6

Neque maritus, neque vxor vouere aliquid poteſt, quod directè, vel indirectè tendat in præiudicium ſtatus matrimonialis ſine alterius conſenſu. v. votum I. p. 861. n. 27

Maritus non poteſt vota vxoris ante matrimonium emiſſa directè irritare, ſed tantùm ſuſpendere eorum executionem, quatenus repugnant aut præiudicant domeſticæ gubernationi. v. Votum II. p. 873. n. 10

Mater.

Mater tenetur cum periculo ipſius vitæ medicamenta non adhibere, cùm adeſt probabilis ſpes, vt illa ab illis medicamentis abſtinente poſſit fœtus in lucem prodire, & baptizari. v. Abortus. p. 18. n. 18

Mater non tenetur prò ſalutanda vita ſpirituali filij, pati mortem corporalem, ſcilicet, ad hoc vt filius baptizetur, quando ipſa timet probabiliter ſe eſſe in peccato mortali. ibid. n. 19

Mater poteſt filio impubere eligere ſepulturam. V. ſepultura. p. 776. n. 8

Mater exemplariter poteſt filio ſubſtitutum dare; ſed hæc ſubſtitutio facta per matrem, vim obtinebit tantùm in bonis, quæ habuerit ex parte matris. V. Subſtitutio. p. 817. n. 3

Mater, quæ filiorum curatrix non eſt, nulla vota filiorum puberum realia irritare poteſt, etiamſi ex conſenſu filiorum bona illorum adminiſtret. V. Votum II. p. 872. n. 8

Mater viuente, aut longè abſente patre, nulla impuberis vota poteſt verè irritare, nec etiam defuncto patre, ſi impubes tutorem habeat: poteſt tamen mater voti obligationem ſuſpendere, quando illa vota ei præiudicant ex parte materiæ. ibid.

Mater poteſt quæcumque filij impuberis vota irritare, quando aut pater obiit, aut ita longè abeſt, vt per epiſtolam conſultus, nequeat reſpondere longiſſimo tempore expectato, dummodò in neutro caſu ſit aliquis illius impuberis conſtitutus tutor. ibid.

Materia Voti.

Materia non eſt ſufficiens, nec continens ad vouendum, quæ ſimpliciter eſt neceſſaria, & neceſſariò ſequitur à cauſa naturali, vt eſt votum de moriendo, aut non. V. Votum I. p. 858. n. 6

Materia voti eſſe non poteſt opus malum, ſeu illicitum, ſiue mortaliter, ſiue venialiter. ibid. n. 7

MATRIMONIVM.

Quoad eius naturam, & proprietates.

Matrimonium dicitur à matre, non quidem adhuc maternitate obtenta, ſed cum ſpe ſtatim adipiſcendi : vel dicitur matrimonium, quaſi matrem munions. p. 518. n. 1

Matrimonium eſt coniunctio maritalis ex mutuo conſenſu viri & mulieris, inter legitimas perſonas, indiuiduum vitæ conſuetudinem retinens. p. 519. n. 2

Inter matrimonium Fidelium, & Paganorum triplex eſt diſcrimen. ibid. n. 3

In matrimonij Sacramento ſunt illa tria, quæ in quolibet ſacramento conſiderantur, videlicet, *Sacramentum tantùm*, *res Sacramenti*, & *res ſimul, & Sacramentum*. ibid. n. 4

An matrimonium ſit Sacramentum inter Fideles initum, & valeat in ratione contractus, ſi contrahentes habeant intentionem celebrandi matrimonium, non tanquam rem ſacram, ſed tantùm vt contractum? Nonnulli affirmant, alij negant probabiliter. ibid. n. 5

An matrimonium Infidelium, cùm ambo baptizantur, fiat Sacramentum, eiſque gratiam conferat? Probabile eſt, quòd ſic, etiamſi nouus conſenſus non intercedat. Alij nouum conſenſum requirunt, ſed placet ſententia alterius nullo modo poſſe effici Sacramentum. ibid. n. 6

Ad matrimonium contrahendum inter abſentes non requiritur in procuratoribus diuerſitas ſexus. p. 520. n. 7

Verba, quibus vti poterit procurator in contrahendo matrimonium nomine mandantis, poſſunt eſſe illa, aut ſimilia. *Talis conſentit in te, vel accipit te in virum, vel vxorem me mediante, vel recipio te in virum, & vxorem, nomine talis perſonæ.* Et tunc coniux præſens reſpondere poterit. *Et ego te mediante accipio talem in virum meum, vel in vxorem meam.* ibid.

Concilium Tridentinum declarauit, & declarat matrimonia clandeſtina, quæ in poſterum à Fidelibus ſine præſentia Parochi, vel alterius ſacerdotis de eius licentia, & ſaltem duorum aliorum teſtium celebrantur omninò nulla, & irrita. num. 8.

Veritas Catholica eſt, Eccleſiam potuiſſe irritare matrimonia clandeſtina, & de facto irritat, & annullat. 1. directè annullando immediatè ipſum contractum. 2. indirectè inhabilitando perſonas. ibid.

Matrimonij clandeſtini pœna *prima* eſt, vt filij nati ex eo quando fuit nullum ob quodcunque impedimentum, ſint illegitimi, etiamſi parentes fuerint in bona fide : & ad hanc pœnam incurrendam, non requiritur ſententia iudicis. ibid. n. 9

Ratio aſſignatur, cur nati ex fornicatione legitimentur per ſubſequens matrimonium putatiuum, nati verò ex matrimonio putatiuo clandeſtino, non ſint legitimi. ibid.

Secunda pœna eſt, quòd mulier ſpoliata à viro quaſi poſſeſſione maritali, non reſtituatur ante omnia, ſicut reſtituenda eſſet, ſi matrimonium factum fuiſſet in facie Eccleſiæ. p. 521. n. 10

Tertia pœna eſt, ſi ignoranter intra gradus prohibitos ma-

trimonium contractum sit, neglectis denuntiationibus, separandum ab, & carere debent contrahentes, spe dispensationis obtinendæ. ibid.
Pœnæ contrahentium matrimonium clandestinum sine parocho & testibus, sunt. 1. est inhabilitas ad hic contrahentium, 2. pœna est arbitraria. 3. in aliquibus ciuitatibus est excommunicatio lata. ibid.n.11
Parochus & quivis alius sacerdos, qui matrimoniis clandestinis præsens est, vel scienter talia matrimonia, non prohibet, iure antiquo suspendendus est ab officio sed hæc pœna correcta est per Tridentinum, habebit tamen locum, si matrimonium sit clandestinum ob omissionem denuntiationum. ibid.n.12
Episcopus potest facultatem dispensandi in denuntiationibus committere & delegare alicui viro fide digno: idem potest generalis eius vicarius, in casu aliquo speciali, non tamen generaliter. ibid.n.13
Episcopus aliquando tenetur in denuntiationibus dispensare, vt præterm ittantur: & quando adest causa legitima dispensandi, non potest dispensando imponere mulctam pecuniariam applicandam piis operibus. p.522.n.14
Quando ius ex aliqua causa præcipit dispensationem in denuntiationibus, tunc si noluit iudex dispensare, potest appellari quoad effectum devolutivum & suspensivum. ibid.n.15
Parochus potest ex officio præterm issis denuntiationibus, vel in toto, vel in parte assistere matrimonio, quando non patet aditus ad superiorem & interim vrget necessitas, & periculum est in mora, & causa esset talis, ex qua teneretur superior dispensare. ibid.n.16
Quando matrimonium inualidè contractum fuit ratione alicuius impedimenti occulti alterius coniugis, tunc cessante impedimento, vel obtenta à Pontifice dispensatione, vt possit de nouo conualescere & fieri validum, necesse est quod de nouo vterque coniux iterum expressè consentiat, habitâ priùs cognitione inualiditatis præcedentis consensus. ibid.n.17
Non est necesse, vt talis consensus mutuus præstetur de nouo coram parocho & testibus, quando impedimentum fuit occultum & illud parochus & testes ignorant: secus si nollent. ibid.
Quando nullitas matrimonij est omninò ignota alteri coniugi, nec potest ei manifestari absque graui periculo, neque vllus consensus potest extorqueri a viro, tunc post impetratam impedimenti dispensationem, aut post illius cessationem, potest mulier reddere debitum, animo & affectu maritali ex parte sua, & hoc sufficit, secundum probabilem sententiam Doctorum. ibid.n.18
Si quis contraxerit matrimonium per verba de præsenti cum duabus fœminis sub conditione de futuro contingenti; tunc matrimonium erit contractum cum illa, cuius conditio apposita priùs adimplebitur: si verò vtriusque conditio simul tempore adimpleatur, neutrum matrimonium valebit. p.523. num.19
Parochus non debet permittere, vt contrahentes dent mutuum consensum matrimonij conditionatum, sed absolutum & liberum, propter inconuenientia. ibid.n.20
Quando matrimonium celebratum est sub conditione de materia contingenti, necesse est post Concilium Trident. ad hoc vt matrimonium sit validum, vt veritatâ conditione notificetur Parocho & testibus, qui fuerunt præsentes tali consensui tradito sub conditione, siue de futuro, siue de præterito, siue de præsenti. ibid.n.21
Conditio adiecta contractui matrimonij, vt alter coniux non teneatur debitum reddere, quoties alteri non licet exigere est contra matrimonij substantiam, & illud inualidum reddit. ibid.n.22.
Certa fide tenendum est, matrimonium initum à filiis, absque parentum consensu esse validum, nec posse annullari. ibidem num.23.
Non possunt parentes cogere filios ad matrimonium, vel ad tales nuptias, sed liberè contrahere debent, vel alium statum eligere. ibid.
Filius regulariter non tenetur implere sponsalia quæ absque suo consensu pater promisit: si tamen multum interfit parentum, vt filius tale matrimonium ineat, tenetur filius sub mortali obedire parenti illud præcipienti, nisi fide aliorum sponsalium cum altera astrictus sit? p.524.n.24
Probabilius est teneri quidem filios sub culpa lethali consilium parentum circa matrimonium petere, non tamen illud sequi, & ita licitè posse inuitis ipsis, prius tamen consultis, inire matrimonium, quod volunt, modò non sequatur scandalum. ibid.n.25.

MATRIMONIVM.

Quoad illius impedimenta.

Quando sponsi, siue alter sponsus in actu contrahendi sub falso errore existimabat subesse aliquod impedimentum dirimens, quod verè non suberat, probabile est tale matrimonium non esse validum: sed contrarium est probabilius, in casu, quo contrahentes intendant contrahere quantum in ipsis est. p.526.n.1
Summus Pontifex licitè potest reddere inhabiles ad matrimonium personas priuatas ex graui causa: imo probabile est in pœnam alicuius grauis delicti posse Papam reddere aliquam personam perpetuò inhabilem ad matrimonium. n.2
Vt Pontifex possit impedimenta matrimonium dirimentia constituere, requiritur ad hoc iusta causa; quâ non existente probabile est, matrimonium contra eiusdem prohibitionem initum valere. p.527.n.3
Dum Pontifex interdicit suo præcepto, aut constitutione matrimonium per simplicem prohibitionem, præceptum hoc non habet vim irritandi, contra prohibitionem initum. n.4
Si præcepto Pontificis adiiceretur decretum generale irritans non referens se specificè ad matrimonium, si nihilominus contrahatur, illud erit validum. ibid.
Si clausula decreti irritantis faciat specificam matrimonij mentionem id irritans, sic haberet vim irritandi, si contra prohibitionem initum sit. ibid.
In Principe infideli omni tempore fuit, & est suprema potestas statuendi impedimenta matrimonium dirimentia ex iusta causa suis infidelibus. n.5.
An principes gentiles statuentes impedimenta matrimonium dirimentia, obligent etiam fideles in suis partibus commorantes, qui ciuiliter sunt illis subiecti? Affirmant multi, sed probabilius negant alij. ibid.
Potestas inducendi matrimonij impedimenta hodie Romano Pontifici est reseruata, ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente. n.6

§. I.

De impedimento erroris.

Matrimonium contractum cum errore qualitatis personæ propter dolum est validum. p.528.n.7
Quando quis existimat ducere in vxorem talem determinatam personam, sed per errorem, siue dolum, contrahit cum alia, matrimonium non tenet: secus quando error est solùm de nomine, & non de persona. ibid.
Matrimonium, quod liber contrahit cum serua, nesciens statum seruituris illius, si postea cognita seruitute, & nullitate contractus, habeat copulam cum ea affectu maritali, fit validum, si adsit nouus mutuus consensus. n.8
Si dominus det nupui ancillam suam alicui libero, celando seruitutem ancillæ, tunc talis ancilla sit libera. n.9. & matrimonium tale est validum. ibid.
Quando dominus contrahit matrimonium cum propria ancilla, an fiat libera? negant plurimi; sed affirmatiua sententia est probabilis. n.10

§. II.

De impedimento Voti.

Matrimonium consummatum per subsequentem professionem solemnem in religione approbata, non irritatur, nec dirimitur reluctante altero coniuge. n.11
Matrimonij consummati vinculum per professionem religionis ex mutuo consensu coniugum non soluitur, nisi per alterius coniugis mortem naturalem; quamuis quoad copulam, & habitationem sit impeditum. p.529.n.12
Probabilius est, obligationem, quâ tenentur Clerici sacrorum ordinum ad continentiam seruandam, non consurgere immediatè ex Constitutione Ecclesiæ, sed ex voto castitatis, quod Ecclesia suo præcepto coniunxit Ordini sacro. num.13.
Recipiens sacros Ordines voluntariè, cum intentione tamen positiua non se obligandi ad votum castitatis, tenetur nihilominus ad eam seruandam, nec licitè, nec validè potest matrimonium inire. n.14
Idem dicendum est de eo, qui recipit Ordinem sacrum, nesciens in tali receptione Ordinis, annexum esse castitatis votum: hic enim non potest validè matrimonium inire. ibidem.
An autem Ordinatus sacris Ordinibus postquam peruenit ad annos discretionis, sed ante decimum sextum annum suæ ætatis completum, teneatur ad castitatem seruandam? Probabile est, quòd non, si ordine vti nolit. Sed probabilius est, teneri, nec validè posse matrimonium inire. n.15
Votum castitatis Ordini sacro annexum, iuxta quosdam ex ante-

natura ſua & per ſe eſt ſolemne inſtar voti profeſſorum: quod alij negant, dicentes eſſe tantùm ſolemne per accidens. pag. 530 n. 16.

§. IV.

De impedimento conſanguinitatis.

Conſanguinitas deriuatur à Con, & ſanguine, quaſi ſignificans ſanguinis vnitatem, & ſic definitur. Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem propinquo ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum. n. 17

In computatione graduum conſanguinitatis in linea recta, Ius ciuile non diſcrepat à iure Canonico: In linea autem collaterali videtur diſcrepare. n. 18

Veriùs eſt, omnes gradus conſanguinitatis, vel affinitatis Leuitici 18. prohibitos, non eſſe de iure naturali irritanti matrimonium in illis initum, atque adeo non obligare omnes illos in lege Euangelica. n. 19

Olim Eccleſia coniugium interdixerat vſque ad ſeptimum conſanguinitatis gradum, poſtea reſtricti ſunt gradus conſanguinitatis vſque ad quartum gradum incluſiue, non ſolùm in linea collateralium, ſeu tranſuerſa, ſed etiam in recta aſcendentium & deſcendentium linea. p. 531 n. 20

§. V.

De impedimento cognationis ſpiritualis.

Cognatio ſpiritualis dirimens matrimonium contrahendum, in duobus tantum ſacramentis, nempe in baptiſmo & confirmatione, contrahitur. p. 531 n. 21

Iure antiquo triplex erat cognationis ſpiritualis ſpecies, nempe, Paternitas, compaternitas, & fraternitas. Per Tridentinum ablata eſt fraternitas, & reſtricta compaternitas. ibid. n. 22.

Hodie poſt Tridentinum permittitur, vt poſſint ad ſummum eſſe duo patrini, vir ſcilicet & mulier; non duo viri, vel fœminæ duæ. n. 23

Infidelis incapax eſt huius ſpiritualis cognationis contrahendæ ſicut & Catechumenus. p. 532 n. 24

Fidelis baptizans vel confirmans, vel tenens filium infidelis, non contrahit cognationem cum patre vel matre infideli, nam infidelis illam non contrahit, ergo neque illam contrahet fidelis. ibid.

§. VI.

De impedimento criminis.

Ab impedimento criminis incurrendo propter adulterium cum fide data, excuſat ignorantia probabilis & iuſta coniugij alterius, imò probabiliter etiam craſſa & ſupina. p. 532 n. 25

Quando dubitatur, dum adulterium admiſſum eſt, vel fides data, an ſuperſtes eſſet alter coniux, impedimentum incurretur, ſi verè tunc viuebat. ibid.

Quando dubium eſt, an fides data ſit, vel adulterium commiſſum, non eſt locus huic impedimento. ibid.

Matrimonium promittens alteri poſt mortem coniugis, mortaliter peccat, & ſimiliter acceptans huiuſmodi promiſſionem: imò talis promiſſio eſt inualida. n. 26

Hoc impedimentum non incurritur, ſi quis haberet copulam cum coniugata viuente eius marito, & poſt mortem illius promitteret matrimonium. ibid.

Ad contrahendum hoc impedimentum, requiritur, vt adulterium & promiſſio intercеſſerint durante eodem matrimonio, & non in diuerſis coniugiis ſeu matrimoniis. ibid.

Promiſſio de matrimonio contrahendo ab adultero facta, vt inducat impedimentum dirimens, debet eſſe externa & acceptata: An autem taciturnitas inducat acceptationem? Negant quidam, alij affirmant probabiliter. n. 27

Homicidium ab adultero & adultera perpetratum animo & intentione contrahendi matrimonium inter ſe, ſi ea intentio non ſignificetur exteriùs; non inducit impedimentum dirimens. p. 533 n. 28

Quando vir vxorem occidit animo ducendi non certam & determinatam fœminam, ſed incertam, non eſt impedimentum dirimens. Secùs ſi animus eſſet ducendi hanc, vel alteram, aut vnam ex pluribus, & cum his præceſſerit adulterium. n. 29

§. VII.

De impedimento cognationis legalis.

Inter filios legales nullum eſt impedimentum cognationis legalis cùm nullo iure ſtatuatur. p. 533 n. 30

Impedimentum cognationis legalis non procedit inter adoptatum & filiam naturalem adoptantis, ſi ſit illegitima. ibid.

Cognatio legalis impediens ac dirimens matrimonium inter adoptantem & adoptatum, eiuſque deſcendentes, non protrahitur in infinitum, vt dicunt quidam, ſed dirimit ſolùm matrimonium vſque ad quartum gradum in linea recta deſcendentium, non tamen aſcendentium. n. 31

§. VIII.

De impedimento diſparitatis cultus.

Quando infidelis conuerſus ad fidem habet plures vxores ſeparandus eſt ab illis, demptâ primâ, quæ ſola eſt legitima vxor. In caſu tamen quo hæc monita noluerit ad fidem conuerti, & liceat conuerſo matrimonium illud dirimere, poſſet quamcumque aliam, quæ conuertitur, ducere. p. 533 n. 32

Apud Indos noui orbis tenetur conuerſus ad fidem, ab infideli diuertere, nec illi licet habitare cum infideli: vbi tamen periculum vitæ vel grauis damni conuerſo immineret ex ſeparatione, poſſet abſque peccato ad tempus cohabitare, modò non adſit periculum peruerſionis. n. 33

Si infidelis ſit innocens, fidelis autem adulterij reus: tunc ſi infidelis ratione adulterij diuertat, non poterit fidelis prius matrimonium diſſoluere: niſi poſtea infidelis etiam adulterium committat. n. 34

Matrimonium conuerſi cum infideli contractum ante baptiſmum, ſicut diſſoluitur per nouum matrimonium conuerſi, ita etiam diſſoluitur per eius profeſſionem ſolemnem, iuxta quorundam ſententiam. ſed apud alios hæc opinio patitur difficultatem. p. 534 n. 35

Quamuis probabile ſit poſſe Pontificem ex aliqua iuſta cauſa matrimonium conſummatum infidelium diſſoluere, ſi ad fidem conuertantur; contrarium tamen videtur probabilius. num. 36

Matrimonia contracta inter ipſos infideles ſunt valida & legitima in ratione contractus, niſi adſit aliquod impedimentum dirimens iuris naturæ vel apud ipſos dirimens ſecundum eorum leges. n. 37

§. IX.

De impedimento ligaminis.

Dubius de morte coniugis, contrahendo cum alio validè contrahit, ſi duo concurrant. 1. vera mors coniugis. 2. vtriuſque partis verus conſenſus per verba de præſenti: grauiter tamen peccat. p. 534 n. 38

Vt mulier poſſit ad ſecundas nuptias tranſire, requiritur certus nuncius & fama de morte viri: In tali tamen caſu, mulier non peccaret, ſi ad ſecundas nuptias tranſiret cum probabili perſuaſione ac præſumptione, atque iuſtiſſima credendi cauſa, quòd prior maritus mortuus ſit, vt docet probabilis quorumdam ſententia. ibid.

Iudex Eccleſiaſticus in tali caſu iudiciorum & probabilis præſumptionis, non poteſt licentiam dare tranſeundi ad ſecundas nuptias. ibid.

An autem ſufficiat vnus teſtis affirmans coniugis mortem, vt liceat alteri ad ſecundas nuptias tranſire? Affirmant quidam, negant alij. p. 535 n. 39

Per famam ſufficienter non probatur mors coniugis, niſi aliis adminiculis adiuuetur. num. 40

Vt fama planè probet mortem coniugis, quædam conditiones deſiderantur. ibid.

§. X.

De impedimento publicæ honeſtatis.

Probabile eſt impedimentum publicæ honeſtatis oriri ex ſponſalibus nullis ex defectu conſenſus, vel ob aliud impedimentum occultum: ſed contrarium eſt etiam probabile. p. 535 n. 41

Impedimentum publicæ honeſtatis, iuxta quoſdam, non oritur ex matrimonio contracto ſine Parocho & teſtibus, vbi Tridentinum eſt receptum: nihilominus dicendum eſt oriri, ex quadam declaratione ſacræ Congregationis. n. 42

Quando poſt ſponſalia de futuro cum certa perſona, contrahit ſponſus matrimonium de præſenti cum eius ſorore, & non conſummauit, tenetur priori fidem ſponſalium præſtare, incundo cum illa matrimonium: ſi autem cum poſteriori conſummaſſet, cum neutra poſſet validè illud inire. p. 536 n. 43

Si contractis ſponſalibus ſub conditione de futuro contingenti, poſſibili & honeſta cum Maria, incantur ſponſalia abſoluta cum eius ſorore: poſt Concilium Trident. non inducitur hoc impedimentum ex poſterioribus ſponſalibus quia ſunt irritata. num. 44.

Ex matrimonio celebrato inter impuberes, niſi malitia ſupplent ætatem, non conſurgit impedimentum publicæ honeſtatis. Sed admiſſa ſententia aſſerente tale matrimonium reſolui in ſponſalia, impedimentum hoc incurreretur vſque ad primum gradum. ibid. n. 45

§. XI.

De impedimento affinitatis.

Affinitas ex copula coniugali orta non eſt Eccleſiæ inuentum, ſed quid naturale inſtar conſanguinitatis. n.46

Infidelis, qui cum vxore conſummauit matrimonium tempore infidelitatis, non poteſt baptiſmum validè contrahere cum conſanguinea illius vſque ad quartum gradum. Dummodò illud matrimonium fuerit validum. n.47

Probabile eſt, ex copula fornicaria iure naturæ non oriri vllum vinculum: vnde, ſi quis in infidelitate fornicatus fuerit cum aliqua, poteſt poſt baptiſmum ducere conſanguineam eius intra gradum prohibitum. Contrarium docent nonnulli, non minus probabiliter. p.537.n.48

Affinitas dicitur quaſi confinitas, ſeu finium propinquitas eo quòd duæ cognationes inter ſe diuerſæ copulantur mediante carnali copula habita inter virum & mulierem, & altera ad alterius fines accedit. n.49

Affinitas poteſt etiam contrahi inter conſanguineos ipſos & cognatos, ſi nempe ipſi ſe carnaliter commiſceerent. ibid.

§. XII.

De impedimento impotentiæ.

Impotentia coëundi dirimens matrimonium ſubſequens debet eſſe perpetua, ita vt non poſſit aliquâ arte humanâ remoueri, ſine periculo vitæ patiatis, vel ſine miraculo, vel ſine offenſa Dei. p.537.n.50

Matrimonium eſt inualidum contractum cum perpetuo impotente, ſed poſt matrimonium facto potente per miraculum. ibid.

Ad valorem matrimonij non ſatis eſt poteſtas vas feminæum penetrandi, ſed deſideratur potentia ſeminandi intra illud. num.51.

Quando vir ſeminare poteſt intra vas, & fœmina capax eſt ſeminis virilis recipiendi, ſed eſt impotens ad ſeminandum, validum eſt matrimonium: ſed hoc non eſt certum; contrarium enim eſt probabile. ibid.

Impotentia coëundi in viro frequenter ex frigiditate conſurgit; tamen aliquando poteſt etiam ex nimio calore procedere, & ſi id impedimentum ſit perpetuum, quod nec arte medicinæ, nec triennio experientiæ ceſſat, dirimet matrimonium. p.538. num.52.

Quando impotentia in viro prouenit ex abominatione mulieris, quia ita deformis eſt, vt nullatenus cum illa ad coitum moueri poſſit, diſſoluetur matrimonium, ſi remediis adhibitis, ac experientia triennali non ceſſet. ibid.

Quamuis fœmina reſpectu vnius viri arcta præſumatur talis reſpectu omnium: hæc tamen præſumptio non eſt iuris, & de iure, ſed iuris tantùm; ac proinde recipit probationem in contrarium, ob vtriuſque viri diſſimilitudinem. n.53

In dubio, an fœmina fuerit cognoſcibilis à priori viro, ſicut fuit à poſteriori, oportet conſulere de diſſimilitudine, ne præſumatur prius matrimonium validum, ac reſtaurandum. ibid.

Quando vir ita debilis eſt, aut ſenex, vt virgineum vas penetrare nequeat, cùm poſſet corrupere, ſi ope medicinæ abſque mortis periculo ſubueniri poſſit fœminæ virgini, vt reddatur apta tali viro imbecilli, non eſt cenſendum impedimentum perpetuum, ac proinde matrimonium initum eſt validum. n.54

Si vir impotens ad virginem, non probet ſe potentem ad corruptam ſuccumbet, & diſſoluetur matrimonium: in dubio enim impotens ad vnam, præſumitur talis ad omnes, ſuppoſito non intereſſe maleficium. ibid.

Quoties matrimonium diſſoluitur ob vtriuſque coniugis perpetuum impedimentum, vterque non poteſt ad alias nuptias tranſire: quando autem ob alterius tantùm impedimentum, non impeditus poteſt ſecundo licitè & validè nubere, ſi tamen impotentia non eſt abſoluta, ſed reſpectiua, datur vtrique licentia contrahendi cum alia perſonâ, extra quam non eſt impotentia. n.55

Impotentia perpetua ad copulam coniugalem matrimonium ſubſequens dirimens, ex duabus præſertim cauſis prouenit, nempe ex frigiditate viri, & ex maleficio. Et quæ ſint ſigna frigiditatis in viro, & quæ ſigna maleficij. ibid.n.56

Maleficium cenſetur perpetuum, & matrimonium dirimens, ſi non poſſit auferri per opus humanum, niſi per aliud maleficium, vel per miraculum, ſecus ſi per Eccleſiæ exorciſmos. p. 539.n.57

In dubio, perpetuumne ſit, an temporale maleficium, præſumetur perpetuum, quando triennio coniuges dederunt operam carnali copulæ, nec perficere potuerunt. ibid.

Diſſolutione matrimonij facta legitimè per Eccleſiam ratione maleficij, ſiue alterius, ſiue vtriuſque coniugis, concedenda eſt vtrique coniugi licentia ad alias nuptias tranſeundi, quando maleficium eſt particulare reſpectu vnius, aut alterius tantùm: & ſi ſecundum matrimonium conſummetur, prius inſtaurandum non eſt. n.58.

Quando maleficium eſſet generale reſpectu omnium, tunc ſi maleficiatus diſſoluto priori matrimonio per Eccleſiam ad aliud tranſiret; idque conſummaret, ſeparandus eſſet, & inſtaurandum prius matrimonium: idem dic, ſi talis fornicaretur cum aliqua. ibid.

MATRIMONIVM.

Quoad diſpenſationes impedimentorum illius.

Diſpenſare nihil aliud eſt, quàm aliud penſare, ſiue aliud decernere circa aliquam legem inſtitutam: vnde diſpenſatio eſt iuris communis relaxatio facta cum cognitione cauſæ ab eo, qui poteſt diſpenſare, ſeu relaxare. p.540.n.1

Matrimonium conſummatum baptizatorum non poteſt ab Eccleſia, nec à Summo Pontifice diſſolui. n.2

Probabile eſt Pontificem, non poſſe diſpenſare in matrimonio rato Fidelium, ſed non conſummato, nec illud diſſoluere: ſed probabilius eſt poſſe ex graui, & iuſta cauſa. ibid.

Polito quod Epiſcopus probabiliter poſſit diſpenſare in impedimentis dirimentibus, etiam ante contractum matrimonium ex cauſa maximè vrgente, ſequitur, poſſe hanc poteſtatem Vicario ſuo, & cuilibet alteri in prædicto caſu, delegare. p.541.n.3

Summus Pontifex poteſt, & ſolet in ſecundo gradu conſanguinitatis, non ſolùm cum magnis Principibus, & ob publicam cauſam, ſed etiam cum perſonis inferioris notæ, licet non adſit cauſa publicum bonum, ſed priuatum. num.4

Cauſæ, ob quas ſolet Pontifex diſpenſare in gradibus conſanguinitatis. ibid.

Quo propinquior eſt gradus, eo vrgentior cauſa exigitur ad diſpenſandum. n.5

Difficilior eſt diſpenſatio, ſi diſtantia graduum conſanguinitatis, vel affinitatis in linea tranſuerſa ſit inæqualis, maximè ſi diſtantia vnius partis ſit primi gradus à ſtipite. ibid.

Quando propinquior gradus ſtipiti fuerit primus, nullatenus valet diſpenſatio, in qua ſolius remotioris mentio fit, vt declamuit Pius V. ibid.

Cui conceditur poteſtas diſpenſandi in aliquo gradu, poteſt in eo diſpenſare, quamuis mixtus ex alio propinquiori: modò alter eorum non diſtet à ſtipite in primo gradu. ibid.

Quando impedimentum affinitatis, & publicæ honeſtatis concurrunt, ſi explicetur affinitas ex copula licita proueniens, valebit diſpenſatio, etſi publica honeſtas taceatur, ſecus ſi tacita ſit ſolius affinitatis in genere mentio. p.542.num.6

In poteſtate diſpenſandi in affinitate, includitur quoque publica honeſtas cum illa concurrens. ibid.

An diſpenſatio obtenta à Pontifice poſtquam præceſſit copula inter conſanguineos, vel affines, ſit valida, ſi eius copulæ nulla mentio fiat in petitione diſpenſationis. Quidam affirmant; non deſunt tamen Doctores contrarium ſuſtinentes; quorum ſententia eſt probabilior, quando diſpenſatio petitur pro foro externo, modò ea copula non probetur in externo foro. n.7

Si diſpenſatio obtenta ſit pro ſolo foro conſcientiæ, & in reſcripto præcipitur, ***niſi copula fuiſſet inter eos habita***, tunc tenentur pœnitentes fateri veritatem Confeſſario, cui committitur executio diſpenſationis. ibid.

Quando ſponſi habuerunt inter ſe copulam, hac ſpe & intentione faciliùs obtinendi diſpenſationem, neceſſe eſt, non ſolùm exprimere copulam, ſed etiam hanc ſpem, & intentionem. n.8

Diſpenſatio obtenta ſuper impedimento publicæ honeſtatis, ſeu cognationis ſpiritualis, & legalis, tacita copula inter impetrantes habita, valida eſt; quamuis quidam contradicant. n.9

In conſanguinitate, affinitate, vel publica honeſtate, neceſſarium eſt exprimere in petitione, an diſtantia graduum ſit in linea recta, vt diſpenſatio non ſit ſubreptitia. numero 10.

Quando impedimentum eſt cognatio ſpiritualis, exprimendum eſt, an ſit filiatio ſpiritualis, vel compaternitas: An cognatio ſpiritualis ex duplici capite contracta ſit. numero 11.

In impedimento publicæ honeſtatis conſurgentis ex matrimonio rato, non ſolùm exprimendum eſt publicæ honeſtatis impedimentum eſſe in primo gradu, verùm etiam adeſſe ob matrimonium ratum. n.12

Quando contingit error in petitione diſpenſationis, explicando maiorem gradum, vt tertium, cùm tamen ſit minor, vt quartus, non vitiatur diſpenſatio. Secus ſi contra, vt ſi minor

minor exprimatur pro maiore, etiamsi ex ignorantia. ibid. num. 13

Quando erratur circa speciem impedimenti, quamuis impedimentum quo exprimitur, maius sit, dispensatio est subreptitia & irrita. ibid.

Quando adsunt plura impedimenta, probabilius est, omnia impedimenta coniuncta in eadem petitione esse explicanda & non sufficere quodlibet impedimentum per se in diuersis petitionibus separatis exponere, & de quolibet singulari dispensationes obtinere: licet contrarium sit etiam probabile. ibid. n. 14

Quando adessent duo impedimenta, vnum consanguinitatis publicum, alterum affinitatis occultum, quod explicari non posset sine infamia mulieris, tunc permittitur, quod in vna petitione publicè petatur dispensatio impedimenti publici, & postea à sacra Pœnitentiaria obtineri poterit dispensatio impedimenti occulti pro foro conscientiæ. ibid.

Quando petitur dispensatio ad contrahendum cum consanguinea & allegatur pro sola causa, quod copula præcesserit, quæ tamen non præcesserit, dispensatio est nulla. Secus si cum copula allegentur aliæ veræ causæ, puta periculum scandali & infamiæ, si verè periculum tale subsit. p. 544. n. 15

Dispensatio est valida in impedimentis matrimonij, quando erratur in nomine personæ petentis dispensationem. ibid. num. 16. *Remissiuè.*

Quando erratur in nomine Diœcesis, cuius erat is, cui impetratur dispensatio, an hæc sit valida? *Remissiuè.* ibid. num. 17

In forma dispensationum quæ à sacra Pœnitentiaria expediuntur pro foro conscientiæ, prima est clausula, vt exoratus qui debet exequi dispensationem, *si Doctor in iure Canonico, vel Magister in Theologia, vel discretus vir confessor ex approbatis ab Ordinario.* ibid. num. 18

Approbatus ab Ordinario cum limitatione, nempe, pro confessionibus virorum, non autem mulierum, iuxta quosdam, potest eligi ad expediendas has dispensationes siue viris, siue fœminis concessas. Alij dicunt non posse exequi huiusmodi litteras, nisi in fauorem earum personarum, ad quarum confessiones audiendas ab Ordinario admissus fuit. Vtrumque probabile. ibid.

Ex priuilegio Bullato Gregorij XIII. possunt has dispensationes exequi Sacerdotes Societatis IESV & alij Mendicantes, modo sint approbati ab Ordinario, & ad id specialem habeant facultatem à suis Superioribus. ibidem.

Expeditio litterarum sacræ Pœnitentiariæ hodie debet fieri in sacramentali confessione & non extra, propter clausulam solitam apponi, *Quatenus audità Sacramentali confessione, &c. vel in actu ipso Sacramentalis confessionis, nec aliter, nec alio modo.* p. 545. n. 19

Quando confessio, quæ requiritur ad validam expeditionem istarum litterarum est inualida ex defectu doloris, aut integritatis circa alia peccata, non autem circa id, de quo petitur dispensatio, non est inualida ipsa expeditio. ibidem.

Pœnitens, vbi semel litteras sacræ Pœnitentiariæ cuidam confessario præsentauit, si ille nolit dispensationem concedere, potest alium adire, & ab eo ipsam obtinere. ibid. num. 20.

Clausula in rescriptis sacræ Pœnitentiariæ, *Propter periculum incontinentiæ*, vt verificetur, non sufficiunt quæcumque tentationes, nec quodcumque lapsus periculum vnius vel alterius, sed exigitur maximum frequentis lapsus periculum. ibid. n. 21

Clausula, in qua mandatur confessario veritatem causæ indagare, verificatur, dummodo confessarius diligenter examinet veritatem precum vocato ipso solo cum quo dispensatus est, examinato. ibid. n. 22

Si confessarius aliunde sciat, quàm ex confessione sacramentali, preces allegatas in ea petitione esse falsas, aut tacitam esse veritatem necessariò explicandam, non debet dispensare, etiamsi pœnitens eas veras esse asserat. ibidem.

Clausula continens monita & consilia danda à confessore, verificatur, monendo eum, cum quo dispensandum est, vt sincerè veritatem explicet, significando ei quantum illius interest, ne dispensatio suo valore frustretur. p. 546. num. 23

Clausula iniungens opera in quæ debent commutari votum castitatis, vel religionis, admixta partim dispensatione, ligat confessarium, ne pro arbitrio ea mutare possit, sed illa eoniungere præcisè tenetur, secundùm quod in breui continetur. ibid. n. 24

Clausula iubens dilaniari litteras per confessorem, vbi dispensationem expedierit, & si parti reddantur, nihil illi suffragentur, verificatur, si postquam hæ litteræ parti restituæ fuerint, dilanientur, aut comburantur, & cætera. ibid. num. 25.

Clausula, quæ habetur in dispensationibus ad matrimonium initiandum inualidè mixtum cum impedimento diriment, *Dummodo impedimentum vide proueniens occultum sit.* Verificatur, quando non est publicum, nec scitur in maiori parte vicinię, vel collegij, vel Parochiæ. ibid. n. 26

Occultum etiam dicetur impedimentum, si verbi gratia, copula ipsa sit publica in ratione copulæ, non verò in ratione impedimenti, id est, si sciatur copula, at non sciatur illud esse impedimentum dirimens matrimonium. ibidem.

Quando impedimentum iam est deductum ad forum contentiosum, non dicitur occultum, nisi pœnitens in eo foro fuerit absolutus. ibid.

Clausula, quæ apponitur aliquando in litteris sacræ Pœnitentiariæ, *Vt eorum impedimenti ignarus certior fiat de præmissi consensus nullitate*, non est de essentia dispensationis, sed instructio confessarij. ibid. n. 27

Clausula *Gratis vbique*, denotat nihil pro his actibus posse exigi iam per viam compensationis. ibid. n. 28

Quando inter consanguineos mutua præcessit promissio contrahendi matrimonium, *Si Papa dispensauerit*, communibus expensis dispensatio soluenda est. p. 547. numer. 29

Si alteruter desiderans personæ consanguineæ matrimonium, ipsâ inconsultâ dispensationem impetrauit, soli impetranti incumbet integras expensas soluere. ibid.

Qui obtentâ de communi consensu dispensatione, iniustè retulit matrimonium, tenetur ad integras dispensationis expensas. Secus verò si iustè. ibid. n. 30

Si alter dolosè contraxerit habens animum resiliendi etiam licitè, v.g. ingrediendo religionem, tenetur ad integras expensas. ibid.

Idem dicendum, quando dubius esset tempore contractus, an ingressurus esset religionem, nihilominus conuentionem fecit petendæ dispensationis, non explicato hoc dubio. ibidem.

Qui alteri culpabilem resiliendi causam præbet, ita vt resiliens nequeat absque damno proprio & dedecore id matrimonium inire, tenetur qui in culpa fuit integras expensas soluere. ibid. n. 31

Neque sponsus, neque sponsa fornicantes ante promissionem matrimonij, tenetur ad integras expensas dispensationis, si illâ obtentâ nolint inter se matrimonium contrahere. ibid.

Ille cuius culpâ post matrimonij promissionem contrahitur impedimentum dirimens, tenetur, si commodè possit, prius expensis dispensationem impetrare, vt sponsalia perficiantur. ibid.

Medicus.

Medicus non incidit in casum reseruatum abortus, qui vt matrem à morte liberet, illi in partu laboranti potiones præbet, vel quid aliud exhibet, vt facilius partus iam maturus, nascatur, licet partus mortuus nasceretur, v. Abortus. p. 17. n. 14.

Quando medicus nesciens, an mulier sit grauida, nec id animaduerterit volens, medicinam præbet, ex qua abortus sequitur, non incidit quidem in casum reseruatum, licet fortè peccet mortaliter ob inaduertentiam culpabilem. ibid.

Medicus, qui locauit operas suas pro tota familia determinata, puta pro quadraginta personis, tunc aucta familia licitè potest exigere auctiorem mercedem: sicut è contra diminutâ familia, diminuere mercedem tenetur, v. Locatio. p. 501. n. 6.

Melioramenta.

Quando emphyteuta in commissum incidit, amittit ea omnia, quibus rem emphyteuticam meliorem fecit, modo melioramenta sint ordinaria, ad quæ vi contractus tacitè, aut expressè tenebatur, non autem si sint insolita, v. Emphyteusis. p. 275. n. 20.

Melioramenta, quæ Vassallus fecit in re feudali, dum feudum reuertitur ad Dominum, pertinent ad Vassallum, quoties ipsius industria facta sunt, verb. Feudum. p. 338. num. 11.

Membri defectus.

Membri magni & apparentis defectus inducens magnam deformitatem, ex quacumque causa prouenit, irregularitatem inducit, verb. Irregularitas I. pagina 435. num 9.

Priuatus membro paruo & occulto sponte & sine iusta causa, ab ordinatione repellitur & ab ordinatis deiicitur, siue ipse abciderit, siue alius ex sua culpa, & hoc verum, etiamsi ea abscissio nec impediat ministerium Ordinis, nec notabilem deformitatem inducat. ibid.

Membri alicuius occulti defectus, qui notabilem deformitatem in facie, manibus, aut corpore non generat, si ex propria culpa non acciderit, irregularitatem non inducit. ibid. n.10. vbi plura n.8.

Mendacium.

Mendacium deriuatur à verbo mentior, quod falsum dicere significat, vnde mentiri, est contra mentem ire: mendacium autem definitur esse falsam significationem vocis, cum intentione fallendi, seu dicendi falsum. p.548.num.1

Mendacium diuiditur in iudiciale & extraiudiciale: in formale & materiale: in iocosum, officiosum & perniciosum. ibidem.

Mendacia non sunt ioci, qui ita proferuntur vel aguntur, vt ex ipso agendi vel pronunciandi modo satis intelligatur falsum esse, quod exterius enunciatur. ibidem num.2.

Mendacia non sunt locutiones tropicæ & figuratæ, ironiæ, hyperbolæ, fabulæ & parabolæ, amphibologiæ, seu locutiones ambiguæ, quæ duos sensus habent. ibid.

Mendacium ita intrinsecè & per se malum est, vt nullo casu licitè fieri possit. ibid.n.3.

Dari potest ignorantia inuincibilis respectu mendacij officiosi, ita vt proferens mendacium officiosum vel iocosum excusetur ab omni culpa. ibid.n.4.

Non est per se malum, sed interdum licitum, si ob iustam causam fiat, celare alteri veritatem aliquam, per verbi æquiuocationem, aut facti dissimulationem. ibidem num.5

Si nulla iusta causa sit celandi veritatem, tunc, licet æquiuocè loqui, aut per simulationem agere non sit mendacium, est tamen dolus malus, æque peccatum contra veritatis virtutem. ibid.

Mendacium veniale absque iuramento prolatum, in viris perfectis ex natura actus non sit mortale: licet per accidens ratione scandali possit esse mortale. ibidem num.6.

Mendacium ex imperfecta animi deliberatione, est solum peccatum veniale. Imò nec mortale est in prædicatore, si mentiatur in eis, quæ non spectant ad doctrinam, puta allegando dictum in certo capite Scripturæ, quod tamen alio capite continetur. ibid.n.7

Qui centum mutuo accepit & reddidit; potest, iniquè conuentus in iudicio ad ea centum soluenda, absque vllo mendacio actoris petitionem negare. p.550.n.3

Qui accepit centum, & soluit quinquaginta & repetuntur ab eo centum, potest sine mendacio iurare se non accepisse mutuo centum, quia quinquaginta iam soluit, ac reddidit ibidem.

Meretrix.

Quicumque cum aliqua adulteratur, quæ prius meretrix fuit, ac postea ad bonam frugem se recepit, incurrit pœnas adulterij ordinarias. Si autem post matrimonium in conspectu mariti illa meretrix fiat, neque eam maritus coërcere ac punire curauit, non sunt illi puniendi pœnâ adulterij, qui cum ea fornicati sunt, verb. Adulterium. p.44.n.14.

Meretricum oblationes Ecclesia non recepit, ne videatur fauere peccato: si tamen meretricum pœnitentia & emendatio publicè nota sit, nihil obstat, quo minus Ecclesia oblationes accipiat ex iis, quæ inhonestè, sed non iniustè acquisita fuerunt, verb. Parochia. p.628. num. 18.

Meretrix, si violenter cognoscatur, aut abducatur, in foro conscientiæ est raptus diuersæ speciei à simplici fornicatione, & in confessione exprimendus, verb. Raptus. p.708. num.6.

Meretrix, quæ inuenta est mortua & vulneribus plena in domo sui amici eodem die statim post factam sacramentalem confessionem & sacræ Communionis refectionem in Paschate, non debet priuari Ecclesiastica sepultura, licet de eius contritione non constet, verb. Sepultura. p.779. num.18.

Meritum.

Meritum propriè dictum, est opus, cui ex iustitia debetur merces: sicuti & contra merces dicitur id quod operi alicui debetur ex iustitia. p.550.n.1

Meritorum tria sunt genera apud Theologos. Primò, vocatur de rigore iustitiæ. Secundò, dicitur, de condigno. Tertiò, appellatur de congruo: hoc autem meritum de congruo differt à merito de condigno. ibid.

De fide certum est, quòd homo potest aliquid verè & propriè simpliciter mereri apud Deum, ex gratia, seu per gratiam operando. ibid.n.2.

Mereri potest homo apud Deum de condigno, & secundùm aliquam iustitiæ æquitatem, absolutè loquendo: & contrarium dicere est temerarium. ibid.

Mereri non potest homo aliquid à Deo simpliciter secundùm absolutam æqualitatem, seu secundùm perfectum rigorem iustitiæ. ibid.

Ad meritum præmij apud Deum requiritur proprius & positiuus actus voluntatis: vnde in sola carentia actus mali non potest meritum inueniri sine actu. p.551.n.3.

Mereri non potest homo vitam æternam sine gratia, tam habituali, quàm actuali, siue homo consideretur in statu naturæ integræ, siue in statu naturæ corruptæ. ibidem num.4.

Ad meritum de condigno, sex conditiones requiruntur, quarum prima est, vt sit opus bonum. ibid.n.5

Secunda conditio ad meritum, est, vt opus sit liberè factum, id est, requiritur libertas non tantùm à coactione, sed etiam à necessitate naturali. ibid.n.6

Tertia est, vt opus bonum & liberè factum aliquo modo in Dei obsequium actualiter vel virtualiter referatur. p.552. num.7.

Quarta conditio ad meritum de condigno, est, quod opus fiat ex gratia, & in statu gratiæ. ibid.n.8

Quinta est, quòd operans sit in statu viæ, seu vt is, qui meretur, sit viator. Status autem viæ dicitur totum tempus, in quo non est peruentum ad terminum: viator autem est homo, qui viuit in corpore mortali, conditione mortali. ibid.n.9

Sexta conditio ad meritum de condigno est, quòd præcedat pactum, seu promissio de mercede. ibid.n.10

Prima gratia, id est, donum illud quo aliquis iustificatur non cadit in meritum de condigno, id est, nullus potest sibi mereri primam gratiam. Imò neque de congruo potest quis mereri primam gratiam actualem: quamuis probabile sit, quòd fideles per opera ex auxilio gratiæ Dei facta, mereri possint de congruo primam gratiam habitualem. ibid.n.11

Nullus iustus, siue Angelus, siue purus homo, potest aliis mereri de condigno primam gratiam: ex congruo tamen potest. p.553.n.12

Homo iustus per bona opera & per mandatorum Dei obseruantiam, meretur augmentum gratiæ & charitatis: & hoc certum est ex fide. ibid.n.13

Iustus non potest mereri de condigno perseuerantiam in gratia: tamen probabile est perseuerantiam ipsam acceptam pro continuatione bonorum operum vsque in finem, posse mereri iustos ex congruo per orationes & alia pietatis studia. ibid.n.14

Perseuerantiam potest quis mereri de congruo, per instantes preces, bonaque opera ad hoc directa. ibid.

Bona temporalia, quatenus iustum suo modo etiam adiuuant, vt ad beatitudinem peruenire possit, cadunt in meritum de condigno: non tamen secundùm se spectata. p.554. num.15

Non tantùm iusti, sed etiam peccatores possunt per opera moraliter bona de congruo mereri bona temporalia. ibidem.

Metus.

Metus, alius est concussiuus; alius impressiuus; alius compassiuus potentiæ; alius tacitus & reuerentialis; alius metus perfidiæ. p.554.n.1

Verius est, non satis esse, vt dicatur metus cadens in constantem virum, vt malum constanter caueat, sed debere esse timorem grauis mali in se consideratè. ibidem, num.12

Metus cadens in constantem virum dicitur respectiuè, & proinde, qui respectu vnius est cadens in virum constantem, non est talis sæpè respectu alterius, qui fortior est: vnde minor metus desideratur in fœmina, quàm in viro. p.555.n.3

Metus mortis vel alterius mali grauis comminati meis consanguineis vsque ad quartum gradum, & affinibus ex matrimonio, imò & amico intimo, sufficiens est ad rescindendum metum contractum. ibid.n.4

Metus solus reuerentialis sine minis & verberibus, quo quis ducitur ad ineundum matrimonium, vel celebrandum contractum, non cadit in virum constantem; nec sufficiens est ad rescissionem: quamuis contrarium quidam probabile putent, si indignatio non sit leuis, sed grauis & diuturna, licet non adfuerint minæ & verbera. ibidem num.5

Metus reuerentialis datur in eo, qui iure aliquo subiectionis alteri subest. ibid.n.6

Preces importunæ seclusa omni alia ratione timendi, iuxta quosdam incutiunt metum cadentem in constantem virum, sufficientem ad contractuum rescissionem. Alij negant, etiamsi precibus his coniunctus sit metus reuerentialis. Sed probabilius est, preces huiusmodi vna cum metu reuerentiali, incutere metum cadentem in constantem virum. ibid.n.7

Metus, seu probabile periculum grauis damni, regulariter loquendo, excusat à transgressione legis humanæ, & consequenter à peccato. p.556.n.8

Metus gehennæ malus est, si sit propriè ac principaliter finalis causa observationis legum: sed bonus & honestus est, si sit tantùm causa impulsiua, seu finalis secundaria. ibid. num. 9

Qui metu mortis non seruat legem humanam, excusatur à peccato, etiamsi lex poenam capitis transgressoribus imponat. ibid. n. 10.

Quando quis minatur alicui mortem, nisi carnes humanas ederet, licitum est eis vesci: tamen non tenetur quis carnes humanas comedere, ad tuendam vitam, sed potest potiùs mortem pati, sequendo opinionem probabilem. ibidem.

Qui lege, aut voto abstinentiæ à carnibus est obstrictus, non solum potest, sed etiam tenetur carnibus vesci, si non habeat alios cibos & cuidenter constet carnes illi necessarias esse ad tuendam vitam. ibid. n. 11

Carthusiani laudabiliter in mortis periculo à carnibus abstinent, quando alij cibi suppetunt, ita vt illis fas non sit, cuiuscumque ægritudinis occasione, carnibus vesci. ibid.

Milites.

Milites omnes ratione stipendij, quod accipiunt, ex iustitia adeoque sub culpa mortali obligantur ad multa, v. Bellum. p. 93. n. 19.

Miles, qui in militia versatur, eo priuilegio gaudet, vt conueniri non possit pro debitis, vltra id, quòd commodè facere possit, v. Debitor. p. 203. n. 15

Milites qui sunt subditi Principis indicentis bellum, possunt in dubio de iustitia belli ad bellum procedere, secus si non sint subditi. Contrarium tamen non est improbabile, v. Dubium. p. 253. n. 10

Milites non possunt res in Emphyteusim accipere, quia non possunt res conductas meliores efficere, eas colendo, v. Emphyteusis. p. 372. n. 4.

Milites omnes in bello iniusto sunt irregulares, si contingant in eo homicidia vel mutilationes, etiamsi propriis manibus non fundant sanguinem, sed commilitent effundentibus, vel aliquo pacto cooperentur, v. Irregularitas II. pag. 439. n. 2.

Milites prohibentur dare mandatum ad conducendum res, v. Mandatum. p. 516. n. 1

Pensionarius, qui mutato habitu clericali, efficitur miles, probabilius est non amittere ipso facto suam pensionem, v. Pensio. p. 650. n. 11

Clericus pensionarius, qui nomen dedit in Ordinem militarem cum facultate retinendi pensionem, non tenetur ad Officium B. Virginis, sed satisfacit recitando Orationes Dominicales & Angelicas à religione præscriptas. ibidem *num.* 17.

Miles, qui testamentum condit, dum in bellica expeditione versatur, non tenetur legitimum testium numerum adhibere, neque aliam solemnitatem obseruare debet, sed quocumque modo voluntatem vltimam declarauit voce, aut scripto, ea rata existit, verb. Testamentum. pag. 838. *num.* 10.

Minor.

Minor non potest petere ab Episcopo relaxationem iuramenti, quo contractum alioqui de iure irritum; validauit: at si contractus per iuramentum adhibitum ratus & firmus permanit, talis relaxatio iuramenti non irritat contractum, sed tantùm reddit contrahentem immunem à periurio, v. Contractus. p. 195. n. 16

Qui à minore per ludum aliquid acquisiuit, si minor sit pubes & curatore careat, non tenetur lucrans restituere, donec minore restitutionem petente, iudex lucrantem ad eam cogat, v. Ludus. p. 505. n. 11

Minor & pupillus iure prohibentur dare mandatum ad conducendum res absque curatore vel tutore, v. Mandatum. p. 516. *num.* 1.

Dispositio facta à minori intuitu ingressus in religionem, etiamsi fiat in fauorem personæ priuatæ valida est, sine solemnitate iuris ciuili, hoc est, si e auctoritate curatoris & decreto iudicis, verb. Nouitiatus. pag. 601. *num.* 34.

Casus, in quibus iure conceditur minoribus restitutio in integrum, verb. Restitutio in integrum. pag. 737. *num.* 1. *& sequentibus.*

MISSA

Vt est sacrificium.

Missa secundùm propriam rationem formalem est sacrificium: nam in ea continentur illa tria, quæ pertinent ad essentiam sacrificij, nempe, consecratio, oblatio, & consumptio. p. 557. n. 1

Sacrificium in communi, est oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei oblatæ in signum diuinæ excellentiæ legitimè institutum: differt autem sacrificium ab aliis oblationibus, quæ Dei causâ fiunt. ibid.

An autem vnum idemque sit sacrificium quod quotidie in Missa offertur, atque illud, quod est olim in cruce immolatum? Tridentinum docet, quod vna eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diuersa. ibid. n. 2

De fide est, Missam esse institutam à Christo; quoad ea quæ sunt de substantia sacrificij. Missa autem quoad totam actionem vt includit omnes cæremonias, est à Ecclesia. p. 558. n. 3

Pluribus figuris significatum, & multis oraculis Prophetarum vaticinatum fuit in lege veteri Missæ sacrificium. ibid. n. 4.

Verba consecrationis panis statim sortiuntur suum effectum & ponunt vinum Christum, totum, non mutilum, cum sanguine & ossibus in hostia consecrata, ante consecrationem vini. ibid. n. 5

Constans est Theologorum opinio, vnum dumtaxat Missæ sacrificium esse; quod constat duabus partibus & duobus signis, videlicet, consecratione panis & consecratione vini. ibid. n. 6

Sacrificium Missæ vnum dicitur, non plura, nec multiplicantur sacrificia, ad numerum Sacerdotum Missas celebrantium, sed in omnibus Missis repetitur & replicatur per multos Sacerdotes. ibid.

Quamuis ex probabili opinione possit Summus Pontifex dispensare, ob publicam & vrgentem necessitatem & iustam causam, vt in altera tantùm specie panis vel vini sacrificium & Sacramentum fiat verum; non potest tamen dispensare, vt Missæ sacrificium celebretur in consecratione aquæ loco vini. p. 559. n. 7

Nonnulli opinati sunt Sacerdotem in Missa iure diuino non teneri consumere corpus Dominicum à se consecratum, sed satisfacere suæ obligationi sumendo hostiam ab alio præconsecratam. Sed hæc opinio ab aliis probabilis non iudicatur. ibid. n. 8

Quando Parochus nullam habens maiorem hostiam, minorem consecrauit, si vereatur populi scandalum in eleuatione minoris hostiæ, potest in eleuatione Sacramenti alteram maiorem hostiam, quæ asseruatur in Pixide, populo ostendere, modo illi hostiæ altera parua in illo sacrificio consecrata, sit iuncta. ibid.

In casu necessitatis, si maior hostia haberi non possit, licet adhibere vnam ex minoribus in Missa priuata & secreta; imò vrgente causâ publicè id fieri posset, monitis priùs adstantibus, ne scandalum sequatur. ibid.

Res oblata in sacrificio Missæ principaliter est Christus Dominus, siue corpus & sanguis eius, non vt in propria specie, sed vt sub speciebus panis & vini existentia. Panis autem & vinum pertinent ad rem, quæ sacrificatur, ac proinde ad sacrificium, non vt ea quæ principaliter Deo sacrificantur, sed vt materia translata, ex qua corpus & sanguis Domini consecrantur. ibid. n. 9

Panis & vinum offeruntur in hoc sacrificio, etiam tanquam materia ex qua conficitur sacrificium. ibid.

Missæ sacrificium habet maximam dignitatem & excellentiam, tum ratione rei oblatæ, tum ratione modi offerendi in se, tum ratione significati. ibid. n. 10

Sacerdos celebrans potest offerre sacrificium pro seipso sacrificante, & tunc duplicem habebit effectum sacrificij. ibidem num. 11.

Principalis offerens, qualis est Christus, non potest pro seipso offerre sacrificium, mediante Sacerdote offerente. ibidem.

Fideles, qui sunt cooperatores sacrificij Missæ possunt etiam suo modo pro seipsis offerre sacrificium mediante Sacerdote offerente. ibid.

Iuxta vsum Ecclesiæ potest & debet Sacerdos pro aliis hoc sacrificium offerre; imò & quilibet alius non Sacerdos offerens, potest pro alio sacrificium offerre, eo modo quo ad ipsum spectat. ibid.

Hoc sacrificium debet offerri pro vniuersa Ecclesia militante, & pro omnibus membris illi colligatis, id est, pro baptizatis viuentibus, qui nec per infidelitatem, nec per excommunicationem sunt ab ea eiusque communicatione seiuncti. ibid. n. 12

Pro Catechumenis fidelibus nondum baptizatis potest offerri hoc sacrificium, & illis prodest quoad fructum impetrationis, non satisfactionis. ibid.

Si Catechumeni moriantur ante Baptismum & per illos non steterit quin Baptismum susciperent, potest pro illis offerri sacrificium: secus si ex mera negligentia sua & culpa grauj non petierint Baptismum. ibid.

Pro quibuscumque infidelibus potest offerri hoc sacrificium, quatenus est imperatorium, dummodo per Eccle-

ſem excommunicati non ſint. ibid.
Pro infidelibus maiori excommunicatione ligatis non toleratis non licet offerre ſacrificium: publicam perſonam agendo; in iure enim hoc prohibetur. Secus ſi denunciati non ſint. ibid.
Varij variè ſentiunt, quando excommunicatus vitandus eſt in gratia, nondum tamen abſolutus, & per eum non ſtat quin abſoluatur, an licèat pro eo offerre ſacrificia & communia Eccleſiæ ſuffragia: Negativa ſententia eſt probabilior. pag. 561.n.13
Certiſſima de fide ſententia eſt, hoc ſacrificium Miſſæ poſſe offerri, etiam vt impetratorium, pro animabus Purgatorij, & illis prodeſſe quoad pœnas, quæ per obſtationem huius ſacrificij remitti poſſunt. ibid.n.14
Miſſæ ſacrificium vt eſt propitiatorium, non poteſt offerri pro Beatis, qui in cœlo regnant. Tamen poteſt aliquo modo pro illis offerri, quatenus eſt laudis & gratiarum actionis. ibid. num.15
Sacrificium Miſſæ non offertur Sanctis, ſed ſoli Deo viuo & vero in cultum latriæ: vnde templa & altaria non ſunt immediatè primario & per ſe ad Sanctorum honorem, ſed ſecundariò, vt ſcilicet Deus in Sanctis & per Sanctos honoretur. ibid.
Hoc ſacrificium non poteſt offerri pro damnatis & impijs defunctis, quando eos in peccato mortali mortuos eſſe conſtiterit. Vbi quid ſentiendum de hiſtoria animæ Traiani precibus D. Gregorij à pœnis gehennæ liberatæ, vt à quibuſdam refertur. ibid.

MISSA

Vbi variæ quæſtiones de Miſſa proponuntur & reſoluuntur.

Sacerdos in Miſſa vt rectè officio ſuo fungatur, non poteſt minores hoſtias poſt conſecrationem ponere extra aram & multo minus dare alteri diſtribuendas; niſi poſt communionem in Miſſa; quamuis à quibuſdam hæc opinio non admittatur. p.562.n.1
Cum integritas ſacrificij ſit de iure diuino, neceſſarium eſt, quod ſacrificium inceptum perficiatur; vnde ſi moriatur Sacerdos poſt conſecrationem, debet perfici ab altero, ſi adſit, etiamſi ſit non ieiunus, vel ſit excommunicatus, aut irregularis. p.563.n.2
Quando contingit Sacerdotem mori vel infirmari poſt conſecrationem vnius ſpeciei, quidam dicunt probabiliter, ſecundum Sacerdotem debere non ſolùm conſecrare ſanguinem, ſed etiam priùs alteram hoſtiam: ſed conſultius eſt non conſecrare alteram hoſtiam. ibid.
Probabile eſt, quando Sacerdos deficit poſt conſecrationem, non teneri alterum, ſi adſit, ſub peccato mortali perficere ſacrificium. ibid.
Totum Miſſæ ſacrificium proferri debet cum quadam morali continuatione, ſine magna interruptione, cum ſit vnum & vnum dicatur: vnde poſtquam ſacra Miſſæ actio inceptа eſt, debet ad exitum perduci per ſuas partes, & ſi Sacerdos voluntariè notabilem eius partem omittat, mortaliter peccat. ibid.n.3
Concèduntur tamen à Doctoribus aliqui caſus, in quibus ſolet ac poteſt Miſſæ ſacrificium interrumpi. ibid.
Si Sacerdos poſt conſecrationem incœptam recordetur ſe non eſſe ieiunum, debet perficere ſacrificium: ſi meminerit ſe peccatum aliquod mortale commiſiſſe, debet pœnitere cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi: ſi recordetur ſe eſſe excommunicatum, aut interdictum, aut irregularem, debet habere propoſitum petendi abſolutionem ac diſpenſationem. ibid.n.4
Si Sacerdos meminerit alicuius prædictorum impedimentorum Canone iam cœpto, tenetur ſub culpa mortali perficere, vt vitetur ſcandalum, præhabitâ tamen contritione & propoſito petendi abſolutionem vel diſpenſationem. ibid.
Si antequam Canonem inciperet, Sacerdos ſolius peccati non confeſſi meminit, Miſſam debet perficere præhabitâ contritione. Si verò meminit ſe cenſura aliqua ligatum, tutiùs eſt Miſſam inchoatam dimittere, ſi non ſequatur ſcandalum, alius perficienda eſſet. ibid.
Quando celebrans in altari meminit ſe non eſſe Sacerdotem, aut non ritè ordinatum, tenetur Miſſam dimittere, ſi conſcientiam deponere non poteſt. ibid.
Licet Sacerdoti ſumere reliquias Sacramenti Euchariſtiæ, poſt ſumptam calicis ablutionem: licet quidam contrarium doceant. p.564.n.5.
Quando reliquiæ fuerunt præconſecratæ ab alio Sacerdote in alio ſacrificio, multi negant poſſe ſumi poſt ablutionem calicis: non deſunt tamen Doctores contrarium ſuſtinentes. ibidem.
Si Sacerdos Euchariſtiam miniſtret poſt ſumptam communionem & poſt purificatorium digitorum ablutionem vini & aquæ, poteſt licitè reliquias à communicantibus relictas, vel ab alio Sacerdote, ſi fortè illas poſtea reperit in altari, vel corporali ſumere, modo commodè ſeruari non poſſint in ſacrario. ibid.
Quando reliquiæ inueniuntur in patena vel calice, non poteſt Sacerdos per ſe loquendo, prædictas reliquias ſumere poſtquam ab altari receſſit; ſecus tamen eſſet ex accidenti, quando illæ reliquiæ non poſſent conſeruari ſine maiori irreuerentia. Nonnulli nihilominus aſſerunt licere Sacerdoti in ſacrificio, dum adhuc ſacris veſtibus eſt indutus, ſumere reliquias hoſtiæ inuentas in calice. ibid.
Quamuis Miſſale Pij V. vetet ablutionem capere antequam Sacerdos celebrans alios communicet: tamen Gregorius XIII. diſpenſauit cum religioſis Societatis IESV. ibid.
Semper eſt peccatum mortale communicare, vel Miſſam dicere, quando minima quantitas cibi vel guttula aquæ per modum cibi vel potus præſumitur, ſiue ſumatur aduerenter, ſiue inaduerenter, dummodo Euchariſtia ſumatur cum animaduerſione præſumptæ aquæ vel cibi. Secus dicendum ſi per modum ſaliuæ, aut reſpirationis ſumatur, vel attrahatur. p.565.n.6
Oſſa panis in vino non eſt conſecrabilis, quoad ſpecies ſanguinis: vinum tamen imbibitum in oſſa panis antea conſecratum, retinet conſecrationem. p.566.n.7
Sacerdos, qui eſt notabiliter in mora celebrandi Miſſas pro iis, à quibus, vel pro quibus ſtipendium accepit; differendo celebrationem illarum ad longum tempus, peccat mortaliter. ibid.n.8
Sacra Eminentiſſ. DD. Cardinalium Congregatio permittit Sacerdotibus, vt, ſi oneribus Miſſarum iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſint noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere: & per modicum tempus intelligunt Doctores ſpatium duorum menſium. ibid.
Intentio actualis vel ſaltem virtualis requiritur in Sacerdote eodem tempore Miſſæ ad applicandum fructum ſacrificij illi, qui ſtipendium præbuit: non eſt tamen improbabile, quod ſufficiat intentio habitualis. ibid.n.9.
Quandonam fructus Miſſæ à Sacerdote debeat applicari, vt effectus ſequatur? Quidam volunt debere applicari ante rel in ipſa conſecratione: alij dicunt ſufficere ſi ante ſumptionem fructus applicetur. Tutius eſt ad maiorem certitudinem fructum applicare ante Miſſam. p.567.n.10
Fructus ſacrificij Miſſæ non poteſt à Sacerdote alicui validè applicari ſub condirione in futurum contingente. ibid.num.11. Secus eſt quando conditio præterito, aut præſenti tempore impleta eſt. ibid.
Sacerdos ſacrificium offerens in perſona Eccleſiæ, non poteſt nec licitè, nec validè aliquem excludere, quem Eccleſia in ſua generali intentione includit vel aliquem includere, quem excluſum Eccleſia eſſe vult. ibid.n.12
Sacerdos vt priuata perſona ſacrificium offerens & Deo ſupplicans in memento, poteſt fructum, tum impetratium, tum ſatisfactionis ex opere operantis ſecundùm priuatam ſuam diſpoſitionem prouenturum, applicare cuicumque homini capaci, quamuis excommunicatus non toleratus ſit. ibid.
Sacerdos celebrans in altari priuilegiato, vt indulgentia proſit defunctis, non eſt opus vt ſit in gratia. ibid.num.13.
Quando Sacerdos dicit Miſſam in altari priuilegiato, non ſolùm indulgentiam, ſed & ſacrificium defuncto applicare debet. In rigore tamen non videtur ſemper neceſſarium, niſi verba reſcripti, ſeu priuilegij id ſonent. ibid.n.14
Miſſa celebrata in altari priuilegiato, quatenus altare priuilegiatum eſt, non quatenus Miſſa eſt ſacrificium & opus ſatisfactorium, prodeſſe non poteſt viuentibus. ibid. num.15
An ſit licitum & laudabile viuentem ſibi Miſſam pro defunctis celebrari facere, & exequias celebrari, quaſi ipſe mortuus eſſet? Multi ſuſtinent id licitè & ſalubriter fieri poſſe: quod nonnulli negant. ibid.
Præſtat vt fideles curent celebrari pro ſe Miſſas ante mortem quàm poſt. ibid.num.16
Quamuis in regulis Miſſalis præcipiatur crucem apponi in altari, dum Miſſa celebratur; omiſſionem tamen crucis Doctores non iudicant eſſe mortalem, ſed ad ſummum venialem, modo contemptus abſit. p.569.n.17.
Celebrare ſine lumine in altari eſt peccatum mortale: ex qua verò materia conſtare debeat hoc lumen, non conſtat ex iure: tamen ex conſuetudine Eccleſiæ, requiritur vt cerea candela accenſa ſit, ſi haberi poſſit: ſin minus in neceſſitate ſufficit candela ſebacea, aut etiam lucerna ex oo. ibid.n.18

Si incepta Missa lumen extinguatur in tali Ecclesia ac loco vbi aliud commodè inueniri non potest, ante verba consecrationis inchoata, non est licitum Missam perficere, etiamsi præceptum Ecclesiæ vrgeat audiendi sacrum, imò etiamsi moribundus viatico indigeat. ibid.

Si lumen deficiat postquam consecratio est incepta, potest & tenetur Sacerdos sacrificium hoc lumine perficere. ibidem.

Missam dicere absque corporali lineo & benedictò ab Episcopo vel aliis habentibus ad id potestatem ex priuilegio Pontificio, est mortale. ibid.n.19

Non potest Sacerdos, extra casum necessitatis, celebrare sine stola, manipulo, aut cingulo, & illa omittere est peccatum mortale. ibid.n.20

In casu necessitatis licet Sacerdoti Missam dicere sine illis, si vrgeat præceptum audiendi Missam in die Festo, & non inuenirentur alia in loco vbi Sacerdos est celebraturus. ibidem.

Omnes vestes sacræ, quibus induitur Sacerdos in celebrandi Missa, debent esse benedictæ, excipiunt tamen aliqui probabiliter cingulum. ibid.

Vestes sacræ, quibus vtitur Sacerdos in Missa, præter decentem ornatum, quem repræsentant, habent etiam suas mysticas & sacras significationes, diuinis mysteriis plenas. p.570.ibid. num.21

Omissio harum vestium præcisè inaduertentiâ, est peccatum mortale: præterm ittere autem vnam vel alteram ex minoribus, quando magna vrget necessitas celebrandi, licitum esset celebrare cum amictu, alba & casula, adhibito honesto cingulo, si alia haberi non possint. ibid.n.22

Licet vestes propinquas virorum, aut mulierum illustrium applicare ad sacrum vsum, quia consuetudo sic inualuit. ibid. num.23

Non est licitum Sacerdoti Missam celebraturo, ire ad altare cum baculo, si sacris vestibus sit indutus. ibid

MISSA

Quoad præceptum Ecclesiæ de illa audienda.

Certum est dari in Ecclesia præceptum Ecclesiasticum ac positiuum audiendi Missam omnibus diebus Festis. pag. 571. num.1.

Præceptum hoc inducit grauem obligationem, ita vt illud transgredi omninò, vel vno tantùm die pro quo obligat, sine vlla legitima causa excusante, peccatum mortale sit. ibidem num.2.

Sacerdos tenetur celebrare ad effectum implendi præceptum Ecclesiæ de audienda Missa in diebus Festis, quando non adest alius Sacerdos, cuius Missam audiat, & ipse sine notabili incommodo celebrare potest. ibid.

Qui in die Festo non potest concionem & Missam audire, per se loquendo, tenetur potiùs concionem, quàm Missam omittere: tamen ex accidenti potest contingere, vt quis teneatur Missam omittere pro concione audienda. ibid.num.3

Missa ex præcepto Ecclesiæ audienda sub peccato mortali in diebus Festis & Dominicis illa est, in qua fit noua consecratio. ibid.n.4

Quamuis communiter pueri incipiant habere vsum rationis cùm septennium attingunt, & in hac ætate præcepto audiendi Missam obligentur: tamen hac de re non potest certa regula tradi, cùm quidam citiùs, alij verò nec etiam in decimo ætatis anno perfectum rationis vsum habeant. p. 572. num.5.

Qui sponte tempore Missæ animo distrahitur, vana audiendo, fœminas, aut ludos spectando, scribendo, pingendo, dormitando, aut interiùs tantùm aliena cogitando per notabilem Missæ partem, non implet hoc præceptum. ibid.n.6

Attentio in Missa potest esse triplex: alia enim est attentio ad ea quæ Sacerdos dicit, vel facit non vltra progrediendo, sed solùm attendendo vt ad rem quandam sacram: hæc attentio est omnium infima, tamen sufficiens. ibid.

Secunda attentio est ad ea, quæ illis verbis vel factis significantur, & hæc est melior. Tertia est ad Deum, quæ est attentio suprema & finis ceterarum. ibid.

Qui volunt confabulari tota Missa, aut mercaturam tractare, mortaliter peccant: si autem colloquia non sint continua, sed per paruam Missæ partem, licet sæpius misceantur, nunc colloquendo, nunc attendendo, &c. non esset peccatum mortale. ibid.

Non est improbabile illos satisfacere præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, qui secundùm externum habitum Missæ decenter interessunt, licet interna mente Deo vel diuinis non intendant. p.573.n.7

Qui habet licentiam vt possit audire Missam in Oratorio domus suæ, si sit infirmus & non possit adire Ecclesiam, non tenetur illam in diebus Festis audire. ibid.n.8

Extat decretum S. Congregationis, quo cauetur, vt licentia celebrandi Missam in priuato Oratorio concedatur cum hoc onere, vt solùm priuilegiarius & eius familiares satisfaciant præcepto, audiendo diebus Festis Missam in præfato Oratorio, alij verò non satisfaciant. p.574.n.9

Audientes Missam in Oratoriis Episcoporum, Regularium & in Oratoriis ex priuilegio Bullæ Cruciatæ satisfaciunt præcepto Ecclesiæ. ibid.

Probabilius est vnicum tantùm peccatum committere, qui duo præcepta de eodem Festo colendo, aut de eadem Missa audienda violat, & ideò non esse hanc circumstantiam duorum præceptorum in confessione aperiendam: quamuis contrarium sit etiam probabile. ibid.n.10

Ex communi sententia, si aliquis per sententiam iudicis declaretur commisisse crimen, cui est annexa excommunicatio, & non declaretur incurrisse excommunicationem, vitandus est, & licitè non potest à fidelibus eius Missa audiri, si est Sacerdos. Fauorabilior tamen sententia sustinet ipsum non esse vitandum. ibid.n.11

Non est prohibitum Christi fidelibus, ex vi solius censuræ, dummodo nullum aliud detur impedimentum peccati in ipsis excommunicati vitandi, Missas ab eis petere, vel illorum Missas audire, etiamsi alij Sacerdotes præsentes sint, qui nullam excommunicationem habent. p.575.n.12.

Non est tamen improbabilis sententia asserens Sacerdotem excommunicatum tolerâtum celebrando peccare mortaliter, licitum autem esse fidelibus audire illius Missam, non tamen id ab eo petere, ne illius peccato cooperentur. ibidem.

Certum est apud omnes, licere fidelibus Missam audire Sacerdotis, qui irregularis factus est ministrando in excommunicatione, si nullum aliud impedimentum ex parte illius obstet, non tamen petere. ibid.n.13

Quando quis per sententiam iudicis fuit condemnatus de irregularitate, ante denunciationem excommunicationis incursæ, communis sententia est, huiusmodi irregularem vitandum esse in diuinis, nec licere ipsius Missam audire, etiamsi nullum aliud impedimentum obstet. Sed alij putant id licere, non tamen illam ab eo petere. ibidem.

Si quis sit suspensus ab officio & ordine per sententiam iudicis, licitum est illius Missam audire, modo ante suspensionem nullam excommunicationem incurrerit, de qua sit denunciatus, non tamen licet ab eo Missas petere durante illa suspensione: licet quidam contradicant. pag. 576. num.14.

Concubinarius notorius, aut fornicator iuxta quosdam est ipso iure suspensus, & sit irregularis, si in eadem suspensione celebret, vnde licitum est illius Missam audire, non tamen illam petere. Sed hodie post Tridentinum talis suspensio non est in vsu, sed tantùm talis posit monitionem est suspendendus. ibid.n.15

Regula generalis est, vbi alterius copia Sacerdotis non adest, licitum esse petere Missas ac audire, Sacramenta recipere, à Sacerdote publico, aut occulto peccatore: tamen si præsentes sint alij Sacerdotes, qui absque peccato id præstare possint, illicitum esset, hæc ab eo petere. ibidem.

Ab obligatione audiendi Missam diebus Dominicis & Festis excusantur omnes excommunicati etiam tolerati & interdicti, tam generaliter, quàm specialiter, siue interdictum sit personale, siue sit locale, licet per eos stet, quin absoluantur, & absolutionem procurare neglexerint. ibid.num.16

Modalis donatio.

Modalis donatio per particulam, vt, & alias æquiualentes solet explicari: tamen interdum nomine conditionis significatur modus, vt quando dicitur, dono, aut lego tibi hoc ea conditione vt illud alienes, aut vt templum ædifices, quibus verbis nomine condicionis, modus significatur, v. Donatio. pag. 243.n.36. vbi plura n.37.38. & 39.

Molendinum.

Molendinum ædificare non licet in publicis fluminibus, ne impediatur vsus publicus nauigationis: In priuatis verò, aut propriis fluminibus, quilibet potest molendinum constituere, modo id faciat principaliter vt sibi prosit, non vt alteri noceat: limitatur tamen hæc potestas dupliciter, v. Dominium. p.235.n.24

Monasterium.

Monasterium in Monachi bona succedens tenetur alimenta præstare iis, quibus tenebatur Monachus, verb. Alimenta, p.53.n.5.

Monasterium succedens in bona coniugis, non tenetur alere coniugem eius inopem in sæculo relictum, qui ingressus est ipso consentiente religionem: tempore tamen Nouitiatus tenetur coniux ex eis bonis, alterum inopem alere. ibid.

Monaſterium tenetur ad expenſas pro alimentis & aliis neceſſariis factas, quando Monachus exiſtit in ſcholis ſtudiorum cauſa, vel in alio negotio extra clauſtrum ex legitima Superiorum licentia: limita, niſi expenſæ illæ ſint excedentes quantitatem religioſo illi quotannis deſtinatam, &c. ibid.n.6

Monaſteria exempta non tenentur præſtare Epiſcopo ſubſidium charitativum, v. Charitativum ſubſidium. p.146.n.5

Vide v. Religio. p.726.n.30

Moneta valor.

Si conſtitutum ſit debitum vt in certis monetis ſoluatur, valorque earum augeatur, aut minuatur, ſolui quidem debet in eis monetis, ſed aeris ęſtimationis, aut auctis, quod fuerit neceſſarium, vt debitum ad æqualitatem valoris ſoluatur, niſi aliud fuerit expreſſum in contractu, v. Debitor. p.203.n.14

Debitum, ſi expreſſum fuit moneta aliqua, ſoluendum eſt in valore eius monetæ, quam habebat quando fuit expreſſum ac conſtitutum, ſiue poſtea valor eius monetæ acreuerit, ſiue decreuerit. ibid.n.13

Conſentaneum eſt valde iuri naturali, vt pro nummis aureis mutuo datis, non poſſit mutuatarius inuito mutuante alterius generis nummos argenteos æreoſque ſoluere: licet contrarium quibuſdam placeat, verb. Mutuum. p.582. num.10.

Qui mutuat pecuniam auream vel argenteam, poteſt cum mutuatario paciſci, vt tantundem in pecunia aurea vel argentea ipſi reſtituatur. Qui verò mutuat in pecunia ærea non poteſt cum mutuatario paciſci, vt auream vel argenteam pro ea ſibi reſtituat. ibid.p.583.n.17

Monialis.

Monialis bigama, ſecundùm quoſdam, non poteſt eligi in Abbatiſſam. Affirmant tamen alij: ſeruetur conſuetudo, v. Abbatiſſa. p.11.n.10

Monialis infamis non poteſt eligi in Abbatiſſam, ſiue infamia ſit iuris, ſiue facti. ibid.n.11

Monialis, quæ per vim virginem aliquam, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam ad religionem admiſerit, vel auctoritatem, auxilium, conſilium vel fauorem præſtiterit cogenti, ipſo facto excommunicationem incurrit, & ſit inhabilis ad Officium Abbatiſſatus. ibid.n.12

Monialem reddit inhabilem, vt in Abbatiſſam eligatur, inobſeruantia propriæ regulæ & tranſgreſſio Conſtitutionum Monaſterij. ibid.

Monialium benedictio de iure ſolis Epiſcopis competit. Ex priuilegio autem Abbates quidam poſſunt benedicere Monialeſ, in quas ordinariam iuriſdictionem habent, v. Benedictio. p.96.n.8

Moniales exemptæ, quæ gaudent priuilegiis ſuarum religionum, non tenentur ſoluere charitatiuum ſubſidium. Non exemptæ autem, nec tenentur, ſi non habeant reditus vltra ſummam 14. ducatorum auri de camera pro victu cuiuſlibet Monialis; v. Charitatiuum ſubſidium. p.147.n.6

Monialis procurans ſibi abortum potione, vel pugnis, excommunicationem Canonis, *i quis ſuadente*, &c. non incurrit. An autem idem dicendum ſit de extraneo dante potionem Moniali ad aborſum faciendum, ſecuto effectu? Probabile eſt quod ſic: ſed contrarium non eſt improbabile, v. Excommunicatio V. p.326.n.14

Monialis, quæ transfertur cum legitima licentia ad aliud Monaſterium propria voluntate, ſeu ad ipſius inſtantiam, ſecundùm veriorem ſententiam, non poteſt ſecum dotem ſuam deferre, v. Religio. p.725.n.29

Moniales poſſunt admitti in teſtes contra alias Moniales, quando aliter veritas haberi non poteſt; delicta enim Monialium non niſi per Moniales probari poſſunt, v. Teſtis. p.856.n.9

Moniales & religioſi poſſunt aſſiſtere matrimonio vt teſtes, quamuis ſummopere deceat Moniales & religioſos abſtinere ab huiuſmodi muniis. ibid.

Monopolium.

Ex monopolio redditur negotiatio illicita, vt ſi quis contendat ſibi ſoli licere certas merces vendere, aut ſi certi mercatores inter ſe conueniant, de non vendendo merces certas infra tale pretium: aut quòd non emant merces vltra tale pretium: hæc & alia huiuſmodi monopolia ſunt iniqua & Reip. perniciosa, v. Emptio. p.290.n.48

Longè probabilius eſt, mercatorem ſiue quemuis alium horum monopoliorum expertem, qui non exercuit monopolium, non poſſe iuſtè ſuas merces vendere pretio illo, quod per monopolium creuit. ibid.n.49

Mons pietatis.

Mons pietatis plus exigere poteſt vltra ſortem ab iis, qui diutiùs vtuntur mutuo. p.577.n.1

Quando perſona priuata erigit Montem pietatis & retinet dominium pecuniæ expoſitæ ad mutuandum, probabilius eſt, quòd ſemper poſſit exigere expenſas à mutuatariis, quæ ſufficiant pro miniſtris & conſeruatione Montis, etiamſi fundator Montis non ſe obligauerit ad mutuandum in perpetuum: quamuis aliqui contrarium doceant. ibid.n.2

Varij variè ſentiunt, apud quem ſit dominium veri Montis pietatis, quando fundator illud dominium à ſe abdicauit. ibid. num.3

Montes pietatis fundati pro pauperibus, non poſſunt mutuare diuitibus, ſi cedat in præiudicium pauperum, ſecus ſi non cedat. ibid.n.4

Mons pietatis mixtus eſt ſumma pecuniæ confecta partim ex eleemoſynis & gratuita collatione, partim ex contributionibus perionarum particularium, qui pecuniam deponunt in Monte cum pacto, vt recipiant quatuor vel quinque pro centum annuatim ab ipſo monte, & vt deponentes poſſint repetere capitale quando voluerint. Mutuatarius verò debet dare pignora & inſuper ſoluere quatuor vel quinque pro centum tradenda deponentibus vltra id, quod ſoluendum eſt ab ipſis ad conſeruationem Montis, &c. ibid.n.5

Prædictus Mons eſt vſurarius ex parte deponentium, ſi inter deponentes & Montem ſolus contractus depoſiti intercedat. Si autem talis contractus depoſiti tranſeat in mutuum, non poteſt vi mutui aliquid accipi vltra ſortem, ſine labe vſuræ, ſed bene ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis ipſis deponentibus. p.578.n.5

Ex parte ipſius Montis non eſt vſurarius dictus Mons ex parte expenſarum, ſi ęę moderatæ ſunt, nec ſuperant quæ Mons accipit expenſas quas facit, nec ex parte eius, quod recipit à mutuatariis. ibid.

Mons mixtus non poteſt aliquid recipere pro mutuatione, quæ fit ex pecuniis in eleemoſynam datis, præter expenſas illi correſpondentes & neceſſarias ad mutuationem. ibid.

Adducitur Bulla Pauli III. in fauorem Montis pietatis Ferrarienſis, quæ incipit, *Charitatis opera*. ibid.

Ex communi ferè Doctorum ſententia, Summi Pontifices poſſunt declarare tum legem diuinam, tum etiam naturalem, quòd videlicet in aliquo caſu particulari non obliget, dummodo declaratio rationabilis ſit. ibid.

Licitus eſt Mons, quem Princeps vel Reſp. pecuniis indigens causâ belli, aut alia de cauſa inſtituit, cogendo ſubditos ad dandas ſibi pecunias hac lege, vt donec illas reſtituat, ſoluat quinque vel ſex pro centum, reſeruata ſibi facultate reſtituendi ſingulis ſortem principalem. p.579.n.6

Differentia inter Montem pietatis & vſurarium multiplex eſt. ibid.n.7.

Mora.

Creditor non poteſt priùs procedere ad pignus vendendum, quàm debitor ſit in mora ſoluendi: quæ contingit quando dies fuit præfixus ad debitum ſoluendum, & non ſoluitur, v. Debitor. p.201.n.1. & v. Pignus. p.649.n.7

Quando mutuatarius eſt in mora culpabili reddendi mutuum, ſi inde damnum aliquod cuenat mutuanti, tenetur ad illius compenſationem: ſecus ſi mutuatarius eſt omninò pauper qui nec re, nec ſpe habet, vt ſibi ſubueniat, v. Mutuum. p.584.n.21.

Si mutuatarius tempore mutui potens erat ad reddendum mutuum tempore conuento, deinde verò redditus ſit impotens infortunio, non tenetur ad damna, quæ ex illa mora mutuanti emerſerunt, niſi à principio mutui ita conuenerint. ibid.

Quoties hæredes mariti ſunt in mora ſoluendi dotem, vidua poteſt in vtroque foro omne damnum ob dilationem illi ſubſequutum repetere. ibid.p.585.n.34

Emphyteuta alicuius perſonæ particularis, qui intra triennium penſionem non ſoluit, non poteſt moram ſoluendo purgare, ne incidat in commiſſum, v. Emphyteuſis. pag.274. num.13

Emphyteuta Eccleſiæ, qui biennio non ſoluit, poteſt ſuam moram purgare, ſi elapſo biennio citò ſatisfaciat Eccleſiæ. ibidem.

Emphyteuta in mora eſſe intelligitur, etiamſi proprietarius penſionem non exigat, dies enim ſtatuta pro domino interpellat. ibid.

Purgatur mora ſi breuiter ſatisfiat ante iudicialem citationem, vel ſtatim poſt citationem abſque dilatione, arbitrio iudicis. ibid.

Sacerdos, qui eſt notabiliter in mora celebrandi Miſſas pro iis, à quibus vel pro quibus ſtipendium accepit, differendo celebrationem illarum ad longum tempus, peccat mortaliter, v. Miſſa II. p.566.n.9

Mors coniugis.

Dubius de morte coniugis, contrahendo cum alio validè contrahit, ſi duo concurrant. Primò, vera mors coniugis. Secundò, vtriuſque partis verus conſenſus per verba de præſenti, quamuis grauiter peccet, tum contrahendo, tum debitum petendo, v. Matrimonium II. p.534.n.38. vbi plura num. 39. & 40.

Motus proprius.

Proprio motu tunc dicitur gratia conceſſa, quando Pontifex explicat ſe proprio motu in litteris diſpenſationis concedere;

Digitized by Google

dere, quamuis conſtet eam ab impetrante petitam, v. Diſpenſatio. p.220.n.2
Proprio motu Principis conceſſa diſpenſatio ob publicam vtilitatem amplè intelligenda venit, eo quòd dicatur verè Principis beneficium, ac omni ambitione vacans. ibid.

Mulier.

Mulier, quæ ex repentina aliqua animi paſſione, puta lætitia, metu, appetitu, ſibi natura repugnante, vel terribili & formidabili alicuius aſpectu vel terrore ex armatorum vel triumphantium hominum viſione, abortum patitur, non incidit in caſum reſeruatum, v. Aborſus. p.17.n.14
Mulier, quæ ſtatim poſt copulam mingendo vel digitis eiicit ſemen viri receptum, non dicitur abortum procurare, ſed tunc ſolùm quando eſt conceptum ſemen. ibid.p.18.n.16
Mulier, modo non inhoneſtè viuat, detrudi non poteſt in carcerem pro debito ciuili, ſeu ex contractu vel quaſi contractu prouenientè, etiamſi ſit debitrix fiſco Regis, ſed executio tantùm fit in bonis illius, ſi quæ habeat, v. Debitor. p.203.n.15
Mulieres cuiuſcumque conditionis ſint, etiam Moniales percutientes Clericos, ex quauis percuſſione, ab Epiſcopo abſolui poſſunt, v. Excommunicatio V. p.328.n.22
Mulieres non poſſunt emphyteuſim accipere, quia non poſſunt facilè in iudicium vocari, v. Emphyteuſis. p.272.n.4
Qui cum muliere coniugata ludit, poteſt licitè ſibi retinere lucrum, quod ab ea acquiſiuit, in ſeptem caſibus, v. Ludus. pag. 505.n.9
Mulier matrimonio iuncta ſi mandet alicui, vt pro ea fideiubeat, ille tenetur actione mandati. Quid ſi mandet alteri vt fideiubeat pro alio, mandatum tunc non ſubſiſtit, v. Mandatum. p.516.n.2
Vide ſupra v. Fœmina.

Muliones.

Muliones poſſunt cum beſtiis onuſtis & rhedis iter facere in die Feſto, v. Feſtum II. p.334.n.5
An autem prædictis liceat iter incipere in die Feſto? Negant multi etiam ratione conſuetudinis; ſed alij exiſtimant ratò contingere dictos peccare mortaliter, modo Miſſam audiant. ibid.

Mutus.

Mutus à natura, qui ſubinde ſurdus eſt, poteſt profiteri in religione; ſi enim aptus eſt ad camale matrimonium ineundum, erit quoque ad ſpirituale aptus; modo ita perſpicaci intellectu præditus ſit, vt ſignis doceri valeat naturam ſtatus religioſi, poſſitque ſignis conſenſum exprimere, v. Profeſſio, pag. 705.n.20
Mutus, qui non caret intellectu, ſed mentem ſuam nutu & certis ſignis & indubitatis exprimere poteſt, non repellitur à teſtificando in ciuilibus, ſecus autem in criminalibus, v. Teſtis. p. 836.n.12.

Mutuum & vſura.

Mutuum, cùm ſit fundamentum & quaſi ſedes vſuræ, definitur, quod eſt datio, ſiue traditio rei in pondere, numero, vel menſura conſiſtentis facta eo animo, vt ſtatim fiat accipientis, cum obligatione, vt poſtea tantundem eiuſdem rationis ac qualitatis reddatur. p.580.num.1
Mutuum, ſecundum iuriſperitos diuiditur in naturale, & ciuile: item ratione rei; ratione temporis; item ratione perſonæ. ibid.n.2.
Mutuum aliquando eſt in præceptis & obligat maximè in duobus caſibus. ibid.n.3
Mutuum dare poteſt is, qui non eſt lege prohibitus: illi autem lege prohibentur, quibus eſt interdicta libera ſuarum rerum adminiſtratio. p.581.n.4
Procurator alicuius generalis, ſine ſpeciali mandato non poteſt mutuum dare, ſecus ſi habeat liberam bonorum adminiſtrationem. ibid.n.5
Ad mutui rationem pertinet vt mutuum ipſa rei quæ datur traditione contrahatur: vt adſit in mutuo contrahentium conſenſus: vt res ſit ex eorum numero, quæ mutuo dari poſſunt: vt ſit gratuitum non mercenarium. ibid.n.6
Mutuantis obligationes ſunt duæ. Prima eſt, admonendi mutuatarium de vitio rei mutuatæ. Secunda eſt, non repetendi mutuum ante tempus. ibid.n.7
Mutuatarij obligationes ſunt. Primò, reſtituendi rem ſuo tempore. Secundò, reddendi rem eandem in ſpecie. Tertiò, reddendi rem mutuatam in eadem quantitate, in qua fuit accepta. Quarta eſt, reddendi rem mutuatam æquè bonam. Quintò, reddendi rem in omni euentu, quo ipſa periret, etiam caſu fortuito. ibid.n.8
Princeps ſæcularis vſuram in Republica permittens non peccat, ſicut & proſtibula, ad euitanda maiora mala: quæ parte tamen iuris ciuile videtur vſuras approbare tanquam licitas, & cogit ad ſolutionem, eatenus eſt abrogatum per ius Canonicum. ibid.n.9
Verius eſt Principes ſæculares non poſſe dare Iudæis poſitiuam licentiam exercendi vſuras abſque Pontificis auctoritate & diſpenſatione propter ius Canonicum illud pſoluberis: quamuis quidam contrarium docent. ibid.
Conſentaneum valdè iuri naturali eſt, & naturalis conditio mutui, vt pro nummis aureis mutuo datis, non poſſit mutuatarius inuito mutuante alterius generis nummos argenteos æreoſque ſoluere: licet quibuſdam Doctoribus contrarium placeat. p.582.n.10
Vſurarius eſt contractus pro pretio anticipato conducere operas mercenarij, ſi contractus fiat ſub ratione mutui, ita vt teneatur is, qui pecuniam accipit, reddere eam pecuniam ſuiſmam ei, qui dedit. ibid.n.11
Quando contractus celebratur ſub ratione locationis, itavt pecuniam illam non recipiat tanquam mutuatam, ſed tanquam ſibi datam in ſtipendium laboris futuri, contractus non eſt vſurarius. ibid.
Qui mutuat ea lege vt mutuatarius conſtè ratione mutui obligetur ciuiliter ad conducendum agrum mutuantis, eſt vſurarius: ſecus ſi mutuum detur ad ſumptus in agro colendo neceſſarios. ibid.n.12
Vſurarius eſt, ſi mutuans in agri locatione, ratione mutui augeat pretium illius. Imò etiamſi pretium non augeat in caſu quo pauci ſunt coloni, qui velint agrum conducere, dat autem mutuum, vt mutuatarius conducat agrum eodem pretio, quo tempore copiæ mercatorum locatus fuerat. ibid.
Vſuram non committit, qui mutuat gratiâ recuperandi quod ſibi liquidò deberur ex iuſtitia: ſecus ſi mutuet gratiâ recuperandi debitum litigioſum; vel quod ſibi debetur lege charitatis vel gratitudinis. p.583.n.13
Vſura eſt, ita mutuare, vt teneatur mutuatarius recipere dimidium mutui in pecunia, & dimidium mercibus, & poſtea totum reſtituere in pecunia numerata. ibid.n.14
Non eſſet contractus vſurarius, ſi mutuans non obliget mutuatarium ad accipiendum in mercibus, ſed dicat petenti mutuum, nolo tibi pecuniam meam mutuare, vendam tamen tibi merces iuſto pretio, quibus diuenditis poteris tibi ſubuenire. ibid.
Vſura eſt, aliquid ſupra ſortem accipere pro onere numerandi pecuniam, ſiue pecuniæ ſumma ſit modica, ſiue magna, niſi accipiatur titulo lucri ceſſantis. ibid.n.15
Non eſt abſolutè licitum mutuare pecuniam accepeam ab vſurario, cum pacto vt mutuatarius ſoluat vſurario quod mutuans ſoluturus erat. ibid.n.16
Quando in mutuo ſoluendo non eſt conſtitutus certus terminus, nullum eſt peccatum ex natura rei diſſimulare, & non repetere mutuum, niſi tempore quo maiori pretio venditur. ibid.n.17
Mutuator peccat contra iuſtitiam, qui operam dat ne mutuatarius quando ipſi vtile & commodum eſt, mutuum reſtituat, ſed eo ſolùm tempore, quo eius pretium augetur. ibidem.
Qui mutuat pecuniam auream vel argenteam, poteſt cum mutuatario paciſci, vt tantumdem in pecunia aurea vel argentea reſtituatur. Mutuans verò in pecunia ærea, non poteſt paciſci cum mutuatario, vt auream vel argenteam pro ea ſibi reſtituat. ibid.n.18
Vſurarium eſt dare pecuniam argenteam pro aurea cum aliquo lucro, ſi ratione mutui illud lucrum recipiatur: ſecus ſi ratione venditionis vel permutationis. ibid.
Mutuare centum cum pacto, vt ſi mutuatarius intra duos annos moriatur, nihil reddere teneatur, ſi autem vltra duos annos viuat, reddat duplum, verius eſt contractum non eſſe vſurarium, ſed licitum. p.584.n.19
Probabilius eſt vſuram non committi ab eo, qui debet Caio centum nummos ſoluendos poſt annum, ſed anticipatè ſoluit quinquaginta hoc pacto, vt Caius expectet per biennium alios quinquaginta: licet contrarium ſit etiam probabile. ibid.n.20
Quando mutuatarius eſt in mora culpabili reddendi mutuum, ſi inde damnum aliquod eueniat mutuanti, tenetur ad illius compenſationem. ibid.n.21
Qui accipit fructus pignoris ſibi à mutuatario traditi, illis non computatis in ſortem principalem, eſt vſurarius. ibidem num.22
In duobus tamen caſibus creditor non tenetur fructus pignoris in ſortem computare. ibid.
Vſurarius eſt gener, ſi ſocer velit ſoluere dotem, & ipſe renuat eam accipere, ſed poſtulet, vt ſibi in pignus ager fructuoſus tradatur, ex quo ſingulis annis fructus percipiat, ſalua ſorte principali. ibid.n.23
Quando ſocer non ſoluit dotem genero, ſed dat illi in pignus agrum fructiferum, licet genero fructus illos percipere non computando eos in dotem, vt illis ſuſtentet onera matrimonij. ibid.
Si hæredes mariti ſunt in mora ſoluendi dotem, vidua poteſt in vtroque foro omne damnum ob dilationem illi ſubſecutum repetere: & ſi nullum intereſſe incurrit poteſt percipere fructus pignoris, donec ei ſua dos ſoluatur: nonnulli tamen docent non poſſe. ibid.n.24

Vendere alicui fundum, vel domum, & reſeruare ſibi fructus annuales, vel redditus donec ſoluatur pretium, non eſt vſurarium; contrarium tamen non eſt improbabile. ibidem num.25

Qui titulo donationis, vel emptionis accipit aliquid ab vſurario per vſuram extortum, tenetur idem, ſi ſit fructiferum cum ſuis fructibus reſtituere mutuatario, à quo vſurarius illud acquiſiuit per vſuram, modò multo domino hoc emeretur, ſecus ſi ex eius conſenſu tacito, vel præſumpto. p.586. num.26

Qui titulo gratuito, vel oneroſo accipit aliquid vſu conſumptibile per vſuras extortum ab vſurario habente alia bona vnde reſtituat, peccat quidem, ad illius tamen reſtitutionem non tenetur. ibid.

Qui per modum donationis, vel eleemoſynæ aliquid accipit ab vſurario, non habente alia bona præter vſuraria, peccat contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem accepti tenetur: quia ſua non ſunt aliena. ibid.

Vſurarius non habens bona, niſi reſtitutioni obnoxia, poteſt validè emere domos, vel agros, in eorum pretium tradendo pecuniam, quam per vſuram extorſit. ibid.

Quando vſurarius non inductus, ſed ſponte res ſuas etiam titulo gratuito alienat, qui accipit, non tenetur ad reſtitutionem in foro conſcientiæ, etiamſi ſciat ipſum per eiuſmodi contractus, fieri impotentem ad ſoluendum. ibid.num.27

Quando vſurarius inductus ad donandum, vel alienandum, donat, vel alienat, qui ab eo accipit, aduertens eum ſic reddi impotentem ad ſoluendum, tenetur ad reſtitutionem, ſi hæc impotentia ſit cauſa non ſoluendi, ſecus non. ibid.

Qui prouocauit vſurarium ad dandum, vel alienandum, ſciens per hoc fore impotentem, tenetur eſſe paratus ad reſtituendum, quandocumque viderit illum velle ſoluere ſuis creditoribus, & non poſſe per impotentiam, cuius ipſe eſt cauſa. ibid.

Vxor, filij, & ſerui V. furarij non habentis, niſi bona fœneraticia, & reſtitutioni obnoxia, conſtituti in extrema neceſſitate licitè poſſunt de huiuſmodi bonis victum, & veſtitum capere: extra hunc caſum non poſſunt. ibid.n.28

Vxor, & filij vſurarij, qui ſuo labore, ac induſtria tantùm lucri afferunt ad rem familiarem vſurarij impotentis ſoluere vſuras, quantum inſumunt, licitè poſſunt de his bonis decenter viuere, iuxta ſtatum patris vſurarij. ibid.n.29

Quando vſurarius præter bona vſuraria habet alia iuſtè acquiſita, poſſunt vxor & filij eius ex illis victum quærere. ibid.

Vxor, quæ competentem attulit dotem, ex bonis licitè acquiſitis ab vſurario, obnoxijs tamen reſtitutioni, licitè poteſt pro ſe, & filijs ſuis neceſſaria alimenta ſuſcipere, ſine obligatione reſtituendi tempore opportuno. ibid.

Bona per vſuram extorta vſu conſumptibilia, non ſunt obligata pro vſuris ſoluendis obligatione realis, ſed perſonali tantùm, quando vſurarius habet alia bona iuſtè acquiſita ad ſatisfaciendum ſufficientia. Secus ſi non habeat alia bona, præter vſuraria. p.587.n.30

Famuli, qui miniſtrando vſurariis alia bona non habentibus, ex quibus poſſint vſuras reſtituere, per ſuam induſtriam tantùm emolumenti afferunt bonis talium vſurariorum, quantum pro victu, veſtitu, & ſtipendiis inſumunt, non peccant, nec ad reſtitutionem tenentur; ſecus ſi ſeruiant tantùm ad pompam. ibid.n.31

Qui ſciunt vſurarium non habere alia bona, quàm fœneraticia, non poſſunt locare illi operas ſuas, nec artifices poſſunt aliquid ab eo accipere in pretium rerum ſuæ artis, quibus non indiget extrinsecè: Secus, ſi bona fide locent operas ſuas ignorantes impotentiam illius ad reſtituendum vſuras. ibidem.

Notarius, qui bona fide conficit inſtrumentum ignorans illud eſſe vſurarium, ſed reuera eſt tale, non peccat, nec ad reſtitutionem tenetur. ibid.n.32

Si ſuſpicetur notarius in contractu ibi latere vſuram, vel aliam iniuſtitiam, tenetur indicare contrahentibus, & ſi poſt narrationem probabiliter iudicet ibi nullam eſſe vſuram, inſtrumentum conficiat, deponendo dubium. ibid.

Si verò dubitet prudenter, an talis contractus ſit vſurarius, non conficiat inſtrumentum. ibid.

Si notarius conficiat inſtrumentum vſurarium in quo vſura palliatur in fauorem tantùm mutuatarij perentis mutuò pecunias, grauiter peccat, licet non ſit obligandus ad reſtitutionem: ſecus ſi tale inſtrumentum faceret inuito mutuatario. ibid.

Teſtes qui ſcienter interueniunt contractui vſurario, tenentur ad reſtitutionem in ſolidum, niſi hoc faciant bona fide, aut conſentientibus mutuatariis. p.588.n.33

Quando conſtat contractum aliquem vſurarium eſſe, hoc delictum eſt mixti fori, & datur locus præuentioni. Si verò ſit dubium, an contractus ſit vſurarius, pertinet ad iudicem Eccleſiaſticum declarare. ibid.n.34

N.

Natiuitas.

NAtiuitate ſeruitus acquiritur, id eſt, qui ex ancilla natus eſt, ſiue pater ſit liber, ſiue non, ſiue ſit ex matrimonio legitimo, vel ex fornicatione, efficitur ſeruus, quia partus ſequitur ventrem, V. Seruitus. p.782.n.7

Si mater, vel quando concepit, vel quando partus accidit, vel intermedio tempore fuit libera, etſi ad momentum, proles iure Cæſareo non contrahit ſeruitutem. ibid.

Neceſſitas.

Quando debitor, & creditor ſunt in extrema neceſſitate, debitor tenetur creditori ſoluere quod debet; maximè quando creditor ſubtractione illius rei, qua indiget, coniectus eſt à debitore in illas anguſtias. V. Debitor. p.201.n.3

Si creditor ſubtractione illius rei non eſt coniectus in extremum illud diſcrimen, ſed aliunde incidit, probabile eſt debitorem non teneri in pari diſcrimine, idque non ſolùm quando res eſt ſub dominio debitoris, ſed etiam quando in ſpecie eſt debita creditori. ibid. & V. Reſtitutio. pag. 746. num. 30. & 31.

Vt neceſſitas excuſet ab exercitio operum ſeruilium in die feſto, debet eſſe neceſſitas actu exiſtens in aliquo paupere particulari, quæ moraliter nota ſit, & patens ita, vt ſi in eo die feſto ei per opus ſeruile non ſuccurramus, quando aliter non poſſumus, abſque remedio, & ſubſidio relinquertur. V. Feſtum 11. p.335.n.9

Quando neceſſitas non inſtat pro die feſto, moraliter loquendo, & miſeriæ pauperis ſubueniri poteſt ſequenti die non feſto, tunc neceſſaria erit diſpenſatio, atque licentia Parochi, vt licitè fiat. ibid.

Quamuis neceſſitas vrgens excuſet Epiſcopos, Prælatos, & alios curam animarum habentes, à reſidentia, puta, quando aliquis grauí aliquo morbo affectus eſt, & niſi locum mutet, vitæ periculum imminet, &c. Hoc tamen procedit quoties non immineret detrimentum ouium in ſpiritualibus. V. Reſidentia. p.733.n.2

Necromantia.

Necromantiam vocat vulgus omnem artem inuocandi Dæmonem, nos verò ſtrictiùs pro ſpecie diuinationis, qua per mortuos, aut aliquid ad eos pertinens, homines occulta conantur ſcire, ac prædicere. V. Diuinatio. p.228.n.7

Necromantia ex etymologia nominis nihil aliud eſt, quàm per mortuos diuinatio, nam necros græcè mortuus, Mantia verò diuinatio nuncupatur. Et hæc tribus præcipuè modis poteſt exerceri. ibid.

Necromantiæ generaliter acceptæ, in qua eſt pactum expreſſum cum Dæmone, ſunt nouem ſpecies. ibid.n.4

Negotia geſta.

Negotia geſta dicuntur, cùm abſque mandato formaliter, aut virtute negotium alterius vtiliter geritur: ſi verò præcedit mandatum formaliter, aut virtute, non erit contractus negotiorum geſtorum, ſed mandati. p.588.n.1

Negotiorum geſtor is dicitur, qui negotia alterius vtiliter gerit abſque eo quòd de iis habeat ab illo mandatum formaliter, aut virtute: & in hoc quaſi contractu requiritur abſentia illius, cuius negotium geritur. ibid.

Negotium alienum quatuor modis geri poteſt, 1. cura, & officio, 2. reipſa, 3. ratihabitione, 4. ipſa negotij geſti actione. ibid.n.2.

Qui gerit negotium alterius, tenetur ſolùm ex dolo, & lata culpa, quando negotium geſtum eſt in bonum ſolius abſentis: ſi in bonum vtriuſque, tenetur de culpa leui; de caſu autem fortuito regulariter non tenetur, niſi in ſex caſibus. ibid.n.3

Ex parte negotia gerentis oritur obligatio ad reddendam rationem eorum quæ geſſit, & quæ recepit. Ex parte eius, cuius negotium geſtum eſt, reſpondet actio directa aduerſus negotiorum geſtorem. ibid.n.4

Quando quis putans ſe agere negotium vnius, geſſit negotium alterius, reſultat ex eo negotio geſto actio negotiorum geſtorum inter eum, cuius res illa erat, & negotij illius geſtorem. ibid.

Si quis nomine alterius aliquid recipiat, & alter id ratum habeat, oritur inter recipientem, & hunc actio negotiorum geſtorum. ibid.

Si quis habeat multa negotia, quæ gerantur, & aliquis gerat vnum eorum, & reliqua omittat, quæ à nullo gerantur, regulariter non tenetur de his, quæ non geſſit. p.589.num.5

Incipiens gerere negotium, & deſiſtens ab eo antequam perficiatur, tenetur de damno ea de cauſa ſubſequuto. ibid.

Quando

Quando is, cuius negotium geritur, expressè significauit, ne alius ipsius negotium gereret, non tenetur ad expensas factas post admonitionem, ad factas ante tenetur; si nulla praecessit admonitio, & negotium vtiliter gestum est, tenetur expensas soluere? ibid.n.6

Quando aliquis gratis, animoque liberali expendit aliquid in alterius commodum, non potest mutare animum post tale negotium liberaliter factum, & petere expensas illas actione negotiorum gestorum: talis tamen potest mutare animum, antequam negotium incipiat. ibid.n.7

Inter negotiorum gestorem, & procuratorem, eumve, qui ad id habet mandatum, discrimen hoc est, quod negotiorum gestor, neque dominium, neque possessionem ei comparat, cuius negotium gerit. Procurator verò, & qui mandatum habebat, comparat. ibid.n.8

Ex quibusdam aliis, quasi contractibus in iure expressis, oritur actio negotiorum gestorum. ibid.n.9

Pupillus tenetur tutori actione negotiorum gestorum pro expensis necessariis, quas fecit in ipsius negotiis: Ad alias autem expensas, pupillus non tenetur, nisi quatenus esset factus ex iis locupletior. ibid.n.10

Negotiatio.

Negotiatio secundùm suam intrinsecam rationem non est bona, vt charitas, nec mala, vt mendacium, sed indifferens, vt comedere, ambulare, &c. quae ad bonum, malum, vel indifferentem finem referri possunt. V. Empti. p.288.n.41

Negotiatio potest ex circumstantiis reddi licita, & laudabilis, & ex multis circumstantiis illicita. ibid. Vbi plura, n.42. & seqq.

Negligentia.

Quando negligentia esset magna, & supina in administratione bonorum monasterij, iure conceditur, vt Abbas ab Abbatia deponi possit. V. Abbas. p.5.n.14

Si Episcopus negligentiam, vel delictum committat in conferendis beneficiis, quae ad ipsum spectant iure proprio, & non deuoluto; tunc ius collationis ad Capitulum deuoluitur, vt decernitur in iure. V. Beneficium IV. p.109.n.12

Nobiles.

Nobiles & magnae potentiae viri, delicioſi dicuntur, vt laborem eundi Romam sustinere nequeant, vt, si Clericum enormiter percutiant, absolui possint ab Episcopo ab excommunicatione incursa reseruata Papae. V. Excommunicatio V. p.328. num 24.

Iure optimo facilius dispensatur in matrimonij impedimentis cum nobilibus, diuitibus, & potentibus propter pacis foedus firmandum, nec in hoc reperitur personarum acceptio. V. Matrimonium III. p.541.n.4

Nomen Iesu.

Per inuocationem nominis Domini nostri Iesu Christi dremonia ex corporibus hominum eiiciuntur. V. Adiuratio. p.35. num.11

Nominibus Iesu Christi Domini nostri, siue rerum personarum diuinarum, & sanctorum cæli Ciuium, etiam scriptis, aut pronunciatis, siue auditis, honor, & veneratio debetur, sicut sacris imaginibus. V. Adoratio. p.39.n.11

Notarius.

Notarius, qui bona fide conficit instrumentum ignorans illud esse vsurarium, sed reuera est iniquum, & vsurarium non peccat, nec ad restitutionem tenetur. V. Mutuum. p.587.n.32. Vbi plura.

Notarij officio, vel aduocati fungi potest procurator, & stipendium accipere, modo illud faciat aequè bene, & sine clientis damno, & iniuria. V. Procurator. p.695.n.4

Nouatio, Delegatio.

Nouatio est prioris debiti, seu obligationis in aliam obligationem, vel ciuilem, vel naturalem transfusio, atque translatio, ita vt prior perimatur. p.590.n.1

Nouatio à verbo nouo est dicta, & à noua obligatione, quae loco prioris succedit. ibid.

Nouatio fit multipliciter, vel mutata persona in secunda obligatione: vel ablibito, aut remisso fideiussore, vel accepto, aut remisso pignore; vel facto augmento, aut decremento in quantitate debita; vel variato termino, &c. ibid.n.2

Hodie sancitum est, vt facta quacunque variatione in secunda obligatione, non censeatur facta nouatio, ac proinde, nec censeatur extincta prior obligatio, nisi contrahentes exprimant, se animo nouandi efficere secundam obligationem, sed vt cum priori obligatione maneat secunda. ibid.n.3.

Delegatio, seu delegare est vice sua alium dare reum creditori, vel cui creditor iusserit: est autem delegatio species quaedam nouationis. ibid.n.4

Nouitiatus, Nouitius.

Quoad locum, in quo nouitij educari debent, extant decreta Summorum Pontificum Clementis VIII. & Vrbani VIII. p.591.n.1

Religionem ingrediens debet mutare habitum, illumque de ea religione, quam ingreditur, per manus Praelati, vel alterius de eius licentia suscipere. ibid.n.8

Habitus religiosorum est triplex, nimirum; habitus probationis, conuersionis, & professionis. ibid.

Ad nouitiatum aetas legitima est pubertas completa; nempe in viro 14. anni completi, in femina verò duodecim. p.592. num.3.

Quamuis aliquis per plures annos in religione fuerit, non tenetur omnino explenire annum probationis, donec 16. aetatis annum impleat. ibid.

An autem vi Tridentini puella duodecim annis minor possit ad habitum regularem admitti? Affirmant quidam, negant alij ex quadam declaratione factae Congregationis. ibid.

Attento iure antiquo, possunt parentes filium impuberem religioni offerre, vt in ea sub regulari disciplina viuat; nisi peculiari religionis statuto caueatur, ne infans, aut impubes admittatur. ibid.n.4

Impubes sic à parentibus monasterio oblatus, nequit resilire, donec pubertatem compleuerit adipiscatur. ibid.

Quando impubes propria sponte absque praedicta oblatione religionem ingreditur, potest quamlocunque voluerit exire, donec professetur. ibid.

Quando impuberes religionem ingrediuntur absque parentum, vel tutorum consensu, possunt parentes, vel tutores id factum irritare: & impuberem reuocare, nisi anno, & die id cognouerint, consenserint, quo tempore transacto reuocare nequibunt. ibid.

Amentes, & furiosi ad probationis habitum admitti non possunt, & sunt inhabiles ad religionem. p.593.n.5

Si quis tempore amentiae receptus esset, & postea vsum rationis recuperaret; annus probationis completendus non est à tempore receptionis, sed à tempore, quo conualuit, mediante viu recuperato, praestitit. ibid.

Amentia, seu furor cito transiens ex morbo superueniens, & durans octo, vel quindecim dierum spatio, non impedit cursum anni nouitiatus: licet quidam contrarium doceant. ibid.n.6

Si post expletum probationis annum, & ante professionis emissionem in amentiam incidat, ac postea mentis compos effectus ratam habeat probationem, poterit ad professionem admitti. ibid.

Coniux, qui dedit alteri licentiam religionem ingrediendi, potest illam reuocare, antequam alter coniux professetur. ibid. num.7

Ingressus vnius coniugis in religionem à principio factus, sine licentia alterius potest postea confirmari, & ratus haberi per superuenientem consensum illius. ibid.n.8

Qui habet fratres, vel sorores in graui necessitate constitutos, non tenetur causâ eis subueniendi, ad differendum religionis ingressum. p.594.n.9

Quando fratres sunt adhuc sub cura parentis, & sic censentur augere necessitatem, & indigentiam eius, hac ratione parentis potest quis obligari etiam ad fratres suos. ibid.

Constitutio Sixti V. qua reddiuntur inhabiles, & ad receptionem, & ad professionem, qui ingenti aere alieno supra vires suarum facultatum sunt grauati, in certis casibus non habet locum. ibid.n.10

Non licet Parentibus religionem ingredi, non prouidendo, vbi qualiter filij educari valeant, si nondum sint emancipati: secùs si iam sint emancipati, & graui necessitate non laborent. ibid.n.11

Si pater relictis filiis absque praedicta cura iniquè ad religionem transeat, & in ea professetur, valida erit professio: nec tenetur professus egredi ad eis subueniendum, sed tantum tenetur iuxta suum statum, & salua regulari obseruantia illis prospicere. ibid.

Si quis promiserit personam suam alicui, vel etiam communitati, potest promissione non impleta religionem ingredi, etiamsi medio iuramento se obligasset; hoc tamen non procedit in eo, qui vltra promissionem iuramento firmatam, aliam obligationem iustitiae habet. p.595.n.12

An autem hic ingrediens religionem teneatur de damno secuto ex eo quòd fides seruata non fuit? probabilius est hunc non teneri perficere per alium, nec ad aestimationem, nec ad damna. ibid.

Qui aliquod obsequium homini promiserat, si exeat tempore nouitiatus, tenebitur illud exequi, secus si post professionem expelleretur. ibid.

Verius est non permitti coniugi adultero transire ad religionem, multo innocenti, etiam lata diuortij sententia, & si ingrediatur, posse post professionem reuocari: licet contrarium quidam doceant. ibid.n.13

Valide mutat statum adulter post diuortij sententiam, si id faciat innocens, nec contradicat. ibid.

Quando coniux innocens dat licentiam ingrediendi religionem adultero, non est necessarium, vt ipse etiam ad religionem transeat, vel votum castitatis emittat. ibid.

Quando vxor innocens post diuortium recusat reconciliari marito; tunc dicitur eidem licentiam transeundi ad religionem

tem concedere. ibid.

Hermaphroditus inhabilis est ad ingressum religionis, quicumque sexus in eo præualeat, & si taceat suum defectum in ingressu religionis, eo cognito postea, Prælatus eum expellere debet, & habitu spoliare, etiam post professionem. ibid. num. 14.

Impotens ad seruanda religionis essentialia, & etiam accidentalia præcepta, & obseruantias, inhabilis est ad religionis ingressum, & professionem, & tam receptus, quam Prælatus recipiens mortaliter peccant: tamen professio est valida. p. 596. n. 15.

Regularis transiens cum licentia ad aliam religionem, tenetur ibi integrum annum nouitiatus peragere: licet aliqui contrarium doceant. ibid. n. 16

Si religiosus transeat ad aliam religionem vt sit Prælatus sufficit professio tacita, nec requiritur annus probationis, etiamsi transiens iam ad strictiorem religionem. ibid.

Nouitius antequam admittatur ad professionem, tenetur scire substantiam obligationis suæ regulæ, nempe agnoscere se nec tenere voto professionis obligari ad obedientiam, paupertatem, & castitatem, & etiam ad alia præcepta contenta in regula. ibid. n. 17

Nouitius, quamdiu religionis habitum retinet, non potest licitè matrimonium contrahere, quamuis si de facto contrahat, matrimonium sit validum. p. 597. n. 18

Probabilius est continuationem anni nouitiatus, & probationis debere esse vsque ad professionem sine vllo interuallo temporis, quamuis contrarium sit etiam probabile. num. 19

Annus nouitiatus non interrumpitur, quando nouitius tempore probationis de licentia sui superioris, causa infirmitatis curandæ in parentum domo, vel ad visitanda loca sancta per aliquod tempus à monasterio exiret. ibid. n. 20

Non interrumpitur etiam annus nouitiatus, si nouitius retento habitu perteritus seueritate superioris, vel magistri monasterium occultè exeat causa se celandi, dummodò animum habeat redeundi. ibid.

Nouitius de iure non potest eligi ad vllam Abbatiam, seu Prælaturam in sua, vel in alia religione: bene tamen ad Episcopatum. p. 598. n. 21

Beneficia secularia possunt conferri nouitio, quamuis si professus fuerit, ea statim vacent. ibid.

Iure antiquo nouitius est incapax beneficij regularis, quod solis professis est conferendum: post autem Tridentinum potest dari beneficium regulare non professis, imò & his qui habitum nondum susceperunt, modò habitum suscipere, & professionem emittere teneantur. ibid. n. 22

Duplex solemnitas petitur à Concilio Tridentino, vt renunciatio bonorum à nouitio facta, sit valida. 1. vt licentia Episcopi, seu eius vicarij ordinarij, non foranei intercesserit. 2. vt renunciatio fiat intra bimestre ante professionem. ibid. num. 23

Nouitius non potest beneficio renunciare, nisi seruata forma, & solemnitate Decreti Concilij Trident. ibid. n. 24

Nouitius non potest donationem cum huiusmodi solemnitate factam, ante professionem renouare. p. 599. n. 25

Vt donatio à nouitio cum solemnitate dicti decreti facta sit firma, requiritur, vt professio sit valida. ibid. n. 26

Sub decreto Concilij comprehenditur patrimonium, cuius titulo ordinatus est nouitius: imo comprehenditur renunciatio officiorum publicorum temporalium. ibid. n. 27

Sub Tridentini decreto non comprehenduntur eleemosynæ partæ per nouitios factæ: nec victus & vestitus, quem pro se tribuunt nouitij monasterio, &c. ibid. n. 28

Probabilius est, renunciationem factam à nouitio ante ingressum religionis, intuitu tamen monasterij, vel religionis, non comprehendi decreto Concilij, & sic esse validam, vt declarauit sacra Congregatio. ibid. n. 29

Nouitius potest quocumque tempore condere testamentum, ante, vel post religionis ingressum, non seruatis solemnitatibus Concilij Tridentini, & confirmatur professione. ibid. num. 30

Nouitius tamen non potest facere donationem inter viuos, nec contractus magni momenti irreuocabiles: licet possit facere donationem remuneratoriam non obstante decreto Concilij. ibid.

Donatio facta à nouitio non habet effectum, si professio non sequatur, & moriatur ante professionem, stante decreto Concilij Trident. quamuis iure antiquo probabile sit talem donationem esse validam. p. 600. n. 31

Nouitius post professionem non potest testamentum priùs à se conditum reuocare, aut mutare. ibid. n. 32

Iure conceditur religioso, qui habebat filios, & ante professionem, nullam bonorum suorum præmisit dispositionem, posse inter eos dividere bona: hæc tamen iuris dispositio non procedit in fratribus minoribus. ibid.

Nouitius post professionem potest interpretationem dubiæ, & obscuræ suæ voluntatis in testamento, non satis explicitæ facere. ibid. n. 33

Probabilius est testamentum nouitij, & volentis ingredi religionem indigere solemnitatibus iuris communis. p. 601. num. 34

Solemnitates petitæ in nouitiorum testamento, sunt eæ, quas ius ciuile inducit. ibid.

Dispositio facta à minori intuitu ingressus in religionem, etiamsi fiat in fauorem personæ priuatæ valida est, sine authoritate curatoris, & decreto iudicis, si bona sint immobilia. ibid.

O.

Obedientia.

Obedire tenetur filius parenti præcipienti matrimonium, quando multum interest parentum, vt tale matrimonium ineatur, verbi gratia, ad componendas lites, & inimicitias inter parentes, & consanguineos eorum, cum quibus est contrahendum matrimonium. V. Matrimonium I. p. 524. num. 24.

Obedientiam non tenetur vxor marito exhibere in iis, in quibus ei subiecta est; vnde grauiter peccat vxor, dum notabiliter inobediens est circa ea, quæ ad bonos mores, & familiæ gubernationem pertinent. V. Parentes. p. 618. num. 7

Obedientiam tenentur serui, & famuli domino præstare in rebus, in quibus dominis subiiciuntur, non tamen in iis, quæ per se mala sunt. ibid. n. 8.

Oblationes.

Oblationum nomine in iure veniunt omnia, quæ Deo, & Ecclesiæ à fidelibus offeruntur: Ex consuetudine autem solùm dicuntur oblationes illæ res, quæ inter missarum solemnia, ab his qui missæ sacrificio adsunt, altari offeruntur. V. Parochia. p. 627. n. 16

Nullum extat præceptum diuinum, nec Ecclesiasticum de oblationibus in Ecclesia faciendis, tempore missæ Parochialis, nec possunt Parochiani ad id cogi, aut obligari censuris, aut aliis pœnis; possunt tamen longa consuetudine oblationes introduci. ibid. Vbi plura. n. 17. & 18.

Obligationes.

De obligationibus iudicis, vide verb. Iudex. p. 451. n. 2.

De obligationibus mutuantis, & mutuatarij. V. Mutuum. p. 581. n. 7. & 8.

De obligationibus negotia gerentis. V. Negotia gesta. p. 588. num. 4.

De obligationibus mariti erga vxorem, & vxoris erga maritum. V. Parentes. p. 618. n. 5. 6. & 7.

De obligationibus seruorum erga dominos, & dominorum erga seruos, & famulos. ibid. n. 8. 9. & 10.

De obligationibus ex pignore, ex parte debitoris, & creditoris. V. Pignus. p. 647. & seq. n. 1. 2. & 12.

De obligationibus regularium. V. Regulares. p. 716. n. 2.

De obligationibus deponentis. V. Depositum. p. 215. n. 7

De obligationibus feudatarij. V. Feudum. p. 337. n. 5

De obligationibus filiorum. V. Filius. pag. 347. & seqq. n. 7. 14. & 15

Obstetrices.

Fœminæ, quæ ex officio suo sunt obstetrices, tenentur ad scientia ea, quæ sunt substantialia ad Baptismum, scilicet, materiam, & formam, saltem vernacula lingua. V. Baptismus III. p. 83. n. 19

Vt paruulorum saluti consulatur, in quibusdam Diœcesibus statutum est, vt baptizatus ab obstetrice domi, postea cùm in templum defertur, sub conditione baptizetur. ibid.

Experientia notum est multas obstetrices in materia, vel forma errare, interdum per ignorantiam, vel turbationem, interdum verò per malitiam. ibid.

Quando diligenter examinata obstetrice, & mulieribus præsentibus in partu, inuenitur eam certè formam scire, & mulieres præsentes similiter asserunt, nihil tumultuariè factum, sed formam ritè cum ipsa aqua abluente, pronunciatam esse, in aliis Diœcesibus infans non rebaptizatur. ibidem.

Occasio proxima.

Occasio proxima à qua necessariò se debet abstinere ponitens, vt possit absolui, est omnis illa, quæ est peccatum mortale, aut est talis occasio peculiaris, qua credit, vel credere debet confessarius, vel ponitens, numquam, vel raro se vsurum ea sine peccato mortali perpensis eius circumstantiis. V. Absolutio. p. 24. n. 12

Occultum impedimentum.

Occultum impedimentum dirimens matrimonium in literis sacræ Pœnitentiariæ dicitur, quando est publicum, id est, quando non scitur in maiori parte vicinia, vel collegij, vel parochiæ, etiamsi sciatur ab aliquibus, ac proinde probari possit. V. Matrimonium III. p. 546. n. 26

Occultum impedimentum adhuc dicetur, si verbi gratia, copula ipsa sit publica in ratione copulæ, non verò in ratione impedimenti, id est, si sciatur copula, at non sciatur illud esse

Digitized by Google

Eſſe impedimentum dirimens matrimonium. ibid.

Quando impedimentum iam eſt deductum ad forum contentioſum, & ibi ponitur in eo foro eſt abſolutus, crimen dicetur adhuc occultum, etiamſi falſis teſtibus ſe defenderit, modò contra ipſum non fuerit ſemiplena probatio. ibid.

Si crimen ſit plenè, vel ſemiplenè probatum, etiamſi non ſit intimatum reo, iuxta quoſdam cenſetur publicum; iuxta alios manet adhuc occultum. ibid.

Odium.

Odium Dei grauius eſt peccatum, quàm blaſphemia. verb. Blaſphemia. p.122.n.6

Qui poteſt verbo damnum proximi impedire, & non impedit, quia illum odit, non tenetur ad reſtitutionem; odium enim, vel animi maleuolentia, quamuis augeat malitiam peccati, non tamen obligationem reſtitutionis inducit: quia odium iuſtitiæ non repugnat, ſed charitati, cuius violatio ad reſtitutionem non obligat. V. Reſtitutio. p.744.n.24

Officialis.

Officialis, qui prætextu ſui officij percutit Clericum, etiam animo iniuriandi, abſolui poteſt ab Epiſcopo, quamuis percuſſio grauis ſit, modò enormitatem non attingat. V. Excommunicatio V. p.328.n.23.

Si officialis abſoluatur ab Epiſcopo ob percuſſionem non enormem ex beneficio iuris, non eſt illi iniungendum onus ſe præſentandi poſtea Sedi Apoſtolicæ. ibid.

Quando officialis laicus arrogando ſibi iuriſdictionem, & quaſi id licitè præſtare poſſet, & non ad defenſionem oſtij ſibi commiſſi Eccleſiaſticum percutit, non poteſt ab Epiſcopo abſolui, niſi poſt percuſſio quoad lationem corporis leuis ſit. ibid.

Officium.

Officium diuinum dicuntur horæ Canonicæ; non ideo tamen iure diuino inſtitutæ ſunt, vt volunt quidam, ſed tantùm Eccleſiaſtico. V. Horæ Canonicæ I. p.379.n.2

Officium diuinum conuenientiſſimè in varias partes ab Eccleſia diſtributum eſt. ibid.n.3.

Officium commendationis animarum, quod morientibus legi ſolet, licitum eſt tempore interdicti, quia non eſt officium diuinum. V. Interdictum. p.431.n.27.

Officium paruum beatæ Virginis tenentur recitare ſub mortali omnes Clerici penſionarij, qui vt Clerici penſionem accipiunt, eo modo, quo obligantur beneficiarij perſoluere horas Canonicas, & ſub eiſdem pœnis: quamuis quidam contendat Conſtitutionem Pij V. *ex proximo*, pluribus in locis non eſſe vſu receptam. P. Penſio. p.646.n.14. Vbi plura.n 15. & ſeqq.

Opinio.

Exiſtente opinionum varietate, dummodo probabiles ſint, debet iudex in rei fauorem inclinare, quando cauſa criminalis eſt. V. Appellare. p.59.n.6

In cauſa ciuili, ſi opinio, quam ſecutus eſt iudex inferior, ſit minus probabilis, licitum eſt appellare. ibid.

Si opiniones ſint æquè probabiles circa ius, & nullus ſit in poſſeſſione, poteſt condemnatus ſuperiorem iudicem appellare, & allegare aliam opinionem eſſe probabilem. ibidem.

Si iudex inferior iudicauit ſecundùm opinionem communem & probabiliorem, & ſuperior amplectitur minus probabilem, & hoc conſtat reo, videtur non eſſe ei licitum appellare: licet quidam doceant, iuſtam eſſe tunc appellationem. ibidem.

Quando ex vtraque parte concurrunt opiniones probabiles, nulla eſt obligatio ſequendi opinionem, quæ fauet poſſeſſioni. V. Dubium. p.251.n.2

Quamuis probabile ſit iudicem in eligendis opinionibus attendere ſolùm debere, quæ allegata ſunt, non quæ allegari poſſunt, neque poſſe alteri parti, quæ allegare, vel probare debeat aperire, cùm hoc ſit officium aduocati, non iudicis: debet tamen iudex ſupplere de iure, & de facto, vbi vertitur periculum animæ. V. Iudex. p.452.n.4.

Opinio probabilis non iuuat in materia indulgentiarum, ſi oppoſitum ſit verum; licet quidam moderni contrarium doceant. V. Iubilæus. p.450.n.15.

Oratorium.

Oratorium propriè eſt locus apeus ad orandum; & eſt duplex, publicum ſcilicet, & priuatum. p.601.n.1

In oratoriis priuatis miſſa celebranda non eſt, niſi de licentia Summi Pontificis, ex Decreto Pauli V. & Vrbani VIII. ibidem.

Non obſtantibus dictis Breuibus, & Tridentino, poſſunt Epiſcopi hodie in aliquo caſu particulari ex iuſta cauſa diſpenſare, vt celebretur extra Eccleſiam in oratoriis priuatis cum altari portatili. p.602.n.2

Ex ſtylo curiæ dum Pontifex concedit licentiam celebrandi in oratoriis priuatis, ſolent apponi quædam conditiones, nempe, vt oratorium ad hoc decenter extructum, & ornatum exiſtat, ab ordinario loci approbandum. ibid.n.3

Secunda conditio, vt miſſa poſſit celebrari per quemcunque ſacerdotem ſecularem, vel regularem de licentia ſuperiorum. ibid.

Tertia, vt conceſſio intelligatur ſine iurium parochialium præiudicio, ac exceptis quibuſdam diebus. ibid.

Quarta, vt alij, præter familiares illius perſonæ, cui licentia datur, ibidem miſſæ intereſſentes diebus feſtis de præcepto, ab obligatione audiendi miſſam in Eccleſia minimè liberi cenſeantur. ibid.

Qui habuit licentiam celebrandi in oratorio domus ſuæ in aliqua ciuitate, ſi transferat domicilium in aliam, poteſt hoc priuilegio vti. p.603.n.4.

Habens indultum oratorij priuati in domo ſua, vt ibi miſſam audire poſſit, non poteſt illud erigere in villa. ibid.n.5.

Epiſcopus, dum eſt in aliena Diœceſi, poteſt erigere altare priuatum, vt in illo celebret, vel faciat celebrare in oratorio priuato, abſque licentia Ordinarij loci illius, dummodo non ſit in Vrbe Roma. ibid.n.6

Oracula viuæ vocis.

Oraculum viuæ vocis dicitur priuilegium, quod conceditur abſque ſcriptura, & per accidens contigit, quod non fuerit ſcriptum, vel certè non literis Authenticis. V. Priuilegium. p.676.n.7.

Priuilegium Bullatum dignoſcitur à priuilegio, quod eſt conceſſum viuæ vocis oraculo, ex ipſa forma loquendi, qua illa exprimuntur: nam in priuilegio Bullato loquitur ipſe Papa: in oraculis verò loquitur alia perſona referens, & atteſtans, quid Papa conceſſerit. ibid.

Conſtitutio S.D.N. Vrbani VIII. *aliàs ſolicite*, de reuocatione viuæ vocis oraculorum, adducitur ibid.n 8. vbi quædam dubia circa hanc Bullam reſoluuntur.

Ordinarius.

Ordinarij nomine comprehenditur quicunque ſuperior, ſiue inferior Prælatus, qui ordinariam iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem habet, ſiue ex priuilegio, vel ex præſcriptione, aut ex Canone illam habeat. V. Abbas. p.2.n.3.

Ordinarius quaſi reputetur delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, & ſubinde delegare poteſt vnam, vel alteram cauſam, non tamen vniuerſam ſuam delegationem: Ordinarius enim id non poſſet inconſulto Principe. V. Delegatus. p.210. *num.* 2.

Ordinarius in euentibus in quibus poteſt delegare, cogere poteſt ſibi ſubditum, vt delegatus ipſius ſit, ſecus autem eum, qui ſibi non eſt ſubditus, niſi is velit id acceptare. ibid. p.213.n.21

Ordinarius eſt non delegatus Vicarius generalis Epiſcopi, & habet iuriſdictionem ordinariam à iure: Alij autem vicarij Epiſcopi, qui foranei dicuntur, non ſunt ordinarij, ſed delegati ab Epiſcopo, aut ab ipſius vicario. V. Vicarius. p.845. *num.* 3.

Ordinarij poſſunt viſitare capellas Confraternitatum laicorum erectas in Eccleſiis Regularium, ex Decreto factæ Congregationis. V. Viſitare. p.851.n.10

Ordinis Sacramentum.

Ordines minores cùm ſint verè Sacramentum, ſi conferantur ab Epiſcopo excommunicato, ſuſpenſo aut etiam degradato, non poteſt Eccleſia illorum collationem irritare. p.604. num.1.

Collatio primæ tonſuræ poteſt ab Eccleſia irritari, quia non eſt ordo, nec ſacramentum. ibid.

Probabile eſt materiam, & formam ſacramenti ordinis eo modo, quo illas Chriſtus inſtituit, vbique terrarum eaſdem eſſe, Chriſtum tamen in particulari non determinaſſe materiam, & formam materialiter ſumptas, ſed genericè ſolùm ſtatuendo, ac iubendo, vt in collatione horum, & illorum ordinum, in quibus ipſe ita volebat, adhiberetur manus impoſitio, ac inſuper porrigerentur ſymbola externa, per quæ vniuſcuiuſque ordinis poteſtas delignaretur, quoddam verò ſymbolum eſſet adhibendum reliquiſſe determinationi Eccleſiæ. p.605.n.2

Qui veſperi attigit annum iure requiſitum pro aliquo ordine ſuſcipiendo, iuxta probabiliorem ſententiam, non poteſt mane præcedenti illum ſumere. ibid.n.3

In ſupputanda ætate ordinandorum, ſemper dies biſſextilis eſt includendus; quamuis notauerit contrarium doceant. ibid.

Epiſcopus in aliena Diœceſi poteſt conferre ſuis ſubditis primam tonſuram, ſine licentia ordinarij loci illius, quia non eſt ordo. p.606.n.4.

Epiſcopus conferens ordines in aliqua Diœceſi de licentia Diœceſani, ordinare poteſt, non ſolùm perſonas eidem ordinario ſubiectas, verùm etiam Clericos aliarum Diœceſium, modò à ſuis propriis ordinariis literas dimiſſorias habeant ad recipiendos Ordines, illaſque præſentent Epiſcopo ordinario. Sed alij Doctores aſſerunt non requiri nouam licentiam in hoc caſu ordinarij loci, ſed ſufficere generalem, quam habet. ibid.

Verius eſt, ſum Prælatus religionis, vel Epiſcopus mittit ſubditum ab alieno Epiſcopo ordinandum, non cenſeri eum vicis

vices ſuas committere Epiſcopo, vt diſpenſet cum illo in defectu occurrenti, aut oblito, in quo poteſt proprius Prælatus eiſpenſare. ibid.n.5

Regulares recipientes ſacros Ordines ante legitimam ætatem, vel ſine literis dimiſſoriis ſuorum Prælatorum, ipſo facto ſunt ſuſpenſi. ibid.n.6.

Qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, non incurrit ſuſpenſionem: nec irregularis eſt, ſi hic ordinatus adueniente mala fide ante legitimam ætatem, celebret. ibid. num.7.

Ordinatus per ſaltum, licet ſit impeditus ad ſuperiores ordines ſuſcipiendos, hoc tamen impedimentum non eſt irregularitas, ſed ſuſpenſio, quam tollere poteſt Epiſcopus. Si autem talis in malè ſuſceptо ordine, vel prætermiſſo miniſtrauerit ante diſpenſationem, fiet irregularis, & in ea irregularitate non poterit Epiſcopus diſpenſare, ex Concilio Tridentino. p.607.n.8

Ordinatus per ſaltum eſt tantùm ſuſpenſus ab eo ordine, quem per ſaltum ſuſceperit, non autem ab vſu ordinum inferiorum, quos legitimè ſuſcepit. ibid.

Epiſcopus ordinans ſubditum alienum ex ratihabitione proprij, in tribus caſibus excuſatur à cenſura ſuſpenſionis. ibid. num.9.

Prælatus regularis poteſt diſpenſare cum ſibi ſubdito, qui ordines per ſaltum, hoc ignoranter, ſiue etiam ſcienter ſuſcepit, vt prætermiſſos ordines recipiat, in malè ſuſceptо miniſtret, & ad ſuperiores, ſi qui deſint recipiendi, aſcendat ibid.n.10.

Prælatus regularis poteſt diſpenſare cum ſubdito promoto per ſaltum, ſi miniſtrauit in ordine malè ſuſcepto, quando delictum eſt occultum; ſi autem delictum eſt publicum, non poſſet, ex vi Tridentini, ſecus virtute priuilegiorum. ibid.

Epiſcopus, qui non recepit minores ordines, aut ſubdiaconatum, vel diaconatum, poteſt aliis conferre illum ordinem, quem non recepit; quidquid in contrarium nonnulli dicant ſine fundamento. ibid.n.11

Qui naſcitur caſu fortuito in loco vbi parentes non habent domicilium, fingitur natus in loco domicilij, & ſic proprius Epiſcopus non erit is, qui fuerit illius diœceſis, in quo ordinandus natus fuit caſu fortuito, ſed erit Epiſcopus eius diœceſis, vbi parentes habent domicilium. p.608.n.12

Qui habet duo domicilia, & in diuerſis diœceſibus, poteſt indifferenter à quocumque ex his duobus Epiſcopis ad ordines promoueri. Filius verò illius debet recipere ordines ab Epiſcopo loci, in quo natus eſt. ibid.

Scholares, & ſtudioſi, qui per multos annos in vniuerſitatibus commorantur, non contrahunt ibidem domicilium, ſi retineant animum in patriam redeundi: vnde non poſſunt ordinari ab Epiſcopo loci in quo eſt vniuerſitas, ſed ab Epiſcopo domicilij parentum. ibid.

Filij eorum, qui in vniuerſitate vxorem duxerunt animo in patriam redeundi, non poſſunt ordinari ab Epiſcopo, vbi ſita eſt vniuerſitas, ſed ab Epiſcopo domicilij parentum. ibid.

Filius ſuſceptus ex fornicatione matre certo loco manente, & patre alio, ſequitur domicilium matris, à qua certius procedit: vnde ordinandus eſt ab Epiſcopo domicilij maternі. ibid.

Epiſcopus poteſt ordinare aliquem ratione beneficij, etiamſi illud ſit tenue. ibid.n.13

Ex Concilio Tridentino poteſt Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare, ſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium ſtatim reipſa illi conferat. ibid. num.14.

Epiſcopi titulares hoc priuilegio non gaudent, & contrarium facientes, ipſo iure per annum ab exercitio Pontificalium ſunt ſuſpenſi. ibid.

Vt Epiſcopus poſſit ordinare ſuum familiarem, debet ille in ſeruitute per triennium continuatum complétum perſeueraſſe, nec ſufficeret animum tertium fuiſſe cœptum. ibid.

Sufficit ſeruitium triennale eſſe incœptum ante aſſumptionem ad Epiſcopatum: tamen non poſſet Epiſcopus ordinare familiarem in religione remota morantem, quamuis expenſis Epiſcopi vixerit. ibid.

Hæc facultas Epiſcopo conceſſa ordinandi ſuum familiarem triennalem, intelligi debet cum onere conferendi ſtatim ordinato congruum beneficium; & per verbum *ſtatim*, aliqui intelligunt quamprimùm beneficium vacauerit, ſed melius alij dicunt non debere excedere decem dies. ibid.

Ordines Mendicantes.

Religioſi Ordinum mendicantium gaudent priuilegiis mendicantium, & non mendicantium conceſſis, & concedendis à Sede Apoſtolica, & ſimiliter confirmationibus, & innouationibus eorundem priuilegiorum. V. Priuilegium. p. 680.*num* 10.

Omnes mendicantes præcipui ſunt quatuor: quibus alios ex adiunxit Eccleſia. ibid.

Ordines non mendicantes hic expreſſi priuilegiis mendicantium communicant, vt patet ex Bullis, quibus hanc communicationem impetrarunt. p.681.n.11

Plurimi etiam non mendicantes priuilegiis non mendicantium communicant. ibid.

Oſcula, & amplexus.

Oſcula, amplexus, & alij tactus impudici, quando non fiunt à cubantibus ſimul, ſed à ſtantibus, vel ſedentibus, indicia non ſunt ſufficientia, quæ violentam, ac certam moraliter efficiant præſumptionem adulterij, ac proinde ob talem præſumptionem illi non poſſunt condemnari adulterij, neque ad diuortium, & pœnam ciuilem, neque ad criminalem, niſi aliæ circumſtantiæ adiiciantur loci, temporis, vel perſonarum. V. Adulterium. p.43.n.20.

P.

Pactum.

Pactum multiplicitèr diuiditur, 1. in conuentum, ſeu expreſſum, & in tacitum, 2. in perſonale, & reale, 3. diuiditur, quod aliud ſit in rem, & aliud in perſonam, 4. in nudum, & veſtitum. p.609.n.1.

Pactum veſtitum dicitur ſex modis, 1. re, 2. verbis, ſcilicet in ſtipulando, 3. literis, 4. conſenſu, 5. cohærentia contractus, 6. interuentu rei. ibid.

Pactum nudum non veſtitur aliquo prædictorum, ſed tantùm conſiſtit in meris, & puris finibus conuentionis. ibid.

Pactum eſt duorum, vel plurium in idem placitum, ſeu conſenſus: tamen pactum generalius eſt nomen, quàm contractus. ibid.n.1

Pactum, ſtipulatio, pollicitatio, ethuentio, & promiſſio inter ſe differunt, & diſtinguuntur. ibid.n.3

De ratione pacti ſunt tria, 1. quod iſte actus generatur inter plures, 2. quod partes ſint præſentes per ſe, vel alium, aut ſcripturam, ita quod conſenſus earum concurrant, 3. quod verba præmittantur à ſpondente. ibid.

Pacti cuiuſque proprius effectus eſt naturalis obligatio. Definitur autem obligatio, iuris vinculum, quo neceſſitate aſtringimur alicuius rei ſoluendæ, vel faciendæ. pag. 610. num.4

Diſcrimen inter promiſſionem, & pactum quoad obligationem, hoc eſt, quod ex promiſſione iam acceptata ab alio, obligatio tantùm naſcatur ex parte promittentis: at ex pacto naſcitur obligatio ex parte vtriuſque paciſcentis. ibid.

Actio eſt duplex, vna quæ dicitur perſonalis, altera realis. ibid.

Omne pactum turpe, vel quod iure naturali, diuino, vel humano damnatum eſt, in pignoribus probi habetur: quale eſt pactum legis commiſſoriæ. ibid.n.5

Pactum legis commiſſoriæ dicitur; quia pignus cadit in commiſſum, debito ad diem præfinitam non ſoluto: hoc tamen pactum permittitur in emptione, & non in pignoribus. ibid.

Pactum initum per Prælatos religionum mendicantium, cum Rectoribus, vel perſonis Eccleſiarum vbi habitant, ex iure communi debet perpetuò ſeruari, ſi ſint ſuper iuribus parochialibus, vel aliis quibuſcumque, & factum cum aſſenſu ſuorum conuentuum, licet non intercenerit aſſenſus Prouincialis, vel Generalis, vel Papæ reſpectu Fratrum Minorum. ibid.n.6

Iure naturali poteſt Prælatus obligari religioſo ſibi ſubdito ex pacto inter ipſos inito. p.611.n.7

Pacta, & promiſſiones, quibus vnus alteri concedit, vt non teneatur de furto, aut dolo, quod in futurum commiſerit, aut vt id exigi ab eo non poſſit, ipſo iure nulla ſunt, & irrita, quia contra bonos mores. ibid.n.8

Inualidum item eſt pactum, ſi quis paciſcatur, aut concedat alicui, vt non teneatur de iniuria, aut vi, quàm in futurum intulerit. ibid.

Pacta nulla ſunt, quæ manifeſtam tribuunt peccati occaſionem, vel præiudicium afferunt, vel facilè afferre moribus poſſunt, quos eſſe expedit in bene inſtituta Republica. ibid.

Pacta legis commiſſoriæ, & pacta adiectionis in diem in ſolius venditoris fauorem appoſita, in multis conueniunt. ibid.n.9

Pallium.

Pallio vti poteſt Archiepiſcopus intra quamlibet Eccleſiam ſuæ prouinciæ. V. Archiepiſcopus. p.67.n.1.

Per pallium Pontificalis officij plenitudo conferetur; & antequam illud quis obtinuerit, licet ſit conſecratus, non ſortitur nomen Archiepiſcopi, vel Primatis, aut Patriarchæ, & non poterit Epiſcopos conſecrare, nec conuocare ad Concilium, &c. ibid.

Archiepiſcopus, qui renunciauit Archiepiſcopatui, & ſic loco, & non dignitati, non poteſt exercere Pontificalia cum pal-

lio

lio in dioceſi, & prouincia renunciata etiam cum conſenſu Archiepiſcopi ſucceſſoris. ibid.n.3
Archiepiſcopus factus Epiſcopus non poteſt vti pallio, niſi ex priuilegio Summi Pontificis: Imò Archiepiſcopus tranſlatus de vno Archiepiſcopatu ad alium non poteſt vti pallio priori. ibid.

Papa.

Romanus Pontifex variis titulis eſt decoratus, communiter enim votatur Papa; Epiſcopus Epiſcoporum, & Pontifex maximus, &c. p.612.n.1
Papa, ſeu Romanus Pontifex eſt S. Petri ſucceſſor in vicariatu Chriſti. ibid.n.2
Communis Theologorum opinio eſt, nihil eorum quæ ſunt iuris diuini, poſſe Papam, vel ex toto, vel ex parte abrogare, vel mutare, quamuis ex iuſta cauſa poſſit hunc, vel illum à iuris diuini rigore eximere. p.613.n.3
Romanus Pontifex habet authoritatem declarandi, quæ ſunt obſcura, vel ambigua in iure diuino. ibid.
Non poteſt Papa quicquam abrogare, vel mutare eorum, quæ iure naturali præcipiuntur, vel prohibentur. ibid.n.4
Iura ciuilia, quæ ſunt per ſe bona, vel mala, non poteſt Papa mutare, vel abrogare. Si tamen iura ciuilia aliqua ratione iuri naturali, ac diuino aduerſentur, vel iuri canonico repugnent, poteſt Papa ea iura relaxare, mutare, & abolere: ſi nihil repugnent, non ſolet, nec poteſt Papa abſque iuſta cauſa tollere, aut quicquam contra ſtatuere erga laicos. ibid.n.5
Quando de eadem re contrariæ inueniuntur leges Imperatoriæ, & Pontificiæ, ſi materia legis eſt res animarum periculum concernens, abrogatur lex Imperatoria per Pontificiam: ſi autem materia legis eſt temporalis non concernens animarum periculum, non poteſt lex Pontificia abrogare legem Imperatoriam, ſed vtraque ſeruanda eſt in ſuo foro. ibid.
Papa, ſi conferatur cum Chriſto, non habet plenitudinem poteſtatis, ſed tantùm ſuam quandam portionem, ſecundùm menſuram donationis Chriſti: ſi tamen Papa cum cæteris Epiſcopis comparetur; meritò dicitur habere plenitudinem poteſtatis. p.614.n.6
Papa poteſt conſtitutionem condere de forma, & ratione eligendi futurum Romanum Pontificem. ibid.n.7
An Papa poſſit ſibi eligere ſucceſſorem? non conueniunt Doctores, alii affirmantibus, alijs negantibus. ibid.n.8
Piè credendum eſt Papam errare non poſſe in canonizatione Sanctorum. ibid.n.9
Probabilior ſententia aſſerit, Papam non poſſe eſſe hæreticum, neque vt Summum Pontificem, neque vt priuatum Doctorem, & conſequenter non poſſe in controuerſiis fidei, & morum errare, aut in hæreſim labi. Probabile tamen eſt, Papam, vt priuatum hominem, poſſe in hæreſim incidere. p.615.n.10
Papa, vt perſona particularis poteſt, iuxta quorundam ſententiam, fieri ſchiſmaticus: tamen probabile eſt, quod Spiritus Sanctus qui Eccleſiam regit, nunquam ſit permiſſurus, vt Papa legitimus in ſchiſma incidat. ibid.
Fide diuina credimus, hunc, vel illum, qui nunc clauum Eccleſiæ tenet, eſſe verè, & propriè Summum Pontificem, Petri ſucceſſorem, & Chriſti vicarium in terris, ſecundùm probabiliorem ſententiam. ibid.n.11
Papa eſt iudex controuerſiarum fidei: Scripturarum ſacrarum declarator, & approbator, omnis falſæ, apocryphæ, & temerariæ doctrinæ cenſor, &c. & multa alia poteſt circa regimen Eccleſiæ. p.616.n.12

Parentes.

Præceptum quartum Decalogi de honorandis parentibus; primariò, & directè ad virtutem pietatis pertinet. pag. 616. num.1.
Pietas eſt virtus, quæ impellit homines ad colendum parentes, cognatos, patriam, & amicos, tanquam quædam ſecundaria principia, quibus ſubſiſtimus, & conſeruamur. ibid.
Parentes ex eadem virtute pietatis tenentur curam habere filiorum: quæ cura in duobus præcipuè conſiſtit, nempe, vt filiis in ſpiritualibus, & temporalibus de neceſſariis prouideant. p.617.n.1
De peccatis parentum circa curam filiorum in ſpiritualibus. ibid.
Parentes de iure naturæ filiis tenentur alimenta præſtare: ac ſi filij adulti ſint, & per ſeipſos ſuſtentare ſe poſſint, vel aliunde per alios, tunc parentes eis alimenta debent tantùm ex æquitate naturali, & iure communi ſcripto, tum ciuili, tum canonico. ibid.n.3
Parentes adeò ſtrictè obligat ius naturæ dandi alimenta filiis, vt non ſolùm legitimis, ſed etiam illegitimis, & ſpuriis ex quocumque damnato concubitu ea dare teneantur, quod præcepit ius canonicum; licet ius ciuile huiuſmodi filiis alimenta detrahat: ſed ſtandum eſt iuri canonico. ibid.
Si parentes de aliquo crimine accuſet filius, ſiue ciuiliter, ſiue criminaliter, mortaliter peccat, etiamſi crimen ſit verum; num.4.
In quibus caſibus licet filio accuſare parentes, & contra eos teſtificari, 1. poteſt filius agere contra parentem ſibi alimenta denegantem, 2. quando pater intentat Reipublicæ traditionem, antequam crimen ſit factum, non licet, niſi iuridicè cogantur à iudice, & non ſint alij teſtes, 3. quando pater eſt hæreticus occultus. ibid.
Quando pater publicè proſcriptus eſſet à patria, & à Principe data facultas, vt impunè poſſet occidi, non licet filio parentem occidere; quamuis aliqui ſuſtineant poſſe. ibid.
Maritus tenetur vxori, non ſolùm actibus internis, verum etiam externis honorem, & amorem, imo etiam obedientiam in iis, in quibus eſt vxori ſubiectus, exhibere. p.618. num.5
Grauiter peccat maritus verba infamatoria proferens contra vxorem, etiamſi in ea fine animo infamandi prolabatur, & quamuis non ſequatur infamia. ibid.
Maritus peccat mortaliter, impediens ne vxor adimpleat præcepta iuris naturalis, vel diuini, imò & Eccleſiaſtici, ſi hoc faciat ſine iuſta cauſa. Secus ſi impedimentum afferat ſolùm circa ea, quæ non ſunt ex præcepto debita. ibid.n.6
Maritus tenetur domus, & vxoris curam, & adminiſtrationem habere prouidendo res neceſſarias victui, & veſtitui, malos mores vxoris corrigere, & peccatorum occaſiones auertere. ibid.
Vxor tenetur amorem, honorem, & obedientiam marito exhibere in iis, in quibus ei ſubiecta eſt; vnde grauiter peccat vxor, dum notabiliter inobediens eſt circa ea, quæ ad bonos mores & familiæ gubernationem pertinent, vt ſi illa gubernare vellet ſpreto viro peccatum mortale committeret. ibid.n.7
Poteſt tamen vxor aliquando abique peccato ſe ingerere in adminiſtrationem domus, vt ſi vir eſſet moroſus-prodigus; & dilapidaret bona familiæ, amens, vel fatuus, vel abſens. ibid.
Serui, & famuli debent deferre honorem debitum dominis, alias grauiter peccant, ſi eos contemnant, irrideant, vel negligant; & præſtare obedientiam in rebus, in quibus dominis ſubiiciuntur, non tamen in iis quæ per ſe mala ſunt. ibid.n.8
Serui dicuntur illi, qui non ſunt ſui iuris, ſed emi ſolent à dominis, aut iuſto bello capiuntur. Famuli verò dicuntur illi, qui ſtipendio, & mercede locant ſeipſos ad tempus in obſequium domini. ibid.
Domini tenentur famulorum, & aliorum ſibi ſubditorum curam habere; alias ſi circa ſalutem ſibi ſubditorum ſuperiores negligentes notabiliter ſint, grauiter delinquunt. p.619.n.9
De peccatis dominorum circa curam famulorum, & ſeruorum in ſpiritualibus. ibid.
Dominus, ſeu herus tenetur præſtare famulo alimenta ad eius famulatum congruentia: ſi famulus ægrotet, debentur illi impenſæ, quas dominus alioqui faceret, ſi valeret: non tamen cogitur herus eas impenſas ſoluere, quæ immoderatæ ſunt, & ingentes: ſecus ſi morbus ſit leuis. ibid.n.10
Quando morbus famuli grauis eſt, itaut indigeat magnis ſumptibus, non peccat dominus tranſmittendo ægrotum ad hoſpitalem domum. ibid.

Parochia. Parochus.

Parochia dicitur partitio curæ: hinc parochialis Eccleſia eſt locus, in quo presbyter ab Epiſcopo eſt deputatus ad ſacramenta, & alia ſpiritualia populo miniſtranda. p.620.n.1
Parochialis Eccleſia dignoſcitur ex eo, quòd habeat populum certis limitibus, ac finibus diſtinctum, non autem ſi baptiſterium habeat, vel cœmeterium. ibid.
Parochia largè aliquando ſumitur pro tota Epiſcopi dioceſi, cùm parochiæ diſtinctæ non erant. ibid.n.2
Parochus dicitur quaſi parœcthus, qui apud Græcos eſt incola, ſiue habitator in loco, ac proinde non parochus ſed parochus eſt dicendus presbyter Eccleſiæ parochialis ab Epiſcopo deputatus ad Verbum diuinum, & ſacramenta fidelibus miniſtranda, quamuis vulgò dicatur parochus. ibid.n.3
Parochus, ſeu parœchus in iure vocatur Rector illius Eccleſiæ populi, cui præficitur. Vocati ſunt etiam olim parochi Presbyteri Cardinales, id eſt principales. Item vocantur Plebani, Curiones, ſiue curati à cura. ibid.
Duodecim conditiones ordinariè in Eccleſia parochiali repetuntur, quæ parochum, & parochiam conſtituunt, & vocantur iura parochialia. ibid.n.4
Primum ius parochiæ parocho competens eſt, vt ad ſolum parochum pertineat ſuis omnibus ſacramentum Baptiſmi miniſtrare, itaut ſi alius ſacerdos extra neceſſitatem abſque Epiſcopi, vel parochi licentia ſaltem tacita illud ſolemniter miniſtret, peccet mortaliter. pagina 621. num.5.
Secundùm ius parochi eſt, vt populus parocho ſubiectus ſemel in anno eidem parocho ſuorum peccatorum ſacram confeſſionem faciat, vel alteri ſacerdoti de eius licentia: ibid. num.6.

Ex priuilegiis tamen Summorum Pontificum, quæ modò ſunt in vſu fere per totum orbem, Parochiani etiam tempore Paſchalis præcepti, poſſunt confiteri religioſis mendicantibus, & per talem confeſſionem ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ, etiamſi Parochi licentia non adit, vt decreuit Clemens VIII. p.622.n.6

Tertium ius Parochiæ eſt, vt Parochiani teneantur Sacramentum Euchariſtiæ in Parochia ſaltem in Paſchate de manu Parochi, vel alterius Sacerdotis de illius licentia, ſuſcipere. p.623.n.7

Sumere Euchariſtiam de manu alterius, quàm proprij Parochi, ubique eius licentia, non ſatisfacit præcepto Eccleſiaſtico de Paſchali communione. ibid.

Quartum ius Parochi eſt, quòd Parochiani diebus Dominicis & feſtis in propria Parochia miſſam parochialem audiant. ibid.n.8

An Epiſcopus poſſit cogere populum, vt in diebus Dominicis, aut ſolemnioribus feſtis, ad proprium parochium conueniat? Alij affirmant, alij negant. p.624.n.9

Quintum ius parochi eſt, miniſtrare ſuis parochianis Sacramentum Extremæ vnctionis. p.625.n.10

Sextum ius Parochi eſt, quòd matrimonia debeant in propria parochia, & à proprio parocho, vel ab altero ſacerdote de eius, vel ſuperioris licentia, celebrari. ibid.n.11

Septimum ius parochi eſt ſuos parochianos ſepultura Eccleſiaſtica donare; Ex priuilegiis autem Summorum Pontificum poſſunt religioſi mendicantes laicorum cadauera ſepulturæ tradere in ſuis cœmeteriis, & Eccleſijs, ſi inibi ſepulturam elegerint. ibid.n.12

Octauum ius parochi eſt percipere decimas, quæ ſoluendæ ſunt illi Eccleſiæ parochiali, in qua ſuſcipi debent Sacramenta; niſi aliter conſuetudine receptum ſit. ibid.n.13

De iure ordinario decimæ prædiales illi parochiæ debentur, in cuius diſtrictu ſunt prædia. ibid.

An parochus, quæ de nouo aliquot agros, vel proprietatem intra terminos alterius parochiæ acquirit, ei teneatur decimas ſoluere de agris acquiſitis? Quidam negant, alij affirmant. pag. 626.n.14.

Nonum ius parochiale eſt primitiarum perceptio. Primitiæ autem dicuntur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, & arborum: hodie tamen pleriſque in locis primitiarum oblatio per deſuetudinem abolita eſt. ibid.n.15

Decimum ius parochi eſt oblationes fidelium recipere. Oblationes autem dicuntur illæ res, quæ inter miſſarum ſolemnia altari offeruntur, ab his, qui miſſæ ſacrificio intereſſunt. p.627. num.16.

Ex communi Doctorum ſententia nullum extat præceptum diuinum, nec Eccleſiaſticum de oblationibus in Eccleſia faciendis, tempore miſſæ parochialis; parochiani autem, nec poſſunt ad id cogi cenſuris, vel aliis pœnis: tamen oblationes poſſunt longa conſuetudine introduci. ibid.

Oblationes, quæ de iure debentur, clerico Eccleſiæ, ſeu parocho ſunt offerendæ ad quem ius decimarum ſpectat. Hinc ſi aliquid offeratur in certo ſacello, quod totum ſit intra parochiam, Presbytero parochiæ rectori debetur, niſi dictæ oblationes offerantur hac intentione, vt in honorem, vel ornatum ſacelli inſumantur, vel niſi aliter vſu receptum ſit per contrariam conſuetudinem. ibid.n.17

Si quid offeratur clerico priuato rem diuinam facienti in aliqua parochia, de iure, & conſuetudine recepta ad parochum pertinet, vel ad alium ſacerdotem, ad cuius iuriſdictionem altare ſpectat. ibid.

Quæ offeruntur à fidelibus in monaſterijs religioſorum, & eorum ſacellis intra certam parochiam conſtitutis, iure debentur parochiæ ipſius rectori, niſi Pontificis priuilegio ipſis religioſis attributæ fuerint. ibid.

Laici nunquam poſſunt ius acquirere in oblationes. ibid.

Non omnium perſonarum, nec omnium rerum oblationes recipit Eccleſia: offerentes enim debent eſſe Chriſtiani, & ab Eccleſia non præcisi, ſeu excommunicati. p.628.n.18

Oblationes fratrum diſſidentium, ſi notorij ſint Eccleſia non recipit, nec raptorum hominum, nec vſurariorum, nec ſacrilegorum, nec eorum, qui per vim extrahunt ſeruos ſuos ad ſacras ædes confugientes; nec mercetricum, &c. ibid.

Vndecimum ius Parochi, eſt ius accipiendi canonicam portionem. Canonica portio eſt certa quantitas, quæ Epiſcopo, vel parocho ratione funeris præſtatur, à ſacris Canonibus approbata, & iure decretorum debita. ibid.n.19

Hæc canonica portio parochialis, quoad quantitatem, & quotam, in qua ſoluitur parochis, varia eſt, ſecundum varia iura, & diuerſas conſuetudines, nam aliquando eſt quarta, quandoque tertia, aliquando verò media. ibid.

Canonica portio debita Eccleſiæ parochiali, non ſolùm in parte, ſed etiam in totum, poteſt conſuetudine vel præſcriptione præſcribi: ad præſcribendum tamen in huiuſmodi, ſi conſuetudo ſit cum titulo, ſufficit tempus 40. annorum: ſi verò ſit ſine titulo requiritur tempus immemoriale. ibid.n.20

Si quis diſceſſit è loco domicilij ad aliquem locum, animo redeundi, & ibi moritur, ſi alibi eligat ſepulturam, canonica portio debetur parochiæ domicilij. ibid.n.21

Si quis dimiſſa Eccleſia, in qua conſueuerunt ſepeliri eius maiores, eligat ſepulturam in alia Eccleſia, dimiſſa parochiali, quarta ſoluenda eſt, non Eccleſiæ ſuorum maiorum, ſed illi in qua recipiebat ſacramenta, & habebat domicilium. ibid.

Si quis in ægritudine conſtitutus ingrediatur religionem, & illius habitu non aſſumpto, moriatur, & ibi eligat ſepulturam, ſoluenda erit canonica portio Eccleſiæ parochialis, ſecus ſi aſſumpto habitu intra annum nouitiatus moriatur. ibid.

Si quis æqualiter habeat domicilium in diuerſis parochijs, & in tertio loco eligat ſepulturam, verius eſt, illi deberi, in qua deceſſit. ibid.

Canonica portio ſoluenda non eſt iure communi ab hæredibus defuncti, ſed ab Eccleſijs, vbi quis ſepelitur relicta propria, de omnibus, quæ obueniunt ratione funeris. p.629.n.22

Iure communi Clementinæ *Dudum, de ſepulturis*, religioſi tenentur ad huiuſmodi canonicam portionem ſoluendam, hodie tamen ferè in totum reuocata eſt per Pontificum priuilegia; vnde religioſi modò non tenentur ad huiuſmodi portionem ſoluendam. ibid.n.23

Monaſteria fundata ante annos 40. ante Concilij Tridentini confirmationem, quæ quartam ſoluebant, etiam nunc eam ſoluere tenentur; ſecus ſi tunc eam non ſoluebant. Illa verò quæ poſt Tridentinum ſunt conſtructa à ſolutione quartæ ſunt libera. ibid.n.24

Vltimum ius, ſeu qualitas conſtituens Eccleſiam parochialem, eſt, quòd ſolùm habeat vnum Paſtorem, ſeu parochum, quamquam in aliquibus locis non obſeruetur, vbi in vna parochiali Eccleſia duo ſunt parochi cum æquali iure. p.630. num.25.

Iure cautum eſt, ne Eccleſia ab Epiſcopo conſecretur, niſi ad minus pro duobus clericis ſuttentandis ſufficiat. ibid.

Concilium Trident. ſtatuit, vt in Eccleſijs, vbi tam numeroſus populus exiſtit, vt vnus Rector ſuffice re non poſſit, Epiſcopi cogant Rectores, vel alios ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes adiungere, quot ſufficiant ad ſacramenta miniſtranda, & cultum diuinum celebrandum. ibid.

Idoneitas eligendi ad parochialem Eccleſiam regendam conſiſtit in ordine ad regimen animarum, & Eccleſiæ ſibi committendæ; vnde maximè ſunt attendendi mores, & prudentia in eligendo. ibid.n.26

Parochialis Eccleſia, eiuſque parochus maximam habet præminentiam, 1. eſt, vt nomine beneficiorum, beneficia curata non veniant, 2. Parochus in ſua propria Eccleſia, iuxta quoſdam, dicitur Prælatus, 3. eſt, quod Parochus intra propriam Eccleſiam debet præcedere omnes alios maiores, & ſuperiores in dicendis miſſis ſolemnibus, &c. ibid.n.27

Pater.

Pater, qui filiam leuiter caſtigat, vel verbum aliquod profert, vnde illa ira & furore percita abortum patitur, non incidit in caſum reſeruatum. V. Abortus. p.17.n.14

Pater tenetur alimenta præſtare filio abſque eius conſenſu ducenti vxorem, ſi aliunde non habeat. V. Alimenta. p.54.n.9

Pater tenetur dotare filiam minorem 25. annis, ſi nupſit digno ſine conſenſu patris, quæ dotem promiſit: limita, niſi filia dues ſit. V. Dos. p.250.n.3

Pater poteſt emancipare filium abſentem, ſed conſentientem, ex mandato, vel indulgentia Principis. V. Filius. p.347.n.4

Pater poteſt præcepta filiis imponere per poteſtatem dominatiuam, ſeu œconomicam, non autem illis legem ferre, niſi publicam habeat poteſtatem. V. Lex II. p.493.n.5

Pater dans filio impuberi facultatem ingrediendi religionem, non poteſt illam reuocare. V. Nouitiatus. pag. 592. num. 4. & 7.

Pater non poteſt filio impuberi eligere ſepulturam de iure, & ratione patriæ poteſtatis, ſed tantùm ratione conſuetudinis, vbi eſt. V. Sepultura. p.776.n.7

Pater poteſt exemplariter filio ſubſtitutum dare; ſed hæc ſubſtitutio vim tantùm habet in bonis, quæ filius habebit ex patre. V. Subſtitutio. p.817.n.8

Patrimonium.

Patrimonium, cuius titulo ordinatus eſt nouitius, comprehenditur ſub decreto Tridentini prohibentis renunciationem bonorum extra duos menſes proximos ante profeſſionem, niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij. V. Nouitiatus. p.599.n.27

Patrinus.

Patrinus ex antiquiſſima conſuetudine Eccleſiæ in Baptiſmo ſolemni adhibetur: eius munus præcipuum eſt, vt puerum baptizatum, de manu baptizantis, veluti ſub tutela, & cura ſua ſuſcipiat. Vide Baptiſmus IV. p.86.n.11. Vbi plura. n.12.13. & 14. & Matrimonium II. p.531.n.22. & n.23.

Patronus.

Patronus si est laicus, præsentare tenetur Episcopo rectorem instituendum in Ecclesia, cuius est patronus, intra quatuor menses à tempore vacationis cognitæ, & si neminem præsentet, amittit ea vice ius præsentandi, & ordinabit de Ecclesia Episcopus. Si verò est Ecclesia, monasterium, vel clericus concedantur sex menses, si patronus scienter omittat præsentare. V. Beneficium V. p. 110. n. 4. Vbi plura toto hoc titulo, de patronis, & iure patronatus.

Pauperes.

Sub nomine pauperum intelliguntur omnia loca pia, vt hospitalia, Ecclesiæ indigentes luminaribus, ornamentis, ædificiis, & monasteria religiosorum præsertim mendicantium. Item qui victum quærunt ex labore suo. Item illi, qui non solùm habent vnde viuant, sed etiam, qui non possunt commodè, & honestè viuere secundùm suam conditionem, &c. V. Eleemosyna. p. 270. n. 10

Distributor eleemosynarum ex testamento, cui commissa est electio pauperum, non habet necesse eligere pauperrimos, sed potest omnium pauperum generi distribuere, nec peccat, qui vnum pauperem alteri præfert. Imò si est pauper, potest sibi, sicut aliis, pauperibus eleemosynam applicare. ibid.

Pauperes pertinentes Clericos, possunt absolui ab Episcopo, etiam non mendicantes, carentes tamen patrimonio ex quo se alere possint, viuentes tantum ex suo artificio, &c. V. Excommunicatio V. p. 328. n. 25.

Inter creditores personales tantùm non habentes priuilegium prælationis pauperior præferendus diuiori, quando creditor est ita pauper, vt in eo casu lex charitatis obliget illius indigentiam sublenari, tunc illi priùs facienda est restitutio, quam alteri minus pauperi. V. Restitutio. p. 749. n. 42

Paupertas religiosa.

Paupertatis religiosæ quatuor sunt gradus. p. 631. n. 1

Probabilius est semper fuisse in Ecclesia virtutem, vt in statu perfectionis paupertas esset per abdicationem proprietatis, saltem quantum ad vsum, atque id est moraliter necessarium ad proprium statum perfectionis. ibid.

Paupertas, quæ reduit religiosum ineapacem dominij, non fuit à principio virtuta in Ecclesia in aliquo statu religioso, sed postea iustis de causis introducta est vniuersaliter à temporibus Iustiniani imperatoris. ibid.

Certum est de fide, laudabile esse illorum religiosorum institutum, qui paupertatem tam in particulari, quàm in communi professentes, quoad carentiam possessionum, ac certorum reditum, non ex solis eleemosynis, sed ex proprio labore manuum aluntur. p. 632. n. 2.

Laudabile est religiosum institutum, in quo paupertas etiam in communi, quoad carentiam reditum, & bonorum stabilium seruatur, & non ex labore manuum, sed ex solis eleemosynis, vel sponte oblatis, vel etiam mendicando petitis viuitur. ibid.

Varij variè sentiunt, quænam paupertas inter eas, quæ à religiosis communitatibus obseruatur, sit omnium præstantissima: Probabilior tamen sententia asserit perfectiorem esse paupertatem tam in particulari, quàm in communi, quoad stabiles reditus, vel possessiones, pensie loquendo, & ex vi status. ibid. n. 3

Paupertas religiosa triplicem gradum habet; vna dicitur paupertas professionis, secunda dicitur paupertas vsus, & tertia paupertas affectus, siue voluntati. p. 633. n. 4

Nullus religiosus post solemnem paupertatis professionem potest habere proprium: & appellatione proprij, non solùm intelligitur dominium, & proprietas rei, sed etiam vsus, & vsusfructus, possessio, & administratio, prout sunt iuris, non facti. ibid. n. 5

Verius est religiosum esse inhabilem ad dominium retinendum, vel in posterum acquirendum, ex sola Ecclesiæ constitutione. p. 634. n. 6

Verior sententia sustinet posse Pontificem dispensare in voto solemni paupertatis, quando occurrit iusta causa dispensandi, licet contrarium sit etiam probabile. ibid. n. 7

Sanctè, & laudabiliter religiosi ex eleemosynis emendicatis viuunt: per accidens tamen aliquando est illicitus vsus eleemosynarum religiosis, nempe si ab actibus religiosis desisterent, vellentque sua culpa in religione otiosam vitam, ac inutilem transigere. ibid. n. 8

Quale autem peccatum sit in religioso sic viuenti? dicendum est esse mortale, si religiosus ab eis actibus desistat ex formali beneficij eleemosynarum contemptu: si ablit contemptus, ingratitudo illa solùm est venialis: tales tamen religiosi non tenentur restituere, quæ ex eleemosynis in proprios vsus consumunt. ibid.

Prælatus non potest pro suo arbitrio, & libera voluntate bona monasterij in quos voluerit vsus expendere. p. 635. n. 9

Licita est consuetudo quarundam religionum, in quibus ex superiorum licentia religiosis certi annui reditus taxantur pro victu, & vestitu, dummodò religiosi facultatis sibi traditæ terminos, non excedant, & reformationi à superioribus faciendæ obtemperare sint parati. ibid. n. 10

Monialis, cui externus centum aureos ad suum libitum expendendos concessit, potest ex superioris licentia sæculari eos tradere, vt censum sibi quotannis soluat, dum viuerit, atque ea defuncta centum illos aureos sibi retineat, modò concedens noluerit dominium in monasterium transferri: Si verò ita dati sunt, vt dominium in monasterium transierit, nequit monasterium id efficere absque consensu Prouincialis, aut Generalis. ibid.

Religiosus habet dominium quasi beneficij, & agit, non monasterij, sed suo nomine ad illud possidendum, retinendum, recuperandum, & illud non Ecclesiæ, sed sibi acquirit. p. 636. n. 11

Probabile est, secundùm quosdam, donationes regularis beneficiarij in vsus prophanos esse validas, dum beneficium administrat, & accipientem ab illo non teneri restituere: quamuis communis sententia contrarium doceat. ibid.

Quamuis religiosus sit proprietarius, & peccet contra votum paupertatis aliquid alienando, adipiscendo expensa, vel tacita superioris licentia: tamen, secundùm aliquorum sententiam, non foret peccatum mortale sic accommodare res ad proprium vsum destinatas, quando commodans, vel mutuans esset securus de restitutione illarum, ac conseruatione. ibid. num. 12

Religiosus non peccat mortaliter dando, vel accipiendo secundùm vium consuetum, & permissum suæ religionis. ibidem. num. 13

Non committur culpa mortalis, quando religiosus subditus, sciret, vel bona fide crederet eum erga se esse superioris affectum, vt libenter sibi concederet. Si sciret illum tali re indigere, aut tale quid desiderare, aut dono dare. ibid.

Religiosus donans, vel accipiens ex voluntate præsumpta superioris, rationabiliter præsumens superiorem, hic, & nunc licentiam concessurum, non peccat vtendo Ecclesia: maximè si res vergat, & superior non sit præsens, vel ad manum. ibid.

Religiosus iter agens de licentia superioris, potest dare ex iis, quæ sibi pro expensis itineris, pecunijs à Prælato dantur, quid quid subtraxerit, vel parcius conciando, vel quia à sæcularibus inuitatur, ea tamen conditione, vt si ei pecunia defecerit, non teneatur religio eam soluere. ibid.

Religiosus iteragens de licentia potest accipere pecuniam etiam ali quantenus ampliorem pro expensis itineris sibi à sæcularibus in itinere datam, & quod superfuerit, donare pauperibus. ibid.

Religiosus peccat mortaliter dicendo aliquid esse suum volendo illud esse suum, quoad verum dominium, & proprietatem complacendo, eo quòd sit suum. Si autem dicat rem illam esse suam quoad vsum, administrationem, vel simplicem detentionem facti, non peccat. p. 637. n. 14

Probabilius est religiosum esse proprietarium, & transgressorem veri paupertatis, & peccare mortaliter, pecunia notabili, qui contra suæ constitutiones recipit ex illum stipendium pro prædicationibus, confessionibus, aut missis, &c. ibid. n. 15

Religiosus accipiens stipendium pro missis in præcedenti casu, non tenetur restituere, sed expendere in proprios vsus, si licentiam superioris habeat ad aliquam rem expendendo, si ea careat, tenetur superiori sic acquisitum tradere. ibid.

Contra votum paupertatis peccat religiosus promittens missas, sine superioris licentia, vt eleemosyna pro illis missis celebratis detur suo consanguineo indigenti, vel cuicumque alteri. p. 638. n. 16

Religiosus contra votum paupertatis non peccaret, promittens pauperi Sacerdoti ex mera charitate missas, vt liberet eum à tali onere, dum ipse non haberet alias obligationes satisfaciendi aliis missis, vel ratione promissionis, vel obedientiæ. ibid.

Prælatus regularis potest concedere religioso professo peculium ad quoscunque vsus indeterminatos, itaut possit in vitam donare, & disponere quibuis in eo vsus, & eo modo in quos, & quomodo ipse Prælatus posset disponere ibid. n. 17

Causæ, vt superior possit licitè concedere suis subditis peculium, sunt, 1. quando conuentus præ paupertate non potest religioso necessaria suppeditare, 2. quando religiosus est extra monasterium iusto titulo, 3. si sit officialis publicus, 4. est vtilitas monasterij, 5. consuetudo religionis introducta. ibid.

Maior causa desideratur ad concedendum peculium ex monasterij rebus, aut proprio labore comparatis, quàm in rebus concessis à sæcularibus alicui, &c. ibid.

Licentia habendi peculium ab vno superiore concessa, non semper à superioribus successoribus est renouanda. ibidem. num. 18

Peccatum.

Inter peccatum, vitium, & culpam est discrimen. p. 639. n. 1

Virtus habet tres gradus, nam alia est vera, alia viua, alia perfecta. ibid. n. 2

Peccatum,aut vitium eſt contra naturam,id eſt, contra rectam rationem. Virtus autem non ſolùm naturalis,& acquiſita, ſed etiam ſupernaturalis,& infuſa,eſt naturæ hominis valdè conueniens,vt pote illum exornans,& perficiens. ibid.n.3
Peccata reſpectu appetitus ſenſitiui, partim ſunt contra naturæ lumen,partim differentia, partim non conſentanea. ibid.
Gratia peccati omiſſionis ſi erifica æſtimanda eſt ex obligatione legis,an etiam ex difficultate, quæ operi eſſet adiuncta. p.640.num.4
Vt omiſſio quæpiam ſit voluntaria, & culpabilis, requiruntur tria,1. eſſe,quòd quis potuerit agere,2. quòd debuerit,3. quòd non egerit. ibid.n.5
Vt opus ſeu effectus omiſſionem conſequens,ſit voluntarium,atque adeo imputetur illi,qui quippiam omittit, hæc tria requiruntur,1. quòd effectum illum impedire potuerit,2. quòd eundem impedire debuerit,3. quòd non impedierit. ibid.
Ex præcedenti doctrina reſoluuntur hinc multi caſus. ibid.
Quando cauſa,ſeu occaſio omiſſionis, non fuit actus aliàs malus,& prohibitus,eſt vnum numero peccatum, quod reuocatur ad peccatum omiſſionis. Secus, quando cauſa omiſſionis fuit actus alioquin malus,& prohibitus, tunc habet diſtinctam malitiam in confeſſione explicandam. ibid.n.6
Vt quis peccati mortalis ſit reus,& peccet mortaliter requiritur plena,& perfecta cogitatio,ſeu expreſſa aduertentia malitiæ, vel periculi malitiæ,vel ſaltem expreſſa aliqua dubitatio,ſeu ſcrupulus peccati. p.641.n.7
Ad peccatum mortale,non ſufficit, vt aliquis poterit ſimpliciter,vel debuerit malitiam conſiderare,ſed requiritur expreſſa conſideratio malitiæ,vel ipſius periculi, vel expreſſa dubitatio,ſeu ſuſpicio aliqua malitiæ,vel periculi,alioquin inaduertentia,ſeu obliuio cenſetur inuincibilis,& inculpabilis. ibid.
Sano modo intelligendi ſunt Doctores, & iura dicentia, quod *ſcire,& debere ſcire paria ſunt*. Dicendum eſt igitur, quod debere ſcire æquiparatur ſcientiæ modò præceſſerit cognitio, ſeu cogitatio malitiæ,vel eius periculi, ſeu dubium, aut ſaltem ſcrupulus. ibid.
Probabile eſt ad peccatum mortale requiri plenam aduertentiam malitiæ,quatenus malitia eſt mortalis, & non ſufficere cognitionem malitiæ in genere.Sed probabilior ſententia aſſerit ſatis eſſe,vt homo aduertat ad malitiam. ibid.
Ad diſcernendum conſenſum perfectum,& imperfectum in dubiis ad peccatum mortale requiſitum,regula prima eſt. ibid.
Quando homo rei paruæ appetitum aduertens, ſe ira diſpoſitum ſentit,vt quamuis facilè rem exequi poſſet, non exequeretur,vt plurimum iudicandum eſt,aut nullum, aut imperfectum conſenſum adfuiſſe. ibid.n.8
Regula ſecunda.Quando dubitans eſt vir bonus, & bonis moribus imbutus,timuitque conſcientiæ,& peccatis diſſentire ſolet,credendum eſt cum non perfectè conſenſiſſe,licet aliquam in repellendis tentationibus negligentiam admiſerit. ibid.
Tertia regula eſt. Quando quis dubitat,an dormiens, vel vigilans,an ſui compos,an potiùs ebrietate, aut phreneſi captus, aliquid voluerit, dixerit, aut fecerit, non leue indicium eſt, plenam deliberationem,& conſenſum defuiſſe. ibid.
Non eſt ſignum ſufficiens ad probandum conſenſum ſola delectationis perſeuerantia poſt plenam aduertentiam. ibid.
Ad operis malitiam contra conſcientiam errantem, verius eſt opus eſſe,vt id iudicium actu perſeueret, dum opus contra conſcientiam erranteм fit,vt peccato imputetur, nec ſufficere,vt virtute permaneret. p.642.n.9

Peccatores.

Peccatores ſunt diligendi ex charitate, ſi ſecundùm naturam conſiderentur in quantum capaces beatitudinis,& participes eſſe poſſunt : quatenus autem peccatores,non ſunt diligendi. V.Charitas. p.145.n.9

Peculatus.

Peculatus nuncupatur,quando furto accipitur res publica ad fiſcum Regis,aut ad bona illius actinens,vel ad Ciuitatem Romanam.V.Actio. p.30.n.8
In crimine peculatus, & de reſiduis ex ſpeciali priuilegio agi poteſt ad pœnam aduerſus hæredes,etiamſi lis conteſtata ante mortem aduerſus delinquentem non fuerit. ibid.

Peculium.

Peculium caſtrenſe,aut quaſi caſtrenſe filiifamilias, non confiſcatur publicatis eius bonis ob illius delictum, ſed defertur tunc patri,in partis poteſtatis ſolatium.V.Fiſcus. p.351.n.7
Peculium aduentitium non poteſt publicari ob crimen filiifamilias,nam in eo habet pater vſumfructum:multò minùs publicatur profectitium eius peculium, quia id eſt patris quoad proprietatem,& vſumfructum. ibid. Vbi plura n.8.& 9.
Peculium poteſt concedere religioſo profeſſo Prælatus regularis ad quoſcunque vſus indeterminatos.V.Pauperes. p.638. n.17.vbi plura,& n.18.
Peculium concedi religioſo non ex bonis monaſterij,ſed à cognatis,vel extraneis, ſeu tempore profeſſionis reſeruatum de licentia Superioris,ipſo tranſeunte ad aliam religionem,pertinet ad primum monaſterium, ſi illud ſit abſolutè conceſſum. Secus ſi in ſignatum fuit tertiæ perſonæ,cum onere illud tradendi religioſo,quoties ipſe petierit.V.Religio. p.726.n.30
Peculium conceſſum religioſo hac lege,vt monaſterium in illud non ſe ingerat,aliquin illud perdat, acquiritur ſecundo monaſterio quoad fructus percipiendos,poſt profeſſionem emiſſam in ſecundo monaſterio. ibid.

Penſio.

Penſio clericalis,quæ datur titulo Eccleſiaſtico perſonæ clericali tonſura initiatæ,non eſt res,ſiue ius profanum, ſed eſt ius ſpirituali rei annexum vt conſequens: quamuis non ſit improbabilis ſententia Canoniſtarum ſuſtinens eſſe tantùm ius profanum per ſe à beneficiis diſtinctum. p.642.n.1
Penſio neque poteſt conſtitui, neque transferri in rerum pecuniæ, quæ tanquam pretium ſoluuntur pro tranſlatione, aut conſtitutione penſionis. p.643.n.2
Penſionarius liberè poteſt cedere penſioni priuata authoritate; niſi ſit ordinatus ſacris ordinibus ad titulum penſionis, tunc requiritur licentia Epiſcopi. ibid.n.3
Poteſt quis cedere penſionem alteri durante propria vita, pro certa pecuniæ ſumma nullo iure ſibi retenuto,ad habendum, tenendum,& liberè diſponendum, imò & donare alteri fructus penſionis, abſque vlla ſimonia : quamuis negent nonnulli recentiores. ibid.n.4
Penſio conceditur tantùm ex tribus cauſis in Gallia,quæ iure communi ſunt approbatæ, 1. ad litem de beneficio dirimendam,2. ne religiuum nimio detrimento afficiatur,3.in permutatione beneficij. ibid.n.5
In Hiſpania,& Italia admittuntur etiam penſiones, quas vſus curiæ Romanæ induxit,& approbauit. ibid.
Aliud eſt penſionem imponere ipſi beneficiario, aliud verò in ipſo beneficio. p.644.n.6
Epiſcopi,vel alij locorum ordinarij non poſſunt penſiones in beneficiis conſtituere de iure communi : quamuis ex conſuetudine iam præſcripta penſionem conſtituere poſſint Epiſcopi in caſibus numero præcedenti relatis. ibid.
De iure poſſunt Epiſcopi penſiones imponere perſonis beneficiariorum : ſed hæc penſio ad ſucceſſorem in beneficio non tranſit. ibid.
Cauſæ in vniuerſum imponendæ penſionis, vel ſunt lucratiuæ, vel oneroſæ. ibid.n.7
Penſionis capax eſt beneficium ſimplex cuiuſcunque valoris ſit,regulariter loquendo. Beneficium parochiale minoris valoris quàm 100. aureorum,non eſt capax penſionis regulariter loquendo.Epiſcopatus,cuius reditus mille aureos non attingit penſionem non admittit. ibid.n.8
In beneficio cuius reditus conſiſtit in quotidianis diſtributionibus,pro præſentibus,iure antiquo penſio non conſtituebatur, iure autem nouo conſtituitur,quando exprimitur. ibid.
Quando penſio datur laico pro miniſterio merè temporali,non vacant per matrimonium penſiones ſic conſtitutæ : ſecus ſi penſio alicui collata ſit titulo clericali,vt loco beneficij. n.9
An autem penſiones extinguantur profeſſione ſolemni religioſi? Quidam docent non extingui.Alij affirmant,& hæc ſententia eſt tenenda in iis caſibus, in quibus penſiones extinguuntur per contractum matrimonij. p.645.n.10
Penſiones non extinguuntur per vota biennij ſimplicia in ſocietate Ieſu emitti ſolita,ſed durant, donec religioſus ille, vel profeſſionem ſolemnem, vel vota coadiutorum formatorum emittat. ibid.
Penſionarius,qui mutato clericali habitu, militarem induit, & efficitur miles,ipſo facto non amittit penſionem. ibid.n.11
Penſionis eſt incapax religioſus ſuper beneficio ſæculari, ſiue ſimplici, ſiue curato obtinendo,abſque diſpenſatione ſummi Pontificis.Imò & ſuper beneficio regulari. ibid.n.12
Prælatus regularis conferens monacho beneficium regulare poteſt imponere illi ex iuſta cauſa penſionem ſoluendam alteri monacho eiuſdem monaſterij ad nutum ſuum reuocabilem. p.646.n.13
Conſtitutio Pij V.quæ incipit, ***ex proximo***, obligat penſionarios,qui vt Clerici penſiones accipiunt,ſub mortali ad dicendum officium B.Virginis,eo modo,quo obligantur beneficiarij perſoluere horas Canonicas, & ſub iiſdem pœnis : quidquid in contrarium aliqui docuerit. ibid.n.14
Quando penſio reſeruata fuit in capite,ſeu Perſona vnius, ſed in commodum,& vtilitatem alterius,vt ſit in Hiſpania, quidam dicunt illum teneri ad officium B. V. in cuius commodum aſſignata eſt penſio,alij ſuſtinent illum teneri, qui verè eſt penſionarius,& qui habet ius penſionis, & non commodum,in cuius capite, & perſona conſtituta eſt penſio : vtraque opinio eſt probabilis. ibid.n.15
Penſionarius,qui conſentit penſionem redimi, accepta nonnullorum annorum anticipata ſolutione, probabiliter non tenetur ad officium B.Virginis. ibid.n.16

Digitized by Google

Qui ceſſit penſioni ſolùm in partem,non manet exemptus ab obligatione huius officij. Secus ſi liberaliter ceſſit penſioni in totum. ibid.
Si Clericus penſionarius nomen dedit in ordinem militarem, cum facultate retinendi penſionem, non tenetur ad officium beatæ Virginis, ſed ſatisfacit recitando orationes Dominicales,& Angelicas à religione præſcriptas. p.547.n.17
Si Clericus penſionarius fiat miles Lauretanus, & nubat, obligatur retenta penſione , & virtute illius militiæ ad officium paruum B.Virginis. ibid.
Penſionarius,qui tanquam Clericus recipit fructus, & officium paruum B.Virginis omiſit,tenetur ad reſtitutionem omnium fructuum faciendam fabricæ, vel pauperibus , non eſt tamen improbabile teneri tantùm reſtituere tertiam partem fructuum. ibid.n.18
Penſionarius poteſt compenſare reſtitutionem debitam pro omiſſione officij B.Virginis,cum eleemoſynis,quas dedit medio illo tempore,quo non recitauit officium. ibid.

Percuſſio Clerici.

Percutientes , & manus violentas in Clericum iniicientes ſuadente Diabolo , excommunicationem incurrunt. V.Excommunicatio V. p.324.per totum.

Peregrinus.

Peregrini & forenſes , iuxta declarationes factæ Congregationis,non poſſunt diſpenſari in legibus,votis, & iuramentis ab ordinario loci, vbi reperiuntur , quamuis poſſint abſolui à peccatis.V.Diſpenſatio. p.223.n.22
Peregrinus,iuxta probabilem ſententiam , non tenetur ſeruare feſtum,vel ieiunium, quod ſeruatur tam in ſua patria, quàm in loco per quem tranſit , ex præcepto particulari vtriuſque Epiſcopi. V.Lex II. p.495.n.18
Peregrinus moriens extra propriam Parochiam transferendus eſt ad propriam,ſeu ad ſepulchrum maiorum, ſi habeat , & commodè poſſit,alioquin ſepeliri poteſt in Eccleſia parochiali in qua decedit,ſi in ea Sacramenta ſuſcepit: ſi tamen alicubi elegerit ſepulturam,ibi eſt aſportandus. V.Sepultura.pag. 777.n.12.

Periculum.

Periculum peccandi,vt cenſeatur proximum, debet eſſe euidens phyſicè,aut moraliter,ſi enim tantùm ſit probabile , periculum,morale non eſt, nam probabiliter etiam cenſere poteris periculum nullum ſubeſſe. V.Abſolutio. p.24.n.22
Periculum eſt in determinata materia, in qua aliquis fragilem ſe expertus eſt : vnde examinare verum periculum ſit proximum,nihil eſt aliud,quàm conſulere experientiam. Quod ſi mutentur circumſtantiæ , tollitur periculum proximum, ſi non poſſit iudicium ſumi ab experientia. ibid.
Propter periculum incontinentiæ poſſunt ambo coniuges copulari, quando quilibet agnoſceret alium indigere,etiamſi ambo vouiſſent Deo ſe minimè debitum petituros : cauendum eſt tamen ne intemperantia decipiat. V. Debitum coniugale I. p.204.n.5.Vbi plura.n.6.7.
Clauſula *propter periculum incontinentiæ* , appoſita pro cauſa diſpenſationis,vt verificetur , exigitur maximum frequentis lapſus periculum, ſiue illud proueniat ex fragilitate complexionis,vel ex prauo habitu.V.Matrimonium III.p.545.n.21
In periculo mortis , competit omnibus Sacerdotibus poteſtas abſoluendi ab omnibus peccatis, & cenſuris, ſiue illud periculum accidat propter infirmitatem,ſiue quis ſit in quocunque periculo vicino morti.V.Abſolutio.n.9.& V.Excommunicatio V. p.328.n.22
Res locari poteſt eo pacto , vt conductor eius periculum ſuſcipiat,hoc eſt,vt ſit periculo conductoris; & tunc ratione talis oneris & periculi ſuſcepti poteſt conductor mercedem exigere.V.Locatio. p.501.n.9
Quando res malè accepea,aut detenta perit apud iniuſtum poſſeſſorem,etiam ſine culpa ſua, ſed caſu fortuito , tenetur hic ad reſtitutionem valoris rei , quamuis nullum detentor lucrum ex ea perceperit. V.Reſtitutio. p.740.n.12. Sed non ſemper.Vbi plura de hoc. n.33.
Cum vitæ & famæ periculo,per ſe loquendo, nullus tenetur reſtituere bona externa,licet id poſſit, ſi velit,cum laude, & merito. ibid.p.746.n.33

Peregrinationis votum.

Peregrinationis longæ votum factum ab Epiſcopo,validum eſt: quando tamen attentis circumſtantiis iudicaretur maius Dei obſequium reſidere,nec petere eius abſentiæ facultatem,tunc irritum eſſet id votum. V. Epiſcopus. p.299.n.42
Peregrinationis modicæ votum, quæ munus Epiſcopale exequi non impedit,eſt abſolutum,& obligatorium, nulla Pontificis expectata licentia. ibid.n.43
Quando peregrinatio non excedit tempus iure conceſſum Epiſcopo ad abſentiam,votum eſt abſolutum , & independens à Pontificis licentia. V.Votum I. p.861.n.18
Clerici in dignitate conſtituti , aut curam animarum , ſeu beneficia reſidentiam requirentia habentes , quales ſunt Parochi,Archipresbyteri , Archidiaconi, & ſimiles, non poſſunt aliquam longam peregrinationem,aut aliquid aliud in detrimentum Eccleſiarum,quibus præſunt , ſine licentia Epiſcopi vouere. ibid.n.19
Modicam tamen peregrinationem hi vouere poſſunt, qualis eſt illa,quæ petit abſentiam ipſis iure conceſſam. ibid.V.Votum II. p.878.n.25

Permutatio.

Permutatio eſt triplex, 1.eſt rei cum re,2. pretij cum pretio.3. rei cum pretio.Prima dicitur permutatio ſpecialis. Secunda dicitur cambium.Tertia emptio,vel venditio.V.Emptio.pag. 287.n.1
Permutatio ſpecialis conſiſtit in iis rebus,quæ vendi poſſunt,& tunc perfecta eſt, quando ex vtraque parte facta eſt traditio. ibid.
Ex permutatione duæ actiones oriuntur, vna quæ dicitur *præſcriptis verbis*, ex permutato : altera quæ dicitur,*Condictio ob cauſam*. ibid.
Permutatio,& emptio in multis differunt , & in multis conueniunt. ibid.n.2. Vbi plura n.3.

Perſeuerantia.

Perſeuerantiam in gratia non poteſt iuſtus mereri de condigno. Probabile tamen eſt perſeuerantiam ipſam , acceptam pro continuatione bonorum operum vſque in finem,poſſe mereri iuſtos ex congruo per orationes , & alia pietatis ſtudia. V. Meritum. p.553.n.14

Pertinacia.

Sine pertinacia nulla eſt hæreſis,quæ definitur, error voluntarius contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia aſſertus ab eo qui fidem recepit.V.Hæreſis. p.370.n.8
Ad pertinaciam ſufficit,quòd ſciens aliquid eſſe de fide,quis deliberatè illud non credat,vel vt quis animaduertat ſuam opinionem eſſe contrariam ſenſui Eccleſiæ Catholicæ, & tamen neglecta authoritate Eccleſiæ perſiſtat in ſua opinione. ibid. V. ſuprà. V.Contumacia.

Permutatio beneficij.

Permutatio beneficij habet in ventre reſignationem in fauorem permutantium , & addit nouam collationem eorumdem beneficiorum,ſic reſignatorum,expreſſam,vel tacitam inter permutantes.V.Beneficium VII. p.115.n.1
Permutatio priuata authoritate facta, iure tantùm Eccleſiaſtico eſt prohibita. ibid.Vbi plura vſque ad n.8.

Pietas.

Pietas eſt virtus , quæ impellit homines ad colendum parentes, cognatos,patriam, & amicos,tanquam quaſdam ſecundaria principia,quibus ſubſiſtimus,& conſeruamur. V. Parentes. p.616.n.1
Ex virtute pietatis parentes tenentur curam habere filiorum. ibid.n.2.

Pignus, & Hypotheca.

Ex pignore duæ oriuntur obligationes. Aliæ pertinent ad debitorem, qui rem oppignorauit : aliæ ad creditorem, qui pignus ſuſcepit.Ex parte debitoris obligationes ſunt tres. pag. 647.n.1
Ex parte creditoris obligationes ſunt quinque. p.648.n.2
Creditor computare debet in ſortem fructus agri ſterilis ſibi dari in pignus,quem non colebat dominus antea , quia ſterilis reputabatur: limita; niſi fructus eſſent modici, & labores magni momenti in agro colendo. ibid.n.3
Non ſolùm fructus,quos pignus iam attulit, verùm etiam quos tuliſſet, negligentia tamen ipſius creditoris non tulit , tenetur creditor in ſortem computare. ibid.n.4
Fructus deducendi in ſortem à creditore ſunt illi , quos pignus dolo,vel lata culpa ſua non tulit,imò etiam ex leui,quamuis non ex leuiſſima,vel caſu fortuito. ibid.
Qui domum inhabitat ſibi à debitore datam in pignus, debet pretium vſus domus computare in ſortem , ſecundùm quantitatem penſionis, qua illa domus locari conſueuit. Limita in caſu,quo nullus adit, qui velit eam domum pignori obligatam conducere; tunc creditor nihil debet pro habitatione. ibid.n.5
Qui pignus ab aliquo accepit , poteſt illud alteri oppignorare, non ſolùm ſemel,aut bis,ſed etiam centies , dummodo ſolùm det,& obliget in tanta pecuniarum quantitate, quantam ipſe primo debitori credidit. p.649.n.6
Pignus conuentionale,ſi debitor ſit in mora ſoluendi, vendi poteſt à creditore,ſi inter eos ſit conuentum , vt illud vendere poſſit.Si nihil eſt conuentum, tunc præter moram requiritur trina denunciatio facta debitori. ibid.n.7
Si nihil conuenerit inter creditorem,& debitorem , denunciandum debitori completo ſolutionis tempore , vt ſoluat debitum,quòd ſi intra biennium non ſoluerit,tunc creditor poteſt pignus vendere. ibid.

In venditione pignoris iudicialis expectandi ſunt quatuor menſes poſt latam ſententiam, antequam ad pignus capiendum proceda tur. Poſt pignus apprehenſum ad alios duos menſes debitor eſt expectandus, antequam pignus vendatur, &c. ibid. num. 8

In iure canonico aſſignantur tres cauſæ, in quibus creditor, ſeu pignoratarius non cogitur fructus pignoris in ſortem computare, partim prima eſt. ibid. n. 9

Quando maritus pro dote vxoris ſibi promiſſa, & non ſoluta recipit pignus, vt ex eo fructus colligat, donec promiſſam ſibi dotem acceperit. ibid.

Secunda cauſa. Quando Titius dat Caio fundum nomine, & iure feudi, quem deinde ipſe Titius loco pignoris accepit à Caio, qui in feudum ſuſceperat fundum, tunc fructus illius pignoris Titius facit ſuos, nec cogitur eos computare in ſortem debiti. ibid.

Tertia cauſa eſt, quando pignus cenſetur in bonis eius, cui datur. ibid.

Dum res oppignorata, ſeu hypothecata variatur, remanet ſemper ſubiecta pignori res ita variata. p. 650 n. 10

Quando ſylua ſubiecta pignori, vel hypothecæ cedditur, ſolùm remanet ſubiectum, imo etiam & ipſa ligna inciſa. ibid.

Quando res ſubiecta hypothecæ melior redditur, & augmentum accipit, ſolum ipſum, & ipſummet augmentum remanet ſubiectum hypothecæ. ibid.

In pignoribus prohibetur omne pactum turpe, quod iure naturali, diuino, vel humano damnatum ſit, inter quæ eſt pactum legis commiſſoriæ. ibid. n. 11

Obligatio pignoris, vel hypothecæ multis modis ſoluitur. ibid. num. 12

Ex pignore duæ actiones oriuntur, vna dicitur pignoratitia, & eſt actio perſonalis. Altera eſt hypothecaria, hæc ſeruiana, quæ eſt actio realis. p. 651 n. 13

Pignoratitia actio duplex eſt, vna directa, quæ competit debitori in creditorum. Altera contraria, quæ competit creditori in debitorem. ibid.

Pœna.

Pœna à teſtatore adiecta debetur ſtatim, ac incurritur in foro conſcientiæ, nulla expectata iudicis ſententia, aut executione. p. 651 n. 1

Pœnæ excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, commiſſo crimine pro quo ſunt impoſitæ, ſtatim incurruntur, nulla expectata iudicis ſententia, quando ipſo iure, aut ipſo facto ſunt latæ. ibid. n. 2

Pœna amiſſionis beneficij ipſo iure, aut ipſo facto, quæ paſſim habetur in iure, non debetur ante latam ſententiam declaratoriam criminis, niſi clarè appareat in contrarium eſſe intentionem legiſlatoris. ibid.

Conſtitutiones Apoſtolicæ, quibus aliquis ipſo iure priuatur officio, vel beneficio, hoc efficiunt, vt ſtatim amittat titulum ipſum, retineat tamen poſſeſſionem, qua priuari non poteſt, niſi cognita cauſa. ibid.

Probabilius eſt illum non teneri ad reſtitutionem, cuius bona ob crimen iuſtè ſunt confiscanda, ſi hoc fraude, aut mendaciis impediat, & ſic pœnam legis non eſſe ſoluendam, iudice non condemnante reum. p. 652 n. 3

Ex præcedenti doctrina reſoluuntur multi caſus, in quibus non eſt obligatio reſtituendi pœnam. ibid.

Lex pœnalis poteſt per conſuetudinem quoad pœnam derogari, & manere quoad obligationem ad culpam: & è contra poteſt conſuetudo abrogare legem, quoad culpam, manente obligatione quoad pœnam. ibid. n. 4

Pœna negatiua de non contrahendo matrimonium cum tali perſona, ſiue cum quacumque in communi, non poteſt licitè, neque validè imponi. p. 653 n. 5

Pœnam ſtatutam à lege pro aliquo crimine non poteſt iudex ordinarius regularis, vel alius commutare, minuere, vel augere; ſecus dicendum de iudice ſupremo, qui poteſt in lege diſpenſare. ibid. n. 6

Pœnam ordinariam poteſt iudex augere, quando crimen eſt extraordinarium, idque ex iuſta cauſa, non verò ad libitum. Similiter, & minuere, iuſta ad id ſuadente cauſa. ibid.

Pœnitentia.

Pœnitentia, vt eſt virtus ſpecialis, eſt diſtincta virtus à reliquis virtutibus. p. 653 n. 1

Pœnitentia non eſt verè, & propriè ſpecies iuſtitiæ propriè dictæ: contineatur tamen ſub iuſtitia analogicè, & per quandam ſimilitudinem, tanquam pars illius potentialis. p. 654 n. 2

Actus virtutis pœnitentiæ eſt ſimpliciter neceſſarius lapſis ad iuſtificationem expreſsè, aut ſaltem implicitè, & virtualiter, ſeu æquiualenter. ibid. n. 3

Actus virtutis pœnitentiæ, ſicut & actus aliarum virtutum, vt fidei, ſpei, religionis, &c. quamuis ſit diſpoſitio ad gratiam ſuſcipiendam, non tamen eſt vltima diſpoſitio, ſed ſolus actus contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia, eſt vltima diſpoſitio ad gratiam extra Sacramentum. ibid.

De fide eſt in noua lege, ſeu gratiæ, dari verum Sacramentum pœnitentiæ: In lege autem naturæ, & in lege veteri ſcripta non fuit Sacramentum pœnitentiæ. ibid. n. 4

Omnis pœnitentia ſufficiens ad remiſſionem peccati venialis, debet neceſſariò includere ſaltem virtuale propoſitum illud non committendi, itaut excludat actualem omnem affectum ad peccatum. ibid. n. 5

Probabile eſt per quemcumque actum meritorium habentem oppoſitionem cum venialibus, vel relatum à merente ad eorum remiſſionem, remitti etiam venialia. ibid. n. 6

De potentia Dei ordinaria, non poteſt remitti peccatum veniale abſque mortali: ſecus de potentia Dei abſoluta. p. 655 n. 7

Peccata ſemel dimiſſa per pœnitentiam non redeunt; nec vlla potentia redire poſſunt per peccatum de nouo commiſſum. ibid. n. 8

Peccata ſemel remiſſa non redeunt, nec etiam redire poſſunt propriè, & formaliter de potentia Dei ordinaria, quoad reatum pœnæ per ſubſequens peccatum. ibid.

De potentia Dei abſoluta reatus peccatorum præcedentium redire poteſt per ſubſequens peccatum. ibid.

Peccata præterita dimiſſa aliquo modo, & quaſi per accidens redeunt ratione ingratitudinis, & maioris deformitatis quæ in peccato poſt remiſſionem aliorum commiſſorum continetur: vnde tale peccatum grauiùs punietur. ibid.

Pontificalium vſus.

Epiſcopis non licet in Eccleſiis Abbatialibus exemptis ſuarum diœceſium Pontificalia exercere, niſi priùs habita Abbatum licentia: licet poſſint vti Pontificalibus in dictis Eccleſiis, abſque aliquo exercitio iuriſdictionis, ſine Abbatum licentia. p. 655 n. 1

Epiſcopi in locis exemptis non poſſunt ordinationes celebrare, Confirmationis Sacramentum ſmin iſtrare, calices conſecrare, & corporalia benedicere, &c. quia hæc ſunt in iuriſdictionis. Poſſunt tamen in Eccleſiis exemptis Pontificalia exercentes, baldachinum erigere, vt decernit ſacra Congregatio. p. 656 n. 2

Pontificalia inſignia, & ornamenta ſunt, Mitra, Baculus Paſtoralis, Annuli, Sandalia, Tunicella, Dalmatica, Chirotecæ, & Crux pectoralis. ibid. n. 3

Negant nonnulli poſſe Epiſcopum in aliena diœceſi, aut loco alterius iuriſdictionis extra diœceſim, Miſſam ſolemnem in Pontificalibus celebrare. Tamen affirmatiuam ſententiam defendunt multi Authores, tam de iure antiquo, quàm de iure nouo Concilij Tridentini. ibid. n. 4

Populus.

Quando totus populus vnius ciuitatis eſt generatim interdictus, non cenſetur locus interdictus. V. Interdictum. p. 418. *num.* 9

Interdicto populo ſeu vniuerſitati aliqua, ſi alij de nouo veniant, & fiant de populo interdicto, aut enlicti ſunt, ſicut alij. ibid. n. 10

Econtra exiſtens de populo interdicto, ſi ingrediatur religionem, poſt profectionem ceſſat eſſe interdictus. ibid.

Exiſtens de populo interdicto ad Ordines promoueri non poteſt, aliàs eſſet irregularis. ibid.

Qui habitant ad tempus in populo, vel vniuerſitate interdicta pro ſuis negotiis, & non ſunt de illo populo, aut vniuerſitate, non cenſentur interdicti, niſi eſſent culpabiles, tunc enim eſſent interdicti. ibid. p. 429 n. 14

Poſſeſſio. Poſſeſſor.

Poſſeſſionem non efficit, ſeu tentionem apprehenſio, & inſiſtentia in re corporea, ſi alio aliquo animo fiat, quàm habendi eam, vt ſuam. p. 657 n. 1

Poſſeſſio eſt, aut cum bona fide, aut cum mala fide. Cum bona fide poſſeſſio eſt, quando quis iuſto errore ductus rem habet cognitione, & opinione dominij, cùm non ſit dominus. Cum mala fide eſt, quando quis ſciens ſe non eſſe dominum, perinde ſe gerit, ac ſi dominus rei eſſet. ibid. n. 2

Non eſt bona fides, quando ex craſſa, aut ſupina facti ignorantia oritur, vt quoties quis hac ignorantia putat rem eſſe ſuam, vel ex temeraria fatuitate non aduertit rem eſſe alienam. ibid.

Ex ignorantia iuris naturalis, non conſurgit bona fides ad acquirendos fructus, vt ſi quis norit rem eſſe furtiuam, ignoret tamen ſibi non licere eam emere. ibid. n. 3

Inuincibilis iuris humani ignorantia, ſatis eſt ad producendam bonam fidem ad fructus acquirendos. ibid.

An dubia fides, quâ quiſpiam poſſidet rem dubitans, an ſit ſua ſit dicenda bona, an mala fides: Quidam dicunt eſſe bonam, alij verò malam; ſed dicendum eſt, dubitantem non cenſeri habere bonam fidem ad inchoandam poſſeſſionem, quamdiu manet dubitatio. ibid. n. 4

Speculatiuè loquendo, datur medium inter malam, & bonam fidem: at ſi hæc practicè ſpectentur, nequit inter vtramque medium dari. ibid.

Fides quoad præſcriptionem attinet, duobus modis dicitur bona, vel mala, nempe, *ciuiliter*, & *canonicè*. Fides mala ciuiliter eſt illa, quæ eſt contra diſpoſitionem legis ciuilis, fides mala canonicè dicitur illa, quæ inuoluit peccatum mortale. p. 658 n. 5.

Digitized by Google

Si bona fides ciuilis ſit ſine peccato,eam non damnat, nec damnare poteſt lex Eccleſiaſtica. ibid.

Poſſeſſor malæ fidei ciuilis vt præſcribat præſupponit bonam fidem Canonicam, id eſt, conſcientiam non læſam peccato mortali iniuſtæ acceptionis vel detentionis. ibid.

Poteſtas.

Poteſtas duplex reperitur in Abbate,ſeu Prælato regulari, dominatiua,ſeu œconomica,altera politica, ſeu iuriſdictionis, v.Abbas. p.2.n.4

Poteſtas iuriſdictionis in foro exteriori,iuxta quorundam ſententiam,Prælatis religionum iure diuino,competit; ſed verius eſt,illis competere,non diuino,ſed humano iure per Pontificem. ibid.n.5

Poteſtas Ordinis & iuriſdictionis ſunt reipſa diſtinctæ, v.Clauis. p.152.n.5

Poteſtas diſpenſandi conceſſa alicui eſt latè interpretanda tanquam fauorabilis, ſed non ſemper,verb. Diſpenſatio. p.220. num. 8.

Phyſiognomia.

Phyſiognomica diuinatio præcipuè ea quæ metoſcopia dicitur, quia ex vultu hominum prædicit corporis, ſeu animæ ſenſitiuæ affectiones & propenſiones, ſi intra limites naturales contineatur & fundamentis duntaxat naturalibus nitatur, probabilitatem aliquam habet,non tamen perfectam certitudinem, & ideò illâ vti cum formidine aliqua veritatis non eſt illicitum,verb.Diuinatio. p.230.n.12.

Phyſiognomia aſtrologica eſt ſuperſtitioſa & omni iure damnata: non enim poteſt haberi prænotio, neque diuinatio phyſiognomica circa ea quæ pendent ex libero arbitrio, aut caſualia vel fortuita ſunt. ibid.

Hinc interrogare Ægyptiacam de bona vel mala fortuna,in duplici caſu eſſet mortale. ibid.

Placita.

Placita Eccleſiaſtica in Eccleſiis peragere,de rigore iuris, permittitur. Sed æquitati conſentaneum eſt, vt illa potiùs in Palatio Epiſcopi peragantur, vel alio commodo loco extra Eccleſiam,v. Sacrilegium. p.766.n.6.

Placita iudicum & miniſtrorum ſæcularium non ſolùm prohibentur fieri in Eccleſiis vel cœmeteriis, ſed ſi inibi exercita fuerint,ipſo iure irrita ſunt. ibid.n.7

Plagiatus.

Plagiatus eſt ſpecies furti,quo quis hominem ſiue liberum,ſiue ſeruum abducit,vel aliter ſurripit,verb.Furtum. p.359.n.3

Precarium.

Precario dare & accipere poſſunt omnes,qui contrahere queunt. q.458.n.1

Precarium differt à mutuo,à venditione,à depoſito,à locatione, à commodato. ibid.n.2

Qui precarium dedit poteſt ſuo arbitratu etiam ſine vlla cauſa illud reuocare: id tamen facere non debet cum magno damno precatarij,abſque rationabili cauſa; alias peccaret contra charitatem,non tamen contra iuſtitiam. ibid. n.3

Preces.

Quæ per preces importunas & longo tempore iteratas obtinentur, animo datris repugnante,obnoxia ſunt reſtitutioni in caſu,quo is,qui huiuſmodi precibus ita vrgetur, non poſſit moleſtiam illam alia ratione, & minore incommodo tepellere. Si enim poſſet, non cenſetur inuitus conſenſiſſe, v. Contractus. p.193.n.6

Varij variè ſentiunt,an preces importunæ,ſecluſa omni alia ratione timendi incutiant metum cadentem in conſtantem virum,ſufficientem ad contractuum reſciſſionem? Probabilius tamen eſt preces importunas vna cum metu reuerentiali, incutere metum cadentem in conſtantem virum,v.Metus. pag. 555.n.7.

Quando fœmina ſui iuris importunis precibus abducitur, tunc dicendus eſt raptus, quando hæ preces importunæ violentiæ æquiparantur, v.Raptus. p.707.n.2

Precedentia.

Controuerſiæ, quæ de præcedentia accidere ſolent inter Eccleſiaſticas perſonas,tam ſæculares, quàm regulares in proceſſionibus publicis,aut iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, Epiſcopus componit, omni appellatione remota,quoad effectum ſuſpendiuum duntaxat,v.Proceſſiones. p.693.n.6

De præcedentia religioſorum Mendicantium inter ſe in proceſſionibus, adducitur Conſtitutio Gregorij XIII.quæ incipit, *Expoſcit,* ibid.n.7

Præceptum.

Præceptum eſt motio ſuperioris imperatoria ad aliquid agendum vel fugiendum ex neceſſitate. p.559.n.1

Præceptum ex parte materiæ diuiditur in generale & ſpeciale. Generale præcipit bonum,& prohibet malum in genere.Speciale verò certæ virtutis actum præcipit vel ſpecialis vitij actum prohibet. ibid.n.2

Peccatum commiſſum contra ſpeciale præceptum contentum ſub generali, tantùm eſt vnum: ſed peccatum commiſſum contra plura ſpecialia præcepta, quorum vnum in alio non continetur,non vnum,ſed plura ſunt. ibid.

Præceptum diuiditur ex fine in morale,quod ad rectam morum inſtitutionem;cæremoniale quod ad Dei cultum & iudiciale, quod ad iudicium inter homines pertinet. ibid.n.3

Hæc tria genera præceptorum in omni lege fuerunt, tam naturali, quàm Moſayca & Euangelica; ſed itaut duo poſteriora diuerſa eſſent in diuerſis legibus, & primum idem eſſet in omnibus. ibid.

Præcepta Decalogi tantùm ſunt decem,prout nomen ipſum teſtatur.Sortitur enim Decalogus hoc nomen, ex numero decem præceptorum,quibus conſtat. ibid.n.4

Præcepta omnia moralia veteris legis reducuntur ad decem præcepta Decalogi. Sed aliqua pertinent ad Decalogum antecedenter, alia in ipſo Decalogo formaliter & expreſsè continentur. Alia denique ſe habent ad Decalogum tanquam quid præuium & præambulum,vt ſunt præcepta fidei,ſpei & charitatis. p.660.n.5

Decalogus fons eſt omnium legum,tam Eccleſiaſticarum, quàm ciuilium, cùm ex illo deducantur quæcumque præcipiuntur legitimè. ibid.

Præcepta moralia, quæ conſequenter ſe habent, & Decalogo ſunt ſuperaddita, non diſtinguuntur à præcepto principali, nec faciunt diuerſa præcepta Decalogi,ſed omnia ad vnum finem tendunt. ibid.n.6

Præcepta moralia diuinæ legis ſunt de omnibus actibus virtutum, ſeu lex diuina proponit præcepta moralia de actibus omnium virtutum. ibid.n.7

Quomodo ſeptem capitalia peccata, quæ communiter mortalia appellantur,ad Decalogum reducantur,& quo præcepto prohibeantur. ibid.n.8

Tranſgreſſio diuinorum præceptorum, quæ in Decalogo continentur, regulariter eſt peccatum mortale, niſi paruitas materiæ,inaduertentia, aut mentis ſubreptio aliquando excuſet à culpa mortali. p.661.n.9

Grauitas peccatorum, quæ contra præcepta Decalogi committuntur, conſideranda eſt iuxta qualitatem præcepti, contra quod fit tranſgreſſio. ibid.

Prædicatio.

Ex decreto Concilij Tridentini vniuerſi Præpoſiti curam animarum gerentes,oues ſuas in his,quæ Dei ſunt,ac eorum inſtituta concernunt,inſtruere,ac eorum ſcelera eis annuntiare, ac eas verbi Dei prædicatione paſcere debent per ſeipſos, vel per alios,ſi legitimè impediti fuerint. p.661.n.1

Ad idem munus prædicationis tenentur Archipresbyteri & Eccleſiarum Rectores animarum curam gerentes per ſe vel per alios, in diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolennibus. ibid.

In Eccleſiis Parochialibus, quæ Monaſteriis ſunt ſubiectæ & nullius ſunt Diœceſis, Prælati eorumdem Monaſteriorum ad id præſtandum à Metropolitanis compelli poſſunt. ibid.

Abbates diœceſim habentes,in Parochiis vbi Parochi prædicare non valent,alios ido neos deputent impenſis eorum, qui tenentur. ibid.

An autem fideles obligentur diebus Dominicis & Feſtis ad audiendam prædicationem in Parochia? Quidam affirmant, alij negant; quia per contrarium conſuetudinem obligationi audiendi Verbum Diuinum in propria Parochia eſt derogatum. p.662.n.2

Contra præceptum Diuinum peccant toties Parochi mortaliter Verbi Diuini prædicationem prætermittentes, quoties populus grauiter indiget prædicatione. pagina 663. num.3

Præcisâ graui populi neceſſitate non peccant grauiter Parochi, ſi interdum vel ſæpius non prædicent: ſecus ſi duobus vel tribus menſibus totius anni diſcontinuis non concionentur. ibid.

Quando in eadem vrbe vel Parochia non deſunt prædicatores docentes ea,quæ populus ſcire tenetur, excuſantur Parochi non prædicantes. ibid.

Prædicatio Verbi Dei ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ, vel etiam ex proprio inſtituto poteſt religioſis conuenire: & de facto à diuerſis Pontificibus facultas prædicandi regularibus conceſſa eſt. p.564.n.4

Regulares prædicare volentes in ſuis Eccleſiis & ſuorum Ordinum tenentur ſe præſentare Epiſcopo & ab eo benedictionem petere, tametſi eam non obtineant. ibidem num.5

An Bulla Pij V. *Etſi mendicantium Ordines,* fuerit reuocata per Gregorium XIII. per Bullam, *In Tanta negotiorum mole*? Alij negant,Alij Affirmant. ibid.

Fratres Prædicatores & Minores poſſunt in Eccleſiis, ac locis ſuis, ac plateis communibus liberè populo & Clero Verbum Dei proponere, horâ illâ duntaxat excepta, in

qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter celebrari. ibid.n.6
Prædicator regularis, siue secularis in tribus casibus à prædicatione est suspensus, ex Concilio Lateranensi V. sub Leone X. in Concilio vero Tridentino sunt tres alij casus, in quibus regularis ab Episcopo tanquam à Sedis Apostolicæ delegato suspendi potest, licet de facto non sit suspensus. ibid.n.7
An autem Episcopus possit prædicatorem regularem exemptum in casibus à iure expressis, suspendere à prædicatione, aut suspensum declarare? Probabile est quòd non, sed affirmativa sententia communiter practicatur. ibid.
Ad munus prædicationis sunt eligendi viri nonnisi idonei ætate, doctrina & probitate, ac morum honestate præditi, exemplo & alijs, sed maximè prudentia summopere commendati, &c. p.666.n.8
Qualis debeat esse Prædicatorum doctrina, & à quibus, quam maximè debeant abstinere, habetur in Concilio Lateranensi sub Leone X. cuius textus refertur. ibid.n.9.

Prælatus.

Prælati regularium, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium veniunt sub nomine Abbatum, quoad ea, quæ spectant ad potestatem iurisdictionis: secus quoad ea, quæ spectant ad potestatem Ordinis & dignitatis Episcopalis, quam Abbates participant, v. Abbas. p.2.n.3.
Prælati Conventuales inferiores non possunt condere statuta perpetua, quæ habeant vim & rationem legis ibidem p.3.n.11.
Penes Prælatos Generales cum consensu maioris partis Capituli est facultas condendi statuta. ibid.
Nullus Prælatus Romano Pontifice inferior absque speciali eius auctoritate sibi tradita potest aliqua statuta condere, quæ sint contra ius commune. ibid.p.4.n.12
Prælati seculares exempti habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt statuta condere: licet & Abbates regulares habentes territorium & subditos seculares. ibid.n.13
Prælati regulares supremi, quales sunt Generales Provinciales, &c. abolere possunt accusationem coram ipsis factam aduersus religiosum subditum, aut impedire accusatorem, ne illam prosequatur, modo id faciant ex iusta causa, nec non citra scandalum, & accusatio facta sit à religioso ipsis respectiue subdito, verb. Accusatio. pag.28.n.13.
Prælatus probabiliter potest repudiare legatum, seu hæreditatem suæ Ecclesiæ relictam, absque solemnitatibus iuris. Contrarium est probabilius, v. Alienatio. p.48.n.4. vbi plura numeris sequentibus.
Prælati habent potestatem capiendi, cogendi & in vincula coniiciendi, puniendi etiam corporaliter Apostatas suos iuxta proprias Constitutiones, v. Abbatissa. pag.63. *num.* 7.
Prælatus potest ad libitum & absque vlla causa Priorem manualem, & administratorem, seu beneficiarium Monachum, à suo Prioratu, administratione vel beneficio remouere, v. Beneficium VIII. p.119.n.20
Prælati Episcopo inferiores habentes Ecclesias sibi pleno iure subiectas, vel territorium & diœcesim, possunt à subditis charitatiuum subsidium exigere, verb. Charitatiuum subsidium. p.146.n.3
Prælati & Superiores Clericorum ac religiosorum non possunt contra eos procedere in criminibus grauibus, sine aliquo accusatore formali, aut virtuali, & sine ordine iudiciali; quamuis possint sine strepitu & figura iudicij, sicut decet religiosos, verb. Iudex. pag. 455. *num* 17.
Prælatus alicuius religionis non approbatus ab aliquo Episcopo ad confessiones secularium audiendas, non potest eligi in confessarium à secularibus tempore Iubilæi: quamuis ab aliquibus contrarium sustineatur vt probabile, v. Iubilæus. p.447.n.3
Prælatus regularis potest dispensare cum sibi subdito, qui ordines per saltum, siue ignoranter, siue etiam scienter susceperit (modo in ordine suscepto non ministrauerit) vt prætermissos ordines recipiat, in male recepto ministret, & ad Superiores Ordines, si qui desint recipiendi, ascendat, v. Ordinis Sacramentum. p.607.n.10
Prælatus iure naturali potest obligari religioso sibi subdito ex pacto inter ipsos inito, v. Pactum. p.611.n.7
Prælatus non potest pro suo arbitrio & libera voluntate bona Monasterij in quos voluerit vsus expendere, verb. Pauperes. p.635.n.9
Prælatus regularis potest concedere religioso professo peculium ad quoscumque vsus indeterminatos, itaut possit in vita donare in eos vsus & eo modo in quos & quomodo ipse Prælatus posset disponere. ibid.p.638.n.17.
Prælatus regularis conferens Monacho beneficium regulare, potest imponere illi ex iusta causa pensionem soluendam alteri Monacho eiusdem Monasterij ad nutum suum reuocabilem, v. Pensio. p.646.n.13
Prælatus admittens ad professionem excommunicatum, si non est denunciatus, nec publicus Clerici percussor, non peccat: si autem sit denunciatus, &c. peccat venialiter, nihil in professione addantur aliquæ preces ab Ecclesia institutæ, tunc peccabit mortaliter, sicut & profitens, propter communicationem in diuinis, v. Professio. p.695.n.4.
Prælatus localis & eius locum tenens potest suo religioso concedere licentiam accedendi ad quæuis studia, de consilio tamen Consultus vel maioris partis. Idem possunt Generalis, aut Prouincialis in Monasteriis exemptis, & Episcopus in non exemptis, sine consilio conuentus, v. Regulares. p.713.n.12
Prælatus recipiens ad religionis ingressum, illum, qui vi & metu extrinseco compulsus illam ingreditur, mortaliter peccat, v. Religio. p.720.n.11
Prælatus, seu Superior teneatur recipere religiosum, cui concessit licentiam transeundi ad arctiorem, si ante emissam professionem in secunda religione, reuerti vult ad Priorem. ibid.p.722.n.16.
Prælati religionum locales, vt sunt Guardiani, Priores, Abbates & quocumque nomine vocentur, tenentur, sicut Parochi ad residentiam in suis Monasteriis: super tamen residentia illorum ex legitima causa ad certum & determinatum tempus dispensare possunt Generales & Prouinciales, aliique Superiores maiores, verb. Residentia. p.735. *num.* 11.
Prælatus localis religionis facultatem habet eligendi sibi sepulturam, si existens in Prælatura decedat: secus si finita, tunc enim sepeliendus esset in Monasterio, v. Sepultura. p.778.n.13.
Prælati regulares & religiosi de illorum licentia, possunt esse Vicarij Episcoporum. Excepti Fratribus, Minoribus, v. Vicarius. p.847.n.14
Quando dubitatur, an Prælatus sit legitimè electus vel confirmatus, & nondum est talis in possessione superioritatis, tunc licet ei non obedire, donec certò id constet: secus si esset in possessione superioritatis, verb. Dubium. p.253.n.11
Prælatus suum subditum percutiens vel alium Clericum sæcularem, quamuis percussio enormis sit, virtute priuilegiorum absolui potest non solùm à Superioribus religionis, sed etiam à quocumque confessario à se electo, v. Excommunicatio V. p.327.n.19
Prælatus exemptus dupliciter ab Ordinariorum molestijs iura sua tueri potest, v. Exemptio. p.330.n.5.
Prælati & religiosi de iure communi à lege Episcopali diœcesana sunt exempti: à lege autem iurisdictionis non: sed de iure priuilegiorum ab vtraque lege immunes existunt, v. Exemptio. p.331.n.6
Prælati Ecclesiastici, quicumque illi sint, non possunt hodie post Constitutionem Vrbani VIII. *Humana salutis auctor*, bona quæcumque ad eorum Ecclesias vel Monasteria spectantia concedere in Feudum vel Emphyteusim, aut vltra triennium locare, verb. Feudum. p.338.n.13
Prælati regulares iuxta Constitutiones Pij IV. ad fidei professionem emittendam adstringuntur, vbi recepta est hæc Constitutio, aliàs non, verb. Fides II. pagina 345. *num.* 8.
Prælatus non potest mutare aliquid de Breuiario Romano absque licentia Summi Pontificis, v. Horæ Canonicæ II. pag. 383.n.14.
Prælati religionum peculiari obligatione tenentur habere curam, vt chorus sicut par est frequentetur, v. Horæ Canonicæ III. p.386.n.6
Prælatus, qui indulgentias generaliter concedit, easdem sibi lucrari potest, v. Indulgentia I. p.414.n.6.
Prælatus, qui petitur a suis Officialibus, quid faciendum in causa sanguinis circa aliquem particularem casum, potest respondere, facite quod leges statuunt, &c. v. Irregularitas I. p.436.n.20.
Prælatus, aut quicumque alius habens facultatem dispensandi in voto, eiusque commutandi, non peccat sola dispensatione vtens sine aliqua commutatione, quando esset sufficiens totalis dispensationis causa: quamuis licitè possit Prælatus commutationem aliquam iniscere, verb. Votum II. pag.878. *num.*29. vbi plura numeris sequentibus.

Præpositura.

Præpositura fuit absque dubio dignitas vel personatus, habuit enim vna cum honorifico loco etiam iurisdictionem & curam animarum, & nunc etiam in Ecclesijs Germaniæ, Poloniæ, Belgij eandem iurisdictionem retinet: vbi tamen Præpositura caret cura & conuentu non vocatur dignitas, v. Dignitas. p.218.n.5

Digitized by Goog

Præscriptio.

Præscriptionis beneficium duabus de causis ob bonum publicum introductum est. p.667.n.1

Possessor bonæ fidei post legitimi temporis decursum directum ac plenum rei,quam vsucapit,dominium omni iure sibi comparat, & eam postea à quouis possessore tanquam dominus vendicare potest. ibid.

Emptis rem furtiuam bona fide, si per triginta annos illam possideat,quamuis postea sciat fuisse alterius, non tenetur ad restitutionem. ibid.

Ad vsucapiendum, seu præscribendum causa aliqua possessionis requiritur, vnde in iure ponuntur quidam tituli, quibus res vsucapi potest,nempe,*vt pro solu o pro emptore,pro hærede pro donato,pro derelicto, pro legato pro dote,pro suo,pro transacto, pro iudicato, pro permutato, pro socio.* ibid.n.2

Si quis aliquo titulo bono, *vt pro emptore,pro donato*,&c. habeat rem,quam scit esse alterius, tamen ob rationes sibi iustas non tradit vero domino, secundùm communem sententiam,talis est possessor malæ fidei & in foro conscientiæ nullo tempore præscribit. Tamen nonnulli sustinent,quod possessor malæ fidei præscribit debita manantia ex actionibus personalibus,secus verò ex actionibus realibus. p.668.n.3

Præscriptio alia est propria & rigorosa, & est illa, quæ à iure Cæsareo & Canonico approbatur. Alia est impropria, quæ potius negatio actionis repetendi coram iudice appellatur. p.669.n.4

Præscripti possunt in conscientia bona quæ per sententiam sunt applicata fisco, & quæ teneatur reus tradere si petantur, etiamsi habeat,malam fidem ciuilem. ibid.n.5

Quando quis bona naufragantium accipit suadens sibi,ea esse derelicta à propriis dominis, non peccans in eorum retentione, aut ablatione, potest ea vsucapere & præscribere. Secus si imprudenter & falsò iudicet rem pro derelicto habitam. ibid.n.6

Probabile est posse esse cum mala fide ciuili gabellatum præscripsionem in vtroque foro,si non petantur. p.670.n.7

Præscribere potest hæres legatum contra legatarium, si ipse legatarius intra triginta annorum spatium,quod taxatum est à lege ad præscribendas actiones personales,non petat legatum. ibid.n.8

Præstigium.

Præstigium est Necromantiæ species, cùm nempe Dæmon variis apparitionibus superstitiosorum oculos perstringit, se illorum aspectibus obiiciens,& occulta docens, v.Diuinatio. p.228.n.4

Apparitiones dæmonum variis modis fiunt. ibid.n.5.

Præstimonia.

Præstimonia sunt dicenda beneficia Ecclesiastica hodie licet simplicissima, & consequenter habent titulum spiritualem, cum iure ad fructus capiendos causa sustentationis in studiis. Vnde sunt materia simoniæ & vendi non possunt,eodem modo,quo cætera beneficia,v.Simonia. p.788.n.7

Præsumptio.

Præsumptio est triplex,vna dicitur hominis;alia est iuris; alia est iuris & de iure. p.670.n.1

Quamuis contra præsumptionem iuris & de iure, non admittatur probatio directa,admittitur tamen indirecta. ibid.

Præsumpeio dicta est à dictione præ,id est ante & sumpeio, hoc est,ante sumptio; ante enim legitimas probationes aliquid sumit pro vero. p.671.n.2

Præsumptio,indicium,coniectura,signum,suspicio & adminiculum inter se differunt. ibid.

Præsumptio illa est,quæ interdum oritur à probabilibus, & dicitur præsumptio iuris vel hominis: item oritur à necessariis,& tunc appellatur præsumptio iuris & de iure. ibid.

Præsumptio & indicia ad inquirendum & torquendum paria esse non oportet: ad inquirendum enim leuiora sufficiunt indicia, quàm ad torquendum & damnandum. ibidem. num.3.

Indicium ad generaliter inquirendum oritur ex testimonio cuiuslibet testis, etiam inimici:ex assertione vulnerati superuenientis: ex fama: ex graui inimicitia: ex testimonio propinquorum vulnerati vel occisi. ibid.

Ad inquisitionem specialem præter famam & grauem inimiciciam,numerantur inter indicia, fuga rei; testimonium socij criminis,aliquibus tamen in casibus,&c. ibid.

Præsumptiones & indicia sufficientia ad torturam, quamuis relinquantur arbitrio iudicis,talia tamen sunt;quando vnus testis omni exceptione maior attestatus est de visu ipsius gesti actus & commissi delicti. p.672.n.4

Præsumptio secunda oritur ex confessione extraiudiciali accusati;vt tamen sit locus huic præsumptioni, quatuor sunt necessaria. ibid.

Præsumptio tertia ad torturam oritur ex fama, modo sit vehemens, vel aliqua alia adminicula concurrant. ibidem. num.5

Præsumptio quarta oritur ex fuga: hoc tamen non procedit, quando talis fuit accusatus & vocatus ad iudicium, & venit, nec quando aliqua iusta vel colorata causa subesse potest vt hic abesse coperit. ibid.n.6

Qui iustè carcere mancipatus aufugit animo non redeundi, fuga hæc iudicium facit ad torturam: si fugiat fracto carcere vel ruptis compedibus cum conspiratione, hæc fuga facit indicium non solùm ad torturam, sed etiam plenam probationem,quoad condemnationem. ibid.

In duobus casibus sola fuga absque conspiratione plenam probationem criminis facit. Primò, in crimine hæresis. Secundò, quando Magistratus tempore syndicatus fugit. ibid.

Præsumptio quinta ad torturam oritur ex testimonio socij criminis, modo concurrat alia præsumptio, vel adminiculum, aut indicium: duo tamen socij criminis sufficiunt ad torturam si deponant; licet sint singulares,sed non semper. p.673.n.7

Quando præsumptio est iuris & de iure; sententia ferri potest: si autem est præsumptio iuris tantùm, quæ tamen contraria probatione non fuit improbata, sententia etiam ferri potest. Idem dicendum si præsumptio est hominis tantùm,si sit violenta. ibid.n.8

Præsumpeio violenta est, quando apparet coniectura mali, & non boni, & cùm omnia signa sunt mali & nulla boni. ibidem.

Quando præsumptio est probabilis,vel leuis,vel temeraria sententia ferri non debet in eum, aduersus quem sumpta est. ibid.

Præsumptio, quæ est virtuti spei & magnanimitati contraria vt refertur ad voluntatem, in genere significat quendam animi motum ad aliquid agendum, quod excedit agentis facultatem, & hæc vagatur per materias diuersas. ibid.n.9

Præsumptio respectu legis & iuris debiti consistit in hoc, quod quis cognita voluntate superioris,vel cognita lege,eam transgredi præsumit: & hæc non est speciale vitium & peccatum, sed circumstantia generalis ad legis contemptum pertinens. ibid.

Grauitas præsumptionis quâ aliquis aggreditur id, quod superat vires suas,plerumque est venialis, in tribus tamen casibus est mortalis. ibid.

Præsumptio, quatenus opponitur virtuti spei per excessum est affectus quo speramus aliquid à Deo, inordinatè tamen & huius præsumptionis varij sunt modi. pag.674. num.10

Primus modus est, quo quis speret consequi beatitudinem & remissionem peccatorum propriis viribus, & est præsumptio Pelagiana & hæretis. ibid.

Secundus modus est, quo quis speret se obtinere posse à Deo remissionem peccati sine pœnitentia, aut beatitudinem sine bonis operibus, & est præsumptio Lutherana, quæ vix committi potest sine tali hæresi: semperque est mortalis. ibid.

Tertius modus est,cùm quis spe veniæ obtinendæ pœnitentiam de peccatis in senectutem,aut horam vitæ differt: hoc peccatum est mortale, quando tempus occurrit, quando præceptum pœnitentiæ obligat. ibid.

Pretium.

Pretij constitutio in cambiis & pecuniarum, quæ commutantur, æstimatio iustè & licitè fieri potest à mercatoribus artem campsoriam exercentibus, v. Cambium. p.125.n.6. vbi plura n.7.

Pretium census vitalitij taxari potest ad rationem vnius pro sex iuxta quosdam; secundùm alios ad vnum pro septem; iuxta alios ad rationem vnius pro decem, &c. Sed dicendum est spectandam esse locorum consuetudinem, quæ pro diuersitate Prouinciarum varia est,v. Census. pag. 140.n.26

Vltra dimidium iusti pretij non licet vendere, aut emere rem, nec in foro conscientiæ, nec in foro externo: vendere autem rem vltra dimidium iusti pretij, non est vendere rem vltra duplum, sed vltra sesqui alterum, id est, vltra medietatem iusti pretij, vt si res valens 10. vendatur 16. aut ematur 4. nam quinque sunt medium iusti pretij, v.Emptio. p.279.n.5

Emptor dans pretium excessiuum, censetur intendere donare excessum, vel venditor vilius vendens condonare defectum pretij,modo quinque concurrant. ibid.n.6

Pretium vulgare secundùm vsum fori tres habet gradus, infimum, seu pium, medium, seu moderatum,& supremum siue rigidum & rigorosum: & omnia huiusmodi pretia sunt iusta. ibid.n.7. vbi plura de iusto rerum venalium pretio.

Pretium exigere pro diſpenſationibus quamuis ſit ſimonia contra ius diuinum, in quo non poteſt Pontifex diſpenſare, tamen iuſtis aliis de cauſis illa tractatio & exactio pecuniæ poteſt eſſe incita, & ſtylus Romanæ curiæ approbat, v. Simonia. p.691.n.18

Pretium quo fit ſimonia confidentiali intervenire poteſt & debet, duplex tantum eſſe poteſt. ibid. p.787.n.2

Primitiæ.

Primitiæ dicuntur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, arborum & hæ primitiæ fuerunt in veteri lege à Deo aſſignatæ Aaroni & filiis eius, verb. Parochia. p.626.n.15

Hoc præcepto tum Moſaicæ legis de primitiis, fuit ceremoniale, quamuis valde conſentaneum legi naturali: proinde nouæ legis Eccleſia decentiſſimum hunc modum offerendi fructuum primitias Deo ſuis mediatoribus, atque in miniſtris ſuis imitata olim fuit, atque fidelibus præcepit. ibid.

Hodie pleriſque in locis primitiarum oblatio per deſuetudinem abolita eſt. ibid.

Principes.

Princeps ſupremus non agnoſcens alium ſuperiorem in temporalibus derogare poteſt teſtamento & legato facto ad cauſam profanam, conuertendo illud ex iuſta cauſa in aliam cauſam profanam, vel pium. Idem poteſt Pontifex Summus in legatis piis, verb. Legatum. p.479.n.23

Vt Princeps poſſit legitimare filium, neceſſarius eſt ipſius filij conſenſus, imo & patris, ſi viuat. Mortuo verò patre vocandi ſunt ipſius patris inteſtati ſucceſſores, niſi id Princeps faciat ex voluntate præterita Patris dum vixit, v. Legitimatio. p.437.n.9

Principis auctoritate non poteſt filius naturalis vel ſpurius fieri legitimus etiam viuente & annuente patre, ſi filij legitimi ipſius patris non conſenſerint. ibid.n.10

Princeps vel Reſpublica pecuniis indigens cauſa belli, aut alia de cauſa, licitè inſtituit montem cogendo ſubditos ad dandas ſibi pecunias, hac lege, vt donec illas reſtituat, ſoluat quinque vel ſex pro centum reſeruatâ ſibi facultate reſtituendi ſingulis creditoribus ſortem principalem, &c. verb. Mons pietatis. p.579.n.6

Princeps infidelis ſupremus ſemper potuit & nunc poteſt ſtatuere impedimenta matrimonium dirimentia ex iuſta cauſa ſuis infidelibus. An autem Principes gentiles obligare poſſint etiam fideles ciuiliter illis ſubiectos? Affirmant quidam, ſed alij probabilius negant, v. Matrimonium II. pag. 527.n.5

Princeps reipublicæ perfectæ poteſt ſuſcipere contra hoſtes bellum aggreſſiuum, v. Bellum. p.30.n.5

Princeps poſita iuſtâ cauſâ non ſemper poteſt bellum indicere, ſed prius petenda eſt ab aduerſario condigna ſatisfactio. ibid. p.91.n.9

Princeps, qui ſuâ culpâ ſtatuto tempore non ſoluit ſtipendium militi, tenetur reſarcire omnia damna quæ inde fuerunt ſequuta, ſed non ſemper. p.92.n.17

Princeps ſæcularis vſuram in Republica permittens non peccat, propter vitanda maiora mala. Tamen in iure Canonico excommunicantur officiales communitatum, qui per ſtatuta compellunt ad vſuras ſoluendas, vel denegant actionem in iudicio ad repetendum, v. Mutuum. p.581.n.9

Principes ſæculares non poſſunt etiam ex iuſta cauſa dare Iudæis poſitiuam licentiam exercendi vſuras abſque Pontificis auctoritate, iuxta veriorem ſententiam; licet aliqui contradicant. ibid.

Princeps ex graui cauſa poteſt per reſcriptum ſuum alicui ſubdito concedere inducias moratorias, exceptionem, ſeu dilationem temporalem ad eum effectum, vt intra tempus indultum debitores à creditoribus nequeant moleſtari, v. Ceſſio bonorum. p.142.n.7. vbi plura *numeris ſequentibus.*

Princeps vel Reſpublica non habet dominium vitæ & membrorum ſubditorum, v. Dominium. p.233.n.6

Princeps hæſitans in cauſa ſit iuſta & gabellam imponit eo modo progrediendi moraliter peccat, verb. Gabella. p.364.n.9. vbi plura n.10.11. & 14.

Princeps, aut Reſpublica non poteſt legem ſtatuere, aut facultatem alicui concedere abſolutè, vt quis ante iudicis ſententiam malefactorem occidat, niſi quando crimen eſt publicum & notorium, verb. Homicidium I. p.376.n.17

Princeps vel Reſpublica concedere poteſt facultatem hominibus priuatis occidendi malefactores in aliquibus caſibus poſt latam ſententiam & declaratoriam criminis, quâ quis iuſtè ad mortem damnatus eſt. ibid.n.18

Quando Princeps impedimenti ignarus admittit inhabilem nullomodo cenſetur per eam prouocationem cum illo diſpenſare, dum impedimentum ignorat, verb. Diſpenſatio p.221. num. 10

A Principe facta donatio ex cauſa remuneratoria, tanquam contractus oneroſus liberè reuocari non poteſt, niſi expreſſâ iuſtâ cauſâ, & quæ publicam reſpiciat vtilitatem, v. Donatio. p.238.n.6

Quando Princeps aliquid filiis defuncti benemeriti donat, creditores patris nullum ius ſuper huiuſmodi rebus donatis habere poſſunt. ibid.n.7

Princeps ſupremus & lex ciuilis poſſunt irritum reddere iuramentum lati ibi ſubiti in contractibus ad forum ſæculare ſpectantibus, imò eludendo vim illius omnesquam præſtetur, ne ex illo obligatio oriatur, quando id exigit finis politicus & bonum ſuæ reipublicæ, v. Iuramentum. p.467.n.42

Non poſſunt Principes etiam in bello iuſto reliquias Sanctorum ex Eccleſiis abſtrahere, v. Reliquiæ Sanctorum. pag. 731.n.19

Princeps dupliciter obligatur ad procurationem boni communis. Primò, quatenus eſt pars illius communitatis. Secundò, quatenus eſt ſuperior communitatis, verb. Iuſtitia. p. 471.n.13

Prioratus.

Prioratus eſt duplex, alter Conuentualis, alter Clauſtralis. Prior Conuentualis eſt ille, qui Conuentui Monachorum, ſiue aliorum religioſorum præeſt, nempe in Monaſterio in quibus non datur Abbas, verb. Beneficium I. p.93.n.6

Prioratus Conuentualis appellatione ex propria ſignificatione venit Eccleſia Collegiata regularis non autem ſæcularis. ibid.

Priores Conuentuales quos aliqui vocant Præpoſitos, aut ſuperiores locales, habent eandem facultatem erga Monachos & adminiſtrationem Monaſterij, quam habent Abbates, & iiſdem priuilegiis gaudent. ibid.

Prior Clauſtralis dicitur, qui religioſis in Clauſtro & Monaſterio præfectus eſt, & Abbati ſubiicitur. Huic committitur adminiſtratio iuriſdictionis tantùm circa ea, quæ ad Clauſtrum & regulam ſpectant & appellantur Vicarij. ibid.n.7

Priorem manualem poteſt Prælatus abſque vlla cauſa à ſuo Prioratu remouere, verb. Beneficium V III. p.119.n.10

Quando Prioratum manualem vel beneficium Papa regulari contulit, tunc non alteratur natura beneficij, & remanet manuale ſi concederit iure ad ipſum deuoluto, ob Prælati negligentiam. p.120.n.12

Si Pontifex conceſſerit talem Prioratum expreſſè vt debeat religioſus quoad vixerit, illum poſſidere, tunc non poterit Prælatus eum remouere. ibid.

Prioratus ſæcularis eſt dignitatis ſpecies: dicebatur autem Prior, qui toti Collegio Canonicorum præerat cum iuriſdictione & cura animarum: quæ dignitas hodie in aliquibus locis adhuc viget, v. Dignitas. p.218.n.6

Priuatio.

Leges Pontificiæ & religionum ponentes priuationem ab Officiis & Prælaturis actualibus ipſo facto, ſeu abſque vlla declaratione, non obligant tranſgreſſores, vt facto delicto deponant officia per ſe ipſos, ſed ſemper requiritur ſententia iudicis declaratoria criminis, v. Lex II. p.494.n.13

Priuilegium.

Priuilegium fori conceſſum Eccleſiaſticis non poteſt per poteſtatem ciuilem integrè reuocari, neque ex parte diminui, vel limitari, aut reſtringi; imò nec reſtrictè declarari cum legis auctoritate poteſt virtute ſolius ciuilis poteſtatis. p.675.n.1

Priuilegium vel facultas conceſſa retrotrahitur ad validandum actum præteritum, qui ſine ea facultate fieri non poterat. ibid.n.2

Priuilegia Bullæ Cruciatæ vel Iubilæi quatenus continent poteſtatem diſpenſandi latè ſunt interpretanda: quamuis aliqui contrarium doceant. ibid.n.3

Priuilegia Bullæ Cruciatæ vel Iubilæi prout continent actualem iuris diſpenſationem, ſunt ſtrictè interpretanda, & non extendenda vltra propriam verborum ſignificationem & naturam. p.676.n.4

Priuilegium ſtrictè ſumptum eſt ſingulare ius contra ius commune inductum: Priuilegium largè ſumptum vſurpatur pro quacumque conceſſione præter ius facta. ibidem. num.5

De ratione priuilegij eſt, vt aliquem effectum habeat in priuilegiato, quia aliàs eſſet inutile. ibid.n.6

Priuilegium aliud dicitur ſcriptum, aliud non ſcriptum. Scriptum dicitur illud, quod non ſolum ore pronunciatur à concedente, verùm etiam ſcripturâ authenticâ exprimitur vt fidem faciat publicam. ibid.n.7

Priuilegium non ſcriptum dicitur illud, quod conceditur abſque ſcriptura & in Pontificis conceſſionibus ſolet vocari viuæ vocis oraculum. ibid.

Digitized by Google

Priuilegium Bullatum dignoſcitur à conceſſo viuæ vocis oraculo tantùm, ex ipſa forma loquendi, quâ illa exprimuntur; ſiquidem in priuilegio Bullato loquitur ipſe Papa; in oraculis verò loquitur alia perſona referens & atteſtans, quid Papa eo eſſerit, &c. ibid.

Priuilegium aliud eſt per ſe non ſcriptum, quod à nemine ita eſt expreſsè conceſſum, vt ſcribi poſſit, ſed vſu quodam & tacitâ conniuentiâ Principis comparatum eſt, & huiuſmodi erit priuilegium conſuetudine præſcripta interdictum. ibid.

Ad priuilegium per conſuetudinem introducendum contra ius, requiritur tantùm temporis, quantùm requiritur ad abrogandam legem per conſuetudinem. Si introducatur vltra, aut præter ius priuilegium, dicendum eſt illud obtineri per modum præſcriptionis, & ideò iuxta exigentiam materiæ maius vel minus tempus poſtulare. ibid.

Conſtitutio Vrbani VIII. & Gregorij XV. adducitur, de reuocatione priuilegiorum viuæ vocis oraculo conceſſorum. p. 677.n.8.

Quando viuæ vocis oraculum tale fuit, vt in illo nixa communitas religioſa induxit conſuetudinem rationabilem, præſcriptam tempore legitimo & requiſito à iure, quamuis reuocatum ſit virtute dictarum Conſtitutionum viuæ vocis oraculum, non tamen eſt reuocata conſuetudo legitima. p. 679.ibid.

Quando viuæ vocis oraculum factum alicui Cardinali tanquam Officiali Pontificis & ſignatum eſt ſigillo officij publici, quod exercet ſiue Cancellariæ, ſiue Pœnitentiariæ, non cenſetur reuocatum Conſtituti ne dicta Vrbani VIII. ibidem.

Reuocatio prædicta Vrbani VIII. non comprehendit viuæ vocis oracula communicantia priuilegium alicui religioni, aliàs conceſſum per Apoſtolicum diploma. Sed hæc opinio ad praxim non eſt deducenda inconſulto Summo Pontifice. ibid.

Conſtitutio Vrbani VIII. iuxta quoſdam Doctores, ſolùm reuocat ea viuæ vocis oracula, quæ non ſunt confirmata per Bullam alicuius Pontificis ex certa ſcientia: & hoc non eſt contra ſtylum Curiæ Romanæ: quæ tamen omnia alij negant. ibid.

Quamuis omnia viuæ vocis oracula eſſent reuocata per Bullam Vrbani VIII. nihilominus omnes confeſſores regulares priuilegiati expoſiti & approbati à ſuis Superioribus & Epiſcopis probabiliter poſſunt diſpenſare, tam cum inceſtuoſis ad debitum coniugale petendum, quàm cum illis, qui illicitè matrimonium contraxerunt cum impedimento voti ſimplicis caſtitatis, vt etiam poſſint petere & réddere quouſque duret matrimonium. p.680.ibid.

Priuilegium quod habet tractum ſucceſſiuum & conſiſtit in potentia faciendi vel omittendi aliquid in futurum, renunciari poteſt ab ipſo priuilegiario, in cuius ſolius fauorem conceſſum eſt. p.680.n.9

Priuilegium quod habet effectum momentaneum & ſolùm datur per modum diſpenſationis tollentis aliquod impedimentum vel vinculum poſtquam ſemel conceſſum eſt, renunciabile non eſt. ibid.

Priuilegij renunciatio duplex eſt, vna impropria, quæ conſiſtit in puro non vſu actuali priuilegij; altera propria, quâ quis tollit à ſe ius & poteſtatem vtendi. ibid.

Religioſi Mendicantes gaudent priuilegiis Mendicantium & non Mendicantium conceſſis & concedendis à Sede Apoſtolica, & ſimiliter confirmationibus & innouationibus eorum priuilegiorum. ibid.n.10

Ordines Mendicantes præcipui ſunt quatuor; quibus alios ſex adiunxit Eccleſia. ibid.

Probatur hæc communicatio priuilegiorum inter dictos religioſos ex conceſſionibus Pontificum. ibid.

Ordines non Mendicantes hic expreſſi in priuilegiis Mendicantium communicant. p.681.n.11

Plurimi etiam non Mendicantes priuilegiis non Mendicantium communicant. ibid.

Priuilegiorum communicatio non ſolùm intelligitur de priuilegiis Ordinum, qui tunc extabant, quando priuilegium communicationis conceſſum fuit, ſed etiam futurorum. ibid. num.12

Priuilegia regularium quoad Prædicationes, Confeſſiones, approbationes & alia huiuſmodi non ſunt iam ſimpliciter priuilegia, ſed iura quæſita. ibid.n.13

Non eſt cenſendum Pontificem ſuis literis & Bullis velle priuare Regulares ſuo illo iure quæſito etiamſi clauſulam reuocatoriam generalem priuilegiorum regularium adhibeat. ibid.

Priuilegia regularium non amittuntur per non vſum, niſi legitimum tempus cucurrerit ad præſcriptionem. pag. 682. num.14

In priuilegio reali duplex eſt non vſus; alius enim dicitur priuatiuus, alius contrarius. ibid.

Vt præſcriptio fiat non vſu priuatiuo tres conditiones requiruntur. Primò, vt oblata fuerit occaſio vtendi priuilegio, & non vtatur. Secundò, vt detur ſcientia talis priuilegij. Tertiò, vt detur potentia illo vtendi, id eſt non detur impedimentum. ibid.

Vt præſcriptio fiat per non vſum contrarium, requiritur vt fiat non à quodam priuato, etiamſi ſit, v.g. vnum Monaſterium, aut plura, ſed requiritur vt ſit totus ordo, cuius illud Monaſterium, aut plura ſunt. ibid.

Priuilegia inter regulares per contrarium vſum non amittuntur niſi ſpatio centum annorum. ibid.

Priuilegia regularium ſola reuocatione vel ſententia Pontificis amittuntur. p.683.n.15

In reuocatione generali priuilegiorum non cenſentur reuocata priuilegia regularium præcipuè Mendicantium, licet apponantur verba generalia & geminata. ibid.n.16

In dubio, an priuilegium ſit reuocatum, nec ne, cenſendum eſt non eſſe reuocatum. ibid.

Bullæ, quibus priuilegium aliquod conceditur regularibus, non debent neceſſariò publicè promulgari, vt priuilegium in eiſdem contentum valeat, ſed ad ſummum requiritur, vt illis quorum intereſt authenticè ordine iuridico exhibeantur. ibid.n.17

Priuilegium quod non continet præiudicium tertij, ſtatim eſt validum, & illo poteſt vti quis abſque promulgatione. Si verò contineat, debet prius notificari illi tertio vt illi conſtet & poſſit reclamare. ibid.

Vt alij ad quos pertinet teneantur priuilegiis priuatis parere vel eis non contrauenire, ſufficit in foro conſcientiæ notitia priuilegij moraliter certa, de qua probabiliter dubitari non poſſit. In foro autem exteriori, neceſſaria eſt oſtenſio indulti per inſtrumentum Authenticum, &c. ibid.

Priuilegium vt ſortiatur effectum ſuum debet acceptari ab eo cui conceditur, aut ab ipſius nuntio vel Procuratore, qui vicem ipſius gerat: licet quidam putent priuilegium obtentum prodeſſe ignoranti. ibid.n.18

Matrimonium validum eſt contractum coram aliquo Sacerdote facultatem habente ab Ordinario, vel Parocho, modo talis licentia fuerit ab ipſo Sacerdote acceptata, vel ſaltem ab ipſius nuncio. ibid.n.19

Ille, cui ſuperior conceſſit priuilegium motu proprio vel ad inſtantiam alterius, quàm priuilegiarij, non poteſt tali priuilegio vti antequam acceptetur à priuilegiario, vel ab ipſius Procuratore. ibid.

Ille, qui per nuncium priuilegium obtinuit, ne poſſit ab aliquo excommunicari, non poteſt ab aliquo excommunicari, poſtquam priuilegium à nuncio vel Procuratore acceptatum fuit. ibid.

Priuilegium prodeſt priuilegiario antequam innotefcat illi, in cuius damnum conceſſum eſt, & ſufficit acceptatio per nuncium vt priuilegiarius incipiat frui priuilegio ante aliam notitiam. ibid.

Probatio.

In probationibus conſiſtit tota virtus cauſarum, pondúſque litis & exitus totius controuerſiæ. p.685.n.1

Regula communis inter Iuriſperitos eſt, quòd is, qui dicit, vel affirmat, probare debet: & hæc regula habet locum in omnibus cauſis, etiamſi actor eſſet vir nobilis & expertæ fidei, & è contra reus ſordidus & mendax. ibid.n.2

Hæc regula habet locum non ſolùm in actore, ſed etiam in reo, vt ſicut actor ſuam affirmatiuam probare tenetur, ita etiam reo incumbat onus probandi ſuas exceptiones affirmatiuas. ibid.

Reus non poteſt cogi docere ius ſuum, nec oſtendere titulum ſuæ poſſeſſionis; quia non eſt diſputandum de non iure ipſius, ſed de iure actoris. ibid.

In multis caſibus hæc regula non habet locum. Primò, quando præſumptio iuris eſt contra reum; tunc enim non actori affirmanti, ſed reo negauti probandi onus incumbit. p.686.n.3.

Præſumptio hominis violenta, quæ ſufficit ad condemnandum, multò magis ſufficiet ad transferendum onus probandi in aduerſarium. ibid.

Aduerſus præſumptionem iuris & de iure non datur regularitèr probatio in contrarium: incertis tamen caſibus datur, quorum præcipuus eſt, confeſſio partis habentis prædictam præſumptionem in fauorem. ibid.n.4

Secundus, quando probatio admiſſa fuit ex conſenſu partis, ſiue expreſſo, ſiue tacito, eo, quia non reclamauit, ſed paſſa eſt probationes admitti: tunc probationes factæ præſumptionem iuris & de iure tollunt. p.687.num.5

Tertius modus probandi contra præſumptionem iuris & de iure eſt, quando probatio fit per indirectum: ſed hoc non habet locum, quando lex aliquem excludit omnem probationem, ſiue directam, ſiue indirectam. ibid.n.6

Quartus modus eſt, quando probatio fieret per notorium. ibid. num.7

Quintus, quando quis vult probare ad hoc, vt in integrum reſti-

restituantur ex clausula generali, si qua mihi iusta causa videbitur. ibid.n.8
extus est, quando fit probatio per protestationem, quæ vel præcessit actum, vel non, sed actu interuenit; modo protestatio fuerit tam ante vel vltra iusta causa. ibid.n.9
Negatiua pura, quæ aliàs indeterminata dicitur, nullo modo probari potest. ibid.n.10
Negatiua contracta loco & tempore, potest saltem indirectè probari. ibid.n.11
Primus & præcipuus modus probandi negatiuam numeratur confessio partis aduersæ, per quam non solùm determinata, sed etiam indeterminata negatio probari potest. pag. 688.n.12
Secundus modus probandi negatiuam, est iuramentum. ibidem num.13
Tertius & frequens modus probandi negatiuam, fit per coarctationem loci vel temporis; imò per coarctationem personæ vel alterius rei determinatæ. ibid.n.14
Quartus modus probandi negatiuam quæ dependet à tertio, ut, quando probatur oppolita affirmatiua. ibid.n.15
Quintus modus fit per inspectionem scripturæ, vel alterius subiecti, vel rei euidentiam. p.689.n.16
Sextus modus fit per ipsos auctores ipsius negatiuæ deponentes de facto proprio. ibid.n.17
Quidam affirmant testi soli credi debere, quando deponit de negatiua dependente à facto proprio, maximè quando nullum potest habere contestem. Contrarium tamen ab aliis meritò sustinetur, quando agitur de præiudicio alterius. ibid. num. 18
Communis sententia est, vt soli testi de facto proprio deponenti, tunc demum credatur, quando alia indicia, vel alix coniecturæ cum dicto eius concurrunt: insuper, si sit persona honesta, & sine affectione deponat non ad proprium commodum, sed ad vtilitatem alterius. ibid.
Regulariter magis creditur testibus deponentibus affirmatiuam, quàm negatiuam, non solùm quando sunt pares numero, sed etiam quando sunt impares, etiamsi testes affirmantes nullam cautæ rationem redderent. ibid.n.19
Quando affirmatiua & negatiua à sensu corporeo non possent percipi, & deberet vtraque probari per medium alicuius sensati & signi affirmatiui, tunc tantùm crederetur negantibus, quantùm affirmantibus. ibid.
In negatiua coarctata loco, tempore, rebus, vel personis, tantùm creditur testibus negantibus, quantùm affirmantibus & pari passu ambulant negatiua & affirmatiua. p.690.n.20
Vt probatio coarctatæ negatiuæ sit efficax & probationi affirmatiuæ æquipolleat, oportet, vt in ea probanda testes remoueant actum à sensu, non autem sensum ab actu, quando qualitas coarctationis suadet. ibid.
Ille, qui negat factum, regulariter non probat; vnde negatiua facti satis efficaciter probatur eo ipso, quod contrarium non probatur; limita, nisi præsumptio iuris sit contra negantem, &c. vbi limitationes aliæ duæ adducentur. ibid.n.21
Negatiua facti probanda est ab eo, qui se fundat in illa: limitatur tamen assertio tripliciter. ibid.n.22
Negatiua iuris probanda est à negante, quando negatur illud, quod est de genere permissorum: quod procedit siue negatiua proponatur ab actore, siue à reo. p.691.n.23

Processiones.

Clerici omnes, etiam exempti, tam seculares, quàm regulares etiam Monachi, tenentur ad processiones publicas accedere & ad id compelli possunt à locorum Ordinariis: non tenentur tamen exempti comparere, nisi vocentur. p.691.n.1
Summus Pontifex quosdam regulares, qui clausuram seruant, vt sunt Carthusiani, Benedictini & Cistercienses, exemit ne inuiti compellantur ab Episcopo, aut ab aliis interesse publicis processionibus, nisi pro causa publica. p.692.n.2
Post Concilium Tridentinum Gregorius XIII. concessit religiosis Societatis IESV exemptionem ab interessentia in supplicationibus, seu precibus & processionibus publicis. ibid.
A prædicta lege eundi ad processiones eximuntur illi religiosi, qui distant ab vrbe, seu loco vltra vnum milliare: imò sufficit distantia dimidij milliarij, vt non teneantur regulares accedere ad processiones, prout declarauit S. Congregatio, ibid.n.3
Fratres Minimi olim non poterant cogi processionibus interesse, iuxta eorum mare magnum, nisi ad aliquas specificatas, sed hodie tenentur ad omnes, iuxta Tridentinum. ibid.n.4
Fratres Sancti Hieronymi in Hispania non tenentur ad incedendum in publicis processionibus, ex Concessione Pij V. ibidem.
Religiosi, qui ex legitima præscriptione 40. annorum post Tridentinum Concilium non sunt consueti accedere ad processiones, non possunt ad id compelli, dummodo aliquando fuerint vocati, & illi ire renuerint. ibid.n.5
Religiosi exempti priuilegio Sedis Apostolicæ à lege eundi ad processiones, si ab Episcopo vocati pluries accessissent, non amittunt suum priuilegium per contrarium vsum, quia peccatio accessisse videntur. ibid.
Episcopi non possunt per censuras cogere regulares vocatos accedere ad processiones, si venire recusent, sed bene per alias pœnas Ecclesiasticas. ibid.
Lites ac controuersias omnes, quæ de præcedentia inter Ecclesiasticas personas, tam seculares, quàm regulares in processionibus publicis, aut iis, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, accidere solent, Episcopus omni appellatione remota, componit. p.693.n.6
Circa præcedentiam Ordinum Mendicantium inter se in processionibus priuatis & publicis, adducitur Constitutio Gregorij XIII. *Exposcit.* ibid.& seq.n.7
Regulares de iure non possunt facere processiones extra suos Conuentus: licet quidam putent hoc eis esse licitum per triginta passus extra ambitum Monasterij, sed verius est standum esse consuetudini locorum. p.694.n.8

Procurationes.

Procurationes vocant iura & Canones moderatas impensas quas facere debent ij, ad quos curandos, visitandos & corrigendos, accedunt Prælati Ecclesiastici, pro tempore visitationis, v. Visitatio. p.854.n.17
Ecclesiæ inferiores visitantibus moderatas procurationes soluere tenentur, iuxta modum & qualitatem iure præfinitam. ibid.
Præter procurationem in visitatione ab Ecclesiis nihil munera accipere potest visitator, non tantùm ipse, sed nec etiam quispiam suorum, sub pœna maledictionis, & interdicti ingressus Ecclesiæ, & restituendi duplum infra mensem, non obstante remissione partium. Ex Concilio Tridentino. ibid.

Procurator.

Procurator, qui obtinuit gratis acta à Notario, vel modicum soluit pro actibus Curiæ, vel gratis habuit Aduocatum, potest vltra suum salarium retinere id, quod erat debitum Notario, & Aduocato, sed non semper. p.695.n.1
An Procurator vel negotiorum gestor, cui constitutum est salarium 100. aureorum in singulos annos, si postea substituat alium Procuratorem, cui dedit tertiam partem salarij, tuta conscientia retinere reliquum possit? Quidam negant; alij affirmant. ibid.n.2
Procurator, qui litigantis causam sponte susceptit non conductus, potest peracta causa retinere sibi stipendium, quod litigans soluisset Procuratori, quem conduxisset, si ob id aliquod lucrum perdidit, vel ei accreuerit aliquod damnum; secus si gratis susceptit tale munus. ibid.n.3
Procurator potest fungi Aduocati, vel Notarij Officio & stipendium accipere, modo illud faciat æque bene & sine clientis damno. ibid.n.4
Procurator pro memoriali in facto composito diebus Festis salarium accipere potest, sicut Iurisperitus pro consilio, & Aduocatus pro informatione iudicis & pro allegationibus. ibid. num.5
In Procuratore ad matrimonium constituto nulla desideratur ætas, nec qualitas alia, præter eam, quam ius naturale exposcit ad explicandum consensum nomine alterius, nimirum rationis vsus. ibid.n.6
Procurator non præsumitur reuocatus, etiam in mandato ad delinquendum, quod durare præsumitur. Ab hac tamen regula recedit præsumptionibus & coniecturis, hic expressis. p.696.n.7
Procurator, cuius personæ electa est industria, alium suo loco substituere non potest. ibid.n.8
Procurator facit dominum incidere in pœnam, licet non habeat speciale mandatum, quando dominus scit & patitur, ita enim patientia habetur loco mandati. ibid.n.9
Procurator ad negotia acquirit actiones directè & immediatè non sibi, sed principali. ibid.n.10
Procurator, siue ad negotia, siue ad lites, reddere tenetur ei, cuius est Procurator, rationem administrationis, & reddere quidquid ex administratione ad ipsum peruenit. ibid.
Iure communi interdicitur religiosis munus Procuratoris vel Aduocati obire, nisi Superioris licentia & vtilitas Monasterij concurrant. ibid.n.11
Hanc licentiam potest concedere immediatus religiosi Superior. Fratres tamen Minores de licentia suorum Superiorum, non possunt esse Procuratores. p.697.n.12
Nomine vtilitatis Monasterij, vt religiosus munus Procuratoris licitè obeat, intelligitur & sufficit vt ea sit indirecta Monasterij indigentis, nempe, ad magnam pauperiem subleuandam, & æs alienum soluendum: licet quidam velint eam vtilitatem debere esse directam. ibid.n.13

Procuratoris vel Aduocati munus obire potest religiosus in aliquibus casibus. Primò, si sit Superior religionis. Secundò, in negotiis Abbatis Monasterij, vel cuiuscumque religiosi eiusdem religionis. Tertiò, pro miserabilibus personis tuendis. Quartò, quando plures religiosi procuquuntur vnum negotium & conueniunt in idem, potest vnus constitui Procurator pro aliis. ibid.n.14

Mandatum Procuratorium ad iudicialia acceptatum à religioso absque Superioris licentia nullius est momenti, & ita gesta virtute illius sunt irrita. Sed quoad actus extraiudiciales sunt valida, quamuis religiosus peccet. ibid.n.15

Processus.

Processum iuridicum non potest Episcopus formare contra regularem exemptum extra claustrum notoriè delinquentem, & cum tali processu, illum remittere ad suum Prælatum, nec potest subditus puniri à suo Prælato virtute istius processus ab Episcopo confecti, v. Regulares. p.710.n.2.

Proditorium homicidium.

Proditorium homicidium dicitur illud, quando nullus cum occiso præcedebat rancor, sed potiùs simulabatur amicitia. Vnde non dicitur proditor, qui inimicum suum occidit à tergo, aut dormientem, v. Immunitas. p.407.n.5.

Proditoriè occidens aliquem priuatur immunitate Ecclesiarum: tamen ob solam proditoriam vulnerationem effectu homicidij non sequuto, non priuatur. ibid.

Qui aliquem veneno occidit, immunitatis priuilegio non gaudet: quia in hoc casu homicidium dicitur cum ratione proditorium, quandoquidem interficiatur homo, nil tale præcauens, cùm nulla esset præcauendi causa; quæ ratio non militat, cùm quis veneno occidit inimicum. p.409.n.16.

Professio.

Potestas admittendi ad professionem alicuius religionis delegabilis est, modo fiat ab eo, qui talem potestatem iure ordinario habet: & non solùm ex commissione, seu delegatione. p.698.n.1

Si Episcopus vel quiuis alius, nomine alterius, qui potestatem habet incorporandi religioni, professionem admittat valida erit professio, etiamsi religio sit exempta; & admittens sit laicus. ibid.

Professio emissa in manibus eius, qui non habet facultatem à Prælato religionis, sed sub spe ratihabitionis ipsius Prælati, est valida statim ac Prælatus illam ratam habet, nec videtur necessarius nouus consensus ipsius professi. ibid.n.2

Professio est valida, si eam accepter Superior excommunicatus denunciatus, aut notorius Clerici percussor, siue alius ex eius commissione. p.699.n.3

Professio ab excommunicato emissa valida est, quia non est acquisitio beneficij, sed status: & Prælatus admittens ad professionem excommunicatum, non peccat, si non est denunciatus, nec publicus Clerici percussor: secus si talis sit; tunc enim peccabit venialiter tantùm eum admittens: nisi in professione addantur preces ab Ecclesia institutæ: tunc erit peccatum mortale, propter communicationem in diuinis. ibid.n.4.

Professiones tacitæ non tolluntur per Tridentinum, sed in suo pristino valore adhuc manent; dummodo inducantur transacto Nouitiatus anno & expletis sexdecim ætatis professi annis. ibid.n.5

Ad valorem professionis tacitæ quædam requiruntur. ibid.

In religionibus vbi Nouitiorum habitus non distinguitur ab habitu professorum, per eius delationem inducitur tacita professio, si Nouitius per annum integrum & continuum illum deferat, ac expleto 16. suæ ætatis anno, modo concurrant conditiones dictæ numero precedenti. p.700.n.6

Quando habitus Nouitiorum ab habitu professorum patenter distinguitur, per nullam cuiuscumque temporis delationem talis habitus Nouitiorum, professio tacita inducitur. Si tamen expleto Nouitiatus anno vltra delationem habitus perseueraret triduo exercens actum professis solis competentem, esset tacitè professus. ibid.

Si verò peculiarem habitum professorum fuisset, simulque actum ad professos duntaxat spectantem non gessit, non est necessaria tridui perseuerantia, sed immediatè inducitur professio tacita. ibid.

Non inducitur tacita professio modis supradictis, quando Nouitius vel Conuentus in contrarium protestatur. ibid.n.7

Professio inualida ex defectu consensus profitentis, nullam ex se inducit obligationem: per accidens tamen talis professio potest aliquem effectum habere, magis in extremo foro, quàm in foro animæ. ibid.n.8

Professio talis inualida ratione ignorantiæ quandiu existimatur valida perinde obligat, ac si esset vera: nam ex conscientia erronea obligatio oritur. ibid.

Ex hac professione inualida oritur obligatio quoad forum externum permanendi in religione, seruandique regulam, quoad vsque probetur nullitas professionis. ibid.

Professio inualida ex defectu tantùm consensus religionis, nullam ex se inducit obligationem etiam in foro conscientiæ, modo apertè constet religionem non præbuisse consensum. p.701.n.9

Professio ex iure Ecclesiastico intualida nullam per se inducit obligationem, nisi in iure exprimatur; quamuis per accidens ex ea oriri possit aliqua obligatio. ibid.n.10

Iure antiquo professio inualida inducit obligationem in iure expressam, ceribus in cæteris. ibid.n.11

Religiosus dubius de validitate suæ professionis, non potest se eximere à iugo religionis sua auctoritate, sed potius obligandus est talis ad ratificandam professionem, quia in dubio professio præsumitur valida, nisi contrarium probetur. p.702. num.12

Quando religiosus est certus coram Deo de nullitate suæ professionis, quam bona fide à principio fecit, non tenetur illam ratificare, quantumuis per sententiam publicam cogatur in religione manere. ibid.n.13

Consulunt Doctores vt hic inuitè professus, & hoc in foro Ecclesiæ probare non potest, vel priorem professionem ratam habeat, vel oblata commoda fugiendi occasione in partes remotas secedat, vbi sine scandalo viuere possit. ibid.

Quando professio inualida probari potest coram Ecclesia, non debet, nec potest is, qui publicè professus est, relinquere habitum & statum propria auctoritate, sed tenetur causas nullitatis professionis coram Superiore suo & Ordinario deducere. ibid.

Si talis religiosus absque licentia deserat religionem, grauiter peccat, quamuis Apostata non sit & consequenter ad religionem redire non tenetur. Tamen multi putant talem inualidè professum teneri professionem post quinquennium ratificare, si professio irrita fuit ob ipsius culpam. ibid.

Iuxta Tridentinum, qui contra professionem reclamare intendit, tria seruare debet. p.703.n.14

Religiosus qui dimisso habitu reclamare voluit & ob habitus dimissionem non fuit auditus, potest postea reclamare resumpto habitu. ibid.

Superior, coram quo deduci debent causæ nullitatis professionis, est immediatus Monasterij Prælatus. Nomine autem Ordinarij intelligitur Episcopus, vel domicilij ipsius religiosi antequam religionem ingrederetur, vel Episcopus in cuius diœcesi situm est Monasterium. ibid.

Quinquennium destinatum in Tridentino ad reclamandum contra professionem irritam, currit à die ipsæ professionis, & debet esse continuum, non obstante ignorantia, aut alio impedimento facti. ibid.n.15

Transacto quinquennio religiosus reclamans potest audiri remedio extraordinario beneficij restitutionis in integrum aduersus quinquennij lapsum, ratione ignorantiæ, vel alterius impedimenti ad reclamandum. Quidam tamen hoc non concedunt. p.704.n.16

Decretum Tridentini denegans audientiam professis post quinquennium, non intelligitur de laborantibus impedimento perpetuo ad profitendum. ibid.n.17

Professus tacitè compellere potest religionem, in qua est tacitè professus, vt eum ad professionem expressam admittat. ibid. num.18

Superior religionis cogere potest tacitè professum ad expressam professionem emittendam, si in ea religione dispositum sit, vt fieri debeat professio expressa, alias non. ibid.

Religiosus validè professus, qui tracto tempore in morbum incidit vel ob senectutem redditur impotens ad seruandam religionis regulam, reclamare non potest contra professionem. ibid.n.19

Ad professionem expressam necessariò desideratur exterior aliqua forma, quæ mutuum consensum religionis & religiosi sufficienter exprimat, vt vinculum eius constringat: quare professio expressa nullis verbis indiget, sed potest nutibus, aut scripto fieri. p.705.n.20

Mutus à natura, qui subinde surdus est, potest profiteri, quando ita perspicaci intellectu præditus est, vt signis doceri valeat naturam status religiosi, possitque signis consensum exprimere. ibid.

Vt expressa professio fiat, iure communi non est necessarium vllum scriptum, sed sufficit vt sola voce negotium totum tractetur. Sed potest esse necessarium, vt obuiet ei, qui contrauenit professioni. ibid.n.21

Iure tamen speciali aliquarum religionum requiritur, vt professio in scriptis fiat, vel ex scripto legatur. ibid.

Iure communi & stando in sola rei natura solum scriptum sufficit ad professionem expressam: non tamen iuxta communem Ecclesiæ consuetudinem legenda est scriptura illa publicè à professente, si id facere possit. ibid.

Professio expressa variis formulis solet emitti, iuxta varia religiosorum instituta: aliquando enim tria substantialia religionis vota exprimuntur, quandoque sola obedientia, aut vita secundùm regulam illius religionis promittuntur. ibid.n.22

Quamuis religionis regula certam professionis formam præscribat, non sunt tamen ea verba ita necessaria, vt aliis facta professio sit irrita, nisi à regula irritetur. ibid.

Ex parte Prælati recipientis non est necessaria forma verborum

borum ſpecialis,ſed ſatis eſt,ſi ille aliquod ſignum externum exhibeat per quod oſtendat ſe profeſſionem accep tare. ibid.

Vt profeſſio conuenienter fiat,requiritur vt illa coram teſtibus fiat & de illa Eccleſiæ poſſit conſtare : tamen de ſubſtantia profeſſionis non eſt vt coram teſtibus emittatur. ibid.

Profeſſio poteſt fieri per Procuratorem, niſi regula prohibeat, tamen quinque conditiones deſiderantur,vt Procurator valide nomine abſentis profiteatur. p.706.n.23

Profeſſio ſolemnis ob malum finem emiſſa , eſt irrita , ſi malus ille finis ſit finis caſtitatis,obedientiæ & paupertatis,puta ad vanam gloriam. Item ſi profeſſio ordinetur ad malum finem obtinendum à Deo , vel ad gratias agendas pro malo obtento. ibid.n.24

Profeſſio valet , quando malus finis eſt finis ſolius voti relati ad obtinendum illum aliunde quàm à Deo, vel ad obtinendum à Deo bonum ex re mala conſurgens, gratiaſque agendum pro illo obtento. ibid.n.25

Valida eſſet profeſſio , ſi quis profiteretur dirigendo votum ſuum ad obedientiam,paupertatem & caſtitatem , & animum haberet malum , puta ad viuendum lautè , aut luxuriosè,&c. ibid.

Profeſſio emiſſa ob finem indifferentem principalem eſt inualida : ſi tamen talis finis ſit tantùm ſecundarius,vel cauſa impulſiua,profeſſio teneret. ibid.n.26

Si dubium ſit omnibus circumſtantiis perpenſis,an profeſſio facta ſit ob finem indifferentem , vel bonum , tenendum eſt eam eſſe ob finem bonum,ac proinde eſſe validam. ibid.

Profeſſio fidei.

Iuxta Conſtitutionem Pij IV. quæ incipit , ***Iniunctum nobis,*** Prælati regulares , nec non Lectores Philoſophiæ ac ſacræ Theologiæ ad fidei profeſſionem adſtringuntur. Tamen in religioſis vbi dicta Conſtitutio non eſt vſu recepta , vel contrario vſu abolita, non tenentur, v. Fides I. p.345.n.8. vbi plura n.9.10.& 11.

Pueri.

Pueri incipiunt obligari præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa diebus feſtis, cùm ita poſſunt ratione vti , vt poſſint diſcernere inter bonum & malum, & ſunt capaces peccati mortalis : verùm hæc ſententia alicui moderno videtur rigida,v. Miſſa III. p.572.n.5

Pueri morientes cum ſolo peccato originali non ſunt capaces ſuffragiorum , quia perpetuò puniuntur pœnâ damni , & in illa nullam poſſunt remiſſionem accipere , v. Suffragium. p.820.n.3

Pueri & infantes iure naturæ validè vouere non poſſunt antequam adepti ſint vſum rationis,v.Votum I. p.860.n.14.

Puer abſoluendus eſt ſaltem ſub conditione poſt ſeptennium completum maximè in articulo mortis,niſi conſtet non habere vſum rationis, v.Abſolutio. p.22.n.11

Quando puer baptizandus periculosè ægrotat & abluto magnum illi detrimentum eſt allatura , aſpergatur quantitate modica ſufficiente aquæ modico calore temperatæ in ea parte corporis , in qua minus nocere poſſit, v. Baptiſmus III. p.81.n.12

Pueri impuberes & ſic minores quatuordecim annis & puellæ puberes percutientes Clericum poſſunt abſolui ab Epiſcopo Diœceſano, dummodo ſint doli capaces , v. Excommunicatio V. p.328.n.23

Pueri,qui ex defectu ætatis non ſunt capaces communicandi,poſſunt lucrari Iubilæum faciendo cætera opera præſcripta, quorum ſunt capaces ; modo confeſſarius communionem commutet in aliud opus pium , cuius ſunt capaces, v. Iubilæus. p.445.n.3

Pupillus.

Pupillus tenetur tutori actione negotiorum geſtorum pro expenſis neceſſariis , quas fecit in ipſius negotiis : ad alias autem expenſas,quas tutor ex officio facere non tenebatur pupillus non tenetur,niſi quatenus ex iis factus eſt ditior,v.Negotia geſta. p.589.n.10

Si tertius aliquis negotium pupilli gerat, & faciat expenſas neceſſarias tenebuntur & tutor & pupillus actione negotiorum geſtorum.Si vtiles tantum,tutor tenetur ad eas integras;pupillus autem quatenus ex iis factus eſſet ditior. ibid.

Pupillum impuberem poteſt tutor religioni offerre,vt in ea ſub regulari diſciplina viuat,modo non ſit inuitus, v. Tutela. p. 843.n.5. vbi plura.

Purgatorium.

Purgatorium eſt locus ſubterraneus inferno proximus , in quo animæ fidelium pro pœnis peccatorum ſuorum cruciantur ad tempus, eodem igne, quo maligni ſpiritus in inferno , v. Infernus. p.421.n.1

Certiſſima de fide ſententia eſt ſacrificium Miſſæ poſſe offerri, etiam vt impetratorium , pro animabus Purgatorij, & illis prodeſſe quoad pœnas , quæ per oblationem huius ſacrificij remitti poſſunt, v.Miſſa I. p.561.n.14

Purgatorij animabus poſſunt prodeſſe ſuffragia viuorum non ſolùm ad aliquam mitigationem pœnarum, ſed etiam ad integram remiſſionem, v. Suffragium. p.820.n.41 vbi plura num 5. & 6.

Q.

Quarta Parochialis.

QVarta Parochialis dicitur Canonica portio, quæ Epiſcopo vel Parocho ratione funeris præſtatur, à ſacris Canonibus approbata,& iure decretorum debita , v. Parochia. p.528.n.19. vbi plura numeris ſequentibus.

Quæſtus.

Societas ſimpliciter vocatur illa,quæ in omni quæſtu conſiſtit, quæ nihil fuerit expreſsè conuentum vt ſit omnium bonorum,intelligitur contracta,vt ſit vniuerſorum , quæ veniunt ex quæſtu,hoc eſt,ſi quid lucri ex emptione,venditione , locatione,conductione deſcendit, v.Societas. p.796.n.10

Quæſtus intelligitur,qui ex opera,artificio,induſtria, cura vel diligentia cuiuſque ſociorum prouenit. ibid.

Quæſtus ſocietas cenſetur contracta inter fratres eo ipſo quod habent patrimonium indiuiſum & vterque negotiatur. pag. 797.n.11.

Quinquennium.

Si quinquennium elapſum eſt à puncto adulterij commiſſi , ex tempore præſcribitur actio adulterij , vt deinceps intentari non poſſit,niſi in adulterio interuenerit vis; tunc enim actio eſt perpetua,hoc eſt,quæ minori ſpatio,quàm triginta annorum præſcribi non poteſt, v. Adulterium. p.41.n.8

Quinquennium deſtinatum in Tridentino ad reclamandum contra profeſſionem irritam , currit à die ipſa profeſſionis, & debet eſſe continuum , non obſtante ignorantia , aut alio impedimento facti , verb. Profeſſio. p.703.n.15. vbi plura num. 16. & 17.

R.

Rapina.

RApina trifariam ſumi poteſt , propriè tamen , eſt iniuſta ablatio rei alienæ manifeſta & violenta. Vnde ad rapinam multa crimina pertinent,v.Furtum. p.359.n.4

Rapina maius eſt peccatum, quàm furtum: vnde vltra reſtitutionem rei per vim ſurreptæ , facienda eſt diſtincta ac propria ſatisfactio pro iniuria , violentia & contemptu illato proximo. ibid.n.5.

A Rapinæ peccato excuſatur,qui rem ſuam per vim & coactionem aufert ab altero,cùm aliter,ſeu iuridicè eam recuperare non potuit. ibid.p.361.n.13

Rapinam non committit Princeps , aut poteſtas publica accipiens etiam per vim rem ciuium ſuorum , aut exteriorum iuxta leges iuſtitiæ. ibid.

Raptus.

Raptus eſt , quando puella etiam ſub nullius poteſtate conſtituta nolens abducitur , vt de ad raptum violentia deſideretur. p.707.n.1

Raptus non eſt, ſi puella abductioni conniueat, poſtea verò nuptiis cognita ſit,ſed tantùm erit copula vi extorta. E contra raptus erit,ſi fœmina initio abductioni reſiſtat,ſed poſtea copulæ conſenſit. ibid.

Quando fœmina ſui iuris importunis precibus abducitur, nec dicendus eſt raptus, quando hæ preces importunæ violentiæ æquiparantur. ibid.n.2

Quando raptor à copula ſe abſtinuit pœnitentiâ ductus, & noluit habere,quamuis poterit , non eſt ordinariis raptus pœnis obnoxius , ſed extraordinariis : ſecus ſi copula ſubſecuta non fuerit, quia ad eam peruenire non potuit ; limita, niſi rapta ſit Monialis. ibid.n.3

Verius eſt, pœnis raptus non eſſe obnoxium fœminam , ſi virum rapiat , ſed alia pœnâ extraordinariâ puniendam eſſe ibid.n.4

Ad pœnas incurrendas raptoribus iure decretas, licet deſiderentur violenta de loco ad locum abductio , ad effectum abducendi : in foro tamen conſcientiæ vt raptus ſit, ſufficit, quòd vis inferatur fœminæ ad copulam extorquendam: & hæc copula ſpecie diuerſa eſt à ſimplici fornicatione in confeſſione explicanda. p.708.n.5

Raptus propriè non eſt,quando fœmina abſque vi aliqua,fraudibus, vel ignorans cognoſcitur , vt ſi quis rem habeat cum fœmina dormiente,aut putante eſſe virum ſuum. Tamen ea copula reducitur ad raptum,& talis circumſtantia eſt in confeſſione exprimenda. ibid.

In foro conſcientiæ raptus eſt fœminæ cuiuſcumque ſtatus, etiam meretricis, ſi violenter cognoſcatur,aut abducatur. Imò ad ſpeciem hanc raptus neceſſariò confingendam, nihil refert ſiue vir rapiat fœminam,ſiue fœmina virum. ibid.n.6

Raptus maximè grauis eſt , quando rapitur fœmina meretrix, grauior,

Digitized by Google

grauior,quando vidua; multo grauior quando rapitur virgo. Grauior item quando coniugata vel consanguinea vel affinis. Grauissimus quando raperetur Monialis, vel quæ voto dicata est Deo: at omnium grauissimus esset raptus pueri ad turpem actum. ibid.

Circumstantia raptus non est necessariò explicanda in confessione, si virgo fuerit consentiat. Si autem parentes actualiter repugnent,erit talis circumstantia in confessione aperienda,secus autem minimè: quamuis contraria sententia sit communis, quod priorem partem. ibid.n.7

Raptor, qui proprio motu fœminam rapit, non vt secum, sed vt cum alio matrimonium contrahat, non subditur pœnis decreti Concilij Tridentini: proinde valet matrimonium, cum illo tertio initum fœmina liberè consentiat; quamuis nondum extra raptoris potestatem sit. ibid.n.8

Si tamen quis rapuit ad instantiam inituri matrimonium; tunc matrimonium cum illo erit inualidum, nisi prius fœmina in loco tuto constituatur: & incurret ille qui instigauit, cæteras pœnas tanquam verus raptor. Qui verò raptum exercuit, incurret excommunicationem & cæteras auxiliatium pœnas. ibid.

Ratificatio.

Si quis ratum habuit abortum antequam fieret, incurrit pœnas Sixti V. secuto abortu fœtus animati,& per consequens est irregularis. Secus dicendum si post factum ratum habeat, v. Abortus. p.14.n.2

Ratum habens percussionem Clerici etiam post factum, excommunicationem incurrit: tamen vt ratum habens hac censura ligetur,tria requiruntur, v. Excommunicatio V. pag. 325.n.7

Qui notoriè ratum habuit percussionem Clerici non est vitandus,sicut notorius percutior, sed prius debet nominatim denunciari vt excommunicatus. ibid.n.9

Ratificare non tenetur professionem religiosus, qui certus est coram Deo de eius nullitate, quam bona fide à principio fecit, quamuis per sententiam publicam cogatur in religione manere. Nonnulli tamen putant teneri ratificare post quinquennium,dum professio irrita fuit ob ipsius culpam, v. Professio. p.702.n.13

Qui non suo,sed nomine ipsius Prælati admittit ad professionem nouitium,sub spe ratihabitionis ipsius Prælati, valida est professio sine nouo consensu, ratihabitione secutâ: licet quidam doceant professum debere de nouo consentire. pag. 698.n.2

Rebaptizans.

Rebaptizans, aut rebaptizatus non est irregularis,quando adest probabilis ignorantia facti: quæ contingit, quando adhibitâ debitâ diligentiâ quis scire non potuit, an is, qui offertur sit baptizatus,v. Irregularitas II. p.442. n.15. vbi plura *num.* 16 & 17.

Receptio ad Religionem.

Potestas recipiendi ad religionem, eam ingredi volentes & habitum regularem concedendi, primò reperitur in Summo Pontifice: sed quia ipse non solet ea potestate immediatè vti; sequitur eam esse in Prælatis, quibus religionis cura demandata est,v. Religio. p.717.n.1.vbi plura n.2.& seqq.

Reclamatio.

Qui contra professionem reclamare intendit, iuxta Tridentinum tria seruare debet. Primò, vt habitum ante reclamationem non deponat. Secundò, vt causas nullitatis suæ professionis deducat coram suo Superiore & Ordinario. Tertiò,vt reclamatio intra debitum tempus fiat, quod incipit à die professionis vsque ad quinquennium,siue professio expressè, siue tacitè emissa fuerit,verb. Professio. p.703.n.14

Reclamare non potest religiosus contra professionem validam, qui tractu temporis in morbum incidit, vel ob senectutem redditur impotens ad seruandam religionis regulam. pag. 704.n.19.

Reconuentio.

Regulares omnes exempti coram Episcopis reconueniri possunt, quoties illi, aut ipsorum Monasteria coram illis conueniunt alios: Actor enim sequi debet forum rei,v. Episcopus.p.296. n.28.in fine.

Si Clericus conueniat laicum coram iudice seculari,tunc potest laicus reconuenire Clericum coram eodem iudice in materia ciuili,non criminali,v. Iudex. p.451.n.1

Recusatio Iudicis.

Recusans Prælatum vt suspectum debet coram eodem Prælato allegare causas exceptionis,qui Prælatus si viderit causas esse friuolas & inanes,poterit per seipsum illas repellere, & in causa procedere,verb. Appellare. p.61.n.18

Si causa recusationis sit apparens & probabilis, & Prælatus sit Ordinarius, vt Episcopus, Prouincialis, &c. potest talis Prælatus committere causam alicui personæ non suspectæ, vel aliquibus iudicibus arbitris, qui causam illam iudicent. ibid.

Si vero fuerit iudex delegatus; non potest hæc duo facere ex suo imperio,sed ex consensu partium litigantium assignante quas uis parte suum arbitrum, qui iudicent de causa recusationis; & inuenta insufficienti, procedet delegatus in causa; si sufficienti,cessabit delegatio. ibid.vbi plura,& v. Visitatio,n.853. & seq.n. 14.15.& 16.

Regulares

Religiosus status eo ipso quod per Ecclesiam approbatur, est status sacer & Ecclesiasticus: hunc regulares ex vi sui status à ciuili & laica potestate exempti sunt,& quidem iure Diuino in Ecclesiasticis causis, seu ad res spirituales ordinatis. p. 709.n.1

Contra regularem exemptum extra Claustrum notoriè deliquentem,non potest Episcopus formare processum inuidicum, & cum tali processu illum remittere ad suum Prælatum ab eo puniendum.licet quidam contrarium doceant. p.710.n.2

Regularis exemptus delinquens in alieno Monasterio exempto, non potest puniri ab Episcopo,nec à Prælato Monasterij,sed sed à suo. ibid.

Regularis manens de Superiorum licentia sub regulari Obseruantia in aliquo membro vel grangia sui Monasterij pro religionis seruatio, si delinquat, non ab Ordinario, sed à suo Superiore puniri debet. ibid.n.3

Regularis,qui retento habitu religionis proprix secularem induit,vt tic incognitus incedat, iuxta multorum sententiam, excommunicationem iuris incurrit;contrarium tamen est satis probabile. ibid.num.4.

Vt regularis dictam excommunicationem incurrat, non est opus,vt recedat absque Superioris licentia, habitumque deponat, sed incurret deponendo habitum, etiamsi obtentâ licentia abeat. p.711.n.5.

Ex communioni sententiæ, ad hanc excommunicationem incurrendam, non sufficit sola temeraria habitus religiosi dimissio, sed requiritur quoque alterius habitus assumptio. ibid.n.6

Regularis, qui suæ religionis habitu deposito, alterius religionis amictum assumit, excommunicationem hanc incurrit, si illam non ingrediatur. Si autem ad illam transeat contra iuris; verius est non incurrere: licet quidam sustineant contrarium. ibid.n.7

Regularis professus induens habitum Nouiciorum excommunicatione hâc afficitur,quoties Nouitij non eodem vestium genere vtuntur,quo professi: aliis non. ibid.n.8

Regularis ad beneficium Parochiale alicuius Ecclesiæ promotus,afficitur hac excommunicatione dimittendo temerè habitum suæ religionis. p.712.n.9

Regularis creatus Episcopus vel Cardinalis non subiicitur huic excommunicationi non deferendo habitum suæ religionis. ibid.

Regularis vtens vestimentis prophanis peccat mortaliter: talia sunt ea, quæ sunt propria secularium, vt vestimenta serica, aut auro ornata, &c. quæ non decent sanctum & pauperatem religiosam. ibid.n.10

Regulares professi accedentes ad quæuis studia extra oppidum sui Monasterij absque licentia sui Prælati,& consilio Conuentus, vel maioris partis, excommunicationem iuris incurrunt: secus si accedant ad studia sui oppidi, vel ad Monasterium suæ religionis in alio oppido existens; vbi sunt studia intra Claustrum. ibid.n.11

Nomine Prælati, cuius consensus hic requiritur cum consilio Conuentus, non tantùm ipse Abbas intelligitur, sed etiam eius locum tenens. Imò nomine Prælati venit Generalis,aut Prouincialis in Monasteriis exemptis; vel etiam Episcopus, in non exemptis. p.713.n.12

Licentia hæc inualidè obtenta vel per dolum vel metum grauem vel à Superiore non habente ad id facultatem,non sufficit ad excusandum ab hac censura. ibid.n.13

Quando licentia accedendi ad studia obtinetur à Prælato immediato,satis est, vt Prælatus consilium Conuentus audiat, & non requiritur consensus ipsius Conuentus. ibid.

Prælatus regularis alicuius Monasterij adiens studia absque sui Superioris licentia non afficitur hac censurâ. ibid.n.14

Regulares è Claustro exeuntes ad audiendas leges, aut physicam,& intra bimestre non redeuntes, excommunicationem iuris incurrunt. ibid.n.15

Regularis non afficitur hac censurâ audiendo leges,aut Medicinam in eadem ciuitate,si ad Monasterium serò redeat: contra nonnullos contrarium docentes. ibid.

Regulares audientes ius ciuile vt melius ad cognitionem iuris Canonici deueniant, excommunicationem non incurrunt. ibid.n.16

Regularis, qui non quidem exiuit animo audiendi præfatas scientias, sed mutatâ postea voluntate permanet extra Claustrum per duos menses principaliter animo eas audiendi, afficitur hâc censurâ. ibid.n.17

Quando regularis exiuit Claustrum eo animo,vt audiret leges vel physicam, postea autem non audiuit,an incidat in hanc censuram? Alij affirmant;alij negant probabiliter. ibid.

Regularis exiens è Claustro, vt doceat leges vel physicam, non ligatur excommunicatione : sicut nec ligatur regularis, qui Claustro exiuit animo audiendi has scientias, & intra duos menses ad Monasterium redeat. p.714.n.18

Regularis non habet personam legitimam comparendi in iudicio, siue tanquam actor ad agendum, siue tanquam reus ad se defendendum, regulariter loquendo, absque licentia Superioris. ibid.n.19

Hinc regularis non potest conueniri, nec conueniri ratione contractus cum eo initi, nec libellus contra regularem formandus est, sed conueniendum Monasterium & contra id formandus libellus. ibid.

Si actio criminalis ob aliquod delictum à regulari commissum intentetur, ipse est conueniendus & contra ipsum formandus est libellus, habetque personam legitimam ad se defendendum absque Superioris licentia, quamuis Superior possit ei assistere. ibid.n.20

Regularis in aliquibus casibus potest agere & conuenire in iudicio. Primò, quando est in scholis studendo cum licentia Superioris. Secundò, quando Superior est absens, aut obiit. Tertiò, si Prioratum, præfecturam vel aliam administrationem in titulum beneficij saltem manualis habeat. Quartò, si agere velit de quocumque iure sibi competente per professionem, electionem vel collationem Canonicam, vel alio quolibet titulo, cum est capax. Quintò, si suum Superiorem accusare velit. ibid.n.21

Quando regularis accusat Superiorem, sunt ei ministrandæ de rebus Monasterij expensæ, donec causa debitum finem accipiat, non solùm victus, sed etiam expensæ necessariæ ad litem prosequendam : nisi accusans habeat peculium aliquod vnde expensas soluat, tunc Monasterium non tenetur. ibid.

Regularis non potest de iure quemquam accusare præter proprium Abbatem, nisi duplex concurrat conditio, licentia nempe Abbatis, & vtilitas Monasterij. ibid.

Regulares non possunt Tabellionis Officium exercere : si tamen aduersus hanc prohibitionem, regularis qui in sæculo erat Tabellio, conficiat instrumentum, validum est, nisi specialiter religioso interdictum sit publicè vti eo Officio. ibid.n.22

Regularis post professionem potest complere & signare instrumenta, quæ dum Tabellio erat in sæculo confecerat, modo id faciat ex licentia Superioris ; imò potest Monasterium conueniri, vt Monachus ante Notarius hæc instrumenta perficiat. ibid.

Regulares, non possunt fideiubere, nisi cum licentia Prælati, & maioris partis Capituli : nec Prælatus potest sine maioris partis Capituli consensu facultatem fideiubendi concedere, aliàs fideiussio erit irrita. ibid.n.23

Regulares ex Superioris licentia possunt ad Doctoratus gradum promoueri in Theologia & iure Canonico. An autem idem dicendum sit de promotione ad Doctoratum in iure ciuili & Medicina ? Alij affirmant, alij negant. ibid.n.24

Generalis Ordinis Prædicatorum in quolibet Capitulo Generali potest vni ex Fratribus in Theologia prouecto & præmio examine idoneo inuento, Magisterij honorem & docendi licentiam conferre, seruatis aliis seruandis. ibid.n.25

Fratribus Minoribus prohibitum est conferri gradum Magisterij in aliqua vniuersitate, nisi cursus per Constitutiones Apostolicas & sui Ordinis institutа perfecerint, & aliàs idonei existant. ibid.

Regularis missus à Superiore ad literas addiscendas, censetur quoque licentiam habere, vt ad Lectoratus gradum promoueatur : & proinde expensas in tali gradu factas & necessarias tenetur Monasterium soluere, modo sumptuosæ non sint. ibid.

Monachi & Canonici regulares sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibentur accedere ad Curias Principum sæcularium, absque licentia suorum Prælatorum cum intentione prædictis suis Prælatis nocendi, aut Monasteriis. ibid.n.26

Hac censura non ligantur accedentes ad Curiam animo nocendi alicui religioso sui Monasterij, qui Prælatus non sit, vel alteri religioni, aut alteri Monasterio : nec quilibet regulares, sed tantummodo Monachi & Canonici regulares. ibid.

Regulares omnes tenentur ad obseruandas regulas & statuta Ordinum suorum, tam in habitu, & conuersatione, quàm in orationibus, diuinis Officiis, Sacramentorum receptionibus & aliis huiusmodi, quæ à suis institutoribus ordinata sunt. ibid.n.27

Regulæ Cancellariæ.

Ex regula prima Cancellariæ Apostolicæ reseruat Summus Pontifex sibi omnia beneficia eorum, qui vel per mortem, vel quacumque alia ratione ea amittunt in Curia, verb. Beneficium IV. pag. 106.n.1. vbi plura numeris sequentibus de beneficiorum reseruationibus.

Regulâ Cancellariæ de triennali pacifica possessione beneficij inuiari non potest regularis, si illud sit manuale ad nutum Superioris amouibile, verb. Beneficium VIII. p.110.n.11

Beneficiarij, qui iuxta Tridentinum tenentur fidem profiteri, & non profitentur intra duos menses, à die captæ possessionis beneficij non iuuantur regulâ de triennali possessore, ne teneantur fructus restituere, vel statim, vel secundâ iudicis sententia, quatenus triennio possederint, v. Fides 2.p.345.n.11

Regulæ Cancellariæ, in rigore loquendo, non sunt propriè leges, si non, vt aliæ leges, publicentur. Sunt tamen præcepta obligantia eos, qui Officiis Cancellariæ præsunt, vel obligant per modum consuetudinis receptæ sciente Principe & consentiente, v. Lex 11. p.494.n.10

Religio.

Religio à religando nos Deo est dicta : & strictè & propriè modo acceptæ, est, quæ ex religiosis alicui religioni per Apostolicam Sedem approbatæ per professionem addictis componitur, in qua religione tria vota substantialia promittuntur. p.717.n.1

Potestas recipiendi volentes ingredi religionem & habitum religionis concedendi, primò & principaliter in Summo Pontifice reperitur. ibid.

Secundò hæc potestas immediatè est in qualibet religione approbata per Pontificem, & in sola illa. Sed quia non potest ab illo toto immediatè exerceri, sequitur eam esse in Prælatis, quibus religionis cura demandata est. ibid.

Iure communi non satis cautum est, an ad solos Prælatos spectet Monachorum receptio, an simul cum Capituli consilio : proinde in vnaquaque religione attendenda est, vel regula, vel priuilegium à Sede Apostolica concessum, vel consuetudo præscripta. p.718.n.2

De iure speciali quarumdam religionum non potest Abbas recipere Monachum sine consilio Capituli. ibid.n.3

Post Constitutionem Sixti V. quæ incipit, *Cùm de omnibus*, nullus ad regularem Ordinem admitti debet, nisi in Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, accedente definitorum consensu : extra verò capitula, non nisi accedente trium vel quatuor Patrum consensu, prout ipse Pontifex ordinauit in alia moderatoris dictæ Constitutionis, quæ incipit, *Ad Romanum Pontificem*. ibid.n.4

In recipiendo ad Ordinem, sufficit, quod maior pars consultorum consentiat cum Prouinciali, siue Abbate : itaui suffragia vincant, quæcumque illa sint. p.719.n.5

Prælatus potest per se solum admittere petentem ingressum, si Patres socij & Collegæ sine rationabili causa denegent consensum, vel vbi imminet necessitas & periculum, quando Superior nequit commodè consentium requirere. ibid.n.6

In religionibus, quibus receptio Monachorum spectat ad solum Prælatum ex priuilegio, aut consuetudine, tenet receptio absque consilio & consensu Conuentus : secus si receptio spectet ad Prælatum & Conuentum. ibid.n.7

Superior & alij consultores, quibus incumbit potestas recipiendi Nouitios, concurrentibus omnibus necessariis, tam ex parte recipiendi, quàm ex parte religionis, tenentur ex Officio & ex charitate postulantem admittere, si nulla interueniat rationabilis causa excusans. ibid.n.8.

Superiores & consultores graue peccatum admittunt, si ad religionem aliquem recipiant contra ius Canonicum ; vel si concederent ingressum iis, qui aliquo ex impedimentis per Bullam Sixti V. determinatis afficiuntur, dummodo hæc receptio sit temerè facta & dolo. ibid.n.9

Pœnas Bullæ Sixti V. incurrunt, qui sine morum informatione quempiam aliquo ex impedimentis specificatis in eadem Bulla affectum admittunt. ibid.

In quacumque ætate possunt omnes homines religionem ingredi vel in ea admitti, si vsum rationis habeant, & aliqui debitus ordo & modus seruetur. p.720.n.10

Inhabilis est ad religionis ingressum, qui vi & metu extrinseco compulsus illam ingreditur, & Prælatus illum recipit scienter, sicut & receptus mortaliter peccant. Secus si quis ingressum petat ex metu intrinseco, hic recipi potest. ibid.n.11

Similiter quando violentia aliquo iusto titulo est facta, vt si quis iustè possit mortem alteri inferre saltem per iustitiæ ministros, & nolit eam remittere, nisi alias religionem ingrediatur, non peccabit, nec facit iniuriam. ibid.

Nemo potest compelli ad religionem, nisi qui expresse vel tacitè seipsum sponte obligauit. p.721.n.12

In aliquibus casibus de iure potest quis compelli religionem intrare. Primò, quando quis spretæ religionis votum emisit. Secundò, quando coniux conscius dispositionis iuris consensit vt alter profiteatur religionem vel sacros Ordines suscipiat. Tertiò, quando aliqui crimen aliquod commiserunt, ob quod iubentur detrudi in Monasterium. ibid.

Transitus de vna religione ad aliam, etiam strictiorem, non est licitus, absque Prælati licentia saltem petita ; alias est peccatum mortale. ibid.n.13

Religiosi, ad quos sit transitus, nullo modo eum debent recipere absque literis dimissoriis sui Superioris, quamuis eis constaret licentiam fuisse petitam, sed non obtentam. ibid.n.24

Quando dubium est omnibus perpensis, an religio, ad quam subditus se transferre cupit, sit ipsi necessarior, non potest religiosus ille transire denegata sibi licentia per Superiorem: sed ad licitum transitum oportet vt ab eo vel ab alio maiori Superiore, ad quem provocatur, obtineatur licentia. p.722.n.15

Superior tenetur restituere religiosum cui concessit licentiam transeundi ad artiorem, si ante emissam professionem in secunda religione, reuerti vult ad priorem. ibidem.16

Quamuis omnes religiones priuilegium habeant, ne à sua religione ad aliam liceat transitus, hoc tamen non impedit, quin religiosus possit transire zelo melioris vitæ ad strictiorem religionem, petitâ licet non obtentâ à suo Superiore licentia. At si priuilegium neget cum transitum absque licentia obtenta, ea obtinenda esse. ibid.n.17

Solius Romani Pontificis est dare facultatem transeundi ad æquè strictam religionem, nullâ legitimâ causâ transitus subsistente. ibid.n.18

Abbates & Prælati Regulares iusta causa intercedente possunt religiosis subditis concedere licentiam transeundi ad religionem æqualem. ibid.n.19

Quis autem Prælatus regularis possit hanc licentiam concedere? Quidam docent hanc potestatem esse penes Generalem, vel Prouincialem, non autem penes Prælatum localem. Alij volunt esse penes Prælatum etiam Conuentualem in religionibus exemptis: si accedat assensus Conuentus. ibid.

Iure communi Superiores Ordinum Mendicantium accedente etiam sui Conuentus consensu, nequeunt suis subditis concedere facultatem transeundi ad religiones Monachales exceptâ Carthusianâ, sine licentia Pontificis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto, & professio est irrita. ibid.

Licentia absolutè concessa ex iusta causa à quocumque Prælato transeundi ad aliam religionem, debet intelligi de strictiori, aut æquè stricta, non verò de laxiori. pag.723. num.20

Generalis Societatis IESV potest concedere suis religiosis, etiam solemniter professis facultatem transeundi ad alias quaslibet religiones, ex priuilegio Sedis Apostolicæ. ibidem.

Licentia transeundi ad quamlibet religionem laxiorem, Generali vel etiam à Pontifice concessa, non extenditur ad Religiones non Claustrales, vt sunt militares, & hospitalariæ nisi exprimantur. ibid.n.21

Quando fit transitus ad strictiorem religionem, nulla desideratur causa: si transitus fiat ad æquè strictam, verius est necessariam esse causam legitimam, verùm parua causa modo sit iusta, sufficiens erit. ibid.n.23

Si transitus concedendus sit ad laxiorem religionem, causæ huius dispensationis quatuor legitimæ adducuntur. ibid.

Superior dispensans subditum ad laxiorem religionem, debet prius causæ huius dispensationis cognitionem præmittere. ibid.n.23

Religiosus legitimè translatus ad aliam religionem, non tenetur ad vota specialia in priori religione emissa. ibid.n.24

Religiosus translatus ad aliam religionem, vt ibi sit Prælatus & Superior, finito Officio remanet religiosus secundæ religionis, si in ea profitetur. Sed quia talis non solet in hoc casu ibi profiteri, sequitur manere subditum primæ religionis. ibid.n.25

Translatus de vna Prouincia in aliam eiusdem religionis, postquam incorporatus est, habet locum in choro, Capitulo & aliis congressibus iuxta tempus, in quo emisit professionem vel assumpsit habitum in prima Prouincia. ibidem.n.26.

Translatus de vna Religione ad aliam diuersam, sedere debet in Capitulo, &c. secundùm tempus, in quo emisit professionem in illa religione posteriori. ibid.

Bona religiosi transeuntis ad aliam religionem studio melioris vitæ, manent penes primum Monasterium, sed quidquid post secundam professionem in secundo Monasterio emolumenti illi obtenerit, spectabit ad secundum. ibid.n.27

Professus in religione incapaci bonorum translatus ad religionem capacem, recuperat bona post translationem sibi delata ad vtilitatem secundæ religionis capacis, vt definitum est in Rota. ibid.

Translatus de religione incapaci ad capacem auctoritate Apostolicâ, non recuperat bona, quæ ante professionem obtinebat vt resoluit Rota. ibid.

Si religiosus transferatur ad aliam religionem, non vt ibi proficiat, sed vt peccatorum suorum pœnitentiam agat, tunc vsusfructus bonorum priori Monasterio acquisitorum, debentur Monasterio vbi pœnitentiam agit, remanente proprietate in priori Monasterio, si est inops. ibid.

Religiosus hic transiens ad aliam religionem, nihil potest secum deferre ex acquisitis priori Monasterio præter solas vestes. p.725.n.28

An autem talis possit secum deferre scripta, vel libros à se compositos? Quidam negant probabiliter, nisi essent inutilia primæ religioni, vel Prælato non esse ingratum. Contrarium tamen non est minus probabile. ibid.

Verius est Monialem, quæ transiuit cum legitima licentia ad aliud Monasterium propria voluntate, seu adipiscens instantiam, non posse secum deferre dotem suam. ibid.n.29

Peculium concessum religioso non ex bonis Monasterij, sed à cognatis vel extraneis, ipso transeunte ad aliam religionem pertinet ad primum Monasterium, nisi illud sit absolutè concessum; secus si assignatum ruit tertiæ personæ, cum onere illud tradendi religioso singulis annis, vel quoties à se petierit. p.726.n.30

Peculium concessum religioso hac lege, vt Monasterium in illud non se ingeret, alioquin illud perdat, acquiritur secundo Monasterio post protestationem quoad fructus percipiendos. ibid.

Religiosus transiens à religione bonorum incapaci vel etiam capaci, ad aliam capacem, bona, quæ in secunda religione acquirit, pertinent ad secundum religionem. ibid.n.31

Reliquiæ Eucharistiæ.

Probabilius est reliquias Sacramenti Eucharistiæ posse sumi post sumptam ablutionem, v. Missa II. p.364.n.5

Quando reliquiæ fuerunt præconsecratæ ab alio Sacerdote in alio sacrificio, an licitum sit eas sumere statim post ablutionem calicis? Multi negant, alij affirmant, modo commodè seruari non possint in Sacrario. ibid. vbi plura.

Reliquiæ Sanctorum.

Certa fide tenendum est, reliquias Sanctorum meritò à fidelibus conseruari & cultu magnæ reuerentiæ & veneratione tractari. Contra hæreticos. p.726.n.1

Nomine reliquiarum sanctarum intelliguntur corpora & quælibet particula illorum, siue carnes, siue dentes, siue ossa, siue capilli, siue cineres, in quos redacta sunt corpora Sanctorum illorum, non autem vestes. p.727.n.2

Reliquiæ Sanctorum duplici cultu & veneratione coli possunt. Primo, cultu publico. Secundo, cultu priuato. ibid.n.3

Ad cultum publicum non sufficit, vt publicè fiat & coram multis, sed solum ille cultus erit publicus, qui fit nomine Ecclesiæ, vt sunt Officium diuinum, sacrificium Missæ &c. Cultus verò priuatus ille dicitur, qui exhibetur ex peculiari deuotione colentis priuatim, quamuis simul fiat & publicè à multis. ibid.

Reliquiæ hominis non canonizati, nec beatificati non possunt proponi in templo vel altari publicè omnibus adorandæ sine auctoritate Summi Pontificis. ibid.

Reliquiæ Sanctorum possunt adorari duplici modo. Primò, per se, seu solitariè tanquam materia tota adorationis. Secundò, vt coniunctæ cum personis, quarum sunt reliquiæ. ibid.n.4

Mos antiquissimus est in Ecclesia receptus cereos, aut lampades incendendi ad monumenta Sanctorum. ibid.n.5

Vt reliquiæ publicè ab vniuersali Ecclesia colantur, duo requiruntur. Primò, vt constet de sanctitate personæ vel per vniuersalem Ecclesiæ consensum, seu traditionem vel per Summi Pontificis canonizationem. Secundò, vt publica auctoritate Summi Pontificis & Episcopi, reliquiæ proponantur vt veræ, & ad talem personam pertinentes. ibid.n.6

Nullo modo licet Episcopo approbare reliquias personæ nondum canonizatæ, ac eas publicæ venerandas exponere. ibid.

Episcopo competit approbare in sua diœcesi reliquias Sancti ab Ecclesia canonizati. p.728.n.7

Episcopus extra suam diœcesim existens potest absque alia Episcopi diœcesis, in qua tunc est licentia, eam approbationem facere, atque licentiam dare, vt reliquiæ in sua diœcesi publicè collocentur venerandæ. ibid.n.8

Ad reliquiarum approbationem faciendam, tenetur Episcopus adhibere in consilium Theologos & alios pios viros, vt statuit Tridentinum. ibid.

Quando grauis aliqua dissidij suboritur cæca reliquias nouiter inuentas, itaue res deducenda est ad Concilium Prouinciale, cuius sententia expectanda, tunc decisio non erit Episcopi, sed Concilij Prouincialis. ibid.n.9

Hodie vbi motus proprius Vrbani VIII. est vsu receptus, non possunt ad sepulchra & imagines non canonizatorum, nec Beatificatorum deferri tabellæ, ac alia dona sanctitatis, ac aliarum gratiarum receptarum indicia, & ibidem donaria hæc, obfacti memoriam appendere, sine recognitione Ordinarij. p.729.n.10

Decretum Vrbani VIII. super hoc, refertur, cum alio decreto S. Congr. Rituum seruando in recipiendis informationibus pro causis beatificationum & Canonizationum Seruorum Dei. ibid.

Corpora Sanctorum, quæ dicuntur esse in vno loco, aliis autem

perhibet rituſ eſſe in aliis, poſſunt abſolute celebrari, ſuppoſito tamen Pontificis vel Epiſcopi approbatione. ibid. num. 11

Si poſt debitum matrimonium conſummatum manent, num ſint verè reliquiæ, ſtatim videndum. Certum eſt ab earum veneratione, & honore cultus non ſeparatum ſemel inire in loco decenti. ibid. n. 12

Quando reliquiæ Sanctorum Canonizati ita permixtæ ſunt cum aliis, vt diſtinctionem earum, vt diſcernantur cognoſci non poſſint, & uſus non poſſit eas veneratione proponere. ibid.

Licitum ſit reliquias colli ſuſpenſas geſtare, dummodo nulla ſpes ſuperſtitionis timeatur. p. 731. n. 13

Peccatum commune, quod aves reliquias in collo non habet ſpectatum, manifeſtè neceſſarium videndum, an illud peccatum non ſit directè contra cultum reliquiis debitum, quale eſſet turpiter & obſcœnè eas pertractare. ibid. n. 14

Agni Dei cereî à Summo Pontifice conſecrati licitè adorari poſſunt a fidelibus: habent enim hæ formæ vim contra fulgura, tempeſtates, grandinem, procellas, temperiem ventorum & imbrium. ibid. n. 15

Humiliter Agni dei cerei & Chriſmate conſecrati, non poſſunt a laicis & Clericis in Minoribus conſtitutis tangi, non tamen peccatum mortale committitur laicus nequeuntum vetitum præter vſum introductum, alios tangentes ſine contemptu ſedem ſcientes. ibid. n. 16

Non licet a fidelibus in Miſſalibus ceteris ritatis, aut laicis calicem conſecratum, vel vinum, vel corporale tangere ſine licentia Epiſcopi; tamen tangens ſine illa non videtur plus, quam venialiter peccare præter contemptu. ibid. n. 17

Laicis non eſt peccatum tangere ſacrum Chriſma, aut oleum ſanctum & benedictum ab Epiſcopo, vel in neceſſitate. ibid.

Sacrilegium eſt & furtum mortale furripere vel extrahere aliquid de rebus aliorum ſine licentia domini, aut in casu licentiæ præſumptæ, vel rationabiliter ſuppoſitæ. ibid. n. 18

Iura communia, dicta urbe Roma non videtur extra muros extra Ecclesiaſticos reſtringi, cum in eam communiter fiant eam violentia, hoc eſt fores Eccleſiæ & muros tranſcendo. ibid.

Reliquiæ Sanctorum transferri nequeunt, ſi ſint perpetuæ ſepulturæ traditæ abſque licentia Summi Pontificis, vel Epiſcopi, nec aliud cogat, vt incendij. ibid.

Non poſſunt Principes etiam in bello iuſto Reliquias Sanctorum ex Eccleſiis abſtrahere, vt præſtò omnium Principum Chriſtianorum offendit, etiamſi bello iuſto aliquam ciuitatem caperent. p. 752. n. 19

Remiſſio delicti.

Prouinciales in gradu licet ſubalterno ad accuſandum, ita illi ſibi poſſunt condonare remittendo delictum. Quod ſi multi ſint reipſi, reprobati in eo gradu, vt ſi ſint multi filij defuncti, vna cum fratribus, tunc omnes æqualiter admittuntur ad accuſandum, ſiquidem neceſſarium vt omnes condonent vel remittant delictum, v. Accuſatio. p. 27. n. 7. vbi plura numeris ſequentibus.

Renunciatio.

Renunciatio paternæ hæreditatis facta à filio meru reuerentiali patri, neque nullius, non reſcinditur in foro externo, tamen in foro conſcientiæ, ſi ea renunciatio vera fuit mala voluntate, metu filij reuerenti detenetur pater reſtituere hæreditatem ſic renunciatam, v. Pater. p. 366. n. 15

Renunciatio hæreditatis futuræ nullius eſt roboris, niſi iuramento firmata ſit: excipiuntur tamen aliqui caſus hic expreſſi. p. 369. n. 18

Vt renunciationes votorum à puberibus facta ſit valida, duplex ſolemnitas petitur à Concilio Tridentino. Prima eſt, vt licentia Epiſcopi ſeu eius Vicarij Ordinarij, non foranei interueniat. Secundo, vt renunciatio fiat intra bimeſtre ante profeſſionem. v. Dominatus. p. 598. n. 23. vbi plura numeris ſequentibus.

Renunciari poteſt priuilegium à priuilegiario in eius ſolius fauorem conceſſum, quod habet tractum ſucceſſiuum & conſiſtit in potentia faciendi vel omittendi aliquid in futurum; ſecus eſt dicendum de priuilegio, quod habet effectum momentaneum & ſolum datur per modum diſpenſationis, verb. Priuilegium. p. 878. n. 6. vbi plura.

Renunciare poſſunt ſui Prælatorum Abbates, Priores, Guardiani, aliique huiuſmodi Prælati. Talis tamen renunciatio fieri debet in manibus illius, qui habet poteſtatem inſtituendi & deſtituendi ſuum ſubditum iuſtis de cauſis, verb. Abbas. p. 5. n. 15. vbi plura.

Repudiatio.

Repudiatio hæreditatis in fraudem creditorum in vtroque foro valida eſt, & proinde ſuccedit tota conſtituta poſſunt: repudians tamen peccat mortaliter contra charitatem, iuſtitia aliquos etiam contra iuſtitiam, v. Filius. p. 350. n. 4

An autem Prælatus poſſit validè repudiare hæreditatem ſuæ Eccleſiæ relictam aliquæ de cauſa, vel neceſſitate? Alij affirmant, alij negant probabiliter. Prælatum peccare contra iuſtitiam repudiando: licitum implorare beneficium reſtitutionis in integrum, agere contra Prælatum, v. Alimenta. p. 44. n. 1

Filius contradicens hæreditati parentum, poſſet ſuis creditoribus, vtpote petere alimenta, ſi ita plures ſibi offerant de ea habere neceſſaria, verb. Alimenta. p. 1. n. 3

Qui acceperat hæreditatem vel legatum à debitore, non tenetur ad reſtitutionem iis, quibus teneatur ille, legatum vel hæreditatem repudiando, modo ipſe non ſolvendo debitorem ad non ſolvendum. Debitor. p. 3. n. 4

Debitor repudians legatum vel hæreditatem, quia non ſatisfecit creditoribus, peccat contra iuſtitiam, ſi ſciuit, & tenetur ad reſtitutionem damni, quod paſſi ſunt creditores. p. 3. n. 7

Similiter cauſidici & alij conſulentes debitoribus vt repudient, & ſic efficiantur impotentes ad ſoluendum, creditoribus reſtituere ea debita: quamuis ſæpe tam debitores, quam conſulentes excuſentur ex iuſta ignorantia. ibid.

Quamuis criminoſus poſſit licitè & validè repudiare hæreditatem, nondum aditam in fraudem fiſci: ſi tamen iam fecit acceptationem, non poteſt repudiare hæreditatem in fauorem alterius, v. Filius. p. 350. n. 4

Res ſacra.

Per vſum rerum conſecratarum in Dei Eccleſia Dæmones & corporibus hominum eiciuntur, verb. Adiuratio. p. 16. num. 14

Res ſacræ, vt calix, &c. non poſſunt locari pro pretio, habita ratione materiæ: ſi enim locatur res ſacra, cum non poſſit locari niſi ad ſacrum vſum, venditur facet vſus: quidem tamen putant ibi non interuenire ſacrotatem, quia calix conſecratus vendi poteſt ratione materiæ, ergo etiam locari poteſt, v. Sumoſta. p. 73. n. 4

Reſeruatio.

Reſeruatio beneficiorum dicitur, quorum collationem ſuperior videlicet Papa, ſibi propriam vendicat, vt ab aliis ordinarijs conferri non poſſint, v. Beneficium IV. p. 306. n. 1. & ſequentibus.

Reſeruantur Summo Pontifici quædam iuramenta præter quinque communia, vt ſunt illa, quibus confirmantur ſtatuta Collegiorum, Academiarum & bonorum Eccleſiaſticorum, modo hæc ſtatuta à Summo Pontifice prouenerint. Item ipſa quædam reſeruantur, v. Iuramentum. p. 45. n. 31

In votis reſeruatis Summo Pontifici poſſunt Epiſcopi & religioſi priuilegiati, diſpenſare vel ea commutare, quando à mera votorum reſeruatorum ratione deficiunt, v. Votum II. p. 875. n. 15. & ſeqq.

Reſpublica.

Reſpublica perfecta vel Princeps illius poteſt ſuſcipere contra hoſtes bellum, aggreſſiuum, verb. Bellum. p. 232. n. 5

Reſpublica vel Princeps non habet dominium vitæ & mortis ſubditorum, niſi in duobus caſibus, v. Dominium. p. 233. n. 6

Reipublicæ conceditur reſtitutio in integrum, poſt elapſum quadrienij tempus, ſi latio valde nociua ſit arbitrio virorum prudentis, verb. Reſtitutio in integrum. p. 750. n. 14

Reſcriptum.

Quando in vna reſcripti parte ſubrepcio contingit taceudo verum vel exprimendo falſum, tunc vitiat & irritat reſcriptum quoad partem, in qua eſt ſubrepcio, non quoad reliquas. Tamen duobus modis hoc limitatur, v. Dispenſatio. p. 217. n. 3

Reſcriptum eſt validum quoad illam partem in qua non contingit ſubrepcio, etiamſi Curialis vel ſollicitator ſuæ ſubreptionem in ea parte commiſerit, inſcio illo, in cuius fauorem reſcriptum obtinetur, qui verum Curiali propoſuerit. ibid. n. 37

Reſidentia.

Ad reſidentiam iure diuino in ſuis Eccleſiis omnes animarum cura commiſſa obtinentes, vt Epiſcopi, Parochi. p. 733. n. 1

Quamuis neceſſitas vrgens, excuſet Epiſcopos, Parochos & alios curam animarum habentes a reſidentia: hoc tamen non facit quotiès detrimentum animæ erit ouium in ſpirituabus, tunc ex nulla cauſa poſſunt abeſſe. ibid.

Cardinales Epiſcopi non excuſantur à reſidentia, quando Romæ Summo Pontifici aſſiſtunt, præue declaratio Con-

gorius XIII. per suum consistoriale decretum ; quam declarationem confirmauit, & approbauit, multaque de nouo statuit Vrbanus VIII. in sua Constitutione, quæ incipit, *Sancta Synodus*. Excusantur tamen à residentia Cardinales illi sex, qui habent Episcoparus Vrbi Romæ proximos. ibid.n.3
Episcopi ex Tridentino excusantur à residentia, quando cuidam Reipublicæ vtilitas hoc postulat ; puta, si Episcopus mitteretur legatus ad Pontificem, aut ad Principes pro negotijs fidei, vel pro negotijs pacis, & Ecclesiæ. ibid.n.4
Reges non possunt propria authoritate detinere Episcopos pro gubernatione alicuius regni, seu cuiuslibet, absque licentia Summi Pontificis. ibid.
Residentia Episcopi non solùm præsentiam corporis assiduam, sed etiam mentis solicitudinem, & charitatis studium præ se ferre debet. ibid.
Episcopus non potest pro cathedralis Ecclesiæ seruitio, & item suo, aliquem ex Curatis suæ diœcesis ex ipsorum Ecclesijs, constituto in illis idoneo vicario, ad certa negotia adhibere. p.734.n.5
Episcopus non potest vti opera Parochi in visitatione, vel in alio seruitio suæ diœcesis, nisi pro tempore duorum mensium, & tunc relicto idoneo vicario. ibid.
Parochus qui habet parochiam, intra cuius limites adhuc habitant parochiani, tenetur in ea residere, etiamsi sint tantum tres, vel quatuor incolæ. ibid.n.6
Licet Ecclesia parochialis sit in loco, vbi minor pars parochianorum inhabitat, & maior pars habitat longè in oppidis, parochus tamen tenetur prope Ecclesiam habitare. ibid.
Inimo iuste graues sunt legitimæ causæ, propter quas quis residere non tenetur in parochiali Ecclesia, &c. ibid.n.7
Parochus non potest propter aeris intemperiem, extra parochiam habitare relicto in Ecclesia sua vicario approbato. Si tamen infirmus sit, & in loco parochiæ curam non possit, tunc ab ordinario potest ei dari dilatio trium, aut quatuor mensium, vt in vicinia habiter, constituto in parochia idoneo vicario. ibid.n.8
Senectus in parocho non excusat, sed debet residere in parochia, etiamsi ei esset datus coadiutor. ibid.
Parochus potest sibi vicarium ex approbatis ab ordinario assumere, ita tamen, vt parochus ipse etiam laboret. ibid.
Quando alicui parocho datur facultas, vt à sua absit Ecclesia ad tempus ; debet vicarium in sui locum sufficere approbatum ab ordinario, dato ei iusto stipendio, nisi gratis seruire velit. ibid.n.9
Vicarij, & coadiutores Rectorum parochialium instituti authoritate Apostolica, tenentur ad personalem residentiam. ibid.
Summus Pontifex potest dare facultatem ex iusta causa, & debita, vt beneficiarius perpetuò absit ab Ecclesia. Episcopus verò, Legatus, & alij locorum ordinarij, ad tempus tantum. p.735.n.10
Prælati locales religionum, cùm & ipsi curam animarum habeant, ad residentiam tenentur : tamen cum eis Generales Prouinciales, & alij Superiores maiores ex legitima causa super residentia dispensare possunt ad certum, & determinatum tempus. ibid.n.11
Iustæ causæ dispensandi à residentia, prima est Christiana charitas, per quam intelligi debet proximorum vtilitas ; modò in propria Ecclesia non sequatur notabile detrimentum. ibid.n.12
Secunda causa est, vrgens necessitas, id est omne iustum impedimentum, quo quis impeditur residere : item iusta, & rationabilis causa, qualis est absentia pro propriis negotijs. ibid.
Tertia causa est debita obedientia. Quarta est, euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas : nota tamen istam vtilitatem considerari respectu Ecclesiæ, in qua tenetur residere. ibid.
Sola iusta causa non sufficit ad excusandum à non residendo, sed requiritur etiam licentia superioris. ibid.n.13
Concilium Tridentinum concedit Episcopis, & aliis Prælatis Episcopo inferioribus, vt abesse possint à suis Ecclesijs ex iusta causa per duos, aut ad summum per tres menses, absque vllo gregis detrimento. ibid.
Item Concilium concedit, & permittit reliquis Episcopo subditis animarum curam gerentibus, vt per duos menses abesse possint. ibid.
Residentia, quæ iure diuino & naturali præcipitur curam animarum habentibus, est personalis, qua gregi suo inuigilent, omniumque & miserabilium personarum paternam curam gerant, &c. ibid.
Obtinentes in Ecclesijs cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, tenentur ad residentiam, ita vt non liceat eis vltra tres menses quolibet anno à suis Ecclesijs abesse. p.736.n.14
Immemorabilis consuetudo non excusat à residentia in cathedralibus & collegiatis Ecclesijs insignibus : in aliis verò non insignibus possunt excusari. ibid.
Quando Canonici absunt per tres menses à Concilio Tridentino concessos, non tenentur assignare absentiæ causam, nec licentiam sui Prælati petere, dummodo tamen omnes eodem tempore non absint. ibid.n.15

Restignatio.

Resignatio beneficij est duplex ; vna simplex, seu pura, altera conditionalis : differt autem simplex à conditionali in duobus. V. Beneficium VII. p. 116.n.3. Vbi plura sequ.

Restitutio.

Obligatio restituendi non oritur ex violatione iustitiæ distributiuæ, nisi quatenus simul violatur aliquod ius pertinens ad iustitiam commutatiuam. p.737.n.1
Præceptum restitutionis obligat ad peccatum mortale pro tali materia grauis. p.738.n.2
Præceptum restitutionis, quamuis aliquo modo sit distinctum à præcepto furti, reducitur tamen ad aliud præceptum Decalogi negatiuum, *non furaberis*. ibid.n.3
Qui recipit restituere ex iusta acceptione, vel ex contractu, semper manet obligatus, etiamsi res debita pereat sine culpa accipientis, vt contingit in furto, mutuo, &c. quando verò tenetur tantum ratione rei acceptæ, restituere tenetur, si res illa extat in se, vel in suo effectu, & valore : tamen si pereat sine sua culpa non tenetur, vt patet in deposito. ibid.n.4
Qui infert damnum consentienti absolutè, & ipse licitè, id est, absque vllo inuoluntario admixto, non tenetur ad restitutionem. Secus si non consentiat absolutè, sed inuoluntariè mixtè, tunc enim fit illi iniuria. ibid.n.5
In restitutione quatuor consideranda sunt, 1. res ipsa, 2. expensæ factæ pro conseruatione rei, &c. 3. fructus, qui ex re aliena percipi possunt, 4. lucrum quod dominus potuisset percipere, & damnum quod patitur ex rei alienæ priuatione. p.739.n.6
Expensæ, quædam sunt necessariæ : quædam vtiles, & quædam voluntariæ, seu voluptuosæ. ibid.
Fructus dicuntur, qui superiunt deductis expensis factis in ipsorum fructuum productione, collectione, & conseruatione. Et quidem alij sunt naturales ; alij pure industriales ; alij mixti. ibid.
Interesse duplex est, videlicet, lucri cessantis, & damni emergentis. ibid.
Possessor bonæ vel malæ fidei in restitutione rei alienæ potest in foro conscientiæ detrahere non solùm expensas necessarias, quas dominus fecisset, sed etiam vtiles, quatenus eas dominus fecisset, & quatenus sunt domino vtiles. ibid.n.7
Expensas voluntarias potest possessor bonæ fidei etiam detrahere, & habet ius exigendi ex iustitia æstimationem, & dominus tenetur illam soluere ; in commodè amoueri non possint sine detrimento rei ; aliàs possessor potest secum exportare, si dominus nolit soluere æstimationem. ibid.
An autem dominus teneatur expensas voluntarias possessori malæ fidei, siue furi, soluere, quando separari nequeunt ? Quidam affirmant, alij negant, quoad forum conscientiæ : certum est tamen, quod in foro externo, non conceditur repetitio expensarum voluntariarum, nec vtilium possessori malæ fidei. ibid.
Possessor malæ fidei potest deducere laborem, & industriam adhibitam ad necessarias, vel vtiles expensas ; licet aliqui contrarium sentiant. ibid.n.8
Probabilis est, possessorem malæ fidei teneri fructus à se ex re aliena perceptos, & consumptos restituere vero rei domino, quamuis hic non esset eos percepturus, & etiamsi exinde non esset effectus ditior. ibid.n.9
Possessor malæ fidei non tenetur in foro conscientiæ ad restituendos fructus, qui ex re aliena percipi poterant, siue ab ipso, siue à domino, siue à quocumque alio, si contingat fore, vt verus dominus eos non percepisset : tamen in foro externo, iure statutum est, vt hic ad fructus possibiles obligetur. pag. 740.n.10
Possessor malæ fidei tenetur eandem numero rem furto ablatam domino restituere, si sit immixta. Si autem res in specie restitui non potest propter periculum insaniæ, vel alia iusta de causa, tunc sufficit restituere eius valorem. ibid.n.11
Quando res iniustè ablata consistit in numero, pondere, & mensura, & est permixta cum rebus propriis furis, & discerni requirit, tunc sufficit reddere æquiualentem. ibid.
Quando res malè accepta, aut detenta perit apud iniustum possessorem, etiam hac culpa tua, sed casu fortuito, hic tenetur ad restituendi rem valoris rei, quamuis nullum detentor inde lucrum ex ea perceperit : limita nisi detentor ante periculum rem domino obtulisset. ibid.n.12
Si res eodem modo apud furem pereat, quæ esset alias restitura apud dominum, nec ante casum interitum dominus rem illam alienasset, talis fur nihil restituere tenebitur. ibid.
Quando res furtiua, non est vtis consumptibilis, & in manu furis est meliorata, reddenda est res extans cum melioramento, deductis laboribus, & expensis si quas fecerit : & hoc

in foro conscientiæ, non autem in foro externo: ibid.n.13
Si res furtiuæ sit vilis consumptibilis, considerandum est, an ipsi⁹ dominus erat rem illam statim venditurus, aut seruaturus, quando res illa viliori, aut maiori pretio vendebatur, & secundum hoc illa tenendum est, quantum loco restituere debeat. ibid.
Causa efficax iniustæ actionis, quæ tenetur ad restitutionem confertur ille omnis, qui influit, & moraliter concurrit ad actum, quo infertur damnum, faciendo quasi iam aliquis moueretur, quod conducit, & iuuat ad efficiendum illum actum, quo proximo nocetur, & tamen absque eius opera damnum illud fuisset aliis illatum. p.741.n.14
Inter personas quæ communiter, & ex suo genere, ex concursu, & cooperatione ad furtum restituere tenentur, prima est *mandans*. s.u *iubens*. ibid.n.15
Iussio duobus modis fieri potest, expressè scilicet, & tacitè. ibid.
Iubens, seu mandans tenetur ad restitutionem in solidum, damno secuto, quando iussio est causa efficax iniustæ acceptionis, vel probabiliter efficax. ibid.
Communior sententia hoc tempore recepta est, iubentem, seu mandantem obligari in solidum, quando is cui præcipitur est subditus præcipienti, etiamsi vltrò paratus fuerit furari. ibid.n.16
Si non sit subditus, & alter aliàs æquè paratus erat ad inferendum damnum, ego videtur iubens causa damni, & consequenter, nec obnoxius restitutioni. ibid.
Quando mandans est dubius, an mandatarius suo imperio motus sit ad damnum inferendum, nec ne, tenetur moralem diligentiam adhibere, vt sciat veritatem, & si hac facta adhuc dubitet rationabiliter, ad nihil tenetur. p.742.n.17
Mandans, non liberatur a restitutione, si post illatum damnum, ex iniquo eius imperio mandatario iubeat, vt restituat donec mandatarius cum effectu restituat. ibid.
Mandans tenetur ad restitutionem damnorum, quando reuocatio mandati non fuit mandatario: secus si reuocatio mandati, mandatario innotuerit. ibid.n.18
Consulens verò etiamsi contra consilium reuocare, tenetur ad restitutionem, si alter, cui consilium dedit, eius consilio motus damnum intulerit; licet aliqui probabiliter doceant, non teneri: tenebitur tamen monere alterum, vt sibi caueat. ibid.
Qui consuluit furtum, aut homicidium, dubitat tamen, an ex suo consilio secutum sit furtum, aut homicidium; probabile est teneri ad restitutionem, & probabile etiam est non teneri: sed dicendum est teneri consulentem interrogare eum, qui consilium dedit, & si alter neget se motum fuisse ex illius consilio, liberatur consulens a restitutione: si interrogatio hæc non sit possibilis, colligendum est ex circumstantiis. ibid.n.19
Qui consilium dedit alteri, vt hominem occideret, aut aliud damnum inferret, sed consultus multa damna passus est ex illo delicto, non tenetur consulens ad restitutionem damnorum, quæ passus est consultus. p.743.n.20
Quomodo debeat intelligi regula iuris, *Nullus ex consilio dommodò fraudulentum non fuerit, obligatur.* ibid.
Mandans non tenetur ad restitutionem damnorum, quæ mandatarius passus est occasione executionis mandati? si non sit ei subditus: si verò sit subditus mandantis, tunc tenetur non solùm latis restituere damnum, sed etiam ea, quæ sequuta sunt mandatario subdito. ibid.
Quando plures tenentur in solidum restituere, potest dominus rei læsus cuicunque illorum remittere actionem, quam habet contra illum in iudicio, aliis manentibus sine gratificatur potest etiam in iudicio vnum ex illis, quem voluerit conuenire, & totum ab eo exigere. ibid.n.21
Quando læsus remittit debitum principali; tunc cæteri sunt etiam liberi in conscientia ab omni restitutione. ibid.
Quando inutilè læsus remittit debitum alicui ex minùs principalibus, non ideo liberatur principalis à restitutione faciendæ ipsi læsi. ibid.
Quando plures sunt æquè principales, aut æquè minùs principales, si vni perfecta fiat remissio, non ideo cæteri sunt liberi a suarum partium restitutione. ibid.
Quando multi obligantur ad restitutionem non in solidum, sed per partes, vno suam partem restituente, cæteri similiter suam effundere tenentur. p.744.n.22
Quando ille, qui damnum restituit domino fuit præceptus, cunque dux alios ad iniquitatem mouens, socij ab omni restitutione deobligantur. ibid.n.23
Si principalis in crimine, qui nihil de præda accepit, restituat vero domino, qui rem illam accepit, tenetur ei in integrum restituere. ibid.
Si is qui domino rerum damnum restituit, non accepit totam pecuniam, sed res acceptæ inter omnes æqualiter diuisæ sint, tunc vno restituente in totum, cæteri tenentur ei pro rata restituere. ibid.
Quando res accepta apud vnum solum extat, aut in totum vsum consumpta est mala fide, tunc ipse totum restituere tenetur.
Si ipse nolit restituere, aut non possit, tunc conueniendus, & in ipsius defectum alij. ibid.
Quando plures æqualiter concurrunt ex mutuo consilio ad damnum damnum, si vnus in integrum restituat, tenentur alij huic pro rata restituere, quantum ex parte quæque. ibid.
Qui non impedit damnum proximi cùm possit, vt teneatur ad restitutionem, & debet exercere iustitiam, tria concurrere debent, 1. vt ex iustitia obligatus sit loqui, obstare, aut impedire, 2. vt reipsò non impedierit damnum, quod prudenter iudicatum est, 3. vt rationabiliter poterit impedire. ibid.n.24
Verum est, cum quidam, neminem qui iustitiæ ex charitate teneri ad restitutionem, si non teneantur ex officio clamare contra furem: p.745.n.25
Si post latam sententiam iustam, & promulgatam, iudex pœnam pecuniariam fisco, vel parti læsæ iam debitam, reo remittat iniustè, tenetur eam restituere iudex, cui ea applicanda. ibid.n.26
Quando iudex per iniquitatem non fert sententiam, & condemnat reum ad soluendas pœnas in lege impositas, & quas soluere debet, an ipse ad illarum restitutionem læsi læsæ teneatur? Quidam affirmant, alij negant probabiliter. ibid.
Qui negatiuè sunt causa damni, non tenentur illud restituere, nisi in defectum eorum, qui positiuè illud damnum intulerunt. ibid.n.27
Inter causas positiuas, seu personas, quæ positiuè concurrunt ad iniustitiam, si damnificatio sit lucrosa, primo & principaliter tenetur restituere is, ad quem res furtiua pervenit. p.746.n.28
Si ea res consumpta, & ab eo, qui probabiliter nesciebat eam rem alienam, non tenetur, nisi quantum ad id, quod factus est ditior. ibid.
Si mala fide eam consumpsit, sic primo loco tenetur restituere. ibid.
Quando damnificatio est lucrosa, nec in ea aliquid abluum est, sed tantùm irrogatum damnum, tunc primo loco restituere tenetur, qui suo nomine fecit, vel rogauit, aut iussit, vt suo nomine fieret; qui coegit, aut fraude induxit, vel qui imperauit, quando hic habet vim coactiuam respectu consequentis. ibid.n.29
Debitor non tenetur restituere, sed sibi potiùs subuenire potest in vitæ periculo, quàm creditori, etiamsi per inuasionem illam occupauerit: si tamen creditor subtractione illius rei coniectus est in illas angustias, tunc tenetur illi restituere. ibid.n.30
Probabile est, si debitor sit in graui necessitate vitæ mortis, famis, vel nuditatis, non teneri restituere, etiamsi contingat creditorem in parem necessitatem incidere, modò debitor illum in eam non coniecerit. ibid.n.31
Restitutio potest differri ob vitandum magnum, & probabile periculum saluti animæ suæ & suorum. ibid.n.32
Nullus tenetur, per se loquendo, restituere bona externa cum vitæ, aut famæ periculo, licet id posset, si vellet cum laude, & merito: per accidens tamen potest contingere casus, in quo bona externa sint restituenda cum detrimento famæ. ibid.n.33
Debitor non liberatur ab onere statim restituendi, qui parat graue damnum ex eo solùm, quòd ex restitutione statim facienda cessat illi magnum lucrum: nisi debitor hoc lucrum quærit ad satisfaciendum cæteris creditoribus, quibus aliàs non est soluendo. p.747.n.34
Quando res iniustè acquisita in specie extat, & debitor non extremè indiget, illam statim restituere tenetur, etiamsi lucrum deponere cogatur. ibid.
Non potest debitor in toto, vel in parte restitutionem differre, si restituendo patitur grave damnum ex eo solùm, quòd ea restituenda est magna. ibid.n.35
Quando debitor iuste stratum acquisiuit, nec restituere potest sine graui & notabili iactura sui stratus, aut certus stratus, non tenetur statim restituere, sed potest restitutionem differre, dummodò creditor similem iacturam stratus ex illa dilatione non patiatur: tenetur tamen citra notam prodigalitatis lucrum minuere, vt restituere paulatim possit. ibid.n.36
Quando stratus est iustè acquisitus, sed conseruatur bonis alienis, non tenetur debitor statim restituere cum detrimento, aut notabili iactura suorum bonorum, si certum sit, aliis certainde, quod tempore opportuno restituetur omnia sine illo incommodo. p.748.n.37
Qui non tenetur cum tali iactura sui stratus suis creditoribus satisfacere, debet in sumptibus se restringere, dummodo statum quantùm potest intra limites decentes, vt sic paulatim restituere possit. ibid.n.38
Debitor excusatur a restitutione rei alienæ, si in specie illius res absque dolo, aut culpa, aut a se moraliter perierit: secus si aliquid horum intercesserit. ibid.n.39
Si res est in genere alicuius, non liberatur debitor a restitutione

tione, etiamsi sine sua culpa, aut mora pereat : si verò res non sit in specie aliena, sed tua, eius interitus non te excusat à restitutione. ibid.
Qui iuris, aut iudicis sententia aliquid non suum, aut alteri debitum retinet, non semper tutus est in conscientia, aut à restitutione liber, sed tantùm in certis casibus. ibid.n.40
Probabile est Episcopum posse concedere bullam compositionis super bonis incertis, diuc iniustè, siu. iniustè habitis pro sua tantùm diœcesi. ibid.n.41
Rex, aut Respublica possunt compositionem facere de bonis incertis licitè acquisitis, non autem de acquisitis iniustè. ibid.
Inter creditores personales tantùm non habentes priuilegium prælationis, pauperior præferendus est ditiori, quando creditor est ita pauper, vt lex charitatis obliget illius indigentiam subleuari. p.749.n.42
Generalis Cruciatæ Commissarius habet facultatem a Papa, vt possit incertorum bonorum compositionem concedere. ibid.n.41

Restitutio in integrum.

Restitutio in integrum conceditur minoribus iure Cæsareo 1. sequentibus casibus, 1. si rem alicuius monenti donauit, etiam cum tutoris, seu curatoris consensu. excipiuntur quidam casus. p.749.n.1
Si minor læsus sit in contractu emptionis, venditionis, &c. vel in quolibet alio contractu. ibid.n.2
Si in petitione mutui læsus sit, vt quia pecuniam illam amisit, potest restitui, nisi per creditorem probetur mutuum esse conuersum in rem minoris. ibid.n.3
Si mulier minor 25. annis nubat, & det ampliorem dotem, quam conditio mariti, vel consuetudo loci permittat. ibid.n.4
Si læsus in solutione pecuniæ sibi facta, potest restitui in foro externo, si soluto ei facta sit sine authoritate curatoris. ibid.n.5
Si ex quam contractu læsus est, vt quia hæreditatem minus lucrosam adiuit, vel legatum, aut hæreditatem sibi vtilem repudiauit etiam cum curatoris consensu, restitui debet. p.750.n.6
Si læsus fuit ob negligentiam tutoris, curatoris, vel procuratoris non producentis in iudicio probationes necessarias. ibid.n.7
Restitutio in integrum dupliciter peti potest, 1. implorando officium iudicis, citata parte, vt quando soluto facta est, vel res ab altero possidetur, 2. Excipiendo contra eum, qui petit solutionem, vel rem tradi, se læsum eo contractu, vel actu fuisse. ibid.n.8
Minor non potest restitui aduersus eos contractus, quos fecit intra quadriennium post vigesimum quintum annum elapsum, quia tunc est maior. ibid.n.9
Beneficium legis de restituendis minoribus in integrum, transit ad hæredes minoris. ibid.
Quamuis minori concedatur restitutio in integrum, si tamen fideiussorem adhibuit in assecurationem contractus, non manet liber fideiussor, sed tenetur loco minoris ad id quod minori refarcitur, aut ad interesse creditori. ibid.n.10
Restitutio in integrum de iure petenda est apud iudicem eius, contra quem petitur. ibid.n.11
Si Ecclesia se læsam inueniat ex contractu celebrato cum laico, potest petere restitutionem in integrum, etiam coram iudice Ecclesiastico proprio Ecclesiæ, quæ illud petit. ibid.
Restitutio in integrum post elapsum quadriennij tempus, Ecclesiæ, vel Reipublicæ conceditur, si læsio valde enormis sit arbitrio iudicis prudentis. ibid.n.12
Restitutio item conceditur, si inculpata ignorantia, aliudve iustum impedimentum obstitit, quo minùs intra quadriennium restitutio peteretur. ibid.
Restitutio in integrum datur minoribus circa præscriptionem aduersus ipsos iam completam, etiamsi illa sit triginta, aut plurium annorum : sed hoc priuilegium solùm conceditur quadriennio post impletum 25. suæ ætatis annum. Hoc priuilegio gaudet etiam Ecclesia, post completam aduersus eam præscriptionem. p.751.n.13
Maioribus ætate conceditur etiam restitutio in integrum in præscriptione 10. & 20. annorum quadriennio, postquam sciuerint completam esse præscriptionem, modò probent sine sua negligentia præscriptionem fuisse peractam. ibid.
Doctores quoties causam aliquam iustam iudicant, vt aduersus præscriptionem concedatur restitutio, & causa illa non est in iure expressa, dicere consueuerunt, ex ea causa petendam, & concedendam esse restitutionem, ob clausulam generalem iurisconsulti, *si qua alia mihi iusta causa esse videbitur, in integrum restituam.* ibid.
Quando conceditur restitutio in integrum minori, Ecclesiæ, & Reipublicæ, si res contractu gratuito sit alienata, possunt repeti etiam fructus ex ea percepti, deductis expensis, quæ in illis colligendis sunt factæ. ibid.n.14
Quando res est alienata contractu oneroso, vt si prædium sit venditum iusto pretio, verius est in foro conscientiæ, non posse reperi fructus : secus si infra iustum pretium vendita res fuit, tunc reperi potest ea fructuum pars, quatenus res excedit pretium datum. ibid.

Restrictio mentalis.

Ex sacra Scriptura constat licitum esse vti æquiuocatione, amphibologia, & restrictione mentali, aut occultare veritatem, quando ad hoc faciendum subest rationabilis causa, & iusta excusatio, etiamsi putetur deci, indum fore interrogantem. p.751.n.1
Vt licitus sit vsus æquiuocationis, amphibologiæ, & restrictionis mentalis, adducitur doctrina Malleri communiter recepta. p.752.n.2
An oratio quæ secundùm se falsa est sine restrictione mentali, possit esse vera apposita tali restrictione mentali pura, ita vt externo signo, neque implicitè, neque explicitè talis restrictio denotetur, & sic à mendacio, & cordis duplicitate sit libera? Affirmant plurimi, verum sententia negans, vt securior, & verior est sustinenda, & quoad praxim amplectenda. ibid.n.3
Non solùm ex vi virtutis simplicitatis, & veracitatis, tenetur quis dum loquitur proximo suo ad contrahendum verba sua, non solùm menti, & intentioni propriæ, sed etiam menti eius cui loquitur. p.753.n.4
Ratione officij tenentur magistri, & Doctores non vti restrictionibus mentalibus, &c. ex quibus discipuli possint hauire, aut errorem contra fidem, aut licentiam peccandi, aut opinionem scandalosam, aut pias auribus offendiculum præbentem. ibid.n.5
Non est licitum in contractibus vti restrictione mentali, aut oratione mixta maximè quando versatur circa substantiam contractus, & hoc verum etiam in contractibus initis cum infidelibus : & si quis huiusmodi contractibus adhibeat iuramentum, veras restrictione mentali, peccat mortaliter. p.754.n.6
Sicut non licet reo iuri sicè interrogato iudicem deludere restrictionibus mentalibus, & amphibologicè iurare : ita illicitum est iudicibus interrogare reum, aut examinare testes, vtendo oratione mixta, cuius restrictio mentalis omninò occulta maneat. ibid.n.7
Quando reus iniustè occultus socios detexit, aut testis iniustè crimen rei occultum coram iudice prodidit, si non sit sufficiens aliunde informatio ad procedendum contra eos socios, aut illum reum, possunt reus & testis ille se offerre coram iudice, & iurare illos non se illi id delictum, intelligendo itaue id delictum subsit illi iudicio, &c. ibid.n.8
Imò in prædicto casu tenentur hac æquiuocatione vti, vt famam restituant, si reus ille, & testis mala fide hæc iniustè crimen detexerint, & id possint absque maiori notabiliter detrimento suo, & spes sit fore, vt retractio profit. ibid.

Retractus gentilitius.

Per retractum gentilitium, si detur, per ius alicuius gentis, aut ciuitatis, statuto, vel consuetudine datum, conceditur sub proximo venditoris consanguineo intra certum tempus rescindendi, & ad se reuocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore consanguineo empta fuerat, ne possessiones paternæ, atque auitæ ad alienas manus deueniant. V. Emptio. p.287.n.40. Vbi plura de hoc iure.

Retrouenditio.

In retroenditione rei emptæ ab Ecclesia cum pacto retroueudendi, requiritur solemnitas iuris, quamuis contrarium non videatur improbabile. V. Alienatio. p.50.n.13
Res quæ venditur adiecto pacto redemptionis minùs æstimatur, quàm si per se nuda venderetur : proinde potest minui iustè de pretio vsque ad quartam partem, non citra. V. emptio. p.286.n.33.

Reuerentia.

Honor distinguitur à reuerentia, partim vt effectus à sua causa efficiente : quoniam reuerentia, quam habemus ad aliquem, mouet nos ad honorem ei exhibendum, partim à fine : idcirco enim honoramus aliquem, vt ei tanquam signo concilemus reuerentiam apud alios. V. Honor. p.378.n.2

Reuocatio priuilegiorum.

Priuilegia regularium sola reuocatione, vel sententia Pontificis amittuntur. V. Priuilegium. p.683.n.15
Priuilegia à Regibus concessa possunt aliquando reuocari, nempe, si sint simpliciter gratiosa : quando autem sunt concessa non subditis propter bene merita, & publicum bonum, non possunt reuocari. ibid.
In reuocatione generali priuilegiorum, non censentur reuocata priuilegia regularium, & præcipuè mendicantium, licet apponantur verba generalia, & geminata. ibid.n.16

Reus.

Reo nunquam licet falsum crimen obiicere testi ad eius dictum infirmandum, siue testis falsum, siue verum deponat, siue ordinem iuris seruet, siue non. p.755.n.1
Quando delictum est occultum, itaut iuridicè probari non possit, reus non peccat mortaliter contra iusticiam, si accusatori

fatori notam mendacij, & calumniæ imponat: secùs si delictum iuridicè probari possit, tunc enim peccat mortaliter contra iustitiam reus, & tenetur ad restitutionem famæ. ibid. num. 2.

Quamuis reus teneatur veritatem aperire, dum seruato iuris ordine interrogatur à iudice: hoc tamen habet locum, nisi aliter de rationabili iudicis voluntate præsumatur, & nisi aliter per Epikeiam iudicetur, & hoc exemplis probatur. ibid. n. 3

Probabilius est, quando reo dubium est, an sit semiplena probatio, aut infamia sufficiens, aut expressa indicia contra ipsum, posse occultare veritatem, & non respondere. pag. 756. num. 4

Ex communi sententia, reus, qui iuridicè interrogatus perseuerat in neganda veritate, non est absoluendus, donec illam confiteatur, & maximè quando est per testes convictus, & condemnatus. ibid. n. 5

Contrarium nihilominus est maximè probabile, nempe, reum non teneri se offerre ad fatendam veritatem, quam negauit, nec teneri in conscientia ad retractandum dictum, sed sufficere, vt doleat de peccato, & sit paratus ad respondendum, si iterum interrogetur. ibid.

Cautus debet esse confessarius in postulando à reo hoc propositum; sed satis est vt in genere proponat cauere in posterum peccata. ibid.

Quando reus iam à iudice absolutus fuit, aut punitus, aut per fugam è carcere, iam est extra iudicis potestatem, tunc absolui potest à confessario impedita illi pro mendacio salutari pœnitentia, si iudici mentitus sit. ibid. n. 6

Quando reus iniustè negauit crimen, conuictus per duos testes, & condemnatus ducitur ad supplicium, iuxta quosdam, non potest absolui, quia verum ante executionem sententiæ fateatur: Tamen in rigore probabile est ad id faciendum non teneri, sed sufficere, vt illud peccatum confessario confiteatur, à quo absolui poterit, nisi aliud alias notabile damnum sequeretur. p. 757. n. 7

Hæreticus tamen, qui comburitur, eo quòd negatiuus sit, non est absoluendus, nisi publicè crimen fateatur. ibid.

Quando reus iuridicè interrogatus negat delictum, ex cuius commissione pœnam pecuniariam teneretur soluere, probabilius est non teneri ad restitutionem. ibid. n. 8

Qui iniustè in carcere detinetur, & condemnatur ad mortem, etiamsi alia via non possit euadere, non potest occidere carceris custodem: si tamen custos sciat euidenter in carcere illum iniustè detineri, & ad mortem damnari, tunc in carcere detentus, non habens aliam viam euadendi mortem, iuxta aliquorum sententiam, potest custodem carceris occidere, sed hæc sententia apud alios est dubia. ibid. n. 9

Reus iniustè condemnatus, si iniustitia est manifesta, potest se defendere, & licitè iudici resistere, modò id sine scandalo & perturbatione Reip. facere possit. ibid. n. 10

Quando reus prudenter est dubius de sententiæ iustitia, & iudex monitus nolit rem maturiùs considerare, potest tunc reus se defendere à iudice, tanquam ab iniusore cessante scandalo. ibid.

Innocens, qui secundùm allegata, & probata nocens probatus est, & ad mortem condemnatus, non potest se à iudice, nec à ministris iustitiæ per vim defendere: posset tamen talis licitè se defendere, vel fugiendo si possit, vel recipiendo se in locum munitum, vel eripiendo se è manibus ministrorum cum aliqua vi, sine sanguine tamen & vulnere. ibid. n. 11

Reus iustè damnatus ad mortem, quamuis possit fugere, vt mortem euadat, licet tamen ei ibi manere, & patienter mortem exspectare. p. 758. n. 12

Iniustè damnatus, si possit, fugere debet: nisi habeat aliquam causam rationi consonam, vt exercendæ alicuius virtutis, licitè tunc potest in carcere manere, & mortem expectare patienter: imo aliquando manere tenetur, ratione professionis fidei, & scandali. ibid.

Reus iustè captus, & ad mortem damnatus, qui à iudice, vel custode dimittitur à carcere præstito iuramento, vel fide simplici data de redeundo, tenetur sub periurij, vel violatæ fidei reatu ad carcerem redire, quamuis certò sciat se moriturum. ibid. n. 13

Quando carcer erat in iuriosus pura tyranni, vel iudicis incompetentis, vel competentis, sed non procedentis secundùm ordinem iuris, aut quando accusatus est innocens, sed secundum allegata & probata censetur nocens, & reus, an propter iuramentum teneatur redire? Alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.

Reus damnatus iustè, vt fame pereat potest comedere cibos illi ab aliis subministratos: An autem teneatur comedere cibos oblatos sub peccato mortali? Quidam affirmant, sed magis placet licitè posse, vel licitè relinquere cibos, & sinere se mori. ibid. n. 14

Damnato ad mortem, vt fame pereat, omnes possunt ei ministrare potum, & cibum, excepto iustitiæ ministris, nullus tamen ad id obligatur. ibid. n. 15

Rex.

Reges Hispaniæ habent à Pio V. & Gregorio XIII. & aliis Pontificibus pro expeditione belli contra Infideles quoddam subsidium soluendum de reditibus Ecclesiasticis, ad quod tribuendum tenentur omnes Ecclesiastici, & regulares, exceptis quibusdam in bullis exceptis. V. Charitatiuum subsidium. p. 147. n. 7

Reges Franciæ ex concessione Leonis X. possunt nominare ad Episcopatus, Abbatias, Prioratus, & Monasteria viros idoneos, & Papa confert. V. Beneficium IV. p. 108. n. 8. Vbi plura de his.

Reges aliquando possunt reuocare priuilegia à se concessa, aliquando non possunt: possunt quidem reuocare si sint simpliciter gratiosa: non possunt autem quando concessa sunt non subditis propter benemerita, & publicum bonum, nempe pro obsequiis, seu seruitiis. V. Priuilegium. p. 683. n. 15

Reges non possunt detinere Episcopos pro gubernatione alicuius regni, seu consilij propria authoritate. An autem id possint ex priuilegio à Romano Pontifice obtento? Quidam affirmant, alij negant. V. Residentia. p. 733. n. 4

Rex potest compositionem facere de bonis incertis licitè acquisitis. Tamen si bona incerta sint iniustè acquisita, non potest. V. Restitutio. p. 748. n. 41. Vide plura de regibus supra. V. Princeps. & V. Respublica.

S.

Sacramentum.

Sacramenti nomen ab Ecclesiasticis, & Catholicis Scriptoribus quatuor præcipuè modis vsurpatur. p. 759. nu. 1

Sacramentum potest dupliciter considerari, 1. physicè, & sic non potest definiri, 2. moraliter, & sic quodammodo est vnum ac definiri potest. ibid. n. 2

Sacramentum non incommodè definiri potest, vt sit cæremonia significans, & efficiens sanctitatem. ibid. n. 3

Arca Noe, transitus maris rubri, manna, serpens æneus, fluxus aquæ de petra, & aliæ figuræ veteris testamenti, non fuerunt Sacramentum: nec matrimonium veteris legis: nec sacrificium: nec imagines Christi, & Sanctorum; nec aqua benedicta; nec prima tonsura; nec professio religionis; nec benedictio Abbatis, Abbatissæ, &c. p. 760. n. 4

Propriè ad rationem Sacramenti pertinet, vt perpetuam, seu stabilem institutionem, ac vsum habeat pro statu durantis Ecclesiæ. ibid.

Ante lapsum humani generis nulla instituta fuerunt Sacramenta. Post lapsum autem oportebat institui Sacramenta, quibus homo fidem suam protestaretur in Christum Saluatorem venturum. ibid. n. 5

Congruentiæ plures afferri possunt, cur Deus instituerit Sacramenta in signis, & rebus sensibilibus, ac materialibus, quæ reduci possunt ad tria capita, 1. est ex parte Dei, 2. ex parte hominis secundùm se accepti, 3. ex parte eiusdem hominis, vt est pars, & membrum vniuersitatis. ibid. n. 6

De fide est, in lege gratiæ fuisse instituta Sacramenta: congruentiæ autem huius institutionis sunt quatuor, 1. ex parte Dei, 2. ex parte Christi, 3. ex parte Ecclesiæ, 4. ex parte naturæ lapsæ. p. 763. n. 7

In Sacramentis nouæ legis res se habent vt materia, verba vt forma: quamuis quidam velint res, & verba esse materiam Sacramenti, significationem esse formam. ibid. n. 8

Materia est forma, in sacramentis sunt partes intrinsecæ, & essentiales in quolibet sacramento nouæ legis. ibid. n. 9

In casu extremæ necessitatis non solùm potest adhiberi Sacramentum cum materia dubia, sed etiam adest obligatio charitatis sic ministrandi, duplici conditione posita, 1. vt detur euidens necessitas ex parte recipientis, 2. vt Sacramentum sub conditione conferatur. ibid. n. 10

In prædicto casu, si recipientes Sacramenta superuixerint, essent denuò eis ministranda Sacramenta sub conditione. ibid.

Quando rationabile dubium occurrit, an per mutationem sensus formæ perierit, ea iteranda est, & quidem sub conditione, maximè in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, quæ non possunt iterari: si autem sit tantùm scrupulus, is deponendus est, sicut & dubium leue. p. 762. n. 11

Ad conficienda Sacramenta, non sufficit intentio qua quis suscepit Ordines hoc animo vt fieret Sacerdos & Minister Ecclesiæ, quia illa intentio videtur habitualis pro tempore, quo Sacramenta conficiuntur: licet quidam doceant sufficere. ibid. n. 12

Vbinam, & quamdiu maneat virtualis intentio conficiendi Sacramentum. ibid. n. 13

Quamuis ad valorem Sacramenti in adultis requiratur positiuus consensus, seu intentio, & voluntas recipiendi illud: tamen sufficit consensus habitualis, id est præteritus non reuocatus. ibid. n. 14

Imò non eſt neceſſarius conſenſus ſpecialis,ſed ſufficit quilibet etiam generalis : & hunc conſenſum præſumit Eccleſia in moribundo,quem extremè vngit,quamuis hoc Sacramentum non petierit. ibid.

In Sacramento pœnitentiæ, & matrimonij non eſt ſatis quòd præceſſerit voluntas ea recipiendi,& non ſit reuocata, quia actus pœnitentium,& contrahentium ſunt materia iſtorum Sacramentorum. ibid.

Sacramentalia.

Sacramentalium nomine intelligunt Fideles,aut actiones, aut res ſacras, quibus peccatorum venialium remiſſio obtinetur. p.763.n.1

Sacramentalia cauſant remiſſionem venialium ex opere operantis,& per modum impetrationis,ſecundùm omnes. ibid.

An autem Sacramentalia cauſent remiſſionem peccatorum venialium ex opere operato, & ex inſtitutione ſua? Plurimi negant: Alij aſſerunt cauſare in homine bene diſpoſito circa Deum vltimum finem per gratiam, & bene affecto actualiter circa res ſacras,& diuinas. ibid.

Aqua benedicta non ſolùm cauſat venialium remiſſionem, ſed plures alios effectus,quales ſunt,ſanitas corporis, auerſio inſidiarum dæmonum,defenſio à phantaſmatibus, & verſutiis inimici. p.764.n.2

An autem aqua benedicta,ſignum crucis,exorciſmi Eccleſiæ hos effectus operentur ex opere operato,an ſolùm ex opere operantis? Quidam aſſerunt hos effectus non cauſari ex opere operato,ſed ſolùm impetratoriè,ratione precum Eccleſiæ.Sed Thomiſtæ ferè omnes affirmant cauſari ex opere operato, ſed non ſemper. ibid.

Sacrilegium.

Sacrilegium diſtinguitur in tres ſpecies, vna contra perſonas ſacras;altera contra loca ſacra; tertia contra res alienas ſacras. p.764.n.1

Hæc diuiſio ſacrilegij iuxta Diuum Thomam eſt in ſpecies infimas,ſeu vltimas : licet alij doceant eſſe in ſpecies ſubalternas continentes ſub ſe alias ſpecies infimas. ibid.

Qui furatur rem ſacram de loco ſacro, tenetur veramque circumſtantiam in confeſſione explicare. p.765.n.2

Sacrilegium committitur,quando regularis,vel monialis,vel aliquis in ſacris ordinibus conſtitutus ſæcularem polluit tangendo illum impudicè,& patiens pollutionem tenetur in confeſſione circumſtantiam perſonarum explicare. ibid.n.3

An furtum rei non ſacræ de loco ſacro ſit ſacrilegium? Negant iuris ciuilis interpretes,affirmant Theologi,maximè ſi res illa ſub iure, & quaſi poteſtate Eccleſiæ ſit depoſita : ſecus ſi res illa prophana per accidens,& caſu ſit in loco ſacro. ibid. num.4

Non omne peccatum, quod perſona ſacra committit eſt ſacrilegium propriè, ſed illud ſolùm quòd directè committitur contra ſanctitatem perſonæ. p.766.n.5

Si quis contra perſonam ſacram iraſcatur, nolens tamen verberare,aut furtim ab eius domo quippiam ſurripiat,non eſt ſacrilegium propriè,erit autem ſi eam percutiat,ſeu percutere velit. ibid.

Vt ſacrilegium cenſeatur, conſiderandum eſt ad quid perſona, vel res ſit ſanctificata, & videndum ſi contra illud ad quod ſanctificata dicitur,actum ſit. ibid.

Sacrilegium committitur exercendo cauſas ciuiles ſæculares in Eccleſiis,& earum cœmeteriis:de rigore tamen iuris veterum non eſt cauſas Eccleſiaſticas in Eccleſiis peragere ; quamuis decentius ſit,vt peraganturin palatio Epiſcopi, vel alio loco extra Eccleſiam. ibid.n.6

Placita iudicum,& miniſtrorum ſæcularium, non ſolùm prohibentur fieri in Eccleſiis,vel cœmeteriis, ſed ſi inibi exercita fuerint,ipſo iure irrita ſunt. ibid.n.7

Non prohibentur fieri in Eccleſiis actus iuriſdictionis gratioſæ, & voluntariæ, ſed tantùm illi, qui cum ſtrepitu iudiciali fiunt. ibid.

Hæc irritatio non extenditur ad placita,quæ in domibus Eccleſiæ extra Eccleſiam fiunt,vt in domo parochi,&c. ibid.

Epiſcopi,aliique Prælati iuriſdictionem, quaſi Epiſcopalem habentes ; non poſſunt concedere iudici ſæculari facultatem exercendi in Eccleſiis iudiciales actus. ibid.

Sacrilegium non committit exiſtens in Eccleſia cum animo furandi,fornicandi,vel occidendi,niſi intendat hæc facere in Eccleſia. p.767.n.8

Sagæ.

Sagæ dicuntur fœminæ,& incantatrices, quæ quibuſdam incantationibus,& maleficiis hominibus aliquid mali infligere ſolent,vel ideo dicuntur ſagæ à ſagiendo , eo quòd multa ſcire deſiderant, quapropter ſe dæmonum conſortio immiſcere ſolent,vt ab ipſis artem magicam addiſcant,qua hominibus nocere poſſint. V.Magia. ibid.n.12

Sacrificium.

Sacrificium in communi, eſt oblatio facta Deo per immutationem alicuius rei oblatæ in ſignum diuinæ excellentiæ legitimè inſtitutum. V.Miſſa I. p.557.n.1

Sacrilegium differt ab aliis oblationibus, quæ Dei cauſa fiunt. ibid.

Sacrificium eſt miſſa : quia in ea continentur illa tria,quæ pertinent ad eſſentiam ſacrificij,nempe conſecratio, oblatio , & conſumptio.Vbi plura numeris ſequentibus. ibid.

Sacrificium,vt ſacrificium non eſt ſacramentum: quia vt ſic non eſt ſignum rei ſacræ,vt formaliter ſacramentis , ſed vt teſtimonium diuinæ excellentiæ,&c. V.Sacramentum. p.760.n.4

Satisfactio.

Cùm peccator ad Deum conuertitur,non ſemper cum culpa vniuerſa pœna remittitur. p.767.n.1

Satisfactio impoſita à confeſſario , quæ eſt compenſatio pœnæ temporalis non ſemper ſufficit ad remittendam omnem pœnam peccatis debitam, itaut ea peracta nihil lucrum pœnitenti in purgatorio remaneat. ibid.

Satisfactio ſacramentalis habet aliquem effectum ex opere operato : imo probabile eſt,ſatisfactionem ſacramentalem,quando actualiter impletur, habere vim cauſandi aliquem nouum gradum gratiæ , & de facto illum cauſare in ſubiecto diſpoſito. p.768.n.2

Satisfacere poſſumus Deo per pœnas , quas neceſſario patimur, ſeu per flagella ab eo immiſſa,vt ſunt bellum,fames, infirmitas,&c. modò tamen voluntariè acceptentur,& aliquo modo in Deum referantur. ibid.n.3

Satisfactio hæc fit non ſolùm per flagella ad eum finem à Deo immiſſa,ſed per omnia quæcumque illa ſint , & ex quibuſcumque cauſis prouenient,dummodò voluntariè acceptentur & referantur in Deum. ibid.n.4

Satisfactio neceſſaria eſt ad conſequendam remiſſionem pœnæ purgatorij,non ſolùm neceſſitate præcepti , ſed etiam medij ibid.n.5

Satisfactio ſacramentalis ſemper iniungenda eſt pœnitenti ſcrupuloſo,regulariter loquendo , qui frequenter intra eandem horam accedit ad confeſſarium : non eſt tamen improbabile poſſe ſacerdotem iniungere pœnitentiam iam aliis iniunctam. ibid.n.6

Satisfactio ſacramentalis,per ſe loquendo, poteſt iniungi à confeſſario tam ante,quam poſt abſolutionem:conſuetudo tamen obtinuit,vt prius imponatur. p.769.n.7

Satisfactio ſacramentalis impleta ante abſolutionem, non habet ſuum effectum ex opere operato, etiamſi pœnitens ſit in gratia. ibid.

Non poteſt confeſſarius obligare pœnitentem ad implendam pœnitentiam priuſquam illum abſoluat , quando ſatisfactio eſt tantùm vindicta:ſecùs ſi conſideretur pœnitentia , vt eſt curatio,aut medicina. ibid.n.8

Si pro ſatisfactione ſacramentali à confeſſario iniuncta ſit eleemoſyna , pœnitens ſatisfacit tradendo eleemoſynam pauperi extremè indigenti,cui aliàs tenebatur ex præcepto charitatis ſubuenire : ſecus ſi tenebatur illi pauperi ex iuſtitia, aut ratione reſtituendi incerta. ibid.n.9

Quando pœnitentia à confeſſario iniuncta ad tullum certum diem eſt addicta , qualibet die eam pœnitens implere poteſt. ibid.n.10

Si pœnitentia iniungatur à confeſſario certo die adimplenda & eam præfixo tempore non adimpleuerit ſiue culpabiliter,ſiue abſque culpa;quidam negant teneri alio die adimplere , ſed dicendum eſt per ſe obligationem non ceſſare ; niſi ita confeſſarius velit. ibid.

Satisfactio præſeruatiua non poteſt commutari à confeſſario in non præſeruatiuam : bene tamen in aliam præſeruatiuam, ſi commutatio fiat ex iuſta & rationabili cauſa. p.770.n.11

Vt ſatisfactio cenſeatur imponi in confeſſione , non eſt neceſſe, vt quis in loco iudicij,ſeu confeſſionali ſedeat,tanquam confeſſionem auditurus,ſed ſufficit , vt actus ſint ſacramentales. ibid.n.12

Quando confeſſarius à confeſſionali receſſit , & pœnitens oblitus eſt pœnitentiæ impoſitæ, aut fortè confeſſarius ex obliuione non impoſuit,non eſt neceſſe vt confeſſarius ad confeſſionale reuertatur, ſed ſufficit ſi pœnitens illi innuat,& confeſſarius reſolutionem det,velut in ſacramento. ibid.

Scandalum.

Scandalum propriè dicitur lignum incuruum , quo tendicula , ſeu muſtipula ſuſtinetur , in quod impingens animal ipſam muſtipulam in ſe ſubita ruina cuertit : In ſacris Scripturis nomine ſcandali ſignificatur , tum occaſio peccati, tum ipſum peccatum, quod eſt ſpiritualis ruina. pag.770. num.1.

Scandalum proximi ex triplici intentione contingere poteſt, 1. directè intendendo ipſam eius ruinam , 2. directè intendendo eum inducere ad actum malum , non tamen quia hoc ei malum eſt , ſed ob alium finem, 3. faciendo aliquod peccatum, aut ſpeciem peccati habens, quo credit alium inducendum ad peccatum , ſed illud non intendendo. ibidem num.2.

Qui

Qui alterum aliquo ex dictis modis ad peccandum inducit, peccat, & tenetur hoc expresse, & distin. & confiteri. ibid.

An sit peccatum scandali deponere pecuniam apud vsurarium: ea ad vsuras abusurum? Quidam negant, alij affirmant: sed dicendum est hoc pendere ex causa, qua ad deponendum hi deponentes ducuntur. ibid. n. 3

Quidam sustinent deponentes pecuniam apud vsurarium, hanc causa peccare contra iustitiam; sed verius est illud peccatum esse solum contra charitatem, ac proinde deponentes non teneri ad restitutionem vsurarum, quas mutuans accepit. pag. 771. n. 4

Tabernarij, & caupones vendentes vinum bibere volenti, in ea quantitate, vt probabiliter credatur, vel experti sint, fore vt ij inebrientur, peccant mortaliter: licet hi possent aliquando excusari. ibid. n. 5

Ad euitandum aliorum scandalum, an sit obligatio praetermittendi aliquod praeceptum, multi negant: sed alij affirmant: quod in praeceptis positiuis facilius potest habere locum; sed nunquam in negatiuis. ibid. n. 6

Quando ex omissione praecepti imminet aliud damnum graue proximo, non est praetermittendum praeceptum. ibid.

Schisma.

Schisma vsurpatur dupliciter, 1. generaliter pro quauis scissura, & separatione, 2. strictè pro diuisione, qua quis se ab Ecclesia seiungit. p. 772. n. 1

Hoc vitium directè aduersatur vnitati Ecclesiæ, quæ est effectus charitatis. ibid.

Schismaticus propriè est, qui voluntariè se diuidit à capite, & corpore Ecclesiæ, nolens amplius cum membris illius communicare in mediis ordinatis ad salutem. ibid.

Schismaticus est, qui sei ipsum à capite separat, etiamsi non expressè à reliquis membris: Item qui cum rebellione, & pertinacia renuit obedire praeceptis, vel Romanæ Ecclesiæ vel Romani Pontificis, nolens illam agnoscere matrem vel illum Patrem, & Christi vicarium. ibid. n. 2

Schismaticus propriè non est, qui Romano Pontifici non obedit in ea re, quam fieri iubet, aut prohibet, sed inobedientis crimen contrahit: Item si quis non obtemperet, eo quòd sibi sit eius persona infensa, odiosa, vel suspecta. ibid.

Schisma accidere potest, si quis separet se à membris Ecclesiæ: quod contingit, quando ita vult spirituales actiones exercere non vt pars Ecclesiæ Catholicæ, sed tanquam si ipsemet esset quoddam totum seorsum. p. 773. n. 3

Schisma dupliciter potest aliquis facere, 1. directè intendendo diuisionem Ecclesiæ, 2. solùm quasi indirectè intendendo, v. g. dominatum, potestatem, & similia. Si primo modo fiat, est peccatum specialiter charitati contrarium. ibid. n. 4

Ad schismatis malitiam contrahendam, non oportet directè intendere diuisionem ab Ecclesia, sed satis est velle id per quod separetur quis ab Ecclesia, vel efficit diuisionem in illa, siue sit id directè præuidendo, siue culpabiliter ignorando. ibid.

Quando electi sunt duo Pontifices, & vnus est certus Papa, de quo prudenter dubitari non possit, ei est adhærendum, & qui alteri fauent sunt schismatici. ibid. n. 5

Si Papa sit dubius, itaut prudenter non possit cognosci, nulli est adhærendum. Interea Christiana plebs satisfaciet adhærendo suis Episcopis, Parochis, & Doctoribus Catholicis, semper parata adhærere illi, quem Ecclesia receperit. ibid.

Schismaticus non est irregularis, modò delictum non sit notorium. ibid. n. 6

Qui non incurrant excommunicationem latam in Bulla cœnæ Domini contra Schismaticos. p. 774. n. 7

Scriptura.

Verius est iure communi non esse necessarium vllum scriptum, vt per illud expressa professio fiat, sed sufficere, vt sola voce negotium totum tranigatur. V. Professio. p. 705. n. 21

Iure speciali aliquarum religionum requiritur vt professio in scriptis fiat; vel vt votum scriptum sit, & ex scripto legatur. ibid.

Solum scriptum sufficit ad professionem etiam expressam, standoin sola rei natura, vel iure communi: tamen iuxta communem Ecclesiæ consuetudinem legenda est illa scriptura publicè ab eodem professente, si id facere possit. ibid.

Scriptura non est de substantia priuilegij, potest tamen multum referre, quod priuilegium scriptum est: & pro foro externo scriptura debet esse Authentica, vt faciat fidem publicam: pro foro autem conscientiæ satis est, quod faciat fidem priuatam probabilem. V. Priuilegium. p. 576. n. 7

Scientia.

Tenetur ad scientiam suæ regulæ nouitius intendens assumere statum religionis: quæ quidem scientia intelligitur secundùm substantiam, & explicationem generalem regulæ: quæ contingit, quando nouitius agnoscit, se mediante voto professionis obligari ad obedientiam, paupertatem, & castitatem, & etiam ad alia præcepta in regula contenta. V. Nouitius. p. 596. num. 17.

Sanitia.

Ob notabilem sæuitiam aduenientem, aut cognitam post sponsalia, dissolui ea possunt ex parte alterius: quia ob illam potest fieri diuortium, & est matrimonium contractum. V. Sponsalia. p. 810. n. 11

Si tempore celebrationis sponsaliorum alter sponsus ignorabat hoc vitium, sed ita erat affectus, vt si vitium cognouisset, nihilominus sponsalia contraxisset, non potest retinere à sponsalibus. ibid.

Sententia.

Sententia lata valida est à iudice ordinario, vel delegato in loco non suæ, sed alterius iurisdictionis, modò duo concurrant, 1. vt feratur de consensu partium, 2. vt ius ibi dicatur etiam de consensu eius, ad quem iurisdictio eius loci spectat. V. Delegatus. p. 213. n. 22

Vt sententia arbitri censeatur expressè emologata, iure ciuili necesse est partes sese illi subscribere: de iure tamen Canonico satis ad id esset, si verbo, aut quouis alio modo in eam sententiam consentiant: esto sententia alias esset nulla. V. Compromissum. p. 174. n. 8

Sententiam à iudice ferendam continet lex pœnalis vtens verbo, aut participio significante actionem futuri temporis. V. Lex 11. p. 497. n. 23

Sententiam ferendam continet lex pœnalis vtens verbo imperatiui modi, quamuis sit temporis præsentis: in duobus tamen casibus hoc non habet locum. ibid.

Sententiam item ferendam continet lex quoties vtitur verbis solùm comminatoriis, sed non semper. ibid.

Quando dubium est, an lex pœnalis contineat dictionem latæ, vel ferendæ sententiæ, dicendum est continere ferendam sententiam. ibid.

Sententia lata erit, quoties in lege pœnali apponuntur verba significantia legis transgressorem incurrere pœnam appositam: vel quando ponuntur verba præsentis temporis modi indicatiui. ibid.

Sententia ferri potest, quando præsumptio est iuris, & de iure: imo si sit iuris tantùm, quæ tamen contraria probatione non fuit improbata: idem dicendum quando præsumptio est hominis tantùm si sit violenta. V. Præsumptio. p. 673. n. 8

Sententia ferri non debet, quando præsumptio est probabilis, contra eum, cui illa obstat, sed solùm inuicenda est purgatio: nec etiam ferri debet, quando præsumptio est leuis, vel temeraria. ibid.

Qui sententia iuris, aut iudicis tenet aliquid non suum, aut alteri debitum, non semper tutus est in conscientia, aut à restitutione liber. V. Restitutio. p. 748. n. 40

Sententia lata secundùm iura, & allegata, & probata ab obligatione restitutionis non excusat, si falsæ præsumptioni, aut probationi innitatur. ibid.

Quando vt sententiæ aliquid solutum fuit, quæ in rem iudicatam transiuit, esto is verè id non deberet, non conceditur ei repetitio illius tanquam indebiti, nisi quando sententia lata fuit falsis allegationibus, aut falsis testibus, vel falsis instrumentis. V. Solutio. p. 799. n. 13

Ante sententiam iudicis spolium debetur. V. Spolium. p. 806. num. 12.

Senex.

Senes incidentes in canonem, *Si quis suadente diabolo* excusantur ab itinere in vrbem, & ideo per Episcopum possunt obsolui: senes autem dicuntur communiter Sexagenarij. V. Excommunicatio V. p. 329. n. 26

Senex impotens ad seruanda religionis essentialia, & etiam accidentalia præcepta, & obseruantias, inhabilis est ad religionis ingressum, & professionem; proinde tam receptus, quàm recipiens Prælatus mortaliter peccant: quamuis professio illius valida sit. V. Nouitiatus. p. 596. n. 15

Senectus in parocho non excusat eum à residentia, sed debet residere in loco, vbi sita est Ecclesia parochialis, etiamsi ei esset datus coadiutor ratione infirmitatis. V. Residentia. p. 734. num. 8.

Secretum.

Iuramentum de seruando secreto, siue non reuelandis iis, quæ in capitulo definitorio apud regulares, Concilio, &c. tractantur, intelligi debet, quatenus materia secretum postulat, & ita si magni momenti existat, & valde interiit non euulgari; eius euulgatio mortalem culpam continet. verb. Iuramentum. p. 465. n. 29

Sepultura.

Sepultura materialiter sumpta est locus, in quo cadauera mortuorum reconduntur. Formaliter autem sumpta, est actio seu officium sepeliendi pertinens ad charitatem, seu misericordiam erga defunctos. p. 774. n. 1

Qui non sepelit mortuos fideles, dum sine suo graui damno, seu incommodo sepelire potest, nec adest alius, qui id officium præstet, mortaliter peccat, modò sepultura Ecclesiastica non sint priuati. ibid.

Sepultura, seu sepulchrum dicitur à sepeliendo, vel etiam à sepiendo, eo quòd cadauera tumo veluti sepe circumdentur, & circumsepeliantur. ibid.

Omnes

Omnes Catholici ſepeliendi ſunt in loco ſacro, niſi iuſta de cauſa prohibeantur: non Pagani, Iudæi, & alij infideles. p. 775.n.2

An autem Catechumeni debeant ſepeliri in loco ſacro? Quidam affirmant, alij negant probabiliter. ibid.

Epiſcopus habet ius dandi facultatem conſtruendi ſepulturam: & tribus modis poteſt dari locus ſepulturæ. ibid.n.3

Locus qui inſeruire debet ſepulturis fidelium, debet eſſe ſacer, ſeu benedictus ab Epiſcopo, ſeu ab alio ad id poteſtatem habente, aliàs ſepultura Eccleſiaſtica dici non poteſt iuxta Canones. ibid.n.4

Quamuis olim cadauera fidelium intra Eccleſiam non ſepelirentur, hodie tamen omnes fideles intra Eccleſias ſepelire licet. ibid.n.5

Religioſi Ordinis Minorum & Prædicatorum & alij communicantes eorum priuilegiis, habent ius ſepeliendi funus laicorum & ſæcularium cadauera, qui in ipſorum cœmeteriis, ſeu Eccleſiis ſepulturam elegerint. ibid.n.6

An autem religioſi prædicti poſſint proceſſionaliter intrare Parochiam aliam, & per ſe accipere funus, & alia conſueta facere etiam contradicente Epiſcopo & Parocho? Quidam affirmant, alij negant: ſed ſtandum eſt conſuetudini locorum. ibid.

Sepulturam eligere non poteſt pater filio impuberi de iure & ratione patriæ poteſtatis, ſed tantùm ratione conſuetudinis. p.776.n.7

Quando pater filio impuberi eligit ſepulturam, hæc electio non ſe extendit ad tempus, quando filius pubes moritur. ibid.

Mater etiam poteſt filio impuberi eligere ſepulturam ratione conſuetudinis, ſicut & Pater: licet aliqui contradicant. ibid. num.8

Probabile eſt, affines & conſanguineos, imò tutores, qui ſuccedunt patri in cura impuberum, poſſe eligere ſepulturam affinibus & conſanguineis impuberibus, vel pupillis, non autem alios: licet multi contrarium ſentiant. p.777.n.9

Qui moritur abſque electione ſepulturæ, debet ſepeliri in ſepulchro maiorum ſuorum, ſi adſit, & in defectu ipſius, apud Eccleſiam Parochialem. ibid.n.10

Sepulchrum maiorum illud eſt, ſecundùm quoſdam, in quo plures ex aſcendentibus ſepulti ſunt. Alij tenent illud eſſe in quo ſepultus eſt pater, quod ipſe elegit tibi & ſuis deſcendentibus, & hæc ſententia in praxi ſeruatur. ibid.

Si pater ex accidenti & non intentione ſtabiliendi ſepulchrum familiæ ſepeliatur in aliquo loco, tunc filius debet ſepeliri in ſepulchro anteceſſorum. ibid.

Electio ſepulturæ probatur per teſtamentum, aut per teſtes duos conteſtes, vel etiam ſingulares: imò per codicillum inualidum, aut ſcripturam manu propriâ ſubſcriptam: denique in multis locis per dictum confeſſarij. ibid.n.11

Peregrinus moriens extra propriam Parochiam transferendus eſt ad propriam, ſeu ad ſepulchrum maiorum ſuorum, ſi habeat & commodè poſſit, alioquin ſepeliri poteſt in Eccleſia Parochiali in qua decedit, ſi in ea Sacramenta ſuſcepit: limita, niſi alibi elegerit ſepulturam ante mortem. ibid.n.12

Religioſi ſepeliendi ſunt in propriis Monaſteriis, etiamſi extra clauſtra decedant, niſi ſint ita remoti à propriis Monaſteriis, vt commodè portari nequeant; & tunc poſſunt eligere ſepulturam: quod ſi non elegerint, ſepeliendi ſunt in Parochiali, in quâ deceſſerunt. ibid.

Si in illo loco ſit aliud Monaſterium ſui Ordinis, & religioſus ſtat ſub obedientia Prælati illius Monaſterij, non poteſt hic eligere ſepulturam: at ſi non ſit ſubditus Prælato illi, poteſt: niſi Conſtitutiones religionis, aut conſuetudo aliter ſtatuerent. ibid.

Probabilius eſt Prælatum localem religionis habere facultatem eligendi ſibi ſepulturam: ſi tamen talis Prælatus eligeret ſepulturam, & poſtea decederet ſuiſtâ prælaturâ, non eſſet ſepeliendus in loco electo, ſed in Monaſterio. p.778.n.13

Regularis, qui præeſt Prioratui non ſubiecto immediatè Generali, non poteſt ſibi eligere ſepulturam. ibid.

Vxor, de iure communi, poteſt ſibi eligere ſepulturam: ſi non elegerit, ſepelienda eſt in ſepulchro viri: ſi plures viros habuerit, ſepelienda eſt in ſepulchro vltimi viri. ibid.n.14

Hæretici ipſo iure ſunt priuati Eccleſiaſtica ſepultura, modo manifeſtè conſter de eorum hæreſi, etiamſi non ſint nominatim denunciati; aliàs priuari non debent ſepultura. Quod ſi quis non obſtante hac notorietate ſepelire illos præſumpſerit, excommunicationem incurrit. Quidam tamen volunt vt ſint denunciati. ibid.n.15

In locis, in quibus hæreſes impunè graſſantur, non peccant Catholici, qui hæreticorum funus comitantur, eoſque ad ſepulturam deducunt, quando ſepeliuntur more hæreticorum: ſecus quando ſepultura ſit in loco ſacro. ibid.

Occidentes ſeipſos ſcienter & ex induſtria licet priuandi ſint Eccleſiaſtica ſepultura; non tamen hac pœna plectendus eſt ſtatim ille, qui ſe præcipitem dedit, vel qui mortuus inuenitur laqueo ſuſpenſus, &c. vnde in dubio, an ſeipſum occiderit ſcienter, ſepeliendus eſſet in loco ſacro. p.779.n.16

Religioſus inuentus cum burſâ denariorum mortuus; non eſt ſtatim priuandus Eccleſiaſticâ ſepulturâ, maximè ſi factum eſt occultum: quod habet etiam locum in Fratre Minore, ſi indicia adſint ad credendum pecuniam eſſe alienam, vel creditam. ibid.n.17

Meretrix, quæ inuenta eſt mortua & vulneribus plena in domo ſui amici eodem die ſtatim poſt factam ſacramentalem confeſſionem & ſacræ communionis refectionem in Paſchate, non debet priuari ſepultura Eccleſiaſticâ, licet de eius contritione non conſtet. ibid.n.18

Contra exenterantes vel in fruſta concidentes corpora mortuorum, aut in aquis coquentes, vt carnem ab oſſibus euellant, vt alibi tumulanda ferant, eſt excommunicatio in iure lata Papæ reſeruata. Hæc tamen cenſura in certis caſibus non habet locum. ibid.n.19

Corpora defunctorum perpetuæ ſepulturæ tradita non poſſunt exhumari & transferri de loco ad locum, ſine Epiſcopi licentia, ſecus eſt quando ſunt depoſita in vna Eccleſia, vt poſtea transferantur ad aliam. p.780.n.20

Iudex laicus, qui abſque licentia Epiſcopi exhumat corpus defuncti occiſi, vt ſibi conſtet de corpore delicti, frangit immunitatem Eccleſiaſticam, & ideò poteſt excommunicari. ibid.

Seruitus, Seruus.

Seruitutum realium duo ſunt genera: nam vel ſunt ſeruitutes, quæ conſiſtunt in ſolo, & dicuntur Ruſticæ: vel conſiſtunt in ſuperficie & vocantur Vrbanæ. p.780.n.1

Seruitutes Vrbanæ ſunt ſequentes. Seruitus onetis ferendi, tigni immittendi, ſtillicidium, vel flumen auertendi, vel non auertendi, ius alcius tollendi vel non tollendi ædificium, ius officiendi luminibus, vel aſpectui alicuius, ſeruitus proiiciendi, vel eiiciendi aquam in aream, vel hortum vicini. De quibus agitur figillatim. ibid.n.2

Seruitutes ruſticæ, vel ſunt nominatæ, vel innominatæ. Nominatæ dicuntur, quæ à iure ſpeciale nomen habent, & ſunt quatuor. Innominatæ dicuntur, quæ nomen habent ab ipſo actu, & ſunt quinque. p.781.n.3

Ius ſeruitutis acquiritur quando ex contractu debetur duobus modis. Primò, per traditionem. Secundò, quando is, cui debetur ſeruitus, vtitur ſeruitute, ſciente & patiente domino prædij, quod ſeruitutem debet. ibid.n.4

Seruitus merè perſonalis naturæ contraria, iure gentium inducta eſt, iure enim naturali omnes homines ab initio liberi naſcuntur. ibid.n.5

Iure gentium & ciuili ſeruitus hominis quatuor modis acquiritur: & primò, iure belli, id eſt in bello iuſto captus fit ſeruus capientis, ſed hoc ius non habet locum inter Chriſtianos, qui ſeruituti non ſubiiciuntur, propter fidem Baptiſmi, ſed tantùm retineri poſſunt iuſtè, donec redimantur, amiſſis equis & armis. p.782.n.6

Apoſtatæ à fide, ſeu defertores totius Chriſtianæ religionis, hoc beneficio non gaudent, tales enim fiunt ſerui capientium; quamuis infidelibus vendi non poſſunt. ibid.

Probabilius eſt, Chriſtianos qui in bello iuſto ex parte infidelium contrà Chriſtianos capiuntur, non manere illorum ſeruos. ibid.

Seruitus ſecundò acquiritur natiuitate, id eſt, qui ex ancilla natus eſt, ſiue pater ſit liber, ſiue non, ſiue ſit ex matrimonio legitimo, vel ex fornicatione, efficitur ſeruus. ibid.n.7

Quando mater vel concepit vel tempore partus vel intermedio tempore fuit libera, etſi ad momentum, proles iure Cæſareo ſeruitutem non contrahit. ibid.

Tertiò, quis ſit ſeruus per iuſtam condemnationem: caſus autem pro quibus hæc pœna infligitur, ſunt quatuor. p.783. num.8

Quartò, ſeruitus contrahitur per emptionem & venditionem, quando quis prima vice fit ſeruus ex libero: vt tamen venditio libertatis validè fiat, plures conditiones iure Cæſareo requiruntur. ibid.n.9

Iure naturæ fas eſt parentibus vendere proles ſuas, & ex illa venditione emoluncnta percipere poteſt. Ius tamen Cæſareum requirit certas conditiones. Cæterum licet ſit permiſſa talis venditio, apud Chriſtianos tamen non videtur vſu recepta. ibid.n.10

Serui bello ita iuſto capti, vt de iuſtitia capientium, & iniuſtitia aduerſariorum conſter, poſſunt licitè fugere ad ſuos, non tamen vi reſiſtere dominis perſequentibus. Imò licitum eſt cooperari huiuſmodi ſeruis ad fugam, modo ſcandalum abſit. ibid.n.11

Serui, qui à ſe vel à parentibus ſunt venditi; vel qui in pœnam iuſtè condemnati ſunt, licitè fugere non poſſunt: niſi ſeruitus valdè ſit calamitoſa. p.784.n.12

Quando ſeruus fugere non poteſt, non licet ei conſilium vel auxilium ad fugam præbere ſine peccato mortali & obligatione reſtituendi damna vero domino ſecuta ex tali fuga. ib.

Serui fugere possunt; si non sint iustè in seruitutem redacti, & vi repellere impedientes, & surripere à suis dominis quantum possint, si adhuc duret bellum iustum ex parte capientium. ibid.n.13

Seruis iure belli captis licitum est fugere, si à dominis inducantur ad aliquod peccatum mortale. Ac si dominus sit Iudæus, aut Paganus non subiectus Principi Christiano subiectus, vel si sit hæreticus, seruus eo ipso sit liber. ibid.

Ex contractibus seruorum, ius cum dominis, siue cum aliis, non oritur ciuilis obligatio; vnde neque illis, neque aduersus illos datur actio in foro seculari. tamen oritur obligatio naturalis, & in conscientia foro tenentur stare contractui. ibid. num.14

Serui non solùm validè, sed etiam licitè possunt absque consensu domini matrimonio copulari: & grauiter peccat dominus si matrimonium serui impediat, vel puniat, quòd matrimonium eo inuito contraxerit. p.785.n.15

Quando seruus matrimonium iniuit ex domini consensu, non licet domino illum in partes longinquas vendendum mittere. Si autem eo inscio vel repugnante, quidam sentiunt id domino licere absque lethali peccato: sed alij negant citra magnam necessitatem. ibid.n.16

Seruus ingressus religionem si intra triennium non reperatur à Domino, libertatem præsertim in conscientia. Triennium autem numerandum est à tempore, quo dominus conscius fuit admissionis serui in religionem. ibid.n.17

Quando seruus intra triennium illud in quo dominus potest illum reuocare professionem, an professio sit valida? Quidam negant, alij affirmant probabiliter: tamen poterit dominus seruum repetere post professionem & cogere sibi & non religioni seruire. ibid.n.18

Signum.

Signum est quod sub sensum aliquem cadit & quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur, quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post sit consecutum: & tamen indiget testimonijs maioris confirmationis, vt cruor, fuga, pallor, pulsus & quæ his sunt similia, v. Præsumptio. p.671.n.2. vbi plura.

Simonia.

Qui promittit pecuniam pro beneficio animo non verè emendi vel soluendi, sed solum intentione decipiendi & recipiendi beneficium, iuxta quorundam sententiam, non committit verè simoniam, etiamsi promissionem simet instrumento vel iuramento ficto & simulato. Nihilominus talis in foro externo præsumetur simoniacus, & in foro conscientiæ reus erit simoniæ, non tamen contentionalis. p.786.n.1

Materia simoniæ confidentialis sunt tantùm beneficia Ecclesiastica, non autem pensiones. p.787.n.2

Pretium quod in hac simonia intervenire potest & debet, duplex tantùm esse potest: vnum est idem beneficium, quod renunciatur, vel confertur, vt eidem renuncianti, vel conferenti vel alteri reddendum. Aliud est fructus eiusdem beneficij, seu pars eorum eisdem conferenda. ibid.

Calix, vel aliæ res sacræ possunt locari pro pretio, habita ratione materiæ, sine simonia, sicut & possunt vendi: licet quidam probabiliter contrarium sustineant. ibid.n.3

Commendæ spirituales, siue Clericales, siue temporales sint, siue perpetuæ, sunt materia simoniæ contra ius diuinum. ibid.n.4.

Commendæ militares per se spectatæ non sunt materia simoniæ; non est tamen licitum eas vendere directè & formaliter. ibid.n.5

Hospitalia Ecclesiastica, id est, Rectoriæ, seu officia regendi, quæ sunt beneficia Ecclesiastica & loca religiosa auctoritate Episcopi fundata, & dantur in titulum, materia sunt simoniæ contra ius diuinum. p.788.n.6

Quando officium gubernandi hospitale non habet functionem vllam spiritualem, sed tantùm temporale regimen, non est materia simoniæ contra ius diuinum, sed iure humano interdictæ, si hospitale fuerit auctoritate Episcopi fundatum. ibid.

Præstimonia sunt materia simoniæ, & vendi non possunt, eodem modo, quo cætera beneficia. ibid.n.7

Sacramenta vt sunt res sacræ, sunt propriissima materia simoniæ iuri naturali contrariæ: tamen si pecunia tradatur pro matrimonio, vt est contractus, non committitur peccatum simoniæ. ibid.n.8

Dare vel promittere aliquid temporale sub pacto vt alter maneat obligatus ad opus spirituale, simonia est. Secus si detur aliquid de præsenti alicui, vt faciat opus spirituale vel de præcepto, vel de consilio in solius operantis vtilitatem, relicta ei libertate faciendi tale opus. ibid.n.9

Actus concionandi est materia simoniæ & sine illius labe vendi non potest: tamen prædicantibus temporalia debentur ad sustentationem prædicantium: non autem ad emendum prædicationis verbum. ibid.n.10

Stipendium sustentationis sub pacto ponere licet prædicatoribus vt habet consuetudo ab Ecclesia approbata. ibid.

Transactio, in qua ius spirituale pro aliquo temporali remittitur vel retinetur, est mala & simoniaca. ibid.n.11

Transactio in materia spirituali non beneficiali cum aliqua compensatione per largitionem vel cessionem alterius rei vel iuris spiritualis proportionati, non est simoniaca, etiamsi transactio fiat propria auctoritate ex consensu partium. ibid. num.12

Transactio non est licita in materia beneficiali priuata auctoritate absque labe simoniæ potest tamen honestari auctoritate Episcopi vel Prælati. ibid.n.13

In casu transactionis ad dirimendam litem potest Episcopus absque simonia vni applicare beneficium litigiosum, cum onere vt alteri parti colitiganti beneficiarius quamdiu viuet soluat pensionem. ibid.n.14

An autem pensio imponi possit super beneficio, itavt transeat ad successorem in beneficio, quamdiu pensionarius viuit? Alij negant, alij affirmant. ibid.

Rationes assignantur cur Prælatus applicare in hoc casu transactionis aliquid temporale parti cedenti iuri suo. ibid.n.15

Actus iurisdictionis Ecclesiasticæ etiam contentiosæ, sunt materia simoniæ, ad quam vitandam gratis exerceri debent. ibid. num.16

Quando per spiritualem potestatem exercentur quidam actus, qui videntur merè politici & proximè versantur in materia temporali, vt causæ merè ciuiles inter Clericos, vel si venditue à Prælato licentia docendi, &c. An sit materia simoniæ? Alij negant, alij affirmant probabiliter. ibid.n.17

Exigere pretium pro dispensationibus est simonia contra ius diuinum, in quo non potest Pontifex dispensare: tamen iustis de causis aliis illa traditio & exactio pecuniæ potest esse licita, & stylus Romanæ Curiæ approbat. ibid.n.18

Omnes homines cuiuscumque conditionis sint, simoniæ iure naturali & diuino vetitæ labem contrahere possunt, etiamsi sint infideles: pœnis tamen statutis contra simoniacos hi non afficiuntur. p.792.n.19

In omni materia, in qua committitur simonia contra ius diuinum, etiam Papa peccabit eodem genere peccati, si illam pro temporali vendat. ibid.n.20

Papa potest culpam simoniæ iure Canonico prohibitæ contrahere, nisi rationabilis causa subsit, ob quam illa lege conseruatur exemptus, vel in ea secum dispenset. ibid.n.21

Simoniam iure Canonico prohibitam omnes homines baptizati incurrere possunt. ibid.n.22

Contrahens cum Pontifice, vel cum eius ministris de re spirituali, ex ipsius Pontificis tacito vel expresso consensu, simoniam non incurrit, si illa solùm iure Canonico sit introducta: secus, si in simoniæ materia contrahat, quæ iure diuino vetita est. ibid.n.23

Qui simoniam solo iure positiuo prohibitam exercent, scientè & dissimulante Pontifice, iuxta quosdam, à simoniæ culpa contra ius Canonicum excusantur: sed alij existimant tolerantiam Pontificis non semper excusare. ibid.

Pontifex vendendo alicui beneficium & committens cum illo simoniam, censetur cum illo dispensare saltem quoad pœnas iuris. ibid

Simulatio.

Simulatio nihil aliud est quàm mendacium in actionibus vitæ, quando videlicet quis per huiusmodi simulationes intendit aliud facere signis, quàm interius in animo sentit, v. Mendacium. p.548.n.1

Societas.

Societatis contractus potest celebrari ab iis, qui facultatem habent disponendi ad suum libitum de rebus, quas conferunt ad societatem. p.793.n.1

Societatem celebrare non possunt, qui à lege impediuntur. ibidem.

In societate vnusquisque sociorum in conscientia & in foro exteriori tenetur aliis sociis de toto damno, quod lata, aut leui culpa vel dolo ipsius aduenerit, tam in capitali, quod deperditum est, quàm in lucro, quo carent cæteri socij. ibid.n.2

Societatis contractus iustus est ac licitus, modo negotiatio in qua est societas contracta, sit licita & honesta: requiritur insuper vt omnia quæ in societate ponuntur, siue sint pecuniæ, siue operæ vel industria à principio numerentur, & ex illis fiat quasi vna summa pecuniæ omnibus communis. p.794.n.3

Vetius est totam pecuniam ab aliquo positam, secundum totum suum valorem esse sortem conferentis illam, & iuxta proprium illius valorem esse conferendam illi partem lucri, quando fiet illius distributio, & non iuxta quantitatem periculi. ibid.n.4

Æqualitas, quæ in contractu societatis requiritur habet latitudinem iuxta prudentis arbitrium & iudicium, pro maiori vel minori labore & pro maiori vel minori æstimatione operæ & industriæ. ibid.n.5

Si pecunia in societate posita pereat, soli ponenti perit: siue pereat ante operas, siue post, siue iactura eius in principio, siue in medio, siue in fine negotiationis fiat. ibid.n.6

Digitized by Google

Apponens pecuniam poteſt cum altero ſocio conuenire vt pecunia ſit communis,& ſi pereat,æquè pereat ſocio, cuiuſque periculum & damnum ſit commune. ibid.
Quando intercedit iuſtum pactum,quo tradens pecuniam reijcit illius periculum in alterum ſocium, ſoluto iuſto pretio pro grauamine impoſito,ſors capitalis petit ſocio, in quem periculum tranſlatum fuit. ibid.
Non poteſt iniri ſocietas eo pacto, vt ſi ſors principalis, quam vnus ex ſociis in commune contulit, alio quo caſu fortuito perierit,eam alter ſocius reſicere teneatur; hoc enim pactum cum ſocietatis natura & ſubſtantia pugnat. p.795.n.7
Quando in ſocietate non fuit expreſſum, an apponens pecuniam vellet eam facere communem cum ſocio, vel an vellet tantummodo lucrum ac damnum facere commune, ſtandum eſt conſuetudini regionis,vel locorum, vel etiam negotiorum. ibid.n.8
Quando de conſuetudine non conſtat nec de voluntate apponentis pecuniam,tota principalis pecunia, ſi integra permaneat,ad eum iure ipſo communi pertinet, qui in ſocietatem eam contulit, nec præſumitur voluiſſe apponentem in commune eam conferre. ibid.
In contractu trium contractuum,Societatis, nempe aſſecurationis ſortis & venditionis lucri incerti maioris pro minore certo,vt adſit iuſtitia, non requiritur vt hi contractus formaliter & expreſsè fiant,ſed ſufficit ſi per vnum, in quo illi tres æquiualenter & implicitè contineantur, modo ſeruetur æqualitas. Tamen vt ſecurius in hoc contractu procedatur, quinque conditiones debent concurrere. ibid.n.9
In ſocietate omnium bonorum,tam præſentium, quàm futurorum & in ſocietate omnis lucri, diſtribuenda ſunt omnia bona,quæ tunc extant,omne lucrum, ſimiliter & damna,ſiue expenſæ,modo non proueniant ex delicto & culpa ſocij. pag. 796.n.10
Nomine ſocietatis ſimpliciter vocatur illa,quæ in omni quæſtu conſiſtit,quæ nihil fuerit expreſsè conuentum vt ſit omnium bonorum,intelligitur contracta,vt ſit vniuerſorum, quæ veniunt ex quæſtu. ibid.
Quæſtus intelligitur, qui ex opera,artificio,induſtria, cura,vel diligentia cuiuſque prouenit. ibid.
In tali ſocietate non communicatur hæreditas, legatum, vel ſi quid donatum eſt, quia non veniunt ex quæſtu, ſed ex liberalitate,charitate,&c. ibid.
Inter fratres cenſetur contracta ſocietas quæſtus, eo ipſo quod habent patrimonium indiuiſum & vterque negotiatur. Bonorum tamen omnium ſocietatem non contrahunt, niſi exprimant. ibid.n.11
Frater habens cum fratre hæreditatem vel patrimonium indiuiſum,non tenetur cum eo communicare omne lucrum ſibi obueniens ex publici officij adminiſtratione. ibid.n.12
Si frater contracta cum altero fratre ſocietate ſimpliciter impendit bona ſua caſtrenſia vel quaſi in communem vtilitatem,poteſt illa repetere pro rata,modo illas expenſas non fecerit animo donandi,ſen gratis. ibid.
Societas ſimpliciter diſſoluitur & finitur quatuor modis. Primò,morte naturali cuiuſuis ex ſociis,ſed non ſemper. Secundò,morte ciuili alicuius ſociorum per exilium. Tertiò, ceſſione bonorum factâ ab aliquo ſociorum. Quartò,finito tempore ad ſocietatem conſtituto,aut finita negotiatione. Denique finitur per mutuum conſenſum ſociorum. ibid.

Socius.

Socius criminis, qui domino damnum reſtituit, fuit præcipuus tanquam dux alios ad iniquitatem mouens,ſocij ab omni reſtitutione deobligantur,v. Reſtitutio. p.744.n.23
Socius principalis in crimine,qui nihil de præda accepit, ſi reſtituat vero domino,qui rem illam accepit,tenetur ei in integrum reſtituere. ibid.
Si res accepta apud vnum ſolum ſocium extet, aut in vſum ſuum mala fide conſumpta ſit, tunc ipſe totum reſtituere tenetur: quod ſi nolit vel non poſſit,tenetur mandans, & qui ſolus totum per ſeipſum damnum intulit: quod ſi is non reſtituat, tenentur reliqui in ſolidum. ibid.
Quando plures ſocij æqualiter concurrunt ex mutuo conſenſu ad dandum damnum,ſi vnus in integrum reſtituat, tenentur alij pro rata reſtituere ei, quantum ex præda percepерunt. ibid.
Teſtimonium ſocij criminis facit præſumptionem, ſeu indicium ſufficiens ad torturam, modo concurrat alia præſumptio, vel adminiculum,aut indicium hîc expreſſum. Tamen depoſitio duorum ſociorum criminis ſufficit ad torturam, verb. Præſumptio. p.673.n.7. ſed non ſemper.

Sodalis.

Sodales Clerici in eadem domo commorantes, ſimul viuentes & ſub eodem tecto dormientes, ſi ſeipſos percutiant, ad Papam mittendi non ſunt pro abſolutione, ſed ab Epiſcopo abſolui poſſunt,modo percuſſio non ſit enormis, v. Excommunicatio V. p.329.n.27

Soluio.

Solutio eſt exhibitio eius quod debetur,aut rei alterius loco illius, quando illa ſolui non poteſt, de voluntate creditoris. p.797.n.1
Facta ſolutione,liberi manent ab obligatione & debito,non ſolùm debitor ipſe,hæredeſque ipſius,ſed etiam pignora ac fideiuſſores, & quicunque acceſſorie vna cum debitore tenebantur. ibid.n.2
Qui ſe obligauit ad factum,non tenetur ad illud, ſed ſatisfacit etiam inuito creditore,ſoluendo ei intereſſe, niſi promiſſio fuerit iurata: licet quidam contrarium docuerint. ibid.n.3
Quando res determinata debetur in individuo, aut aliquid ex rebus ita determinatis,& id traditur alteri vt deferat ad creditorem,ſiue is deſignatus ſit à creditore,ſiue non, modo debitor in ea tradenda non fuerit in culpa, tunc ſi pereat, perit creditori,nili debitor obligatus eſſet de caſu fortuito. ibid.n.4
Quando debetur res indeterminata in individuo,vt ſumma certa pecuniæ, tunc ſi tradatur deſignato à creditore & poſtea pereat,perit creditori & non debitori, ibid.
Quando creditor debitori ſuo mandauit, vt quod ſibi debet, ſoluat alteri, ſi antequam debitor id executioni mandaret, creditor verbo,aut internuncio, aut epiſtola reuocet mandatum, cuius notitia ad debitorem peruenit ante ſolutionem, non liberatur debitor ab iterata ſolutione. Secus ſi ſoluiſſet alteri ante notitiam reuocationis mandati. p.798.n.5
Quando quis in ſtipulatione, vel contractu ſe obligauerit ad ſoluendum,vel ei cum quo contrahit,vel tertio aſſignato, tunc ſi fiat principali,ſiue adiecto, debitor liberatur ab eo debito. ibid.
Solutio facta creditori valida eſt,eſto accuſetur de crimine propter quod veniant illi confiſcanda ſua bona: niſi accuſetur de crimine læſæ maieſtatis humanæ, vel niſi bona illa ſint iam annotata,id eſt,ſequeſtrata ob illud crimen. ibid.n.6
Quando dies certus, aut tempus certum & determinatum fuit conſtitutum intra quod aliquid ſolui debet,tunc dies ille,aut terminus temporis interpellat pro creditore aduerſus debitorem,vt id ſoluat: & tranſacto eo die, aut termino debitor tenetur ad intereſſe & damna,aut ad pœnam ſi fuit appoſita. ibid.n.7
Quando dies, aut terminus certus fuit ſolutioni præſcriptus, eo tranſacto, creditor agens aduerſus debitorem, habet fundatam ſuam intentionem; & ſi inſtrumentum abſque ſententia iudicis paratam habet executionem,locus non eſt purgationi moræ. ibid.n.8
Quando dies, aut terminus ſolutioni præfixus non eſt certus, tunc dies non interpellat pro creditore,ſed vt debitor conſtituatur in mora,neceſſe eſt,vt debitum ab eo exigatur, poſtquam congruum tempus aduenit. ibid.n.9
Quando aliquis errore ductus,id tanquam debitum ſoluit,quod nullo modo erat debitum neque ciuiliter, neque naturaliter, conceditur illi actio ad illud repetendum. ibid.n.10
Quando aliquis petit aliquid tanquam ſolutum à ſe & indebitum, ad eum probare ſpectat fuiſſe indebitum, quia nullus præſumitur ſoluere indebitum: limita,ſi qui ſoluit,erat minor,mulier,miles,aut ſimplex agricola. ibid.
Qui ſciens ſe non debere aliquid, illud ſoluit, præſumitur id donare,eaque de cauſa non poteſt illud poſtea repetere, quando accipiens vt donatum etiam illud accepit. ibid.n.11
Quando aliquid debetur ſub conditione pendente in futurum, quæ poſſit eſſe & non eſſe, ſi per errorem ante conditionem expletam ſoluatur, repeti poteſt tanquam ſolutum per errorem,quod adhuc erat indebitum. p.799.n.12
Si quid debeatur in diem certum,qui euenit, tunc ſi ſoluatur ante diem, non conceditur repetitio illius; ſecus ſi debeatur aliquid in diem incertam an ſit futura. ibid.
Quando aliquid ſolutum fuit vi ſententiæ, quæ in rem iudicatam tranſiuit, eſto non debitum ſit,non conceditur repetitio illius tanquam indebiti: niſi quando ſententia lata fuit falſis allegationibus,aut falſis inſtrumentis, aut teſtibus; vel quando cauſa eſt publica,ad minorem, aut ad Eccleſiam pertinet. ibid.n.13
Quando iudicium terminatum fuiſſet iuramento deciſorio delato in defectum probationum alteri contendentium, tunc eo ipſo quod poſtea perſpicuæ probationes comperirentur in contrarium,concederetur repetitio. ibid.n.14
Soluens ſcienter poſt ſententiam abſolutoriam non poteſt illud repetere,ſuppoſito quòd verè erat debitor. ibid.

Sortes

Sortium contractus eſt, quo aliqui ius habentes in aliqua re, conueniunt,vt mittantur ſortes,quibus conſtet, quibuſnam illam obtinere debeat. p.799.n.1
In huiuſmodi contractu poſſunt duo contractus aliquando interuenire. Prima eſt emptionis & venditionis. Secunda eſt contractus ſortium,qui eſt inter illos, qui incurrunt ad ſortes. ibid.
Contractus ſortium licitus eſt, ſi fraudes abſint & iniquæ

Digitized by Google

qualitates. Si tamen in ſortibus mittendis aliquid fiat, quo aliqui eorum inter quos ſortes mittuntur, minus ſint expoſiti commodo lucrandi vel periculo amittendi, eſſet iniuſtus, cum obligatio reſtituendi. ibid.n.2
Caſus quidam in quibus licitus ſit vſus ſortium. ibid.n.3
Domini rerum quæ ſortibus exponuntur, licitè lucrantur iuſtum pretium earum rerum: ſimiliter, ſi in aliquem ex iis qui contribuerunt ſors beneficiata caderet abſque alia fraude, is poteſt eam licitè lucrari. p.800.n.4
Miniſtri licitè accipiunt ſtipendium ſui laboris, modo adſint tres conditiones. Sed illud ſtipendium pro miniſtris videtur potiùs ſoluendum à contribuentibus ad ſortes, quàm à venditore rerum. ibid.

Spes Theologica.

Spei obiectum materiale primarium eſt beatitudo æterna. Secundarium verò, gratia, virtutes & alia bona opera, imò etiam & naturalia bona prout ad beatitudinem conſequendam conducunt. p.800.n.5
Probabilius eſt, formale ſpei obiectum eſſe Deum, vt ſummum bonum amabile amore concupiſcentiæ, quaſi in commodum amantis, ex quo amore naſcitur deſiderium beatitudinis, vel bonorum ſpiritualium & ipſa ſpes. ibid.
Fides, ſpes & charitas ſunt tres virtutes re diuerſæ & diſtinctæ ex re & materia obiecta, in qua verſantur; actione item & officio, quod præſtant, & obeunt, ac facultate, cui inſunt. ibid.n.2
Spes, quæ eſt virtus Theologica, non manet in Beatis. p.801. num.3
Spes in damnatis apud inferos non reperitur: nec manet in hæreticis; & per deſperationem hominis excluditur, eiicitur & tollitur. ibid.n.4
Spes manet in peccatoribus fidelibus, qui gratiam per peccatum amiſerunt, non deſperant tamen, neque præſumunt ſolis ſuis viribus veniam, aut gloriam conſequi, vel ſola Dei miſericordia abſque vllis bonis operibus. ibid.n.5
Spes permanet in iis, qui poſt obitum ignis Purgatorij pœnas ſuſtinent, donec plenè mundati in cœleſtem hæreditatem admittantur. ibid.
Certum eſt de fide dari præceptum affirmatiuum ſpei. ibid.n.6
Si alicui reuelaretur à Deo ſua damnatio, hic non poteſt, nec debet ſperare: tamen non poteſt propriè & poſitiuè deſperare de miſericordia Dei: & deberet cuitare omnia peccata, & ſingula præcepta, præterquam ſpei, ſeruare. p.802.n.7
Contra ſpei præceptum tribus modis peccatur. Primò, non ſperando, quando oportet. Secundò, deſperando. Tertiò, præſumendo. ibid.n.8
Deſperatio eſt motus quidam appetitus ſenſitiui auertentis ſe à bono propter impoſſibilitatem, aut nimiam difficultatem: vnde deſperare eſt nolle amplius conari ad obtinendam cœleſtem beatitudinem, eo quòd exiſtimetur impoſſibilis, aut certè nimis difficilis, vt non putetur obuentura. ibid.n.9
Deſperatio eſt ſemper peccatum, ſi ſpectemus legem ordinariam Dei. ibid.n.10
Deſperatio, quæ oritur ex infidelitate, eſt grauiſſimum omnium peccatorum, excepto odio Dei. ibid.n.11
Deſperatio ex genere ſuo grauis eſt peccatum, quàm quod-uis eorum, quæ opponuntur virtutibus moralibus. p.803. num.12
Deſperatio poteſt eſſe coniuncta cum hæreſi, & poteſt eſſe ſine hæreſi & infidelitate. ibid.
Deſperatio multas radices habet, ex quibus pullulat. ibidem num.14
Præſumptio, cùm refertur ad intellectum, ſignificat coniecturam, vel indicium de alicuius intentione, aut facto, ex ſignis quibuſdam exterioribus. ibid.n.15
Præſumptio cùm refertur ad voluntatem, ſignificat motum quendam appetitus rationalis, quo quis ſe extendit ad aliquid quod eſt ſupra ipſius poteſtatem. ibid.
Præſumptio ſtrictè ſumpta, eſt vitium ſpei contrarium, quo inordinatè nititur Deo, aut viribus creatis. ibid.n.16
Præſumptio hæc, vt opponitur ſpei, eſt peccatum: ſi enim nitatur propriis viribus, vt faciebant Pelagiani, grauem iniuriam infert gratiæ Chriſti: ſi nitatur ſolo Deo, excluſis bonis operibus, vt faciunt Lutherani, grauiſſimum periculum adfert. ibid.
Præſumptio Pelagiana maiorem Chriſto infert iniuriam: Lutherana autem eſt periculoſior. ibid.
Præſumptionis peccatum reperiri poteſt cum hæreſi, & ſine hæreſi: nihilominus tamen hoc peccatum vix poteſt eſſe ſine hæreſi; quod aduertere debent Confeſſarij. ibid.n.17
Præſumptio, quæ tollit fundamentum ſperandi excludit habitum ſpei: quæ autem tantùm in modo peccat, poteſt cum virtute ſpei conſiſtere. p.804.n.18

Spolium Eccleſiaſticum.

Spolium Eccleſiaſticum eſt, quidquid in bonis Eccleſiaſticæ perſonæ poſt mortem ipſius reperitur, quod ad hæredes ipſius nec ex teſtamento pertinet, nec ab inteſtato. p.804.n.1
Iuxta veteres Eccleſiæ Canones bona Clericorum poſt obitum relicta debebantur Eccleſiæ vel ſucceſſori: modo tamen tanquam debita ad fiſcum Pontificium ſpectant. ibid.n.2
Vſu receptum eſt in tota Germania, Gallia, Luſitania & Belgio, vt nulla beneficiatorum, etiam Epiſcoporum bona, tanquam ſpolia ad Cameram Apoſtolicam pertineant. ibid.
In Regno Caſtellæ ſola Epiſcoporum ſpolia, non autem aliorum beneficiorum Papæ ſoluuntur. In Italia verò, omnium beneficiorum ſpolia Cameræ Apoſtolicæ debentur. ibid.
Spolium trahit originem à verbo *Spolio*, & ſignificat id, quo quis exuitur vel priuatur violenter. ibid.
Spolio Eccleſiaſtico non ſunt ſubiecta bona patrimonialia vel quaſi patrimonialia Clericorum. ibid.n.3
Bona, quæ Clericus ex patrimonio, vel arte, vel induſtria comparata reliquit, nullo prorſus hærede relicto intra decimum gradum, iure communi acquiruntur Eccleſiæ: ſi autem Clericus nullí erat Eccleſiæ adſcriptus, ad Epiſcopum deuenient: in locis autem vbi ſpoliorum vſus inualuit, fiſcus Apoſtolicus ſuccedere poteſt. ibid.n.4
Qui beneficium tenue habet non excedens valorem congruæ ſuſtentationis debitæ beneficiario, non videtur ſpoliandus: vt ſunt habentes beneficia vel penſiones non excedentes valorem triginta ducatorum aureorum. ibid.n.5
Quod ſupereſt ex reditibus beneficij tempore mortis beneficiarij, ſpolio Eccleſiaſtico debetur, niſi beneficiarius teſtari poſſit: non computantur tamen inter ſpolia, quæ quis à beneficiario hoccepit viuente. ibid.n.6
Bona comparata & empta ex reditibus beneficij non neceſſariis ad congruam ſuſtentationem, non ſunt bona exempta ab onere ſpoliorum: ſecus, ſi hæc bona ante mortem donata fuerint. ibid.n.7
Penſionarius hoc ipſo quòd penſionarius eſt, non eſt exceptus à ſpolio. ibid.n.8
Sub ſpolium non cadunt vtenſilia domeſtica relicta poſt mortem beneficiarij, ſed pertinent ad illum, cui relicta fuerunt, vel qui ſuccedit ab inteſtato. ibid.n.9
Nomine ſpoliorum non veniunt bona quæcumque ad vſum & cultum diuinum deſtinata, vt ſunt ornamenta libri, vaſa, &c. ſed Eccleſiæ vel Monaſterio in quo habuit beneficium, debentur, etiamſi illud poſtea renunciauerit. ibid.
Bona religioſorum vndecumque vel quomodocumque fuerint acquiſita pro ſpoliis habentur & ad fiſcum Pontificis pertinent, vbi ſpoliorum vſus eſt: in aliis locis pertinent ad Monaſteria, in quibus illi primò profeſſionem emiſerunt. p.806. num.10
Spolio ſubiiciuntur acquiſita negotiatione illicita, aut alio modo per ſacros Canones prohibito, etiamſi Clericus habuerit facultatem teſtandi. ibid.n.11
Spolium debetur ante ſententiam iudicis. ibid.n.12
Cauſæ excuſantes perſonas Eccleſiaſticas ab onere ſpoliorum, ſex hic adducuntur. ibid.n.13

Sponſalia.

Illæ ſolæ perſonæ habiles ſunt ad ſponſalia, inter quas conſiſtere poteſt matrimonium, quando impedimentum eſt perpetuum, ſecus quando eſt temporale. p.807.n.1
Probabilius eſt ad valorem ſponſalium non ſufficere ſeptennium moraliter completum, vt ſi duo, vel tres dies deſiderent, ſed exigi ſeptennium mathematicè completum, vbi de malitia ætatem ſupplente non conſtaret: ſufficeret tamen ſi vltima ſeptennij dies ſit incepta. ibid.n.2.
Quando rationis vſus via ordinariâ vel per miraculum accelleratur, iuxta communiorem ſententiam, ad valorem ſponſalium, requiritur cum vſu rationis ætas ſeptennio proximæ quamuis ſit probabile eſſe in hoc caſu valida iure naturæ & in foro conſcientiæ; forum tamen externum iudicabit inualida, niſi diſtantia ſit parua. ibid.n.3
Sponſalia incerta non ſunt propriè & perfectè ſponſalia: tamen redduntur certa & perfecta, quando promiſſor poſtea determinat perſonam, vel poſtea cum vna earum habet copulam. p.808.n.4
Quando pater promiſit Caio cum iuramento tradere vnam ex filiabus, quas habet, non tenetur aliquam tradere, ſi Caius interim cognoſcat vnam earum. ibid.n.5.
Si Caius reſpuat vnam illarum à patre electam, pater non tenetur ad tradendum aliam, etiamſi Caius nullam earum carnaliter cognouerit. ibid.
Si quis promittat vnam ex pluribus conſentientibus ducere, poteſt eligere quam maluerit, & electa tenebitur. ibidem.
Non licet ſponſis, neque parentibus, conſanguineis, vel amicis ſtrictiſſimis eorum apponere pœnam in ſponſalibus etiam iniuſtè reſilienti, aut recedenti à ſponſalibus, & ſi apponatur, erit ipſo facto nulla: ſecus ſi apponatur inter omnimò extraneos ipſis ſponſis, tunc enim valida eſt pœna. ibidem, num.6.

Digitized by Google

Sponſortari amici, vel eorum parentes, aut propinqui poſſunt pœnam apponere, qua ſe obligent ad curandum, vt matrimonium celebretur. ibid.

Inter contrahentes ſponſalia poteſt conueniri, vt qui iniuſtè reſilierit, ſoluat alteri damnum, quod ei emerſerit, ex eo quòd facta ſint ſponſalia, & ipſe ab eis recedat: lucrum autem diuitiarum ex matrimonio ſequendum non poteſt accipere. p. 809.n.7

Probabilius eſt, pœnam contractui ſponſalium adiectam non firmari iuramento, & id iuramentum non obligare. ibid.n.8

Probabiliter item ſententia aſſerit ſponſalia inter impeditos impedimento dirimenti, cum conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, eſſe valida; modo tale ſit impedimentum, quod in eo ſoleat Pontifex diſpenſare, & vt etiam adſit iuſta cauſa diſpenſandi. ibid.n.9

Sponſalia metu viri conſtantis inita, ſunt ipſo iure nulla: an autem ſint valida, ſi iuramentum accedat, vel ſaltem iuramentum ſit obſeruandum, donec relaxetur? Quidam affirmant, alij negant probabiliter. p.810.n.10

Sponſalia diſſolui poſſunt ex parte alterius ob notabilem ſæuitiam aduenientem, aut cognitam poſt ſponſalia. ibid.n.11

Qui tempore celebrationis ſponſaliorum ignorabat hoc vitium, ſed ita erat animo affectus, vt ſi vitium cognouiſſet, nihilominus ſponſalia contraxiſſet, non poteſt reſilire. ibid.

Alter ſponſus poteſt licitè & ſine peccato contrahere matrimonium, quando aliquo occulto vitio laborat, cuius ſi alter conſcius eſſet, poſſet licitè à ſponſalibus promiſſis reſilire, modo defectus alterius ſponſi reddant nuptias minus appetibiles. Secus autem ſi defectus tales ſint, qui reddant matrimonium perniciosum. ibid.n.12

Dum defectus non eſt perniciosus & nondum deuenit in notitiam alterius ſponſi, poteſt ignarum illius defectus renuentem compellere, vt adimpleat ſponſalia promiſſa: ſecus ſi defectus ſint pernicioſi. ibid.

Quoties poſt ſponſalia inita inſurgit quæcumque noua cauſa, siue notabilis mutatio alterius ſponſi, ſiue in bonis, ſiue in moribus, &c. ſiue quæcumque alia inconuenientia, quæ ſi ab initio fuiſſent præuiſa retraxiſſent animum illius ſponſi, à promittendo, poteſt hic à ſponſalibus reſilire etiam iuramento firmatis. p.811.n.13

Omnes cauſæ ſufficientes ad diſſoluenda ſponſalia, quæ poſtea ſuperueniunt, ſunt etiam ſufficientes ad ea diſſoluenda pariter, ſi præcedebant, & ignorabantur, tamen poſtea ante matrimonium contractum deteguntur. ibid.n.14

Non poteſt ſponſa diſſoluere ſponſalia propter fornicationem ſponſi præcedentem ignoratam: propter autem fornicationem ſponſæ conceditur ius ſponſo dirimendi ſponſalia. ibid.n.15

Quando vterque ſponſus poſt ſponſalia fornicatur, ſponſus poteſt reſilire à ſponſalibus, non autem ſponſa: quamuis quidam velint in hoc caſu vtriuſque ſponſi delicta compenſari. ibid.n.16

Vir poteſt à ſponſalibus recedere, quando ſponſa ab altero viro per vim cognita fuit; imò ſi poſt femina tactus impudicos alterius patiatur. Secus dicendum, ſi vir omninò inuitus & culpæ expers fornicationem pateretur, vel tactus impudicos cum alia haberet. ibid.n.17

Sponſus conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſolutionem ſponſalium, amittit ius reſiliendi, ſi copulam habeat cum ſponſa, ſi ſponſalia fuerint valida, & animum habuit implendi ſponſalia per eam copulam. p.812.n.18

Si acceſſit ad ſponſam non eo animo, an cenſeatur verè remittere ius reſiliendi? Negant quidam, alij affirmant. ibid.

Quando ſponſalia fuerunt inualida, non tenetur ſponſus ſtare ſponſalibus, & ex vi ſponſaliorum contrahere matrimonium cum ea, quam carnaliter cognouit, niſi ſponſus tunc habuerit animum permanendi in prioribus ſponſalibus ſciens eſſe irrita. ibid.

Ponſalia puberum ex mutuo contrahentium conſenſu diſſoluuntur, modo remiſſio ſpontè fiat, non coactè, aliàs nulla erit. ibid.n.19

Quando ſponſalibus iuramentum adiectum eſt in partis fauorem, mutuo conſenſu poſſunt diſſolui: ſed ſi principaliter in honorem Dei factum eſt, ſecundùm quoſdam, pars non poteſt remittere: ſed probabilius eſt mutuo conſenſu diſſolui poſſe. ibid.

Ad diſſoluendum ſponſalia ob aliquod impedimentum impediens matrimonium cum quo contrahere eſt peccatum, ſufficit vnus teſtis fide dignus, modo in eo concurrant quædam qualitates hic expreſſæ. ibid.n.20

Quando allegatur alia cauſa, quâ exiſtente nullum eſſet peccatum contrahere, vt ſi allegetur fornicatio ſponſæ, non ſatis eſt vnius teſtimonium, ſed publicis. ibid.

Ad diſſoluenda ſponſalia etiam iurata, ſufficit ſola fama impedimenti, non tamen rumor. p.813.n.21

Quando vterque ſponſus fatetur impedimentum, ſatis eſt vt diſſolui poſſint ſponſalia. Si alter tantum, & eſt ille, qui matrimonium celebrari optat, ſatis eſt etiam. Denique ſi facens impedimentum ſit ille, qui matrimonium recuſat, non ſtatur eius confeſſioni. ibid.

Sponſalitia largitas.

Sponſalitia largitas eſt, quæ fit inter ſponſos de futuro ob matrimonij ineundi ſpem, eiuſque cauſam, v. Donatio inter coniuges. p.246.n.1

Status.

Status religioſus eo ipſo quod per Eccleſiam approbatur & inſtituitur, eſt ſtatus ſacer & Eccleſiaſticus, & eius perſonæ ſunt ſub ſpeciali dominio Dei, v. Regulares. p.709.n.1

Ex vi ſui ſtatus religioſi ſicut & reliquæ Eccleſiaſticæ perſonæ à ciuili & laica poteſtate exempti ſunt, & quidem inter diuino in Eccleſiaſticis cauſis. ibid.

Quando debitor iuſtè ſtatum acquiſiuit, nec reſtituere poteſt ſine graui & notabili iactura ſui ſtatus, poteſt reſtitutionem differre, dummodo creditor ſimilem iacturam ſtatus ex dilatione non patiatur: tenetur tamen citra notam paupertatis ſtatum mutare, vt reſtituere paulatim poſſit, v. Reſtitutio. p.747. n.36. vbi plura n.37. & 38.

Statutum.

Statuta condere poſſunt Epiſcopi, Legati, quæ perpetuò durent, etiam finita legatione Legatorum, ad mores componendos, & vitia corrigenda, verb. Legatus. p.481.n.9

Statutum condere poteſt Legatus contra ſtatuta aliorum Legatorum, non tamen contra ius commune ex toto, vel ex parte; nec contra conſuetudinem Prouinciæ, nec contra priuilegia eidem à Summo Pontifice conceſſa, niſi peculiariter eſſet ei conceſſum. ibid.

Statuta perpetua quæ habeant vim legis non poſſunt condere Abbates & alij Prælati inferiores. Sed hæc facultas eſt penes Generales cum conſenſu maioris partis Capituli, v. Abbas. p.4.n.11

Statuta condere contra ius commune nullus poteſt Prælatus Romano Pontifice inferior, abſque ſpeciali eius auctoritate. ibid.n.12

Poſſunt ſtatuta condere Abbates & Prælati ſæculares exempti habentes iuriſdictionem Epiſcopalem. Imò & Abbates regulares habentes territorium & ſubditos ſæculares, in quos iuriſdictionem Epiſcopalem exercent. ibid.n.13

Statutum Laicorum annullans contractum, iuramentum non annullat, v. Contractus. p.195.n.17

Statutum inter regulares, ſi adſit, de non recuſando iudice Ordinario, intelligi debet de recuſatione ex cauſa friuola, non autem ex cauſa iuſta & graui, v. Viſitatio. p.854.n.16

Statutum omninò tollens recuſationem iudicis ex quacumque cauſa non eſt validum, ſed iniuſtum & contra iuſtitiam, bonum publicum & legem naturalem. ibid.

Stillicidium.

Stillicidium dicitur, cùm ex tecto aqua ſtillatim vel guttatim decidit. Seruitus vero ſtillicidium non auertendi eſt ius, quo vicino non licet facere, quin ſtillicidium ſuum in domum vel aream vicini deſluat, quo is forte opus habet ad ciſternam ſuam replendam vel hortum, aut viridarium ſuum irrigandum, v. Seruitus. p.780.n.21

Stipendium.

Iuſtum ſtipendium recipiens religioſus pro prædicationibus, confeſſionibus, aut miſſis, &c. contra ſuas conſtitutiones id vetantes, ſecundùm probabiliorem ſententiam, eſt proprietarius, & poſitâ quantitate notabili, peccat mortaliter, v. Paupertas. p.637.n.15

An religioſus hic accipiens ſtipendium pro Miſſis dicendis, teneatur reſtituere? Dicendum eſt non teneri, ſed poſſe expendere in proprios vſus, ſi licentiam Superioris habeat ad aliquat ſic expendenda; ſi licentia careat, tenetur tradere Superiori, ſicut alia per ipſum acquiſita. ibid.

Stipulatio.

Stipulatio eſt contractus, qui verbis perficitur, præcedente interrogatione vnius, quâ ab altero petit, an promittat vel adſtringat ſe ad dandum aliquid, vel faciendum, & ſubſecutâ reſponſione, ac ſponſione alterius, qua promittat id ſe factorum, aut concedat. p.813.n.1

Stipulans dicitur ille, qui interrogat, ac petit promitti ſibi ab alio: ille verò à quo ſtipulatur, promiſſor nuncupatur. ibid.

Stipulatio facta inter homines diuerſarum linguarum valida eſt, etiamſi interrogatio fiat in vno idiomate & promiſſio in alio, modo ſe inuicem intelligant ſaltem per interpretem. ibid.n.2

Inter abſentes, hoc eſt, inter; adeò diſtantes, vt vnus ſignificationem vocis alterius percipere nequeat, non poteſt perfici ſtipulatio. ibid.

Vt valida ſit ſtipulatio neceſſe eſt, vt non ſolùm ſtipulans & promittens præſentes ſint, ſed etiam vt reſponſio continuò poſt interrogationem ſequatur, ante quam promittens ad alia diuertat; aliàs inualida erit ſtipulatio. ibid.n.3

Stipulatio inducta eſt, vt eâ firmentur contractus innominati, & ſic valeant, ampliuſque pœnitentiæ locus non ſit. ibid.

Digitized by Google

qualitates. Si tamen in ſortibus mittendis aliquid fiat, quo aliqui eorum inter quos ſortes mittuntur, minus ſint expoſiti commodo lucrandi vel periculo amittendi, eſſet iniuſtus, cum obligatio ſe reſtituendi. ibid.n.2
Caſus quidam in quibus licitus ſit vſus ſortium. ibid.n.3
Domini rerum quæ ſortibus exponuntur, licitè lucrantur iuſtum pretium earum rerum: ſimiliter, ſi in aliquem ex iis qui contribuerunt ſors beneficiata caderet abſque alia fraude, is poteſt eam licitè lucrari. p.800.n.4
Miniſtri licitè accipiunt ſtipendium, modo adſint tres conditiones. Sed illud ſtipendium pro miniſtris videtur potiùs ſoluendum à contribuentibus ad ſortes, quàm à venditore rerum. ibid.

Spes Theologica.

Spei obiectum materiale primarium eſt beatitudo æterna. Secundarium verò, gratia, virtutes & alia bona opera, imò etiam & naturalia bona prout ad beatitudinem conſequendam conducunt. p.800.n.5
Probabilius eſt, formale ſpei obiectum eſſe Deum, vt ſummum bonum amabile amore concupiſcentiæ, quaſi in commodum amantis, ex quo amore naſcitur deſiderium beatitudinis, vel bonorum ſpiritualium & ipſa ſpes. ibid.
Fides, ſpes & charitas ſunt tres virtutes re diuerſæ & diſtinctæ ex re & materia obiecta, in qua verſantur; actione item & officio, quod præſtant, & obeunt, ac facultate, cui inſunt. ibid.n.2
Spes, quæ eſt virtus Theologica, non manet in Beatis. p.801. num.3
Spes in damnatis apud inferos non reperitur: nec manet in hæreticis; & per deſperationem hominis excluditur, eiicitur & tollitur. ibid.n.4
Spes manet in peccatoribus fidelibus, qui gratiam per peccatum amiſerunt, non deſperant tamen, neque præſumunt ſolis ſuis viribus veniam, aut gloriam conſequi, vel ſola Dei miſericordia abſque vllis bonis operibus. ibid.n.5
Spes permanet in iis, qui poſt obitum ignis Purgatorij pœnas ſuſtinent, donec plenè mundati in cœleſtem hæreditatem admittantur. ibid.
Certum eſt de fide dari præceptum affirmatiuum ſpei. ibid.n.6
Si alicui reuelaretur à Deo ſua damnatio, hic non poteſt, nec debet ſperare: tamen non poteſt propriè & poſitiuè deſperare de miſericordia Dei: & deberet cuitare omnia peccata, & ſingula præcepta, præterquam ſpei, ſeruare. p.802.n.7
Contra ſpei præceptum tribus modis peccatur. Primò, non ſperando, quando oportet. Secundò, deſperando. Tertiò, præſumendo. ibid.n.8
Deſperatio eſt motus quidam appetitus ſenſitiui auertentis ſe à bono propter impoſſibilitatem, aut nimiam difficultatem: vnde deſperare eſt nolle amplius conari ad obtinendam cœleſtem beatitudinem, eo quòd exiſtimetur impoſſibilis, aut certè nimis difficilis, vt non putetur obuentura. ibid.n.9
Deſperatio eſt ſemper peccatum, ſi ſpectemus legem ordinariam Dei. ibid.n.10
Deſperatio, quæ oritur ex infidelitate, eſt grauiſſimum omnium peccatorum, excepto odio Dei. ibid.n.11
Deſperatio ex genere ſuo grauius eſt peccatum, quàm quouis eorum, quæ opponuntur virtutibus moralibus. p.803. num.12
Deſperatio poteſt eſſe coniuncta cum hæreſi, & poteſt eſſe ſine hæreſi & infidelitate. ibid.
Deſperatio multas radices habet, ex quibus pullulat. ibidem num.14
Præſumptio, cùm refertur ad intellectum, ſignificat coniecturam, vel indicium de alicuius intentione, aut facto, ex ſignis quibuſdam exterioribus. ibid.n.15
Præſumptio cùm refertur ad voluntatem, ſignificat motum quendam appetitus rationalis, quo quis ſe extendit ad aliquid quod eſt ſupra ipſius poteſtatem. ibid.
Præſumptio ſtrictè ſumpta, eſt vitium ſpei contrarium, quo inordinatè nititur Deo, aut viribus creatis. ibid.n.16
Præſumptio hæc, vt opponitur ſpei, eſt peccatum: ſi enim nitatur propriis viribus, vt faciebant Pelagiani, grauem iniuriam infert gratiæ Chriſti: ſi nitatur ſolo Deo, excluſis bonis operibus, vt faciunt Lutherani, grauiſſimum periculum adfert. ibid.
Præſumptio Pelagiana maiorem Chriſto infert iniuriam: Lutherana autem eſt periculoſior. ibid.
Præſumptionis peccatum reperiri poteſt cum hæreſi, & ſine hæreſi: nihilominus tamen hoc peccatum vix poteſt eſſe ſine hæreſi; quod aduertere debent Confeſſarij. ibid.n.17
Præſumptio, quæ tollit fundamentum ſperandi excludit habitum ſpei: quæ autem tantùm in modo peccat, poteſt cum virtute ſpei conſiſtere. p.804.n.18

Spolium Eccleſiaſticum.

Spolium Eccleſiaſticum eſt, quidquid in bonis Eccleſiaſticæ perſonæ poſt mortem ipſius reperitur, quod ad hæredes ipſius nec ex teſtamento pertinet, nec ab inteſtato. p.804.n.1
Iuxta veteres Eccleſiæ Canones bona Clericorum poſt obitum relicta debebantur Eccleſiæ vel ſucceſſori: modo tamen tanquam debita ad fiſcum Pontificium ſpectant. ibid.n.2
Vſu receptum eſt in tota Germania, Gallia, Luſitania & Belgio, vt nulla beneficiatorum, etiam Epiſcoporum bona, tanquam ſpolia ad Cameram Apoſtolicam pertineant. ibid.
In Regno Caſtellæ ſola Epiſcoporum ſpolia, non autem aliorum beneficiorum Papæ ſoluuntur. In Italia verò, omnium beneficiorum ſpolia Cameræ Apoſtolicæ debentur. ibid.
Spolium trahit originem à verbo *Spolio*, & ſignificat id, quo quis exuitur vel priuatur violenter. ibid.
Spolio Eccleſiaſtico non ſunt ſubiecta bona patrimonialia vel quaſi patrimonialia Clericorum. ibid.n.3
Bona, quæ Clericus ex patrimonio, vel arte, vel induſtria comparata reliquit, nullo prorſus hærede relicto intra decimum gradum, iure communi acquiruntur Eccleſiæ: ſi autem Clericus nulli erat Eccleſiæ adſcriptus, ad Epiſcopum deuenient: in locis autem vbi ſpoliorum vſus inualuit, fiſcus Apoſtolicus ſuccedere poteſt. ibid.n.4
Qui beneficium tenue habet non excedens valorem congruæ ſuſtentationis debitæ beneficiario, non videtur ſpoliandus; vt ſunt habentes beneficia vel penſiones non excedentes valorem triginta ducatorum aurorum. ibid.n.5
Quod ſupereſt ex reditibus beneficij tempore mortis beneficiarij, ſpolio Eccleſiaſtico debetur, niſi beneficiarius teſtari poſſit: non computantur tamen inter ſpolia, quæ quis à beneficiario recepit viuente. ibid.n.6
Bona comparata & empta ex reditibus beneficij non neceſſariis ad congruam ſuſtentationem, non ſunt bona exempta ab onere ſpoliorum: ſecus, ſi hæc bona ante mortem donata fuerint. ibid.n.7
Penſionarius hoc ipſo quòd penſionarius eſt, non eſt exceptus à ſpolio. ibid.n.8
Sub ſpolium non cadunt vtenſilia domeſtica relicta poſt mortem beneficiarij, ſed pertinent ad illum, cui relicta fuerunt, vel qui ſuccedit ab inteſtato. ibid.n.9
Nomine ſpoliorum non veniunt bona quæcumque ad vſum & cultum diuinum deſtinata, vt ſunt ornamenta libri, vaſa, &c. ſed Eccleſiæ vel Monaſterio in quo habuit beneficium, debentur, etiamſi illud poſtea renunciauerit. ibid.
Bona religioſorum vndecumque vel quomodocumque fuerint acquiſita pro ſpoliis habentur & ad fiſcum Pontificis pertinent, vbi ſpoliorum vſus eſt: in aliis locis pertinent ad Monaſteria, in quibus illi primò profeſſionem emiſerunt. p.806. num.10
Spolio ſubiiciuntur acquiſita negotiatione illicita, aut alio modo per ſacros Canones prohibito, etiamſi Clericus habuerit facultatem teſtandi. ibid.n.11
Spolium debetur ante ſententiam iudicis. ibid.n.12
Cauſæ excuſantes perſonas Eccleſiaſticas ab onere ſpoliorum, ſex hic adducuntur. ibid.n.13

Sponſalia.

Illæ ſolæ perſonæ habiles ſunt ad ſponſalia, inter quas conſiſtere poteſt matrimonium, quando impedimentum eſt perpetuum, ſecus quando eſt temporale. p.807.n.1
Probabilius eſt ad valorem ſponſalium non ſufficere ſeptennium moraliter completum, vt ſi duo, vel tres dies deficerent, ſed exigi ſeptennium mathematicè completum, vbi de malitia ætatem ſupplente non conſtaret: ſufficeret tamen ſi vltima ſeptennij dies ſit incepta. ibid.n.2.
Quando rationis vſus vià ordinariâ vel per miraculum accelleratur, iuxta communiorem ſententiam, ad valorem ſponſalium, requiritur cum vſu rationis ætas ſeptennio proxima: quamuis ſit probabile eſſe in hoc caſu valida iure naturæ & in foro conſcientiæ; forum tamen externum iudicabit inualida, niſi diſtantia ſit parua. ibid.n.3
Sponſalia incerta non ſunt propriè & perfectè ſponſalia: tamen reddunturcerta & perfecta, quando promiſſor poſtea determinat perſonam, vel poſtea cum vna earum habet copulam. p.808.n.4
Quando pater promiſit Caio cum iuramento tradere vnam ex filiabus, quas habet, non tenetur aliquam tradere, ſi Caius interim cognoſcat vnam earum. ibid.n.5
Si Caius reſpuat vnam illarum à patre electam, pater non tenetur ad tradendum aliam, etiamſi Caius nullam earum carnaliter cognouerit. ibid.
Si quis promittat vnam ex pluribus conſentientibus ducere, poteſt eligere quam maluerit, & electa tenebitur. ibidem.
Non licet ſponſis, neque parentibus, conſanguineis, vel amicis ſtrictiſſimis eorum apponere pœnam in ſponſalibus etiam iniuſtè reſilienti, aut recedenti à ſponſalibus, & ſi apponatur, erit ipſo facto nulla: ſecus ſi apponatur inter omninò extraneos ipſis ſponſis, tunc enim valida eſt pœna. ibidem, num.6.

Sponſo

Sponſorum amici,vel eorum parentes, aut propinqui poſſunt ponam apponere,quâ ſe obligent ad curandum, vt matrimonium celebretur. ibid.

Inter contrahentes ſponſalia poteſt conuenire, vt qui iniuſtè reſilierit,ſoluat alteri damnum,quod ei emerſerit,ex eo quòd facta ſint ſponſalia, & ipſe ab eis recedat : lucrum autem diuitiarum ex matrimonio ſequendum non poteſt accipere. p. 809.n.7

Probabilius eſt, ponam contractui ſponſalium adiectam non ſimari iuramento, & id iuramentum non obligare. ibid.n.8.

Probabili vt item ſententia aſſerit ſponſalia inter impeditos impedimento dirimenti,cum conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, eſſe valida ; modo tale ſit impedimentum, quod in eo ſoleat Pontifex diſpenſare,& vt etiam adſit iuſta cauſa diſpenſandi. ibid.n.9

Sponſalia mera viri conſtantis inita, ſunt ipſo iure nulla:an autem ſint valida, ſi iura.mentum accedat, vel ſaltem iuramentum ſit obſeruandum, donec relaxetur ? Quidam affirmant, alij negant probabiliter. p.810.n.10

Sponſalia diſſoluì poſſunt ex parte alterius ob notabilem ſæuitiam aduenientem,aut cognitam poſt ſponſalia. ibid.n.11

Qui tempore celebrationis ſponſaliorum ignorabat hoc vitium, ſed ita erat animo affectus, vt ſi vitium cognouiſſet, nihilominus ſponſalia contraxiſſet,non poteſt reſilire. ibid.

Alter ſponſus poteſt licitè & ſine peccato contrahere matrimonium,quando aliquo occulto vitio laborat,cuius ſi alter conſcius eſſet,poſſet licitè à ſponſalibus promiſſis reſilire, modo defectus alterius ſponſi reddant nuptias minus appetibiles. Secus autem ſi defectus tales ſint,qui reddant matrimonium pernicioſum. ibid.n.12

Dum defectus non eſt pernicioſus & nondum deuenit in notitiam alterius ſponſi, poteſt ignarum illius defectus tenentem compellere,vt adimpleat ſponſalia promiſſa: ſecus ſi defectus ſint pernicioſi. ibid.

Quoties poſt ſponſalia inita infurgit quæcumque noua cauſa, ſiue notabilis mutatio alterius ſponſi ; ſiue in bonis,ſiue in moribus, &c. ſiue quæcumque alia inconuenientia,quæ ſi ab initio fuiſſent præuiſa retraxiſſent animum illius ſponſi, à promittendo,poteſt hic à ſponſalibus reſilire etiam iuramento firmatis. p.811.n.13

Omnes cauſæ ſufficientes ad diſſoluenda ſponſalia, quæ poſtea ſuperueniunt, ſunt etiam ſufficientes ad ea diſſoluenda pariter, ſi præcedebant,& ignorabantur, tamen poſtea ante matrimonium contractum deteguntur. ibid.n.14

Non poteſt ſponſa diſſoluere ſponſalia propter fornicationem ſponſi præcedentem ignoratam:propter autem fornicationem ſponſæ conceditur ius ſponſo diriminndi ſponſalia. ibid.n.15

Quando vterque ſponſus poſt ſponſalia fornicatur, ſponſus poteſt reſilire à ſponſalibus, non autem ſponſa : quamuis quidam velint in hoc caſu vtriuſque ſponſi delicta compenſari. ibid.n.16

Vir poteſt à ſponſalibus recedere,quando ſponſa ab altero viro per vim cognita fuit ; imò ſi poſt formina tactus impudicos alterius paciatur. Secus dicendum, ſi vir omninò inuitus & culpæ expers fornicationem pateretur, vel tactus impudicos eum alia haberet. ibidn.17

Sponſus conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſolutionem ſponſalium,amittit ius reſiliendi,ſi copulam habeat cum ſponſa, ſi ſponſalia fuerint valida, & animum habuit implendi ſponſalia per eam copulam. p.812.n.18

Si acceſſit ad ſponſam non eo animo,an cenſeatur vere remittere ius reſiliendi ? Negant quidam,alij affirmant. ibid.

Quando ſponſalia fuerunt inualida , non tenetur ſponſus ſtare ſponſalibus ; & ex vi ſponſaliorum contrahere matrimonium cum ea,quam carnaliter cognouit, niſi ſponſus tunc habuerit animum permanendi in prioribus ſponſalibus ſciens eſſe irrita. ibid.

Sponſalia puberum ex mutuo contrahentium conſenſu diſſoluuntur,modo remiſſio ſponte fiat,non coactè,aliàs nulla erit. ibid.n.19

Quando ſponſalibus iuramentum adiectum eſt in partis fauorem,mutuo conſenſu poſſunt diſſolui : ſed ſi principaliter in honorem Dei factum eſt,ſecundùm quoſdam,pars non poteſt remittere. ſed probabilius eſt mutuo conſenſu diſſolui poſſe. ibid.

Ad diſſoluendum ſponſalia ob aliquod impedimentum impediens matrimonium cum quo contrahere eſt peccatum, ſufficit vnus teſtis fide dignus, modo in eo concurrant quædam qualitates hic expreſſæ. ibid.n.20

Quando allegatur alia cauſa, quâ exiſtente nullum eſſet peccatum contrahere, vt ſi allegetur fornicatio ſponſæ, non ſatis eſt vnius teſtimonium,ſed publicis. ibid.

Ad diſſoluenda ſponſalia etiam iurata,ſufficit ſola fama impedimenti,non tamen rumor. p.813.n.21

Quando vterque ſponſus fatetur impedimentum, ſatis eſt vt diſſolui poſſint ſponſalia.Si alter tantum, & eſt ille,qui matrimonium celebrari optat,ſatis eſt etiam. Denique ſi fatens impedimentum ſit ille,qui matrimonium recuſat, non ſtatur eius confeſſioni. ibid.

Sponſalitia largitas.

Sponſalitia largitas eſt, quæ ſit inter ſponſos de futuro ob matrimonij ineundi ſpem,cuiuſque cauſam,v. Donatio inter coniuges. p.246.n.1

Status.

Status religioſus eo ipſo quod per Eccleſiam approbatur & inſtituitur,eſt ſtatus ſacer & Eccleſiaſticus,& eius perſonæ ſunt ſub ſpeciali dominio Dei,v. Regulares. p.709.n.11

Ex vi ſui ſtatus religioſi ſicut & reliquæ Eccleſiaſticæ perſonæ à ciuili & laica poteſtate exempti ſunt, & quidem iure diuino in Eccleſiaſticis cauſis. ibid.

Quando debitor iuſtè ſtatum acquiſiuit , nec reſtituere poteſt ſine graui & notabili iactura ſui ſtatus , poteſt reſtitutionem differre, dummodo creditor ſimilem iacturam ſtatus ex dilatione non patiatur : tenetur tamen citra notam paupertatis ſtatum minuere, vt reſtituere paulatim poſſit, v. Reſtitutio p.747. n.36. vbi plura n.37. & 38.

Statutum.

Statuta condere poſſunt Epiſcopi, Legati,quæ perpetuò durent, etiam finita legatione Legatorum,ad mores componendos,& vitia corrigenda,verb.Legatus. p.481.n.9

Statutum condere poteſt Legatus contra ſtatuta aliorum Legatorum,non tamen contra ius commune ex toto, vel ex parte; nec contra conſuetudinem Prouinciæ, nec contra priuilegia eidem à Summo Pontifice conceſſa , niſi peculiariter eſſet ei conceſſum. ibid.

Statuta perpetua quæ habeant vim legis non poſſunt condere Abbates & alij Prælati inferiores. Sed hæc facultas eſt penes Generales cum conſenſu maioris partis Capituli , v.Abbas p.4.n.11

Statura condere contra ius commune nullus poteſt Prælatus Romano Pontifice inferior ; abſque ſpeciali eius auctoritate. ibid.n.12

Poſſunt ſtatuta condere Abbates & Prælati ſæculares exempti habentes iuriſdictionem Epiſcopalem. Imò & Abbates regulares habentes territorium & ſubditos ſæculares, in quos iuriſdictionem Epiſcopalem exercent. ibid.n.13

Statutum laicorum annullans contractum,iuramentum non annullat,v.Contractus. p.1395.n.17

Statutum inter regulares,ſi adſit, de non recuſando iudice Ordinario, intelligi debet de recuſatione ex cauſa friuola , non autem ex cauſa iuſta & graui,v. Viſitatio. p.854.n.16

Statutum omninò tollens recuſationem iudicis ex quacumque cauſa non eſt validum,ſed iniuſtum & contra iuſtitiam , bonum publicum & legem naturalem. ibid.

Stillicidium.

Stillicidium dicitur, cùm ex tecto aqua ſtillatim vel gurtatim decidit.Seruitus vero ſtillicidium non auertendi eſt ius, quo vicino non licet facere,quin ſtillicidium ſuum in domum vel aream vicini deſuat , quo is forte opus habet ad ciſternam ſuam replendam vel horum , aut viridarium ſuum irrigandum,v. Seruitus. p.780.n.2.

Stipendium

Iuſtum ſtipendum recipiens religioſus pro prædicationibus, confeſſionibus, aut miſſis, &c. contra ſuas conſtitutiones id vetantes,ſecundùm probabiliorem ſententiam, eſt proprietarius,& poſitâ quantitate notabili, peccat mortaliter, v. Paupertas. p.537.n.15

An religioſus hic accipiens ſtipendium pro Miſſis dicendis , teneatur reſtituere ? Dicendum eſt non teneri,ſed poſſe expendere in proprios vſus,ſi licentiam Superioris habeat ad aliqua ſic expendenda;ſi licentiâ careat, tenetur tradere Superiori, ſicut alia per ipſum acquiſita. ibid.

Stipulatio.

Stipulatio eſt contractus,qui verbis perficitur,præcedente interrogatione vnius,quâ ab altero petit,an promittat vel adſtringat ſe ad dandum aliquid,vel faciendum,& ſubſecutâ reſponſione,ac ſponſione alterius,quâ promittat id ſe facturum, aut concedat. p.813.n.1

Stipulans dicitur ille, qui interrogat , ac petit promitti ſibi ab alio:ille verò à quo ſtipulatur,promiſſor nuncupatur. ibid.

Stipulatio facta inter homines diuerſarum linguarum valida eſt , etiamſi interrogatio fiat in vno idiomate & promiſſio in alio , modo ſe inuicem intelligant ſaltem per interpretem. ibid.n.2

Inter abſentes,hoc eſt, inter adeò diſtantes, vt vnus ſignificationem vocis alterius percipere nequeat , non poteſt perfici ſtipulatio. ibid.

Vt valida ſit ſtipulatio neceſſe eſt , vt non ſolùm ſtipulans & promittens præſentes ſint,ſed etiam vt reſponſio continuò poſt interrogationem ſequatur, ante quam promittens ad alia diuertat; aliàs inualida erit ſtipulatio. ibid.n.3

Stipulatio inducta eſt,vt eâ firmentur contractus innominati,& ſic valeant,ampliſque penitentiæ locus non ſit. ibid.

Omnis ſtipulatio fieri poteſt, aut ſimpliciter & putè, aut ſub conditione, aut in diem certum. p.814.n.4

Studia.

Ad quæuis ſtudia accedentes regulares profeſſi abſque licentia ſui Prælati, & conuilio Conuentus vel maioris partis, excommunicationem iuris incurrunt, v. Regulares. p.712.n.11.

Accelſus ad ſtudia ſub excommunicatione prohibitus ille eſt, quo regularis cauſa ſtudiorum proficiſcitur extra oppidum ſui Monaſterij: ex quo fit, quod ſi regularis accedat ad ſtudia ſui oppidi, vel ad Monaſterium ſuæ religionis in alio oppido exiſtens, vbi intra Clauſtrum ſunt ſtudia, non afficitur hac cenſura. ibid. vbi plura. p.713.n.12.13.& 14.

Stuprum.

Stuprator virginis duplex ei damnum infert, naturale, nempe, violationem Clauſtri virginalis, & pecuniarium, quod eſt damnum quod patitur in ordine ad matrimonium, quia violata maiorem requirit dotem, vt æquè ac antea nubat. pag. 814.n.1

Stuprator ſolùm tenetur pro damno temporali, ſeu pecuniario in ordine ad matrimonium, non autem pro damno violationis Clauſtri virginalis, quod non eſt pretio æſtimabile. ibid.

Quando puella eſt genere nobilior, & non vult corruptorem ſibi matrimonio copulare, non tenetur corruptor ei aliter damnum reſarcire, ſi matrimonium promiſit: licet alij contrarium doceant. ibid.n.2

Quando puella vi defloratà fuit & ſtuperatorem non vult in conjugem admittere, aut parentes nolunt eam illi tradere, vel ſi ſtuprator fingebat ſe nobilem & diuitem, vt eam deciperet, tenetur ſtuprator ad honeſtam dotem puellæ tradendam, & proinde ipſa iuſtam compenſationem exigere poteſt. pag. 815. num.3

Stuprator per vim & metum, ac fraudem excuſatur à reſtitutione. Primò, ſi ſtuprata liberè eam remittat. Secundò, ſi æquè ac bene nupſit, ac ſi non eſſet violata. ibid.n.4

Violator, qui cognouit fœminam per vim vel fraudem, quæ aliàs quidem cognita fuerat ab alio, ſed publicè habebatur virgo, tenetur ad aliquam reſtitutionem arbitrio prudentis ratione damni & infamiæ. ibid.

Si fœmina concepit ex copula illa violenta & fraudulenta, tenetur vir ex iuſtitia alere fœtum & ſoluere fœminæ omnes expenſas quas facit & damna, quæ paſſa eſt, & quæ ſecuta ſunt ratione conceptionis & partus. ibid.

Qui vi, aut fraude habuit copulam cum corrupta, quæ virgo in populo habebatur: non tenetur in foro conſcientiæ ſub peccato eam ducere, etſi fictè matrimonium promiſerit, neque ei aliquid reſtituere, ſi occultè id fecit: ſi res autem venit in publicum, obligatur hic ad reſtitutionem arbitrio prudentis viri. ibid.n.5

Quando fœmina conſenſit in copulam & ſuâ culpâ famam amiſit ſine culpa ſtuperatoris, in rigore non videtur obligatus ad aliquid reſtituendum. Secus eſſet, ſi culpa viri ipſa patitur infamiam. ibid.

Qui puellam non defloruit, ſed accedendo ad locum vbi illa eſſet, in cauſa eſt vt illa infametur, vel vt aliud damnum in bonis fortunæ illi ſequatur, ſi puella liberè conſentiat ſollicitationi, ſollicitans ad nullam reſtitutionem tenetur. Secus ſi vi, metu vel dolo, aut mendaciis ſollicitata eſt. ibid.n.6

Stylus curiæ.

Stylus curiæ, ſecundùm multos Doctores, efficit ius, nec ab eo eſt recedendum; Princeps enim ſciens talem ſtylum tribuit vim legis. Quamuis alij putent non omnem ſtylum ſimpliciter habere vim legis, ſed tantùm vim legis habet, quando datur formale præceptum Papæ, v. Lex II. p.494.n.10

Succeſſio.

Nunquam ſuccedit filius naturalis concubinarij cum legitimis filiis, aut vxore legitima, Patri defuncto: neque cum nepotibus legitimis. Succedit tamen Patri ab inteſtato in duabus vncijs hæreditatis, id eſt, in ſexta parte, & vna cum illo mater æquali portione, ſi legitima vxor ſuperſtes non ſit, v. Filius. p.347.n.5

Succedere ſolent naturales matri iure communi Cæſareo, tam ab inteſtato, quàm ex teſtamento vna cum legitimis; excepto tamen feudorum iure, ad quæ illegitimi non admittuntur. ibidem, vbi plura n.6

Succedunt hæredes ab inteſtato nullo condito teſtamento, aut condito quidem, ſed illegitimè, aut poſtea rupto, aut irrito facto. Ante omnes legitimi liberi, tam mares, quàm fœminæ in quorum mortuorum locum & in ſtirpes ſuccedunt eorum nepotes: deficientibus deſcendentibus, ſuccedunt pater & mater defuncti: aui & auiæ: illis deficientibus, ſuccedunt fratres & ſorores, &c. Et hoc de iure communi Cæſareo, v. Hæres. p.367.n.11

Iure communi non minus ſuccedit religioſus poſt profeſſionem ex teſtamento & ab inteſtato, quàm ſi eſſet in ſæculo, & hoc in commodum Monaſterij: exceptis Fratribus Minoribus de Obſeruantia & Capucinis. Sed hoc ius in multis Regnis contraria conſuetudine abrogatum eſt. p.368.n.13

Surreptio.

Subreptio quando contingit, tacendo verum vel exprimendo falſum, in vna relcri, ti parte, vitiat & irritum reddit reſcriptum, quoad eam partem, in qua eſt ſubreptio, non verò quoad reliquias, v. Diſpenſatio. p.226.n.36

Curialis vel ſollicitator ſcienter committens ſubreptionem in aliqua parte, inficio illo, in cuius fauorem reſcriptum obtinetur, qui verum Curiali propoſuerat, vſtiosum eſt reſcriptum. ibid.n.37

Subſtitutio.

Subſtitutio in hæreditate, quædam eſt indirecta, & quædam directa. Indirecta eſt, quando hæreditas defertur ſubſtituto per alterum, qui eam illi reſtituat. Directa eſt, quando hæreditas ſubſtituto defertur abſque alterius miniſterio. p.816.n.1

In fideicommiſſaria ſubſtitutione locum habet detractio Trebellianica, in ſubſtitutione directa non. ibid.

In dubio, an ſubſtitutio aliqua directa ſit, aut fideicommiſſaria, cenſendum eſt ſubſtitutionem eſſe directam. ibid.

Si quis ſimul ſubſtituatur alteri directè & indirectè, in optione eo pacto inſtituti eſt eligere, quo illorum duorum modorum pacto ſuccedere maluerit. ibid.

Ex duplici capite hæres inſtitutus in aliquo teſtamento, non eſt poſtea hæres, nempe, quia non poteſt, & hoc caput appellatur impotentiæ, vel quia non vult, & hoc caput dicitur noluntatis. ibid.n.1

Quando teſtator hæredi aliquem ſubſtituit vulgariter, exprimit ſolùm vnum caput, aut partem illius, cenſetur ex iuris diſpoſitione, in eo capite, aut parte capitis intelligere reliqua. ibid.

Subſtitutio pupillaris eſt, quando teſtator dicit, ſi filius meus infra pupillarem ætatem decedat, ſubſtituo Petrum, tunc ſuccedet Petrus in caſu, non ſolùm quoad relicta a Patre, verùm etiam quoad omnia alia pupilli bona, ac ſi ſuiſſet inſtitutus hæres ab ipſomet pupillo, modo ſubſtitutio ſit directa, & non per verbum obliquum. ibid.n.3

Hodie ſi ipſe impubes, cui ſubſtitutus datur, ſit præteritus, aut exhæredatus non appoſitâ cauſâ ex legitima ad exhæredandum, quamuis teſtamentum quoad hæredum inſtitutionem ſit nullum, validum tamen eſt, quoad legata, fideicommiſſa, &c. in quibus ſane directæ etiam ſubſtitutiones comprehenduntur. ibid.n.4

Subſtitutio pupillaris expreſſa, poteſt fieri tripliciter. Primò, verbis generalibus. Secundò, verbis ſpecialibus. Tertiò, verbis ſpecialiſſimis. p.817.n.5

Subſtitutio pupillaris expirat. Primò, ſi ſubſtitutus ante pupillum moriatur. Secundo, ſtatim ac is, cui ſubſtitutus eſt datus pupillarem ætatem egreditur. Tertio, ſtatim ac filius efficitur ſui iuris, viuente patre. ibid.n.6

Subſtitutio exemplaris fieri poteſt, non ſolùm amentibus, ſed etiam iis, qui ſurdi ac muti ſimul ſunt, modo tamen ſcribere neſciant. Idem dicendum de prodigo, cui bonorum adminiſtratio interdicta eſt. ibid.n.7

Subſtituere poteſt exemplariter filio Pater, ſicut & Mater: ſed ſubſtitutio facta per patrem vim habebit in bonis, quæ filius habuerit ex patre; ſubſtitutio verò facta per matrem, obtinebit in bonis, quæ habuerit ex parte matris. ibid. num.8

Subſtitutio exemplaris expirat eo ipſo, quòd is cui facta eſt ad ſuam mentem redit. ibid.

Subſtitutio fideicommiſſoria dicitur à fide, quia teſtator fidit hæredi & illius fidei committit hæreditatem alteri reſtituendam. ibid.n.9

Vt hæres grauatus hac reſtitutione hæreditaria, inuitaretur ad adeundam hæreditatem, iure conceſſum eſt ei, vt reſtitutionis tempore detrahere de fideicommiſſo poſſit quartam partem eius, in quo inſtitutus eſt. ibid.

Si hæres grauatus adire non vellet hæreditatem, poteſt ad id cogi per iudicem, vt continuò eam reſtituat; ſi autem coactus eam adiret, amittat huiuſmodi quartam, quæ vocatur Trebellianica. ibid.

Quando fideicommiſſum eſt ad cauſam piam, ſeu cùm ſubſtitutus eſt cauſa pia, non poteſt detrahi quarta Trebellianica, niſi hæres, qui grauatur, ſit cauſa pia. p.818.n.10

Teſtator poteſt prohibere deductionem Trebellianicæ, itaut hæres grauatus abſque talis portionis deductione, teneatur hæreditatem reſtituere. ibid.

Subſtitutio fideicommiſſoria, quâ teſtator inſtituit aliquem hæredem vniuerſalem, & illum grauat reſtituere hæreditatem alteri poſt mortem, intelligenda eſt ſub tacita conditione, ſi hæres decedat ſine filiis vel deſcendentibus: ſed hoc non procedit in tribus caſibus, vt quidam obſeruant. ibid.

Si hæres grauatus, hæreditate aditâ in delictum incidat, ob quod bona illius fiſco abdicantur, ea frui poteſt fiſcus donec moriatur hæres grauatus, vel alia ratione tempus reſtituto-

Digitized by Google

restitutionis adimat : nisi testator alienationem prohibuerit. ibid.n.11

Si hæres gratuitus religionem capacem bonorum profiteatur, non deuoluitur hæreditas ad fideicommissarium donec professus naturaliter moriatur, vel donec adimpleatur conditio, sub qua testator voluit hæreditatem deferri fideicommissario : tunc enim Monasterium percipiet vsumfructum, donec sequatur mors naturalis religiosi. ibid.

Si illud Monasterium sit incapax succedendi, probabilius est id fideicommissum itaqm deberi fideicommissario post professionem. ibid.

Hæc professio in religione successionis incapaci, an censenda sit mors naturalis in præiudicium tertij duplex est sententia, vna affirmatiua, altera negatiua probabilior. p.819.n.12

Nouitius Ordinis Minorum de Obseruantia & Capucinorum gratuitus post mortem suam aliquam hæreditatem restituere, si ipse ante professionem in alium transtulit ius ad se pertinens in ea bona, valida est translatio, nec substitutus succedet, ante mortem naturalem talis religiosi. ibid.

Substitutio fideicommissoria expirat ac nulla redditur, si hæres gratuitus ante hæreditatem aditam è viuis discedat; excipiuntur tamen tres casus. ibid.n.13

Suffragium.

Suffragium, vt à Theologis accipitur, est auxilium quoddam, quod vnus fidelis præbet alteri ad obtinendam à Deo remissionem pœnæ temporalis peccatis debitæ, vel aliquid huiusmodi. p.819.n.1

Suffragia non sunt offerenda pro defunctis cum Christo regnantibus, quibus per se ac propriè prodesse non possunt. p.820.n.2

Suffragia viuorum non possunt prodesse damnatis in inferno ad expiationem pœnæ, seu terminationem, quam sustinent propter peccata mortalia, quorum remissionem in hac vita non obtinuerunt. ibid.n.3

Suffragiorum non sunt capaces pueri morientes cum solo peccato originali; ibi enim perpetuo puniuntur pœnâ damni. ibid.

Suffragia viuorum prodesse possunt animabus Purgatorij, non solùm ad aliquam mitigationem poenarum, sed etiam ad integram remissionem. ibid.n.4

An suffragia viuorum prosint animabus Purgatorij per modum impetrationis, vel per modum solutionis & satisfactionis condignæ? Est dubium inter Theologos. ibid.

Certum est Sanctos Beatos interdum orare pro animabus Purgatorij : sed quod impetrant gratuitam remissionem alicuius pœnæ, sed illorum oratio ordinatur, vt satisfactione viuorum à Deo pro illis animabus acceptentur, &c. p.821.n.5

Suffragia viuorum pro mortuis sunt simpliciter de iustitia & infallibiliter acceptata, secundùm totum suum valorem, pro quocumque offerantur : licet quidam doceant defunctis prodesse tantùm ex misericordia Dei. ibidem.6

Qui disponit suffragia pro se fieri, etiamsi non statim fiant, percipit fructum illorum, quantùm ad efficaciam, quæ erat ex opere operantis principaliter agentis. ibid.n.7

Quidam putant totam satisfactionem esse positam in actu volendi ac præcipiendi tale opus, & postea ex vi solius externi effectus nihil satisfactionis addi per se loquendo : nihilominus quod tale opus externum per se addat satisfactionem, sustinent multi. ibid.

Superstitio.

Superstitio in eo consistit, quod quis exhibeat diuinum cultum, cui non debet, vel eo modo quo nõ debet: & hæc superstitio plerumque fit vel ex tacito vel expresso pacto cum Dæmone. p.822.n.1

Pactum expressum cum Dæmone fit, aut verbo, aut opere & intentione. Pactum tacitum cum Dæmone tunc intercurrit, quando quis cognitionem soli Deo reseruatam seriò & ex intentione mediis vanis & indebitis habere procurat. ibid.

Malitia pacti expliciti cum Dæmone in eo consistit, quod societas, fœdus, & amicitia iniatur cum declarato Dei & sui hoste. ibid.n.2

Pactum implicitum cum Dæmone potest intercurrere vel formaliter, vel materialiter. ibid.

Celebrans pactum expressum cum Dæmone, non est formaliter hæreticus ex vi celebrationis pacti expliciti, si non celebretur cum expressa conditione quod homo abneget fidem. Talis tamen sit suspectus de apostasia à fide. ibid.n.3

Quando adest pactum expressum cum Dæmone, est id necessariò exprimendum in confessione. ibid.n.4

Ad superstitionem pertinet inuocare Dæmonis auxilium, etiam ad ea, quæ ipse naturaliter potest præstare, siue id fiat ex pacto explicito, siue implicito. p.823.nu.5

Qui à Dæmone in iis rebus, quas naturaliter potest præstare, auxilium exposcit, est suspectus in fide, & eius delictum pertinet ad Inquisitores, in locis vbi Inquisitio viget. ibid.

Superstitionis peccatum, vt plurimum oriri solet ex quodam inordinato desiderio perueniendi ad aliquem finem intentum, quem difficilè, aut nunquam existimant homines consequi posse, nec sperant à Deo, & ideò recurrunt ad artes superstitiosas. ibid.n.6

Supplicatio.

Supplicatio fit ad eundem iudicem, qui sententiam tulit, quâ reus fatetur sententiam contra se latam esse iustam, supplicat tamen vt iterum videatur causa, si forte sit locus misericordiæ, aut moderationis sententiæ, v. Appellatio. p.58.n.1

Licet supplicationem super aliqua lege porrigere & interim suspendere eius obligationem & illam non seruare, verb. Lex 11. p.494.n.11

Surdus.

Surdus tantùm non prohibetur à iure ferre testimonium super re cadente in sensum in quo non est impeditus, v. Testis. p.836.n.12

Illis, qui surdi sunt ac muti simul, siue à natiuitate, siue postea morbo tales effecti fuerint, substitutio exemplaris fieri potest : modo tamen scribere nesciant, v. Substitutio. p.817.n.7. vide super verb. Mutus.

Suspectus.

Quando maritus suspectum haberet aliquem machinari adulterium cum sua vxore, terque illum in scriptis admoquisset, ne cum illa loqueretur, posteaque illos mueniret simul in aliquo loco, tunc illa est præsumptio iuris & de iure, illos adulterium commisisse & puniri possent pœnâ adulterij ordinaria, v. Adulterium. p.43.n.22

Licet marito suspicanti adulterium vxoris, illam obseruare cum testibus idoneis, vt eam possit de adulterio conuincere. ibid.

Suspecti de hæresi, qui coguntur per Inquisitores abiurare de vehementi, non sunt irregulares; nisi suspicio oriatur ex eo, quòd fauent hæreticis, vel defendunt, vel recipiunt, v. Irregularitas 11. p.443.n.26

Suspectus de hæresi præsumitur excommunicatus & in excommunicatione perseuerat contumaciter per annum, si absolutionem non procuret, v. Excommunicatio 11. p.317.n.23

Suspectus de hæresi citatus & vocatus vt ad iudicium accedat super rebus fidei, vel super crimine hæresis, de quo accusatus, aut suspectus est, responsurus, venire contemnens, & proterea iterum excommunicatus, in qua per annum perseuerat, tanquam hæreticus elapso anno condemnari potest. p.318. *num.* 24

Suspectus est de Apostasia à fide, qui celebrat pactum expressum cum Dæmone, v. Superstitio. p.822.n.3

An autem vt suspectus possit recusari visitator, vel iudex Ordinarius. Vide v. Visitatio. p.853.n.13.14.& 15.

Suspensio.

Suspensionis nomen significat rem aliquam suspensam, seu independentem, dubiam & incertam relinquere; & tripliciter sumitur. p.823.n.1

Suspensio quatenus est censura Ecclesiastica, suspendit & impedit vsum & exercitium officij, aut beneficij Ecclesiastici in totum, vel in partem. ibid.

Suspensionis censura probabiliter contrahi non potest pro culpa aliena. Sed contrarium est probabilius : vide Prælatus potest aliquando suspendere totam communitatem propter culpam maioris partis, siue Superioris eiusdem communitatis. p.824.n.2

Clericus suspensus ab ordine Superiori, non censetur suspensus ab exercitio inferioris ordinis. ibid.n.3

Quando Sacerdos simpliciter est suspensus à celebratione Missæ, non censetur suspensus ab aliis functionibus sacerdotalibus, quæ Missæ celebrationi non sunt annexæ. ibid.

Clericus per censuram suspensus ab ordine inferiori, censetur aliquo modo saltem indirectè impediti ab exercitio Ordinum Superiorum propter indecentiam. ibid.n.4

Sacerdos suspensus ab ordine Diaconatus, non potest licitè Missam celebrare; neque Episcopus suspensus à Sacerdotio potest functiones Episcopales exercere; tamen talis Sacerdos celebrando, non incurrit irregularitatem, licet peccet mortaliter. ibid.

Suspensio ab Ordine Episcopali extendit se tantùm ad eos actus Ordinis, qui Episcopo proprij sunt, & Sacerdoti iure Ordinario competere non possunt; cui affinis est suspensio à Pontificalibus. ibid.n.5

Episcopus celebrans in Pontificalibus, & ab eis suspensus, non incurrit irregularitatem. ibid.

Episcopus suspensus à collatione Ordinum, non potest etiam minores conferre, bene tamen Tonsuram: quia non est Ordo. ibid.n.6

Si Episcopus suspendatur à collatione certi Ordinis videtur posse alios Ordines conferre, quam is digniores licet contrarium non sit improbabile. ibid.

Suspensus à beneficio, in opinione quorundam, suspenditur etiam à iure collationis beneficij, confirmationis, electionis, &c. sibi proueniente ratione beneficij, à quo est sus-

penſus : tamen dicendum eſt, talem ſuſpenſum poſſe eligere, & beneficia conferre. p.825.n.7

Suſpensus a beneficio vſurpans fructus ipſius beneficij, grauiter peccat, & tenetur ad reſtitutionem abſque alia iudicis ſententia: in fructus ſunt conuertendi in vtilitatem Eccleſiæ, detractis illis, qui tradantur ſubſtituto ad inſequiendum. ibidan.8

Suſpensus a beneficio vſurpans ſibi fructus beneficij, non incurrit irregularitatem. ibid.

Suſpensio a beneficio lata abſque loci determinatione ſpecialis, vniuerſaliter intelligenda eſt, id eſt, ab omni beneficio, vbicunque illud ſit, vel poſſideatur. ibid.n.9

Ex violatione ſuſpensionis incurritur irregularitas, non ſoluti quando per exercitium maioris ordinis violatur ſuſpensio perpetua, quæ eſt propriè cenſura, ſed etiam quando eſt pura pœna, & quæ lata eſt ad determinandum tempus. ibid.n.10

Probabilius eſt, cum, qui ſuſpensionem incurrit in ſua ordinatione, in casibus iure expreſſis, ſi miniſtret in illo ordine in ipſa miſſa ordinationum, puta, ſi ſubdiaconus cantet epiſtolam; Diaconus Euangelium, vel ſi ſacerdos conſecret; non fieri irregularem. p.826.n.11

Suſpicio.

Suſpicio, & iudicium temerarium ex tribus cauſis prouenire ſolent, 1. eſt, ex prauitate, ſeu malitia iudicantis, vel ſuſpicantis, 2. ex odio, inuidia, & liuore animi, 3. eſt, ex longo vſu, & experientia. V. Iudicium temerarium. p.456.n.1

Suſpicio proxè comprehendit dubitationem, opinionem, & iudicium temerarium, eſt mala & peccatum iure naturali, & diuino prohibitum. ibid.n.2

Suſpicari ex leuibus indiciis temerè & voluntariè graue ſcelus de proximo, eſt peccatum mortale, licet quidam negent, non improbabiliter. ibid.n.3

Suſpicio eſt, quæ animum iudicis aliquo leui argumento in aliquam partem inclinat, etſi non omnem excludat dubitationem; & hæc ſuſpicio habet tres gradus. V. Præſumptio, pag. 671.n.2

Synagoga.

Synagoga eſt nomen hebraicum, & latinè ſonat, congregatio. Apoſtoli Chriſtianum populum ſemper Eccleſiam, & nunquam ſynagogam appellari voluerunt, vt ipſis vocabulis Chriſtianorum fidelitas, & diſcretio, & Iudæorum infidelitas, & beſtialitas notaretur. V. Eccleſia. p.257.n.3

T

Tabacum.

TAbaci ſumptio in puluere & fumo per nares, non frangit ieiunium naturale : ſi autem ſumatur in folio per os, & aliquid deſcendat in ſtomachum, ſoluet ieiunium : tamen ſacerdotibus indecens eſt ſumere tabacum ante miſſam. V. Communio ſacra. p.171.n.26

Tabaci ſumptio in Eccleſia D. Petri Romæ, & eius Portico prohibita eſt ſub mortali, & in Eccleſiis diœceſis Hiſpalenſis: an autem etiam in aliis Eccleſiis Orbis? Quidam affirmant: alij negant. ibid.

Tabellio.

Tabellionis officium non poſſunt regulares exercere : ſi tamen aduerſus hanc iuris prohibitionem religioſus, qui in ſæculo erat Tabellio, conficiat inſtrumentum ſine licentia ſuperioris, illud erit validum. V. Regulares. p.715.n.22

Quando per ſuperiorem eſt ſpecialiter interdictum tali religioſo vti officio Tabellionis, & interdictum eſt publicum, ita vt ad notitiam populi peruenerit, geſta per eum eſſet irrita. ibid.

Religioſus licitè poteſt poſt profeſſionem complere, & ſignare inſtrumenta, quæ dum Tabellio erat in ſæculo confecerat; modò id faciat ex ſuperioris licentia. ibid.

Imò poteſt monaſterium conuenire, vt talis religioſus inſtrumenta perficiat. ibid.

Tabernarij.

Tabernarij, & Caupones vendentes vinum bibere volentibus in ea quantitate, vt probabiliter credant, vel experti ſint fore vt ij inebrientur, peccant mortaliter. Tamen hi poſſunt excuſari, quando abſque graui detrimento proprio proportionato illi inebrietatis damno, vitare non poſſent. V. Scandalum. p.770.n.5

Tacitumitas.

Tacitumitas ſola ſuperioris videntis aliquem iure, in quo poteſt diſpenſare, impeditum, exercere ea ſibi interdicta, cenſetur tacita diſpenſatio, ſi Prælatus ille cùm poſſet facilè contradicere, non contradicit, ſed tacet. V. Diſpenſatio. pag. 221.n.12.

Tacitumitas diſpenſationis priùs petitæ, & non obtentæ non vitiat ſequentem diſpenſationem poſtea ab eodem ſuperiore obtentam. p.225.n.28

Tacitumitas veritatis, quæ eſt cauſa finalis conceſſionis vitiat gratiam, & diſpenſationem; ſecus quando cauſa eſt impulſiua. p.224.n.25. Vbi plura, numeris ſequentibus.

Tactus.

Tactus, oſcula, & amplexus impudici quando non ſunt à cubantibus ſimul, ſed à ſtantibus, vel ſedentibus, indicia non ſunt ſufficientia, quæ violentam, ac certam moraliter, efficiant præſumptionem adulterij, ac proinde ob talem præſumptionem illi non poſſunt condemnari adulterij, neque ad diuortium, & pœnam ciuilem, neque ad criminalem, niſi aliæ circumſtantiæ adiiciantur. V. Adulterium. p.43.n.40

Tactus Euangeliorum, aut aliarum diuinarum Scripturarum, regulariter non eſt neceſſarius ad rationem iuramenti: tamen aliquando in foro externo neceſſarium eſſet fieri iuramentum tactis Euangeliis, alioquin vim vllam non haberet, quantum ad iuris effectum. V. Iuramentum. p.459.n.4

Tangi non poſſunt à laicis, & clericis in minoribus conſtitutis Agni cerei oleo ſancto, & chriſmate conſecrati nec calix conſecratus, patena, purificatorium, corporale : nec ſacrum Chriſma, aut Oleum ſanctum, & multò minùs ſacra Euchariſtia, quam clerici non ſacerdotes, nec tangere poſſunt. Quamuis laicus poſſit, ſi Euchariſtia in terram cadat, & non ſit alius, qui eam reuerenter tangeret, eleuare è terra. V. Reliquiæ Sanctorum. p.731.n.16.& 17.

Terra.

Terra alicuius Principis, quando generaliter interdicitur, interdictum cadit in omnes terras, quarum Princeps habet dominium abſolutum, ſiue iuriſdictionale ſit, ſiue vtile, aut ſolùm vſumfructum ratione dotis vxoris. Non tamen cadit in terram acquiſitam poſt latum interdictum, niſi hoc ſit expreſſum in ſententia interdicti. V. Interdictum. p.428.n.8

Tempus.

Tempus intra quod debet prouideri de beneficiis vacantibus eſt, infrà ſex menſes prouidere debent ij, ad quos prouiſio ſpectat. V. Beneficium VI. p.114.n.8

Non eſt certum tempus in iure conſtitutum, intra quod ordinarius debeat conferre beneficia reſignata ex permutatione. Superior tamen Ordinarij, poteſt illi præcipere, vt intra determinatum tempus permutationem abſoluat. V. Beneficium VIII. p.116.n.6

Ex parte temporis redditur negotiatio vitioſa, vt ſi fiat in diebus feſtis : tamen in his maximam vim habet conſuetudo, Prælatis videntibus, & conſentientibus introducta. V. Emptio. p.289.n.47

Quando tempus certum, & determinatum fuit conſtitutum, intra quod aliquid fieri debet, aut ſolui, tunc terminus temporis illius determinari interpellat pro creditore aduerſus debitorem, vt id præſtet, aut ſoluat, neque eſt neceſſe, vt à creditore ad id requiratur, aut admoneatur. V. Solutio. p.798.n.7. Vbi plura.

Teſtamentum.

Teſtamentum ad pias cauſas valet etiam quoad legata prophana, ſi deſint iuris ſolemnitates : ſi tamen ille qui teſtatur, ad pias cauſas, facultatem non habet teſtandi ad alia, tunc legata non pia ſunt inualida. p.826.n.1

Cauſa piorum legatorum, quando hæres, qui illa tenetur ſoluere eſt ſecularis, eſt mixti fori. p.827.n.2

Cauſa hæc, ſiue in Eccleſiaſtico, ſiue in ſæculari foro tractetur, iudicandum eſt iuxta diſpoſitionem iuris Canonici. ibid.

Teſtamentum ad pias cauſas manu propria teſtatoris ſcriptum valet etiam ſine teſtibus, dummodò liquidò conſtet quòd ſcriptura ſit facta manu defuncti. ibid.n.3

Teſtamentum ad pias cauſas factum manu teſtatoris ſolùm ſubſcriptum, etiam ſine teſtibus, vim teſtamenti obtinet. ibid.

Teſtator moriturus, qui cœpit facere teſtamentum, aut codicillum, & morte præuentus non abſoluit, licet irritum ſit quoad alia, valet tamen quoad relicta pia, de quibus iam diſpoſuit. ibid.n.4

Si tamen cauſa pia in hoc caſu ſit inſtituta hæres, quidam docent non eſſe tradendam totam hæreditatem cauſæ piæ, ſed recurrendum eſſe ad arbitrium prudentis viri. ibid.

Si quis ſuam expreſſit voluntatem in quadam ſchedula ſine ſuiipſius ſubſcriptione, eo animo vt poſtea reciperetur à Notario, non valeret etiam quoad cauſas pias : ſecus ſi ſcedula inueniretur ab eo ſubſcripta. ibid.

Quamuis regulariter ſecundùm ius Ciuile non valeat diſpoſitio vltimæ voluntatis, quæ confertur in alterius arbitrium, tamen valet in diſpoſitione ad pias cauſas. p.828.n.5

Etſi iure ciuili hæredis declaratio nutu facta irrita ſit : tamen in teſtamento ad cauſas pias, ſicut & in legato, ſufficit voluntatem defuncti quocunque ſigno externo declaratam eſſe. ibid.n.6

Qui naturâ mutus pariter ac ſurdus eſt, non prohibetur voluntatem ſuam vltimam ad cauſas pias quomodocunque poteſt manifeſtare. ibid.

Teſtamentum inter liberos non ſubſiſtit, quando voluntas teſtatoris non fuit plenè, ac perfectè declarata. ibid.

In

In teſtamento ad pias cauſas non eſt neceſſaria inſcriptio temporis,id eſt,anni,menſis,dici,neque loci. ibid.n.7
Primum teſtamentum legitimè factum, & in quo ſunt omnia requiſita, vt ſit validum, reuocatur per ſecundum legitimè etiam factum, eſto in ſecundo ſit minor ſolemnitas. ibid. num.8
Teſtamentum coram ſupremo Principe factum validum eſt abſque alia ſolemnitate teſtium; dummodo conſtet teſtatorem ſuam voluntatem non mutaſſe poſtea,&c. ibid.n.9
Miles,qui teſtamentum condit,dum in bellica expeditione verſatur, quocunque modo voluntatem ſuam vltimam declarauit,voce,aut ſcripto,ea rata exiſtit. ibid.n.10
In teſtamento facto tempore peſtis,vt ſit validum, quidam requirunt etiam ſeptem teſtes, alij quinque, & alij duos. pag. 829.n.11
In conficiendis teſtamentis potiùs conſeruandæ conſuetudines, & leges,ſtatutaque Regnorum, Prouinciarum, & locorum, quam ius commune Cæſareum. ibid.
Teſtamentum ſemper vſque ad mortem reuocari poteſt, & mutari,dummodo ſecundùm teſtamentum habeat ſolemnitatem à iure requiſitam:ſed hoc vltimum quidam in foro conſcientiæ non admittunt. ibid.n.12
Reuocatur etiam teſtamentum priùs pro vtroque foro quando teſtator illud rumpit,& lacerat,aut ſuſtulit ſigillum, aut illud cancellat & delineat. ibid.
Teſtamentum continens aliquid contra leges iuſtas, etiamſi iuramento confirmatum ſit,reuocandum eſt. Si autem bene diſpoſitum ſit,& ex omni parte perfectum, ſi iuratum ſit, & à teſtatore reuocetur, erit de facto reuocatum,& nullius roboris,& poſterius in vtroque foro valebit, licet reuocans ſit periurus. ibid.n.13
Teſtamenti executor dicitur ille, qui eſt legitimè nominatus, ſeu iure conſtitutus, principaliter ad exequendam voluntatem teſtatoris: & hic vel eſt legitimus, vel datiuus. p.830. num.14
Nullus ad munus executoris teſtamentarij acceptandum cogi poteſt: ſi tamen religioſus ad id acceptandum à ſuperiore compellatur,debet obedire. ibid.
Ex charitate tenetur quis ad acceptandum tale munus, ſi ſine ſuo graui damno poſſet proximi rebus conſulere,vel quando ad id poſſet per iudicem compelli. ibid.
Executores teſtamentorum vbi primùm acceperunt munus, tenentur in conſcientia ſub graui culpa, quampeimùm potuerint ante annum,& menſem,imò & ante ſex menſes,ſi legata ſint pia,& nulla fuerit cauſa differendi teſtamenta executioni mandare. ibid.n.15
An executio teſtamenti facta per religioſum, ſine vlla licentia ſuperioris valeat? Quidam negant, alij affirmant probabiliter. ibid.n.16
Executor teſtamenti,ſiue religioſus ſit,ſiue non, poteſt legatum in pauperes pro ſuo arbitrio diſtribuendum,ibi ipſi tanquam pauperi,ex toto,vel ex parte applicare,ſicut poteſt alios pauperibus: & ſi executor ſit religioſus, poteſt ſuo monaſterio aliquid largiri,ſi eſt pauper. p.831.n.17
Epiſcopus data negligentia executorum, non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur teſtamentum exequi:hoc tamen non procedit in tribus caſibus. ibid.n.18
De iure communi, iudex tam Eccleſiaſticus, quàm ſæcularis, compellere poteſt hæredes,vel executores laicos ad exequendas vltimas voluntates,ſi negligentes ſint: ſed quoad cauſas pias ſolus Eccleſiaſticus id poteſt. ibid.
Si nullus teſtamenti executor à teſtatore nominatus ſit,executio pertinet ad hæredes, etiam quoad legata pia. Excipiuntur legata pro redemptione captiuorum,& alimentis. eadem num.19
Epiſcopus executor teſtamenti tenetur reddere rationem coram ſuo Metropolitano,non autem coram iudice ſæculari: clerici autem coram iudice Eccleſiaſtico duntaxat conueniendi ſunt,pro executione facta teſtamenti. p.832.n.20
Variæ pœnæ in iure ſtatutæ ſunt contra negligentes executores teſtamentorum. ibid.n.21

Teſtis.

Quando teſtis eſt ita inhabilis,vt ab illa particulari atteſtatione à iure repellatur, non tenetur iudici interroganti reſpondere,etiam ſit iudex competens. p.833.n.1
Quando teſtis non in totum à iure repellitur, ſed ſolùm ei ius non aſſiſtit,quamuis inhabilis ſit ex quocunque capite,dum legitimè interrogatur,tenetur reſpondere. ibid.
Teſtes ſingulares non plenè probant, quando plures teſtes requiruntur. Teſtes autem ſingulares dicuntur, quando non concordant in eo,quod deponunt, ſed vnus depoſuit aliquid, & alter aliud. ibid.n.2
Teſtes ſingulares non ſolùm non probant in individuo, aut in ſpecie,ſed neque etiam in genere,quamuis quidam iuriſperiti affirment. ibid.n.3
Quando agitur de aliquo ſecundùm genus, v. g. an aliquis ſit fur? & teſtes ſingulares actiones furti deponunt, non tanquam id, de quo teſtentur, ſed tanquam rationem ſuidicti, itaut teſtificatio procedat de furto in genere; hinc ſufficiunt ad plenè probandum teſtes ſingulares. ibid.
Teſtes ſingulares plenè probant,quando agitur de re permanenti,& de probando actu, vel delicto, quod in quadam continuatione conſiſtit: ſed vt faciant plenam fidem,debet res permanens eſſe talis conditionis, quod non potuerit variari, ratione temporis,aut loci,aut alterius circumſtantiæ,ſecundùm quam teſtes ſingulares ſunt: ſecus ſi potuit variari. p.834.n.4
Quando iudex per viam accuſationis procedit exiſtente accuſatore,& ſolùm vnus eſt teſtis, qui crimen nouit, & ille in iudicio productus eſt, an rogatus à iudice crimen ſuum teſteri tenetur? Quidam negant, alij affirmant; alij dicunt non teneri, ſed poſſe ſi velit. ibid.n.5
Quando iudex generaliter inquirit de crimine notorio, cuius auctor ignoratur: Quidam affirmant teneri teſtem rem manifeſtare: alij negant, niſi præceſſerit infamia, vel ſaltem ſemiplena probatio, & accuſatio de criminis auctore. ibid. num.6
Teſtis non tenetur teſtificari, quando non ſibi conſtat ſeruatum eſſe ordinem iuris à iudice interrogante. ibid.n.7
Quando teſtis prudenter dubitat,an iudex iuridicè, necne interroget, & crimen non eſt in perniciem publicam, tunc teſtis,& reus hoc modo dubitantes, non tenentur reſpondere. ibid.
Quando crimen eſt in damnum alterius publicum,vel particulare,adhuc imminens, & quod adhuc eſt in fieri, tunc rectè iudex interrogat, & teſtis, licet dubius teneatur reſpondere. ibid.
Si verò huiuſmodi crimina non pendent in futurum, ſed ſint iam facta,non tenetur teſtis reſpondere, niſi præceſſerit infamia,aut iudicia probata. ibid.
Teſtis idoneus eſt ille,qui eſt omni exceptione maior,id eſt,cui nihil poteſt à iure opponi, nec à iudice repelli. Minus idoneus eſt,qui poteſt a iure repelli, & cui poteſt aliquid opponi. p.835.n.8
Inter teſtes idoneos cenſentur etiam religioſi,non ſolùm in cauſis iudicialibus,ſed etiam in inſtrumentariis: in primis tamen cauſis requiritur licentia ſuperioris, in ſecundis verò minimè. ibid.
Vt religioſi non exempti teſtificentur coram Epiſcopo,nulla indigent licentia,ſi verò ſint exempti,requiritur licentia. ibid.
Teſtimonium religioſi ſine licentia ſuperioris coram iudice ſæculari,vel alio non ſuo, valet, niſi pars opponat defectum licentiæ ad teſtificandum,& nihilominus admittatur,tunc non valeret. ibid.
Teſtes poſſunt eſſe religioſi in teſtamento, in quo ipſorum monaſterio aliquid relinquitur. ibid.
Religioſi non ſunt compellendi ad teſtificandum, niſi quando aliter veritas haberi non poteſt: & tunc ad id poſſunt cogi per Prælatum ſuum regularem, non verò per iudicem ſæcularem,nec per Ordinarium loci,ſi ſint exempti. ibid.
De iure Canonico admittuntur in teſtes mulieres laicæ,quando aliter veritas haberi non poteſt: multò magis admitti debent moniales contra alias moniales. p.836.n.9
Religioſi & moniales poſſunt aſſiſtere matrimonio, vt teſtes: quamuis ſummopere deceat eos ab huiuſmodi muniis abſtinere. ibid.
Iudex tam ſæcularis, quàm regularis, cùm veritas non poteſt haberi aliſubiecto & inuito, niſi per torturam, licitè poteſt teſtem ad id torquere. ibid.n.10
Arbitrio iudicis prudentis,& boni relinquitur, an omnes, vel duo,aut tres teſtes, qui interfuerunt delicto, debeant torqueri. ibid.
In cauſis fidei omnes præter inimicos capitales in teſtes admitti poſſunt ſine tortura. ibid.
Quando teſtes inhabiles admittuntur ad teſtificandum, ſi torqueantur, tortura purgat eorum defectum, & fidem faciunt contra reum, licet aliàs ſine tortura non probarent. ibid.n.11
Teſtis in cauſis criminalibus, & in ciuilibus magnæ quantitatis, aut qualitatis, nunquam poteſt deponere in ſcriptis, etiamſi legeret ſcripturam: in cauſis autem ciuilibus parui præiudicij valeret dictum in ſcriptis, vti talis conſuetudo. ibid.n.12
Tamen mutus tantùm, vel ſurdus tantùm non prohibetur ferre teſtimonium ſuper re cadente in ſenſum, in quo non eſt impeditus. ibid.
Teſtis vocatus ab aliquo vt teſtimonium reddat, tenetur etiam manifeſtare,quæ pro aduerſario facit; & ſi illa taceat, tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti alteri ex taciturnitate. p.837.n.13
Teſti variati ab his, quæ prius in iudicio dixerat,non eſt adhibenda fides, maxim. quando ſibi contrarius eſt in eadem depoſitione; tunc enim eius dictum tanquam falſum in totum reiicitur. ibid.
Teſtis varius dicitur ille, qui vel contraria deponit in eodem examine, aut in diuerſis, vel primò teſtificatur per verbum *Credo*, & deinde aſſertiuè: vel primò ait ſe nihil ſcire,& poſtea

rea deponit de veritate,&c. ibid.
Testis non dicetur varius, si statim in iudicio corrigat propriam testimonij depositionem,tunc vltima eius depositio valida erit. ibid.
Testis varians in suis depositionibus torqueri potest, nec facit fidem,nisi firmet dictum in tortura. ibid.
Vt testis torqueri possit, requiritur, quod fateatur se facto interfuisse,& quod variatio sit in substantialibus,ac etiam in causa criminali, & quod non sit in dignitate constitutus, nisi in criminibus exceptis. ibid.
Testis, qui scienter, vel ex crassa ignorantia falsum testimonium dixit,tenetur in solidum omnia damna restituere: si tamen reus iam sufficienter per alios testes erat conuictus,& testimonium eius nihil effecit,ad restitutionem non tenetur. ibid.n.15
Qui alios induxit ad falsum testimonium dicendum, tenetur ex iustitia eos monere,vt se retractent, quòd si nolint,tenetur eos,& totam suam machinationem,etiam cum periculo vitæ iudici aperire,vt innocens liberetur. ibid.n.16
Qui eos non induxit,nec fuit causa testimonij illorum, tenebitur solùm lege charitatis, & fraternæ correctionis eos monere,& si nolint,eos manifestare, non tamen cum vitæ periculo.modò spes sit retractationem esse profuturam. ib.
Quando concurrunt plures falsi testes, & omnes sunt efficax causa damni,& nullus est inductor, tenetur quilibet seorsum se retractare,etiam cum periculo vitæ, & quilibet in solidum tenetur restituere, si spes sit retractationem esse profuturam,alias non. ibid.
Testis,qui pecunias accepit,vt verum fateatur,peccat,& tenetur eas restituere,licet iudex,vt rectam ferat sententiam. p.838.n.17
Quando testis accepit pecunias,vt falsum deponat,tenetur ad hæc accepta restituenda in conscientia ante vllam iudicis sententiam, & insuper tenetur parti restituere damnum illatum. ibid.
Testi, potest licitè expensas accipere,dum extra suum domicilium ad ferendum testimonium proficiscitur: imò & damnum emergens, & lucrum cessans potest petere pro tempore,quo se detinuit causa ferendi testimonij. ibid.

Thesaurus.

De fide est in Ecclesia dari thesaurum, id est, abundantiam meritorum Christi, & Sanctorum exuberantium satisfactiones ipsissimæ Sanctis, & hominibus iustis debitas. V.Indulgentia. p.412.n.1
Thesaurus meritorum Christi dispensatur ab Ecclesia per sacramenta, thesaurus autem satisfactionum Christi dispensatur ab Ecclesia extra sacramenta. p.413.n.2
Thesauri indulgentiarum distributio data est Petro,& successoribus eius. ibid.n.4

Titulus.

Titulus dominij ab ipso dominio distinguitur, tanquam causa ab effectu: titulus enim est principium, basis, radix,& veluti causa moralis,& fundamentum, quo nascitur hoc dominium. V. Dominium. p.232.n.2
Titulus hic potest esse duplex, scilicet verus, vel præsumptus. ibid.
Tituli ad vsucapiendum, seu præscribendum assignantur in iure,nempe pro soluto,pro emptore, pro hærede, pro donato,pro delicto, pro legato, pro dote, pro suo, pro transacto, pro iudicato,pro permutato,pro socio.V. Præscriptio. pag. 667.n.2. V.Beneficium VIII. p.119.n.9

Tonsura.

Tonsura clericalis est huius detonsio capitis ab Episcopo cæremoniis Ecclesiasticis facta, quâ masculus tyrocinio ministeriorum Dei initiatur. V. Clericus. p. 157. n. 2. Vbi plura.
Tonsuræ primæ collatio ab Ecclesia potest irritari, quia non est ordo,& proinde nec sacramentum. V.Ordo. p.604.n.1. & V.Sacramentum. p.760.n.4

Tortura.

Tortura reorum introducta est,non in pœnam delicti; sed in subsidium probationis.nec potest adhiberi, nisi quando crimen est semiplenè probatum, vel præcedunt vrgentia indicia,& in criminibus grauioribus,quæ pœna mortis, mutilationis,vel triremium calliganda sunt. p.838.n.1
In crimine hæresis iudices ad torturam proniores esse debent, quia crimen est occultum, & facultas probationis deesse solet. ibid.
Tortura non potest iudex subiicere reum ad extorquendam criminis confessionem, quando legitimè est conuictus per testes,etiamsi nolit crimen fateri: excipiuntur tamen duo casus,in quibus tortura potest adhiberi. ibid.n.2
Reus torqueri potest, quando est semiplena probatio, vel indicia æquipollentia, quòd socios criminis habuerit: in crimine autem hæresis sine vllo indicio complicum infertur tortura super complicibus. ibid.
Reus potest torturæ subiici, quando est fama publica, quòd sit author criminis, modò sit fama vehemens, & adminiculata. p.839.n.3
Indicium sufficiens ad torturam est confessio rei extra iudicium,quæ sit spontanea.Item assertio duorum,vel trium sociorum cum iuramento. Item, fuga statim patrato delicto antequam accusetur,& citetur,maximè si contingatur fama, & communis suspicio, &c. ibid.n.4
In delictis occultis, & difficilis probationis sufficiunt minora indicia,& non ita probata plenè ad torquendum. ibid.
Antequam iudex reum subiiciat torturæ,tenetur concedere illi indiciorum copiam, vt se defendere possit, præfinito certo termino ad se purgandum, etiamsi illam reus non petat, sed non semper. ibid.n.5
Reo etiam propalanda sunt nomina testium;non tamen in causa hæresis,vt obseruat praxis sacræ Inquisitionis. ibid.
Iudex regularis tenetur etiam dare reo subdito copiam indiciorum,etiamsi ipse reus illam non petat. Tamen probabile est nomina testium non esse reuelanda, antequam tortura adhibeatur, ibid.n.6
Confessio facta in tortura non valet, minimè data operâ indiciorum,quando iudex tenetur illam dare absque eo quod petatur, etiamsi postea ratificetur extra tormenta, & ex tali confessione non sit puniendus reus. p.840.n.7
In casibus verò in quibus non tenetur iudex dictam copiam dare non petenti, valet talis confessio, & hoc in causis regularium omninò seruandum est. ibid.
Vt regularis possit condemnari vi confessionis factæ in tortura, debet induci ad eam ratificandam post aliquod tempus, quale posset esse spatium trium dierum. ibid.
Licet iudices seculares possint iustè repetere tormenta:in causis tamen regularium hoc non decet,nisi aliter suadeat,siue grauitas delicti, siue vehementia indiciorum de nouo superuenientium longè maiorum prioribus. ibid.
Regulares mitiùs torquendi sunt, tum ob metum excommunicationis,si excedatur in tortura,ac eius modo, tum ob reuerentiam status religiosi. ibid.

Transactio.

Qui habet bona vinculata,non potest transigere circa illa, nec compromittere: transactio autem fieri potest in delictis capitalibus,quæ pœna sanguinis,imò & mortis digna sunt, excepto adulterio,non verò in delictis aliis. p.840.n.1
Non potest transigere, aut compromittere procurator alicuius constitutus ad agendum,ac defendendum, nisi ad id habeat speciale mandatum. ibid.n.2
Transactio valida est,alienatione prohibita, in quatuor casibus. p.841.n.3
Transactio particularis,hoc est, circa rem partitularem, vel res particulares in transactione expressas, non extenditur ad alias res. ibid.n.4
Quando transactio fuit particularis circa rem, si fuit vniuersalis quoad actiones,tunc res illa peti ab eo non potest ex quacunque alia causa,seu titulo,quo de nouo comperiatur ad ipsum pertinuisse. ibid.
Quando transactio est generalis,& eam antecedit petitio generalis,tunc intelligenda est transactio generaliter, etiam quoad incognita,quæ tunc non occurrebant: tamen transactio non extenditur ad res dolo occultatas. ibid.n.5
Transactio generalis sequuta post petitionem particularem, si potest restringi ad sola illa particularia contenta in petitione,non intelligitur de rebus aliis: secus si non possit restringi salua proprietate sermonis: tunc transactio extenditur ad omnia. ibid.n.6
Ex transactione non debetur tributum,seu gabella,esto pecunia detur alteri transigentium, vt à lite recedat: nisi fraus adesset,& simularetur transactio,cùm reuera sit emptio,& venditio. ibid.
Compositio latiùs patet quàm transactio; est enim pactio de re aliqua,vel circa quam nulla est controuersia,aut esse potest. ibid.n.7
Compositio diuidi potest in eam,quæ est de re,circa quam nullum est dubium, & in eam, de qua est dubium ad quem pertineat,vel pertinere in futurum debeat. ibid.n.8
Quando vnus contendentium aliquid tribuit alteri, quasi in pretium,vt recedat à lite,vt condonet ius, quod prætendere poterat circa rem illam est transactio; quæ interuenire non potest in spiritualibus. ibid.
Quando amicabiliter lis componitur arbitrio prudentis,vt lites finiantur,& seruetur pax, siue diuidendo rem, aut emolumentum,aut aliunde compensando; hæc compositio interuenire potest etiam in rebus spiritualibus, & beneficialibus. ibid.

Trebellianica.

Trebellianica dicitur à Trebellio authore, quæ debetur iure institutionis, & quidem si hæres est institutus in tota hæreditate cum onere eam restituendi alteri, detrahere potest quartam totius; si in dimidia cum simili onere detrahere potest quartam illius dimidij, &c. Ideo id statutum est, ne vana sit hæredis institutio, & vt alliciatur ad acceptandum

&

& præſtandum quod teſtator cupit impleri. Vide Legitima p.483.n.3

Tributum.

Trebellianica quarta in multis caſibus ceſſat. ibid. n.11. Vide verb.Subſtitutio. p.818.n.10

Iuſtæ cauſæ imponendi tributa,gabellas,variæ ſolent numerari, vt pro bello,pro reparatione vrbium, pontium, proſuſtentatione Regis,aut Principis, ſecundùm eius ſtatum,&c. omnes tamen cauſæ reducuntur ad vnam,ſcilicet, ad bonum publicum. V.Gabella.p.363.n.4.Vbi plura de Tributis num.ſeqq.

Tutela, Tutor.

Religioſi non poſſunt eſſe tutores teſtamentarij, aut datiui, id enim eis à iure interdicitur. p.842.n.1

Verius eſt religioſos,nec poſſe tutelam legitimam ſuſcipere:nec poſſe cogi accipere tutelam miſetabilium perſonarum. ibid. num.2

Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti tutores, & curatores eſſe non poſſunt teſtamentaria, aut datiua tutela; legitima verò, quando proximiores ſunt in gradu pupillo,eſſe poſſunt, ſed non tenentur. ibid.n.3

Epiſcopus tutor, aut curator eſſe non poteſt, niſi miſerabilium perſonarum;quarum etiam clerici tutores,aut curatores eſſe poſſunt,ſi aliàs earum bona perirent. ibid.

Qui debitor eſt minoris,aut furioſi, mente capti,aut prodigi, tutor aut curator illius eſſe non poteſt, ſicut nec ille cui minor aliquid debet : ſi autem tutor,aut curator poſtea efficiatur debitor,aut creditor minoris,tunc debet ei adiungi alius. ibid.

Qui Regi eſt obligatus,itaut bona ipſius Regi tacitè ſint obligata,non poteſt eſſe tutor,aut curator. ibid.n.4

Miles, qui in militia eſt occupatus; & qui morbo perpetuo, vel alio ſimili impedimento eſt impeditus, nec tutor,nec curator eſſe poteſt : & quis excuſatur à tutela, & cura alterius propter paupertatem,ſi tota ſua induſtria, ac tempore indigeat ad ſeipſum ſuſtentandum. ibid.

Tutor poteſt pupillum impuberem religioni offerre, vt in ea ſub regulari diſciplina viuat,modò non ſit inuitus : quod etiam habet locum circa puellas impuberes. p.843.n.5

Tutor,& curator tenentur conſeruare omnia iura, bona, & actiones ſui pupilli,ſi minoris,&c. Vnde tutores legitimi,aliique dati abſque inquiſitione ſatisdare, & cautionem præſtare,rem pupilli ſaluam fore,antequam adminiſtrent: ſed tutores,& curatores qui teſtamento ſunt dati, non ſatisdant.ibid. num.6

Si ille, cui ſatisdationem exigere incumbit, illam non recipiat, aut recipiat minus idoneam, conceditur minori,mente capto, aut prodigo, actio aduerſus illum, quantum ipſis intererat, idoneam eſſe receptam. ibid.

Bona curatoris,& tutoris tacitè ſunt hypothecata minori, aut pupillo à puncto tutelæ aut curæ ſuſceptæ. ibid.

Tutor,vel curator,qui pecuniam pupilli in ſuos vſus conuertit, tenetur ad reſtitutionem totius lucri ceſſantis, vel damni emergentis,quod inde paſſus eſt pupillus,vel minor: Imo tenentur hi ad reſtituendos fructus omnes, deductis expenſis, quos ex bonis pupilli,ſeu minoris percipere poterant, ſed ſua culpa non perceperunt. ibid.n.7

Tutor,vel curator mobilia pupilli, quæ commodè ſeruari non poſſunt,poteſt ſine iudicis decreto,vendere, permutare, atque alienare congruo tempore,& hoc in locis vbi exiſtunt. ibid.

Tutela,aut cura iure communi finitur, 1. quando pupillus, aut pupilla ad annos pubertatis peruenit, 2. ſi impubes de conſenſu arrogetur, tranſit in poteſtatem patris arrogantis, 3. amittitur tutela morte,vel pupilli,vel tutoris, & capitis diminutione tutoris,4.ſi tutela ſub conditione, aut ad certum tempus data ſit,aduenientе conditione, aut finito tempore,5. quando tutor diſſipat bona pupilli, &c. hic remouendus eſt. ibid.n.8

Quando tutela,aut cura finitur,rationem integram adminiſtrationis tutor,& curator reddere tenetur. ibid.

V

Vaſallus.

VAſalli,ſeu feudatarij obligationes ſunt, 1. vt præſtet iuramentum fidelitatis domino,vel etiam obſequij,ſi ille obſequium imponat, 2. vt præſtet obſequium promiſſum, 3. vt non alienet feudum abſque domini directi conſenſu in caſibus à iure non permiſſis, 4. vt dominum feudi admoneat, quando eum neceſſitas feudi alienandi cogit. V. Feudum. p. 337.n.5.Vbi plura.ſeqq.

Venefici, Venefica.

Venefici,vel veneficæ dicuntur,quæ inficiunt homines, & animalia venenoſis rebus,quibus vtuntur ad interficiẽdos homines,& animalia,virtute Dæmonum,fœminæ appellantur ſtriges,aliquando lamiæ, quandoque fagæ,ſeu incantatrices. V. Magia. p.513.n.2.Vbi plura.

Veritas.

Veritas in iuramento tribus modis conſiderari poteſt ; 1. in re tantùm,2. in mente tantùm,3. vtroque modo ſimul in re videlicet,& in mente iurantis,& iſta tertia dicitur veritas perfecta,cùm nempe quis non ſolùm iurat veritatem, ſed etiam eam in mente tenet. V. Iuramentum. p.459.n.5

Veritas quando deeſt iuramento aſſertorio,ſemper eſt peccatum mortale in quacunque materia adhibeatur. ibid.n.6

Ex defectu veritatis conſiſtentis in concordia vocis cum animi interiori faciendi quod promittitur, iuramentum promiſſorium ſemper eſt peccatum mortale, huc res quæ promittitur ſit parua,ſiue magna. ibid. Vbi plura. n.7

Veritatem alteri celare per verba æquiuocationem,aut facti diſſimulationem,non eſt per ſe malum, ſed interdum licitum, ſi ob iuſtam cauſam fiat. V. Mendacium. p.543.n.5

Verba legis.

Quando verba legis plures habent ſenſus proprios,ſed conſtat, quem ſenſum legiſlator intenderit, talis interpretatio facienda eſt,vt verba accipiantur iuxta ſenſum,qui magis conuenire poteſt rei,de qua agitur. V. Lex 11. p.498.n.27

Quando vterque ſenſus æquè conuenit rei, nec conſtat de intentione legiſlatoris,ideundus eſt legiſlator, vel eius ſucceſſor,ſi pro legis interpretatione commodè adiri poteſt. ibid.

Quando verò legiſlator,vel ipſius ſucceſſor commodè adiri nequeat,ſi verba duplicem habeant ſignificationem æquè propriam,in pœnis benignior,& ſtrictior pars explicanda eſt, in fauorabilibus verò latior. ibid.

In legum interpretatione potiùs ſequenda eſt mens legiſlatoris, quam verba. ibid.n.26.

Verba legis,alteriuſve diſpoſitionis, in dubio ſi nihil aliud obſtet, intelligenda ſunt ſecundùm communem vſum,& acceptionem,quæ etiam proprietati præferenda eſt. ibid.

Propria verborum ſignificatio anteponenda eſt impropriæ : & verba ad impropios ſenſus trahi non debent, niſi ratio vel neceſſitas cogat. ibid.

Quatuor cauſæ cogunt recedere,vel à communi,& vſitata, vel à propria verborum acceptione. ibid.

Verbum Dei.

Verbum Dei tripliciter dicitur. 1.Verbum Dei aliud eſt,quod Deus per ſeipſum nullo alio tanquam nuncio, aut legato interueniente reuelat.Aliud eſt,quod Deus per alium tanquam legatum ſuum,loquitur,ac reuelat.V.Fides I. p.342.n.13

Verbum Dei aliud eſt ſcriptum,& aliud non ſcriptum, ſed traditum. ibid.

Verbum Dei aliud eſt,quod publicam authoritatem habet, vt ab omnibus fidelibus recipi debeat, vt eſt teſtamentum vetus,ac nouum,&c.Alterum eſt, quod publicam authoritatem non habet,ſed priuatim alicui à Deo reuelatum, & nondum Eccleſiæ ſatis conteſtatum eſt. ibid.

Veſtes.

Veſtes ſacræ benedictionem amittunt, & iterum benedicendæ ſunt,quando ita ſcinduntur,aut franguntur, vt ampliùs ad vſum ad quem deſtinatæ erant, aptæ non ſint, aut ampliùs priorem figuram non retineant. V.Benedictio. p.96.n.7

Veſtes ſacræ,quibus vtitur ſacerdos in miſſa, præter decentem ornatum,quem repræſentant, habent etiam ſuas myſticas, & ſacras ſignificationes, diuinis myſteriis plenas. V. Miſſa 11. p.570.n.21

Veſtium ſacrarum omiſſio in miſſa percuſa inaduertentia, eſt peccatum mortale. ibid.n.22

Veſtes prophanas virorum,aut mulierum illuſtrium, licet applicare ad ſacrum vſum. ibid.n.23.

Veſtibus prophanis,quæ ſunt propriæ ſæcularium, vt ſunt veſtes ſericæ,aut auro ornatæ, quæ non decent ſtatum religioſum,& paupertatem,vtens regularis, peccat mortaliter, niſi paruitas materiæ excuſet.V.Regulares. p.712.n.10

Omnes veſtes clerici coniugati extrinſecùs apparentes debent eſſe clericales,& honeſtæ, vt priuilegio aliquo gaudeat, & non ſatis eſt illi vna,aut altera veſte clericali indui. V. Clericus. ibid.n.12

Veſtes clericales, & tonſuram debet clericus coniugatus deferre tempore delicti commiſſi,vt quoad illud fori priuilegio gaudeat,nec ſatis erit eas poſtea aſſumere. ibid. p.713.n.13. Vbi plura.n.14.& 15.

Clericus in minoribus conſtitutus, ſi non incedat cum veſtibus clericalibus, & tonſura, & non obſeruet requiſita Concilij Tridentini, gaudet priuilegio canonis, *Si quis ſuadente.* V. Excommunicatio V. p.324.n.2. Vbi plura. n.3.& 4.

Vicarius.

Vicarius ex tacito, vel expreſſo Principis, legis, aut Reipubl. conſenſu à iudice Ordinario loco ſui conſtitutus, vt ex proprio ſuo tribunali vniuerſaliter iuriſdictionem vice ſui exerceat, non eſt iudex delegatus, ſed ordinarius. pag.844. num.1.

Vicariorum iuriſdictio expirat mortuo principali, aut illo amoto ab officio ac iuriſdictione : quod non contingit in aliis iudicibus ordinariis, qui non expirant eorum morte, qui

qui illos iudices conſtituerunt. ibid.n.2
Vicarij Generalis Epiſcopi iuriſdictio ſuſpenditur, ſuſpenſa iuriſdictione Epiſcopi per ipſius excommunicationem, nempe, quando eſt denunciatus, vel notorius Clerici percuſſor : & hoc verum etiam quoad negotia cœpta. ibid.
Vicarius Generalis Epiſcopi habet iuriſdictionem ordinariam; & quoties in aliquo decreto mentio fit Ordinarij, niſi ſubiecta materia aliud expoſcat, intelligitur non tantùm Epiſcopus, ſed etiam Vicarius eius Generalis, Vicarius Capituli Sede vacante, &c. p.845.n.3
Vicarij Epiſcopi, qui foranei dicuntur, non ſunt Ordinarij, ſed delegati ab Epiſcopo, aut ab ipſius Vicario. ibid.
Vicarij ipſi non poſſunt loco ſui creare alios Vicarios Generales pro ſuo libito, poſſunt tamen ex cauſa, vt iuſtæ abſentiæ, aut ægritudinis, ad tempus modicum Vicarios creare, qui ex eodem tribunali iuuicent. ibid.n.4
Quando Epiſcopus vnica commiſſione, dum conſtituit Vicarium committit illi aliquem, aut aliquos caſus, eſt Vicarius ordinarius, etiam quoad caſus commiſſos. Si autem diuiſim, & ſeorſum committantur illi caſus, eſt iuriſdictio delegata, niſi in commiſſione fiat expreſſa mentio vicariatus. ibid.n.5
Vicarius Generalis Epiſcopi, ſi ſit ſacerdos, poteſt ex officio audire confeſſiones in tota diœceſi, & aliis licentiam audiendi concedere, quamuis non ſit ſacerdos. ibid.n.6
Vicarius Generalis Epiſcopi non poteſt licentiam exercendi Pontificalia alteri concedere in ſua diœceſi, niſi ſpeciale mandatum habeat. p.846.n.7
Vicarius Generalis Epiſcopi poteſt ex officio intereſſe matrimonio, & alij ſacerdoti licentiam aſſiſtendi concedere, non autem Vicarius foraneus, niſi omnes cauſæ matrimoniales illi delegentur. ibid.n.8
Vicarius Generalis Epiſcopi poteſt remittere prævias denunciationes, quæ fieri debent in Eccleſia, de iis, qui contrahere volunt matrimonium, antequam illud contrahant, niſi Epiſcopus hanc facultatem diſpenſandi ſibi reſeruet. ibid.n.9
Vicarius foraneus non poteſt in his diſpenſare abſque commiſſione ſpeciali : Imò nec poteſt hanc facultatem Vicarius Generalis generaliter concedere, ſeu delegare, ſed tantùm ad vnam, vel alteram cauſam. ibid.
Vicarius foraneus dicitur, qui iuriſdictionem habet extra ciuitatem in qua eſt Epiſcopi ſedes, in aliqua parte diœceſis eius tribunal non cenſetur idem quod Epiſcopi : ab eius ſententia poteſt appellari ad Epiſcopum : non habet dignitatem. ibid.
Vicarius Generalis Epiſcopi ratione ſui muneris non poteſt beneficia conferre, niſi Epiſcopus id ei ſpecialiter commiſerit: conceſſa autem tali facultate, poteſt tantùm ea conferre, quæ iure ordinario ad Epiſcopum ſpectant, non verò ea quæ iure ſpeciali conferre poteſt. ibid.n.10
Vicarius non poteſt conferre beneficia ipſi Epiſcopo, à quo talem poteſtatem accepit; Vicarius enim vnam perſonam cum Epiſcopo facit : Limita, ſi Vicarius vt Ordinarius conferret, ſecus ſi vt delegatus. p.847.n.11
Subſtitutus à Vicario habente poteſtatem ſubſtituendi, poteſt conferre beneficia Vicario ſubſtituendi. ibid.
Vicarius habens ſpecialem facultatem conferendi beneficia, poteſt ea conferre, cùm extra diœceſim exiſtit. ibid.n.12
Vicarius debet creari idoneus ſcientia, ætate, & moribus, qui ſit forenſium rerum, & cauſarum peritus. Laicus autem non poteſt eſſe Vicarius, nec matrimonio iunctus. ibid.n.13
Vicarij Epiſcoporum poſſunt eſſe Prælati regulares, & religioſi de illorum licentia, ſi ſint exempti : exceptis fratribus minoribus. ibid.n.14
Quorundam ſententia eſt, Epiſcopum teneri conſtituere Vicarium, ſed contrarium amplexata eſt ſacra Rota. ibid.n.15
In generali Vicarij conceſſione conceduntur ea tantùm, quæ in generali mandato continentur, etiamſi clauſulam Epiſcopus poſuiſſet, *dantes & concedentes vt plenam & liberam poteſtatem*. Non tamen potuit Vicarius ea expedire, quæ ſpeciale mandatum poſtulant. p.848.n.16
In commiſſione Vicariatus, non eſt neceſſe exprimere nominatim omnes caſus, ſufficit enim aliquos exprimi cum clauſula generali, & ad omnia alia, etiamſi ſpeciale mandatum exigant. ibid.
Inter Vicarium, & Delegatum eſt differentia; nam Delegatus eſt ille, cui iudex committit cauſam in locum ſuiipſius, & vices ipſius gerit: ſed Vicarius eſt, quem ſuperior conſtituit loco abſentis, defuncti, vel impediti. ibid.n.17
Quando Vicarij conſtituuntur à Generalibus, aut Prouincialibus, itaut vice eorum ibi conſtituantur, habent iuriſdictionem ordinariam, non delegatam. Vicarij autem conuentuum conſtituti à Prælato locali iuriſdictionem tantùm delegatam habent, & non poſſunt ſubdelegare. ibid.
Vicariis conſtitutis à Generali, aut Prouinciali, omnia Priuilegia Prælatis localibus conceſſa, ipſis communicantur, imò tempore quo eorum durat officium videntur tales eſſe verè Prælati, nec poſſunt Superiores locales limitare eorum Vicariorum auctoritatem. ibid.
Vicarij conſtituti à Guardianis non ſunt verè Prælati, nam in præſentia Guardianorum nullam habent auctoritatem; & ſi Guardianus moriatur, ſeu priuetur, ſtatim deſinunt eſſe Vicarij, quod non contingit in aliis Vicariis, qui inſtituti ſunt à Prouinciali. ibid.
Vicarius conſtitutus à Guardiano poteſt ab ipſo amoueri; ſecus ſi à Superiore maiore: hic enim non poteſt à munere Vicariatus amoueri inconſulto Superiore. ibid.

Vidua. Viduus.

Alimenta debita viduæ ab hæredibus viri, primo anno à morte viri, quo dotem conſiſtentem in pecunia, aut aliis rebus mobilibus non reſtituunt, prout poſſunt, non debentur, ſi intra eum annum luctus, ſecundò nubat : Limita, niſi ſecundus vir ita egeat, vt vxori alendæ non ſit, v. Alimenta. p.55.n.19
Quando hæredes mariti ſunt in mora ſoluendi dotem, vidua poteſt in vtroque foro omne damnum ob dilationem illi ſubſecutum repetere, ſimiliter & lucrum ceſſans, v. Mutuum. p.585.n.24
Quando ex dilatione ſolutionis dotis vidua nullum intereſſe incurrit, poteſt percipere fructus pignoris, aut quantitatem ipſam pecuniariam, donec ei ſoluatur dos, modo concurrant tres conditiones. ibid.
Si viduus fœminæ, quam ducit, dotem conſtituat, credens eſſe Virginem, aſſiter nullatenus conſtituturus, nec cùm ad ipſam accéſſit, nouit virginitatis defectum, tenetur ea fœmina, iuxta aliquorum ſententiam, dotem reſtituere. Sed alij dicunt hanc conſtitutionem dotis, eſſe donationem prohibitam inter coniuges, v. Dos. p.250.n.6

Virtus.

Virtus habet tres gradus : nam alia eſt vera, alia viua, alia perfecta: vera eſt inclinatio in bonum honeſtum, quatenus honeſtum, & hæc poteſt conſiſtere cum peccato mortali, veniali & originali; v. Peccatum. p.639.n.2
Virtus viua eſt vera virtus in homine iuſto, ſeu habente charitatem, quæ eſt vita animæ & omnium virtutum : & excludit peccatum mortale, ſed conſiſtit cum peccato veniali. ibid.
Perfecta virtus eſt viua in homine, cui nihil deeſt ad integram iuſtitiam; excludit omne peccatum, ac propterea omnibus reſeruatur in patria, vnicâ exceptâ mente Dei, quæ in via perfectionem iuſtitiæ conſecuta eſt. ibid.
Quamuis Sancti Patres in ſolis iuſtis agnoſcant veras virtutes, cauendum eſt tamen ab hoc modo loquendi, nam à duobus Pontificibus damnata eſt hæc propoſitio. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*. ibid.

Vis.

Vim licet afferre debitori, ſi non poſſit aliter res propria recuperari, quando illa extat in propria ſpecie apud alterum, vnde poſſet tunc ſurripi, vel occultè, vel apertè etiam, & ſi quis reſiſtat, poterit ſe armis defendere, v. Debitor. pag. 201.n.6
Quando res non extat, ſed tantùm eſt debita, tunc non licet aliquid aliud ſurripere violenter, & poſſet debitor rem ſuam armis defendere. ibid.

Viſitatio.

Viſitatio nihil aliud eſt, quàm exceſſus inquirere, & inquiſitos caſtigare & emendare, atque obſeruantiam obligationum iuxta cuiuſque perſonæ, ac rei exigentiam, vbi adhuc viget, conſeruare, & vbi deficit, in ſtatum priſtinum reſtituere. p.849.n.1
Ius viſitandi & poteſtatem habet omnis Prælatus Eccleſiaſticus, cui iuriſdictio & adminiſtratio conuenit. ibid.n.2
Viſitare poſſunt ac debent iure ordinario præter Romanum Pontificem, Legati à latere. Legati Pontificij, qui non ſunt à latere, ſed dicuntur nati. Legati autem, qui miſſi, ſiue Nuncij Apoſtolici vocantur, poſſunt quidem viſitare, ſed non debent, niſi viſitandi onus eis ſit ſpecialiter impoſitum, vel neceſſitas poſtulet. ibid.
Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi ius viſitandi habent : Decani autem, Archidiaconi, Archipresbyteri, Plebani & alij inferiores viſitandi ius habent, ſi id longa conſuetudine præſcripſerint. ibid.
Abbatibus, Prioribus, Generalibus, Prouincialibus, aliiſque regularium Præfectis competit ius viſitandi Monaſteria ſibi ſubiecta. Imò quædam Abbatiſſæ & Prioriſſæ viſitare poſſunt Monaſteria & alia loca ſibi ſubiecta, per religioſos probatoſque viros, & ibi ceſſabit officium Ordinarij. ibid.
Capitulum ſede vacante poteſt viſitare Eccleſias Epiſcopatui ſubiectas : imò Capitulum aliquando ſuperſtite adhuc Epiſcopo ex præſcriptione vel priuilegio viſitandi ius habet. ibidem.

Vicarius generalis Episcopi hoc in visitandi non habet, nisi specialiter id ab Episcopo sit commissum. ibid.
Visitator quilibet debet priùs visitare & emendare seipsum & familiam suam; eiiciendo prius trabem de oculo suo, quam festucam de oculo fratris sui. ibid.n.2
Visitari possunt & debent à Summo Pontifice omnia regna, provinciæ, terræ & gentes, totus enim Christianorum orbis est Summi Pontificis Diœcesis. ibid.
In specie visitare potest Summus Pontifex per se vel per alios omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates & quascumque Ecclesiasticos cuiuscumque conditionis sint. ibid.
Visitat etiam Imperatorem & Reges quoscumque necnon alios Principes, Duces, Marchiones, &c. Iudices, cæterosque magistratus, sicut omnes Ecclesias tum Cathedrales, quàm Collegiatas, &c. ibid.
In Concilio Tridentino statuitur vt Patriarchæ, Primates metropolitani & Episcopi propriam diœcesim per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, visitatorem, si quo annis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen, vt totu biennio per se vel visitatores suos, compleatur, visitare non prætermittant. p.850.n.4
Visitatio Ecclesiarum, quæ nullius sunt diœcesis, ad Episcopum etiam spectat, cuius Cathedralis Ecclesia est proximior. ibid.
Episcopi in visitatione suarum diœcesium incipere debent ab Ecclesiis Cathedralibus earum, & Capitulis Ecclesiarum ipsarum Cathedralium. ibid.n.5
Concilij Tridentini decreta non sustulerunt facultatem aliàs ex immemorabili obtinuata consuetudine, Decano & Capitulo, singulares capituli ipsique subiectas personas cumulatiuè cum Episcopo, seorsim tamen ab eodem visitandi & corrigendi. ibid.
Non licet Episcopo visitationem aggredienti, proponere edicta, quibus subditi subeantur crimina detegere. ibid.
Hospitale nouiter fundatum, ipso fundatore superstite, visitari non potest, nisi habeat formam Ecclesiæ, aut sit fundatum authoritate Episcopi. ibid.n.6
In dubio præsumitur hospitale fundatum authoritate Episcopi, si locus ab antiquo sit in forma Ecclesiæ vbi sacerdotes celebrant, & cymbalum est constitutum super tectum, &c. ibid.
Non potest Episcopus visitare Hospitale, quando fundator in fundatione Episcopum à visitatione exclusit. ibid.
Iuxta Tridentinum, hospitalia & confraternitates, quæ sunt sub immediata Regum protectione, Episcopi visitare non debent sine eorum licentia. p.851.n.7
Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus visitat loca exempta Summo Pontifici immediatè subiecta: nisi talia loca sint subiecta alicui alteri Prælato, tunc Prælatus visitabit, non Episcopus. ibid.n.8
Episcopis non competit ius visitandi Ecclesias Ordinum militarium & aliorum regularium exemptorum. ibid.
Ecclesiæ regularium, quibus cura animarum secularium personarum est annexa, in concernentibus ipsam curam Ordinario sunt subiectæ, & ab eodem visitari possunt. ibid.num.9
Ordinarij possunt visitare capellas confraternitatum laicorum erectas in Ecclesiis regularium. p.852.n.10
Commendata monasteria, etiam Abbatiæ, Priorates & Præposituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis observantia, ab Episcopis etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, annis singulis visitari debent. ibid.n.11
Ex Concilio Tridentino, vbi agitur de visitatione, aut morum correctione, procedit omni & quacumque appellatione, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interpositâ semotâ, quæ executionem nullo modo impedire, aut suspendere potest. ibid.n.12
Quando Episcopi procedunt sine processu & sine scriptis, etiam carcerando & carceratos detinendo, si carcerati appellauerint potest iudex appellationis cognoscere de prætenso excessu in corrigendo: interim tamen non suspenditur executio eorum quæ ab Ordinario decreta sunt. ibid.
Si Episcopus formato processu & seruatis seruandis procedat, tunc à sententia definitiua tantùm admittitur appellatio, quæ suspendit iudicatum: Aliàs in causis visitationis aut correctionis morum, appellatio quoad effectum deuolutiuum tantùm admittitur. ibid.
Visitator Ecclesiasticus si excedat modum visitationis & correctionis veluti annuendo possessorem triennalem, &c. à beneficio, tunc est locus appellationi, & sententia visitatoris non est exequenda appellatione remota. ibid.
Visitator laicus sit Episcopus siue Prouincialis non potest impediri, quantumcumque suspectus sit, ne visitet ex officio visitatione generali & ordinariâ, prout decreuit Paulus V. p.853.n.13.
Ex iure Canonico certum est posse iudicem Ordinarium ex iusta causa recusari; modo recusatus seruet quæ in eodem iure sunt decreta. De iure autem ciuili sufficit dicere se iudicem habere suspectum dummodò iuret recusans se calumniæ causâ illum non recusare. ibid.n.14
Regulares possunt recusare vt suspectum iudicem ordinarium ex iusta causa, quamuis quidam contrarium doceant. ibid. num.15
Si apud regulares adsit statutum de non recusando iudice Ordinario, intelligi debet de recusatione ex causa friuola, non autem ex causa iusta & graui. p.854.n.16
Statutum omninò tollens recusationem iudicis ex quacumque causa, vi ipsius irritum, quia iniustum & contra iustitiam, bonum publicum & legem naturalem. ibid.
Visitatores debent quanto citius possunt se expedire ne grauent subditos sumptibus. ibid.n.17.
Ecclesiæ inferiores visitantibus moderatas procurationes soluere tenentur, iuxta modum & qualitatem iure præstandum. ibid.
In visitatione præter procurationem ab Ecclesiis, nihil muneris accipere potest visitator; non tantùm ipse, sed nec etiam quisquam suorum, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ ac restituendi duplum infra mensem non obstante remissione partium. ibid.
Contra visitationem, iure communi vel speciali competentem, præscriptio multis modis contingere potest: præscriptio tamen tollens omninò visitationem non valet & iure prohibetur: sed præscriptio quæ visitationem transiert, vel aliis accumulata, admittitur. p.855.n.18.

Vnio beneficiorum.

Vnio est plurium beneficiorum seu Ecclesiarum à legitimo superiore facta annexio. v. Beneficium III. p.103.n.10
Vnio beneficiorum tripliciter fieri potest. 1. vt ex duobus vnum fiat; aut si ex duabus parochiis fiat vnica. 2. vt Ecclesia vna alteri subiiciatur. 3. fit vnio duarum Ecclesiarum, vtraque manente Episcopatu, vel parochiali, vt prius erat. Ibidem n. 1. vbi plura de hac vnione, per totum titulum.

Vitium.

Inter vitium peccatum & culpam est discrimen: vitium enim distinguitur à peccato & culpa in eo, quod vitium & in habitibus & in actibus virtuti contrariis, at peccatum & culpa solùm in actibus consistunt, v. Peccatum. p.639.n.1
Quodlibet vitium sufficiens ad faciendum matrimonij diuortium, sufficiens etiam est ad dissoluenda sponsalia, si post illa cognoscatur. v. Sponsalia. p.807.n.11

Votum I.

Voti nomen deductum esse videtur à voluntate vouentis, quasi à primo mouente eo quod voluntas mouet rationem ad promittendum Deo aliquid circa ea, quæ eius voluntati subduntur. p.856.n.1
Votum solummodò fit Deo vel immediatè & expressè vel mediatè & tacitè, vt quando vota fiunt Sanctis. ibid.
Votum factum ex metu graui illato à causa intrinseca, validum est & obligatorium. Similiter quoties metus non est incussus gratia extorquendi voti, siue proueniat à causa naturali, siue libera, quantumuis grauissimus sit non irritat votum. p.857.n.2
Votum factum ex metu graui iniustè incusso à causa extrinseca, seu libera, id est ab homine, ad extorquendum votum, non est validum, sed irritum, nullam habens vim obligandi vouentem ad talem promissionem adimplendam. ibid.
Quando vouens non cognouit metum sibi incuti ad extorquendum votum, illud videtur validum, etiamsi minans haberet animum incutiendi metum ad talem finem. ibid.
Metus grauis seu cadens in virum constantem incussus iniustè gratia extorquendi voti, solo iure Ecclesiastico votum irritat, quamuis quidam velint, etiam iure naturali. ibid.n.3
Votum metu graui extortum non solùm iure naturæ, sed etiam Ecclesiastico est validum ab infideli emissum. ibid.
Votum est adimplendum, quando dubitatur an factum fuerit per metum grauem: probabile tamen est non esse obligatorium. ibid.n.4
Votum metu graui emissum & iuramento confirmatum, non obligat ratione iuramenti. p.858.n.5
Materia ad vouendum est sufficiens nec conueniens, quæ simpliciter est necessaria & necessariò sequitur à causa naturali, vt est votum de moriendo, &c. ibid.n.6
Opus malum seu illicitum mortaliter vel venialiter non potest esse materia voti. ibid.n.7
Votum multis modis potest esse illicitum. 1. promittendo opus malum, quod in se est illicitum. 2. promittendo opus bonum sed propter finem malum. 3. promittendo Deo aliquod opus bonum in gratiarum actionem pro re aliqua illicita obtenta. 4. promittendo aliquod bonum sed ob finem illicitum obtinendum. In his casibus votum est nullum & committitur peccatum. ibid.n.8

Digitized by Google

Quando quis promittit licitum pro petitione licita, ex cauſa tamen turpi pendente: hoc votum quamuis illicitum, eſt tamen validum, & obligatorium, ſi conditio adimpleatur. ibid. num. 9

Votum ſi...ccum contra prius votum, ſeu iuramentum eſt validum, in vtrumque votum ſit compoſſibile, itavt vnum alterum non impedat quoad executionem; & tenetur votens vtrumque votum adimplere, ſium poterit. ibid. n. 10

Quando votum ſecundum eſt incompoſſibile cum priori, & eſt Deo gratius, hoc eſt adimplendum. Si ſecundum eſt minus gratum Deo, ſeri audum eſt prius: ſi vtrumque votum eſt æquale, & ambo ſunt incompoſſibilia, adimplet votens quodcumque voluerit. ibid.

Votum factum contra prius iuramentum, ſi ſit incompoſſibile cum iuramento, ſeruandum eſt iuramentum. ibid.

Promiſſio de re aliqua contra prius votum non eſt valida, quia eſt de re illicita. Tamen geſta rei licitæ contra prius votum, regulariter loquendo, valida ſunt, quamuis illicita. Idem dicendum de iuramento, niſi aliunde ſint irrita. pag. 859. num. 11.

Votum rei bonæ, ſed propter finem temporalem, ſeu indifferentem, non eſt validum, ſi fini, ille ſit ipſius rei promiſſæ principalis, & totalis. Contrarium tamen eſt etiam probabile. ibid. n. 12

Si quis rem bonam vouerat, tanquam medium, vt à Deo impetret rem temporalem, ſeu indifferentem, obligabitur voto. ibid.

Votum validum eſt, quo quis vouet aliquid, quod à principio eſt indifferens, aut malum, aut impoſſibile, aut contra conſilia, ſi tempore executionis materia eſt apta, ſeu bonum poſſibile, aut conſiliis conſonum. ibid. n. 13

Quamuis ſolus homo viator ex ſe, & ex natura rei poſſit Deo vota facere, tamen quilibet homo non poteſt validè votum facere, ex quo inſurgat obligatio illud adimplendi. pag. 860. num. 14

Validè vouere non poſſunt iure naturæ omnes, & ſinguli infantes, & pueri antequam adepti ſint vſum rationis, nec amentes, nec ſtolidi, aut phrenetici, aut ebrij, quamdiu in tali ſtatu ſunt. ibid.

Ex iuris præſumptione ante ſeptennium non præſumitur puer habere vſum rationis ad vouendum. ibid.

Poſt Concilium Trid. nemo poteſt voto religionis ſolemni obligari ante 16. annum expletum: nec ſacris ordinibus initiari ante 22. ætatis annum: ſi tamen quis doli capax ante annos pubertatis ordinem ſacrum ſuſcipiat, poteſt ſe obligare voto ſolemni continentiæ, & tale votum Eccleſia acceptat. ibid.

Vota parentum vouentium infantes religioni, non obligant infantes, niſi ipſi poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint, tale votum liberè & ſponteè ratificauerint, vel approbauerint. ibid. n. 15

Seruus nullum votum reale poteſt validè emittere: niſi habeat aliqua bona, quæ à domino ſuo auferri non poſſint. Poteſt item illa vota emittere, quæ non impediunt dominium, & obſequium domini ſui, nec irritari à domino poterunt. ibid. num. 16.

Neque vir, neque vxor vouere aliquid poteſt, quod directè, vel indirectè tendat in præiudicium ſtatus matrimonialis, ſine alterius conſenſu. p. 861. n. 17

Vxor vouere poteſt ea, quæ non ſunt in præiudicium viri, ſicut è contra, vt ſint vota de non mentiendo, de non adulterando, & ſimilia. ibid.

Epiſcopi non poſſunt vouere ſine licentia Papæ, vel poſt Epiſcopatum votum emiſſum implere, per quod diſſoluitur vinculum quo ſuæ Eccleſiæ ſunt adſtricti. ibid. n. 18

Nec poſſunt Epiſcopi, quippiam vouere, quod in graue ſuarum Eccleſiarum, quibus præſunt, detrimentum cedat, ſine licentia Papæ, pura, longam aliquam peregrinationem. ibidem. Epiſcopus vouet religionem poſtquam iam eſt conſecratus, tenetur petere licentiam à Papa, qua obtentâ tenetur votum implere, non obtenta autem liber eſt à voto. ibid.

Si Epiſcopus vouit religionis ingreſſum ante conſecrationem ſuam tenetur priùs votum implere. ibid.

Si Epiſcopus vouet aliquam longam peregrinationem ſine licentia, quamuis ad eam non teneatur, tenetur tamen ad expenſas, quæ factæ fuiſſent eundo, & redeundo; laborem autem itineris, vigiliis, ieiuniis, & orationibus compenſare debet: quamuis quidam hoc non approbent. ibid.

Votum modicæ peregrinationis, vel precum, vel abſtinentiarum, poſſunt Epiſcopi emittere ſine licentia Papæ. ibid.

Clerici in dignitate conſtituti, aut curam animarum, ſeu beneficia reſidentiam requirentia habentes, non poſſunt aliquam longam peregrinationem, aut aliquid aliud in detrimentum Eccleſiarum, quibus præſunt, ſine licentia Epiſcopi vouere. Alia autem vota emittere poſſunt. ibid. n. 19

Poſſunt etiam hi votum religionis facere, & exequi, quantumuis contradicat Epiſcopus, nec tenetur ab eo licentiam petere, vt votum ſuum religionis exequantur. ibid.

Filiusfamilias pubes votum reale ante 25. annum emittere non poteſt, quin à parentibus irritari queat, vel à curatoribus, niſi habeat bona caſtrenſia, vel quaſi. p. 862. n. 20

Religioſi poſſunt votum emittere abſque Superioris conſenſu, quamdiu Prælatus non commutauerit, diſpenſauerit, aut irritauerit. Si tamen aliquid regulæ repugnans vouerit, non poteſt votum exequi antequam Superior conſenſerit, & in regula diſpenſet. ibid.

Vota facta ab aliqua communitate pro ſe, & ſuis Succeſſoribus, tenentur ſucceſſores illius populi ſeruare, ſi de conſenſu Epiſcopi emiſſa ſunt: & hoc non ratione voti, ſed ratione conſuetudinis acceptatæ, quæ vim legis habet. ibid. n. 21.

Donatarius non tenetur ad realia donatis vota, ſi donans ſua vota præſtare nequiuit, aut non ſit ſoluendo, aut mortuus ſit, etiamſi donatarius acceperit ſciens donantem effici impotentem ob id ad perſoluendum votum. ibidem. num. 22.

Hæres illius, qui profeſſionem in religione approbata emiſit, non tenetur ad vota realia religioſi profeſſi, niſi forte hæc vota priùs acceptata fuerint ab eo in cuius fauorem facta ſunt. ibid. n. 23

Si religioſus tempore profeſſionis expreſsè incenderit ſua vota non extingui, nec in onera religionis commutari, probabilius eſt, nec monaſterium, nec quemcumque alium hæredem teneri ea perſoluere. ibid.

Quando vouens emiſit votum reale ſimpliciter, & eo non adimpleto mortuus eſt, obligatio voti tranſmittitur ad hæredem poſtquam hæreditatem adiit. p. 863. n. 24

An autem obligetur hæres, ſi defunctus ante mortem expreſsè dixerit nolle hæredem ad ea vota teneri? Quidam negant, alij affirmant probabiliter. ibid.

Quando in voto pœnali clauditur vitatio alicuius rei, & ſolutio pœnæ, ea re non vitata, duplex votum eſt ſaltem virtute, alterum abſolutum, alterum conditionale. ibidem, num. 25.

Quando votum ſit de ſola pœna, & res vitanda punitur ſub conditione, in cuius euentu promittitur pœna, vt ſi quis vouerat religionem, ſi luſerit, tunc eſt vnicum ſolius pœnæ ſubeundæ votum, caſu quo ludatur. ibid.

Quando materia principalis voti, vel iuramenti verè pœnalis eſt inepta, non obligat votum pœnale: & idem dicendum, ſi eſſet votum ſolius pœnæ. caſu quo verè pœnale eſt. ibid. n. 26

Quando auferetur principalis voti obligatio per irritationem commutationem, vel diſpenſationem ante incurſam pœnam auferetur conſequenter oblatio pœnæ. Secus ſi prævaricatio voti ſemel accidit, ideoque pœna contracta eſt. ibidem. num. 27.

Votum pœnale obligat ad pœnam toties quoties illud violauerit, quando vouens expreſsè illud intendit: E contra ſi expreſſit ad ſolam primam vicem, ſola ea obligatur. ibidem. num. 28.

Quando vouens nihil expreſſit, ſed abſolutè dixit, voueo non ludere, & ſi ludero vouco dare centum in eleemoſynam, tunc votens non ſolùm pro prima vice obligatur, ſed ſemper & toties quoties prævaricabitur votum, ſi pœna iterabilis eſt, ſi verò iterari non ſolet, de prima vice tantùm votum intelligendum eſt, vbi non conſtaret de alia expreſſa vouentis intentione. ibid.

Probabile tamen eſt, quando ſolum eſt votum de ſubeunda pœna in caſu ludi, illud obligare tantum ad pœnam pro prima vice. ibid.

Quando tranſgreſſio voti pœnalis immunis eſt à culpa ratione obliuionis, excuſatur etiam à pœna: idem dicendum ſi quis ſit immemor pœnæ, votum tranſgreditur. p. 864. num. 29

Votum merè conditionale eſt, quando conſenſus non eſt ſtatim perfectus, & abſolutus, ſed pendet ex futuro euentu poſito ſub conditione, & non quaſi determinatione temporis, nec res promiſſa ponitur quaſi odioſa pœna, & ſupplicium alicuius rei. ibid. n. 30

Votum conditionale aliquando eſt verè tale; aliquando autem tantùm apparenter. ibid.

Conditio, quæ in toto apponitur, aut eſt contra ſubſtantiam voti, aut eſt impoſſibilis, aut turpis, aut neceſſaria, aut contingens, & honeſta. ibid.

Votum factum ſub conditione contra naturam, & ſubſtantiam voti, aut rei, quæ voto promittitur, eſt inualidum. ibid.

Votum factum ſub conditione impoſſibili, inualidum eſt; ſiue conditio impoſſibilis ſit præſentis, ſiue præteriti, ſiue futuri temporis, etiamſi vouens reputaret eam conditionem poſſibilem. ibid. n. 31

Conditio turpis vt plurimum reddit votum inualidum, quando vouens cupit talem conditionem euenire: ſi tamen in aliquo caſu vouens ad illam conditionem turpem non dirigat votum, illud eſſet validum. ibid. n. 32

Conditio neceſſaria non ſuſpendit voti valorem, ſed ſtatim eſt perfectè obligans: ſi tamen tempus aliquod promiſſum adiiciatur, non obligabit votum vſque ad id tempus. ibid.

Condi-

Conditio contingens futuri temporis, & honesta ſuſpendit voti obligationem, illudque verè conditionale reddit, non obligans, donec ea euenerit: ſed ſi votum conditionale ſit diſtinctiuum, implet vna parte obligat. p.865.num.33
Quando votum emittitur ſub pluribus conditionibus, & vouens intendit ſe obligare dependenter ab adimpletione omnium conditionum, deficiente vna, definit obligatio voti. ibid.n.34.
Si mens vouentis ſit ſe obligare dependenter diuiſiuè, obligabit votum, vna euenience, etſi cæteræ deficiant. ibid.
Quando dubium eſt vtro horum modorum intenderit ſe obligare, non tenetur quis ſtare voto, antequam adimpleæ ſint omnes conditiones appoſitæ copulatiuè per particulam &. Non verò diſiunctiuè, per particulam vel. ibid.
Conditio apponi debet in ipſo vouendi, ſeu promittendi actu, non poſtea. ibid.
Vouens aliquid ſub conditione futura, non poteſt aliquid facere, quo ſe reddat inæptum ad voti executionem, ſecuta conditione: Limitatur tamen hæc propoſitio dupliciter. ibid. num.35
Si aliquis per fraudem impediat, quominus conditio eueniat, an voto obligetur perinde, ac ſi conditio implera eſſet? Probabile eſt quod non: ſed contrarium eſt probabilius. num.36
Qui ex profeſſo quidem non impedit conditionem in voti fraudem, ſed ex graui ſua negligentia eius euentum impedit, tenetur voto, ſed non ſemper. p.866.n.37
Qui vouit aliquid ſub conditione ſi alius ſibi conſuluerit, vel voluerit, non poteſt ab eo petere ne id conſulat, aut vt nolit, ne voto teneatur. ibid.n.38
Qui Deo vouet ſe ingreſſurum religionem ſub conditione conſenſus paterni, ſtatim obligatur, & cenſetur implera conditio, ſi pater re cognitâ voto conſentiat, licet poſtea diſſentiat. ibid.n.39
Qui votum religionis emiſit ſub conditione paterni conſenſus, ſi de facto procuret precibus, & rationibus, ne pater conſentiat: An talis faciat contra votum? alij negant, alij affirmant. ibid.
Laudabile eſt & ſecundùm ſe bonum conſulere aliquibus ingreſſum religionis, imo etiam vt ſe obligent voto ad ingrediendum, ſed non ſemper, id aliquibus erit expedicns: pag. 867.n.40
Qui votum religionis emiſit, tenetur facere quantum in ſe eſt, vt ad religionem admittatur, moralem diligentiam, & humano modo poſſibilem adhibendo: nec ſufficit ficta petitio, exteriùs manifeſta verbis, aut nutibus. ibidem, num.41
Qui vouit mori in religione, cenſetur votum religionis emiſiſſe, & profeſſionis, & perſeuerantiæ. ibid.n.42
Votum volendi ingreſſum religionis, non eſt votum religionis: vnde ſatisfiet huic voto habita ſemel ea firma voluntate, nec obſtabit matrimonio ineundo. ibid.
Qui vouit religionem, ad quam probabiliter putat ſe admittendum, ſi votum religioſis manifeſtet non tenetur manifeſtare: quamuis non ſit improbabile teneri. ibidem, num.43.
Vouens principaliter caſtitatem, & religionem, tenetur ad caſtitatem in ſæculo ſeruandam, etſi à voto religionis liber ſit, eo quòd non admittatur. ibid.n.44
Quando principaliter vouit religionem, & veluti accessoriè caſtitatem, liberatus voto religionis, liberatur quoque voto caſtitatis. ibid.
In dubio, an quis vouerit caſtitatem principaliter, & independenter à religione, conſideranda ſunt verba voti. ibid.
Habens votum religionis, & illam ingrediens animo exeundi, voto non ſatisfacit, ſed tenetur voluntatem mutare ex vi voti, & habere animum experiendæ religionis, num eius inſtitutum ſibi conueniat. p.868.n.45
Si quis intrauit religionem animo exeundi, cum voluntate tamen dandi operam, vt Deus immutet propoſitum ſuum, ſatisfaceret voto, aliter non. ibid.
Vouens ſe ingreſſurum religionem, & in ea perſeueraturum, ſeu profeſſurum, iuxta quoſdam Doctores, ſatisfacit voto ingrediendo bona fide ad religionem experiendam, & poſtea ex iuſta cauſa egrediendo, ſed verius eſt teneri ex vi voti perſeuerare, & profiteri: ſi autem expellatur, non teneri iterum ingredi. ibid.n.46
Verius eſt vouentem religionem abſolutè, nihil de exeundi libertate determinando, non ſatisfacere voto, retrocedendo ex ſola libertate nouitiis conceſſa, ſed exigi iuſtam exeundi cauſam. ibid.n.47
Quædam iuſtæ cauſæ adducuntur egreſſus, vt vouens religionem, & ab illa egrediens cenſeatur voto ſatisfeciſſe. p.869. num.48
Qui poſt votum religionis matrimonium contraxit cum animo conſummandi, peccat mortaliter: ſemel tamen conſummato matrimonio poteſt petere, & reddere debitum: at ſoluto matrimonio, vel legitimo diuortio facto, tenetur ingredi religionem. ibid.n.49
Qui vouit arctiorem religionem, ſi ingrediatur laxiorem, peccat quidem mortaliter, at ſi profiteatur, valida eſt profeſſio, & manet liber à voto ſtrictioris. ibid.n.50
Vt hic peccet ingrediendo laxiorem (in qua nimirum profiteri vouit) requiritur, vt non ſolùm vouerit ingredi ſtrictiorem, ſed etiam profiteri in ea: at quando non eſt votum profitendi in ſtrictiori, ſed tantùm ingrediendi, licebit quandoque in laxiori profiteri. ibid.

VOTVM II.

Quoad eius irritationem.

Irritatio votorum impropria, & indirecta ſuppoſita ſubiectione vndecumque orta, huic naturæ competit ſuperioribus. p. 870.n.1
Irritatio propria, & directa, quæ competit Prælatis religionum, Patri, Domino, Marito irritandi vota, ſecundùm communiorem ſententiam, non ex iure Canonico, vt volunt quidam, ſed ex iure naturali deſcendit. ibid.
Poteſtas irritandi, commutandi, vel diſpenſandi vota extenditur ad vota quamcumuis interna. ibid.n.2
Habentes dominatiuam poteſtatem irritandi vota, non ſolùm emiſſa, ſed etiam impoſterum emittenda, poſſunt irritare, interdicendo ſubditis, ne ipſis inconſultis vota emittant. ibid.n.3
Quando ſuperior ſolùm vouendi actum interdixit, nihil circa materiam voti diſponens, culpa eſt vouere contra id præceptum, at votum eſt validum. ibid.
Varij varie ſentiunt, an Superiores poſſint irritare vota emiſſa tempore ſubiectionis, implenda tamen tempore illius ſolutæ? Probabilior tamen ſententia aſſerit, eam poteſtatem omnibus Superioribus habentibus dominatiuam poteſtatem competere. p.871.n.4
Verius eſt, quod quando poteſtas Superioris, cuius tempore votum emiſſum eſt, non eſt omninò extincta, aut omninò ſuſpenſa, ſed quoad aliquid manet, poteſt irritare votum ſubiectionis ſuæ tempore emiſſum, etſi illud iam tranſierit, dummodò eo tranſacto non ſit denuò confirmatum. ibid.n.5
Quando Superioris poteſtas eſt omninò extincta, aut omninò ſuſpenſa, non poteſt ille irritare vota ſubiectionis ſuæ tempore emiſſa. ibid.
Curator poteſt irritare puberum minorum vota omnia realia & mixta, quæ pater irritare poterat, dum tamen minor ætas durat, non poſt. p.872.n.6
Pater autem poteſt illa vota irritare quamdiu filius eſt ſub ſua poteſtate, etſi viginti quinque annum excedat. ibid.
Vota realia de peculio caſtrenſi, vel quaſi, non poteſt curator irritare: vota autem perſonalia puberum minorum præiudicantia gubernationi domeſticæ, quæ irritari poſſunt à patre, poſſunt etiam à curatore. ibid.
Quando plures minori curatores ſunt conſtituti, quilibet ipſorum poteſt eius vota irritare. ibid.
Curator datus maiori ratione prodigalitatis, poteſt irritare illius vota realia eo tempore cum emiſſa tantùm, & non alia. ibid.n.9
Mater, quæ filiorum curatrix non eſt, nulla vota realia puberum poteſt irritare. ibid.n.8
Mater viuente, aut longè abſente patre nulla impuberis vota poteſt verè irritare, nec etiam deſtituto patre, ſi impubes ille tutorem habeat: tamen in vtroque caſu poteſt mater voti obligationem ſuſpendere, quando ei vota illa præiudicant ex parte materiæ. ibid.
Mater poteſt quæcunque filij impuberis vota irritare, quando, aut pater obiit, aut ita longè abeſt, vt per epiſtolam conſultus, nequeat reſpondere longiſſimo tempore expectato, dummodò in neutro caſu ſit aliquis illius impuberis tutor. ibid.
Verius eſt filiis impuberibus, aut minoribus prætendentibus notabiliter ſe læſos in votis, non competere reſtitutionem in integrum. p.873.n.9
Vota ante ſubiectionem emiſſa nequeunt propriè, & directè irritari, ſed tantùm imperfectè, & indirectè, vt eſt, ſuſpendi à poteſtate ſequenti dominatiua, quatenus obſequio ei debito præiudicant. ibid.n.10
Quando ſuperiores, qui non poſſunt perfectè irritare vota ante ſubiectionem emiſſa, ſed tantùm ſuſpendere, conceſſum poſtea facultatem implendi, aut ceſſat eorum poteſtas, vota reuiuiſcunt, & priſtinam obligandi vim recuperant. ibid.
Excipiuntur tamen vota ante religionis profeſſionem emiſſa, quæ ſi per profeſſionem non extinguantur, poſſunt poſt profeſſionem à Superioribus irritari non aliter, quam ſi poſt profeſſionem emiſſa eſſent. ibid.

Poteſtas irritandi vota religioſorum competit Summo Pontifici: Epiſcopo reſpectu non exemptorum, Generalibus, Prouincialibus, Superioribus localibus, Abbatibus, Prioribus, &c. viſitatoribus, nili aliàs iurisdictio eſſet ad aliquos actus limitata. ibid.n.11

Hæc facultas non competit horum Prælatorum Vicariis, niſi in abſentia eorum, quando tota conuentus gubernatio ad ipſos ſpectant, tanquam vices illius gerentes. ibid.

Superior Prælatus poteſt ſibi reſeruare aliquam votorum irritationem. ibid.

Licet Prælati religiosum poſſint irritare vota ſuorum ſubditorum, hinc tamen excipienda ſunt vota, quæ vltra tria religionis ſubſtantialia emittuntur in aliquibus religionibus, ex approbatione Sedis Apoſtolicæ. ibid.

De Commutatione, & Diſpenſatione voti.

Commutatio, & redemptio voti differt à diſpenſatione: quia per diſpenſationem tollitur voti vinculum, non autem per commutationem, in qua ſola voti materia tranſmutatur, eodem vinculo manente. p.874.n.12

Poteſtas commutandi vota eſt iurisdictionis ſpiritualis à Chriſto conceſſa, non autem iure naturali poteſtas; & ad illam exigitur iurisdictio in foro externo. ibid.n.13

Poteſtas commutandi vota in rem manifeſtè meliorem, vel cuidem æqualem, non eſt actus iurisdictionis, ſed fieri poteſt proprio cuiuſque vouentis arbitrio. ibid.

Qui habent poteſtatem commutandi vota virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, vel Priuilegiorum, poſſunt commutare vota facta in tuitu obtinendæ commutationis virtute illorum trium. p.875.nu.14

Quoties poteſt diſpenſare Epiſcopus in votis reſeruatis Summo Pontif. quia à vera votorum reſeruatorum ratione deficiunt, poſſunt quoque ea à priuilegiatis commutari. ibidem num.15

Quando autem Epiſcopo diſpenſare conceditur ratione ſolius neceſſitatis immunitis, eò quod Apoſtolica Sedes adiri non poſſit, non poſſunt ea commutari per priuilegia. ibid.

Omnia vota quæ poteſt Epiſcopus ordinaria poteſtate extra caſum vrgentis neceſſitatis diſpenſare, poſſunt per Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, & Priuilegiorum commutari, & etiam diſpenſari, ſi iuſta cauſa ſubſit. ibidem num.16

Enumerantur hic omnia vota in quibus Epiſcopus, & regulares priuilegiati poſſunt diſpenſare. ibid.

Si quis ante matrimonium contractum, vel poſt, non tamen conſummatum religionem vouerit, non poſſunt regulares vi priuilegiorum diſpenſare cum illo, vt debitum petat, aut reddat. ibid.

In commutatione voti attendenda eſt maior dignitas materiæ ſubrogatæ, reſpectu ſolius materiæ promiſſæ, nulla tamen eſt habenda ratio vinculi voti. p.876.n.17

In commutatione voti non ſemper reputatur melius, aut æquale, quod ſuapte natura eſt tale, ſed quod hic, & nunc Deo gratius eſt, aut æquè gratum præſtari à vouente. ibidem.

Cùm dignitas materiæ promiſſæ augeatur ex dignitate finis, commutatio illius indigebit ſubrogatione præſtantioris materiæ. ibid.n.18

In commutatione voti habetur ratio difficultatis implendi rem promiſſam, ac materiam ſubrogatam. ibid.

In commutatione voti peregrinationis, duo ſunt conſideranda, & labor itineris, & expenſæ ratione peregrinationis faciendæ, ad materiæ ſubrogatæ æqualitatem. ibid.

Si quis peregrinaretur ad locum deſtinatum, ac mutata voluntate nollet redire, nulla expenſarum reditus commutatione egeret, quia reditum non vouit. ibid.

In commutatione votorum non requiritur ſimilitudo, itaut votum reale commutari debeat in reale, & perſonale in perſonale. p.877.n.19

Ad voti commutationem non eſt opus, vt materia ſubrogata ſit æqualis priori promiſſæ quoad magnitudinem, durationem, aut numerum, modò ſit æqualis in ratione obſequij diuini. ibid.

Commutatio voti conditionati poteſt fieri in votum abſolutum proportionatum, & ſi conditio nondum impleta ſit, poteſt fieri in minus bonum: Si poſt impletam conditionem debet fieri in æquale: idem eſt de voto pœnali conditionato. ibid.n.20

Quando non commutatur votum principale, ſed ſola conceditur dilatio illius implendi, aliquali commutatione debet ſupleri, modica tamen, & quo maior eſt dilatio, eo minor eſſe debet commutatio. ibid.n.21

In commutandis votis maximè attendenda eſt vouentis fragilitas, & curandum ne nimis grauetur. ibid.

Quando quis diuerſis votis varia ad caſtitatem pertinentia promiſit, poſſunt ſingula atque adeo omnia commutari, licet ex omnibus ſimul irritis conſurgat obligatio perfectæ caſtitatis, niſi per vltimum votum intendat quis ſe ad perfectam caſtitatem obligare. ibid.n.22

Quamuis votum caſtitatis, ſeu religionis emiſſum à perſona alterius poteſtati ſubiecta dicatur poſſe irritari, non inde ſequitur poſſe Epiſcopum in eo diſpenſare & confeſſarium illud commutare virtute priuilegij. ibidem num.23

Facultas regularium ſuper vota commutanda & diſpenſanda extenditur ad votum reſeruatum triplicis peregrinationis, quando expreſſus vouentis finis fuit non ad viſitanda ea loca, ſed ad alium finem. ibid.n.24

Quando Pontifex concedit omnia vota præter votum caſtitatis & religionis, cenſentur conceſſa vota triplicis peregrinationis, etſi non exprimantur; licet quidam non improbabiliter contrarium doceant. p.878.n.25

Epiſcopus & regulares poſſunt diſpenſare & commutare votum, quod ſit à vouente animo ſe obligandi, ad non petendam diſpenſationem illius niſi à Papa. ibid.n.26

Omnes habentes poteſtatem diminutiuam, poſſunt irritare vota ſubditorum, etiam inuitis vouentibus. ibidem. num.27

An autem diſpenſatio poſſit dari inuito vouente? Quidam negant, ſed melius alij affirmant: Commutatio verò non poteſt fieri inuito vouente. ibid.

Facultas regularium circa vota perſonarum ſæcularium non poteſt abeis ſubdelegari. ibid.n.28

Regularet occurrente iuſta cauſa, poſſunt dicere pœnitenti, *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille deſtinat tibi deſignauerit.* ibid.

Qui modo dicto obtinuit commutationem alicuius voti, quamdiu non eſt deſignata materia, in quam fit talis commutatio, non tenetur voto, ſecus ſi commutatio non ſit facta, ſed cauſa tantùm inchoata. ibid.

Non peccat Prælatus, aut quicumque alius habens facultatem diſpenſandi vota & commutandi, diſpenſando, nulla admixta commutatione, quando eſt ſufficiens talis diſpenſationis cauſa. ibid.n.29

Prælatus tenetur diſpenſare in voto, quando notabile bonum publicum, aut priuatum vouentis ſpirituale diſpenſationem exigit; nec commutatio ſufficit ad vitandum tale damnum. p.879.n.30

Delegatus, qui habet priuilegium diſpenſandi in fauorem alterius, puta per Bullam vel Iubilæum, ſi poſt ſui electionem & acceptationem deneget diſpenſationem, iuſtam cauſam habens pro ea concedenda, infidelis eſt & iniuſtus. ibid.

Delegatus habens priuilegium in ſui fauorem, non tenetur diſpenſationem concedere poſtulanti, eo quòd nemo teneatur ſuo priuilegio vti. ibid.

Epiſcopus & delegatus priuilegiatus poſſunt commutare vel diſpenſare in voto facto in fauorem tertij abſque conſenſu illius, in cuius fauorem & vtilitatem vergit votum, modo ab eo non fuerit acceptatum: contra quoſdam Canoniſtas. ibid.n.31

Probabilius eſt Prælatos potentes diſpenſare, conferi facto ipſo diſpenſare, quoties admittunt ad aliquem actum, cum, quem ſciunt impedimentum iuris habere illum, vt ſi admittant ad matrimonium eum, quem ſciunt votum abſtinendi ab illo emiſiſſe. ibid.n.32

Idem dicendum eſt in irritatione votorum, non autem in commutatione. ibid.

Vt Epiſcopus poſſit diſpenſare in votis, non requiritur conſtitutio veri domicilij, cum animo permanendi in eius diœceſi, ſeu habitandi, ſed ſatis eſt, ſi fideles ibi habitent cum animo permanendi maiori anni parte. ibidem. num.33

Vagorum vota poſſunt diſpenſari ab Epiſcopo vbi inueniuntur, quia nullibi habent domicilium. ibid.

Vſucapio.

Ad vſucapiendum cauſa aliqua poſſeſſionis requiritur: vnde in iure ponuntur quidam rituli, quibus res vſucapi poteſt, videlicet pro ſoluto, pro emptore, pro hærede, pro donato, &c. v. Præſcriptio. p.667.n.2

Vſufructus.

Publicatis bonis ob vſufructuarij delictum, cenſetur publicatus vſusfructus, quem delinquens habebat & quatenus ipſe eo frui & potiri poterat, vel debebat, v. Fiſcus. p.351. num.6.

Quando bona delinquentis publicentur ob capitis diminutionem, ſeu quando delinquens traditur in perpetuum carcerem, vel ad triremes, vel exilium, tunc non confiſcatur vſusfructus, ſed conſolidatur cum proprietate. ibidem.

Quando

Quando prohibita est alienatio vſusfructus in fauorem alicuius,tunc non confiscatur vſusfructus,ſecus ſi in fauorem delinquentis. ibid.
Proprietas aduentitiorum non publicatur ob paternum crimen, imò nec quoad vſumfructum , quoties pater ante delictum eum remiſerat. ibid.n.8
Si filius fiat ſui iuris non ſolùm acquirit vſumfructum bonorum aduentitiorum acquiſitorum poſt condemnationem patris,verùm etiam eorum , quæ filius ante delictum patris acquiſierat. ibid.
Vſumfructum bonorum aduentitiorum acquirit filius ſtatim ac ipſius pater ſit hæreticus. ibid.
Legatum vſusfructus vel alimentorum relictum vxori à viro, expreſſa conditione quamuis tranſeat ad ſecundas nuptias, non amittitur per tranſitum ad tertias & vlteriores, v Legatum. p.476.n.7
Si res mobilis furto auferatur ex vſufructuario , agit vſufructuarius aduerſus furem quoad valorem præcisè vſusfructus, & proprietarius quoad valorem præcisè proprietatis,v.Actio. p.31.n.13
Fructus ſi auferantur furto à re immobili , cuius vſufructus ad aliquem ſpectat,actio aduerſus furem ſoli vſufructuario competit. ibid.

Vſus fori.

Vſus fori non conſtituitur à duobus vel paucioribus , ſed ab omnibus vel pleriſque contrahentibus citra omnem fraudem vel dolum, deberéque iudicari ius à peritis & prudentibus in ea arte,tali loco & tempore,aliiſque circumſtantiis inſpectis, v.Emptio. p.279.n.7
Ad vſum & fori communem omnium æſtimationem in pretiis, exiguntur tria. ibid.
Vſus & fori communis omnium æſtimatio ex ipſa hora omninò currenti , in qua celebratur contractus ſumenda eſt. ibid.
Vſus fori, iuſtúmque illius pretium non ſunt ſumenda ex loco, in quo contrahentes inter ſe conueniunt de rei alicuius venditione, neque ex loco , in quo fit illius ſolutio , ſed ex loco, in quo res ipſa venalis actu & reipſa traditur ementi illam. ibid.

Vtilitas Monaſterij.

In vtilitatem Monaſterij dicentur fieri alienationes , ſi pretium conuertatur in rem duraturam , puta in emptionem rei ſtabilis,&c. etiamſi vtilitas prouieniens ex tali alienatione non ſit perpetua , ſed temporalis : & ſufficit,quod tempore contractus dicatur vtilis,licet poſtea efficiatur deterior, v. Alienatio. p.50.n.18
Vtilitas Monaſterij & licentia Superioris concurrere debent, Vt religioſus poſſit eſſe arbiter. Nomine autem vtilitatis Monaſterij , quidam intelligunt eam vtilitatem debere eſſe directam,ſed probabilius eſt ſufficere vtilitatem eam indirectam Monaſterij indigentis ad magnam ſubleuandam paupertatem & æs alienum ſoluendum , v. Arbiter. p.64. n.1. & v. Procurator. p.697.n.13
Vtilitas Monaſterij & licentia Superioris concurrentibus , poteſt religioſus quemcumque accuſare , v. Regulares. p.71. *num* 21.

Vxor.

Si vxor defuncti concurrat ad accuſandum cum aliis conſanguineis mariti, aut cum hæredibus illius extraneis ; quando illa ſola non eſſet hæres mariti ; tunc admittendi ſunt hæredes mariti ex teſtamento ; aut ab inteſtato vna cum illa ad accuſandum, neque ſufficit remiſſio talis vxoris , ſine remiſſione hæredum, neque remiſſio hæredum abſque remiſſione vxoris,v. Accuſatio. p.27.n.8
Vxor à viro recedens ob nimiam caſtigationem, alenda eſt à viro,ſecus ſi moderata ſit,v. Alimenta. p.54.n.12
Vxor tenetur maritum ſuum egentem culpa ſua alere,ſi inops ſit. ibid.n.13
Vxor alenda eſt à viro,quando dos fortuito caſu periit:at quando culpa vxoris publicata fuit , ſi parentes in facultatibus ſint, vt ipſam alere valeant,tenentur ; ſi autem parentes pauperes ſint,tenebitur vir. ibid.p.55.n.18
Vxor non tantùm ante matrimonium , ſed etiam eo conſtante poteſt dotem conſtituere viro. Si tamen vir conſtante matrimonio dotet vxorem non valet, verb. Dos. pag. 249.n.1
Vxor in ſeptem caſibus poteſt ludere & pendere , & qui ludit cum ea poteſt licitè ſibi retinere lucrum, quod ab ea acquiſiuit,v. Ludus. p.505.n.9
Vxor de iure communi poteſt ſibi eligere ſepulturam : ſi tamen ſepulchrum non elegerit, ſepelienda eſt in ſepulchro viri. Si mulier duos vel tres viros habuerit , ſepelienda eſt in ſepulchro vltimi viri, v.Sepultura. p.778.n.14
Vxor,filij & ſerui vſurarij non habentis niſi bona fœneratitia & reſtitutioni obnoxia , conſtituti in extrema neceſſitate licitè poſſunt de huiuſmodi bonis vſuratiis victum & veſtitum capere,v.Mutuum. p.586.n.28
Extra caſum extremæ neceſſitatis , vxor & filij vſurarij non poſſunt ex bonis permanentibus per vſuram extortis, quorum dominium in vſuratium non tranſit , victum capere. ibid.
Vxor & filij vſurarij, qui ſuo labore ac induſtria tantùm lucri afferunt ad rem familiarem vſurarij impotentis ſoluere vſuras , quarum inſimunt , licitè poſſunt de bonis vſuratiè acquiſitis , decenter viuere. ibid. *num*.29. vbi plura.
Vxor tenetur amorem , honorem & obedientiam , marito exhibere in iis , in quibus ei ſubiecta eſt , verb. Parentes.pag. 618.n.7
Vxor poteſt abſque peccato in duobus caſibus ſe ingerere in adminiſtrationem domus. ibid.
Neque vxor , neque vir vouere aliquid poteſt , quod directè, vel indirectè tendat in præiudicium ſtatus matrimonialis, ſine alterius conſenſu : vxor tamen vouere poteſt ea , quæ non ſunt in præiudicium viri , ſicut è contra, v. Votum I. p.861.n.17
Vota vxoris ante matrimonium emiſſa , non poſſunt à viro directè irritari, ſed tantùm ſuſpendi. Similiter vota viri poſſunt ab vxore ſuſpendi,ſi damnum ſibi inferant,v.Votum II. p.873.n.9.

ELENCHVS

Titulorum huius Indicis, ſeu Repertorij.

A

Abas.
Abbatiſſa.
Abigeatus.
Abortus.
Abſens.
Abſolutio.
Acceptio perſonarum.
Accuſatio.
Actio.
Actor.
Adiuratio.
Adminiculum.
Adoratio.
Adulterium.
Aduocatus.
Ædificatio Eccleſiæ.
Æger.
Ætas.
Affinitas.
Agni Dei.
Aleatores.
Alienatio.
Alimenta.
Altare.
Ambitio.
Amentes.
Amiſſio beneficij.
Angeli.
Animæ Purgatorij.
Annus.
Appellare.
Apoſtaſia.
Aqua benedicta.
Aquæ ductus.
Arbiter. Arbitrium.
Arca Noë.
Archiepiſcopus.
Archidiaconus.
Archipresbyter.
Ars campſoria.
Articulus mortis.
Aſſaſſinium.
Aſſecuratio.
Aſtrologia.
Attentio.
Attritio.
Auaritia.
Auocatio cauſarum.
Augurium. Auſpicium.

B

Bannitus.
Baptiſmus quoad eius nomen , inſtitutionem & neceſſitatem.
Baptiſmus quoad eius ſubiectum & miniſtrum.
Baptiſmus quoad eius materiam & formam.
Baptiſmus quoad eius effectus & Ritus.
Barbitonſores.
Beati.
Bellum.
Benedictio.
Beneficiarij.
Beneficium regulare.
Beneficium , *qui de iure ad beneficia inhabiles ſint.*
Beneficium. *De beneficiorum vnionibus.*

Digitized by Google

ſtea deponit de veritate,&c. ibid.

Teſtis non dicetur varius, ſi ſtatim in iudicio corrigat propriam teſtimonij depoſitionem,tunc vltima eius depoſitio valida erit. ibid.

Teſtis varians in ſuis depoſitionibus torqueri poteſt, nec facit ſemiplenam per ſe dictum in tortura. ibid.

Vt teſtis torqueri poſſit requiritur quod fateatur ſe facto interuiſſe,& quod variatio ſit in ſubſtantialibus,ac etiam in cauſa criminali, & quod non ſit in dignitate conſtitutus, niſi in criminibus exceptis. ibid.

Teſtis, qui ſciens, vel ex craſſa ignorantia falſum teſtimonium dixit,tenetur in ſolidum omnia damna reſtituere: ſi tamen reus iam ſufficientiſſimè per alios teſtes erat conuictus,& teſtimonium eius nihil effecit,ad reſtitutionem non tenetur. ibid.n.15

Qui alios induxit ad falſum teſtimonium dicendum, tenetur ex iuſtitia eos monere,vt ſe retractent, quòd ſi nolint,tenetur eos,& totam ſuam machinationem,etiam cum periculo vitæ iudici aperire,vt innocens liberetur. ibid.n.16

Qui eos non induxit,nec fuit cauſa teſtimonij illorum, tenebitur ſolùm lege charitatis, & fraternæ correctionis eos monere,& ſi nolint,eos manifeſtare, non tamen cum vitæ periculo.modò ſpes ſit retractationem eſſe profuturam. ib.

Quando concurrunt plures falſi teſtes, & omnes ſunt efficax cauſa damni,& nullus eſt inductor, tenetur quilibet ſeorſum ſe retractare,etiam cum periculo vitæ, & quilibet in ſolidum tenetur reſtituere, ſi ſpes ſit retractationem eſſe profuturam,aliàs non. ibid.

Teſtis,qui pecunias accepit,vt verum fateatur,peccat,& tenetur eas reſtituere,licet iudex,vt rectam ferat ſententiam. p. 838.n.17

Quando teſtis accepit pecunias,vt falſum deponat,tenetur ad hæc acceptum reſtituendum in conſcientia ante vllam iudicis ſententiam, & inſuper tenetur parti reſtituere damnum illatum. ibid.

Teſtis poteſt licitè expenſas accipere,dum extra ſuum domicilium ad ferendum teſtimonium proficiſcitur: imò & damnum emergens, & lucrum ceſſans poteſt petere pro tempore,quo ſe detinuit cauſa ferendi teſtimonij. ibid.

Theſaurus.

De fide eſt in Eccleſia dari theſaurum, id eſt, abundantiam meritorum Chriſti, & Sanctorum exuberantium ſatisfactiones ipſiſmet Sanctis, & hominibus iuſtis debitas. V. Indulgentia. p.412.n.1

Theſaurus meritorum Chriſti diſpenſatur ab Eccleſia per ſacramenta, theſaurus autem ſatisfactionum Chriſti diſpenſatur ab Eccleſia extra ſacramenta. p.413.n.2

Theſauri indulgentiarum diſtributio data eſt Petro,& ſucceſſoribus eius. ibid.n.4

Titulus.

Titulus dominij ab ipſo dominio diſtinguitur, tanquam cauſa ab effectu: titulus enim eſt principium, baſis, radix,& veluti cauſa moralis,& fundamentum, quo naſcitur hoc dominium. V. Dominium. p.232.n.2

Titulus hic poteſt eſſe duplex, ſcilicet verus, vel præſumptus. ibid.

Tituli ad vſucapiendum, ſeu præſcribendum aſſignantur in iure,nempe pro ſoluto,pro emptore, pro hærede, pro donato,pro delicto, pro legato, pro dote, pro ſuo, pro tranſacto, pro iudicato,pro permutato,pro ſucceſſore. V. Præſcriptio. pag. 667.n.2. V. Beneficium VIII. p.119.n.9

Tonſura.

Tonſura clericalis eſt huius detonſio capitis ab Epiſcopo cæremoniis Eccleſiaſticis facta, quâ maſculus tyrocinio miniſteriorum Dei initiatur. V. Clericus. p. 157. n. 2. Vbi plura.

Tonſuræ primæ collatio ab Eccleſia poteſt irritari, quia non eſt ordo,& proinde nec ſacramentum. V. Ordo. p.604.n.1. & V. Sacramentum. p.760.n.4

Tortura.

Tortura reorum introducta eſt,non in pœnam delicti; ſed in ſubſidium probationis.nec poteſt adhiberi, niſi quando crimen eſt ſemiplenè probatum, vel præcedunt vrgentia indicia,& in criminibus grauioribus,quæ pœna mortis, mutilationis,vel triremium cattigandæ ſunt. p.838.n.1

In crimine hæreſis iudices ad torturam proniores eſſe debent, quia crimen eſt occultum, & facultas probationis deeſſe ſolet. ibid.

Tonſuræ non poteſt iudex ſubiicere reum ad extorquendam criminis confeſſionem, quando legitimè eſt conuictus per teſtes,etiamſi nolit crimen fateri: excipiuntur tamen duo caſus,in quibus tortura poteſt adhiberi. ibid.n.2

Reus torqueri poteſt, quando eſt ſemiplena probatio, vel indicia æquipollentia, quòd ſocios criminis habuerit: in crimine autem hæreſis ſine vllo indicio complicum infertur tortura ſuper complicibus. ibid.

Reus poteſt torturæ ſubiici, quando eſt fama publica, quòd ſit author criminis, modò ſit fama vehemens, & adminiculata. p.839.n.3

Indicium ſufficiens ad torturam eſt confeſſio rei extra iudicium,quæ ſit ſpontanea.Item aſſertio duorum, vel trium ſociorum cum iuramento. Item, fuga ſtatim patrato delicto antequam accuſetur,& citetur,maximè ſi coniungatur fama, & communis ſuſpicio, &c. ibid.n.4

In delictis occultis, & difficilis probationis ſufficiunt minora indicia,& non ita probata plenè ad torquendum. ibid.

Antequam iudex reum ſubiiciat torturæ,tenetur concedere illi indiciorum copiam, vt ſe defendere poſſit, præfinito certo termino ad ſe purgandum, etiamſi illam reus non petat, ſed non ſemper. ibid.n.5

Reo etiam propalanda ſunt nomina teſtium,non tamen in cauſa hæreſis,vt obſeruat praxis ſacræ Inquiſitionis. ibid.

Iudex regularis tenetur etiam dare reo ſubdito copiam indiciorum,etiamſi ipſe reus illam non petat. Tamen probabile eſt nomina teſtium non eſſe reuelanda, antequam tortura adhibeatur, ibid.n.6

Confeſſio facta in tortura non valet, minimè data operâ indiciorum,quando iudex tenetur illam dare abſque eo quod petatur, etiamſi poſtea ratificetur extra tormenta, & ex tali confeſſione non ſit puniendus reus. p.840.n.7

In caſibus verò in quibus non tenetur iudex dictam copiam dare non petenti, valet talis confeſſio, & hoc in cauſis regularium omninò ſeruandum eſt. ibid.

Vt regularis poſſit condemnari vi confeſſionis factæ in tortura, debet induci ad eam ratificandam poſt aliquod tempus, quale poſſet eſſe ſpatium trium dierum. ibid.

Licet iudices ſeculares poſſint iuſtè repetere tormenta in cauſis tamen regularium hoc non decet,niſi aliter ſuadeat,ſiue grauitas delicti, ſiue vehementia indiciorum de nouo ſuperuenientium longè maiorum prioribus. ibid.

Regulares mitiùs torquendi ſunt, tum ob metum excommunicationis,ſi excedatur in tortura,ac eius modo, tum ob reuerentiam ſtatus religioſi. ibid.

Tranſactio.

Qui habet bona vinculata,non poteſt tranſigere circa illa, nec compromittere: tranſactio autem fieri poteſt in delictis capitalibus,quæ pœna ſanguinis,imò & mortis digna ſunt, excepto adulterio,non verò in delictis aliis. p.840.n.1

Non poteſt tranſigere, aut compromittere procurator alicuius conſtitutus ad agendum,ac defendendum, niſi ad id habeat ſpeciale mandatum. ibid.n.2

Tranſactio valida eſt,alienatione prohibita, in quatuor caſibus. p.841.n.3

Tranſactio particularis,hoc eſt, circa rem particularem, vel res particulares in tranſactione expreſſas, non extenditur ad alias res. ibid.n.4

Quando tranſactio fuit particularis circa rem, ſi fuit vniuerſalis quoad actiones,tunc res illa peti ab eo non poteſt ex quacunque alia cauſa,ſeu titulo,quo de nouo competiatur ad ipſum pertinuiſſe. ibid.

Quando tranſactio eſt generalis,& eam antecedit petitio generalis,tunc intelligenda eſt tranſactio generaliter, etiam quoad incognita,quæ tunc non occurrebant: tamen tranſactio non extenditur ad res dolo occultatas. ibid.n.5

Tranſactio generalis ſequuta poſt petitionem particularem, ſi poteſt reſtringi ad ſola illa particularia contenta in petitione,non intelligitur de rebus aliis: ſecus ſi non poſſit reſtringi ſalua proprietate ſermonis: tunc tranſactio extenditur ad omnia. ibid.n.6

Ex tranſactione non debetur tributum,ſeu gabella,eſto pecunia detur alteri tranſigenti, vt à lite recedat: niſi fraus adeſſet,& ſimularetur tranſactio,cùm reuera ſit emptio,& venditio. ibid.

Compoſitio latiùs patet quàm tranſactio; eſt enim pactio de re aliqua,vel circa quam nulla eſt controuerſia,aut eſſe poteſt. ibid.n.7

Compoſitio diuidi poteſt in eam,quæ eſt de re,circa quam nullum eſt dubium, & in eam, de qua eſt dubium ad quem pertineat,vel pertinere in futurum debeat. ibid.n.8

Quando vnus contendentium aliquid tribuit alteri, quaſi in pretium,vt recedat à lite,vt condonet ius, quod prætendere poterat circa rem illam eſt tranſactio; quæ interuenire non poteſt in ſpiritualibus. ibid.

Quando amicabiliter lis componitur arbitrio prudentis,vt lites finiantur,& ſeruetur pax, ſiue diuidendo rem, aut emolumentum,aut aliunde compenſando; hæc compoſitio interuenire poteſt etiam in rebus ſpiritualibus, & beneficialibus. ibid.

Trebellianica.

Trebellianica dicitur à Trebellio authore, quæ debetur iure inſtitutionis, & quidem ſi hæres eſt inſtitutus in tota hæreditate cum onere eam reſtituendi alteri, detrahere poteſt quartam totius; ſi in dimidia cum ſimili onere detrahere poteſt quartam illius dimidij, &c. Ideo id ſtatutum eſt, ne vana ſit hæredis inſtitutio, & vt alliciatur ad acceptandum

&

Digitized by Google

& præstandum quod testator cupit impleri. Vide Legitima p.483.n.3

Tributum.

Trebellianica quarta in multis casibus cessat. ibid. n.11. Vide verb.Substitutio. p.818.n.10

Iustæ causæ imponendi tributa,gabellas,variæ solent numerari, vt pro bello,pro reparatione vrbium, pontium, prosustentatione Regis,aut Principi, secundùm eius statum,&c. omnes tamen causæ reducuntur ad vnam,scilicet , ad bonum publicum. V.Gabella.p.363.n.4.Vbi plura de Tributis.num.seqq.

Tutela, Tutor.

Religiosi non possunt esse tutores testamentarij, aut datiui , id enim eis à iure interdicitur. p.242.n.1

Verius est religiosos,nec posse tutelam legitimam susciperenec posse cogi accipere tutelam miserabilium personarum. ibid. num.2

Clerici in sacris Ordinibus constituti tutores, & curatores esse non possunt testamentaria, aut datiua tutela; legitima verò, quando proximiores sunt in gradu pupillo,esse possunt , sed non tenentur. ibid.n.3

Episcopus tutor, aut curator esse non potest, nisi miserabilium personarum;quarum etiam clerici tutores,aut curatores esse possunt,si alias earum bona perirent. ibid.

Qui debitor est minoris,aut furiosi , mente capti,aut prodigi, tutor aut curator illius esse non potest, sicut nec ille cui minor aliquid debet : si autem tutor,aut curator postea efficiatur debitor,aut creditor minoris,tunc debet ei adiungi alius. ibid.

Qui Regi est obligatus,iuravt bona ipsius Regi tacitè sint obligata,non potest esse tutor,aut curator. ibid.n.4

Miles, qui in militia est occupatus; & qui morbo perpetuo, vel alio simili impedimento est impeditus, nec tutor,nec curator esse potest : & quis excusatur à tutela , & cura alterius propter paupertatem,si tota sua industria , ac tempore indigeat ad seipsum sustentandum. ibid.

Tutor potest pupillum impuberem religioni offerre , vt in ea sub regulari disciplina viuat,modò non sit inuitus : quod etiam habet locum circa puellas impuberes. p.843.n.5

Tutor,& curator tenentur conseruare omnia iura, bona , & actiones sui pupilli,seu minoris,&c. Vnde tutores legitimi,alijque dati absque inquisitione satisdare, & cautionem præstare,tem pupilli saluum fore,antequam administrent: sed tutores,& curatores qui testamento sunt dati, non satisdant.ibid. num.6

Si ille, cui satisdationem exigere incumbit, illam non recipiat, aut recipiat minus idoneam, conceditur minori,mente capto, aut prodigo, actio aduersus illum , quantum ipsis intererat, idoneam esse receptam. ibid.

Bona curatoris,& tutoris tacitè sunt hypothecata minori , aut pupillo à puncto tutelæ aut curæ susceptæ. ibid.

Tutor,vel curator,qui pecuniam pupilli in suos vsus conuertit, tenetur ad restitutionem totius lucri cessantis , vel damni emergentis,quod inde passus est pupillus,vel minor: Imo tenentur hi ad restituendos fructus omnes , deductis expensis, quos ex bonis pupilli,seu minoris percipere poterant, sed sua culpa non perceperunt. ibid.n.7

Tutor,vel curator mobilia pupilli , quæ commodè seruari non possunt,potest sine iudicis decreto,vendere, permutare,atque alienare congruo tempore,& hoc in locis vbi existunt. ibid.

Tutela,aut cura iure communi finitur, 1. quando pupillus, aut pupilla ad annos pubertatis peruenit , 2. si impubes de consensu arrogetur , transit in potestatem patris arrogantis , 3. amittitur tutela morte,vel pupilli,vel tutoris , & capitis diminutione tutoris,4.si tutela sub conditione , aut ad certum tempus data sit,aduenientè conditione, aut finito tempore,5. quando tutor dissipat bona pupilli , &c. hic remouendus est. ibid.n.8

Quando tutela,aut cura finitur,rationem integram administrationis tutor,& curator reddere tenetur. ibid.

V

Vasallus.

VAsalli,seu feudatarij obligationes sunt, 1. vt præstet iuramentum fidelitatis domino,vel etiam obsequij,si ille obsequium imponat, 2. vt præstet obsequium promissum, 3. vt non alienet feudum absque domini directi consensu in casibus à iure non permissis , 4. vt dominum feudi admoneat, quando eum necessitas feudi alienandi cogit. V. Feudum. p. 337.n.5.Vbi plura.seqq.

Venefici , Venefica.

Venefici,vel veneficæ dicuntur,quæ inficiunt homines , & animalia venenosis rebus,quibus vtuntur ad interficiẽdos homines,& animalia,virtute Dæmonum,fœminæ appellantur striges;aliquando lamiæ, quandoque sagæ,seu incantatrices. V. Magia. p.513.n.2.Vbi plura.

Veritas.

Veritas in iuramento tribus modis considerari potest ; 1. in re tantùm,2. in mente tantùm,3. vtroque modo simul in re videlicet,& in mente iuranris,& illa tertia dicitur veritas perfecta,cùm nempe quis non solùm iurat veritatem , sed etiam eam in mente tenet.V.Iuramentum. p.459.n.5

Veritas quando deest iuramento aliorsum,semper est peccatum mortale in quacunque materia adhibeatur. ibid.n.6

Ex defectu veritatis consistentis in concordia vocis cum animo interiori faciendi quod promittitur , iuramentum promissorium semper est peccatum mortale, siue res quæ promittitur sit parua,siue magna. ibid. Vbi plura. n.7

Veritatem alteri celare per verba æquiuocationem,aut facti dissimulationem,non est per se malum, sed interdum licitum, si ob iustam causam fiat. V.Mendacium. p.543.n.5

Verba legis.

Quando verba legis plures habent sensus proprios,sed constat, quem sensum legislator intenderit, talis interpretatio facienda est,vt verba accipiantur iuxta sensum,qui magis conuenire potest rei,de qua agitur. V.Lex 11. p.498.n.27

Quando vterque sensus æquè conuenit rei , nec constat de intentione legislatoris,ideundus est legislator , vel eius successor,si pro legis interpretatione commodè adiri potest. ibid.

Quando verò legislator,vel ipsius successor commodè adiri nequeat,si verba duplicem habeant significationem æquè propriam,in pœnis benignior,& strictior pars explicanda est, in fauoribus verò latior. ibid.

In legum interpretatione potiùs sequenda est mens legislatoris, quam verba. ibid.n.26.

Verba legis,alteriusve dispositionis , in dubio si nihil aliud obstet, intelligenda sunt secundùm communem vsum,& acceptionem,quæ etiam proprietati præferenda est. ibid.

Propria verborum significatio anteponenda est impropriæ : & verba ad improprios sensus trahi non debent , nisi ratio vel necessitas cogat. ibid.

Quatuor causæ cogunt recedere,vel à communi,& vsitata , vel à propria verborum acceptione. ibid.

Verbum Dei.

Verbum Dei tripliciter diuiditur, 1.Verbum Dei aliud est,quod Deus per seipsum nullo alio tanquam nuntio, aut legato interueniente reuelat.Aliud est,quod Deus per alium tanquam legatum suum,loquitur,ac reuelat.V.Fides I. p.342.n.13

Verbum Dei aliud est scriptum,& aliud non scriptum , sed traditum. ibid.

Verbum Dei aliud est,quod publicam authoritatem habet , vt ab omnibus fidelibus recipi debeat, vt est testamentum vetus,ac nouum,&c.Alterum est, quod publicam authoritatem non habet;sed priuatim alicui à Deo reuelatum , & nondum Ecclesiæ satis contestatum est. ibid.

Vestes.

Vestes sacræ benedictionem anuttunt , & iterum benedicendæ sunt,quando ita scinduntur,aut franguntur , vt amplius ad vsum ad quem destinatæ erant, aptæ non sint , aut amplius priorem figuram non retineant. V.Benedictio. p.96.n.7

Vestes sacræ,quibus vtitur sacerdos in missa , præter decentem ornatum,quem repræsentant, habent etiam suas mysticas, & sacras significationes , diuinis mysteriis plenas. V. Missa 11. p.570.n.21

Vestium sacratum omissio in missa precisa inaduertentia , est peccatum mortale. ibid.n.22

Vestes prophanas virorum,aut mulierum illustrium, licet applicare ad sacrum vsum. ibid.n.23.

Vestibus prophanis,quæ sunt propriæ sæcularium , vt sunt vestes sericæ,aut auro ornatæ , quæ non decent statum religiosum,& paupertatem,vtens regularis, peccat mortaliter , nisi paruitas materiæ excuset.V.Regulares. p.712.n.10

Omnes vestes clerici coniugati extrinsecùs apparentes debent esse clericales,& honestæ, vt priuilegio aliquo gaudeat , & non satis est illi vna,aut altera veste clericali indui. V. Clericus. ibid.n.12

Vestes clericales , & tonsuram debet clericus coniugatus deferre tempore delicti commissi,vt quoad illud fori priuilegio gaudeat,nec satis erit eas postea assumere. ibid. p.713.n.13. Vbi plura.n.14.& 15.

Clericus in minoribus constitutus,si non incedat cum vestibus clericalibus , & tonsura , & non obseruet requisita Concilij Tridentini , gaudet priuilegio canonis , *Si quis suadente.* V. Excommunicatio V. p.324.n.2. Vbi plura. n.3.& 4.

Vicarius.

Vicarius ex tacito, vel expresso Principis, legis, aut Reipubl. consensu à iudice Ordinario loco sui constitutus , vt ex proprio suo tribunali vniuersaliter iurisdictionem vice sui exerceat , non est iudex delegatus, sed ordinarius. pag.844. num.1.

Vicariorum iurisdictio expirat mortuo principali , aut illo amoto ab officio ac iurisdictione : quod non contingit in aliis iudicibus ordinariis , qui non expirant eorum morte, qui

qui illos iudices constituerunt. ibid.n.2
Vicarij Generalis Episcopi iurisdictio suspenditur, suspensa iurisdictione Episcopi per ipsius excommunicationem, nempe, quando est denunciatus, vel notorius Clerici percussor: & hoc verum etiam quoad negotia cœpta. ibid.
Vicarius Generalis Episcopi habet iurisdictionem ordinariam; & quoties in aliquo decreto mentio fit Ordinarij, nisi subiecta materia aliud exposcat, intelligitur non tantùm Episcopus, sed etiam Vicarius eius Generalis, Vicarius Capituli Sede vacante, &c. p.845.n.3
Vicarij Episcopi, qui foranei dicuntur, non sunt Ordinarij, sed delegati ab Episcopo, aut ab ipsius Vicario. ibid.
Vicarij ipsi non possunt loco sui creare alios Vicarios Generales pro suo libito, possunt tamen ex causa, vt iuste absentiæ, aut ægritudinis, ad tempus modicum Vicarios creare, qui ex eodem tribunali iudicent. ibid.n.4
Quando Episcopus vnica commissione, dum constituit Vicarium committit illi aliquem, aut aliquos casus, est Vicarius ordinarius, etiam quoad casus commissos. Si autem diuisim, & seorsum committantur illi casus, est iurisdictio delegata, nisi in commissione fiat expressa mentio vicariatus. ibid.n.5
Vicarius Generalis Episcopi, si sit sacerdos, potest ex officio audire confessiones in tota diœcesi, & aliis licentiam audiendi concedere, quamuis non sit sacerdos. ibid.n.6
Vicarius Generalis Episcopi non potest licentiam exercendi Pontificalia alteri concedere in sua diœcesi, nisi speciale mandatum habeat. p.846.n.7
Vicarius Generalis Episcopi potest ex officio interesse matrimonio, & alij sacerdoti licentiam assistendi concedere, non autem Vicarius foraneus, nisi omnes causæ matrimoniales illi delegentur. ibid.n.8
Vicarius Generalis Episcopi potest remittere præuias denunciationes, quæ fieri debent in Ecclesia, de iis, qui contrahere volunt matrimonium, antequam illud contrahant, nisi Episcopus hanc facultatem dispensandi sibi reseruet. ibid.n.9
Vicarius foraneus non potest in his dispensare absque commissione speciali: Imò nec potest hanc facultatem Vicarius Generalis generaliter concedere, seu delegare, sed tantùm ad vnam, vel alteram causam. ibid.
Vicarius foraneus dicitur, qui iurisdictionem habet extra ciuitatem in qua est Episcopi sedes, in aliqua parte diœcesis eius tribunal non censetur idem quod Episcopi: ab eius sententia potest appellari ad Episcopum: non habet dignitatem. ibid.
Vicarius Generalis Episcopi ratione sui muneris non potest beneficia conferre, nisi Episcopus id ei specialiter commiserit: concessa autem tali facultate, potest tantùm ea conferre, quæ iure ordinario ad Episcopum spectant, non verò ea quæ iure speciali conferre potest. ibid.n.10
Vicarius non potest conferre beneficia ipsi Episcopo, à quo talem potestatem accepit; Vicarius enim vnam personam cum Episcopo facit: Limita, si Vicarius vt Ordinarius conferret, secus si vt delegatus. p.847.n.11
Substitutus à Vicario habente potestatem substituendi, potest conferre beneficia Vicario substituendi. ibid.
Vicarius habens specialem facultatem conferendi beneficia, potest ea conferre, cùm extra diœcesim existit. ibid.n.12
Vicarius debet creari idoneus scientia, ætate, & moribus, qui sit forensium rerum, & causarum peritus. Laicus autem non potest esse Vicarius, nec matrimonio iunctus. ibid.n.13
Vicarij Episcoporum possunt esse Prælati regulares, & religiosi de illorum licentia, si sint exempti: exceptis fratribus minoribus. ibid.n.14
Quorundam sententia est, Episcopum teneri constituere Vicarium, sed contrarium amplexata est sacra Rota. ibid.n.15
In generali Vicarij concessione conceduntur ea tantùm, quæ in generali mandato continentur, etiamsi clausulam Episcopus posuisset, *dantes & concedentes ei plenam & liberam potestatem*. Non tamen potuit Vicarius ea expedire, quæ speciale mandatum postulant. p.848.n.16
In commissione Vicariatus, non est necesse exprimere nominatim omnes casus, sufficit enim aliquos exprimi cum clausula generali, & ad omnia alia, etiamsi speciale mandatum exigant. ibid.
Inter Vicarium, & Delegatum est differentia; nam Delegatus est ille, cui iudex committit causam in locum suiipsius, & vices ipsius gerit: sed Vicarius est, quem superior constituit loco absentis, defuncti, vel impediti. ibid.n.17
Quando Vicarij constituuntur à Generalibus, aut Prouincialibus, itavt vice eorum ibi constituantur, habent iurisdictionem ordinariam, non delegatam. Vicarij autem conuentuum constituti à Prælato locali iurisdictionem tantùm delegatam habent, & non possunt subdelegare. ibid.
Vicariis constitutis à Generali, aut Prouinciali, omnia Priuilegia Prælatis localibus concessa, ipsis communicantur, imò tempore quo eorum durat officium videntur tales esse verè Prælati, nec possunt Superiores locales limitare eorum Vicariorum auctoritatem. ibid.
Vicarij constituti à Guardianis non sunt verè Prælati, nam in præsentia Guardianorum nullam habent auctoritatem; & si Guardianus moriatur, seu priuetur, statim desinunt esse Vicarij, quod non contingit in aliis Vicariis, qui instituti sunt à Prouinciali. ibid.
Vicarius constitutus à Guardiano potest ab ipso amoueri; secus si à Superiore maiore: hic enim non potest à munere Vicariatus amoueri inconsulto Superiore. ibid.

Vidua. Viduus.

Alimenta debita viduæ ab hæredibus viri, primo anno à morte viri, quo dotem consistentem in pecunia, aut aliis rebus mobilibus non restituunt, prout possunt, non debentur, si intra eum annum luctus, secundò nubat: Limita, nisi secundus vir ita egeat, vt vxori alendæ non sit, v. Alimenta. p.55.n.19
Quando hæredes mariti sunt in mora soluendi dotem, vidua potest in vtroque foro omne damnum ob dilationem illi subsecutum repetere, similiter & lucrum cessans, v. Mutuum. p.585.n.24
Quando ex dilatione solutionis doris vidua nullum interesse incurrit, potest percipere fructus pignoris, aut quantitatem ipsam pecuniariam, donec ei soluatur dos, modo concurrant tres conditiones. ibid.
Si viduus fœminæ, quam ducit, dotem constituat, credens esse Virginem, aliter nullatenus constituturus, nec cùm ad ipsam accessit, nouit virginitatis defectum, tenetur ea fœmina, iuxta aliquorum sententiam, dotem restituere. Sed alij dicunt hanc constitutionem dotis, esse donationem prohibitam inter coniuges, v. Dos. p.250.n.6

Virtus.

Virtus habet tres gradus: nam alia est vera, alia viua, alia perfecta: vera est inclinatio in bonum honestum, quatenus honestum, & hæc potest consistere cum peccato mortali, veniali & originali, v. Peccatum. p.639.n.2
Virtus viua est vera virtus in homine iusto, seu habente charitatem, quæ est vita animæ & omnium virtutum: & excludit peccatum mortale, sed consistit cum peccato veniali. ibid.
Perfecta virtus est viua in homine, cui nihil deest ad integram iustitiam; excludit omne peccatum, ac propterea omnibus reseruatur in patria; vnicâ exceptâ matre Dei, quæ in via perfectionem iustitiæ consecuta est. ibid.
Quamuis Sancti Patres in solis iustis agnoscant veras virtutes, cauendum est tamen ab hoc modo loquendi, nam à duobus Pontificibus damnata est hæc propositio. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* ibid.

Vis.

Vim licet afferre debitori, si non possit aliter res propria recuperari, quando illa extat in propria specie apud alterum, vnde potest tunc furripi, vel occultè, vel apertè etiam, & si quis resistat, poterit se armis defendere, v. Debitor. pag.201.n.6
Quando res non extat, sed tantùm est debita, tunc non licet aliquid aliud furripere violenter, & posset debitor rem suam armis defendere. ibid.

Visitatio.

Visitatio nihil aliud est, quàm excessus inquirere, & inquisitos castigare & emendare, atque obseruantiam obligationum iuxta cuiusque personæ, ac rei exigentiam, vbi adhuc viget, conseruare; & vbi deficit, in statum pristinum restituere. p.849.n.1
Ius visitandi & potestatem habet omnis Prælatus Ecclesiasticus, cui iurisdictio & administratio conuenit. ibid.n.2
Visitare possunt ac debent iure ordinario præter Romanum Pontificem, Legati à latere. Legati Pontificij, qui non sunt à latere, sed dicuntur nati. Legati autem, qui missi, siue Nuncij Apostolici vocantur, possunt quidem visitare, sed non debent, nisi visitandi onus eis sit specialiter impositum, vel necessitas postulet. ibid.
Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi ius visitandi habent: Decani autem, Archidiaconi, Archipresbyteri, Plebani & alij inferiores visitandi ius habent, si id longa consuetudine præscripserint. ibid.
Abbatibus, Prioribus, Generalibus, Prouincialibus, aliisque regularium Præfectis competit ius visitandi Monasteria sibi subiecta. Imò quædam Abbatissæ & Priorissæ visitare possunt Monasteria & alia loca sibi subiecta, per religiosos probatosque viros, & ibi cessabit officium Ordinarij. ibid.
Capitulum sede vacante potest visitare Ecclesias Episcopatui subiectas: imò Capitulum aliquando superstite adhuc Episcopo ex præscriptione vel priuilegio visitandi ius habet. ibidem.

Digitized by Google

Vicarius generalis Episcopi hoc in visitandi non habet, nisi specialiter id ab Episcopo sit commissum. ibid.

Visitator quilibet debet priùs visitare & emendare seipsum & familiam suam, eiiciendo priùs trabem de oculo suo, quam festucam de oculo fratris sui. ibid.n.3

Visitari possunt & debent à Summo Pontifice omnia regna, provinciæ, terræ & gentes, totus enim Christianorum orbis est Summi Pontificis Diœcesis. ibid.

In Ecclesia vinea potest Summus Pontifex per se vel per alios omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates & quascunque Ecclesiasticos cuiuscunque conditionis sint. ibid.

Visitat etiam Imperatorem & Reges quoscunque necnon alios Principes, Duces, Marchiones, &c. Iudices, cæterosque magistratus, sicut omnes Ecclesias tum Cathedrales, quàm Collegiatas, &c. ibid.

In Concilio Tridentino statuitur vt Patriarchæ, Primates metropolitani & Episcopi propriam diœcesim per seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, visitatorem, si quo annis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen, vt totam biennio per se vel visitatores suos, compleatur, visitare non prætermittant. p.850.n.4

Visitatio Ecclesiarum, quæ nullius sunt diœcesis, ad Episcopum etiam spectat, cuius Cathedralis Ecclesia est proximior. ibid.

Episcopi in visitatione suarum diœcesium incipere debent ab Ecclesiis Cathedralibus earum, & Capitulis Ecclesiarum ipsarum Cathedralium. ibid.n.5

Concilij Tridentini decreta non sustulerunt facultatem aliàs ex immemorabili obtentam consuetudine, Decano & Capitulo, singulares capituli ipsique subiectas personas cumulatiuè cum Episcopo, seorsim tamen ab eodem visitandi & corrigendi. ibid.

Non licet Episcopo visitationem aggredienti, proponere edicta, quibus subditi subeantur crimina detegere. ibid.

Hospitale nouiter fundatum, ipso fundatore superstite, visitari non potest, nisi habeat formam Ecclesiæ, aut sit fundatum authoritate Episcopi. ibid.n.6

In dubio præsumitur hospitale fundatum authoritate Episcopi, si locus ab antiquo sit in forma Ecclesiæ vbi sacerdotes celebrant, & cymbalum est constitutum super tectum, &c. ibid.

Non potest Episcopus visitare Hospitale, quando fundator in fundatione Episcopum à visitatione exclusit. ibid.

Iuxta Tridentinum, hospitalia & confraternitates, quæ sunt sub immediata Regum protectione, Episcopi visitare non debent sine eorum licentia. p.851.n.7

Episcopus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus visitat loca exempta Summo Pontifici immediatè subiecta: nisi talia loca sint subiecta alicui alteri Prælato, tunc Prælatus visitabit, non Episcopus. ibid.n.8

Episcopis non competit ius visitandi Ecclesias Ordinum militarium & aliorum regularium exemptorum. ibid.

Ecclesiæ regularium, quibus cura animarum secularium personarum est annexa, in concernentibus ipsam curam Ordinario sunt subiectæ, & ab eodem visitari possunt. ibid.num.9

Ordinarij possunt visitare capellas confraternitatum laicorum erectas in Ecclesiis regularium. p.852.n.10

Commendata monasteria, etiam Abbatiæ, Priuatus & Præposituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis obseruantia, ab Episcopis etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, annis singulis visitari debent. ibid.n.11

Ex Concilio Tridentino, vbi agitur de visitatione, aut morum correctione, proceditur omni & quacunque appellatione, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita remota, quæ executionem nullo modo impedire, aut suspendere potest. ibid.n.12

Quando Episcopi procedunt siue processu & sine scripeis, etiam carcerando & carceratos detinendo, si carcerati appellauerint potest iudex appellationis cognoscere de prætenso excessu in corrigendo: interim tamen non suspendetur executio eorum quæ ab Ordinario decreta sunt. ibid.

Si Episcopus formato processu & seruatis seruandis procedat, tunc à sententia definitiua tantùm admittitur appellatio, quæ suspendit iudicatum: Aliàs in causis visitationis aut correctionis morum, appellatio quoad effectum deuolutiuum tantùm admittitur. ibid.

Visitator Ecclesiasticus si excedat modum visitationis & correctionis veluti in exercendo potestatem triennalem, &c. à beneficio, tunc est locus appellationi, & sententia visitatoris non est exequenda appellatione remota. ibid.

Visitator siue sit Episcopus siue Prouincialis non potest impediri, quantumcumque suspectus sit, ne visitet ex officio visitatione generali & ordinaria, prout decreuit Paulus V. p.853.n.13.

Ex iure Canonico certum est posse iudicem Ordinarium ex iusta causa recusari; modo recusans seruet quæ in eodem iure sunt decreta. De iure autem ciuili sufficit dicere se iudicem habere suspectum dummodò iuret recusans se calumniæ causa illum non recusare. ibid.n.14

Regulares possunt recusare vt suspectum iudicem ordinarium ex iusta causa, quamuis quidam contrarium doceant. ibid. num.15

Si apud regulares adsit statutum de non recusando iudice Ordinario, intelligi debet de recusatione ex causa friuola, non autem ex causa iusta & graui. p.854.n.16

Statutum omninò tollens recusationem iudicis ex quacunque causa, videtur irritum, quia iniustum & contra iustitiam, bonum publicum & legem naturalem. ibid.

Visitatores debent quanto citius possunt se expedire ne grauent subditos suos, ex eorum. ibid.n.17.

Ecclesiæ inferiores visitantibus moderatas procurationes soluere tenentur, iuxta modum & qualitatem iure præstitam. ibid.

In visitatione præter procurationem ab Ecclesiis, nihil muneris accipere potest visitator; non tantùm ipse, sed nec etiam quisquam suorum, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ ac restituendi duplum infra mensem non obstante remissione partium. ibid.

Contra visitationem, iure communi vel speciali competentem, præscriptio multis modis contingere potest: præscriptio tamen tollens omnino visitationem nemini valet & iure probibetur: sed præscriptio, quæ visitationem transeat, vel aliis accumulat, admittitur. p.855.n.18.

Vnio beneficiorum.

Vnio est plurium beneficiorum seu Ecclesiarum à legitimo superiore facta annexio. v. Beneficium III. p.103.n.10

Vnio beneficiorum tripliciter fieri potest. 1. vt ex duobus vnum fiat; aut si ex duabus parochiis fiat vnica. 2. vt Ecclesia vna alteri subiiciatur. 3. fit vnio duarum Ecclesiarum, vtraque manente Episcopatu, vel parochiali, vt prius erat. Ibidem n. 2. vbi plura de hac vnione, per totum titulum.

Vitium.

Inter vitium peccatum & culpam est discrimen: vitium enim distinguitur à peccato & culpa in eo, quod vitium & in habitibus & in actibus virtuti contrariis, at peccatum & culpa solùm in actibus consistunt, v. Peccatum. p.639.n.1

Quodlibet vitium sufficiens ad faciendum matrimonij diuortium, sufficiens etiam est ad dissoluenda sponsalia, si post illa cognoscatur. v. Sponsalia. p.807.n.11

Votum I.

Voti nomen deductum esse videtur à voluntate vouentis, quasi à primo motiuo eo quod voluntas mouet rationem ad promittendum Deo aliquid circa ea, quæ eius voluntati subduntur. p.856.n.1

Votum solummodò fit Deo vel immediatè & expressè vel mediatè & tacitè, vt quando vota fiunt Sanctis. ibid.

Votum factum ex metu graui illato à causa intrinseca, validum est & obligatorium. Similiter quoties metus non est incussus gratia extorquendi voti, siue proueniat à causa naturali, siue libera, quantumuis grauissimus sit non irritat votum. p.857.n.2

Votum factum ex metu graui iniustè incusso à causa extrinseca, seu libera, id est ab homine, ad extorquendum votum, non est validum, sed irritum, nullam habens vim obligandi vouentem ad talem promissionem adimplendam. ibid.

Quando vouens non cognouit metum sibi incuti ad extorquendum votum, illud videtur validum, etiamsi minans haberet animum incutiendi metum ad talem finem. ibid.

Metus grauis seu eadem in virum constantem incussus iniustè gratia extorquendi voti, solo iure Ecclesiastico votum irritat, quamuis quidam velint, etiam iure naturali. ibid.n.3

Votum metu graui extortum non solùm iure naturæ, sed etiam Ecclesiastico est validum ab infideli emissum. ibid.

Votum est adimplendum, quando dubitatur an factum fuerit per metum grauem: probabile tamen est non esse obligatorium. ibid.n.4

Votum metu graui emissum & iuramento confirmatum, non obligat ratione iuramenti. p.858.n.5

Materia ad vouendum est sufficiens nec conueniens, quæ simpliciter est necessaria & necessariò sequitur à causa naturali, vt est votum de moriendo, &c. ibid.n.6

Opus malum seu illicitum mortaliter vel venialiter non potest esse materia voti. ibid.n.7

Votum multis modis potest esse illicitum. 1. promittendo opus malum, quod in se est illicitum. 2. promittendo opus bonum sed propter finem malum. 3. promittendo Deo aliquod opus bonum in gratiarum actionem pro re aliqua illicita obtenta. 4. promittendo aliquod bonum sed ob finem illicitum obtinendum. In his casibus votum est nullum & committitur peccatum. ibid.n.8

Digitized by Google

Quando quis promittit licitum pro petitione licita, ex causa tamen turpi pendente: hoc votum quamuis illicitum, est tamen validum, & obligatorium, si conditio adimpleatur. ibid. num. 9

Votum factum contra prius votum, seu iuramentum est validum, si vtrumque votum sit compossibile, itavt vnum alterum non impediat quoad executionem, & tenetur votens vtrumque votum adimplere, dum potuerit. ibid. n. 10

Quando votum secundum est incompossibile cum priori, & est Deo gratius, hoc est adimplendum. Si secundum est minus gratum Deo, seruandum est prius: si vtrumque votum est æquale, & ambo sunt incompossibilia, adimplere potest quodcumque voluerit. ibid.

Votum factum contra prius iuramentum, si sit incompossibile cum iuramento, seruandum est iuramentum. ibid.

Promissio de re aliqua contra prius votum non est valida, quia est de re illicita. Tamen gesta rei licitæ contra prius votum, regulariter loquendo, valida sunt, quamuis illicita. Idem dicendum de iuramento, nisi aliunde sint irrita. pag. 859. num. 11.

Votum rei bonæ, sed propter finem temporalem, seu indifferentem, non est validum, si finis ille sit ipsius rei promissæ principalis, & totalis. Contrarium tamen est etiam probabile. ibid. n. 12

Si quis rem bonam vouerat, tanquam medium, vt à Deo impetret rem temporalem, seu indifferentem, obligabitur voto. ibid.

Votum validum est, quo quis vouet aliquid, quod à principio est indifferens, aut malum, aut impossibile, aut contra consilia, si tempore executionis materia est apta, seu bonum possibile, aut consilius consonum. ibid. n. 13

Quamuis solus homo viator ex se, & ex natura rei possit Deo vota facere, tamen quilibet homo non potest validè votum facere, ex quo insurgat obligatio illud adimplendi. pag. 860. num. 14

Validè vouere non possunt iure naturæ omnes, & singuli infantes, & pueri antequam adepti sint vsum rationis, nec amentes, nec stolidi, aut phrenetici, aut ebrij, quamdiu in tali statu sunt. ibid.

Ex iuris præsumptione ante septennium non præsumitur puer habere vsum rationis ad vouendum. ibid.

Post Concilium Trid. nemo potest voto religionis solemni obligari ante 16. annum expletum: nec sacris ordinibus initiari ante 22. ætatis annum: si tamen quis doli capax ante annos pubertatis ordinem sacrum susceperit, potest se obligare voto solemni continentiæ, & tale votum Ecclesia acceptat. ibid.

Vota parentum vouentium infantes religioni, non obligant infantes, nisi ipsi postquam ad annos discretionis peruenerint, tale votum libere & spontanè ratificauerint, vel approbauerint. ibid. n. 15

Seruus nullum votum reale potest validè emittere: nisi habeat aliqua bona, quæ à domino suo auferri non possint. Potest item illa vota emittere, quæ non impediunt dominium, & obsequium domini sui, nec irritari à domino poterunt. ibid. num. 16.

Neque vir, neque vxor vouere aliquid potest, quod directè, vel indirectè tendat in præiudicium status matrimonialis, sine alterius consensu. p. 861. n. 17

Vxor vouere potest ea, quæ non sunt in præiudicium viri, sicut è contra, vt sunt vota de non mentiendo, de non adulterando, & similia. ibid.

Episcopi non possunt vouere sine licentia Papæ, vel post Episcopatum votum emissum implere, per quod dissoluitur vinculum quo suæ Ecclesiæ sunt adstricti. ibid. n. 18

Nec possunt Episcopi, quippiam vouere, quod in graue suarum Ecclesiarum, quibus præsunt, detrimentum cedat, sine licentia Papæ, puta, longam aliquam peregrinationem. ibidem. Episcopus vouet religionem postquam iam est consecratus, tenetur petere licentiam à Papa, qua obtentâ tenetur votum implere; non obtenta autem liber est à voto. ibid.

Si Episcopus vouit religionis ingressum ante consecrationem suam tenetur priùs votum implere. ibid.

Si Episcopus vouet aliquam longam peregrinationem sine licentia, quamuis ad eam non teneatur, tenetur tamen ad expensas, quæ factæ fuissent eundo, & redeundo; laborem autem itineris, vigiliis, ieiuniis, & orationibus compensare debet: quamuis quidam hoc non approbent. ibid.

Votum molicæ peregrinationis, vel precum, vel abstinentiarum, possunt Episcopi emittere sine licentia Papæ. ibid.

Clerici in dignitate constituti, aut curam animarum, seu beneficia residentiam requirentia habentes, non possunt aliquam longam peregrinationem, aut aliquid aliud in detrimentum Ecclesiarum, quibus præsunt, sine licentia Episcopi vouere. Alia autem vota emittere possunt. ibid. n. 19

Possunt etiam hi votum religionis facere, & exequi, quantumuis contradicat Episcopus, nec tenetur ab eo licentiam petere, vt votum suum religionis exequantur. ibid.

Filiusfamilias pubes votum reale ante 25. annum emittere non potest, quin à parentibus irritari queat, vel à curatoribus: nisi habeat bona castrensia, vel quasi. p. 862. n. 20

Religiosi possunt votum emittere absque Superioris consensu, quamdiu Prælatus non commutauerit, dispensauerit, aut irritauerit. Si tamen aliquid regulæ repugnans vouerit, non potest votum exequi antequam Superior consentiat, & in regula dispenset. ibid.

Vota facta ab aliqua communitate pro se, & suis Successoribus, tenentur successores illius populi seruare, si de consensu Episcopi emissa sunt: & hoc non ratione voti, sed ratione consuetudinis acceptatæ, quæ vim legis habet. ibid. n. 21.

Donatarius non tenetur ad realia donantis vota, si donans sua vota præstare nequiuit, aut non sit soluendo, aut mortuus sit, etiamsi donatarius acceperit sciens donantem effici impotentem ob id ad persoluendum votum. ibidem. num. 22.

Hæres illius, qui professionem in religione approbata emisit, non tenetur ad vota realia religiosi professi, nisi fortè hæc vota priùs acceptata fuerint ab eo in cuius fauorem facta sunt. ibid. n. 23

Si religiosus tempore professionis expressè intenderit sua vota non extingui, nec in onera religionis commutari, probabilius est, nec monasterium, nec quemcumque alium hæredem teneri ea persoluere. ibid.

Quando vouens emisit votum reale simpliciter, & eo non adimpleto mortuus est, obligatio voti transmittitur ad hæredem postquam hæreditatem adiit. p. 863. n. 24

An autem obligetur hæres, si defunctus ante mortem expressè dixerit nolle hæredem ad ea vota teneri? Quidam negant, alij affirmant probabiliter. ibid.

Quando in voto pœnali clauditur vitatio alicuius rei, & solutio pœnæ, ea re non vitata, duplex votum est saltem virtute, alterum absolutum, alterum conditionale. ibidem, num. 25.

Quando votum fit de sola pœna, & res vitanda punitur sub conditione, in cuius euentu promittitur pœna, vt si quis vouerit religionem, si luserit, tunc est vnicum solius pœnæ subeundæ votum, casu quo ludatur. ibid.

Quando materia principalis voti, vel iuramenti verè pœnalis est inepta, non obligat votum pœnale: & idem dicendum, si esset votum solius pœnæ. casu quo verè pœnale est. ibid. n. 26

Quando auferrur principalis voti obligatio per irritationem commutationem, vel dispensationem ante incursum pœnam auferrur consequenter oblatio pœnæ. Secus si præmaricatio voti semel accidit, ideoque pœna contracta est. ibidem. num. 27.

Votum pœnale obligat ad pœnam toties quoties illud violauerit, quando vouens expressè illud intendit: E contra si expressit ad solam primam vicem, sola ea obligatur. ibidem. num. 28.

Quando vouens nihil expressit, sed absolutè dixit, voueo non ludere, & si ludero vouco dare centum in eleemosynam, tunc votens non solùm pro prima vice obligatur, sed semper & toties quoties præuaricabitur votum, si pœna iterabilis est, si verò iterari non soleat, de prima vice tantùm votum intelligendum est, vbi non constaret de alia expressa vouentis intentione. ibid.

Probabile tamen est, quando solum est votum de subeunda pœna in casu ludi, illud obligare tantum ad pœnam pro prima vice. ibid.

Quando transgressio voti pœnalis immunis est à culpa ratione obliuionis, excusatur etiam à pœna: idem dicendum si quis sit immemor pœnæ, votum transgreditur. p. 864. num. 29

Votum merè conditionale est, quando consensus non est statim perfectus, & absolutus, sed pendet ex futuro euentu posito sub conditione, & non quasi determinatione temporis, nec res promissa ponitur quasi odiosa pœna, & supplicium alicuius rei. ibid. n. 30

Votum conditionale aliquando est verè tale; aliquando autem tantùm apparenter. ibid.

Conditio, quæ in toto apponitur, aut est contra substantiam voti, aut est impossibilis, aut turpis, aut necessaria, aut contingens, & honesta. ibid.

Votum factum sub conditione contra naturam, & substantiam voti, aut rei, quæ voto promittitur, est inualidum. ibid.

Votum factum sub conditione impossibili, inualidum est; siue conditio impossibilis sit præsentis, siue præteriti, siue futuri temporis, etiamsi vouens reputaret eam conditionem possibilem. ibid. n. 31

Conditio turpis vt plurimum reddit votum inualidum, quando vouens cupit talem conditionem euenire: si tamen in aliquo casu vouens ad illam conditionem turpem non dirigat votum, illud esset validum. ibid. n. 32

Conditio necessaria non suspendit voti valorem, sed statim est perfectè obligans: si tamen tempus aliquod promissioni adiiciatur, non obligabit votum vsque ad id tempus. ibid.

Condi-

Conditio contingens futuri temporis, & honesta ſuſpendit voti obligationem, illudque verè conditionale reddit, non obligans, donec ea euenerit: ſed ſi votum conditionale ſit diſtinctuum, impleta vna parte obligat. p.865.num.33

Quando votum emittitur ſub pluribus conditionibus, & vovens intendit ſe obligare dependenter ab adimpletione omnium conditionum, deficiente vna, deſinit obligatio voti. ibid.n.34.

Si mens vouentis ſit ſe obligare dependenter diuiſiuè, obligabit votum, vna euaniente, etſi cæteræ deficiant. ibid.

Quando dubium eſt vtrò horum modorum intenderit ſe obligare, non tenetur quis ſtare voto, antequam adimpletæ ſint omnes conditiones appoſitæ copulatiuè per particulam &. Non verò diſiunctiuè, per particulam vel. ibid.

Conditio apponi debet in ipſo vouendi, ſeu promittendi actu, non poſtea. ibid.

Vouens aliquid ſub conditione futura, non poteſt aliquid facere, quo ſe reddat ineptum ad voti executionem, ſecuta conditione: Limitatur tamen hæc propoſitio dupliciter. ibid. num.35

Si aliquis per fraudem impediat, quominus conditio eueniat, an voto obligetur perinde, ac ſi conditio impleta eſſet? Probabile eſt quod non: ſed contrarium eſt probabilius. num.36

Qui ex profeſſo quidem non impedit conditionem in voti fraudem, ſed ex graui ſua negligentia eius euentum impedit, tenetur voto, ſed non ſemper. p.866.n.37

Qui vouit aliquid ſub conditione ſi alius ſibi conſuluerit, vel voluerit, non poteſt ab eo petere ne id conſulat, aut vt nolit, ne voto teneatur. ibid.n.38

Qui Deo vouet ſe ingreſſurum religionem ſub conditione conſenſus patris, ſtatim obligatur, & cenſetur impleta conditio, ſi pater re cognita voto conſentiat, licet poſtea diſſentiat. ibid.n.39

Qui votum religionis emiſit ſub conditione patris conſenſus, ſi de facto procuret precibus, & rationibus, ne pater conſentiat: An talis faciat contra votum? alij negant, alij affirmant. ibid.

Laudabile eſt & ſecundùm ſe bonum conſulere aliquibus ingreſſum religionis, imo etiam vt ſe obligent voto ad ingrediendum, ſed non ſemper, id aliquibus erit expediens: pag. 867.n.40

Qui votum religionis emiſit, tenetur facere quantum in ſe eſt, vt ad religionem admittatur, moralem diligentiam, & humano modo poſſibilem adhibendo: nec ſufficiet fictæ petitio, exteriùs manifeſta verbis, aut nutibus. ibidem, num.41

Qui vouit mori in religione, cenſetur votum religionis emiſiſſe, & profeſſionis, & perſeuerantiæ. ibid.n.42

Votum volendi ingreſſum religionis, non eſt votum religionis: vnde ſatisfiet huic voto habita ſemel ea firma voluntate, nec obſtabit matrimonio ineundo. ibid.

Qui vouit religionem, ad quam probabiliter putat ſe admittendum, ſi votum religioſis manifeſtet non tenetur manifeſtare: quamuis non ſit improbabile teneri. ibidem, num.43.

Vouens principaliter caſtitatem, & religionem, tenetur ad caſtitatem in ſæculo ſeruandam, etſi à voto religionis liber ſit, eo quòd non admittatur. ibid.n.44

Quando principaliter vouit religionem, & veluti acceſſoriè caſtitatem, liberatus voto religionis, liberatur quoque voto caſtitatis. ibid.

In dubio, an quis vouerit caſtitatem principaliter, & independenter à religione, conſideranda ſunt verba voti. ibid.

Habens votum religionis, & illam ingrediens animo exeundi, voto non ſatisfacit, ſed tenetur voluntatem mutare ex vi voti, & habere animum experiendæ religionis, num eius inſtitutum ſibi conueniat. p.868.n.45

Si quis intrauit religionem animo exeundi, cum voluntate tamen dandi operam, vt Deus immutet propoſitum ſuum, ſatisfaceret voto, aliter non. ibid.

Vouens ſe ingreſſurum religionem, & in ea perſeueraturum, ſeu profeſſurum, iuxta quoſdam Doctores, ſatisfacit voto ingrediendo bona fide ad religionem experiendam, & poſtea ex iuſta cauſa egrediendo, ſed verius eſt teneri ex vi voti perſeuerare, & profiteri: ſi autem expellatur, non teneri iterum ingredi. ibid.n.46

Verius eſt vouentem religionem abſolutè, nihil de exeundi libertate determinando, non ſatisfacere voto, recedendo ex ſola libertate nouitiis conceſſa, ſed exigi iuſtam exeundi cauſam. ibid.n.47

Quædam iuſtæ cauſæ adducuntur egreſſus, vt vouens religionem, & ab illa egrediens cenſeatur voto ſatisfeciſſe. p.869. num.48

Qui poſt votum religionis matrimonium contraxit cum animo conſummandi, peccat mortaliter: ſemel tamen conſummato matrimonio poteſt petere, & reddere debitum: at ſoluto matrimonio, vel legitimo diuortio facto, tenetur ingredi religionem. ibid.n.49

Qui vouit arctiorem religionem, ſi ingrediatur laxiorem, peccat quidem mortaliter, at ſi profiteatur, valida eſt profeſſio, & manet liber à voto ſtrictioris. ibid.n.50

Vt hic peccet ingrediendo laxiorem (in qua nimirum profiteri vouit) requiritur, vt non ſolùm vouerit ingredi ſtrictiorem, ſed etiam profiteri in ea: at quando non eſt votum profitendi in ſtrictiori, ſed tantùm ingrediendi, licebit quandoque in laxiori profiteri. ibid.

VOTVM II.

Quoad eius irritationem.

Irritatio votorum impropria, & indirecta ſuppoſita ſubiectione vndecunque orta, iure naturæ competit ſuperioribus. p. 870.n.1

Irritatio propria, & directa, quæ competit Prælatis religionum, Patri, Domino, Marito irritandi vota, ſecundùm communiorem ſententiam, non ex iure Canonico, vt volunt quidam, ſed ex iure naturali defendit. ibid.

Poteſtas irritandi, commutandi, vel diſpenſandi vota extenditur ad vota quantumuis ſolemna. ibid.n.2

Habentes dominatiuam poteſtatem irritandi vota, non ſolùm emiſſa, ſed etiam poſterum emittenda, poſſunt irritare, interdicendo ſubditis, ne ipſis inconſultis vota emittant. ibid.n.3

Quando ſuperior ſolùm vouendi actum interdixit, nihil circa materiam voti diſponens, culpa eſt vouere contra id præceptum, at votum eſt validum. ibid.

Varij variè ſentiunt, an Superiores poſſint irritare vota emiſſa tempore ſubiectionis, implenda tamen tempore illius ſolutæ? Probabilior tamen ſententia aſſerit, cum poteſtatem omnibus Superioribus habentibus dominatiuam poteſtatem competere. p.871.n.4

Verius eſt, quod quando poteſtas Superioris, cuius tempore votum emiſſum eſt, non eſt omninò extincta, aut omninò ſuſpenſa, ſed quoad aliquid manet, poteſt irritare votum ſubiectionis ſuæ tempore emiſſum, etſi illud iam tranſierit, dummodò eo tranſacto non ſit denuò confirmatum. ibid.n.5

Quando Superioris poteſtas eſt omninò extincta, aut omninò ſuſpenſa, non poteſt ille irritare vota ſubiectionis ſuæ tempore emiſſa. ibid.

Curator poteſt irritare puberum minorum vota omnia realia & mixta, quæ pater irritare poterat, dum tamen minor ætas durat, non poſt. p.872.n.6

Pater autem poteſt illa vota irritare quamdiu filius eſt ſub ſua poteſtate, etſi viginti quinque annum excedat. ibid.

Vota realia de peculio caſtrenſi, vel quaſi, non poteſt curator irritare: vota autem perſonalia puberum minorum præiudicantia gubernationi domeſticæ, quæ irritari poſſunt à patre, poſſunt etiam à curatore. ibid.

Quando plures minori curatores ſunt conſtituti, quilibet ipſorum poteſt eius vota irritare. ibid.

Curator datus maiori ratione prodigalitatis, poteſt irritare illius vota realia eo tempore cuius emiſſa tantùm, & non alia. ibid.n.9

Mater, quæ filiorum curatrix non eſt, nulla vota realia puberum poteſt irritare. ibid.n.8

Mater viuente, aut longè abſente patre nulla impuberis vota poteſt verè irritare, nec etiam defuncto patre, ſi impubes ille tutorem habeat: tamen in vtroque caſu poteſt mater vori obligationem ſuſpendere, quando ei vota illa præiudicant ex parte materiæ. ibid.

Mater poteſt quæcunque filij impuberis vota irritare, quando, aut pater obiit, aut ita longè abeſt, vt per epiſtolam conſultus, nequeat reſpondere longiſſimo tempore expectato, dummodò in neutro caſu ſit aliquis illius impuberis tutor. ibid.

Verius eſt filiis impuberibus, aut minoribus prætendentibus notabiliter ſe læſos in votis, non competere reſtitutionem in integrum. p.873.n.9

Vota ante ſubiectionem emiſſa nequeunt propriè, & directè irritari, ſed tantùm imperfectè, & indirectè, ſi eſt, ſuſpendi à poteſtate ſequenti dominatiua, quatenus obſequio ei debito præiudicant. ibid.n.10

Quando ſuperiores, qui non poſſunt perfectè irritare vota ante ſubiectionem emiſſa, ſed tantùm ſuſpendere, concedunt poſtea facultatem implendi, aut ceſſat eorum poteſtas, vota reuiuiſcunt, & pristinam obligandi vim recuperant. ibid.

Excipiuntur tamen vota ante religionis profeſſionem emiſſa, quæ ſi per profeſſionem non extinguantur, poſſunt poſt profeſſionem à Superioribus irritari non aliter, quàm ſi poſt profeſſionem emiſſa eſſent. ibid.

Poteſtas irritandi vota religioſorum competit Summo Pontifici: Epiſcopo nullectu non exemptorum, Generalibus, Prouincialibus, Superioribus localibus, Abbatibus, Prioribus, & Viſitatoribus, nihil aliàs iuriſdictio eſtet ad aliquos actus limitata. ibid.n.11

Hæc facultas non competit horum Prælatorum Vicariis, nisi in abſentia eorum, quando tota conuentus gubernatio ad ipſos ſpectaret, tanquam vice illius gerentes. ibid.

Superior Prælatus poteſt ſibi reſeruare aliquam votorum irritationem. ibid.

Licet Prælati religionum poſſint irritare vota ſuorum ſubditorum, hinc tamen excipienda ſunt vota, quæ vltra tria religionis ſubſtantialia emittuntur in aliquibus religionibus, ex approbatione Sedis Apoſtolicæ. ibid.

De Commutatione, & Diſpenſatione voti.

Commutatio, & redemptio voti differt à diſpenſatione: quia per diſpenſationem tollitur voti vinculum, non autem per commutationem, in qua ſola voti materia tranſmutatur, eodem vinculo manente. p.874.n.12

Poteſtas commutandi vota eſt iuriſdictionis ſpiritualis à Chriſto conceſſa, non autem à iure naturali poteſtas; & ad illam exigitur iuriſdictio in foro externo. ibid.n.13

Poteſtas commutandi vota in rem manifeſtè meliorem, vel euidenter æqualem, non eſt actus iuriſdictionis, ſed fieri poteſt proprio cuiuſque vouentis arbitrio. ibid.

Qui habent poteſtatem commutandi vota virtute Bullæ Cruciatæ Iubilæi, vel Priuilegiorum, poſſunt commutare vota facta intuitu obtinendæ commutationis virtute illorum trium. p.875.n.14

Quoties poteſt diſpenſare Epiſcopus in votis reſeruatis Summo Pontif. quia à vera votorum reſeruatorum ratione deficiunt, poſſunt quoque ea à priuilegiatis commutari. ibidem num.15

Quando autem Epiſcopo diſpenſare conceditur ratione ſolius neceſſitatis imminentis, eo quòd Apoſtolica Sedes adiri non poſſit, non poſſunt ea commutari per priuilegia. ibid.

Omnia vota quæ poteſt Epiſcopus ordinaria poteſtate extra caſum vrgentis neceſſitatis diſpenſare, poſſunt per Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilæi, & Priuilegiorum commutari, & etiam diſpenſari, ſi iuſta cauſa ſubſit. ibidem num.16

Enumerantur hic omnia vota in quibus Epiſcopus, & regulares priuilegiati poſſunt diſpenſare. ibid.

Si quis ante matrimonium contractum, vel poſt, non tamen conſummatum religionem vouerit, non poſſunt regulares vi priuilegiorum diſpenſare cum illo, vt debitum petat, aut reddat. ibid.

In commutatione voti attendenda eſt maior dignitas materiæ ſubrogatæ, reſpectu ſolius materiæ promiſſæ, nulla tamen eſt habenda ratio vinculi voti. p.876.n.17

In commutatione voti non ſemper reputatur melius, aut æquale, quod ſuapte natura eſt tale, ſed quod hic, & nunc Deo gratius eſt, aut æquè gratum præſtari à vouente. ibidem.

Cùm dignitas materiæ promiſſæ augeatur ex dignitate finis, commutatio illius indigebit ſubrogatione præſtantioris materiæ. ibid.n.18

In commutatione voti habetur ratio difficultatis implendi rem promiſſam, ac materiam ſubrogatam. ibid.

In commutatione voti peregrinationis, duo ſunt conſideranda, & labor itineris, & expenſæ ratione peregrinationis faciendæ, ad materiæ ſubrogatæ æqualitatem. ibid.

Si quis peregrinaretur ad locum deſtinatum, ac mutata voluntate nollet redire, nulla expenſarum reditus commutatione egeret, quia reditum non vouit. ibid.

In commutatione votorum non requiritur ſimilitudo, itaut votum reale commutari debeat in reale, & perſonale in perſonale. p.877.n.19

Ad voti commutationem non eſt opus, vt materia ſubrogata ſit æqualis priori promiſſæ quoad magnitudinem, durationem, aut numerum, modò ſit æqualis in ratione obſequij diuini. ibid.

Commutatio voti conditionati poteſt fieri in votum abſolutum proportionatum, & ſi conditio nondum impleta ſit, poteſt fieri in minus bonum: Si poſt impletam conditionem debet fieri in æquale: idem eſt de voto pœnali conditionato. ibid.n.20

Quando non commutatur votum principale, ſed ſola conceditur dilatio illius implendi, aliquali commutatione debet ſupleri, modica tamen, & quo maior eſt dilatio, eo minor eſſe debet commutatio. ibid.n.21

In commutandis votis maximè attendenda eſt vouentis fragilitas, & curandum ne nimis grauetur. ibid.

Quando quis diuerſis votis varia ad caſtitatem pertinentia promiſit, poſſunt ſingula atque adeo omnia commutari, licet ex omnibus ſimul iunctis conſurgat obligatio perfectæ caſtitatis; niſi per vltimum votum intendat quis ſe ad perfectam caſtitatem obligare. ibid.n.22

Quamuis votum caſtitatis, ſeu religionis emiſſum à perſona alterius poteſtati ſubiecta dicatur poſſe irritari, non inde ſequitur poſſe Epiſcopum in eo diſpenſare & conſectarium illud commutare virtute priuilegij. ibidem.num.23

Facultas regularium ſuper vota commutanda & diſpenſanda extenditur ad votum reſeruatum triplicis peregrinationis, quando expreſſus vouentis finis fuit non ad viſitanda ea loca, ſed ad alium finem. ibid.n.24

Quando Pontifex concedit omnia vota præter votum caſtitatis & religionis, cenſentur conceſſa vota triplicis peregrinationis, etſi non exprimantur; licet quidam non improbabiliter contrarium doceant. p.878.n.25

Epiſcopus & regulares poſſunt diſpenſare & commutare votum, quod ſit à vouente animo ſe obligandi, ad non petendam diſpenſationem illius niſi à Papa. ibid.n.26

Omnes habentes poteſtatem diminutiuam, poſſunt irritare vota ſubditorum, etiam inuitis vouentibus. ibidem.num.27

An autem diſpenſatio poſſit dari inuito vouente? Quidam negant, ſed melius alij affirmant: Commutatio verò non poteſt fieri inuito vouente. ibid.

Facultas regularium circa vota perſonarum ſæcularium non poteſt abeas ſubdelegari. ibid.n.28

Regulares occurrente iuſta cauſa, poſſunt dicere pœnitenti, *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille doctus tibi deſignauerit.* ibid.

Qui modo dicto obtinuit commutationem alicuius voti, quamdiu non eſt deſignata materia, in quam fit talis commutatio, non tenetur voto, ſecus ſi commutatio non ſit facta, ſed cauſa tantùm inchoata. ibid.

Non peccet Prælatus, aut quicumque alius habens facultatem diſpenſandi vota & commutandi, diſpenſando, nulla admixta commutatione, quando eſt ſufficiens talis diſpenſationis cauſa. ibid.n.29

Prælatus tenetur diſpenſare in voto, quando notabile bonum publicum, aut priuatum vouentis ſpirituale diſpenſationem exigit; nec commutatio ſufficit ad vitandum tale damnum. p.879.n.30

Delegatus, qui habet priuilegium diſpenſandi in fauorem alterius, puta per Bullam vel Iubilæum, ſi poſt ſui electionem & acceptationem deneget diſpenſationem, iuſtam cauſam habens pro ea concedenda, infidelis eſt & iniuſtus. ibid.

Delegatus habens priuilegium in ſui fauorem, non tenetur diſpenſationem concedere poſtulanti, eo quòd nemo teneatur ſuo priuilegio vti. ibid.

Epiſcopus & delegatus priuilegiatus poſſunt commutare vel diſpenſare in voto facto in fauorem tertij abſque conſenſu illius, in cuius fauorem & vtilitatem vergit votum, modò ab eo non fuerit acceptatum: contra quoſdam Canoniſtas. ibid.n.31

Probabilius eſt Prælatos potentes diſpenſare, cenſeri facto ipſo diſpenſare, quoties admittunt ad aliquem actum, eum, quem ſciunt impedimentum iuris habere illum, vt ſi admittant ad matrimonium eum, quem ſciunt votum abſtinendi ab illo emiſiſſe. ibid.n.32

Idem dicendum eſt in irritatione votorum, non autem in commutatione. ibid.

Vt Epiſcopus poſſit diſpenſare in votis, non requiritur conſtitutio veri domicilij, cum animo permanendi in eius diœceſi, ſeu habitandi, ſed ſatis eſt, ſi fideles ibi habitent cum animo permanendi maiori anni parte. ibidem.num.33

Vagorum vota poſſunt diſpenſari ab Epiſcopo vbi inueniuntur, quia nullibi habent domicilium. ibid.

Vſucapio.

Ad vſucapiendum cauſa aliqua poſſeſſionis requiritur: vnde in iure ponuntur quidam tituli, quibus res vſucapi poteſt, videlicet pro ſoluto, pro emptore, pro hærede, pro donato, &c. v. Præſcriptio. p.667.n.2

Vſufructus.

Publicatis bonis ob vſufructuarij delictum, cenſetur publicatus vſusfructus, quem delinquens habebat & quatenus ipſe eo frui & potiri poterat, vel debebat, v. Fiſcus. p.351.num.6.

Quando bona delinquentis publicantur ob capitis diminutionem, ſeu quando delinquens traditur in perpetuam carcerem, vel ad triremes, vel exilium, tunc non confiſcatur vſusfructus, ſed conſolidatur cum proprietate. ibidem.

Quando

Quando prohibita eſt alienatio vſusfructus in fauorem aliorum, tunc non confiſcatur vſusfructus, ſecus ſi in fauorem deliquentis. ibid.
Proprietas aduentitiorum non publicatur ob paternum crimen, imò nec quoad vſumfructum, quoties pater ante delictum eum remiſerat. ibid.n.8
Si filius fiat ſui iuris non ſolùm acquirit vſumfructum bonorum aduentitiorum acquiſitorum poſt condemnationem patris, verùm etiam eorum, quæ filius ante delictum patris acquiſierat. ibid.
Vſumfructum bonorum aduentitiorum acquirit filius ſtatim ac ipſius pater fit hæreticus. ibid.
Legatum vſusfructus vel alimentorum relictum vxori à viro, expreſſa conditione quamuis tranſeat ad ſecundas nuptias, non amittitur per tranſitum ad tertias & vlteriores, v Legatum. p.476.n.7
Si res mobilis furto auferatur ex vſufructuario, agit vſufructuarius aduerſus furem quoad valorem præcisè vſusfructus, & proprietarius quoad valorem præcisè proprietatis, v. Actio. p.31.n.13
Fructus ſi auferantur furto à re immobili, cuius vſufructus ad aliquem ſpectat, actio aduerſus furem ſoli vſufructuario competit. ibid.

Vſus fori.

Vſus fori non conſtituitur à duobus vel paucioribus, ſed ab omnibus vel pleriſque contrahentibus citra omnem fraudem vel dolum, debetque iudicari ius à peritis & prudentibus in ea arte, tali loco & tempore, aliſque circumſtantiis inſpectis, v. Emptio. p.279.n.7
Ad vſum & fori communem omnium æſtimationem in pretiis, exiguntur tria. ibid.
Vſus & fori communis omnium æſtimatio ex ipſa hora omninò currenti, in qua celebratur contractus ſumenda eſt. ibid.
Vſus fori, iuſtúmque illius pretium non ſunt ſumenda ex loco, in quo contrahentes inter ſe conueniunt de rei alicuius venditione, neque ex loco, in quo fit illius ſolutio, ſed ex loco, in quo res ipſa venalis actu & reipſa traditur ementi illam. ibid.

Vtilitas Monaſterij.

In vtilitatem Monaſterij dicuntur fieri alienationes, ſi pretium conuertatur in rem duraturam, puta in emptionem rei ſtabilis, &c. etiamſi vtilitas prouenions ex tali alienatione non ſit perpetua, ſed temporalis: & ſufficit, quod tempore contractus dicatur vtilis, licet poſtea efficiatur deterior, v. Alienatio. p.50.n.18
Vtilitas Monaſterij & licentia Superioris concurrere debent, Vt religioſus poſſit eſſe arbiter. Nomine autem vtilitatis Monaſterij, quidam intelligunt eam vtilitatem debere eſſe directam, ſed probabilius eſt ſufficere vtilitatem eam indirectam Monaſterij indigentis ad magnam ſubleuandam paupertem & æs alienum ſoluendum, v. Arbiter. p.64. n.1. & v. Procurator. p.697.n.13
Vtilitas Monaſterij & licentia Superioris concurrentibus, poteſt religioſus quemcumque accuſare, v. Regulares. p.714. num 21.

Vxor.

Si vxor defuncti concurrat ad accuſandum cum aliis conſanguineis mariti, aut cum hæredibus illius extraneis; quando illa ſola non eſſet hæres mariti; tunc admittendi ſunt hæredes mariti ex teſtamento, aut ab inteſtato vna cum illa ad accuſandum, neque ſufficit remiſſio talis vxoris, ſine remiſſione hæredum, neque remiſſio hæredum abſque remiſſione vxoris, v. Accuſatio. p.27.n.9
Vxor à viro recedens ob nimiam caſtigationem, alenda eſt à viro, ſecus ſi moderata ſit, v. Alimenta. p.54.n.12
Vxor tenetur maritum ſuum bannitum culpa ſua alere, ſi inops ſit. ibid.n.13
Vxor alenda eſt à viro, quando dos fortuito caſu periit: at quando culpa vxoris publicata fuit, ſi parentes in facultatibus ſint, vt ipſam alere valeant, tenentur; ſi autem parentes pauperes ſint, tenebitur vir. ibid.p.55.n.18
Vxor non tantùm ante matrimonium, ſed etiam eo conſtante poteſt dotem conſtituere viro. Si tamen vir conſtante matrimonio dotet vxorem non valet, verb. Dos. pag. 249.n.1
Vxor in ſeptem caſibus poteſt ludere & perdere, & qui ludit cum ea poteſt licitè ſibi retinere lucrum, quod alea acquiſiuit, v. Ludus. p.505.n.9
Vxor de iure communi poteſt ſibi eligere ſepulturam: ſi tamen ſepulchrum non elegerit, ſepelienda eſt in ſepulchro viri. Si mulier duos vel tres viros habuerit, ſepelienda eſt in ſepulchro vltimi viri, v. Sepultura. p.778.n.14
Vxor, filij & ſerui vſurarij non habentis niſi bona fœneraticia & reſtitutioni obnoxia, conſtituti in extrema neceſſitate licitè poſſunt de huiuſmodi bonis vſurariis victum & veſtitum capere, v. Mutuum. p.586.n.28
Extra caſum extremæ neceſſitatis, vxor & filij vſurarij non poſſunt ex bonis permanentibus per vſuram extortis, quorum dominium in vſurarium non tranſit, victum capere. ibid.
Vxor & filij vſurarij, qui ſuo labore ac induſtria tantùm lucri afferunt ad rem familiarem vſurarij impotentis ſoluere vſuras, quamcum inſumunt, licitè poſſunt de bonis vſurariè acquiſitis, decenter viuere. ibid. num.19. vbi plura.
Vxor tenetur amorem, honorem & obedientiam, marito exhibere in iis, in quibus ei ſubiecta eſt, verb. Parentes pag. 618.n.7
Vxor poteſt abſque peccato in duobus caſibus ſe ingerere in adminiſtrationem domus. ibid.
Neque vxor, neque vir vouere aliquid poteſt, quod directè, vel indirectè tendat in præiudicium ſtatus matrimonialis, ſine alterius conſenſu: vxor tamen vouere poteſt ea, quæ non ſunt in præiudicium viri, ſicut è contra, v. Votum I. p.861.n.17
Vota vxoris ante matrimonium emiſſa, non poſſunt à viro directè irritari, ſed tantùm ſuſpendi. Similiter vota viri poſſunt ab vxore ſuſpendi, ſi damnum ſibi inferant, v. Votum II. p.873.n.9.

ELENCHVS

Titulorum huius Indicis, ſeu Repertorij.

A

Abbas.
Abbatiſſa.
Abigeatus.
Aborſus.
Abſens.
Abſolutio.
Acceptio perſonarum.
Accuſatio.
Actio.
Actor.
Adiuratio.
Adminiculum.
Adoratio.
Adulterium.
Aduocatus.
Ædificatio Eccleſiæ.
Æger.
Ætas.
Affinitas.
Agni Dei.
Aleatores.
Alienatio.
Alimenta.
Altare.
Ambitio.
Amentes.
Amiſſio beneficij.
Angeli.
Animæ Purgatorij.
Annus.
Appellare.
Apoſtaſia.
Aqua benedicta.
Aquæ ductus.
Arbiter. Arbitrium.
Arca Noë.
Archiepiſcopus.
Archidiaconus.
Archipresbyter.
Ars campſoria.
Articulus mortis.
Aſſaſſinium.
Aſſecuratio.
Aſtrologia.
Attentio.
Attritio.
Auaritia.
Auocatio cauſarum.
Augurium. Auſpicium.

B

Bannitus.
Baptiſmus quoad eius nomen, inſtitutionem & neceſſitatem.
Baptiſmus quoad eius ſubiectum & miniſtrum.
Baptiſmus quoad eius materiam & formam.
Baptiſmus quoad eius effectus & Ritus.
Barbitonſores.
Beati.
Bellum.
Benedictio.
Beneficiarij.
Beneficium regulare.
Beneficium, *qui de iure ad beneficia inhabiles ſint.*
Beneficium. *De beneficiorum omnibus.*

Elenchus.

Beneficium. *De beneficiorum informationibus & deuolutionibus*
Beneficium. *De beneficiis patronatu.*
Beneficium. *quoad formam seruandam in promissione beneficiorum.*
Beneficium. *De permutatione & resignatione beneficium.*
Beneficium. *De certis quibusdam modis quibus beneficia amittuntur.*
Bestialitas.
Blasphemia.
Bigamia.
Bona.
Bulla.

C

CAmbium. Canonicus. Canonissæ.
Canonica portio.
Canonizatio Sanctorum.
Caritas.
Capitulum.
Carcer.
Cardinalis.
Caminus.
Caritatis initium.
Casus fortuitus.
Catechismus.
Catechumenus.
Cauponæ.
Causa.
Cæcitas mentis.
Cæremoniæ.
Census.
Cæsio arborum.
Certitudo.
Cessio bonorum.
Charitas.
Charitatium subsidium.
Circumcisio.
Circumstantia.
Claus.
Clausula.
Clericus.
Cœcus.
Commodatum.
Commendatarij.
Commendationes Ecclesiarum.
Commendæ clericales & militares.
Compositio.
Communicatio indulgentiarum.
Communicatio priuilegiorum.
Communio sacra.
Communitas.
Compensatio.
Compossessorium.
Concilium.
Concordata.
Concubinarius.
Concursus.
Conditio.
Confessarius.
Confessio sacramentalis.
Confirmationis Sacramentum.
Confiscatio bonorum.
Cognatio spiritualis.
Cognatio legalis.
Consanguinitas.
Confessus.
Consilium.
Consuetudo.
Coniectura.
Coniux.
Consulens.
Contentio.
Contractus.
Contritio.
Contumelia.
Christus.
Contumax. Contumacia.
Creatura.
Crimen.
Criminis impedimentum.
Crux.
Cubicularius.
Curialis.
Cultus.
Cura. Curator.
Custos.

D

DAmnati. Damnum emergens.
Debitor. Debitum.
Debitum coniugale *primò*
Debitum coniugale *secundò.*
Delegatus.
Decanatus.
Decimæ.
Declarationes Cardinalium.
Decretum.
Decretales.
Degradatio.
Dæmones.
Defensio.
Delectatio.
Delegatus. Delegata potestas.
Delicatus.
Denunciationes matrimoniales.
Depositum.
Desperatio.
Deuotio.
Deus.
Dies.
Digestum.
Dignitas.
Dilatio moratoria.
Dilapidatio bonorum.
Dismembratio fructuum.
Dispensatio.
Disparitas cultus.
Distractio.
Distributiones.
Diuinatio.
Doctor.
Doctoratus.
Dolor.
Dolus.
Dominium.
Dominus.
Domicilium.
Donatio & Promissio.
Donatio inter coniuges.
Dos.
Dubium.

E

ECclesia. Ecclesiastici.
Emancipatio.
Electio.
Emphyteusis.
Emptio & venditio.
Epicheia.
Episcopus.
Error.
Eucharistia.
Euictio.
Excommunicatio, *quoad potestatem ferendi illam.*
Excommunicatio, *quoad illius quasdam effectus.*
Excommunicatio, *quoad eius cæremonias*
Excommunicatio Minor.
Excommunicatio *ob Clerici percussionem,*
Examen.
Exemptio.
Exorcismus.
Executor testamenti.
Exhæredatio.
Exhumatio corporum.
Expensæ.
Extrema-Vnctio.
Extraneus.

F

FAlcidia. Falsitas.
Fama.
Familia. Familiares.
Famulus.
Festum *quoad potestatem illud instituendi.*
Festum *quoad opera seruilia quæ licita sunt in die Festo.*
Feudum.
Fideiussio.
Fideicommissum.
Fides humana & Diuina.
Fides *quoad exteriorem actum fidei.*
Fictio.
Filius. Filia.
Fiscus.
Fœmina.
Forum.
Fratres Minores.
Fructus.
Fuga.
Furtum.

G

GAbellæ. Generalis.
Gratia.
Gratitudo.

H

HAbitus. Hæres. Hæreditas.
Hæresis. Hæreticus.
Hebetudo sensus.
Hercules.
Hermaphroditus.
Homicidium voluntarium & casuale.
Homicidium *quoad restitutionem.*
Honestas publica.
Honor.
Horæ Canonicæ. *Qui teneantur ad horas.*
Horæ Canonicæ, *quoad modum & formulam eas dicendi.*
Horæ Canonicæ, *quoad tempus & locum vbi debeant recitari.*
Horæ Canonicæ, *quoad restitutionem faciendam ob omissionem illarum: & de distributionibus.*
Hospites.
Hospitalia Ecclesiastica.
Humilitas.
Hypocrisis.

I

IActantia. Idololatria.
Ieiunium.
Ieiunium naturale.
Ignorantia.
Illegitimus.
Imagines sacræ.
Immunitas Ecclesiarum.
Impedimenta matrimonij.
Impotentia.
Impuberes.
Incantatio.
Incendiarij.
Incestus.
Incontinentia.
Indicium.
Indulgentia.
Indulgentia pro defunctis.
Infamia.
Infantes.
Infernus.
Infidelis. Infidelitas.
Infirmus.
Ingratitudo.
Ingressus religionis.
Inhabilitas.
Iniustitia. Iniuria.
Innocens.
Inquisitio.
Intemperantia.
Interdictum.
Interesse.
Interrentio.
Inuitus.
Irregularitas ex defectu.
Irregularitas ex delicto.
Irregularitas *quoad modos quibus tollitur.*
Iubilæus.
Iudex. Iudicium publicum.
Iudicium temerarium.
Iuramentum.
Iurisdictio.
Ius. Iustitia.
Ius Parochiale.
Ius patronatus.
Ius quæsitum.

L

LAicus. Laniæ.
Latro publicus.
Laudemium.
Lectores.
Legatum.
Legatus.
Legitima portio.
Legitimatio.
Leprosus.
Lex naturalis, vetus & Euangelica.
Lex humana.
Libellus repudij.
Libellus famosus.
Libellarius contractus.
Libertus.
Licentia.
Ligaminis impedimentum.
Lixiæ.
Litteræ.
Locatio & conductio.
Locus.
Lucrum cessans.
Ludus.
Lumen.
Luxuria.

M

MAgia. Maleficium. Maleficij impedimentum.
Magistratus.
Maledictio.
Mandans.
Mandatum.
Maritus.
Mater.
Materia voti.
Matrimonium *quoad eius naturam & proprietates.*
Matrimonium *quoad illius impedimenta.*
Impedimentum erroris.
Impedimentum voti.
Impedimentum Ordinis.
Impedimentum consanguinitatis.
Impedimentum cognationis spiritualis.
Impedimentum criminis.
Impedimentum cognationis legalis.
Impedimentum disparitatis cultus.
Impedimentum ligaminis.
Impedimentum publicæ honestatis.
Impedimentum affinitatis.
Impedimentum impotentiæ.
Matrimonium *quoad dispensationes impedimentorum illius.*
Medicus.
Melioramenta.
Membri defectus.
Mendacium.
Meretrix.
Meritum.
Metus.
Milites.
Minor.
Missa *vt est sacrificium.*
Missa *vbi variæ quæstiones de Missa*

Digitized by Google

Elenchus.

Miſſa proponuntur & reſponuntur.
Miſſa *quoad præceptum illam audiendi.*
Modalis donatio.
Molendinum.
Monaſterium.
Monetæ valor.
Monialis.
Monopolium.
Mons pietatis.
Mora.
Mors coniugis.
Motus proprius.
Mulier.
Muliones.
Mutus.
Mutuum & vſura.

N.

NAtiuitas. Neceſſitas.
Necromantia.
Negotia geſta.
Negotiatio.
Negligentia.
Nobiles.
Nomen Ieſu.
Notarius.
Notatio. Delegatio.
Nouiriatus. Nouitius.

O.

OBedientia. Oblationes.
Obligationes.
Obſtetrices.
Occaſio propinqua.
Occultum impedimentum.
Odium.
Officialis.
Officium.
Opinio.
Oratorium.
Ordinarius.
Ordinis Sacramentum.
Ordines Mendicantes.
Oſcula & amplexus.

P

PActum. Pallium.
Papa.
Parentes.
Parochia. Parochus.
Pater.
Patrimonium.
Patrinus.
Patronus.
Pauperes.
Paupertas religioſa.
Peccatum.
Peccatores.
Peculatus.
Peculium.
Penſio.
Percuſſio Cletici.
Peregrinus.
Peculium.
Peregrinationis votum.
Permutatio.
Perſeuerantia.
Pertinacia.
Permutatio beneficij.
Pietas.
Pignus & hypotheca.
Pœna.
Pœnitentia.
Pontificalium vſus.
Populus.
Poſſeſſio. Poſſeſſor.
Poteſtas.
Phyſiognomia.
Placita.
Plagiatus.
Precarium.
Preces.
Præcedentia.
Præcepeum.
Prædicatio.
Prælatus.
Præpoſitura.
Præſcriptio.
Præſtigium.
Præſtimonia.
Præſumptio.
Primitiæ.
Princeps.
Prioratus.
Priuatio.
Priuilegium.
Probatio.
Proceſſiones.
Procurationes.
Procurator.
Proceſſus.
Proditorium homicidium.
Profeſſio.
Profeſſio fidei.
Pueri.
Pupillus.
Purgatorium.

Q

QVarta Parochialis. Quæſtus.
Quinquennium.

R.

RApina.
Raptus.
Ratificatio.
Rebaptizans.
Receptio ad religionem.
Reclamatio.
Reconuentio.
Recuſatio iudicis.
Regulares.
Regulæ Cancellariæ.
Religio.
Reliquiæ Euchariſtiæ.
Reliquiæ Sanctorum.
Remiſſio delicti.
Renunciatio.
Repudiatio.
Res ſacræ.
Reſeruatio.
Reſpublica.
Reſcriptum.
Reſidentia.
Reſignatio.
Reſtitutio.
Reſtitutio in integrum.
Reſtrictio mentalis.
Retractus gentilitius.
Retrouenditio.
Reuerentia.
Reuocatio priuilegiorum.
Reus.
Rex.

S

SAcramentum. Sacramentalia.
Sacrilegium.
Sagæ.
Sacrificium.
Satisfactio.
Scandalum.
Schiſma.
Scriptura.
Scientia.
Seruitia.
Sententia.
Senex.
Secretum.
Sepultura.
Seruitus. Seruus.
Signum.
Simonia.
Simulatio.
Societas.
Socius criminis.
Solalis.
Solutio.
Sortes.
Spes Theologica.
Spolium Eccleſiaſticum.
Sponſalia.
Sponſalitia largitas.
Status.
Statutum.
Stillicidium.
Stipendium.
Stipulatio.
Studia.
Stuprum.
Stylus Curiæ.
Succeſſio.
Subrepcio.
Subſtitutio.
Suffragium.
Superſtitio.
Supplicatio.
Surdus.
Suſpectus.
Suſpenſio.
Suſpicio.
Synagoga.

T

TAbacum. Tabellio.
Tabernarij.
Taciturnitas.
Tactus.
Terra.
Tempus.
Teſtamentum.
Teſtis,
Theſaurus.
Titulus.
Tonſura.
Tortura.
Tranſactio.
Trebellianica.
Tributum.
Tutela. Tutor.

V

VAſallus. Venefici. Veneficæ.
Veritas.
Verba legis.
Verbum Dei.
Veſtes.
Vicarius.
Vidua. Viduus.
Virtus. Vis. Viſitatio.
Vnio beneficiorum. Vitium.
Votum primò.
Votum ſecundò.
Vſucapio. Vſusfructus.
Vſus fori.
Vtilitas Monaſterij.
Vxor.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google